Fc-b- 1/1

H.445

C. 3
C. B

BIBLIOTECA NAZIONALE ...
Fc.
b 1
1
Filol. Comp. Class.

4.

G

Digitized by Google

JOH. JACOBI HOFMANNI

LEXICON VNIVERSALE,

QVATVOR TOMIS DISTRIBVTVM.

N

DE Staten van Hollandt ende Weſt-Vrieſlandt, *doen te weeten*: Alſoo ons vertoont is by *Johannes du Vivie en Compagnie* Boekverkopers tot Leyden, hoe ſy Supplianten onder handen hadden te drucken ſeker Boeck, geintituleert *Johan. Jacob. Hofmanni Lexicon Univerſale in Fol.* welk werk niet ſonder merkelijke onkoſten en ſoude konnen ten eynde gebragt worden, waarom ſy Supplianten te raeden geworden haar ſelven te addreſſeren aan ons, ootmoedelijk verſoekende dat wy haar Supplianten geliefden te verleenen privilegie voor den tijd van vijftien agter een volgende Jaaren, te reekenen van den dagh dat dit boek ſoude voldruckt weſen, op het voorſz Boek, om het ſelve alleenlijk met ſecluſie van allen anderen te mogen drucken, doen drucken, uytgeven ende verkopen, met expres verbot, waar door aan allen ende een yegelijk buyten haar verboden wierd het voorſz Boek te drucken, naer te drucken, uyt te geven, te verhandelen ofte te verkoopen, ofte elders gedruckt zijnde 't ſelve niet te mogen in deze onſe Landen brengen, direct noch indirect, alles op ſekere groote peine by ons daar jegens te ſtellen; Soo iſt: dat wy de ſaeke en 't verſoek voorſz aangemerkt hebbende, ende genegen weſende ter bede van de Supplianten, uyt onſe regte wetenſchap, Souverainе Magt ende Authoriteyt, den ſelven Supplianten geconſenteert, geaccordeert, en geoctroyeert hebben, conſenteren, accorderen, ende octroyeeren mitsdeſen, dat ſy gedurende den tijt van vijftien eerſt achter een volgende Jaaren het voorſz. boek genaamt *Johan. Jacob. Hofmanni Lexicon Univerſale in Fol.* binnen den voorſz. onſen Landen, alleen ſullen mogen drucken, doen drucken uytgeven ende verkopen, verbiedende daer omme alle ende een yegelijk, het ſelve Boeck in 't geheel of ten deelen nae te drucken, ofte elders naegedruckt binnen den ſelven onſen Lande te brengen, uyt te geven ofte te verkopen, op verbeurte van alle de nae-gedruckte, ingebrachte ofte verkoghte exemplaeren, ende eene boete van drie hondert guldens daar en boven te verbeuren, te appliceeren een derde part voor den Officier die de Calange doen ſal, een derde part voor den armen, der plaatſe daer het caſus voorvallen ſal, ende het reſterende derde part voor de Supplianten, alles in dien verſtaande dat wy de Supplianten met deſen onſen Octroye wel willende gratificeeren tot verhoedinge van hare ſchaede door het naedrucken van het voorſz Boek, daar door in geenigen deele verſtaan den Inhoud van dien te authoriſeeren ofte advoueren, ende veel min het ſelve onder onſe protectie ende beſcherminge, eenigh meerder credit, aanſien ofte reputatie te geven, nemaer de Supplianten in cas daar inne yets onbehoorlijks ſoude influeren, alle het ſelve tot haaren Laſten ſullen gehouden weſen te verantwoorden, tot dien eynde wel expreſſelijk begeerende, dat by aldien ſy deſen onſen Octroye voor het ſelve Boek ſullen willen ſtellen daar van geen geabrevieerde ofte gecontraheerde mentie ſullen mogen maaken, nemaar gehouden ſullen weſen het ſelve Octroy in 't geheel ende ſonder eenige omiſſie, daar voor te drucken ofte te doen drucken, ende dat hy gehouden ſal zijn een Exemplaar van het voorſz. Boeck gebonden ende wel geconditioneert te brengen inde Bibliotheecq van onſe Univerſiteyt tot Leyden, ende daar van behoorlijk te doen blijken, alles op peine van het effect van dien te verlieſen. Ende ten eynde de Supplianten deſen Onſen conſente ende octroye mogen genieten als naer behooren, laſten Wy allen ende eenen yegelijken dien het aengaen mach, dat ſy de Supplianten van den inhoude van deſen, doen ende laten gedogen, ruſtelijk, vredelijk, ende volkomentlijk genieten ende gebruyken, ceſſerende alle belet ter contrarie. Gedaan inden Hage onder onſen groten Zegele hier aangehangen op den ſeſtiende May, in 't Jaar onſes Heeren ende Salighmaker, een duyſent ſes hondert drie en t'negentigh.

Was geteekent

A. HEINSIUS. Vt.

Ter Ordonnantie van de Staten.

SIMON VAN BEAUMONT.

Ik Ondergeſchreven verklaare met mijne Ondertekeninge deeſes volkoomen af ſtant te doen, van alle het Regt dat ik op deſe Privilegie hebbe, en het ſelve voor mijn Portie af te ſtaan aan Jacobus Hackius, Pieter vander Aa, Cornelis Boutesteyn, en Jordaan Luchtmans. *Actum in Leyden den* 8. *October* 1693.

Johannes du Vivie.

JOH. JAC. HOFMANNI
LEXICON
UNIVERSALE.

JOH. JACOBI HOFMANNI

SS. Th. Doct. Profeſſ. Hiſtor. & Graec. Ling. in Academ. Baſil.

445

LEXICON VNIVERSALE,

HISTORIAM SACRAM ET PROFANAM
Omnis aevi, omniumque Gentium;
CHRONOLOGIAM AD HAEC VSQVE TEMPORA;
GEOGRAPHIAM ET VETERIS ET NOVI ORBIS;
PRINCIPVM PER OMNES TERRAS FAMILIARVM
Ab omni memoria repetitam
GENEALOGIAM,
Tum
MYTHOLOGIAM, RITVS, CAERIMONIAS,
Omnemque Veterum Antiquitatem, ex Philologiae fontibus hauſtam;
VIRORVM, INGENIO ATQVE ERVDITIONE CELEBRIVM
Enarrationem copioſiſſimam;
Praeterea
ANIMALIVM, PLANTARVM, METALLORVM, LAPIDVM, GEMMARVM,
Nomina, Naturas, Vires,
Explanans.

EDITIO ABSOLVTISSIMA,
Praeter Supplementa, & Additiones, antea ſeorſum editas, nunc ſuis locis ac ordini inſertas,
VBERRIMIS ACCESSIONIBVS, IPSIVS AVCTORIS MANV
noviſſime lucubratis, tertia parte, quam antehac,
AVCTIOR, LOCVPLETIOR:
INDICIBVS ATQVE CATALOGIS
REGVM, PRINCIPVM, POPVLORVM, TEMPORVM, VIRORVM
ET FEMINARVM ILLVSTRIVM, ANIMALIVM, PLANTARVM;
Tum praecipue
NOMINVM, QVIBVS REGIONES, VRBES, MONTES, FLVMINA, &c.
in omnibus terris, vernacula & vigenti hodie ubique lingua appellantur;
Caeterarum denique rerum memorabilium,
ACCVRATISSIMIS INSTRVCTA.

TOMVS PRIMVS

Literas A, B, C, continens.

ANNULLATO

BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO

LVGDVNI BATAVORVM,
Apud JACOB. HACKIVM, CORNEL. BOVTESTEYN,
PETR. VANDER AA, & JORD. LVCHTMANS.
M D C X C V I I I.
Cum peculiari Praepott. D. D. Ordinum Hollandiae & Weſt-Friſiae Privilegio.

Biblioteca Nazionale di Torino

Dono della Biblioteca Naz. Cent. Vitt. Em.

maggio 1904

ILLVSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO

VIRO

D. ANTONIO HEINSIO,

SVPREMO HOLLANDIAE AC WEST-FRISIAE

SYNDICO,

MAGNI SIGILLI CVSTODI,

FEVDORVM VICE SACRA ADMINISTRO,

SOCIETATIS ORIENTALIS CVRATORI,

NVPER

LEGATIONIS NOBILISSIMAE,

AB

PRAEPOTENTIBVS FOEDERATI BELGII ORDINIBVS

AD EVROPAEAE PACIS CONCILIATIONEM

RISVICVM MISSAE,

PRINCIPI,

ETC. ETC.

VIR ILLVSTRISSIME,

SI qui ſunt, qui tum praeteritis tum praecipue noſtris temporibus, praeclare de Republica Literaria eſſe meriti, cenſendi ſint; horum primarios jure dixerimus eſſe illos, qui in id incubuerunt, ut ad Scientias breviorem facilioremque ſtudioſis earum aperirent viam; idque omnium

omnium optime conficiendis ejuſmodi LEXICIS, in quibus ordine Alphabetico per compendium traderentur illa, quae late ac diffuſe in Scriptorum tum recentiorum, tum antiquiorum monumentis eſſent comprehenſa. Ita nimirum factum eſt, ut primo intuitu exhibeantur nunc exprompta ante oculos, quae antea non niſi cum difficultate & moleſtia per tot libros quaerebantur; & ſaepe etiam fruſtra: quoniam vel imperitioribus ipſi Auctores nonnunquam ignorabantur; vel etiam Auctores ii omnes tanto numero, magnis impenſis erant comparandi; quod haud raro per tenuiorum facultates minime licet, tantam molem & quaſi Oceanum librorum congerere: unde apta plurimorum ingenia reprimebantur ac deſtituebantur, quo minus Eruditionis ſuum ſtudium explerent, ac expetitam doctrinam conſummarent. Quare nunquam ſatis laudati ſunt illi, qui LEXICA, hoc eſt, uberrimum omnium Scientiarum penu, improbo labore procuderunt. Inter hos tam bene de ipſa Eruditione merentes, ſuo jure eminet dudum Auctor hujus, quod nunc Tuis, VIR ILLVSTRISSIME, oculis ſubjicitur, Operis; quod viginti abhinc annis Genevae ope typorum primum luci dabatur, ac ab omnibus ſcientiarum amantibus adeo perquirebatur, ut brevi tempore poſt penitus diſtractum ac dimiſſum fuerit. Quod Auctorem poſtea excitavit, ad idem illud Opus ſecundis curis limandum ac augendum; adeo ut prae ſua copia cum priori Editione neutiquam foret comparandum. Aſſiduum itaque ei impendit laborem, atque ante hos tres annos feliciter coronidem impoſuit; nobiſque illud commiſit, typis noſtris Hollandicis, longe eminentiſsimis, denuo publicandum. Nos vero nulli neque labori, neque ſumptui, quo id exquiſite ac digne abſolveretur, parcendum eſſe rati, in partes vocavimus multos Eruditos Viros, qui Opus hoc expenderent; a calce ad verticem percurrerent, ac ſupplerent ea, quae ad haec uſque tempora deeſſent; quales ſunt inſigniores illi tituli de ARAVSIONE, PACIS CONVENTV RISVICENSI, ac iſtiuſmodi plures: quos omnes ſuis locis ac ordini curavimus

inſeri.

inſeri. Adeo ut in Praeclariſſimo hoc Opere pateat omnigenarum Scientiarum Bibliotheca, ſummo labore, ſumptu, ingenio, judicio, eleganter conquiſita: Quilibet Sapientiae ſtudioſus ſuum hic comperiat adminiculum: Nullae memorabiles, inter homines notae, ſint res, quin hic ſuum ordinem locumque habeant; velut de omnibus fuſius in Praefationibus agitur.

Opus hoc vere inſigne, VIR ILLVSTRISSIME, Deo favente, ad umbilicum perducebamus ſimul atque Europae illuxiſſet illa diu optata PAX: quandoquidem vero hic toties de harum Regionum Antiquitate, Situ, Regiminibus, Principibus, Gubernatoribus, Foederibus, & ſimilibus memoratur; propterea exiſtimavimus, Opus illud neutiquam in lucem debere progredi, niſi frontem gerens praeſignem nomine ejus, cujus potiſſimum opera, conſilio, prudentia, ſolertia magnum illud EVROPAEAE PACIS FOEDVS percuſſum eſt. Eum vero Te praecipue agnovimus, EXCELLENTISSIME DOMINE; ut qui tanta Tua cum laude, gloria, ſplendore, in tanto honoris faſtigio ſublimis ad clavum cariſſimae nobis Patriae & Reipublicae ſedeas; eandem Rempublicam, tam potentem, tam verendam, tam omnibus omnium temporum Annalibus memorabilem, ſumma cum fide & caritate adminiſtrans.

Suſtinemus, VIR ILLVSTRISSIME, hoc Clariſſimi Auctoris Opus debita cum reverentia Tibi ſacrum facere; ſperantes fore, ut benigne interpreteris hanc audaciam noſtram: imo ut placido vultu accipias qualecunque hoc pro certiſſimo argumento debitae noſtrae venerationis, ac gratorum animorum, quos erga Te propter Tua in communem Patriam merita gerimus; quoſque hac allocutione noſtra publice teſtatos facere, nulli ſumus veriti.

Omnipotens in coelis Deus Tibi porro ſummisque honoribus Tuis faveat; Tecumque omnibus Tuis perpe-

tuam & animi & corporis felicitatem, ac beatitatem indulgeat. Eidem Supremo illi Numini vota ſuſcipimus pro ſalute Tua, quo in longam inſuper annorum ſeriem, REIPVBLICAE LIBERTATIS ASSERTOR, ECCLESIAE COLVMEN, JVRIS ET AEQVI VINDEX, AFFLICTORVM PRAESIDIVM, vivas atque floreas; quod ſincere, pie ac caſte voveri, Tibi perſuadeas ab iis, quorum candorem ubi perſpexeris, favore & benevolentia efficies, ut ſentiamus, nos abs Te, EXCELLENTISSIME DOMINE, haberi pro fidelibus Supremorum noſtrorum Magiſtratuum civibus ac ſubditis; quales & ſumus, & erimus,

VIR ILLVSTRISSIME,

NOBILISSIMO NOMINI TVO

Obſequentiſſimi ac Devotiſſimi

JACOBVS HACKIVS
CORNELIVS BOVTESTEYN
PETRVS VANDER AA
JORDANVS LVCHTMANS.

TYPOGRAPHI LECTORIBVS.

QVOD ſi unquam per typos noſtros Reipublicæ Literariae decus promovere, & Veſtris, Lectores Benevoli, commodis ſervire nos velle, re ipſa comprobavimus; id utrumque nunc cum maxime à nobis praeſtitum eſſe, hocce, quod exhibemus, Opere conſtabit, opinamur, liquidiſſime. Noſtrae autem hujus operae ut aliquam Vobis reddamus rationem, per Veſtram benevolentiam pauca præfari liceat. Nemini nimirum non notum eſt, qua aviditate & ſavore exceptum ſuerit Joh. Jacobi HOFMANNI, Viri Clariſſimi, LEXICON VNIVERSALE, ubi id primum ante viginti annos Genevae ederetur; tum quam non minori ſtudio direptum ſuerit ejuſdem Operis Supplementum aliquot annis poſt ab eodem Eruditiſſimo Auctore divulgatum. Quum itaque exemplaria, quibus Eruditionis reconditae amantes aegre carebant, deſiderari coepiſſent, ac fruſtra quaererentur, multorum ſuaſu & impulſu conſilium inivimus, idem Opus noſtris typis ac ſumptibus recudendi; rati ſore, ut non exiguam ab elegantioribus hominibus mereremur gratiam. Ea quum nobis ſederet ſententia, ante omnia in id curam noſtram intendimus, ut tam laudatum Opus non niſi conſummatiſſimum denuo in publicum prodiret. Commodum itaque intellecto, Clariſſimum Auctorem poſt utramque Editionem priorem varia ad idem Opus pertinentia congeſſiſſe, & ipſum ab iteranda publicatione non abhorrere; per literas eum compellavimus, ut ſiquas ad priſtinum Opus ſuum acceſſiones haberet expromptas, eas cum nobis, novam & perfectam Editionem molientibus, tum Erudito Orbi ne invideret. Huic petitioni noſtrae cum liberaliter ſatisfeciſſet Vir Clariſſimus, ac innumera ſupplementa, novasque lucubrationes, propria manu conſcriptas, tranſmiſiſſet; nullam in nobis moram de publico bene merendi eſſe volentes, confeſtim Univerſum Opus praelis ſubjecimus. In quo quid praeſtiterimus, ſingulatim & ordine edocere lubet.

In hac nempe nova Editione, Continuationem ſive Supplementum Editionis primae, in ſua loca diviſimus ac digeſſimus; ut omnia ad ordinem Alphabeti uno tenore cohaererent. Quo facto immenſum quantum Lectoris commoditati conſuluimus; ut, quae antea in prima Editione non comparentia, in Continuatione inveſtiganda erant, nunc continuo oculis ſubjecta habeat. Similiter egimus in ordini ſuo inſerendis illis, quæ noviſſime ab Auctore manuſcripta nobiſcum communicata ſunt.

Deinde opem imploravimus multorum Eruditorum hominum, & ad hujuſmodi rem aptiſſimorum; quibus id negotii dedimus, ut Graecos Scriptores, Geographos, Coſmographos, Hydrographos, Itineraria, evolverent; locorum & rerum nomina, de quibus in hoc Lexico agitur, ad illa corrigerent, emendarent, reſtituerent; nova, quae apte ac cum judicio intexi poſſent, ex illis ſontibus haurirent, ac ſic praeſens Opus quam abſolutiſſimum redderent.

Eorundem quoque Eruditorum opera & ſedulitate ſactum eſt, ut quae loca Sacrorum Bibliorum, Hiſtoricorum, Oratorum, Poetarum, Graecorum ac Latinorum, in prioribus Editionibus per Typothetarum ſocordiam, aliamve quam incuriam, perperam citata, allegata, memorata, innumeris in locis ſuerant; nunc reſtituta ſint atque inſtaurata, ante relecta, reviſa, & examinata; Libri, Capita, Verſus, Numeri, additi: nec non ea loca, quae antea vel plane non, vel primis tantum verbis poſita fuerant, nunc, ubi opus ſuit, integra deſcripta ac inſerta. Omnia inſuper nomina propria, in Sacris literis obvia, accurate oſtenſa & explicita ſunt, una cum expoſitione Sacrorum rituum, ac antiquitatum.

Manifeſta quoque vitia contra genium linguae, & ipſam ſyntaxin, quae priores Editiones foedaverant, nunc expurgata, atque eluta.

Praeterea ne in ullo aliquo noſtra diligentia & cura deſiderari culparive poſſet, ſummo opere contendimus ab iis, quos ſatis aptos & idoneos ad id adhibuimus, ut Rerum quarumvis Memorabilium Indices ac Catalogos, Operis calci adſuendos, vel nove conficerent, vel factos emendarent; & ad totius Operis corpus univerſum, atque unum nunc redditum, accommodarent. Summo itaque labore appenſus eſt Index; ſive Vocabularium Generale Regionum, Vrbium, Pagorum, Arcium, Fluminum, &c. quemadmodum illa propriis nominibus, ſua quaeque in lingua, inſigniuntur; tum quomodo apud Geographos, Hiſtoriographos alioſque Scriptores Latine dicuntur: atque haec omnia ita, ut ſingularium deſcriptionem facile in ipſo Lexico invenire ſit. Inſuper addidimus peculiarem Catalogum, ac luculentam deſcriptionem Naturae Animalium, Plantarum, Fructuum, &c.

Denique quod ad ipſos Typos ac Papyros, quibus uſi ſumus, attinet; noſtro judicio, nihil exquiſitius, ac elegantius dari poſſit: quippe qui nullis ſumptibus, nulli labori pepercerimus; quemadmodum ipſi per Vos, Lectores Benevoli, facile perſpicitis. De ipſo Opere quid dicemus nos? Quis ignorat id omnium Eruditorum ſuffragio dudum cenſeri quaſi pro gemma & vermiculato opere, prae omnibus hujus generis libris locum principem obtinente? Neque ullus alius, quam Auctor noſter, exiſtimatur iſtiuſmodi Opus tanto cum Lectorum fructu, tantaque ſua cum laude aggreſſus eſſe; quandoquidem haec ſit parva quidem, ſed abſoluta quaſi Bibliotheca, qua immenſa librorum aliorum copia ſuperſederi poſſit, & hic iſtorum medullae reperiantur repoſtae. Quare nulli nos quidem dubitamus, quin hac tam praecellentis foetus publicatione noſtra, omnium, qui Scientias amant, gratiam ſimus promerituri; quod unum vovemus. Valete.

JOH. JACOBI HOFMANNI

DE

LEXICO SVO VNIVERSALI,

tum primum edito, tum deinceps ac præcipue nunc, plurimis Acceſſionibus aucto,

PRÆFATIO.

BENEVOLE Lector! talem enim Te ſibi præſens hoc Opus jam tum pollicebatur, quum ſuſciperetur: neque vero alio id aggreſſus ſum fine, quam ut Publico, ſi fieri poſſet, id inſerviret, ac Juventutis Studioſæ ardorem, compendioſiore res præclaras cognoſcendi methodo ſolaretur. Nimirum, ut Te diu non morer, LEXICON VNIVERSALE, ſuccincto ſcribendi genere comprehendens Hiſtoriam omnis ævi, cum Sacram tum Profanam, Gentium omnium ac Perſonarum, a condito Mundo ad noſtra uſque tempora, in quacumque gente, dignitate, profeſſione, religione, ſecta, virtute, Illuſtrium, non omiſſis etiam iis, qui exſtantioribus nævis orbi innotuerunt; ſummo cum labore noſtro conſtructum, publicæ quondam luci dederamus. Cum vero id Opus noſtrum primum vulgaremus, neutiquam ita id venditavimus, quaſi nullis poſtea acceſſionibus augendum; nullis lacunarum ſuppletionibus perfectius aliquando reddendum; nullis errorum, ſi qui irrepſiſſent, reſtitutionibus limatius denuo procudendum cenſeremus. Minime vero. At jam tum provideramus, fore, ut, ſicut in omnibus vel minimi negotii rebus fieri amat, multo magis in hoc tam vaſti & immenſi moliminis opere, dies diem eſſet doctura. Quare ubi id animo providiſſem, pollicitus tum quoque Tibi ſum, me quanta poſſem, brevitate lacunas, quæ occurrerent, pro viribus completurum; ſicque & Tibi porro litaturum. Hujus datæ fidei non immemor, id operam deinceps enixe dedi, ut aliquando me promiſſorum meorum fide, ac tanti oneris, quod unius hominis humeris longe eſſe gravius quotidie experiebar, ulteriore cura moleſtraque exſolverem. Dum itaque in ea incumberem, quæ ad ſcopum facerent, ſimul alia ſeſe offerebant infinita, quæ, non minus Publico profutura, eadem methodo enarrari, jure quodam ſuo poſtulabant, tanto fidentius, quo major utriuſque Operis ſutura erat affinitas; & Prius, quod *Nominum* præcipue *propriorum* ſeriem exhibebat, ut Alterum ſuccederet, *Nomina appellativa*, eadem ratione in fronte præferens enixius invitare videbatur. Tum vero ego quoque comperi, *ſic fieri in rebus humanis, ut omnia debeantur tempori, & aggreſſos parva, ſucceſſu operis, majores ſpiritus ſumere: ut Ligus ille Marianus, dum cochleas conſectatur, ſtudio legendi paulatim in ſummum montem egreſſus, victoriæ viam Imperatorem docuit.* quæ magni Auctoris verba ſunt. Nec, quantumvis maxime volebam, tantæ rei cogitationem, importunius meam imbecillitatem indies obtundentem, excutere fui potis; quo minus poſt varios flexus, ac ἐκκλίσεις fruſtra tentatas; præſertim poſtquam animum altiori igne ad id incaleſcere ſenſi, tandem manus darem, & omnibus mentis meæ corporiſque viribus in unum contractis, temporis inſuper, nimium propere nobis elabentis, voluminibus arcte comprehenſis, iiſque quæ jam evaſerant, tantum non e ſuga retractis, aggrederer. Itaque poſt impenſos ac exhauſtos novos labores, accidit tandem, ut priſtino Operi noſtro alterum tantum accederet, & ad te, Lector Benevole, noſtra cura proceſſerit *Continuatio* totidem voluminibus diſtincta, comprehendens infinitam rerum copiam; quarum quaſdam ante obiter, ac velut παρεγχύματος vice adſperſas, tum plenius exſecuti fuimus; reliquas de integro elaboratas cuilibet ſolidæ πολυμαθείας ſtudioſo ſpectandas exhibuimus. Verum enim vero ubi favor & ſtudium hominum totam hanc Editionem brevi tempore diripuiſſet ac quaſi devoraſſet; & Exemplaria ubique deſiderari inciperent; animo denique propoſui, Vniverſum Opus ad verum conſummationis faſti-

gium perducere, atque eo ipſo utilitati Lectorum meorum quantum poſſem proſpicere. Primo itaque novas curas poſui in relegendis, reputandiſque omnibus iis, quæ jam edita fuerant; ea emendare ac limare juvit; ubi majora & fuſiora aliqua argumenta contractius, ut fieri debuerat, enarrata erant, paſſim nunc addidi Scriptores tum Veteres tum Recentes; ad quos Lectorem, plura de re quapiam & diſtinctiora ſcire cupientem, rejicerem: idque, inquam, feci innumeris in locis, quoties neceſſe erat. At multo majorem & laborioſiorem operam ſumpſi, in variis ac infinitis rebus (de quibus in prioribus agere ſuperſederam; quæ tamen ob Operis affinitatem cum maxime requirebantur) nove tractandis, inque loca ſua & ordines digerendis: loquor de ingenti multitudine Cæſarum, Principum, Virorum bello togaque Illuſtrium, Celebriorum Scriptorum, Theologorum, Juris-Conſultorum, Medicorum, Philologorum, Hiſtoricorum, Poëtarum, Pictorum, aliorumque Artificum, ad hæc uſque tempora; quorum omnium Nomina, Origines, Res geſtas, Opera, Artificia, quam diligentiſſime perſecutus ſum. Inſuper nova etiam plurima ad Hiſtorias pertinentia, ex Archivis, Cimeliarchiis, & reconditioribus Monumentis deprompſi, atque ita diſpoſui, ut reliquis facili negotio adtexi & intexi poſſent. Adeo ut hæc univerſa, continenti ordine & ſerie collocata, ſi conſideres & computes, novum plane Opus jure dixeris.

Hoſce igitur labores noſtros, ultimis curis elaboratos, digeſtos, & expolitos, Celebri Leidenſium Typographorum Societati, eos typis ſuis elegantiſſimis procudendos flagitanti, conceſſi. Quorum induſtria, & impenſiſſima opera lubens lætuſque intelligo eſſe factum, ut hoc Opus noſtrum in oris Batavis nunc lucem adſpiciat nitidiſſima forma veſtitum; immenſa vitiorum, errorum, ſphalmatum, quæ negligentia priorum Typothetarum denſo numero invaſerant, mole expurgatum; ſingulis præterea, quæ tum in prima Editione, tum in Continuatione, tum in noviſſimis Supplementis, diviſa fuerant, continuata ſerie compoſitis, locoque & ordini ſuo inſertis: allegationibus locorum ex omnis generis Scriptoribus, ſi quæ male ſeſe haberent, fideliter emendatis ac reſtitutis; adhibitis ad id Viris ſolertibus, eruditis, exercitatis. Quo officio Optimi illi Typographi magnam à me, majorem a te, Lector Benevole, non poſſunt non iniiſſe gratiam; ut qui ſua opera noſtris laboribus adjuncta, ſolidum tibi & perfectiſſimum lucubrationum noſtrarum uſum præſtent. Non omiſerunt quoque Viri diligentiſſimi ea inſerere, quæ ad poſtremorum horum temporum rationem pertinerent; tum rerum memorabilium addere capita, titulos, indices, catalogos.

Cæterum ut Præfationis noſtræ filum perſequar, ac tecum de ipſo Opere loquar; univerſo Opere, ſemel atque iterum ad incudem revocato, habes, ut ſupra tetigimus, quæ circa Hiſtorias, Sacram & Profanam; tum Auctores, indolem geniumque Populorum, cum utriuſque fortunæ celebrioribus momentis; incunabula, viciſſitudines Imperiorum, Regnorum, Principatuum, Rerumpublicarum, Societatum, Monaſteriorum, Collegiorum, &c. Res pace belloque geſtas; & omnia quæ gentem aliquam dignam reddunt Annalium memoria; inque his, qui præ cæteris caput extulere, ſuccincta deſcriptione, Tibi ſpectandi proponuntur, Viri, Feminæ, regiminis eminentia, factorum gloria, dictorum acumine, ſcriptorum ἀκρίβεια, inventorum felicitate, nævorum quoque vel raritate, vel enormitate, aliiſque conſpicui. Non omiſſa quoque eſt illuſtrium inprimis Familiarum, olim hodieque florentium, Genealogia, Progonologia, ſive Majorum ab omni memoria repetita ſeries. Diligentia quoque noſtra verſata eſt circa Geographiam, ac deſcriptiones locorum veteris novique orbis, quorum aliqua ad nos notitia pervenit; Regionum, Urbium, Vicorum, Viarum; ſingularium quoque Ædificiorum, arte vel uſu memorabilium; Regiarum, Templorum, Turrium, Gymnaſiorum, Theatrorum, Pyramidum, Aquæductuum, Arcium, Murorum, &c. Montium porro, Collium, Vallium, Specuum, Fodinarum, Sylvarum, Deſertorum: Æquorum quinetiam, Fretorum, Fluminum, Lacuum, Torrentium, Paludum, Sinuum, Portuum, Promontoriorum, Inſularum, Peninſularum, Scopulorum, Iſthmorum, Ventorum, Turbinum, &c. Unde erit facile percipere horum noſcenda; Regionum, exempli gratia, dotes, limites, loca ad earum juriſdictionem pertinentia; Eccleſiarum Fundatores, Reditus, Diœceſes: Civitatum Conditores, Privilegia, Inſignia: Vicorum, Viarum, Villarum, prærogativas ac fata: Montium tum exteriorem faciem, Arborum, Plantarumque variarum diſcriminibus viſendam; tum internas opes, quibus viſcera eorum turgent, deſideria hominum prolicientes: Marium naturam, partes Terræ, quas alluunt vel interluunt, ventos quibus obnoxia ſunt, uſus, pericula: Fluviorum fontes, decurſum & oſtia, eorumque ut & Fontium, Lacuum, &c. admiranda, hominumque

circa

circa hæc omnia conatus. Expoſitam item invenies Chronologiam, accuratiſſimamque omnium Temporum rationem. Præterea in uuum faſciculum comprehenſa exhibentur, quæ pertinent ad Deſcriptionem Animalium, Avium videlicet, Quadrupedum, Piſcium, Amphibiorum, Reptilium, Inſectorum, Zoophytorum; Hominis inprimis, ac quæ in illo & circa illum, nobis conſideranda proponit Sapientiſſimus Conditor; Armorum porro, Machinarum, Munimentorum, totiuſque Rei Militaris; Artium omnis generis, & Artificum, Operumque inſigniorum; Exercitationum, Experimentorum; eorum quæ inventa ſunt neceſſitati, commoditati, luxui; Colorum; Dogmatum, Factionum, Hæreſium, Sectarumque inter Philoſophos Chriſtianoſque vigentium; Conciliorum, aliorumque Conventuum Eccleſiaſticorum, qui in Provinciis Vrbibuſque celebrati, cum brevi enumeratione Præſidum, Canonum, &c. Elementorum, & quæ in iis; Lapidum, Gemmarum, Margaritarum, Metallorum, Meteororum, Minetalium; Menſurarum, Ponderum: Rei Cibariæ, Oeconomicæ; Miniſtrorum utriusque ſexus; Morum ac Conſuetudinum; Supellectilis, Inſtrumentorum, Vaſorum: Dignitatum, Honorum; Statuum, Conditionum, Titulorum, Nominum, Prænominum, Cognominum, Epithetorum, Officiorum, Ordinum; Ornamentorum & Inſignium; Virrutum, Vitiorum: Hortorum, Plantarum, Arborum, ſcilicet Stirpium, Florum, Fructuum, Aromatum, Herbarum, Fructicum, Radicum: Judiciariæ Rei, Legum, Pœnarum, Mulctarum, ac Suppliciorum, Præmiorum: Fabularum, Deorum, Dearum, Heroum, Dæmonum, Geniorumque ſuperſtitioſæ Antiquitatis, cum Mythologia, Sapientiæ ac Religionis arcana ſub aſpero hoc cortice abſtruſa, enucleante: quæque in his cunctis difficultatis aliquid habere videantur, Philologiæ ope fideliter enodanrur: Præterea exhibentur deſcriptiones Idolorum ac Statuarum; Riruum, Cærimoniarum omnigenarum; Sacrorum ac Superſtitionum; eorum quæ ad Magiam & Sortes; Feſtorum, Ludicrorum, Ludorum, Civilium, Publicorum, Privatorum: Rei tandem Agrariæ, Ruſticæ, Vehiculariæ, Venaticæ, Nauticæ, Civilis, Medicæ, Muſicæ, Architectonicæ, Aſtricæ, Nummariæ, aliarumque; cum verbis formuliſque ſolennibus; omnis ævi, citerioris, medii, veteris, ex omnium Gentium, celebriorum inprimis, Hebrææ, Græcæ, Romanæ, monumentis ſacris & civilibus erutæ. Religio namque nobis fuit quidquam in his, quantumvis infinitis, ſtatuere vel proponere, quod non idonea ſubnixum eſſet auctoritate. In teſtimonium itaque identidem videbis advocatos Auctores, è quibus hoc Opus collectum; tum priſcis, tum recentibus, optimis atque præſtantiſſimis, editis ac ineditis. Nummis quoque, Marmoribus, Inſcriptionibus, &c. in conſilium adhibitis. Et quidem ea diligentia, ut libros & capita, aliquando etiam paginas, ſectiones, paragraphos, notaverimus; quo & de candore noſtro ac fide (non enim unquam ſine Teſte loquimur) certus eſſe poſſis, & ſi prolubium ſubeat, prolixior rerum, quas per faſtigia tantum ſaepiſſime tradere coacti fuimus, cognitio ex ipſis ſontibus hauriri queat. Nec dum ceſſatum, ſed præterea habes Catalogos, operi paſſim ſuis locis inſertos, Provinciarum, Vrbium, Caſtrorum, Arcium, Caſtellorum, aliorumque locorum; Æquorum, Montium, Lacuum, Paludum, &c. Perſonarum item ac Rerum aliarum memorabilium; Verbi cauſa, Delphinorum, Conſtabulariorum, Mareſcallorum Galliæ: Admirallorum, ſeu Thalaſſiarcharum, ac Juſtitiariorum Magnorum Angliæ; Torneamentorum in Imperio Romano celebratorum; Epithetorum, quibus Dii apud Gentiles inſigniti: Auctorum inprimis ac Commentatorum, in quemque S. Scripturæ librorum extantium, &c. Subnexi ſunt in fine indices varii, quo eorum beneficio Liber tibi fructuoſior redderetur: Nomenclator nempe Μιξόγλωττος, locorum præcipue, deinde perſonarum, ſubinde officiorum ac rerum in quacunque lingua, celebrioribus in primis Europæ linguis, nomina in fronte exhibens. Index poſt hunc rerum locupletiſſimus, qui res in hoc Lexico memorabiles, quæ in ſerie Operis non apparent, vel quarum auctores ſaltem in apice occurrunt, per locorum communium tirulos curioſo Lectori citra prolixas ambages, ob oculos ponat, ſicque in eodem Polyantheam inſuper vel Polymnemona tibi offerat: quæque tandem alia in uſum ruum, cui unice, poſt Dei gloriam, induſtria noſtra velificata eſt, eſſe videbantur. Quo facilius veniam ſpero, ſi forte, quod rerum humanarum, meæ præſertim imbecillitatis, fatum eſt, hic, ibi impegero. De ordine, quo Viri Illuſtres Familiæque collocatæ, neminem ſpero litem moturum; ut ut enim anniſus ſim, hic eum obſervare, quem illis convenire credidi, fieri tamen haud quaquam poruit, ut non ſæpe lucubranti ſeſe nullo ordine ingeſſerint; ubi malui illos etiam non ſuo loco admittere, quam moroſa ſollicitudine plane omirtere & negligere. Quare te, Lector Benevole (ad quem ut non pœnitendi impenſæ lectionis redeant fructus, Deum veneror, qui, pro im-

menſa ſua benignitate, miſeros nos, quod Apoſtolus ait, ἐδυναμώθησαν ἀπὸ ἀσθενείας, inter amoris ſui arcana habet; ut ſic commodum quidem ad nos, ſaluſque; ad ſe vero gratiarum actio & gloria omnis, nullo fine terminanda, redundet) etiam atque etiam rogatum volo, ut ſi quid in tantæ molis Opere, quidquam rerum eo pertinentium, vel omiſſum penitus; aut mancum mutilumve; aut etiam minus ex vero relatum; vel Perſonarum Rerumque dignitati non ſatis conveniens, deprehenderis, pro humanitate tua, non veniam ſolum dare, ſed & monere, mecumque neceſſarias communicare notitias, haud graveris, idque quanto poſſum opere rogo, ingentis id & nunquam obliterandi beneficii loco habiturus.

A Veritatis deviare tramite
Proclive nobis: ille laudes & decus
Non pœnitendum jure vindicat ſuo,
Qui, qua meandum prævius monſtrat viam,
Facemque præfert: Huic ſecundus ambulat,
Quiſquis monenti rectiora obtemperat,
Sequiturque preſſo moriger veſtigio,
Ad alta Veri ſubvehentem limina.

VALE.

A

A Prima litera Alphabeti, in omnibus ferè linguis; paulo alia tamen ejus pronunciatio apud Orientales, quàm apud nos. Apud Latinos veniæ & abſolutionis erat nota, uti C. condemnationis. uti docet Pier. *Hieroglyph. l. 7. c. 23.* *Alpha* Græcorum, in myſtico ſenſu, initium denotat, ſicut finem *Omega*. Utriusque literæ Servator mundi ſe comparat, Apoc. c. 1. v. 8. vide Epiphan. *in Anchorato*. Origen. *tractat. 1. in 5. Joh.* Pier. in *Hieroglyph. l. 47. c. 34*: Græcis hæc litera Α᾽πειλὴ id eſt, *comminatio* dicitur, quod in Sacris paſſim litera *A* comminationes divinas ordiatur. Sixt. Senenſ. *Biblioth. l. 3.* Etiam imperfectionis nota eſt, ſecundùm *Gloſſ.* ad Gratiani Can. *poſtquam 13. quæſt. 2.* Ω *eſt ultima litera Græcorum, & A prima, & deſignat* Ω *conſummationem & perfectionem, A initium & imperfectionem. &c.* Macri Fratres *Hierolex.* In ratione numerandi, *quam haud ab omnibus receptam, & ſi aliquando receptam, deſuetudine jam abolitam*, notat Baron. A annos 500. deſignabat, ut cæteræ Alphabeti literæ alios numeros, de quibus vide infrà, in *Numerales Notæ*. Apud Ugutionem *MS.* verſiculus iſte de litera *A.* occurrit:

Poſſidet A. numerus quingentos ordine recto.

Eadem verò literæ, ſi recta linea ſuperaddatur, 5000. ſignificat. Sed & Muſica nota eſt, & in ſuperſcriptione cantilenæ, *ut altius elevetur*, admonet; ut ex Nothero *in Opuſc.* cui tit. *Quid ſingula litera in ſuperſcriptione ſignificent cantilenæ*, edito Tom. *V. Antiqq. Lect.* Caniſii *Part. 2. p. 739. &c.* docet Car. du Freſne *Gloſſ.* Vide infrà in *Nota Muſica.* In Inſignibus porrò equidem uſus eſt. A namque *cum gladio & pugione*, vetus Dietrichſteniæ Familiæ fuit teſſera, ut quam Conrado S. Chuemnelio, qui circa initium Seculi XIV. vixit, filioque ejus Chiloni, qui Henrici II. lineam clauſit, tribuit Bucelinus, apud Phil. Jac. Spener. *Oper. Herald. Part. II. l. 2. c. 21.* ubi *de Principibus, Comitib. & Baronib. de Dietrichſtein* Sed & *A nigrum* in *faſcia argentea*, geſtant Barones & Comites Althanni, apud eundem ibid. *Part. 1 Sect. IV. Membro 5. §. 2.*

A. D. apud priſcos nota erant, *ante diem* ſignificantes: quod imperiti Scriptores cùm ignorarent, pro *a. d.* ſcripſerunt *ad.* Rectè igitur illud eſſe animadvertendum, monuit *Paul. Manut.* quòd, ubi apud Ciceronem in expreſſis libris legitur, *Ad 4. Kal. Ad 6. Id. Ad 3. Non.* & ſimilia, in vetuſtioribus libris legatur, *A. D.* Prætejus apud Joh. Calvin. *Lex. Jur.*

A. D. P. apud Val. Probum eſt, *Ante diem pridie.* Sic *ante diem pridie Nonas*, eſt quod Græci dicunt, πρὸ μιᾶς Νονῶν. Unde apud Æl. Lamprid. *in Alex. Sev. Ex actis urbis ad pridie Nonas*, ſcribit & diſtinguit Salmaſ.: *ex actis urbis* A. D. *pridie Nonas*, &c. Quod etiam ante eum Caſaubonus adnotavit, *Not. ad h. l.*

A. T. M. D. O. Valerio Probo denotat, *Ajo te mihi dare oportere*: quæ perſonalis actionis fuit formula, quia perſona rei nominatim in agendo notabatur; & ſtricti judicii, quia ſimpliciter, ut Cicero ait, aſperè & directò oportere, de certa definitaque ſumma dicebatur. *Ait* verò antiqui pro *affirmo* & contendo dicebant, auctore Nonio; unde Ciceroni *ajentia* dicuntur, quæ Græcis forenſi & lingulâ voce καταφατικὰ, Hotom. apud Calv. *Lexic. Jur.*

A Commentariis dicebantur, qui præerant commentariis, id eſt, qui in commentarium cuſtodiæ referebant & velut diarium earum conficiebant. Hos Aſcon. ut & Juriſconſultus *Commentarienſes* vocat, Spiegel. apud Eundem. Vide infrà in voce hac.

A Cubiculo, pro qui Principali cubiculo Miniſter adſcriptus eſt. vide infrà in voce *Cubicularius*: Item *Præpoſitus Cubiculi.*

A Fiblis Præpoſitus, vide infrà.

A Libellis vocabantur, qui Principi in libellorum ſupplicum negotio inſerviebant. Joh. Calv. *ubi ſupra.* Vetus *Inſcr.* D. M. QUADRATO. SCRINIARIO. A. LIBELLIS. id eſt, *Scriniario libellorum*: ut *Scriniarius ab Epiſtolis*, pro *Scriniarius Epiſtolarum.* Nempe ſic dicebantur, qui in officio ſcrinii libellorum vel epiſtolarum ſcrinium gerebant. Salmaſ. *ad Æl. Lamprid. in Alexand. Sev.* Vide infrà in voce *Scriniarius*, &c.

A AA AAD AÆ

A Memoria, nomen officii in Imperat. Aula, apud Æl. Lamprid. in *Alexand. Sev. Poſtmeridianas horas ſubſcriptioni & lectioni Epiſtolarum ſemper dedit operam, ita ut ab Epiſtolis & Libellis & à Memoria, ſemper aſſiſterent. Nonnunquam etiam, ſi ſtare per valetudinem non poſſent, ſederent, relegentibus cuncta Librariis & iis, qui ſcrinium gerebant.* Græcè οἱ Μνήμης ἀντεποιῶντες. Intelliguntur nempe *Magiſtri Memoriæ*, ſeu *Proximi Memoriæ*, aut à *Memoria*, qui primi & principes erant in ſcrinio *Memoriæ*. vide infrà *ad Memoriam*

A Pedibus, *Ad Pedes*, *Circumpedes*, Pediſequi dicebantur apud Romanos ſervi, qui Dominum comitantes ſequebantur; cùm contrà Amici, obſequium facientes, anteirent, hinc *Anteambulones* & *Antepedes* vocati: Salmaſ. *ad Treb. Pollionem in Claudio.*

A Pendice, vide infrà.

A Pugione, nomen miniſterii apud vett. Romanos non ignobilis, de quo Æl. Lamprid. *in Commodo*, *Tuncque primùm tres Præfecti Prætorio fuere, inter quos libertinus, qui à pugione appellatus eſt.* Ubi cùm nonnulli, Libertinum hunc reliquorum duorum tantùm miniſtrum eſſe volunt, falluntur: major enim contrà hujus, quàm reliquorum dignitas & honor fuit, ut cui pugio, Imperii inſigne, eſſet commiſſus. Salmaſ. *ad h. l.* vide infrà in voce *Pugio.*

A Punctis dicebatur, qui præerat reditui aquariorum. Frontin. de *Aquaduct. l. 2.*

A Secretis, dicti ſunt, qui ab ore Principis imperia accipiebant diplomatum ſcribendorum, edictorumque, quæ in conſilio ſelecto ſecerni conſuevere. *Secretorum Notarii* appellantur Fl. Vopiſco in *Aureliano: Mneſtheum quendam pro notario ſecretorum habuerat.* Vocem Græci etiam Barbari uſurparunt, Α᾽σηκρῆτις dicentes. Sed & nomen declinabile finxerunt, ὁ Α᾽σηκρῆτις, τοῦ Α᾽σηκρήτου: quemadmodum Latini recentiores *Aſecretam* dixere, ex illo Α᾽σηκρῆτις, Πρωτοασηκρῆτιν iidem quoque appellavere, quem alii πρωτοασηκρῆτις, &c. Hodie *Secretarii.* Salmaſ. *ad l. c.* Vide infrà, ubi de *Notariis Secretorum.*

A Studiis, nomen ſervi literati apud Romanos, qualis Alexius fuit in Attici domo apud Cic. *l. 5. Ep. 20.* & *l. 7. Ep. 2.* & *l. 16. Ep. 15.* vide quoque infrà, voce *Liberti.*

A Veſte, vide infrà *Veſtiarium*, &c.

A A, amnis Belgii, in Tranſiſalana provinc. Steenovicum urbem alluit, & poſtea in ſinum Auſtralem ſe exonerat, ad *Blockziil* fortalitium, in eadem provinc. Hinc à quibusdam *Blokziil Aa* dicitur.

A A amnis in Galliâ Belgicâ, apud Atrebates ſcaturiginem habens, civitates Sanctum Audomarum, & Tervannam, Morinoſque populos alluit, Flandriam à Picardiâ diſtinguit, atque diſterminat, ac tandem in mare Britannicum effunditur. Ortel. *in Theat. Orb. Terr.* Prope locum, ubi poſt Caletum Anglis ereptum, Gallos prælio ſuperatos refert Strada *l. 2.* A. C. 1558. *Velveer* Sidonio,

Bructerus ulvoſâ quem Velveer alluit undâ.

Ubi tamen malim *Vel Nicer*, ſic enim legitur in editionibus Sirmondianâ, Colvianâ, & Savaronianâ. Baudrando *Velveer*, eſt fluv. Weſtphaliæ, ſimiliter *A a* dictus, qui Bockholtiam alluit, & in Iſalam veterem excipitur, infra Anholtium, oppid. in Zutphaniæ Comitatu.

A A, amnis Weſtphaliæ, Monaſterium urbem alluens, & poſt duo milliaria Germanica in Amaſium ſe exonerans.

A A, fluvius Weſtphaliæ, Stenfortiam oppid. Monaſterienſis diœceſeos alluens, & poſtea in Vechtam fluens, 2. leuc. infrà in Boream.

A A, vel AAS, fons Bearniæ, *des Arquebuzades* dictus: quia virtus ei peculiaris ineſt, vulnera ſanandi, quæ ſclopetorum ictibus infliguntur. Davity in *deſcript. Europæ.*

AADA, AADE, fluviolus Brabantiæ, Helmontium opp. rigans, & dein Buſcoducum, ubi Dommelæ & Dieſæ jungitur, & duabus ab hinc leucis in Moſam fluvium ſe exonerat.

AADA, vide *Adua* vel *Adduas*, infra. Tſchud. Rhætia.

AÆTIUS, nomen proprium viri. Valer. Flaccus *l. 7. Argon.* Ita priores editiones. Atqui nec *Aætius* viri alicujus proprium nomen eſt, ſed epitheton Abſyrti, fratris Medeæ; nec in 7. Valerii libro invenitur, ſed octavo, *verſ.* 379. ac ita legendum,

- - Illinc Aſtius heros,
Obſidet adverſâ tenteria Theſſala claſſe.

Vide Nic. Lloydium *Dictionar.* infra voce *Æria.*

AAHOLTIUM, Germanicè *Aholt*, S. *Haholt*, al. & *Haholtum*, nomen priſci Comitatus in Weſtphalia, quem Imperio vacuefactum A. C. 1010. Henricus II. Imperat. Eccleſiæ Paderbornenſi conceſſit, poſtea Bernardo Comiti Lippienſium conditori, Lotharii Imp. Duci bellico, ab hoc feudi lege collatum. In eo *Lemgovia*, *Detmold.* & alia. vide Spenerum *Oper. Herald. Parte Spec. l.* 1. *c* 54. §. 1. & 9.

AAHUSIUM, oppid. Weſtphaliæ, in ditione Epiſcopi Monaſterienſ. ad alterum fluvium *Aa*, qui poſtea cadit in Leggam. Tribus leucis diſtat à Cœsfelda, & 5. ab Oldeſalia, in Merid.

AAIN-CHARIN, vicus celebris, in montanis Judææ, 2. milliar. ab Hieroſolymâ, in ruderibus civitatem Sacerdotalium extructus. Hic Zacharias & Eliſabetha, S. Johannis Baptiſtæ parentes, commorati, Davity in *deſcript. Aſiæ.*

AAMA-CULLANDIN, Rex Æthiopiæ, ſeculo 8. *Genebr. Victorin.*

AANETA, Provincia, *d'Anguis*, in Scotia. Ei Mernis à Borea Gouvre ad Merid. & mare Germanicum ad Ortum. Fortè Veterum *Horeſtia* eſt, Anglis *Foreſtia.* Camden *Brittan.* Buchan. *l.* 2.

AAR, V. ARULA vel AROLA. Alius ejuſdem nominis fluv. eſt in Comitat. Waldeccenſi, & in Bavaria.

AAR, celeberrima 90. illarum Inſularum, quæ à Fionia Daniæ dependent Pet. Mont. *in Merc.*

AARAK, una ex præcipuis Perſiæ urbibus. vide *Hyrcania*, De Valle.

AARAM, vel ZAGRAB.

AARASSUS, urbs Piſidiæ, ex Artemidoro apud Strab. *l.* 12. fortè *Araſſis* Ptolomæi.

AARON, filius Amram, frater Moſis, Hebræorum primus Pontifex conſecratus, fratris ſui verba populo referebat, quod ille balbus eſſet: Ad Levitici Sacerdotii adminiſtrationem à Deo per Moſem vocatus, & confirmatus hoc modo. Cùm Iſraëlitarum quidam indignè ferrent, in ſolum Aaronem collatam ſacerdotii dignitatem, præcepit Dominus Moſi, ut à ſingulis Iſraëlitarum familiarum principibus ſingulas virgas acciperet, & ſuâ cujuſque in virgâ nomen ſcriberet, eaſque in Oraculi tabernaculo reponeret; futurum enim, ut quem Dominus virum elegiſſet, ejus virga fructificaret: quod cùm feciſſet Moſes, poſtridiè tabernaculum ingreſſus, vidit Aaronis virgam, Leviticæ familiæ principis, fructificaviſſe, floreſque edidiſſe, & amygdala peperiſſe. Num. c 17. Latinè *mons*, ſive *montanus*: aut *docens*, vel *concipiens.* Philo Allegoricè, (uti ſolet) Moſen menti, Aaronem verbo ſimilem facit. *Πάντα γὰρ ταῦτα τῷ λόγῳ συμβέβηκε, ὃς ἀδελφὸς ἐστι διανοίας, Omnia, hæc*, inquit, *ſermoni accidunt, qui frater mentis eſt.* Lib. *Quod deterius potiori inſidiari ſoleat.* Pater fuit IV. filiorum. *Nadab. Abihu, Eleazaris & Ithamaris*, è quibus duo priores *mortui ſunt coram Jehova, quum offerrent ignem extraneum coram Jehova in Deſerto Sinai*, Numeror. c. 3. v. 4. & c. 26. v. 61. reliqui duo binas conſtituerunt Familias Sacerdotales, ut videre eſt infrà. Obiit in vertice montis Hor, juxta terminum terræ Edomæorum, quò ipſum cum fratre Moſe & filio Eleazare, qui ipſi in Pontificatu ſucceſſurus erat, aſcendere juſſerat Deus, *Ibid. c.* 20. *v.* 23. & *ſeqq. Quumque viderent totus ille cœtus exſpiraſſe Aaronem. Fleverunt Aaronem triginta diebus tota domus Iſraelis, verſ. ult.* Tempus mortis accuratè notatur. *Ibid. c.* 33. *v.* 35. & 39. *Mortuus anno quadrageſimo ab exitu Iſraelitarum è terra Ægypti, menſe quinto, primo die ejus menſis. Erat autem Aaron natus centum viginti tres annos: quum moreretur in Hore monte* vide quoque Deuteron. *c.* 10. *v.* 6 Ante Moſen fratrem menſe 7. Ejus filii duo *Eleaſar* & *Ithamar*, binas conſtituerunt familias Sacerdotales, ut dictum: quarum prior tantùm Pontificalis fuit. Numerorum c. 20. v. 28. *Et exuens Moſes Aaronem veſtibus ipſius, induit eis Eleaſarem filium ipſius. Et mortuus eſt Aaron ibi in vertice montis.* Turbata autem poſtea ſucceſſio. Heli enim Pontifex *Ithamarides* fuiſſe creditur; ſed hujus poſteri Pontificatu rurſus exciderunt, Salomonis tempore per Abjatharem. Quo amoto, ad veram ſtirpem honor ille poſtliminiò rediit, per Zadocum *Eleaſaridem*, 1 Reg. c. 2. v. 27. Vide Fr. Burmann. *Synopſ. Tom. I. l.* 4. *c.* 8. §. 18. & 19. ut & infrà *paſſim*, inprimis ubi de Hebræorum *Pontifice Summo.*

AARON, filius Mahdi, Arabibus *Harum*, vel *Harached-Bila*, 24. Calipha Babylonius, Saracenorum Amirrhas, eâdem nocte, quâ imperium iniit, nuncium de nato ſibi filio accepit, quem *Mamon* appellavit; cùm verò in Aſiæ provincias exercitum trecentorum millium militum duxiſſet, ad turpe fœdus perpulit Nicephorum Imperatorem, qui pactus eſt, ſe ei daturum annuè trecenta millia aureorum, tributum capitis Imperatoris, & tria pro capite filii ſui. A Carolo M. munera accepit, eidemque viciſſim miſit. Paulus *l.* 24. A. C. 803. Sigebert. *in Chronico*, & Zonaras. Cùm regnaſſet annos 23. moritur anno Hegiræ 193. A. C. 809.

AARON, Magus quidam inſignis, qui cùm gratiâ & auctoritate plurimùm apud Manuelem Comnenum Imperatorem poſſet, Magiæ accuſatus eſt, & excæcatus, cùm ſimulacrum teſtudinis profanum eſſet, in quo erat imago hominis, qui ambos pedes habebat in compedibus, & pectus clavo transfixum: deprehenſus eſt etiam evolvens librum Salomonium, qui cùm legebatur, legiones dæmonum adducebat, ſubinde interrogantium, cur acceſſiti eſſent, ac juſſa alacriter exequentium. *Nicetas, Cur. Steph.*

AARON, Perſarum Rex, qui ingentia munera, inter quæ horologium mirâ arte concinnatum, & Elephas, Carolo M. primo Romanorum Imperatori miſit. Æmil. *l.* 3. An idem cum *Aarone*, filio *Mahdi*? vide ſupra, it. voce *Arached.*

AARON-BEN-ASER, celebre inter Rabbinos nomen. *Genebr.* A. M. 476. Serar. *l.* 1. *c.* 8. *de Rabbinis.*

AARONIS Virga, vide infra. *Virga Aaronis.*

AASAR, civitas in tribu Judæ, nunc verò vicus grandis oſtenditur eo nomine, pergentibus Aſcalonem de Azoto. Hieron. *in locis Hebr.*

AASBAI, Latinè *confidens in me*, vel *frater circumdans*, aut ex Hebræo & Syro *frater ſenectutis*, אחסבי filius Machati, pater Eliphelethi, unus ex fortibus Davidis, 2 Sam. . 23. v. 34.

AASTARI, filius Aſſur ex Naarâ. 1 Paralip. *c.* 4. *v.* 6.

AAVAILLE, Familia Flandriæ nobilis, cujus inſignia *Rhombos cyclotretos* (Germ. *Rund aufgebrochene rauten*, Gall. *Ruſtres*) *cæruleos tres in aurea parma, faſciæ rubea adjectos*, eſſe docet Cl. Spener. *Opere Herald. Parte Gener. p.* 192. §. 24. ubi uſum hujuſmodi rhomborum rariorem eſſe, addit.

AB, quintus menſis Hebræorum, jejunio celebris, Zach. *c.* 8. *v.* 19. Partim Junio, partim Julio noſtro reſpondens: Judæis, ut ait Abarbanel, ominoſus & quo hoſtibus ſuis obvii eſſe & expoſiti conſuevere. Illo namque menſe decrevit Deus olim, ut in deſerto morerentur, quotquot obmurmuraverant. Et die nonâ ejuſdem, deſolatum eſt utrumque Templum, tàm primum, quàm ſecundum: Alexandriæ quoque ampliſſima Judæorum Synagoga eſt eâdem vaſtata. Sed & ex Anglia, Gallia & Hiſpania hoc ipſo menſe pulſi ſunt, &c. Idem. apud Bochart. *Hieroz. Part.* I. *l.* 3. *c* 16. vide quoque Tornell. *A. M.* 25. 45. *num* 32. 44. & 64.

AB Ægris Cubiculariorum, & *Ad ægros Cubiculariorum*, dictus eſt apud Romanos, qui ægros ex Cubiculariis curabat, Salmaſ. *Not. ad Jul. Capitol. in Gord. Tertio.*

AB Epiſtolis, nomen miniſterii aulici, Æl. Lamprid. *loc. ſuprà cit. in Alexandro Severo, Poſt meridianas horas ſubſcriptioni & lectioni Epiſtolarum dedit operam, ita ut ab Epiſtolis ſemper aſſiſterent*, &c. Gr. Οἱ τῶν ἐπιστολῶν προεστῶτες: id eſt, Magiſtri Epiſtolarum, qui etiam *Proximi ab Epiſtolis* ſeu *Epiſtolarum* vocabantur, eo quòd in ſcrinio Epiſtolarum primi eſſent ac principes, vide infrà in voce *Scrinium*: Hi Comitivæ dignitatis, ut & reliquorum ſcriniorum proximi, præfulgebant *l.* 10. *Cod. Theodoſ. de Prox. Scrin. Ad ſimilitudinem proximorum, qui in ſcriniis militantes Comitum dignitatibus adornantur: hi quoque qui priores in ſcrinio Diſpoſitionum fuerint & Comitis acceperint dignitatem*, &c. Salmal. *loc. cit.*

ABA, tyrannus Hungariæ, in vico Scebe à ſuis cæſus eſt, & in proximâ æde ſepultus; non multis à morte annis cadaver ejus effoſſum eſt; ubi ſudarium & paludamenta fuêre incorrupta, & vulnera obducta, cicatrice curatâ; adeoque ex æde ruſticâ, ad cœnobium Saranenſe ab eo exſtructum, tranſlatum eſt cadaver. Bonfin. *l.* 2. *dec.* 2.

ABA, Xenophanis filia, quæ Olbi, Ciliciæ urbis, tyrannidem, quam pater procuratorio nomine adminiſtrabat, cultu, obſequiiſque, ab Antonio & Cleopatrâ ſibi impetravit. Strabo *l.* 14.

ABA, & ABÆ, civitas Phocidis, cujus cives *Abantes* dicebantur: qui poſtea relictâ patriâ Eubœam incoluêre, quæ etiam ab ipſis *Abantis* dicta eſt. Strabo *l.* 10. *Aba* etiam Cariæ urbs Stephano; oppidum quoque in Arabiâ felici Ptolemæo, hujus longitud. 86. 30. latitud. 150.

ABA, vel AVA, unum ex 4. Regnis Inſulæ *de Xicoco*, tertiæ partis Japoniæ, Turſell. *l.* 4. *c.* 1.

ABA, mons Armeniæ majoris Plinio *l.* 5. *c.* 24. in Caraniſtide Præfectura: qui & *Capotes* nominatur, à Smyrnâ urbe 12. mill. paſſ. in Boream diſtans, ex quo Domitius Corbulo Euphratem naſci voluit. Vulgò apud incolas, *Cacul.* teſte Theveto. vide Cl. Salmaſ. *Exercit. Plin. p.* 624.

ABABA, Maximini ſenioris, Romani Imperatoris mater, gente Alana; hunc ex marito Gotho, in Thracia, peperit, Jul. Capitolin. Victor. Ita verò Capitolin. in *Maximino*: *Et patri quidem nomen Micca, matri* Ababa *fuiſſe dicitur.* Quæ nomina barbara aliter quoque ſcripta reperiuntur. Regius enim, *Micca*, habet & *Hababa*: Jornandes *in Rebus Geticis*, *Mecca*, & *Ababa*: *in Regnorum Succeſſ. Micca*, & *Abagua*. Robertus à Porta, *Matha* & *Ababa.* Jornandes ex Symmacho, *in Thracia natus, à patre Gotho, nomine Mecca, matre Alana, quæ* Ababa *dicebatur.* Sed & matris nomen aſpirant membranæ, ſcribuntque *Hababa.* Caſaub. & Salmaſ. *ad h. l.*

ABABILO, aves ignotæ, ſeu potiùs fabuloſæ, quarum mentio in Alcorani *Surata*, cui titulus eſt, *Elephas.* Eo enim anno, quo Mahometes natus eſt, Deum in Abyſſinos, qui Meccham obſeſſuri venerant, immiſiſſe infelix Auctor fingit, *aves ababil, à quibus impetiti ſint lapidibus exſigil*, id eſt, ex luto præduro in gehennæ igne coctо eorumque nominibus inſcriptis, quos ii lapides ferebant. Quæ verò ſint hæ aves *Ababil*, nondum conſtat inter doctos, neque verò conſtabit unquam. Aſſerit *Said Ben Giabir*, avem eſſe quæ degit & pullos edit inter cœlum & terram, roſtro avis & caninis pedibus. At Achrama vult, avem eſſe viridem è mari ortam, cui caput ſit leoninum. Et Ibnoabas, ut *balſim*, quæ eſt ardeæ ſpecies. Ibada verò Ben Muſa, conjicit eſſe ſturnos: Et Aſſai ſpecies hirundinum, quales in Mecchano Templo degunt. Quid ſi upupas voluerit, quas Hiſpani à Mauris, ut videtur, *edocti abubillas appellant*? quærit Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 6. *c.* 14. vide quoque infrà *Abaſen.*

ABACÆNA, Ἀβάκαινα vel Ἀβακαίνα Ptolemæo, civitas Medorum.

ABACÆNUM, Ἀβάκαινον Stephano & Diod. Siculo. Ἀβάκαινον, Ptolemæo; urbs Siciliæ, non procul à Meſſanâ. *Bagnis ager* ſunt qui putant hodiè appellari, inquit Tho. Fazellus. Incolæ *Abacæ* nini. Vide Cluver. *de Sicil. Ant. p.* 386. Eſt etiam urbs Cariæ teſte Herodiano Grammatico, quam tamen invenire ſe non potuiſſe ait Stephanus. אבכין *Abacin* dictam putat Bochartus Pœnorum linguâ, quibus אבק *Abac* eſt extollere. Rudera ſiquidem hujus urbis ex Fazello & Bonfinio deſcribit Cluver.

prope Tripatum oppidum, *verdes*, & *undequaque prærupto mœr.*

ABACARES, populi Americæ meridionalis prope fluv. Maderam, qui poſtea cadit in fluvium Amazonum, verſus Cayanam prov. teſte *Texeira.*

ABACHES, Lydiæ popul. hodie *Habaches*, in 5. Communitates diviſus, Marmol. *l. 8. c. 1.*

ABACINATUS ſeu ABBACINATUS, apud Sanutum *l. 3. part. II. c. 8. Qui* (Henricus Dandalus Dux Venetorum) *à Græcis fortè abacinatus quaſi viſum amiſit.* Italis ſimiliter *Abbacinare*, eſt oculis privatus & excæcatus, præſertim per ferrum candens, aut pelvim ferream, vel æream (Italis Galliſque *Bacinum* dictam unde vocis etymon) oculis excæcandis objectam. Quem excæcandi morem perantiquum eſſe, conſtat ex Platone in *Gorgia*, & ex Laberio apud A. Gell. *l. 10. c. 17.* ubi de Democrito Philoſopho ita legimus:

Democritus Abderites, Phyſicus Philoſophus,
Clypeum conſtituit contra exortum Hyperionis,
Oculos effodere ut poſſet ſplendore æreo.
Ita radiis Solis aciem effodit luminis,
Malis bene eſſe ne videret civibus.

Plutarch verò *l. περὶ πολυπραγμοσύνης*, Democritum objectu ac repercuſſu igniti ſpeculi ſibi viſum ademiſſe tradit, *ἐνερείσαντα τὰ ὄμματα πυρώδεσι, καὶ τὴν ἀπ' αὐτῶν ἀνάκλασιν δεξάμενον*, *luminibus fixis oculis ſpeculis ignitis, hincque repercuſſionem luminis excipientem*, &c. Tranſiit à priſcis ad recentiora tempora; Unde apud Langium in *Chron.* A. C. 1102. *Henricus Rex Anglorum, Robertum Ducem Normanniæ, fratrem ſuum à Hieroſolymis reverſum, regnum ſuum inquietantem, bello victum cepiſſe, & ei lumen, pelvi candente & valdè igneſcente appoſitâ, extinxiſſe* legitur: quam ipſam hiſtoriam his verbis narrat Will. Thorn. in *Chron. lib. 2. c. 8. Inſtitit erga Barones ſuos, & impetravit ab eis, quòd prædictus Robertus deberet exoculari & excæcari cum bacili ardenti*: Ubi perperam *baculo* præfert codex editus: nec enim rectè *bacillo* emendat Somnerus; idem autem *bacile* & *bacinum*, ut docet *Car. du Freſne.* Sic Henr. Dandulus *abacinatus* eſt à Græcis, ut diximus: de quo eodem Joh. Bapt. Egnatius *de Exempl. Virorum Illuſtr. Venetæ Civitat. l. 9. c. 12. Qui Legatus*, inquit, *ad Manuelem Imp. miſſus, cujus juſſu luminibus, longè orbatus eſt, candente laminâ ærea ejus oculis objectâ, quam ille intueri continuò cogeretur*, &c. Imò hodieque in Oriente frequentiſſimum eſſe, Itinerariorum Scriptores docent, præprimis Petrus de Valle & Joh. Bapt. Tavernier, uterque in *Itinerar. Perſ.* Eâ autem arte & hodierni & vett. hoc in negotio verſari conſueverunt, ut, cùm vellent, viſu penitùs privarent; cùm vellent, hebetarent ſolùm, & minuerent, ut ſic non penitus homines excæcarentur, ſed quaſi per tenebras in poſterum viderent; quod de Henrico Dandulo præfato obſervâvit du Freſne *Notis ad Villharduinum num. 34.* & ex Sanuto *l. c.* ubi de eo ait, *quaſi viſum amiſit*, colligere eſt. Certè & Ægid. Menagius in *Originibus Ital.* verbum hinc *abacinare*, non à *bacino*, ut Commentatores Boccacii & Jac. Pergaſminus, ſed à *bacio*, quæ vox Florentinis locum *opacum* ſonat, deducit. Cui ſententiæ roborandæ facit quòd *μυδρίασιν* Græci illum appellarunt oculorum morbum quo *pupilla effunditur & dilatatur aciesque ejus hebeſcit*, uti deſcribitur à Celſo *l. 6. c. 6.* & Heſychio: fortè propterea, quia qui per *μύδρον*, ſeu *ferrum candens*, excæcabantur, eorum ita exſiccabatur omnis oculorum humor, ut illorum acies hebeſceret & viſus dilatarentur, proindeque, ſi non eſſet omnis videndi facultas adempta, diffuſo eo ſpiritu, per quem videtur, omnia minora, quàm ſint, viderent. Verùm, licèt certum ſit, evenire ſæpe, ut per *μύδρον* excæcati, lumine non priventur omnino, ſed quaſi per tenebras videant, prior tamen vocis *abacinare* originatio, quâ à *bacino* deducitur, potior videtur, ut ex antedictis patet. Vide quæ de hac excæcandi homines ratione fusè habent Anna Comnena *Alexiad. l. 15. p. 480.* Pachymeres *l. 3. c. 10.* Joh. Villaneus *l. 2. c. 13. l. 8. c. 36.* &, qui maximam horum partem ſuggeſſit Car. du Freſne *Gloſſar.* de aliis verò excæcandi rationibus, infrà in *Excæcandi ratio.*

ABACISTA, apud Guil. Malmesburienſem *Hiſtor. Angl. lib. 2. cap. 10.* de Gerberto Remenſi, *Abacum certe primus à Saracenis capiens, regulas dedit, quæ à ſudantibus* Abaciſtis *vix intelliguntur*; Et Fridericum II. Imp. *de Venat. l. 2. c. 42. Conjungendo pollicem extenſum pollici & replicet indicem ad extremitatem pollicis & erit modus, ſecundùm quem* Abaciſtæ *teneat ſeptuaginta cum manu, & alii digiti ejuſdem manus replicentur in palmam ſub duobus illis digitis, ut firmiùs ſuſtineantur, ad ſimilitudinem tenentis numerum ternarium, & ſic ex replicatione indicis, ſuper pollicem & trium digitorum in palma ſub illis, teneat manum ad formam* Abaciſtæ, *tenentis ſeptuaginta tria*: dictus eſt, qui *Abaco* operam dat, Ratiocinator, Supputator, Latinis; *Λογιστικὸς* Græcis; Barbaris *Algoriſta*; Italis olim *Abbachiere*, nunc *Abbachiſta*; Ab *Abaco* nempe Arithmetico, ſeu menſa pulvere reſperſa, in quo numerorum notas Arithmetici olim delineabant: Unde Marcian. Capella ejuſmodi *Abacum* definivit, *menſulam hyalini pulveris reſperſione coloratam.* Perſius *Sat. 1.*

Nec qui abaco numeros, & ſecto in pulvere metas
Scit riſiſſe vafer.

Ubi de contemptore Philoſophiæ loquitur, qui Arithmeticam & Geometriam ridebat. Figura autem *ἐν διὰ δυοῖν*, *in abaco & ſecto pulvere*, h. e. in abaco pulvere conſperſo & multis lineis Geometricis ac numerorum notis ſecto: & fallitur Vir doctiſſimus, qui *Abacum* Arithmeticis tribuit, *pulverem* Geometris, nam *abacus* pulvere conſperſus utrique inſerviebat: Ariſtophanes in *Nubibus.*

Καὶ τὴν τράπεζαν κατέπασε λεπτὴν τέφραν,
Κάμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτην λαβών.

de Socrate loquens. At Logiſticis & Calculonibus *abacus* & æra præſtò erant ſine pulvere, Salmaſ. *ad Tertullian. de Pall.* vide infrà in voce *Arenarius*. Hinc pro ipſa arte ſupputandi ſeu ratiocinandi, apud Henr. Knyghton *Chron. l. 1. c. 3. Omnium liberalium artium peritus, Abacum præcipuè, lunarem computum & curſum rimatus.* Quam à Saracenis Hiſpanis didiciſſe, regulisque incluſiſſe, primum legimus Gerbertum Remenſem, apud Guil. Malmesburium *loc. cit.* & alibi, ubi eum *Aſtrologiam, Abacum, cæteraſque artes* inde hauſiſſe, memorat. Jan. Gruterus *Inſcript. p. 224.* & Car. du Freſne *Gloſſar.* vide quoque infrà, in voce *Abacus.*

ABACOA, inſula Americæ ſeptentrional. & una ex Lucajis, verſus Bahamam & oram Floridæ. Diſtat ab inſul. *Lucajoneca* 18. leucis Hiſpanicis, eſtque in mari Boreali, ſub Anglis. Herrera *c. 7.* Oviedo, *l. 2. c. 6.*

ABACOT, pileus Auguſtalis Regum Anglorum, duabus coronis inſignitus. Vide Henr. Spelman. *Gloſſar. Archæol.*

ABACUC, Latinè *luctator*, vel *amplexans*; propheta: prædicit cladem Judæis a Babyloniis inferendam: conſolatur tamen eoſdem, quòd hæc calamitas non futura ſit perpetua. Inter illius tempora & Danielem in foveam leonum ſub Dario conjectum, centum ferè anni interceſſerunt. Fabuloſum itaque, quod de Belo & Dracone in Apocryphis refertur.

ABACUC, martyr quidam temporibus Claudii Cæſaris.

ABACUS, Cevolæ regionis apud Indos metropolis, quæ *Granata* vulgò vocatur. Marc. de Nizz. in Relat. longitud. 250. 50. latitud. 36. 30.

ABACUS, quaſi *ἄνευ βάσεως*, *abſque fulcro*, menſa Logiſtarum de pariete ſuſpenſa: item tabella numeraria: Cujuſmodi menſam ſeu tabellam numerariam, qualis apud vett. Romanos in uſu erat, delineavit deſcripſitque F. Urſin. ut & Ciaccon. *in Explic. Inſcr. Duillianæ & Lib. de Numm.* ac Ant. Auguſtin. *Numiſm. Dial. 9.* Et quidem typus ejus, ab Auctoribus his exhibitus, Romanus eſt, in quo notæ numerales ad antiquas propiùs accedere videntur: Uſus ſanè is, quem ſatis ſuperque indicant calculi ductiles & reductiles, capitati, undeviginti, oblongis alveolis inſerti. Calculi quatuor inferiores, unitatis vim ſinguli obtinent, applicita tamen numero intercalato. Superior ille ſingularis & unicus, item admotus quinque unitates notat. Alveoli unciarum extra ordinem ſex calculos continent, quinque infra, unum ſuprà, qui omnes XI. colligunt, pro recepta unciæ diviſione in XII. ſolemnes partes. Semuncia, ſicilicus, & ſemiſicilicus ſeorſum comparent, ut videre eſt in icone ejus, à Pignorio quoque exhibita *Comm. de Servis.* Alium Marc. Velſerus Auguſtanus publico dedit, qui ſic habet: Adverſa *Abaci* pars XIX. foraminibus oblongis vel alveolis eſt diſtincta. Quorum octo ſuperiores ſinguli ſingulos claviculos ductiles habent, utrinque capitatos, ne excidant: Septem inferiores, claviculos habent quaternos, octavus quinque. Notæ interjectæ Θ. I. X. C. ∞. CCIↃↃ. CCCIↃↃↃ. ꟾꟾ. Præter duplicem ordinem iſtum, ad dextrum latus tres etiam alveoli, quorum qui S. & Ↄ. ſignati, ſingulos, 2. duos claviculos habet. Claviculi itaque XLV. omnino, omnes mobiles. Partis averſæ eadem ſpecies, & quod pro foraminum ratione neceſſe, totidem alveoli, claviculi item hinc quoque capitati ſeu umbellati: cæterùm notæ nullæ, nec numeri, ſed ad *Abaci* angulos pro pediculis lunulæ quatuor, paulo magis, quàm claviculi extantes, quò hi ſcilicet liberi duci & reduci queant. Uſus, quantum datur intelligi, ut in XIV. alveolis, quibus numeri interjecti, claviculi ſinguli inferiorum alveolorum, tot ſive aſſes, ſive quid aliud, cujus calculus ponitur, ſignificent, quot interſcriptus numerus alveoli claviculus unicus, uno plus quàm inferiores omnes ſimul accepti. Exempli cauſa, claviculi ſub I. ſinguli ſingulos nam I. unum eſt; omnes ſimul quatuor: ſuperior autem quinque ſignificat, ergo junctim novem colligunt. Sit addendus decimus, reducentur iſti claviculi, & primus ſub X. movebitur, inde ſecundus, tertius, quartus ad XL. uſque, ſuperior addet L. ut colligantur XC. In centenariis, millenariis & reliquis par ratio, cùm abaci numeri per claſſes diſpoſiti ad novies centena millia excurrant. Alveolus ſub Θ. quinque claviculos habet, totidem unciarum indices: ſuperior una amplius, h. e. ſex uncias, exprimit, ut unciæ XI. conficiantur, quibus ſi duodecima adjicienda explendo aſſi, reducentur iſti, & ducetur ſub I. unus. In tribus alveolis ad dextrum latus, ſingularis claviculus S. ſemunciam notat; ſingularis item Ↄ. ſicilicum, h. e. quartam unciæ partem, nam Demetrius Alabaldus Ↄ. ſicilici notam eſſe ſcripſit, duo demum 2. ſinguli duellas ſingulas, id eſt, tertias unciæ partes, vide formam hujus *Abaci* Auguſtani apud Pignorium præfatum *edit. ult.* cui eam inſeruit Andr. Friſius, unde priſcam calculandi rationem, quemadmodum & ex Voluſio Mæciano accuratè diſces. De *Abaco* Sinenſi, adi Theophil. Spizelium *de Re liter. Sinenſ.* Atque huc reſpexiſſe videtur Solon, apud Laërtium, ubi ait: *Tyrannorum familiares calculis perſimiles videri: quandoque enim maximi eſſe quandoque minimi pretii.* quod dictum Orontes, an Oxetes, gener Regis Artaxerxis, ad illam computandi artem retulit, quæ digitorum inflexione conſtat. apud Plut. *Apophth.* Eminet autem in tabella Vet. novenarius, cujus ea laus eſt, auctore Marciano *lib. 7.* ut primi verſus finem teneat; comprobatâ etiam à noſtris ratione, qui notas numerales Arabum, quas *ciffras* appellamus, eodem limite arctaverunt. Cui verò ratiocinium in familia obtigerat, *Ratiocinator* ſeu à *Rationibus* dicebatur, huicque muneri in domo Cæſarum præficiebatur Libertus, ut ex vet. marmore Lanuvino patet. Sed à calculis ſeu lapillis minutis, quos antiqui in manu tenentes numeros componebant, dictus eſt *Calculator* Servus, &c. vide Pignor. *loc. cit.* & infrà, ubi de *Calculis* ac *Calculonibus*, it. *de Numerariis.*

ABACUS, menſa in qua vaſa & pocula ad cœnam reponi ſolita. *Gloſſæ vett. Abaci delfica, Μονοπόδιον. Gloſſæ vett.* MSS. Corbejenſes, *Abacus vel Abax pars capitelli, vel tabula lu-*

ſtuo, vel menſa marmorea in qua antiqui miſtebant calices. Juvenal. *Sat.* 3.

> *Lectus erat Codro Proculâ minor urceoli ſex,*
> *Ornamentum abaci; nec non & parvulus infrà*
> *Cantharus, & recubans ſub eodem marmore Chiron.* &c.

Erant autem hujuſmodi *Abaci*, qui miniſterium ſuſtinebant, ſeu Delphicæ, figuræ rotundæ. Unde *Orbis Lacedæmonius* iidem, pro *Abaco* ex marmore Laconico:

> *Et Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem;*

quod vulgò, ſed malè, de pavimento accipiunt Eruditi. Logiſtici verò, ut & columnarum *Abaci*, quadrati fuere: quam formam parietum quoque *Abacis* fuiſſe veroſimile eſt, quorum cùm mentio fiat apud Vitruv. *l.* 4. *c.* 1. & *l.* 7. *c.* 4. de illis quædam addere viſum eſt. Cùm Veteribus ad ornatum parietum nota non eſſent pſilotapetes, quibus hodiè totos parietes obtegimus & obtendimus, ad ornamentum ſaltem in commune & promiſcuo uſu non eſſent; aliis modis exornare eos fuere ſoliti, ut videre eſt infrà in voce *Paries*. Inter quos & hic erat, quòd illis *abacorum* formis ſpeculorumque orbibus ex vitro aut alio pellucido lapide diſtinguerent, imò & vitreis quadraturis inſertis inducerent. Et ſpecula quidem, quæ in parietes ornamenti causâ inſerebantur, rotunda fuiſſe, Seneca docet *Ep.* 87. *abacos* autem parietum formâ fuiſſe quadratâ, verius eſt. Sic enim alternatim diſtinguebantur parietes *abacorum* ſpeculorumque diviſionibus (de quibus ita Vitruv. *l.* 7. *c.* 3. *Ipſaque tectoria abacorum ac ſpeculorum diviſionibus inter ſe prominentes habent expreſſiones*) h. e. figuris quadratis & orbiculatis prominentibus. Unde *ſpecula* & *abaci* junctim poſiti, apud hunc auctorem, parietibus decorandis. Ita etiam apud Plin. *l.* 35. *c.* 1. *Non placent jam* abaci, *nec ſpecula in cubiculo nitentia* Ita verò utraque inſerebantur in parietes & immittebantur ut emblemata in pocula; ut non malè hinc *abaci* ſpeculaque *parietum emblemata* vocarentur. Quemadmodum vitreæ quoque iſtæ quadraturæ quibus domum ſuam induxerat Firmus apud Vopiſcum, parietum planè emblemata fuerunt: ita enim in parietes illius fuere immiſſæ ac inſertæ, ut in vas ſolent emblemata; quam ob cauſam dici, *inſertas bitumine aliiſque medicamentis.* *Inſertas*, id eſt, immiſſas in parietem & illigatas. *Inſerere* namque ἐμβάλλειν eſt, unde *hæc inſerta*, ἔμβλημα. Itaque non ſic commiſſæ ſunt & continuatæ quadraturæ hæ, ope bituminis aliorumque medicamentorum, ut unum eſſet ac continuum vitrum, quo Firmi domus erat inducta, ut voluit Vir magnus; ſed bitumine inſertæ & illigatæ erant, ut in pariete fixæ ac colligatæ tenerentur, &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Firmo.* Vide quoque Bernardinum Baldum *de verborum Vitruvian. ſignific.* ut & infrà in vocib. *Credentia* & *Miniſterium*, it. *Navis*, *Paries*.

ABADIR, lapis eſt, teſte Priſciano, à Saturno pro Jove devoratus. Cùm enim eſſet in fatis, ut Saturnus à filiis propriis regno pelleretur, id ut evitaret, quoſcunque ex Ope uxore partus ſuſcipiebat, devorabat. Eam ob cauſam, Ops Jovem in lucem editum ſervari cupiens, nixûs tempore Corybantes accivit, qui ſtrepitu ſuo infantis vagitum tegerent: quod cùm fruſtra eſſet, Saturnum decepit lapide in os ejus injecto, qui *Abadir* dictus eſt. Hac fabulâ, allegoricè *Tempus* indigitari videtur *edax rerum.* vide *Baetylus*, & Voſſ. *de Theol. Gent.* *l.* 6. *c.* 39.

ABADON, Latinè *exterminans*, vel *perditio*. Apocal. 9. Græcè Ἀπολλύων. Lege Ἀβαδδών. Satanæ epitheton.

ABÆ, Phocidis oppidum Strab. vide *Aba*. Phocenſium urbs eſt (inquit Pauſanias in *Bœoticis*) à Philippo Macedone, cùm cæteras evertiſſet, ob id relicta, quòd ejus populus ſacrilegii expers eſſet. Nomen habet ab *Aba* Heroë, ut *Steph.* & *Suidas* prodiderunt. Eſt etiam *Abæ* πόλις Ἰταλίας Stephano; eadem fortè quam Ptolemæus Ἠαι vocat, exiguâ vocalium commutatione, in quâ α longum Ionicâ dialecto vertitur in η. *Cluver.*

ABÆ, Lyciæ locus ubi Apollinis fanum erat, ut habet Sophoclis Scholiaſtes in Oedipo tyranno.

ABÆA, eadem quibuſdam cum Hira aut Oechalia, de qua Homer. Iliad. l. 10. (*Chiores* teſte Moletio) oppidum in ſinu Meſſeniaco, non procul à Pheris, cujus populi *Abeata*: ſic dicta, teſte Pauſania, ab Abante Lyncei, & Hypermneſtræ filio. Erat in eâ vetuſtiſſimum Apollinis oraculum, in quo dabantur reſponſa priuſquam Delphis darentur, quod ab exercitu Xerxis incenſum eſt; Unde etiam Apollo *Abæus* dicebatur. Plin. *l.* 2. *c.* 6. Pauſan. *l.* 10. Vide *Abea*.

ABÆI, Phocenſium regionis populi in Phocidem ab Argis commigrarunt, atque illic Apollinis templum conſtruxerunt.

ABÆLARDUS Petrus, & Arnoldus Brixienſis, præterquam quod in Deo *Compoſitionem* ſtatuerent, ac Perſonarum Deitatis *gradus*, ita ut Pater Deus eſſet gradu *ſummo*, Filius *minore*, Spiritus S. *infimo*; Pelagianam inſuper hæreſin renovabant & mortem Chriſti non λύτρον, ſed *exemplum* tantùm patientiæ fuiſſe quod imitemur, & *incitivum* dilectionis mutuæ deliràbant circa A. C. 1110. & 1143. à Bernardo & Anſelmo refutati, vide Bern. *de Lib. Arbitrio & Gratia* ac *Epiſtolâ* 190. ut & infrà voce *Abaillardus*. Sententiam Abælardi de Trinitate poſtmodum ſequutus eſt Guil. Porretanus Epiſcop. Pictavienſ. damnatus Concilio Rhemenſi A. C. 1148. & confutatus à Bernardo. Palinodiam cecinit. *Magdeb. Cent.* XII.

ABÆRA, Arabiæ deſertæ urbs Ptolemæo.

ABÆUS, frater Rabbæ, Fil. Nachmoni, præſes Scholæ, Floruit A. M. 4099. juxta ſupputationem R. Ganz. in *Chronol. Rabbinorum.* Ei ſucceſſit in ſchola Mochuzza *Raba* Fil. Joſephi. Eodem Tempore Hillel floruit, *Ibid.*

ABAGA, Tartarorum rex, & Armeniæ, fil. Haalonis, illius adeò famoſi, ſeculo 13. Hieroſolymam recuperavit. *Sabellicus.*

ABAGAMEDRI, regio terræ Tigremahon, in Imperio Abyſſinorum Monarchæ. Sanut. *l.* 11.

ABAGARUS, Edeſſenorum Toparcha (erat ea gens ultra Euphratem, cujus Reges omnes ſic dicti, ſicut Ptolomæi in Ægypto,) ſcribitur etiam *Abgarus* & *Agarus*. Magis tamen placet *Agbarus*. Certè ἄυγαρος Arabica vox eſt, quæ *potentiſſimum* ſignificat. vide Henr. Valeſ. *ad c.* 13. *l.* 1. *Hiſt. Eccleſ. Euſeb Pamph.* & infrà *Abgarus*.

ABAGARUS, Oſrhoënorum & Edeſſenorum Rex, ad Severum transfugit, traditiſque obſidibus liberis, fidem ſuam auctoravit, ſagittariorumque vim magnam miſit auxilio. *Herodianus.*

ABAGARUS, Perſarum Rex, quem ſubegit Severus Imperator. *Spartian.*, *Xiphil.*

ABAGAS CAN, Rex Tartarorum, armis recuperato Turcicæ regno, cujus imperium Tartari A. C. 1280. ſibi pepererant, Parvanam Turcicæ præfectum, quod eam regionem Ægyptio Sultano proditoriè vendidiſſet, medium diſſecuit, carnes inter alias epulas coxit, & cum proceribus ſuis devoravit: queſtus interim, ne ſic quidem ſibi pro injuriâ ſatisfactum eſſe. Fulgoſ. *l.* 9.

ABAGES, vel ABAGI, Scythæ populi Sacis vicini, ad fidem Chriſti, temporibus Juſtiniani Imp. converſi, ut ex Procopio memorat Evagrius, *l.* 4. *c.* 22. & *Zonaras*. Aliqui *Abaſges* legunt.

ABAGI, Inſula & Regnum Japoniæ, unum ex illis, quæ à Niphonia dependent, Solier. *Hiſt. Eccleſ. Japonia*, *l.* 1. *c.* 1.

ABAHIUS, Nilus fluvius dicitur (ut ſcribit Paul. Jovius *l.* 18. *Hiſt.*) quaſi *amnium pater*, quòd poſt longum, & tortuoſum curſum, totam aquarum molem in multa cornua diffundat. Alii *Abbahujus*, *Abacchus* tamen legit *Lælius Biſciola* doctiſſ. philologus, vocemque putat partim Hebraicam, vel Syriacam, partim Græcam eſſe. *Ab* enim Hebræis *pater* eſt, & Græcis χέειν *fundere*, quia *fluminum pater* Nilus. Quanquam hybridæ iſtiuſmodi notationes meritò pro illegitimis ſunt habendæ.

ABAIBÆ, Abaibe & Abibe, montes excelſi Americæ meridionalis in provinc. Carthaginis novæ, prope ſinum Urabæ.

ABAILLARDUS Petrus, ex Armoricis oriundus, Philoſophus Pariſienſis, Pelagii opiniones revocavit; Arrianiſmique & Neſtorianiſmi ſuſpectus Spiritum S. *animam mundi* eſſe ſtatuit. A. C. 1140. vide S. Bern. *Ep.* 191. Baron. A. C. 1140. Petrum Cluniac. *l.* 5. *Ep.* 20. A Bernardo & Anſelmo tandem ad palinodiam adactus, cum Eccleſia in gratiam rediit, G. Hornius *Hiſtor. Eccl. N. T. Period.* III. *Artic.* 3. §. 7. Vide & infrà *Arnoldus Brixienſis*: & ſuprà *Abælardus*.

ABAL, fil. Aſſer patriarchæ, Jacobi filiorum octavi. Joſeph. *Antiq. Jud.* *l.* 2. *c.* 4. Lege *Abarus*, Ἄβαρος enim ſcribitur Joſepho.

ABALA, Oppidum in Africâ Troglodytarum, non procul à rubro mari. *Plin.* *l.* 6. *c.* 29.

ABALA, portus Meſſalæ proximus, ad quem aufugit Cæſar adverſus Pompejum dimicans, cum unico armigero, deſtitutus ſervis, amicis, & ſatellitibus. Appian. *l.* 5. *Civil. Bell.* Quòd autem ait *Meſſalæ proximus*, vereor ne errorem commiſerit auctor, locum pro homine ſubſtituens, Meſſalam ſcil. pro Meſſalâ. Sic enim ſequitur apud Appianum. *Quem quidam è montibus ad rem cognoſcendam decurrentes, invenerunt animo defectum & corpore, ac tranſlatum nunc in hoc, nunc in aliud acatium, quo magis hoſtem fallerent, παρεκόμισαν ἐς Μεσσάλαν ὃ μάλιστα ὤκει. Ad Meſſalam deportârunt, qui non longè aberat* Nic. *Lloydius.*

ABALGARIS, Aſiæ civitas in Media Provinc. Marc. Paul. *l.* 1. *c.* 5.

ABALI, populi Indiæ Plin. *l.* 6. *c.* 19.

ABALITES, ſinus maris Troglodytici, ita dictus ab *Abalâ* ejus regionis oppido maritimo. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

ABALLABA vel ABELLABA, Britanniæ inſulæ urbs *Lib Notitiarum*. Sita eſt in Weſtmorlandiâ Brigantum regiunculâ; ſolâ vetuſtate ſuſpicienda, nimirum Romano ſeculo ſtatio erat Maurorum Aurelianorum. *Appleby* hodiè vocatur. *Camden.* *Baudrando* eſt oppidum Angliæ Borealis, in Weſtmaria Provinc. ad Ituram fluvium.

ABALLO, vel ABALLONE, oppid. Galliæ Celticæ in Ducatu Burgundiæ inter Auguſtodunum & Antiſſiodorum, inde 51. hinc 18. milliar. Gall. diſtans. *Avallon.* nunc vocatur. longitud. 20. 55. latitud 46. 56. *Baudrando* eſt oppidum ſitum ad Cuſſinum fluvium, 10. leucis ab Antiſſiodoro, in meridiem & ab Auguſtoduno 18. leucis tantùm in Boream, in planitie. Hujus muros ſponte corruiſſe A. C. 1003 Roberto eam obſidente narrant, Continuator *Aimoni*, *Mezeray*, Duplex *in Roberto* Caput eſt pagi *Aballonenſis*, qui in diviſione Regni à Carolo M. factâ *Avalenſis*: in *Capitulis* Caroli Calvi *Avalenſis*, vulgò l'*Avalonois* dicitur. In hoc ager Viceliacus ubi, qui ante annos 500. ſcripſit, *Hugo Pictaven.* Monaſterium Viceliacenſe à *Gerardo* Com. fundatum memorat. Significat autem *Avalon* vet. linguâ Gallicâ & Britannicâ, *pomum*, Hadr Valeſ. *Not. Gall.*

ABALUS, Græcè Ἄβαλος, Solymis cultus, Euſeb. *Præp. Evang.* *l.* 5. *c.* 5. Sed Ἀ[illegible] vocat Plut. *de Def. Orac.* vide infrà *Solym.*

ABALUS, Oceani Germanici Inſula in qua nonnulli crediderunt electrum ab arboribus fluere. Plin. l. 37. c. 2. In eâ, ſi quando homo merſus in flumen non appareret amplius, centum annis funus illi faciebant, & manes ita expiabant. *Balciam* eam vocat Timæus.

ABAMOTH-BAAL, oppidum in tribu Ruben, *Joſ. c.* 13.

ABANA, locus Capuæ, apud Cic. *contra Rullum.* Mendum hic procul dubio pro *Albana*. Vide orat. *pro lege Agraria*, finem verſus.

ABANA ſeu *Havana*; aliàs *Inſul. S. Chriſtophori*, celeberrima Antilla-

tillarum, à Chriſtoph. Columbo ſic appellata. Hîc ab A. C. 1625. Hiſpanis fruſtra contranitentibus, ſedem Galli fixerunt. Amœna admodum & fertilis. vide *Hiſtor. Antillanam*, c. 29. it. infrà, ubi de *Antillis* & *Chriſtophori Inſula*, it. ubi de *Inſul. S. Chriſtophori*.

ABANA, Latinè *lapideus*, vel *ædificatio*, ſive *pater obſecro* me, limpidiſſimus, & jucundus Damaſci fluv. qui in Decapolitana regione è radicibus montis Libani exortus, meridionale ac occidentale Damaſci latus alluit, indeque per planitiem Archadob defluens in mare Syriacum effunditur. Varia eſt lectio in Hebræo codice nam legitur אמנה *Amanah*. Idem cum Græcorum *Chryſorrhoa*, & Arabum *Adegele* videtur. Bellon. *l.* 3. c. 4. Davity *in deſcript. Aſiæ*.

ABANBUS, fluv. Æthiopiæ ſuperioris cadit in Nilum, paulo ſupra Meroën Inſul. Aliis eſt *Abanbus*, Ptolemæo *Aſtapus*.

ABANCAJUS, fluv. provinc. de Lima, Americæ meridionalis in Peruvia. Cadit in fluv. Xauxam, non procul à Cuſco Civit. Rigat oppidulum *Abancay*, oriturque propre Andes montes. *Herrera*.

ABANNÆ vel *Abanni*, Africæ populi, Caprarienſibus vicini, quos utroſque bello ſubegit Theodoſius. Amm. Marcel. *l.* 29.

ABANNATIO, ἀπενιαυτισμὸς Græcis, annuum denotat exilium, quod indici olim apud Græcos, illis ſolebat, qui involuntariam cædem commiſiſſent, Budæus in *Annotat. l. aut facta.* 16. §. *eventus*, *ff. de pœn.* vide Calvin. *Lexic. Jurid.* Sicariorum enim ἐκ προνοίας pœna erat mors, & bonorum publicatio. Meminit pœnæ hujus ſeu exilii Euripides *Oreſte*.

> Καλῶς ἔθεντο ταῦτα πατέρες οἱ πάλαι.
> Εἰς ὀμμάτων μὲν ὄψιν οὐκ εἴων περᾶν,
> Οὐδ᾽ εἰς ἀπάντημ᾽ ὅστις αἷμ᾽ ἔχων κυροῖ.
> Φυγαῖσι δ᾽ ὁσιοῦν, ἀνταποκτείνειν δὲ μή.
> *Rectè ſtatuerunt iſta Patres priſci.*
> *In oculorum conſpectum non permittebant venire,*
> *Neque in occurſum quiſquis ſanguinis reus eſſet:*
> *Exilio multabant, verùm verò non occidebant.*

Unde Claud. Saturnin. *l. ſingul. de Pœnis Paganorum*: *Et ideo apud Græcos exilio voluntario fortuiti caſus luebantur, ut apud præcipuum Poëtarum ſcriptum eſt*:

> Εὖτέ με τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος
> Ἤγαγεν ὑμέτερόνδ᾽, ἀνδροκτασίης ὕπο λυγρῆς,
> Ἤματι τῷ ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος,
> Νήπιος, οὐκ ἐθέλων, ἀμφ᾽ ἀστραγάλοισι χολωθείς:

Locus eſt *Iliad.* ψ. Exilium verò in annum erat, ex hac lege, Τὸν ἐργασάμενον φόνον φεύγειν ὅλον ἐνιαυτὸν, μὴ ψαύοντα τῆς πατρίδος, *Qui alium caſu fortaſſe necabit, annum extra Patriæ fines exulato.* Quam laudat Scholiaſtes Euripidis in *Hippol.* Iſaacius Tzetzes *ad Lycophronem*, & Heſych. Intra hoc tempus oportebat homicidam placaſſe eos, quorum jus erat illum cædis poſtulare: deinde redibat peractis ſacris, quibus à cæde luſtrabatur; qua de re hæc ſonant lex: Τὸν ἁλόντα ἐπ᾽ ἀκουσίῳ φόνῳ ἐν ῥητοῖς χρόνοις ἀπιέναι ... ὁδὸν καὶ φεύγειν ἕως ἂν αἰδέσηταί τινα τῶν ἐν γένει τοῦ πεπονθότος· ἥκειν δὲ καὶ θῦσαι καὶ καθαρθῆναι. *Qui alium caſu fortuito necaſſit, in annum deportator, donec aliquem e cognatis occiſi placarit, revertitor verò peractis ſacris & luſtrationibus*, apud Demoſthenem c. *Ariſtocrat.* è quo diſcimus, *Abannationem* ſeu ἀπενιαυτισμὸν hancce deportationem fuiſſe; Nam damnato cædis fortuitæ, pœnæ pendendæ locus certo ſpatio circumſcribebatur: intra vero hoc annuum tempus oportebat placaſſe aliquem è cognatis occiſi: Heſych., Αἰδέσασθαι, τὸ τυχεῖν ἐπὶ φόνῳ ἀκουσίῳ καὶ πεφυγαδευμένον ἐφ᾽ ὡρισμένον χρόνον τῶν τοῦ τελευτήσαντος ἐξιλάσασθαι οἰκείων ἤ τιμωρῶν. Ulpian.: Εἰ γὰρ δεηθείη τινὸς τῶν συγγενῶν τοῦ ἀνῃρημένου, εἶτα αὐτοῦ ἐπιτρέψαντος, καταλύεται ὁ φόνος ἀκούσιος γενόμενος, &c. Quanquam &, ſi ante judicium & *abannationem* adverſarios placaſſet homicida, aut eum ipſum, quem morti dabat, annuo hoc exilio non multabatur, uti docet Demoſthen. c. *Nauſim*. Item c. *Pantænet.* Hanc αἴδεσιν ſeu *placationem* ſequebatur homicidæ κάθαρσις ſeu *luſtratio*, quæ ſanguinis fiebat ablutione ab iis, qui *Pharmaci* dicebantur, Euſtath. Od. χ. Quin etiam Dominus, ſi quem ſervum ſuum occidiſſet, quamvis nemo ab illo repeteret, ex his Legibus tenebatur volens ἀπέχεσθαι ὁσίων καὶ ἱερῶν, *abſtinere à ſacris*, καὶ καθαρθῆναι, *& purgari*, Antipho *Orat. c. Choreut.* De his autem fortuitis cædibus, apud Athenienſes, judicabant Ephetæ in illo Foro, cui à Pallade erat nomen, prorſus eodem ordine, quo Areopagitæ de præmeditata cæde judicare conſuevere, vide infrà ubi de *Homicidio*. Atque illi, qui in hoc Foro causâ vicerant, inter cæſa porrecta hoſtiarum, illos Judices, qui ſecundùm ſe pronunciaverant, juſtè pronunciaſſe teſtabantur: ſin aliter eſſet, ſibi & familiæ ſuæ exitium imprecati, Judicibus optima quæque & fauſtiſſima voventes, &c. Hujuſmodi porro imprudentem homicidam, ultra terræ occiſi patriæ fines, perſequi & exagitare non licebat, ex lege Draconis, memoratâ Demoſthenis *Orat. c. Ariſtocrat.* Ἐάν τις τινὰ τῶν ἀνδροφόνων τῶν ἐξεληλυθότων, ὧν τὰ χρήματα ἐστιν, πέραν ὅρου ἐλαύνῃ ἢ φέρῃ ἢ ἄγῃ, τὰ ἴσα ὀφείλειν, ὅσαπερ ἂν εἰ ἐν τῇ ἡμεδαπῇ δράσῃ. *Si quis imprudentem homicidam, qui ſolum verterit, extra Atticam exagitarit, ſiremps ſe Lege tenetor quâ is, qui intra Atticam civem Athenienſem exagitarit.* Itaque inter ſicarios reputabatur, & dabatur, adverſus illum cædis actio: At non dabatur adverſus eum, qui homicidam detuliſſet, ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ deprehenſum occidiſſet, aut rapuiſſet in jus ad Magiſtratum, ſi homicida iis non abſtinuiſſet, quibus illi erat interdictum: Qua de re ab eodem Dracone legem latam, memorat idem Auctor *ibid.* Arcebantur enim Homicidæ ſacris, foro, territorio urbis, aliiſque, exilii ſui tempore, quò ſi veniſſent, periculum ſibi creabant, licebatque illos deferre ac in jus rapere, &c. At ſi quis imprudens in certaminibus alium necaſſet, aut inſidiantem, aut ignotum in prœlio, aut in uxore, vel matre, vel ſorore, vel filia, vel concubina, vel eâ, quam in ſuis liberis habebat, deprehenſum, cædis ergò non exulabat, quam legem deſcripſit iterum Demoſthenes, ubi ſuprà, Iſtam ſi vis illata vi repelleretur, impune erat ex Lege ibidem memoratâ; cujus cauſas in *Milonianâ* Cic. aperit. Sed & tribunal Φρεαττοῖ erat, quod ἐν Φρεαττοῖ vocabatur, in quo jus dicebatur illis, qui, cùm imprudentes aliquem morti dediſſent, ſolum vertebant: ſi igitur nondum placatis & exoratis occiſi cognatis, quibus in jus vocantibus damnati fuerant, accuſarentur ſcientes eum alium occidiſſe, de nave cauſam dicebant, Judicibus in terra ſedentibus; quorum ſententiâ ſi damnarentur, pœnas dabant voluntariæ cædis: at ſi ſecundis abſolverentur ſuffragiorum calculis, ſolum nihilominus vertebant ob imprudentem cædem. Judicabant autem & hîc Ephetæ, uti apud Harpocrationem legimus. Quòd ſi tandem is, qui cædem fecerat, ſive ſciens ſive imprudens, protinus ſe fugæ daret, pedemque ſtrueret, aut omnino ignotus eſſet, ita ut judicio ſe non vadaret, judicabant tamen in tribunali, quod ἐπὶ Πρυτανείῳ dicebatur, Pollux *l.* 8. In quibus omnibus Tribunalibus præmittebatur in jus vocatio, deinde audiebantur teſtes, ſequebatur contendentium διαμαρτυρία, demum jus dicebant Judices, &c. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. l.* 7. *tit.* 1. *de Sicariis*, & infra ubi de *Homicidii cauſa*.

ABANTA, Urbs juxta Parnaſſum, ubi Apollinis ſacra. *Phavorinus*.

ABANTES, Ἄβαντες populi ex Traciâ oriundi, qui finibus ſuis egreſſi, in agro Phocenſi oppidum condidêre, quod à ducis ſui nomine *Aban* vocavêre, ipſi quoque à nomine oppidi *Abantes* vocati. Hi poſtea in Eubœam tranſgreſſi, quæ tunc *Macris* dicebatur, à ſuo, relictique nomine oppidi, *Abantidem* illam vocârunt. Hos Herodot., *l.* 1. inter Ionas commemorat: Homerus ὄπιθεν κομόωντας, *ab occipitio comatos* vocat, ex peculiari gentis more. Ajunt enim antiquos Curetas Chalcidem habitaſſe, cùm verò bellum iis de agro Lilantino inferretur, hoſteſque ipſos anteriore comâ prehenſos in terram affligerent, fronte attonſâ comam in occipitio tantum aluerunt. Ideo *Curetes* à *tonſurâ* vocati ſunt, & Statuæ hoc habitu apud ipſos viſuntur. Euſtath. in *Hom.* Alios dixit Orpheus *in Argonauticis* juxta Pontum. Vide Steph. *de Urb.* & de prioribus quoque hîc infrà, in voce *Abantis*.

ABANTES, populi (inquit Pauſan. *in Eliacis*) ex Eubœâ octo navibus ad Ceraunia delati, Thronium, in regione quam Abantidem appellârunt, conſtruxêrunt, quam tandem amiſerunt, & poſtea Corcyram deducti ſunt: אבס *abas* autem, unde *Abantes*, Ebraicè eſt *ſaginare*, hinc שור אבוס Prov. c. 5. v. 17. Theodotion rectè reddidit βοῦν σιτευτὸν, Vulgatus verò *vitulum ſaginatum*. Inde factum à Phœnicibus verbale nomen *abas* pro pecudum ſaginatore, cujus plurale Phœnicium eſſet אבסין *abaſin*, ſed Græcâ flexione eſt Ἄβαντες. Itaque ut à *boum paſcuis* inſula *Bohme* & *Eubæa*, ita incolæ *Abaſin* vel *Abantes* appellati ſunt à boum ſaginatione. *Bochart*.

ABANTES, fluvius in finibus Apolloniatum. Sabel. *l.* 8. *Enn.* 6.

ABANTIAS, Patronymicum eſt à nomine *Abas*, quo ſignificatur vel filia, vel neptis Abantis. Apud Poëtas ferè pro Danaë ponitur, Abantis ex Acriſio nepte, vel pro Atalantâ nepte ejuſdem ex Jaſio.

ABANTIDAS, poſt Cliniam Arati patrem, Sicyoniorum tyrannidem occupavit; ſed ab indigenis quibuſdam paulo pòſt interemptus eſt. Pauſan. *in Corinthiacis* & Plut. *in Arato*.

ABANTIS, tractus Epiri in Chaonia provinc.

ABANTIS, Straboni, aut *Abantias*, Plinio, Ἀβαντὶς Stephano & Suidæ, inſula maris Ægæi, toti illi Græciæ littori oppoſita, quod à Sunio Atticæ promontorio, hodie *Capo delle Colonne*, ad Theſſaliam uſque extenditur, anguſtiſſimoque freto, quem Euripon appellant, à Bœotiâ dirempta. *Macris* olim ob ſitus longitudinem dicta: poſtea ab Abantibus, Thraciæ populis qui relictâ Abâ, Phocenſis agri oppido, in hâc inſulâ ſedes ſuas fixerunt, dicta eſt *Abantis* & poſtremo *Eubœa*. Hodie *Negropont*. Chalcis etiam vocabatur, & *Aſopis*; Ὄχη etiam & Ἑλλοπία. Ælianus de *An.* 12. 36. prodit eam à poëtis Ἀργιβόειον *Argibœum* appellari, eo quòd in eâ boves ferè omnes albi naſcantur. vide *Eubœa*. Inde *Abantæus*, Ovid. *Met.* 15.

> *Nuper Abantæo templo Junonis in Argis.*

ABANTONIUM, Aubanton, oppid. Galliæ in Picardia provinc. in regione Tiraſcia. Diſtat à Rupe Regia 6. leucas, à Guiſia autem ad rivum cognominem, prope fontes Oeſiæ fluvii 9. leucis.

ABANVIVARIENSIS, comitatus ſuperioris Hungariæ. Cujus caput *Caſſovia*, verſus confinia Poloniæ. Vide infrà *Caſſovia*, nec non voce *Hungaria*.

ABAORTÆ, populi ad Indum fluvium. Plin. 6. 20.

ABAQUE, vel YABAQUE, una ex Lucajis. Herrera, c. 7.

ABAR, vide *Abarim*.

ABARA, Armeniæ oppidum. *Cedrenus*. Vide *Abrenum*.

ABARADIRA, Africæ Epiſcopatus, apud Vict. Uticenſem.

ABARANUM, oppid. Armeniæ majoris, juxta fluv. *Alingeas*, ubi perſæpe degit Archiepiſcopus Naxivanenſis.

ABARATHA, Taprobanæ inſulæ oppidum. Ptol. Palat. M. S. *Abaratha*.

ABARAZA, Syriæ urbs inter Cyram & Edeſſam. Anton. *in. Itiner.*

ABARAUM, & *Abraas*, oppid. Africæ, in Guinea regione ad fluv. *de la Volta*, in mediterraneis, 25. leucis à mari diſtans.

ABARBANEL, aliis *Abravanel*, *Abrabaniel* Conſtant. L'Empereur. Calviſio *Barbanel*; Clariſſimus Judæorum Rabbinus: floruit circa A. C. 1500. Intellexi nuper integrum Abarbanelem in Turciâ duobus magnis voluminibus excuſum nactum eſſe amicum meum, Gualter. Keuchen.; quod ſi verum eſt, eſt quod ſibi gratuletur, nam liber eſt ſummè commendatus. Buxt. *Bibl Rabin.* vide & infrà *Iſaac Abravanel*.

ABARBAREA, una Naiadum, ex quâ Bucolion maximus natorum Laomedontis Æſepum genuit & Pedaſum. Hom. *Il.* ζ.

Ἐκ ᾗ μετ' Αἰγυπτίων τε Πηδάσου, ὅς ποτε νήσου
Ναὶς Ἀβαρβαρέη τέκ' ἀμύμονι Βουκολίωνι
Βουκολίων δ' ἦν υἱὸς ἀγαυοῦ Λαομέδοντος,
Πρεσβύτατος γενεῇ.

ABARBINA, Hyrcaniæ urbs, *Ptol.*

ABARCA, vel SANCTIUS ab ARCA, à certo calceamenti genere ſic dictus, tertius Navarræ Rex (adverſus Saracenos proſperè pugnavit, Arragoniæ regnum auxit. Volaterran. Ritius. Aliis primus Arragoniæ & Pompelonæ, ſeu Navarræ, & Vaſconum rex dicitur, regnavit annos ferè viginti & unum, trucidato in pugnâ adverſus Caſtellanos ſucceſſit Garſias Sanctius. Ex Theuda uxore, tres filios, quinque filias reliquit. A. C. 926. *Mariana, de Marca.*

ABARCA, calceamenti genus Hiſpanis, quo non olim ſolùm, ſed hodieque utuntur, repandorum calceolorum inſtar, ex caprina ſeu boaria pelle confectum, ad aſpera & montoſa loca peragranda aptum, ac propterea paſtoribus ac ruſticanis hominibus maximè familiare. A cujuſmodi calceo cognomentum *Abarca* inditum tradunt Sanctio Navarræ Regi, qui Regnum iniit A. C. 905. quod in illud primùm veniſſet, *indutus & calceatus, ac ſi eſſet paſtor*, ut eſt in *Hiſtor.* Pinnatenſi. De eodem ſic Lucas Tudenſis, *Fecit ſibi & ſuis militibus de coriis crudis & ligneis viminibus, ruſticorum more, calceamenta, quæ vulgariter Avarcas & Baraliones vocant, & noſte Alpes Roſcidæ vallis per nives tranſiit.* Vide Roderic. Toletan. *de Reb. Hiſpan. l. 5. c. 22.* Blancam *Commentar. Rerum Aragonic.* & Sebaſt. Covarruv. *in Theſaur. Linguæ Caſtellanæ*, laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.*

ABAREN, filius Mattathiæ, filii Johannis, 1 Macc. *c. 2. v. 5.*

ABARES, Aſiatici Boreales populi, circa Caucaſum, Caliſto.

ABARI, Scythica Hamaxobiorum gens, Turcis finitima, à quibus malè affecti ſunt, & littora maris Euxini relinquentes ad Boſphorum venerunt. Evagr. 5. 1. *Abares* Nicephoro.

ABARIM, Latinè *tranſitus*, pluralis numeri, ſive *tranſeuntes*, aut *furores*, vel *prægnantes*: aut Syriacè *frumenta*. Mons altiſſimus, & aſcenſu difficillimus, Amorrhæorum, & Moabitarum regionem à Chananæâ terrâ diſterminans, ubi Moſes Iſraëlitarum dux ſapientiſſimus vitam finivit: Num. *c. 27. v. 12. 13.* Joſephus *Jud. Ant. l. 4. c. 8.* ait hunc montem è regione Hierichuntis ſitum eſſe. In Valle inter media *Baras*, planta eſt cognominis, noctu lucens. *Davity.* Fuit penultima manſio Iſraëlitarum ex Ægypto proficiſcentium. Inde enim in campeſtribus ſeu planitie Moab ad Jordanem caſtra metati ſunt. Montis autem Abarim partes fuêre *Nebo*, & *Phaſga*.

ABARIMON, Scythiæ regio juxta Imaüm montem, in quâ ſylveſtres vivunt homines, averſis poſt crura plantis eximiæ velocitatis, paſſim cum feris vagantes. Hos in alio nón ſpirare cælo, idcirque ad finitimos reges non pertrahi, neque ad Alexandrum M. pertractos, Beton itinerum ejus menſor prodidit. Plin. *l. 7. c. 2.*

ABARINUS, vulgò *Navarino*, oppid. Peloponneſi, in ora Meſſeniæ, apud Coryphaſium promontorium & Pylum. vide *Pylus.*

ABARIS, Viri nomen à Perſeo occiſi, Ovid. *Met.* 5.

Caucaſiumque Abarin, Sperchionideque Lycetum.

Quin & alterius viri nomen ab Euryalo interfecti. Virg. *Æn.* 9. *Fadumque, Hebeſumque ſubit Rhœtumque Abarinque* malè enim in prioribus edd. *Paddum, Hebuſum, Rheſumque* legitur. Valeat itaque per me licet prior editio, in quâ montis, vel fluvii nomen apud Ovidium habetur.

ABARIS, Scytha quidam celebris, Seuthæ fil. Apollinis iter ad Hyperboreos deſcripſit, & multa alia; hic ab Apolline ſagittam accepit, quam jaculans, & ipſe cum eâ ferebatur; itaque populos velociſſimè tranſiens, per eam reſponſa dabat, unde *αἰθροβάτης* dictus eſt. Jamblichus Pythagoræ diſcipulum fuiſſe aſſerit; Aliis Solone antiquior eſt, ſcripſit oracula regionibus quas peragravit, prædixit iis quoque terræ motus, peſtes & ſimilia. Legatus Athenas veniens, ad ſuos Hyperboreos rediit, nihil comedens. Trojanorum Palladii Simulacrum ex oſſibus Pelopis dicitur feciſſe, ut Firmicus habet. Vide plura de eo apud Voſſ. *de Poet. Gr. p. 16. & 17.* & Mauſſac. *ad Harpocrationem. p. 8.*

ABARIS, in *Fragm.* Manethonis apud Joſephum C. *Apionem l. 1. p. 1039.* urbs Ægypti in Nomo Saite, ad Orientem Bubaſtici fluvii, *ἀπό τινος ἀρχαίας θεολογίας καλουμένη*, *ab antiqua Theologia vocata*; poſtmodum à Salate, primo Rege Paſtorum qui illam *ἐπικαιροτάτην οὖσαν opportuniſſimam* invenit, inſtaurata muriſque & præſidio militum 240000. munitiſſima reddita *Pithom* (quam ædificaſſe Iſraëlitæ in Sacris dicuntur) inde & *Peluſium* dicta eſt. *τὴν Ἄβαριν* vocat Ptolemæus Mendeſius apud Euſeb. *præparat. l. 10. c. 12.* primam *Θεῶν βασιλείαν* Syncellus in magno annorum Cyclo, *ex vet. Chronico, p. 51. Robur Ægypti* etiam Ezechielis tempore habebatur, *c. 30. v. 15.* qua de vide plura apud Joh. Marſhamum *Canone Chron. Sec. VIII. p. 100–109.* & infra voce *Peluſium*.

ABARITANI, Epiſcopalis loci meminit in Africâ propriâ Victor Uticenſis, hinc *Abaritanam arundinem* habet Plin. *l. 16. c. 36.*

ABARITARUM regionis in Indiâ meminit Curt. *l. 9. c. 1.* Verùm de hac lectione ambigere ſe ait *Janus Gebhard. Exercitat. ad Q. Curt.* vide *Arabita*.

ABARNUS, Phocenſium urbs. Heſych. *Ἄβαρνις Φωκέων φυλή.* Idem.

ABARNUS, vel ABARNIS, urbs & regio Parianæ ad Propontidem. Hecatæus & Ephorus *Abarnidem* ad Helleſpontum collocant, & Lampſaci arcem eſſe volunt. *Steph.*

ABARON, Latinè *robur* vel *fortitudo*, fil. Mattathiæ, filii Joannis. 1 Macc. *c. 2. v. 5. Eleazar* quoque dictus.

ABARRAZA, Syriæ urbs inter Cyrrham, & Edeſſam. Anton. *in Itiner.*

ABARSIS, Locus Epiſcopalis in Jure Orientali. Ortel. *in Theſ. Geogr.*

ABARTHOMIUS, vide *Abdolonymus*.

ABARUS, nomen proditoris cujuſdam, Arabum primarii, qui M. Craſſum Syriæ Præfectum, expeditionem in Parthos ſuſcipientem, aſtutè in calamitoſum excidium compulit. Appian. *in Parth. Mazeras* Floro *l. 3. c. 11.* qui Syrum facit. *Ariamnes* autem Plut. *in vita Craſſi*.

ABAS, mons apud Syros, unde Euphrates oritur. alius Armeniæ majoris. Vide *Aba*.

ABAS, Armeniæ majoris fluv. ubi Pompejus Albanos prælio fudit. Plut. *in Pom.*

ABAS, Metaniræ fil. à Cerere in lacertam, ſeu aſcalabum aut ſtellionem, animalculum hominum infenſiſſimum, Plin. *l. 29. c. 4.* converſus, quod à matre ſuſceptam hoſpitio moleſtè tuliſſet, & rem divinam honori illius inſtitutam iriſiſſet. Cæl. Rhodig. *l. 19. c. 4.* vide & Ovidii *Metamorph. l. 5. fab. 7.*

ABAS, *antis*, Rex undecimus Argivorum, Lyncei ex Hypermneſtrâ conjuge filius, (ſunt tamen qui Beli filium faciunt) vir bellicoſus, & acerrimi ingenii, Pater ſuit ex Ocaleâ geminorum, qui in utero diſſederunt, Apollodor *l. 2.* ſcil. Prœti & Acriſii, & avus Perſei, à quo poſtea Argivorum reges *Abantiadæ* dicti ſunt. Regnavit annis 23. Euſeb. vide Pauſan. *in Phoc.* Petavium, &c. Eum in regno excepit Prœtus, quem vide: Erechtheo apud Athenienſes regnante.

ABAS, apud Thuſcos regnavit annis 15. Ab hoc poſiti ſunt *Abii*, Thuſci. Manetho, A. M. 2584.

ABAS, vel XA ABAS, celeberrimus Perſiæ Rex à rebus geſtis *Magnus* dictus. Hic Achmeto I. Imper. Turcico adhuc juvene, Tauriſium & Erezerum recuperavit. Adjecit poſtmodum Imperio ſuo Regna Babyloniæ, Ormus & Candahar. Plura de ipſo vide apud Mercator. *tom.* 10. Petr. utpotè de Valle, qui ejus aulam & caſtra diu ſecutus eſt, *Itiner. tom. 2. & 3.* Obiit A. C. 1629. poſtquam regnaſſet, ann. 42.

ABAS, Filius Cymei & Hypermneſtræ, Danai filiæ, Abarum Phocenſium Urbis conditor & Vates, quo Lyſander Lacod. uſus eſt: ejus ſtatua olim Delphis ſpectabatur, Pauſ. *in Phoc.*

ABAS, Melampodis fil. Pauſan. *in Atticis.*

ABAS, comes Æneæ. Virg. *Æneide* 1.

Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et quâ vectus Abas, & quâ grandævus Alethes,
Vicit hyems.

ABAS, dux Thuſcus, qui Æneæ ſuppetias tulit; à Lauſo interfectus. Virg. *Æn. 10. Una torvus Abas, &c.*

ABAS, Græcus, cum Androgeo eâ nocte quâ incendebatur Troja, occiſus à Trojanis. Ejus clypeum Æneas in agro hoſtili Ambraciæ, epigrammate addito conſecravit:

Ære cavo clypeum, magni geſtamen Abantis.
Poſtibus adverſis figo. Virg. *Æn. 3.*

ABAS, Centaurus, Ixionis & Nubis filius, venator inſignis. Ovid. *Met. l. 12.*

ABAS, Saracenus quidam Chriſtianis infenſiſſimus, de quo Paul. Diacon., *l. 22. Rerum Rom.*

ABAS, Sophiſta quidam, qui hiſtoricos quoſdam commentarios, & Rhetoricen ſcriptam reliquit. Suidas. vide Voſſ. *l. 3. de Hiſt. Gr.*

ABASA, inſula proxima Æthiopibus in ſinu quodam maris Erythræi, Pauſan. *Eliacis poſter.*

ABASCANTOS, unum ex nominibus Æonis, qui Deus erat Valentini hæretici, Tertull. *contra Gnoſticos*, *c. 1.*

ABASCI, Ἄβασκοι Arriano, Scythiæ populi quorum Juſtinianus in ſuis Novellis meminit, *Abaſgos* appellans. Procop. *Perſicorum lib.* 2. Chriſtianos, & jamdudum Romanis amicos dicit fuiſſe.

ABASCUS, Sarmatiæ Aſiaticæ fluv. qui ſe in pontum Euxinum fundit.

ABASENI, Arabiæ gens, Steph. Ἡ χώρα τῶν Ἀβασηνῶν σμύρναν φέρει, καὶ ὄσσον, καὶ θυμίαμα, *regio Abaſenorum myrrham fert, & Oſſon, & thus*; qui non intelligit Africæ *Abaſenos* vel *Abiſſinos*, ſed Arabiæ, à quibus Africani ſunt oriundi. Hi porro *Abaſeni* Adramitis vel Chatramotis, erant proximi. Uranius apud Steph. Μετὰ τοὺς Σαβαίους Χατραμωτῖται, καὶ Ἀβασηνοί.

Horum ducem *Abraheth*, eo ipſo anno quo natus eſt Mahometes, magno elephante vectum cum multis copiis veniſſe ut Mecchanum templum exſcinderet, ſed ab avibus *ababil*, jactis in ejus militumque capita lapidibus ex *ſiggil* (ita Turcæ vocant Arabeſque lapides in inferorum igne excoctos & induratos, cum eorum, in quos cadebant, nominibus inſcriptis) fuiſſe interfectum, tradit infauſtus Alcorani auctor *cap. de Elephante*. Ad quam fabulam Damir quoque Arabs alludit, cum varias hirundinum ſpecies recenſens, *Singulare unitatis*, inquit, *eſt ſumma. Hujus ſpeciei multæ ſunt in templo Gharam Mecchanæ urbis, quæ in templi tectô nidificant, in Abrahami ſtatione, in porta filiorum Seibæ. Quidam aſſerunt, aves eſſe ababil dictas, per quas Deus caſtigavit ſocios elephantis*: apud Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l. 1. c. 10.* vide quoque ſuprà in voce *Ababilo*.

ABASGI, paſtores latrociniis deditì. vide *Novell.* 142. *c. 2.* & Gothofredum *ibid.* & ad *l. ſi quis II. verb. paſtor. C. de actus.* Joh. Calv *Lexic. Jurid.*

ABASITIS, Myſiæ Aſiaticæ tractus, in quo Ancyra urbs. *Strabo.*

ABASSARUS, à Cyro præfectus reſtituendo templo Hieroſolymitano. Joſephus *Ant. Jud. l. 11. c.* 1.

ABASSENA, pars Æthiopiæ unde ad Ægyptios omnis aquarum copia. Franc. Alvarez Regis Luſitani ad Regem Abaſſenæ legatus, *Itinerar. c. 146. In Abaſſena hyems incipit medio Junio*,

in, dejinit medius Septembris: toto tempore regrantes ſunt pluviæ; unde creſcit Nilus E: II. Voſſ. *de Nili orig. c.* 15. *Quidquid in Ægyptum affluit aquarum, ad omne Æthiopiæ transeundum & quidem illa Æthiopia, quam* Abaſſenam *hodie appellant.* Ibidem terminos ejus *inter VIII. & XVI. gradum latitudinis Borealis conſtituit.* Vide *Abyſſini.*

ABASSIA, regnum magni Negus. Vide *Abyſſini.*

ABASSINI, vide *Abiſſini*, vel *Abyſſini.*

ABASSUS, oppidum majoris Phrygiæ ad Toliſtobojorum fines. *Liv. l.* 38. *c.* 15.

ABASTANI, libera Indorum gens, circa Indum fluv. Arrian. *l.* 6.

ABASTER, unus ex tribus equis, qui currum Plutonis trahunt: i. e. *Niger*. Sicut alter, Metheus, *obſcurum*, tertius Nonius, *tepidum* notat. Boccat. *l.* 8. *c.* 6. *Genealog.* Alii, ut Claudian. *ſub finem l.* 1. *de raptu Proſerp.* quaternos ei attribuunt: Orphnæum, Alaſtoræ, Æthonem & Neſtæum. Quibus indigitari volunt ſolicitudinem, cæcitatem, pravas artes, ardorem ingentem, & mortem tandem æternam, in quam auri ſacra fames mortales conjicit.

ABATHUBA, Marmaricæ vicus. *Ptol.*

ABATIA, oppidum in municipio Federicorum & Vendraminorum. P. Bembus *l.* 9.

ABATIS, in *Diſtichis* Magiſtri Cornuti ſeu Johannis de Garlandia,

Sunt Anaphus, Piſcina, Batus, Abatis, *Cocus, Orcham.*

Ubi *Gloſſ. A Bato dictum Abatis, eſt menſura, quâ menſuratur prebenda avenæ, quæ datur equis in abatia, vel alii ad hujus officium deputatis.* Hinc *Abatis* nomen officii, Papias: *Abatis ſubauditur Prepoſitum, id eſt, qui batos, id eſt, menſuras regias, diſperſit.* Aliba *A batus, qui præeſt menſuris.* Batus autem, ut Guil. Brito habet in *Vocab. MS.* in Gallico, *Provendier, ſc. prebendarum vas, cum quo avena diſtribuitur equis.* Breviloquus: *Abatis qui vel cum bato dividit avenam, vel alia frumenta.* Unde Ebrardus Bethun.

Abatis ad cenam, dat equis Abbatis avenam.

Nempe talis dictus eſt *A batis*, ut *A ſecretis*, *A calculis*, qui ſcil. bato præeſt. Cujus munus quale fuerit, bellè deſcribitur, in *Bulla aurea* Caroli IV. Imper. *c.* 27. *Imperatore vel Rege ipſo, in ſede regia, ſive ſolio Imperiali ſedente, Dux Saxoniæ officium ſuum agat hoc modo. Ponetur enim ante ædificium ſeſſionis Imperialis vel Regiæ, acervus avenæ, tantæ altitudinis, quod pertingat uſque ad pectus vel antelam equi, ſuper quo ſedebit ipſe Dux, & habebit in manu baculum argenteum & menſuram argenteam, quæ faciant in pondere 12. marcas argenti; & ſedens ſuper equo, primo menſuram eandem de avena plenam accipiet, & famulo primitus venienti miniſtrabit eandem: quo facto, figendo baculum in avenam, recedet & Vicemareſcallus ejus, puta de Pappenheim, accedens, vel eo abſente Mareſcallus Curiæ, ulterius avenam ipſam diſtribuat.* Unde colligitur *Abatis* & Mareſcallorum idem officium fuiſſe. Jam verò palàm & publicè in Magnatum ædibus avenam officialibus ac domeſticis diſtribui conſuevisse, à Camerarius & Seneicallis, docet ex vet. *Poem.* Gall. MS. *de Pariſe la Ducheſſe*, & ex Bertrando Clerico in *Poem.* de Girardo Viennenſi itidem MS. Car. du Freſne. Vide & Spelmannum *Gloſſar.*

ABATON, ædificium erectum à Rhodiis, ad protegendum Artemiſiæ tropæum, quod religione impediti diruere non poterant. Cæl. Rhodig. *l.* 13. *c.* 33. *Artemiſiam*, inquit, *mirari non deſinunt Græci, quæ irruentes Rhodii, claſſe exuerit inſulamque domuerit, erectâ in urbe Rhodo ſtatuâ, quæ civitatis ſtigmata inurere videretur. Quem locum obſeptum mox Abaton dixere, quoniam tropæa nuviſſe, religio eſt.*

ABATOS locus ultra Ægyptum, & Æthiopas, juxta paludem Stygem; ab *a* privativâ particulâ & *βαίνω*, id eſt *vado*, ſive *aſcendo*, quæ loca Græci *Abata*, Latini *Invia*, ſive *Avia* vocant. Sen. Nat. Quæſt. *l.* 4. *c.* 6. *exiguo ab hoc ſpatio petra dirimitur, ἄβατον Græci vocant, nec illam ulli, niſi antiſtites calcant.*

ABATOS, inſula Ægypti in palude Memphiticâ, ſic dicta, quia *naceſſu*, lini, & papyri copiâ olim celeberrima, quibus tam in ſcribendo uſi & camera inacceſſa. Ibi Oſiris rex ſepultus fuerat. Lucan. *l.* 10.

Hinc, Abaton quam noſtra vocat veneranda vetuſtas,
Terra potens, primos ſenſit percuſſa tumultus,

ABAUCHAS, nomen viri, cujus amicus fuit Gyndanes hujus meminit Lucianus, in dialogo cui nomen *Toxaris.*

ABAUGI, Hunnorum gens videtur fuiſſe apud Procopium.

ABAUHII, fluv. ſuperioris Æthiopiæ, qui recepto Tagazzino, in Nilum ſe exonerat. Marmol. *l.* 10. *c.* 10.

ABAZEA, vide *Sabazia.*

ABBA, vide *Abbas.*

ABBA, Africæ urbs Carthagini propinqua Polyb. *l.* 14.

ABBACOMITES ſeu *Abbicomites*, Comites dicti ſunt ac Nobiles quibus olim à Regibus datæ erant Abbatiæ & Eccleſiæ jure beneficii, ſeu, ut ajunt, in *Commendam*. Hinc de Hugone Gerbertus *Ep.* 17. *Scire cupit, an Hugo, quem veſtrâ linguâ* Abbacomitem *dicitis, uxorem duxerit.* De eodem Hugo Flaviniacenſis Chron. *part.* 2. *c.* 15. *Cui tamen plurimum reſtitit Hugo Antiſiodorenſis, qui Abbicomes dictus eſt, cujus cognatam Conſtantiam Robertus (Rex) habebat uxorem.* Idem *Abbas-Comes* vocatur Baldrico Chron. Camerac. *l.* 1. *c.* 70. &c. Factum autem illud, ob Reip. neceſſitates & tuitionem, à Regibus Franciæ, obſervat Car. du Freſne, ex *Capitulis* Caroli M. *l.* 5. *c.* 181. Concilio Aquiſgran. II. *c.* 3. Can. 19. Meldenſi, A. C. 845. can. 9. Synodo ad Theodonis villam in *Capitul.* Caroli C. *tit.* 2. *c.* 3. & 5. Ivone Carnotenſi *Ep.* 181. &c. Et quidem id primum feciſſe Carolum Martellum conſentiunt Scriptores omnes, eoque nomine *æternaliter perditum* ſeu damnatum clamavere quidam, ut eſt apud Baron. A. C. 889. num. 51. Poſt quem, invaleſcente ſenſim ſingulis compluires ejuſmodi *Abbates* facti leguntur. Inter quos Mathidus Comes, qui Abbatiam S. Dionyſii *regio tenebat jure beneficiario*, ſub Lothario Imp. apud Doublerum: Adelinus Comes, qui ex conceſſione Caroli Calvi *Rector Monaſterii S. Petri & S. Bavonis*, conſtitutus eſt, apud Miræum *Cod. donat. piar.* *l.* 1. *c.* 18. Iſaacus Comes Cameracenſis, qui eodem jure regiam ac locupletem Abbatiam S. Gaugerici tenuit, apud Baldricum *Hiſtor. Camerac. l.* 1. *c.* 70. ut alios Comites innumeros omittam, quos Monaſteriorum atque Eccleſiarum ſeſe inſcripſiſſe *Abbates*, apud Auctores paſſim legitur. vide eorum aliquot apud Beſlium *Hiſt. Comit. Pictav. c.* 1. Atque hi ſeculares Abbates ſtatuebant Decanos, *qui curam haberent Monachorum*, ut diſcimus ex Continuatore Aimoini *c.* 42. Interdum etiam Monachis ipſis præerat Monachus cum nomine ac titulo *Abbatis*. cujuſmodi Abbates, *Abbates Monaſticos* etiam fuiſſe appellatos, obſervat Hemereus in *Auguſta Viromanduorum pag.* 114. ex Serm. de *Tumulatione* S. Quintini. Exinde Reges ipſi, qui Proceribus illis ſucceſſerant, ſeſe perinde *Abbates* inſcripſerunt: ita Reges Philippus I. Ludovicus VI. atque adeo Duces Aurelianenſes *Abbates Monaſterii S. Aniani Aurelian.* inſcripti leguntur, apud Hubert. in *Hiſtor.* ejuſdem Eccl. Qua de re ſic *Chron.* Turonenſe: *Obiit Hugo prapotens Abbas Eccleſiæ beatiſſimi Martini & Dux Francorum. Inde Galliæ Reges ſibi nomen aſſumunt Abbatis Protectoris S. Martini: & in primo ingreſſu Regis in Eccleſiam recipitur cruce erectâ à Clero ejuſdem Eccleſiæ & præſtat juramentum conſervationis privilegiorum.* Sed & Duces ac Comites Galliæ eoſdem ſibi arrogavere titulos, ut hæreditarios, cùm & Monaſteriorum bona non modica ſibi retinuiſſent ac aſſeruiſſent, ex quo eorum deceſſores jure beneficiario ab Regibus eaſdem Eccleſias impetrarant; quas, ut Ducatus ac Comitatus ſuos, quos eodem jure h. e. ad vitam poſſidebant, ad poſteros, inclinata & profligata Regum auctoritate, tranſtulerunt. Hinc paſſim legimus, Duces Aquitaniæ *Abbatum S. Hilarii Pictavienſis* Comites Andegavenſes *S. Albini & S. Licinii*, Comites Pontivenſes *S. Wlframni*, Comites Viromandenſes *Abbatum S. Quintini*, titulis fuiſſe uſos. Cujuſmodi verò Abbatiarum & Monaſteriorum invaſiones ac uſurpationes non ſemel prohibitas, obſervat præfatus du Freſne, præſertim in *Capitul.* Caroli M. *l.* 6. *c.* 321. Verùm licet Pontifices ipſique Epiſcopi erga Reges ac Principes, ut à Monaſteriis ſeculares ſubmoverent, Eccleſiaſque Monachorum juri addicerent, ſubinde inſtarent; vix tamen id obtinuere, niſi ſub initium Capevingorum ſeu tertiæ Regum ſtirpis; ut infra dicetur: cum ii hac excuſatione ſe tuerentur, res Eccleſiaſticas ſublatas ex integro reſtituere non poſſe. *ne ſua Reip. militiam defraudare viderentur*, ut eſt in *Ep.* Nicolai I. Pontif. Rom. ad *Odonem Epiſc. Belvac.* apud Loiſellum, &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* ut & infrà in vocibus *Abbas, Abbatiſſa* & *Archiabbas.*

ABBÆVILLANUS Johannes, vide *Johannes.*

ABBARUS, Solemne Regibus Arabum nomen, ut *Ptolemæus Ægypti.* Alii & Græci habent *Acbarus.* Urſinus prodit in numiſmate æreo Gordiani Pii Imp. extare Ἄβγαρος βασιλεὺς in cujus numiſmatis alterâ parte caput ipſius regis diadematum cum titulo Ἐδεσσηνῶν ſignatum eſſe, in alio autem ejuſdem Gordiani numiſmate item æneo, teſte eodem Fulvio, rex ipſe camelo inſidens impreſſus eſt cum eodem titulo. Camelus autem Arabum inſigne eſt. vide etiam *Abgarus.*

ABBAS, vide *Abas.*

ABBAS, Gall. *Abbé*, Germanis, *Abt*, vel *Apt.*, à voce Chald & Syr. אבא, quæ ex Hebr. אב *Pater* ortum trahit, nomen eſt dignitatis, in Communione Romana non Secularis muniis, ſaltem olim, quàm Eccleſiaſticæ. Et quidem, quod poſteriores, ut de illis priùs dicam, attinet: Cùm olim non in Eccleſiis ſolùm, à Catecheſium Magiſtris, ſed & in Epiſcopiis ſeu Epiſcoporum domibus, ut & Monaſteriis, ſacra Sapientia traderetur; poſteaque, cùm non omnes Epiſcopi ad id munus apti eſſent, cœtus Canonicorum emergerent, qui Collegia Scholaſque, quæ in Eccleſiis Cathedralibus erant, regerent, collegiorum præfecti *Præpoſiti*: Monaſteriorum verò *Abbates* dici cœperunt; utrique tamen Epiſcopis ſubjecti. Qui omnes, nempe *Epiſcopi, Præpoſiti, Abbates*, ab Imperatoribus Principibuſque primitus conſtitui, & hi quidem *per baculum & ferulam* inveſtiri ſolebant, uſque ad tempora Friderici I Barbaroſſæ, quibus Pontifices ad ſe jus iſtud traxere. Ita antiquis temporibus, ſine Imperatorum Principumque, aut Advocatorum, qui Cœnobiis à Superioribus dati erant, ſcitu & auctoritate, *Abbatibus*, circa prædia redituſque ad Cœnobia pertinentes nihil licebat, viguitque hæc formula: *Complacuit nobis Abbati N. una cum conſenſu fratrum, nec non Advocato noſtro N.* vide infrà in voce *Advocatus.* Succeſſu temporis Epiſcopi Abbateſque, quorum conſiliis frequenter Principes uſi, multum auctoritatis in Aulis ſenſim nacti ſunt, factumque inter alia, ut quatuor *Abbates Imperii, Fuldenſis* videl. *Weiſſenburgenſis, Campidonenſis*, & *Murbacenſis*, an ab Ottone III. an à Carolo IV. crearentur. Donec, lite inter Imperatores Pontificeſque de Inveſtitura, acerrimè fervente, hiſque tandem prævalentibus, plurima Monaſteria Romanæ ſedi excuſſo non Principum modo, ſed & Epiſcoporum, quibus à primævæ inſtitutionis tempore parere tenebantur, jugo, ſe ſubmiſerunt. Quo pacto, à Pontificibus, Bullas exemtionis *Abbates* nacti, varia inſuper privilegia, decimas quoque, conſecuti ſunt, opibus potentiaque hoc pacto indies creſcentes. In quos abuſum Bernardus, ipſe poſtea Abbas Claravallenſis, graviter ſed fruſtra invectus eſt. Paulo poſt enim, jus etiam cudendæ monetæ, ut & ſupremam in criminalibus cauſis poteſtatem adepti, tandem in Principum numerum recepti ſunt, à Carolo IV. Imp. quæ dignitas Baſilio, Caſſiano, Benedicto ipſi olim ignota, *Benedictinorum Cœnobiorum Abbatibus*, pleriſque collata legitur, apud Stumphium *l.* 5. *de Turgovia*, *c.* 3. Sed & *Abba*, ſeu *Abbas*, Secularium olim titulus apud Gallos fuit, etiam Baronibus, Comitibus, Ducibus Principibuſque tributus, vide ſuprà: nempe ſecundùm Canoniſtas *Abbas poteſt (quis) eſſe, & non Presbyter*: Et Joh. de Turre Cremata ſuper *Diſtinct.* 69. *etiam*

Lai-

Laicus, inquit *poteſt eſſe Abbas*. vide & *diſt.* 93. à *Subdiacono*. Sed nec ipſi Monachi olim Clerici erant, ut *Cauſ.* 16. *q.* 1. *c.* 40. & *Diſt.* 93. *c.* 5. in *Gloſſ.* ad verbum *Abbas*. Diſpoſitio autem *Abbatiarum*, penes Reges fuit & Fundatores: ſtatutumque ferunt à Bonifacio III. qui floruit A. C. 610. ut Clerus & Populus Epiſcopos eligerent, Reges autem Abbatias conferrent: quas illi ideo ſuis Nobilibus & Miniſtris elargiti ſunt. Hoc ipſum feciſſe videntur Carolus M & Ludovicus Pius Impp. ſub initio regnorum ſuorum; vide Auctorem *vitæ Ludov. Pii*, & Aimoin. *in Geſt. Franc. l.* 5. *c.* 1. & 38. Cùm autem Laici, nimià ſuâ rapacitate, non ſolum Cœnobia, ſed & Epiſcopatus compilarent, relicto vix Epiſcopis ac Cœnobitis, unde viverent, Carolus M. A. C. 789. regni ſui 21. hæc omnino prohibuit. edicto Aquiſgrani hoc fine publicato: Paternoque exemplo motus Ludovicus Pius lege cavit, *ut Epiſcopi per electionem Cleri, & Populi ſuæ diœceſis; Abbates ex ſuis Monachis à ſe ipſis eligerentur*. *Capitular.* Caroli & Ludovici *l.* 1. *tit.* 84. & 86. Verùm *Carolus* Calvus, Ludovici filius iterum fratrem uxoris ſuæ *Boſonem* mox *Regem* futurum Abbatiâ S. Mauritii donavit; aliiſque alias integrè, alias diviſim tradidit, Aimoin. *l.* 5. *c.* 24. & 34. Hinc ipſi illuſtriſſimi bellicoſiſſimique Proceres ſeculares *Abbates* dicti ſunt. Unde idem c. 24. *Gens Normannica peregiſſet inchoata, niſi Hugo per Gallias* Abbatis *honore praditus, ſtrenuè Remp. gubernans, eorum temeritatis compeſcuiſſet auſus*: Et Abbo. *in obſid. Lutetiæ l.* 2.

Tempeſtate ſub hac Hugo Princeps obiit Abba.

De alio Hugone *Abbate*, Annales Francor. incerti Auctoris in A. C. 881. *Rex*, inquiunt. *in Galliam profectus, Hugonem Hlutharii R. ex Waldrata filium ad ſe venientem, in ſuum ſuſcepit dominium, & ei* Abbatias & *Comitatus in beneficium dedit*, &c. Hoc modo Robertus Comes ſeu Marchio Pariſiorum, ſub exceſſu Caroli Simplicis, A. C. 921. Hugo M. Dux Francorum, ſub ingreſſo Regis Rodulphi A. C. 923. & Hugo Capetus, qui Rex Franciæ evaſit, A. C. 987. Avus nempe, Pater & Filius, *Abbatum* titulos aſſumſere, Aimoin. *l.* 5. *c.* 42. 43. & 45. Nec immeritò, cùm opulentiſſimas Abbatias S. Dionyſii, S. Germani à Pratis, S. Martini Turonenſis pariterque alias plures, quaſi hæreditariò poſſiderent. Interim conſuetudini huic vehementer ab Eccleſiaſticis reclamatum eſt, Flodoard. *hiſt. Remenſis Eccl. l.* 4. *c.* 7. Nihilominus illa diutiùs perſtitit: Unde Suidegerus *in Chron. Dionyſiacis*, ſcribit: *Qui in Chronicis* Abbates *dicuntur, non ſunt Monachi, ſed Barones, & Proceres ſeculares, quibus Rex Abbatias fruendas ad tempus concedit*. Paradinus quoque refert *in Annal. Burg. l.* 2. A. C. 1113. ſe vidiſſe monumenta complura, in quibus Proceres Galliæ his nominibus uſi ſint, *Dux & Abbas*: *Comes & Abbas*. Idem profert Chartæ veteris exemplar, in quo *H. de Bello loco Abbatiam Savigniaci, Anteceſſorum ſuorum & ſuam ſemper fuiſſe & eſſe debere*, contendit: è quo liquet, Abbatias alias hæreditariò fuiſſe conceſſas. Non deleverunt autem Proceres, quas acceperunt, Abbatias, ſed cum *Abbatis* nomine, Monachos emunxerunt Abbatiarum proventibus atque pinguedine, prædiis inter milites ſuos diſpartitis, Decaniſque aliquando ſubſtitutis, qui Abbatiarum curam ſatis frugaliter adminiſtrarent, vide Aimoin. iterum *l.* 5. *c.* 34. 42. 43. & 44. Hugo tandem Capetus, poſtquam Rex factus eſt, Monaſteria cœpit Eccleſiaſticis cedere; & ſuccedente in regnum filio ejus Roberto I. A. C. 999. in deſuetudinem ſenſim Seculares hi *Abbates* abiere, ut ex eodem Aimoino patet c. 34. *dicto*: Manſere tamen eorum apud Scotos Angloſque rudera, uſque ad hæc tempora. Neque verò mos hic intra Occidentis fines ſeſe continuit, ſed & unde in Orientem tranſiit; uti patet ex Joannis Patr. Antiocheni, qui ſub XII. ſeculi initium vixit, opuſculo haud pridem à Jo. Bapt. Cotelerio edito, quo demonſtrare conatur, *Οἱ ἐκ τῶν Μοναστήρια διὰ δωρεῶν λαμβάνοντες, εἴτε Ἀρχιερατικῶν, εἴτε Βασιλικῶν, καὶ ὡς τῶν μοναστηρίων κέρδη ἔχοντες, ἀσεβοῦσι. Quòd ii, qui pro muneribus Monaſteria capeſſunt, ſive Pontificalia ſive Imperatoria ſeu Regalia, quique lucrum ex iis, capiunt, impietatis rei ſiunt*. Ubi pauca ſuperfuiſſe docet Monaſteria ſua tempeſtate, quæ viris Laicis ad vitam, vel duorum aut trium hæredum, quo modo apud Gallos precariæ dari ſolebant, non eſſent collata à Principibus, graviterque proin invehitur in ejuſmodi *Χαριστικαρίους*, i. e. *Beneficiarios*, ut vocat. Verùm tantopere hæc conſuetudo radices egerat, ut Theod. Balſamo *ad can.* 13. *VII. Synodi* hæc ipſa Præſulis hujus ſcripta improbare non fuerit veritus Iidem.

ABBAS, Genuenſibus dictus eſt Prætor, ſeu Rector Populi. Unde in conventionibus initis inter Carolum Regem Siciliæ, & Commune Genuæ A. C. 1307. in *Biblioth*. Regia, non ſemel mentio fit, *Nicolas Prambe, Abbatis populi*. Quâ eadem nomenclaturâ præterea donatus eſt is, qui Peratenſibus ſeu Galatinis (vid. in voce *Pera* & *Galata*) conterraneis imperitabat, eò à Republica Genuenſi Legatus ſeu *Conſul*, ut aliæ Europæ nationes, vocant, miſſus. Ita enim hac de re Pachymerus *l.* 13. *c.* 27. *Γενουῖται μὲν ἐν ὅσοι κατὰ πόλιν ἀρχὴ ἐκείνοις τῷ τότε ὀνομαζόμενον Ἀββᾶν ἀρχιερέα δηλοῖ δ᾽ ἡ φωνὴ τὸν ἐγγείμενον. Εἶχε δ᾽ αὐτὸν τὸν τῶν ἔξω Θρακίων, ὡς ὕπατος Ρωμαίων ὁ Περίτης τῶν Δήμων πάλαι. Genuenſes igitur, qui in urbe, jam primùm à ſuo Senatu* Abbatem *cùm accepiſſent: Significat autem hoc vocabulum Ducem, habetque talis Præfecturam populi, ſicut apud Romanos Prætor olim Urbanus*. Vocis rationem hinc arceſſit du Freſne, quòd præcipuæ nobilitatis viros Genuenſes olim *Antianos* ſeu *Γέροντας* vocaverint, quomodo apud Suidam *Ἀμφιγέροντες, οἱ τῶν δήμων ἀρχιερεῖς*. olim dicti. Heſych. *γέροντες, ἔντιμοι, ſenes, honorati*. *Abbas* autem ſeu *Abba*, quæ Syriaca vox eſt, Latinis *Patrem* notat. Auguſtin. *Ep.* 177. *Paulus dicit Romanis, In quo clamamus, Abba Pater, in uno nomine duabus utitur linguis: dicit enim Abba Hebræo vocabulo Patrem & Latinè nominat identidem Patrem*. Hinc Ebrardus Bethun. in *Græciſmo*,

Abba Pater ſignat, hinc Abſalon exit & Abbas.

Et Fortunatus *l.* 3. *Poem.* 10. ad Paternum Abbatem,

Nominis officium jure, Paterne, geris, &c.

Car. du Freſne *Gloſſar*. Vide quoque eum in *Appendice*, ubi Brixiæ Decurionum Primores & Mediolani Collegiorum ac Sodalitiorum, imò Mercatorum atque Opificum Præfectos, *Abbates* etiamnum appellari, obſervat ex Octav. Ferrar. *in Originib. Linguæ Ital.* & Dante *in Purgat. Cant.* 26.

ABBAS Abbatum, titulus inſolens & inauditus, quo in Synodo Romana ſe ipſum appellavit Pontius Cluniacenſis Abbas. Quam ob cauſam à Joh. Cajetano Papæ Cancellario cùm eſſet interrogatus, Cluniacenſes à Caſinenſibus, an hi ab illis Regulam accepiſſent, atque is reſpondiſſet, non Cluniacenſes modo, verùm omnes in Romano orbe Monachos Regulam S. Benedicti à Caſinenſi accepiſſe Cœnobio: Ergo regeſſit Cancellarius, prærogativa hæc Caſinenſi Abbati jure debetur. Petr. Diacon. *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 62. Et certè, apud Leonem Oſtienſem *l.* 2. *c.* 54. Odilo Cluniac. Abbas, cùm Caſinum veniſſet, & ab Abbate Caſinenſi Theobaldo Paſtoralis baculus ei offerretur in proceſſione, illum accipere renuit, dicens, *contra fas omne ſe ducere, quempiam Abbatum menti paſtoralem præferre virgam, ubi Benedicti Vicarium*, Abbatem *ſcilicet omnium* Abbatem *adeſſe contingeret*. Conceſſiſſe autem Caſini Abbati id prærogativæ, ut cæteros ejuſdem ordinis Abbates in conſeſſibus præcederet, diſcimus ex *Bulla* Paſchalis II. A. C. 1113. in *Bullario* Caſinenſi *tom. II. p.* 130. & *Charta* Lotharii Imp. A. C. 1137. *Ibid. p.* 157. Etiam Nicolaus I. Pont. Rom. Deſiderium Abbatem Caſinenſem *Vicarium ſuum* conſtituit, *ad correctionem omnium Monaſteriorum & Monachorum*, intra præfinitos limites, in *Bulla*, quam deſcripſit Angelus à Nuce *ad l.* 3. *Leon. Oſtienſ. c.* 13. Et in Canone Miſſæ, ejus mentio fit, in ſua quaſi Epiſcopali juriſdictione, quod nulli alii Abbatum conceſſum eſt, Angelus de Nuce *Not. ad Chron. Caſinenſe l.* 1. *c.* 4. &c. In Germania omnium Abbatum Primus Abbas Faldenſis eſt, qui proin in Comitiis ſedet ad pedes Imperatricis, cujus Cancellarius eſt. Hornius, non Germaniæ ſolum, ſed & Galliæ Abbatum eum Primatem facit *Orb. Politic. p.* 183. In Britannia Inſulæ S. Columbani Abbatis ſucceſſores præcipui fuere olim, eò quòd Britanniæ ille fuiſſet Apoſtolus; imò Epiſcopis etiam antelati. Vener. Beda *Hiſtor. Anglic. l.* 3. *c.* 4. *Habere autem ſolet ipſa Inſula Rectorem ſemper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis provincia & ipſi Epiſcopi ordine inſolito debeant eſſe ſubjecti*. Sed & Abbati Ordinis Ciſtercienſis, conceſſu Innocentii VIII. A. C. 1489. præ aliis indultum, ut Sacros Ordines poſſit conferre, Subdiaconatus ſcil. ac Diaconatus. Abbas itidem S. Pauli Romæ, ex privilegiis Innocentii III. A. C. 1203. Honorii III. A. C. 1218. & Gregorii IX. A. C. 1236. quando ordinatur Sacerdos à Papa, habet facultatem canendi Miſſam Pontificaliter in Patriarchico altari ejuſdem Baſilicæ &c. Fuit & in Eccleſia Conſtantinop. dignitas quædam, quæ *Ἀρχων τῶν Μοναστηρίων* dicebatur, cujus meminit Theoſterictus in *Vita* S. Nicetæ *num.* 43. & Johannes Cantacuzenus *l.* 1. *c.* 30. Unde apud Byzantios Hegumenus ſeu Abbas Monaſterii *Dalmati* dicti, cæteris Monaſteriis quoad ſupremam in diſciplina Monaſtica poteſtatem præfuiſſe legitur: quo nomine dicitur idem Dalmatus in Concilio Epheſino, *Πρεσβύτερος καὶ Ἀρχιμανδρίτης, πατὴρ μοναστηρίων*, *Senior & Archimandrita, Pater Monaſteriorum*. Ita *Catholicus* ſeu *Abbas* & *Hegumenus Univerſalis* dictus reperitur Eutychius, antequam Patriarchatum Conſtantinop. conſequeretur, quòd omnium in Urbe Imperatoria Monaſteriorum cura ei eſſet demandata, ut tradit in *Vita* illius Euſtathius *num.* 18. S. Benedictum tandem Abbatem Anianæ, ab Imperatore cunctis in Regno ſuo Cœnobiis præfectum, ut *ſicut Aquitaniam Gothiamque, ita etiam Francos, ſaluſero imbueret exemplo*, tradit Ardo illius diſcipulus *c.* 8. *num.* 36. vide quoque *Chron.* Farfenſe *p.* 671. Plura verò apud Car. du Freſne *Gloſſar*. & Macros Fratres *in Hierolexico* paſſim, inprimis in voce *Abbas*.

ABBAS Canonicorum, nempe Regularium, aliàs quoque *Abbas Canonicus*, cujus mentio in Concil. Aquiſgran. II. *c.* 2. opponitur *Abbati Monachorum cau. ſeq.* vide quoque *Capitul*: Caroli M. *l.* 5. *c.* 79. *Præceptum* Ludovici Pii pro Monaſterio S. Columbæ Senon. Concilium Pariſienſe *c.* 37. Ordericum Vitalem *l.* 6. *Ep.* 276. *Tom. IV. Hiſt. Franc.* &c. Refert Molan. *de Canonic. l.* 2. *c.* 5. eſſe quaſdam Canonicorum Eccleſias in quibus *Abbas* ſit ſeculari Præpoſito dignior (cujuſmodi in Diœceſi Leodienſi 12. recenſentur in *Chron.* Leodienſi in *Richario c.* 43.) qui quidem *Abbates* nominetenus ita nuncupentur, nullo cæteroquin Abbatum habitu, atque adeò nec mitrâ nec pedo donati, etſi primum in Canonicorum conſeſſu locum obtineant. Negatque, hanc Abbatum nomenclaturam ſupremæ Collegiorum Canonicalium dignitati inditam, quòd in iis, ubi ſupereſt, Eccleſiis vel Collegiis primitus Monachi fuerint, cùm pro certo haberi debeat in pleriſque, ubi adhuc ea appellatio viget, tales neutiquam eos extitiſſe, apud Eund. vide quoque ſuprà, ubi de *Abbacomitibus*.

ABBAS Capellæ Palatinæ, primitus dictus eſt, qui Palatino Oratorio ſeu Sacello erat præfectus, *Presbyter* quoque *Palatii*, poſtea *Capellanus* dictus. *Vita* S. Sulpicii Pii Epiſc. Bituricenſis *num.* 10. de Chlotario R. *Illico Epiſcopum poſtit ut pro ſalute ſua ac correctione ſui licentia daretur, ut vir beatus in ſuis caſtris* Abbatis *officio potiretur* id eſt, ut Capellæ Regiæ præeſſet. Quam eandem *Abbatis* dignitatem Angilberto Archicapellano, ſub Carolo M. tribuit Hadrianus Pontifex Idem *Primicerium Palatii* Alcuino *Ep.* 42. *Sanctæ Capellæ Primicerius*, eidem *Ep.* 79. *Sacri Palatii Antiſtes*, Hilduino apud Agobardum *Ep. ad Proceres Palatii*: *Clericorum* tandem *Summus*, Hincmaro *in Ep. ad Carolum C.* de vita Dionyſii, dictus reperitur. Dignitas ejus *Abbatia Palatini Oratorii*, vocatur in *Vita* Deſiderii Epiſc. Cadurc. *c.* 1. &c. vide, Car. du Freſne in voce *Capellani*.

ABBAS Cardinalis, dictus eſt apud Auctores, cui privilegium ac nomen *Cardinalis* eſt indultum: quod obtigiſſe in perpetuum Abbati Cluniacenſi (de cujus prærogativis ſuprà quoque actum) refert Hugo Monachus Cluniacenſis *Ep.* ad Pontium Abbatem

Clu-

Cluniacenſ. ubi Calixtum Pontif. Roman. cùm veniſſet Cluniacum, *communi fratrum aſſenſu aſſidentium largitum eſſe Cluniacenſi Eccleſiæ ſpeciali & propriæ ſuæ, ut Abbas Cluniacenſis ſemper & ubique Romæ fungatur officio Cardinalis*; idque Bullà ac privilegio edito ſtatuiſſe ſcribit. Aliâ notione in *Bulla* Urbani II. A. C. 1097. apud Joh. Mabillon. *Vitar. Ord. S. Bened. Tom. IV. p.* 448. occurrit *Abbas Cardinalis*. Placuit —— *ut utriquè loco ſicut antea fuerat, Abbas Cardinalis reſtitueretur*. Ibi enim *Abbas Cardinalis*, exponitur Car. du Freſne *Abbas in Capite*, ut habet *Charta* Guibelini Epiſc. Tiecorenſis apud Auguſtin. du Pas in *Stemm. Penturianis* p. 17. Gall. *Abbé en chef, en titre*. Agitur namque de duobus Abbatiis ſimul unitis & hac Bullà à ſe invicem ſeparatis, quibus dati fuiſſe *Abbates proprii ac Cardinales*. Car. du Freſne *Gloſſar*. Vide quoque infrà *Epiſcopi Cardinales*.

ABBAS Catholicus, id. *Hegumenus Univerſalis*, Eutychius, antequam Patriarcha evaderet, dictus eſt, quod *omnium* in novâ Româ Monaſteriorum cura ei commiſſa eſſet Euſtathius, in *Vita* ejus. Vide quoque ſuprà *Abbas Abbatum*.

ABBAS Chorepiſcopus, qui Chorepiſcopi munus obit, apud Petardum p. 148. &c.

ABBAS Palatii, idem cum *Abbas Capellæ Palatinæ*, vide ſuprà.

ABBAS Præbendarum S. Matthæi, apud Corbejam dictus Radulphus Archidiaconus Pontivenſis, in veteri *Charta* Fundationis duarum Præbendarum, in Eccleſiâ Folliacenſi ad Corbejam A. C. 1221. in *Spicilegio* Acheriano *Tom. XIII*.

ABBAS Secundarius, ſeu *Secundus* in *Regula* S. Benedicti c. 65. de Præpoſitis: *Qui æſtimantes ſe ſecundos eſſe Abbates, aſſumentes ſibi tyrannidem, ſcandala nutriunt.* Et apud Sidonium *l.* 7. *Ep.* 17. *Quæſo ut Abbas ſit Frater Auxanius ſupra Congregationem, tu vero & ſupra Abbatem*. dictus eſt Præpoſitus Monaſterii, ſeu, ut hodie eum vocant, *Prior*, quod vices ageret Abbatis primarii. Vide Savaronem ad *Sidonium* & Car. du Freſne *Gloſſar*.

ABBAS Superbus. Vide infrà *Pica Braſiliæ*.

ABBASSI, ſeu ABBASCHI, populi Georgiæ regionis Aſiæ, in ſummæ provinc. Mingreliæ ad Orientem, ubi ineſt murus 60. mill. paſſ. ad coercendos eorum incurſus. *Abcaſſi* etiam dicuntur.

ABBATES, etiam dicti in Eccleſiâ Romanâ ii, quos *Curatos primitivos*, Gall. *Curez Primitifs*, appellant. Ex veterib. enim inſtrumentis ait Car. du Freſne conſtare, Parochiales omnes Eccleſias & civitatis & diœceſis habuiſſe Miniſtrum unum maximum, alterum medium, tertium infimum: quorum primus *Abbas*, *Cuſtos*, & tandem *Rector*, medius *Presbyteri* & tandem *Capellani*, infimus *Sacriſta* appellatus fuerit, qui Abbati & Presbyteris inſerviens, peregerit minoris in Eccleſiâ momenti negotia. Addit que, *Abbatem* iſtiuſmodi ſeu Rectorem curam habuiſſe *in habitu*, eique licuiſſe per ſe ipſum miniſtrare Sacramenta: Sed præſertim illius munus fuiſſe, ut univerſæ Parochiæ invigilaret, videretque an Presbyter officio ſuo ritè fungeretur, ex Michaele Monacho in *Sanctuario Capuano*, & Ughello *Ital. Sacr. Tom. VII. p.* 508. *& ſeqq.* Alias Latinis Græcisque Scriptoribus *Abbates*, in genere, dicti ſunt Monachi omnes, præſertim ſenio ac vitæ ſanctimoniâ venerandi: quâ notione hodie *Patres* quoque vulgò appellantur. Lexicon Gr. MS. Reg. Cod 2062. Ἀββᾶς ὁ γέρων, ὁ πατήρ, *Abbas Senex, Pater*. Hinc *mille Abbates ſub uno Archimandrita* eſſe dicuntur, in *Regula* S. Columbani c. 7. ut & apud Epiphan. *de Locis SS.* Καὶ ἡ μὲν μονὴ Ἀββάδας χιλίους καὶ χίλια κελλία, *Monaſterium Monachos ſeu Patres mille continet & cellulas mille*: in iis ſcil. non numeratis, qui vulgò Monaſterio & Monachis inſervire conſuevère, &c. Hinc Johannem Ducam Cæſarem, à Byzantiis, quos ille cum Alexio Comneno obſidebat, per contumeliam τὸν Ἀββᾶν vocitatum eſſe, quia propter affectatam tyrannidem à Michaele nepote in Monaſterium detruſus & Monachus factus fuerat, refert Anna Comnena *Alexiad. l.* 2. Sic *l.* 15. Baſilium Monachum Bogomilicæ hæreſeos auctorem, τὸν δαιμονιῶντα Ἀββᾶν, *Dæmoniacum Monachum*, & Cedren. Monachum, qui Philippicum imperaturum vaticinatus fuerat, ψευδαββᾶν, *Pſeudo-Monachum*, appellant. Ut alios omittam, quos laudatos vide apud Car. du Freſne *Gloſſar*. Fuiſſe tamen ex Monachis ſanctitate & vitæ integritate illuſtribus, qui, *Patris* nomen à ſe amolìti, *Fratrum* compellatione contenti fuerint, docet Bernardus *Ep.* 62. Guigo prior Majoris Carthuſiæ, apud Petrum Venerabil. *l.* 1. *Ep.* 25. ipſeque Petrus *Ep.* quæ inter Epiſtolas Bernardi extat 355. Quod etiam probaſſe videtur Hieron. *Ep. ad Gal. l.* 2. & in *Matth. l.* 4. *nullum Patrem vocandum niſi Deum*, ex Evangelio doctus, &c. Propriè verò & communiter *Abbates* dicuntur, Præfecti in Monaſteriis, ut vidimus ſuprà; quibus proxima poſt Epiſcopos dignitas, quos prout tam in ſeſſionibus, quam in ſubſcriptionibus, immediate ſequuntur. Quod enim de S. Columbani Abbatis ſucceſſoribus in Britannicâ Inſul. ſuprà diximus, ex Bedâ, peculiari illis privilegio eſt indultum. Ab Epiſcopis mitrâ, annulô atque ſandaliis diſtinguuntur quorum uſu *Abbatibus* (niſi per privilegium ſpeciale, ut infra videbitur) interdictum. Bernard. *Ep.* 42. *ad Henricum Senon. Archiepiſcop. Verum agerent indicant quidam horum quid cogitent, dum multô labore ac pretio Apoſtolica adepti privilegia, per ipſa ſibi vendicant inſignia Pontificalia, utentes & ipſi more Pontificum mitra, annulô atque ſandaliis: ſane ſi attendatur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret profeſſio; ſi miniſterium, ſolis liquet congruere Pontificibus &c.* Hinc Petrus Bleſenſis, qui floruit A. C. 1200. vehementer miratus eſt Wilhelmum, in Sicilia Monachorum Abbatem, Pontificalia indumenta uſurpâſſe: *Detulit mihi*, inquiens *Ep.* 90. *quidam nuntius veſter, qualiter Dominus Papa vos mitra propria capitis & aliis ornamentis Epiſcopalibus inſignivit. De benedictione gaudeo, ſed inſignia Epiſcopalis Eminentiæ in Abbate nec approbo, nec accepto. Mitra enim & annulus & ſandalia in alio, quam in Epiſcopo, ſuperbia quædam elatio eſt.* Sed nec in Canone Miſſæ *Abbatum* ulla mentio (exceptô Caſinenſi, de quo ſuprà) verum in Abbatiis quæ ſunt nullius diœceſis, vicinior Epiſcopus, ad quem pro ordinationibus ſolet recurri, ſtatim poſt Pontificem nominatur, omiſſô Abbatis nomine, Gavant. *in Rubr. Miſſ. part.* 3. *tit.* 8. apud Macrum in *Canon. Miſſæ*. Imo etiam qui Mitræ baculique jus habent, ad diſtinctionem Epiſcoporum, Baculô uti debent Abbates pendente velô; neque in ſacris ſolennibus ſeptem candelas, ſicut Epiſcopi, ſed ſex ſolùm adhibere poſſunt, qua de re infrà, in voce *Abbates Mitrati* &c. Porro antiquitus magnâ ſolennitate Abbatis anniverſarium à Monachis celebrari conſueviſſe, legimus in *Vita* Euphroniæ Sanctarum catalogo in Communem. Roman. illatæ: *Una autem die anniverſaria, quando ordinatus eſt Abbas Monaſterii —— miſit Abbas unum de Fratribus ad Paphnutium, ut invitaret eum ad anniverſarium Abbatis*, apud Dominic. Macrum *Hierolexico*. De *Abbatibus Imperii* vide infrà.

ABBATES Canonici dicti, qui Presbyteri, non Monachi fuêre, qualis Grimoaldus, undecimus Abbas S. Galli fuiſſe legitur, apud *Stumpfium* ſub fin. ſecul. 9.

ABBATES Epiſcopi, in Siciliâ olim Catanæ & Montis Regalis Abbates vocati ſunt; eo quod, cùm à Regibus Siculis extructa eſſent iis in locis Monaſteria, eorum Abbates poſtmodum à Romanis Pontificibus Epiſcopi ferè creati, eorumque Eccleſiæ Cathedrales factæ: eâ tamen conditione, ut qui Abbas a Monachis eligeretur, eſſet & Epiſcopus. *Bulla* Urbani II. Pontific. pro erectione Epiſcopatus Catanenſis, apud Rochum Pirrum: *Præſenti decretô ſtatuimus —— ut quicunque in prædicta Eccleſia à Monachis electus fuerit in Abbatem, idem Populo quoque præeſſe debeat in Antiſtitem —— Idemque Abbas & Epiſcopus & Monaſterium regulariter & Clerum & Populum univerſum Catanenſe, Rege Domino opitulante, tractaret.* Ita Theobaldus primus Montis Regalis Monaſterii a Guillelmo Rege Siciliæ A. C. 1176. conditi Abbas, in variis Chartis, *Abbas & Epiſcopus Regalis Monaſterii S. Mariæ novæ*, ſeu *Abbas & Epiſcopus* inde inſcribitur, apud eundem Pirrum. Vide *Metropolim* Salisburgenſem *Tom. III. p.* 290. & infra in, *Epiſcopus Abbas*. Fortunatus *l.* 5. *Poem.* 1. de Cæſario Arelatenſi Epiſcopo:

Qui fuit Antiſtes Arelas, de ſorte Lerini,
Et manſit Monachus Pontificale decus.

Car. du Freſne *Gloſſar*.

ABBATES Exempti, a juriſdictione Epiſcopi ſeu Ordinarii & nudè à Romanâ Sede dependentes ex ſpeciali privilegio, acriter exagitantur à S. Bernardo *de Conſider. L.* 3. *c.* 3. *&* 4. ut & Petro Bleſenſi *Ep.* 68. *&* 90. De his ſcribit Matthæus Paris A. C. 1257. ſtatutum fuiſſe Romæ a Pontifice, *ut quilibet, qui in Abbatem exemptum tunc eligeretur, Romanam Curiam adiret confirmandus & benedicendus.* Vide Boiqnetum *ad Epiſtolas Innocentii III. Pont.* quem laudat Car. du Freſne *in Gloſſar.* & infra in voce, *Monaſteria Exempta*. Iſtiuſmodi *Abbates* autem, qui habent uſum mitræ, *mitris tantùm aurifriſiatis, non tamen aureas vel argenteas laminas aut gemmas habentibus uti poſſunt: ſicut non Exempti ſimplicibus & albis planis*, *de privileg. in ſext. c.* 6. apud Macrum. *Hierolex.*

ABBATES Imperii, vide infrà *Abbatia*.

ABBATES Laici, & *Abbates* Milites, vide infrà in *Laici* & *Milites*.

ABBATES Mitrati dicuntur, quibus Epiſcopalia ornamenta, id eſt, Mitram, Sandalia, Chirothecas ac Annulum deferendi Pontificibus Romanis indidem jura indulta ſunt: quod non Epiſcopi duntaxat, quorum privilegiis hôc modo derogatum, graviter tulère ſed ipſi interdum *Abbates* improbavère: Unde ejuſmodi *Mitratos* acerbius perſtringi legimus à Bernardo *Ep.* 42. Petro Bleſenſi *Ep.* 90. (uti quoque ſupra viſum) & Thomâ Cantipratano *de Apibus l.* 1. *c.* 6. veteriſque Epiſcoporum querela eſt, *Monachos jura Epiſcoporum inſatiabiliter ambire*, ut eſt in *Chron. Caſinenſi l.* 4. c. 80. & tamen incredibile dictu, quam latè hoc privilegium indultum legatur. Unde cum oſtenderentur Epiſcopi, quod in conventibus Eccleſiaſticis Abbates, quibus mitræ jus erat, ab Epiſcopis non diſtinguerentur, hoc diſcrimen inſtituit Clemens IV. ut in Synodis Exempti mitris aurifrigiatis, ſed ſine laminis aureis vel argenteis gemmiſque; non Exempti ſimplicibus albis & planis, in poſterum utantur, uti ſuprà quoque dictum, in aliis verò locis utriſque uti mitris liceat &c. At in Ordine Præmonſtratenſi Abbates mitrâ aut chirothecis non utuntur, ex communi conſilio Abbatum ejuſdem Ordinis, *ne forſan ex ipſis ſupercilium elationis quæ ſumat &c.* verba ſunt Innocentii III. Pontif. *l.* 1. *Ep. p.* 118. qui iſtud Decretum ſuò firmavit. Poſſunt autem tales Abbates, qui jus mitræ habent, non tantum ſacras res, in quibus ſacra unctio, ut vocant, non adhibetur, benedicere; ſed & calices, patenas & altaria portatilia conſecrare. Quin cum licentiâ Ordinarii & cum ſpeciali Privilegio, poſſunt confirmationem conferre. In collatione tamen minorum Ordinum, facultas hæc limitata eſt ad eorum ſubditos additaque ſuſpenſionis pœna ordinantibus dimiſſoriales concedentibus, A. C. 1641. Diana *part VII. tract. II. reſolut.* 42. Sed & limitantur Abbatum facultates, quoad benedictionem paramentorum & ſimilia, nempe illa tantum, quæ propriis eorum Eccleſiis inſervire debent. Sacror. Rituum congregatio decretum à Gavanto, ſub die 24. Auguſti A. C. 1609. relatum, quod ad inſtantiam Spoletani Epiſcopi innovatum, ſub 30. Sept. A. C. 1618. Imo eadem Congregatio 28. Auguſti A. C. 1629. conſuetudinem à Tamburino *Tom. I. Diſp.* 22. *quæſt.* 2. *num.* 1. adductam penitùs abrogavit. Porrò tales non poſſunt Eccleſias profanatas reconciliare, niſi cum aquâ ab Epiſcopo benedictâ, Idem Tambur. *Diſput.* 23. *quæſt.* 10. In ſacris quoque ſolennibus ſeptem candelas in Altari accenſas habere iis non licet; cùm hoc Epiſcopis ſolùm ſit conceſſum; unde Brancatio Cardinal. inſtante apud Alexandrum VII. ſeptima candela, quam contra edictum Sacra congregatio Rituum 29. Januar. 1628. adhibere cœperant, iis ablata & minùs Pontificaliter celebrandi modus præſcriptus eſt &c. Ita Macri Fratres *Hierolex.* Quando autem mitræ uſus primi-

tiis *Abbatibus* conceſſus fuerit, incertum eſt. Aliqui id factum volunt, tempore Urbani II. circa. A. C. 1091. conceſſamque primò dicunt mitram Petro Cluniacenſi Abbati, qui tamen ob humilitatem eâ noluerit uti. Alii multo antè, nimirum A. C. 1040. S. Juſtinæ Patavinæ Abbati à Leone IX. id indultum contendunt, quando ſcil. Pontifex hic à ſua Montis Gargani peregrinatione redux, tunc in tranſitu Caſinenſis Monaſterii ibique in Dominica Palmarum, Sacrum celebrans, ejuſdem loci Abbati & Succeſſoribus, ſandaliis, dalmaticâ chirothecisque in ſolemnibus celebrationibus induendi facultatem conceſſit, ut auctor eſt Leo Oſtienſis *l.* 2. *c.* 81. Sed & antiquiorem hanc prærogativam eſſe, ex Bullario Caſinenſi *tom.* 1. *conſt.* 1. *num.* 1. quidam probare conantur, ibi enim legitur, quòd 4. Kal. Maj. A. C. 643. Theodorus Papa, rogatus à Rotharith, Longobardor. Rege & Gudiberga Regina, id privilegii Bobienſi Abbati confirmaverit, cùm ab Honorio I. jam conceſſum eſſet. Quibus tamen non obſtantibus, Abbatialem mitram demum cepiſſe circa A. C. 1000. cum à Sylveſtro II. Placentino S. Saviani Abbati ea conceſſa eſſet, dicunt alii. Imò recentiorem adhuc eſſe, patet ex verbis Petri Bleſenſis ſuprà laudati, è quibus apertè colligitur, Pontificalia indumenta non fuiſſe ejus ævò Abbatibus communia; floruit autem ille A. C. 1200. vide eoſdem *Macros* &c. Neque verò Pontificum ſolum donum hæc mitra fuit, ſed interdum quoque illi poteſtatem Legatis ſuis dedêre, jus mitræ Abbatibus, quos ad id eligerent idoneos, concedendi, cujus exemplum rei ex *Hiſtoria* Monaſterii S. Nicolai Andegavenſis affert *Car. du Freſne*, citatque porrò Goffridum Vindocinenſem *l.* 2. *Ep.* 27. Chronicon. S. Sophiæ Beneventan. *p.* 689. & Decreta Colomanni Hungar. Regis *l.* 1. *c.* 57. vide ejus *Gloſſar.* Spelmanno *Abbates* Mitrati, ſeu *Generales*, aliàs *Abbots Souverains*: quaſi *Superiores*, vel *ſuperiorem non agnoſcentes*, ii dicti ſunt in Anglia olim, qui in ſuis Monaſteriis, aut intra terminos conſtitutos, nulli Epiſcopo ſubjecti, juriſdictione fruebantur Epiſcopali, mitramque proin induebant; &, Baronis dignitate ornati, Parlamentariis aſſidebant Comitiis: quod aliis quidem Abbatibus permiſſum non erat. Sic in Parlamento anni 49. Henrici III. duo ſuprà centum Abbates & Priores Brevi Regiò convocati leguntur: annò primò Eduardi II. quinquaginta ſex vocati ſunt: donec decreſcente Cleri potentiâ & æſtimatione, Eduardi III. ævô, vix trigeſimus ſecundus vel tertius repertus eſt; quò ipſo numerò deinceps langueſcente, tandem ſubſecuta eſt Monaſteriorum catalyſis ſub Henrico VIII. vide Henr. Spelman. *Gloſſ. Archæol.*

ABBATES Monaſtici quinam dicti olim, vide ſuprà in *Abbacomites*.

ABBATES Regales, qui etiam *Abbates ad Palatium pertinentes*, dicebantur olim, qui Monaſteria Regalia, nudè à Rege pendentia, Græcè *Βασιλικὰ Μοναστήρια*, poſſidebant. Hi non tiſi ab ipſis Imperatorib. aut Regibus, vel certè eorum conſenſu ac nutu, inſtituebantur, deligebantur & inveſtiebantur, neque Epiſcoporum juriſdictioni ullatenus ſuberant. Cùm verò illorum Abbatiæ ex fundis Regiis dotatæ eſſent, *in militiam ire & Regalitatis ſervire* tenebantur, ut eſt in *Diplomate* Henrici Imperat. A. C. 1065. pro Monaſterio S. Maximini Treverenſis, quod à Ducheſnio deſcriptum eſt, in *Hiſt. Limburgenſi p.* 29. Etiam, perinde ac Epiſcopi, Buticulario Franciæ centum ſolidos iidem exſolvere tenebantur, quoties Abbatialis dignitatis confirmationem à Rege expetebant, vel fortè cùm eidem fidelitatis præſtabant ſacramentum. Ad id ſanè *Abbatem* S. Sulpitii Bituricenſis & *Abbatem* S. Dionyſii in Francia Areſto A. C. 1265. damnatos eſſe, docet ex 1. *Regeſto* Parlamenti *fol.* 147. & *Stylo* antiquo Parlamenti *Part.* 6. §. 36. Car. du Freſne *Gloſſar.* Et meminit Alexander III. Pontif. Roman. *Ep.* 162. ex iis, quæ habentur *Hiſtor. Franc. Tom. IV.* hujuſce præſtationis *ab Abbatibus Regalibus*, Franciæ Buticulariis fieri ſolitæ, licèt fruſtra contrà reclamarent. Nec omittendum de hocce jure Buticulariorum & de hominiis & Sacramentis fidelitatis, ab Abbatibus, Regibus præſtitis, extans inſigne *Diploma* in Tabulario S. Genovefæ Pariſ. quod idem Car. du Freſne in voce *Monaſteria Regalia* his verbis deſcripſit: *Anno Dom.* 1282. *die Jovis in cœna Dom. videlicet* 8. *Kal. April. Frater Guillelmus dictus de Autiſſiodoro, novus Abbas S. Genovefæ Pariſ. per proviſionem ſummi Pontificis, comparuit coram Dom. noſtro Rege Franciæ Philippo, apud Montem Argi, in Camera ipſius Regis, & obtulit dicto Regi, quòd paratus erat ei facere nomine prædictæ Eccleſiæ, quod debebat. Atque reſpondit Conſilium Regis, quòd homagium debebat facere dictus Abbas & fidelitatem jurare, & Prior & Conventus dicti loci per literas pendentes Regalia petere. Dictus verò Abbas juramentum fidelitatis ſtatim obtulit facere, quod fecit ſub hac forma: Allatum fuit Miſſale, & datum in imaginibus ejus & ſtolâ collo ejus appoſitâ, & tunc juravit, quòd Regi in omnibus fidelis eſſet, & quod ſecreta Regis fideliter ſervaret, & quod Regi bonum & fidele conſilium daret, ſi ſuper hoc requireretur. De homagio autem faciendo & regalibus petendis, dilationem petiit, donec ſuper his cum conventu ſuo deliberaſſet: quæ dilatio conceſſa eſt ei. Ad hæc præſentes fuerunt Decanus S. Martini Turon. tunc Cancellarius Regis & Guillelmus de Crepi Notarius Regis, Dom. dictus Granche Miles, Frater Gaufredus Cancellarius & Frater Legerius Canonicus S. Genovefæ. In Parlamento ſequente circa feſtum Aſcenſionis Domini venit dictus Abbas ad Regem in Camera ſua, & fecit homagium ſub his verbis* Gallicè. Sire, je deviens voſtre hom liges, & vous promés leauté juſque à la mort. *De Regalibus petendis dixit Abbas, quod Papa ſuppleverat per literam, quam miſerat ei ſuper proviſione ſua, quod Conventus & Prior facere debuiſſent: quod Rex gratanter acceptavit. Pro droituris Curiæ Regis ſuper præmiſſis ſolvit dictus Abbas in communi ad dictum Magiſtri Gaufridi de Templo & Magiſtri Petri de Conde Clericorum Regis* 25. *libras Pariſ. videlicet ipſi Regi pro Seneſcalia* 20. *libras Pariſ. domino Johanni de Acon* 100. *ſolid. pro Buticularia, Domino Johanni, dicto Practo* 10 *libras Pariſ. pro Cambellanis*: apud eundem Car. du Freſne *Gloſſ.* vide quoque infrà *Abbatiæ Liberales*.

ABBATIA, ipſum *Abbatis* regimen ac gubernatio, in Concil. Meldenſi A. C. 845. *c.* 10. ut habet Idem *Car. du Freſne*, communiter Monaſterium, cui *Abbas* præeſt, vel *Abbatiſſa*. Hornio *Abbatiatus*, cujuſmodi in Imperio varii ſunt; qui dividuntur in *Singulares* & *Collegiales*: eò quòd alii ſingula ſuffragia, alii non niſi collegialia ac conjuncta habeant, in Collegio Principum. Singulares dicuntur Germanis *Gefürſtete Abteyen*, quia quilibet horum Abbatum Imperii Princeps eſt; atque inter eos eminet Abbas Fuldenſis, qui Cancellarius eſt Imperatricis, & omnium, non Germaniæ ſolùm, ſed & Galliæ Abbatum Primas: quo nomine non Epiſcopo ſolùm Hildeſiano, ſed & Archiepiſcopo Colonienſi, in Comitiis Imperii, ſemel atque iterum litem movit. vide infrà in voce *Fulda*. Collegiales iterum dividuntur in *Suevicos* & *Rhenenſes* etſi aliqui eorum ad alios quoque Circulos Imperii pertineant: utrorumque indiculum dabimus infrà. Præter has verò *Abbatias* etiam aliæ ſunt, ſed Principum aliorum ditioni additæ atque adeò ſeculares factæ. Sic inter alias, *Abbatia* Hirſfeldenſis, cum Præfecturis quibuſdam aliis, titulò Principatus, Haſſo-Caſſellanis Landgraviis acceſſit, vigore pacis Monaſterienſis, A. C. 1648. *Inſtrum.* Pacis Art. XV. Vide Georg. Horn. *Orb. Polit. p.* 184. & 257.

Abbatiæ in Imperio Singulares.

Fulda, dignitate, potentiâ, divitiis ſupra reliquas omnes eminens.	Elvanga. *Elwangen.*
Campodunum.	Berchteigada, *Berchtesgaden.*
Sangalla, quæ *Abbatia* condita fuit A. C. 630. ipſa verò civitas libertatem ſuam pecuniâ redemit. Vide ſuò locò	Corbeja.
	Prumia.
	Stavelo.
	Weiſſenburgenſis Abbatia:

item Luderenſis & Murbacenſis in Alſatia.

Abbatiæ in Imperio Collegiales

	Suevicæ.	
Weingarden.		*Zwyfalten.*
Salomonsweyer.		*Marchtal.*
Schuſſenried.		*S. Peter.*
Petershauſen.		*S. Hemeran, &*
	Urſperg.	
	Rhenenſes.	
Quedlinburg.		*Herworden.*
Eſſen.		*Andlau.*

Vide L. Otton. Menckenium *Notis ad Horn.* ubi Luderenſis & Murbacenſis *Abbatiarum* in Alſatia immedietati cautum docet Pacification: Monaſterienſ. §. *Teneatur Rex Chriſtianiſſimus*: notatque inter *Abbates* Principes ſedem etiam habere Magiſtrum Ordinis S. Johannis per Germaniam.

ABBATIÆ Liberales, in *Charta* Ottonis Imperat. *in Metropoli Saliſburg. Tom.* 3. *p.* 344. aliàs *Monaſteria Libera*, item *Regalia ſeu Imperialia*, ut apud Innocentium III. *l.* 15. *Ep.* 39. alibique paſſim, dicuntur Monaſteria, quæ in Fiſcis Regiis extructa & ab ipſis Regibus dotata, ab omni juriſdictione Epiſcopali exempta erant, nulliqúe alii præterquam Imperatori aut Regi ſubjecta. Quorum proin ea quoque prærogativa fuit, ut eorum Abbates non niſi ab ipſis Imperatorib. aut Regibus, vel certè non ſine eorum nutu, inſtituerentur, deligerentur & inveſtirentur: cujuſmodi inveſtituras non niſi per baculum, perinde ac Epiſcopatuum, fieri conſueviſſe, docet *Charta* Henrici II. Imperat. A. C. 1012. apud Ughellum *in Epiſcopis Faventinis*. Hinc ſcribit Sugerius *in Ludovico VI.* Adamo Abbate Sandionyſianò mortuò, ſe in Abbatem à toto conventu electum quidem: Sed quia *inconſultò Rege* id factum, electionem hanc à Rege ratam non fuiſſe habitam. Quia verò Abbatiæ iſtæ Regales ex fundis Regiis dotatæ erant, hinc earum Abbates *in militiam ire*, aliaque præſtare tenebantur, de quibus vide ſuprà in voce *Abbates Regales*. Sed & id juris competebat Regi in iſtiuſmodi Monaſteriis, *quòd utendo jure ſuo Regio poſſet Monachum vel Monialem in eis, in principio ſui Regiminis, poſt ſuam coronationem, ponere*, ut Car. du Freſne docet ex *Regeſto Parlamenti Olim fol.* 26. Annatas denique talium Abbatiarum ad Regem ſpectâſſe, legas apud eundem Car. du Freſne ubi de *Monaſteriis Liberis*.

ABBATIOLA, in *Capitulis* Caroli Calvi A. C. 853. *c.* 3. *Miſſi inquirant de Capellis &* Abbatiolis, *ex caſis Dei in beneficium datis*, alibique paſſim; *Capellam* denotat, ſacellum, ſeu *minus*, ut vulgò in Eccleſia Roman. loquuntur, *beneficium*. Quam in rem obſervavit Car. du Freſne, in veterib. Foris Navarræ, *l.* 1. & 2. *Curas* appellari *Abbadiados*. Cujuſmodi Eccleſiarum Parochialium bona quòd Laici poſſiderent jureque in iis patronatûs gauderent, *Abbates Milites*, item *Abbates Laici*, & inde *Abbates* olim; poſtea, *Abbatiarii* dicti ſunt, in Gallia, apud Benehamenſes, Bigorritanos & in vicinis provinciis, ubi infinitus illorum numerus eſt. Horum ædes, à quibus iſta jura dependent, ut plurimum Eccleſiis annexæ ſunt, cenſenturque illi Nobiles, atque adeò à *talliis* & tributis immunes ſunt, perinde ac agri iis attributi, ut qui quondam bonorum Eccleſiæ pars fuêre. Nempe *Milites*, Comitum & Ducum exemplo (de quibus vide ſuprà in voce *Abbacomites*) bona Eccleſiaſtica, ut aliis locis, ſic quoque in Gallia, invaſerunt: eâ imprimis tempeſtate, quâ bellis inteſtinis ac Normannorum irruptionibus tota conflagrabat Gallia; vel certè Eccleſiæ ipſæ ac Monaſteria bonorum ſuorum protectores illos elegêre; quibus, ut in ſui tuitionem ac protectionem eos obſtringerent, partem bonorum Eccleſiaſticorum ipſaſque decimas conceſsêre. Quod idem factum eſſe apud Hibernos & Wallenſes Silveſter docet Giraldus *Itiner. Cambr. l.* 2. *c.* 4. *Hæc Eccleſia, ſicut & aliæ plures per Hiberniam & Walliam Abbatem Laicum habet. Uſus enim inolevit & prava conſuetudo, ut viri in Parochia potentes, tanquam Oeconomi, ſeu potiùs Eccleſiarum Patroni & Defenſores à Clero conſtituti, poſtea proceſſu temporis aucta cupidine totum jus ſibi uſurparent, & terras omnes cum exteriore poſſeſſione ſibi impudenter appropriarent, ſolùm altaria cum decimis & obventionibus Clero relinquentes & hæc ipſa filiis ſuis Clericis & cognatis aſſignantes. Tales itaque defenſores, ſeu potius Eccleſiarum deſtructores, Abbates ſe vocari fecêre, & tam nomen indebitum, quàm rem quoque ſibi aſſignare præſumsêre.* vide Cujacium *Feud. l.* 1. *c.* 1. Catellum *in Hiſtor. Occitan. p.* 627. 628. Marcam in *Hiſtor. Benehamenſi l.* 11. *c.* 18. & qui hos lau-

laudat Car. du Freſne in voce, *Abbates Milites* & *Abbates Laici*.

ABBATISCELLA, German. *Appenzel*, pagus prædives, & unus ex 13. pagis Helvetiæ ad fontes *Sitteræ* amnis. Diſtat à Curia 12. à Fano S. Galli 4. leucis. vide infrà, voce *Helvetia*.

ABBATISSA, Monaſterii Virginum præfecta. *Abbatiſſa quæ Sanctimonialibus præeſſe videntur*, in Synodo Pariſ. A. C. 829. *l.* 3. *c.* 18. quas Car. *du Freſne* ſucceſſiſſe dicit in locum Diaconiſſarum, quæ in ſacris Liturgiis ac Synaxibus ſequioris olim ſexus præiverint, de qua re alibi. Hæ *Matres Monaſteriorum* quibuſdam, *Matres Monachorum* Johanni de Janua: *Antiſtita* in vet. *Charta*, quam laudat Hieron. Henningius in *Geneal.* Rhætiæ Curienſis Principis: *Archimandritiſſa*, in *Novell.* Juſtiniani 4. & 109. *Epiſcopa*, Macro &c. Eas *foras evagari, aut inter villas reſidere, ſuiſque voluptatibus deſervire*, prohibet Ludovicus Pius *Ep.* ad Sicharium Archiepiſcopum Burdigalenſem. De iiſdem Fratres Macri *Hierolex*. *Abbatiſſa nequit ſub pœna excommunicationis ſeu aliarum cenſurarum ſubditis præcipere*, *c. nova de pœnis & remiſſ. imò nec in virtute S. Obedientiæ A. A. penès Dianam. Poteſt tamen ad inſtar aliorum regular. Superiorum ſubditis facultatem concedere abſuendi & remunerandi, uſque ad ſummam decem ſcutorum, eo fine ſcil: quo notat Diana. Quod vero limitat Suarez ſumm. tom. 2. l. 7. c. 19. num. 44. Quando nimirum non obſtet conſuetudo in contrarium vel Prælati prohibitio &c.*

ABBATISVILLA, urbs comitatus Pontini non antiqua valdè, ut nomen indicat. Sedes eſt judicis præſidialis. *Merula*. Celebris evaſit, poſt extinctos Carolovingos: ſedes Comitum Pontinorum. Quorum origo hæc. Scribit *Hariulphus l.* 4. *c.* 12. *Hugonem primi Ducem, poſtea Regem Francorum, ob Barbarorum cavendos incurſus*, Abbativillam *Centulenſibus Monachis abſtuliſſe, caſtrumque feciſſe*, i. e. muniviſſe, *eique Hugonem Militem*, generum ſuum *præpoſuiſſe*, cui & Foreſtiſcellam Centulenſium ditioni ſubtractam tradiderit: *Hugonem* porro *Advocatum dictum eſſe, quod Eccleſiæ S. Richarii Defenſor fuiſſet a rege Hugone conſtitutus: quo inſigni nomine etiam Angelramnum ejus filium fuiſſe contentum*; donec Bononienſi Comite victô acie ac cæſô, & Adeluja nobiliſſimâ Comitiſſâ, quam in matrimonio Comes habuerat, uxore ductâ, *Comitis* nomen accepit, atque ad ſucceſſores ſuos tranſmiſit. Sed & jam antea Ingelardus Abbas Centulenſis *Abbatisvillam*, Incream *Encre* & dominum Medardum ſeu S. Medardum *Domart*, Villas S. Richarii donâſſe, vendidiſſe & oppigneraſſe legitur. Ex villa poſteà ſub Comitibus ſuis, in oppidum non contemnendæ magnitudinis, crevit. Sedet ad ripam Sumnæ, in finibus Ambianorum, nomenque à re habuit, Vulgò *Abbeville*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* A. S. Richario condita creditur, Morerius in *Diction. Hiſtor.*

ABBEFORTIA, oppidulum Norvegię, cum portu maritimo, in præfectura Aggerhuſiana. Ab Anſloga, verſus Occident 15. leucis German. diſtans, à Stavangria autem 20. circiter.

ABBEN-TYBON, Rabbinus ſcriptis celebris, ſeculô 14. *Genebr.*

ABBO, Monachus, ſcripſit Lutetiæ obſidionem, quâ eam Normanni Danique ſatis arctè cinxerant, duobus libris, carmine admodùm incultô. A. C. 891. *Sauſſay*. Alius, ejuſdem nominis, Abbas *de Fleury*, ſcripſit vitas Paparum. Obiit A. C. 1003. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 38. & 41.

ABBREVIATOR, nomen officii, in Cancellaria Pontificis Roman. cujuſmodi miniſtri LXXII. ibi ſunt à *Summariis Supplicationum* quoque dicti. Munus illorum eſt, *incumbere ad Bullarum pillacia*, apud Macrum *Hierolex.* dividunturque in tres claſſes: utpote à quibus duodecim dicuntur *de parco majori*, ac Prælati ſunt habituque violaceô utuntur; alii viginti duo vocantur *de parco minori*; reliqui omnes *Examinatores* appellantur; occupati enim ſunt in collatione Bullarum. Cæterùm poſſunt eſſe Laici ac uxorati. Nomen habent à voce *Breve*, quæ epiſtolam denotat Pontificiam, vel quia breviori ſtylô formatur, vel à German: *Brieff*. In quorum Brevium officio primarius dicitur *Protonotarius Abbreviator*. *Exceptores* verò ab *excipiendo*, itidemmodi miniſtri in eadem Curia appellantur: quod tamen nomen ad Notarios quoque extenditur, ut quibus in ſcribendo *abbreviationibus* uti ſolenne eſt, in *Hierolex.* Macri *locis ante citat.* vide de abbreviatione Scribarum Notariorumque infrà paſſim, inprimis in voce *Nota, Scribendi modus, Tachygraphia* &c.

ABCTURIUM, aliis *Abgatorium* vel *Abgetorium*, idem quod *Abecedarium*, vox recens, contracta quaſi ex *Abecetorium*, occurrit in *libro Sacramentorum* Gregorii M. ubi de Ordine ad Eccleſiam dedicandam: *Deinde incipiat Pontifex de ſiniſtro angulo ab Oriente, ſcribens per pavimentum cum cambuta ſua* Abcturium, *uſque in dextrum angulum* Occidentis &c. Ita enim præferre Codicem Remenſem, monet Menardus, ubi alii habent A. B. C. unde conficitur *Abcturium* eſſe *Abecedarium*, ſeu Alphabeti literas, *Abici* Italis. At Codex Eccleſiæ Senonenſis ſcriptus ſub Menardo Archiepiſcop. habet *Abecenarium*. Ita ergo in dedicationibus Eccleſiarum literas Alphabeti, in pavimento, deſcribere pedô ſuô paſtorali conſuevêre Antiſtites Latini, de quo more agunt præter *Menardum* Scriptores, qui de *Ritibus Eccleſ.* ſcripſêre. vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà, voce *Alphabetum*.

ABDA, pater Adoniram. 1 Reg. *c.* 4. *v.* 6. Latinè *ſervus*, vel *ſervitus*.

ABDADA, Gabaitiæ urbs. *Ptol.*

ABDAGESES, nobiliſſimus Parthorum, Pater Sinnacis. *Tacit. l.* 6. *Annal. c.* 36. qui à Romanis advocatô Tiridate, cum aulâ & novo rege potiebatur. *Ibid. c.* 43.

ABDALA, Saracenus, Toleti Rex, Tireſiam Alphonſi quinti Veremundi filii, uxorem duxit; quæ, impari hôc conjugiô ſervatâ patriâ, poſt Abdalæ deceſſum ſeſe in perpetuum cœnobio dicavit. *Volaterran.*

ABDALA, Mahumetis Pſeudo-prophetæ pater, conditione ſervus qui in camelis ductitandis ſubſerviebat mercatoribus: quô moriente, Mahumetus ejus filius in lucem eſt editus; Fuit Ethnicus, & Emiram Judæam uxorem habuit. *Paul. Diaconus, Theophanes, Zonaras, Cedrenus. Petr. Abbas Cluniacenſ. Baron.* A. C. 630.

ABDALA, ſextus Arabum Calipha, thronum, in quem, mortuô Jezido fratre, aſcenderat, armis tueri coactus, æmulum Maravanum, in prælio occidit. Verùm ab hujus filio, ad Euphratem victus, primo Damaſcum, dein Cairum pervenit, ſed à neutris receptus, cùm in Græciam cum famulo trajicere vellet, agnitus atque occiſus eſt, cùm unicum annum regnâſſet. A. C. 686. Marmol. *l.* 2. *c.* 8.

ABDALA, XVII. Calipha Arabum, duobus æmulis, Abdalâ, filiô Ali & Amiro, memorabili fraude, ſublatis: furorem mox in Chriſtianos vertit, contra Leonem IV. qui Conſtantino Copronymo ſucceſſerat, copias miſit, atque Hieroſolymis Chriſtianos Judæoſque certas in manibus notas habere juſſit, queis ab aliis dignoſcerentur. A. C. 781. *Marmol.*

ABDALA Berebere, ex montanis Atlantis oriundus, auctor ſectæ Mohavedinorum, i. e. *Unitariorum*. Hic Afris tribûs Muſamudæ in ſuas partes pertractis, ingenti ſectatorum exercitu ſtipatus, Regem Maroci vitâ regnôque privavit. Marmol. *l.* 23.

ABDALA Muley, Maroci Cherifus, unà cum patre, promontorium d'Aguer Luſitanis eripuit, egregiis contra Regni hoſtes fortitudinis ſpeciminibus editis. Poſtmodum ſolus regnavit, relictô ex Æthiopiſſa filiô ſucceſſure, P. Jovius *l.* 7. *Marmol.*

ABDALA, Rex Tremeſinus, Fratri Buhamu, ope Hiſpanorum in regnum reſtituto, ſucceſſit: ſed mox ab Alfaquis quibuſdam & Barbaroſſa perſuaſus, Hiſpanis annuam pecuniam à fratre pendi ſolitam dare recuſavit. Ei mortuo ſubſtitutus filiorum junior. At major natu, Abdala, ad Carolum V. regnum recuperaturus, ſe recepit. Cujus opibus nixus æmulum vicit, ipſâ metropoli captâ & direptâ. Sed inſolentiâ Hiſpanorum offenſis ſubditis, ipſe tandem à ſuis quoque militibus deſertus, atque proditoriè occiſus eſt. A. C. 1546. Marmol. *l.* 5. *c.* 11.

ABDALA, Alfaqui i. e. concionator Mahometanus, de ſecta Mohaydinorum, inſurrexit contra Cherifum Mahomet, Regem Maroci, & in monte Neſuſa, qui ramus eſt Atlantis, hodie *Derenderen* ſeu *Adren* dicto, plurimos Barbaros congregavit, A. C. 1543. inſignis Magus habitus. Sed mox ab exercitu Regis, in quo plurimi Chriſtiani erant, captus & capite truncatus eſt. Marmol. *l.* 3. *c.* 43.

ABDALA, vel ABDELASIS, inſignis bellator Maurus, qui à Turcis, pro quibus tamen fortiſſimè pugnaverat, A. C. 1550. malè habitus, ipſis hoſtem ſe præbuit acerrimum, occiſus tandem, poſt multa egregiè fortiterque geſta. Idem, *l.* 5. *c.* 37.

ABDALA, Rex Perſarum, & XXVII. Calipha Babylonius, exhæredatus à Patre, fratribus tamen ſucceſſit, armis animôque illuſtris. Græcos ſæpius fudit, & parte Candiæ occupatâ, ipſum regnum Neapolitanum Calabriamque terrore ſui complevit. Obiit A. C. 833. cùm 8. regnaviſſet, Imperiumque inſigniter ampliâſſet. Mirkondus *Chronol.*

ABDALA, fil. Aven Maugy, Regis Saracenorum, pulſus regnô armis doliſque fraternis, à Carolo M. in illud reſtitutus eſt. *Dupleix.*

ABDALA, Lopæ Regis Toleti fil. qui Patre à Mahomete pulſô, Cæſaraugustam recuperavit, tenuitque cum poſteris ſuis. *Mariana.* Fuerunt plurimi alii hujus nominis, Reges Perſarum, Saracenorum, Æthiopum in Ægypto, Africa & Hiſpania. E quibus ſaltem addam, Regem Maroci, qui Xeriſo Mahometi ſucceſſit, & poſt 17. annorum regnum obiit A. C. 1574. Alterumque qui conciliatore Jannettino Mortarâ Genuenſi, fœdus iniit cum Philippo III. Hiſpan. Rege, A. C. 1607. & biennio poſt, à Mago quodam, ſibi ab avunculo & æmulo Muley Zidan immiſſo, interemptus eſt.

ABDA-LABENI, Urbs Regni Tremiſſani, in Africa. Olim *Sisli*, Marmol. *l.* 5. *c.* 33.

ABDALMUTALIB, Arabs, Mahumeti avus, qui tantâ corporis formâ & pulchritudine excelluit, ut eum omnes mulieres admirabili amore proſequerentur. *Abbas Cluniacenſ.*

ABDALONIMUS, longâ cognatione Sidoniorum ſtirpi regiæ annexus, ſed ob inopiam, ſuburbanum hortum exiguâ ſtipe colens, ab Hephæſtionis hoſpitibus, (cui ab Alexandro permiſſum ut quem eò faſtigiô è Sidoniis digniſſimum arbitraretur, conſtitueret regem) cæteris prælatus, rex conſtituitur: cùm fortè ſteriles herbas eligens hortum repurgaret, illi cum regiæ veſtis inſignibus intrant. Tum rege eô ſalutatô, alter ex his, *Habitus*, inquit, *hic, quem cernis in meis manibus, cum iſto ſqualore permutandus tibi eſt: ablue corpus illuvie æternisque ſordibus ſqualidum. Cape regis animum, & in eam fortunam quâ dignus es, iſtam continentiam profer, & cùm in regali ſolio reſidebis, vitæ neciſque omnium civium dominus, cave obliviſcaris hujus ſtatus, in quo accipis regnum, immo hercule propter quem.* Aliis ſtudiô factum proſequentibus, aliis indignantibus & criminantibus, admitti eum Alexander protinus juſſit: diutiùs contemplatus, *Corporis*, inquit, *habitus famæ generis non repugnat, ſed libet ſcire inopiam quâ patientiâ tuleris.* Tum ille, *Utinam*, inquit, *eodem animô regnum pati poſſim. Hæ manus ſuffecêre deſiderio meo; nihil habenti, nihil defuit.* Magnæ indolis ſpecimen ex hoc ſermone Abdalonimi cepit vir maximus. Itaque non Stratonis modò regiam ſupellectilem attribui ei juſſit, ſed pleraque etiam ex Perſicâ prædâ; regionem quoque urbi appoſitam ditioni ejus adjecit. Curt. *l.* 4. *c.* 1. Juſtin. autem *l.* 11. *c.* 10. paulo aliter. *Inſignis*, inquit, *præter cæteros fuit Abdalonimus, rex ab Alexandro Sidoniæ conſtitutus, quem Alexander, cùm operam oblocare ad puteos exhauriendos hortoſque irrigandos ſolitus eſſet, miſerè vitam exhibentem, regem fecerat; ſpretis nobilibus, ne generi id, non donis beneficium putarent.* Diodor. Sic. *l.* 17. *c.* 46. *Ballonymum* vocat, non Sidonis ſed Tyri regem conſtitutum. Aliqui *Abdolominum* vocant. Plut. autem de fortunâ Alexandri Orat. II. *p.* 340. *B.* corruptiſſimè legit *Alynomum*. In hiſtoriâ etiam falſus eſt, nam Paphi regnum accepiſſe ſcribit.

ABDARA, Ptolemæo, *Abdera*. Straboni. Hiſpaniæ Bæticæ oppid. hodie *Almeria*, aliis *Vera*. Cluſio autem *Adra*.

ABDARAM, Saracenus, Hiſpaniæ rex, a Radamiro, Galleciæ rege ſuperatus, Luitprand. *l.* 5. *c.* 1.

ABDARISTENSES populi. Plin. *l.* 4. *c.* 10. Rectiùs, (ut puto) *Audariſtenſes*.

ABDAS, Perſarum Epiſcopus, virtutibus plurimis adornatus. Is zelo divinô non mediocriter imbutus, πυρεῖον *i. e.* locum ignis, ſeu Veſtam deſtruxit. Πυρεῖα namque illi ſeu Πυραιθεῖα, templa vocabant, in quibus ignem perpetuum ſervabant. Deum enim arbitrabantur ignem eſſe. Theodoret. *l.* 5. *c.* 39. vide in *Continuatione*, ubi de *Pyratheis* hujuſmodi, quæ erant Septa ingentia, in quibus ara, & in ara Ignis jugi Splendore ardens, quem Magi patrio ritu venerabantur. *Audam* alii hunc Epiſcopum vocant, quam vocem infrà vide: ex diverſa namque pronuntiatione diphthongi au. diverſa hæc Scriptio.

ABDASTARTUS, Tyri Rex. Regnavit annis novem. Joſeph. *contra Appion. l.* 1. *p.* 1043. fil. fuit Baleazari Regis vixit ann. 29. regnavit ann. 9. inſidiis quatuor filiorum Nutricis ſuæ peremptus. Ejus tempore Salomon à vero Dei cultu defecit. Succeſſit fil. nutricis ſenior, quem Menander Epheſ. non nominat, per annos 12. Is Seſoſtri in maritimis belli Aſiatici negotiis auxilio fuiſſe videtur *Marshamo*. Illum excepit *Aſtartus*, quem vide.

ABDECALLAS, martyr, à Sapore rege Perſarum ob confeſſionem Chriſti capite truncatus eſt, unà cum Simone epiſcopo Seleuciæ & Cteſiphontis. Hiſt. Trip. *l.* 3. *c.* 6.

ABDECAMMARNUS, Saracenorum, & Hiſpaniæ rex, A. C. 826.

ABDEEL, Latinè *ſervus Dei*; vel *nubes abundantiæ Dei*. Pater Selemiæ *Jerem. c.* 36. *v.* 26.

ABDELA, urbs circa Meſopotamiam. *Cedrenus*.

ABDELÆ, Scytharum populi videntur apud *Nicephorum*, quos quoque *Ephtalitas* vocat Ortel. *in Theſ. Geogr.*

ABDELATIF, magnus Tartarorum Chamus, ex familia Chynguiſi & Teymurlangi ultimus, ortum ſe ex famoſo illo Tamerlane jactavit. Obiit A. C. 1542. Texeira, *l.* 2. *c.* 58.

ABDELCADER, in regnum Maroci eſt evectus ab Almohadis, poſt Ceydi, regis eorum, mortem. Mox civilibus obortis turbis, in Numidiam profugus, à regni uſurpatore occiſus eſt. Garibay *l.* 26. Jean Leo. *part.* 1.

ABDELMALECK, Saracenorum Calipha IX. Mawyam II. excepit, vicit Juſtinianum Rhinotmetum fœdifragum, regnavit ann. 21. obiit A. C. 706. Succeſſore Oelidô I. *Cedrenus*.

ABDELMONUS, Africæ Rex, patre figulo natus cui, cùm juvenis adhuc eſſet, regnum Arabiæ prædixerat Avennumerthus Aſtronomus inſignis, eumque in eo acquirendo poſtea adjuvit: adſcivit enim ſibi quendam, qui Almohali vocabatur, & cœpit librum Mahumeti, qui dicitur Alcoranus, exponere & docere, ac Caliphæ de Baldac (qui eſt Papa Arabum, & deſcendit generationis lineâ, de ſemine Mahumeti) contraria prædicare, & contra regem Almonidum Abbadem, qui tunc regnum in Africâ obtinebat, rebellare. Itaque Abdelmonus, adjutus ſuperſtitione Almohali, (et conſiliis Aventumerthi) regem interfecit, & totum regnum obtinuit Africanum, atque apud Maroccum ſedem ſuam ſtatuit. A. C. 1147. in Hiſpan. progreſſus, Saracenos omnes in ſuas partes pertraxit; In Chriſtianos crudelis admodum. Ei in regno ſucceſſit Avenjacob filius. Roderic. Toletanus *l.* 7. *Hiſt. c.* 10. Fulgoſius *l.* 3. *c.* 4.

ABDEMELECH, ſeu *Muley Moluc*; regnis Fezzæ & Moroci exutus eſt à Mahomete nepote, ſed à Selimo, Imperat. Turcarum adjutus, æmulum, licet Sebaſtiani Luſitaniæ regis armis ſubnixum, ingenti prælio fudit, 4. Aug. A. C. 1578. Ipſe tamen victor, mox in lecticâ obiit, Mahomet paludibus abſorptus, Sebaſtianus verò captus, vel, ut Hiſpani dicunt, in prælio occiſus eſt. Thuanus, Labbæus *Chronol.* Alii.

ABDEMELECHUS, Latinè, *ſervus regis*, vel *ſervus conſilii*, Æthiops eunuchus, Sedeciæ regis ſervus, Hieremiam prophetam interceſſione ſuâ è cœnoſo barathro funibus eduxit, (triginta hominibus adhibitis) in quod à proceribus Judæorum conjectus fuerat propter vaticinia; Ob hanc pietatem promiſit *Abdemelechô* Dominus, ſeſe illum defenſurum contra hoſtes Chaldæos, ne in illorum manus veniret. Jerem. *c.* 38. *v.* 8. Ebraicè *Ebedmelech*.

ABDEMENEPH vel ABDIMENEP, vide *Abdemonaphes*.

ABDEMON, puer quidam Tyrius, qui ſolvebat omnia problemata à Salomone Hieroſolymorum rege Hiromo regi Tyriorum propoſita. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 8. *c.* 2. & *l.* 1. *contra Appion. p.* 1042. Vide Joh. Marshamum *Canon Chron. ad Sec. XIV.* ubi de *Hiromo rege*. Ita autem Menander Epheſius Joſepho citatus: *Κατὰ τοῦτον δέ τις Ἀβδήμονος παῖς νεώτερος, ὃς ἀεὶ ἐνίκα τὰ προβλήματα, ἃ ἐπέταττε Σολομὼν ὁ Ἱεροσολύμων βασιλεύς. Sub hoc erat adoleſcens quidam Abdemonus, qui parabolas ſemper ſolvebat, quas Hieroſolymorum Rex Salomo proponebat.* Sed & viciſſim Salomoni eundem propoſuiſſe, quas cùm Salomo non ſolveret, pecunias Hiromo (ut pacti inter illos erat) rependiſſe, habet Dius *rer. Phœnic.* Scriptor, eidem Joſepho laudatus, vide infrà *Hiromus*.

ABDEMON Tyrius, potitus poſt ejectum Evagoram Cypro, amicus regis Perſarum, ſed ab eodem Evagorâ, recuperante patriam expulſus eſt, Olymp. XCVII. annô ſecundô.

ABDEMONAPHES, Iſmaëlita, mercator inſignis, qui Mahumetum impoſtorem emerat: quô mortuô, ejus uxorem ipſe duxit Mahumetus. Vide etiam *Abdimonephes*.

ABDEMONUS, vide *Abdemon*.

ABDENAGO, Latinè, *ſervus claritatis*, vel *ſervus ornatus*, aut *ſervus ſplendorum*. Nomen viri, qui & Azarias dicitur. *Dan. c.* 1. *v.* 7 Hebr. *Abednego*.

ABDERA, oppid. Hiſpan. Bæticæ in orâ Auſtrali regni Granatenſis, ab Almeriâ (quæ in Epiſcopali ſede ſucceſſit) 9. leuc. in Auſtrolybicum. Aliquibus *Abdara*, ſed *Abdera* Pomp. Melæ, *l.* 2. *c.* 6. cui tanquam Hiſpano, magis fidendum cenſeo. Quin & Steph. Ἄβδηρα πόλις τῆς Ἰβηρίας. Hodiè cum articulo, *Aladra*, pro *Alabdera*. Strabon. *l.* 3. Ἄβδηρα, Φοινίκων κτίσμα καὶ αὐτή, *Abdera etiam ipſa Phœnicum opus*. longit. 18. 12. latitud. 36. 30. vide Marin. Sicul. *l.* 20.

ABDERA, urbs eſt Thraciæ maritima, non procul à Neſſi fluminis oſtio, a Teiis *Olymp.* 31. condita, hinc natum proverbiale ænigma, Ἄβδηρα καλὰ Τηΐων ἀποικία, *Abdera pulchra Teiorum Colonia*; quô ſignificamus, non deeſſe, quò confugiamus, ſi quis præter modum pergat eſſe moleſtus; de quo vide Voſſ. ad Melam. *p.* 35. Dicta ab Abdero, Herculis deliciis, à Diomedis equis dilacerato, & ibi humato; in cujus honorem, Hercules, poſtea quàm pugnaſſet cum Diomede, *Abderum* condidit; quæ poſtea collapſa Clazomeniis à Clazomeniis ex Aſia venientibus, qui eam in majorem formam redegerunt, vocata eſt. Sequentibus temporibus *Aſtrizza*, hodiè *Aſperoſa* dicitur. Solin. *c.* 10. ab *Abdera* Diomedis ſorore conditam ſcribit, & cognominatam. Ejus meminit Ovid. *in Ibin.*

Aut te devoveat certis Abdera diebus.

Ephoro tamen Ἄβδηρος plurali numero. Sic & Pomp. Melæ *l.* 2. *c.* 2. *Urbs quam ſoror ejus ſuô nomine appellavit Abdera.* Hic lacus *Biſtonis* propè, in quo nihil ſupernatat, teſte Plin. *l.* 4. *c.* 11. & *Pomp. Mela*. Populi *Abderitæ*, & *Abderitani*, hinc adagium *Abderitica mens*. Abderitanos enim ſtupori mentis obnoxios ſcribit Cic. *l.* 1. de Nat. Deorum. Plin. quoque *l.* 25. *c.* 8. apud Abderam paſcua eſſe teſtatur, in quibus equi paſti in rabiem vertuntur, quemadmodum apud Potniam aſini. Martial. *l.* 10. *Epigr.* 25.

Abderitanæ pectora plebis habes.

Imperium Abderiticum. Cicer. *l.* 7. *Ep.* 7. *ad Attic.* Laudat Mela *l.* 2. *c.* 2. Abderam, *quòd Democritum Phyſicum tulit*. Atqui non ſolum Philoſophum hunc urbs iſta dedit, verum & Protagoram, & Anaxarchum; prætereà Hecatæum hiſtoricum, & Nicænetum, plurimoſque alios inſignes viros, ut meritò dixerit Stephanus, Πλεῖστοι Ἀβδηρίτας ἄνδρας τῶν ἐπισημοτάτων ἀναγράφουσι. Cùm in omnium illuſtrium virorum catalogis crebri paſſim eſſent Abderitæ. Neſcio itaque quare Juvenalis *l.* 4. *Sat.* 1. hanc *Vervecum patriam* vocet, nam quòd multo apud Abderitas inſani naſcerentur, aut fierent, quis hoc ſtupori tribuat? cùm inſania non hebetes & ſtupidos, qui nil habent quod perdant, ſed maxima plerumque invadat ingenia. Quamvis autem Hippocrates, *l.* 3. *Epidem.* complurium Abderitarum meminerit, quorum febres conjunctæ fuerunt cum delirio, non tamen ex tam inamœno morbo natum eſſe puto proverbium illud de malo Abderitico; ſed potius ex affectu jucundiſſimo, qui ipſorum febribus ſuccedere ſolebat, ut teſtatur Lucian. *de Conſcribend. Hiſt.* Omnes namque Muſicæ & Poëticæ ſtudebant; carmina Poëtarum recitantes ſibi invicem, & paſſim in plateis hiſtrioniam agentes. Tam elegans inſania non cadit in craſſos & pituitoſos, nedum in *vervecea* capita, quæ (ſi verum eſt paradoxum Stoïcum) ſemper delirant. *Voſſ. in Melam p.* 135. A ſoricibus ranîſque novas ſedes quærere coacti, in Macedoniam pervenerunt, ubi à Caſſandro benignè recepti, A. M. 3650. vide Cœl. Rhodig. *l.* 16. *c.* 31. Arrianum, *l.* 1. *Lloyd.*

ABDERA eſt *Aſperoſa*, *Nigro* & aliis, propè lacum Biſtonium.

ABDERAMA, Princeps Mahometanorum in Hiſpan. ſucceſſit Patri ſuo Abraham, A. C. 825. & 30. ann. non ſine laude, imperium tenuit. Labbæus *Chronol.* Alius, Rex Cordubæ, obiit A. C. 901 regni ſui 50. Cui ſucceſſit Albacan, fil. *Idem*.

ABDERAMA, Rex Arabum, in Hiſpan. qui Cordubæ ſedebant, cum ingenti Maurorum exercitu Caſtellam vaſtavit. Hacque cum Arragonia, Navarra & Luſitania devictâ, Galafram, in Regno Toletano, fruſtra primò obſedit: alter Hiſpaniæ deſtructor dictus. At ſequenti annô & hâc potitus eſt; turpiſſimam pacem Regibus, Aurelio, aliiſque extorſit, quâ quotannis centum puellas tyranno objicere coacti ſunt. Tandem inſigni Moſcheâ Cordubæ extructâ obiit 50. annô regni, A. C. 790. Marmol. *l.* 2. *c.* 10.

ABDERAMA, Rex Cordubæ, inducias cum Raimiro, Caſtelliæ rege, pactus, mox contra datam fidem in illum movit, centum puellarum annuum tributum depoſcens. Sed ab hocce victus in poſterum regno exornando incubuit. Primus in nummis Arabicis nomen ſuum expreſſit. Hujus tempore, Angli Ulyſſiponam fruſtra obſedêre: A. C. 846. obiit, relictis 42. filiis. Marmol. *l.* 2. *c.* 23.

ABDERAMA, dictus *Exaltator Legis*, in Regno Cordubæ, majori natu prælatus eſt. Hic ſæpius victus à Dom. Garcia & Pompejopoli aliiſque urbibus exutus, cùm tot cladium cauſam in Chriſtianorum Mahometanorumque conjugia, quæ prius permiſerat, rejiceret, conjuges fideles cum liberis ad fidem abjurandam tormentorum metu adigere annîſus eſt, plurimis tamen mortem præferentibus. Obiit A. C. 958 Regni, 50. Marmol. *l.* 2. *c.* 2.

ABDERAMA, Almanſoris fil. ultimus ex ſtirpe Abdaramarum Cordubenſium. Hic voluptatum mancipium, belli curâ neglectâ, à Mahomete, rebellium in Hiſpan. Arabum Duce, venenô necatus, hunc ſucceſſorem habuit, A. C. 1062. Marmol. *l.* 2. *c.* 28.

ABDERAMA, Alitan, Regis Mahometani, in Hiſpan. filius, captâ Toletô, A. C. 809. incolarum 4000. occidit Marmol. *l.* 2. *c.* 21.

ABDERAMA, occiſô nepote, Satiæ principatum in regno Maroci invaſit. Sed viciſſim ab Ali Ben Guecimin, juvene urbis primario, cui cum Abderamæ filia ſtupri erat conſuetudo, interfectus eſt, in Moſchea fortè preces fundens. Marmol. *l.* 3. *c.* 53.

ABDERAMA, Saracenorum Rex, evocatus ex Hiſpan. ab Eudone Aquitaniæ duce (qui Carolo Martello Gallorum regi viribus im-

impar erat) 400 millibus Saracenorum, velut exploratâ victoriâ, in Galliam ad ulteriores ſedes protcalcebatur: adverſus quem copias ſuas inſtruit Martellus, mittitque ad Eudonem, ut reconciliationem gratiæ faceret, ſimultatumque memoriam patriæ Galliæ, religionique condonaret, nec ſocium cuncta in omne tempus everteret. Quibus motus Eudo clandeſtinum fœdus cum Franco init, fidemque dat communi ſaluti ſe non defuturum; præſtitque id re ipſâ, nam cum ad Turonum urbem ſigna, inter Ligurim & Carum fluv. contuliſſent, & jam æquô pugnarent Marte, Eudo cum ſuis caſtra Saracenorum diripuit, qua clade Saraceni territi, fugam fecêre; ad 375. millia barbarorum cecidêre. A. C. 725. Æmil. l. 2. Sigebertus. Alb. Krantzius & alii. Sunt qui Abderamus legunt.

ABDERANA, Saracenorum Rex, duce Aburmaie, agrum Barchinonenſem, Gerundenſemque devaſtavit. Blondus, Dec. 2. A. C. 827.

ABDERITÆ, vide Abdera.

ABDEROLOGUS, apud Tatianum Syrum de Demetrio Abderita, Quid decantas? Niſi prout communem Abderologus eſt homo Abderis natus: homo eſt garrulus & loquax. Erat enim antiquorum proverbium, Ἀβδηρολόγος, pro garrulo & nugatore. Nam Abderam, Thraciæ civitatem multarum fabularum fuiſſe inventricem, conſtat, & de ea concinnè Arnob. l. 5. adv. Gentes p. 164. Abdera, Abdera, quam ſuis mortalibus irridenda, talis ſi apud te eſſet ita fabula conficta, vide Dominic Macrum Hierolex.

ABDERUS, unus fuit eorum qui ab equis Diomedis, Thraciæ regis interfecti & devorati ſunt. Maſenius in Val. Flacci Argonaut.

ABDESTARTUS, vide Abdaſtartus.

ABDI, Mahumedi idem, qui Turcis Arabibuſque Alla, Græcis Θεὸς, Perſis Syre, Magis Orſi, Ægyptiis Teut, Latinis Deus eſt; nempe Marſilius [illegible] obſervat Argum. in Platonis Cratyl. omnes gentes atque lin[illegible]num Dei nomen quatuor ſolum literis pronuntiare: unde Hebr[illegible] imprimis celebri iſto nomine tetragrammate appellatur. Quem equidem literarum in divino nomine quaternionem etiam à Clemente Alexandr. l. 5. Strom. animadverſum deprehendit Pfannerus in Syſtem. Theol. Gentil. pur. c. 12. §. 22.

ABDI, vel ABDAI, pater Cis Levitæ, 2 Chron. c. 29. v. 12. Item fil. Maloch, filii Azabiæ, 1 Chron. c. 6. v. 7. Item fil. Elam, Eſdr. c. 10. v. 26. Latinè ſervus, aut ſerviens, vel nubes abundans.

ABDIA vel ABDIAS, Latinè ſervus Domini; vulgò Obadiah. pater Jeſmajæ, 1 Chron. c. 27. v. 19. Alius, Levita, præfectus operis domûs Dei, 2 Chron. c. 34. v. 12. Tertius, diſpenſator domus regis Ahab, 1 Reg. c. 18. v. 3. Le maiſtre d'hoſtel. Quartus, propheta σύγχρονος Amos, quem D. Hieron. ſub Ahab fuiſſe refert. Quintus, Epiſcopus quidam Babyloniæ, temporibus Apoſtolorum, cujus decem libri de certamine Apoſtolorum planè ſunt ſuppoſititii, quod pluribus argumentis evincit Voſſ. de Hiſt. Græc. l. 2. c. 9.

ABDICANDI jus, inter patriæ poteſtatis apud Athenienſes jura fuit, quam in rem ſcripta lex: Τοῖς γονεῦσιν ἐξεῖναι ἀποκηρύττειν. Parentibus abdicare liberos jus eſto, apud Demoſth. in Bœot. Nec verò liberos tantum, quos genuerant, ſed etiam adoptivos, ut conſtat ex ejuſdem Orat. πρὸς Σπουδίαν. Non abdicabantur autem, niſi causâ cognitâ & probatâ apud judices. Quintilian. Declam. 283. & Lucian. in Abdicato; Tum vero præconis voce pronuntiabatur, ſe dum negare hunc filium ſuum eſſe ampliùs, uti diſcimus ex Platone de LL. l. 11. neque ita excidebant patris familiâ, Heſiod. non tamen civitatis jure, Plato loc. cit. Sed & in patris poteſtate erat, abdicatum reducere, ἀναλαμβάνειν εἰς τὸ γένος, Lucian. ubi ſuprà, reducem verò denuo abdicare fas non fuiſſe, tradit idem. Præcipuæ Abdicationis cauſæ ibidem recenſentur, his verbis: [illegible] Deinde quid eſt omnino, quod accuſat? Quod obſequium, quam curam filiô dignam prætermiſi? Quando foris cubui? Quas intempeſtivas potationes, quas comeſſationes objicit? Quis lenon? Quis leno pulſatus eſt? Quis accuſavit? Nemo profectò. Atqui hæc ſunt, ob quæ lex præcipuè permittit abdicare. Vide quoque infrà Corylo. At Romanorum legibus Abdicatio comprobata non eſt, uti patet è Reſcripto Imperat. Diocletiani & Maximiani Augg. l. 6. C. de patr. pot. vide quoque l. 9. C. eod. Interim ablegare filios & è conſpectu ſuo abire jubere poterant Parentes, ut exempla apud Val. Maximum l. 9. c. 8. liquido probant. vide Sam. Petitum Comm. in leges Atticas l. 2. tit. 4.

ABDIEL, fil. Guni, è tribu Gad, 1 Chron. c. 5. v. 15. Latinè ſervus Dei, aut nubes abundantiæ Dei.

ABDILA, in Hiſpania impiiſſimus Chriſtianorum perſecutor, ſub Juſtino, de quo Antonin. l. 25. c. 24.

ABDIMELECH, Saracenorum Rex, Africam invaſit, è qua per Johannem Magiſtrum militum fugatus eſt. Æmil. vide & Abdelmaleck.

ABDIMONEPHES, Iſmaëlita, locuples mercator, temporibus Heraclii, circa A. C. 622. Magmet, ſeu Machumetem, Turcarum prophetam erat, qui poſtea viduam hujus uxorem duxit, Pomp. Lætus. Vide Abdemonephes.

ABDIR, apud Priſcianum l. 1. Bdellium, Abdir, genus lapidis; idem eſt cum Abaddir: lapis videl. Βαίτυλος, quem pro Jove Saturnus devoravit. Salmaſ. ad Solinum p. 150. vide quoque in voce Abadir.

ABDIRANUS, Saracenorum Rex, adverſus Carolum M. potentiſſimè dimicavit. Garduam tranſgreſſus, Burdegalam diripuit, omnique impietate defœdavit. Sabellic.

ABDITANA, Arriana, teſte Lud. Marmolio, oppid. Africæ apud Tunetum ſeu Tuneſium urbem, olim urbs Epiſcopalis ſub Archiepiſcopatu Carthaginenſi.

ABDIU, Propheta ex Sichem, agro Lechtachamas oriundus, ter ſemicenturionem egit: huic cum Elias Propheta pepercisset, relictô Rege ſuô, Eliæ adhæſit, 2 Reg. c. 1. v. 13.

ABDOLONYMUS, vide Abdalonimus.

ABDOMEN, Græcè ἐπιγάστριον, λαπάρα, ὑποχόνδριον, quod ſub umbilico eſt ad pubem. Item pinguedo quævis, de qua hic paſſim vocibus Adeps, Omentum, Trapeza &c. Crocodili Abdomen tam ſuaviter fragrare, ut moſchum etiam ſuperet, dicemus infrà voce Zaboncha.

ABDON, Latinè ſervus, aut nubes judicium, vir Dei, Hieroboamo ſuper altare excelſorum, filiique ipſius mortem interminatus eſt: cui interminanti manum areſcere fecit: contra præceptum domini in domo pſeudo-prophetæ comedit; quamobrem cùm reverteretur Hieroſolymam, in via à leone eſt interfectus. Hiſtoria 1 Reg. c. 13. nomen autem viri, quod ſciam non exprimitur. Nic Lloydius.

ABDON, filius Michai, vel Micha, 2 Chron. c. 34. v. 19. qui 2 Reg. c. 22. v. 12. Achbor dicitur; nomen item civitatis in tribu Aſer, Joſ. c. 21. v. 30. quæ, cum ſuburbanis ſuis, Levitis ſeparata eſt. Fuit & nomen 15. Judicis in Iſraële. Judic. c. 12. v. 13. Joſeph. l. 5. Ant. Jud. Torniel. A. M. 2872. & 2879.

ABDON, Regulus quidam Chriſtianus ex Corduba, Perſarum urbe, oriundus, unà cum Senna etiam regulo, qui cum Chriſtianos (quos Decius Babyloniæ captivos invenios, Cordubam ſecum abduxerat, variiſque cruciatibus ad mortem uſque mulctaverat) ſepeliſſent, accuſati apud Decium, Romam pertracti ſunt; ibi cum ad aras ducti ſacrificare noluiſſent, leonibus & urſis objecti ſunt: at cum feræ membra ſanctorum non attigiſſent, gladiis interfecti ſunt. Bergomenſis, l. 8. Vincentius. l. 11. c. 4.

ABDUA, fluv. Galliæ Ciſalpinæ, qui Addua etiam dicitur, Plin. l. 3. c. 16. nunc Adda Leandro. Fluit in locum eandem Larium. In veterib. Strabonis libris legere eſt Ἀδούας, voa quaſi Germanica, notans decurſum, vel caſum potius aquæ, quod inde Rhenus decidat. Hic Maximilianus I. Imperat. Venetos, qui A. C. 1507. Romam ad coronam petendam iter tranſitum negaverant, Papæ Galliſque junctus, acie devictos, univerſâ ferè continente exuit, vide Scriptores Rerum Italic.

ABDUCILLUS, Princeps Allobrogum, vide Ægus.

ABDULA, fil. Almonſtanzer, illuſtriſſimus Saracenorum in Perſia Calypha regnavit ann. 15. menſ. 6. à Tartaris, cladem à patre ejus acceptam vindicaturis eunuibus, victus ac ab Olacuſane Tartaro obtruncatus: Sicque poſt captum quoque Bagdetum ſive Babylonem, Calyphatus à longo tempore ſedem, univerſum regnum Perſicum Tartarorum ſubiit jugum: è quibus novis Perſiæ Regibus primus fuit Chingius, quem vide. Factum id autem A. C. 1258.

ABDULA, Tartarorum Chanus, ſub finem præcedentis ſeculi. Hic finibus Perſiæ vaſtatis; 32. urbes in provinc. Coraſan cepit, ſed adveniente rege Xa Abas retroceſſit. Poſtmodum cum majoribus copiis reverſus, Turbet occuparet; hoſti ad pugnam invitanti, reſpondit, à Majorum moribus ſe neutiquam receſſurum. Relatio Juan de Perſia.

ABDULAC, Rex Ferzæ, ignavus & mollis, cùm Chriſtianis Ceuten occupantibus ſe non opponeret, ſubditorum odium incurrit, & à Viziro ſuo, unà cum 6. filiis ſtrangulatus eſt. Marmol. l. 4. c. 35.

ABDULASIS, Hiſpali ſedem imperii tenens, Roderici Regis viduam, quæ Afra erat, duxit, ejuſque ſuaſu auream coronam capiti impoſuit: unà proin cum uxore, eo quod Mahometis legem violâſſet, in Moſchea quadam occiſus. Marmol. l. 2. c. 12.

ABDULMALIC, VII. Calipha Arabum, cadaver Jezadi æmuli ſui, refoſſum comburi, cineresque in auras diſpergi juſſit. Mox, Armeniam à Caim Abiſpa ſibi ereptam recuperavit, præcipuis incolarum, quod cum hoſte ſenſerant, vivis exuſtis. Obiit annô 707. regni 21. Marmol. l. 2. c. 9.

ABDULMALIC, Hiſpaniæ eâ parte, quam Arabes tenebant, potitus, in Africa Urbem Tanger aliaſque plures expugnavit. Indeque reverſus, æmulum Abecium occidit. Tandem Carthagenâ Chriſtianis ereptâ, obiit. Marmol. l. 2. c. 14.

ABDULMALIC, Arabum 10 Hiſpan. Calipha, ab æmulo Abul Hagex, occiſus. Idem Ibid.

ABDULMALIC, Regis Ferzani fil. in Hiſpaniam trajecit, Regi Granatæ contra Chriſtianos ſuppetiaturus. Inde re fortiter geſtâ à Patre revocatus eſt; à quo regnis, Tremiſſanô & Tunetanô, occupatis, in Hiſpaniam reverſus, in Chriſtianos milites incidit, & fugâ elapſus, poſtquam, in ſenticetis deliteſcens, mortuum ſe ſimulâſſet, deprehenſus, lanceâ trajectus obiit, A. C. 1339. Idem, l. 2. c. 32.

ABDULMALIC, frater Muley Haſcem, Tonetanum regnum occupavit, pulſô & excæcatô nepote, qui parentem pridem candente pelvi ſimiliter viſu privaverat. Regnavit 36. dies. Idem l. 6. c. 16.

ABDULMUMEN, Rex Saracenorum in Africa, ab Abdala Mohavedinorum authore, in thronum evectus eſt. Hic legitimum Regni Maroci hæredem, adhuc infantem, propriis manibus ſtrangulavit, Urbemque in pulverem redigi & cribrô ſuccerni, ſicuti juraverat, juſſit. Mox omnibus ſplendidiùs extructis, quidquid ſtirpis Almoravidarum ſupererat, perſequi inſtituit. Tandem plurimis regnis ſibi ſubjectis, cum in Hiſpaniam trajecturus eſſet, obiit A. C. 1156. Marmol l. 2. c. 34.

ABDULVATES, nomen erat Regum Tremiſſanorum, qui ex familia Magazoarum & Zinhagiorum orti, totâ Africâ pepulerunt Abderamos, circa A. C. 986. Hi quidem primò à Romanis pulſi, ſed à Gothis imperio reſtituti ſunt, donec Mahometis ſucceſſores Africâ potirentur. Verùm propriis viribus in regnum redierunt, 300. annis eo potiti. Idem l. 2. c. 28. & l. 4. c. 11.

ABDUS, Eunuchus Parthus, præcipuus poſt Sinnacen in Ar-

tabanum conjurationis, ut repudiatô Artabanô Phrahatem Româ regem arceſſerent. Verùm ſpecie amicitiæ vocatus ad epulas lentô venenô occubuit. Tacit. *l.* 6. *c.* 31.

ABEA, *Ptolemæo* Peloponneſi urbs eſt, ad ſinum Meſſeniacum. Pauſan. dicit olim *Iren* appellatam: Hodie *Calametta*, teſte Sophianô. vide *Abea*.

ABEACUS, Siracum Rex, qui ſunt populi ad radicem Caucaſi, apud Strab. *l.* 11.

ABEATÆ, populi in Achaja, non procul ab Alphireis & Pyrgenſibus. Plin. *l.* 4. *c.* 6.

ABECEDARIUM & *Abecenarium*, vide ſuprà *Abſtoriam*.

ABECEDARIUS Pſalmus, apud Auguſtin. *Enarrat. in Pſalm.* 118. *conc.* 32. dictus reperitur, cujus verſus quilibet à primis literis alphabeti incipit. Cujuſmodi eſt Pſalmus ille, quem ſcripſit idem contra Donatiſtas, de quo hæc ille *Retractat. l.* 1. *c.* 20. *Pſalmum, qui eis cantetur, per literas feci, ſed uſque ad V. literam: Tales eum Abecedarios appellant.* vide *vitam Iſidori Hiſpal.* & *Car. du Freſne*, ut & Macrum, in *Gloſſar. ac Hierolex.* in voce *Pſalmus*.

ABECI, Maurus, abſente Abdulmalicô, Cordubæ regnum invaſit, Amiramque ſe & Maceleminum vocari juſſit. Sed à legitimo Rege, ex Africa reverſo, occiſus eſt. Idem *l.* 2. *c.* 14

ABED, filius Jonatha, Eſdr. *c.* 8. *v.* 6. Latinè *ſervus* vel *operarius*.

ABEDONE, nomen urbis *Varrino*.

ABEL, per א, Latinè *luctus*; locus Palæſtinæ, Judic. *c.* 11. *v.* 33. Item 1 Reg. *c.* 15. *v.* 20. Ubi Joſephus *Abellane* legit.

ABEL, per ה in principio, Latinè *vanitas*, *ſive anhelitus*; aut Syriace *vapor*, filius Adami, à Caino fratre ſuo interfectus; fallitur itaque Joſephus, ubi ait, *παιδίον ὄντα αὐτόν*. quod autem ille ſequitur (nimirum *Ant. Jud. l.* 1. *c.* 3.) veriſſimum Ἄβελος μὲν γὰρ ὁ νεώτερος δικαιοσύνης ἐπεμελεῖτο, καὶ πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτοῦ πραττομένοις παρεῖναι τὸν Θεὸν νομίζων, ἀρετῆς ἐφρόντιζε h. e. *Abel juſtitiam colebat, & omnibus actionibus ſuis Deum præſentem ratus, virtuti operam dabat*, & proinde Salvator τὸν δίκαιον eum indigitat, *juſtum* Matth. *c.* 23. *v.* 35. & D. Joannes, 1 *Ep. c.* 5. *v.* 12. rationem reddens, cur frater ejus eum occiderit, ait, ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ πονηρὰ ἦν, τὰ δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ δίκαια. *quia opera ejus mala erant, fratris autem ejus juſta.* vide plura apud Philonem, lib. *de Sacrif. Abelis & Caini*.

ABEL, Daniæ Regnum invaſit occiſô Ericô fratre, cujus cadaver in mare projici juſſit. Sed in bello contra Friſones occiſus, & locus ſepulturæ ejus ſpectris infeſtatus eſt. Cranez, *l.* 7. *c.* 21. Spondan. *A. C.* 1250.

ABEL, vel ABELA, nomen trium urbium facit D. Hieron. in *Locis Hebr.* Unius quidem in terra Ammonitarum, in ſeptimo lapide Philadelphiæ, quæ nomen retinet, hic Jephthe dimicavit. Secundæ, in duodecimo à Gaderis milliario contra Orientalem plagam. Tertiæ in Phœnice, inter Damaſcum & Paneadem.

ABELARDUS, vel ABÆLARDUS, D. Bernardi σύγχρονος; ſcripſit opera quam plurima, in uno volumine edita operâ & ſtudio *Franciſci Amboiſii*. vide *Abalardus* & *Abaelardus*.

ABELBUEL, urbs in terra Ruben, unde Eliſæus propheta. *Dorotheus*.

ABELFEIDUS, *Coſmographus*, *Ptolemæô*, (ut putatur) major & doctior; à Poſtello ex oriente Venetias allatus, qui ante annos 300 vixiſſe, & princeps Aſſyriæ, Syriæ, & Perſidis fuiſſe traditur. Neander *Geogr. part.* 2. Lege ei *Abulpheda*, & vide Voſſ. *de Mathemat. c.* 43. *Nic. Lloydius*.

ABELIA, Indiæ locus apud *Zonaram*.

ABELIANI vel ABELOITÆ, Hæretici in agro Hipponenſi ſic dicti, erant conjuges, nec tamen conſuetudine conjugali utebantur, ſed puerum & puellam adoptabant, qui mortuis eâdem conditione ſuccederent, ut narrat Auguſtinus ad Quod-vult-Deum. *Hæreſ.* 87. Nitebantur locô Pauli, 1 Cor. *c.* 7. *v.* 29. Οἱ ἔχοντες γυναῖκας, ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι. At cur ſic dicti? Ab Abele, inquies. Ita Auguſtin. cunctanter, & ex relatu aliorum. Quod nisi quæſo intellexerit, quum his hæreticis non videatur quicquam fuiſſe commune cum Abele. Fallor, aut eò penetraverat fabula, quæ totum Orientem jam pridem pervagata eſt, Adamum poſt Abelis necem ab uxore abſtinuiſſe per annos 130? Ita Judæi doctores. Inde autem Arabicum verbum ex *Abele* factum חאבל *thebbala* eſt ab uxore continere ſe. Giggeius אדם חאבל h. e. *Adam ab Eva ſe abſtinuit ob necem Abelis.* Eodem exemplô *Abelonii* dici potuére, qui ab uxoribus ſe continebant. Hoc certò certius, *Punicam declinationem* huic nomini Auguſtinum tribuiſſe. *Bochart*

ABELINATES, Plinio *l.* 3. *c.* 11. Italiæ populi qui *Præterpe* cognominantur; item alii, qui *Marſi* cognomen habent: circa Apuliam utrique.

ABELLA, fluv. Samogitiæ in Polonia, cadit in Niewazam fluvium prope Kieydany. *Copp.*

ABELLA, Campaniæ oppid. ſed in vulgaris authorum exemplaribus eſt *Avella*. Ex Ptolemæo tamen, (qui Romanorum ferè ubique per Italiam ſequitur vocabulorum formationes) collegerim, *Abella* pronunciâſſe Romanos; habet enim unà cum Strabone Ἄβελλα; alioqui ſcripturus erat Ἄουελλα. Apud Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 740. jam inde antiqui Grammatici capite ſuô nomen hoc detruncârunt in hunc modum,

Et quos maliferæ deſpectant mœnia Bellæ.

Silius autem Italicus (quem Virgilii ſimiam veriſſimè dixeris) *Abella* habet hoc verſu *l.* 8.

Surrentum, & pauper ſulci Cerealis Abella.

De origine oppidi, Juſtin. *l.* 20. *c.* 1. *Jam Nolani, Abellani, nonne Chalcidenſium coloni ſunt?* Ambroſius Leo, qui de hac ſua patria tres libros ſcripſit, tradit eam à priſcis Græcis Ἄβελλα à venti vertigine hunc tractum perflante, dictam fuiſſe, à poſteris verò Latinis *b* inſertum. *Avella* autem, ut dixi, vulgò perhibetur, unde *Avellana nux* Macrobio *Saturnal. l.* 3. *c.* 18. *Nux*, ait, *Avellana, ſeu Præneſtina, quæ eſt eadem, ex arbore eſt, quæ corylus dicitur.* longitud. 38. 15. latit. 41. 5. *Nic. Lloydius*.

ABELLA, Indiæ locus, apud *Zonar*.

ABELLABA, *Appleby*, oppid. Albionis in Cumbria regione & Comitatu Weſtmariæ, ad Ituniam fluv. vide *Aballaba*.

ABELLINUM, urbs Epiſcopalis Hirpinorum, ſub Archiepiſcopo Beneventano. Populi *Abellinates* Plinio *l.* 3. *c.* 11. dicuntur. Bapt. Porta *l.* 5. *Villæ ſuæ*, ſcribit duo eſſe in Italia oppida, quæ vulgo *Avello* & *Avellino* vocantur, an hoc *Abellinum*, illud *Abella*? Ortelius in *Theſ. Geogr.* longitud. 38. 19 latitud. 41. 6. Etiam Principatus titulô clara, in regno Neapolitano & provinc. Principatûs ulterioris. Ejus Epiſcopatus unitus eſt cum Frequentino: prope fluv. Sabbathum, a quo diſtat uno tantum milliar. media inter Beneventum ad Boream & Salernum, ad meridiem & 30. milliar. Neapoli ortum diſtat.

ABELLIO: eò quoque inclinat animus (inquit Cl. Voſſius *l.* 2. *de Idol. c.* 17.) ut *Abellionem* non alium quàm Solem; nec aliunde quàm à *Belo* dictum putem. Firmat opinionem meam, quod & Pamphylii & Cretes, ſic dixére. Heſych. Ἀβέλιον, ἥλιον. Παμφύλιοι. Idem Ἀβέλιον, Ἥλιον. Κρῆτες. Et fortaſſe, *Apollo* ex Cretico Ἀβέλιος; Nam veteres Romani *Apello*; ut pro *homo*, *hemo*: pro *bonus*, *benus*: unde *bene*. *Nic. Lloydius*.

ABELMAIA, ſic in 2. Paralip. *c.* 16. *v.* 5. *Abelmea* D. Hieron. oppid. Palæſtinæ, inter Neapolim Samariæ, & Scythopolin Galilææ.

ABEL-MAIM, Latinè *luctus aquarum*, civitas, quam (ut narrat hiſtoria *Paralipomenon*, 2 Chron. *c.* 16. *v.* 5.) Rex Aſa per Benhadad Syrum expugnavit. 1 Reg. *c.* 15. *v.* 20.

ABEL-MEHULA, Latinè *luctus infirmitatis*, aut *luctus chori*, vel *ſymphoniæ*: Sive ex Hebr. & Syro, *luctus venæ*, nomen loci, Judic. *c.* 7. *v.* 22. & 1 Reg. *c.* 4. *v.* 10. Hieron. *in Locis Hebr.* ait vicum eſſe in Aulone.

ABELONII & *Abeliani*, Hæretici [illegible] nomen ſibi arrogantes: quem cùm imitari ſe aſſererent, à matrimonio abſtinebant, omnia conjugatorum paria, marem & fœminam, adoptabant, illoſque hæredes ac ſucceſſores declarabant, de quibus vide Auguſtin. *Ep. ad Quod-vult-deum*; Fratres Macti *Hierolex.* vide ſuprà *Abelianos*.

ABEL-SATIM, Latinè *luctus ſpinarum*, ſeu *declinationum*, aut *prævaricationum*. Non procul à Jordane locus, in deſerto ad Meridiem Moabitarum. Num. *c.* 33. *v.* 49. Illic fuit 42. manſio Judæorum. Dicitur & *Sitim*, ſive *Satim*. Num. *c.* 25. *v.* 5.

ABELTERIUM, Luſitaniæ urbs Antonino inter Olyſipponem & Emeritam; Simlerus legit *ab Elterio* diviſim.

ABEN-BOEN, Latinè *lapis pollicis*, aut *pollex*, vel *lapis in eo*; à filiis Ruben ſic appellatus eſt terminus filiorum Judæ: jacet in valle contra orientem, in via regia ad Adonim; Magnus eſt in modum clibani, & videtur eſſe marmor. Bredenbach *itin.* 6. Hieron. *in Locis Ebr.* Videatur Andreas Maſius *in Joſ. c.* 5.

ABENDONIA, vel ABBENDONIA, oppidum in Comitatu Bercheriæ, 5. mill. paſſ. ab Oxonio diſtans; Sheoveſham primum Saxonibus, unde *Abbendune*; dictum, ab Abbatia procul dubio (inquit Camdenus) potiùs quàm ab Abbeno Hibernico neſcio quô Heremitâ, ut quidam ſcripſerunt. *Locus erat* (ut habet vetuſtus liber Abbendonenſis) *in planitie, viſu deſiderabilis, paulisper ultra villam, quæ nunc vocatur Sunningwel, inter duos rivulos amœniſſimos, qui locum ipſum, quaſi quendam ſinum, inter ſe concludentes, gratum cernentibus præbent ſpectaculum, & opportunum habitantibus ſubſidium. Sheoveſham autem ipſa olim dicta, civitas famoſa, aſpectu deſiderabilis, divitiis plena, agris circumdata uberrimis, vernantibus pratis, diffuſis campis, & gregibus lactiſſima. Hic ſedes regia, huc, cum de regni præcipuis & arduis negotiis tractaretur, concurſus ſiebat populi.* Vulgo *Abington*. vide Camdenum *in Bercheria*.

ABEN-EL-HACH, Arabs, Damaſcô oriundus, Rex Cordubæ à ſociis, qui Alcataranum, legitimum ſuum Dominum, ſuſpendiô necaverant, dictus eſt. Hic, victis prioris Regis filiis, præ laſſitudine, alii venenô, obiit, ſextô regni menſe. Marmol. *l.* 2. *c.* 14.

ABEN-EZER, vel EBEN-EZER, Latinè *lapis adjutorii*; locus in Palæſtinâ, 1 Sam. *c.* 4. *v.* 1. inter Maſpha & Sen, ibidem *c.* 7. *v.* 12. *Corræus* vocatur hic locus à Joſepho. Hic cùm caſtra haberent Iſraëlitæ, profligati à Philiſtæis arcam teſtamenti adferri voluerant, tanquam tutiores futuri, Deô præſente; ſed mox & ipſi cæſi & arca capta eſt. Quòd autem *Corræum* à Joſepho vocatum hunc locum aſſerit author, vereor ne mendum ſit. *Coreas* quidem apud Joſeph. invenio, *de Bello Jud. l.* 1. *c.* 5. juxta Pellam, & Scythopolin; cæterum an locus iſte ſit *Aben-ezer*, alii viderint. *Nic. Lloydius*.

ABENEZRA, fil. Rab. Abraham fil. Meyr. inſignis fuit Philoſophus, Aſtronomus, & Theologus; qui commentaria præclara in tota Biblia conſcripſit. *Commentarium ſuum in* 12. *Prophetas minores* abſolvit in Urbe Rhodo, A. C. 1145. mortuus annô ætat. ſuæ 75. Ob inſignem Doctrinam & Sapientiam fuit κατ' ἐξοχὴν dictus חכם i. e. *Sapiens*, Buxtorf. Unde Mayero in Philol. Sacra. *Meritò audit ſapientiſſimus Hebræorum.* Obiit in inſul. Rhodo, A. C. 1217. ſecundum *Genebrard*. Apud Davidem Ganz. *Chronol. rerum & Rabbinorum*, *ſub ſecundo Templo* ex verſione Guil. Henr. Vorſtii occurrit *Abenezra*, prænomine Moſes, Muſicus & Sapiens eximius; compoſuit librum *Harugot abosem*, i. e. *Area Aromatica*, *p.* 132 *ad ann.* 840. *Millenarii* vide.

ABEN-HUT, Maurus doctiſſimus, & ex præcipuis Regni Granatenſis. Hic in poteſtatem munitiſſimis urbibus redactis, *Reformator legis* dici voluit. Poſtea in bello contra Chriſtianos, ab aliquo ſuorum necatus eſt, A. C. 1234. Marmol. *l.* 2. *c.* 28.

ABEN-JOSEPH, primus regnum Fezzæ occuparit, poſt obitum Fratris, qui hanc provinciam gubernaverat, & cum nepote,

cujus uxor erat relictus, ſatis feliciter bellum geſſit. Idem *l.* 2. *c.* 38.

ABEN-MAHAMED, celebris Arabs, Cordubæ & Toleti Rex factus, magnô animô Almohadarum inimicis ſe oppoſuit. *Ibid.*

ABEN-NEDDIN, librum de Philoſophis Arabibus ſcripſit, teſte Merſennô *præfat. in Apollonii Conica.*

ABEN-TAAMON, fil. Abdalæ, VI. Caliphæ Damaſci, Abdulmicum, qui patrem occiderat, fugiens, in Mauritaniam Tingitanam appulit, ibique regnô conſtitutô, contra Romanos & Gothos, multa proſpere geſſit, Poſt quæ *Amiras* & *Miccelemiuus*, ſicut Arabiæ Caliphæ, dici voluit. Marmol. *c.* 2. *l.* 9.

ABEN-VERGA, Rabbinus, ſcripſit tabulas Aſtronomicas. Voſſ. *de Mathemat. c.* 35. §. 50.

ABENCHAMOT, celebris in Barbaria Dux, fuſus à Luſitanis, ſed mox unius uxorum captivæ inclamatione, animatus pugnâ redintegratâ, victor evaſit, eâ receptâ. Diego de Torrez, *hiſtor. Cheriſſorum*, *c.* 21.

ABENNA, vel ABINNA, apud Lucium Ampelium *in Deſcr. Orbis*; *Ad occaſum magnum Mare, idem Atlanticum, per quod commercium omni humano generi peragitur. Hoc intrat in fretum Gaditanum inter duos montes clariſſimos; Abinnam atque Calpen, ob impoſitas Herculis columnas*: idem cum Abila mons eſt. Sic enim & apud Solinum *c.* 23. *pro Calpe & Abila montibus*, ſcripti omnes Codices habent. *Calpe & Abenna montibus.* Nec aliter apud *Marcianum* Euſtathius *ad Dionyſium Perieg.* notat, neſcio quem ſequutus, Calpen & Abylam eandem eſſe, quæ verò vocetur *Abenna* à Barbaris, κυνηγετικὴ Græcè dici. unde ſaltem illud colligitur, *Abilam* & *Abennam* ſynonyma eſſe. Salmaſ. *ad Solin. p.* 287.

ABENSPERGA, Urbs Bavariæ ſuperioris ad fluv. Abenſt. Munſter. *l.* 3. Sub Comitibus olim propriis, è quibus Babo Dn. *in Abenſperg* dicitur 32. filiorum & 8. filiarum pater fuiſſe, ac deceſſiſſe A. C. 1030. Sub Imperio fuêre, & adhuc. A. C. 1489. decem pedites ſubminiſtrabant, Zeilerus *Itinerar. Germ. Parte* 2. *p.* 32. Recens iterum locus Familiæ inter Sueviæ Comites conceſſus eſt, & ſubſcripſit A. C. 1654. *Ernestus Comes in Abenſperg & Traun*, inter Sueviæ proceres receptus, ob emptum Comitatum *Egloſs*, A. C. 1662. vide Phil. Jac. Spenerum *Artis Heraldicæ Parte Spec. l.* 11. *c.* 100. ubi *de Comitib. de Traun. & Abenſperg*, eorumque ex veterib. *Abenſpergiis* origine: aliquid etiam voce *Babo*.

ABEONA, Dea ab antiquis culta, quæ abeundi facultatem præſtaret. Auguſtin. *l.* 4. & 5. *de Civ. Dei.* vide & *Adeona*.

ABER, Cinæus, vel *Hebr.* Kenæus ſive Cenites (è poſteris Hobabi Moſis ſoceri) tentorium olim haud longè à civitate Azor in valle Sennim verſus Vulturnum, 4. à Caſtro regio, contra Africum autem à caſtro Zabul, tribus milliaribus, tetenderat: ubi Jaël uxor ejus Siſeram hoſpitiô exceptum, ſopitum interfecit. Brocard. *Itin* 3. Judic. *c.* 4. *v.* 17.

ABERA, oppid. Arabiæ deſertæ, verſus Petræam.

ABERAVONIUM, oppid. Angliæ, in Walliâ, & Glamorganenſi Provinciâ, in ora, ad oſtia Avonis fluv.

ABERCOVONIUM, ſeu oſtium Covonii fluv. oppid. Angliæ, in Walliâ, & Arvoniâ provinc. in ora. Diſtat Denbighiâ 15. milliar. Angl. & 9. Bangariâ. Aliàs *Conovium*, quod vide.

ABERDONIA, & ABERDONA olim *Devana*, vulgò *Aberdeen*, urbs Scotiæ epiſcopalis, & Emporium, & Academia, in ora Orientali, ab Andreapoli ejus metropoli, ſupra 60. mill. paſſ. in Cæcium. Salmonum hîc ingens piſcatus. longitud. 18. 12. latitud. 58. 40. Munſter. *l.* 2. Leſle *Deſcript.* Buchan. *l.* 1.

ABERDONIA *Nova*, urbs Scotiæ, in Provinc. Mariæ, non procul ab oſtio fluv. *Dona*.

ABERDORA, oppid. Scotiæ Septentrionalis in ora in Bogumia provinc. Diſtat Aberdoniâ, 30. milliar. Scotic. in Boream.

ABERDURA, oppid. Scotiæ meridionalis in Comitatu Fifæ, ad æſtuarium Forthæ Edimburgo 7. leucis diſtat.

ABERFRAUU, urbs inſul. Angleſey. *Du Val.*

ABERGENNIUM, oppid. Angliæ, in Walliâ, & Comitatu Monumethenſi, ad fluv. *Usky.* vide *Gobanium*.

ABERIDES, Deus Ethnicorum, qui deinde Saturnus appellatus eſt, Cœli & Veſtæ fil.

ABERISTYVIUM, oppid. Angliæ in Walliâ, in ora littorali ad oſtia fluv. *Iſtwith*, in Ceretica provinc. vide *Tybium*.

ABERNÆTHUM, poſtea Andreapolis, *S. Andrews*, urbs Scotiæ archiepiſcopalis, & Academia, in orientali ora, inter Edinburgum 20. & Aberdonam ſupra 60. milliar. in Cæciam.

ABERNETHUM, in Stratherma, Scotiæ provinc. primaria olim Pictorum. Ejus Epiſcopat. inde Andreapolim tranſlatus eſt, procurante Kennetho, Rege Scotiæ vide *Abernæthum*.

ABES, Latinè *ovum*, ſive *canoſus*, aut *lineus*, nomen civitatis in tribu Iſſachar, Joſ. *c.* 19. *v.* 20.

ABESAMIS, Omanorum urbs in Arabiâ Felici. Plin. *l.* 6. *c.* 28. alias *Beſanuſa*.

ABESAN, Bethlehemita, mortuô Jephthâ, judicavit Iſraël ſeptem annis; habuit 30 filios, & totidem filias, quas omnes maritis tradidit: ſimiliter filiis omnibus uxores dedit: foràs miſit filias, filiorum autem uxores domum ſuam introduxit. Judic. *c.* 12. *v.* 8. Latinè *pater ſcuti*, aut *patris ſcutum*, vel *arma*, aut *pater frigiditatis*. Rabbi Sol. & Chald. Paraphr. hunc Abeſan, Boos eſſe dicunt. *Ibzan* autem Ebræis dicitur.

ABESDONIA, vide *Aberdonia*.

ABESSALOM, Latinè *pater pacis*, ſive *pater conſummationis*, ſive *pater retributionis*, aut *patris pax*, ſive *patris conſummatio*, ſive *patris retributio*: Pater Maacha, ſive Michaiah, matris Abiam 1 Reg. *c.* 15. *v.* 2. qui 2 Chron. *c.* 13. *v.* 2. dicitur *Uriel*.

ABESTE, Arachoſiorum oppid. apud Hermandrum fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 23.

ABETHARIM, ut habet ex Geneſi 21. D. Hieron. quò locô alios *viam exploratorum* interpretatos ſcribit. Athar Ἀθαρὶν legunt LXX Interpr.

ABGARUS, Rex Edeſſenorum in Meſopotamiâ Exemplar epiſtolæ, ab eo ad Chriſtum ſcriptæ, recitat Euſeb. *l.* 1. *Hiſt. Eccl. c. ult.*

ABGARI etiam cujuſdam Regis orientalis meminit Jul. Capitolin. *in Antonino Pio*, *c.* 9. ubi Caſaubonus ait, familiare nomen eſſe Regulis orientis *Abgarum*, vel ut plures Græcorum ſcribunt Αὔγαρον. Perſidis etiam Rex quidam *Abgarus* Spartiano nuncupatur *in Severo*, *c.* 18. vide *Abagarus*.

ABGATHA, Latinè *pater torcularis*, vel *torcular patris*, Eunuchus Ahaſveri, regis Perſarum Eſther. *c.* 1. *v.* 10.

ABGATORIA & *Abgatorium*, idem cum *Abecedariis*, elementum cujuſcunque ſcientiæ. Ita Patritius *Hibernus Apoſtolus* dictus, libellos quoſdam à ſe conſcriptos, doctrinæ Chriſtianæ elementa continentes appellavit, ut loquuntur, apud *Matthæum Weſtmonaſter.* de illo loquentem: *Abgatoria quoque* 345 *& eo amplius ſcripſit, totidem Epiſcopos ordinavit*, &c. Eſt autem formata vox ex tribus prioribus literis Alphabethi, *A. B. C.* quam poſtremam literam ut *K.* pronuntiant *Hiberni*: unde factum, ut *Abketoria* primùm ab iis, deinde ad meliorem ſonum paulatim deflectente uſu, *Abgatoria* & *Abgitoria* dicta ſint Car. du Freſne *Gloſſar.* vide quoque ſuprà in *Abcdarium*.

ABGILLUS, Scriptor Friſius, auctor *Hiſtoriæ Caroli Mag.* fabulis refertiſſimæ. Suffrid. *de Script. Friſ.* vide & *Johannes.*

ABI, vel ABIA, mater Ezechiæ Regis 2 Chron. *c.* 29. *v.* 1.

ABIA, fil. Samuëlis. 1 Sam. *c.* 8. *v.* 2.

ABIA, ſive *Abiam*, fil. Roboami ex Maacha filiâ Abeſſalom, quartus Judæorum Rex; hic pravum ſe, ac paternorum veſtigiorum æmulum præſtitit: orantibus tamen Deum ejus militibus, vicit ipſum Jeroboam: tunc corruêre 500000. virorum fortium ex Iſraël, confoſſa à viris Judæ. Regnavit Abia tribus ferè annis. 1 Reg. *c.* 14. *v.* 31.

ABIA, fil. Jeroboami, 1 Reg. *c.* 14. *v.* 1. Alius ἐπώνυμος, octavæ claſſis ſacerdotum, à Davide in 24. claſſes diſtributorum, ex quâ ortus eſt Zacharias pater Joann. Baptiſtæ, 1 Chron. *c.* 24. *v.* 10. Luc. *c.* 1. *v.* 5.

ABIA, Herculis filia, Hylli nutrix, in Iram civitatem ſeceſſit, quam de ſuo nomine *Abiam* appellavit, ibique fanum ejuſdem nominis condidit.

ABIA, civitas maritima in Meſſeniâ, quæ à Saltu Porcino 20. potiſſimum ſtadiis diſtat. *Iram* olim nominârunt: & unum eſt ex 7. oppidis quæ Agamemnonem Achilli promiſiſſe Homerus ſcripſit.

ABIA, Fluv. Aſiæ; in Tartaria, & provinc. Zagataja, cadit in Oxum.

ABIADENE, provinc. Aſſyriæ, juxta Tigrim fluv.

ABIASAPH, ſive *Abiſaph*, Latinè *pater congregans*, ſive *pater conſummans*, vel *fruens*; filius Coræ. 1 Chron. *c.* 6. *v.* 33.

ABIASARIS, Rex maximæ Indorum partis, qui ſe cum regno ſuo Alexandri Macedonis poteſtati ſubjecit. In hujus ditione dracones prodigioſæ magnitudinis nutriebantur. Sabellic. *l.* 6. *Enn.* 4. vide *Abiſares*

ABIASARI, vide *Biaſari*.

ABJATHAR, Latinè *pater excellens*, aut *pater reſiduus*, vel *remanentis*, ſive *pater explorationis*, vel *contemplationis*, aut *pater funiculi* fil. Ahimelech ſacerdotis, 1 Sam. *c.* 22. *v.* 21. & ipſe Achimelech. Marc. *c.* 2. *v.* 26.

ABIB, Hebr. אביב qui alias ניסן *Niſan*, menſis primus anni Hebræorum ſacri, à quo veris initium, partim Martio, partim Aprili noſtro, reſpondet. Arabes *menſem grandeſcentis ſegetis*, Græci τὸ μῆνα τῶν νέων, ſupple καρπῶν aut χλόων aut γεννημάτων, *menſem novarum frugum* appellant; *abib* enim Hebræis *ſpicam adhuc recentem* notat. Tum ſcil. in Judæa, ut ait *Philo*, τοῖς μὲν σπαρτοῖς ἡ ἀναγκαία τροφὴ τελεσφορεῖται, *maturescunt ſegetes ad vitam neceſſariæ*. Ita Delphis unum menſium Βύσιον dici crediman fuiſſe, quaſi Φύσιον, legimus; quia, cùm Ver incipit, τὰ πολλὰ φύεται, *multa naſcuntur*. Plut. in *Helen.* Quare idem *Niſan* quoque appellatus ſit, vide infrà. Cum verò anni ſeptimus priùs fuiſſet hic menſis, poſt exitum ex Ægypto cœpit pro primo haberi, divinô juſſu, Exodi *c.* 12. *v.* 2. ſed in ſacris tantùm: civilis enim anni primus manſit *Tiſri*, cujus initium circa Autumnum, quemque non anni ſolùm, ſed & mundi fuiſſe initium, *Joſ. Scaliger*, *Sethus Calviſius*, *Chriſtianus Schotanus*, atque alii magnô numerô aſſerunt, iis rationibus, quas non refellunt, qui in diverſâ ſunt ſententiâ. Hujus autem menſis *Abib*, die XIV. Paſcha voluit, mactari Deus. Levitici, *c.* 23. *v.* 5. ut alia omittam, vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior l.* 2. *c.* 50.

ABIBALUS, Tyriorum Rex Salomonis contemporaneus, & amicus. Joſeph. *l.* 1. contra *Appion.* apud *Nic. Lloydum.* Antiquiſſimus eorum Tyri Regum, qui in Hiſtoriis memorantur, priorum enim nomina & memoria interciderit. Ei ſucceſſit fil. Hieronymus Davidis, R. Salomonis fil. ejus amicus, de quo ſuô locô. Ex *Annalibus Tyrii*, quorum fragmentum eximium, ex *Menandro* interprete, recitat Joſephus *loc. cit.* vide Job Marſhamum *Canone Chron.* ad *Sec.* XIV. & XV.

ABICE, vel ABICA, Ponti regio, circa Boryſthenis oſtia; *Stephano Hylea*.

ABIDA, Latinè *pater ſcientiæ*, vel *ſcientia patris*, fil. Madai, filii Abrahæ. Gen. *c.* 25. *v.* 4.

ABIDA, Cœleſyriæ oppid. *Ptol.*

ABIDA, ſeu *Abelap*, mons in regno Feſſano, olim *Ampeluſia*. Quibuſdam eſt altera columnarum Herculis, Johann. Leo *p.* 3.

ABIDAN, Latinè *pater Judicii*, fil. Gedeonis. Num. *c.* 1. *v.* 11.

ABIDDENSIS, Loci Epiſcopalis in Africa, meminit *Collatio Carthag.*

ABIDENUS, qui & *Abydinus*, de Chaldæorum & Aſſyriorum rebus ſcripſit. Vide Voſſ *de Hiſt. Græc. l.* 1 *c.* 9.

ABJECTIO Baculorum, inter ritus olim erat, in reverentiæ ſignum adhiberi ſolitos, ad Euangelii lectionem; quemadmodum & *ſtatio ac capitis retectio*. Quæ tria unico verſiculo attigit Hildebertus *Opere metrico de ſacrif. Miſſæ*

Plebs baculos ponit, ſtat reteguique caput.

Ubi *ſta poſitio ſive abjectio baculorum*, vel ſpectat depoſitionem enſis per accinctos, uti nunc aſſolet, cùm acceditur ad ſacram menſam: Nam piæ reverentiâ, & ad teſtandam ſubjectionem, qui accincti ſunt, ponunt gladios, quos, non eſt novum, dici *baculos*, cùm plerumque vagina & operimentum externum enſis, intus abdita, ſit baculus viatorius, quâ de re alibi ex *Martiali*, ipſoque *Christo*, vetante uſum hujuſmodi virgæ ſeu baculi, enſe intus abditò velut gravidi, cùm ſimplicis virgæ uſum alibi concedat Apoſtolis viatoribus. Vel certè, *poni baculos*, cùm audiebatur Evangelium, erat, baculum materialem, qui ad manum eſſet alicui, *abjicere* ſeu deponere, ad ſignificandum, non eſſe opus aliò præſidiò, homini Euangelio aures præbenti. Solerius *de Pileo ſect.* 2.

ABIEL, Latinè *pater meus Deus* fil. Seror. 1. Sam *c.* 9. *v.* 1. pater Ner. 1. Sam. *c* 14. *v.* 51. nomen item cujuſdam alterius, 1. Chron. 11. *v.* 32. qui 2. Sam. *c.* 23. *v.* 30. dicitur *Abialbon*.

ABIES, firmiſſima in operibus, cùm recta ſtatuitur. Plin. *l.* 16 *c.* 42 *Firmiſſima in rectum abies, eadem valvarum repagulis & ad quæcumque libeas inteſtina opera firmiſſima, ſive Græcò, ſive Campano ſive Siculo fabricæ artis genere ſpectabilis, ramentorum crinibus, pampinatò ſemper orbe ſe volvens, ad incitatos runcinarum raptus.* Sic Theophraſtus, firmam dicit eſſe ficum, ſi modò in rectum collocetur, at firmiſſimam longè abietem hôc modô poſitam, *l.* 5. *c.* 7. Eadem *valvarum repagulis*, vel *paginis*, duplices cùm hæ & complicantur replicanturque, ut librorum paginæ: *Et ad quæcunque inteſtina opera*, &c. Ergo valvæ ex inteſtino opere, ad quæ ſola medulla *Abietis* adhibita, ejectò torulò, h. e. circulò corticeò vel ligni albernò quod medullam ambit ut ex Vitruvio *l.* 2. *c.* 9 diſcimus. Plinius quoque, *l.* 16. *c.* 39. ubi de *Abiete*, *Ad Fabrorum inteſtina opera medulla ſectilis optima quadripartitis materiis & mollior quàm cætera.* Talis enim eſt in eâ parte quâ proxima terræ eſt, quadruplici nempè venarum curſu fluviata. Dixerunt autem Latini hujuſmodi venarum curſus in arboribus *fluvios* ac *fluviari arborem*, quæ venis diſtingueretur: & quidem quæ quadrifidos earum curſus haberet, ut *Abies*, τετράζοον ſeu τετράζυγον potiùs appellavêre Græci, ſicut quæ bifidos, δίζοον ſeu δίζυγον: &c. Vide infrà, ubi de *Inteſtino opere* & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solinum p.* 133. & *ſeqq*, uti de *Abietum Sylva*, in vitro repræſentatâ, adſpectantium ſtuporem, itidem infrà lemmate *Metallica plaſta*: de muribus verò Moſcicis Ponticiſque in *Abietum cavitatibus faſtigiiſque* nidificantibus, infrà *Mures Moſcovitici*.

ABIETA, Jazygum Metanaſtarum in Hungariâ. verſùs Tibiſcum fluv. oppid. *Ptolemæo*. *Abrieta* legunt Latini interpretes. Ortel. *in Theſ. Geogr.* Nunc *Agria*.

ABIEZER, Latinè *pater adjutorii*, ſive *patris adjutorium*, vel *pater atrii*, aut *patris atrium*, fil. Mahaſſæ. Joſ. *c.* 17 *v.* 2. Unus ex fortibus David. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 27. Alius item. Jud. *c.* 6. *v.* 34.

ABIGABAON, Latinè *pater collis*, ſive *pater calicis*, vel *ſcyphi*, aut *pater dorſi peccati*. Vertendum ex Hebræo, *princeps Gabaon*, cujus nomen erat Jahuel, & uxor ejus Maacha. 1 Chron. *c.* 8. *v.* 29.

ABIGAIL, Latinè *pater exultationis*, vel *patris exultatio*, nomen uxoris Nabal. 1 Sam *c.* 25. *v.* 3. uxor David, mortuò maritò. Eſt & filia Naas, ſoror Zeruiæ, mater Joab. 1 Chron. *c.* 2. *v.* 16. 2 Sam. *c.* 17. *v.* 25. B. Ambroſius *Ep.* 13. *paternæ gratiæ rorem* Abigail interpretatur.

ABIGAS, Mauritaniæ fluv. ex Auſio monte prorumpens. *Procopius*.

ABIGENSIUM, civitatis meminit *Liber provinciarum* in Galliâ Aquitanicâ primâ, ſed *Albigenſium* legit alius codex. *Albic* eſt Cœnali Ortel *in Theſ. Geogr.*

ABIHAIL per ח in penultimâ, Latinè *pater fortitudinis*, aut *pater exercitus*, ſive *pater divitiarum*, aut *pater antemuralis*, vel *pater doloris*; Pater Suriël, principis Moholitarum. Num. *c.* 3. *v.* 35. Ubi corruptè legitur *Abihaiel*; uxor item Roboam, filii Salomon. 2 *Chron. c.* 11. *v.* 18.

ABIHAIL, per ה in penultimâ Latinè *pater luminis*, vel *laudis*, uxor Abiſur, filii Semei, filii Onam. 1. *Chron. c.* 2. *v.* 29.

ABII, Populi ſunt (ut *Stephano* placet) Scythiæ, aut, ut alii malunt, Thraciæ, Hi libertatem à *Cyri* temporibus fortiter conſervatam, Alexandro M. obtulerunt, cum eſſet Maracandæ, Curt. *l.* 7 *c.* 6. Ita dicti, vel quòd Abianum amnem accolant, vel quòd in curribus degentes, lacte veſcentes, & in cœlibatu viventes, vitam humanam agere non videantur. Alii *Abios* dictos putant, quod, in pace degentes, nemini vim inferant, ab α privat. & βία, violentia. Certè Homerus Il. ν. δικαιοτάτων ἀνθρώπων eos appellat, *h. e. hominum juſtiſſimos* Sunt quoque qui inde *Abios* dictos putant, quòd, more vicinarum gentium, arcu non utantur: ab α privat. & βιὸς *arcus*. Vide *Steph.* & Bochart. *Phaleg. l.* 3. *c.* 9.

ABILA, quæ Lyſanii cognominatur, ab ejus præſide, nempe Lyſanio, ut teſtatur. Euſeb. *Demonſtr l.* 8. Cavæ Syriæ urbs eſt *Ptolemæo*, Polybio, *l.* 5. *c.* 71 & Plinio. *l.* 5. *c.* 18. *Stephanus* duas urbes habet hujus nominis in hoc tractu, unam in Phœniciâ, alteram circa Jordanem, ubi locus Palmarum, Abella Joſepho *Antiq. Jud. l.* 29. *c.* 5 *Abilene* vocatur D Lucæ. *c.* 3. *v.* 1. hodiè *Belinas*. Regionis inſtar fuit & in Regnum contributa, ſub nomine *Tetrarchiæ*. Plinius *l.* 5 *c.* 18. De Urbibus Syriæ Decapolitanæ, *Intercurſant cinguntque has urbes tetrarchiæ, regionum inſtar ſingulæ, & in Regna contribuuntur, Trachonitis, Paneas, Abila, Arca* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 576.

ABILA, vel ABYLA ad fretum Gaditanum, è regione montis Europæi Calpes, in Africâ mons eſt. Nomen ex Punicâ linguâ montem altum exponit *Avienus*, montis maturinis:

Abilam vocat Gens Punicorum, mons quod altus barbaro.

Siquidem *Abila* Pœnis erat עילארה עב *abilkaa*, quod *montem altum capere* nequaquam mirum, cum עבים Jeremiæ *c.* 4. *v.* 19. *Hieronymo* interpretetur *ardua*. Illud huic monti appriinè convenit, qui à *Dionyſio* deſcribitur,

Ἠλίβατος, ...

Itaque hæc *Feſti* verſio poſſet ferri, niſi alia occurreret aptior, quâ עב *ab* exponitur *ſylva*. Patet illud ex ipſo *Jeremiæ* loco, quem indicavimus; ubi pro עבים *abim*, Græci, εἰς ἄλση, h. e. in nemora reddunt; *Abilam* enim, (velut Græci Ἀβίλην) montem fuiſſe ſylvoſum conſtat, ex his Strabonis, *l.* 17. Τὸ ἀντικείμενον ὄρος ... Ἀβύλην, ... Sunt qui pro *Abyla*, tranſpoſitis literis *Alybam* ſcribunt, id eſt, על עבא *al aba*, eòdem ſenſu. *Dionyſ Periegetes*, Στήλας Ἀλύβην ... *μία*, una ſcil. ex Herculis columnis. Ἀβιλύκα *Heſych.* Ἄβιλυξ *Suidæ*. *Not. Lloydius*.

ABILAMARODACHUS, *Joſepho*, vide *Abimadatocus*, it. *Evilmerodach*.

ABILENI, apud *Goltzium* ſunt in nummo *Antonini Britannici*, ab *Abilâ*, forte.

ABILIUS, ſecundus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, Aniani ſucceſſor. Euſeb. *l.* 3. *c.* 14.

ABILIUS, qui antè *Aollius*, voce Græcâ, à civium congregatione vocabatur; Romuli, ex Herſiliâ Sabinâ, fil. vel ut alii volunt, Hoſtilii cujuſdam ex eadem Herſiliâ. Plut. *in Romulo*.

ABILONCÆ, Syriæ populi, Polyb. *l.* 5.

ABILUUM, Germaniæ urbs. *Ptol.*

ABIMADATOCUS, vide *Evilmerodach*.

ABIMAEL, fil. Jechtan, nepos Heber. Gen. *c.* 10. *v.* 25. Latinè *pater à Deo*, vel *de Deo*.

ABIMELECH, Rex Gerar, qui Saram, Abrahami conjugem, in uxorem acceperat; ob quod peccatum, *Joſephus* cum totâ familiâ lethali morbô correptum fuiſſe refert, mortemque illi Deum in ſomnio denunciâſſe; hinc bonus ille Rex, etſi ethnicus, ad agnitionem veri Dei venit, Saram, antequam ei appropinquaſſet, Abrahamo reſtituit, eumque placide objurgatum, ſingulari munificentiâ regiis donis afficit, hoſpitium ei liberum in regno conceſſit, quâcunque regni parte placeret. Oravit autem, Deum Abrahamus, & Deus Abimelechum ipſum curavit, uxoremque ejus, ac ancillas, ut parerent, clauſerat enim Dominus omnem uterum in domo Abimelechi, Gen. *c.* 20. *v.* 18. Apparet autem, fuiſſe communem appellationem regum Philiſtææ gentis. Ideo in titulo Pſalmi 34. nomen Abimelech tribuitur Achis, regi Gath, ad quem fugit David. 1 Reg. *c.* 21. *v.* 12.

ABIMELECH, Latinè *pater regis*, ſive *regum ſummus*, Gideonis ex concubinâ fil. cùm grandior factus eſſet, propinquorum (avunculorum præſertim) ſtudiò, favore, induſtriâ, & labore, Sichemitis perſuaſum eſt, ut illi principatum deferrent, dederuntque Abimelecho 70. argenti laminas è fano *Baalberith*. hôc argento egentium, flagitioſorumque colligit manum, & in domum patris ſui in Ephrâ ſive Ophrâ venit, & metuens, ne ſi in vivis manerent 70 fratres, imperandi etiam dulcedine tangerentur, & illi inſidiarentur, ſi non omnes, ſaltem aliqui: eos per ſatellites, latronesque ſuos capi juſſit omnes, deinde, (quaſi facinoris alicujus rei comperti eſſent) mortis in illos ſententiam dedit, ſicque denum in uno eodemque ſupplicii loco, ſuper uno lapide jugulari curavit, & occiſi ſunt omnes, unò exceptò, Jothamò ſcil. filiò minimò, qui abſconditus fuit. Nefariò hôc parricidiô in fratres perpetratò, in urbem Sichem rediit, illorum adhuc calenti ſanguine reſperſus, viros Sichem & univerſas familias urbis Millo congregavit, ab iis que Rex creatus eſt, & regnavit annis tribus. Tandem inter Regem & populum immiſit DEUS malum ſpiritum, ut nimius ſeſe ſcelerati damnis excitiiſque conficerent. Incipiunt ergo Sichemitæ *Abimelechum* deteſtari, & illi inſidias ſtruere, ab illo viciſſim capitur Sichem, occiſique quotquot contrariæ partis erant, & urbs penitus exciſa, & quidem ita ut totum ejus locum ac ſolum ſale conſererent. Inde venit ad oppidum *Thebez*, & dum turris (quam oppugnabat, & ad quam confugerant viri omnes ac mulieres) oſtium exurere niteretur, à fœminâ, quæ illi fragmen molæ in caput dejecit, oppreſſus eſt, ſed ne à fœminâ trucidatus diceretur, armigerum ſuum rogavit, ut gladiò eum tranſfoderet; quod & ille perfecit. Judic. *c.* 9.

ABINA, ultimus *Gemaricorum* auctor *Halichot Olam*, celebre inter Hebræos nomen, mortuus & annò obſignationis Thalmud, nempe 4260. juxta *R. Dav. Ganz*. Vide quoque infrà *Sebiræi*.

ABINA, Suſianæ urbs, apud *Ptol.*

ABINADAB, Levita pietate illuſtris, Joſeph. *l.* 6. *Ant. Jud. c.* 2. tectò ſuò arcam excepit, cùm Cariathiarimo adduceretur, cujus cura filio ejus Eleazaro commiſſa, 1 Sam. *c.* 7. *v.* 1.

ABINADAB, fil. Iſai patris David. 1 Sam. *c.* 16. *v.* 8. fil. Saul, 1 Chron. *c* 8. *v.* 32. & præfectus Salomonis, 1 Reg. *c.* 4. *v.* 11. & 14. Latinè *pater voventis*, vel *voti*, ſive *pater principis*, vel *pater ſpontaneus*.

ABINDONIA, ſeu ABENDONA, ABINGTON, oppid. Angliæ, in Comitatu Berchenſi, ad Confluentes Occhæ & Tameſis. Aliis *Abone*.

ABINNA, nomen urbis. *Suidas*. *Abinna*, vide *Abenna*.

ABINOAM, Pater Baraci, ducis exercitus Judæorum, Judic. *c.* 4. *v.* 6. Latinè *pater pulchritudinis*, vel *jucunditatis*, aut *pater motionis eorum*.

ABIOLICA, ſex mille paſſus ab Eborodano verſùs Veſontionem diſtat; nomen hoc, ſpatium ac ſitus, conveniunt vico hodiè vulgò *le Bullet* dicto. Cluver. In monte Jura, ſub *Bernenſium* juriſdictione, in præfecturâ Ebrodunenſi. Obſervant tamen alii, vicum hunc non antiquum eſſe adeo, ut *Antoninus* ejus meminiſſe potuerit, imò quidam *Sanctæ Crucis* nomen tuliſſe. Ex veterib. enim actis oſten-

ſcendere locum *Balet* fuiſſe, tempore Sabaudiæ Comitum, extirpatam a tribubus quibuſdam, unde hodieque incolarum lingua accentum retinet Sabaudicum, Plantinus *de antiq. Helvetiæ locis.*

ABIOSUS Johannes, vide *Johannes.*

ABIRA, Phœniciæ urbs. *Lib. Notitiarum.*

ABIRAM, Latinè *pater celſitudinis* vel *elevationis*, aut *pater fraudis* vel *projectionis*, primogenitus Hiel, inſtauratoris Jericho. 1 Reg. c. 16. v. 34. Item fil. Eliab. frater Dathan. Num. c. 26 v. 1. Socius ſeditionis Choræ adverſus Moſen & Aaronem motæ, unà cum cæteris hiatu terræ abſorptus.

ABIRIA, pars Indiæ intra Gangem, juxta *Patalenem.* Latinè *Iberia. Procopius.* Apud quem tamen *Sabiria*, Græcè Σαβειρία dicitur.

ABIS, fluv. in Danubium influens, qui & *Abſus* dicitur. *Ablancourt.*

ABISA, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

ABISAC, vel ABISHAG, Latinè *patris ignorantia*, vel *patris error*, ſive *pater apprehendens*, vel *attingens*, aut *pater multiplicans*, virgo adoleſcentula, quæ calefaciebat regem Davidem, ſenio, & frigore confectum 1 Reg. c. 1. v. 3.

ABISAI Latinè *patris munus*, vel *pater muneris*, fil. Sarviæ, ſororis Abigail, frater Joab. 1 Sam. c. 26. v. 6. Inter fortes Davidis 2 Sam. c. 23. v. 18.

ABISAMA, civitas Arabiæ Felicis, *Ptol.*

ABISARIS, Regio Indiæ ultra Hydaſpem amnem, *Arriano*, Ἀβισάρος. Apud Strabonem, *l.* 15. Ἀβισάρου χώρα. *Diodor. Sicul.* *Embiſarum*, Arrianus *Abiſarem*, Curt. *l.* 8. *c.* 12. *Abiſarem* vocat. Verum eſt, quòd Diodor. *l.* 17. *Embiſari*, & Arrianus *l.* 5. *Abiſſarei*, itemque Curt. *l.* 8 *c.* 12. *Abiſari* mentionem faciunt, & pro eodem habent. Regem verò ſic vocari non regionem. *Nic. Lloydius.*

ABISCA, provinc. Americæ meridional. in Peruvià regione prope fontes fluvii *Tapy*, cadentis in fluv. Amazonum. Diſtat 50. circiter leucis, ab urbe Cuſco in Ortum.

ABISONTES, populi inter Alpula. gentes. Plin. *l.* 3. *c.* 20. Aliis *Ambiſontes.*

ABISSENSIS, Plebs in Africa. *Collat.* Carthagin. *Abiſſenenſis*, ibidem eadem, ni fallor.

ABISSINI, vel ABASSINI, vel ABYSSINI, Æthiopiæ populi, vide *Abyſſini.*

ABISSUE, fil. Phinees, filii Eleazar, filii Aaronis. 1 Chron. c. 6. v. 4. fil. item Bela, filii Benjamin. 1 Chron. c. 8. v. 4.

ABISSUR, Latinè *pater muri*, aut *pater bovis*, ſive *pater cantantis*, vel *pater aſpicientis*, aut *pater rectitudinis*; fil. Onam, filii Jerahmeel. 1 Chron. c. 2. v. 29.

ABISTAMES, an *Abiſtamenes*, Cappadociæ ab Alexandro præpoſitus, petente Ciliciam, Curt. *l.* 3. *c.* 4.

ABITACUM, prædium Sidonii, *l.* 2. *ep.* juxta lacum Galliæ apud Claromontem urb. in Arvernis, qui nunc *Sarlieva* vulgò dicitur teſte *Maſſonio.*

ABITAL, Latinè *pater roris*, mater Saphatiæ, filii David. 2 Sam. c. 3. v. 4.

ABITELLO, infame veſtis genus Italis, quod Hiſpanis *Sanbenito* dicitur, pœnitentibus, ut geſtent, imponi ſolitum. Olim enim in Communione Romana pœnitentibus ac reconciliatis Eccleſiæ, variæ irrogentur pœnæ, peregrinatio, relegatio, detruſio in Monaſterium, mulctæ pecuniariæ &c. omnium uſitatiſſima eſt *geſtatio Crucium in veſtibus pœnitentialibus*, quibus induti omnium ludibriis ac contumeliis, licèt atrociſſimis, & à viliſſimis hominibus ſibi illatis, exponuntur. Cruces autem non ſemper eodem modò hujuſmodi veſtibus affixæ fuerunt. Primò enim duas cruces geſtare tenebantur, ita diſpoſitas, ut utraque harum ſuæ papillæ reſponderet, juxta *Concil. Tholoſan.* A. C. 1229. & Dominici *interr.* Poſtea, ut pœnitentes patentius omnium oculis exponerentur, ſive adverſi ſive averſi eſſent, decretum ut unam ante pectus, alteram retro inter ſpatulas geſtarent. Imò nonnunquam & tertia addita, in capucio, vel in velo, *ex Albiens. Conc. Biterr.* c. 26. Veſtis autem illa olim erat livida, ad modum ſcapularis Monachi, ſine capucio facta. & cruces illi impoſitæ crocei coloris erant erectæ, unum ſcil. brachium erectum, alterum tranſverſale, aliquando pro gravitate delicti erant duo brachia tranſverſalia. Nunc verò in Hiſpania palliamentum hoc eſt crocei coloris, & cruces illi impoſitæ obliquæ, *S. Andreæ cruces* vulgò dictæ, rubei: quod *Saccum benedictum* appellant, quia antiquitus, ut ait *Lud. à Paramo*, hujuſmodi ſacci, à pœnitentibus ſponte aſſumti, benedici ſolebant: quem morem, quia labente tempore exolevit, Inquiſitio, in hæreſis deteſtationem, renovavit. Imponuntur enim hæ cruces illis, qui *hæreſibus crediderunt*, ac nonnunquam illis quoque *qui eas dogmatizaverunt*, ita tamen ut continuò ab Epiſcopis ſeu Inquiſitoribus moniti, à ſuis erroribus reſiliant. Atque his quidem cruces aut ad tempus tantum aliquod imponuntur; aut ſi ad totam vitam, poſt annorum aliquot geſtationem in alio ſermone ſeu actione fidei, rurſus deponuntur; vel ob infirmam valetudinem, vel etiam ob inſignem pœnitentis humilitatem & veram converſionem. In illis verò difficilius diſpenſatur. Hanc veſtium porrò qui injuſſus abjecerit aut domi forisve occultaverit, ut impœnitens habetur puniturque. Imò veſtitus ille pœnitentium & ſaccus hæreticorum damnatorum, *Sanbenito* ſcil. ſeu *Abitello* & *Samarra*, ſuſpenditur in ea Eccleſia, in cujus parochia habitârunt, in memoriam ſempiternam, inſcriptis & renovatis in illis nominibus Hæreticorum, ſimulque delicti ac hæreſeos eorum. Quæ inſignia qui inde furari auſit, ut contemptor religionis ac Judæorum fuſtibus ſeu flagellis caſtigatur, aut ei mulcta imponitur, aut is in exilium ejicitur, Eymericus *Directòr. Inquiſitor. part.* 3. Simancas de *Catholicis Inſtitut. tit.* 47. Alii, nec non hic *paſſim*, imprimis ubi de *Crucium Geſtatione.*

ABITINENSES, Africæ populi, apud Auguſtin *contra Parmen.*

ABITURÆ, civitatis nomen. in Grammat. *Auguſtini.*

ABIU, Latinè *pater ipſe*, vel *pater eſt*, fil. Aaron cum fratre Nadabo, quod peregrinum ignem altari intuliſſent, cœleſti igne tactus. Exod. c. 6 v. 23.

ABIUD, Latinè *pater laudis*, vel *confeſſionis*, fil. Bela, filii Benjamin, 1 Chron. c. 8. v. 3. Alius ejuſdem nominis, diviſor terræ Canaan, Numer. c. 34. v. 27. Tertius, filius Zorobabelis. Matth. c. 1. v. 13.

ABJURANDI patriam ritus, indigitatur apud Ebrardum in *Græciſmo*:

> *Abjurat patriam, nunquam rediturus in illam:*

ubi *abjurare*, eſt terram, vel provinciam natalem ejurare, relinquere, in exilium abire. Sic apud Arnoldum Lubecenſem *l.* 2. *c.* 41. *Dux per triennium terram abjuravit*, &c. & in *lege* Friderici Imperat. apud *Conradum Urſpergenſem. ſemet Imperio per annum & diem abjuret*, &c. Apud *Anglos* imprimis, *Abjuratio* vocabatur juramentum, quod qui felonìam commiſiſſet, & ſervandæ vitæ in Templum aut Cœmeterium refugiſſet, jurare ſolebat, perpetuo exilio extra patriam ſe ex tempore, quò meritam criminis pœnam ſic evitaret, uti diſcimus ex Willelm. Stamfordio in *Placitis Coronæ l.* 2. *c.* 40. ubi addit, eam legem à *S. Eduardo* confeſſore primitus fuiſſe inſtitutam. Cùm igitur aliquis capitali crimine perpetrato ad Sanctuarium confugiebat, Aſyli gaudebat jure; ttum vero coronator ſeu Judex coronæ ad eum accedens, ab eo excipiebat delicti confeſſionem; quâ editâ ut infrà 40. dies regnô excederet imperabat. Sic reus a Sanctuario ſeu Templo, aſyli jure gaudente, excedebat, ſuâ camiſiâ & tunicâ indutus, cum cruce ex ligno confecta in manibus quam ſignum erat ſervatæ per religionem vitæ, ut ait *Polydorus Virgilius.* *Abjurationis* autem ſacramentum his verbis conceptum legitur, apud *Stamfordium* præfatum: *Hoc audis, Domine Coronator, quod ego ſum latro bidentium, vel alicujus alterius animalis, vel homicida unius, vel plurium, & felo Domini Regis Angliæ. Et quia multa mala & latrocinia, vel hujuſmodi in terra feci, abjuro terram Domini Regis Angliæ. Et quod debeo me feſtinare verſus portum de tali loco, quem mihi dediſti, & quod non debeo abire de altera via: & ſi faciam, volo quod ſim captus, ſicut latro & felo Domini Regis; & quod ad talem locum diligenter quæram tranſitum & quod non expectabo illic, niſi fluxum & refluxum, ſi tranſitum habere potero. & niſi tanto ſpatio tranſitum habere potero: ibo quolibet die in mare uſque ad genua tentans tranſire, & niſi hoc potero infra quadraginta dies continuos, mittam me iterum ad Eccleſiam, ſicut latro & felo Domini Regis: ſic me Deus adjuvet*, &c. Prolixius de hoc ritu ita habent *Jura* & *Conſuetudines* Normannorum *c.* 24. apud Car. du Freſne: *Diffugiens autem ad Eccleſiam, vel ad loca ſancta, per octo dies poteſt in Eccleſia morari, nonâ autem die ab eo eſt inquirendum, utrum exponere ſe voluerit juſtitiæ laicali vel ſe tenere Eccleſiæ. Quotieſcunque enim voluerat, ſe juſtitiario poterit reddere laicali, vel tenere Eccleſiæ. Si autem ſe tenere voluerit Eccleſiæ, patriam ſori jurabit in formam, præſentibus Militibus & aliis fide dignis, qui ſuper hoc, ſi opus fuerit, valeant recordari. Hoc autem audiant omnes aſſiſtentes, quod tu de cætero in Normanniam non intrabis, nec alicui malum vel detrimentum propter hanc perſonam per te vel per alium dictæ terræ facies, vel habitatoribus ejuſdem facere procurabis; Sic Deus & ſacroſancta te adjuvent! Hæc verba jurans de ſe debet exprimere. Et hoc facto ab eo audiatur, per quas partes Normanniæ exire elegerit; & eidem ſecundùm diſtantiæ quantitatem terminus competens aſſignetur exeundi: nec exeat ultra unius noctis ſpatium in ulla villa poterit immorari, niſi gravi & evidenti infirmitate teneatur, nec ad loca reverti jam tranſacta, ſed per viam ab eodem expreſſam debet metas exire Normanniæ. Poſtea verò de eo, ut de forbannito devitando, vel capiendo in omnibus aggravium eſt.* Adde *c.* 82. & plura de hâc re vide apud *Bractonum l.* 3. *tract.* 2. *c.* 16. *Stamfordium* & *Raſtallum in Expoſitione vocum obſcurar. in legib. Anglicis*, quos laudat præfatus *Gloſſarii* Auctor, ut & infra in voce *Pax Eccleſiæ.* Interim Clericum, ob feloniam profugum ad locum ſacrum, ibi manſiſſe incolumem, neque coactum fuiſſe, ut Regnum abjuraret, docet ex *Provinciali Eccl. Cantuarienſi l.* 3. *tit.* 29. Non abſimilem apud Danos *Abjurationis* olim viguiſſe ritum, docet Sueno in *LL. Caſtrenſibus c.* 14. ubi de reo læſæ Majeſtatis: *Hac itaque forma conveniendum decreverunt, ſi quem Rex de proditione vel crimine Majeſtatis*, &c. *donec ita velificans ventus impleverit, ut intuentium ſe aſpectibus ſubduxerit: aut ſi Favonio non favente, ventis undis impulerit, donec remotum aſpectu cunctorum oculis ſubtraxerit, in littore tenetur præſtolari. Ubi vero paulo longius provectum in pelago delitteſcere exiſtimaverint, claſſicô clangere ternis vicibus vociferantes, antiquæ confœderationis pacta ipſi reſignare debent. Sin autem in ſolo natali exiſterit, & prædicti ſceleris crimen incurrerit, univerſum militare collegium ad nemoris denſitatem eum comitari tenetur, inque nemoris fronte præſtolari, donec ſe adeo recedendo ſemoverit, opaca quælibet teſqua legens, ut eorum clamorem aut vociferationem exaudire non valuerit. Deinde univerſa commilitonum legio totis una verbis trina vociferatione validè proclamabit, ne alia ad eos via redire poſſit. Quò facto hâc lege tenentur aſtricti, ut, ſi quiſquam commilitonum, uno ſaltem comite aut telô ſuperior, illi poſtmodum occurrerit, eumque non invaſerit, ejuſdem ignominiæ & probroſa nuncupationis jacturam ſubire teneatur.* Vide quoque Saxonem Grammaticum *l.* 10. laudatum eidem. Eſt & *Abjuratio*, inter ſpecies purgationis olim uſitatæ, de qua vide infra in voce *Duellum.*

ABJURATIO, in Communione Romana ab Hæretico confeſſo & pœnitente, hoc modo exigitur. Publicè in Eccleſia præſente omni populo, coram *abjuraturo* ponitur liber Evangeliorum, tum ipſe, depoſitô capucio, & genibus flexis, ac manibus ad librum poſitis, legit, *abjurationem*, vel, ſi legere non poſſit, verba illi præit Notarius ſeu Clericus aliquis, altâ voce, ut ab omnibus audiatur. Atque hujuſmodi abjuratio præſcribitur omnibus ab hæreſi redeuntibus, aut quacunque ratione de hæreſi ſuſpectis, nemine, quantumcunque privilegiatô & in dignitate conſtitutô; imò nec pueris 14. & puellis 12. annor. exceptis, juxta decretum *Concilii Toloſani* A. C. 1229. *c.* 11. & Biterr. *c.* 31. Quæ ſi ſcribere ſciat reus, abjurationi à ſe factæ addere ſubſcriptionem tenetur: aliàs Inquiſitor & Notarius pro illo ſubſcribent. Quò factô ab excommunicatione ſolvitur, & certa quædam mandata ſibi ſervare jube-

tur,

tur, leviora, graviora, pro ratione delicti ſui: aliter enim agitur cum Hæretico abjuraturo, aliter cum ſuſpecto tantùm Hæreſeos. Formulæ *Abjurationis* olim in Inquiſitione Tholoſana uſitata, aliquoties occurrit *in libro Sententiarum* ejus, haud pridem in lucem primùm prolato à Phil. à Limborch, de quo vide infrà. In Hiſtoriâ Eccleſ. duæ nobis occurrunt inſignes Abjurationis formulæ ab Eccleſiâ Romana eximiis quibuſdam Doctoribus præſcriptæ, una eſt Berengarii; altera, & quidem prolixa ſatis Hieron. Pragenſis, d. 15. Sept. A. C. 1415. qui tamen mox animô reſumptô hanc ſuam abjurationem in Synodo Conſtantienſi magnâ conſtantiâ revocavit; ſuitque proin penult. die menſis Maji A.C. 1416. pronuntiatus, declaratus & damnatus Hæreticus, ac in hæreſim relapſus, excommunicatus, anathematizatus, atque talis brachio ſeculari traditus, rogoque impoſitus. De Berengario vide ſuô locô. Qui enim abjurare vel renuerit, vel abjurationem factam revocaverit, Curiæ ſeculari traditur, pœnâ Hæreticis in Eccleſia illa ſolitâ afficiendus. Inprimis verò *Abjuratio* exigitur à Doctoribus, quos *Dogmatiſtas* vocant, uti illuſtri exemplô Petri Uxamenſis Doctoris Salmanticen. docet Bzovius *ad* A. C. 1479. Plura apud præfatum à Limborch *Hiſtoriâ Inquiſit. l. 4. c. 31.* ubi *de pœnis ac pœnitentiis ſalutaribus, quæ abjurantibus imponi* ab Inquiſitoribus ſolent, *c. ſequ.*

ABLACTANDI ritus, convivio ſolenni die quô ab uberibus removebatur infans, inſignis, occurrit Geneſeos *c.* 21. *v.* 8. Vide infrà ubi de *Puerperio*: nec non in voce *Infans*.

ABLACUS, fluv. Danubium ingrediens, *Althaunerus*.

ABLAQUEARE, corruptô ſermone, ut in ſexcentis aliis factum eſt, pro *ablacuare*, h. e. lacus & foſſas circa arborum radices facere, ut non obſcurè indicant *Columella l. 4. c. 8.* & *Palladius l. 2. c. 1.* qui *lacuum* & *lacuſculorum* paſſim in ablaqueationibus meminerunt. Sic *laqueata tecta*, pro *lacuata*, lacubus ſimilr. quod genus eſt ὀρθογώνιον, diſtincta; & *laquearia* pro *lacuaria*. Unde & *lacunaa veſtis Iſidoro*, quæ lacus quadratos haberet, τοῖς πλινθίοις διειλημμένη. Et in Italia *Sublaqueum* oppid. cui vicini tres lacus, &c. Facit autem *Ablaqueatio*, ut refrigerentur arborum radices, Plin. *l. 17. c. 19.* Alicubi ablaqueant, *perflatuſque admittunt*. Eâ enim radices aſſlantur & nudantur: Quomodo omnes arbores quæ coluntur, ablaqueatione meliores fiunt, ut de myrrhæ arbore inprimis *Plin.* docet. Unde inter culturæ arborum genera communia, *Ablaqueatio* recenſita, Theophraſto *Hiſt. l. 2. c. 8.* Fit verò raſtrô ſeu *σκαφείῳ*, unde *Solinus* hæc duo diſtinguens, *c.* 33. ubi de myrrha, reprehenditur à Salmaſ. *ad Solinum. p.* 518.

ABLATA, oppid. Armeniæ primæ in limite, verſus Cappadociam.

ABLATILES, veterib. Menſæ, vide infrà *Menſæ rotundæ*.

ABLAUDUS, vide *Ablavius*.

ABLAVIUS, Ægyptius, præfectus Prætorianus, A. C. 330. Quô annô Conſtantinopolis (quæ & nova Roma) dedicata eſt. Anno ſequenti Conſul factus, à Conſtantino cæditur. Alii *Ablavius*

ABLAVIUS, an *Ablaudus*, Gothorum hiſtoriam compoſuit. Jornandes *de rebus Geticis l. c. 4.* & 14. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 3. p.* 690

ABLAVIUS Murena, Præfectus Prætorio, ſub Valeriano Imperat. cujus ad illum epiſtola extat, apud Trebellium Pollionem in *Claudio c.* 15.

ABLETES, populi non procul à Pergamo, qui parent Myſis. *Strabo.*

ABLIALA, Albaniæ urbs, *Ptol.*

ABLUERE, apud Virgilium, *Æn. l. 2. v.* 719.

> - - - - *donec me flumine vivo*
> *Abluero*:

vocabulum ſolenne, de quo infrà *Viva aqua*, ut & alibi paſſim, inprimis ubi de *Lavandi ritu*, *Luſtratione* &c.

ABNAQUII populi Americæ ſeptentrional. in nova Anglia in Mediterraneis. Jacobus Cartier. *in Itiner.*

ABNER, Latinè *patris lucerna*, vel *patris navale*, princeps militiæ Saul, fil. Ner, patruelis & Socer, ut quidam volunt, Saul. 1 Sam. *c.* 14. *v.* 49. Interficitur à Joab. 2 Sam. *c.* 3. *v.* 27. Davide inſciô, qui tum compoſuiſſe creditur Pſalmum 139.

ABNOBI, montes Germaniæ, pro locorum diverſitate, varia ſortiuntur nomina: in Franconia namque *Steygerwald* vocantur; eorum pars circa Mœnum fluv. *Ottenwald* appellatur; & inter Haſſiam, & Franconiam *Speſſart* dicuntur, Pirckheimerô autore, *Die Baar*, Willichiô, & Ticudô teſtibus Tacit. *ſub initio De morib. Germ. Danubius*; inquit, *molli, & clementer editô montis Abnobæ jugô effuſus.* Plin. *l. 4. c.* 12. de eodem amne, *ortus hic in Germania, jugo montis Abnobæ, ex adverſo Rauraci Galliæ oppidi, multis ultra Alpes millibus.* Αὐνοβα *Ptolemæo*, cujus interpretes Latinè reddiderunt *Aunobis montes*, & quidam *Aunobas*; alii etiam Aunobæ, quaſi pluralis numerus eſſet, τὰ Αὐνοβα ὄρη. Eos decepit locutio nova & peregrina, quô pluralis numerus jungitur ſingulari, ὄρη τὰ καλούμενα Αὐνοβα. In *Taciti* quibuſdam exemplaribus vocabulum *Abnobæ* corruptum legitur *Arnobæ*, & in aliquibus *Arbonæ*. A Marciano Capellâ *Ad Novam* dici adnotavit Rhenanus, ſed corruptè, pro quo viri eruditi reſtituerunt *Abnovam*, ex quo haud ineptè quidam conjecerunt, ipſis Germanis montis vocabulum fuiſſe, *die Abnowe*, à quo Latinis, Græciſque facta vocabula *Abnoba*, *Aunoba*, & *Abnova*. Rauraci montes ſunt *Ammiano. l. 22. c. 8.* *Cluverio* id unpetium jugum eſt, quod ab Rheni, Aroleque confluentibus Septentrionem verſus, ad oppid. uſque *Pfortzheim*, inter Rhenum, ac Danubii fontem, Nicrumque ſternitur. *Germ. Ant. l. 3. c.* 48. Plura hanc in rem vide apud Virum illuſtr. Jac. Ottonem *Commentar. ad Beat. Rhenanum Rerum Germanic. l. 3. p.* 418.

ABNOCTARE vide infrà *Nox*. Idem inter juſtas abdicationis cauſas apud *Athenienſes*, recenſetur Luciano, ποῦ ἀπενυκτέρευσας; *quoties foris cubas?* vide ſuprà ubi de *Abdicandi jure*. Imò a noctis abſentiâ uſum, in Romanorum matrimoniis, annuum, interrumpi conſueviſſe, habes infrà ubi de *Connubiis*.

ABOA, Urbs epiſcopalis Sueciæ, ſub Archiepiſcopo Upſalienſi, ad fluv. Aviaroki in Finnonia Meridionali; prope litus maris Baltici Provinciæ metropolis. In diœceſi 50. parochiæ. Revaliâ diſtat 25. leuc. Germ. Ab Alandia Inſul. 14. *Tres Poſt.*

ABOBRICA, Luſitaniæ oppid. inſigne, uti vocat Plin. *l. 4. c.* 20. propter ſitum nempe, quem ei Mela tribuit, *l. 3. c. 1.* ubi tamen vulgò *Adrobicum*, & lib. Mſſ. *Adrobricam* Vide Voſſ. *ad illum locum*. Oppidum etiam Hiſpan. Tarraconenſis, in ora, prope Bracaram, nunc *Villa de Conde* fortè

ABOCCIS, oppid. Æthiopiæ. Plin. *l. 6. c.* 29.

ABOCELLUS, apud Bleſenſem *Serm.* 43. *Non parcat pauperi excæcent te? & faciant ſenem abocellum* Et alibi, ad Judices, *Noli ſequi retributiones, ne faciant te ſenem abocellum*: *Semicæcum*, Macro: *cæcum* Car. du Freſne notat, unde Galli *Aveugle*, & Ital. *Avocolare*, formârunt. Cæterum de Excæcandi variis modis *infra* dicetur:

ABOCHARANA, urbs Felicis Arabiæ, ſita in monte edito ad 7. paſſuum millia anguſtô colle, ut vix duo ſimul valeant proficiſci. Ibi aſſervatur regius Theſaurus Sultani. Lud. Barth. *in reb. Arabiæ Fel. l. 2. c.* 8.

ABODIACUM, ſive ut *Ptolemæo* ſcribitur, *Abudiacum*, oppid. quod hodie vulgò *Tueſſen* dicitur. Vindeliciæ urbs.

ABODRITI, populi German. tempore Caroli M. ubi nunc Pomerania ſuperior, prope mare Balticum. Vide *Abotriti* & *Abotrchæ*.

ABOEDUS, quæ Græcè Ἄβοδος apud Auctorem *Itinerarii*; vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 452. Ut & in voce *Abydus*.

ABOEOCRITUS, dux Bœotiorum, cum mille aliis Bœotis cæſus apud urbem Chæroneam, in quodam prælio contra Ætolos. Plut. *in Arato*

ABOLANI, populi in Latio, Albenſibus proximi. Plin. *l. 3. c.* 5.

ABOLLA, Siciliæ oppid. *Stephano*, & *Suidæ*.

ABOLLA, pallium erat Philoſophicum, longum ac fuſum: unde Poëtæ *facinus majoris Abollæ*, facinus eſt à Philoſopho & quidem ſanctiorem vitam profeſſo patratum. Hinc etiam cum *Abolla* Cynicos induxit Martial. *l. 4. Epigr.* 52.

> *Cerea quem nuda tegit uxor Abolla grabati.*

Præterea veſtis etiam militaris fuit; ſed priore brevior ac pretioſior, purpurea, namque ſic de *Ptolemæo* Rege Tranquillus *in Calig. c.* 35. *ingreſſus ſpectacula converterit oculos hominum fulgore purpureæ Abollæ.* Pallium porrò erat, quo extra urbem Romani uſi. Inde Juvenal. *ſat. 4. v.* 76.

> ——— *raptâ properabat* Abollâ
> *Pegaſus*, &c.

Et Martial. *l. 8. Epigr.* 48.

> *Neſcit cui dederit Tyriam Criſpinus* Abollam,
> *Dum mutat cultus, induiturque togam.*

Papias *duplicem amictum* hoc veſtis genus fuiſſe dicit; quod accepit à Servio, qui ad illud Virgilii *Æn. l. 5. v.* 421.

> ——— *Duplicem ex humeris abjecit amictum*;

Duplicem amictum, inquit, *i. e. Abollam*, *quæ duplex eſt*, *ſicut chlamys.* Ubi malè *Servium Marcellus* reprehendit, *Abolla* enim ut dictum, Cynicorum fuit, quos *duplici pannô patientia velat*, apud *Horatium l. 1. ep. 17. v.* 25. vide Octav. Ferrarium *de re Veſtiar. l. 2. c.* 12. Humilium tandem, ſenem aliorumque indumentum, uti notaut Eruditi *ad illa* Nepotis *in Datame c.* 3. *Ipſe agreſti duplicique amiculô circumdatus* &c.

ABOLLAGIUM, in *Charta* veteri Tabularii Caſtri-Meliandi, *Abollagium nemorum de Nichier*, quod abollagium *eidem nobili pertinebat, ratione ſuæ Caſtellaniæ de Caſtro-meliandi*: dicitur *Inventio apum*, in Tabulario S. Benigni, apud Peræadum *p.* 95. *Inventionem etiam vaſorum apum, ubicumque illas contigiſſet, decrevit, atque in ſilvis & planis ſuis.* Gall. *Trouve de vaiſſeaux d' els*, in *Conſuetud. Hannonienſ. c.* 106 *art.* 13. *Eſpave d' avettes*, in Turon. *tit. 1. art.* 17. *Eſpave d' abeilles*, *art.* 54 &c. Juſque eſt, quod habet dominus feudi, in apum, quas Galli *abeilles* vocant, examinibus, quæ in ſilvis nemoribuſque vaſallorum repertuntur, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Aliàs quoque. *Abellarium.*

ABOMINARIUM, apud Joh. de Janua, *liber, ubi abominationes ſcribebantur.* Id.

ABOMINATIO Ægyptiorum, Exodi *c. 8. v.* 26. *Non convenit ita facere, quia abominationem Ægyptiorum ſacrificabimus Domino Deo noſtro* &c. Et *ſi ſacrificaverimus* abominationem Ægyptiorum *ante eorum oculos, nonne lapidarent nos?* Denotat *capras*, *boves* & *oves*, quibus in abominabilem idololatriam abutebantur Ægyptii: Gentium enim idola *abominationes* appellant Sacri Scriptores, vide Deuteron. *c. 7. v.* 25. & *c. 12 v.* 31. 2 Reg. *c. 23. v.* 13 Eſdr. *c. 9 v.* 1. Eſajæ *c. 44 v.* 19. &c. Vel *ſacrificium*, quod Ægyptiis erit *abominationi*, nequaquam perpeſſuris, ut ea immolemus animalia, quæ ipſi colunt: quô modô accipiunt Chaldæi Interpretes. Unde colligimus, brutorum cultum, jam antequàm Iſraëlitæ ex Ægypto exceſſiſſent, apud Ægyptios uſurpari cœpiſſe. Imò Geneſ. *c.* 43. *v.* 32. jam legimus, Ægyptios non potuiſſe panem comedere cum Hebræis, *quia id Hebræis erat abominatio*: quæ ultima verba ſic interpretatur Jonathan, *Quia beſtias quas Ægyptii colunt, Judæi comedunt* Nec multò aliter Onkelos & Arabs Pariſiis editus, *quia eorum cibus iis eſt abominabilis.* Quâ in parte non ſolùm Judaici, ſed & Græcanici, mores, cum Ægyptiacis erant ἀντίθετοι. Unde eſt, quòd apud Athen *l.* 7. Comicus *Alexandrides* Ægyptios ita deridet:

> Οὐκ ἂν δυναίμην συμμαχεῖν ὑμῖν ἐγώ.
> Οὔθ' οἱ τρόποι γὰρ ὁμονοοῦσ', οὔθ' οἱ νόμοι
> Ἡμῶν, ἀπ' ἀλλήλων δὲ διέχουσι πολύ.
> Βοῦν προσκυνεῖς, ἐγὼ δὲ θύω τοῖς θεοῖς·
> Τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῆ δαίμονα,
> Ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον πολύ.
> *Ego eſſe veſter non queam commilito.*

Quan-

Quando nec leges, nec mores, conſentiunt,
Sed multis inter ſe intervallis diſſident.
Bovem tu adoras, ego quem ſacrifico Diis.
Anguillam Numen eſſe tu putas optimum,
Quæ mihi putatur eſſe opſoniorum optimum.

Proinde nec licuiſſe Ægyptio Græcum hominem ſuaviari, ejuſve cultrô, veru aut ollâ uti, ſcribit Herodotus *l.* 2. *c.* 41. Quo eodem quoque multi referunt, quòd Ægyptus averſabantur paſtores, Geneſ. *c.* 46. *v.* 34. qui nimirum pecora non ſolùm paſcere & ſaginare, ſed & mactare ſolent. Unde in hunc locum *Junius Ægyptios* pecudum paſtores ideo abominari aſſerit, *quia illas pro Diis habent*, &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. part.* 1. *l.* 2. *c.* 34. *& c.* 53.

ABONA, ABONIS, vel ABON, oppid. & fluv. Albionis. Oppidum *Avington*, teſte *Camdeno*, & fluv. *Avon* nominatur. A Venta Silurum 9. mill. paſſ. ex *Itiner.* Antonin. diſtans. Sed aliis eſt *Portbury*, pagus ad oſtia *Abonæ*, è regione Briſtolii urbis. Porro *Avon* flumen Britannicè ſignificat, *Camdeno* teſte.

ABONITEICHOS, i. e. *Abonis mœnia*, Galatiæ oppid. Ptolemæo, & Arriano *in Periplo*. *Petrus Bellonius & Gyllius Boli* hodie dici ſcribunt; *Arcano Thevetis* dicitur; in orâ maris Euxini inter Teuthraniam ad occidens, & Sinopen ad ortum. Lucianus in *Pſeudomante* refert, quendam Alexandrum impoſtorem petiiſſe à principe Romano, ut commutatô vocabulô, *Ionopolis* vocaretur. *Stephano* eſt πόλις μικρὰ juxta Euxinum Pontum, cujus populi dicuntur *Abonotichenses*. Ἀβώνου τεῖχος etiam Ptolemæo, *Aſiæ Tab.* 1. *c.* 6.

ABONNATI, Dominorum feudalium ſubditi dicuntur, apud recentioris ævi Scriptores, quorum præſtationes ex condicto, pacto vel privilegio ad certam ac definitam pecuniæ, aut alterius rei ſolutionem ſunt limitatæ, ita ut tailliis ac cæteris ſervitiis non ſint obnoxii; quemadmodum ſunt homines de corpore, vel ſervi, quibus pro libitu onera domini imponunt. Vox conficta ex *bonna*, *terminus*, limes: nam, ut agri certis limitibus definiuntur, ita ejuſmodi *abonnatorum* præſtationes ſuis finibus, limitibus, ac conditionibus conſtant, quas domini ſervare tenentur. Inde verbum *abonnare*, in Charta A. C. 1298. *Ipſum Huguenem & Benevenutam de Tiſejo ejus uxorem* abonnamus *& liberos eſſe volumus, — ab omni tallia, corveia*, &c. *pro* 4. *libris ceræ dicto Priori — in feſto S. Remigii annis ſingulis perſolvendis*, &c. Indidem *Abonnagium*, ibid. à quo diverſum eſt *Abonagium*, de quo vide infrà in voce *Bonna*.

ABOR, vel HABOR, circa Medium regio. 2 Reg. *c.* 17. *v.* 6. ad Gozan fluv. Villæ quoque nomen eſſe in Mediâ, ſcribit *Hierm.*

ABORACA, urbs in Sarmatiâ Aſiaticâ, vicina mari Euxino. *Strabo.*

ABORAS, Græcè Ἀβόρρας, flumen Meſopotamiæ, apud Strabonem *l.* 16. Ptolemæo Χαβώρας: ſicut Χοσρόης & Ὀσρόης, idem nomen *Choſroëne* & *Oſroëne* eadem provincia. Salmaſ. *ad Solin. p.* 409. Vide in voce *Aborras*.

ABORIENSE, oppid. Africæ propriæ. Plin *l.* 4. *c.* 5.

ABORIGINES, Italiæ populi qui in Siculorum agros ſucceſſerunt, Nomen eorum unde originem ceperit, oſtendere voluit *Feſtus Pompeius* his verbis: *Aborigines appellati ſunt, quòd errantes convenerint in agrum, qui nunc eſt populi Romani; fuit enim gens antiquiſſima Italiæ.* Eandem, ſimulque duas alias adfert hujus vocabuli originationes Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. *c.* 10. *Aborigines*, inquit, *auctores, conditoreſque Romani generis, Italiæ indigenas; alii ſin corporis gentem adferunt, idemque iis impoſitum eſſe*, διὰ τὸ γενέσθαι τοῖς μεθ' αὑτοὺς ἀρχάς, i. e. *quòd poſteris ſuis originis ab ſe fuerint auctores. Alii malunt, errones quoſdam incertis vagantes ſedibus, & è multis regionibus convenas, forte fortuna iis in locis junxiſſe inter ſe copias*, &c. *Hi torquent vocabulum ad conditionem hominum ſivorum*, Ἀβοριγῖνας λέγοντες, οἷον ἀλήτας τινὰς πλανήτας. i. e. *quaſi ab erroribus vocantes Aberrigines.* Primam etymologiam Virg. innuere videtur *Æn. l.* 7. *v.* 177. in his:

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua ex cedro, Italuſque paterque Sabinus
Saturnuſque ſenex, Janique bifrontis imago
Veſtibulo adſtabant, aliique ab origine Reges.

Ubi *Servius*, *Ab origine reges* pro *Aboriginum reges*, ſed eſt metrô prohibitus. Tertiam originationem tradit idem Dionyſius aliquantò poſt, his verbis; καλοῦσι δ' αὐτοὺς Ἀβοριγῖνας ἀπὸ τοῦ ἐν τοῖς ὄρεσιν οἰκίζειν. Quam etiam Virg. firmare videtur *Æn. l.* 8. *v.* 321. ubi de Saturno,

Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit. ——

Græcè Αὐτόχθονας dicas. Vide Suidam in *Aborigines*, & Pertinentes ad locum. *Nic. Lloydius.*

ABORRAS, Straboni, *l.* 16. *Chaboras* autem *Ptolemæo*, Meſopotamiæ fluv. Anthemuſiam urbem præterfluens, non procul ab Euphrate. *Abora* eſt apud *Zoſimum*, & *Marcellinum*. Βόῤῥας, *Borrhas* eſt Æliano *l.* 12. *de Animal. c.* 30. *Xaborecheram*, vocat, (neſcio quô auctore) *Pomp. Lætus*. *Gnilap* nominari in tabulis Geographicis videtur. *Hermus* autem poſſit nominari ex Onuphrio, *in vita Jul. Pont.*

ABORTUM promovere, per legem JCtorum *Medicorumque* vetitum. Erant enim, qui fœtum, antequam in lucem legitimè ederetur, adhuc in utero materno vix conceptum *abortivis* (quæ ἀμβλωθρίδια φάρμακα, & ſimpliciter ἀμβλωθρίδια Græci, Latini quoque *Abortionis pocula*, dixêre, vide Lindenbrogium aliosque ad *Amm. Marcellinum l.* 16. *c.* 10. *Suidam*, *Harpocrationem*, *Heſychium*, voce Ἀμβλωθρίδιον) expellere tentabant, infamiæ vitandæ: quod tamen omnes boni deteſtatione & communi odiô proſequebantur. A. Gellius *l.* 12. *c.* 1. *Quod cum ſit publicâ deteſtatione communique odiô dignum, in ipſis hominem primordiis, dum fingitur, dum animatur, inter ipſas artificis naturæ manus interfectum iri.* Hinc non minùs mulieres, quæ id conabantur, homicidii tenebantur reæ, quàm ſi editum necâſſent. Auguſtin, *Serm. de temp.* 111. *Mulier quæcunque fecerit, per quod jam non poſſit concipere, quotieſcunque parere poterat, tantorum homicidiorum ſe ream eſſe cognoſcat.* Ut meritò indignentur omnes boni, damnent que Minois inſtitutum, diminuendæ multitudini *abortum* jubentis, môremque incolarum Formoſæ Inſul. in quâ turpe habitum olim, ſi fœminæ, ante 35. vel 36. ætatis annum, prolem edidiſſet, ante quod tempus proin *abortum* procurare, patria conſuetudo fuit. Puniebatur autem apud Romanos olim hoc crimen, modò exiliô, modo capite, *l.* 2. *D. de Extraord. crim. l.* 8. *ff. ad L. Corn. de ſicar. & l.* 38 § 5. *l.* 39 *D. de Pœnis*: ſi nempè fœtus eſſet εἰκονισμένος, *formatus* in humanam ſpeciem & vitalis. Sed &, cùm ſemen quoque recens conceptum artibus quibuſdam nefariis abigere ſolerent fœminæ impudicæ, crimen illud non minus homicidii poſtulat Tertullianus *Apolog. c.* 9. *Etiam*, inquiens, *conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem deliberatur, diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt, prohibere naſci, nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet; Homo eſt, & qui futurus eſt, & fructus omnis jam in ſemine eſt.* Vide quoque Auguſtin. *Qu.* 86. *in Exod.* & Theodoret. *Qu.* 48. Cujacium inſuper *Obſervat. l.* 19. *c.* 9. & qui ſcriptis ſuis illuſtrârunt *Minucium Fel. G. Elmenhorſt & Jac. Ouzelium*, ad ea: p. 290 *Sunt quæ in ipſis viſceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant & parricidium faciant, antequam pariant.*

ABORZUS, Vide *Borzus*.

ABOS, mons Armeniæ majoris *Ptolemæo*, Latini *Abus* dicunt. E quo Euphrates ortus, contra Occidentem fluens, ubi Armeniam minorem attigit, è regione urbis Sinaræ aliquot millibus ſupra Zimaram, repentè ad Meridiem detorquet alvei ſui recturam: Eſt autem *Abos*, ut & Niphates, pars & fragmentum montis Tauri, quæ rectô ferè jugô eum perpetuant ab Occidente, ubi Taurum penetrat Euphrates, ad Orientem, ubi naſcitur, ut habet *Strabo*, ubi de fontibus Euphratis. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 621. *& ſeqq.*

ABOTIS, civitas Ægypti *Stephano & Suidæ*.

ABOTRITI, qui vulgò *Predenecenti*, populi conterminí Bulgaris, Daciam, Danubio adjacentem incolunt. Sic monachus Anonymus *in Francorum Annal.* *Arboritchas* hos interpretis vitio vocari apud Procopium, contendit *Hadr. Junius*.

ABOGA, Urbs Hiberniæ, in Mediâ provinc. ad Bovindam fluv. 20. mill. paſſ. diſtat à Droghedâ in occaſum, & 27. à Dublinio, in Circium, Kilmoriam verſus.

ABRA, Græc. Ἅβρα, ancilla, ſeu famula honoratior, Gall. *Fille de Chambre*, cujuſmodi ditiores ad honeſta ſervitia ſeu miniſteria domi ſuæ alunt. *Gloſſ. Græc MSS. Reg.* Ἅβρα ἡ οἰκότριψ & ἀμφὶ χεῖρας θεράπαινα, *Abra domeſtica & circa manum famula. Chronic. Caſaurienſe*, *l.* 3. *Dum puella cum lenone dulcibus alloquiis frueretur, Abra involvebat circa calcaria longam camiſiam, quâ erat induta. Vita S. Gudilæ virgin. c.* 2. *Præeunte ejus Abrâ, cum laterna pravi hominis.* In libro imprimis *Juditha* crebrò occurrit; Unde apud Aldhelmum, ubi de Juditha: *Cum horrendum Aſſyriorum Principem, qui innumeris manipulorum millibus, equitatu & peditatu gloriantibus, urbem trementem terruit, ab ira comitante circumvenire moliretur*: pro *ab ira*, unâ voce *Abra* legi jubet Gronovius *Obſervat. in Eccleſ. c.* 8. Donizzo de *Vita Mathild. l.* 1. *c.* 2.

Reginam claram, famam ſimul ejus & Abram
Alta Canoſſa tenet.

Vide quoque infrà in *Dula*. Sed & pro *concubina* vocem ſumi, legitur apud Heſych. Ἅβρα, δούλη, παλλακή. Ἅβραι, νέαι δοῦλαι, *Abra*, *ancilla*, *pellex*. Abræ, *juvenculæ ancillæ*. Unde *Vetus Pœnitentiale MS. Qui uxores habent, contineant ſe ab eis* 40. *dies ante Paſcha & Natale Domini & omni Dominicâ*, apud Car. du Freſne *Gloſſar*. Nempe facilior in talibus, utpote ſemper ad miniſteria domeſtica præſentibus, dominorum lapſus; veteri præſertim ævô, quô illa in ancillis commiſſa Leges non vindicabant. Cùm libidinem in miniſtras caupona, potantibus miniſtrantes, commiſſam, nec ipſe Conſtantinus M. licèt jam Chriſtianus, vindicandam cenſuerit, *l.* 29. *Cod. de Adult.* Quemadmodum & alienæ ancillæ illudere, utut non omnino impunitum, extra tamen legis Juliæ periculum erat, *l.* 6. *princ. D. eod.* Vide Briſſon. *ad L. Jul. de Adult. p.* 203--207. &c. Pfannerum *Theol. Gentil. c.* 11. § 24.

ABRAAM, Epiſcopus quidam, qui totô ſui epiſcopatus tempore, nec pane, nec aquâ, nec lecto, nec igne uſus eſt, neque leguminum ullum genus; neque cocta olera guſtavit? lactucis, cichoreis, apiis, aliiſque crudis perpetuò contentus? hoſpitalitate tamen frugali erga omnes uſus, lautis epulis, ac portionibus vini; alios ſumere ſemper exhortans, ipſe interim nihil prorſus guſtans. Vide *Abraham*.

ABRACADABRA, de quo nomine interpretando *Wendelinus & Scaliger*, forſan etiam *Salmaſius*, & *Kircherus* fruſtra laborârunt. An Deum hôc nomine appellari juvat? Aut hôc chartæ inſcriptio vim ſuam exerere oportet? Tamen valet ad curandum morbum Hemitritæum, ſi credas *Sereno Sammonico p.* 231: audi Baronium (ad A. C. 120. *num.* 13. Habes de his egregium exemplum, apud *Q. Serenum Sammonicum*, antiquum medicum & Baſilidis (Hæretici) ut apparet, ſectatorum, qui præcepta medica carmine ſcripſit Heroicô, & ad curandum morbum Hemitritæum his characteribus conficiendum curavit amuletum, ad collum ægrotantis appendendum, continens ABRACA, junctis aliis elementis, quidpiam portentoſum ipſo ſonitu reboantibus. Verſus poëtæ hi ſunt ſubſequentes:

Inſcribes chartæ quod dicitur ABRACADABRA
Sæpius, & ſubter repetes, ſed detrahe ſummam.
Et magis atque magis deſint elementa figuris,
Singula quæ ſemper rapies, & cætera figes,
Donec in anguſtum redigatur littera conum.
His lino nexis collum redimire memento.
Talia languenti conducent vincula collo,
Lethaleſque abigent (miranda potentia) morbos.

Figura talis eſto.

ABRACADABRA
ABRACADABR
ABRACADAB
ABRACADA
ABRACAD
ABRACA
ABRAC
ABRA
ABR
AB
A

Fuit autem ille *Abraca* ſeu *Abracax Baſilidis* ſummum Numen, à quo reliqui dimanarent, aliis *Abraxas*. Vide *infra*.

Abracax, Baſilidi Heretico, qui ſub Hadriano Imperat. vixit, ſummus fuit Deorum, à quo Dii omnes reliqui ortum ſuum arceſſerent, quique Angelos ſeptem cœlorum ſeptem præſides, ac præterea eorum trecentas ſexaginta quinque virtutes contineret, juxta anni dies; idque ob ſeptem literas, numeralemque eorum valorem, quæ ſimul collectæ numerum CCCLXV. conficiunt. Complures vidiſſe ſe *Car du Freſne* refert gemmas, nominis hujus *Abracax* inſcriptione notatas, quas *Baſilidiani* amuleti vice, contra morbos maloſque Dæmones, inſervuiſſe ait, atque inter eas præclaram imprimis illam, in Muſæo Canonicorum Regularium Sanctæ *Genovefæ* Pariſ. in quâ hæc verba: ΑΒΡΑϹΑΞ. ΑΔΩΝΑΙ, ΔΑΙΜΟΝΩΝ. ΔΕΞΙΑΙ. ΔΥΝΑΜΕΙϹ. ΦΥΛΑΞΑΤΕ. ΟΥΛΠΙΑΝ. ΠΑΥΛΙΝΑΝ. ΑΠΟ ΠΑΝΤΟϹ. ΚΑΚΟΥ. ΔΑΙΜΟΝΟϹ. Hoc eſt, ABRACAX. ADONAI. DÆMONUM. DEXTRÆ. VIRTUTES. SERVATE. ULPIAM. PAULINAM. AB. OMNI. MALO. DÆMONE. Idem hanc in rem Auctores citat Baronium *ad A.C.* 120. *num.* 10. Gaſſendum de *Vita* Peireſcii, *p.* 16. *Chiffletium*, &c.

ABRACES, dux copiarum Artaxerxis. Xenophon. *l.* 1. *Cyropæd.*

ABRACHUS, eximius Aſtrologus & celebris in omni ſupputatione Hebræorum, memoratur R. Davidi Ganz. *Chronolog. Hiſtoria ſub Templo ſecundo*, A.M. 534. *Millenarii* iv.

ABRACUNIUM, oppid. Armeniæ majoris ad *fluv.* *Alingeacum*, ubi multi Catholici degunt ſub clientelâ Perſarum. 3. Milliar. ab Abaranô diſtat.

ABRADATAS, Rex Suſorum fuit, & maritus Pantheæ nobiliſſimæ matronæ, quam cùm, à Cyro captam, caſtè & liberaliter haberi præter ſpem intellexiſſet, ad eum accedens quæſivit, quid ſibi illa faciendum cenſeret; quò pro tanti principis beneficio gratum aliquam referret: cui cùm illa reſpondiſſet, ut eniteretur ſe tanto Regi quàm ſimillimum præſtare, ſtatim in aciem profectus, ſtrenuè pugnans occubuit: cujus corpus ad ſe delatum cùm Panthea aſpexiſſet, acinace ſeipſam confodit, capite ſuper viri pectus recumbens, ut è jugulo profluens ſanguis, mariti vulneribus infunderetur. Xenoph. *in Cyropæd.*

ABRAGANA, Serica urbs, apud *Ptol.*

ABRAHAM, Latin. *pater multitudinis*, Patriarcha, filius Tharæ; *Abram*. *h. e.* pater excelſus, prius dictus. Natus eſt poſt diluvium annis ducentis nonaginta duobus; ante Moſen quadringentis viginti quinque: mortuus eſt ætatis annô centeſimô ſeptuageſimô quintô, eumque Iſaacus & Iſmaël filii, ſepeliverunt in duplici cavernâ agri, quem ab Ephrone Hettæo vivus redemerat. Gen. *c.* 25. *v.* 9. *pater fidelium* vulgò dicitur *& amicus Dei*. 2. Chron. *c.* 20. *v.* 7. Eſaiæ *c.* 41. *v.* 8. & Jacobi *c.* 2. *v.* 23. Syracid. *c.* 44. *v.* 19. Ἀβραὰμ, μέγας πατὴρ πλήθους ἐθνῶν, καὶ οὐχ εὑρέθη ὅμοιος ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, &c. Vide plura de Abrahamo apud *Philonem*, *Joſephum*, & *Suidam*. Fuit autem nomen *Abrahæ*, ut Euſeb. *l.* 9. *Præp. Evang.* teſtatur, etiam apud Ethnicos celebratum. Nam & Hecatæus librum de Abrahamo nominatim ſcripſit; (quod ipſum ſignatur à Joſepho *l.* 1. *Jud. Ant.* *c.* 7. ubi ſic ſcribit, Ἐκεῖνος βιβλίον αὐτοῦ [Abrahami ſcil.] συνταξάμενος κατέλιπε. Et *Alexander Polyhiſtor*, Abrahamum natum ait decimâ poſt inundationem generatione, in Camarine Babyloniæ urbe, quam alii *Urien* vocant, quod Græcè Χαλδαιόπολιν ſonat, (quod me non intelligere profiteor) inventorem apud illos Aſtrologiæ, juſtitiâ & pietate tantâ: ut Numini gratiſſimus, juſſus ſit ab eo in Phœniciam migrare: quam genitem rationem ſiderum, aliaſque magnas, & præſtantes artes docuit. Ita faciliimè Regi eorum conciliatus eſt. Nic. Damaſcenus *l. Hiſtoriar.* 4. Damaſci Abrahamum regnâſſe ſcribit profectum ex Chaldæâ cum exercitu. Hinc in Chananæam veniſſe, quæ & poſtea Judæa dicta eſt, magnamque ſui ac diuturnam apud Damaſcenos reliquiſſe memoriam, villamque ibi oſtendi, quam Abrahami domum nuncupent. Cumque Chananæa fame premeretur, in Ægyptum abiiſſe; congreſſumque cum Ægyptiis ſacerdotibus, multum eis profuiſſe, & ad rerum cognitionem, & ad pietatem, rationemque morum & vitæ. Nempe *Nicolaus*, *Herodis Mag. amicus*, *ut origines patrias Illuſtriſſimi Patriarchæ tranſitu nobilitaret*, *patrem familiâs adventum*, *ad morem priſci ævi*, *regiô nomine decoravit*, *Marſham*. Can. *Chron. Sec.* 5. Alexander Heliopolin veniſſe eum perhibet, nec profeſſum ſe Aſtrologiæ inventorem, ſed à majoribus ſuis, jam inde ab Enocho, traditam ſibi per manus. Divinæ Philoſophiæ, Mathematicorum, & Cœmiteriorum inventor quoque dicitur. Polyd. Virgil. *De Invent. Rerum* *l.* 5. *c.* 6. In Saturno cultum fuiſſe, diſcimus ex Euſebio *Præp. Evangel.* *l.* 1. *Saturnus igitur*, *quem Phœnices Iſraëlem nominant*, *quemque poſt obitum in aſtrum ejuſdem nominis conſecrârunt*, *Cum ut in locis regnaret*, *ac filium unigenitum ex Nymphâ quadam indigena*, *nomine Anobret haberet*, *quem propterea Jeoud dixêre*, *vocabulô hodieque unigenitum notante linguâ Phœnicum*, *cumque in graviſſimum belli periculum regio incidiſſet*; *illum ipſum regiô ornatum habitu in arâ ad hoc extructâ immolavit*. Ubi tria hæc videmus; Iſraëlem eſſe Phœniciæ Regem vetuſtiſſimum, eundum ac Saturnum: fuiſſe Iſraëli filium μονογενῆ unigenitum, unde *Jeoud* dictus ſit Phœnicibus: illum eſſe à parentibus immolatum. Quæ non aliunde originem duxêre, quàm quod Iſraëlem nepotem Porphyrius (ex enim *loc. cit.* loquitur) confuderit cum avo Abrahamo, cui mandatum, ut ſacrificaret Deo filium μονογενῆ. Sic enim eſt Geneſ. *c.* 22. *v.* 2. *Accipe filium tuum*, *unicum tuum*. Ubi *unicum* Hebraicè dicit יחיד, *Jechid*: quod valdè convenit cum Phœnicio *Jehoud*. Nempe hæ linguæ ſolâ differebant dialectô; & ſanè in *Orphaicis* etiam, ſive *Onomacriteis*, Abrahamus vocatur μονογενὴς. Ubi *Abrahamus* & *Iſaacus* confunduntur, uti ſuperiùs *Abrahamus* & *Jacobus*. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. ac Progr. Idolol.* *l.* 1. *c.* 18. Eidem non minùs, ac Orpheo & Chriſto ſacra feciſſe Alexandrum Severum legimus, apud Æl. Lampridium. *c.* 29. *Si facultas eſſet*, *i. e.* *Si non cum uxore cubuiſſet*, *matutinis horis in Larario ſuo* (*in quo & divos Principes*, *ſed optimos electos & animas ſanctiores*, *in quîs & Appollonium*, *&* *quantum Scriptor ſuorum temporum dicit*, *Chriſtum*, Abraham, *& Orpheum*, *& hujuſcemodi Deos habebat ac Majorum effigies*) *rem divinam faciebat*. Quanti apud Mahometanos hodieque ſit, Perſas imprimis, vide apud Schich Sadi Poëtam Perſicum *in Perſ. Roſarum Valle*, & P. de Valle *Itinerario*, *Tom* 2. *&* 3. Nec omittendum, quod ad iter ejus in Ægyptum ſuprà indigitatum, *hunc primum extraneorum fuiſſe*, *qui in Ægyptum penetrârit*: *nec longam ejus in Ægypto fuiſſe moram*: *nec proin infra Ægyptum tranſiiſſe*: *adeoque eis Ηλιούπολιν non malè ab Eupolemo apud Euſebium eum collocari*; *ſed nec numerorum ſiderumque ſcientiam ab illo Sacerdotes Ægyptios didiciſſe*, obſervare præfatum Marſhamum *ibid.* ubi de *Abramo in Ægyptum*.

ABRAHAM, Rex Æthiopiæ, pro Deo cultus ab Æthiopibus, ob revelationes, quas habuit, inter quas, & hæc recenſetur quòd monitus ſit à Deo, ut ſi vellet ſuis hæredibus firmum & tranquillum relinquere imperium, filios omnes, uno natu majore exceptô, monti includat, quaſi cuſtodiâ aſſervatos, nec quenquam inde elabi patiatur, niſi quem in ſucceſſorem eligeret; quam conſuetudinem etiam poſteri & ſucceſſores obſervârunt, imprimis apud Abyſſinos. Alvarez. *Hiſt. Æthiop.* *c.* 58.

ABRAHAM, vel IBRAHIM, Baſſa, Ottomanni poſtremi noſtrâ memoriâ Turcarum Imperatoris filius, cum repudiatâ matre, in Perſiam ad Sultanum concedens, bellum adverſus patrem geſſit, quô per patris inſidias ſedatô, dum ſe revocato filio Imperii totius habenas traditurum affirmat, dumque patris præceptô filius ad ejus genua devolutus veniam petit, à duobus Janizaris, fortiſſimô arcus nervô ad collum devolutô, miſerè ſuffocatus eſt. *Hiſt. Turcica.*

ABRAHAM, Eremita Ægyptius, grandem (jam defeſſis ætate parentibus) hæreditatem mox habiturus, non exſpectavit; ſed ut nudus diſcedens, in ſolitudine ſibi cellam conſtituit: deinde illis vitâ defunctis, cùm ad capiendum tantarum opum patrimonium vocaretur, tanti illud fecit, ut pedem locô non efferret: porro per procuratorem ita egit, ne quid ſibi reliquum foret, ſed rebus divenditis, pecunia omnis pauperibus, viduiſque & pupillis divideretur: illi nihil omnino ſuppellectilis erat præter catinum, veſtemque cilicinam, & ruſticum ſagum. Marullus. *l.* 1. *c.* 6. Sabellicus *l.* 8. *c.* 5.

R ABRAHAM, auctor libri *Juchaſin*. Item auctor libri *Zeror hammor*. Et *Abraham* de Balmis, auctor *Mikne Abraham*, floruêre A. M. 5269 juxta R. *Ganz*.

ABRAHAM fil. David ſcripſit *Animadverſiones* in Jad Maimonidæ, *in Gemaram*, it. librum *Bahale nephes*, magnum ſyntagma de Judiciis, A. M. 4958. Juxta *eund.*

ABRAHAM Pragenſis, eximius Judæorum Doctor, ſcripſit explicationem in Raſi, & *Hagiha in Thur Orech Chajim*, ſicut *Hagahot Jepheloth*, defunctus A. C. 303. Millenarii vi. juxta *R. Ganz*.

ABRAHAM Zacuth, Rabbinus celebris, auctor libri *Juchaſin*; de quo vide R. Dav. Ganz *d. l.* ad A. 262. *Millenarii* vi. Fuit & R. *Abraham* fil. Chija, eximius Aſtrologus qui obiit A. M. 4865. Juxta eund. Item fil. Dior, qui ſcripſit *librum Kabala* ſuæ, A. M. 4921. It fil. David, auctor libri *Chaſchub*, it. de Aſtrologia & *libri Cabala Rabd*, A. M. 4940.

ABRAHAMUS. Marocci Rex, pugnâ victus à ſeditioſo quodam Elmahelo, & urbe excluſus, cùm nullam ſalutis, & regni recuperandi ſpem ſupereſſe videret, uxorem chariſſimam à tergo vehens, equum ex altiſſimâ rupe præcipitem egit. Leo Africanus *l.* 2. *c.* 45.

ABRAHAMUS, Avarorum Princeps. Aventin. *l.* 4.

ABRAHAMUS Ortelius, vide *Ortelius*.

ABRAHAMUS Bucholcerus; vide *Bucholcerus*.

ABRAHAMUS, vide *Aben-Ezra*.

ABRAHAMUS, Rabbi Author *faſciculi myrrhæ*, ſeculô 13. *Abrah.* Levita 12. *Abraham* Pariſonius 14. *Abraham* Baſamon. 16. Ut & alius Levita, author libri *Abodath Levi*. *Abrahamus* Cai ſ auctor Algebræ, inter 12. ſubtiliſſima ingenia recenſitus à Cardano *de Subtil.* *l.* 16.

ABRAHETH, Rex Abaſſenorum, in Arabiâ Felici intimâ, eô ipſo annô, quô natus eſt Mahometes, magnô elephante vectus, cum multis copiis veniſſe, ut Mecchanum templum exſcinderet, ſed ab avibus *Ababil*, conjectis in ejus milites lapidibus in inferorum igne excoctis & inſcriptis repulſus legitur, in Alcorano *Azoarâ* 125. *cui tit.* *Elephas*. Vide ſupra.

ABRANITIS, vide *Auranitis*.

ABRANTUS, oppid. Portugalliæ, ad Tagum fluv. 8. leucis, ſupra Sabaliſcum, in Ortum.

de ABRASO libello, in quo, præter mulieris nomen, omnia adſperationis vocabula inſcripta erant, bibendi mos & lex ſuſpectæ mulieri, apud *Hebræos* in judicio, injuncta, vide infrà voce *Zelotypia*.

ABRAVANEL, Rabbinus celebris, unus inter exules Hiſpaniæ, ſcripſit Commentarium in 24. libros Sacros *Mareeve Miſnah*, *Mahene Jeſchuha*, *Maſmiach Jeſchuha*, *Jeſchuha Maſchia*, *Heiberet Zekanim*, *Roſch amana*, *Zebach Pheſach*, *Nachalot Avoth*, *Schamaim Chadaſim*, *Maphalot Elohim*, *Szedek Holamim*, *Lekahat Nebiim*, uti recenſet *Auctor Schalſchelet Kabala*. Floruit circa

A. C.

A. C. 169. Millenarii vi. juxta calculum R. Ganz ſuprà laudati. Vide & *Abarbanel*: Rabbinos vero illi coævos, eorumque ſcripta, apud eundem *d. l.*

ABRAVANNUS, in *Ptolemæo* promontorii nomen eſt in Britanniæ Noventibus; voce conflatâ ex duabus, ut rectè docet *Camdenus*, nempè *Aber* & *Rauan*; itaque *Abravannus* eſt oſtium amnis *Rauan*, vel *Raan*, qui ibi loci exit in mare: *Aber* enim, unde Gallis *Havre* vernacula vox, eſt oſtium fluminis. Neque hoc ſolùm, ſed & amnium confluentes apud Britannos eâdem voce appellantur. Id nos docet Cambrenſis ſcriptor, qui floruit ante annos propè quingentos, Sylveſter Gyraldus. Illius verba ſic ſe habent, *Itinerarii Cambriæ l. 2. c. 1. Aber linguâ Britannicâ dicitur locus omnis, ubi fluvius in fluvium cadit: & in deſcriptione Cambriæ l. 5. Aber Britannicè dicitur locus omnis, ubi aqua in aquam cadit.*

ABRAXAS, unus ex Diis, qui ab Hæreticis inducti ſunt barbaris & inconditis nominibus, quem Baſilides pro numine ſummo coluit, nomine prorſus fictitiò; ſed quod literis contineret numerum dierum, quos annus habet abſolutus. Unde & B. Hieronymi ſuſpicio erat, Ἀβραξὰς eſſe non alium quam Perſarum Mithram, hoc eſt, Solem, qui annuò curſu hoc ſpatium conficit. De Baſilidis autem hoc numine, ſive eò Dæmoniorum principem, ſive ſolem, ſive utramque ſignificârit, vide Irenæum *l. 1. c. 23.* Tertull. *De Præſcript. c. 46.* Epiphan. *Hæreſ. 24.* Hieron *adverſus Lucifer. & l. 1. in Amos.* Item *Auguſtin. Theodoret. & Damaſcen.* in iis quæ de hæreticis tradiderunt. Forraſſe ab Ægyptiis & Græcis id hauſtum, qui nomen Nili fluminis, in ſuis characteribus, ſymbolicè eundem numerum anni dierum comprehendere affirmabant. Hôc pactô,

α.	1.
β.	2.
ρ.	100.
α.	1.
ξ.	60.
α.	1.
ς.	200.
	365.

N.	50.
E.	5.
I.	10.
Λ.	30.
O.	70.
Σ.	200.
Summa	365.

vide *Hierolexicon* Dominici Macri, ſuprà *Abracax*, & infrà *Azazel*.

ABRECH, Hebr. אברך, nomen ut *Onkelos ait*, ex אב *ab*, i. e. *Pater*, & רך *rech*, h. e. *Rex* compoſitum; Pharaonis juſſu, antè Joſephum Ægypti Proregem acclamari ſolebat. Rabbi Juda conflatum arbitratur ex אב *pater*, & רך *tener*; ut *Pater* dicatur, ratione ſenilis prudentiæ; *tener*, propter juvenilem ac teneram ætatem; Nam. 30. duntaxat annorum erat quum ad præfecturam Ægypti fuit evectus. Et quamvis, quia ברך *barach*, interdum ſignificat *geniculare ſeu genu flectere*, eo *Aquila* & vulgatus Interpres, transferat, *genuflecte*, idque favente etiam Aben-Ezrâ: tamen B. Hieron. *Quæſt. Hebr. in Geneſ.* hanc de *Patre tenero* expoſitionem diſertim præfert iſti; de *adgeniculatione*. Nec ulla appellatio Joſepho accommodatior, quàm *Ab* ſeu *Patris*: quippe qui Nutritius fuit totius Ægypti; quales per tralationem *Patres* dicti: ut nutrix Plauto *altera mater*. Hinc ipſe Joſephus *Geneſ. c. 45. v. 8.* ait fratribus ſuis, ſe conſtitutum eſſe לאב לפרעה *in Patrem Pharaonis*. Et ab hâc origine, ſequentibus temporibus ortum eſt *Apis* nomen, quô Joſephus in ſacris nuncupatus eſt ab Ægyptiis: is enim ſolùm vocis productio eſt, *Ap* verò, ex Hebr. *Ab*, ortum. *Patrem* deſignat. Vide Gerh. Joh. Voſſium *de orig. & progr. Idolol. l. 1. c. 20.*

ABRELIA, Ἀβρελία, Regionis cujuſdam nomen *Phavorino*.

ABRENTIUS, ab Annibale cuſtodiendis Tarenti muris præfectus, qui cùm in amorem formoſæ puellæ, cujus frater in Român. exercitu erat, incidiſſet, hujus ſuaſu urbem Q. Fabio Max. prodidit. Polyæn. *l.* 8.

ABRENUNTIARE *Diabolo & pompis ejus*, ſolennis eſt formula, in Baptiſmo uſitata jam ab antiquo. Cùm enim quis baptizandus ad Eccleſiam venit, priuſquam immergeretur, interrogatus Miniſtro: Utrum abrenuntiaret Diabolo & pompis ejus, reſpondere tenebatur, *Abrenuntio*. Ἀποτάσσομαί σοι Σατανᾶ, καὶ τῇ πομπῇ σου, καὶ τῇ λατρείᾳ σου. *Abrenuntio tibi, Satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo*, apud Johann. Chryſoſtom. *ad Antioch. Homil. 21.* Vide quoque Cyprian. *Ep. 7.* Tertullian. *de coronâ Milit.* Alios. Car. du Freſne *Gloſſ.* & infrà, ubi *de Exſufflatione*.

ABRETA, ſic olim dicta eſt Myſia *Plin. l. 5. c. 30.*

ABRETIA, Nympha, à quo Myſia dicta eſt *Abrettane*, quod mox ſequitur.

ABRETTANE, & ABRETTINE, vel ABRETTENE, χώρα ἡ λεγ. ὁρίζω Μυσία, ἀπὸ Ἀβρεττηνοὶ νύμφης *Phavorino*. Inde *Abrettanus* Jupiter, Myſius Deus, ab Abretâ, quæ eſt Myſia, ſic vocatus: cujus ſacerdos fuit Cleon, latro priùs inſignis, deinde Antonii, poſtea Auguſti militiæ præfectus. *Nic. Lloydius.*

ABRI, gens Talantiorum ad Adriam, vicina Chelidoniis. Steph. *ex Hecatæo.*

ABRIA, provinc. Scotiæ Borealis. *Loquabria* quibuſdam. Verſus Occidentem, ubi aliàs Epidii populi. Ibi & lacus cognominis.

ABRICIUM, vide *Abritum*.

ABRIETA, vide *Abieta*.

ABRINATÆ, populi Pontici *Stephano Byzantino*.

ABRINCA, amnis nomen, qui vulgari nunc vocabulô *Aare* & *Are* dicitur, mediô fermè ſitu inter Antennacum, & Bonnam apud Sinziacum oppidum Rheno miſcetur. Longitud. 18. 50 latitud. 49. 35. Alias *Obrincus* vel *Obrinca*, ὁ Ὀβρίγκας, *Ptolemæo*, quod vide.

ABRINCATUI, Galliæ Lugdunenſis populi Plinio *l. 4. c. 18* & Ἀβριγκάτουοι quoque *Ptolemæo*. *Abrinca* urbs Armoricæ eſt in *l. Notit. Imperii in inferiori* Normanniâ, propè mare & montem S. Michaëlis, in confiniis Brittanniæ ducat. Moter, *Avranches* hodie Scaligero, & Vineto in *Auſonium*. Hic Concilium habitum A. C. 1172. quò in mortem Thomæ Cantuarienſis inquiſitum. *Annal. Angl.* Sedes habent hi populi ad Seunam & Sevam flumina, & in *Notit. Imp.* *Abrincateni* paſſim inter legiones Pſeudo-comitatenſes 18. appellantur; urbs autem eorum *Abrincatæ*: *Præfectus militum Dalmatarum Abrincatis*, in tractu Armoricano: ſic apud Gregorium Turonenſ. *l. 9. c. 20.* Orderico *Abrinca* dicitur *l. 5.* Tertium tenet locum in provinc. Lugdunenſi 2. juxta veter. *Notit. Gall.* ſituſque ejus ſic deſcribitur à Bretone *Philippidos l. 8.*

> —— —— *Obſedit* Abrincas,
> *Colle ſitas inter Sevam Seunamque ſuperbè,*
> *Piſciferos amnes, multô ſalmone feraces.*

Hodieque montana urbs eſt marique proxima: caput pagi *Abrincatini*, vulgò *l'Avranchin*, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Nec omittendum, quatuor fluvios apud Abrincatuos, in colle Brimbalio, *la butte de Brimbal* oriri, ſuò quemque alveô in diverſa decurrentes, Sevam, de quo ſuprà, Viriam, Egranniam & Nigram aquam, de quibus vide *ſuis locis*.

ABRITUM, Mœſiæ alicubi locus, ubi Decius imperator occubuit. *Pomp. Lætus.* *Abrictum* Thraciæ locum vocat *Chronicon Alexandrin.*

ABROCOMAS, vel ABROCOMES (utrôque enim modô legitur, Ἀβροκόμας *Suida*, Ἀβροκόμης *Herodoto*) Darii fil. fuit, ex Protagune, fratris Artarnis filia, atque unus ex præcipuis Perſarum Satrapis, qui unà cum Xerxe in expeditionem profectus, à Lacedæmoniis cæſus eſt ad Thermopylas.

ABRODIÆTUS, cognomen Parrhaſii, pictoris nobiliſſimi: Latinè *delicate vivens*, & *elegans*. Ælian. *l. 9. Hiſt. Var. c. 11.* refert eum purpureâ veſte uſum fuiſſe, caput aureâ coronâ redimire ſolitum, ſcipionem geſtare aureis clavículis circundatum, calceorumque anſas ligulis aureis obſtringere, ut non immeritò ſe ἀβροδίαιτον cognominaret. Vide *Parrhaſius*.

ABRODITI vide *Arborichi*.

ABROLEVA, locus circa Thraciam videtur, *Miſcel. Hiſt. 23.*

ABRON, Athenienſis, de ſacrificiis, & feſtis veterum Græcorum ſcripſit. *Steph.* [illegible] Scripſit & Περὶ Παρωνύμων: cujus operis idem meminit in *Argos*, *Athenæ*, & alibi ſæpius. Alius fuit *Abron* Phryx aut Rhodius Grammaticus, Tryphonis diſcipulus, qui Romæ Rhetoricam docuit; ſervis parentibus procreatus, ut ex Hermippo tradit *Suidas*. Alius quoque *Abro* Lycurgi fil. de quo Plut. *in X. Orat.* Alius item *Abro* Dexippi hoſpes, apud eundem, *in Eroticis*.

ABRON, Argivus quidam vitæ perditiſſimæ, ſolutiſſimæ, luxurioſiſſimæ; unde Proverb. *Abronis vita*, apud Eraſmum ex Zenodoto. Eſt & *Abro* quidam, de quo Plin. *l. 35. c. 10.* *Miratur*, inquit, *Abronem Samius*, inter opera Apellis numeratur.

ABRONICUS, nobilis Athenienſis fuit, Lyſiclis fil. cujus fideli, ſtrenuâque operâ uſus eſt Themiſtocles in bello Perſico, & in legatione apud Lacedæmonios. Herod *l. 8.* Thucyd. *l. 1.*

ABRONIUS *Silo*, Poëta Latinus tempore Auguſti, diſcipulus Porcii Latronis, qui obiit Olymp. 194. Scripſit fabulas aliquot verſibus. *Senec.*

ABRONOMUS, vide *Abrocomas*.

ABROTA, Gente Bœota, Niſi ex quatuor Ægei Athenienſium Regis filiis ultima uxor, fœmina prudens & pudica, quanti à marito fuerit habita, hinc liquet, quod, ut ei mortuæ æternam memoriam conſtitueret, juſſit τὴν ἐσθῆτα φορεῖν, *veſtitum geri*, qualem ea geſſiſſet: Stola autem ab ea ἀβρότεμα dicta eſt. *Et videtur Deus mulieris gloriam adjuviſſe, nam Megarides fœminæ* (Niſo autem Megaris in diviſione regni ſortitò obtigerat) *veſtem mutare ſæpius volentes, Oraculo prohibitæ ſunt* Plut. *Quæſtion. Græc.*

ABROTINE, Urbs Myſiæ. Vide *Abrettini*.

ABROTONUM, nomen proprium meretricis. Lucian. *in Dialog.*

ABROTONUM, Themiſtoclis Mater Plut. *in Them.* *Æliano Abrotonus* vocatur. Locus eſt *Var. Hiſt. l. 12. c. 43.* Ἐκαλεῖτο ὄνομα αὐτῇ Ἀβρότονον.

ABROTONUM, Africæ urbs ad mare mediterraneum, *Straboni* & Plinio *l. 5. c. 4.* circa Syrtim. *Stephanus* ex Ephoro ait, eandem eſſe cum Neapoli. At in *Strabone* Neapolis eſt Leptis; rurſus in Mela *l. 1. c. 7.* & *Plinio*, Neapolis, Abrotonum, & Leptis, ſunt 3. urbes diverſæ. Abrotonum herba eſt notiſſima, quæ Arabicè vocatur קיסום *Caiſum*; an ex eâ nomen traxerit Abrotonum urbs, quærant peritiores. Ego (inquit Bochart. *Phaleg c. 24.*) *Abrotonum* pro *Abaritano* oppido dici ſuſpicor, quod ex *Abara* factum ſit, ut ex *Membreſâ*, *Membreſitanum*, ex *Maxula*, *Maxulitanum*, &c. nempè *Abara* עברא i. e. trajectus, aut vadum, dici potuit, propter vada ad vicinum lacum. Strab. *l. 17.* ἐν᾽ ἄλλο λίμνη πολὺ ἐλάττων, καὶ μετὰ ταύτην Ἀβρότονον πόλις. Sic in provinciâ conſulari alia fuit *Abara*, Carthagini propior, a qua, in Africæ notitia, denominatur *Felix Abaritanus*, qui cum aliis Epiſcopis in exilium miſſus eſt anno ſextô Regis Hunerici. Indidem *Abaritana arundo*, de quâ Plin. *l. 16. c. 36.* *Aucupatoria arundo à Panhormo laudatiſſima, piſcatoria Abaritana, ex Africa.* Unde colligas etiam illam Abaram aquas habuiſſe vicinas. Sed & voce compoſitâ עבר עדר *Aberrder*, vel *Abarediera*, i. e. *trajectus gregis* dicta eſt Byzacenæ urbs; unde in Notitia, *Præfectianum Abaradirenſis*; & propè Jordanem ביתעברא *Bethabara*, i. e. *domus trajectus* dicebatur locus, in quo Johannes baptizabat. Johan. *c. 1. v. 28.*

ABRUCHANIA, oppid. Tranſylvaniæ. Vide *Autariarum*.

ABRUPALIS, populi Romani ſocius, à Perſeo Macedonum Rege expulſus. Liv. *l. 2. Dec. 5.*

per ABRUPTA enitendi artificium, vide infrà *Unca manu* et voce *Tichobates*.

ABRUPTIO corrigiæ, inter calceandum, mali apud Roma

non olim omiũ ſuit locô, adeò ut ſuſcepta negotia vel relinquerent penitus, vel in aliud tempus differrent: id diſertè teſtatur Cicer. *de Divin. l. 2. c. 40. Quæ ſi ſuſcipiamus, pedis offenſio nobis & abruptio corrigiæ, & ſternutamenta erunt obſervanda.* Portendere nempè omen hoc Veteres credebant, rem ſuſceptam haud feliciter progreſſuram, aut ſiniſtrô aliquô caſu interturbatum iri: quemadmodum iis, quibus in itinere corrigiam calceamenti contingit abrumpi, non parvo id impedimento eſt itineri retardando. Unde qui ſacram paginam *Gloſſâ*, quæ dicitur *Ordinaria*, illuſtravit, locum illum Eſajæ *c. 5 v. 17. Non rumpetur corrigia calceamenti ejus*; appoſitè ſic interpretatur; *Non impedietur in itinere Dominus*: ut eum ſignificet, re nullà retardandum, quin brevi ſit in hoſtes iracundiæ ſuæ tela, vindice dextrâ, contorturus. Et hæc ratio eſt, cur veteres Tabellarii atque Curſores excalceati ſua legantur munia obiiſſe, apud *Strabonem*. quod idem Claſſiarios injunxit Veſpaſianus apud Sueton. *c. 8.* Vide Balduinum *de Calceo, c. 21.*

ABRUS, Sapæorum in Thraciâ urbs Pauſaniæ *in Achaicis*, niſi mendoſus ſit locus; de quo vide Fulvium Urſinum ad *Fragm. Appiani.*

ABRUSI, vide *Praguti.*

ABSAGI, populi ad Caucaſi radices, memorati Anaſtaſio *in Hypomneſi.* per Sirmondum in 8. edit. *p. 245. Ad Orientem Pontici maris apud ipſum pedem Chaucaſiorum montium, juxta* Abſagorum & *gentem Alanorum, quaſi ſignis quinque à prædio Zichacorum, i. e. prima domo Gregorii veri amici Chriſti, Patritii & Magiſtratus ejuſdem Alanorum.* Ab his *Abſari* flumen per Armeniam poſtea tranſire, auctor eſt Plin *l. 6. c. 4. & 9.*

ABSALOM, Latinè *pater pacis, conſummationis*, vel *retributionis*, ſive *patris pax. conſummatio*, vel *retributio*; fil. Davidis ex Maacha, filia Talmai regis Geſhur, Iſraëlitarum ſui temporis formoſiſſimus: fratres ſuos, filios regios, ad convivium invitat, fratremque Amnonem, propter ſtupratam ſororem ſuam incautum inter vina obtruncat; hinc majora auſus, patrem & regnô, & vitâ ſpoliare conatur: prælio autem cum paternis ducibus commiſſô terga dare compellitur, ramiſque quercûs cæſarie involutus, & capite adhærens, tribus haſtilibus à Joabo percutitur. Corpus ejus in foveam projectum, lapidibus ſuperinjectis tegitur; carenſque liberis nullam ſui reliquit memoriam, præter columnam à ſuo nomine dictam, quam ſibi vivens in agro ſpleeerexerat. 2. Sam c. 18. Fuit etiam *Abſalom* pater Mattathiæ & Jonathan. 1 Macch. c. 11. *v. 69.*

ABSALOM, Epiſcop. Roſchildienſis, in propaganda fide Chriſtiana, Woldemari, Danorum Regis, adjutor, Saxo Gramm. *l. 14.*

ABSANDER, decimus nonus Athenienſium Rex, regnavit annis decem. *Nic. Lloydius.* Aliis Acaſtus Rex XIX. Ἀρχόντων τῶν διὰ βίου II. Vide ibi.

ABSARUS, amnis Iberiæ, ſeu Armeniæ minoris in Pontum defluens, qui cum Paryedris montibus Armeniam claudit. *Ptolemæo Apſorrus*, aliis *Apſarum* & *Apſarus*. Caſtelli quoque nomen eſt. Plin. *l. 6. c. 4.*

ABSCONSA, apud Lanfrancum in *Decret. c. 4. Tunc accenſâ candela*, in abſconſâ, *unus eorum in dormitorio debet circumire lectos omnium.* Liber *Ordinis* S. Victoris MS. *c. 36.* aliique ejuſdem vocis meminerunt, quâ notatur cæca laterna, quâ Monachi ut plurimùm utuntur in obeundis dormitoriis. Per aphæreſin *Conſa*, & *Sconſa*, non ſemel in *Conſuetud.* Floriacenſis Cœnobii, *vitâ* S. Goſvini *l. 3. Monaſticoque* Anglico *Tom. 3. p. 171. 332.* apud Car. du Freſne *Gloſſ.* Vide quoque infrà in *Baccha.*

ABSCONSÆ Stellæ, apud Firmicum, *Stellæ quinque matutinæ ſunt, aut veſpertinæ occidentales ſeu* abſconſæ, *quæ à Græcis* ἀφανεῖς & ὀψινοί *dicuntur aut* ἀκρόνυχοι: veſpertinæ occidentales ſunt, quæ veſperi occidunt; eaſdem *Synodica* appellare quòd tunc ſint in ſynodo cum Sole, & *abſconſa*, quæ radiis Solis occultantur. At diverſæ ab his acronychæ, quæ tunc oriuntur, cùm Sol occidit. Salmaſ. *ad Solin. p. 721.*

ABSELIUS Gulielmus, vide *Gulielmus.*

ABSENS, vide infrà *Abſentat.*

ABSENTATUM Vinum, apud Æl. Lamprid. in *Heliogabalo, c. 21. Condito piſcinas & ſolia temperavit & roſato atque abſentato*; (ita enim habet optimus codex, cùm vulgò legatur *abſinthiato*) *vulgus ad bibendum invitavit*, &c. pro *abſinthiato*: Sic enim tùm ſcripſiſſe Latinos argumento ſunt Græci recentiores, qui vocem hanc Latinam uſurpantes nunquam aliter ferè ſcribunt quam ἀψέντατον. Latini igitur, ut hinc apparet, *abſentatum* vel *abſinthiatum* proferebant, non *abſintinatum*. Sed & *abſentium* iidem dixêre pro *abſinthium*, uti in libro vetuſtiſſimo MS. Apuleji *de Herbis*, legit Salmaſius: qui proin apud eundem Lampridium paulo antè, ubi verba hæc: *pro naſturtiis & apiaſtris & ſaccelaribus*, adjutus à Codice Palatino, qui habet *pro naſcentis*, reponendum judicat, *pro abſentio & apiaſtro & ſaccelaribus*. Apulejus certè *l. de Remediis ſalutar.* quem in vetuſtiſſimis membranis ſcriptum idem habuit Salmaſ. ſic omnibus locis exaratum præferebat: *In remedio iſſi abſentii ſuccus decoctis & inſperſus vel ſedis* Et paulo pòſt: *Differentias in his, ſicut in pomis, acres ſunt ut origani, naſturtii, ſinapis: amari verò*, abſenthii, *centaurii.* Et ita alibi paſſim. *Abſentium* vel *Abſenthium* Latini protulerunt; non ab eo, quòd Græci ἀψίνθιον, ſed ex eo, quod iidem ἄψινθον quoque dicerent. Hinc ergo *Abſentatum* & *Abſenthatum*, Græciſque recentioribus Ἀψινθάτον, ut Alexandro Tralliano *l. 8. Οἶνος τοίνυν θερμαίνων τοῖς ἐπιτηδείοις ἢ στομαχικοῖς ἢ ἀψινθάτοις ἢ ἀνισάτοις τυγχάνων*, &c. Vide etiam infrà: uti *de Abſinthii marini ramo*, in ſacris Iſiacis prælato, infra voce *Iſis*. de *Abſinthii* verò potu, præmio victorum in quadrigarum certamine, ubi de *Latinis feriis*: & de *Abſinthio* in arculis veſtium recluſo ſolim, ad tinearum morſus arcendos, voce *Tineas* deque ejuſdem uſu in judicio mulieris ſuſpectæ, apud Hebræos, ubi de *Zelotypia.*

ABSENTEM *ſe facere*, formula vetus, quæ ſæpius occurrit in *Charta* Mathildis Comitiſſæ, quam deſcripſit Baron. ad A. C. 1102. alibique pro *deveſtire* ſe de re aliqua, exuere poſſeſſione, & eam in alium transferre. Sic *Abſens* pro *abſtento* ſeu excommunicato, in *Capitulis* Caroli Mag. *l. 7. c. 215.* ubi de Devota peccante & pœnitente: *Priuſquam in Eccleſia admittatur ad orationem, ad nullius convivium Chriſtiana mulieris accedat. Quod ſi admiſſa fuerit, etiam hæc, quæ eam receperit, habebitur abſens.* I. e. abſtinebit pariter ab ingreſſu Eccleſiæ ſeu habebitur pro excommunicatâ: apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà *Abſtentus.*

ABSENTUM. Vide ſuprà *Abſentatum.*

ABSEPHUS, fluv. Aſiæ apud Lampſacum, oppid. perfluens, ex quo Priapus fuit obſcœnitate virilium cognitus. Plinio, *Aſepus l. 5. c. 32.*

ABSEUS, gigas, Terræ & Tartari fil. Hyginus in *præfat. Fabb.*

ABSIDA, vel APSIDA, Græc. Ἀψὶς, fornicis curvatura. Gloſſar. Græc. & Lat. ἀψὶς, *forfex, arcus, fornix*. Per *p* ſcribitur, apud Hieron. *l. 2 in Ep. ad Epheſ. In ſummo cæli fornice, & ut ipſo verbo utar, abſide*, &c. quod Græco magis conveniens eſt. Uti autem cameram, & trullum, ſic *apſidem*, legimus olim muſivô pictam; cùm contrà ſolo pavimentum ubique videamus aſſignatum: Quam differentiam *Codinus* religiosè obſervat; cùm enim eódem opere (teſſellatione enim & muſivum & pavimentum contexebatur) ſola, cameræ & parietes decorarentur; πάτωμα vocat, quod in ſolo ponitur; ὀρθομαρμάρωμα quod in parietibus; in cameris verò & pendentibus μουσίωμα. Unde Anaſtaſius *in Hadriano, Fecit autem & in Patriarchio Lateranenſi triclinium majus ſuper omnia triclinia, nomine ſuæ magnitudinis decorata, ponens in eo fundamenta firmiſſima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis ſtravit & diverſis columnis cum baſibus & liliis ſimul poſtibus, decoravit cameram cum* apſida *de muſivo.* Et apud Eund. *ibid.* videbis *apſidam de muſivo ornatam & apſidas duas dextrâ lævâque ſuper marmore & picturâ ſplendentes & in pavimento marmoreis exemplis ſtratis.* Ubi marmorea exempla pavimento, muſivum *abſidibus* diſertè aſſignat, Salmaſ. *ad Spartian. in Peſcennio Nigro, c. 6.* In ſpecie, in Eccleſiâ Romanâ *Abſida* dicitur, pars ædis ſacræ interior, in qua Altare collocari ſolet; ſic appellata, quòd ſit quodammodo ſeparata à Templo & proprio fornice tecta ac convoluta. Greg. Turonenſ. *de Vitis Patrum c. 7. Ante Altare, Baſilica fundamenta jacit, erectâque* abſidâ *mirô opere conſtruxit & tranſvolvit.* Petr. Damian. *l. 3. Ep. 8. Teneo ſcil. clauſtrum poſt* abſidam *Eccleſiæ tuo duntaxat habitaculo dedicatum*, &c. i. e. retrochorum, ſeu potiùs, presbyterium. Hugo Flaviniacenſ. in *Chron. p. 111 Reliquias Hieroſolymitanas in principali* abſida *locis congruis venerabiliter collocavit.* Vide quoque Zixilanem in *Vita* S. Ildefonſi Epiſcopi Toletani. *Analecta* Joh. Mabillonii *Tom 1. p. 108.* & quæ in hanc ſententiam pluribus collegit Car. du Freſne *Gloſſar.* Dominico Macro, lateralis eſt Eccleſiæ pars poſt Altare hæmiſphærica, ex Paulino *Ep. 12.* ad Sever. & Greg. Turonenſ. in *Vita* Gregorii, & quoque *Concha, Parapſis, Tribuna*, &c. vocatur. Aliquando pro ipſa ſede Epiſcopali accipitur, quæ in ejus medio collocari ſolet: quò ſenſu vocem capi vult, apud Auguſtin. *ad Album. Dicebam ego, quibus poteram, qui in abſidem honoratiores & graviores aſcenderant.* Hincque *Abſis gradata*, Pontificalis ſedes, utpote eminentior ob multitudinem graduum, apud Eund. *Ep. 203. ad Maxim. Tranſit honor hujus ſeculi, tranſit ambitio: In futuro Chriſti judicio nec* abſidæ *gradatæ, nec cathedra velata*, &c. quem thronum velari conſueviſſe, ſcribit Pacianus *Ep. 11. ad Symphor.* &c. Vide Macrum in *Hierolex.* & infrà quoque in *Abſis Cathedra ac Exedra*: ut & in *Concha, Diatreta, Tribuna, Trichorus, Trullus*, &c. Etiam feretrum vox hæc notat, in quo reliquiæ conduntur: fortè proptereà, quòd in *abſidem* ſeu cameram deſuper convolvatur. *Geſta* Conſulum Andegavenſium *c. 3. num. 26.* Abſida *ſiquidem, quam deferebant, erat ſiquidem ex auro & argento, quod dicitur electrum, ſpiſſitudine duorum digitorum, alborenque operis B. Perpetuum inſculptor deſignârat, ſuffragio literarum*, &c. Agit autem ibi de Relatione corporis S. Martini, &c. Hinc *abſidatus*, h. e. cameratus, concameratus, in abſidis ſeu arcûs formam tectus. *Gloſſar.* Lat. Græc. *Arcuatus*, τοξωτὸς, καμαρωτὸς, ἀψιδωτὸς: Sic *Porticus abſidata*, apud Victorem *Deſcript. Romæ reg. 4.* & Senatorem *l. 4. Ep. 51.* Car. du Freſne *Gloſſar.* De *abſidibus*, quæ lances erant rotundæ eſcariæ quandoque & tabulæ, vide *l. cum aurum 19. §. 6.* & ibi Gothofredum *ff. de aur. & arg. legato.*

ABSILÆ, vide *Apſilæ.*

ABSIMARUS, Tiberius, 67. Romanorum Imperator, A. C. 1697. Leontium, qui imperium invaſerat, naribus Juſtiniano juniore truncatô, ſimili pœnâ affecit. Per Exarchum Theophylactum, cùm Italiam turbaret, Juſtinianus, ope Bulgarorum, reſtitutus eſt, ipſe autem, cum ſociis, capite plexus. Regnavit annis ſeptem Æmil. *l. 2. Theophanes, Cedrenus, Zonaras, Baron.* A. C. 696. 701. 705.

ABSINTHIATUM Vinum, apud Æl. Lamprid. in *Heliogabalo, c. 21. Condito piſcinas & ſolia temperavit & roſato atque abſinthiato*: Nempe prodigium hoc luxuriæ, quoties aquam piſcinæ aut balnei non juberet infici unguentis aut crocô, ut antè dixerat *Lamprid.* temperari præcipiebat vinô variè conditô, ut ſunt roſatum, *abſinthiatum*, quæ ſubjiciuntur, & quod propriè *conditum* dixêre. Quô factô *vulgus ad bibendum invitavit*, ut ſequitur: Erat enim moris, ut cùm exiiſſent Veteres è ſolio, biberent aliquantulum, reficiendis viribus; ſed hoc ferè divites & qui delicatiùs ſe curabant. At hic cùm ad balneas ſuas populum promiſcuè admitteret, eundem quoque ad bibendum invitabat, & *ipſe cum populo tantùm bibit, ut in piſcina eum bibiſſe intelligeretur, verò, quòd unus bibiſſet.* Pro *abſinthiatum*, alios legere *abſentatum*, diximus ſuprà.

ABSINTHII populi, (teſte Herodotô *l. 6.*) juxta Pontum ha-

ABSINTHII, populi, (teſte Herodoto *l.* 6.) juxta Pontum habitant, ubi mons ejuſdem nominis habetur. Vide *Apſynthus*.

ABSIS, Græcè Ἁψὶς & *Abſida*, fornix eſt, arcus, hæmiſphærium & quod in curvamen arcuatum conſtruitur. Hinc arcus Imperatorum triumphales Græci *Apſidas* vocant, Cœl. Rhodig. *Antiqq. lect.* *l.* 28. *c.* 10. Apud Eccleſiaſticæ rei Scriptores, modò ſignificat Epiſcoporum ſubſellia, vide Auguſtin. *Ep.* 23. modo Chorum vel Presbyterium, ut vocant, i. e. locum in Eccleſia cancellis incluſum, Clericorumque cœtui deſtinatum; apud Leonem Marſican. *l.* 1. *c.* 19. Greg Turonenſ. *l.* 10. *c.* 31. & 32. *Canone* 3. Synodi Carthagin. ævò Auguſtini habita: modò Fornicem, vel Loculum arcuatum ligneum, quô ſuper altare poſitô, ſimulachra conſervabantur, ut patet ex Ruperto *de Caſibus S. Galli c.* 9. & Ekkehardo Jun. *c.* 6. modò Atrium vel porticum Eccleſiæ, Angl. *a Curch-Porch*. Vide Spelmannum *Gloſſar.* & hic in *Abſida*.

ABSITH, Europæ circa Dardanum locus eſt, Niceph. *l.* 18. *c.* 38.

ABSITRIS, amnis per Suſiclaſios populos fluens. Plin. *l.* 6. *c.* 26.

ABSOLOM, pater Mathatiæ & Jonathæ, quorum frequens mentio, 1 Machab. *l.* 1. *c.* 11. *v.* 69. & *c.* 13. *v.* 11.

ABSOLVERE defunctos, in Communione Romana eſt dicere *Collectam* mortuorum, *Abſolve Domine animas fidelium defunctorum*. Odo Epiſcop. Pariſ. in *Præceptis Synodal.* §. 7. *Sacerdotes, audito Parochianorum ſuorum obitu, ſtatim abſolvant eos, cum Pſalmis pro defunctis, & collectis*. Hinc in *Statutis* Ordinis de Sempingham *p.* 781. *Patres & matres, fratres & ſorores, & conſanguinei defuncti Fratrum noſtri Ordinis, in annuo Capitulo, in communi nominativo debent abſolvi*, &c. Et in *Vita* S. Gilberti Inſtitutoris ejuſd. Ordin. *Recitatis Sanctorum paſſionibus &* abſolutis *defunctis*, apud Car. du Freſne *Gloſſar*. Quid autem *Collecta* ſit, dicemus infrà.

ABSOLUTE ordinari, dicebantur olim in Eccleſia Romana qui non uni alicui certæ civitati, vel pago aſcribebantur, cujus Eccleſiæ inſervirent, ſed ſimpliciter in Sacerdotum numerum allegabantur: Quod vetitum Conciliò Londinenſi A. C. 1125. *Nullus in Presbyterum, nullus in Diaconum, niſi ad certum titulum, ordinetur: Qui vero abſolutè fuerit ordinatus, ſumtâ careat dignitate*. Ut & jam prius in Concil. Chalcedonenſ. *can.* 6. Hinc irritæ poſtmodum factæ iſtiuſmodi ordinationes, & ἀπόλυτοι ſeu *ſpeculantes* omnes ordinari cœpti, atque in ipſis Presbyterorum & Diaconorum, ut & Subdiaconorum ordinationibus, ab Epiſcopis, nominati ſtatim tituli ſunt, quibus iis aſcriberentur, &c. Vide Car. du Freſne in voce *Titulus*.

ABSOLUTIO, in eadem communione, dicitur deprecatio brevis in fine Pſalmorum cujuſcunque nocturni, ante lectionum recitationes; ita dicta, quia tunc terminabatur nocturnum, & cum eſſent tria nocturna in officio, tunc pſallentes ter diſcedebant à Choro, ad quieſcendum, ſicque tribus *abſolutionibus* dividebatur matutinum. Vel ita dicta eſt, quia in ea à Domino munditia cordis, ad rectè lectiones percipiendas, poſcitur. *Abſolutiones* verò, in horis Canonicis poſitæ dicuntur, ſcil. ad primam, duæ ſunt, una, quæ *Abſolutio Capituli* dicitur; altera quæ *Abſolutio lectionarica ſeu brevis*, quia finitâ primâ ſolebant congregari in Capitulo Monachi, ubi audiebant aliquam S. Scripturæ brevem lectionem, poſtquam auditores à Capitulo diſceſſerunt, obtentâ Superioris benedictione: quod quidem hodie in Choro fit, & *lectio brevis* dicitur, eſtque veteris illius & longioris lectionis particula. Sed & *Abſolutio* vocatur illa, quæ profertur circa cadaver, vel tumulum, de qua vide Domin. Macrum *Hierolex*.

ABSOLUTIONIS Dies, vulgò *le Jeudy Abſolu*, Feria dicitur in Eccleſia Romana quinta, ante Paſcha, quâ Pœnitentes abſolvi ſolebant. Johannes Epiſcop. Abrincenſis *de Officio Eccl. p.* 41. *Ipſo die horâ ſecundâ Populus ad Eccleſiam convenient. Si Epiſcopus fuerit, convocatio pœnitentium &* abſolutio, *chriſmatis & olei conſecratio, juxta Epiſcopalem ritum ordinetur; ubi verò defuerit, imprimis tam Clerus, quam Populus, proſtrati in terra cum lachrymis & gemitu abſolutionem communem a majori Sacerdote accipiant*. Sic Car. du Freſne *Gloſſar*.

in **ABSOLUTO**, in libris Coloniarum, *Cæterum in abſoluto remanſit*, terminus eſt Agrimenſorum; pro *Abſolutum*. Apud illos autem *abſolutum* dicitur, quod aſſignatum ac limitatum non eſt. Sic *in ſoluto*, pro *ſolutum*, quod idem cum *abſolutum*. Dicebantur autem relicta ac *ſoluta*, illa loca, quæ propter ſterilitatem relinquebantur, nec aſſignabantur, aut menſuris vel limitibus obligabantur Aggenus, *Hæc autem ſunt loca, quæ in ſoluto dicuntur, quæ aut in ſaxoſis & ſterilibus locis ſunt, aut in paludibus, ubi nulla poteſt exerceri cultura*. Pingues enim agri tantum, aut illi in quibus cultura exerceri poterat, aſſignatione dividebantur ac metabantur. Virgilius Ecl. 1 v 71.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes?

Unde *metatus ager*, de aſſignato vel opimo & pingui, apud Horatium, *l.* 2. *Serm. Sat.* 2. *v.* 114.

——— *Videas metato in agello*
Cum pecore & gnatis fortem mercede colonum.

Vide. Salmaſ. *ad Solin. p.* 682.

ABSOLUTORIÆ Literæ, apud Hug. Flaviniacenſem in *Chron. p.* 254. dicuntur quæ re confectâ, Miſſis ac Legatis dantur, cum domum remittuntur. In *Concil.* vero Burdigalenſi A. C. 1262. *c.* 1. quibus Pontifex excommunicatum, ab excommunicatione à ſe *abſolutum* eſſe, denuntiabat: apud eundem *Gloſſarii* Auctorem. Car. du Freſne.

ABSORIS, oppid. in inſula Minervæ, conditum à Colchis, qui cum Abſyrto Medeæ fratre miſſi fuerunt ab Æeta illius patre, ad perſequendam Medeam, quæ cum Iaſone profugerat. Ibi cum ſerpentium multitudini reſiſtere non poſſent, Medea ab iis rogata, lectas eas in tumulum fratris ibi mortui conjecit, quæ adhuc ibi permanent, ſi quæ autem extra tumulum exit, debitum naturæ perſolvit. Hyginus *in fabulis. num.* 23.

ABSORUS & ABSYRTIS, apud *Melam l.* 2. *c.* 7. maris Illyrici duæ inſulæ ſunt. *Abſyrtides* plurali numero Strabom, & Orpheo in *Argonaut*. At hic eas in mari infructuoſo deſcribit, Euxino nempe Ponto. Apud *Apollodorum* ſunt circa Rhodani oſtia. Baudrando *Abſorum*, paret Venetis, eſtque Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Jadertenſi, & parvi eſt admodum circuitus. Aliàs *Civitas Auſarenſis*.

ABSTERSORIA, in miniſteriis ſacris Eccleſiæ Romanæ Viſitatio Theſaurariæ S. Pauli Londinenſis A. C. 1295. *Duo* abſterſoria *de panno lineo, cum extremitatibus cordatis de ſerico, ad extergendum digitos poſt perfuſionem in majori altari*, &c. Apud Eundem Car. du Freſne.

ABSTINENTES, apud Cyprian. ſeu Auctorem *de Singularitate Clericor*. *Quid per hypocriſin vuls ab hominibus abſtinens dici & in ſecreto carnibus & ebrietate diſtendi?* Iidem videntur, qui *continentes*, vel qui jejunia obſervabant, & à certis ciborum generibus abſtinebant: In *Vitâ* S. Praejecti Mart. poſter. *num.* 7. videntur *pœnitentes* hâc voce intelligi. Apud Philaſtrium verò *de Hæreſib.* ſic dicuntur Hæretici, in Hiſpania, Gallia & Aquitania, *ſeparantes perſuaſionibus conjugia hominum & eſcarum abſtinentiam promittentes*, &c. Idem Car. du Freſne. Vide quoque *Macrum in Hierolexico*.

ABSTINENTES, Hæretici Galliam & Hiſpan. turbantes, ſeculo 3. quo tempore, Diocletianus & Maximinus ſæviebant. Ex Gnoſticis & Manichæis oriundi, conjugium carniſque uſum damnabant, divinitate Spir. S. inſuper negatâ. An iidem cum Hieracitis? Philaſtr. *c.* 26.

ABSTINENTIA à certis ciborum generibus, à mulieribus it. inter Sacrorum apud Gentiles ceremonias, vide infra *in Caſtu eſſe*, alibique paſſim. Sed & abſtinentia inter Albigenſium olim ritus, ad receptionem in communionem eorum præparatorius. Vide infrà *Conſolam*, it. voce *Endura*.

ABSUS, Paleſtinæ fluv. *Vibio Sequeſtri*.

ABSYNTHIUM, in *Conſuetudin. Floriacenſibus p.* 405. *His tribus diebus poſt cymbali pulſationem, qui voluerit, bibet de abſynthio melle confectio quod Refectorarius ante præparavit, & poſitum in cyphis ſingulorum*. Potio eſt mellita, Monachica, ut interpretatus Car. du Freſne *Gloſſar*. Vide ſuprà *Abſinthiatum*.

ABSYNTHUS, urbs Thraciæ, cujus incolæ *Abſynthii*, vide *Apſynthus*, & *Ænon*.

ABSYRTES; vel **ABSYRTUS**, Colchorum fluv. in Adriaticum mare ſe exonerans, ab *Abſyrto*, à Medeâ ibidem interemptô, ſic appellatus. Lucan. *l.* 3. *v.* 190.

Colchis, & Adriacas ſpumans Abſyrtos in undas.

Tolle commata, & ſcribe *Abſyrtis*, quomodo id nomen ſcribitur apud Plin. *l.* 3. *c.* 26. *Strabonem l.* 7. quoque & *Steph*. Hæc enim *Abſyrtis*, *Colchis*, i. e. *Colchica* vocatur, quia Medea, & frater ejus Abſyrtus (ibi laceratus) ex Colchis erant. Grotius. in *Lucan. loc. cit.*

ABSYRTIDES, inſulæ in Adriatico mari, vel juxta Iſtrum, à fratre Medeæ, ibi interfectô, nomine Abſyrtô, ſic appellatæ. Strabo *l.* 7. Παρὰ δὲ (inquit) ... Ἀψυρτίδες, ... Μήδειαν λέγεται διαφθεῖραι τὸν ἀδελφὸν. Ἀψυρτίδες ... Vide Steph. *in* Ἀψυρτίδες νῆσοι, Melam. *l.* 2. *c.* 7. Plin. *l.* 3. *c.* 26.

ABSYRTIUM, Inſula maris Adriatici Plin. *l.* 3. *c.* 26.

ABSYRTUS, Æetæ, Regis Colchorum & Hypſeæ fil. aliô nomine *Ægialeus* dictus, quem ſoror ejus Medea cum Iaſone diſcedens, membratim diſcerptum, circumquaque disjecit, ut ſequentem ſe patrem in colligendis oſſibus occupatum moraretur, ne eam in fuga retraheret, unde locus ille dictus eſt *Tomos*, i. e. *diſſectio*, & fluv. juxta quem id fecit, *Abſyrtus* vocatus. Sunt tamen qui *Abſyrtum* non ex eadem matre cum Medeâ, ſed ex Idyia, Oceani filiâ, natum tradunt. Alii non à ſorore diſcerptum volunt, ſed per Iſtrum fluv. cum fugientibus in Illyriam perveniſſe. Fuit inſuper *Abſyrtus*, (teſte *Suida*) Nicomedienſis miles quidam, qui cum ſub Conſtantino ad Iſtrum militaret, librum utiliſſimum ſcripſit de medicandis equis, & de cura animalium, quem in Bibliotheca Antonii 6. Comitis Mediolanenſis, aſſervatum eſſe refert *Calepinus*.

ABU-SAYD, Rex Maroci & Feſſæ, rebus in Hiſpania, contra Chriſtianos infeliciter geſtis, in Africam reverſus, obiit, A. C. 1302. *Marmol. Johan. Leo*.

ABU, ſeu **ABU-HEUN**, ope Petri, Caſtellæ regis, patre Abul-Haſeen, Rege Maroci devictô, ipſi regna, Tunetanum & Tremiſſenum, tributaria reddidit. Abdalam regem Granatæ, miſſo Æthiopicô pileô, qui venenô infuſus erat, interemit, A. C. 1356. Fuit idem nomen plurimorum Calipharum Perſiæ.

ABUBAKAT, aliis *Abrocherum*, Socer Mahometis, Alcoranum peculiariter interpretatus eſt, *Muphty* Saracenorum dictus. Se primum conſtituit Calipham, i. e. *Succeſſorem, vel a-Deo-datum*, qui Sedem primum Cufæ, deinde Babylone habuerunt. A. C. 640. Mirkondus *Chron*. Aliis etiam *Abubacher*, *Abubaquer*, vel *Abubecher*: cum excepit Hamar, ſeu Omar 1. poſt regnum annor. 2. menſ. 6. quô duratite varia crudelitatis documenta dedit. Cedrenus in *Heraclio*. Vide *Omar* 1.

ABUCINI Portus, in Gallia Lugdunenſi, vel Sequanorum, ut habet *Liber Provinciarum*.

ABUDIACUM, oppid. olim geminum Vindeliciæ, (nunc pagus in Bavaria) unus inter Ratisbonam & Abuſinam, *Abach*, vulgò. Alter apud Roſenhemium oppid. *Hopping*, in Norici finibus. Sunt qui *Fuſſen* interpretantur, h. e. Fauciacum oppid. Sueviæ in Comitatus Tyrolenſis confinio. Sed ſitus repugnat. longitud. 34. 14. latitud. 48. 34.

ABUDIUS RUSO, functus ædilitate, dum Lentulo Gætulico, ſub quo legioni præfuerat, periculum faceſſit, quòd is Sejani filium generum deſtinaſſet, ultro damnatur atque urbe exigitur, Paulô & L. Vitelliô Conſulib. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 30.

ABU-

ABUGANA, regio regni Angotæ, in Abyſſinia, ubi templum Chriſtianorum celebre, *Imbra Chriſtos*. Sanut. *l.* 11.

ABUHAMA, Inſul. provinciæ Garetæ, in regno Feſſano. *Marmol.*

ABUIA, aliis *Abaca*, una ex Inſulis Philippinis in Aſia, inter Luzoniam & Mindanaum Inſulas.

ABUJAFAR, Saracenorum Caliſpha XX Sapaho ſucceſſit, regnavit annos 5 extinctus A. C. 758. Succeſſore Mahodi-Billâ, quem vide.

ABULA, urbs Epiſcopal Hiſpaniæ Tarraconenſ. in Caſtella veteri. Ptol. Hodie *Avila*, longitud. 16 latit. 41. 10. Media fermè inter Madritum & Valliſoletum. Sub Archiepiſcopo Compoſtellano.

ABULA, clara eſt S. Tereſiæ natalibus. Quibuſdam *Arbacala* & *Ubocrêa* juxta Adajam fluv. Hinc Abulenſes montes, *Sierra d'Avila*, in illo tractu.

ABULA, oppid. Americæ meridional. in Peruvia, & provinc. *de los Quixos* dicta juxta fluv. Napum. *Quito* civitas in Eurum diſtat. 15. leuc. Hiſpanic.

ABULA FONTANA, oppidulum Hiſpan. in Caſtella Veteri 6 leucis Segoviâ diſtans.

ABULHUSENI, populi Africæ, in regione Dara, prope regnum Marocchi.

ABULITES, Perſa, Suſæ præfectus, civitatem & regionem adjacentem Alexandro tradidit, qui Satrapiam regionis eidem Abuliti reſtituit. Curt. *l.* 5. *c.* 2. Diodoro, *Abuletes*, vel *Abulenus*. *l.* 17. Vide Jani Gebhardi *Exercit. ad Curt. l.* 5.

ABULPHEDA, Arabs, Coſmographus inſignis, Voſſio laudatus *de Scient. Mathem. c.* 43. §. 10. vide ſuprà *Abelfeuda*.

ABUMALACH, Saracenorum, & Hiſpan. Rex, cum Carolo M. fœdus iniit.

ABUNDANTIUS, Conſul Romanus, A. C. 393. ab Eutropio accuſatus in exilium pellitur ab Arcadio, A. C. 406.

ABUNDIUS, Martyr in Hiſpaniæ urbe Hiſpali, ſub Maximiniano Imperatore, die 10. Decemb.

AD S. ABUNDUM, vulgò S. *Abon*, vel *Saint Haon*, locus eſt Galliæ, in pago Bellojocenſi, non procul ab Ulſeo caſtello *Urfe*, inter Rodumnam Seguſianorum ad Ligerim & Montem Maurilionis *Montmorillon*, *Aiaſſonus*. Inter loca Cluniaco ſubjecta. Hadr. Valeſ. *Not. Gall. in voce Carus Locus.*

ABUPUS, vel potius *Abus*, Britanniæ fluv. magnus, qui Bedæ *Humber* dicitur. Vide infrà.

ABUS, eſt potiùs æſtuarium, in quo confluunt Urus, Derventio, Ara & Trenta. In Oceanum Germ. ſe exonerat, inter Eboracenſem & Lincolniam provinc.

ABUS, fluv. Epiri, in finibus Apolloniatum.

ABUS, vel ABAS, Mons Armeniæ majoris. Vide *Aba*. Parnedi montis pars eſt, ex quo Euphrates profluit, *Catcol* à Gregorianis, teſte *Tecsero* dictus.

ABUSACUM, vide *Abuſiacum*.

ABUSACUS, Soldanus Ægypti, qui per 5. annos multum negotii Rhodienſibus Equitibus exhibuit. Obiit A. C. 1499.

ABUZAID, Rex Perſarum, per uxorem, *Amir Chaven*, filiam Veziri ſui, quam, marito ejus patreque occiſis, duxerat, regnum non infeliciter adminiſtravit, A. C. 1337. quod tandem à Tamerlane ſubjugatum eſt. Mirkondus *Chronol.*

ABUSIACUM, ſive ut alii codices habent, *Abuſacum*, & *Abazacum*, vulgò *Fueſſen*, oppid. Rhætiæ; ad Lycum fluv. intra montium anguſtias ſitum, quod propterea *Fauces*, (unde *Fauſenſe Cœnobium*) etiam Latinè dicitur, à Campidonâ 5. leuc. in Eurum, in viâ quæ ad Tridentum ducit, occurrens. longitud. 32. 50. latitud. 47. 28.

ABUSINA, *Antonio*, & *Lib. Not.* oppid. Vindeliciæ in Bavariâ; *Abenſperge Aventino* dictum. longitud. 34 3. latit. 48 44. Ad fluv. *Abenſt*.

ABYDON, ONIS, regio Macedoniæ, *Steph.* & *Suid.*

ABYDOS, vel ABYDUS; urbs Aſiæ à Mileſiis condita, Gyge Lydorum Rege permittente, qui totius Troadis imperium habuit: cui Seſtos in Europâ opponitur, anguſtò intercedente mari; à caſu virginis Helleſpontò nuncupatò Muſæus:

Σηστὸς ἔην καὶ Ἄβυδος ἔναντίον, ἐγγύθι πόντου,
Γείτονές εἰσι πόληες. Ovid. *Triſt.* 1. *Eleg.* 11. *v.* 27.
Quaque per anguſtas vectæ malè virginis undas
Seſton Abydenâ ſeparat unda fretum.

Id cùm Aſiam ab Europâ dividat, Xerxes ponte conjunxit. Sidon. Apollinaris. *Carm.* 11.

- - - Nec tanta Seſton junctura Abydo
Xerxes claſſis erat, tumidas cum ſterneret undas,
Et pontum ſub ponte daret.

Lucan. *l.* 2. *v.* 672.

Tales fama canit tumidum ſuper æquora Xerxem
Conſtruxiſſe vias, multum cum pontibus auſus,
Europamque Aſiæ, Seſtonque admovit Abydo,
Inceſſitque fretum rapidi ſuper Helleſponti. Idem *l.* 6. *v.* 55.
Tot potuêre manus adjungere Seſton Abydo,
Ingeſtoque ſolò Phryxeum elidere pontum.

ABYDOS GEMINA Val. Flacco dicitur, *Argonaut. l.* 1. *v.* 284. Appropinquantibus enim apparet gemina, propter Seſti vicinitatem:

- - Dextrâque procul non æquore viſa
Cœperat à geminâ diſcedere Seſtos Abydo.

Dicitur autem hæc *Abydos*, & hoc *Abydon*. Inter alia autem celebris fuit ſapore oſtreorum. Ennius *in Hedypatheticis*, ſive *Hedyphageticis*:

Mures ſunt Æni, aſt oſtrea plurima Abydi.

Quod pari verborum numerò expreſſum ex illo Archeſtrati apud Athen. *l.* 3. *c.* 13.

Τὰς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλας, ὄστρεια δ᾽ Ἄβυδος.

Catullus in Priapeio. *Carm.* 18.

Helleſpontia cæteris oſtreoſior oris.

Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 207.

Ponti, & oſtriferi fauces tentantur Abydi.

Populi *Abydeni*; qui cùm à Macedonum Rege tam arctâ obſidione conguſtarentur, ut nulla liberandæ obſidionis ſpes ſupereſſet, multitudinem tanta invaſit rabies, ut ſe, ſuaſque uxores & liberos, ferrò, flammis, & omni genere mortis crudeliſſimè interficerent, ne in hoſtis poteſtatem venirent, quam hiſtoriam imprimis memorabilem fuſiſſimè narrat Liv. Decad. 4. *l.* 1. Ἀβυδηνὰ ἐπιφορήματα, dicuntur futilia, ac nullo prorſus pretiò digna. *Steph.* & *Suid.* quod Abydeni molles & effeminati haberentur: & quibus olim is mos fuerat, ſi quem civem, aut hoſpitem acciperent convivio, præterea in ſacris & ſolemnibus epulis, ut poſt unguentum, & coronas, infantes à nutricibus inducerentur, circumferrenturque ſuaviandi. Obſtrepentibus igitur nutriculis, & aliis, inconditis clamoribus, minus ſuave & gratum reddebant convivium. Hoc etiam nomine malè audiebant Abydeni, quod inſignes calumniarum artifices eſſent, eoque ſibi nomine placerent, atque hâc de causâ non tutum eſſet omnibus illic verſari. Hinc natum proverbium, Μὴ εἰκῆ τὴν Ἄβυδον. h. e. *ne temerè Abydum* (*naviges* intellige) quò admoneris, ne quod grave periculum ſuſcipias, ſine causâ idoneâ. Ἀβυδοκόμαι, *Abydocomæ*, *Heſychio* dicuntur Sycophantæ, à verbo κομᾶν, quod eſt efferri, & parum modeſtè ſe gerere. Eſt item Abydus Ægypti oppid. hodie *Elſium*, Ortel. Vel *Abutich*, teſtibus *Caſtaldo & Moletio*, inter Ptolemaidem ad Arcton. 22. & Dioſpolim ad Meridiem 28. millia paſſ. à Memphi 290. in Auſtrum, Syenen verſus. Ibi Memnonis regia, & templum Oſiridis. Ibidem & Magnatum ſepulchra, *Ægyptiorum enim, qui ſ... & potentia præcipui, ſtudioſè ambiunt Abydi humari, ut idem cum Oſiride habeant ſepulchrum*, Plut. *de Iſ. & Oſir.* Nempe This, in Thinitarum hinc dictorum regno, urbs primaria fuit, uſque ad Seſoſtris tempora: poſtquam verò Memnon regiam in *Abydo* conſtruxit, This poſthabita eſt, fuitque *Abydus urbs magna & ſecunda poſt Thebas*, Strab. *l.* 17. Eſt etiam Iapygiæ civitas in Italia. *Steph.* Vide Paræum *ad Muſæum*. Leon. p. 8. 16. longitud. 53. 50. latitud. 42. 10.

ABYDUS, Phrygiæ arx eſt muniſſima Turcarum & una ex Dardanellis ad Boſphorum Thracium, Olim Epiſcopalis nunc Metropolitana teſte *Aerto*.

ABYLA, mons excelſus Mauritaniæ Tingitanæ Calpæ monti, qui in Hiſpaniâ eſt, oppoſitus, quos ambos Herculis columnas dicunt, olim perpetuò jugò conjunctos, ſed ab Hercule ſeparatos: & ſic intromiſſum terris mare, quod hodie Mediterraneum vocatur. In his Hercules columnas fixiſſe dicitur, cùm boves Geryonis veſtigaret, perinde ac ultimam ibidem eſſet orbis metam. Dionyſius in *Perieg.*

Ἀλλ᾽ ἤτοι πρώτιστα ἀπ᾽ ἀρχῆς ἄρχεο γαίης,
Ἰσθὶ σὺ Ὠκεανοῖο πόρους ἐνθάδ᾽ ἐπεί οἱ ἄκρην
Στηλάων Ἀλύβη κείνην μέτα, ᾗ δ᾽ ἐπὶ νῦν ὀρθὸν
Ταρτησσὸς γαίης ... - - - - -

Ubi multa Euſtathius; & notandum eſt *Alybam* dici à Græcis, & non *Abylam*, idque fortè per Metatheſin. vulgò *Almina*, Hiſp. *Sierra de las Monas*, Gall. *mont des Singes*, Belg. *Schemmekelberg*. Diſtat à Calpe, ubi Gibealtar eſt, monte Hiſpan. 18. mill. paſſ. eſtque prope Septam Urbem. vide *Abila*. longitud. 15. 10. latitud. 35. 40.

ABYLA, Syriæ oppid. juxta quod ſitæ ſunt Area, Ampeloeſſa Gabe. Plin. *l.* 5. *c.* 18. vide *Abila* longitud. 68. 45. latitud. 33. 10.

ABYLLI, populi juxta Nilum, Troglodytis vicini *Steph.*

ABYLON, vel ABYDON, Ægypti urbs, Athen. *l.* 15. ubi ſpinæ ſemper florentes proveniunt.

ABYNDI, populi regni Sindæ, in India intra Gangem, commercio cum Europæis clari, Texeira. *l.* 1. *c.* 22.

ABYSSINI, Æthiopiæ interioris populi Chriſtiani. Veterem habent religionem, ſed ex Hæreticorum erroribus confuſam. Eorum Imperator vulgò *Grand Negus*, quibuſdam *Preſte Jan*, ſed pravè. Abyſſinis dicitur *Beyne Ivan*, i. *Johannes Aſſimanus*, Chaldæis *Ivan Encoune*, i. *Johannes pretioſus & magnus*. Verus autem *Preſte-Jan*, Princeps Tartarorum fuit, in regno Aſiæ Tenduc; Abyſſinorum autem nomen fortè ea voce Arabica *Elhabaſchi*, quâ Æthiopes & Saraceni Imperatorem hunc inſigniunt. Antiquiſſimis temporibus ex Arabia in Africam tranſierunt. *Abaſſinos* certè Arabiæ Felicis populos fuiſſe, & in Æthiopiam Africanam tranſgreſſos eſſe, ex *Urano Stephanus* teſtatur. Arabes eos vocant *Habaſſi*: ipſi autem ſeſe Chaldæos profitentur & eâ in ſacris linguâ utuntur. Regum eorum catalogus quidem extat, ſed antiquiſſimi admodum in obſcuro ſunt. Reginam Sabæ, quæ ad Salomonem acceſſit, eorum ordini per errorem inſertam ait *Hornius*, ſed non deſunt Viri eruditi, qui Abyſſinorum illam Imperatricem fuiſſe contendant. Minùs controverſum eſt, quod de *Candace* idem habet, de qua Actorum *c.* 8. namque ex *Strabone*, *Plinio* & *Dione Caſſio* diſcimus, fuiſſe ſub Ægypto Æthiopum Regnum γυναικοκρατούμενον, cujus Reginæ communi nomine Candaces fuerint appellatæ, atque ab hac, per Eunuchum ejus à *Philippo* baptizatum, Chriſtianam Religionem ſe accepiſſe, hodieque gens gloriatur. Sub *Juſtiniano* deîn 1. Imperatore, Rex Æthiopum *Aximitarum Adad ſeu David* memoratur, ad fidem Chriſti itidem converſus: à quo tempore illa *Æthiopia* inter medios Barbaros, Religionem Chriſtianam, ſed innumeris permixtam erroribus, retinuit, &c. Pendunt autem *Abyſſini* tributa Saraceni, Ægyptii & Turcæ; cujus cauſam cùm quidam aſſerant hanc eſſe, quod, cùm fontes Nili in Abyſſinia ſint, ipſumque illud flumen, à cujus incrementis pendet fertilitas & ſalus Ægypti, per eam labatur, eò interclusò & aversò univerſam *Ægyptum* fame urgere poſſent

poſſent: *Hornius* fabuloſum id eſſe ait; Aliis non adeò id abſurdum cenſentibus, cum fontes fluvii in apice montis ſint, & facili negotio in aliam partem deflecti poſſint, deducique. Hodie tamen majorem partem Habaſſiæ Turcæ aliique in Africâ Barbari occuparunt, ſic ut ex tot provinciis vix quatuor ſuperſint Imperatori, qui Presbyteri Johannis titulô Europæis notus eſt. Vide Georg. Hornium Orb. *Imper. & Polit.* Regis titulus, *Dilectus a Deo*, &c. *Imperator Magnæ Æthiopiæ*, *Magnorum Regnorum & Ditionum Dominus*, *Rex de Xoa*, *de Caffate*, *de Fatigar*, *de Angote*, *de Baru*, *de Baaguaze*, *de Adea*, *de Vangue*, *de Gojame*, *de Damaraa*, *de Vaguemedri*, *de Ambeala*, *de Vague*, *de Tigrimahon*, *de Sabaym*, *de Bernagaes*, *& Dominus usque ad Nubiam juxta Ægypti*. Quæ tamen loca pleraque, utpote à mari & commerciorum uſu remotiora, tabulis Geogr. non deſignantur, vel intelliguntur, vide Auctorem *Hiſt. Orbis Terr.* Illuſtr. imprimis Ludolphum *Hiſtor. Abyſſinæ* [illegible] vocibus *Abyſſinia* & *Æthiopia*.

ABYSSINIA, regio Africæ, in Æthiopiâ ſuperiori. Fuit alias regnum ampliſſimum; ſed à centum propè annis per Galas populo valdè fuit imminutum, ut pluribus ſuper collegimus ex doctiſſimis ſcriptis *Iſaaci Voſſii*. Dicit enim ille, quod ſi ſolam ſpectemus Abaſſinæ partem, quæ hoc tempore paret Imperatori, illa adeò exigua eſt, ut vix exæquet Hiſpaniam, & ut ejus Imperator vix magni Regis titulô cenſeri mereatur; potiorem quippe regni portionem ſuperiori ſeculô invaſit Galarum vicina natio, littoralem vero tractum vicinum ſinui Arabico jam olim occupavére Mauri: ita ut iſte Abyſſiniæ Rex nullum poſſideat portum, nec mari poſſit aditi niſi per Turcicas ditiones. Olim cùm latiſſimè extendebatur ejus Imperium ab ortu in occaſum, à faucibus nempe ſinus Arabici uſque ad terminos Regni *Gojame*, non tamen excedebat maxima ejus longitudo leucas Germanicas 140. minima verò latitudo a provinciâ Alabâ uſque ad Magazam, ſeu confluentem Nili & Tacaze fluviorum, i. e. à latitudine Boreali 8. graduum uſque ad gradus 16. erat leucarum Germanicarum centum & viginti. Scripſit *Johannes Barros Luſitanus*, regnum Abaſſenum habere in ambitu leucas Luſitanicas 672. i. e. leucas Germanicas 504. Poſtremi qui ex hoc regnô pervenére ad nos nuntii, referunt ditionem hujus Regis adeò imminutam eſſe, ut vix dimidiam partem terrarum poſſideat, quas proavi ejus tenuêre. Solæ enim ſuperſunt provinciæ, *Tigre*, *Dambea*, *Bagameder*, *Gojame*, *Amhara*, *Narea*, & pars Xaoæ. Harum præcipua eſt regnum *Tigre*, cujus prorex, *Tigre Mahon* dictus, cauſam præbuit, ut nonnulli *Tigre Mahon* diſtinxerint à regno *Tigre*. Sed neque regnum Barnagaſſi ab hoc diſtingui debet. Minores autem Provinciæ, quæ huic etiamnum parent, ſunt iſtæ, *Maga*[illegible], *Salent*, *Ogara*, *Holcaat*, *Sagulda*, *Semen*, *Salaoa*, Ozeca, & *Doba*. Olim verò hæ provinciæ regno ejus continebantur. *Angote*, *Doaro*, *Ogge*, *Bali*, *Adea*, *Alemale*, *Oxelo*, *Ganz*, *Betezamora*, *Guragua*, *Buzama*, *Bugamo*, *Cambate*, *Doxa*, *Gumar*, *Conch*, *Damut*, *Mota*, *Aura*, *Holeca*, *Oſfate*, *Gedem*, *Marabet*, *Manz*, & *Bizamo*. Sed A. C. 37. ſuperioris ſeculi Galarum populi Abaſſenis à meridie contermini, provinciam *Bali* ingreſſi, non tantùm ipſam, ſed & *Fatigar*, *Doara*, *Ogge*, *Bizamo*, *Oſfate*, *Angote*, *Cambate*, & alias provincias occuparunt. Vide Gautier *in Chronogr.* Spond. A. C. 1524. *num.* 15. & 17. 1553. *num.* 2. & 1555. *num.* 15. Vide quoque *Æthiopia*.

ABYSTÆI, gens Libyca *Phavorino*.

ABYSTRUM, Magnæ Græciæ urb. apud *Ptolemæum*, quam hodie *Criſmaro* vocari ſcribit Barrius *in ſuâ Calabriâ*.

ABZIRITANUM, Africæ oppid. Plin. *l.* 5. *c.* 4.

ABZOÆ, populi ad Oceanum Scythicum. Plin. *l.* 6. *c.* 13.

ACA, regio Numidiæ, tres urbes continens, indiſertò Libyæ confinibus. Ad Hilelas ſpectat, Arabum genus; qui, ſub Calipha Caimô, Africam ingreſſi. Opulenta olim, ſed bellis civilibus adeò attrita, ut incolæ hodie inopem vitam, fructibus palmarum pro frumento venditis ægre ſuſtentent. Gramm. Afr. *l.* 10. *c.* 21. Marm. 1. *l.* 7. *c.* 8.

ACA, civitas Phœnicum, quæ poſtea *Ptolemais* dicta eſt *Straboni*. Plinio *l.* 5. *c.* 19. autem dicitur *Ace*, quæ quondam Colonia fuit Claudii Cæſaris. vide *Ptolemais*.

ACABE, fons. *Ptol.* Τὸ Ἀκαχάναγα, ἀφ' οὗ ὁ [illegible], ἡ ἡ Ἀκάβη πηγή. *Acabe*, עקבה, i. e. *extrema*. Situs enim eſt fons in Africæ extremis, propè fines Cyrenaicæ. *Tabulæ Ptolemæi* perperam habent Chuzambari, & Cabe, pro *Zuchabari*, & *Acabe Bochart*.

ACABE, mons in finibus Ægypti ad ſinum Arabicum. *Ptol.*

ACABENE, Meſopotamiæ regio, *Ptol. Acad.* Hebræis dici ex D. *Hieronymo* ait Montanus. *Hieron.* ab Hebræis pro *Niſibi* haberi ſcribit.

ACABIS, villa in Cyrenaicâ regione *Ptol.*

ACACALIS, nympha, quæ ab *Apolline* compreſſa, in Cretâ filios edidit, Phylacidem, & Philandrum. *Pauſan.* & Apollon. *in Argon.* Alia fuit ejuſdem nominis Minois filia, de quâ Pauſan. *in Arcad.* Vide *Acalis*.

ACACESIUM, urbs Arcadiæ, ab Acacô Lycaonis filiô dicta, *Steph.* à quo etiam *Acaceſius* Mercurius cognominatus eſt, qui eum educavit. Pauſan. *in Arcad.*

ACACHUMA, *Ptol. Achuma*, urbs Æthiopiæ, Maquedæ ſeu Reginæ Sabæ credita ſedes. Marmol. *l.* 10. *c.* 23.

ACACIA, Græcè Ἀκακία, arbor quibuſdam, quæ propriè & abſolute *Dioſcoridi* Αἰγυπτιακὴ ἄκανθα, *Ægyptia Spina*, è cujus ſiliquis, foliis & fructu ſuccus multiplicis olim uſus, in Medicinâ, hodie in totum ignotus eſt. Propriè ipſe ſuccus ſeu ἐγχύλισμα Spinæ Ægyptiæ, cujus uſu deperditô ſuccus prunorum ſucceſſit: Unde eſt, quod *Acaciam* infimæ Græciæ Medici *ſuccum prunorum* interpretantur. Vide de hac arbore, è qua 18. remedia petita olim & ſucco ejus, latè differentem Salmaſ. *ad Solin.* p. 539. & ſeqq.

ACACIA, Græcè Ἀκακία, *Innocentia* eſt, apud Tertullian. *de cultu femin.* c. 6. Vide Cl. Suicerum *Theſauro Eccleſ.* in Ἀκακία, & Ἄκακος, ubi modo animum omnis doli expertem, quo ſenſu, ipſe Dominus noſter Ἄκακος appellatur Hebr. c. 7. v. 26. modò integrum vitæ, quo Ἄκακοι vocantur pii, Pſalm. [illegible]24. v. 2. modò rudem, ad intelligendum, tardum ſimpliciumque quo Ἀκάκων; quorum mentio Rom. c. 16. v. 18. ἀπλουστέρων, interpretantur Veteres, vocibus his apud Sacros & *Eccl. Scriptores* denotari docet. Sumta dein vox pro involucrô pergameno, quod loco ſcepetri olim ferebat Byzantinus Imperat. ad inſtar antiqui codicis, pulvere farctum, in mortalitatis, quam cum cæteris communem haberet, memoriam: idque quoties ſolenniter & imperialiter indutus prodiret. Dictum autem fit ſceptrum illud, quod mortis recordatio innocentiam hominis quàm maximè conſervet. Dominic. Macer *Hierolex.* Car. *du Freſne* ait, fuiſſe factum ex panno purpureo confectum, codici ſimilem, terrâ vel arenâ plenum, cujus arcanum ſic prodit à Codino, ubi de Imperatore: *Crucem in dextra ſemper pertat, in ſiniſtra vero pannum ſericeum codici ſimilem, ligatum manu, habetque intus terram vel arenam, & vocatur Acacia: quaſi dicas illud, Imperatorem humilem eſſe ut mortalem, neque propter imperii [illegible] efferri, neque ſe nimium jactare debere.* Quam eandem ſignificationem *Acaciæ* adſcribit *Simeon Teſſal*[illegible], qui, quod [illegible] Ceniume, *terram vel arenam*; γῆν, *pulverem* vocat. Hocce ſacrô hemate *Acacia* depingitur in Michaelis Palæologi Imperat. effigie, quam Car. du Freſne exhibet *Diſſertat. de* [illegible] *Numiſmat.* licet in aliis Theodori Laſcaris junior. equidem Michaelis & Andronici ſenior. imaginibus, quas ex Codice Auguſtanô *Hiſtoria* Georgii Pachymeris delineari curavit Hieron. Wolphius, voluminis ſpeciem præferat. Ubi ergo, quod Conſule. & Imperatores primi in nummis, dextrâ interdum, quandoque ſiniſtrâ, chartacei volumini ſimile geſtant, mappa videtur fuiſſe; vel etiam codicilis Conſulares, ſeu Magiſtratuum omnium inſigne: Sic aliud longè fuit in ex [illegible] Græciâ, *Acacia* nempe, de qua dictum &c. Vide quoque ſub iis vocibus, *Mappa*, item *Volumen*.

ACACIUS, Epiſcop. Berrhoënſis eruditione & Virtute clarus. In gratiam tamen Eudoxiæ, Theophilo ſe junxit, & cum 110. ſuperaret annos, Neſtorium apud Theodoſ. juniorem defendit, poſtmodum tamen hujus hæreſi archæ ſectatores ad meliorem frugem reducere conatus. Theodoret *l.* 5. *c.* 23. Baron. *A. C.* 398.

ACACIUS, Patriarcha Antiochinus, cujus tempore ingens terræ motus. Evagr. *l.* 2. *c.* 12. Alius, Epiſcop. Melitenæ, in Armeniâ, qui interfuit Concilio Epheſino, A. C. 431.

ACACIUS, Alexandrinus, dux belli ſub Adrianô, propter confeſſionem Chriſti de nuce arbore ſuſpenſus eſt. Hiſt. Tripart. *l.* 5. *c.* 21. Alius etiam hoc nomine martyr, ſub Deciô Imperatore.

ACACIUS, Epiſcopus Cæſareæ in Paleſtinâ, A. C. 340. Arrianis favit in Synodo Seleucianâ & Conſtantinopolitanâ. Hiſt. Trip. *l.* 5. *c.* 34. 35. 36. Hujus ſectatores *Acacii*, item *Anomæi* dicti.

ACACIUS, Patriarcha Conſtantinopolitanus, vir imprimis pius, & Leonis Imperatoris gratiſſimus. Vide Nicephor. *in Chron.* *Suid.* Item Rhetor inſignis, qui Libanii & Juliani temporibus floruit. *Idem.*

ACACIUS, Epiſcopus quidam, Eccleſiæ ſupellectilem argenteam, aureamque divendidit; & milites Perſas fame propè enectos, non tantum refecit, ſuſtentavitque, ſed redemptos ad regem ſuum remiſit. Socrates *Hiſt. Eccleſ. l.* 7. *c.* 21.

ACAD, vel ACHAD, vide Babylon.

ACADA, Natoliæ fluv. hodie *Sangary*, in mare magnum ſe exonerat. *Caſtald. Belon.*

ACADAMA, Syriæ urbs ad Euphratem. *Lib. Notit.*

ACADEMIA, etſi uſu commune, five, ut vulgo loquuntur, appellativum factum ſit, propriè tamen ita dicebatur nemoroſus extra Athenas locus, in quo Philoſophiam primus docuit Plato. Sunt qui derivent ab ἑκάς & δῆμος, *ſeorſim a populo*, remotè ſcil. à popularis conſuetudine. Baſilius *orat. de Temper. & Incontinentia* ait: *Platonem ferunt, cum animo percepiſſet nocumentum, quod ex corpore proficiſci ſolet, de induſtriâ Academiam elegiſſe, locum [illegible] vel maximè peſtilentem, ut ita præcideret nimis bonam corporis diſpoſitionem, veluti ſuperfluam quandam vitis fertilitatem.* Alludit ad Ἀκη *acies*, & δῆμος *populus*. In Academiâ ſiquidem acuebantur hominum ingenia: aut ab ἄκος, i. e. *Medela*, & δῆμος, quod ibi fit ἰατρεῖον ψυχῶν, officina ſanandi animos. Alias quoque ejus generis alluſiunculas fingunt; ſed certum eſt fuiſſe prius Ἑκαδημίαν, ac ſic vocari ab *Ecademo* Heroë, quod (præter *Suidam*) ex Timonis verſibus probat *Heſych. Illuſtris*: ex iis verò & *Eupolide*, Laërtius, uterque in *Platone*. Reſpexit eodem Horat. l. 2. Ep. 2.

Adjecêre bonæ paulo plus artis Athenæ;
Scilicet ut poſſim curvo dignoſcere rectum,
Atque inter ſylvas Ecademi quærere verum.

Quamquam in quibuſdam libris *Academi* legitur. Quòd autem penultima vocis *Academia*, nunc correpta inveniatur, nunc porrecta, id ex eo eſt, quòd Græci nunc Ἀκαδημία dicant, nunc Ἀκαδήμεια. Corripiunt itaque Claudian. *Paneg. Manl. Theod.* 3. v. 94

In Latiam ſpretis Academia migrat Athenis.

Et Sidonius *in Epithal. Polemii* v. 120.

Obvia & quamquam totis Academia ſeclis.

Producit Cicero *l.* 1. *de Divinat.* *c.* 13. cum ait,

Inque Academiâ umbriferâ, nitidoque Lyceo,
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.

Nec non Laurea Tullius, de quo infrà. Cicero autem villam quandam ſuam, hodie *Bagni di Trivoli*, ab Averno lacu Puteolos tendentibus, impoſitam littori, celebratam porticu & nemore *Academiam* appellavit, ab exemplo Athenarum, ibi compoſitis voluminibus. In eam Laurea Tullius è libertis ejus, carmen ſcripſit, quod legitur apud Plin. Seniorem. *l.* 3. *c.* 2.

Quo tuo Romanæ vindex clariſſime linguæ,
Sylva loco melius ſurgere juſſa viret,
Atque Academiæ celebratam nomine villam,
Nunc reparat cultu ſub potiore Vetus:
Hic etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuſo lumina rore levant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope
Ut, quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

Heſych. Ἀκαδημία, λύκειον, καὶ τόπος. Addit *Phavorinus*. καὶ τόπος Κεραμεικὸς, ὕπου ἐπαιδεύετο. *Nic. Lloydius.* In hac Academia ridere non licebat, cujus rei rationem reddentem vide Ælian. *Var. Hiſt. l. 3. c. 35.* Ab *Academia*, ubi Plato docere ſolitus eſt, *Academica* ſecta nomen habuit, quæ loci quoque nomine ſubinde venit. Unde *Academia* triplex apud auctores, *Vetus*, *Nova* & *Media*. Plato *Veteris* princeps fuit, quæ demum ſic vocari incepit, poſtquam *Arceſilas* alteram induxit. Fuit illa mixta ex Heraclitica, Pythagorica & Socraticâ: unde illis, qui uno Socrate contenti erant, mixtellâ hac corrumpere Philoſophiam genuinam Plato viſus fuit. Vide Laërtium *in Platone*, *Heſych. Illuſtrem*, Apulejum *de dogm. Plat.* &c. Decem verò ſunt Dialogi, quibus omnem Philoſophiam comprehendiſſe exiſtimatur, teſte *Jamblicho*: *Agnovit is unum eſſe Deum, ſummum opificem univerſi: ſed præter eum ſtatuit Deos duplices, Dæmones & Heroas: quibus & ipſis ſacra fieri juſſit*, vide Auguſtin. *de C. D. l. 9. c. 8. & 11.* Idem *mundum cœpiſſe arbitratus eſt, ſed materiam ejus Deo coæternam ſtatuit*. quem errorem è Platone Hermogenes hæreticus hauſit. *Ideas porrò aſſeruit*, Peripateticis impugnatas ac à SS. Patrum non paucis rejectas: qua parte creditur Gnoſticis præiviſſe; vide Irenæum *adv. hæreſes l. 2. c. 19.* Tertullian *de Anima* &c. Valentino inprimis, qui circa A. C 150. è Theogoniâ Heſiodi 10. Deos & è Platone Ideas mutuatus, cum Johannis hæc Evangelio miſcuit. Niſi fortè malè de Ideis intellectus Plato eſt. Ei in *Academia* ſoceſſit Speuſippus, cui Xenocrates *Chalcedonius*, Polemo *Athenienſis*, Crates *Atenienſis* & Crantor *Solenſis*. Hujus diſcipulus Arceſilas *Mediæ* auctor ἀκαταληψίαν & ἐποχὴν induxit, docuitque: *Nihil percipi poſſe, eoque in omnibus eſſe cohibendum aſſenſum.* Sic, cùm Philoſophia *ad ſummum jam incrementum pervenisſet*, verba ſunt Lactantii *l. 3. c. 6. repente extitit Academia tanquam ſenectus ejus, quæ illam* (ignorantiâ introductâ) *conficeret jam deflorescentem.* Diſcipulus Arceſilæ fuit Lacydes, Lacydi Teleles & Evander, cui Hegeſippus Pergamenus Laërtio, *Hegeſilaus* Clementi, ultimus Academiæ mediæ aſſertor ſucceſſit: Qui enim Hegeſippum excepit Carneades Cyrenæus, *Novam* is ſeu tertiam Academiam fundavit: quæ à mediâ duplici ratione differebat. Primò enim Arceſilas è rebus verum ſuſtulit, Carneades aliquid verum aut falſum eſſe fatſus eſt, ſaltem negavit in nobis κριτήριον ſeu artem judicandi verumque à falſo diſcernendi eſſe, vide Cicer. *in Lucullo*. Dein Carneades quidem aſſenſum cohibuit ob rei incertum, non tamen negavit aliquid eſſe probabile, aut contrà: quale nihil Arceſilas, Vide Cicer. *Acad. Qu. l. 4. c 6.* Poſt Carneadem docuit Clitomachus *Carthaginenſis*, in quo ſucceſſio Academiæ novæ deſiit. Quidam triplici huic Academiæ addunt quoque *Quartam*, cujus Philo & Charmidas Clitomachi ſucceſſores auctores fuêre, quæque paulo propius ad veterem acceſſit: & *Quintam*, ab Antiochô fundatore, qui veterem Academiam inſtauravit, niſi quid de κριτηρίῳ Stoicis accederet, *Antiochiam* dictam. Poſt hunc, qui ſequentibus ſeculis Platonis dogmatis inſiſterent, pro *Academicis* Platonici dici maluerunt. Vide infrà ſuô loco, & plura in hanc rem, apud Voſſ. *de Philoſoph. Sectis. c. 12, 13, 14, 15.* & Georg. Hornium *Hiſtor. Philoſophica l. 3. c 20.* De *Academiis Hebræorum*, *Græcorum*, *Romanorum*, *Chriſtianorum*, aliquid infrà ubi de *Canonicorum Collegiis* item vocibus *Collegium*, *Schola* &c.

ACADERA, Indiæ urbs. Curt. *l. 8. c. 10*

ACADINUS, fons eſt Siciliæ, juxta Dellos lacus, Palicis fratribus ſacer, ad quem juramenti veritatem explorare ſolebant ad hunc modum. Juramenti verba tabulis ligneis inſcribebant, quas in fontem dejiciebant, quæ ſupernatantes juramenti integritatem, demerſæ perjurium indicabant.

ACADRA, oppid. in Arabia Felici *Ptolemæo*.

ACADRÆ, populi Aſiæ in Sinarum regno, ubi nunc provinc *Quicheu*, *Huquan*, teſte *Nic Sanſon*.

ACADUM, Syriæ urbs videtur, apud Sophronium *de peregrinatione D. D. Petri, & Pauli*.

ACAFRAN, fluv. regni Tremiſſæ in Africa. Olim *Quinalaf*, nunc *Vetxief*, Marmol. *l. 7. c. 30. 39, 40.*

ACALANDRA, oppid. Italiæ, in Lucaniâ, trans Apenninum, in provinc. Baſilicatâ, ad fluv. Salandrum.

ACALANDRUS, ſeu ACALYNDRUS, Flumen in ſinu Tarentinô, non procul à Metapontô. Plin. *l 3. c. 6.* Strabo *l. 6.* *Fiume di Roſeto* hodiè. Ab aliis *Salandrella*, teſte Cluv.

ACALANTHIS, nobiliſſimæ canis nomen, unde eſt illud Ariſtophanis in Pace, Ἀκαλανθὶς ἐπείγομένη τυφλὰ τίκτει. Vide Cæl. Rhodig. *l. 17. c. 28.* & Eraſmum *in Chil*

ACALARITES, fluvii nomen apud Euſtath. *in Il.* Homer. certè Iliad. *ſ* epitheton Oceani facit:

Ἐξ ἀκαλαῤῥείταο βαθυῤῥόου Ὠκεανοῖο.

I. e., Ἡσύχως καὶ πρᾳέως ῥέοντος, inquit ibidem *Scholiaſtes*, nam ἀκαλὸν, ἥσυχον, i. e *quietum*, ſignificat. *Nic. Lloydius.*

ACALE, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

ACALIS, Minois filia, Sidonis & Oaxis, ex Apolline, mater. An eadem cum *Acacali* Pauſaniæ, *l. 10?*

ACALYNDRUS, vide *Acalandrus*.

ACAMANTIDES, Philoſophus Helıopolitanus *Suid.*

ACAMANTIS, olim dicebatur Cyprus, ab *Acamante* promontoriô, ſitô ad occaſum. *Steph.*

ACAMANTIS. Una ex decem tribubus Athenienſium, ita dicta ab *Acamante*, Theſei filio. *Suid.* Hic poſtmodum urbem in Phrygiâ cognominem ſtatuit. *Steph.*

Δῆμοι Tribus Acamantidis

Agnus.	Hephæſtiadæ.
Cholargia Cephale.	Hermus, ſeu Hermi
Cholargus Cholargi.	Itea.
Cicyana.	Proſpalta.
Eiſidæ.	Sphettus.
	Thoricus.

Vide Alexand. Roſſæi *Archæologiam*.

ACAMANTIUM, urbs in majori Phrygiâ, opus *Acamantis*, filii Theſei, qui cùm in expeditione adverſus Solymos ſe ſtrenuè geſſiſſet, locum urbis condendæ à patre impetravit.

ACAMANTIUS, Philoſophus Heliopolita. *Suid.*

ACAMAPIXTLI, primus Rex Mexicæ, quem incolæ à Rege Culhuacanæ acceperunt, quò cædem filiæ prioris Regis luerent. Hic Urbem auxit ornavitque, & moriens Mexicanis libertatem novum Regem eligendi reliquit, licet ipſemet improlis non eſſet. A Coſta *l. 8 c. 8. 9. & 10*

ACAMARCHIS, nympha marina, quam Oceani filiam eſſe volunt. Diodor. Sic. *l. 6.*

ACAMAS, unus ex Thracum principibus, qui in auxilium Trojanorum venerunt. Homer *Il. ß.* Fuit & fil. Antenoris, qui tempore belli Trojani cælebs erat, & Diis ſimilis habebatur. Eſt præterea mons & promontor. in Cypro, unde Cyprus etiam *Acamantis* dicebatur. Hodie *Cruſocco*. Item *Capo di S. Epiſanio*.

ACAMPSIS, Colchidis fluv. Arrian. *in Periplo*.

ACAN, Latinè *tribulatio*, vel *ſtridor*, vel *antemurale*, fil. Eſer, filii Seir Horræi. *Gen. c. 36. v. 28.*

ACANES Major, & ACANES Minor, Urbes duæ Africæ, in Guineâ regione in mediterraneis.

ACANNÆ, emporium circa Rubrum mare *Steph.*

ACANTHINA Veſtimenta, memorantur Varroni apud Servium *in Æn. l. 1. v. 653.* *Cùm dempti ſunt aculei, ex his implicitis mulieres multiplicem conficere veſtem: hæc veſtimenta* acanthina *appellata*. Nempe ab *acantho* herba illis nomen, utpote quæ texi conſuevêre ex lanugine, quâ folia acanthii ſolent obduci, de quo vide Plin. *l. 24. c. 12.* Unde Servium corrigit *Salmaſius*, veſtes in ſimilitudinem *acanthi* ornatas & confectas hac voce accipientem & ſic intelligentem verſum Poëtæ:

Et circumtextum croceo velamen acantho.

Hic enim *acanthus* purpura eſt, quæ extremam veſtis oram circuibat. Namque virgæ illæ, quæ in circuitum veſtis eunt, ad oram infimam currentes, non ὤαν ſolùm, & καλάσιρας & περιλαιας Græci, ſed & ἀκάνθους dixêre *Heſych.* Ἄκανθος περίγραμμα τῶν περιζωμάτων καὶ ζῶον καὶ φυτὸν καὶ πτηνόν, *Acanthus circumtexta faſcia ſeu limbus ſeu virga, & animal & planta & volatile.* Vide Salmaſ. *ad Vopiſcum Aurelian. c. 46.* Cardui autem genus *acanthium* eſt, araneosâ habens lanugine obducta folia. *Oribaſius*, Ἐπ' ἄκρων δὲ ἀκανθώδεις ἐξοχὰς ἔχει, καθ' ἃ ἀραχνοειδὲς ἐπὶ χνοῦς, ὃ συλλεγόμενον καὶ ἐπὶ ἐσθῆτας βομβυκώδεις γίνεται. Et multo ante eum Plin. *loc. cit.* *Foliis aculeatis per extremitates & araneosâ lanugine obductis, quâ collectâ etiam veſtes quædam bombycinis ſimiles fiunt in Oriente.* Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l. 4. c. 23.* & Salmaſ. præfatum *ad Solin. p. 337.*

ACANTHINE, Arabici ſinûs inſul. apud *Ptol.* *Angatina Stuckio*, proxima Daphninæ, inter inſul. Magorum & Orneon

ACANTHO, mater quarti Solis, apud Arnobium *adv. Gentes l. 4.* *Quinque Soles—quartus Jalyſi pater, quem Rhodi peperit heroicis temporibus Acantho.*

ACANTHON, Mons Ætoliæ, Plin. *l. 4. c. 2.*

ACANTHOS, Græcè Ἄκανθος, ſeu Ἀκανθῶν πόλις, Urbs Ægypti, non procul à Memphi, in eodem latere, Libyco videlicet ab arbore Ægypti celebri, quæ ἄκανθος, h. e. *Spina*, nomen adepta, quòd in eâ eſſet ſpinæ Thebaicæ ingens lucus. *Stephanus*, Ἄκανθος, Μέμφιδος ἀπέχουσα σταδίους τριακοσίους εἴκοσι καὶ ἑτέρα, ἐν ᾗ τὸ ἄκανθος τῆς Θηβαικῆς ἄλσος ὑπάρχει. *Acanthus Memphi diſtans ſtadiis trecentis viginti & altera, in qua ſpina Thebaica ſylva ingens.* Ubi *alteram* vocat, quia prima, quæ ibi recenſetur Urbium, hôc nomine in Thraciâ erat. Conferebat arbor hæc, unde Urbi nomen, flores Coronariis & Medicis, in totum diverſa ab Acaciâ, ſpinosâ & ipsâ arbore, in eâdem Ægyptô naſcente, quæ ſuccum è foliis & fructu expreſſum dabat multi uſus in Medicinâ, ut diximus. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 532. & ſeqq.* Fuit & herba topiaria ejus nominis, *Paderos* quoque dicta, de qua idem *p. 535. 565. & 1128.* Sed & limbus veſtium, *Acanthus* dictus, occurrit apud Virgilium, *Æn. l. 1. v. 653.* ubi *velamen croceô acanthô circumtextum*, tunica eſt per extremitatem oræ infimæ limbum habens croceum, ad inſtar *acanthi*, flexibilis virgulti. Hinc *Heſych.* Ἄκανθος, περίγραμμα ὑφασμάτων, &c. Vide eundem *p. 300.* & ſuprà quoque in *Acanthina*.

ACANTHUS, puer regius, in florem ſui nominis converſus Cujus folia occaſionem præbuerunt ornamentis pulcherrimis ſculpturæ. Vide Virgil. *Ecl. 3.* Ex Acanthô triumphum Cæſaris, Pontô devictâ, vide apud. *Vellej. Paterc. l. 2. c. 56.* Eſt item civitas Ægypti prope Memphin. Plin. *l. 4. c. 10.* Scalig. *in Euſeb.* Item oppid in Macedoniâ, ſive Ætoliâ, quæ eſt urbs Acarnanum, in quâ mutas eſſe cicadas *Steph* ſcripſit. *Eriſſo Sophiano.* Item aliud in Aſia juxta Ninum fluvium, quod olim *Dulopolis* vocabatur. Plin. *l. 5. c. 28.* Item Inſul. quædam Plin. *l. 5. c. 32.*

ACANTHUS, Biſalta, Urbs Ægypti.

ACANTHUS, urbs *Olymp. 31.* *Condita, & Stagira*, in Iſthmo, utrinque montis Atho, Euſeb. *num. 1360.* De *Acanthô* à barbaris deſertâ & contentione inde ortâ inter Andrios & Chalcidenſes, adi *Plut.* laudatum Ioh. Marſhamo Sec. XVII. ubi *de Græcorum Coloniis*. Vide quoque infrà *Andros*.

ACAPARAM, urbs in littore Ponti Euxini, *Carpo Vecchio*. Davity *deſcript. Aſiæ*.

ACAPEATÆ, populi circa Mæotim. Plin. *l. 6. c. 7.*

ACAPIS, fluv. Aſiæ apud Lazos populos.

ACAPNA ligna, Græcis Latiniſque, quæ fumum non emittunt accenſa, alias *coctilia*, Ulpiano *l.* 167. *ff. de verbor. ſignific. ligna coctilia ne fumum faciant*: cujuſmodi tabernam pater Pertinacis Imperat. in *Liguriâ* exercuiſſe & coctilia paraſſe ac vendidiſſe, legitur apud Jul. Capitolin. in *Vitâ* Imperat. hujus *c.* 3. Artem hoc modo *acapna* parandi paucis Theophraſtus deſcribit *Hiſt. l.* 5. Δεριμύτατον, inquit, ὁ καπνὸς συκῆς καὶ ἐρινεῶ καὶ εἴ τι ἄλλο ὀπῶδες, αἴτιον δ' ἡ ὑγρότης· φλογισθέντα δὲ ἀποβρεχθέντα ἐν ὕδατι ἐπιρρύτῳ καὶ μετὰ τοῦτο ξηρανθέντα, πάντων ἀκαπνότατα καὶ φλόγα μαλακωτάτην ἀφίησι, *Acerrimus fumus ficus* — *& ſi quæ alia arbor ſucci plena; cauſa autem humiditas. Cum verò accenſa irrigantur flumine & poſtea exſiccantur, omnium maximè acapna evadunt & tenerrimam emittunt flammam.* Erant & aliæ rationes iſtiuſmodi ligna parandi: Nam, ut Cato docet, *coſta ſole & conſperſa amurcâ fumum non faciunt.* Atque iſta fuerunt, quos olim admiratus Anacharſis dixit, τὸν μὲν καπνὸν ἐν τοῖς ὄρεσι καταλείπετε, τὰ δὲ ξύλα εἰς τὴν πόλιν κομίζετε, *Fumum quidem in montibus relinquere, ligna vero in Urbem deferre.* Ferè enim, qui coctiliariam faciebant, degebant in montibus aut ſylvis, ut Pertinacis pater in *Apennino*. Brevia autem fuêre hæc ligna, neque multum à carbonibus diverſa; & non manu, ut ligna, ſed batillis tractari ſolita. Unde legimus apud Trebellium Pollionem *in Claudio*, *c.* 14. *Coctilium quotidiana batilla quatuor*, &c. Vide Salmaſ. *ad loc. cit.* & infrà, in *Batillum*, *levane*, item in voce *Coctilia*.

ACAPULCUM, urbs Americæ in novâ Hiſpan. cum portu, in orâ maris pacifici; in provinc. Mexicanâ, & caſtro permunitô. 80. leucis Hiſpan. diſtat à Mexico in meridiem.

ACAR, Latinè *ſterilis*, ſive *enervans*, vel *truncus*, fil. Ram, primogeniti Jerameel. 1 Chron. *c.* 2. *v.* 27.

ACARA, oppid. in mediô Pannoniæ. Item, in octavâ Italiæ regione, non procul à Regio Lepido. Strabo *l.* 5.

ACARAGA, oppid. Americæ meridionalis in regione Paranâ, & ad Paranam fluv. Aliter *Nativitas beatæ Virginis*, diſtatque 45 leucis Hiſpan. à fluv. Argenteô.

ACARASSUS, urbs Lyciæ. *Steph.*

ACARIA, fons in agrô Corinthiô, apud quem Iolas Euryſtheo caput amputavit. Strabo *l.* 8.

ACARMAN, vel CARMAN, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

ACARNANIA, quæ antea *Curetis* appellata fuit, teſtibus Pauſaniâ & Pliniô *l.* 4. *c.* 1. regiuncula & pars Epiri eſt, merſa medio ſinu Ambracio. Plin. *l.* 2. *c.* 90. In hâc eſt oppid. *Leucas*. *Mar. Niger* ſcribit, hodie hanc *Deſpotato* vulgò dici. Hanc autem regionem Achelous amnis ab Ætoliâ dividit, vel (ut *Solinus*) Pindus mons, qui Acheloum parit. *Steph.* Incolæ *Acarnanes*, quos annum ſex menſibus computare ſolitos, ſcribit Macrobius *Saturn. l.* 1. *c.* 12. Mollities, & laſciviæ apud veteres notati leguntur, apud Lucianum in *Meretriciis*; unde proverbium, *porcellus Acarnanius*, in laſcivos. In Acarnaniâ autem, ut in Epiro, gignuntur equi, corpore & viribus maximi, eximiique pretii, hinc aliud manavit proverbium, Ἀκαρνικοὶ ἵπποι, de re quâpiam inſigni. Clades Laconum in Acarnania acceptas, deſcribit Thuc. *l.* 2. Eſt & civitas non procul à Syracuſis (Cicer. in *Piſon. c.* 40.) in quâ Olympii Jovis antiquiſſimum fanum fuit, quæ à Gothis exuſta eſt. Item, regiuncula Ægypti, Serv. in *l.* 5. *Æn. v.* 298.

ACARNAS, vel ACARNAN, mons Atticæ admodum lapidoſus. Senec. *in Hippol.* Act. 1. *v.* 20.

——— *Vos, quà tepidis*
Subditus auſtris, frigora mollit
Durus Acarnan. ———

ACARNE, oppid. circa Magneſiam. Plin. *l.* 4. *c.* 9.

ACARON, civitas Palæſtinæ quæ Cæſarea vocatur. Plin. *l.* 5. *c.* 14. Scribitur aliàs *Accaron*; Hebr. *Ekron*, i. e. *extirpatio*. Joſ. *c.* 15. *v.* 45. 46.

ACARRA, urbs Achajæ. *Steph.*

ACASIS, filia Minois, quæ ex Apolline filios habuit, Cydonem & Oaxem, à quibus Cydonia & Oaxe, Cretæ urbes. *Steph.*

ACASTA, nympha, Oceani & Tethyos filia. Heſiod. in *Theogon. v.* 355.

ACASTUS, Peliæ Theſſalorum Regis fil. venator ſagittis clarus. Ovid. *Metam. l.* 8.

——— *Jaculoque inſignis Acaſtus.*

Uxorem Cretheidem, ſive Hippolytem duxit, quæ cùm Peleum amaret, neque ille contrà hujus amori obſequi vellet, ultrò eum de ſtupri appellatione apud virum accuſavit. Itaque Acaſtus, Peleô cum venationis causâ in ſaltum Pelei montis abductô, ibique omnibus armis ſpoliatô, feris lacerandum eum præbuit. Verùm Chiron, ſive is Mercurius fuit, interveniens, acceptâ Vulcani machærâ, Peleum liberavit: qui poſtea domum reverſus, Acaſtum cum uxore interfecit. Hor. *l.* 3. Od. 7.

Narrat penè datum Pelea Tartaro,
Magneſſam Hippolyten dum fugit abſtinens.

Vide Pindarum *Nem. carm.* 4. & 5.
Ovid. *Met. l.* 11.

—— *Magnetas adit vagus exul, & illic*
Sumit ab Æmonio purgamina cædis Acaſto

Et *Faſtorum l.* 2.

Mirmidon Peleus, ipſum quoque Pelea Phoci
Cæde per Æmonias ſolvit Acaſtus aquas.

ACASTUS, Archon Athenis τῶν διὰ βίου II. poſt Medontem præfuit ann. 36. circa tempora Davidis Regis Sub illo *Ionica migratio* Nilo auctore contigit. Illum excepit Archippus. Joh. Marſhamus *Canone Chron. ad Sec.* XIII.

ACATHARTUS, i. e. *impurus*, ingens ſinus in mari Arabicô, verſus Ægyptum. Strabo. *l.* 16.

ACATHISTUS Hymnus, vigilia maximè ſolennis, Sabbato quintæ hebdomadæ Quadrageſimæ, in matutinis in honorem B. Virginis, obſervata, in Eccleſiâ Græcâ, in memoriam triplicis liberationis à Barbarorum incurſionibus; quam ejuſdem ſanctiſſ. Virginis apud Deum pro urbe Conſtantinop. interceſſioni adſcripſerunt. Gr. Ἀκάθιστος, i. e. *ſine ſeſſione*, totâ enim illa nocte ſtando celebrabatur, dum in honorem Deiparæ hymni laudeſque inceſſanter canebantur. Ita enim *Gretſerus* ex Bibliothecæ Bavaricæ quodam M. S. *Civitas verò illæſa permanens, interceſſione Deiparæ quotannis, eodem tempore hymnum gratiarum agendarum causâ concinit, dicens illum Acathiſton, quaſi ſeſſionis expertem nominans.* Domin. Macer *Hierolex. Franciſc. Junius* hanc vigiliam inſtitutam cenſuit, in memoriam itineris Mariæ Virginis, unà cum Joſepho Bethlehemum. Sed ex Græcorum *Triodio* aliter apparere, refert *ibidem Carolus proprius* frater. *Cl. Meurſius*, à victoria, quam Heraclii Imperat. tempore adverſus Choſroæ Perſarum Regis legatum Græci obtinuerunt, hymno originem acceſſit, *in Gloſſario.* Sed & Ἀκάθιστος, ipſius *B. Virginis* epitheton, in *Typico Sabæ c.* 32. & 33. *Menologio*, menſe Martii; apud Codinum, & Marcum Hieromonachum *de Typici dubiis c.* 30. uti docet Jo. C. Suicerus *Theſauro Eccleſiaſtic.* voce hac: plura apud Meurſium *d. loc.*

ACATON, mons Ætoliæ.

ACATUCCI, Hiſpaniæ oppid. *Antonino*

ACAVATHA, Syriæ urbs. *Liber Notit.*

ACAUNUM, Monaſterium in loco vallis Penninæ vel Sedunenſis *Acauno*, quod illuſtre fecerunt Sepulcra Martyrum legionis Felicis Thebæorum, Mauritii commilitonumque ejus ibi occiſorum. Exſuperii, Candidi, aliorumque, quos Gregorius *Sanctos Agaunenſes* vocat. Extruxit illud Sigiſmundus *Burgundiorum* Rex fil. Gondobadi, donariiſque & Baſilicis magnificè ornavit, ac prædiis locupletavit, *Gregor. Turonenſ. Fredegarius*, *Aimoinus*, &c. Hodie incolis *S. Mauritzen im Valle*, Gallis *S. Maurice*, aliàs *S. Martin & S. Moritz*. Extiterunt in Monaſterio duæ olim Baſilicæ, altera S. Johannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, altera B. Mauritii cæterorumque Commartyrum. Significat autem *Agaunum* veterib. Gallis *ſaxum* vel petram, & *Cluverio* ac *Simlero Tarnaja*, vel *Tarnada* videtur; in Tab. Peutingerianâ. Vide infrà in voce *Agaunum*.

ACAXIUM, oppid. provinc. Farimæ, in Inſul. Japoniæ in Aſiâ. Diſtat à Meacô, urbe primariâ Inſulæ 25. leucis, teſte *Briettio*.

ACAXUTLA, portus Americæ Septentrional. in orâ maris Pacifici, in novâ Hiſpaniâ & regione Guatimalâ, 7. leucis ab oppidô S. Salvatoris.

ACBARUS, vide *Abbarus*.

ACCA, ſeu ACCAS Epiſcopus Hagulſtadenſis, Bedæ σύγχρονος. De cujus ſcriptis, vide Voſſ *l.* 2. *de Hiſt. Lat. p.* 278. Obiit A. C. 740. inter Sanctos relatus, *in Cod.* 141. *Bibl. Sangerman.*

ACCA, ſoror & comes Camillæ. Virgil. *Æn. l.* 11. *v.* 820.

ACCA LARENTIA, Fauſtuli regis paſtoris uxor, quæ Romulum, & Remum lactavit, & maternâ ſolertiâ gubernavit. Hæc vocata eſt *Lupa*, eo quod nobile ſcortum fuit; tales enim, ob avaritiam, *lupæ* nuncupantur. *Servius.* A Gellius, *l.* 6. *c.* 7. *Acca Larentia corpus in vulgus dabat, pecuniamque emeruerat ex eo quæſtu uberem. Ea, teſtamento (ut in Antiatis hiſtoriâ ſcriptum eſt,) Romulum regem ut alii, populum Romanum bonis ſuis hæredem fecit. Ob id meritum à Flamine Quirinali ſacrificium ei publicè fit, & dies è nomine ejus in Faſtos additus.* Vide Voſſ. *de Idol. l.* 1. *c.* 12.

ACCA Taruntia, uxor Taruntii, nobilis Tuſca. Vide Scalig. *in Varon. de* L. L. *p.* 78.

ACCABICONTICHITÆ, populi ſunt in Mauritaniâ, non procul ab Atlantis monte, *Steph.*

ACCABICUS Murus, oppid. circa Herculis columnas, à Carthaginenſibus conditum *Steph.*

ACCABUSSARE, vox infimæ ætatis, apud Car. du Freſne, in *Statutis* MSS. *Maſſilienſis Urbis l.* 5. contra eos, qui ludendô jurant: *Et ſi illos* 12. *denarios dare & ſolvere non poterit*, accabuſſetur, *penitus indutus cum veſtibus, quas tunc detulerit, in portu Maſſiliæ, vel in vaſſato, quod eſt in Portali Callatæ, uſque ad Portale S. Martini, tot vicibus, quot juraverit.* Idem quod *immergere*, in mare demittere, Gr. καταποντίζειν, Gall. *bailler la Cale*: eſt enim Occitanis, *Cabuſſa*, *faire la culbute*, pronô capite prolabi. Pœna in meretrices & lenones vulgò decreta, etiamnum apud Burdigalenſes, quâ ii in caveâ ferreâ incloſi in mare demittuntur & ſubtus navem denuò ſubmerguntur. Vide *Conſuetud. Soleuſon tit.* 26. *artic.* 6. & quæ de hac pœnæ ſpecie obſervat Cleiracus *ad leges maris Oleronenſis art.* 31. laudatus præfatô Car. du Freſne *Gloſſar.*

ACCADIA, provinc. novæ Franciæ, in Americâ Septentrionali, Nova Scotia ab Anglis dicta, qui illam occuparant. Sed reddita fuit Francis pace Bredanâ. Ibi locus præcipuus eſt Portus Regius.

ACCADIA, Urbs Principatus ulterioris in regnô Neapolitanô. *Davity.*

ACCARA, oppid. Africæ in Guinea regione duplex nempe magnum & parvum, in orâ, inter fluv. *de la Volta*, & fortalitium S. Georgii de Mina.

ACCARON, civitas Philiſtinorum, juxta Azotum: Jamnetorum portum, l'ἀκρὸν τῶν Ptolemæi eſſe vult *Poſtellus*. Vide *Cæſarea Paleſtinæ*. Celebris fuit Idolo Beelzebub. 1 Reg. *c.* 1. *v.* 6.

ACCAS, vide *Acca*.

ACCENDENTES, vide infrà *Acoluthi*.

ACCENDONES, apud Tertullian. *de Pall. c. ult. Verùm & accendones & omnis gladiatorum ignominia togata producitur* ex correctione Salmaſii, cùm priùs legeretur *& cerdones*: Laniſtæ ſunt, quomodo eos vocare *Tertulliano* libitum eſt, quòd gladiatores *accenderent* & excitarent ad pugnam. Idem *ad Martyres*: *Nec tantus ego ſum, ut vos alloquar: Sed tamen & gladiatores perfectiſſimos, non tantùm Magiſtri & Præpoſiti ſui, ſed etiam idiotæ, & ſupervacui quique adhortantur de longinquo, ut ſæpe de ipſo populo dictata ſuggeſta, profuerint.* Ubi Magiſtri & Præpoſiti gladiatorum laniſtæ ſunt, qui eos de propinquô adhortabantur & accendebant, dictataque illis ſugge-

rebant. Ideoque & cum gladiatoribus productos dicit heic Auctor, ut pugnaturis adſiſterent, & ad fortiter faciendum incitarent. *Accenſores* itaque ſunt *ἐρεθισταί*, ab *accendo*, ut *Comedones* à *comedo*, &c. Virgilius: *Æn. l. 7. v. 550.*

Accendamque animos inſani Martis amore.

Et alibi: *Æn. l. 6. v. 165.*

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu &c.

Togati hi fuêre, ut & gladiatores; unde togam inter gladiatoria Commodi inſtrumenta & ornamenta recenſet, in *Pertinace*, Jul. Capitolin. *c. 8.* quorum hi tamen, cum pugnarent, illas deponebant, Vide Salmaſ. *ad Tertullian. loc. cit. p. 473.*

ACCENSI, Magiſtratuum apud Romanos miniſtri erant qui acciebant: unde Ælii verſus:

Ubi primum Accenſus clamavit meridiem, &c.

Livius de Decem-Viris Conſularibus, *Penes Præfectum Juris*, inquit, *duodecim faſces erant, & Collegis novem ſinguli Accenſi, apparebant.* Non autem ſolum accire ad Prætorem, ſed etiam, moleſtis interpellatoribus ſilentium imponere, eorum erat, unde Cicer. *Ep. ad fratrem: His rebus nuper C. Octavius jucundiſſimus fuit, apud quem primum Lictor quievit, tacuit Accenſus, quoties quiſque voluit dixit & quàm voluit diu.* Dabatur autem id muneris Libertis. Hinc idem ad Appium cum ſcribit, Pauſaniam, Lentuli libertum, *Accenſum* ſuum vocat. *l. 3. Ep. Famil. 7.* Vide Thom. Dempſter. *Antiquit. Rom. l. 7. c. 48.* his apud Anglos ſimiles ii, quos vocant *Bayliffs*, erant, Thom. Godwin *Antholog. Hiſt. Rom. l. 3. ſect. 2. c. 6.* Sed & *Accenſi* militum genus, vide infrà *Milites.*

ACCENSIO lucernarum, Ægyptiorum feſtum, de quo vide infrà *Lucerna.* Item Hebræorum, vide *Luminum Feſtum.*

ACCENSOR, idem cum Delatore. Gloſſ. Lat. Græc. *Accenſor*, *εἰσαγωγεὺς*, *εἰσηγητὴς*, *βύλαγγος*. In Gloſſ. vero Græc. Lat. *Εἰσαγωγεὺς* eſt *Lator*, *inſtitutor.* Ubi Car. *du Freſne* judicat legendum *Delator*: quia apud Heſych. *εἰσαγωγεὺς* dicitur eſſe *ἀρχὴ Ἀθήνησι τῶν ἐγκλήματα εἰσαγόντων. Magiſtratus Athenis eorum, qui crimina deferebant.* Poſtea tranſlata vox, ad denotandum *Acolythum*, cui incumbit cura accendendi lumina in Eccleſia. Heſych. *Λαμπτῆρες*, *λυχνάπτης*, *λαμπαδοῦχος*: Græcis recentioribus *κανδηλάπτης*. Hinc apud Honorium Auguſtodunenſ. *l. 3. c. 64. Acolythus, qui eſt accenſor luminum*, vide in voce *Acolythus*, & plura in hanc rem, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ACCEPTA, vide infra *Datarius.*

ACCEPTOR, vox Latio veteri cognita, teſte Soſipatro *l. 10.* in uſum dein revocata à Scriptoribus medii ævi & in *LL.* antiquis frequens: in Salica *tit. 7. § 1. 2. 3.* Burgund. *add. 1. c. 11.* Longobard. *tit. 104. §. 18. 19. 20. &c. accipitrem* notat. qui Hebr. [illegible] nets, quòd ejus volatus velociſſimus ſit. Unde Græcis modò *αἰγυπιὸς*, modò *κίρκος*, modò *ἱέραξ ὠκύπτερος πετεηνῶν*, Heſiod. *in ἔργοις v. 210.* Homer. *Iliad. ο. v. 237.* & *Odyſſ. ν. v. 86.* Unde de Franciſci I. Regis Gall. accipitre, qui unâ brevi nocte, è Villeriæ caſtro, Londinium ſe contulit & notis ſuis agnitus, ad dominum remiſſus eſt, Thuanus *de Re Accipitraria.*

- - - - - - - Fugit ille per auras
Perfidus emanſor, rapidiſque per ahra pennis
Tormento properat, volucrique citatior Euro,
Et Tarteſſiaco dum Sol lavat æquore crines,
Rurſus & Eoâ mortales lampade tingit,
Oceanum ſupra fertur Tameſinque Britannum,
Londini & feſſus tandem ſuper aſtitit arce.

Quam ob cauſam, apud Ægyptios, *accipiter* venatorum fuit ſymbolum, ut teſtatur Orus *l. 2. c. 14.* nec defuêre, qui ob id ipſum Soli eum fuiſſe conſecratum dixerint. Euſtath. *Od. ο.* & proin *ἱέρακα* Græcis nominatum. Quemadmodum idem *ſacer ales* Virgilio *Æn. l. 11. v. 721.*

Quàm facilè accipiter ſaxo ſacer ales ab alto.

Quamvis alii ideò ſic dictum malint, quod Ægyptiis ex ſacris animalibus nihil fuerit tam ſacrum, quàm ibis & accipiter: utpote apud quos, ſi quis aliud animal invitus necaviſſet, ad Sacerdotum arbitrium multabatur, at *quiſquis ibin aut accipitrem necaverat, ſive volens aut invitus necaſſet, tum mori neceſſe erat* Herodot. *Euterpe.* Quin hodieque *Sacrum* cenſent, inter accipitrum aut falconum ſpecies; quam tamen vocem non Latinam, ſed Arabicam, eſſe, docet Bochart. ex *Sakara*, quod *acute videre* denotat &c. Eſt autem hæc avis venatui aptiſſima, ob ipſam hanc pernicitatem: unde *Accipitrariæ* venationis mentio jam apud Cteſiam in Photii *Excerptis*, *Indi lepores & vulpes venantur non canibus, ſed corvis, milvis cornicibus & aquilis*: quod ex eodem Cteſia pluribus explicat Ælian. *l. 4. c. 26.* Et in *Mirabilib.* docet Ariſtoteles, quâ arte, circa Thraciæ Amphipolin, [illegible] *ex pagis & agris finitimis ad aviculatum aucupium egredientes pueri, accipitres in aucupii ſocietatem aſſumunt.* Quod idem narrat Antigonus *Hiſtor. 14.* Vide quoque Plin *l. 10. c. 8.* Geſnerum *in Avibus p. 14.* ex Græca Paraphraſi Oppiani *Ixeutic.* Apuleium *Apolog. 1.* Jul. Firmicum Matheſ. *l. 5. c. 7. & 8.* Alios. Unde non *abs re dicit quis*, cur Chryſoſtomus ad locum Hiobi *c. 39. v. 29.* Accipitres poſuerit in cenſu *τῶν ἀχρήστων καὶ εἰκῆ δοκούντων εἶναι, rerum inutilium, quæque fruſtra videntur eſſe?* Et reſponderi quidem poſſet, magnum virum, ut erat ſeverus admodum victoris cuſtos, rigiduſque ſatelles, potuiſſe hujuſmodi aucupia habere pro ſuperfluis, & iis accenſere, in quibus tempus inutiliter teritur. Sed, quod fortè verius, pleraque hæc parùm ſunt ad rem, neque *accipitrariis* aucupii vetuſtatem ſatis arguunt. Nam quæ ex Cteſia de Indis, ex Philoſopho de Thracibus, ex *Plinio* de Cratero afferuntur, rudimenta ſunt artis, eaque ſolùm apud Barbaros, nondum apud Græcos recepta. Et apud Martial. *l. 14. Epigr. 216.*

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis; idem
Decipit & captas non ſibi mœret aves:

ut & Oppianum *loc. cit.* Accipiter aves decipit, aut percellit. nondum capit. Et in *Apuleio*, aucupandis avibus quæritur: non ut ipſe capiat, ſed ut capientibus adſit. Solus *Firmicus* qui ſub Conſtantino vixit, aucupii hujus disertè meminit, ſed de mendo non ſine ratione Bocharto ſuſpectus. Interim certum eſt, illud non diu poſt Chryſoſtomum floruiſſe: Namque meminit ejus, qui ſtatim ſequitur, Proſper. *de Vita contempl. l. 3. c. 17.* & Sidon. Apollinaris paſſim, inprimis *Panegyr. ad Avitum Imperat. & Conſul.* A. C. 456.

Quid volucrum ſtudium, dat quas natura rapaces
In vulgus propè cognatum! Quis doctior iſto
Inſtituit varias per nubila jungere lites!
Alite vincit aves, celerique per æthera plauſu
Hoc nullo melius pugnator militat ungue.

Exinde creſcente luxu, cum in Gallia Clerici quoque canes & accipitres alerent, vetuerunt id multa Concilia ineo VI. Seculo, Agathenſe *can. 55.* Epaonenſe *can. 4.* & Matiſconenſe II. *Can. 13.* Unde patet, erràſſe Leandrum & Pancirollum, qui Friderico Barbaroſſæ, Pandulfum item Collenutium, qui Henrico VI Imperatori aucupii hujus inventum tribuunt. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l. 2. c. 19. &c.* Cùm autem *Accipitris* variæ ſint ſpecies, *Sacer* inprimis ſic dictus memorabilis eſt, & illa, quam *Albaſak* Arabes vocant, avis pulcherrima, minima rapacium, quæ paſſeres venatur; aut etiam, ſecùndum Damirem attagenes, columbas & turtures, niſus ſcil. ſeu ſparverius: ut & ille, quem *triorchis* ſeu *buteonem* appellant, de quibus vide *ſuo loco.* In *LL.* Alamannorum *tit. 99. §. 20.* occurrit *Acceptor, qui aucam mordet*, qui *Gauhapich*, voce German. dicitur in *L.* Bajuvar. *tit. 20. §. 2.* Ibid. *Accipiter qui gruem mordet*, German. *Cranechhapich*: in *L.* iterum Bajuvar. *tit. cit. §. 3. Acceptor*, qui anates perſequitur, *Antapich*: cujuſmodi anatum hoſtes *Lanarios* Galli vocant, ut obſervat Albertus M. *de Animal. l. 23. c. 8.* &c apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Nec omittendum, migratoriam quoque avem eſſe *Accipitrem*, ſaltem pleraſque ejus ſpecies, ſolo buteone & æſalone exceptis, quos ſemper apparere tradunt, Philoſophus *Hiſtor. Animal. l. 8. c. 3.* & Plin. *l. 10. c. 8.* Atque hunc verba illa Hiobi *c. 39. v. 29.* *An per prudentiam tuam plumeſcit accipiter, expanſis alis ſuis verſus Auſtrum*: nonnulli ſic reddunt, *Numquid per prudentiam tuam volabit accipiter alis ad Auſtrum expanſis?* ut ſenſus ſit: *An providentiæ tuæ debet id imputari, quòd ingruente hyeme, ad Auſtrales Mundi plagas volat accipiter?* Sed &, uti aquila, ita etiam accipiter, Solem inconnivis oculis intueri traditur, neque inde quidquam offendi, Ælian. *l. 10. c. 14.* ob quod ipſum, Ægyptii Horo, i. e. Soli vel Apollini, avem hanc ſacram eſſe voluêre &c. Plura hanc in rem vide apud Bochart. *Hieroz. dicta P. II. l. 2. c. 19.* & infrà voce *Accipiter.*

ACCEPTORIA Ars, ab *Acceptor*, i. e. *Accipiter*, Gloſſæ veteres Lat. Græc. *Acceptor ἱέραξ, δοχεὺς*: Vox frequens in antiquis Legibus, nec Lucilio neglecta, qui dixit:

Exta acceptoris & ungues.

Ars eſt accipitraria, quam non fuiſſe ante Frideri Barbaroſſam jam exiſtimavit *Blondus*, qui circa A. C. 1246 captâ jam Parmâ, *aves rapaces & cicures, præter uſitatas in Italia multas, in quibus falcones, chilvones, aſtures & gerfalchi albi*, populo in ſpectaculum conſpiciendas dediſſe Imperatorem refert. At ex antiquis Legibus conſtat, non ſolum inventam eam eſſe ante 1000. plus hinc ann. ſed pro more etiam noſtri ſeculi & diſciplinæ, à Gallis Germaniſque fuiſſe illuſtratam, vide in L. Salica, *tit. 7. §. 1. 2. & 3.* in *LL.* Ripuariis *tit. 36. §. 11.* in *LL.* Friſonum, Bojorum *tit. 20. §. 2. &c.* Imò tantum admirationis in hoc voluptatis genere poſuêre olim Veteres, ut lege etiam prohiberent, ne quis ſpatham vel accipitrem ſuum in ipſam capitis redemtionem cogeretur dare; ſcil. cum hic non minus eſſet vitæ ſolatium, quàm illa libertatis vindex atque præſidium: Quin & ipſos, qui vel canem vel accipitrem alterius furtim ſubtraxiſſent, omni ludibriô & dedecore ſugillandos decernerent: Burgundiones in *LL. ſuarum Additam. 1. tit. 10.* Imò & majorem adhuc hujus artis antiquitatem loqui videtur, quod in Notitia Occidental Imperii, Ordo militum, qui *Sagittarii Venatores* dicti ſunt, auſpicium nominis ſui, accipitrem gerunt in clypeo, pro inſigni. Taceo Gaufredum I. Brit. D. iter Romam carpentem, à muliere, cujus gallinam accipiter ejus invaſerat, lapidis ictu necatum, A. C 1008. Certè Rex Angliæ Alvredus, inter bella, omnem venandi artem egiſſe, Aurificeſque & Artifices ſuos omnes, Falconarios, Accipitrarios, Caniculariosque docere non deſiiſſe legitur. Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Vide ſuprà *Acceptor.*

ACCEPTORIUM, nomen libri, in *Ep 41.* Bonifacii Moguntini-Archiepiſcopi: *Libellum quendam habes, qui non eſt major acceptorio duarum ſeptimanarum, quem ego legere cupio.* Ubi videtur intelligi, inquit *Car. du Freſne*, tot foliis conſtitiſſe librum, quem ſibi dari cupiebat, quot officium Eccleſiaſticum duarum ſeptimanarum continebat: At cur id *Acceptorium* appelletur, negat ſe planè aſſequi, niſi legendum ſit *Exceptorio* aut *Excerptorio*, in *Gloſſ.*

ACCESSUS, ſeu ACCESSIO, de Mari, cùm creſcit, Lat. *Venilia*, vide *ibi.* Item de Nilo. Seneca, *l. 4. Natural. Quæſt. c. 2.* *Nilus autem per quatuor menſes liquitur, & æqualis illi acceſſio eſt.* Quod *Herodot.* de eodem flumine loquens *πελάζειν* vocat, unde vox *πέλαγος* orta: [illegible] *Incipit quidem Nilus à Solſtitio æſtivo abundare per centum dies: Cum verò in hoc dierum ſpatio acceſſerit* (id eſt, excreverit) *tum retro redit ac reſilit.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 436.*

ACCETTURA, urbs Baſilicatæ, in regno Neapolitano Dativy.

ACCHITÆ, populi Arabiæ, juxta collum rubri maris. Plin. *l. 6.*

l. 6. *c.* 28. apud *Steph.* ſunt Α'κχλωοι ἐπὶ τῷ μυχῷ τῆς Ε'ρυθρᾶς θαλάσσης.

ACCHO, Latinè *compreſſus*, vel *confractus*, Palæſtinæ locus, Judic. *c.* 1. *v.* 31. qui *Ptolemais* vocatur, uti cenſet *Franc. Junius.*

ACCI, *Ptolemæo* Hiſpaniæ Tarraconenſis oppidi Epiſcopale olim *Acci* dictum. *Vaſæus*, & *Ambr. Mor.* *Guadix* interpretantur. longitud. 18. 6. latitud. 37. 55. *Baudrando*, *Acci*, *Guadix*, ad radices montium, juxta fontes fluv. *Guadalentum*, 18. leucis à Gienno in Eurum, Mauris erepta A. C. 1489.

ACCIA, ſeu ATIA, filia Juliæ, ſororis Cæſaris & M. Atii Balbi, qui, cùm Præturam exerceret, unus ex 20 fuit, qui in Campania plebi agros diſtribuerunt, ex lege Julia. Auguſti Cæſaris mater. Sueton. *Vita. c.* 4.

ACCIA, Urbs Corſicæ, olim Epiſcopalis nunc in ruinis jacet, in parte Orientali Inſul. Epiſcopatus vero unitus eſt Marianenſi.

ACCIAJOLUS Rainerius, Dux Athenarum, quas, poſtquam Imperatorib. Græcis ſubfuerant, ab Arragonibus occupatas, his eripuerat, cum uxor ejus Eubois nullam ei prolem maſculam peperiſſet, filium nothum reliquit Antonium, cui moriens Bœotiam cum Thebis, Venetis verò Athenas legavit; quod factum tempore Petri Zani Venetæ Reipubl Ducis. Sed ii rurſus potitus Antonius, Nerium ſucceſſorem habuit. Vide Franc. Roſlæum *Archæol. Att. l.* 1. *c.* 7. Fuit & Francus *Acciajolus*, ultimus Athenarum Dux, quem Mahometes II. intellectò ad agi, ut Athenæ Principi Bœotiæ traderentur, à Zogane, Peloponneſi Præfecto, in vincula conjici juſſit. Idem *ibid.* Vide quoque Chalcocondylam *l.* 9. &c & in voce *Acciolus.*

ACCILLA urbs Siciliæ Livi *l.* 24 *c.* 35.

ACCINCTI, vide infrà *Cincti, Cinctus Gabinus.*

ACCIOLUS, *Acciajolus.* Vide *Donatus Acciajolus.*

ACCIPERE, verbum myſticum Arnobius *l.* 7. *adv. Gent.* *Quod Tellus eſt mater, conſimiliter Gravida accipienda eſt ſcrofa.* Ita θεῖα ὑποδέχεσθαι Græci frequenter ajunt. Artemidorus *l.* 3. *c.* 14. Οἱ γὰρ ἐν ὑποδοχῇ γενόμενοι, θεοὺς τε τοῖς θεοῖς ὑποδέχονται αὐτῶν. Vide Heraldum *ad Arnobii l. p.* 269. Aliam notionem itidem ſacram, vide infrà in *Crypta Sacra*, item *Cabbala.*

ACCIPITER, apud Ægyptios venti fuit ſymbolum, teſte Orô *l.* 2. *c.* 15. ob ſummam volatus ejus celeritatem, quâ id imprimis accipitrum genus, quod ii palumbis necandis φασσοφόνος vocatur, præſtat, ut Porphyrius docet *de abſtinent. l.* 3. Victoriæ item, uti & Noctua, cui ſuppetias ferre ſolet, vide Pier. *Hieroglyph l.* 20. & 21. Apud Tentyritas, Ægypti gentem, pro Numine cultus eſt, Ælian. *Hiſt. Animal. l.* 10. *c.* 4. Σέβουσι δὲ οἱ Τεντυρῖται ἱέρακας. Quod idem de Philarum incolis (hæ in confinio Ægyptiorum atque Æthiopum ſitæ ſunt) tradit Strabo *l.* 17. Quare idem Tentyritas, tùm Philæos, capit Voſſ. cùm Cicer. *de Nat. Deor. l.* 3. *c.* 10. *Accipitres ait Barbaris eſſe pro Diis.* Cauſam cultûs ſubjicit Diodor. Sic. *l.* 2. quia Ægyptum purget à ceraſtis, ſcorpiis, aliiſque animalibus: quam quoque rationem ex eo adducit Euſeb. *de Præpar. Evang. l.* 2. Aliam addit idem Diodor. Διὰ τὸ τοὺς μάντεις οἰωνοῖς τοῖς ἱέραξι χρωμένους προλέγειν τὰ μέλλοντα. Imò & tertiam, quam ex ipſo pete, ſi placet. Unde & apud Hermopolim ſimulachrum fuit Typhonis, equi fluvialis, cui *Accipiter* inſiſteret cum ſerpente depugnans, teſte Plut. *de Iſid. & Oſir.* Contrà Coptitæ, qui crocodilos venerabantur, Accipitres, tanquam numinis ſui hoſtes, agebant in crucem, ut idem Ælian. refert, rationem utriuſque cultus hanc adferens, Εἰκάζουσι δὲ τὸν μὲν κροκόδειλον οἱ μὲν ὕδατι, καὶ διὰ τοῦτο σέβουσιν. οἱ δὲ τὸν ἱέρακα πυρί, καὶ διὰ τοῦτο προσκυνοῦσιν, *At Illi quidem crocodilum aſſimulant aquæ: & propterea etiam venerantur. Hi verò Accipitrem comparant igni: & idcirco adorant.* E quibus patet, non injuriâ à quibuſdam vocari in dubium, quod *Strabo* ait, avem hanc à tota Ægypto coli. Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 3 *c.* 100. De venatione, quæ fit ope *Accipitris*, in voce *Acceptor*, *Falco*, item *Protohieracarius*, *Sacer*, *Sacræ aves*: uti de gemma inde dictâ, voce *Hieracites.* Sed & *Accipiter* ſeu circus, Græcè κίρκος, lupi genus apud Oppianum *Cyneget. l.* 3. à curſus velocitate ſic dictum, vide infra, voce *Lupus.* De *Accipitris* avis uſu Heraldico ut aliquid addam, inter Inſignia Comitum *de Sprinzenſtein* in Auſtria Superiori occurrit *Accipiter* (Germ. *ein Sprintz* ſeu *Habich.*) nativo colore, inſidens *argenteis rupibus* ſeu trunco telluri infixo, haud dubiè Dynaſtiæ *Sprinzenſtein* quam ſibi (*Recciorum* prius ſeu *Retziorum* nomine noti) compararunt, teſſera. Inter Budingenſes Dynaſtas (qui jam cum Comitibus Iſenburgicis coaluerunt) Helvigis, dinaſtiæ hæres, ſigillô dicitur uſa, inſignitô mulieris figurâ, longâ veſte, & dextrâ *Accipitrem impoſitum geſtantis.* Quod verò non tam Familiare δόγμα fuiſſe, quàm ex conſuetudine illius Seculi (floruit autem Sec. XIII.) quâ nobiles & illuſtres fœminas illô habitu ſuam ſigillis imprimere imaginem ſolitas conſtat, uſurpatum, judicat *Cl. Spenerus.* Etiam Habſpurgici olim Comites (Archiducum Auſtriacorum progenitores:) *Accipitres* duos ſcuto ſuo committere ſoliti ſunt, fortè ob nomen *Habich*, unde caſtro, *Habſpurg* quaſi *Habichsburch*, binoque illuſtriſſimæ familiæ, appellationem inditam voluere &c. Vide quoque infrà *Falco.*

ACCIPITRUM Civitas, urbs prope Thebas. *Strab. l.* 17.

ACCIPITRUM Inſul. ſeu Hieracum, *Iſle de S. Pierre* Gallis, *Iſola di S. Pietro*, Italis, Inſula parva in ora Auſtrali Sardiniæ.

ACCISI, populi ad Mæotim paludem. Plin. *l.* 6. *c.* 7.

ACCITANA, colonia eſt in Hiſpan. citeriore, in conventu Carthaginenſi Plin. *l.* 3. *c.* 3.

ACCITUM, urbem fuiſſe Hiſpan. Bæticæ in antiquis inſcriptionibus author eſt *Cluſius*, dicimque hodie *Finiana* nominari.

ACCIUS, tragædiographus, natus parentibus libertinis, *duriuſculus*, Cicer. *ad Attic.* & *Licinio ſcriptor ferreus* appellatur, quòd dum tragœdias ex Sophocle in Latinum verteret, talem ſe præſtiterit Quintilian. *l.* 10. *c.* 1. pro ſuo candore, id vitii in tempora rejicit. Tanti eum fecit Brutus, ut ejus verſibus, & templa & monumenta ornaverit; eique ſimulatò, ſtatuam in æde Camœnarum prægrandi ſtaturâ poſuerit, cum alioqui puſillus fuerit.

ACCIUS, Piſaurienſis, cujus accuſationi Cicer. pro Cluentio reſpondit, quemque in Oratore ſuo inter claros Oratores refert: fuit alius *Accius* Navius, vel Nævius, cujus idem Cicer. in *Divinat.* meminit. Vide *Actius.*

ACCIUS Tullius, Volſcorum princeps, Romanis ſemper infeſtus, quibus, Coriolanô adjuvante, bellum intulit. Livius *l.* 2. *c.* 35 & Plut. *in Coriolano.*

ACCLAMANDI ritus, Principibus aliiſque, olim atque etiamnum uſitatus eſt. De Principibus vide tom *alibi*, tum ſuprà, in voce *Abrech.* De Philoſophis Rhetoribuſque dicemus in voce *Sophus*: pauca tamen & hic prælibantur. Formulam proponit Cicero *de Orat. l.* 3. *Benè & præclarè! Bellè & præclare!* vel, ut Græci, καλῶς, ἀληθῶς, σοφῶς, Vide Plut. *de Audit.* Exemplum habes apud A. Gellium *l.* 1. *c.* 5. ubi de Muſonio Philoſopho. Idque, uſque ad adulationem, fiebat. Philoſtrat. *in Alexandro Seleucienſi*: Εὐτάκτως δὲ οὕτω τοῖς Ἀθηναίοις ἔδοξε ὡς καὶ βόμβον διελθεῖν αὐτῷ ἔτι σιωπῶντος, ἐπαινούντων αὐτοῦ τὸ σχῆμα. *Ita benè compoſitus Athenienſibus videbatur, ut & bombo ſive acclamatione etiam tacentem illum exciperent, laudantes decorum ejus ſtaturam.* Addebant nonnunquam, nutum, geſtum, manuumque plauſum, Quintilian. *Inſtitution. l.* 5. *c.* 1. *At nunc*, inquit, *proni atque ſuccincti ad omnem clauſulam non exſurgunt modo, verùm etiam excurrunt, & cum indecora exultatione exclamant.* Unde & Themiſtius Euphradei Orat. cui tit. *Sophiſta*, Ἆρ' οἴεσθέ με ὦ ἄνδρες ἐνδεῶς ἔχειν ἔτι κρότου τε καὶ ἀναβοήσεων, αἷς ἐμὲ δαψιλῶς μοι εἰώθατε χορηγεῖν ἑκάστοτε, ὅταν λέγω, *Putatis me igitur, ô Viri, me adhuc indigere veſtrô plauſu vel acclamationibus, quibus etiam exultando me copiosè ſemper ſoletis excipere, quando verba ad vos habeo.* Imò plaudendi quoque & *Acclamandi* Ars fuit apud Romanos, ita ut concentum quendam ederent, uti diſcimus ex Plin. *initio Panegyr.* Tacito *Annal. l.* 16 Suetonio *in Nerone c.* 20. Vide Jac. Oiſelium JC. *Notis in Gellium loc. cit.* & *l.* 4. *c.* 15. & *hic infrà.*

ACCLAMATIO, applauſus feſtâ vociferatione à Populo repetitus, occurrit *l.* 1. C. *de Quæſtor. & Magiſtr. officior.* *Qui Quæſturæ honore viguerint, acclamatione ſolitâ excipiantur.* Item *l.* 3. *in pr.* C. *de offic. Rect. provinc.* *Similiter juſtiſſimos & vigilantiſſimos judices publicis acclamationibus collaudandi damus omnibus poteſtatem.* Vide Gothofred. *ad hanc l. verb. proferamus proceſſus*, ubi, *Provinciarum Rectoribus prodeuntibus* quoque *acclamari* ſolitum fuiſſe, legitur. De acclamatione Senatus, legas apud Vulcatium Gallican. *in Avidio Caſſio*, *c.* 13. ubi de Antonino Pio, *Hanc ejus clementiam Senatus his acclamationibus proſecutus eſt* &c. Nempe mos *acclamandi*, è Theatris primùm in *Aras* (is locus erat ἀγορὰν στρατοῦ λέγων) inde in Senatum tranſlatus eſt, contra veterum diſciplinam. Quod ubi ſemel factum, quidquid in Theatricis illis acclamationibus fieri conſueverat, idem & in iſtis; quamvis non dubitemus, ægrè initio & paucis auctoribus, modicè ac verecundè à Conſcriptis Patribus morem fuiſſe admiſſum: Sed, ubi acceſſit uſus & conſuetudo, facilè vetuſtas ipſa omnem deformitatis hujus ſenſum in hominum etiam ſapientiſſimorum, animis extinxit, ſemelque conſuetudo recepta auxit indies; ut ad ravim uſque, & uti Victor alicubi loquitur, uſque *ad vocis defectum*, clamaretur. Græci vocarunt ἐπιβοήματα, item κρότους, iſtiuſmodi vociferationes: Et *acclamare* reddiderunt κροτεῖν, ἐπιβοᾶν, αἰνεῖν, ἐπευφημίζειν· ἐπιφωνεῖν quoque atque ἐπικροτεῖν *Evagrius*, quibus tamen verbis non quamcunque acclamationem, ſed immodicam ſolùm illam indigitavit. Non temerè autem, quid quiſque vellet, acclamabant; ſed, ut in choris, erat aliquis cujus vox cæteris præiret; hic formulam *acclamationis* concipiebat, reliquâ turbâ nil niſi acceptas ab eo voces reddente. Ars verò adhibita & in concipiendis acclamationibus, quas ideo *Plin. Secundus Cantica* appellavit: & in acclamando; modulatione enim quadam utebantur, canentibus non abſimiles. Atque ut in ruſticis quibuſdam cantilenis fieri videmus, ut idem repetatur ſæpius; ſic qui acclamabant, non ſemel aut iterum, ſed ſæpius eadem verba reſonabant. Unde id in Actis adnotatum quoque, atque hinc apud *Hiſtoriæ Aug.* Scriptores legas ſæpe, *Dictum quinquies, dictum vicies* & ſimilia. *Trebellius* verò in *Claudio*, *c.* 4. etiam ſexagies atque octuagies idem acclamatum obſervat; adeo illâ tempeſtate mos acclamandi invaluerat. Formulæ porrò *acclamandi* aliæ erant ſolennes & communes; aliæ certis negotiis propriæ. Capitolin. in *Maximo & Balbino c.* 13. *Inde in Senatum itum eſt: ubi poſt illa, quæ communia ſolent eſſe fauſta, dictum eſt* &c. Appellat *communia fauſta*, voces uſurpari ſolitas in omni acclamatione fauſta. Quæ *ἐγκώμια* acclamationes nihil aliud niſi vota erant & laudationes; ferè autem à votis incipiebant, ut inter alia, in elegantiſſima illa narratione, quæ habetur in Cod. Theodoſiano *l.* 7 *tit.* 20. *Præfectorum & Tribunorum acclamationes ita incipiunt: Auguſte Conſtantine Dii te nobis ſervent: veſtra ſalus, noſtra ſalus: verè dicimus, jurati dicimus.* Interdum & verſibus acclamatum: qualis illa apud *Trebellium* acclamatio,

De noſtris annis addat tibi Jupiter annos &c.

Quamvis autem hic mos ſatis vetuſtus ſit, ipſæ tamen acclamationum formulæ & earum exempla non inveniuntur, apud vetuſtiorem aliùm Capitolinô, & cæteris *Hiſtoriæ Aug.* Scriptoribus. Cujus rei cauſa, quòd omnes, quæ in his libris proferuntur acclamationes, ex Actis publicis ab Auctoribus deſcriptæ ſunt. Lamprid. in *Alexandro Sev. c.* 6. *Addam acclamationes Senatus, quibus id decretum eſt. Ex Actis Urbis* 4 *d. prid. Non. Martias.* Non ſunt autem eæ in Acta publica cœptæ referri, ante Trajani tempora; cujus honori hoc primùm ſiniſſe delatum, docet Plinius *Panegyr. c.* 75. Poſt illa verò tempora etiam Hiſtorici factas cuique Principi acclamationes cœperunt in literas referre, idque magnô ſtudiô & diligentiâ, ut videre eſt apud Auctores præfatos; & *Dionem* in iis, quæ apud *Xiphilinum* reliqua ſunt. Migravit deni mos hic è Senatu in alios quoque civiles cœtus, neque Principibus ſolùm, ſed & Quæſtoribus, & Rectoribus provinciarum acclamari cœptum, uti vi-

dimus. Imò & in omnibus Eccleſiaſticis conventibus idem olim eſt factitatum. Vetus enim Eccleſia & *acclamandi* morem uſurpavit & illas ipſas etiam formulas retinuit, quas habent Auctores ſæpius laudati diverſis locis. His populus in ſacris Conventibus utebatur, his & Patres ipſi in Synodis ſuis. Atque ut Senatorum acclamationes in Acta publica relatæ, numerò etiam adnotatò, quoties quodque dictum fuiſſet: Sic & vetus Eccleſia, cùm in Acta Synodica (Πεϱίξοες ipſi & Πεπϱαγμένα, dixêre,) tum in alia Geſta Eccleſiaſtica, habitas acclamationes per Notarios ſuos pari diligentiâ referebat. Ita in *Actis* ordinationis Eradii, cùm illum Auguſtin. jam ſenex apud clerum & populum ſucceſſorem ſibi dixit: poſt iſta Auguſtini verba, *Presbyterum Eradium ſucceſſorem mihi volo*, ſequuntur iſta: *A populo acclamatum eſt: Deo gratias, Chriſto laudes*: dictum eſt vicies ter. *Exaudi Chriſte, Auguſtino vita*: dictum eſt ſexies decies. *Te Patrem, te Epiſcopum*, dictum eſt octies. *Cumque reticeretur, Auguſtinus Epiſcopus dixit, non opus eſt* &c. mox, *à Notariis Eccleſiæ, ſicut cernitis, excipiuntur quæ dicimus; excipiuntur, quæ dicitis: & meus ſermo & veſtræ acclamationes in terram non cadunt. Apertiùs ut dicam, Eccleſiaſtica nunc geſta conficimus. Sic enim hoc eſſe, quantum ad homines, confirmatum volo.* A populo acclamatum eſt trigeſies ſexies, *Deo gratias, Chriſto laudes: Exaudi Chriſte, Auguſtino vita*: dictum eſt tredecies, & ſub finem: *Hic mihi reſponſione veſtrâ opus eſt — de hac aſſertione aliquid acclamate. A populo acclamatum eſt, Fiat*, dictum vicies quinquies. *Dignum eſt, fiat. Juſtum eſt.* dictum vicies octies. *Fiat, fiat*, dictum quaterdecies. *Olim dignus, olim meritus*, dictum vicies quinquies. *Judicio tuo gratias agimus*, dictum tredecies. *Exaudi Chriſte, Eradium conſerva*, dictum octies decies. Quæ planè gemina ſunt iis, quæ in Claudium Imperat. Senatores dixere, cùm illi Imperium defferretur, apud Trebellium Pollionem. *loc. cit.* Eodem modò in Actis Synodi Epheſinæ Oecum. III. Cœleſtino & Cyrillo, duobus Chriſtianæ Religionis columinibus, acclamatum eſt venuſtiſſimè: Αὕτη δίκαια κρίσις, νέῳ Παύλῳ Κελεστίνῳ, νέῳ Παύλῳ Κυρίλλῳ Κελεστίνῳ τῷ ὁμοψύχῳ τῆς συνόδου Κελεστίνῳ εὐχαριστεῖ πᾶσα ἡ σύνοδος. Κελεστῖνος τῆς φύλακι τῆς πίστεως, εἷς Κελεστῖνος, εἷς Κύριλλος, μία πίστις τῆς συνόδου, μία πίστις τῆς οἰκουμένης. Quibus non diſſimiles, quas in aliâ Synodô habitas refert Evagrius *l.* 2. *c.* 17. Ibidem non multo aliter in Dioſcoridem acclamatur, quàm apud Lamprid. in Commodum mortuum, Ἀ'ξιώματα Διοσκόρῳ. Διόσκορος ὁ Χριστοκαπήλης· τοῦτον ἔξω βάλε· [illegible] τῆς συνόδου· ἆρον [illegible] τῆς συνόδου, τὰς φωνὰς τῶν βασιλέων, [illegible] τῆς συνόδου, ἆρον [illegible] τῆς συνόδου, &c. Vide Acta Conciliorum, ut & infrà in voce *Kirieeleiſon* & *Polychronion*. Earum verò *acclamationum*, quibus excipere atque adeò interpellare ſoliti Epiſcopos concionantes & in Patrum ſcriptis, & in eorum vitis crebra eſt mentio. Ac videtur admirandæ ſanctitatis Vir B. Auguſtin. eum morem non invitus tuliſſe atque adeò non improbâſſe, quod ex *l.* 4. *de Doctr. Chriſt. c.* 26. aliiſque locis, intelligere licet. Non ita *Johann. Chryſoſtomus*: qui vir divinus, ut erat auſteriore ingeniô, morem tot ſeculorum improbavit damnavitque. Extant integræ homiliæ, quibus id unum agitur, ut plauſus omnes & acclamationes de concionibus ſacris tollantur; quod cùm Vir ille tantus neque auctoritate neque facundiâ ſuâ potuiſſet obtinere, ipſô tandem temporis tractu correctum eſſe & è piorum ſynaxibus ſublatum, hodiè videmus: magnô argumentô, non quidquid olim factum eſt, id ſemper eſſe melius, Salmaſ. *ad Scriptores Hiſt. Aug.* paſſim, inprimis apud Volcatium Gallicanum V.C. *in Avidio Caſſio c.* 13. Vide quoque infrà *Laudes*, it. *Senatuſconſultum*.

ACCLINI corpore honoratiores Salutandi mos, memoratur Arnobio *l.* 7. ubi de variis honorantium alios ritibus, *Ut ſi quiſpiam viro potentiſſimi nominis atque auctoritatis viro, vià decedat, aſſurgat, caput revelet, vehiculoque deſiliat: tum deinde ſalutet acclinis, amiſſarum ſervuli pavidas trepidationes imitatus.* Luciano in Timone, Ε'ν ᾧδε πάντα ἐξῆν ὁρᾶν, ὅτε οἱ νῦν γονυκλινοῦντες αὐτῶν, ὑποβλέποντες οἱ τότε ὑποκύπτοντες καὶ προσκυνοῦντες, καὶ ὥσπερ ἀπορρῶν [illegible]. Ubi ὑποκύπτειν id vocat &c. Vide de attonitis hujuſmodi abjectiſſimorum hominum ſalutationibus plura apud Heraldum *ad Arnob. p.* 264. Ut & infrà aliquid verbo *Decreſcere*.

ACCO, rector exercitûs Senonum, in expeditione contra Gallos. Cæſar *Com. l.* 6.

ACCO, mulier jam decrepita, cùm faciem, (quam ad ſpeculum explorabat) ſeniô deformatam conſpiceret, animi ægritudine in inſaniam lapſa eſt: Cæl. Rhodig. *l.* 16 *c.* 2. Inde *Acciſſare* veteres dixerunt pro ineptire, deliare, vel infatuire. Utrumque tractum eſt à moribus Accûs aniculæ, adeò ineptæ, atque deliræ, ut & cum imagine ſuâ in ſpeculò redditâ, tanquam cum alterâ, muliere colloqueretur, & veſtes nondum pertextas à telâ detrahere ſoleret atque induere. Hinc manavit Proverbium ἐπὶ τοῖς ὅπλοις Ἀκκίζεται· in eum qui ſibi placet, ſeſeque quaſi in armis contemplatur. Illud etiam in moribus peculiare habuit prædicta mulier, ut recuſaret quod maximè cupiebat. Unde ab ejus quoque nomine *Acciſmum* dictum volunt, fictam ſcil. diſſimulationem. Cicer. *l.* 2. *ep.* 19. ad Attic. *Hoc opinor, certi ſumus, periiſſe omnia; quid enim ἀκκιζόμεθα tam diu; h. e. quid diſſimulamus.* De hoc adagiô vide *Lucian. & Olympiodor.* Terriculamenti cujuſdam nomen eſt *Plut.* cujus metu matres ſolent puellos in officio continere, & à peccando deterrere. *Nic. Lloydius.*

ACCOLTIUS Benedictus, vide *Benedictus*.

ACCUA, Italiæ oppid. *Livius. l.* 24. *c.* 20.

ACCUBARE, apud Jul. Capitolin. *in M. Antonino Philoſ. c.* 2. *Duodecimum annum ingreſſus, habitum Philoſophi ſumſit: & deinceps tolerantiam, quum ſtuderet in pallio & humi cubaret, vix autem matre agente, inſtrato pellibus lecto accubaret*: propriè de tricliniaribus lectis, quæ & *Accubita* dicebantur & *Accubationes*, cùm *cubare*, de cubicularibus lectis diceretur. Sed & de lucubratoriis lectulis *accubare* uſurpatum, de quibus multa *ad Suetonium* Salmaſ. neque dubium, de iis *Capitolin* intelligendum eſſe. *Accubationes de roſis ac liliis & quidem purgatis*, habes apud Æl. Spartian. in *Ælio Vero. c.* 5. Ubi *accubitationes* tamen vel *accubita* legi debere, monent *Caſaubon.* ac *Salmaſ.* Vide infra.

ACCUBITA ſeu **ACCUBATIONES**, Græcis ἀνακλιντήρια, quod *Reclinatoria* vertit Wilhelmus Abbas *in Cant. Cantic. c.* 2. Lexico Græc. MS. Regio, definiuntur, στρωμναὶ μαλακαὶ εἰς ὕψος ἐγηρμέναι, *lecti molles in altum aggeſti*, & Balſamon *in can.* 74. Synodi Trull. ut & Johanni Epiſc. Citri in *Reſponſ.* ad Cabaſilam, *Accubitum* vocatur, ἅπασα στρωμνὴ καλλωπιζομένη εἰς ὕψος ἐγηρμένη καὶ μαλακή, *Omnis lecti apparatus cultior & delicatus*. Θρόνον ἀκκούβιτον vocavit Plut. in *Romulo* &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Occurrit vox apud Æl. Lamprid. *in Heliogab. c.* 34. *Nec cubuit in accubitis, niſi quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum ſubalares &c.* Nempe *Accubita* recentioribus dicta ſunt, quæ Veterib. *triclinia*. Juvenalis vetus Interpres *ad Satyram* 4. *Apud Veteres* Accubitorum *uſus non erat, ſed in lectulis diſcumbentes manducabant.* Ubi Veterum *lectos tricliniares* & poſteriorum *accubita*, quaſi penitùs diverſas res facit: quia ipſius ætate *Accubitorum* forma longius receſſerat à lectis convivalibus priorum. Sed initio nihil admodum ab iis differebant. Poſtquam verò ab uſu receſſerunt Triclinia, & forma eorum mutata & pro Tricliniis *Accubita* & *Stibadia* dici cœperunt. Unde Hieronymus Ezech. *c.* 46. *v.* 22. *Accubita* vertit, *quæ Aquila*, inquit, *ſtibadia interpretatus eſt*. Tum figura eorum ſemicircularis cœpit, atque inde *Sigma* nomen invenit: cujuſmodi lecti, non ſecus ac triclinia, ſemper unum menſæ latus à convivis liberum præſtitere, quà videl. fercula inferebantur, ne ſupra humeros & capita accubantium aut inter latera, cum magnâ incommoditate convivarum, inferenda eſſent, &c. Quò omninò reſpiciens vetus ille Interpres, *Accubita*, i. e. *Sigmata*, tricliniis oppoſuit. Fuêre igitur diſcubitorii lecti *Accubita*. Sed viliores & leviores operæ, quales erant multum in caſtris, *Suidas*. Στιβάδες φορμίαι εἰσὶ τῶν ἀγροίκων, στρωμναὶ δὲ [illegible]· στιβάδες δὲ εἰσιν αἱ στρωμναὶ, χαμαιεῦναι· λέγει δὲ καὶ ποδαρμίας στιβάς χαμαιεύνιον ΑΚΟΥΒΙΤΟΝ λέγει [illegible]. Interim etiam delicatiores lectos ad diſcumbendum ſic fuiſſe dictos, nec Latinis tantùm, ſed etiam Græcis ſcriptoribus, conſtat liquidò ex dicto *can.* 74. Concilii in Trullo, & obſervatione Patrum *ad illum can.* Ait Canon, Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τοῖς Κυριακοῖς, ἢ ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις τὰς λεγομένας Ἀγάπας ποιεῖν καὶ ἔνδον ἐν τῷ οἴκῳ ἐσθίειν καὶ ἀκκούβιτα στρωννύειν. Quæ verba ita exponuntur in *Pandectis* Juris Canonici Græcor. Ἀκκούβιτα λέγεται ἅπασα στρωμνὴ καλλωπιζομένη εἰς ὕψος ἐγηρμένη καὶ μαλακή, [illegible] τὸ ἀνακλίνεσθαι &c. In *Ep.* Valeriani Aug. ad Zozimianum Procuratorem Syriæ, *Accubitalia Cypria* ſunt, quibus inſtruebantur & inſternebantur Accubita, *veſtes de cataclitis* Tertullian. *de Pall. c.* 3. *Cataclita* enim, κατάκλιτα ſunt, *Accubita*, tori nempe, quibus ad menſam accumbitur: nam κατακλίνεσθαι eſt ad menſam accumbere, & κατάκλισις, *accubitio*. Quæ tricliniares aut accubitales veſtes, quia pictæ ut plurimùm & auro purpuraque inſignes erant, ut patet ex Luciano in *Conviv. Lapitharum*; ἡμεῖς κατεκλινόμεθα, πορφυρίδας ὑποβεβλημένοι, *Accubuimus purpurâ ſubſtratâ*: & Corn. Nepote apud Plin. *l.* 9 *c.* 39. *Quâ purpurâ (Tyriâ dibaphâ) quis non jam tricliniaria facit?* Imò nec de purpurâ tantum illâ, ſed & aurô clavata, ut & mantelia, quibus menſa ſternebatur & mappæ: quorum mentio multis locis apud *Hiſtoriæ Aug.* Scriptores, &c. Hinc Tertullianus *loc. cit.* pavoni tribuit *plumam veſtem & quidem de cataclitis*; ſed de hâc re vide infrà ſuô locô. Quemadmodum porro cœnationes olim à numerô lectorum diſtinguebantur, erantque cœnationes alii ἑπτάκλινοι, alii πεντάκλινοι, ἑξάκλινοι & ita deinceps: ſic poſtea fuere τρικλινάκκουβιτα, ἐννεακούβιτα, atque ita alia. Luithprandus *Hiſtor. l.* 6. *Eſt domus juxta Hippodromum Aquilonem verſus, miræ & altitudinis & pulchritudinis, quæ Decaenneacubita vocatur. quod nomen ab re, ſed ab apparentibus cauſis ſortita eſt: δέκα enim Græcè, Latinè decem: ἐννέα novem: cubita aut* (Salmaſ. mavult, *Accubita autem*) *à cubando inclinata vel incurvata poſſumus dicere.* Sed & Cœnationes ipſas dixere *Accubita*. Anaſtaſius de vitis Pontificum *in Gregorio III. Accubita quæ ſunt ad B. Petrum in ruinis poſita, à fundamentis noviter reſtauravit atque depinxit.* Sic iterum in *Leone III.* & IV. Porrò, etiam ad alios, quàm ad Græcos Latinoſque hoc verbum tranſiiſſe, è Rabbinorum ſcriptis apparet, in quibus אכובטין ſunt *Accubita*. Vide Salmaſ. *ad Lamprid. loc. cit.* atque infrà, in vocibus *Sigma & Stibadium*, quas idem, quod *Accubita*, *Vir Cl.* ſignificare ait.

ACCUBITA, cœnaculum *Romæ*, ubi Pontifex olim Romanus feſtivitatibus quibusdam ſolemnibus epulum clero dabat: Meminit ejus Anaſtaſius Bibliothecar. in *Leone* IV. qui hoc ædificium à Leone III. Anteceſſore ſuo erectum reſtauravit, cujus veſtigia unà cum tribuna muſivo depictâ adhuc extant, in latere poſteriore Domus Pœnitentiariæ Lateranenſis Baſilicæ & ex diligentia *Cardin. Barberini* Antiquitatum reſtauratoris vigilantiſſimi ac Græci Latinique priſci ritûs ſtudioſiſſimi perdurant. De hocce itaque cœnaculo *Ordo* Romanus refert, quòd in Paſchæ feſtivitate, antequam Pontifici caterva famularetur, ad Veſperarum celebrationem in Lateranâ Baſilica, *deſcendebant Primates Eccleſiæ, ad Accubito, invitante Notariô Vicedomini, & bibebant ter.* Dominic. Macer. *Hierolex.* Vide *ſuprà*.

ACCUBITA Novendecim, Græc. Δεκαεννεακούβιτα, locus in Aulâ Conſtantinop. Vide *ſuprà*.

ACCUBITALIA, veſtes erant, quibus *Accubita* vel tricliniares lecti ſternebantur: quæ cujuſmodi fuerint, diximus ſuprà: Hinc *Accubitalia Cypria*, apud Trebellium Pollionem in *Claudio* c. 14. Et videntur quoque mantelia venire eodem nomine: quod valdè ſuadet ſimilis locus *Ep.* cujuſdam Valeriani. Imperat. ubi *Mantelia Cypria* nominantur, &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Tertullian. de Pall. p.* 174.

ACCUBITALIA Triclinia, refectoria Monachorum vocantur Orderico Vitali *l.* 2. *p.* 415. Athanaſius de imagine Berytenſi: Χριστιανός τις ἐλθὼν ἐν οἰκίᾳ [illegible], ἐν ᾧ [illegible] τὸ ἀκκούβιτον αὐτοῦ [illegible] εἰκόνα τοῦ Κυρίου ἡμῶν, *Chriſtianus quidam ſuper*

m

in ædibus celebram a quodam, in qua habebant è regione Refectorii, ibi collocavit imaginem Domini noſtri. Hinc *Accubitus* appellata triclinia, majoribus ædibus ſacris adjuncta, in quibus Pontifices è Clero & Laicis præcipuos convivaſ excipiebant, poſt ſacra peracta, de quibus vide aliquid ſuprà, & multa alia, apud Car. du Freſne in *Conſtantinop. Chriſtiana*, ubi de *Tribunali* XIX. *accubituum* agit prolixè. In *Charta* Conradi Imperat. A. C. 1145. *Accubitum vaſtatoris* occurrunt ſignificantque jus prandii ſeu paſtum, Gall. *Droit de giſte & de paſt*, de quo infrà in vocibus *Paſtus*, *Prandium*, *Procuratio*.

ACCUBITOR, Græcè Παρακοιμώμενος, dignitas in Aulâ Conſtantinop. duplex, de qua infrà aliquid voce *Paracimomenus*, it. *Sigillum*.

ACCUBITORIUM, locus in quo accumbentes veſcebantur. De eo vetus Scholiaſt. Juvenalis *Sat.* 5. *v.* 17. *Apud veteres* Accubitoriorum *uſus non erat, ſed in lectulis diſcumbentes, manducabant tres autem lectuli erant, in quibus diſcumbebant, unde hodie triclinia appellantur.* Poſterioribus ſeculis inter Græcos uſurpata dictio, unde in Lexicô Meurſii ἀκκούβιτον, ex Æliô Lampridiô *in Commodô & Suida*, nec non ex Paolô Diaconô, *in rebus Leonis & in Leone Conſtantini fil.* obſervatum eſt. Vide ſuprà *Accubita*.

ACCUMBENDI Ritus. *Majores noſtri*, inquit *Servius*, *ſedentes epulabantur*, more à Laconibus & Cretenſibus acceptô, *Varrone* teſte. Imo & apud populum Dei id in uſu fuiſſe, antiquiſſimis temporibus, oſtendit Burman. *Comm. in l. Ruth.* Ex Iſid. *l.* 20. *c.* 11. *Apud veteres*, inquit, *non erat uſus accumbendi; unde & conſidere dicebantur.* Poſtea, ut Varro habet *de Vitâ Pop. Rom.* viri *diſcumbere*, mulieres *ſedere*; quia turpis viſus eſt in muliere accubitus: ſequentibus demum temporibus, etiam mulieres cum viris *accumbere* incepêre, Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. quod demum videtur factum, poſt Aſiam devictam, Græciamque. Ritum accumbendi hôc modô deſcribit Lipſius *Antiqq. Lect. l.* 3. *p.* 94. *In cœnaculo menſa collocabatur rotunda, humilis: inferiorum quidem hominum tripes & ex ſimplici ligno: Lautiorum citrea aut acerna, aut laminâ argenteâ intecta, quam pes eburneus fabrefactus, in modum Pardi aut Leonis, ſuſtinebat. Circum menſam tres plurimum lecti erant, ex quo Triclinii nomen; vel duo etiam, quod Plautus Biclinium, poſterior ætas, à Veſpaſianorum imperio, Sigma vocare cœpit. Quod cùm eſſet in formam hemicycli, aut lunatæ teſtudinis extructum, vocari placuit nomine literæ Græcæ. Ii porrò lecti inſternebantur aulæ purpurâ, aut aliâ veſte ſtragulâ, pro copia aut inopia convivatoris. Id ſub horam cœnæ fiebat. Priuſquam autem accumberent, lavabantur, atque togas mutabant veſtibus, quas a re Cœnatorias dixerunt. Tum etiam ſoleas pedibus demebant, ne lectum conſpurcarent. Cæterum aut terni aut quaterni, unum lectum occupabant.* Horat. *l.* 1. *Sat.* 4.

- - - - - Sæpè tribus lectis videas cœnare quaternos.

In magnificis tamen epulis vix bini unum occuparunt. Accumbebant *autem reclinata ſuperiore parte corporis in cubitum ſiniſtrum, inferâ in longum porrectâ ac jacente: capite leviter erectô, dorsô à pulvillis modicè ſuffultô: quod ſi plures uno lectô decumberent, primus decumbebat ad caput lecti cujus pedes porrigebantur pone dorſum ſecundi: ſecundus verò occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto, pedes jacebant ad tergum tertii & ſic deinceps. Jam qui primus & ad caput lecti decumbebat*, Summus *dicebatur; qui ad pedes*, Imus: *qui inter iſtos*, Medius. *Atque ſi tres convivæ in uno lecto, medius digniſſimus, proximus honore ſummus: ſi quatuor, medium cenſeri arbitror, proximum à ſummo: ſi duo tantum, digniſſimus ſummus ſunt.* Vide quoque Dionyſ. Lambinum in eliat. *Horatii locum* Hier Magium *de Antiquorum prandiis & cœnis*, & Hieron Mercurialem *Artis Gymnaſticæ l.* 1. *c.* 12. qui etiam addunt, diſcumbentes, quamdiu veſcebantur, eô corporis ſitu manſiſſe; ubi verò cibum capere deſiiſſent vel intermiſiſſent, tum dorſi ſpinam priùs inflexam repoſuiſſe, & caput in cervical reclinâſſe, nonnunquam etiam ſedentium inſtar dederiſſe. Sed nec viri modò, verùm & fœminæ eâdem *Accumbendi* ratione uſæ, gremiis maritorum ſuorum, apud Romanos, inhærebant, L. Apulejus *Mileſior l.* 6. *Accumbebat ſummum thorum maritus, Pſychem gremiô ſuô complexus.* Ovid. *Amorum l.* 1. *Eleg.* 4.

Nec premat ille ſuo ſinito tua colla lacerto,
Mitte nec in rigido pectore pone caput

Vide inſuper Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. Cicer. 2. *Catilin.* A. Gellium *l.* 9. *c.* 12. Thom Dempſter. *Antiqq. Rom. l.* 5. *paralip. ad c.* 28. Craconium *de Triclinio Rom. &c.* Græcorum idem planè mos, à quibus eum priores mutuati ſunt: niſi quòd ſcabellum inſuper pedum haberent, *Θρῆνυς* dictum, quale Jono Somno admoviſſe apud Homerum legitur, *Il.* .

Τῷ κεν ἐπισχοίης λιπαροὺς πόδας εἰλαπινάζων.

Et mulieres in convivium non deducerent, Cornel. Nepos *præfat. Vitar.* Apud Macedones inſuper, Rex accubabat, & cum eo majores Principes ac Amici; ſed nobiles pueri, qui ex Regiâ cohorte erant, ſedebant, in & ii, qui feram extra retia nondum confeciſſent, ut infrà videbimus voce *Pagius*, it. *Rete* &c. Vocabatur illorum menſa, quæ ſimiliter tripes erat, ὅλμος i. e. *tripus*, ad imitationem Tripodis Delphici, eratque in magnâ apud illos veneratione, quippe Jovi Xenio conſecrata. Apud Hebræos eadem conſuetudo, vide Lucæ *c.* 16. *v.* 22. Matth. *c.* 8. *v.* 11. & *c.* 15. *v.* 23. Quibus hic *Accumbendi* ritus *Meſſiba*, i. e. *accubitus in orbem*, & phraſis invitandi convivas, *circumire*, *ambire*, dicebatur. Obtinuiſſe autem jam tempore *Ezechielis* Prophetæ, patet ex hujus prophetiâ *c.* 23. *v.* 41. Vide quoque Amos *c.* 2. *v.* 8. & plura de his, apud Thom. Godwin *tract. Anglic. Moſes and Aaron*, *l.* 3. *c.* 2. ac Franc. Roſſæum *Archæol. Att. l.* 6. *c.* 3. Addam hoc unum: Nempe, vetuſtiſſimum morem fuiſſe, ſuper pellibus diſcumbere. Ovid. *l.* 1. *Faſtor.*

Qui poterat pelles addere dives erat.

Vide quoque infrà in vocibus, *Convivium*, *Menſa*, *Triclinium &c.* Eundem apud Hebræos diſcumbendi ſitum in ſcholis eorum, obſervâſſe diſcipulos provectiores, quos *Socios* vocabant, dicemus infrà voce. *Rab.*

ACCURSIUS, Florentinus nobilis Juriſperitus, primus totum Jus Gloſſis illuſtravit. Geſner. *in Biblioth.* Vir magni ingenii & ſingularis induſtriæ dicitur Boxhornio; *Monum. illuſt. Vir. & Elog.* Profeſſus eſt Bononiæ, A. C. 1230. ubi etiam ſepultus eſt: Tanta eſt Accurſii authoritas, ut ex ejus ſententiâ cauſa judicanda ſit, quoties inſignis aliquis interpres ei adhæret. Duck *de authorit. Jur. Civ. Rom. l.* 1. *c.* 8. Vide *Franciſcus Accurſius*.

ACCUSATIO, vide infrà *Clamare*; *Lada*, *Ordalium*.

ACCUSIORUM Colonia, *Ptolemæo* urbs Delphinatûs in Gall. hodiè Gratianopolis, vulgo *Grenoble*. Vide ibi.

ACE, Oppid. Phœniciæ. *Steph.* aliàs Ptolemais: In Sacris *Accho*, Judic. *c.* 1. *v.* 31.

ACEDIA, Græc. Ἀκηδία, in genere, *triſtitia*, *moleſtia*, *anxietas*, *vel tædium*, *Ugutio*, ἡ ῥαθυμία, ἀχθηδών, λύπη, *Suidæ*: In ſpecie Caſſiano *de Cœnob. Inſtit. l.* 10. *c.* 1. & *Collat.* 5. *c.* 2. *ſ* *tædium eſt & anxietas cordis, quæ infeſtat Anachoretas & vagos in ſolitudine Monachos* Melancholiæ certè ſpecies eſt, quæ Monachorum propria, ita appellatur ab Hieronymo *Ep.* 4. *Sunt qui humore cellarum immoderatiſque jejuniis, tædiô ſolitudinis ac nimia lectione, dum diebus ac noctibus auribus ſuis perſonant, vertuntur in melancholiam & Hippocratis magis fomentis, quam noſtris monitis indigent.* Eam belle Guigo Prior Carthuſiæ *de Quadripertito exercitio Cellæ c.* 24. deſcribit his verbis: *Apprehendit te multoties, cum ſolus in cellâ es, inertia quædam, languor ſpiritus; tædium cordis quoddam & quidem valde grave faſtidium ſentis in te ipſo: tu tibi oneri es; interna illa, quâ tam feliciter uti ſolebas, ſuavitas jam deficit tibi, dulcedo, quæ tibi nuper erat heri & nudius tertius, jam in magnam amaritudinem verſa eſt. Ex toto aruit ille, quô abundantiſſimè perfundi ſolebas, lachrymarum humor, ſpiritualis in te emarcuit vigor, interiit decor, delamatam & dilaceratam, confuſam & diſciſſam, triſtem & amaricatam portas animam tuam, & ubi eam ad quietem componas, non habes. Non jam ſapit tibi lectio, oratio non dulceſcit* &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* De eadem Althelmus Epiſcopus *de* 8. *principalibus Vitiis num.* 6. ſic habet.

Hinc etiam ſextam torpens Acedia ducit
Otia quæ fovet & ſomnos captabit inertes,
Importuna ſimul verborum frivola fontium,
Inſtabiles mentis geſtus & corporis actus:
Inquietudo ſimul ſtipatur mixta deinô.

ACEDOSA, vicus Judææ. Joſeph. *de bello Jud. l.* 1. *c.* 1.

ACEDUM, vulgo *Ceneda*, urbs Marchiæ Tarviſinæ, Venetis ſubdita.

ACELA, urbs Lyciæ, ita dicta ab Acelo, Herculis & Malidis, Omphales famulæ, filio. *Steph.*

ACELUM, Venetæ regionis oppid. vulgò nunc *Azolo* & *Aſolo* dictum. Paulo Diacono *Acilium* eſt, *Rerum Longobardicarum l.* 3. *c.* 26. Apud *Ptol.* in pleriſque exemplaribus eſt Ἄκεδον, in uno Vaticanô reperit *Cluverius* Ἄκελον. Vide Plin. *l.* 3. *c.* 18. Hinc fuit *Acelinus* Romanus, ſævitiâ famoſus inter recentiores Hiſtoricos. *Leander* dicit hodiè *Montelice* appellari longitud. 33. 20. latitud. 45. 16.

ACEMA, mons in Alpibus, à quo profluit amnis Varus Plin. *l.* 3. *c.* 5. aliis *Cema*.

ACEMETI, melius *Acœmeti*, Græc. Ἀκοίμητοι, dicti ſunt Græcis Monachi nonnulli Byzantini, eò quòd per totam noctem ac diem continuò, in varias claſſes diviſi, ad canendas divinas laudes occupati ſic eſſent, ut una claſſis alteri ſuccederet, non interruptô ſacri cantici officiô *Vigilantes* dicas, vel *Inſomnes*, quemadmodum Evagrius *Hiſt. l.* 3. *c.* 19. illos appellat in tit. *de Cyrillo*, *Monachorum, qui inſomnes vocantur*, *Præfecto*: Iidem *Studitæ* dicti ſunt à nobiliſſimô quôdam virô, nomine *Studio*, Monaſterii illius conditore. Dominic. Macer *Hierolexic*, vide quoque infrà in *Studitæ* & paulo pôſt hîc in *Acœmetæ*, item *Achimitenſes*.

ACEMUM, urbs Aſiæ, in Inſul. Sumatrâ *vide Achemum*.

ACEMUS, Calipha Saracenorum V. poſt Ali regnavit dies 6. nullô factô clarus, Eum excepit Mawya.

ACENA, Græcè Ἄκαινα, antiquis Ἄκαινα, *Columella Acna*, recentioribus *Acra*, menſuræ genus apud *Heronem* Agrimenſorem, quod X. pedum Philetæriorum is facit: ἡ ἄκαινα ἔχει πόδας Φιλεταιρείους ι ἤτοι δεκάπους ἐστί. Alter *Hero* Geodætes, ei tribuit ſpithamas 16. h. e. pedes duodecim; ſed pedes hic Italicos intelligit. Propriè verò Ἄκαινα longus fuſtis fuit ferro acuminatus, quo boves inſtimulabantur: Inde demum pro perticâ menſoria 10. pedum ſeu decempoda &c. Vide de hoc aliiſque menſurandorum agrorum modis, Salmaſ *ad Solin. p.* 683.

ACENCRIS, Ægyptiorum Rex. Regnavit annis 12. menſ. 1. fuit in ſerie Regum Thebanorum ordine XLVII. ſucceſſit Oro, Ἀκεγχερής *Manethoni*, Ἀχερρῆς *Africano*. Eum excepit *Rathotis*; qui regnavit ann. 9. hunc *Achencheres* I. qui ann. 12. menſ. 5. iſtum *Achencheres* II. per annos 12. menſ. 3. *Armais*, per annos 4. menſ. 1. *Rameſſes* per ann. 1. menſ. 4. *Rameſſes Miamun*, per annos 66. menſ. 2. cui ſucceſſit *Amenophis* III. quem vide.

ACENIPO, Hiſpaniæ Bæticæ oppid. *Ptol.* *Acinipo*.

ACENTETA, Græc. Ἀκέντητα, apud Plin. *l.* 37. *c.* 2. ubi de de Cryſtallo, *Eſt & rufa aliquis rubigo: aliis capillamentum rimæ ſimile, hoc artifices cælaturâ occultant: quæ verò ſine vitio ſunt, pura eſſe malunt, acenteta appellantes, nec ſpumæ colore, ſed limpidæ aquæ*: calices ſunt è cryſtallo puriſſimo, ſic dicti, quod non cælarentur. Apulejus *l.* 2 *metamor. impunctum cryſtallum* appellat. τὸ ἀκέντητον, de pretioſiſſimos *hic vitrum fabrè ſigillatum, ibi cryſtallum impunctum, argentum alibi clarum* &c. Nempe vitioſi tantùm è cryſtallo calices cælabantur, unde *diatreta* pocula fiebant, de quibus dicemus infrà: qui verò ſine vitio erant, eos puros eſſe malebant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 204. ut infrà in voce, *Cryſtallus* item *Cryſtallina Pocula*.

ACEPHALI, Clericorum genus, memoratum Iſidoro *de Eccleſ. offic. l.* 3. *Duo ſunt genera Clericorum, unum Eccleſiaſticorum, ſub regimine Epiſcopali degentium, alterum Acephalorum, i. e ſine capite, quem ſequantur haud ſcientium. Hos neque inter Laicos ſecularium officiorum ſtudia, neque inter Clericos religio detentat divina, ſed ſolutos*

at

atque oberrantes, ſola turpi vita complectitur & vaga. De iis actum in Concil. Mogunt. *can.* 22. Meldenſi A.C. 845. *Can.* 57. Pariſienſi *can.* 10 Ticinenſi A.C. 850. *can.* 18. Melfitano, A.C. 1079. *can.* 9. Vide quoque *Capitular.* Caroli C. *l.* 6 *c* 57. Burchardum *l.* 2. *c.* 226. &c Apud Reginonem, *A.C.* 865. Hucbertus, frater Thietbergæ, concubinæ Lotharii, *Acephalus* dicitur, quod, ut eſt in *Annalibus Francor.* Metenſibus. A.C. 864 fuerit *Clericus conjugatus*, ac proinde Clericatûs regulis minimè addictus. Alius verò ſic vocatus eſt, quod Monaſterium ejus ab Ordinarii juriſdictione eſſet exemptum, Vide inſra in voce *Presbyter Domeſticus* &c. In *LL.* Henrici I. Anglorum Regis *c.* 21. *Acephali* appellantur, qui nec Regem, nec Eccleſiam, nec Barones, aut Dominos Feudales agnoſcunt, cùm pauperes ſint & nullum *tenementum* poſſideant, ratione cujus eos, ut *capita* ſua, recognoſcant. Car. du Freſne *Gloſſar* In Communione Romanâ *Acephalum* dicitur concilium ſeu conventus ſacer, abſque Pontificis Romani auctoritate, congregatus, *can. ſubmittitur. diſt.* 21. apud Carol. Macrum *Hierolexico.*

ACEPHALI, Hæretici quidam ſic dicti, quòd nullus eorum certus author inveniatur. Hi cum Eutyche, duarum in Chriſto ſubſtantiarum proprietatem negant & unam in ejus perſonâ prædicant naturam, circa. A.C. 500. Niceph. *l.* 18.. 54. *Georg. Hormo*, ſic dicti ſunt omnes Synodi Chalcedonenſis adverſarii, ac prima illorum origo Alexandriæ cœpit, cùm Petrus Moggus Henoticon & Synodum Chalcedonenſ. ſuſcepiſſet, tunc enim qui ab ejus communione ſe ſeparabant, *Acephalos* nominarunt, an ob cauſam jam indigitatam, an quòd à Patriarcha, *capite* ſuo deſcivissent. Hi Concilio præfato quotidie anathema dicebant, idque facere abnuentes quovis modô perſequebantur, duce ac antesignanô Petrô Gnaphæô Patriarcha Antiochenô, diviſi in plures alias ſectas, *Severitas*, *Monophyſitas*, *Theopaſchitas*, *Tritheitas* &c. vide Auctorem cit. *Hiſtoria Eccleſiaſt. Novi Teſt. Periodô* 1. *Artic* 3. §. 48. & 49 adde Evagrium *l.* 3. *c.* 31. Forbeſium *Inſtruction. l* 3. *c.* 14. Alios.

ACEPHALITÆ, Hæretici quidam ſic appellati, quòd neminem ſuæ hæreſeos auctorem agnoſcerent, quaſi ἀκεφάλοι, de quibus, præter Iſidorum *l.* 8 *c.* 15. & Adonem Viennenſem *in Chronico* vide Noto Sirmondi, *ad Facundum Hermianenſem.* Iidem cum *Acephalis*, de quibus ſuô locô.

ACER, S. Marino, mons Æmiliæ, cum oppidô in Italiâ. Eſt Reſpubl. ſui juris, habens ſub ſe 12. pagos. A mari Adriaticô 10. milliar. & à S Leone 6. milliarib. diſtat. In limite Ducatus Urbini, verſus Romandiolam provinc. Ex montis hujus radice profluit fluv. Ariminum, vulgo *Marecchia.*

ACER, in laminas præcipuè ſecabatur, ejuſque ligni colore teſtudo ſecta pingebatur olim. Plin. *l.* 16. *c.* 43. *Hæc prima origo luxuriæ, arborem alia integi & viliorum ligni e pretioſiore corticem fieri, ut una arbor ſæpius veniret, excogitata ſunt & ligni bracteæ. Nec ſatis: cœpêre tingi animalium cornua, dentes ſecari: lignumque ebore diſtingui, mox operiri. Placuit deinde materiam & in mari quæri. Teſtudo in hoc ſecta: Nuperque portentoſis ingeniis, principatu Neronis, inventum, ut pigmentis perderetur imitata lignum. Sic lectis pretia quæruntur, ſic terebinthum vinci juvat, ſic citrum pretioſius fieri, ſic Acer decipi.* Ubi *Acer decipi* intelligendum, de teſtudine, quæ aceris colorem accipiebat per picturam, quæque vetus acer ſic videbatur. Meminit idem terebinthi & citri, quia hæc tria lignorum genera in laminas ſecabantur præcipuè, ut eſſent lectorum operimenta, hæc enim maximè in pretio. Unde teſtudinem ſectam ad eoſdem uſus, horum trium lignorum coloribus potiſſimum pingebant. Nempe è bruſcô & molluſcô, quæ ſunt *aceris tubera*, magni pretii opera fiebant: & quidem è molluſcô ejus tubere, tum pugillares fiebant, tum ſoluli lectorum, & laminæ ſectiles, quibus ſuperinducebantur. Nam viliori ligno laminas ſuperinducebant è pretioſiore. Plin. *eod. l.* 1. *c.* 16. *Si magnitudinem menſarum* (hoc lignum) *caperet, haud dubiè præferretur citro; nunc intra pugillares lectorumque ſilicios aut laminas raro uſu ſpectatur.* At ex bruſcô etiam menſæ fiebant, *ibid. è bruſco fiunt & menſæ nigreſcentes* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 416. & infrà *Bruſcum*: uti de poculis ex hac arbore infrà, voce *Madrinatum.*

ACERANI vide *Acerra.*

ACERATUS, apud Herodotum *l.* 8. eſt nomen vatis, qui ſolus, reliquis fugientibus, remanſit Delphis, Xerxe copiis ſuis Delphos oppugnante.

ACERBUS *Morena*, vide Otto *Morena.*

ACERINA, Bruttiorum Colonia, in magnâ Græciâ, ab Alexandrô Epirotico capta. Livius. *l.* 8. *c.* 24

ACERNA, in *Necrologio* Eccleſiæ Pariſ apud *Car. du Freſne*, pro *Acerra* inter Eccleſiæ Romanæ miniſteria facta eſt; Aliàs & *Pyxis* dicitur, in *Ordin.* Romanô ubi qui illam Pontifici porrigit, *Cuſtos* vel *Princeps Eccleſiæ* appellatur; miniſterium namque iſtud ad Eccleſiæ alius Titularem olim ſpectabat: cum hodie ad Decanum pertineat, &, quando non celebrat Papa, tum primi Presbyteri id munus ſit. Dominic. Macer *Hierolex.* vide etiam infrà, in vocibus, *Acerra*, *Incenſorium* & *Pyxis.*

ACERNE. ACERNUM, urbs parva Principatus ulterioris, 15. milliar. à Salernô in Ortum, alia urbs Picentinum epiſcopal. ſub Archiepiſcopô Salernitanô, unde 20. mill. paſſuum, à monte Corvinô, 7.

ACERONIA, Agrippinæ ancilla, in navi ſutili, dum ſe Agrippinam eſſe, & ut ſubveniretur matri Principis, clamitat, navalibus telis confecta eſt. Tacit. *Annal. l.* 14. *c.* 5.

ACERRA, ara fuit, ſinuoce *Feſto*, quæ ante mortuum poni ſolebat, ut in illa defuncti amici quotidie odores incenderent. Alii dicunt, arculam fuiſſe thurariam, ubi videl. thus reponebant. Sic Gloſſarium vetus, *Acerra thuraria*, λιβανωτρίς. De illa, *legem XII. Tabb. neve acerræ adhiberentur*, interpretatur *Hottomannus*: de Aris potiùs accipiendum id dicens, ut vetet lex, aras, quæ proximè ſepulchra fierent, cum thure incenſiſque odoribus obiri. Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 6. Et quidem ex *Acerrâ* eminentis digitis acceptum thus injiciebant aris, qui cultu ſuô vulgariter defungebantur: at qui religioſius Deos venerari volebant, uti cætera omnia luxurioſè præſtabant, ſic & non thure ſolum altaria cumulabant, verum acerras ipſas thuris in ea infundebant, Arnob. *l.* 2. *adv. Gent. Acerras omnes thuris plenas coniiciatis altaribus.* Id quod *adolere* propriè, item *augere aram*, dictum. Imo nec *Acerris* contenti plenâ lance nonnunquam effuſum thus. diſcimus ex Ovid. *de Ponto l* 4. *Eleg.* 8

Nec quæ de parva pauper Dis libat acerra
Thura, minus grandi quam data lance valent.

Et *Eleg.* 9.

Thuraque mente magis plenâ, quàm lance dediſſem,
Ter quater Imperii lætus honore tui &c.

Vide Deſid. Heraldum *ad Arnob. loc. cit.*

ACERRÆ, antiquiſſima Campaniæ urbs, non longè à Neapoli, quam Clanius amnis præterfluit, cujus frequens inundatio ipſam penè exhauſit. Virg. *l.* 2. *Georg. v.* 225.

- - - Vacuis Clanius non æquus Acerris.

Silius Ital. *l.* 8.

Clanio contempta ſemper Acerra.

Civitatem ejuſdem nominis habet Plin. *in Umbriâ l* 3. *c.* 14. quam *Vaſtam* cognominavit. Oppidani in pleriſque Plinii exemplaribus *l.* 3. *c.* 5. leguntur *Acerrani.* Græci aſpirant per χ, modo ſimplici, modo geminô ρ. perſcriptô. Siquidem uni Appiano utroque modo ſcribitur. In *Punicis* Ἀχέῤῥαι. In *primo Civilium* Ἀχέῤῥας. *Steph.* Ἀχέῤῥαι πόλις [illegible] Ἰταλίας, [illegible] partim Chronologicè, inquit *Cluver.* Deſertius paulò ſitum Acerrarum indicat Plut. *in Marcello*: οἱ Γαλάται, inquit, [illegible] Ἄλπεις [illegible] Ἀχέῤῥας [illegible] Πάδῳ [illegible]. *Acerra* etiam Polybio *l.* 2. *c.* 34. Inſubrium urbs eſt, ut tradit *Bern. Saccus*; & *Acerano* hodie dici addit in agri Novarienſi. *Andrea Alciato* pagus eſt ad Padum, in agro Ticinenſi, *L'Agerola* dictus, alias *Acere*, ſed Ἀχέῤῥαι legitur apud *Polyb.* non *Acerra.* longitud. 38. 15. latitud. 40. 58. Vide. *Acherra.*

ACERRIS, oppid. Lacetanorum, in Hiſpan. hodie *Gerry* in Cataloniâ provinc. ad Nogueram fluv. verſus montes Pyrenæos, teſte *Bertio.*

ACERRONIUS, prænomen Cn. Proculi Conſulis cum collegâ C. Pontiô Nigrinô, An Urb. Cond. 789. vide & *Capus.*

ACERSECOMES, Apollinis epitheton. Sed Juvenalis eâ voce utitur pro catamito, ſive puero uſurario, *Sat.* 8.

- - - - Si nemo tribunal
Vendit Acerſecomes.

Conflatum ex α privativô & κείρω, ſive Doricè ejus futuro κέρσω, ut notet *intonſum*: unde Horat. *Epod. Od.* 15. *v.* 127.

Intonſoſque agitans Apollinis aura capillos.

Et alibi, *l.* 1. *Carm. Od.* 21.

Intonſum pueri dicite Cynthium.

Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 17 *Nic. Lloydius.*

ACERVANDI lapides in viâ mos, olim crebro in uſu. Phornutus *de natur. Deor. c.* 1. de Mercurio, *In viis*, inquit, *collocatur, ac Trivius & Dux dictus &c. deinde lapides accumulant Mercurio, quiſque ex prætereuntibus unum adjiciens: ſive id tanquam utile quiddam ac commune ob ipſum faciens, ut via purgetur, ſive teſtans Mercurium, aut in ei honorem impendens, ſi nihil habeat aliud, quod ei offerat, aut ut Mercurii collocationem prætereuntibus faciat manifeſtiorem, ut omnes ex parvis partibus conſtare orationem*, &c. Sed de hac veterum ſuperſtitione, ſatis infrà dicemus, ut & in voce *Mercurius* jam aliquid dictum. Simile quid faciunt Mahometani peregrini, ad ſepulchrum Pſeudo prophetæ ſui: ubi enim ad puteum, in quo abſconditus fuerat *Sergius Monachus Apoſtata & Hæreticus*, ex ſectâ *Baſilidis* aut *Manetis*! quiſque eorum lapidem projicere tenetur, ex hâc occaſione. Cum in hoc puteo Monachus lateret, propè prædicante Mahomete & columbam inde emitteret, quæ ad aurem ejus granum frumenti capeſſere roſtrô aſſueta, *Spiritum S.* eſſe & Pſeudo prophetæ divina oracula inſuſurrare à miſerrimâ turbâ, credebatur: *Mahometes*, ne id agnoſceretur, operâ humanâ patratum, juſſit, ut unuſquiſque de multitudine circumfuſa, lapidem in puteum projiceret, cum non deceret (ut ſeductor ajebat) quenquam eô, unde *Spiritum S.* in columbæ ſpecie produſſet, unquamque ingredi. Quô pactô, perfidi ſocii dolô, *Sergius* in puteo lapidibus obrutus eſt, manſitque ab eo tempore ad noſtram ætatem hic ritus, ut quiſquis peregrinationem hæc in loca ſuſcepiſſet, in rei memoriam, lapidem eodem dejiceret. Dicitur autem puteus ille, *Birſenſem* Arabicè h. e. *puteus reſonans.* Sed & incolæ terræ *Guadagnoli* in Italiâ, prope Polum, in Diœceſi Tiburtinâ in more habent poſitum, ut in ingreſſu illius lapidem conjiciant in acervum, ubi famoſum quendam viarum graſſatorem humatum eſſe tradunt. Vide hac de re plura apud Macrum in *Hierolexico.* Orpheus *Hymno de Mercur.* juxta verſionem Natal. Comitis *Mytholog. l.* 5. *c.* 5. de ſpeluncâ Mercurii, inter alia ſic canit

At quicunque virum ducit prudentia cordis,
Mercurii ingrediens ſpeluncam, plurima ubi ille
Depoſuit bona, ſtat quorum prægrandis acervus.
Ambabus valet hic manibus ſibi jungere, & illa
Ferre domum: valet hic vitare incommoda multa.

Quem *lapidum acervum grandem*, & ſcientiarum cumulum, ut & quæ de bivio ac trivio Mercurius ſapientiam largiente ibidem habet, à Salomone ſuffuratus videtur eidem *Marro.* Proverbior. enim *c.* 26. *v.* 8. *acervi* & Eccleſ. *c.* 2. *bivii* mentionem ait fieri, ſed de his hic infrà.

ACERVETIS, oppid. Thraciæ, poſtea *Caleus* dictum. Plin. *l.* 4. *c.* 11.

ACERVUS lapidum, in viis Mercurio olim ſacer erat: unde & Mercurius dictus. Iſid. in *Gloſſ. Mercurius lapidum congeries, in cacumine collium.* Nempe viator quiſque in *acervum* mittebat lapidem.

dem, ut ſecerneret, ac faciliùs viam monſtraret, eaque lapidum congeries Mercurio (viarum Præſidi, unde & in biviis, triviis, quadriviis Hermæ) erat ſacra; quia in via indicanda præſtaret vicem linguæ, Mercurio dedicatæ. Quam vero rationem Gentiles ſint commenti, de jactu lapidum à Deorum ſingulis, cum Mercurius interemptus Argi reus ageretur, eam ex Anticlide videſis, apud Didymum ad Odyſſ. π. v. 471. annotatione extremâ, in illud;

Ἤδη ὑπὲρ πόλιος, ὅθι θ' Ἕρμαιος λόφος ἐστίν,

Jam ad locum urbe imminentem, ubi Mercurialis eſt acervus.

Item apud Etymologici M. auctorem, voce Ἕρμαιον, ubi Xenthum ejus hiſtoriæ laudat teſtem, Lydiacorum ſcriptorem Strabonem, Pirum, Hephæſtionem, Alios, memoratum. Fluxit ab hoc ritu proverbium apud Hebræos, Spargit lapidem in Merkolis, de quo Druſius Proverbior. claſſe 1. l. 2. Prov. 34. Vide Proverb. Salomonis c. 26. v. 8. ubi pro Mercolis, ſive Merkolis, habes Margemah, qua de re dictum, in voce Mercurius. Vocavêre autem Acervos hoſce ἑρμαίους λόφους, teſte Didymi ubi ſupra. Ἕρμακας vocat Nicander in Theriacis:

Τὰς οἱ μὲν λαθμοῖς τε ἕρμακας ἀμφινέμονται.

Ferarum, inquit, *ſive ſerpentum alia in rupibus & lapidum cumulis latitantes ſive deliteſcentes.* Ubi ſic Scholiaſtes, *Hermakas, Mercuriales ac lapidoſos locos: ſive Hermakas, lapides coacervatos in honorem Mercurii.* Neque verò apud Græcos ſolum, ſed & apud Indos atque Arabas, hæc lapides jaciendi viguit conſuetudo: hodieque in uſu eſt apud Muhammedanos, non quaſi eam Muhammedes tradiderit, ſed quia apud Saracenos repertam non mutavit. Qua de re Auctor Chriſtianus, qui Arabicè adverſùs Muhammedanos, ſcripſit, ſic habet, apud Vincentium Bellovacenſ. Speculi Hiſt. l. 4. *Duarum Indiæ gentium, quæ vocantur Zechiam & Albarachmina, antiqua conſuetudo fuit, nudos & decalvatos, magniſque ululatibus perſonantes ſimulachra Dæmonum circuire, angulos quoque oſculari & projicere lapides in acervum, qui quaſi pro honore Diis extruebatur: Inde eſt, quod in libro Salomonis dicitur: Qui projicit lapidem in honorem Mercurii. Faciebant autem hoc bis in anno; Sole exiſtente in primo gradu Arietis, & rurſum, cùm eſſet in primo gradu Libræ, h. e. initio Jovis & Saturni. Hac ergo conſuetudo cum ab Indis ad Arabas deſcendiſſet, eamque ſuo tempore apud Meccham, in honorem Veneris, Mahumed celebrari repeririſſet: ſic illam manere præcepit, cùm tamen cætera idololatriæ veſtigia removerit. Illud verò ſoli Veneri in illa celebratione dicitur exhiberi ſolitum, ut lapilli retrò, i. e. ſub genitalibus membris, projicerentur, eo quod Venus illis maximè partibus dominetur. Unde id adhuc hodie fit, in domo Dei illicata; quam vocant.* E quibus videmus, ritum, qui à gentibus aliis in honorem Mercurii fieri ſolebat; eum à Saracenis præſtitum eſſe honori Veneris. Fortè propterea, quòd Orienti Mercurius, quatenus rationis Præſes, Sol crederetur, quatenus orationis, putaretur Hecate ſive Luna, quæ & Venus Orientis. Cùm igitur gentes aliæ Mercurium colerent, quatenus Sol eſſet: Saraceni ſive Arabes coluêre eundem, quaſi foret Venus ſive Luna; ut quam in præcipuâ dignitate haberent. Vide Voſſ. de Idolol. l. 2. c. 32. Et infrà Lapis, Scorpio, Terminus. Jac. Ouzelium Animadverſion. ad Minucium Fel. p. 231. & ſeqq. ubi inter alia de more hujuſmodi Ἕρμακας ſeu Ἑρμαίους λόφους ungendi quoque ac religioſè colendi.

ACES, fluv. in Aſiâ, Parthorum regionem irrigans, de quo Herodot. l. 3.

ACESÆ, civitas Macedoniæ, cives Aceſæi. Steph.

ACESAMENÆ, civitas Macedoniæ, ab Aceſameno, qui in Pieriâ regnavit. Steph.

ACESANDER, Cyrenaicæ hiſtoriæ conditor, cujus primum librum citat Apollonii interpres in l. 4. Argon. Quædam etiam de Batto Cyrenarum conditore ex hoc Aceſandri opere refert, Pindari Scholiaſtes in not. od. 4. Pythior. & aliquantò poſt, ejuſdem verba adducit de Eurypyli genere. Voſſ. l. 3. de Hiſt. Græc. p. 314.

ACESEPHBES, inferioris Ægypti Rex XI. poſt Amaſin præfuit ann. 13. Siphoide II. apud Memphitas regnante. Ei ſucceſſit Achoreus, quem vide.

ACESEUS, Patareus acupictor nobilis fuit qui primus unà cum Helicone Chariſtio, peplum Palladis, quæ Athenis in arce colebatur, pinxit. Unde etiam nobilia opera & inſigni arte confecta, vulgatò Proverbiò Aceſei & Heliconis opera dicebantur. Eraſ. in Adag.

ACESIA, pars Lemni inſulæ, à Philoctete ſic dicta, qui hic curatus eſt. Philoſtratus.

ACESIAS, imperitus medicus, qui dum cuidam podagrico mederi vellet, morbum & dolorem auxit, unde proverb. Aceſias medicatus eſt. Eraſm. in Adag.

ACESINE, Thucydidi, Aſines Plinio, l. 3. c. 8 Onobala Appiano, Siciliæ fluminis nomina ſunt Fazello, qui dicit illud hodie vulgò Cantara nuncupari, Saracenicè Alcantara. Vibius habet Aſinus. Eſt & Aceſinus fluv. Perſamenorum, qui ſe in Euphratem exonerat. Procop. l. 1. Perſic. vide Arceſines.

ACESINES, fluv. idem qui Tanais. Steph.

ACESINUS, fluv. Perſiæ, qui in Indum fluv. cadit, magnus & navigabilis; circa quem ferunt arundines tantæ magnitudinis naſci, ut ſingula internodia incolis præſtent vicem navigii. Plin. l. 4. c. 12. Idem l. 37. c. 13. Gemmiferi amnes Aceſinus, & Ganges.

ACESIUS, alias Aceſeus, natione Patarenſis, nobilis artifex, qui primus unà cum Helicone Caryſtio, peplum Palladis Poliadis contexuiſſe fertur: vide Aceſeus.

ACESIUS, epitheton Apollinis, apud Pauſan. in Attic.

ACESIUS, Novatianorum Epiſcopus, ſub Conſtantino Imperat. Suid. Socr. l. 1. c. 7. Niceph. l. 8. c. 20. Sozom. l. 1. c. 21. Baron. A. C. 325.

ACESODORUS, Megalopolita, de Urbibus ſcripſit, teſte Stephanô in Μεγάλη πόλις. Niſi fortè Aceſtodorus legendum fuerit, de quo infrà.

ACESSÆUS, nomen cujuſdam nautæ, qui propter ignaviam ita prorogare ſolebat navigationem, ut ſe diceret lunam magis opportunam expectare. Unde proverb. Aceſſæi luna, in comperendinatores. Eraſm. in Adag.

ACESTA, urbs Siciliæ, ab Aceſte Rege ſic nominata, quæ poſtea Segeſta dicta eſt. In hàc partem ſuorum Æneas reliquit, cum peteret Italiam. Virg. Æn. l. 5. v. 718.

Urbem appellabunt permiſſo nomine Aceſtam

Meminit Steph. populorum qui Ἀκεσταῖοι, Plinio Aceſtæi l. 3. c. 8.

ACESTADORUS, vide Aceſtodorus.

ACESTÆI, populi, Plin. l. 3. c. 8.

ACESTE, Siciliæ urbs Steph. Item, Nutrix filiarum Adraſti. Stat. Thebaidos l. 1.

ACESTES, fil. Crimiſi, fluminis Siciliæ, ex Egeſtà Trojanà muliere. Virg. Æn. l. 5. v. 36.

- - - - Occurrit Aceſtes
Horridus in jaculis, & pelle Lybyſtidis urſæ;
Troia Crimiſo conceptum flumine mater
Quem genuit, veterum non immemor ille parentum.

Hic, jam ſenex, primo Anchiſem & Æneam Italiam petentes hoſpitiò ſuſcepit, & mortuum Anchiſem unà cum Ænea in Eryce monte Siciliæ ſepelivit. Demum iterum à Carthagine deſcendentem Æneam, quò illum venti impulerant, ſuſcepit, ubi Æneas conditâ invalidis ſociis civitate, Aceſtam eam vocavit. Servius in illud Virg. Æn. l. 1. v. 554

Trojanoque a ſanguine Clarus Aceſtes,

Rem fusè explicat his verbis. Cum Laomedon promiſſam murorum mercedem, Neptuno, & Apollini denegâſſet; Neptunus iratus, Trojæ immiſit cetos, qui eam vaſtarent. Unde Apollo conſultus, cùm & ipſe iraſceretur, contraria reſpondit dicens, objiciendas nobiles puellas belluis. Quod cùm ſæpe fieret, timens Hippotes quidam nobilis filiæ Segeſtæ, cùm Laomedontis Regis Heſiona jam, ortâ ſeditione, eſſet religata, impoſitam eam navi miſit quò fors tuliſſet. Hæc ad Siciliam delata, a Crimiſo fluvio, in urſum vel canem converſò compreſſa, edidit Aceſtem, qui ex matris nomine civitatem Trojanis condidit, quæ hodiè Segeſta nominatur. Virg. Æn. l. 5. v. 105.

Famaque finitimos, & clari nomen Aceſtæ
Excierat. - - - - - -

Idem ibidem, v. 711

Eſt tibi Dardanius divinæ ſtirpis Aceſtes:

Et Ibid. v. 387.

Hic gravis Entellum dictis caſtigat Aceſtes.

Ubi Servius, Gravis vel ætate, vel moribus, Ideoque inter ſenes numeratus ab eodem Æn. l. 5. v. 573.

Cætera Trinacriis pubes ſenioris Aceſtæ
Fertur equo. - - - - -

Meminit ejuſdem Ovid. Met. l. 14.

Ad ſedes Erycis, fidumque relatus Aceſtem,
Sacrificat. - - - - -

Et Sil. l. 14. *Miſcuerant Phrygiam prolem Trojanus Aceſtes,*
Trojaniſque Helymus. - - - - -

ACESTES, fluv. Indiæ navigabilis, juxta quem Alex. Mag. Bucephala urbem condidit.

ACESTIDES, fornaces ferreæ, prægrandeſque, in quibus fit Cadmia. Dioſcorides l. 5.

ACESTIUM, nomen mulieris, de quâ Pauſanias in Atticis: Aceſtium, inquit, Xenoclis, qui ex Sophocle Leontis filio prognatus eſt, filia fuit. Huic ad Leontem uſque atavum, omnes gentiles, Cereris miniſtros, quaſſantes facem, dum viveret, videre contigit. Nam primum, in eo vidit Sophoclem fratrem, dein Themiſtoclem conjugem, eòque mortuò Theophraſtum filium. Hæc illius fortuna commemoratur.

ACESTODORUS, Hiſtoricus, citatur à Plut. in Themiſt. ubi ex eo refert, Xerxen, ante pugnam Salaminiam, claſſem & aciem ſpeculatum fuiſſe, in Megaridis confinio, ſuper colles quos Cerata appellant. Meminit & Etymologus in Δωδωναῖος.

ACESTOR, de Cyrenarum urbe opus conſcripſit: Citatur ab Apollonii ſcholiaſte, Argonaut. 2.

ACESTOR, vel ACESTORUS, Tragicus Poëta, ſed peregrinus & barbarus exiſtimatus, proptereaque dictus Saces. Nam Saces Thraces ſunt. Theopompus eum & Myſam & Sacam vocat, in Tiſameno. Vide Græca Scholia in Ariſtoph. Crabrones; & Aves.

ACESTORIDES: Archon apud Athenienſes A. M. 3460. Fuit etiam Aceſtorides Corinthius, Syracuſarum Imperat: de quo Diodor Sic. l. 19.

ACESTORIDES, quatuor vulgavit libros de quaque urbe fabularum, quibus multa quidem vera retulit ſed multa etiam fabuloſa adſperſit, & propterea, ut calumniam effugeret, μυθικὰ ipſe inſcripſit: ſimul ut titulô jucunditatem operis indicaret. Auctor Photius Tmemate 198. Proſâ ſcripſiſſe, interque alia, quandam de monſtroſâ hominum quorundam formâ in Indiâ, teſtis eſt Tzetzes Chil. 7. Hiſt. 144.

ACESTOS, vide Aceſtium.

ACETABULA, Græcis ὀξίδες & ὀξυβάφια, item ἐμβάφια, ſeu τρύβλια, vaſa, quæ embammati continendo ſerviebant. Pollux. Item candelabrorum ſcyphi. Candelabra enim Veterib. fiebant in modum lancis vel Acetaboli, uncinum in medio habentia, quibus infigebatur candela, cum pediculo, quò manu retinebatur. Unde, quod unicô tantùm conſtabat acetabulô, Μονοβαμβύλιον, quod ex duobus, Διβαμβύλιον vocârunt recentiores Græci: qui βάμβυλον vel βαμβύλιον fecerunt, ex Lat. bambulum, h. e. ὀξύβαφον. Salmaſ. ad Solin. p. 575. Cæterùm Acetabulum, inter menſuras liquidorum, ſeſquicyathus erat. Vide Collegii Roman. Societ. Jeſu Muſæum p. 22. edit. Amſtelod. A. C. 1678. & infrà, ubi de Veterib. Menſuris.

ACETARIA, dicta ſunt olera, quæ cruda ex aceto & ſale edebantur, Græcè [illegible] ut &, quæ acetô & ſalecondiebantur; cujuſmodi condimenta ὀξύπορα Græcis. Hæc male confundit cum *Frigidis Menſis* Veterum *Hieron. Mercurialis*, hôc enim nomine comprehenderunt Veteres omnes cibos, qui crudi eſui ſunt, quique operâ ignis non indigent, ut manducentur, ἀπύρῳ τροφῇ & ἄπυρα Græci vocant. Inter quos locum habuêre oſtrea, echini, & lactucæ crudæ, aliaque acetaria, quæ unà cum pomis in epilogo cœnæ uſurpari conſueverunt; donec illa ab extremo agmine in frontem migravêre, à ſecunda menſa in primam, iſtis ordinem ſuum ſervantibus, ut Plut. notat *Sympoſiac. Quæſt. l. 8. c. 9.* *Acetariorum* dein nomen proprium factum, τῶν [illegible], *intuborum*, nempe quæ cocta ex aceto edebantur, namque & de coctis oleribus, ex aceto edi ſolitis, vocem *Acetariorum* uſurpatam eſſe, tradit *Dioſcorides*. Cum verò Plin. *l. 19. c. 4.* diſertè *Acetaria* à Latinis appellata dicat, quæ abſque ignis operâ ſemper eſſent parata: Sic Salmaſ. *Acetaria*, à *Salmagis* & *Oxyporis* diſtinguit, ut *Acetaria* dicat, omnia olera, quæ recentia ac cruda ex aceto vorarentur; *Salgama*, quæ ſale & aceto condita ſervarentur: *Oxypora* tandem, quæ ex pluribus ſpeciebus compoſita unà trita mixtaque, quibus etiam addebatur acetum, vide eum *ibidem p. 1273.* & infrà quoque in voce *Eſcaria.* It. *Oxypora.*

ACETES, Solis & Perſeidis fil. apud Colchos regnavit. Phryxum, Athamantis fil. fugientem hoſpitio excepit, eique Chalciopen filiam nuptui dedit, Apollodor. *l. 1. Biblioth.*

ACETES, Evandri armiger. Virg. Æn. *l. 11. v. 30.*

Corpus ubi exanimi poſitum Pallantis Acetes
Servabat ſenior, qui Parrhaſio Evandro
Armiger ante fuit. - - - - -

ACETUM, præcipui olim in condimentis uſus, unde ὄξος per excellentiam Græcis dictum: nec Silphii minor commendatio. Unde ὄξος & σίλφιον jungit Ariſtophanes *in Avibus.*

Ἀλλ' ἐπικνῆτε, τυρόν, ἔλαιον,
Σίλφιον, ὄξος καὶ τριψάντες
Καταχεῖτε ἐπ' [illegible]

Et Lynceus Samius Theophraſti, apud *Athenæum*, deſcribens *Ptolemæi* convivium, memorat *vulvam acetô & laſere conditam*, in eodem pulpamento condiendo junctum utrumque fuiſſe docens. Quæ cauſa, quòd Ariſtophanes ſtylum Euripidis, quòd nimis concinnè & opiparè eſſet conditus, ὀξώδη & σιλφιωτόν, *acetatum & laſeratum*, vocare fuerit ſolitus &c. Illud verò aquâ dilutum vini fuit locô militibus olim Romanis aliiſque pauperioris ſortis hominibus. Unde genus quoddam ejus Patres familiâs vini numerô habuiſſe, dicitur *l. 2. §. 3. ff. de opt. leg. l. 1. & 9. ff. de tritico, vino vel ol. leg. & alibi.* Qui milites cùm ſequiore ævo ad vinum prolaberentur, *Peſcennius Niger*, priſcæ frugalitatis retinens, *juſſit vinum in expeditione neminem bibere, ſed acetô univerſos eſſe contentos*, apud Spartianum *c. 10.* Idem ſervorum fuit potus, de quibus dicemus infrà: vide quoque voce *Poſca.* Captivos quod concernit, Georgius Monachus de Manaſſe Judæorum Rege, Καὶ δήσαντες, inquit, αὐτὸν ἐν πέδαις χαλκαῖς, ἀπήγαγον εἰς Βαβυλῶνα· καὶ ἦν δεδεμένος ἐν οἴκῳ φυλακῆς, καὶ ἐδίδοτο αὐτῷ [illegible] ἄρτος κρίθινος καὶ ὕδωρ ὀλίγον [illegible] ἐν μέτρῳ [illegible] τὸ ζῆν αὐτὸν μόνον. Et vinctum eum pedicis æneis, adduxerunt Babylonem & erat vinctus in carcere, porrigebaturque ei exiguus è furfure panis & aquæ parum cum aceto, ad menſuram, ut animam utcunque traheret. Reficiendis item miſeris adhibebatur, quos ſupplicii pavor exanimaret: quemadmodum hodieque deliquium animi patientes ejus uſu refocillari videmus. Inde & in Hiſtoriâ Paſſionis legimus, è militibus *currentem quendam*, quum acceptam ſpongiam impleviſſet acetô & circumpoſuiſſet *calamô*, *dediſſe ei, ut biberet*, Matth. *c. 27. v. 48.* Quamvis non eô fine, quem diximus, ſed potiùs locô, Chriſto acetum impii præbuerint, non humanitatis officium, ſed barbaræ immanitatis ſpecimen exhibitum, ut implerentur Prophetiæ. Hinc Lucas *c. 23. v. 36.* verbô ἐνέπαιζον, *illuſerunt*, ſceleratam eorum mentem oſtendit. Quum autem non legamus, in monte Calvariæ ullam fuiſſe habitationem; & modicô ſaltem intervallô eum locum ab urbe ſejunctum fuiſſe conſtet, non abs re quæritur aliquis, unde illud *vas acetô plenum*, cujus mentionem facit *Johannes Evangeliſta*? Reſpondet *Nonnus* & exiſtimat, propinquas domos aliquas fuiſſe, ubi ſit vas illud repertum, vel in alios uſus paratum, vel in gratiam fortaſſe puniendorum,

- - - - Καὶ ἔκειτο ἐκεῖ [illegible] γείτονι χώρῳ.
Ὄξεος ἔμπλεον ἄγγος.
- - - - *Et paratum erat in vicino loco*
Acetô vas plenum.

Additque *Maimonides* pleraque omnia ad ſupplicii apparatum neceſſaria ab hominibus piis ſolita fuiſſe parari privatô ſtudio ſumtuque; Nempe vas, ſpongiam, *acetum*, arundinem, hyſſopum, vide Iſaac. Caſaubon. *Exercit. 16. num. 88.* Cleopatram ex duobus per omne ævum maximis unionibus, alterum *acetô* in tabem reſolviſſe liquefactumque ſic abſorbuiſſe, videbimus alibi, & agnoſcit vires has aceti, præter Vitruvium *l. 8. c. 3.* Plinius *l. 23. c. 1.* Mox alios quoque pretioſam hanc ingluviem imitatos legimus. De Clodio, *Æſopi Tragœdi* filio, Horat. *l. 2. Sat. 3.*

Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies ſolidum abſorberet, acetô
Diluit inſignem baccam, &c.

Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p. 1225.* Sed & aceti in excæcandis hominibus uſus, ut infrà videbimus: ejuſdem in nares infuſio inter ſerviles fuit pœnas, vide ubi de *Servis.*

ACEUM, oppid. Colchidis in ripâ Phaſidis.

ACHA, nomen Rabbini celebris, ſcripſit librum *Scheeltot* Raf Achæ, R. Ganz. *ad A. 4510.*

ACHA, urbs regionis Hegoviæ in Suevia, *Munſter.*

ACHA & ACHZA, fluv. Germ. in Bavariæ Ducatu per lacum Chiemum labitur, & poſtea in Oenum fluv. ſe exonerat.

ACHAB, Iſraëlitarum Rex ſeptimus. Regnavit annis 22. Impietate omnes anteceſſores ſuos ſuperavit, Jezabel filiam Ethbaal duxit uxorem, in bello adverſus Benhadad occiſus eſt, A. M. 3027. Vide 1 Reg. *c. 16.* & ſeqq. 2 Paral. *c. 18.* Item alius ejuſdem nominis Pſeudo propheta, tempore regis Zedechiæ Jer. *c. 29. v. 21.*

ACHABRON, vide *Petra Achabron*

ACHABYTOS, mons eſt Rhodi excelſus, in cujus cacumine Jovis extabat templum. *Diodor. Sic.*

ACHACIB, Palæſtinæ locus, Judic. *c. 1. v. 13.*

ACHACICA, & *Achacuca*, oppid. Americæ in Nova Hiſpan. & Mexicanæ provinc. ubi argenti fodinæ. 18. leucis diſtat ab urbe Angelorum, in Boream.

ACHAD, civitas in quâ regnavit Nimrod. Gen. *c. 10. v. 11.* quæ nunc dicitur *Niſibis.* Vide *Acabene*, & *Antiochia*, & *Achar.* Adde *Ferrarius*, *locus Palæſtinæ trans Jordanem fluv. in quo Jacob patriarcha obiit.* Neſcio quid ſibi vult. Jacobum certè in Ægypto naturæ debitum perſolviſſe, ſacra pagina teſtatur. Suſpicor itaque, quod locum lamentationis intelligit, ubi Joſeph inſtituit patri ſuo luctum 7. diebus, Gen. *c. 50. v. 10.* qui tamen non *Achad*, ſed *Atad* dicitur. *Nic. Lloydius.*

ACHADIA, vulgo *Arvagdaune*, urbs parva Hiberniæ in Connacia, & in Comitatu Gallivenſi, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Tuamenſi, teſte *Bruenio.*

ACHÆA, Ceres cognominata eſt, *Suidâ* teſte, ab eo luctu & anxietate i. e. ἄχει, quam habuit, dum Proſerpinam quæreret. Plut. *l. de Iſid. & Oſir.* Bœotii, inquit, Achææ Cereris ædes movent, eamque feſtivitatem ἐπαχθῆ nominant, à queſtu videlicet, & gemitu Deæ ob filiæ Proſerpinæ raptum. *Nic. Lloydius.*

ACHÆA, Pallas dicta, cujus templum, referente Ariſtotele *L. de mirab.* in Italiâ, apud Daunios Apuliæ populos fuit. In quo antiquitùs fuiſſe tradit cum alia tum ſecures & enſes, cæteraque Diomedis, ejuſque ſociorum arma. Hujus templi cuſtodes canes fuiſſe perhibentur, qui Græcis adeuntibus blandirentur; cæteris mortalibus agreſtes & feri.

ACHÆA, Sarmatiæ Aſiaticæ vicus ad Pontum Euxinum. *Ptol.* Incolæ *Achæi.* Orchomeniorum colonia; de quibus Ovid. *Ponticorum l. 4. Eleg. 10.*

Nec poteſt infeſtis conferre Charybdin Achæis.

ACHÆÆ *Petra*, rupes abſciſſæ ejus montis, ex quo Jordanus effluit, ſuper quibus Samos civitas condita eſt. Strabo, *l. 8.*

ACHÆI, Theſſaliæ populi: *Stephano* in Φθίᾳ. Item gens, circa Pontum Euxinum, in Sarmatia Aſiatica, teſtibus *Ptolemæo*, *Plutarcho*, *Ovidio*, *Plinio*, & *Dionyſio.* Achæos etiam in Ponto habet, Strabo *l. 9.* Orchomeniorum colonos. Teſtis eſt Plut. *in Arato*, *Achæos*, ductu Arati Sicyonii, expugnatâ Acrocorinthô, arce munitiſſimâ, & profligatô Antigonô, præſidium impoſuiſſe 400. armatorum, 50. canum, totidemque venatorum, qui in arce alebantur. Idem refert *in Philopœmene*, Meſſenios captivos ab Achæis lapidibus obrutos & immolatos fuiſſe ad tumulum Philopœmenis. A. Q. Cæcilio victi ſunt. Vide Livium Epit. *l. 52.* & *Cilicia*

ACHÆIA, collis in Caryſto. *Steph.*

ACHÆIUM, locus Troadis, Tenedo oppoſitus. *Strabo.*

ACHÆMÆNES, Africæ propriæ gens. *Ptol.* vide Bochart. *Phaleg. l. 4. c. 30.*

ACHÆMEA, urbs, in qua ſpecies magnorum cervorum. *Etymolog.*

ACHÆMENES, Rex Perſarum. Horat. *Carm. l. 2. od 12.*

Num tu quæ tenuit dives Achæmenes,
Permutare velis crine Lyciniæ.

Amm. Marcellin. *l. 19. c. 2.* reddit, *Rex Regibus imperans*: De Sapore enim verba faciens, Perſis Saporem, & Achæmenem appellantibus, & Artaxerxem, *Rex Regibus imperans*, & *bellorum victor*, interpretatur. Antiquiſſimus eſt, qui in hac gente, cujus ante captivitatem obſcurum fuit nomen, occurrit. Meminit ejus Herodotus, *l. 7. c. 11.* Pater fuit Cambyſis, avus Cyri, quô genitus Cambyſes (ex conjectura) Theiſpes frater, Hyſtaſpes proavi, Cyrum profevit Cambyſis patrem, *Regis* nomine, honoris ergò inſignitum, à *Xenophonte.* Hic, Mandane, Darii Medi filiâ ductâ, ex illa **CYRUM** progenuit, qui ex Perſis primus, poſt Darium & Cyaxarem, avum ſocerumque ſuum, in hac gente imperavit. Hinc *Achæmenidum* Tribus, maximæ inter Perſas æſtimationis, Herodotus *l. 1. c. 125.* Unde Cambyſes moribundus obteſtatus Perſas *præſentes, maximè Achæmenidas, ne permittant imperium rurſus redire ad Medos*, Idem *l. 3. c. 65.* quô pactô ad Darium, Hyſtaſpis filium & ipſum Achæmenidam, regnum devenit. Sed & in genere Perſæ hinc *Achæmenidæ* dicti, vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. XVIII.* & infrà voce *Achæmenidæ.*

ACHÆMENIA, pars Perſidis ab *Achæmene Ægei* filio ſic dicta, teſte *Stephano.* Unde *Achæmenius* Horat. *Epod. Od. 13.*

- - - - *Nunc & Achæmenia*
Perfundi nardô juvat - - - -

Et Carm. *3. Od. 1.*

- - - - *Nec Falerna*
Vitis Achæmeniumque coſtum

Lucanus *l. 8. v. 224.*

Paſſus Achæmeniis latè decurrere campis

Idem *l. 2. v. 49*

- - - - *Achæmeniis decurrunt Medica Suſis.*
Agmina. - - - -

Stat. *l. 5. Sylv. 3.*

Alter Achæmenium ſecludit Zeugmate Perſen,

Auſon. *in Epigr. 37.*

Laudat Achæmeniis Orientis gloria telis

ACHÆMENIDÆ, non populi Perſidis, ut voluêre Plin. *l. 6. c. 25.* & Solinus *c. 57.* Sed familia vel tribus fuêre, apud Paſagar-

gerdæ. Patronymicum enim hoc nomen eſt, ab *Achæmene*, qui ad Perſarum genus ſuum referebat, unde Ἀχαιμενίδαι tribus, e qua reges *Perſidæ* originem duxerunt. Fuit autem ille *Achæmenes* Aſtyagis pater, *Cyri* avus, uti patet ex ordine, quô Majores ſuos Xerxes recenſet, apud *Herodotum*. Perſeus vero, ad quem ipſe principium originis ſuæ referebat, per filium vel nepotem ſuum Perſen, genti *Perſarum* nomen dedit: inde iidem Περσείδαι βασιλῆες, *Perſidæ Reges*, apud Apollodorum *Biblioth. l.* 2. qui, utpote ex Achæmene oriundi, *Achæmenidæ* appellati ſunt. Hos Cambyſes, apud *Herodotum*, quum Magi Regiam occupâſſent, præcipuè compellat, & obteſtatur, ne poſt ejus mortem Regnum ad Medos iterum tranſire paterentur, aut in Magorum poteſtate relinquerent. *Stephanus* Ἀχαιμενίδας appellat μοῖραν, h.e. φυλὴν: *Strabo* Ἀχαιμενίδας φῦλον, & Perſidis interiora colere dicit, uſque ad Carmaniæ fines, cum Paræſchorenſibus & Magis &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1182. & 1183 & ſupra *Achæmenes*.

ACHÆMENIDES, unus ex ſociis Ulyſſis Virg. *Æn. l.* 3. v. 613.

Sum Patria ex Ithacâ, comes infelicis Ulyſſis,
Nomine Achæmenides. - - - -

Qui fugientibus Græcis cæteris cum Ulyſſe, apud Cyclopas derelictus eſt, poſtea tamen Æneæ ad eundem locum naviganti comes factus, Cyclopum manus effugit. Nannius *l.* 7. *Miſcellan.* legendum contendit *Agemenides*, quaſi ſic dictus eſſet ab eventu, quod nimirum diu manſerit in ſpeluncâ Polyphemi. Ad quod Maro ipſe videatur alludere, locô prædictô v. 616.

Hic me dum trepidi ad crudelia limina linquunt
Immemores ſocii, vaſtô Cyclopis in antrô
Deſeruêre - - - -

Cùm præſertim nullum proprium nomen temerè vel à *Virg.* vel *Homer.* uſurpetur *Nic. Lloydius.*

ACHÆORUM Littus, in Cyprô eſt, apud *Ptol.* A Græcis appellatum fuiſſe *Adriage*, nunc vero pagum eſſe, & *Accathon* vocari ſcribit Luſignanus. *Achæorum Caſtra*, Strab. *l.* 13. *Achæorum Portus*, Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Porto bon*, teſte *Nigro*: in Troade eſt, ad Sigæum Promontorium. Item, in Æolide, circa Myrinam, *Strabon.* In Peloponneſo, *Pauſan.* Tauroſcytharum portus eſt ad Pontum Euxinum *Plinio*, aliis *Pulcher portus*, vide & hic infrà.

ACHÆORUM Statio, apud Plinium *l.* 4. *c.* 11. *Deinde promontorium Cherroneſi Maſtuſia, adverſum Sigeo, in cujus fronte obliqua Cynoſſema, ita appellatur Hecubæ tumulus. Statio Achæorum*: non eſt ſtatio, Achivorum *bellantium*; Namque illa in Aſiâ apud *Sigæum*, ubi & *Achæorum Portus*, de quâ idem *l.* 5. *c.* 30 & Mela *l.* 1. *c.* 18. *Hic Sigæum fuit oppidum: hic Achivorum bellantium Statio*. Sed de ſtatione hîc accipiendum Achivorum *diſcedentium*, quam Achæi Trojâ captâ, quum claſſem ſolviſſent ab Iliacis littoribus, in Cherroneſô fecerunt. Ibi enim aliquot dies commorati ſunt, dum Polyxenam *Achillis* Manibus immolant & alias res ad diſceſſum neceſſarias conſtituunt, *Argumentum Hecubæ* Euripidis, μετὰ τὴν Τροίας ἅλωσιν ἄγχυροι οἱ Ἕλληνες, κατάρχειν τῆς ἀντιπέραν χερσονήσου τῆς Θρᾴκης, ὡς παραπρεκομένοι ἀρχὴν. Ibidem Hecuba necem Polydori filii in oculos Polymneſtoris, qui eum occiderat, vindicavit, & ipſa quoque ibidem mortua, tumulum ſortita eſt, nomine Κυνὸς σῆμα &c. Cæterum *Achæi* origine Phthiotæ fuêre, hìsque nomine Græcos ſemper intellexêre Romani. Vide Eundem *ibid. paſſim*, imprimis *p.* 141. 167. & 808.

ACHÆUM, Civitas ulteriorem Tenedorum regionem attingens, Strab. *l.* 13.

ACHÆUS, Rex Lydiæ, cùm nova tributa à populo vellet extorquere, in factione populari ſuſpenſus eſt, pedibus ſurſum verſum erectis, & capite in aquas Pactoli demiſſô. Ovid. *in Ibin.*

More vel intereas capti ſuſpenſus Achæi,
Qui miſer auriferâ teſte pependit aquâ.

ACHÆUS, Dux ſeu Prætor Seleuci, Antiochi filii, quem ultus, regnum invaſit, ab Antiocho occiſus. Polyæn *l.* 4.

ACHÆUS, Zuthi fil. homicidiô per imprudentiam perpetratô, in Laconicam profugit, & effecit, ut qui ibi habitabant, *Achæi* dicerentur. Strabo. *l.* 8.

ACHÆUS, Eretrius Poëta tragicus, paulò junior Sophocle. floruit *Olymp.* 82. Pythodori, & Pyrboridis fil. qui cùm 43. vel ſecundum alios, 30. vel. 24. fecerit fabulas, ſemel duntaxat vicit. Inter alias, ejus eſt: Κύκνος; nam ſic apud Athenæum pro Κύκλωψ ſcribi debere, obſervatum *Turnebo* & *Caſaubono*. Ejuſdem Μοῖραι, Athenæo *l.* 7. Fuit & alter *Achæus*, Syracuſanus junior, qui & ipſe Tragœdias decem ſcriptitavit. *Suidas.* Vide & *Diog. Laert.* qui *Achæi* cujuſdam mentionem facit, in vitâ Menedemi. *Achæi* quoque hiſtorici meminit Pindari ſcholiaſtes in *od.* 7. *Olymp.* Videndum autem, an idem ſit Ἀχαιὸς, quem cum Pherecyde jungit Arati Scholiaſtes quô locô de Hyadibus tractat, atque *Achæum* 4. Hyades ſtatuiſſe ait. At alius puto Ἀρχαῖος, cujus hiſtoricum opus celebrat Nicandri Scholiaſtes *in Theriacâ*. Niſi magis placet, alterutrô locô eſſe librarii vitiô peccatum.

ACHÆUS, puer quidam, qui Hipparinum, Syracuſiorum tyrannum, à militiâ revertentem, ac bene potum, de ſtupro ſe ſollicitantem, alium quendam eſſe exiſtimans, in tenebris interfecit. Parthenius *in Amatoriis*.

ACHÆUS, qui *Callicon* cognomine, Vir ſingularis ſtultitiæ, fictile vas pulvinaris locô capiti ſupponebat: verum quia duritie ejus offendebatur, paleis implevit, ut mollius cubaret. Euſtath. in *Odyſſ.* X.

ACHÆUS, fluv. qui ſe in Pontum Euxinum exonerat. Arrian. *in Peripl.*

ACHAIA, triplici notione ſumitur. *Primò*, eſt Græciæ regio, quam *Ptol. Helladem. Plin. Junior Græciam* vocat. Terminatur à ſeptentrione Theſſaliâ juxta amnem Sperchium, ſinum Maliacum, & Oetam montem. Ab occaſu Acheloô amne, ultra quem mox Epiri tractus incipit. Ab oriente nonnihil in Septentrionem reflectitur & Ægæô ac Myrtoô mari pulſatur, uſque ad Sunium promontorium. A meridie, illi Peloponneſus objicitur, & Iſthmô quinque mill. paſſ. latô, cum Peloponneſô conjungitur. hodiè *Livadia* vocatur in recentibus tabulis. *Achajam* autem dictam volunt, vel ἀπὸ τῆς ἄχης, à dolore, propter crebram aquarum inundationem, vel ab Achæo rege, ut placet *Etymologo*. *Secundo*, Achaja eſt Peloponneſi regiuncula, quæ à *Ptolemæo Propria* cognominatur, ad differentiam alterius illius Achajæ, quam Ἑλλάδα vocari diximus. In fluv. ejus Selemno lotos amorum priſtinorum oblviſci, tradit Pauſan. *l.* 7. Vocatur & aliis nominibus *Ionia*, *Ia*, & *Olenia Diodoro Sic.* *Ægialos Pauſan.* & *Plinio*, *l.* 4. *c.* 5. idque vel ab Ægialo rege, vel propter urbes in littore diſpoſitas, unde incolas Pelaſgos *Ægialeis*, i.e. littorales appellatos ſcribit Herodot. *in Polyhymn.* qui Danaam dictam quoque tradit, unde Græci *Achæi*, *Achivi*, & *Danai* dicti: *Romaniam altam* nunc appellari ſcribit *Jac. Caſtaldus*. Deſcribitur à Plinio *l.* 4. *c.* 5. & Pauſan. *in Achaicis*. Hodie ſub Turcicô jugô, perpetuis bellis exinanita. *Tertiò*, *Achaja* aliquando uſurpatur pro totâ Peloponneſô, nunc vulgò *Morea*. Huic Apulejus *Metam.* 6. Lacedæmoniam in Achajâ collocat. Hujus præcipuas urbes eleganti carmine complectitur Ovid *l.* 6 *Metam. Fab.* 8.

Finitimi proceres coëunt, urbeſque propinquæ
Oravêre ſuos ire ad ſolatia reges.
Argoſque, & Sparte, Pelopeiadeſque Mycenæ,
Et nondum torvæ Calydon invîſa Dianæ,
Orchomenoſque ferox, & nobilis ære Corinthos
Meſſenaque ferax, Patræque, humileſque Cleonæ,
Et Nelea Pylos, nec adhuc Pittheïa Trœzen,
Quæque urbes aliæ bimari clauduntur ab Iſthmô.

In *Achajam* hanc Sabaudicæ Familiæ jus quæſitum, matrimoniô Philippi Thomæ filii & Iſabellæ *de Villehardouin*, quæ filia & hæres Guilielmi Principis Achajæ atque Moreæ fuit, &, cùm Philippo nuberet, jam vidua Philippi Andini & Florentii Hannonis fuerat, Philippum autem Carolus Andinus bellis vexavit A. C. 1306. ut promitteret, principatus hos ſe vendere velle, quod & factum. Sed nepos ejus Amedeus recuperandis avitis principatibus, *Bulla* ad id impetratâ à Pontifice A. C. 1387. cum Venetis fœdus pepigit. Verùm conatus ejus ſucceſſu caruêre: frater verò illius Ludovicus, cùm prole careret, extinctus A. C. 1418. Amedeum Ducem hæredem reliquit, ad cujus poſteros ac ſucceſſores prætenſio continuata: unde in Scuti Sabaudici ultimi Ordinis primâ areâ *aureâ tres baltheos coccineos* deferente *Achajam* hodieque notari voluit, monente Speneró *Artis Herald. Parte Spec. p.* 339. §. 31. Vide & Limnæum *Jur. Publ. l.* 5. *c.* 14. 17. Imo & ſumitur *Achaja* pro omnibus regionibus, quæ ſe concilio Achaico adjunxerunt; & à Romanis in provinciam redactæ, commune hoc *Achajæ* nomen ſortitæ ſunt, quæ libertate donata à Domit. Nerone, Plin. *l* 4. *c.* 5. & 9. merſa, Plin *l.* 2. *c.* 90. &c. De Vinô Achaicô vide Plin. *l.* 14. *c.* 18. Fuit etiam *Achaja* Rhodi inſulæ urbs, à Solis filiis condita. Diodor. Sic. *l.* 5. Cujus etiam meminit *Athenæus*. Item Meſſeniæ fons, prope Dorium urbem. *Pauſan.* Item civitas Cretæ. *Geſner.* &c. Vide & *Achivi*.

ACHAJACHALA, munimentum fluminis circuitione vallatum, *Amman. Marcell.* Euphratis nempe & circa Meſopotamiam, exiſtimat Ortelius, *in Geogr. theſ.*

ACHAJÆ Flos, Ἀχαιμένιον ἄνθος, dicta *anchuſa* eſt. Vide *ibi*.

ACHAJAS, Silonius Vates, qui Jeroboamo Regnum Iſraeliticum prædixit, per novum pallium in 12. partes diviſum, quarum decem illi obtulit. 1 Reg. *c.* 11. *v.* 29.

ACHAICARUS, Vates quidam apud Boſporanos. Strab. *l.* 16.

ACHAICUM Bellum, Olymp 158. ann. 2. Urb. cond. 606. P. Corn Scipione Africanô Æmiliô, & C. Duiliô Copſulib.

ACHAICUM Mare, Achajæ Græciæ provinc. adjacens, ubi Meridiem & Occidentem ſpectat.

ACHAICUS, civis Eccleſiæ Corinthiacæ, ad B. Paulum in Aſiam delegatus, unde primam ad Corinthios Epiſtolam retulit. 1. Cor. *c.* 16 *v.* 17.

ACHAIS, is, & *Achaida*, æ. ſicut Perſis & Perſida; Thebais & Thebaida, Ptolemais, Ptolemaida.

ACHAIS, tractus Lydiæ, circa Mæoniæ fluv. Steph *in dictione Μαιονία*. Eſt etiam oppid. ſitum ad Orientem plagam maris Hircani, non procul ab Oxô amne, quod *Heraclea* dicebant, donec ab Antiocho Seleuci filio inſtauratum, *Achais* cœpit appellari. Vide Plin. *l.* 6. *c.* 16.

ACHAJUS, Scotorum Rex, prudentiâ inſignis. Repulit Hibernorum irruptionem & cum Carolô M. fœdus iniit, miſſô, ut creditur, celebri illo Alcuinô, ad reprimendas Anglorum Piraticum in Gallicum & Germanicum mare incurſionés, cujus fœderis memoriæ causâ, rubenti Leoni, aureô flammæ depictô, Scotis Principibus inſigni, duplicem tractum (ut dicunt) contrapoſitis liliis conſitum addidit Achajus. H. Boëthius *l.* 10. Obiit A. C. 819. regni. 19. Leſlæus *l.* 3. *Hiſtor. Scoticæ*.

ACHALDÆUS, apud Pauſan. *l.* 4. Dux ab Ariſtomene interfectus.

ACHALE, Inſul. circa Malacam Hiſpan. *Sext. Avienus*.

ACHALY, Saracenorum Rex, qui poſt Calipham, Mahumeto ſucceſſit, A. C. 657.

ACHAMÆ, Lybiæ interioris gens, *Ptol.*

ACHAMANTYS, Danai filia; quæ Echominum occidit. Hyginus. *Fab.* 170.

ACHAMI, Arabiæ Urbs, ubi Eupolemus tradit, Davidem naves præparâſſe, quæ in Urphen vel Ophir navigarent. Euſeb. *l.* 9. *Præp. Evang.*

ACHAMOT, unum ex nominibus, quæ Diis ſuis vel Æonibus tribuit Valentinus hæreticus. Tertullian. *l. contra Valentin.*

ACHAN, Iſraëlita, crimine anathematis convictus, ac damnatus, ab omni populô lapidibus obrutus fuit, & omnia quæ illius erant, igne conſumpta fuerunt. Congregatus fuit ſuper eum magnus lapidum acervus qui hodiè permanet; vocatumque eſt nomen illius loci, *vallis Achor*. Joſuæ c. 7. v. *ult.* De quo Achane Prudentius *in Pſychomachiâ*. v. 535.

Viderat & Jericho propria inter funera, quantum
Poſſet noſtra manus, quum victor concidit Achan
Cædibus inſignis, muralî & ſtrage ſuperbus,
Succubuit capto victus ex hoſtibus auro,
Dum vetito inſigne legens anathema favillis,
Mæſta ruinarum ſpolia inſatiabilis hauſit.

ACHANA, fluv. in Arabiâ Plin. *l.* 6. *c.* 28.

ACHANI, vel ACHARNI, populi juxta Scythiam. *Steph.*

ACHAR, Zebedæi fil. Item civitas quæ nunc *Niſibis* appellatur.

ACHARA, Civitas vicina Sardibus. Strab. *l.* 14.

ACHARACA, vel CHARACA, pagus Nyſæorum haud procul ab urbe, Plutonis, ac Junonis templo, ut & Charoniô antrô nobilis Strabo *l.* 12. & 14.

ACHARBAS, vir Didonis, apud Solin. *c.* 27. *Acerbas* Juſtino, *l.* 18. *c.* 4. *Sichæus* Virgilio *Æn. l.* 1. *v.* 347. Græcis Σιχαρβᾶς. Latini *Sicharbam* dixêre. Salmaſ. *ad Solin. p.* 323.

ACHARDÆUS, fluv. è Caucaſo in Mæotim defluens, *Copis Mercatori*, *Zygna Laxo*.

ACHARDUS, Epiſcopus Abrincenſis, in Normanniâ, A. C. 1162. Continuator *Chronici Sigeberti*.

ACHARENSES, Siciliæ populi Cicer. 3. *in Verr.* Circa Syracuſas, *Fazello*, qui putat ibi hodie *Carraiæ* eſſe.

ACHARITANUM, oppid. liberum in Africâ propriâ quâ ſpectat tractum Cyrenaicum, Plin. *l.* 5. *c.* 4.

ACHARIUS, vel FLAVIUS ACRINUS, Severini adverſus Alanos Equitum magiſter, Ferrariam condidiſſe dicitur; ortus ex *Capo Aëllo*, vide *Aëtius Capis*.

ACHARMAN, Urbs Arabiæ Felicis, ubi Thamydeni populi teſte *Brietiô*

ACHARNA, oppid. Græciæ in Atticâ Regione totius ejus tractus potentiſſimâ, pars tribus Oeneidis. Thucyd. *l.* 2. *Steph.*

ACHARNI, vide *Achani*.

ACHARNIS, vir ſenatorius atque militaris, qui occurrens Mario, & non ſalutatus, à Marianis occiditur. Signum enim ſuis dederat Marius, ut omnes, à quibus ſalutatus non reſpondiſſet, reſalutaretque, necarent. Plut. *in Mario*, de quo Lucanus, *l.* 2. *v.* 113.

- - - - - Spes una ſalutis
Oſcula pollutæ fixiſſe trementia dextræ.

ACHARRÆ, urbs Theſſaliæ.

ACHAS, vide *Achaz*.

ACHAS, oppid contra Tripolim, in radicibus Libani. *Ibid.*

ACHASA, Scythiæ extra Imaum regio. *Ptol.*

ACHASELUTA, Civitas in tribu Iſſachar. *Hieron.*

ACHATAGIA, Regio Indiæ, inter Indum & Gangem fluv.

ACHATARA, *Ptolemæo* Sinarum urbs. Græcus *Ptolemæi* codex legit *Acadra*. Eſt & apud eundem *Acadra* in Indiâ extra Gangem.

ACHATES, delitium Arſinoës, de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 819.

ACHATES, Siciliæ fluv. *Plinio*. *Cantara* vocat *Leander Albertus*, apud quem lapis *Achates* generatur. De quo Sil. *l.* 14.

Et pellucentem ſplendenti gurgite Achatem.

Vibius Sequeſter *de flum. Achates Siciliæ, ubi pari nomine lapillus generatur, unde gemmæ fiunt* Plin. *l.* 37. *c.* 10. *Achates in magnâ auctoritate fuit, nunc in nullâ eſt, reperta primum in Siciliâ juxta flumen ejuſdem nominis.* Solin. *c.* 11. *Achatem lapidem Sicilia primum dedit, in Achatis fluminis ripâ repertum, non vilem, cum ibi tantum reperiretur.* De memorabili Pyrrhi Achate, vide Plin. *l.* 37. *c.* 1. & 10. *Achates* etiam fidus Æneæ comes fuit Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 316. A ſolitudine dictus, quæ Principum perpetuus comes.

ACHATES, fluv. *Diodor. Sic.* hodiè *Drillo*: in valle Netinâ, in mare Africum cadit, 6. mill. paſſ. à Terrâ Novâ in Eurum.

ACHATES Gemma, reperta primùm in Siciliæ fluvio *Achate*, unde nomen accepit, Solin. *c.* 5. Auſonio *in Moſella*. *v.* 316. *Dorus* vocatur, ubi de Arſinoës templo,

Spirat enim tectis teſtudine Dorus Achates. &c.

Quia Sicilia *Doricè* loquebatur, in qua primum lapis repertus. Communiter rubentibus & albis venis diſtinguitur, rotiſque quibuſdam aquariis & verſatilibus in Germaniâ politur ac teritur. *Ἀχάτης* Orpheo dicitur præſtantiſſimus inter omnes & maximâ potentiâ præditus, ut qui leonis impetum frænare ac ſiſtere poſſe creditus eſt. Geſtatus ad cuſtodiam geſtantis proficit eumque gratiorem reddit, Servio *ad Virg. Æn. l.* 1. *v.* 178. quod tamen de jaſpide Plinius *l.* 37. *c.* 9. 10. affirmat: qui, unius coloris, Athletas invictos præſtat, eidem. Indici nemorum & animalium facies reddunt, hinc magno in pretio: Salmaſii *Achates* ruforum crinium globum graphicè repræſentat. Ex eo, ut & Porphyrite columnæ quoque fiebant. Lucan. *l.* 10. *v.* 115.

- - - - ſtabatque ſibi non ſegnis Achates
Purpureuſque lapis &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, imprimis *ad loc. cit.* ubi inter alia de Magico ejus uſu varia congeſſit. Ad ſignandum aptam inprimis hanc gemmam, dicemus infrà. Ut & hoc ſuperaddam: In *Muſæo Kircheriano* Romæ, oſtenduntur *Agathæ* albæ & nigræ & variis ductibus intermixtæ, è Senenſibus agris. Orientalis, ex Perſiâ; *glaucocyanei coloris*, ex Siciliâ; *viridis*, ex Bohemiâ; *violacei*, ex Belgiô albatæ. Item alia Elliptica, ad ſpeculum levigata, in qua miro venarum flexu Heroicæ viraginis effigies cernitur; *Gamaam* vocant.

Vide *Collegii Romani Societ. Jeſuit Muſæum Amſtelodami editum* A. C. 1678.

ACHATIUS, Palæſtinenſis Epiſcopus, Conſtantini Imperatoris temporibus.

ACHAZ, Rex Judæ, ſucceſſit Jothamo, annô 17. Pekah regis Iſraëlitici, regnavit ann. 16. Homo impius, hypocrita, inconſtans, religionum rituumque externorum ſtultus imitator. Eſai. *c.* 7. *v.* 1.

ACHAZI Solarium, de quo Eſai. *c.* 38. *v.* 8. *Salmaſio*, res ſingularis fuit, & viſendæ potius raritatis gratiâ conſtitutum, quàm ad ullum uſum moremque colligendarum horarum inſtitutum. Veteres enim Judæi nullam Solariorum ad hunc uſum notitiam habuêre, ſed à Romanis demum accepêre; Sic *Ægyptii & Babylonii & Græci* antiquiſſimi, Gnomonica & Sciotherica vaſa habuerunt, ſed quæ Aſtrologis potiùs Aſtronomiſque ſervirent, quam Populo, ut quæ æquinoctiales tantùm indicarent diei partes &c. Vide eum *ad Solin. c.* 658

ACHAZIB, urbs tribus Aſer, Judic. *c.* 1. *v.* 31. quæ etiam *Achzib*, Joſ. *c.* 19. *v.* 29. dicitur. Tribus quoque Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 44.

ACHBALUCMAGNI, oppid. Aſiæ in Cathajâ regione, non longè à Cambalo in provinc. *Taaſu*, juxta lacum. Significat, *Urbs alba*, ſub M. Chamô.

ACHEDORUS, fluv. Macedoniæ, Apolloniam à Theſſalonicâ dividens. *Volaterran.*

ACHEDRUS, Hippothoontidis tribus pars. *Steph.* vide *Acherdus*.

ACHELNOTUS, Cantuarienſis, qui brachium S. Auguſtini Papiæ, uno talentô auri, & centum argenti emptum, miſit Venturiam. Vincentius, *l.* 25. *c.* 25.

ACHELORIUM, fluvium habet Polyænus *l.* 8. circa Theſſaliam.

ACHELOUS, Acarnaniæ in Epirô fluv. *Straboni*, ab Achelô Rege ſic dictus. A Pindô oriens, & Ætoliam ab Acarnaniâ dividens in ſinum Maliacum defluit. *Aſpropotamo Sophiano*. *Catochi*, *Nigro*. *Geromlea*, *Kyriaco Anconitano*. *Thoas* olim incolis à celeritate dictus, teſte *Strabone*. Item *Theſtius* & *Azenus*, uti author eſt Plut. *l. de flum.* hodiè *Pachicolano*. Inde adjectivum *Acheloius*, pro *aqueus*. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 9.

Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis.

Veteres enim aquam omnem *Acheloum* nuncupavêre, quòd primus hic fluv. poſt diluvium erupiſſe è terrâ fertur. Sive quòd *Achelous* in Græciâ omnium fluviorum celeberrimus fuit. Sive quòd *Achelous* quidam primus vini mixtionem cum aquâ in Græciâ invenerit, docet hoc Euſtath. in 2. *Iliad.* ait enim, omnem montem olim dici Idam, ὥσπερ ϗ πᾶν ὕδωρ Ἀχελῷον. Ephorus quoque *l.* 2. *Hiſt.* Μάλιστα γὰρ τὸ ὕδωρ Ἀχελῷον προσαγορεύομεν ἐν τοῖς ὅρκοις, ϗ ἐν ταῖς εὐχαῖς, ϗ ἐν ταῖς θυσίαις. Unde Euripid. *in Androm.* aquam ad verrendam domum Ἀχελῴου δρόσον, h.e. *Acheli rorem* vocat. Goropius *in Hermath. l.* 6. ait *Acheloum* primâ omnium linguâ dictum *Ac-el-hoï*, quæ tres voces ſignant *Aquarum excelſum principem*. Ἀργυροδίνης Heſiodo dicitur Θεογον. *v.* 340. h.e. argenteos vortices habens, ac proinde Dionyſius *v.* 497.

Δίνῃς ἀργυρέῃς Ἀχελώϊος ἀμφὶς ἐλίσσει.

Nic. Lloydius, vide & hîc infrâ.

ACHELOUS, fil. Oceani & Terræ, ſeu Tethyos, ut habet Servius *in Virg. Georg. l.* 1. *v.* 9. vel, ut *Theodontius*, Solis, & Terræ. Hic cum Hercule duellô certavit pro Dejanirâ, Oenei Calydoniæ regis filiâ. Sed videns Herculem fortiorem, ſe vertit primò in Serpentem, deinde in Taurum, cui Hercules amputavit cornu, quod Copiæ, cornu Fortunæ datum eſt. Sed poſtea Achelous Amalthææ cornu Herculi dedit, atque ita ſuum recepit. Tandem ab Hercule victus, ſe in ſui nominis fluvium, gemino cornu inſignitum occultavit. Ovid. *Met. l.* 9.

- - - Vultus Achelous agreſtes
Et laceram cornu mediis caput abdit in undis.

Idem *Ep.* 9.

Cornua flens legit rapidis Achelous in undis,
Truncaque limoſa tempora merſit aquâ.

Et *Ep.* 15.

Ut ferus Alcides Acheloïa cornua fregit,
Dum petit amplexus Deianira tuos.

Propert. *l.* 2. *Eleg.* 34.

Nam rurſus licet Ætoli referas Acheloï,
Fluxerit ut magno fractus amore liquor.

Stat. *l.* 7. *Theb.*

- - - - - Acheloon utroque
Deformem cornu vagus inſonabat Acarnan.

Certè *Achelous* Græciæ fluv. duobus locis per fines Perrhæbiorum, in Maliacum ſinum effunditur. Et hoc Poëtis ſolenne eſt, ut fluvios Tauris ſimiles effingerent, (Horac. *l.* 4. *Carm. Od.* 14. *Sic Tauriformis volvitur Aufidus*) quoniam cum impetu erumpentes, tauris ſimilem edunt gemitum, vel, ut Hellanicus ſenſit, quia terram ſulcare tanquam boves videntur, vel, ut aliis placet, quia circa ripas fluminum tauri mugire ob uberiora paſcua audiuntur. Factus eſſe draco fingitur, quia ſinuoſô curſu deferuntur flumina. Cum idem aſſiduis aliquando imbribus non augeatur, ac placidus ſit, humanam formam ſumpſiſſe dictus eſt. Porro Hercules, ut ait Strabo *l.* 10. Oeneo affinitate conjunctus, & in omnes mortales beneficus, fluvium Acheloum temerè & cum impetu regionem infeſtantem, aggeribus & aquæductibus coërcuit, & extenuavit: eamque aquam in multos rivulos diductam, quæ prius regionem vaſtabat, utiliſſimam reddidit. Inde dictus eſt illi fluvio taurinum cornu defregiſſe, & pro illo rerum copiam, ſeu Amalthææ cornu accepiſſe; fluv. igitur paulatim exſiccatus, eô factô fabulæ locum dedit, quæ in honorem Herculis ficta eſt, & prudentiam ad infinita incommoda

moda

moda & pericula avertenda neceſſariam & perutilem eſſe demonſtrat. Hinc *Acheloides* ſeu *Acheloiades* Sirenes dictæ, à Patre Acheloo. Ovid. *Met. l.* 14.

- - - - Achelo'iadumque relinquit
Sirenum ſcopulos.

ACHELUS, nomen viri proprium Val. Flacc. *l.* 3. *v.* 138.

Ambroſium Pelora, ingentem Ancaum Achelum
Sternit, ubi alii *Echelum*.

ACHEMES, Ægypti Præſes. A. M. 3477.

ACHEMON, qui & *Achmon*, unus Cercopum, qui unà cum fratre Baſſalô, nullo non in injuriarum genere in obvium quemque debacchabatur. Hiſce mater erat *Sennona* nomine, mulier fatidica, quæ filios cavere juſſit, ne quando in Melampygum inciderent. Evenit autem, ut Hercules aliquando ſub arbore quadam dormiret, armis in eandem reclinatis. Acceſſerunt Cercopes fratres, & Herculem ſub arbore dormientem ipſius armis aggredi tentârunt. At ille protinus inſidias ſentiens, correptos, ac vinctos de clavâ à tergo ſuſpendit, leporum more, atque ad eum modum geſtabat. Capitibus itaque pendentes deorſum demiſſis, poſtquam Herculis nigris pilis horridum, atque hiſpidum viderunt. Quapropter maternı moniti memores, hâc de re inter ſe confabulantur. Quod ſimul ac audivit Hercules, cognomine delectatus, & in riſum ſolutus, vinculis eos liberatos dimiſit. Eraſmus in proverbio, *Ne in Melampygum incidas*. Meminerunt hujus fabulæ *Suidas & Nazianzenus*.

ACHEMUM, urbs perampla & regni cognominis caput, in Inſul. Sumatrâ, in Indiâ, cum portu, in orâ Septentrionali Inſulæ. Aliter *Acemum*. Diſtat 400. mill. paſſ. à Malaccâ in Circium, 210. ab orâ proximiori Peninſulæ Indiæ extra Gangem in Occaſum, & 40 ab orbe Pedir. Ejus Rex obtinet etiam regna *Pedir & Pacem* vicina. Vide Linſchot. *c.* 19. Spilberg. *c.* 14.

ACHENCHERES, it. Achenchres, vide *Acencheris*.

ACHEQUI, Rex Japponiæ, qui legitimò Principe *Nobunanga*, eò quod pro Deo adorari vellet, occiſò, ab uno Ducum ejus, qui filii occiſi Regis partes tuebatur, prælió victus & à ruſticis interemptus eſt. Mendoz. part. 2. *l.* 2. *c.* 29

ACHERÆ, vide *Acerra*.

ACHERDUS, pars tribûs Hippothoontidis. *Steph.* Unde *Acherduſius*, *Demoſth.*

ACHERIMI, populi Siciliæ. Cicer. *Verrinâ quintâ*.

ACHERIUS, quibuſdam *Haterius*, Orator tempore Auguſti Cæſaris, cui tanta orationis celeritas fuit, ut & vitium fieret, & bracteata Cæſaris Auguſti ſententia ad id circumferretur, *Acherius noſter ſufflaminandus eſt*. Is cùm libertinum reum defenderet quòd patroni concubinus fuiſſet, dixit, Impudicitia ingenuo crimen eſt, in ſervo neceſſitas, in liberto officium. Cœl. Rhodig. *l.* 15. *c.* 11.

ACHERNÆ, maximus vicorum, in Atticâ. Thucyd *l.* 2.

ACHERO, *Heſych.* Α'χέρω ἡ Ω'ρος, καὶ Κ'ρως ἡ Γέρας, καὶ Γῆ ἡ Δημήτηρ ὁ αὐτὸ

ACHERON, fil. Cereris abſque patre, quem cùm in abdito Cretæ ſpecu peperiſſet (is autem lucem aſpicere, ob Titanas, Cereris genus extirpare conatos, non auderet) ad inferos deduxit; ibi autem fluv. amariſſimus, qui primus excipit mortuorum animas, effectus eſt. Alii Titanes, & Terræ filium faciunt, & ob id à Jove ad inferos dejectum volunt, quòd ſitientibus Titanibus aquas præbuiſſet. *Acheron* autem (i. e. *gaudii carens*) fluv. fingitur excipere defunctorum animas: quia cùm morituri ſunt homines, ſubeuntibus quidam torpor mentem animumque ita labefactat, ut propinqua mors eſſe facilè ſentiatur. Tunc enim Conſcientia, rerumque geſtarum memoriâ animum perturbat, quæ palàm eſt omnibus primùm trajicienda, ut fabuloſè fingitur à Poetis, neque enim poteſt in hâc præteritæ vitæ inveſtigatione animus non magnopere commoveri. Cereris autem, ſive Terræ filius hic fluv. dicitur, quoniam univerſa animi moleſtia & perturbatio, aut ex acquirendarum aut ſervandarum ſtudio naſcitur. Hic fluv. potum Titanibus adverſus Jovem pugnantibus præbuit, quoniam multæ iniquæ cogitationes adverſus Dei mandata inſurgunt, quas ſi animus diutiùs aluerit, à ſanctâ Dei lege deſciſcit, & in beſtiorum naturam delabitur. Præterea dicitur eſſe guſtûs inſuaviſſimi, quoniam vitæ noſtræ ratio & recordatio, ſi diligenter perpendatur, multas habet inſuavitates. Plura legat Mythologiæ ſtudioſus apud *Lil. Gyraldum*, *& Nat. Comitem*. Lucano *adeſus* dicitur, *l.* 3. *v.* 16.

Præparat innumeras puppes Acherontis adeſi
Portitor. - - - - - - - - - -

Statio *dirus*, *l.* 2. Silv. 6. *v.* 80.

- - - - - - - - - - - - - - *Jam littora diri*
Sæva Phlegetontis ſeni, dirumque Acheronta videbat.

Virgilio *avarus*, *l.* 2. *Georg. v.* 492.

Subjecit pedibus ſtrepitumque Acherontis avari.

Senecæ *mœſtus*, in *Thyeſte*; *Act.* 1. *v.* 17.

Quod mœſtus Acheron paveat.

Silio *triſtis*, *l.* 1.

Triſtior his Acheron, ſanie craſſôque veneno
Æſtuat. ------ ------ ------

Dicitur etiam *Acherons*, vel *Acheruns*. Unde apud Plautum in *Amphitryone*, *Act.* 4 *ſc.* 2. ---- *ulmorum Acheruns*: h. e. vorago, & diſſipator virgarum. Ex ulmis autem virgæ fiebant; unde alibi verberonem ſervum appellat ulmitribam. Idem *Captiv. Act.* 5 *ſ.* 4.

Vidi ego multa ſæpe picta, quæ Acheruntis fierent
Cruciamenta; verum enim verò nulla adæque eſt Acheruns
Atque ubi ego fui in lapicidinis.

Idem in *Bacchidibus*, *Act.* 2. *ſc.* 2.

Regiones colere mavellem ego Acheronticas.

ACHERON, etiam Epiri fluv. juxta Pandoſiam urbem, ex Acheruſiâ, palude Theſprotiæ, profluens, multiſque fluviis auctus in ſinum Ambraciam influens, hodiè *Velchi*, ſeu *Verlichi Nigro*, Α'χέρων *Ptolemæo*, *Acheros* Livio *l.* 8. *c.* 24. *Straboni* tamen per ω ſcribitur. Cui etiam *Acheron* fluv. Elidis, regionis in Peloponneſo. Eſt etiam fluv. Bruttiorum in Italiâ Straboni, *l.* 6. Vide etiam *l.* 7. & 8. quem *Niger Baſſroto*, *Leander* autem *Santo* appellat. Barrius verò in ſua *Calabriâ* ſcribit, eum *Campaniano* hodiè dici; In hoc, Alexander Moloſſorum Rex à Lucanis trucidatus eſt, Dodonæó deceptus oraculó, quô jubebatur Acheruſiam aquam, Pandoſiamque urbem cavere. Eſt etiam fluv. Riphæorum montium, Orpheo in *Argonaut.* Item Bithyniæ fluv. qui juxta Heracleam in Pontum Euxinum exit. Qui poſtea *Sonautes* dictus eſt, auctore Apollonió, & Iſacio in *Lycophr.* Habet hôc tractu Plin. *l.* 6. *c.* 1. quoque inter alia flumina *Sonautem*. Ab *Amm. Marcellino Acheluſius* appellatur; unde Hercules canem infernalem eduxit, *Tzetzis Interpres*. *Acheron* autem dicitur ab Ebræo verbo *Acharon*, h. e. *ultimum*, *extremum*, ſive quod longiſſimè abeſt. Hinc σκότος ἐξώτερος *Matt.* 22. 13. *Nic. Lloydius*.

ACHERONTIA, civitas parva Apuliæ, in monte ſita, quam, ob hoc, *nidum* appellat Horat. *Carm.* 3. *Od.* 4.

---- *Mirum quod foret omnibus*
Quicumque celſæ nidum Acherontiæ
Saltuſque Bantinos, & arvum
Pingue tenent humilis Ferenti

Fuit etiam Magnæ Græciæ urbs mediterranea, hodiè *Matera Leandro*; populi *Acherontini*.

ACHERONTIA. vulgò *Acerenza*, ſeu etiam *Cirenza* accolis, urbs eſt hodie in Baſilicatâ, provinc. Regni Neapolitani prope Bradanum fluv. ad radices Apennini, 10. milliarib. Venuſiâ diſtat in Eurum, & 21. à Mateolâ in Occaſum. Deficit indies, eſtque parva admodum, & ejus Archiepiſcopatui unitus eſt Mateolanus ſeu Materanenſis.

ACHERONTICI libri, memorati Arnobio *l.* 2. *adv. Gent.* *Neque quod Etruria libris in* Acheronticis *pollicetur*: de *Sacris Acherontis* ceremoniiſque agebant, auctoremque habebant Tagem, ſi fides Servio, qui ad Virgiliana hæc *Æn. l.* 8. *v.* 398.

Nec pater omnipotens Trojam, nec Fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum ſupereſſe per annos;

iſta habet:

Atqui ſuprà ait, debita. Sed ſciendum, ſecundum aruſpicinæ libros, & Sacra Acherontia, *quæ Tages compoſuiſſe dicitur, fata decem annis quadam ratione differri; quod nunc dicit Vulcanum potuiſſe petere. Ergo non eſt contrarium. Nam Fata differuntur tantùm: nunquam penitus immutantur.* Iidem *Etruſci* Arnobio in præced. *Sed hanc immutantium dilationem Etruſci libri primo loco à Jove dicunt poſſe impetrari, poſtea à Fatis*; vide ad eum Deſ. Heraldi *Animadverſiones*.

ACHEROPOETA, ex Græco Α'χειροποίητα, *non manu facta*, apud Anaſtaſium *Biblioth.* in *Stephano* III. *Stephanus procedens in Litania, cum ſanctiſſimâ imagine Jeſu Chriſti, quæ* Archeropoeta *nuncupatur*: dicitur imago, quam Salvatoris noſtri eſſe volunt, mirabilis; quam à Divo Lucâ inchoatam & ab Angelis perfectè abſolutam fuiſſe, in vetuſtis Baſilicæ Lateranenſis monumentis haberi, tradit *Dominicus Macer*, additque confirmari ex Joh. Lateranenſi Diaconô, apud Onuphrium Panvinium *in opuſculo MS.* in quo de hac Baſilica loquens iſta habent: *Super hoc altare eſt imago Salvatoris mirabiliter ſuper quadam tabula depicta, quam Lucas Evangeliſta deſignavit, ſed virtus Domini Angelico perfecit opificio.* Idem ait, in Ceremoniali *MS.* Benedicti Sancti Petri Canonici, in Angelicâ S. Auguſtini de Urbe Bibliothecâ conſervato legi, *quid in die Paſchæ, antequam Papa ad Baſilicam S. Mariæ Majoris pro ſolemni miſſa celebranda transferebatur, Capellam S. Salvatoris ingrediebatur, ubi album pluviale deponebat, & una cum Diaconibus & Cardinalibus paratis ſuſcipiebat ſacra paramenta, uſque ad dalmaticam, ac mox hanc figuram Salvatoris detegebat, ejus pedes oſculando & altâ voce dicebat*: Surrexit Dominus de Sepulchro, Alleluja; *ac ſe ponebat in ſede: deinde Diaconorum Prior oſculabatur eoſdem figuratos pedes & ad Papam accedens, pro ſuſceptione Pacis*, Papa proferebat, Surrexit Dominus verè. *Tunc Prior*, Et apparuit Simoni, *reſpondebat. Idem Diaconus, Canterum Primicerius, Baſilicæ Prior ---- faciebant: quo finitò, Pontifex induebatur planeta & pallio, cum mitra in capite & ad dictam Marianam Baſilicam pergebat. In vigiliâ verò Aſſumtionis Deiparæ ejuſdem Redemtoris iconem, herba ocymo & aqua ad pedes lavabat Pontifex ac illam proceſſionaliter ad eandem Baſilicam propriis ſuis manibus deferebat.* Quem morem, uſque ad Pii V. tempora duraſſe, ſcribit Sebaſt. Fabrinus *tract. de Jubilæo Anni Sancti* 1600. *c.* 18. Idem Macer pergit: *Creditur eſſe hanc eandem iconem, quæ nunc in Sancto Sanctorum aſſervatur, quò fœminæ ingrediendi facultatem non habent, & antiquitus ſolus Papa introibat ad celebrandum.* Nempe hodie Imago non comparet, & ſuper illa acriter diſceptant Bened. Millinus *tract. de Oratorio S. Laurentii* & *Franciſcus Griſpodus*: Thomas quoque Aquinas, *Angelici Doctoris* titulò in Romana Eccleſiâ inſignis, relationi de admiranda hac icone non magnoperè fidit, cùm 3. *part. quaſt.* 25. ait: *Unde & B. Lucas dicitur depinxiſſe Chriſti imaginem quæ Romæ habetur.* Vide Macrum utrumque *Hierolex.* & Salmaſ. *ad Solin. p.* 806. Item infrà, *Acheropoetos*.

ACHERRÆ, urbs inter Padum, & Alpes. vide *Acerra*.

ACHERRÆ, ſeu ACERRÆ, hodie *Gerra*, caſtrum Ducatus Mediolanenſis, in Laudenſi agro, ad confluentes Serii, in Adduam fluv. 2. milliarib. à Piceleone, & 12. à Cremonâ in Occaſum uti à Placentiâ in Boream, teſte *Briccio*.

ACHERRES, Rex Ægyptiorum, Succeſſor, ſecundùm quoſdam, cognominis Regis, quem S. Literæ *Pharaonem* vocant, cum quo Moyſi res erat, regnavit annis 7.

ACHERSUNDA, Inſul. Norvegiæ in orâ littorali & meridionali, eſtque parva & verſus Fridericoſtadium.

ACHERUSIA, vulgo *Lago della Collucia*, palus inter Capuam, & Averſam, per aperta plana prope Cumas diffuſa. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Diodor. Sic. *l.* 2. de ſepulcris Ægyptiorum, qui Heliopolim accolunt, tradit paludem eſſe *Acheruſiam*, in quam im-

mittantur cadavera in ulteriorem ripam deferenda: navim verò ipſam quâ trajiciuntur, Barim, h. e. oneratiam, & nauclerum Charontem linguâ illorum appellari. Inde nata de Charonte, qui animas tranſvehebat Stygem, fabella. Vide egregia hanc in rem, apud Pet. de Valle, *Itinerar tom.* 2. *Acheruſia* etiam Cherſoneſus circa Heracleam Ponti ſive Marginorum in Bithyniâ ad Pontum Euxinum, unde Herculem Cerberum ex inferis eduxiſſe credunt *Xenophon*, & *Euſtath. ex Diodorô*. Eſt item ſpecus ibidem *Apollonio*, & Pomp. Melæ. *l.* 1. *c.* 19. Hujus meminit Amm. Marcellin. quoque, & addit ab accolis Μυχοπόντιον vocari. *l.* 22. *Acheruſium* quoque ibidem. *Apollon.* & Plin. *l.* 6. *c.* 1. Cum verò Sil. *l.* 14. ait,

Serpit paſcendo creſcens Acheruſia peſtis.

Non de palude intelligendus eſt, uti ſentit *Ferrarius*. *Nic. Lloydius.*

ACHESCUS Ocaras, Rex Thebaidis in Ægyptô XXI. poſt Apappum Maximum, præfuit ann. I. à Proceribus ſuis interemptus: quorum perfidiam quô pactô ulta ſit Nitocris Soror, cui regnum parricidæ detulerant, vide infrà voce *Nitocris*. Illô tempore Jacobus Patriarcha habitabat in terrâ Goshen incertitis Ægypti ſub Rameſſe Tubacte. Regnum Memphiticum verò & Thiniticum regnum Thebano acceſſerat jam ſub Apappô. Vide *ibi*.

ACHETUS, ſeu ACITHIUS, *Ptolemæo*, ut nonnullis videtur *Fiume di noto*, fluv. Siciliæ, apud Netum urbem fluens. Acithius verò (de quo *Ptol.*) longè hinc in oram occiduam fluit. Sil. *l.* 14. *Et Netum, & Micæ, pubeſque loquentis Acheti* Populi, *Achetini*, *Tullio*.

ACHEUS, Rex Tauri.

ACHIA, ſive, *Achias*, fil. Achitob. 1 Sam. *c.* 14. *v.* 3. fil. item Jerameel. 1 Paral. *c.* 2. *v.* 26.

ACHIAB, nepos Herodis M qui eum inhibuit, ne ſe cultrô, quem petierat ad pomum decorticandum, confoderet, Joſeph *l.* 17. *Jud. Ant. c.* 9.

ACHIDANA, Carmaniæ fluv. *Ptol. Achindana* Interpretibus.

ACHILA, ſylva ad dextram deſerti Ziph. 1 Sam. *c.* 26. *v.* 3. *Sycella* apud *Joſeph*.

ACHILIA, Inſul. in orâ Connaciæ Provinciæ in Hiberniâ, prope Comitatum *Majo*, ſatis parva.

ACHILLÆUS, vel, AQUILEUS, Zenobiæ parens, in cujus gratiam Palmyreni præfectum, & milites præſidiarios Aureliani occiderant. Propter ſeditiones in Ægyptô excitatas, feris expoſitus, & ab iis dilaniatus eſt. *Vopiſcus. Pomp. Lætus. Achillæus* fil. Domicillæ, Eunuchus ſub Domitianô, Tarracinæ decollatus eſt

ACHILLAS, initiò lector ſcholæ Eccleſiæ Alexandrinæ. Euſeb. *l.* 7. *c. ult.* dein Epiſcopus ejuſdem Eccleſiæ, Arium, qui Meletii hæreſin amplexus, à Petrô priore Epiſcopô ex Eccleſiâ pulſus erat, denuo recepit ut officiô diaconi fungeretur. Mortuô poſt annum Epiſcopatûs Achillâ, cùm in petitione Epiſcopatûs Alexander Ario præferretur, Arius dolore repulſæ motus, hæreſin Arianam ſparſit. Tripart Hiſt. *l.* 1. *c* 22. Vide Baron. *A. C.* 310. & 311.

ACHILLAS, Ptolemæi exercitûs ductor, cui demandata fuit cura cædis Pompeii. Plut. *in Pomp.* Lucan. *l.* 8. *v.* 538.

Sceleri delectus Achillas.

ACHILLAS, nobile Galliarum oppid. à Gothis multâ vi expugnatum, donec imminente Aëtiô non impunè abſceſſerunt, *Diacono* teſte. *Archillas* habet Proſper Aquitanic. Sed Arelati hanc hiſtoriam tribuit Chron. Wandal. ut *Vignerius* annotavit, ita ut *Arelas* pro *Achillas* reſtituendum videatur. Ortel. *in theſ. Geogr.*

ACHILLAS, vir quidam, qui cùm calvariam mortui ſaxo petiiſſet, reſiliente in frontem lapide percuſſus eſt *Auſon. Epigr.* 72.

ACHILLEA, aliàs *Achillis*, idos, *Achillis curſus*, peninſula eſt non procul ab oſtiô Boryſthenis, ad formam gladii in tranſverſum porrecta, ab exercitatione Achillis nomen habens. Dionyſius *Perieg.* Τοίνεκά σφε καλέουσιν Ἀχιλλῆος δρόμον αὐτοί. Herodotus *l.* 4. Ἀχιλλήιον δρόμον vocat. Pomp. Mela *l.* 2. *c.* 1. *Achilles infeſtâ claſſe mare Ponticum ingreſſus, ibi ludicrô certamine celebrâſſe victoriam, & cùm ab armis quies erat, ſe ac ſuos curſu exercitaviſſe memoratur. Ideo dicta eſt* δρόμος Ἀχιλλεῖος. *Fidoniſi* hodiè, teſte *Nigrô*. Fuit etiam *Achillea*, inſula Sarmatiæ Europææ ante oſtia Boryſthenis, quæ & Macaron, & Leuce & Heros, ut quidam voluit, dicebatur. Dionyſius Alexandrin. *p.* 79.

Ἔστι δέ τις ἓ σκαιὸν ὑπὲρ πόρον Εὐξείνοιο
Ἄντα Βορυσθένεος μεγαλώνυμος εἰν ἁλὶ νῆσος
Ἡρώων Λευκήν μιν ἐπωνυμίην καλέουσιν.
Οὕνεκά οἱ τάπερ ἐστὶ κινώπετα, λευκὰ τέτυκται.
Κεῖθι δ' Ἀχιλλῆός τε, καὶ ἡρώων φάτις ἄλλων
Ψυχὰς εἱλίσσεσθαι ἐρημαίας ἀνὰ βήσσας.

Amm. Marcellin. *l.* 22. *c.* 8. *In hâc Tauricâ inſulâ, Leuce ſine habitatoribus ullis Achilli eſt dedicata. In quam, ſi fuerint quidam fortè delati, viſis antiquitatis veſtigiis, temploque, & donariis eidem heroi conſecratis, veſpere repetunt naves. Aiunt enim non ſine diſcrimine vitæ illic quenquam pernoctare.* Autor Periplii ponti Euxini, ab *Iſaacô Voſſiô* editus, Ἀχιλλέως νῆσον, Ἀχίλλειον δρόμον, & Leucen inſulam pro iiſdem habet. Subdit ex Demetriô, Thetin filio ſuo hanc inſulam conceſſiſſe, Achillemque in eâ habitaſſe, ac templum ibidem in honorem ejus extructum fuiſſe. Inde eſt quòd Q. Calaber *ad finem l.* 3. *Paral.* Neptunum introducit, matrem Achillis conſolantem in hunc modum.

—— Ἀλλ' ἄρ' ἐς Διὸς ἵξεται αὐγὰς,
Καὶ οἱ δῶρον ἔγωγε θεουδέα νῆσον ὀπάσσω
Εὐξείνῳ κατὰ πόντον, ὅ δὴ θεὸς ἔσσεται αἰεὶ
Σὸς πάϊς, ἀμφὶ δὲ φῦλα περικτιόνων μέγα λαῶν
Κεῖνον κυδαίνοντα θυηπολίῃσιν ἴσον ἐμοὶ
Εἰσορόωσι τίοντες. ——

Nullam hic avem volare, Plin. *l.* 10. *c.* 19. habet & Strabo *l.* 13. Hodie Carcaria, teſte *Nigrô*. *Nic. Lloydius*. Eſt etiam *Achillea* apud *Ptol. Pauſ. & Max. Tyr.* inſula, & urbs ad oſtium Iſtri Boreal. gemina, nova & vetus, vulgo *Kilia*. Vide *Steph*.

ACHILLEA, fons Mileti, cujus aqua ſalſiſſima ſcaturit, dulceſcit autem defluxu. Hic locus Achilles dictus, cum Strambelum filium Telamonis, Lesbiis auxilio venientem, ſuperâſſet. Vide Freinshem. *Supplementis in Curt. l.* 2. *c.* 7. Athen. *l.* 2. *c.* 2. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 10.

ACHILLEIDÆ, quinam dicti. Vide infrà *Notæ metabitali*.

ACHILLEJENSES, populi, circa Macedoniam aut Illyricum, Xenoph. *l.* 3. *Hiſt. Gr.*

ACHILLES, Illyrii fil. *Appianus*.

ACHILLES, Pelei & Thetidis fil. quem adhuc infantem mater Stygiis undis immerſit: quamobrem invulnerabilis totô corpore factus eſt, præterquam in eâ pedis parte, quâ comprehenſus ab ipſâ fuerat dum ablueretur. Traditus eſt educandus Chironi Theſſalo, ſub quo bellicis artibus, ac Muſices exercitiô proficeret, unde poſtmodum iram ejus, quæ tot negotia Trojanis exhibuit, citharæ cantu mirabiliter ſæpe permulſam, Athen. *l.* 14. poſt Theopompum, *l.* 46. annotavit, Stat. *Achill. l.* 1. *v.* 526.

Quo rapis ingentem magni Chironis alumnum?

Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 210.

- - - - Metuens virgæ jam grandis Achilles
Cantabat patriis in montibus. Et cui non tunc
Eliceret riſum Citharœdi cauda Magiſtri?

Quod autem dixit *metuens virgæ*, idem ante illum cecinit Ovid. *l.* 1. *de Arte*,

Qui toties ſocios, toties perterruit hoſtes,
Dicitur annoſum pertimuiſſe ſenem.
Quas Hector ſenſurus erat, poſcente magiſtrô
Verberibus juſſas præbuit ille manus.

Per *patrios* autem *montes*, Pelion intellexit Satyricus. Is enim mons Theſſaliæ, & illic nutritus Thetidis fil. Ita enim mater ipſa apud Stat. *Achill. l.* 1. *v.* 38.

—— Quid enim cunabula parvo
Pelion, & torvi commiſimus antra magiſtri?

Hunc autem cùm mater ex oraculô didiciſſet in expeditione Trojanâ periturum, ſi eò cum cæteris ducibus proficiſceretur, jam adultum inter Lycomedis regis filias furtim occuluit, & ne proderetur, muliebri habitu eum induit: ubi cum aliquandiu delituiſſet, Deidamiam regis filiam vitiavit, ex quâ Pyrrhum ſuſcepit Ovid. *Met. l.* 13.

Præſcia venturi genitrix Nereïa leti
Diſſimulat cultu natum, deceperat omnes,
In quibus Ajacem, ſumptæ fallacia veſtis.

Hor. *Carm.* 1. *Od.* 8.

Quid latet, ut marinæ
Filium dicunt Thetidis ſub lacrymoſa Trojæ
Funera: ne virilis
Cultus in cædem, & Lycias proriperet catervas.

Poſtremò tamen ab Ulyſſe aſtu compertus, ad bellum ductus eſt: Troja enim abſente Achille expugnari non potuit. Arma, quæ nullâ humanâ vi penetrari poſſent, à Vulcano, Thetidis rogatu, illi fabricata ſunt. Porro, in bellô poſt multas res præclariſſimè geſtas, adeo ob ereptam ſibi ab Agamemnone Briſeïda indignatus eſt, ut aliquandiu bellô abſtinuerit, neque ullis precibus reduci potuerit. Verum Patrocli amici conjunctiſſimi morte permotus, denuo ad bellum profectus, Hectorem interfecit, quem mortuum, & curru alligatum, ter circum urbis muros raptavit (& hæc omnia in Patrocli ultionem) ac demum Priamo corpus vendidit. Virgil. *Æn. l.* 1. *v.* 487.

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.

Meminit Propert. *l.* 2. *Eleg.* 8

Fortem illum Æmoniis Hectora tractum equis.

Ovid. *Amorum. l.* 2. *Eleg.* 1.

Raptus & Æmoniis flebilis Hector equis.

Vetus Poëta, apud Tullium *l.* 1. *Tuſcul. c.* 44.

Vide, videre quod me paſſa ægerrimè,
Hectorem quadrijugo curru raptarier.

De redemptione cadaveris Hectoris Tragœdiam ſcripſit Ennius, quam *Hectoris Luſtra* ſive *Lytra*, inſcripſit, quæ ſic dicta à luendo, i. e. ſolvendo pretio, cujus rei argumentum tractâſſe adoleſcentem Lucanum ex Statiô apparet *l.* 2 *Silv.* 7. *v.* 54.

Ac primum, teneris adhuc in annis
Ludes Hectora, Theſſaloſque currus,
Et ſupplex Priami potentis aurum.

Magnô pretiô redemptum eſſe innuunt Homeri ἀπερείσι' ἄποινα, h. e. infinita redemptionis pretia. Cedrenus ait, portata à Priamo ad redimendum Hectorem χρυσὸν, καὶ ἄργυρον, καὶ ἱμάτια πολυτελῆ, *aurum, argentum, pretioſam veſtem*. Inde Hor. *l.* 1. *Od.* 10. de hâc re loquens, *dives Priamus*, iniquè à *Scaligero* laceratus, *Caſſiodorus*,

Priamus quantô pretiô ſepeliendum Hectorem redemit.

Diſſidet tamen Plut. Nam. *orat.* 2. *de Alex.* ὁ μὲν γὰρ (loquitur de *Achille*) χρημάτων ὀλίγων τὸν Ἕκτορος νεκρὸν ἀπελύτρωσεν. h. e. *hic autem parvo pretiô cadaver Hectoris redemptum reddidit.* Occiſus tandem à Paride, dum conjugium Polyxenæ ſperaret: ictû telô eâ pedis parte, quæ Styge tincta non erat, & in Sigæo ſepultus eſt Plin. *l.* 4. *c.* 12. Tantæ fortitudinis fuiſſe fertur, ut (teſte Gellio *l.* 2. *c.* 11.) inſigni fortitudine duces *Achilles*, ſicut L. Sicinius Dentatus, & Q. Cottus, apud Val. Max. *l.* 3. *c.* 2. *num.* 24. appellentur, & argentum vocetur *Achilleum*, quod ſit inſuperabile. Mythologi *Achillem* Imperatoris præſtantiſſimi effigiem eſſe demonſtrant, fortes autem viri voluptatum illecebris potiùs, quàm vi externâ ſæpiſſimè obruuntur. *Achillem* ſcribit Euphorion videri nuncupatum, quod non *chilo*, i. e. Cerealibus cibis primùm ſit commutritus, verum

rimæ ex infantiâ, medullis animalium, Leonum imprimis, mox & carnibus venatu comparatis. Versus Euphorionis hi ſunt, quemadmodum citantur ab *Etymologo*:

> Ἐς Φθίην χειλοῖο νεβροῖς πύεσσιν ἄπαστος:
> Τοὔνεκα Μυρμιδόνες μιν Ἀχιλλέα φημίξαντο.

Sunt qui, *Euſtathio* tradente, dici *Achillem* opinentur, quòd bellô victis triſtitiam immitteret. Alii quòd Ilienſes mœrore confecerit. Non deſunt, qui ab ἄχος *dolor*; & λύω, *ſolvo*, nuncupatum eum contendant, quia medicus fuit. Sed hæc trica forſan, & ridicula. Illud autem non perinde vulgatum, alios commiſiſſe Thetidem interdiu filium ambroſiâ ungere ſolitam, & noctu ſub igne occultare, quò quicquid in eo mortale foret, eximeret, donec, à Peleo deprehenſa, irata ſe ſubduxit. Apollonius 4. *Argonaut.* v. 869.

> Ἡ μὲν γὰρ βροτέας αἰεὶ περὶ σάρκας ἔδαιεν
> Νύκτα διὰ μέσσην φλογμῷ πυρός· ἤματα δ' αὖτε
> Ἀμβροσίῃ χρίεσκε τέρεν δέμας, ὄφρα πέλοιτο
> Ἀθάνατος, καί οἱ στυγερὸν χροῒ γῆρας ἀλάλκοι.
> Αὐτὰρ ὅγ' ἐξ εὐνῆς ἀνεπάλμενος εἰσενόησε
> Παῖδα φίλον σπαίροντα διὰ φλογός· ἧκε δ' ἀυτὴν
> Σμερδαλέην ἐσιδὼν μέγα νήπιος· ἡ δ' ἀίουσα
> Τὸν μὲν ἄρ' ἁρπάγδην χαμάδις βάλε κεκληγῶτα.

Dictus hinc fuit *Pyriſous*, quaſi ab igne ſervatus, & poſtea *Achilles*, ab exuſto labro, quod, dum lingeret infans, Ambroſiâ non fuiſſe perunctum fingitur. Agameſtor *Thetidis Epithalamiô*;

> Παιδὶ δὲ οὔνομα θῆκε Πυρίσσοον, αὐτὰρ Ἀχιλλῆα
> Πηλεὺς κλείουσι χείλεος οὕνεκα μοῦνον
> Κείρεσθαι τοῦ κατ' ἀποδίην ὑπὸ πυρὸς ἀκάματον
> Χειλέος αἰθαλόεν ἀποθρύψαντος ἀείρει.

Vide Tertullian. *de Pallio l.* 4. & *l. de Anima*, c. 46. *Nic. Lloydius.*

ACHILLES, quidam à B. Irenæo Valentiam in Hiſpaniam miſſus, ad Evangelii prædicationem; fumô ſuffocatus eſt.

ACHILLES alter, Maximus Imperat. dictus eſt, apud Jul. Capitolin in *Maximino c.* 4.

ACHILLES Germanicus, cognomen, ob res fortiſſimè geſtas, Alberti Electoris Brandenburgici, quò

> *Plura ſuis nemo commiſit prælia ſignis,*
> *Plus neque diverſo laudis ab hoſte tulit.*
> *Belliger unde tuus, Germania, dictus Achilles*
> *Omnibus invictô nomine terror erat.*

Georg. Sabin. Natus is eſt A. C. 1414. patre Friderico I. Electore obiit A. C. 1486. Pater, præter complures alios, Johannis, qui *Electoralem* lineam continuavit, & Friderici, qui *Franconicam priorem* orſus eſt. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſtor.*

Fridericus ACHILLES, fil. Friderici Ducis Wirtenbergici, defuncti A. C 1608. virtute & literis probè excultus, *Conſultatione de principatu provinciarum Europæ*, habitâ & vulgatâ innotuit, cúmque per corporis molem ad exteros ei ire non liceret, Geographicis & Hiſtoricis ſtudiis aliiſque artibus ingenium exercuit. Habitandum per fraterna pacta accepit Neoſtadium, ad Cocharum, nephritide & catharris enectus, A. C. 1631. Ejus frater maximus natu fuit, Joh. Fridericus. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hiſt. in Famil. Wirtenbergica.*

ACHILLES TATIUS, Alexandrinus, niſi *Tatii* potius, potâ fil aut libertus dici debeat, literis conſignavit ἱστορίαν σύμμικτον, in qua multorum magni nominis virorum meminerat, teſte *Suidâ*; qui addit præterea, ſui memoriam reliquiſſe opere Etymologicô, nec non librô de Sphæra. Hujuſce fragmentum ſupereſt, *Manuductio in Arati Phænomena*, ex Bibliotheca Florentina, à P. *Victorio* primùm edita, & à *Dionyſ. Petavio* in Latinum verſa. Meminit præterea Suidas *Achillis* ἐρωτικῶν: in quibus deponit Τὰ κατὰ Λευκίππην καὶ Κλειτοφῶντα. Valde hoc Amorum opus epigrammate ſuô laudat, ſive *Photius Patriarcha*, ſive potius *Imperator Leo*. Et ſanè nihil Euſtathii, & Prodromi Cyri Amores, ad illos Heliodori, vel Achillis Tatii. Cùm autem opus hoc conderet, fuiſſe gentilem, ea oſtendunt, quæ de puerorum amoribus ſcribit, atque alia. Ab Hier. Commelino, ex *Bibliotheca Palat.* editum opus hoc, ab *Annibale Cruceio Mediol.* Latinè verſum eſt. Tandem tamen fuiſſe Chriſtianum, atque ad Epiſcopatum etiam perveniſſe, ex *Suida* diſcimus. Vide Phot. *Biblioth. c.* 87. *Voſſ. de Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 315. & *de Scient. Mathem c.* 33 §. 29.

ACHILLEIS, opus eſt Statii Poëtæ, quo *Achillis* pueritiam deſcripſit, totam ejus vitam perſecuturus, niſi immatura ejus mors tam inſigne opus nobis invidiſſet.

ACHILLEUM, oppid. Troadis, juxta tumulum *Achillis*, à Mitylenæis conditum, ubi claſſis ejus ſteterat, propemodum interiiſſe ſcribit Solin. c. 43. Exiguum pagum facit ex eo *Strabo*. *Achillidem* hujus agrum vocat Laertius, in *Pittaco*. Plin. *l.* 5. c. 30. Eſt & caſtellum prope Smyrnam, & locus in Sicilia, & vicus & portus Meſſenes. *Steph.* Portus eſt in Laconica, circa Tænarum Promontor. *Pauſanias.* Locus ante Tanagræam Bœotiæ Urbem, *Plut.* Nec non oppid. & Promontor. Sarmatiæ Aſianæ ad Boſphorum Cimmerium & fauces Mæotidis paludis. *Capo di Croce. Villanovano & Molet.* Malea fons eſt dulciſſimæ aquæ, Athenæo, *l.* 2. Vide *Achillea.*

ACHILLEUS & NEREUS, à Petro baptizati, impium idolis cultum præſtare recuſantes, ſub Domitiano, avulſis à cervice capitibus, SS. Martyrum chorum auxerunt. Vincent. *l.* 10. *c.* 15.

ACHILLEUS, Vide *Achillæus.*

ACHILLINUS, miles Beliſarii, Romæ ad portam Pincianam, ſolus impetus Gothorum repreſſit. *Procop.* Potiùs *Acilinus.*

ACHILLIS Lucus, vide *Hecate.*

ACHILLIS Statua, in Sigeo fuit; ubi & *Achilleon*, quod nomine *Strabo* tumulum Achillis, Plin. *l.* 5. c, 30. oppid. agnoſcit. Habuit autem ſtatua hæc aurem foratam & elenchum inde pendentem. Servius *ad Æneid. l.* 3. *Sane apud Sigeum Achillis ſtatua fuiſſe dicitur, quæ in ima, i. e. extrema auris parte elenchum more fœminarum habuerit.* Et Tertullian. *de Pallio*, de eodem loquens, *A item quoque ſoratu effœminatum quod illi apud Sigæum ſtatua ſervat.* Poeto ore tantum imago Achillis expreſſa, non integra ſtatua fuit. Hinc *vultum* dicta Ampelio *de Marmore Ambitu*, h. e. imago ore vel pectore tenus expreſſa. &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 870. & infrà in voce *Clypeus*. item *Strongyle*

ACHILLIS Tumulus, in Sigeo. *Ibid.*

ACHIM, fil. Sadoc, Matth. *c.* 1. *v.* 14. ex majoribus Chriſti

ACHIMAAS, pater Achinoam, uxoris regis Saul. 1 Sam c. 14. v. 16 fil. item Sadoc Sacerdotis, 2 Sam. *c.* 15. *v.* 36. fide in Davidem illuſtris.

ACHIMAN, gigas ex poſteris Anach. Num. *c.* 13. *v.* 23

ACHIMELECH, nomen Sacerdotis, de quo triſtiſſimam hiſtoriam, vide 1 Sam. c. 21. v. 1. Item fil. Abjatar, 2 Sam. *c.* 8 v. 17. qui 1 Chron *c.* 18. v. 16. *Abimelech* dicitur.

ACHIMENES. fil. Bacchimonis, filii Perſei, qui Achimeniis populis nomen dedit, quibus imperavit, à quo Achimenia regio. Lege *Achæmenes* & ſic in ſeqq.

ACHIMENES, Jobatis, vel Aniobatis regis Lyciæ filia, & uxor Bellerophontis, *Achæmene* legendum puto.

ACHIMENIA, regio ab *Achimenide* denominata; lege, *Achæmenia* & *Achæmenide*.

ACHIMITENSES, apud Liberatum Diaconum in *Breviar.* c. 18 *per quendam Monachum Achimitenſem* &c. aliter *Acymitenſis*, ita enim meminit *Cyrilli Abbatis Acymitenſis* Nicolaus I. Pontiſ. Roman *Ep.* 10. *Aquimitenſis* quoque, namque Monaſterium *Aquimitum* memorat Gelaſius pontif. *l. adv. Neſtorium & Eutychem*, Monachi fuêre Byzantini qui rectiùs *Acœmetæ* appellantur, ex Græc. Ἀκοίμητος, de quibus vide infra *ſuô locô*.

ACHIMOTH, fil. Elcanæ. 1 Chron. c. 6. v. 25.

ACHINDANA, vide *Achidana.*

ACHINNAS, Rex Æthiopum, vixit circa tempora Pharamundi, primi Regis Francorum. Regnavit 3. annos. *Davity.*

ACHINOAM, nomen uxoris regis Saul, 1 Sam. c. 14. v. 49. Uxor item David, ex Jezreele 1 Sam. *c.* 25. *v.* 43.

ACHIOCHARUS vel ACHIACHARUS, Tobiæ ex fratre nepos. De quo multa Salian. *A. M.* 33. 26.

ACHIOR, dux filiorum Ammon. Judith. c. 5. v. 5. &c. Salian. *A. M.* 3346.

ACHIRA, locus Epiſcopalis ſub Patriarchatu Conſtantinop. *Balſamoni.*

ACHIRAM, fil. Benjamin Num. c. 26. v. 38.

ACHIROE, Nili filia, ex Sithone marito, Martis filio, Thraciæ Rege, filias duas concepit, Pallenæam, & Rhœteam, quarum illa Pallenæam urbem Thraciæ nomine ſuô vocavit, Hæc verò Rhœteam Troadis locum.

ACHIROPICTOS, pro Ἀχειροποίητος, vox hybrida, occurrit in *Charta* Tancredi Siciliæ Regis apud Ughellum *in Archiep. Roſſanenſibus*, *Ingreſſi venerabilem Eccleſiam Archiepiſcopatus Roſſani, in qua reverenda imago Sanctæ Dei genetricis Mariæ, quæ dicitur* - - - - Achiropictos *colitur* &c. De ea ſic Car. du Freſne, *ita inquit*, in *Gloſſar. appellabant quaſdam Deiparæ imagines, quas divinitus, nec arte humanâ pictas putabant, de quibus Commentarium ſcripſit Jacobus Gretſerus.* Vide quoque ſuprà in voce *Acheropoeta.*

ACHIS, *Manethoni* Memphitarum Rex VI. quem Toſertaſis anteceſſit, Siphuris excepit: regnavit ann. 47. Venephe Thinitis, & Diabie Thebanis, imperitantibus. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron.*

ACHIS, Gethæorum Rex Palæſtinus qui Davidem exulem cum 600. comitibus ſuccepit, eique civitatem Siceleg inhabitandam dedit, quæ poſtmodum civitas Davidis appellata eſt: eum quin etiam in expeditione contra Judæos comitem habuit cum 200. ſociis, ejus virtuti plurimùm confiſus. 1 Sam. *c.* 28. *v.* 10. & c. 27. v. 2. Apud hunc Regem cum deliteſceret David, compoſuit, ſecundùm quoſdam, *Pſalmum*. 56. & cùm liberatus eſſet, Pſalmum 34.

ACHISAMECH, pater Ooliab, de tribu Dan, Exod. c. 31. v. 6.

ACHISARIS, oppid. *Achiſarmi* populi; Plin. *l.* 6. c. 30.

ACHITÆ, vide *Anchitæ.*

ACHITOB, pater Abimelech ſacerdotis. 1 Sam. c. 22. v. 9. Item pater Sadoc. 2 Sam. c. 8. v. 17.

ACHITOPHEL, Gilonita, conſiliarius Regis David, apud quem tantâ æſtimatione habitus fuit, ut quicquid diceret; de cœlo prolatum duceretur: tantâ verò perfidiâ, ut de comprehendendo Davide daret conſilium: tantâ improbitate, ut Abſoloni author eſſet, thorum paternum, luce clarâ coram populo, contaminandi. Cùm autem ſuum conſilium utile repudiaretur, indignatione victus, & præ impotentia laqueô ſibi fauces intercluſit. 2 Sam. *c.* 15. 16. 17.

ACHIVI, ante Heraclidarum Κάθοδον dicebantur, qui Argos & Lacedæmonem incolebant. Hi jam ab Heraclidis, Temeno & Ariſtodeno, ejecti, extra Peloponneſum non abiêre; ſed pulſis ex Ægialo Ionibus XII. eorum urbes occupârunt, quæ dein *Achaja* dicta: Iones autem in domiciliis conſortium ab Athenienſibus recepti ſunt. Pauſanias *Achaicis.* Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. ad Sec.* XIII. ut & aliquid ſuprà voce *Achaja*. Aliàs *Achivi*, pro omnibus Græcis, Synecdochicè. Vide *Græcia.*

ACHLADÆUS, apud Pauſan. *l.* 4. dux eſt, quem Ariſtomenes interfecit.

ACHMAT, fil. major natu Bajazetis ſecundi, IX. Turcarum imperatoris, à Selymo fratre minore, imperium ambiente, ſtrangulatur, patre & alterô fratre necatis. *Hiſt. Turc.* Vide *Achomates*, & *Acomates.*

ACHMENII, vide *Achæmenidæ.*

ACHMET, I hujus nominis & XVIII Imperat. Turcarum, Pa-

Patri Mahometi III. ſucceſſit, 15. ann. ætat. Fratrem unicum, in Monaſterium detruſum, vivere permiſit. Per Baſſam Cigajam, in Perſia, infeliciter rem geſſit, amiſſo Tauriſio & Erzero. Tranſylvaniam vero, Valachiam & Moldaviam, per Bedcaynm, qui contra Imperatorem German. rebellaverat, recepit, & Bedlemi Gabor contra Bathoreum favit. Tandem in bello contra Perſas, Polonos, & Coſaccos infelix, cum majoribus viribus rem geſturus eſſet; obiit, A. C. 1617. imperii 14. ætat. 30. *Continuatio* Chalcocondylæ, *Inventar. Baudr.*

ACHMET II. aliis Mahometes IV. Ibrahimo patri ſucceſſit, A. C. 1648. Candiam aliquot locis tenus Venetis eripuit; cum Imperat. Leopoldo inducias vicennales pepigit A. C. 1664. quas de novo confirmavit A. C. 1671. ſed non expectato earum terminô, cum ingenti exercitu Hungariam ingreſſus, ad Viennam conſedit, acriterque at fruſtra oppugnavit A. C. 1683. à quo aliis quoque infelicius eractis, tolio dimotus, Solimannum III. fratrem ſucceſſorem nactus eſt, quem vide.

ACHMET III. an *Urchanes* II. Solimannum III. excepit, qui hodieque bello, cum Imperat. Leopoldo, gravi implicitus eſt.

ACHNÆ, urbs Theſſaliæ, & alia Bœotiæ. *Steph.*

ACHNE, inſul. apud Plin. *l.* 5. *c.* 31. Sic enim ait; *Rhodiorum inſula Carpathus, quæ mari nomen dedit, Caſos, Achne olim.*

ACHO, Norvegiorum Rex, Arranam & Botam, quæ ſolæ ex Hebridibus Inſulis adhuc Scotis parebant, fame Scotiam infeſtante ſæviſſimâ, ſubegit: mox in Scotiam cum claſſe 150. navium tranſmiſit, *Air* caſtellum expugnavit: Sed Alexander III. Scotorum Rex acie victor, quinque ſuorum millibus amiſſis, viginti quatuor hoſtium millia delevit ad *Largu* oppid. A. C. 1263. Acho fugiens, cum eâdem nocte claſſem tempeſtas in ipſo portu oppreſſiſſet, cum quatuor reliquis in Orcades reverſus, cum in ſequens ver novam expeditionem adornaret, moritur. H. Boëthius *l.* 13.

ACHOALI, Arabiæ Felicis populi Plin *l.* 6. *c.* 28

ACHOBOR, fil. Micha, conſiliarius regis Joſiæ. 2 Reg. c. 22. v. 12. Item pater Baal-hanan, 7. regis in Edom. Gen. *c.* 36. *v.* 39.

ACHOLA, urbs Africæ. *Ptol.* fortè *A. Hirtii Acilla*; *Acholla Livio.*

ACHOLIUS, Hiſtoricus, floruit ætate tum Valeriani, filiique Gallieni, tum Claudii quoque ac Aureliani. Magiſter admiſſionum Valeriani fuit, & ejus acta libris aliquot ſcripſit, ut author eſt Flav. Vopiſcus in *Aurelian. c.* 17. Idem contexuit Alex. Severi vitam, ut videre eſt apud Lamprid. *in Alexandro c.* 48. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 4.

ACHOLIUS; Epiſcop. Theſſalonicenſis, generoſè ſe Gothis oppoſuit. Ambroſ. *Ep.* 39. Theodoſium M. baptizavit, Socr. *l.* 5. *c.* 6. Interfuit Concilio Conſtantinop. A. C. 381. &c. Baron. *A. C.* 378. 381.

ACHOLIS, Eunuchus quidam, præpoſitus ſacri cubiculi, quem D. Germanus Ravennæ, maligni Spiritus vexatione liberavit. Sigon. *l.* 13. *Imp. Occid.*

ACHOLLA, urbs Libyæ non procul à Syrtibus, Colonia Melitæorum. *Steph. Cholla Appiano.*

ACHOLOE, una ex Harpyiis. *Hygin. Fab.* 14.

ACHOMÆ, & *Achomeni* populi Arabiæ Felicis *Steph.*

ACHOMATES, Bajazetis Turcarum Imperat. fil. qui ſe ipſum Aſiæ Regem deſignavit, tandemque à parte Turcarum electus eſt. *P. Jovius*, Vide & *Achmat.*

ACHON, Conſiliarius; Suenoni Saxoni malè conſuluit.

ACHONRITA, urbecula Hiberniæ, in Connachtia provinc. Deficit indies. Eſt in Letrumenſi Comitatu, prope lacum Alyne, & vix 6000. paſſ. à Letrumo in Boream. Epiſcopalis eſt ſub Archiepiſcopo Tuamenſi.

ACHOR, vallis in tribu Judæ, Joſ. *c.* 15. *v.* 7. ad Septentrionem Jericho, haud procul à Gilgal, à tumultu & turbatione Iſraelitici populi appellationem habens, & non ab Achan ſacrilego, qui illic lapidatus eſt propter anathematis furtum. Joſ. *c.* 7. *v.* 26.

ACHOREUS, Rex inferioris Ægypti XII. poſt Aceſephtrem, regnavit ann. 9. Sethô apud Thebanos imperante. Eum excepit Armyſes; vide *ibi.*

ACHORIS, Ægypti locus, ubi Appelles Monachus. Sozom. *l.* 6. *c.* 18. Calliſth. *l.* 11. *c.* 34.

ACHORUS, Alii *Myodes* vel *Myager*, Idolum, quod invocare ſolebant Cyrenaici, ut muſcas multitudine peſtilentiam inferentes interimeret. *Plin.* Hunc autem non *Achoron*, ſed *Acharon* vocat Nazianz. *orat.* 1. *adv. Julian.* Vide & Plin. *l.* 10. *c.* 28.

ACHORUS, tertius Ægyptiorum Rex, regnavit ann. 12.

ACHORUS, quartus Ægypt. Rex, regnavit ann. 9. Vide *Achoreus.*

ACHRADINA, pars Syracuſarum, & inſul. in vicinia. Egregiam ejus deſcriptionem Cicero exhibet, *Verr.* 6. vide & *Steph.*

ACHRADUS, *unus*, tribus Atticæ. *Steph.*

ACHRIANA, urbs Hyrcaniæ. *Steph.*

ACHRIDUS, vide *Prima Juſtiniana.*

ACHRIS, urbs in ſublimi colle, proximè lacum maximum, unde Drinus fluv. verſus Septentrionem effluit, deinde verſus Occidentem deflectens, in Ionium mare ſe exonerat, ad Liſſum caſtellum. *Cedrenus* & *Curopalates*; Bulgariæ metropolis & regia erat. *Ochrida* nunc vocari exiſtimat ex Barletii *l.* 11. & eandem cum *Lychnido* eſſe putat Ortelius *in theſ. Geogr.* vide *Tauresium.*

ACHRON, Palæſtinæ locus, Joſ. *c.* 9. *v.* 43. Ἀκκαρὼν habent LXX.

ACHRONA, vide *Ochrona.*

ACHRUA, *Ptol.* civitas Arabiæ Felicis.

ACHSA, filia Caleb. 1 Chron. *c.* 2. *v.* 49. quæ Judic. *c.* 1. *v.* 12. *Axa* ſcribitur.

ACHSAPH, urbs in tribu Aſer, Joſ. *c.* 12. *v.* 1. quæ *c.* 19. *v.* 25. dicitur *Axaph*, *Hieronymo Chaſaim* dicitur, in 8. lapide Diocæſareæ, ad radicem montis Thabor, in campeſtribus ſita. *Davity.*

ACHYRUM, Urbs Poloniæ ad Vorskloam fluv. in Volhinia inferiori & confinio Muſcoviæ, cum arce in monte. Diſtat à Boryſthene, 25. leucis Polonicis in Boream. *Guill. le Vaſſeur.*

ACHZIB, Palæſtinæ locus, Joſ. *c.* 15. *v.* 43. In tribu Aſer, *Hieron.* cui Dippa eſt, in nono milliario Ptolemaidis, pergentibus Tyrum. Alia ab *Achſab*, & eadem cum Ecdippa. Vide *Ecdippa.*

ACIAPONDA, oppid. Indiæ extra Gangem, in ora ſinus Bengalæ & Regni Pegu, cum portu 80000. paſſ. ab Arachamo in meridiem.

ACIARIUM, medio ævô dicta eſt indurata ferri acies Græcè *ϛόμωμα*. Nam *ϛομοῦν*, *indurare*, Gloſſæ exponunt, imò *indurare aciem*, Plin. *l.* 34. *c.* 14. unde *Acier* Gallorum de Chalybe. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1078. & *ſeqq.*

ACIBALIANA, Africæ locus *In Collat. Carthag.*

ACIBI, populi Sarmatiæ Europææ ad fontes Boryſthenis Septentrionalis.

ACICHORIUS, dux in ea expeditione, quam Galli adverſus Pæoniam ſuſceperunt. *Pauſan.*

ACICULA, vide infrà *Spinula.*

ACIDALIA, Veneris epitheton, vel quia injicit curas, quas Græci (inquit *Servius*) *ἀκίδας* vocant, vel certè à fonte *Acidalio*, qui eſt in Orchomeno Bœotiæ civitate, in quo ſe Gratiæ lavant, quæ Veneri ſunt ſacratæ. Ipſius enim & Liberi filiæ ſunt. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 723.

—— At memor ille
Matris Acidaliæ ——

ACIDALIUS Valens, Viſtochenſis, ſcripſit *Notas in Curtium & Tacitum*, *Conjectanea in XII. Panegyricos vett. Varias Lectiones & Caſtigationes in Vell. Paterculum*, *Plautinarum divinationum & interpretationum l.* 22. *Orationes*, *Epiſtolas*, *Poemata.* Vide Barthium *Adverſar. l.* 50. *c.* 9. Placcium *de Scriptoribus Anon.* & Anton. Teiſſier *Eloges des Hommes Sçavans.* Obiit A. C. 1595. ætat. 28.

ACIDALUS, fons eſt in Campania, ægris oculis mederi conſuetus.

ACIDAS, Peloponneſi fluv. apud *Pauſan.* cujus vetus nomen *Jardanum* fuiſſe ſcribit.

ACIDIOS, Loci in Italia nomen, *Antonino*, inter Venuſiam & Grumentum.

ACIDIRÆ, vide *Dacides.*

ACIDON, fluv. Triphyliæ in ora maritima. Strabo. *l.* 8.

ACIDULUS, fontis nomen in agro Venafrano, ſic dictus, ob aquas ſubacidas. Plin *l.* 13. *c.* 2. De *Acidulis* verò aquis, vide aliquid infrà voce, *Fons Veneris*, it. *Lynceſtes.*

ACIDUSA, Vide *Glaucia.*

ACIENSES, Italiæ populi Albenſibus, & Albanis proximi. Plin. *l.* 2. *c.* 5.

ACILA, promontor. & urbs Arabiæ Felicis contra Diram urbem & promontor. Æthiopiæ, ſinu Arabico intercedente. *Ocila* Plinio. *l.* 6. *c.* 28. *Ocelis Ptol* emporium Arabiæ ad ſinum Arabicum *Zidem*, teſte *Nigro.* Sed *Rhamuſio* teſte, *Capo-Celi* potius dicitur, promontor. ad ſinûs Arabici fauces, olim Emporium Arabiæ, ex quo, teſte *Plinio*, in Indiam navigabatur. Vide *Ocelis.* Eſt & *Acila*, Africæ civitas, Hirtius *c.* 33. *Nic. Lloydius.*

ACILENUS, vide *Achilenus.*

ACILIA Auguſta, Germ. *Aichburg*, oppid. olim Vindeliciæ, nunc pagus Bavariæ, apud Straubingam urbem à Ratiſpona 6. leucis in ortum.

ACILIA. gens plebeia Romæ fuit, à Trojanis oriunda, teſte *Herodiano.* Hanc verò gentem abjectam fuiſſe & obſcuram inde apparet, quòd poſtremò omnium eorum, quorum originem veteres ad Æneam referunt, honores adepta fuerit.

ACILIA, mater Lucani.

ACILIA Lex, à C. Acilio, Tribuno Plebis an. Urb. Cond. 556 C. Corneliô Cethegô, Q. Minutiô Rufo Conſulib. lata, juſſit, *Ut quinque Coloniæ in oram maritimam deducerentur: Duæ ad oſtia fluminum Vulturni Liternique: una Puteolos, una ad caſtrum Salerni, his Buxentum adjectum: tricenæ familiæ in ſingulas.* Vide Livium *l.* 32. *c.* 29. Item *Acilia* Calpurnia lex, an. Urb. Cond. 684. à M. Aciliô Glabrione & C. Calpurniô Piſone Conſulib. ſancita, ambitum compeſcuit, his verbis: *Ut qui ambitûs damnati eſſent, neque Magiſtratum capere, neque in Senatum legi liceret, & pecuniæ mulctarentur.* Cicer. *pro Muræna*, *pro Cornelio* & *in eam* Aſconius. Cauſam ferendæ legis indicat Dio *l.* 36. Hæc poſtea, ut cum pœna ferretur, licentiâ ambitus ob Catilinæ & Antonii audaciam augeſcente, cenſuit Senatus C. *Julio Cæſare*, & *Cajo Martio Figulo Conſulib.* an. Urb. Cond. 689.

ACILISENE, ſeu ACILISENA, Græcè Ἀκιλισηνή, præfectura Armeniæ majoris, ſita inter Taurum montem & alveum Euphratis, cum recto curſu ad Occidentem pergit, priuſquàm ad Meridiem avertatur, *Strabo*: de quâ vide pluribus agentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 620. ut & in voce *Aciliſena.*

ACILIUS, vulgo *Acilino* nunc, teſte *Fazello*, fluv. Siciliæ, denominatus ab *Aci*, juvene quodam Siculo, qui à Polyphemo interfectus, Galateæ nymphæ amaſiæ ſuæ precibus in fontem ſui nominis à Neptuno converſus fuit. Vide *Acis.*

M. ACILIUS Aviola, Legatus Tiberii in Galliis, quartô ipſius, & ſecundô Druſi conſulatu Gallos, rebus novis ſtudentes compeſcuit. anno Urb. Cond. 773. Tacit. *Annal. l.* 3. *c.* 41. Hic Conſularis ille quibuſdam eſſe creditur, qui in rogo revixit. Val. Max. *l.* 1. *c.* 8. num. 12. quod ſi verum ſit, falſa ſint neceſſe eſt quæ ſequuntur in prioribus editionibus, ſcil. quique an. Urb. Cond. 806. cum Q. Aſinio Marcellino conſul fuit, quando Claudius Imperat. obiit. Saltem alius hic à priori fuerit, quia Tiberio Cæſari hoc opus dedicavit Valerius.

ACILIUS Aviola, curator aquarum publicarum ſub Veſpaſiano & Domitiano principibus, cui *Frontinum* in eo munere ſe ſucceſſiſſe ſcribit.

ACILIUS Aviola, Conſul cum Cornelio Panſâ. an. Urb. Cond. 874 ſub Adriano.

ACILIUS Aviola, Conſul cum Gordiano Imperat. an. Urb. Cond. 991.

M. ACILIUS Balbus, Conſul cum T. Qu. Flaminio. an. Urb. Cond. 603.

M. ACILIUS, Balbus Conſul. cum C. Portio Catone, an. Urb. Cond. 639. Hoc conſulatum gerente, lacte & ſanguine pluiſſe, auctor eſt Plin. *l.* 2. *c.* 56.

C. ACILIUS Butas, Prætorius, cùm patrimonium ingens conſumpſiſſet, & paupertatem ſuam apud Tiberium fateretur, *Sero*, inquit, *ô Buta experrectus es*. Senec. *Ep.* 122. Meminit ibidem ut hominis lucifugæ, qui ad cereos & faces viveret. Locus eſt elegantiſſimus. Vide & Cajus.

Manl. ACILIUS Fauſtinus, cum Cæſonio Macro Rufiniano Conſul. an. Urb. Cond. 962. Sub Severo Imperat.

C. ACILIUS Glabrio, Quæſtor provincialis fuit an. Urb. Cond. 551. item Tribunus plebis. 556. Putat *Voſſ.* eundem eſſe, cujus Annales citat Plut. *in Romulo*. Vide eum *de Hiſt. Græc l.* 1. *c.* 17.

M. ACILIUS C. F. L. N. Glabrio, Tribunus plebis cum Q. Minutio Thermo an. Urb. Cond. 553. Prætor A. 558. Inter cives & peregrinos jus dixit, & conjurationem ſervorum, quæ Etruriam propè infeſtam reddiderat, unà cum legione miſſus oppreſſit. Conſ. A. 562. cum P. Corn. Scip. Naſicâ, Antiochum regem ad Thermopylas vicit, quô nomine per triduum ſupplicatio decreta eſt, & ab ipſo triumphus actus, & ſpectaculô, & famâ rerum magnificus. Idem X. Vir Sacrorum factus eſt A. Urb. Cond. 554. Cenſuram cùm peteret, partim invidià nobilitatis, quòd homo novus eſſet, partim Catonis, (qui competitor erat) falsô teſtimonio afflictus, à petitione deſtitit. Livius *l.* 30. *c.* 40. *l.* 31. *c.* 50. *l.* 33. *c.* 24.

M. ACILIUS Glabrio M. F. Duumvir, Ædem Pietatis in foro olitorio, quam pater, quô die cum Antiocho ad Thermopylas depugnavit, voverat, dedicavit, ſtatuamque auratam, omnium in Italia primam, patris Glabrionis poſuit. an. Urb. Cond. 573. De æde autem Pietatis in eo loco conſecratâ, ubi quondam mulier habitârat, quæ patrem incluſum carceri mammis ſuis clam aluerat, ob quod factum illi impunitas conceſſa, diſerimus Val. Maxim. *l.* 2. *c.* 5.

M. ACILIUS Glabrio, ſuperioris, ut putatur, fil. *legem Aciliam* tulit de pecuniis repetundis ſeveriſſimam, in qua ne comperendinari quidem reum licebat. *Aſcon. Pedian.*

M. ACILIUS Glabrio, prioris fil. Prætor & Judex Cicerone Verrem accuſante. Conſ. inde poſt biennium, Ciliciam provinciam obtinuit.

M. ACILIUS Glabrio, ſuperioris fil. avunculo Scauro repetundarum reo in judicio adfuit, ſed & ipſe bis à Cicerone in judicio capitis defenſus fuit. Proconſul Siciliæ ſub Cæſare, & legatus Cæſaris in bello civili, præfuit Orico, dum Cæſar Dyrrhachii Pompejum obſidet. Cæſ. *com. l.* 3. Meminit ejus *Tullius*; Qui eum cum legionibus in Græciam miſſum ſcribit.

L. ACILIUS Glabrio, refertur à Porcio Catone in declamatione contra Catilinam, ut ejus ſica in ſenatu deprehenſa ſit.

M. ACILIUS Glabrio, Conſ. ſub Domitiano an. Urb. Cond. 843. Collega in eo honore Ulpii Trajani. Hujus filium Domitianus interemit, quòd cum feris pugnaret, revera autem propter inviſum robur. Nam in Albano Leonem confecit. Juvenal. *Sat.* 4. *v.* 94.

Proximus ejuſdem properabat Acilius ævi,
Cum juvene, indigno, quem mors tam ſæva maneret,
Et Domini gladiis tam feſtinata. - - - -

M. ACILIUS Glabrio, Conſ. ſub Adriano an. Urb. Cond. 876. Ad hunc Conſulem ſcripta Epiſtola Hadriani Imperat. citatur Pandect. *l.* 48. *De accuſationibus, & reſcr. L.* 22.

Anicius ACILIUS Glabrio, Conſ. cum Theodoſio Juniore Imperat. Fuerunt & multi alii *Glabriones* ſub Imperatoribus Pio, Commodo, Pertinace, Valeriano, Severo, Antonino, haud dubiè omnes gentis Aciliæ.

ACILIUS, prænomine *Manius*, legatus Cæſaris. *l.* 3. *de bello Civ.* Nam *Manii* prænomine tantùm Acilia familia uſa eſt.

ACILIUS Rufus, vir Conſularis ſub Trajano.

ACILIUS Severus, Conſ. & præfectus urbis ſub Conſtantino M. an. Urb. Cond. 1075.

ACILIUS Sthenelus, de quo Plin. *l.* 14. *c.* 4. *Summam ergo adeptus eſt gloriam Acilius Sthenelus è plebe libertinâ, 60. jugerum non amplius vineis excultis in agro Nomentano, atque 400. nummûm venundatis.*

ACILIUS Strabo, reus actus à Cyrenenſibus, quod à Claudio diſceptator agrorum miſſus, quos Rex Apion Populo Romano cum regno reliquerat, poſſeſſione prætoriâ uſus fuerit. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 18.

ACIMINCUM, vide. *Acumincum*.

ACINA, Arabiæ oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

ACINACÆ, Bactrianæ populi Ptol. *l* 6. *c.* 11.

ACINACIS, nomen gladii, apud Latin. Occaſione veteris laminæ, quæ faſcium ſtrui impoſita, Martis ſimulachrum fuit, apud Herodot. *l.* 4. cui Scythæ populi quotannis hoſtias, cùm aliorum pecorum, tum equorum offerebant. Hinc *ab Acinace*, cognomen Petri Aragonum Regis, de quo vide infrà *Juſtitia Arag.* it. *Petrus* I. uti de hoc Perſici teli genere aliquid infrà voce *Sica*; de vagina ejus, in *Sacarium*, de cultu etiam voce *Thraces*.

ACINASIS, Colchidis fluv. Arrianus *in Periplo*.

ACINCUM, vide *Acumincum* & *Aquincum*.

ACINDINUS, Antiochiæ præfectus, temporibus Conſtantii. Auguſtin. *de Sermone Domini in monte*.

ACINETOS, Æonis Valentini hæretici nomen. Tertullian *contra Valentin. c.* 7.

ACINIPPO, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ. Plin. *l.* 3. *c.* 1. quod idem *Accinippo* dicitur *Ptolemæo*.

ACINUS, Bohemiæ fluv.

ACIPENSER, Græcè ἔλοψ quibuſdam dictus; ob ſimilitudinem quandam cum eo, marinus eſt piſcis, maximo olim in pretio. Vide Plin. *l.* 9. *c.* 17. *Apud antiquos piſcium nobiliſſimus habitus Acipenſer, unus omnium ſquamis ad os verſis contrà quàm in nando meat.* Nempe piſces omnes ſecundâ ſquamâ natant, ſolus *Acipenſer* in nando meat, contrà quàm habet ſquamam, ſiam ad os verſa eſt. Idem, *Acipenſerem rarum inventu ætate ſua*, ſcribit, & tamen in pretio non fuiſſe miratur, Cicero raro quoque admodum capi, tradit *de Fato*: *Allatus eſt fortè Scipioni* acipenſer, *qui admodum raro capitur, ſed eſt piſcis, ut ferunt, imprimis nobilis.* Martialis quoque rarum illum facit, & ſolùm Imperatorum menſis dicatum *l.* 13. *Epigr.* 91.

Ad Palatinas Acipenſem mittite menſas;
Ambroſias ornent munera rara dapes.

Qui cùm non longè ſit ab ætate *Plinii*, imò fermè eâdem vixerit: mirum eſt, qui *Plinium* ſcripſerit, nullo in honore fuiſſe ſuû tempore. Sammonicus apud Macrobium *l.* 3. *Sat. c.* 16. teſtatur, præcipuam huic piſci auctoritatem fuiſſe, in convivio Cæſaris & à coronatis miniſtris, cum tibicine, introferri ſolitum fuiſſe dicit. Plinii etiam meminit, nec in dubium revocat, quin verum ſit, quod ab illo dicitur, additque, *Apud antiquos autem in pretio fuiſſe ego teſtimoniis palam faciam, vel eo magis quòd gratiam ejus video ad epulas quaſi poſtliminio rediiſſe*. Imò non rediit, ſed ſemper fuit. Diſertè quippe teſtatur *Martialis*; qui Trajani vixit Imperiô, hunc cœnis Imperatoris ablegandum eſſe, utpote qui plebeii palati non eſſet, quin & rarum fuiſſe innuit. E quibus apparet, *Plinii* temporibus parum cognitum fuiſſe hunc piſcem, quem proin malè quidam cum Sturione confundunt, piſce multis in locis obviô. Archeſtratus galeum Rhodienſem vult eſſe, ſeu catellum, vide *infra*. Ab acumine roſtri, quod antiqui *penſam* pro *pennam* dixêre, vox orta; eſt enim parvus, ſed porrectô roſtrô, uti videre eſt apud *Athenæum*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1315. & 1316. Poſt eum lupis & aſellis præcipua auctoritas eſſe cepit, ut dicemus infrà, ubi de *Lupo piſce*.

ACIRIS, vulgo *Acri* hodiè, fluv. cum oppido cognomine in Lucaniâ oriens, ac per Magnam Græciam in ſinum Tarentinum apud Metapontum defluens. Eſt & *Aciris*, *Acri* quoque, oppid. Brutiorum non obſcurum, inter Roſcianum & Beſidianum, urbes Calabriæ citerioris.

ACIRIS, fluv. etiam *Agrius* dicitur, vulgò *Agri*. Vide ibi; haberque ad oſtia vicum, qui *Torre d' Agri* dicitur.

ACIRO, vide *Acyro*.

ACIS, Fauni & Simæthidis nymphæ fil. pulcherrimus paſtor Siculus, quem cùm Polyphemus amaret, & ab eo ſperneretur, ab eodem ſaxo illiſus periit: cujus Galatea miſerta in fluvium (aliàs fontem) ſui nominis permutavit, qui in Ætna monte oriens in mare Siculum defertur, Ovid. *Met. l.* 13.

- - - - *Acis in amnem*
Verſus - - - -

Idem *Faſt. l.* 4.

Præterit & ripas, herbifer Aci, tuas.

Sic dictus autem παρὰ τὸ ἀκίδι ἀσπόνως ὑπὸ βληθῆναι, inquit *Theocriti Scholiaſtes*. *Bochart.* à Syro ... *achis* deductum putat, quod *feſtinare*, vel *citum eſſe* ſignificat. *Freddo* nunc ab ejus frigiditate, teſte *Tho. Fazello*. *Leander* eundem cum Batheo *Ptolemæi* putat. Meminit ejus Theocritus *Idyl.* 1.

Οὐ γὰρ δὴ πο τᾶν Αἴτνας μέγαν οἶκον ἔχεις Ἀκιδος,
Οὐδ' Αἴτνας σκοπιὰν, οὐδ' Ἄκιδος ἱερὸν ὕδωρ.

Idem *Idyl.* 11. Ejus ψυχρὸν ὕδωρ vocat. *Heſych.* Ἄκις, ποταμὸς ἐν Σικελίᾳ. *Acius* dicitur *Antonino*. Meminit & Silius *l.* 14.

Quique per Ætnæos Acis petit æquora fines,
Et dulci gratam Nereida perluit unda.
Æmulus ille tuo quondam Polypheme calori,
Dum fugit agreſtem violenti pectoris iram,
In tenues liquefactus aquas craſis & hoſtem,
Et tibi victricem, Galatea, immiſerat undam.

Prima ſyllaba corripitur à Claudiano, *De Raptu Proſerp. l.* 3.

Lucus erat prope flumen Acin, quem candida præfert
Sæpe maris, pulchrâque ſecat Galatea natatu.

Eôdem modô in veteri epigrammate nondum edito:

Diffugiens pontum, ſylvas Galatea peragrat;
Cuſtodem ut pecorum cernere poſſet Acin.
Nam teneros greſſus infigit ſentibus ardens,
Nec tamen illa pedum vulnera ſentit amor.
Ipſa Cupidineæ cedunt elementa Pharetræ,
Capit & in medias flammas ſubeunt aquis.

Atqui non tanta eſt hujus epigrammatis autoritas, ut priorem ſyllabam communem credamus, ideoque doctiſſimus N. Heinſius legit,

Lucus erat prope flavum Acin. - - - -

Et ita Cloverius in antiquiſſimo codice prius invenerat! *Flavos* Poëtis fluvios dici quis neſcit? Sic *Flavus Tyberis Lycormas, Alpheus, &c.* *Acis* etiam Siphnos dicebatur Plin. *l.* 4. *c.* 12. Monet hæc fabula, uniri animos eorum non poſſe, qui mutuâ antipathiâ colliduntur, & inſolentem inimicum cautè fugiendum. Vide *Acilum* & *Acithius*. *Nic. Lloydius.*

ACISCULUS, idem valet quod *Dolabella*. Erat inter cognomina gentis Valeriæ. Nummus vetus: L. VALERIUS ACISCULUS. Meminit Quintil. *l.* 6. *Inſtit. c.* 3. Prudent. *Hym.* 7. *v.* 17. Περὶ στεφ.

Afra Carthago tua promet oſſa
Ore facundô Cypriane Doctor:
Corduba Acisculum dabit, & Zoëllum,
- - - - *Treſque coronas.*

Idem.

ACITANI, gens Hiſpana apud quam Martis ſimulacrum radiis ornatum, maximâ religione colitur; quod *Neton* vocant. Macrob. *l.* 1. *Sat. c.* 19. Aliis *Accitani.*

ACITAVONES, populi inter Alpinas gentes. Plin. *l.* 3. *c.* 20.

ACITHIUS, Siciliæ fluv. apud *Ptolemæum*, quem *Fazellus Birgi*; *Leander Acithio* nomen habere ait. *Acithius Cluverio.* Vide *Acis.*

ACITODURUM, Galliæ oppid. Ortelius *in theſ. Geogr.*

ACITON inſul. prope Cretam. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

ACIUS; *Jacio* teſte *Joſiâ Simlerô*, locus Siciliæ apud Catinam urbem.

ACLEA, locus Diœceſeos Dunelmenſis in Anglia, ubi aliàs Concilium Anglicanum ſub Hadriano primo. Eſt juxta fluvium *Skern*, 9 milliar. Anglicis à Dunelmo in meridiem.

ACLEREMATI, vide *Eucleremati.*

ACLIS, vide infrà *Cateja.*

ACLISENA, civitas in Armenia minore. Strab. *l.* 11.

ACLIULFUS, Theodorici cliens, Suevis præfectus.

ACMA, ſive *Fulgurita*, villa eſt apud *Antoninum*, ſive locus in Africa propria. Vetuſtior codex legit *Acma*, Ortel. *in theſ. Geogr.*

ACME, Judæa, ancilla Juliæ Cæſaris uxoris, corrupta muneribus ab Antipatro, Herodis filio, falſis confictis literis Salomen, Herodis ſororem, de inſidiis accuſavit: ſed re detectâ, Acme à Cæſare occiſa eſt. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 17. *c.* 8.

ACME, Septimii amaſia, cujus meminit Catul. *Epigr.* 46.

> *Acmen Septimius ſuos amores,*
> *Tenens in gremio, mea, inquit Acme,* &c.

ACMEDÆ, hodie *Hebrides.* Vide *ibi.*

ACMENÆ, nymphæ Veneris, quarum ara extabat in Olympia. Pauſan. *l.* 1. *Eliac.*

ACMODÆ, vel **ACMODES**, inſulæ Silurum *Solino*, vulgò *Silley*; ſeptem inſulæ maris Brittannici, Britanniæ minori adjacentes, à Leona urbe 8. leuc. diſtantes, quæ ab aliis *Sorlings* appellantur; ſed hæ Albioni adjacent, à 7. inſulis diverſæ, inter illas & promontorium Albionis extremum ad occidentem; ſitæ, inde ad 8. leuc. recedentes. Quamobrem inſulæ Silurum (qui ſunt populi Albionis) ab *Acmodis* diverſæ eſſe videntur. Vide infrà.

ACMODÆ, ſeu **ÆMODÆ** inſulæ, teſte *Cluverio & Sanſone*, hodie *Iles de Schetland*, in mari Caledonio, ſuntque ſub dominio Regis Daniæ. Earum præcipua *Mainland* dicta, extenditur ad 60. mill. paſſ. vide *Schetlandia.*

ACMONIA, urbs Phrygiæ magnæ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcop. Laodiceno, Eumeniæ finitima, ab Acmone, Manei filio condita *Steph.* populi *Acmonenſes.* longitud. 59. 50. latitud. 39. 20.

ACMONIA, *Ptolemæo* Daciæ urbs eſt, ad Danubium, apud pontem Trajani, à Severo Imperat. condita, & *Severinum* dicta. *Severino* Mario dicitur.

ACMONIDES, Cyclops ab ἄκμονος, h. e. *incude*, ſic dictus. Quæri video inter eruditos, utrum Saturnus, an Cœlum ſit intelligendus apud Theocrit. vel potius Simmiam Rhodium, *in Ala*, cum ait, Ἀεὖατί με τ᾽ γᾶς τε θαλασσέρου ἀνακτ᾽ Ἀκμονίδαν. Sanè *Scholiaſtes* ad hæc verba ſic annotavit: Ἀκμονίδαν λέγει τὸν Οὐρανόν. Non diſplicet, ſi potiùs intelligamus Cœli filium. Quippe Patronymicum eſt ex Ἄκμων, quo non *incus* modò notatur, ſed etiam *Cœlum*: quod ſic dicitur, quaſi ἀκάμας, ſive ἄκμητος h. e. *indefeſſus.* Nec enim Cœlum ſeu ſidera unquam circuitu perpetuò fatigantur. Niſi malis, ipſum Cœli patrem ſic dictum, deque naturâ ejus colligi ex naturâ Cœli; quia parentes ac liberi ejuſdem eſſe ſoleant participes naturæ: utrique ſententiæ favet *Heſychius*; ſic enim ille, Ἀκμονίδης, ὁ Χάρων, καὶ ὁ Οὐρανός. Ἄκμονος γὰρ παῖς. Ac continuò ſubditur, Ἄκμων, ἀκάματος, Κρόνος, Οὐρανὸς ἢ σίδηρος, ἐφ᾽ ᾧ ὁ χαλκεὺς χαλκεύει. Vide Euſtath. *in Il.* Σ. & Etymologum in Ἀκμόθετον. *Nic. Lloydius.*

ACMONIUM, civitas quædam eſt, & nemus circa Thermodoontem.

ACNA, recentioribus *Acra.* Vide *Acme.*

ACNONIA, vide *Agnonia.*

ACO, Catulinus Philomatius Conſ. & præfectus urbis ſub Conſtantiis principibus, Limenii collega.

ACOEMETI, Græcis Ἀκοίμητοι dicti ſunt Monachi, apud Byzantinos, quòd in eorum monaſteriis divinum officium noctu, diuque, nullo interpoſitô ceſſationis intervallô, celebraretur & cantaretur, diviſâ hunc in finem in tres cœtus Monachorum ſodalitate, ita ut peractô, à primo, in Eccleſia officiô, ſecundus & mox tertius ſuccederet: ſicque nullâ horâ Eccleſia à laudibus & canticis vacaret. Auctor inſtituti, ſecundum Nicephorum Calliſtum *l.* 15. *c.* 23. Marcellus fuit Apamienſis, cujus feſtum agunt Græci 29. Decembris ſecundùm *Synaxar.* & auctorem *Vitæ Marcelli*, Alexander Abbas, cui ille in ea dignitate ſucceſſit, Καὶ τότε μὲν ὁ θεῖος Ἀλέξανδρος αὐτὸς τῷ ἱερῷ οἴκῳ τῆς μεγάλης ἐν Μάρτυσι Μηνᾶ τὴν ἄπαυστον ὑμνῳδίαν ... [illegible] ... δοξολογίαν, *Et tum quidem ſanctus Alexander juxta ædem ſacram inclyti Martyris Menæ acœtecam exercebat. Poſtea verò ad ipſas Ponti fauces inſigne extruxit phrontiſterium: ubi morem inſtituit, novum illum quidem, ſed undiquaque pulcherrimum, ne unquam hymni in Dei laudes decantandi deficerent, ſed continua miniſtrantium ſucceſſione ſilentii quotidie expers Domini glorificatio perageretur.* Florebat verò Alexander hic A. C. 420. de quo etiam videri poteſt Anonymus in *Vita illius c.* 5. apud Bolandum 15. *Januar.* Monaſterii autem τῶν Ἀκοιμήτων, *Acoemetorum* ſeu *Non dormientium*, Conſtantinopoli meminerunt paſſim Scriptores., Theodorus Lector *l.* 1. Evagrius *l.* 3. *c.* 18. 21. Theophanes, Cedrenus *in Leone*. Alii. à Græcis dein continuos ejuſmodi & inceſſantes in Eccleſia cantus ac Officii celebrandi mos, ad Monachos Occidentales tranſiit, viguitque jam antiquitus in Eccleſia Romana maximè in Monaſterio Agaunenſi, à *Sigiſmundo Burgundiæ* Rege erecto ac fundato. Ita enim in *Charta* dotationis, ſeu potius in Synodo Agaunenſi, Victorius Epiſcop. Gratianopol. *Rectè enim, ait, mihi videtur, ut ſecundum plenſſimam devotionem Domini Regis & pſallendi inſtitutionibus, fiant novem Normæ, i. e. Granenſis, Iſiana, Jurenſis, & Melvenſis, & cæteræ, ut ſuccedentes ſibi in officiis Canonicis, i. e. Nocturna, Matutina, Prima, Tertia, Sexta, Nona & Veſpertina, in hac die, noctuque indeſinenter Domino famulentur.* Sed & ipſe Dagobertus, in Monaſterio S. *Dionyſii* à ſe conſtructo & fundato, *ordinem Pſallentium, inſtar Monaſterii Agaunenſium, & S. Martini Turonenſis, ut ibidem laus Dei perenniter haberetur, inſtituit*, ut ſcripſit Andr. Silvius in *Chron. Marcianenſi.* Idem de Monaſterio *S. Benigni*, à Guntranno Rege itidem ad *Agaunenſis* Monaſterii imitationem, conſtructô formatôque tradit *Chronicon Divionenſe M. S.* ut & de Monaſterio *Lunovienſi*, cujus S. Columbanus auctor fuit, Bernhardus in *Vita S. Malachiæ*, vide quoque *Chartam* Pipini Regis pro Monaſterio *S. Dionyſii*, apud Doubletum *p.* 703. & *Præceptum* Regis Chlodovæi pro eodem. S. Althelmus *de laude Virgin. c.*26.

> *In quibus nempe decem Monachorum millia florent,*
> *Cantibus aſſiduis & Pſalmis, carmine crebrò.* &c.

Epitaphium Raimberti Epiſcopi Virdunenſis,

> *Te veteres ponis ſtructore, novoſque reſumis*
> *Hæc ædes mores, in qua noctuque dieque,*
> *A Monachis laudes divinæ vociferantur,* &c

Sic itaque ejuſmodi Monachi Græcis Ἀκοίμητοι dicti ſunt, quòd diu noctuque pſallerent in Eccleſia, nullaque horâ vacarent à laudibus divinis, quos ex eo *laudis perennis* nomine agnoſcunt Scriptores Latini. Ἀκατάπαυστος ὑμνολογία dicitur, Ignatio Diac. in *Vita* Nicephori Patriarchæ Conſtantinop. ἀκατάπαυστος λειτουργία, Johanni Euchaitæ *p.* 32. 33. quam ille in Eccleſia Sophiana à Conſtantino Monomacho inſtitutam ait: *indeficiens pſalmodia*, in *Vita* S. Agilberti Abbatis Centulenſis *c.* 2. *num* 16: *ſic ad menſam, ſic ad lectos, ſic ad omnia omni tempore exibant* (Monachi Centulenſes) *ut indeficiens pſalmodia in Eccleſia Salvatoris omni tempore permaneret.* Ita & lucernas ἀκοιμήτους appellârunt Græci, quæ in templis perpetuò arderent, ut eſt apud Ignatium Diac. in *Vita* S. Nicephori Patriarchæ *num.* 7. Pachymerem *l.* 2. *c.* 21. Anonymum *de locis Hieroſolym.* Alios. Hinc perperam vir doctus *de Monachis primitivæ Eccleſiæ l.* 1. *c.* 9. cenſuit, dictos *Acœmetos*, quòd inſomnes & nunquam connivertes oculis perpetuis ſe vigiliis exercerent. Sed & *Macer* cum Studitis malè hoſce Accemetos confundit, uti inferius pluribus videbitur. Vide hanc in rem omnino Car. du Freſne *Gloſſar.* & ſuprà, in *Acemeti* ac *Achemitenſes*,

ACOEMETUM, vide *Irenæum.*

ACOETES, vir pauper, & ut indicat etymon vocabuli, *carens cubili*; cujus tenuitatem eleganter exprimit Ovid. *Met. l.* 3. *Fab.* 8.

> *Ille metu vacuus, nomen mihi (dixit) Acœtes,*
> *Patria Mæonia eſt, humili de plebe parentes.*
> *Non mihi, quæ duri colerent pater arva juvenci,*
> *Lanigeroſve greges, non ulla armenta reliquit.*
> *Pauper & ipſe fuit, linoque ſolebat & hamo*
> *Decipere, & calamo ſalientes ducere piſces.*
> *Ars illi ſua cenſus erat. Cùm traderet artem,*
> *Accipe quas habeo ſtudii ſucceſſor, & hæres*
> *Dixit, opes: morienſque mihi nihil ille reliquit,*
> *Præter aquas: unum hoc poſſum appellare paternum.*

ACOLA, Mediæ oppid. ad mare Caſpium. *Ptolem.*

ACOLIS, Urbecula fuit, in Inſul. Tenedo, in mari Ægæo, à parte Aſiæ.

ACOLITANUM, oppid. liberum in Africa propria, ab ea parte, quâ Cyrenaicam ſpectat. Plin. *l.* 5. *c.* 4.

ACOLUTHUS, vide mox dicenda. At Ἀκολουθία, in *Liturgicis* Græcorum libris, Geraſimo Vlacho *Theſauro quadrilingui*, *Officium eſt.* Τιλετή. Ὄργια. Μυσταγωγία. Ὑμνῳδία. Ὕμνος. Κανών. *Typicum* Sabæ *c.* 12. Ἀναστάσιμος ἀκολουθία ὁ ψάλτης, *Hymnus reſurrectioni deſtinatus non cautor*: troparium nempe diei Dominicæ proprium. Cujuſmodi Ἀκολουθίας in *Euchologio* viginti octo recenſeri notat Meurſius in *Gloſſ.* Sic Ἀκολουθία τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, *Ceremonia Baptiſmi eſt*: ibi enim ordine deſcribuntur ritus, qui à Græcis circa Baptiſmum obſervantur. Ἀκολουθία γινομένη ἐπὶ μνήστροις, ἤγουν τοῦ ἀῤῥαβῶνος, *Officium arrhabonis futurarum nuptiarum* ubi recenſentur omnes ritus circa τῶν ſponſalium copulationem obſervari ſoliti. Ἀκολουθία ἐπὶ ἀνομβρίᾳ, *Officium in ſiccitate & pluviarum penuria*: ubi quibus ritibus ac verbis pœnam hanc deprecari conveniat, enarratur. Reliquias ex ipſo *Euchologio* pete. Vide quoque Joann. Meurſium *Gloſſar.* & J. C. Suicerum *Theſ. Eccl.* nec non infrà voce *Sequentia*, è Græco expreſſâ.

de **ACOLYTHIS** Franciſcus, vide *Franciſcus.*

ACOLYTI, dicti olim Stoici, eò quod pertinaces ſuæ inhærerent ſententiæ, poſtmodum ordo aliquis Clericorum ſic dici cœpit. Godeau, *de Ordin. ſacris.*

ACOLYTUS, proximus in Eccleſia Romana Hypodiaconorum gradus, unus ex quatuor Ordinibus minoribus, ut patet ex Synodo Romana Sylveſtri *can.* 7. ubi Epiſcopo parere jubetur Presbyter, Diaconus Presbytero, Diacono Hypodiaconus, huic *Acolytus*, Acolyto Exorciſta, cui Lector. Dictus à Græco κωλύω, *prohibeo*, quaſi *Non prohibitus*, ſecundùm Dominic. Macrum *Hierolex.* ſeu potius ἀκολουθεῖν, *ſequor*, ut vult ejus Frater; ſunt enim hi velut famuli Eccleſiaſtici, viliorìbus Eccleſiæ miniſteriis deputati, ut cereis deferendis &c. Sed ita *Acoluthi* ſcribendum. *Gloſſ.* Græco-Lat. Ἀκόλουθος, *ſequutor*, *pediſequus conſequens*, *Heſych.* Ἀκόλουθος ὁ ὑπηρέτης, παῖς, *Acoluthus puer.* Certè *Acoluti* nominantur Gregorio *l.* 7. *Indict.* 2. *Ep.* 7. &c. Suſtinebat antiquitùs *Acoluthus* patenam involutam, ſicut modo Subdiaconus facit; à quo etiam

Archi-

Archidiaconus accipit, & oſculatam dat uni ex Diaconis tenendam, *donec veniat in ea faciendam*, *Microl. de Eccleſ. obſerv. c. 18.* Similiter & fiſtulam in manu habebat, per quam hauriebat tunc populus vinum in Euchariſtia. Hodie officium ejus eſt, cum Miſſa celebratur, cereos ferre accenſos, & cum cereo itidem ardente Diaconum, ad canendum Evangelium accedentem, ſequi &c. Quæ omnia Ordo Romanus & *Liber Sacrament.* S. Gregorii his verbis complectitur: *Acolytus, cùm ordinatur, primùm quidem ab Epiſcopo doceatur, qualiter in officio ſuo agere debeant, ſed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut ſciant ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari: accipiant & urceolum vacuum (ad effundendum vinum in Euchariſtia, ita Codex MS. Senonenſis Eccl.) dicente ſibi Epiſcopo: Accipite urceolum ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti.* Vide hanc in rem Auctores citatos Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà *Corbicularius*. Eorum manſio ſeu exedra juxta Templum, aut ſecretarium ejus, *Acolytia* quoque vocatur; Anaſtaſius Biblioth. in *Gregorio IV. Fecit enim juxta Acolytia pro quiete Pontifici hoſpitium parvum* &c. Romæ tria genera *Acolytorum* reperiis, *Palatinos* ſcil. qui Pontifici inſerviant, *Stationarios*, qui adſiſtant in Templis, ubi ſtationes celebrantur, & *Regionarios*, qui adminiſtrent cum Diaconis, in urbis regionibus, habes apud Macros *Hierolexic.* Et quidem de primis ita *Ceremoniale Rom.* *l.* 3. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* *Acoluthi Sedis Apoſtolicæ ordinarii qui cùm Pontifex apud lectum paramenti & ſimiliter in Eccleſia eſt ceroferatarius & induitur ſacris veſtibus, circumſtant genuflexi, & ornamenta ſubminiſtrant Diaconis Cardinalibus* &c. Inter officia aulica Conſtantinop. *Acoluthos* fuiſſe, diſcimus ex Codino qui Præfectum *Barangorum*, i. e. militum Byzantinæ cohortis Imperialis, appellatum ſic fuiſſe tradit. Vide quoque in vocibus *Ambo*, *Anagnoſta*, *Archiacoluthus*, *Ceroferarius*, *Carbucularius* & *Patena*.

ACOMA, locus in monte, ex præcipuis novi regni Mexicani in America Septentrionali.

ACOMATES, Bajazethis II. Turcarum Imperat fil. à Selymo fratre prælio victus, & laqueo ſublatus eſt. Circa A. C. 1513. *Jovius*.

ACON, ſeu PTOLEMAIS, *Acre*, urbs Epiſcopalis Syriæ, ſub Archiepiſcopo Tyrenſi. Vide *Ptolemais*. Celebris eſt fortitudine Equitum S. Johannis Hieroſolymit. qui illam per tot annos fortiter propugnârunt.

ACON, vel ACCON, Vide *Acre* & *Ptolemais*.

ACON, vide *Aco*.

ACONÆ, Græcè Ἀκόναι, apud Theophraſtum *Hiſt. Plantar. l.* 9. *c.* 18. vicus Mariandynorum; *Solino Acone*, portus *Heracleæ* nempe vel portus *Heracleæ*, vel non longè ab Heraclea fuit, in regione Mariandynorum, in quibus etiam Heraclea Pontica ſita erat. Unde *aconito* nomen voluit nonnulli. Et certè in *Aconis cautibus* naſci tradit *Nicander*,

> ---- Ἐν δ' Ἀκοναίοις
> Τόλε λίθω ἀκόνιτον ἀνεβλάστησεν ὀρ(γ)ύνοις.

Ubi Ἀκοναῖοι ὄρογνοι ſunt Heracleotici agri, ab *Aconis* loco dicti: in quarum cautium ſummitate ac vertice pluriminum ac præſtantiſſimum *aconitum* provenit. Sed aliud etymon ſuggerit Ovid. *l.* 7. *Metam. Fab.* 22.

> *Quæ quia naſcuntur durâ vivacia caute,*
> *Mortales aconita vocant.* &c

de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 881. *& ſeqq.* ut & infrà in voce *Cos*.

ACONE, portus Heracleæ, Bithyniæ civitatis, Lyco fluv. oppoſitus, proventu etiam noxiarum herbarum celebris. *Nazio* nunc *Moleino*, & alis. *Aconis* fluvii hîc meminit Ferrarius, ex Val. Flacc. *l.* 4. *v.* 600.

> *Quid memorem, quas Iris aquas, quas torqueat Acon?*

Atqui *Ancon* illic legendum monent interpretes. Meminit etiam *Aconis* herbæ, ex qua aconitum venenum conficitur, teſte Dioſcoride *l.* 4. Addit denique, ſunt qui *Acoum Lagula* nunc dici ſcribant. Vide *Acona*, apud *Stephanum*, qui & inſulam hôc nomine facere videtur, è regione Eudæmonis civitatis Chalcedonis, propter cotes plurimas illic naſcentes dictam. *Nic. Lloydius*.

ACONITES, populi ſunt montani, prope Sardiniam inſulam. Strab. *l.* 5.

ACONITUS, Collis circa Heracleam Ponticam, ut refert *Natal.* ex *Nicandro*, ab *Aconite* herba ibi creſcente fortè dicta. Ortelius *in theſ. Geogr.*

ACONTES, unus ex 50. filiis Lycaonis. Apollon. *l.* 3. *Biblioth.*

ACONTEUS, venator egregius, à jaculando, ut videtur, ſic dictus. Stat. *l.* 7. *Thebaid. v.* 590.

> ---- *donec flammatus Aconteus*
> *Strage virum, cui ſueta feras proſternere virtus,*
> *(Arcas erat)* ---- ----

Silius. *l.* 16.

> *Et cujus nunquam fugiſſe haſtilia cervi*
> *Præcipiti potuêre fugâ, venator Aconteus.*

ACONTIAS, vide infrà *Jaculus*.

ACONTIMACARIA, Arcadiæ oppid. *Pauſanias* diviſim mavolt legere. *Sylburgius Acontiam & Macaria*.

ACONTISMA Macedoniæ aditus anguſtiſſimus. Ammian. *l.* 26. *Antonino* locus eſt, in confinibus Thraciæ & Macedoniæ, inter Neapolim & Topirum. Vide Lazium. *de R. P. R. l.* 12. *c.* 1.

ACONTIUM, oppid. Arcadiæ, ab Acontio Lycaonis fil. Eſt & aliud Eubœæ. *Steph*

ACONTIUS, juvenis ex Cæâ inſulâ in Delum ad Dianæ ſacra profectus, amore Cydippes nobilis puellæ exarſit: ſed cùm eâdem potiri non poſſet, novam fraudem commentus, in pomo hos verſus ſcripſerat:

> *Juro tibi ſancta per myſtica ſacra Dianæ,*
> *Me tibi venturam comitem ſponſamque futuram.*

Hoc pomum Acontius jecit in ſinum Cydippes, quæ verſus legens juravit imprudens, & alii nubere etiam morbo coacta eſt. Unde illud:

> *Quale ſuit malum, quod litera punxit Aconti,*
> *Quâ lectâ, cupido pacta puella viro eſt.*

Vide Ovid. *Ep.* 19. & 20. & *Jacobum*.

ACONTIUS, Magneſiæ mons, vel Bœotiæ. Plin. *l.* 4. *c.* 7. Strab. *l.* 9.

ACONTOBULUS, Aſiæ minoris locus, apud Appollon. *l.* 2. ſub Hippolytæ Amazonum reginæ imperio, in Leucoſyria.

ACOR, apud Cyrenaicos pro maximo muſcarum Deo colitur. vide *Achoras*.

ACORACA, Syriæ Urbs, in Chalybonitide regione, *Ptolem.*

ACORES, vide *Azores*.

ACORUM, legitimus Antiquorum calamus aromaticus, de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1049.

ACOSTA, vel *Zacoſta*, M. Magiſter Melitenſis, Caſtellanus gente, octavam nationem, Caſtellanam & Luſitanam reliquis adjecit: turrem S. Nicolai, in ingreſſu portus, in Inſul. Rhodo, ubi prius Coloſſus ſtabat, extruxit. Pacem cum Turcis inire recuſavit, obiitque A. C. 1467. *Hiſtor. Melitæ*.

ACQUAVIVA, vide *Aquaviva*.

ACQUI, vide *Aquæ*.

ACRA, ſeu *Japygia*, Plin. *l.* 3. *c.* 11. aliàs Japygium, & Salentinum, M. Græciæ oppid. mediterran. Salentinæ *Ptolemæo*. *Capo di Leuca*, & *Capo di S. Maria* hodiè dicitur *Leand.* *Steph.* vero *Acra*, Japygiæ urbs eſt, aliquibus *Hydruſa* dicta, ut ipſe ſubdit. Vide *Amphipolis* & *Japygium*. Promontor. *Acra*, alia *Steph.* in Italia eſt: in Eubœa: in Scythia: in Cypro: ultra Tigrim: ſupra Antiochiam: apud Daphnen lucum: item in Acarnania (cujus etiam apud *Polyb.* memio eſt) circa Brunduſium: in Sicilia, à Syracuſanis condita, hæc fortè eſt Acræa *Ptolem.* Eſt & *Acra*, apud Hannonem, Africæ Urbs, ad Oceanum Atlanticum: Item vicus Tauricæ Cherſoneſi, ad os Boſphori, *Plinio* & *Straboni*: Sarmatiæ quoque Europeæ, apud *Ptolem.* *Acra* etiam dicebatur, mons in inferiore civitate Hieruſalem olim eminens, & undique declivis.

ACRA, vicus in Mæotide, Strab. *l.* 11.

ACRA Lepte, Drepani ſinus prominentia; in ſinu Arabico, in parte Troglodytarum, apud Plinium *l.* 6. *c.* 29. Significat autem Græca vox Ἄκρα, ſummitatem, eminentiam, ſed & portum ut plurimum, naturalem, ſub littorum prominentiis poſitum. Unde Παταρηὶς ἄκρα, apud *Dionyſium*,

> Τῶν δὲ μετ' ἀντολίην δὲ χελιδονίης γεγάασι
> Τρεῖς νῆσοι μεγάλης Παταρηΐδος ἔνδοθεν ἄκρης.

Certè promontorii Patarei ex Veteribus nemo meminit, ſed portum Patarenſem intelligit *Dionyſius*. *Scylax*, πάταρα πόλις καὶ λιμήν. Similiter portum Telmiſſenſium, *Strabo* vocat ἄκραν Τελμισσίδα. Idem *Scylax*, Τελμισσὸς πόλις καὶ λιμήν. Nempe portubus ut & promontoriis ſinus finiuntur. Sic Mela, *l.* 1. *c.* 15. *Sida portu & Tauri promontorio ſinum Pamphyliæ grandem claudit.* Sinus Lyciæ alter Crago promontorio & Telmiſſi portu includebatur. *Strabo* ἄκραν Τελμισσίδα appellat, ſub qua portus. Ita & Patara prominentiam aliquam editi litoris habuiſſe videtur, quæ portum efficiebat. Hinc ἄκραν Παταρηΐδα vocat *Dionyſius*, intra quam Chelidonias ut eſſe ſitas. Idem *alibi* canit, Iſſici ſinus ad Occidentalem terminum eſſe ἄκραν Παταρηΐδα,

> Σῆμα δ' ἔχει Ζεφύρου Παταρηΐδα τηλόθεν ἄκρην.

Ergo inter illum terminum ad Orientem ſitæ Chelidoniæ, in ſinu, qui diſterminatur Patarenſi portu, ab una parte, ab altera Tauri promontorio quô modò ibi littus χερρονησίζει, ubi ſita ſunt Patara; in cujus peninſulæ extremo Portus Pataroruin ἄκρα *Dionyſio* dictus: Quia peninſularum ejuſmodi vel littorum χερρονησιζόντων partes extremas in mare exeuntes, etiamſi nullos habeant impoſitos montes, ἄκρας quoque Græci vocârunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 784. & 785. De *Acra terra*, marcæ argenti ab Agrigentinis aſſimilata, infrà voce *Libra*.

ACRABA, civitas Meſopotamiæ, *Ptol.*

ACRABATA, Urbs una ex undecim Judææ Toparchiis, ſortè tertia, à qua Acrabathena, vel Acrabitena regio & toparchia nomen habet. *Hieron.* & *Joſephus*.

ACRABATANUS, Æthiopiæ lacus, prope Eſtamenam aut Aſtaboram fluv. cujus accolas pepulit σκορπίων πλῆθος ἀμαχον, *Scorpionum multitudo inexpugnabilis*; ubi perperam Ἀκριδοφάγοι, pro Ἀκραβαταῖοι, ab Æliano vocari *Hiſt. l.* 17. *c.* 40. cenſet Bochart. *Acrabatan* enim à ſcorpionibus dictum contendit, cum עקרב *acrab*, pro ſcorpione, non ſolùm ab Hebræis & Syris ſed & à Chaldæis, Arabibus & Æthiopibus uſurpetur. Sed & Græci Aſiæ partem à ſcorpionum copia, nominârunt Σκορπιοφόρον χώραν, ut ex *Ptolemæo* conſtat: Nec deſunt, qui Scorpianos populos indidem dici conjectent, apud *Stephanum*, tanquam ex *Herodoto*, quod tamen non probatur eidem Bocharto. *Hieroz. Part. poſter. l.* 4. *c.* 29.

ACRABATHENA, oppid. Plin. *l.* 5. *c.* 14. Vide Bochart. Hieroz. *loc. cit.*

ACRABIM, vel ACRABIS, quod D. Hieronym. *aſcenſum ſcorpionum* vertit, mons à ſcorpiis dictus, qui in eo loco abundant, urbe ſuperædificatâ: eſt in limite tribus Judæ meridionalis, atque adeò totius terræ promiſſæ, proximus mari mortuo, in montibus Seir. *Wiſſemb.*

ACRACANUS, fluv. ab Euphrate ortus, quem à Nabuchodonoſore, unà cum Aracale fluv. obſtructum ſcribit, ex Abadino, Euſeb. *Præp Evang. l.* 9.

ACRACARNES, Alius *Anacyndaraxes*, Rex Aſſyriorum, Pater Sardanapali. Euſeb *Chron.*

ACRADINA, vel **ACHRADINA**, arx Syracuſanorum, quam Marcellus Roman. Imperat. cepit. Plut. *in Marcello*. Ἑτέρα δὲ πόλις ἐστὶν, ᾗ ὄνομα, ἐν ᾗ ... καλλίστου, κ. μέγιστον (Ἀχραδινὴ καλεῖται) Cicer. *Verrina 4. Altera autem eſt urbs Syracuſis, cui nomen Acradina eſt, in qua forum maximum, pulcherrimi portus, ornatiſſimum Prytaneum, ampliſſima eſt curia, templumque egregium Jovis Olympii.* Vide *Achradina*.

ACRÆ, Peloponneſi mons, *Pauſan.*

ACRÆ, ſeu **ACREÆ**, *Ptolemæo*, Siciliæ urbs, à Syracuſanis habitata, hodie *Palazzolo* vocari ait *Fazellus*, aliis *Acremont*, *Agra* apud *Antoninum*. Ejus meminit Sil. *l.* 14.

Non Thapſus, non è tumulis glacialibus Acræ.

Vide Cluver. *Sicil. Antiqu. l.* 2. *p.* 353.

ACRÆA, Dianæ cognomen, quòd Acron mons apud Argivos fuerit, in quo Dianæ templum conſtruxit Melampus, quando Prœtidas purgavit. *Heſych. Sophocl.* Ibidem Venus culta *Acræa* etiam Juno dicta eſt, cujus oraculum fuit in Megarea. Strab. *l.* 8.

ACRÆÆ, vide *Acra* & *Acræ*.

ACRÆPHIA, oppid. Bœotiæ, à quo *Acrephius* Apollo dictus. *Steph.* & Herodot. *l.* 8. *Acræphium* eſt etiam apud Strab. *l.* 9. *Acræphnium Pauſaniæ*. *Agriphia Ptolemæo*. *Arene*, ut quibusdam viſum *Homero*.

ACRAGALLIDÆ, gentes iniquiſſimæ, olim juxta Athenas habitabant. Æſch. *contra Cteſiph.*

ACRAGAS, unus ex ſtatuariis, qui in admiratione ſumma fuerunt. Plin. *l.* 33. *c.* 12.

ACRAGAS, civitas Siciliæ, & Thraciæ & Eubœæ & Cypri, & Ætoliæ. Eſt & fluv. Siciliæ *Stephano* & *Polybio Drags* hodie. Vide *Agrigas*.

ACRAMAUMORIUM, *locum Cretæ* nominat *Caſſ. Dionyſius*, ubi mel optimum. *Acram Aumorium* fortè legendum diſtinctim. Ortelius *theſ. Geogr.*

ACRAMELÆNA, i. e. *nigrum promontorium*, in Bithynia, ad pontum Euxinum eſt, circa Boſphorum, Arrian. *in Peripl.*

ACRAPAGES, Rex Aſſyriorum. Euſeb. *in Chronico*.

ACRATH, Africæ oppid. *Veles de Gomara Marmolio*. incolis *Deyras Bedis*; aliis *Agema*, aliis *Mezemme*. Eſt autem urbs Mauritaniæ Tingitanæ littoralis, contra Malacam Hiſpaniæ urbem inde 80. leuc. longitud. 15. 50. latitud. 34. 55. Oppid. hodie regni Fezæ, in provinc. Errifis in ora maris Mediterranei.

ACRATHOS, vide *Athos* & *Acroathon*.

ACRATUS, libertus Neronis, ad dona & ſimulachra Numinum, per Aſiam atque Achajam abripienda miſſus, cuique flagitio promtus. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 45. Ex civitate Pergamena, cùm ſtatuas quoque & picturas avehere conaretur, ut ab oppidanis prohibitus eſt. Idem *l.* 16. *c.* 23.

ACRATUS, bacchantium genius Athenis ſpectabatur, cui os duntaxat extra parietem extabat Pauſan. *in Att.*

ACRAVISCI, populi Pannoniæ inferioris, juxta Scordiſcos Plin. *l.* 3. *c.* 25.

ACRE, civitas Apuliæ, ab aliquibus Hydruſa dicta. Eſt & alia, quæ portum in ſe Brunduſium habet; alia in Syracuſanis, item in Eubœa, Scythia, Cypro, Acarnania; alia ſupra Antiochiam; alia denique ad Tigrim fluv. *Steph.* vide *Acra*.

ACRE, urbs & portus Phœniciæ, commerciorum frequentiâ celebratiſſimus, mercatoribus ex omnibus mundi angulis certatim illuc confluentibus: quæ cauſa illi tandem ruinæ fuit. Sub Imperatorib. Romanis celebris erat Claudii Imperat. colonia. Dein Arabum ſubiit jugum, capta à Chriſtianis, A. C. 1104. quibus Genuenſes claſſem navium 70. ſubſidio miſerant. *Gulielmus Tyrius*. Sed *A. C.* 1291. vel 1292. à Sultano Mulec-Serato vi expugnata eſt. *Spond. A. C.* 1291. *n.* 6.

ACREDULA, Ciceroni eadem cum ulula, quâ expreſſit ὀλολυγόνα Arati,

Et matutinis Acredula *vocibus inſtat.*

Ὀλολυγὼν ſanè *Theophraſti*, quæ in ſummis jugis ſola canit, ulula eſt: dicta ab *acri* & acuta voce, quam edit, qualis eſt mulierum ejulantum; κ. ὀξείᾳ φωνῇ ὀλολυζουσῶν. Itaque fallitur *Iſidorus*, qui *agredulas* uno loco exponit ranas parvas, in ſicco vel in agris commorantes; quas ab *agris* dictas putavit: & aliò *luſciniam* eſſe ſcribit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 318.

ACRENSES, populi Siciliæ. Plin. *l.* 3. *c.* 8.

ACREPHIUM, mons Thebanorum Strabo *l.* 9.

ACRIA, *Ornoas*, teſte *Moletio* oppid. Laconicæ maritimum ad oſtium Euroæ. *Ptol.* qui illud vocat ἄκραιον. Eſt item oppid. Hiſpaniæ Plinio *l.* 4. *c.* 12.

ACRIBA, Peloponneſi Urbs, Lacon. *l.* 9.

ACRIDE, Africæ oppid. Diodor. *l.* 20.

ACRIDES, quarum mentio Matthæi *c.* 3. *v.* 4. ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον, Iſidoro Peluſiotæ, viro docto & proxima Palæſtinæ loca incolenti, *Ep.* 132. οὐ ζῶά εἰσιν, ὡς ἔνιοι οἴονται ἀμαθῶς, κανθάροις ἐοικότα, *non ſunt animalia ſcarabæis ſimilia, ut imperitè quidam exiſtimant*. Subjicit autem, ἀλλ' ἀκρέμονες βοτανῶν ἢ φυτῶν, *ſed ſummitates herbarum & aliarum plantarum*, putà fruticum & virgultorum vel arborum. Verum omnino falſus eſt vir pius & doctus: nam diverſiſſimæ res Græcis ſunt ἀκρίδες & ἀκρόδρυα, quas duas voces ut ipſe confunderet, contra omnem Græcorum uſum loquendi, ea ſola ratio videtur effeciſſe; quòd ſciebat, inter alimenta eorum, qui erant rigidiſſimi jejuniorum obſervatores, fuiſſe ἀκρόδρυα, h. e. *fructus arborum*. Hinc Epiphanius *contrà hæreſes l.* 3. auſteritatis intendendæ circa jejunia varios gradus commemorans, ultimum facit eorum, qui abſtinerent diebus ſtationum, etiam ἀπὸ ἀκροδρύων καὶ ἐλαιῶν, *à fructibus & piſculis olearum*; i. enim e. ἐλαιῶν, ut docet Caſaubon. *ad Athen. l.* 4. *c.* 6. Multo minus ἀκρίδες hæ Johannis herbæ fuêre genus, Monachis in Syria appoui ſolitæ, ut Jac. de Vitriaco *Hiſtor. Hieroſolym. c.* 53. à Surianorum quodam Monacho ſe accepiſſe ſcribit. Locuſtæ itaque fuêre, quarum aliquas edules fuiſſe, non in Judæa ſolum & aliis regionibus Orientis, ſed etiam in Græcia, & oppoſita Aſia, multis jam probârunt Viri eruditi. Et certè, apud veteres Poëtas, non ſolum ἀκρίδες ponuntur, inter viles pullatæ plebeculæ cibos, ſed etiam σίλφαι, quod viliſſimum inſecti genus, formicis, ut volunt Grammatici, affine eſt. Conjungit utrumque Nicophon Poëta antiquiſſimus, in *Fabula*, quam inſcripſerat, Ἀφροδίτης γοναί, *Veneris ortum*, ubi viliſſimum deſcribens victum, Ἀποτρέπου, inquit, ... σίλφας, ἀκρίδας, ... Item *Ariſtophanes*, qui inter res edules, *& ſerpis & locuſtæ* meminit. Imo Theophylactus *Ep.* cujus initium, ... caricas & locuſtas oppidò lautum inter ruſticos fuiſſe convivium docet: Εἰς τὸν χθὲς τοῖς Τρυγίου ... ἀκρίδας ... ὁ δὲ Τρυγίας ... Cicadas quoque, locuſtis ſimillimum animalculum Muſicum, in cibi uſum verti conſueviſſe, teſtis eſt Ælianus *Hiſt. Anim. l.* 12. *c.* 6. ut alia omittam. Vide Iſaac. Caſaubon *contra Baron. Exercit. XIII. n.* 7 & infrà in voce *Locuſta*.

ACRIDOPHAGI, Æthiopiæ populi, deſerto contermini: veris tempore, flante Zephyrô & Libycô, locuſtas permagnas artificioſè capiunt, quas ſale ſuperinfuſo diutius ſervant; Hic eſt ſolus eorum per omne tempus locuſtarum victus: neque enim pecora nutriunt, neque piſces edunt, procul à mari poſiti, neque ullum aliud vitæ adminiculum habent. Corpore leves ſunt, veloces curſu, & vitæ brevis, ut qui longiſſimè vivunt, quadrageſimum non excedant annum: finis eorum non ſolum mirabilis eſt, ſed etiam incredibilis: nam propinquante ſenectâ pediculi alati, non ſolùm viſu varii, ſed ſpecie horridi ac turpes in corporibus nati, ventrem primo, tum pectus deinde, totum corpus parvô tempore exedunt: qui morbum patitur, primum veluti ſcabiei cujuſdam pruritu affectus, corpus ſcalpit, voluptate ſimul & dolore perceptis, deinde exorientibus pediculis, ſimul effluente ſanie, morbi acerbitate ac dolore percitus, unguibus magno cum gemitu corpus lacerat: tanta verò vermium copia effluit, aliis ſuper alios tanquam ex perforato vaſe ſcaturientibus, ut deleri nequeant: & hôc pactô ſive cibi, ſive aëris causâ miſerum ſortiuntur vitæ finem. Vide Diodor. Sic. *l.* 3. *c.* 3 & 19 *de rebus antiquis*, Agatarchidem, & Strab. *l.* 16. Plinius de ſimilibus in Parthia populis loquitur, *l.* 11. *c.* 29. De aliis in Libya, Hieron. *l.* 2. *contra Jovinian.* & *comment. in Johan. c.* 4 De S. Joh. Baptiſta, vide Matth. *c.* 3. *v.* 4. & quæ ſuprà dicta.

ACRII, Vulgò *Monte Syris*, montes Siciliæ inſulæ.

ACRILLÆ, urbs Siciliæ, non procul à Syracuſis. *Steph.* vide Cluver. *Sicil. Antiqu p.* 354.

ACRIO, Philoſophus Pythagoricus, cujus meminit Cicer. *l.* 5. *De Fin.*

ACRIPHIA, vide *Acræphia*.

ACRIS Odor, idem cum acuto, Græcè δριμύς. de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 12. 82.

ACRISIONE, urbs Peloponneſi apud Argos, ab Acriſione Acriſii regis filiâ nomen habens: unde *Acriſioneus*, nomen gentilitium. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 410.

Acriſioneis Danaë fundâſſe colonis.

Ubi *Servius* agnoſcit patronymicum *Acriſioneus*, *eidos*. Non expio; nam ab *Acriſio* forma illa patronymica abſurda ſatis. *Servii* nodum hunc (*Sola enim venerat, non cum colonis*) jam ſolvit alius. Aliter *Cerda*; quid enim vetat (inquit) ut ex Græciâ coloni affluxerint, ad famam Danaës jam reginæ, jam extruentis urbem? Deinde fucum ſibi facit *Servius*. Nam ſi coloni, certè aliunde: atque adeo nihil obſtat, etiam ſi conjungat cum *Danae*, non cum *Colonis*. *Nic. Lloydius.*

ACRISIONIDES, Perſeus Acriſii nepos, Ovid. *l. Met.* 5.

Vertit in hunc harpen, madefactam cæde Meduſæ
Acriſioniades, adigitque in pectus. - - - -

ACRISIUS, teſte Euſebiô, *libro temporum*, Abantis Argivorum Regis fil. ex Ochalea conjuge, Mantinei filia, ac frater Prœti, cum quo, cùm in utero matris adhuc eſſet, diſſidere cœpit: Ubi verò per ætatem potuêre, de regno certare non dubitârunt: Sicque belligerantes primi *clypeos* invenerunt: inde victor Acriſius Prœtum Argis exegit, ipſe verò imperium patris occupat, inſeric Regum Argivorum XIII. Danaën ex Eurydice Lacedæmonis filia gignit: quâ natâ Acriſius oraculum conſuluit, an marem filium poſtea habiturus eſſet? reſpondit oraculum, nullum quidem marem habiturum, ſed eum manu ejus, qui ex filia naſceretur, moriturum: qui, ad effugiendam prænuntiatam mortem, filiam in quadam turri (aliàs ænea) ſepoſuit, ſervarique juſſit, ne quis poſſet ad eam accedere. In ejus gremium Jupiter verſus in auri guttam, ex tegulis ſe demiſit: à quo prægnans effecta, Perſeum genuit: quod cùm reſciſſet Acriſius, ab Jove compreſſam filiam minimè credens, eam unà cum filio in arca lignea concluſam in mare dejecit, quæ cùm in Seriphum inſulam Jovis voluntate delata fuiſſet, Dictys piſcator eâ effractâ, vidit mulierem cum infante, quos ad regem Polydecten perduxit, qui eam in conjugio habuit, & Perſeum educavit in templo Minervæ: quod cùm reſciſſet Acriſius, eos ad Polydecten morari, repetitum eos profectus eſt, quò cùm veniſſet, Polydectes pro eis deprecatus eſt: Perſeus Acriſio avo ſuo fidem dedit, ſe eum nunquam interfecturum; qui cùm tempeſtate retineretur, Polydectes moritur: cui cùm funebres ludos facerent, Perſeus objectô Gorgonis capite Acriſium convertit in ſaxum, vel diſcô miſſô, quem ventus diſtulit in caput Acriſii, eum interfecit, ita quod voluntate ſuâ noluit, Deorum factum eſt; Hyginus *Fab.* 63. *Euſeb. Servius*. Vide *Danae*, & *Perſeus*. Regnavit ann. 31. ad quem annum ult. *Argivorum*, inquit Euſebius, *regnum defecit; quod ſtetit annis* DXLIV. *uſque ad Pelopem, qui regnavit annis* LVIII. *Num* 7. 4. Interim conſtat, poſt *Acriſium* tam Argis regnatum eſſe, quàm Mycenis; Euſebius autem, prætermiſſis Argivis, ad Mycenas tranſiens,

ſitus, *Acriſio* ſubjungit *Sthenelum*; *Euryſtheo* & *Atreo* largitur annos 108. uſque ad initia *Agamemnonis*; incerta aliorum tempora iſtis, quorum quam certioribus, adſignans. *Acriſii* autem tempora celebrantur inprimis tum *Oraculo Delphico*, (cujus prima vates, Phemonoë, ſcans uxor, Acriſio reſponſa dedit. Clemens Alexandrin. *Stromat. l.* 1.) tum *Pelopis adventu*, ex Phrygia in Græciam, qui res Græcas inſigniter immutavit. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. ad Sec.* xi. ubi & *Delphicos Amphictyonas* ab Acriſio inſtitutos, addit. de ſucceſſore vero Acriſii aliquid voce *Megapenthes*. Fuit & *Acriſius* alter Laërtæ patris Ulyſſis pater & Jovis fil. dicente Ulyſſe apud Ovid. *Metamorph. l.* 13.

> *Nam mihi Laertes pater eſt, Acriſius illi,*
> *Jupiter huic*, &c. --- --- --- --- ---

Ubi tamen caſtigatiores codices, *Arceſium* habent.

ACRITAS, extremum Bithyniæ promontorium *Ptolemæo*, juxta Boſporum Thracium *Gyllius* dicit hodie uſque nomen retinere. *Stuckius* hoc idem putat *Promontorium Nigrum*, ἄκρῳ μέλανα ab *Apollonio*, *Orpheo*, & *Timoſthene* appellari. *Acritas* etiam Meſſeniæ promontorium *Capo di Gallo* teſte *Sophiano* cum aliis. Mela *l.* 2. *c.* 3. Plin *l.* 4. *c.* 5. Inter Methonem ad Boream & Coronem ad Auſtrum proximas urbes. Inſulæ eſt etiam nomen *Cedreno*.

ACROAMATICI ſeu ACROATICI Libri Veterum, indigitantur A. Gellio *l.* 20. *c.* 5. *Commentationum ſuarum artiumque, quas diſcipulis tradebat Ariſtoteles* --- *duas ſpecies habuiſſe dicitur, alia erant* --- ἐξωτερικά --- *alia* ἀκροατικά. Ἀπὸ τῆς ἀκροάσεως nempe dicta, i. e. à *diſcipulis*, uti *Suidas* expōnit, qui ſoli ad ἀκροατικοὺς λόγους admittebantur, erantque familiares ac quaſi domeſtici: cum ad ἐξωτερικοὺς λόγους, non diſcipuli ſolum & qui in Præceptoris diſciplinam ſeſe dederant, ſed quilibet è populo, accedere poſſent. Atque ſic perſonarum ratione *Exoterica* diſceptationes ab *Acroaticis* differebant. Sed & materia utrobique diverſa. Ἐξωτερικὰ enim dicebantur, pergit Gellius, *quæ ad Rhetoricas meditationes, facultatemque argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant.* Ἀκροατικὰ *autem vocabantur, in quibus Philoſophia remotior ſubtiliorque agitabatur, quæque ad naturæ contemplationes, diſceptationeſque Dialecticas pertinebant.* Vide quoque Plut. *Alexandro*. Cicer. verò *de Finibus l.* 5. ut & *Alexander* & *Euſtathius*, aliique, de iiſdem rebus Ariſtotelem, in *Acroaticis* quidem ſubtilius atque ad limandam veritatem aptius, in *Exotericis* autem, probabilius, atque ad opinionem efficiendam accommodatius, differere ſolitum aiunt. Temporis porrò diſcrimen. *Diſciplinæ*, iterum Gellius, *quam dixi* Ἀκροατικὴν, *tempus exercenda dabat in Lyceo matutinum* — ἐξωτερικὰς *vero auditiones exercitiumque dicendi eodem loco veſperi faciebat* — *atque eum* δειλινὸν περίπατον *appellabat, illum alterum ſupra* ἑωθινόν. Sed &, *Exotericis* Scriptis vulgò emiſſis, *Acroatica* ut arcana abſcondebantur, aut ſi & illa ederentur, brevius & obſcurius conſcribebantur, quàm ut ab iis, qui ἀκροαταὶ non erant, poſſent intelligi. Unde conquerenti Alexandro, quòd diſciplinas interiores, quibus ab ipſo eruditus eſſet, libris editis evulgaſſet, reſcripſit, Philoſophus, *neque editas eas eſſe, neque non editas, quoniam ſolis auditoribus cognobiles eſſent*, apud eundem Gellium &c. Vide Salmaſ. *Commentario in Epictetum & Simplicium p.* 228. & *ſeqq.* aliquid etiam infrà voce *Exoterica*.

ACROATHON, Thraciæ oppid. in ſummo cacumine montis Atho, Melâ *l.* 2. *c.* 2. authore. *Ptolemæus* Ἀκρόθῳον appellat. *Stephanus* Ἀκρόθωον, Thucyd *l.* 4. Ἀκρόθωοι. Herodot. *l.* 7. Ἀκρόθωον. *Cima di monte ſanto* hodie. *Acrothon* Plin. *l.* 4. *c.* 10. Ejus incolas dimidiò plus cæteris mortalibus vivere, nec illi cineres aquis dilui, aut ventis evolvi, ſcribit Solin. *c.* 17. & Pomp. Mela *loc. cit.* Vide *Athos*. *Acroathon* hodie à Græcis ἅγιον ὄρος, in ea parte Macedoniæ, quæ nunc *Jamboli* dicitur.

ACROCERAUNII, agreſtes feríque homines, qui Chimæram montem incolunt. Hi A. C. 1537. cùm in Butrotio littore Solymannus Turcarum Imperat. haberet caſtra, immane conſilium ſuſceperunt tabernaculi regii noctu invadendi, concitante eos Damianò quodam latronum duce, abſtruſorum collium, qui ſunt in iis rupibus, peritiſſimò. Non reformidabant ullum vel certæ necis periculum viri rerum omnium egentes, ideoque latrociniis aſſueti, & nullos certos colentes Deos, ut incredibili prædâ, atque uſitati facinoris gloriâ potirentur, ſi longè maximum terrarum orbis Imperatorem in tabernaculo ſemiſopitum, & fruſtrà tot cuſtodiis confiſum confoderent, magnô ſiquidem ſilentiô ferarum more, ſeſe inſinuaturos concubiâ nocte in ſtationem facilè ſperârant. Sed barbaris ad id audendum facinus paratis fortuna defuit: conſpectus enim Damianus in arbore ex fragore abruptæ frondis, ubi erat ſemipenſilis & ſpeculabundus, à Janizeris eſt comprehenſus, & per tormenta detectis, quas parabat, inſidiis, juſſu Imperatoris belluæ captæ modô diſcerptus eſt unde mox magna illis agreſtibus clades illata, emiſſis ſcilicet in eos *Aſapis* & *Acanzis*, venationis modô, ad trucidandam, & quam maximè poſſent, delendam homidæ atque infamis gentis ſtirpem: ab hac enim genus ducunt *Huſcochi* maximi prædones, Dalmatiæ ſcopulis aſſueti: & *Haidones* à Turcis *Martoloſii* dicti, qui Illyricis neutoribus intererant, & cunctis mortalibus ex profeſſo hoſtes, uſque ad interiores Pannoniæ limites latrocinia exercent. Jovius *l.* 36.

ACROCERAUNIUM, promontor. Epiri, in anguſtias maris Adriatici emiſſum, inde dictum, quòd Acroceraunis montibus ſit vicinum. hodie *Capo della Linguetta*. Siquidem *Acroceraunia*, *Servio* ſunt montes excelſi in diverſis locis, ſic dicti propter altitudinem, & jactus fulminum, Nam ἄκρον dicitur *mons*, vel *ſummitas*, & κεραυνὸς fulmen Et ut ait Horat. *l.* 2 *Carm. Od.* 10. *Feriunt ſummos fulmina montes*: Et ante eum Lucret. *l.* 6. *v.* 420.

> *Altaque cur plerumque petit loca, plurimaque hujus*
> *Montibus in ſummis veſtigia cernimus ignis*:

Horum autem alii ſunt in Epiro, dividentes Ionium mare ab Adriatico; alii ſunt inter Iberiam & Armeniam, qui tamen *Ceraunii* Plinio, *l.* 5. *c.* 27. Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 3.

> *Qui ſiccis oculis monſtra natantia;*
> *Qui vidit mare turgidum; &*
> *Infames ſcopulos, Acroceraunia?*

Et Ovid. *l.* 2. *De ſecundis Amoris*,

> *Hæ tibi ſunt Syrtes, hæc Acroceraunia vita.*

Monti della Chimera hodie, vel *Cimarioti* dicti, teſte *Alphonſo*, & *Leandro*: Pauſanias autem diviſit hoc nomen *in Atticis*, Ἄκρον τὸ ὄρος, ὃ Κεραύνιον λέγεται. Ita etiam *Dionyſius*. Οὔριον τ' ἐλάσαντο ποτὶ Κεραύνιον ἀκρωτήριον. Sic Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 506.

> *Provehimur pelago, vicina Ceraunia contra.*

ACROCHIRISMUS, vide infrà *Gymnaſtica* & *Strangulatio*.

ACROCOMÆ, populi Thraciæ, à capillorum longitudine dicti, quòd antias in fronte mulierum more demiſſas geſtarent. Author *Homerus in Catalogo*, quemadmodum è diverſo, Abantes priora capitis tondebant. Vide Joh Marshamum *Canone Chron. Sec.* viii. *ſub initium*, ubi de hoc tonſuræ genere pluribus, nec non hic paſſim.

ACROCORINTHUS, mons Peloponneſi excelſus, inter duo maria, Ægæum ſcil. & Ionium. Vertex ipſe Veneri ſacram habet ædiculam, infra verticem Pyrenen fontem, haud affluentes, ſed perſpicuas aquas habentem, in radice Corinthum urbem, Strabo *l.* 8 cui inſtar propugnaculi erat. Vide & Plin. *l.* 4. *c.* 4. Pauſan. *l.* 3. Plutarch. *in Arato* dicit, eum à mediâ Græcia enaſci. Stat. *Theb. l* 7.

> *Jam premit Gradivus equis Ephyrea premebat*
> *Litora, quà ſummas caput Acrocorinthus in auras*
> *Tollit.* --- --- --- --- --- ---

Goryphe fortè apud Polyæn *l.* 4 de Demetrio, Ortel. *in theſ. Geogr.*

ACRODRYA, Græcè Ἀκρόδρυα, & ὀπώρα, ſic diſtinguuntur Græcis Scriptoribus *Rei Ruſticæ*, ut Latinis *Nuces* & *Poma*. Ἀκρόδρυα enim ea vocanda propriè cenſent, quæ foris lignum habent, quæque eadem κάρυα dicta; Quâ voce omnia *Acrodrya* Atticos inſigniſſe, ex Athenæi Epitomatore notat *Salmaſius*, Sic namque is, οἱ Ἀττικοὶ καὶ οἱ ἄλλοι Συγγραφεῖς, καρύα πάντα ἀκρόδρυα καλοῦσι λέγων; ubi tamen incertum, an per ἀκρόδρυα intelligat omnes omninò fructus arboreos, qui foris lignum habent, an eos tantum, qui exteriorem habent corticem ligneum & intus id, quod edule. Auctores Geoponicorum hôc ſenſu accepêre, de iis ſcil. qui τὸ ξυλῶδες foris habent, quo in genere nuces omnes ſunt. Alii ἀκρόδρυα, de omnibus arboreis frugibus uſurpant. At *Theophraſtus*, qui ἀκρόδρυα à malis & nucibus ſeparat, eô nomine *baccas* & fructus ſylveſtres cenſuit. Quâ de re vide eruditè diſſerentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 168. & *ſeqq.*

ACROLISSUS, arx eſt, in colle ſuprà Liſſum Illyrici urbem, Strabo *l.* 7.

ACROLITA, vel ACROLITHA ſtatua, apud Trebellium Pollionem in XXX. *Tyr. c* 32. *Hujus uxor Calphurnia* (Titi nempe) *fuit ſancta cujus ſtatuam in templo Veneris adhuc videmus Acrolitham* (prius legebant *Argolicam*) *ſed auratam*; Græc. ἀκρόλιθος ἀνδριὰς, ſtatua eſt *lapidea*. Sic *monolithas* columnas dixit *Laberius*, ἐκ μονολίθων· *cum provincias diſpoliavit, columnas monolithas labellabeus.* Similiter itaque *Acrolitha ſtatua*, ἡ ἀκρόλιθος, ἀκρόλιθον ξόανον in *Epigrammate*, nondum edito,

> Μή μ' ἄθρει ἄνθρωπε τὸ χλαῖνον, ἀλλὰ θεώρει·
> Οὕτως ἀκρόλιθον καινὸ τρόπον ξόανον.
> *Ne excute ô homo Lænulam, ſed conſidera*
> *Sic acrolithæ & me modum ſtatuæ.* &c.

Salmaſ. *ad loc. cit.*

ACROLOCHIAS, promontor. Ægypti, ad Pharum, verſus Orientem, *Straboni*, fortè idem cum *Lochias* Ortel. *in theſ. Geogr.*

ACROMA, vide *Arteris fons*.

ACROMATA, apud Æl. Lampridium *in Alexandro Sev. c.* 34. *Nanos & nanas & moriones & vocales & exoletos, & omnia acromata, & pantomimos Populo donavit*, Ita in veteri editione legebatur, nec aliter præferunt ſcriptum libri manu exarati: In *Nerone* quoque Senecæ *acroma* legitur & *acromaticus*. Idem ergo quod *Acroamata*, ut ἀκροάματα pro ἀκροάματα: In vetuſtiſſimis enim membranis *Gloſſarum Græcolatin.* quæ ſervantur in Biblioth Puteana, *Auditorium eſt*, ἀκροατήριον. Et *Acroama*, apud C. Nepot. legitur *Attico c.* 14. *Nemo in convivio ejus aliud* acroama *audivit, quam anagnoſten*. Ubi Caſaubonus, *Solebant*, inquit, *Sub finem cœnæ admitti, qui partim ſeriis recitationibus, partim dictis factiſque ridiculis ſauſtos convivas exhilararent. Audiebantur etiam Cantores, Tibicines Citharœdi* --- *Acromata uno verbo Græci Latinique omnes hos vocant*. Vide quoque Plut. *Sympoſ. l.* 1. *Macrobium*, *Athenæum*, Senecam *de Vita beata*, *Philonem* &c. Alias *Auditores*; In vetuſta quadam *deſcriptione* ex Græco verſâ, *Ecce ſimiliter Laodicea, Circenſes; & Tyrus, & Berytus, & Cæſarea. Sed Laodicia mittit aliis civitatibus agitatores optimos. Tyrus & Berytus mimarios. Cæſarea Pantomimos; Heliopolis Choraulas maximè, quod à Libano Muſæ illis inſpirent divinitatem dicendi, aliquando autem & Gaza habet bonos auditores.* Ubi nemini dubium poteſt eſſe, inquit *Salmaſius* quin apud Græcum Scriptorem fuerit. Ἔχει δὲ καὶ ἡ Γάζα ἀγαθὰ ἀκροάματα, quod ille vertit, *Auditores*. Vide Salmaſ. *Not. ad Æl: Lamprid. loc. cit.* & infrà *Kabbala*, item ubi de *Catechumenis*, & voce *Sigla*.

ACROMERUS, Cattorum Princeps, Tacito *l.* 11. *Annal c.* 16 *Cattimerus*:

ACRON, Ceninenſium Rex, quem ob raptus Virginum Sabinarum Romulus ſingulari certamine vicit, teloque trajecit, & ſpolia ejus opima, i. e *exuvias cruentas*, Jovi Feretrio dicavit, Plut. *in Rom.* Etenim, inquit, *Ferire* apud Romanos erat *Vulnerare ſagitta*. De hoc Acrone vide Propert. *l.* 4. *Eleg.* 11. cujus titulus, *Quare Jupiter Feretrius dictus*? Ab eo enim dicitur *Cœnina*.

> *Tempore quo portas Cæninum Acrona petentem,*
> *Victor in everſum cuſpide fundis equum.*

Item *Herculeus*, vel quia oriundus ab Hercule, vel quia Cæninenſes Herculem colebant: vel quia fortis, & bellicoſus ut Hercules. *Ibidem:*

Acron Herculeus, Cæninâ ductor ab arce,
Roma tuis quondam finibus horror erat.

Vide Dion. Halicarnaſſ. & Plut. in *Romulo*.

ACRON, Medicus Agrigentinus, Athenis unà cum Empedocle philoſophatus eſt, antiquior Hippocrate. Scripſit linguâ Doricâ, de Medicina librum. In Sicilia Empiricam à Dogmatica ſeparavit primus, Galen 2. *meth* & Plin. *l.* 29. *c.* 1. Peſtilentiâ Athenis graſſante, affectus opem tulit ſalutarem, accenſis in proximo ignibus. Plut. in *Iſide*, ex *Suida*. *Acron*, etiam nobilis Grammaticus, qui Horatium enarravit.

ACRONERISÓN, vide *Aſciburgium*.

ACRONEUS, nomen Principis Phæacum, Homer. *Odyſſ.* 8.

ACRONIUM, locus circa Phrygiam. *Hiſt. miſc. l.* 21.

ACRONIUS, in Alpibus lacus eſt. Pomp. Mela *l.* 3. *c.* 2. noſtri *Conſtantienſem* vocant. *Brigantinum* Plinius. *l.* 9 *c.* 17. *Brigantia Ammiano. Podamicus* recentioribus nonnullis, eſt autem lacus Helvetiorum maximus, quem *Bodenſee* Germani vocant. *Ciruente* tamen, & rectius, Acronius & Brigantinus duo ſunt lacus; Is quidem, *Cellerſee* ab oppido *Cella*: Hic autem *Bodenſee* dictus. Etiam *Underſee* dicitur lacus hic Acronius; & quidem, *Acronium* dici vult *Vadianus*, apud *Melam*, *quod gelu nunquam obduretur*. Græci autem Oceanum glacialem *Cronium*, i. e. Saturnium & frigidum tardumque appellârunt, auctoribus *Ptolemæo* & Plinio *l.* 4. *c.* 13. Vide Jac. Ottonem in *B. Rhenan.*

ACRONYCHA Stella, Græcè ἀκρόνυχος, dicitur quæ ἀκρονύχως oritur, ſeu *veſpertinum ortum* facit, habetque Solem adverſum in contraria parte occidentem. Quamvis enim ἀκρονυχίαν Græci recentiores de utroque noctis tempore acceperint, tam matutino, quam veſpertino; quia utrumque tempus τὰ ἄκρα τῆς νυκτὸς conſtituit: utroque ἀκρονυχίας vocârunt, ortus & occaſus ſiderum matutinos veſpertinoſque. Jo. Tzetzes in *Heſiodi* ἔργα,

Τὰς ἀκρονύχους οἱ παλαιοὶ φαινὰς δίδουσι,
Ἀνατολάς τε καὶ δυσμὰς τῶν ἀστέρων.

Veteres tamen Græci magis propriè ἀκρονύχιον, de primo noctis ineuntis tempore uſurpârunt, quam de extremo finientis, & ἀκρονύχους ortu ea ſidera dixerunt, quæ veſperi oriuntur, non quæ matutino, ſtellas ipſas, quæ in ortu veſpertino ſunt, ἀκρονύχους vocantes. Heſiodus ἀκροκνέφαιον vocat, in Ἔργοις v. 565.

Ἀρκτοῦρος προλιπὼν ἱερὸν ῥόον Ὠκεανοῖο,
Πρῶτον παμφαίνων ἐπιτέλλεται ἀκροκνέφαιος &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin p.* 720.

ACROPATHOS, Medæ majoris ſinus, & Suſianæ rex.

ACROPOLIS, arx Athenienſium. Athenæ enim in tres partes dividebantur: Acropolin, Aſty, & Pyrenæum portum. *Acropolis* etiam urbs Libyæ apud *Steph.* Eſt etiam alia ejuſdem nominis in Æolidâ, teſte eodem. Incolæ *Acropolitæ*, vel *Acropolienſes*. Sacra erat Athenienſium *Acropolis* Minervæ, quæ proin Catullo in *Argonaut.* dicitur Diva,

— --- *retinens in ſummis urbibus arces.*

Superſtes eſt hodieque, & validò tenetur Janizerorum præſidiò. De illa Hugo Favolius *Hodœp. Byz. l.* 3.

Arx tantum celebris hôc tempore montis eodem
Quaque impoſitâ jugo eſt, vaſtas proſpectat in undas
Æquoris, & circum diſperſa mapalia, & omnes
Externo indigenas noctu tutatur ab hoſte.
Nobilis arx, tota quâ non eſt altera Graja
Nota magis regno, validiſque inſtructior armis &c.

In faſtigio turris Lunulæ eminent Turcicæ aurò longè lateque ſplendentes; herbæ etiam genus quoddam peculiare, quæ noctu inſigni fulgore micat, in latere montis, cui Acropolis inſidet, prognaſci memoratur. Pars muri, *Pelargica* olim dicta, ab *Hyperbio & Euryalo*, qui, quòd peregrè advenissent, πελαργοὶ i. e. *ciconiæ*, vocati ſunt: altera pars, quæ *murus Cimonius*, à Cimone Miltiadis filio arci circumdata eſt. Acceſſus erat per unicam portam, porticu celebri, quæ *Propylæum* dicta, inſignem. Vide Franc. Roſſæum *Archæolog. Atticæ l.* 1. *c.* 2.

ACROPOLIS, oppid. in littore provinc. Principatus citerioris in regno Neapolitano.

ACROPOLITES Georgius, vide *Georgius*.

ACROREI, urbs Triphyliæ. *Steph.*

ACRORIA, Elidis tractus, ex Xenoph. *l.* 7. *Gr. Hiſt.* ubi Thrauſtum ejus oppid. nominat.

ACROSPHYSIA, fœminei calceamenti genus. Vide *Famina*.

ACROSTICHIA, in *Conſtitut. Apoſtol.* *Alius quidem Pſalmos David canat, populus vero initia verſuum, quæ dicuntur* Acroſtichia, *ſuccinat*. Ἀκροστιχὶς enim *initium verſuum* ſignificat. Vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lectionum l.* 13. *c.* 39. & Macium *Hierolexic.* De *Acroſtichide* Sibyllina JESU CHRISTI nomen præferente, quam viſam Ciceroni & in ſuos libros tranſlatam refert Euſebius, vide judicium Caſauboni *Exercitat.* 1. §. 10. Tobiæ Pfanneri, in *Syſtem. Theologiæ Gentilis purioris c.* 1. §. 10. & quæ mox dicemus. Meminit certè, præter Dionyſium *l.* 4. Cicer. *de Divinat. l.* 2. ἀκροστιχίδων, in Sibyllinis carminibus obviarum; quæ quanquam in falſitatis ſuſpicionem argumentumque trahi ſoleant, à crimine tamen iſto certè Chriſtianis alieni, quos *Ciceronis* ætas nondum habuit: quâ ratione illorum cadit argumentum, qui piâ fraude iſtiuſmodi carmina à Chriſtianis ſuppoſita fuiſſe contendunt. Memorabilis autem inprimis *Acroſtichis* illa, quam ex Carminibus Sibyllæ Erythrææ de Judicio extremo Euſebius modò laudatus affert, de *Vita* Conſtantini *l.* 5. ſive *Orat. ad Cœt. Sanctor. c.* 18. & Auguſtinus *de Civ. Dei l.* 18. *c.* 23. *ſic ſonans*.

Ἰδρώσει γὰρ χθὼν, κρίσεως σημεῖον ὅτ᾽ ἔσται.
Ἥξει δ᾽ οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων
Σάρκα παρὼν πᾶσαν κρίναι, καὶ κόσμον ἅπαντα.
Ὄψονται δὲ θεὸν μέροπες πιστοὶ καὶ ἄπιστοι,
Ὕψιστον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο,
Σαρκοφόρων ψυχὰς δ᾽ ἀνδρῶν ἐπὶ βήματι κρινεῖ.
Χέρσος ὅτ᾽ ἄν ποτε κόσμος ὅλος καὶ ἄκανθα γένηται;
Ῥίψουσι δ᾽ εἴδωλα βροτοὶ καὶ πλοῦτον ἅπαντα.
Ἐκκαύσει δὲ τὸ πῦρ γῆν, οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν,
Ἰχνεύον ῥήξει τε πύλας εἱρκτῆς ἀΐδαο
Σὰρξ τότε πᾶσα νεκρῶν εἰς ἐλεύθερον φάος ἥξει,
Τοὺς ἁγίους, ἀνόμους τε τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει.
Ὁππόσα τις πράξας ἔλαθεν, τότε πάντα λαλήσει.
Στήθεα γὰρ ζοφόεντα θεὸς φωστῆρσιν ἀνοίξει.
Θρῆνος δ᾽ ἐκ πάντων ἔσται, καὶ βρυγμὸς ὀδόντων.
Ἐκλείψει σέλας ἠελίου, ἄστρων τε χορεῖαι.
Οὐρανὸν εἱλίξει, μήνης δέ τε φέγγος ὀλεῖται.
Ὑψώσει δὲ φάραγγας, ὀλεῖ δ᾽ ὑψώματα βουνῶν.
Ὕψος δ᾽ οὐκέτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται.
Ἶσα δ᾽ ὄρη πεδίοις ἔσται· καὶ πᾶσα θάλασσα
Οὐκ ἔτι πλοῦν ἕξει· γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῷ,
Σὺν πηγαῖς ποταμοί τε καχλάζοντες λείψουσι.
Σάλπιγξ δ᾽ οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει,
Ὠρύουσα μύσος μέλεον καὶ πήματα κόσμου,
Ταρτάρεον χάος δείξει, ποτὲ γαῖα χανοῦσα.
Ἥξουσιν δ᾽ ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆος ἅπαντες.
Ῥεύσει δ᾽ οὐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς ἠδέ γε θείου, κτλ.

Quæ Latinè refert Auguſtinus *loc. cit.* meliùs atque ad *acroſtichidis* formam ſic reddidit Valeſius verſum. *Euſebii d. l.*

Judicii ſignum, tellus ſudore madeſcet;
E cælo tunc Rex veniet per ſecla futurus,
Scilicet ut totum præſens dijudicet orbem.
Viſuraque Deum infidi ſunt atque fideles,
Sublimem in carne humana ſanctaque caterva
Cinctum, completo qui tempore judicet omnes.
Horrida tunc tellus dumis ſylveſcet acutis,
Rejicient ſimulachra homines aurique metalla.
Inferni portas ſacris ſimul impete rumpent
Squallentes manes & purâ luce fruentur.
Tetros atque bonos judex tunc flamma probabit.
Voce patens facinus, quod geſſit quiſque, loquetur,
Subdolaque humani pandentur pectoris antra.
Dentium ſtridor erit, gemituſque & luctus ubique.
Et Sol aſtrorumque chorus percurrere cœlum
Inſimul abſiſtent. Lunæ quoque flammæ peribit.
Fundo cernentur valles conſurgere ab imo.
In terris nihil excelſum ſpectare licebit,
Lataque planities montes æquabit: & æquor
Intactum rate ſtabit. adustaque fulmine tellus.
Unà deficiet flagrans cum fontibus amnis.
Stridula de cælo fundet tuba flebile carmen
Supremum exitium lamentans, fataque Mundi.
Et ſubito Stygium chaos apparebit hiatu:
Reges divinum ſtabunt cuncti ante tribunal,
Unaque ſulphurea deſcendet ab æthere flamma.
Ac cuncti in terris homines mirabile lignum
Tunc cernent oculis, ſanctis optabile ſignum:
Omnibus id juſtis vita eſt melioris origo,
Rurſum veſanis dolor atque offenſio Mundi &c.

In hac *acroſtichide*, ex primis verſus cujuſque literis, componuntur hæc verba ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ, ut *Chriſtophorſonus*, Euſebii Interpres, feliciter iſtô, cujus interpretatione uſus Auguſtinus eſt, congruarum literarum vocibus verſum quemque inchoans, *Valeſius* item, reddidêre, JESUS CHRISTUS DEI FILIUS SERVATOR. Ex quarum quinque vocum initialibus literis, alia ἀκροστιχὶς oritur, ΙΧΘΥΣ i. e. PISCIS: quô nomine myſticè Chriſtum intelligi, Auguſtinus monet *d. l.* ubi *Leonh. Coquæus* adi. eò quòd in hujus mortalitatis abyſſo, velut in aquarum profunditate, ſine peccato eſſe potuerit, quemadmodum nihil ſalſedinis à marinis aquis piſci affricatur Vide omnino Pfannerum ubi *ſuprà*, nec non *c.* 20. §. 13 & infrà voce *Ichthys*, contra hos vero Anton. van Dalen, uti Sibyllina carmina, ita & Ἀκροστιχίδας ſic dictas, quarum Cicero *de Divin. loc. cit.* meminit, pro callidis ſemper, à prudentioribus, habitas impoſtorum inventis, eruditè contendit, *de Oraculis Diſſertat.* 1. *p.* 458. & *ſeqq.* Certè ipſe Cicero quantam iis fidem adhibuerit, ibidem his docet: *Callidè, qui illa* (carmina Sibyllina) *compoſuit, perfecit, ut, quodcumque accidiſſet, prædictum videretur! Adhibuit etiam latebram obſcuritatis* —— *Non eſſe autem illud carmen furentis, cum ipſum Poëma declarat* — *tum verò ea quæ* Ἀκροστιχὶς *dicitur, cum deinceps ex primis verſus literis aliquid connectitur, ut in quibuſdam Ennianis* —— *Id certè magis attenti eſt animi; quàm furentis. Atque in Sibyllinis, ex primo verſu cujuſque ſententiæ, primis literis illius ſententiæ carmen omne prætexitur. Hoc ſcriptoris eſt, non furentis; adhibentis diligentiam, non inſani. Quamobrem Sibyllam quidem ſepoſitam & conditam habeamus &c.* In ſpecie de *Acroſtichide Euſebiana*, quam nec Pfannerus pro genuina habet, idem van Dalen, *Ex illa, inquit, videmus, eam opus eſſe hominis per otium in Muſæo ſuo aliorum credulitati illudere ſtudentis: ſicut & ſucceſſum nactæ ſunt fraus, non ſolum in Euſebio & Auguſtino, ſed & multis aliis, eos hic nimis inconſideratè ſequentibus. Nec magis hic credendus Euſebius, quàm ubi refert* —— *Narrant Joſephum ſcripſiſſe, eo tempore, quo cruciſixus eſt Dominus noſter J. C. ex adytis Templi voces erupiſſe dicentium, Migremus hinc: quum tamen conſtet ex ipſo Joſepho, eum minime hanc hiſtoriam referre ad tempus Paſſionis, ſed ad poſtrema tempora obſidionis Hieroſolymitanæ, quæ annis circiter* 22. *poſtea accidit*, *Diſſertat.* 1. *p.* 39. Vide quoque infrà ubi de *Sibyllinis Carminibus*. Nec omittendum, Dio-

Diverſium quoque loco itidem laudato, Acroſtichidibus, hujuſmodi adeò non fidem habere voluiſſet ut potius illas pro νόθοις nota aſſumſerit, dum ait: Ἐν δὲ τῷ ἀριθμῷ τινες ἀκροστιχίδας τοῖς Σιβυλλείοις, ἰδιαίτερον) ξ τοῖς παλαιοῖς ἀνεγνώρισε, ex Varronis Commentarius Threi.

ACROSTOLIUM, Græcè Ἀκροστόλιον, in nave dicitur ſumma pars proræ, ſicut ἄφλαστον, Latinè Aplustre, ſumma pars puppis: Græci tamen τὸ ἄφλαστον etiam ἀκροστόλιον expoſuerunt; h. e. proræ ſummitatem. Eſt autem prora propriè pars navis anterior quæ à carina uſque ad cataſtroma pertingit, quæ veluti facies & frons navis eſt. Quæ ad proram verò addita in altum eriguntur, ea ad ornamentum potius ac decorem navis, quàm ad uſum adſiguntur; recurvata nempe ligna, quæ ad ornandas ejus extremitates inſurgunt. Κόρυμβα Græci vocant & ἄφλαστα; ſed in puppi propriè ἄφλαστον, in prora στόλος, cujus pars ſumma ἀκροστόλιον, ut dictum. Supra ἀκροστόλιον vero tabula erat πρόχειρ vocata, item ὀφθαλμοὺς; ubi nomen navis inſcribi ſolebat, & oculi navis pingi. Sic Κῆτος, nomen navis, quâ Andromeda abducta eſt, juxta Cononem, ab inſigni navis ceto &c. Vide Salmaſ. ad Solin. p. 572, 573. & infrà in voce Paraſema, item Prora.

ACROTADUS, Inſul. in Sinu Perſico Plin. l. 6. c. 23. ubi tamen Salmaſ. legi jubet Aradus vel Catcandras, vide eum Exercit. Plin. ad Solin. p. 118.

ACROTATUS, fil. Cleomenis, Regis Spartanorum, ante patrem obiit. Quò defunctò fil. ejus Areus ſuffectus, quod Cleonymus, Acrotati frater, ægerrimè ferens, Pyrrhum in Laconicam vocavit. Hic Areus filium, patri cognominem, reliquit ſucceſſorem. Pauſan. l. 3. Plut. in Agide.

ACROTATUS Areï fil. prioris nepos, cujus amore deperiens, Chelidonis, uxor Cleonymi, patris Areï, acerbas amanti marito juxtaque infames præbuit nuptias: neque enim civem latebat ullum ab uxore eum faſtidiri, ita eùm ad publicam domeſtica acceſſiſſet ægritudo, irâ & animi dolore conſultoribus, Pyrrhum Regem Epirotarum Spartam attraxit. Pyrrhò urbem oppugnante, Acrotatum ſenes & mulierum caterva præclarè certantem contemplati ſunt. Cum jam mediâ urbe ſtationem ſuam repeteret cruentus & exultans elatuſque victoriâ, celſior ac pulchrior Lacænis eſt viſus, Chelidonidemque, quod talem haberet amatorem, prædicaverant beatam: præterea grex ſenum ſequutus conclamavit, Perge Acrotate, & complectere Chelidonidem, tantùm bonos Spartæ procrea. Plut. in Pyrrho. Succeſſorem habuit filium Areum. II.

ACROTERIA, ex Græco Ἀκρωτήρια, in ædibus. Vide Faſtigium, it. Pinnacella.

ACROTHON, vide Acrothon.

ACROVENTUM vulgo Governo, pagus Italiæ apud Padum, ubi is Mincium fluv. excipit, in agro Mantuano, inter Mantuam 10. & Concordiam apud Mirandulam 26. mill. paſſ. haud procul à Benedicti cœnobio, Hic Leo Pontifex Max. Attilæ obviam venit.

ACRURIUS, vide Galata.

ACSA, Acza, fluv. Aſiæ, in Georgia regione, in mare Caſpium ſe exonerans, prope urbem Zaruch, in Zuiria regione.

ACSAPH, urbs Aſer. Joſ. c. 11. v. 1.

ACSTEDA, oppid. Germaniæ inferioris in Ducatu Bremenſi, ad fluv. Lun. in ditione Suecorum, Bremâ 6. milliar. Germanic. in Boream, & paulo minùs Stadâ diſtat in occaſum.

ACTA, vel ACTE, Attica regio ut Gellius teſtatur l. 14. c. 6. Plin. l. 4. c. 7. Cauſam nominis explicat Strabo l. 9. in hunc ſenſum. Atticam apud Veteres, Acten, i. e. litus appellatam eſſe conſtat, & nomine derivatò, pro Actica, Atticam eſſe nuncupatam; quoniam maxima illius pars ad mare eſt extenſa, & anguſta, oblonga verò ſatis, & porrecta, montibus uſque Sunium ſubjectis. Hermol. in Plin. loc. cit. Acten dictam ſcribit ab Actæone, vel Actæo rege, ut Favorino placet, & Lycophroni, qui Actæos vocat Athenienſes. Dicebatur & Atthis, ab Atthide, Cranai regis filia. Euſtath. Inde Actæus Atticus. Virg. Ecl. 2. v. 23.

Canto, quæ ſolitus, ſi quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Ubi tamen Servius, Sane Aracynthus mons eſt Thebanus, unde Actæo littorali debemus accipere, non Athenienſi. Ovid. Met. l. 2. Fab. 8.

Separat Aonios Actæis Phocis ab arvis.

i. e. Athenienſibus, ſeu Atticis. Inde etiam Actæus, i. e. Athenienſis, Virg. Georg. 4. v. 463.

Atque Getæ, atque Hebrus atque Actias Orithya.

Nec non Actiacus. Ovid. Ep. 21.

Cur nunc Actiacas miſeram me mittis in oras?

Et Faſt. 1.

Frondibus Actiaco comptos redimita capillos.

Denique Actius Virg. Æn. l. 3. v. 280.

Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.

Et Hor. l. 1. Ep. 18.

- - - - - - Actia pugna
Te duce per pueros hoſtili more refertur.

Vide & Actium.

ACTA, apud Thucyd. l. 4. locus eſt vicinus Atho monti, ad Ægæum Pelagus. Vide. Acte.

ACTA, ſecretum, & amœnum litus dicitur. Virg. Æn. l. 5. v. 613.

At procul in ſolâ ſecretæ Troades Actâ
Amiſſum Anchiſen flebant. - - - - -

Cic. de Ver. ult. c. 25.

In actâ cum mulieribus jacebat ebrius.

Corn. Nepos, ſive, ut alii, Æmyl. Probus, in Ageſilao c. 8. Cùm in actâ cum ſuis accubuiſſet ſecretum, & amœnum litus, &c. Prudent. contra Symmachum:

Invenit expoſitum ſecreto in littoris actâ.

Parco aliis, qui uſi hâc voce; videlicet Turpilio citato à Nonio, Val. Flacco Argon. 5. Victorino, & S. Ambroſio 3. Hexam. Unicum producam Plut. cujus verba, 4. Sympoſ. Quæ 4. Latinè ſic ſe habent, *Quod bonæ Jupiter voluit ſibi, qui ad oblectationem ſe mutuo invitantes dicunt, Hodie in acta cœnabimus? nonne, quod in littore cœnam, ut eſt, ſuaviſſimam eſſe ſentiunt? Non quidem propter fluctus, aut lapillos (quis enim in littore Lecythum & Capparim menſæ adhibeat?) Sed quod copioſi ac recentes piſces menſam ſint ſtructuri. Adde quod omnium aliorum opſoniorum precium excedatur a marino.* Nic. Lloydius.

ACTA, ſtrictè propriéque dicuntur geſta ab eo, qui rogatus in Republ. cum poteſtate imperioque verſatus eſt. Sic apud Ciceronem Philipp. I. Acta Cæſaris & Acta Gracchi. Inde quæ per Magiſtratum geſta in literas publicas relata ſunt. Vide Plin. Jun. Epiſt. ad Valerian. Acta κατ' ἐξοχὴν ſæpe, Acta publica & commentarii Principis ſeu Magiſtratuum: Æſchines Ἀρχεῖα vocat γράμματα. Acta, igitur libri ſeu tabulæ erant, in quibus ſcribebantur res geſtæ Principis, aut Populi aut etiam Leges, Cic. 1. & 2. Philipp. &c. Poſtea conſuetudine ſermonis factum, ut literæ omnes, de quorumlibet Judicum ſententiis perſcriptæ, Actorum nomine cenſerentur. Item quodcunque apud Juſdicentem, ad cauſam ſive publicam ſive privatam pertinens, geſtum; ejuſque auctoritate literis mandatum eſſet, Imperat. l. 1. C. de eden. Græc. ὑπομνήματα, Gall. Regeſta. Vide Calvinum Lexic. Jurid. & infrà Regeſta. Scribi autem olim conſuevere Acta, in linteis libris, ut dicetur ſuò locò. Vide quoque in voce Elephantini libri, & aſſervabantur in Æde Saturni, de quo etiam infrà.

ACTA Conciliorum, unà cum Canonibus, colligi & recitari cœpère, poſtquàm nudi prius Canones in unum corpus fuiſſent congeſti; qui modus colligendi multum profuit ad hiſtoriam & ſeriem rei geſtæ. In iis etiam plerunque recenſentur diſputationes & argumenta de dogmatibus fidei, quæ ab Hæreticis & contra eos ventilata ſunt. Cujuſmodi collectores noti fuerunt ab ultimâ antiquitate. Socrates Hiſtor. Eccl. l. 2. c. 5. Ἐκυρώθη τε ὅσα ἐν ἐγγράφοις δι' ὑπογραφῆς ἐπιστωθέντα ὑπὸ τῶν κοινῇ διδόμενα, *Jam verò, quæ communi omnium ſententiâ decreta erant, cùm cujuſque manu ſubſcripta eſſent, rata habebantur & in commentarios referebantur.* Exemplum mox ſubjicit, Σαβῖνος ὁ τῆς ἐν Ἡρακλείᾳ τῆς Θρᾴκης Μακεδονιανῶν ἐπίσκοπος, συναγαγὼν τὰ ἀφ' ἑτέρων συνόδων ἔγγραφα ἐκδοθέντα, ποιήσας, *Sabinus Macedonianorum, qui Heracleam civitatem Thraciæ incolunt, Epiſcopus, cum ea quæ varia Epiſcoporum Concilia ſcriptis ediderant, in unum volumen collegit* &c. E quibus diſcimus, cùm ante hunc Sabinum Epiſcopi jam varia Concilia ſcriptis complexi edidiſſent; illum Acta hæc omnia & Concilia in unum volumen compegiſſe. Non tamen ex fide; ſubdit enim Socrates: Quin etiam nonnulla deditâ operâ prætermiſit, quædam etiam pervertit; quæ autem ad eum exitum, quem ſibi propoſuerat, facere videbantur, omnia diligenter excerpſit &c. Poſtea l. 2. c. 13. Σαβῖνος μὲν τοι ὁ τῶν Μακεδονιανῶν αἱρέσεως ---- τὰς τοῦ Ἰουλίου ἐπιστολὰς ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν συνόδων οὐκ ἔθηκεν. *Sabinus, erroris Macedoniani propugnator, --- Epiſtolas Julii in collectione rerum in Conciliis geſtarum, neutiquam inſeruit,* &c. Hinc itaque Synodicarum Collectionum duo genera facit Chriſt. Juſtellus Præfat. ad Cod. Can. Eccleſ. Afric. unum, quod Conciliorum Acta, ad dogmata & fidei doctrinam ſpectantia & συναγωγὴ τῶν συνόδων vel συνοδικὸν Socrati dicta, Hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 21. continebat: alterum, quod Canones Conciliorum, ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſacramque πολιτείαν pertinentes ac βιβλίον Κανόνων, in Calchedonenſi Concil. act. 4. 11. & 13. nuncupatos, complectebatur. Unde frequens Διατυπώσεων & Κανόνων diſtinctio, apud Græcos Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores. Ac Synodalium quidem Geſtorum monumenta ſuperſunt pauca &c. Hactenus Juſtellus. Vide quæ hanc in rem habet Gerh. von Maſtricht Hiſt. Juris Eccleſiaſtici num. 143.

ACTA Pilati, vide infrà Pilati Acta.

ACTA Zone, apud Pomponium, Zonaia ἄκρα Nicandro. Eminentia autem littora & promuntoria, Græcis Ἀκταί Poëtis, Ἀκτῇ ἐπὶ προχύσει. Sic locum quendam Epheſi, collis nempe jugum urbi imminens, τρηχεῖαν Ἀκτήν, h. e. Aſperam Actam, vocat Hipponax apud Strabonem,

Οἰκεῖ δ' ὄπισθεν τῆς πόλεως ἐν Σμύρνῃ
Μεταξὺ τρηχείης τε & λεπρῆς Ἀκτῆς.

Qui poſtea Πριὼν appellatus. Vide infrà in Prion.

ACTACIANUS Suetonius vide Suetonius.

ACTACOTTES, populi feroces, qui inſulam Britannicam, vulgò Angliam, totam diripuerunt. Amm. Marcellin. l. 27. Poſt Pictos antiquiſſimi, Septentrionalia Britanniæ incolebant; præfato Auctori primùm memorati, qui eos ex Hiſpaniæ Cantabria oriundos atque inde in Hiberniam migrantes, tandem in Scotia ſedem fixiſſe dicit. Vide B. Rhenanum Rerum Germanic. l. 1. & ad illum Jac. Ottonis Vari ill. Commentar. p. 229.

ACTÆA, una ex Nereidibus, ab Acte, i. e. littore dicta. Idem quoque Cereris epitheton fuit, quæ Attica etiam dicta. Vide ſuprà Acta vel Acte.

ACTÆON, fil. Ariſtæi, ex Autonoë conjuge, unde Autonoëjus heros ab Ovidio dictus eſt. Venationi addictus, cùm in Valle Gargaphie ad fontem limpidum receſſiſſet, à Diana nuda conſpecta convitiis laceſſitus eſt, atque in cervum mutatus, quem ſui ipſius canes diſcerpſerunt. De quo figmento ſic ſcribit Fulgentius. Anaximenes, inquit, qui de picturis antiquis diſſeruit, ait l. 2. Actæonem venationem dilexiſſe, qui, cùm ad maturam perveniſſet ætatem, conſiderans venationum pericula, i. e. quaſi nudam artis ſuæ rationem videns, timidus factus eſt. Sed cùm venandi periculum fugeret, affectum tamen canum non depoſuit: quos inaniter paſcendo, penè omnem ſubſtantiam perdidit, & ob hanc rem à ſuis canibus devoratus eſt. Quanquam de Actæone aliter in Commentariis Apollonii l. 4. Ipſum ſcil. non Ariſtæi, ſed Meliſſi filium: nec à canibus ſuis pro cervo, ſed à Bacchi Orgia celebrantibus laniatum fuiſſe traditur. Sed receptior eſt Ovidii ſententia, ait enim, l. 2. Triſt. Eleg. 1.

Inſ-

Inſcius Actæon vidit ſine veſte Dianam,
Præda ſuis canibus non minus ille fuit.

Itemque Seneca in *Theb. Act.* 3. *v.* 13,

Qui peragrat celer
Per ſaxa montis ſæcus Actæon ſuis
Nova præda canibus.

Ex quo ſubit illud Claudiani in *Ruf.*

- - - - Aut ſubito mutatum Actæona coram
Traderet inſanis Latonia virgo moloſſis.

Etiam hoc Silianum. *l.* 12.

Fama eſt, cum laceris Actæon flebile membris
Supplicium lueret, ſpectata in fonte Diana,
Attonitum novitate mali fugiſſe parentem
Per freta Ariſtæum. - - - -

Hæc fabula nos ad beneficia in bonos viros conferenda adhortatur, ac retrahit à benè merendo de ingratis, qui ſæpius pro acceptis beneficiis, ſimultatis cauſas aucupantur, ſeque, vel quavis leviſſima de cauſa iratos fingunt, ut ſic deletum appareat quidquid in eos collatum eſt. Et canibus certè ejuſmodi adulatores aptiſſimè comparantur. Monemur præterea, ne ſimus curioſi in rebus ad nos minimè pertinentibus, quoniam multis perniciosum fuit res arcanas aliorum cognoviſſe, aut principum, civitatum, ſummorumque virorum, aut Dei præcipuè, cùm vel minima ſuſpicio arcanorum ejuſmodi conſcios facilè poſſit opprimere. Actæonis oſſa Orchomenios olim horrendô phantaſmate liberârunt, quod ſaxum magnum geſtans, totam regionem vaſtabat: unde accolæ Delphos profecti acceperunt ab Oraculo, ut omnia Actæonis oſſa abſportarent, eaque ſepelirent, quô factô, illico liberati ſunt. *Pauſanias.* Plut. autem *in Sertorio*, duos ait Actæones fuiſſe, alterum à canibus, alterum ab amatoribus diſcerptum. *Cadmi nepos* dicitur Ovidio *Met. l.* 3. item *Hyantius*, ſiquidem Bœoti, unde oriundus erat, antiquitus *Hyantes* vocabantur, Plin. *l.* 4. *c.* 7. A Nonnio *in Dionyſiacis*, κυνοσπαρακτος dicitur. h. e. *à canibus diſcerptus*, θηρευτὴς, *audax*, λαγωβόλος, *lepores impetens*; φιλοσκόπελος, *amans ſcopulos*; λεοντοφόνος, *leonum occiſor. Nic. Lloydius.* Hujus, ut & Diomedis Thracis, fabulam enucleans, Theo Sophiſta *Progymnaſm. c.* 6. Διομήδης δὲ Θρᾷξ, inquit, εἰς ἱπποτροφίαν ἐξαναλώσας ἐλέχθη ὑπὸ τῶν αὐτοῦ ἵππων ἀπολωλέναι· ὡς δὲ τὸν αὐτὸν λόγον, καὶ Ἀκταίων ὑπὸ τῶν κυνῶν, *Diomedes autem Thrax, quod in equis alendis bona ſua conſumſiſſet, ab equis devoratus dictus eſt: quemadmodum à canibus Actæon.* Neque aliter de *Actæone* Palæphatus, qui proin *præda canum* non minus eleganter dicatur, quàm *præda caballorum*, Prætor ille Ludos edens, apud Juvenalem *Sat.* 11. *v.* 193.

Interea Megaleſiacæ ſpectacula mappæ,
Idæum ſolenne colunt, ſimileſque triumpho
Præda caballorum Prætor ſedet - - - -

Nempe Prætor hic, dum triumphantis ritu habituque Circenſibus præſideret, magnum ſe virum putabat, quum revera eſſet *caballorum Præda*, h. e. prodigâ illâ impensâ in equis aurigiſque alendis, exercendis, producendis comederetur miſer, patrimonium exhauriret, inæriret: &c. Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſervation. l.* 4. *c.* 24.

ACTÆON, Meliſſi Corinthii fil. æqualium ſuorum longè formoſiſſimus ac pudentiſſimus: cujus multi amatores fuerunt, præ cæteris Archias de Heraclidarum familia, divitiis & opibus ſuper cæteros Corinthios pollens: quem cùm pellicere non poſſet, vim ſtatuit adhibere, ac puerum rapere. Ita comiſſabundus ad Meliſſi ædes profectus eſt cum amicorum & ſervorum agmine, tendebatque abducere puerum: Sic obluctantibus patre & amicis, accurrentibusque inſuper vicinis ac retrahentibus, Actæon laceratus interiit. Plut. *in Amatorio.*

ACTÆUS, unus ex 6. dæmonum numero, qui Græcis *Telchines* dicti, quique intuitu ſuô omnia faſcinâſſe dicebantur. Hinc crediti priſcis terram Stygiâ aquâ irrigare, hincque peſtem, bellum, famem, cæteraque calamitatum publicarum genera excitare. Vide *Telchines.* Duos horum nominat Strabo, *l.* 10.

ACTÆUS, mons circa Thermodoontem fluv. *Lycophroni.*

ACTANIA, vulgò *Helichland* teſte *Ortelio*, inſula maris Germanici in alto, contra Albis fluv. oſtia, Ditmarſiæ oræ adjacens. Plin. *l.* 4. *c.* 13. Sub domino Ducis Holſatiæ

ACTARIUS, pro *Actuarius* ſeu Commentarienſis, occurrit in veteri *Inſcr.* apud Baronium ad 27. Martii ACTARIUS LEG. VII.

ACTE, Neronis liberta, quam parum abfuit, quin matrimonio ſibi conjungeret. Sueton. *in Neron. c.* 28. Ex Aſia oriunda, cujus genus Nero ad Attalum Regem porrigebat, ut ſplendorem ei adſtrueret. Item Horarum una, quarum nomina recenſet Hyginus *Fab.* 183.

ACTE, regionis nomen in Peloponneſo, teſte Theophraſtô *l.* 8. *Plantar.* item Plutarchô in *Demetrio & Arato.* Locus circa Athon montem eſt, apud Thucydidem *l.* 4. *circa finem*: Eſt quoque Acarnaniæ, Magneſiæ, Ioniæ, & Boſpori urbs, ut refert *Steph.* Vide *Attica*, it. Suprà *Acta.*

ACTIA, Soror Cæſaris. Plut. *in Cicerone.*

ACTIA, mater Auguſti Cæſaris Imperatoris, in Apollinis templo obdormiens, viſa eſt cum dracone commiſceri, peperitque expletis ad pariendum menſibus: at hæc antequam pareret, ſomniavit viſcera ſua ſublime in cœlum ferri, & in totum terrarum orbem diffundi. Sueton. *in Aug. c.* 94.

ACTIA, ORUM *Suidæ*, Ludi quinquennales Actiaci, Apollini Actio inſtar Olympiorum dicati: qui prius & à finitimis agebantur: ſed ab Auguſto honorificentius celebrati fuerunt, poſtquam Antonium & Cleopatram navali prælio ante Actium ſuperâſſet, curâ eorum deinde Lacedæmoniis demandatâ. Hæc Strabo *l.* 7. *Stephanus*, tertiô quoque annô celebratos fuiſſe tradidit tribuſque certaminibus fuiſſe inſignes, gymnicô, equeſtri & navali. Vide Plut. *in Antonio.* Horum meminit & Servius in illud Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 280.

Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.

Vide *Actium* & *Agonales.*

ACTIANUS fundus, juxta Piſaurum, ab *Actio* tragœdiarum ſcriptore. *Chronicon Euſebii.* Melали *Actianus*: eſt qui *Sarnazzano* interpretatur. Ortel. *in theſ. Geogr.*

ACTINE, vide *Apſaſium.*

ACTINUS, Solis fil. è Græcia in Ægyptum profectus, Aſtrologiæ præcepta tradidit. *Diodor.*

ACTIO Fidei, & ejus pompa, in Eccleſia Romana ultimus Inquiſitionis eſt actus, olim *Sermo Generalis de Fide* dictus, quô plures religionis causâ rei, aliquando centum aut ducenti, in publicum ſpectaculum, ad varia pœnitentiarum & ſuppliciorum genera, horrendis veſtimentis induti, producuntur: quâ fini Inquiſitor diem quendam Dominicum ſeu feſtum eligit, ut major ſit hominum ad hoc ſpectaculum confluxus. Deſignatô die, juſſu Epiſcopi ſeu Inquiſitoris, Curati omnium Eccleſiarum illius civitatis vel loci, in quo ſolennitas hæc peragetur, peractâ concione publicè Clero ac Populo, inſinuant Inquiſitorem in tali Eccleſia habiturum de Fide Sermonem generalem, omnibuſque eò confluentibus promittunt indulgentiam conſuetam, videl. XL. dierum, indicantque illô die nullum alium in ea civitate fore ſermonem. Idem nuntiare curant, in domibus Religioſorum, qui communiter Verbum Dei prædicant; & eorum Superioribus indicant, ut quoniam Inquiſitor in tali Eccleſia Sermonem generalem de Fide faciet, omnes alios Sermones ſuſpendat, ut itaque quilibet Superior quatuor vel duos fratres, prout videbitur, mittat, qui Sermoni & ſententiis ferendis interſint. Quòd ſi aliquis, ſive Hæreticus impœnitens, ſive relapſus, tradendus ſit Curiæ ſeculari, Epiſcopus & Inquiſitor indicant Ballivo loci, ut tali die ac horâ ſit cum ſua familiâ in tali platea ſeu loco ad recipiendum de Foro ſuo quendam Hæreticum, quem ei ſunt tradituri; & ut eâdem die ſeu pridie manè voce præconis per omnem civitatem, omnibus in locis & viis, quid futurum ſit, promulgari curet. In pleriſque Tribunalibus Inquiſitionis, maximè apud Hiſpanos, celebris conſuetudo eſt, ut pridie *Actionum Fidei* in campum incendii *rubus* ſolenniter deferatur, cujus flammis damnati exuruntur. Sed & pridiè ejus diei, quô rei è carcere ad publicum actum Fidei adducuntur, *comam ac barbam* deponunt: ipſô deinde ſolennitatis die, captivi omnes ornatu, quô in ſpectaculum ſunt proditurі, induuntur. Datur autem omnibus *veſtis nigra albis lineis diſtincta*, cum femoralibus ad talos uſque protenſis, *pedibus & capite nudo*, niſi quòd mitrâ infami ornantur perſonæ viles & abjectæ, pro atrocioribus calumniis, Hæreticis pœnitentibus aut de vehementi ſuſpectis, datur inſuper Saccus benedictus, crocei coloris veſtis, in pectore & tergo crucem S. Andreæ rubei coloris oſtentans, *Sambenito* vulgò, vide infrà. Reliquis, quorum delicta leviora, præter nigram veſtem alia non datur: ſingulis verò datur cereus extinctus, & funis collo innectitur. Quibus verò ſupplicium ignis deſtinatum eſt, *Samarrâ* induuntur, de qua ſuô locô. Quô factô ſingulis humi ſedere conceditur, ut nova mandata expectent; rogoque imponendi in vicinum conclave deducuntur, uſque Confeſſarii adducitur, qui ipſos ad mortem præparent & ad fidem convertant. Circa horam quartam miniſtri omnibus panem & ficum diſtribuunt; circa ortum Solis Eccleſiæ Cathedralis major campana ſonat; conveniunt in domum Inquiſitionis reorum Fidejuſſores, vide infrà: quibus ita præparatis, Inquiſitor ſeſe prope portam domus Inquiſitionis collocat, comitatus Officii Inquiſitoris Notariô, qui omnium reorum nomina ordine legit, incipiens ab iis, qui minùs deliquerunt, donec tandem ad graviſſimè delinquentes perveniat. Rei ſinguli ordine exeunt, quiſque cum fidejuſſore ſuo, qui ei in proceſſione latus claudat. Proceſſionem præcedunt Monachi Dominicani, quod auctor Ordinis ipſorum etiam Inquiſitionis fuerit inventor. Vexillum Inquiſitionis præfertur, de quo ſuô locô. Tum ſequuntur rei cum ſuis fidejuſſoribus: quorum illi, qui leviùs deliquerunt, cum in proceſſionem exiêre, ſequitur imago Crucifixi: ſuccedunt, qui ad mortis ſupplicium educuntur. Tandem circumferuntur ſtatuæ in hæreſi defunctorum, indutæ Samarrâ, nec non oſſa è ſepulchris eruta & ciſtæ nigræ, in qua dæmones & flammæ undique ſunt depictæ, incluſa, ut in cineres redigantur. Cum ita per plateas urbis præcipuas ab omnibus ſpectandi circumducti ſunt, tandem Templum in quo Sermo de Fide habendus eſt, intrant; quo de Inquiſitione diſſeritur, ordinariè Dominicanô concionante. Illô finitô, duo Lectores tandem cathedram alternis aſcendunt, atque ſententias in ſingulos altâ voce prælegunt. Inde, qui à mortis ſupplicio liberi ſunt, abſolvuntur & certis ritibus, virgis imprimis adhibitis, Eccleſiæ reconciliantur: quâ actione durante unuſquiſque captivorum in templo panem edit & ficus prædictos. Poſtea leguntur ſententiæ ad mortem damnatorum, hique ad Judicem ſecularem deducuntur, qui illos extremô ſuppliciô afficit, dum reliqui à ſuis Fidejuſſoribus in carcerem Inquiſitionis ſine ullo ordine reducuntur. Ita quidem in Luſitania aut India Luſitanica, paulò aliter in Hiſpania, uti videbimus, ubi de *Portis Doctrinæ.* Executione peractâ, rei pœnitentes & reconciliati, ut dictum, in carcerem reducuntur, & die ſequenti producuntur in Auditorio Inquiſitorum, admonitique ut injunctas pœnitentias humiliter impleant, mittuntur quiſque ad locum ſibi per ſententiam aſſignatum. Qui ad triremes damnati, ad carceres judicum ſecularium tranſmittuntur, quidam virgis per præcipuas urbis plateas cæduntur, aliis geſtanda eſt veſtis *Sambenito*, vel quotidie, vel diebus ſolummodo Dominicis ac feſtis. Hi ox, antequam dimittantur, priùs inſtituuntur in doctrina & ritibus Eccleſiæ Romanæ, dein datur ipſis ſchedula, quâ continentur pœnitentiæ ipſis injunctæ, imponiturque juratum ſilentium, ne quicquam enuntient eorum, quæ tam ad menſam, quàm in aliis Inquiſitionis locis, dixerint, viderint, audiverint &c. Eôdem die omnium ad mortem damnatorum effigies, ad vivum expreſſæ, in templum Dominicanorum deferuntur ac ſuſpenduntur, ut ab omnibus videri poſſint, ubi quid obſervari ſoleat, diſcere eſt ex Ludovico à Paramo de *Orig.* & *Progr.* officii S. Inquiſitio-

nis

nis l. 1. tit. 2. c. 5. num. 9. 10. 11. Plura hanc in rem vide apud Phil. a Limborch *Hiſtoria Inquiſitionis l. 4. c. 41.* nec non hic paſſim, de alio ejus infamiæ monumento, infrà voce *Lumeion.*

ACTI Mitilæ, quod fit in eadem Communione, vide *Canon Miſſæ.*

ACTIOLINUS, Patavinorum tyrannus, de quo P. Jovius *l. 1. Vit. Illuſtr.*

ACTIONES Synodorum, à Synodorum ſeſſionibus diſtinguendæ, cum in uno interdum conſeſſu plures cauſæ vel *actiones* explicari ſolerent. Sic in Synodo quidem Chalcedonenſi ſex primæ ſeſſiones, totidem omninò actiones continent, ſingulæ ſingulas. At ſeſſio ſeptima tres actiones complectitur, ſeptimam, octavam & nonam. Octava iterum unicam actionem, nempe decimam. Denique Synodi univerſæ ſeſſiones, ſive ut Liberatus *c.* 13. vocat, Secretam, fuere duodecim, *Actiones* verò ſexdecim. Sirmondus *ad Facundum Hermian. l.* 5. ex eodem Liberato, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ACTIPUS, Judææ urbs in tribu Aſer, ut Joſephus tradit; qui eam quoque *Arcen* vocat. Lege *Archipus.*

ACTIRI, gens Hunnica in Aſia, *Suid.* Vide *Huni.*

ACTISANES, Æthiopum Rex, qui Amaſin Ægypti regem, ſuis crudelius imperantem, regnò deturbavit, Ægyptiisque ſummâ æquitate imperavit. Hic latrocinia novò more compeſcuit, ſontes neque morte plectens, neque linquens impunitos. Conſtitutò quippe dein judiciò, reos omnes in unum cogens, amputatis naribus, in ultima deſerti tre compulit; ibique civitatem condidit, ab exciſis naribus *Rhinocoluram* appellatam. Ea in Ægypti, Arabiæque finibus, haud procul a mari ſita, omnibus vitæ commodis caret: nam omnis vicina regio ſalſa eſt; intra urbis mœnia unicus eſt puteus, & is inutilis, utpote aquâ ejus guſtu amarâ. Hos autem eo in loco poſuit, ne ſint moribus vicinas gentes inficerent; neve eorum erga reliquos injuriæ eſſent occultæ, ſed ut tanquam in oram deſertam relegati, omni re egentes, cogente neceſſitate victum ſibi quærerent. Fiſſis itaque calamis, quos e vicinis agris collegerant, longa ſibi retia fecère, quibus juxta littus, per plura ſtadia diſpoſitis, ex captis coturnicibus, victum ſibi comparârunt. Diod. *l.* 1. *c.* 60. vixit circa Jephthæ tempora, A. M. 1850. *Nic. Lloydius.*

ACTITES, vide *Lapis Actites.*

ACTIUM, Epiri oppid. & promontor. ubi Auguſtus, devictis navali prælio Antonio & Cleopatrâ, an. Urb. Cond. 724. A. M. 4024. A. C. 30 unde illuſtris Epocha orta, & *Actiacorum* originem ceperunt. urbem condidit, & *Nicopolin*, à *Victoria* nominavit *Plut.* *Figalo* hodiè dicitur. Hanc *Actia*, etiam, *Suida* quinquennales. Vide ſuprà, *Actia.* long. 46. 30. lat. 29 15. Vide & *Attium.*

ACTIUS, Romanorum Conſul. *Euſebius.*

ACTIUS, Mediolanenſis Princeps. Paul. Jovius *l.* 2. *de Vir. Illuſtrib.*

ACTIUS III. Eſtenſis Princeps: is ut paternas opes & principatum occuparet, Opizum II. patrem in lecto jacentem oppreſſit: deinde fratres pepulit, ut filio Eliſeo, qui naturalis tantum erat, principatum relinqueret. Fulgoſus *l.* 9. *c.* 11.

ACTIUS, Apollo dicebatur variis de cauſis, imprimis tamen ab *Actio*, promontor. & civitate Acarnanum celebri. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 704.

Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Deſuper. ——————

Propert. *l.* 4 *Eleg.* 6.

Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quod ejus
Una decem vicit miſſa ſagitta rates.

Idem *l.* 2. *Eleg.* 34.

Actia Virgilium, cuſtodis littora Phœbi,
Cæſaris & fortes dicere poſſe rates.

Et Stl. *l.* 15. —— *Phœbi vidit citius Actia templa.*

ACTIUS, Centurio, cuſtodiæ & ſupplicio Druſi, Germanici filii Tiberio additus, Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 24.

ACTIUS, vel ACCIUS, Tragœdiarum ſcriptor inter colonos Piſaurum deductus, à quo & *fundus Accianus* juxta Piſaurum dictus: in ſcribendis Tragœdiis, ſententiarum gravitate, verborum pondere, perſonarum authoritate graviſſimus; ejus meminit Horat. *Serm l.* 1. *Sat* 10

Nil comis Tragici mutat Lucilius Acci?

Idem de *Art. Poetica*

—— —— Hic *& in Acci*
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.

ACTIUS Labeo, Poëta fuit indoctus tempore Perſii Iliada Homeri verſibus Latinis adeò inſcitè tranſtulit & obſcurè, ut nec ſua ipſa cognoſceret, *Gyraldus.* Voſſ *de Poet. Lat. c.* 3.

ACTIUS Navius, augur, novaculâ cotem præcidit, ſpectante Tarquinio Priſco rege; quo factum eſt, ut & à Rege, & populo, ſemper in rebus dubiis conſuleretur. Flor. *l.* 1. *c.* 5. Liv. *l.* 1. *c.* 36

ACTIUS, Sincerus Sannazarius, vir rari ingenii, magnæque nobilitatis, cùm in conſpectu Frederici Regis eſſet inter Phyſicos quæſtio, quid præcipuè conferret oculorum perſpicuitati: aliique fœniculi afflatum dicerent, alii vitri uſum, aliique aliud: *at ego,* (inquit) *Invidiam ajo, ſiquidem majora & pleniora omnia videre facit.* *Pontan* & *Panormitan* Vide *Sannazarius.*

ACTIUS, prænomine Cajus, ex Romanis civis Ateſtinus fuiſſe fertur, circa A. C. 190. Ex cujus poſteris Foreſtum, Aquilegiæ adverſus Attilam defenſorem, Acharium, de quo ſuprà: Marcellum Valentiniani III. Ducem, adversùs Vandalos, Sabinianum Illyrici præfectum, aliiſque enumerant, ſerie continuâ uſque ad Azonem, Guelficæ poſterioris lineæ conditorem. Alii verò *Actiam* ſtirpem in Caji tempore Bonifacio, & ejus filio Valeriano, qui A. C. 590. prælio Longobardorum in Francos ceciderit, defeciſſe ſtatuunt, vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſtor. in fam. Guelfica.*

ACTON, Piſidicis & Myrmidonis fil. frater Antiphi. Appollod. *in Biblioth.*

ACTONUS Radulphus, vide *Radulphus.*

ACTOR, comes Herculis contra Amazonas, in quo bello vulneratus, cùm retrò domum abire vellet, in itinere mortuus eſt. Item Aſtyoches pater, Hom. *Il.* β. Item, Menœtii, ex Ægina parens, Ovid *l.* 1. *Triſt. Eleg.* 8 Alius fuit, Auruncus. Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 93.

- - - - *Validam vi corripit haſtam*
Actoris Aurunci ſpolium. - - - -

ACTOR, Neptuni fil. ex Agamede, Augei filia. Hyginus *Fab.* 157.

ACTOR, fil. Deionis, Phocidis Regis, ex Diomeda conjuge, Xuthi filia, frater Cephali. Apollod. *l.* 1. *Biblioth.*

ACTOR, unus ex Argonautis, Hippaſi fil ex Peloponneſo, Hyginus *Fab.* 14

ACTOR, honeſtiſſimò præ reliquis ſervis locò atque gradu à apud Romanos, fuit, utpote qui in rei dominicæ procuratione primas ſibi vindicabat. Rabanus Maurus *de inſtitut. Cleri l.* 1. *c.* 10. *Quoniam enim actor prudens & bonus ſcit, quid ſit domini ſui cenſus & omnis ſubſtantiæ modus & redigit apud ſe totius poſſeſſionis inſtrumenta originalia.* Irenæus *adv. Hær. l.* 4. *Quis igitur erit fidelis Actor bonus & ſapiens, quem præponet dominus ſupra familiam, ad dandum eis cibaria in tempore.* Apulejus *Metam l.* 8. *Servus quidam, cui cunctam familiæ tutelam dominus permiſerat ſuus* &c. Ejuſdem meminit Plautus *Aſinar. Actu* 2. *ſc.* 4.

Nam ſi ſciet noſter ſenex, fidem hunc non eſſe habitam,
Succenſeat, quoi omnium rerum ipſus ſummam ſemper credit.

Hinc familiæ contradiſtinguitur, apud Columellam, *de Re Ruſt.* *l.* 1. *c.* 7. *Ita fit, ut & Actor & familia peccent.* Et hi videntur fuiſſe, quos Æl. Donatus *Majores domus* appellat. Quòd enim apud Terentium *in Phorm. Actu* 2. *ſc.* 1. Demipho ita Getam alloquitur;

- - - - - - - - - - - - - D. *ib.*
Bone cuſtos, ſalve! columen verò familiæ:

Id ille ita interpretatur, *Columen culmen, an columen columna? Unde Columellæ apud veteres dicti ſervi majores domus.* *Lucilius* 22.

Servus neque infidus domino, neque inutilis quoquam
Lucilî, Columella hic ſitus Metrophanes.

Ita enim legendum hoc diſtichon. Huc que referenda ſanctio Theodorici Regis apud Papinianum *tit.* 4. qui pretium occiſi *Actoris* centum ſolidis taxavit. Neque aliunde fuit Julii Pauli JC. ſententia exiſtimantis, animadvertendum eſſe ſeveriſſimè in eum, qui Actorem corrupiſſet, ut qui poſſet rationes dominicas intercidere, vel adulterare vel etiam rationem ſibi commiſſam turbare. Imò, *etſi ſervus,* qui Actum domini geſſiſſe diceretur, *in commiſſum reciderat, non vendebatur; ſed pro eo, viri boni arbitratu, æſtimatio dabatur,* ex reſcripto D. D. *Severi & Antonini, l.* 16. *ff. de Publ. & Vectig.* Quod & Juſtiniano Aug. obſervatum, §. *Panis Inſtit. de injur.* nec injuriâ ſanè, ideoque rectè Juvencus *Hiſtor. Evang. l.* 3. ſervos, à Patrefamiliâs miſſos, ad colonos agricolas, ut vineæ fructus perciperent, *Actores* interpretatur:

Tum longinqua petit, ſed fructus tempore certò
Actores *famulos mittit, quibus portio ſalva*
Cultorum, certâ vinis mercede daretur.

Vide quoque infrà *Major Domus.* Quoniam verò unus non omnia poterat, adjutoribus ſuis non carebat *Actor.* Scævola *l.* 40 *ff. de Statulib. Item quæro, an ea quæ exacta ſunt per adjutores ejus* (Actoris) *atque Calendario illata ſunt, aut fraudulenter acta, huic aſcribi poſſint, cùm eſſet hic præpoſitus.* Calendario nempe præponebatur aliquando ſervus quiſpiam, ut pecunias domini exigeret crederetque, qui à *Calendario* dictus eſt. *Actor* verò ſecundarum in familia, *Diſpenſator* fuit, ſive *Prærogator*, de quo Irenæi locus laudatus intelligendus; vide *ſuo loco.* Item à *Frumento* dictus, quò & illi pertinent, qui diurna aſſervabant, *ab Ephemeride* nomen adepti. Vide Laur. Pignorium *Comm. de ſervis.* Reperiuntur *Actores rerum*, *Actores bonorum*, *Actores prædiorum fundorumque*, apud Columellam *l.* 1. *c.* 7. & *c.* 8. Apud Sueton. *in Domitian. c.* 11. habemus *Actorem ſummarum*, qui rationibus diſpungendis præerat; illaſque obſervabat, de quibus vide Titum Popmam *l. de Operis ſervorum*, aliosque.

ACTORES Eccleſiæ, dicti propriè, qui res, bona, poſſeſſiones & facultates Eccleſiarum adminiſtrabant, veluti earundem Oeconomi vel Villici: ſeu, ut Pithœus in *Comitibus Campaniæ* cenſet, *Advocati & Defenſores Eccleſiarum.* Quâ ratione occurrit vox apud Juſtinianum in *Novell.* 3. Gregorium M. *l.* 1. *Ep.* 9. & 53. Marculfum *l.* 2. *form.* 4. Flodoardum *Hiſt. Rem l.* 2 *c.* 17. 18. Alios laudatos præfato *Gloſſarii* Auctore: quem vide etiam de *Actoribus Regis*, *Fiſci Regii*, *provinciarum & Villarum.*

ACTORES Templi, iidem cum Exorciſtis, vide *infrà.*

ACTORIDES, Patroclus, nepos Actoris. Is enim ex Æginâ, quam ei Jupiter à ſe vitiatam, uxorem dederat, Menœtium genuit: Menœtius autem relictâ Æginâ, Opuntem in Locris ſe contulit, & ibi Patroclum genuit. Ovid. *Met. l.* 13. *Fab.* 1.

Reppulit Actorides ſub imagine tutus Achillis
Troas ab arſuris cum defenſore carinis.

Val. Flacc. *Arg. l.* 1. *v.* 146. eum ſcribit, à Clyto, ardenti quercu occiſum.

ACTORIDES, fratres, à Patre *Actore*; à matre Molione, *Molionidæ* dicti, conjuncti fuerunt aurigæ & concordes, alter habenas & lora, alter ſcuticam & flagellum moderabatur: duo uterque capita, quattuor manus totidemque pedes, unum verò corpus habuiſſe dicuntur: hos cùm Hercules vincere nequiret; inſidiis intercepit. *Pherecydes*, *Mnaſeas*, *Pindarus*, alii. *Nic. Lloydius.*

ACTORIS, Ulyſſis ancilla. Homer. Od. 23.

ACTORITUM, vide *Neritus.*

ACTORIUS Naſo, Hiſtoricus Romanus, memoratur Suetonio *in Julio c.* 9. Suſpicatur Voſſius, eum vixiſſe Julii Cæſaris temporibus, vel ſummum Auguſti, ac Tiberii. *Nic. Lloydius.*

ACTRIDA, oppid. Arabiæ felicis. Plin. *l.* 6. *c.* 20.

ACTUARIUS, Medicus Græcus; quem inter Medicos incertæ ætatis collocat Voſſ. *de Philoſoph. c.* 13.

ACTUARIUS, officii nomen: ſic enim propriè olim appellati, qui annonam à ſuſceptoribus accipiebant, dato pittacio, in quo continebatur, quantum accepiſſent, eamque dein militibus erogabant, ut Car. du Freſne colligit ex tit. *Codicis* Theodoſ. *de Erogatione militaris annonæ. l.* 11. 16. 24. 28. & *tit. de Numerariis & Actuariis l.* 3. 5. 10. 14. 15. Erant autem tot *Actuarii*, quot numeri militares, ut docet *lex* 16. *de Erogat. milit. ann.* Meminêre eorum Ammianus *l.* 20. *c.* 5. & *l.* 25. *c.* 10. *Eutropius*, *l.* 9. *c.* 7. Aur. Victor *in Victorino* & Trebellius Pollio in *Victorino*. *c.* 6. apud quem Pæanius vocem *Actuarii*, proprium hominis nomen eſſe putans, Ἀκτουάριον vertit, cùm Ὑπομνηματογράφον debuiſſet, Caſaubonus *ad loc. cit.* vide quoque Schott. ad *Aur. Victoris loc. cit.* Ab hujuſmodi autem *Actuario*, *cujus uxorem ſtupraverat compoſitâ factione Agrippinæ percuſſum eſſe Victorinum*, tradit Pollio *loc. cit.* Pratejo, apud Joh. Calvin. *Lex. Jurid. Actuarius*, cujus meminêre Imperatores *in. l. Actuarii & l. pen. C. de erog. mil. ann. & l. Actuarios C. de num. & Actuar. Novellâ* 108. aliàs, Græcis Ὑπομνηματοφύλαξ ſeu Ὑπομνηματογράφος, eſt actorum ſcriptor ſive cuſtos, quique ratiocinia pertractat: Quorum quidam ætatis Comitum *l.* 3. C. *de div. offic.* alii Palatinorum numerorum rationes tractant, *d. l. Actuarii*: alii Præfecti Prætorio: alii Scholæ, de quibus d. *Novellâ* 108. &c. *Actuarius* verò *limes*, apud Agrimenſores, dictus eſt ab *actus* latitudine, qui viam populo dans agrum per jugera diſcriminabat. Nam duo *actus* (ita illis πλέθρον, ſeu *agri ſpatium certum*) quadrati (quorum quilibet finitus pedibus 120.) jugerum faciebant, cujus eadem erat latitudo cum unius actus longitudine, vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 677. 678. & infrà *Quintus Sat.* it. ubi de Legg. *Sempronius*. Hinc *Actuarii pali Hygino*, qui deſigebantur inter centinos vacenos pedes, dicti ab *Actus* longitudine, quæ per 120. pedes porrigebatur, Car. du Freſne *Gloſſar.*

ACTUS, vide hic ſuprà.

ACTUS Apoſtolorum, apud Anaſtaſium in *Sylveſtro* Pontifice & in Chron. *Beneveſi*, Liber Canonicus *Novi* Teſtam. idem cum *Actis Apoſtolorum*, vide ſuô locô. Sic apud *Thuribium* Aſtoricenſem Epiſcopum in libris Apocryphis recenſentur *Actus S. Thomæ*, *Actus S. Andreæ*, *Actus S. Johannis*, *quos ſacrilego ore Leucius conſcripſit.* Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà *Paxeon liber.*

ACUANITÆ, Hæretici, quorum ſeductor *Acuas*, Manetis diſcipulus, cum Manichæis communia habuêre delira, Baron. *A. C.* 277. *num.* 41.

ACUARII, memorantur Anaſtaſio *Bibliothecar.* in verſione Synodi VIII. *act.* 9. Οἱ βελωνάδες, ταυλωριανοί, ἱππιατροὶ &c. *Acuarii*, *ſtabularii*, *veterinarii ſeu Medici equarii*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ACUBICULA, *in LL.* Francorum Baſileæ editis. *l.* 1. *c.* 75. *Feminina* (*in die Dominico*) *opera textilia non faciant nec copulent veſtitum, nec conſuant*, vel acubicula *faciant*. *Meurſio* eſt ab ἀκουβίτον Græc. de qua voce vide ſuprà. Sed in mendo hunc locum cubare, advertit Spelmannus ex *Capitulis Caroli* M. *l.* 1. *c.* 81. ubi, cùm eadem verba legantur, pro *Acubicula*, extat *Acupictile*, quam genuinam eſſe lectionem ipſa verba, quæ præcedunt, ſatis indicant. Contra Legem hanc recentiorum militat conſuetudo, inquit *Car. Macer*, qui tenent, penicillô & acu pingere in die feſto non eſſe prohibitum Vide eum, cum fratre Dominico, in voce *Acupictile*, & Car. du Freſne in *Acubicula*.

ACUENSII, vide *Nocuenſii*.

ACUES, Rex Arcadum, qui Lacedæmonios Tegæam proditione obtinentes ſtratagemate occidit. Vide Polyæn *l.* 1. *c.* 11.

ACUFIDA, Mauritaniæ Sitiphenſis Urbs Epiſcopalis. *Victor Uticenſ.*

ACUINCUM, vide *Aquincum*.

ACUINUS, civis Romanus qui cædis Cæſaris particeps videri cupiebat. Appian. *belli Civ. l.* 2.

ACULA, ſive *Aquula*, *Acquo Pendente* oppid. Hetruriæ, locô ſublimi apud Paliam flumen, aquis abundans, cujus populi à *Plin. Aquenſes* nominantur. Sunt qui aquas Taurinas eſſe velint. Epiſcopali ſede decoravit Innocentius X. A. C. 1647. locô Caſtri diruti.

ACULEI Serpentum, vide *Polpoch*.

ACUMETENSE, ſeu **ACUMITENSE** Monaſterium, Vide *Irenæum*, & ſuprà *Achémitenſe*.

ACUMINATI Calcei, vide *Roſtra*. Pilei, vide *Pileus*.

ACUMINCUM Legio, *Ptolemæo* Pannoniæ inferioris urbs, ad Iſtri ripam. *Acimincum* legit Amm. Marcellin. *l.* 19. *Acimincum Antonin. Camertz* interpretatur *Simlerus*. Alii *Zalonkemen*. *Niger* verò ſcribit *Veradin* dici. Sed *Arumiclum* malè habet.

ex **ACUMINIBUS** Auſpicium, indigitatum Arnobio *adv. Gentes l.* 2. *Cum paratis bella, ſignum monſtratis ex arte — Martium diſcrimen obeuntes ſpem præſumitis*, & ex Acuminibus *auſpicatis*: votum militare fuit. Cicer. *de Divinat. l* 2. *Bellicam rem Majores noſtri adminiſtrari niſi auſpicatò noluerunt: quam multi anni ſunt, cùm bella à Prætoribus & Proconſulibus adminiſtrantur, qui auſpicia non habent; itaque nec amnes tranſeunt auſpicato, nec tripudio auſpicantur.* Nam ex Acuminibus *quidem, quod totum auſpicium militare eſt.* Idem *de Nat. Deor. l.* 2. *Itaque maxima Reip. partes in his bella, quibus Resp. ſalus continetur, nullis auſpiciis adminiſtrantur, nulla perennia ſervantur, nulla ex* Acuminibus, *nulli viri vocantur.* Vide Hadr. Turnebum *Adverſar. l.* 22 *c.* 12.

ACUMULUM, oppid. Aprutii ulterioris in Italia, ad fluv. Truentum, 12. mill. paſſ. diſtans à Nurſia urbe, in ortum, & paulo plus ab Aſculo, in Circium, in limite Umbriæ, ad radices Apennini.

ACUPEDES, Latinis veteribus dicti ſunt, qui Græcis ὀξύποδες, quaſi *acutipedes*. Inde *acupedium Feſtus* interpretatur, *cui præcipuum erat in currendo acumen pedum. Gloſſ. acupedium*, ὀξυποδία. Sic *Pindarus* ἀκμὰν ποδῶν, i. e. *acumen pedum*, eleganter dixit. Et quidem ὀξυποδεῖν, propriè de fullonibus dictum, dum ſaltu illô ſuô fullonicô veſtimenta condenſant. *Gloſſæ*, *addenſator*, ὀξυποδητής. Aliæ Gloſſæ, Ὀξυποδία, *acupedum addenſatio. Titubante argutari pedibus*, de fullone, quod idem ac ὀξυποδεῖν. *Hic argutarii canes* vel *acutarii* in *Lege Salica* ſunt *acupedes*, quos & *vertagros* dicebant. Quia autem fullones, dum veſtimenta cogerent & denſarent, ſaltabant, hinc *denſare* hodieque Galli dicunt pro *ſaltare*. Nam & qui ſaltant, ὀξυποδοῦσι: quam ὀξυποδίαν & micationem argutationemque pedum in ſaltantibus, *Homerus* eleganter expreſſit,

> *Μαρμαρυγὰς θηεῖτο ποδῶν* ———

Equi quoque καλπάζοντες, & tolutim badiſſantes, ὀξυποδεῖν & crebris denſiſque ſaltibus terram feriunt ac crura altius tollendo quaſi ſaltitant. Inde *tricmarii* dicti, quòd greſſibus intricatis & minutiſſimè cribratis incedant: nam crebrâ genuum inflexione & alternis crurum voluminibus, gradu per minutias fractô, inceſſum ſuum celeriter impedium expediuntque; non verò longis & extentis paſſibus plenóque gradu ſpatium carpunt quod cantherii faciunt. *Suidas*, *ἵππος βαδίζων* &c. *Heſych.* καλπάζει, ὀξυποδεῖ. Vide infrà ubi de *Acutariis Aſturconibus*, *Tolutariis & Tricmariis equis.*

ACUPHIS, Legatus Indorum ad Alexandrum M. *Plut.*

ACUPICTILE, in *L.* Francorum *l.* 1. *c.* 75 emendatâ, uti viſum, item apud Anaſtaſium Bibliothecar. in *Leone* IV. opus eſt *acu pictum*: Iſidor. *Origin. l.* 19. *c.* 22. *Acupicta veſtis*, *acu textilis*, *aut acu ornata. Eadem & Phrygia.* Virgilio *Pictum acu*, *Æn. l.* 11. *v.* 777.

> *Pictus acu tunicas* — — ——

Aliàs ſimpl. *pictum* &c. Unde *Acupictura*, cujus Artifex *Heſychio* dicitur βελονοποικιλτής, ὁ τῇ βελόνῃ ὑφὴν ποιῶν ἢ ζωγραφῶν; quo de artificio pluribus agemus infrà in vocibus, *Babylonicum*, *Phrygiones*, *Pingendi acu artificium*, *Plumarii* &c.

ACUR, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptolemæo*.

ACUS, vide *Pataides*.

ACUS, Chunorum Rex, ſingolari certamine occiſus, à Ladiſlao, Ungariæ Rege, in Danubii ripa, Bonfin. *l.* 4. *Dec.* 2.

ACUS, vulgo *Agulha* Luſitanis, *l'Aguille* Gallis, Inſul. maris Æthiopici ſeu Barbarici. Dicitur etiam *Iſle de Gale*, diſtatque 900. mill. paſſ. ab ora Zanguebariæ in ortum, uti 300. à parte Septentrionis Madagaſcariæ. Hinc *Acuum* promontor. *Cap. des Aguilles*. Caput extremum & præcipuum Promontorii Bonæ Spei.

ACUS, Græc. βελόνη, Bellonæ inventum, ut *Hygino* placet, matronis in componendis crinibus adhiberi ſolita eſt, hinc *crinalis* dicta Apulejo *Mileſiar. l.* 8. Item *diſcerniculum*, Varroni *l.* 4. *de L. L.* Nec diſtinebat modo illos, ac diſcernebat, juxta illud Claudiani *Epithal. Hon. & Mariæ*,

> *Ipſa caput diſtinguit acu* - - - - - - - -

Sed & in cirros contorquebat, quò comtiores eſſent fœminæ, pulchrioreſque ingenui pueri, aut ipſæ Deorum effigies. Hinc & *acus Magnæ Matris*, inter ſeptem pignora, quæ Imperium Roman. tenebant, memorata Servio *ad Æn. l.* 7. *v.* 187. Eadem *calamiſtrum quoque dicitur, quod calefacta in ignito cinere capillos ornet* &c. Porrò picturæ inſerviebat ſeu vernis texturæ veſtium; Plin. *l.* 8. *c.* 48 *Pictas veſtes jam apud Homerum fuiſſe, unde triumphales natæ; acu facere id Phryges invenerunt, ideoque Phrygiones appellati ſunt.* Inventio itaque in Phrygia, uſus in Aſſyria, & præſertim Babylone; Plin. *ibidem. paulo poſt*, *colores diverſos picturæ intexere Babylon maximè celebravit.* Unde Βαβυλώνιον περίβλημα, *Babylonicis coloribus variegatam veſtem*, hæreditariò obveniſſe *M. Catoni*, refert Plut. *in ejus Vita* &c. Vide Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 35. & hic infrà ubi de Tyrannorum, adactis intra digitorum ungues *acubus* miſerorum excarnificantium crudelitate aliquid, *voce Ungues*.

ACUS, in *Ordine* Romano *Pallio ſuperinducitur & configitur per acus in planeta retrò & ante*; & alibi non ſemel, ubi de Pallio Pontificis ſermo eſt: item apud Brunonem Signienſem *de Veſtim. Epiſcopalibus*, *Acus autem non ad pungendum, id eſt, non propter hujus vitæ compunctionem, ut quidam putant, ſed ad planetam palliumque pungendum inventæ ſunt. Quædam enim anſulæ antiquitùs in planetis poſitæ erant, quibus acus inſerebantur, & pallium ſimul cum planeta firmabant, ne à ſuo loco pallium moveretur*: *Aciculam* notat ſeu *ſpinulam*, Gall. *Eſpingle*, quâ Pallium Archiepiſcopale conſtringitur ſeu configitur. Propriè verò *Acus* pars fibulæ dicitur, quâ illa clauditur & adſtringitur: Trebell. Pollio *in Claudio*, *c.* 14. *Fibulam auream cum acu Cyprea unam.* Ubi, malè *Cypria* quidam legunt: non enim ab illo Cypriorum artificio dicta eſt, ſed ab *cypro*, h. e *ære cyprio*; quod nunc *cuprum* vocamus, vide infrà, in *Acus cyprea*, & *Fibula*. Fortunatus *l.* 8. *Poem.* 4.

> *Chryſolitha auratam fibula claudit acum.*

Salmaſ. ad *loc. cit. Pollionis* & Car. du Freſne *Gloſſar.* &c. Inter minimas viliſſimaſque res *Menandro*, in qua tamen pravâ concupiſcentiâ peccari poſſe agnoſcit, tanti habens affectûs voluntatiſque ſanctitatem, ut ne hujus deſideriô delibari voluerit. Unde graviſſimum compeſcendæ libidinis illius præceptum, apud Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. c.* 11. §. 27.

> ——— Μηδὲ βελόνης, ὦ φίλτατε,
> Ἐπιθυμήσῃς ποτ' ἀλλοτρίας.
> *Neve acum, chariſſime,*
> *Alterius unquam concupiſces.*

Et,

> Μηδὲ βελόνης ἅψῃ ἐπιθυμήσῃς Πάμφιλε,
> Ὁ γὰρ θεὸς βλέπει σε, πλησίον παρών.
> Acum *nec ipſam Pamphile attingas velim:*
> *Namque aſpicit propinquus hoc ſemper Deus.*

Vide quoque Juſtinum Martyr. *l. de Monarch.* & Clementem Alexandr.

xandr. *l.* 5. *Strom.* Sed ex tantilla quoque re ſucceſſum gloriolamque captavit, quamvis ſucceſſu non optato, Ionalle, qui, inter omnis generis artifices, Babylonem venit olim, Alexandro ex India reverſo, & *ciſulas parvas remiſiſque, quas in hunc uſum fecerat, tam certò iclu in mucronem acus ex diſtanti loco dirigebat, ut nunquam ab acu ejus aberraret*, uti narrat Tyrius *Diſſert.* 19. Qua de *ματαιοτεχνίᾳ* etiam Quintilianus verba facit *l.* 2. *c.* 20.

ACUS Crinalis, vide *ſupra*. Ea etiam ad ſuendas coronas adhibita videtur, ex Tertulliano *de Pall. c.* 4. *Venus jam hydræ Centaurorumque ſanguis in ſagittis pumice ſpiculi excludebatur, inſultante luxuria; ut poſt monſtra tranſfixa coronam fortaſſe ſuerent.* Dicit enim hic Auctor, ſagittas illas Herculis, figendis monſtris olim adſuetas, apud Omphalem ſuendis corollis fuiſſe adhibitas, deterſo prius ſanguine, quo erant infectæ; indignans, Herculeas illas ſagittas apud Omphalem in acus vicem & uſum verſas eſſe: Adeoque per *ſpiculum* intelligit crinalem acum, quæ ex majorum genere erat. Hæ cum obtuſiores eſſent, acuebantur pumice vel cote, non ſecus ac graphia: Spiculum autem pro *acu* crinali aut diſcriminali, etiam apud *Martianum Capellam* eſt:

Crinale ſpiculum pharetris deprome Cupido
Liberas capillum ſolvere.

Et in Græcis *Epigrammat.* pumicem, Græc. *κίσηριν*, in inſtrumentis τῆς *γεγραφίας*, ſemel atque iterum reperias. Vide Salmaſ. *Not. ad Tertullian. loc. cit. p.* 292.

ACUS Cyprea, apud Trebellium Pollion. *fibulam auream cum acu cyprea unam*, in *Vita* Claudii *c.* 14. ita enim habet Codex Palatinus, ut *Gruterus* teſtatur, cum aliàs nullo ſenſu legatur *Cimacum Cyprium*: non ab ullo Cypriorum artificio dicta eſt, ſed ab *cypro*, h. e. ære cyprio, quod nunc *cuprum* vocamus, nempe æs rubrum; Spartiano in *Peſcennio cyprum* dictum. Ita enim in veterib. libris, *Nam & ex ære vel cypro cancelli ſuperpoſiti eſſe dicuntur.* Inde hôc locô *acus cyprea*; cujus multa apud *Marcellum* mentio: *Lacertum viridem, quem Græci ſauron vocant, capies, perque ejus oculos acum cupream cum licio, quam longo volueris, trajicies.* Idem alibi, *Lacertam viridem excæcatam acu cuprea, in vas vitreum mittes, cum annulis argenteis, ferreis & electrinis.* Item *ranunculum viridem acu cuprea pungito & ſanguine ejus excepto palpebras continge.* Sed & aliis locis apud eundem, & *acus cuprea* & *annuli cuprei* & *vaſa cuprea*, memorantur. Salmaſ. *ad Trebellium loc. cit.*

ACUS Diſcriminalis, dicta eſt *qua capillos mulierum ante frontem dividit* Nonius. Qui ornatus *diſcrimen* dictum Latinis, (vide infra) ut Græcis *διάκρισμα* & *διάκρισις*. Et quidem *acu* hac omnes mulieres crinem à fronte dividebant, etiam illæ quæ operoſius ornabantur: atque hôc diſcrimine mulieres à virginibus diſtinguebantur, nam Virgines cirratæ erant, & crinem in vertice concumulatum, & colligatum gerebant, abſque ulla *διακρίσει*, mulieres cum crinibus erant uſque à fronte diviſis. Tertullian. *de Virgin. Simulque ſe mulieres intellexerunt, vertunt capillum & acu laſciviore comam ſibi inſerunt, crinibus à fronte diviſis, apertam profeſſæ mulieritatem.* Præter hanc vero acum *Acus Crinalis* erat ſeu comptoria, *qua ornatorum crinium compago retinebatur, ne laxatis fluerent*, *Iſidor.* De ea Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 24.

Tenuia ne madidi violent bombycina crines:
Figat acus ſparſas ſuſtineatque comas.

Nempe illâ omnes annuli comarum in capite jam ornato fixi continebantur, ne fluerent laxati. Idem *l.* 2. *Epigr.* 66.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus incerta non bene fixus acu &c.

Aliàs nihil prohibet, quin eâdem *Acu crinali ac diſcriminali* uſi ſint, tum ad capillum diſtinguendum, ac à fronte dividendum, tum ad annulos & ſeras crinium retinendas. Quod verò *calamiſtrum* cum *Acu* crinali idem facit *Nonius*, aſſenſum non impetrat. Quamvis enim ad torquendos etiam capillos eâ uti potuerint, diverſa tamen res fuit & diverſi uſûs utrumque. Acus namque crinalis aurea erat, diſtinguendis ac continendis capillis, calamiſtrum verò ferreum, iis ex ferro torquendis ac vibrandis. Quam in rem plura vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 761.

ACUS Semiramia, vide in vocibus *Acupictile*, *Babylonicum*, *Plumarii*.

ACUS Foramen, vide infrà, in *Camelus*.

ACUSI, locus Cappadociæ, ubi Baſiliſcum Imperatorem cum uxore & liberis interfectum, tradit *Calliſtus*. *Cucuſum*, *Cedreno*. Vide *Cucuſſus* & *Lymnus*.

ACUSILAUS, Athenienſis Rhetor, Galbâ imperante ſeſe Romam contulit, ibique ludum aperuit, tanto cum ſucceſſu, ut moriens Athenienſibus decem myriadas aureorum ex fœnore partas reliquerit. *Suidas*.

ACUSILAUS, & Damagetus, fratres, victores in Olympicis certaminibus, patrem Diagoram per celebrem conventum geſtârunt, in quem & flores conjecerunt Græci, & beatum propter filios appellârunt. Pauſan. *l.* 2.

ACUSILAUS, Hiſtoriographus Argivus, cujus teſtimoniô Joſephus utitur, *l.* 1. *Jud. Ant. c.* 4. Genealogias quaſdam conſcripſit, ex æneis tabulis, quas pater ejus domi ſuæ, neſcio quid fodiens, invenerat. *Suid.* Voſſ. eum de ſeptem ſapientibus egiſſe ait, *l.* 4. *de Hiſt. Gr. c.* 2. Verùm impoſuit ei locus Clementis, qui *l.* 1. *Strom.* de *Acuſilao*. Οἱ δὲ Ἀκουσίλαον τὸν Ἀργεῖον ἐγκαταλέξαι τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς, ἄλλοι δὲ Φερεκύδην τὸν Σύριον. E quibus verbis de ſapientibus ſcripſiſſe fruſtra quis collegerit. Vixit autem πρὸ τῶν Πελοποννησιακῶν πολέμων, teſte Dionyſ. Halicarn. *de Thucyd. Charactere, ſive dicendi genere.* Vide Jonſium de Script. *Hiſt. Phil. l.* 1. *c.* 3. *Nic. Lloydius*. Hujus verò *Acuſilai*, aliorumque auctoritate, ſtatuit Africanus ἐν Ἀττικαῖς χρονογραφίαις terminum Ogygii diluvium, *quod regnante Argis Phoraneô, contigit annis MXX. ante primam Olympiadem*, vide Euſebium *Præpar. Evang. l.* 10. *c.* 10. & Joh. Marshamum *Προπαρασκευῇ Can. Chron.* qui prout à Phoronco Thebaidis Regis Ogygis *συγχρόνῳ*, quem idem *Acuſilaus* vocat *Primum hominem*, apud Clementem Alex. *l.* 1. *Strom.* h. e. *antiquiſſimum Græciæ Regem*, ut Anticlides eundem appellat, apud *Plinium*, rerum Græcarum ducit exordium.

ACUSIO Colonia, (non *Acuſiorum colonia* ut Ortel. cum aliis legit, nam Ἀκουσίων *Ptolemæo* eſt) Galliæ Narbonenſis urbs, poſtea *Gratianopolis* ab Inſtauratore dicta, vulgò *Grenoble*, uti *J. Poldus* ſcribit: *Cullaro* aliquando appellatam fuiſſe quidam volunt, ex antiqua inſcriptione, quæ in hujus urbis porta legitur. longitud. 26. 30. latitud. 44. 20.

ad ACUTA, vide infrà *Ad acuta*.

ACUTÆ, inſulæ, quas Poëta *Thoas* vocat, vicinæ Echinadibus. Strabo *l.* 8. vide *Dulichium* & *Oxia*.

ACUTARII, ſeu ARGUTARII Canes; vide ſuprà *Acupedes*.

A CUTHEIS, ſcripſit *de Geſtis Spalatinorum*, uſque ad A. C. 1452. *Editus* à Johanne Lucio *in Hiſt. Dalmat*: Car. du Freſne in *Nomenclat Scriptorum med. & inf. ætatis*.

ACUTI Cyprii, apud *Palladium*, clavi ſunt ærei: ex Cypro, vel ære Cyprio facti; de quibus vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1078.

ACUTIA, P. Vitellii uxor à Lælio Balbo majeſtatis poſtulata ac Cn. Acerroniô, C. Pontiô Conſulib. damnata. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 47.

ACUTIA, *Stephano* Hiſpaniæ *Urbs* eſt, ex *Strabone*, qui tamen hodie *Acontia* legit. Vaccæorum ad Durium fluvium eſt. Aquitanos, hos populos vocat idem *Steph.*

ACUTIATOR, in *Gloſſis* Ἀκονητής, *Samiator*, *cotiator*, *acutiator*. Hinc *acutiari*, Græc. θήγειν. Doſiades in *Βωμῷ* nondum edito:

Μαῦλις ὑπερθε μιστῶν Ναξίων θηγάνων.

Vide Salmaſ. *ad Vopiſcum in Aureliano c.* 7. & infrà in *Samia teſta*.

ACUTICUS, Poëta Latinus compoſuit elegias quaſdam, quæ Plauto tribuebantur. Voſſ. *de Poetis Lat. c.* 1. *p.* 8.

ACUTUM, in coloribus, idem cum *claro & excitato*, Græcè ὀξὺ ἄνθος & λαμπρόν, quum videl: color luminis intenſiore & clariore excitatur, quod fit, cùm plus luminis, quàm coloris, miſcetur. Sicut contrà, cùm color nimis oneratur & ſaturatur, tum fuſcior & obſcurior, atque adeò triſtior evadit. Quod Græci βαθύ, βαρύ, κατακορὲς &c. Latini *adſtrictum*, *plenum*, *ſaturum* &c. vocant. Interdum tamen, quia pleniori ac ſaturatiori colori etiam accedit lumen intenſius ac vegetius, iſta diſcrimina confunduntur. Vide infrà *paſſim*.

ACUTUS, fluv. Galliæ, in Occitania. Caſtrum rigat & Vaurum urbes, & poſtea Tarnum ſe exonerat.

ACUUM Promontor. vide *Acus*.

ACYLAS, Philoſophi nomen, qui commentarios conſcripſit de Syllogiſmis. *Suidas*.

ACYLINA, urbs Illyriæ. *Steph.* cives *Acylinæi*.

ACYNDINUS, & Proculus, Conſ. Roman. A. Urb. Cond 1092.

ACYNDINUS, vel *Acindinus*, Barlaamo ſe junxit, quorum opiniones in Synodis Conſtantinopolitanis damnatæ. Vide Jac. Pontanum, *l.* 2. *c.* 40. *in notis in Cantacuzenum*, Et Continuatorem Baron. *A. C.* 1337. *n.* 11. & 1450. *n.* 20.

ACYPHAS, urbs una ex Tetrapoli Doricâ. *Steph.*

ACYS, vide *Acis*.

ACYTTUS, inſula circa Cydoniam Cretæ. *Steph.*

ACZUDIA, oppid. Valachiæ, vulgo *Aczud*, infra Backovaam, ad fluv. *Miſſovo*.

AD, ſæpè locorum nominibus præponitur, ex familiari loquendi formula, quâ nos *ire ac pergere* dicimus *ad quædam loca*: cujuſmodi exempla paſſim proferunt *Itineraria* vetera Antonini & Hieroſolymitanum & Peutingeri *Tabula*. Ita apud Marcellinum *l.* 27. Mediolani locus occurrit *ad Innocentes* appellatus: Et Pontes in Pictonibus caſtrum, *ad Pontes* vocari ſcribit Anonymus in *Miraculis S. Eutropii Epiſc. Santonenſ. n.* 22. Eôdem loquendi more recentiores Græcos loqui, oſtendit Car. du Freſne *in Deſcript. S. Sophiæ num.* 18. qui & Dafnenſe Palatium ad Antiochiam, ἐπὶ Δάφνην dictum, quaſi ἐπὶ τὴν Δάφνην, credere jubet. Sic docet Sponius in *Itiner.* Græciæ; Thebas *Stiva*, Conſtantinopolim *Stambol* vel *Stanbol*, Lemnum Inſulam *Stalimene* Athenas *Setina*, à peregrinis vocari per errorem; cùm incolæ *S'tiva*, *S'tambol*, *S' ti Lemnos*, *S' Athina* quidem pronuntient, cùm iter ad hæc loca indigitant, pro εἰς Τῆβα, εἰς τὴν πόλιν, εἰς τὴν Λῆμνον, εἰς Ἀθήνας: aliàs Thebas *Thiva* vocent &c. Adde ſuprà, ſi placet, Theoſterictum in *Vita* S. Nicetæ Hegumeni *num.* 28.

AD Acuta, apud Tertullian. *de Pallio c.* 5. *Si pergam ad acuta tecum, plus toga læſit Rempubl. quàm lorica*: idem eſt ac *acutis*. Quaſi dicat, ſi pergam acutis & decretoriis armis tecum pugnare, non proluſoriis ac hebetibus Ovid. *l.* 3. *Artis am.*

Ponite jam gladios hebetes, pugnetur acutis.

Idem ibid.

Sic ubi proluſit rudibus puer ille relictis,
Spicula de pharetra promit acuta ſua.

Sic *ad tertium pugnare*, eodem Tertulliano *adverſus Marcionem l.* 3. *His proluſerim quaſi de primo adhuc & de longinquo: ſed hinc jam ad certum & comminus pugnaturus, video aliquas etiam nunc producendas, ad quas dimicandum erit, lineas.* Acuta nempe tela, præpilatis & exercitoriis heic opponuntur. Uti autem *ad acuta* dicitur pro *acutis*; ita *ad plumbatas cadere*, in veteri paſſione, pro *plumbatis*: & apud *Vegetium*, *ad fundam lapides jacere*, *ad cornu infundere*, *ad harundinem perforare* &c. Salmaſ. *ad Tertull. loc. cit. p.* 428.

AD Ægros cubiculariorum, qui ægros ex cubiculariis curabat: Idem ab *Ægris* dictus eſt, Salmaſ. *ad Jul. Capitolin. in Gordiano tertio c.* 25.

AD Aleam, ad tabulam, ad latrunculos ludere, dixêre recentiores, pro *alea ludere*, *teſſeris*, *latrunculis*: Flav. Vopiſcus in *Proculo*, *c.* 13. *Nam cùm in quodam convivio ad latrunculos luderetur.* Sic

ad Judices ludere, apud Spartian. in *Severo*, *Nullum alium inter pueros ludum niſi ad judices exercuit.* Sic *ludere ad tabulam*, dixit Paulus Diaconus *de geſtis Longobardorum l. 1. c. 20. Horum itaque viribus Rex incubuit inter ſedens, dum ipſe ſecurus ad tabulam luderet.* Ubi *ad tabulam ludere*, eſt quod Græci recentiores dixêre ταβλίζειν, &c. Salmaſ. *ad Vopiſcum. in Proculo c. 13.* Vide eundem *ad Lamprid. in Heliogab.*

AD Digitum pugnare, pro *digitis pugnare*, dixêre Veteres quod unô verbô, *micare*. Quintilian. *l. 8. c. 5. Contra eundem fororem gladiatoris, cujus modo feci mentionem*, ad digitum *pugnavi*. Ita in vetuſtiſſimo & optimo codice Bongarſii, legit *Salmaſ.* cùm vulgo edatur, *Ad digito pugnavi*. Incertus auctor veteris Epigrammatis, *ad digitum concurrere* dixit,

Lex erat ad digitum poſitâ concurrere palmâ.

Quem verſum de micatione idem accipiendum judicat. *Decernere digitis*, apud Calpurnium *Eclog. 2.*

Et nunc alternos magis ut diſtinguere cantus
Poſſitis, ter quiſque manus jactate micantes,
Nec mora, decernunt digitis.

Igitur *ad digitum pugnare*, & *digitis pugnare*, idem; ut *ad manum ſaltare* & *manibus ſaltare*, quod eſt χειρονομεῖν, *geſticulari*, Pantomimorum proprium: *ad tibias canere* pro *tibiis canere*. Lamprid. in *Heliogabalo, c. 32. Ipſe cantavit, ſaltavit, ad tibias dixit, &c.* Salmaſ. *ad Fl. Vopiſcum in Carino, c. 19.*

AD Fibulas ſeu à *Fibulis*, vide infrà in *Fibula*.

AD Fiſtulam dicere, Appul. *l. 6.* item *ad tibiam*, apud Æl. Lamprid. *Heliogab. c. 32. Ipſe cantavit, ſaltavit, ad tibias dixit. &c.* eſt fiſtulâ canere, & tibiis. Græcè πρὸς αὐλὸν φθέγξασθαι, & αὐλῷ φθέγξασθαι; &c. Salmaſ. *ad loc. cit.*

AD Fratre ſuo, pro *ad fratrem ſuum*, apud Jul. Capitolin. in *Vero, c. 22.* Vide Salmaſ. ibi, & ad *Æl. Lamprid. in Heliog. c. 9.*

AD Judices ludere, puerile ludi genus, apud Spartian. in *Severo*. Vide infrà *Judices*.

AD Manum ſaltare, χειρονομεῖν, Pantomimorum fuit, vide in hac voce.

AD Mauros, pro *Præfecto Maurorum*, apud Jul. Capitolin. in *Gordiano tert. c. 25*, ubi ſic legit Salmaſ. *Quod fecerem, quod ad Mauronem venderet & conſilio cum Gaudiano & Reverendo & Montano habito, vel laudaret aliquos, vel vituperaret.* Nam *Præfectus à Mauris*, & *Præfectus ad Mauros* & *Præfectus Maurorum*, dicebatur: Sicut *Procurator à rationibus, ad rationes & rationum: præpoſitus à fibulis; ad fibulas & fibularum &c.* Videtur autem hic *ad Mauros*, vel præfectus Maurorum, multum in aula potuiſſe, ſub puero Gordiano, eô tempore, quô mater ejus & Imperium & Imperatorem ipſum regebat, Salmaſ. *ad loc. cit.*

AD Memoriam dictare, apud Flav. Vopiſcum in *Caro c. 8. Junius Calphurnius qui ad memoriam dictabat, talem ad præfectum Urbis ſuper morte Cari epiſtolam dedit.* dicebatur, qui memoriæ dictator erat, & ὑπομνηματογράφος Græcis dicebatur. *Parere ad memoriam*, dixit Spartianus, in *Peſcennio c. 7.* Vide infrà in *Parere*. Sic *procurare ad alimenta & procurare ad vicesimam*, dicebatur qui alimentorum erat Procurator, & vicesimam procurabat &c. Salmaſ. *ad Vopiſcum, loc. cit.* Vide quoque infrà in *Memoria* & *Scrinium*.

AD Pedes, à *Pedibus* & *circumpedes*, ſervi pediſequi ſunt, ſicut *anteambulones* & *circumpedes*, dicti amici, obſequium facientes. Sed & curſores ſic appellatos reperimus: Inter ſervos enim erant olim ad hoc miniſterium deputati, quorum mentio frequens apud Scriptores *Hiſtor. Aug.* aliosque paſſim. Sic Severus nunquam cuſi ſervis ſuis curſoribus uſus legitur: inter aulici quoque miniſterii obſequia curſores fuiſſe, ſub poſterioribus Imperatoribus, diſcimus ex *Corrippo*,

- - - - - Jamque ordine certô
Turba decanorum, curſorum, in rebus agentium.

Hinc mentio *L. 10. Cod. de div. offi.* *Decanorum partis Auguſtæ, curſorum partis Auguſtæ*: ubi magnus Cujacius curſores interpretatur veredarios. Sed curſores pedibus omnino obſequium præſtabant & mandata perferebant; Unde & *Exercipedes* quoque vulgò dicti. *Gloſſæ, Exercipes, τροχοδρόμος, δρομαῖος ὑπηρέτης*: At veredarii in equis currebant, ſuntque quos hodie *Curreros* Galli vocant. Curſores hodieque habentur in comitatu ac miniſterio Principum, quos iidem vulgo *Valets de pied*, h. e. Servos *à pedibus*, vocant. Claudius Salmaſ. *ad Lamprid. in Alexandro Severo. c. 42.*

AD Reſponſum, dicti olim οἱ τῶν ἀποκρίσεων μανδάτορες, quas ἀποκρίσεις qui faciebant, erant Secretarii, vel à Secretis. Hinc qui Vopiſco in *Divo Aureliano c. 36.* dicitur *Notarius Secretorum*, is Zoſimo vocatur τῶν ἔξωθεν θεραπόντων ἀποκρισιάριος μανδάτωρ: id quod erat propriè munus Secretariorum. Locus autem, ubi Princeps τὰς ἔξωθεν θεραπείας ἀποκρίσεις audiebat, Ἀποκρισίων vocabatur, uti diſcimus ex *Cedreno*. Iidem *Apocriſiarii*, item *Referendarii* quoque appellati ſunt: nam μανδάτωρ & ἀποκρισιάριος & *notarius* res eadem. Græci recentiores ῥεφερενδαρίους eos vocârunt: atque ita rectè apud *Suidam* ῥεφερενδάριος ἀξίωμα τῶν βασιλέων, ἤγουν ὁ ἀποκρισιάριος; ubi ῥεφερενδάριος eſt, pro ῥεφερενδάριος, cuius modò vocem hanc ſcriptam ſe legiſſe, in vetuſtiſſimo codice Epigrammatum Græcorum, ait Salmaſ. *Not. ad Flavium Vopiſcum loc. cit. &c.* vide plura infra poſt *Adaro*.

ADA, altera uxor Lamechi, Gen. *c. 4. v. 20.* cui peperit 77. liberos, Joſeph. *Jud. Antiq. l. 1. c. 2.* Uxor etiam Eſau, filia Elon. Gen. *c. 36. v. 2.* Item filia Hecatomni, Cariæ regis, & Artemiſiæ ſoror, quæ Hidrieo fratri nupſit. Strab. *l. 14.* Defunctô maritô Olympiad. 109. annô primô ſucceſſit, ac provinciam rexit ann. 4. Ejecta à fratre minimo Pexadoro, Olymp. 109 annô 4. Hæc poſtmodum Alexandro obviam profecta; Alindis urbe traditâ, eum in filium adoptavit. Deinde ab eo toti Cariæ præficitur. Curt. *l. 2. c. 8.* Strabo. *l. 8.*

ADA, *Heſych.* Ἄδα, ἡδονή, ὥρα, καὶ παρὰ Βαβυλωνίοις, ἡ Ἥρα.

ADA, Plinio *l. 3. c. 19. Addua*, Straboni *Adua*, aliis *Adda*, fluv. eſt Italiæ, qui in jugis Rhæticis ſeu Braulio monte ortus, inde Occaſum rectô tramite petit, ac Larium lacum ad latus ingreditur. Vide Stumpſ. *l. 10. de Rhætis c. 7.* & ſuprà in voce *Abdua*.

ADA, *bar* Ahaba, eximius Aſtrologus Hebræorum, cujus ſupputatio revolutionum fuit verior & accuratior, quàm calculatio revolutionis Samuelis Jarchinati qui quô die obiit, natus eſt Raſ *Ada*, R David Ganz. *Chronol. Initio Millenarii V.* Auctor verò *Juchaſin.* probat duos fuiſſe R. *Ada* vide ibi.

ADACHA, Palmyrenæ urbs. *Ptol.*

ADACHSUNIA, Mons Africæ in regno Fezzæ in provinc. *Chaus.*

ADAD, Rex Edom quartus, Gen. *c. 36 v. 36. Adad* etiam Aſſyriorum ſummus habebatur Deus, cui etiam Deam Atergatim uxorem aſſignabant, per *Adad*, ſolem per Atergatim, terram ſignificantes, quòd ex his duobus cuncta crederent procreari. Macrob *l. 1. Saturnal. c. 23.* Ejus ſimulachrum formabatur radiis inclinatis in terram: hujus verò ſurſum verſis. Significat autem Adad *Unum*. Ab eo nomen *Adad* Regibus Syriæ tam Sophenis, quàm Damaſcenis, commune fuit: ut ſunt cœleſtes plerique Orientalium Regum tituli. Vide infrà *Adadus*, it. *Ader*, & *Adodus*, nec non voce *Ben-Adad*.

ADAD, ſeu *David*, Rex Æthiopum Axumitarum, ad fidem Chriſti converſus eſt, principatu Juſtiniani I. Imperat. à quo tempore Æthiopia illa inter medios barbaros religionem Chriſtianam ſed innumeris deformatam erroribus, retinuit. Georg. Hornius Orb. *Imp.*

ADADA, eſt apud *Ptolemæum* Palmyrenæ urbs *Adatha* putat dici Ortelius *in libro Notitiar.* etſi Phœniciæ ibidem adſcribatur: ſed *Adada* habet idem liber in Euphratenſi regione. Eſt & locus in Palæſtina, in tribu Judæ ſic dictus Joſuæ *c. 15 v. 21.*

ADADATA, civitas Piſidarum, ad Taurum montem. Strab. *l. 12. Ptolemæo Adada.*

ADADENSIS, Epiſcopus Piſidiæ, fuit in Concilio Conſtantinopolitano primo.

ADADEZER, fil. Rehobi, Rex Syriæ Zobææ, à Davide victus, 2 Sam. *c. 8 v. 3. 5.* & 1 Chron. *c. 18. v. 3. 5.* idem cum *Adado* Damaſci Rege, vide infrà.

ADADREMMON, urbs juxta Jezraëlem, quæ hodie vocatur *Maximianopolis* Zach. *c. 12. v. 11.* Hic Joſias Rex occiſus eſt à ſagittariis *Nechao*, regis Ægypti.

ADADUS, puer Idumæus è regio ſanguine Edom, qui cùm Joabus, Davidis regis Polemarchus, omnes Idumææ mares ſex menſes natos interfeciſſet, ſolus cum quibuſdam ſervis patris ſui in Ægyptum fugit, ad Pharaonem, cui Pharao Raphim uxoris ſuæ ſororem in matrimonium dedit. Is morte Davidis auditâ, patrium regnum recipere conatus, ſed fruſtrà, Rezoni Eliodæ filio latronum duci, qui Damaſcum occupaverat, ſe conjunxit & Syriæ regnum occupavit: & Salomoni Regi Deô ei propter idololatriam infenſô, adverſarium extitit. 1 Reg *c. 11. v. 14. 15. 16.* Alius ab Achabo, Iſraelis Rege bis prælió captus, atque amicè habitus ac liberatus, poſt initam pacem, cùm injuriarum loco beneficia accepiſſet, iterum Judæis bellum intulit: atque ut oſtenderet quàm ingratè Achabi regis meritorum memoriam ſervaret, milites ſuos juſſit aliis in prælio, quantum poſſent, parcere, vimque in unum Achabum ad eum perdendum vertere. Fulgoſus *l. 5. c. 3.* Torniel. *A. M.* 3058. Vide hic infrà.

ADADUS, Damaſci Rex, à Davide cum viginti duobus Syrorum millibus occiſus 2 Sam. *c. 8. v. 3. 4. 5.* Vide Joſeph. *Jud. Antiq. l. 7. c. 5.* qui ab eo *Adrazarum*, Arai filium, Syriæ Sophenæ Regem, diverſum facit, huicque illum in auxilium properantem, adducit, *Ibid.* & *c. 6.* Sed hic Damaſci, & reliquæ Syriæ Rex à Davide ad Euphratem victus, idem eſt cum *Adadezere* fil. Rehobi, cujus in Sacris mentio, ſeu *Adrazaro* Joſephi, qui ante pugnam tam Sophenæ, quàm Damaſci Rex unus erat, cujuſque copiæ à Davide fuſæ ſunt, tam quæ ad Euphratem, 2 Sam. *c. 8. v. 3, 5* quàm quæ ex provinc. Damaſcena auxilio tardè venerunt, 1 Chron. *c. 18 v. 3. 5.* poſt cladem demum, Regni Damaſceni peculiaris & Syriaco contradiſtincti, initium contigit, auctore Rezone, qui, profligatô domino ſuo Adadezeris exercitu, Damaſcum fugerat, vide infrà *Rezon*. De eo ſic *Fragm. Nic. Damaſceni Hiſtoriar. l. 4.* apud Joſeph. *Antiqq. loc. cit. Longò poſt tempore, indigenarum quidam nomine Adades, cæteris potentior, Damaſci & reliquæ Syriæ, præter Phœnicem, regnum obtinuit. Hic — apud Euphratem victus, ſe Regem optimum ſe-pſi è ſuis declaravit. Illo defunctô, poſteri ejus ad decimam uſque generationem regnârunt*, Adadi *omnes dicti. Ex his potentiſſimus, ordine tertius, abolere volens ignominiam avi Samariam vaſtavit.* De nominis origine ſuprà. Vide quoque aliquid voce *Fol.*

ADÆ, *arum*, oppid Aſiæ. Strab. *l. 13.*

ADÆI, Arabes Ægypto finitimi. *Ptol.*

ADÆRATIO, ἐξαργυρισμός, ab *adærare*, pretium addicere, ære æſtimare, ad æris pretium redigere, Græc ἐξαργυρίζειν, item ἀποχαλκίζειν. *Gloſſæ*, *Aderat*, ἐξαργυρίζεται, ἀποχαλκίζει: illis enim χαλκὸς etiam pro argento ſumitur. Unde ἀχαλκεῖν pauperes ac malè nummati, & ἀχαλκεῖν, nummorum penuriâ laborare. In Epigramm.

- - - - - Εἴ τι ἀχαλκῶ,
Μηδὲν ἀφαιρεῖν, ὅσα τὸν χαλκὸν &c.

Eſt igitur *adæratio*, taxatio & æſtimatio rei. *Gloſſæ* præf. *æſtimatum*, τὸ τιμηθέν, ὅθι ἐξαργυρισμὸν, ὅθι διατίμησιν: ubi notandum, τίμησιν ita Græcè dici, ut *conſpectum* dixit A. Gellius *l. 19. c. 10.* *Oſtendebanque depictas in membranulis varias ſpecies balnearum, ex quibus cùm elegiſſet unam formam ſpeciemque, interrogavit quantum eſſet pecuniæ conſpectus ad totum opus abſolvendum.* *Pecuniæ* nempe *conſpectus* eſt διατίμησις & ſumma pecuniæ, ad earum balnearum abſolutionem: *Gloſſæ, τίμησις, taxatio.* Salmaſ. *ad Treb. Pollionem in Claudio. c. 14.* Hinc *Adærata annona*, *l. 31. Cod. de Erogat. milit. annonæ*, cùm ſcil. annonæ in ære perſolvuntur; &c. Vide quoque Caſaubon. *ad*

Theo-

Theophraſt. Charact. p. 132. & Jac. Gothofredum *ad l.* 28. *Cod. eit.*

ADÆUS, Mitylenæus de ſtatuariis librum reliquit. Athen. *l.* 13. ubi citatur ex τῷ περὶ ἀγαλματοποιῶν. Eſt item *Adæus*, cujus ἐν τῷ περὶ διαθέσεως, h. e. libris de *affectione* ſeu *diſpoſitione*, ab eodem memoratur, *l.* 11. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 39.

ADÆUS, Atheniæ quidam nomine ſingulari; ſingularis ipſe Ἀλεκτρυών, Gallus: gallinaceus ex eo cognominatus, quod criſtam in capite geſtaret, teſte Athenæo *l.* 6. *c.* 8.

ADAGARIS, vide *Satagarn.*

ADAGOUS, *Heſych.* Ἀδαγοῦς, θεὸς ὑπὸ Φρυγῶν. Exiſtimet aliquis reſcribendum, Ἀδάδος. Facilius ſubſcriberem; niſi exponeret τοῖς Ἑρμαφρόδιτος, *Deus ſemivir. Salmaſ.* θεὸς legit.

ADAIA, ſive *Adaias*, fil. Ethan, filii Zamma. 1. Chron. *c.* 6. *v.* 41 Fil. item Jeroboam. 1 Chron. *c.* 9. *v.* 12. pater Ididæ, matris Joſiæ 2 Reg. *c.* 22. *v.* 1.

ADALBERO, Metenſis epiſcopus. *Euſeb. Adalbero Babius* Gennenſis epiſcopus. *Idem.*

ADALBERTUS, Præceptor Ludovici IV. Epiſcopus Auguſtanus evaſit. Scripſit vitam Hariulphi, Abbatis *d'Elwangen*, ubi & ipſe prius Abbas erat, & obiit, ſub Henrico Aucupe, A. C. 921. Voſſ. *de Hiſtor. Lat. l.* 2 *c.* 39

ADALBERTUS, Epiſcopus Pragenſis, primò Bohemis, dein Hungaris, tandem Pruſſis concionatus, ibi obiit. Surius, 23. *April* Baron *A. C.* 980. 996 Vide *Adelbertus.*

ADALBERTUS, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, totius Sclavoniæ Metropolit. A C. 971. Alius, Hamburgenſium vel Bremenſium Epiſcopus vitæ parum laudatæ. Baron. A. C. 1065. Vide *Adelbertus.*

ADALBERTUS, Eporregiæ Comes circa *A.* C. 1405. *Cuſpinianus.* Vide *Adelbertus.*

ADALBULAS, locus in Mauritania Cæſarienſi, *Antonin.*

ADALDAGUS, Archiepiſcopus Hamburgenſis, qui tres Epiſcopatus in Jutiâ conſtituit, Sleſuicenſem, Ripenſem, & Aruſienſem, cùm per annos quinquaginta trium Othonum Imperatorum curias ſecutus fuiſſet, cancellariam adminiſtraſſet, & multa, quæ extant Imperatorum nominibus, decreta & conſtitutiones concepiſſet Crantzius *l.* 4. *Saxon. c.* 3. *&* *l.* 3. *Metrop. c.* 16. *&* 26.

ADALGARIUS, Aquitanus nobilis Paul. Æmil. *l.* 1.

ADALGARIUS, Monachus in Corbeienſi cœnobio Remberti ſocius, eidem ei ſucceſſit in Epiſcopatu: à Formoſo Romam vocatus, ad dicendam cauſam, de ſuo jure in Bremenſem Eccleſiam, non venit, neque legatum eò miſit. Studiò propagandæ religionis Chriſtianæ ad gentes Aquilonares, ſacerdotum collegium inſtituit. Præfuit Eccleſiæ annos viginti, & mortuus eſt A. C. 909.

ADALGISIUS, Longobardus, Salerni princeps, Beneventi defenſionem acceperat à Ludovico Secundo Lotharii filio: Græcorum vero promiſſis illectus, ad eos deſcivit cum omnibus Samnii, Lucaniæ & Campaniæ oppidis: at cum Ludovicus recepiſſet omnia oppida, quæ defecerant, Adalgiſius in Corſicam Inſulam fugit. *Chron. Philip. l.* 4.

ADALGOTHUS, undecimus Archiepiſcopus Magdeburgenſis qui ſub Henrico IV. Imperat. inſtituit, ut quotannis, per Quadrageſimæ ſingulos dies, centum pauperibus ſinguli panes cum ſingulis halecibus tribuantur. Crantzius *l.* 4. *metrop c.* 32.

ADALIA, fil. Amanfilii Amodatha. Eſth. *c.* 9 *v.* 8.

ADALINGI, ſeu ADELINGI, vide infra: aut *Ethelingi* ſeu *Edlingi*, vox Saxonica, Nobiles denotat & natalium ſplendore illuſtres, in *Gloſ.* Keronis. L. Angliorum & Werinorum *tit.* 2. 3. 4. 5. ubi trifariam hominum conditionem apud Saxones diſtributam obſervare eſt, in *Adalingos* ſeu Nobiles, Liberos & Servos; quod Nithardus confirmat *l.* 4. Ex *Athel*, ſeu *Ethel*, nobilis; à qua voce ſine dubio Angloſaxonica illa, *Ethelredus*, *Athelſtanus*, *Ethelbaldus*, *Ethelulfus*, *Ethelſtanus*, Regum Angloſaxonum familiaria nomina, ortum cepêre. Ab hac igitur originatione dictos putant *Adelinges*, Regum præſertim filios & hæredes, qui ipſis ſucceſſuri erant, uti diſcamus ex LL. Eduardi *c.* 35. *Rex vero Edwardus Edgarum puum eorum ſecum retinuit, & pro ſuo nutrivit: & quia cogitabat hæredem eum facere, nominavit,* Adeling, *quem nos dicimus Domicellum. Sed nos indiſcretè de pluribus dicimus, quia Baronum filios vocamus Domicellos, Angli vero nullum, niſi natos Regum.* In LL. Hoeli Boni, *Urebrichiad; i. e. Edling, qui poſt Regem habet ſuccedere* &c. Sic apud Simeonem Dunelm. *de Geſt. Angl. A. C.* 866. *Elfredus, i. e. Clito Adeling.* Apud Henricum Huntindon. *l.* 5. *Beorhtric filius Brihtnodi Adeling. Et l.* 6. *Quidam Anglorum Edgar* Adeling *promovere volebant in Regem* &c. Hinc *Adelingaege* Inſula, i. e. *Nobilium Inſula*, dicta eſt, apud Rogerum Hovedenum A. C. 887 & in Charta Alfrici Regis in *Monaſtico* Angl. *Tom. I. p.* 203. *Ad Inſulam Clitonum, quæ Anglice ujtaud nomine Adelingaeg nuncupatur:* unde *Clitones* & *Adelinges* ſynonyma eſſe colligitur. Car. du Freſne *Gloſſar.* qui & hanc in rem laudat Ordericum Vitalem *l.* 12. *p.* 835 869.

ADALUALDUS, Agilulfi fil. Longobardorum Rex à populo puer adhuc ſalutatus, atque inſigni regiò decoratus in Circo, patre ipſò aſſidente. Cum ad eum Euſebius, ab Heraclio Imperatore, legatus veniſſet, ſive juſſum Imperatoris, ſive conſilium ſuum ſecutus, Adalualdo è balneo exeunti poculum ſpecie ſalutiferum dedit; quò epotò rex deſipere, ac planè mentis impos eſſe cœpit: quod ubi ſenſit Euſebius, ipſum & juvenem, & amentem impulit, ut propriæ ſecuritatis cauſâ principes Longobardorum è medio tolleret: cœptâ inde cæde, ac jam duodecim è primoribus interemptis, ne malum longius ſerperet, veriti Longobardi, ipſum A. C. 624. tumultu excitò, regnò cum regina matre Theodelinga exegerunt. Sigonius *l.* 2. *Regni Italici.*

ADALULFUS, quidam ſummò inter Longobardos locò natus, qui Gundebergam Arioaldi Longobardorum Regis uxorem de ſtupro interpellare auſus, cùm repulſam contumeliamque tuliſſet, veritus ne ab ea proderetur, Regem adiit, & apud eum reginam proditionis falsò accuſavit: cujus verbis Rex fidem habens, uxorem in arctam cuſtodiam conjecit, atque per triennium habuit. Poſt tertium annum Clotarius Rex Francorum, mulieris miſericordiâ motus, legatos ad Arioaldum miſit, perperam feciſſe arguens; quòd Gundebergam ex regio Francorum ſanguine ortam injuſtâ cauſâ damnâſſet, atque honore ſuò diſpoliaſſet: Rege autem ſe juſtam cauſam habere dicente, Auſoaldus è legatis unus, facilè id tibi aſſentiemur, inquit, ſi quem ex reginæ familiaribus, ſingulari cum accuſatore commiſſò certamine, reginam ipſam permiſeris expiare (hæc erat antiqua Longobardorum conſuetudo, ut crimina vel maxima ſingulari præliò purgarentur, quæ poſtea in leges tranſlata, per multa tempora obſervata eſt) quibus dictis Pitto quidam, ab Ariperto reginæ conſobrino productus cum Adalulfo eſt comparatus. Certamine initò, à veritate, victoria ſtetit: itaque proſtratò Adalulfò victus Arioaldus reginam è cuſtodia eduxit, atque in antiquum locum gratiæ honoriſque reſtituit. Sigonius *l.* 2. *regni Italici.*

ADALUNGA, Vide *Hauhertinga.*

ADAM, nomen primi hominis à Deo conditi. Gen. *c.* 2. *v.* 15. Vide Joſeph *Antiq. l.* 1. *c.* 7. De duabus columnis, quæ ei attribuuntur. Auguſtin. de *C. D. l.* 18. *c.* 38. Pamelius *in Tertullian.* Nomen etiam commune, quô Deus virum & fœminam appellavit. Eſt & nomen urbis, Joſ. *c.* 3. *v.* 10. Cæterum de Adamo, vide Suidam in voce Ἀδάμ, *Joſephum*, *Philonem Judæum*, &c. Eum horâ ſextâ veſpertinâ, conditum fuiſſe, Origenes meditatur *tract.* 35. *in Matth.* quam opinionem ſequitur Theophylactus *in Math.* & alii, qui eâdem horâ Chriſtum, *alterum Adam*, cruci affixum fuiſſe, opinantur: unde *Theophylactus*, *Quâ igitur hora Deus hominem condidit, eadem & lapſum curavit.* Et Cyrillus Hieroſolymit. *Quò tempore everſio fuit, eòdem rurſus facta eſt reparatio, catech.* 14. Atque hâc horâ (quæ una ex ſeptem horis Canonicis eſt in Eccleſia Romana) ab antiquis Patribus magis fervidas preces fundi conſueviſſe, tradit Domin. Macer in *Hierolex.* in *Hora Canonica.* Feriâ ſeu die hebdomadis ſextâ eundem lapſum eſſe, quâ Chriſtus lapſum morte ſua reparavit. aſſerit idem, atque propterea in qualibet feria ſexta quadragetimali inſtitutum eſſe à Pio V. ut Pſalmi Pœnitentiales recitarentur, addit: qua de ſententia vide judicium Caroli fratris ejus, in voce *Pſalmus.* Sepultum fuiſſe in monte Golgotha, ubi Dominus noſter crucifixus eſt, Auguſtinus habet *Serm.* 71 *de Temp. Et dignum erat, fratres, ut ſanguis ille pretio ius etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris, dum dignatur ſtillando contingere, redemiſſe videatur. Hieronymus* verò Adamum in civitat. Hebron tumulatum eſſe, ſtatuit: Vide eoſdem Macros in *Golgotha.* In memoriam lapſus ejus & hinc ortæ corruptionis, quæ totum genus humanum pervagatur, *Cinerum diem* in eadem Communione celebrari, refert Rupertus *de divin. offic. l.* 4. *c.* 10. Inprimis verò Halberſtadienſium in *Saxonia* feſtivitatis hujus ritus is memorabilis, quem Æn. Sylvius in *Europ.* ſuâ hôc modò memorat *c.* 2. *Inquirebant*, inquit, *in hac die ſceleſtiorem civium, quem lugubribus indumentis veſtiebant, ac capite velatò in Eccleſiam conducebant, ex quo peracto divino officio, illum expellebant. Hic per totum Quadrageſimæ tempus nudis pedibus in civitate perambulabat omneſque Eccleſias viſitando, nemini ingrediendo nec cum ullo unquam loquebatur, erat tamen alternatim ad menſam inter Canonicos invitatus; dormiebat poſt mediam noctem, tandem poſtea ab omnibus peccatis & enormitatibus commiſſis abſolvebatur & deinceps Adam appellabatur*, &c. Vide eoſdem Auctores in voce *Cinerum dies.* Plura de hoc generis humani Auctore ac Capite, ſtatu ejus utroque aliiſque huc pertinentibus, vide præter ſuprà jam citatos, inprimis apud Franc. Burmannum *Synopſi Theol. Chriſt. Part.* 1. *l.* 2. *loc.* 8. *c.* 1. *& ſeqq.* ut & hîc paſſim, inprimis voce *Iſis.*

ADAM, Græcis Κρόνος, Latinis *Saturnus.* Gallis *Dis*, Germanis *Mannus.* In tribus ejus filiis trium Saturni liberorum memoria deprehenditur. Quippe *Abel* eſt *Pluto*, primus mortis, & ſepulcro, i. e. inferis traditus. *Cain* eſt *Neptunus*, habitans in terrâ *Nod*, vagus ſemper, & inſtabilis. *Seth Jupiter*, pater filiorum Dei, in cujus familiâ invocatum nomen Jehovæ *Hornius.*

ADAM de Barlange, Hiſtoricus, ſub Johanne Angliæ Rege Voſſ. *de Hiſtor. Lat. c.* 56.

ADAM de Bremen, ſcripſit hiſtoriam Eccleſiaſticam à Carolo M. ad Henric. IV. in qua fidem in Septentrione propagatam enarrat: item, de ſitu Daniæ edidit opuſculum. Vixit circa. A. C. 1070. *Idem Voſſius.*

ADAM Goddam, Anglus, circa A. C. 1330. ſcripſit in 4. libros ſententiarum. Bellarm. *de Scriptor. Eccleſiaſt.*

ADAM de Muremuth, Canonicus Londinenſis ſcripſit duo Chronica ſui temporis, circa A. C. 1380. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 3. Vide & *Adamus.*

ADAM vel ADMAH, urbs Pentapoleos. Gen. *c.* 10. *v.* 10. Urbs igne cœleſti conſumta. Vide *Adama.*

ADAMAN, cognomine *Columbus*, Scriptor Scotus, circa A. C. 699. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 27. & *de Scient. Mathem. c.* 67 §. 15. *c.* 70. §. 2.

ADAMANA, urbs Aſiæ in Cœleſyria. 15. leucis diſtat Damaſcô.

ADAMANTÆA, Jovis nutrix, cui à Junone, in Cretenſi Inſula, nutriendus datus eſt: illa eum in cunis in arbore ſuſpendit, ut neque cœlô, neque terrâ, neque mari inveniretur: & ne pueri vagitus exaudiretur, impuberes convocavit, eiſque clypeola ænea & haſtas dedit, & juſſit eos circa arborem euntes crepare. Hyginus *Fab.* 139.

ADAMANTIS, Indiæ extra Gangem fluv. *Ptolem.*

ADAMANTIS fragmentis, auro incluſis, ſculpi alias gemmas, Plinius *l.* 37. *c.* 4. auctor eſt: hodie *Adamante* in minutiſſimum pulverem contrito cæteras gemmas poliunt Gemmarii. Sed & *Adamas* à duritie, ſicut ipſum ferrum, ob eandem rationem, lapis ille Cyprius dictus eſt, quô adamantes ipſos ac reliquas gemmas ſcalpi, ſic ut quæ ferro reſiſtunt, hujus ſcalpturæ cedere cogantur, ſcribit Solinus *c.* 52. Antiquitus ſcalpebantur ſolùm hôc lapide gem-

mæ, ſignaculis faciendis, ſed & perforabantur, ut filo ad monilia inſeri & collo ſuſpendi poſſent &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1101. & infrà ubi *de Cotibus Armeniis ac Cypriis.*

ADAMANTIUM, Biſinani Principis oppid. eſt in Calabria inferiore. *Metellus.*

ADAMANTIUS, Præfectus Urbi: quidam legunt *Amantius.* Vide epigraphen *l.* 12. & *text. in l.* 13. C. *de ædif. priv.* Joh. Calvin. *Lexic. jurid.* Item cognomentum Origenis, de quo ſic Photius *Biblioth. Origenem Adamantium cognominatum ex eo tradunt, quod rationes, quas collegerat, adamantinis quibuſdam quaſi vinculis non abſimiles viderentur.* Unde ſumtâ occaſione, aliqui Scriptores, ut Auguſtin. Sophronius Epiſcopus Hieroſolymitanus & Epiphanius, duos fuiſſe Origenes crediderunt: qua de re vide Macrum *in Hierolexico.*

ADAMAS, à Cotye, Thraciæ Rege, puer teſtes exectus; ob quam injuriam, poſtea grandior factus, ab eo defecit. *Ariſtot. Pol. l.* 5 *c.* 10.

ADAMAS, fluv. in ſinu Gangetico. *Ptol.*

ADAMAS, Græcè, Ἀδάμας, de variis dicitur. De ferro, & lapide Cyprio, ut vidimus; de auri nodo ac flore, ſeu ſpuma: De lapide galactite, quò Magi olim vel Deos evocabant, vel Manes eliciebant; item quò Deorum mentem inflectebant & pacatam hominibus eorumque ſacrificiis reddebant: quem proin [illegible] & [illegible] appellatum Orpheus ſcribit:

[illegible]
[illegible]
[illegible]
Quem veteres quidem ananciten adamanteni
Vocabant, quoniam inflectit Beatorum mentem, ut ſacrificia
Aſpicientes velint terrigenarum inferris.

De herba quadam ſumitur ut Veterum tradens Magiâ efficaciæ, ut quâ admotâ, Leones hiatu laxô reſupinari, ſcribit Plin. *l.* 24. *c.* 18. quæ hanc ob cauſam *adamantis* dicta. De gemma imprimis principe, quam non inter gemmas ſolum, ſed etiam in rebus humanis, maximum pretium habere ſcribit Plin. *l.* 37. *c.* 4. proximum margaritis, tertium ſmaragdis locum tribuens. Alios tamen primas margaritis, ſecundas *adamantibus*, tertias ſmaragdis, opalis, carbunculis, topaziis, concedere, notat Salmaſ. *ad Solin p.* 139. Ejus eximium ac præſtantiſſimum genus in cryſtallo, ſecundum & illi proximum in auro naſci, dicitur *Solino* ubi ſuprà: Sed fallitur, *Plinium* non ſatis aſſequutus, qui cum ſcripſiſſet, optimum genus adamantis in auri metallis naſci, mentionem ſubjicit Indici, *non in auro naſcentis, ſed quadam cryſtalli cognatione.* Ubi non cryſtallum matricem adamantis, ſed naſcendi ſaltem modô & facie cryſtallo ſimilem eſſe Indicum hunc adamantem, docet; namque & inter cautes naſcitur & colore tranſlucidô & laterum ſexangulô nitore in mucronem turbinatus eſt, ut cryſtallus. Aliàs totô orbe diviſis regionibus naſcuntur & temperaturâ in totum diverſis. Cryſtallus in rigentibus locis, glacie multis annis duratâ firmatur; *Adamas* calidis regionibus, & intra biennii ſpatium, quod mirabile eſt, perficitur. In India, quæ *adamantum patria eſt*, cryſtallus non invenitur: In Scythia contrà Cryſtallum ferente, nullus Adamas &c. Sed nec in aurifodinis reperti adamantis, ullus Veterum meminit; & Diodor. qui *l.* 3. multis exponit rationem fodiendi auri, & lavandi, & molendi, & coquendi, quæ in [illegible] Ægyptus vigebat, ad confinia Arabiæ & Æthiopiæ, adamantem, in illis auri metallis inventis, nullo verbô prodidit, vide quæ de his habet Tavernier *in ſuo Itiner. Indiæ.* Hodie Indi magni faciunt Adamantes de *Rupe veteri* cognominatos, præcipuè quos Natura perficit, nullâ arte politos: *Naïſes*, quaſi *Nativos* iis dictos: quis enim ambigere queat, quin ex Latino dicto illa deſcenderit. Vide quæ de gemmarum hac nobiliſſima Salmaſ. habet *ad Solin. paſſim*, ubi *Adamantes Indicos* invictos eſſe igni, hinc [illegible] *Diodoro* appellatos, at dutiſſimum hunc lapidem in minutiſſimum conteri pulverem, addit.

ADAMASTOR, apud Claudianum *Damaſtor* dici putatur, in *Gigantomachiâ*:

—— Sævuſque Damaſtor;
Ad depellendas jaculum dum quæreret hoſtes.

Sidon. Apollinaris. Porphyrion Pangæa rapit, Rhodopenque Damaſtor.

ADAMI, civitas in tribu Nephtalim, quæ imperio *urbis* Neceb ſubjecta erat. Dicta eſt *Adami*, quod Hebræis rubeum ſignificat, à ſolo, in quo ſita eſt, rubedine. *Joſue. c.* 19. *v.* 33. *Adermi Anneceb* legunt. 70. Interpretes. Vide *Edemi.*

ADAMI Melchior, vide *Adami.*

ADAMI Spelunca, locus in tribu Juda in rupe, ubi feruntur Adam & Eva fleviſſe Abelem filium ſuum, à Caino fratre interfectum, annis centum: & in qua viſuntur lecti eorum ſaxei, habentes in longitudine 30. pedes: fons item in ſpelunca ſcaturit, de quo bibiſſe feruntur primi parentes noſtri. Breit. & Breidenb. *Itin.* 6. Saliguiac. *tom* 10. *c.* 5.

ADAMIANI, vel, ADAMITÆ, Hæretici ab Adam nominati, cujus imitantur in Paradiſo nuditatem, quæ fuit ante peccatum. Credebant enim quòd nuptiæ futuræ non fuiſſent, ſi nemo peccâſſet. Nudi itaque mares, fœminæque conveniunt; nudi lectiones audiunt; nudi celebrant ſacramenta. Hæreſis planè horrenda, à Carpocratianis invecta, & à nonnullis fanaticis (proh pudor) noſtrô ſeculô renovata. Quos Geotibus, quæ Deum ignorant, viliores meritò dixeris. Siquidem optimè Ennius apud *Ciceronem*,

Principium flagitii eſt nudare inter cives corpora.

Et Gyges apud Herodot. *Muſâ primâ.* [illegible], h. e. *mulier exutâ tunicâ, & verecundiam pariter exuit.* De his vide Clem. Alex. *l.* 3. & 7. *Strom.* Eorum ſimilibus, Genebr. *in Alex.* 5. An aliquæ in Polonia & Anglia reliquiæ? Boter *part.* 3 *l.* 1.

ADAMUS Wenceſlaus, Dux Teſchinenſis, patri Wenceſlao *Adamo* A. C. 1569. ſucceſſit. Hic in aulâ Chriſtiani I. Electoris Saxonici educatus, poſtea in bello Turcico ſtrenuè ſe geſſit, & A. C. 1617. ſupremus Sileſiæ Capitaneus conſtitutus, atque ſequente annô mortuus eſt; poſtquam ad Romanam communionem tranſiiſſet: in qua etiam, qui ei ex *Eliſabetha Curlandica* natus eſt, Fridericus Wilhelmus adolevit, qui noſtrâ memoriâ morte ſuâ totam Micislai, Superioris Sileſiæ Ducum ſtirpis, lineam terminavit, Spenerus *Syllog. Geneal. Hiſtor.*

ADANA, urbs Ciliciæ *Ptolemæo.* Vulgò *Adena*, vide *Steph.* longitud. 66. 40. latitud. 39. 10. Urbs item ad Euphratem *Steph.* Item, Arabiæ Felicis mediterranea, *Eidem.*

AD ANGELOS, vide *Angelorum locus.*

ADANI Inſul. *Ptolemæo* [illegible] Ἀδάνη, hanc *Adan* abſolutè apud *Plinium*, & ex eo Solinum *c.* 56. *Ab Indica promontorio ad Malichu Inſulam affirmat eſſe quindecies centena millia paſſuum: a Malichu ad Sceneon ducenta viginti quinque millia, inde ad Inſul. Adan centum quinquaginta millia* &c. Ex Græco Ἀδάνη vel Ἀδανός. *Heſych.* [illegible]. Unde nomen proprium Ἄδανος, qui fortè primus hanc Inſulam detexit. Pleriſque enim illis Inſulis Arabici ſinus & Rubri maris nomina impoſita ſunt ab Alexandrinis Mercatoribus, qui in Indiam navigabant; aut à gubernatoribus vel etiam ducibus, quos mittebant Ptolemæi Reges, ad ea maria exploranda & navigationem Indicam periclitandam. Unde pleræque earum ab iis cognominatæ ſunt, qui primi eas detexerunt, aut navem ad eas adpulerunt vel in eas deſcenderunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1265.

ADANI, ORUM, duæ inſulæ in Arabiâ Felici *Ptolemæo*, Vide Voſſ. *in Melam. p.* 301.

AD ANSAM, Angliæ urbs apud *Antoninum, Ithancester Camdeno.*

ADAOVI, populi Africæ in ora Guineæ.

ADAPA, Gallatiæ fortè oppid. apud *Cedrenum.* Eam Baſilius Macedo Imperat. multa vi, ſed fruſtra oppugnavit. *Zonaras Adata.*

ADAPERA, vide *Apera.*

AD AQUAS, *Antonino*, quas idem *Ad Larodes* cognominat, Siciliæ urbs. quam *Simlerus Xacca* vocari dicit.

AD AQUAS SALSAS, Monaſterium ſic dictum, & extructum ab Heraclio Imperat. atque ab illo *Heraclianum* nominatum, ſcribit Otho Friſing. *l.* 5. *c.* 9.

AD AQUILAM, vide *Aquila.*

AD AQUILAS, Atticæ locus apud *Pauſaniam.* Locus eſt etiam viceſimô a Ravennâ milliari. Sic item appellatur vetuſtus pagus prope Treviros, quem vulgò *Igle*, vel *Aigle* dicunt. Item, oppid. Normanniæ Ad Riſlam fluv. vide *Aquila.*

ADAR, 8 Rex in Edom. Gen *c.* 36. *v.* 39 qui 1 Chron. *c.* 1. *v.* 46. dicitur *Adad.* Item, villa & terminus terræ Chanaan Num. *c.* 34. *v.* 4. Nomen etiam menſis apud Hebræos, reſpondens noſtro Februario, Sigon. *de Rep. Jud.* Torniel A. M. 1545. n. 38. Item, fil. Balæ, filii Benjamin. 1 Par. *c.* 8. *v.* 3.

ADARA, vicus magnus *Stephano.* Eidem eſt tertiæ Palæſtinæ locus inter Areopolin, & Characmobam. Locus corruptus, ac è *Stephano* ipſo reſtituendus. Ἄδαρα πόλις (inquit ille) [illegible].

ADARA, villa in finibus Dioſpoleos, juxta Thannaticam regionem. Eſt & civitas tribus Ephraim, teſte Hieronym. *in loc. Hebr.* Oppid. etiam Hiberniæ, in Momonia provincia ad fluv. Mayum. 12 mill. paſſ. a Limerico diſtat in meridiem; deficitque indies.

AD ARAS, Hiſpaniæ urbs, inter Hiſpalim & Cordubam.

ADARBIGANI, vide *Ardabegara.*

AD CABALLOS, vide *Tiberiacum.*

AD CALCULOS, vide *Pſephis.*

AD CANDIDAM CASAM, locus Provinc. Berniciorum. *Bedæ* Inſula videtur.

AD CAPRÆ *paludes*, vide *Caprilis.*

AD CAPSU *Juliani*, locus Africæ. *Scheda.* 3. *Peutingeriana.*

AD CASAS *Ceſarianas Antonino*, quas idem *ad Fines* appellat, locus eſt in Italia, quem *Simlerus* S. *Caſſiano* vocari ait, in Tuſcia.

AD CENTESIMUM, locus Italiæ 107. mill. paſſ. ab urbe diſtans, verſus Adriam. *Antonin.*

AD CENTURIONES, vide *Centuriones.*

AD CEPASIAS, vide *Cepaſiæ.*

AD COLUMELLAS, locus eſt ſexto à Ravenna lapide, quò *Henr. Rubeus* ſcribit Majoranum Auguſtum in Imperatorem creatum.

AD CRISPAS, vide *Criſpa.*

AD DECIMUM, vulgò *il Borghetto*, oppid. Italiæ, 10. mill. paſſ. ab Urbe, Anconam verſus.

AD DECIMUM *ſeptimum*, vide *ad Septimum.*

AD DIANAM, vide *Diana.*

AD DRACONES, in Mauritania Cæſarienſi locus, item in Armenia majori. *Antonin.*

AD DUODECIMUM, locus inter Moſam & Rhenum. *Tab.* 3. *Peutingeriana.*

AD DUOS *pontes*, locus Hiſpan. inter Bracaram, & Aſturicam. *Antonin.*

AD FICOS, vide *Ficus*, & *Siſſitenſe.*

AD FINES, vulgò *Pfin.* oppid. non Rhætiæ, ut ſcribit Ortel. ſed Helvetiæ. Item oppid. Belgii in Hannoniæ & Leodienſis ditionis confinio, ad Sabim fluv. à Montibus 4. Leuc. in Ortum Namurcum verſus. Vulgò *Tum ad Fines* quoque in Liburniæ, & Pannoniæ confinio, hodie *Samogues.*

AD FRATRES, locus in Mauritaniâ Cæſarienſi. *Antonin.*

AD GALLINAS, villa Cæſarum in ipſa Tiburis ripa. Vide Cluver. *Ital. Antiq. p.* 537. Antea *Vejentanum.* Plin. *l.* 15. *c.* 30. & Sueton. in Galba. *c.* 1.

ADGALLUM *Gallinaceum*. Vide *Via*.
ADGRADUS. Vide *Maſſaloticum*.
ADHERCULEM, apud *Antoninum*, videtur Ortelio *Liguriæ* Etruriæ portus, ad mare mediterraneum *Ad Herculem Caſtra*, ſic nominat *Antoninus* Pannoniæ locum: item circa Gades, *Ad Herculem*, & *Caſtra Herculis*, ſunt in *libro Notitiarum*, duo diverſa loca Pannoniæ. Vide *Herculia*, & *Herculis portus*.
ADINNOCENTES, locus apud Mediolanum, ubi Dioclis & Diodori quorundam memoriam coluiſſe Chriſtianos, teſtis eſt Amm. Marcellin. *l*. 27. *c*. 7.
ADLAPIDEM, locus Angliæ, *Stoneham*, teſte *Camdeno*.
ADLAPIDES *atros*, vide *Lapides*.
ADLARODAS, vide *Ad Aquas*.
ADLIPPOS, Hiſpan. Bæticæ locus, inter Salmanticam & Emeritam. *Antonin*.
ADMALUM, Liburniæ urbs. *Antonin*.
ADMARCIUM, locus non procul a Lanuvio. *Liv*. *l*. 6.
ADMARCUM, vide *Margum*.
ADMARIOS, vide *Mercurium*, eô locô quò ſignificat loci nomen.
ADMARTIS, Italiæ locus inter Narniam, & Mevaniam, *Antonin*. Item locus inter Seguſium & Brigantionem in Alpibus, fortè *Martis vertex Amm. Marcellino*.
ADMATREM *Magnam*, cœnobium præclarum Hirpinorum in monte excelſo, ab Abellino urbe 4. mill. paſſ. diſtans, vulgo *M. Vergine*. Ubi caput totius Ordinis cognominis.
ADMAUROS, pagus Norici in Auſtriâ. *Liber*. *Notit*. *Maurkirchen Lazio*.
ADMORUM, locus Hiſpan. inter Acci & Carthaginem Spartariam. *Antonin*.
ADMUROS, Auſtriæ oppid. *Antonin*. *Sommerein Lazio*.
ADMURUM, villa Albionis in Angliæ Scotiæque confinio *Walltowne*, teſte *Camdeno*.
ADNONUM, Venetiæ *Meſtre*, oppid. Marchiæ Tarviſinæ, prope Venetias, ad Muſonem fluv.
ADNOVAS, vide *Novæ*.
ADOCULUM *Marium*, Africæ locus in *tabula Peutingeriana*, à *M. Velſero* edita.
ADOLIVAM, locus Mauritaniæ Cæſarienſis, apud *Antoninum*. *Olivenſis* meminit *Collatio Carthaginenſis*.
ADPALATIUM, vicus inter Tridentum & Veronam. *Antonin*. *Palazzo* hodiè *Simlero*.
ADPALUDES, locus Arabiæ *Straboni*. *Arabicas Paludes* vocat *Solinus*.
ADPERTICAS, prope Ticinum, *S. Maria delle Pertiche*, vicus Italiæ, in Ducatu Mediolanenſi, prope Paviam.
ADPINUM, locus in Samnio. *Antonin*.
ADPISTORES, vide *Piſtoria*.
ADPONTEM, Hiſpaniæ locus circa Gades. *Antonin*. vide *Pons* & *Pons Ælii*.
ADPONTUM, oppid. Albionis in Anglia, *Pons Ælius* in *Libro Notitiarum* medium inter Lindum urbem, & Vetomacum oppid 19. mill. paſſ. Londinum verſus. *Paunton*, teſte *Camdeno*. Item Hiſpan. locus circa Gades. *Antonin*
ADPORTUM, locus Mauritaniæ Cæſarienſis. *Scheda* 3. *Peutingeriana*.
ADPUBLICANOS, Galliæ Narbonenſis locus. *Antonin*.
ADPULVINOS, locus maritimus in Sardiniâ. D. Paulinus *ad Macar*.
ADPUTEA, In Hiſpania locus *Antonino*, inter Liminium & Cæſaraugustam: *Ad puteal* mavult ſcribere *Hieronymus Surita*.
ADPYRUM, urbs Germaniæ ſuperioris videlic. Spira. Vide *Pyrimons*.
ADREGIAS, Mauritaniæ Cæſarienſis locus. *Antonin*.
ADROTAM, *Antonin*. *Simlerus* ſcribit, eam eſſe Numidiæ urbem, quam D. Auguſtin. *l*. 3. *contra Creſconium*, *Rotarium* vocat.
ADRUBRAS, Hiſpaniæ Bæticæ locus, circa Anæ fluv. oſtium.
ADRUBRASPETRAS, Italiæ locus: ejus meminit Martial. *l*. 4. *Epigr*. 64.

Fidenas veteres, breveſque Rubras.

ADSALICES, circa Danubii oſtia locus in Mœſia inferiore *Antonin*.
ADSALINAS, vide *Publicii* vicus.
ADSEPTEMARAS, vide *Septem aræ*.
ADSEPTEM *fratres*, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, ſic dicta ab æqualitate ſeptem montium; vulgò *Ceuta*. Vide *Septem fratres*.
ADSEPTIMUM, locus Hiſpaniæ inter Aſturicam & Tarraconem. *Antonino*. *Simlerus* legit, *Ad Decimum Septimum*.
ADSEX *Inſulas*, & *ad tres Inſulas*, loca Mauritaniæ Tingitanæ, *Antonin*.
ADSILANUM, Galliæ locus circa Garumnæ fontes. *Scheda* 3. *Peutingeriana*.
ADSORORES, pagus Hiſpaniæ Luſitaniæ apud Emeritam urbem. *Antonin*. *Val de Fuentes*, teſte *Jac. Delgado*.
ADSTABULUM, in Mauritania Cæſarienſi. *Scheda* 3. *Peutingeriana*.
ADSTATUAM, ad fretum Mamertinum locus. Vide *Mamertinum*.
ADSTATUAS *Coloſſas*, urbs Hungariæ ad Danubium. *Lib*. *Notit*. *Lazio Colocza*. Item locus inter Aretium & Cluſium Tuſciæ urbes. *Antonin*. Et in Hiſpaniâ circa Sucronem. Vide *Colocza*.
ADTITULOS, Liburniæ urbs. *Antonin*.
ADTRES *Inſulas*, Vide *ad Sex Inſulas*.
ADTRICESIMUM, vide *Triceſimum*.

ADTURREM, Sardiniæ urbs *Antonino*, *Turres* vocavit *Vict. Uticenſis*. Vide *Plubium*.
ADTURRES, *Antonino* Italiæ urbs: in Calabria ſita eſt: & *Blazio* dici ſcribit *Barrius*: Eadem *Antonino* in Liburnia quoque urbs. Vide *Turris*.
ADURSUM *pileatum*, locus urbis Romæ, ubi nunc ædes S. Balbinæ.
ADARCHIAS, ſive ut *l*. 8. *c*. 1. ſcribitur *Atharias*, in exercitu Alexandri omnium apud Alicarnaſſum à junioribus prælium, unus maximè, & quidem jam ætate provectus, accendit. Idcirco à rege in fortitudinis præmium Chiliarchiâ donatus, Curt. *l*. 5. *c*. 2.
ADARCHIDÆ, gens Libyca. *Steph*.
ADARESER, fil. Rehob, rex Saba. 2 Sam *c*. 8. *v*. 3.
ADARI, Arabiæ Felicis oppid. *Ptol*.
ADARIMA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol*.
ADARSA, civitas juxta quam Judas Machabæus cum tribus millibus proſtravit Nicanorem. 1 Machab. *c*. 7. *v*. 40.
ADARUPOLIS, urbs Perſica. *Steph*.
ADASA, Palæſtinæ locus, Joſuæ *c*. 15. *v*. 37.
ADASATHRA, *Ptolemæo*, *Adiſathra* Interpreti, Indiæ intra Gangem oppid.
ADASER, nomen urbis 1 Macchab. *c*. 7. *v*. 45. Lege *Adaſa*.
ADASPIOS, populos Aſiæ habet Oroſius *l*. 3. *c*. 18. ab Alexandro M. ſubjugatos *Adharpios* legit membraneus codex manuſcriptus Ortelii. *Aſpios* hôc tractu novit *Arrianus*. Vide *Hydaſpios*.
ADASTRUS, Phryx.
ADATA, vide *Adada*, & *Adapa*.
ADATTHA, Armeniæ majoris urbs in Rhavenæ præfecturâ. *Ptol*.
ADAUGMAGDUM, Africæ urbs, apud *Antoninum*.
ADAZER, urbs. 1 Macchab. *c*. 7. *v*. 45.
ADBARIS, vide *Barium*.
ADBEEL, fil. Iſmaelis. Gen. *c*. 25. *v*. 13.
ADBELUM, oppid. Plin. *l*. 5. *c*. 23. 37. Vide *ad Belum*.
ADBUCCILLUS, Galli cujuſdam nomen apud Cæſ. *Bell. Civ*. *l*. 3. *c*. 59
ADCANTUANNUS, dux Aquitanicus. Cæſar *de bello Gall*. *l*. 3. *c*. 22. ubi tamen Maximus Planudes, ſeu quiſquis alius vetus Græcus Interpres Ἀδιατόμαγος legit.
ADCRESCENTES, in *l*. 11. *Cod Theodoſ. de Re milit*. & *l*. 6. *ac* 7. *Cod. de Tyron*. & *l*. *un*. *Cod. de Claſſic*. dicti potiſſimùm milites χαλκίζοντες, ſeu, qui non militabant, ſed, militaribus numeris adſcripti, in locum legitimorum militum amiſſorum ſubrogabantur, ut ita numerus ſi quando eſſet imminutus, repararetur: ad quarum *LL*. illuſtrationem adhibendus omnino Auctor vetus ſubditus *Notitiæ Imperii c*. 5. *Supplementa* appellantur in *l*. 9. Cod. *Theodoſ. de Tyron*. *l*. 3. *Cod. de Tabular*. & apud Amm. Marcellin. *l*. 21. Gall. *les Recrues*, milites ſcil. qui in locum amiſſorum adcreſcunt. Adde *l*. 7. *Cod. Theod. de Cenſu*, Car. du Freſne *Gloſſ*.
ADDÆA, Meſopotamiæ urbs, *Ptolem*.
ADDANIS, *Marciano* fluv. Carmaniæ eſt, quem *Ptolemæus* Ἀνάμιν, Arrianus *in Indicis* Ἄναμιν vocat, καὶ πλῶσαν ἐς ποταμὸν ὁρμίζονται, ᾧ τῷ ποταμῷ Ἄναμις· ὁ δὲ χῶρος Ἁρμόζεια ἐκαλέετο. *Et navigantes ſtadia centum, appellunt ad fluvium Anamin: regio autem Armozea dicebatur*. Vide Salmaſ *ad Solin*. *p*. 1170.
ADDAR, Palæſtinæ locus, Joſ. *c*. 16. *v*. 5. in ſorte Benjamin. Hieronym. *in Locis Hebr*.
ADDARAM, in Palæſtina locus. Joſ. *c*. 15. *v*. 3.
ADDAS, alius *Theodolfus*, & *Tredulfus* ſecundus Rex Saxonum, in Northumbria Angliæ. Idæ ſucceſſor, regnavit ann. 12. ſeculo 6. *Polyd. Vergilius*, *l*. 4.
ADDEMNE, locus in tribu Nephthalim. *Hieronym in Locis Hebr*.
ADDENSATOR, ἀρχοποδίτης, *Gloſſar*. *i*. *e*. *fullo*. Aliæ *Gloſſ*. ὀρχοποδία, *arcipedium* (qua de voce vide *ſupra*) *addenſatio*. Ὀρχοποδεῖν namque ſeu *arguttare pedibus*, propriè de fullonibus dictum, dum ſaltu illô ſuô fullonicô veſtimenta condenſant. *Titinnius* de fullone, *Terra hæc eſt, non aqua, ubi tu ſolitus argutare pedibus, cretam dum compeſcis veſtimentaque lavis*. Quia autem illi, dum veſtimenta cogerent & denſarent, ſaltabant, hinc *denſare* hodieque Galli dicunt, pro ſaltare; illorum enim *danſer* eſt à Latino denſare&c. Salmaſ. *ad Jul. Capitolin in Maximinis*. *c*. 3.
ADDENSE, municipium, in Mauritania Sitiphenſi. *Amm. Marcellin*.
ADDEPHAGIA, Edacitas, Dea Siculorum, Ælian. *Var. Hiſt* *l*. 1. *c*. 27. Hujus templum in Sicilia viſebatur, Cæl. Rhodig. *l*. 7. *c*. 11.
ADDERE Circenſes, apud Æl. Lamprid. in *Commodo*, *c*. 16. *Circenſes multos addidit, ex libidine potius, quam religione & ut dominos factionum ditaret*. Ubi minus rectè in membranis, *edidit*. Contrà eadem *in Antonino Pio*, *Circenſis addidit*, non ut vulgò *edidit*: eſt vel dies ejus *ludos*, ſeu *ſpectacula*, multiplicare, vel bigarum adjectione & miſſuum multitudine, ſeu multiplicatione ſpectaculum protrahere, quod interdum fieri conſueviſſe, vel Suetonii unius varii loci declarant. Addam unum ex ejus *Nerone*: *c*. 22. *Neque diſſimulabat velle ſe palmarum numerum ampliare: quare ſpectaculum multiplicatis miſſibus, in ſerum protrahebatur, ne dominis quidem jam factionum dignantibus, niſi ad totius diei curſum greges ducere*. Caſaubon. *ad Lamprid. loc. cit*.
ADDEXTRATORES vide infrà *Adextratores*.
ADDI, pater Melchi Luc. *c*. 3. *v*. 28.
ADDIANUM, Africæ propriæ urbs, circa Hipponem Regium: *Antonino*. Vide *Diana*.

ADDI-

ADDICERE, verbum Augurale, vide infrà Soliſtimum tripudium.

ADDICTI, vide infrà *Debitum*.

ADDIDA, urbem Judeæ habet Joſephus *Jud. Antiquit. l.* 13. ſuper montem ſitam, unde Judææ campi patefiunt. *Addida* eſt 1 Machab. c. 12. v. 38. *Adus* legit D. Hieronym. vide *Adida*.

ADDIRDAGA, vox Syriaca, *piſcem magnificum* denotans; unde *Atargatis*, quæ aliàs *Derceto*, & ſub piſcis ſpecie colebatur. vide Salmaſ. *ad Solin p.* 574.

ADDO, fil. Ioah. 1 Paral. *c.* 6. *v.* 21. Pater item Barachiæ; Aliàs *Iddo*. Item nomen Prophetæ. 2 Paral. *c.* 9. *v.* 29. Vide etiam *Adon*.

ADDOMIN, in tribu Judæ, hodie Maledomin vocatus. D. Hieronym. *in Loc. Hebr.*

ADDON, nomen loci, Nehem. *c.* 7. *v.* 61. qui & *Adon*, Eſdr. *c.* 2. *v.* 59.

ADDUA, fluv. Galliæ Ciſalpinæ, qui, ut nonnullis placet, Larium lacum ingreditur, & ex eo integer emergens in Padum influit: bonos quidem piſces nutrit, & potiſſimum timulos. Plin. *l.* 2. *c.* 103. *Adua* dicitur *Polybio*, *Adnus Straboni*. *Davity*. fluv. Vallis Telinæ habet, cujus ſabulo aurum permixtum inter. Claudian. *de 6. Conſulatu Honorii*,

> - - - - *Celer Addua noſtrô*
> *Subcutum jacerê.* - - - - -

Idem *ibidem*.

> *Colla levant pulcher Ticinus & Addua viſu*
> *Ceruleus.* - - - -

Idem *alibi*,

> *Addua quo ſciſſas ſpumoſior excitat undas.*

Sidonius Apollinaris,

> *Ulvoſum Lambrum, ceruleum Adduam, velocem Athefim.*

Nic. Lloydius.

ADDUA Glarea, *Giera d' Adda*, regiuncula Italiæ, in Ducatu Mediolanenſi, inter *Adduam*, & Serium fluvios, celebris victoriâ Ludovic. XII. Francorum Regis contra Venetos, prope vicum *Agnadello* in illo tractu.

ADDUS, Civitas in tribu Ephraim ſita in monte, unde patebat longè proſpectus in ſubjectum campum.

ADDUS, fluv. Vallis Telinæ aurifer, *Davity*. Vide *Addua*.

ADDYMA, oppid. Mauritaniæ Cæſarienſis mediterraneum. *Ptol. Tod. Velez*, ut aliquibus videtur.

ADEA, regnum Africæ, in ora Orientali Æthiopiæ, ubi Magodoxium Urbs cum portu, in Zanguebaria regione. Vide Sanut. *l.* 12.

ADEBA, Ilercaonum urbs in Hiſpan. *Ptol.*

ADEDA, oppid. Hiſpaniæ, ubi forſan *Ampoſta*, ad oſtia Ibera fluv. in Catlonia Provinc. *Sanſon* eſt *Adebra* ſupra Dertuſam.

ADEDI, vicus Arabiæ Felicis, *Ptol.* vide *Aden*.

ADEL, Sueciæ Regis fil. aut nepos Gothari Regis Suecorum & Gothorum. Obiit, equô excuſſus, ad fores templi Dianæ. *Hiſtor. Suec.*

ADEL, regnum Africæ, in ora Orientali Æthiopiæ, cum urbe cognomine verſus fauces maris rubri, in Zanguebaria regione ad *Adelum* fluv. vide *Hiſtor. Æthiop.* Urretæ *l.* 1. *c.* 32. Marmol. *l.* 10. *c.* 7. Aliis *Azania*. Vide ibi.

ADELA, Ludovici Gallorum Regis filia, quam Ricardus Anglus ob ſuſpicionem violatæ virginitatis repudiavit. Polydor. Virgil. *l.* 13. & 14. & Ludovic. Vives *de officio mariti*.

ADELARDUS, Abbas quidam, qui corpus Edgari, Regis Anglorum Glaſconiæ integrum & incorruptum invenerat, cùm anguſto loculo includere non poſſet, ferrô læſit, unde exemplò ſanguis promanavit largus: quô viſo exterritus, temploque egreſſus, brevi poſt obiit. Vicentius *l.* 24. *c.* 25.

ADELBAIS, vel potiùs *Adelhais*, vidua Lotharii Imperatoris, Ottoni M. poſtmodum nupſit, Ottonis Junioris Henrici, Brunonis & filiæ cognominis quam Hugo Capetus duxit, ex illo mater. Flodoard. *in Chron.* Paul. Æmil. *l.* 3. Baron. *A. C.* 973. Vide *Adelus*, & *Adelheidis*.

ADELBERO, Bojorum Dux, Cunegundæ Imperatricis frater. Aventinus *Hiſt. Bojorum*.

ADELBERTUS, ultimus Italiæ Rex, ab *Ottone* I. *Imperat.* captus ac in Bavariam relegatus eſt; quô factô Italia Imperio Germanico eſt ſubjecta A. C. 969. Hornius *Orb. Imper.*

ADELBERTUS, Dux Alſatiæ, fil. Ethiconis ſeu Athici, (qui Ducatum hunc, à Theodorico Rege nactus, Ehenhemii habitavit) fundator fuit templi, quod *B. Stephano* Argentinæ dicatum: Pater Eberhardi, fundatoris Monaſterii *Morbacenſis* A. C. 724. Luitfridi, qui Comites Neckergavios & Sundgavios progenuit, ac Masonis. Fratrem habuit Ethonem ſeu Hettonem, à quo Auſtriaca familia orta, vide Phil. Jac. Spenerum *in Fam. Auſtr.* & infrà in voce *Albertus*.

ADELBERTUS, Babenbergæ Regulus, ab Attone Moguntiæ Epiſcopo, ultra fidem datam, iniquè traditus Ludovico regi hoſti ſuo capitali.

ADELBERTUS, Epiſcopus Pragenſis, Bohemos ob malam vitam deſeruit: Ungarorum plurimos, cum Stephano Rege convertit: in Polonia Archiepiſcopus Gneznenſis creatus docuit: ſub finem ſeculi 10. Vide infrà

ADELBERTUS, ſive Albertus, Bavariæ Comes, ab Henrico III Imperatore, Archiepiſcopatum Hamburgenſem & Bremenſem aſſecutus, Metropolitanus Aquilonarium regnorum: cùm ſub Henrico IV puero Imperii gubernacula teneret, in eos qui vel in regem Henricum manus injeciſſent, vel Eccleſiaſtica bona invaſiſſent, animadverſionem meditatus, conſpiratione principum, Hannonis præſertim Colonienſis Archiepiſcopi, ex aula pulſus, ab Ordulfo & Magno Saxoniæ Ducibus, fortunis omnibus exutus, alienâ miſericordiâ per triennium exul vixit. In gratiam receptus ab Imperat. cum Colonienſe quoque in gratiam rediit, & Vicedominatum adeptus eſt. Gloriæ tantum induſit, ut non jam Latinô more Eccleſiaſtica vellet obire miniſteria, ſed neſcio quâ Græcorum conſuetudine per tres miſſas, quibus adſtabat, ubicunque eſſet, duodecim modulari præcepit officia, omnia magna quærens, omnia mirabilia, omnia glorioſa, divitiis & humanis in rebus: & ideo dicitur fumô delectatus aromatum, & fulguratione luminum, & tonitruis altè boantium vocum: quæ omnia traxit a lectione Vet: Teſtamenti, ubi majeſtas Domini dicitur apparuiſſe in monte Sinai: plurima inſuper ambitionis ſuæ indicia protulit: tandem graviſſimô dyſenteriæ morbô correptus, & uſque ad oſſa attenuatus ſpiritum exhalavit, A. C. 1062. Crantzius *l.* 4. & 5. *Metropol.*

ADELBERTUS, Eporediæ Marchio, qui Berengarii gener erat, atque ex filia ejus Giſla Berengarium genuerat, eum qui poſt & ipſe regnum Italiæ tenuit: tanta ſanctitate ab ineunte pueritia fuit, ut ſi à venatione fortè revertens in pauperem incidiſſet, neque præſentem pecuniam, quam ei daret, habuiſſet, coram, quod pretioſum collo geſtabat, elargiretur, & poſt ab eo, quanti æſtimaret, redimeret. At mox regnandi libidine accenſus, in Lambertum regem, ſic poſt etiam Ottonem de regno deturbare ſtuduit. Sigonius *l.* 6. *regni Italici.* De *Adelberto*, ſeu *Berengario*, qui regnô Italiæ, ab Ottone 1. cedere coactus eſt, 6. ſeculô. Vide Genebrard. *in Chron.*

ADELBERTUS, Hamburgenſis Archiepiſcopus profuſiſſimus & ambitioſiſſimus, videns eccleſiam ſuam, quam Adaldagus, deceſſor ſuus principum moleſtiâ liberam fecerat, iterum in id ipſum recidiſſe, ſummô ſtudio conatus eſt eam reddere priſtinæ ſuæ libertati, ita ut nec dux, nec comes, nec aliqua judiciaria perſona ullam juriſdictionem haberet in ſuo archiepiſcopatu: quod cùm per ſummum multorum odium fieri non poſſet, totus ad utilitatem palatii confugit, nec ſibi, nec ſuis, nec eccleſiæ pepercit, Cæſarem Henricum III. & aulicos placando, dum-modò id efficeret, ut eccleſia liberaretur: proinde tantos ultus eſt in curia labores toleraſſe, ut indefatigabilem ejus conſtantiam miratus Cæſar, ad omnia rei publicæ conſilia primum illum habere voluerit: expeditiones in Hungariam, Vandaliam, Italiam, Flandriam cum Cæſare fecit multas. Ædificiorum & pompæ ſplendore etiam cum regibus certans, humilitatem ſolis exhibuit ſervis Dei, pauperibus & peregrinis, adeò ut ſæpe, antequam cubitum iret, triginta aut amplius mendicantibus ipſe genu flexô pedes lavaret: principibus autem ſeculi & coæqualibus ſuis humiliari nullo modô voluit. Crantzius *l.* 4. *Metropol.* ſed hoc fortaſſis ambitioni tribuatur, majoribus vel paribus cedere nolle, ne ſe inferiorem eſſe fateatur, minoribus per omnia cedere, quibus ſe ſuperiorem eſſe nemo non ſciat. Conſpiratione principum imperii, ab aula Henrici IV. Imperat. ejectus, nunquam balneis uſus eſt, neque hilaris viſus eſt, raròque conceſſit in publicum: ex dyſenteria decumbens, ex qua etiam periit, tanta fuit animi magnitudo, ut nunquam ab aliquo vellet ſuſtentari, nunquam emitteret vocem doloris. Crantzius *l.* 5. *Metropol.*

ADELBERTUS, Moguntinenſis Archiepiſcopus, Henricum filium contra Henricum I. Imperatorem patrem concitavit: Imperatorem contra Paſchalem II Papam irritavit: Calixto II. ut Imperatorem excommunicaret, author fuit, unde bellum ingens civile in Germania exortum eſt. Saxonibus, ut rebellarent Imperatori, ſuaſit. Aventinus *l.* 5. Friſingenſis *l.* 7.

ADELBERTUS, Lucæ Marchio, ſuaſu uxoris ſuæ Bertæ, inquietis ingenii fœminæ, occultè adverſus Lambertum Imperatorem exercitum comparavit, in ſocietatem aſcitô Hildebrando comite, regni cupiditate accenſus: Lambertus autem, cùm per aliquot dies aſſiduis venationibus intentus cognoviſſet, Albertum cum diverſis & infirmis copiis ſuperare montem Bardonem, ne tempus in accienda majore exercitu tereret, ſtrenuos centum, quos ſecum in armis habebat, milites ſumpſit, ac properè adverſus hoſtem eduxit. Illi ex monte in campos ad burgum S. Domnini degreſſi, cibo ac potui largius indulſerunt: ac quieti ſe tradiderunt. Lambertus Placentiâ ſilentiô noctis profectus, ac repente agmine factô eos oppreſſit: ipſe Adelbertus in præſepio, cùm ibi fortè latitaret, eſt captus. Sigonius *l.* 6. *regni Italici.*

ADELBERTUS, Epiſcopus Pragenſis, A. C. 997. in Pruſſiam profectus, populum illum à gentili ſuo errore invertere conabatur: ſed fruſtrà, hanc ſibi ſumens operam, ab eis occiſus, corpuſque ejus in minutas partes diſſectum, avibus in eſcam objectum eſt. Vide ſupra.

ADELBERTUS, Wormatienſis Epiſcopus, Frater Rudolphi Ducis Sueviæ, corpore monſtroſô (altero enim pedum claudus) ſupra modum vorax, corpore ita obeſô & craſſô fuit, ut aſpicientibus incuteret horrorem: atque ipſâ adipis mole tandem ſuffocatus eſt, A. C. 1070. Chronicon Hirſaugienſe.

ADELBERTUS, cognomento Urſus, Orientalis Sclaviæ Dominus, qui profligatis oppreſſiſque Sclavorum contumacibus ad Havelam Albimque degentibus, Hollandos, Flandros & Rheni accolas ſubſtituit, quibus urbes & oppida rurſus incolenda dedit. Helmoldus *in Sclavorum Chronico. c.* 89.

ADELBURGIS, matrona quædam in Falderenſi parochia, in villa Horgene, Vicelino Epiſcopo Aldeburgenſi, Vandalorum Apoſtolo, propter vitæ ſimplicitatem admodum familiaris: hanc poſt luminibus orbatam ille conſolari frequentiùs ſolebat: poſt obitum ejus vidit mulier cæca in viſione nocturna aſſiſtentem ſibi Vicelinum, & de ſtatu ſuo percunctantem: cui illa, quæ (inquit) mihi ſalus, quæ in tenebris ſum, & lumen non aſpicio? ille ſtatim protendens dextram, ſignum crucis oculis ejus impreſſit, adhibens benedictionem, & abiit: manè factô evigilans mulier, viſu receptô, prona cecidit in terram, prorumpens in gratiarum actionem: ſi fidem meretur Crantzius *l.* 4. *Vandal. c.* 20.

ADEL-

ADELDAGUS, Epiſcopus, trium Othonum cancellarius, qui Haraldum Daniæ Regem baptizavit, & multos doctores ad Septentrionales miſit.

ADELEIS, Rutenorum Regis filia, uxor Henrici IV. Imperat. in quam cum acerbum odium concepiſſet, in carcerem conditam omni contumeliarum genere afficiendam ac prope lacerandam ſubcegerat; itaque ad cætera illata probra cum Nicolaitarum more multis eam ſtupro violam proſtraviſſet, idem Conrado etiam filio ut faceret, imperavit. addidit inde flagitio contumeliam. His de rebus Adeleis cum forte pavens è carcere evaſiſſet, ad Mathildem Lambardiæ & Tuſciæ principem, Henrici hoſtem, in Italiam ſe recepit, ac ſupplex miſericordiæ ejus ſubſidium imploravit. Mathildis benignè exceptam Urbano II. Pontifici commendavit. Urbanus verbis mulierem conſolatus, atque ut in monaſterium iniret hortatus, remiſit domum. Sigonius l. 9. regni Italici.

ADELETA, uxor Lotharii Imperat. quô defunctô à Berengario, qui Veronæ Imperator declaratus fuerat, in Gardenſem arcem relegata, ibi ad id inopiæ redacta eſt, ut, emendicatô per nuntium cibô, calamitoſam tueretur vitam: ergo clàm ex Garda profecta, ad Alcardum Veronæ antiſtitem ſe contulit: is, quia locum, ubi tam illuſtris fœmina latere poſſet, non habebat, eam ad Accionem avunculum ſuum, quondam Lotharii amicum, clandeſtinè miſit: cujus operâ tam diu in ſuburbano quodam ad decimum lapidem latuit, quoad Othoni primo, uno Accione auſpice, nupſit. Otho illam in Germaniam duxit, habuitque ex ea filium, qui Otho Secundus eſt ita cognominatus. Sabellicus l. 4. Decad. 9.

ADELFATUM, Ἀδελφᾶτον Græcis recentioribus, congregatio & contraternitas, ab Ἀδελφὸς, frater. Is enim omnes etiam fratrum ut us, quæ ſibi adſunt, præfecturis & œconomiis & muneribus & officiis; quæ illis adſunt, quæ dicuntur Adelphata, Balſamon can. 37 in Trull. ubi alia vocis notio. In donatione Monaſterio Caſinenſi à Tertullo, ubi fit mentio fratris ejus Familiani, legitur: Una cum beatiſſimo noſtro exadelpho cariſſimo, apud Dominic. Mactum in Hortuleuco. In Vita Ms. Magnobodi Epiſcopi Andegavienſis c. 26. Adelphi dicuntur Monachi, Fratres Græce ἀδελφοί. Vide Meurſium in Ἀδελφᾶτον, eſtatum Car. du Freſne Gloſſ.

ADELGERION, Regulus German. à Clodovæo I. victus. Ducalique dignitate contentus eſſe coactus eſt. Quidam illum faciunt primum Bavariæ Ducem, Ammian Marcellin.

ADELGISIUS, Deſiderii Longobardorum Regis fil. Aimoin.

ADELGISUS, Azotenorum Longobardiam infeſtantium Soldanus, qui legatum Capuanorum & Beneventanorum, ope à Baſilio Imperat. Conſtantinopolitano imploratâ redeuntem, lectis quas ferebat literis, ſexcentis confodit ictibus. Cuſpinian. in Baſilio, ex Zonara & Cedreno.

ADELHAIS, alias Praxeda, uxor Henrici II. de qua vide Bertold. & Baron. A.C. 1094. 1095. Fuit idem nomen commune pluribus illuſtribus fœminis ex Francica, Sabaudica, Germanicaque familiis principalibus. Vide Adelaida & Adelheidis.

ADELHARDUS, Hirſaugienſis cœnobii monachus, religioſus & doctus, ex graviſſimo capitis dolore viſum amiſit: ac poſt ceſſantibus doloribus, annis, ferè 20. & tribus ſupervixit. Donô prophetiæ illuſtris erat cæcus: triennio enim antè & diem, & horam ſui obitus fratribus indicavit: Monaſterii vaſtationem quæ poſt annos 80. ſecutura eſt, vivis coloribus ac ſi ejus ſpectator fuiſſet, depinxit. Moritur A. C. 914. ætatis 78. Trithemius in Hirſaugienſi Chronico.

ADELHEIDIS, Friderici Saxoniæ Principis uxor, formâ venuſtâ, ſed libidinum flammis furens, poſthabitô mariti ſui thorô, cum Ludovico Thuringiæ Marchione clàm conſuevit, & ut honeſtate conjugii facinus tegeret, cum adultero de tollendo conjuge conſilium iniit. Itaque die quôdam mœchus equitum turmâ ſtipatus ad colloquium evocat Adelheidem: quô finitô, arci, vicinam ſylvam ingreditur, atque in ea venari incipit. Adultera ex compoſito virum in balneis tum exiſtentem accedit, magnamque animi indignationem ſimulans, ipſum timiditatis arguit: quòd Ludovicum ad arcem ſuam venari patiatur. Fridericus paucis comitantibus Ludovicum inſequitur: ibi cùm ex verbis ad verbera perventum eſſet, Fridericus occubuit, A. C. 1065. Itaque Ludovicus & Adelheidis matrimonium nefarium contraxêre. Chronicon Merſburgenſe l. 2. c. 12.

ADELHEIDIS, Monialis quædam in partibus Rheni, in oppido Bingen, claruit A. C. 1140 cum ad templum iturâ ſeſe exquiſitè ornaſſet, in viâ pedem arboris radici tantô impegit impetu, ut corrueret: elevata à pediſequis dixit, fiat quæſo hæc corporis mei offenſio & caſus, animæ meæ reſurrectio & ſalus: protinuſque depoſitô mundô muliebri, tuguriolum quoddam ad parietes eccleſiæ ingreſſa eſt, & toto vitæ tempore ſe in eo continuit: frequenter rapta in ſomnis, & didicit quæ non ſolùm eloqueretur, ſed quod Latinè alus dictaret: multa etiam prædixiſſe fertur Nauclerus generat. 39. Hiſtor. Ulmenſis.

ADELHELMUS, Durotellus, Inæ Anglorum Occidentalium regis ex patre nepos, in Bladunenſi, vel Malmesburienſi cœnobio educatus, omnes Theologos ſuæ ætatis ſuperavit: moritur A. C. 709.

ADELICIA Lotharinga, Henrici primi, Anglorum Regis, uxor. Polydor. Virgil. l. 11.

ADELINDA, Caroli M. Imperat. concubina, ex qua Theodericum procreavit. Cuſpinianus.

ADELINGUS, à Saxonico Ædel, vel Ædelam, i. e. nobilis, cognomen: Anglo-ſaxonibus olim uſurpatum pro Regia Sobole, & Regum Succeſſore, quem Galli Domicellum vocabant, apud Marculfum. Scriptore Latini ejus ætatis clitonem: Brittanni athelinghood &c. Et Comites tamen Legum veteri Interprete, & Lambardo recentiore etiam Regni Magnates, præſertim Comites & illuſtriores: imo ex Nithardo l. 4. omnem Saxonicam Nobilitatem, ſub Adelingorum appellatione cenſitam olim, colligit Speimannus Gloſſar. Archaeol. quod nec dum apud Germanos antiquatum. Eſt autem Ling, Saxonica paragoge: pro filio vel juniore: unde Eadmonling, fil. Eadmundi, Salinge, Harlinge, Carlinge, a Sala, Harleo, Carolo, profecti: Nordalinge, (ita Normanni dicti ſunt) quaſi filii Aquilonis: hodie ab Anglis Dani Eaſterlings, quaſi Orientis Soboles, appellantur, Idem. Vide quoque ſuprà Adalingi.

ADELITTI, & Almogaveri, populi Hiſpanis ita dicti, qui ex volatu avium, ex voce, ex ferarum occurſu aliarumque rerum plurimarum ariolantur quid boni malique ſit eventurum, deque auguriis omnibus prognoſticis libros habent diligentiſſimè ſcriptos. Horum alteri ſunt duces ac velut magiſtri, alteri comites ac diſcipuli. Eſt & alia horum peritia, inveſtigare tranſitus non equorum modò jumentorumque, ſed hominum quoque, per veſtitam, per nudam, per duram humum, per lapides, per ſaxa, ut nec numerus eorum, qui tranſierunt, eos unquam fallat, qui appoſitâ voce Inveſtigatores dici poſſunt. Laurentius Valla l. 1. Hiſtoriarum.

ADELLUM, Hiſpaniæ oppid. Antonino.

ADELMAN, Epiſcopus Sebuſianorum, ſcripſit contra Berengarium, de præſentia corporis Chriſti in S. cœna, Circa A. C. 1060.

ADELMUS, vel ADHEMARUS, ob eruditionem & probitatem, magno apud Carolum M. in pretio. Scripſit Hiſtoriam Franciæ, quam Aimoin ſuæ totam inſeruiſſe ſe fatetur, l. 4.

ADELON Adelingus, nomen Friſii cujuſdam, qui ſub Carolo M. de moribus Indorum ſcripſit, Abgillæ ϲυγγραφ, de quibus vide Voſſ. l. 2. de Hiſt. Lat. c. 32.

ADELPHENA, Francorum Regis filia, ſumpta in matrimonium à Theudorico. Euſebius.

ADELPHII, Hæretici, vide Meſſalini, it. Euchitæ & Precatores, Iidem alias Adelphiani.

ADELPHIUS, Conſul Romanus Æmi collega. an. Urb. Cond. 1102.

ADELPHIUS, Rauracenſium Epiſcopus, (Baſilea autem Rauracorum caput) primæ ſynodo, quam Franci poſt receptum Chriſtianiſmum, A. C. 514. Aurelis celebrârunt, interfuit, atque alteri poſtea, ſub Childeberto Rege A. C. 537. ibidem coactæ, Aſclepius presbyter, Adelphius vicarius, ſubſcripſit. Urſtiſius, Hiſtor. Baſil.

ADELPHIUS, Hiſtoricus, Marco Antonino familiaris, qui ejus in Parthos expeditionem conſcripſit, in qua & ipſe adfuit, & præfuit. Strabo l. 11. Quanquam non diſplicet conjectura Caſauboni legentis ὁ Δέλλιος. Ita ſanè cum appellant Plutarchi codices in Antonio. Dioni quoque ſimiliter vocatur, ex quo & prænomen ejus diſcimus, nam Quintum Dellium vocat. Vide quæ de eo prodidit, l. 49. & 50. Sed Marci Senecæ Suaſoria primâ dicitur Dellius, uti & L. Senecæ, l. 2. de Clementiâ, c. 10. quanquam ibi vulgò ſit Duillius. Sed Dellius legi debere, jamdudum Lipſio obſervatum, ad l. 1. Annal. Taciti. Etiam Horatii l. 2. Ode 3. ad Dellium ſcripta eſt, mò in pleriſque diſertè legas Q. Dellium, ut illâ quæ ante ſeculum Baſileæ cum Acronis commentariis prodiit: at nimis audacter pro eo Cruquius, contra omnium codicum fidem L. Gellium reponit. Nic. Lloydius.

ADELPHIUS, Proconſularis vir, cujus uxor fuit docta illa Proba Falconia, cujus Virgiliani Centones hodiè leguntur.

ADELPHONNESUS, vide Proconneſus.

ADELPHUS, Chaucorum Princeps, cum valida manu, à Carolo M. Francorum Rege, in Britannos miſſus victor rediit.

ADELSTANUS, vel ETHELSTANUS, Angliæ Rex, Edoardi ex concubina fil. regnavit laudabiliter, ann. 16. Saxonicè gemma, ſive lapis prætioſus: nam Ethel, ſeu Adel eſt Nobilis, Camdeno.

ADELVALDUS ſeu ADOLOALDUS, Langobardorum in Italia Rex, patri Agilulfo ſucceſſit A. C. 616. regnavit uſque ad A. C. 626. Phocæ tyranno coævus, Paul Diac. Longobard. l. 4. c. 31. Succeſſit Arioaldus.

ADELUARDUS, prædicator ab Adelberto Hamburgenſi metropolitano miſſus in Sueoniam. Crantzius l. 4. Metrop. c. 33.

ADELULFUS, Angliæ Rex, qui A. C. 851. vulgatâ Leonis IV. Pontificis ſanctitate permotus venit Romam, ac benignè exceptus; cùm ad baſilicam S. Petri adiſſet, damnatus voti, regnum ſuum tributarium eccleſiæ Romanæ conſtituit, ſingulis familiis numô argenteô in annos ſingulos obligatis. Sigonius l. 5. regni Italici.

ADELUS, Gothorum & Sueonum Rex, partâ de Danis magnâ victoriâ, fanum Dianæ Scythicæ pro agendis gratiis ingreſſurus, ſubitò equi lapſu attritus periit. Joannes Magnus l. 8. c. 22.

ADEM, Arabiæ Felicis Emporium, celeberrimi nominis, quo ex Æthiopia, India, & Perſide negotiatores conveniunt. Urbs eſt magnifica, ſitu, & ſtructurâ benè munita, ædificiorum nitore, atque frequentiâ celebris, murô & præcelſis ſepta montibus, in quorum ſummitatibus ardentes faces navigantibus portum oſtendunt. Peninſulæ formam quandam obtinuit, nunc autem hominum induſtriâ, undique aquis ambitur. Oſorius in Hiſt. Emmanuelis, & Munſter. Coſmog. l. 5. Aliis Aden. Capta fuit A. C. 1538. à Turcis, qui à paucis annis inde ejecti fuêre. Aliàs Arabia dicta fuit, 200. mill. paſſ. diſtat à faucibus maris rubri, in Cæciam, & totidem a Saba in Eurum. Vide Aden.

ADEMARUS, Chronicon Aquitaniæ ſcripſit, cum Chronologia. Circa A. C. 1110. Voſſ. l. 3. c. 6. de Hiſt. Lat.

ADEMNI, vide Adama.

ADEMON, ſeu ÆDEMON, ultimus herum, Ptolemæi, quem Caligula occidi curavit, Sueton. in Calig. c. 35. Mauritaniæ populos ad defectionem, ſed infeliciter, ſolicitavit, Plin. l. 5. c. 1. Dion, l. 60.

ADEMPRUM, vel ADEMPRIVUM, Cæſari Noſtradamo in Hiſtor. Provinc. p. 398. jus quoddam fuit, à Comitibus Provinciæ ſubditis ſuis impoſitum, ad expenſas faciendas, pro maritandis ſeu nuptum collocandis filiabus, pro expeditionibus Hieroſo-

lymitanis obeundis & pro terris acquirendis: quò caſu eadem eſſet vis vocabuli, ac *Auxilii*, de quo infrà. Sed non ſolius Provinciæ terminis circumſcriptam hanc vocem eſſe, cùm in Occitania, atque adeò in Hiſpania etiam, *Adempra* nota fuerint, ſumique ut plurimum pro qualibet præſtatione, docet *Car. du Freſne*. Origo vocis, ab *adimendo ſeu adempto* rebus, accerſitur Dion. Salvaingo in *Tract. de jurib. domin. c.* 40. Et certè legitur in *Charta* Wilhelmi Regis Rom. A. C. 1252 in *Probat. Hiſtor.* Sabaud. *Nec non* adempta, *quæſtus, tallias alias exactiones conſuetas* &c. Ita *ademptolo* in veteri *Charta*, apud Columbum *in Epiſcopis Siſtaricenſibus l.* 3. *num.* 23. idem ſonat, quod *tolta*, apud præfatum Car. du Freſne *Gloſſar.*

ADEN, ſuperioris Æthiopiæ urbs, A. C. 1513. ab Albuquercio fruſtra obſeſſa, Marmol. *l.* 10. *c.* 18. Maffæus, *l.* 5. *hiſt. Ind.* A Turcis capta, A. C. 1538. à Perſis, A. C. 1603. Vide plura *in Adem.*

ADEN, mons argentifer, in regno Fezzæ, Marmol. *l.* 4. *c.* 119.

ADENULFUS, Aquinatum Princeps, Hoſtienſ. *l.* 3. *c.* 21.

ADENYSTRÆ, Caſtellum permunitum, in Aſia. Theodoſ. ex *Dione*.

ADEODATUS, Romanus Epiſcopus. *Euſeb.*

ADEODATUS, dictus eſt Francorum Rex, Philippus Auguſtus quòd publicis votis ritè conceptus Lodovico Patri natus eſſet. Ludovicus item XIV. hodie feliciter regnans. Item, Jovinianı Romani fil. poſt Vitalianum Pontifex, *Sigebertus*, *Baron. A. C.* 676.

ADEODATUS, D. Auguſtini nothus, annorum ferè 15. ingeniô multos graves doctosque viros præcelluit.

ADEONA, Dea ab Ethnicis culta, quòd *adeundi* facultatem præſtaret. Auguſtin. *de C. D. l.* 4. *c.* 7. Vide *Abeona*.

ADEPS, Judæis olim interdictus, utpote res Deo ſacra ac devota Levit. *c.* 3. *v.* 16. *Omnis adeps Domini erit.* Et *v.* 17. *Nullum omnino adipem, nec ſanguinem comedetis.* Et Levit. *c.* 7. *v.* 23. *Non comedetis unquam adipem bovis, aut ovis aut capræ.* Et *v.* 25. *Quisquis comederit adipem ex iis pecoribus ex quibus offertur, quod igne abſumendum eſt, è populo ſuo exſcindetur ille, qui comederit.* Proinde Heli Sacerdotis filiis objicitur, ut grave crimen quòd victimarum carnes rapiebant, antequam *adipem* adolevissent, 1 Sam. *c.* 2. *v.* 14. 15. &c. Et quidem, in holocauſtis tota victima igne abſumebatur, in pacificis & peccatis viſcera ſolum & *adeps*, quod etiam in Agno Paſchali obtinebat, ut alia omittam. Interim circa legem hanc obſervant Magiſtri, 1. ejus violatæ reum eſſe, non qui per errorem, ſed qui per ſuperbiam, comederit, idque כזית *quantum oliva craſſa eſt*. 2. Non omnem omnino *adipem* prohiberi, ſed ſolùm bovis, ovis & capræ, quæ tria animalia Deo offerebantur. Levit *c.* 7. *v.* 23. 25. 3. Prohiberi ſub pœna mortis *adipem*, quò teguntur exta, renes & alia, quem adoleri jubet Deus Levit. *c.* 3. *v.* 9, 10. Unde analogicâ ratione concludunt, eum adipem prohiberi, qui carnem ambit, non qui in media carne latet, &c. Quæ, ut & hujus generis alia, habentur apud Maimonidem *tr. de vetitis cibis c.* 7, §. 1, 5, 8. &c. Duplex autem apud Hebræos *Adipis* nomen, vulgare חלב *chelebh*, & minùs aliàs obvium פדר *peder*, quod occurrit Levit. *c.* 1. *v.* 8, 12. & *c.* 8. *v.* 20. ubi de bove, hædo & agno, ſeu ariete, res eſt. E quibus poſterius hoc, non ſimpliciter *adipem* notat, ſed *adipem à carne ſejunctum*, à verbo פרד *parad*, quod *ſeparare* eſt, per metatheſin, Levit. *c.* 3. *v.* 9. & *c.* 4. *v.* 35. ut in unum collectus & in ignem conjectus alat flammam, quâ victimæ reliquæ partes citiùs & faciliùs abſumantur. Qua ipſa de cauſa, ut poſt Talmudicos obſervant *Selomo* & *Kimchius*, in victimæ capite, cùm in ignem conjiciebatur, *adeps tegebat locum decollationis*, qui alioqui tabo & ſanguine diffluens potuiſſet flammam extinguere: cujus ritûs veſtigia ſunt Exodi *c.* 29. *v.* 17. ubi viſcera capiti & membris, & Levitici *c.* 9. *v.* 20. ubi *adipes* victimæ pectori ſuperponuntur. Ut Græci, Jovi facientes ſacra, apud Homerum, *Iliad β. v.* 423.

Μηρούς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν.
Femora inciderunt & adipe cooperuerunt, &c.

Gentiles verò ab *adipis* eſu non abſtinuiſſe, diſcimus ex eodem Poëta *Il.* X. *v.* 501. ubi, ut Aſtyanactem molliter vixiſſe doceat, dum pater ejus Hector in vivis fuit, ait:

Μυελὸν οἶον ἔδεσκε καὶ οἰῶν πίονα δημόν,
Solùm adipe agnùm vescit, pinguique medullâ.

Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. Prior. l.* 2. *c.* 45. & infrà aliquid voce *Trapeza*. Ad uſum luminum & condiendos cibos adhibitum recentiori ævo *adipem*, diſcimus ex *Deſcript.* bonorum Monaſterii Sanctimonialium Deiparæ Sueſſion. A. C. 858. *Adipis modii* 100. *ad diverſa Monaſterii luminaria & ad condiendos cibos Sanctimonialium vel ſupervenientium hoſpitum.* Ex Charta *Carol. C.* pro Monaſterio Sangermanenſi, *Et pro modiis viginti adipis.* A quo tamen abſtinentiam certô tempore, imperant *Statuta* Cluniacenſia Petri Venerabilis *c.* 15. *Statutum eſt, ut omni die Adventus Domini, exceptâ primâ Dominicâ, ab adipe, qui in 12 lectionum feſtis aſſueſſe ſolebat, omnes abſtineant.* Et quidem de *adipe* ſeu ſevo in conficiendis candelis ſuâ ætate adhibito, teſtatur etiam Auguſtin. *de Morib. Manich. l.* 2. *Quid de adipe reſpondebitis qui prope omnes Italæ lucernas illuminat?* apud Car. du Freſne. *Gloſſar.* Vide & infrà *Cauda* uti de garo ex *adipe porcino* fieri ſolito, infrà voce *Liquamen*. Item *Lumbus*, *Medulla*.

ADER, Idumæus, regiô genere. Vide *Adadus*. Melius *Joſepho* ſic dicitur, qui Hebræis *Ben-Adad*, *Ruffino Aderer*, Juſtino *Ador*, qui Damaſcenos quoſdam Reges inconditè recitans, *Poſt Damaſcum*, ait, *Azelus, mox Adores, & Abraham & Iſrael Reges fuêre*, *Epiph. l.* 36. *c.* 2. quam in rem vide Joh. Marſhamum *Canone Chron. Sec.* XIII. ut & infrà voce *Ben-Adad*.

ADER vel EDER, i. e. Turris gregis, locus juxta Bethlehem, ubi Angelorum chorus in ortu Domini cecinerunt, & Jacob olim pecora ſua pavit.

ADERBAJON, vel ADIRBETZON, provinc. Perſiæ, commerciô Ruſſorum, Polonorum & Moſcorum, alumen & gluſtum inde petentium, celebris. *Davity.*

ADERBONA, oppid. Germaniæ in Pomerania ſuperiore ad Oderam fluvium, paulo infra Stetinum, ſub Suecis.

ADERBURGUM, oppid. Germaniæ ad fluv. Oderam, in media Marchia Brandeburgenſi, 9 leucis à Stetino.

ADERCON, urbs Hiſpaniæ *Steph.*

ADES, ſive *Hades*, Græcis Inferorum Deus, quem Latini *Ditem & Plutona*, vocant: ita dictus ab α privat. & εἴδειν *videre*, quòd in denſiſſimis Inferorum tenebris, noctèque profundâ perpetuò agens, nihil cernere videatur. Non enim abſque lucido aëre (qui apud Inferos nullus eſt) viſio poteſt fieri. *Etymologus.* Ἅδης, χωρίον ἀφεγγές, σκότος αἰώνιον καὶ ζόφου πεπληρωμένον. Item *Hades* Moloſſorum Rex cujus filiam, nomine Coram, apud Acherontem fluv. conatus eſt rapere Pirithous, unde factus eſt fabulæ locus, Pirithoum ad Inferos deſcendiſſe, & uxorem Ditis Perſephonem: quæ & Cora Græcis dicitur, rapere voluiſſe. Plut. *in Theſeo* Coel. Rhodig. *l.* 7. *c.* 15. Qui tamen regem hunc non *Adem* ſed *Aidoneum* vocat.

ADES, i. e. *Orcus*, locus in Bithyniâ videtur circa Niceam, ex *Zonara & Cedreno: Plutonem* vertit *Cabius*, apud *Curopalatem*.

ADESA, Lyciæ fluv. Chomam urbem præterfluens. Plin. *l.* 5. *c.* 27. Item fluv. German. *Etſch* qui ex Alpibus ſcaturiens, in ſinum Venetum delabitur. *Cluver.*

ADESER vel ADHESIR, Perſarum Rex, Sitoſ ſucceſſit, regnavit an. dimidium nullô factô clarus. Eum excepit Sarbara, quem vide.

ADESSUS, vide *Badeſſus*.

ADESTE, adeſtote Dii, formula in Veter. precibus uſitata, memoratur Arnob. *adv. Gent. l.* 3. *ſub fin. Finge enim meipſum-cupiam Numinum ſupplicare dicentem*: adeſte, adeſtote Dii *Penates*, *tu Apollo, tuque Neptune &c.* Servio item *ad Æn. l.* 8. *Sic vocatur in precibus Tyberinus*, Adeſto *Tyberine cum tuis undis*. Unde *Dii præſentes* & *propitii*. Vide Barn. Briſſonium *formular. l.* 1. *p.* 70. 71. Et infrà *Adventus*, *Epiphanes Præſentes*.

ADEXTRATORES, Cencio Camerar. In *Ceremoniali MS.* dicuntur Papalis mitræ delatores; quia ipſi ad Papæ *dextram* incedebant, quando equitabat ad Eccleſiam aliquam viſitandam, Dominic Macer in *Hierolex.* Meliùs *Addextratores*, namque *addextrare* vel *addextrare*, apud exterioris ævi Scriptores, tegere latus dextrum, ad dextram cujuſpiam ſtare, incedere, conſidere eſt. Baldricus in *Chronico Camerac. l.* 3. *c.* 58. *Eam* (Imperatricem) *in proceſſionem Dominus Epiſcopus addextravit.* Clemens IV. Pontifex Roman apud Odoricum Raynaldum A. C. 1311 *num.* 11. *Cum ipſe Pontifex equum aſcenderit, teneat ſtapedium ſellæ ejus, & arreptô freni aliquantulum ipſum addextret.* Sic *Sponſam addextrare*, habet Bernardus *Serm. in Cantic.* 77. *num.* 1. hodieque *Addextrare* Florentini dicunt, pro *andar à la ſtaffa de Prencipe*, i. e. Principi ad equum inſervire, Car. du Freſne in voce *Addextrare*.

ADGANDESTRIUS, Chattorum Princeps, ad Tiberium & Senatum Roman. literas miſit, quibus Arminii mortem promittebat, ſi patrandæ neci venenum ad ſe mitteretur, cui reſponſum eſt, *Non fraude, neque occultis, ſed palam, & armatum Populum Romanum hoſtes ſuos ulciſci ſolere.* Quâ gloriâ æquabat ſe Tiberius priſcis Imperatorib. qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant, prodiderantque. Tacit. *l.* 2. *Annal. finem verſus.*

ADGENICULANDI Confeſſoribus ritus, apud Tertullian. occurrit *de Pœnit. c.* 9. *Presbyteris advolvi, charis Dei adgeniculari*, ubi de iis, qui publicam pœnitentiam agebant, ſermo eſt, quique ad Eccleſiæ fores, ad Sacerdotum pedes ſeſe proſternebant: item ad Confeſſorum, qui, in tormentis quoque fidem confeſſi, tanquam Martyres habebantur. Hos enim per *Charos Dei* intelligi docet Cyprianus *Ep. ad Demetr. Deo charos domi privas.* Sic proſtrationis *Epiphanio* à populo exhibitæ, meminit Hieronym. *Pedes deoſculans & fimbriam vellens, Ep. ad Pammachium* &c. Quæ eadem reverentia hodieque in Eccleſia Romana à Patribus vocalibus Dominici, quem ſui pro Sancto habent, religioſè obſervatur: *Statim enim ac electus eſt eorum Generalis, dum ſuam poſſeſſionem capit in ſeſſione ſui ſtalli ad Chorum, omnes pedes ejus oſculantur*, Macer *Hierolex.* Sed de hac re infrà pluribus agetur in vocibus, *Genu*, *Oſculum*, *Pes*.

ADGUESIRENSIS. Epiſcopus in Africa. *Collatio Carthaginenſis.*

ADHARNAHA, oppid. Hetruriæ, *Liv.*

ADHEMARUS Guilielmus, vide *Guilielmus*.

ADHERBAL, Micipſæ fil. Maſiniſſæ nepos, à Jugurtha aliquoties victus, fruſtra Romanorum auxiliô imploratô, demum Cirtæ deditione factâ, excruciatus necatur. Salluſt. *in bello Jugurthino.*

ADHERBAS, apud Juſtinum *l.* 18. *c.* 4. auctore Græcô quôdam dictus eſt Eliſæ maritus: id enim Punicum nomen *Adherbal*, Græcâ terminatione. Sic *Gronovius* ibi legi vult, cùm aliàs habeatur: *Eliſæ maritum, quem Sichæum Virgilius, Acerbam vel Acherbam tradunt.* Vide eum *Obſervat. l.* 4. *c.* 10.

ADHERGENA, vel ADHEGENA, urbs regni Bagamidri, in Abyſſinia. *Du. Val.*

ADHESIR, vide *Adeſer*.

ADHILE, oppid. Aſiæ in ditione magni Mogolis, & provinc. Tatta, non procul ab oſtiis Indi fluvii.

ADIA, Villa in tribu Simeonis, juxta Gazam. Hieronym. *in Loc. Hebraic.*

ADIABAS, vide *Adjabene*.

ADIABATÆ, Æthiopiæ populi contra Meroën Nili inſulam. *Adiabaræ* Plin. *l.* 6. *c.* 30. Hos aliqui *Megaboras* vocant. *Megabrodi* dicuntur *Ptolemæo*. Aliis *Adiaboræ*.

ADIABENE, Aſſyriæ regio. *Suidas* & *Stephanus* ſcribunt, hanc quoque *Meſenen* vocari, quòd mediô locô inter Euphratem ac Tigrim ſita ſit, unde & *Meſopotamia* dicitur. Verùm falluntur, uti poſteà docebimus in *Meſene*. Eſt autem *Adiabene* Aſſyria, propriè ſic dicta, regio ſcilicet circa Ninum. Plin. *l.* 5. *c.* 12. *Ultra Armeniam Adiabene, Aſſyria ante dicta.* Amm. Marcellin. *l.* 23. *c.* 6. *Intra hunc circuitum*

nus *Assyriæ*, *Aſſyria priſcis temporibus vocitata*. In Hebræorum libris *Adiabene* eſt חדיב *Hadiab*. Græci ſic dictam putârunt, quod propter fluviorum amplitudinem & frequentiam ferè eſſet ἀδιάβατος. Sed hunc errorem Ammianus jam pridem correxit, *Adiabenen* dici monens à fluminibus *Diava*, & *Adiava*. *Deva* autem, vel ſi mavis, *Diava*, Chaldæis eſt *lupus*. Itaque flumen *Diava* idem; qui Græcis *Lycus*, & articulo præfixo *Hadiab* eſt *Lycea*, ſive *Lupina, regio*. Populi vocantur *Adiabeni* Straboni, quem locum doctiſſimus *Caſaubon*. prætervivit intactum. Is autem eſt, καλοῦσι δ' οἱ Ἀδιαβηνοὶ καὶ Σαννεῶδες. In quem Vir maximus *in Solinum* ita ſcribit; *Haud ſcio, quare ſic dicti, niſi ſit quod ſuſpicor. Græci Ἀδιαβήνους potuerunt nominari, quaſi τοὺς ἀδιαβαίνοντας, impotes, qui minime poſſunt crura divaricare ad ambulandum, haud ſecus ac ſi pedes ambo intra ſaccum conditos haberent.* Hæc ille quidem acutè, ut ſolet. *Bochartus* verò aliter; nempe mendosè ſcribi putat pro Σαυρομάτες. Illi autem *Heſychio* ſunt Ἀγρῶδες, qui infractô greſſu & ſuſpensô mollitiem animi præ ſe ferunt. *Nic. Lloydius*.

ADIABENUS, Agiras, Judæus quidam miles, qui cum duobus aliis Titô Hieroſolymam oppugnante, ſtupendâ audaciâ raptis facibus per medias Romanorum legiones evolârunt, & ignem aggeribus injecerunt: quibus nec audaciores, nec terribiliores ulli eo in bello apparuêre, cùm non ſecus atque ad amicos in agmen hoſtium irruerent Joſephus *l. 6. c. 12. bell. Jud.*

ADIABLA, Albaniæ civitas. Ptol. *l. 5. c. 12.*

ADIANTUM, planta. Vide infrà *Metallica planta*.

ADIAPHORISTÆ, dicti paulo poſt Reformationem cœptam, qui de *Adiaphoris* certabant, occaſione libri *Interim*, unde inter Euangelicos natum fuit grave Schiſma, quoſdam illud abſolutè rejicientes, aliis duce Melanchthone putantes, multos ritus tanquam *Adiaphoros* poſſe admitti, quod bellum ſatis acre inde *Adiaphoriſticum* dictum eſt. Certè remiſſius hic egiſſe Melanchthonem, non paucis viſum, unde Calvinus de ipſius moderatione conqueritur, *Adiaphora quidem plurima: at ceremonias Eccleſiæ Romanæ animarum laqueos eſſe* cenſens. Vide eum *Ep. 25. 85. 113.* uti de ceremoniis aliquibus in Anglia retentis, quas idem *tolerabiles ineptias* vocabat, Zanchium in *Epiſtolis*: adde Hoornbeeck *Summâ Controv. p. 651.* M Adami *Vita Flacii Illyrici*, Alios: & quæ dicemus infrà voce *Interim*.

ADIATORIX Demenecli cujuſdam Galatiæ Tetrarchæ fil fuit, qui cum apud Heracleam Ponticam, Coloniam Roman. eò miſſam nocte unâ juſſu Antonii jugulâſſet, paulò poſt in prælio Actiaco captus & in triumpho circumductus, unâ cum filio jugulatus eſt. Strabo *l. 12. 14.*

ADICARA, oppid. Arabiæ, in ora inferiori ſinus Perſici. Aliis *Ildicara*.

ADIDA, Judææ Urbs, Joſeph. *l. 13. Jud. Antiq. c. 23.* & *belli Jud. l. 5. c. 2.* *Ainda* Ptolemæi in Cœleſyria videtur *Ortelio*. Eadem fortè cum *Addida*.

ADIDOS, vide *Addida*.

ADIEL, nomen Principis; 1 Paral. *c. 4. v. 36.* Item fil. Jezra. 1 Paral. *c. 9. v. 12.*

ADIENUS, fluv. circa Pontum Euxinum, Ἀδίηνος *Arriano*, de quo ſummum apud authores ſilentium.

ADIGERMARUM, Urbs & patria Eleuſii, qui vitam S. Theodori Archimandritæ deſcripſit. Circa Aſiam minorem. Ortel. *in theſ. Geogr.*

ADILISIUS, mons, Plin. *l. 4. c. 7.* Lege *Adyliſius*. Eſt autem in Græciâ.

ADIMA, Numidiæ fluv. Item oppid. Moſcoviæ, ad Mooram fluv. in Mordua. 70. milliar. à Moſcua orbe, in Ortum.

ADIMANTUS, quem, quòd candidam geſtaret criſtam, *Ariſtophanes* Ἀδείμαντον appellat, unus ex Athenienſium Prætoribus, qui parti copiarum navalium præerat. Vide Auctorem *Scholior. in Ranas p. 282. E.* Hic cum navibus ſuis à Spartanis captus, in vita conſervatus eſt, reliquis omnibus occiſis, quod prius decreviſſent omnes captivos trucidare, ſolô illô non ſuffragante. Xenoph. *Hiſt. Græca l. 2.* Pecuniâ eum à Spartanis corruptum refert, Pauſan. *l. 4.*

ADIMANTUS, Platonis frater. Laërtius *l. 3.* Fuit etiam hôc nomine Corinthiorum dux, qui cùm Themiſtocli exilium objiceret, *Num putas* (reſpondit Themiſtocles) *exulem quempiam eſſe, qui ducentas habeat triremes?* *Suidas*.

ADIMANTUS, Rex Phliaſiorum, qui cùm Jovem ſuis indignum ſacrificiis judicaret, ab eo fulmine percuſſus eſt. Ovid. in *Ibin*.

ADINGTHONA, oppid. Angliæ, cum caſtro, in Surria provinc. 7. milliar. Angl. Londinô in meridiem diſtans.

ADIOCHUS, Martyr ſub Flavio Claudio, virgis atrociter cæſus, cùm per integros dies ſpatium manibus inverſis pependiſſet, demum vecte confoſſus eſt. Sabellic. *Ennead. l. 7.*

ADIPSON, vide *Gerram*.

ADIRE, fori Romani vox, de qua vide Gronovium *ad Senec. Hercule Fur. v. 733.*

ADIRIS, vide *Atlas*.

ADIS, Polybio *l. 1.* Carthaginienſium urbs in Africa eſt.

ADISAGA, vide *Adeſaga*.

ADISAMAM, Taprobanæ urbs, *Ptolemæo*.

ADISATHARA, vide *Adaſathra*.

ADISATHRUS, Indiæ intra Gangem mons: & *Adiſathri* ibidem populi, *Ptolemæo*, qui *Xathri* fortè *Arriano*.

ADISDARA, Indiæ intra Gangem oppidum. *Ptol.*

ADITES, vocitantur Atrii à Juriſconſultis atque liminarchæ ſcamnis excubantes: Fœminæ verò dicuntur *Atricæ*. Plautus, *Sumbam tum atrica clementer non ſota eſt*, inquit, *munere occupavit*. De his Atricis Maro, *Æn l. 9. v. 648.*

Armiger ante fuit, fidusque ad limina cuſtos,

Ubi Servius, *Æditimus fuit, ingenti honore; illic enim & epulabantur & Deos colebant: genſus autem omnis illic ſervabatur.* Quod & Plautus docet in *Aſinar. Actu 2. ſc. 4.* in qua introducit *Saureum ſervum Atrienſem in tota familia plurimum poſſe*. Hi, quia Principis limen curabant, *ad liminos*, etiam dicti ſunt &c. Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Vide infrà de his plura, in voce *Atrienſes*.

ADITHA, villa juxta Dioſpolim. Hieronym. *in locis Hebr.*

ADITHAIM, Palæſtinæ locus, Joſ. *c. 15. v. 36.* Ἀγιθαίμ 70. Interpretibus.

ADITIALIS Cœna, ab *aditu*, apud Salmaſ. *ad Capitolin. in Antonino Philos. c. 27.* & infrà *Cœna*, item *Locus*.

ADITTHA, in *Libro Notitiarum* pro Arabiæ *oppido* legitur

ADITU frequenti ſepulchra honorandi mos, memoratur eidem Capitolino *ibid. c. 3.* *Tantum honoris Magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum aureas in Larario haberet, ac ſepulcra eorum aditu, hoſtiis, floribus ſemper honoraret.* Ita membranæ Palatinæ atque tria hæc verba propria juris monumentorum, *itus*, *aditus*, *ambitus*. Hinc illa in titulis ſepulchorum incidi ſolita: *Itu*, *aditu*, *ambitu*, *coronare*, *ſacrificare* &c. Et, *itu*, *ambitu*, *ſacrificium faciendo*. Item *itum*, *aditum*, *ambitum*, *coronare*, *viſere*, *mortuum atque oſſa inferre ut liceat*. In aliis, *huic monumento iter*, *aditus*, *ambitus*, *debetur ex ſententia Eroti Aug. Lib.* Et in alio, *Ad hoc ſepulchrum iter, aditum, omni tempore permiſſum eſt, ab Q. Epitynchano.* Nempe frequenti *aditu*, veteres monumenta eorum honorabant, quos in vita habuerant charos, iiſque ſacrificabant, & roſis ac floribus ornabant. Propert. *l. 2. Eleg. 13.*

—— —— —— Memento

Hoc iter ad lapides ſæpe venire meos, &c.

Hinc libertos ingratos *aditu* etiam, ac acceſſu ſui ſepulchri prohibebant, ita in titulo caventes: *Sibi & ſuis Libertis Libertabuſque & poſteris eorum, excepto Hermete Liberto, quem veto propter delicta ſua aditum, ambitum, ne ullum acceſſum habeat in hoc monumento* Salmaſ. *ad Capitolin. loc. cit.* De *Aditu templorum* apud Gentiles ſic Octavius Minuc. Felic. *Quædam fana ſemel anno adire permittunt, quædam in totum nefas viſere. Eſt quo viris non licet, & nonnulla abſque feminis ſacra ſunt? etiam ſervo quibuſdam ceremoniis interiſſe piaculare flagitium eſt.* Et quidem Cereris & Proſerpinæ fanum viris ſemel tantum quotannis licuiſſe ingredi, Pauſanias *Arcadicis* tradit. Idem *Boeoticis* Dindymenæ matris ſacrarium καθ' ἕκαστον ἔτος ἡμέραν, *una ſolum ſingulis annis die*, aperiri ſolitum ait; quod & de Eurynomes fano *ibidem* legas. At templum apud Eleos Plutonis, hoc quotannis ſemel aperiebatur, à nemine tamen, niſi ſacrificulo, *adiri* fas erat, Idem *Eliacis*: uti nec ædes priſca Neptuni Equeſtris, juxta montem Aleſium, de qua eundem in *Arcadicis* iterum vide. Porrò viris adire nefas erat templum Bonæ Deæ, Cereris, Veſtæ. Et quidem à Bonæ Deæ etiam maſculæ picturæ, Cereris, canes quoque mares excluſi. Veſtæ ſacra interdiu viris permiſſum viſere, ſed in iis pernoctare capitale. Fœminæ contrà *adire* Herculis fana, apud Macrob. *Saturnal. l. 1. c. 12.* Sylvani item, apud Catonem *de Re Ruſt. c. 83.* prohibitæ ſunt. Nec ad ejuſdem Herculis ſacra ſervi admiſſi, Val. Max. *l. 1. c. 1.* &c. vide Woweriûm cæteroſque *ad Minucium*, ut & hic paſſim. Græci προσιέναι τοῖς ἱεροῖς, φοιτᾶν εἰς ἱερὸν & εἰς τὸ ἱερόν, hoc dixêre. Sed & de Diis, *adire* M. Tullius, *Ad Divos adeunto caſte*. Nempe, quia eorum ſimulacra *venerabilibus obſequiis adibantur*, ut ait Arnobius *adv. Gentes l. 1.* An quia Supplicum more? Dicuntur enim propriè ſupplices *adire* eos, quibus ſupplicant; Græcè hinc ἱκέται dicti ἀπὸ τοῦ ἱκνεῖσθαι. Vide Deſid. Heraldum *Animadverſion. ad Arnobii locum p. 30.* ut & paulo pòſt, ubi verbum *adorare* quoque quaſi *orare ad*, *precari ad*, ſeu *adprecari* Græcè προσεύχεσθαι, idem cum *adire ad Deos*, primitùs fuiſſe, oſtendit.

ADJUTOR, ab ADJUVANDO; quomodo dicti ſunt olim, qui Magiſtratibus ſeu potiùs Officialibus quibuſvis, levandi laboris causâ, adjungebantur; ut iis vel ægritudine præpeditis vel multitudine negotiorum obrutis, opem ferrent, *l. 10. Cod. de numerat. l. 12. leg. 3. Cod. de diverſ. offic.* & in *Notitia* Imperii. Romani, perſæpe. Græc. Βοηθοί. *Suidas*, Ἀσηκρῆτις παρὰ Ῥωμαίοις βοηθός. *Gloſſar. Græc. Lat. Adjutor*, Βοηθός. Senator *l. 6. Ep. 6* Adjutor *etiam Magiſtri noſtris præſentatur obtutibus, ut vicariâ ſorte beneficii eligamus ejus præſidium, qui nobis præſtat fidele ſervitium.* *Adjutores & Primicerii diverſorum officiorum*, *in l. 20. Cod. Theodoſ. de Palatinis ſacr. largit.* Vide hic paulo infrà. Occurrit etiam *Adjutor* in Coquina Regia, in Ordinat. Hoſpitii Ludovici IX. Regis Gall. A. C. 1261. &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

Adjutores diverſorum officiorum, apud Auctores, occurrentes.

Adjutor Comitis rei privatæ in *LL. 16. 17. 20. Cod. Theodoſ. de Palatin.* & *l. 4. de Executor.*

Adjutor illoſtris Comitivæ ſedis, in *Collat. 1. Carthagin.* & apud Paulinum *Ep. 39. ſub fin.*

Adjutor Commentarienſis, *l. 5. Cod. Theodoſ. de cuſtodia reor.* qui Βοηθὸς κομενταρησίου dicitur Prochoro *de Rebus geſtis S. Johannis Evang.*

Adjutor Commentariorum officii Viri Cl. & Spectabilis Proconſulis, in *Collat. 2. Carthag.*

Adjutor Sacri Conſiſtorii, Græcè Βοηθὸς τοῦ θείου Κονσιστωρίου, in Concilio Calchedon *act. 14.*

Adjutor Cornicularii, in *Notitia* Imperii non ſemel, in *veteri Inſcr.* apud Gruterum 561. 11. &c. In *Collat. 1. Carthagin.* fit mentio Exitioſi *Adjutoris* Cornicularii. *Inſcr.* nondum edita, in loco *Catoura*, dicto, haud procul Aleppo: ΑΦΙΕΡΩΣΕ. ΙΜΙΑΔΙΩ. ΡΗΓΕΙΝΩ. ΤΩ. ΕΞ. ΟΥΑΠΙΑΣ. ΡΗΓΙΑΝΗΣ. ΚΑΙ. ΑΙΜΙΛΛΙΟΥ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΩ. ΕΤΗ. Ε. ΒΟΗΘΩ. ΚΟΡΝΙΚΟΥΛΑΡΙΩΝ. ΥΠΑΤΙΚΟΥ. ΖΗΣΑΝΤΙ. ΕΤΗ ΚΑ. ΜΗΝΕΣ. ΑΜΕΧΡΙΤΑΝΗ. ΜΟΥΤΟΥΓΜΕΤΟΥΣ, apud *Car. du Freſne*.

Adjutores electi de Scriniis, in *Notitia Imperii*

Adjutor Eleemoſynæ in *Codicillo* Philippi Pulchri Regis Franciæ apud eund Car. du Freſne *Gloſſar.*

Adjutor ab Epiſtolis, dicebatur is qui Magiſtrum ſeu Proximum ab Epiſtolis adjuvabat,

Salmaſ. ad *Lamprid. in Severo c.* 31.

Adjutores Fourreriæ, in *Ordinat.* Hoſpitii S. Ludovici Galliæ Regis apud *Car. du Freſne.*

Adjutor à Libellis, in veteri *Inſcr.* opem ferebat Magiſtro Libellorum. Salmaſ. *loc. cit.*

Adjutor Magiſtri Officiorum *l.* 3. *Cod. Theod. de Agentibus in reb.* &c. [illegible] in Concilio Chalcedon. *act.* 3.

Adjutores à memoria, ſeu *Memoriales de Scriniis*, in *Notitia Imperii Adjutores Scrinii Memoriæ*, in *Novell. Conſtitut.* Juſtiniani *de Adjutor. Quæſtor.* edita à Franc. Pithœo: dicebantur, qui Magiſtris Memoriæ opitulabantur. Salmaſ. *d. l.*

Adjutor Numerorum Viri Cl. & Spectabilis Vicarii, in *Collat. Carthagin.* 2. c. 1. & *Collat.* 3. *c.* 169.

Adjutor Palatinorum officiorum, in *l.* 4. *Cod. Theodoſ. de Eunuch. l.* 17. *Cod. de Palatinis*, idem qui *Adjutor Magiſtri Officiorum.*

Adjutor Præfecti Annonæ, in veteri *Inſcr.* apud *Gruterum.*

Adjutor Præfecti Prætorio, in *l.* 8. *Cod. Theodoſ. de Numer.*

Adjutor Præfecti Urbis, ſeu *Urbani Officii*, in *l. ult. Cod. de Offic. Præf. urb.* & apud Symmachum *l.* 10. *Ep.* 36.

Adjutor Præſidis, in *Actis* S. Neſtoris Epiſcopi & Martyris, *num.* 6.

Adjutor datus Prætori peregrino, in veteri *Inſcr.* apud *Gruterum* 399.6

Adjutor Primicerii Tribunorum Notariorum in *Notitia* quæ ſubjecta eſt *Novellæ* 8. Briſſonius in *Prætermiſſ.*

Adjutor Provinciæ, apud Valerium Probum de *Notis.* ADI. P. *Adjutor Provinciæ*, vel *Patriæ*, vel *Populi.*

Adjutor Quæſtoris, [illegible]: de quibus *Novell.* 26. Miniſtri Quæſtoris, quos ſibi ex ſcriniis memoriæ, libellorum & epiſtolarum, elegit propoſitis SS. Evangeliis *Officium Quæſtoris* dicuntur *Novell.* 120. Vide *Novell.* integram de *Adjutoribus.* Calvin. *Lexic. Jurid.*

Adjutores Quæſtoris ſacri Palatii, in *l.* 15. *Cod. de Proxim. Sacr. Scrin.*

Adjutor à rationibus, qui Proximo Rationalium adjungebatur. Salmaſ. *loc. cit.*

Adjutor à tabulis, ſeu *Adjutor Tabulariorum*, qui proximo Tabulariorum opitulabatur, Salmaſ. *ubi ſupra.*

Adjutores de Schola Numerariorum, in *Notitia Imperii.*

Adjutor Secretorum, Græcè [illegible], in Concil. Chalcedon. *Act.* 1.

Adjutor Tutelæ, quem ſolebat Prætor permittere Tutoribus, conſtituere iis, qui non poſſunt ſufficere adminiſtrationi tutelæ *l. ſolet.* 13. *ff. de Tutelis.* Briſſonius apud Calvin. *Lexic. Jurid.*

Adjutor Urbani officii, vide *Adjutor Præfecti Urbis.*

ADJUTRIX, legio prima; cognomine Legionis Romanæ; cujus meminerunt Imperatores in *l. ult. C. de apparitor. Præfe. ii Prat.* & *l. ult. C. de caſtr. pecul.* in qua, *Adjutrice noſtra Rep.* pro *Adjutrice noſtra. Rep.* vulgo perperam legitur, Briſſonius in *Prætermiſſ.*

ADJUVENSE, vide *Juvenſe.*

ADLAVUS, barbarorum Northumbrorum in Britannia rex, Ethelſtani, in propinqua Inſula regnantis, exercitu preſſus; cum hoſtium ordines videre cuperet, mimi ſuſceptâ perſonâ ac muſici, ad Ethelſtani tentoria profectus cecinit, munera accepit, & fortunæ felicitate magis quàm ratione adjutus, incolumis domum ſe recepit. Fulgoſus *l.* 9 *c.* 8.

ADLENTARE barbam, eſt eam mollem reddere ac flexibilem, apud *Cantapratum. Gloſſ.* Iſid. *Lentandus, flectendus.* Quod officium erat non ignobile in aula Græc. unde Order. Vitalis *l.* 7. *de filiabus* Roberti Wiſcardi: *Officium illarum erat, dum Imperator* (Conſtantinopolitan. Alexius Comnenus) *de ſtratu ſurrexiſſet, manuſque ſuas ablueret, & mappulam & pectinem eburneum afferre, & barbam Imperatoris pectere.* Vide Academicos Cruſcanos in voce *Allentare* & Car. du Freſne in *Gloſſar.*

ADLOCUTIO, in nummis, vide infrà *Humeri*, ut & voce *Adlocutiones.* Formula *Adlocutionis* ad militem olim erat, *Fortis eſſe ac ſuis de* eua vide Cl. *Lindenbrogium ad Amm. Marcellinum l.* 15.

ADMANUENSES, in Concilio Oſcenſi æræ 636. *can.* 2. *Quod ſi quidquam malum de quoquam* (Clerico) *fama dictaverit, per verum & certiſſimum Clericorum probationem, vel virorum* Admanuenſium ------ *omnia argutiſſimè perquirantur*, videntur eſſe, qui *manu* jurant ſeu manibus ſancta Evangelia tangentes. Nam *jurare ſuper ſacra*, i. e. Evangelia, vetantur Clerici, ut quorum aſſertio pro Sacramento erat: unde *Fide digni* dicti ſunt. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà, in voce *Fide digni.*

ADMATHA, Principis nomen Eſther c. 1. v. 14. Item, Palæſtinæ Urbs *Liber Notitiarum.*

ADMEDERA, vide *Amedera.*

ADMETA, filia Euryſthei, Sacerdos fuit Junonis Argivæ annis 38. Syncellus p. 172 a. Notantur autem ejus anni, quia [illegible], *Argivi à Sacerdotibus* (Junonis) *numerabant tempora*, Scholiaſtes *Thucyd.* vide infrà paſſim, inter alia, ubi de *Hellanico Lesbio.*

ADMETE, nympha, Oceani & Tethyos filia. Heſiod. *in Theogon.* v. 149.

ADMETES, Turcarum Rex, de quo *Bembus.* Fortè pro *Achmetes.*

ADMETUS, Rex Pheræorum, populorum Theſſaliæ, cujus armenta paviſſe fertur Apollo novem annos, ob interfectos Cyclopas, divinâ poteſtate ſpoliatus. Callimachus *Hymn. in Apol.*

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

Cùm autem apud Admetum ipſum perquàm humaniter eſſet habitus, ad referendum patrono beneficium, impetravit à Parcis, ut cùm illaturus ſuis Admeti fatalis dies volveretur, hâc lege mortem effugeret, ſi quis reperiretur, qui illius vice mortem vellet oppetere. Cum itaque dies mortis adeſſet, neque quiſquam inveniretur mortis vicarius, recuſantibus conditionem amicis omnibus Alceſtis uxor, capitis ſui diſpendio, vitam mariti redemit, Ovid. de *Art. Am.* 3.

> *Et ta Pheretiade conjux Pegaſea redemit.*

Idem *Ponticorum l.* 3.

> *Si mea mors redimenda tuâ (quod abominor) eſſet,*
> *Admeti conjux, quam ſequereris, erat.*

Senec. in *Medea, Act.* 3. v. 663.

> *Conjugis fatum redimens Pheræi.*

Stat. *l.* 3. *Silvar.*

> *Ergo Theſſalici conjux penſare mariti*
> *Funus.* ------ ------ ------ ------

Vide *Orpheum* Callimach. Apollod. *l.* 2. *Biblioth.* Fulgent. in *Myth.* *Nat. Comitem Nic. Lloydium.*

ADMETUS, inter Duces Alexandri M. corporis & animi robore inſignis; cùm ad Tyrum hoſtium impetum fortiter ſuſtinuiſſet, & ſecuri eidem medium caput fiſſum eſſet, exſpiravit. Diodor. Sic. *l.* 17. *c.* 45.

ADMETUS, Poëta temporibus Neronis, qui (ut Lucianus *in Demonacte*) obſcuri nominis fuit. Hic cùm Demonacti aliquando dixiſſet, ſe unius verſus epigramma, h. e. monoſtichon ſcripſiſſe, quod teſtamentô caviſſet, ut ſepulchro affigeretur, quod tale erat:

> [illegible]
> *Terra cape Admeti ſpolium, cælum ipſe petivit.*

Ridens reſpondit Demonactes, bonum eſt, Admete, hoc monoſtichon. Sed voluiſſem ipſum pridem tuo ſepulcro inſcriptum fuiſſe.

ADMEZATORES, in Regno Neapolitano & Sicilia, Arbitri ſunt ex privatorum conſenſu electi, ad decidendas ſupremô jure quæſtiones & lites, *qui nullam aliam juriſdictionem habebant, niſi quæ ab eligentibus conferebatur eiſdem*, ut eſt in *Conſtitut.* Friderici *l.* 1. *Conſtitut. Secular. tit.* 79. quos idem Imperator in poſterum fieri prohibuit. Vox ficta ex Italico *Mezzo*: i. e. medius, Gall. *Mediateur*: cujuſmodi Judices ſeu Arbitros *Ariſtoteles* [illegible] & [illegible] vocat. Eandem [illegible] apud Byzantinos fuiſſe dignitatem, vult Meurſius *in Gloſ.* ſed Car. du Freſne [illegible], Curiæ Conſtantinopolitanæ officiales, quorum operâ Princeps utebatur in expediendis negotiis: aut certè, quibus intermediis, ad Principem patebat acceſſus, dictos fuiſſe contendit, quod apud Francos olim Referendariorum fuit munus. Colligit autem id ex Cantacuzeno *l.* 3. *c.* 15. & *l.* 4. *c.* 29. ubi vocem [illegible] ita ſumit: ex Niceta item in *Man. l.* 1. *c.* 23. & Ducâ *Hiſt. Byzant. c.* 21. & 22. ubi Vezirios Turcicos [illegible], appellatione donat, quòd nempe per eos Turcici Sultani res omnes, quà privatas, quà publicas conficiant. Vide Eum *Gloſſar.* & infrà, voce *Mediatores.*

ADMINICULATOR, ab *Adminiculando* dictus, officium olim erat in Eccleſia Romana pro defenſione viduarum, pupillorum, aliorumque hujuſmodi humanâ aliâ ope deſtitutorum, erectum. *Stephanum Adminiculatorem*, quem poſt Cardinales Primicerium & Secundicerium nominat, Luithprandus habet *Hiſtor. l.* 6. *c.* 6. Aliàs *Conclamator* & *Defenſor.* Vide in his vocibus. Macer *Hierolex. Carolo du Freſne* ſeptimus fuit ex Officialibus Romanæ Eccleſiæ, viduarum, pupillorum egenorumque curam gerens; quod munus hodie *pauperum Advocatus* obit, *ex Pancirolo.* Vide eum in *Gloſſar.* ut & infrà, ubi de *Pauperibus.*

ADMINISTRATOR, qui provinciam *adminiſtrat*, Præſes: apud Æl. Spartian. in *Peſcennio Nigro, c.* 7. *Adminiſtrator. Hic tantæ fuit auctoritatis, ut ad Marcum Antoninum primùm, deinde ad Commodum, ſcriberet, quum videret provincias facilè adminiſtrationum mutatione ſubverti*: i. e. *Adminiſtratorum.* Sic infrà Lamprid. *in Alex. c.* 30. *Orationes*, pro *Oratoribus* habet; ut *Regna* pro *Regibus* Florus, *l.* 1. *c.* 10. *pulſis Regnis*: *Matrimonium Cæſaris*, pro *conjuge Auguſti*, Marcellus: *præfecturam* pro *Præfecto*, Valerianus *Ep. ad Ablabium* P. P. apud Pollionem in *Claudio c.* 14. Sic *Ludus* pro Ludione, unde Laniſtæ [illegible] in optimis *Gloſſar.* & in Aula Conſtantinopolit. Cura Palatii, pro eo *qui Palatium curat* &c. Salmaſ. *Not. ad Spartianum & Pollionem locis cit.* Apud Legulejos Anglos, *Adminiſtrator* dicitur is, cui defuncti bona adminiſtranda ab Ordinario committuntur, cum nulli extant executores Teſtamentarii, quorum quidem bonorum uſque ad eorum valorem tenetur, & non ultra, niſi ea diſſipâſſe convictus fuerit. Hic ſi deceſſerit, ad hæredes ejus non tranſit adminiſtratio, ſed alius ab Ordinario decernitur ac eligitur *Adminiſtrator.* Vide Raſtallum *in Expoſit. vocum LL. Angliæ*, quem laudat. Car. du Freſne in *Gloſſar.* in Eccleſia Romana *Adminiſtratores* quinam dicantur, videbimus infrà, voce *Intercesſores.*

ADMINOCINUS, Bellini, Batavorum Regis, fil. à C. Caligula in deditionem acceptos eſt. Eutrop. *l.* 7.

ADMIRABILIS, nomen ſummi Peruanorum Dei, quem *Uſapu* patriô ſermone vocant, vide infrà in voce hac, it. *Pachacamali.*

ADMIRABILIS, ADMIRALIUS, ADMIRATUS, vide in *Admiralius*, *Amir* & *Amiras* infrà.

ADMIRALIS, Inſul. in ora littorali Novæ Zemblæ, ad Septentrionem Moſcoviæ.

ADMISSIONALES Miniſtri, Lampridiô *in Alex. c.* 4. memorati, fuêre, qui Suetonio *Veſpaſ. c.* 14. ex *officio Admiſſionis* dicebantur; *Trepidum cum interdicta aulâ ſub Nerone, quæreremque quidnam ageret, aut quò abiret, quidam ex officio admiſſionis ſimul expellens, abire Morboniam juſſerat.* Officium eorum exprimit Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 7. *Dum iſta narrantur, unus à famulitio, cui provincia erat, admittere volentes dominum convenire, Evangelum adeſſe nunciat cum Dyſario*: Prom. & turbæ officioſæ, ſaltem in aula Cæſarum, talium aliquem præfuiſſe judicat *Pignorius*, vide infrà, ubi de *Officiis.* Seneca, à *Sallustio & Cocceio & Dolliis, totam cohortem primam interiorum Admiſſionis, ex adverſariorum caſtris conſcriptam eſſe*, memorat, *de Clem. c.* 10. *l.* 1. Unde non unicam tantùm fuiſſe *Admiſſionem* diſcamus: quod

quod idem pluribus innuit, de Benef. l. 6. c. 33. *Eſt proprium ſuperbiæ magnò æſtimare introitum ac tactum ſui liminis & pro honore dare, ut ostio ſuo propius aſſideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa ſunt oſtia, quæ receptos quoque excludant.* Nec alios, quam *Admiſſionales*, innuit moleſtus ille nugator, apud Horatium *l. 1. Sat. 9.*

> - - - - - *Haud mihi deero:*
> *Muneribus ſervos corrumpam, non, hodie ſi*
> *Excluſus fuero, deſiſtam.*

In aula Cæſarea his *Magiſter Admiſſionum* præerat. Amm. Marcellin. *l. 15. c. 5. Summiſſis verbis ſic Urſicinum monuit, ut conſiliis rei bellicæ præſtantiſſimus fruſtraque gravi injuria laceſſitum & per Admiſſionum Magiſtrum* (*qui mos eſt honoratior*) *accito eodem, ingreſſo conſiſtorium offertur purpura* &c. Qui & *Magiſter* ſimpliciter dictus eſt, unde apud Caſſiodorum *Variar. l. 6.* legitur formula Magiſteriæ dignitatis. Corippus certè *l. 3.*

> *Ut lætus Princeps ſolium conſcendit in altum,*
> *Membraque purpureâ præcelſus veſte locavit,*
> *Legatos Avarum juſſos intrare Magiſter,*
> *Orantes, ſeſe veſtigia ſacra videre*
> *Clementis domini; quos voce & mente benignus*
> *Imperat admitti.*

Idem paulo pòſt.

> *Utque ut contractâ paterunt interiora velâ*
> *Oſtia & aurati micuerunt atria tecti,*
> *Cæſareumque caput diademate fulgere ſacrò*
> *Te gavis ſuſpexit Avar.*

Velum nempe obtendebatur foribus cubiculi Imperatoru, et oculos arceret; qui mos a Romanis Principibus ad Barbaros quoque fluxit, ut de Theodorico Wiſigothorum Rege legimus apud Sidonium Apollinarem *l. 1. Ep. 2.* Hinc, cum apud Auctores laudentur, Veſpaſianus, Marcus Antoninus & Alexander Severus Imperatores, *quod ſalutarentur patente cubiculò, miniſtris Admiſſionalibus remotis*: dicitur de *Alexandro* in ſpecie, quod ſalutari conſueverit, *patente velò*. Magiſtro verò ipſi, quem diximus, is videtur adſignatus vicarius, quem *proximum Admiſſionum* vocat Ammianus *l. 22.* & *Adjutorem Magiſtri* Caſſiodorus *Variar. l. 6.* Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Affines *Admiſſionalibus* ſervis, Scrutatores fuêre, in aula à Claudio primùm inſtituti, qui ad Principem ſalutandi vel quâ alia causâ venientes excuterent. Sueton. *Claud. c. 35. Salutatoribus ſcrutatores ſemper appoſuit & quidem omnibus & acerbiſſimos: quos tamen Veſpaſianus, uterum juſſidus* &c. Idem in *Veſpaſ. c. 12.* Hinc *Admiſſionales Cancellarii* dicti in *Notitia Imperii* ut quidam volunt, tametsi edita *admiſſiones Cancellariis* præferat, ita ut diverſa fuerint officia. Alias *Admiſſionales Palatini*, qui unà cum Palatinis ſcriniorum & Largitionalibus Palatinis ſeparantur à miniſtris Caſtrenſibus *l. 7. Cod. Theodoſ. de privilegiis eorum qui in ſacr. Pal. Quoque in ſcriniis militant, quoque inter Agentes in rebus plenam vigilantiam munus exercent.* Admiſſionales *etiam & qui ſub Caſtrenſis officio quoque Comitatenſibus ſive privatis Largitionibus obſecundant*, &c. Eorum munus, *Officium Admiſſionis*, dicitur Suetonio in *Veſpaſ. c. 14. Officium Admiſſionum*, *l. 21. Cod. de Privil. eor. qui in ſacr. Pal. m.* & *Officium Admiſſionalium*, *l. ult. C. de div. off.* Nam plures erant, eorumque diviſa munia, uti dictum, ita ut alii aliis in cauſis ac negotiis ad Principem admitterent, ut ille Honalius dicatur *Legationum Admiſſionalis*, apud Hereniurn Philonem *Leg. ad Cajum. Salmaſio* quatuor erant *Admiſſionum* decuriæ, quibus ſingulis ſinguli præerant Proximi, quorum unusquiſque illius decuriæ, cui præerat, *Magiſter* dicebatur. Omnes autem erant ſub *Magiſtro Admiſſionum*, cui quatuor illæ decuriæ cum ſuis Proximis parebant: quod & in aliis Auguſtæ domûs officiis in uſu fuit, *Not. ad Flav. Vopiſcum in Caro. c. 8.* Ipſum autem Admiſſionum officium, ſub diſpoſitione Magiſtri officiorum, ponitur in *Notitia Imperii Rom.* Briſſonius in *Prætermiſſ.* &c. Vide quæ hanc in rem præterea congeſſêre *Theodorus Marcilius*, *Pancirollus*, *Savaro*, *Henr. Valeſ. Jacob. Gotofredus*, Car. du Freſne *Gloſſar.* Alii.

ADMONITOR, in ordinationibus Conciliorum, non rarò dicitur, qui recentioribus *Magiſter Ceremoniarum*, quòd omnia ea, quæ agenda eſſent, *admoneret.* Macer in *Hierolex.* Cum *Portatore præcepti* conjungitur, in *l. 7. Cod. Theodoſ. de Execut. Compulſor*, *Exactor*, Admonitor *Portitorve præcepti. Agens in rebus* &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Hinc *Admonitoria* Epiſtola, quâ Judex abientem in jus citat; quod eam *Admonitor* adferat, Lindenbrog. *Form. 116.* apud Eundem *Car. du Freſne.*

ADMOT, vide *Jamant.*

ADMORTIZATIO, tranſlatio prædiorum in manum *mortuam*, ſeu prædiorum acquiſitio, facta à Monaſteriis & Collegiis religioſis vel etiam Laicis, quæ ſemel acquiſita, in commercio, mutationibus aliiſque prædiorum oneribus obnoxia eſſe deſinunt, nec adventitia feudorum commoda producunt, e. g. *Laudimia*, *Wardæ Maritagii*, *relevii* &c. Quæ tranſlatio ſeu acquiſitio fieri non poteſt, niſi Principis ac domini conſenſus intervenerit; cui de damno *Manus mortua* tenetur cavere, tertiâ totius pretii parte ſemel exſolutâ. Nam ex Lege communi ſacræ Baſilicæ prædiorum incapaces ſunt &c. Extant tamen complures *Chartæ*, paulò ante A. C. 1300. ut ait *Car. du Freſne*, quibus Superiores, ſeu, uti hic vocantur, *primi & ſecundi domini feudales*, prædia huic Eccleſiæ conceſſa *admortiſicant*, ita ut ea in poſterum in *manu mortua teneant*, additâ tamen clauſulâ, *quantum in eos eſt*, *vel quantum ad ipſos pertinet*: qui certè ſuperiorum dominorum in ejuſmodi prædiis, Eccleſiis conceſſis, conſenſus propterea neceſſarius eſt, quòd inde feudorum ſervitia minuuntur. In hujuſmodi verò *Amortizationibus* quale jus fuerit Prælatorum Franciæ, qui *Pares* ſunt, obſervat idem ex *Regeſto* Parlamenti: A. C. 1277. *Quatenus Prælati Pares admortizare poſſunt. Conſtitutio per Philippum III. in hunc modum. Ordinatum fuit per Conſilium Domini Regis, Rege præſente, quòd Archiepiſcopus Remenſis & Epiſcopi Pares Franciæ admortizare non poterunt ſuum domanium, nec feuda, quæ ab ipſis tenentur immediatè: ſed ſua retrofeuda poterunt admortizare. Alii verò Epiſcopi, qui non ſunt Pares, nec domanium ſuum, nec feuda ſua, nec retrofeuda poterunt admortizare*, &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi tamen aliud Arreſtum ex eod. *regeſto* A. C. 1290. affert, ſic ſonans: *Quod ſi Comes Nivernenſis aliquas Eccleſias & pias loca cantatisve admortiuvit, vel poſuit in manibus Burgenſium, vel perſonarum ignobilium, ob remunerationem ſervitiorum, vel ob aliquam aliam gratiam ſine receptione alicujus pecuniæ, hoc ſibi ſuſtinebitur. Sed ſi aliquid admortizavit, vel in manibus Burgenſium, vel perſonarum ignobilium poſuit, pro* pecunia, dominus *Rex utendo jure ſuo poteſt & poterit, ea eadem aſſignare.*

ADNUMISTA, ille erat, cui incumbebat milites in libello ſignare, quæ nota *Adnumium* dicebatur. Dominic. Macer. *Hierolex.*

ADO, Epiſcopus Viennenſis, Hiſtoricus, ſcripſit de ſex mundi ætatibus uſque ad A. C. DCCCC. clarus A. C. 980. *Bodinus*, Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 37.*

ADOALDUS, Rex Longobardorum, vide *Adivvaldus.*

ADOBATUS Miles, in *veterib. Statutis Patavii*, quæ extant in publico Urbis tabulario, occurrit; præcipitur enim ibi, ut qui electus fuerit Poteſtas Vicentiæ, *faciat ſe fieri Militem adobatum*: eſt miles, qui ceremoniis conſuetis militiæ dignitatem ac cingulum eſt adeptus; à verbo *adobare*, quod armis inſtruere, militare cingulum alicui conferre, ſignificans, ex voce *adoptare* ducit originem: nam qui aliquem armis inſtruit ac militem facit eum quodammodo in filium adoptare credebatur. Senator *l. 4. Ep. 2. Per arma*, inquit, *poſſe fieri filium, grande inter gentes conſtat eſſe præconium: quia non eſt dignum adoptari, niſi fortiſſimus meretur agnoſci.* Eundem ritum *adornare armis* appellat Order. Vitalis *l. 3. p. 467. Deinde ab eodem Duce decenter eſt armis adornatus*, &c. Vide plura in hanc rem; apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà, in vocabulo *Miles*, item *Neoptolemus.*

ADOBRICUS, vide *Adrobicus.*

ADODUS, Ἄδωδος βασιλεὺς θεῶν, apud Sanchoniatonem, in *Fragm.* apud Euſeb. extante, *Præpar. Evang. l. 1.* qui cum Aſtarte, & Demaroonte regnâſſe dicitur in Phœnice. Aſſyriis etiam colebatur, teſte Macrobiô, qui & vocabulum interpretatur, *Saturn. l. 1. c. 23. Deo, quem ſummum maximumque venerantur* Adad *nomen dederunt, ejus nominis interpretatio ſonat unus.* Vide quoque *Adad* ſuprà.

ADOGIT, in extrema parte Scandiæ gens, apud *Jornandem.*

ADOLESCENS, Græcè Ἔφηβος. Vide infrà *Ephebi.*

ADOLFUS ſeu **ADOLPHUS**, Dux *Sleſvici*, familiæ *Schawenburgicæ*, fil. Gerardi Holſati, ad ſceptrum Daniæ, poſt mortem Chriſtophori Palatini, vocatus, ob ætatem ſeſe excuſavit, Daniſque Chriſtianum, ex ſorore Hedwige nepotem, commendavit; qui regnum nactus A. C. 1448. ſeqq. annis in *Dania & Norvegia* coronatus eſt, primus hujus nominis: inter cujus poſteros Johannes *Adolphus* & Chriſtianus *Adolphus*, Duces *Holſatiæ*, in familia Sonderburgica à *Spenero* memorantur: ut & in primis.

ADOLFUS, frater Chriſtiani III. Daniæ Regis, qui familiæ *Gottorpino-Holſaticæ* conditor, Carolo V. in obſidione *Metenſi* militavit, *Dithmarſos* A. C. 1552. non ſine ſanguine domuit, in diviſione hæreditatis Johannis fratris, præter *Dietmarſiam*, *Inſul. Femeram*, *Nordſtrandiam & præfecturam Tunderen* obtinuit. Pater, ex Chriſtiana Haſſiaca Johannis *Adolphi*, qui Archiepiſcopatui primùm *Bremenſi*, tum & *Lubecenſi* Epiſcopatui præpoſitus; primus ea in dignitate maritus, obiit A. C. 1616. relictis Friderico, à quo *Gottorpina* linea continuata, Johanne, qui lineam *Euthinenſem* condidit, & *Adolpho*, qui A. C. 1631. prælio Lipſienſi, à Rege *Sueciæ* captus vitâ mox exceſſit, ex vulnere.

ADOLFUS cognomentô *Simplex*, fil. Rudolfi Electoris *Palatini*, ſucceſſit Patri A. C. 1319. Sed, naturâ quietis amantior, brevi pòſt fratri Rudolfo cognomine *Cæco*, ceſſit: cujus poſt 26. annos tertius frater Rupertus ſucceſſor fuit. In eadem familia *Adolphus* Johannes, fil. Johannis Caſimiri, Ducis *Bipontini*, frater Caroli Guſtavi, *Sueciæ* Regis, in Polonia fraternis auſpiciis militavit; Dein in Pruſſia rem geſſit, adhuc ſuperſtes.

ADOLFUS, fil. Gerhardi cognomine *Bellicoſi*, Comitis *Oldenburgici* cum fratre Ottone, Canonico Bremenſi & Colonienſi bellò *Dietmarſico* periit A. C. 1500.

ADOLFUS Wilhelmus, Dux *Vinarienſis*, fil. Wilhelmi, frater Joh. Erneſti, qui Vinariæ habitat, Suecis in Dania militavit, ac Iſenacum ſortitus eſt maritus Mariæ Eliſabethæ, filiæ Auguſti Ducis Guelferbytani, haud pridem defuncti, &c. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſt.*

ADOLFUS, primus qui in illuſtri hac familia memoratur (quò ſuperiorem tamen Dietericum *Textor* recenſet, liberorum decade florentem) *Haſſiæ* Præfectus, Comitatui *Naſſovico* regendò præfuit annos 21. ſub finem ſeculi VII. Ex uxore Clodunda, Werbrechti *Saxoniæ* Ducis filia, genuit Werbrechtum *Nidæ* Comitem & Dietricum, in Comitatu *Naſſovico*, Patris ſucceſſorem.

ADOLFUS, fil. ſecundo-genitus Georgii, ex Johanna (Philippi Comitis *Ramerœ* filia) Iſabellam ſibi junxit (Henricô Comite *Sancto-Paulini* & *Iſariopis* genitam) atque ex ea ſuſcepit *Iſabellam*, *Johannam*, & *Othonem*: quò in nuptiis interemtô, ad Othonem propatruum Comitatus devolutus eſt, à quo vulgatæ genealogiæ ſeries initium capit.

ADOLFUS, fil. Johannis Comitis ex Margaretha (filia Engelberti Comitis *Marcarum & Clivæ*) paternam aviamque ditionem adjectâ *Dietzâ* auxit, allatâ ipſi à ſutes, Gerhardi Comitis *Dietzenſis* filiâ ac hærede. Sed utriſque gemina cognomine matri filia Godofredo Comiti *Deppſtrati & Camoyſtrus* marito, Comitatum *Dietzenſem*, dotis locô attulit. Obiit A. C. 1420. Frater Engelberti minoris natu, qui *Bredam*, *Polanam & Leccam*, matrimonii jure ſibi obtinuit.

ADOLFUS, fil. Johannis (qui *Cattimelibocenſi* Comitatu &

prædictò *Dietzenſi Naſſoviæ* fines auxit) geniti Guilielmi, ex poſteriore ejus uxore, Juliana Stolbergia, frater maximi nati Guilielmi Auriaci, Belgicæ libertatis auctoris, bellò egregius; ſed præmaturâ morte extinctus eſt. Prima militiæ rudimenta bellò inter Suecos Danoſque coortò poſuit: inde Cæſari in *Hungaria* contra Turcas fortem navavit operam. In Gothanæ arcis obſidione poſtea Auguſto, Saxoniæ Electori, præſtò fuit. Fratres tandem Ludovici, *laudatiſſimi Ducis*, ut eum *Grotius* vocat, in expeditione *Groningana Friſiacaque* comes ante ipſa hoſtium tormenta globò trajectus eſt, circa A. C. 1573.

ADOLFUS, fil. Johannis Comitis ex Magdalena Waldeccia, priore ejus conjuge (frater major natu Joh. Mauritii *Americana* expeditione inclyti) natus A. C. 1586. Belgicâ quoque militiâ inclaruit, ſed brevis ævi itidem. Cum enim animoſius, quam cautius, pugnaret, in mediam hoſtium aciem irruens, occiſus eſt A. C. 1608. ætat. 22. Noviomagi, cui gubernando præfectus erat, ſepultus.

ADOLFUS, ex filiis Ludovici Henrici Comitis *Naſſoviæ* & Catharinæ Comitis *Sayno-Wittgenſteinæ*, natus A. C. 1629. cum fratre Philippo, Canonicus *Magdeburgenſis*, in *Groningana* Academia Studiis operam navavit. Uxorem ſibi junxit Eliſabetham Carolam Holzapfeliam, &c. Atque hi omnes ſuis ſeculis fuere Lineæ *Dillenburgicæ*.

ADOLFUS Comes *Naſſovius*, lineæ *Wesbadenſis*. fil. ſecundo-genitus Walravii, lineæ hujus Auctoris, ex Adelheida (Dietheri Comitis Cattimelibocenſis filia) frater Diethetri ſive Theodori, Archiepiſcopi Moguntini, Patri in Comitatu ſucceſſit, Imperator poſtea Romanus. Vide ſuò locò. Ex Imagina Gerlaci Comitis Limburgii filia pater fuit Henrici (qui maturè obiit) Ruperti, qui ductâ Guttâ Wenceſlai *Bohemiæ* Regis filiâ, ſocero fortem operam navavit, Regum monumentis illatus; Gerlaci, qui in Naſſoviâ ditione Patrem excepit; Walravii, qui Mathildem Ludovici Comitis Palatini filiam conjugem meruit; *Adolphi*, Patre Imperatore nati: Adelheidæ, Monaſterium ingreſſæ Imaginæ & Mathildis, quæ Rudolfo Bavariæ Duci Comiti Palatino nupſit. E quibus Gerlaco cum tres eſſent filii, *Gerlacus*, *Adolfus* & *Johannes*: primus Archidiaconus fuit Moguntinus, reliqui duo hæreditatem ita diviſerunt, ut *Adolfus* patri in Comitatu *Wisbadenſi* & *Idſteino* ſuccederet, Johannes vero *Weilburga* Comitatum obtineret, unde in duas lineas familia diviſa eſt.

ADOLFUS I. modò dictus, contractiori quàm pater avuſque limite habitans, obiit A. C. 1370. poſtquam ditioni novennium præfuiſſet. Suſcepit ex Anna, Friderici Burggravii Norimbergenſis filia *Adolfum*, Spiræ primùm Epiſcopum, inde Archiepiſcopum & Electorem *Moguntinum*: Johannem, Archiepiſcopum ibidem ac Electorem; Gerlacum & Johannam Henrico Comiti *Waldeccio* nuptam.

ADOLFUS II. Gerlacò præfatò genitus, ex uxore Bertha Comitis Weſterburgii filia deceſſit A. C. 1426. Pater, ex Margaretha, Bernhardi Marggravii Badenſis filia *Adolfi*, qui Patrem duobus in Archiepiſcopatu & Electoratu *Moguntino* ſucceſſit; Johannis, Margaretæ Cœnobii Novi Antiſtitæ; Annæ Eberhardo Epſtenio nuptæ & Agnetis Conradi *Bidenbachii* Toparchæ uxoris.

ADOLFUS III. fil. natu major Johannis modò memorati, ex Maria (Engelberti Comitis Dillenburgici filia) frater Philippi, qui ſub Maximiliano I. exercitum duxit, *Wisbadenſem* domum otiò propè langueſcentem & intra agri ſui terminos concluſam, operâ conſiliis Maximiliano I. Imperatori dandi & præfecturâ provinciarum *Geldriæ* ac *Zutfaniæ* feliciter geſtâ, ſplendidiorem reddidit; defunctus A. C. 1504. Ei ex Margaretha Comite Hanovienſi nati ſunt Philippus, qui primus Comitum Wisbadenſium Lutheri reformationem amplexus eſt, & Margaretha, Ludovico *Weilburgenſi* agnato elocata.

ADOLFUS IV. Philippò prædictò genitus, A. C. 1518. uxorem ſibi junxit Franciſcam filiam Limburgenſis; ſucceſſoremque habuit fratrem Balthaſarem, in cujus nepotibus linea extincta & ditiones ad Ludovicum Comitem *Naſſoviæ Weilburgenſem* ac Saræpontanum devolutæ ſunt. Cyriacus Leptul. in *Geneal. Principum Naſſov. Ms.* vide *Adolphus*, paulò poſt.

ADOLIUS, fil. Acatii, Armenius genere. Cœl. Rhodig. *l.* 21. *c.* 46.

ADOLPHUS de Naſſau, Cel. D. F. Aug. XXXII. Occidentis Imperat. VIII. Idib. Jan. creatus. Olym. 517. an. 3. Urb. Cond. 2043. A. C. 1292. Imperii negotia obiit per annos 6. menſes totidem, dies aliquot. Ab Alberto, in prælio, propè Wormatiam occiſus, poſtquam Imperiò motus eſſet ab Electoribus. Vide Vignier. *tom.* 2. *in an.* 1294 &c.

ADOLPHUS, Vir. Cl. prænom. *Clodius* in occidente Conſ. Olym. 307. an. 2. Urb. Cond. 1202. A. C. 451.

ADOLPHUS, Comes Holſatiæ, à Danorum jugo patriâ liberatâ, in Livonia etiam contra Ethnicos multa præclarè geſſit. Crantz. *l.* 8. *Sax.* Spond. *A. C.* 1239. *n.* 21.

ADOLPHUS, Princeps Anhaltinus, Comes Aſcaniæ, Merſburgenſis Epiſcopus, factus A. C. 1514. regnavit annos duodecim, & mortuus A. C. 1526. Chronicon *Erneſti Brotuff* *l.* 2 *c.* 56.

ADOLPHUS, fil. Gothani, Suecorum Regis domus Danos. *Hiſtor. Suec.* Alius Naſſoviæ gentis, occiſus eſt, A. C. 1608. Grot. *Annal. Belg.* *l.* 17.

ADOLPHUS, Vide *Guſtavus Adolphus*.

ADOMINATIO, contraria abominationi, in *Gloſſario vet. inedito*, apud Barthium. Vide *Dii bene*.

ADOMMIM, Manſio; Joſ. *c.* 15. *v.* 7. & *c.* 18. *v.* 17.

ADON, Cynaræ, regis Cypriorum, & Myrrhæ fil. *Boccatius*, Item nomen loci. Vide *Addon*.

ADONA, vide *Adana*.

ADONACRIS, vide *Adoracris*, & *Odoacer*.

ADONAI, nomen Dei apud Hebræos, *Dominus* Latinè, quod creaturis cunctis dominetur. Hoc nomen enuntiant Hebræi, quoties in nomen Dei tetragrammaton, quod ineffabile dicunt, incidunt. Per idem jurant, quoties ſanctiſſimo Sacramento ſe volunt adſtringere. Hinc in *Gemara* Babylonica, *Shebuoth. fol.* 35. *a.* legitur iſta: *Adjuro vos ego* (ſi quis nempe ſive in Foro, ſive alibi deferret alicui generatim juramentum) *jubeo vos*, *interdico vobis* falſum dicere (dum adjuramini) *hinc illi ſic adjurati obligabantur* (aſſentiendo nimirum, etenim de juramento per Numen ipſum ſic verba capiebantur) *ſed ſi adjurarentur*, *per Cœlum & Terram*, *liberaverant*, *nec porrò ſtrinxerit ejuſmodi obligati Per Aleph Daleth* (Adonai) *per Jod He* (Tetragrammaton ſeu *Jah*) *per Sadai*, *per Zebaoth*, *per Gratioſum*, *per Miſericordem*, *per Tardum ad iram*, *Beneficentiſſimum ſeu per omnia cognomina*, *obſtringebantur*. Joh. Selidenus de *Synedriis Veter. Hebræorum* *l.* 2. *c.* 11.

ADONEUS, Bacchi nomen apud Arabas.

ADONIA, *orum*, feſta Adonidi dicata. Amm. Marcellin. *l.* 22. *c.* 9. *Evenerat iiſdem diebus, annuo curſu completo, Adonia celebrari, ritu veteri, Amatò Veneris (ut fabulæ fingunt) apri dente ferali deletò.* Cum planctu autem celebrabantur ad luctum Veneris repræſentandum. Cujuſmodi Adonia, celebrata olim à Babyloniis, *Syris* ac Ægyptiis; in quibus Venus *Salambo* appellata eſt, ut quod epitheton erat proprium Veneris, ademptum *Adonidem* plangentis. Hinc *Salambonem exhibere*, quâ phraſi de Heliogabalo utitur Æl. Lamprid. in *Vita ejus*, *c.* 7. *Salambonem etiam omni planctu & jactatione Syriaci cultus exhibuit*; eſt Veneream imitari, dum Adonidem luget ac plangit. Quod, addit Lampridius, *omen fuit imminentis ei exitus*. Quemadmodum & de Juliani adventu Antiochiam Amm. Marcellin. ait *loc. cit.* *Evenerat iiſdem diebus, annuo curſu completò, Adonia ritu veteri celebrari, amato Veneris, ut fabulæ fingunt, apri dente ferali deleto, quod in adulto flore ſectarum eſt indicium frugum: Et viſum eſt triſte, quòd amplam urbem Principum domicilium introeunte Imperatore tum primum, ululabiles undique planctus & lugubres ſonus audiebantur.* Vide infrà in *Salambo*.

ADONIAH, ſive *Adonias*, quartus filiorum David ex Agguith. 1 Paral. *c.* 3. *v.* 2. Videns patrem exactâ ætate, ſummò ſeniò confectum, & viribus deficientibus infirmum, conſilia de regno adipiſcendo cum Joab polemarcho, & Abjathare, ſacerdote ſummo, toiſcere cœpit, quorum operâ coronam ſibi ipſi, contra voluntatem & decretum patris, quo Salomon rex declaratus fuit, impoſuit; tandem juſſu Salomonis regis à Benaja occiditur, A. M. 3020. propter expetitam Abiſag in uxorem. 1 Reg. *c.* 1. & 2. Vide *Joſeph. Torniel. Salian.*

ADONIBEZEK, Chananæorum rex, cui Iſraëlitæ manuum ac pedum pollices abſciderunt, qui tunc dixit, *Meritò iſthæc patior. Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum pollicibus, colligebant ſub menſâ meâ ciborum reliquias: ſicut feci, ita mihi reddidit Dominus.* Judic. *c.* 1. *v.* 5. Joſeph. *Jud. Antiq.* *l.* 5. *c.* 2. Salianus *A. M.* 2601.

ADONIRAM, fil. Abda; qui erat ſuper tributa Salomonis; quique triginta millibus hominum præfectus fuit, qui materiam cedrinam & pineam in Libano monte cæderent, ad Templi ædificationem. 1 Reg. *c.* 4. & 5.

ADONIS, *idis*, fil. Cynaræ, Cypriorum regis, & Myrrhæ ejus filiæ, quem Venus in delicias habuit. Hic dum in Idalio nemore venabatur, primò ætatis flore, apri dente ſub inguine percuſſus periit, atque à Venere poſt multas lacrymas in florem Adonium, qui eſt ſanguinei coloris, transformatus eſt. Alii dicunt, eum in fluvium cecidiſſe, dum pulchritudinem ſuam nimium contemplaretur. Hunc *Auſonius* cum *Plauto* *Adoneum* vocat, *Fulgentio* autem *Adon* dicitur. Et quia Myrrha ſuavis eſt, *Adonem* genuiſſe fingitur. Ideo autem Venerem eum amâſſe dicunt, quòd hoc genus pigmenti ſit valde fervidum: *Hieronym.* eundem eſſe cum Thammuzo Hebræorum putat; unde in Ezechiele *c.* 8. *v.* 14. legitur, *Ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem.* Ubi intelligi vult, fuiſſe Idololatriam celebratam in honorem *Adonidis*, in qua plangitur quaſi mortuus, & poſtea reviviſcens canitur, & laudatur. Quanquàm nonnulli fortaſſe rectius exponant de planctu, qui fiebat propter mortem Oſiridis ab Ægyptiis, quorum ritum imitabantur Judæi. Macrobius *l.* 1. *Saturn.* *c.* 21. accipit *Adonidem* pro Sole, & *Adon* *hepaticus*, pro more Grammaticorum, ab ἁδω deducit, i. e. *cano*. De eo, feſtiviſſimè Theocritus *Idyl.* 30. & Bion. *Idyl.* 1. qui eum Ἄδωνιν πόσιν Veneris vocat, aliqui enim Aſſyriorum regem fuiſſe dicunt. Quin & Orpheus in *Hymnis* Solem eſſe cenſet, cùm illum rebus omnibus præbere nutrimentum, & eſſe germinandi authorem dixerit in his:

Εὔβουλε, πολύμορφε, τροφὲ πάντων ἀρίδηλε,
Κούρη, καὶ κόρε σὺ πᾶσι, θάλος αἰεὶ Ἄδωνι,
Σβεννύμενε λάμπων τε καλαῖς ἐν κυκλάσιν ὥραις.

I. e. Joſephò Scaligerò interprete,

Conſule Deus, Volturne, alimentum nobile rerum,
Puſa, puer cunctis vireſcens ſemper Adoni,
Occaſe & Rediviue ſtatis vertentibus annis.

Finxerunt autem antiqui, qui Adonim Solem eſſe putârunt, illum ab apro, hirſutâ & aſperâ ferâ ictum, quia aſpera ſit hyems, & hirſuta, ſub qua Solis vires paulatim deficiunt. Et res omnino Veneri eſt inimica, quoniam per aëris temperiem vitæ iſta, cùm frigus, ut inimicum, naturæ opus non ingrediatur. Cùm Sol igitur in ſex Auſtralibus ſignis extiterit, per Signiferum incedens, tum dicitur *Adonis* apud inferos morari. Cum vero ſigna Borealia longiores dies fecerint, tunc eſt apud Venerem, per quam omnis venuſtas aëris reſtituitur, eâque de causâ illum ait Orpheus modo eſſe apud ſuperos, modo apud inferos. Alii, inter quos Theocriti *Scholiaſtes*, *Adonim* ſemen tritici eſſe ſtatuunt, quod ſex menſes degit ſub terrâ, ſex menſes illum habet Venus, h. e. aëris temperies. Verba ejus hæc ſunt: Δοκεῖ ὁ Ἄδωνις μῆνας ἓξ ὑπὸ γῇ Περσεφόνῃ μεῖναι, ὡς ὁ πυρὸς

Ἄτρο-

Ἀφροδίτης, ὅτι τὸ συγγινόμενον ἐστερήθη. Λέγεται δὲ αὐτὸ τὸ Ἀδώνιδος, ὅτι ὁ Ἄδωνις, ἓξ μῆνας ἐποίησεν ἐν ταῖς ἀγκάλαις τῆς Ἀφροδίτης, ὥσπερ ἐν ταῖς ἀγκάλαις τῆς Περσεφόνης. Τοῦτο δὲ τὸ λεγόμενον τοιοῦτόν ἐστιν ἀληθῶς, ὅτι ὁ Ἄδωνις, ἤγουν ὁ σῖτος ὁ σπειρόμενος, ἓξ μῆνας ἐν τῇ γῇ ποιεῖ ἀπὸ τῆς σπορᾶς, καὶ ἓξ μῆνας ἔχει αὐτὸν ἡ Ἀφροδίτη, τουτέστιν ἡ εὐκρασία τοῦ ἀέρος, καὶ τότε λαμβάνουσιν αὐτὸν οἱ ἄνθρωποι. Templum habuit in Byblo Phœniciæ urbe. Virgil. in *Gallo*.

Et formoſus oves ad flumina pavit Adonis.

Unde Theocrito dicitur ὡραῖος, *pulcher*; τριφίλητος, h. e. multùm *amabilis*; ῥοδόπηχυς, *roſeos habens lacertos*; καλὸς, formoſus, τερπνὸς *jucundus*. Et à Nonno χαρίεις, *gratioſus*, & ἱμερόεις, *deſiderabilis* vocatur. Propertius *l. 2. Eleg. 13.*

Teſtis qui niveum quondam percuſſit Adonin.

De hoc latè Ovid. *Met. l. 10.* Notandum autem, inquit *Bochart.* אדן *adan*, *falcem*, & אדון *adon*, *dominum*, unde dictus *Adonis*, eaſdem habere radicales. Indeque factum, ut *Adonis* Græcè diceretur Ιοῦος h. e. *falcigenus*, tanquàm ab ἴουλα, i. e. *falce* factò nomine. *Heſych.* Γοῦος ὁ Ἄδωνις. Sed & Κύρις pro Κύριος ex verà ſignificatione. Idem *Heſych.* Κύρις ὁ Ἄδωνις, quod idem eſt ac *Adon*, i. e. *dominus*. Quod Heſychium ipſum non latuit. Ἄδωνις, inquit, δεσπότης ὑπὸ Φοινίκων. Sed & id ipſum Κιρις Lacedæmoniis. *Heſych.* Κιρις, Ἄδωνις, Λάκωνες. Et Gingram, aliud *Adonidis* Phœnicium nomen idem ſignificare infrà docebimus in *Gingras*. *Adonidis horti*, peti inſtructiſſimis, cæterùm de rebus ad voluptatem tantùm, nullam autem utilitatem comparatis. Sic dici etiam τοὺς περὶ τῶν ἀχρήστων καὶ ἀνωφελῶν annotat Euſtathius. Vide Athen. *p. 89.* Philoſtratum *l. 7. c. 14.* Zenobium *p. 17.* Diogen. 177. Euſtath. in *Od. λ.* Plut. in *Sympoſ. l. 5. q. 3.* Alex. Roſſæi *Myſtagog. Poet. Nic. Lloyd.* Ejus ſimulachrum aſſervatur, in muſæo Kircheriano Romæ. Vide *Collegii Romani Societ. Jeſu Muſæum*, *editum Amſtelodami A. C. 1678.* Plura infrà in *Tamuz*.

ADONIS, fluv. Phœniciæ, *Adonius Ptolemæo* & *Luciano*, qui ſcribit eum oriri ex Libano, & circa Byblum in mare effundi, quotannisque cruore inſici, ipſumque mare magnà parte purpureum efficere. *Canis* & *Narracebelle* incolis, teſte *Guil. Tyrio* & *Poſtello*.

ADONIZEDECK, Rex Jeruſalem, Vide ejus hiſtoriam, *Joſ. c. 10. v. 1. 2. 3.* Latinè *dominus juſtitiæ*.

ADOPISSUS, Lycaoniæ in Cappadocia Urbs, *Ptol.*

ADOPTIANI, nomen Hæreticorum, *Chriſtum ſecundùm humanam naturam non niſi adoptione & gratià eſſe Dei Filium*, aſſerentium, auctoribus Felice & Elipandò in Hiſpania Epiſcopis. Unde & *Feliciana* hæc hæreſis dicta eſt & ex Neſtorianiſmo ortum traxit, ſed damnata Synodò Francofurtanà, à Carolo M. convocatà A. C. 594. quà decretum: Chriſtum verum eſſe Deum, verum in eadem perſona hominem: *in Divinitate Dei Patris Filium: in humanitate hominis matris filium: verum in utraque ſubſtantia Dei Filium verum, non adoptivè, ſed propriè, unum verum Deum, unum Filium, non duos Filios, licet aliud propter Deum, aliud propter hominem, non tamen alium & alium.* Vide Georg. Hornium *Hiſtor. Eccl. ex edit. Leydeckeri p. 260.*

ADOPTIVA fœmina, in Concilio Bracarenſi 1. *c. 15.* & in *Collect.* Canonum Martini Braccar. *c. 32.* adſcititia, συνείσακτος eſt. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide infrà in voce *Agapetæ Sorores*, item *Sorores devotæ*.

ADOPTIVI Filii, vel ſaltem *Filioli*, dicti olim, qui baptizabantur; ut Patrinus *Patris ſpiritualis & adoptivi* appellatione inſigniebatur; namque *adoptari per Baptiſmum*, dicebatur is, qui ad baptiſmum ab aliquo offerebatur, pro quo ille ſpondebat apud Miniſtrum baptizantem. Hinc idem Patrinus in ſignum velut adoptionis legitimæ, munus aliquod eidem filiolo, tanquam ſucceſſionis ſuæ portiunculam, conferebat, quod *filiolatum* vocabant. *Heſych.* Υἱοθεσία, ὅταν τις ἐκ θείου ὕδατος ἀναδεχθῇ (alii emendant ἀγίου) *ἀγίων ſlacrorum*. Monachus Sangall. *l. 2. c. 29.* de baptiz. Normannis: *Qui à primoribus Palatii quaſi in adoptionem filiorum ſuſcepti* &c. Sic de Heroldo Danorum Rege Rembertus in *Vita* Anſcgarii Archiepiſcopi Hamburgenſis. *Ipſe* (Ludovicus Pius) *de ſacro fonte ſuſcepit*, *ſibique*, *in filium adoptavit.* Dudo de *Actis Normannorum l. 3. p. 101.*

Quin & adoptivam prolem ſuſceptus ab alma,
Extollensque ſalutiferi baptiſmatis undà, &c.

Vide quæ hanc in rem congeſſit Car. du Freſne in *Diſſertat. 22. ad Joinvillam p. 274.* & infrà *paſſim*: aliquid etiam ſuprà, voce *Abelonii*, it. *Adobator* ac infrà *Pallium*. Cæterum ex uſitata *Adoptionum* apud veteres Romanos formula, nomen adoptati in *anus* deſinebat. Unde Pomponius Atticus à Q. Cæcilio adoptatus *Q. Cæcilius Q. fil. Pomponianus Atticus* dicitur Ciceroni *l. 3. ad Attic. Ep. 20.* ipſe autem adoptantis *nomen ferre* jubebatur, *l. ſed & ſi* & *l. facta*, *§. ſi ſub non D. ad SCtum Trebellian.* Hinc apud Ovidium Jupiter ad Venerem, de Cæſaris ἀποθεώσει *l. 15. Met.*

- - - - *Qui nominis hæres*
Impoſitum feret unus onus - - - -

Vide Angelum Politian. *Miſcellan. c. 31.* Anton. Auguſtinum *Emendat. pariis l. 3. c. 8.* Alios.

ADOR, & *Adorei*, vide *Ador*.

ADOR, Syriæ oppid. Joſeph. *Jud. Antiq. l. 3.*

ADORAIM, vide *Aduram*.

ADORAM, fil. Jectan. Gen. *c. 10. v. 25.* Item Officiarius Davidis, qui præerat tributo, 1 Paral. *c. 18. v. 10.* Idem, vel alius à populo lapidatus ſub Rehaboamo. 1 Reg. *c. 12. v. 18.*

ADORANDI, ritus, is erat apud Veteres qui deſcribitur Minucio Felici in *Octav. Cæcilius ſimulacrò Serapidis denotatò, ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admovens, oſculum labiis impreſſit.* Hinc Plin. *l. 28. c. 2. in adorando, dextram ad oſculum referimus*; & Apulejus in *Apolog. Nulli Deo ad hoc ævi ſupplicavit; nullum templum frequentavit: ſi fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratià manum labris admovere.* Unde *labrorum oſculum* ejus, qui ſic in *adorando* manum labris admovebat & oſculabatur, Vide infrà in voce *Jacere*, it. *Labrorum oſculum*. Atque ita Numina ſua olim, Deorumque ſimulacra venerabantur. Inde ritus ad Imperatores translatus eſt, Principeſque. De Perſis Trebellius Pollio in *Triginta Tyrannis*, *c. 30.* ubi Zenobiæ mentione factà; *Adorata*, inquit *eſt more Perſarum*; quod tamen Heliogabalum cœpiſſe, vetuiſſe autem Severum *Lamprid.* refert. Mos verò adorandi apud Perſas auctore Cyrò, apud Arrianum *l. 4.* talis erat: Genu flexò, proni procumbentes in terram, fronte humum feriebant, ac terram oſculabantur, Curtius *l. 6. c. 6.* & *l. 8. c. 5.* Val. Max. *l. 7. c. 3.* Joſeph. Jud. *Antiq. l. 20. c. 3.* Martial. *l. 10. Epigr. 73.* Alii, Quem ritum προσκύνησιν dixiſſe Græcos C. Nepos *Conone c. 3.* docet, ab hoc Artaxerxi negatum; uti Alexandro M. à Calliſthene, ab Iſmenia Thebanorum legato callidè interverſum potiùs, quàm exhibitum, ab hodierno Indorum Rege denuo in uſum vocatum, ut videre eſt apud Frid. Hildebrandum *ad Nepotem d. l.* plura apud Barn. Briſſonium *de Regno Perſarum l. 1.* Lucianus, reductis poſt terga manibus Perſas adoraſſe Reges ſuos addit, in *Navigio*, vide quoque Petr. Pithœum *Adv. ſubceſ. l. 1.* Jo. Frid. Gronovium *Notis ad Livium l. 9. c. 18.* ubi de *Adulandi* voce, Schottum alioſque ad C. *Nepotem cit. loc.* Sed & Imperatores Romanos *adoratos* eſſe, certum, quamvis non eòdem, quò Perſæ, modò. Unde *adoranda ſacra purpura* iam frequens in libris mentio; & *ſacros vultus adorare*, ſæpiùs legitur apud Auctores, &c. Salmaſ. *ad Trebellii loc. cit.* Quam in rem plurima congeſſit Jacobus Gothofredus *ad leg. un. Cod. Theodoſiani de Præpoſitis ſacri cubiculi.* Vide quoque infrà, ubi de phraſi *Purpuram adorare* & *Salutandi ritu.* Addam hîc ſaltem, quæ Calvin. *Lexic. Jurid.* ſuggerit: *Adorare*, inquit, *Principem ejuſque purpuram, eſt venerari, ſalutare, ad Principem genua accedere, genua flectere i. e. manu labris admotà, & tactà dein Principis purpurà, vel genu complexù* &c. *l. unic. de Comit. & Tribun. Schol. l. 12. C.* Sic *adorare Principis æternitatem*, legimus *l. 2. de fabric. l. 11. C.* Priſcus venerationis iſtiuſmodi apud Iſraelitas geſtus erat, *in faciem procidere*, Perſico ſimilis ſed eo ſimplicior in Sacris literis frequens apud Europæos; Jam Principibus Regibuſque genua flectuntur caputque ſubmittitur &c. *Adorare Imbres* Seneca dixit, miſſilia Principum, quæ, Ludis ferventibus, in populum venerabundum ſpargebantur, de quibus *ſuò locò*; vide quoque hic infrà.

ADORARE, eſt ex origine vocis *ori admovere*, ſeu *oſculari*; Unde Hiobus *c. 31. v. 26. & 27.* *Si vidi Solem, cum fulgeret, & oſculatus ſum manum meam ori meo* &c. i. e. *ſi Solem adoravi.* Nempe in oſculo præcipuum ſemper *adorandi* ritus collocatus eſt. Vide Everh. Elmenhorſtium & Deſ. Heraldum *ad Arnobium*, ubi is aliter paulo: ut & infra *Alloqui*. Plenior autem geſtus adorantium talis erat, ut: velatò capite, dextrà manu labiis admotà, priore digitò in erectum pollicem reſidente, corpus dextrovorſum circumagerent, ut ex Lucretio *l. 5.* Macrobio *Saturnal. l. 1. c. 8.* Plutarcho *Quæſt. Rom.* 10. Apulejo *Aſini l. 4.* *Minucio Felice*, aliiſque liquet. Imo & *ante* ... ſoliti, & vertere ſeſe ad Orientem & coronam ſimulachro imponere & aſſidere adorandum; Sueton. *Vitellio c. 7.* Plut. *Apologis* & *l. de Orat.* Vide de adorantium geſtu habitu, motu, flexuque corporis Barn. Briſſonium *Formular. l. 1.* Petr. Pithœum *Adverſar. l. 2. c. 3.* Jac. Ouzelium alioſque ad *Minucium Fel.* &c. Qui ſalutandi mos à Diis ad Cæſares poſtea transferri cœpit, ut viſum; & Vitellius quidem, *miri in adulando ingenii, primus C. Cæſarem adorari ut Deum inſtituit. Cùm reverſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet, quam capite velatò, circumvertenſque deinde procumbens.* Diocletianus dein ſibi non tantùm eum honorem deferri voluit, quod & ſub inſecutis Principibus ex parte manſit, verùm etiam, gemmarum ornamenta ſuis calceamentis addidit, ut ſibi, tanquam Deo, divini honores per pedum oſcula deferrentur: ritu à Pontificibus Romanis ſequentibus ſeculis receptò, & ad hanc noſtram ætatem obſervatò. Qua de re ſic Balduinus *de Calceo c. 27.* *Cùm Pontifices primum agnoſcerent, univerſos paſſim Chriſtianos ad ſuorum pedum oſcula procurrere, crucem calceis ſuis adeò acu curaverunt. Quo factum, ut Chriſtiani homines, eum honorem, quem Pontifici per pedum ejus oſcula lubentes ibant delatum, cruce in ipſis ſandaliis perſpectà, in Chriſtum præſertim referrent, atque adeò ipſum ore contingere impreſſiſque labiis ſuaviari viderentur.* Quod autem dictum de velato capite, confirmatur ex Plauto *Amphitr. Actu 3. Sc. 1.* ubi, ab Alcmenà parturiente, Dii opertò capite invocantur: *Curculione* item *Act. 3. Sc. 1.* ubi quidam opertò capite Æſculapium ſalutat. Sic Alopſus vates, apud Val. Flaccum *l. 2. v. 253.* Manes venerando, caput obnubit: & reſpexit eò Lucretius *l. 5. v. 1197.*

Nec pietas ulla eſt, velatum ſæpè videri,
Vertier ad lapidem atque omnes accedere ad aras:
Nec procumbere humi proſtratum, & pandere palmas
Ante Deûm delubra. ———

Idem apud Hebræos quoque olim ac Romanos obtinuit: quorum hi omnibus Numinibus ſacra faciebant capite tectò, præterquam Saturno, Herculi & Honori, cujus rei cauſas inveſtigat Plut. *Quæſt. Rom. 11. & 13.* & quia hic erat mos patrius Romanorum, ritum illum Saturno ſacrificandi *inſtitutum peregrinum*, *Saturnal. l. 1. c. 10.* ac *Ritum Græcanicum*. *l. 3. c. 6.* vocat Macrob. Contrariò planè more *Chriſtiani* adorant, capite nudò, vide Solerium *de Pileo ſect. 2.* &c. De ſitu *adorantium* Orientem verſus, aliiſque huc pertinentibus, dicemus alibi, imprimis ubi de *Invocatione* & *Precandi ritu*. Addam ſaltem, in *adoratione* Saturni, Veneris & Solis, Orientales gentes olim manum non *ad os* ſed *ad pectus* admoviſſe adnotari *Seldeno*, ut infrà videbimus voce *Pectus*. Sed &, quoties locum ſacrum prætergrederentur Gentilium religioſiores, modò præfatò ſoliti erant *adorare*, ac ſecum tacitas preces concipere. Ovidius *Met. l. 6. Fab. 5.*

Ipſe ducem dederat, cum quo dum paſcua luſtro,
Ecce lacus medio ſacrarum nigra favillà
Ara vetus ſtabat, tremulis circumdata cannis
Reſtitit, & pavidò Faveas mihi, murmure, dixit
Dux meus; & ſimili, Faveas, mihi murmure, dixi.

vide & infrà *Loca*.

ADORES, apud *Juſtinum* vide *Ador*.

ADO-

ADOREUS, mons Phrygiæ, ex quo Sangarius fluv. erumpens per Phrygiam labitur in Bithyniam. Vide *Didymus*.

ADORFUM, oppid. Germaniæ in Voigtlandia, in ditione Electoris Saxoniæ, ad fluv. *Elſter*.

ADORIANUM, oppid. Tranſylvaniæ, in confinio Hungariæ, juxta fluv. Berethon.

ADORIS potio apud Arnob. *l.* 5. *adv. Gent.* ubi de Baubo, quæ hoſpitiò Cererem accepit: *Adulantis officiis muliebri, reficiendi corporis rogat curam ut habeat, ſitientis adoris aggerit potionem cinnamæ, Cyceonem quem nuncupat Græcia*; uti ex veteri Codice Regiæ Bibliothecæ lectionem veram reſtituit. *Salmaſ.* cùm in editionibus ineptè legeretur, *ſitienti ardori*: eſt cyceon, h.e. potus farinâ vel polentâ commixtus. Ovid. de eadem anu verba faciens, *l.* 5. *Met. Fab.* 7.

------ ------ *lymphamque roganti*
Dulce dedit, toſta quam coxerat ante polentâ.

Ubi *toſtam ante polentam*, vocat farinam, ex hordeo priùs toſto, quæ in vinum addebatur. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 128. & infrà in voce *Polenta*: uti de *Adorea* præmio militum, ubi de *Militibus*.

ADORSI, apud Tacit. *Annal. l.* 12. *c.* 15. 16. 19. gentis nomen circa Boſphorum; *Aorſi* legit *Lipſius*.

ADOSYGNE, vide *Allaſygne*.

ADOVACRIS, Rex fuit Herulorum, qui A.C. 475. tanta cum manu in Italiam irrupit, ut terrore perculſus Auguſtus ſponte purpuram poneret Paul. Diaconus *l.* 16.

ADPUNCTARI, vulgò Gallis dicuntur, quibus ſalarium conſtitutum eſt: Commoda enim & ſalaria militiæ, quæ *ſolatia* appellant Imperatores in Codice; Juſtinianus *puncta* dixit, *Cod. de Advocatis diverſ. judic.* Salmaſ. *ad Spartian. in Hadrianum. c.* 9.

ADRA, Illyrici urbs. *Ptol. Zeramax* hodiè, *Odura Molet.* Caſtellum nunc eſſe tradit *Mar. Niger*. Item Phœniciæ urbs: & civitas Arabiæ Petrofæ. *Ptol.* Et oppid. Syriæ Cœles, i.e. Cavæ. Idem. Vide *Adra* vel *Edrai*.

ADRABÆ, campi quidam ſic dicti. *Ptol.* In Auſtria ſunt, ubi *Laxus doret*, & *Markfelt* hodie vocantur.

ADRACH, Palæſtinæ regio. Zach. *c.* 9. *v.* 1. in Cœleſyria, unà cum oppido ejuſdem nominis, diſtante a Boſtra 25. milliar. *Sedrach* eſt 70. *Interpretibus*.

ADRAGIA, pars Perſiæ eſt, in *Hiſtoria Miſcell. c.* 18.

ADRAI, vide *Edrai*.

ADRAISTÆ, Indiæ populi ſunt, circa Indi fluminis partem ſuperiorem degentes, ut tradit Arrian. *l.* 5. *Andreſtæ* ſunt Diodoro Sic. *l.* 17. Malè apud Oroſium *l.* 3. *c.* 19. *Araſta* & *Adraſta*.

ADRAMA, Cæleſyriæ *urbs*, *Ptolemæo*.

ADRAMELECH, fil. Sennacherib, Regis Aſſyriæ, quem à fratre Sarasſaro adjutus occidit. 2 Reg. *c.* 19. *v.* 37. Eſa. *c.* 37. *v.* 39. Item Deus Sepharvaim, 2 Reg. *c.* 17. *v.* 31. Latine *magnitudo* vel *potentia regis*. Vide infrà.

ADRAMELECH, Idolum Aſſyriorum, quod ſibi fabricati erant Sepharvaimitæ, in cujus honorem filios ſuos flammis exponebant & urebant: illud idem Idolum Samaritani coluerunt. 2 Reg. *c.* 17. *v.* 31.

ADRAMILES, vide *Pſilleriui*.

ADRAMIRE, in ſacramentis ac teſtimoniis, apud recentioris ætatis Scriptores, frequens: ſignificat, cavere, promittere, obligare ſe coram Judice, rem quampiam ſe facturum, v.g. juraturum, teſtes adducturum, aut duellò jus ſuum probaturum. Unde phraſes, *Teſtimonia ſeu teſtes adhramire*, *Vadium adhramire*, *Arramire bellum ſeu duellum*, apud Auctores laudatos Car. du Freſne Gloſſar. Vocis originem *Beſlius* ab *Affirmare*; *Wendelinus* à *Rama* ſeu *Ramallum*, quod eſt locus, in quo judicia exercentur, deducit. Boſquetus *ad Epiſtolas Innocentii* III. ab *arrha* arceſſit, quòd qui *adhramibant* facturos ſe quidpiam, arrham dabant, ſeu mittebant, fortè chirothecam aut feſtucam, ut eſt in formula L. Inter *Formulas* incerti Auctoris: quam ſententiam videtur amplecti Bignonius *Notis ad L. Salic.* ubi *adrhamire* idem vult eſſe, quod, *arrer* apud Gallos, ab *arrha data*, apud Eundem.

ADRAMIS, & ADRAMIN, nomen viri proprium.

ADRAMITÆ, Arabiæ Felicis populi, apud *Ptolemæum*. *Theophraſtus* habet *Ἀδραμύτην* locum in eadem Arabia, ubi thus, myrrha, & cinamomum gignuntur. vide *Atramita*.

ADRAMITTA, vide *Adramita*.

ADRAMYTTIUM, & ADRAMYTTEOS, olim Pedaſus, Plinio *l.* 5. *c.* 30. auctore, Troadis oppid. quod nunc *Landramiti* dicitur, *Nigro* teſte *Atramyttium Ptolemæo*. Hinc *ſinus Atramyttenus*, hodiè *Golfo de Landramiti*. Olim *Idæus ſinus* in quo plures Lelegas olim habitâſſe author eſt *Homerus*, teſte Strabone, *l.* 13. Adramyttio autem vicinæ erant Thebæ Hypoplaciæ; quin eandem urbem multi faciunt. *Etymologus*. Θήβη, τὸ νῦν Ἀδραμύττιον καλούμενον. Ita etiam *Phavorinus*, & *Jo. Lydus*, & Lydum ſecutus *Ortelius*. Sed & Livio, *l.* 37. Atramytteum & Thebes campus ideo ſunt. *Atramytteum*, inquit, *hoſtiliter itinere facto petit, agrum opulentum, quem vocant Thebes campum, carmine Homeri nobilitatum*. Salcem Phœnicium nomen utrumque eſt, inquit Bochart. *in Chanaan l.* 1. *c.* 8. & à luto ſumptum. De Thebarum nomine alibi. *Adramyttium* autem eſt [illegible] *Aſtramuth*, h.e. *regio lutoſa*. *Mud* ſiquidem Phœnicium ſignificat *lutum*, *Philo Byblius*, *μώτ* ſcribit, & exponit *ἰλὺν* *limum*, ſive *ὕδατος μίξεως σῆψιν*, *aquoſæ mixtionis putredinem*. *Nic. Lloydius*.

ADRAMYTTIS, Lyciæ inſula. *Steph.*

ADRAMYTTUM, vide *Thebe*.

ADRAMYTTUS, vide *Adrumetum*.

ADRANA, urbs Thraciæ parum ſupra Beneticen, quæ etiam *Adrene* dicitur *Steph. Leunclavius* in Bithynia ponit, haud procul à Pruſa, dicique à Turcis *Edrene* vocari. *Adrani fauces* commemorat Zoſimus, *l.* 2. ſed circa Pannoniam. Eſt etiam fluv. Cattorum in Germania. Tacito *l.* 1. *Annal. c.* 56. *Adrana*. *Aderna* hodiè dici exiſtimat *Althamerus*, ſed is ubi locorum ſit, non addidit. *Eder* ex eo facit Junius, in ſua *Batavia*; ſcribit etiam eum in Fuldam evolvi, & hoc ex tabulis verum eſſe conſtat.

ADRANTIS, Manſio, in Pannonia, circa Celtam, *Anton.* *Lazius* putat, hunc locum in *Dragemel* incidere; caſtellum hoc in ripa Savi. Ortel. *in Theſ. Geogr.*

ADRANUM, Siciliæ mediterranea urbs eſt. *Plut. in Parall.* Vel in Ætnæ montis radicibus, fluv. habens ejuſdem nominis, teſte *Stephano*. *Aderno* dicitur *Fazello* & *Aretio*. Ejus meminit Sil. Italicus, *l.* 14.

Adranum, Ergetiumque ſimul, teláque ſuperba
Longarà Melini. ——

Ubi alii *Hadranum*. longitud. 38. 54. latitud. 37. 100.
In hac urbe fanum erat *Adrani*, Dei in Sicilia plurimùm culti. Diodor. Sic. *l.* 14. Διονύσιος δ' ἐν τῇ Σικελίᾳ πόλιν ἔκτισεν ὑπ' αὐτὸν τὸν τῆς Αἴτνης λόφον, καὶ ἀπὸ τινος ἱεροῦ ἐπιφανοῦς αὐτὴν προσηγόρευσεν Ἀδρανόν. Plut. in *Timoleonte*. Ἀδρανῖται πόλιν μικρὰν μὲν, ἱερὰν δ' οὖσαν Ἀδρανοῦ θεοῦ τινος τιμωμένου διαφερόντως ἐν ὅλῃ τῇ Σικελίᾳ κατοικοῦντες. Ælianus de *Anim. l.* 11. *c.* 20. Ἐν Σικελίᾳ Ἀδρανός ἐστι πόλις, ὥς λέγει Νυμφόδωρος, καὶ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ Ἀδρανοῦ νεὼς ἐπιχώριος δαίμονος, πάνυ δὲ ἐναργῆ φασιν εἶναι τοῦτον. Heſych. voce Παλικοί, Paliсos Deos aſſerit hujus Adrani eſſe filios. Vide Bochart. *De Phœn. Colon. l.* 1. *c.* 28. De canibus hujus fani, mirabilem hiſtoriam idem Ælianus *loc. cit.* refert. *Nic. Lloydius*.

ADRANUS, Deus cui ſacra erat Adranum civitas.

ADRAON, urbs Arabiæ majoris ſeu deſertæ, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Boſtrenſi. Vide *Adraæum*.

ADRAPSA, *oram*, urbs Bactrianæ. Strab. *l.* 15 longitud. 100: 30. latitud 41. 30.

ADRASII, Æliano *l. Animal.* 15. *c.* 25. Interpretes *Gedroſii* legunt.

ADRASSON, Epiſcoparus ſub ſede Seleucienſi Ciliciæ: alius ſub ſede Becerrâ Arabiæ. *Guil. Tyrius*.

ADRASTA, nympha, Oceani filia, Jovis nutrix. *Hyginus*, *Fab.* 182.

ADRASTIA fons Sycioniæ apud *Pauſaniam*, *l.* 2. *Adraſtia* montem habet Plut. *in Lucullo*: circa Bithyniam *Adraſtii* Campi ſunt *Trogo* circa Parium: prope Cyzicum, haud procul ab Ida, ut exſtimat *Ortelius*.

ADRASTIA, regio non longè à Troade, quæ eſt in Myſia ab Adraſto rege dicta, qui primus Nemeſis, i. e. Fortunæ, templum ædificavit, *Adraſtiamque* vocavit. Ibi & Apollinis oraculum celebre. Strab. *l.* 13. Pauſan. *l.* 2.

ADRASTIA, Jovis ac Neceſſitatis filia, ſcelerum vindex acerrima, quam nemo flagitioſus, neque magnus, neque parvus, vi aut clam effugere poteſt. Aliò nomine *Nemeſis* dicitur, ejuſque ſedem Ægyptii Sacerdotes ſupra Lunam conſtituerunt, ut inde, velut regina, & arbitra, hæc inferiora deſpectaret. Strabo. *l.* 13. nominis rationem refert ad Adraſtum regem, de quo ſupra. *Phornutus* autem παρὰ τὸ ἀεὶ δρᾶν, quaſi ἀεὶ δρῶσα, quòd nihil eam impediat, nihil fruſtretur, nihil ex infectum relinquat, vel, ut *Pauſan.* ait, ἀπὸ τοῦ διδράσκειν, quòd ſcilicet nemo nocens meritam pœnam unquam effugerit, etiamſi aliquando tardius eum aſſequitur. Virg. ſive potiùs Catullus, *in Ciri*,

Ut ſcelere infandò, quod nec ſinat Adraſteia,
Lædere utrumque uno ſtudeas errore parentem.

Quam nominis rationem Apuleius aſſerit *l. de Mundo*, qui de Græco eſt, quem Ariſtoteli nonnulli tribuunt. *Idem fatum*, inquit, *Μοῖραν vocant, quod ex partibus conſtat, quod unicuique attributio ſua ſit aſcripta, Adraſtea eadem, quaſi ineffugibilis neceſſitas ultionis*. Mart. Capella *l.* 1. *Intra conſiſtorium regis* (*Jovis*) *quædam femina, quæ Adraſtia dicebatur, urnam cæleſtem, ſuperamque ſortem, irrevocabilis raptus celeritate torquebat, excipiebatque ex volubili orbe decidentes ſphæras peplo inflexi pectoris Imarmene*. Intelligit Græcum Εἱμαρμένη. Vide plura apud Strabon. *l.* 13. Pauſan. *l.* 7. Stat. *Theb.* Macrob. *Saturn. Nic. Lloydius*.

ADRASTUS, Talaonis, & Eurynomes fil. Rex Argivorum, poſt patrem, qui Thebanis bellum intulit pro Polynice genero ſuo; ſed utrinque multis occiſis rediit re infectâ. Stat. *Theb. l.* 5. *v.* 18.

Dux Talaonides antiquâ ut forte ſub orno
Stabat, & admotis nixus Polynicis in haſtam.

In honore fuit apud Megarenſes, teſte Pauſaniâ *in Atticis*. Nam eum apud ſe diem ſuum obiiſſe refert, mortis verò cauſam ſenectutem fuiſſe, & Ægialei filii obitum. Hinc *longævus* Papinio Statio, *l.* 4. *Theb.* *v.* 74.

Proxima longævo profert Dircæa Adraſto.

Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 480.

Parthenopæus, & Adraſti pallentis imago.

Statio *Inachius* dicitur, ab *Inacho* Argivorum rege, *Theb. l.* 2. Et *Perſeius*, utpote à Perſeo Jovis filio, & Argivorum rege oriundus, *l.* 3. Vide Diodor. Sic. *l.* 4. *c.* 67. Herodot. *l.* 5. *Hygin. Apollodor.* Ei in regno Argivo ſucceſſit gener Tydeus, *παῖς Ἀδρήστοιο λαῶν ἱππηλάτου Ἄργους*, Theocrit. *Idyll.* 24. *v.* 128. Sed & *Adraſtus* Sicyonis regni auctor fuit, cùm enim Argis ejectus eſſet, Sicyonem profugus ad Polybum, eò mortuò ipſe regnum obtinuit, Pauſan. *l.* 2. *αὔξησε κυδαίνων πόλιν, urbem illuſtrem ornatamque reddidit*, Pindar. *Nem.* 9. & Pythia ibi in honorem Apollinis Pythii inſtituit, cujus agonis obſcura ſunt veſtigia in Marmore Arundel. annò Atticò 325. Sanè Sicyonii in ipſo foro ἡρῷον Adraſto poſuerunt, hoſtiis & feſtis illum honorantes, ac ejus infortunia choris Tragicis decorantes, Herodot. *l.* 5. *c.* 67. unde *Pauſaniæ* Sicyoniorum Rex eſt, XVII. *Euſebio* XXIII. *Homero* autem primus; qua de re vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec.* XI.

ADRASTUS, Gorgiæ fil. dum Athim Crœſi filium ſuæ fidei creditum, in venatione, apri locò percuſſiſſet, ſe ſuper ejuſdem tumulum confodit. Herodot. *l.* 1.

ADRASTUS, Philoſophus, qui de Peripateticis poſterioribus,

bus, Ariſtotelis Logicam in publicas ſcholas induxit, & juventuti propoſuit, rerum meminit *Galenus*, Philippoli oriundus, *Steph.*

ADRASTUS, Pyrcoſu fil. de quo vide in dictione *Pancoſini*.

ADRASUS, vide *Andraſſum*.

ADRATENI, urbis in Helleſponto meminit *Chalcedonenſe Concilium*.

ADRATUM, Arabiæ urbs, quæ reſpicit ad Boſtrenſem metropolim: nunc dicitur civitas *Bernardi de Stampis*. Guil. Tyrius, *l.* 16. *c.* 10.

ADRAZARUS, Sophenæ Rex. Vide *Adadezer*.

ADREGIN, Angliæ regia villa in Bernicorum provincia, ad Glenum fluvium: poſtea dicta fuit *Melmin*. *Beda*,

ADREMMON, Zachar. *c.* 12. *v.* 11. oppid. eſt vicinum urbi Jeſrael. *Hieronym.* ſcribit, ſuô tempore *Maximianopolin* vocatum eſſe, cujus meminit etiam *Nicenum Concilium*.

ADRENE, vide *Adrane*.

ADRESPONSUM, vide ſupra in *Ad*, ac infra in *Reſponſales* & *Reſponſum*.

ADRESTE, Helenæ ancilla, Homer. *Od.* 4. *v.* 305.

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

ADRESTIA, vide *Adraſtia* & *Patium*.

ADREVALDUS, ſeu ADOALDUS, Rex Longobardorum Agiluifi fil. cum matre Theodelinda, ſubſtitutô Ariobaldô Ariano, A. C. 626. à ſubditis pulſus eſt. *Paul. Diaconus.*

ADREUS, Nutumis cujuſdam nomen. *Etymologus.* [illegible]

ADRI, Arabiæ Petrææ urbs, *Ptolem.* Hujus Epiſcopum Arabiam vocat *Epiphanius*.

ADRIA ſeu HADRIA. *Steph.* & *Paul.* Romanorum colonia in Piceno, quintâ Italiæ regione, 12. mill. paſſ. à mari diſtans, in qua ager ipſe, *Adrianus* dicebatur, vinô generoſiſſimô nobilis, quod & ipſum *Adrianum* fuit appellatum. Item urbs Græciæ Illyrico mari proxima, [illegible] *Euſtathio*. Item oppid. ad Padum amnem à Tuſcis conditum, nobili portu imprimis clarum; inde fortè *Adriaticum mare*, hodiè *Golfo di Venetia*, quod vulgo *Adria* quoque dicitur, & à poëtis tempeſtuoſum valde deſcribitur.

Catull. *Epigr.* 4.

> *Minacis Adriatici litus.*

Horat. *l.* 1. *Od.* 33

> *Libertina fretis acrior Adriæ*
> *Curvantis Calabros ſinus;*

Idem *l.* 3. *Od* 9.

> —— —— *Levior cortice, & improbo*
> *Iracundior Adriâ.*

Idem *l.* 3. *Od.* 3.

> —— —— *Neque Auſter*
> *Dux inquieti turbidus Adriæ.*

Senec. *in Thyeſte*, *Actu* 2 *v.* 361.

> *Aut ſævô rapidus fretô*
> *Ventoſi tumor Adriæ.*

Lucano *l.* 5. *v.* 614. *Vagus* dicitur:

> —— *Sonat Ionio vagus Adria ponto*

Euſtath. *in Dionyſ.* ait quoſdam Ionium & Adriaticum mare pro eodem habere; addit autem [illegible]. Vide Cluver. *Ital. Antiq. l.* 4. *c.* 17. ut & in H. *lit.*

ADRIA, Apuliæ urbs, in colle, 4. mill. paſſ. a mari Adriatico diſtans Eſtque Ducatus domus Aquavivæ, in regno Neapolitano 10. mill. paſſ. a Pinnenſi civitate.

ADRIA, fluminis nomen, Strabonis *l.* 7. Inde Adriatico mari nomen; ut ipſe addit: Vide *Atria*, *Atrianus*, & *Hadriaticum*

ADRIÆ, *navale*, habet *Strabo*, ad oſtia Macrini fluminis in Italia.

ADRIÆ Inſulæ meminit D. Hieronym in ep. quadam ad D. Auguſtin. *Pelagoſa* fortè hodie, in medio ſinus Hadriatici. *Scopulum* tantum eſſe ſcribit *Juſtus Gyſtelius*. Vide *Hydrus*.

ADRIANÆ, locus in Cyrenaica regione *Antonino*. *Adrianæ* civitatis meminit quoque Caſſiodorus *Varior.* 1. *ad Saturninum*. Vide *Adrianus*.

ADRIANE, in *Itinerario* Antonini, urbs Cyrenaicæ, de qua ſic ibi *Beronice* Mill. Paſſ. XXX. Adriane Mill. Paſſ. XXIX. *Theucira* XVIII. *Ptolemais* XXVI. eadem cum *Hadrianopoli*, in *tabula* Peutinger. ubi legimus, *Beronicide* XXIII. *Hadrianopolis* XXV. *Taucheira*, *Ptolemaide*. Una eſt ex duabus illis urbibus, quæ *Hadrianopoles* nomine proprie, nec unquam aliter appellatæ ſunt: altera enim in Thracia ſuit, XXIV. Mill Paſſ. diſtans à Plotinopoli, de qua conſule vetus *Itinerarium* & *Tabulam* Peutingeri. Aliàs ſeptem aliæ fuêre urbes, quarum cives pro *Adrianopolitis* ſeſe jactaverunt & ita appellari voluerunt, quæ tamen ſub prioribus nominibus, quæ ante Adrianum Imperatorem habuerant, remanſerunt. Certè [illegible] Thraciæ *Adrianopolitæ* dicti: Stratonicæa quoque urbs Macedoniæ, [illegible] [illegible], *reſtaurata ab Adriano* & *Hadriani urbs dicta*. Neocæſarea, urbs Pontica, cives [illegible]. Murſa urbs Pannoniæ, [illegible], *opus Adriani*. Palmyreni quoque in Syria *Adrianopolitæ* appellati ſunt, ab Imperatore [illegible]: quibus adde *Adrianos* urbem Myſia, Philoſtrato memoratam: quam tamen *Salmaſ.* eandem eſſe ait, cum *Adrianotheris* &c Vide eumad *Spartian. in Hadriano*, *c.* 20. ubi habet: *Et quum titulorum operibus non amaret, multas civitates* Adrianapolis *nominavit, ut ipſam Carthaginem* (quæ tamen nova appellatio ne eo quidem adhuc vivente obtinuit) *& Athenarum partem.*

ADRIANI, Vide *Bithynia*.

ADRIANIS, Tribus Athenienſium XIII. de qua vide infrà voce *Tribus*.

ADRIANISTÆ, Sectatores Simonis Magi, Baron. *A.* C. 34. Item diſcipuli Adriani Hamſtedii, Anabaptiſtæ. Spond. *A.* C. 1580. *n.* 14.

ADRIANOPOLIS, urbs Thraciæ ad Hebrum fluv. emporium, & metropolis, ac ante captam Conſtantinopolin, regia Turcarum, *Andrinopoli* hodiè, & *Endrene* Turcis, teſte *Leunclavio*, longitud. 53. 50. latitud. 43. 20. Fuit & Urbs Ætoliæ, & Pſidiæ & Bithyniæ, Ferrar. *in Hadrianopolis*.

ADRIANOS, vide *Adrianus*.

ADRIANOTHERÆ, urbs Myſiæ non magna, aliis *Adriani*, ab Imperatore præſato. Meminit ejus Philoſtratus, [illegible], *Ariſtidem* [illegible], *quæ urbs non magna in Myſia*.

ADRIANUS, ager in Piceno, Plin. *l.* 3. *c.* 13. & 14. ab Adria Romanorum colonia.

ADRIANUS, Imperator Roman. qui poſt vexatos Chriſtianos, morbô aquæ intercutis periit. Vitam ejus inter cæteros conſcripſit Ælius Spartian. Moriens hos verſus fudiſſe dicitur; *c.* 25.

> *Animula, vagula, blandula,*
> *Hoſpes, comeſque corporis,*
> *Quæ nunc abibis in loca?*
> *Pallidula, rigida, nudula,*
> *Nec, ut ſoles, dabis jocos.*

Mirum autem, quare Spartiano hi verſiculi parùm videntur elegantes, nam ita mox judicat *c.* 26. Videbamus alibi, inquit *Caſaubon.* quantum iſti Scriptores (*Hiſtoriæ Auguſtæ*) poëticâ facultate valuerint. Multa enim de Græcis à ſe verſa his libris inſeruerunt: præ quorum venuſtate ſcilicet ſordere *Hadriana* debuerant. Nobis verò hi dimetri molliſſimi, & melioris ſeculi elegantiâ digniſſimi cum viderentur, etiam Græcè idem fecimus *Hadrianum* dicere niſi hoc potiùs balbutire eſt:

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

Subdit Hiſtoricus prædictus, *c.* 26. *Nec multo meliores fecit & Græcos*. Atqui extant nonnulli adhuc, non quales hic Criticus judicat, ſed qui meritò ſuô, cæterorum quos amiſimus, ingens deſiderium in nobis excitent. Quare etiam non defuêre, qui argutias illius imitarentur. Ejuſmodi eſt, quod apud Theophylactum Simocattum, ſcriptorem eximium inter Græcos recentiores, obſervabamus, epiſtolâ illâ, quæ incipit: [illegible]. Clauditur autem ſic. [illegible]. *Hadrianum* ſine dubio imitatur, qui ægro & mendico homini, à quo fuerat his verſibus compellatus,

> [illegible]
> [illegible]

Reſpondit hôc argutiſſimô diſtichô:

> [illegible]
> [illegible]

Nic. Lloydius.

ADRIANUS, vide *Hadrianus*.

ADRIANUS, Luculli legatus. Plut. in *Lucullo*.

ADRIANUS, Phœnix, patriâ Tyrius, docuit Athenis multô cultu, victûſque ſumptu. Amatus eſt magnopere à Marco Antonino & Romam ab eodem ductus. Herodis diſcipulus fuit, & Ariſtidis æmulus. Inter alia, [illegible] conſignavit. Vide *Suidam*, & Voſſ. *l.* 3. *c.* 6. *de Hiſt. Lat.*

ADRIANUS *de veteri Ligno*, & Adrianus *Barlandus*, Flandri, Hiſtorici. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 6. Vide & *Johannes Bapiſta*.

ADRIANUS *Metius* & Adrian. *Romanus*, celebres Mathematici.

ADRIANUS Turnebus, vide *Turnebus*.

S. ADRIANUS, ſeu RAVANELLA, celebris Hiſpaniæ mons, à Pyreneis ſe extendens Compoſtellam Galliciæ uſque. *Cluver.*

ADRIAS & SENON, nomina ſunt fluminum in Ionicum ſinum confluentium: ſic Iſacius *in Lycophrontem*: *Ortelius* videtur exiſtimare eſſe eadem cum *Atriano* & *Senna*. *Stephanus* etiam Adriam fluvium habet, circa Adriam urbem: quæ *Ptolemæo* non longè ab Atriano flumine eſt. Vide *Albeſis* & *Idrias*.

ADRIENI, Arabiæ populi, Stephano in urbe [illegible], Felicis, ut exiſtimat *Ortelius*.

ADRIMACHIDÆ, vide *Adyrmachidæ*.

ADRINUS, locus Epiſcopalis in *Jure Orientali*, cujus Epiſcopus Alexander. [illegible] non [illegible], legunt *Calliſtus*, *Socrates*, *Tripartita Hiſtoria*. Ivonis *ep. ultima*, *Hadrianopolis* legit.

ADRIS, unus fluviorum in Indum defluentium, *Ptolemæo*. *Iudis* habet Græcus codex. Vide *Hydraotis*.

ADRIUS, mons, vide *Ardius*.

ADROBICUM, in Hiſpania Tarraconenſi urbs Callaicorum, in ora littorali *la Corunna*, aliis *Caronium* dicitur. Portum habet capaciſſimum & tutiſſimum; diſtatque 9. leucis Compoſtellâ. Sed aliis Caronium eſt Flavium Brigantinum.

ADROBRICA, Hiſpaniæ urbs in Artabris, Pomp. Melæ *l.* 3. *c.* 1. Aliis *Abobrica*.

ADROBUS, fluv. Aſiæ, in Tartaria Moſcovitica. Influit in Volgam fluv. infra Cazanum.

ADRODERE, vox propria [illegible], potiùs [illegible], quos *des Rogneurs de monoyes* Galli dicunt. *L.* 1. *Cod. Theodoſ. de Ponderat. Emptio venditioque ſolidorum, quos excidunt aut diminuunt aut* (*ut proprio verbo utar cupiditatis*) adrodunt, *tanquam leves eos vel* de

de'ules nonnullos reperdantibus impediuit. Hinc de bello Monetariorum, ſub Aureliano, verba faciens *Victor*, quod *Eutropius vitiatis nummis* dixit, *Suidas*, Δ[illegible], reddit, quod *nummariam notam corroſiſſent*. Ubi *nummariam notam*, dixit pro *nummo*. Alii *nummorum formam* Cato in *Diſtich*.

Dilige denarium, ſed parce dilige, formam.

Non tamen idem penitùs, *vitiare* & *corrodere* pecuniam: *Corrodere* enim eſt exteriorem circulum *adrodere*; vitiare autem *adulterare* eſt: adeoque ſolâ adroſione ſeu corroſione ponderis quantitas minuebatur, abſque mixtura vilioris metalli, quod fiebat, cum adulterabatur pecunia. Sed nec ſoli [illegible] nummos *adrodunt* & pondus imminuunt, verum etiam ærugo id facit & nummos reddit leviores. Caſſianus Monachus *Collat.* 1. c. 22. *Sive illi, quorum pondus ac pretium ærugo vetuſtate arrodens ex antiquo Senatorum adæquari non ſinit, ut numiſmata levia atque damnoſa, minimique penſantia reſiſerunt.* Idem c. 21. *Si meruit ejus pondus manis innumerus & acroſior ærugo.* Alibi quoque *imminuere* & *arrodere* conjungens. Hinc *aſperi nummi* dicti, quos ærugo nondum adroſiſſet, in quibus character vetuſtate obſoletus & evanidus non eſſet, ſed integer & ſolidè expreſſus appareret &c. Salmaſ. *ad Vopiſcum in Aureliano*, c. 38. vide quoque infrà *Adulterare monetam*, voce *Moneta*, it. *Paracharaxima* & *Signa*.

ADROMENTUM, oppid. Plin. *l.* 5. *c.* 4.

ADRON, Arabiæ civitas: in *Synodo Conſtantinopol.* V.

ADROS, vide *Hedrus*.

ADROTTA, urbs Lydiæ maritima. *Steph.* Incolæ *Adrotteni*.

ADRUBÆ, vel ADRUBRAS, Locus Mauritaniæ Cæſarienſis, *Antonin.*

ADRUMENTINA ſeu HADRUMENTINA COLONIA, apud Æl. Spartian. in *Didio Juliano*, c. 1. *Maternus* (avus) *ex Adrumentina Colonia*: meliùs *Adrumetina*, ut in Palatino codice legit Salmaſ. Nam *Adrumetum* Latinis, ut Græcis Ἀδρύμητον, vide in hac voce.

ADRUMETUM, Africæ propriæ urbs, in ora maris Mediterranei, vide *Africa*. Salluſtius in *Jugurth.* c. 19. ubi de Phœnicum colonis in Africa; *Adrumetum, Leptim, aliaſque urbes in ora maritima condidere*. Straboni *l.* 7. eſt Ἀδρύμη. *Stephano* Ἀδρύμης. *Ptolemæo* Ἀδρύμητ[illegible]. A multis cum ſpiritu ſcribitur *Hadrumetum*. Eſt autem non incelebris urbs maritima in Byzacio, Africæ regione fertiliſſima, inter Carthaginem & Syrtes. Plin. *l.* 5. c. 4. ubi de Byzacio; *Hic oppida libera Leptis, Adrumetum, Ruſpina, Thapſus.* Adrumeti autem nomen *Scaliger*, & ex eo *Druſius*, *Caſaubon*, aliique viri in his literis primarii, [illegible], *atrium Plutonis*, & *Adarrameti oſtium* explicant, ac ſi idem ſit quod Ebræis [illegible]. Sed tunc eſſet *Adramota*, non *Adrumetum*. Ut taceam nihil eſſe cauſæ, cur ſic diceretur, neque enim Adrumetina regio importuoſa eſt, aut venenorum ferax, aut, vel ſoli, vel aquarum, vel aëris vitiô peſtilens, & inſalubris. Quam *Frugiferam* vocant veteres Inſcriptiones, qualis eſt hæc apud Smetium, COLONIA CONCORDIA ULPIA TRAJANA AUG. FRUGIFERA HADRUMETINA. Et meritò, cum Byzacenus ager, cujus Adrumetum eſt metropolis, ſit inter locos Africæ feraciſſimos. Plin. *l.* 17. *c.* 5. eum ait eſſe *centenâ, & quinquagena fruge fertilem*. Et *l.* 18. c. 10. ex eo ipſo probat, exiſtiô nihil eſſe fertilius, *utpote cum e modio, ſi ſit aptum ſolum, quale in Byzacio Africæ campo, centeni quinquageni modii reddantur*. Varro *de R. R. l.* 1. *c.* 44. *In Syria ad Gadara, & in Africa ad Byzacium item (dicunt) ex modio naſci centum.* Hannibal *apud Sil. Ital. l.* 8.

- - - - Seu ſunt Byzacia cordi
Rura, magna centum Cereri fruticantia culmo.

Porrò cum Syris *ma* ſit *centum*, & *matan centenos* ſonet, Ἀδρύμη, vel Ἀδρύμητ*os* idem videtur eſſe quod [illegible] vel [illegible] h. e. *regio centum*; ſeu *centenarum*, ſupple [illegible] h. e. *menſurarum*. Bochart. *l.* 1. *Chanaan* c. 24. longitud. 36. 40. latitud. 32. 40. Hodie vulgò *Mahometta*, unde ſinus adjacens *Golfo di Mahometa*. Arabibus urbs *Hamamatha* dicitur. Epiſcopalis quondam, & Concilii A. C. 394. habiti ſedes, cujus canones cum reliquarum Synodorum canonibus confuſi, ſub nomine Canonum Eccleſiæ Africanæ. Marmol. *deſcript. Afr.* Mercator. *Geogr.* Baron. *Annal.*

ADRUS, Hiſpaniæ fluv. *Antonino*, ubi loci *Anas* fortè legendum cenſet *Ortelius*. Alii *Dadrus* legere malunt, & *Dorium* intelligunt.

ADRUS ſeu ISRUS, ſeu HESRUS, dictus eſt olim, qui poſtea *Arotius* fluv. Galliæ in Æduis, in agro Auguſtodunenſi. Vide *Arotius*.

ADRYME & ADRYMES Vide *Adrumetum*.

ADRYX, urbs Syracuſiorum. *Steph.*

ADSCRIBTITII, vide infrà *Aſcripticii*.

ADSESSORES, Græcè πάρεδροι: Vide infrà in voce *Paredri*.

ADSESSORIA, libri erant, de iis rebus ſcripti quas agi videbant Juriſconſulti cum *Adſeſſores* eſſent: à Puteolano, *l. nemo & nocere.* 12. *ff. de poſt.* & *l. lex.* 5. *hac lege ff. ſuper. Proæmio*, & Briſſonius, apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* Munus verò Adſeſſorum & functio, *Adſeſſura* dicitur *l. fin. ff. de Proxenet.* de voce *Adſeſſrix* vide Gothofredum ad *l.* 16. *C. de excuſ.*

ADSTRICTUS color, idem cum *preſſo* ſeu *ſtrictiore* ſeu *auſtero*, quem Græci [illegible] vocant. Plinius *l.* 9. *c.* 38. de confectione purpuræ, *Buccinum per ſe damnatur, quoniam fucum remittit. Pelagio admodum alligatur, nimiæque ejus nigritiæ dat auſteritatem illam nitorem que qui quæritur cocci. Ita permiſtis viribus, alterum altero excitatur, aut adſtringitur.* Sic *aſtrictus* color, qui & preſſus idem ac nigricans, *excitato* opponitur, h. e. claro & acuto, quem Græci ὀξὺν dicunt, qui tamen duo colores, licèt in gradu colorum invicem opponantur, in eodem tamen ſimul eſſe poſſunt, ſed diverſô reſpectu. Tyria enim purpura nigrior & *adſtrictior* adſpicientibus apparebat, inſpicientibus autem excitatiſſimum nitorem ac lumen abſolgebat. Plinius eôdem loco, *Laus ei ſumma color ſanguinis concreti nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens.* At excitatus & dilutus, ut & *adſtrictus* & dilutus, ſimul eſſe nequeunt, nec in uno morari. Excitatus igitur & preſſus ſeu *adſtrictus*, licet inter ſe diverſi, ex æquo tamen utrique diluto contrarii ſunt: excitatus & acutus color in cocco, preſſus & *adſtrictus* in purpura, *nigricantis roſæ* ut Plinius ait *colore ſublucens*. Tyria purpura utrumque habebat, acumen luminiſque cocci & nigritatem auſteritatemque purpuræ nigræ: ceterum habebant dilutiora, ut conchylium &c. Salmaſ. *ad Tertullian. de Pall.* c. 3.

ADSURGENDI honoratioribus ritus, meminit Arnobio *adv. Gent. l.* 7. *Ut ſi quiſpiam viſo potentiſſimi nominis viro, vilis alter aſſurgat, caput revelet* &c. Salluſtio item hiſtor. *l.* 5. *Quibus de cauſis Syllam in viſione diſtatorum, ſibi equo deſcendere, adſurgere, caput aperire ſolitum*, apud Nonium in *Apertum*, & in *Surge*. Unde *Adſurgendi* verbô, in honore exhibendo, abſolutè uſi, Apuleius *Apolog. l.* 1. Sueton. *Julio*, c. 78. A. Gellius *l.* [illegible]. 9. Macrob *Saturnal. l.* 1. *c.* 4. Item Plin. *l.* 16. *c.* 4. ubi de eo qui civicam coronam victoriæ belli adeptus eſt, *Accepta, ait, licet ei perpetuo ludos omnes ſemper adſurgi, etiam ab Senatu, in more eſt.* Vide God. Stevechium *Elect. Arnobiani. l. ult. c.*

ADTÆIATIS, oppidi ager, eſt, in libro de limitibus. Vide *Atteiates*.

ADUA, vide *Addua*.

ADUACA, eſt in ditione Leodienſi; *Tongeren* vulgò, ad fluv. *Jecker*, 4. leucis Leodio diſtans. Vide *Atuatucum*.

ADUAS, vide *Abdua*.

ADUATICI, Belgarum populi de quibus multa apud *Cæſarem*. *Dioni Atuatici*. Horum urbs, ut quidam volunt, Duacum, hodie *Doway* dicitur, Academia Flandrorum non obſcurâ. Sed alii *Aduatica* in Brabantia locantur, eorumque urbem Boſcumducis, *Boſſeduc* dici volunt. Eſt autem juxta Moſam in Hollandiæ, & Geldriæ confinio ab Antwerpiâ 12. leuc. in ortum. Duacum verò, teſte *Guicciardino*, urbs eſt Catuacorum, quos Cæſar eo locô deſcribere videtur. Vide infrà. Hos ex Cimbris Teutoniſque procreatos ſcribit Cæſar & præter cætera oppida atque caſtella, unum oppidum egregiè naturâ munitum habuiſſe, poſitoſque fuiſſe, inter Eburones Regnum Ambiorigis ac Catuvulci, & Nervios. Eoſdem contra populum Romanum conjuraviſſe & in communi Belgarum concilio ad id bellum pollicitos eſſe 19. millia armata, *l.* 2. *Bell. Gall.* c. 4. prodit. Ibi enim *Aduaticos* pro *Catuacis* legendum eſſe, non dubitat Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* *Dion Atuaticos* eos vocat, finitimoſque Nerviis fuiſſe, & Cimbris, à quibus orti animo ac viribus ſimiles, ait. Quæ propria illorum ſedes, ambigitur. Vide Auctorem paulò ante laudatum. *Sanſoni* & *Ortelio Aduatici*, populi fuêre, ubi hodie Comitatus Namurienſis; provinc. Belgii pars, cujus caput Namurium ad Moſam fluv. ubi recipit Sabim. Vide & *Atua*.

ADUATICUM, pagus Belgii in Brabantia; *Tongerloo* Huberto *Leodio* vocata. Vide *Aduaca*.

ADVENÆ, in *L.* Longobard. *Capit.* Car. M. & Caroli C &c. Sunt alienigenæ extranei, ut vulgo *Albani*. Gall. *Aubains*, qui dimiſſô propriô domiciliô aliò migrant & alibi ſedes figunt. In hos præcipuum dominorum jus illud fuit, quòd, ſi nullis ſuſceptis liberis morerentur, eorum bona domino cederent. Eoſdem veſtigare & ſequi poterant domini priores & in patriam revocare &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà *Albani*.

ADVENTIA, Urbs apud Allobroges, condita ſupra Aſtanum fluv. tempore *Veſpaſiani*. *God. Viterbienſ.*

ADVENTUS, Conſul Romanus. *Euſeb.* Item nomen viri, cui olim ſuum *Polyhiſtorem* Solinus dedicavit, uti ex præfatione ejus patet: qui quis fuerit, ignoratur. Sanè Romanum hoc nomen, cujus & apud *Herodianum l.* 4. c. 12. mentio, qui tamen Ἀδουέντον vocat, Græcorum more. Quemadmodum *Advena*, in *Baſilicis* & *Baſilicorum Gloſſis* Ἀδουένα eſt. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 3.

ADVENTUS, ſacrum tempus quod Natale Domini præcedit, conſtans 4. ſeptimanis, in Eccleſia Romana. Licèt non idem ſemper fuerit hebdomadum & Dominicarum numerus: nam in Miſſis Ambroſianis *de Adventu Domini* ſunt ſex Dominicæ & prima ſubſequitur feſtum *S. Martini* &c. Meminit ejus Rupertus *de Divin. off.* l. 3. c. 1. *Tempus, quod Dominicæ Nativitatis memoriam antecedit, ubi Adventus nuncupatur, quia totus ejus Eccleſiaſticus Ordo juxta contemplationem Adventus Domini diſpoſitus eſt. Adventare autem rectè Dominus dicitur, qui ubique eſt inviſibili præſentiâ Majeſtatis, dum aſſumpſit quod viſibile eſt noſtrum, uſibus carnis viſibilem ſe oſtendit* &c. apud. Car. du Freſne *Gloſſar.* Secundùm *Durant.* Martini incepit tempus hoc à S. *Martini* feſto, apud Latinos, à die 14. Nov. vero apud Græcos, quod etiam antiquitus in Eccleſia Romana obſervatum erat, unde *S. Martini Quadrageſima* fuerit dictum. Idem addit, in Concilio *Matiſconenſi*, per hoc tempus feriâ 2. 4. & 6. jejunium fuiſſe inſtitutum, ejuſque morem in Gallia primùm introductum à Ruperto Epiſcopo Turonenſi ex *Hiſt.* ejus *l.* 10. *c.* 31. dein quandiu à quibuſdam jejunari cœpiſſe, privatô conſiliô, ex Odorie. Rin. in *Annal. Eccleſ.*, donec circa A. C. 1270. Urbanus V. Pontificatûs ſui initiò omnibus Clericis in Curia ſua verſantibus quotidiani hujus jejunii neceſſitatem impoſuerit. Reliqua, quæ de *Adventu* addit, ſic habent: *Hoc temporis ſpatium aliquâ mæſtitiâ, ob memoriam ſecundi Adventus —— veneratur, proinde in Miſſa non dicitur, Gloria in excelſis Deo: nec te Deum in matutino - - - Diaconus & Subdiaconus planetis plicatis parantur —— At propter memoriam —— Adventus —— Incarnationis —— non relinquitur* Alleluja, *quæ Latina Dominicâ præterquam tertiâ ejuſdem oſtenditur, permittendo nempe Diacono Subdiaconoque tunicâ uti & Cardinalibus a violaceo colore diverſi ferrare & roſaceis veſtiri, uno antiquitus in hac Dominica roſeam Pontifex ſolemniter celebrare.* Item Dominica vacans dicebatur *quarta Adventus —— quod tunc Pontifex velletior alias occupationibus, ſolum largiendis eleemoſynis incumbebat —— Propter hanc ſitam vacationem, ſi vigilia Nativitatis in hac Dominica occurrerit, nona lectio non legitur de*

be

homilia Dominicæ, neque Evangelium ejuſdem dicitur in fine miſſæ — quia in præcedenti Sabbato jam dicta fuere. Quare in Adventu conſuetæ commemorationes non dicuntur — in Hiſpania comperiuntur imagines &c. Vide eum in *Hierolexica*; In eadem Eccleſia. *Adventus* dicitur tranſlatio reliquiarum Sancti alicujus apud *Adonem Vienn.* At *Iucundus Adventus*, eſt tributum Domino exſolvi ſolitum, cum primum ad aliquam dignitatem pervenit; ut cum ad Regnum Reges evehuntur. *Computus* Theſaurariorum Franc. A.C 1316 *Pro dono facto* [illegible] *ratione* jucundi adventus *ſui & exercitus Flandriæ* 500. *libr. Turonenſ.* apud *Eundem*, qui hanc in rem laudat Cognatum *Hiſtor. Tornac. l.* 4. *c.* 15. Concilium Lateranenſe IV. *can.* 57. & Chopinum *de Sacr. Politia l.* 2. *tit* 8. §. 13. additq; ab Epiſcopis etiam exactas ejuſmodi præſtationes in eorum *primo Adventu*, legi in *Geſtis* Abbatum *S. Germani* Autiſſiodor. 1. 18. in *Conſtitut. Siculis* 3. *tit.* 18. & apud Hubertum in *Probat. Hiſtor.* Eccleſiæ S. Amani *p.* 62. Vide quoque infrà *Introitus*.

ADVENTUS Auguſti, in numiſmatibus Romanis, eſt *teſſera* Numinis Majeſtatiſque ejus, atque ſic ſcribitur, ADVENTUS AUG. Nempe *præſentiam ſæpe Divi ſuam declarant*, *ſæpe viſa formæ Deorum*, ut Cicer. ait *de Nat. Deor. l.* 2. creditæ ſunt: unde Ethnicus quidam, apud Arnobium, Templorum originem deducit, *adv. Gent. l.* 6. Atque hujuſmodi Epiphaniæ ſeu manifeſtationes Iſidis, apud Diodorum Sic. *l.* 1. Dearum Matrum Enguii Siculæ apud Cicer. *Verr.* 4. Deorum patriorum maximè & domeſticorum, apud Dion. Chryſoſtomum *Orat. Tarſic* 1. celebratæ, Apollo 6. menſibus hybernis apud Pataram Lyciæ civitatem ſex æſtivis apud Delum reſponſa dedit, Servius *ad Æn. l.* 4. *v.* 143.

> *Qualis ubi hybernam Lyciam Xanthique fluenta*
> *Deſerit* &c

Hincque Maximinus ad Tyrios ſcribens, civitatem eam τῇ τῶν οὐρανίων θεῶν ἐπιδημίᾳ ἀνθεῖν, *Cœleſtium numinum adventu florere*, ait apud Euſeb. *Hiſtor. l.* 9. *c.* 7. Fiebat id vel fieri credebatur, *diebus feſtis & ſolemnibus*, Dio Chryſoſtom. *d. l.* ſignis ſubitis & inſolitò delubri ſplendore apparitionem teſtantibus. Claudian. *Rapt. l.* 1

> *Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri*
> *Sedibus, & clarum diſpergere culmina lumen,*
> Adventum *teſtata Dei* —

Adulatio deinum hanc Ἐπιφανείας vocem ad Reges Orientis traxit: atque Ἐπιφανοῦς cognomen Antiocho Syro, Nicomodi Bithyno, Tigrani Armeno, & Arſaci Partho, datum, ut ex *Appiano*, *Joſepho*, & *nummis* liquet. Quorum exemplò Cajus Cæſar ſibi ſtatuam Hieroſolymis, ſub nomine *Jovis Epiphanis*, i. e. *Præſentis* ſeu *Apparentis*, poni juſſit &c. Sic ergo *Adventus* Auguſti velut Dei, in nummis celebratus. Vide infra *Dromata*, *alibique paſſim*. Occaſio Gentilibus, ex Θεοφανείας Iſraëlitarum, Jacobi præcipuè, Gen. *c.* 32. *v.* 30. Moſis, Exod. *c.* 33. *v.* 11. ac Prophetarum, qui hinc *Videntes* dicti, 1 Sam. *c.* 9. *v.* 9. Vide Joh. Marshamum *Can. Chron. Sec.* IV.

ADVERSARIA, ab ADVERSA, ſicut *Opiſthographa*, ab averſa parte, dicebantur ſchedæ, in quibus extemporalia ſcripta & nondum emendata olim adlinebantur; rationes imprimis ac diurna, quæ poſtea in mundam chartam, & quæ ab una parte tantum ſcribebatur, transferebantur. Vide Scaligerum *l. de Papyro advenſ. Guill. Budæum. De la Cerda* ſic poſtea vocari ait Commentaria alicujus textus ſeu ſcripturæ, eò quòd hæ notæ fiebant in eo libro, ex parte textui oppoſitâ: hinc ipſe ſuum opus *Adverſaria ſacra* appellavit, Dominic. Macer *Hierolex.*

ADVERSITORES, Servi apud veteres Romanos, de quibus vide infrà, *Foris*.

ADULA, *Straboni* mons inter Alpes, ex quo Rhenus fluit verſus Septentrionem, inque contrariam partem Addua in lacum Larium, qui ad Comum eſt, delabitur In quibuſdam *Strabonis* exemplaribus ſcribitur Ἀδούλας. *S Gothard*, *Jo. Polde. Der Vogel Tſchude Etzel Willichio*, qui addit eum ſic ab accolis vocari. *Grauw* hodie appellari ſcribit Jovius in *l. De Larii lacus deſcriptione*. Ejus partes ſunt montes *Giſpaltberg*, unde Rhenus anterior effluit & *Vogelberg*, unde poſterior oritur; *Mons Furck*, unde Rhodanus & Ticinus, & *Mons Grimſel*, unde Arola fontes habent. *Nic. Lloydius*: Principem inter Rhætica juga locum tenet, dicturque Ἀδούλα Straboni *l.* 4. Illius ſummitas *der Vogel*, aut *Vogelberg*, Rhætis *colmen del occello* aut *occello*, vel *Monſted del vecello*, Italis *monte del Uccello* vocatur, annotante *Gaudardo*. Secundum alios *Mons S. Bernardini*; *Braliam* ſimplicitas nuncupat vernacula, *Simler. Vigenerent* Gotthardi, Criſpaldi & Lucumonis montes ſub *Adula* comprehendit. Vide Joh. Bapt. Plantin. *Helvet. Antiq. & Nov.*

ADULATORES vide infrà *Alexandro colace*.

ADULI & ADULITÆ, vide *Adula*

ADULITON, Ἄδουλι, *Stephano*. Ἄδουλι *Ptolemæo*, Æthiopiæ ſub Ægypto urbs, & Emporium ad ſinum Arabicum, *Docono* vulgò, *Ercoco*, aliis. Nonnulli apud *Stephanum* Parus inſulam vocant. Populi *Adulitæ* Plinio *l.* 6. *c.* 29. qui *Aduliton* inter Ptolemaidem & Diren 5. dierum navigatione diſtare ſcribit. Vide Guil. Stukium ad *Arr. Periplum p.* 10. longitud. 67. latitud. 11. 40.

ADULLA, vide *Odolla*.

ADULLAM, nomen civitatis. Jos. *c.* 12. *v.* 15.

ADULLIAM, circa Flandriam Orientalem habet *Peutingeriana tabul.*

ADULTA Nox, apud Avienum *in Aratea*,

> — *Vel dum ſideris index*
> *Scorpius exoriens ſit tempore noctis* adultæ,
> *Hic matutinus veniens procul æquore Chelum*
> *Erigit ex pelago,*

Ubi ſcorpium exorientem, *noctis adultæ* tempore facit: eſt illud tempus ſeu illa pars noctis, quâ ea finem accipit, adveniente die. Scorpius enim matutinus oritur. Quò ſenſu idem *maturam noctem* poſuit, de noctis ſupremo tempore, quod Aratus dixit ἀκμῇ νυκτὸς. Mira tamen hæc locutio videtur, *adultam & maturam* vocare quod extremum eſt atque ultimum. Repugnat enim Veterum Latinorum uſus, quibus *Adulta nox* potius de media nocte dicitur; quemadmodum *adulta æſtas* & *adulta hyems*, inter primam & extremam media eſt. Sic *Matura dies*, Virgilio, *Æn. l.* 10. *v.* 257. plena eſt, ac clara, dubiæ & incertæ luci, qualis ſub crepuſculo eſt, oppoſita. Sed Græci τὸ ἀκμὴν vocant, non ſolum quod *extremum* eſt, verum & quod *perfectum* & in ſummo perfectionis conſtitutum. Res enim omnes, ubi certum ſtatumque floris ſui cacumen aſcenderunt, poſtea decidunt ac retrò feruntur. In eo acumine dum ſunt, ἀκμαίαν ſuam obtinent. Sic ætas ea demum perfecta eſt, quæ modum habet nec amplius perfici poteſt. Quia autem plures ſunt ætatum differentiæ, in ſingulis hoc ἀκμὴ & τελειον conſideratur; ſicque virilis ætas ea demum matura eſt, quæ amplius non habet, quò virilior fieri poſſit Senectus etiam maturitate ſuâ cenſetur, quam ubi aſſequuta eſt, in decrepitam fertur. Unde *matura ſenectus*, & *maturi ſenes* Poëtis, &c. Omnia tandem, quæ ἐν ἀκμῇ ſunt, etiam ἐν τῷ ἄκρῳ conſiſtere videri debent: & ſanè utrumque ab eadem origine. Inde igitur eſt, quod Avienus *maturam & adultam noctem* dixit ἀκμῆς ſ[illegible] τελευτῆς poſuit, quia omne maturum & *adultum* etiam ἄκρον. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 719. & 720.

ADULTERA, priuſquam convincitur, ſuſpecta eſt: de qua Lex ſic ſonat Numer. *c.* 5. *v.* 12. *Si viri cujuſcunque uxor declinaverit, & — immunda facta fuerit — adducet vir ille uxorem ſuam ad Sacerdotem, adducatque cum ea ſacrificium pro ea — adducet itaque illam Sacerdos & ſtare eam faciet ante Dominum. Aſſumet quoque Sacerdos aquas ſanctas in vaſe fictili & de pulvere, qui fuerit in pavimento Tabernaculi, tollet — & ponet in aquam* &c. Vide infrà, ubi de *Amaris aquis* & *Zelotypia*. Maritum autem Zelotypum, eum hîc intelligunt Magiſtri, qui præmonuerat uxorem, ne deinceps in ſecreto eſſet cum aliquo, ſive patre ejus, ſive fratre; nedum aliis plus diſſitis, ſive gentili ſive ſervo, idque coram teſtibus; quæ nihilominus cum ipſo, de quo præmonita erat, in ſecreto eſſet occultata, idque teſtibus item probaretur. *Quantillo tempore polluti fœmina poſſet, i. e., quantilli tempore ovum* (gallinæ) *& aſſari poſſet & abſorberi* &c. Adulteriò ritè probatò, pœna mors fuit apud Hebræos, at non idem mortis genus cuilibet *Adulteræ:* Quod enim adulterium committebatur in uxore, quæ filia Sacerdotis non erat, eaque aut nuptâ, aut tantum deſponſatâ, ſtrangulatione puniebatur, Levit. *c.* 20. *v.* 10. & Deuteron. *c.* 22. *v.* 22. 23. Verba Legis ſunt, *Morte interficiatur, tam adulter, quàm adultera*. Si deſponſata eſſet virgo, necdum nupta, lapidatio utriuſque pœna erat. Ubi vero Sacerdotis erat filia, ipſa comburenda, adulter autem ſtrangulandus erat, Levit. *c.* 21. *v.* 9. Et quidem de adultera deſponſata, nec dum nupta, juxta Hebræorum placita, capiendum illud, quod habetur in hiſtoriola illa ſacra *Adulteræ* in Euangelio Johannis *c.* 8. *v.* 4. *Magiſter, hanc deprehendimus in ipſo facinore adulterii. In lege autem noſtra Moſes præcepit, ut hujuſmodi fœminæ lapidarentur:* de qua periocha fusè agit Seldenus *Uxor. Hebr. l.* 3. *c.* 11. &c. Uti vero capitali ſuppliciô plectebantur adulteri, apud Judæos, ſic juxta Philonem *l. de Joſepho* etiam nullibi non capite plecti jure potuêre; ſaltem deprehenſi à deprehendentibus. Certè Solonis lex erat, ἐὰν τις μοιχὸν λάβῃ, ὅ, τι ἂν βούληται χρῆσθαι, *Si quis adulterum deprehenderit, de eo quod libuerit, ſtatuat*. Et de maritali jure hîc receptiſſimo, Cato *Or. de Dote*, apud A. Gellium *l.* 10. *c.* 23. *In adulterio uxorem tuam ſi deprehendiſſes, jure necares*; cui conſonæ XII. Tabb. *Mœchum in adulterio deprehenſum impune necato*. Atque aliæ, quæ citra ſunt mortem pœnæ, pro deprehendentis arbitrio irrogatæ, uti diſcimus ex Scholiaſte Ariſtophanis *Pluto*, Juvenali *Sat.* 10. Martiali *l.* 3. *Epigr.* 43. Aliis. Unde illud Syncerafti apud Plautum in *Pœnulo. Actu* 4. *ſc.* 2. MI. *Quid agis?* SY. *facio, quod manifeſtò mœchi haud ferme ſolent.* MI. *Quid id eſt?* SY. *refero vaſa ſalva.* Cujuſmodi jus, mœchum deprehenſum mutilandi, apud *Anglos* quoque olim viguit, non alii tamen, quàm marito, conceſſum. Etiam de deprehenſis impunè occiſis, à Patre ſive naturali, ſive adoptivo, idque ex *lege Julia*, luculenta ſunt in jure Cæſareo teſtimonia, quod jus marito illic negatur, niſi in domo ſua deprehendantur & adulter perſona infamis ſit. Atque non judicatos ita impunè necari adeò poſtea receptum eſt, etiam inter Chriſtianos, ut generali nomine *Legis mundanæ* in Jure Pontificio deſignetur, *Cauſ.* 33. *quæſt.* 2. *c.* 6. Et quæ morem planè receptum redolent, occurrunt apud Hincmarum in *Reſponſ.* de divortio Boſonis & uxoris ſuæ & Nicolaum I. *Ep.* ad Rudolfum Archiepiſcop. *Bituricenſem*. Certè ab JCTis admitti ſolet, ut planè licitus, in Foro ſæculari contentioſo: An in foro quoque conſcientiæ, quæſtio eſt celebris, negantibus quidem omnino Viris conſultiſſimis & cædem ejuſmodi peccatum eſſe, aſſerentibus &c. Porrò in *Partitas* quoque Hiſpanorum *Legeſque* Luſitanorum, receptum eſt hoc jus vetus Cæſareum, uti item in populorum aliquot aliorum mores. Imo & ex jure Juſtinianeo, ſi ſuſpicetur vir quempiam uxoris ſuæ pudicitiæ inſidiari, & poſt tres denuntiationes, quibus omnimodus uxoris & inſidiantis congreſſus vetetur, *invenerit eum convenientem ſuæ uxori quidem in ſua domo aut ipſius adulteri, aut in popinis, aut in ſuburbanis, permittitur licentia marito propriis manibus talem perimere*, *Auth.* Coll 8. *tit.* 18. *c.* 15. Utut autem ſe res habuerit, jus illud deprehenſos occidendi, quod prædicat *Philo*, neque in Suſannæ pro deprehenſâ habitæ hiſtoriâ, neque in adulteræ in *Evang. Johannis* cauſa, omnino admitti videtur. Quod verò ad illa *Philonis* attinet, quibus adulterium morte paſſim mulctandum, uti apud Ebræos, aſſeri videtur: certè, dum vixit *Philo*, ne Ægyptiis quidem, inter quos ille, pœnæ ejuſmodi uſus erat forenſis, uti nec *Athenienſibus* aut *Romanis*, ut de aliis taceam. De Ægyptiis diſertè Diodor. Sic. *Biblioth. l.* 1. *c.* 78. *Adulterium apud eos vi, commiſſum, geni-*

talium abſciſſione ; ſine vi, meſſe plagis adultero, narium detruncatione adulteræ irrogandis puniunt, licèt ſeculis vetuſtiſſimis adulteras quaſdam a Seſoſtri Rege vivicomburiô plexas idem memoret *Ibid. c.* 59. Athenis autem ſi quis reus peractus ἦν τῆς ἀναιρέσεως, αὐτὸ ἐγχείρησιν χρῆσθαι ὅ, τι ἂν βούληται, *Judicium erat in eum pro arbitrio animadvertere, excepta pœnâ gladii*, ut disertè legitur apud Demoſthenem *Orat. in Neæram*. Utrum autem ex jure Cæſareo veteri pœna adulterii forenſis eſſet vitæ amiſſio, ſæpè diſputatum eſt; ſcil. an à Lege Julia aliaque vetuſtiori. Sed à Viris doctiſſimis demonſtratum, ex jure recepto pœnam ejuſmodi non irrogandam fuiſſe, antequam ab Auguſtis Chriſtianiſſimis exciperetur; Sed relegationem, aliamve citra mortem coërcitionem. Quamvis certum ſit, ab Auguſto etiam ſuas Leges egrediente adulteros morte punitos aliquos, ut & poſtea ab Opilio Macrino, qui *adulterii reos ſemper vivos ſimul incendit junctis corporibus*, ut de eo *Jul. Capitolin. c.* 12. Vulgò autem habetur Conſtantinus M. auctor primus Legis, de morte adulteris ex jure Cæſareo irroganda. Et ſanè in Codice *Juſtinianeo* occurrit reſcriptum ejus ad Evagrium de accuſationibus adulterii, ad cujus calcem adjicitur, *Sacrilegos autem Nuptiarum gladiô puniri oportet*, circa A. C. 326. Vide *l.* 30. *quamvis Cod.* tit *ad leg. Jul. de Adult.* Conſtantius dein ac Conſtans culeum aut vivicomburium introduxère: ſub Valentiniano & Valente, Cethegus Senator adulterii reus delatus *cervice præus abſciſſâ*, uti refert Amm. Marcellin. *l.* 18. *c.* 1. quâ eadem pœnâ fœminas aliquot illuſtres tunc temporis, ob idem crimen, adfectas, addit. *Leo* tamen & *Majoranus Augg.* relegatione perpetuâ in reos animadverterunt, circa A. C. 459. donec *Juſtinianus* jus hoc de morte puniendis adulteris conſtans voluit eſſe ac perpetuum. Orientali autem jure Cæſareô recentiori ὁ μοιχὸς καὶ ἡ μοιχαλὶς ῥινοκοπείσθωσαν, *Adultero & Adulteræ nares præcidantur*. Sic Harmenopulus *Prochir. l.* 6. §. *ult.* Addit Michael Attaliates *Synopſi tit.* 70. τυπτομένοις καὶ κουρευομένοις, *verberatis & tonſis*: Etiam *adulteram* exulem fieri bonisque ſpoliandam. Seculis recentioribus morte, verberibus, multâ aliterque pro variis gentium moribus atque aliis puniti id crimen: & ubi cognitio ejuſdem ad Forum ſpectat ſolum Pontificium, excommunicatione & pœnitentiæ ſolemnis ſive titu ipsô publicô ſeu redemptione, vide plura hanc in rem apud Joh. Seldenum præfatum in *Uxore Ebraica l.* 3. *c.* 11. *& ſeqq.* cui adde Jac. Cujacium *Obſervat l.* 6. *c.* 11. B. Briſſonium *ad L. Jul. de Adult.* Theod. Marcilium *ad Inſtitut. Juſtiniani* & infrà dicenda in *Adulterium*.

Pœna Adulterorum, apud varias gentes

apud *Anglos*, adulterium pecuniâ emendari ſanxit Henricus I. *c.* 11. *&* 12. At *LL.* Edmundi Regis *c.* 4. Adulter ut homicida punitur. Canutus verò adulterum exiliô, adulteram narium auriumque truncatione, punivit, in *LL. part.* 1. *c.* 6. *&* 50. Vide quoque ſuprà.

apud *Aragonenſes*, ſecundùm Foros antiquos, *ſi conjugatus aut conjugata erant deprehenſi in adulterio, amittebant veſtes ſuas & ſolvebant* 60. *ſolidos de calumnia. Si conjugatus cum conjugata* --- *ſolvebant dictam calumniam duplicatam* --- *aut flagellabantur*. Michael del Molino *Repertor. Fueror. Aragon.*

apud *Bohemos*, pœna decapitatio fuit, teſte *Vitâ* S. Adalberti Epiſcopi Pragenſis *num.* 9.

apud *Francos*, adulteri nudi per urbem aut villam traducebantur, quod *currere & trotari* apud eos dictum, vide ſuô locô.

apud *Hiſpanos*, adulteri caſtrabantur, *Luc. Tudenſis* de Bamba Rege, vide Luithprandum *l.* 6. *c. ult. LL.* Ælfredi Regis *c.* 25. Saxonem Gram. *Hiſtor. Dan. l.* 5. *p.* 77. &c.

apud *Mahometanos*, mulier quatuor teſtibus Muſulmannis convicta, detineri jubetur in ædibus ſuis, ad mortem uſque. in Alcorano *Azoarâ Lat.* 8. At *Azoarâ* 34. centum ſunt ictus, quibus in adulterio deprehenſi flagellantur. Sequitur in Alcorano, quod pœnam auget, *Adulter uxorem ducat, niſi adulteram aut aſſociatam ſui participem factorum, nec ducat adultera niſi adulterum aut aſſociatorum. Hoc enim credentibus ſeu Muſulmannis eſt interdictum.* Vide infrà in *Aſſociare*.

apud *Polonos*, dum adhuc pagani eſſent, adulter *in pontem mercati ductus per folliculum teſticuli clavo affigebatur & novaculâ prope poſitâ, hic moriendi ſive de iis abſolvendi dura electio dabatur*, Dusmarus *l. ult. p.* 206.

apud *Saxones*, *olim ſi mulier maritata* - - - *adulterium perpetraſſet, aliquando cogebant eam propriâ manu per laqueum ſuſpenſam vitam finire; & ſuper buſtum illius incenſa & concremata corruptorem ejus ſuſpendebant. Aliquando congregatô fœmineô exercitu, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducebant virgis cædentes & pungentes minutis vulneribus cruentatam & laceratam de villa ad villam mittebant & occurrebant ſemper novæ flagellatrices, uſque quò eam aut mortuam, aut vix vivam dereliquerent*, Petrus Opmerus in *Chronologia p.* 345. Vide quoque Tacitum *de Mor. Germ. c.* 19.

in *Ungaria*, adulteras vivas defodere, moris eſt.

apud *Wiſigothos* olim, *Adulter & Adultera* marito adducebantur: cui, ſi adulter filios non haberet, hujus bona cedebant, ut extat in *L. Wiſigothorum l.* 3. *tit.* 4. §. 1. 3. 12. Ut alias gentes at præſens non attingam. Addam ſaltem, in Cantio, provinc. Angliæ, Regem olim *adulterium*, Archiepiſcopum *adulteram* habuiſſe, & illum quidem 8. ſol. 4. denarios perſolvere coactum fuiſſe; hanc verò tantundem &c. Domeſdei apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide etiam, quod hic laudat, *Chronicon* Beſvenſe *p.* 671.

ADULTERARE monetam, non idem cum *adradere*, ut viſum ſuprà. Multis verò modis monetam *adulterabant* olim hodieque Monetarii, aut miſcendo & adulterando inter ſe metalla, ut aurum argentô, argentum ære, æs plumbô: aut adulterinam monetam clam exercendo, ut ſub Conſtantino feciſſe, teſtis eſt lex 2. *Cod. Theodoſ. de falſa mon.* aut ſecernendo ſeparandoque metalla, ut argentum ab ære, quemadmodum Monetarii quidam ſub eodem Conſtantino fecerunt, ut indicat *l.* 6. *tit. eod* his verbis: *Comperimus nonnullos Flaturarios majorinam pecuniam non minus criminoſe, quam crebrè, ſeparatô argentô ab ære purgare.* Majorinæ enim illæ pecuniæ argentô ære mixtô flabantur. Flaturarii autem argentum ſeparabant, & æs ſolùm in figuranda moneta exhibebant, in quo non mediocre compendium faciebant Monetarii, quæ ſeparatio vulgò *flagnatio* dicta eſt, teſte Iſidorô in *Gloſſ.* ubi legimus, *flagnare, metalla ſecernere*. Ipſa verò adulterina pecunia & falsâ cuſione formata, *paracharagma* dicitur *Caſſiano* & *paracharaxum numum*, vide infrà. Quoniam autem horum modorum vitiata fuerit pecuniâ, ſub Aureliano Imperatore incertum; certè *fuit ſub eo Monetariorum bellum, Feliciſſimô rationali auctore; quod acerrimè ſeveriſſimeque compeſcuit, ſeptem tamen millibus ſuorum militum interemtis*, apud *Flav. Vopiſc. c.* 38. ad quem vide *Notas* Caſauboni & Salmaſii, ut & aliquid, uti infrà de *Plumbea Selibra*.

ADULTERI, Scriptoribus Eccleſiaſticis dicuntur, qui civitatis Epiſcopô adhuc ſuperſtite, ejuſdem Epiſcopatum invadunt aut quempiam ad Epiſcopatum promoveri patiuntur; Epiſcopô adhuc vivente. Epiſcopus enim ſpirituales nuptias cum Eccleſia ſua contrahere ipſis dicitur. Liberatus Diaconus *c.* 14. *Cumque ſuper hoc multa dubitatio proceſſiſſet, volentibus civibus nominem penitùs ordinare, ne Adulteri viderentur (Dioſcorô quippe vivente) noviſſimè in Proterium univerſa ſententia declinavit.* Et *c.* 17. *Porrò Hæretici, ut jam dictum eſt, Petrum latenter ſubinnerant, quem juſſit Zeno Imperator expelli, tanquam hæreticum & Adulterum* &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ADULTERIUM, primus inter Gentiles pœnâ affeciſſe legitur Hiectus Argivus, apud Alexandr. *Genial. dier. l.* 4. *c.* 1. quem alii *Hertum* vocant, vide Pauſan. *Bœot.* Ægyptii *Adulteros* mille plagis cæſos caſtrârunt, Laur. Rhodomannus in *Diodori Sic. l.* 2. *c.* 3. quorum ſeveritatem Romanos quoque ſequutos eſſe innuit Horat. *Sat.* 2. *l.* 1. *v.* 46.

--- --- --- --- Quin etiam illud
Accidit, ut cuidam teſtes, caudamque ſalacem
Demeteret ferrum.

Apud alios tanti-flagitii pœna erat, membrorum detruncatio artuumque mutilatio & præſertim aurium nariumque, ut ipſo vultu ſceleris atrocitatem loquerentur; Adr. Turneb. *Adverſar. l.* 28. *c.* 46. Martial. *l.* 3. *Epigr.* 85.

Quis tibi perſuaſit nares abſcindere mœcho?

Combuſtione porrò punitam eſſe *Adulteria*, patet ex ſacris, vide Gen. *c.* 38. *v.* 24. Moſaica poſtea lex lapidatione illa ulta eſt, vide Ezech. *c.* 16. *v.* 38. quam pœnam ſimpliciter *mortem* vocari, probant quidam, ex Levitici *c.* 20. *v.* 10. *Morte plectantur.* Alii tamen generali hôc vocabulô ſuffocationem, utpote mitius mortis genus, cùm favores ampliandi ſint, hîc intelligunt. Apud Græcos pœna in viris ῥαφανιδώσις & παρατιλμὸς fuit, quò alludit Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 317.

--- --- --- Quoſdam mœchos & mugilis intrat.

Vide infrà *Paratiltria* et *Raphanus*.

Fœminis verò templorum aditu arcebantur, quæ ſi matronarum habitu incederent, cuique obvio veſtes illarum dilacerare jus erat. Apud Romanos antiquiſſimis temporibus, cognati unà cum viro de adulteria judicârunt: juxta legem à Romulo latam, *Adulterii convictam, vir & cognati, uti volunt, necanto.* Inſequutus dein *Numa* aliam, ſuper eodem crimine, legem tulit, cujus capita: *Pellex aram Junonis ne tangito. ſi tanget, Junoni crinibus demiſſis agnam fœminam cæditō*, apud Feſtum Pomp. *l.* 14. M. Fabius matronas ſtupri damnatas pecuniâ mulctabat, Liv. *Dec.* 3. *l.* 5. Alii relegatione, vide Sueton. in *Aug. c.* 65. dotis amiſſione, vide Senec. *Controv.* 5. *l.* 1. gladiô, vide Sueton. *in Julio c.* 48. deturbatione è Saxo Capitolino, vide Senec. *l.* 1. *Declam.* 3. &c. Tandem ab Auguſto lata Lex Julia eſt, coërcendis adulteriis ſtupriſque, Sueton. *in eo c.* 34. in cujus laudem Horat. *l.* 4. *Carm. od.* 5.

Nullis polluitur caſta domus ſtupris,
Mos, & lex maculoſum edomuit nefas:
Laudantur, ſimili prole puerperæ:
Culpam pœna premit comes.

Ejus capita hinc inde diſperſa collegit Barn. Briſſonius, illaque eleganti commentario explicavit. Sequentibus temporibus, velut obſoletam, poſtliminii jure reduxit Domitianus. Unde Martial. *l.* 6. *Epigr.* 2.

Luſus erat ſacræ connubia fallere tedæ,
Luſus & immeritos exſecuiſſe mares.
Utraque tu prohibes, Cæſar.

Pœna, relegatio. Ancyrana Synodus *Can.* 7. *Adulterum à participatione ſacrorum myſteriorum excludit ſeptem annis integris.* Muſcovitæ in partes diſſecant; Nonnullæ gentes *ferrea catena collo adulteri ſaxa alligabant, ut, omnibus ludibrio expoſitus, ſolo terrore fragiliorem ſexum à corruptela arceret*. Olaus M. & ex illo Corn. Scribonius Grapheus *Epit. l.* 6. *c.* 12. Apud eundem *l.* 14. *c.* 6. *Mulier adulterata, teſtimonio ſui virorum deprehenſa, perdit dotem, & quidquid ſecum tulit in cohabitationem viri*: quæ lex non barbara, ſed Romana videri poſſet, vide *ſupra*. Plato adulterum Magiſtratu arcendum cenſuit, *de Legg.* 9. *l.* 8. De veterib. Germanis Tacitus *de mor. Germ. c.* 19. *Adulteriorum pœna, inquit, præſens & maritis permiſſa. Acciſis crinibus nudatam coram propinquis expellit domô maritus, ac per omnem vicum verbere agit*, &c. Plura vide apud Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom. l.* 8. *Paralip. ad c.* 14. Berneggerum *Quæſtion. in Tac. Germaniam* 103. 104. &c. Adjiciam hoc unum, quòd ne inter milites quidem adulter recipi potuerit, apud Romanos, ut habet Menander *Rem l.* 4. *ff.* §. 7. *de Re milit.* Plura hanc in rem retrò dicta ſunt.

ADULTUS, Jupiter cognominatus, ut etiam Juno *Adulta*. Nam præcipuè in connubiis Ethnici Deos quinque invocabant. Venerem, Suadelam, Dianam, Jovem Adultum, & Junonem Adultam. Plut. *in Problem.* Vide infrà *Nuptiæ*.

ADUM,

ADUM, flumen *Hygini*, circà coloniam Claudiam.

ADU[illegible]ATUS, μονόχωρος οἱ πάλαι in veterib. *Gloſſ.* Græc. Lat. *Adunatus in tabula*, i. e. ad unum redactus calculum, ὁ μονωθεὶς, qui uno calculo ſolo relictus: cui calculus unus in ſuo loco ſolúſque relictus eſt, ceteris à colluſore captis. In ludo enim calculorum ſeu teſſeratum, quam [illegible] Græci dicunt, lineæ, in quibus diſponebantur calculi, χῶραι vocabantur. Hinc μονόχωρος, tam in teſſeris, quàm in latrunculis, dicitur ille, qui omnibus ſuis calculis ſpoliatus & victus abibat, utpote qui ad unum eſſet redactus. Unde Ariſtæneto in *Epiſtolis* nomen infelicis aleatoris ac tabliſtæ, μονόχωρος *l.* 1. *Ep.* 13. Porro loca illa in alveo ſeu tabula luſoria, etiam νόμους appellare conſueverunt. Etymologicum magnum, ἀπὸ τῆς νόμους, ὡς ἔχει παλαμήδειον ἀβακίον, *ut loca, quæ habet Palamedis tabella.* [illegible] quoque vocabant: Latini *mandras*. Martial. *l.* 7. *Epigr.* 72, *v.* 8.

Mandris & vitreo latrone clauſus.

Auctor Panegyrici,

— — Hic ad majora movetur,

Ut citus & facta prorumpat in agmina mandrâ.

Item *ſepta*, *valles*, *carceres*, &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo.* Car. du Freſne vocabulum hoc unum eſt ex nominibus *locorum* in tabula; alia fuère *Antigonus Dromus* &c. ex Agathiæ *Epigr. l.* 1. *Anthol. c.* 61.

ADUNICATES, populi in Gallia Narbonenſi. Plin. *l.* 3. *c.* 4.

ADVOCARE, in *LL.* Inæ Regis, apud Bromptonum *c.* 52. 59. in *L.* Ethelredi *part.* 2. *c.* 9. *part.* 3. *c.* 10. & in *LL.* Eduardi Regis Saxonicis *c.* 2. eſt rem factam agnoſcere, ſeu in ſe ſuſcipere, Gall. *advouer* furtò inprimis venditam. Erat enim olim in more poſitum, ut ſi quis rem furtò ſurreptam mercatus, eandem alteri vendidiſſet, atque is porrò rem illam cuiquam alienâſſet, idemque feciſſent alii præterea plures; Domino tamen per leges licere, rem ſuam ubivis deprehenſam ſuô ſibi jure vindicare. Tum verò ejus, quem penès erat res deprehenſa, partes erant, venditorem proferre, cauſæque illum *advocare*, ut is venditionem præſtaret atque in ſe ſuſciperet. Is demum cauſæ advocatus alium citabat aliquem atque ita alio alium advocante, in ipſum tandem furti auctorem culpa transferebatur; quod ipſum Franci Veteres dicebant, *Voucher à garantie*; quod idem eſt ac *Appeller ſon garant*. A cujuſmodi rerum venditarum *advocationibus*, translata poſtmodum vox eſt, ad id, quod quis ut ſuum, aut à ſe factum, agnoſcit. Concilium Lugdun. A. C. 1274. *c.* 22. *Recognoſcendo ſeu profitendo ab illis ea, tanquam à Superioribus ſe tenere, ſeu ab ipſis eadem advocando, prout in quibuſdam partibus Gallicanis vulgariter dicitur advouer.* Chron. Naugii *A.* C. 1296. *Nihil ab eo ſe tenere in feudo aut quoquô modô alio advocabat*, &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Aliàs *Advocare*, eſt advocatum poſtulare, vel ſub Advocati patrocinio ſe collocare, Gall. *s' Advouer de quelqu'un*. In Charta Margaretæ Comitis Flandriæ pro Eccleſia Tornacenſi A. C. 1250. *Ita tamen quod dictus Epiſcopus & ſucceſſores ſui, nos & ſucceſſores noſtros Comites Flandriæ, qui pro tempore fuerint, ſi indiguerint auxilio*, advocabit, *nec alium dominum ſecularem poterunt advocare*, &c. Hinc *Advocati Eccleſiarum*, qui jura, bona & facultates Eccleſiarum tuebantur: quibus id muneris conferebatur, ut eſſent, qui in publicis judiciis earum cauſas defenderent & actorum vel reî partes agerent. Hos tum primùm poſt Conſulatum Stiliconis inſtitutos, innuit Synodus Carthagin. *can.* 99. *pro cauſis Eccleſiæ*; à diverſis muneribus, *Defenſores* & *Cauſidicos*, quoque dictos. Erant autem ex ordine *Scholaſticorum*, i. e. *Advocatorum*, *qui in actu erant — — defenſione cauſarum*, ut eſt in Cod. Canonum African. *c.* 97. antiquitus: Nam Eccleſia ſuos antea Defenſores habebat, ſed ex ordine Eccleſiaſtico, qui etiam *Oeconomi* dicti, atque inde Defenſorum Laicorum origo manavit, cùm aliàs Clerici Laicorum Forum terere & litibus cauſiſque vacare vetarentur. Poſtmodum id muneris attributum viris militaribus ac potentibus, ut eſſent, qui non linguâ duntaxat, ſed & armis jura tuerentur Eccleſiarum, quarum protectionem in ſe receperant. Hôc modò Eccleſia Romana contra Longobardos, Reges Franciæ & Imperatores Occidentis ſibi *Advocatos* delegit. Unde Carolus M. *Advocatus S. Petri*, in *Vita ejus*: Pipinus *Defenſor Romanus* apud Baron. *A.* C. 761. *num.* 18. Conradus Imperator *Advocatus Papiæ* apud Browerum *Antiqq. Fuldenſ. l.* 3. *c.* 17. Fridericus I. *Eccleſiæ Romanæ Defenſor*, apud *Radericum* &c. dicti occurrunt. Quem morem imitatæ reliquæ, quæ ſub ipſis Principibus finitorum intèrdum hoſtium & uſurpatorum patebant injuriis, ſuos quoque ſibi *Advocatos* ſumsêre. Et primitùs quidem aligebantur illi in præſentia Comitum, ab ipſis Epiſcopis ſeu Abbatibus, ut eſt in *L.* Longob. *l.* 2. *tit.* 47. §. 2. 4. 7. facultate hoc faciendi Eccleſiis indultâ à Regibus Principibuſque, cum hujuſmodi Formula, quæ habetur in *Charta* veteri Caroli Regis Franciæ pro Frotario Archiepiſcopo Burdegalenſi & Eccleſia S. Juliani, in Comitatu Brivatenſi, *liceat eis qualemcunque ſibi ſponte elegerint*, Advocatum *habere*, *ipſumque* Advocatum, *nemo præſumat temeraris auſu diſtringere*, *ſed noſtro iterum Comite Palatii res jam prælibati Martyris, videl. S. Juliani, abſque alicujus inquietudine vel morarum dilatione liceat inquirere* &c. Vide & alias, apud Auctores, magnô numerô laudatos Car. du Freſne in *Gloſſar.* Interdum petebantur *Advocati* ab ipſo Principe, à quo deligebantur, vel ab ipſis ultrò dabantur, vel ab ipſis Epiſcopis; aut tandem à Pontifice: Nonnunquam Eccleſiarum fundatores ipſi earum *advocatiam* ſibi poſterisque reſervabant, ut videre eſt in *Chron. Montis Sereni* A. C. 1127. Tenebantur autem *Advocati in illo Comitatu*, in quo erant Eccleſiæ; *proprium habere hereditatem*, uti cavetur in *Capitulis* ex *L.* Salica & Gumbada *c.* 14. Itaque per hos Epiſcopi, Abbates & Sacerdotes, in jure reſpondebant, atque iis primâ litis conteſtatione juramentum calumniæ ſubibant: unde *L.* Longob. *l.* 2. *tit.* 47. §. 8. ſingulis Epiſcopis, Abbatibus & Abbatiſſis concedit, ut duos *Advocatos* haberent,

unum qui cauſam procuret, alterum qui ſacramenta deducat. Intererant igitur Comitum placitis & ut Patroni, Eccleſiarum ſuarum jura turbantur. Eorundem in diſtractionibus ac alienationibus rerum Eccleſiaſticarum requirebatur conſenſus: ac donationes aut reſtitutiones Eccleſiæ cum fierent, illas habebant ratas. Munus denique illorum erat, Monaſterii bona *ab omni rapina & indebitis exactionibus illæſa* conſervare, ut eſt in *Charta* Eberti Bambergenſis Epiſcopi in *Metropoli* Salisburgenſi *tom.* 2. *p.* 29. Abbatibuſque à conſiliis eſſe, in rebus majoris momenti, uti legimus in *Chron. Lauriſham. p.* 74. Sequentibus temporibus *Advocati* ipſimet judicia exercuère juſque dixère Eccleſiarum ſuarum vaſallis; Ter autem in anno, quemadmodum Comites, *placita* ſua ſeu *malla* tenebant, quæ *tria generalia placita* dicuntur, in *Charta* Adalberonis Epiſcopi Metenſis A. C. 1065. apud *Meurißium*. Quæ ne gratis tenere viderentur, conceſſa iis eſt ex recepto uſu tertia *bannorum* ſeu mulctarum pars, quæ in reos & injuſtè litigantes decernebatur: ita tamen, ut nihil præterea poſſent exigere, cum partes duæ aliæ in uſus Eccleſiæ cederent, quæ quidem tertia pars Judicum ſemper fuit in mulctis judiciariis, ut conſtat ex *L.* Bajuvar. *tit.* 2. *c.* 16. Unde paſſim *Tertii banni Advocatorum* mentio in veterib. Tabulis. Item, *tertius denarius*, *tertia partis compoſitionum*, *tertia partis legum* &c. quô modò tertia hæc pars conſueverat appellari. Præter hanc verò partem, tenebantur Eccleſiarum Præſules, dum hæcce obtinentur placita, *Advocatis* famuliſque eorum certa ac definita præbere cibaria, ut docet Car. du Freſne ex *Charta* Henrici III. Imperatoris pro Monaſterio S. Maximini Trevirenſ. apud Nicol. Zylleſium & ex *Juribus Bambergenſis* Eccleſiæ pro Advocatia, in *Metropoli Salisburgenſi tom.* 3. *p.* 50. Sed *Advocati* levioribus ejuſmodi commodis ac emolumentis non contenti, alia inſuper jura in Eccleſiarum prædiis non ſibi duntaxat aſſtruère, ſed & ipſa interdum uſurpavère prædia, tantumque eorum rapacitas ac tyrannis crevit, ut ſæpe à Principibus ſummoverentur, aliis ſubſtitutis. unde *damnoſi & cupidi* appellantur in *Capitulari* 1. Caroli M. A. C. 802. Vide quoque *L.* Longobardorum *l.* 2. *tit.* 47. §. 1. Ut igitur eorum exactiones & uſurpationes coërcerentur, Principes operam identidem Pontificeſque adhibuere. Hinc in *Concilio Remenſi* A. C. 1148. *can.* 6. & *Lateranenſi* ſub Innocentio III. *c.* 45. *Præter jus & beneficium antiquitus conſtitutum ſibi aliquid accipere vel uſurpare* vetantur. Inde etiam proviſum, ut ratæ haberentur *Advocatorum* præſtationes, quæ *legitima Advocatorum jura* dicuntur Ditmaro *l.* 2. *p.* 22. & ut in Diplomatibus, in quibus de eorum inſtitutione agitur, deſcriberentur ea, quæque habentur in *Geſtis* Abbatum *Laubienſium p.* 663. in *Codice* Donat. *piar. c.* 95. in *Hiſt.* quoque Guinenſ. *p.* 191 apud Hemereum in *Auguſta Viromand. p.* 96. &c. Quibus adjunge *Bullam* Nicolai Pontificis ad Theodoricum *Virdun.* Epiſcopum exſcriptam Car. du Freſne in *Gloſſar.* Nonnunquam autem eorum ſtipendia erant, pro lubitu Abbatum, uti diſcimus ex *Chron. Montis — Sereni* A. C. 1127. Tandem verò, cùm eò devenit rerum ſtatus, ut cuilibet ſua jura armis & bellô proſequi ac tueri liceret, Epiſcopi cæteriquе Præſules, quibus arma ferre in Conciliis toties fuerat interdictum, non jam *Advocatis*, qui res ſuas in placitis ac mallis defenderent & tutarentur, opus habuère, ſed militibus ac proceribus, qui ſuos in prælium vaſſallos poſſent educere. Hinc ut *Advocatos* ſuos ac Proceres, quos ad ſui tutelam adſciſcebant, magis ſibi devincirent ac obſtringerent, bonorum Eccleſiarum ſuarum partem indulsêre, quam clientelari jure ab ipſis Eccleſiis in feudum poſſiderent, & hâc ſaltem ratione, tanquam Eccleſiarum vaſſali, earum bellis intereſſe tenerentur. Sic *totam terram S. Crucis* (Eccleſiæ Aurelianenſis) *Fulco Epiſcopus pro adjutorio ſui Hugoni potentiſſimo Belvacenſi dederat*, A. C. 652. apud Hadoindum Epiſcopum Cenom. in *Teſtam.* cujus *Beſſonus* meminit. Vide præter alios Juſtellum in *Hiſtor. Turenn. p.* 19. Quapropter fidei ſacramentum ſeu hominium Præſulibus Eccleſiarum *Advocati* præſtabant, cujus rei multa apud Auctores mentio. Neque tamen id ſemper obtinuit: nam interdum *Advocati*, ratione Advocatiæ, Regi vel Principi obnoxii erant, ſi nempe ab eo Eccleſiis eſſent dati. Cùm enim Princeps jure Monarchiæ Eccleſiarum omnium Regni ſui *Defenſor* ſit & *Advocatus*, ſi quem in tuendis Advocatum deſtinat, Regiis is omninò vaſſallus eſt. Potiori jure ſi Rex ipſe *Advocatus* inſtitutus fuerit & electus ab Eccleſia, vel Eccleſiam conſtituens ac dotans, Advocationem ſibi reſervâtis & alii commiſerit: tunc enim *Advocatus* delegatus [illegible] ut *Majorem Advocatum* Dominum agnoſcit &c. Ejuſ[illegible] *Advocatorum* erat, neceſſitate compellente, res & [illegible] Eccleſiarum bellô tutari, earumque milites ac vaſallos [illegible] educere; præterea, ſi in legalem expeditionem ſubmoneantur Epiſcopi & Abbates, eorum vaſallis ducem ſe præbere: in quibus occaſionibus, quid iis ad apparatum expeditionis præſtandum eſſet, definitum erat. Hinc apud Malbrancum *de Morinis l.* 8. *c.* 46. in *Charta* Balduini Comit. Flandriæ A. C. 1056. pro Monaſterio S. Martini, legit Car. du Freſne: *Ut quicunque* Advocatus *fuerit in Regalem expeditionem iturus, unum baconem & unum penſam caſeorum & unum equum ad ſummariam, vel pro his unam marcam argenti ab Abbate accipiat.* Sed & eorum erat, Eccleſiarum vexilla, cum in propriis Eccleſiarum bellis, tum etiam in Regalibus expeditionibus, deferre. Unde de *Advocato* Tornacenſis Eccleſiæ diſtichon hoc extat, apud Buzelinum *Gallo-Flandr. l.* 3. *c.* 9.

Signifer Eccleſiæ vexilla movere gravâ,

Et Caſtellanus feudum capit à Cathedrato.

Vide infrà in voce *Signifer* Interdum verò *Advocati* ipſi advocationes ſuas aliis in beneficium ſeu feudum dabant, vel quod potiores longè dignitatis eſſent, quàm ut Eccleſiarum & Monaſteriorum expeditionibus intereſſe poſſent, ut Reges ac Principes; vel quòd propriis bellis diſtricti aliis vacare non poſſent: vel potiùs, quod Eccleſiæ prædia in longinquis eſſent regionibus, aut in exterorum Principum territoriis jacerent. E quo factum, ut tot eſſent ferè *Advocati*,

quot majora Eccleſiæ prædia: atque hi minores Advocati, qui ab Eccleſiarum Advocatis prædiorum tutelas in ſe recipiebant, *Subadvocati*, *Subdefenſores*, *Proadvocati*, *Secundi Advocati*, *Poſtadvocati*, *Viceadvocati* &c. dicti paſſim leguntur: ſicut contrà primores illi Advocati, quibus hi clientelæ ratione obnoxii erant: *Majores* & *Principales* & *Summi Eccleſiarum Advocati*, vocabantur. Ita in *Hiſtoria* Landgraviorum Thuringiæ c. 143. Rudolfus Saxoniæ Dux *Advocatus Generalis* nuncupatur Archiepiſcopi Moguntini. Verùm cùm ejuſmodi Subadvocatorum multitudine ac exactionibus gravarentur Eccleſiæ, abrogati tandem illi ſunt in Concilio *Remenſi* A. C. 1148 *can.* 6. &c. Vide plura in hanc rem apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & Auctores ei laudatos.

ADVOCATA Evæ, apud Irenæi interpretem *l.* 4. *c.* 19. *Quemadmodum Eva per Angelicum ſermonem ſeducta eſt, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus: ita & hæc* (Maria ſcil.) *per Angelicum ſermonem Evangeliſata eſt, ut portaret Deum obediens ejus verbo. Et ſicut illa ſeducta eſt, ut effugeret Deum, ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo: ut Virginis Evæ Virgo Maria fieret* Advocata. *Et quemadmodum aſtrictum eſt morti genus humanum per Virginem, ſolvatur per Virginem* &c. conſolatrix eſt, ſeu ea, in qua habemus conſolationis aliquam materiam. Sic enim Interpres hic vetus verbum Græcum παρακαλεῖν accepit, pro *conſolari*: quemadmodum Tertullianus Græciſſans, *advocare languentes* dixit, *contra Marc. l.* 4. *c.* 14. & *advocationem* ac *riſum* conjunxit *de Patient. c.* 13. *contra Marc. l.* 4. *c.* 5. &c. Vide quæ notavit Rigaltius in *Gloſſario Tertullian.* Accepit autem Eva cum poſteritate ſua in B. Virgine conſolationem maximam, quatenus ex ea *ſemen* illud exortum eſt, *quod ſerpentis caput contrivit*, Chamierus *Panſtrat. Tom. II. l.* 8. *c.* 5. Et Rivetus *Apolog. pro Sanctiſſ. Virgine Maria l.* 2. *c.* 2.

ADVOCATENSIS, loci in Africa, mentio eſt, in *Collatione* Carthaginenſi.

ADVOCATI Urbium ac Regionum, quoque occurrunt paſſim apud Scriptores. Sic Berchtoldus Dux Zeringenſiv, *Dei & Imperiali gratiâ Thuregici loci legitimus Advocatus* ſeu *Kaſtvogt* (quaſi *Caſtrivoor*) inſcribitur in *Charta* A. C. 1187. & A. C. 1250. Henricus Comes Lovanienſis *Comes & Advocatus patriæ Brachbantenſis* dicitur, in *literis* A. C. 1086. apud Miræum *Notit. Eccleſ. Belg. c.* 109 Theobaldus Comes Ferretenſis ab Adolfo Romano Rege *Terræ Alſatiæ Advocatus inſtitutus eſt, qui eam contra Gallorum inſultus tueretur*, in *Annalib. Colmar. ad* A. C. 1293. Dux Rudolfus——*Advocatus terræ in Suevia*, dicitur apud *Henr. Rebdorffenſem* &c. Quò etiam pertinet, quod habet Raymundus *de Agiles*, dum ait, captis Hieroſolymis, cùm de Rege creando ageretur, Epiſcopos reſpondiſſe, *Non debere ibi eligi Regem, ubi Deus paſſus & coronatus eſt*—— *ſed eſſet aliquis* Advocatus, *qui & civitatem cuſtodiret, & cuſtodibus civitatis tributa regionis divideret & reditus.* Vide *Dodechinonem* A. C. 1120. apud quem Godefridus *S. Sepulchri Advocatus* dicitur, Albertum Aquenſem *l.* 5. *c.* 2. & Laurentium Leodienſem in *Hiſtor. Epiſcopor. Virodunenſ. p.* 293. At non deſunt, qui pleroſque ex Proceribus iſtis exiſtimant hoſce ſibi arrogâſſe titulos, non quòd revera has provincias, ut earum *Advocati*, regerent; ſed quod Monaſteriorum ac Eccleſiarum in iis ſitarum defenſores ac Advocati eſſent. Quemadmodum Albertus Auſtriæ Marchio, Lepoldi fil. primogenitus, *factus* legitur *Advocatus omnium Monaſteriorum terræ Auſtriæ*, in *Hiſtor. Cœnobii Mellicenſis*, i. e. Marchio: ita ut Dux Zeringianus Eccleſiæ Turigenſis, Comes Lovanienſis Eccleſiæ Nivellenſis in Brabantia ſua, *Advocati* fuerint &c. Vide *Car. du Freſne.* Etiam alii quidam *Advocati* occurrunt, *Matricularii*, Eccleſiæ matricis Cathedralis, in veteri *Charta*, apud *Wiguleum* Hondium in *Metropoli Salisburg*, *tom. II. p.* 254. *Advocati Cameræ & Imperii*, qui publicæ pecuniæ functionem & procurationem Imperatoris vice gerebant; *Advocati* hinc *Fiſci* & tandem *Fiſcales* dicti: qui erant ſub *Cameræ nomine*, quorum cum Ducibus æquam habebatur poteſtas, apud Goldaſtum *Tom.* 1. *Rerum Alamannic. p.* 180. *Liberi Advocati* mentio fit, *Chron.* Senonienſi *l.* 2. *c.* 17. apud eundem Car. du Freſne *Gloſſar.* ut de *Advocatis* ſive Cauſidicis veterum Romanorum nihil hic addam, niſi hoc, quod *Togatorum* nomine non rarò veniant apud Auctores: cujus appellationis quæ fuerit cauſa, vide infrà in voce *Togati.* Hinc *Advocatia*, Gall. *Advouerie*, penſitatio, pro protectione Domino præſtari ſoluta &c.

ADVOCATIA, apud Baldricum in *Chron. Camerac. l.* 1. *c.* 20. *Abbatis* Advocatiam *imploravit*: eſt protectio ſeu tuitio. Aliàs denotat *Advocati* munus, jus, officium, in *l.* 4. *Feud. tit.* 2. §. 1. alibique. Sic *Advocatiæ* [illegible] mentio fit in *Chron. Caſin. c.* 35. Porro, præſtatio quæ [illegible]catis, in *Charta* Everardi Archiepiſc. Salisburg A. C. [illegible] *Metrop. Salisburg. Tom. III. p.* 65. Etiam, Advocati inſeu[illegible]ctus, in *Speculo Saxon. l.* 1. *artic.* 55. §. 2. & apud Albe[illegible] Stadenſem A. C. 1089. Jus quoque præſentandi Ordinario aliquem ad Beneficium vacans, Angl. *Advowſon*, in Littletone *ſect.* 10. 180. Vide infrà *Advocatus* & *Patronus.* Tandem, datio Campionis, qui *Advocatus* & *Advocator*, Gallis *Avoue* dicitur, in *Charta* Blanchæ Comitiſſæ Campaniæ de diviſione terrarum, inter filias Baronum A. C. 1212. in *Tabular. Campaniæ Thuan.* Vide quoque infrà in *Vicaria*, namque & ſic nonnunquam vocem ſumi, docet Car du Freſne *Gloſſar.* De *Advocatia provinciali Alſatiæ*, Germ. *Landvogtey Hagenau*, (qui Hagenoja inter X. Alſatiæ urbes huc pertinentes præcipua fuerat) quam Sigiſmundus Imperator Palatinis oppignoravit, Maximilianus I. bellò *Bavarico* durante, in ereptam ſuæ adſcripſit genti; ab illis tamen & poſthac retentam, Carolus V. cum præfectura Ortenaviæ, 80000. floren. & 20000. nomine expenſarum Lucemburgicis iterum vindicavit. Vide Phil. Jac Spenerum in *Familia Palatino-Bavar.* & apud Chiffletium *in Alſatia vindic. c.* 9.

ADVOCATUS Eccleſiæ Spelmanno duplex: alius cauſarum *Eccleſiæ*, alius ſoli. Hic hæreditarius, ille dativus. Cauſarum *Advocati* à Principe dabantur, ad reſpondendum in colloquiis judicialibus, *Can.* 99. Synod. Carthag. *Poſt Conſulatum Stilichonis tradicta eſt Advocatorum defenſio, pro cauſis Eccleſiæ.* Capitul. Caroli, *l.* 5. *can.* 32. *Defenſores Eccleſiarum, verſus potentias ſingularium vel divitum ab Imperatore ſunt poſcendi*: vide quoque *l.* 7. *can.* 308. Eccleſiæ *Advocati* tutionis ſoli ſunt ipſi fundatores ſeu hæredes, hodie *Patroni* dicti: quod genus advocationis etiam fœminis competit ex jure Canonico, quæ & idcirco *Advocatæ* dicuntur, & in illis Eccleſiis jus præſentandi habent. *Advocati* Monaſteriorum ſeu Cœnobiorum, erant Tutores religioſi, congregationibus à Principibus Regibusq; conſtituti, ne qui divino cultui deſtinati eſſent, politicis vacare negotiis cogerentur: In Cod. Theodoſiano *Procuratores*, ab aliis *Vice-Domini*, ſeu *Oeconomi*, German: *Kaſtenvogte* ſeu *Schirmherren* dicti. Horum munus erat, non ſolum Cœnobia, ſed etiam eorum jura poſſeſſioneſque tueri, villis ſervisque imperare, Monaſterii nomine juramenta exigere, quæ ad vitæ alimoniam & cenſum Cœnobiorum pertinebant, curare, reditus omnes in numerato habere, ut belli neceſſitate ingruente, quantum Principibus quodvis Cœnobium pendere neceſſe haberet, in promtu eſſet, & ſi quæ alia: quibus idcirco de judiciorum fructibus & emolumentis pars aliqua cedebat, neque Conventui, citra illorum conſenſum, bonorum immobilium quidquam alienare licebat. Dignitas hæc, non niſi maximæ autoritatis Viris à Principibus olim collata eſt, unde Hugonem Ducem, qui poſtea Rex Francorum evaſit generum ſuum cognominem, *Advocatum Eccleſiæ S. Richarii conſtituiſſe*, refert Hariulfus *l.* 4. *c.* 12. additque, *inſigni hôc nomine, etiam Angelrannum ejus filium fuiſſe contentum*; qui demum, Bononienſi Comite victô acie ac cæsô, & Adelbertâ ejus uxore ſibi junctâ, Comitis nomen accepit, quæ Comitum Pontivorum origo, &c. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall in voce Abbatisvilla*, infrà in *Comites* & de *Advocatis* pauperum, ſuprà in voce *Adminiculator.* Reperitur & *Advocatus* provincialis, apud Hiſtoricos. German. *Landvogt.* Sic Fridericum VII. ex familia *Zeringio-Teccia*, apud Carolum IV. Imperatorem gratioſum, *Advocatum* provincialem *Sueviæ & Alſatiæ* factum eſſe legimus, quæ dignitas ad filios quoque ejus tranſiit, apud Phil. Jac. Spenerum *in Famil. Badenſi.* Plura de voce hac, vide apud Henr. Spelmannum *Gloſſ. Archæol.* & *ſuprà.* Hinc *Advocatiſſa*, mulier nobilis, cui jure Feudi Advocatio alicujus Monaſterii competebat &c.

ADVOCATUS, etiam paſſim pro Patrono, cui jus competit præſentandi Ordinario ad Beneficium vacans. Cùm enim ſæpè Monaſteriorum Fundatores *Advocatiam* ſibi poſteriſque reſervarent, inde poſtmodum manavit jus Patronorum, quos *Advocatos* alii vocant, qui jus habent præſentandi, ut dicetur infrà, ubi de *Patronatus jure*: vide quoque quæ retro dicta ſunt, in voce *Advocare.* Item Tutor, Ballivus, qui nomine tutoriô, res pupilli adminiſtrat ac tuetur. Sic in *Charta* Petri Decani Trecenſis A. C. 1207. *Notum facimus, quòd chariſſima Domina noſtra &* Advocata *noſtra Blancha* &c. Gall. *Advouerie* vel *Vouerie*: Car. du Freſne *Gloſſar.* vide quoque infrà *Prolocutor.*

ADVOCATUS Fiſci, vide infrà in *Fiſcus* & Fiſci *Advocatus.*

ADURA, *Ayre*, Urbs Aquitaniæ, vide *Aturres.*

ADURAM, vide *Adoram.*

ADURNUM, oppid. Angliæ in comitatu Suſſexiæ, *Ederington Camdeno.*

ADURUM, loci nomen, in *Codice* Theodoſiano: ubi Anianus hunc eundem juſſu Alarici Regis edidit.

ADUS, Ciliciæ urbs, Steph. in verbo Ζώαγος: juxta Syagram & Laërtem. Vide *Addada* & *Ondecatova.*

ADUSA, Epiri fluv. Apolloniæ propinquus.

ADYLISUS, Plinio *l.* 4. *c.* 7. Bœotiæ mons. *Adiliſum*, alio codice legitur. *Ortel.*

ADYRMACHIDÆ, populi interioris Libyæ, *Adyrmachitæ Ptolemæo.* Herodot. *l.* 4. *c.* 168. ponit eos in litore Mediterranei maris, prope Ægyptum, in Marmarica, quos Ægyptiis ait moribus fuiſſe ſimiles, & ſolâ veſte diverſos: Πρῶτοι Ἀδυρμαχίδαι Λιβύων κατοίκηνται, οἳ νόμους μὲν τὰ πλέω Αἰγυπτίοισι χρέωνται, ἐσθῆτα δὲ φορέουσι οἵην περ οἱ ἄλλοι Λίβυες, h. e. *Colunt Ægyptum verſus Lybiam primi Adyrmachidæ, qui iiſdem ferè quibus Ægyptii legibus utuntur; Sed veſtem geſtant qualem & alii Libyes.* Quæ potuit eſſe ratio nominis Adyrmachidarum; Nam Arabicè [illegible] *addermach*, eſt veſtis genus. Bochart. *in Phaleg. l.* 4. *c.* 29. Plura de his, mirabili imprimis vindictæ cupiditate eorum, nuptiis, &c. Cæl. Rhodig. *l.* 18 *c.* 38 Herodot. *l.* 4. *in Melpom. c.* 168. 169 *Nic. Lloydius.* Vide *Marmarica.*

ADYRUS, vide *Caſius.*

ADYTOS, locus in Ægypto circa Memphin videtur, ex Germanico Cæſare in *Arati Phænom.*

ADYTUM, templi apud Gentiles locus, quem adire non licet: τὸ ἀπροσίτητον μέρος τοῦ ἱεροῦ. Item Βίνος ſeu Βαίνος Græcis. Cæſar *de Bello Civ. l.* 3. *c.* 105. *Pergami in occultis & remotis templi, quò præter Sacerdotes adire fas non eſt, quæ Græci* ἄδυτα *appellant.* Ubi Rhellicanus interpres, *Græca vox* ἄδυτον, *ſecretum & penetrale ſacrum dicitur.* Jul. Firmicus, *l. de errore profanar. religion. in* Adytis *habent idolum Oſiridis ſepultum.* Hinc macula reddebantur, Senec. *Thyeſte Actu* 4. *ſc.* 1.

Reſponſa dantur certa, dum ingenti ſono
Laxantur adyto fata.

Ad imitationem Sancti Sanctorum in Templo Salomonæo, à ſimia Dei Satana, excogitatum. Diverſum tamen videtur à *Penetrali*, de quo infra, ubi honoratiorum cadavera recondi, & pretioſiſſima quæque abdi ſolebant, ut metus præſentis Numinis ſacrilegos deterreret: Item à *Delubro*, ubi ſacrificaturi ſeſe abluebant. Iſidor. *l.* 15. *c.* 4. & ſomnia captabantur. Virg. *Æneid. l.* 8. &c. Vide Dempſter. *ad Roſin. l.* 2. *Antiqq. Roman. c.* 2. & Salmaſ. ad *Solin. p.* 1212. ubi Adyta hujuſmodi pleraque ſubterranea fuiſſe addit: ut & infrà in voce *Crypta.* Neque verò ſecretior ædis ſo-

ſolum paganæ, ſed & Templi apud Chriſtianos pars, ſolis ſacrorum Miniſtris pervia, ſic dicta eſt, recentioribus Græcis *βῆμα*. Leo Oſtienſis Chron. *Caſinenſ. l.* 3. *c.* 31. *Fecit & cancellos ex ære ante altare, inter chorum & Adytum, hinc inde ſtatuendos*, apud Car. du Freſne *Gloſſar*. Vide infrà *Bema*.

ADZELIA, oppid. Livoniæ Ducatus prope Treideram fluv. juris Suecici: aliis eſt *Abeal*, ad ejuſdem fluv. *Aa*.

ADZIGERI, alias *Archigeri*, & *Higerei*. Camus Tartariæ regnavit profunda in pace. Cui Hadzi fil. ſucceſſit A. C. 1448. Neugebau *l.* 6. Michov. *l.* 1, *c.* 16.

ÆA, nomen puellæ venatricis, quæ Phaſidis fluvii amplexum fugiens, Deorum miſeratione in ſui nominis inſulam verſa eſt. Val. Flacc. *Argonaut. l.* 5. *v.* 425

Barbarus in patriis ſectatur montibus Æam
Phaſis amore furens: pavidae jacet illa obumbrat
Virginis turbata metu: deſertſibus & jam
Deſerit ac volucri viclam Deus alligat undâ,

Quod propterea fictum eſt à poëta, quia Æam inſulam, ſive urbem Colchidis Phaſis fluvius præterfluit.

ÆA, Colchidis metropolis ad Phaſim amnem, *Æopolis* Ptolemæo, *Lipopotamo* hodiè, teſte *Moletio*. longitud. 72. 30. latitud. 45. 30. Vide Plin. *l.* 6 *c.* 4. Manil. *l.* 5.

—— *Quantum Phaſis, quantum Æa receſſit.*

Sic enim legendum eſſe, non *Æta*, dicit Gronov. *ad Livium*: imò omnes illos locos, ubi *Æta* diſſyllabon, vitiatos eſſe docet Heinſius *ad Ovid*. Vide Joan. Frid. Gronov. *Obſerv. l.* 4 *c.* 21. Eam poſtea *Dioſcuriadem*, tandem *Sebaſtopolin*, dictam eſſe, diſcimus ex Stephano in voce *Διοσκουριάς*, & Arriano in *Periplo* Ponti Euxini. *Plinius* tamen & *Æam* & hanc Sebaſtopolum à Dioſcuriade facit diverſas, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 193. Sanè Dioſcuriada, quaſi ſuo adhuc tempore notam, memorat *Ammianus* &c. Eſt quoque Africæ urbs. Sil. *l.* 3.

Æaque Thiaenon Afris permiſta colonis.

Vide *Oea*. Eſt & in Theſſalia urbs. Item Macedoniæ fons circa Amydonem urbem. Vide *Æas*.

ÆACEA, Ludi in Æaci Regis memoriam, in Æginâ celebrati.

ÆACIDARUM familia omnis ferè, diviniùs oblatâ nece, occubuit. Achilles enim, ut *Homerus* tradidit, ab Alexandro Priami filio & Apolline interfectus eſt. Pyrrhus ejus fil. oraculi juſſu, à Delphis occiſus eſt. Pauſan. *in Attic*.

ÆACIDAS, fil. Neoptolemi, frater Olympiadis, Rex Epiri. In odium ſubditorum incurrens, quòd continuis contra Macedonas bellis, illos attereret, fugit è regno, relictô filiô Pyrrhô vix bimô, qui educatus apud Glaucum Illyriorum Regem, deditur. Juſtin. *l.* 17. *c.* 3.

ÆACUS, Jovis ex Europa, ſive ex Ægina fil. Hic apud Oenopiam (ſic quidem legitur, ſed niſi mendum ſit apud *Strabonem*, *Oenonem* legendum eſt) regnâſſe dicitur, quam, ex nomine matris, *Æginam* nominavit. Ovid. *Met. l.* 7. *Fab.* 25.

Oenopiam veteres appellavêre: ſed ipſe
Æacus Æginam, genitricis nomine, dixit.

Ubi, cùm ob peſtem defeciſſent homines, Jovem oravit, ut formicas, quas viderat, homines faceret, & exauditus eos *Myrmidones* ex etymo vocavit. Ovid. *ubi ſuprà*.

Vota Jovi ſolvo, populiſque recentibus urbem
Partior: & vacuos priſcis cultoribus agros,
Myrmidonaſque voco, nec origine nomina fraudo,
Corpora viſiſti, mores quos ante gerebant
Nunc quoque habent, parcum genus eſt, patienſque laborum,
Quæſitique tenax, & qui quæſita reſervent.

Endeida Chironis filiam in uxorem duxit, ex qua Telamonem genuit, & Peleum. Deinde è Pſamathe Nerei filia compreſsâ genuit tertium, Phocum, quem Peleus occidit. *Æacum* autem tantæ juſtitiæ fuiſſe dicunt, ut apud inferos animarum creditus fuerit à Plutone delectus judex cum Minoë, & Rhadamantho. Horat. *l.* 2. *Carm. Od.* 13.

Quam penè furvæ regna Proſerpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum.

Propert. *l.* 4. *Eleg.* 12.

Aut ſi quis poſita judex ſedet Æacus urnâ,
In mea ſortitâ judicet oſſa pilâ.

Ovid. *Met. l.* 13.

Æacus huic pater eſt, qui jura ſilentibus illic
Reddit, ubi Æolidem ſaxum grave Siſyphon urget.

Idem *in Ibim*. —— —— *Tuaque*
Æacus in pœnas ingenioſus erit.

ÆACUS, fluv. *Stephano*, circa Narrabonitem portum. In ditione *Narbon*.

ÆÆ, Inſula Colchidis circa Phaſim, Apollonio *l.* 3. *Satabaſſa* dicta ab Herberſteinio. Vide *Circæum*.

AÆA, ita Circe dicta eſt (inquit Turnebus Adverſar. *l.* 7. *c.* 14.) Homeri exemplô. Ductum epitheton à peninſulâ *Æâ* ſita ad Phaſin amnem, ut idem ſit ac *Colchica*. Sic Euſtathius *in* 1. *Odyſ*. Αἰαίη, ἀπὸ τῆς Κολχικῆς. Αἶα γὰρ πόλις Κολχίδος ἐν ᾗ Αἰήτης. Aliunde autem forſan ſumari poſſis hujus vocis etymon. Ἠὼς Græcis Aurora eſt, unde ſyllabarum mutatione, quæ frequentiſſima illis eſt, Αἰαίη potuit dici, quaſi Ἠῴη, i. e. *Matutina* vel *Eoa*. Adjuvat hanc conjecturam, quòd Circe non ſolum fuerit Solis filia, ut & Virg. aſſerit, *Æn. l.* 7 verum in illius inſula Sol dicatur naſci, & Aurora domicilium ſuum habere. Homer. Od. μ. v. 3.

Νῆσόν τ' Αἰαίην, ὅθι τ' Ἠοῦς ἠριγενείης
Οἰκία καὶ χοροί εἰσι, καὶ ἀντολαὶ ἠελίοιο.

Eſt etiam *Æaea* inſula in mari Tyrrheno, non modici olim freto ab Italia dirempta, hodiè verò continens, ita tamen ut paludibus undique cincta inſulæ ſpeciem præ ſe ferat. *Plin*.

ÆAMENE, Nabatæorum regio, *Steph*.

ÆANIUM, lucus, & *Æanis* fons eſt, apud Strabonem *l.* 3. Macedoniæ in Locris.

ÆANTIDES, unus ex Pleiade Poëtarum, qui ſub Ptolemæo Philadelpho claruerunt. Voſſ. *de Poet. Græc. p.* 64

ÆANTIDES, Hippoclis fil. Lampſacenorum tyrannus, magnæ apud Darium regem authoritatis, Eurydicen, Hippiæ Athenienſium tyranni filiam, uxorem duxit. Thucyd *l.* 6.

ÆANTIS, *Julio Polluci* in Attica tribus: Hujus meminit quoque Plut. *l.* 1. *Convivalium*. Nomen habet ab Ajace Telamonio, in cujus, licet peregrini, honorem, Alcmæon Athenienſium Archon, qui antiqua nomina Tribuum novis mutaverat, tribum iſtam ſic appellavit.

Δῆμοι, i. e. *Populi ſeu municipia Tribûs Æantidis*.

Aphydna.	Rhamnus.
Oenoë ſeu Marathon.	Tiracidæ.
Perſidæ.	Trichorium &c

Vide Roſſinum *Archæol. Attic*.

ÆANTIUM, oppid. Troadis in Sigæo, ab Ajace illic ſepulto ſic dictum. Plin. *l.* 5. *c.* 30. Item Magneſiæ promontorium, eôdem authore. *l.* 4. *c.* 9. Inſula quoque apud eund. *l.* 4. *c.* 12. circa Thraciæ Cherſoneſum, ut videtur. Urbs Pelaſgiotarum in Macedonia eſt, *Αἰάντιον Ptolemæo*. Vide *Æna* & *Apraſium*. Imò in Rhœteo littore, ubi Ajax ſepultus, unde et nomen; ſicut in oppoſito littore Sigæo, Achillis Fanum ac ſepulchrum fuit. Solin. *c.* 40. *In Rhœteo* (corrige *Sigæo*) *littore Athenienſes & Mitylenæi, ad tumulum Ducis Theſſali, Achillion oppidum condiderunt, quod propemodum interiit, dein interpoſitis quadraginta fermè ſtadiis in altero cornu ejuſdem littoris ob honorem Salaminii Ajacis alterum oppidum, cui Æantio datum nomen eſt, Rhodii extruxerunt*. Strabo, ut Achillei oppidi non meminit, ſic nec *Æantii*, fortaſſe quia nulla tunc oppida hôc nomine: Sed Αἰάντειον nomen eſſe littoris ait, in quo fuerit tumulus Ajacis &c. Qua de re Salmaſ. *ad Solin. p.* 870.

ÆAPOLIS, vide *Thiapolis*.

ÆAS, Epiri fluv. ex Macedonia defluens, in Ionium mare ſe exonerat. Lucan. *l.* 6.

Parvus in occaſum; ſed parvi gurgitis Æas
Ionio fluit inde mari:

Ovid. *Met l.* 1. *Fab.* 11.

Apidanuſque ſenex, leniſque Amphryſus, & Æas.

Aous, teſte Plinio. *l.* 3. *c.* 23. *Vajuſſa* nunc, ut nonnullis videtur. Solus autem Ovidius in fabula ſuâ, flumen hoc Peneum ingredi dicit, & convenire cum reliquis Theſſaliæ fluviis ad Tempe. Sed profectò non unum in illa Penei deſcriptione errorem committit. Nam quid *Æanti*, quid Amphryſo, quid Sperchio cum Peneo aut Theſſalicis Tempis? Quia hæc flumina ex Pindo oriri legerat, ideo quoque exiſtimavit ea confluere, & in Peneum exonerari. Confundit præterea Inachum Argiæ Peloponneſiacæ cum Inacho Epiri, qui iiſdem atque Æas oritur montibus. Illud præterea quàm ineptum,

—— —— *Vocant tempe, per quæ Peneus ab imo*
Effuſus Pindo ſpumoſis volvitur undis.

Nam ſi è pleno oritur, quomodo poteſt ſpumoſas volvere undas? Verùm hoc procul dubio eſt librariorum flagitium, vel ſaltem ita interpretandum, uti poſtea docebimus. Ut autem ad *Æantem* redeam, Apolloniatum id erat flumen, teſte Pomponiô, *l.* 2. *c.* 3. vicinumque admodum erat mœnibus ipſorum, non verò Epidamniorum. Ita enim ſcribenda Val. Maximi verba, *l.* 1, Capite *de Ominibus*, uti habent veteres nonnulli libri: *Atque illi flumen vicinum mœnibus, nomine, Æantem, in adjutorium ſeſe mittere dixiſſent*. Apolloniatæ ſiquidem ab Epidamniis opem poſtulabant. Reſponderunt illi, *Habetis Ajacem, ab eo petite auxilium*. Quis non videat luſiſſe eos in nomine fluvii, & tamen mirôr ineptias Interpretum ad hunc locum. Iſ. Voſſ. *in loc. cit. Melæ p.* 130.

ÆATUS, Philippi fil. Bœotorum hoſtis acerrimus, ſororem habens Polycleam, ambo ab Herculis ſtirpe genus ducentes: oraculum extabat, Qui primus ex hoc genere, tranſmiſſô Acheloô, terram attigerit, urbem cum imperio tenebit: cùm exercitus flumen tranſiturus eſſet, Polyclea pedem obligavit, inquiens, plantam ſibi vulneratam eſſe: rogatque fratrem Æatum, ut ſe trans fluvium portet: ille nihil mali ſuſpicatus, ſed, tanquàm ſorori inſervire volens, ſcutum armigeris tradidit: ſublatâque in humeros Polycleâ, alacriter per fluvium veſtigia ferebat; qui cùm ad ripam appropinquâſſet, illa præveniens exilit, & converſa ad fratrem inquit, Mihi regnum debetur ex oraculi ſententia, nam prima omnium terram ingreſſa ſum: Æatus, intellectô dolô, nequaquam ægrô animô tulit: ſed puellæ ſolertiam amplexus, eam in uxorem duxit: ſimulque imperii gubernacula tenentes filium *Theſſalum* genuerunt, à quo civitatem etiam *Theſſaliam* nuncupârunt, Polyænus *l.* 8 *c.* 44.

ÆBISOCI, vel EBISOCENSES, vide *Aquiſtavienſes*.

ÆBUDÆ, vide *Ebudæ*.

ÆBURA, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis. *Steph*. Hodie *Talavera*, *Bertherô* teſte.

ÆBUROBISINGESIA, Luſitaniæ urbs, *Phlegon Trallianus*: vocem corruptam putat *Ortel*. Vide *Ebora*.

ÆBUTIANUS, Præfectus memoratur Lamprid. in *Commodo*, *c.* 6. *Præfectus etiam Æbutianus inter hoc eſt interremptus: in cujus locum ipſe Cleander cum aliis duobus quos ipſe delegerat, præfectus eſt factus*. Sic enim legendum, cum aliàs *Ebutianus* habeatur, monet *Salmaſ*.

ÆCALUM, caſtellum Indiæ. *Steph*.

ÆCANA, urbs epiſcopalis Apuliæ Dauniæ. *Troja* nunc appellatur.

ÆCANI, populi Tuſcorum, quos devicit Camillus, eorumque urbem vaſtavit. *Plut*. Vide *Æqui*.

ÆCHILENSII, vide *Cornenſii*.

ÆCH-

ÆCHMAGORAS, fil. Herculis, ex Phillone, filia Alcimedontis Herois: qui cùm in lucem editus fuiſſet, ab Alcimedonte, unà cum matre Phillone, in proximo monte feris expoſitus fuit. ibi vagientem infantem cùm pica imitaretur, ad hujus avis vocem, quòd puerilem eſſe credidiſſet, Hercules fortè illac iter habens converſus, puellam & à ſe genitum puerum agnovit, amboſque vinculis liberavit. Pauſan. in Arcad.

ÆCHMALOTARCHÆ, Græcè nomine, גלותא ריש Hebr. Principes exilii ſeu captivitatis, etiam Capita tribuum, Eſdr. c. 1. v. 5. & c. 8. v. 16. & c. 9. v. 1. dicti ſunt apud Hebræos, qui Populo in captivitate Babylonica detento præfuêre. Ipſa enim captivitas levis fuit, & populus in ea tam leniter habitus, ut & ſedes haberent agroſque ſibi aſſignatos, quos colerent atque inde vitam ſuſtentarent, Jerem. c. 29. v. 5. & ſuis moribus non ſolùm vivere permitterentur, verùm etiam regimen quoddam proprium haberent, ſub Capitibus Tribuum ſeu Æchmalotarchis. qui præter ordinem quoque in commune bonum præfectutis fungebantur & res populi apud Regem procurabant, ut de Daniele Sociiſque ejus legimus, Daniel. c. 2. v. 48, 49. & c. 3. v. 30. & c. 5. v. 29 & c. 6. v. 29. Ordinatio verò jus dicebant: quæ diſciplina imitatio fi erat imperii & juriſdictionis civiliſque obedientia, ſed ſcholaſtica potiùs quàm forenſis, utriuſque mixta. Cujuſmodi doctorum conſeſſus non ſolùm ישי בית דין Cathedra, ſed & ipſo nomine Sanhedrin ſeu Synedrium poſtea appellabantur. Unde Salomo Ben Wirga verba faciens de Principibus Ebræorum in Babylone & Perſide vetuſtis, Comperi, inquit, in Doctorum ---- reſponſis, tempore, quò Iſraelitæ quærerent, ſibi conſtituere Principem (quem Naſi vocant & Caput Exilii) congregatos cunctos Academiarum Rectores & ultroneos Populi Rectores & Preſbyteros, & Judices qui in regno eſſent, Babylonem iviſſe ibique ædibus magnis ---- exceptos eſſe. Illic ſedes ---- ſplendida, in qua collocandus Princeps & bona ſedes à dextra ejus & ſiniſtra, Rectori Academiæ Suræ & Rectori Academiæ Pombeditha &c. apud Seldenum. Et de Principibus his Gemara Babylonia ad tit. Sanhedrin, c. 1. fol. 5. 1. Traditum, juxta illud, Non recedet ſceptrum à Jehuda, præfuiſſe Æchmalotarchas ſeu Principes captivitatis, qui gubernarent Iſraelitas ſceptro, atque juxta illud ibi, Et legiſlator è medio pedum ejus, poſteros Hillelis, qui legem publicè docerent. Ubi gloſſa rectè, Gubernant ſeu coërcent populum, quatenus ſcil. facultas eis permiſſa eſt à Regibus Perſidis &c. vide Joh. Seldenum de Synedriis veter. Ebræor. l. 2. c. 4. §. 10 & c. 7. §. 5. Extendebat ſe autem juriſdictio illorum, non in duas tantùm illas tribus ſimul in carcerem conjectas, Juda ſcil. & Benjamin, ſed & in multos Iſraëlitarum, qui ſe antè Judæos appellaverant, 2 Chron. c. 48. v. 8. & c. 34. v. 17. 18. quibus etiam ſe adjunxerunt multi è 10 tribubus in Media degentibus, teſte Joſepho: verbò Judæos omnes, quod nomen, non de tribu Juda duntaxat, ſed reliquis quoque Iſraëlitis, qui cum Juda agebant, uſurpari cœpit in ipſa hac captivitate, vel proximè ab ea, Fr. Burmann. Synopſ. Theol. Chriſt. part. 1. l. 4. c. 36. §. 4. 5. 6. Hi porrò Æchmalotarchæ ex tribu ſolùm Judæ eligebantur, manſitque inſtitutum hoc ab antiquiſſimis temporibus, ad hodierna uſque tempora, in urbe Bagdad, ſi fides habenda Rabbinis, atque inter hos Benjamino Tudelenſi, qui prolixè admodum hac de re agit in ſuo Itinerar. Nec obſtat hiſtoria de Hyrcano captivo, qui è tribu Levi, Joſepho narrante l. 15. Jud. Antiq. c. 11. ejus enim facti peculiaris erat ratio & jus extraordinarium. Nam alioqui certiſſimum eſt, caput Babylonicæ Captivitatis non potuiſſe tunc creari, niſi è tribu Judæ & familia Davidica. Et obſervant Magiſtri differentiam inter hunc, & Naſi, i. e. Synedrii Principem in Terra ſancta, quod Æchmalotarcha Babylonius neceſſariò crearetur è poſteris David, quum Naſi è qualibet tribu poſſet inſtitui. His verò, ſolutâ captivitate & reductô in patriam Populô, ſucceſſêre Duces, quorum primus Zorobabel, ultimus Joannes Hyrcanus fuit, de quibus vide infrà ſuis locis. Uti autem Judæi τῆς παλαιᾶς διασπορᾶς i. e. priſcæ diſperſionis, Æchmalotarcham habuêre Principis locô in partibus Orientis, ſic prorſus οἱ τῆς ὑστέρας διασπορᾶς, poſtremæ diſperſionis Judæi, qui Hieroſolymis ſolo æquatis fuêre ſuperſtites & per omnes Mundi plagas ſunt diviſi, Patriarchas habuêre, quibus parerent, ceu legitimis Principibus & à Davide ortis: qui quidem non creabantur, ſed naſcebantur. De quibus vide Origenem περὶ ἀρχῶν l. 4. c. 1. Epiphanium Diſputat. contra Ebion. & Theodoretum Dial. 1. quorum hic probè obſervat, non è tribu Juda tales fuiſſe, licet pro talibus vulgò haberentur &c. Iſaac. Caſaubon. Exercitat. contra Baronium 1. §. 2. Vide quoque infrà aliquid, voce Patriarcha.

ÆCHMIS, Arcadum Rex Polymeſtori patri ſucceſſit, Theopompô apud Spartanos regnante. Pauſan. Arcadic.

ÆCHMIS, fil. Briacis, cum Spartanis bellum geſſit. Pauſan.

ÆCHTARCHUS, vel ÆCHMALOTARCHUS, i. e. captivorum Dux, nomen ejus, quem Judæi Zorobabelem ſequi nolentes, propè Babylonem, ſibi præfecerunt. Origen. l. 4. de Princip. Vide Æchmalotarcha.

ÆCITUS, lacus Apolloniæ. Vibius.

ÆCLI, Αἶκλοι, Sic Diodor. Sic. pro Æqui, vide Æqui.

ÆCLUS, viri nomen. Strabo l. 10. dicens, Poſt res verò Trojanas, Æclus & Cothus ex Athenis profecti habitaverunt, ille quidem Eretriam, Cothus verò Chalcidem.

ÆCULANI, populi Italiæ, quos inter Hirpinos habet Plin. l. 3. c. 11. Vide Æculanum.

ÆCULANUM, Hirpinorum in Italia oppid. epiſcopale 20. circiter mill. paſſ. à Benevento diſſitum; hodiè Friſento vocatus; Aliis Lacedogna. Ptol. Ἱρπινῶν πόλεις, Αἰκουλανον, Ἀουλλάνον, Αἰκουλάνου. Appian. Bell. Civil. l. 1. Σὺν δὲ τοῖς Ἱρπίνοις ... Αἰκουλάνον. Oppidani Æculanenſes, vide Friſento.

ÆDEMON, Ptolemæi libertus, qui patronum à C. Cæſare interemptum ultus eſt Plin. l. 5. c. 1. Vide Ademon.

ÆDEPSUM, vel ÆDEPSUS, oppid. Eubœæ, ubi ſunt Herculis Thermæ. Plin. l. 4. c. 12. Strabo l. 10. Steph.

ÆDES, non idem cum Templo Gellius l. 14. c. 17. Non omnes ædes ſacræ templa ac ne ædes quidem Veſtæ templum eſt. Varro de L. L. l. 6. Quod addit templa ut ſint deviſa, atque ſancta eſſe, qui gloſſas ſcripſerunt; nam Curia Hoſtilia templum eſt, & ſanctum non eſt: ſed hoc ut putarent ædem ſacram eſſe templum, & ſanctum eſſe quòd in urbe Roma pleræque ædes ſacræ ſunt templa, eadem ſancta. Oiiro enim, ut Scaliger ex eodem ibidem l. 4. obſervat, Leges Ædium in Ædibus ipſis in publicum ponebantur; quæ inter alia continebant, utrum Ædes illa eſſet templum, nec ne? Hinc Feſtus in Opima ſpolia: Hujus ædis lex nulla extat, neque templum habeat nec ne, ſcitur. Adponebantur etiam leges dedicationis, quibus ipſæ Ædes ſacræ fiebant, neque ſine exauguratione transferri poterant. Hinc ad Trajanum Plinius l. 10. Ep. 58. Diſpice ergo Domine, an putes ædem, cui nulla Lex dicta eſt, ſalvâ religione poſſe transferri. Nempe Templum inauguratus ſeu per Augures conſtitutus locus erat. Unde Lampridius in Severo, c. 6. Cùm Senatus frequens in Curiam, h. e. ædem Concordiæ, templumque inauguratum convenit: addit templum inauguratum, quia Romæ erant plures Curiæ & Ædes, ſed cæteræ, exceptâ hac, quæ in Liviæ porticu, inauguratæ non erant. Non autem coiiſſe Senatum in loco per Augures non conſtituto, notum. Quam ob rem Templum Veſtæ non fuit auguriò conſecratum, ne illic conveniret Senatus, ubi eſſent virgines. Servius ad illud Æn. l. 7. v. 153. --- auguſta ad mœnia Regis. Vide Jac. Oiſelium JCtum ad Gellium loc. cit. & infrà voce Templum, et Veſta. Hinc Ædicula diminut. de quo mox.

ÆDES, poſtquam in cavernis habitandi priſcos mortales tædium cœpit, è luto fabricari cœperunt, inventore Doxiô, Celei fratre, qui circa tempus illud, quò ſub Joſepho Prorege Ægyptus floruit, hirundinum in nidis conſtruendis induſtriâ accuratiùs obſervatâ, idem in domibus conficiendis expertus ſtatuit. Poſtmodum eò uſque luxus crevit, ut ex ebore Achabus Iſraël Rex, ex auro, Nero Imperator: ut alios omittam, ædificare non dubitârint. Qua de re cùm & alibi dictum ſit, addam pauca de laxitate Ædium apud Veteres, quæ tanta, ut aliquot ſervorum myriadas non difficulter continerent. Seneca certè Epiſt. 90. capaces populorum tecta, domos inſtar urbium, non ſemel incuſat. Ejuſdem hæc ſunt Ep. 114. ubi luxuriam late felicitas fudit, cultus primùm corporum eſſe diligentior incipit, deinde ſupellectili laboratur: deinde in ipſas domos impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur aurô, ut lacunaribus pavimentorum reſpondeat nitor &c. Quæ eadem Juvenal. carmine expreſſit, Sat. 4. v. 5.

Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget
Porticibus? quantâ nemorum vectetur in umbrâ?
Jugera quot vicina Foro, quas emerit ædes?

Nec verò non reſpondebant hiſce ſpatiis aulæ æmulæ urbium, capaces populi, & Cœnationes & Porticus & Veſtibula, Atria, Periſtylia; Bibliotheca, Pinacotheca, Baſilica & alia ad decorem Majeſtatis perfecta & publicorum magnificentiam comparata. Verbò, domorum ea fuit amplitudo, ut domus (prout temporis conditio exigebat quibuſdam membris uterentur) quibuſdam non, l. penult. ff. de uſu & habitat. Vide Pignorium Commentar. de ſervis. Neque verò in Urbe tantùm, ſed & ruri laxitatis extremæ Ædificia priſci poſſidebant, adeoque cùm aulas habitarent illuſtres viri, inſtar urbium in villis, velut more Perſarum, regias quaſdam conſtruxiſſe, Strabo auctor eſt. Hinc Plin. l. 36. c. 15. nihil illis magis mirandum fuiſſe in toto terrarum orbe teſtatur, atque addit montes perfoſſos, valles coæquatas. Quin & maria conſtrata Salluſtius refert. De Lucullo, quem ob injectas moles mari & receptum ſuffoſſis montibus in terras mare, haud infacetè magnus Pompejus Xerxem togatum vocare aſſueverat, ut loquitur Paterculus, l. 2. c. 33. Vide etiam Plinium l. 9. c. 54. & Varronem de R. R. c. 17. Et hæc complures privati factitabant: de Gordianorum villa, audi Capitolin. c. 32. Extat Gordianorum villa via Prœneſtinâ, ducentas columnas in tetraſtylo habens, quarum 50. Caryſteæ, Claudianæ 50. Synnadicæ 50. Numidicæ 50. pari menſurâ ſunt. In qua Baſilicæ centenariæ tres: cætera huic operi convenientia. &c. De Inſulis quæ erant Ædes grandiores, ſic dictæ, quod non jungerentur communibus parietibus cum domibus vicinis, quales Sex. Rufus & P. Victor olim Romæ non paucas recenſuerunt, vide infrà. Quod verò de ſervorum multitudine diximus, confirmatur ex Athenæo, Romanorum quoſdam eorum 1000. quoſdam 2000. habuiſſe, non ut quæſtum ex iis facerent, ſed ut aſſeclas haberent, ſcribente, Jac. Oiſelius JCtus Not. in A. Gellium Ut quædam addam de Ædibus, Conſtitutio Hadriani Imperatoris, memoratur, apud Spartianum in Vita ejus, Conſtituit inter cætera, ut in nulla civitate domus aliqua transferendæ ad aliam Urbem ullius materiæ causâ diruerentur. Unde colligunt quidam, promulgatam ab Hadriano fuiſſe, de non diruendis ædificiis aliquam conſtitutionem: cujus tamen cùm hodie in libris Juris Civ. Roman. mentio extet nuſquam, judicat Joſias Mercerus ad illud Senatusconſultum, verba Spartiani referenda eſſe, quod Hadrianô imperante quinquies ejus anni Conſulib. Aviolâ & Panſâ factum eſt. Cavêre Patres eô decretô, ne ea quæ ædibus juncta ſunt, tollere, negotiationis & promercii causâ vendere, emere, legare liceret. Item: ne cui domum ſuam, quò demoliretur, vendere liceret aut legare. Auctores ſunt, Paulus l. 52. de contr. empt. Ulpianus l. 41. de leg. primò, item alii multi: nam hujus Senatus Conſulti frequens in Digeſtis mentio. Sed & multo antè Veſpaſiani lege idem fuerat cautum, ut teſtatur Alexander Severus l. 2. Cod. de ædif. priv. Nec novum eſt, ut ab Imperatore jus dicatur conſtitutum, quod eô imperante Ordo ampliſſimus decreverat &c. Hoc itaque ait Spartianus, conſtituiſſe Hadrianum, ne transferendæ ullius materiæ causâ ad aliam urbem, in ulla civitate, domum aliquam diruere fas eſſet. Materiæ autem in aliam urbem ſolitæ transferri ſunt, tigna, marmora, ſignt, & quod interiùs, parietes ac parietum partes. Plin.

l. 3

l. 35. c. 14. Lacedæmone excisum lateritiis parietibus opus tectorium propter excellentiam picturæ ligneis formis inclusum, Romam deportavêre, in Ædilitate, ad Comitium exornandum, Muræna & Varro. Quod opus cum per ſe mirum eſſet, translatum tamen magis mirabantur. Vide Salmaſ. ad Spartian. loc. cit. ubi de more poſſeſſorum nomina ædificiis inſcribendi infrà voce *Paries*.

ÆDESIA, mulier Ægyptiaca, uxor Hermiæ, & Syriani Philoſophi propinqua, toriuſque caſtitatis, & probitatis exemplar, *cujus vitam ſcripſit Suidas*.

ÆDESIUS, gente Cappadox, Iamblichi ſcholam & in contubernio docendi munus ſuſcepit, nobilitate generis inter ſuos facilè princeps, ſed cenſu exiguo. *Vitam ejus ſcripſit* Eunapius Sardianus, quem ſis conſule.

ÆDESSA, EDESSA *Livio & Polybio*, urbs in Emathia, non longè à Pella, *Ægeæ* poſtea vocata Trog. *l. 7. Vodena Sophiano* longitud. 46. 50. latitud. 42. 18

ÆDICULA, apud Minucium Fel. *Templum quod ei* (Deo) *extruam, cum totus hic mundus eum capere non poſſit. Et cùm homo latius maneam, intra unam* ædiculam *vim tantæ Majeſtatis includam?* Idem cum *Æde exiguâ* Tibulli, *l. 1. Eleg. 10.*

Paupere cultu
Stabat in exigua *ligneus* æde *Deus.*

Cùm *tuguriolo, conclavi, cellula* Arnobii *l. 6. calyba* aliorum. Nempe receptaculum ſimulachri, in Ædibus ſacris, alibique Gentilium. Petronius, *Præterea grande armarium in angulo vidi, in cujus Ædicula erant Lares argentei*: Appulejus *Miles. 3. In ipſo ferè meditullio Eponæ Deæ ſimulachrum reſidens Ædiculæ.* Juvenalis *Sat. 8.*

Ipſi deinde Lares, ſi quod ſpectabile ſignum,
Si quis in Ædicula *Deus unicus* - - - -

Vide quoque Tertullian. *de Idolol. c. 8.* In his non aſſervata ſolùm, ſed & circumlata idola, diſcimus ex *Euterpe* Herodoti, Τὸ ζ ἄγαλμα ἐὸν ἐν νηῷ μικρῷ ξυλίνῳ κατακεχρυσωμένῳ προεκκομίζουσι. Vide Jac. Ouzelium *Animadverſion. Minucianis p. 188 & 199.*

ÆDILES, Nomen primò illorum apud Romanos quibus ædificiorum cura erat commiſſa. Varro *l. 4. de LL.* Dein, Magiſtratibus tribus cœpit, qui bini primis ex populo, dein etiam ex Patriciis eligebantur. Hi poſtremi *Curules* dicti, quia in Curulibus ſellis ſedendi jus habebant. Officium erat, cavere, ne quæ turbæ in ludis orirentur, ædificia quà privata quà publica curare, & nihil omittere eorum, quæ ad ornandam urbem & civium tranquillitatem conſervandam ſpectarent. Primus ad honores gradus. Athenis Ἀστυνόμοι dicti ſunt, à quibus Cratetem quòd præter morem ſindonem geſtaret, reprehenſum eſſe, refert *Laertius*. Theophilus Ἀστυνόμους vocat, vide Pompon. *l. 2. ff. de orig. juris*, & Feneſtellam *de Magiſtr. Rom. Dion.* Ἀγορανόμους *d. l.*

ÆDILES Plebis, Ludorum maximè gratiâ creati, vide Gronov. *Obſervat. l. 4. c. 21.*

ÆDILIS, apud Varronem Nonio laudatum, *Quum illò venio, video Gallorum frequentiam in Templo, qui dum eſſet tertia hora, cumque adlatam apponeret Ædilis ſignum eſui, Deam Gallantes vario detinebant ſtudio*: Æditumus eſt ſeu Æditimus, ὁ Νεωκόρος. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1087.* Hinc *Ædilitas*, in *Charta* Folcuini Epiſcopi Tervanenſis, An. Ludov. Regis 26. apud Folcardum *in l. 1. Miracul.* Bertini *c. 7. Ædilitatem ſeu cuſtodiam ipſius Baſilicæ* &c. Et in alia Lieberti Epiſcopi Camerac. A. C. 1066. in *Hiſtor.* Camerac. Job. Carpentarii: *Ædilitatem verò & Præpoſituram, quæ mei juris erant* - - - - *huic Eccleſiæ contuli*: Cuſtodia Templi munus ac dignitas eſt, in Collegiis Canonicorum in Eccleſia Romana. Car. du Freſne *Gloſſar.*

ÆDIPSUS, Eubœæ Inſul. Urbs, *Ptolem.* Αἴδηψος *Strab. & Steph.* vide *Ædepſus*.

ÆDITUI vel ÆDITIMI, apud Gentiles, ædium ſacrarum cuſtodes. Adr. Turnebus *Adverſ. l. 14. c. 12.* Græcè Νεωκόροι: item Ἱεροφύλακες, quam vocem Latinam fecit Scævola JCtus *l. 20. ff. de am. leg.* Ἱεροδιδάσκαλοι *i. e. cæremoniarum ſacrarum Doctores*, dicti leguntur, apud Jul. Pollucem *l. 1. c. 1. num. 31.* &c. Atque à nonnullis cum Nomophylacibus confunduntur. Sueton. *Aug. c. 5. ſe eſſe poſſeſſorem ac velut* Æditoum *ſoli quod Divus Auguſtus naſcens attigiſſet*. Vide Thom. Dempſter *Antiqq. Rom. c. 31.* Ædiles quoque dicuntur Varroni apud *Nonium*, ut ſuprà vidimus. In Eccleſia Romana *Ædituus* ſeu Oſtiarius, gradus Eccleſiaſticus eſt: cujus meminit Frodoardus in *Hadriano Pontif.*

Ampliat Ædituus locupletem dotibus ædem.

Unde *Ædituare*, in veteri Inſc. *Ædituavit ann. X.* apud Car. du Freſne *Gloſſar.* vide quoque infrà voce *Manſionarius*, ut *Nomophylaces*, & *Sabbatum*.

ÆDON, mons Thraciæ. vide *Ædon*.

AEDON, uxor Zethi regis, fratris Amphionis, Itylum filium per errorem nocte interfecit, putans eum Amanea, vel Amandea Amphionis filium fuiſſe; invidebat enim uxori Amphionis, quod illi ſex eſſent maſculi; quæ crimen cognoſcens optavit mori, miſeratione tamen Deorum in carduelem verſa Itylum deflere dicitur. Boccat. *l. 5.*

AEDON, Pandarei Epheſii filia; quæ Polytechno fabro Colophone Lydiæ habitanti, nupſit: plurimumque temporis ſuaviter cum eo vixit, unicò filiò procreatò, cui nomen Itys. Fuerunt autem felices, quandiu Deos debitò honore affecerunt: at poſtquam inani voce gloriati ſunt, magis ſe invicem amare, quàm Jupiter & Juno ſe mutuò diligant: Juno offenſa Eridem ad eos miſit, quæ contentionem operum injiceret ipſis. Paululum reſtabat Polytechno, ad currulem ſellam conficiendam, & Aëdoni, ad pertexendam telam: Itaque hanc ſponſionem ineunt, ut uter ipſorum celeriùs opus ſuum abſolviſſet, ei alter famulam daret. Citius telam pertexuit Aëdon, Junone opus adjuvante: cui invidens victoriam Polytechnus, ad ſocerum proficiſcitur, ſimulans ſe ab uxore miſſum, ad adducendam ſecum ſororem Chelidonem: & Pandareus nihil mali ſuſpicatus, filiam Chelidonem ei committit: ei Polytechnus in ſylva virginitatem eripit, tonſoque capite, aliis eam veſtibus induit: mortemque minatus, ſi quid horum unquam Aëdoni indicâſſet: ita domum reverſus, eam uxori ſuæ ancillæ ex pacto tradit. Aliquandiu ſoror eam operis exigendis attrivit, donec Chelidonis cum urna ad fontem, prolixè ſuam deplorans calamitatem, à ſorore exaudita eſt: Poſtquam ſe mutuò agnoverunt & conſalutaverunt, malum illico Polytechno ſunt machinatæ: filium ejus in fruſta conciderunt, carnes in ollam conjectas coxerunt: cùmque Aëdon vicino ſuo mandaſſet, ut Polytechnum eas juberet edere, ipſa cum ſorore ad patrem Pandareum pervenit, indicavitque in quas incidiſſet miſerias. Polytechnus cognitò ſe de filii ſui carnibus epulatum fuiſſe, eas ad patrem uſque inſecutus eſt: at famuli Pandarei eum, quod tantum familiæ Pandarei probrum intuliſſet, correptum inſolubili vinculò conſtrinxêre, corpuſque melle inunctum in paſcua projecerunt. Ubi cum muſcæ aſſidentes eum divexarent, Aëdon ob priſtinam miſerata amicitiam, eas abigebat: Quod cùm deprehendiſſent parentes & frater, odiò incitati eam ſtatuerunt interficere. Sed Juppiter Pandareum miſeratus, antequam in domum ejus graviora inciderent mala, eos omnes in aves convertit, quæ partim ad mare uſque provolârunt, partem in aërem ſubvolârunt: Pandareus mutatus eſt in haliæetum, mater Aëdonis in alcyonem, ſtatimque ſe in mare voluerunt dejicere, ſed Juppiter id prohibuit: atque hæ aves navigantibus ſunt ſecundæ. Polytechnus in pelecanem tranſiit, quod ei Vulcanus fabricanti ſecurim dediſſet, atque ex avis fabris fauſta viſa eſt: frater Aëdonis upupa extitit, quæ avis terrâ marique eſt auſpicata: idque magis ſi conjungitur haliæeto aut alcyoni. Aëdon quæ eſt luſcinia, circum fluvios & nemora filium Itym deplorat. Chelidonis hirundo facta eſt, hominum contubernalis, Dianæ conſiliò, quòd invita virginitatem amittens, plurimùm invocâſſet Dianam. Antonius Liberalis ex *Boei Ornithogonia*.

ÆDONIS, inſul. Ægyptii maris. *Ptol.* hæc fortaſſe *Platæa* Herodoto dicitur in *Melpomene*, quam inter Gigamas & Adyrmachidas deſcribit.

ÆDUI, *Hedui* Plinio *l. 4. c. 18.* & aliis, Galliæ Celticæ populi potentiſſimi, quorum regio Burgundiæ Ducatus, & urbs Auguſtodunum; à Sequanis populis alterius Burgundiæ, Arari fluvio diviſi. Horum tractus hodie *l. Autunois* dicitur, ab eorum urbe præcipua, *Autun*, ad Arotium fluv. continebatque aliàs majorem partem Ducatus Burgundiæ ubi tractus Auguſtodunenſis, Carolenſis, Alexienſis & Cabillonenſis, ſed hodie multò minor eſt Valeſio, *Edui* dicuntur *Cæſari*, *Straboni* & Plutarcho in *Cæſare* Ἔδουοι, *Edui* quoque Melæ *l. 3. c. 2.* ac *Plinio*, nonnunquam & cum aſpiratione *Hedui*. Cæteri, quos ſequi melius, *Æduos* ſcribunt. Habuêre Ligerim, vel potius Elaver & Ararim terminos; cùm multa eſſent Æduorum oppida ad Ararim, ad Ligerim autem Noviodunum. Primi omnium inter Galliæ gentes plurimis Senatusconſultis *Fratres Populi Romani* appellati ſunt, Cæſar, & Eumenius *in grat. act. Conſtantino Aug.* &c. nomine ingentiâ & ſimplici charitate, & vetere ac perpetuâ erga Romanos fide quæſitò. Primi quoque Senatorum in urbe jus adepti ſunt, Tacito *l. 11. Annal. c. 25.* à fœdere antiquo cum Romanis, *Ædui Fœderati Plinio* vocantur. Iidem poſt Maſſilienſes, primi anſam Romanis intrandæ atque occupandæ Galliæ Narbonenſis dedêre, cùm apud eos de Allobrogum Arvernorumque injuriis eſſent conqueſti, Florus *l. 3. c. 2.* Nec Galliam Narbonenſem modò, ſed etiam Celtas, Belgas & Aquitanos omnemque adeo Galliam Romanis tradidêre. Quippe cùm Galliæ totius factiones eſſent duæ, atque alterius principatum tenerent *Ædui*, alterius Arverni ac Sequani, ortòque inter ambos bellô, à Sequanis, qui Germanorum auxilia advocaverant, *Ædui* bis victi acie gravi jugô premerentur: *Princeps Æduus Divitiacus Romam ad Senatum venit, & recuſatò conſeſſu, quî offerebatur, ſcuto innixus peroravit, impetrataque ope, Romanum exercitum, Cæſaremque in Rhodanum primum adduxit*. Eumenius ſuprà laudatus: quod idem docet Cæſar *de bello Gall. l. 7. c. 76. 77.* ubi *Æduis eorumque clientibus Seguſianis* cæteriſque, millia hominum armatorum XXXV. ad Aleſiam obſidione liberandam à Gallis eſſe imperata, refert. Et certè etiam poſtea, ſub Imperatoribus Romanis Auguſtodunum, caput *Æduorum*, fabricam habuit loricariam, ut patet ex *Notitia Imperii*. Erant olim clientes illorum *Senones*, *Seguſiani*, *Ambibareti*, *Aulerci Brannovices & Brannovii*, Cæſar *loc. cit.* Etiam Mandubii, in eorum finibus fuêre. Ambarros quoq; neceſſarios ac conſanguineos Æduorum fuiſſe, ſcribit Idem *l. 1. c. 11.* quos Livius inter *Æduos* ac Allobroges ponit, ac cum illis Alpes tranſgreſſos, in Italia ſedem cepiſſe ait, *l. 5. c. 34.* Bojos Gallos demum, qui in agrum Noricum tranſierant, Norejamque occupaverant, reverſos in Galliam & unà cum Helvetiis victos à Cæſare, eorumque reliquias, permiſſu victoris, in *Æduorum* finibus collocatas fuiſſe, legimus. Nec omittendum, quod Cæſar *l. 2. de Bello Gall. c. 14* ſcribit, *Bellovacos omni tempore in fide atque amicitia civitatis Æduæ fuiſſe*, ob idque Divitiaci deprecatore apud ipſum uſos fuiſſe. Nihilominus Ædui clientibus ſuis Seguſianis, & Auguſtodunum Æduorum Lugduno Seguſianorum (quod Metropolis caputque totius Galliæ Lugdunenſis ſeu Celticæ factum eſt à Romanis) poſtpoſitum eſt, ob dignitatem Coloniæ, quam à Romanis, Galliarum dominis, Galliæ Celticæ urbibus cunctis præponi oportuit. Sed & dici poteſt, fuiſſe quidem Lugdunum in agro *Seguſianorum*, non ideò tamen eam urbem horum, ſed Romanorum fuiſſe, cùm colonia fuerit Romana. Diviſa autem fuit & diſtracta gens in duas Provincias: Quippe caput *Æduorum* Auguſtodunum, præterea Cabillonum & Matiſco oppida illorum, provinciæ Lugdunenſi primæ, à Romanis ſunt attributa; at Noviodunum *Æduorum*, ſeu Nivernum, Lugdunenſi quartæ vel Senonicæ, quod in aliis quoque uſu venit. A pecuniâ imprimis & opulentia

commendantur, à Tacito *Annal. l. 3. c. 43.* unde ii *pecuniam, arma, gratuitos inſuper commeatus*, detuliſſe Valenti, Vitellianarum partium Duci, leguntur. & Sacrovir, cùm Auguſtodunum occupaviſſet, *arma juventuti diſpertiit: 40. millia fuêre.* Vide præfatum Valeſ. *Notit. Gall.*

ÆDUSII, focii Romanorum juxta Galliam Celticam. *Steph.*

ÆETA, vel ÆETES, Colchorum Rex, Solis fil. ex Perſa Oceani filia, liberos habuit Medeam, Abſyrtum, & Chalciopem. Ad hunc Phryxus Athamantis fil. pervenit, & aureum vellus detulit; quod cum ille diligentiſſimè ſervaret, ejus cauſâ bellum geſſit cum Argonautis, tandem verò ab Iaſone, Medeæ filiæ proditione, & ſpoliatus, & regnò pulſus eſt, ſed jam ſenex ab eodem in idem reſtitutus. Cœl. Rhodig. *l.* 21. *c.* 25. Val. Flac *de Argonaut l.* 1. *v.* 43. *l.* 3. *v.* 495. &c. Hinc *Æetæus* adjectivum. Catull. *in Argonaut.*

Peliacò quondam prognata vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per undas,
Phaſidos ad fluctus, & fines Æetæos.

Hinc etiam *Æetias* patronymicum pro Medea. Ovid. *Met. l.* 7.

Concipit interea validos Æetias ignes.

Item *Æetis*, pro eadem. Val. Flacc. *l.* 6. *Argon. v.* 481.

—— Ingens Æetida perculit horror.

Denique *Æetin.* Idem, *l.* 6. *Argon. v.* 542.

Nec minus Æolis proles Æetia Phryxi
Fertur & ipſa furens. ——

Vide etiam *Abſyrtus.*

ÆGA, nympha, quæ ex Oleno nata Jovis nutrix fertur fuiſſe. Quidam Panos uxorem dixêre. *Hyginus. Poetic. Aſtronom l.* 2. *c.* 13. Item promontorium Æolidis, non procul à Caico fluvio. *Strab.* Eſt etiam Phocidis regionis fluv. & oppid. Æmoniæ.

ÆGA, vel ÆGE, Amazonum regina, à qua *Ægæum* mare, in quo periit, nomen ſumpſiſſe vult *Feſtus Pompeius.*

ÆGA, inſul. maris *Ægæi*, in ora Aſiæ, inter Chium & Tenedum, à qua mare *Ægæum*, vide *Come.*

ÆGABRO vide *Babro.*

ÆGADES, Inſul. verſus Siciliam. Vide *Ægathes*,

ÆGÆ, Macedoniæ oppid. Plin. *l.* 4. *c.* 10. *Meloboteram* quoque vocari ſcribit *Steph.* quem conſule. Olim vocabatur *Edeſſa*; Ἔδεσσα, non Αἴδεσσα, uti perperam legitur in vulgatis *Ptolemæi* exemplaribus. Aliquantò verò remotior à mari erat Edeſſa, ſive Ægæ, atque Pella. Palus quippe illa, in qua ſita erat Pella, mari erat vicina. In iſtam verò paludem duo incidebant flumina, Axias, & Ludias. Per Ludiam ἀνάπλους erat ad Ægas ſive Edeſſam. Non rectè *Ptolemæus*, qui Ægas, ſive Ægam, & Edeſſam diſtinguit, & hanc ad Erigonem, illam ad Haliacmonem collocat, cùm eadem ſit, ut apparet ex Juſtino *l.* 7. *c.* 1. ſitaque ſit ad Ludiam amnem, ut *Anonymus* teſtatur, qui *Scylacis* nomine prodiit. Urbs verò hæc non modò appellabatur Αἰγαί, ſed & Αἰγαία & Αἰγέα. Sic quoque Theophraſtus *libello de ventis*, cùm dicit aquilones Oſſæ & Olympo impactos, contrarios nubibus ferri; ἐναντίοι τὰ νέφη τοῖς πνεύμασι φέρεσθαι, καθάπερ καὶ περὶ Αἰγείας τῆς Μακεδονίας, βορέου πνέοντος αὐτοῖς τοῦ βορέου. Ita ſcribendum: malè enim Λαγαιᾶς habent vulgata exemplaria. Ab hoc oppido ἐθνικὸν eſt Αἰγεάτης, & forma Macedonica Αἰγεάδης. Nihil itaque mutandum apud *Juſtinum.* Porrò quamvis regia ex hâc urbe tranſlata ſit, morem tamen manſiſſe, ut Ægis, vel Ægiis reges ſepelirentur, colligi poteſt, non ex Plinio tantum, *loc. cit.* verum & ex Diodoro Sic. *l.* 19. Iſ. Voſſ. *not. in Melam, p.* 139. 140. Eſt etiam urbs Ciliciæ, de qua Lucanus, *l.* 4. *v.* 227.

Mallos, & extremæ reſonant navalibus Ægæ.

Nic. Lloyd.

ÆGÆA, Αἰγαῖα, nomen duarum urbium, ut ſcribit *Ptolemæus*, quarum una in Emathia, altera in Mauritania. Commemorantur & à *Strabone* duo hujus nominis oppida, quorum unum ad Amanum montem, alterum in agro Laconico collocat.

ÆGÆÆ, oppidulum Ciliciæ, ubi navium ſtatio. *Strab.* Vide *Ægæ.*

ÆGÆI, vide *Ætaæi.*

ÆGÆIS, tribus Attica ab Ægeo, Pandionis filio, *Steph.* Vide *Ægæ.*

ÆGÆON, unus ex 50. Lycaonis filiis. Apollod. *l.* 3. *Biblioth.*

ÆGÆON, ſævus & immanis, Cœli & Terræ fil. qui unô ictu centum ſcopulos in Jovem contorquebat. Victus demum, alligatus eſt à Neptuno ſcopulo Ægæi maris. Stat *l.* 1. *Achilleid. v.* 209.

Audierat duros laxantem Ægæona neſtus.

Heſych. Αἰγαίων, ἐνάλιος θεός, ὁ Βριάρεως, ὁ ὁ Ποσειδῶν. Dictus eſt autem *Ægæon*, ut quidam volunt, à γαίω. i. e. *ſuperbio*: unde γαίων, & per appoſitionem αἰγαίων, & per pleonaſmum, αἰγαίων. Hunc Homer. *Il. α. v.* 402. ab hominibus quidem Ægæonem; à Diis verò, *Briareum* vocari tradit, in his:

Ὦχ' ἑκατόγχειρον καλέσασ' ἐς μακρὸν Ὄλυμπον,
Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες
Αἰγαίων', ὁ γὰρ αὖτε βίῃ οὗ πατρὸς ἀμείνων,
Ὅς ῥα παρὰ Κρονίωνι καθέζετο κύδεϊ γαίων,
Τὸν καὶ ὑπέδεισαν μάκαρες θεοί, οὐδ' ἔτ' ἔδησαν.

Alii dicunt, *Ægæonem* immanem piratam fuiſſe, & ſic nominatum ab inſula deſerta in Ægæo mari, quæ *Æge* vocatur, in qua ſubſidebat more, piratarum. Centum geminus autem ideo dictus eſt, quod centum homines remigio deſervientes haberet in manibus, de quo Ovid. *l.* 2. *Met.*

—— Balænarumque prementem
Ægæona ſuis immania terga lacertis.

Claudian. *l.* 1. *De Raptu Proſerp.*

—— Rurſuſque cruentus
Ægæon poſito arcto de corpore nodo,
Obvia centenò vexâſſet fulmina motu.

Virg. *l.* 10. *Æn. v.* 565.

Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt
Centenaſque manus, quinquaginta oribus ignem,
Pectoribuſque arſiſſe, Jovis cum fulmina contra
Tot paribus ſtreperet clypeis, tot ſtringeret enſes.

Tot, i. e. centum Plato *de Legg. l.* 7. Γηρυόνου δὲ γένος εἴ τις φύοιτο ἤ τινος ἢ τὴν Βριάρεω φύσιν, τοῖς ἑκατὸν χερσὶν ἑκατὸν δεῖ βέλη ῥίπτειν δυνατὸν εἶναι, *Si quis Geryonis, aut Briarei naturam habeat, cum centimanus ſit, centum oportet ab eo jacula mitti poſſe.* Notandum eſt autem, hic *Vergilium* ab *Homero* diſſentire, nam apud *Homer.* *Ægæon* auxiliô eſt Jovi, cum autem contra Jovem armant verſus *Maronis.* Præterea in re fabuloſa ſibi conſonat Poëta. Nam cùm dat centum brachia, totidemque manus, conſequens eſt, ut quinquaginta tantùm capita, & pectora. Græci ab ſe ipſis diſſident. Nam Æſchylus *in Prometh.* Typhonem, qui idem eſt cum Ægæone, facit ἑκατοντακάρηνον, & Pindar. *Od.* 4. *Olymp.* ἑκατογκεφάλαν. Cui enim ſunt centum brachia, ut *Homer.* dixit, quomodo eſſe poſſunt centum capita, ut *Æſchylus* & *Pindarus*? Atque adeò prudenter Plutarchus *de multitud. amicorum*, Βριάρεως ἑκατὸν χερσὶν εἰς πεντήκοντα γαστέρας ὑπηρετῶν. Nonnus autem de Ægæone, *l.* 31. indefinitè πολύπηχυς, *multiulnus*, ac proinde etiam indefinitè πολυαύχενα ἰδεῖν ἀγυιαῖς, quibus multiplices quoque facit manus. Itaque etiamſi res fabuloſa ſit, eſſe debet conſequens. Quas diligenter cavit Poëta, ut adderet τὸ *dicunt*, ſolens hoc ſuô more, nam quæ incerta ſunt, & fabuloſa, famæ attribuit. *Nic. Lloydus.* Certè *Ægeon*, gigas, idem cum Briareo. *Scholiaſtes Apollonii*, Κίναιθων δὲ ἐν τῇ Ἡρακλείᾳ φησὶν, ὅτι Αἰγαίωνα καταγωνισθεὶς ὑπὸ Ποσειδῶνος, κατεποντώθη εἰς τὸν ὑπὸ λεγόμενον ὑπὸ τοῦ Ἀπολλωνίου μνῆμα Αἰγαίωνος, τὸ αὐτὸν καὶ Βριάρεων καλεῖ. Idem paulo pòſt, Βριάρεως δὲ καὶ Αἰγαίων καὶ Γύγης ὁ αὐτὸς λέγεται, *Briareus autem & Ægæon & Gyges idem appellantur.* Hunc ex Eubœa profugum, in *Phrygiam ſe recepiſſe*, ibique obiiſſe tradit Tarræus *ad Eund.* Poſt fata, divinis honoribus cultus eſt, à Caryſtiis & Chalcidenſibus; deditque Caryſto nomen *Ægææ*; unde mari vicino *Ægæi* quoque appellatio data. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 178. & in voce *Ægeon.*

ÆGEONIS Promontor circa Rhandaci fluminis oſtia, Apollon *l.* 1. & ejus Scholiaſt.

ÆGÆUM *Mare*, vulgò *Archipelago*, Turcis *Acdeniz*, teſte *Leunclavio*, i. e. *Mare album*, ut opponitur Ponto Euxino, quem *Caradeniz* appellant, i. e. *Mare nigrum*, pars maris Mediterranei, Europam ab Aſia dividens, in quo inſulæ plurimæ Cyclades ſunt, & Sporades. Dionyſius, *v.* 133.

Οὐ γάρ τις πόντοιο ἀναλίγκια κύματ' ὀφέλλει,
Ὑψόθι μορμύρων ὑγρὸν περὶ Ἀμφιτρίτης.

Mare Ægæum intelligit, quod vaſtum gurgitem habere ſuprà dixit. Artemidorus in *Oneirocriticis*, *l.* 2. *c.* 12. Καὶ τὸ θαλασσοῦσθαι πέλαγος Αἰγαῖον λέγεται. Vide ad *locum iſtum* Nicolaum Rigaltium. Nomen quod attinet, ab *Ægis* inſula, prope Eubœam, Neptuno ſacrâ dici aſſerit Appollonii Scholiaſtes *l.* 1. Et Conon *ibidem* ab *Ægæa Caryſtiâ*, i. e. à Caryſto Eubœæ, quæ & *Ægæa* dicebatur. Et Strabo *l.* 8. ab *Ægis* ejuſdem Eubœæ, oppido. Tamen idem *l.* 13. ab *Ægâ* Æolidis promontorio deducit. Plin. *l.* 4. *c.* 11. ab *Æge* ſcopulo inter Tenedum & Chium; & *Feſtus* vel à crebris inſulis, quæ procul aſpicientibus videantur ſpecies αἰγῶν h. e. caprarum, vel ab *Ægâ* Amazonum reginâ, quæ ibi perierit, vel ab *Ægeo* Theſei patre, qui in *Ægæum* ſe dederit præcipitem, de quo longam fabulam texit *Suidas*, niſi fallor, ex *Nicocrate*, quem refellit *Apollonii Scholiaſtes.* Ubi rurſus alii ad *Ægæum* referunt Neptuni nomen in Pherecyde, alii ad *Ægeonem*, de quo ſuprà. Alii denique ſic appellatum volunt ἀπὸ τῆς Περαίας αἰγός; à Percantia capra, quod non capio. An legendum Ὠλενίας, vel Οὐρανίας, ut ſignificetur capra cœleſtis?

- - - - - Olenia ſidus pluviale capella,

Uti vocatur à poeta Ovid. *l.* 5. *in Faſtis* quâ exoriente, ut ait Suidas in Αἶγες, venti vehementius ſpirant. Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 1.

Nec ſævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hœdi.

Ovid. tamen, *Met. l.* 14. *Fab.* 17. occidentibus Hœdis tempeſtatem, & maris commotionem tribuit,

Sævior illa freto ſurgente cadentibus Hœdis.

Unde ἐπαιγίζειν, flare in modum turbinis & *Ægæum Pelagus* dicitur, quod maximè terribile eſt. Ita *Suidas.* At Iſacius in *Lycophronem* à terreſtri capra deducit, quia hoc mare δίκην αἰγὸς πηδᾷ, *capræ ad inſtar agitatur.* Sed his relictis, jam conabimur aliquid afferre vero propius. Hebræum עז *az*, i. e. *validum, durum, aſperum*, quandoque maris eſt epitheton; ut Eſai. c. 43. *v.* 16. *Sic dixit Dominus, qui dat in mari viam*, עזים במים *& in aquis aſperis ſemitam.* & Nehemiæ *c.* 9. *v.* 11. *Et mare diviſiſti coram iis, & per medium maris ſiccô pede tranſierunt, & perſecutores eorum projeciſti in profunda tanquam lapidem*, עזים במים *in aquas aſperas*, utrobique agitur de mari Rubro, quod abſorpſit Ægyptios, & Ebræis fuit pervium, cujus aquæ meritò appellantur aſperæ, cùm παράλιον habeat τραχεῖαν, δυσπαραπλευστον, δυσορμον, ἀλίμενον, καὶ τὸ πᾶν φοβερόν, *aſperam, navigatu difficilem, importuoſam, inacceſſam, atque omnino terribilem.* Ita de eo *Agatharchides, Strabo; Diodorus*, & *Arrianus.* Nec in *Ægæo* clementior eſt navigatio. Conſtantinus Porphyrogenneta *Themate* 17. Τὸ δὲ Αἰγαῖον πέλαγος θαλάσσιον ἐστι καὶ δυσπέραστον, καὶ κύμασι μακροῖς, καὶ ὄρεσιν ἐοικότα ἀναγομένοις τοῖς πλέουσι. Val. Flacc. *l.* 1. *v.* 629.

- - - - Quantò fremitu ſe ſuſtulit Ægon!

Sic enim invenies & *Ægæona* pro *Ægæo* uſurpatum. Stat. *l.* 5. *Theb.*

- - - Delove ſonantis
Pejor, & innumeris quas ſpumiſer aſſilit Ægon.

Apud eundem *eodem librô*,

Dos pelagi ventiſque & Cycladas Ægæon.

Heſych. Αἰγαῖον, τὸ περὶ τὰς Κυκλάδας πέλαγος. Heraclides Sinopenſis *Anthol. l.* 3. *c.* 22.

- - - Αἰγαίου τ' οἶδμα κακὸν πελάγους.

Hinc τὸ Αἰγαῖον πλεῖν de iis dicitur, qui in ſummo diſcrimine verſantur. *Eraſmus* hoc adagium citat ex Æliani *epiſtola.* Eſt & aliud

non

non diſſimile ex Luciano *de Sectis*, ἐπὶ ῥιπὸς τὸν Αἰγαῖον διαπλεῦσαι, *virgulis* i. e. virgultea ſcapha) *Ægæum tranſmittere.* In eos qui rem ſupra modum arduam levi operâ conficere tentant; quibus ſeptuum addi queat, ex Cicer. *l.* 3. *de Legg. Excitabat fluctus in ſimpulo Gratidius, quos poſt filius ejus Marius in Ægæo excitavit mari.* Itaque tam Ægæum quàm Rubrum mare habet מים עזים *aquas aſperas*, unde dici potuit à Phœnicibus mare עז az, i. e. *violentus*, & *aſperum*. Quod enim *Ægæum* veteres reddiderunt, ſtatim patebit. Apud Ebræos עז *az*, *aſperum* & עז *ez capra*, non modo conjugata, ſed & iiſdem ſcribuntur literis, & ſolis punctis differunt diverſitatem facientibus; Nempe ut hircus Græcè τράγος dicitur παρὰ τὸ τραχὺ δέρμα ἔχειν, ut Grammatici obſervant; ita Ebraicè עז *ez*, *capra* nominata eſt ab aſperitate pilorum, quorum uſus in ciciliis, veſte omnium aſperrimâ. Inde factum ut mare עז *az*, αἰγαῖον diceretur, tanquam à capra ſumptô nomine. Idque eò libentius, quod ab αἶξ *capra* Græcè, unde αἰγαῖον, alludit ad Ebræum עז *ez*, & videtur ex eo natum, quod jam alii obſervârunt. Vide Steph. in Αἰγαῖον. *Nic. Lloydius.*

ÆGÆUS, Neptunus dicitur ab *Ægis* Eubœæ inſula. Strabo. *l.* 9. Item fluv. apud Apollonium *l.* 4. Corcyræ inſulæ eſſe addit ibidem S[illegible]*es.* Eſt & campus & regio in Phocide, quem Euſtath. *in Dionyſ.* αἰγαῖον πεδίον vocat. *p.* 22.

ÆGAGÆES, mons Aſiæ, ubi vipera ſerpens reperitur; lege *Ægagea*, Ita enim Nicandro dicitur *in Theriacis v.* 218.

Ἠ' ἐξ ἐρυμνῆς

Αἰγαγέοιο ῥάχιος. Ubi Scholiaſtes: Βουναῖς ὄρος, ἢ Αἰγαγέου, ἢ Κρατήρ ὀνόματα εἰσὶν ὄρων τῆς Ἀσίας.

ÆGALEOS, vel ÆGALEUM, Atticæ mons è regione Salaminis. *Herodot. Thucyd. Tzetz. Ægialus* Plinio *l.* 4. *c.* 7. & Solino *c.* 13. ὁ Αἰγάλεως apud Iſtrum, Sophoc. *in Oedipo Coloneo* Scholiaſt. Item mons Meſſaniæ apud Strabonem. Stat. *l.* 12.

Dives & Ægaleo nemorum Parneſque benignus:

ÆGAN, Græcè Αἰγαῖον & Αἰγαῖος, apud Val. Flacc. *l.* 1. *Argon. v.* 629.

— — *Quantò fremitu ſe ſuſtulit Ægan.*

& Stat. *l.* [illegible]. *Thebaid. v.* 55.

Quas ſpumifer adſilit Ægan:

pro *Ægæo* mari. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 825.

ÆGARA, Lydiæ urbs. Vide *Æga.*

ÆGARES, Inſulæ, de quibus Liv. *l.* 1. *Dec.* 3. apud has à Carthaginenſibus malè pugnatum. Vide *Catinæ.*

ÆGAS, locus Eubœæ, unde *Mare Ægæum* dictum volunt.

ÆGAS, vocat Polyb. *l.* 5. locum circa Daunium in Italia.

ÆGATEOS, nomen Regis apud Strabonem. *l.* 8, ſub quo antiqua Pylos Meſſenia civitas erat. Ridiculè. Legendum enim *Ægaleos*, de illo enim agit Geographus, & ſub illo Pylon ſitam eſſe ſcribit.

ÆGATES, Promontorium Æolidis, nunc *Cane* & *Carvi*. *Steph.* ab Artemidoro αἶξ in Nominativo dicitur. Vide *Cuma.*

ÆGATES, inſulæ Africi maris contra Carthaginis ſinum. Ita ab omnibus vocatur, non *Ægades*, quod volebat Cluver. Nam ſi hoc eſſet, media ſyllaba brevis foret, ut in *Sporades*, *Cyclades*, *Stœchades*. At verò Silius producit, *l.* 1. *v.* 61.

——— —— *Aut Ægates abolere parentum*

Dedecus, & Siculo demergere fœdera ponto.

Addit Mela, *l.* 2. *c.* 7. *Romanâ clade memorabiles* Et hanc quoque lectionem vitioſam putant, vel errâſſe *Pomponium*. Neutrum verum eſt. Clades hic eſt, non quam acceperunt, ſed quam dederunt Romani Carthaginenſibus, de qua vide Liv. *dec.* 3. *l.* 1. cui locutioni ſimile eſt illud Virg *l.* 2. *Æn. v.* 436.

——— —— *Et vulnere tardus Ulyſſei.*

H. e. eô vulnere quod inflixit Ulyſſes. De quibus reciprocis vocalibus vide A. Gellium, *l.* 9. *c.* 12. *Aræ* dicuntur Virgilio, ut quibuſdam placet, quod ibi fœdera icta fuere inter Carthaginenſes & Romanos, Lutatiô Conſule. Vide Cluver. *Sicil. Ant. l.* 2. *c.* 14. *Nardo* eſt *Favognana*, quæ Siciliæ proxima eſt *Propriæ à Siſcinis* vocantur. *Servius*, vide *Æguſa*, & *Æthuſa*. *Nic. Lloydius.*

ÆGATHES, ſunt tres Inſulæ ad partem Occidentalem Siciliæ, nempe Phorbantia, Hiera & Æguſa, nunc *Levenzo*, *Maretimo*, & *Favognana*.

Æ[illegible]I. ad *Climacas*, Helleſponti locus, in *Antholog.*

ÆG[illegible]AS, Proconſul Romanus poſt Andream Apoſtolum martyrio affectum, correptus à malo Spiritu, momentò expiravit.

ÆCEAS, vide *Tragias* & *Ægeſſa*.

Æ[illegible]EIS, tribus Attica *Heſych.* & *Steph.* forte Αἰγηΐς *Pollux*?

Municipia Tribus Ægeidis.

Alæ Araphenides	Erechthia:
Araphen.	Eritria.
Bate.	Gargettus.
Chollidæ	Ichria, ſeu Icarius.
Colytus	Ionidæ,
Cydantidæ.	Phegæa.
Ilionea	Philaidæ.
Echria.	Plothea.

Vide Alex Roſſæum *Archæol. Attic.*

ÆG[illegible]LI, populi in Media, *Steph.* Αἰγαλοί

ÆGELION, Macedoniæ Urbs circa Ægeum Pelagus, quam Liv. *l.* 31 *c.* 46. ab Attalo oppreſſam ſcribit.

ÆGEMON, poëta, bellum Leuctricum, Thebanorum & Lacedæmoniorum verſibus conſignavit. *Volaterran.*

ÆGEON, aliàs *Briareus* fil. Titanis ex Tellure, centimanus gigas, Jovem quem reliqui Dii è cœlo iverunt exturbatum, tutus eſt. Homer. *l. α.* Alii eum ſolum in pugna Gigantum contra Deos, centum ſaxa in Cœlum intorſiſſe dicunt. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 287. Vide *Ægæon* & *Briareus*

ÆGERE, Urbs, & Ægerius lacus, Romæ proximus, a quo *Ægerius Jupiter*. Vide *Egeria*.

ÆGERIA, vide *Egeria*.

ÆGESSI, *Lycophroni*. Italiæ populi ſunt *Iſacio*. Alii *Angeſi* legunt.

ÆGESTA, Hippotæ filia, mater fuit Ægeſti (quem *Aceſten* vocat *Virg. Æn. l.* 1. *v.* 554.) Ex Crimniſo flumine in canem converſo, Servius *ad Æn. l.* 1. & 6. rem ſic narrat: *Hippotes filiam ſuam Egeſtam ne ad cetos relegaretur, ſuperpoſuit naviculæ, & miſit, quò fors tuliſſet, quâ delatâ ad Siciliam, Crimiſus fluvius concubuit cum ea verſus in canem, unde Aceſtes natus eſt, vel, ut quibuſdam videtur, Egeſtus. Hujus rei ut eſſet indicium, nummum effigie canis percuſſum habuerunt.* Strabo Αἴγεστον Trojanum nominat, qui à Philoctete miſſus, in Siciliam, *Ægeſtam* matris nomine condidit. Dionyſ. Halicarn. ſimiliter Αἰγέστος vocat & Αἰγέστα urbem ab eo conditam. Certè Αἴγεστος nomen apud Græcos proprium. *Ægeſtei*, populi Theſprotiæ, apud *Stephanum* ſic dicti, à Duce quodam *Ægeſto*, & Αἴγεστος Numatoris filius, apud *Dionyſium*. Item alius *Ægeſtus*, apud eundem, Deûm Penatium Pontifex Lavinii. Ab hoc itaque *Ægeſta* filio, urbs *Ægeſta* condita eſt, de qua vide *ſuo loco*, & plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 111. & 112. ubi *Ægeſtam* urbem, ab *Aceſta*, diverſam eſſe docet.

ÆGESTA, ultra Drepanum & Erycem fuit antiqua inprimis, celebriſque, ac potens urbs; eadem nonnullis *Aceſta*, & Latinis auctoribus *Segeſta* vocitata. Αἴγεστα dicta fuit pleriſque ſcriptoribus Græcis, è quorum numero ſunt *Lycophron*, *Dionyſ. Halicarn. Diodorus*, *Strabo*. Sed antiquior firmatio fuiſſe videtur Ἔγεστα quàm *Thucyd. Plin.* & *Steph.* nummuſque antiquus referunt *Feſtus*. *Segeſta* inquit, *quæ nunc appellatur, oppid. in Sicilia eſt, quod creditur Æneas condidiſſe; præpoſito ibi Egeſto, qui eam Egeſtam nominavit; ſed præpoſita eſt ei S. litera, ne obſcœno nomine appellaretur, ut factum eſt in Maleventum, quod Beneventum eſt Segeſtanorum emporium legitur* apud Ptol. *l.* 3. *c.* 4. Vide Cluver, *Sic. Ant. l.* 2. *c.* 2. Vide & ſuprà. *Nic. Lloydius.*

ÆGESTEI, populi Epiri, in ora maris Adriatici, prope oſtium Acherontis fluv. Populi Theſprotiæ, *Steph.* Vide *Theſprotia*.

ÆGESTUS, Græcè Αἴγεστος, Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 554. *Aceſtes*; Dux Trojanus, *Ægeſta* Urbs in Sicilia conditor. Vide ſuprà *Ægeſta*.

ÆGETA, vide *Ageta*.

ÆGETINI, Calabrorum gens mediterranea Plin. *l.* 3. *c.* 11.

ÆGEUS, Athenarum Rex fil. Neptuni; duas habuit conjuges, Æthram Plthei regis filiam, ex qua Theſeum ſuſcepit, & Medeam, quam ab Iaſone repudiatam, non ſolum hoſpitiô excepit, ſed illam etiam ſibi matrimoniô copulavit, & ex ea, ut placet Juſtino, *l.* 42. *c.* 2. Medum filium habuit. Succeſſit quidem in regno Pandioni regi, veræ patri. Eô autem regnante, Athenienſibus bellum intulit Minos Cretæ rex, ob cædem Androgei filii, legeſque duriſſimas eis impoſuit, ut ſcil. quotannis ſeptem juvenes nobiles in Cretam mitterentur ad Minotaurum, qui tribus annis ſorte miſſi ſunt; quarta autem ſors obtigit Theſeo, qui maximô patris Ægei dolore navem conſcendit: & cùm omnia navigii ſtrumenta nigra eſſent, & navis velum, habuit in mandatis à patre, ut ſi contingeret in agendis rebus eum felicem ſortiri exitum, rediens navi album velum apponeret, amotô nigrô; ut eminùs ſortem ipſius noſceret. Theſeus autem Ariadnes conſiliô victor, mandatorum paternorum immemor, non amotô velô nigrô rediit. Ægeus verò excelsâ turri proſpectans nigrum velum, Theſeum mortuum arbitratus, ex turri ſe dejecit in mare, quod ab ipſo vocatum eſt *Ægæum*, & mortuus, ab Athenienſibus liberatis, & *Neptuni Filius*, & *Marinus Deus*, in ſolatium Theſei, conſecratus eſt. Hæc ex Plut. *in vita Theſei*. & *Servio*. Hinc patronymicum *Ægides*. Ovid. *Met. l.* 8. *Fab.* 2.

Protinus Ægides rapta Minoide, Diam

Vela dedit. ——— ——

ÆGEUS, Pandionis fil. Athenienſium Rex IX. regnavit ann. 42. Hic ab Homero, *Il. α. v.* 700. ut quidam volunt Αἰγεΐδης dictus eſt. Succeſſerat verò patri non ex aſſe, ſed ex quadrante tempore in quatuor Pandionis filios, *Ægeum*, *Lycum*, *Pallantem* & *Niſum* Atticâ, poſt patris obitum, diviſâ, Strabo *Geogr. l.* 9. ſic quidem, ut *Ægeo* regio circa urbem, Lyco Diacria. Paralia Pallanti & Megaris Niſo, cederent. Ad quem modum XII. Atticæ urbes, à Cecrope olim congregatæ in IV. partes diſtributæ ſunt, ut una eſſet ἀστικόν, in ſuburbana & mediterranea *Ægei* ditione, altera παράλιον, in Auſtrali & littorali Pallantis ſorte, tertia *Diacrion*, ſive *Hyperacrion*, in portione Lyci, Eubœæ oppoſita. (in qua mons Parnes & Brauron Atticæ municipium) quarta Megaridis, in Secundo litore, quæ Niſo obtigit. Sub eo Hercules floruit; ſterilitas Athenis frugum contigit & conſultô Apolline, Theſeus in Cretam miſſus eſt; Minos II θαλασσοκράτωρ; Argonautica expeditio ſuſcepta &c. Vide Joh. Marſhamum *Canone Chron. ad Sec.* XI. Illi ſucceſſit Theſeus, quem vide.

ÆGEUS, pater ex Medea Achæmenis, unde *Achæmenide* familiæ Regiæ in Perſia olim nomen. *Steph.*

ÆGIÆ, Laconiæ oppid. *Pauſan. l.* 3. Αἰγαία *Steph.* Ætoliæ etiam Ægiæ *Dioſcor.* unde crocum advehitur.

ÆGIALA, vel ÆGIALE, Amorgi inſulæ urbs. *Hyals*, *Sophiano*. *Begialo Ptolemæo*; ut quidam volunt, longitud. 53. 10. latitud. 37. 40.

ÆGIALE, una ex Phaëtontis ſororibus, quæ flentes in arbores populos verſæ ſunt, lachrymæque earum in electrum durare dicuntur, *Heliadeſque* appellatæ.

ÆGIALE, Adraſti, vel ut aliis viſum, Ægialei filia, Diomedis uxor, quæ, mariti apud Trojam bellum gerente cum Cyllabaro Sthenelii filio rem habuit; quod ubi Diomedes comperiſſet,

domum reverti noluit, verecundiâ ductus, ſed in Italiam vectus, tegnum partem à Dauno ſortitus eſt. Quidam dicunt, eam Nauplii, patris Palamedis, ſuaſione adhæſiſſe alteri. *Lycophron* autem ait Diomedem Sthenelo filio Cometæ commiſiſſe domum, & uxorem; Sed Venerem, quia à Diomede vulnerata fuiſſet, talem Ægialæ ἐρωτομανίαν immiſiſſe, ut cum omnibus juvenibus quàm turpiſſimè viveret, præcipuè autem cum Comêta conſueſceret. Serv. *in l.* 11. *Æn.* Stat *l.* 3. *Silv.*

Queſta eſt Ægiale, queſta eſt Meliboea relinqui.

Dicitur & *Ægialea*, penultimâ productâ, Græcè Αἰγιάλεια. Ejus meminit Dionyſius Periegetes in his:

Καὶ ἄρσενος αἴθωνος χαλκοθώρηκος Ἄργει' ἵκε,
Ὀππότε τήλιστον μὲν ἐπώλετο ἔθνος Ἰάονων,
Ἦς ἀλόχῳ βουλῇσι κακόφρονος Αἰγιαλείης.

Nic. Lloydius. Vide *Diomedes.*

ÆGIALEA, Inſula gemina, una maris Cretici apud Peloponneſum, *Cecrigo Sophiano*, Cytheræ proxima. *Eadem Anticythera, Egla, Ægile & Styra:* Altera, teſte Plinio, *l.* 4. *c.* 12. inſula maris Ionii, circa Echinadas, Ætoliæ adjacens, parva quidem, & ſcopulus potiùs videtur quàm inſula, unde illi hodiè nomen non eſt. Vide *Argos*, *Sicyon*, *Peloponneſus.*

ÆGIALEUS, Adraſti fil. ex Demonaſſâ, unus ex ſeptem, quos vocant, *Epigonos*, i. e. filiis ducum ad Thebas cæſorum, miſſis ad Thebas, ut injurias paternas vendicarent, eò quòd inſepulti eorum patres jacuerant, ſolus ex illis periit, cæteri ſex victores redierunt: à Laodamante enecatus. Hyginus *Fab.* 71. Apollodorus *l.* 3. *Biblioth.*

ÆGIALIA, Antiochidis tribus. Phavor. *in Lexic.*

ÆGIALIUS, vide *Apſyrtus.*

ÆGIALOS, ſeu ÆGIALIUM, vide *Achaja.*

ÆGIALOS, primùm dicta eſt Sicyon, ab *Ægialeo* Rege, quæ poſtmodum ab altero Rege Sicyone, nomen accepit. Euſeb. apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 142.

ÆGIALUM, mons Aſiæ minoris, *Cedren.* In Galatia videtur *Ortelio*, & idem cum *Ægialus.* Vide *Ægilum.*

ÆGIALUS, Phoronei fil. ciu Apis; Poſtquam Argis regnâſſet, in Ægyptum tranſiens, regnum Achaiæ reliquit. Alii *Ægialeum*, Inachi filium ex Melia Oceanitide faciunt, & ab eo *Ægialeam* dictam, quæ poſtea Peloponneſus à Pelope vocata eſt. Item frater Medeæ, aliò nomine Abſyrtus dictus. Item primus Sicyoniorum Rex, qui regnavit ann. 52. à quo, ut quidam volunt, Peloponneſus *Ægialea* dicta. Fundavit autem hoc regnum, circa A. 2091. ante Chriſtum Natum. Ei filius Europs ſucceſſit. *Stetiſſe* regnum hoc Ann. 900. *Auguſtin.* 959. *Euſeb.* 962. Alii aliter durâſſe ſcribunt. Vide *Petav.* *Salian.* *Spond.* *Torniel.* & Ricciol *Chron. Reform.* t. 1. *l.* 4. *c.* 1 *n.* 2 *p.* 124. Unde populi Sicyonii *Ægiali* dicti. *Nic. Lloydius*, vide *Sicyon.*

ÆGIALUS, locus inter Sicyonem & Parpaſium, & alius proximus Ponto, cum vico ejuſdem nominis. Item mons in Æthiopia juxta Ægyptum. *Steph.* Item urbs Aſiæ minoris prope Cromnam, juxta Homeri verſum. *Il.* β. v. 855.

Κρῶμνάν τ' Αἰγιαλόν τε καὶ ὑψηλοὺς Ἐρυθίνους

Ubi tamen pro Αἰγιαλόν. Strab. *l.* 12. ſcribit quoſdam legere Κρωβιαλόν. Vide *Steph.* Eſt etiam mons cum urbe in Galatia, teſte *Cedreno.* *Cagiali Leunclavio.* Eſt & Vicus ejuſdem nominis in Aſia minore *Steph.* Item Urbs in Thracia juxta Strymonem, & alia, quæ *Magùs* cognominatur: & in Æthiopia juxta Nilum: Item ſecundùm Pontum, poſt Carambin promontor. eidem *Steph.* Eandem cum dicta Armaſti putat *Ortel.* *Suidas* habet hujus nominis urbem in Amorgo Inſul. *Ægialum Sophian.* vocat. *Nic. Lloydius.* Vide *Ægialeum*, *Achaja*, & *Ægitum.*

ÆGIAS, argentarius quidam, qui Arato Sicyonio, in liberandis à tyrannide Sycionis, ſocius fuit.

ÆGICOREUS, Attica quædam antiqua tribus. *Steph.* & Pollux *l.* 8.

ÆGIDA, nomen maris è Gorgonibus, vel monſtri cujuſdam ignivomi, à cujus ſævitia populos Minerva liberavit, ejuſque exuviis clypeum ſuum obduxit. Virg. *l.* 8. *Æn.* v. 354. 435. Cicer. *l.* 3. *de nat. Deorum.*

ÆGIDA, oppid. Iſtriæ primarium. Quod cum dirutum eſſet, à Juſtino Imperatore reſtauratum, *Juſtinopolis* nomen accepit. Hodiè *Capo d'Iſtria*, Ital. *Copra* Slavis, *Gaſers* German. Sedet in rupe, 700. paſſ. à terra, ab una parte, & 520. ab altera. Ponte junctum eſt continenti. Plin. *l.* 3. *c.* 19. *Leander*, *Ortel.* Vide *Juſtinopolis.*

ÆGIDIANÆ, dictæ ſunt Conſtitutiones Marchiæ Anconitanæ, quas, in Statu Eccleſiaſtico (ut vocant) jus Generale facere, extra verò eum non valere, docet Albericus Gentilis *de Libr. Juris Can.* *c.* 3. Vide quoque infrà, ubi de *Regulis Cancellariæ.*

S. ÆGIDII, villa Galliæ, ad Rhodanum, vulgò *S. Gilles*, Monaſterio veteri inſignis, quod *Monaſterium S. Ægidii in valle Flaviana* vocat Ludovicus Aug. *in Statuto de Monaſteriorum oneribus.*

ÆGIDION, vel ÆGIDIORUM, vide *Seſectiene.*

ÆGIDIUS, Francorum Rex, regnavit ann. 6. quem Childericus fudit. Æmil. *l.* 1. Vide infrà. *Ægidius* autem à Gallis luxatum eſt in *Gilles*, ut *Ægidius* in *Gilet*. Græcum enim nomen fuiſſe videtur, quia primus qui dictus eſt S. *Giles*, Athenienſis erat. Et Αἰγίδιος Græc. idem fuerit, qui in Latinis *Capella.* Quidam autem trahunt *Giles* à *Julius*, & *Gil* à *Juliana*, *Camdenus*. Quid verò ſi à *Gellianus*? *Nic. Lloydius.*

ÆGIDIUS, Romanus, Sueſſionum præfectus, à Gallis, qui Childericum I. pepulerant, throno impoſitus eſt. Apud hunc, Guinomaldus, vel Guiemanus, Childerici fideliſſimus amicus, tantum valuit, ut nihil ſine illo ageretur. Quare Ægidium in adeò violenta conſilia impulit, ut Gallis juvi ſui deſiderium illius pulſi Regis conciliaret. Revocatus ergo a Guiemano Childericus, cui dimidiam partem aurei nummi, ex compacto in hunc finem, olim diviſi, miſerat, Ægidium vicit & regnô iterum exturbavit. Gregor. Turon. *l.* 2. *Fredegarius*, *Aimoinus*, *Sigebertus.* Vide Narbo.

ÆGIDIUS, Archiepiſcop. Remenſis, poſt Mappinum, qui A. C. 572. obiit, in aula Childeberti Auſtraſiæ Regis plurimum valuit. Sed accuſatus conjurationis in Regem a Sonneſigilo, in vincula conjectus, atque in concilio Metis indicto, A. C. 590. convictus, depoſitus & Argentinam relegatus eſt. Gregor. Turonenſ. *l.* 6 *c.* 3. & *ſeqq.* Aimoin *l.* 3. *c.* 50. 51. Flodoard. *l.* 2 *c* 2. Morer. *in Diction. Hiſt.*

ÆGIDIUS Columna, Romanus, *Doctoris fundatiſſimi* titulô inſignatus, Archiepiſcop. Bituricenſis, à Philippo Pulchro, filiorum inſtitutioni adhibitus: Scripſit *de Regimine Principum*, contra Bonifacium VIII. A. C. 1302. obiit A. C. 1316. Avenione. Edidit quoque alia in Philoſophia & Theologia opera, ſatis probæ notæ: Sabellicô *t.* 2. *Ennead.* 7. *l.* 9. teſtante, à temporibus S. Auguſtini, illô neminem neque copioſiùs neque accuratiùs ſcripſiſſe. Vide quoque Cornel. Curtium *in elog. Vir. Ill. Ord. S. Auguſtini.* Hujus enim Generalis Ægidius fuerat; Joſephum Pamphilum, *in Chron. Auguſt.* *Trithem.* *Poſſevin.* *Phil. Bergomenſem*, *Raynaldum*, *Genebrardum*, &c. Dictus idem *Ægidius de Roma.* Vide Morer. *in Diction. Hiſt.*

ÆGIDIUS Carillus, Hiſpanus, Cardinalis nobiliſſimus: legatus Innocentii VI. Pontificis in Italiam miſſus, eam pacavit, arces plurimas ædificavit per annos quinque. Bononiæ collegium impenſis propriis conſtruxit: cui & reditus magnos pro ſcholaſticis Hiſpanis pauperibus alendis aſſignavit. Obiit Viterbi, ſepultus Aſſiſii: inde multò poſt humeris peregrinorum, jubilei gratiâ Romam petentium, peccatorum veniam omnibus tam ſanctum onus ſubeuntibus pollicente Pontifice, Toletum in Hiſpaniam delatus eſt, & denuo ſepultus. Tarapha *de reb. Hiſpan.* Platina, & Hieron. Garimbertus, *l.* 3. *de vitis Pontif.*

ÆGIDIUS, Argentinenſis, eques auratus, qui tribus aciebus contiguis Saracenos vicit, duoſque eorum duces occidit. Hier. Boeclerus, *l.* 14.

ÆGIDIUS, Eremita quidam, quem Carolus M. Imperator, ut pro peccato ſuo occulto oraret, induxit.

ÆGIDIUS Fontana, Patavinus, cùm poſt irruptionem Attilæ cum patriciis famulus in æſtuaria Veneta conceſſiſſet, primus fuit, qui leges novæ civitati Venetorum dedit, quæ ab Authore ipſo etiamnum hodie *Sanctiones Ægidianæ* appellantur. Bernardin Scardeonus *l.* 3. *claſſe* 11. *Hiſt. Patavina.*

ÆGIDIUS, Athenienſis monachus, quoniam miraculis clarere cœperat, jactationis occaſionem fugiens, patriam reliquit, & ad eremum ſe contulit. Marulus *lat.* c. 4.

ÆGIDIUS, Athenienſis, Græcus medicus & philoſophus: mox D. Benedicti ſectam profeſſus, ſub Tiberio ſecundo, A. C. 700. multa ſcripta poſteritati reliquit, ut, de Pulſibus librum unum, item de Venenis unum: Vulneratus à venatore ſagittâ, noluit vulnus ſanari, ut aſſiduis doloribus exerceretur. Bergomenſis, & Volaterranus, *l.* 21. & Vincentius *l.* 25.

ÆGIDIUS, Monachus Ciſtertienſis, ſcripſit vitas quorundam Epiſcoporum, Voſſ. *de Hiſt. Lat.* *l.* 3. *p.* 691. Item, Carmelita, Bruxellis natus; à Maximiliano I. magni habitus, auctor hiſtoriæ Brabantinæ, & Chronici Carmelitici, Obiit A. C. 1506.

ÆGIDIUS Boſſius, Mediolanenſis, ſcripſit de Cauſis criminalibus, ſub finem ſeculi præteriti *Ægidius* Moncertius, auctor *typographiæ ſcientiarum* A. C. 1598. *Ægidius* Muſius, Abbas Tornacenſis, ſcripſit Chronicon, à Chriſto Nato uſque A. C. 1348. Voſſ. *de Hiſt. Lat.* *l.* 3. *c.* 1. Alius de Roya, *Flandriæ Annalium* conditor. Voſſ. *de Hiſt. Lat.* *l.* 3. *p.* 806. Henriquez *in Menol.*

ÆGIDIUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

ÆGIDIUS Petrus, Albienſis, per 40. annos perluſtratâ Græciâ, Aſiâ & Africâ, tùm ut undiquaque Græcorum ſcripta colligeret ut in mandatis habuit à Franciſco I. Rege, tum ut ſitum regionum edisceret, poſt obitum illius, è paratarum Gertenſium manibus ægrè elapſus, in aula Cardinal. Armeniaci aſylum reperit; ſed dum noctu diuque in conſignandis quæ ubeque obſervaverat memorabilibus vires defatigaret, in febrem incidit ſibi lethalem, defunctus A. C. 1555 ætat. 65. Scripſit ac in lucem emiſit, *Deſcriptionem Boſphori Thraciæ*, *Deſcriptionem Urbis* Conſtantinopolis, *de Piſcium Maſſilienſium nominibus Gallicis & Latinis*, *de Elephanto.* Vertit Latinè *Commentarium Theodoreti in* XII. *Prophetas min.* & XVI. *libros Hiſtoriæ animalium Æliani.* Sed & Petrus Bellonius Cœnoman. qui aliquandiu ejus fuit amanuenſis & itinerum comes ſuppreſſo Ægidii nomine, varia illius evulgâſſe ſub ſuo nomine creditur, Thuanus *Hiſtor.* Vide *Elogia* Anton. Teiſſier P. 1. & aliquid infrà voce *Petrus.*

ÆGIDIUS Tſchudus, Helvetius, Medicus & Geographus inſignis, Auctor variorum operum. Obiit A. C. 1572. Vide *Tſchudus.*

ÆGIL, ſeu AIGIL aut *Eigil*, ſub Ludovico Pio, circa A. C. 818. Abbas Fuldenſis, ſcripſit quædam Aſcetica, habuitque pro ſucceſſore Rabanum Maurum. Voſſ. *de Hiſt. Lat.* *l.* 2. *c.* 33.

ÆGILA, inſulæ nomen, Plin. *l.* 4. *c.* 12. 25. mill. paſſ. à Cythara, eademque à Phalaſarna Cretæ oppid. 25. mill. paſſ. Alius *Ægyla*. Ejus meminit Dion:

Αἰγιλά τ' ἠδὲ Κύθηρα, Καλαύρειά τε σπιλάδες.

Ubi Euſtath. Αἰγιλάτρι, inquit, ἐστὶ νῆσον πολλῷ λογ... τοῖς παλαιοῖς. Item Urbs Cyrenes, *Augila Ptolemæo.* *Augela* adhuc in recentioribus tabulis. Eſt etiam Laconicæ vicus, *Pauſan. in Meſſen.* ubi matronis feſtum Cereris agentes fruſtra adortum Ariſtomenem Bellô Meſſeniacô II. Illas enim ope Numinis fretas & cultris verubusque armatas quibus ad mactandas hoſtias & torrendas carnes uſæ fuerant, vim repuliſſe, ipſumque Ariſtomenem facibus percuſſum cepiſſe, refert. Vide quoque *Archidamia.*

ÆGILEUS, Cynædus quidam. *Macrob.*

ÆGILIA, Inſul. inter Cretam & Peloponneſum. *Steph.* *Styreorum* eſt, ut tradit *Herodot.* Item, tribus Antiochidis, *Steph.* Item, Atticæ tribus *Athenæo*, vide *Ægialia* & *Begialis.*

ÆGILIPS, urbs Acarnaniæ. *Strabo.* Et locus in Epiro. *Steph.* [illegible Greek] *Ομηρ. Il. β. v. 633.*

[illegible Greek]

[illegible Greek] (Meurſius [illegible]) [illegible]. Unde verò [illegible] deducatur, vide Lexicographos. Dicitur etiam corruptè *Ægilops. Nic. Lloydius.*

ÆGILIUM, inſul. maris Tyrrheni apud Coſanum litus. Vide *Dianium.* *Il Giglio* hodie, *Igilium Rutilio.* Vide ibi. In ditione Magni Ducis Hetruriæ. Ibi tantum pagus cum caſtro.

ÆGILODES, ſinus Laconiæ. Plin. *l.* 4. *c.* 5.

ÆGILON, inſula inter Cretam & Laconicam, item regio quædam in Laconia, & pars tribûs Atticæ cujuſdam ab *Ægilo* heroë, vide *Capraria.*

ÆGILOPS, vide *Ægilips.*

ÆGILUM, locus Aſiæ minoris eſt *Zonaræ*: *Ægilum* legit Curopalates. *Ægialum* Cedren. Ortel. *Ægilum* promontor. habet *Lycophr.* adque in Peloponneſo. Vide *Ægialus.*

ÆGILUS, locus in Attica Regione ubi una tribus urbis Athenienſis habitabat, Ab *Ægilo* Heroë ſic dictus, teſte *Athenæ.* *Ægilienſis* tribus meminit quoque Demoſth. in *Neæram.*

ÆGIMIUS, ſenex ætate provectiſſimâ, quem Anacreon tradidit ad ducenteſimum uſque annum vixiſſe. Plin. *l.* 7. *c.* 48.

ÆGIMO, urbis nomen, apud *Suid.*

ÆGIMORUS, inſula Libyæ. *Steph.* vulgò *La Galetta.* *Ægimurus* Livio *l.* 29. *c.* 27. & *Cæſari*, *Ægimori* Plinio, *l.* 5. *c.* 7. qui eas contra Carthaginenſem ſinum ponit, atque, eas veriùs ſcopulos quàm inſulas eſſe.

ÆGIMUS, Rex Doricnſis, circa Oetam. Steph. in *Dymas.*

ÆGINA, Aſopi regis Bœotiæ filia, quam Jupiter amavit, & in ignem converſus compreſſit, ex qua poſteà Æacum & Rhadamanthum ſuſcepit. Item inſul. in qua Æacus regnavit, olim Oenopia dicta, hodie *Engia.* Vide *Æacus.* Fama eſt hujus incolas aliquando omnes peſte fuiſſe abſumptos, ita ut ſolus Æacus fuerit ſuperſtes, qui cum graviter ferret inſulæ ſolitudinem. Jovem precatus eſt, ut aliquo pacto homines repararet, ita dicens, ut refert Ovid. *Met. l.* 7. *fab.* 25.

Jupiter ô, dixi, ſi te non falſa loquuntur
Dicta ſub amplexus Æginæ Aſopidos iſſe,
Nec te, magne Pater, noſtri pudet eſſe parentem;
Aut mihi redde meos, aut me quoque conde ſepulchro.

Jupiter autem illis precibus commotus, formicas in homines mutavit, qui vocati erant *Myrmidones*, i. e. *Formicarii*; Qui ideo ſic dicti (inquiunt Mythologi) quia formicarum more terram fodientes, & in cavernis habitantes, frugalitati & parſimoniæ ſtuduêre. Populi *Æginenſes*, vel *Æginetæ*, unde Paulus *Ægineta* Medicus Græcus, de quo vide Voſſ. *de Philoſophia*, *c.* 13. Primi autem Æginenſes monetam excuderunt, teſte Æliano, *Var. Hiſt. l.* 12. *c.* 10. [illegible Greek] Αἰγιναῖον. Inde etiam *Æginæticum æs*, quod olim in pretio fuit. Plin. *l.* 34. *c.* 2. Hi Dario, in omnes Græciæ urbes legatos mittenti, ſponte ſe ſubmiſerunt. Potentes olim mari, & inſignes Athletæ. Herodot. *l.* 6. Fuit etiam urbs ejuſdem inſulæ epiſcopalis olim ſub archiepiſcopo Athenienſi, nunc metropolis, à Megaris 100. ſtad. in meridiem longitud. 50. 04. latitud. 38. 32. Vide Steph. in Αἰγειρα, ubi tres *Æginas* recenſet, Menandr. *l.* 1. *de gent. Dem. c.* 19. Athen. *l.* 4. Incolas ejus quod attinet, auros (inquit Vir Magnus) in Ægina inſula ſaxoſa & ſterili, cujus ambitum *Strabo* & *Euſtathius* definiunt ſtadiis 180. Plinius *l.* 4. *c.* 12. verò 20. mill. paſſ. quondam habitaſſe Myrmidonum myriadas 47. Pindari Schol. in Od. 8. *Olymp.* [illegible Greek] *Nic. Lloydius.*

ÆGINA, Ariſtodemi, Spartanorum Regis uxor. Herodot. *l.* 6.

ÆGINA, nunc *Engia*, arcem habet à Turcis excitatam in tutelam ſinus Saronici, qui ab illa *el Golfo d' Engia* hodie dicitur.

ÆGINAPS, Inſul. Peloponneſi. *Heſych.*

ÆGINETA, Arcadum Rex, ſucceſſit Pompo, ſub quo Lycurgus leges promulgavit Spartæ. Eum excepit fil. Polymeſtor. Pauſan. *Arcadicis.* Eà ætate Spartæ regnabant Archelaus & Charillus.

ÆGINETA Paulus, vide *Paulus.*

ÆGINETES, oppid. & fluvius Paphlagoniæ. *Steph.*

ÆGINI, populi de quibus hæc Nonnus *ex l.* 3. *Hiſtor.* Sileninæ, *Tum poſtquam apud Æginos ac Periſitos ejus facto mentionem propere*: In Italia eſſe videntur.

ÆGINIUM, oppid. Theſſaliæ, prope Achelòum fluv. in Græcia. In Pieria eſt apud Plinium. *l.* 4. *c.* 10.

ÆGINUM, Illyriorum oppid. Plin. *l.* 4. *c.* 10. *Stephanus Aiginum.*

ÆGIOCHUS, Jupiter dictus eſt, quod corio capellæ Amaltheæ uſus fuerit pro ſcuto, quando contra Titanas dimicavit, quaſi Αἰγίοχος [illegible Greek]. Allegoricè autem quod procellas immittat, i. e. τὰς αἰγίδας. Nonnullis placet deduci ab ὀχῆ, i. e. cibus, & τοῦ αἰγὸς, capra, quod, cùm puer eſſet, [illegible] nutritus fuerit. Vide Lactant. *l.* 1. *Inſt. c.* 21. *Nic. Lloydius.*

ÆGIOCHUS, in Creta locus, ubi Jupiter à caprâ enutritus eſt. Diodor. Sic. *l.* 1.

ÆGION, oppid. Achaiæ. Plin. *l.* 4. *c.* 5. Vide *Ægium.*

ÆGIPAM, Æthiopiæ ſub Ægypto, oppid in Nili ripa. Plin. *l.* 6. *c.* 30.

ÆGIPAN, à poëtis Pan eſt cognominatus, quòd pedes caprinos haberet. Inde *Ægipanes* homines nudi, leves, & caprinos pedes habentes. Proper. *l.* 3. *eleg.* 16.

Mollia Dircææ pulſabunt tympana Thebæ,
Capripedes calamo Panes hiante canent

Mela *l.* 1. *c.* 8. *Blemmyis capita abſunt: vultus in pectore eſt. Satyris, præter effigiem, nihil humani. Ægipanum quæ celebratur, ea forma eſt.* Satyrorum autem Ægipanumque in Libya eòdem modò, iiſdemque penè verbis meminêre Plin. *l.* 5. *c.* 8. Solinus, *c.* 34. & *Martianus Capella.* Nemo tamen addit, qualis fuerit forma Ægipanum. Poſteriores duos ignoràſſe facilè crediderim, an vero *Plinius* etiam ignorârit, non attinet quærere. Sanè neque in forma hujus monſtri conveniunt, ſi tamen monſtris accenſenda ſunt ea quæ ſunt mera Græculorum commenta. Salmaſ. in *Notis ad Solin.* ex Parallelis Minoribus Plutarchi adſtruere conatur, Ægipana illum eſſe, quem Romani Sylvanum vocant. Sed verò valde infirmò nititur ubicunque eum quidquam certius, quàm libellum iſtum eſſe porſus *Plutarcho* indignum, cum nugaciſſimus ſit, ac ejuſdem planè auctoris, atque ſit ille de fluminibus, qui & ipſe nomen Plutarchi præ ſe fert. Porro tantum inter ſe differunt Sylvani & Ægipanes, ut difficiliùs aliquid reperias, in quo conveniat, quàm in quo diſcrepant. Ægipanes enim non ut Sylvani cum humana facie pingebantur, verum caprinâ prorſus, imo [illegible Greek] capra erant ſupernè. Pingebantur præterea cum cauda piſcis. Cauſa nominis hæc eſt; Ægipan Jovis fil. ex capra Bœotia eſſe fingitur, quam etiam Oeniam vocavêre. Alii Jovis collacteum faciunt, natumque ex *Æga Panis* conjuge; hunc *Ægipana* dictum aiunt. Juvaſſe hic dicitur Jovem in bello contra Typhonem. Quia autem primus invenit concham marinam, quâ inflatâ, terrorem Panicum injecit, ideò caudam piſcis huic adfingi. Hujus imaginem in ccelo ajunt eſſe Capricornum. Theon *ad Aratum*: [illegible Greek] Αἰγίπανι [illegible Greek], Scholiaſtes Germanici; *Capricornus ſane ſimilitudinem habet Ægipanos, habet enim poſteriorem partem piſcis, priorem capri.* Ita quoque Hyginus *Fab.* 196. & alii, licèt in cæteris hujus fabellæ partibus non conveniunt. Cauſam verò quamobrem cum cauda pingebatur, hanc reddit idem Theon; [illegible Greek] ἰχθύος ἔχει. Aliam cauſam verò reddit *Hyginus*, & *Germanici Scholiaſtes*, verùm de eo nos ad ipſum Aratum; verba ſunt *Iſ. Voſſii in not. ad loc. cit. Melæ.* Dii faxint promiſſis ſteterit. Porro Ægipânum crebræ effigies occurrunt in antiquis Ægyptiorum monumentis, nempe Satyri [illegible Greek] ἰχθύων ἔχοντες. *Nic. Lloydius.*

ÆGIPLANCTUM, montem habet Æſchyl. in *Agamemn.* Circa Corinthum opinatur *Ortel.*

ÆGIRA, urbs inter Ætoliam & Peloponneſum. Item Achaiæ in Peloponneſo oppidum. *Paul. Homero*, ut *Pauſan.* docet, *Hyperesia* vocatur. *Hyperiam* quoque dictam tradit *Steph.* *Gemiſtus Ægyra* ſcribit, & etiam *Boſinzo* nuncupari ait. hodie *Scolocaſtro*, vel *Xylocaſtro* dicitur *Mario Nigro.* Eſt etiam Inſula in Achaja nomine; Plin. *l.* 4. *c.* 9.

ÆGIREA, pars Ithacæ Inſul. apud *Steph.* Vide *Crocylion.*

ÆGIRCIUS, fluv. Aquitaniæ, Auſcios & Lactoram Urbes alluit, & in Garumnam influit, ad alteram ſupra Agennum leucam. Vulgò *l' Egers*, aut *le Gers.* De quo Fortun. *l.* 1.

Lubricus hic quoniam ſinuoſo Ægircius hauſtu.

Dicitur quoque *Ægirtius.*

ÆGIROESSA, Ætoliæ urbs. Herodot. *l.* 1.

ÆGIRSIUS, vide *Ægircius*, & *Ægirtius.*

ÆGIRUM, Leſbi inſulæ urbs, inter Methymnam & Mitylenen, ubi arctiſſima eſt inſul. Strabo. *Germa, Nigro* teſte.

ÆGIRUSA, oppid. Megaridis non longè ab ipſis Megaris; quod & *Ægoſthena*, teſte *Pauſaniâ*, dicebatur.

ÆGIS, Atticæ tribus. *Pollux.* Vide *Ægeis.*

ÆGIS, ſcutum Jovis, ἀπὸ τῆς αἰγὸς, i. e. à capra. Nam ille à capra Amalthæa nutritus eſt, cujus mortuæ pelle ſcutum ſuum operuit: Capram autem poſteà vitæ reſtitutam, & aliâ pelle obductam inter aſtra collocavit, ſeque ob capræ memoriam *Ægiochum* appellari voluit. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 352.

- - - Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Jovem, cum ſæpe nigrantem
Ægida concuteret dextrâ, nimboſque cieret

Scutum verò Palladi dedit, cui ipſa Meduſæ caput impoſuit, quod qui intuebantur, protinus lapideſcebant. Virg. *ubi ſuprà* *v.* 435.

Ægidaque horriferam, turbatæ Palladis arma,
Certatim ſquamis ſerpentum, auroque polibant,
Connexoſque angues, ipſamque in pectore Divæ
Gorgona deſecto vertentem lumina collo.

Nic. Lloydius.

ÆGISOLIÆ, Galen. in libr. *de Victus rat.* *Ejuſmodi Vini in locis Ægiſoliis campeſtribus, magnus eſt proventus.*

ÆGISTE, Arabiæ felicis Urbs, *Ptolom.*

ÆGISTHENA, vide *Ægiruſa.*

ÆGISTUM & ÆGISUM. Vide *Ægyſſus.*

ÆGISTUS, Thyeſtis fil. ex Pelopeia ejuſdem filiâ, quem infantulum mater, tegendi ſceleris causâ perdendum feris expoſuit in ſylvis; ſed à paſtore inventus, ejus beneficiò nutritus eſt, & inde Αἴγισθος dictus, quòd nutritus ſit à capris. Vide Ælian. *Var. Hiſt. l.* 12. *c.* 42. Hic provectioris ætatis Atreum, impellente tamen patre, interfecit, & ejuſdem filium Agamemnona inter epulas, adjuvante uxore Clytæmneſtrâ, quâ etiam turpiſſimè uſus eſt, obtruncavit. Poſtremò ab Oreſte Agamemnonis filio, patris mortem ulciſcente, è medio ſublatus eſt. Homer. *Od.* α. *v.* 35.

Ὡς καὶ νῦν Αἴγισθος ὑπὲρ μόρον Ἀτρείδαο
Γῆμ' ἄλοχον μνηστὴν, τὸν δ' ἔκτανε νοστήσαντα.

Ovid. *l.* 1. *De Remedio Amoris. v.* 161.

Quæritur Ægiſthus, quare ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt, Deſidioſus erat.

Ægiſthum autem gemens & indignabundus Pompejus, C. Cæſarem vocare ſolebat, ob adulterium cum uxore ſua Mutia, quam tamen poſtea repudiavit, quamvis ex ea jam tres liberos ſuſcepiſſet. Sueton. *in Cæſ. c.* 50. apud. *Nic. Lloyd.*

ÆGISTHUS, Beli priſci fil. (hunc tamen *Apollodorus* Neptuni

ptum & Libyæ filium facit, & *Ægyptum* vocat) & Oanas frater: lege & vide *Ægyptus*.

ÆGITAURUS, vide *Taurus*.

ÆGITHARSUS, promontor. Siciliæ inter Drepanum, & Segeſtanum emporium. *Ptol.* Quod vocabulum ex Αἰγίθαλλος corruptum eſſe *Diodori & Zonaræ* hiſtoriis colligit Cluver. *de Sicil. Ant. l.* 2. *p.* 248 *Capo de S. Vito* hodie. *Brietio* verò eſt, *Capo di S. Theodoro*.

ÆGITHIUM, oppid. Ætoliæ in monte, à mari 8. mill. paſſ. diſtans. *Thucyd. l.* 3.

ÆGITNA, oppid. Liguſtici nomen in Polybii *Fragm.* 34. ſed idem videtur *Ægialon* vocare, ut annotavit *Fulvius*.

ÆGIUM, Achajæ propriæ oppid. *Ptol.* ubi Jovem à capra nutritum ferunt, unde oppid. nomen. Αἶγα enim capram Græci dicunt. *Uſtitza Mario Nigro*, *Beſtitzan Kyriaco Anconitano* dicitur. Vide *Laſium*.

ÆGLE, Æſculapii & Lampetiæ filia minima. Item, ſellaria quædam. Apud Martial. *l.* 1. *Epigr.* 95.

ÆGLE, Heſperi Italiæ regis filia, vide *Heſperides*. Alia fuit nympha, Solis & Neæræ filia; Græcè *lux*, ſeu *ſplendor*. Virg. *eclog.* 6. *v.* 20.

> *Addit ſe ſociam, timidiſque ſupervenit Ægle,*
> *Ægle Naiadum pulcherrima.* - - - -

ÆGLE, inſul. vide *Syme*.

ÆGLES, athletæ Samii nomen, qui cùm per omnem ætatem mutus fuiſſet, in ſacro tamen certamine, cum in ſortitione fraudem admitti videret, nimiâ loquendi deſideriô linguæ vincula rupit, ac diſtinctè, quàm diu vixit, locutus eſt. Val. Max. *l.* 1. *c.* 8. Gellius. *l.* 5. *c.* 9

ÆGLESBURGUS, vulgò *Ailesbury*, oppid. Angliæ in Bukingamiæ Comitatu, ad fluv. Tamam. Diſtat Oxonio 14. milliar. Anglicis.

ÆGLETES, Apollinis cognomen, quô nomine celebrabatur in Anaphe inſula quæ Sporadum una. Apollon. *Argonautican l.* 4.

> - - - - ὅτ' Ἀπόλλωνα θυηλαῖς
> Αἰγλήτην Ἀνάφης τιμήορον ἱλάσκοντας.

Nominis rationem anteà indicavit his verbis *v.* 1714.

> - - - - Αἰγλήτην μὲν ἐϋσκόπου εἵνεκεν αἴγλης
> Φοῖβον κικλήσκοντες - - - -

Nic. Lloydius

ÆGLOGE, Neronis Imperatoris nutrix, Sueton. *Neron. c.* 50.

ÆGLON, Moabitarum Rex, ab Aotho occiſus. Sabellic. *l.* 8.

ÆGOBOLUS, Bacchus apud Potniam celebratus, de cujus nomine hæc hiſtoria proditur. Cum ibi Dionyſia incolæ celebrarent; ita in contumelias acti ſunt & furorem ob ebrietatem, ut Bacchi ſacrificulum interimerent; quapropter à Deo irato gravi peſtilentiâ affecti ſunt. Cives hâc de cauſa Apollinem conſulentes, reſponſum acceperunt, ut Baccho formoſiſſimum puerum immolarent, quod cùm Potnienſes per multos annos feciſſent, capram demum, à Baccho edocti, pro puero ſuppoſuerunt, unde illi cognomen. Gyraldus *Syn. de Diis*.

ÆGOCEROS, i. e. *Capricornus*, animal in quod poëtæ tradunt ſe Pana transformâſſe, & in aquam ſe dejeciſſe, cùm in Ægypto unà cum reliquis Diis Typhona Gigantem acerrimum Deorum hoſtem fugeret. Sed Jupiter hujus ingenium admiratus inter aſtra eum collocavit. Lucret. *l.* 5. *v.* 613.

> *Nec ratio Solis ſimplex; ac recta pateſcit,*
> *Quo pacto æſtivis è partibus Ægocerotis*
> *Brumales adeat flexus: atque inde revertens*
> *Canceris ut vertat metas ad ſolſtitiales.*

Lucanus *l.* 9. *v.* 536.

> *Par geminis Chiron, & idem quod Carcinos ardens*
> *Humidus Ægoceros.* - - - -

Idem *l.* 10. *v.* 211. - - - - *rapidos qua Sirius ignes*

> *Exerit, & varii mutator Circulus anni*
> *Ægoceron, Cancrumque tenet.* - - -

Nic. Lloydius.

ÆGOCORIS, tribus quædam antiqua apud Athenienſes, *Steph.* Vide *Ægicoreus*.

ÆGOLIUS, is cùm in antrum Jovis apibus ſacrum in Creta ingreſſus fuiſſet, mellis exhauriendi cauſâ, à Jove in avem ſui nominis mutatus eſt. Antonius Liberalis *in Metamorph.*

ÆGON, Rex Argivorum, primus creatus, poſtquam defecit Heraclidarum familia, ex qua regem eligere mos illis antiquitùs erat: ii namque per oraculum ſciſcitantes, qui rex creari deberet, reſponſum acceperunt, Aquilam id oſtenſuram: paucisque admodum poſt diebus, Aquila ſupernè delapſa ſuper Ægonis domo conſedit, atque ita omnium conſenſu Ægon Rex creatus eſt. *Nic. Lloydius.*

ÆGON, paſtor apud *Theocritum* & Virg. *Ecl.* 3. quô etiam nomine promontorium Lemni dictum eſt. *Ægon* etiam Caryſti, Eubœæ civitatis, princeps. Ponitur item aliquando *Ægon* pro *Ægæo mari*. Stat. *l.* 5. *Theb. v.* 88.

> —— —— *Ventiſque obſequibus Ægon*
> *Motus, & ingruiti percuſſit littora ponti.*

Val. Flacc. *l.* 1. *Argon. v.* 628.

> —— *Vix litore puppim*
> *Solvimus, & quanto fremitu ſe ſuſtulit Ægon!*

Ariſtot. *in meteor.* Αἴγων fluv. eſt Africæ, ex Æthiopiæ montibus naſcens. Vide *Ægæum*.

ÆGON, pugil quidam in Zacyntho inſula, qui taurum ferum calcibus prehenſum è monte in urbem pertractum Amaryllidi donavit: & 80. placentas ſolus comedit: de eo Theocrit. *Idyll.* 4.

ÆGONES, Galliæ Ciſalpinæ populi *Polybio*, ubi hodie *Vacoventa* oppidulum, ut putat *Leander*. Aliis *Egones*.

ÆGONIA, vel ÆGONEA, urbs Melienſium. *Steph.* Lege *Melienſium*, Lycophron *in Caſſandra*

> Οἱ δ' ἀμφ' Αἰγώνειαν ἄλλοι πατρίδα.

Rhianus Αἰγώνειαν eam vocat. *l.* 16.

ÆGOPHAGOS, Juno dicta apud Lacedæmonios, quòd ibi capræ illi immolarentur. Cæl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 5. Emendandus obiter Heſych. apud quem corruptè legitur Αἰγοφάγος, χίμαιρα ἐν Σπάρτῃ, ubi reſcribendum Ἥρα. Huic Deæ coronam imponebant, quæ Πολιτον dicebatur. Vide Athenæum *l.* 15. & Meurſium *Miſcellan. Lacon. l.* 1. *c.* 3. *Nic. Lloydius.*

ÆGOPATHALMOS Gemma, dicta eſt in qua glaucum cingitur albicante colore, ut in *Caprarum* oculis. Sicut in gemma, quæ *Beli oculus* vocabatur, color albicans nigram pupillam ambit; *Lycophthalmos* verò quatuor colorum eſt, ex rutilo ſanguinea: in medio nigrum candidô cingitur, ut luporum oculi, quibus per omnia ſimilis. Plin. *l.* 37. *c.* 11. &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 706.

ÆGOS *potamos*, i. e. *Capræ fluvius*, Anglicè *Goatsbrook* diceretur. Thraciæ Cherſoneſi oppid. eſt Plinio, *l.* 2. *c.* 58. *Straboni*, Æmylio Probo, *l.* 6. *c.* 4. & Pomp. Melæ *l.* 2. *c.* 2. Plutarchus in *Alcibiade*, ad Helleſpontum ſitum eſſe ſcribit. *Jo. Tzetzes* quoque ejus meminit, tanquam urbis Thraciæ. Ad hujus fluvii oſtia claſſis Athenienſium à Lyſandro capta fuit. Plinius *l.* 2. *c.* 58. refert, ibi oſtendi lapidem magnitudine vehiculi, colore aduſtô, quem Anaxagoras Clazomenius è Sole caſiturum prædixerat.

ÆGOSAGÆ, Galatæ, Αἰγοσάγαι. Aſiæ populi erant apud Attalum Regem, quibus Aſiam debellavit, ut tradit Polyb. *l.* 5. Hos idem Attalus poſtea ad Helleſpontum habitandum dedit. Eoſdem alio in loco *Rhigoſagas* vocat. Utrobique *Tectoſages* legere mavult Ortelius.

ÆGOSTHENA, urbs Megaridis. *Steph.* populi *Ægoſthenenſes*. Vide *Ægeruſa*.

ÆGOSTHENIA, Phocidis in Achaja urbs. *Ptolemæus*.

ÆGOSTIS, ſinus & urbs Locridis, apud Stephanum ex *Epaphrodito*.

ÆGRI, bis ac ter de die ab Adriano viſitari, apud Spartian. in *Vita ejus c.* 9 *Ægros bis ac ter die, & nonnullos Equites Romanos ac libertinos viſitavit, ſolatiis refovit, conſiliis ſublevavit*, &c. Ubi *ſolatia* pro *ſalariis* ac alimentis non ſolùm ſequior & poſterior ætas, ſed etiam illa, quæ optimæ & antiquæ propior, accepit. Exempla paſſim obvia & jam pridem ab eruditis viris hoc obſervatum, in Cod. Theodoſ. *ſolatia pro mercedula præſtitit*, Caſſiodorus *Variar. l.* 5. *Hoc ſolicitudo noſtra proſpexit, ut acceptis mercedibus competentibus pedaturam murorum omnes in commune ſubeant, qui vicinitate junguntur: quatenus accommodatô ſolatiô ſecuritas impleatur, quod paucis inexplicabile forſaſſe cognoſcitur* Sed hôc Caſſiodori loco *ſolatium* pro mercede malè accipi, docet *Salmaſ.* Commoda autem & ſalaria militiæ, *ſolatia* appellant Imperatores in Cod. Juſtinianus etiam *Puſcla* dixit. *Refrigerium* etiam pro ſolatio vel ſalario dixerunt, & *refrigerare*. Tertullian. *refrigerare indigentibus*. & ἀνάψυξις in *Novellis* Juſtiniani pro ſalario. Vide Salmaſ. *ad Spartian. loc. cit.* qui etiam paulo poſt de eodem Imperatore *ægros milites in hoſpitiis vidiſſe*, addit: ubi *videre* pro *viſere* eſſe, monet Caſaubonus *ad loc. cit.* Ab *Ægris* Cubiculariorum, dictum fuiſſe, qui ægros cubiculariorum curabat, vidimus ſuprà, in voce *Ab*: Adde quæ infrà dicemus, vocibus *Infirmarium*, *Invalidi*, *Noſocomium*, *Olerim*, *Parabolani*, *Pileoſum*, ubi de *Ponderandi ratione*, *Poſtis*, *Probatica*, *Retrochorus*, *Valetudinarium* &c.

ÆGRITIA vide *Ægrimonia*.

ÆGUA, Αἴγουα, Hiſpaniæ Bæticæ urbs, non procul à Corduba, *Straboni*. Vide *Hegua*.

ÆGULA, Αἴγουλα, *Dionyſio Afro* eſt inſul. maris Cretici, Amniſo ſeptentrionalior.

ÆGUS & ROSCILLUS, Allobroges duo fratres, Abducilli filii, qui, Principatum in civitate, multis annis obtinuerunt, ſingulari virtute homines, quorum operâ Cæſar, omnibus Gallicis bellis optimâ fortiſſimâque uſus erat, à Cæſare ad Pompejum defecerunt. *Cæſ. de bello Civil. l.* 3. *c.* 59.

ÆGUSSA, *Steph.* inſul. Libyæ, quam incolæ Catriam vocant. Græcè Αἴγουσσα. Vide Bochart. *de Phœn. col. l.* 1. *c.* 27. Aliis *Æthuſa*. Vide *Æthuſa*.

ÆGY, urbs Spartæ finitima, cujus incolas (*Ægytas*) cùm Spartanis nunquam ſed ad *Arcades propenſos fuiſſe*, Lacedæmonii ſuſpicarentur, Archelaô Rege cui ex altera familia Charillus adfuit, eam exciderunt, Pauſan. *Laconicis*. Erat eô tempore Arcadum Rex Polymeſtor, quem vide.

ÆGYLA, ſive *Ægila*, vide *Ægila*.

ÆGYLOOES, ſinus circa Laconicam Plin. *l.* 3. *c.* 6.

ÆGYNA, locus eſt, in *Theſauro* Goltzii. fortè pro *Ægina*.

ÆGYPANES, Africæ populi ſemiferi, in intimis regionibus: Pomponio *l.* 1. *c.* 4. & Plinio *l.* 5. *c.* 8. Vide & *Ægipan*.

ÆGYPIUS, Anthei fil. Nomionis Nepos, in extremis habitans Theſſaliæ finibus, cùm à Timandra viduâ pecuniâ datâ impetrâſſet, ut ipſi ad ſe domum ventitanti corporis ſui poteſtatem faceret: Neophron Timandræ fil. id ægrè ferens, Ægypii æqualis, multis donis Bulidem Ægypii matrem pellexit, ut cum ea domum ſuam deducta rem haberet horam deinde maturè cognoſcens, quâ ad Timandram erat Ægypius venturus, ſuam matrem domô emiſit, inque ejus locum matrem Ægypii introduxit, ſe ad eam rediturum ſimulans: Ægypius nihil eorum, quæ machinatus erat Neophron, cognoſcens, cum matre corpus commiſcuit, Timandræ nomine. Eum ſomnô jam captum Bulis agnovit, arreptôque gladiô oculos filio eruere, & ſeipſam necare ſtatuit. Apollinis interim voluntate ſomnô Ægypius ſolvitur: intellectiſque Neophronis inſidiis, in cœlum ſublatis oculis omnia ſecum aboleri optavit: Jupiter porrò eos in volucres mutavit, factique ſunt Ægypius & Neophron ægypii (i. e. vultures) cognomines, minor tamen corpore Neophron: Bulis in mergum abiit, eique Jupiter alimentum tale deſtinavit, ut nihil terrâ editum edat, ſed tantùm oculis piſcium, avium, aut ſerpentum veſcatur: Timandra in parum eſt mutata; neque unquam eôdem locô hæ aves viſæ ſunt. Anton. Liberalis *in Metamorph.*

ÆGYSUS, Getica urbs, in ſummo montis vertice ſita, juxta Danubium: Ovid. *de Ponto l. 4. Eleg. 7. & l. 1. Eleg. 9.* Gaudentius Merula ad hunc locum ſcribit ea Plin. *l. 6. c. 7. Gypſos* hujus populos vocari: *Ægiſum Antonini* eſſe putat Ortelius, & *Ægiſum* Procopii 4. *Ædific.* in Thracia: item *Ægyſſus*, *Libro Notitiar.* quam in Mœſia Inferiori ſtatuit: hæc Mœſia enim una ex Thraciæ regionibus eſt apud poſteros ſive mediæ ætatis ſcriptores: quam & Getæ quondam habitavêre. Vide infrà.

ÆGYPSUS, urbs ad ripam Iſtri fluvii, ab *Ægypſo* conditore. Ovid. *Ponticorum l. 1. eleg. 8.*

Stat vetus urbs ripæ vicina binominis Iſtri,
Mœnibus & poſitu vix adeunda loci.
Caſpius Ægypſus (de ſe ſi creditur ipſis)
Condidit, & proprio nomine dixit opus.

vide *ibi* Nicolaum Heinſium. Rurſus *l. 4. Eleg. 7.*

Non negat Ægypſos, quæ te ſubeunte recepta
Senſit in ingenio nil opus eſſe loci.
Nam dubium eſt, poſita melius defenſa manuve,
Urbs erat in ſummo nubibus æqua jugo

Nic. Lloydius.

ÆGYPTI Paralia, locus circa Peluſium, quem latrones inhabitant. *Statius.*

ÆGYPTIA, vide *Lariſſa.* Item cognomen Minervæ, de qua vide ſuſt.

ÆGYPTIACA Πεττεία, longè operoſior & ingenioſior Palamediacâ, una cum hac Græcis in uſu fuit. Hæc enim ſolis quinque calculis, quos πεττοὺς Græci dicunt, ab utraque ludentium parte tractabatur, abſque teſſeris: illa verò tota Philoſophicè & ad rationem Aſtronomicam compoſita fuit & excogitata, quæ teſſeris calculiſque in tabula duodecim lineis exarata ludebatur, quam propterea Romani 12. ſcriptorum appellabant. Hinc narrat Plato in *Phædro* primos omnium Ægyptios inveniſſe ἀριθμόν τε καὶ λογισμὸν καὶ γεωμετρίαν καὶ ἀστρονομίαν, ἔτι δὲ πεττείας τε καὶ κυβείας καὶ δὴ καὶ γράμματα. Ubi Græci Commentatores monent, πεττείαν minimè à *Platone* deſignari Græcis uſitatam, cujus *Palamedes* auctor; Sed τὴν τῶν λογισμῶν τετράστιχον i. e. *tabulam*, quæ duodecim lineis conſcribillata curſum Solis oſtendebat per XII. Zodiaci ſigna. Atque hæc fuit omnino veterum tabula, in qua teſſeris calculiſque ludebatur: quem quidem ludum philoſophiâ multâ refertum eſſe ſic adſtruunt; tabulam enim terrenam iſtam, quam calcamus, Mundi plagam ſignificare; duodecim ſcripta, ſive duodecim lineis (δώδεκα οἴκους quidam vocârunt) XII. Zodiaci ſigna denotari per ſeptem teſſeras, quæ in pſephobolo habebantur; ſeptem Planetas repræſentari; per pyrgum, altitudinem cœli. Quem tamen ipſum ludum & hanc ipſam φιλοσοφικὴν πεττείαν pleraque Auctores non *Ægyptiis*, ſed *Palamedi* tribuunt, & ab eo primum inventam ſcribunt. *Suidas*, Ταβλα (ſic enim recentiores Græci τὸ πεττευτήριον vocant, ex Lat. *Tabula*) παιδιᾶς ὄνομα. ταύτην ἐφεῦρε Παλαμήδης εἰς διαγωγὴν τῶν Ἑλλήνων στρατοῦ, σὺν φιλοσοφίᾳ πολλῇ. *Tabula, luſus nomen: cujus inventor, Palamedes cum multâ ſapientiâ imbuit, ad oblectationem Græci exercitus*, &c. Cum itaque *Heſych.* πεττείαν ἀπὸ τῆς κυβείας diſtinguit, manifeſtò ſimplicem illam intelligit, quæ merè calculis, abſque ullo teſſerarum jactu, exercebatur: quum verò aliô locô πεττείαν interpretatur διὰ κύβων πεττείαν, de iſta duplici accipit, in qua & teſſeræ jactabantur, & ad earum jactum calculi movebantur: de qua etiam accipiendi Auctores, quotiès πεττοὺς locô κύβων, & πεττεύειν locô verbi κυβεύειν, uſurpant. *Heſych.* πεσσοὺς, πεσσοὺς, βόλους, κύβους. Inde apud Ariſtænetum *l. 1. Ep.* 23. πεσσοὶ ſunt teſſeræ: in hoc enim ludo πεσσοὶ ſunt teſſeræ; in illo altero ſimplici ſunt ψῆφοι, h. e. calculi, &c. Salmaſ. *ad Fl. Vopiſcum in Proculo. c.* 13. Plura vide infrà paſſim, inprimis in voce *Palamedes*, it. ubi de *Tabula Luſoria.*

ÆGYPTIACA Præfectura, titulus honorarius, ſine re, nonnullis conferri olim ab Imperatorib. ſolitus. Sic apud Æl. Spartian. *Hadriano.*, *c.* 7. *Dacia Turboni credita, titulô Ægyptiacæ Præfecturæ* (h. e. ait Salmaſ. inſulis Præfecturæ Ægyptiacæ) *quo plus haberet auctoritatis, ornatô.* Ubi videmus Daciæ præfectum etiam titulô hujus Præfecturæ participare Adrianum, h. e. inſignia illi deferre Præfecti Auguſtalis. Quemadmodum ornamenta Conſularia cùm alicui deferebantur, non Conſulem eum factum deſignabant, niſi titulô tantum & nomine tenus. Fuit autem hoc Tiberii inſtitutum, ut referunt Tacitus *l. 1. Ann. c.* 80. Tranquillus *in Tiber. c.* 63. provinciæ alicujus præfecturam alii deferre, nomine tenus, alii eam regendam credere. *Ægyptiacæ* verò Præfecturæ honor illis deferter, quia inter præfecturas Ordini Equeſtri proprias, Auguſtalis Ægypti præcipua fuit dignatio. Neque novum eſt, ut alicui & inſignia & ſalaria majoris ordinis virtutis ergò decernantur. Vide *Ep.* Valeriani Aug. ad Procuratorem Syriæ de honoribus Aureliani Tribuni Leg. ubi inter alia, *Hæc autem omnia idcirco ſpecialiter non quaſi Tribuno, ſed quaſi Duci, detuli, quia Vir talis eſt, ut ei etiam plura deferenda ſint.* Vide Salmaſ. & Caſaubon. *ad loc. cit.*

ÆGYPTIACA Ταριχεία, ſeu *ratio condiendi mortuos*, talis erat. Non lavabant ſolum cadavera, eaque ungebant pretioſis unguentis & faſciis involuta condebant in ſepulchro, quod de Judæis legimus, ſed exenterabant inſuper & condiebant, ut in plura ſecula ſervari poſſent. Unde hodieque *mumiæ* ſepulchrorum in Ægypto reperiuntur & eruuntur, de quibus *infra.* Sic autem odoribus condita domi apud ſe in conclavibus, ei rei deſtinatis, incluſa ligneis thecis vel loculis aſſervabant: quia periculum à fœtore nullum. Quos loculos ξυλίνους τύπους ἀνθρωποειδέας vocat *Herodotus.* Sed & θῆκαι dicebantur; unde θηκαῖον οἴκημα idem vocat. Aetius γλωσσόκομα nominat *l.* 16. Τὸν ταριχευμένον οἱ Αἰγύπτιοι ἐπὶ [illegible] θέλοντες τὸ σκήνωμα αὐτῶν φυλαχθῆναι, διὰ τὸ μὴ ἐν ταῖς θήκαις [illegible] καλύπτειν, ἀλλ' ἐν γλωσσοκόμοις. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1180. & plenius hac re infrà, in voce *Grammaticus*

ÆGYPTIACI Dies, inter Chriſtianos prohibiti, *Non obſervetis dies, qui dicuntur Ægyptiaci, aut Calendas Januarii, in quibus cantilenæ quædam & comeſſationes & ad invicem dona dantur, quaſi in principio anni, boni Fati augurio. 26. quæſt. 7. can.* 16. Prolixius de iis in *Ep.* Bonifacii Epiſc. ad Zachariam Pontif. Roman. in Tom. III. Concilior. p. 429. *col. 2. edit. Ven.* A. C. 1585. ita leguntur: *Sicut affirmant* (Porticani) *ſe vidiſſe annis ſingulis in Romana Urbe & juxta Eccleſiam S. Petri in die vel nocte, quando Calendæ Januarii intrant, paganorum conſuetudine Choros ducere per plateas & acclamationes ritu gentilium & cantationes ſacrilegas celebrare & menſas illâ die vel nocte dapibus onerare & nullum de domo ſua ignem vel ferramentum vel aliquid commodi vicino ſuo præſtare velle. Dicunt quoque, ſe vidiſſe ibi mulieres paganô ritu phylacteria & ligaturas in brachiis & in cruribus ligatas habere & publicè ad vendendum venales, ad comparandum aliis offerre.* Non obſtante enim interdictô, de quo ſuprà, manſerat hæc ſuperſtitio Romæ, uſque ad tempora Zachariæ: Imò hodieque ibidem tanta ſervorum inſolentia eſt, ut quaſi de jure ſibi debitum ejuſmodi proventum, quem *Mangia* vocant, exigant. Vide Dominic. Macrum *Hierolex.* in voce *Strena.*

ÆGYPTIACUS Sinus, Vide *Ælaniticus.*

ÆGYPTII, Belgis hodie dicuntur, qui aliàs *Zigeuni.* Vide in hac voce.

ÆGYPTILLA, gemma Ægyptia quædam, *Ugutio.*

ÆGYPTINI, Æthiopes Ægypto finitimi.

ÆGYPTIORUM Chriſtianorum Feſta, vide infrà ubi de *Coptitis.*

ÆGYPTIORUM *Murus*, Locus ſic dictus, Apamienſi agro in Syria proximus, *Straboni*, cui quoque vicus eſt inter Catabathmum & Paratonium Libyæ. *Ægyptiorum* Monaſterium ſic dictum, habetur in *Prato Spirituali*, diſtans 12. mill. paſſ. ab Anazarbo ſecundæ Ciliciæ. *Nic. Lloyd.*

ÆGYPTIORUM Sacerdotes, videantur infrà *Prophetæ.* Item *Hier. Vecchetti Ital.* quod illam regionem ultra 40. annos integros incoluit, obſervationibus cœleſtibus in cœlo nunquam nubilo, & libris Ægyptiorum Sacerdotum evolvendis continuò vacans, de quo vide Fortun. Licetum *de Veter. Lucernis l.* 1. *c.* 13.

ÆGYPTIS, regiuncula Peloponneſi eſt apud Pauſaniam *in Arcadicis*: dicit enim Carnionis fluminis fontes eſſe in Ægyptide: pro qua *Amaſæus Æpytide* vertit. *Ægyptios* populos, idem *Pauſanias* eodem in tractu nominat, pro quibus idem interpres Ægienſes ſubſtituit. Primam vocem ubique retinendam cenſet *Ortelius*, cum bis idem *Pauſanias* eam repetat; tum quòd Stephanus hujus quoque meminerit in dictione ἦλις, ubi nominat *Ægyptiam Olympiam. Nic. Lloydius.*

ÆGYPTIUM Caniſtrum, *Ægyptius fiſcus*, in mulieris ſuſpectæ judicio adhibita. Vide *Zelotypia.*

ÆGYPTIUM Mare quod Ægyptum alluit. Euſtathio *Pharium & Parthenium.* Sic quoque *Amm. Marcellin. l.* 22. *c.* 15. à Parthenio urbe, uti retulit *Ortelius.*

ÆGYPTIUS, cognomen Herculis, vide infrà.

ÆGYPTUS, Rex Æthiopum, à S. Matthæo, ut horum traditio habet, ad Chriſti fidem converſus. Marmol. *l.* 10. *c.* 13.

ÆGYPTUS, à quo Ægypto regioni nomen ſecundum quoſdam, Beli fil. & frater Danai ex Neptuno & Libya oriundus, qui cùm 50. haberet filios, totidem eos fratris ſui filiabus matrimonio conjunxit, quæ à patre Danao, cui oraculô prædictum fuerat, ab uno generorum ſuorum regnô pulſum iri, inſtructæ, primâ à nuptiis nocte ſuum quæque maritum interfecerunt, præter unam Hypermneſtram, quæ Lynceo viro ſuo pepercit,

——— —— in parentem
Splendidè mendax, & in omne Virgo
Nobilis ævum.

Uti loquitur Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 11. Vide *Euſeb.* Hygin. *Fab.* 170. Ovid. *Ep. Heroid.* 14. *Euſtathium*, &c. Lynceus autem poſtea pulſô Danaô, Argivorum regnum invaſit: & ann. 69. regnavit.

ÆGYPTUS, ex Mauſoli, Cariæ Regis, miniſtris, qui, Meletum miſſus, ad communicanda cum proditoris conſilia ferè deprehenſus fuit, ſed, quô aſtu evaſerit, vide Polyæn. *l.* 6.

ÆGYPTUS, Ciceronis libertus. *l.* 16. *ep.* 15. *Ad Tyronem.*

ÆGYPTUS Turcis *Elquibet*, Aſiæ regio (licèt à *Ptolemæo* in Africa deſcribatur) teſte Melâ *l.* 1. *c.* 9. in 2. partes dividitur. Una *inferior*, quæ & *Delta*, ad occidentem *Bechria*, & ad ortum *Erreſ* teſte Jo: *Leone*, dicitur. Altera *Superior*, vulgò *Sahid*, & olim *Thebais* dicta: eſt autem Meridiem verſus, & ad Syenen uſque procedit. De antiquitate Ægypti, ac diſciplina Sacerdotum, quos prophetas vocant, innumerabilia penè authoribus memorantur. Huc *Dædalus*, *Melampus*, *Pythagoras*, *Homerus*, *Solon*, *Muſæus*, *Plato*, *Democritus*, *Apollonius Tyaneus*, compluresque alii eruditionis gratiâ profecti, dogmata Ægyptiorum in ſuam quiſque patriam retulêre. Primi ſiquidem Artium inventores putantur Ægyptii. Dionyſius Periegetes.

Οἳ πρῶτοι βιότοιο διεστήσαντο κελεύθους,
Πρῶτοι δ' ἱμερόεντος ἐπειρήσαντο ἀρότρου,
Καὶ σπόρον ἰθυτάτης ὑπὲρ αὔλακος ἁπλώσαντο.
Πρῶτοι δὲ γραμμαῖσι πόλον διεμετρήσαντο,
Θυμῷ φρασσάμενοι λοξὸν δρόμον ἠελίοιο.

Ubi per βίου κελεύθους Scholiaſtes τὰς τέχνας intelligit. Sanè Diodor. Sicul *l.* 1. Ægyptiis ἀρχαιοτάτην εὐγένειαν tribuit, Hinc Ægyptus *Terrarum parens* appellata eſt, uti tradit *Crinitus.* Et Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 15. Ægyptum vocat *artium matrem.* Et *de Somn. Scip. l.* 1. *c.* 19. incolas ejus appellat *omnium Philoſophiæ diſciplinarum parentes.* & *c.* 21. de iiſdem, *Quos conſtat primos omnium cœlum ſcrutari, & metiri auſos.* De agricultura Ægyptiorum nos plura in *Oſiri.* De fertilitate Dionyſ.

Εὔβοτος ἐστὶ μάλιστα, καὶ ἀγλαὰ πάντα φέρουσα.

Quam tamen Nilo ſuo plurimum debet, qui

— Viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ,

Uti

Uti loquitur Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 291. Et Strabo. *l.* 17. ait, *Sterilem in Ægypto eſſe, quicquid non attigerit Nilus.* Et certè fidem huic fecerit, ſi maximè alia non ſuppeterent teſtimonia, Ægypti Encomium à veteribus uſurpatum, quò *publicum orbis horreum* eſt appellata. Hîc nomine olim Libyam potentiſſimam præ ſe contempſit Ægyptus anguſta. Unde Proverb. *Sulcus Ægypti arenas non curat Libyæ.* Quod Græcô diſtichô expreſſit Antiphilus,

Καρποῖς, ὦ ποδαμώτατε γῆ, ...
Αἰγύπτου Λιβύας ψάμμου ...

Sed non moras faciemus in re tam nota; videat ſtudioſus lector Wendelini *Admiranda Nili*: c. 21. Hujus divitias & opes oſtendunt etiam mirifica opera immortalia, ut ſunt Pyramidum vaſtiſſimæ moles, tot ſtupendæ altitudinis ex ſolido marmore Obeliſci, Coloſſi, Sfinges, Statuæ, Labyrinthi, totque Deorum delubra, quorum plura adhuc Ægyptus, quàm aliæ omnes regiones exhibet, teſte oculatô *Herodotô* ex antiquis, ex recentioribus *P. de Valle*, qui magnifica horum mirandorum rudera accuratiſſimè deſcripſit, *Itiner. tom.* 1. Fuiſſe autem Ægyptios ab initio Idolorum cultores vaniſſimos, non tantùm docent ſacræ literæ, ſed etiam profani authores affatim. Unum nomino Juvenalem, *Sat.* 15. *v.* 1. *ſ.*

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibin.
Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci,
Dimidiò magicæ reſonant ubi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piſcem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam. &c.

Poſt Chriſtum autem ex Diva Virgine natum, ex hac eadem Monachorum, Eremitarumque agmina primum enata, indeque per totum orbem Chriſtianum devulgata, ex primitivæ Eccleſiæ monumentis docetur. A priſcis incolis (inquit Bochart. *l.* 1. *Phaleg.* c. 1. Ægyptus vocabatur *Chamia*, vel *Chama*, i. e. *terra Cham.* quomodo illam appellat Pſaltes Pſ. 78. v. 51. Plutarchus *in Iſide* autem, qui ignorabat Ægyptios à Chamo ortundos, à terræ nigredine putavit ita nominari, *διὰ τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν, ὥσπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ Χημίαν καλοῦσι.* Et verò Geneſeos c. 30. ubi de coloribus pecudum Labani & Jacobi, חום *chum* pro nigro quater occurrit v. 32. 33. 35. 40. Chemia tamen potius videtur ad *Chamum* pertinere, ut & apud *Steph.* aliud Ægypti nomen compoſitum *ἑρμοχύμιος*, & in ipſa Ægypto pagi *Χέμμις, Ψόχεμμις, Ψιτάχεμμις.* Hebræi *Mitzraim* vocant, quam vocem Doctiſſimus Bochart. *l.* 4. *Phaleg.* c. 24. non nomen hominis eſſe putat, ſed regionis, ac proinde *Miſraim* credit factum per compendium ex *Meſoraim*, nam ſingulare ejus eſt מצור *Maſor*, id in ſcripturâ occurrit aliquoties. 2 Reg. c. 19. v. 24. *Siccabo plantâ pedum meorum omnes rivos Maſor*, i. e. Ægypti. Et Eſaiæ. c. 19. v. 6. *Et ſiccabuntur flumina Maſor*; ubi Kimchius, *Maſor, idem quod Miſraim.* Rurſus Michææ c. 7. v. 12. *Et à Maſor uſque ad fluvium*, h. e. ab Ægypto uſque ad Euphratem, qui ſunt termini terræ Chanaan. Porro מצור. *Maſor* eſt *munitus locus*, nomen ergo ab argumento ſumptum, neque enim ulla regio eſt naturali ſitu tutior. *Ὀχυρότητι δὲ φυσικῇ* (inquit Diodor. *l.* 1.) *...* idque probat in ſequentibus longâ inductione. Ab occaſu ſcil: deſertum habet inacceſſum, à meridie Nili Catarractas, & montes Æthiopiæ, ab ortu item eremum & barathra, & paludem Serbonidis, ab Aquilone mare importuoſum, nam ab Joppe Phœniciæ uſque ad Paratonium Libyæ nullus eſt portus præter Pharum. Hæc poſtquam pluribus docuit Diodor. ita concludit, *Ἡ μὲν οὖν Αἴγυπτος πανταχόθεν φυσικῶς ὀχύρωται.* Hæc ille *l.* 1. Et *l.* 15. de Ægyptio Nectanebi, Perſis adventantibus, *...* Ita etiam Strabo. *l.* 16. *Jam inde*, inquit, *ab initio Ægyptus fuit valde parata, ...* Sed & Ægyptus potuit dici *Maſor* ab anguſtiis, quia צור *Sur* eſt coarctari, & צר *Sar, anguſtum* ſonat. Anguſta enim eſt Ægyptus, quod omnes ſciunt, & à mari Syenem uſque tota patet in longitudinem, unde eſt quòd Ægyptios Eſaias appellat גוי ממשך h. e. *gentem in longitudinem protractam*, vel *extenſam*, c. 18. v. 2. Vox autem dualis *miſraim* docet duplicem eſſe Ægyptum, de quo ſuprà. Ægyptus etiam olim *Eeria* ſive *Aëria* dicta. Schol. Apollonii Rhodii *in illud Argonaut.* 4.

- - - - - *Ἠερίη πολυλήϊος ἠπείροιο.*

Theſſaliam ita nuncupari ait, *...* Atque vetuſtiſſimum hoc ei fuiſſe nomen volunt priſci, & antequam Ægyptus diceretur. Euſebius *in Chronico* ſub Moſis tempora *...* Ac proinde Apollinarius illud Pſalmiſtæ Pſal. 113. *In exitu Iſraelis ab Ægypto*, &c. ita vertit.

Ἀλλομένου Ἰσραὴλ ὅτ᾽ ἤλυθεν Ἠερίηθεν,
Δῶμα δ᾽ ... Ἰακώβου ...

Reſtat jam ut aliquid de Græco vocabulo dicamus. Etymologus poſtquam varias produxit hujus vocis notationes, concludit, *...* Quin & Heſychius *Αἰγυπτιάζειν* denigrare interpretatur. Videatur quoque Scaliger in Feſtum, voce *Ægyptini.* Iſychius quoque *ad Levit.* c. 3. v. 6. *Ægyptus*, ait, *contenebratio vocatur*, unde *Æthiopes Stephanô & Euſtathiô* dicitur. Verùm de hoc re audiamus Doctiſſimum virum *Simpſonium.* Sic enim ille, Ægyptus *Αἴγυπτος* Græcis dicta, non à Danai fratre *Ægypto*, ut communis fuit opinio, ſed ab illa Thebaidos urbe *Coptos*, quæ Ægypti tum & Arabum commune emporium fuit, ut refert Plin. *l.* 6. *c.* 23. Hinc tota illa regio *Κόπτος* Koptos, dicta fuit. Nam Ebræis אי *ai*, eſt inſula, provincia, unde forſan *αἶα* Græcorum. Poſtea verò pro *Αἴκοπτος* dicta eſt *Αἴγυπτος*, nam κ & γ ſunt literæ commutabiles, ut in *Καβιος*, *Gabius* &c. Vide *Coptos*, & de nomis Ægyptiorum, in *Nomi.* Ægyptus à fulminum caſu eſt immunis ob nimium ſolis ardorem; ſiquidem calidi ſiccique terræ halitus in raras admodum tenuiſque, & infirmas nubes denſantur. Plin. *l.* 2. *c.* 50. Siquidem in Ægypto non pluit. Zachariæ c. 14. v. 18. *Quòd ſi familia Ægypti non aſcenderit, neque advenerit, ſuper quos non eſt imber.* Claudian. *Epigr.* X. *de Nilo.*

Felix qui Pharias proſcindit vomere terras,
Nubila non ſperat tenebris condentia cælum,
Nec graviter flantes pluviali frigore Coros
Invocat, aut arcum variatâ luce rubentem.
Ægyptos ſine nube ferax, imbreſque ſerenos
Sola tenet, ſecura poli, non indiga venti.

Tiball *l.* 1. *eleg.* 7.

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec pluvio ſupplicat herba Jovi.

Lucan. *l.* 4. *v.* 446.

Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis, in ſolo tanta eſt fiducia Nilo.

Inde *hiulca* Statio, ob nimiam ſiccitatem deducta. Locus eſt *in Theb.* *l.* 4. *v.* 708. *ſ.*

Et patris undoſi ſonitus expectat hiulca
Ægyptos, donec Phariis alimenta rogatus
Donet agris - - - - - - - - - - - -

Eam ob rem Ægyptus Melæ *l.* 1. *c.* 9. *terra expers imbrium* dicitur. Seculi autem noſtri admiratores, & hoc quoque antiquorum ſimplicitati adſcribunt. Unâ omnes voce contendunt, imbres in Ægypto non minus frequentes eſſe atque alibi locorum. Alexandriæ enim & in itinere Memphim verſus, pluvias ſe expertos eſſe continentes, oculati & complures teſtes affirmant. Sed deſinant rogo, boni viri non veteribus, ſed ſibi illudere. In inferiori Ægypto, quæ mari vicina eſt, nonnunquam pluvias deſcendere, non illos fugit. Proclus *in Timæum l.* 1. *Εἰ δὲ γίγνεταί ποτε ὄμβρος περὶ τὴν Αἴγυπτον, ἀλλ᾽ οὐ περὶ πᾶσαν, ἀλλὰ περὶ τὴν κάτω γίγνεται λιβάδων.* Vide Voſſ. *ad Melam.* p. 49. & infra. De Ægypto ſic *Baudrandus*: *Ægyptus*, eſt Africæ regio celeberrima, non autem Aſiæ, ſub poteſtate Turcarum ab A. C. 1517. A. Gallis *l' Egypte* dicitur, ab Italis & Hiſpanis *l' Egitto*, Indigenis *Chibib*, Arabib. *Bardamiſſer*, Extenditur à Septentrione in Meridiem, per 500. mill. paſſ. nempe à mari Mediterraneo uſque ad Syenem. Eam interfluit Nilus fluv. cujus inundationibus annuis fœcundatur. Ab Oriente habet deſerta Arabiæ, ab Occidente Libyam, à Meridie Æthiopiam, & à Septentrione mare Mediterraneum. Habet primariam urbem Cayrum ad Nilum ampliſſimam, & aliàs Sultanorum Regiam. Ægyptios tanquam viles & ſordidos, onera inſtar aſinorum corpore vectare ſolitos *Suid.* ſcribit, Unde apud *Ariſtoph.* *Ægyptum laterifer*, vide infrà. Eam juxta Kircherum à Septentrione diſtendunt Mediterraneum pelagus atque Nili oſtia: ab Ortu Erythræi maris cingulum concatenatis veluti montibus in Æthiopiam uſque extenſum: à Meridie horrida catarractarum præcipitia: ab Occaſu cùm ſabuloſus Libyæ Oceanus, tum continuata montium ſeries, Erythræis fere parallela, in explicatæ faſciæ formam, juxta *Strab.* aut meliùs, in extenſi brachii figuram, cujus manum ſeu palmam Delta Niloticum refert, & variâ fluminis divaricatione, veluti manum in digitos diſpeſcit. Diviſa olim fuit in 40. Nomos ſeu Præfecturas: Poſtea in *Inferiorem*, quam Geographi *Delta* appellant, *Mediterraneam & Superiorem.* Pinguedo ſoli tanta, ut incolæ ejus luxuriam arenâ ſolo mixtâ temperare cogantur. Ejus hiſtoria hæc: Priniorum Regum Dynaſtias, exhibet Kircherus *Oedip. Tom.* I. *Synt.* I. In deletis Perſæ ſceptrum regni hujus capeſſiverunt? Inde, intercedentibus pauciſſimis, & tributariis Perſarum, ad Ptolemæos devolutum eſt & partem Quartæ Monarchiæ conſtituit. Expiravit deni regnante *Cleopatrâ*, & provincia Romanorum eſſe cœpit; vide infrà ubi de *Comite Ægypti* ac diviſo horum Imperiô Græcis paruit, uſque ad A. C. 704. quô *Ægypti* denuo ſibi Regem creârunt, è genere Muhammedico, quem *Calipham* dixêre: à quo deinde & Succeſſores ejus hoc ſumpſêre nomen, uſque ad A. C. 1053. quô Almericô Chriſtianô, Hieroſolymorum Rege Calipham urgente, ille Sultani Syriæ Regis auxilium imploravit, à quo miſſus Sarracô, pulſis Chriſtianis, Calipham ſimul in vincula conjecit Regnumque uſurpavit, jubens ſe in poſterum, non Regem, ſed à Principis ſui nomine *Sultanum* vocari. Sic nomen hoc ibi primùm auditum, & poſtea inter ſervos, qui regnum ad ſe traxêre, ac tandem Mammeluchos conſervatum eſt, uſque ad A. C. 1517. quô in fidem acceptô, ſed paulò pòſt ab ea recedente Sultanô Tommanbajô, Selimus Turcarum Imperator *Ægyptum* iterum in provinciam redegit, Tommanbajum verò Alcairi publicè ſuſpendiô peremit. Vide P. Martyr. *Leg. Bab. l.* 3. Leunclav. *Pand.* *n.* 27. *&c.* Et de rebus Ægyptiacis pleniſſimè diſſerentem Athan. Kircherum *in Prodromo Ling. Copticæ* & *Oedipo Ægypt.* ac *Obeliſco Pamphylio*, Sed præcipuè Joh. Marshamum Equ. Anglum *Canone Chronico*, ubi intervallum à diluvio MCCCCC. annorum, ad res Ægypti pertinens, in duas partes diſtinguit: quarum prior continet annos DCC. ab initio *Menis* uſque ad incurſionem *Paſtorum*, quô temporis ſpatiô, *Ægyptus* in diverſas partita Dynaſtias, (*Thebanam*, cujus caput Thebæ Ægypti ſeu Dioſpolis: *Superioris Ægypti*, cujus metropolis Memphis; *Inferioris Ægypti*, cujus præcipua urbs Heliopolis) & ſecurâ pace potita, neque bellum cum exteris, neque commercium exercuit; poſterior alteros DCC. annos perſequitur, ad adventum *Paſtorum*, ad expeditionem Seſoſtris in Aſiam, quibus temporibus Ægyptus à Paſtoribus diutiſſimè oppreſſa, tandem à ſervitute liberata in Monarchiam coaluit. Poſt quæ res Ægypti ſplendidiſſimas refert, & Imperium ampliſſimum *Seſoſtris* ad ſucceſſores tranſmiſſum.

[illegible] : [illegible] , mutatâ formâ, alteram Ægypti ſervitutem [illegible] Πολυπραγμοσύνη ; adque ſuo temporis ſatis continuô, Hiſtoriæ autem ſtyl[illegible] ſæpius interruptô, non quidem per Annales ſed [illegible] [illegible]turias, ob materiæ penuriam. Tandem accuratiore [illegible] Chronologiâ, res Græcas per Olympiadas, res Orientis per ann[os] Nabonaſſaræos digerit. Regnum Ægyptiorum inſtauratum, peſſ[um] datas Hebræorum fortunas, Aſſyriaca, Babylonica, Medica, L[y]dica, Medo-Perſica percurrit, donec tandem in Perſarum poteſtatem omnia hæc devenerunt. De quo Opere judicium Eruditi orbis vide in *Præf.* editioni Lipſienſi annô 1676. præfixa. Adde dicenda, voce *Bubaſtus*, *Elephantine*, *Heliopolis*, *Memphis*, *Miſi Sais*, *Thebæ Æg.* *Tris* &c.

Urbes Ægypti claræ: quarum clariores aſteriſco notantur.

Abydus epiſcopalis. * Alexandria patriarchalis. Anthedon. Antinopolis epiſcopalis. A[illegible]nce.
* Babylon nova. Be[illegible]ence. Bubaſtus. Buſiris epiſcopalis.
Can[o]bus ſeu Canopus. Caſium. * Coptos epiſcopalis.
Dionyſias. Dioſpolis magna. Dioſpolis parva.
Gerra.
Heliopolis epiſcopalis. Hermopolis epiſcopalis. Heroopolis.
* Lycopolis epiſcopalis.
Mendes. * Memphis. Myſormus.
Naucratis epiſcopalis. Nilopolis epiſcopalis.
Oſtracine epiſcopalis.
* Peluſium epiſcopalis. Pharos. Ptolemais ad Nilum. Altera ad ſinum Arabicum.
Rhinocorura epiſcopalis.
Sais epiſcopalis. Sebennytus epiſcopalis. * Syene epiſcopalis.
Tanis epiſcopalis. Tentyra epiſcopalis. * Thamiatis epiſcopalis.
* Thebæ. Thmuis epiſcopalis.

Nunc pro majori parte interiêre; & partes Ægypti à Nilo fluvio remotiores ferè incultæ jacent, præſertim verſus Libyam.

ÆGYPTUS, peculiaris quædam Ægypti regio, in *Libr. Notit.* qui eam in 6. Provincias dividit, quarum hæc una. Vide *Coma*. Populi verò ſeu incolæ totius Ægypti, *Ægyptii*, qui apud ſe ab orbis primordio primos homines fuiſſe ferunt, cum propter ſoli fertilitatem, aëriſque temperiem, tum propter Nilum, qui multa ob limi ubertatem generat animalia, & ſuâpte naturâ nutrit. Nam in Thebaidos agro gignuntur mures, quâ ex re multùm ſtupent homines, cùm priorem quorundam partem, pectore tenus animatam, in limo moveri videant, poſteriori nondum inchoatâ, ſed informi. [De quo Ovid. *Met. l.* 1. *fab.* 8. *v.* 422.

Sic ubi deſeruit madidos ſeptemfluus agros
Nilus, & antiqua ſua flumina reddidit alveo,
Æthereôque recens exarſit ſidere limus,
Plurima cultores verſis animalia glebis
Inveniunt, & in his quædam modo cœpta ſub ipſum
Naſcendi ſpatium quædam imperfecta, ſuiſque
Trunca vident numeris: & eodem in corpore ſæpe
Altera pars vivit; rudis eſt pars altera tellus.

Mela *l.* 1. *c.* 9. *Nilus glebis etiam infundit animas, ex ipſaque humo vitalia effingit. Hoc eo manifeſtum eſt, quòd ubi ſedavit diluvia, ac ſe ſibi reddidit, per humentes campos quædam nondum perfecta animalia, ſed tum primum accipientia ſpiritum, & ex parte jam formata, ex parte adhuc terrea viſuntur.* Verum hoc eſſe ſuô quoque ſuffragiô comprobat Plinius, & murium exemplô oſtendit *l.* 9. *c.* 58. *Omnibus his*, inquit, *fidem Nili inundatio affert, omnia excedentem miracula: quippe detegente eâ muſculi reperiuntur, inchoatô opere genitalis aquæ terræque, jam parte corporis viventes, noviſſima effigie etiamnum terrenâ.* Teſtis etiam Diodor. Sic. *l.* 1. *c.* 2.] Verum Pſammeticho regnum adepto, cùm inceſſiſſet cupido dignoſcendi, qui reverâ primi hominum extitiſſent, ex eo tempore didicerunt Ægyptii, Phrygas fuiſſe primos, ſe verò ſecundos. *Diod.* & *Herod.* vide etiam hac de re hiſtoriam feſtam & lepidam in *Pſammeticho*. Ut & hæc addam: Ægyptum pleriquæ volunt Nili fluminis invectu paulatim fuiſſe aggeſtam, ac proinde illam *Ephorus* appellat ποταμόχωστον; *Herodotus* ἐπίκτητον γῆν. & δῶρον τοῦ ποταμοῦ. *Ariſtot.* τοῦ ποταμοῦ ἔργον. Atque ex eo ipſo Æthiopes ſeſe Ægyptiis antiquiores eſſe probabant, quòd cùm Ægyptus olim eſſet mare, tandem τοῦ Νείλου [illegible] ἐκ τῆς Αἰθιοπίας ἰλὺν καταφέροντος, *N[ilo] per exceſſus ſuos limum ex Æthiopiâ ferente*, facta eſſet terra continens. Cui rei probandæ multa afferunt. 1. Quoties Nilus abundat limi alluvionibus, cedere pelagus & removere nonnihil. 2. In Ægypti montibus conchylia reperiri. 3. puteos & fontes quotquot ſunt [illegible] habere & amaram aquam, ac ſi reliquiæ maris in iis ſubſederint. 4. Denique Pharum inſulam, hodie ſolùm 7. ſtadiis aut ſummum mill. paſſ. ab Alexandriâ diſparatam, Homeri verò [illegible] noctis & diei curſu ab Ægypto diſtâſſe, ut idem teſtatur, Od. δ. v. 356. Conſtat tamen, Ægyptum ſemper in eodem fuiſſe ſitu; nam ut cætera taceam, Tanis Ægyptiorum olim regia non procul à Tanitico, Nili oſtio, jam extabat tempore Moſis. Pſal. 78. v. 1[2]. Q[uæ mirabili]a fecit in terra Ægypti, in campo Taneos. Quin antiquiſſima urbs, in quâ decimus à diluvio Abrahamus diu vixit, Gen. c. 13. v. 18 & c. 23. v. 2. non niſi ſeptennio ante Tanim fuit condita, Num. c. 13. v. 22. Itaque fabularis hiſtoria Iſidis, & Ori, & Oſiridis, quâ nihil antiquius habent Ægyptii, multorum meminit locorum in infima Ægypto, ut quæ illo ævô jam extiterint. Sic in Plutarcho *de Iſide, & Oſiride* legas, arcâ incluſum in mare fuiſſe dejectum, διὰ τοῦ Τανιτικοῦ στόματος, *per Nili oſtium Taniticum*, & poſtmodum à Buſiride ſepultum, haut ut alii volunt, Taphoſiride; Et Orum Buti educatum, & Peluſium oppid. ab Iſide conditum. Sed & Trojanis temporibus creditur Menelaus Canobum appuliſſe, unde Pharus aberat ſolùm 127. ſtadiis. Itaque falſiſſimum eſt, quod ab Homero *loc. cit.* traditur, à Pharo in Ægyptum noctis & diei curſum fuiſſe, adeoque curſum navis,

—— ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν,
—— Stridens quam ventus pone ſequatur.

Navis enim integrum diem ventô ſecundô procedens, eòque ſtridente & acri, nec emetitur decuplô longius, i. e. pro centum & viginti ſtadiis, ſtadia mille & ducenta. Id lectorem malo docere Ariſtidis verbis in *Oratione Ægyptiacâ*: [illegible] Sed neque Ægyptum quicquam ex Nili alluvionibus conceſſerim; id enim quicquid eſt, facilè diſſipat continua maris agitatio. Proinde cùm Alexandria ſtet ab annis ferè bis mille, tamen ſemper eſt litorea, & quantum à Pharo diſtabat olim, tantum hodieque diſtat, nempe ſtadia 7. aut, ut alii, mill. paſſ. Ariſtides *ubi ſupra*: [illegible] Amm. Marcellin. *l.* 22. *c.* 16. *Inſula Pharos, ubi Protea cum Phocarum gregibus diverſatum Homerus fabulatur inſulſus: à civitatis litore mille paſſibus diſparata.* Hæc Veteres. Nihilo magis credo, quod habet Plutarchus *in Iſide*, omnes Ægypti fontes, & puteos eſſe amaros. Fontem Solis prope Heliopolim multi deſcribunt; ſed amarum eſſe nullus obſervat, ut neque quenquam alium in Ægypto, quod quidem ſciam. Jam quod de conchyliis in ſummitate montium præter *Plutarchum Herodotus* etiam tradit, malo referre ad ſigna generalis inundationis, quæ in diluvio contigit. Quo mirè faciunt hæc Theophraſti *apud Philonem de mundi perennitate*: [illegible] h. e. *priſtinæ inundationis ſigna ſupereſſe calculos, & conchas, & quæcunque hujus generis alluente mari ſolet ad litus ejici.* Itaque etiam in Numidia Pomp. Mela *l.* 1. *c.* 6. aliquid obſervat ſimile. *Interius*, inquit, *& longe ſatis à litore (ſi fidem res capit) mirum admodum, ſpinæ piſcium, muricum, oſtreorumque fragmenta, ſaxa attrita (uti ſolent) fluctibus, & non differentia marinis, infixæ cautibus anchoræ. Alia & hujuſmodi ſigna, veſtigia effuſi olim uſque ad ea loca pelagi, in campis nihil alentibus eſſe inveniriqve narrantur.* Et Ovid. *Met. l.* 15.

- - - - Vidi factas ex æquore terras,
Et procul à pelago conchæ jacuere marinæ,
Et vetus inventa eſt in montibus anchora ſummis.

De Ægyptô plura qui volet, præter Geographos, Auctoreſque retro laudatos, *Herodotum*, *Diodorum*, *Plutarchum*, *Ariſtidem*, *Heliodorum* conſulat. Ex recentioribus adde P. de Valle, *Itinerar. tom.* 1. qui, paulo poſt initium ſeculi hujus, inter alias regiones diſſitas, hanc quoque ſolicitè perluſtravit, eamque exactiſſimè deſcripſit; Ut alios omittam. Partes ejus ut dictum, à Nilo fluvio remotiores ferè incultæ nunc jacent, præſertim Libyam verſus, cùm olim numeraret 20000. Urbium & ultra. Ad incolas ut redeam, admirabiles adeò fuêre in nectendis machinis Ægyptii, ut hunc tractum ſuerit proverbium,

Δεινοὶ πλέκειν τοι μηχανὰς Αἰγύπτιοι.

De verſutis, & ut ait Plautus *in Pſeud. Act.* 1. *ſc.* 5. conſutis dolis dictitatum. Torqueri poteſt & in perplexas ſophiſtarum argutias, ac ſyllogiſmorum inexplicabiles labyrinthos, aut in Sycophantas & delatores, qui vera falſis permiſcendo, nectunt calumnias. Ægyptii præterea, quòd geſtandis oneribus quæſtum non ſatis honeſtum factitare conſueverint (unde & Ἀχθοφόροι dicti) in jocum proverbialem abierunt, hôc adagiô,

Οὖς ἂν ἀγγαρεύσας ἴδοις Αἰγύπτιος.

De moleſtis dici ſolitum, ac moribus intolerandis, ſeu faſtu præturgidis. *Suidas.* Hinc affine eſt, *Ægyptius laterifer*, Αἰγύπτιος πλινθοφόρος Ariſtoph. *in Avibus*. Quadrare videtur in ſordidum, atque infimæ ſortis hominem, vel potius in eum, qui moleſtis negotiis (putà LEXICIS CONFICIENDIS) premitur. *Nic. Lloydius.* Sed & Ægyptios *vanum genus, & novandis, quàm gerendis rebus aptiorem* vocat Q. Curtius *l.* 4. *c.* 1. Syneſius *in encomio calvitii* per tranſlationem Αἰγυπτιάζειν pro *doloſè agere* uſurpat. Strabo *l.* 17. [illegible] vocat, *homines imbelles*, h. e. ad rem gerendam ineptos. Polybius *l.* 15. ait, eſſe *hoc Ægyptiis hominibus innatum, ut dum fervent irâ, mirum in modum ſint crudeles.* Plinio *in Panegyrica c.* 31. appellantur *ventoſa & inſolens natio*. Philo *in Flaccum* ſcribit, eſſe Ægyptios naturâ irritabiles, & è minima ſcintilla ſuetos magnas ſeditiones accendere. Et Vopiſcus *in Saturnino*: *c.* 7. *Sunt Ægyptii viri ventoſi, furibundi, jactantes, injurioſi, atque adeò vani, liberi, novarum rerum uſque ad cantilenas publicas cupientes*; Et mox ex epiſtolâ Adriani *c.* 8. *Ægyptum totam didici levem, pendulam, ad omnia famæ momenta volitantem* &c. *Genus hominum ſeditioſiſſimum.* Ergo Suetonio *in Cæſ. c.* 35. teſte, veritus eſt Cæſar *Ægyptum provinciam facere, ut quandoque violentiorem præſidem nacta, novarum rerum materia eſſet.* Plura ſuggerent Geographi, *Ptolemæus*, *Strabo*, *Plinius*, *Pomponius Mela*, *Solinus*, *Ortelius*, *Mercator*, *Cluverius*, *Bertius*, *Merula*, *Maginus*, *Sempilius*, *Golnitzius*, *Sanſo & du Val*: Hiſtorici, *Herodotus*, *Diodorus Siculus*, *Ammianus Marcellinus*, *Polybius*, *Juſtinus*, *Diogenes Laertius*, *Manetho & Beroſus*, *Joſephus*, *Appianus Alexandrinus*, *Procopius*, *Jac. Vitriacenſis*, *Naugius*, *Leunclavius*, *Tornellus*, *Salianus*, *Hiſtoria Caliſiarum*, *Godofredus*, *P. Jovius*, *Maſſæus*, *Capellus*, *Marmolius*, *Martbadius*, *Haito*, *Davity*, & jam ſuprà dicti Philologi, *Philo Judæus*, *Cicero*, *Ariſtoteles*, *Jamblichus*, *Lucianus*, *Cl. Alexandrinus*.

Euſebius, *Plutarchus*, *Macrobius*, *Suidas*, *Ælianus*, *Cæl. Rhodiginus*, *Pierius &c.* Chronologi, tandem aliique, *Petavius*. *Scaliger*, *Calviſius Ricciolus*, *Cenſorinus*, *Pouletus*, *Mouconis*, *Thevenotus*, *Gyraldus*, *Pigafetus*, *Villamontius*, *Radzivilius*, *Palerius*, *Mantegazzius*. *Vinc. le Blanc*, *Belonius*, *Jarricus*, *Joh. Leo.* & ſupra omnes prælaudatus *Marshamus*.

ÆGYPTUS, inter antiqua Nili fluv. nomina: Homero Αἴγυπτος, Od. ξ. v. 258. an quod ὑπὸ τὸ αἰγὸς ὑπτίου, *ſub Capricorno* ſupinus, ut *Goropio Becano* placet? vide Euſtathium τὸν Παρεκβολῶν *in Homerum*.

ÆGYRA, vide *Ægira* & *Lesbos*.

ÆGYRPANI, vide *Ægypana*.

ÆGYS, Αἴγυς urbs Laconica. item Arcadiæ locus. Vide Steph. *in Caryſto*.

ÆGYSSUS, vide *Ægypſus*.

ÆGYSTUS, fil. Phiſthenis, Clytemneſtræ adulter, occiſo ejus marito Agamemnone, Regnum Mycenarum invaſit, ſed ſeptennio pòſt, A. M. 2878. ab Oreſte, fil. Agamemnonis, unà cum adultera, occiſus eſt, Vell. *l.* 1. *c.* 1. Euſeb. *in Chron.* Hyginus, *Fab.* 117. 244. *Euripid.* Ovid. *l.* 1. *de Remed. Amor.* v. 161. De hoc tritum illud:

Quæritur Ægyſtus, quare ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat. Vide *Ægiſthus*.

ÆIANES, Græciæ populos habet Pauſan. *in Phoc.* Cnemidis montis accolas forè. *Ænianes* mavult legere Ortel.

ÆLANA, urbs Arabiæ Petrææ ad intimum ferè ſinûs Arabici receſſum, ubi *ſinus Ælaniticus*, à Sina monte 60. mill. paſſ. diſtat. *Stephano* Αἰλανοῦς dicitur. Glaucus *vicum* appellat, Arabicorum *l.* 3. *Eilat* hodiè, teſte *Villanovano*, *Aila* vero *Nigro*. Ἐλανίτης μυχὸς dicitur *Ptolemæo*, quem Plin. *l.* 6. *c.* 28. ſcribit, aliis *Ælenaticum*, ab *Artemidoro Aleniticum*, & à Rege Jubâ *Leniticum* nominatum. *Leanites Agatharchidi* dicitur. Vide Bochart. Geogr. *Sacr. p.* 761. itemque Lipenium *De navigatione Salomonis Ophiritica*, *Sect.* 2. *p.* 115. longitud. 65 00. latitud. 29. 51.

ÆLAS, Suburbanum Carthaginis. Procop. *l.* 2. *Wandal.*

ÆLBURGUM, urbs epiſcopalis in ea parte Daniæ, quæ *Cimbrica Cherſoneſus* olim, hodie *Juslandia*. Dicta ab anguillis, *Aalen* German. quarum commercium ibi ingens. *Mercat. Davity*.

ÆLESHAMIA, oppid. Angliæ in Norfolcia provinc. Diſtat à mari German. 8. milliar. Angl. & totidem à Norvico.

ÆLETANI, populi intra Iberum, uſque ad montem Pyrenæum, & Pompejana Tropæa habitantes. Strabo *l.* 3. Vide *Laletani*.

ÆLIA & Helia, duæ gentes Romanæ, quæ cùm à plurimis confundantur, factum, ut in libris etiamæ vetuſtatis, ubi de Adriano Imperatore ſermo, *Helius*, non *Ælius*, ſcribatur. Sic *Helius* Verus, *Helius* Spartianus, *Helius* Lampridius, in iiſdem ſemper. Cùm de nomine e. g. Adriani vel ideo ambigi non poſſit, quòd *Æliam* urbem & alia multa ejuſdem appellationis loca, ab eo, conſtet eſſe denominata. Mirum verò, quod Græcorum vetuſtiſſimi Critici de hoc nomine obſervant; quia Hadrianus dicebatur *Ælius*, propterea & cæteros Auguſtos *Ælios*, & Auguſtas *Ælias* appellari. *Orion*: Αἴλιος ὁ Ἀδριανὸς βασιλεὺς ὠνομάζετο. ὅθεν Αἴλιοι χρηματίζουσιν οὗτοι καὶ Αἰλίαι, αἱ βασιλίδες, *Ælius Adrianus vocabatur*; *unde ab ipſo Imperatores Ælii & Imperatrices Æliæ audiunt*. Quod ut verè de Imperatoribus ſui temporis dixerit Orion; qui juvenis ſub Hadriano (cui & panegyricum ſcripſerat) proximos tantùm Auguſtos vidit, quos ſcimus Hadriani nomen aſſumpſiſſe: at de uxoribus Imperatorum excuſari via poteſt. Cùm neque Sabina *Hadriani* neque Lucilla *Ælii Veri*, neque Fauſtina *Antonini Pii*, aut altera Fauſtina *Marci*, *Æliæ* reperiantur nominatæ, neque in ſcriptis hiſtoriis, neque in ſculptis lapidibus aut nummis. Caſaubon. *ad Spartian. in Hadriano. c.* 1. Vide quoque in voce *Ælius*.

ÆLIA, nomen urbium haud paucarum, quas *Ælias Hadrianas* appellavit Adrianus Imperator, quorum & in ſcriptis veter. & in ſaxis adhoc memoria durat. Imò etiam non defuêre aliæ, quæ per ambitioſam levitatem *Hadrianopoles* aut *Ælias* ſeſe ultro indigitarent. Erat enim illis temporibus uſitatiſſimum hoc adulationis genus, quò novorum ſemper Auguſtorum gratiam civitates captabant: quod obſervat Dio, carpitque; notans, in poteſtate Senatûs hoc fuiſſe antea, non in arbitrio civitatum, *quas jam videas*, inquit, *nominibus*, *quæ ſibi ipſæ pro libidine imponunt*, catalogos nominum ſuorum contexere, *l.* 54. Idem *ibid.*

ÆLIA, vide *Eleazama* & *Hadrianopolis*. Sed & *Ælia*, Jeruſalem cognominata, quòd eam *Ælius* Adrianus Imperat. Roman. reſtaurari curavit. *Steph.*

ÆLIA Aug. Mercurialis Thænitt. Vide *Thenæ*.

ÆLIA Capitolina, colonia, vide *Hieroſolyma*.

ÆLIA Adriana, urbs Africæ, vide *Zama*.

ÆLIA Catulla, nobiliſſima & ditiſſima matrona, quæ annos octuaginta nata, in ludis à Nerone inſtitutis ſaltavit. *Xiphilinus*.

ÆLIA Lex, lata à Q. *Ælio* Tuberone Tribuno plebis, P. Corn. Scipione Afric. 2. T. Sempronio Longo Conſulib. ann. 559. Urb Cond. voluit: *Ut Latinæ coloniæ duæ, una in Brutios, altera in Thurinum agrum deducerentur*. Liv. *l.* 34. & 35. Alia à Q. *Ælio* Pæto Conſ. cum M. Junio Penno ſancita, an. Urb. Cond. 598. hæc fuit: *Ut quoties cum populo ageretur, Augures de cælo ſervarent, Magiſtratu & obnunciandi & legiſlationis intercedendi poteſtatem haberet*. Hujus, ut & Fuſiæ, crebra apud Auctores mentio eſt. Fuit & lex, *Ælia Sentia*, lata à Sexto *Ælio* Cato, C. Sentio Saturnino Conſulib. an. Urb. cond. 756. *Ut, qui ſervi pœnæ cauſa vincti à Domino, quibuſve ſtigmata nota fuerant, quive propter noxam torti nocentesve inventi, quive traditi, ut ferro aut cum beſtiis pugnarent, quive in cuſtodia fuiſſent, ſi manumitterentur, non cives Romani, ſed dedititiorum numero eſſent*. i. e. ut ne connubium, neque commercium, neque teſtamenti factionem haberent, Dempſter. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 15.

ÆLIA Petina, è familia Tuberonum, Claudii Cæſaris uxor, ex qua Antoniam genuit, ſed repudiata, inductâ Meſſalinâ.

ÆLIA Ricina, ſeu potiùs *Helvia Ricina*, urbs Piceni exciſa; ex cujus ruinis *Macerata* urbs Epiſcopalis condita eſt. *Ferrarius*. Ei exciſæ ſucceſſit *Recinetum*, urbs Epiſcopalis Piceni in colle, & in ditione Pontificia, 6. mill. paſſ. ab ora maris Adriatici.

ÆLIÆ Calendæ, occurrunt apud Æl. Lamprid. *c.* 12. *in Commodo*, *Aſſumtus eſt in omnia Collegia Sacerdotalia Sacerdos*, *XIII. Calendas invictas*, *Piſone & Juliano Conſulib. Profectus in Germaniam* XIV. Calendas Ælias, *ut poſtea nominavit iiſdem Conſulib.* pro *Calendis Junii*. Cùm enim Commodus nova menſibus nomina impoſiturus iret, uti Januarium Ἀμαζόνιον, Februarium Ἀνίκητον ſeu *Invictum* &c. ſic Junium *Ælium* appellaſſe legitur, apud *Dionem*. Vide Salmaſ. *ad dict. loc.*

ÆLIANA, Ponti urbs. In *Libro Notit.*

ÆLIANUS, cognom. *Claudius*, Prænestе oriundus, Sophiſta Romanus, à Philoſtrato maximè laudatus, quòd Romanus homo tam probè Atticiſſaverit, tamque eleganter peregrinam à patriâ vocem remouerit. Scripſit De Animalibus, De Varia hiſtoria; De Re militari, quæ omnia ad nos pervenêre. Fuit auditor Pauſaniæ ſub Adriano Imperatore, Græcis ob eloquentiam Μελίγλωσσος, & Μελίφθογγος dictus, itemque *Facundus* à Martiale *l.* 12. *epigr.* 24.

O jucunda, Covine, ſolitudo,
Carrucâ magis, eſſedóque gratum
Facundi mihi munus Æliani.

Vide *Suid.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 11.

ÆLIANUS Lucius, vide *Lucius*.

ÆLIANUS Meccius. Italus Medicus, qui peſtilentiâ ingruente, author fuit, ut theriacâ uterentur homines: eâ multos ſervavit, plurimos præſervavit: eum commendat Galenus *l. de Uſu theriacæ*, ob experientiam & humanitatem.

ÆLICE, vide *Lalice*.

ÆLIEORUM, αἰλιέων, & *Æliotorum*, αἰλιωτῶν, meminit *Theſaurus* Goltzii ex nummis: ab αἰλίῳ, vico Arabiæ Felicis, ut ſuſpicatur *Ortelius*, ejus quoque apud *Ptolemæum* memoria eſt

ÆLIOPOLIS, vide *Peluſium*.

ÆLIOTORUM, vide *Æliorum*.

ÆLIUS, & ÆLIA, nomina ſunt propria Romanorum, carent aſpiratione; Perottus *de Eliorum familia*. Quæ Romæ admodum pauperrima fuit, adeò ut ſedecim eodem tempore Ælii fuerint, quibus una domuncula erat, ubi nunc ſunt *Mariana monumenta*, & unus in agro Vejentano fundus. Eadem gens nullum antè ſcrupulum argenti habuit, quàm Paulus, Perſeo rege devicto, Quincto Ælio Tuberoni genero ſuo quinque pondo argenti ex præda donaret. Val. Max. *l.* 4. *c.* 4. Hinc *Ælia ſeries* pro Æliorum familia. Claudian. *in laud. Serenæ*, Hiſpaniam alloquens;

Dives equûm, frugum facilis, pretioſa metallis,
Principibus fæcunda piis, tibi ſæcula debent
Trajanum, ſeries his fontibus Ælia fluxit,
Hinc ſenior pater, hinc juvenum diademata fratrum.

Videatur *Athenæus*, *Cordus*, *Maurus*, *Sabinus*, *Verus*, &c.

ÆLIUS, Miles quidam Romanus qui lethali morbo correptus, ut fortiter moreretur, ſibi ipſi manum intulit.

ÆLIUS Adrianus, Romanus Imperator. Vide *Adrianus* & *Hadrianus*.

ÆLIUS Adrianus, Afer, Adriani Imperatoris, *conſobrinus Trajani Imperatoris* fuit, Spartianus in *Adriano c.* 1. Nempe Ælio Ælii Hadriani Imperatori avo conjux fuit Ulpia, *M. Ulpii Trajani* ſoror, Trajani Auguſti amita: hinc Trajanus Imperator & pater Hadriani Cæſaris ut ex fratre & ſorore nati amitini invicem fuerunt; quos etiam *conſobrinos* nominare Latini aſſuevêre, ut & JCtus notat. Junxit is ſibi Domitiam Paulinam Gadibus ortam, atque ex ea Hadrianum genuit Imperatorem & ſororem ejus Paulinam, nuptam Serviano. *Ibid.*

ÆLIUS Antoninus Pius, vide *Marcus*.

ÆLIUS Catulus, vide *Sextus*.

ÆLIUS Celſus, inter Nobiles Senatoreſque, juſſu Severi Imperatoris occiſos. Æl. Spartian. in *Severo*: *c.* 13. *Occidit autem ſine cauſæ dictione hos nobiles*, *Mummium Secundinum*, *Aſellium Claudianum*, *Claudium Rufum* —— Ælium Celſum, *Julium Rufum* &c.

ÆLIUS Commodus Verus, vide *Lucius*, item *Lucius Annius*.

ÆLIUS Corduenus, apud Æl. Spartian. in *Peſcennio Nigro*, *c.* 4. Dux militiæ ſub Commodo fuit non incelebris, qui ſic de Peſcennio: *Peſcennium fortem virum novi & ei tribunatus jam duos dedi: ducatum mox dabo, ubi per ſenectutem Ælius* Corduenus *Remp. recuſaverit.*

ÆLIUS Donatus, Grammaticus, D. Hieronymi præceptor, Romæ cum Victorino rhetore, ethnicus. *Præconius* dictus, quod pater ejus præconium faceret, & *Stylo*, quòd orationes nobiliſſimas ſcriberet. Volaterran. *l.* 13. *c.* 3. *Anthropol.* Sigonius *l.* 5. *Imper. occident.* Cùm de Juliani Imperatoris Apoſtatæ morte nuntius Romam perlatus eſſet, jocabundus dixit, *Quomodo Chriſtiani dicunt Deum, ſuum eſſe patientem & ἀνεξίκακον*: nihil iracundius, nihil hoc furore præſentius, ne modico quidem ſpatio indignationem ſuam perferre potuiſſe. *Nic. Lloydius*.

ÆLIUS Gallus, ordinis equeſtris vir, Arabiam Felicem primus ſubegit, ab Auguſto Imperatore miſſus. Plin. *l.* 6. *c.* 28. Hujus amicitiâ uſus eſt *Strabo* Geographus, & cum eo Nilum navigavit, totamque ferè Ægyptum luſtravit, ac bonam etiam Africæ partem. Teſtis ipſe *Strabo*.

ÆLIUS Gordianus, inter Alexandri Severi Imperatoris Conſiliarios cenſetur Æl. Lamprid. c. 68. *Et ut ſcias, qui viri in ejus conſilio fuerint, Fabius Sabinus - - - Domitius Ulpianus - - - Ælius Gordianus Imperatoris pater, & ipſe revera vir inſignis, Julius Paulus* &c. Ubi cum locus maximè inquinatus ſit, cenſet Salmaſ. olim apud Auctorem fuiſſe ſcriptum, *Aut. Gordianus Gordiani Imp. fil. & ipſe Imp. vir inſignis*, adeoque de alio aliquo Gordiano ſomniare, qui iſtâ tempeſtate vixerit & in conſiliis fuerit Alexandri Severi, præter hunc Gordianum Imperatorem & Imperatoris filium, ineptum eſſe judicat, atque de filio magis quàm de Patre hæc capit; cùm etiam Pater etiam ſub Alexandro fuerit & apud illum plurimùm valuerit, & Proconſul in Africam miſſus ſit, ratio eſt, quòd hunc Gordianum inter JCtos medium collocat, quaſi qui & ipſe JCtus fuerit. Quod de Gordiano filio verum, quem & Præturam Urbanam Alexandrô auctore tenuiſſe, refert in *ejus Vita* Capitolin. idemque ipſum de jure quoque reſpondiſſe, addit. *Ælius* autem, pro *Antonius*, temerè irrepſit; ita enim ejus illud nomen ſcriptum in vetere nummo argenteo *Salmaſii*: IMP. M. ANT. GORDIANUS. AFR. AUG. P. M. TR. COSS. PP. Salmaſ. *ad Lamprid. loc. cit.*

ÆLIUS Gracilis, tempore Neronis, Belgicæ legatus. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 53. Ubi tamen *Lipſius* è libris *Ælius Gracchus*, *Muretus* autem *A. Gracchus*.

ÆLIUS Grammaticus, cognomine duplici fuit; nam & *Præconius*, quod Pater ejus præconium faceret, vocabatur: & *Stylo*, quod orationes nobiliſſimo cuique ſcribere ſolebat, tantô optimatum favore, ut Metellum Numidicum comitatus ſit in exilium. Sueton. *de Illuſtr. Gram. c.* 3. Plin. *l.* 9. c. 35. teſtimonium ejus citat adverſus Feneſtellam.

ÆLIUS Junius Cordus, apud Scriptores *Hiſtoriæ* Aug. paſſim reprehenditur, tanquam λεπτολόγος & Scriptor minutiarum, ut in *Clodio Albino* à Julio Capitolino: & in *Gordianis*, itemque *Maximo & Balbino*, quæ vitæ ab eodem Auctore ſcriptæ ſunt. De eo ſic idem in *Opilio Macrino*, c. 1. *Ejus, qui vitas aliorum ſcribere orditur, officium eſt digna cognitione perſcribere. Et Junio quidem Cordo ſtudium fuit, eorum Imperatorum vitas edere, quos obſcuriores videbat: qui non multum profecit. Nam & pauca reperit & indigna memoratu, aſſerens ſe minima quæque perſecuturum: quaſi vel de Trajano aut Pio aut Marco ſciendum ſit, quoties proceſſerit; quando cibos variaverit & quando veſtem mutaverit & quos quando promoverit; quæ ille omnia exequendo, libros mythiſtoriis replevit* &c. Vide in voce *Cordus Ælius*.

ÆLIUS Lamia, Suriæ præpoſitus: ſed ob metum à Tiberio Romæ retentus: ac tandem urbi præpoſitus, obiit ſenex Serv. Galbâ, *L.* Sullâ Conſulib. extremô anni: cujus mors funere cenſoriô celebrata. Tacit. *l.* 6 *Annal. c.* 27. Vide & *Lucius*.

ÆLIUS Lampridius, Hiſtoricus, qui ſcripſit de vita Didii Juliani, Commodi, Heliogabali, & Severi. Vide *Lampridius*.

ÆLIUS Ligo, vide *Publius*.

ÆLIUS Mamercus, vide *Lucius*.

ÆLIUS Mantia, Formianus, libertini fil. ultimæ ſenectutis, L. Libonem apud Cenſores accuſabat: in quo certamine cum Pompejus M. humilitatem ei, ætatemque exprobrans, ab inferis illum ad accuſandum remiſſum dixiſſet, Non mentiris (inquit) Pompei, venio enim ab inferis L. Libonem accuſaturus; ſed dum illic moror, vidi cruentum Cn. Domitium Ænobarbum flentem, quod ſummo genere natus, integerrimæ vitæ, amantiſſimus patriæ, in ipſo juventutis flore, tuô juſſu eſſet occiſus: vidi pari claritate conſpicuum Brutum, ferrô laceratum, querentem id ſibi prius perfidiâ, deinde etiam crudelitate tuâ accidiſſe: Vidi Cn. Carbonem acerrimum pueritiæ tuæ, bonorumque patris tui defenſorem, in tertio conſulatu catenis, quas tu ei injici juſſeras, vinctum, obteſtantem te, adverſus omne fas & nefas, cùm in ſummo eſſet imperio, à te equite Romano trucidatum: vidi eôdem habitu & quiritatu prætorium virum Perpennam, ſævitiam tuam execrantem: omneſque eos unâ voce indignantes, quod indemnati ſub te adoleſcentulo carnifice occidiſſent. Val. Max. *l.* 6. *c.* 2. Alii *Helvium* legunt.

ÆLIUS Martianus, JCtus quem Didius Julianus Imperator juſſerat occidi, ſed elapſus diſcrimini, poſtea in conſilio Alexandri fuit: multa in Jure ſcripſit. Vide *Martianus*.

ÆLIUS Maurus, Phlegontis Tralliani Libertus, memoratur Æl. Spartiano in *Severo Imper.* c. 20. *Legiſſe me apud* Ælium Maurum, *Phlegontis Tralliani libertum, memini, Septimium Severum immoderatiſſimè, quum moreretur, lætatum, quòd duos Antoninos pari imperiô Reipub. relinqueret.* Ubi in Palatino eſt, *Phlegontis Adriani libertum.* Et quidem Phlegon hic *Adriani Imperatoris* fuit libertus: qui ut videtur, *Adrianus* etiam vocatus eſt, ex Patroni nomine; proin forte ſcriptum, *apud* Ælium Maurum *Phlegontis Hadriani liberti libertum.* Salmaſ. *ad loc. cit.* vide & *Maurus*.

ÆLIUS Meliſſus, noſtrâ memoriâ fuit, (inquit Gellius *l.* 18. c. 6.) Romæ ſummi quidem loci inter Grammaticos, ſed majore erat literis jactantiâ, & *σοφιστείᾳ*, quàm operâ. Is præter alia, quæ ſcripſit compluria, librum edidit *de loquendi proprietate*, ubi *matronam* eam eſſe dicit, quæ ſemel peperit, quæ ſæpius *matremfamiliâs*, ſicuti ſus quæ ſemel peperit, *porcetra* dicitur, quæ ſæpius *ſcropha*.

ÆLIUS, Neronis libertus, rei familiari Principis in Aſia impoſitus. Tacit. *l.* 13. *Annal.* c. 1. Vide ELIUS. nam ſic rectius ſcribitur.

ÆLIUS Pætus, fil. Sexti, vel Publii, ſine prænomine vir Romanus, cui jus dicenti cùm in capite picus conſediſſet, aruſpexque affirmâſſet, conſervatô eô, fore domûs ipſius ſtatum feliciſſimum, Reip. miſerrimum; occiſô autem, in contrarium utrumque ceſſurum, è veſtigio picum morſu ſuo in conſpectu ſenatus necuit: decem & ſeptem militum familiam, eximiæ fortitudinis viros, Cannenſi prælio amiſit. Reſpublica verò procedente tempore ad ſummum imperii faſtigium exceſſit. Val. Max. *l.* 5. c. 6. Hunc autem aliqui non *Ælium*, ſed *Lælium* fuiſſe; & *Lælios*, non *Ælios* periiſſe volunt. *Cælius* etiam nonnullis dicitur. Vide & *Pætus*, & *Quintus* & *Sextus*, it. *Cajus*.

ÆLIUS Pertinax, Ligur, patre Succeſſi libertinô, mercaturæ lignariô natus, literis & calculo dedit operam puer, in Græcis imprimis eruditus; Sulpitium Apollinarem audivit, poſt quem Grammaticam publicè profeſſus eſt: à patre *Pertinacis* nomen accepit, cùm P. Ælius ſolum vocaretur, eo quòd lignariæ negotiationi pertinaciter intenderet: à Mar. Antonino Senator factus provincias conſulares quatuor rexit: mox a Commodo, cum Perenne legato, ad exercitum in Britanniam miſſus, ſeditiones multas compreſſit: poſtremò Proconſul Africæ factus, extinctô Commodô, ab exercitu, conſentiente ſenatu, Imperator delectus, ſexagenariô major, invitus ad imperium, cujus nomen ut invidiæ plenum averſabatur, acceſſit: Imperatoriis poſſeſſionibus nomen ſuum inſcribi prohibuit, dictitans non eſſe illas proprias imperantium, ſed communes Romanorum, & publicas eſſe: cum Senatus eum hortaretur, ut uxorem ſuam *Auguſtam*, filium *Cæſarem* nominaret; ſatis dixit eſſe, quod ipſe invitus imperet: tandem à præfecto prætorii Læto, conſciô Didiô Julianô, ſextô Imperii menſe, in palatio ſuo interfectus eſt. Capitolin. *in Ejus vita*

ÆLIUS Saturninus, Poëta Satyricus, qui quod in Tiberium verſus compoſuerat, ab eo in ſenatum ductus, è Capitolii rupe præcipitatus eſt. Dion Nicæus *in Tiberio*.

ÆLIUS Sejanus, Conſul Romanus, apud Tiberium tantâ fuit authoritate, ut ei pro collega in imperio haberetur, ſed elatus cœpit Tiberium præ ſe nihili facere, Prætorianos, alioſque omnes ſibi conciliare; Tiberius re cognitâ, cautè ac pedetentim depreſſit hominem. Dion. *l.* 58. Vide *Sejanus*.

ÆLIUS Serenianus JCtus inter Papiniani diſcipulos & eos, qui Alexandro Severo Imperatori à conſiliis fuêre; recenſetur Lampridio in *Alexandro Sev. c. ult.* —— *Catilius Severus, cognatus ejus, vir omnium doctiſſimus*, Ælius Serenianus *omnium vir ſanctiſſimus*, *Quintilius Marcellus &c.* Idemque *Cæſari Baronio*, eum Cappadociæ Præſide, cujus meminit Firmilianus Epiſcopus Cæſareæ in Cappadocia *Ep. ad Cyprianum*. Caſaubon. *ad Lamprid. loc. cit.*

ÆLIUS Sextus Catus; hic; teſte Cicerone *l.* 1. *de Oratore*, prudentiâ, & Juris Civilis ſcientiâ præditus hôc carmine celebratur ab Ennio;

Egregiè cordatus homo Catus Ælius Sextus.

Cenſuram cum M. Cethego egit, in quâ in ſpectaculis ſenatum ſecrevit à populo, cum antea in promiſcuo ſpectabant. Liv. *l.* 4. *dec.* 4. Hic, cum legati Ætolorum in conſulatu, prandentem in fictilibus, adiiſſent, miſſa ab his vaſa argentea non accepit, neque aliud habuit argenti ad ſupremum vitæ diem, quàm duo pocula, quæ Lucius Paulus ſocer ei ob virtutem, devictô Perſeô rege, donâſſet. Plin. *l.* 33. *c.* 11.

ÆLIUS Spartianus, Hiſtoricus ſcripſit de vita Hadriani, Antonini Pii, & Marci Aurelii: claruit A. C. 240.

ÆLIUS Stilo, vide *Ælius Donatus*.

ÆLIUS Succeſſus, mercator, cùm lignariæ negotiationi pertinaciter inhæreret, *Pertinax*, dictus eſt, ejuſque fil. P. Ælius Pertinax poſtea Imperator, extinctô Commodô, creatus fuit. Capitolin. *in Pertinace* c, 1.

ÆLIUS Tubero, L. Pauli nepos, nullo in oratorum numero, ſed vitâ ſeverus, & congruens cum ea diſciplina, quam colebat, paulò etiam durior: Itaque honoribus majorum reſpondere non potuit. Fuit autem conſtans civis & fortis, ac inprimis Gracccho moleſtus. Vide plura de eo apud Ciceron. *Orat. pro Murana*, & voce *Quintus*.

ÆLIUS, Tuberonis nepos, Ligarium apud Cæſarem accuſâret, quem Cicero luculentâ oratione defendit.

ÆLIUS Pons, hodie *Ponte di S. Angelo*, teſte *Marlianô*, pons urbis Romæ, quô in Vaticanum, ea urbe itur, apud molem Hadriani.

ÆLIUS Verus Cæſar, poſt adoptionem ab Adriano Imperatore dictus eſt, qui antea L. Cejonius Commodus Verus dicebatur, gener fuit *Nigrini*, Adriano formâ commendatus. Ob hujus adoptionem Imperator ludos Circenſes dedit & donativum populo ac militibus expendit: ipſum Præturâ honoravit ac ſtatim Pannoniis impoſuit, decretô Conſulatu cum ſumtibus, eundem ſecundum mox Conſulem deſignavit. Quem cùm minùs ſanum videret, ſæpiſſimè dictavit, *In caducum parietem nos inclinavimus & perdidimus quater millies H. S. quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus.* Quod paulò poſt eventus docuit: acceptô enim largius antidotô (acriore catharticô) ingraveſcente valetudine, per ſomnum periit, ipſis Kal. Jan. quare ab Adriano votorum causâ lugeri eſt vetitus, ne auſpicatiſſimi diei religio luctu vitiaretur. Poſt obitum ejus, Imperator valetudine triſtiore ingruente, adoptavit Arrium Antoninum, qui poſtea *Pius* dictus eſt, vide Ælium Spartianum in *Adriano*. c. 23. Vitam ejus idem Auctor ſcripſit, ubi inter alia, c. 1. *Nihil habet in vita ſua memorabile*, inquit, *niſi quod tantùm Cæſar eſt appellatus: non teſtamento, ut ante ſolebat, neque eô modô, quo Trajanus adoptatus eſt; ſed eô prope genere, quô noſtris temporibus — Maximianus atque Conſtantius Cæſares dicti ſunt: quaſi quidam Principum filii veri & deſignati auguſtæ Majeſtatis heredes*, &c. Poſtea tamen, c. 3. *Provinciæ, cui præpoſitus fuerat, non defuit. Nam bene geſtis rebus vel potius feliciter — medii Ducis famam obtinuit.* Et in ſeqq. c. 5. *Memor familiæ ſuæ, comptus, decorus, pulchritudinis regiæ, oris venerandi, eloquentiæ celſioris, verſu facilis, in Rep. etiam non inutilis.* Leviora ſunt quæ addit, ut quòd tetrapharmacum invenerit, quòd lectum eminentibus quatuor anaclitерiis primus fecerit, quòd curſoribus ſuis exemplo Cupidinum alas appoſuerit eoſque ventorum nominibus vocitaverit &c.

Pater fuit *Antonini Veri*, qui adoptatus eſt à Marco. Statuæ ei, juſſu Adriani, per totum orbem coloſſeæ poſitæ, templaque in nonnullis Urbibus facta ſunt. Idem *Ibid.*

ÆLIUS Xifidius, præfectus Ærarii, ſub Valeriano Auguſto, cujus ad illum de Conſulatu Aureliani epiſtolam, hiſtoriæ ſuæ inſeruit. Flav. Vopiſc. in *Vita Aureliani Imp.* c. 12. Sic meminit *Ælii* Ceſetiani Præfecti Urbis ſub Tacito Imp. idem auctor in *Tacito*: c. 7. *Ælii* Sabini Hiſtorici, Jul. Capitolin. in *Maximino Jun.* c. 6. *Ælii* Scorpiani Conſulis, idem Vopiſc. in *Probo* c. 11. *Ælii* Varronis in *Firmo* c. 4. &c.

AELLA, vide *Abellinum*.

AELLO, trium ſyllabarum, genitiv. *Aellus*, nomen unius Harpyiarum, ita dicta, quaſi ἀλλότρια ἑλοῦσα, h.e. *alienum tollens*. Nihil dici potuit abſurdius. Alii itaque malunt à turbine & procella ſic appellatam, quæ Græcis ἄελλα dicitur. Quod ſatis innuit Val. Flacc. *l.* 4. *v.* 450.

—— Harpyiæ ſemper mea pabula ſervant;
Fallere quas nuſquam miſero locus, illicet omnes
Deveniunt; niger ceu turbine nimbus.

Ovid. *Met.* l. 13. *Fab.* 7.

—— Strophadumque receptos
Portubus inſulis exterruit ales Aello.

Fuit etiam nomen unius ex canibus Actæonis; apud eundem Ovid. *Met.* l. 3. *Fab.* 2.

Prævalidusque Lacon, & curſu fortis Aello.

ÆLUÆONES, *Ptolemæo*, *Helvecones* Tacito, *in Germ.* c. 43. populi Germaniæ quorum urbs *Elbing*. à Gedano 9. leuc. in Boream putatur. Sed hæc in Pruſſiâ, non in Germaniâ eſt. At ſub Germania olim Pruſſia cenſebatur.

ÆLURI, Αἴλουροι, apud *Suidam* populi ſunt, inter quos & Gallos Alpes ſunt: additque apud hos Æluros accidiſſe, ut crebra caſtella eſſent, Gothoſque ab antiquo ibi excubias egiſſe, in dictione *Alpes*. Horum meminit quoque Zonaras *tom.* 3. Æluropolim Ægypti civitatem ſic dictam à felibus, habet Leonclavius ex *Elia Cretenſi*, *in Nazianzenum*. Vide paulò infrà.

ÆLURUS, Pſeudepiſcopus Alexandrinus.

ÆLURUS, ſive Felis, ab Ægyptiis cultus, teſte Herodotô *Euterpe*: qui addit, mortuum domi, ſolitum ſaliri atque ita Bubaſtim deferri, ut ſacra in urbe ſepeliretur. De cultura quoque teſtis Cicer. *de Legg.* l. 1. & *de Nat. Deor.* l. 1. ac *Tuſc. Quæſt.* 15. Diodor. Sicul. *l.* 1. Juvenal. *Sat.* 15. & Plut. *Sympoſ.* l. 4. *quæſt.* 5. E quibus Juvenal. *venerantur*, inquit, *v.* 7.

Illic æluros, hic piſcem fluminis - - -

Sic enim ibi legendum: non *cæruleos*, ut eſt in vulgatis, optimè monuit Brodæus *Miſcellan.* l. 7. c. 2. Etiam cultum hunc inter alios, memorat Clemens Rom. vel alius vetus, ſed ſuppoſititius, Scriptor, *Recognit.* l. 5. *Alii Ægyptiorum bovem, qui Apis dicitur, colendum tradidêre, alii Hircum, alii Gattas, nonnulli Ibim, quidam Serpentem, Piſcem quoque, & Capas & Cloacas, crepitus ventris pro Numinibus habendos eſſe docuêre*, &c. Ubi per *Gattas* planè *Æluri* ſeu feles intelligendi: quò pactò poſterioribus ſeculis loquuti ſunt. Imò & Græcis ſimiliter ſed mixo-barbaris γάτος & κάτα *felis* ut ex Callimachi Scholiaſte patet; atque idem liquet ex Evagrio *l.* 6. c. 24. ubi ait: Αἰλούρου κάτον ἡ συνήθεια λέγει, *conſuetudo pro fele Cattam dicit*. Vide Gerh. Joh. Voſſium *de Idol.* l. 3. c. 74. *Hanc ne fando quidem auditum*, inquit Cicer. *Tuſcul.* l. 5. *crocodilum aut ibim aut felem violatum ab Ægyptio*. Et in obitu animalis, ſupercilia, luctûs teſtandi ergò, radere ſoliti ſunt, uti Herodotus *Euterpe* docet. Cauſam cultus Diodorus ſuggerit *dictô locô* quòd felis contra aſpidum aliorumque ſerpentium morſus utilis eſſet: Καὶ τὸ μὲν αἴλουρον πρός τε τὰς ἀσπίδας θανασίμως δακνούσας ... κτλ. Cæterum, quæ animalibus hujuſmodi Ægyptii templa conſtituebant, ea ſuperba erant & *ſublimibus elata faſtigiis*, ut ait Arnob. *l.* 1. Unde Celſus, Chriſtianorum fidem Ægyptiorum ſuperſtitioni comparans, apud Ægyptios ampla ſplendidaque templa cultuſque religioſos admodum, & myſteriorum religione auguſtos, magnum aliquid portendere videns in interiora autem progreſſis feles ibi conſpici, aut ſimias aut crocodilos, aut hircos, aut canes &c. refert apud Origenem *l.* 3.

ÆLUS, vide *Halus*.

ÆLYZIA vide *Halyzea*.

ÆMARII, nomen illuſtris olim in Gallia Familiæ, de qua hîc infrà aliquid; ut & voce *Monoilium*.

ÆMARORUM *Mons*, oppid. Galliæ Narbonenſis *Strab.* vulgò *Montlimar*, in Delphinatu ad Rhodanum fluv. in Provinciæ confinio inter Valentiam 8, & Avenionem in meridiem 13. leuc. Aliis *Montilium Ademari*, ſeu, *Mons Ademari*.

ÆMATE, vide *Emate*.

ÆMATHIA, vide *Emathia*.

ÆMATHION, Æthiopum Rex, ab Hercule in bello ſuperatus.

ÆMERA, vide *Epidaurum*.

ÆMILIA, vide *Æmylia*.

ÆMILIA Clara, mater Didii Juliani Imperatoris ex Petronio Didio Severo, Æl. Spartian. *in Didio*. c. 1.

ÆMILIA Lex, cujus auctor M. *Æmilius* Dictator, 2. an. Urb. Cond. 309. fuit, *Ne cenſura, quæ uſque eò quinquennalis fuerat, plus quam annua ac ſemeſtris eſſet* Livius *l.* 9. c. 33. Alia à Co. Genucio Aventinenſi, *L. Æmilio* Mamertino Conſulib. an. Urb. Cond. 309. lata, voluit: *ut qui Prætor Maximus eſſet, Idibus Sept. clavum pangeret*, Liv. *l.* 7. c. 3. Alia, mortuô Sullâ, à M. Æmilio Lepido Conſulib. lata, *ciborum genus & modum præſcripſit*, A Gell. *l.* 2. c. 24.

S. ÆMILIANI, vulgò S. *Emilion*, aliàs S. *Melion*, caſtellum Galliæ, dominantibus in Aquitania Anglis, una erat ex *filiabus*, ut vocabantur, *civitatis Burdigalæ*: cujus Major & Jurati, urgente bellô, quoſdam è ſuis hiſce oppidis & caſtellis præficere ſolebant, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque *Æmilianus*.

ÆMILIANUS, Aſiæ Proconſul, ſub Imperatore Severo, cum Nigro, qui Byzantium tenebat, ab Imperante hoſtis appellatus, deinde victus in Helleſponto à Severi ducibus, Cyzicum primum confugit atque inde in aliam civitatem, in qua eorum juſſu occiſus eſt. Æl. Spartian. *in Severo* c. 9.

ÆMILIANUS Hieronymus, vide *Hieronymus*. Sed & quære vocem *Æmylianus*.

ÆMILIUS Junctus Conſul cum Attilio Severo, principatu Commodi, in exilium actus eſt, Lamprid. *in Commodo* c. 4. *Juncus* vocatur Ulpiano *l.* 28. *Dig. de fideicomm. libe tat. Factum eſt Senatuſconſultum*, Æmiliô Juncô & Juliô Severô Conſulib. Alibi Conſulum horum nulla mentio; quare utra lectio ſit verior, pronuntiare non licet. Caſaubon. *ad Lamprid. cit. loc.*

ÆMILIUS Lætus, præfectus Prætorio, ſub Commodo, deterruit hunc, ne urbem incendio deleret, apud Lamprid. *ibid.* c. 15.

ÆMILIUS Parthenianus, memoratus Volc. Gallicano *in Avidio Caſſio*, c. 5. ubi affectatores tyrannidis, jam inde à veteribus hiſtoriæ tradidiſſe dicitur.

ÆMIMONTUM, vox Græcorum recentiorum Αἰμίμοντον, originis merè Latinæ, facta eſt ex *Æmo monte*, quâ Thraciæ provincia monti huic ſubjecta indigitatur: Cui proin illi hanc appellationem ab *Æmimonte* quodam, qui primus in illis locis regnaverit, fruſtra ajunt inditam, Salmaſ. *ad Solin.* p. 1331.

ÆMINIUM, Luſitaniæ oppid. mediter. *Ptol.* quod, ut *Vaſæus* putat, hodie *Agueda* dicitur. *Varrerius* autem Conimbra eſſe docet. Vide *Minium*.

ÆMINIUS, fluv. Hiſpan. ab Minio 200. mill. paſſ. uti ex *Varrone* tradit Plin. *l.* 4. c. 22. Vide *Limæa*.

ÆMNESTUS, Ennenſium Tyrannus, à Dionyſio majore ſubornatus, ut ejus rebus ſtuderet. Poſtquam verò, neglectô Dionyſiô, ſibi dominatum vindicavit, a Dionyſio ſubverſus eſt. Diodor. Sic. *l.* 14.

ÆMON, vir, cujus meminit Ovid. *in Ibin hoc verſu*.

Nec tibi ſi quid amas felicius Æmone cedat.

Hic cùm Rhodopen filiam turpiter amaret, in montem obduruit unà cum ea, Diis talem infamiam vindicantibus *Domit. Calderinus*. *Egnatius* verò ex *Euripide* ſcribit, hunc fuiſſe Creontis filium natu minorem, Menœci, qui ſe pro patria devovit, fratrem cui Antigone Oedipi filia deſponſata fuerat. Illâ verò patrem in exilium ſecutâ, Æmon à Sphinge dilaniatus eſt. Æmon, ut alii tradunt, tantô amore dilexit Antigonem, ut ad mortuæ tumulum ſeſe interfecerit. Propert. *l.* 2. *eleg.* 8.

Quid? non Antigones tumulo Bœotius Æmon
Corruit ipſe ſuo ſaucius enſe latus!
Et ſua cum miſeræ permiſcuit oſſa puellæ,
Quâ ſine Thebanam noluit ire domum.

Item, fil. Deucalionis, vide *Æmonia*. Item viri nomen, apud Statium, *l.* 8. *Theb.* v. 498.

Sterneret adverſos etiamnum Iſmenius Æmon.

ÆMONA, Aſiæ urbs primaria. Cicer. *pro Luc. Flacco*.

ÆMONIA, regio Græciæ ab Æmo monte, cui propinqua eſt, vel ab Æmone Deucalionis filio dicta, aliô nomine olim Pyrrha, à Deucalionis uxore, dein Straboni, *l.* 9. Theſſalia. Horat. *l.* 1. *Od.* 37.

—— Aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Æmoniæ.

Inde *Æmonius*, h. e. *Theſſalicus*. Ovid. *Triſt.* l. 3. *Eleg.* 11. v. 27.

Hector erat tunc cùm bello certabat, & idem
Tractus ab Æmonio noverat Hector equo.

H.e. ab equo Achillis Theſſali. Idem. *l.* 4. *Eleg.* 1.

Fertur & abducta Lyrneſide triſtis Achilles
Æmoniâ curas attenuaſſe Lyrâ.

i.e. *Theſſalica*. Quidam *Hemoniam* ſcribunt.

ÆMONIAM, Hiſtriæ maritimam urbem, ac hodie *Citta Nova* vocatam ſcribit *Leander* longitud. 36. 20 latitud. 45. 20. Ego verò, quis veterum hujus urbis in Hiſtriæ regione ad mare ſitæ meminerit, planè ignoro. *Æmonam* Pannoniæ urbem habet Plin *l.* 3. c. 25. & *Æmonam* quoque in Noricis *l* 3 c. 24. Quam *Jul. Capitolin. Hemonam* vocat. Ptol. *Emonam* urbem ſtatuit inter Italiam & Noricum, quam eandem eſſe puto cum *Æmona Plinii. loc. cit.* Hanc *Meletius Clemona* dicit vocari, at cum *Simlero* potiùs credam, Carnioliæ caput, vulgò *Igg* teſte *Lazio*, quod hodie etiam *Laibach* dicitur, & vulgus Latinum *Lubianum* nominat. In ea enim urbe extat vetus Romana Inſcriptio, in qua ÆMONIÆ fit mentio. Paret Venetis ab A.C. 1270. raroſque habet incolas, ob aëris gravitatem. *Nic. Lloydius*.

ÆMONIDES, nomen viri proprium. Virg. *Æn.* l. 10. v. 537.

Nec procul Æmonides, Phœbi Triviæque ſacerdos.

Ubi Servius, *Hoc nomen licèt poſſit eſſe patronymicum, quia in dea erat, ut dicamus Æmonis filius; tamen melius eſt, ut id proprium eſſe dicamus, quia nunquam aliud nomen ejus aut præmiſſum eſt, aut ſecutum. Ergo ſimile eſt patronymico, ut ſit Æmonides ſicut Thucydides.*

ÆMUNDUS, Hiſtoricus, qui ſcripſit de Ducibus Burgundiæ, Flandriæ, Brabantiæ, Hollandiæ, à bello Trojano uſque ad Carolum V. Imperatorem: Claruit A.C. 1520.

ÆMUS, ſive *Hæmus*, Rex fuit Thraciæ potentiſſimus, qui Rhodopen Strymonis fluv. filiam duxit uxorem. Hi in tantam arrogantiam elati ſunt, ut Æmus ſe eſſe Jovem, Rhodope Junonem ſe eſſe prædicarent, ſeſeque tanquam Deos adorari ju-

juberent. Quâ inſolentiâ Jupiter iratus eos in montes commutavit. Ovid. *Met. l. 6. Fab. 4.*

Threiciam Rhodopen habet angulus unus & Æmum,
Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam,
Nomina ſummorum ſibi qui tribuêre Deorum.

Idem *Ep. 5. Heroid.*

Qua patet umbroſum Rhodope glacialis ad Æmum.

ÆMUS Mons Thraciæ, Vide *Hæmus.*

ÆMYLIA GENS, Romæ imprimis illuſtris, à Mamerco Pythagoræ Philoſophi filio dicta, cui propter unicam humanitatem, quam Græci *αἱμυλίαν* vocant, cognomen fuit, *Æmylos*, vel *Æmilius*. Scribitur verò *Æmilius* in veteribus libris, & lapidibus. Ex hac familia fuit *Paulus Æmilius*, qui in Conſulatu ſuo Perſen Macedonum regem bellô vicit, captumque in triumpho duxit. Item & *Æmylius Lepidus*, quem Plin. *l. 7. c. 53.* refert, cum cubiculo egredi pararet, nihil mali ſentiens, offensô ad limen pollice, repentè obiiſſe. Item *Æmilius Scaurus*, homo factioſus & ſubdolus, de quo multa Saluſt. *in Jugurth.* Vide etiam *Macer*, *Surus*, &c.

ÆMYLIA, virgo Veſtalis, ex nobiliſſima Æmyliorum familia, de qua Val. Max. *l. 1. c. 5.* & Dionyſ. Halicarn. *l. 2.*

ÆMYLIA, uxor majoris Africani. *Suidas.* Vide etiam Val. Max. *l. 6. c. 7.*

ÆMYLIA, nomen Italicæ fœminæ, quæ duodecimô conjugii annô, in virum tranſiit, & uxorem duxit. *Commemat. Vigerius.*

ÆMYLIA LEPIDA, Juveni Druſo nupta, crebris criminibus maritum inſecuta, quanquam inteſtabilis, tamen impunita egit, dum ſuperfuit Pater Lepidus. Poſt à delatoribus corripitur, ob ſervum adulterum: nec dubitabatur de flagitio. Ergo omiſsâ defenſione finem vitæ poſuit. Tacit. *l. 6. Annal. c. 40.*

ÆMYLIA Muſa, liberta locuples, cujus inteſtatæ bona in fiſcum petita, Tiberius Cæſar Æmylio Lepido, cujus è domo videbatur, tradidit. Tacit. *l. 2. Annal. c. 48.*

ÆMYLIA, regio Italiæ, quæ & Flaminia, & Romandiola etiam dicitur, in qua ſunt urbes *Ariminum* Græca Colonia, *Ceſena*, *Saſſina*, *Faventia*, *Ravenna*, *Forum Livii*, *Bononia*, *Ferraria*, & *Imola*, prius etiam dicebatur *Doria*, ut *Sempronius* habet. *Lombardia di qua del Po*, i. e. Lombardia cis Padum, dicitur *Leandro*. Marshamo VIII. eſt Italiæ regio, juxta diviſionem Auguſti, à via dicta, de qua infrà, & à Flaminia, utpote regione VI. diſtincta, *Canone Chron. Sec.* XVII. Ejus meminit Martial. *l. 6. Epigr.* 85.

Funde tuo lacrymas, orbata Bononia, ruſo:
Et reſonet totâ planctus in Æmyliâ.

Subeſt ejus pars magna Pontifici, alia Ducibus Parmenſi, Mutinenſi, Mantuano & Mirandulano.

Urbes Æmyliæ Epiſcopales hujus temporis.

Ariminum *Rimini.*	Forum Popilii, *Forlimpopoli*,
Bononia, *Bologna.*	Julia.
Cervia, *Cervia.*	Mutina, *Modena.*
Ceſena, *Ceſena.*	Parma, *Parma.*
Comaclum, *Comachio.*	Placentia, *Piacenza.*
Faventia, *Faenza.*	Petra Honorii, *Bertinoro.*
Ferraria, *Ferrara.*	Ravenna, *Ravenna.*
Forum Cornelii, *Imola.*	Regium, *Reggio.*
Forum Livii, *Forli.*	Sarſina, *Sarſina.*

Epiſcopatus Fori Popilii Petram Honorii, ſeu Britinorium tranſlatus eſt à multis annis, & Forum Popilii deficit in dies.

ÆMYLIA Monumenta, ſic dicta Baſilica & Porticus ab *Æmiliis* exſtructa. *Æmilius* Paullus poſtea cum C. Marcello conſul duas Baſilicas, veterem refecit, novam locavit. Novam interventu bellorum civilium non perfecit ipſe. *Appianus* eam exſtructam vult è pecunia 1500. talentorum, quam à Cæſare acceperat, ne ei adverſaretur. Perfecit ſub Auguſto Paullus *Æmilius*, qui Conſul anno DCCXX. Urb. Cond. & poſtea cenſor. Eam incendiô conſumptam refecit XX. annis poſt alius *Æmilius*. Deni poſt annos XXXV. iterum collapſam firmavit ornavitque Manius Lepidus.

ÆMYLIA Via, ab Æmylio conſule dicta, quæ à Placentia Ariminum uſque perducta eſt. Martial. *l. 3. epigr. 4.*

Romam vade liber, ſi veneris unde requiret,
Æmiliæ dices de regione viæ.

Ferrarius ſic habet. *Æmylia* Via ab Arimino Placentiam uſque, imo uſque Dertonam, atque ab Arimino uſque Aquileiam, & à Piſis per Hetruriam Dertonam uſque urbem Liguriæ perducebatur. Ex quo tres eſſe vias Æmilias intelligis ab Æmilio Conſule ſtratas.

ÆMYLIANA, Oretanorum in Hiſpania oppid. *Ptolem.* Item, Locus Romæ, extra portam Frumentariam, vel ut alii, Flumentanam, in urbis tamen continentibus, ſive ſuburbiis: appellatus ab Æmiliorum familia, ſicut ab eadem dictus *Vicus Æmylianus*, qui fuit in regione urbis ſeptimâ viæ latæ.

ÆMYLIANUS, Africanus minor primus appellatus fuit, Pauli Æmilii fil. eo quòd ex Æmiliâ gente in Scipionum familiam, fuerit inſertus, poſt quem & alii pleriſque ejuſdem familiæ viri clariſſimi, & triumphales eôdem cognomine dicti fuêre. Juvenal. *Sat. 8. v. 2. 3.*

— Pictoſque oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Æmylianos.

Fuit etiam alius, Clodii Albini collega, Item Peregrini, nec non Aquilini.

ÆMYLIANUS, Ægypto à Galieno Imperatore præfectus, Imperator voluit appellari. Sed captô à Theodoro, Galieni duce, fauces in carcere eliſæ ſunt. *Trebell. in Galienis c. 4. & 5.* Alius Dux militum, ſub Severo.

ÆMYLIANUS Libycus, limiti Sarmatico in Mœſia à Decio præpoſitus eſt, nec à Gallo ſubmotus, is itaque cùm Scythæ, ſolertiſſimum latrocinandi genus, contenti tributô non eſſent; id pro concione ſuis militibus pollicitus eſt, ſi hoſtes viciſſent. Præmiô accenſi vicerunt. Reverſus in Mœſiam Æmilianus præmia perſolvit. Hôc ſucceſſu adeò gratus victori exercitui fuit, ut ab eo ſit Imperator appellatus, ad hos motus opprimendos Gallus, cum filio profectus, non profecit. Æmylianus ad Senatum ſcripſit, ſe Imperatorem lectum, promittit ſe Meſopotamiam, & Armenias recuperaturum, depulſurum undique hoſtes. Ut verò priuſquam opus aggrederetur, qui in alpibus erant milites, Valerianum Imperatorem faciunt, tum qui ſub Æmyliano erant, ne civili bellô, & cognatô ſanguine ſe inficerent, eum ob humilitatem generis trucidant: Valeriano, ob generis nobilitatem, & laudatiſſimos mores, ſeſe dedunt. Vixit Æmylianus annos 40 imperavit menſes 3. *Pomp. Lætus.* Eutrop. *l. 9. Bapt. Egn. Aur. Vict.* Oroſius *l. 7. c. 22.*

ÆMYLII, ab *Æmylo*, Aſcanii Trojani Æneæ filii filio deducti. Videatur *Virg. Progeniem ſed enim. l. 1. Æn. v. 19.* Nam progeniem Aeneæ & Juli vocare videtur Scipionem Paulli Æmilii filium, qui Imperator Carthaginem excidit, Populum autem legiones Romanas, quæ ab iiſdem etiam genus trahebant. *Plut. Æmilios* à filio quodam Pythagoræ Mamerco dictos ait, cui conſenſit *Sextus Pompejus*: *Æmiliam* gentem, ſcribens, appellatam dicunt à *Mamerco*, Pythagoræ Philoſophi Filio, cui propter unicam humanitatem cognomen fuit. Ex Albanis Latinis in urbem à Romulo accita, Patricia majorum gentium gens, quæ *Mamercini*, *Barbulæ*, *Privernatæ*, *Paulli*, *Lepidi*, *Macri*, *Buca*, *Porcina*, *Scauri* & *Liviani* cognomina tulit.

ÆMYLIUS, apud Sybarim oppid. Italiæ, erat ſpectatæ venuſtatis adoleſcens, mirum in modum venandi ſtudioſus. Uxor autem novella cum in alterius puellæ complexus ipſum ire opinaretur, in ſaltus egreſſa dilitelcebat. Conquaſſatis autem arbuſculis canes occurſant, & ut feram diſcerpunt. Hæc Clitonymus *l. 2. rerum Sybariticarum*; apud Plut. *in Parallel. c. 34.*

ÆMYLIUS Ælianus, Conſul. Roman. L. Vectii collega.

ÆMYLIUS Barbula, vide Quintus.

ÆMYLIUS Cenſorinus, crudeliſſimus Siciliæ tyrannus. Hic, ſi quis nova quædam tormenta, & inuſitatum cruciandi genus extruxiſſet, ſummis eum muneribus proſequebatur. Quidam igitur Aruntius, nomine Paterculus, equum ex ære fabricatum, ut in eum excruciandos homines injiceret, Æmylio, donavit. Ille autem tùm denique ad æquitatis cogitationem converſus, muneris authorem primum in eum intruſit, ut quam cæteris pœnam excogitàrat, primus ipſe ſubiret, atque pateretur. Plut. *in Parall. l. 7. c. 5.* Ab hoc *Æmilii* dicti, qui ſævè imperant.

ÆMYLIUS *Lepidus*, qui cùm adhuc puer eſſet, in aciem progreſſus, hoſtem interemit, civem ſervavit: cujus tam memorabilis operis index eſt in Capitolio ſtatua bullata, & incincta prætexta ſenatuſconſulto poſita. Val. Max. *l. 3. c. 1.*

ÆMYLIUS Lepidus, Triumvir fuit cum Antonio & Octavio, Africam ſortitus cum viginti legionibus, eòque imperiò elatus, primas ſibi partes vendicabat, Octaviumque ſpernebat, nec auxilium contra Sextum Pompejum petentem juvit. Quapropter ab eodem & ſpoliatus exercitu, & ſupplex, conceſsâ vitâ, apud Circeios relegatus in perpetuum fuit. Flor. *l. 4. c. 6. 7.*

ÆMYLIUS Longinus, primæ Legionis deſertor, cædem Dilli Voculæ, Legati, maturavit. Tacit. *Hiſt. l. 4. c. 59.* Sed ab ala Byzantina, conjectis in obvium telis, interfectus, ſcelerum pœnas dedit. Ibid. *c. 62.*

ÆMYLIUS Macer, Veronenſis poëta, tempore Auguſti Cæſaris, Scripſit libros de avibus, ſerpentibus, & herbis. Ovid. *l. 4. Triſt. Eleg.* 10.

Sæpe ſuas volucres legit mihi grandior ævô,
Quæque necet ſerpens, quæ juvet herba, Macer.

Iliacus cognominatus eſt, ab eodem Ovidio, quòd belli Trojani geſta ab Homero relicta deſcripſerit. *l. 2. de Ponto. Ep.* 10.

Tu canis æterno quicquid reſtabat Homero,
Ne careant ſumma Troica bella manu.

ÆMYLIUS Mamercus, ter Dictator, Fidenates deficientes in poteſtatem cum oppido recepit. Cenſuræ honorem, qui antea per quinquennium gerebatur, anni & ſex menſium ſpatio finivit. Quamobrem Cenſores eum tribu moverunt, octuplicatòque cenſu ærarium fecerunt. *Volater.* Vide *Cajus*, *Lucius*, & *Titus*.

ÆMYLIUS Mamertinus, vide *Lucius*.

ÆMYLIUS Marcus, vide *Marcus*.

ÆMYLIUS, Pacenſis; urbanarum cohortium tribunus à Galba exauctoratus, tanquam ſuſpectus, Tacit. *Hiſt. l. 1. c. 20.* cui ademptum tribunatum Otho reddidit & ſummam expeditionis cum Ant. Novello & Suedio Clemente, contra Galliam Narbonenſem commiſit. *Ibid. c. 87.* In obſidione Capitolii pugnam auſus, à Vitellianis obtruncatur. *l. 3. Hiſt. c. 73.*

ÆMYLIUS Papinianus, Hoſtilii Papiniani & Eugeniæ Gracilis fil. Scævolæ diſcipulus, procurator fiſci poſt Septimum Severum fuit, eòque ad imperium evectô, amiciſſimus ei, & ut quidam volunt, affinis etiam per ſecundam uxorem, præfectus prætorio fuit conſtitutus: in quo magiſtratu Paulum & Ulpianum diſcipulos ſuos, aſſeſſores habuit. Severus moriens ei filios ſuos commendavit: quorum Antoninus Baſſianus Caracalla Getam fratrem interemit. Parricidium hoc cum Papinianus excuſare nollet, in conſpectu tyranni à militibus confoſſus eſt, ætat. annô 38. vel 36. Fertur etiam cùm raptus à militibus ad Palatium traheretur occidendus, prædivinâſſe, dicens, Stultiſſimum fore, qui in ſuum ſubrogaretur locum, niſi appetitam crudeliter præfecturam vindicaret. *Hotoman.* Ex ejus ludo innumerabiles civilis ſcientiæ proceres exierunt, qui ab eo *Papinianiſtæ*

ſunt dicti. Filius quoque ejus cùm triduo ante quæſtor opulentum munus edidiſſet, interemptus eſt à Caracalla. In Jure plurima ſcripſit.

ÆMYLIUS Pappus, Cenſor cum C. Fabricio Lucino, P. Cornelium Ruffinum, qui bis conſul, & dictator fuerat, ſenatu movit, nullam aliam ob cauſam, quàm quòd comperiſſet eum cœnæ gratiâ decem pondo argenti habuiſſe. Livius *in Epitome l.* 14. & Brutonius *l.* 1. Conſul. de Gallis triumphavit, an. urb. cond. 528 *Goltzius.* Vide & *Quintus.*

ÆMYLIUS Paulus, Conſul, cum C. Terentio Varrone, temeritate collegæ inire pugnam cum Annibale coactus, apud Cannas cecidit, cujus cadaver inventum hoſtis honorificè tumulavit. *Volaterran.* Hujus fil. *L. Æmylius Paulus*, primò Conſulatu, quem poſt tres repulſas adeptus erat, de Liguribus triumphavit. Liv. *l.* 5. *dec.* 5. Vide *Paulus Æmylius.* item voce *Caput*, & *Lucius.*

ÆMYLIUS Pons, qui & Sublicius, pons Romæ ſic à conditore dictus, à quo lapideus conſtructus, nunc excîſus, & *Marmorato* dictus. De quo Juvenal. *Sat.* 6 v. 32.

Cum tibi vicinum ſe præbeat Æmylius pons,

ÆMYLIUS Porcina, de quo Cicer. *in Bruto: c.* 25. *Marcus Æmylius Lepidus, qui eſt* Porcina *dictus, iiſdem temporibus ferè, quibus Galba, ſed paulò minor natu, & ſummus Orator eſt habitus, & fuit, ut apparet ex orationibus, ſcriptor ſanè bonus. Hoc in Oratore Latino primùm mihi videtur, & lenitas apparuiſſe illa Græcorum, & verborum comprehenſio, etiam artifex, ut ita dicam, ſtylus. Hunc ſtudioſè duo adoleſcentes ingenioſiſſimi & propè æquales, C. Carbo, & Tib. Gracchus audire ſoliti ſunt.*

ÆMYLIUS Rectus, Ægypti præfectus conſtitutus, à Tiberio Cæſare, cùm deprehenſus fuiſſet nimium à populo exegiſſe, ſuper ea re iratus Tiberius reſcripſit, ſe tonderi velle ſuas oves, non deglubi. Dion. Nicæus, *in Tiberio.*

ÆMYLIUS Regilius, de quo Liv. *l.* 7. *dec.* 4. *L. Æmylio Regillo, qui claſſe præfectum Antiochi regis devicerat, extra urbem in æde Apollinis, cùm ſenatus datus eſſet, auditis rebus geſtis ejus, quantis cum claſſibus hoſtium dimicâſſet, quot inde naves aut demerſiſſet, aut cepiſſet, magnô conſenſu patrum Triumphus navalis eſt decretus. Triumphavit autem Cal. Febr. In eo triumpho undequinquaginta coronæ aureæ tranſlatæ ſunt.*

ÆMYLIUS Scaurus, nobilis & pauper. Nam pater ejus, quamvis patricius, ob paupertatem carbonarium negotium exercuit. Idem primò dubitavit, honores peteret, an argentariam faceret; ſed eloquentiæ conſultus ex ea gloriam peperit. Ædilis, juri reddendo magis, quàm muneri edendo ſtuduit. Prætor adverſus Jugurtham pugnavit, ejus tandem pecuniâ victus Conſul legem de ſumptibus & libertinorum ſuffragiis tulit. Plinius *de viris illuſtribus. c.* 72. Cicer. *pro Fonteio c.* 7. *Ecquem, inquit, hominem vidimus, ecquem verè commemorare poſſumus parem conſiliô, gravitate, conſtantiâ, cæteriſque virtutibus, honoris, ingenii, rerum geſtarum ornamentis M. Æmyliô Scauro fuiſſe? Tamen hujus, cujus injurati nutu propè terrarum orbis regebatur, jurati teſtimonio, neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium creditum eſt.* Hujus fil. *M. Æmylius Scaurus*, Syllæ privignus fuit. In Ædilitate ſua fecit Theatrum, opus maximum omnium, quæ unquam fuêre humanâ manu facta, non temporariâ morâ, verùm etiam æternitatis deſtinatione. Plin. *l.* 36. *c.* 15. Vide *Scaurus.*

ÆMYLIUS, Victor, de eo extat Parmæ tale epitaphium, à Paulo Manutio relatum, uti teſtatur Hieron. Mercurialis *l.* 3. *de Gymnaſtica. c.* 12. D. M. L. D. *Æmilio Victori, qui pridie natalem ſuum viceſimum & ſecundum prona in penſili (balneo ſcilicet) poſita, urgente fato, ipſe ſanum necavit ſe: L. Æmilius Victor Principalis & Ælia Veneria filio pientiſſ. & ſibi.*

ÆMYLIUS, adjectivè aliquando ſumitur. Horat. *in Arte ad Piſones*,

Æmylium circa ludum faber imus & ungues
Exprimet, & molles imitabitur ære capillos.

Propert. *l.* 3. *Eleg.* 2. *de Ennio poëtâ*;

Et cecinit Curios fratres, & Horatia pila,
Regiaque Æmylia vecta tropæa rate.

ÆNA, Arabiæ Felicis urbs *Ptol.* eidem & *Suida*, Macedoniæ urbs. *Ænius* regio apud eundem *Stephanum*, quam quoque *Æantium* vocari ſcribit.

ÆNAN, euntibus Thamnam, locus nunc deſertus, & proximus Thamnæ vico grandi, qui ſitus eſt inter Æliam & Dioſpolim.

ÆNARE, Inſula circa Ioniam. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

ÆNARIA, inſul. in ſinu Puteolano, nunc *Iſchia*, ab oppidi coxendicis imaginem præferentis, in monte, figura. Cupreſſo abundat: Thermiſque, quæ calculoſis ſalubres. Plin. *l.* 3. *c.* 6. Cornel. Severus in *deſcriptione Ætnæ* ex Scaligeri recenſione.

Dicitur inſidiis flagrans Ænaria quondam,
Nunc extincta ſuperque ſatiſque; Neapolin inter
Et Cumas locus eſt, multis jam frigidus annis.

Stat. *l.* 3. *Sylv.* 5. *v.* 104.

Ænariæque lacus medicos, Stabiaſque renatas.

Plin. *loc. cit.* *Ænaria*, inquit *a ſtatione navium Æneæ, Homero Inarime dicta, Græcis Pithecuſa, non a ſimiarum multitudine, ut aliqui exiſtimavêre ſed a figlinis doliariorum.* Quæ omnia, inquit Bochart. *l.* 1. *Chanaan. c.* 33. ſunt perabſurda. Neque enim *Homerus* Inarimen dixit (licet id ſequantur Virg. *l.* 9. *Æn. v.* 716. Ovid *l.* 14. *Met.* Lucan. *l.* 5. *v.* 101. Statius *l.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 76. Silius *l.* 8. & 12. aliique.) ſed diſtinctis vocibus: Εἰν Ἀρίμοις. Et ab *Ænea* non diceretur *Ænaria*, ſed *Ænearia*, aut *Æneias* potius, & à doliis *Pithuſa*. At à ſimiis eſt Pithecuſa, ut in Africa Pithecuſæ, de quibus Diodorus *l.* 2. [illegible]

h. e. regionem invaſit ſimiis ſcatentem, & tres urbes ab illis animalibus denominatas, quas Græcæ linguæ more Pithecuſas interpreteris. Sic Pithecuſam inſulam dici volunt à Cercopibus, in ſimias à Jove mutatis, ac deinceps eò tranſlatis. Ita Lycophron *in Caſſandra*. Ovid. *Met. l.* 14. *fab.* 3. & Phavorinus *in Κέρκωψ* & Νεῖλος γυγαίοισι, ubi uſurpat ipſa verba Scholiaſtis *in Lycophronem.* Quin & *Ænariæ*, vel *Enariæ* potius nomen eôdem refert Servius *in Æn. l.* 9. à magno *Salmaſio* ſic emendatus, *Inarime nunc Enaria dicitur*, &c. *quia in eam ad contumeliam ſimiæ miſſa ſunt, quas Græcorum lingua* [illegible] *i. e. enares dicunt, ob quam cauſam Pithecuſam etiam vocitant.* Nempe ut *ſimus* dicitur, quia ſimus eſt, ita *enaris*; quia *ſine naribus*; *enaris* enim eſt ut *elumbis*, *elinguis* &c. Itaque ab *enaribus*, i. e. ſimiis Ἐναρία *Enaria* ſcribendum, quomodo legere eſt in Plutarchi *Mario.* Hæc Bochart. *Iſ. Voſſius* autem ridiculum eſſe ait *Salmaſium*, cum *Enariam* dici jubet, ac dictam ſcribit ab *enaribus*, i. e. ſimiis, quia ſunt *ſine naribus*. Locum Servii, quem adfert ex *Strabone* emendandum vel puer videat. Ab ærifodinis dicta eſt hæc inſula, ut enim ab *ære* fit *ærarius*, ſic ab *aheno* facta eſt *Ahenaria* vel *Ænaria* prodigioſæ ſiquidem fertilitatis eſt hæc inſula, non iis tantum quæ ſummâ tellure naſcuntur, ſed & metallis adeò abundat, ut tota aurô, argentô, ære, ferrô, ſale, aliiſque foſſilibus videatur ſubſterni, ut mirum prorſus ſit, tantam varietatem in tam brevi ſpatio naturam incluſiſſe. Verùm poſtquam auri illic detectæ ſunt venæ, veriſimile eſt deſiiſſe incolas æra ſcrutari, quorum tamen copiam aquæ è viſceribus inſulæ prodeuntes ipſô odore ac guſtu teſtantur. Habet Urbem probè munitam cum arce, in ſcopulo ab inſula quaſi ſejunctô, ubi aliàs aſylum Ferdinandi Regis Neapolitani tempore Caroli VIII. Franciæ Regis qui totum Regnum ſubjugaverat, intra paucos dies. Eam pluribus deſcripſit C. *Nepos Gallus.* Vide *Inarime.*

ÆNARIUM, Jovis lucus in Achaia juxta Olenum oppid. in quo Achæi de rebus communibus conſulturi conveniebant. Strabo *l.* 8. *Arnarium* alibi vocat.

ÆNAUTE, Græc. Ἀειναῦται, quaſi dicas, *Semper-nautæ*; Magiſtratus quidam apud Mileſios, inquit *Heſych.* Plut. in *Quæſt. Græcan.* ſic fuiſſe quoſdam ex potentioribus apud Mileſios appellatos ait, qui conſcenſis navibus de maximis rebus conſilia agitare conſueverint, procul à terra; dein cùm ratam habuiſſent aliquam ſententiam, fuerint reverſi. Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

ÆNDA, Civitas in tribu Simeonis, quam Aſa, Rex Juda, expugnavit & ſubvertit. 2. Paral. *c.* 14. *v.* 13, 14. Hieronym. *in Locis Hebr.*

ÆNEA, vel ÆNEIA, Macedoniæ urbs, 15. mill. paſſ. à Theſſalonica adverſus Pydnam poſita, fertili agrô, ut eam deſcribit Liv. *l.* 44 *c.* 10. *Moncaſtro* hodie vocari ſcribit *Nardus.* Ab Æneâ conditam ait Liv. *l* 40. c. 4. Ejus meminit Herodot. *l.* 7.

ÆNEA, apud Gregorium M. *l.* 9. *Ep.* 40. *Pervenit ad me, quia in ea Eccleſia, quæ* Ænea *dicitur, ſæpè in Hieroſolymorum urbe, veſtræ Eccleſiæ pergia naſcuntur.* Ab *aneis foribus* ſeu valvis, nomen accepit; juxta *Altaſerram.* Car. du Freſne verò legit *è Nea*, *è Nia*, i. e. nova Eccleſia. Vide Luithprandum *l.* 3. *c.* 8.

ÆNEA Teſta, vide *Chalcus Ceramus.*

ÆNEADES, Græc. Αἰνειάδης, apud Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 18.

Æneadaſque meo nomen de nomine fingo:

nomen urbis, quæ aliàs Αἶνεια, in Cherſoneſo, cui nomen *Pallene*, ab *Ænea* conditæ: quam duraſſe uſque ad Imperium ſucceſſorum Alexandri M. dirutam dein à Caſſandro, & *Æneadas* Theſſalonicam, tum recens exſtructam, tranſlatos, ait *Dionyſ. Halicarn. l.* 1. Vide Salmaſ *ad Solin. p.* 161. & infrà in voce *Ænos*: nec non *Latium.*

ÆNEÆ, vide *Athos.*

ÆNEÆ Fulloniæ, apud Plin. *l.* 27. *c.* 10. *Hippophæſton naſcitur in ſpinis, ex quibus ſunt* æneæ *fullonia*: ex ſpinis contexebantur ad veſtes pectendas & radendas, non ex *ære.* Ad linum porro pectendum ſimile inſtrumentum non ex ſpinis fiebat, ſed ex ferro: quod tamen idem *Ænas* vocat. *l.* 19. *c.* 1. ubi de lini medulla, *Et ipſa tamen pectitur ferreis* ænis, *donec omnis membrana decorticetur.* Vitioſum igitur utrumque & corruptum, pro *Inæ*, de qua voce *infra.*

ÆNEAS, Anchiſæ & Veneris fil. princeps Trojanus, poſt longos errores in Italiam pervenit ad Evandrum ac Tyrrhenos, apud quos regnavit Tarchon junior ann. 20. Primus fuit Latinorum Rex, regnavitque poſt ſoceri Latini mortem ann. 3. Turnum vicit, ejuſque ſponſam Laviniam accepit conjugem. Aboriginibus dein cum ſuis conjunctis, poſt varias urbes conditas, tandem in prælio contra Tuſcos occiſus eſt. In Numici ripa à ſuis conditus, Jovis Indigetis nomen accepit. Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. *Hiſt. Rom.* Liv. *l.* 1. *c.* 1. 2. Aur. Victor. *l.* 1. *Orig. Rom* Fingunt autem, hunc fuiſſe Veneris filium juxta Simoentem natum. Virg. *in libris Æn.* Ulyſſi Homerico per omnia ſimilem facit, virum fortem & bellicoſum, qui per varios & maris & terræ errores in Latium venerit. Convenit inter omnes ferè authores, Trojam ab eo & Antenore proditam fuiſſe, quapropter ubique illam culpam diluit, ut Romanorum gloriæ, qui ab eo traxerunt originem, conſulat. Trojâ dirutâ, patrem Anchiſen ſenſô confectum humeris impoſitum ab hoſtibus liberavit. Unde verſus in Neronem,

Quis neget Æneæ magni de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic Matrem, ſuſtulit ille Patrem.

Dum autem Aſcanium filium ſuum & Penates ſecum defert, Creüſam uxorem in itinere amiſit; Hinc in Macedoniam tranſiit: unde ulterius profectus Anchiſen in Sicilia apud Drepanum mortuum reliquit. Africam nunquam vidiſſe, ne dum Didonem multi teſtantur; quapropter totum 4. Æneidos librum confictum

dum omnes confirmant. Alii dicunt, Æneam captivum unà cum Andromache datum fuiſſe Neoptolemo Achillis, filio, ac in Theſſaliam deportatum; ut ſcriptum eſt à Leiche, poetà Græcô, qui *parvam Iliadem* compoſuit, cujus verſus refert Natalis Comes *l.* 4. *c.* 13.

Αὐτὰρ Ἀχιλλῆος μεγαθύμου φαίδιμος υἱὸς
Ἑκτορέην ἄλοχον κάγαγε κοίλας ἐπὶ νῆας,
Παῖδα δ' ἑλὼν ἐκ κόλπου ἐϋπλοκάμοιο τιθήνης,
Ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ πύργου, τὸν δὲ πεσόντα
Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.
Ἐκ δ' ἕλετ' Ἀνδρομάχην ἠΰζωνον παράκοιτιν
Ἕκτορος, ἥν τε οἱ αὐτῷ ἀριστῆες Παναχαιῶν
Δῶκαν ἔχειν, ἐπίηρον ἀμειβόμενοι γέρας ἀνδρί.
Αὐτόν τ' Ἀγχίσαο κλυτὸν γόνον ἱπποδάμοιο
Αἰνείαν, ἐν νηυσὶν ἐβήσατο ποντοπόροισιν
Ἐκ πάντων Δαναῶν ἀγέμεν γέρας ἔξοχον ἄλλων.

Nic. Lloydius.

ÆNEAS, unus ex iis legatis, quos Lacedæmonii, octavô belli Peloponneſiaci annô, finiendæ controverſiæ ad Athenienſes miſerunt. Vide Scholia in *Ariſtoph. Equit.* p. 336. F.

ÆNEAS Gazeus, vir eruditus, ſub Zenone Imperatore ſcripſit eximium de immortalitate animæ tractatum, quem *Theophraſtum* appellavit. Bellarminus *de Script. Eccl. Seculi V.*

ÆNEAS Sylvius, quartus Latinorum Rex regnavit ann. 31. Alius ejuſdem nominis, qui A. C. 1458. factus eſt Pontifex Romanus, ac dictus Pius 2. Scripſit longè plurima, quæ recenſet Platina *in ejus vita*. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 7.

ÆNEAS Tacticus, floruit temporibus Ariſtotelis, cujus è στρατηγικοῖς ſive Commentario de arte Imperatoria ſupereſt *τακτικὸν*, ἢ πολιορκητικὸς, *Tacticus*, & *Obſidionalis liber*. In quo non tam obſidentibus, quàm obſeſſis dat præcepta. Hujus manuſcriptum codicem in Bibliotheca Vaticana extare refert Geſnerus *in Biblioth. Suidas* perperam vocat *De Strategematis*. Vera enim Inſcriptio eſt Στρατηγικά, uti nuncupat Polybius *l.* 10. itemque Ælianus *in Tacticis*. Primus divulgavit *Cauſabon.* pater, qui & notas adjunxit. Tacticorum verò Æneæ epitomen fecit *Cineas Theſſalus*, Conſiliarius Pyrrhi, Epirotarum regis, quorum meminit Cic. *l.* 9. *Ep.* 25. Vide Voſſ. *de Scient. Math. c.* 48. §. 3. 4. *& l.* 4. *de Hiſt. Græc. c.* 11. *Nic. Lloydius.*

ÆNEATORES, vide infrà *Cornu.*

ÆNEIA, quæ poſtea Janiculum. Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. Troadis quoque urbs. Strab. *l.* 71. & *Steph.* Eidem Thraciæ locus: ad Pallenem Inſulam. Dionyſ. Halicarnaſſ. *loc. cit.* Vide *Ænus.*

ÆNEIS liber de rebus geſtis Æneæ, ut *Achilleis*. Statius *ad finem Theb.* ipſam alloquens,

Vive precor, nec tu divinam Æneida tenta,
Sed longè ſequere, & veſtigia ſemper adora.

Ovid. *Triſt. l.* 2. *circa fin.*

Et tamen ille tuæ felix Æneidos author
Contulit in Tyrios Arma virumque *toros.*

ÆNEOS, oppid. Thraciæ liberum, cum Polydori tumulo. Ciconum quondam regio Plin. *l.* 4. *c.* 11.

ÆNESIDEMUS, illuſtris Argivorum Imperator fuit, qui cùm Argis à Philocle obſideretur, nec urbem tueri poſſet, impetratâ à militibus abeundi facultate, ipſe honeſtè in præſidio ſibi credito occumbere maluit, quam cum dedecore in patriam reverti. Liv. *l.* 32. *c.* 25. Item Philoſophus quidam Pyrrhonicus. Laert. *l.* 9. *c.* 62.

ÆNESIPHYRA, Marmaricæ portus, *Ptol.*

ÆNESIPPA & ÆNESIPACTA, vide OEneſippa.

ÆNESIUS, Jupiter, dictus ab Æno monte. Vide *Ænum.*

ÆNETUS, Demetrii Prætor, Epheſo præſidere juſſus: ſed aſtu Lyci & fraude Andronis oppid. amiſit. Polyæn. *l.* 5. *c.* 19. Vitiosè Latina Verſio propagat *Anetus.*

ÆNETUS, quinquertio in Olympia victor declaratus, acceptâ coronâ ſtatim è vita exceſſit, præ gaudio. Ejus ſtatua Amyclis viſitur. Pauſan. *in Lacon.*

ÆNEUM Frumentum, memoratur in *l. unic. Cod. Theodoſ. de frum. Carthagin.* in qua traditur, illius penſitationi fuiſſe obnoxia certa *corpora* ſeu prædia vel agros, atque adeo Magiſtratus ſeu Duumviros Carthagine. Sed quale illud fuerit, omnino non conſtat, cum apud alios Scriptores vox hæc non reperiatur. Vide quæ in hanc rem habet Jac. Gothofredus *ibi. Æraria* verò annonæ, quæ adæratæ in pretio exhibebantur, occurrunt *LL.* 34. 35. 36. *Cod. Theodoſ. de Erogat. milit. annon.* Car. du Freſne *Gloſſar.*

ÆNEUS, vide *Gnoſidicus.*

ÆNEUS, Cyzici pater. Hinc *Æneide.*

ÆNEUS Serpens ſeu *Saraph*, Dei juſſu in deſerto erectus eſt, ut morſi à *Saraphim*, i. e. Hydris ſeu Cherſydris, ut interpretatur vocem *Bochart.* Iſraëlitæ, ejus aſpectu ſanarentur, Numeror. c. 21. v. 9. Hinc Chriſtum adumbravit, Johan. *c.* 3. v. 14. cujus rei rationes afferuntur variæ. Putà primo, ſerpentem illum ſerpentum, qui morſu adurebant, figuram quidem, venenum tamen non habuiſſe: prout in ſimilitudine carnis peccati fuit Chriſtus, Roman. *c.* 8. v. 3. quamvis à peccato immunis. Secundo, *æneum* fuiſſe, non aureum, & è viliore metallo conflatum, ut nobis Chriſtum exhiberet, in quo *non fuit forma, neque decor*. Eſaj. *c.* 53. v. 2. Tertiò, divinum Chriſti robur ſignificari æris firmitate & permanitate. Unde Poëta, Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 30.

Exegi monumentum ære perennius.

Quartò, inter omnia metalla æs maximè ſonorum. Unde Claudian. *de quarto Conſulatu Honorii* v. 150.

Non te progenitum Cybeleius ære ſonoro
Luſtravit Corybas.

Itaque per æs rectè deſignari Chriſtum crucifixum & prædicationem crucis, cujus *ſonus exit per omnem terram*, Rom. *c.* 10. v. 18. Sed duo potiſſimum hic obſervanda, Nempe I. Chriſtum in crucem fuiſſe ſubvectum, ſicuti ſerpentem in perticam, Johann. *loc. cit.* & *c.* 12. v. 32. ubi de crucifixione Chriſti vox *extolli* & *attolli*, alludendo ad erectionem ſerpentis in perticam, occurrit: Hinc & holocauſta, Hebr. עולות, Græc. ἀναφορὰς, dicebantur; quia ſurſum attollebantur ſicque ſignificabant fore, ut Chriſtus, pro peccatis ſe offerens, exaltaretur in cruce. II. A Dæmone inflicta vulnera, Chriſti in crucem ſublati ſolò aſpectu, fidei videl. de qua Hebr. c. 11. v. 1. & 27. perfectè ſanari; uti ſolus ſerpentis aſpectus Iſraëlitas à morte tum eximebat: Si qui enim in Iſraël occuluiſſent, aut oculos ultrò avertiſſent, ſpem ſalutis non habebant ullam. Sed neque alterius aſpectu, verum propriô Iſraëlitæ ſanabantur, uti nos, ex fide noſtra, non aliena vivimus, Habacuc. *c.* 2. v. 4. Tamen uti ſaluti eſſe potuit viſus etiam imbecillus: ita ex morte nos eripit fides adhuc infirma, modò vera ſit ac ſincera. Atque ut ſemel morſus & viſô ſerpente ſanatus, ſi rurſus mordebatur, ad idem remedium confugiebat: ita, ſi poſt reſtitutionem denuò in peccata labimur, eadem ſuccurrit fides, quæ prius. Proinde, ut illi, tam præſenti auxiliò freti, anguium morſum & aculeum parum timebant: ſic fidelis qui Chriſtô nititur, Dæmonum inſultus nihili facit, cum fiducia exclamat, O *mors, ubi eſt victoria tua? o ſepulchrum, ubi eſt ſtimulus tuus?* 1 Cor. *c.* 15. v. 55. Iſraëlitas tamen nemo dixerit, hujus medicinæ fiduciâ tam fuiſſe protervos, ut ſerpentes ad morſum ultrò provocaverint: ita cavendum, ne Chriſti gratiâ & auxiliô freti, in tentationes ſponte incidamus. Interim ſerpens hic, utut gratiæ Dei illuſtre ſymbolum, tamen per ſe nihil poterat, Auctor libr. Sapient. c. 16. v. 7. Sed CHRISTUS *vitam habet in ſe abſconditam*, Coloſſ. *c.* 3. v. 3. & *vivificat quoſcumque vult*, Johann. *c.* 5. v. 21. Serpentis aſpectus ſolis Iſraëlitis fuit ſalutaris, fides in Chriſtum & Judæis & Græcis, Galat. *c.* 3. v. 28. Ille intuentes à corporis morte ſic eximebat, ut morti tamen adhuc eſſent obnoxii: Hic, nempe Chriſtus, tam ab animæ, quàm à corporis morte, in æternum nos liberat, Joh. *c.* 11. v. 26. In diem unum aut alterum duravit *ænei* ſerpentis virtus, at *Jeſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, et in ſecula*, Hebr. *c.* 13. v. 8. Itaque ſerpentem æneum colere nefas fuit; & tam eximium divinæ virtutis monumentum meritò contrivit Ezechias, cùm Iſraëlitas ei adolere animadvertiſſet, 2 Regum *c.* 18. v. 4. *At eum* (Chriſtum) *adorant omnes Angeli*. Hebr. *c.* 1. v. 6. Proinde, cùm contritus fuerit ſerpens æneus, quem colebant Iſraëlitæ, contrà illi conterentur, qui debitum Chriſto cultum denegabunt, Pſalm. 2. v. 9 *&c.* Licet autem Moſes non dicat, in quo præciſè loco *Æneus ſerpens* erectus fuerit, probabile tamen eſt, locum illum fuiſſe *Phunon* ſeu *Phænon*, memoratum Numer. *c.* 33. v. 43. qui Idumææ locus fodinis æris valde inſignis fuit, & Patribus *Phæno*, *Phænon*, *Fenon*, *Metallo-fenon* ſcribitur, unde *Phænſia* vel *Phæneſia* metalla, etiam profanis ſcriptoribus celebrata, ut dicemus infrà ſuô locô. Neque fortaſſe ſine myſterio in his ipſis fodinis, ubi tum Iſraëlitæ degebant, ſumtum æs, ex quo conflatus fuit ſerpens æneus. Sic enim ſignificari potuit, corpus, quod aſſumſit Chriſtus, non aliunde fuiſſe allatum, ſed ibi natum & formatum, ubi in carne manifeſtatus eſt. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 5. *c.* 13. Vide quoque infrà *Nehuſtan.*

ÆNI, ſinus Arabici inſula. *Ptol.*

ÆNI, Pons. *Oeniger* vulgò, oppid. Norici in Bavaria ad Oenum fluv. Scribitur & *Oenipons.*

ÆNIA, urbs Macedoniæ, 15. mill. paſſ. Theſſalonicâ diſtans, Liv. *l.* 44. *c.* 10. Item, urbs Perrhæborum, non procul ab Acheloo, Strab. *l.* 14. Vide Steph. in *Alvia*. Populi *Ænianes* & *Æniatenſes.*

ÆNIADÆ, vide *Oeniadæ.*

ÆNIANES, populi, poſtea *Paravæ* vocati, cùm fugati Moloſſiæ regionem circa Avum fluvium occupâſſent: Plut. *in quæſt. Græc.*: ſed ἀγχιστομάχοι Græcus codex legit: παραυαῖοι, *Parabei*, ab Abo fluvio alii ſcribunt, ut ait *Steph.* ex *Rhiano*. *Ænianes Straboni* & *Herodoto* ſunt Theſſaliæ gentes ad ſinum Maliacum: Epicnemidiis Locris vicini, ad Oetam montem, gentile ab Ænia. *Strabo* quoque *Ænianes* in Media habet. Ibidem *Æniana* urbem, in Vitia. Plinio *l.* 4. *c.* 2. *Æniatenſes* in Ætolia. *Ænianes* alios eſſe in Ponto, quos Parſios vocant, ait *Steph.* ex Strabonis *l.* 14. *Nic. Lloydius.*

ÆNIANES, populi Epiri, inter Ætolos & Moloſſos, remotiores ab urbe Epiſcopali Joannina in Ortum, in Theſſalia, verſus Oetam montem. Vide *Joanna* & *Caſſiope.*

ÆNICUS, Athenienſis, priſcæ Comœdiæ poëta, fabulas multas conſcripſit, à Polluce & aliis memoratas. Voſſ. *de Poet. Græc. c.* 6.

ÆNIGMA, in veterib. *Gloſſ. Moneta*, ut auctor eſt *Jac. Gothofredus*. At in *Gloſſ.* Iſidori, eſt *figura ſive typus, ſive ſpecies*, nempe monetæ. Certè ita uſurpat etiam Prudentius in *hymno S. Laurentii*, v. 118. *Is tantum non habet argenteorum ænigmatum*. Item, v. 95. *En Cæſar agnoſcit ſuum Numiſma nummis inditum*. Ubi Wowerius mavult *Ænigma* legi. Ænigmata enim & notæ variarum rerum nummis inſculpebantur, ut notum. Græci γλυφὴν, item αἴνιγμα, aliquando & χαράγματα appellabant. Vide modò dictum Woweruim *Not. ad Minutium* p. 211. & Car. du Freſne *Gloſſ.* Cæterum *Ænigmata*, ab implicatione *Scirpi* dicuntur. Vide *ibi*, ut & aliquid, voce *Griphus*: uti de *Ænigmatica* Veterum *Theologia Philoſophiaque* hic paſſim, vocibus *Hieroglyphica*, *Myſterium*, *Silentium*, *Sphinx*, *Symbolum* &c.

ÆNIOCHI, populi Sarmatiæ Aſiaticæ. Vide *Henioch.* Lucan. *l.* 2. v. 591. *an.*

Æniochi, notique erepto vellere Colchi.

ÆNIPONTANA Familia, Vide *Oenipontana.*

ÆNIUS, fluv. Perrhæborum. *Steph.* Item, Troadis. Strab. *l.* 1.

Lo-

ÆNNODIUS, Cicinenſis Epiſcopus, cui Hormiſda Pontifex ſimul a dedit privilegia, atque etiam primum ſeſſionis locum, à ſiniſtra Pontificis, inter Epiſcopos, ob rectè & conſtanter adminiſtratam legationem ad Anaſtaſium Imperatorem. Bernard. Saccius l. 8. *Ticinenſis Hiſtoriæ*.

ÆNNUM, parvum oppid. pro quo alii *Phileteram* ſcribunt; Plin. *l*. 6. *c*. 29. ad ſinum Arabicum eſt, à parte Occidentali. *Ortelius*. *Preſtoteris* Melæ *l*. 3. *c*. 8. eſt, *Φιλωτέρας Ptolemæo*,

ÆNOANDRUM, vide *Cedebrata*.

ÆNOBARBUS, vel potiùs *Ahenobarbus* Domitius appellatus, quoniam Caſtor & Pollux cum de victoriâ nunciarent Domitio, ipſique minimè crederet narrantibus, malas barbamque manibus permulſerunt, & ita ex fuſca in flavam converterunt, unde à barba rutila, æneique coloris *Ænobarbus* dictus, quod poſtea Domitiorum cognomen fuit.

ÆNOCAUMA, mons excelſus Æthiopiæ verſùs meridiem, æternis ignibus ardens. Mela *l*. 3. *c*. 9. Sed hodie in pleriſque exemplaribus *Θεῶν ὄχημα* legitur. Ex Annonis *Periplo* hauſit *Pomponius*, qui tamen non dicit hunc montem perpetuis ignibus flagrare, ſed noctu tantum talem apparuiſſe, verba ejus hæc ſunt, Ἐν μέσῳ δ' ... φλογὸς πλήρη ... ἀστέρων ... ὄρος μέγιστον, Θεῶν ὄχημα καλούμενον. Mons iſte hodie *Sierra Liona* appellatur. Adeo altus, ut à ducentis & amplius millib. paſſuum nonnunquam ſit conſpicuus. Latera ejus perpetuò virent odoratis omnis generis arboribus; vertex æternis incingitur nebulis, quas ne ardentiſſimus quidem Sol unquam diſpellere, ac vix perrumpere poſſit. Hinc fit ut continuis fulminibus ac tonitruis, noctu præſertim, percutiatur, quorum fragor à navigantibus ad 50 millia paſſuum exaudiri poteſt. Sonitum illum Luſitani aſſimularunt leonum rugitui, ac ea propter monti nomen indidêre *Sierra Leona*. If. Voſſ. *in Obſervat. ad Melæ loc. cit*.

ÆNON, locus Palæſtinæ ad Jordanem fluv. ubi D. Joannes Baptiſta baptizabat, à Scythopoli 8. mill. paſſ. in Auſtrum. Locus hic non confundendus cum *Ænan*, ut *Baronius* facit, propterea quod utramque vocem ſignificare *fontem* dicit *Hieronym*. Hic enim ipſe duo loca ſitu ſeparata commemorat, quorum alteri nomen *Ænan*, alteri *Ænon*: habet autem id ab Euſebio, cujus verba *de locor. nom. in S. Script*. hæc ſunt, Αἰνὰν, ἡ ἐστιν ἐν παρόδῳ Θαμνὰ ... Αἰνὰν ... ἔρημος νῦν ... πλησίον ... Αἰλίας καὶ Διοσπόλεως ... *Ænan, deſertus nunc locus eſt, propinquus Thamnæ, etiamnum habitatæ ingentis urbis, inter Æliam & Dioſpolim. Fons autem eſt, in eo loco apud quem idolum fuit, incolis in veneratione*. Hæc *Euſeb*. de *Ænan*, inter loca Moſi memorata, reſpiciens locum Gen. *c*. 38. *v*. 14. ubi LXX. vocem Hebr. *Henaiim* verterunt Αἰνάν; Hebræi verò, ut *Hieronym*. monet, non pro loci nomine accipiunt, ſed bivium interpretantur: propriè eſt *τοὺς ὀφθαλμοὺς*, *οἱ δύο*, *duo oculi vel duo fontes*. De *Ænon* vero idem Euſebius ita: Αἰνὼν ἐγγὺς τοῦ Σαλείμ, ἔνθα ἐβάπτιζεν ὁ Ἰωάννης ------ καὶ δείκνυται εἰσέτι νῦν ὁ τόπος ... Σκυθοπόλεως, ... πλησίον Σαλεὶμ καὶ τοῦ Ἰορδάνου, *Ænon prope Salem, ubi baptizabat Johannes* - - - *& oſtenditur etiamnum locus, 8. milliar. Scythopoli, Meridiem verſus, prope Salem & Jordanem*. Sic ergo *Ænan* fuit prope Dioſpolin ſive Lyddam ab ea parte Jordanis, quæ mare reſpicit: *Ænon* vero vicina Scythopoli ad alteram Jordanis ripam ſita, non procul à flumine. Sed & appellationes multum differunt. *Ænan* enim Hebræis eſt *Henajim*; at *Ænon*, apud Syrum & Arabem Interpretes ſcribitur *Hinnon*: Hebr. [illegible] & [illegible]. Vide Iſaac. Caſaubon. *Exercitat. XIII. contra Baron*. § 25.

ÆNONA, civitas Illyrici. Plin. *l*. 3. *c*. 21. *Nona Nigro*. Venetis paret, eſtque probè munita, & à majori parte mari præcincta 10. mill. paſſ. diſtat Jaderâ, in Boream, Senam verſus 35. Contra Gallam inſul. 4. mill. paſſ. diſtantem.

ÆNOS, oppid. Thraciæ liberum, *Enos Stephano*. Poltymbriam vocat *Apollodorus* apud *Stephanum*, cui etiam Ἀψινθὸς dicitur, quem vide in Αἶνος. Ab Ænea conditum ſcribit Mela. *l*. 2. *c*. 2. longitud. 52. 56. latitud. 42. 30. Hodie Græcis *Eno*, Turcis *Ygnos*. Olim etiam *Æneum* & *Ænus*. *Nic. Lloydius*. hoc longe ante *Æneam* condita (contra Cherſoneſum Thracicam, in Melane ſinu, ad oſtia Hebri fluminis) utpote quæ auxilia ad Trojam miſerit. *Callimachus* & *Euphorion* à ſocio Ulyſſis dictam ſcripſêre illic ſepulto, eò tempore, quò miſſus eſt ad frumenta portanda, ut refert Servius, *in Virg. l*. 3. *Æn. v*. 17. Habuit in propinquo Polydori tumulum, à Polymeſtore occiſi, qui eam Cherſoneſum obtinebat, &c. Cum *Ænea* ergo urbe, quæ alter *Æneades*, confundunt hanc *Ænum* Auctores. Sed nec *Ænos* ab Ænea, verum *Ænea*, dicenda fuiſſet: manſit porro urbs *Ænus* uſque ad extrema Græciæ tempora, ut ex *Ptolemæo* patet; cùm *Ænea*, à Caſſandro, conditâ Theſſalonicâ, cum aliis oppidis vicinis deſtructa jam eſſet. Salmaſ. *ad Solin. p*. 161.

ÆNOSTADIUM, oppid. Germaniæ, ab Æno fluv. dictum, quò tantum dirimitur à Patavio, prope Danubium fluv. Subeſt Epiſcopo Patavino, eſtque ſita inter Bavariam & Auſtriam.

ÆNOTHERUS, Gigas quidam, ortus ex Durgia, pago Sueviæ, Carolo M. Imperat. equò meruit: flumina quæ pontibus juncta non erant, poſt ſe equum ſuum trahens, ſuperare ſolitus fuit: Venedos Avareſque hoſtes, in fœni modum demetebat, & in morem avicularum haſtâ, velut cuſpide, fixos, humeris ſuſpendebat. Aventin. *l*. 4. *Annal. Bojorum*.

ÆNUM, oppid. pro quo aliqui Philoteram ſcribunt. Plin. *l*. 6. *c*. 29. Eſt autem ad ſinum Arabicum in parte occidentali.

ÆNUM, aliam à priore, vide *Oeno*, habet in Thracia *Suidas*, ab Æno, Gygæi fratre, denominatum. *Ænos Steph*. Theſſaliæ urbs eſt: apud Locros Ozolos quoque: & circa Thapſacum, ad Euphratem ſita. Cephaleniæ Inſulæ mons eſt, apud *Strab. l*. 7. ubi *Æneſii* Jovis templum. Fluvius & vicus prope Oſſam: Item, locus in Rhodiorum continente, *Steph*. Eidem eſt inſula, juxta Arabiam Felicem. Eſt & Cretæ urbs, ab Ænea condita, Serv. in *l*. 2. *Æn*. Vide *Oenus* & *Caſius*.

AENUM, vide infra *Aquæ ferventis judicium*.

ÆNUS, fluv. Rhætiæ, vulgo *Inn*, qui inter Noricos & Vindelicos eos ſeparans fluit, Danubiſque ad Patavium urbem excipitur. Oritur in Rhætia, ex monte *Moloia*, 4 leuc. Germ. à Clavenna, in Cæciam. Aliis *Oenus* dicitur. *Dan. Fremuta* apud Venones tribus lacubus in Juliis Alpibus oriri, tradit. Item mons in Cephallenia, in quo Ænefii Jovis templum fuit.

ÆNYRORUM, *Αἰνύρων*, & *Coenyrorum nomine*, Thaſii inſulæ, meminit Herodotus, *in Erat*. *Αἰνυροι* ſunt *Heſych*.

ÆNYSIPHYRA, vide *Æneſiphyra*.

ÆOLI, populi in Cappadocia.

ÆOLIA, & ÆOLIS olim latè admodum accepta. *Græci etiam omnes extra Iſthmum (exceptis Athenienſibus, Megarenſibus & Dorienſibus Parnaſſi accolis) Æolenſes dicti ſunt*, Strabo *l*. 8. Plin. *l*. 5. *c*. 30. Melæ, *l*. 1. *c*. 2. *Ptolemæo*, aliiſque. Aſiæ propriè ſic dictæ regio, mari Ægæo expoſita, inter Troadem ad arctos, & Ioniam ad meridiem. Populi *Æoles* ab *Æolo* Hellenis filio dicti, qui relictâ patriâ in Aſiam trajecerunt, ſedibuſque in Myſia minore ſixis, Æolidem vocârunt; quæ *Sarcum* hodiè, teſte *Caſtaldo*, dicitur. Dionyſius *de ſitu orbis*.

> Τὴν δὲ μετ' Αἰολίδος παραπέπταται οἶδμα γαίης,
> Αἰγαίου ἐπ' ἀκτὰς χεῦμα, ὑπὲρ μέγαν Ἑλλήσποντον.

Contigit hæc migratio (una ex *tribus celeberrimis Græcorum in Aſia Coloniis*) *quatuor ætatibus ante Ionicam*, de qua ſuo locô, Strabo *d. l*. Sed illa non erat unius ætatis. Profectionis auctor erat Oreſtes, cujus ſocius Piſander Thebanus erat; ſed hi *nihil* perfecerunt. Penthilus Oreſtis fil. *Lesbum* occupavit, annis 60. poſt Trojæ caſum, ſub Heraclidarum *Καθόδῳ*. Eodem tempore Cleva & Malaus (ipſi quoque de ſtirpe Agamemnonis) *Cumam* condiderunt. Archelaus Penthili fil. coloniam duxit in *Cyzicenam*, circa Daſchylium; Grais uſque ad Granicum fluv. progreſſus eſt, Strabo *ibid*. Grais, Echelai fil. Penthili nepos, Lacedæmoniorum auxiliô, regionem inter Ioniam & Myſos, quæ *Æolis* dicitur occupavit. Tanta fuit Æolicæ expeditionis molitio, nec niſi ab Oreſtis (cujus liberos Heraclidæ patriâ pepulerant) pronepote tandem, circa Ionicæ migrationes fortè tempora, perfecta. Urbium maxima & præſtantiſſima Cuma. Hæc & Lesbus quaſi metropoles fuêre reliquarum, quæ numerô fere XXX. erant, ut videre eſt apud Herodotum *l*. 1. *c*. 149. 150. 151. ubi Smyrna, quâ ratione per Iones avulſa ſit à ſyſtemate XII. Urbium Æolicarum in continente, addit. Vide quoque Joh. Marſhamum *Canone Chron*. *Sec*. XIII. ubi *de Æolica migratione*.

ÆOLIA, celebratur à Poëtis pro ventorum patria, eò quòd inſulares venti varii ſint, eſt enim *αἰόλος* varius. Virg. *Æn*. 1. *v*. 57.

> ------ ---- *Loca fœta furentibus Auſtris*
> *Æoliam venit*. - - -

ÆOLIÆ, ſeptem inſulæ inter Italiam, & Siciliam quarum nomina ſunt *Lipara*, *Hiera*, *Strongyle*, *Didyme*, *Ericuſa*, *Phœnicuſa*, & *Euonymos*; de quibus ſuis locis. Hodie *Lipari*, *Vulcano*, *Stromboli*, *Saline*, *Panari*, *Alicur*, *Felicur* & *Uſtica*. Habent civitatem Epiſcopalem in Inſula Lipara, probè munitam. Malè habitæ ſunt ab Ænobarbo, A.C. 1544. Aliis nominibus *Vulcaniæ*, & *Hephæſtiades* vocantur. *Plotas* appellari ſcribit *Dionyſius in his*.

> Τὰς δὲ μετ' Αἰόλου ἐστὶ περίδρομοι εἰν ἁλὶ νῆσοι,
> Ἑπτὰ δὲ σφέας γ' ἐστὶν, ἐπώνυμοι ἀνδράσι Πλωταί.
> Οὕνεκα μέσσον ἔχουσι περίπλοον ἀμφιελικτόν. Ab Æolo ſic

dictæ. Harum Strongyle: fumos exhalat, ventorum prænuncios. Plin. *l*. 3. *c*. 8. & 9. Strabo *l*. 6. Mela, *l*. 2. *c*. 7. Diodor. Sic. *l*. 5. Cluver. *l*. 2. *c*. 14. *Nic. Lloydius*.

ÆOLICA, urbs Æolidis forte ab Amaſone quadam ſic dicta. *Euſtath*.

ÆOLIDA, Civitatem habet *Euſtath*. in Tenedo Inſula. Aliam videtur Herodot. deſcribere *l*. 7. in Achaja, circa Thermopylas.

ÆOLIDES, dictus eſt Ulyſſes ab Æolo, qui filium habuit Siſyphum, ex quo natus eſt Ulyſſes. Virg. *Æn. l*. 6. *v*. 528.

> - - - - - *Comes additur unà*
> *Hortator ſcelerum Æolides*. - - -

Nam Amicleæ fil. fuit, quæ ante Laërtæ nuptias clam cum Siſypho Æoli filio concubuit, unde Ulyſſes natus eſt; Quod ei apud Ovid. Ajax etiam objicit. *l*. 13. *Met. v*. 31

> - - - - *Quid ſanguine cretus*
> *Siſyphi, furtiſque & fraude ſimillimus illi*
> *Inſerit, Æacidis alienæ nomina gentis*.

Item Miſenus tubicen *Æolides* dicebatur. Virg. *Æn. l*. 6. *v*. 164.

> *Miſenum Æoliden, quo non præſtantior alter*
> *Ære ciere viros, Martemque accendere cantu*.

Benè autem tubicen Æoli fil. eſſe fingitur, quia ſonus è vento creatur. *Nic. Lloydius*.

ÆOLII, Inſulam quoque peculiarem habet *Ptol*. inter Æolias: Ex omnibus Æoliis ſola Lippara habitatur, ut docet *Scipio Mazzella*. Mare inter has Inſulas & Siciliam *Æolium* Pontum nominat Silius *l*. 14. Celebrantur *Æoliæ* à Poëtis pro ventorum patria, eo quod inſulares venti varii ſint: eſt enim *αἰόλος* varius. *Idem*.

ÆOLIUM, Thraciæ Cherſoneſi oppid. *Steph*. Plin. *l*. 4. *c*. 11. ſic vocat frontem hujus Cherſoneſi, in qua Eleus oppid. Atticæ civitas quoque videtur apud *Steph*.

ÆOLIUM Inſtrumentum, quod ſine ullo humano contactu, ſolò fortioris venti impulſu chordas radentis, adeo admirabile ſoni genus efficit, ut ſolâ naturæ induſtriâ auditores in ſtuporem det. Namque hi mox campanarum clangorem è longinquo ſe percipere autumant, mox videntur ex ſufflatu organi tibias cantantes audire: dubiique hærent, an experti cujuſdam tubicinis,

Cythara(?)que ludentis jocos ſonorus percipiat, aſſervatur in *Muſæo* Kircheriano. Ejus conſtructionis rationem præſcribit Auctor de *Magia* (?) *Muſurgia* (?) Mathem. 10. & in *Phonurgia*, hoc modò: Ex ligno ubi reſonantiſſimo, quibus fidicina inſtrumenta confici ſolent, inſtrumentum conficiatur 5. palmos longum, latum duos, profundum unum, hoc dein 15. chordis æqualibus ex animalium inteſtinis vel etiam pluribus paucioribuſque inſtruatur. Porrò modus concordantiæ fit non per tertias aut ſecundas, ſed debent omnes chordæ in uniſono, aut per octavas uniſonæ, aut omnes in uno tono concordes eſſe. Modus applicationis talis ſit, ut, ubi ventus ſpirare maximè ſolet, per ſtrictiſſimam rimam valvularum aut portarum cogatur tranſire, cui rimæ retroponatur inſtrumentum, ut neceſſariò ventus chordas radat. Auctor tunc abſque ullo tenori diſpendio feneſtras aperit, atque valvis feneſtræ ſemipalmari ſpatio apertis, quibus *Æolium inſtrumentum* inſertum, adeò inſolitum harmoniæ genus exhibet ſolius venti impetu, ut nemo, niſi arcani conſcius, unde ſonus ille harmoniacus oriatur, ne conjecturâ quidem aſſequi poſſit. Vide quoque *Muſurgiam* Auctoris, & Georg. de Sepibus in *Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo* p. 51. Ibidem Magnes eſt *Æolus*, piſcis volans, quam *hirundinem* vocant *marinam*, lineam ventum intra cubiculi laquearia deſignans. *Pila* item *Æolia*, &c. p. 4.

ÆOLII Sclopuſ, vide infrà *Moſketta*, item *Sambucus*.

ÆOLUS, ventorum imperator, vel potius (ut quidam putant) quæſtor, Hippotæ fil. fuit, ut inquit Ovid. in *Epiſt. Leandri quæ eſt Heroid.* 18.

Parce precor, facilemque move moderatus avram:
Imperet Hippotades ſic tibi triſte nihil.

Sic Apollonius *l.* 4. *Argonauticorum*,

[illegible]

Matrem Æolo fuiſſe Menecleam, Hyllis Liparenſis filiam, memoriæ prodidit Euthydemus Athenienſis in *l. De ſalſamentis*. At Eudoxus Cnidius in *l.* 2. *de ambitu terræ*, Ligyam Actoris Caryſtii filiam matrem Æoli fuiſſe maluit. Nec defuerunt, qui Jovis filium putaverint. Scribit Diodor. *l.* 5. *c.* 311. Æolum Vulcaniis inſulis imperâſſe (quæ ab eodem poſteà Æoliæ ſunt nominatæ) pium fuiſſe ac juſtum regem, & perhumanum erga hoſpites, ac nautas docuiſſe velis uti; præterea ex diligenti ignis obſervatione prædicere ſolitum, qui venti futuri eſſent, atque inde locum datum fabulæ, ut ventorum Rex fingeretur. *Dionyſius* eum commendat ob humanitatem in hoſpites,

[illegible]
[illegible]
[illegible]

Plutarchus *l. De exilio* [illegible], *Deis Chariſſimum* vocat. Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 3. *v.* 3. *ventorum patrem*. Fuiſſe hunc Regem Thuſcorum Soſtratus ſcribit *rerum Thuſcanicarum l.* 3. & Plut. in *Paral.* Ovid. *Met. l.* 14 *v.* 223.

Æolon ille refert Thuſcô regnare profundo,
Æolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos.

Quod autem de ignis obſervatione dixit *Diodorus*, capiendum forteaſſe de fumo ex mente Plinii *l.* 3. *c.* 9. & Solini, *c.* 12. qui ſcribunt, Æolum, cùm regnaret in Strongyle, ex ejus inſulæ fumo, quinam flaturi eſſent venti, in triduum prædicere ſolitum, indeque exiſtimatum ventos Æolo paruiſſe. Tradit *Iſacius*, Æolum fuiſſe hominem aſtrologiæ peritiſſimum. Sic etiam Palæphatus *c.* 18. [illegible] Strab. *l.* 1. aſſerit, Æolum ventorum regem dictum fuiſſe, quia per fluxum & refluxum aquarum futuræ tempeſtatis, ac ſurgentium ventorum ſigna multò antè prædixerit, quæ cùm ad prædictum tempus evenerint, credidit vulgus mortalium ventos eſſe in ejus poteſtate, quos poſſet, cùm liberet, emittere. Homer. *Odyſ.* 10. *v.* 21.

Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων,
Ἠμὲν παυέμεναι, ἠδ' ὀρνύμεν ὅν κ' ἐθέλῃσι.

Apollonius *Argonaut. l.* 4.

Αἰόλου, ὅς ἀνέμοις αἰθρηγενέεσσιν ἀνάσσει.

Quintus Smyrnæus, *l.* 14. ita habet.

Κεῖνα πολὺ στυγερῇσιν ἀελλάων ἀμφὶ πνοῇσι
Κοῖλα καὶ ἠχήεντα, δόμος δ' ἀγχίστα πέλονται
Αἰόλου Ἱπποτάδαο. Vide quæ ſequuntur.

Ambianus Laenos. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 52. *ſ.*

------ ------ Hic vaſtò rex Æolus antrò
Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras
Imperiò premit, ac vinclis, & carcere frænat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt. Celſa ſedet Æolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, ac temperat iras.
Ni faciat, maria, ac terras, cælumque profundum
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantque per auras.
Sed Pater Omnipotens ſpeluncis abdidit atris
Hoc metuens, molemque & montes inſuper altos
Impoſuit, regemque dedit qui fœdere certò
Et premere, & laxas ſciret dare juſſus habenas.

Ovid. *Met. l.* 11. *Fab.* 10.

Neve tuam fallax animum ſententia tangat,
Quòd ſocer Hippotades tibi ſit, qui carcere fortes
Contineat ventos, & cum velit, æquora placet.
Cum ſemel emiſſi tenuerunt æquora venti,
Nil illis vetitum eſt, incommendataque tellus
Omnis, & omne fretum eſt, cæli quoque nubila vexant,
Excutiuntque feris rutilos concurſibus ignes.

Val. Flac. *l.* 1. *v.* 586.

---- -- Hunc ſolito quondam miſcere pelagus
[illegible] fretum, neque enim tunc Æolus illis
Rector erat, Libyâ cum rumperet advena Calpen
Oceanum, cùm flens Siculos Oenotria fines
Perderet, & mediis intrarent montibus undæ.
Intonuit donec pavidis ex æthere ventis
Omnipotens, regemque dedit, quem juſſa vereri
Tota cohors. ---- ----

Stat. *Sylv.*

Et pater Æoliô qui frangit carcere ventos,
Cui varii flatus, omniſque per æquora mundi
Spiritus ac hiemes, nimboſque nubila parent.

Claudian. *l.* 1. *de Raptu Proſerpinæ*,

---- Ceu turbine rauco
Cùm gravis armatur Boreas, glacieque nivali
Hiſpidus, & Geticâ concretus grandine pennas
Bella cupit, pelagus, ſilvas, campoſque ſonorò
Turbine raptarus: ſi forte adverſus aſtenas
Æolus objecit poſtes, vaneſcit inanis
Impetus, & fractæ redeunt in clauſtra procellæ.

Bochart. *in Chanaan. l.* 1. *c.* 33. Græcos hanc fabellam à Phœnicibus didiciſſe veriſimile putat, quibus [illegible] *Aol* (vel Græcè *Aella*) eſt *procella, turbo, tempeſtas*. Hinc Rex *Æolus* creditur à Phœnicibus eſſe Rex *Aolin*, i. e. *tempeſtatum*. *Nic. Lloydius.*

ÆOLUS, Hellenis fil. qui ventorum rationem inveniſſe dicitur, ut tradit Plin. *l.* 7. *c.* 56. Ab aliis tamen alius exiſtimatur, quibus magis accedo. Tres enim fuerunt Æoli, unus qui in inſulis à ſe denominatis regnavit, atque ex earum fumo ventorum rationes deprehendit: vide *Æolia*. Alter qui in Hetruria regnavit. Cujus filii fuerunt Macareus & Canace. Tertius verò *Hellenis* fil. cui tres fuerunt liberi, *Cretheus*, *Athamas* & *Salmoneus*. *Idem*.

ÆON, nomen ab Hæretico *Valentino* divinitati tributum, quam in 30. Deos ſeu Æonas diſtinxit, partim mares, partim fœmellas: Ex quorum commixtione Servatorem mundi ortum eſſe. Tertullian. *contra Valent.* Iren. *l.* 2. *c.* 4. Epiph. *hær.* 31. Ejus ſectatores, *Ptolemæus ſive Valentini* Irenæo dicti. *Harpocration*, &c.

ÆON, Inſul. in Atlantico mari. Tertullian. *de Pall. c.* 2. Vide *Atlantis*.

ÆORA, Græc. Αἰώρα, feſtum in honorem Erigones, Ægyſthi ex Clytemneſtra filiæ, celebrari apud Athenienſes ſolitum. Ita enim, præter alios quoſdam, cenſet *Etymologici magni* Auctor. Pleríque tamen illud inſtitutum ferunt in memoriam Erigones, filiæ Icarii, quæ ob pietatem in patrem, in cœleſte Virginis ſignum converſa dicitur, Hygin. *Fab.* 224. Vide Heſychium in Αἰώρα, Voſſ. *de orig. & progreſſu idolol. l.* 1. *c.* 13. Meurſium imprimis *Græcia Feriata l.* 1.

ÆORPATA, vide *Amazones*.

ÆOS, Typhonis fil. quem quidam ſcribunt Paphon civitatem condidiſſe, cum tamen ſint qui Pygmalionis opus id eſſe ſcribant. Vide etiam *Agapenor*.

ÆPALIUS, Rex quidam, partis alicujus Græciæ, qui cùm è regno ſuo pulſus fuiſſet, Herculis ope atque operâ reſtitutus eſt; in cujus beneficii memoriam, ei rebus humanis circa Œtam exempto gratiam reddidit: quippe Hylam inter ejus filios natu maximum adoptavit, qui regni ſucceſſionem poſtea ſuſcepit, poſteriſque tranſmiſit. Strab. *l.* 9.

ÆPASIUS Campus, circa Lepreum Peloponneſi, Strabo. *l.* 8.

ÆPATIACUS PORTUS, littoris Saxonici, in Belgica, teſte *Libr. Notit.*

ÆPEI, αἰπεινοί, vide *Hyrmine*.

ÆPEIA, Thuria dicitur Pheris conſermina; ſita verò eſt in excelſo colle, unde nomen ſortita eſt, item urbs Laconiæ, & alia Cretæ, & alia Cypri ad Clarium amnem, poſtea *Soli* nuncupata Plut. *in Solone*. Vide *Corone*, *Methone*, & *Thuria*.

ÆPHULLI, locus Archiepiſcopalis in *Sanctionibus Pontif. Oriental.*

ÆPISYNANGIS, Aſianus ager. Theophr. *l.* 4. *de Cauſis Plant.*

ÆPIUS, athleta quidam, qui arroganter de pugilatione & inſolenter loquutus, ubi obſtrepitum apertè eſt ei, Anne ſatis eſt (inquit) quòd ad pugnam ſum ineptus? ridiculè ſatis oſtentationem athleticam ignaviæ & languoris molliens confeſſione. Plut. *De ſui laude.*

ÆPOLIUM, Urbs Sarmatiæ Europææ circa Tyram & Iſtrum, fluvios. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Orpolium* quidam codices: *Obolium* quoque, ut *Dalechampius* ſcribit.

ÆPOS, mons juxta quem ſita eſt civitas Hypæpa. Cæl. Rhodig. *l.* 14. *c.* 1.

ÆPULO, Iſtrorum; ſeu Hiſtrorum Regulus, cùm A. Manlii caſtra cepiſſet, opimæque prædæ incubaret, vino, epuliſque indulgeret, à Romano milite ex fuga retracto invaditur; ipſe autem, raptim à ſuis in equum impoſitus Neſactium fugâ elapſus eſt, quem inſecuti Manlius & Junius Conſules oppidum vi capiunt: ille verò ne vivus in hoſtium poteſtatem veniret, ſeſe gladiò trajecit. Florus tamen *l.* 2. *c.* 10. à C. Claudio Pulchro captum ſcribit, ac equo impoſitum, & cùm ſubinde crapulâ & capitis errore laberetur, captum ſeſe vix & ægrè, poſtquam experrectus eſſet, didiciſſe. *Nic. Lloydius.*

ÆPY, urbs fuit ſub ditione Neſtoris, quam *benè munitam* dixit Homer. *Il.* 2. *v.* 592. Non longè autem aberat à Thryo oppido Elidis in Peloponneſo. Pſophidi urbi finitima Stat. *l.* 4. *Theb. v.* 180.

Quos Thryon, & ſummis ingeſtum montibus Æpy.

Meminit ejuſdem Strabo. *l.* 9. *Steph.* Meſſeniæ urbem eſſe ſcribit, & veteris cujuſdam poëtæ locum de illa citat, is autem eſt Homeri *loc. cit.*

Καὶ Θρύον Ἀλφειοῖο πόρον καὶ ἐΰκτιτον Αἰπύ.

Hinc *Æpytium* adjectivum. Stat. *ubi ſuprà v.* 296.

Æpytios idem ardor agros, & Pſophida celſam

ÆPYTUS, Meſſeniorum Rex Creſphontis & Meropes fil.

qui

qui in Arcadia apud Cypſelum avum maternum fuit educatus, occiſo Polyphonte, qui matrem ejus invitam duxerat, regnum paternum recuperavit, Apollodor. *l.* 2. Ab hoc Reges Meſſeniorum *Αἰπυτίδαι* ſunt appellati, quod & Pauſaniæ *in Meſſenicis* notatum. Euſtathius *in illud Hom. Il.* 2 *v.* 603.

> Οἱ δ' ἔχον Ἀρκαδίην, ὑπὸ Κυλλήνης ὄρος αἰπύ,
> Αἰπύτιον παρὰ τύμβον - - - - - - - -

Ἐν μέσῳ inquit, *Πελοποννήσου ἡ Ἀρκαδία, ... ὄρος δὲ ἐν αὐτῇ Κυλλήνη. Ὁ δὲ Αἰπύτιος τάφος ... τοῦ Αἰπύτου ... Ἀρχαῖος δὲ Ἀρκὰς ὁ Αἴπυτος, ... ὁ τύμβος ...* Vide Heſych. *in Αἰπύτιον.* Ejus tempore Agis Euryſthenides & Sous Proclides Spartæ, Lajas verò in Arcadia, regnârunt. Illum verò in regno Meſſeniaco excepit Glaucus, quem vide. Ab illo ſucceſſores *Æpytidæ* dicti, ut vidimus: è quorum familia cùm primò bellò Meſſeniacô (quod cum Lacedæmoniis illis intercedebat) virginem immolari Oraculum Delphicum juſſiſſet, Lyciſce filia ſorte ducta eſt, quâ profugâ, Ariſtodemus filiam ſuam ultro obtulit, Olymp. 3. Vide Pauſan. *l.* 4. & hic; vocibus *Ariſtodemus*, ac *Lyciſca*.

ÆPYTUS, Elati fil. Arcadum Rex: cùm templum Neptuni equeſtris, in monte Haleſio, prope Mantineam, vetitus licet, intrâſſet, marinæ aquæ è ſacris latebris erumpentis vi ſubitâ excæcatus, non multò pòſt in venatione à ſepe ſerpente ictus interiit: ſepultus eſt in Sepia, monte Arcadiæ. *Homer.* ejus meminit, & Pauſan. *in Arcadicis.*

ÆQUANA, urbs eſt in provinc. Terræ laboris in ora ſinus Neapolitani mediò itinere, inter Surrentum & Stabias; eſtque parva admodum.

ÆQUANA Juga, montes Picentum, Vico ac Surrenum urbibus imminentes (hodie *Montagna di Sorrento*) ſic ab *Æqua* urbe exciſâ, cui Vicus ſucceſſit, nominati, quam *Ortelius* cum Æcanâ urbe longè diverſâ confundit: quò nomine etiam urbs ipſa *Æquana* nominatur, nunc *Vico di Sorrento* Sil *l.* 5.

> *Æquanâ, & Zephyrò Surrentum molle ſalubri.*

ÆQUATIS Velis procedere, vide infra *Panare vela.*

ÆQUESILICI, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi, apud Plin. *l.* 3. *c.* 3. Forte *Aquæ Salinorum Ptolemæi*, ut ſuſpicatur *Ortel.*

ÆQUI, populi in Latio, qui Tiburi montes imminentes incolebant. *Æquicula* Virg. *l.* 7. *v.* 746.

> *Horrida præcipuè cui gens, aſſuetaque multò*
> *Venatu nemorum, duris Æquicula glebis.*

Sil. Ital. *l.* 8.

> *Quique Anienis habent ripas, gelidóque rigantur*
> *Simbruvio, raſtriſque domant Æquicola rura.*

Populi *Æquicoli* Ovidio *Faſt. l.* 3.

> *Quintum Laurentes, bis quintum Æquicolus acer.*

ÆQUICULANI, Plinio *l.* 3. *c.* 12. dicuntur. *Æcani Stephano* ac *Dion. Halicarnaſſeo.* Vide Cluver. *de Ital. Ant. l.* 2. *c.* 16. Hos Q. Cincinnatus, Dictator ab aratro, ſub jugum miſit: Poſthumus Tubertus rebellantes domuit, Fabius 40. urbibus mulctavit, *Maximi* hinc nomen meritus. Liv. *l.* 3. & 4.

ÆQUI Dii, pro *ambiguis.* Obſervatum ſæpe à Viris doctis, *ſuos, meos, noſtros*, Deos, loca, tempora, pro ſecundis & faventibus incepto noſtro; *alienos*, pro adverſis & qui malo damnoque ſint; *communes* tandem ſeu *æquos*, pro ambiguis, quibus aut pars utraque aut neutra fidit, Latinis dici. Ovid. *Met. l.* 15. ubi Jupiter ad Venerem,

> *Nos in bella ſues fortiſſimus ultor habebit.*

Tibullus *l.* 3. *Eleg.* 3.

> *At ſi pro dulci reditu quæcunque voventur,*
> *Audiat averſâ non meus aure Deus.*

Auctor *Ciris*,

> *Nunc tremere inſtantis belli certamina dixit,*
> *Communemque timere Deum.*

Tacit. *Annal. l.* 1. *c* 68. *Non hic ſylvas, non paludes, ſed æquis locis æquos Deos.* In locis, ubi neutra pars habet aliquid iniqui, omnia cætera æqualia, parem fortunam, parem aleam & reliquum Virtutis certamen. Inde *l.* 16. *c.* 33. *Exitúſque omnibus fortunis & in exilium actis, æquitate Deûm erga bona malaque documenta.* Quaſi dixiſſet, *æquis Diis erga bona malaque documenta*, h. e. utraque ſine animadverſione, ſine præmio pœnave merita tranſmittentibus. Hoc enim erat, in quo maximè ii providentiam culpabant. Val. Flacc. *l.* 4. *v.* 1.

> *Atque ea non oculis Divûm pater amplius æquis*
> *Suſtinuit.*

Commovebatur enim, nec in promiſcuo erat illi, quid fieret: ſecus ac de Diis *Tacitus.* Malum fuerat documentum Egnatii, qui patronum prodiderat & ſcelere fruebatur. bonum Æſclepiodoti Caſſii, qui labentem amicum non deſeruerat & bonis publicatis in exilium pellebatur. More igitur paganò cœlum vituperat & crimen accuſat Fati. *Æquitate* Deûm, i. e per æquitatem, per patientiam Deorum, immotis Diis, neque ad præmium aut pœnam flexis, &c. Joh Frid. Gronov. *Obſerv. l.* 4. *c.* 17.

ÆQUICIUS, Valeriæ Urbis monaſterii Abbas. Marul. *l.* 2. *c.* 5.

ÆQUILANUM, vide *Æculan.*

ÆQUILIBRATOR Regis, nomen muneris, quô inſignitus donationem factam Majori Monaſterio à Roberto de Sabulio (*Sable*) & uxore A C. 1067. ſubſcripſit quidam Baldricus, ſtatim poſt Epiſcopos: quem ſubſequuntur, Ingenulfus Magiſter Pincerna, Radulfus Dapifer, Waleramnus Camerarius, &c. ubi *Equilibrator* aut *Æquilibrator Regis*, *Car. du Freſne* ei eſt, qui alias *Magiſter* Regis ſeu Pædagogus dicitur. Tum enim Philippus Rex vix ætatis annum attigerat 13. aut 14. Sic autem appellatus fortè, quòd puerum herilem in *æquilibrio* ac *trutina*, ut loquitur *Thilint*, ſeu vitæ æqualibitate, contineret: cujuſmodi munus illius eſt, quem *Gouverneur du Roy*, hodie Galli dicunt; quemque olim *Bajulum*, in Aula præſertim Conſtantinop. dixerunt. Car. du Freſne *Gloſſar.* Aliàs *Æquilibrator* Latinis, qui *Zygoſtates* Græcis, qua de voce vide *ſuo loco.*

ÆQUILIUM, Carnorum Venetæ ditionis urbs. *Cittu nova* nunc, *Leandro Alberto* teſte.

ÆQUIMELIUM, locus Romæ, ubi domus Melii cujuſdam ſolò æquata fuit. Spurius enim Melius ob frumenti largitionem in ſuſpicionem affectatæ dominationis venit, & cum ad populi fidem fugeret, à Servilio Halâ equitum magiſtro deprehenſus, & occiſus eſt, domuſque ejus diruta, & *Area Æquimelii* dicta. Liv. *l.* 1. *dec.* 4.

ÆQUINOCTIA ambo, Cynocephali ſedentis hieroglyphicô indigitari conſuevêre, apud *Ægyptios*. Ea enim hujus animalis natura eſt, ut per æquinoctia duodecies in die urinam reddat, æquali ſemper inter duodenas vices obſervatò ſpatiò; quod ſimiliter facit in duabus æquinoctiorum noctibus, uti legitur apud *Orum Apollinem.* Hinc à *Triſmegiſto* dies æquinoctialis in XII. partes diviſio tradita: factum poſtea, ut in horologiis ſuis aquariis Ægyptii cynocephalum exſculperent, cujus ex veretillo aqua profflueret, quâ juſtè duodenæ illæ partes diei *Æquinoctialis*, totidemque noctis dividerentur. Ne verò aqua prolixius efflueret, quàm par eſſet ad juſtam horæ menſuram ſervandam, aut rurſus æquò parcius manaret, avulsò è cynocephali cauda pilò, ad ejus inſtar tenue ferrum parabant, quo attemperabant aquæ fluxum, ut habet idem *Orus.* His itaque rebus atque hujus animalis magiſteriò edocti Ægyptii diem naturalem æquinoctialem XII. horarum fecerunt & noctem ſimiliter æquinoctialem totidem, adeoque horarum XXIV, verum diem, quò & nox comprehenditur, qui fit unò cœli circumactu. Atque hic dies eſt Aſtrologorum, quem Umbri quidem olim, ut & hodierni Mathematici à Meridie incipiunt: Babylonii verò & Ægyptii olim Aſtrologi ab Ortu Solis auſpicati, eum viginti quatuor partium ſeu horarum æqualium conſtituebant, eaſque partes à die in noctem continuabant. Quô modò ſoli dies Æquinoctiales duodecim partibus conſtabant, noctéſque totidem; etenim cùm 24. horæ junctim in *νυχθήμερον* computantur, omnium horarum par eſt intervallum. At cùm duodecim horis omnis dies diviſus notatur, creſcendi ac decreſcendi inter ipſas horas alterna mutatio eſt, ut rectè Hyginus ſcribit, *de limit. conſtit.* Poſt Horologia verò & Horas inventas, omnis dies duodecim partes habere cœpit, quas *Horas* dixêre, &c. Ægyptios Græci quoque antiquiſſimi Aſtronomi ſecuti, in diſciplina rerum cœleſtium, ex arte Gnomonica dirigenda, eandem cum illis viam inſtiterunt, & diem ſimiliter diviſum in 24. partes æquales obſervarunt, ex quibus 12. partes diebus Æquinoctialibus Solis attribuerunt. Quæ ſunt *δώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης*, quæ Græcos à Babyloniis ſumpſiſſe cum *polo* & *gnomone*, ſcribit *Herodotus.* Nam *πόλος* & *γνώμων*, non alias tunc quàm Mathematicis ſerviebant, nec alias diei partes deſignabant. Et quidem Solſtitia & *Æquinoctia*, & quæcunque alia exploravêre ex umbrarum momentis, ad æquinoctialis gnomonis umbras & per 12 diei Æquinoctialis partes, ea deprehendiſſe conſtat. Quæ certè fuit apud illos vetuſtiſſimos Græciæ Aſtronomos magnopere exagitata ſummumque deſudata inveſtigatio Solſtitiorum & *Æquinoctiorum.* Inter quos Anaximander, ex umbrarum ratione & arte gnomonica, cùm Æquinoctia & Solſtitia inveſtigâſſet, Lacedæmone gnomonem ſtatuit, quò illa oſtenderentur. Meton dein Athenienſis Heliotropium Æſtivum conſtituit in Pnyce: cujuſmodi Heliotropia, ad formam Horologii deſcripta, & quæ *Horologia Æquinoctialia* vocare poſſes, alii poſtea certatim erexêre. Sed iſta, ut dictum, horarum adhuc uſu ignoratò, ſolis Mathematicis uſui erant, nullius planè uſus in vita civili, niſi quatenus Populus ex iis diſcebat, quando futuri eſſent, Solſtitiorum & Æquinoctiorum dies. Quod tamen & ipſum ſcire non parvi momenti, nec parvi uſus eſt, in rebus Ruſticis procurandis. Ideo publicis locis Urbium ejuſmodi machinæ ab Aſtrologis ponebantur, ut Populus ex iis diſceret, quò die *Æquinoctia* & Solſtitia eſſent obſervanda, quot dies adhuc ſupereſſent uſque ad illud & illud Æquinoctium five Solſtitium, quot dies ab alterutro præteriiſſent. Cæterùm ad partes diei obſervandas, tempuſque prandii aut cœnæ ſtatum cognoſcendum, aut cujuſcunque negotii, cui tempore condictô eſſet occurrendum, aliâ methodô, ex umbra videlicet pedibus metienda, utebantur, &c. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 732. *& ſeqq.* uti de more Perſarum veterum *ſub initium Æquinoctii verni*, nuptias celebrandi, infrà lemmate *Nuptiale tempus.*

ÆQUINOCTIUM, Pannoniæ inferioris oppid. *Antonin. Viſchmund Sonbero.*

ÆQUITAS, ſeu Juſtitia, cum libra & cornucopia, pro Virgine Aſtrica pleriſque habita eſt: Aliis Iſidem vel Cererem eam facientibus; item Fortunam, quæ omnes cum cornu copia fingi pingique conſuevêre, &c. Vide Gorlæum *Dactylioth.* & Salmaſ. *ad Solin. p.* 1236. ut & infrà paſſim, inprimis in voce *Juſtitia* item *Virgo.* Vetus *Inſcr p.* 76. ſic habet: FORTUNÆ. PRIMIG. SIGNUM. ÆQUITATIS. NIGRINIA. AUXESIS. CUM. FELICE. AUG. LIB. ET. SUIS. D. D. D. D. apud G. Elmenhorſt *ad hæc Arnobii adv. Gent. l.* 4. *Oramus, victoria, pax, æquitas, & cætera —— quanam ratione, quâ via intelligi poſſunt Dii eſſe atque ad Superorum concilium pertinere.*

ÆQUUM, Colonia & oppid. Dalmatiæ mediterraneæ à Salona 21. mill. paſſ. in Cæciam ab Epidauro 44. in Boream *Cluv.*, ſeu *Cluzzi Villanovam*; *Cheguitz* verò *Jac. Luccaro Raguſæo.* longitud. 42. 59. latitud. 42. 50.

AER, quàm vaſtum corpus ſit, argumentò eſt quòd (ut *Tycho Brahe* ſe obſervâſſe ſcribit) ab Terra uſque ad Lunam ſint ſemidiametri terræ 52. quomodo is, ut colligit *Chriſtoph. Rothmannus*, major erit centies millies globô terræ aquæque Ejus uſus multiplex, cùm ſuſtollere mentes humanas debeant ad cultum ejus, qui Aera creavit, contrà evenit, ut mirâ cæcitate Veteres deprimeren-

tur

in aïs, ad venerationem creaturæ: nec vulgares ſolùm animæ, ſed etiam maximi nominis Philoſophi; inter alios *Anaximenes Mileſius* & *Diogenes Apolloniates*, quem utrumque ſolidè refellit Cicer. *de Nat. Deor. l.* 1. Præter illos integræ gentes divinum honorem elemento huic exhibuerunt, Aſſyrii nempe & Arabes, ut teſtatur Herodot. *l.* 1. qui & auctor eſt, vocatum iis *Α'ερόδιον ἐγγαῖον*, *Venerem cœleſtem*. Quamvis hoc nomine tum Lunam, tum *Aëra*, cultum fuiſſe, oſtendit Voſſ. *loco jam citando*. Ægyptii, per *Aëra* Minervam intellexerunt, teſte Euſebio *Præpar. Evangel. l.* 3. *c.* 2. Græci & Romani, *Aër*, conſideratus ratione potentiæ activæ, *Jupiter*: ratione paſſivæ, *Juno* dictus eſt, Senec. *Quæſt. Natur. l.* 3. *c.* 14. Nempe ut Athenagoras *Legat. pro Chriſtianis* refert, *Ἀέρα ἀρσενόθηλυν τὸν Δία λέγουσι*. *Aëra duplici natura præditum maſculofœmininam Jovem vocant*. Ideo Horatius *l.* 1. *od.* 1.

—— Manet ſub Jove frigido
Venator. ——

Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 419.

Et jam maturis metuendus Jupiter uvis, &c.

Pertineruque ad Jovem, quatenus *Aër* eſt, Dijovis & Dieſpiter. Varro *de LL. l.* 4. *olim Dijovis & Dieſpiter dictus, h. e. aër & dies pater*. Et paulò poſt. *Idem hic Dieſpiter dicitur infimus aër, qui eſt conjunctus Terræ, ubi omnia oriuntur, omnia aboriuntur*. Vide quoque Aul. Gellium *l.* 5. *c.* 12. Junonis verò nomine, quamvis Luna etiam ac Terra præfatis gentibus fuerit intellecta, ut plurimum tamen Ἥρα ſeu Juno *Aër* fuit, imò ex ἀὴρ, trajectis ſolùm literis, illa dicta eſt. Fuit autem ſuperior plenior que *Aëris* pars, Jovis; inferior ac craſſior, Junonis nomine culta. Et fortè *Soſpita* hinc ea dicta, quod in aëre, quem attrahimus, valetudo multùm ſit ſita: ut Ἀργεία, ſive *Argiva* nuncupata eſt, quia Arges Dea eſſet rateſlatis, ut cui Inachus terram hanc dicâſſet. Et veriſimile eſt, hinc cultum Junonis promanâſſe ad Græcorum alios, atque inde opinionem ortam, Junonem Arges natam eſſe. Quia autem Juno muliebre Numen, eo & fœmina Junonis Argivæ ſacris præerat primaque Sacerdotiô functa dicitur filia Piranti: ſive ejus nomen fuerit Callirrhoe, ſive, quod multò veriſimilius, Callithoe, ut *Phoronidos* Scriptor dicitur apud Clem. Alexandrinum *l.* 1. *Strom.* vel Καλλιθύεσσα, ut ex *Plutarcho* vocatur Euſebio, *Præp. Evangel. l.* 3. aut καλλιθύια, quemadmodum eſt apud Theonem in *Aratum*. Vide Gerh. Joh. Voſſium *de Idol. part.* 2. *c. duobus ultimis*, nec non infrà *Iuno*: uti de *Aëris* uſu in Muſica, ac Sermone hîc paſſim; de modo verò, quô Philoſophi *Aëris* motum, quoad gradus caloris & frigoris, humidi item & ſicci ſenſui oculorum dignoſcibilem reddere conantur, infrà voce *Thermometrum*.

Nomina, quibus Aër olim cultus.

Dieſpiter dictus eſt infimus apud Græcos Aër.	Ἀδωνάϊος, ob aëris perſpicuitatem, Juno dicta.
Dijovis.	Minerva, apud Ægyptios, aër puriſſimus.
Juno, ſupremo & puriſſimo proximus.	Soſpita apud Romanos.
Jupiter, ſupremus & puriſſimus, aliàs *Æther* dictus apud Romanos.	Venus Urania, apud Ægyptios & Arabes.

AER, quoque olim cenſitus. Æl. Spartianus in *Peſcennio Nigro*, *c.* 7. *Idem Palæſtinis rogantibus, ut eorum cenſitio levaretur, idcirco quod eſſet gravata, reſpondit, Vos terras veſtras levari cenſitione vultis, ego verò etiam aërem veſtrum cenſere vellem*. Id nempe etiam avaritiâ Principum tandem factum eſt: impoſitô non Judæis ſolùm, ſed in univerſum omnibus, tributi genere, quod ἀερικὸν de aëris cenſitione dictum eſt, vide Jac. Cujacium *Obſervation. l.* 10. *c.* 7. Tangit vectigal hoc Tertullian. cùm ait: *Nec tam execrabile eſſet nomen Publicanorum apud Dominum niſi extraneum, venditionem ipſius cæli & terræ & maris tranſitus*, apud Salmaſ. *ad Spart. loc. cit.* vide quoque infrà *Tributum*.

AER, in communione Romana dicitur velum, quô cooperitur calix; aliàs *Agnus*, fortè ab imagine agni, quâ id inſignitum. Dominic. Macer *Hierolex*.

AER Balneorum, Græcis dictus eſt, qui ex aqua remittitur, pro ut eſt temperata, modò tepidus, modò calidus: ad quem calefaciebant ſe, quibus domi foci parandi non erat copia. *Ariſtophanes*.

- - - - Εἰς τὸ βαλανεῖον τρέχε,
Ἔπειτ' ἐκεῖ κορυφαῖος ἑστὼς θέρου
Κἀγὼ γὰρ εἶχον τὴν στάσιν ταύτην ποτέ.
- - - *Ad balneum curre*,
Dein ibi in apice ſtans, calefac te,
Namque & ego tenebam ſtationem illam aliquando.

Ubi *Scholiaſtes*, Λέγουσι, ait, ὅτι οἱ πολλοὶ [illegible] τὸν ἀέρα τῶν λουτρῶν, ὡς ἑαυτοὺς αὐτῷ [illegible], *Dicunt, multos immiſiſſe aërem balneorum, ad ſe illum trahendo*. Alexander Trallianus *l.* 2. [illegible] Et paulo poſt, [illegible] *Oportet enim eſſe aërem balnei temperatum*, & vide Salmaſ. *Not. ad Flav. Vopiſcum c.* 45. ubi de Aureliano *Thermas*, ait, *in Tranſtiberina regione Aurelianus facere paravit hyemales, quod aquæ frigidæ aëris copia illic deeſſet*. Ubi *aquam frigidi aëris* vocat, quæ frigidum aërem emittit, i. e. *frigidam*.

ÆRA, quàm Hiſpani in Chronologiam introduxêre, notat initium eventus alicujus extraordinarii, vel mutationem aliquam notabilem. Inventâ occaſione certi alicujus tributi ab Auguſto impoſiti. Hàc uſi Hiſpani, uſque ad A. C. 1315. poſtquam incepiſſet an. 38. ante Chriſtum Natum. Reliquæ Æræ illuſtriores ſunt: *Æra Nabonaſſaris*, quæ incidit, in 26. Febr. An. 3967. Periodi Julianæ, 1. annum 8. Olymp. & 6. Romæ. *Æra Seleucidarum*, fixa in An. 442. Urb. Cond. 312. ante Chriſtum Natum à Seleuco Nicanore, in Syria, obſervari juſſa, 12. An. poſt denatum Alexandrum M. *Æra Chriſtiana*, cujus auctor, Dionyſius Exiguus, A. C. 532. Vide *Gembr. Keplerum, Petavium, Scaligerum, Calviſium, Salianum, Cuſpinianum, Sigonium, Onuſrium, Voſſium, Helvicum, Langium, Uſſerium &c.* De *Æra Diocletiani*, vide in *Diocletiano*, De *Æra Arabum*, in *Hegira*. plura hîc infrà.

ÆRA ſeu ERA, item *Hera*, Scriptoribus mediæ ætatis ſupputatio eſt, numerus, computus: eo quòd Veteres *æra* vocabant in rationibus, quæ vulgus hodiernum *item* appellat, quod primum eſt in notatione *æra*. Rufus Feſtus in *Breviar. Rer. geſt. Populus Romani morem ſequutus Calculonum, qui ingentes ſummas æris brevioribus exprimunt, res geſtas ſignabo, non eloquar*. Fauſtus Rejenſis *de Spiritu S. l.* 1. *Sacer numerus dicitur, quia trecenti in æra ſive ſupputatione ſignum Crucis* &c. *Iſidorus, Per ſingulos Evangeliſtas numerus quidem Capitulis aſſixus adjacet; quibus numeris ſubdita eſt æra quædam minio notata, quæ indicat, in quoto Canone poſitus ſit numerus, cui ſubjecta eſt æra: v. g. ſi eſt æra prima, in primo Canone &c.* Hinc abuſivè Æra pro capitulo, apud Bernaldum Presbyter. *de reconcil. lapſ. p.* 272. Hincmarus Remenſis *in ferculo Salomonis*.

Hæc at vobis nulla deſit, Karle, gratia;
Verſuum menſura pandit atque ærarum quantitas, &c.

Vide infrà in voce *Hera*. Atque hinc rationem annos numerandi Hiſpanis olim familiarem, *Æram* dictam nonnulli volunt. Alii tamen à voce *Æs* deducunt, quòd in ære ſignato nota currentis anni imprimeretur. Quidam probabilius cenſent, dictionem hanc coaluiſſe, ex literis *A. ER. A.* i. e. *Annus erat Auguſti*, hujus enim Imperatoris principatu hic computus annorum cœperat. At Baronius *Notis ad Martyrolog. Rom.* adhærens *Dioni Caſſio*, opinatur ab *ære* collato hoc vocabulum ortum: Namque Auguſti temporibus ex Hiſpania tam ingens monetæ copia collecta fuerat, quæ non ſolum triumpho, ſed & ad reſarcienda Urbis mœnia ac ædificia ſufficeret. A qua proin locuplete Hiſpanicæ gentis penſitatione, *Æra* cœpit dici annorum computus, quaſi à memorabili hoc facto initium ſumſiſſ; & in Hiſpanicis Conciliis frequenter occurrit. Incepit autem hæc *Æra Car. Macro*, in Conſulatu Appii Claudii & Norbani Flacci: deſiitque in Regnis Hiſpaniæ non ſimul & ſemel: ſed in Aragonia A. C. 1359. in Caſtella, ſub Johanne I. Rege qui tum Segoviæ Curiam habuit, A. C. 1383. in Luſitania denique A. C. 1415. a quo tempore *æra* ſeu anni Chriſti publicis inſtrumentis cœpêre apponi. Vide *LL. Partidas* ſeu Alfonſinas *part.* 3. *tit.* 3. *l.* 7. At cur ab eo anno initium ſumſerint, multa Viri docti congeſſêre, tametſi vix inter ſe conveniant, cùm veram rationem aliquis haud promtum ſit. Vide Auctores hanc in rem laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.* & in voce *Era*. Addam ſaltem ex eodem *Car. du Freſne*, quod is de *Æra* Hiſpan. in *Codice Ms.* Biblioth. Thuan. ſcriptum reperit, *Ut cognoſcas, quota ſit Era quolibet anno, annis Domini Jeſu Chriſti adde 28. & numerus, qui collectus fuerit, erit Era. Verbi gratiâ modo currit annus J. C. 1274. adde illis 28. & reſultabit iſte numerus 1302. talis erit præſentis anni, ſcilicet anno 1274. mutatur autem in Calendis Januarii, &c.* Abrogatâ itaque hac *Æra*, cœpit *Æra Chriſti* apponi, quæ, notante *Baronio*, primùm adhibita eſt A. C. 527. quando poſt Juſtinianum Imperat. Faſti Conſulares defecerunt: primuſque fuit *Dionyſius Exiguus*, qui privatim *a Nativitate Domini* annos hôc annô numerare orſus eſt, ut plerique ſentiunt. At Paulus Diaconus *ab Incarnatione* ſuum computum *l.* 17. notaverat, jam ab A. C. 492. ſic enim ibi: *Ceſſante jam Romanæ Urbis imperio, utilius aptiuſque mihi videtur, ab annis Dominicæ Incarnationis, ſupputationis lineam ducere*. Vide infrà in vocibus *Incarnatio & Nativitas*, & plura hanc in rem, præter Auctores præfatos, apud Macros in *Hierolexico*. Tandem *Æra* quivis annus dictus eſt. Luithprandus *in Legat. Armiger hujus* (Imperatoris Conſtantinop.) *pugillaria calamo immiſſa, æram in Eccleſia ponit, quæ proſequitur, quo numerum tempore imperare cœperit, & ſic æram, qui id non viderunt, intelligunt*. Sic apud Dudonem *de Actis Norman. l.* 3. *p.* 11. *Tranſacta denique duarum hærarum intercapedine*. Quomodo Francos olim annos numerâſſe, colligitur ex *Charta* Hugonis Epiſcop. *in Tabular. Eccleſiæ Gratianopol.* quæ ſic clauditur: *Facta carta iſta 4. Cal. Auguſti, annô ab Incarnatione Domini milleſimô, centeſimô, Luna 18. Indictione 8. Erâ milleſimâ centeſimâ octavâ*, apud Car. *du Freſne*, & Salmaſ. *ad Solin. p.* 686. ubi de modo Veter. rationes ſuas per *æra* explicandi & menſuram areæ per *æra* & calculos colligendi agens, *æram* apud *Epaphroditum & Vitruvium Rufum*, ſemper poni pro *numero dato*, atque hinc *Novum æram*, de numeri nota exponi, docet, *Inde aream poteſtatis ſuis adæqare*, in Acertani *Fragm.* h. e. menſuram ejus per æra & calculos colligere, ſicut Veteres conſueverunt Agrimenſores & Geodætæ, hodieque faciunt quidam Arithmeticæ imperitiores. *Ibid.*

ÆRÆ, urbs Macedoniæ, alia Ioniæ, tertia juxta Helleſpontum. *Steph.* Sunt quoque Carmaniæ populi apud *Ptolem.*

ÆRARIÆ Annonæ, vide ſuprà *Aversum frumentum*.

ÆRARII, vide infrà ubi de Veterum *Pœnis*.

ÆRARIUM, locus eſt pecuniæ publicæ, ad futuras neceſſitates, aſſervandæ deſtinatus. Nomen ei ab ære, cujus, aurô argentôque nondum inventis, uſus fuit. Differt à Fiſco: quòd *Ærarium* populi, *Fiſcus* Principis ſit. Vide infrà *Pecunia*. Ei apud Romanos Tribuni primitus præerant; poſtea Quæſtores: donec ſub Imperatoribus novi Magiſtratus orti ſunt, in quorum cura pecunia publica eſſet. Nam à Quæſtoribus ad Prætores, ab his ſub Auguſto ad Senatores, denique ſub Claudio ab iſtis ad Quæſtores munus denuo devolutum eſt. Aſſervâtum illud Romani in æde Saturni; quod *ab ipſo primùm tabulæ & imagine ſignatus nummus*, Tertullian. *Apologet. adv. Gent. c.* 10. primuſque templum illud huic uſui addixit Val. Publicola, vel ob reverentiam ſacri loci, vel quia tutiſſimus is mons erat. Duplex autem *Ærarium* erat. Unum quod *Vigeſimarium*, alii *Longitumum ſacrarum* ſeu *Theſaurorum publicorum*

vocant, quòd, in exteriori Fano, communis Reip. cenſus & ordinaria tributa in eo reconderentur: Alterum *Sacrum* ſeu *Sanctius*, ad ultimos Reip. laborantis caſus aurum vicesimarium celans, quod, in penitiore ædis receſſu aſſervabatur. In quo tabulas ſimul publicas cuſtoditas, patet ex Cicer. *Act.* 5. in C. *Verrem.* Hoc initio bellorum civilium Pompejanorum Conſules, urbe excedentes, clauſerunt, clavibus ſecum ablatis: Sed Cæſari in urbem venienti, nihil prius viſum agi dignum, quàm eò effractô rapere, quidquid opulentiæ fuerat congeſtum, vide Appianum Alex. *Bell. Civ. l.* 2. Florum *l.* 4. *c.* 2. Cicer. *ad Atticum l.* 7. *ep.* 12. *&c.* Fuiſſe autem à Cæſare rapta *auri pondo* 4136 *argenti pondo prope* 900000. prodit Freculphus *Chron. tom.* 1. *l.* 7. *c.* 8. ex P. Oroſio *l.* 6. *c.* 15. *Militare* quoque dictum eſt. Præter hæc duo, fuit etiam *Ærarium* largitionum ſeu rerum privatarum Auguſti & Auguſtæ &c. Vide Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 31. *& Paralip. ad illud caput.* Apud Perſas quoque publicam pecuniam Magnatibus aſſervandam committere, moris fuit: Unde Tyridates *pecuniæ cuſtos* memoratur Curtio *l.* 5. *c.* 5. Et de Dario ad conſtructionem Templi Hieroſol. pecuniam permittente, loquens Joſephus *Ant. Jud. l.* 11. *c.* 4. ἐκ τῶν βασιλικῶν γαζοφυλακίων *ex regio ærario*, illam depromtam eſſe ſcribit. Nata autem hæc vox, ex celebri theſauris regiis reponendis oppido Gaza: Unde hujuſmodi cuſtodes Γαζοφύλακες dicti. Aſſervabatur & hæc pecunia plerumque in templis. Hinc templi Hieroſolymitani opulentiâ Pompejus illectus huc venit, theſauroſque diripuit. Græciæ quoque totius *Ærarium* in inſul. Delo fuit, & templum Delphici Apollinis, propter opes in eo depoſitas, à Brenno Gallorum Duce petitum, narrat Juſtinus *l.* 24. *c.* 6. 7. Locupletârunt, ut & illud addam, Romani *Ærarium*, ex devictorum hoſtium pecuniis: annuis ſociorum penſionibus: hæreditatibus, quarum vicesimam extranei, qui hæreditatem adibant, ærario pendere tenebantur: ea prudenti opum adminiſtratione &c. Manumiſſi quoque vicesimam ei ſolvebant. At Conſtantius Imperat. *Opes cum à privatis poſſidentur, apud eos fructum, in arcu verò Principum clauſas, ſteriles eſſe ac infructuoſas* judicavit. Apud mediæ ætatis Scriptores, *Ærarium* ſeu Fiſcus, ſynonyma. Æl. Spartian. in *Adriano c.* 6. *Damnatorum bona in fiſcum privatum redigi vetuit, omni ſummâ in ærario publico receptâ. In fiſcum privatum*, εἰς τὸ βασιλικὸν; quaſi alius eſſet Fiſcus, præter privatum Principis. Nempe *Fiſcus* & *Ærarium* hîc ſynonyma, & *privatum Ærarium* ac *privatum Fiſcum* appellant hi Auctores, τὸ βασιλικὸν ταμεῖον, publicum autem, Populi Ærarium, cùm propriè *Fiſcus* de Principis ærario dicatur. Sic Volcatius Gallicanus in *Avidio Caſſio, c.* 7. *Bona proſcripti Antoninus in privatum ærarium congeri noluit, quare Senatu præcipiente in ærarium publicum ſunt relata.* Et *Dio* aliique Scriptores Græci, τὸ βασιλικὸν τῷ δημοσίῳ opponunt, privatum nempe Ærarium publico. Salmaſ. *ad l. c.* De pecuniis pupillarum & viduarum in auxilium ærarii Roman. collectis vide infrà ubi de *Pupillaribus pecuniis* et voce *Vidua.*

ÆRARIUM Majus, apud Lamprid. in *Antonino Diadumeno c.* 4. *Die quâ natus eſt, pater ejus purpurarum fortè Procurator jam Ærarii majoris inſpexit &c.* eſt, *Ærarium ſacrum*, cujus Præfectus aurum, argentum quod ex provinciarum tributis cogebatur, veſtes, omnes ſpecies publicas, quidquid denique ſanctiori Principis ærario inferretur, curabat. Sub eo Præfecti baphiorum, textrinorum, Magiſtri lineæ veſtis, Magiſtri privatæ Murileguli, Gynæciarii: unde non mirum, ſi Macrinus hic, cùm hanc procurationem ageret, inſpectionem purpurarum probationemque curæ habuit. Stat. Papinius de hoc munere ita, *l.* 3. *Sylv.* 3. *v.* 86. *ſ.*

———— ——— Jam creditur uni
Sanctarum digeſtus opum, partæque per omnes
Divitiæ populos, magnique impendia mundi:
Quidquid ab auriferis ejectat Iberia foſſis,
Dalmaticô quod monte nitet, quod meſſibus Afris
Verritur, æſtiferi quidquid terit area Nili.
Quodque legit merſus pelagi ſcrutator Eoi,
Et Lacedæmonii pecuaria culta Galeſi,
Perſpicuæque nives, Maſſylaque robora & Indi
Dentis honos, uni patent commiſſa Miniſtro.

Ubi per *ſanctas* illas opes nihil aliud intelligere poſſumus, quàm *ſanctius*, ut dicebatur, vel *ſacrum Ærarium*, cujus Præfecto, omnia, quæ hîc recenſentur, ſuberant; atque inſuper Monetarii: addit enim,

Auſoniæ quidquid crepat igne monetæ.

Quod idem omnino ejuſdem officium fuit, poſteriorum quoque Imperator. ævô, ſed nomen mutatum: nam pro *Ærario ſacro* dixêre *Largitiones ſacras*, & Præfectum ærarii ſacri *Comitem Sacrarum Largitionum*, magnificô planè vocabulô, quaſi ad nullam aliam rem Ærarium Princeps haberet, quàm ad largiendum. Sic res etiam privatæ Principis, *Largitiones* dicebantur: atque hæ non tantum in auro & argento, gemmis ac veſtibus reliquiſque mobilibus conſiſtebant: ſed etiam in domibus palatiiſque, prædiis & poſſeſſionibus rebuſque ſoli erant poſitæ. Ut olim igitur duo ærarii, *publicum & privatum Principis*, ſic ſub poſterioribus Imperatorib. duæ largitiones, *ſacræ & privatæ*, tamque publicum, quàm privatum, *Principis ærarium* dictum eſt. Hinc de Comite ſacrar. Largitionum Claudianus, *de Conſul. Mallii v.* 38.

Hinc ſacræ mandantur opes, orbiſque tributa,
Poſſeſſi quidquid ſervus evolvitur auri. &c.

idem planè dicens, quod *Stat. ſacras* ſcil. *opes*, quas ille *ſanctiores opes*: niſi quod *Statii* tempore *Ærarii ſacri Præpoſitus* dicebatur; *Claudiani* verò ætate, *Præpoſitus* vel *Comes ſacrarum largitionum.* Hinc *Sacris Largitionibus inferre*, pro *ærario inferre*, & *largitionales tituli*, in Cod. Theodoſ. ſpecies omnes publicæ, quæ Ærario inferebantur. Vide infrà, ubi de *Largitionibus. Sacrum ornamentum* dicitur pro *Sacro Ærario, Lex.* 4. *Cod. de Diſcuſſ.* [illegible] *ornamentum* [illegible] i. e. in ſacrum ærarium. *Veſtiarium* Græcè Βεστιάριον dici, notat Cujacius: *loc. cit. &c.* Vide Salmaſ. *ad Lamprid. loc. cit.* & infrà quoque voce *Patrimonium*, it. *Secreta*: ut & de *Ærario ſacro* Hebræorum, lemmate, *Tributum Sacrum.*

ÆRARIUM Saturni, occurrit apud. Jul. Capitolin. in *M. Antonino Philoſ. c.* 9. ubi de hoc Imperatore *Liberales*, inquit, *cauſas ita munivit, ut primus juberet apud Præfectos Ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri, intra triceſimum diem nomine impoſitô.* ibi enim Acta publica ſervabantur, de quibus accuratiſſimè Viri docti. Idem Auctor in *Gordianis, c.* 4. *Iſtum Gordianum nomine Antonini & ſignô illuſtravit, cùm apud Præfectum Ærarii more Roman. profeſſus filium, publicis Actis ejus nomen inſereret.* Non verò Marcus hujus inſtituti primus auctor, ſed vetus inventum in melius reformavit. Et hoc dicebatur, *natos liberos profiteri*, nomine ſcil. illô & illô eos deſignare; nec nomen tantum, ſed etiam cognomen Actis publicis inſerere. Caſaubon. & Salmaſ. *ad loc. cit.* Plura hac de re nos alibi paſſim.

ad ÆRARIUM in beneficiis deferre, vide infrà, *Beneficiorum liber.*

ÆRARIUS Mergus, Pertinax Imperat. ex Lucilio, ob avaritiam, dictus eſt. Jul. Capitolin. in ejus *Vita, c.* 9. *Avaritiæ ſuſpicione privatus non caruit, quum apud vada Sabatia oppreſſis fœnore poſſeſſoribus, latius ſuos teneret fines. Denique ex verſu Luciliano Agrarius mergus eſt appellatus.* Pro quo, legi jubet Salmaſ. *Ærarius mergus*: Sic enim dictus eſt *Lucilio* fœnerator quidam improbus, quòd fœnore & ære alienô homines mergeret, Satyricè ſimul & Poeticè: alluſione factâ ad *mergi* etymon. Obærati autem & oppreſſi ære alienô homines, *ære alienô merſi* dicuntur Scriptoribus Latinis, & ita ſæpe in *ſtatu.* Sic apud *Plutarchum* dicuntur βεβαπτισμένοι ὑπὸ τῶν δανείων, qui ære alienô merſi vix emergere poſſunt. Id itaque Pertinaci nomen adhæſit ex *Luciliano* ſenſu; non quod latius ſuos teneret fines, ſed quod oppreſſis fœnore poſſeſſoribus id faceret eoſque mergeret uſuris, *Erarius* ſeu *Ærarius mergus* dictus eſt. Et quidem eleganter *Lucilius* fœneratorem & tocullionem, qui debitores ære in fœnus datô mergeret & opprimeret, *ærarium mergum* appellavit: nam *mergus*, qui mergit, à mergo; ut *promus*, qui promit, à promo: *condus* qui condit & ſimilia ſexcenta. *Mergere* verò pro perdere & profligare, eleganter etiam de bonis ac de cenſu dixit: Plin. *l.* 9. *c.* 17. *At nunc coci triumphorum pretiis parantur & coquorum piſces: nulluſque propè jam mortalis æſtimatur pluris, quam qui periſſimè cenſum domini mergit.* Imò nec *mergere* tantùm, ſed etiam *necare* & *trucidare* fœneratores dicuntur. *Auſonius*,

- - - - - - - - Velox inopes uſura trucidat, &c.

Salmaſ. *ad Capitolin. loc. cit.*

ÆRARIUS Miſſus, dicebatur olim in Circenſibus, miſſus vigeſimus quintus, quòd de collatione Populi exhiberetur. Viginti quatuor enim certamina ſeu miſſus quaternarum quadrigarum unâ die exhibere legitimum ac ſolenne fuit, quibus ſic nonaginta ſex quadrigæ currebant, olim autem vigeſimus quintus addebatur, (ut ita centum currus per diem certarent) qui *Ærarius*, ut dictum, *appellatus eſt.* Vide infrà in voce *Miſſus*, item ubi de *Factionibus.*

ÆRE Ducti, militum genus, vide infrà *Milites.*

AEREA, vulgò *Ayr*, Urbs Scotiæ meridionalis in ora Glottæ æſtuarii, in Covalia provinc. juxta Æream fluv. 40. mill. paſſ. à Candida Caſa in Boream, & 34. à Glaſcoa in Africum.

AEREA Mola, vide *Mola.*

ÆREA *Via*, vide *Laurum.*

ÆREI Clavi & Panes, vide infrà.

ÆRENOSI, Hiſpaniæ populi, apud Polybium *l.* 3. corruptam lectionem judicat *Ortelius*: & Auſetanos habet hôc loco Liv. *l.* 21. *c.* 23.

ÆREOLUS Nummus, vide infrà *Chalcus*, it. *Obolus.*

ÆRETICA, Armeniæ minoris regio. *Ptol.*

AEREUM Vectigal, vide ſuprà *Æs.*

ÆRGITIA, vulgò *die Ærgetz*, amnis in agro Baſilienſi, Liechſtallum urbeculam alluens. Hic è convallibus ſex promiſſis, ſingulis fluviolis, ſeu torrentibus auctus, rectâ Boream contrà decurrens, & priſcam olim Rauricam interſecans, Rheni undis miſcetur. Urſtiſius, *epit. Hiſt. Baſil. c.* 2. Vide *Arrogowia.*

ÆRIA, vel AFRIA, vel etiam *Eeria.* Vide *Ægyptus.* Fuit etiam *Æria* urbs Celtica, & alia Cretæ; item inſula Thaſus ſic dicta. *Steph.* Vide etiam *Creta, Libya* & *Thaſus.*

ÆRIA, vel AERIA, oppid. Galliæ Narbonenſis in Delphinatu ad Rhodanum, ſic quòd in excelſo loco ſita ſit appellata. Plin. *l.* 3. *c.* 4. *Aire* hodiè, teſte *Cognato*, aliis *l'Oriol* longitud. 25. 13. latitud. 43. 40. Item oppid. Belgii in Arteſia, ad Lyſam fluv. non longè à Tervanna, è cujus ruinis crevit. Urbs eſt nova & culta, ſitu & arte permunita. Theatrum ſæpe belli Hiſpanico-Gallici. Cum arce, vulgò *Aire*, inter Audomarum, & Bethuniam.

ÆRIANI, Ariani Hæretici, ab *Ærio* Presbytero nomen habentes, dolente quod in Epiſcopatu Euſtathius ſibi prælatus eſſet. A. C. 349. ſub Conſtantino. Filium ajunt diverſæ naturæ à patre, ut inſtrumentum ab opifice, diverſum eſt: Spiritum S. eſſe diverſum, ſicuti locus & tempus diverſa ſunt ab illis, qui his utuntur: atque dictiones hæ, *Ex quo, Per quem*, & *In quo*, inter ſe differunt, ita etiam perſonæ Trinitatis. Nuptias damnant, abſtinentiam urgent, unde etiam *Encratitæ* dicuntur. Paſcha celebrare prohibeant, quia Paſcha noſtrum immolatus ſit, Chriſtus. Epiph. *hær.* 75. Auguſtin. *hær.* 53. Onuphrius, A. C. 349.

ÆRIAS, antiquiſſimus Cypri Rex, templi Paphei conditor. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 3. it. *l.* 3. *Annal. c.* 62.

ÆRIMONTANUS. Vide *Henricus Ærimontan.*

AERINUS Color, Græcis τὸ ἀερίζον χρῶμα, idem cum cœlino ſeu cæruleo, liquidius ſo [illegible] Ovid. *l.* 3. *Art. Am. v.* 173.

Aëris ecce color, tum cum ſine nubibus aër,
Nec tepidus pluvias concitat Auſter aquas.

Et talis eſt flante Boreâ. Hinc *aerinæ* oves, apud Tertullian. *de Habitu Mul. Non placet Deo, quod ipſe non produxit, niſi ſi non potuit*

mi purpureum & alterum quod muſci ſubeſt. Ubi malè vulgò *Æriones* excudunt & *virides* interpretantur, quô nomine color nullus dictus eſt. Variis enim coloribus florum Ver pingitur, non ſolò viridi herbarum. *Cælina* vestis, pro eodem, *Cypriano*. Sic ἀεροειδὴς ἴασπις Græcis & *cælina* eadem, quæ videl. cœlo autumnali matutino ſimilis, *Boreas* quoque, ob cauſam præfatam vocata, *Turkeſis* hodie dicitur. Quæ gemma felix habetur & boni ominis etiamnum: olim etiam pro amuleto geſtata eſt. Hinc *Dionyſius Hegeſetor* [illegible] canit eſſe,

Ἐχθρὸν ἀμαυρώσει ἐ ἀίδαο εἰδώλοιο.
Immanem Empuſis aliiſque ſpectris,

Orpheus ἀεροχρόον ἴασπιν vocat & multa de *Aërina* Jaſpidis potentia ac felicitate narrat &c. In pæderote verò gemma, non uſitatum hunc *aerinum*, ſed ſuò quodam modò viridem magis, quàm cæruleum aëris colorem, commendat Plin. *l.* 37. *c.* 9. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 102. & 166.

ÆRIUS, vide *Aëſianus*.

ÆRO; apud Plin. de Templo Epheſ. *l.* 36. *c.* 14. *Summa miraculorum epiſtylia tantæ molis attolli potuiſſe. Id conſequutus eſt ille æronibus arenæ plenis, molli pulvino, ſuper capita columnarum exaggerato paulatim exinanitis imis, ut ſenſim totum inſideret*; ubi *Aëronibus* vulgò, ſeu *erronibus*: Græcæ verbum originis, ὁ αἴρων, ſportam vel ſiſcinum notat, quâ aliquid tollitur, vel fertur. Infima Græcia ἀεροφόρον vocavit. Donatus in *Phorm. Terentii Act.* 1. *ſc.* 2. *Phormio non a formula, ſed phormione ſparteo, quem nos eronem vocabulariter dicimus: & pro conſuetudine.* Græcè etiam φορμὸς &c. Nempe ut Epiſtylia tantæ molis attolli & ſupra pulvinos, h. e. capita columnarum, imponi poſſent, hanc rationem iniit *Cteſiphon*. *Ærones* arenâ plenos tam multos congeſſit, ut ex his molliem velut montis clivum ſtatuerit, cumque ſuper capita columnarum exaggeraverit; per eum clivum moles Epiſtyliorum perducta aſcendit ad ſummum. Cum in ſummo fuit, æronibus nempe illis impoſita, ut ſenſim tota moles in cubili ſederet, exinanivit imos ærones: quô pactò paulatim epiſtylia ſubſidebant; donec, omnibus vacuefactis, in ſuo cubili tota moles poſita quievit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 817.

AEROMANTIA, ars divinandi per aërem, una ex ſex Magiæ Perſicæ ſpeciebus. Vide & *Hydromantia*.

ÆROPE, Atrei uxor quæ ab adulterio à Thyeſte Atrei fratre corrupta, duos filios peperit, quos poſtea Atreus fratri comedendos appoſuit. Ovid. *Triſt. l.* 2. *v.* 391.

Si non Æropen frater ſceleratus amâſſet,
Averſos Solis non legeremus equos.

Item Cephei filia a Marte compreſſa, quæ ex partu interiit, nihilominus tamen infans ejus ſupervixit, ac *Æropus* à matre dictus eſt. Pauſan. *Arcad.*

ÆROPOLITÆ, gens apud Sozom. *l.* 7. *c.* 15. in Arabia.

ÆROPUS, Epirotarum exercitus Dux, à quo cum multa accepiſſet Pyrrhus, nec illi per mortem rependere potuiſſet, Credita, inquit, pecunia hæredibus creditorum ſolvi licet; at gratias niſi ſcientibus iis quibus debentur, perſolverit, vir honeſtus & gratus offenderit.

AEROPUS, tutor *Oreſti* Archelai Macedonum Regis filio datus; qui pupillò ſublatò regnum invaſit, perque annos ſex tenuit. Mortuus Olymp. XCVI. annô ſecundô ex morbo, relictô ſucceſſore filiô Pauſaniâ, qui tantùm annuum imperium tenuit.

AEROPUS & DAMASIPPUS, Duces in Exercitu Philippi Macedonis, in Thebanos bellum gerentis: qui ex cauponâ Pſaltriam conductam caſtris induxerunt. Hac re cognitâ Philippus utrumque ducem voce Præconis terminis regni ſui exegit. Polyænus *l.* 4. *c.* 2.

ÆROPUS, mons Chaoniæ Liv. *l.* 2. *Dec.* 4.

ÆROSA, ſic olim antiqui Cyprum inſulam vocârunt, quòd in ea plurimum æris naſcatur. Author *Sextus Pompejus*. Vide *Cyprus*.

AEROSTATICA, pars Staticæ, vide *Statice*.

ÆRRADI, Indiæ intra Gangem populi *Ptolemæo*. *Cirradii* ſunt interpreti, & rectè, nam idem paulò poſt horum regionem *Cirradiam* nominat. *Ortelius*.

ÆRRONESIA, Inſula eſt apud Nicetam, inter Aulonem & Siciliam.

ÆRUSCATORES magnæ Matris, Græc. Μητραγύρται, dicti fuêre olim Galli, Cybeles Miniſtri, eò quod ſtipem mendicandò cogerent. Sed & idem in Iſiacos ſacris factum eſſe, diſcamus ex Ovidio *de Ponto, l.* 1. *eleg.* 1. *v.* 37.

Ecquis ita eſt audax, ut limine cogat abire
Jactantem Pharia tinnula ſiſtra manu?
Ante Deum Matrem cornu tibicen adunco
Cum canit, exigua quis ſtipe æra negat?

Nempe unum idemque Numen Cybele ac Iſis fuit, ut oſtendit pluribus Voſſ. de *Idolol. l.* 2. *c.* 56. Romæ autem non niſi ad paucos, eóſque præfinitos dies, colligere hanc ſtipem licuit: idque, ne implerent animos ſuperſtitione, quam rationem adfert Tullius *de L.* *l.* 2. Atque *Æruſcatores* ejuſmodi etiam Carthagine obtinuit B. Auguſtini temporibus, ut ex eo oſtendit Voſſ. *c.* 55. Habebant verò tintinnabula, quorum ſonitu homines in ſe averterent: Unde Romæ Sacerdos Deæ Syriæ cum pera ac tintinnabulo, inter antiqua monumenta, hodieque viſitur, vide & infrà *Metragyrta*. More non abſimili apud Italos hodiernos, qui *D. Antonii fratres* nuncupantur, & paſſim eleemoſynam colligentes ſtatim atque in vicos pervenerint, tintinnabula movent. Inprimis autem veteribus illis Iſidis mendicabulis comparandi, Religioſi quidam ſeu Hypocritæ inter Turcas Saracenoſque, qui vitam ſolitariam, inter lupos, cervos, urſos, aquilas, aliaſque iſtiuſmodi feras, degere amantes, in cellis ſuis, harum quaſdam alunt, ut vitæ ſanctitate prædîti appareant, re ipſa tamen, ut in ſolitudine excutiendis domiſuſque iſtiuſmodi animalibus, tempus & otium fallant; Cùm verò à prætereuntibus parcius ſibi eleemoſynas offerri vident, latebris ſuis relictis petunt civitates, urſum vel cervum manu ducentes, è quorum collo pendet tintinnabulum, quò eos, qui daturi quid ſunt, convocent &c. Vide Hieron. Magium *de Tintinnabulis. c.* 7. *ubi iſtiuſmodi Religioſi iconem habes edit. alt.*

ÆRYNDELÆ, urbs Aſiæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Petracenſi & Patriarcha Hieroſolymitanô, *Mirani*.

ÆS, ab *aere*, ſine quo vox ſonuſque fieri non poſſunt, ut è vocis definitione, apud *Ariſtotelem*, *Avicennam* aliòſque patet, Gal. Martius Narnienſis *l. de doctrina promiſcua*. Nullum namque ex metallis perinde ac *æs* ſonorum: Unde *Dodonæum æs*, Proverbiô dictum, in hominem improbæ atque importunæ loquacitatis. Auſonius, *Ep.* 25. *v.* 23.

Nec Dodonæ ceſſat tinnitus aheni.

In ſacris vim habere non modicam olim creditum. Ideo Sacerdotes *æreis cultris* utebantur, ut ex *Non. Marcello* diſcamus: & Ovid. in *Metamorph. l.* 7. Medeæ *falcem æneam* attribuit. Idem in *Faſtis*, *l.* 4. *æris tinnitu* Inferorum umbras in ſacris Lemuralibus ab ædibus expelli dixit. Alexander quoque Aphrodiſæus *in ſuis Problem.* ait, *æris ſonò* malos Spiritus depelli, eamque ob rem in Lunæ defectu æra moveri fuiſſe in more poſitum: quemadmodum etiam *Livius*, Ovidius, *Lucanus*, alii, deficiente & quaſi laborante Lunâ *æra* concuti, ſcriptum reliquêre, annotante Cœl. Rhodiginô *Antiqq. Lect*, *l.* 19. *c.* 10. Utrumque in uſum nobilia olim *Temeſæa æra* et de priori, Ovidius *Faſtor. l.* 5.

Rurſus aquam tangit, Temeſæaque concrepat æra,
Et rogat, ut tectis exeat umbra ſuis:

de poſteriori, vide Hadr. Junium *Animadverſ. l.* 3. *c.* 12. Inter Chriſtianos etiam eſſe, qui *æris* tinnitu dæmones fugari credant, docet Polydorus Virgilius *de Invent. rerum l.* 6. *c.* 12. Unde, cùm ventorum aut grandinis injuria timetur (ab his enim, Dæmonum operâ, vineis, arboribus, frugibuſque calamitas non rarò invehitur) campanæ plurimis in locis pulſari ſolent: an quòd campanarum, ut pote divino cultui conſecratarum, ſtrepitu illi terreantur? an quòd *æris* ſonus, aërem maximè diverberans, ſcindens & confringens, tempeſtatum ventorumque vim diſſipet; vide Hieronym. Magium *de Tintinnabulis c.* 14. Sed ſunt iſta ſuperſtitioni affinia; probat imprimis in ſacris *Æris* uſum, quòd in Tabernaculo Temploque Hieroſolymitano *Æs* frequenter adhibitum legimus, præter aurum, argentum, ſerica ac lanarum fila aliaque. Namque in Atrio occurrebat *Altare æneum*, Exodi *c.* 40. *v.* 29. de quo infrà, in voce *Altare*. Ponè illud, Tabernaculum verſus, ſtabat *Labrum æneum*, cujus locô *Mare æneum* ſtruxit Salomo, 1 Reg. *c.* 7. *v.* 23, ex quo aqua 12. ſiphonibus promanabat; ut duodecim Sacerdotes, ad ingreſſum Tabernaculi, ex eo lavare poſſent, Exod. *c.* 30. *v.* 18. Suſtinebant illud 12. boves ex ære, erantque & alia minora lavacra ei adpoſita abluendis victimarum carnibus, 1 Reg. *c.* 7. *v.* 23 & 2 Chron. *c.* 4. *v.* 2. 6. Imò, quamvis in utroque Tabernaculi Thalamo, ſupellex omnis ex auro eſſet, tamen & in ipſo Adyto ſeu Sancto Sanctorum, Cherubinorum, qui è Propitiatorio eminebant, ex eodem cum illo auro confecti, pedes, quorum extrema pars vitulinum calcem referebat, inſtar lævigati *æris* refulſiſſe, tradit Ezechiel *c.* 1. *v.* 7. & *c.* 10. *v.* 4 &c. De *Æneo* ſerpente, diximus, ſuprà. De *Æreis* calceis Empedoclis habes aliquid infrà, voce *Vir*, Græcè χαλκὸς, è quo compoſita vide infrà.

ÆS Captum, apud Plin *l.* 7. *c.* 28. ubi de Siccio Dentato, è *Fiſco æris X. capti æris XX. millibus*; eſt æs captivum ſeu prædaticium, è præda numerum ac nondum in Ærarium publicum redactum: quod æs militibus ante triumphum ſolebant elargiri Imperatores, pro cujuſque dignitate ac meritis. Nempe duplex hîc Dentati premium, & quòd à Populo donatus ex Ærario decem millibus æris & quòd ab Imperatore ſuo viginti millibus. Vide Salmaſ, *ad Solin. p.* 48.

ÆS Corinthium, res pleriſque valdè notitia, nec à maxima Scriptorum parte origo ejus longius arceſſitur, quàm ab excidio Corinthi urbis, quæ à L. Mummio Achaico diruta eſt. Vide ibi. Plin, *l.* 34. *c.* 2. *Ex illa verò antiqua gloria Corinthium maxime laudatur. Hoc caſus miſcuit, Corinthô, cum caperetur, incenſâ.* Sic Florus *l.* 2. *c.* 16, Oroſius *l.* 5. *c.* 30. Iſidorus, ridiculè in Hannibalem pridem fatô functum transferens Corinthi à Romanis captæ gloriam, *l.* 16. *c.* 19. Alii. Sed mirum eſt, hanc fabellam tot habuiſſe aſſertores, cùm invictô argumentô eam refellat *Plinius* ille ipſe, qui primus evulgavit, quique unò ante Corinthum captam ſeculò defiiſſe obſervat nobiles illos fictores, quorum omnia ſigna *Corinthia* appellantur: Quin horum unum Phidiam annis pluſquam trecentis hanc cladem præceſſiſſe. Quidquod hujus narrationis neque vola nec veſtigium eſt in *Strabone*, qui de Corintho tam multa habet, nec in Ariſtidis *Iſthmicis*, nec in Pauſaniæ *Corinthiacis*, nec in Dionis Chryſoſtomi *Orat.* 37. quæ tota in Corinthi eſt laudem, nec in Græcorum ullo alio; Solùm in Plutarchi libro *de Pythiæ Oracul.* Alii Corinthi domum unam arſiſſe dicunt, in qua cùm auri argentique non nihil eſſet, æris autem magna vis, confuſa illa in eandem maſſam, ex eo metallo, cujus major inerat pars, *Corinthii æris* nomen accepit. Alii Ærarium quendam fabrum Corinthi fuiſſe, qui cùm incidiſſet in thecam auri plenam eamque ſibi abſtuliſſet, ne id reſciretur metuens, diſſectum in minutas particulas aurum paulatim æri admiſcuerit, admirabilemque illam temperaturam effecerit, quâ magnas ſibi opes comparaverit poſtea. Sed neutri rem accidiſſe dicunt tùm cum exciſa eſt Corinthus: *Plutarchus* verò utramque ſententiam, ut fabuloſam, rejiciens, æs aſſerit non caſu ita miſceri, Nec deſunt, qui aurichalcum, cujus mentio apud Heſiodum *in Scuto Hercul. v.* 22. eſt aliiſque Poëtis vetuſtiſſimis, *Corinthii æris* ſpeciem fuiſſe putent. In quo numero fortaſſe fuêre Bibliorum Interpretes *Syrus* & *Arabs*; quorum ille ex *ære Corinthio*, hic ex *ære Græco*, fuiſſe refert omnia vaſa, quæ fecit Hiram Regi Salomoni

pro domo Dei, 1 *Reg. c.* 7. *v.* 45. Unde ſaltem id colligas ea eorum ſententia Corinthium æs fuiſſe in uſu non *Ezechielis* modò, ſed & *Salomonis ævô*, qui tempore Templum condidit, i. e. annis plus nongentis ante Corinthi excidium &c. Materia hujus *æris* fuit ex ære, argento & auro ſimul conflatis, idque diverſâ ratione, prout ærarmentario viſum. Proinde tria illius genera cenſent Plinius & Iſidorus, *leve cultatis* candidum argento nitore quàm proximè accedens, in quo illa mixtura prævaluit; alterum, in quo auri fulva natura: Tertium, in quo æqualis omnium temperies fuit: In quibus *haſmal*, (quæ vox apud *Ezechielem Prophetam* ſemel atque iterum occurrit) fortè ſeu χαλκόχρυσος, Corinthii ſpecies ſecunda appellari poteſt, in qua auri cum ære mixtura prævalet &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 6 *c.* 16.

ÆS Coronarium: in Cypri æris generibus, *tenuatur in laminas, taurorumque felle tinctum, ſpeciem auri in coronis hiſtrionum præbet*, ita Plin. *l.* 34. *c.* 8. Inde nomen adeptum, teſte Iſidorô *l.* 16 *c.* 19. Græci Χολόβαφον vocant, & χολόβαφινος, i. e. *felle tinctum. Pollux*, Χολόβαφον, χολοβαφῖνον, ... *Cholobaphus, Cholobaphina; ita enim in ludo ſcenico colorem auro ſimilem Attici appellabant. Heſych.* Χολόβαφα, τὰ χρυσοῦ ... *Cholobapha, quæ in auri ſpeciem tincta ſunt.* Nicander de dracone in *Theriacis v.* 441.

> - - - - - - - - - - - - - νέρθε δ᾽ ὑπήνη
> Ἐκτελὲς ὑπ᾽ ἀνθερεῶνι χολοβαφές.
> - - - - - - - - - - - - *Infrà autem barba*
> *Sub mento eſt cholobapha,*

i. e. χρυσίζον, *aurum referens*, ut *ibi Scholiaſtes* habet. Proinde Philoſophus ferè initiô *l.* 1. *de Sophiſticis Elench.* elenchum veri Syllogiſmi ſpeciem habere dicit, quomodo lithargyrina & ſtannea videntur eſſe argentea, τὰ δὲ χολοβάφινα χρυσᾶ, *cholobaphina autem aurea*, &c. Huic æri cùm in ſingulas uncias ſex addebantur auri ſcrupuli, i. e. quatuor æris partibus quinta, fiebat Pyropum æs, ita dictum, quòd ignem fulgore ſuô referret; de quo vide infrà, in voce *Pyropum*.

ÆS Demoneſium, vide infrà, *Æs Sicyonium*.

ÆS Ductile, ex Fuſile. Æs enim omne primùm funditur, dein ducitur. Non omne tamen ductile eſt, ut de *Caldario ære*, è quo Caldaria fiunt, ſcribit Plin. *l.* 34. *c.* 8. Et quidem olim cùm funderetur, in Maſſas panibus ſimiles formabatur, quod hodieque fieri cujuſmodi panes Græci πλίνθους appellabant. Unde πλίνθιοι χαλκοῖ, qui aliis χυτοὶ, i. e. *fuſiles, Pollux*. Panes dein illi æris fuſilis in alias fornaces transferebantur, atque ibi igne multô & crebrò flatu molliebantur, ut *Æs ductile* fieri poſſet, quod etiam in regulas ducebatur malleis. Sic ἐλατὸς Græcis dicebatur & ἐλατὸς, *Battutile & Ductile* Latinis: *Regulare* item, ut videre eſt apud *Iſidorum*. Hi verò panes dum ferrumenabantur, i. e. ſtringebantur ac indurabantur, in tegulas Æris Ductilis, *in clavos ferruminati* dicti ſunt, Plinio *loc. cit.* Erant autem regulæ illæ teretes, inſtar regularum, quibus modii cumulus apud *Veteres* demebatur. Porrò, panibus æris aquâ infusâ refrigeratis, *Flos* Æris oritur; quemadmodum *Squama Æris*, Græcè λεπὶς, decutitur ex regulis æris, quum clavi ex ære fiunt. Clavi enim fiebant ex illis regulis, & quæcunque alia opera ex ære ductili procudebantur. Hinc *clavorum Cypriorum* meminit *Palladius*, & *Acitorum Cypriorum Innocentius*, &c. apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1077. & 1078. ubi inter alia de *floris Æris* adulteratione, quæ ῥινήματα χαλκοῦ, h. e. *ramentis ex ſcobe æris*, fiebat, ut ſcobs vendi poſſet, ex *Plinio & Dioſcoride*.

ÆS Factitium, ex Alumine, in *Muſeo* Kircheriano, Romæ: ut & ex Antimonio. Ibidem *Æris* mineralia argentei, atri coloris, argentô & plumbô temperati, Vide *Collegii Romani Societ. Jeſu Muſæum p.* 41. *&* 42.

ÆS Indicum, in *Mirabil.* Philoſopho ſic deſcribitur: *Ajunt æs eſſe in Indis tam lucidum & purum & rubiginis expers, ut colore ab auro non dignoſcatur. Sed & inter Darii pocula eſſe aliquot batiacas, de quibus aliter, quam ex olfactu, dijudicari non poſſit, utrum ærea vel aurea ſint.* Græcè, Φασὶ δὲ καὶ ἐν Ἰνδοῖς τὸν χαλκὸν οὕτως εἶναι λαμπρὸν καὶ καθαρὸν καὶ ἀνίωτον, ὥστε μὴ διαγινώσκεσθαι τῇ χρόᾳ πρὸς τὸν χρυσόν, ἀλλ᾽ ἐν τοῖς Δαρείου ποτηρίοις βατιακὰς εἶναί τινας καὶ πλείους, ἃς εἰ μὴ τῇ ὀσμῇ, ἄλλως οὐκ ἦν διαγνῶναι πότερόν εἰσι χαλκαῖ ἢ χρυσαῖ. Ubi *batiacas*, vocat Perſica pocula ex eo facta Philoſophus. Sic à *Diphilo βατιάκιον* & à *Philemone βατιάκιον*, inter pocula memorantur, apud Athenæum *l.* 11. Vide infrà in voce *Batiaca*. An ejuſdem æris mentio, Eſdr. *c.* 8. *v.* 27. ubi inter vaſa Deo conſecrata, cenſentur *vaſa duo æris flavi, boni, pretioſa ut aurum. LXX.* habent σκεύη χαλκοῦ στίλβοντος, *Vulgata & Caſtalio, Vaſa æris fulgentes*; *Arabs, vaſa æris fulgurantis*; *Syrus, vaſa æris Corinthii*; *Instrumenta ex orichalco præſtante.* Sed *Pagninus, vaſa æris flavi*. & *Arias, aurei coloris*. An in eodem numero habendum illud æs, ex quo mare Æneum & vaſa ſacra conflavit Salomon, ſi verè ſcribit Joſephus *Jud. Ant. l.* 7. *c.* 6. fuiſſe τὸν χρυσῷ ὅμοιον, *auri præſtantem*. Sed hoc ille de ſuo finxit, cum Scriptura ſolùm vocet, נחשת ממרט *æs terſum*, 1 *Reg. c.* 7. *v.* 45. An illud fortè *Haſmal* Ezechielis; certè auri fulgorem, ut vidimus, tam perfectè expreſſit, ut ab eo non potuerit ſolô viſu dignoſci. Sam. Bochart. ubi ſuprà.

ÆS Moſſynœcum, Philoſopho λαμπρότατον καὶ λευκότατον, *ſplendore & candore excellens*, Bocharto *loc. cit.* viſum eſt orichalcum album, quippe duas has orichalci characteriſticas notas habens. Nec abſurdè adeò album deſcribitur, aureum ei colorem pleriſque tribuentibus. Ita enim eximius Poëta, *Æn. l.* 12. *v.* 87.

> - - - - *auro ſqualentem albóque orichalcô.*

Et fruſtra eſt *Servius*, qui *album* dici tradit, *auri comparatione*; namque Græci tam nativum, quàm factitium orichalcum, album deſcribunt. Heſiodi vetus Scholiaſtes *in Scutum Hercul. v.* 122. Ὀρείχαλκος, τὸ λευκὸν χάλκωμα. Et in eundum *Tzetzes, præparatione quâdam orichalcum, cum naturâ ſit rubrum, album fieri*, refert: Cujuſmodi præparatione orichalcum in Phrygiæ urbe Andiris fieri conſueviſſe, teſtatur *Steph.* poſt Strabonem *l.* 13. Et fortaſſe Hebræis orichalcum inde *verbo*, לבן *lebana*, h. e. *æs album* dicebatur, atque ex eo facta fuerit Græca vox χαλκολίβανον quam *Hieronymus aurichalcum* reddit, Apocal. *c.* 1. *v.* 15. *&c.*

ÆS Perſicum, vide ſuprà *Æs Indicum*.

ÆS Phenneſium, è quo ſerpentem æneum conflatum eſſe conjicit Bochartus, *loc. cit.* Vide ſuprà *Æneus*.

ÆS Pyropum, vide infra *Pyropum*.

ÆS Regulare. Vide ſuprà *Ductile*.

ÆS Sicyonium, ob rationem mox ſequentem, meliùs *Demoneſium*, quod è Demoneſo Inſul. prope Chalcedonem, veniat, pro orichalco eſſe habitum, ex Ariſtotele patet, qui in *Mirabil.* Ἐν δὲ, inquit, αὐτόθι χαλκὸς κολυμβητὴς ἐν δυοῖν ὀργυιαῖς τῆς θαλάττης, ὅθεν ὁ ἐν Σικυῶνι ἐστὶν ἀνδριὰς ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῷ τοῦ Ἀπόλλωνος. καὶ ἐν Φενεῷ οἱ ὀρείχαλκοι καλούμενοι. Ἐπιγέγραπται δὲ αὐτοῖς, Ἡρακλῆς ὁ Ἀμφιτρύωνος Ἦλιν ἑλὼν ἀνέθηκεν. *Eſt autem ibi æs, quod urinando è fundo maris effoditur, ad duas orgyas altum: Ex quo eſt Sicyone ſtatua in veteri templo Apollinis, & quæ orichalca vocantur in urbe Pheneo, quibus inſcriptum eſt, Hercules Amphitryonis fil. Elide captâ dedicavit.* Ubi verba hæc, οἱ ὀρείχαλκοι καλούμενοι, *Æs* hoc pro orichalco habitum eſſe, evincunt. Bochart. *loc. cit.*

ÆSA, urbs Thraciæ finitima Pallenæ. *Steph.*

ÆSACUS, fluv. Trojanus ad Idam montem. Item Priami fil. ex Alyxothoe Dymantis filia, plus ſilvis quàm civitatibus delectatus. Hic cum Heſperiam, ſeu Eperiem liberali formâ puellam videret, adeò ejus amore captus eſt, ut in ſilvas eam ſequeretur, quæ fugiens morſu ſerpentis eſt occiſa; ipſe autem amoris impatiens, acrique dolore concuſſus, ſe de ſcopulo in mare præcipitem dedit, cujus Thetis miſerta, eum in mergum transmutavit. Vide Ovid. *Met. l.* 11. *ad finem.*

ÆSAGEA, montis nomen. Homer. *Hymn. in Apoll. v.* 40.

> Καὶ Κλάρος αἰγλήεσσα, καὶ Αἰσαγέης ὄρος αἰπύ.

ÆSALO, inter accipitrum ſpecies, avis perſpicaciſſima, niſi nos fallant Arabum Poëtæ: hinc ob oculorum præſtantiam Jobo commendata, *c.* 28. *v.* 7. *Semita, quam non novit avis, neque conſpexit eſt* עין איה *ochius aja*, quô nomine alii quidem vulturem, alii milvum, *Bochart.* verò *æſalonem* intelligit. Idem, unà cum butone ſemper apparet, teſte Plin. *l.* 10. *c.* 2. cùm alias inter migratorias aves Accipitrum pleræque ſpecies cenſeantur. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 1. *c.* 4. *& part. poſter. l.* 2. *c.* 19.

ÆSANIFORUM, meminit *Theſ.* Goltzii, ex Agrippinæ nummo

ÆSAPUS, vel ÆSEPUS, Plin. *l.* 5. *c.* 32. & *Ptol.* fluv. Myſiæ in Aſia, ex Ida monte profluens, ac in Helleſpontum apud Cyzicon urbem influens, *Spiga* in tabulis recentioribus. Homer. Item *Æſapus* Bucolionis fil. apud eundem *Il.* ζ. *v.* 21. *Il.* μ. *v.* 21. Sed leg. *Æſepus*.

ÆSAR, vel ÆSARAS, fluv. Magnæ Græciæ, in mare Ionium ſe exonerat, juxta Crotonem. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 22.

> - - - - *Patrias, age, deſere ſedes:*
> *I, pete diverſi lapidoſas Æſaris undas.*

Hinc *Æſareus*. Ovid. *ubi ſuprà*: *v.* 54.

> *Invenit Æſarei fatalia fluminis ora.*

Αἴσαρος eſt Græcis hic fluv. Malè ergo *Æſeris* multi ex vetuſtioribus codices, & pejus *Heſeris*. Dionyſ. *de ſitu orbis*.

> Ναιομένην χαρίεντος ἐπ᾽ Αἰσάρου προχοῇσι.

Hylam à *Thucydide* appellari putat *Leander*, qui dicit eum hodiè *Eſaro* vocari. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 4. *c.* 15. *Nic. Lloydius*.

ÆSARIS, Thuſciæ fluv. apud Lucam urbem. *Auſer.* Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Oſari* vulgò dicitur.

ÆSARONENSII, Sardiniæ populi, apud *Ptol.*

ÆSARUS, *Dionyſio & Straboni*, *Æſar.* Ovid. *l.* 15. *Met. loc. cit.* Magnæ Græciæ fluv. circa Crotonem: Hujus meminit etiam *Lycophron & Theocritus*, cujus *Scholiaſtes* dicit eum per mediam urbem fluere. Idem quoque in Sicilia fluvium ſic dictum habet: *Hylam iſtâ à Thucydide* appellari putat *Leander*, qui eum hodie *Æſaro* vocat. Vide *Auſeris*.

ÆSCHINES, Athenienſis Orator, Demoſthenis æmulus, cujus orationes tres extant, *Charites* Græcis, & aliquot epiſtolæ, *Muſæ* dictæ. Præter hunc alii ſeptem claruere. Primus, Philoſophus, Socratis diſcipulus. Secundus, qui artem Oratoriam conſcripſit. Tertius, ex Arcadia profectus. Quartus, Mitylenæus, quem *Flagellum oratorum* vocabant. Quintus, Neapolitanus, Philoſophus Academicus, Melanthii Rhodii diſcipulus. Septimus, Mileſius ſcriptor. Octavus, ſtatuarius. Laërt. *l.* 2. *in vita Æſchinis.* Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 4. §. 5. *& de Sectis Phil. c.* 9. § 1. Porrò prior Æſchines, cùm orationem, quâ fuerat uſus adverſus Demoſthenem, Rhodi legiſſet, legit & defenſionem ejuſdem Demoſthenis, ob quam depulſus fuerat in exilium, mirantibuſque amicis, tum eos magis miraturos dixit, ſi ipſum orantem audiviſſent. Plin. *l.* 7. *c.* 30. Cum Rhodum ſeceſſiſſet, inſtituit extemporalem orationem habere, & declamare exercitationis causâ: quod tamen factum *Fabius* ſcribit circa Demetrii tempora, an verò ab eo inſtitutum, non ſibi conſtare. Poſteà Samum cùm veniſſet, ibi paulò poſt obiit, Plut. *de* 10 *Orat.*

ÆSCHINES, Chius Empiricus, qui multos vel ſolô aſpectu peremerat, Eunapium ſophiſtam, qui Athenas ſtudiorum causâ venerat, morti jam vicinum inſtrumentis quibuſdam diductô ejus hiatu medicamentum infundens, vitæ reſtituit: ſubitò enim ſoluta eſt alvus, & æger loqui cœpit: hôc tamen factô ſuperiora errata omnia obliteravit. Eunapius *in Proæreſio*.

ÆSCHINES, Empiricus Athenienſis, qui ex crematorum hominum cinere anginis medebatur & tonſillis, uviſque & carcinomatis: hoc medicamentum vocabat *Botryon* Plin. *l.* 28. *c.* 4. Item nomen unius ex tribus ſectis, quæ ex Montaniſtarum hæreſi ſuppullulârunt? Hi præter reliquos errores, Jeſum Chriſtum Filium

Pa-

ſacerque in SS. Trinitate eſſe, fabulati ſunt. Epiphan. & Philaſtr. *de Hæreſ.*

ÆSCHINES, Charini vel Lyſaniæ fil. Socratis Diſcipulus, quem inter alios Dialogos *Suidas* cenſet ſcripſiſſe Axiochum. Ejus meminit Ariſtophan. *Crabron.* v. 524. E.

ÆSCHINES, Selli fil. Athenis omnium glorioſiſſimus & vaniſſimus. Vide *Sellus*, & Ariſtoph. *Veſp.* v. 455. 519.

ÆSCHRION, Mitylenæus verſificator, inter comites Alexandri M. Ariſtoteli familiaris, maximéque dilectus, ut tradidit Menander Alexandrinus *in l. de diſcipulis Ariſtotelis.* Idem fortè eſt cum illo, quem cum exercitu per inſidias Hanno Olymp. 118. an. 2. oppreſſit, de quo Diodorus Sic. *l.* 20. Vide etiam *Nicandr. Lilium Geraldum*, & Voſſ. *de Poet. Græc.* c. 8. Fuit etiam *Æſchrion* quidam Samius *Iambographus*, teſte Athenæô, *l.* 8. *c.* 3. ubi, ut & *l.* 7. *c.* 12. ex ejus Jambis nonnihil citatur. Hujus fortè eſt, *E'φεσις*, cujus *l.* 7. citat Tzetzes *ad Lycophronem fol.* 105. Fuit quoque *Æſchrion* medicus, quem laudat *Galenus* alicubi. Hujus omninò liber eſt de Agricultura, quem citat Plin. *l.* 1. inter Authores, itemque Varro *de R. R. l.* 1. *c.* 1. Antiquiſſimus autem omnium eſt *Æſchrion* ille, à quo in Samo tribus *Æſchrionia* appellationem ſortita eſt, cujus meminit Herodot. *l.* 3. *c.* 26.

ÆSCHYLUS, duodecimus Athenienſium Judex, ſeu Archon perpetuus, *in Marmore Arundel.* ubi Medontidæ (h. e. Medontis primi Archontis poſteri) *Βασιλεῦοντες* citantur uſque ad Æſchylum. regnavit ann. 23. Hujus annô 2. Iphitus ludos Olympicos in Elide, ut quartô quoque annô celebrarentur, magnô totius Græciæ conventu, inſtituit, quod annorum ſpatium *Olympias* appellatum eſt, atque ex hoc tempore apud Græcos anni ab Olympiadibus digeri ac nominari ſolent. Prima autem Olympias incidit in A. M. 3174. ſecundum *Helvicum*, circa natalem Romuli & Remi, 407. annos poſt Trojæ excidium, *Nic. Lloydius*: hanc verò *vulgarem Olympiadem* eſſe Iphiteam demum XXVIII. quâ Coræbus Eleus ſtadium vicerit; *veram* autem *Olympiadem primam* incidiſſe in tempora Phereclis Archontis VIII. regnante in Judæa Azariâ ſeu Uſiâ, docet Joh. Marshamus pluribus *Canone Chron. ad Sec.* XV. tum enim Olympia ab Iphito, Lycurgo & Cleoſthene, inſtituta ſeu potiùs inſtaurata, annô æræ Atticæ 699. adeoque 108. annis ante vulgarem epocham, diſcimus ex Phlegonte, qui in *Fragm.* Α'πὸ Ι'φίτου, inquit, *Ὀλυμπιάδες εἰσὶν αὗται ταῖς ὀκτὼ καὶ εἴκοσι* εἰς Κόροιβον τὸν Ηλεῖον. *Ab Iphito Corœbum Eleum numerantur Olympiades viginti octo.* h. e. anni 108. uti Eratoſthenes interpretatur, apud Clementem Alexandr. *Strom. l.* 1. Interim Coræbi Olympias, in uſum Chronologicum à Græcis recepta, & pro ſtabili fixa eſt termino, à quo putare tempora Græci cœperunt: conſenſu poſtmodum Chronographorum errorem protegente, & Epocham ab omni controverſia vindicante. *Parum enim intereſt rei Chronologicæ, utrum Corœbi Olympias ſit verè prima, an ſit poſtulatitia, dummodo ſtabilis ſit terminus, a quo ſuerentur tempora.* Joh. Marshamus *Canone Chronico ad Sec.* XVI. Eum excepit Alcmæon ultimus τῶν διὰ βίου Α'ρχόντων quem vide: periit tamen *Syracuſis, coloniam Corinthiorum*, Archiam Corinthium deduxiſſe, annô 21. *Æſchyli*, adde ex eodem; ibid. *p.* 499.

ÆSCHYLUS Corinthius, frater uxoris Timophanis tyranni, per quem Timoleon perſuadere conabatur fratri, ut tyrannidem deponeret. Plut. *in Tymol.*

ÆSCHYLUS, Rhodius, cum Peuceſte Macedone, dedită Ægypto præpoſitus. Curt. *l.* 4. *c.* 8.

ÆSCHYLUS, frater Cynegiri, bellicâ primùm gloriâ celebris, dein tragœdiographus, qui cùm ſenſiſſet, certô quodam die ſe ruinâ periturum, ex urbe Siciliæ, in quâ morabatur, egreſſus locô apertô conſedit, ſuper quem Aquila volitans, teſtudinem quam pedibus gerebat, ſuper caput ejus, ſplendore illius decepta, (erat enim crinibus vacuum) tanquam ſuper petram, ut fractæ teſtudinis carne veſceretur, eliſit; quo ictu peremptus eſt. Primus teſte Horatiô, gravitate perſonarum & coloris diſtinctione uſus eſt. Sic enim ille, *in Arte Poetica* v. 278.

Poſt hunc perſonæ pallæque repertor honeſtæ
Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.

Hinc *Æſchyleus.* Propert. *l.* 2. *Eleg.* 34.

Deſine & Æſchyleô componere verba cothurnô.

Eumenidum, quibus colubri pro crinibus primus inventor. Pauſan. *in Achaicis.* Impietatis nomine condemnatus, quomodo evaſerit, docet Ælian. *Var. Hiſt. l.* 5. *c.* 19. Vide etiam Val. Max. *l.* 9. *c.* 12. *exemplô* 10. Voſſ. *de Græc. Poët. c.* 4. Cæterùm de variis *Æſchylis* videſis doctiſſimum virum Tho. Stanleium *Comment in Æſchylum, in principio. Nic. Lloydius.*

ÆSCULANUS & ARGENTINUS, Dii quidam ſic dicti ſunt *Æris*, & *Argenti*, i. e. locupletandorum hominum poteſtatem habentes. Budæus *l.* 5. *de Aſſe.* Item *Æſculanus*, vel *Æs*, Deus ſub cujus nomine Pecunia culta eſt Romæ. Auguſt. *de C. D. l.* 4. *c.* 21.

ÆSCULAPII, de his *Nonius ex Siſenna*: *Caſtris de Pavia converti in montes, ut crebrò ferculis gravibus procedendo poſſet in fines Æſculapiorum pervenire.*

ÆSCULAPII *Inſul.* Vide *Tiberinus.*

ÆSCULAPIUM Fanum, vide *Alinus.*

ÆSCULAPIUM; lucus, inter Berytum & Sidonem. *Strabo. Æſculapium* incolas hujus vocat *Siſenna apud Nonium*, in voce *Protinus.* Aliud in Coo inſula, Lactant. *l.* 2. *de origine erroris. c.* 7. *Æſculapii Puteum* quendam celebrat *Ariſtides.*

ÆSCULAPIUS, Apollinis ex Coronide nymphâ fil. quam Ovid. dicit e Lariſſa fuiſſe, & Phlegyæ filiam. *l.* 5. *Met.* Homer. *in Hymn.* 15. *v.* 1. *ſ.*

Ι'ητῆρα νόσων Α'σκληπιὸν ἄρχομ' ἀείδειν
Υἱὸν Α'πόλλωνος; τὸν ἐγείνατο δῖα Κορωνὶς
Δωτίῳ ἐν πεδίῳ, κούρη Φλεγύαο ἄνακτος.

Quæ Coronis poſtea rem habens cum Æmonio juvene, cui Iſchys nomen fuerat, ab Apolline ſagittis confoſſa eſt. Sed is poſtea facti pœnitens, ſectô ejus uterô conceptum ex ſe eduxit infantem, eumque Æſculapium appellavit, tradiditque Chironi, ſub quo medicinæ ſtuduit. Plut. *in Conviv. l.* 9. *q.* 14. Pindarus, *Ode* 3. Pauſan. *l.* 2. Lactant. *Inſtit. l.* 1. *c.* 10. Ovid. *Met. l.* 2. *Fab.* 9.

Non tulit in cineres labi ſua Phœbus eoſdem
Semina, ſed natum flammis uteròque parentis
Eripuit; geminique tulit Chironis in antrum.

Jamque hujus artis peritus, Dianæ precibus Hippolytum ab equis diſcerptum vitæ reſtituit, quâ re motus Jupiter fulmine eum occidit. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 770.

Tum pater Omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitæ,
Ipſe repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad undas.

Porrò Æſculapium fulmine occiſum fuiſſe à Jove teſtantur, Pindarus & Euripides *apud Clem. Alex. in Protreptico*, ubi etiam addit, Οὗτος μὲν ἐν κεῖται κεραυνωθεὶς ἐν τοῖς Κυνοσουρίδος ὁρίοις. Marcus autem Tullius *De Nat. Deor. l.* 3. paulo aliter hæc tradit, ubi tres Æſculapios fuiſſe refert. Primus Apollinis fil. fuit, quem Arcades colunt; qui ſpecillum inveniſſe, primuſque vulnus obligaviſſe dicitur. Secundus, ſecundi Mercurii frater; Is fulmine percuſſus dicitur humatus fuiſſe Cynoſuris. Tertius, Arſippi & Arſinoës, qui primus purgationem alvi dentiſque evulſionem, ut ferunt, invenit, cujus in Arcadia non longè à Luſio fluv. ſepulcrum & lucus oſtenditur. Sunt autem, qui Æſculapium Meſſenium fuiſſe tradunt, ſed Epidauri manſiſſe, unde *Epidaurius* dictus. Cæterùm Romam accitus urbem ipſam gravi peſtilentiâ liberavit, in cujus honorem inſigne templum in inſulâ Tiberis, de qua Sueton. *in Claudio c.* 26 illi conſtruxerunt, colueruntque eum in ſpecie ſerpentis. Nam Romanis in Epidaurum profectis tempore peſtilentiæ, ut Æſculapium Romam portarent, ſerpens grandis navem ingreſſus eſt, quem illi Deum Æſculapium eſſe rati, ſecum duxerunt. Ovid. *Met. l.* 15. Veteres gallum gallinaceum ei immolabant, Cyrenenſes capram. Duos habuit filios arte Medicâ præſtantes, Machaonem, & Podalirium, filias verò Hygiæam, Æglen, & Panaceam. Medicinam plurimum ampliavit, ob eamque rem in Deorum numerum receptus eſt. Duo ejus filii bellô Trojanô Agamemnonem ſecuti, non mediocrem opem commilitonibus attulêre. Æſculapium ait Pauſanias *in Achaicis*, nihil aliud eſſe quàm aëra, cujus filia ſit *Hygiæa*, i. e. *bona valetudo.* Eſt enim aëris temperies non hominis ſolùm, ſed cunctis animalibus ſaluberrima. Jure optimô igitur antiqui Apollinem Æſculapii patrem eſſe finxerunt, atque ipſum Æſculapium ſalubrem vim de ſole, animis, corporibuſque mortalium ſufficientem, i. e. *ſanitatis artificem*, quia ſolis calor univerſis elementis dominatur. Non defuerunt autem, qui locum datum fuiſſe fabulæ de Æſculapio tradiderunt, quòd mortuos ab inferis revocaret, quia nonnullos; quorum conclamata ſpes eſſet, vitæ ac ſanitati reſtituerit per vim medicamentorum; unde fabulati ſunt antiqui, Plutonem apud Jovem conqueſtum fuiſſe, quòd ſuum imperium mortalis medicus exinaniret: Idcirco fulmine percuſſum fuiſſe à Jove inquiunt, quod accidit pauló ante Trojana tempora. De nomine ſic Bochart. *part.* 1. *Hieroz. l.* 2. *c.* 55. *Æſculapius*, inquis, fortaſſis Phœnicè dictus eſt איש כלב *Is calab*, h. e. *vir caninus. Feſtus in Inſula Æſculapio &c. Canes adhibentur ejus templo, quod is uberibus canis ſit nutritus.* Cæterùm *de Æſculapio*, librum ſingularem ſcripſit doctiſſimus juvenis *Thomas Guidottus* Med. Bac. Coll Wadh. Oxon. quem ex variis authoribus, Græcis juxta ac Latinis, multô labore ac judiciô compilavit. Fabuloſam Æſculapii hiſtoriam egregiè expoſuit, Alex. Roſſæus *in Myſtagog. Poëtico.* Ut verbum addam de oraculis, per *Æſculapium*, ſeu potiùs ipſius prophetis Antiſtitibus, uſque ad tempora Antoninorum, Romæ editis, teſtatur literatus lapis ſive tabella marmorea, quæ creditur olim ſteriſſe in templo illius ſuprà memorato, quæque etiamnum in ædibus Maffæanis ſervatur, à Grutero *Theſauro ſuo* inſerta, *pag.* 71. ubi & verſionem ejus Latinam ex Græco habes. Idem verò & templum & oraculum Ægis in Cilicia habuit, teſte Euſebiô *de Vita Conſtantini l.* 3. Pergami quoque & alibi paſſim, in quibus illius templis Fatidicis, vel omnibus, vel ſaltem in plurimis, *inſomnia captari* ſolita, conſtat. Quod ridiculè imitatur Ariſtophanes *Pluto*, ut notum. De conſcriptis autem curationibus ac miraculis, Inſcriptio tabellæ retrò memoratæ videri poteſt, apud Gruterum *d. l.* & Anton. van Dalen Med. Doct. *de Oraculis Ethnicorum Diſſertat.* 1. *p.* 100. 101. adde eundem *Diſſertat.* 2. *p.* 328. 329. De *Æſculapio* verò Ægyptiorum antiquiſſimo, vide voce *Toſorthros.*

ÆSCULAPIUS, Siciliæ Procurator, *Olympiodorô* memoratur; qui ſtatuam conſecratam in Sicilia collocatam, ad ignem Ætnæ compeſcendum & barbaros tranſitu freti prohibendos, refert: eâ poſtmodum ab *Æſculapio* hoc everſâ, Siciliam multis damnis affectam eſſe per barbarorum incurſiones & ignis Ætnæi exundationes, addit. Vide mixà, *Conſecratio*: ut de *Paſſere Æſculapii*, vocè *Paſſer.*

ÆSCULAPIUS, Philoſophus, author operis alicujus Arithmetici, Voſſ *Part.* 2. *de Scient. Mathem. c.* 50. §. 10.

ÆSEPUS, fluv. Lyciæ ſub Ida monte. Quanquam Oppianus *l.* 1. *de Aucupio*, montem ſic nominat eo loci. Item Bucolionis fil. Homer. *Il.* 6. *v.* 21. Vide *Æſapus.*

ÆSERNIA, ſeu ESERNIA, Plinio *l.* 3. *c.* 12. Livio *l.* 27. *c.* 12. & aliis: *Sernia* hodie & *Iſernia*, Samnitum urbs in Italia, ad radices Apennini, ſenſimque deficit, à paucis habitata, de qua Sil. *l.* 8. *v.* 567.

Et quos aut Ruſæ, aut quos Æſernia, quoſque
Obſcura incolitis Herdonia miſit ab agris.

Populi *Æſernini.* longitud. 38. 70. latitud. 41. 43.

ÆSERNINUS, vide *Eſernum*.

ÆSI, *Heſych.* Αἶσοι, θεοὶ ὑπὸ Τυῤῥηνῶν.

ÆSIA, fluv. Gall. Belgicus inter Campaniam & Picardiam in Sequanam fluens; ſupra Piſciacum; & oritur in Tiraſcia regione. Hodiè Latinis Iſara vulgò, *Oyſe*. Vide *Oeſia*.

ÆSIAS, Trapezita Sicyonius, apud quem occaſio nata Arato Acrocorinthum per proditionem quatuor fratrum Syrorum, operâ tamen præcipuâ Ergini capiendi. Vide Polyæn. *l.* 6. *in Arato*.

ÆSICA, pagus Albionis in Cumbria, teſte *Camdeno*, vulgò *Netherby*. In littore maris Hibernici.

ÆSIMEDES, Athenienſium Rex XV. à Medonte primo Archonte τῶν διὰ βίου numerando, ſecundus τῶν Δεκαετῶν ſeu Decennalium, excepto Charopem; dominante adhuc in Ægypto Sabbacone Æthiope. Ejus annô quintô Amphia Meſſeniorum à Spartanis capta bellô Meſſeniacô I. originem dedit: regnavit ann. 10. Succeſſore Clidicô, vide *ib.*. Item navarchus Corcyrenſium. Thucyd. *l.* 1.

ÆSION, civis nobilis Athenienſis, cujus illud de Demoſthene oratore fuit judicium, ut diceret, illum non ſolùm Athenarum dignum civitate eſſe, ſed & ſupra Athenas. Plut. *in Demoſth.*

ÆSIPUS, vide *Æſepus*.

ÆSIS, Umbriæ civitas, *Ptolemæo* Αἴσις, at *Straboni* Αἶσις, unde Plinio *l.* 3. *c.* 14. oppidani ſunt *Æſinates*. Idem *l.* 11. *c.* 42. quod eſt de diverſitate caſeorum, *Æſinatem ex Umbria*. longitud. 37. 00. latitud. 43. 35. Item Umbriæ fluv. Strab. *l.* 5. Diſertis literis eſt Αἶσις, & ita Latina vox apud Plin. *loc. cit.* At apud Melam *l.* 2. *c.* 4. corruptè *Eſis*; & apud *Ptol.* obliquus caſus τῆς Αἴσιος pro τῆς Αἴσιδος. Plut. *in Pompejo* τὸν Αἴσιν habet pro Αἶσιν. Apud Appianum *Civil. l.* 1. Αἴσιος ποταμός, eſt. Sil *l.* 8.

Quîs Æſis regnator erat, fluvioque reliquit
Nomen, & à ſeſe populos tum dixit Aſilos.

vulgò *Eſino*. In mare Adriaticum ſe exonerat, inter Anconam & Senogalliam.

ÆSISIUM, *Ptolemæo* Umbriæ oppidum, quod Leandro *Aſiſi* dicitur. *Eſiſium* eſt ſine diphthongo *in Originibus*, quæ Catonis nomine circumferuntur. *Aſiſium* eſt *in vetuſto Lapide*. D. Franciſci patria. *Æſium* fortè *Straboni*. *l.* 5. *Aſiſium à Propertio Axis* appellari ſcribit Zacharias Lilius *in ſuo Orbis breviario*: ex hoc fortè verſu, *l.* 4. *Eleg.* 1.

Sc alentiſque Axis conſurgit vertice murus.

ÆSITÆ, Arabiæ deſertæ populi, *Ptolemæo*. *Aſitta* legunt *Interpretes*.

ÆSIUM, in colle Piceni, urbs epiſcopalis in ditione Pontificiâ. *Ptol.* *Æſis*. Hodie *Jeſi*. Diſtat Senogalliâ 12. milliar. in meridiem: *Fabiano* autem 18. milliar. in Cæciam

ÆSIUM, urbs in itinere ab Ocriculo, Ariminum verſus dextram, Strabo. *l* 5. Vide *Æſiſium*; ſic enim legendum.

ÆSIUS, amnis in ora Bithyniæ. Plin. *l.* 5. *c.* 32.

ÆSON, Crethei fil. frater Peliæ, regis Theſſaliæ, & pater Iaſonis, qui ab eo vocatur *Æſonides*. Eum Iaſonis rogatu, annoſitate decrepitum, ſuis veneficiis robuſtiori ætati reſtituit Medea. Ovid. *Met. l.* 6. Item, fluv. Theſſaliæ, cum oppido cognomine cadit in Metam fluvium. Item Urbs Magneſiæ, apud *Apollonii Scholiaſtem*. Theſſaliæ, *Steph.*

ÆSONENSES, populi Hiſpan. citerioris, quorum oppid. *Æſona*, nunc *Iſona*, pagus Catalauniæ, teſte *Andreâ Schotto*.

ÆSOPUS, Phryx, Philoſophus, & fabulator clariſſimus, conditione autem ſervus, tempore Crœſi Lydorum regis, cui fabulas ſuas dicavit. Nomen à ingredior fortè obtinuit. *Æſopus* enim & *Æthiops* idem ſignificant. Hujus vitam *Maximus Planudes* conſcripſit, quæ fabulis Æſopi vulgò præfigi ſolet. Quintilianus *l.* 1. *c.* 9. *Æſopi fabellas, quæ fabulis nutricularum proximè ſuccedunt, narrare ſermone puro, & nihil ſe ſupra modum extollente, condiſcant pueri.* Idem *l.* 5. *c.* 11. *Illæ quoque fabulæ, quæ etiamſi ab Æſopo originem non acceperunt, (nam videtur earum primus author Heſiodus) nomine tamen Æſopi maximè celebrantur, ducere animos ſolent, præcipue ruſticorum & imperitorum: qui & ſimplicius quæ ficta ſunt audiunt, & capti voluptate, facilè iis quibus delectantur, conſentiunt.* A. Gell *l* 2. *c.* 29. *Æſopus ille e Phrygia fabulator haud immerito ſapiens exiſtimatus eſt, cum, quæ utilia monitu ſuaſuque erant, non ſeverè, non imperioſè præcepit & cenſuit, ut Philoſophis mos eſt, ſed feſtivos delectabileſque apologos commentus, res ſalubriter, ac proſpicienter animadverſas in mentes animoſque hominum, cum audiendi quâdam illecebrâ induit.* Hinc proverbium apud *Suidam*, *Ne Æſopum quidem trivisti*, de vehementer ſtupidis & imperitis. Vide Ariſtoph. *in Avibus*. *Euſeb.* *Suid.*

ÆSOPUS, libertus Demoſthenis, conſcius adulterii quod patronus admiſerat, tortus diutiſſimè perſeveravit non prodere, donec aliis coarguentibus conſcius, Demoſthenes ipſe fateretur. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 11.

ÆSOPUS, cognom. Claudus, Tragœdus, amicitiâ Ciceroni conjunctus, de quo *l.* 6. *Ep. Fam.* 1. Horat. *l.* 2. *Ep.* 1.

Quæ gravis Æſopus, quæ doctus Roſcius egit.

In maximas opes ex hiſtrionica pervenit, adeò ut Seſtertium centies ex patina ſteterit. Val. Max. *l.* 8. *c.* 10. & *l.* 9. *c.* 1. Filium reliquit adeò divitem ſimul & prodigum, ut is uniones acetô liquefactos cœnis apponeret. Plin. *l.* 10. *c.* 51. Horat. *l.* 2. *Sat.* 3.

Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ
Scilicet ut deciês ſolidum exſorberet, aceto
Diluit inſignem baccam. ——

Item *Æſopus*, Anagnoſtes Mithridatis eruditiſſimus; Scripſit de laudibus Mithridatis, & de Helena, *Suidâ* teſte. Item orator clariſſimus Laertio *l.* 1. *in Vita Chilonis*. Item Hiſtoriographus qui Anaximenis & Philonis temporibus floruit. Plut. *in Solone*.

ÆSOPUS, Tragœdus, hiſtrio facetiſſimus, & γελωτοποιός, cujus meminit Ariſtophan. *Veſp.* v. 469.

ÆSQUILINUS mons, vide *Æſquilia*.

ÆSSUI, vide Eſſui.

ÆSTATES Aureæ, in Templis Veterum. Vide *Hiems aurea*.

ÆSTIÆI, & ÆSTII, populi Sarmatiæ, inter Viſtulam fluv. & ſinum Finnicum, ubi hodie Pruſſia & Livonia. Hinc *Eſten* Eſthonia, provinc. Livoniæ.

ÆSTIMATIO Capitis, vide *Hera*.

ÆSTIVA, Servio *ad Georgic. l.* 3. *v.* 472. ſunt loca umbroſa, in quibus per æſtatem pecora vitant Solis calorem. Et Lutatius *ad illud Papinii Statii ex Theb. l.* 1. *v.* 363.

- - - - *Umbroſi patuêre æſtiva Lycæi.*

Æſtiva, inquit, *dicuntur ſtabula, tempore æſtatis umbroſa*, &c. Narrat nempe Varro *R. R. l.* 2. Romanos pecora alibi hibernatum, alibi *æſtivatum*, egiſſe, ad eum ferè modum, quo alibi hiberna, alibi æſtiva, pro eorum militibus. De cujuſmodi *Æſtivis* Arnobius adv. *Gentes l.* 3. *Armentorum*, inquit, & *pecorum gregibus Pales præſunt Inuuſque cuſtodes*: & *cur ſæva contagia & peſtilentes morbos an Æſtivis avertere geſſatione munera non curant*, ad quem vide *Electa* Godeſc. Stewechii. Apud Recentiores idem vox notat, ſed in ſingulari fœminina eſt. *Charta* Sanctii Regis Aragonum aræ 1051. apud Martinezium *in Hiſt. Pinnatenſi l.* 2. *c.* 27. *Hæc eſt carta, quam facio de illa æſtiva, quæ dicitur Leſirim &c.* Tabularium S. Petri Generenſis, apud Marcam in *Hiſtor. Benehara. l.* 9. *c.* 3. *Gaſtas Arnaldi Comes Bigorrenſis dedit B. Petro totam tertiam partem mercati Lurdenſis, & dedit duas* Eſtivas, *ſcilicet Garendavam & Marentam.* Tabularium S. Savini Levitanenſis apud *Eund. c.* 9. *Prædictam vallem Abbas & Monachi S. Savini liberam & quietam poſſideant - — neque nos neque ſucceſſores noſtri —— beſtias ſuas, quæcunque ſint, niſi per voluntatem Abbatis S. Savini ad* Eſtivas *illius vallis introducant*, &c. Unde *æſtivare* pecora dicuntur quæ in *Æſtivis* ſeu paſcuis æſtate paſcunt. Varro de *R. R. l.* 2. *c.* 3. *Itaque greges ovium longè abiguntur ex Apulia in Samnium æſtivatum* &c. Charta A. C. 1227. apud eundem Marcam *l.* 5. *c.* 29. *Ut armenta eorum in Alpibus liberè poſſint æſtivare*, quod *Eſtiver les beſtailes montagnes*, in *Conſuetud.* Arvernenſi & Marchenſi *art.* 361. Gall. dicitur. cui opponitur *hiverner le betail de foin & de pailles*, pecora domi paſcere fœnô ac paleâ. Hodieque apud Occitanos *Eſtibadou* & *Eſtivandie*, coloni appellantur partiarii & medietarii, ab *æſtivis*, in quæ pecora ſua illi abigunt. Vide Carol. du Freſne *Gloſſar.* in *Æſtiva* & *Æſtivare*.

ÆSTIVA Cœna, apud Tertullianum *de Anima c.* 32. *Thunnus & piſcis ſui (inquit) cur non magis pro tam inſulſus & chamæleon tam inflatus? Planè ut piſcis, ne aliqua ſepulturæ conditio repateſceret, aſſum ſe maluit in Ætnam præcipitando atque exinde in illo ſuit ſit metenſomatoſis*, ut æſtiva cœna *poſt aſſum*, (ubi de Empedocle loquitur, qui in ignivomam Ætnæ voraginem ſe projecit & ut Pythagoricæ tranſmigrationis aſſertor à Tertulliano ridetur:) proverbialis locutio eſt cum duabus vocibus ſequentibus, *Poſt aſſum*; quam Pamelius *in Figur. Proverb. Tertull.* ſic exponit, ut dicat, antiquos in cœna ſolitos fuiſſe apponere quaſdam aſſatas linguas, de quibus ipſe autumat locutum fuiſſe ſuum Auctorem. *Mauro* verò *Æſtiva cœna*, eſt in his verbis æſtuans ac ardens rogus, quæ *inferorum* ſeu *funeris cœna* apud veteres Romanos appellabatur. Unde Catullus cecinit. *Epigr.* 60.

Vidiſtis ipſo carpere è rogo cœnam.

Et Perſius, *Sat.* 6. *v.* 33.

—— *Sed cœnam funeris hæres*
Negliget, iratus. ——

Sic enim Empedocles jam aſſus in flammis Ætnæ, ſe in *æſtivam* & ardentem funeris cœnam exhibuit, &c. Vide Macrum utrumque *Hierolexic.* in voce *Thunnus*.

ÆSTIVALES Feriæ, vide infra *Feriæ*.

ÆSTIVALIA, in Clement. de *Statu* Monach. c. 3. Æſtivalibus *largis aut botis altis pro calceamentis utantur*. ocreæ ſunt, calceorum ſpecies, quibus æſtate utebantur. *Gloſſ.* Lat. Gall. *Ocrea, heuſe, ou eſtivaux.* Gloſſa ad Clementinam, *Æſtivalia in vulgari vocamus ſtivali & ſunt calceamenta corii, quibus in æſtate utor & optima ſunt apud S. Severinum. Botis altis, quæ capiunt ſupra talos & aliquid de crure. & ligantur quandoque & hos vocat infra ſotulares* (ſotulares) *corrigatos.* Hinc per aphæreſin *Stivale*, apud Cæſarium *Miracul. l.* 10. *c.* 29. & in *Geſtis* Legationis Ambaſſiatorum Ludovici Ducis Andegav. ad Judicem Sardiniæ A. C. 1378. *Ocrea ſive Stivalia de corio albo, more Sarduo — obtulerunt.* Unde Italorum, *Stivali* & Germ. *Stiffeln* Galli hodie *Bottes* dicunt. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macrum *Hierolexic.* in voce *Bota*.

ÆSTIVUM Aurum, apud Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 28.

Ventilet æſtivum digitis ſudantibus aurum,
Quam vix ferre queat majoris pondera gemmæ.

Non eſt *Semeſtre aurum*, quod Vir magnus voluit: multum enim differt utrumque. Delicatum & mollem hic notat *Poeta*, Criſpinum, qui, cum vix ferre poſſet majoris ponderis gemmam, annulos faciendos curabat ex auro leviore, per æſtatem præſertim geſtandos, ne digitos in ſudorem darent graviores: inaudita & inuſitatæ mollitiei argumentum. *Æſtivior* igitur *Aurum*, de annulis levibus; ut veſtes ſericæ *levitate* apud *Plinio*, & *æſtiv* vaticanus Plauto *Menæchm. Act.* 2. *ſc.* 1. qui levi viaticô inſtructus eſt. At *Semeſtre aurum* annuli ſunt, quos Tribuni ſemeſtres gerebant, pro inſigni ſuæ dignitatis, ut ſuô locô videbimus Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 450.

ÆSTRÆUM, oppid. Macedoniæ *Ptol.* populi *Æſtræi*.

ÆSTRI, vide *Haſtr.*

ÆSTRIA, Hadriatici maris inſul. ut author eſt Pomp. Mela *l.* 2. *c.* 7.

ÆSTRUARIUM, vide *Amſiens*.

ÆSTUNI, nomen municipii videtur, apud Caſſiodorum *l.* 3. *Varior.* numero 9. *Eſtuni* alia lectio. Unde Theodoricus Rex jubet colu-

columnas & lapides vetuſtate invadiâ demolitos Ravennam devehi. *Eſſe putat* Ortelius *in Venetia*, unde *Eſtenſium* Familia. Facilis enim hinc per Brentam fluvium & mare iſtinc navigatio. *Nic. Lloydius.*

ÆSTYES, Germaniæ populi, qui dextrô maris Suevici litore alluuntur. Tacit. *in German. c.* 45.

ÆSTYI, vide *Heſtia.*

ÆSUIUM, vide *Urſiu Lucus.*

ÆSULA, oppid. in montibus inter Tibur & Præneſte. Horat. *Carm. l.* 3. *Od.* 29.

---- Eripe te moræ,
Ne ſemper udum Tibur, & Æſulæ
Declive contemplēris arvum.

Populi *Æſulani.* Plin. *l.* 3. *c.* 5. Vide *Eſula.*

ÆSYETES, vir ex cujus ſepulcro ad Trojam extructo ſpeculabatur Polites, quod in navibus ſuis facerent Græci. Homer. *in Catalogo.*

Εἴσατο δὲ φθογγὴν υἷι Πριάμοιο Πολίτῃ,
Ὃς Τρώων σκοπὸς ἷζε ποδωκείῃσι πεποιθὼς,
Τύμβῳ ἐπ' ἀκροτάτῳ Αἰσυήταο γέροντος,
Δέγμενος ὁππότε ναῦφιν ἀφορμηθεῖεν Ἀχαιοί.

ÆSYMA, urbs Thraciæ. *Steph.* Caſtianiræ patria, ex quâ Priamus Gorgythionem ſuſcepit, qui in bello Trojano ab Ajace fuit interfectus. *Heſych.* Αἴσυμα, πόλις Τρωϊκὴ, Vide *Oeſyma.*

ÆSYMNETÆ erant, qui parem regiæ dignitati poteſtatem habebant: unde Dictatoris imperium traxiſſe originem creditur. Alex. ab Alex. *l.* 4. *c.* 13. Heſych. Αἰσυμνᾶ, βασιλεύει, ἄρχει. *Æſymnetes* etiam Bacchi cognomen, cujus rationem prolixè exponit Pauſan. *in Att.* vide & hic infrà.

ÆSYMNUS, Megarenſis quidam, qui Regum tyrannidem peroſus, conſuluit Apollinem, quô potiſſimum modô Megarenſes Remp. feliciſſimè poſſint adminiſtrare; Cùmque reſponſum eſſet, *Si cum pluribus conſultarent*: arbitratus id ad mortuos pertinere, qui vivorum numerum longè ſuperant, tumulum heroibus extruxit, qui ab ipſo *Æſymnium* dictus eſt; Curiam quoque, quæ ambitu ſuô tumulum includebat, arbitratus ita futurum, ut ipſi etiam mortui ipſorum conſultationibus intereſſent. Pauſan. *l.* 1. Item unus è Principibus Græcorum ab Hectore interfectus. Homer. *Il.* 11.

ÆTAS, modò, quæ vulgò *Majoritas*, dicitur, cùm quis ſuæ tutelæ eſt. Unde qui nondum ætatem hanc attigit, *infra ætatem eſſe* dicitur, in *LL.* Longobard. *l.* 2. *tit.* 29 §. 2, 3. 4. *&c. Intra ætatem conſtituti*, in *l.* 3. *Cod. Theod. de Sponſal.* Aliàs *Ætas perfecta*, 25. annorum, in *L. ult. Cod. de His qui ven. æt.* & alibi paſſim; contrà *imperfecta*, pupillaris, in *l.* 3. *Cod. Theodoſ. de Sponſal.* & *ultim. Inſtit. de Attiliano tutore &c.* Etiam *plena ætas*, majoritas, ætas 21. annor. Quoniam Attach. *c.* 91. §. 2. *De herede verò cùm ſit* 14. *annorum, vel ultra, uſque ad plenam ætatem, ſi ſe maritaverit ſine licentia domini ſui, &c.* In Charta Johannis Regis Hieroſolym. A. C. 1214. apud *Car. du Freſne*, *Scire vos volumus, quod conſuetudo antiqua & per jus approbata talis eſt in Regno Franciæ, quòd nullus ante viginti & unum annos poteſt vel debet trahi in cauſam de re, quam pater ejus tenuerit ſine placito, cùm deceſſit.* Vide *Jus Feudale* Saxonum *tit.* 18. §. 2. *Legitima* quoque *ætas*, quæ apud Longobardos fuit annor. 19. in *LL.* Longobard. *l.* 2. *tit.* 29. §. 1. & *LL.* Luithprandi Regis *tit.* 74. §. 1. In ſpecie, *Ætas Baronia* in Charta Matthæi Ducis de Montmorenciaco A. C. 1274. quâ quis nempe à tutela liber Baroniam ſeu terram ſuam tueri poteſt; ætas itidem 21. annorum. In veter. verò *Conſuetud.* Franciæ *l.* 2. in maſculo eſt 15. ann. in fœmella 14. Hæc *Ætas plena* in Burgenſibus eſt, *cùm heres denarios diſcretè ſciverit numerare & pannos ulnare & alia negotia paterna exercere; Sic non definitur tempus ſed per ſenſum & maturitatem ſuam*, apud Bractonum *l.* 2. *c.* 37. In milite, quem vulgò *Chevalier* Galli dicunt, eſt 21. annorum completorum, ita ut 22. attigerit, apud Eundem *ibid.* in Fœminis, quoad Feudum Militare, eſt 14. annorum completorum, in Regiam Majeſt. *l.* 2. *c.* 41. §. 3 ſeu 15. annorum, ut vult Bractonus *loc. cit.* Quoad matrimonium autem, 12. annorum expletorum, in *LL.* Luithprandi Regis *tit.* 86. &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Nec ſine gravi ratione Juvenes ante 25. *ætatis* annum ad honores publicos non admittunt *LL.* Civiles, namque animorum impetus tales nondum regere apti ſunt, nec ullam adhuc rerum experientiam habent. Cicer. *Juvenibus nec animus rebus gerendis occallent, nec uſum dedit benè ſuadendi.* Unde hodieque in Imperio Romano Electorum filii ad hæreditarii Electoratus adminiſtrationem non admittuntur, ante annum ætatis 18. In Imperatore tamen ætas definita non eſt: electus enim eſt Otto III. puer; Henricus III. annô 12. Henricus IV. annô 8. Fridericus II. annô 20. Wenceſlaus annô 15. Carolus V annô 19. plerumque tamen & hic ætas matura attenditur, &c. Vide plura infrà in voce *Major*, it. ubi de *Vilia* ſeu *Villia Lege annali*, quæ unicuique Magiſtratui idoneam ætatem definivit.

ÆTÆÆI, Arabiæ Felicis populi, *Ptolemæo*. *Ægæi* ſunt apud *Interpretes.*

ÆTÆI, populi Græciæ, *Æſchini de falſa legatione.*

ÆTARE, Africæ Propriæ urbs, *Ptolemæo*. *Apari* Interpretibus.

ÆTERNA Domus, in veterib. Inſcriptionibus literatiſque lapidibus, vocatur domus Q. Cæcilii Equitis Romani familiaris L. Luculli: quem T. Pomponium Atticum, ſuum ex ſorore nepotem, hæredem feciſſe ex dodrante memorat Corn. Nepos *in Attico c.* 5 Vide Schottum *ad Vita hujus c. ult.*

ÆTERNITAS, Dea à Veteribus culta, cujus imaginem Tempus eſſe dixerunt *Hermes Triſmegiſtus*, & *Plato*. Deſcribitur verò copioſè à Claudian. *in Paneg. de laudibus Stiliconis.* Apud Ægyptios *Sole* & *Luna* deſignabatur: Cùm enim putarent elementa æterna eſſe, Αἰῶνα σημαίνοντες ἥλιον καὶ σελήνην γράφουσι, Horus Apoll. *Hieroglyph.* quod ab aliis quoque gentibus uſurpatum eſſe, patet ex ſtatere Syriaco, in honorem Apollinis Epiphanis percuſſo, ubi ſtat heros dextrâ Solem, ſuper caput Lunam, habens, ad *Æternitatem*, ſeu Regis [illegible], deſignandam. Apud Romanos quoque, in Divi Veſpaſiani & Divi Hadriani nummis, *Æternitas* Dea ſtat ſtolata, ſingulis manibus Solis & Lunæ radiata capita tenens. Tranſiit inde in titulos Imperatorum, è quibus Conſtantius, poſt victum Magnentium, inter alia, *Æternitatis ſua* titulum ſumpſit, falſè Arianos ridente Athanaſiô, quod Cæſari, fautori ſuo *Æternitatem* tribuerunt quam Filio Dei negarent &c. Vide quoque infrà *Divinitas* alibique paſſim.

ÆTERNIUS, prænomine *Aulus*, Patricius & Conſularis, Tribunatum plebis geſſit.

ÆTEROCAMA, vide *Sabura.*

ÆTETA, mulier quædam ex Laodicea Syriæ urbe, quæ etiamnum cum marito degens, è fœmina vir exiit, cui nomen *Ætetus*, præſide Athenis Macrinô: Romæ conſulatum gerentibus L. Lamiâ, & Æliano Vetere: hunc ipſe quoque Phlegon Trallianus Adriani libertus *l. de Mirab.* & longævis ſe vidiſſe ſcribit.

ÆTHÆA, Laconiæ oppid. unum ex centenis. *Steph.* ex Thucyd. *l.* 1. Vide *Anthea.*

ÆTHALE & Ilva, velut diverſæ urbes & Inſulæ recenſentur *Ptolemæo*, quæ ſub diverſis nominibus eædem erant. Salmaſ. *ad Solini p.* 485. Vide in voce *Æthalia.*

ÆTHALIA, inſul. Tyrrhenorum, Αἰθάλη *Stephano.* Polybius *in Fragm.* etiam Lemnum inſul. *Æthaliam* vocat. Vide *Chios* & *Ilva*,

ÆTHALIDÆ, pars tribus Leontidis. *Steph.*

ÆTHALIDES, præco, Mercurii fil. cui quandoque inter mortuos, quandoque inter vivos eſſe licere conceſſum eſt. Apollonius *Argon. l.* 1.

Τοῖσι δ' αὖτ' ἐπὶ τοῖς ἀριστῆες προέηκαν
Αἰθαλίδην κήρυκα θοὸν, τῷ περ τε μέλεσθαι
Ἀγγελίας καὶ σκῆπτρον ἐπέτρεπον Ἑρμείαο
Σφωιτέροιο τοκῆος, ὅς οἱ μνῆστιν πόρε πάντων
Ἄφθιτον. οὐδ' ἔτι νῦν περ ἀποιχομένου Ἀχέροντος
Δίνας ἀπροφάτους ψυχὴν ἐπιδέδρομε λήθη.
Ἀλλ' ἥγ' ἔμπεδον αἰὲν ἀμειβομένη μεμόρηται
Ἄλλοθ' ὑποχθονίοις ἐναρίθμιος, ἄλλοτ' ἐς αὐγὰς
Ἠελίου, ζωοῖσι μετ' ἀνδράσιν. - - - - - -

Hunc à patre impetrâſſe ferunt, ut & vivus & mortuus omnium quæ gererentur memoriam haberet. Eum ſe fuiſſe gloriari ſolebat Pythagoras. Laert. *l.* 8. *c.* 4. *Nic. Lloydius.*

ÆTHALOES, circa Trojam torrens, prope Scepſiam. *Strabo.* *Aidonem* fortè Pauſaniæ. *l.* 10.

ÆTHEA, una ex centum urbibus Laconiæ. *Steph.*

ÆTHERIA, vide *Æthiopia.*

ÆTHERII, populi ſuber Ægyptum, qui poſtea ab *Æthiope* Vulcani filio, *Æthiopes* vocabantur. Plin. *l.* 6. *c.* 30.

ÆTHES, Dux Dromichætæ, Thracum *Regis*; qui titulô transfugæ ad Lyſimachum venit. Ubi cùm fidem inveniſſet, Macedonas in magnas conjecit difficultates. Tunc conflictantes fame ſitique Dromichætes adortus tum ipſum Lyſimachum, tum omnes qui eum ſequebantur, cæcidit. Erant verò cæſorum è parte Lyſimachi centum millia. Polyænus. *l.* 7. *c.* 25.

ÆTHICIA, Urbs & regio Theſſaliæ, populi *Æthices.* *Steph.* *Heſych.* Αἴθικες ἔθνος περὶ τὴν Θετταλίαν ἔθνος, ὅ ἐστι Δολοπία.

ÆTHICUS, Coſmographus, de quo Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 3. *p.* 692. Itemque de Scient. Mathemat. *c.* 70. §. 2. Fuit alius Paphlago, cujus meminit Q. Smyrnæus *l.* 6.

ÆTHICUS Iſter, Geographus contexuit duplicem orbis deſcriptionem, poſt Conſtantinum, quarum altera apud *Oroſium* tota legitur. Eidem adſcribitur à quibuſdam *Notitia Imperii*, edita inter annos Chriſti 400. & 453. ut *Pancirolus* demonſtrat. Ut & *Itinerarium Antonini.*

ÆTHIOPIA, Diana cognominata eſt, teſte *Steph.*

ÆTHIOPIA, incolis *Abexin*, & *Abiſſia* noſtris, regio Africæ ampliſſima, cis & ultra Æquatorem extenſa, gemina. *Una* ſub Ægypto inter Nilum & ſinum Arabicum latè patens, in qua Meroë inſula; Cujus urbes primariæ olim Napata, Meroë, & ad ſinum Arabicum Ptolemais & Adule, Dire, Moſylon & Aromata ad ſinum Barbaricum. *Altera* ultra Æquatorem, veteribus non ſatis cognita. *Steph.* *Baudrando* Æthiopia dividitur in ſuperiorem & inferiorem. Et quidem *Æthiopia ſuperior* ſeu *interior*, quæ alter ſub Ægypto, latè ſumpta continet Imperia Abiſſinorum ſeu Abiſſiniam, Nubiam, Regna Mujaci & Macoci, & Zanguebariam; ſtrictè autem continet tantùm Abiſſiniam, quæ *Abiſſinia* ab Italis, & *Abiſſinie* à Gallis dicitur, & à quibuſdam *le pais du Preſtre-Jean*: ſed abuſivè. Vocatur enim Imperator illius tractus *le grand Negus.* Verùm *Æthiopia inferior* ſeu *exterior*, ea meridionalior eſt totius Africæ pars, quæ antiquis prorſus incognita fuit, à Luſitanis proximè elapſô ſeculô inventa & perluſtrata, incipit occaſum verſus ſupra fluv. *Zaire*, non longè ab Æquatore; & totam complectens littoralem Africæ partem ultra ipſum Æquatorem, Abyſſinorum regnum ab hac parte circumambit uſque ad fretum Arabicum; & continet Regna Monomotapæ, Monemugi, Giringbombæ, & Congiorum Cafrorum, & regionem Galarum.

Partes Æthiopiæ ſuperioris, ſeu Abiſſiniæ.

Regnum Tigre.	Ambianeativa
Provinciæ. Amara.	Quara
Angocina.	Sova.
Fatigara.	Ogara.
Dambea.	Doba[illegible]
Xaos.	Ambiama.
Damuta.	Magara.
Bagamidri	Belegmanza.

Salaoa.	Agag.
Gaſabela.	Narea.
Saguoda.	Daſila, & aliæ multæ provinciæ,

ex quibus Angotina, Damuta, Fatigara, & aliæ per Galas occupatæ fuerunt ultimò ſeculò.

Æthiopia ſuperior, ſeu Abiſſinia raras habet urbes. Præcipuæ totius regionis ſunt in præſentem,

Amara.	Charumum.
Sova.	Ambadara
Zet.	Quara.
Ambiancativa.	Zaſian.
Angote	Barva.
Dambea.	Adhegera.

In tota Abiſſinia nulla urbs regia certa eſt. Quocunque enim Rex ſeu Imperator cum aula ſua proficiſcitur, ibi fixis tabernaculis, regia eſſe putatur.

Populi *Æthiopes*, omnium primi, ut veteres Ethnici crediderunt; De quibus Diodor. Sic. *l.* 4. ita diſſerit. Et quidem ſimile veri eſt, inquit, eos, qui ſub meridiem habitant, primos è terra fuiſſe homines natos; nam ſolis calore terram, quæ humida eſt, areſaciente, atque omnibus vitam dante, decens fuit, locum ſoli propinquorem primùm naturam animantium tuliſſe. Iidem quoque omnium primi Deos coluerunt, & ab iis hoc præmium pietatis tulêre, quod nunquam ab externis regibus ſubacti fuerint. De hominum autem origine aliter ſacra Scriptura. Hos *Iſidorus* à Chus, filio Cham, ortos fuiſſe ſcribit Bochart. verò, decem argumenta profert quibus *Lud* eſſe Æthiopiam, & *Ludæos* Æthiopes probat. Geogr. Sacr. *l.* 4. *c.* 26. Æthiopum nigror ſecundùm Plinium *l.* 3. *c.* 78. ex vicini ſideris ardore provenit. Longè alia mens Iſaaco Voſſio *Notis ad Pomp. Melam*: cujus verba apponam. *Verſa eſt*, inquit, *p.* 304. *conſuetudo in Naturam, quod etiam Macrocephalis olim contigiſſe autor eſt Hippocrates: Quantò iis longius eſſet caput, tanto generoſiores habebantur. Infantium itaque ex utero demum prodeuntium capita p uno manibus, deinceps etiam faſciis comprimebant, ut ſphærica & naturali exuta, oblongam induerent figuram. Hoc ut fieret, primò artis opus fuit, deinceps verò conſuetudo abiit in naturam, ac etiam abſque curatura capita inſtar columellæ longa habuêre. Nec aliam eſſe exiſtimo rationem nigrities Æthiopum, Qui non omnino erant atri, quod iis turpe illis, ſucco & unguentis nigricantibus (hæc ſunt Æthiopum ceruſſæ) fuſcum colorem atro permutarunt. Tranſiit & hic ars in naturam, quique olim erat artificialis, is nunc eſt naturalis color.* Hæc ille. Notandum autem, (quod ſuprà innuimus) duas olim fuiſſe Æthiopias, ſecundum Homericum illud. Od. *α.* v. 22. 23.

> Ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας,
> Αἰθίοπας, τοὶ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν,
> Οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.

Hinc Author De *Mirabilibus Sacræ Scripturæ l.* 1. *Æthiopiam alteram eſſe in multis locis hiſtoriarum, ſcriptura deſcribitur, de qua in Eccleſiaſtica hiſtoria ſcribitur, quod ex parte Indiæ adhæret.* Quid quod Chaldæam etiam Æthiopiæ nomine comprehendiſſe veteres putantur? Siquidem Corn. Tacitus de Judæorum antiquitate verba faciens, *Hiſt. l.* 5. *c.* 2. ait, eos *Æthiopum prolem* fuiſſe, quorum majores ab Ur Chaldæorum proveniſſe ſat novimus. Strabo itidem, Phœniciam à nonnullis *Æthiopiam* vocari autor eſt *l.* 1. Εἰσὶ δ' οἱ ἐκ τῆς Αἰθιοπίας τὴν καθ' ἡμᾶς Φοινίκην μετάγουσι. Huc facit Homericum illud, Od. 4. v. 84.

> Αἰθίοπάς θ' ἱκόμην, καὶ Σιδονίους, καὶ Ἐρεμβούς.

Æthicus etiam Tigridis fluvii caput in Æthiopiâ collocat. *Fluvium Tigris*, inquit, *etiam ipſe de monte Caucaſo quaſi viſitur, cùm æſtivis temporibus ſub humo eum deſuper Æthiopiam currere ex viriditate ſuperni ceſpitis prodatur.* Quinimò Sagri vel Zagri incolæ (mons is eſt trans Tigridem) Æthiopum natio perhibentur. *Heſych.* Ζάγρον ἔθνος (lege ἔθνος) Αἰθιόπων. Portò in parte τῆς Ἐλυμαΐδος in Æthiopia ponuntur ab Epiphanio *in Ancorat. num.* 58. Suſianæ etiam incolæ olim inter Æthiopes habebantur. Memnon enim, qui à Suſis ad bellum Trojanum in Priami auxilium pervenit, *Æthiopum* rex ab Heſiodo vocatur, *in Theog.* v. 984.

> Τιθωνῷ δ' Ἠὼς τέκε Μέμνονα χαλκοκορυστὴν
> Αἰθιόπων βασιλῆα. — —

Unde Pindarus Olymp. Od. 2. eum vocat Ἀοῦς παῖδ' Αἰθίοπα. Virg. *Æn. l.* 1. v. 755.

> *Nunc quibus Auroræ veniſſet filius armis.*

Cæterùm, de Æthiopia, præter auctores retrò laudatos, conſulatur *Pigafetta, Linſchotus, Jarricus, Lopezius, Marmolius, Joh. Leo, Vincentius le Blanc, Sanutus, Magnus, Cluverus, Sanſo, Du Val*, Joh. Marshamus *Canone Chron.* &c. Vide quoque *Abyſſinia*. *Congum*. *Monomotapa*. Nec omittendum, quod *Æthiopia* non minùs, ac aliis Zonæ Torridæ partibus, quotidiana totorum ferme quinque menſium pluvia incumbit, cujus cauſas ex Æthiopicis montibus, iis maximè, qui, inter Æquatorem & Tropicum hibernum collocati, Auſtralem Æthiopiam triplici veluti catenâ in Orientem, Meridiem & Occidentem deductâ diſtendunt, eruditè arceſſit Athan. Kircherus Oed. *Ægypt. Synt.* 1. *c.* 7. Poſſident autem *Æthiopiæ* Chriſtiani Reges magnam partem Africæ mediterraneæ, genuſque ſuum receptis gentis traditionibus ad Salomonem Iſraelis Regem ſapientiſſimum referunt, è quo Maquedæ Reginæ Sabæ fil. *Melech* pregnatus fuerit, à quo hodierni Reges orti, vide Dam. à Goes de *Mor. Æthiopum*. Hinc porrò inter primos, qui Chriſto nomen dederint, ſe collocant: & alii quidem Philippum Apoſt. alii Matthæum, alii Eunuchum Reginæ Candacis (quod commune Reginarum nomen fuiſſe, ex Plinio *l.* 6. c. 29. patet) primum eorum ſtatuunt Euangeliſtam. Solus *Scaliger* Chriſtianiſmi Æthiopici incunabula refert ad annum 15. Iuſtiniani, quod ex *Cedreno* quoque Baronius habet ad *A. C.* 543. Sed ut vel de Æthiopiæ, quæ multis hodie conſtat regnis, parte vel reſtauratione aliqua intelligendum. Cenſet enim Hottingerus *Topogr. Eccl. c.* 3. *n.* 7. initium Chriſtianiſmi Lacaſæ, quod Regiæ, de qua Act. *c.* 8. 1. 27. nomen fuit: Incrementa Abrahamo & Azbæ fratribus: Κορωδιω Nalcko & ſequentibus aliquot deberi; prout Zara-Jacobô imperante, Regii res, i. e. politicæ fuerant floreutiſſimæ. Æthiopes porrò iis polluêre viribus, ut ſoli cauſam Chriſtianorum contra Muhammedanos cum ſucceſſu egerint, cujus rei inſigne exemplum occurrit *Hiſtor. Sarac.* Elmac. p. 83. in Cyreno (Gargafium Regem Æthiopiæ fuiſſe, conjicit *Ludolphus*) qui centies mille equitibus nigris, rem Chriſtianam ita juvit, ut clementius per Ægyptum Chriſtiani haberentur. Aliud exemplum habet Pocock. *in ſpecul. p.* 63. Superiori ſeculò ampliſſimi Imperii hujus ſtatus multum declinare cœpit. Cum enim Liban-Dinghil à Granio, Rege Adel. imperiô ſuo pene fuiſſet exutus, per Legatos, Emanuelis Luſitaniæ Regis ope imploratâ, miſſis copiis, ut & fil. ejus Claudius, qui A. C. 1540. rerum potitus eſt, ita eſt adjutus, ut, à rebellis ſubdito liberatus reſtitueretur. Quâ occaſione, edita non modò apud Luſitanos Patris, ſed ipſius etiam filii Claudii confeſſio eſt, ne Judaiſmi ſuſpicio illis fraudi eſſet, ex circumciſione, abſtinentia carnis ſuillæ, &c. orta. Mox Claudius quoque, qui Granium vicit, pacemque Æthiopibus reſtituit, Luſitanis auxiliatoribus diſtribuit agros, relictô exercitiô liberô Religionis: Quâ ratione & Patribus Societatis in Regnum patuit aditus. Æthiopibus aliquandiu non multum moleſtis, donec initiô hujus ſeculi Suſineus, Baſiladis fil. Minæ Regis nepos, cæſô cum liberis Rege Jacobô, Regnum occupavit. Tum demum Regis aucupati gratiam eidem perſuaſerunt, ut novâ Religione novum regnum ſtabiliret, quod & factum eſt: ritibus Eccleſiæ Roman. paſſim, plebe multum fremente, introductis. Sed Baſilades fil. qui A. C. 1632. ſucceſſit, priſtinos ritus reduxit, Metropolita ſecundum priſcum morem, ex Ægypto, ab Alexandrino Patriarcha, petitô. Catalogum Regum vide apud prætatum Dam. à Goës *Scr. Hiſpan. T.* 2. Habent autem Reges ſedem aulæ incertam, nec plus triduò uno in loco commorantur, nec proles regia in comitatu eſt, ſed ſeorſim in monte Amara educatur, ne oneri ſit, ſubditis & ſeditionibus occaſio præcidatur. In ritibus cibi capiendi, id peculiare habent, quod tres patinæ ſimul cibô apponantur, una paris, altera igni, tertia cineri inſtructa: Quarum hâc mortis, iſtâ inferni, illâ redemptionis memoriam ſibi refricari dicunt. Vide Nicol. Godignum *de mor. Æthiopum*. Lud. de Vretta *Hiſtoria Eccl. Politica, Natural y Moral de los grandes y remotos Reynos de la Etiopia*, Auctorem anonymum *Hiſt. orbis terr. Geogr. & Civ.* &c. & de linguâ *Æthiopica*, in voce *Africa*. De *Æthiopum* verò variis Ritibus, infra in voce *Baptiſmus, Campana, Hebdomas Major, Sabbathum Enoch*, &c. De Jejuniis imprimis Filelacum de *Quadrag. c.* 21.

ÆTHIOPIS, Poema Arctini Mileſii, Poëtæ celebris, quem Hieronymus ad 3 Olymp. refert, *Eumelus Poëta, qui Bugoniam & Europam: & Arctinus, qui Æthiopiam compoſuit & Ilii Perſin.* Heliodori verò *Æthiopica* ſunt. Vide *infra*.

ÆTHIOPIUM, regio Lydiæ apud Hyllum prope Euripum, unde Diana *Æthiopia* dicta. *Steph.* Eubœæ quoque locus, apud *Suid.*

ÆTHIOPIUS Oceanus, vide *Borneus*.

ÆTHIOPS, fluv. Africæ, in Æſchyli Promontorio.

ÆTHIS, dux Dromichætis, Thracum regis, quomodo Lyſimachum dolô circumvenit, vide Polyænum *Strat. l.* 7. *c.* 25.

ÆTHISIPHON, vide *Chalcus*.

ÆTHLE, vide *Chios*.

ÆTHLIUS, Jovis ex Protogenia fil. Endymionis pater. *Heſiod.* primus Eleenſium Rex. Item Hiſtoricus Samius. Athenæus *l.* 14. ubi tamen vulgò corruptè eſt Ἀιθλίου pro Ζαμίου; ſed veram lectionem vide Caſaubon. *ad eum librum c.* 10. Quæ de Junone Samia eum ſcripſiſſe ait Clemens *in Protrept.* ea ſine dubio fuêre ex ipſo opere. Horum quoque librorum meminit Etymologus in Νεω, ubi ait eum ſcripſiſſe de finibus Samiis. Æthlii quoque nomen Arnobio *l.* 6. ubi vulgo legebatur *Echidnæ*, reſtituit Theod. *Canterus*.

ÆTHON, appellatus eſt Eriſichthon, propter nimiam ingluviem. *Lycophr. Heſiod. Æthon. Athenæus.* Item unus ex Solis equis nomen, i. e. *Ardens*. Ovid. *Met. l.* 2. *Fab.* 1.

> *Interea volucres Pyroeis Eous, & Æthon,*
> *Solis equi, quartuſque Phlegon hinnitibus auras*
> *Flammiferis implent.* — —

Item equus Pallantis. Virg. *Æn. l.* 11. v. 89.

> *Poſt bellator equus, poſitis inſignibus, Æthon*
> *It lachrymans, guttiſque humectat grandibus ora.*

Apud Homer. Æthon eſt equus Hectoris. *Il.* θ. v. 185.

> Ξάνθε τε καὶ σὺ Πόδαργε, καὶ Αἴθων, Λάμπε τε δῖε.

Apud Claudian verò Plutonis *l.* 1. *de Rapt. Proſerp. extr.*

> *Orphnæus crudele micans, Æthonque ſagitta*
> *Ocyor, & Stygii ſublimis gloria Nycteus*
> *Armenti, Ditiſque nota ſignatus Alaſtor.*

Item *Æthon* vir quidam, qui ita pedendi vitiô laborabat, ut in templo Capitolino abſtinere non potuerit. Sed affectus hôc ſupplicio, ut triduò commaverit domi, didiceritque comprimere nates, ne eâdem pœnâ iterum afficeretur, nam alienâ menſâ victitabat. Martial. *l.* 12. *Epigr.* 78.

> *Multis dum precibus Jovem ſalutat*
> *Stans ſummos reſupinus uſque in ungues,*
> *Æthon in Capitolio pepedit:*
> *Riſerunt comites, ſed ipſe Divûm*
> *Offenſus genitor trinoctiali*
> *Affecit domicœnio clientem.*

ÆTHRA, Oceani & Tethyos filia, uxor Atlantis, filia Iapeti, qui ex ea duodecim filias, & unum filium Hyantem ſuſcepit, qui in Libya à ſerpente occiſus eſt, cujus mortem cùm quinque ſoro-

res nimium deſſerent, luctu contabuerunt, ſed Jovis commiſeratione inter Deas ſunt tranſlatæ, *Hyades* ut à fratris nomine Latinis *Suculæ*, vide A. Gell. *l.* 13 *c.* 9 Ovid. *l.* 6. *Faſt.* & *l.* 1. *Triſt. Eleg.* 10. dictæ Reliquæ, eo quòd *partes* ſuperſtites manſiſſent, *Pleiades* ſunt appellatæ. Item mater Theſei Pitthei filia. Uxor Ægei, vide *Ægeus*, & quæ Plut. in *Theſeo* habet, Ovid. *in Ep.* 10. *Ariadnes*,

Nec pater eſt Ægeus, nec tu Pittheidos Æthræ
Filius, authores ſaxa fretumque tui.

ÆTHRADARAN, pagi nomen in Perſia.

ÆTHREA, Rhodus inſul. olim ſic dicta. Incolæ *Ætrei Steph.*

ÆTHRIA, vide *Athria*, & *Traſus*.

ÆTHRIBUM, loci nomen apud *Zonaram*.

ÆTHRURIA, vide *Hetruria*, & *Thuſcia*.

ÆTHUSA, inter Apollinis amatas, memoratur Arnobio *adv. Gent. l.* 4 *Numquid Apollo Latonius immaculatus ille, caſtiſſimus, atque purus Arſinoas, Æthuſas, Hypſipylas; Marpiſſas, Zeuxippas & Protheas, Daphnas & Steropas, nequiſſimi pectoris appetiiſſe fervoribus?*

ÆTHUSA, quæ & *Æguſa*, teſte Plinio, *l.* 3. *c.* 8. inſul. Siciliæ Sed apud *Ptol.* diverſæ ſunt. Æthuſa enim *Limoſa* teſte *Fazello*, dicitur; inter Melitam, & Africam ſita: Æguſa verò *Favognana*, nominatur, Lilybæo vicina, inter Hieram & Phorbantiam 10 mill. paſſ. diſtans à Drepano urbe 20. in Africum. Vide *Ægates* & *Conſidemnop.*

ÆTHYA, epitheton Palladis. Cœl. Rhodig. *l.* 14 *c.* 18

ÆTHYAS, ſcopulus, i. e. fulicæ, in Megarenſium agro. Pauſan. *l.* 1.

ÆTHYSSEI, populi Libyæ, Marmaridis vicini, *Steph.*

ÆTIA, vide *Chamavi*.

ÆTIA, τὰ Αἴτια, ita Callimachus librum ſuum inſcripſit, quem *de cauſis & rationibus ſacrorum* edidit. De quo Martialis *l.* 10. *Epigr.* 4.

Si non vis, Mamurra, tuos cognoſcere mores,
Nec te ſcire legas Ætia Callimachi.

Quæ Propert. *l.* 2 *Eleg.* 34. *inflati ſomnia Callimachi* vocat.

AETIANI, Hæretici dicti ab Ætio Antiocheno Cœleſyriæ artifabro primum, deinde ſophiſta, mox medico: dicti etiam *Eunomiani*, ab Eunomio Cappadoce ſucceſſore Ætii; *Anomiani* quoque; *Troglodytæ*, *Exucontii*, & *Exacontæ*. Deum ſe exactè cognoſcere tanquam ſenſibile quid aſſerunt, non autem per ſolam fidem. Trinitatis tres diverſas ſubſtantias eſſe ajunt, ut auri, argenti, æris; filium à Patre creatum, Spiritum Sanctum à filio, filium ex non exiſtentibus. Rebaptizant Catholicos & Arianos: baptizant tantum in mortem Chriſti, & caput ad pectus uſque ſemel in aquam intingunt. Vide *Ætius*.

ÆTINE, oppidi nomen, *Heſych.*

ÆTINIUM, oppid. Macedoniæ, quod *Atheneum* Livio *l.* 38 *c.* 1. nominatur, Triccæ urbe apud Theſſaliæ fines finitimum. *Atina* hodiè.

AETITES, Lapis eſt, qui è nido aquilarum ſumitur, cujus latiſſimè genera deſcribit Plinius, *l.* 36. *c.* 21. Sane nihil gemmeum habet, ſed omnia lapidis, non colore, non lævore, non nitore ullo commendandus. Interim ſine hoc lapide aquilas non fœtificare ſcribit *Plinius*. Eum ergo, ad partus facilitatem conciliandam, aut faciendum ne abortiva pariant aut *(illegible)*, nido ſuo inferunt. Inde duplex hæc virtus lapidi ipſi ineſſe creditur, ὠκυτόκιον enim eſt & κατοχεὺς τῶν ἐμβρύων. Tertia à *Dioſcoride* additur, τὸ κλεπτέλεγχον, *quod fures redarguat*, pani impoſitus. Eſt autem *aëtites* hic rotundus, ſubrutilus & candidus; cæterùm adeo frigidus, ut igne vinci non poſſit: quam ipſam ob cauſam adhiberi ab aquilis, ait *Servius*, ne nimio calore ſuò coquant ova, quibus incubant, &c. Alius eſt *Aëtites*, ſeu potiùs *Aetitis*, inter gemmas *Plinio*, à colore Aquilæ, quæ candidam habet caudam cognominatus: quos duos perperam confundit Solinus *c.* 37. utriuſque in unum virtutes conferens, his verbis: *Aetites & fulvus eſt & tereti poſitione, alterum lapidem intrinſecus cohibens: cujus crepitu ſonorus eſt, cum movetur, quamlibet ſonitum illum non internum ſcrupulum facere, ſed ſpiritum ſcrutantiùm dicant. Hunc aetitem Zoroaſtres præfert omnibus, maximamque illi tribuit poteſtatem. Invenitur aut in nidis aquilæ aut in littoribus Oceani. In Perſide tamen plurimus. Subnexus ſpem uteri defendit à fluctibus abortivis* ad quem locum vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 718. *& ſeqq.* & inſrà in voce *Gangites*.

ÆTIUM, municipium in Italia, *Frontinus*.

ÆTIUS, Conſul Roman. Valerii collega, ex agricola Magiſter Equitum factus, à Boniſacio bellò victus, deinde Hunnorum præſidio priſtinæ dignitati reſtitutus.

ÆTIUS Conſul, *Studii* collega, à Valentiniano proſperitati ejus invidente, cumque pertimeſcente occidi juſſus eſt. Procop. *l.* 3. *Caſſiodor.* A. C. 454. Gregor. Turonenſ. *l.* 2. *c.* 7. & 8. *Nic. Longolius*. Potiùs is Dux 60000 Hunnorum, Italiam ingreſſus eſt, A. C. 425. ſed mox à Valentiniano III. delinitus, Hunnis ad ſua remiſſis, in Imperatoris gratia tantum brevi valuit, ut *Galliarum Patricius*, quod nomen dignitatis erat à Conſtantino M. inſtitutæ, crearetur. Hic Comitis Boniſacii (qui de Imperio egregiè meritus, ad Principatum Libyæ Occidentalis & ingentes in Africa opes aſcenderat) favorem nomenque inſigne, ſibi officere ratus, illum apud Imperatorem rebellionis reddidit ſuſpectum, eóque effecit, ut neci is traderetur; ſic, æmulò remotò, potentior Miſſus in Gallias, Francos inde pepulit, qui Clodionis Regis auſpiciis, partem ejus ad Rhenum ſatis amplam occupaverant, A. C. 428. ſequente annò, ab Arelati obſidione, non minùs feliciter Gothus ſummotus. Hinc tanta ejus exiſtimatio, ut *Dextra* & *Fulcrum Imperii* vulgò audiret: cui cumulus acceſſit, cùm Attilam Gallias ingreſſum, Francorum Gothorumque auxiliis ſubnixus, ingenti prælio viciſſet. Unde cum Romam eſſet reverſus, quartà vice Conſul factus, cum Studio A. C. 454 tanto cum plauſu populi exceptus eſt, ut ægrè id ferens Imperator, mox calumniatoribus ejus patuerit; quorum machinationibus contra Ætium irritatus tandem propriâ manu eum necavit, teſte Caſſiodorò ad A. C. prædictum. Procopius tamen mortem ejus paulò aliter narrat *l.* 1. Hoc certum eſt, illigro hôc ſubiectæ remotò, Imperium tantoperè concuſſum eſſe, ut ab eo tempore in priſtinam gloriam redire neutiquam valuerit. Vide quoque Proſperum *in Chron. Idacium*, Gregor. Turonenſ. *l.* 2. *c.* 7 & 8. &c. Fuit autem *Ætius* primùm Conſul, cum Valeriano, A. C. 432. ſecundùm cum Sigeſvulto A. C. 437. tertium cum Symmacho A. C. 446. Unde Britonum literæ *Ætio ter Conſuli* inſcriptæ, de quibus vide in voce *Anglia*.

ÆTIUS, Medicus Græcus, cujus libri extant, & quædam epiſtolæ. Vide Voſſ. *de Philoſophia c.* 12.

AETIUS, à quo *Aetiani*, quos vide, ex Antiochia Syriæ oriundus, Conſtantini Magni Imperatoris temporibus, pauper ab initio, aurificinam ob inopiam exercuit: ut interdiu ſtudiis operam dare poſſet, ab artis ſuæ hominibus aurum quod noctu elaboraret mercede, petere ſolebat; brevi in ſtudiis ita excelluit, ut Antiochiæ in diſputationibus publicis etiam ſenes exagitaret, & ſuperaret, ob eamque immodeſtiam ejectus fuit à Catholicis, inde Medicus factus & Philoſophus, & ad Arianiſmum propter Categorias Ariſtotelis malè intellectas lapſus, Antiochiæ à Leontio Diaconus ordinatus, cum contentioſis diſputationibus de Deo, tuæ quoque ſectæ homines intricaret, pro heterodoxo habitus, in exilium pulſus eſt. Sozom. *l.* 5 & Epiph. *l.* 3. *tom.* 1. *hæreſ.* 76. Theodoret. *l.* 2. *c.* 27. Auguſtin. *hær.* 74. *Suid.* Socrat. *l.* 1. *c.* 28. Volaterranus *l.* 13. *c.* 3. *Anthropol.* Hiſt. Trip. *l.* 5. *c.* 13. At *Joan. Baptiſta Montanus* Ætium, cujus opera medica circumferuntur, Amydenum fuiſſe ait, ex Amyda Meſopotamiæ urbe.

ÆTIUS, Patritius, cùm ſenſiſſet, Irenem Caroli M. nuptias quærere, ut utraque Imperia denuo conjungerentur, tantum effecit, ut negotium impediretur. *Theophyl. Cedren.*

ÆTIUS, Archidiaconus Pariſ. Prætextatum Archiepiſcopum Rhotomagenſem à Fregedonde ſine cauſa criminis læſæ Majeſtatis accuſatum, maſculè defendit. Circa A. C. 573. Greg. Turonenſ. *l.* 5. *c.* 18. Concil. *tom.* 5.

ÆTIUS Labeo, Poëta qui Iliada Homeri, ita obſcurè vertit, ut nec ſua ipſe cognoſceret: Floruit ætate Perſii. Gyraldus *Dial.* 8. *Hiſt. poet.*

ÆTNA, Cœli & Terræ filia, quam cùm compreſſiſſet Jupiter, Palicos Deos peperiſſe ſcribunt. Servius *in illud Æn. l.* 9. *v.* 585.

— *Pinguis ubi & placabilis ara Palici.*

ÆTNA, mons Siciliæ, priùs *Inesſus* appellatus, uti tradit *Volaterranus*; perpetuò igne terribilis, & quandoque globos igneos longè emittens. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 471.

— *Quoties Cyclopum effervere in agros*
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumque globos, liquefactaque volvere ſaxa!

Circa radices amœniſſimus eſt multis fontibus & fruticibus. Sub hoc monte Jupiter Gigantes fulmine percuſſos dejecit, ut Poëtæ fabulantur. Quare autem Ætna flammas evomat, Trogus *l.* 4. *c.* 1. explicat his verbis, *Sicilia terra eſt cavernoſa, & fiſtuloſa, quo fit ut ventorum flatibus pateat, unde ignis concipitur, intrinſecus ſulphur habet & bitumen, ubi ventus per ſpiramenta cavernarum incubuit, diu luctatus concipit ignem, ſic Ætna durat incendium. Motus ergo ventorum cauſa incendii eſt.* Hæc ille. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 340.

Nec, quæ ſulfureis ardet fornacibus, Ætna
Ignea ſemper erit, neque enim fuit ignea ſemper.
Nam ſive eſt animal tellus, & vivit, habetque
Spiramenta locis flammam exhalantia multis;
Spirandi mutare vias, quotieſque movetur,
Has finire poteſt, illas aperire cavernas:
Sive leves imis venti cohibentur in antris;
Saxaque cum ſaxis, & habentem ſemina flammæ
Materiem jactant, ea concipit ictibus ignem, &c.

Cœleſtem columnam eam vocat *Pindarus*; hodiè Italis *monte Gibello*. Gall. *le mont Gibel*, dicitur. Ætna, inquit *Bochartus*, vel עתונא *attuna*; *caminus*, *fornax*, vel עטונא *Ætuna*; *caligo*. Primæ originationi favent hæc Poëtarum loca. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 579

— *Ingentemque inſuper Ætnam*
Impoſitam ruptis flammam expirare caminis.

Claud. Mar. Vict. *l.* 2.

Non aliter quam dum ruptis ſævit Ætna caminis
Egerit immiſtis ſtridentia ſulfura flammis.

Hos caminos Græci *ἰπνοὺς* vocant. Schol. Ariſtoph. *in Veſp.* ἰπνὸς κυρίως ὁ κάμινος, adducitque Æſchylum, qui cum refert ad Ætnam,

Ἰπνοῖσιν ἐζέσσεν Αἰτναίοις ὕπο.

Poſterius Etymon firmare videtur Lucretius *l.* 6. *v.* 690.

Fonditque ardorem longè, longeque favillam
Differt, & craſſâ volvit caligine fumum.

Vide doctiſſimum authorem Geogr. Sacr. *l.* 1. *c.* 28. *p.* 579. cum Leandro Alberti, *deſcr. Siciliæ*, p. 56 *& ſeqq. edit. Venetæ*, 1581. Ætnam pulcherrimè deſcripſit Corn. Severus. Optimè autem Virgilius & breviſſimè *Æn. l.* 3 *v.* 571.

— — *Horrificis juxta tonat Ætna ruinis,*
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo, & candente favillâ,
Attollitque globos flammarum, & ſidera lambit;
Interdum ſcopulos, avulſaque viſcera montis
Erigit eructans, liquefactaque ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæſtuat imo.

Super hunc montem ignem ſimul & nivem videas; ad latera, hinc vineas, inde ſylvas. De Nive Silius *l.* 14. *v.* 67.

Summâ cana jugô cohibet (mirabile dictu)
Vicinam flammis glaciem, æternoque rigore
Ardentes horrent ſcopuli, Stat vertice celſi
Collis hyems, calidâque nivem tegit atra favillâ.

Claudian. *l.* 1. *de Rapt. Proſerp.*

Sed, quamvis nimiô ſerveat exuberat æſtu,
Scit nivibus ſervare fidem; pariterque favillis
Dureſcit glacies tanti ſecura vaporis,
Arcanô defenſa gelu, fumoque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

Incendia hujus montis frequentia, ſed imprimis terribilia fuerunt A. C. 1536. 1566. & 1579. Sic 1669. 4. fluvios igneos eructavit, quamplurimis in vicinia locis vaſtitate illatâ, præſertim in agro Catanenſi, ubi 15. caſtra cremata ſunt. De ejus variis incendiis vide porro *Cluverium*, *Bembum*, Nat. Comitem, *l.* 17. & 30. Eſt etiam civitas Siciliæ ad radices Ætnæ ſita, Ineſſum priùs dicta, ab Hierone condita. *Steph.* vulgò *Centorbe*. *Leandro Aderno*. *Maſcali* autem *Fazello*. Populi *Ætnenſes*. Ponitus *Ætnæus venator* pro inutili. *Ætnæus Cantharus* pro ingenti. Item *Ætnæus*, cognomen Vulcani. *Ætnæos lacus* habet Ovid. *de Ponto Eleg.* 10.

ÆTOLI, Græciæ populi, qui lanceas inveniſſe dicuntur: ob aſſidua bella, victuſque munificentiam ære alienô oppreſſi fuerunt: unô tantummodò pede calceati in bellum ibant, ſiniſtrô, ſecundùm Euripidem *in Meleagro* (quem ſequitur Maro *Æn. l.* 7. *v.* 689. ubi de Hernicis Anagninis à Pelaſgis oriundis ita ſcribit,

—— *Veſtigia nuda ſiniſtri*
Inſtituêre pedis, crudus tegit altera pero.)

At dextrô ſecundùm Ariſtotelem *in l.* 2. *de Poetica*: ubi *Euripidem* reprehendit, quoniam dextrum nudum eſſe oportet, ut in motu agilior ſit, ſiniſtrum tectum, in quo veluti centro movetur. Macrob. *l.* 5. *Saturn.* 1. 18.

ÆTOLIA, ab ÆTOLO, vide infrà: qui pulſus à Salmoneo Rege Epeorum & Piſæorum, huc conceſſit: authore *Xenophonte*, Achajæ regiuncula eſt, Epiro, Acarnaniæ, & Locris finitima. Urbes hîc olim celebres, Chalcis, Arachthe, Olenæ, Calydon, Oenei Regis ſedes. Populos Ephyros, Timphæos, Dolopes &c. hîc locat Plin. *l.* 4. 1. 2. *Hyanthis* olim dicta fuit, teſte *Stephano*. Cicer. *in Piſonem*: *Ætoliam, quæ procul à barbaris disjuncta gentibus, in ſinu pacis poſita, medio ferè Græciæ gremio continetur, decedens miſeram perdidiſti.* Dionyſius Periegetes.

Τῆς δ' ἐπὶ ἐς ... Ἀχαιΐδος,
Ἀνδρῶν Αἰτωλῶν πεδίον μέγα, ὅ διὰ μέσσου
Σύρεται ... Ἀχελῶϊος ἀργυροδίνης.

Ubi *Scholiaſt.* ... Αἰτωλὸς ... Ἐνδυμίωνος. Ovid. *Amor. l.* 3. *Eleg.* 6.

Nec tanti Calydon, nec tota Ætolia tanti.

Artina hodie, teſte *Niceta*, & *Lepanto*, à multis *parva Græcia*, quibuſdam *il Deſpotato*, ſub dominio eſt Turcarum. Ætoli autem petaces erant, ac improbi, adeò ut qui tales eſſent, proverbio *Ætoli* dicerentur, teſte *Stephano*, *à petendo omnia*, Græcè *αἰτεῖν ὅλον*, ut quidam volunt. Vide Plin. *l.* 4. *c.* 2. Strab. *l.* 8. & 10. Pauſan. *Eliac.*

ÆTOLUS, Martis, vel Endymionis fil. cæde per imprudentiam perpetratâ, fugit in eam regionem, quæ poſtea ab ipſo *Ætolia* dicta eſt, ibique genuit filium Pleuronem, à quo urbs Ætoliæ ſic dicta Hujus autem duo filii fuêre, Cures & Calydon, à quibus rurſus aliis urbibus nomina data ſunt.

ÆTOMA, Græcè *Αἴτωμα* faſtigium domus, in quo ſtatuas olim & imagines conſtitui ſolitas fuiſſe, notat Vopiſcus *in vita Floriani c.* 4. Spartianus *in Peſcennio c.* 12. *trichorum* vocat. Cujuſmodi faſtigia cùm priùs Templorum ac Ædium ſacrarum propria eſſent, primus Cæſar faſtigium habere cœpit in domo ſua, inter alia divinitatis inſignia, quæ illi fuêre attributa: quod ſubſequentes eum Cæſares imitati ſunt, & poſtea etiam alii Proceres uſurpârunt, ut ex Statio *l.* 1. *Sylv.* 3. *v.* 58. conſtat. Privatorum verò domus tecta plana habuêre, non in altum hoc modô ſurgentia trichora, vel triangulari ſpecie. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1215. & infrà paſſim, imprimis ubi de tectorum *Faſtigiis*, ut & in voce *Trichorum*.

AETOS, inter antiqua Nili fluvii nomina, vide infra *Nilus*.

ÆTOSA, Italiæ Urbs, apud *Phlegont. Trallianum*. Unde Pollia, Polla Longæva.

ÆTU, Epiſcopatus nomen in *ſanctionibus* Pontif. Impp. Oriental.

ÆTUATII, Helvetiæ populi *Strab.* Cæſar *l.* 6. *Belli Gall.* *Ætuates* vocat, quorum oppid. *Tavetſch* ad Rhenum, ab Uria ſeu Tauro urbe Helvetica 3. leuc. Hodie propriè *Canum*, à Canis primâ ſyllabâ productâ, ſive *Griſones*, vulgo. Oppid. Ilantium habent. Sub quo Glenner fluv. ex valle Lugnitia deſcendens, ab hoc Rheni fonte, à dextris ſuſcipitur.

ÆTULIA, Armeniæ minoris portio, quam alii *Ætulanen* vocant. *Αἰτουλανὴ Ptolemæo*. Vide Voſſ. *ad Juſtin. l.* 14. *c.* 1.

ÆTUS, Nilus olim ſic dictus, ut ex *Lycophr.* notat Cæl. Rhodig. Lege *Ætus*, Græcè enim Ἀετὸς eſt, à curſus velocitate ſcil. ſic dictus, quod volatum *aquilæ* propemodum æquare videretur. Eſt & in Scythia fluv. qui cùm Promethei agrum uberem alioqui crebris inundationibus infeſtaret, fecit locum fabulæ, ut Promethei continuò renaſcens jecur ab aquila exedi diceretur. De utroque vide Cœl. Rhodig. *l.* 7 *c.* 20. *l.* 20. *c.* 13.

ÆTYMANDRI, Aſiæ gens, *Ptol.*

ÆVEI, Palæſtinæ populi, quorum metropolis Gabaon, & horum civitas Gaza. Hieronym. *in loc. Hebr.*

ÆVITERNI, Dii à Veteribus appellati, quod ſempiternô ævô permaneant; qualis Jupiter, quem ſic vocavit *Ennius*. His bovei tuſi immolati, *Plin.* Sic *Æviterni* & *Æviugæ*, Dii *Platoni* dicti, *i. e.*, *immortales*. Ut Apulej. explicat, *de Deo Socratis*.

ÆX, inſula ſcopuloſa, in mari Ægæo, inter Tenedum & Chium, quæ capræ ſpeciem procul aſpicientibus præbet, unde & nomen accepit. Αἲξ enim Græcis capram ſignificat. Ab hâc inſulâ mari Ægæo nomen factum fuiſſe tradit Plin. *l.* 4. *c.* 11. Eſt & urbs Marſorum in Italia. Item Nympha, Jovis nutrix, quam aſtris inſerunt.

ÆXONE, pagus in Attica: *Halicarnaſſæo* & *Straboni*. Cecropidis tribum vocat *Steph.* & *Suidas*. *Æxonides* & *Æxoneos* diverſos habet hoc tractu Strabo. *l.* 9. Thraſylli patria eſt *Æliano*. Vide *Hala*.

ÆXONES, Atticæ populi dicacitate, maledicâque virulentiâ inſignes, adeo ut *αἰξωνεύεσθαι* ſignatum verbum ſit, quô denotetur intoleranda mordacitas. Vide *Steph.*

ÆXONIA, urbs Magneſiæ, & *Æxone*, pars tribus Cecropidis.

ÆZÆI, vide *Lycaones*.

ÆZALA, Armeniæ majoris oppid. *Ptol.* *Picaza*, Interpretes.

ÆZANIS, *Ptol.* Phrygiæ majoris urbs.

ÆZARI, Marmaricæ nomi gens, *Ptol.*

ÆZICA, pars Thraciæ. *Steph.*

AFCRIXIS, mons Inſulæ cujuſdam. Vide *Sirthonice*.

AFER, Hadriani Imperatoris Romani pater. Spartian. *Hadriano c.* 1. *pater Ælius Hadrianus cognomento Afer fuit.* *Xiphilinus*, ... Ἀδριανὸς, ... Ἀδριανοῦ Ἄφρου ... *Suidas*, ... ἐπονομαζόμενος Ἄφρου ... ἐπονομάζεται. Lege quæ ſequuntur. Non dubitabis è *Dione* totum locum eſſe deſcriptum. *Cedrenus* contrà, non *Dionem*, ſed *Breviatorem* ejus ſecutus malè capit ejus verba, inquit enim, ... Ἄφρος τὸ γένος. Sed in talibus ſolens more ſuô Græcus ille fallitur. *Caſaubon. in Spartiani. loc. cit.* Non igitur ortu, ſed cognomentô ſic dictus eſt, & conſtat ſatis, multas gentium Romanarum familias hoc cognomen frequentâſſe. Adrianum verò ſtirpis Italicæ, aut, ut dicam veriùs, Italo-Hiſpanicæ fuiſſe, vel *Dio* docet, cùm Hadrianum Τραϊανοῦ πολίτην, ſicut Spartian. in *Severo. c.* 21. *Trajani municipem* vocat. Et *Xiphilinus* fortè ſcripſit, ... Ἀδριανὸς Σπανὸς τὸ γένος. Ἀδριανοῦ ... Hiſpaniam enim Græci modò *Σπανίαν* dicunt, modò Ἱσπανίαν, &c. Unde malè Cedrenus de hoc *Afro*, ... Ἄφρος τὸ γένος, *Erat autem gente Afer.* Namque & *Suidas* illum ſic *ὀνομάζεσθαι*, *nominatum eſſe*, diſertè ait Caſaubon. *loc. cit.*

AFER, aut potiùs *Apher*, λίβυς. Vide *Africa*.

AFFACÆ, vide Aphaca.

AFFARA, civitas tribus Benjamin. Joſ. *c.* 18. *v.* 23.

AFFAREA, civitas in tribu Zabulon; Hieronymi ætate villa erat in ſexto milliario urbis Legionis, contra Septentrionem. Hieron. *in loc. Hebr.*

AFFATOMIÆ, in veterib. *Gloſſ.* apud Pithæum dicuntur *donationes*, *quæ fiunt*, *feſtucâ in ſinum ejus*, *cui donabatur*, *projectâ*, quâ ſcil. ille in poſſeſſionem rei ſic mittebatur. Vide L. Salicam *tit.* 48. qui inſcribitur: De *Affatomie*. Sub Ludovico Pio Imperatore dubitatum eſſe, quid hæc vox ſibi vellet, colligitur, ex ejus *Capitulari* 3. A. C. 819. *c.* 10. ubi definitur *traditio*: *De Affatomia*, *dixerunt quod eſſet traditio*. Car. du Freſne *Gloſſar.* Dicitur etiam *Affatomia*, apud Marculf. in *Formul.* Unde *Affatomire* vel *Adfatimire*, ſeu, ut habet Editio Heroldi, *Adfatomire*, in L. Ripuar. *c.* 42. 1. *c.*, donare per *Affatomiam*, ſeu per *Adfatimiam*, ut eſt *c.* 48. & 49. *Epiſtolæ adfatimæ*, *occurrunt in Formul.* ex Lindenbrog. 30. 1. *c.* Chartæ donationis, apud eundem *Gloſſarii* Auctorem. Vide quoque Dominic. Macrum in *Hierolexico*.

AFFECTIVA Imaginum adoratio, dicitur in *Hiſtor.* Miſcella & apud *Anaſtaſium*, uti *Theophanes* annô 10. Leonis Iſauri habet, ... *relativa venerabilium imaginum adoratio*, *quæ affectu & charitate animæ noſtræ ad vultum faciei imaginis aptatur*, ut ait Synodus Romana ſub Stephano IV. Pontifice *Act.* 4. de qua multa habet Car. du Freſne, *Not. ad Alexiadem p.* 293. & in *Deſcr.* *Ædis Sophianæ*. Sed quid de Imaginum cultu ſentiendum, diximus in voce *Iconomachi*.

AFFIDATI, apud citimæ ætatis Scriptores dicuntur *Advocatini*, qui ſe domini alicujus patrocinio ac tutelæ, fide datâ ac ſacramentô interpoſitô, addicebant & commendabant: unde & *Commendati* & *Recommendati* dicuntur, ut *Conſtitut.* Siculis *l.* 3. *tit.* 7. & 8. ubi homines demanii *affidatos* vel *recommendatos* habere nulli licet, niſi licentiâ à Principe impetratâ, aut jure hôc jam antè quæſitô; cujuſmodi Jus in eo regno Barones habebant. *Charta* Wilhelmi Regis Siciliæ A. C. 1179 apud Ughellum *Tom.* 7. *p.* 984. *Poteſtatem indulſimus ad opus Eccleſiæ* 25. *homines affidandi*, *juxta uſum & conſuetudinem Eccleſiarum & Baronum illarum partium*, *qui poteſtatem habent homines affidandi*. Quibus affine aliquid habebant Clientes Romanorum & Soldurii Gallorum veterum. A verbo *affidare*, quod eſt fidem ſuam alicui obſtringere, fidem dare, fide datâ polliceri, promittere, obligare ſe: de quo, ut & derivatis ejus variis multa congeſſit Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Affidare*, & *Affiduciare*.

AFFILE, Colonia Italiæ. Vide *Poſſeſſio*.

AFFIRMATIVI Hæretici, in Foro Inquiſitionis Romanæ dicuntur, qui habent eorum, quæ ſunt fidei, errorem in mente, & verbô vel factô oſtendunt, ſe modis prædictis habere pertinaciam in voluntate, eamque coram Inquiſitore conſtituti apertè confitentur. Eymericus *Directorio Inquiſitorum Part.* 2. *Qu.* 34. De *Negativis* vide infra.

AFFLATI, vide *Centre*, item *Dindyma*.

de AFFLICTO Matthæus, vide *Matthæus*.

AFRA, Rex Æthiopiæ ſeculô 9. *Genebrardus*.

AFRA, Africæ civitas, Joſephô, *Jud. Ant. l.* 1. *c.* 23. ſic dicta ab *Aphra* Abrahami filio, teſte Cleodemô: ſic quoque apud Euſeb. *l.* 9. *Præpar. Evangelicæ*.

AFRA, arx munita, in ora Zaharæ, à Cheriſo Mahumet, qui Rex terræ Suſeræ, extructa. Ibi perpetuum præſidium, ad Arabum deſerti excurſiones compeſcendas, in aditu Numidiæ. Solum Palmis capriſque frequens, ſed oryzæ & frumenti minus ferax. Marmol. *l.* 7. *c.* 20.

AFRANIA, Licinii cujuſdam uxor, apud Val. Max. *l.* 8. *c.* 3. *ex.* 2. quæ muliebris verecundiæ oblita, ſuas per ſe cauſas agebat, & importunis clamoribus judicibus obſtrepebat. Hinc factum eſt, ut mulieres perfrictæ frontis, & matronalis pudoris oblitæ, *Afraniæ* per contumeliam dicerentur.

AFRANIUS, poëta Comicus, teſte Cicer. *in Bruto*. homo peracutus in fabulis ac diſertus, quòd in Togatis excelluit, inquit Quintilian. *l.* 10. *c.* 1. utinamque non inquinâſſet argumenta puerorum fœdis amoribus, mores ſuos faſſus. Suet. *in Ner. c.* 11. Voſſ. *de Poet. Lat. c.* 1. Et *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 11. Horat. *Ad Piſones, l.* 2. *Ep.* 1.

Dicitur Afrani toga conveniſſe Menandro.

Auſonius *epigr.* 71.

Quam toga facundi ſcenis agitavit Afrani.

Item Pompeji dux, qui Arabas juxta Amanum ſubegit; cum Petrejo, à J. Cæſare in Hiſpania devictus, Suet. *in Cæſ. c.* 34. Vide Plut. *in vita Pompej.* & *de gubern. Rep. c.* 24. Strab. *l.* 3. Item Conſul Romanus Aſclepiodori collega. Item alius *Burrhus* cognomine, de quo vide Tacit. *Annal. l.* 15. *c.* 41. & infrà voce *Lucius*.

AFRANIUS Potitus, homo plebejus, cùm ad ægrotantem C. Caligulam dixiſſet, ſe moriturum libenter, ſi Cæſar inde convaleſceret: Cajus hoc juramentô confirmari voluit, & poſteaquam convaluiſſet, hominem occidi juſſit, ne pejerâſſe videtur. *Dion.*

AFRANIUS Quinctianus, Senatorii ordinis, mollitie corporis infamis, & à Nerone probroſo carmine diffamatus, ut contumelias ulciſceretur in Neronem, Principe C. Piſone conjuravit. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 49.

AFRICA, quæ & *Libye*, Græcè dicitur, ab α privativo, & φρίκη horror, quaſi ſine frigore (ita enim veteres Grammatici nugari amant) una ex tribus orbis terræ partibus, in meridiem vergens, mari Mediterraneo ad arctos, Oceano ad occaſum, meridiem, & ortum, ac ſinu Arabicô perſtricta. Dionyſius *de ſitu orbis.*

Ἀλλ' ἤτοι Λιβύη μὲν ἀπ' Εὐρώπης ἔχει οὖρον
Λοξὸν ἐπὶ γραμμῇσι Γάδειρά τε καὶ στόμα Νείλου,
Ἔνθα βορειότατος πέλεται μυχὸς Αἰγύπτοιο,
Καὶ τέμενος περίπυστον Ἀμυκλαίοιο Κανώβου.

Mela *l.* 1. *c.* 4. *Africa ab Orientis parte Nilô terminatur, pelagô à cæteris.*

Silius Italicus *l.* 1. ubi de Libya:

Terminat hanc roſeos amnis Lagææ ad ortus,
Septenô impellens tumefactum gurgite pontum.
At quà diverſas clementior aſpicit Arctos,
Herculeô dirimente fretô diducta propinquas
Europes videt arva jugis: ultra obſidet æquor;
Nec patitur nomen proferri longius Atlas &c.

Moſerio, *in magno Diction. hiſtor.* terræ continenti Aſiæ per Iſthmum 35. milliar. germanic. committitur, quam proin Peninſulam totius Orbis maximam dicit. In Ægyptum, Marmaricam, Africam propriè dictam, Mauritaniam, Libyam interiorem, Æthiopiam & Ægyſimbam veteribus ignotam, ultra Æquatorem diviſa. Sciendum verò, Africam ſeu Libyam multis accipi modis; tribus tamen potiſſimum. Vocabulum iſtud cùm latiſſimè patet, tum tertiam olim habitati orbis partem complectitur; Anguſtiſſimè verò patet, cùm pro Carthaginenſi ditione, aut pro illo ſaltem Africæ tractu litorali accipitur, qui ab Ampſagâ fluv. uſque ad Phycuntem extenditur. Tertio verò, Africa aut Libya vocatur, quidquid Afri aut Libyes tenent. Itaque tum præter Africam propriè dictam (quicquid autem inter Mauritaniam & Cyrenaicam jacet, ad Africæ propriè dictæ tribuitur) totam quoque comprehendit Libyam interiorem uſque ad Æthiopas, & Ægyptios. Excipitur enim, ut plurimum, Cyrenaica Pentapolis, Numidia vetus, & Mauritania. Nam & Mauri & Numidæ pro advenientis habebantur. Longitudo *Africæ* inter promont. Varide, quod maximè occidentale eſt, & Cap. *Guardafuy*, quod orientaliſſimum, eſt 80. circiter graduum: Latitudo inter promont. Hermeticum & Caput Bonæ Spei eſt ferè graduum 70. In Africa mediterranea, apud Vett. *Numidiæ*, *Libyæ*, *Æthiopiæ*, *Garamantum* audiebantur nomina, ac hodiernum deſcribuntur *Biledulgeridia*, *Nigritarum* regio, *Abyſſinia*, & ſi quem ſpecialiora capiunt nomina, *Borno*, *Barnagaſſo*, *Medra*, *Ambiancantiva*, *Tigremahon*, *Vangue*, *Belegnanze*, *Agag*, *Xoa* & *Goyam*. Sed mera in hiſce adhuc obſcuritas eſt. Cujus cauſa, quia pleraque iſta loca à mari eoque commerciorum uſu remotiora ſunt, ac proinde à noſtris minus frequentantur; Accedunt deſerta maxima, præcipitia ingentia, Solis fervor, animalium noxiorum vis prodigioſa, aliaque quæ acceſſum peregrinantibus difficilem præbent. Ne dicam ipſos incolas impedimentô advenis eſſe, tum ne inopia, cum qua plerique illorum conflictantur, aliis innoteſcat, tum, ut urbes, quæ maximam partem ſolô ſint munitæ ſunt, maneant inexploratæ. Commendantur ex Africæ linguis, Coptica, Æthiopica & Songaica. Quarum prima, ex antiqua Ægyptiaca & Græca conflata eſt: altera Abyſſinis, in meditullio regionis, uſitata, duplex, una vulgaris eſt, altera Chaldaicæ affinis, quâ in ſacris utuntur & hiſtorias ſcribunt. Tertia, nempe Songaica in uſu eſt apud Aſtinos olim dictos, incolas nempe regionum Scombayæ, Muſmundæ, Zenetæ, Gumeæ, Guzulæ, Heæ & Sus. Ad litora verò maris Rubri & Mediterranei Arabica viget, Auctor anonymus *Hiſtoriæ Orbis terrarum Geogr. & Civ.* *Africa* verò ut aliquibus placet, dicta eſt linguâ Arabicâ Ifrik, à verbo *faraka*, *diviſit*. Cur autem ſic dicatur, duæ ſunt opiniones, quarum prior hæc eſt, quod ea terræ pars ſit ab Europa mari Mediterraneô, ab Aſia verò flumine Nilô ſeparata. Altera quod hoc nomen ab *Ifrico* quodam Africæ rege deductum videatur. Matthæus Retius, ab Ebræo *Aphar*, quæ vox *pulverem* ſignificat, deducit. Eſt enim Africa regio calidiſſima. Hinc Silius Italicus. *l.* 1.

Æſtiferô Libye torquetur ſubdita Cancrô.

Et Virg. *Ecl.* 1. *v.* 65.

At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros.

Quin & Oppian. *l.* 4. *Cyneg.* Libyam vocat *διψάδα γαῖαν*, eandem iterum *ἀνεξρηλὸν χῶρον*, ſupra *πολυδίψιον αἶαν*. Eumenius Rhetor. *Libyæ arva ſitientia.* Manil. *Aſtronomicôn l.* 4.

Pœnus arenoſis Afrorum pulvere terris
Exſiccat populos. . . . .

Syneſius *Ep.* 67. *διψηρὰς Λιβύης*, quod à Dionyſio procul dubio deſumptum *v.* 182.

Ἡ γὰρ διψηρὴ τε καὶ αὐχμήεσσα τέτυκται.

Africam Joſeph. *Jud. Ant. l.* 1. *c.* 16. ab Ophre filio Madanes, Abrahami nepotis deducit. Sic enim ille, *Αἰγύπτῳ δὲ εἰς αὐτὸς ὁ Ὀφρὴς στρατεύσας ἐπὶ τὴν Λιβύην, κατέσχεν αὐτήν, καὶ οἱ υἱωνοὶ αὐτοῦ κατοικήσαντες ἐν αὐτῇ τὴν γῆν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος Ἀφρικὴν προσηγόρευσαν.* Sed vulgatas has Africæ etymologias meritò rejicit Bochartus ὁ μέγας, & à fertilitate ſuâ nomen traxiſſe ſummopere contendit. *in Chanaan l.* 1. *c.* 25. *p.* 536. פרך *Pheraca* inquit Arabicè fricare ſignificat, & פריך *pheric*, *ſpica*. Hinc à Pœnis אפריקה *Africa* factum, & terra Africæ ad verbum eſt *terra ſpicæ*, vel *ſpicarum*, phraſi merè Punicâ; Qualem eſſe Africam propriè dictam, i. e. Libyæ partem Carthagini viciniam, neminem latet, qui non ſit harum literarum planè rudis. *Baudrandus* de Africa ſic loquitur: Africa à Gallis *l'Afrique*, ab Hiſpanis & Italis *Africa*, ab Arabibus *Alkebulan*, & ab Indis *Beſecath* dicitur; eſtque una ex tribus terræ partibus antiquis cognitis. Sed Luſitani hiſce ultimis temporibus detexerunt meridionalem ejus partem nondum Europæis notam, præſertim verſùs oram litoralem meridionalem & inſulas. Regio tota ſiccior in Mediterraneis, ubi ſterilis & penè deſerta multis in locis, vel arenis ſterilibus obducta, vel multô ac maleficô animalium genere infeſta, vel inopiâ aquarum. Olim Romanorum tempore diviſa fuit in ſex provincias & *Ptol.* eam diſtribuit in 12. regiones. Sed hæc diviſio intelligenda eſt de ea tantum parte, quæ Romanis paruit. Tunc enim ultra Lunæ montes Meridiem verſus incognita erat. Nunc ſic dividitur:

Africæ regiones.

Ægyptus	Marmarica
Æthiopia	Mauritania Cæſarienſis
Æthiopia ſub Ægypto	Mauritania Tingitana
Africa propriè dicta	Memé
Agiſymba	Nigritarum terra
Byzacena	Nubia
Cyrenaica	Numidia
Delta pars Ægypti	Tripolitana
Getulia	Troglodytica.
Libya	

Africæ regiones præcipuæ hujus temporis.

Ægyptus, *l'Egypte.*	Guinea, *la Guinée.*
Æthiopia inferior ſub qua regna Monomotapæ, & Monemugi, *la Baſſe Ethiopie.*	Nigritia, *le pays des Negres.*
	Nubia, *la Nubie.*
Æthiopia ſuperior, ſeu Abyſſinia, *la haute Ethiopie ou l'Abyſſinie.*	Zaara, ſeu deſertum, olim Libya interior, *le Zaara, ou deſert.*
Barbaria, *la Barbarie.*	Zanguebaria, *le Zanguebar*, & inſul. Madagaſcaris, ſeu S. Laurentii, quæ etiam inſula Delfina dicitur, *l'Iſle Dauphine*, & aliæ verſùs oram.
Biledulgerid, *le Biledulgerid.*	
Caffrorum ora, *la Coſte de Cafres.*	
Congi Regnum, *le Congo.*	

Africæ urbes clariores hujus temporis, ſecundùm Baudrand.

Adea, *Adea.*	Melinda, *Melinde.*
Adrumetum, *Hamamethe.*	Mina, *Saint George, de la Mine*
Alexandria. *Alexandrie.*	
Amara, *Amara.*	Monomotapa, *Monomotapa.*
Aphrodiſium, *Africa.*	Mozambicum, *Mozambique*
Barva; *Barva.*	Quiloa, *Quiloa.*
Beninum, *Benin.*	Ruſucurum, quæ Algira aliis; *Alger.*
Bugia, *Bugie.*	
Butua, *Butua.*	Septa, *Ceuta.*
Cairus, *le Caire.*	S. Salvator; in regn. Congi, *S. Salvateur.*
Chaxumum, *Chaxumo.*	
Conſtantina, *Conſtantine*	Siene. *Aſſuan.*
Dambea, *Dambea.*	Sofala. *Sofala.*
Damiata, *Damiete.*	Thebæ, *Minie.*
Fezza, *Fez.*	Tingis, *Tanger.*
Loanda, *S. Paul de Loanda.*	Tripolis, *Tripoli.*
Magadoxa, *Magadoxo.*	Tunetum, *Tunis*;
Marochium. *Maroc.*	Utica, *Biſerte.*

Africa propriè dicta, *Ferrario*, Zeugitana Plin. *l.* 5. *c.* 1. regio & pars Africæ mari Mediterraneo, quod Africum dicitur, expoſita inter Mauritaniam ad occaſum & Cyrenaicam ad ortum: in qua Tunetanum regnum, cujus olim caput erat Carthago. Urbes illius olim claræ, præter Carthaginem, Utica, Thabraca, Hadrumetum, Leptis magna; & intus, Cirta, Sicca Veneria, Thyſdrus, Bulla regia, Uzita. Nunc clarent Tunes, Utica, Hippon regius, Tripolis. Africa hæc leones plurimos gignit & ſerpentes, teſte Plin. *loc. cit.* ac Solinô *c.* 30. Ea nunc unà cum Mauritania *Barbaria* nominatur. Africæ hujus meminit Martial. *l.* 2. *ad Germanicum Epigr.* 2.

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen.

De eadem Claudian. *l.* 1. *de laudibus Stilichonis*: *v.* 18.

Quod floret Latium, Latio quòd reddita ſervit
Africa, vicinum quòd neſcit Iberia Maurum.

Romanorum tempore à Proconſule regebatur, nec ſub diſpoſitione Vicarii, ſed ne ſub Præfecto quidem Prætorio Africæ fuit: cùm reliquæ provinciæ Africæ latè dictæ, *Conſulares Byzacii*, *Nu-*

midiæ, *Præſidia Tripolitana*, *Mauritania Sitifenſis*, *Mauritania Cæſarienſis*, *ſub diſpoſitione Viri ſpectabilis Vicarii Africæ fuerint*, ut habet *Notit. vetus provinciar. Romanar.* Nempe ſub diſpoſitione Vicariorum Provinciæ Conſulares & Præſidiales ferè omnes, quarum etiam Rectores iidem ſuberant; nullæ vero Proconſulares erant: quum Proconſules longè ſupra Conſulares ac cæteros Rectores eſſent. Habuit ſolum annonæ præfectum, ejus ſub diſpoſitione &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 806.

Africæ propriæ dictæ urbes maritimæ clariores.

Thabraca	Aphrodiſium
Hippon regius	Hadrumetum
Utica	Ruſpæ
Carthago	Ruſpina
Tunes	Tacape
Clupea	Leptis magna
Neapolis	Neapolis, & Tripolis.

Urbes Mediterraneæ

Cirta	Suffetula
Lambeſia	Tebeſca
Aſſurus	Sicca Veneria
Madaura	Muniſti
Tagaſta	Tuburbis
Lares	Aquæ regiæ
Thyſdrus	Byzacium.

Vide ſis porrò doctiſſ. Auth. *Geogr. Sac. Bochart. loc. cit. Cluv. Ortel.* Marmol. *l.* 1. *c.* 5. *Diego de Torres*, *Johan Leonem*, &c. Inde *Afer*, ut *Armentarius Afer.* Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 344. *Vagus Afer.* Lucan. *l.* 4. *v.* 677. & 684. *Afra avis.* Horat. *in Epod.* Od. 2. Item *Afri anus* adjectiv. & Scipionis cognomentum.

AFRICA, quæ olim *Adrumetum*, Urbs regni Tunetani. A Calipha Mehedy de Carvan capta & munita, poſt in Siculorum quorundam piratarum manus devenit, qui *Africæ* illi indidêre nomen. Quà cùm ſequenti tempore Rex quidam Maroci potitus eſſet, tandem à Carolo V. devicta, & deſtructa eſt. Marmol. *l.* 6. *c.* 28.

AFRICANÆ, pro pantheris apud Plinium *l.* 8. *c.* 17. de Pantheris, ubi, poſtquam docuit illud genus in Africa Syriaque eſſe creberrimum, addit: *Senatusconſultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam advehere*, ubi per *Africanas* ſolas intelligit pantheras. Quo modo capiendus Servius *ad illud Virgilii*, *l.* 5. *Æn. v.* 37.

---- ---- *In pelle Libyſtidis urſæ*:

Aut revera urſæ, inquiens, *aut feræ Africanæ*, pardi nempe aut pantheræ; non leonis, ut putabat *Lipſius*: Inde *Libycæ pelles* pretioſæ, pantherarum ſcil. & pardorum, quas ſola macularum varietas commendabat. Salmaſ. ad *Vopiſcum in Aureliano. c.* 34. Vide quoque infrà *Libycæ feræ*, it. *Panther.*

AFRICANÆ Gallinæ, apud Varronem *de R. R. l.* 3. *c.* 9. *ſunt grandes variæ, gibberæ, quas Meleagridas appellant Græci. Hæ noviſſimæ triclinium genanium introierunt è culina, propter faſtidium hominum. Veneunt propter penuriam magnò.* Ubi cum Meleagridibus eaſdem facit; quod & Plinio *l.* 10. *c.* 26. tantùm non viſum eſt. Certè magnam cum illis ſimilitudinem habuerunt. Columella *l.* 8. *c.* 2. *Africana eſt, quam plerique Numidicam dicunt, Meleagridi ſimilis, niſi quod rutilam galeam & criſtam capite gerit, quæ utraque ſunt in Meleagride cærulea.* In capite ſcil. tuber habent, ſive gibbum rutilum, unde *gibberas* eas eſſe Auctores ajunt: at in Meleagridibus Græcorum inſigne corporeum, velut clavus rotundus è capite exit, quod maribus ultra roſtrum propendet, dum in venerem incitantur & fœminas ambiunt. Sed & patriâ differunt, Meleagrides enim è Bœotia, *Africanæ*, è Numidia: porrò, *virus ingratum*, Africanarum proprium eſt, de quo vide Plinium. *loc. cit.* Interim, cùm Græci Numidicas gallinas parum videantur noviſſe, magis notas propioribus Romanis, ſi qui Græcorum veter. famâ ad ſe perlatas memoraverunt, *Μελεαγρίδας* eas nominârunt, ob ſimilitudinem præfatam. Hodie Galli *Indicas* vocant gallinas illas, quas Veter. Meleagridas, non quòd ex India primùm advectæ, ſed quia quidquid ex tranſmarinis locis affertur, *Indicum* vulgò ſolet appellari: *Africanas* verò *Gallinas Guineæ* vocitant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 871. & 872. ut & infrà, ubi de gallinis *Numidicis.*

AFRICANI Maj. Caſtra, vide *Caſtra.*

AFRICANUS, Alexandri Cæſaris Conſiliarius, doctiſſimus Juris profeſſor, Papiniani diſcipulus. Lamprid. *in Alexand. Sever. c. ult.* Idem in ſacris literis doctus. Eutrop. *l.* 6.

AFRICANUS, Poëta Ennio laudatus, cujus cæcitatem deplorat Lactantius, *l.* 1. *Inſtit.* 1. 18.

AFRICANUS Julius, primus Chriſtianorum Chronologus. Vide *Julius Africanus.*

AFRICANUS Sextius, nobilis Juvenis à nuptiis Silanæ deterritus ab Agrippina, impudicam & vergentem annis dictitante; non ut Africanum ſibi ſeponeret; ſed ne opibus & orbitate Silanæ maritus poteretur. Pro *Sextius* legit Lipſius *Sex.* ut ſit prænomen, repetitque ejus nobilitatem à *Julo Antonio* Marcellæ marito, cui cognomen Africano. Ei fil. L. Antonius *in l.* 5. *Annal.* & hic nepos. *ad l.* 14. *c.* 19. Taciti: In cenſu per Gallias agendo conflictatus eſt æmulatione cum Q. Voluſio Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 46.

AFRICANUS Victor, vide *Victor.*

AFRICANUS, Cognomine Scipionum. Vide *Scipio.*

AFRICERONES, vide *Gamphaſantes.*

AFRICUM Pelagus, *Ptol.* quod Africam propriam à Septentrione alluit. *Punicum mare* Floro, *l.* 2. *c.* 2. *Maurus Oceanus*, Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 148. 149. *Thuſcum*, *Dionyſ. Afro*, cujus inundatione interdum Syrtium majorem attolli dicit.

AFRICUS, venti nomen ab Africa ſpirantis, inter Auſtrum & Zephyrum. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 89.

---- ---- ---- *Creberque procellis*
Africus. ---- ---- ---- ----

Horat. *Carm. l.* 1. Od. 1.

Luctantem Icariis fluctibus Africum.

Idem *Carm. l.* 3. Od. 23.

Nec peſtilentem ſentiet Africum
Fæcunda vitis.

Senec. *Nat. Quæſt. l.* 5. *c.* 16. *Africus furibundus ac ruens ab Occidente hyberno.*

AFRODISIUS, fluv. qui ſteriles reddit mulieres.

AFRODITO, pro *Afroditopolis*, in veteri *Itinerario*: quomodò recentiores ſæpe loquutos deprehendimus. Sic enim *Antino*, Græcè Ἀντινόου, pro *Antinoopolis*, *Pano* pro *Panopolis*, *Lato* pro *Latopolis*, *Heracleo* pro *Heracleopolis*, paſſim habent. Hieronym. *adverſ. Jovinianum l.* 2. *Unde & urbes quoque apud eos ex animalium vocabulis nuncupantur: Leonto, Cyno, Lyco, Buſiris, Thmuis, quod interpretatur hircus.* Salmaſ. *ad Spartian. in Adriano Cæſ. c.* 20.

AFRUM, Palæſtinæ Urbs. *Liber. Notitiar.*

AFUFENIENSIS, Africæ loci Epiſcopalis nomen *in fragm.* Vict. Utic.

AGA, provinc. regni Abyſſinorum. Idem nomen Capitanei generalis Janitzerorum, in Turcia. *Chalcondylas.*

AGA, mons è quo Araxes & Euphrates oriuntur, quem *Strabo* & *Ptol. Abum* vocant. Hermol. *in Plin. l.* 6. *c.* 9.

AGABA, Palæſtinæ urbs Joſepho *Jud. Ant. l.* 13. *c.* 24.

AGABANA, circa Perſidem caſtellum. Amm. Marcellin. *l.* 27. *c.* 12 Vide *Agamana.*

AGABO, Rex Æthiopiæ fratricida, de quo mira fabulantur hujus gentis hiſtorici.

AGABRA, Turdetanorum in Hiſpan. oppid. *Vaſæo* authore, qui hodiè *Cabra* dicitur. longitud. 16. 20. latitud. 37. 40.

AGABUS, nomen Prophetæ, qui prædixit famem illam, quæ ſub Cæſaris Claudii imperio accidit. Actorum *c.* 11. *v.* 28. Idem Cæſareæ arreptò Pauli Apoſtoli cingulò, & colligatis ſuis manibus ac pedibus, ſic te Hieroſolymis Judæi colligabunt, dixit. Actorum *c.* 21. *v.* 10.

AGALYTUS, Olympiadas conſignavit. Suidas *in* Κορβιλῶν.

AGACLYTUS, libertus Veri, auctoritate & potentiâ pollens. Jul. Capitolin. *in Marco Antonino Philoſ. c.* 15. *Multum ſanè potuerunt liberti ſub Marco & Vero, Geminus & Agaclytus: cui Patronus dedit, invitò Marcò, Libonis uxorem.* Idem Capitolin. *in Vero.* 1. 9.

AGACTURI, populi quidam, aliàs *Agaſturi.* Plin. *l.* 6. *c.* 28.

AGAD, civitas in tribu Iſachar, ſita ad radices montis Hermon. Hieronym. *in loc. Hebr.*

AGADES, regnum Africæ, cum Urbe cognomine muris præcincta, in Nigritia regione, verſus lacum Guardæ. Eſt etiam alter locus *Agades*, juxta fluv. Ghir, in meditullio Africæ.

AGADEZ, provincia Æthiopiæ, Libyæ proxima, cum urbe cognomine. Hic magna mannæ copia, & ingentes è mercibus extraneis reditus Principis, qui tributarius eſt Regis Tombutenſis. Marmol. *l.* 9. *c.* 9.

AGADOTH, ſeu MIDRASCHIM, Rabbinis dicuntur, qui Græcis λόγοι διεξοδικοὶ, explicationes uberiores & prolixiores: *Caninius* vocem vertit, *Extenſio*: Dicitur autem *Extenſio*, inter varias Scripturarum interpretationes, homiliarum ad genus, cum Scripturarum myſteria auditoribus explicantur. Et quidem Elias quoque in *Tisbi* ſic eſt interpretatus; חוא לשון משיכה, *eſt dictio extenſionis.* Caſaubono tamen magis probatur; quod idem Elias alibi adnotat, vocem eſſe deductam ab Hebr. נגד *indicavit*, *explicavit.* Nam & res & vox originem videntur habuiſſe, à præcepto Dei, apud Moſen Exodi *c.* 13. *v.* 8. cujus verſiculi prima vox eſt והגדת *vehig gadtha*, i. e. *& annunciabis.* Cui voci reſpondet apud Paulum, in explicatione Sacramenti antitypi, ἀγγέλλετε, *annunciate*, 1 Cor. *c.* 11. *v.* 26. Vide Iſaac. Caſaubonum *Exercitat. XIV. ad Annales Eccleſiaſt. Baronii* §. 7.

AGAETUS, Scytharum Rex.

AGAG, Rex Amalechitarum. Circa A. M. 2962. Ejus hiſtoriam vide 1 Reg. *c.* 15. *Torniel.*

AGAG, Regnum & Urbs Æthiopiæ ſuperioris verſus lacum *Zaire*, inter Nilum fluv. & provinc. Ambiam & Novam.

AGAGAMMATÆ, populi circa Mæotim. Plin. *l.* 6. *c.* 7. Alias *Agamantes*, & *Agaramatæ.*

AGAGES ſeu IACCHÆ, populus interioris Africæ ferociſſimus, regnum *Congo*, circa A. C. 1560. aggreſſi, illud ingenti cæde exhauſtum tandem occupârunt, ſub Rege Congi Alvaro I. qui cum ſuis, qui cladi ſuperſtites erant, in exiguam Inſulam *Zaire* fluminis compulſus, extremas ibi ſuſtinuit ac ineffabiles miſerias, barbaris interea totò regnò atrociſſimè graſſantibus. Qui rumor cùm perveniſſet ad Sebaſtianum Portugalliæ Regem miſſò cum copiis Franciſcò *de Govea*, bellum intulit Jacchis tam felici ſucceſſu, ut paulo pòſt totâ Congò expellerentur. Sic reſtitutus Alvarus, obiit circa A. C. 1580. Cauſam regni tam miſerè vaſtati referunt Congenſes, in ſuſceptam ſub Johanne II. Luſitaniæ Rege religionem Chriſtianam; Luſitani potiori jure, in eandem contemptam ac neglectui habitam. Georg. Hornius *Orb. Imp. p.* 467. Plura vide infra paſſim, inprimis ubi de *Congenſi Regno.*

AGAGRIANÆ Portæ, Syracuſis: erat hic magna frequentia ſepulchrorum, ut ait Cicer. *l.* 5. *Tuſcul. Archadinæ* fortè legendum, ut digitò monſtravit *Urſinus. Nic. Lloydius.*

AGAGULA, in *Gloſſ.* Iſidori, Lenocinator, pantomimus; idem forte cum *Acolo*, in iiſdem, ubi *Miniſterialis domus Regiæ* definitur. Car. du Freſne *Gloſſar.* vide infra in voce *Miniſcelus.* Ejuſdem fortè notionis *Agagò* eſt, in *Fragm.* Petronii de Cœna Trimalcionis, *Non omnia artificia ſervi nequam narras, agaga eſt, at curabo, ſtigmam habeat.*

AGAI, locus, à quo Bethel non multum diſtat. Hebraicè *Ai* ſcribitur, cujus parvas tantum ruinas extare ſcripſit ſuô tempore D. Hieron. *in loc. Hebr.*

AGALASSES, Indiæ populi, circa Indi fluminis partes ſuperiores. Diodor. Sic. *l.* 17. quos ab Alexandro Magno expugnatos tradit.

AGALLA, Arabum urbs, in Palæſtina, Joſeph. *Jud. Ant. l.* 14. *c.* 2.

AGALLIS, Corcyræa fœmina, in arte Grammatica perita, cui inventionem pilæ nonnulli aſcribunt. Vide Cœl. Rhodig. *l.* 8. *c.* 1. Meurſium, *de ludis Gr. p.* 5. Voſſ. *de Philol. c.* 2. §. 3.

AGALLOCHUM, Græcis ἀλόη vel ξυλαλόη, aloë eſt aromatica, ab excellenti odore *Arbor Paradiſi* vulgo dicta: unde thymiamatum vice adoleri, ſcribit *Dioſcorides*. Pro citro arbore Atlantica, ex qua fiebant menſæ citreæ, à Græcis quibuſdam acceptum fuiſſe, dicimus ex Auctore Anonymo Περὶ ὀργάνων τῆς γῆς. Forte quòd *agallochum* maculas ſimiles habet ligno citri: unde *Dioſcorides* θυΐνον ἰσοχρῶμον eſſe dicit &c. qui etiam lignum ejus pro diapaſmate Veteribus fuiſſe addit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1054. *& ſeqq.* ut & infra ubi de *Aloë aromatica*.

AGALMA, vox Græca, Ἄγαλμα, παρὰ τὸ ἀγάλλεσθαι, ſimulachrum eſt, *gratum exemplar*, vel *afferens gaudium*, uti monet Spelman. in *Gloſſ.* In 2. Concil. Niceno, ſtatuam animalis alicujus denotat, ad differentiam imaginis, quæ creaturam rationalem repræſentat, ac εἰκὼν dicitur; ſecundum Macrum *Hierolex.* Communiter ſtatua quæcunque, ſignum, ſimulachrum, quæ velut templorum apud Gentiles ornamenta erant. *Heſych.* ἄγαλμα, ξόανον, ἀνδριὰς χρυσοῦς εἰδώλιον, εἰκὼν ἐν ᾧ ἀγάλλεσθαι. *Et ornamenta* quidem vocat Liv. *l.* 4. *Ornamenta urbis, ſtatuæ & tabulæ pictæ, & quidquid pretioſæ fuit prædæ, ad naves delatum.* Vide quoque eum *l.* 32. & 38. Unde Theatrum *ornari* dicebant, quum feſtis diebus in eo ſimulachra collocarentur. Ovid. *de Arte l.* 3.

Aurea quæ pendent ornatô ſigna theatrô,
Inſpice quàm tenuis bractea ligna tegat.

Ubi *ornatum* eſt ἀγαλματοφορεῖν, uti contra templa his ornamentis deſtituta ἀνεγκαλλωπιστα vocat Agathias *l.* 5. Vide Deſid. Heraldum *ad Arnobium l.* 6. ubi, Simulachrum Dei, cui conditum erat templum, Numen templi proprium habitum, cætera ad ornatum pertinuiſſe tantùm, addit, ex Servio *ad illud Georgic. l.* 3.

In medio mihi Cæſar erit —— ——

In Gloſſ. MS. *Agalma dicitur apoſtrophiſma vel imago ſigilli*, ἄγαλμα *ſimulachrum.* Martianus Capella de Pallade *l.* 6.

Quam docto aſſimilant habitu, *qui* agalmata *fingunt.*

Charta Edgari Regis pro Weſtmonaſterienſi Eccleſia A. C. 968. *Ego Dunſtanus hanc libertatem cruce* agalmate *ſignavi.* Dudo Dec. S. Quintini *Præfat. ad Acta Normannorum*,

Alloquiò celebris, virtutum agalmate *pinguis*, &c.

Aliud quid videtur vox ſonare, apud Ragnerum Monachum Cellenſem *in Mirac. S. Guleni. Corpus ſindone munda duogenti*(?) *circumvolutum & ſub* agalmatis *clave firmiſſime obſeratum, in eadem urna, deponitur.* Ubi *Agalma clavis* fortè eſt ſigillum clavi impreſſum, cujuſmodi paſſim habent Antiquariorum ſcrinia, Car. du Freſne *Gloſſ.* Sic paulo antè, *crucis agalma*, &c. Vide quoque infrà, ubi de *Clavibus ſignandi ritu*, alibique. Inde *Agalmatotheca*, quas in Atrio unà cum Pinacothecis aliiſque elegantiarum receptaculis aſſervare conſuevisſe Romanos veteres docet Laur. Pignorius *comm. de Servis.*

AGAMANA, Meſopotamiæ oppid. *Ptol.* Idem fortè cum *Agabana Marcellini.*

AGAMEA, vel AGAMIA, promontor. & portus circa Trojam. *Steph.*

AGAMEDE, oppid. Leſbi inſulæ. *Steph.*

AGAMEDES & TROPHONIUS, adytum Delphicum ex quinque lapidibus conſtruxerunt, cujus meriti nomine quum ab Apolline præmium poſtulâſſent, quod ille optimum homini duceret, poſt diem tertium in lecto mortui reperti ſunt. Vide Cicer. *l.* 1. *Tuſc. c.* 114. Plut. *in Conſol. ad Appoll.* Pauſan. *l.* 8. & 9.

AGAMEMNON, Atrei ex Ærope fil. ut Homer. *Il.* α. ait, Plisthenis vero, ut Heſiod. *in Deorum.* & frater Menelai, Mycenarum & Argivorum Rex à Perſeo IX. ab Atreo (ſub quo Pelopidæ Perſeidas regnô ſummoverunt) IV. quaſi ἄγαν μένων h. e. *perſeverans*, qui omnium Græcorum conſenſu Imperator delectus, ad expeditionem Trojanam profectus eſt, ubi plurimos labores, & maximas Principum ſimultates pertulit. Iliô captô, inter alia, Caſſandra Priami filia ei in ſortem ceſſit, quæ etiam mortem ei prædixit; ſed ille verbis ejus minimè fidem habens, ad uxorem Clytæmneſtram, cui domi cum quibuſdam liberis relictæ imperii curam crediderat, reverſus, ab Ægiſto Thyeſtis filio, qui omnia prius tacitè occupaverat, uxoremque ſtupraverat, ſimulatâ amicitiâ, & Clytæmneſtræ conſenſu, in litore, ſeu ut aliis placet, in convivio, quod ingens ei uxor paraverat, interfectus eſt, poſtquam ann. 18. regnâſſet. Quod factum Oreſtes Agamemnonis & Clytæmneſtræ fil. ægre ferens, Ægiſthum & matrem in vindictam patris occidit, ac patri in regno ſucceſſit. Quæ omnia elegantiſſimè proſecutus eſt Sophocles *in Electra*, Euripides *in Oreſte*, & Seneca *in Agamemnone. Agamemnonis hoſtia*, in duros & pertinaces diſſiciles dicitur, inde natum, quòd Agamemnonem bovem divinam in Troja facturum bos effugerit, vixque multô negotiô comprehenſus, reductus eſt. Quadrabit etiam in eos, qui nolentes & coacti quidpiam, agunt. Olim in ſacris ſpectabatur, ut hoſtia lenis, ut volens adſtaret, quòd ſi refractô fune præfugiſſet, infauſtum omen habebatur. Videtur & huc poſſe referri, quòd Agamemnon in Aulide filiam Iphigeniam ſacrificavit, ſed admodum invitus. *Zenodot.* Quam tabulam quidam ex hiſtoria filiæ Jephthæ ortum traxiſſe volunt. *Petav.* Hinc *Agamemnonius*. Virg. *Æn. l.* 6. v. 838.

Eruet ille Argos Agamemnoniaſque Mycenas.

Erat verò *Agamemnon* non Mycenæorum ſolum & Argivorum, ſed & Sicyoniorum, Corinthiorum, aliarumque urbium Rex, adeoque omnibus reliquis Græciæ Principibus major & potentior. Certè Homero toties κρείων Ἀγαμέμνων, & *Il.* β. v. 108.

Πολλῇσιν νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν,
Inſulis multis & Peloponneſo toti imperans:

interprete illuſtri *Marshamo Canone Chron. Sec.* XII. ubi *de Bello Trojano*. Hinc Ἀγαμεμνόνεια φρέατα, *Agamemnonis putei*, proverbialiter de admirandis operibus dicebantur. Ajunt enim, illum & circa Aulidem & paſſim in Græcia puteos effodiſſe, ne per æſtum aquarum inopiâ laborari poſſet. Author *Zenodot.* Item *Agamemnonis fontes*, fontes quidam tepidi Ioniæ apud Smyrnam urbem ab eâ 5. mill. paſſ. diſtantes. *Philoſtratus*

AGAMEMNONIA, in Attica, Græcorum claſſis in Trojam conjurantium ſtatio. Pompon. Mela *l.* 2. *c.* 3.

AGAMESTOR, Archon Athenes τῶν διὰ βίου ſeu *perpetuorum* XI. poſt Theſpeum præfuit, ann. 24. Illi ſucceſſit Æſchylus: circa tempora, quibus Ægyptus, poſt Thuorum ultimum Thebanorum Regem, in varios minutos dominatus eſt diviſa. Joh. Marshamus *Canone Chron. pag.* 412.

AGAMIA, promontor & portus Troadis, apud *Suid.* & *Steph.* ex Hellanico. Dicta etiam *Agame.*

AGAMIDIDES, fil. Cteſippi, Herculis nepotis. Rex partis alicujus Græciæ. Pauſan. *l.* 3. *de Laced. Rep.*

AGAMIUM, oppid. agri Novarienſis apud Seſſitem fluv. à Novaria 16. mill. paſſ. Incolæ *Agamini*, ex marmorea antiqua *Inſcriptione*. Hic B. Panacea Virgo & Martyr præcipuô honore colitur. Vulgò *Aghem* ſeu *Ghem.*

AGAMNESTOR, XI. Athenienſium princeps, qui regnavit ann. 20. Vide ſuprà.

AGAMNESTOR, vel AGANESTOR, Academicus quidam, de quo lepidam hiſtoriam lege apud Plut. *in Dipnoſ. quæſt.* 4. §. 4.

AGAMUS, Urbs, circa Heracleam Ponticam, *Steph.*

AGAMZUA, Mediæ oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 14. An *Aganzagava? Ptol.*

AGANA, it. AGAN, ſeu PAGAN, una ex Inſulis Latronum, in Aſia & Oceano Orientali, inter Inſul. *Chemochoan* & *Guagam.*

AGANAGARA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol. Mercatori Aganara.*

AGANGINÆ, Libyæ interioris populi. *Ptol.*

AGANICE, vide *Aglaonice.*

AGANIPPE, fons Bœotiæ celebris ad Heliconem montem, haud procul à Thebis in Permeſſum fluv. labens, Muſis ſacer, à poetis maximè celebratus. Claudian. *in Paneg. Mallii Theod.* v. 272.

Concinuit felix Helicon, fluxitque Aganippe
Largior. —— ——

Hinc *Aganippeus*, Propert. *l.* 2. *Eleg.* 3.

Et quantum Æoliô quum tentat carmina plectrô;
Par Aganippeâ ludere docta lyrâ.

Itemque *Aganippis*. Ovid. *l.* 5. *Faſt.* v. 7.

Dicite quæ fontes Aganippidos Hippocrenes
Grata Meduſæi ſigna tenetis equi.

Nomen quod attinet, *Aganippe*, inquit Vir maximus, Bochart. *In Chanaan l.* 1. *c.* 16. eſt אגן אבא *Aganabba*, i. e. ad verbum, *crater viroris*, h. e. *viridis*, quia fontis crater eſt,

Margine gramineo patulos ſuccinctus hiatus.

Agan autem propriè eſt *crater*. Ita reddunt Græci Interpretes Exod. c. 24. v. 6. & Cant. c. 7. v. 3. Sed quâ metaphorâ Græcè κρατῆρες, eâdem Syriacè אגניא *aganaia* dicuntur in foſſis ac fontibus aquarum conceptacula. Sic in Chaldæo Paraphraſte, Judic. c. 4. v. 11. מישר אגניא *vallis craterum*, interprete Kimchiô ager eſt, in quo ſunt lacunæ craterum inſtar, aquis plenæ. *Aganippe* etiam *Enippe* dicta eſt, i. e. עין אבא *en-abbe*, h. e. *fons viroris*. *Vibius Sequeſter* qui perperam in montibus recenſet: *Aganippe Bœotia, ante Enippe dicta.* *Nic. Lloydius.*

AGANTINUS, vide *Agathyrion.*

AGANUS, urbs Ponti circa Heracleam. *Steph.* Ἀγανός dicitur.

AGANZAGAVA, vide *Agamzua.*

AGANZIÆ, vide *Bergio.*

AGAOSI, populi Æthiopiæ ſuperioris in regno Bagamedri, inter fluv. Nilum & Tagazzam.

AGAPÆ, convivia, quæ in Eccleſia primitiva poſt factam Synaxin, inter Chriſtianos, celebrabantur, in ipſis templis, charitatis mutuæ, unde aliis nomen, conteſtandæ & confirmandæ ergò. Sed jam S. Pauli tempore abuſus irrepſit, 1 Corinth. *c.* 11. v. 17. Unde poſtmodum abolita. Tertullian. *Apol. c.* 39. Minutius Felix, *in Octavio*. Clem. Alex. *Pædag. l.* 2. &c. Haberi autem ſolebant imprimis, tempore natalitiô, exequiali, & nuptiali, ſecundum *Greg. Nazianz.* *Spelmanno Agapæ*, convivia erant fraterna Eccleſiaſtici cœtus priſcis temporibus, ex collatis donis, inſtructa, ad Chriſtianam charitatem fovendam, & pauperes recreandos, quod utrumque ipſa vox, quæ Græca eſt, notat. Earum meminit Ep. Judæ v. 12. Οὗτοί εἰσιν, ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, *Hi ſunt in* Agapis *veſtris maculæ*: ubi alii reddunt, in *epulis*. *Eraſmus*, *inter charitates veſtras*. Illas pulchrè deſcribit Tertullian. *in Apolog. c.* 39. ubi, inter alia, *Cœna*, inquit, *noſtra de nomine rationem ſui oſtendit, vocatur enim* ἀγάπη, *id quod dilectio penes Græcos eſt.* Sublatæ ſunt ob abuſus Conciliô Laodicenô A. C. 364. Vide ejus *can.* 25. Conc. 5. & 6 Conſtant. A. C. 69. *can.* 74. *Quod non oportet in Dominicis locis vel Eccleſiis, eas quæ dicuntur, Agapas, i. e. charitates facere: & intus in æde comedere & accubitus ſternere.* Et Diſtinct. 42. c. 1. *Qui fideliter* Agapas, i. e. *convivia pauperibus exhibent*. In eadem *Diſtinct.* occurrit quoque *Agape*, non ſemel.

mel. Quandoque etiam pro Cœna Domini vox uſurpata reperitur. Vide Spelmannum *Gloſſ.* Secundum alios *Agape* ſeu convivium ſacrum, non unius generis apud Veteres fuit. Inſtruebant enim hi *Agapas*, trium imprimis rerum gratiâ, *Nuptiarum* videl. in quibus invitabatur ipſemet Epiſcopus, dicebanturque *Agapæ Nuptiales* ſeu *connubiales*, *Feſtivitatum* ſanctorum Martyrum, quæ appellabantur *Agapæ Natalitiæ*, & fiebant in templis, & *Funerum* ſeu *Exequiarum* tandem, quæ *Agapæ Funerales* nominabantur; de quibus ultimis Clemens *l.* 8. *Conſt.* (ut dicuntur) *Apoſtolic.* C. 44. *qui in exequiis mortuorum ad convivium funebre invitati eſtis, ordine & timore Dei epulamini, ut valeatis preces pro defunctis exhibere Deo.* Earum magnificentia à S. Paulino, de Aletio, qui pro Rufina uxore, in Baſilica Vaticana, eas celebrârat, ſcribente, his commendatur: *Patronos animarum noſtrarum pauperes, qui tota Româ ſtipem meritant, multitudinem in Aulam Apoſtolicam congregâſti* (pauperes enim, inter alios his conviviis fuiſſe adhibitos, docet Origenes *in Hiob. l.* 10.) *Pulchrè equidem tanti operis in ſpectaculo paſcor. Videre enim mihi videor tota illa religioſa miſeranda plebis examina, illos pietatis divinæ alumnos tantis influere penitùs agminibus, in ampliſſimam glorioſi Petri Baſilicam, ut pro januis atrii, & pro gradibus campi ſpatia coarctentur*, *Ep* 31. &c. Poſtea, ut dictum, abuſu invaleſcente & hæc & illa convivia, omneique *Agape* defierunt, Conciliorum interdictô. Remanet tamen ſimile quiddam hodieque in Orientali Eccleſiâ, ubi Feſtivitatum & Funeralium tempore, convivia ſacra publicè exhibentur, quamvis non intra Templa, ſed penès ipſa ſub dio, vel in privatis quoque ædibus, juxta id, quod Gregorius *l.* 9. *Ep.* 71. Anglis noviter ad fidem converſis perſcripſerat; permittendo eis ſcil. ut non longè *à templis, in tuguriis virentibus, frondibus fabricatis, talia convivia recolerentur.* Cujuſmodi convivium ſumtuoſiſſimum Montis Libani, cui ipſemet interfuit, *Dominic. Macer* deſcribit, habitum A. C. 1624. cùm Papæ nomine ad Patriarcham acceſſiſſet. Celebratum id fuit in Baſilica Patriarchali *Deiparæ Aſſumptionis*, præſentibus Epiſcopis, magnâ Clericorum catervâ & innumerabili Populi confluxu: cùm ſolò hâc die in Cœnobio iſto manducandæ carnis & animalium mactandorum facultas concederetur. At Patriarcha cum cæteris Monachis & Epiſcopis ejuſdem Ordinis, ſeorſim comederunt; Antonii enim Abbatis Regulam ſecuti etiam tum à carne, adeoque in perpetuum indiſpenſabili lege abſtinent, &c. Etiam verò in ruralibus Inſulæ Melitenſis Eccleſiis, quum feſtum aliquod celebratur, ſolent, poſt Veſperarum ſolennitatem, buccellas unà cum fructibus populo diſtribuere: Græci autem placentas & ſubcinericeos panes diſtribuunt; at in exequiis dant frumenti granum coctum & benedictum, quod condimentis variis edulcare ſolent, & Κόλυβα vocant, quô de ritu vide infrà in voce *Coccia*, & plura hanc in rem apud Macros Fratres in *Hierolexico*: Addo ſaltem, quòd & in aliquibus Galliæ Hiſpaniæque locis *Agapas* adhuc in uſu eſſe, refert *Caſalius*, & videtur tale aliquid colligi poſſe, ex lapide S. Ildefonſi Altaris in Æde ſacra Hiſpanorum S. Jacobi Romæ, ex Iiſd. &c. Quia verò communibus illis conviviis, de quibus ſuprà, pauperes adhibebantur, eorumque quodammodo causâ illa peragebantur; hinc factum, ut poſtmodum *Agape*, pro eleemoſyna ſumeretur. Unde B. Auguſtinus Fauſto Manichæo reſpondens, qui Chriſtianos ſacrificia vertiſſe in *Agapes* & idola in martyres &c. calumniabatur, *Agapes noſtræ*, inquit, *pauperes paſcunt, ſive frugibus, ſive carnibus. l.* 20. *contra eum, c.* 4. & 20. Et veteres *Gloſſæ ad can.* 7. Concilii Laodiceni, convivium pauperum *Agapen* vocant. Herigerus Lobienſis in *Vita* S. Urſmari:

Indicens Agapen ſimul & Jejunia crebra,

Inde *Agapen ad oſtium petere*, in *Vita* Vodali Benedicti *num.* 5. *per ſingulos dies Agapen facere pauperibus*, in *Vita* Alberti Abbatis Cambronenſis *num.* 13. ut alia omittam. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Auctores illi magnô numerô hanc in rem laudatos, Salmaſ. inprimis *de Jure Attico & Rom. c.* 3. & 4. Apud eundem diſcimus ex Marculfo *l.* 1. *Form* 51. vocem *Agape*, i. e. Latinè *Charitas*, titulum etiam fuiſſe alius honorarium: Ita enim hic, *Uberem ſtrenuitatis veſtræ Agapen ergo nos potiſſimè jure flagrantem literarum ſerie non omittimus excitare.* Vide Jonam *Præfat. in Vitam S. Columbani.* Ita & Græci Ἀγάπην non ſemel uſurpant, docente *Meurſio*, &c. Plura hanc in rem vide apud virum Cl. Joh. Caſp. Suicerum *Theſaur. Eccleſ.* in hac voce: adde infrà dicenda, voce *Charitas*, item *Diaconia.*

AGAPENOR, præfectus claſſis Agamemnonis. Homer. *Il.* β. Item Ancæi fil. Lycurgi nepos, qui captô Iliô, in Cyprum tempeſtate delatus eſt, ubi Paphum urbem condidit, & fanum in urbe opulentiſſimum. Pauſan. *in Arcad.*

AGAPETA vel AGAPETES, Græc. Ἀγαπηταὶ, nomen, quô Clerici olim notari, quòd cum mulieribus ac virginibus, quas domi ſuæ ſub *Agapetarum* ſeu *Dilectarum* appellatione illi detinebant, prava commercia habere dicerentur. Papias, *Agapeta*, *Lenocinator & qui cum ſeminis illicite converſatur procaciùs Clericus* Nempe erant *Agapetæ* virgines ſeu viduæ, quæ ſub ſpecie cœlibatus ac virginitatis, nuptiis nunciô miſſô, cum Clericis in eadem domo habitabant, ac, ne quæ pravi commercii ſuſpicio eſſet, ſeſe invicem *Dilectas & Dilectos* appellabant, vel etiam *Fratres ac Sorores.* *Agapeta* nempe *Ugutioni, Ancilla dicitur, quæ Chriſto nubere vovit*: Græci eas ſυνεισάκτους vocant. Hieronymo dicuntur *Adoptivæ Sorores*, *Ep.* 27. *ad Euſtoch. Sorores devotæ* aliis, &c. Hi Conſtantinopoli imprimis, charitatis Chriſtianæ prætextu, ſub eodem tecto habitabant: quod non tantùm à Viris ſanctis reprehenſum acriter, ſed & aliquoties in Conciliis damnatum eſt. Hinc S. Hieronym. *Ep.* 22. *ad eandem. Unde in Eccleſiam Agapetarum peſtis introiit? unde ſine nuptiis aliud nomen uxorum? imo unde novum concubinarum genus?* Idem *ad Oceanum, de Vita Clericorum*, de Clericis agit, qui Agapetas amplius quærunt, quàm *Chriſtum.* Nuntium itaque tandem Clerici hi Sororibus hiſce dilectis mittere coacti ſunt, D. Chryſoſtomò mittô muneris ſui, ex Imperatoria ſede, illos magno cum zelo exigente. Neque verò ſolum viri iſtiuſmodi *Agapetas* ſecum habuere, ſed & fœminæ domi ſuæ ſuos *Agapetos*, quod itidem illis prohibitum. Julianus Anteceſſor *Conſtit.* 3. *ex Novell.* 6. *Nulla autem facultas Diaconiſſis tributa eſt, habere ſecum quaſdam velut fratres ſive cognatos, ſeu quos dicere ſolent*, Ἀγαπητοὺς. Vide Epiphanium *Hær.* 63. & 79. Chryſoſtomum *Serm. contra Concubinarios*, & quæ notârunt Pithœus *ad Julianum Anteceſſorem*, ac Jacobus Gothofredus *ad leg.* 44. *Cod. Theodoſ. de Epiſcop.* laudati Car. du Freſne *Gloſſar.* ut & Macer *Hierolex.* Vide & *Agapeta.*

AGAPETÆ, Virginum ſocietas, de qua Hieronym. *Ep.* 2. de cujus abuſu vide Pallad. *Dialog. de vita Chryſ.* abolitione, Baron. *A.C.* 398. & 1139. Item, ſecta Hæreticorum, cui quædam Hiſpana mulier Agape nomen dedit. Prateol. in voce *Agapeti.*

AGAPETUS de Duro Cornu, Abbas Campidonenſis, qui collegit inſignem Bibliothecam, quæ ex negligentia per candelam accenſa conflagravit: ille mœrore animi extinctus eſt, A. C. 817. Bruſchius *in Monaſterio.*

AGAPETUS, hujus nominis *primus* circa A. C. 535. Joanni II. in Pontificatu ſuccedit, & cùm eruditorum virorum copia non eſſet, de publicis ſcholis conſilium proponit, ſed non auditur, quum bellum ingrueret; Hactenus enim tantum privatæ ſcholæ fuerant. Obiit. 11. menſe Pontificatus, Nicephorus. *l.* 17. *c.* 9. Item alius, hujus nominis *ſecundus*, A. C. 949. ſucceſſit Marino Papæ; Othonem contra Berengarium accivit, & ſedit ann. 9. menſ. 7. Leo Hoſtienſ. *l.* 1. & 2. *Flodoardus.* Baron *A.C.* 946. 955.

AGAPETUS, Synadorum urbis Phrygiæ Pacatianæ Epiſcopus ſectæ Macedonianæ, ad Orthodoxam fidem poſtea converſus. Socrates *l.* 7. *c.* 3.

AGAPETUS, Imperatoris Anaſtaſii in Conſulatu collega. An. Urb. Cond. 1117.

AGAPETUS, apud Præneſte puer 13. annorum, ſub Aureliano Principe martyrium paſſus eſt.

AGAPIS, Alexandrinus Philoſophus, in eloquentiæ ſtudiis educatus, in medicinam commentarios edidit, Byzantii ludum aperuit, magnâ doctrinæ famâ, ingeniique ſolertiâ. Voſſ. *de Philolog.* c. 13. Alius, Philoſophus Athenienſis, poſt Proclum Marini Neapolitani diſcipulus, *Suidas.* Tertius, Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus.

AGAR, virgo Ægyptiaca, Abrahæ ancilla, ex qua Iſmaelem habuit, permittente Sara uxore. Vide Gen. c. 16. v. 1. *Advenam* ſignificat, teſte *Comeſtore.* Item nomen oppidi. A. Hirtius *l.* 1. *de Bello Afric. c.* 76.

AGARA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol.* Vide *Barad.*

AGARACES, ager Armeniæ, in quo bolus Armenius reperitur. *Aëtius.*

AGARENI, Arabiæ populi ab *Agar* prædicta denominati, nunc *Saraceni*, ut vulgo volunt, dicti; in quos profectus Trajanus Cæſar cum exercitu, eorum oppid. *Agarum*, mœnibus nudavit, eos tamen nunquam potuit in acie ſuperare, tempeſtate cœli, tanquam divinitus, diremptus. *Dio Caſſius.* Strab. *l.* 16.

AGARIA, provinc. Caſtellæ novæ continet Ducatus de Paſtrano, & de L'Infantado, ut & Marchionatum de Monte majore. Davity *tom.* 1. *de Europa.*

AGARIA, vide *Agria.*

AGARISTA, Cliſthenis filia, adeò formoſa, ut ad habendas ejus nuptias celebrata ſint procorum ſpectacula & certamina, quò ſpecioſiſſimi quique Græciæ adoleſcentes confluxerunt. Herodot. *l.* 6. & Ælian. *Var. Hiſt. l.* 12. *c.* 24.

AGARISTIA, vel AGARISTE, Hippocratis filia, quæ Xantippo nupſit, viſa ſibi eſt in ſomnis parere leonem, & paucos poſt dies peperit Periclem. Plut. *in Pericle.* Herodot. *l.* 6. & *Suidas.*

AGARLAVÆ, Africæ Propriæ locus *Antonino.*

AGARRHA, Suſianæ urbs apud *Ptol.*

AGARUM, promontor. in Sarmatia Europæa. *Ptol.*

AGARUS, Sarmatiæ Europææ fluv. *Ptol.* quem *Sagarim* Ovid. *l.* 4. *Ep.* 10. *ex Ponto v.* 47. vocat, in Boſphorum ſe exonerat, *Ptol.* *Sbert hodie Mercatori.* Urbis etiam nomen, *ibid.* à qua & fluvio nomen *Agarico* radici datum creditur. Cœl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 8. Plin. *l.* 25. *c.* 9.

AGASIA, Britonum Regis filia, Durſto, Scotorum tyranno nupta, poſtea repudiata, H. Boeth. *l.* 2.

AGASIAS, vir fortis & bello clarus, ex Stymphalo Arcadiæ oppido, de quo Xenophon Ἀναβάσ. *l.* 6.

AGASICLES, fil. Archidami II. Spartanorum Rex clariſſimus, ex Proclidarum Familia XIII. cujus extat aureum illud apud *Plut.* Apophthegma; Nullum eſſe firmius ſtabiliendi regni præſidium, quàm ſi Rex ita ſubditis imperet, ut parentes liberis. Vide Plut. *in dict. Lacon. c.* 48. Eum excepit Ariſton fil. quem vide.

AGASO, nomen ſervi. Horat. *l.* 2. *Serm. Sat. ult.*

- - - - Si patinam pede lapſus frangat Agaſo.

Agaſonem equidem nomen ſervi eſſe fateor, ſed appellativum hôc locô, non proprium. *Feſtus. Agaſones, equos agentes*, i. e. ducentes. Sumitur autem locô prædictô pro hippocomo, ſeu equiſone, uti apud Perſium. *Sat.* 5. *v.* 76.

- - - - Hic Dama eſt non treſſis agaſo.

Ita vetus *Scholiaſtes*; *Agaſo propriè dicitur ſervus qui jumenta curat.* *Caſaubon.* ab ἄγω deducit, unde ἀγωγός, ac inde ἀγάζω. Sed & *Agaſo*, domeſticus, adiecla, buccellarius, ſcurra, ſynonyma ſunt. *Gloſſæ* veteres Βουκελλάριος, Βουκελλάριος ὁ παρεδρίων ἐργαζόμενος; ubi ὁ παρεδρίων Græcis dicitur, quem Latini *ſtatorem* vocant, qui ſemper ſtat ad domini juſſa paratus, nec ab ejus latere deſiſtit: Hinc παρεδρίων & παράδρομος, ſervi nomen, in Comœdiis Græcis & apud Latinos Comicos *Parmeno*, idem cum *agaſone* ſeu *ſcurra*, quem poſterior ætas *buccellarium* vocavit. Sed & pro quolibet

liber ſervo *Agaſonem* uſurpatum eſſe, docent optimæ *Gloſſæ*, apud quas ita legimus, *Agaſo, ονηλάτης, ἱπποκόμος, ſervus, in jumentorum cura occupatus.* Hinc *Joh. de Janua, Agaſo propriè dicitur, qui curat jumenta*. ſed ridiculum, quod addit, *quaſi agens ſomarium*. Maximè vero ſpecialiter, *Ugutione* hic vocatus miniſter domeſticus aſinorum. Unde Græciſmus,

Eſt Aſinorum Paſtor Agaſo *bovumque bubulcus.*

In leg. 2. Cod. Theodoſ. de Cohortalib. Agaſones dicuntur *Servi miniſtri* Stationariorum. Vide Salmaſ. *ad Æl. Lamprid. in Heliogabalo c. 33.* & *Severo, c. 61.* ac Car. du Freſne *Gloſſar.* uti de *Agaſone* filio Dionyſio Siciliæ tyranno, Freinſhemium *ad Curtium l. 9. c. 2.*

AGASSÆ, Theſſaliæ, aut ſaltem Macedoniæ Urbs, Liv. *l. 45. c. 27. Pagaſas Turnebus* legit. *Ortelius*, ex *Athenæo Tagaſa*.

AGASTHENES, Rex Eleenſium, pater Polyxeni, qui navibus ſuæ gentis præfuit in expeditione Trojana. Homer. *in Catal.*

Τῶν δ' αὖ τέτρατος ἦρχε Πολύξεινος θεοειδὴς,
Υἱὸς Ἀγασθένεος Αὐγηϊάδαο ἄνακτος.

AGASTROPUS, Pæonis fil. inter primos Trojanorum bellatores, a Diomede vulneratus in coxa mortem obiit. Homer. *Il. λ. v. 338.*

Ἠ' τοι Τυδείδης υἱὸς Ἀγάστροφον οὔτασε δουρὶ
Παιονίδην ἥρωα κατ' ἰσχίον.

AGASTHUS, Athenienſium Archon 2. regnavit ann. 36. legitur Ακαστος. *Acaſtus.*

AGASUS, portus. Plin. *l. 3. c. 11.* vulgò *Porto Greco*. Locus in ora Apuliæ Dauniæ in Italia, prope montem Garganum, in provinc. Capitanata.

AGASYLLIS, Hammoniaci arbor, dicta eſt apud *Dioſcoridem*, Καλεῖται δὲ αὐτὸ ὁ δένδρος ἀγασυλλίς: quam falsò *Metopon* vocat Plin. *l. 12. c. 25. Ergo Æthiopiæ ſubjecta Africa Hammoniaci lacrimam ſtillat in arenis ſuis, unde & nomine etiam ab Hammonis oraculo, juxta quod gignitur arbor, quam Metopon vocant, reſinæ modò aut gummi.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 35.*

AGATHA, Catinenſis virgo (*Volaterranus* habet, Carthaginenſis) ſub Quintiano Siciliæ proconſule, fidiculis eculeôque vexata, quod Diis thura dare nollet: mamillis deinde torta, cui & una adempta eſt, nec non ſuper prunas teſtis permiſtas aliquandiu volutata: tandem plurimis aliis tormentis vexata, martyriô decorata eſt. Marulus *l. 5. c. 6.* Fulgoſius *l. 3. c. 3.* & Sabellicus *l. 5. c. 8.*

AGATHA, *Ptol. Strab. l. 4.* Plin. *l. 3. c. 4.* & *Steph.* urbs eſt & inſula provinciæ Narbonenſis, quondam Maſſilienſium. *Agde Moreno. Agde Jo. Poldo*, qui ſcribit hanc à nonnullis Hiſtoriographis quoque *Civitas Nigra* appellari. *Agathetyche*, i. e. *Bona Fortuna* à Timoſthene dici tradit *Steph.* longitud. 24. 50. latitud. 42. 40. Item urbs Campaniæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Beneventano, inde 16. mill. paſſ. Capuam verſus. Eſt & inſula Lyciæ, & urbs Phocidis, quam aliqui *Agathiam* vocant. *Steph.*

AGATHA, Urbs Occitaniæ, 7. leucis diſtat Narbone, Monpeſſulanum verſus 10. in ora maris Mediterranei & ſinus Leonini, prope oſtia Arauratis fluv. Dicta autem *Bona Fortuna* videtur à Maſſilienſibus, quorum ἀποικίαν illam Strabo *l. 4.* vocat, cùm in agro Volcarum Tectoſagum capto conderetur, ob alicujus prælii felicem eventum: ſicut iidem Nicæam vocavêre, ob victoriam ex Liguribus relatam. Sed jam *Plinii* ætate, conditoribus ſuis non amplius paruit. Nimirum Maſſilienſibus dedentibus ſeſe Cajus Cæſar abſtulerat omnia, præter libertatem, & ſuis eos agris oppidiſque ſpoliaverat. In veteri *Notit.* inter provinc. Narbonenſis primæ civitates octo, nunc quintô locô, nunc & ſæpius quartô locô ponitur *civitas Agathenſium*, poſt Narbonem videl. Toloſam & Beterras. *Notitia* autem *Galliæ vetuſtiſſima*, quæ Honorii principatu compoſita videtur, ejus non meminit, quòd forſan tum civitas aut ſedes Epiſcopatus nondum erat. Certè non ante Meſſallæ V. Cl. Conſulatum, ſeu A. C. 506. quô in hac urbe Concilium habitum eſt in S. Andreæ baſilica; quæ hodieque major urbis eſt Eccleſia, Epiſcoporum Agathenſis quiſquam meminit. Huic autem Synodo interfuit atque ſubſcripſit *Sophronius Epiſcopus civitatis Agathenſis annô 22. regni Alarici Regis*. In Gothorum enim regno, i. e. in Septimania vel Gothia, ſitam, memorat Gregor. Turonenſ. *Hiſtor. Franc. l. 6. c. 2.* & Appendix Chronici Fredegarii, inter *regionis Gothicæ urbes famoſiſſimas*, illam ponit: quam cum Nemauſo & Biterris Carolus Dux & Princeps Francorum Saracenis ademit. Vulgò *Agde* dicitur. Vibius Sequeſter *l. de Flum.* meminit *Cyrta* fluvii Maſſilienſium, juxta Agatham, in mare Gallicum effluentis, quem Galli linguâ patriâ *Arauraricum* vocabant, incolæque nunc *Erau* appellant. Fortè enim Maſſilienſes, cum urbem conderent, fluminis Agathenſi Græcum dedêre nomen, & à flexuoſis recurſibus, quaſi *curvum* vel incurvum, illud *Cyrtam* dixêre. Inſulam urbi proximam cognominem *Ptolemæus* habet, ſed nulla eſt nunc ei adjacens, præter *Blaſconem*, vulgò *Briſcou*, niſi fortè hæc ipſa à Maſſilienſibus linguâ ſ à *Agatha* quoque vocata fuit: Hodie verò Blaſco inſul. continenti juncta, injectâ mari mole, & urbi pro portu eſt, *Hadr. Valeſ.*

Loca Diœceſi Agathenſi contenta.

Agatha, *Agde*	Marcellianum, *Marcelhan.*
A[illegible]ra ſive Ceſſero ad Arauratem fluvium a Monaſterio S. Tiberii, S. Ti[illegible], & corruptè S. Tiberi dicta.	Melva, *Meze.*
	Montaniacum, *Montignac*
	Punctum, *Pinet.*
	Piſcenæ, *Pezenas.*
	Villa-magna, *Ville-maigne*, Monaſteriô veteri illuſtris,
Florentiacum, *Florenſac.*	
Lupianum, *Loupian.*	&c.

AGATHA, nomen gemmæ, vide ſuprà *Achates*

AGATHA Gothorum, ſeu *Agathopolis*, urbs Principatus ulterioris in regno Neapolitano Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Beneventano.

S. AGATHA, Principatus Calabriæ ulterioris prope Rhegium. Item, Ducatus provinciæ Capitanatæ.

AGATHARCHIDAS, Dux Corinthiorum. Thucyd. *l. 2.*

AGATHARCHIDES, Hiſtoricus Samius, in ſecundo rerum Perſicarum laudatur Plut. *l. Parall. Minor. c. 2. Biblioth. Phot. c. 213. 250.* Diodoro Sic. *l. 3.* Joſeph. *contra Appion. l. 1.* Eundem Plut. junior citat ἐν τοῖς Φρυγιακοῖς *l. de Fluminibus*. Et alibi, ἐν τετάρτῳ περὶ λίθων. Fortaſſe idem eſt, ac Cnidius, de quo vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l. 1. c. 20.* & *l. 3. p. 316.* Vixit hic ſub Ptolemæo Philometore, primuſque veram Niliaci incrementi cauſam literis mandavit, apud Diodor. Sic. *l. 1.* ubi illam *ab Æthiopia imbribus* acceſſit, *qui ab æſtivo Solſtitio uſque ad æquinoctium Autumnale, continue effundantur. Quod enim vetuſtiores, Calliſthenes, Ariſtoteles, Thraſyalces Thaſius, Homer. conjectura, recentiores ipſo viſu cognoverunt*, Strabo *l. 17.* Poſteà verò res certius innotuit ſub Ptolemæis, maximè Philadelpho, qui *ſecundi cupidus, propter imbecillitatem corporis, ſe ſemper novitatis ſuavitates undique quæſivit*, Idem *ibid.* Vide quoque *infrà Alvarez Franc.*

AGATHARCHUS, nomen viri, qui ſtadium vicit Olympiade 61. imperante Athenis Heraclio. Dionyſ. Halicarn. *l. 4.* Item claſſis Syracuſanæ præfectus. Thucyd. *l. 3.* Item Pictor, qui cùm apud *Zeuxim* mirâ celeritate ſe animalia depingere gloriaretur, Ego vero, inquit Zeuxis, longô tempore. Nam in opere faciundo promptitudo ac celeritas haud poteſt ſtabilem gravitatem, & exquiſitam pulchritudinem rebus adjungere Plut. *in Pericle.*

AGATHEMERUS Orthon, in lucem edidit Hypotypoſes Geographicas, quas inter alios hujus argumenti ſcriptores, juris publici fecit *Iſ. Voſſ.* Ut Pater promiſerat, *de Philologia c. 11. §. 8.*

AGATHERNUS Claudius, vide *Claudius*

AGATHI *Dæmonis*, Inſul. eſt apud *Steph.* in Indico mari. Eſt & fluvii nomen, in inferiori Ægypto. *Ptol.*

AGATHIA, Phocidis Urbs. *Steph.* ex Hellanico.

AGATHIAS, ſive ut ſe in Epigrammatis vocat, *Agathius*, hiſtoricus Græcus, natus Myrinæ, quæ in Aſia veterum Æolenſium colonia fuit, ad oſtia Pythici fluv. ſita, ut ipſe in *Præfatione* ait, ubi & ſe patre Memnonio propagatum aſſerit, ac juri & legibus operam dediſſe, unde & *Scholaſticus* vocabatur, qui aliô nomine *Advocatus* dicitur. Erant enim *Scholæ* collegia Juriſperitorum. Fuit autem Advocatus Smyrnæ, teſtante *Suida*, qui eum χολαστικὸν Σμυρναῖον vocat. Præter Epigrammata multa, quæ in *Anthologia* habemus, condidit *libros 5. de Imperio & rebus geſtis Juſtiniani*, nec tamen omnia de eo refert, ſed inde, ut ipſe ait, cœpit, ubi deſiit *Procopius*. Etiam Δαφνιακά, atque alia, partim proſâ, partim carmine exaravit, ut *Suidas* teſtatur; imò meminit ipſe in *Præfatione hiſtoriæ ſuæ*, ubi ſe à puero ait admodum carmine fuiſſe delectatum, ac panxiſſe hexametrô verſu poëmatia quædam amoribus, & iſtiuſmodi illecebris variegata, eaque *Daphniaca* appellari. Dictione utitur terſâ & floridâ. Gentilem fuiſſe præter alia oſtendit illud Θεοῖς, quô *l. 3.* utitur, cùm ſermo ſit de Martyrio B. Stephani. *Nic. Lloydius.*

AGATHICUM, oppid. terræ motu collapſum, ſub Anaſtaſio Imperatore, ſcribit *Amm. Marcellino*. Comitatus Aſiæ minoris fortè.

AGATHIRNUM, vide *Agathyrſus.*

AGATHO, Pontifex Romanus tantæ manſuetudinis & humanitatis, ut neminem à ſe unquam dimiſerit triſtem. *Platina.* Vide & *Agathon.*

AGATHO, Athenienſis, vir monſtroſæ fortitudinis, & magnitudinis, tempore Adriani Principis, & Herodis Attici, de quo vide Philoſtratum *in Attico*. Aliis *Agathion.*

AGATHO, Hiſtoricus Samius. Plut. *in parall.* Vide infra.

AGATHO, Philoſophus Pythagoricus, frequens antatheris, adhibitus quondam convivio ab Archelao Rege, cujus erat familiariſſimus interrogatuſque ab eo, cùm jam eſſet annorum 80. an robur adhuc ullum ſervaret? Satè, inquit, non ſolum Ver, ſed Auctumnus ſolet bona & proſperitatem adferre. Ælian. *Var. Hiſt. l. 13. c. 4.* Item Samius Hiſtoricus, & duo Poëtæ, Voſſ. *Hiſt. Græc. l. 3. p. 317.* & *Poet. c. 6 & 7.* Fil. Priami, Homer. *Il. ω.* Præfectus tandem arcis Babyloniæ, Curt. *l. 5. c. 1. & l. 10. c. 1.* Vide etiam *Agathon.*

AGATHO, tubicen, cantilenarum ſuavitate mirum in modum amores deliniens, cujus mores muſicæ non diſſimiles fuiſſe perhibentur. Laboravit enim Infamiâ mollitiei. Hinc factum eſt Proverb. *Agathonis cantio*; quod rectè dicetur de oratione blandâ magis, quàm frugiferâ. Primus chori Tragici cantum inſtituit. Ariſtotel. *in Poetic.*

AGATHOCLEA, Ptolemæi ſcortum. Juſtin. *l. 30. c. 1.*

AGATHOCLES, Babylonius, ſive Cyzicenus, utrôque enim modò ab Athenæo appellatur, *l. 9 & 12.* Cyzicenorum res ſcripſit. Fuit præterea alius, Chius; rei Ruſticæ ſcriptor, de quo Varro *l. 1. c. 1.* & Columella. *l. 1. c. 1.* Eſt & *Agathocles* Atracius, qui de piſcibus, ſolutâ oratione ſcripſit. Item *Agathocles* Samius, qui de Peſſinuntiorum Republica, & *Agathocles* Mileſius, qui de Fluminibus ſcripſit.

AGATHOCLES, Archon Athenis, Olymp. 105. An. 4

AGATHOCLES, Macedo, ex urbe Pella, Pater Lyſimachi.

AGATHOCLES, Peripateticus, qui cùm apud Demonactem jactaret, ſeſe & ſolum & primum eſſe Dialecticorum: reſpondit ei Demonax, ſi ſolus es, qui primus eſſe potes? ſi primus, qui ſolus? Eraſ. *l. 8. Apophtheg.*

AGATHOCLES, Siciliæ tyrannus, ad regiam majeſtatem ex humili & ſordido genere pervenit. Quippe patre figulô natus, non honeſtiorem pueritiam, quàm principia, originis habuit. Siquidem formâ, & corporis pulchritudine egregius, diu vitam ſtupri patientâ exegit. Annos deinde pubertatis egreſſus, libidinem a viris in fœminas tranſtulit. Poſt hæc apud utrumque ſexum famoſus vitam latrociniô mutavit. Tandem cum Syracuſas conceſſiſſet, gregariam militiam ſortitus, in omne facinus

promptiſſimus fuit; nam & manu ſtrenuus, & linguâ facundus fuit. Brevi itaque centurio, ac deinceps tribunus militum factus, ac ad poſtremum, in locum demortui ducis Damalconis ſuffectus eſt: cujus uxorem adulteriô cognitam, poſt mortem viri in matrimonium accepit. Nec contentus, quòd ex inope dives repentè factus eſt, piraticam adverſus patriam exercuit. Saluti autem ei fuit, quòd ſocii capti tortique de illo negaverunt. Bis occupare imperium Syracuſarum valuit, bis in exilium actus eſt. Poſtremò, dux patriæ contra Carthaginenſes ſæpè pugnavit. Obiit an. ætat. 72. regni, 28. Multa de eo Juſtin. *l.* 22 & Polybius *l.* 15. *ſub finem.* Plut. *Apophth.* 26. &c. Hujus exemplô ad modeſtiam omnes hortatur Auſonius, elegantiſſimô epigrammate, quod ſic ſe habet, *num.* 8.

Fama eſt, fictilibus cœnaſſe Agathoclea Regem,
Atque abacum Samiô ſæpe oneraſſe lutô.
Fercula gemmatis cum poneret aurea vaſis,
Et miſceret opes, pauperiemque ſimul.
Quærenti cauſam, reſpondit: Rex ego qui ſum
Sicaniæ, figulô ſum genitore ſatus.
Fortunam reverenter habe quicunque repentè
Dives ab exili progrediêre locô.

Quamvis Agathoclem apud figulum educatum tantùm, non natum Plut. ſcripſit *lib. De ſua ipſius laude.*

AGATHOCLES, Lyſimachi fil. in eo bello, quod cum patre geſſit adverſus Getas, Lyſimachô ſibi fugâ conſulente, captus eſt; Tandem patri redditus, Lyſandram Ptolemæi Lagi & Eurydices filiam duxit uxorem, atque in Aſiam navibus tranſgreſſus, Antigoni regnum in ſuam ditionem redegit. Epheſum præterea urbem ad mare condidit, in quam Lebadios Colophoniuſque, deletis eorum urbibus, migrare compulit, ut Phœnix Colophonius, Poëta Iambicus teſtatur, qui *patriæ everſionem carmine* deflevit. Tandem Lyſimachus jam ætate provectus, Arſinoën Lyſandri ſororem cepit uxorem, quæ quoniam liberis timebat, ne Lyſimachô mortuô, in Agathoclis jura venirent, de ejus nece cogitâſſe fertur. Alii Agathoclis amore captam Arſinoën prodiderunt, ac eum curâſſe occidendum, quod ejus concubitum aſſequi nequiret. Quô occiſô Lyſandra ad Seleucum cum liberis confugit. Ad poſtremum verò Lyſimachus conſertâ cum Seleuco acie longe lateque fuſus, occubuit. Pauſan. *in Att.* & Strabo *l.* 13. Alius fuit Agathocles, Curt. *l.* 10. c. 4 qui, cùm Hephæſtionem defunctum fleſſet, parum abfuit, quin occideretur.

AGATHOCLES, Hiſtoricus Græcus Babylone oriundus. Scripſit de Republ. Cyzicenorum Athen. *l.* 1 9. *&* 12. Solin. *c.* 1. Cicer. *l.* 1. *de divinat.* Alius, Chienſis, de agricultura, Varro & Columella, *l.* 1. *c.* 1. & Plin. *l.* 22. *c.* 22. Tres alios, vide apud Voſſ. *de Hiſt. Gr. l.* 3. *p.* 216. *ſ.*

AGATHOCLIS Inſulæ duæ, in Sinu Arabico, apud *Ptol.* *Agathoclis turris*, in Africa locus, 30. ab Utica diſtans milliarib. Appian. *in Punicis.*

AGATHODÆMONES, apud Lamprid. *in Heliogabalo,* *c.* 28. *Ægyptios dracunculos Romæ habuit, quos illi* (dicere volebat *Phœnices*) Agathodæmones *vocant*: cognomen nempe Græcum hoc draconum fuit. Philon Byblienſis apud Euſebium *de Præpar. Evangel. l.* 1. *c.* 7. poſtquam Phœnices & Ægyptios, auctore *Taauto*, docuit draconum & ſerpentum naturæ divini aliquid attribuiſſe: Φοίνικες δὲ, inquit, (τὸ ζῶον) ἀγαθὸν δαίμονα καλοῦσιν. ὁμοίως δὲ Αἰγύπτιοι Κνὴφ ἐπονομάζουσι, *Hoc autem animal, Phœnices* agathodæmona *vocant*, *& Ægyptii ſimiliter Cneph appellant.* Et Servius in hæc Poëtæ Virg. de vipera. *Georg. l.* 3. *v.* 417.

- - - - Cœlumque exterrita fugit.

I. e. inquit, *tectis gaudet, ut ſunt ἀγαθοὶ δαίμονες quos Latinè Genios vocant.* Quò Lucanus alludens, de draconibus dixit *l.* 9. *v.* 727.

Vos quoque, qui cunctis innoxia Numina terris,
Serpitis, aurato nitidi fulgore dracones,

Et Sir & Iſidori Sirena (imo Siren) *Sirenæ, ait, ſunt in Arabia ſerpentes cum alis.* Et Eucherius, *Sirenæ in Eſaja dæmones, aut dracones magni, criſtati pariter & volantes.* Et multò antè Hieronym. *in Eſaj.* *c.* 13. *v.* 22. *Sirenæ autem* תנים *vocantur, quas nos aut dæmones aut monſtra quædam vel certè dracones magnos interpretati ſumus, qui criſtati ſunt & volantes.* Melius *Sirenes* dixiſſent, quas Poëtæ multò aliter deſcribunt, &c. Atque hinc fortè Arabicum nomen *Agadæmon* ortum, quò draconis aliquod denotari genus, Avicenna refert. Iſtiuſmodi verò dracones deliciarum cauſâ aut ſuperſtitionis domi ali conſueviſſe, ex *loco citato* Lampridii patet, & multa in hanc rem dixit Caſaubon *ad Suetonium edit.* 2. *l.* 3. At quod de alis addunt Auctores, meritò rejicit *Bochartus*, cùm fabula hæc à Mythologis Poëtiſque ſolis originem traxerit: apud quos tamen *alatorum draconum* nomine, vel ob curſum obliquum ac verè ſerpentem, vel ob inſignia, quibus illuſtres erant, naves indigitari, Eruditis notum. Vide Samuelem hunc Bochart. *Hieroz. part. poſter. l.* 3. *c.* 14. & infrà paſſim.

AGATHON, Siculus, Pontifex 81. Obiit A. C. 682. Vide *Anaſtaſ.* Baron. *A. C.* 678. 682.

AGATHON, Abbas, qui lapillô aſſiduè ori injectô tacere didiciſſe fertur: idque ab eo annos tres obſervatum, ne etiam cùm fari vellet, expeditum ſibi foret. Marulus *l.* 4. *c.* 6.

AGATHON, ab Alexandro Magno arci Babyloniæ præſidere juſſus. Curt. *l.* 5. *c.* 1. Ob avaritiam & crudelitatem in populum à Rege vinctus, poſt reditum ex India, aſſervari juſſu *l.* 10. *c.* 1. Fuit verò oriundus Pydnâ, teſte Diodorô Sic. *l.* 17. *parte poſteriore.*

AGATHON, Epiſcopus Panormitanus, de quo Marulus *l.* 4. *c.* 12.

AGATHON, Alexandrinus, ex ordine militari, cùm quoſdam petulanter cadaveribus martyrum illudentes objurgâſſet, ſtatim clamorem vulgi in ſe irritavit: oblatus igitur judici, cùm in confeſſione Chriſti perſiſteret, capitis damnatus eſt. *Henric. Erford.*

AGATHON, Poëta Comicus Samius, Platonis philoſophi præcipuus amicus, cujus fabula ἄνθος inſcripta, ab Ariſtotele celebratur. Gorgiam in jambicis imitatus eſt: eum fœdô amore Pauſanias figulus amavit, de quorum amatoriis contentionibus, Ælian. *l.* 2. *Var. Hiſtor. c.* 21.

AGATHON, Samius Hiſtoricus, libros edidit rerum Scythicarum. Plin. *l. de Flum.* Ἀγάθων ὁ Σάμιος ἐν β΄ Σκυθικῶν. Idem citat ſecundum περὶ ποταμῶν, uti & facit Stobæus *Serm. de moribus*, & moleſtiarum in eis ſolutione. Ex Agathone hoc quædam de Buſiride hoſpites mactante, poſteaque ab Hercule interfecto refert Plut. *in Paral. min. c.* 38.

AGATHON, Tragicus Poëta, mollitie infamis. Ab alio Comicus perhibetur Socratis diſcipulus, moribus egregius & vitâ lautus. Sympoſium Platonis, in ejus convivio, conſcriptum fuiſſe ajunt, multis eò Philoſophis congregatis. Contulit ſe ad Archelaum Macedoniæ Regem. Scholia *in Ranis Ariſtoph. Act.* 1. *Sc.* 2.

AGATHON, Priami fil. Homer. *Il. ω. v.* 249.

Νέστορά τ' Ἀντίφονόν τε, βοὴν ἀγαθὸν τ' Ἀγάθωνά τε δῖον.

AGATHONIS, Inſula ſinus Arabici, verſus Ægyptum. *Ptol.*

AGATHONYMUS de Perſiæ rebus egit. Plut. *lib. de Flum.*

AGATHOPOLIS, urbs Galliæ Narbonenſis *Ptol.* poſtea mons Peſſulanus, vulgò *Montpellier.* Alii eſt *Magalone*, Maſſilienſium opus, in Agatha Inſul. Hæc periit, Epiſcopatu Montempeſſulum tranſlatô. Inſula autem nomen retinet *Maguelone.* Vide *Magalone* & *Monſpeſſulanum.* Fuit etiam urbs Thraciæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Hadrianopolitano. Vide quoque *Agatha.*

AGATHOSTHENES, in Aſiaticis carminibus citatur à Germanico *in Aratæa*, ubi ex eo narrat, Cynoſuram fuiſſe Jovis nutricem, unam ex Idæis nymphis. Nec dubium, quin idem opus ſignet Tzetzes *Chil.* 7. *Hiſt.* 144. ubi aliqua de mirandis hominum formis tradidiſſe teſtatur. Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 317.

AGATHOSTRATUS, contra Ptolemæi Regis Navarchum inſignem obtinuit victoriam. Videtur Rhodius fuiſſe. Polyæn. *l.* 5.

AGATHUSA, inſul. unguentô nobilis, ſic à *Callimacho* nuncupata. Vide *Telos.*

AGATHUS-DÆMON, Alexandrinus, ſcripſit de mundo, ſecundùm ſententiam *Ptol.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *p.* 501. *& de Scient. Mathem. c.* 42.

AGATHUS-DÆMON, apud *Ptolemæum*, ubi de Nilo, Μέγα Δέλτα καλεῖται, ὅπου ἐκτρέπεται ὁ μέγας ποταμὸς καλούμενος Ἀγαθὸς Δαίμων, ἐκρέων διὰ τοῦ Ἡρακλεωτικοῦ στόματος, εἰς τὸν καλούμενον Βουβαστιακὸν, ὃς ἐκρεῖ διὰ τοῦ Πηλουσιακοῦ στόματος, *Magnum Delta vocatur, ubi diverticulum facit magnus fluvius, dictus Agathus-Dæmon, qui per Heracleoticum oſtium defluit; Bubaſtiacum amnem ex ſe faciens, qui effluit per oſtium Peluſiacum*: major eſt Nili pars, quæ per oſtium Heracleoticum ſive Canopicum in mare exit. Idem *Agathos-dæmon*, ἐκτρέπεται εἰς Βουβαστιακὸν ſlov qui exit oſtiô Peluſiacô, h. e. diverticulum ex ſe facit, cui nomen eſt Bubaſtiaci fluminis; quæ prima amnis ἐκτροπὴ tantùm eſt, ab auctore flumine deducta: quæ poſtea alias atque alias ſubinde ectropas generat, quæ per diverſos exitus in mare devolvuntur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 477.

AGATHYLLUS, Arcas, Poëta elegiographus: à Dionyſ. Halicarn. laudatur in iis, quæ de adventu Æneæ in Italiam prodidit. *l.* 1 *de Antiq.*

AGATHYRNUM, ſive AGATHYRIUM, *Ptol.* vel *Agathyrſum Straboni* & Plinio. *l.* 3. *c.* 8. oppid. Siciliæ. Sil. *l.* 14.

Deſeruere Agathyrna manus, geminóque Lacone
Tyndaris. - - - -

Oppidum hoc condidiſſe fertur Agathyrnus, Æoli, Regis ventorum, fil. Illi enim ſex filii erant, quorum Ἀγάθυρνος βασιλεύσας τῆς νῦν ὀνομαζομένης Ἀγαθυρνίτιδος χώρας, ἔκτισε πόλιν τὴν ἀπ' αὐτοῦ καλουμένην Ἀγάθυρνον. Ita Diodor. Sic. *l.* 5. Græcis enim ſemper ſuppetit fabularum penu inexhauſtum, unde urbium quamlibet vetuſtarum conditores depromant. Bocharto autem *l.* 1. *Chanaan c.* 27. *Agathyrni* nomen deflexum videtur, ex Punico [illegible] *Hakkatharim*, vel *Hakkathorim*, quaſi *rupes* dixeris. Nempe urbem hanc probant Fazellus & Cluverius eſſe oppid. S. Marci, de quo ille *Dec.* 1. *l.* 8. *c.* 4. *In ſublimi colle, agro & mari ad paſſuum tria millia prominentis S. Marci incubat oppidum.* Et mox. *Ad eius arcem in rupe ſitam.* Videtur Cluver. *Sicil. Ant. l.* 2. *c.* 5. *Nic. Lloydius.*

AGATHYRSA, vide *Nimbus.*

AGATHYRSI, populi Scythis vicini. Ubi nunc provinc. Cargapolia & Vuloghda, in Moſcovia, teſte *Brietio.* *Hieronym.* Hi multum habent auri ſine avaritia, ſine invidia. Atqui populi ſunt, mollitiei perquam deditiſſimi, ſi Herodoto fides, cujus verba, *Muſâ* 4. hæc ſunt: Ἀγάθυρσοι δὲ ἁβρότατοι ἄνδρες εἰσὶ καὶ χρυσοφόροι τὰ μάλιστα. Vide & Plin. *l.* 4. *c.* 12. A ſcriptoribus etiam plurimis *Picti* dicuntur, idque quoniam verſicoloribus veſtibus induuntur, quanquam alii de nativo colore intelligunt. Sed non hic litem hanc dirimendi locus. Virg. *l.* 4. *Æn. v.* 146.

Creteſque, Dryopeſque fremunt, pictique Agathyrſi:

Solin. *c.* 20. *Gelonis Agathyrſi collimitantur, cæruleo picti, fucatis in cæruleum crinibus, nec hoc ſine diſcrimine. Nam quantò quis alteri præſtat, tantò propenſiore notâ tingitur, ut ſit judicium humilitatis minus pingi.* Dicti autem ſunt, uti nonnullis placet, ab *Agathyrſo* Herculis filio, vel, ut *Piſander* vult, ἀπὸ τοῦ θύρσου τοῦ Διονύσου, inquit *Suidas.* Bochartus verò *l.* 3. *Phaleg. c.* 2. *Agathyrſos* à *Thiras* deducit (qui Græcis Θρᾷξ) quod ipſum nomen, inquit, ultimâ ſuî parte videtur alludere ad *Thiras.* *Immanes* vocat Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 125.

Sauromatæque truces, aut immanes Agathyrſi.

Nic. Lloydius.

AGATHYRSUS, Geloni frater, Herculis fil. *Steph.* à quo populi *Agathyrſi* nonnullis dicti ſunt, de quibus vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 189. & in voce *Agathyrſi.*

AGATHYRSUS, *Straboni* Siciliæ promontor. *Agathyrſus Ptol. Agathyrna*, Liv. *l.* 26. *c.* 40. *Agatyrnum*, Plin. *l.* 3. *c.* 8. Cabo *S. Vito* hodie, ſi *Fazello* fides. *S. Fradelio*, ſi Cl. *Aretio*. Alii tamen *S. Theodoro* interpretantur. Vide *Nimbus*.

AGATINNUS, vel AGANTINNUS, vide *Agathyrnum*.

AGATIRNA, vide *Ibidem*.

AGAVA, Africæ, in Pentapoli regione oppid. *Ptol. Audan* Latini codices habent.

AGAVE, Cadmi & Hermiones filia, Echioni Thebano nupſit, ex quo Pentheum filium ſuſcepit, qui cùm abſtemius eſſet, ac propterea Bacchi ſacra deſpicaretur, ab ipſa matre, reliquiſque Mænadibus, inter Bacchanalia, jam Rex Thebarum, membratim diſceptus eſt. Horat. *l.* 2. *Sat.* 3.

Quid, caput abſciſſum demens cùm portat Agave
Nati infelicis, ſibi tum furioſa videtur?

Fabulam hanc curioſè tractat Ovid. *l.* 3. *Met.* & ante illum Theocritus *Idyll.* 26. Plut. *de Superſt. c.* 8. Vide Mythologos. Lubet hîc adnotare, quomodo Poëtæ paſſim exemplô hôc pro ſimilitudine utantur. Lucan. *l.* 1. *v.* 574.

- - - - - - *Thebanam qualis Agaven*
Impulit, aut ſævi contorſit tela Lycurgi
Eumenis. - - - - - - - - - - - - -

Statius Theb. *l.* 11. *v.* 318.

- - - - - - *Penthea qualis*
Mater ad inſani ſcandebat culmina montis,
Promiſſum ſævo caput allatura Lyæo.

Seneca Tragœdus *Herc. Actu* 2.

- - - - - - *Qualis attonita & furens*
Cadmeïs mater abſtulit nato caput.

Claudian. *l.* 2. *in Eutrop.*

Quales Aonio Thebas de monte reverſæ
Mænades, infectis Pentheï ſanguine thyrſis,
Cùm patuit venatus atrox, matrique rotatum
Conſpexêre caput, greſſum caligine figunt,
Et rabiem dediſſe dolent.

Vide *Pentheus*.

AGAVE etiam fuit Statii poëtæ Tragœdia. Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 87.

- - - - - *Sed cùm fregit ſubſellia verſu,*
Eſurit, intactam Paridi niſi vendit Agaven.

AGAVI, populi, ut putant, Septentrionales, quos Homer. circa *initium l.* 13. *Il.* dixit, gentem fuiſſe innocentiſſimam, utquæ ſine divitiis, equinô lacte victitet. Vide Scholiaſtas *in locum*. *Heſych.* Ἄγαυοι, ἔθνος Σκυθικόν.

AGAUNUM, Helvetiorum oppid. quod rupibus undique cingitur, apud Rhodanum fluv. in confinio Valleſiæ regionis inter Sedunum ad ortum 24. & Genevam ad Occidentem 30. mill. paſſ. hodie *S. Mauritii.* longitud. 28. 25. latitud. 45. 39. Olim etiam *Tarnade* dictum. Nobilitatum eſt martyriô S. Mauritii & Sociorum. Vide B. Rhenanum *Rerum German. Nov-Antiquarum l.* 3. *cum Notis* Viri Cl. Jac. Ottonis p. 485. & *ſeqq.*

AGAVUS, unus è novem Priami filiis poſt Hectorem interemptum ſuperſtitibus. Homer. *Il. ult.*

AGAZZIRI, gentis nomen, circa Viſtulæ amnis oſtia, *Agathia* & *Jornandi*.

AGBARUS, vide *Abgarus*.

AGBATANA, vide *Ecbatane*.

AGBUS, Rex Æthiopiæ A. C. 100. *Genebrard.*

AGDAMEA, Phrygiæ urbs, apud *Socr.* & Calliſtum, *l.* 14. *c.* 39. cujus Epiſcopum Optimum nominat. *Argadamea* apud Ivonem, *ad calcem Epiſtolarum: Argdamea* ſine a in ſecunda, in Tripartita hiſtoria *l.* 12. *c.* 8. *In parte Orientali Genabum* legitur, longè diverſâ lectione.

AGDAMI, civitas Arabiæ Felicis, *Ptol.*

AGDLI, populi quidam. Plin. *l.* 6. *c.* 7. Alii *Agedi*.

AGDENITES, Carmaniæ populi *Ptol.* quos Græcus codex ignorat.

AGDESTIS, vel AGDISTUS, mons Phrygiæ prope Peſſinuntem oppid. ubi Attis ſepultus. Pauſan. *in Atticis*. Quin & mater Deûm ſic nuncupata. *Heſych.* Ἄγδιστις ἡ αὐτὴ τῇ μητρὶ θεῶν. Idem docet Strabo *l.* 10. ubi vulgò Ἄγιστιν legitur, unde *Lil. Gyraldus* Ἐγδιστιν credebat. Sed rectum eſt Ἄγδιστιν vel Ἄγδιστιν. Eſt autem *Agdeſtis*, nunc lapis, nunc juvenis ex eo natus, nunc ipſa Cybele. Voſſ. *l.* 1. *de Idolol. c.* 20. Inde *Agdeſtius furor* apud Arnob. *l.* 5. *adv. Gent.*

AGDUS, petra inauditæ vaſtitatis in Phrygiæ finibus, ex qua Deucalion & Pyrrha ſumpſerunt lapides, quos Themidis mandato, in orbem mortalibus vacuum jactârunt. Arnob. *adv. Gent. l.* 5. Vide Voſſ. *de Theol. Gent. loc. cit.*

AGEDI, Sarmaticæ Aſiaticæ populi, Plin. *l.* 6. *c.* 7.

AGEDICUM, vide *Agedincum* & *Agendicum*.

AGEDINCUM, oppid. Galliæ, in finibus Senonum, ubi *ſex legiones in hibernis collocâſſe ſe*, refert Cæſar *Bell. Gall. l.* 6. *c.* 44. Ibidem ſequenti annô *duas legiones atque impedimenta totius exercitus reliquit*. Idem *l.* 7. *c.* 10. Non modò enim propter magnitudinem munitionesque urbis, ſed etiam propter opportunitatem loci ad Icaunam, inter Ligerim & Sequanam poſiti, valdè Romanis placuit ac pro armamentario proque caſtris nonnunquam *Agedincum* habitum eſt. *Agedicum Ptolemæo* dicitur: aliis *Agendicum*, ſed propriô ac incorruptô nomine caput hoc Senonum *Agedincum* vel *Agetincum* vocatum eſt olim: quô nomine poſteà depoſitô, Gentis ſuæ appellationem ſuſcepit. Unde Amm. Marcellin. *l.* 16. *Senonas* vocat, *oppidum opportunum*. In *Notit. Gall. veter.* in provinc. Lugdunenſi Senonia ſeu Lugdunenſi quarta collocatur, diciturque *Metropolis civitas Senonum*, vulgò *Sens*, contractô Senonum nomine. Hic Decentius Cæſar Magnentii Auguſt. frater, cognitâ ejus clade, è falcia laqueum ſibi ad elidendas fauces confecit, periitque: ibidem Amphitheatrum quoque fuiſſe, principatu Aureliani, docet *paſſio* Columbæ Virginis, &c. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AGEDUNUM, vulgò *Ahun*, oppid. Galliæ in Marchia Lemovicenſi, ad Crauſiam fluv. ſeu Croſam, ut *Valeſ.* vocat.

AGELAS, ſtatuarius generoſus, Polycleti magiſter. Item ſextus Corinthiorum Rex, regnavit ann. 30. Vide *Agelam*.

AGELASTUS, dictus Craſſus, avus Craſſi apud Parthos interempti, quem tradunt ſemel tantum in vita riſiſſe, quod factum eſt, cùm videbat aſinum carduos comedentem, dixiſſeque ob id, *Similes habent labra lactucas*. Cicer. *de finib. l.* 5. Plin. *l.* 7. *c.* 19.

AGELASTUS, Petra in Salamine inſula, ſecundùm Scholia *in Ariſtoph. Equit. p.* 335. G. vel ſecundum alios rupes in Attica, haut procul à Callichoro puteo: ita dicta, quòd ibi ſederit Theſeus ad inferos deſcenſurus: vel quòd ibi ſederit Ceres lacrimans, cùm quæreret filiam. Nam raptam à Plutone Proſerpinam cùm fruſtra noctes dieſque cum face inveſtigâſſet, docta ab Hermionicis filiæ caſum, irata Superis deſeruit Cœlum, & fœminæ formâ induta venit Eleuſinem, ubi in Rupe conſedit poſteà *Agelaſte*, h. e. riſûs experte, dictâ. Vide *Ireſia*.

AGELAUS I. ſeu *Agelas* III. ex Heraclidis Corinthiorum Rex, Ixioni patri ſucceſſit, præfuit ann. 37. Prumnide filiô ſucceſſore.

AGELAUS II. ex eadem familia Corinthiorum Rex VI. Bacchidi patri, a quo *Bacchidarum* nomen poſteris hæſit, in regno ſucceſſit, regnavit ann. 30. Eum excepit Ariſtomedes. *Diodorus* apud Syncellum *p.* 179.

AGELAUS, Apollodoro *l.* 2. qui Diodoro Sic. *l.* 4. *Lamon*, vide *ibi*.

AGELAUS, fil. Damaſtoris, procus Penelopes. Homer. Od. 20.

AGELÉ, Tribus Attica. *Phavorin.*

AGELIA, epitheton Minervæ, quaſi ἄγουσα λεών. i. e. prædam abducens. Cæl. Rhodig. *l.* 14. *c.* 18. lege *Agelaa*.

AGELIUS, Novatianorum Epiſcopus, de quo vide Socr. *l.* 5. *c.* 10. Sozom. *l.* 7. *c.* 12. Baron. *A. C.* 383.

AGELOCUM, Angliæ oppid. ad Trentam fluv. in comitatu Notinghamienſi, *Axholme*, ſive ut *Camdeno* placet, *Littleburgh*. Vide *Segelocum*.

AGEMACHUS, Dux Meſſeniorum, qui Nicone piratâ multis injuriis ac damnis cives afficiente, inſidiis interceptas per eum Pheras Peloponneſi recepit. Polyæn. *l.* 2. *c.* 35.

AGEMON, frater Ariſtodemi VIII. Corinthiorum ex Heraclidis Regis, hôc defunctô, pro Teleſte adhuc per ætatem regni non capace, regnum adminiſtravit ann. 16. poſt quem Alexander regnum occupavit, à Teleſte tandem ſublatus. *Diodor.* apud Syncellum. *Pauſan.* Euſebius *Chron.* è quibus Teleſtis *avunculum* Agemonem *Diodor.* vocat.

AGEMYTHA, Indiæ extra Gangem urbs, *Ptol.*

AGENDA, Æ, vox Eccleſiæ Romanæ. Dicuntur autem *Agenda*, munia Canonica, ſtatutis temporibus agenda, ut officium (quod dicitur) Matutinum & Veſpertinum *Capitular*. Caroli *l.* 6. *c.* 234. *Si quis Presbyter, inconſultô Epiſcopô, Agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipſe honori ſuo contrarius exiſtit.* In plurali neutro reperitur, apud Bedam, *in vita* Auguſtini: *Per omne Sabbathum, à Presbytero loci illius, Agenda eorum ſolemniter celebrantur.* A verbo *agere*, de quo *Gloſſar.* R. Johannis apud Lydium: Ut *facere* ſignificat *ſacrificare*, ſic *agere Matutinas & Veſpertinas horas dicere*, vide Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Car. du Freſne *Agenda*, in Eccleſia Romana, officium Miſſæ ſeu ſacra Liturgia; ſic dicta, quòd veteres *agere Miſſas* dicerent: nam *Miſſa* generatim primitus quodvis officium erat. Benedictus *in Regul. Cæteris verò Agendis ultima pars ejus orationis (Dominicæ) dicatur, ut ab omnibus reſpondeatur; Sed libera nos à malo.* Idem c. 9. Agenda *Matutina & Veſpertina non tranſeat*, &c. In ſpecie, Sacra notat, quæ pro defunctis ibi celebrantur; ut & officium vel Miſſam pro defunctis. Quâ notione aliquando ſimpliciter *agenda* dicitur: Beda *in Vita* Auguſtini, Angl. Apoſtoli, *Per omne Sabbathum à Presbytero loci illius*, Agendæ *illorum ſolemniter celebrantur.* Et Anaſtaſius Biblioth. in *Leone* II. Pontifice. *Hic fecit conſtitutum —— ut Mauri quondam Epiſcopi* (Ravennatis) *anniverſitas aut* Agenda *celebretur*. Aliquando *Agenda Mortuorum ſeu Defunctorum* in Synodo Carthagin. II. *can.* 9. apud Gervaſium Tilleberienſem MS. *part.* 3. *de Otiis Imperial. c.* 18. *Dum* Agendam mortuorum *ſedulus oratus paſſim deambulandô cantaret.* Et apud Reginonem *de Eccleſiaſt. Diſcipl. Similiter ordinem & preces in exequiis atque Agendis defunctorum*, &c. Hinc *Agendæ dies*, in quibus *Agenda* ſeu Eccleſiaſtica officia peraguntur: & *Agenda diei*, i. e. officium diei ſeu Feſti, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque Macros fratres in *Hierolexico*.

AGENDICUM, oppid. Galliæ Celticæ in finibus Senonum, medium ferè inter Lutetiam Pariſiorum, & Trecas, unde 19. hinc 16. leuc. à Senonibus vero 12. in Boream diſtans, vulgò *Provence*, longitud. 24. 30. latitud. 48. 20. Aliis eſt urbs ipſa *Sens*, Archiepiſcopalis ad Icaunum fluv. quæ aliàs Burgundiæ, nunc Præfecturæ Campaniæ accenſetur. Vide *Senones*.

AGENNUM, ſeu AGINUM Auſonio, *Ep.* 24 *v.* 79. *Aginnum Ptol.* & *Antonino*, *Agedincum Achilli Statio. Agredinum Antonino*, vulgò *Agen*, urbs Aquitaniæ præclara ad Garumnam fluv. Cujus meminerunt Plin. *l.* 4. *c.* 19. & Auſonius *loc. cit.*

Santonus ut ſibi Burdigalam mox jungat Aginnum.

longitud. 23. 35. latitud. 44. 08. Patria eſt Joſ. Scaligeri: Cujus circumjacens regio, *le pays d'Agenois*, Aginnenſis tractus, mirè fertilis & rigua eſt. Epiſcopalis eſt ſub Archiepiſcopo Burdigalenſi. Ejus præter jam dictos, meminêre, *Strabo*, *Plinius*, *Gregorius Turonenſis*, *Apollinaris* &c. *Papyrius* item *Maſſonius*, *Elias Vinetus*, *Scaliger*, *Sammart.* Johannes inprimis Darnoultius, qui *de Antiquit. urbis & agri Aginnenſis*, librum edidit peculiarem. Comprehenſus eſt hic

ager, inter Petrocorienſem, Armaniacum, Cadurcenſem & Vaſateuſem, tractus. Hinc *Agennenſis* Moneta, quæ *Agenni* cuſa, memoratur, in *Charta* Epiſcopi Agennenſis A. C. 1246. in Regeſto Tolotanæ Cameræ Comput. Pariſ. apud Car. du Freſne in voce *Moneta.*

AGENOR, Rex Phœnicum, Beli regis fil. Sil. *l.* 1. *v.* 88.

- - - - - - *Stat gloria gentis Agenor.*

Progeniem ejus narrat Steph. in *Thaſſo.* Apollodorus *l.* 3. *de Agenore:* τινὲς θυγατέρα δὲ Εὐρώπην, παῖδας δὲ Κάδμον, καὶ Φοίνικα, καὶ Κίλικα. Nonnus *l.* 3. *Baſſaricon.*

> [illegible]
> [illegible]
> Φινέα δὲ Φοίνικα λιπόντα, οἷς ἅμα [illegible]
> Ἀργος [illegible] Ἀγήνωρ,
> Ἀργεῖος [illegible]
> Εἰς Θήβην μετὰ Μέμφιν, ἐς Ἀσσυρίην μετὰ Θήβην.

AGENOR, Rex Argivorum, pater Crotopi, qui Iaſo patruo ſucceſſit. De hoc vide *Pauſan. Nic. Lloydius.* Triopæ fil. ſiquidem Iaſi frater, namque Agenor, quem cum multo equitatu invaſiſſe Argos, docet Scholiaſtes Homeri, *ad illud* Ἄργος ἐς ἱππόβοτον, *Il.* γ. *v.* 75. ejuſdem odiô Trochilus, Eleuſine poſtea Ἱεροφάντης, patriâ ceſſit, & uxore ductâ Eleuſine Eubuleum & Triptolemum genuit. *Agenor* nempe, equitatu valebat, & cives in exilium pellebat, Pauſan. *Attica* p. 25. Ei ſucceſſit fil. an Crotopus, an Pelaſgus? Joh. Marſhamus *Canone Chron. ad Sec.* VI. Mythica enim hæc Græcorum tempora, *uti* ſparſim à Veteribus conſervata, & in Chronica à recentioribus conjecta, non uſquequaque certa ſunt & explorata, idem *ibid.*

AGENOR, Antenoris fil. Homer. *Il.* 21. *v.* 579.

> Ὣς Ἀντήνορος υἱὸς ἀγαυοῦ δῖος Ἀγήνωρ
> Οὐκ ἔθελεν φεύγειν πρὶν πειρήσαιτ' Ἀχιλῆος.

AGENOR, Mitylenæus, de Muſicâ ſcripſit, teſte Ariſtoxenô *l.* 2. *Muſices.* Incertæ ætatis. Vide Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 59. §. 19.

AGENORIA, Dea à Romanis ſic dicta, quòd ad *agendum* excitaret. *Gloſſar. vetus, Agenoria,* ἡ θεὸς ſπουδῆς καὶ πραγμάτων. Jani uxor Capellæ. Item *Agerona,* induſtriæ Dea, ut *Strenua,* & *Stimula.* Templum habebat, in monte Aventino. Liv. *l.* 1. c. 33. Plin. *l.* 15. c. 29. Auguſtin. *de* C. D. *l.* 4. *c.* 16.

AGENTES, apud *Hyginum, Limitibus ſecundum ſuam Legem latitudines dabimus & aperiri in perpetuum cogemus. Plurimum cum Agentibus præſtat actuariis perpetua rectura;* ſunt qui limites *agunt,* Agrimenſores. Salmaſ. *ad Solin.* p. 678. Aliàs *Agentes,* qui rebus *agendis* præſunt & à Proceribus iis præficiuntur. *Agentes parrochiarum,* in *Concilio* Aurelian. IV. *can.* 26. *Agentes Monaſterii,* in *Chron.* S. Vincentii de Vulturno *p.* 687. *Agens Regis,* in *Charta* Odoardi Dom. Hamenſis A. C. 1328. In genere, Officiales ac Miniſtri Regii, quorum munus *Actio* inde appellatur. Gregorius Turonenſis *l.* 6. *c.* 19. *Mittit nuntios Comitibus, Ducibuſque & reliquis Agentibus, ut collectô exercitu in Regnum germani ſui irrumperent.* Hodieque titulus in uſu, de infimo Legatorum genere, qui res Principum, aliquo in loco ſedem fixam habentes, *agunt* ac procurant. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & hic *infra.*

AGENTES in Rebus, dicti olim, qui Principis juſſis obſecundabant, eorumque mandata in provincias deferebant: *Magiſtriani* quoque appellati, quòd ſub Magiſtro Officiorum militarent, Græcis *Μαγιστριανοί;* Item *Caſtrenſes,* in *Gloſſ.* Græc. Καστρήσιος, ὀφφικιάλιος: quâ voce ſignificatur, qui mandata Principis exequeretur; ad quod officium Magiſteriani vel *Agentes in rebus* maximè adhibiti ſunt. Vide infra *ſuô locô, Principes* quoque: Nam ex *ſchola Agentium in rebus* Principes mittebantur, ad gubernanda officia civilium adminiſtrationum: hinc *Rigalord.* in *Gloſſis* Legalibus exponitur ἔξαρχος τῶν πολιτικῶν ταξεώτων, &c. Succeſſerant autem in locum Frumentariorum, ſeu Γραμματηφόρων, qui non tantum curſus publici procuratores & proſequutores, fuere, ſed etiam exigendis vectigalibus operam dederunt & compellendis ad ſolutionem penſionum provincialibus. *Lex* eſt in *Cod. Theodoſ. tit. de exactionibus,* quæ ita habet: *Neque* Agentes in rebus, *neque ſacrarum vel privatarum largitionum officia Palatina, ex quocunque cauſa, ex quocunque titulo Fiſcalis debiti, cum ad provinciam mittuntur, poſſeſſores per ſe audeant convenire, ſive id ex præteriti reliquum trahatur, ſeu præſentis temporis tributum ſolvi conveniat.* Quam legem Honorius & Theodoſius tulerant, admonitu Legatorum Achivorum. ſed eandem paulò pòſt abrogârunt, antiquâ conſuetudine reſtitutâ, ut largitionum titulorum exactio per *Agentes in rebus* & Palatina obſequia celebraretur. Vide *Legem ſeq. tit.* quô ſuprà. Curioſi quoque, qui olim cum Frumentariis iidem, poſtea ex corpore *Agentium in rebus* ad curſum regendum, ſumpti ſunt, ſublatis ſcil. Frumentariis; neque curſum tantùm publicum procurabant, ſed & vectigalium exigendorum curam habebant: inſtituti à Diocletiano, qui, Frumentariis penitus ſublatis, Curioſos ex corpore *Agentium in rebus* per ſingulas provincias miſit, ad curas agendas, & idem munus obeundum, quod olim Frumentarii; quos *ad explorandum annuntiandumque, ſi qui fortè motus exiſterent,* inſtitutos, ait *Victor.* Vide infrà ubi de *Curioſis* & *Frumentariis;* ac plura in hanc rem, apud Salmaſ. *ad Hiſtor. Aug. Scriptores paſſim,* maximè *ad Spartianum in Hadriano, c.* 11. & Iacob. Gotofredum *ad tit. Cod. Theodoſ. de Agentibus in rebus,* ubi *copiosè de eorum Munere, Scholis ac Privilegiis.* Titulus eorum honorarius *Devotiſſimus,* Καθωσιωμένος, vide infrà *Devotus.*

AGENUM, vide *Garites.*

AGER, dictus, in quam terram quid *agebant,* & unde quid *agebant,* fructûs causâ, *Donat.* De eo cavit lege Solon, ne Athenienſes ſint, quantum agri vellent, tantum compararent, Μὴ κτᾶσθαι γῆν ὁπόσην ἂν βούληταί τις, *Agrum, quantum voluerint, ut poſſideretur:* Cujus meminit Ariſtoteles *Politic. l.* 2. *c.* 8. cauſamque illius aperit, nempe bonorum æqualitatem habere vim aliquam ad civilem ſocietatem. Sed tantè eſt, quòd modum agri, de quo legem tulerat Solon, planè ignoramus. Apud Romanos veteres Lex Stolonis vetabat plus D. jugera habere. M. Varro *de R. R. l.* 1. *c.* 2. *Nam Caj. Licinium Stolonem & Cn. Tremelium Scrofam video venire; unius, cujus Majores de modo agri legem tulerunt. Nam Stolonis illa lex, quæ vetat plus D. jugera habere Civem Romanum.* Vide Samuelem Petitum *Comment. in LL. Attic.* 5. *titul.* 2. Poſtmodum verò multum mutavit, *agrorumque* dividendorum causâ graviſſimæ ſeditiones ortæ ſunt. Vide infrà, ubi *de Agrariis Legibus abibique.* Quemadmodum & de ritu *Agros* luſtrandi, in voce *Ambarvalia.* De *Agrorum* limitibus ac terminis fusè agit Salmaſ. *ad Solin.* Apud Hebræos primitiæ omnium fructuum *Agri* Deo ſacri erant, Numer. *c.* 18. *v.* 13. licet diſtinctè tantùm *frumenti, olei, vini & tonſuræ ovium* mentio fiat, Deuteronom. c. 18. *v.* 4. Unde religioſiores ipſa etiam *olera* & hortorum herbas in eum cenſum vocabant, Matth. *c.* 23. *v.* 23. Præcipua autem oblatio erat primitiarum *Areæ,* quos ſimul ac maturuiſſent fruges, ad Templum deferre mos erat, quæ propriè *Primitiæ* appellabantur, Imò & fructuum omnium, quibus primitias offerebant, etiam ſolvebant Decimam, Deuteron. *c.* 14. *v.* 22. Vide infrà, ubi de *Decimis,* ac *Primitiis.* Apud Romanos, in familiâ ruſticanâ, fuit quoque *Agris colendis præfectus,* Laur. Pignorius *Comm. de ſervis &c.*

AGERE, de tibia, vide infrà *Tibia.*

AGER ROBUSTORUM, locus in Gabaon. 2 Sam. c. 2. v. 21.

AGERENSEM AGRUM, nominat Cicer. *de lege Agraria,* contra Rullum; Aſiæ minoris videtur.

AGERINUS, libertus Agrippinæ, cui ad Neronem à Matre miſſo, Anicetus gladium inter pedes abjecit, tum quaſi deprehenſo, auctore Agrippinâ iſtum Principis exitium eſſe molitum. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 6. & 7.

AGERVA, vide *Lebedamia.*

AGESANDER, inſignis Statuarius fuit ex Rhodo inſula qui unà cum Polydoro & Athenodoro Laocontem marmoreum fecit in domo Titi Veſpaſiani Imperatoris omnium artificum opera longè ſuperantem. Plin. *l.* 36. *c.* 5. Reperta eſt hæc ſtatua Romæ, in ruderibus palatii Veſpaſiani, ſub finem ſeculi præteriti. Item Lacedæmoniorum legatus. Thucyd. *l.* 1.

AGESIANAX, in Aratum commentatus eſt. Voſſ. *de Scient. Mathem c.* 33. §. 21.

AGESIAS, Archon Athenis. Olymp. 114. An. 1.

AGESIAS, Syracuſanus Olympionica, Soſtrati fil. Item alius, Cyrenaicus, Philoſophus Platonicus, prohibitus à Ptolemæo in ſcholis docere, aut legere, quoniam, immortalitatem animæ ſuadendô, multos ad mortem compulerit, ut Cleombroto Ambraciotæ accidit. Cicer. in Tuſc. Qu. *l.* 1. c. 34. Alius autem *Heſias* vocatur. Vide etiam *Hegeſias.*

AGESIDAMUS, Locrenſis Epizephyrius, nobilis Olympionica, in quem, pugilatu vincentem, Pindarus *hymnum* cecinit.

AGESIDES, Lacedæmoniorum Rex.

AGESILAUS I, Lacedæmon. Heraclides, fil. Doryagi, ſeu Doryſſis, pater Archelai, *Herodot.* Sub eo leges à Lycurgo latæ, Pauſan. *l.* 3. Euſeb. *Chron.* Fuit ab Euryſthene VI. tutelam Charilli Polydecte geniti ex altera ſtirpe eodem Lycurgô gerente. Brevis ævi ſucceſſorem habuit filium præfatum. Vide *Archelaus.*

AGESILAUS II. Lacedæmoniorum Rex, Archidami III fil. poſt mortem Agidis fratris ſui Rex conſtitutus, cum Artaxerxe Mnemone bellum geſſit, Phrygiam diripuit, quaſdam civitates cepit, Tiſſaphernis exercitum, qui ei bellum indixerat, ad Pactolum fluv. fudit. Athenienſes & Bœotios apud Coroneam urbem Peloponneſi vicit. Brevi corporis ſtaturâ fuit, & alterô pede claudus, maximâ tamen virtute præditus. Regnavit ann. 43. Juſtin *l.* 6. *c.* 2. Corn. Nepos, *l.* 17. Plut. *in Vit.* Diodor. Sic. *l.* 14. & 15. Cum multi effigiem ejus vellent, nunquam eam fieri paſſus eſt. Illi ſucceſſit Archidamus IV. fil.

AGESILAUS, Athenienſis, Themiſtoclis frater, ſpeculator in Xerxis exercitum miſſus, tametſi pater ejus Neocles eum utramque manum per quietem amiſiſſe vidiſſet. Is itaque inter bárbaros, habitu Perſicô, conſtitutus, quendam ex regis ſtipatoribus, nomine Mardonium interfecit, exiſtimaverat enim, eum eſſe Xerxem. Cum igitur à circumſtantibus captus & ligatus ad regem deductus eſſet, eum ad Solis aram immolaturum offendit. In quâ dextram imponens, cùm aliquandiu vim ſupplicii, ne ullô quidem emiſſô gemitu toleráſſet, tandem adjecit, Hujuſmodi Athenienſes fuiſſe univerſos. Quod ſi fidem non haberet, lævam quoque (inquit) injiciam. Ea res autem cùm Xerxi pavorem incuſſiſſet, ſervari eum imperavit. Plut. *in Paral.*

AGESILAUS, Plutonis cognomen, quòd ſcil. *populos agat.* Eſt enim mortuorum ac inferorum Deus ab Ethnicis exiſtimatus. Callimachus *Hymn. in Pallad. Lavacrum.*

> [illegible] Ἀγεσίλαν.

De quo ex *Methodio* & *Æſchylo* plura Athenæus.

AGESILAUS, Hiſtoricus Græcus ſcripſit de rebus Italicis. De quo vide Plut. *in Paralel. c.* 29.

AGESINATES, populi Galliæ, Pictonibus vicini. Plin. *l.* 4. *c.* 19.

AGESIPOLIS, I. Rex Lacedæmoniorum, Pauſaniæ Regis fil. qui ſpecioſam ſæpe victoriam retulit. Xenophon. *l.* 4 & 5. *Hiſtor. Græc.* Pauſan. *l.* 3. regnavit ann. 14. ſucceſſore, fratre Cleombrotô. Fuit juſtus, moderatus, pactorum ac juriſjurandi religioſus obſervator. Obiit morbô ad Olynthum, Olymp. centeſimæ annô primô. Vide quoque Polyæn. *l.* 2. Xenophontem *l.* 5. *Hellen* Euſeb. *Chron.*

AGESIPOLIS, II. fil Cleombroti; Spartanorum Rex, brevis ævi Pauſan. *l.* 3. Plut *in Apophth. Lac* Succeſſorem habuit filium Cleomenem II. quem vide.

AGESISTRATA, mater Agidis, virtutibus opibuſque illuſtris, cujus vitam deſcribit Plut. *in Agide.* Vide *Agis.*

AGE-

AGESISTRATUS, de arte machinali ſcripſit, Vitruvio teſte, qui ejus meminit *præfat. l. 7.*

AGESSUS, urbs Thraciæ. *Steph.* Ἀγεσσίου meminit *Goltzius*, ex Goeltzianis *nummo*.

AGESTA, vide *Egeſta*.

AGETA, Mœſiæ ſuperioris urbs, *Antonino*.

AGETA & ÆGETA, habet *Lib. Notit.* utrumque in Dacia Ripenſi.

AGETES, vel AGETIS, Apollinis fil. ex Cyrene virgine, in Pelio monte Theſſaliæ raptâ, frater Ariſtæi. Hunc alii nunc *Agreum*, nunc *Argeum* vocant. Juſtin. *l. 13. c. 7.*

AGETHAIM, vide *Adithaim*.

AGGÆUS, ſive *Haggæus*, vide ibi, nomen prophetæ, quaſi *feſtivus*, vel *ſolennis*, vel *gyrans*. Huic & Zachariæ LXX. interpretes pſalmos quoſdam adſcribunt. Unde *Apollinaris*,

Ζαχαρίας & Ἀγγαίου πινυτὸν ὕμνον.

AGGARITANUS, Epiſcopus à loco Africæ ſic dictus, *Victor. Uticenſ.* *Aggaritenſis* eſt in *Collat. Carthagin.*

AGGENUS Urbicus, de agris, eorumque limitibus ſcripſit; quem cum Siculo Flacco, ac Hygino Gromatico primus typis divulgavit *Adrianus Turnebus*; notis verò poſteà illuſtravit *Nicolaus Rigaltius*. *Voſſ. de Scient. Mathem. c. 27. §. 10.*

AGGER, unum ex Nili fluv. nominibus, poſtquam ex lacu Heptagono profluxit. *Vitruvius* apud Hermol. Barbar. *in Plin. l. 5. c. 9.*

AGGER Itinerarius, apud Amm. Marcellin. *l. 18. & 19.* *Agger publicus*, *l. 2. Cod. Theodoſiani, ne quis in palat. maneat & l. 4. & 5. Cod. eod. de Itinere mun.* Iter eſt publicum ſeu via munitura, quæ etiam ſimpliciter *Agger* dicta eſt, in *Gloſſ. Agger*, *ſtrata via publica*; & apud Servium *ad l. 5. Æn. v. 273.* *Agger est media ſtratæ eminentia coaggeratis lapidibus ſtrata.* Vide infrà in voce *Via*, & plura in hanc rem, apud Bergerium *de Viis Imperii*, laudatum Carolo du Freſne *Gloſſar.* Salmaſio *ad Solinum*, *Aggeres* dictæ ſunt omnes viæ publicæ ſtratæ, tam in Urbe, quàm extra Urbem. Equidem intra Urbem, in iis *Aggeribus*, juxta domos arbores plantatas, ut in tecta ſcanderent Zizyphaque imprimis ne tuberes ad hunc uſum expetitas fuiſſe; Malum item Medicam vel citreum, addit. Ita certè Plin. *l. 15. c. 14.* ubi de Zizyphis ac tuberibus, *Divi Auguſti noviſſimis temporibus in caſtris ſata, baccis ſimiliora quam malis; ſed Aggeribus præcipuè decora, quoniam in tecta jam ſylvæ ſcandunt.* Vide Salmaſ. *d. l. p. 609.* Pulchram iſtiuſmodi viæ publicæ deſcriptionem habes apud Paulinum Petrocorium *de vita Martini l. 4. v. 253.*

— *qua publicus Agger*
Porrigit erectam per plana jacentia molem:
Ut via conſtratis ſolidata atque edita ſaxis
Vergeret infuſos in concava ſubdita nimbos,
Et gravis in duro non ſideret orbita colle,
Merſaque ne lutum ſorberent plauſtra profundum;
Sed ſumma un dorſo via vertigo rotarum
Raderet, haud ullo ſignans veſtigia ſulco.
Sed procul impulſu nimmius prodere ferri &c.

De *Aggere Muitari* vide infra etiam ubi de *Oppugnatione urbium*. In Sabacone Æthiope Ægypti Rege humanitatis argumentum fuit, quod capitalium facinorum reos non addixerit morti ſed *Aggeribus* e quò pactò *urbes maxime Bubaſtus, ſublimiores factæ ſint*, quam priden à Seſoſtre, Herodot. *l. 2. c. 137.*

AGGERES Nili, *in Cod. tit. de Aggeribus Nili non rumpendis*, Plinio. *l. 5. c. 9. moles* dicuntur: Solino *c. 32.* *tumulis: Ubi ingreſſus Leonem ortus Sirios excitavit, emiſſo omnibus tumulis totam ſoſtinationem erumpere &c.* Tumulus enim idem, quod *Agger*; hinc tumuli in Nilo aggeres ſunt, quæ Græcis χώματα vocantur, ad emittendas aquas aut avertendas fieri ſolita. Diodor. Sic. *l. 1.* Τοῦ γὰρ ὕδατος ἀθρόως φερομένου ἀποτειχίζουσι αὐτὸν μεγάλοις χώμασι, καὶ πεδίον ἐπαγαγόντες ἐκτὸς ποταμοῦ ἀφορμῶντες, ὅσον δέοι ἀφιᾶσι. Dicit autem, *ubi ingreſſus Leonem, Solinus*; rectiùs dixiſſet, *Sole leonem tranſeunte*, ut *Plinius* de Nili exundatione verba faciens. Per totum enim Leonis ſignum Nilus abundantiſſimè intumeſcit, nec conſiſtit, priuſquam in Virginem Sol tranſgrediatur. Unde Ægyptii τὴν ἀνάβασιν Nili pictò Leone repræſentabant, ut ſcribit *Orus*. Vide eundem Salmaſ. ubi ſuprà *p. 431.*

AGGERES Sepulchrales, vide infrà in & voce *Tumulus*.

AGGERHUNA, arx Norvegiæ, in intimo ſinu Anſloënſi, unde nomen præfecturæ Aggerhuſianæ, quæ totius Norvegiæ eſt Meridionalior. Sub dominio Regis Daniæ. Hæc quæ una eſt ex 5. Regis hujus in Norvegia præfecturis, amplis proventibus & divite imprimis piſcatu Daniæ Regi fructuoſa eſt. Urbem principalem habet Anſloam, Epiſcopalem ſedem. Schoter *Hiſtor. Mundi Orcelius*.

AGGESTUM Terræ, in viliorum ſepulchris. Cùm enim non omnium eſſet, ſepulchra habere ædificata, tam in Judæa, quàm in terra Græca & apud Romanos; vilior turba cadavera ſua factâ ſcrobe defodiebat & *aggeſtâ* deſuper humò cumulabat; quod *Aggeſtum terræ* Latini *Tumulum*, Græci χῶμα vocabant. Super illud autem ſtatuebatur cippus lapideus, Græcè στήλη, quæ nomen & elogium defuncti, τὸ ἐλεγεῖον, (quod erat inſcriptio monumentalis) continebat. Sic tumulus cum cippo, ad memoriam defuncti impoſito, dicebatur Μνῆμα, Atticis Σῆμα &c. Qua de re vide plura *infra*, ut & apud Salmaſium *d. l. p. 1219.*

AGGI, ſive *Haggi*, fil. Gad Patriarchæ. Gen. *c. 46. v. 16.*

AGGIVA, vide *Augma*.

AGGRAMMES, Gangaridarum & Pharraſiorum Rex, patre tonſore natus, qui vix diurnò quæſtu famem propulſabat, ſed propter habitum haud indecorum cordi fuit Reginæ, à qua cùm in propiorem amicitiæ locum fuiſſet admotus, ſub ſpecie tutelæ liberorum ejus, invaſit regnum, necatiſque pueris Aggrammem generavit inviſum, vileméque popularibus, magis paterno fortunæ, quam ſuæ memorem. Q. Curtius. *l. 9. c. 2.* *Xandrames*, Diodor. *Sic. l. 17.*

AGGRAVATIO, in Statutis Synodalibus Nicolai Epiſcopi Andegavenſis A. C. 1272. *c. 4.* Apud Carolum du Freſne *in Gloſſario*, eſt repetita ac iterata excommunicatio. Vide quæ ſuprà diximus in voce *Anathema*.

AGGRINÆ, Græciæ populi videntur, apud Ciceronem, *in L. Piſonem. c. 37.* Hos dicit in Dolopum regionem demigratos.

AGGYA, Africæ locus, *D. Auguſtino*.

AGHEAMIA, Provincia Syriæ videtur, in Hiſtoria de *Judæis clauſis*, Eldadi Danei.

AGIADÆ, *Heſych.* Ἀγιάδαι γένος ἐν Λακεδαίμονι, ἀπὸ Ἄγιδος τοῦ βασιλεύσαντος ἀπὸ Ἄγιδος.

AGIALIA, olim Apia, ab Api 4. Sicyoniorum rege nuncupata, nunc Peloponneſus. Eadem *Ægialea* dicta eſt.

AGIAS, Hiſtoricus, res Argolicas memoriæ mandavit. Athen. *l. 3.* Item, Locus in Argia. Diodor. *Sicul. 12.*

AGIASMUS, Græcè Ἁγιασμὸς, hodiernis Græcis dicitur ritus ille ſeu ceremonia, quâ cujuſlibet menſis primâ Dominicâ renovant aquam benedictam, eaque populum aſpergunt; i. e. *Benedictio* ſeu *Sanctificatio*: Deſiſtunt autem duobus menſibus, Januario ſcil. ad ſolennem benedictionem Epiphaniæ, in qua baptiſmum Chriſti celebrant, & Septembri, quò hanc benedictionem transferunt, in decimam quartam ejus diem, propter feſtum Exaltationis S. Crucis; ubi in aſperſione locò aſpergilli frondibus ocymi utuntur. Dicunt enim, ſuper ſpatium telluris, ubi crux Chriſti fuerit defoſſa, ocymum excrevere, ideo Βασιλικὸν, i. e., *Regium* dictum, quod juſſu Helenæ crucis inventricis inde eſſet evulſum. Vide Dominic. Macrum *Hierolex.* in voce *Aqua Benedicta*.

AGIDOS, Oppid. urbs, nunc *Burgum templi*, inter Lapathum & Aphrodiſium. Etiam Siciliæ, inter Anemurium & Arſinoëm, *Strabo*. Vide *Nagidus*.

AGIGÆUS, *Heſych.* Ἀγιγαῖος, Ἄγριος καλεῖται παρὰ Λακωσιν ὁ Ἀμυκλαῖος ἥρως.

AGILA, XV. Rex Viſigothorum, in Hiſpan. Theodiſili Principis ſceleſti, ſucceſſor A. C. 548. nihilò melior. Superbiâ prorſum intolerabilis cunctis, occiſus eſt, A. C. 554. regni 5. *Iſidorus*, *Gregorius Turonenſis*. Grotius *Præfat. in Hiſtoriam Vandalo-Goth.* Eum excepit Atanagildus, quem vide.

AGILARIA, Oppid. Hiſpaniæ, cognomentô *de Campos*, in Caſtella Veteri. Diſtat Burgis urbe 14. leucis in Boream & 5. à fontibus Iberi fluv.

AGILAUS, tertius Cotanchiorum rex, regnavit ann. 36.

AGILEUS, unus ex Ephoris, qui graviter vulneratus à ſociis Cleomenis, ſolus evaſit. Plut. *in Cleomene*.

AGILIS, vir, quem Poëtæ cum Turpethia pube in bello Thebano fuiſſe commemorant.

AGILIUS Raimundus, vide *Raimundus*.

AGILLÆ, vide *Cera*.

AGILLÆI, vide *Gelonos*.

AGILOLFINGI, dicti ſunt, qui erant de genere Ducum Bavariæ, in *L. Bajvvar. tit. 2. c. 20* è quibus omnes Bavariæ Duces olim ſumebantur, §. 5. Meminit eorum *Chron.* quoque Fredegarii *c. 52.* *Quidam ex Procerib(us) (Auſtriæ) de gente nobili Ayglolfinga*, *nomine Chrodoaldus*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide de hac Familia Illuſtriſſima, & Nobilibus Potamicis hodieque ex illa ſuperſtitibus plurima, apud Jac. Ottonem *Notis in B. Germanis Rer. Germanic. l. 3.* ex Gabr. Bucelini Soc. Jeſ. *Deductione Geneal. editâ A. C. 1680.*

AGILULPHUS, ex Duce Taurinenſi, maritus Theodelindæ, viduæ Authari Regis, & ſic Rex Longobardorum in Italia IV. A. C. 590. vel 91. Orthodoxus & potentiſſimus. Obiit A. C. 616. regni 25. Paul. Diac. *l. 3. c. 14. & l. 4. c. 1. & 15.* Succeſſit Adelvaldus.

AGIMYTHA, vide *Agemytha*.

AGINEES, ſunt memoria eſt in antiquo lapide in Hiſpania. Vide *Volum. Inſcr.* Smetii.

AGINENSES, ab AGINNO Galliæ in Occitania urbe, dicti ſunt, qui aliàs *Waldenſes*: apud Robertum de Monte in *Chron. A. C. 1178.* citatum eidem.

AGINIS, Suſiorum pagus, ad Paſitigrim fluv. Arrian. *in Indicis*.

AGINNA, Iberiæ Auſoniæ urbs. *Ptol.*

AGINNATÆ, vide *Salma*.

AGINNUM, vide *Agennum & Garites*.

AGION, mons in Scythia, Stephano *in voce* Ψευδόκορος, *Montis Sancti*, mons etiamnum habet in Sarmatia Aſiatica *Herberſteinius*. Idem *Steph.* habet Ἀγιον in Scythia locum, ubi Æſculapius colebatur. Vide *Conſtantinopolis*.

AGIOS Adrianos, vide *Myrtena*.

AGIOS, vide *Conſtantinopolis*.

AGIOSYMANDRUM, Græcis recentioribus aliiſque Chriſtianis ſub Turcica tyrannide degentibus, dicitur inſtrumentum ligneum, quod campanæ locò, in convocandis cœtibus, adhibere coguntur; cum campanarum uſus, ne fortè ſonò earum ad rebellionem homines concitentur, à Turcis prohibitus ſit. Ab ἅγιος, *Sanctus* & σήμαντρον, *ſignum*, quaſi Ἁγιοσήμαντρον, *ſacrum lignum*. Cujuſmodi lignea inſtrumenta Veteribus jam in Orientali Eccleſia fuiſſe in uſu, docet *Macer* ex Synod. VII. ubi dicitur de Anaſtaſii martyris reliquiis: *Cum ſancta civitatis (Cæſariæ) reliquias appropinquaſſent, omnibus ea res fuit declarata & ſignificata. Itaque lætitia magnâ profuſi omnes ſurgentes ſubitò, lignaque ſacra pulſantes invicem obviam facti ſunt.* Sed in funeralibus tantum fuiſſe adhibita, colligunt quidam ex Cæſario *l. 1. c. 4.* ubi ait: *Percuſſaque tabula, cum tam Abbas, quam cæteri Fratres, ad ejus exequias convolaſſent, &c.* Vide eundem Macrum in *Campana*, & infra, in *Samandrum*.

AGIOSYDERUM, vide infrà *Hagioſiderum*.

AGIRIA, Hiſpaniæ urbs *Antonino*, inter Cæſarauguſtam & Liminium. Vide *Agra*.

AGIS, I Rex Spartæ, ſucceſſit Patri Euryſtheni, annumque regnavit, circa A. M. 2998. Euſeb. *Chron.* Ab eo ſucceſſores poſterique Euryſthenis omnes dicti *Agidæ*, Pauſan. *l.* 3. Succeſſit Echeſtratus fil. quem vide: ut & voce *Sous*, qui ex Proclidis tum Rex Spartæ fuit ſub quibus ambobus Ilotas in ſervitutem eſſe redactos, Joh. Marſhamus *Canone Chron.*, ex Plut. *Lycurgo* docet.

AGIS, II. Lacedæmoniorum Rex, cum Athenienſibus cruentiſſima bella geſſit. Illorum provinciam igne ferroque vaſtavit. Græcis civitates libertati reſtituit. A ſuis civibus occiſus eſt in carcere, quòd jux a Lycurgi leges bona publicare vellet. Plut. *in Agide*.

AGIS, III. fil. Archidami III. belló Epidaurió Argolicam terram vaſtavit, prælió ad Mantineam victor. Deni, in agro Attico, Deceliam munivit, totóque belló Peloponneſiacó rem fortiter feliciterque geſſit Thucyd. *l.* 4. 5. & 8. Ei ſucceſſit *Ageſilaus* II. frater, poſtquam regnâſſet ann. 27. quorum annus 1. ſecundus erat belli Peloponneſiaci ſeu *Archidamii* à patre dicti; annô 9. *pax Niſia* facta; annô 18. Lacones Siculis auxilia miſerunt; annô ultimô Athenæ à Lyſandro ſunt captæ, annô 4. Olymp. 93. Archonte Athenis Alexiô. Collega fuit Pliſtoanacti primò, dein Pauſaniæ, quos vide.

AGIS, IV. fil. Archidami IV. Græciam ad excutiendum Macedonum jugum ſollicitat, à Pharnabazo & Autophradate pecuniâ navibuſque juvatur, ab Antipatro vincitur, cæditurque, Q. Curt. *l.* 6. *c.* 1. Diodor. Sic. *l.* 17. *c.* 48. & 63. Juſtin. *l.* 12. Vide *Eudamidas. I.*

AGIS V. Fil. Eudamidæ II. in carcere ſtrangulatus, Ephororum decretô: ſucceſſorem habuit Eurydamidam filium, quem vide, ut & Pauſaniam *Laconicis*.

AGIS, Poëta Argivus, peſſimorum carminum, poſt Chœrilum conditor, cœlum Alexandro aperiebat, Herculemque & Liberum patrem, & cum Polluce Caſtorem novi numini ceſſuros eſſe jactabat, Curt. *l.* 8. *c.* 5.

AGIS, Euryſthenis majoris Ariſtodemi liberorum fil. ab hoc genus Euryſthenis *Agidas* appellant. *Pauſan. l.* 3.

AGIS, quidam legunt *Agim* Arcas, unus ex illis ducibus Græcis, qui Cyro contra fratrem Artaxerxem militârunt. Comprehenſus quoque perfidè à Tiſſapherne eſt & ad Regem miſſus. Polyæn. *l.* 7. *c.* 18.

AGIS, Archidami fil. Lacedæmoniorum Rex, octo millibus Græcorum, qui ex Cilicia profugi domos repetierant, contractis, bellum Antipatro Macedoniæ præfecto molitus, Curt. *l.* 4. *c.* 1. Sed in prælio femoribus haſtâ perfoſſis ac lanceâ nudo pectori infixâ occubuit, Lacedæmoniorum quinque millibus & trecentis quinquaginta amiſſis. *l.* 6. *c.* 1. initio. Succeſſit Patri, Olympiadis centeſimæ octavæ annô tertiô. Vide ſuprà.

AGISULFUS, Longobardorum Rex, tempore Gregorii M. Pontificis Romani pacem cum Romanis fecit: in cujus memoriam compoſuit Pontifex introitus, *loquetur Dominus pacem* &c. qui in Miſſa SS. Gervaſii & Protaſii, in Communione Romana habetur, quod eô die pax concluſa. Vide Macrum in voce *Introitus*. Aliis *Agilulfus*, vide in hac voce.

AGISYMBA, regio Africæ ampliſſima in Auſtrum ultra Æquatorem extenſa, plures regiones ſub ſe continens. *Ptol.* Hodiè *Zanguebar*. *Zangue* autem idem ſonat, quod *niger* Latinis; à nigris enim totus hic tractus colitur, *Jo. Barroſo*, & *Garciâ ab Horto* authoribus. *Zenzibar M. Paulo Veneto*, quam non ſine maximo errore inſulam credit, deſcribitque ab inſula Madagaſcar verſus meridiem eamque in circuitu habere duo millia milliariorum addit. *Ortelius Melocam*, neſcio quâ authoritate, vocat *Hictorum*. Gitava. *Nic. Llordius*. *Sanſon Agiſymba* regio erat, ubi nunc regna Monemugi & Monomotapa in Mediterraneis, ſeu in Æthiopia inſula.

AGITA, vide *Agati*.

AGITARE, apud Lamprid. in *Commodo*, c 8. *Voluit etiam in Circo quadrigas agitare*, verbum Circenſibus Ludis proprium. In his enim *Agitatores* dicti aurigæ, *qui agitandi munus exercebant* in *l.* 5. Cod. *de Scenicis*, qui equos Curules in Circo agebant & agitabant; *Gloſſ. Græco Lat.* ἡνίοχος ἱππευς, *Agitator* &c. Cujuſmodi homines, ut & Pantomimi ac Hiſtriones, recenſentur inter homines viles ac infames, in *l* 4. *Cod. de Spectac.* Iique omnino ſunt, de quibus iſta habet Concilium Arelatenſe I. *can.* 4. De Agitatoribus, *qui Fideles ſunt, placuit eos, quamdiu* agitant, *à communione ſeparari*. Eadem ſtatuuntur in Arelat. II. A C. 452. *can.* 20. ubi *Agitatores* ſive *Theatrici* dicuntur, &c. Nempe pleriique tales Magicis artibus uti credebantur, ut adverſariorum ſuorum equos in certamine frangerent, & impedirent, ſicque palmam conſequerentur; quod ex *l.* 9. *Cod. de Maleſic.* colligitur, ut & ex S. Hieronymo in *Vita* Hilarionis, Ammianotem *l.* 26. & Senatore *l.* 3. *Ep.* 51. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide & hic in voce *Agitator*.

AGITATIO, in Sacris, vide infrà. *Primitiæ*, it. *Theruma*. Ceremoniæ nempe in ſacrificiis quibuſdam V. T. genus fuit, quorum oblatio fiebat *agitatione* verſus Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentrionem, ad oſtendendum, in quatuor mundi partibus debere ſacrificia ad laudem nominis divini offerri, Cod Talmud *Menachoth. c.* 5. *fol.* 61. 62. Vide Rabbi Salomonem in *Exod. c* 29. v. 24. Qua in re proin frequens verbum הניף *agitavit, ventilavit*, & per ſynecdochen *obtulit*, Exod. *loc. cit.* it. *cap.* 35 v. 22. & Levit. *c.* 9. v. 21.

AGITATOR Servus, inter eos erat Romanis, è quibus dominus non voluptatem ſolum, ſed & lucrum facere, operas illorum locandô, conſueverat: Tales enim erant, præter alios Artifices, Gladiatores, *Agitatores*, Funambuli, Palæſtritæ, Alii. Et quidem *Agitatoris* ſervi meminit Paulus JC. *l.* 45. *ff. de Action. empt.* *Plane, ſi in tantum pretium exceſſiſſe proponas, ut non ſit cogitatum a venditore de tanta ſumma, veluti ſi ponas, Agitatorem poſtea factum*, Quæ verba is intelliget, qui apud Suetonium legerit *Caligul. c.* 55. *Agitatori Cythico comiſſatione quadam in apophoretis, viciles HS. collata* & in Veteribus monumentis notaverit præmia decreta *M. Aurelio Diocli Agitatori factionis ruſſatæ*. Pignorius *de Servis*. Vide ſuprà ut & ubi de Ludis *Circenſibus*, *Factionibus* &c.

AGIUM, vide *Agius*.

AGLA, Hiſpaniæ oppidum. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

AGLA, oppid. regni Fezzæ in Africa; prope fluv. Guargam, in Habata provinc.

AGLAIA, una Gratiarum, aliô nominé Paſiphaë dicta. Græcè Ἀγλαΐα *Lætitiam* ſonat, læti enim in dandis beneficiis eſſe debemus. Vide *Charites*.

AGLAIS, Megaclis filia, mirâ guloſitate & voracitate mulier, ut quæ carnium libras decem, panis chœnicas quatuor, & vini congium, ſive ſextarios ſex, unicâ cœnâ abſumeret. Cæl. Rhodig. *l.* 15. *c.* 19.

AGLAON, *Heſych.* Ἀγλαον ὕδωρ, ὑπὸ Αἰολέων ποιητῶν.

AGLAONICE, Hegemonis filia, aſtrologiæ perita, & eclipſes Lunæ, quando futuræ eſſent, prævidens, illamque ſe cœlô deducere jactitans; quæ ob id poſteà in magnas calamitates incidit, adeò ut in proverb abierit, τὴν Σελήνην καθαιρεῖ. *Lunam detrahit*, ut refert Apollonius. *l.* 4. quô utimur, quoties aliquis ſuâ jactantiâ in calamitatem incidit. *Aganice*, Plut. *de def. Or. c.* 22.

AGLAOPE, una Sirenum, & *Aglaophone* alia. Vide *Sirenuſſæ*.

AGLAOPES, Æſculapius Lacedæmoniis. *Heſych.* Ἀγλαώπης ὁ Ἀσκληπιός. Λάκωνες.

AGLAOPHON, pictor nobiliſſimus, cujus meminit Plin. *l.* 35. *c.* 9. Cicer. *l.* 3. *de Orat.* Athen. *l.* 10. Ælian. *de Animalibus*, *l.* 17. *c.* 47.

AGLAOSTHENES, qui corruptè in libris nonnullis eſt *Agloſthenes*, imò & *Adaſthenes* vocatur, hiſtoriam rerum Naxicarum conſignavit. Strab. *l.* 6. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Vide Voſſ. *Hiſt. Gr.* p. 318.

AGLAUROS, filia Erechthei Regis Athenarum antiquiſſimi, à Mercurio in ſaxum mutata, de quâ Ovid. *Met. l.* 2. *Heſych.* Ἄγλαυρος, θυγάτηρ Κέκροπος αὕτη (lege οὕτω) ἡ Ἀθηνᾶ ἐπονομάζεται. *Aglauros, filia Cecropis; apud Athenienſes autem per illam juratur: erat vero Sacerdos Minervæ.*

AGLAUS, Pſophidius, Arcadum pauperrimus, ab Apolline felicior Gyge judicatus, quòd agelli ſui limites nunquam egreſſus eſſet, parvuli ruris fructibus contentus. Plin. *l.* 7. *c.* 46. Val Max *l.* 7. *c.* 1. *ex.* 2.

AGLIA, vide *Zellia*.

AGLIBOLUS, & Malachbelus, Dii Palmyrenorum, quæ Arabiæ olim civitas: Illorum mentio in *vet. Inſcr.* apud Gruterum p. 81. ΑΓΛΙΒΩΛΩ ΚΑΙ ΜΑΛΑΧΒΗΛΩ ΠΑΤΡΩΟΙΣ ΘΕΟΙΣ, *Aglibolo & Malachbelo, Patriis Diis*, quæ Palmyrenæ inventa eſt. Sed, cùm de utroque apud veteres Scriptores ſilentium ſit, animales, an naturales fuerint Dii, in obſcuro eſt. Etymon eorum nemo hactenus attulit. *Voſſio Aglibolus* videtur ex Arabicis אג על בל *ag, al, bal*, h. e. ad verbum, *pone ſuper corde*: Sententia eſt, *Pone cogitationem*, ſive *Animum*, *adhibe*. Quam Arabicorum iſtorum mentem eſſe, docent *Abenezra* & *Dav. Kimchi*. Sic illius Dei nomen fuerit, ſive ex eo, quòd Deus cogitet de nobis; ut ita providentiam ſignet divinam: ſive etiam, quia cogitationes noſtras exploret; unde *renes ſcrutans* dicitur in Scripturis: ſive, quia aſſiduè cogitandum de Deo omnibus; ut nomen hoc homini commendet Dei cultum. Sed & deduci poſſet ex עגל *agul*, i. e. *rotundus*, & בעל *baal*, h. e. *potens dominus*. Ut ſit potens rotundi ſive Orbis terrarum, vel orbium æthereorum ſeu cœleſtium dominus. Sanè Hebræis ſimiliter. Deus בעל שמים *baal ſchamaim*, h. e. *dominus cœli*; pro quo Phœnices *Beelſamen*, quod itidem eſt Κύριος οὐρανοῦ, ut ex *Philone Byblienſi* cognoſcimus. At *Malachbelus* fortaſſe ex מלך, *melech*, i. e. *Rex* & בעל, *baal*. i. e. *dominus*: ut valeat *Dominum ac Rectorem Univerſi*. Vide Gerh. Joh. Voſſium *de Idolol. l.* 3. *c.* 26. *Salmaſio*, eorum in antiquo monumento ſimulachra in marmore ſculpta habentur virili habitu, criſpô crine ſuccincta & tæniata, eorumque alterum Lunam pictam in humeris habet & cothurnis innexum eſt, haſtile manu geſtans. Sunt nempe, addit, *Sol* & *Luna*; nam & Lunam marem Deum eſſe credebant maſculinóque eam nomine ac ſexu nuncupabant pleriique Orientis populi, ut videre eſt in hac voce: Et quidem Μαλαχβῆλον, Solem eſſe planè ſibi perſuadet Salmaſ. Ἀγλίβωλον Lunam; ſed quare ita dicti ſint, ambigit, *Notis ad Vopiſcum in Aureliano. c.* 31.

AGLIPH, Civitas in tribu Juda.

AGLOG, locus alicubi ad Euphratem, teſte *libro Proprietatum Elementorum* qui Ariſtoteli falſo à quibuſdam adſcribitur.

AGLON, Palæſtinæ locus Joſuæ *c.* 15. *v.* 39.

AGMANISPHE, vide *Atmaniſphe*.

AGMANTUM, villa Galliæ, memoratur Aimoino *l. de tranſlatione SS. Martyrum Georgii & Aurelii in Galliam*, A. C. 858. ubi ſcribit, Uſuardum & Odilaidum Monachos, juſſu Hilduini Abbatis, eorum non multò antè ſub Habdiraghmane Rege caſorum corpora domum detuliſſe, & in munitiſſima Cœnobii ſui (ſancti Germanenſis) villa *Agmanto*, ubi tum pars major fratrum Monaſterii S. Germani, metu Nortmannorum, reſidebat, loculis incluſa collocâſſe. Vulgò *Eſmans*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AGMET, urbs provinciæ Maroci, 8. milliar. à metropoli diſtans, ad radicem Atlantis, ſedes olim Imperii, *Ptol. Emera*. Vide Marmol. *l.* 3. *c.* 41.

AGMINALES Equi, ſeu *Paraveredi*, ut habetur in *l.* 4. & 6. Cod. *Theod. de curſ. publico*, olim dicti ſunt, qui gregatim, *ἀγεληδόν*, *agminatim*, prope civitates nutriebantur & habebantur ad curſum publicum Mentio eorum quoque in *l.* 18. *D. de muneribus & honor.* *Patrimoniorum munera duplicia ſunt: nam quædam ex his muneribus & poſſeſſionibus ſive patrimoniis indicuntur, veluti* Agminales equi *vel mula & angaria atque veredi*. Vide hic paſſim, imprimis ubi de *Angariis*, *Curſu publico* & *Paraveredis*

AG-

AGMONIS, Galliæ fluv. circa Sithienſe monaſterium, *Vita S. Audomari*.

AGMUNDESHAMUM, opid. Angliæ in Bukingamia provincia.

AGNA, Mauritaniæ Tingitanæ fluv. *Ptol.*

AGNANUS, Epiſcopus Aurelianenſis tempore Attilæ, ſanctitate clarus. *Proſper*, *Caſſiod.* Iſidor. *Chron.* Greg. Turonenſ. *l.* 2. *c.* 7. Circa A. C. 452.

AGNEDA, Scotiæ Metropolis, vulgò *Edimburgh*. ad Fortheam fluv. *Alata Caſtra Ptolemæo*, *Caſtra Exploratorum Antonino*, & *Caſtra Puellarum* poſterioribus. Vide *Alata Caſtra*.

AGNELINUM, vulgò *Agnelin*, oppid. Tranſylvaniæ, juxta fluv. Harbach. 5. milliar. Germanic. à Cibinio.

AGNENSIS Pagi, mentio fit *in Vita S. Pauli*, ſicut & Leonis pagi i. e. *d' Ack & de Leon*: in Britannia minori. Vide Hadr. Valeſ. *in voce Batha*.

AGNES, fil. Guilielmi, Pictonum Reguli, uxor Henrici III. Imperatoris, qui *Niger* dictus. Mater Henrici IV, quô adhuc minorenni, adminiſtravit Imperium per 5. annos, magnâ prudentiæ famâ. Obiit, A. C. 1077. Abbas Urſperg. Bertold. Lamberti *Chron.* Baron. *A. C.* 1056. 1074 1077.

AGNES, filia Alberti I. Imperatoris, uxor Andreæ, Hungariæ Regis poſt Patris obitum, in Helvetia plerumque commorata, ſæpè militibus fratris Alberti cum Helvetiis pacis arbitram egit, hiſque ſpecie ſanctitatis imponere conata eſt. Ut enim verſuta erat, quoties fratres imparatos videbat, inducias aut pacem conciliavit, ut interea illi militem comparare, & ſe commodè adverſus Helvetios inſtruere poſſent, cùm interea præ ſe ferret, non aliô niſi pacis ſtudiô & Helvetiorum commiſeratione, iſta à ſe fieri. Vide Simlerum *Deſcr. Helvet.* Spenerum *Syll. Geneal.* &c.

AGNES, Petro Courtenæo in uxorem tradita, à Philippo Auguſto A. C. 1184. *Robert. San-Mari.* Item, uxor Guilielmi, Scotiæ Regis. Obiit A. C. 1201. Item, filia Ottocari, Bohemiæ Regis Friderici Imperatoris Uxor, Spond. *A.* C. 1234. Item, filia Ludovici S. uxor Roberti, Burgundiæ Ducis.

AGNES, Carolo VII. Galliæ Regi grata. *Monſtrelet*, *Dupleix*, Spond. *A.* C 1456 *n* 12. *&* 13.

AGNES, Virgo & Martyr, tempore Diocletiani, Ambroſ. Prudentius *in hymnis*.

AGNESLUS, ſeu AGNELLUS, X. Archiepiſcopus Ravennenſis, Rubeus *l.* 5. *Hiſt. Ravenn.* Item Epiſcopus Chriſtianorum, in regno Fezzæ & Maroci, ſub Miramolino, A. C. 1233.

AGNI Cornu, promontor. prope Bolbiticum Nili oſtium. Strabo *l.* 17. *Heſych.* [illegible]

AGNIADELLUM, vicus Ducatus Mediolanenſis celebris victoriâ Ludovici 12. adverſus Venetos, A. C. 1509. Diſtat Cremâ 8. mill. paſſ. eſtque in tractu *Addua Glarea* dicto.

AGNICES, vel AGNICIS, fluv. in Tigridem influens. Plin. *l.* 6. *c.* 27.

AGNIFER, cognomen Præcurſoris Domini. *Præfat. Miſſalis* Hieroſolymitanor. Equitum Argentorati impreſſi A. C. 1505. qui liber in Cardin. Brancatii Bibliotheca Romæ aſſervatur. *In honorem & gloriam Omnipotentis Dei & glorioſæ Semper-virginis Mariæ*, *nec non* Agniferi *Præcurſoris D. Johannis Baptiſtæ*. Sic autem is dictus eſt, quòd in pictura *Agnum fert*, in ſignum immaculati illius, quem digitô monſtravit, exertâ manu; quam antiquitus Antiochiæ aſſervatam, poſteaque Rhodiis Equitibus, à Bajazete Turcarum Imperatore muneri miſſam eſſe, hodie verò in Conventuali Eccleſia Melitæ, inter cimelia ſacra, ſervari, dicunt quibus talia ſcribere credereque volupe eſt. Vide Macros Fratres in *Hierolexico*, ut & infrà in *Agnus Dei*.

AGNINA, in *Gloſſ.* Græco-Lat. [illegible], apud Annam Comnenam *Alexiad. l.* 8. *p.* 230. [illegible] *Sed Sole oriente lupenam ſeu* agninam *comedimus*; laudatam Car. du Freſne *Gloſſar.* *Agnina* pellis unà cum lana, in veſtium uſum maximè commendata Medicorum filiis, in quales veſtes, [illegible] ſeu [illegible] Græci dixêre, non ſolùm plus caloris quàm ovillæ conferant, ſed & dorſo renibuſque plurimùm proſint. Cujuſmodi veſtimentum *rhenum* eſt, ſi vocis origo ſervatur; nam Græcè [illegible] *agnus* eſt. Et [illegible] *imra* Chaldæis non ſolùm *agnum*, ſed & veſtis fimbrium, cui *agninis* aſſuebatur, ſignificat Sic Pſalm. 133. *v.* 2. in Chaldæa paraphraſi: *Sicut unguentum bonum*, *quod effuſum ſuper caput*, *deſcendit ſuper barbam* —— *quod deſcendit ſuper* agnom *veſtis ejus*, i. e. ſuper oram veſtis ejus agninâ pelle ſuffultam. Græci habent, [illegible], quod ferè idem eſt Nam [illegible], primò [illegible], *vellus* ſignificavit, ſeu *ovis pellem cum lana*. Secundo ſic dicta eſt *ora veſtis* cum hujuſmodi pelle aſſuta; hoc enim morem fuiſſe priſci, docent Etymologus & Cyrillus in *Lexico* nondum edito. Huic Euſtathius in *Il.* ç. [illegible], *Priſci etiam talibus ovillam pellem adſuebant*, *ut quam minimè inferiora veſtium attererentur*, &c. Vide quoque infrà voce *Vetula*. Sed *lana* potior in veſtibus uſus fuit. Unde Salomon Proverb. *c.* 27. *v.* 16. *Agni in veſtitum tuum*: ubi *agnorum* nomine non [illegible] vel [illegible], i. e. *agninæ pelles* intelliguntur, ut loc. cit. aliàs hircis hîc eos non opponeret Rex Sapiens, quò modò opponit, cum addit, *& hirci ſunt in pretium agri*. Pelles enim caprinæ, æquè ac ovillæ in veſtium uſum adhibentur & utriſque commune nomen melotæ. *Agni igitur in veſtitum tuum* i. e. *agnorum lana*, vel ovilla Quamvis enim alicubi etiam è pilis caprinis panni texi conſueverint, tamen id infrequentius eſt, neque in Judæa receptum fuit. Et quidem agni nomen Chaldæum [illegible] *immar* à lana deductum eſt, quæ in maribus quidem villoſior eſt. Theocritus *Idyll.* 12.

—— [illegible]
—— *Quanto ovis agnô ſuô villoſior eſt.*

Sed in agnis eſt tenuior & tactu mollior, atque eô ipsô plus in pretio. Proinde Martial. *l.* 5. *Epigr.* 38.

Puella ſenibus dulcior mihi cygnis,
Agna Galeſi mollior Phalantini.

Aut *Phalantini* potius, quia ad Galeſum amnem Tarentum condidit Phalantus, &c Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l* 2 *c.* 43. Vide quoque infrà in *Pallium*, & *Peſtis*: uti de *Agno*, hoſtiâ Deo gratiſſimâ, & infrà aliquid *Maxima hoſtia*: præmio cantorum voce *ſeculum*; ad homines vox tranſlata, uti & ovis, ſimplices ſcil. nimmeque malos, & parum callidos, apud Græcos præſertim, quibus [illegible] & [illegible] tales paſſim ſignificat. Ariſtophanes *Pace*,

[illegible]
[illegible]

Cui proin [illegible] in *Equitibus*, qui [illegible] & [illegible] *Æſchylo*. Hinc & *balare* de iiſdem uſurpatum, ut videbimus.

AGNIO, vulgò *Aa*, fluv. Belgii. Oritur in Bononienſi Comitatu ſupra vicum *Rumilly le Comte*, dein Audomaropolim rigat, & infrà Gravelingam, Flandriæ urbem in mare evolvitur.

AGNITA, vel AGNITAS, Æſculapii cognomen apud Spartanos, apud quos ejus Dei ſimulachrum ex *agno*, quæ planta eſt, erat exſculptum. Cæl. Rhodig. *l.* 18 *c.* 5.

AGNO, ſeu HAGNO, una ex nymphis quæ Jovem educârunt, à qua & in Lycæo fons appellatur, cujus ea olim fuit vis, ut re divinâ ibi à Lycæi Jovis ſacerdote curioſiùs peractâ, & fuſis precibus, quernôque ramô aquâ leviter commotâ mox denſior ſurgeret vapor nebulæ aſſimilis, qui non multò poſt nubes effectus, largos imbres demittebat. Pauſan. *in Arcad.* & inde Cæl. Rhodig. *l.* 13. *c.* 17.

AGNO, monetam auream ſignavêre Franci, jam inde à Ludovici IX temporibus. Et quidem *Denarii aurei cum Agno*, Gall. *Denier d'or a l'Aignel*, typum exhibet Car. du Freſne *in Gloſſ.* ubi de *Moneta*. Philippus dein Rex, cæteris monetis prohibitis, præter Turonenſes, Pariſienſes & Burgenſes, *Florenos ad Agnum* cudi juſſit, A. C. 1313. Similiter ſub Ludovico Hutino, omnis moneta præter auream *cum Agno* vetita eſt, A. C. 1314. ſub Philippo poſtea Magno & Carolo Pulchro, ibidem *Denarius cum Agno*, in uſu fuit cum inſcript. KLS REX, ſub Agno, circa A. C. 1323. Exin Johannis Regis principatu iterum cuſi ſunt denarii, in quibus effictus *Agnus*, quem Dei dicont, ſub cujus pedibus ſcriptum, JOH. REX, cum Inſcr. AGNVS DEI. QVI. TOLLIT. PECCATA. MVNDI. MISERERE. NOBIS. in averſâ parte cruce florigerâ expreſſâ, cum 4. liliis, uno ſcil. in angulo quolibet, Gall. *Deniers à Aignel d'or fin*. Sub eodem *Semiſſes Denariorum ad Agnum*, vulgò *Demi-Deniers à l'Aignel*: Poſt quem, ſub Carolo VI. *Agni* aut *parvi Agni*, Gall. *Moutons ou petits Moutons*, veterib. *Agnis* ſimiles prodiêre, præterquam quòd ſub Agno ſcriptum eſt, K. F. RX. De quorum omnium valore aliiſque huc pertinentibus vide Car. du Freſne *loc. cit.* ut & infrà in voce *Multo*, item *Keſita*.

AGNODICE, virgo medicinam diſcere cupiens, abſciſſâ comâ, habitu virili ſumptô, ſe Hierophilo cuidam tradidit in diſciplinam, à quo probè edocta parturientium mulierum morbis medebatur, quas ſexus ſui clam certas faciebat. Tandem à medicis dolentibus, ſe ad fœminas non amplius admiſſos, in judicium pertracta, quòd dicerent hunc eſſe illarum corruptorem, coram Areopagitis tunicâ allevatâ, ſe fœminam eſſe oſtendit. Tunc Athenienſes legem emendantes, artem medicam diſcere mulieribus ingenuis permiſerunt. Hyginus. *Fab.* 274.

AGNOITÆ, Hæretici, Theophronii Cappadocis, qui ſe Eunomio junxerat, ſectatores. Dei omniſcientiam in dubium vocârunt, circa A. C. 370. Niceph. *l.* 12. *c.* 30.

AGNOITÆ, Hæretici, ab *ignorantia* ſic dicti, quòd noviſſimam horam Chriſto, etiam *quoad Deitatem*, ignotam eſſe arbitrarentur. Cæl. Rhodig. *l.* 1. *c.* 14. Baron. *A.* C 535. *&* 563. Georg. Hornius *Hiſtor. Eccl. Novi Teſt. Period.* 1. *Artic.* 3. Iidem & *Themiſtiani*, vide ibi.

AGNOMEN vide *Nomen*.

AGNON, Niciæ fil. Samiô bellô, quando à Pericle inſul. devicta eſt, dux fuit. Bellô Peloponneſiacô contra Potidæam cum validis copiis profectus, morbi vi inde, irritô inceptô, abſcedere coactus eſt. Hic Amphipolin condidit. Sed cùm poſteà in bello ad Braſidam Amphipolitani defeciſſent, illi, quoniam ad urbem ipſorum victor in acie ceciderat, coloniam ceu conditori adſcripſerunt, dejectiſque Agnonis monumentis ad Braſidam honorem transtulerunt. *Thucyd.*

AGNON, authoris nomen. Quintil. *l.* 2. *Inſtit. c.* 17.

AGNON, municeps Steriæ tribûs Pandionidis, Pater Theramenis.

AGNON, fil. Niciæ, fame cum exercitu ſe dedere coactus, in bello Potid. Thucyd. *l.* 2.

AGNON, Tejus, Alexandri M. præfectus Plin. *l.* 33. *c.* 3.

AGNONIA, oppid. Thraciæ juxta Amphipolim. *Steph.*

AGNONIDES, Rhetor, vel potius Sycophanta Athenienſis, qui accuſavit Phocionem apud Polyperchontem, quòd Piræeum Nicanori prodidiſſet. Damnatô & cicutâ exſtinctô Phocione cùm deſiiſſet eſſe, quem odiſſet Populus, rebuſque ipſis perſpexiſſet, qualem magiſtrum cuſtodemque temperantiæ ac juſtitiæ amiſiſſet, ſtatuam ei æneam poſuit: hunc *Agnonidem* verò communi omnium ſuffragiô damnatum necavit. Plut. & Corn. Nepos, in *Phocione*.

AGNORUM juge ſacrificium, in V. T. celebre fuit, quô videl. agni duo in dies offerebantur, unus manè, alter veſperi Exod. *c.* 29. *v.* 38. donec id morte ſuâ CHRISTUS, cujus victimam æternæ virtutis pro nobis offerendam id ſacrificii Iſraëlitis ſignificaverat, abolevit, juxta prædictionem Dan. *c.* 9. *v.* 26. 27. Erat autem agnus ſacrificio aptus, jam ab octavo die. Ita namque ſtatutum in Lege Exod. *c.* 22. *v.* 30. *Septem diebus ſit cum matre ſua & die octavô reddes illum mihi.* Vide quoque Levit. *c.* 22. *v.* 27. Quibus Moſis legibus confer hæc Plin. *l.* 8. *c.* 51. *Sue* [illegible] *ſacrificio die quinto purus eſt*, *pecoris die octavô*. Itaque, cum [illegible] lege toties *agnum anniculum* Deus ſibi poſtulat offerri, non ſignificatur agnus præciſè du-

ὀκταήμερος, ſed agnus ab octavo die uſque ad annum completum. Bochart. *Ibid. c.* 46. Anno verò ſecundò tales hoſtias ideò non accepit Deus, quia tum demum puræ & intactæ eſſe deſinunt, cùm libido tum accendi in iis ſoleat, Ariſtotel. *l.* 5. *c.* 14. Ut igitur non aberrarent hîc Judæi, pecorum natalia ephemeridibus ſuis inſcripſiſſe, credibile judicat idem Bochart. *Ibid. c.* 50. quem de *Agno* in genere, *Agno* inprimis *Paſchali* ſusè agentem, vide *libro dicto, c.* 43. *& ſeqq.*

AGNOS, vide *Agno.*

AGNOS, vel AGNUS, pars Demetriadis tribûs in Atticâ. Phrynichus, referente *Stephano*, ad Attalidem tribum refert; quam ſententiam confirmat *Inſcr* XIII. *Tribuum*, cujus meminit *Sponius*. Sed, cum Attalis unà fuerit ex recentioribus Tribubus, facilè fieri potuit, ut *Demus* hic vel Acamantidi, vel Demetriadi, quæ poſtea *Ptolemais* appellata eſt, dempta fuerit ut Attalidi tribueretur. Nomen ei ab arbore *Agnocaſtus*, cujus magna ibi copia. Hinc ortus, *Agnuſius* dictus eſt. *Inſcr.* Athenis,

ΛΥΣΙΚΛΗΣ ΒΙΟΤΤΟΥ ΟΗ
ΘΕΝ ΕΧΟΡΗΓΕΙ ΟΙΝΗΙΣ
ΦΥΛΗ ΠΑΙΔΩΝ ΕΝΙΚΑ
ΠΑΜΦΙΛΟΣ ΑΓΝΟΥΣΙΟΣ
ΕΔΙΔΑΣΚΕΝ ΚΗΦΙΣΟΔΩ
ΡΟΣ ΗΡΧΕΝ.
LYSICLES FILIVS BIOTTIOE
ENSIS EDIDIT LVDOS OENEIDIS
TRIBVS JUVENTVS VICIT
PAMPHILVS AGNVSIVS
COMPOSVIT CEPHISODO
RO ARCHONTE.

Uti interpretatur Jac. Sponius *Itinerar. Græciæ Tom.* III.

AGNOS, Æolidis tribus gens. *Heſych.* Ἀγνοὶ, τῆς Αἰολίδος φυλῆς δῆμος. Lego τῆς Ἀτταλίδος. nulla enim fuit Αἰολὶς φυλή. Tum legendum eſt Ἀγνοῦς, ut pridem emendavit Meurſius, *De Pop. Att. p.* 2.

AGNOTES, populi Celticæ juxta Oceanum. *Steph.* Vide *Agnutes.*

AGNUS, Græcis vocatur calicis in Euchariſtia velum, fortaſſe quia in eo *Agnus* pingebatur. Idem & *Aer* dictum, ut vidimus. Hinc Germanus Patriarcha Conſtantinopol. in *Theor. Velum, Aer ſive Agnus eſt, & dicitur eſſe vice lapidis, quo munivit Joſeph monumentum, quod obſignavit.* Eôdem velô antiquitùs apud Latinos Græcoſque Sacerdotis faciem moribundi cooperiri fuiſſe ſolitam, refert Gregorius Pontifex cognomine *Magnus, in Euangel. Homil.* 37. Domin. & Car. Macri *Hierolex. in Velum.*

AGNUS Aureus, inter ornamenta Eccleſiarum recenſetur, apud Anaſtaſ. *in Vitis Pontif.*

AGNUS Dei, in Communione Romana precatio dicitur in Miſſa à Sergio Papa ordinata: quam tamen aliqui antiquiorem faciunt, id ſolum Sergio tribuentes, quòd ter *Agnus Dei* in Miſſa proferri voluerit, cùm antea ſemel tantùm diceretur. In hujus prolatione, omnes, qui ſunt in Choro, genua flectunt, &c. Vide Macros Fratres *Hierolex.* in hac voce, ut & in *Genuflexio*. Sed & numiſmata ſacra ea cera confecta, in eadem Communione, *Agnus Dei* vocantur, eò quod *Agni* figuram, in ſymbolum Chriſti patientis, habent impreſſam, cujus rei hiſtoriam verbis Sirmondi *ad Ennodium*, ſic tradit Car. du Freſne: *Mos erat, ut ex cereo Paſchali, qui Sabbato Sanctô conceptis precibus ſacratus fuerat, particulæ decerperentur, ac populo die Dominicâ poſt Albas, poſt S. Communionem diſtribuerentur, unde ſuffitum in ædibus ſuis facerent, vel agros vineaſque munirent adverſus Dæmonum præſtigias, aut contra fulgura ac tonitrua. Qui quidem mos olim extra Urbem duntaxat: Romæ enim cerei Paſchalis vice ceram oleo perfuſam benedicebat Archidiaconus, inde particulas in Agnorum effigiem expreſſas aſſervabat, populo ſimiliter, die quâ diximus, dividendas. Unde origo poſtmodum data cereis Agni cœleſtis imaginibus, quæ à Pontificibus ipſis auguſtiore ritu conſecrari cœperunt*; ut paſſim Ordo Rom. Alcuinus *de Officiis div.* Durandus *Ration. l.* 6. *c.* 79. Amalarius, Alii. *Chron.* Dolenſe editum à Labeo, A. C. 1306. *Clemens PP. V. --- Agnus Dei magnam copiam conſecravit.* Et narrat Zucchius in *Hiſtor.* Mogunt. *Gregorium M. Theodelindæ Agilulfi Regis uxori bina iſtiuſmodi numiſmata ---- miſiſſe aurô alligata, quæ adhuc in ea civitate conſervantur* &c. Cùm verò antiquitùs diſtribui conſueverint, ut Amalarius ſcribit, *infra Octavam Paſchæ* & variè variis temporibus conſecrati: hodie Papa primô Pontificatûs ſui annô illa benedicit, deinde quôlibet ſeptenniô eôdem ritu defungitur, ad Octavam Paſchæ. Sacriſta tamen, auxiliô Clericorum & Religioſorum ea ante annum præparat ac Pontifex feriâ tertiâ Paſchæ indutus amictu, albâ, cingulô, ſtolâ & mitrâ, aquam benedicit, infundens balſamum & chriſma, dictiſque aliquibus preces in Ceremoniali deſcriptas; dein linteô præcinctus, cum Cardinalibus ſimiliter aſſiſtentibus, immergit illa in aqua benedicta, ac extracta extendit ſupra munda mantilia, ne exſiccentur; ubi Papa illa denuo benedicit. Poſtea in capſis reponuntur & conſervantur, uſque ad Sabbatum in Albis; quô die, dictô in Miſſa *Agnus Dei*, & peractâ communione, Subdiaconus accedit ad ferendum pollubrum his numiſmatibus refertum, præcedente cruce & ad portam ſacelli Pontificii perveniens, altâ voce hæc verba intonat: *Pater ſancte, iſti ſunt Agni novelli, qui annunciaverunt vobis Alleluja, modò veniunt ad fontes, repleti ſunt charitate, Alleluja.* Eadem verba repetit in medio Sacelli & tertiò tandem ante ſolium Pontificis: quæ poſtmodum Papa Cardinalibus primò diſtribuit, qui intra ſuas mitras ea recipiunt: Inde donantur Epiſcopis aliiſque Prælatis. quas ceremonias Gregorium M. inſtituiſſe narrat Walfridus c. 22. exponit Albinus Flaccus *de divin. Offic.* Virtutes, quas præfata Eccleſia Romana hiſce numiſmatis cereis tribuit, ea planè ſunt, quas *Agnello immaculato, qui tollit peccata Mundi*, ſoli adſcribunt ſacræ Pandectæ; ut ex verſibus videre eſt, quos unà cum tribus *Agnus Dei*, Græcorum Imperatori donô miſit Urbanus V. ita ſonantes:

Balſamus & munda cera cum chriſmatis unda
Conficiunt Agnum; *quod munus do tibi magnum.*
Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis, & angit,
Prægnans ſervatur ſimul & partus liberatur,
Dona defert dignis, virtutem deſtruit ignis,
Portatus mundè, de fluctibus eripit undæ.

Hinc *in ſacris ſolummodò conſtituti poſſunt ea tangere*, ut habet Azor. *c.* 9. *quæſt.* 31. eaque coloribus ornare ſub pœna excommunicationis, ex *Conſtitut.* Gregorii XIII. de anno 1572. prohibetur. uti nec vendere illa licet, Ricciull. *Lucubr. Eccleſ. l.* 1. *c.* 9. &c. Vide Fratres Macros in *Hierolex.* ut & Car. du Freſne *Gloſſar.* Bullis Ethnicorum ſucceſſiſſe Baron. ait *ad A. C.* 58. *num.* 76. *Cum infantibus ſuis Gentiles bullas ad avertendas faſcinationes et turpicula conſignatas, vel alias ſuperſtitionibus addictas collo ſuſpenderent, ad eas abolendas --- placuit, ſuperſtitione in Religionem mutata, ex ejuſmodi ſacris ceris bullas confici, quæ, Agni Chriſtum referentis imagine inſignitas, gentes in Chriſto geſtarent.* Patres verò VI. Concilii Conſtantinopolitani, Chriſti imaginem in *Agno* ſculptam improbârunt, dicentes: *Quod ſint figuræ & umbræ Legis veteris, jubentque ut Agnus Dei humanâ tantum figurâ repræſentetur.* Ubi Caranza, *Prohibuerunt Spiritum Sanctum in columba figurari & Magos ſub ſtella & Chriſtum ſub veteri agno, ſed humanâ formâ.* Adjiciam hoc unum de vocis prioris ſignificatu, quod *Alcuinus* habet: *Sergius PP. inſtituit, ut tempore confractionis Dominici Corporis,* Agnus Dei *à Clero & Populo decantetur.* Et quod Baronius, poſtquam ter ut proferretur, inſtitutum eſſet, ter quoque *Miſerere mei* in fine fuiſſe additum; donec ob continua ſchiſmata & calamitates ediceretur à Johanne XXII. ut tertiâ & ultimâ vice ſubjungeretur, *dona nobis pacem*: veterem tamen in Baſilica Lateranenſi morem hodieque retineri, in *Annalib. Eccleſ.* ad *A. C.* 701. ex Auctoribus citatis.

AGNUS Dei, effictus in moneta Joannis Franciæ Regis vide *ſupra*. Cujuſmodi monetæ, Galliæ Regibus olim uſitatæ, originem arceſſit Peireſcius, ab inſigni hoc vexillorum præcipuo, quô cruce ſignati contra Albigenſes in bello uſi. Namque inde *Agnus Dei*, pro inſignibus, toti etiam Franciæ Clero, & compluribus Eccleſiis Cathedralibus, ipſique urbi Toloſanæ manſit. Sed & Hiſpanum ſuos habuiſſe *Agnos Dei*, memorant Covarruvias *de Veterum numiſmatum collat.* c. 5. *num.* 9. & Mariana *l. de Ponderibus & Menſuris c.* 22.

AGNUS Paſchalis, illuſtris CHRISTI venturi, in Veteri Teſtamento typus, vide infrà *Paſchalis Agnus*. Hîc illud ſolùm indigito, quô pactô *Agnus* ille in furno accenſo aſſatus DOMINI noſtri cruciatum repræſentaverit. Non enim ſolùm aſſandus erat *Agnus*, ut figuraret ardorem iræ divinæ in impios, quô Meſſiam torreri oportuit, ad expianda electorum delicta, quorum ſe vadem ſtiterat, unde graves illæ querelæ, *Pſalm.* 22. *v.* 15, 16. Sed & ipſe aſſationis modus magnum hîc momentum habuit, qui in Maimonide ſic deſcribitur, *l. de Paſchate c.* 8. *ſect.* 10. *Cum eum aſſant, à medio oris uſque ad pudenda transfigunt eum veru ligneô & ſubjectô igne in medio furno ſuſpendunt.* Illum igitur ut aſſarent, non verſabant in veru ferreo more noſtrô, ſed veru ligneô tranſfixum ſuſpendebant, quod Chriſtum in cruce pendentem utcunque referebat. Maximè ſi hæc Juſtini vera ſunt, *Dial. cum Tryphone*, Τὸ γὰρ ὀπτώμενον πρόβατον, σχηματιζόμενον ὁμοίως τῷ σχήματι τοῦ σταυροῦ ὀπτᾶται, εἷς γὰρ ὀρθὸς ὀβελὸς διαπερονᾶται ἀπὸ τῶν κατωτάτω μερῶν μέχρι τῆς κεφαλῆς, καὶ εἷς πάλιν κατὰ τὸ μετάφρενον, ᾧ προσαρτῶνται καὶ αἱ χεῖρες τοῦ προβάτου. *Agnus enim aſſus, in figuram cruci ſimilem conformatus, ad ignem torretur. Nam veru unum ab infimis partibus ad caput uſque adactum perfigitur & aliud rurſus ad interſcapulum, cui appenduntur agni manus (ſ. pedes anteriores.)* Quidni verò illi hac in parte credamus, viro non ſolùm ſancto, ſed & rerum Judaicarum peritiſſimo, ut qui Sichemis, Patre Samaritano, natus eſt, Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 50. Similem planè aſſandi agnum ſeu ovem ritum hodieque, apud Tartaros quoſdam, ſolenni in feſtivitate, perdurare, memorat Joh. Baptiſta Tavernier *Itinerar. Perſ. & Ind. Part.* 1. ejuſque iconem operi ſuo inſeruit, quam quis credat ea ipſis Juſtini verbis expreſſam.

AGNUS Paſchalis, in Eccleſia Romana hodie dicitur, qui *juxta Romanam auctoritatem in Paſcha benedicitur, non ad altare, ſed ad communem menſam*, ut eſt in Micrologo c. 54. Benedictionis formulam exhibet Ordo Romanus. Car. du Freſne *Gloſſar.*

AGNUS Paſcualis, vide infrà *Paſcua*.

AGOBARDUS, Archiepiſcopus Lugdunenſis Carolo M. familiaris. Imaginum cultum rejecit, & cum Ludovici Pii filius favere diceretur, depoſitus eſt. Sed reſtitutus, obiit, A. C. 840. Baron *A. C.* 823 &c.

AGOBEL, olim *Victoria*, urbs regni Tremeſini in Africa. Marmol. *l.* 5. *c.* 26. Item urbs provinciæ Hea, in regno Maroci, Idem *l.* 3. *c.* 4.

AGOCE, Æthiopia ſub Ægypto urbs. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

AGOGÆ, foſſæ Hiſpanis dictæ, in quibus aurum eruebatur apud Plin. *l.* 33. *c.* 4. vox Græca: Græcis enim nominibus adeò concepta erant omnia auraria *metalla* in Hiſpania vocabula, ut foſſas etiam vocaverint *agogas*. Aurum verò ipſum foſſione ſic quæſitum dixerunt *arrugiam*, pro *origiam*, quod itidem ex Græco ὀρυγὴ; & diſtinguitur à ramentitio quod ψῆγμα dicebant & in ψήγματος, vide quæ hanc in rem affert Salmaſ. *ad Solin. p.* 1076. At Ἀγώγιμα, Epiphanio *in Carpocratis Hæreſi*, Philtra ſunt, ut & Irenæo *l.* 1. *c.* 20. ubi Latiùs vocem donatam habes, *Exorciſmis & incantationibus utuntur. Amatoria quoque &* agogima, *& qui dicuntur Paredri & Oniropompi, & quæcunque ſunt alia parerga, apud eos ſtudioſe exercentur.* Eadem Charitêſia aliis. Vide Deſid. Heraldum *Animadverſion. ad Arnobium adv. Gentes l.* 1. & de his plura infrà, voce *Philtra*.

AGOLA, urbs Africæ, in Æthiopia ſuperiore prope Amaram montem.

AGON, locus eſt certaminis Romæ, qui Circus Flaminius dicebatur, ponitur pro ipſo certamine. Eſt quoque nomen pro

priu

prium apud *Plut*. Item Æthiopiæ fluv. Dicitur autem *Agon* ab α privativo & γωνία angulus, quod in loco non anguloſo, ſed rotundo *Agon* haberi ſoleat. *Ride ſi ſapis*, Lector.

AGON Androgei, quem ſtatuerat Minos, præmium pueros Atticos largiens. Cæterùm Taurus (vir crudelis, & Minoi à conſiliis) in agone fortiſſimus, univerſos in contentione ſuperavit. Tandem verò factum eſt, ut à Theſeo in palæſtrâ vinceretur, ob quod Athenienſes pueri tributariâ pœnâ liberati ſunt. *Plut*.

AGON Capitolinus, à Diocletiano inſtitutus, ad imitationem Agonis Olympici. Circa A. C. 88. Cenſorin. *c*. 18. Vide infrà *Agones Capitolini*.

AGON Gymnicus, quem Panathenæon vocant; Athenis actus.

AGON Nemeacus, primùm ab Argivis actus poſt eum qui ſub Archæmoro fuit Olymp. 53. Nemea autem celebrabantur poſt Tlepolemia, quæ agebantur die 24. menſis Gorpiæi.

AGON Olympius, ab Hercule inſtitutus, à quo uſque ad primam Olympiadem ſupputantur anni 430. *Euſeb*.

AGON Solis, ab Aureliano celebrari juſſus, A. C. 275. Euſeb. *Chron*.

AGONALES Ludi, *Servio*, quos Auguſtus Actiacis litoribus, devictô Antoniô, ſtatuit, ad quod reſpexit Virg. *l*. 3. *Æn*. *v*. 280.

Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.

AGONALES Salii, dicti ſunt duodecim Sacerdotes, quos Numa Pompilius Marti cognomine *Gradivo* conſecravit: Iidem *Palatini*, à monte cognomine, item *Quirinales* appellati ſunt, vide in voce *Salii*. Quemadmodum & montem Quirinalem *Agonalem* quoque vocatum legimus.

AGONALIA, feſta erant apud Romanos, in honorem Jani menſe Januariô quotannis celebrari ſolita, ut eſt apud Ovid. *Faſt*. *l*. 1. Aut certè in honorem *Agonii* Dei, ut *Feſtus* tradit, qui rebus agendis præeſſe putabatur. Eô die Rex ſacrorum arietem immolavit, ut tradit Varro *l*. 5. *de LL*. Nominis multiplex reperitur ratio; aut enim ea ritu ſacrorum, in quibus miniſter tenens ſtrictum gladium ad jugulandum arietem, rogabat *Agon'*? Quam opinionem ſequitur Ovid *loc. cit. v*. 319 *his verſibus*.

Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter,
Hoſtia cœlitibus, quo feriente, cadit.
Qui calidi ſtrictos tincturus ſanguine cultros,
Semper Agatne? rogat, nec niſi juſſus agit.

Alii ad *Agonem* montem, in quo illa ſacra fieri ſolebant, qui poſtea Quirinalis dictus eſt, referunt. Alii à certamine Cursûs dictum putant, quòd hiſce feriis antiquitus ſoleret celebrari. Nam Græci certamina & ludos ἀγῶνας appellabant. Hujus ſententiæ fuiſſe videtur Ovid. *loc. cit. v*. 329. *in his*:

Pars etiam, fieri ſolitis ætate priorum
Nomina de ludis Græca tuliſſe diem.
Et pecus antiquus dicebat Agonia ſermo,
Veraque judicio eſt ultima cauſa meo.

Inde Ἀγώνιοι θεοὶ, οἱ τῶν ἀγώνων ἐπιστατοῦντες. *Heſych*. & Ἀγὼν χαλκοῦς, καὶ ὁ Ἄρης ἐνυάλιος. *Idem*. Vide *Agonius*.

AGONALIS Circus aliàs, nunc *Piazza Navona*, platea pulchra, & ampla Romæ, ſplendidiſſimis ornata ædificiis, fontibuſque & Obeliscô, in meditullio urbis, ab Innocentio X.

AGONAX, Zoroaſtris præceptor in arte Magicâ. Quem Plin. *l*. 30. *c*. 1. *Azonacem* vocat.

AGONENSIS Porta, quæ & Collina, & Quirinalis. Hodiè *Porta Salari*.

AGONES, qui percutiebant victimam apud Romanos, quòd ex more priuſquam ferirent, populum rogabant *Agon'*? i. e. *Agone*?

AGONES, populi Inſubriæ, quorum regio *La Val di Gogna* hodie dicitur, teſte *Gaudentio Merulâ*, in agro Ticinenſi. Sed *Polybius* eos inter Apenninum mont. & Padum deſcribit, ac poſt eos Bojos, deinde Senones recenſet. Ex quo *Merula* & *Leander* (qui eos inter Ferrariam & Ravennam deſcribunt) errare deprehenduntur, niſi hi populi mutatâ ſede in ea loca migrârunt.

AGONES Capitolini, à Domitiano Imperatore primùm inſtituti ſunt, die 22 ejus & Sergii Cornelii Dolabellæ Conſulatu, exemplô ludorum Olympicorum. Celebrabantur proin ſimiliter quintô ſemper annô, certabantque in iis omne genus Artificum. In illis & Statius, poſt incredibilem totius urbis expectationem, tandem *Thebaidem* ſuam recitavit: Sed coronam non impetravit. Unde Juvenal. *Sat*. 7. *v*. 86.

— Sed cùm fregit ſubſellia verſu,
Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agaven.

Hunc agonem caveſis confundas cum agone Albano, ab eodem Imperatore inſtituto. Nobilior enim Capitolinus, adeò ut Romæ non per luſtra, ſicut antea magnum annum, ut vocabant, ſed per Capitolinos agônas ſupputarent: quod uſque ad tempora ſua obtinuiſſe, memorat Capitolin. *in Maximo & Balbino c*. 14. Cæterùm ſemper agon ipſe Romæ manſit, ut in eo Poëtæ, Rhetores aliique ab ipſo Imperatore coronam capeſſerent: Unde fortè laureatorum Poëtarum mos manavit. Donabantur autem, qui in agonibus Capitolinis vicerant, coronâ & ramô lemniſcatis aut itidem involutis: Secundorum verò coronæ & palmæ ſine lemniſcis erant: ut ex Auſonio *Ep*. 20. *v*. 5. liquet,

Et quæ jamdudum tibi palma Poëtica pollet,
Lemniſcô ornata eſt, quò mea palma caret

Sed & diſtinguendi ſunt *Agones* hi tum à ludis Capitolinis, qui, annuente Camillô, in honorem Jovis Capitolini, pro Capitolio à Gallorum furore ſervato, à Senatu Romano inſtituti leguntur apud Liv. *l*. 5. *c*. 31. tum à ludis Quinquennalibus, quos Auguſtus inſtituit, in memoriam victi apud Actium Antonii, qui proin *Actiaci* quoque appellati ſunt, vide Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom*. *l*. 5. *c*. 8. &c.

AGONES Iſelaſtici: *Periodici* &c. Vide *infrà*.

AGONIA, fluv. Inſubrum per Laumellinam regionem agri Ticinenſis in Padum fluens. Vulgò *la Gogna*.

AGONICLITÆ, Hæretici, 8. ſeculi quod precantes ingeniculare nollent, ſic dicti. *Johann. Damaſcen*.

AGONIDA, Inſul. Hiſpanicam habet *Sex. Avienus*.

AGONIDES, Phocionis accuſator, ipſemet capite damnatus. *Plut*.

AGONIS, liberta Veneris Erycinæ. Cicer. *Verr*. 1.

AGONISTARCHA, in veterib. Gymnaſiis, is fuiſſe videtur, qui certaminum publicorum Præfectus erat, quive in Amphitheatris & Gymnaſiis, ubi Athletæ, in publico, ludos prodituri, prius exercebantur, munus ſuum obibat. Ejus habetur mentio in hac vetuſta inſcriptione, apud Ligorium:

APOLLINI. INVICTO.
SACRUM.
M. AURELIUS. M. AUG.
LIB. APOLLONIUS.
AGONISTARCHA. COM
MODIANUS

Diverſus certè erat à Gymnaſiarcho, & Xyſtarcho, quorum ille inter Gymnaſiorum Miniſtros primum, hic ſecundum obtinebat locum, ut & à Præfecto ludi, Gymnaſte, Progymnaſte, Pædotriba, de quibus omnibus vide accuratè diſſerentem Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn*. *l*. 1. *c*. 12.

AGONISTICI, Donatiſtarum ſectæ in Africa nomen, qui pervagati ad caſtella oppidaque tempore nundinarum, fingendô ſe juſtitiæ miniſtros eſſe, varia ſcelera committebant. Horum meminit Optatus Milev. *l*. 3. *Præcones per vicina loca & per omnes nundinas miſit Circumcelliones*, Agoniſticos nuncupans. Iidem *Montenſes*, Romæ præcipuè, nuncupati ſunt, eò quòd in montibus cœtus ſuos habebant. *Circuitores* quoque, *Circelliones*, *Cotrapitæ*, *Corupitæ* &c. dicti ſunt. Vide Macros Fratres in *Hierolex*.

AGONIUS, Deus rebus agendis præſidens, ejuſque feſta *Agonalia* dicebantur: quamvis aliqui ejus ſacrificia ſic dicta velint, quod in montibus fiebant quos *Agonales* vocabant. Inde *Agonus dies*, quô Agoniam hoſtiam immolare ſolebant. Ovid. *l*. 1. *Faſt*.

Nunc Agonalem credit habere diem. Vide *Agonalia*.

AGONOTHETA; Græce Ἀγωνοθέτης, agonum moderator, præſes ac judex: apud Æl. Spartian. in *Adriano Cæſ*. *c*. 13. *Multa in Athenienſes contulit & pro Agonotheta reſedit*; in Ludis nempe Liberalibus, ſeu Dionyſiis, quæ ille celebraverat jure Magiſtratus, quem olim maximum apud Athenienſes geſſerat, i. e. Archontis. Scribit enim *Pollux* τὸν Ἄρχοντα præſidere Liberalibus ſolitum: Ὁ δὲ Ἄρχων διατίθησι μὲν Διονύσια καὶ Θαργήλια μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν, *Archon celebrat Dionyſia ſeu Liberalia & Thargelia, cum Curatoribus*. Addit *Dion*, de eodem Adriani jam Cæſaris facto, verba faciens, ἐν τῇ ἐπιχωρίῳ, ſcil. ἐσθῆτι, i. e. in *veſte*, quam de more geſtare Archontes conſueverant, quoties Dionyſiis præſiderent. Cujuſmodi veſtem Sueton. in *Domitiano c*. 4. vocat *Græcanicam togam* ἀναλόγως & eâdem planè modô ac Tertullian. Togam Romanam vocat *Pallium teres*; quia Toga Romanis, quod Græcis Pallium. Suetonii verba ſunt, *Certamini præſedit crepidatus, purpureâque amictus togâ Græcanicâ, capite geſtans coronam auream*. Sed apud Græcos, pro genere ludorum, diverſa *Agonothetæ* veſtis fuit; Nam in alia Muſicis præſidebant, in alia Gymnicis, ut alibi *Dion* notatum. Neque verò ubique *Agonothetæ* ἀγωνοθετοῦσι ſeu *præſidebant*: nam in Ludis ſacris univerſis Græciæ communibus ſeu Panellenius, Hellanodicis præſidentibus, ad lævam ſedebant Athlothetæ. Caſaubon. & Salmaſ. *Not. ad Spartian. loc. cit*. in *Gloſſ*. Græco Lat. Ἀγωνοθέτης, *Munerarius* dicitur, de qua voce multa habet P. Faber *Agon*. *l*. 1. *c*. 18. Apud recentiores verò Scriptores, pro *Agoniſta*, bellatore ſeu pugile, vocem ſumi, docet Car. du Freſne *Gloſſar*.

AGONUS, Ἀγωνός, πολίχνη πρὸς τῇ Αἰθιοπίᾳ. *Heſych*. Vide *Collina* & *Quirinalis*.

AGOPIER, Armeniæ regionis oppid. *Curopalati*. *Ampieron Cedreno*.

AGORA, ſeu AGORUM, oppid. Italiæ, Venetæ ditionis, in Bellunenſi agro, ad *Cordevo* fluv.

AGORA, oppid. in Cherſoneſo. *Steph*. Hodie *Malgara* *Agorarum mœnia*, Europæ, oppid. in Helleſponto, *Steph*. Thraciæ, putat *Ortel*. Idem fortè cum *Agora*.

AGORACRITUS, Parius ſtatuarius, Phidiæ diſcipulus. Plin. *l*. 36. *c*. 5. Hic creditur Veneris Rhamnuſiæ ſignum effinxiſſe. Nam cùm de facienda Venere cum Alcamene diſcipulo contenderet, ſuffragiô imperiti populi, non arte ſuperatus, illeque adeò rei indignitate commotus eſt, ut ſignum illud Nemeſin appellaret, eâque lege vendiderit, ne Athenis eſſet. Id ponebatur in Rhamnunte pago Atticæ, quod M. Varro omnibus ſignis prætuliſſe dicitur.

AGORANOMI, apud Athenienſes quinque in Piræeo, & totidem in urbe erant magiſtratus, qui in foro venalia inſpectabant, & curabant, ut ibi omnia modeſtè agerentur, ac ne vendentes aut ementes mendacium dicerent. Vide infrà in *Fora*, it. voce. *Sitophylaces*.

AGORANIS, Indiæ fluv. in Gangem effluens. Arrian. *de Ind*. Per υ in ſecunda legit quidam codex.

AGOREA, vel AGORÆA, Minerva, i. e. *Forenſis*, à Lacedæmoniis culta. *Pauſan*. & Cæl. Rhodig. *l*. 18. *c*. 5.

AGOREI, fluminis meminit Hiſtoria Miſcellanea *l*. 16 in quo pontem ſcribit ædificâſſe Juſtinianum Imperatorem, in Thracia videtur, juxta Agoram fortè.

AGORESUS, Cariæ civitas, apud *Steph*.

AGOREUS, Mercurius dictus, quòd ejus ſtatua in medio foro poneretur. Jupiter item ſic dictus eadem de cauſa.

AGORITÆ, Gens in Sarmatia Aſiatica. *Ptol*.

AGOTUS; vulgo *l'Agout*, amnis Galliæ, in Aquitania, alluit Vaurum *la Vaur*, multoſque amnes defert in Tarnem, qui

in Garumnam cadit, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. in voce Apamea.*

AGOLITIUS Gulielmus, vide *Gullielmus.*

AGRA, locus Bœotiæ, ex quo Iliſſus fluv. oritur, & ubi Diana venata eſſe fertur, unde *Agræa* dicta. Item Suſianæ urbi *Ptolemæo*. & Arcadiæ Homo *l.* 4. *c.* 6. ubi legitur plurali numero *Agræ*. Item regia Leanitarum in Arabia. Plin. *l.* 6. *c.* 28. Incolæ *Agræi*. *Steph.* *Agrees* dicuntur *Dionyſio*, uti videre eſt in his:

[illegible]
[illegible]
[illegible] Χαβλασιοὶ [illegible] Ἄγρέες. [illegible]
[illegible]

AGRA, urbs Aſiæ, in imperio M. Mogolis, ad fluv. *Gemini* & in provinc. Agra. Ibi perſæpe commoratur Magnus Mogol, eſtque civitas peramplа, dives, elegans. 150. leucis diſtat a Civitate *Lahor* 35. ab urbe *Delh*, 70. ab urbe *[illegible]*.

AGRA, vel AGIRIA; variat enim lectio, Africæ urbs in *Concilio* Carthaginenſi ſub D. Cypriano habito.

AGRABAT, vide *Acrabatena.*

AGRADARUS, Rex Perſarum, poſteà Cyrus dictus, à Cyro Perſidis fluvio. Strab. *l.* 15.

AGRADATUS, fluv. vide *Cyrus.*

AGRADIESIS, Militis nomen in lapis antiquus, in Smetii *Volumine, fol.* 90. *num.* 7. Italiæ videtur.

AGRÆ, oppid. eſt mediterraneum Arcadiæ Plin. *l.* 4. *c.* 6. Item Atticæ regiuncula. Dianæ *ἀγροτέρας* templo inſignis. Cæl. Rhodig. *l.* 20. *c.* 7

AGRÆA, vide *Agrai.*

AGRÆI, & AGRENSES ſunt Plinio, *l.* 6. *c.* 28. *Dionyſio* & *Stephano*, Arabiæ Felicis populi: in Arabia deſerta ſitos *Agræos* apud *Ptol.* Alii ſunt quoque ab his in Ætolia Livio *l.* 32. *c.* 34. & *Straboni*: qui ibidem etiam locum *Agræam* dictum habet, cujus incolas *Ephyros* vocat; Thucyd. *l.* 5. *Agræum* regionem. Vide *Agræa* & *Arabia.*

AGRAGALLIDÆ, vide *Acragallida.*

AGRAGAS, vel ACRAGAS, Siciliæ fluv. circa Agrigentum urbem à qua nomen accepit. *Draco* hodiè *Fiume* & *Aragm*. Item mons Siciliæ non longè à Gelâ, muro quondam cinctus, habens in ſummitate oppid. ejuſdem nominis alio nomine *Agrigentum*; unde Empedocles Philoſophus, & Phalaris Tyrannus originem duxerunt. *Mare* à *Nigro* hodiè nominatur, ab Anonymo quodam *Gergenti*. Quatuor præterea hujus nominis urbes commemorat *Steph.* quarum primam in Thraciâ locat, ſecundam in Eubœâ, tertiam in Cypro, quartam in Ætoliâ. Nobis in præſentiarum de Agrigento Siculienſi agendum. Ubi veteres optimos equos alere, & exinde in Græciam ad Agones tranſmittere conſueverant. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 703.

Arduus inde Acragas oſtendit maxima longè
Mœnia, magnanimûm quondam generator equorum.

Græci optimè Ἀκράγας legunt. Poſt Heracleæ oſtia (inquit Bochart. *l.* 1. *Phaleg. c.* 29) ſtatim ſe offert Agrigentum, urbs olim celeberrima, quæque ſecundum Syracuſas, Siciliæ fuit ampliſſima. In quâ, ſi Laertio credimus, *l.* 8. *in vita Empedoclis c.* 63. *[illegible]* h. e. *habitabant hominum octingenta millia. Octingenta*, inquam, non *Octoginta*, ut perperam habet *Cluverius.* Sed cùm res planè ſuperet fidem, adeoque ſit falſiſſima, ego mendum eſſe in numeris, qui cùm per literas numerales compendiosè ſcriberentur, facilè potuerunt *π.* & *ω.* permutari: quâ ratione factum, ut pro viginti myriadibus, octingenta ſcriberentur. Neque enim habuiſſe Agrigentum ſupra 20. myriades, h. e. 200 incolarum millia, his verbis docet Diodor. Sic. *l.* 13. *p.* 176. *[illegible]* Agrigentum autem annis poſt Gelam conditam centum & octo, i. e. 600. annis circiter ante Chriſtum, Gelenſes condiderunt, *[illegible]*, Thucydidis verba ſunt, *l.* 6. Neque aliter *Stephanus*, & Pindar. Scholiaſte. *Olymp.* 2. Urbis autem tyrannidem invaſit Phalaris, An. 183. Urb. Cond. per ann. 16. Dein Pœni eâ potiti. Unde autem fluv. hic derivetur, jam diſquirendum. Quod ut intelligatur, notandum eſt, Agrigenti duas fuiſſe partes, quarum una Græcis Ἄκρα, ſive arx appellabatur, & a Polybio, *l.* 9. ſic deſcribitur. *[illegible]* Hanc *Acram*, ipsâ Agrigento volunt eſſe multò vetuſtiorem, Itaque antiqua hæc *Acra* quæcunque tandem fuerit, Punicè חקרא *Cra* dicebatur, & articulo præfixo *Hacra*. i. e. ἡ ἄκρα, & proinde fluv. *Nahar Hacrac*, fluv. Acræ, ſeu Acris. longitud. 37. 38. latitud. 36. 10. De Sale Agrigentino, vide Plin. *l.* 31. *c.* 7. *Nic. Lloydius.*

AGRAGIENSIS Claſſis meminit marmor inſcriptum, Romæ.

AGRAMMES, vide *Aggrammes.*

AGRAMONTIUM, Oppid. Hiſpaniæ, in Catalonia provinc. ad amnem *Sio*, inter Solſonam & Ilerdam Urbes, in planitie Urgelienſi.

AGRANI, Populi Arabiæ Felicis.

AGRANI, oppid. Babyloniæ regionis. Plin. *l.* 6. *c.* 26.

AGRANTOMAGUM, Galliæ urbs, *Antonino*: circa Rhedones videtur. Vide *Argantomagum.*

AGRARIA LEX, quæ ferebatur de agris populo dividendis Liv. *l.* 2. *c.* 41. Seditionum, & everſæ ſub J. Cæſare Reipubl. occaſio. Vide Cicer. *pro Lege Agraria.* Florum *l.* 3. *c.* 3. & 13. Appian. *l.* 1. *Bell. Civ.* Primum à Sp. Caſſio tertium Conſule an. Urb. Cond. 277. promulgata perferri non potuit, neque unquam ſine maximis Reipubl. motibus fuit agitata. Ejus varia fuêre capita, ſed præcipuum id; quod poſſeſſores veteres agrorum poſſeſſione exturbabat: ut illa Licinia Tribunicia, *ne quis plus D. jugera agri poſſideret, cætera plebi divideret*; eam pertulit, an. Urb. Cond. 385. atque mox, quod filium emancipando, mille jugerum poſſideret & legi fraudem feciſſet, ſua lege X. mill. æris damnatus eſt Auctor. Ab hac deinceps quieta civitas fuit uſque ad Ti. Gracchi Tribunatum, qui legem Liciniam; quantumvis nobilitate, quæ per eam ſedibus patriis movebatur, refragante, pertulit, an. Urb. Cond. 620. &c. Plura vide apud Thom. Dempſter *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 8.

Leges Agrariæ præcipuæ.

Appuleja, lata an. Urb. Cond. 653.	Ælia Licinia.
Bæbia.	Livia.
Caſſia an. Urb. Cond. 267.	Marcia.
Cornelia an. Urb. Cond. 673.	Rubria, poſt captam Carthaginem.
Flaminia an. Urb. Cond 525.	Sempronia duplex an. Urb. Cond. 620.
Flavia.	
Julia an. Urb. Cond. 691.	Servilia an. Urb. Cond. 690.
Licinia an. Urb. Cond. 177.	Thoria.

Titia &c.

AGRARIÆ, vigiliæ ſeu excubiæ. Modeſtus de *Vocabulis Militar. Sive ad vigilias vel* agrarias *faciendas, ſive ad opus aliquod, vel ad curſionem campi exeunt milites* &c. Scriptor Tacticus, poſt *Notit. Imper. c. penult. Vigilias & agrarias exercendo*. Hinc *vigilias* & *Agrarias* jungit quoque Vegetius *l.* 2. *c.* 22. & *l.* 3. *c.* 8. facitque mentionem *Stationum agrariarum*, Amm. Marcellin. *l.* 14. 16. 25. 31. A verbo *agrare*, quod idem ac compoſitum, *peragrare*, *[illegible]*, & apud recentiores Græcos *ἀγραρεύειν*: *circuire. Heſych.* *[illegible]*, &c. Inde *Agrarienſes*, in *l.* un. Cod. *Theodoſ. de Luſoriis Danubii*, navigii ſpecies: ſic dictæ, quòd *agrarias*, i. e. vigilias & excubias exercerent. Quomodo Byzantini quoque *ἄγραρια* vocabant naviculas aut lembos; quibus Imperatores fretum Conſtantinopol. emetiebantur, cum peregrè ibant & in ſuburbana palatia ſecedebant, de quibus non ſemel Conſtantinus Porphyrog. *de Adminiſtr. Imperii c.* 51. & Anna Comnena *l.* 6. & 7. Sed & erant *Agraria*, naves piſcatoriæ, *[illegible]* apud *Theophanem*, eadem quæ Nicetæ, *[illegible]*, *piſcium captura inſervientes*, in *Iſaacio Angelo l.* 1. *num.* 6. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque Henr. Valeſ. de vocis etymo, & Salmaſ. *ad Spartian. c.* 13. nec non infrà aliquid, ubi de *Luſoriis navibus.*

AGRARIÆ Viæ, quæ & *Vicinales*: vide infrà, *Publicæ viæ.*

AGRARIUS Mergus, vide ſuprà, *Ararius.*

AGRAS, vide *Agra.*

AGRAULE, tribus quædam Athenis *Steph.* & Plut. *in Alcib.* Eſt & Athenienſium locus, in Sardinia, *Steph.* Vide *Agraule* & *Aryle.*

AGRAULOS, filia Cecropis (forſan *Aglauros*) & Minervæ cognomen. *Harpocration.*

AGRAUONITÆ, Illyrici populi, Liv. *l.* 45. *c.* 26.

AGRE, oppid. Lydiæ, *Steph.*

AGREABLE, Inſul. Regni Feſſani. Marmol. *l.* 4. *c.* 49.

AGREDA, urbs Americæ Meridional. in regno Popajani, parva ad montium radicem, ſub Hiſpanis.

AGREDICUM, vide *Agendicum.*

AGREI, populi Plin. *l.* 6. *c.* 28.

AGRESPHON, *[illegible]*, h. e. de ejuſdem nominis viris illuſtribus ſcripſit, teſte Suidâ in Ἀπολλώνιος.

AGRESTES, indocti & literarum rudes Chriſtiani olim à Gentilibus habiti. Apud Minucium in *Octavio*, *Indignandum* (ait Cæcilius) *audere quoſdam, & hoc ſtudiorum rudes, literarum profanos, certum aliquid de rerum ſumma ſtatuere*: de Chriſtianis loquens. Qui proin *ἀνθρώποι ἰδιῶται* Luciano *Peregr.* *ἀγράμματοι & ἰδιῶται*, in Actis *c.* 4. *v.* 13. *turba imperita, & illiterata frequentia* Aſclepiadi apud Prudentium dicuntur *in Romano Mart. v.* 81.

Populare quiddam ſub colore gloriæ
Illiterata credulis frequentia.

Nempe quia Chriſtiani literas ſeculares phalerasque verborum, Apoſtolos imitati minùs colerent, imperitiæ poſtulabantur ac ruditatis, ſcriptaque eorum ob ſtyli ſimplicitatem ſpernebantur quaſi ab indoctis profecta. Arnob. *l.* 1. *Sed ab indoctis hominibus & rudibus ſcripta ſunt.* Vide quoque Lactantium *l.* 5. *c.* 1. *l.* 5. *c.* 2. *l.* 6. *c.* 21. Chryſoſtomum 1. *ad Cor. c.* 3. *Homil. l.* 3. Nazianzenum *Or.* 2. *in Julian.* Iſidorum *Pelus. l.* 4. *Ep.* 27. 28. 30. Theodoret. *ad Græcos Serm.* 5. *[illegible]*. Theophilum ad Autolycum *l.* 1. Tatianum *contra Græcos initio*, Juſtinum *Apol.* 1. Clementem *Recognit. l.* 1. Alios. E quibus diſcas, ad ipſos Scriptores ſacros id convitii & vilipendii fuiſſe extenſum. Verùm uti ſermonis ſtribiliginem & verborum vitia Gentes objiciebant Chriſtianis, illoſque propterea rudes, ac *agreſtes* vocitabant: ita Chriſtiani contrà, per irriſum eos *politos*, *doctos* & *eloquentes* appellabant. Arnob. *l.* 2. *Vos ſoli ſapientiæ conditi, atque intelligentiæ vi merà; neſcio quod aliud videtis & profundum-Dicite ò feſtivi meraco ſapientiæ tincti & ſaturi potu.* Prudentius ubi ſuprà.

Vos eruditos miror & doctos viros
Perpenſa vita quos gubernat regula
Neſcire vel divina vel mortalia &c.

Vide Deſid. Heraldum ad *Arnobium*, eundem aliosque ad *Minucium.*

AGRESTINUS, Monachus Gallicanæ Eccleſiæ quietem turbat, ſub Clothario Rege Baron. *A. C.* 617.

AGRESTIS, nomen proprium Patris in *libro de Agror. Fin.* *Nam omnis poſſeſſio tres Sylvanos habet, unus dicitur Domeſticus, poſſeſſioni conſecratus: alter dicitur* Agreſtis, *Paſtoribus conſecratus, tertius dici-*

[illegible] Omnibus, cui eſt in confinio locus poſitus, à quo inter duo pluresve [illegible]. Sunt enim qui Panem eundem cum Sylvano faciant, ſed Domeſtici epitheton nil ad Panem, qui totus erat ruſticus Deus. Agreſtis verò paſtoralem ſignificat & proprium Panis eſt, qui ovium cuſtos Poetis dicitur & curare oves oviumque Magiſtros. Apud Athenienſes certe Ἀγρεὺς vocabatur, i. e. Agreſtis vel Paſtoralis: Sed & Ariſtæi apud Arcades idem epitheton, fuit, ubi, Ἀγρεὺς & Νόμιος & Ἀπόλλων, Agreſtis vel Paſtoralis Apollo cognominatur eſt, ut interpretatur Servius. Hunc verò Faunum Agreſtem appellatum Ovidio Vir eruditus ex iſtis autumat, l. 4. Faſt.

Nec, cum degrandinat, obſit
Agreſti Fauno ſuppoſuiſſe pecus.

Sed recta ibi l[illegible] 10, *Agreſti Fano* &c. Salmaſ. ad *Solin.* p. 414. qui interim Sylvanum & Pana diverſos eſſe, pluribus *ibidem* probat.

AGRIA, ſive AGARIA, regio Sarmatiæ. Ubi agaricus naſcitur. Item urbs Iazygum, in Hungaria ſuperiore. Incolis, *Erla* ſeu *Eger*, à Solymanno fruſtra obſeſſa, ſed tandem à Mahomete III. A. C. 1596. ſubacta, Turcis nunc paret; parva ſed munita. Ad amnem *Agriam*, qui tribus ab hinc leucis cadit in Tibiſcum fluv. *Nic. Lloydius.* Recepta eſt bello Hungarico hodieque durante.

AGRIÆ, popul. Pæoniæ, inter Æmum & Rhodopen. *Steph.* Ab Agriane fluv.

AGRIANE, oppid. Aſiæ minoris, in Cappadocia, prope *Irim* fluv.

AGRIANES, *Herodoto* fluv. circa Thraciam. Vide *Agriæ.*

AGRIASPE, vide *Arimaſpi.*

AGRIAULÆ, gens Attica. *Heſych.* *Agraulæ* fortè *Steph.*

AGRICOLA, ſocer Cornelii Taciti, cujus vitam Tacitus ipſe conſcripſit. Item Conſul Romanus Clementini collega. Item alius, Euſtathii collega, quorum ætate Conſtantinus Imperator obiit. *Caſſiodor.* Paul. Æmil. l. 1.

AGRICOLA Georgius, vide *Georgius.*

AGRICOLA Johannes, vide *Johannes.*

AGRICOLA Julius, vide *Julius.*

AGRICOLA Rodolph. natus prope Groningam, Imperatori Maximiliano charus: trium LL. Philoſophiæ, Theologiæ, Antiquitatis, Poëticos, Muſicæ, Graphices &c. peritiâ celebris. Epitomen hiſtoriæ conſcripſit, in gratiam Philippi Electoris Palatini, ut & alia, quorum catalogum apud Trithemium habes. Obiit A. C. 1485 Heidelbergæ, ubi Philoſophiam docuit. *Bembus*, *Eraſmus*, &c. Vide etiam *Rodolphus.*

AGRICULTURÆ Princeps, *Varroni*, qui aliis *Vicedominus*, it *Villicus*, quas voces infrà vide.

AGRIGENTUM, vide *Agragas.*

AGRII, populi quidam, qui & Cynomolgi. Strab. l. 10.

AGRII, Titanes ſic dicti. *Heſych.* Ἄγριοι θεοί, οἱ Τιτᾶνες. Idem Ἄγριοι [illegible], [illegible] ἐν Ἐ[illegible]. Fortè leg. ἐν Ἐ[illegible], vel Ἀ[illegible].

AGRILLIUM, oppid. Aſiæ minoris, in Bithynia 5. mill. paſſ. diſtat Nicæâ urbe.

AGRIMELISSA, *Heſych.* Ἀγριμέλισσα, Ἡγησίας [illegible] [illegible]. Fortè leg. *Hegeſippus*, vel *Hegeſianax.*

AGRINAGRA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol.*

AGRINIUM, Acarnaniæ urbs, Polyb. l. 6. & Diodor. Sic. l. 19.

AGRIODOS, ab Ovid. inter canes Actæonis numeratur, & ab *agreſti ſeu feroci dente* nomen habet Ovid. *Met.* l. 3. *Fab.* 2.

Labros, & Agriodos, & acuta voce Hylactor.

AGRIOLEONTES legit apud Capitolin. in *Gordiano* III. c. 33. Scaliger, ubi alii habent *Archoleontes*; intelligitque hoc nomine Leones feros, qui manſuetis opponuntur; & certè videtur locus favere, qui ſic habet: *Fuerunt ſub Gordiano Romæ — leones manſueti* 60. — *agrioleontes* (ut Scaliger legit) 10. Sed non probat vari lectionem Salmaſ. cùm Veteres codices habeant, *arcoleontes*; Unde is, mutatâ unâ literâ, ſcribit, *Argoleontes*, h. e. albi leones. quorum meminit Alexander *Ep.* ad Ariſtotelem. Vide *in*, *ra.*

AGRIONIA, feſta erant apud Bœotios, quæ in honorem Bacchi quotannis celebrabantur. Varia autem Baccho cognomenta veteres tribuerunt; atque, ut omittam quæ nihil ad inſtitutum præſens faciunt, eorum duo ſunt, benignitatis; Μειλίχιος i. e. *Mitis*, & Χαριδότης, quod explicat *Virg.* l. 1. *Æn.* v. 738. cùm *Lætitiæ datorem* appellat. His adverſantur iſta Crudelitatis, Ἀγριώνιος & Ὠμηστής; eaque Plut. inter ſe componit *in Antonio.* Nam cùm Antonius vellet ſe Liberum Patrem dici, habitu quoque & comitatu Liberi veniret Athenas, Πόλις, inquit, [illegible] [illegible], Χαριδότην, καὶ Μειλίχιον [illegible] [illegible], [illegible] Ὠμηστὴς καὶ Ἀγριώνιος. *Civitas erat plena Baccham ipſum reclamantium, Lætitiæ datorem, & Mitem; taliſque fortè nonnullis erat, pluribus autem Crudelis, & Ferus.* Idque omnino geminum eſt dicterio Romanorum, in Antonii collegam Cæſar. Auguſtum, Apollinis ornatu ſe jactantem, *Cæſarem planè eſſe Apollinem, ſed & Tortorem, quo cognomine is Deus, quadam in parte urbis colebatur.* Sueton. *in Aug.* c. 70. Baccho igitur *Agrionio* dicatum eſt feſtum *Agrioniorum.* De quibus nihil habeo quod in medium proferam, præter duo Plutarchi loca: quorum alter eſt, l. 8. *Sympoſ. quæſt.* [illegible] ubi tradit apud ſuos, in Agrioniis, Bacchum, ceu fugitivum à mulieribus inveſtigari, eaſque factô quærendi fine, dicere, apud Muſas illum occultari. [illegible] [illegible]. *Nos itaque inepte apud nos in Agrioniis mulieres Bacchum quærunt, [illegible], deinde finem querendi faciunt; [illegible] cum [illegible] Muſas confugiſſe, atque apud eas latere occultatum: paulo poſt, finita cœnâ, ſibi invicem ænigmata & griphos proponunt.* Quâ ceremoniâ nihil aliud ſignificari puto, quàm depravatos hominum mores, animoſque ferociâ temulentos, ad ſanitatem [illegible] Muſarum commerciô revocari. Alter locus eſt in *Quæſt. Græc.* ubi refert Minyæ filias furore correptas, eſum humanarum carnium appetiviſſe, Leucippamque miſſa ſorte, filium Hippaſum præbuiſſe dilaniandum; Quæ cauſa fuit, cur Minyæ poſteros ab Agrioniis ſtrictô gladiô Bacchi ſacerdos arceret. [illegible] Ἀγριωνίοις [illegible] [illegible]. *Et quaſi eas fugientes in Agrioniis à ſacerdote Bacchi ſtricto gladio, inſtitque deprehenſam interficit. Et quidem necavit ætate noſtra Zoilus ſacerdos. Nic. Lloydius.* Vide etiam *Meladius*, it. *Omadius.*

AGRIOPAS, Ὀλυμπιονικῶν Hiſtoriam texuit. Plin. l. 8. c. 22. Item Cynaræ illius pater, qui tegulas & metalla, forcipem, item marculum, vectem & incudem invenit. Plin. l. 7. c. 56.

AGRIOPE, Agenoris uxor Lactantio *in* 2. l. *Theb.* Statii, & Hygino *Fab.* 6. quæ tamen *Telephaſſa*, ſeu *Telephaëſſa Apollodoro* & *Moſcho* vocatur. Fuit alia ejuſdem nominis, quam *Muſæus* Orphei uxorem fuiſſe vult, quam tamen cæteri omnes Eurydicen vocant.

AGRIOPHAGI, atque *Moſchophagi* populi Æthiopum occidentem verſus, qui, teſte Solino, c. 33. ſolum Pantherarum, & leonum carnibus veſcuntur, Regem habentes unoculum. *Agriophagas*, habet *Ptol.* in India intra Gangem. Vide *Cyclopes.*

AGRIPPA, Latinum vocabulum eſt, dictum ab eo, quod ægros, i. e. difficiles partus faciat; Cui malo quô pactô obviam itum à Romanis, vide Plin. l. 7. c. 8. vel dicitur ille Agrippa, qui in naſcendo prius emittit pedes. Gellius. l. 16. c. 16. Nonius c. 9. Plin. l. 7. c. 8. *In pedes procedere naſcentem contra naturam eſt, quo argumento appellavere Agrippas, ut ægre partos.* At Salmaſ. ſummus, ac eruditiſſimus vir, & uſu & origine Græcum eſſe nomen, ἀπὸ τοῦ ἀγρὸς καὶ ἵππος, *Exercitationibus Plinianis* oſtendit. cum priùs prænomen eſſet, quô priſcis temporibus Regem Albanorum Agrippam Silvium primum; deinde Menenios & Furios uſos eſſe conſtat; Sequentibus temporibus in cognomen tranſiit apud Romanos in Vipſaniorum, Aſiniorum & Hateriorum familiis.

AGRIPPA, Auguſti gener, navali victoriâ contra Sextum Pompejum inſignis. Virg. *Æn.* l. 8. v. 682.

Parte alia ventis, & Diis Agrippa ſecundis
Arduus. —

Horat. l. 1. Od. 6.

Scriberis Vario fortis, & hoſtium
Victor, Mæonii carminis alite,
Quam rem cunque ferox, navibus, aut equis
Miles te duce geſſerit.
Nos, Agrippa, neque hæc dicere, &c.

AGRIPPA, fil. Poſthumus M. Vipſanii Agrippæ, ab avo Auguſto, in Planaſiam Inſulam relegatus, ibi Tiberii juſſu, ſublatus eſt, Tacit. l. 1. *Annal.* c. 3. Unus ex ſervis ejus, herum ſe ſimulans, parum abfuit, quin ingentes turbas daret. Idem l. 2. c. 39.

AGRIPPA, cognomentô Caſtoris, vir apprimè doctus, contra 24. Baſilidis hæretici volumina, quæ contra Evangelia ille ſcripſerat, acerrimè diſſeruit. *Hieronym.*

AGRIPPA, vide *Julius.*

AGRIPPA, Mathematicus ſub Domitiano, in Bithynia, Lunam Pleiadibus junctam obſervavit, 29. Nov. A. C. 92. Ptol. l. 7. c. 3. D. Haterius *Agrippa*, Conſul cum Sulpitio Galba, A. C. 22. M. Aſinius *Agrippa* Conſul, cum C. Corn. Lentulo, A. C. 25. Vide & *Marcus.*

AGRIPPA, Philoſophus Scepticus. Laërt. l. 9.

AGRIPPA, Furius Medullinus, ac Titus Quin. Capitolinus Barbatus Conſules Romani; Æquos, Volſcoſque vicerunt.

AGRIPPA, Furius Philo, Tribunus militum.

AGRIPPA, M. fil. Ariſtobuli, magni Herodis filii, à Tiberio Cæſare conjectus in vincula, ſed à Cajo liberatus, Rex Judææ factus eſt, regnavitque ann. 7. Poſteà Claudius Cæſar regnum ejus confirmavit, omne Herodis imperium & Lyſaniæ adjiciens; tetrachiam quoque Philippi Bethaniam Trachonitidem &c. Joſeph. *Jud. Ant.* l. 15. c. 4. Is Jacobum Apoſtolum gladiô interfecit, & Petrum in carcerem detruſit. Act. c. 12. v. 1. 2. Item Herodes *Agrippa*, ſecundus Galilæorum tetrarcha, Herodis, primi Judæorum Regis, fil. qui CHRISTUM illuſum remiſit ad Pilatum Fil. defunctô Herode, Chalcidis Rex deſignatus eſt à Cl. Tiberio, A. M. 4011. Chriſti, 49. Vir prudens, Hebraicè Latinéque doctus. Berenices maritus, de quo in A[illegible] Apoſtolorum. c. 26. v. 30. Vide infrà, & Juvenal. *Sat.* 6. v. 156.

— *Deinde adamas notiſſimus, & Berenices*
I[n] digito factus pretioſior: hunc dedit olim
Barbarus inceſtæ, dedit hunc Agrippa ſorori,
Obſervant ubi feſta mero pede ſabbata reges,
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis. Nic. Lloydius.

Accuratiſſimè: *Agrippa* I. Magnus, cognomine *Herodes*, fil. Ariſtobuli ex Berenice, Romam miſſus, paulo ante mortem Herodis Antipæ, patrui ſui, ingeniô & manu liberali, plurimorum in Tiberiana aula, Antoniæ [illegible], quæ Druſi uxor erat, animos ſibi conciliavit. Sed quia ſupra ſortem largus erat, ſumptibus impar Româ diſceſſit, quo cum poſtea reverſus eſſet, quod amicitiam cum iis, qui Tiberio ſuſpecti erant, contraxiſſet; in vincula conjectus eſt. Inde à Cajo Caligula liberatus, auream pro ferrea catenam accepit; quam, ut ſe gratum teſtaretur, in Templo Hieroſolymitano appendit, & ditionem Philippi, conceſſu Imperatoris, occupavit. Acceſſêre poſtea, quæ Herodes Antipas poſſederat, quibus Claudius Imperator Samariam Judæamque ſuperaddidit, Joſeph. *Ant. Jud.* l. 18 & 19. Ut rem genti faceret gratam, S. Jacobum Apoſt. gladiô interfecit, & Petrum in carcerem detruſit, Act. c. 12. v. 1. 2. 3. Tandem,

cùm bellum meditaretur contra Sidonios Tyrioſque, Cæſareæ, ab adulatore populo, honoribus divinis mactatus, cum minimè refragaretur, neque gloriam Deo cederet, ab Angelo percuſſus, vermibus eſca vivus factus eſt, A. C. 40.

AGRIPPA, hic ultimus Judæorum Rex à Veſpaſiano miſſus Romam, ſententiam novi Principis de bello Judæorum ſciſcitatum. Poſtea creatò à legionibus Imperatore Veſpaſianò, per occultos ſuorum nuncios excitus ab urbe, ignaris adhuc Vitelliò, celeri navigatione properavit. Sub hoc Hieroſolyma exciſa, ille Tito & Veſpaſiano honoratus; Romæ obiit. A. C. 100. Egeſipp. *l.* 4. *c.* 22. Tacit *l.* 2. *Hiſt.* *c.* 81. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 20 *de Bello l.* 2. & 3. *Nic. Lloydius.* Latius ita: Agrippa II. fil. Herodis Agrippæ, ultimus Judæorum Rex ſucceſſit Patri annò ætat. 17. ſub tutela Cuſpii Fadi, et à Claudio Imperatore additi, à quo Chalcidem quoque nactus eſt, A. M. 4011. A. C. 49. cui poſtea alias quatuor urbes Nero adjecit. Vir fuit prudens, Hebraicè Latinèque doctus, maritus Berenices, de qua Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 156. Cum hac Cæſaream venit, ut S. Paulum Apoſt. qui ibi captivus detinebatur, videret audiretque, Actor. *c.* 25. *v.* 13. Poſteà, ob lenitatem ſuam, in tantum ſuæ gentis pervenit odium, ut lapidibus in eum conjectis illum pellerent, poſtquam futuras calamitates præſagâ mente illis prænuntiâſſet. Romam itaque delatus cum uxore, Veſpaſiani conſiliis, ſententiam novi Principis de bello Judæorum ſciſcitatus eſt. Poſteà, creatò à legionibus Imperatore Veſpaſianò, per occultos ſuorum nuntios excitus ex urbe, ignaris adhuc Vitelliò, celeri navigatione ad Veſpaſianum ſe recepit. Subeo Hieroſolyma exciſa; ipſe Tito & Veſpaſiano honoratus, Romæ obiit poſt excidium Urbis an. 30. A. C. 100. Vide Joſeph. *Ant. Jud. l.* 20. *Belli Jud. l.* 2. & 3. Egeſippum *l.* 4. *c.* 21. Tacit. *Hiſtor. l.* 2. *c.* 81. *Dion.* &c.

AGRIPPA Menenius, cognomentò Lanatus, dux à Romanis electus adverſus Sabinos, de iis triumphavit. Et cùm plebs à patribus ſeceſſiſſet in Aventinum, quod tributum & militiam toleraret, nec revocari poſſet, Agrippa apud eam verba faciens, *Humani artus*, inquit, *cum ventrem otioſum viderent, ab illo diſcordârunt, & ſuum illi miniſterium negaverunt. Cùm autem eo pacto & ipſi quoque deficerent, intellexerunt, ventrem cibos acceptos per omnia membra dividere, & ſic cum eo in gratiam redierunt: Sic Senatus & Populus, quaſi unum corpus, diſcordia pereunt; concordia valent.* Livius *l.* 2. *c.* 32. Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* 6. Florus, *l.* 1. *c.* 23. Plut. *in Coriol.*

AGRIPPA Sylvius, Tiberini Sylvii fil. duodecimus Latinorum Rex, ſummerſo patri in regno ſucceſſit, & cum ann. 41. regnâſſet, moriens Romulum Sylvium reliquit hæredem. Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* 1. *c.* 8.

AGRIPPA, Vipſanius. Vide *Vipſanius.*

M. AGRIPPA Conſularis, patruus Severi Imperatoris apud Æl. Spartianum in *Vita hujus c.* 1.

AGRIPPA Cor. Colonia eſt in *Theſauro Goltzii*, ex nummo *Agrippa Pateica*, ibidem: *Agrippæ Stagnum*, Romæ, eſt apud Tacit. *Annal. l.* 15. *c.* 37. &c.

AGRIPPA Henricus Cornelius, à Nettesheim dictus, Iuris Utriuſque & Medicinæ Doctor, armatæ inſuper militiæ Eques auratus, C. S. E. ſcripſit plurima, inter quæ eminet *de vanitate ſcientiarum* liber. Reliqua enim, quæ de Magia edidit, dubiæ auctorem famæ redduot. De cane nigro, qui ad moribundi pedes ſe viſendum præbuit, vide alios. Obiit A. C. 1534. ætat 48. Gratianopoli. In hunc Agrippam, Poëta quidam ſequente diſtichô luſit:

Sint vana hæc humana, licet: Sed vanius illud,
Hæc a latrante te didiciſſe Sopho.

Vide Anton. Teiſſier *Eloges des Hommes ſçavans*, *Volum.* 2.

AGRIPPENSES, Bithyniæ populi Plin. *l.* 5. *c.* 32.

AGRIPPIANA Septa, locus Romæ, apud Æl. Lamprid *in Alexandro Sev. c.* 26. *Baſilicam Alexandrinam inſtituerat, inter Campum Martium* & Septa Agrippiana, *in latum pedum centum, in longum pedum mille, ita ut tota columnis penderet.*

AGRIPPIAS, vide *Anthedon.*

AGRIPPINA, cognomine *Vipſania*, filia Agrippæ, neptis Cæcilii Attici, cui Cicero Epiſtolas inſcripſit. Uxor Tiberii, ſed ab eo repudiata, ut Juliam duceret, Auguſti filiam. Sueton *in Tiberio*, *c.* 7. Suſceperat autem ex Tiberio Druſum. Vide Tacit. *l.* 1. *Annal c.* 6. *Dion.* Sueton. *loc. cit.*

AGRIPPINA, M. Agrippæ filia, neptis Auguſti, & uxor Germanici, quem etiam in Syriam comitata eſt: ubi quum ille, miſſò à Cn. Piſone venenò, interiiſſet, cineres ejus in Italiam reportavit & Juliæ familiæ monumento intulit, Piſonemque judiciò perſequuta ad ſpontaneam necem adegit. Poſtremò apud Tiberium Cæſarem, oculis ſuò meritò in invidiam adducta, inediâ ſibi mortem conſcivit. Vide Tacit. *l.* 1. 2. 3. 4. 5. Sueton. *in Tiberio*, *c.* 52. Ejus icon aſſervatur in Muſæo Kircheriano, Romæ, uti legitur *in Muſæo Collegii Romani Soc. Jeſu*, *edito Amſtelodami*, *A.* C. 1678. Item Julia Agrippina, Germanici & ſuperioris Agrippinæ filia fuit, quæ primùm C. Domitio Ænobarbo nupſit, cui Neronem peperit, mortuòque Domitiò, novò quòdam exemplò cum Claudio Cæſare patruo ſuo ſecundas nuptias contraxit; quem, ut Neroni filio ſuo expeditam ad Imperium viam ſterneret, venenatò boletò ſuſtulit. Tandem infinitis nobiliſſimorum virorum cædibus graſſata, immiſſis Neronis juſſu percuſſoribus, multis vulneribus confoſſa eſt, illud identidem clamans, *Feri ventrem, qui monſtrum tam ferum tulit.* Utriuſque vitam vide latiùs apud Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 7. *l.* 12. *Annal.* *c.* 22. 25 &c.

AGRIPPINA, ſive potius *Agrippinenſis* Colonia urbs eſt celeberrima ad Rhenum fluv ſiti penè juris, & omnium urbium Germanicar. maxima cultiſſimaque, Ubiorum metropolis, nomen habens ab Agrippina Neronis matre, quæ, ut patriam (ibi enim nata erat) ſplendidiorem redderet, ſociiſque etiam nationibus potentiam ſuam oſtentaret, Veteranorum coloniam eò deduci imperavit. Vide Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 27. Ibi Academia antiqua, quæ A. C. 1388. publicè renovata eſt, gratiaque privilegiis, Pariſinæ ſimilibus. Ex adverſo urbis fuit olim Divitenſe munimentum, nunc *Duitſch*, cum ponte Rheni, extructum à Conſtantino M. ſed à Brunone Epiſcopo deſtructum eſt, A. C. 955. Vide *Colonia* & *Ubii*

AGRIPPINUS, vide *Paconius*

AGRIPPUS Hiſtrio, cujus meminit Jul Capitolin. in *Vero*, *c.* 8. *Habuit & Agrippum hiſtrionem, cui cognomentum erat Memphi, quem & ipſum* Syria, *velut tropæum Parthicum adduxerat, quem Apolauſtum nominavit.* alii ſcribunt *Agrippus* ſeu *Agrippinus.* Sed nomina hæc purè Romana ſunt: hic verò hiſtrio de gente Syrorum: Unde & *Memphis* illi cognomentum, & *Agrippus* nomen. Ἄγρυπνος autem nomen Græcum, ſed & Ἀγρυπνίας potuit dici, aliter tamen libri omnes. An verò *Agrippus* hic idem ſit cum Apolauſto, cujus mentio in *Inſcr. veteris* Romani lapidis, vide infra.

AGRIS, *Ptol.* Carmaniæ urbs. *Steph.* ἀγρίσα eſt.

AGRISIUS, 14. Argivorum Rex, regnavit ann. 13. Vide *Acriſius.*

AGRIUS, Parthaonis, Martis filii, fil. Therſitis pater; cujus nihil præter nudum nomen ad nos pervenit. *Boccatius.* Item frater Oenei Diomedis avi. Homer. *Il.* ξ. *v.* 115.

Πορθεῖ γὰρ τρεῖς παῖδες ἀμύμονες ἐξεγένοντο,
Ὤικεον δ' ἐν Πλευρῶνι, ϰ' αἰπεινῇ Καλυδῶνι,
Ἄγριος ἠδὲ Μέλας, τρίτατος δ' ἦν ἱππότα Οἰνεὺς
Πατρὸς ἐμοῖο πατήρ.

Fuit & *Agrius* Ulyſſis ex Circe fil. cum Latino fratre. Heſiod. *in Theog. v.* 1013. *Nic. Lloydius.*

AGRIUS, fluv. regni Neapolitani in Baſilicata provinc. Cadit in ſinum Tarentinum. Oritur ſupra Marſicum novum, ex Apennino monte.

AGRIZANA, vide *Aſpuna* & *Argizala.*

AGROELA, vide *Agraule.*

AGROETAS, rerum Scythicarum ſcriptor; cujus meminit Apollonii Scholiaſtes in *l.* 2. Idem *in* 3. *rerum Libycarum* citatur ab eodem *in l.* 4. Meminit ejuſdem Steph. *in* Ἀμμώνιος.

AGROIRA, vide *Attalus* apud *Steph.*

AGROLAS, unà cum Hyberbio ad arcis Athenienſis radices domicilia habuerunt; omnemque ambitum murorum arcis fecerunt, præter eam particulam, quam Cimon Miltiadæ fil. conſtruxit. Pauſan. *in Att.*

AGRON, primus qui inter Heraclidas Sardis regnavit. Herodot. *l.* 1. Melius *Argon*, quod vide. Item Rex Illyriorum, qui cum Ætolos ſuperbiſſimos populos bellô ſuperâſſet, tantâ ſeſe præ gaudio vini copiâ obruit, ut pleuritide correptus ſubitò extinctus fuerit. Polyb. *l.* 2. *c.* 4. Item Medicus inſignis, qui accenſis in proximo ignibus, Athenienſibus magnâ vi peſtilentiæ graviter infeſtatis, ſalutarem opem tulit. Cæl. Rhodig. *l.* 24. *c.* 22. Item Nini fil. quod in agris natus eſſet, ſic dictus. Idem *l.* 23. *c.* 5.

pro AGRORUM fructibus, preces ad Deos Ethnici ſaniores fudiſſe paſſim leguntur; quam eandem in rem ſacrorum Solennia publicè inſtituta, Romæ Feriæ Sementinæ, Arvalia (quæ qui curabant, *Fratres Arvales* dicti) alia, ut Rodolph. Hoſpinianus pluribus docet *de orig. Feſtor. c.* 8. *fol.* 52. & *ſeqq.* Vide quoque Car. Sigonium *de antiq. Jure Civ. Rom l.* 1. *c.* 19. & Jac. Gotofredum *Diſſertat. de interd. Chriſtian. cum Gentil. num.* 1. *p.* 9. Sed & meſſes opimas feraceſque vindemias eos à Diis ſuis petiiſſe, Arnob. auctor eſt *adv. Gent. l.* 6. Hujuſmodi precum formula illuſtris occurrit, apud Ovid. *Faſt l.* 1. *v.* 677. *ſ.* ubi curam agrorum Diis, qui (ut iſti putabant) iis erant præfecti, commendans, precatur:

Frugibus immenſis avidos ſatiate colonos,
Ut capiant cultûs præmia digna ſui.
Vos date perpetuos teneris ſementibus auctus,
Nec nova per gelidas herba ſit uſta nives.
Cùm ſerimus; cœlum ventis aperite ſerenis,
Cum latet; ætherea ſpargite ſemen aquâ.
Neve graves cultis, Cerealia dona, cavete,
Agmine læſurò depopulentur aves.
— ---- *Creſcat Scabra rubiginis expers,*
Nec vitio cœli palleat ægra ſeges.
Et neque deficiat macie, neque pinguior æquò
Divitiis pereat luxurioſa ſuis.
Et careant loliis oculos vitiantibus Agri;
Nec ſterilis cultò ſurgat avena ſolo.
Triticeos fœtus, paſſuraque farra bis ignem,
Hordeaque ingenti fœnore reddat ager &c.

Vide Tob. Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. purior. c.* 16. §. 14.

AGROS, Regionis nomen, *Steph.* Loci nomen circa Propontidem, *Cedreno.*

AGROSPI, oppid. ad Nili ripam, in Æthiopia, ſub Ægypto Plin. *l.* 6. *c.* 30.

AGROSUS, mons, ubi nunc Roma; ad quem Faunus ab Evandro ex Arcadia pulſus conceſſit, quem ipſe poſtmodum Palatinum appellavit.

AGROTERA, Dianæ cognomen. Cæl. Rhodig. *l.* 29. *c.* 7.

AGRYLE, vel AGRAULE, pars tribus Erechtheidis Athenis, & oppid. in Sardinia Athenienſium colonia. *Steph.*

AGUBENI, Arabiæ de eriæ gens. *Ptol.*

AGUENSIS, plebs in Af. ſta. *Collat. Carth.* an pro *Agnenſis*, ab Agna Vel potius *Aquenſis*, ab *Aqua*?

AGUILARA, nemeo dominii in Caſtellano Regno, ſub proprio Comite ex familia Arellanorum. In hac enim Joann. Ramirus

de Arellano, gratiſſimus Henrico II. Regi, ab ipſo, dominus [illegible] C[illegible], *Agnilar* &c. donatus eſt: in cujus poſteris Alfonſus [illegible] Comes I. *de Aguilar* creari meruit; pater Alfonſi Ramirez [illegible] Dominos *de Clavio* & *Miraflores* genuit, ac majoris natu Caroli *de Arellano* Comitis *de Aguilar*, qui ex Joanna *de Zuniga* [illegible] Ramirum ſuſcepit. Quo & Anna cognatâ natus Philippus Ramirez I. pater fuit ex Maria de Zuniga Philippi Ramiri II. qui ſibi junxit Joannam Manricam, atque ex ea pater fuit Joannis Ramiri, Joannæ & Mariæ, Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Eur. Part.* 2. p. 57. & infrà in Familia *Arellana*.

AG[illegible]ILLONIUM, Gall. *Aiguillon*, Urbecula lepida Galliæ, ad Garumnam fluv. ubi recipit Lotum, in Aquitania, Ducatus ti[illegible] clara. In Aginnenſi agro & regione feraci ſita eſt. Aginno 4 leuc[illegible], Nero 5. diſtans.

A[illegible]A vel AGALA, moneta in *Gloſſ.* Arab. Lat. apud Car. du Freſne.

AG[illegible]LAN[illegible], recenſentur paſſim à Scriptoribus Rerum Hieroſol[illegible]anarum, inter populos, qui Saracenis vel Turcis parebant [illegible], cum Franci Syriam ſunt ingreſſi. Sed an hæc appellatio gentis ſit an ſectæ, incertum, cum illi Publicanis ac Azymitis jungantur, quæ indubie ſectariorum ſunt nomina. De *Agulanis* id unicè prodit Gilibertus *Geſtorum Dei* l. 5. c. 8. *Eorum ſiquidem, quos* Agulanos *appellant, tria millia extitiſſe ferunt, qui neque gladios, neque lanceas aut ſagittas, nulla prorſus arma formidant, quia omni ex parte cum ipſi, tum equi eorum, ferro adoperiuntur. Hi nihil armorum præſter in bellis, præter enſes, uſui habent.* Quibus conſona refert Robertus Mon. l. 6. & Baldricus l. 5. apud Eund.

A[illegible]LHÆ Caput, *Cap. des Aiguilles*, in Africa. Vide *Acuum caput.*

AGUNTUM, oppid. Siciliæ. *Ptol.* Norici item oppid. vulgò *Innichen*, longitud. 35. 52. latitud. 46 37. Etiam *Gurk* [illegible] alibi *Lienz*. A[illegible] eſt *Doblach*, oppid. Brixinenſis tractus, in Tyrolis Comitatu ad montium radices, juxta amnem *Rienz*, 9. mill. paſſ. ab oppido *Innich*[illegible]. *Cl*[illegible].

AG[illegible]RIUM, Siciliæ urbs, *Ptol. Agyrinos* populos habet Plin. l. [illegible] c. 8. *Smilerus* ſcribit, *Argiraum Antonini* eſſe, & hodie *S. Philippo* in *Agirone* appellari, cui aſſentitur *Leander*. *Agyrena* legit *Steph.* Agyrinenſes apud Cicer. *Or.* 2. *in Verr.* c. 65. ſunt. Diodor. Sic. geminato γγ ſcribit, & idem alio in loco ἀγγύριον per ρ in pri[illegible] . . 4. 14 & 16.

AGUSTA, in libris ante 400. annos ſcriptis, corruptè pro *Auguſta*. Unde oppid. *Famagoſta* Hiſpaniæ, quæ olim *Fama Auguſta*. Sic *Arausa*, pro *Arauſius* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 45. & *infrà* [illegible].

AGU[illegible]T[illegible]S, fluv. Galliæ, *l'Ageout*. Vide *Arautus*.

AGUTI vel AGITA, Inſul. inter Siciliam & Africam: *Antonino*.

AGUZII, vide *Oxyzei*.

AGYAMARIA, Epiſcopalis locus, ſede Sergiopoleos *Guil. Tyrius*.

AGYLÆUS Henricus, *Nomocanonem Photii* Latinè vertit, poſt *Gentianum Hervetum*: quæ ambæ verſiones Latinè primò prodierunt, ſine textu Græco; Sed poſterior illa *Agylæi* duplici nomine præ illa *Herveti* commendatur. Namque & plenior eſt, utpote ex pleniori exemplari Græco facta; & magis accedit ad ſtylum Juriſconſultorum. Unde quamvis Græcè & Latinè editus Nomocanon Pariſiis primùm eſt, cum *interpretatione* Gentiani præfati & *Commentariis* Balſamonis, ex Typographia Regia: Henricus tamen poſtea Juſtellus in *Bibliath. Juris Canon. Vet.* accuratiùs eundem, Græcè ſcilicet & Latinè, ex Interpretatione *Agylæi*, edidit, unà cum iiſdem Balſamonis *Commentariis*, additis diu deſideratis Photii *Prolegomenis*, ab *Uſſerio Archiepiſc. Armachano* & aliis ex *MSS.* citatis: *ita tamen ut quæ in ea deficerent, verſione nova ſupplerentur, quæ cum Græco non omnimodè congruerent, emendarentur; mutatis etiam nonnullis, quæ minùs propriè in rebus Theologicis viderentur expreſſa*, ut ipſe Juſtellus ait in *Præfat*. Vide Gerhardum von Maſtricht *Hiſtor. juris Eccl.* num. 144.

AGYLEUS, ſive ut Macrob. l. 1 *Saturn.* c. 9 & rectiùs *Agyieus*, Apollo ab Athenienſibus dictus, quod ei in viis publicis ſuæ urbis ex reſponſo ſtatutis altaribus ſacrificarent. Ἀγυιὰς enim illi vias dicunt, quæ ſunt contra pomœria. Horat. l. 4. *Carm.* Od. 6.

Dauniæ defende decus Camœnæ
— — Levis Agyieu.

AGYLINAVADA, vide *Thraſumenus*.

AGYLLA, Tuſciæ civitas, a conditore appellata. *Servius* Vide Cære Virg. *Æn.* l. 8. v. 478.

Haud procul hinc ſaxo incolitur fundata vetuſto
Urbis Agyllinæ ſedes: ubi Lydia quondam
Gens, bello præclara jugis inſedit Etruſcis.

Dionyſ. Halicarn. l. 3. [illegible] Strabo l. 5. [illegible] Divitem fuiſſe civitatem innuit Lycophron in *Caſſandra*, ubi [illegible] memorat [illegible], i. e. *pecoroſos Agyllæ ſaltus*. Quin & Liv. l. 22 *opulentum oppid.* expreſſ[illegible]at. [illegible]nde Dionyſ. Halicarn. *loc. cit.* [illegible] dic[illegible]. *Nic. Lloydius*.

AGYLLEUS, luctator Cleonæus, ſtaturæ prægrandis, nec minor Hercule. Stat. *Theb.* l. 6. v. 836.

Let at arduus contra
Mem[illegible]a, Cleonæa Stirpis jactator Agylleus,
[illegible] *a non* [illegible] *minor.* — —

AG[illegible]NNII, Hæreti[illegible], circa A.C. 694. A carne & conjugio [illegible]ne, Deum utriuſque authorem eſſe inficiati.

A[illegible]RANIS, vide *Agoranis*.

AG[illegible]RENIA & AGYRINI, vide *Agyrium*.

AGYRIS, Rex Cypri & ſocius Perſarum ab Evagorâ occiſus fuiſſe arguitur, apud Artaxerxem, ab Amathuſiis, Soliis & Citienſibus. Diodor. Sic. l. 14. *fol.* 447.

AGYRIS, Agyrenenſium tyrannus, cum quo Meſſenii pacem fecerunt. Diodor. Sic. l. 14. qui poſt Dionyſium totâ Siciliâ erat potentiſſimus. Nam circumjecta munimenta propemodum omnia habebat in manu & populoſiſſimæ iſtis temporibus urbi Agyrenenſium imperitabat: quippe in illâ haud pauciores viginti millibus viventium numerabantur. Præterea magnam opum vim ex bonis interemptorum opulentiſſimorum civium in arce aſſervabat. Hunc Dionyſius major; cum Mago Siciliam octoginta millibus Olymp. XCVII. anno primo invaſiſſet, traxit in ſocie atem. *Ibid.* f. 446.

AGYRIUM, Siciliæ urbs. Priſcis Græcis Ἀγύριον, *Ptol.* verò Ἀγύριον vocat. *Stephano* Ἀγ[illegible] dicitur, unde vulgare vocabulum hodiè *Agirone*. Populi *Agyrinenſes* Tullio, *Or.* 2. *in Verr.* c. 65. *Agyrini* Plinio l. 3. c. 8. *In Excerptis Legat.* Diodor. Sic. l. 22. Ἀγυραῖοι procul dubio mendosè pro Ἀγυριναῖοι. Origo hujus oppidi tam occulta eſt, ut Herculis fabulis admiſcerent priſci mortales. Quâ de re vide Diodor. Sic. cujus patria fuit. l. 4. & 14. & 16. Poſterioribus etiam temporibus celebrem fuiſſe urbem patet ex Cicer. *Verr.* 5. *Agyrinenſis eſt imprimis honeſta Siciliæ civitas, hominibus ante hunc Prætorem locupletium, ſummorumque aratorum.* Sed præ omnibus aliis rebus maximè celebrem reddidit ille, qui ſub initium operis ſui ita ſcribit, Ἡμεῖς γὰρ ἐξ Ἀγυρίου τῆς [illegible] Σικελίας ὄντες. Docti ſciunt quem velim. *Nic. Lloydius.*

AGYRIUS, ab Athenienſibus, Thraſybulo; ad Eurymedontem fluv. ab Aſpendiis interfecto, ſubrogatus Dux. Olymp. XCVII. An. 3. Diodor. Sic. l. 14.

AGYRTÆ, Sortilegi, Circumforanei, in triviis olim atque aliis locis publicis proſtantes, divinationes peragendo, credulo illudebant popello, uti per eos, quos *Cerretanos* Itali hodie vocant, lucri gratiâ [illegible] exercetur: Utebantur autem tales Homericis, Virgilianis, aliiſque verſibus, ac per illos ſortes reddebant. Et quidem Romæ in Circo, ad aggerem ſeu ſpinam ejus, atque, *ibi ad Phalas Delphinorumque columnas*, ut Juvenalis, *Sat.* 6. v. 590. ait, impoſturas ſuas ac præſtigias, hominibus de fortuna circa conjugia, ſua aut alia conſultum venientibus venditabant. His erant tabellæ in quibus verſus fatidici erant deſcripti, atque in ea, talorum arbitrante jactu, divinationes peragebant, quæ proin tabella, ut Caſaubonus monet ad *Hiſtor. Aug. Tom.* 1. p. 19. Græcis vocabatur [illegible] ſive [illegible]. Vocabantur enim Sortilegi hi propriè *Agyrtæ*. Unde apud Suidam inter alia, *In voce* Ἀγύρτης (ubi antea [illegible] vocaverat [illegible]) habemus: [illegible], *In ipſo accuſabatur, quòd attonitus quaſi hæreret circa oracula ac perpetuò Agyrtis rei familiaris ſuæ fortunas committeret.* Plura de hoc hominum ac divinationis genere, vide apud Anton. van Dalen *De Oraculis Diſſertat.* II. uti de pœna iis inſligi ſolita, Crurifragio vade[illegible] voce *Crura*. Adde dicenda voce *Circumforanei*.

AGYRTES, patrem interfeciſſe dicitur. Ovid. *Met.* l. 5.

— — Et caſo genitore inſamis Agyrtes

Item nomen tubicinis apud Stat. l. 2. *Achil.* v. 50.

— — — Tecum iturn bonus, adſit Agyrtes,
Occultamque tubam tacitus apportet in uſus.

AHA, Rabbinus celebris, ſeculo 7. Author ſcripti *Scheeltoth*, cujus inter Judæos magnum eſt nomen. Genebr. *Chron.*

AHALA, Serviliorum cognomen. Ita enim ſcribitur in nummis non *Hala*. Cicer. autem in *Oratore* ſignificare videtur *Ala* ſcribendum eſſe. *Manutius.*

AHALAB, Latin. *frater cordis*, ſive *lactens*, vel *lactans*, aut *adeps*. Nomen urbis. Judic. c. 1 v. 31.

AHARA, Latin. *frater redolens*, aut *gratum odoris*, fil. Benjamin. 1 Paral. c. 8. v. 1. qui Gen. c. 46. v. 21. *Gera* dicitur.

AHAREHEL, Latin. *alter exercitus*, ſive *noviſſimus exercitus*; aut *alter dolor*, ſive *noviſſimus dolor*: aut [illegible] fil. Aram. 1 Paral. c. 4. v. 8.

AHARNA, oppid. Etruriæ. Liv. l. 10. c. 25.

AHASBAI, Latin. *confidens in me* vel *frater circumdans*: aut ex Ebræo & Syro, *frater ſenectutis*, fil. Machati. 2 Sam. c. 23. v. 34

AHASIAS, octavus Iſraëlitarum Rex, regnare cœpit an. 17. regni Jehoſaphat, regnavitque ann. 2.

AHASTARI, Latin. *curſor*, vel *veredarius*, ſive *feſtinatio turturis*, aut *exploratoris*, ſive *frater qui explorat*: vel ex Syro & Ebræo *princeps turturis*, vel *princeps explorationis*. Filius Aſher ex Maarâ. 1 Paral. c. 4. v. 6

AHASVERUS, qui eſt Darius Hyſtaſpis fil. hinnitu equi Rex Perſarum confirmatus, regnavit ann. 36. *Herodotus*. Repudiatâ uxore ſuâ Vaſthi, Eſtheram matrimonio ſibi junxit. Eſth. c. 1. v. 1, 2. Alius Xerxes hic videtur, nec ſine ratione.

AHAVA, Latin. *eſſentia*, ſive *generatio*, fluvii nomen. Eſdr. c. 8 v. 21.

AHAZ, Latin. *apprehendens*, ſive *poſſidens*, aut *videns*, fil. Michæ. 1 Paral. c. 8. v. 35. Item alius Nehem. c. 11. v. 13. Sed lege *Ahazi*.

AHEMREMMON, tribûs Judæ locus, Joſuæ c. 15. v. 32. ut vertit D. Hieronym. Apud 70 Interpretes duo loca ſunt *Ain* & *Remmon*. *Ain* tempore D. Hieronymi *Bethemmim* vocabant.

AHENOBARBUS, cognomen Domitiorum, quod primus tuliſſe Cn. Domitius, & ad ſuos poſteros propagavit. Quidam ſcribunt *Ænobarbus*, ſed in antiquis lapidib. ac monumentis ſemper eſt *Aheno-barbus*.

AHENUM Flammeum, inter veterum Bohemorum Inſignia. Datum enim ab Ottone I. Imperatore Wenceſlao Duci an ab Ottone II. Pretiſlao, filiæ ſuæ raptori: aquilam nigram in ſcuto argenteo, refert Hæping. *de Jur. Inſign.* Part. III. c. 6. cui Otto I.

adjeciſſe fertur *Ahenum flammeum*, in Archidapiferiæ ſignum, quam Boleſlaus I. Dux in Curia Imperiali ſolenni obtinuit. Verum Hagecenus datum quidem Boleſlao *Ahenum*, ſed in pœnam, ob cæſum fratrem Wenceſlaum, contendit: *Und verordnet, daß die Herzogen in Böhmen allezeit dem Keyſer das Waſſer in einem Keſſel* (id enim vox *Ahenum* Germanis notat) *in der Kuchen ſiedend warmen ſollen.* Cujus pœnæ meminiſſe quoque ſed Boleſlao perſonalis, *Matth. Dreſſerum* idem *Hapingius* addit. It *Ahena duo*, in palum diſpoſita auroque & medio tranſverſo denticulata, in ſcuto argenteo, cum tribus ſerperaſtris aureis, uno introrſum, duobus extrorſum, ad anſarum aures erumpentibus, inter Ducum Eſcalonæ in Hiſpania Inſignia, Pacheæ gentis ſymbolum eſt, apud Jo. Jac. Chiffletium *de Equ. Aur. Velleris*, num. 151. Vide quoque infrà Olla.

AHER, Latin. *alter*, ſive *poſterior*, aut *noviſſimus*. Nomen viri 1. Paral. c. 7. v. 12.

AHI, Latin. *frater meus*, fil. Somer. 1 Paral. c. 7. v. 34.

AHIA, Latin. *frater Domini*, fil. Siſa, princeps exercitus Salomonis. 1 Reg. c. 4. v. 3. Pater Baaſa. 2 Reg. c. 9. v. 9. Fuit & propheta quidam Silonites. 1 Reg. c. 12. v. 15.

AHIALON, ſeu ELON, *Ajalon* aut *Ahlon*, Zabulonita XI. Judex Iraëlis. Judic. c. 12. v. 11. *Tornul. Salian.*

AHIALON, ἰλλὼν 70. Interpretibus locus Palæſtinæ, Joſ. c. 19. v. 33. Urbs eſt à Salomone ædificata, 2 Paral. c. 11. v. 10. hæc *Ealom* 70. Interpret. eſt, & *Elom* Joſepho *Jud. Antiq. l.* 8.

AHIAM, Latin. *frater matris*, aut *frater gentis*, fil. Sarar. 2. Sam. c. 23. v. 33. qui 1 Paral. c. 11. v. 35. dicitur fil. *Sachar*.

AHIAR, D. Hieron. *Avan.* 70. Interpret. Aſſyriæ regionis populi videtur. 2 Reg. c. 17. v. 30.

AHICAM, Latin. *frater reſurgens*, vel *frater vindicans*, fil. Saphan. 2 Reg. c. 22. v. 12.

AHIE, quæ & *Achalgai*, pro hoc interpretatur *Symmachus*, *in Collibus* eſt autem è regione quondam Moab, nunc Areopoleos, ad Orientalem plagam: ſic D. Hieron. *in Locis Hebraicis*.

AHIEZER, vel ACHIEZER, Latin. *frater adjutorii*, vel *fratres adjutorium*, aut *fratres atrium*, fil. Amiſhadai, princeps tribus Dan. Num. c. 10. v. 25.

AHILUD, Latin. *frater natus*, pater Joſaphat illius, qui erat à commentariis Davidis. 2 Sam. c. 8. v. 16.

AHIMAAZ, Latin. *frater meus conſiliarius*, Sadoci fil. ſacerdos Magnus, cujus ætate Shemaia & Iddo propheta̧runt. Item ſocer Saulis. 1 Sam. c. 14. v. 50. Item gener Regis Solomonis. 1 Reg. c. 4. v. 15.

AHIMAN, Latin. *frater præparatus*, ſive *frater dextræ*, aut *frater meus quid?* Nomen viri. 1 Paral. c. 9. v. 17. Fil. Enach. Joſ. c. 15. v. 14.

AHIMELECH, Latin. *frater meus Rex*: vel *frater Regis*, ſive *conſilii*, unus ex filiis Ithamar. 1 Paral. c. 24. v. 3.

AHIN, Latin. *frater vini*, vel *fratres*, fil. Semidæ. 1 Paral. c. 7. v. 19.

AHINADAB, Latin. *frater ſpontaneus*, aut *frater voventis*, vel *voti*, ſive *frater principis*, fil. Addo. 1 Reg. c. 4. v. 14.

AHIO, Latin. *frater ejus*, fil. Abigabaon. 1 Paral. c. 8. v. 14. Fil. item Jehiel 1 Paral. c. 9. v. 37. Fil. Abinadab. 2 Sam. c. 6. v. 3.

AHION, Latin. *intuitus oculus*, vel *fons*, nomen urbis. 1 Reg. c. 15. v. 20. In tribu Nephthalim, quam Benhadab Rex Syriæ cepit.

AHIRA, Latin. *frater iniquitatis*, ſive *frater ſocii*, aut *paſtoris*, vel *fratrem confringens*, fil. Enam, princeps tribus Nephthali. Num. c. 1. v. 15.

AHIHUD, Latin. *frater unitatis*, vel *acuminis*, aut *ænigmatis*, ſive *gaudii*. Nomen viri. 1 Paral. c. 8. v. 7.

AHISAHAR, Latin. *frater auroræ*, vel *nigredinis*, fil. Balam. fil. Jadiel, filii Benjamin. 1. Paral. c. 7. v. 10.

AHISAR, Latin. *frater principis*, *directionis*, vel *cantici*, aut *frater inſidians*, Præpoſitus domûs Solomonis. 1. Reg. c. 4. v. 6.

AHIUD, Latin. *frater laudis*, vel *confeſſionis*, fil. Salomi, princeps tribus Aſer. Num. c. 34. v. 27.

AHMET, Præfectus Ægypti, ſub Saracenis, A. C. 878. cepit Antiochiam, & familiæ ſuæ Syriæ atque Ægypti regnum vindicavit, Damaſci ſedens. Opibus, eleemoſynâ & numeroſâ prole inclytus. *Hiſtor. Sarac.* Vide & *Achmet*.

AHOBAN, Latin. *frater filii*, vel *fratris fil.* ſive *frater intelligentiæ*, aut *frater ædificans*, vel *abſconditus*, fil. Abiſur, filii Semei, filii Onam. 1 Paral. c. 2. v. 29.

AHOD, Hebraicè *Ohad*. Latin. *laudans*, ſive *confitens*, fil. Simeonis Patriarchæ. Gen. c. 46. v. 14.

AHOD, Latin. *laudans*, ſive *confitens*, fil. Balan, filii Jadibel, filii Benjamin. 1 Paral. c. 7. v. 11.

AHOD, Latin. *unitas*, vel *gaudium*, ſive *ænigma*, vel *acumen*; nomen viri. 1 Paral. c. 8. v. 7.

AHOE, Latin. *tribulus*, vel *ſpina*, ſive *fraternitas*, aut *hamus*, fil. Bela, filii Benjamin. 1 Paral. c. 8. v. 4.

AHOHITES, Latin. *frater vivus*, aut *tribulus*, vel *ſpina mea*, Zalmonis cognomen. 1 Paral. c. 27. v. 4.

AHOI, Civitas in tribu Juda. 1 Paral. c. 11. v. 12. & 29.

AHORI, Græcis Ἄωροι, juvenes dicti ſunt, quos ante tempus mors immatura rapit, ut fructus qui acerbi adhuc & immatures avelluntur. *Babrius*,

Τοῖς [illegible] ἀώροις ἀναστρέψαι ἐκ ζωῆς.

Alioquin ἀτώροι, quod πρὸ ὥρας obeant, cùm πρὸ μοίρας dicuntur [illegible], qui violento exitu decedunt; Hinc in Magicis ſacris differentia [illegible] Βιαιοθανάτων & Ἀώρων. Tertullian. *de Anima*, *Aut optimum eſt hic retineri ſecundùm Aoros, aut peſſimum ſecundùm Biothanatos, ut ipſis etiam vocabulis utar, quibus auctrix operarum iſtarum Magia ſonat, Oſtanes & Dardanus & Damegeron & Nectabis & Berenice. Publica* [illegible] *literatura eſt, quæ animas etiam juſtâ ætate ſopitas, etiam probâ morte disjunctas, etiam prompta humatione diſpunctas evocaturam ſe ab inferorum incolatu pollicetur.* Opinio enim multorum fuit, non receptos Inferis, qui funere acerbo præreptis eſſent, nec eos, qui violentâ nece emortui erepti forent, nec illos, qui ſepulturæ honore caruiſſent, ſed animas ſolum maturâ ætate ſolutas & ſupremitatis honore donatas. Et quidem *Aoros* tamdiu in ſuperis errare ac vagari credebant, donec in morte reliquum tempus exegiſſent, quod in vita non impleverant. Horum autem, in & βιοθανάτων animas ſolas in Necyomantia magicis artibus evocari quidam opinabantur, quia de propinquo evocarentur, nec avellendæ eſſent ex intimis Infernorum ſedibus. Aliam reddit rationem idem Scriptor. *Quod ex[illegible] debile videatur [illegible] eas potiſſimum animas ad vim & injuriam facere, quas per vim & injuriam ſævitia & immaturitas [illegible] everſa.* Sic *Aoroi* diverſi à Biothanatis, aliquando tamen in eundem hominem conveniunt & violenta mors & immatura, ut ſimul ἄωροι ſint & βιοθάνατοι; quemadmodum de Didone Virg. l. 4. *Æn.* v. 696.

Nam quia nec Fato, meritâ nec morte peribat,
Sed miſera ante diem.

Quodnam verò illud tempus ſit, ante quod qui decedunt, ἀπὸ ὥρας decedunt, aliaque huc pertinentia, vide apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1119. Apud Perſas Parthoſque olim immaturâ ſic morte defuncti, iis oculoſque lacte obluebant propinqui inde equo impoſitum, inſtigatoque eô, corvorum prædæ exponebant. Quod ſi ab iis animadverſum eſſet, dextrum ejus oculum primùm à corvis laceratum, felicem eum judicabant; ſin ſiniſtrum contrà. Cum ſenibus aliter agebatur. Eos enim ad montana deferebant, fameque enecabant, ac omnes, qui hôc modô obiiſſent, prædicabant felices. Quæ duo genera mortis Strabo, Caſpiis id tribuens videtur confudiſſe *l.* 11. Vide quoque Petrum Texeiram *Compendio Mirkandi* & J. B. Tavernier *Itin. Perſ.* ubi morem veterem ex parte perdurare, apud Gauros, refert.

AHUMAI, Latin. *pratum aquarum*, vel *frater aquarum*, fil. Jahath. 1 Paral. c. 4. v. 2.

AHUSA, oppid. Scaniæ in Suecia, ad mare Balticum, prope Chriſtianoſtadium. Dicitur & *Ahus*, cum portu commodo, in ditione Suecorum paucis ab hinc annis.

AHYLAM, 70. Interpret. *Eloth*, loci nomen, 2 Reg. c. 14. v. 22.

AJA, per א Latin. *milvus*, vel *heu*, ſive *ubi eſt?* aut *inſula ejus*; fil. Sebeon, filii Seir Horitæ. Gen. c. 36. v. 24. Item pater Riſphæ Saulis concubinæ. 2 Sam. c. 3. v. 7.

AJA, per ע Latin. *acervus*, civitas tribus Ephraim. 1 Paral. c. 7. v. 28.

AJA, Inſul. Galliæ in Aquitania, cellam olim habuit, ad Cluniacum pertinentem. Vulgo *Iſle d'Ai*, eſtque in Oceano Santonico, ac Diœceſi Santonica, non multùm diſſita à Caſtro Alione, *Caſtel Aillon*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Oja*.

AJA, apud Hebræos accipitris ſpecies eſt, quam Veteres, *Æſalonem*, Germani *Smerle*, Galli *Eſmerillon*, appellant. Nomen ei à clamore; uti enim aquilarum clangere eſt, milvorum jugere vel lipire, accipitrum pipare & crocitare corvorum: ita *Ja ia* ſecundum Arabes, hujus avis proprium eſt, unde ipſa Hebræis dicta videtur איה, *Aja*. Quod minimè novum eſſe, docet Varro *de L. L. l.* 4. *Pleraque* (aves) *a ſuis vocibus, ut hæc, upupa, cuculus, corvus, hirundo, ulula, bubo: item hæc, pavo, anſer, gallina, columba.* Inter Accipitrum ſacri ſpecies tertiâ loco recenſetur *Dammi*, de quo ſic inter alia: *Quidam nomine Behram Gaur primus eum ad venationem adhibuiſſe dicitur, Cum ſcil. eo præſente avis hæc alaudam inſequuta fuiſſet, & ei [illegible] iata, cum illa ſeſe efferens & demittens, nec relinqueret, donec cepiſſet. Ille admiratus avem erudiri juſſit: & poſtmodum ad venationem ea uſus eſt.* Alberto *l.* 23. *c.* 14. quantitate *minimus eſt* (inter accipitres) *nulli tamen animo & audacia cedit* &c. *Itaque Cimbelmus Fa[illegible] refert [illegible] ſe harum avium aliquando operâ gruem cepiſſe. Alioquin etiam alaudas & ſimiles aves tantùm capere poteſt.* Sed oculorum inprimis perſpicaciâ pollet, unde ſi quis vivaces oculos habet & maximè perſpicaces, eum vulgati adagio *Smerillonis* oculos habere Galli dicunt, quia tales hæc habet avis. Et Arabum quoque Poëtæ oculos ſui *Juju* multùm commendant. In quibus *Anonymus* apud Damirem. *Juju celer & pernix, cujus oculi ſunt ferè ſaphiri & pupillæ tanquam tornô expolitæ, pluſquam ſapphirus.* Et Abu Nawas, *in libro de Aucupiis*, de eadem ave verba faciens, id ipſum mirè laudat verbis, quæ in hocce diſtichon compegit Bochartus, *Hieroz. ſeu de Animalibus S. Script. Part.* 2. *l.* 2. *c.* 8.

Ceſſus atque oculis nunquam fallentibus uſus,
Et quod venator non videt, ille videt.

Unde de ejus oculo legimus Jobi c. 28. v. 7. *Semitam non novit avis, neque eam vidit oculus ajæ.* Ubi de fodinis agit, unde hominum induſtriâ metalla eruuntur: quæ cum in intimis terræ visceribus lateant, *harum ſemitam*, inquit ſacer Scriptor, *non novit Ajit*, i. e. avis non quævis, ſed *avis rapax*, quod genus multò perſpicacius eſt. Hæc in priore diſticho, & in altero huic parallelo, *Neque eam vidit oculus* ſ *aja*, i. e. *ſmerillonis*, licèt illa avis inter rapaces etiam oculatiſſima ſit, & tam cernat acutum, quàm aquila, aut ſerpens Epidaurius, &c. Plura hanc in rem vide apud Auctorem præfatum.

AJABIRA, oppid. Americæ, in Peruvia, verſus lacum Titicacam, 10. leucis Hiſpanic. hinc diſtantem; Cuſco autem 35. in meridiem.

AJACIS Murus, vide *Naumachia*.

AJACIS Tumulus, vide *Æantum*.

AJALON, Latin. *ilex*, vel *quercus*, aut *fortitudo*, ſive *cervus*; nomen civitatis à Roboamo conſtructæ, 2 Paral. c. 11. v. 13. Item nomen, Joſ. c. 10. v. 13. Civitas de tribu Dan data Levitis, Joſ. c. 21. v. 24. Civitas refugii. 1. Paral. c. 6. v. 69. Fuit & altera civitas in tribu Zebulon. Judic. c. 12. v. 12.

AJANTIUM, vide *Aiſapium*.

AJAS, Ægypti mons ad ſinum Arabicum. *Ptol.* Fluvii nomen eſt *Strph.* ex Latino fluentis. *Æn.* Latinus

AJATH, [illegible] urbs quæ Hebraice vocatur [illegible] c. 10. v. 28.

AJAX, Telamonis fil. ex Heſione filia Laomedontis, fortiſſimus [illegible] poſt Achillem, cum [illegible] congreſſus eſt, à quo [illegible] gladio donatus eſt. Achille poſtea mortuo, cum Ajax ſibi donari arma tanquam legitimus hæres reperetet, quòd ea Ulyſſes [illegible] eloquentia a judicibus accepiſſet, præ ſumma ira inſaniens, permulta pecora, ac imprimis arietem corpore præſtantem occidit, eodem [illegible] Atridas & Ulyſſem interemiſſe. Verum ad mentis ſanitatem rediens, cum ſe falſum comperiſſet, acri dolore compulſus, gladio quem Hector ei dederat, in loco deſerto ſe transfodit; cujus [illegible] in hyacinthum florem, vel, ut aliis placet, in florem ſui nominis transmutatus fuit. Quod eleganter Ovid. expreſſit, *Metam. l. 13. Fab. 1. circa finem*.

Dixit: & in pectus, tum demum vulnera paſſum,
Qua patuit ferro, letalem condidit enſem.
Nec valuere manus infixum educere telum.
Expulit ipſe cruor. Rubefactaque ſanguine tellus
Purpureum viridi genuit de ceſpite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis mediis pueroque viroque
Inſcripta eſt foliis: hæc nominis, illa querelæ.

Flos autem qui dicitur Conſolida regalis, oſtendit has litteras A I A I. *Bauhin.* Græci fabulantur, totum fuiſſe invulnerabilem, præterquam in cervice. Hujus ſepulchrum unà cum Achillis, viſiſſe viſum Alexandrum M. refert, Diodor. Sic. *l.* 17. *c.* 17. Vide Plut. *in Dione* [illegible] 9. Dictus eſt autem, ἀπὸ τοῦ αἰάζειν, h. e. *lamentari*. Vide & Schol. *in Ajace Tragœd.* Item *Ajax* Tragœdiæ nomen, quam Æſopus non ſæpe agere [illegible] Cicer. *l.* 1. *Offic. c.* 31. Item alia Tragœdia, quam magno impetu aggreſſus Auguſtus, non ſuccedente ſtylò abolevit; quærentibuſque amicis, quidnam Ajax ageret? Reſp. Ajacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe. Sueton. *in Auguſt. c.* 85. [illegible]

AJAX, Oilei fil. Rex Locrenſium, velox pedibus, haſtæ vibrandæ peritus, capta Troja, Caſſandram virginem & vatem in templo Palladis vitiavit: Quam ob cauſam domum repetens fulmine a Pallade occiſus eſt. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 43.

— *Pallaſne exurere claſſem*
Argivum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto,
Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei!
Ipſa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis:
Illum expirantem tranſfixo pectore flammas
Turbine corripuit, ſcopuloque infixit acuto.

Vides utique Ajax pereat fulmine tranſfixus, & ſcopulò, idque ope Palladis, inflixus. Alii verò cenſent illum naufragium evitaſſe, in his Timæus Locrus *Hiſt. l.* 2. [illegible Greek] Sed Virgilium ſuo argumento ſerviens, & Homerum ſecutus, illum naufragio obruit. Adcinitur Græcus vates *Od.* 4. & Seneca *in Agamemnone*, Sed omnes diſſident. Nam Homerus interitum ejus Neptuno tantùm tribuit, Virgilius [illegible] Palladi, Seneca utrique. Quod autem ſupra, Ajacem pedibus velocem fuiſſe ſcribit hujuſce Dictionarii compilator, Homerum habet authorem, apud quem *Il.* [illegible] *v.* 66. Ajax hic non ſemel vocatur

— Ὀϊλῆος ταχὺς Αἴας.

Unde Horat. *l.* 1. *Od.* 15. *Celerem ſequi Ajacem*. Longè minorem Ajace Telamonio fuiſſe indicat Homer. *Il. β. v.* 527. *in his*.

[illegible Greek verses]

Idem.

AJAX alter, Maximinus, qui poſtea Imperator, à militibus ob fortitudinem cognominatus eſt. Jul. Capitolin. *in Maximino, c.* 4. *Tum ille [illegible] militia diſceſſit & tamen retentus eſt per amicos Heliogabali, ne hoc quoque illius famæ accederet quod vitium temporis ſui fortiſſimum, & quem alii Herculem, alii Achillem, alii* Ajacem *vocabant, ab exercitu [illegible] moveret.*

AJAX, nomen elephantis Alexandri M. Jovi ſacri. Vide *Inauris*. Item unum ex elephantibus Antiochi. Plin. *l.* 8. *c.* 5.

AIAX, fluv. à Lycophrone ſic dictus, hodie *Pilaca*, teſte *Gabr. Barrio*. Eſt autem in Magna Græcia & per fines Crotoniatarum fluit ac mare apud Lacinium promontor. ſubit. Sed ſcribendum videtur *Æas. Nic. Lloydius*.

AJAZZO, Urbs Epiſcopalis cum portu, in ora Occidentali Corſicæ Inſulæ. Item urbs Ciliciæ, Veteribus *Iſſus*. Item ſinus magnus in Syria, in cujus littore Alexandretta ſita eſt.

AI[illegible]HSTADIENSIS Reginaldus, ſeu Renaldus, vide *Renaldus*.

AIDAN, Guſtrani fil. 49. Rex Scotiæ. Vicit Saxones & Pictos, magnâque prudentiâ regno præfuit, ann. 27. Obiit A. C. 606. Beda, *in Hiſt. Angl. l.* 5. Item Epiſcopus Scotiæ, qui Oſualdum Angliæ Regem exulem baptizavit, Obiit A. C. 651. Idem *l.* 3. *c.* 3. & 14.

AIDONEUS, Pluto appellatus, regnavit tempore Lycei Regis Argivorum, atque Erechthei Regis Athenienſium. *Euſeb.* Item Moloſſorum Rex, qui Theſeum carceri tradidit, eò quod filiam ſuam Proſerpinam unà cum Pirithoo rapere voluerit, non procul ab Acheronte fluv. unde factus eſt fabulæ locus, Theſeum ad inferos deſcendiſſe, & Proſerpinam Ditis uxorem rapere voluiſſe. Plut. *in Theſeo*. Item fluv. circa Trojam. Pauſan. *l.* 10.

AI[illegible]LLO, Ducatus regni Neapolitani in Calabria citeriori ſub dominio Principis de Maiſo. *Du Val.*

AII, Indiæ intra Gangem populi. *Ptol.*

AILA, urbs Palæſtinæ, quæ & *Elath*, dicitur. 2 Reg. *c.* 14. *v.* 22. Vide *Ælanum*. Græcis enim variè ſcribitur, Αἰλὰ, Αἰλάμ, Αἴλανα, Ἔλανα. Αἰλὰν vocat Glauco in *Arabicis* & Strabo *l.* 16. Hinc ſinus Αἰλανίτης, & Αἰλα quoque: qui Ἐλανίτης aliis, & populi Ἐλανῖται. Avienus de ſinu Arabico,

Et tamen Eoos paulum inclinatur ad axes,
Uſque in belligeri conſpicuo finem Elani:

Quem ſinum inter Syriam & Arabiam Felicem intimum fundi ſcribit *Dionyſius*; Syriæ nomine Arabiam Petræam intelligens, quæ Syriæ ſive Judææ contermina eſt. Epiſcopus *Ailenſis* Petrus, in Concilio Nicæno memoratur fit. Vide plura de Urbe ac ſinu inde denominato, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 482.

AILAM, Latin. *occultus*, aut *juvenis*, vel *Seculum*, fil. Seſac. 1 Paral. *c.* 8. *v.* 24.

AILATH, ſive AILOTA, Latin. *illices*, vel *quercus*, aut *cervæ*, vel *fortitudines*, civitas regni Edom ad mare Rubrum, quam Ozias ædificavit. 2 Paral. *c.* 26. *v.* 2. Vide & *Aila*.

AILIM, vide *Elim*.

AILON, idem fortè cum *Ajalon*, vide *Hajalon* & *Ophir*.

AILZA, Inſul. Scotiæ, ſeu veriùs ſcopulus, prope Gallovediam provinc. & in Glottæ æſtuario, 4. milliar. Scoticis diſtat ab ora Gallovidiæ.

AIMILIUS, vide *Sublicius*.

AIMILUS, alter Aſcanii fil. unde volunt quidam *Æmilios*, gentem Romanam Patriciam majorum gentium, Pontificatû maximò, duobus Principatibus Senatûs, Dictaturis quinque, magiſteriis Equitum quatuor, conſulatibus ſupra quadraginta, centuriis triumphiſque XV. tribunatibus militum conſulari poteſtate duodecim decoratam. Vide *Æmilius* & *Amylius*.

AIMOINUS, ſub Carolo M. Ludovico Pio, & Lothario, ſcripſit hiſtoriam Franciæ, magna cum cura, ut & Aſcetica quædam. Prætulit ſeceſſum aulæ tumultibus, & dignitates Eccleſiaſticas magnô animô ſprevit. Obiit circa A. C. 846. vel, ut alii paulo poſt, cùm Lutetia à Normannis obſideretur. Du Brueil, *in præfat. operum Aimonii*. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 34.

AIMON, vel HAIMO, Epiſcopus Halberſtadienſis Alcuini diſcipulus ſcripſit Aſcetica quædam. Bellarm. *de Script. Eccleſ.*

AIN, idem cum *Carolo*. Flor. Wigornienſis *p.* 590. de Ludovico Balbo Rege Franciæ: *Pater ſibi uxorem Adelheidam conjunxit, quæ poſt mortem Viri genuit filium nomine* Ain, *i. e. Carolum*. Quo fortè & iſta Alcuini pertinent, de quodam Anglo-Saxonum Rege *Poem.* 3.

Tertius accepit ſceptrum regnator opimum,
Quem cl. mant IN incerto cognomine gentes,
Qui nunc Imperium Saxonum jure gubernat.

Vide Car. du Freſne *in Gloſſar. & Appendice*. An vox *primogeniturus*? *Aineſcia* certè pars hæreditatis, quæ ad primogenitum, ætatis privilegio, pertinet, dicitur, apud mediæ ætatis Scriptores: & Gallis *Aiſné*, primogenitus eſt. Vide infrà de *Primogenitis*.

AIN, Latin. *oculus*, ſive fons, civitas eſt in termino Judææ verſus Orientem. Num. *c.* 34. *v.* 11. Quæ deinceps Levitis data fuit. Joſ. *c.* 21. *v.* 16. Juxta hanc Saul produxit exercitum contra Philiſtæos. 1 Sam. *c.* 29. *v.* 1. *Hieronymo Bethemon* dicitur.

AINA, vide *Hata*.

AINAON, vel ADINAON, Inſul. Aſiæ, in ora Meridionali Sinenſium, cum urbe cognomine. *Du Val.*

AINZA, vel INSA, Urbecula Hiſpaniæ in regno Arragoniæ. Olim caput parvi regni *de Sobrarbe*, ad fluv. Cingam, ubi recipit *Aram* fluv. ad radices Pyrenæorum.

AINZIA, regiuncula Scotiæ Septentrionalis in Buquania provinc. verſus oram & oſtia *Speæ* fluv. ubi Finlatrum caſtrum.

AJON, Monachus Anglus, ſub Othone II. ſcripſit memorabilia ſui cœnobii. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 5. Item, fil. Archiæ, Dux Beneventi, cui Rotarius Longobardor. Rex, ad ſe à Parente miſſo, venenum propinavit. *Paul. Æmil.*

AIRE, aliàs *Vicus Julienſis*, Gregor. Turonenſ. *l.* 9. *c.* 7. Urbs Vaſconum: Vide *Aturenſium*. Item, urbs Artefiæ, vide *Aeria*. Item, Urbs Scotiæ, in Comitatu Kylenſi.

AIRIACUM, Vicus Burgundiæ in diœceſi Antiſſiodorenſi. Ubi Concilium ſub Benedicto VIII.

AIRUS, vulgò *Aira*, fluv. Scotiæ Septentrionalis. Cadit in Speiam fluv. in Buquania provinc. & ortum habet in Marria provinc. ex monte Grampio.

AISTULPHUS, Rex Longobard. in Italia XX. poſt Rachiſium fratrem, Exarchatum invaſit, Romam obſedit, territoriò longè lateque vaſtatò, ſed à Pepino, quem Stephanus Papa contra ipſum acciverat, ad pacem adactus eſt. Obiit in venatione. A. C. 756. ſucceſſore Deſiderio ultimò, Rege, quem vide. P. Æmil. Anaſtaſ. *in Zacharia*, Sigonius *Regn. Ital. l.* 3. Baron. *A. C.* 750. &c.

AITO, ſeu ATO vel HAITO, Epiſcopus Baſilenſis à Carolo M. ad Nicephorum Imperatorem miſſus, A. C. 811. Iter hoc deſcripſit, redux, obiitque A. C. 836. in monaſterio Augiæ, German. *Reichenaw*. Hermann. Contract. *Chron.*

AITONUS, vel HAITONUS, nepos Aitani, Armeniæ Regis cognominatus *Antonius Corchus*, in aulam Clementis V. ſe contulit, ubi de Tartaris librum Gallicè Nicolao Salconio dictavit, A. C. 1307. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 62. Leunclav. *Hiſt. Turc. c.* 3.

AJULLIUS, Larinas, homo nequam, Cicer. *pro Cluentio*. Editio Gruteriana legit *Avilius*, unde Janus Gulielmus *A. Villius* fecit.

AJURENSIS, Epiſcopus in Africa: *Collat. Carth.*

AIUS, Deus Romanorum dictus, ab eo quod *ajebat*. Nam olim Romæ audita vox ex ſilentio noctis clarior humanâ voce, quæ juberet magiſtratibus nunciari, Gallos adventare, & ut providerent, ne Roma à Gallis caperetur. De Cultu ejus, vide A. Gell.

l. 16. *c.* 17. & alio memorabili caſu, vide Auguſtin. *l.* 4. *c.* 21. *C. D.* Val. Max. *l.* 1. *c.* 7. *ex.* 1 & 2. Plut. *in Camillo.* Cicer. *l.* 2. *c.* 69. *de divinat.* Livio *l.* 5. *c.* 50. *Locutius* dicitur. *Nic. Lloydius.*

AIXIS, vide *Berzolus.*

AIY, vide *Alyi.*

* AIZAR, Rex Æthiop. ſeculô 9. deceptus, à Sabara, quæ, poſtquam pluribus jam Regibus illuſiſſet, ipſa thronum occupavit. *Gombr.*

AIZUA, provinc. Inſulæ Japoniæ, in Aſia. Oppid. habet cognomine, in ora Orientali.

AKAKIA Martinus, vide *Martinus.*

AKETON, apud Thom. Walſinghamum in *Eduardo* III. *Indutos autem fuit Epiſcopus quadam armatura, quam* Aketon *vulgariter appellamus*: Sagum militare eſt, quod aliàs *Gambezonum* vocabant; ex Gall. *Hoqueton* aut *Hauqueton*, ſeu potiùs ex Cambrico-Britannico *Actwm*, lorica, dupla, diploides; apud Boxhornium *in Lexico antiquæ Linguæ Britannicæ.* *Hoqueton*, ex Græco Χιτὼν dictum vult *Perionius.* Eâdem notione *Acton* occurrit, in *Statutis primis* Roberti I. Scotiæ Regis apud Car. du Freſne *Gloſſ.*

AKBVETA, urbs Inſul. Maragnan, in Braſilia. Sanſon. *c.* 31.

AKIBAS, celebris Rabbinus, ſeculi 2. Genebr. *Chron.* Hieronym. *in c.* 8. *Eſai.* & *in c.* 3. *et* 4. *Zachar.* Baron. *A. C.* 137. Fuit illuſtris prodromus Pſeudochriſti bar Chochæ; inter Doctores Miſnicos clariſſimus, atque acerrimus Chriſtianorum hoſtis. Floruit autem circa tempora Adriani Imperatoris. Guil. Henr. Vorſtius *Obſervation. ad Chronologiam R. Davidis Ganz*, *ad ann.* 760. ubi & duorum recentiorum ejuſdem nominis Rabbinorum, quorum unus circumferatur auctor libri *Jetzira*, alter Othiot *Rabbi Akiba*, meminit.

AKIOKLI, vide *Karakokli.*

AKLE, Rex Æthiopiæ ſeculô 2. otio vitiiſque deditus, *Chronol. Æthiop. Genebr.*

AKROCZIM, urbs Palatinatus *Maſſov.* in Polonia, cum arce ſatis firma. A Varſovia dependet, *Ortel.*

AKYTANIA, vide *Aquitania.*

ALA, oppid. Ciliciæ, quod ἀλήϊον Johanni Tzetzæ eſt *Chil.* 7. *num.* 149. unde *Aleius* Campus, juxta Mallum, inter Cydnum & Sinarum fluvios, teſtibus *Strabone*, *Arrianô*, Pliniô, *l.* 5. *c.* 27. & Euſtathiô *in Homer. ubi de Bellerophontis fabula.* Vide *Haylum.*

ALA, vide *Tanis.*

ALA, tabella, in qua juxta Græcorum ritum erat forma ordinationum ſcripta, quæ incipit, *Divina gratia*, &c. Patriarcha verò manu ſiniſtrà *alam* accipiens, legit, in *Archierat. part.* 7. apud Macrum *Hierolex.* Alia vocis notio eſt, in *Teloneo* Monaſterii S. Bertini. *Omne tonellus ſive vini, ſive cerevisiæ, ſive ale —— dabit* 2. *den.* Hic enim cereviſiam notat, Danis, ut auctor eſt *Pontanus*, Ool, & Anglis *Ael* vocatum: Unde *Godale* Teutonum, quaſi *Good ael*, proba cereviſia, in *Regeſto* Cameræ Comput. *ſign.* 183. *fol.* 10. *Foragia Godalarum ſeu cerevisiarum, quæ nos Epiſcopus habebamus in villa Tornacenſi, unà cum jure ad nos Epiſcopum ratione dictarum godalarum ſpectante*, &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Celia.*

ALAB, vel AHALAB, urbs Palæſtinæ, de qua cultores priſtinos tribus Aſer primis annis expellere non potuit: Judic. *c.* 1. *v.* 31. Hieronym. *in locis Hebr. literâ C.*

ALABA, civitas Hiſpaniæ citerioris Plinio. *l.* 3. *c.* 3. Nunc vicus tantùm Arragoniæ. Ad fluvium Xilocam. Item Regio Hiſpaniæ, hodiè *Alava.* Populi *Alabenſes.* Vide Marian. *l.* 8. *c.* 1. Item, inſula ante Taprobanam. *Ptol.* Vide *Alava.*

ALABAGIUM, Carmaniæ promontorium. *Ptol.*

ALABANA, Arabiæ Felicis oppid. *Ptol.*

ALABANDA, civitas Cariæ mediterranea Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Stauropolitano, inter Amyzonem ad occidentem & Stratonicen ad ortum. Ejus meminit Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 70.

Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis
Eſquilias, dictumque petunt à Vimine collem.

Item urbs ejuſdem regionis numerô ſingulari *Stephano*, prope Mæandrum fluv. adeò opulenta, ut in proverbium abierit, Ἀλάβανδα Καρῶν εὐτυχεστάτη. Hinc Menecles & Hierocles, fratres, ut & Apollonius Molo, Oratores inſignes oriundi. Nomen habet ab equo, quem *Alam* Cares vocant, & *Banda*, quæ victoriam apud eoſdem denotat. Græci *Alabandicos libellos* pro barbaris capiunt, & *Alabandicum opus* pro re inepta. Longitud. 57. 40. latitud. 39. 15. *Nic. Lloydius.*

ALABANDUS, Caris fil. à quo *Alabanda* dicta. Item Deus Alabandenſium. Cicer. *de Nat. Deor. l.* 3. *c.* 15. *Alabandenſes*, inquit, *quidem ſanctius Alabandum colunt, à quo eſt urbs illa condita, quàm quemquam nobilium Deorum, apud quos non inurbanè Stratonicus, ut multa, cum quidam ei moleſtus Alabandum Deum eſſe confirmaret, Herculem negaret, Ergo, inquit, mihi Alabandus, tibi Hercules ſit iratus.*

ALABASTER, apud Plinium de roſa *l.* 21. *c.* 4. *Qui mox intumeſcente & in virides alabaſtros faſtigati, paulatim rubeſcens dehiſcit ac ſeſe pandit in calices, medio ſui ſtantes amplexa luteos apices*; Floro *pyramis* eſt, qui etiam *calathos*, quos ille *calices*, vocat:

prima dies abſtrudit ſpecula florum,
Altera Pyramides nodô majore tumentes,
Tertia jam calathos.

Nempe roſa primum in *alabaſtros* faſtigatur, dein in calices ſe pandit. Salmaſ. *ad Solin.* p. 102.

ALABASTRA, Græcè Ἀλάβαστρα & Ἀλαβάστρων πόλις, oppid. Ægypti, in Arabica & Orientali ejus parte; *Alabaſtrum* quoque: quod in eo *alabaſtra* formarentur ex lapide, qui vicinis in montibus cædebatur. Fuêre autem *alabaſtri* unguentaria vaſa, ex onyche lapide, quem *alabaſtriten* etiam inde appellârunt, quod in alabaſtros cavaretur, facta. Salmaſ. *ad Solin.* p. 558. ubi Phrygiæ urbem falsò à quibuſdam hôc nomine inſignem adſtrui, addit. Hinc *Alabaſtrites* regio apud *Epiphanium.* Vide hac infrà.

ALABASTRA, urbs Phrygiæ, *Steph.* Vide ſupra.

ALABASTRINUS, mons Ægypti. *Ptol.*

ALABASTRUM, mons Ægypti, *Plin.* Item oppid. ubi Topaſius naſcitur. Idem. *l.* 5. *c.* 9.

ALABASTRUM propriè idem eſt, quod θωλίον vel φόρημα, vas vel inſtrumentum alicui rei gerendæ aptum, Atticè ἀλάβαστος, pro ἀλάβαστρος. Unde & ἀλάβαστροι perticæ vel fuſtes gerendis oneribus accommodæ; & ἀλάβαστροι: vaſa quoque unguentaria & inde lapis *Alabaſtrites*, qui & onyx, candidus & mellei coloris eſt, & in vortices maculatus. *Iſidorus*, *Alabaſtrites lapis candidus interſtinctus variis coloribus.* Cui, quantum ad varietatem colorum, *Synnadicum* marmor ſimile facit *Strabo*, columnas ex eo monolithas tradens, πλησιάζειν τῷ ἀλαβαστρίτῃ λίθῳ κατὰ τὴν ποικιλίαν. Fuit autem Synadicus lapis candidus, Sanguineis vel rubris maculis interſtinctus; ob hanc proin macularum ſimilitudinem & quòd in eundem uſum converteretur, *onychites* quoque ac *alabaſtrites* dictus. Ex eo veteres vaſa excavabant, & eôdem nomine appellabant; poſteà verò cum è vitro aliave materia ejuſmodi vaſcula confici cœpiſſent, etiam hæc *Alabaſtra* dicta ſunt, prorſus ut *pyxis* dicebatur etiam aurea ac argentea, teſte Senecâ *l.* 5. *de Benefic.* *c.* 13. quæ tamen propriè è buxo fiebat, & nomen à re invenerat. Sic quum *æris* antiquior notitia fuerit atque uſus, quàm ferri, ejus appellatio etiam ferro tributa eſt; & ut eleganter Grammatici Græcorum dicunt, ὁ σιδηρεχαλκεὺς σίδηρον τῷ παλαιοτέρῳ τοῦ χαλκοῦ ἰχνεύει ὀνόματι: Sic ἄλειφα, βιβλίον, πίναξ, aliaque ſexcenta. Proin rectè *Epiphanius*, communem uſum reſpiciens, ἀλάβαστρον μύρου, è quo, in Evangelica Hiſtoria, Dominus unctus eſt, βικίον ὑάλινον, i. e. *urceolum vitreum unguenti*, interpretatur. Simillimè enim *Etymologici M.* Auctor, poſtquam dixiſſet, ἀλάβαστρον eſſe λίθινον ἀγγεῖον μύρου δεκτικόν, *Alabaſtrum eſſe vaſculum lapideum, in quo deponebantur unguenta.* addit mox αὐτὸ ἐξ ὑάλου, ἢ μυροθήκη, *vas è vitro, vel unguenti repoſitorium*; è qualibet materia. Confirmat ſententiam *Epiphanii*, quod Marcus *c.* 14. *v.* 3. expreſsè notat, id vas, quando unctus eſt Dominus, fuiſſe confractum: καὶ συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον κατέχεεν αὐτοῦ τῆς κεφαλῆς, quod ſi obſervâſſet *Annalium* Auctor, intellexiſſet planos fuiſſe atque impoſtores, qui olim Conſtantino vas unguentarium vendiderunt, quaſi illud ipſum eſſet, è quo Chriſtus fuerat unctus. Nam præter lapidis, aut potiùs vitri fragmina, nullæ potuerunt antiqui illius *Alabaſtri* eſſe reliquiæ. Unde à Theodoſio M. vas illud, ceu adulterinum, è medio ſublatum eſſe, memorat *Suidas*: Κάτωθεν τοῦ φόρου βικίον μύρου τὸ ἀλοιφὲν ὁ Χριστὸς & πολλὰ ἕτερα τερατουργήματα, τεθέντα μὲν ὑπὸ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου, ἀρθέντα δὲ ὑπὸ τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου, *In parte inferiori Fori erat vas unguenti, quo eſt unctus Chriſtus, & multa alia miraculoſa monumenta, à Magno quidem Conſtantino eo loci poſita: ſed à Theodoſio Magno deleta.* Vide Iſaac. Caſaubonum *Exercitat.* 14. Neque verò pocula ſolùm & unguentaria vaſa, ſed etiam columnæ ex *Alabaſtrite* lapide fiebant & pavimenta. De columnis vide Plinium, qui plures & ampliores ſe vidiſſe fatetur, *l.* 36. *c.* 8. & *l.* 37. *c.* 10. De pavimentis Lucan. *l.* 10. *v.* 115.

—— Stabatque ſibi non ſegnis Achates,
Porphyreticuſque lapis, totaque effuſus in aula
Calcabatur onyx.

Ubi ex achate & porphyrite lapide columnæ, ex onyche pavimenta, &c. Cum autem variis coloris fuerint *Alabaſtrites*, viliores candidi habebantur; contrà probabantur quam maximè mellei coloris, in vortices maculoſi atque non tranſlucidi, uti videre eſt apud eundem Plinium. *loc. cit.* Optimi è Carmania veniunt, peſſimi è Cappadocia, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 558. & *ſeqq.* Hodie *Alabaſtrum* vocatur genus candidiſſimi marmoris, quale Parium eſt vel Lygdinum, non à candore, ſed ab unguentorum alabaſtris, quaſi *alabaſtrum* Huic enim rei plurimùm inſerviebat & inter alabaſtritarum genera etiam candidum reperiebatur. Formam verò *Alabaſtri* unguentorum quod attinet, non malè ea referebant formam balani productioris vel *Gemmæ* ... *Zeſuri* (quod Arabibus dici ait *Naſri*) ſeu inaurium, quæ Græcis ἐνώτια dicta. Quâ formâ etiam uniones reperiuntur, velut guttæ aquæ cadentes & tractum ſuum pondus ſuſtinentes, &c. *ibid.* p. 1314.

ALABASTRUS, fluv. Troadis ex Ida monte oriens. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

ALABON, urbis & fluminis nomen eſt apud *Stephanum*, ubi autem locorum, reticet: ἀλαβών, etiam fluv. eſt *Heſychio*. fortè in Sicilia: cum *Ptolemæo* & Diodoro Sic. *l.* 4. qui *Fazello* hodie *Cantaro* nominatur. *Ortelius* putat, eundem eſſe cum *Abolos* Plutarchi *in Timoleonte*, & *Alabis* Vibii. Vide *Arethuſa* & *Alabus.*

ALABONA, Hiſpan. urbs circa Cæſaraugustam. *Antonin.*

ALABONS, locus in itinere à Mediolano, per Alpes Cottias Arelate, Vapincum inter & Seguſteronem, memoratus *Æthico*, nunc vulgò *Talart* dictus, *Simirus*; vide & Valeſium *Notit. Gall.* Eccleſia ejus ad Monaſter. Lugdunenſe *apud Inſ. Barbaram*, Gregoriô Turonenſ. Epiſcopô celebratum pertinet.

ALABULA, una ex præcipuis urbibus, in ora regionis Madagaſcar. *Thevet.*

ALABUNTIS, hodie *Venteron*, caſtrum Delphinatus, ad Druentiam fluv. 3. leucis à Siſtarica in Boream Vapincum verſus 7. Vide *Alaunium.*

ALABURIUM, Syriæ civitas. *Steph.*

ALABUS, Siciliæ fluv. *Ptolemæo*, à Pachyno Pelorum verſus meandens, Ἀλάβου ποταμοῦ ἐκβολαί. Silio *Alabis* dicitur *l.* 14.

Nec non qui potant Hypſamque Alabimque ſonoros.

Apud *Heſychium* legitur Ἀλαβὼν ποταμός. An ſine mendo, alii viderint. Certè non vidit Schrevelius in nupera *Heſychii editione.* Diodoro Sic. *l.* 4. & *Stephano* formatur Ἀλαβών. Apud *Vibium* quoque *Alabis* corruptè pro *Alabus.* *Cantaro* dicitur *Fazello.* Eſt etiam oppid. *Steph.* Ἀλαβών, πόλις & ποταμός. unde populi *Alabonii.* Apud Plut. *in Timoleonte*, Ἄβολος pro Ἀλαβών. Porro

Ala-

Alabon amnem Hyblæ proximum Bochartus *l.* 1. *c.* 28 dictum putat ab חלבון *chalabon*, i. e. *dulcedine*, voce Arabicâ quidem, ſed à verbo חלב deductâ, quod Syris etiam eſt γλυκαίνειν, i. e. *dulceſcere* unde & nomen חלב mellis epitheton, Ezech. *c.* 3. *v.* 3. & alibi paſſim. *Nic. Lloydius.*

ALACHIS, vide *Alabon.*

ALACHROÆ, populi Africæ juxta Aras Philænorum, qui etiam Lotophagi appellantur. Plin. *l.* 5. *c.* 4.

ALACRIS Mons, vulgò *Alihermont*, in Caletis, Galliæ regione, prope Arcas, Sylvâ amœniſſimâ ejuſdem nominis clarus: à quo tres vici S. Nicolai, S. Jacobi & B Mariæ, *Alacris montis* nomine cenſentur, Hadr. Valeſ. *Ibid.*

ALACRITAS inter veterum εὐβάτρηλα, Vide infrà de *Diis.*

ALACU Dulce, locus in Africa *Collat. Carthag.*

ALA Flaviana, quæ & *Flaviana Caſtra & Flavianum*, urbs Pannoniæ ſuperioris ad Danubium in Hungariæ confinio munitiſſima, Auſtriæ caput, Academia, & emporium, à Buda 32. leuc in occidentem Ratiſponam verſus 57. *Juliobona Ptolemæo. Vindobona Antonino. Vindomana, lib. Notit.* Wien Germanis. *Wetzeb* Turcis. *Vienna* Italis. longitud 39 10 latitud. 48 22 Fruſtra obſeſſâ Turcis, A. C. 1529 Ibi perſæpe commoratur Imperator, eſtque validiſſimis firmata propugnaculis Hæc malè confunditur cum *Ala Flaviana*, teſtibus *Bertio*, *Cluverio*, aliis. Vide *Vindobona.*

ALA Miliarenſis, ſedes Epiſcopalis in Mauritania Cæſarienſi. *Vict. tic.*

ALA Nariſca, urbs Germaniæ in Bavaria Transdanubiana; Epiſcopalis, proprio paret Epiſcopo, hodie *Aichſtadt*, quaſi Quercopolis. longitud. 32. 51 latitud. 48. 50.

ALA Nova, oppid. Pannoniæ ſuperioris in Auſtria ad Danubium. *Erlenſdorff S miero.* Hic palatium & deliciæ Archiducum Auſtriæ

ALADIN, Soltanus Ægypti & Damaſci, fil. Saladini illius, qui Palæſtinam Chriſtianis eripuit, aliquoties à Chriſtianis victus. Baron. *A. C.* 1195. Marmol. *l.* 2. *c.* 36. Item plures alii Principes Arabum, Perſarum, Saracenorum, aliorumque Mahometanorum.

ALÆ, Urbs Ciliciæ, Hermolao, *in Plin. l.* 5. *c.* 27.

ALÆ, in avibus quod in piſcibus pinnæ; in navibus remi, qui inde occaſione ſumtâ quoque reperti ſunt. Hinc ob *alarum* velocitatem Accipiter ventorum ſymbolum & Soli olim ſacer fuit. Imprimis verò columbarum *alæ* celebres, quas proin ſibi David optat *Pſ.* 55. *v.* 7. ut celeri fugâ ſe ſubducat ex imminenti periculo. Ubi R. Kimchius notat *Reliquas omnes aves, cùm volandô feſſæ ſunt, ſuper petram aut ſuper arborem ſiſtere & capi: ſed columbam cùm eſt feſſa, alarum unam comprimere, & alterâ volare, ſicque evadere nec capi*, apud Bochart. *Hieroz. part. poſt. l* 1. *c.* 2 &c. Earum motum maximè obſervatum in auguriis & auſpiciis notum. Unde Propert. *l.* 4. *Eleg.* 1.

Hoc neque arenoſum Libyci Jovis explicat antrum,
Aut ſibi commiſſos fibra locuta Deos.
Aut ſi quis motas cornicis ſenſerit alas,
Umbraque nec Magicis mortua prodit aquis.

Plaudunt autem propriè, cum aliæ aves. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 515.

Jam vacuo lætam cœlo ſpeculatus & alis
Plaudentem nigra figit ſub nube columbam.

Quæ vox poſtea in ſcenam tranſlata. Vide Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Statium l.* 3. *Thebaid.*

ALÆ Æxonides, locus Atticæ, ad Tribum Cecropidem pertinens, haud procul Athenis, prope Æxonem, unde ei nomen. Græce Ἁλαὶ Αἰξωνίδες, unde Ἁλαιεὺς, qui de hoc demo. *Inſcr.* Athenis in theatro Bacchi,

ΝΙΚΩΝ
ΑΥΞΙΟΥ
ΑΛΑΙΕΥΣ.

Vide quoque *Inſcriptiones* Gruteri, laudatas Sponio *Itiner. Græc.*

ALÆ Araphenides, Græcè, Ἁλαὶ Ἀραφηνίδες, locus itidem Atticæ, pars Ægeidis tribus, Braurone, & Marathone non procul, ubi Templum olim & ſtatua Dianæ Tauricæ, cujus meminêre *Euripides & Callimachus. Ibid.*

ALÆ Curſorum, occurrunt primùm apud Spartian. in Ælio Vero Imperat. *c.* 5, ubi *Curſoribus ſuis exemplo Cupidinum alas appoſuiſſe, eoſque ventorum nominibus ſæpe vocitaviſſe, Boream alium, alium Notum, & item Aquilonem aut Circium, cæteriſque nominibus appellans legitur.* Erat tamen jam ante Militum πτερωτῶν, i. e. *pennigerorum* ſeu *pennatorum* ordo, quibus Imperatores & Præſides provinciarum, pro tabellariis curſoribuſque utebantur, de quibus vide quæ ſcribit Caſaubon. *ad Sueton. l* 2. Alludit huc eleganter, magnus Rhetor Ariſtides *Panegyr. in Romam*, ubi poſtquam dixit, Romanum Imperium *univerſum Orbem* literis regere ſedentem, addit: Αἱ δὲ ἐπιστολαὶ μικρὸν φθάνουσι γραφεῖσαι καὶ πέμπονται, ὥσπερ ὑπὸ πτηνῶν φερόμεναι, *Literæ vero vix ſcriptæ ſunt, cum jam advolârunt, velut alis perlatæ.* Sed de hac re plura infrà *paſſim*, imprimis ubi de *Pennis & Pennatis literis.*

ALÆ Draconum, vide infrà, *Alati Dracones.*

ALÆ, in Exercitu Romanorum Socii dicebantur, quia plurimum ut alæ in avibus, corpus illud Legionum tegebant: aliàs *Cornua* Hinc *Ala dextra & ſiniſtra*: quarum utraque habebat Equites & Pedites, illos quidem numerô duplô, cùm latè Socii per oppida & agros ſparſi eoque facilius iis habere & tolerare equos, at Romam, nec cenſu multi, minus Equites tunc erant, & in una urbe haud tam commodè habebant, J. Lipſius de *Militia Rom. Dial.* 7. vide quoque infrà *Auxilia*, *Sociale bellum*, *Vexillarius.*

ALÆ Flaviæ, vide *Ara Flavia.*

ALÆ in Templis, propriè ſunt ad latera Ædis, columnarum ordines ſive porticus, apud Vitruvium, *l* 6. *c* 4. Unde hodieque columnata Templorum latera *Alas* Galli vocant, *les Ailes des Egliſes*. *Strabo* παραστάδας ſic vocat, qui utrinque pronaum circumcludebant, de Templo quodam apud Thebas Ægyptias: Τοῦ δὲ προνάου παρ᾽ ἑκάτερον πρόκειται τὰ λεγόμενα πτερά, ἔστι δὲ ταῦτα ἰσοϋψῆ τῷ νεῷ τείχη δύο. Sed Vitruvius πτερὰ, *alis circumdatum*, id tantùm genus oſtendit, quod columnas in fronte & poſtico & circa ædem otrinque haberet. Aliàs περίπτερος, etiam Græcis dictus eſt, qui in circuitu deambulationes haberet, quas περιδρόμους Græci appellavêre, &c vide Salmaſ. *ad Solin. p* 1218. & infrà paſſim.

ALÆ in Veſtibus, Græcis πτέρυγες & πτερύγια, anguli dicuntur, ſeu *γωνίαι*, cujuſmodi duas ab utroque latere pallium habebat, in parte inferiori, duas in ſuperiori, unde *quadrangulum* vel τετράγωνον: Propriè tamen ſic vocabantur anguli, qui circa imum veſtis, ab *alarum* ſimilitudine, Aperti ſiquidem & diviſi in medio veſtimenti partes ab utroque latere fluitantes, avium alas haud malè referunt, ut in amiculis Spartanarum Virginum & tunicis Carthaginenſium quadratis. Unde Servus Plautinus in *Pœnulo. Actu* 5. *ſc.* 2. quendam ſic tunicatum, *avem*, ab hujuſmodi *alis* appellat,

Sed quænam illæc avis eſt, quæ cum tunicis huc advenit, &c.

Vide inf. à in voce *Pterygia* item *Encomboma.*

ALÆPHILA, vide *Gemon*

ALÆSA, urbs Siciliæ olim Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Syracuſano. Vocabulum ejus variè, apud authores, ſcriptum reperitur. Nam *Phalaridi*, *Ptolemæo* ac *Straboni* eſt Ἄλαισα. *Diodoro* Ἀλαίσα *Antonino Aleſa*, Ciceroni 2. *Verrin. c.* 7. *Haleſa*, unde oppidani Plinio *l.* 3. *c.* 8. *Haleſini.* Et *Inſcriptioni Antiquæ* ſæpius repetitur ὁ Ἀλαισηνῶν δῆμος. Qui apud Columellam legitur *Haleſus*, *l.* 10.

Et quæ Sicanis flores legiſtis Haleſi.

Apud Sil. Ital. *l.* 14. ſic legitur;

Venit ab amne trahens nomen Gela, venit & Heſa.

Verùm cum nullum uſpiam reperiatur Siciliæ oppidum *Heſa*, credibile eſt ſcripſiſſe *Silium*,

—— —— Venit Aleſa.

Deſcribitur à Diodoro *l.* 14. in colle, 8. ſtad, à mari diſſito. Tamen ad mare portum habuit, de quo Cicer. *Verrina* 3. Condita eſt annis circiter 400. ante Chriſtum, vel, ut nonnullis viſum, ab Archonide Herbitenſium præfecto, vel, ut alii, à Pœnis. Diodor. *ubi ſupra.* Ταῖς δὲ φωναῖς τοῖς Καρχηδονίων κτίσας τὴν Ἄλαισαν, καθ᾽ ὃν καιρὸν Ἀρχώνιδας τὴν πρὸς τὸν Διονύσιον εἰρήνην ἐποιήσατο. Cui ſententiæ Alæſini libentius acceſſerunt, quia cùm Herbita cum Alæſa magnitudine, & opibus haudquaquam eſſet conferenda, pudebat illos tam ſordidæ originis. Locum enim fuiſſe Alæſæ inter urbes Siciliæ clariſſimum docet Cicer. *l.* 13. *Ep.* 32. *In Haleſina civitate tam lauta, quam nobili.* Et *Verr.* 3. *c.* 73 *Siciliæ civitates multæ ſunt, judices, ornatæ, atque honeſtæ, ex quibus imprimis numeranda eſt civitas Haleſina. Nullam enim reperietis, aut officiis fideliorem, aut copiâ locupletiorem, aut authoritate graviorem.* An hinc עליצה *Aliſa*, vel, quod idem eſt עליזה *Aliza*, i. e. *exultabunda*, Punicè nominata eſt? Quò epithetô in Scriptura inſigniuntur urbes, quæ divitiarum nomine gloriantur, & inſoleſcunt. Sic Tyrus, Eſai. *c.* 23. *v.* 7. Et Nineve, Zeph. *c.* 2. *v.* 15. Et Jeruſalem, Eſai. *c.* 22. *v.* 2. & *c.* 23. *v.* 7. Ut ut hoc ſit, veriſimile eſt עליזה (*aliza*) i. e. *exultabundum*, Punicò vocabulò dictum eſſe fontem Aleſini Agri, de quo Solinus *c.* 11. *In Haleſina regione fons, aliàs quietus ac tranquillus cum ſiletur: Si inſonent tibiæ*, exultabundus *ad cantus elevatur, & quaſi miretur dulcedinem vocis, ultra margines intumeſcit.* Et Priſcianus *in verſione Dionyſii Periegetis*,

Hic & Haleſinus fons eſt, mitiſſimus undis,
Tibia quem extollit cantu ſaltare putatur
Muſicus, & ripis lætans excurrere plenis.

Hic, inquam, fons Aleſini agri ad cantum cum exultatione intumeſcere creditus, verè ne, aut ſecus, nil noſtrâ refert, cum à Pœnis appellatus eſſet עין עליזה (*ain Aliſa*) *fons exultabundus*; Inde regioni poſtmodum, & urbi & amni vicinis inditum nomen. Bochart. *l.* 1. *Phaleg. c.* 27. Videtor Cluver. *Sicil. Ant. l.* 2. *c.* 4. Nic. *Lloyd.*

ALÆUS, pater Auges ſeu Augeæ, quæ ex Hercule Telephum ſuſcepit. Vide *Auge.*

ALAF, Sarracenorum in Aſia Rex, cepit Edeſſam opulentiſſimam Chriſtianorum civitatem. Cujus conatibus, ſub auſpiciis Ludovici Junioris fruſtra obviam ire conati ſunt. Baron. *A.* C. 1146. Marmol. *l.* 2. *c.* 34. An idem cum *Alafo*, *Alapho vel Balacho*, qui Balduinum II. Regem Hieroſolymitanum captum per annum detinuit? *Guil. Tyrius.*

ALAGONIA, urbs libera Laconum. *Pauſan.*

ALAGONIUS, fluv. Hiſpaniæ in regno Legionis. Cauriam Urbem alluit, & poſtea cadit in Tagum, ſupra Norbam Cæſaream.

ALAHAMARUS, aliàs *Mahomet Abuſerd*, primus Rex Granatenſis, e a Paſtore, depulſis Almohadis. Ejus ſucceſſores, *Alahamari* dicti, regnârunt ann. 250. donec à Ferdinando & Iſabella ejecti. A. C. 1492. Marian. *l.* 15. *c.* 19. Marmol *l* 2 *c.* 38.

ALAHGABAL, nomen Syriaci idoli, unde Antoninus Heliogabalus Imperator, Romanis nomen habuit. *Scaligero & Caſaubono* ſignificat *Deum montis*, ſed cujus montis ille Deus fuerit, aut à quo monte ita ſit appellatus, non explicant ſatis. Quod enim *Caſaubonus* ſic ferè Carmelum Deum fuiſſe dictum illud idolum, quod in monte Carmelo poſitum erat, opinatur: Sed ubi mons *Gabal* aut *Gabalus*, à quo nomen acceperit hic *Alagabalus* Deus? *Scaliger* itaque volebat, Deum iſtum peculiare Gabalitarum nomen fuiſſe, ſed ratione caret, Deum, quem Emiſſeni colerent *Gabalitarum Deum*, fuiſſe appellatum: & tutelare Numen Gabalitarum dici, quod in Emiſſena Urbe templum haberet. Fuit autem *Alagabalus* peculiaris Emiſſæ Deus, & in ea urbe Heliogabalus, qui Emiſſenus quoque erat, ejus Sacerdotem egit. Nempe Emiſſeni Solem colebant in montis effigie, quem montem cœlò delapſum credebant, hinc *Alagabal* dictus Sol apud illos, quaſi *Deus mons.* Ejus enim ſimulachrum erat ingens rude ſaxum ac impolitum, in modum planè montis vel rupis. Herodianus *l.* 5. *c.* 5. λίθος δέ τις μέγιστος

καὶ αὐτὸν ὀμφαλῷ ἰσαζεοσες, λιγῶν ἐις ὀξεῖαν. κωνοειδὲς αὐτῷ χῆμα, μέλαινα ἡ χροιὰ, διοσετὸ τε αὐτὸν εἶναι ἐπιχείλαι, ἐξοχάς τε ἐνίας, ἴχνος καὶ τύπους ἐπιδεικνῦσι. *Lapis eſt ingens, inferiore parte orbicularis, ſed in acumen faſtigiatus, coni autem ei figura eſt. Color ei niger colitus delapſum, & eminentias quaſdam breves ac typos oſtendunt.* Quæ planè mondis ſeu monſtrelis effigies. Sequitur, Εἰκόνα ἡλίου ἀνέργαστον ὄντα βλέπειν θέλουσιν, *Iconem Solis non elaboratam eſſe volunt, ſic aſpicientes, &c.* Extructum autem in præfato urbe idolo huic templum magnificentiſſimum eſt, à Phœnicibus. Unde *Feſtus Avienus*, ubi urbis hujus meminit, inter alia,

Denique Emiſſenis ditem pectora Soli
Vitam agitant. Libanus frondoſa cacumina turget,
Et tamen his celſi certant faſtigia templi.

Et quidem non extra Urbem, ut quibuſdam doctis viſum, ſed in ipſo Urbis meditullio. Vopiſcus in *Aureliano*, c. 25. *Emiſſam victor Aurelianus ingreſſus eſt, ac ſtatim ad templum Heliogabali tetendit, quaſi communi officio vota ſoluturus. Verùm illic eam formam Numinis reperit, quam in bello ſibi faventem. Quare & illic templa fundavit --- & Romæ Soli templum poſuit, majore honorificentiâ conſecratum*, &c. Solem enim, non Jovem, ut nonnulli voluerunt, hoc nomine ab Emiſſenis cultum eſſe, lapides docent, in quibus conjunctim, SOL. ALAGABALUS, nominatur. Nummi etiam, quorum hæc *inſcr.* SACERD. SOLIS DEI. ELAGAB. & *Dio* ac *Herodianus* Ἥλιον ſine ulla dubitatione interpretantur. E qua ipſa voce diſcimus, plerasque Orientis gentes, ſed præ reliquis Emiſſenos, Solem præcipuo cultu olim veneratos eſſe. Ut enim Athenienſes τὴν Θεὸν ſimpliciter cùm dicerent, Minervam intelligebant; ſic iſti Solem communi nomine אלה *Deum* dixerunt. In unaquaque autem urbe peculiare cognomen habebat. Sicut enim Emiſſenorum *Elagabalus* fuit, ſic Palmyrenorum *Malachbelus* & *Aglibolus*, Babyloniorum *Belus*, aliarum gentium hoc Numen aliter dictum eſt. Eidem *Alagabalo* Heliogabalus Imperator jam factus, qui prius in urbe Emiſſa ſacerdos ejus fuerat, in eo loco vel vico, in quo olim fuerat Fauſtinæ Templum ab Antonino Marco fundatum, templum ſumtuoſiſſimum extruxiſſe, legitur apud Spartian. in *Caracalla*, c. 11. Vide infrà in voce *Alala*: & plura in hanc rem apud Caſaubon. & Salmaſ. *ad Lamprid.* in *Heliogabalo*, c. 1. & Flav. Vopiſc. in *Aureliano loc. cit.* ut & in vocibus *Elagabalus* & *Heliogabalus*.

ALALÀ, Enyo, Dea bellica. Ἀλαλὰ πολέμου θυγάτηρ. Plut. *de fraterno amore.* Vide Henr. Steph. in Ἀλαλά.

ALALA, vicus ſub Tauri montis radicibus, in quo Fauſtinæ primùm templum à Marco Antonino; poſtea Alagabalo Deo aliud ab Heliogabalo jam Imperatore factum eſt. Spartianus in *Antonino Caracalla* ſub finem. *Habet templum, in quo (loco) poſtea filius hujus Baſſiani Heliogabalus Antoninus ſibi, vel Jovi Syrio, vel Soli (incertum enim id eſt) templum fecit.*

ALAÆI, inſulæ parvæ plures in ſinu Arabico, in quibus teſtudines reperiuntur. Arrian. *in Periplo mar. Erythræi.*

ALALCOMENÆ, urbs Bœotiæ, denominata à Bœotorum *Alalcomene*, ut Plut. *in Hellen.* refert, p. 517. Edit. Steph. afferens ſimul cauſam nominis. Haſce Alalcomenas, inquit, nobilitavit Tireſiæ ſepulchrum & Minervæ templum; unde Poëta, Ἀλαλκομενηῒς Ἀθήνη. Nempe Minerva credebatur nata eſſe Alalcomenis, & ibi erat in ſummo cultu. Itaque cùm parva eſſet, & in plano extructa urbs, ſemper tamen ἀπόρθητος, intacta, & inviolata manſit, quia ob Deæ reverentiam ſibi ab omnibus parcebant, *Ab omni vi omnes abſtinebant.* Ità habetur apud Strabonem. Putat igitur Vir Magnus, *Alalcomenas* factum nomen ab אלה עלמנה *Ela Almona*, i. e. *Dea* ..., vel *contra quam nemo inſurgit*, מלך אלקום *Melec Alcum*, i. e. *Rex invictus*, Proverb. c. 30. v. 31. Vide Strab. l. 7. c. 9. Pauſan. l. 9. Homer. *Il.* δ. Plut. *quæſt.* 43. *Nic. Lloydius.*

ALALCOMENIS, inter Minervæ epitheta, Vide *Alalcomenæ*, *Alalcomenia* & *Minerva*.

ALALCOMENIUM, oppid. Bœotiæ, ad lacum Copaidem, inter Haliartum & Coroneam, templo Minervæ clarum. *Steph. Stat. Theb.* l. 7. v. 330.

Ducit Ithonæos, & Alalcomenæa Minervæ
Agmina.

ALALIA, urbs Corſicæ, Phocæorum colonia. *Herodot.*

ALALIS, Palmyrenæ urbs juxta Euphratem. *Ptol.*

ALALON, Vallis nomen in Chananæa, à Chriſtianis *Lunæ vallis* dicta.

ALAMANDAR, Rex Saracen. errorem Severi ſectatorum, de impaſſibilitate naturæ Chriſti, lepidò commentò de S. Michaelis Archangeli morte, refutat. Anaſtas. *Chron.* Cedren. *Niceph.* Baron. *A. C.* 509. 513.

ALAMANDINÆ, ſeu ALAVANDINÆ, apud recentiores, gemmæ ſunt, quæ *Alabandinæ* olim dictæ ab *Alabanda*, Cariæ urbe, de quibus Plin. l. 37. c. 8.

ALAMANES, ſtatuarius Athenienſis, Phidiæ diſcipulus, cujus opera Athenis plura memorantur. *Pauſ.*

ALAMANI, populi Germaniæ vicini. *Steph.* Vide *Alamanni* & *Alemanni*.

ALAMANNI, ſeu ALEMANNI, non una Germanorum gens, ſed convenæ ex variis gentibus collecti. Quibuſdam quaſi *Allmanni*, i. e. *omnes viri* dicti ſunt: aliis ſic appellari videntur ab Hercule Alemanno, quem à Germanis antiquitus cultum Hiſtoriæ teſtantur; cujus idolum *Alemanni*, in Augia majori inſula prope Conſtantiam ſervatum diu fuit, donec Maximiliani I. Imperatoris precibus Oenipontem tranſlatum eſt. Sunt etiam, qui à *Manno*, Tuiſconis filio, nominis arceſſunt originem. Sed non tanta ejus antiquitas, ... A. C. 2.. circa Antoninus Caracalla *Alamannicus* jam dicatur, circa A. C. 214. apud Æl. Spartian. in *Anton. Caracalla* c. 10. Primùm autem hoc nomen ſumpſere, circa Hercyniam ſylvam, habitantes Germani, qui conſilia de Romanorum jugo excutiendo agitantes, mox ſocios nacti ſunt Rheni accolas, Vindelicos item & ex parte Helvetios, quos ſub Rhætia provincia ulterius continere faſtidiuo cepit. Hi itaque poſtquam in unum coierunt, neque ulla harum gentium nomine ſuo decedere vellet, communiter ſe *Alamannos*, quaſi *Allerley mannen*, appellavère. Paulò poſt longè lateque nomen eorum & potentia excrevit, circa utramque imprimis Acronii lacus ripam: & pars ea Vindeliciæ, quam Alamanni Romanis eripuerunt, *Alemannia* nomen adoptavit, quod Helvetiæ quoque contigit, quam Ruſâ fluv. tenus in poteſtatem redegerunt. Romanis perpetuò infeſti, quorum arces hinc inde in Helvetia imprimis, non paucas ſubverterunt, circa A. C. 300. Sed victi poſtea à Conſtantino Chloro, prope Arconicum, trans Rhenum retroceſſeroot, arcibus à victore, quò aditu arcerentur, magnâ curâ refectis. Ab eo tempore aliqua quies, imò & Erocus, Rex eorum, in aula Conſtantini honoratus degit, circa A. C. 309. verum mox rebellantes, à Conſtantio, iterum domiti ſunt bis. Cum hujus dein filio Conſtantio, Gunnomado & Vadomario fratribus, Alamannorum Regibus, res primò, dein fœdus fuit. Donec, ob crebras irruptiones, Alamannis Lintſgoviam Sueviamque incolentibus, bellum indixit, illoſque ingenti prælio ſuperatos denuo repreſſit, circa A. C. 357. Nihilominus Lupidunum uſque paulò poſt excurſione factâ, in reditu intercepti, & magna ex parte à Ducibus Conſtantii cæſi ſunt, circa A. C. 360. quò tempore primùm vicos ſuos, cæſis arborum ramis, munire cœperunt. Sed Barbetione, unò ex Ducibus Romanis poſt hæc ſuperatò, animos reſumſère, ſeptemque illorum Reges, Chonodomarius, Veſtralpus, Urius, Uſicinus, Serapius, Suomorus & Hortarius, junctis viribus Rhenum tranſgreſſi, Alſatiam rapuère, à Juliano prope Argentoratum acie ſuperati, & Chonodomariò captò, Vadomarium quoque victor paulo poſt in Helvetico ſolo deprehenſum cepit, atque in Hiſpaniam relegavit. Hinc iterum quies, donec in Alſatiam de novo irruptione factâ, à Gratiano Imperatore ſunt repulſi. Poſt Valentinianum III. tandem *Alamanni*, victis Romanis, in Helvetia firmum fixère pedem, & genti Gallicæ mores linguamque ſuam miſcuère. A quo tempore Helvetia, in *Burgundicam* (nam Burgundiones ſub Honorio Helvetiam ingreſſi, alteram ejus partem ſuam fecère) & *Alamannicam* dividi cœpit: obtinueruntque hi populi duas regionis totius partes, ab ortu Ruſam fluv. verſus, in quibus Turgovia, Paguſque Tigurinus, *Pagi Alemannici* nomine diu celebris, & urbes Aventicum, Bada, Cæſaris Solium, Certiacum, Vitodurum, Conſtantia, Arbor felix, &c. utramque gentem Ruſâ ſeu Urſâ fluv. dirimente. Sequentibus temporibus à Chlodovæo Francorum Rege prælio ad Tolbiacum victi & ſub jugum redacti ſunt, A. C. 499. è cujus filiis Theodoricus Franciæ Orientalis ac *Alamanniæ* Rex ſalutatus eſt, quô titulò alii quoque, qui ei ſucceſſère, uſi ſunt. Sub Childeberto Rege Luithfridus Dux Sueviæ & *Alamanniæ* creatus eſt: cui Uncelinus, ſub finem ſeculi 6. Sigebertus A. C. 630. aliique ſucceſſère, inter quos Dietboldus, Odiloni Bavariæ Duci junctus, Francicum jugum, ſed fruſtrà, excutere conatus eſt. Carolinorum dein familiâ declinante, à Conrado Imperatore A. C. 916. Burcardo I. Ducatus conceſſus eſt. quò in Italia cæſò, Hermannus I. ei eſt ſuffectus: quem excepère gener Luitholfus Saxo A. C. 948. Burcardus II. A. C. 957. Otto fil. Ludolfi A. C. 966. Conradus A. C. 982. Hermannus II. qui Sueviæ, *Alamanniæ*, ac Alſatiæ Ducatum tenuit, A. C. 997. Hermannus III. fil. A. C. 1004. Erneſtus I. A. C. 1012. Erneſtus II. fil. A. C. 1020. quò exſtinctò A. C. 1038. ſub Henrico III. Imperatore Ducatus *Alamanniæ* Sueviæque Imperio eſt unitus. Quæ poſt hæc geſta, vide apud Stumpfium *l. 4. de Helvetia* & plura de gente, apud Amm. Marcellin. *l.* 14. *c.* 10. *l.* 16. *c.* 12. *l.* 26. *c.* 5. 6. &c. Procopium *Hiſt. Goth.* Herm. Contractum *in Chron.* *Fredegarium*, *Aimoinum*, *Walafridum Strabonem*, &c. infrà quoque voce *Marcomirus*. &c.

ALAMANNICUS, cognomen Antonini primùm Caracallæ Imperatoris de victa ea gente. Æl. Spartian. in *Vita* ejus c. 10. *Quum Germanici & Parthici & Arabici & Alemannici* (ſcribe *Alamannici* ita enim perpetuò Græci Ἀλαμαννοί.) *nomen adſcriberet, nam Alemannorum gentem devicerat.* Ita Aur. Victor de eodem c. 21. *Alamannos gentem populoſam, ex equo mirificè pugnantem, devicit.* Atque hæc antiquiſſima hujus gentis in Hiſtoria Romana mentio eſt: Nam id nomen ante hæc tempora obſcurum, aut penitus ignotum, nec tum quidem in magna celebritate verſabatur. Quam ob cauſam ſcribit Fl. Vopiſcus in *Proculo Tyr.* c. 13. *Nonnihil tamen Gallis profuit: nam Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non ſine gloriæ ſplendore contrivit.* Ubi in eo quidem errat *Vopiſcus*, qui *Alamannorum* gentem, ſeu nomen potiùs, ante Proculi tempora innotuiſſe negat; inde tamen rectè hoc colligas, nondum tum temporis fuiſſe multùm celebre. At ipſius Vopiſci ævò notiſſimi erant: ut de quibus multa Amm. Marcellin. in Conſtantini rebus & ſequentium Auguſtorum. *loc. cit.* Sic Arnobius, æqualis Scriptor, aut natu non multo Vopiſcò grandior, eorum meminit: *l.* 1. *Si Alamannos, Perſas, Scythas idcirco voluerunt devinci, quod habitarent & degerent in eorum gentibus Chriſtiani.* Niſi fortè hoc ita concilies, ut dicas, multo quidem ante Proculum de nomine cognitos fuiſſe *Alamannos*, ſed pro certa duntaxat Germanorum gente quam prope Mœnum Caracallus devicit: poſteà verò, & non niſi demum poſt Proculum, ab hac populola gente toti Germaniæ nomen inditum, ita ut Germani omnes *Alamanni* dicerentur, quod nondum factum erat, cùm Proculus Imperium arriperet. Caſaubon. & Salmaſ. *loc. cit.*

ALAMAT, VI. & ultimus Perſarum, ex ſtirpe Uſun Caſſanis, Rex, ab Iſmaële primo Sophorum, thronò deturbatus & occiſus. Mirkond. *Hiſt. Perſ.* Marmol. *l.* 2. *c.* 39. Spond. *A. C.* 1499.

ALA-

ALAMATA, Urbs juxta Euphratem, Palmyrenæ regionis. *Ptol.*

ALAMATH, vel ALEMETH, Hebr. Latin. *occultatio*, ſive *juventus*, aut *ſecula*, vel *ſuper mortem*, fil. Beor, filii Benjamin. 1 Paral. *c.* 7. *v.* 8. fil. item Jare. 1 Paral. *c.* 8. *v.* 36. *c.* 9. *v.* 42.

ALAMBATER, vulgò *l'Iſle de Diu*, Inſul. Aſiæ, in littore provinciæ *Guzarate*, in India, cum portu & caſtro permunito Luſitanorum, fruſtrà aliàs à Turcis obſeſſo. Alias eſt *Guadel* oppid. & Burade eſt *Diu*.

ALAMINUS, nomen officii, apud Saracenos, de quo ſic Vitalis Epiſc. Oſenſis *de Magiſtratibus Saracenorum Hiſpan. Eſt etiam inter Saracenos Officialis, qui Alamin, i.e. fidelis, lingua Arabica appellatur, qui debet cauſas minimas, non excedentes duos ſolidos terminare, & currere in Curia Zavalachen apparatoris officium vel ſagionis. — Ideo dicitur Fidelis, quia fideliter debet jura Regis perquirere*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ALAMIRUS, Princeps ſeu Calipha Tarſi, ſecul. 9. cum innumerabili Saracenorum exercitu Imperio ſubjectas terras invaſit, ab Andrea Scytha, Præfecto Orientis, victus, & capite plexus. Marmol. *l.* 2. *c.* 26.

ALAMONTEM, Urbem habet *Antonin.* in Gallia Narbonenſ. Vide *Alabonte*.

ALAMUS, Albaniæ oppid. *Ptol.*

ALANA, urbs Æthiopiæ ſub Ægypto. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

ALANÆI, populi ſunt apud Euſebium *l. 6. præparat.* quos carnibus alii ſcribit, pane minimè veſcentes.

ALANDIA, Inſul. maris Balthici juris Suecici in Finlandiæ littore. Vide *Ome Inſul. Relat. Suec.*

ALANDRI, fluminis fontes, ſunt in Phrygia majore; ut putat ex *Livio l.* 38. *c.* 18. *Ortel.*

ALANI, populi Sarmatiæ Europææ haud procul à Mæotica palude incolentes, Roxolanis finitimi, qui nunc *Lithuani* dicuntur, ut quidam putant. Meminit eorum Lucianus *in Toxari*, qui dicit, eos cultum & linguam communem habere cum Scythis. Juxta Tanaim fluv. & Mæotidem paludem deſcribit eos Joſeph. *de bell. Jud. l.* 7. Itemque ferè Claudian. *l. 1. in Ruf.*

—— *Patriamque bibunt Mæotin Alani.*

A *Dionyſio* Ἀρήϊοι Ἀλανοὶ vocantur, cui concinit Lucan. *l.* 8. *v.* 223.

Et ſequeris duros æterni Martis Alanos?

Equeſtris rei ſtudioſos fuiſſe innuit idem *Dionyſius*, cùm ait, Πολυΐππων φῦλον Ἀλανῶν. Unde Martial. *l. 7. Epigr.* 29.

Nec te Sarmatico tranſit Alanus equo.

Amm. Marcellin. ſcribit *l.* 31. *c.* 2. Alanos dici, quos prius Maſſagetas dixerunt. Jul. Capitolin. *in Marco Antonino c.* 22. eos ponit in parte Daciæ. *Ptol.* vero in ea Scythiæ parte, quæ eſt extra Imaum. Alii intra Imaum, prope fluv. Carambicem. *Ferrar.* Hi juncti Vandalis, Suevisque, ut & poſtea Gothis, ſub initium ſeculi 5. trajecerunt Rhenum, & Moguntiâ, Vormatiâ, Remis, Ambianô &c. captis, Proſper. Caſſiod. *in Chron. Oroſius*, &c. tandem à Vallia Viſigothorum Rege victi, A. C. 418. hinc in Hiſpaniam Africamque tranſierunt. Salvian. *l. 7. de Provid.* Jac. Oiſelius JCtus *ad B. Rhenanum l.* 1. &c. De illis ſic *Valeſius*: *Alani* Scythica gens, Tanais ante, tum Danubii accolæ, exciti à Stilicone unà cum Vandalis in Galliam ſeſe effudêre. Præerant iis Goar & Reſpendial Reges: è quibus Goar ad Romanos cum ſuis tranſiit, ac in Gallia remanſit, ubi Jovinum Moguntiaci Imperatorem ſalutandum curavit. Reliqui adjuncti Vandalis & Suevis, ductu Reſpendialis, Hiſpaniam intrârunt A. C. 409. Qui in Gallia remanſêre, Valentiniani Principatu, in duas partes videntur eſſe diviſi, & alteri ad Ligerim, alteri ad Rhodanum, in agro Valentino, ſedem cepiſſe, hi Sangibano, illi Eocharico Regi parentes. Certè Conſtantius de *Vita B. German. l.* 2. Eocharicum ferociſſimum Alanorum Regem ac idolorum cultorem vocat, & cum equitibus ſuis ferratis ad coërcendos Armoricos rebelles ab Aëtio miſſum eſſe dicit: quem idem fortè cum popularibus circa ripam Ligeris collocavit, ut metu finitimorum Barbarorum Armorici in fide continerentur. Hi poſtea ſe in Britannis, in tractum Armoricum tranſgreſſis, immiſcuêre, ut multi Britannorum Reges ac Duces præter cæteros *Alani* vocati ſint, nec ullum hodieque in ea provincia notius ſit nomen. Nec alios Alanos deſignare voluit Sidon. *l. 4. ep.* 1. quum *paludicolas Sicambros* i. e. Francos, *Caucaſigenas Alanos & equimulgos Gelonos*, videl. Taifalos memorat: quorum ferociam timeri à Gallis ait, ſtoliditatem belluinam ineptientium ac ſubito ſine cauſa iraſcentium rideri atque contemni. Alteri Alanorum parti præfuit Sangibanus vel Sangiba, quem *Proſper* ſcribit, tractum Valentinum deſertum ab Aëtio locum domiciliô accepiſſe, & A. C. 442. reſiſtentes poſſeſſores agris expuliſſe: & quem Aurelianos, ubi cum Alanico præſidio erat ab Aëtio poſitus, Attilæ tradere voluiſſe, ac inſtructâ acie adverſus hunc tanquam virum ſuſpectum, in medium agmen unà cum ſuis collocatum eſſe, tradit *Jornandes*. Iidem cùm finitimam partem Galliæ incurſionibus poſtea vaſtarent, Majorianum Auguſtum expeditionem in illos parantem, à ſuis interfectum eſſe, idem eſt auctor. Hactenus Valeſ. *Notit. Gall.* De primis Alanorum ſedibus, ita Procopius Cæſar, *Goth. Hiſt. l. 4. Quidquid terrarum de Caucaſo ad Portas Caſpias extenditur, Alani tenent, gens libera & Perſis plerumque ſocia in Romanos hoſtiumve alios.* Idem *Hiſt. l.* 1. Sciros & *Alanos*, Gothicam nationem facit. Vide Hug. Grotium *Hiſt. Suecorum, Gothorum & Vandalorum.* De Comitibus *Alanis*, infrà. Eorum regio *Alania*.

ALANIA, Epiſcopatus, *in Sanctionibus Pontificum Oriental. Imperio* circa Byzantium alicubi, in Europa aut Aſia.

ALANICUS, inter cognomina Juſtiniani Imperatoris ſic dicti ab *Alanis* devictis: quos *Ptol.* in parte Scythiæ collocare videtur; Capitolin. *in Marco Antonino c.* 22. in Daciæ parte; Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 7. inter Tanaim & Mæotidem; Plin. *l.* 4. *c.* 12. & Amm. Marcellin. *l.* 31. *c.* 2. in Sarmatia Europæa. Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Cum horum Rege Pharaſmane, qui *de imminutis ſtipendiis querebatur*, non ſine motu, pacem compoſuiſſe Adrianus Cæſar legitur apud Spartian. c. 13. Jam nempe à Domitiano malum id in Rempubl. introductum eſt, ut annuis muneribus gentium barbararum pacem redimerent Romani: quod perniciosiſſimum exemplum tenuêre omnes deinceps Principes in utroque Imperio. Sed conſuluerunt exiſtimationi ſuæ Romani Imperatores utcunque, cùm penſionem ejuſmodi annuam, quæ vere merat tributum, honeſtiore vocabulô *ſtipendium* nominârunt, aut *annuum*: Herodian. *l.* 1. *c.* 2. & 6. συντάξεις. Eiſdem *ſæpe moventes repreſſerat* Antoninus Pius, apud Jul. Capitolin. *in vita ejus*, *c.* 5. & 9. Cum iiſdem poſtea & Marco Antonino res fuit; apud Eund. *c.* 22. *Gentes omnes ab Illyrici limite uſque Galliam conſpiraverant, ut Marcomanni, Nariſci, Hermunduri — Rhoxolani, Baſternæ*, Alani, *Peucini* &c.

ALANITICUS Sinus, juxta mare Rubrum, qui & *Elaniticus*.

ALANORSI, populi Scythici, ad Septentrionem ultimi, *Ptol.* Vide *Agathyrſi*.

ALANQUERA, oppid. in Luſitania verſus Tagum fluv. diſtat 9. leucis Ulyſſipone. Vide *Jerabrica*.

ALANTE, urbs Arcadiæ, quam Theopompus *in Hiſtoria Philippica*, *Alanteum* appellat. *Volaterran.*

ALANTONIS, Hiſpaniæ urbs, *Antonino* 8. mill. paſſ. à *Pompelone*.

ALANUS, Dux Aremoricæ, Normannos ingenti prælio ſuperavit, A. C. 890 Rheg. *l. 2. Baron.*

ALANUS, Epiſcopus Autiſſiodorenſis, inter auctores *Collectionis Decretalium* ſecundæ. Hujus enim tres memorantur Auctores, *Gilbertus* & *Alanus*, qui *Bernardum Circam* imitati, collegêrunt Decretales eorum Pontificum, qui poſt *Bernardum* hunc (primum Collectorem) vixêre. Quibus nomen & gloriam præripuit *Johannes Gallenſis* ſeu *Vallenſis*, Volterris natus, qui 12. annis poſt primam collectionem (quæ circa initium ſeculi XIII. facta eſt) Pontificum, Bernardô inferiorum, Decretales ſeu Reſcripta, ex utriuſque, *Gilberti* & *Alani*, collectionibus congeſſit; quibus etiam Cæleſtini III. addidit, ut infrà videre eſt. Maſtricht *Hiſt. Juris Eccl.*

ALANUS de Lynna, Anglus, ſub Henric. VII. ſcripſit quædam in *Joſephi Antiquit. Hiſtoriam Longobard. Chronica* Roberti Hovedeni, &c. Voſſ. *l.* 3. *c.* 5. *de Hiſt. Lat.*

ALANUS Dorchus, ſeu *de Tenkesbury*, Anglus, ſcripſit hiſtoriam Thomæ Cantuarienſis, Baron. *A. C.* 1162. Alanus *de Inſulis*, Doctor Pariſ. dictus *Univerſalis*, Trithem. Alanus *Capua*, & Alias *Varennus*, celebres exacti ſeculô, quorum hic de *Muſica* dialogos edidit. Genebr. *in Chron.* Poſſev. *appar. Sacro.* Vide & *Guilielmus*.

ALANUS, Scythiæ fluv. Item mons Sarmatiæ. *Steph.* Item Gothorum dux, ſub quo Gothi propter intolerabilem Maximi avaritiam, Thraciam, Epirum, & Theſſaliam vaſtârunt, cædibuſque replêrunt, Valentem fuderunt, qui in fuga jaculô vulneratus cecidit, acceptuſque vili tuguriô inter fomenta expiravit. Diacon. *l.* 11. Hiſt. Trip. *l.* 8. *c.* 14. *Alanus* Sclavonicâ linguâ *canis* eſt, ut putat *Joſ. Scaliger*. Sic apud Romanos dictus *Caninus* & *Caninius*. *Camdenus* putat noſtrum *Alan* Britannicâ linguâ corruptum eſſe ab *Æliano*, ſicut *Vortimus* tranſiit in *Guidalan*.

ALANUS, vulgò *Alan*, fluv. Angliæ, in Cornubiam provinciam in mare ſe exonerat, prope oppid. *Paſtow*.

ALAPA, apud Phædrum *l.* 2. *Fab.* 6. ubi de Tiberio Imperatore cùm in Miſenenſem villam veniſſet,

Ex alticinctis unus Atrienſibus
— — — — —
Alveolô cœpit ligneô conſpergere
Humum æſtuantem, come officium jactitans:
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Præcurrit alium in Xyſtum, ſedans pulverem.
Agnoſcit hominem Cæſar, remque intelligit.
— — — — — —
Tum ſic locuta eſt tanti Majeſtas Ducis:
Non multum egiſti; & opera nequicquam perit,
Multo majoris alapæ mecum veneunt:

Græcè Ῥάπισμα, manumiſſionis ſignum, quæ videl. vindictâ fiebat. Dicere vult Imperator Libertas, quam iſtâ tuâ ſedulitate ambis, tam exiguô pretiô à me neutiquam datur. Nam cùm dominus ſervum hôc modô manumittere vellet, tenebat vel caput, vel aliud membrum ſervi, dicebatque, *hunc hominem liberum eſſe volo*, & cum dicto eum circumagebat, ſignificans ſe ei poteſtatem facere abeundi quò vellet, ſimulque *alapam* infligebat. Unde Claudian. *de 4. Conſul. Honorii.*

In civem rubuere genæ. — —

Et Perſius *Sat.* 5. *v.* 76.

— *Heis ſteriles veri, quibus una Quiritem*
Vertigo facit, &c.

Vide Marcilium *ad hanc Sat.* Briſſonium *Antiqq. l.* 5. *c.* 11. Sigonium *de Antiquit. Juris Civ. Rom. c.* 6. Alios. Cujus ritus veſtigia etiam ſequenti ævô occurrunt. Hinc *Alapa* apud recentiores, ictus appellatus eſt, qui tyronis ad dignitatem militarem promovendi collo aut humeris, enſe vel gladiô, quô *Miles*, & ſic quaſi liber fiebat, infligebatur. Militaris nempe ordo, quô quis donabatur, facultatem dabat gerendi arma militaribus ſuiſque juſtas militem efficiebat: Magnum Chron. Belgicum *A. C.* 1247. *Pleriſque milites moderni temporis patrimonii intendentes, omiſſis ſumptuoſis ſolemnitatibus, ſaltem per infractum colaphum militarem conſequuntur dignitatem.* Lambertus *Ardenſis*, *Eidem Comiti, in ſignum militiæ gladium lateri & calcaria ſua militis aptavit, & alapam collo ejus inflixit*, &c. Sic de traditâ inauguratione Willhelmi Comitis Hollandiæ in Regem Romanum electi, qui à Bohemiæ Rege in æde Colonienſis urbis præcipua, Militari cingulô inſtructus eſt, legimus apud Joh. de Beka in *Ottone* III. *Epiſc. Traject.* circa A. C. 1247. *Illis itaque actis Rex Bohemiæ granditer dedit ictum in collo tyronis, ita dicens: Ad honorem Dei Omnipotentis te*

militem ordino, ac in noſtro collegio te gratanter accipio. Similiter Franciſcum de Carraria, *Imperator ſedens in equo fecit militem, & cum palma cum percuſſione ſuper collum ait: Eſto bonus miles & fidelis Imperii*, apud Auctorem *Hiſtoriæ Cortuſiorum l.* 11. *c.* 2. Triplicis percuſſionis meminit Ceremoniale Roman. *l.* 1. *ſect.* 7. de Milite, a Pontifice facto, *Tunc accipiens illius enſem nudum, ter Militem percutit plane ſuper ſpatulas, dicens: Eſto Miles pacificus, ſtrenuus & Deo devotus.* Quam trinam percuſſionem obſervat etiam Car. du Freſne, in *Actis* Parlamenti Paril. A. C. 1415. ubi enarrant, quemadmodum Sigiſmundus Imperator qui cauſis dijudicandis, Caroli V. Regis permiſſu, in ſuprema Curia præſidebat, Guidonem Paſtellum *Militem* fecerit, quod de Seneſcalli Bellicadrenſis officio, eum Guilelmo Signeto Milite litiganti, obſiceretur, nondum militare adeptum cingulum, cum Seneſcallus aut Baillivus nemo fieri poſſet, niſi eſſet Miles, &c. Sed ex *Actis* potius id honoris ab Imperatore Signeto contigiſſe pater. Iſtiuſmodi autem *Alapas* Galli *colées* appellant, quod collo infligerentur: primumque inter auctorem Mythologi quidam famoſiſſimum illum Arturum Britannum faciunt. Vide Auctores magnâ numero præfatô *Gloſſarii* Auctori laudatos, & infrà, voce *Buffa* item *Gladius*. Apud eundem Ebrardus Beth. Breviloquum ſecutus, dicentem, *Alapa eſt faciei percuſſio, ſicut colaphus colli*, habet:

> *Dic alapam malæ, colli colaphumque*, &c.

ALAPAM dare vide ſupra. Sed & *Alapam dandi*, & aurem torquendi in teſtimonium, ritus alius occurrit in *LL.* Ripuarior. *tit.* 60. §. 1. *Si quis villam — ab alio comparaverit, & teſtamentum accipere non potuerit, ſi mediocris res eſt cum 6. teſtibus — ſi magna, cum* 12. *ad locum traditionis accedat, & ſic eis præſentibus pretium tradat & poſſeſſionem accipiat, & unicuique de parvulis alapas donet, & torqueat auriculas, & poſtmodum teſtimonium perhibeant.* Quod ſicuti propterea factum, ut teſtes poſtmodum, cum rei geſtæ teſtimonium advocarentur, in memoriam revocarent, ſe ibi loci *alapis* cæſos atque auribus vellicatos eſſe, apud Eund. Vide quoque infra in voce *Auris*. Hiſtriones porro os ſibi pereundi & *alapis* barum ut riſum moverent, patiebantur, vide infrà *Latini alapa digniores*: uti de ritu *alapas infligendi* ſervæ quam unam in templum matronæ introducebant, in Matralium Feſto, ubi de eo. At per *Alapam* ſeu *Colaphum* contrariô ritu ſervos ſibi fecit Joculator quidam, qui dux viæ fuerat Carolo M. pergenti in Italiam, contra Longobardos. Cùm enim hic ab Imperatore veniam nactus eſſet petendi quod vellet, in monticulum quendam aſcendens, cornu inflavit ſuum, & quam longè ſonus perrigiſſet, agros hominesque ſibi dari poſtulavit. Nec fruſtratus eſt ejus votum Carolus: itaque deſcendens it, per *vicinos & arva, & interrogans, quos inveniebat, Audiſtis, inquit, ſonitum tubæ? Cui ſi dixiſſet, Etiam audivi, dabat illi unum colaphum dicens, Tu, inquit, es meus ſervus.* Quo pactô ſatis amplum dominium ſibi quæſivit: Servi autem, quos hoc pactô ſuos fecit, à cornu ejus *Transcornati* dicti ſunt, ut idem ex *Chron.* Novalicienſi docet.

ALAPENI, populi Arabiæ Felicis. *Ptol.*

ALAPIA, vide *Nerva*.

ALAPISTA, apud Arnobium *l.* 7. mimus eſt ac ludio, cujuſmodi homines, ludis comœdiisque exacti, ſibi invicem *alapas* infligebant, ut ſpectatores ad riſum commoverent. Unde *Alapiſtarum ſtrepitus* apud *Arnobium*; ita enim reſtituit *Scaliger* pro *ſolapſtarum ſtrepitus*. At *Alapator* [illegible] exponitur, in *Excerptis* veterum *Gloſſar.* p. 275. quia petulanter ac jactabundi colaphos aliis garrient incutere, ut ait Voſſ. apud Eundem, *Gloſſ.*

ALAPTA, plurali numerô locus Thraciæ.

ALAPUNTIS, Galliæ Narbonenſis urbs *Antonin. Talart. Simlero.*

ALARES, Pannoniæ populi habet Tacitus *l.* 15. *Annal. c.* 10. Sed non gentis nomen, verum militum ab *ala*, putat Ortel.

ALARIA. Vide *Alamia*.

ALARICUS, Græcè Ἀλάριχος, Claudian *de bello Getico*.

> *Rumpe omnes Alarice moras: hoc impiger anno,*
> *Alpibus Italiæ ruptis, penetrabis ad urbem.*

Nomen id fuit duobus Regibus Gothicis, quorum alter Romam ſub Honoriô cepit, Attalô Imperatore conſtitutô, ſed iterum propter ignaviam dejectô, vide S. Zim. *l.* 5. 8. 9. Oroſ. *l.* 7. Baron. *A.* C. 395. alter cepit quidem eandem, ſed per fraudem occiſus eſt, A. C. 506. Vide Gregor. Turonenſ. *l.* 2. *c.* 35. 36. 37. Baron. *A.* C. 484. 506. *Alaricus* Anglis dictus eſt *Alric*, Normannis *Alberic*, & ſignificat *regnum ſive opes & potentiam*, quaſi dicas *All rich*: nam *ric* eſt *regnum*, item *dives, potens*, Germanis; *Ricco* Italis, *Rico* Hiſpanis, *Riche* Gallis. *Albericus* igitur ſic dicitur, ut *Plutarchus*, *Crates* Prior Viſigothorum Rex II. Athanarico ſucceſſit, regnavit ann. 14. ſucceſſorem habuit Ataulphum, de quo infrà. Adde prædictis Auctoribus Procopium *Vandalic. l.* Iſidorumque *Æra* 447. Poſterior, Viſigothorum Rex X. Eurico ſucceſſit, regnavit ann. 23. ac ſucceſſorem habuit Geſalricum, de quo infra Theodorici Oſtrogothorum in Italia Regis gener, *Paulus Diacon.*

ALARODII, populi circa Pontum, de quibus Herodot. *l.* 3. & 7. *Steph.*

ALARONS, vulgò *Talart*, Oppid. Delphinatus, ad Druentiam fluv.

ALARUS, fluv. Perſidis in Hircania. Cadit in mare Caſpium

ALAS, regio quædam Attica, ſaxis Caryſtiis vicina. *Euripides.*

ALASCO, ſeu IOH. DE LASKO, nobilis Polonus, ab Eduardo VI. ad Reformationem in Angliam vocatus, Eccleſias ibi Belgicam & Gallicam ordinavit. Subſecutâ deìn perſecutione, in Daniam, cum fidelium cœtu trajecit, ubi hi malè habiti, partim Viſmariam partim Roſtochium devenêre. Ipſe, Francofurti Eccleſiâ Belgicâ excitatâ, in Patriam 40. Magnatum Miniſtrorumque literis revocatus redit, poſt 20 Annor. exilium. Obiit autem A. C. 1560.

ALASARNA, Coorum gens apud *Heſychium*.

ALASI, oppid. Africæ interioris a Cotu Balbo expugnatum.

ALASIA, metropolis, in *ſanctionibus Patriarcharum Oriental.* forte *Altzia Strab.*

ALASTIGI, vel ALOSTIGI, Hiſpaniæ populi Plin. *l.* 3. *c.* 1.

ALASTOR, Plutonis equorum unus, quorum nomina ponit Claudian. *l.* 1. *de Rapt. Proſerp. circa fin.*

> *Orphnæus crudele micans, Æthonque ſagittâ*
> *Ocyor, & Stygii crudelis gloria Nycteus*
> *Armenti, Ditiſque nota ſignatus Alaſtor,*

Item unus ſociorum Sarpedonis ad Trojam ab Ulyſſe occiſi. Ovid. *Met. l.* 14.

> *Quid referam Lycii Sarpedonis agmina ferro*
> *Devaſtata meo? cum multo ſanguine fudi*
> *Coeranon Iphitiden, & Alaſtoraque Chromiumque*

Item Nelei fil. Neſtoris frater, amore Aſclepiade apud *Euſtathium*.

ALASTORES, Dæmones quidam, qui calamitates, peſtes, & famem in terrâ diſſeminant. Vide *Telchines*. *Alaſtoras* apud *Plut.* *malos Genios* exponit *Tho. Morus*.

ALATA, civitas Arab. Felicis Item alia Arabiæ Deſertæ. *Ptol.*

ALATA Caſtra, urbs Scotiæ, quæ & *Caſtrum puellarum* vulgò *Edingburg* vel *Edenburg*. Vide *Agneda*. Olim *Edenodunum* dicta putatur, teſte *Buchanan.* Græcè Πτερωτὸν στρατόπεδον. longitud. 17. 12. latitud. 57. 10. *Caſtra exploratorum Antonini* hic ſtatuit *Thebotius*.

ALATI Dracones, apud Poëtas paſſim occurrunt. Lucan. *l.* 9. *v.* 729.

> — — *ducitis altum*
> *Aëra cùm pennis* — —

Hinc currum Cereris alatis draconibus vehi finxêre: Orpheus in *Hymno Cereris*,

> Ἅρμα δρακοντείοισιν ὑποζεύξασα χαλινοῖς,
> *Currus (volucrinum) draconum frena ſubjungens:*

Ovid. *Met. l.* 5. *Fab.* 11.

> — — *geminos Dea fertilis angues*
> — *Curribus admovit frenis*[illegible] *coercuit ora.*
> *Et medium cœli terræque* [illegible] *itera vecta eſt.*

Et *Faſtor. l.* 4.

> — — — *iſque dracone*
> *Tranſit & abſcrè tollitur axe Ceres*, &c.

Quô ipſô curru Triptolemus in Scythiam vectus, Lynco Scythiæ Regi dixit apud Ovid. *d. l.*

> — — *veni nec puppe per undas,*
> *Nec pede per terras; patuit mihi pervius æther.*

Nempe Cereris,

> [illegible]
> [illegible]
> *Curtum per aërem agitans ſerpentinum,*
> *Varia ſpeciegerorum draconum dorſa flagellabat.*

Ita Nonnus *Dionyſiac. l.* 13. Eum enim *alatis* draconibus vectum, per totum terrarum orbem, miſit Ceres, ut frumenti uſum hominibus indicaret, uti docent Hyginus *Fab.* 147. & *Aſtronom. l.* 2. *c.* 13. *in Ophiucho*, Servius *in Georgic. l.* 1. Alii, ſimiliter Medeam, hujuſmodi currum à patre Sole accepiſſe, tradunt Euripides in *Medea*, Apollodorus *Biblioth. l.* 1. Ovid. *Met. l.* 7. *Fab.* 2. 3. 20. 21. &c. Neque mirum, hôc eodem curru quandoque Circen vehi, cum illa Solis quoque filia & Medeæ ſoror fuerit. Hinc, in Apollonio *Argonautic. l.* 3. illa in Italiam vecta,

> — — [illegible]

Et Val. Flacci *l.* 7. *v.* 120.

> — — *Ut aligeri Circen rapuêre dracones*, &c.

A Poëtis Mythologiſque tranſiit opinio ad alios. Hieron. certè *in Eſaj. c.* 13. *Criſtati ſunt*, inquit, *& volantes*. Auguſtin. *de Geneſi ad lit. l.* 3. *c.* 9. *Dracones autem etiam volare ſuſpiciuntur*. Alii. Quibus ex recentioribus accedunt, Jovius *l.* 18. *Aſſerunt Georgiani Regni incolæ, in ea vallibus dracones pugnaliatos.* Scaliger quoque, *Quaedam genera draconum alas habent*, ut alios omittam Sed alas iſtaſque cartilagineis tam vaſtam molem attolli, nemo facilè in animum ſibi induxerit: Maximè cùm nihil tale Philoſophi tradant, nec Hiſtorici fideles. Nam, quod ajunt, Strabonis *l.* 16. Indicis ac Libycis draconibus alas tribui, habetur quidem in Xylandri verſione, at in Græco textu longè aliud eſt: Neque enim πτερωτοὶ, alæ, ſed πόαν [illegible] *Aegyrum, herba nomen dicitur*. Quod ex Iphicrate videtur ſumtum, qui ejuſdem Strabonis *l.* 17. in occidua Æthiopia [illegible] Nec à myſtico dracone, qui in cœlo, i. e. in ſummo aëre, cum Michaële pugnâſſe dicitur. Apocalypſeos *c.* 12. *v.* 7. ad naturalem valet argumentatio. Quamvis ille ipſe draco myſticus alas habere nuſquam legatur. Quin *alæ* ſigno eſſe, ex eo colligas, quòd mulierem aquilinis alis avolantem non inſequitur, ſed, quod unum poteſt, aquarum vim in eam evomit, *v.* 14. 15. Ut in aquilæ cum dracone pugna apud Nicandrum in *Theriacis*, cùm aquila volatu ex periculo ſe eripit,

> — [illegible]
> [illegible]
> — *Volantem circumerrea fruſtra inſequitur (draco)*
> *In ſpiras convolutus, ubique & torvis oculis illum intuetur.*

Elatam enim in ſublime non poteſt attingere, &c. Poëtarum ergo id commentum eſt. Sed *draconum* nomine naves illis indigitari docent illi ipſi Veteres ut in Euſebii *Chron.* Philochorus, eum ſub Eleuſinis Rege Celeo, Triptolemum tradit, *longa navi delatum urbibus frumentum diſtribuiſſe, & per alatum ſerpentem, navem ſignificari, cum figura in aliqua ex parte ſimile.* Adde, ſi lubet *Draconis* nomine potuiſſe inſignitam navem, quæ pro inſigni draconem habuit: ut, apud Plut. de *Virt. mulier.* pirata Chimarrus à Bellerophonte occiſu.

occaſus, ἵππον πλακφαδῖνα μὲν ἔχοντα ἐπίγραμμα δράκοντα, ἐν δὲ τῇ πρύμνῃ ... *vehebatur navis, quæ in prora leonem, & in puppe draconem habebat pro aplustri.* Et apud Euripidem *in Iphigenia in Aulide*, Bœotiæ navibus pro ſigno fuit Cadmus

Χρυσέον δράκοντ' ἔχων Ἀμφὶ ναῶν κόρυμβα.

Aureum draconem habens, In navium roſtro.

Quò pertinet, quod in Fabulis, qui draconibus vehuntur, non niſi è maritimis, nec niſi ad maritima loca proficiſcuntur. Sic Ceres, Proſerpinam quærens, cùm totam Siciliam abſque draconibus peragraſſet, etiam inſulæ littora tandem adiit,

Quò ſimulac venit, frænatos curribus angues
Junxit, & æquoreas ſicco pervenit aquas;

Apud Ovid *Faſtor. l. 4.* Et Circe ex Colchide draconum curru vehitur in promontor. Italiæ Circejum: Medea, liberis cæſis, Corinthô Athenas: Triptolemus Athenis Patras, Achajæ maritimam urbem, ubi Eumeli filius Antheas, exemplô Triptolemi, dracones jungere auſus, de curru excuſſus periit, i. e. naufragium fecit, cum navigandi imperitus mare attentâſſet, uti legimus apud Pauſaniam in *Achaicis*, &c. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſt. l. 3. c. 14.*

ALATIUM, oppid. in Hierapoli, juxta Emeſam, quod & *Elatium* dicitur. Hermol. *in Plin. l. 5. c. 23.*

ALATRIUM, urbs Hernicorum, quod & *Aletrium* & *Alatrium* Frontino *l. de Coloniis*, ubi tamen Keuchenius *Alatrium* reponit, vel *Aletrium*. Straboni certè *Aletrium* dicitur. Plautus *in Capt. Actu 4. ſc. 2.* HEG. *Certone?* ERG. *Nè tot Ponturnâ.* HEG. *Vide ſis.* ERG. *Nè tot Alatriam.* HEG. *Quid tu per barbaricas urbes jurat?* Populi *Alatrinates* Livio *l. 9. c. 42. 43.* & *Aletrinates* Plin. *l. 3. c. 5.* Vulgò *Alatri* longitud. 37 latitud. 41 40.

ALAVA, Urbs antiqua Scotiæ meridionalis prope fontes Tinnæ. Teſte *Ortelio*.

ALAVA, provinc. Hiſpaniæ, aliàs Navarræ; nunc autem Caſtellæ annexa à multis annis, prope Iberum fluv. Cujus præcipua urbs Victoria, eſt inter Navarram, Ipuſcoam & Iberum fluv. Ibi alias Vardulli populi.

ALAUDÆ, dicuntur Suetonio, *in Julio, c. 24.* Galli Legionarii; cui Legioni nomen ab *alauda*, quâ Galli galeritam avem indigitârunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 547.* ut & infra voce *Alode*. Præſcorum certè Gallorum inſigne Alaudam fuiſſe, vel ex Thuano diſcas. Ita enim ille *l. 56.* *A curioſis obſervatum, dum verba faceret, Montlucius, toto eo tempore, Alaudam veterum Gallorum inſigne, in ſummo mali, cui tentorium innectebatur, immotam conſtitiſſe, & modulato cantu Monlucii Orationem veluti proſecutam fuiſſe tum eo per mare evolaſſe.* Hodie *Alaudæ tres aureæ*, in area cærulea expanſæ, inter inſignia Comitum Turzmorum, in Auſtria, conſpiciendæ, donô Ferdinandi I. At *Alaudæ* (an aquilæ) *aureæ quinque*, cum faſcia argentea in rubeo ſolo expanſæ, in ſcuto Gabrielis Comitis Opoenburgii viſuntur. Totidem *volantes*, in ſcuto cœruleo, vetus Auſtriæ teſſera fuit; cujus originem refert Cl. Spenerus haud abſurdè ad LEG. X. ALAUDARUM, quod cognomen illius legionis fuit, quam defendendo flumini ad Danubium contra Decebalum hoſtem collocavit Trajanus. Rationem cognominis legionis hanc reddit. *Oeſterreichiſcher Spiegel der Ehren l. 2. c. 1. Von den aufgeſpitzten Sturmhüten welche den Hauben der Lerchen gleich ſahen, oder weil ſie Lerchen auf den Paniren führten, dahero nachmahls die Marggrafen von Oeſterreich fünf güldene Lerchen in blauem Feld zum Wapen behalten.* Unde *Sig. Bettul.*

Romulidum è belli ſignis volitârat alauda
In ſcutum, belli Auſtria clara, tuum.

Unde & apex vetus Auſtriacæ galeæ erat *Alauda ſcutaria*, ſed coronata. Vide præfatum Spenerum *Oper. Herald. Parte 2. l. 1. c. 9.* ubi *de domo Auſtriaca* &c.

ALAVINUS, Barbarorum, qui à Valente Imperatore ripam Danubii incolendam impetravêre, Dux. Hi, ſævitiâ præfectorum, irritati, apertis armis Lupicinum primò, dein ipſum Imperatorem vicerunt. Hiſt. Tripart. *l. 8. c. 14.* Paul. Diacon. *l. 1. c. 11.* *Continuat. Eutrop.*

ALAUNE, oppid. Britanniæ *Ptol.* Vide *Londinum*. Dicitur etiam *Alauna Camdeno*, vulgo *Allenway*, in Damniorum finibus, inter Galavam 12. & Galacum 19. mill. paſ. Mediolanum verſus, à Clanoventa 30. (*Camdeno Whitley*) inter Cumbriam & Northumbriam.

ALAUNI, Norica gens, ubi nunc pars Stiriæ & Archiepiſcopatus Salzburgenſis. Olim etiam *Ambiſontes* teſte *Sanſone. Ptol.* Alii Sarmatiæ. Idem. Horum regio *Valhinia*, teſte *Lud. Decio*, potatur in regno Polonico, inter Poloniam ad occaſum, Lithuaniam ad ortum, & Ruſſiam ad meridiem ſita, cujus urbs primaria Luceoria. Vide *Alani*.

ALAUNIUM, Galliæ Narbonenſis urbs. *Antonin.*

ALAUNIUS, fluv. inter Iſiacam & Telamonem, per agrum Durotrigum juxta *Chriſtchurch* fluens. *Avon* Ortelio. *Alaunus* *Ptol.*

ALAUNUS, vulgò *Alne*, ſive *Northtyne* ex *Tabulario* fluv. Alnovicus in Northumbria per *Alnewick* in mare fluens. Item, Mons Sarmatiæ Europææ *Ptol.*

ALAVONA, Vaſconum oppid. in Hiſpania *Ptol.* vulgo *Alagon* longitud. 20. 00. latitud. 42. 35. juxta Salonem fluv. qui paulò infra cadit in Iberum.

ALAZIA, oppidi nomen Strabo *l. 12.* Apud quem ſic Hecatæus. Ἐκ δ' Ἀλαζίας πόλεως ποταμὸς ὁ Ὀδρύσης ῥέων διὰ Μυγδονίας πεδίου ἀπὸ δύσεως ἐκ τῆς Δασκυλίτιδος ἐς Ῥύνδακον ἐσβάλλει, ἔρημον δὲ εἶναι νῦν τὴν Ἀλαζίαν λέγει. *Nic. Lloydius.*

ALAZON, gens finitima Scythis. *Steph.* Item fluv. ex Caucaſeis montibus in Cyrum amnem deſinens, Albaniamque ab Iberia dirimens Val. Flac. *l. 6. Argonaut. v. 102.*

Hiberus qua virga Noa, veluleumque ſecarit
Ermus, & toto non audit Alazona ripâ.

ALBA, Romuli fil. Æneæ nepotis, cujus fil. nomine Romanus condidit Romam, ſecundum Alcimum *in Syrrhe* ...

ALBA Sylvius, Latini Sylvii fil. ſextus Latinorum Rex, patri ſucceſſit in regno, qui cum ann. 36. regnaſſet, filio ſuo Epyto moriens imperium reliquit. Ovid. *Met. l. 14. Fab. 16.*

— — Clarum ſubit Alba Latinum,
Epytus ex illo eſt. — —

ALBA, ſpecula & caſtellum non longè ab Alcalone contra incurſiones Barbarorum extructum in tractu Simeon.

ALBA fluv. Hiſpaniæ citerioris per Catalauniam in mare apud Blandas delabens, à Barcinone 9. leuc. in Boream. *Lordera* nobis *vocatur*. Item, Urbs Portugalliæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Olyſſiponenſi, nota obſidione & clade Hiſpanorum, A. C. 1659. Vide *Elva*.

ALBA, fluv. Gall. in Brugio, ab anguſto alveo *Albeta* dictus, vulgo nunc *Aubete*, alias *Aubetta*. Alluit Baſilicam *Beſorde*, Ameliacum, vulgo *Amilly*; & infra Columbarienſe Caſtrum in majorem Mucram devolvitur. Eſt etiam *Albeta* fluviolus, in Biturigibus Cubis, vulgo dictus l'*Aubois* vel *Aubeu* qui Ligeri recipitur. Eſt porro *Albe* fluviolus, *Albe* vel *Alve* nuncupatus Arduenenſibus, qui in Urtam effluit. Item amniculus *Alve*, qui in Moſellam labitur, poſt Leucaram Auſonio in *Moſella* memoratus. His omnibus à colore aquarum nomen videtur inditum, unde & Tiberis *Albula*, *Albiſque* Germaniæ fluv. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ALBA, fluv. Germaniæ celebris, qui aliàs *Albis*. Spartian. *in Didio Juliano, c. 2. Sub Cauchis, Germaniæ populis, qui Albam fluvium accolebant.* Ubi Codex Palatinus *Albim*: Excerpta autem Spartiani *Albam* habent. Vopiſcus quoque *Albam* vocavit, in *Probo c. 13.* *Cæſis prope quadringentis millibus qui Romanum occupaverant ſolum, reliquias ultra Nicrum fluvium & Albam removit.*

ALBA, ſpecies veſtis ſeu tunicæ, à candore ſic dicta. Trebellius Pollio in *Divo Claudio c. 17.* *Veſtes diverſas 26. Albam ſubſericam paragaudem triuncem unam.* Nempe familiare eſt, in re Veſtiaria, ut ſolis adjectivis ſine ſubſtantivis nominentur: ſic dicimus λευκὸν, ὀλόσηρον, μαλακὸν & ſimilia, apud Latinos. Ita igitur *Albam* hic Gallienus & paulo ante Valerianus, *Albam ſubſericam unam, cum purpura Sarrabicana*. Intelligendum autem, non *togam*, ut cum prætexta dicitur, ſed *tunicam*; uti declarat Vopiſcus in *Aureliano, c. 46. cum darentur tunicæ ſubſericæ et paragaudæ.* Item Chronologus, qui *Faſtos Siculos* congeſſit. ... nam στιχάριον, *tunicam*, dixerunt, uteſt in *Gloſſ.* ... *album* ſignificat; στιχάριον verò & παραγαύδιον corruptus eſt helleniſmus, cujus exempla paſſim obvia in recentiorum libris, pro στιχάριον & παραγαύδιον. Subſerica autem fuit hæc tunica, i. e. cujus ſtamen ſolum erat ſericum: nam holoſericæ veſtes in privatorum uſu non erant. Moſque erat ornare iſtas tunicas *albas* ſubſericas vel purpurâ, ut illa fuit, cujus facta mentio à Valeriano; vel paragaude, ut apud Polliônem loc. cit. Vid. Salmaſ. & Caſaubon. *ad l.* Sed & longè poſtea *Albas* fuiſſe promiſcui uſus, ex eo colligitur, quod Laicis in Monaſteriis degentibus tribuat Lanfrancus Cantuar. Archiepiſcopus *Ep. 23.* Quin etiam *Alba*, pro muliebri amictu uſurpari videtur, apud Bertham Monialem in *Vita Adelaidis Virg. num. 17.* Tandem in Eccleſia Romana in Clericorum uſum ceſſit. *Papias, Alba, veſtis eſt Sacerdotalis tunica & ſtricta, quæ Camiſia dicitur & Poderis & Talaris & Subucula.* Et quidem ad certum tempus reſtrictum. Concilium Carthagin. IV. *can. 4. Diaconus tempore oblationis tantum, vel lectionis, Albâ utatur.* Albis tamen promiſcuè in Templis & extra, Clericos fuiſſe uſos, docent Leo IV. *de Cura Paſtor.* Riculfus Epiſcopus Sueſſionenſis in *Statutis A. C. 889. c. 7.* & Rhegino *de Ref. & convenſ. Presbyteri c. 66.* ubi Presbyteri vetantur in Alba, *qua in ſuo uſu utuntur, Miſſas cantare.* Porro *Albas* ejuſmodi Sacerdotales opere Phrygio interdum exornatas, colligere eſt ex Ekkehardo *de Caſibus S. Galli c. 10.* *Inter quæ præter caſulas ſericas, cappas & ſtolas, Alba eſt illa Philologiæ nuptias exſequens*; quales ſcil. deſcripſerat olim *Martianus Capella* &c. *Alba* verò hæc veſtis, quia ex lino albo conſtabat. Græci tamen ex ſerico varii coloris, ſereque cærulei utuntur; præcipuè Epiſcoporum: cujus coloris ex antiquis Romæ muſivis picturis apparet, etiam Patribus uſu conſuevuiſſe: ſed acverà tunicella hæc erat, ab *Alba* diſtincta, quæ albæ ſuperinduebatur. Ante amictum Ambroſiani & Maronitæ *albam* induunt; de *Alba* nigri coloris, loquuntur *Ceremoniale* Alberti Caſtellani, ubi in die Paraſceves ſic diſponit: *Parantur etiam quatuor Sacerdotes, vel duo ad minus, vel duo amicti, ſcilicet albis cum amictu, cingulo ejuſdem coloris.* Antiquitus in manicis, in pectore, humeris & fimbriis *albarum*, auro textilia fruſta aſſuebantur; quem uſum hodieque retinent in eadem Communione Regulares Eccleſiæ & Pontificia Capella, quod etiam ponitur in amictu à Regularibus S. Bonifacii ferentur. Epiſcopi Alba in Cathedrali Vratiſl. aſſervata, ejuſmodi fruſta Attalica habet, ac etiam in ejuſdem amictu ſimiliter, in quo Gothicis literis minutiſque margaritis tetragrammaton nomen Dei elaboratum viſitur, &c. Vide plura hanc in rem apud Auctores laudatos Dominico Macrono *Hierolexico*, & Car. du Freſne *Gloſſar.* nec non infrà, ubi de veſtium *Limbis*. Hinc *Albas ponere* & *eſſe in Albis* & *Albati*, dicuntur iidem Clerici, dum *Albis* induti procedunt vel officia Eccleſiaſtica peragunt, apud eoſdem. Vide quoque Henr. Spelmannum in *Gloſſar.*

ALBA quoque dicitur veſtis candida, quam induebant olim recens baptizati, impuritatis & innocentiæ, quam profitebantur, ſymbolum: *idem Candidati*, in *Martyrio* Jacobi junioris p. 84 Statim enim, atque de fonte nudi egrediebantur, ſtolâ albâ induebantur. Lactantius *Carmine de Reſurr.*

Candidus egreditur, nitidis exercitus undis.

Paulinus *Ep. 12.*

Inde parens ſacro ducit de fonte Sacerdos,
Infantes niveos corpore, corde, habitu, &c.

Ordo Romanus hæc verba Epiſcopi addit, unicuique baptizatorum ſtolam dantis albam, *Accipe veſtem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal D. N. J. Chriſti, ut vitam æternam.* Octo dies integros in albis baptizatos fuiſſe, poſtea cum cereis ardentibus, repræſentatos, refert Concilium Rothomag. vel potius præcipit *A. C.* 1059. *can* 19. Vide quoque Conradum Urſpergenſem ad *A. C.* 1124. Datas autem fuiſſe *Albas* ſumtu Eccleſiæ, innuit Gregorius M. *l.* 7. *Ind.* 1. *Ep.* 2. Vide verum Car. du Freſne *Gloſſar.* & ad *Alexiadem.* Dum itaque duraret hoc octiduum, *in Albis poſiti* & *Albati* dicebantur recens baptizati. Paul. Warnefridus *de Geſtis Longobard. l.* 6 *c.* 15. de Theodoaldo Rege Anglosax. *Cum Romam veniſſet, a Sergio PP. baptizatus ---- adhuc in Albis conſtitutus, ad regna cœleſtia migravit.* Ejuſdem Regis Epitaphium,

Fonte renaſcentis quem Chriſti gratia purgans
Protinus albatum *vexit in arce poli.*

Poſtea verò deponebant Sabbatô, ante Octavas Paſchæ. *Ordo Romanus. Ab ipſo die ad Sabbathum ante Octavas Paſchæ, quo die alba tolluntur veſtimenta a nuper baptizatis.* Albis, Sabbatô *infra* Albas, Albati, *qui in Sabbato ſancto baptizati fuerant, albis — exuuntur.* Mox ſequitur *benedictio aquæ ad albas deponendas.* Proin dixit Jobius Monachus apud *Photium* non ſine ratione, Ἐπὶ τῆ ἡμέρᾳ τοῖς βαπτιζομένοις λαμπροφορεῖν, cum octavô albas deponerent. Galli hunc ritum *Deſaubes* dicebant: quæ vox non ita pridem in Picardia adhuc obtinuit, ubi, octavô poſt infantium baptiſma die, agebantur convivia & ſingulis totius ferè agnationis puerulis erogabantur placentulæ idque *Deſaubage* appellabant &c. Atque inde etiam *Albæ* hebdomas, quæ Paſcha ſubſequitur, appellata eſt. Rabanus *de Inſtitut. Cleric. c.* 10. *Quos ſeptem dies* Albas *vocitamus, propter eos, qui in ſancta nocte baptizati, albis per totam hebdomadam utuntur veſtibus.* In *Ep.* 9. Gelaſii I. & apud Johannem Diaconum in *Vita* Gregorii M. *l.* 4. *c.* 88. *Albæ Paſchales.* Ipſa quoque Dominica quæ *Albarum* hebdomadem ſubſequitur, *Alba* vocatur. Vetus *Pœnitentiale* MS. *A Paſcha uſque in Albas &c.* apud eundem Car. du Freſne. Vide quoque infrà in voce *Dominica in Albis.*

ALBA Auguſta oppid. Galliæ Narbonenſis in finibus Vivarenſium, à Vivario urbe ad 6. leuc. in occaſum diſtans. *Aubenas,* teſte *Jacobo Delechampio* longitud. 24. 45. latitud. 43. 34. Aliis eſt *Viviers.*

ALBA Colone, vide *Colone.*

ALBA *Dea,* vide *Albunea.*

ALBA Firma, vide *Firma.*

ALBA Græca *Belgrade* Gallicè *Nandor, Alba* Hungaricè, *Griechiſch Weiſſenburg* Germanicè, urbs muniti. Hungariæ, in Raſcia provinc. ad confluentes Savi in Danubium in colle ſub Turcis ab A. C. 1521. malè pro *Taurino* ponitur, è cujus ruinis crevit. *Nic. Lloydius.* Bellô præſenti Hungaricô à Chriſtianis recepta, iterumque amiſſa, A. C. 1690.

ALBA Helviorum, vel *Helvorum,* urbs Galliæ Narbonenſis in Arvernorum, & Ruthenorum confinio ſub Archiepiſcopo Bituricenſi quæ & Albiga poſterioribus dicta eſt, hodie *Alby.* Vide *Albiga.* Aliis eſt *Viviers,* ad Rhodanum fluv. in planitie Vivarienſis tractûs caput, in Occitania regione.

ALBA *Julia,* ſic dicta à Julia Auguſti M. Aurelii Antonini matre, priùs Apulum, hodie *Weiſſenburg,* & Hungaricè *Gyula fejervar,* urbs Tranſylvaniæ, ac Principis ſedes, colonia Daciæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Colocienſi, inter Claudiopolim, & Cibinium, utrinque 7. leuc. a Corona 18. longitud. 47. 00. latitud. 46. 50. ſita eſt prope fluv. Mariſum. Vide *Apulum.*

ALBA Linea, *Caſſiodoro,* ubi omnia minima maxima Circi notat, memoratur, *in Circo, non longe ab oſtiis in utrumque podium quaſi regula directa producitur ſolita, ut quadrigis progredientibus unde certamen oritur, ne, dum ſe præpropere conantur eludere, ſpectandi voluptatem viderentur populo abrogare.* Sed quid hôc nomine velit, quærunt Eruditi. In Circo enim Romano nullus hujuſmodi lineæ uſus eſſe potuit: cum equi & currus intra carceres continerentur, repagulis vel cancellatis foribus oppoſitis coërciti, priuſquam ſignum daretur emittendi; ſignô verò datô, unô eôdemque tempore laxatis repagulis, è carceribus effuſi ſeſe proriperent exilirentque. Olympiæ quidem emittendi currus & equi ejuſmodi lineâ pretentâ ſeu funiculô cohibebantur; ne ante ſignum datum exirent; utque in æquo limite continerentur: Sed ibi nulli erant ὑσπληγγες h. e. *carcerum repagula & fores* ſaltem primitùs, ut in Circo Romano. Niſi fortè per *Albam Lineam* etiam Circi intelligat, quæ nihil aliud fuit, quàm linea in ſolo ipſo ex creta, quaſi ad regulam, ducta ac directa. Certè *Albam* ſuam *Lineam non longè a carceribus productam* ait, qui omnino locus cretæ in Circo fuit. Addit, *Ut quadrigis progredientibus unde certamen oritur:* Sic à cretæ loco certamen auſpicabantur, utpote qui non longiùs abeſſet à carceribus. Unde *Chryſoſtomus* λευκὸν, h. e. *cretam,* pro Circi principio poſuit, à quo certaminis initium, Ἀπὸ τ̃ λευκῦ εἰς τὴν ὑσπληγγα καλουμένην. Et fieri potuit ut *Caſſiodorus* lineam hanc Circi cum linea ſtadii, quæ βαλβὶς, γραμμὴ & ἀφετηρία dicta, unde curſus auſpicium ſumebatur, confuderit. Sed nec cretam ideo in Circo notatam fuiſſe volunt Veteres, ut certamen & curſus inde auſpicaretur, verum ad victoriæ metam ac finem diſignandum. Hinc *cretam* palmæ locum interpretatur Solinus &c. Vide Salmaſium *ad eum pag.* 915. *& ſeqq.*

ALBA Longa urbs in Latio, ab Aſcanio Æneæ fil. condita. Tibull. *l.* 2. *Eleg.* 5.

Albaque ab Aſcanio condita Longa duce.

Dicta autem *Alba* ab *alba ſue,* ibidem ab Ænea inventa. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 1.

Et ſtetit Alba potens albæ ſuis omine dicta.

Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 389.

Cum tibi ſollicito ſecreti ad fluminis undam,
Littoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Alba ſolo recubans, albi circum ubera nati;
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Ut auguriô vulturis Roma, bovis Thebæ, ſic oſtentô ſuis Alba condita. Legendi Liv. *l.* 1. *c.* 7. & Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* 1. Juvenal. *Sat.* 12. *v.* 70.

---- Tum gratus Iulo
Atque novercali ſedes prælata Lavino,
Conſpicitur ſublimis apex: cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile ſumen,
Et nunquam viſis triginta clara mamillis.

Idem *Sat.* 6. *v.* 177.

Atque eadem ſcrofa Niobe fœcundior Alba.

Qu. Ennius *in Annalibus.*

Olli reſpondit Rex Albai Longai.

Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 275.

---- Multa Longam vi muniet Albam.

Longa autem vocabatur à *longo tractu.* Liv. *l.* 1. *c.* 3. *Aſcanius florentem jam, atque opulentam urbem matri, ſeu novercæ reliquit; novam ipſe aliam ſub Albano monte condidit, quæ à ſitu porrectæ in dorſo urbis* Longa Alba *appellata.* Hodie etiam *Alba* dicitur. *Savello* autem, *Leandro Alberta* vocatur. Dionyſ. Halicarnaſſ *l.* 1. ubi de Alba Longa. Ἐκλήθη δ' ἐπὶ τούτῳ, ἡ πόλις, inquit, διορίζοντος αὐτὴν ἰδίως ἀπὸ τῶν ὁμωνύμων ἐπικλήσεως, τοῦ σχήματος ἐπιμήκους ὄντος. longitud. 36 26. latitud. 41. 11. *Nic. Lloydius Baudrando Alba* in ruinis jacet, prope tamen eſt Albanum urbs, quæ ex ejus ruderibus crevit; eſtque Epiſcopatus unus ex ſex antiquioribus Cardinalibus tribus ſolitus. Diſtat Româ 14. mill. paſſ. Principatus titulô gaudet Sabellorum & vinô ſuô celebratur. Initium regni *Albani* cœpit, annô poſt captam Trojam 32. ætatis Aſcanii 22. à quo, ad Procam uſque, undecim Reges præfuêre, Sylvius I. qui poſt Aſcanium regnavit ann. 29. Æneas Sylvius ann. 31. Latinus Sylvius ann. 31. Alba ann. 39. Capetus, quibuſdam Atys dictus, ann. 26. Capys ann. 28. Calpetus ann. 13. Tyberinus ann. 8. Agrippa ann. 33. Alladius, aliis Romulus Sylvius vocatus ann. 19. Aventinus ann. 37. Poſt quem Procas regnavit ann. 13. relictis duobus filiis Numitore (è cujus filia Romulus Remuſque nati) & Amuliô, Vide Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* 1. Thom. Dempſterum *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 1. *&c.*

ALBA Maritima, olim *Blandona,* dein *Belgrada,* & *Belgradum,* Civitas fuit Croatiæ maritimæ, nunc Dalmatiæ. Deſtructa eſt, & vulgò *Zara vecchia,* Slavis *Biograd,* dicta etiam *Alba maris, J. Lucio.*

ALBA, Marſorum civitas, ad lacum Fucinum, ubi eam deſcribit Strabo *l.* 5. his verbis: Ἄλβα ἵδρυται ἐφ' ὑψηλῷ πάγῳ, ἐστὶ δὲ λιμνῆς Φουκίνας πλησίον. Unde Plin. *l.* 3. *c.* 12. *Albenſium Alba ad Fucinum lacum.* Interjacet autem campus, quem lacus interdum inundare ſolet. Sil. Ital. *l.* 8.

---- ---- Interiorque per udos
Alba ſedet campos, pomiſque rependit ariſtas.

Appianus *in Annibalicis.* Μέρος δέ τι πολίχνιον Ῥωμαίοι τότε ἐπιτειχίζοντες ἐν Αἰκανοῖς Ἄλβαν, ἐπὶ τὰς αὐτῶν παραφυλάκας ἐπιδάρουν. Σὺν χρόνῳ δ' ἐπινίκοντες, ἢ ἀφαιρούμενοι, ἃ τῆς γῆς Αἰγισταῖοι συνάγαγον, Ἀλβένσιοι αὐτὴν καλοῦσιν. Ad diſcrimen id factum eſt Unde Varro *de L. L. l.* 7. *Cum duæ ſint Albæ, ab unâ* (Longa ſcil.) *dicuntur Albani, ab alterâ Albenſes. Celſus Cittadinus Alba de Marſi* adhuc vocari tradit. Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 767. longitud. 37. 10. latitud. 42. 12.

ALBA Pompeja, Urbs Ducatus Montisferrati; ſed ab eo avulſa paucis hinc annis, pace initâ Cheraſci, paret Sabaudiæ Duci, multas experta vices hiſce ultimis temporibus; deficitque indies, à paucis habitata. Vide infra.

ALBA Pompeia, colonia & urbs Liguriæ, ſub Archiepiſcopo Medioalanenſi ad Tanarum fluv. Ejus meminit Plin. *l.* 3 *c.* 5. in deſcriptione Liguriæ. *Ptol.* item Liguriam deſcribens, Πολεντία, Ἄστα Κολωνία, Ἄλβα Πομπηία. Dio Caſſius *l.* 73. Ἦν δὲ ὁ Περτίναξ Λίγυς ἐξ Ἄλβας Πομπηίας. Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 85. longitud. 29. 58. latitud. 43. 35.

ALBA Regalis, urbs Pannoniæ ſuperioris in Hungaria Ciſdanubiana intra paludem, olim Regum coronatione, & ſepulturâ celebris. *Stulweiſſenburg* hodie ſub Turcis, à Buda ſupra 30. mill. paſſ. quot à Strigonio in Auſtrum recedit; à Viennâ 50. leuc. in Eurum, Veſprimio urbi Epiſcopali vicina ad 3. leuc. longitud. 41. 10. latitud. 74 08 ad fluv. *Sarwitza.*

ALBA Sebuſiana, ſeu *Sebuſium, Weiſſenburg,* Urbs Alſatiæ in ditione Franciæ Regis pace Monaſterienſi juxta Lutram fluv. Eſtque una ex 10. urbibus Præfecturæ provinc. Vide *Weiſſenburgum.*

ALBA Spina, ἄκανθα λευκὴ *Dioſcoridi,* Veteribus ad vivas ſepes faciendas inſervit: nec hodie ulla communior in hunc uſum. Auſpicatiſſimam nuptiis fuiſſe, Plinius refert *l.* 16. *c.* 18. quod & *Varro* confirmat, apud Nonium his verbis *de vita Pop. Rom. l.* 2. *Quum à nova nupta ignis in face afferretur foco ejus ſumptus, quum fax è ſpina alba eſſet, in eam puer ingenuus afferret.* Cujus rei cauſa, non tantùm, quòd qui Sabinas rapuerant, ex ea faces habuêre; ſed etiam quòd ad omnia alia felix & fauſta crederetur arbor. Porrò baccis illius coronarii utebantur, Theophr. *l.* 6. *c.* 11. ut & flore. Plin. *l.* 21. *c.* 11. *Coronarii quidem & Spinæ flore utuntur: quippe cùm ſpinæ albæ cauliculi inter oblectamenta quoque condiantur.* Sed & *veneficia arcere* credebatur, *in domibus aut villa ſata,* Idem *Plin.* Unde Ovid. *l.* 6. *Faſtor.*

Virgaque janalis de Spina ſumitur alba.

Et poſt pauló.

Sic fatus virgam, quà triſtes pellere poſſet
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit &c.

Vide in hanc rem plura, imprimis de fructûs hujus variis ſpeciebus, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 273. *&* 542. Fr. Pomey *Alba Spina* florem ſic deſcribit: *Flos hic ferè rotundus, ſpinæ cæteris, eximii candoris, extantibus è medio tenuibus filis, rubro præpilatis, nuſquam ſolitarius*

tenorem, ſicut ac ſingulæ, ſed collectæ unum in globum, utrique uxi ſorcato, uno aſpectu tenus bene multi; ita conſerti, ut nihil æque: æquabili amio ... atque ut nullus emineat, ſed ad libellam exacti videantur a natura. ... tum andor ſl... tam, in hunc modum ſtipatorum, gratiſſimâ ... atque ... intum, ... multiplici amœniſſime fruticantium, excitatur tam pulcrè, nihil ut eſſe poſſit jucundius ad aſpectum.

ALBA Tucentia, Italiæ Urbs, inter Tiburtum & Corſinium. *Ant...*. ſed corruptè, pro *Alba Fucentis*. Vide *Alba*.

ALBA vallis, vide *Vallis*.

ALBA Veſtis, Regiæ olim dignitatis inſigne, non minùs ac purpurea. Idcirco notat Val. Max. *l. 1. c. 6. Imperatoribus in prælium exeuntibus, paludamentum album aut purpureum dari ſolere.* Et de *alba* veſte, qua Herodiani Dominum induerunt, rectè notat *Janſenius*, colorem hunc olim receptum in Regum inſignibus. Itaque licet ſcribat Hieronym. *in Ezech. c.* 27. Veteres Reges fuſis quodam limbo ... uſos: certiſſimum eſt tamen, diademata Regum fuiſſe *alba*, ut ... ervavit Caſaubon. *ad Sueton. l. 1. c.* 79. & propterea in Pompejo ... ciæ cretatæ ac candidæ ſermonibus occaſionem præbuerunt, quaſi ... Regnum affectaret, Sicut idem oſtendit *ad Eund. l. 2. c.* 82. Sol & Sacerdotii inſigne *alba veſtis*, apud Gentes erat; & cum ſacris operabantur, tam Sacerdos, quam ille qui ſacrificium exhibebat, albo induere. Unde Athenis Prytanes ſacra faciebant λευχειμονοῦντες ... *veſtibus albis induti ac coronis cincti*, eâdemque habitu Curiam ingrediebantur, an inſiſtere, renuntiaturi, teſte Plutarcho *Conſol. ad Apollon.* & Theophraſtô *in Caracter. Ethic. c. de M...* De *veſtibus albis* Pontificis Max. apud Hebræos, vide infrà in voce *Pontifex*, & plura hanc in rem apud Iſaac. Caſaubon. *Notis ad Theophr. loc. cit.* & *Exercit. 16. n. 73.*

ALBA *Virgaonenſis* Plinio *l. 3. c. 1. Alba & Virgao*, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ. *Ariona* teſte *Marmolio ex lapide vetuſto*. Porro, *Al...*, oppid. Germaniæ apud Nicri fluv. ulteriorem ripam: cujus ager adhuc *Alb*, in Sylva Nigra & ducatu Wirtembergenſi nominatur. Item urbs Cretæ. *Steph.*

ALBA fluv. Hiſpaniæ citerioris apud Emporias mari exceptus, ex quo ... *de Ampurias* appellatur. Alter in Gallia Narbonenſi *Ruſcinone* dictus. Alius in Campania Gallo-Belgica vulgò *Aube*. Oritur in limite Burgundiæ dein per Campaniam fluens, Barum rigat, hinc auctus aliquot fluviis in Sequanam ſe exonerat. Dicitur etiam *Albula*.

ALBACE, Heracliæ Cariæ locus. Suid. *in voce Diogenian.*

ALBÆ, apud Æl. Lamprid. in *Anton. Heliogabalo c. 21. Piſum cum aureis, lentem cum ceraunis, fabam cum electris, & orizam cum albis exhibens.* Mox, *Albas prætereà vicem piperis piſcibus & tuberibus conſperſit*: margaritæ ſunt, quas *rubentis maris grana candentia* vocat Tertullian. *de Reſurr. carnis*. Hinc Suidas, ἄλβαι οἱ μαργαρῖται. Anaſtaſius in *Leone* IV. *veſtem auro textam habentem hiſtoriam, qualiter beatus Petrus prædicavit ad S. Romanam Eccleſiam, cum gemmis albis i. e. margaritis ſeptem & cum gemmis praſinis undecim* &c. ubi, ut *praſinæ gemmæ* ſunt ſmaragdi, ſic *albæ* margaritæ. Ibidem, *Crucem ex auro puriſſimo, ex diverſis gemmis hyacinthinis*, albis & *ſmaragdis miræ magnitudinis ornatam*. Item in *Leone* V. *Sed iſdem præfatus & magnificus Præſul fecit ex auro puriſſimo & miræ magnitudinis margaritis & gemmis hyacinthinis & praſinis ornavit.* Ita enim ubique iſta hæc genera gemmarum jungit: *albas*, praſinas, hyacinthinas, h. e. margaritas, ſmaragdos & hyacinthos. Vide eundem in *Gregorio* IV. in *Sergio*, in *Nicolao I.* in *Sergio II.* &c. *Venantius*,

> *Cryſtallum, electrum, aurum, oſtrum, concha alba, ſmaragdus.*

Alibi,

> *Ordinibus variis alba, ſmaragdus ineſt.*

Et,

> *Quando pavimentis alba, topazus ineſt.*

Sic enim ille Poëta loqui ſolet & ſic aſyndetos efferre, ut variis locis apud illum videre eſt, Salmaſ. *ad Lamprid. loc. cit.* Ratio nominis in promptu, quippe *margaritarum dos omnis*, ut Plinius *l. 9. c. 35. eſt in candore, magnitudine, orbe, lævore & pondere*. Nec eſt, quod quis regerat, non omnes margaritas candere, cum in aliis rufus, in aliis aureus ſeu fulvus emineat color, ut apud eundem *Plinium* alicubi legimus, Androſthenem item Athenæo memoratum & Euſtathium *Il.* λ, Nam margaritarum candere maximè proprium, atque proin in illis alii colores non ſolum infrequentes, ſed & vitioſi ſunt: Itaque, licèt margaritarum quædam rufæ, fulvæ & gilvæ ſint, nemo tamen aliquid rufum, aut fulvum, aut gilvum, *ut margaritam* eſſe, dixerit. Nec obſtat, quod Threnorum *c. 4. v. 7.* Jeremias de Nazaræis dicit, ante captivitatem Babylonicam, *corpore rubros fuiſſe præ pretioſis*: quâ voce margaritas indigitari eruditè *Bochartus* oſtendit. Namque, ut *rutilare* apud Latinos, ſic אדם *adam*, apud Hebræos, non *rubere* ſolum, ſed & *ſplendere*, ſignificat: eo quod utrique colori, candido & purpureo, hoc commune eſt ut admixti luminis multum habeant. Itaque Propheta hic verbis אדמו Judæorum Nazaræos rubuiſſe non ſignificat, ſed *canduiſſe* & *luxiſſe*, ut margaritas, quæ à candoris luce & ſplendore, nomen habere multi putant; quia μαρμαίρειν & μαρμαρυγή *ſplendere* eſt, & μαρμαρυγή *ſplendor*. Unde μάρμαρον & μαργαρίτης, vel cum proſtheſi *ſmaragdos* ita enim μαργαρίτης, uti volunt. Proinde Nonnus *l. 34.* margaritam appellat λίθον ἁλὸς μαργαρίτην, *lucidum maris lapidem*: & Arabicè *lola* & *dorra*, *lucere* eſt; unde *lolu* & *dorra*. quorum illud *margaritam* in genere hoc propriè *unionem* ſonat. Conchæ quoque margaritiferæ priſcum nomen *berberi*, quod ad Indorum linguam pertinere vult Androſthenes, *Bochartus* Phœnicum potius vocabulum eſſe credit, propè ejuſdem originis. Phœnices enim in Indiam navigare cœperunt, ante tempora Salomonis, & Phœnicia linguâ *barar*, clarum, *purgare*, nitidum eſſe ſignificat. Hinc Eſai. *c. 49. v. 2. Sagittam ...* & Cantic. *c. 6. v. 10. clara ut Sol*, ubi utrobique verbum hoc. Itaque, ut à *barar*, primâ geminatâ, *barbarim*, dicuntur, 1. Regum *c. 4. v. 23.* ita & *berberi* dici potuit: quod certè nomen maximè convenit conchæ margaritiferæ, quæ reliquas nitore, claritate & puritate longe ſuperat, maximè in interiore parte &c. Atque hinc margarita lapis *diaphanès* in *Geron*, *naturâ pellucidus*, Iſidoro Characeno διαυγής, quod idem eſt, dicitur. Et Piſidas *v. 128.* de æthere vel cœlo ait,

> *Προέρχεται δὲ ... ἐκπρεπής*
> *Ἄστρα ... μαργαρίτας ...*
> *Procedit vero in Sponſi modum exornatum;*
> *Aſtra geſtans, ut pellucidas margaritas.*

Quod tamen quô ſenſu capiendum, vide eundem Bochart. *Hierozi Part. poſt. l. 5. c. 6. &c.*

ALBAMALA Gall. *Aumale*. Urbs Galliæ, in Normannia provinc. ad initium fluv. Buxinæ Ducatus titulô ornata. 14. leuc. Rothomagô, 8 Bellovacô diſtans. Vide *Albamana*.

ALBAMANA, vide *Albamana*.

ALBAMARLA, oppid. Galliæ in diœceſi Rotomagenſi, olim Comitivæ, nunc Ducatus titulô illuſtre, ad flumen Auciam vel Aucum, vulgo *Breslam* dictum, in confinio parœciarum Rhomagenſis & Bellovacæ, veteri Cœnobiô Benedictinorum & ſuis pannis inſigne; vulgo *Aumalle*. A colore ſoli ſui nomen nactum videtur. *Marna* enim, quam Plinius *l. 17. c. 6.* aliique veteres *Margam* appellârunt, genus albæ terræ eſt, quô agricolæ frigidum ſolum fovere conſueverunt. Velocaſſes & Bellovaci hodieque eâ utuntur & *Marlam* vocant; quam agricolæ, quum in ſumma tellure invenerunt, mox ibidem puteorum ſcrobibus effodiunt. Hinc & nomen eſt caſtro *Marna*; vel *Marla*, in pago Laudunenſi, *Marle*, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & ſuprà in *Albamala*.

ALBANA urbs & emporium Albaniæ ad Caſpium mare, quod ex illa *Mar di Bachu* nominatur; vulgo enim urbs illa *Bachu* dicitur, Item urbs Arabiæ Felicis *Ptol.*

ALBANENSES, Hiſpaniæ populi *Ptol.* Vide *Albo*.

ALBANENSES, iidem qui *Albienſes*, ſi S. *Antoninum* & *Weſſembecium* audimus, ab *Albienſi* civitate ſic nuncupati. Raynerus verò *contra Waldenſes c. 6. Albanenſes* ab *Albienſibus* diſtinguit; ſic tamen, ut eorum ſectatores agnoſcat. Car. du Freſne *Gloſſar*. Vide infrà *Albigo*.

ALBANI Hieronymus, Vide *Hieronymus*.

ALBANI, aliàs *Advenæ*, ſeu *Alienigenæ* ſeu *Adventitii*, qui videl. ex dominorum ſuorum prædiis vel dominiis, in aliorum dominorum prædia vel dominia veniunt & in iis ſedes ſuas figunt. Quô nomine primitus Scoti inſigniti, quibus *conſuetudo peregrinandi penè in naturam verſa erat*, ut ait Walafridus Strabo de *Vita* S. Galli *l. 2. c. 47.* indeque vox traducta eſt ad omnes extraneos, qui in locum aliquem, incolatûs ergo, tranſmeabant: nam *Albanos* & *Albanicos* appellatos fuiſſe conſtat, ex *LL.* Eduardi Confeſſoris *c. 35.* Vide quoque Buchananum *Hiſt. Scot. l. 1.* Aliis tamen quaſi *alibi nati*, tales dicti videntur. Mentio eorum in *Diplomate* Lotharii & Ludov. Regum Franciæ in *Bulla* Benedicti VII. &c. apud *Car. du Freſne*. Iidem *Aubeni* dicti occurrunt, in *Statuto* Philippi Pulchri Regis Franciæ A. C. 1301. Unde Gallorum *Aubene* ſeu *Aubaine*, jus eſt, quod habet fiſcus in *Albanorum* decedentium bonis. Et quidem in hujuſmodi homines jura dominorum fuêre varia. Interdum enim præſtabant ii quotannis certum cenſum domino, uti eſt in *Charta* Ludovici Regis Francor. A. C. 1225. Et cùm nullis liberis relictis decederent, bona eorum domini erant, quo de jure multa ſcripſerunt Chopinus & Baquetus *libro de Dominio*. Prætereà eos inveſtigare & ſequi poterant priores domini ac in patriam revocare, ut habet *Charta* Mathildis Domini Teneremondæ A. C. 1221. apud Miræum in *Don. Belg. l. 1. c. 92.* ubi *Albani* dicuntur, & *Conſuetudines* Municipales Galliæ, quæ hujus juris paſſim meminerunt &c. Hinc *Albanare*, in *Albanorum* ordinem redigere, vel eorum locô habere: ita ut iiſdem præſtationibus & obſequiis quis obnoxius ſit, quibus cœteri *Albani*. Joh. Hocſemius *in Adolfo à Marka c. 5. Et communi conſilio quoſ... Principes, Milites ac Burgenſes, ſuis præceptis parere nolentes*, Albanos *fecerunt, quodam genere proſcribendi*. Vide quoque *Chartam* Philippi Aug. Francorum Regis A. C. 1222. ex Tabular. Epiſcopi Paris. in Biblioth. Puteana, apud præfatum *Car. du Freſne*. Ubi *Albanos fecerunt*, eſt, in advenarum eos ordinem redegerunt, ademto jure civitatis, quô tanquam cives ſeu burgenſes gaudebant: longe enim potior Burgenſium conditio fuit; adeò ut in contumeliam *Albanorum* nomen verteretur, utpote conditione illorum ſervili proximâ. Lambertus Ardenſis, *Sed dum contra eos rixarentur & decertarent, quandoque Ardenſes Adventitios illos & ſervilis conditionis opprobrio notabiles eſſe, verborum objectione turpiter improperaverunt.* In *Pacto* Tongrenſi A. C. 1403. quod deſcriptum legitur in Magno *Recordo* Leodienſi *p. 29.* ſtatuitur, nullum fieri poſſe Albanum, niſi Burgenſis ſit, *Nul ne ſoit fait Aubains, s'il n'eſt Bourgeois &c.* Vide ſæpius laudatum Car. du Freſne *Gloſſar*. De Peregrinorum verò apud Veteres Hebræos conditione, vide Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta Diſciplin. Veter. Hebr.* & infrà *ſuo loco*.

ALBANI, Hæretici, qui ſeculô 8. Manichæorum deliria interpolârunt. Prateol. in *Albanis*. Gautier *Chronogr. ſecul. 8.*

ALBANIA, ſic à populorum colore nominata, regio Aſiæ mari Caſpio ad ortum incumbens, Iberiæ ad occidentem & Atropatiæ ad meridiem contermina. *Zuirio*, magnâ ex parte, & *Chiacche* ad Occidentem *Zirrachan* verò ad Arctos. *Niger.* & *Caſtald.* Urbes clariores Albana & Oſica. Hanc Plin. deſcribit *l. 6. c. 10.* In Albania tradit *Iſigonus Nicæenſis*, quoſdam gigni glaucâ oculorum acie, à pueritia ſtatim canos, qui noctu plus quàm interdiu cernant Plin. *l. 7. c. 2.* Meminit & A. Gellius *l. 9. c. 4.* Vide Solin. *c. 25.* Populi *Albani* quos Juſtinus *l. 42. c. 3.* dicit ab *Albano* Italiæ monte nomen retinere, quod inde ſecum fuerint Herculem ſecuti, cum, extinctô Geryone, armenta ejus per Italiam duceret.

ALBA-

ALBANIA, regio Græciæ, quæ olim Epirus & pars Macedoniæ Occidentalis. Ferè tota paret Turcis, populoſa valde & Chriſtianis referta, quæ *Albanois* Gallis. Hinc milites *Capelits* vulgò dicti. Vide Volaterr. *Geogr. l.* 8. Chalcondyl. *in Mahomete* 2.

Albaniæ urbes clariores hiſce temporibus.

Aulon, *la Valona.*	Dyrrhachium, *Durazzo.*	Liſſus, *Aleſſio.*
Butrotum, *Butrinto.*		Ochrida, *Locrida.*
Croia.	Larta.	Scodra, *Scutari.*

ALBANIA, Scotia ſic dicta, teſte *Hectore Boethio*, nunc etiam *Albayn* pars Scotiæ mediterraneæ vocatur.

ALBANIA, vulgò *Albegna*, fluv. Italiæ, in Tuſcia, in ſinum Telamonenſem defluens, prope Urbatellum. Vide *Almana.*

ALBANIÆ Portæ memorantur *Ptolemæo*, de quibus, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 800.

De S. ALBANO Gulielmus, vide *Gulielmum.*

De S. ALBANO Nicolaus, vide *Nicolaus.*

De S. ALBANO Radulphus, vide *Radulphus.*

De S. ALBANO Rogerius, vide *Rogerius.*

De S. ALBANO Theodoricus, vide *Theodoricus.*

ALBANOPOLIS, urbs Macedoniæ mediterraneæ. Albanorum metropolis, à Dyrrachio ſupra 40. mill. paſſ. & à Liſſo 15. in ortum, longitud. 46.00. latitud. 41.06.

ALBANUM, vulgò *Albano.* Latii villa circa Velitras, ab urbe Roma ad 20. mill. paſſ. viâ Appiâ diſtans. Vide *Alba Longa.*

ALBANUM, urbs Aſiæ, in Armenia majori. Ubi S. Bartholomeus Apoſtolus martyriô coronatus. Nunc diruta, niſi ſit Albana ad Caſpium mare.

ALBANUM Mare, dictum eſt mare Caſpium, ab *Albanis*, qui ejus oram incolunt. Plin. *l.* 6. *c.* 13. *Dein per oram Albani, ut ferunt ab Iaſone orti.* Fauces vero ejus ad mucronem ipſum Udinos tenere dicit, Scythiæ populos. Vide Salmaſ. *Ibid. p.* 189.

S. ALBANUS, martyr in Britannia pro Chriſti nomine occiſus, poſtquam charitatis gratiâ confeſſorem perſecutoribus inſectatum (*ut aiunt*) & jam jamque comprehendendum, domô primum, ac mutatis dein mutuo veſtibus occuluit, ſeque diſcriminis in fratris veſtimentis libenter perſequendum dedit. Hic trans Tameſis alveum cum mille viris, ſiccô ingrediens pede, ſuſpenſis utrinque undis fluvialibus, carnificem convertit, & una ſecum pati martyrium fecit.

ALBANUS, Epiſcopus Philippenſis, ſede ſuâ Arrianorum inſidiis dejectus, Romam ad Leonem Papam inde ad D. Ambroſium Mediolanum conceſſit. In Germania poſtmodum, cum Arianis doctoribus obniteretur, ſub Theodoſio Juniore capite mulctatus, martyrium ſubiit. Urſtiſ. *Hiſt. Baſil.*

ALBANUS, mons, & lacus in Italia. Mons hodie vocatus *Monte Albano*, ab urbe Roma 16. mill. paſſ. apud Albam urbem Horat. *l.* 2. *ep.* 1.

Dictitet Albano muſas in monte locutas.

Lacus vulgò *Lago di caſtell Gangolfo.* Ejus meminit Propert. *l.* 3. *eleg.* 21.

Albanuſque lacus ſocii Nemorenſis ab unda.

Item *Albanus*, mons Pannoniæ ſuperioris in Norici & Japigiæ confinio; *Albius Straboni*; *Auff der Alben* teſte *Lazio.* Item fluv. Albaniæ in Aſia, in mare Caſpium influens. *Cohan Moletio* & aliis.

ALBARA, Syriæ urbs circa Phœniciam. *Guil. Tyrius.*

ALBARAZINUM, Urbs Aragoniæ Epiſcopalis. Vide *Lobetum.*

ALBARII & ALBINI, qui dealbant; eorum opus *Albarium* quod calce merâ fit: cum *Tectorium* fiat arenatâ calce vel marmoratô. Hinc illorum proprium *dealbare*, ſicut horum *linire* & *polire.* Græci tamen tam Albarios, quàm tectores, Κονιατὰς vocant. Vide infrà *Album*, it. *Tector.*

ALBAS & ALBE, Fluvius Tiberis. Vide *Albula.*

ALBASPINÆUS Gabriel, vide *Gabriel.*

ALBASUS, Arabica mulier, *quam Deus mutavit in canem latrantem* ut legit *Bochart.* in *Alcamus*, quod de Hecuba Græci fabulantur. Vide Bochartum *Hieroz. part. prior. l.* 2. *c.* 55.

ALBATENIUS, Princeps Syriacus, Aſtronomus inſignis, ſeculô 9. Alias *Mahometus Aracienſis* dictus, vide Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 35. §. 6 Galeni libros primus in Arabum ſermonem convertit, teſte *Joh. Serapione.* Idem ſcripſit *Commentarios in Ariſtotelem.*

ALBATI, una erat ex quatuor Circi factionibus, vide infrà ſuô locô.

ALBATI Milites, apud Treb. Pollionem in *Gallienis c.* 8. *Jam primum inter Togatos Patres & Equeſtrem ordinem*, Albatos *milites & omni populo præeunte*: Qui nempe *albas* geſtabant, de quibus ſuprà diximus: nam videntur illæ *albæ* propriæ militum fuiſſe diebus feſtis & pompæ deſtinatæ. Ita *Alba* Tribuno datur, eaque ſubſerica, apud Eund. in *Claudio in Ep. Valeriani ad Zoſimionem Procuratorem Syriæ c.* 14. *Huic* (nempe Claudio Tribuno Martiæ quintæ legionis) — *dabis* Albam *ſubſericam unam cum purpura Gerbitana*, &c. Apud Scriptores Chriſtianos *Albati* quinam dicantur, diximus in voce *Alba*; milites nempe Chriſti, qui in Baptiſmi ſacræ hujus militiæ nomen dederunt, vide ibi.

ALBAVERÆ gemmæ, apud Anaſtaſium Bibliothecar. *in Benedicto* III. *Rete totum ex gemmis* albaveris, *& bullis aureis, conclusas &c.* in *Gregorio* IV. *Fecit veſtem auro textilem, habentem Nativitatem, Baptiſmum* —— *habentem in capite hiſtoriæ gemmas albas* 380. *hyacinthinas* 50. *praſinas* 22 *& in circuitu* alvaviras, *legente de nomine D. Gregorii PP.* &c. *Macro* ſunt candidiſſimæ gemmæ circulis aureis devinctæ: *Carolo* verò *du Freſne* gemmæ ſubpurpureæ, ſeu purpureæ candicantes: Verum enim Græcis ἀλοῦργος, quod *purpureum* denotare, dicemus infrà, in hac voce.

ALBAYAD, oppid. Africæ, prope paludem Nube, in Nigritia regione.

ALBE, Cretæ Urbs, *Steph.*

ALBECHOUVA, in *Diviſione* Regni Lotharii memorata; ſeu pagus *Albenſis*, haud dubiè à fluv. Alba, vulgò *Albe* vel *Arve* nuncupatur: Oritur hic apud vicum Albam *Arve*, à Selme villa atque caſtello non multum diſtantem & in Urtam effunditur. *Hadr. Valeſ. Notit. Gall.*

ALBELLA, fluv. Rhætiæ prope pagum Tuſcanum, ab ortu labitur

ALBENACUN vulgò *Aubenas*, oppid Galliæ, in Vivarienſi tractu, ad fluv. *Ardeſche.*

ALBENSIUM Civitas, nunc *Viviers*, in provinc. Vienenſi *Maurienne* hodiè Cœnalis, vide *Alba* & *Albigenſium.* Item *Aquæ Albenſes.*

ALBERGA & ALBERGIA ſeu ALBERGÆ idem quod diverſorium ſeu refectorium, in *Statutis* Equitum Hieroſolymitanorum, Cujuſmodi *Albergæ*, ſeptem ſunt in Melitenſi Conventu, ſeparatim pro ſeptem nationibus, quas ſeptem *linguas* vocant: Prima, pro Provincialibus Galliæ; ſecunda Alverniæ & Delphinatus; tertia Franciæ, in qua Aquitani & Campani Galliæ; quarta Germaniæ, in qua & Poloni; quinta Italiæ, ſexta Aragoniæ, cui Catalauni & Baleariei aſſociantur; ſeptima, Caſtellæ ſimul & Luſitaniæ. In quibus *Albergiis* quæque linguarum harum ſeu Nationum, tum epularum, tum negotiorum in commune tractandorum cauſâ, congregari ſolet: quemadmodum etiam habent Capellas in Templo Conventuali ſeparatas, in quibus accedunt ſegregatæ hæ nationes, ad ferenda vota ſua, cum Magnus Magiſter eligendus eſt, in Conclavi. Hinc *Albergare*, in *Bulla* Caſin. *Tom. II. Conſtitut.* 60 & 68. i.e. hoſpitiô excipere. *Albergaria* item, ſolutio ea pacto debita pro comeſſatione, *de Jure Patron. cap. præter. quoniam*: etiam, obligatio hoſpitiô excipiendi milites, apud Sigonium *de Regno Ital. l.* 7. In *Bullario* tamen Caſin. præfato, *loc. cit. Conſtit.* 6. quodlibet diverſorium hôc nomine indigitatur. Vide Macros Fratres in *Hierolex.* & infrà in voce *Heribergum.*

ALBERGATIUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

ALBERICUS, fil. Ethonis ſeu Hettonis, nepos Ethiconis ſeu Athici cognomine *Adelrici*, Alſatiæ Ducis, genuit Eberhardum, qui tandem Monachus factus eſt Hôc natus Eberhardus Junior Lutrense Monaſterium ad mortem uſque, quæ circa A. C. 900. eum rapuit, non deſiit vexare Filius fuit Hugo Comes, communis trium familiarum ex Alſatica hac procedentium, *Lotharingicæ, Dagsburgicæ & Habſpurgicæ*, per filios Gerhardum; Hugonem & Guntramum cognomine *Divitem* pater. Vide Phil. Jac. Speneium *Sylloge Geneal. Hiſtor.*

ALBERICUS, Marchio Tuſciæ, ab Hugone Capeto & Ottone Imperatore coërcitus. Circa A. C. 941. *Luitprand*, Item Archiepiſcopus Bituricenſis ſeculô 12. Item Diaconus, qui contra Berengarium ſcripſit, Baron. *A.C.* 1059.

ALBERSTROPHIA, oppid. Lotharing. Metenſis Epiſcopatus 4 leucis à Marſalio.

ALBERTI *Leo*, vide *Leo.*

ALBRTINA, Familia in Gallia illuſtris, refertur ad Jacobum *Alberti*, qui ad Regem Franciæ Ludovicum, Claremontium Arvernorum, pro Napoleone Patre, quem Florentini ditionibus ſuis depulerant, auxilium implorans venerit & demum ſedem ibi fixerit. Ex ea laudatur Stephanus Epiſcopus Claromontanus, qui dein Avenione Papa ſedit, ſub nomine Innocentii VI A. C. 1352. Tres fratres hôc ſeculô, Carolus, Conneſtabilis Franciæ, Duces Luyneos dedit: Honoratus, Duces de *Chaunes*: Leo ab uxore, Dux Lucenburgi dictus eſt. E quibus Carolus, maritus Mariæ Rohanææ pater fuit Ludovici Caroli Marchionis *d'Albert*, avus Caroli Honorati Marchionis *d'Albert*, Ducis *de Chevreſe*, cui nupſit Johanna Maria Colberta, filia Joh. Baptiſtæ Colberti Marchionis de *Segnelay.* Honoratus *d'Albert*, ex Anna *de Rodulphe*, pater fuit Honorati de *Chevreſe*, avus Henr. Ludovici *Ducis d'Ailly Ducis de Chaunes*, quô nata eſt Catharina Carola *d'Albert, d'Ailly de Chaunes*, uxor Johannis Baptiſtæ Gaſtonis de Foix *Dux de Randan.* Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Europ. tom. I. l.*

ALBERTONIUM, oppid. Africæ in ora regni Barcæ verſus Ægyptum. Alias *Paratonium.*

Imperatores Romani

ALBERTUS I. Imperator. Hunc pater Rodulphus I. Auſtriâ A.C. 1281. Auguſtæ donavit; ut verò ſe vivô Rex Romanorum eligeretur, obtinere non potuit. Electus dein à Principibus aliquot Imperator, contra Adolfum Naſſovium, qui Auſtriâ illum exuere conabatur, eum præliô victum interemit, hinc coronatus Aquiſgrani A. C. 1299 Bohemiam aliquoties fruſtra tentavit, Eccleſiaſticos autem Electores, bellô ſe adortos, A. C. 1301. coërcuit: à Marchionibus Miſniæ, quos condemnaverat, fortiter repulſus. Philippi Pulchri Franciæ regnum à Papa oblatum ſuſcipere negavit; Helvetiis verò, apud quos novum Principatum moliebatur, gravis imprimis viſus eſt; plurium Monaſteriorum Advocatiâ obtentâ, & Comitibus aliquot, ut à ſe feuda acciperent, perductis, viam ad illum ſibi parans. Hoc cùm alii negarent, Suitenſes etiam ſe ſubjicere recuſarent, iratus Præfectorum inſolentiam, de qua illi conquerebantur, non caſtigavit: unde primi fœderis fundamenta A.C. 1308. Quos conatus bellô vindicaturus eòdem annô à Johanne nepote, cujus bona mentis nomine adhuc detinebat, aliiſque conjuratis trucidatus eſt eô locô, cui dein vidua Eliſabetha filia Mainardi Carinthiæ Ducis Cœnobium *Konigsfelden* ſuperſtruxit. Pater fuit ex ea Friderici Pulchri, contra Ludovicum Bavarum, electi Imperatoris Rudolfi cognomine *Mitis*, Bohemiæ Regis. Leopoldi, qui Sueviam Alſatiamque tenuit: Ottonis qui Stiriam nactus eſt: Henrici Coadjutoris Moguntini; Alberti Sapientis, qui ſtemma propagavit & Agnetis Hungariæ Reginæ. Succeſſit Henricus VII.

ALBERTUS II. cognomine *Honorificus*, fil. *Alberti* IV. Auſtriæ Ducis à Sigiſmundo Imperatore ſocero ſuo primùm Moraviam tenuit, hinc poſt ejus mortem Bohemiæ Ungariæque regnum.

Poſt

Poſt quæ A. C. 1438. Imperium etiam accepit, ſed unô annô coronatus. Uladiſlaum Polonum e Bohemia amovit, factiones attrivit; advocatum à Georgio Serviæ Deſpota Amurathem ad ſolvendam Albæ Græcæ obſidionem coëgit, ſed in reditu, ex eſu peponum ſolutô ventre, obiit, A. C. 1439. Pater Ladiſlai poſthumi, Hungariæ Regis. Succeſſor in Imperio fuit Fridericus III.

Principes vero.

Ex Familia Auſtriaca.

ALBERTUS vel ADELBERTUS, cognomine *Dives*, fil. Werneri III. Habſpurgii Comitis, maritus Iræ Brigantinæ *de Pfullendorff*, Landgravii Alſatiæ titulum primus geſſit. Pater Rudolfi, qui genuit *Albertum Sapientem*, (pater Rudolfi I. Imperatoris) & Rudolfi cognomine *Taciturni*, è quo ultimi Comites Habſpurgii, Laufenburgii & Kyburgii orti ſunt. Albertus hic Sapiens lectus Dux expeditionis Chriſtianæ adverſus Saracenos, ad Accaron extinctus eſt.

ALBERTUS I. Dux Auſtriæ, vide *Albertus I. Imperat.*

ALBERTUS. II. cognomine *Sapiens*, vel *Contractus*, quòd ex veneno fraude Medici ſumtô debilitatus eſſet, initio Canonicus Paſſavienſis, demum duxit Johannam, ultimi Comitis Pfirtenſium Ulrici hæredem; inter agnatum Johannem & Helvetios pacem fecit. Sed A. C. 1351. aliud illi ortum bellum cum Tigurinis, quam ob cauſam hi fœderi acceſſêre. Cum Venetis etiam in Foro Julio & Marchia Tarviſina ipſi res fuit, A. C. 1353. & cùm bellum recrudiuſſet A. C. 1357. pace factâ, Wirtenbergicum quoque Comitem Comitatum Hohenbergenſem infeſtantem, repreſſit: Cæterum aucupii, quàm regiminis, ut ſcribunt quidam, ſtudioſior. Pater fuit Rudolfi cognomentô *Ingenioſi*, Friderici cognomine *Splendidi*, Alberti III. Auſtriacæ & Leopoldi Tirolenſis lineæ conditorum.

ALBERTUS III. cognomine *cum tricea*, quam vel ipſe uxori reliquit, vel ex itinere redux abſcidit. Cum Henrico Schaumbergio & Bohemis bellum geſſit: Pater filii Noëlii Leopoldi, Mathſeos Viennæ Profeſſoris & *Alberti*, de quo infrà.

ALBERTUS IV. cognomine *Patiens*, ſeu *Mirabilia mundi*, fil. prioris, cum Jodoco Moraviæ Marchione rem habuit, pari cum Patre fato dyſenteriâ extinctus. Omnium artium peritus & eruditorum Mæcenas. Eô genitus.

ALBERTUS V. Vide *Albertus II. Imperator.*

ALBERTUS, è familia Tirolenſi, (cujus Leopoldus Alberti Sapientis fil. auctor fuit,) fil. Erneſti Stiriæ Principis, ex Cimburgi Mazovia, fœmina robuſtiſſima, cognomen *Mitis* ſeu *Placidi* tulit. Fundator Academiæ Friburgenſis, à Friderico III. Imperatore fratre, perpetuò diſcors, inprimis ob Ladiſlai hæreditatem, bellum ſexennale geſſit; A. C. 1463. in Comitiis Ratisbonenſibus à fratre, qui poſtea ejus hæres fuit, proſcriptus. Vide & infrà.

Ex Familia Palatino-Bavarica.

ALBERTUS, fil. minor natu Ludovici, (cui pater fuit Otto fil. Ludovici Imperatoris ex Margareta Hollandica) cum fratre Wilhelmo, qui obiit A. C. 1378. Hollandiam cum Comitatibus junctis adiit: Pater Wilhelmi & Johannis Epiſcopi Leodicenſis, contra quem Jacoba Wilhelmi filia, incontinentiâ ſua ſatis famoſa, Comitatus ſibi vindicavit.

ALBERTUS, cognomine *Pius*, fil. Erneſti, (quem Johannes auctor familiæ Monachenſis, progenuit) Bavariæ Dux, educatus apud Wenceſlaum Imperatorem quod linguæ Bohemicæ non eſſet ignarus, à majori Procerum hujus regni parte, ſpretô Ladiſlaô Alberti II. Imperatoris filiolô, Rex electus, noluit eum pupilli injuria regnum capeſſere, Bohemis ad fidem legitimo Principi ſervandam cohortatur. Obiit A. C. 1460. ad extremum ſepoſitis curis, Muſicâ & nonnunquam venationibus ſe oblectans. Eô, præter alios, natus

ALBERTUS, cognomine *Sapiens*, Bavariam unione partium diviſarum, & ſucceſſione Landshuto Ingolſtadienſi, quæ bellô Bavaricô vindicata, auxit. Nec parum Maximiliani I. Imperatoris affinitas, ac domus Palatinæ, bellô illô afflictæ, calamitas domus hujus æmulæ conſiliis profuit. Eô genitus Wilhelmus, Patris ſucceſſor, Ludovicus, qui ambo acerrimi Lutheri hoſtes, & Erneſtus, Aventini diſcipulus. Wilhelmô natus eſt.

ALBERTUS, Ferdinandi I. Imperatoris gener, Pontifici & Jeſuitis, quibus Monachii, Ingolſtadii & Landshuti collegia ſplendidiſſima extruxit, addictiſſimus. Nihilominus A. C. 1556. ſuorum precibus, cùm idem Ferdinandus Imperator ſuis quoque ſubditis conceſſiſſet, indulſit ad tempus, ut cœnâ Dominicâ integrâ, & carnibus urgente neceſſitate, diebus vetitis, uterentur. Poſteà quoque in Calicis negotio ad Pontificem ſcripſit, A. C. 1564. Legatoſque habuit in Concilio Tridentino. Præſes Comitiorum Ratisponenſium, loco Soceri, fuit A. C. 1556. Ladiſlaô Comite Hagenſi A. C. 1567. ſine maſculis mortuô, feudum à Maximiliano II. Imperatore impetravit. Ei ſucceſſit fil. Wilhelmus, à quo *Wilhelmina linea* nomen: reliqui filii fuêre Ferdinandus, qui cum imparibus nuptiis ſibi copulaſſet Mariam Peccenbeckiam, ex ea Comites Wartenbergios ſevit, & Erneſtus, Epiſcopus primum Friſingenſis & Hildesheimius, dein Leodienſis, & tandem Archiepiſcopus ac Elector Colonienſis.

ALBERTUS, fil. minor natu Wilhelmi præfati, frater Maximiliani, Electoralis lineæ auctoris, lineam *Albertinam* condidit. Natus A. C. 1584. nepotis à morte fratris curator ſui & Electoratus adminiſtrator. Ob uxorem Mechtildem filiam Georgii Ludovici Landgravii Leuchtenbergiæ, eam poſtea ſucceſſionem nactus, aliis in Bavaria acceptis commutavit. Ejus filii, *Albertus* Sigiſmundus natus A. C. 1623. Epiſcopus Friſingenſis fuit, & hôc major Maximilianus Henricus, natus A. C. 1621. ad Electoratum Coloniæ & Epiſcopatum Leodienſem, evectus eſt, quô utroque etiamnum defungitur.

Ex Familia Saxonica.

ALBERTUS, cognomine *Degener*, Dux Saxoniæ, fil. Henrici cognomine *Illuſtris*, qui mortuô Henricô Thuringiæ Landgraviô ſuæ gentis ultimô A. C. 1249. Landgraviatum ſibi vindicavit) uxorem Margaretam, filiam Friderici II. Imperatoris in gratiam pellicis Cunegundæ ab Eiſenberg, peſſimè habuit; Miſniam, Oſterlandiam & Luſatiam, in qua patruo filii Margaretæ ſucceſſêre, ſibi aſſeruit, civitateſque ſui vero filii Ludovici Apri, ex Cunegunda ſuſcepti, ut jurarent, fruſtra adigere conatus eſt. Captus poſtea à filiis, ſed interventu Rudolfi I. Imperatoris liberatus, Brandenburgicos & Anhaltinos adverſus filios incitans, cruentum his movit bellum, quod compoſitum eſt A. C. 1290. Poſt quæ re deſperatâ ditiones vendidit Adolpho Imperatori, qui tamen contra filios infelix fuit, uti & ſucceſſor ejus Albertus I. horum tandem causâ triumphante. Deceſſit Erfordiæ in Monaſterio, in ſumma rerum egeſtate, A. C. 1314. Eum in Principatu excepit fil. Fridericus cognomine *Admorſus*, vel *Fortis*, Germanis *der Freudige*.

ALBERTUS, fil. Erneſti, Electoris Saxoniæ Electoratum Moguntinum, ſed brevi tempore, geſſit, vicenus mortuus A. C. 1484. Item fil. Johannis Ducis Vinarienſis, Iſenaci habitavit.

ALBERTUS, cognomine *Animoſus*, *Rolandus*, *Dextra Imperii*, Friderici cognomine *Placidi*, Electoris Saxoniæ fil. ſecundò genitus, frater Erneſti Electoris *lineam Albertinam* cœpit. Ipſe militari laude clarus, de Friderico III. Imperatore & ejus filio Maximiliano optimè meruit, Matthiâ Hungariæ Rege ad æquas conditiones vi compulſô, Maximilianum deinde à Belgis captum in libertatem aſſeruit, cujus in Belgio *Locum-tenens* relictus, contra reliquos rebelles & Gallos quoque non parum egit. In virtutis præmium & ſumtuum ſolatium Friſiâ ei cum Groninga conceſſâ, quam hæreditariô jure Imperii vicarius regeret, bellis continuis cum Friſiis implicitus, obiit. Pater ex Sidonia, filia Georgii Podiebradii Bohemiæ Regis Georgii Henrici (quô natus Mauritius Electoratum in hanc lineam intulit) & Friderici.

Ex Familia Brandeburgica.

ALBERTUS, cognomine *Achilles Germanicus*, aliis *Ulyſſes*, fil. Friderici I. Electoris Brandeburgici, fratri Friderico cognomine *Ferreo*, in Electoratu ſucceſſit. Bellô Bohemicô ſub Cæſare tyrocinia poſuit, A. C. 1428. inde Uratiſlavienſibus, adverſus Polonos, Dux datus eſt. Tum Ludovico Gibbôſo contra Patrem fortiter adſtitit, A. C. 1444. Principum dein 17 auxiliô Norimbergenſes, à ſuperioris Germaniæ civitatibus adjutos, aggreſſus, 8. præliis victor, nonô victus eſt. In bello Moguntino, Adolfo Naſſovio contra æmulos adſtitit, A. C. 1461. ab Imperatore belli Dux conſtitutus, ſed annô ſequente ad Giengam victus eſt. Inde A. C. 1470. Fratris ſucceſſor, à Pomeranis, ut Stetinenſem & Pomeraniæ Ducatus à ſe in feudum acciperent, impetravit. Sequenti annô Imperialium copiarum ad Novesium, contra Carolum Burgundum Dux fuit. Obiit A. C. 1486. Miles fortiſſimus, & haſtiludiorum quoque peritiſſimus: Auctor inſuper Legum fundamentalium domus, & confraternitatis cum Saxonibus ac Haſſis. Calvaria ejus Hailsbronnæ, ubi ſepultus, oſtenditur, in cujus continuo oſſe nullæ ſuturæ, imo nec veſtigia, apparent. Ejus filii, Johannes Electoralem lineam continuavit & Fridericus Franconicam orſus eſt.

ALBERTUS, cognomine *Alcibiades Germanicus*, fil. Caſimiri, Culmbacenſis lineæ auctoris, Fridericô præfatô geniti, conjunctis ſtudiis ferè ſemper cum Mauritio Saxone, æquali ſuo, Cæſari militavit: fœderis dein contra Joh. Fridericum Electorem Saxoniæ & Philippum Haſſiæ Landgravium icti Dux, A. C. 1547 Rochlicii captus eſt. Inde liber Magdeburgum A. C. 1552. cum Mauritio obſedit; cujus, cùm adverſus Cæſarem moveret, iterum comes ſociuſque fuit. Re poſtea ad tranſactionem ſpectante, Magiſtrum Teutonicum, Norimbergenſes, Bambergenſem, Herbipolitanum, Spirenſem, Vormatienſem, Epiſcopos: Moguntinum item ac Trevirenſem Archiepiſcopos, ditionibus miſerè, incendiis & ferrô vaſtatis, ad iniquas adegit conditiones: tantô ſui terrore ſparſô, ut quacunque incederet, diffugerent, aut mutatâ veſte ordinem diſſimularent Sacerdotes: Nec Paſſavienſi tranſactione voluit comprehendi. Tum Lucemburgenſis Ducis, & Lotharingiâ vexatâ, Regis Franciæ nomine prætenſô: tandem Cæſari reconciliatus, Aumalium ad Muſſipontem vicit cepitque: cum autem per Franconiam iterum graſſari inciperet, ei à Ferdinando Rege Romanorum bellum denunciatum, ipſeque præliô ad Sivershuſam, à Mauritio ſuperatus eſt A. C. 1553. Nihilominus continuatô bellô, ad Brunſuicam iterum profligatus, moli ſuccubuit: novâque proſcriptione A. C. 1554. territus, in Galliam ſe recepit: tandem, Regis interceſſione, acceptâ publicâ fide, in Germaniam redux A. C. 1557 ex tædio fortunæ, & vita intemperanter actâ morbô contractô, deceſſit Pfortshemii, A. C. 1557. Vide Sleidan. *l.* 25. Thuan. *l.* 11. *&* 19.

ALBERTUS, prioris patruus, initiô Magiſter Ordinis Teutonici cum eſſet, nec homagiô ſe Regi Poloniæ obſtringere vellet, bellô à Rege petitus A. C. 1521. poſt impetratas inducias, nec obtenta auxilia, Ordinibus etiam provinciæ pacem & cum ea Religionem Evangelicam expetentibus, ſe ſubmiſit, parte Boruſſiæ, in feudum Ducatus nomine ad hæredes tranſmittendum, acceptâ, parte Regi relictâ. Ipſe Religioni Evangelicæ nomine datô, Academiam Regiomonte inſtituit, Fratribus è Bohemia pulſis locum perfugii dedit: In religione Oſiandriſmo; in aula, Scalichii, Funccii, Horſtii, aliorumque ſenis facilitate abutentium machinationibus turbatus, obiit A. C. 1568. Pater *Alberti* Friderici, quô extinctô A. C. 1618. Boruſſia Georgio Wilhelmo Electori collata eſt, vide Thuan. *l.* 38. *&* 63. Sleidan. *l.* 20. &c.

Ex Familia Brunſuicenſi.

ALBERTUS, cognomine *Magnus*, fil. Ottonis Ducis Brunſuicenſis, frater Johannis Luneburgicæ familiæ conditoris, hanc continuavit. In bello Ottocari Bohemiæ Regis adverſus Henricum M. Miſniæ, à quo captus eſt, Sophiæ Brabantinæ adſtitit: Lubecenſes quoque contra Johannem Comitem Holſatiæ defendit. Eô, præter alios, geniti, Henricus cognomine *Mirabilis*, lineam Grubenhagianam & *Albertus* cognomine *Pinguis*, Brunſuicenſem orſi ſunt. Pater hic fuit

Magni cognomine *Pii*, Ottonis cognomine *Largi*, & Erneſti Gottingenſis. Magnô, inter alios, natus *Albertus* Archiepiſcopus Bremenſis, quod Hermaphroditus eſſet, à Decano contumelioſè accuſatus eſt, vide Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſt.*

Ex Familia Wandalica.

ALBERTUS, fil. Johannis cognomine *Theologi*, Dux Megapolitanus, cum fratre Johanne, Imperii Princeps eſt creatus, a Carolo IV. Imperatore A.C. 1348. Bellô adverſus Lud. Romanum, Marchionem Brandenburgicum, ob Stargardiam (quod datâ ei conjuge filiâ ſuâ Ingelburgi compoſitum) tum ob Rugiam adverſus Barnimum, Bogiſlaum & Uratiſlaum Pomeranos feliciter geſtô celebris: Pater, inter alios fuit *Alberti*, ad regnum Sueciæ, adverſus Magnum Smeeck vocati, quô geniti Ericus & *Albertus*, ambo improles, vide hic infrà.

ALBERTUS, Dux Megapolitanus à Suecis Magni tyrannidem, cujus ipſe ex ſorore nepos erat, non ferentibus, Rex electus, Magnum vicit. Mox & ipſe ex otio in tyrannidem prolapſus, nobilitatem ſenſit inimicam. Unde à Margareta, filia Valdemari Daniæ Regis vidua Haqui, nuru Magni, cruentô prælio, A.C. 1388. ſuperatus, poſt ſeptennalem captivitatem, regnô ſe abdicavit. Joh. Magnus, *l.* 21. Crantz. *l.* 5. *Hiſt. Suec.* Pater fuit duorum filiorum, ut diximus

ALBERTUS cognomine *Formoſus* fil. Magni, Dux Megapolitanus, belli quam pacis amantior. Cum fratre Henrico, adverſus Lubecenſes, inde Carolo V. in obſidione Geldriæ militavit. Poſt mortem Friderici Daniæ Regis in regno cum Chriſtophoro Oldenburgico, partes Chriſtiani II. captivi, & Hafniam contra Chriſtianum III. defendit, ſed dedere ſe & veniam petere coactus eſt. Pater inter alios, Johannis *Alberti*, & Ulrici Epiſcopi Suerinenſis, qui & ipſi docti & literarum amantes, ſimul Roſtochienſem Academiam, à Johanne & patruele ejus *Alberto* A.C. 1415. fundatam, inſigniter dotârunt. Iiſdem, quidquid in Politica & Eccleſia Megapolis ſalubriter inſtitutum habet, refert acceptum, & Joh. Albertus quidem Ducatum omnem, ad normam Auguſtanæ Confeſſionis reformavit, tum A.C. 1552. fœderi pro defenſione Religionis & libertate Landgravii ictô dedit nomen, ipſeque expeditioni interfuit. Poſt hæc cum urbe Roſtochio, ut & fratre Ulrico, ipſi res fuit; obiit A.C. 1577. Pater ex Anna Sophia Brandenburgica Johannis & Sigiſmundi Auguſti; quorum ille in ipſo ætatis flore A.C. 1592. abreptus, filios reliquit Adolfum Fridericum, Suerinenſis & Joh. *Albertum*, Guſtrovianæ, linearum auctores. Ex quibus hic Reformatis acceſſit, extinctus A.C. 1636. Pater autem fuit, ex Eleonora Maria Anhaltina, Guſtavi Adolfi nati A.C. 1633 quem mitor patruus Matri invitæ ereptum in Auguſtana Confeſſione educari curavit.

Ex Familia Anhaltina.

ALBERTUS I. cognomine *Urſus* ſeu *Pulcher*, fil. Ottonis M. ſeu Divitis, ex familia Aſcania, contra Sorabos fidam operam cùm Imperio præſtitiſſet, à Conrado III. Imperatore Marchiam Brandenburgicam, antiquis Marchionibus ex familia Stadenſi & Pribiſlao Henerco extinctis accepit. Poſtea cum Henrico Leone, cum cujus Patre Henrico ob Saxoniam contenderat, univerſam Slavicam nationem perpetuis bellis vexavit, & tantùm non exhauſit. Eidem Principatus Brandenburgicus & vicinia omnem ferè cultum ſuum ac nitorem debet: Pater fuit, ex Sophia Reineccia, quam A.C. 1169. moriens viduam reliquit, præter Sigfridum Archiepiſcopum Bremenſem, Anſelmum Epiſcopum Havelbergenſem & Henricum Præpoſitum Magdeburgenſem, Ottonis Brandenburgicæ & Bernardi Saxonicæ lineæ, conditorum.

ALBERTUS II. fil. Ottonis I. præfati, fratri Ottoni II. in Electoratu ſucceſſit; Friderico II. Imperatori gratiſſimus, cum Pomeranis Bolelao ac Caſimiro bellum habuit. Pater ex Mechtilde Luſatia Johannis & Ottonis III.

ALBERTUS I. fil. Bernardi, (cujus Pater Albertus Urſus quoque fuerat) educatus in aula Friderici II. Imperatoris huic in expeditione ſacra aſtitit A.C. 1228. & ad Peluſium fortiter ſe geſſit. Idem cùm Lubecam à Waldemari Imperio vindicaret, Imperatori militavit: anteà quoque A.C. 1223. ad preces Volquini Epiſcopi in Livoniam, domandis Gentilibus, exercitu ductô. Genit fuit ex Helena filia Ottonis IV. Imperatoris, cum eo à Comite Suerinenſi captus. Obiit A.C. 1260. Pater, præter alios, Alberti II. qui lineam Electoralem Saxonicam, in familia Aſcania, continuavit & Johannis, qui Lawenburgicam condidit.

ALBERTUS II. Patris in Electoratu Saxonico ſucceſſor, cum Gunthero Archiepiſcopo Magdeburgenſi bellum variâ Fortunâ geſſit. Periit ſecundùm aliquos, in ſolennitate coronationis Alberti I. Imperatoris turbâ oppreſſus. Eô, inter alios, ex Agnete Rudolfi I. Imperatoris filia natus eſt Rudolfus ſucceſſor, & Albertus Epiſcopus Pataviensis.

ALBERTUS III. fil. Wenceſlai Electoris, fratris Rudolfi III. in Electoratu ſucceſſor, A.C. 1418. cùm A.C. 1422. in ſaltu Lochavienſi venaretur, & cum uxore Offega Olſnicia in caſa ruſtica divertiſſet, ortô incendiô, ex quo nudus aufugere coactus eſt, tantum concepit terrorem ut paucos intra dies extinctus, Electoralem hanc lineam terminaret; dignitate in Miſnicam familiam tranſlatâ.

ALBERTUS I. Princeps Anhaltinus, fil. Sigfridi, Serveſtanæ lineæ auctoris, ex Catharina Gleichia: genuit ex Eliſabetha Brandenburgica Woldemarum ſeniorem, qui A.C. 1367. prælio Magni Torquati Brunſuicenſis adverſus Hildeshemios cecidit, & Albertum Juniorem.

ALBERTUS II. cognomentô Junior, fil. prioris, Pater fuit Johannis: quô natus.

ALBERTUS III. cognomine *Claudus* Cœthenſis lineæ conditor. Hic cum fratre Sigiſmundo, pro Marchia Brandenburgenſi, quam Sigiſmundus Imperator Burggravio Norimbergenſi conceſſerat, 60000. aureos accepit. Eô genitus, præter alios,

ALBERTUS IV. & Adolfus, cujus filii Wilhelmus ordini Minoritarum addictus ac Adolfus Epiſcopus Merſburgenſis (cui Lutherus theſes ſuas de *Indulgentiis* inſcripſit) lineam clauſêre.

Ex Familia Puſſica.

ALBERTUS, Dux Monſterbergicus, gener Johannis, ultimi ex familia Sagano-Glogovia, ſub finem ſeculi 15. Idem nomen fuit trium veterum Teceiæ Ducum: ſex Principum ex vetere familia Aſcania: Marchionis Anſpacenſis, A.C. 1620. Joachimô Erneſtô geniti: Comitis item Leonſteini, qui Eques Hieroſolymitanus, Græciam, Syriam, Ægyptum ac Arabiam perluſtravit; Supremus deìn Equitum Præfectus Philippo II. Hiſpaniæ Regi in Belgio & Gallia; Regi deìn Galliæ adverſùs Condæum militavit, extinctus A.C. 1587. &c. De quibus omnibus vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hiſtor.*

Comites Naſſoviæ.

ALBERTUS Georgii, Johannis cognomine *Seniore* geniti, fil. ex priore ejus uxore Anna Amalia Saræpontana, natus eſt Dilleburgi A.C. 1596. Studiis probè imbutus, ad militiam animum applicuit, turmæque Equitum præfectus, in Belgio Fœderato, obiit globi ictô A.C. 1616.

ALBERTUS, Philippi Comitis Weilburgenſis, ex Anna Comite Mansfeldia (filia *Alberti*) fil. Saræpontanam ditionem, Adolfô ultimô illius rami extinctô, hæreditariô jure ad ſe devolutam Weilburgenſi ditioni denuo junxit, poſtquam illa avulſa inde fuiſſet ab A.C. 1429. quô Philippô Weilburgi & Sarbrugii Comite geniti Philippus & Johannes paternam hæreditatem diviſêre. Obiit A.C. 1616. ex Anna Guilielmi Auriaci Principis ſorore, Annæ Amaliæ (quæ Othoni Comiti Solmæ Sonnenwaldenſi nupſit) Julianæ, Catharinæ, Ludovici, Georgii Philippi, *Alberti* (ante ſerperaſtra mortui) Guilielmi (cui uxor Iſenburgica obtigit) Eliſabethæ (Georgio Witgenſteinio elocatæ) Julianæ, Annæ Sibyllæ (Petro Erneſto Baroni Criechingenſi in uxorem datæ) Johannis Caſimiri (cui Eliſabetha, Georgii Landgravii Haſſiæ filia uxor obtigit) Magdalenæ, Annæ Ottiliæ (quam Guilielmus Comes Witgenſteinius ſibi junxit) & Erneſtæ, parens: è quibus Ludovicus Patri ſucceſſit. Cyr. Lentulus *Geneal. Princ. & Comit. Naſſov MS.*

ALBERTUS, Auſtriæ Dux, Baſilienſium hoſtis acerrimus, auditô ingenti terræ motu, quô urbs illa concuſſa erat, odium in commiſerationem vertit & ruinas ſuas reficiendas adjuvit. Urſtis *Hiſt. Baſil.* Joh. Faber *hiſt. Suev. l.* 1. *c.* 14.

ALBERTUS, Archidux Auſtriæ, Rudolphi Imperatoris frater, fil. Maximil. II. & Mariæ, ſororis Phil. II. Hiſpaniæ Regis primò Cardinalis, deìn Luſitaniæ Prorex, porro Belgii Gubernator, A.C. 1596. prudentiæ varia edidit ſpecimina. Mortuô Philippô, depoſuit purpuram, & Infantem Iſabellam duxit, quæ dotis locô Belgium ei attulit, cum Burgundiæ Comitatu A.C. 1598. Victus à Mauritio Naſſovio ad Neop. Oſtendam triennium obſedit, uſque ad A.C. 1604. Secutæ induciæ duodecennales, A.C. 1609. Sub quarum finem, obiit, A.C. 1621. Grotius *Annal. Belg.*

ALBERTUS, Bavariæ Dux, prudentiâ & moderatione inſignis, recuſavit oblatum Bohemiæ regnum, poſt mortem Alberti II. Imperatoris, ne Ladiſlao, ex Regina Eliſabetha, poſt mariti obitum nato, tanquam legitimo hæredi præjudicaret. Æn. Sylvius *Hiſt. Bohem.*

ALBERTUS, Marchio Brandenburgenſis *Achilles*, aliis *Vulpes* Germaniæ dictus, circa A.C. 1450. Cujus hiſtoriam habent Tritheim. *in Chron.* Crantz. *Metrop. l.* 12. *c.* 48. Æn. Sylvius *Eur. c.* 39. Campanus, *l.* 6. *ep.*

ALBERTUS Brandenburgenſis, Magnus Magiſter ordinis Teutonici Evangelium amplexus, Sigiſmundum I. Poloniæ Regem hoſtem ſenſit, ſed omiſſo Magni Magiſtri, & aſſumptô Pruſſiæ Ducis titulô, pax inita A.C. 1525. Duxit poſtmodum Dorotheam, Danorum Regis filiam, virtutibus inclytam. *Surius*, Gaguin. *l.* 11. Spond. *A.C.* 1525.

ALBERTUS vel ADELBERTUS, Henrici IV. Imperatoris Cancellarius, Archiepiſcopus Moguntinus. Cujus hiſtoriam vide apud *Abb. Urſperg.* & Baronium *A.C.* 1112. 1121. 1125.

ALBERTUS, Patriarcha Hieroſolymitanus, de quo vide Onuphr. *Genebr.* Spond. *A.C.* 1203. *n.* 5. & 1205. *n.* 13.

ALBERTUS Magn. profeſſione Auguſtinianus, genere Patavinus, Thomæ Aquinatis præceptor, in Academia Pariſienſi Encyclopædiam, ac præſertim Theologiæ ſcientiam hauſit, quam in univerſa poſtea diſſeminavit Italia. Alii Germanum faciunt Dominicanum, in Sueviæ agro Lavingenſi, ex Regulis Bolſtadienſibus ortum, & Epiſcopum Ratiſbonenſem fuiſſe, ſed ſponte reſignatô Epiſcopatu, ut ſtudiis vacare commodiùs poſſet, Coloniæ vixiſſe, ibique A.C. 1280. vitæ 87. obiiſſe. Vide Leand. *l.* 1. *de Viris Illuſtr.* Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 16. §. 9. *c.* 20. §. 8. & *c.* 43. §. 20. *Albertus* Germanicè ſignificat *Allbright*, ut *Epiphanius*, *Phaedrus*, *Eudoxus*, *Lucilius*, *Illuſtrius*, *Fulgentius*. Nam *Bert*, & *Beort*, eſt *illuſtris*, *clarus*, ut *Alfricus*, & *Rhenanus* interpretantur. Et *Bertha* Domina Germana apud Græcos dicta eſt Eudoxia, ut ait *Luitprandus*. Et qui olim *Ecbert*, *Sebert*, *Ethelbert*, in recentioribus ſcriptis vocantur *Ecbright*, *Sebright*, *Ethelbright*. Camdeno, *Nic. Lloydius*. *Et Maximi cognomen Gymnaſiorum omnium conſenſu, niſi publica vota Chriſtiana verecundia reſtitiſſet, deferebat*. Jovius *in Elogiis*. *In dicendo Gothicum ſapit & Barbarum: inter Peripateticos tamen nomenis celeberrimi*, Cœl. Rhodig. *l.* 2. *c.* 11. *Vir eruditionis admiranda, quem divinarum rerum pauca, humanarum fortè nulla latuerint*, Sixt. Senenſi. *in Biblioth. Necromantia immeritò accuſatus*, Labbæo. Dominicanus quibuſdam fuit ex nobiliſſima Dynaſtarum Bolſtatenſium familia, Lauingæ natus, Guil. Croweus *Elencho Script. in S. Scripturam*. Ejus *in utrumque Teſt. Commentaria* extant inter Opera in fol. tomis 21. Lugd. 1651. *Addem.*

ALBER-

ALBERTUS Aquenſis, ſcripſit occupationem Hieroſolymitanam.

ALBERTUS Argentina, Chronica compoſuit, ſub Carolo IV.

ALBERTUS Banus, celebris Muſicus.

ALBERTUS Caſtellanus Chronologiæ auctor.

ALBERTUS Cnoppius, Medicus Batavus Geometra egregius, &c. Vide *Geſner. Trithem. Poſſevin. Genebr.* Voſſ. *de Scient. Mathem.* p. 464. P. Jovium, *in Elogiis.*

ALBERTUS Crantzius, vel *Hamburgenſis*, quia ibi Theologiam docuit. Scripſit Hiſtoriam Eccleſiaſticam cui nomen *Metropolis*, aliaque plura. Vide Autores modo laudatos.

ALBERTUS Durerus inſignis pictor Germ.

ALBERTUS Philippus, vide *Philippus*.

ALBERTUS, vide quoque *Adelbertus*.

ALBETERRA oppid. Ducatus Engoliſmenſis. *Merul.*

ALBEXIS, inter veſtimenta ſacra, *Chineta* Ferdinandi I. Hiſpaniæ Regis æræ 1101. apud Yepezium *in Chron. Ord. S. Bened. tom. VI. Mantos duos aurifriſos, alio alguexi auro texto, cum alio Gracisco, inde uno C...dexo, caſula auro fusa, cum dalmaticis duabos auro fuſis, & alia*, Albeas *auro texta*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Alguexis.*

ALBI, Campi, vide *Leucopedion.*

ALBI Denarii, *Blans Deniers*, moneta Gallica; in groſſorum ſpeciem, cuſi ſub Joanne Rege Franciæ cruce erant inſigniti pedatâ & duplici Inſcriptione in averſa parte, templô coronatô & Inſcriptione TURONUS CIVIS, cum limbo liliato. Quorum Typum exhibet Car. du Freſne in voce *Moneta.* Qui eorundem ſemiſſes *Demi Blans Deniers* memorat. Similis ſub Carolo V. prodiit moneta, nudam Crucem præferens, & Inſcriptionem FRANCORUM REX. & SIT NOMEN DNI BENEDICTUM: in averſa vero parte literam K. coronatam inter duo lilia, & DEI GRATIA, in limbo liliato. Typum habes *ibid.* Sub Carolo VI. cuſi ſunt *Albi Denarii cum Scuto*, Gall. *Blancs deniers à l'Eſcu*, crucem majorem pedatam inter binas coronas & bina lilia præferentes, cum Inſcriptione SIT NOMEN &c. & in poſtica ſcutum cum 3. liliis & Inſcriptione KAROLUS FRANCORUM REX. Typum idem exhibet *Ibid.* Sub Henrico VI. Rege Angliæ, *Albi Denarii* ibidem excuſi ſunt, cum binis ſcutis Franciæ & Angliæ, *Blancs deniers à 2. eſcus de France & d'Angleterre*, tempore Caroli VII. Regis, qui tum difficili bello cum Anglis implicitus erat. Crucem hi nudam præ ſe ferebant & caudatam, inter lilium & Leopardum; infrà, HERICUS, in circulo, SIT NOMEN &c. In poſtica, duo ſcuta juncta, & ſuprà HENRICUS & in circulo coronulam & FRANCOR ET ANGLIÆ REX. In quibuſdam lilium vel leopardus exſtitit, locô coronulæ &c. ut videre eſt apud eundem, qui etiam meminit *Alborum*, item *Alborum cum Corona* Gall. *Blans à la Couronne*, ſub Carolo VII. *Alborum cum K. coronato*, Gall. *Blans au K couronne* ſub Carolo VIII. ut & *M...orum Alborum* variæ formæ, ſub Ludovico XI. eodem Carolo VIII. Lodovico XII. & Franciſco I.

ALBI Montes, vide *Leucane.*

ALBIA, vide *Alba Helviorum*, populi *Albienſes Sidonio Apollinari.*

ALBIA vulgò *Oblek*, oppid. Germaniæ in Carniola provinc.

ALBIA, fluv. Vide *Albis.*

ALBIA Terentia, Mater Sylvii Othonis, patre equite nata.

ALBIANA, oppidum, ſeu potius pagus Corſicæ mediterraneæ *Rocchapiana C...ſtaldo.*

ALBIANA Caſtra, pagus Hollandiæ inter Lugdunum & urbeculam *Oudewater*, quam *Alphen* incolæ vocant. Malè apud *Antoninum* legitur *Albamana.*

ALBIANUM, Norici Urbs *Antonin.*

ALBIATUM, & ABIATUM, cognomentô Craſſum, vulgò *Albiagraſſo* oppid. Inſubriæ amplum in agro Mediolanenſi.

ALBICI, populi Aquitaniæ. Sed Cæſar eos in Gallia Narbonenſi ſupra Maſſiliam deſcribit, *l.* 1. *Bell. Civ. c.* 34. Vide *Albenſium. Nic. Lloydius.* Eos Jul. Cæſar *de Bello civ. loc. cit.* vocat, *barbaros homines, qui in Maſſilienſium fide antiquitus erant, monteſque ſupra Maſſiliam incolebant.* Ac ibidem *l.* 1. *Bell. civ. c.* 57. ait, Albicos *non multum Romanis virtute ceſſiſſe, homines aſperos & montanos, exercitatos in armis; & crebras per* Albicos *eruptiones factas eſſe ex oppido Maſſilia: Maſſilienſeſque cum propius erat neceſſario ventum, ab ſcientia gubernatorum atque artificiis ad virtutem montanorum confugiſſe.* Incoluerunt autem hi populi montes Salyorum, à vicinitate Maſſiliæ ad Cebennas trans Rhodanum ferè pertinentes: Ἀλβίοικοι, *Albiæci*, *Straboni.* Iidem *Reii* quoque & ab Apollinis cultu, *Apollinares* dicti ſunt: Trogo atque Juſtino *Segorii* quoque, nec non *Liguri*, *l.* 43. *c.* 3. ubi ſcribit, *Phocenſes urbem Maſſiliam in finibus Regis Segoregiorum condidiſſe.* Idem, poſtquam deſcripſit inſidias à Commano Segoregiorum Rege Senani vel Nanni Regis filio & ſucceſſore Maſſilienſibus ſtructas, addit: *c.* 4. *Ita pariter ... duo Ligures comprehenduntur.* Erant ergo inter Ligures Transalpinos ſeu Gallos atque fortè illorum celeberrimis ultra Alpes Salyis attributi. Caput gentis erat *Albece* vel *Albœce Rejorum Apollinarium*, quod oppidis Latinis *Plinius* adnumerat. In *vetere Inſcript.* apud Sirmondum vocatur *Colonia* & *Pont. col. Rejor. Apollinar.* memoratur. In *veteri* . *Notit. provinc.* Galliæ, in provinciæ Narbonenſis ſecundæ civitatibus tertia, quota nunc eſt, recenſetur. Recentiores *civitatem Regenſem* vocant, ſecundamque nominant inter ſedes Aquenſi Burgundiæ Archiepiſcop. ſuffragantes, vulgò *Riez.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque in voce *Rej.*

ALBICUS, Archiepiſcopus Pragenſis Sigiſmundi Bohemiæ Regis ope factus, Joh. Huſſo, & Viclefi reliquiis favet. Circa A. C. 1412. *Sp...*

ALBIDIA, ſemel atque iterum Wilhelmo Brittoni *Philipp.* nempe *l.* 4. & 9. dicitur Anglia, quæ *Albion* olim Car. du Freſne *Gloſſar.*

ALBIDIUS, vir quidam, qui cùm luxu facultates ſuas prodegiſſet, ac noviſſimè domum, quæ ſola reſtabat, incendiò perdidiſſet, Cato ſic in eum jocatus eſt, ut diceret eum proterviam feciſſe, *Quod comeſſe non potuerat, id combuſſiſſe.* Macrob. *Saturnal. l.* 2. *c.* 2.

ALBIENSIS Comitatus provinc. Hungariæ juxta Albam Regiam in ditione Turcarum.

ALBIETÆ, Latinorum populi Dionyſ. Halicarn. *l.* 8. *Albienſes* vertit *Gelenius*, *Labienates Sylburg.*

ALBIGA, urbs antiquiſſima Gall. Epiſcopalis Cadurcis finitima vulgò *Alby*, longitud. 23. 10 latitud. 43. 59. Ad Tarnem, auriferum amnem: Caput ditionis Albigenſis. *Albia Julia Ptol.* Vide Cæſar. *l.* 1. *de Bell. Civ. c.* 15. Populi rectius & antiquius *Albienſes*, quàm *Albigenſes*; quorum quod vetus nomen fuerit, incertum, cum nec *Strabo*, nec *Plin.* nec *Ptol.* eorum meminerit. Poſiti quidem inter Rutenos ſunt & Cadurcos, ad neutram tamen gentem pertinuiſſe videntur. *Equites cataphracti Albigenſes* in *Notit. Imper.* & *veteri Inſcript.* apud Goltzium reperiuntur: & memoratur in *veterib. Notit.* provinc. & civitatum Galliæ *civitas Albigenſium*, atque inter octo provinciæ Aquitanicæ primæ civitates quartò locô ponitur; quam recentiores in ſeptimum rejiciunt. Ex Epiſcopis ejus Sabinus ſubſcripſit Conciliò Agathenſi A. C. 506. & Concilio Aurelianenſi quinto, Ambroſius, miſſò Viventiô: Diogenianum meminit Paulinus Presbyter, apud *Gregorium Turonenſ.* qui Salvii quoque mentionem fecit. Extant & literæ Conſtantii ad Deſiderium Cadurcorum Antiſtitem, &c. Servat urbs hodièque vetus nomen, diciturque *Alby*: incolæ ejus adeoque tota gens *Albigenſes*, Gall. *les Albigeois*: *Quos tributô, quò in dando vino & annona gravabantur, ſuâ liberalitate relevaviſſe* dicitur, Ludovicus Pius, tum Rex Aquitaniæ. A. C. 796. Poſtea nomen gentis tranſiit etiam in nomen ſectæ, vide infrà.

Albigenſi Diœceſi contenta loca.

Albiga ſeu Albia	Inſula.
Blavia, *Blaye.*	Rapiſtagnum, *Rabaſtens.*
Caſtrum-novum Livienſe, *Chaſteau-neuf de Levi.*	Regalis mons, *Realmont.*
	Valentia.
Confluentes, *Coffolens.*	Vaurum, *Vaur.*
Galliacum, *Gailhac.*	Villa nova.

Ex illa verò detracta eſt Diœceſ. Caſtrenſis, pagi *Albigenſis* (vetus portio, in qua eminent:

Caſtrum ſeu Caſtra, ſedes Epiſc. nova, *Caſtres en Albigeois.*	Rupes curva, *Roque courbe.*
Ferrariæ.	Mons rigidulus aut Mons reductus *Montredon.*

ALBIGENSES, ab *Albiga* ſeu *Albigio*, de quo ſuprà, dicti, aliàs *Catari*, *Publicani*, *Patarini*, *Gazari*, ob varias rationes: *Paſagieri*, ab exilio: aliiſque nominibus à doctoribus ſuis appellati, contra immenſam Pontificum in rebus fidei auctoritatem, quam ſibi tribuebant, inſurgentes, in quibuſdam primò Italiæ partibus, maximè quidem in Inſubria ſeu Lombardia, dein & in Gallia, prope ditionem inprimis Tholoſanam, & in ditione Albigenſi, ſub Friderico Barbaroſſa prodiêre. Hi Papam Antichriſtum, Eccleſiam Romanam veram matrem fornicationum pronuntiabant, ac puritatem Sacramentorum & dogmatum ex parte tuebantur. Quos Alexander Papa, prius Conciliò convocatô, lanienæ rapiniſque expoſuit, quô pactô diſperſi, alibi etiam doctrinam ſuam diſſeminârunt, in Bohemia inprimis. Adverſus eoſdem Dominicus Calarogenſis, fundator Ordinis Prædicatorum 12. ann. Tholoſæ, in qua Provinc. adhuc frequentes erant docuiſſe fertur. Fuerunt tamen Albigenſium numerus in dies creſcebat ſic ut cœtus numeroſos variis in locis haberent in Gallia inprimis & Mediolani: ut apud Sigon. *l.* 18 dicatur: *tot hæreſes non tantùm pullulant, imo ſyveſcunt in Italia, & jam Zizania ſegetes incipit ſuffocare.* Hinc in Bohemiam, Bulgariam, Croatiam, Germaniam cœtus effuſi. *Nauclet. Crantzium*, P. Æmil. *l.* 6. Platina, *in Innocentio. III.* Cum Valdenſibus, qui eôdem tempore prodierunt, à plurimis hactenus iidem habiti, quod dogmata communia complura haberent, nihilominus tum doctrinâ, tum inſtitutis ac ritibus, ab illis probè diſtinguendi. Communia illorum dogmata fuêre. 1. *Juramentum omne eſſe illicitum.* 2. *Confeſſionem, quæ fit in Romana Eccleſia Sacerdotibus, nihil valere: nec Papam, nec alium de Eccleſia Romana poſſe aliquem abſolvere à peccatis. Quod ipſi vero habeant poteſtatem abſolvendi illos, qui ipſorum fidem velint per impoſitionem manuum ſuſcipere & tenere; eamque poteſtatem à Deo accepiſſe qui ſolus abſolvere de peccatis poſſit.* 3. *Duas eſſe Eccleſias, Eccleſiam Chriſti, quæ habeat fidem, in qua omnis & ſine qua nullus perveniat ad ſalutem: & Eccleſiam Romanam quæ ſit mater fornicationum*; & Peculiaria *Albigenſium*: 1. *Duos eſſe Deos, bonum & malum*: unde apparet, Manichæos aliquos, qui ex Aſia profugi primò in Bulgaria conſederunt, & poſtea in partes Tholoſanas migrârunt, inter ipſos latuiſſe, illiſque, vel ſaltem maximæ parti, hæreſeos hujus virus aſperſiſſe. 2. *Omnia Sacramenta Eccleſiæ Romanæ eſſe inania atque vana.* 3. *In S. Cœna non eſſe corpus Chriſti.* 4. *Baptiſmum aquæ nihil valere: nec extremam Unctionem, ſed utrique manuum impoſitionem præferendam.* 5. *Ordines Eccleſiæ Romanæ rejecerunt.* 6. *Matrimonium ſemper eſſe cum peccato.* 7. *Jeſum Chriſtum veram carnem non aſſumpſiſſe.* 8. Homines in ſpiritualibus corporibus reſurrecturos. 9. *Crucem adorandam non eſſe.* 10. *Animas eſſe ſpiritus de cœlo ob peccata lapſos.* 11. *Gratiam divinam eſſe amiſſibilem* &c. De ritibus ac inſtitutis eorum vide hìc paſſim vocibus, *Abſtinentia*, *Benedicite*, *Endura*, & ubi de *Salutandi eorum ritu.* E quibus omnibus conſpicuum eſt, ſicut in moribus ipſos deſipuiſſe conſtat, *enduram*, uti vocabant, h. e. inediâ ut mortem ſibi accelerarent, in ſua communione receptis commendandô: ita etiam in fidei uno alterove dogmate eos impegiſſe. Mirandum verò magis, quod ſeculô adeo barbarô à variis ſeſe erroribus expediverint, quam quod quibuſdam implicati fuerint. Nec omittendum, jejunâſſe illos hebdo-

hebdomadatim ter in pane & aqua. Porrò duo illorum fuiſſe genera, *Perfectos* & *Receptos*, de quibus ſuò locò: plura apud Phil. à Limborch *Hiſtoria Inquiſit. l. 1. c. 8. & ſeqq.* ubi & *de Perfectorum contra Albigenſes & Waldenſes inſtituto.* Vide & infrà *Waldenſes.* Addam hoc ſolùm quod dicti ſint Gall. *Albejois.* Ita enim habet titulus Chronici Guilielmi de Podio Laurentii, *Incipit Chronica Magiſtri Guilielmi de Podio Laurentii ſuper hiſtoria negotii à Francis, Albigenſibus vulgariter appellatis, Albejois*, &c. apud Car. du Freſne in *Gloſſar.*

ALBIMANA, vel ALBINIANA, *Antonin. Alphen Simlero*, Hollandiæ vicus, inter Lugdunum & Trajectum. Cohortis tertiæ *Albimanæ* meminit, ex vetuſto lapide *Golzius*. *Albamana*, eſt in *Tabula Peutingeriana*. Vide *Albeana caſtra.*

ALBINA, nobilis matrona Romana, mater Marcelli, diſcipula S. Hieronymi, vide ejus *præf. in ep. ad Galat.*

ALBINÆUS, Jeſuita Gallus, cui cùm Franc. Ravaillacus regicidium Henrici animò agitatum confeſſus eſſet, poſtmodum interrogatus, cur non rem detuliſſet, *ſe hoc donum a Deo obtinuiſſe*, reſpondit, *ut poſt datam confitenti abſolutionem, oblivioni traderet, quæcunque ſibi fuiſſent confeſſa.* A. Rivetus, in *Jeſ. Vap. c. 12.* Lud. Lucius *Hiſt. Jeſuit. l. 4. c. 3.*

ALBINGAUNI, apud Flav. Vopiſc. *in Proculo Tyr. c. 12. Proculo patria Albingauni fuère, poſiti in Alpibus Maritimis. domi nobilis, ſed Majoribus latrocinantibus, atque adeò pecore ac ſervis & iis rebus, quas abduxerat, ſatis dives. Fertur denique eò tempore, quò ſumſit Imperium duo millia ſervorum ſuorum armaſſe.* Vide *Albingaunum.*

ALBINGAUNUM, urbs Liguriæ litoralis Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Genuenſi. Apud Melam *l. 2. c. 4* extritò per incuriam librariorum *a.* legitur *Albigaunum.* Atque eòdem modò apud *Ptol.* Ἀλβίγαυνον. Flav. Vopiſcu *in vita Proculi loc. cit.* dicitur plurali numerò *Albingauni. Patria*, inquit, *Albingauni fuère, poſiti in Alpibus maritimis.* Strabonis tempeſtate haud magni fuiſſe momenti patet ex eo, quòd πολίσμιον, h. e. *urbeculam* appellet, cùm è diverſo Album Intemelium vocet πόλιν ἀξιόλογον, *urbem magnam.* Hodie *Albenga*, longitud. 29. 30. latitud. 43. 00. ſubeſt Dominio Reipubl. Genuenſis. Ad Rutulum amnem in planitie ſita; è cujus regione Inſula eſt exigua, & vetus ſcopulus, vulgò *Iſoletto d'Albenga*, olim *Gallinaria.* Urbs aliàs dives, nunc deficit. *Nic. Lloydius.*

ALBINGI, populi Germaniæ, utramque Albis fluvii ripam colentes. de quorum traductione in Brabantiam, Flandriam & vicina loca, à Carolo M. factâ, vide B. Rhenanum *Rerum Germ. l. 1.* cum *Not.* Jac. Ottonis JCti.

ALBINI *Villa*, vide *Salinæ.*

ALBINI & ALBANI, Tectores, parietes tectoriis ſeu incruſtationibus inducunt, *Gloſſæ Græco-Lat.* Κονιατής, *Dealbator*, Albinus, *tector.* Λευκωτής, *Dealbator.* Eorum opus *Albarium.* Vide ſuprà *Albarii* & infrà *Album opus.*

ALBINIANA, vide *Albimana*, & hîc infrà.

ALBINIANÆ, locus *Æthico* memoratus, aliàs *Albimana*, item *Albaniana*, ab Albino aliquo dictus, vulgo nunc *Alfen* vel *Alpen*, vicus ignobilis Hollandiæ, inter Lugdunum Batav. & Trajectum, vide *Albimana.* *Cluverius Albamanas* & *Albinianos* nuncupat, ac Prætorium Agrippinæ *Roomburg*, vicum propinquum Lugduno, exponit.

ALBINIUS Philippus, vide *Philippus.*

ALBINOVANUS Celſus, comes & ſcriba Neronis, ad quem ſcribit Horat. *Ep. l. 1. ep. 8.*

Celſo gaudere, & bene rem gerere Albinovano.

ALBINOVANUS Pedo, Poëta Ovidio æqualis, qui eum *ſidereum* vocat, *Ponticorum eleg. ult. Sidereuſque Pedo.* Atque ad eundem eſt ejuſdem elegia decima *libri prædicti.* Scripſit de navigatione Germanici, quo ex opere 23. verſus refert M. Annæus Seneca, *Suaſor. 1.* Etiam epigrammata ſcripſiſſe, colligit Voſſ. *de Poet. Latin. c. 2. p. 12.* ex Martial. *l. 2. epigr. 77.* At ſupereſt elegia ejus in mortem Druſi ſanè elegantiſſima, & ſidereò poëtâ digna. Elegia verò in obitum Mæcenatis ei falsò tributa videtur, licèt aliter ſentiat *Joſ. Scaliger.*

ALBINTEMELIUM, ſeu ALBIUMINTIMILIUM Tacito, *l. 2. Hiſtor. c. 13. Vintimilium Varroni*, urbs Liguriæ litoralis. *Ptol.* quæ Plinio, *l. 3. c. 5. Straboni*, & *Antonino Album Intemelium* dicitur. Urbs Epiſcopalis eſt ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi, ditionis tamen Genuenſium. Vulgò *Vintimiglia.* Populi *Intemelii* Livio *l. 40. c. 41.* Vide Cluver. *Ital. Ant. p. 65.* longitud. 28. 30 latitud. 42. 50.

ALBINUS, Imperator Roman. dictus quòd exceptus ſit uterò candidiſſimus, contra conſuetudinem puerorum, qui naſcendò ſolent rubere, cùm ſecundinis involuti erumpunt menſtruò fluore perliti; hinc illud Juvenal. *Sat. 7. v. 195.*

—— —— Modò primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.

Cæl. Rhodig. *l. 15. c. 22.* Familiâ fuit nobili, Adrumetinus tamen ex Africa. A Commodo per literas Cæſar eſſe juſſus, Imperium nihilominus invitus accepit, & ſtructas ſibi eſſe à Severo inſidias intelligens, conflictu habitò cum ejus Ducibus potior fuit. Poſt autem Severus ipſe, quum id egiſſet apud Senatum, ut hoſtis judicaretur *Albinus*, contra eum profectus, acerrimè fortiſſiméque pugnavit in Gallia, non ſine Fortunæ varietate. Denique, cùm ſolicitus Augures conſuleret, reſponſum illi eſt, venturum quidem in poteſtatem ejus *Albinum*, ſed non vivum, nec mortuum: quod & factum eſt. Nam, quum ultimum prælium commiſſum eſſet, innumeris ſuorum cæſis, plurimis fugatis, multis etiam deditis, Albinus fugit, &, ut multi dicunt, ſeipſe percuſſit: ut alii, à ſervo ſuo percuſſus, ſemivivus ad Severum deductus eſt. Filium habuit unum, cui Severus primò pepercit, poſtea verò eum cum Matre percuſſit, & in profluentem abjici juſſit. Mores ejus quod attinet, peſſimi fuerunt, ſi Severo hoſti credimus: at ex Marci Epiſtolis conſtat ſatis, virum eum utilem fuiſſe. Guloſus fuit Cordo, at militaris diſciplinæ adeo retinens, ut delictis nunquam pepercerit: ut veſtitu mundiſſimus, agricolandi peritiſſimus, ita ut etiam *Georgica* ſcripſerit. A Senatu tantum amatus eſt, quantum nemo Principum, &c. Vide Jul. Capitolin. in *Clodio Albino c. 4* & infrà, in voce *Clodius*, quod illi prænomen fuit, unde & *Clodius* ſimpliciter dictus eſt.

ALBINUS, Judææ præfectus. Joſeph *Jud. Ant. l. 2. c. 8.*

ALBINUS, vir Prætorius, qui à Romanis ad Syllam, tempore belli Socialis miſſus legatus, ſaxis ac fuſtibus à Syllæ militibus mactatus fuit. Plut *in Sylla.*

ALBINUS Clodius, Conſul Roman. Anglorum Gallorumque Dux, à Severo apud Lugdunum victus eſt, ann. 199. capiteque ejus Romam miſſum. Herodian. *l. 3. c. 7. Dion.* Spartian. *in Severo c. 6* & 11. *Lamprid.* Capitolin. *in Albino.* Item alius, Conſul, Maximi collega, Tertius, collega Præſentis; Quartus, Amamii; Quintus, Theodoſii.

ALBINUS Luceju*s*, vide *Luceju*s.

L. ALBINUS, plebejus Romanus, fugiens Gallos, ex theda uxorem liberoſque deſcendere juſſit, ut Veſtales, quæ cum ſacris fugitabant, illuc imponeret. *Livius.* Plut *in Camillo.* Val. Max. *l. 1. c. 1. ex 10.*

LUCII ALBINI, duo inter Oratores referuntur à Cicerone, in *Bruto*, qui extare amborum orationes ſcribit, ex uſque, Lucium, ſimplicem & antiquum eſſe; Spurium verò doctum ea diſciplina Stoicorum.

A. POSTH. ALBINUS, Conſul cum Lucullo, an. Urb. Cond. 602. Res Romanas Græcò ſermone ſcripſit Gellius *l. 11. c. 8.* ubi etiam refert, ut Albinus veniam ſibi imperitiæ petierit, quòd homo Romanus Græcâ oratione uteretur; M. Cato autem propterea eum feſtivè riſerit, quòd maluerit culpam deprecari, quàm culpâ vacare. Idemque legere eſt apud bonorum ſcriptorum Lavernam Macrobium, *in proœmio Saturnalium.* Narrat id Plut. *in Catone*, ſed paulò aliter, ac pro *Albino* vocat *Laberium.* Catonis judicium ſequitur Suidas *in* Αὖλ@ Ποςούμι@. Albinum vero defendentem vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 1. c. 20.* Quinimò præter hiſtoriam Græcam etiam Annales Latinos hic ſcriptor reliquit, teſte Macrobiò, *Saturnal. l. 2. c. 16. Nic. Lloydius.*

ALBINUS, ut pluribus jam ſupra memoratis quidam alii adjiciantur, quoque fuit Conſul, tempore quò Odoacer in Italiam venit, *Caſſiod.* Item Poëta Latinus qui Annales Romanos metrò ſcripſit, Voſſ. *de Poët. Lat. c. 1.* Item Præfectus, cujus meminit Greg. Turonens. *l. 4. c. 58.* Epiſcopus quoque apud eundem, *l. 6. c. 7.*

ALBINUS Poſthumius, vide *Poſthumius.*

ALBINUS Rufius, vide *Rufius.*

ALBIOECI, iidem cum *Albicis.*

ALBIOLANI, vide *Albieta.*

ALBION Mareoticus, Neptuni, ex Amphitrite conjuge quartus fil. Patris ductu Britanniam intrans, regnum ibi vi tenuit, A. M. 2220. quò, ſubactis Samothracis & Caſſatis, Celtarum, Oceanorum & Neptunicolarum nominibus, cœperunt idem *Albiones* dici. Primus in Britannia aſtrorum ſcientiam ac varia navium genera docuit. Ad Rhodani oſtra, cum Bergione fratre, lapidum imbre à Jove interemptus eſt, quòd Herculi tranſitum impedire voluiſſet. A. M. 2262. Ante Chriſtum Natum 1708. regni 43. Diodor. Sicul. *l. 4.* Mela *l. 2. c. 5. Nic. Lloydius.*

ALBION ſeu ALVION, *Ptolemæo*, quæ & Britannia, inſul. maxima Europæ in Oceano, Galliæ, & Germaniæ adjacens, à Gallia 30. mill. paſſ. in Boream diſtans. In Britanniam primam (quæ eſt Anglia, vulgò *England*) & Britanniam ſecundam (quæ eſt Scotia, *Scotland* vulgò incolis dicta) duo regna diviſa; inter Cantium promontor. ad ortum & Bolerium promontor. ad occidentem. ad 400. mill. paſſ. lata; Longa vero inter auſtrum & ſeptentrionem ſupra 800. Angliæ regia eſt Londinum, Scotiæ Edinburgum; tametſi noſtrâ tempeſtate rex Scotus, Angliæ regibus deficientibus, utrique dominatur. *Albion* autem quidam Ὀλβίαν inſulam dictam putant, alii ab *Albione* Neptuni filio, qui ibi regnavit. Vide Plin. *l. 4. c. 16.* Alii potius à rupibus, quæ eminus albæ apparentes, occaſionem præbuerunt Inſulæ denegendæ. Prius *Samothea* dicta eſt, à Samothe Gallo, nam Galliæ continenti olim jungebatur Albion. Verſteganus *c. 4.*

ALBION *Nova*, pars Americæ ſeptentrionalis regio ſcil. de Quivira, in regno Mexicano detecta à Franciſc. Drak, Equite Anglo, A. C. 1579. & ab ipſo *nova Albion* dicta. Regio perampla, ſed nondum bene cognita Europæis, neque etiam verſus oram littoralem. An pars terræ Eſonis? Ejus Rex Eliſabethæ Reginæ ſe ac ſuos ſubjecit, ac Draconi coronam impoſuit; ſed propter nimiam diſtantiam, atque etiam regionis inopiam, Anglos ab eo tempore ejus curam omnino abjeciſſe, refert Georg. Hornius *Orb. Imp. p. 483. & 484.*

ALBIPHEDA, vel ABILPHEDA, Arabs Coſmographiæ peritiſſimus. Vide Poſtell. *præf. in Coſmogr.*

ALBIS, vulgò *Elbe*, Germaniæ fluv. in finibus Sileſiæ oriens, in meridiem primùm, deinde in occidentem, poſteà in ſeptentrionem per Bohemiam Miſniam, & Saxoniam, auctus Multâ, Egrâ, Salâ, ac Ortellâ, in Oceanum fluit, infra Hamburgum urbem Holſatiæ maximam: *Ferrarius.* Dreſdâ, Torgâ, Witebergâ, Magdeburgô, Luneburgôque urbibus præclaris eo irrigatus. Vide infrà. Lucan. *l. 2. v. 51.*

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis, & indomitum Rheni caput —— ——

Dicitur eòdem nomine Græcis auctoribus Ἄλβις, Strab. ſcil. *l. 7.* ac *Ptolem.* Dioni verò *l. 54.* eſt Ἄλβι@, ubi tamen correptus eſt caſus Genitivus τοῦ Ἀλβίου pro Ἄλβιος. Nomen habere à numero, indicat Fabricius in *Miſnicis*, fontium nempè 11. ſive amnium in eum influentium. *Elve* enim & *Elbe* Germanis *undecim* ſignificat. Bohemis verò, apud quos originem ſumit, *Labe* dicitur. Poſte-

no-

notis ſeculi ſcriptoribus *Albea* dicitur. Porrò hic fluv. mediam ſecat Germaniam. Nomen ipſum id indicat. Nam ea vox *Albu* medium ſignificat. Scal. in *Hypercritico*. Vide Munſter. *l.* 3. *Coſmogr.* Cluver. *l.* 3. *introd. Geogr. Baudrando* in monte, *das Reiſengeberge*, i. e. *Gigantum juga*, ortus in Bohemia *Labe* dicitur. Suſcipit Multam fluv. dein Egram ex monte pinifero fluentem, poſt Salam ac Orteliam, & per Saxoniam ſuperiorem fluens, inde per inferiorem, inter Ducatus Bremenſem & Holſatiæ, infra Gluckſtadium Oceano Germanico miſcetur. Vide *Albing.*

ALBIS, vide ſupra, *Alba veſtis candida.*

ALBISTRUM, oppid. Brutiorum mediterraneum in Calabria citeriori, ad Apennini montis radices, hodiè *Urſomarſo*, teſte *Gabriele Barrio.*

ALBITIUS Bartholomæus, vide *Bartholomæus.*

ALBIUM Intemelium, vide *Albintemelium.*

ALBIUS, nomen viri apud Horat. *l.* 1. *Sat.* 4.

Stupet Albius ære.

Et ibidem,

Nonne vides, Albi ut malè vivat filius atque
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit.

Item *Albius*, cognomen Tibulli. Idem Horat. *l.* 1. *Ep.* 4.

Albi, noſtrorum ſermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedanâ?
Scribere quod Caſſi Parmenſis opuſcula vincat.

ALBIUS, mons Iapodum (*Byrramerwald* incolis) ingens, ex quo Colapes fluv. profluit, qui & *Alben* dicitur, ad occidentem ubi *Albium* oppid. Pars eſt Alpium Helveticarum, inter Tigurum & Tugium, ubique paſcuus. Memoratur in *Vit.* Ludovici Imperat. *Albeſius* Ruperto Thuricenſi, S. Galli Monacho, nominatur, Joh. Bapt. Plantinus *Helv. antiq. & nov.*

ALBO, prænomine Joſeph. Rabbinus, compoſuit librum *Hikerim*, ann. 185. Millenarii VI. juxta ſupputationem Rabbi Ganz. *Chronol. Rabbinorum ſub Templo II.*

ALBO caſtellum eſt montanum Galliæ, non longè à Rhodano inter Viennam & Tegnam poſitum, vulgò *Albon*. A quo Dalfini Viennenſes *Albonis Comites* ſe vocavêre, *Dalfins de Viennois & Comtes d' Albon.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ALBO ſeu ALBUS, *Ugutioni liber eſt, in quo Sanctorum nomina ſcribuntur.* Hariulfi *Chron.* Centulenſe *l.* 4. *c.* 17.

Abbas Angelrannus loculo quæ paucula noſtro
Contulit, hic retinet ſcriptus qui cernitur albus:

apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ALBOCELLA, Vaccæorum urbs mediterranea in Tarraconenſi regione *Ptol. Arbocala* Livii *l.* 21. *c.* 5. puto & *Arbucale Stephani.*

ALBOCENTII, Daciæ populi *Ptol.* Urbs *Coſona*, Ungaris *Rimezza*, teſte *Ricciolio.*

ALBOFLEDA, Soror Clotharii Regis cum fratre baptizata. Gregor. Turonenſ. *l.* 2. *c.* 31.

ALBO-GALERUS, pileus erat apud Romanos, ſolius Flaminis Dialis; factus ex hoſtia alba, Jovi cæſa, quæ *Idulis* dicebatur. Illi adfigebatur apex virgulâ oleagınâ. Ejus nomen ex antiquis monumentis exhibet Roſin. *Antiqq. Roman.* *l.* 3. *c.* 15.

ALBOHOZEN *Haly*, fil. Abenragelis, Arabs ſeculô 5. clarus, ſcripſit de Aſtrologiâ Judiciaria quod opus Alphonſus 10. Caſtellæ Rex Hiſpanicè edi curavit, jam etiam Latinè habetur. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 35. §. 27. & *c.* 37. §. 14.

ALBOINUS, Andouin ſeu Audoini fil. Longobardorum in Pannonia Rex, Gepidas bellô olim infractos exuerit; Sub Juſtino II. in Italiam à Narſete è Pannonia evocatus, annô regni Pannonici 26. Longobardorum Dynaſtiæ II. auctor fuit, A. C. 568. poſt extinctum in Teja Oſtrogothorum regnum 15. in eadem Italia. Quâ memorabili victoriâ apud ſuos clarus; regnavit circiter ann. 30. tandemque uxoris Roſimundæ, quæ filia erat Cunimondi Gepidarum Regis à ſe victi & interfecti, dolô necatus eſt, A. C. 57. Vide Blond. *Dec.* 1. *l.* 4. P. Diac. *l.* 1. & 2. Ei ſucceſſit Clepho.

ALBONENSES, Illyrici Populi. Plin. *l.* 3. *c.* 21.

ALBONICA, Hiſpaniæ Urbs *Antonino*, inter Liminium & Cæſaraugustani.

ALBONUS, Ungariæ Rex, Petrô ob libidinem & ſævitiam pulſô, deſignatus, regnavit annum unum.

ALBORAK, Mahumetis jumentum, quô Mecchâ Hieroſolymam vectus eſt noctis unius parte decimâ, unde in cœlum uſque evectus, rediit Meccham, poſt multa cum Deo & prioribus Prophetis habita colloquia, ut fabulantur Arabes. Nempe *ponebat*, ut iidem ajunt, *paſſus ad finem proſpectus ſui.* Unde probant ſuperâſſe ſeptem cœlos ſeptem paſſibus, quamvis quingentorum annorum itinere ſingulos ab invicem diſtare dicant. Equo id alii, alii aſino mulo nonnulli ſimilius fuiſſe putant: pleriſque coloris albi, qui colorum nobiliſſimus eſt. Sternax autem & contumax fuiſſe adhuc cùm illud Mahometes conſcendit, quia nullum hominem seſſorem anteà habuerat: At plurium ſententia eſt, Abrahamo etiam & Iſmaëli, & Prophetarum aliis illud inſerviſſe. Sed cùm inter Jeſum & Mahometem diu quieviſſet, nempe per annos ferè ſexcentos, non facilè ſe ſubmiſſurum fuiſſe dicunt, niſi à Gabriele monitum, quem à tergo vectum fuiſſe quidam aſſerunt: quod tamen alii negant, ut hanc prærogativam ſoli Mahometi vindicent; qui proinde die reſurrectionis eâdem vecturâ peculiari Prophetam hunc ſuum uſurum dicunt. *Alborak* autem eſt *ἀστραπαῖος*, ſic dictus, *quod fulgure velocius.* Vide delirium hoc Arabicum, inter cetera eorum animalia monſtroſa narrantem Bochartum *Hieroz. Part.* 2. *l.* 6.

ALBORNOZIUS, Cardinalis & Archiepiſcopus Toletanus, in Hiſpania & Italia geſtis rebus clarus. Obiit A. C. 1367. l'Eſcal *incepus vita.* Sanderus *in Elog.* Albi, *Elog. Cardinalium.* Mariana, *l.* 17. *c.* 10.

ALBOTI, Macedoniæ populi *Ptol.*

ALBRETANUS Henricus, vide *Henricus*, it. *Ludovicus.*

ALBRETUM, oppid. & Ducatus Galliæ, in Vaſconia. Hinc Johanna Albretana, Henrici M. mater. Vide *Lebreti vicus.* Hinc nomen Familiæ *Albretanæ*, ſeu *Lebretanæ*, cujus antiquus ſplendor eſt. Primus in ea legitur Amaneus A. C. 1050. pater filii cognominis, in expeditione Hieroſolymitana: Inprimis autem claruit Arnoldus Amaneus, quem Carolus V. Rex à partibus Anglicis ad ſe abſtraxit, & fil. ejus Carolus Comes Trecenſis atque Conſtabilis Galliæ, Carolo VI. unicè charus, & prælio Azincurtianò cæſus A. C. 1415. Hujus fil. Carolus genuit Johannem & Arnaldum: quorum hic Dominus *de Orval* fuit, filiuſque ejus prætenſionem in Nivernium & Rhetelium à conjuge accepit, atque filiabus reliquit; Ille Alanum Magnum genuit, Johannes, cui Regnum Navarræ conjux Catharina Foxia attulit, fortunâ adverſa eripuit. Patrem, Johanne fatus Henricus titulum Regni retinuit & ad filiam Johannam, Antonii Borbonii uxorem, Henrici IV. Regis Franciæ matrem tranſmiſit: cujus Majores exhibet Spenerus præfatus *Theatro Nobil. tom.* 2. Alia linea *Albretanorum de Mieſſens*, quam ab Ægidio Alani M. fratre derivant, & in ea Cæſar Phœbus, Mareſcalli dignitate inclytus, in Gallia ſupereſt. Idem *in Ind.*

ALBUCILLA, mulieris nomen eſt apud Tacit. *l.* 6. *c.* 47. ſed admodum impudicæ, & multis adulteriis infamis.

ALBUCIO, vulgò *Aubuſſon*, locus Galliæ, in finibus Lemovicum, unde nobilis Familiæ de *Albucione*, Gall. *d' Aubuſſon*, nomen. Vicecomitis Albucenſis excommunicati, mentio fit in Concil. Lemovicis habito A. C. 1134. Marchionis hujus loci, apud Geraldum Epiſcopum Caducenſem in *ep. ad Fridericum Imp.* Dictus fortè ab *Albucio* primo poſſeſſore. *Valeſ.* in *Notit. Gall.*

ALBUDINUS, vide *Claudia Aqua.*

ALBU-HASCEN, Rex Feſſæ, poſt Jacobum, Regi Granatenſi Abul-Hagex, contra Chriſtianos, auxilia ſummiſit. Poſtea Regem Tremiſſanum regnô pepulit, & potentiſſimus Africæ Regum evaſit. Odiò tandem in Chriſtianos furens cum ingenti exercitu in Hiſpaniam trajecit, A. C. 1440. Sed Tariſa fruſtra obſeſſâ, & copiis ejus magnâ ſtrage victis, in Africam reverſus, & à filio cognomine Petri Caſtellani auxiliis ſubnixo, potentiâ ſuâ exutus eſt. Marmol. *l.* 2. *c.* 38.

ALBUKIR, ſi Alkazuinio Scriptori Arabi credimus, ſunt aves albæ, quæ quotannis certô tempore conveniunt ad montem *Gebal attair* nomine, quaſi *montem avium* dicas, in Ægypti Thebaide prope Anſenam (i. e. Antinoum) urbem Mariæ Ægyptiæ, matris Abrahami, filii Prophetæ, & ſuper eum montem volant. In hoc autem foramen eſt (ſeu potiùs pedica) in quod omnes & ſingulæ caput immittunt eximuntque, dein in Nilum deſcendentes ſubinde redeunt, unde venerant, neque id facere deſinunt, donec una earum in foramine retineatur. Tum verò agitatur & manet ſuſpenſa. Quò factò reliquæ ſtatim avolant, nec in monte earum ulla ampliùs viſitur, uſque ad idem tempus anni ſequentis. Interea avis, quæ ſuſpenſa eſt, poſtquam multâ agitatione ſe liberavit, avolat & avibus ſui generis denuo jungitur; Sed hæ in illam irruentes, roſtriſque ſuis diverberantes, ad foramen redire cogunt, ubi iterum ſuſpenditur, illis rurſus diſcedentibus. Addit Sacerdos Abubecrus Daubrenſis, illius urbis ex ocularis teſtibus ſe audiviſſe, aves duas hærere in foramine, cùm annus eſt fertilis, unam cùm eſt medius, nullam cùm eſt ſterilis. Quæ ferè ad verbum Alkazuinius, ſed de more ſuô fabuloſè, cùm neque alii Arabes, neque Coptitæ *in Lexicis* & *Nomenclatoribus* ſuis hujus avis uſpiam meminerint. Sam. Bochart. *Hieroz. part.* 2. *l.* 6. *c.* 14.

ALBULA, qui & Tiberis, teſte Pliniô *l.* 3. *c.* 5. ſic ab aquarum *albedine* dictus. Ἀλβούλας *Dionyſio Halicarnaſſenſi*, & apud Euſt. *in Dionyſ.* Ἄλβουλα. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 330. *ſ.*

—— Aſperque immani corpore Tybris,
A quo poſt Itali fluvium cognomine Tybrim
Diximus: amiſit verum vetus Albula nomen.

Ovid. *l.* 4. *Faſt.* ubi de Hercule,

Venit & a tanto eſt Albula pota Deo.

Liv. *l.* 1. *c.* 3. *Pax ita convenerat, ut Hetruſcis Latiniſque fluv. Albula, quem nunc Tiberim vocant, finis eſſet.*

ALBULA, altera, quæ & *Albulates* Plinio *l.* 3. *c.* 13. fluv. Piceni in Aprutio, per fines Prægutiorum, inter Aſculum, & Interamniam urbes fluens in mare Hadriaticum. *Liberata* hodiè nomen habet, uti tradunt *Blondus*, & *Leander.*

ALBULA, aqua quædam in agro Tiburtino, quæ (ut Strabo teſtatur) vulneribus medetur. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 13.

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,
Canaque ſulfureis Albula fumat aquis.

Item *Albulæ*, plural. numeri. Idem *l.* 4. *Epigr.* 4.

Quod ſiccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum.

ALBULA vel ALBETA, vide ſuprà in voce *Alba* fluv. Apud Gregorium verò in *Reg. l.* 12. *Ep.* 7. quid vox hæc notet, vide ſuprà in *Albe.*

ALBULENSIS, Urbis Epiſcopalis in Hiſpania meminit *Concilium Toletanum.* In Mauritania Cæſarienſi *Victor Uticenſ.*

ALBUM, promontorium Africæ. Plin. *l.* 3. *in Proœm.* Item aliud in Phœnicia, non procul à Tyro. Idem. *l.* 5. *c.* 19.

ALBUM, minùs eſt quàm candidum, quod τὸ λευκὸν λαμπρότερον, Salmaſ. *ad Solin. p.* 380. Vide infià ubi de *Candido*, & *Creta*, in primis verò, ubi de *Niveo colore.*

ALBUM, Græcis recentioribus *ἄσπρον*, monetæ genus, vide infrà *Aſpron.*

ALBUM Mare, vide *Mare album.*

ALBUM Opus, ſeu *Albarium*, opus eſt Albariorum ſeu Albinorum & a Tectorio in eo differt, quod qui parietes dealbant, opus etiam tectorium faciunt: nam & Tectorium eſt omne opus Albarium, non tamen omne Tectorium *Album* eſt, ſed illud duntaxat; quod nudâ calce conſtat. Tectorium fit arenatâ calce, vel marmoratâ; Albarium calce merâ. Græci tamen κονιατὰς vocant tam Albarios quam Tectores: Ita *Heſych.* & alii, Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Album*, ex Salmaſ. *ad Solin.* p. 1229. a.

ALBUM Prætoris, *in Clement de Judicm c.* 1. *ad inſtar Edicti, in albo Prætoris*: locus erat dealbatus, ubi Prætoris Edicta affigi ſolebant: Gloſſ. *ibid.* apud Macrum *Hierolex.*

ALBUMAZAR, vel ABOASSAR, Philoſophus, Medicus, & Aſtrologus inſignis, natione Arabs, educatus tamen in Africa. Plurima ſcripſit, de quo vide Geſnerum *in Biblioth.* Joſ. Blanc. *in Chronol. Mathematicorum.* Voſſ. *de Scient. Mathem.* c. 35. §. 4. Vixit ſeculô 9.

ALBUNA, Dea, quæ in nemore quodam agri Tiburtini colebatur, putaturque eſſe Ino Athamantis uxor, quæ viri furorem metuens, unà cum Melicertâ filio ſe in mare præcipitavit. Ovid. *Met. l.* 4 *fab.* 13. Pauſan. *l.* 1. Lactant. *l.* 1. *c.* 6. Alii Nympha fuit indigena, aquarum ibi ſaluberrimarum præſes, Plin. *l.* 31. *c.* 2. Alii Sibyllam Tiburtinam fuiſſe volunt. Iſid. *Gloſſ. Albuna, mater Matuta.* Scribe *Albunea* ex Lactantio (qui unam è Sibyllis facit, *loc. cit.*) Virgilio, *l.* 7. *Æn v.* 83. & *Gloſſis veterib.* in quibus *Albunea.* Græcis duobus nominibus indigitatus Λευκοθέα, & Βοῦς; Latini verò utrumque complexi *Albuneam* dixerunt, unô verbô. Meurſius *Gloſſ.*

ALBUNEA Silva, & *Albuneus fons*, apud Tybur urbem, & Anienem fluv. nunc etiam *Albuna* vulgò dictus. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 82.

—— Lucoſque ſub alta
Conſulit Albunea, nemorum quæ maxima ſacrô
Fonte ſonat. —— ——

Horat. *l.* 1. *Carm.* Od. 7.

Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ percuſſit campus opimæ,
Quam Domus Albuneæ reſonantis,
Et præceps Anio, & Tiburni lucus.

Tibullus *Albunam* vocat. *l.* 2. *eleg.* 5.

Quòdque Albuna ſacras Tiberis per flumina ſortes
Portârit ſicca perlueritque ſinu.

Nic. Lloydius.

ALBUNEA, vulgò *Albona*, fluv. Italiæ, in Ducatu Mediolanenſi & agro Novarienſi. Dicitur & *Albonea*, inque Padum influit.

ALBUQUERCUM, Oppid. Hiſpaniæ, in Extremadura provinc. à limite Portugalliæ 3. leucis in clivo, prope Geboram amnem.

ALBUQUERCUS Alphonſus dictus *Magnus*, ab Emanuele, Luſitaniæ Rege in Indiam miſſus, plurima Regna ſub ejus jugum miſit, pacemque cum Perſarum Rege à quo munera accepit, iniit. Obiit A. C. 1515. in portu Goenſi, cùm ægrè ferret ſucceſſorem ſibi datum. *Barroſ. Maffeus, Marmol.*

ALBURACIS, fluv. Galliæ Narbonenſis, vulgò *l' Ariege*, in Occitania, cadit in Garumnam paulo ſuprà Toloſam. Aliis *Aurigera* olim *Aregia.* Quod vide.

ALBURGUM, ſeu ÆLBURGUM, urbs Daniæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Lundenſi. In Julia, ad ſinum Limicum, *Limfort.*

ALBURNUS, mons Lucaniæ apud Silarum fluv. *Alborna*, teſte *Cantalina*, & *Scipione Mazella.* Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 146.

Eſt lucos Silari circùm, ilicibuſque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen aſilô
Romanum eſt, æſtron Graii vertêre vocantes.

Obſervet lector loci hujus Deum dictum etiam *Alburnum*, ut inde Romanum morem teneat, qui Deos locorum eôdem nomine appellabant, quô ipſa loca. Tertullian. *l. adverſus Gentes*, & *contra Marcion. l.* 1. *c.* 18. *Vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi a Senatu probatus; ut M. Æmylius de Deo ſuo Alburno.* Fuit etiam *Alburnus* nobilis declamator. *Seneca.* Item nomen piſcis apud Auſonium *in Moſella*, v. 126.

Quis non & virides, vulgi ſolatia, Tincas,
Norit? & Alburnos prædam puerilibus hamis? *Nic. Lloydius.*

ALBUS, lacus Tartariæ Aſiaticæ, in regione Cataja, verſus civitatem Cambulum.

ALBUS, moneta argentea in Britannia Armoricana, tempore Alani Ducis, circa A. C. 1087 valens ſex denarios Turonenſes; de ea ſic Chronographus quidam *l* 1. *Hiſtor. Brit. Tum temporis currebat in Britannia moneta argentea, valente quolibet* Albô *argenteô ſex denarios Turonenſes, & parvi denarii nigri currebant tunc in Britannia: in qua quidem moneta alba erant inſculpta duo hermina circa crucem, & in pila tres hermina; in cujus quidem monetæ margine ſeu circumferentia, erat ſculptum ſic*, Moneta Alani, Dei gratiâ Britonum Regis. Sic *Albus*, apud Car. du Freſne, ex Ægidio Aur. Vallis Mon. in *Hugone* Epiſc. Leod. *c.* 111. *Reddit* x *millia librarum* alborum, *& centum libras Leodienſes ad opus Eccleſiæ*, & ex *Chron.* Valcadorenſi, *Pro quo habemus ad guyonagium ſuum* 40. *ſolidos alborum* · moneta eſt argentea minutior, Gallis *Blanc*, Italis *Bianco.* Vide Bizarri *Perſica* p. 453. ut & hic in vocibus *Albi*, *Aſperi*, item *Blancm.*

ALBUS Mons, German. *Blankenberg*, Gallis *Blamont*, quaſi *Blancmont*, oppid. eſt Lotharingiæ, cujus Comes Henricus memoratur in *Chronico* Senonenſi. Item *Montblanc*, prope Glannatevam, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ALBUS MURUS, vide *Leucotiche.*

ALBUSPAGUS, locus eſt medius inter Berytum & Sidonem, ubi Antonius cum militibus ſuis Cleopatram expectavit. *Plut.* Locus item ad ſinum Arabicum. Arrian. *in Periplo* maris Erythræi.

ALBUSAMA, vulgò *Alboran*, Inſul. Africæ, in Mediterraneo mari in ora regni Fezzæ, *Sanuto.* Vide *Errores Inſul.*

ALBUTIUS, Celtiberorum Princeps; cui captam ſponſam pulcerrimam P. Scipio Africanus reſtitui juſſit. *Plut.* hunc *Luceium* vocat, Val. Max. *Indibilem l.* 4. *c.* 3.

ALBUTIUS, vel ALBUCIUS, Canidiæ pater, homo inſigniter avarus & ſordidus: Quando ob obſonia comparanda ſervos mittebat, mortem eis minitabatur, ni pro ejus volontate comparâſſent: Alii autem ſcribunt, cum ille convivaretur, ſervis officia diſtribuiſſe, & antequam aliquis peccâſſet, eos cæcidiſſe, dicentem, vereri ſe, ne cùm peccaſſent, cædere illi poſtea non vacaret. Horat. *Sat.* 2. *l.* 2.

—— —— Hic neque ſervis
Albuti ſenis exemplo, dum munia didit,
Sævus erit, —— ——

ALBUTIUSSILVIUS, V. Rex Latinorum ſucceſſit Patri Silvio; deceſſit; An. regni 39. Mundi 3026. Vide Euſeb. *Chron.* Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. *c.* 8

ALBUTIUSSILUS, Novarienſis orator, receptus in Planci oratoris contubernium: jam vero ſenior, ob vitium vomicæ Româ Novariam rediit, convocatâque plebe, cauſis, propter quas mori deſtinâſſet, in concione redditis, abſtinuit cibô. Sueton. *de Illuſtr. Rhetorib. c.* 6.

T. ALBUTIUS, Philoſophus, diſcipulus Epicuri, cujus *M. Varro* meminit, dicitque, cum Satyras ſcripſiſſe Lucilianô ſtylô: Nam & *Lucilius* cum ut Græca miſcentem verba notat his verbis,

Græcum te Albuti, quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti, Titi, Anni, centurionum,
Præclarorum hominum, ac primorum; ſigniferumque,
Maluiſti dici Græcè ergo prætor Athenis,
Id quod maluiſti, te, cum ad me accedis ſaluto:
Χαῖρε, inquam, Tite: lictores, turma omnis, cohorſque
Χαῖρε, hinc hoſtis Muti Albutius, hinc inimicus.

Vide Cicer. *l.* 1. *de Nat. Deor.* & *l.* 5. *Tuſc* & *l.* 1. *de finibus.*

ALCACAR, cognomine, *Quivir*, metropolis provinc. Aſgar, in ora Barbariæ, à Jac. Almanſor, Fezzæ Rege condita, ut inde commodius in Granatenſe Regnum trajectus eſſet. Ab Alphonſo V. Rege Luſitaniæ capta, A C. 1448. *Joh. Leo*, Marmol. *l.* 1. *c.* 6 & *l.* 4. *c.* 41. Sanut. *l.* 4. Alia, in Caſtellæ Regno urbs.

ALCADETA. Oppid. Hiſpaniæ in Vandalitia.

ALCÆOS Populos Centuripi vicinos quidam conſtituêre.

ALCÆUS, Herculis avus, à quo ut quidam volunt, *Alcides* dictus fuit Hercules: *Apollodor Diodor. Sic. Euſeb.*

ALCÆUS, Lydus, Herculis ex Cleolao filio nepos, pater fuit Argonis, primi Lydorum Regum Dynaſtiæ II. quæ *Heraclidarum* dicitur, auctoris. Herodot. *l.* 1 *c.* 7. Vide *Argon*, *Cleolaus*; it. ubi de *Atiyadis*, quibus Heraclidæ ſucceſſerunt.

ALCÆUS, poëta Lyricus, Lesbi, urbe Mitylene oriundus, floruit Olymp. 44 an. 2. ut Euſeb. *in Chron.* tradit. Et firmatur, tum eô, quòd Periandri temporibus vixiſſe dicat Herodot. *l.* 5. tum inimicitiis; quas geſſit cum Pittaco ſeptem ſapientum uno, qui claruit Olymp. 42. ut Diog. Laërt. teſtatur *in ejus vita*, quem adeò amarum fuiſſe ſcribunt, ut authoritate ſui carminis multos ex civitate ejecerit. Unde Horat. *l* 4. *Od* 9 *Alcæi minaces* Camenas vocat. Fuit hic magnificus, brevis, diligens, & plurimùm Homero ſimilis, de quo Quinctilian. *l.* 10 *c.* 1 Cicer. *l.* 4. *Tuſcul* & alii. Ejus è prælio profugi arma reperta, hoſtes in Sigæo, in templo Minervæ, ſuſpenderunt. Herodot. *Terpſich.* Fuit alius *Alcæus*, Comœdiæ veteris ſcriptor, quem decem Comœdias reliquiſſe author eſt *Suidas*; Earum *Endymion* memoratur Polluci *l.* 9. *Paſiphae*, eidem *l.* 10. qui cum Ariſtophane Athenis certavit. *Athenæo* etiam citantur ejus *Palæſtine*, *Nuptiæ ſacræ*, *Sorores ſtuprum paſſæ*, *Ganymedes*, & *Calliſto.* Alium vide apud Ælian. *Var Hiſt. l* 9 *c.* 12. *Nic. Lloydius.*

ALCAI, mons celſus & fertilis, in Fezzæ regno, à primariis regni habitatus, & proin munitiſſimus. Marmol. *l.* 4. *c* 89.

ALCAIDA, nomen Judicis & præfecti urbis, in Barbaria. Vide eundem, *l.* 4. *c.* 22.

ALCAIMUS Marcus Antonius, vide *Marcum Antonium.*

ALCAIRUM, Ægypti urbs, de cujus nominis origine ſic Bochartus in *Phaleg. l.* 2. *c.* 26. Arabicâ linguâ, inquit, quæ inter Ægyptiam & Hebræam media eſſe creditur, קהר *cahara* eſt *vincere.* & קהר *Cahr Victoria*, unde nomen אלקאהירה *Alcahira*, i. e. *victrix*, urbi *Cairo*, quia Muazzus illam ædificavit in Hoſoſcopo Martis הוי קאהר אלפלך *qui vincit orbem.* Ita reddenda erant Elmacini verba *Hiſtor. Saracen.* p. 227. quæ doctiſſimus interpres multò aliter accepit. *Nic. Lloydius.*

ALCALA, nomen in Hiſpania familiæ Ducalis, acceſſit Comitibus *de los Molares* & Marchionibus de *Tariſa*, oriundis è ſtirpe Henriciorum, *Henriquez*, è quibus Petrus fil. alter Friderici Caſtellæ Admiralis, ab uxoribus Beatrice & Catharina (quæ germanæ & filiæ Perafani *de Ribera* erant) ſucceſſionem & nomen *de Ribera* ſuæ domui, cum officio ſupremi Judicis Andaluſiæ intulit. Ejus ex Catharina præfata fil. Ferdinandus Henricus de Ribera, *de los Molares*, ex Agnete Portucarrera ſuſcepit Ferdinandum *Ducem Alcala*, quô & Johannâ Corteſiâ natus Ferdinandus Marchio Tariſæ, ex Anna Gironia, genuit Ferdinandum, Ducem *Alcala*, maritum Beatricis, filiæ Chriſtophori de Mora Marchionis *de Caſtell-Rodrigo*, Petrumque Gironium maritum Antoniæ Portocarreræ, Marchion. *Alcala de la Lameda.* Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Tom. I.* Petrus verò præfatus, ex Antonia uxore, genuit Annam Mariam Luiſam Portocarreram Ducem Alcalæ, Marchion. Tariſæ, Comit. *de los Molares*, quæ nupſit Antonino Johanni Ludovico *de la Cerda Duci de Medinaceli.* Idem *Tom* 3.

ALCALA REGALIS, oppid. Hiſpaniæ, in regno Granatæ & confinibus Vandalitiæ 9. leucis Granatà diſtat.

ALCALA S. JUSTI. Vide *Complutum.*

ALCAMENES, nomis Rex Spartanorum, ex Agidarum familia, patri Teleclo ſucceſſit, & ann. 77. regnavit. Hujus tempore bellum

lum Heloticum fuit, quibus auxilia tulerant Argivi, ſed malô ſuô tempore à Spartanis prælio victi, vide *Helos*. Ejuſdem collega Nicander Argolidem hoſtiliter ingreſſus magnô eam damnô affecit: cui cùm ſucceſſiſſet fil. Theopompus, apud Meſſenios autem Antiochus & Androcles Phintæ filii regnarent, inter utrumque populum leviſſimas ob cauſas ſimultas orta eſt, quæ non ita multo poſt, cùm Euphaës Antiocho & Androcli ſucceſſiſſet, in apertum bellum erupit, annô 2. Olympiadis nonæ (quarum prima ad annum 37. regni *Alcamenis* ab *Euſebio* refertur) quô *Alcamenes* Amphiam, Meſſeniorum oppid. Laconiæ finitimum, non indictô bellô, occupavit & poſt dimicationes quaſdam reverſus eſt. Reliqua vide, voce *Polydorus*, qui patrem in regno excepit. Pauſan. *Laconicis*. Cæterum fuit abſtinentiâ & juſtitiæ quoque laude clarus, vide egregia ejus dicta, apud Plut. *in Apophth. Lac*. c. 32.

ALCAMENES, Achæorum Dux, Pauſan. *in Achaicis*. Quin & ſtatuarius ejuſdem nominis fuit Praxitele vetuſtior, qui Agoracritum Parium condiſcipulum in facienda Venere ſuffragiis populi Athenienſis ſuperavit. Plin. *l*. 36. *c*. 5. Meminit ejus Lucian. *in Hermotimo*, itemque de Imaginibus, & opera ejus paſſim recenſet Pauſan. *l*. 8. Vide etiam Plut. *de bene administr. Rep*. *c*. 12.

ALCAMENES, Sthenelaidæ fil. præfectus quarundam navium Lacedæmoniorum, ab Athenienſibus interfectus. Thucyd. *l*. 8.

ALCAMUS, oppid. Siciliæ, ad radices montis in valle Mazaræ 20. mill. paſſ. Palermô, & totidem Drepanô diſtans.

ALCANDER, unus è comitibus Sarpedonis, Lyciæ Regis, ab Ulyſſe ad Trojam occiſus. Ovid. *Met*. *l*. 13.

Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque

Item adoleſcens Lacedæmonius, qui Lycurgo oculum baculô eruit, adverſus quem noluit animadvertere Lycurgus, ſed miſſis conſuetis miniſtris, eum domum introduxit, ſibique miniſtrare juſſit. At Alcander, cùm Lycurgi manſuetudinem perſpiceret, pluri mô amore eum poſteà proſequebatur. Plut. *in Lycurgo*, & *in Apophth. Lac*. c. 89 Item *Alcander*, qui poëta ne, an alius generis ſcriptor fuerit, non video unde colligi poſſit, niſi fortè ex loco *Clement. Alexandr*. quem profert Voſſ. *de Poetis Græc*. *p*. 85.

ALCANDRE, Polybi Thebani, hominis ditiſſimi, uxor. Homer. Od. δ. v. 126.

Ἀλκάνδρη Πολύβοιο δάμαρ, ὃς ναῖε ἐνὶ Θήβῃς
Αἰγυπτίῃς, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται.

ALCANITIUM, oppid. Hiſpan. in Aragonia, ad fluv. *Guadalete*. Raros incolas habet.

ALCANOR, viri proprium, cujus meminit. Virg. *Æn*. *l*. 10. v. 338.

Huic frater ſubit Alcanor, &c.

ALCANTARA, vide *Norba Cæſarea*.

ALCARATIUM, oppid. Hiſpaniæ in Caſtella nova, aliter *Villanova*, juxta fluv. *Guadarmena*. Hinc montes dicti *Sierra d' Alcaraz*.

ALCARSUS, vide *Calcartius*.

ALCATARANUS, poſt Abdumalicum, Rex Cordubenſis, cùm plus æquô peregrinis Mahometanis, Damaſcenis inprimis, faveret, ſuorum odium incurrit, ſed vicit hos prope Toletum. Ipſe autem à prioribus poſtmodum captus & de muri pinna ſuſpenſus eſt. Marmol. *l*. 2. *c*. 14.

ALCATH, aliàs *Eleath*, civitas quæ cum ſuis ſuburbanis de tribu Aſer data eſt Levitis. Joſ. c. 21. v. 31. Hieronym. *de locis Hebr. litera E*.

ALCATHEA, nominatur ab Authore *Scholiorum in Ariſtophanis Equites*, mater Pauſaniæ Regis, qui contra patriam cum Perſis conſpiravit, uxor Cleombroti, quæ ab aliis *Theano* vocatur, ut notat Janus Gebhardus, *ad Nepotis Pauſaniam*.

ALCATHI, Villa in Cypro Inſula. *Jul. Poll*.

ALCATHOE, urbs eadem cum Megaris in Achaja. Ovid. *l*. 3. *Triſt*. *Eleg*. 11.

Et quos Alcathoës memorant è mœnibus ortos.

ALCATHOUS, Pelopis fil. qui cædis Chryſippi fratris ſuſpectus Megara venit, occiſoque leone, qui multos, & in iis Megarei Regis filium Euríppum necaverat, aſcitus Megareo gener in regno ſucceſſit. Pauſan. *l*. 1. Item *Alcathous* Trojanus Hippodamiam, Anchiſæ filiam in uxorem duxit, & in pugna apud Trojam ab Idomeneo Cretenſi occiſus eſt. Homer. *Il*. μ. v. 93.

ALCAYDUS, nomen Judicis, apud Saracenos Hiſpanicos, quem *Juſtitiam* Hiſpani Chriſtiani ſuis in urbibus appellare conſueverunt. Vitalis Epiſcop. *de Magiſtratibus Saracenorum*. *In quibuſdam locis Judices, in quibuſdam Acaydi, dicti Juſtitiæ nuncupantur*. Charta Lorbanenſis, apud Sandovallium *in Favila*, *Chriſtiani habeant ſuum Comitem, de ſua gente, & illi componant irias inter illos & non mactabunt hominem, ſine juſſu* de Alcayde *ſeu* Alvacide *Saraceno*, &c. A Saracenis poſtmodum tranſiit vox & dignitas ad ipſos Hiſpanos Chriſtianos. Unde *Alcadus Honoris*, ſeu *Meretricium* aut *Uxoratorium*, qui de meretricibus, ac adulteriis cognoſcebat, Officialis olim quidam in Aragonia dictus eſt. Aliter *Alcalis*, in *Charta* Adelfonſi Regis Aragoniæ, apud Blancam *p*. 640. & in Concil. apud Pennam Fidelem A. C. 1302. *can*. 13. ubi *Alcales vel Majorini vel alii Rectores civitatum*, memorantur. Vide Oihenartum *Notit. Vaſconiæ l*. 2. *c*. 6. &c. Michaëlem del Molino in voce *Alcaydus* & *Adulterium*, laudatos Car. du Freſne *Gloſſ*.

ALCE, canis nomen apud Xenophontem, *l*. *de Venatione*. Item una è canibus Actæonis apud Ovid. *Met*. *l*. 3. *Fab*. 2.

Et Dromas, & Canache, Sticteque, & Tigris & Alce.

Item nomen meretricis. A. Gellius *l*. 4. *c*. 14. Item urbs Hiſpaniæ in Celtiberia, quam Gracchus ad deditionem compulit. Liv. *l*. 10. *Dec*. 4.

ALCEDO, nomen loci, apud *Daretem Phrygium*, unde Thoas claſſem Græcis advexerat: ſed *Calydonia* legendum haud dubiè: Ortelii *codex membranaceus*, ut ipſe refert, *Calcdone* habet.

ALCENOR, vir fuit Argivus, qui in ea pugna qua 300. Argivi cum totidem Lacedæmoniis de finibus certârunt, ſolus cum Chromio ex ſuis ſuperfuit, hoſtibus quoque omnibus, unô Othryade exceptô, ad internecionem deletis. *Herodot*.

de ALCENSIA Nicolaus, vide *Nicolaus*.

ALCES, Bithyniæ fluv. Plin. *l*. 5. *c*. *ult*.

ALCES, apud Solin. *c*. 23. ubi de Germania, *Eſt & alces mulis comparanda, adeo propenſo labro ſuperiore, ut niſi recedens in poſteriora veſtigia paſci non queat. Scandinavia inſula e regione Germaniæ mittit animal, quale alces: ſed cui ſuffragines, ut elephantis, flecti nequeunt. Propterea non cubat, cum dormiendum eſt*, &c. Græcis eſt ἡ ἄλκη & ἡ ἀλκαή, Pauſan. *l*. 5. & 9. Cujus animalis etiam meminit Capitolin. in Sylva Gordiani, *c*. 3. & 33. *Oves feræ C. Alces X*. Sed mirum, quantum de eo inter ſe Auctores diſſentiant. Plin. *l*. 8. *c*. 15. *ni proceritas aurium & cervices diſtinguat, jumento ſimilem facit*. Solinus, *loc. cit*. mulis comparari vult: jumentum nimirum pro mula accepit. Præterea quod de labro ejus adeò propenſo addit, *Plinius* de Machli memorat, quæ fera eſt Scandinaviæ Inſulæ, ſimilis *Alci*. Cæſar *l*. 6. *Bell. Gall*. *c*. 27. figuram *Alcis* capreæ facit ſimilem, eâdem pellis varietate, ſed magnitudine paulo antecedentem. Pauſan. *Alcis* figuram deſcribit, ἐλάφου τε καὶ καμήλου μεταξὺ *inter cervum & camelum mediam*. Ubi quod ait ἐλάφου, *cervi*, utcunque cum Cæſare convenit: Nam capreæ & cervi, niſi magnitudine, haud fermè diſtant, & varietas pellium in capreis & hinnulis eadem. Quod addit de facie καμήλου, *cameli*, id cum *Plinio* facere videtur, qui proceritatem cervicis Alci tribuit. Cæſar porro *Alces* cornibus mutilas tradit. Pauſanias contrà, *loc. cit*. Ἀλκαῖς μὲν γὰρ ἐπὶ τῶν ὀφρύων [illegible] τὸ δὲ θῆλυ οὐ φύει τὸ παράπαν, *Alces quidem & cornua in ſuperciliis habent mares, fœmellæ verò nequaquam*. Qua in parte cum Cæſare magis convenit Plinio, quàm cum Pauſania: etenim narrat, exceptâ cervicis proceritate & aurium, jumento ſimilem eſſe; nihil dicens de cornibus. At in eo diverſi Cæſar & Plinius, quòd hic machlin nullô ſuffraginum flexu eſſe prodit, Cæſar *Alcem*: cœtero non diſſimilem eſſe Machlin Alci idem Plinius fatetur, &c. Qua de re vide plura apud Salmaſ. *ad Solin*. *p*. 232. Cornua *Alces* & duo ungues, aſſervantur in Muſæo Kircheriano Romæ: cujus editor ita de hoc Animali ſcribit: *Alces, Germ. Elends, vulgò Gran beſtia, animal eſt ſpeciei cujuſdam mediæ inter equum & cervum, quod Olaus M. Onagrum vocat; nares habet & aures pendulas, cornua ferè taurina cervô paulo altior & curſu velocior, Deſertorum Ruſſiæ fera eſt. Juvenis captus adeò manſueſcit, ut non ſolùm canum more dominum olfaciat & ſequatur, verùm cibum potumque humanum ambiat. Ungues ejus adeo medendi robore pollent, ut ab univerſo Populo expoſcantur, ejus unguibus lupus vel ictibus fertur exanimari. Ungues contra epilepſiam præſtantiſſimi, ſi pars in annulari ſiniſtra manus digito aſſervetur, aut deferatur, aut ex eo annulus conficiatur*, *p*. 29. Inter inſignia Suecica, *Alce*, 9. globulis cincta, Geſtriciæ provinc. digma eſt, vide Phil. Jac. Spenerum *Oper. Herald. Part*. 2.

ALCESTE, vel ALCESTIS, Peliæ fil. uxor Admeti Regis Theſſaliæ, quô ægrotante, reſponſum fuit ab oraculo; quod brevi moreretur, niſi aliquis amicorum pro eo morti ſe traderet. Quod cùm omnes recuſarent, ipſa promptiſſimam ſe obtulit. Juvenal. *Sat*. 6. v. 653.

—— Spe læta ſubeuntem fata mariti
Alceſtem; &, ſimilis ſi permutatio detur,
Morte viri cupiant animam ſervare catellæ.

Ab Ovidio *Pagaſæa* dicitur, à Pagaſis urbe Theſſaliæ, *l*. 3. *Metamorphoſ*. v. 19.

Fata Pheretiadæ conjux Pagaſæa redemit,
Proque viro eſt uxor funere lata ſuo.

A Claudian. *Theſſala*. *De laud. Serenæ*: v. 12.

—— —— Conſorte redempto,
Caſta maritali ſucceſſit Theſſala fato,
Inque ſuos migrare virum non abnuit annos.

Plura apud Eurip. *in Alceſte*. Vide *Admetus*.

ALCESTRIA, oppid. Angliæ, in Warvic. provinc. ad amnem *Trow*. *Aulceſter*. Diſtat Warwico 11. milliar. Angl.

ALCETAS Rex Moloſſorum, longâ ſerie generationum originem ſuam ad Pyrrhum Achillis filium referens. Alius qui ſub Alexandro M. dux fuit. Utriuſque meminit. *Suidas*. Pauſan. *l*. 1. Item octavus Macedonum Rex, regnavit ann. 39. Denique *Alcetas*, Hiſtoricus Græcus, ſcripſit de iis, quæ Delphis dicata erant. Athen. *l*. 13. ubi citatur ἐν δευτέρῳ περὶ τῶν ἐν Δελφοῖς ἀναθημάτων.

ALCETAS, Moloſſorum Rex, profugus ad Dionyſium Superiorem, qui ope ejuſdem & Illyriorum in regnum reſtitutus eſt, cum Epirotarum plures decem mille cæſi eſſent. Olympiad. XCVIII. annô quartô. Diodor. Sic. *l*. 15. *n*. 464. Hunc in ſocietatem Athenienſium adduxit Timotheus.

ALCETES, Arymbæ fil. Æacidâ fratre natu major, Epirotarum Rex, ſed impotentis iracundiæ vir, atque ideo à patre expulſus, cum in Epirotas quoque ſævire ac furere inciperet, noctu conſpiratione factâ, unà cum liberis de medio ſublatus eſt. Cui interfecto, Epirotæ Pyrrhum Æacidæ filium ſubſtituerunt. Pauſan. *in Phocicis*.

ALCETIENSIUM, meminit vetus *lapis*, in Auſtria, Lambachi. Lazius *in Republ. Rom*.

ALCHABITIUS, Aſtrologus Arabs, ſeculi 12. Scripſit quædam in Aſtrologia & Optica. Voſſ. *de Scient. Mathem*. *c*. 22. §. 4. & *c*. 64. §. 1.

ALCHASAR, regio, unde Euphrates oritur.

ALCHERIA, aliis *Alqueria* ſeu *Alquaria*, voces propriæ Majoricenſibus, apud quos *Alqueria* ſignificat *lugar de pocas caſas como de muchas*, Beled. i. e. villam paucorum domorum, quam Galli *Hameau* vulgò vocant. Origo vocis ab Arabibus ſeu Mahometanis, qui, dum Baleares Inſul. poſſidebant, villas appellârunt voce Arabicâ, deductâ ab *Alquebir*, *que es lo miſmo que caſa de fuera*, ut ait Joh. Dametus *in Hiſtoria general del Regno Balearico*, *p*. 272. unde etiam origo nominis urbis celeberrimæ, *Cayro*. Neque aliunde Vaſcones hau-

hauſerunt ſuum *alcaceriæ*, quibus id idem ſonat, ut auctor eſt *Oyenartus*. Hinc *Alcaceria* vel *Alcabria*, ex Hiſpan. *Alcaçar*; vox eadem Arabica, ut habet *Sebaſtianus Cobarruvias*, quæ fortem domum, caſtellionem, domum regalem ſignat, quaſi *domus Cæſarea*, domus Regia. Pactum initum inter Jacobum Regem Aragonum & Nobiles Aragonenſes, de conquirendis Balearibus Inſulis, datum Barcinone A. C. 1229. 5. Kl Sept. *Et nos ſimiliter habeamus partem omnium prædictorum, ſecundum numerum Militum & hominum armatorum, qui nobiſcum fuerint, retentis nobis* Alcaceriis *& ſtaticis Regum, in civitatibus, ultra debitam portionem nobis competentem.* Ita *MS. Charta*: ſed apud Dameru̅m prædictum, *loc. cit. p.* 201. habetur *Alcabrias* · *p.* 208. *Alquerias*, &c. Paulo aliter tamen de vocis notione diſſerit Michaël del Molino in *Repertorio Fororum Aragon.* voce *Feria*. *Et ſcias, quia* Alcaçarta, *de qua fit mentio in dicto foro antiquo, eſt quidam locus, ſeu quædam platea parva, in qua Judæi congregabantur, ad emendum & vendendum veſtes & ſuppellectilia domus & alia mobilia*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ALCHYMIA & CHYMIA, hodie dicitur, quam Veteres Χήμειαν, item Χρυσοποιΐαν paſſim vocavêre. Eadem ἱερὰ τέχνη, *ſacra Ars*, appellata, cujus & Pythagoram ſcientem fuiſſe volunt. Unde Lexicon hujus Artis in antiquis libris ſic inſcribitur. Λέξικον τῆς ἱερᾶς καὶ θείας τέχνης. Et alibi ἱερὰν τέχνην interpretantur *τὴν χρυσοποιΐαν, auri effectionem.* Cujus inventores Ægyptios faciunt *Zoſimus*, *Stephanus*, *Cleopatra* & alii Græci Archemiſtæ, uti recentiori ævo iſtiuſmodi flatores dici cœpêre. Nominis ratio in incerto: Interim cùm omnium rerum, quæ ad hanc ſcientiam pertinent, vocabula, ab uſu & conſuetudine communi ſubmoverint Auctores ſui & peculiarem ſibi Dialectum vindicaverint, ſolis Myſtis tantùm intellectam; conjicit *Salmaſ.* fornaculam ſive caminum, in quo argentum & aurum fundebantur, quòd ore hianti & patulò eſſet, χώνην vocaviſſe, i. e. χάσμα, unde χήμεια dein ipſa ars. Sed & Auctores Artis hujus Græci Χύμην quendam, vel Χήμην Prophetam nomine miris laudibus celebrant & inter præcipuos nominant, qui divinam hanc ſcientiam repererunt & amplificârunt; *Zoſimus* inprimis Panopolita, qui illius ſæpe meminit. Unde ab hoc *Chime* fortè vel *Cheme* Propheta, ut alibi vocatur, χήμεια nomen accepit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1097. & infrà in voce *Chemia* & *Chymia*.

ALCHIDAS Rhodius, Cupidinem nudum Praxitelis manu factum adamavit, atque in eo amoris veſtigium reliquit. Plin. *l.* 36. *c.* 5.

ALCHIMACHUS, pictor nobilis. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

ALCHINDUS, Arabs, inter 12. ſubtiliſſima ingenia Cardani, *l.* 16. *Subtil.* Scripſit de ſex qualitatibus.

ALCHIONE, mons Macedoniæ Plin. *l.* 4. *c.* 10.

ALCHIPPE, oppid. Fucinô lacu hauſtum, Plin. *l.* 3. *c.* 12. Alii tamen *Archippe* ſcribunt.

ALCIACUM, vulgò *Auchy le Chaſteau*, oppid. Arteſiæ provinciæ juris Gallici ad Alteiam fluv. 4. leucis ab Hedino, in meridiem.

ALCIATUM, vulgò *Alzato*, oppidul. Ducatus Mediolanenſis in Italia. Vide *Alſiatum*.

ALCIATUS Andreas, JCtus Mediolanenſis, Juriſprudentiæ Repurgator, à Franciſco I. in Galliam accitus, Avenione, Avarici, Aurelianique docuit. Dein Patavii, Bononiæ, Ferrariæ, Papiæ, ubi obiit A. C. 1550. Scripta ejus in Jure plurima, & Emblemata extant. Forſter. *de Juriſc.* Morig. *Hiſt. Mediol.* Vide & Anton. Teiſſier *Eloges*, *Vol.* 2.

ALCIATUS Franciſcus, vide *Franciſcus*.

ALCIATUS Paulus, vide *Paulus*.

ALCIBIADÆ, calceamenti virilis genus. Vide *Vir* & hîc infrà.

ALCIBIADES, Imperator Athenienſis fuit, ſummô locô natus, naturæque & ingenii donis excellentibus exornatus: rurſus verò omni vitiorum genere deformatus, niſi quantum eum ab illis retraxit diſciplina Socratis, cui ſe erudiendum tradidit. Vitam ejus prolixè deſcripſit Plutarchus Græcè, Latinè verò perquam eleganter Corn. Nepos. Vide etiam Thucyd. *l.* 5. 6. 7. 8. Xenoph. *Hellen. l.* 1. *Theopomp.* &c. Hic Alcibiades in ludum quendam ingreſſus, cùm apud magiſtrum Iliada Homeri poſtulatam non inveniſſet, alapam ei impegit ſatis duram; atque eum imperitum eſſe, & ſimiles ſui pueros efficere dixit. Mortem ejus, quod attinet, de ea ſic Juſtin. *l.* 5. *c.* 8. *Quem* (Alcibiadem) *cùm profectum ad Artaxerxem Perſarum Regem comperiſſent, citatò itinere miſerunt, qui eum interciperent: a quibus occupatus, cum occidi apertè non poſſet, vivus in cubiculo, in quo dormiebat, crematus eſt.* Contrà verò habent Plut. & Corn. Nepos, *in ejus vita*, ut jam vidit Clar. Berneggerus. *ibi* Verba Cornelii *l.* 7. *c.* 11. in mendo cubant. *Illi cùm eum ferrò aggredi non auderent, ligna contulerunt, circa domum ſamenam, in qua quieſcebat, eam ſuccenderunt*, &c. Non attinet virorum doctorum ſuper hunc locum conjecturas apponere. Lege, *circa domum Saniſenam*. Saniſene autem locus eſt in confinio Phrygiæ & Galatiæ. *Nic. Lloydius.*

ALCIDÆ, Dii apud Lacedæmonios ſic nuncupati. *Heſych.* Ἀλκεῖδαι, θεοί τινες παρὰ Λακεδαιμονίοις.

ALCIDÆ Statuæ, vide *Alybe*.

ALCIDAMAS, Ceus, pater Cteſillæ, in columbam mutatæ, apud Ovid. *Met. l.* 7. *Fab.* 12.

> *Tranſit & antiquæ Carthæa mœnia Ceæ,*
> *Qua pater* Alcidamas *placidam de corpore natæ*
> *Miraturus erat naſci potuiſſe columbam.*

Vide *Cteſilla* ſic enim filiam Alcidamantis, Poëtæ hic indigitatam, vocat Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec.* IV. ubi *de Oraculis Ægypti*

ALCIDAMAS, luctator inſignis. Stat. *Theb.* 10. *v.* 498

> ——— ——— *Tuque ô ſpectate palæſtris*
> *Omnibus, & nuper Nemeæo in pulvere felix*
> *Alcidama.*

Idem *l.* 6. *v.* 739.

> *Tandem inſperatus nuda de plebe Laconum*
> *Proſilit Alcidamas.*

Item Eleates Philoſophus, Gorgiæ Leontini diſcipulus. *Suid.* Quinctilianus vero inter oratores eum numerat. *l.* 3. *c.* 1. Atque extant ejus aliquot orationes in volumine orationum Rhetorum Aldino.

ALCIDAMIDAS, Dux Meſſeniorum, poſt Ariſtodemi Regis mortem, Ithome à Spartanis expugnatâ, è Meſſenia Rhegium commigravit, Strabo *l.* 6. Ab illo quartus Anaxilas ſeu Anaxilaus fuit, Rheginorum Tyrannus, de quo infra. Vide Pauſan. *l.* 4.

ALCIDAMUS, Rhetor antiquus, imprimis nobilis, Mortis laudationem, & de Muſica ſcripſit. Cicer. *l.* 1. *Tuſcul. Qu.* An idem cum priore? Diog. Laërt. *in Protagora*, *l.* 9. *Suid.* Quintil. *l.* 3. *c.* 1. Plut. *de* 10. *Orator. c.* 6. & 8.

ALCIDAS, à Lacedæmoniis, cum 13. triremibus, ad occupandam Corcyram miſſus. Thucyd. *l.* 3. *c.* 8.

ALCIDES, Minerva cognominata eſt à Macedonibus. Liv. *l.* 42. *c.* 51. de Perſeo Rege bellum adverſus Romanos ſuſcipiente. *Ipſe*, inquit, *centum hoſtiis ſacrificiò regaliter Minervæ, quam vocant Alciden, confectò, cum purpuratorum, ac ſatellitum manu Citium profectus eſt.* Item Herculis cognomen, ab Ἀλκὴ, i. e. *robur*, vel ab *Alcæo* avo paterno, ut vult *Herodot.*

ALCIDZURI, vide *Borſci*.

ALCIMACHUS, pictor nobilis. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

ALCIMEDE, uxor Æſonis, & Iaſonis mater, teſte *Pherecyde* Quamquam *Homeri enarrator* Æſonem ea Polymela Iaſonem genuiſſe ſcribit. Ejus meminit Val. Flacc. *Argon. l.* 1. *v.* 296.

> ——— ——— *Hinc gravis Æſon*
> *Et pariter vigil Alcimede ſpectantque tremuntque.*

Vide *Alcymede*.

ALCIMEDES, Poëta Tragicus, Megarenſis. *Suidas.*

ALCIMEDON, cælator inſignis. Virgil. *Eclog.* 3. *v.* 36.

> ——— *Pocula ponam*
> *Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis.*

ALCIMEDON, campus in Arcadia. Pauſan. *in Arcad.*

ALCIMENES duo fuêre, Megarenſis Tragicus, & Athenienſis Comicus, uterque *Suidæ* memoratus. Poſterioris *Theſaurum*, & *Peccantes* citat *Athenæus*. Item *Alcimenes* inter Achæos, glorià, genereque vir primarius, cujus meminit Plut. *in Dione*. Item alius, Epirota, Demetrii comes, omnium audaciſſimus, ac robuſtiſſimus. Plut. *in Demetrio*.

ALCIMOENNIS, Germaniæ urbs. *Ptol.* Quidam ejus locô *Ulmam* ponunt.

ALCIMUS, Lydorum Dynaſtiæ II. quæ *Heraclidarum* fuit, Rex, ſed quotus, ignoratur. Vir religioſus & mitis, quò regnante quilibet in pace & divitiis ſecurè vixit. Unde annô 7. regni ejus, tota Lydorum gens vota fecit, ut ad eorum bonum totidem anni illi adderentur; quod & factum, Xanthus *Lydiacorum* auctor, apud Suidam, *in* Ξανθ. Sub eodem, Aſcalum Hymenæi fil. Tantali fratrem in Syria ex ſuo nomine urbem, Aſcalonem condidiſſe, refert idem, apud Stephanum in Ἀσκαλ. Vide *Ardyſus*; it. *Argon.*

ALCIMUS, Siculus, Italica conſignavit. Athen. *l.* 10 & Feſt. Pomp. in *Roma*. Item orator, ſui temporis facilè princeps. Laërt. *in Stilpone*. Item Lydorum Rex, pietate, ingenioque mitiſſimo inſignis. Cæl. Rhodig. *l.* 19. *c.* 29.

ALCIMUS, Judæus transfuga; & proditor, à Demetrio, ſeu Lyſia ſummus Judæorum Pontifex conſtitutus, quamvis de ſacerdotum genere non erat. 1 Machab. *c.* 7. *v.* 9. & 2 Machab. *c.* 14. *v.* 3. Vide Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 12. *c.* 17. Salian. Torniel. *A. M.* 3883. *n.* 2. 3893. *n.* 2. & 3895. *n.* 2.

ALCIMUS, Rhetoricam Burdigalæ docuit, cujus meminit Hieronym. *in Chron. Euſebii*, A. C. 360. & Auſonius 2. *Epigr. de Profeſſorib v.* 2.

ALCIMUS Avitus, Archiepiſcopus Vienneniſis, circa A. C. 500. Refutationes Arianorum, Neſtorianorum, Eutychetis & Pelagii; item Epiſtolar. libros 9. Homilias, & poëmata ſcripſit, ex quibus ſex libelli, præcipuas Geneſeos & Exodi hiſtorias explicantes, ſuperſunt. Gregor. Turonenſ. *l.* 2. *c.* 34. Ado Vienn. *in Chron.* Venant. Fortun. Bellarm. *de Scriptor. Eccl.* Baron. *A. C.* 494. 509. & 520. repone. *Alcimus* Ecdicius Avitus, Iſicii Senatoris ac poſtea Vienneniſis Archiepiſcopi fil. Aviti Imperatoris nepos, Apollinaris Valentinæ Eccleſiæ Epiſcopi frater, Patri ſuo in Antiſtitio Vienneniſi ſucceſſit, ex Labbæo. Adde, Alcimus veteri *Avitorum familia fuit, cujus atavus, proavus, pater, avunculus, frater, dignitatibus Eccleſiaſticis clari fuêre*, Illyric. *Cat. teſt. verit.* Præfuit Conciliis Epaonenſi A. C. 517. & Lugdunenſi, & Sigiſmundum Burgundiæ Regem ab Arianiſmo ad fidem convertit, Baron. *in Annal.* Obiit die 5 Febr. A. C. 523. Opera ejus in 8t. Pariſiis prodiêre, A. C. 1643.

ALCINOR, Argivus, in pugna contra Lacedæmonios, ab utraque parte trecenis confligentibus, victor obiit. Herodot. *l.* 1.

ALCINOUS, Nauſithoi fil. Homer. *Od.* 7. Rex Phæacum in Corcyra inſul. juſtiſſimus, dicente Orpheô *in Argonaut.*

> Ἀλκίνοος κρείων δικαιότατος βασιλήων.

Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 87.

> ——— *Pomaque & Alcinoi ſilvæ.*

Ferunt horum pomariorum tantam fuiſſe fertilitatem, ut maturis fructibus novi ſtatim ſuccederent. Stat. *l.* 1. *Sylv.* 3. *v.* 81.

> *Quid biferi Alcinoi referam pomaria? vosque*
> *Qui nunquam vacui prodiſtis in æthera rami!*

Ju-

Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 149

— Illa jubebat
Poma dari, quorum ſolò paſcaris odore,
Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat.

Ovid. *Amor. l.* 1. *Eleg.* 10.

Præbeat Alcinoi poma benignus ager.

Propert. *l.* 3. *Eleg.* 1.

Nec mea Phæacas æquant pomaria ſylvas.

Plin. *l.* 19. *c.* 4. *Antiquitas nihil prius mirata eſt, quàm Heſperidum hortos ac Regum Adonidis & Alcinoi.* Meminit etiam, præter vulgares alios, hortorum Alcinoi Theophilus Patriarcha Antiochenus *l.* 3. *ad Autolycum*, ubi vulgò malè legitur *Antinoi*. Et Nazianzenus *Carm. ad Vitalianum* proverbialiter:

— Ἡ δ' ἐπὶ πασῖν ἡ ἄλκιν👉 Ἀλκινόοιο
Τετρώροφα.

Alcinoi apologus, dicitur de longis & anilibus fabulamentis; refertur à Diogeniano, & Julio Polluce *l.* 6. Sumptum ex Homeri *Odyſſea*, ubi Ulyſſes in convivio Alcinoi Phæacum Regis prodigioſas fabulas, & portentoſa mendacia commemorat de Lotophagis, Læſtrygonibus, Circe, Cyclopibus, atque id genus aliis plurimis miraculis, fretus videlicet Phæacum inſcitiâ. Hôc proverbiò uſus eſt Plato *de Republica l.* 10. Jul. Pollux, *l.* 2. *c.* 4. & *l.* 6. *c.* 26. Virg. *l.* 2. *Georg.* Plin. *l.* 19. *c.* 4. Tertullian. *de Pallio c.* 2. *Nic. Lloydius.*

ALCINOUS, Philoſophus, epitomen compoſuit decretorum Platonis. Eam edidit doctiſſimus vir Dan. Heinſius Græc-Lat. unà cum Maximo Tyrio, Lugd. Batav. 1607. in octavo.

ALCINUS, unus ex filiis Hippocoontis. Apollodor. *l.* 3.

ALCIONIUS, Petrus, vide *Petrus.*

ALCIPHRON, Magneſius Philoſophus, Alexandri temporibus, *Suidas.*

ALCIPPE, Martis ex Agraulo filia. Apollodor. *l.* 3.

ALCIPPE, fil. Oenomai, uxor Eveni, mater Marpeſſæ fuit, quæ cùm ab Ida rapta eſſet, pater raptorem inſecutus, incidit in fluvium & immortalis evaſit, Plut. *in Parall.* Item, filia Alcyonis Gigantis. Cæl. Rhodig. *l.* 14. *c.* 11. *Suid.* Alia, quæ Elephantum peperit, Plin. *l.* 7. *c.* 3.

ALCIPPE, ruſtica mulier, cujus ſæpe meminit *Theocritus.* Virg. *Eclog.* 7. *v.* 14.

Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam,
Depulſos a lacte domi quæ clauderet agnos.

ALCIPPUS, civis Lacedæmonius, inter ſuos maximæ authoritatis, patriæque ſtudioſiſſimus, qui ab inimicis, contrarias partes in Rep. foventibus, in exilium actus fuit. De cujus uxore Democrita, lege memorabilem hiſtoriam, apud Plut. *in Erot. c.* 5.

ALCISTHENE, nobilis pictricis nomen. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

ALCISTHENES, Archon Athenis, Olymp. 102. anno 1.

ALCISTHENES, Sybarita ditiſſimus, cujus mentio fit *in mirabilibus* Ariſtotelis. Niſi fortè legendum *Antiſthenes.*

ALCITHOE, Thebana mulier, quæ, cùm Bacchum, ejuſque orgia contemneret, cæteriſque mulieribus ſacra celebrantibus, cum ſororibus & ancillis lanificio operam daret, ab irato Baccho in veſpertilionem commutata eſt, telæ autem in vitem & hederam. Ovid. *Met. l.* 4. *Fab.* 1. Docet hæc fabula, culmen divinum non negligendum, ſceleratos conſcientiæ ſtimulis agitari, à Numinis incuria facilem eſſe in hæreſes lapſum, Deumque tandem ex impiorum pœnis gloriam Juſtitiæ ſuæ manifeſtare ſolere. *Nic. Lloydius.*

ALCLUITH, oppid. Scotiæ, apud Cludam fluv. vulgò *Dunbritton*, teſte *Hectore Boethio.*

ALCMÆON, Amphiarài vatis, & Eriphyles fil. Huic pater, ad bellum proficiſci coactus, nequitiam Eriphyles in ſe aperuit, eique futuræ mortis ſuæ vindictam reliquit; qui defunctò patre memor præcepti, ut in patrem pietatem ſervaret, impius in matrem factus eſt, eamque necavit. Huic fabulæ à cæteris additur, quum poſteà ob matris cædem Alcmæon furiis agitaretur, veniſſe ad fluv. Phlegeum, à quo luſtratus eſt, & cum filiam ejuſdem Alpheſibœam amâſſet, donatò illi monili, quod matris Eriphyles fuerat, uxorem illam duxiſſe: cæterùm cùm aliquando ad Acheloum fluv. poſt ea tempora fortè reduſſet, placuiſſetque ipſi Callirhoë Acheloi filia, monile, quod ſuperiori conjugi dederat, etiam huic, nuptiarum ſpe, pollicitum eſſe. Ad quod repetendum, cùm proficiſceretur, à fratribus Alpheſibœæ, Themone, & Axione, occiſum eſſe: qui tamen & ipſi ab eodem mutuis vulneribus petiti, perierunt: vel, ut Ovidius videtur ſentire, à filiis Callirhoës, quos Jupiter natos ſtatim Deos fecerat, in ultionem patris occiſi ſunt. Vide *Met. l.* 9. *Fab.* 10. Pauſan. *l.* 8. Euſeb. *Anno* 817. *ab Abrahamo A. M.* 2743. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 445.

— — Mæſtamque Eriphylen,
Crudelis nati monſtrantem vulnera, cernit.

Propert. *l.* 3. *Eleg.* 4.

Aut Alcmæonia furiæ, aut jejunia Phinei.

ALCMÆON, Silli fil. Thraſymedis nepos, cum reliqua Neſtoris progenie, è Meſſenia ab Heraclidis in Peloponneſum reverſis, pulſus, Athenas venit à quo *Alcmæonidarum* genus inclaruit, Pauſan. *l.* 2. Ex his Megacles poſtea, Cylonis, piaculi reus, cum poſteris, factus eſt. Unde Herodotus, οἱ δὲ Ἀλκμαιωνίδαι εἶχον αἰτίην τοῦ φόνου τούτου, *Alcmæonidæ hujus cædis reatum ferebant*, *l.* 5. *c.* 71. Vide *Cliſthenes*, *Megacles*, *Neſtor.*

ALCMÆON, ultimus ex perpetuis Athenienſium Archontib. poſt Æſchylum, regnavit ann. 22. dum Sabbacon Æthiops in Ægypti regulis opprimendis eſſet occupatus. Illum Syncellus vocat τὸ λ βασιλέα Ἀθηναίων, *trigeſimum Athenienſium Regem*, videl. non à Medonte Archonte primo, ſed à Cecrope; namque *βασιλέων*. *Regum*, nomen etiam Archontas perpetuos, imò & decennales, habere apud Actores; dicemus voce *Medon*. Ei ſucceſſit Charops, fil. Æſchyli, in decennali dignitate, *A. M.* 3300. Euſeb. *Alcmæon* etiam dicitur pro *Alcman*, à quo alius eſt ille, qui in *Delphorum commentatio* citatur à Plut. *in Solone.*

ALCMÆON, Philoſophus Crotoniates, fil. Pirithi, diſcipulus Pythagoræ. Primus Phyſicam ſcripſit. Vide Diog. Laërt. *in Alcmæone l.* 8. Clem. *Stromat. l.* 1. Euſeb. *an.* 250. *Urb. Cond.* Alius, Hiſtoricus, Plutarcho laudatus, *in Solone.*

ALCMAN, Poëta Lyricus, Olymp. 27. cùm Ardys Lydiæ imperaret, vixit, qui, utpote Lacedæmonius, linguâ ſcripſit Doricâ. Eſt vero diverſus ab Alcmane Meſſenio, iidem Lyrico. Vide Voſſ. *de Poet. Græc. p.* 13. & 15. Pauſan. *l.* 5. Euſeb. *in Chron.* Plut. *c.* 2. *de Exilio & in Sylla.* Plin. *l.* 11. *c.* 53.

ALCMANIA, civitas Cariæ mediterranea, aliàs *Heraclea* dicta. *Steph.*

ALCMARIA, oppid. German in Hollandia Seu potiùs Weſt-Friſiæ, egregie munitum, unde repulſus fortiter Hiſpanus, A. C. 1573. Nanius *Miſcellan. l.* 10. ait, quibuſdam hanc ab *halecum mari* nominatam videri: aliis quaſi *Almariam*, i. e. *omnino paluſtrem.* *Meren* enim Germanis dicuntur ſtagna latiora. Longitud. 26. 00. latitud. 52. 46.

ALCMENE, & Archaicè *Alcumena*, Electryonis Mycenarum ex *Perſeidis* Regis III & Lyſidices filia, Amphitryonis uxor, cui hâc lege nupſit, ut mortem fratris ſui à Teleboïs occiſi, ulciſceretur. In qua expeditione cum Amphitryo verſaretur, Jupiter in Alcmenam ardens, formâ militis aſſumptâ, quaſi ab expeditione rediens, ante lucem ad eam acceſſit. Illa autem maritum eſſe ſuum credens cum eo concubuit, etſi antea ab Amphitryone prægnans eſſet; concepitque, & ſic geminos peperit, Iphiclum ex Amphitryone, & Herculem ex Jove. Ovid. *Met. l.* 9. *Fab.* 5.

— — Levata eſt
Argolis Alcmene, potiturque puerpera votò.

Vide Plaut. *Amphitruonem.* Diodor. Sic. *l.* 4. *c.* 9. Ovid. *Met. l.* 9. *Fab.* 5. & 6. De ejus ſepulchro & conjugio Rhadamanthi, Plut. *in Lyſandro.* Imagine à Zeuxide picta, Plin. *l.* 35. *c.* 9.

ALCMENIDÆ, Athenas à tyrannide Piſiſtrati liberârunt, Herodot. *l.* 5. *Thucyd.* Pauſan. *in Attic.* Vide etiam Plut. in iis *quæ contra Herodot.*

ALCOBASA, monaſterium celeberrimum Ordinis S. Benedicti in Portugallia.

ALCOBRICENSES, vide *Arcobriga.*

ALCOCERUM Salinarum, oppid. Hiſpan. in Portugallia, ad fluv. *Zadaon.*

ALCOMENÆ, civitas Ithacæ, & alia Illyriæ. *Steph.*

ALCON, Cretenſis, alius fil. Erechthei, Principis Athenienſis ſagittarius inſignis, cujus filium cùm draco invaſiſſet, tantâ arte direxit ſagittam, ut ea currens in ſerpentis deſiſteret vulnere, nec tranſiret in filium. Servius *in Illud Virg. Eclog.* 5. *v.* 11.

Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

Item faber argentarius. Ovid. *Met. l.* 13. *Fab.* 5.

Miſerat hunc Therſes illi, fabricaverat Alcon
Myleus, & longò cælaverat argumentò.

Alius apud Statium *l.* 6. *v.* 556.

— Sequitur Sicyonius Alcon.

Alius Hippocoontis, fil. cujus ſepulchrum deſcribit Pauſan. *l.* 3.

ALCON, Martis fil. Alius, Amyci fil. qui ad aprum Calydonium ierunt. Hygin. *Fab.* 173.

ALCON, unus ex Hippocoontis filiis. Apollodor. *l.* 3. Vide ſuprà.

ALCONA Pompejana, Galliæ Narbonenſis portus, 18. mill. paſſ. à Telone Martio. *Antonin.* Vide *Nacona.*

ALCORANUS, liber, quem impius Mahumetes unà cum magiſtro ſuo Sergio monacho, ac ſociis quibuſdam Judæis conſcripſit, partim ab Hebræis, partim à Chriſtianis mutuans. Fit autem ea vox ex articulo Arabico *Al*, & nomine *Coranon*, quod vel *lectionem*, vel *collectionem* denotat. Hujus hiſtoria porro paucis ſic habet. Poſt Mahometis obitum, cùm, ultra ducentos, diverſi commentarii in eum extarent, Mohavia Calipha Babylonius, conventu Damaſci inſtitutò, fruſtrà diſſidentes conciliare conatus eſt. Quare 6 è toto numero doctiſſimos ſelectos, quemque ſeorſim includi, & ſcribere juſſit, quod quiſque optimum cenſeret. Sic prodierant 6. illi libri, qui *Alcorani* dicuntur, reliquis ſcriptis in profluentem projectis, & omni contradictione ſeveriſſimè prohibitâ. Nihilominus 4. inde ſectæ ortæ: Quarum prima & maximè ſuperſtitioſa *Melchi* doctoris, Æthiopas & Arabas: Secunda, *Imeniana* dicta, traditioni Aly conformis, & rationi magis conveniens, Perſas: Tertia *Omari*, & liberrima, Turcas; Quarta tandem & ſimpliciſſima, *Odemani*, Tartaros ſectatores habet.

ALCORANUS Arabicus, quô uſus eſt Solimannus Imperator Turcarum, aſſervatur in Muſæo Kircheriano Romæ, uti refert Auctor *Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæi*, p. 10.

ALCTA, Siciliæ mediterranea urbs, Ἄλκτα *Ptolemæo*, ubi MS. Palatin. Ἄκτα.

ALCUDIA, oppid. Inſulæ Majoricæ noviter munitum, cum portu 7. leucis ab urbe Majorica diſtat.

ALCUINUS, Anglus, vir eruditiſſimus, variis & reconditis diſciplinis ornatus, primus apud Pariſios literarum aperuit ludum, honeſtiſque effecit exhortationibus, ut Carolus Magnus, cujus præceptor fuerat, Pariſienſe extruxerit Gymnaſium, multiſque exornaverit privilegiis. De quo Conradus ut hunc modum ſcripſit *in Bibliotheca. Alcuinus, ſeu Albinus, monachus ac diaconus, Abbas monaſterii S. Martini Turonenſis, natione Anglicus, & Bedæ presbyteri quondam auditor, inſinita prope ſcripſit volumina, author ubique pius, ubique doctus, ſuccinctus,* ma-

maturus, gravis, ſenecâ plenus, & ante alios præcipuè dignus qui ſemper in hominum manibus teratur, quo vanitas omnium, quæ ſub ſole geruntur, magis diluitur; & corda mortalium ab inſtabilium rerum cura ad amorem cœleſtium ardentiùs inflammantur. Obiit A. C. 804. Vide Bellarmin. *de Auth. Eccleſ.* Sigebert. & Genebr. *Chron.* Voſſ. de *Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 30. Baron. *A. C.* 761. Aliis *Albinus*, item *Albinus Flaccus Alcuinus*, Eboracô oriundus, ubi etiam docuit, fuit S. Ludgeri Magiſter, Bedæ Venerab. contemporaneus, Caroli Regis Francorum, à quo in Gallias evocatus fuit, Præceptor, Abbas primò Cantuarienſis, dein Turonenſis, *Baron. Bellarm. &c.* Opera ejus in fol. prodiêre Pariſiis A. C. 1617 & alibi. Obiit paralyſi, die Pentecoſtes, Maji 19. A. C. 804. in Cormeriacenſi Cœnobio ſepultus, *Labbeo*.

ALCYMEDE Iaſonem omnes ex Æſone genitum conſentiunt. De ejus matre non uſque adeo inter ſcriptores convenit. *Apollonius* & *Valerius Alcymeden* Clymenis filiam fuiſſe ſcribunt: *Steſichorus Eteoclymenen*, *Pherecydes Alcymeden* Phylaci filiam. *Herodor. Polyphemen* Autolyci. Andron *in abbreviatione* [illegible] *Theognetes*, Laodici filiam, Iaſonis matrem fuiſſe autumat. Natus eſt autem ex his duobus ſolus Iaſon, ut ſentit *Apollon.* Ibycus filiam etiam eis dicit fuiſſe *Hippolyten* nomine. *Diodor. Sic.* etiam filium alterum, *Promachum*.

ALCYNOE, Sacerdos Junonis Argivæ tertia; cujus Sacerdotii annô 26. qui in tertiam ante Troica ætatem incidit, *gens Sicula ex Italia* migravit, referente *Hellanicô Lesbiô*, qui per Sacerdotum harum tempora hiſtoriam deduxit, laudato Dionyſ. Halicarn. *l.* 1.

ALCYONE, vel ALCINOE, una ex Pleiadibus, ex Atlante, & Pleione nata, quæ placuit Neptuno: ex quo peperiſſe volunt Alcyonem, conjugem Ceycis Regis Trachiniæ. Bocat. *l.* 4. A. Gell. *l.* 3. *c.* 10. Pauſan. *l.* 3.

ALCYONE, vel HALCYONE, Neptuni fil. Ceycis uxor, quæ, cùm ad Oraculum vir ejus navigans naufragium feciſſet, doloris impatiens, ſe ſubmerſit, ac Deorum commiſeratione in avem ſui nominis mutata eſt. Ovid. *Met. l.* 11. Theocr. Schol. *Idyll.* 7. [illegible] Servius autem ad Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 399. notat nominativum eſſe *Alcyone*, cùm de muliere dicitur: cùm de avibus, *hic & hæc Alcyon*, *hi & hæ Alcyones*. Putant debere ſcribi *Halcyon*; dici enim [illegible] Vide Ariſtot. *Hiſt. Animal. l.* 9. *c.* 14. & *l.* 5. *c.* 8. Varron. *de L. L. l.* 6. Schol. Apollonii *p.* 52. & Schol. Ariſtoph. *in Avibus*. *Nic. Lloydius*. Vide Ceyx.

ALCYONE, Eveni fluvii filia, quæ & *Marpeſſa* dicta eſt, uxor Idæi, quam Apollo cùm rapuiſſet, non dubitavit maritus, ſumptô arcu & ſagittis, uxorem ab eo repetere, quod cùm fruſtra conatus eſſet, parentes filiæ caſum lugentes, commutatô nomine, Alcyonem eam appellârunt, quòd fatum ſuperiori Alcyoni non diſſimile fortita videretur. Homer. *Il.* 9. Vide *Ida & Marpeſſa*.

ALCYONE, Meleagri conjux, quæ ob mariti mortem, luctu deceſſit. Hygin. *Fab.* 174.

ALCYONE, oppid. Theſſaliæ, teſte Pliniô, *l.* 4. *c.* 7. ad ſinum Maliacum, ex cujus ruinis Methone oppid. extructum, ad quod Philippus, Alexandri M. pater, alterô oculô orbatus eſt.

ALCYONE, vide *Halcyone*.

ALCYONEUS, Antigoni fil. de cujus virtute, & Patris, poſt filii obitum, conſtantia, vide Laërt. *l.* 4. Plut. *in Pyrrho*. Item Gigas quidam, Porphyrionis frater, ab Hercule telis confoſſus: cujus filiæ, quas ſeptem numerant, ob patris mortem in mare præcipitatæ, ab Amphitrite in *Alcyones* ſunt mutatæ. Vide *Suidam*, Natal. Com. *l.* 7. *c.* 1. Cœl. Rhodig. *l.* 24. *c.* 11. Claudian. *l.* 3. *de Raptu Proſerp.*

—— Fractane jugi compage Veſevi
Alcyoneus per ſtagna pedes Tyrrhena tetendit?

ALCYONIUM, Stagnum immenſæ altitudinis; Nero enim Imperator, junctis quàm plurimis funibus profunditatem ejus non potuit explorare; quod & *Amphiarai* fons dicebatur, teſte Pauſaniâ. *l.* 1.

ALDARUS Johan. Hiſtoricus Anglicus Hiberniam & Scotiam deſcripſit. Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 3. *part.* 2. *p.* 708. Vide & *Johannes*.

ALDEBERGA, urbecula Germaniæ in Saxonia ſuperiore in confinio Bohemiæ, verſus Albim fluv. Subeſt Electori Saxoniæ.

ALDEBERTUS, inſignis impoſtor Gallus. De cujus erroribus, vide Baron. *A. C.* 742. 745.

ALDEBURGUM, urbecula Germaniæ in Holſatia, cujus ſedes Epiſcopalis inde Lubecam eſt tranſlata, A. C. 970. Aliter *Oldenburg*, unde tractus cognomenis in Wagria regione.

ALDEBURGUM, Oppid. Angliæ, in Suffolcia provinc. & in ora maris German. Vide *Iſurium*.

ALDEGISIUS, Deſiderii Longobardorum Regis fil. à Carolo Magno victus & in carcerem conjectus, Aliter *Theophanes*, apud Baron. *A. C.* [illegible]4. ſenect.

ALDEGUS, fluv. territorii Veronenſis. Cadit in Atheſim, in ditione Veneta.

ALDENARDUM, vulgò *Oudenarde*, urbs Flandriæ munita, inter Gandavum atque Tornacum, & interfluente Scaldi fluv. dividitur, ſub Galliæ Rege. Arcem habet validam, *Pamele* dictam, in medio urbis. *Nic. Lloydius*. Pace Neomagenſi Hiſpanis reddita eſt A. C. 1678. Dicitur etiam *Aldenarda*, Wilhelmo Brittoni *Audenardenum caſtrum*, incolis *Oudenaerde*: origo vocis ex *alden* & *arda*, quaſi dicas *Vetera paſcua*: Incolæ enim paſcua *arden* vocant. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ALDENBURGUM, oppid. Germaniæ, in Miſnia, cum caſtro, unde Duces Aldenburgenſes, è domo Saxonica. Vide *Altemburgum*.

ALDENBURGUM, Comitatus in Weſtphalia, qui ab ortu ad Viſurgis ripam, provincias Stegingiam (è regione Bremæ tracti Delmenhorſtæ ſubjectam) Stadlandiam in quinque, Butiadiam in ſeptem parochias tributam, & huic ſubjectam Jeveriam, Friſiæ partem 18. parochias magnam complectitur: ad occaſum Ameriangiam ad Amaſim fluvium porrectam, in medio Morinum habet ad Boream Friſiâ & Oceanô: ad meridiem diœceſi Monaſterienſi terminatur, *Mitel.* Item Ducatus & urbs Franconiæ, ſub Archiepiſcopo Moguntino. *Munſter*.

ALDEBRANDUS, vel HILDEPRANDUS Rex Longobard. poſt Luitprandum, ob ſevitiam mox pulſus, Rachim ſucceſſorem habuit. Platina *in Zacharia*. Baron. *A. C.* 744.

ALDERMANNUS, Saxon. *Ealdermann*, i. e. [illegible] *Senior*, Magiſtratus ſpecies. Apud Anglo-Saxones, multiplicitèr occurrit. 1. Pro *Seniori* vel *Superiori*, in quavis præfectura; ita Principes & Rectores provinciarum, Comites, Præſides, Senatores, Tribunos, generali nomine, appellabant *Aldermannos*. 2. Pro particularibus Magiſtratibus: Sic reperitur apud Hiſtoricos: *Aldermannus totius Angliæ*, *Aldermannus Regis*, *Comitatus*, *Civitatis*, *Burgi*, *Caſtelli*, *Hundredi & Novemdecimorum*: de quorum poteſtate facilè non eſt definire, veterum omnes, pro more ſuæ claſſis, juriſperitos fuiſſe, liquet è LL. Divi Eduardi, *c.* 35. *Aldermannus* olim ſimpliciter dictus eſt Æthelſtanus, Dux Orientalium Anglorum (qui præ magna potentia *Half-king*, i. e. Semirex, appellatus eſt) nec non filii ejus Æthelwoldus & Aeſwinus, qui clariori etiam titulô, *Aldermannus totius Angliæ* ſalutatus eſt, ut ex Epitaphio ejus in Eccleſia Rameſienſi, quam A. C. 969. fundavit, patet. Ubi idem fortè titulus hic deſignat, quod inferiori ſeculô *Capitalis Angliæ Juſtitia*, vide infrà in voce *Juſtitia*. *Aldermannus Regis* nuncupatus videtur, vel quòd à Rege conſtitutus eſſet, vel quod judicia Regia exerceret in provincia ſibi credita, non ut perpetuus Magiſtratus, ſed per occaſionem delegatus, eorum inſtar, quos olim Miſſos dominicos vel Juſtitiarios ad Aſſiſas hodie Angli appellant. *Aldermannus Comitatus*, propriè fortè fuit Prætor ſeu Juſtitiarius Comitatûs, (qualis apud Saxones *Sagibarones*) Archiepiſcopô & Satrapâ inferior, Epiſcopo verò æqualis. Delictorum enim in Epiſcopum & *Aldermannum* par contumacia, par pœna fuit, ut liquet ex *LL.* Alvredi: par item capitis æſtimatio in *LL.* Æthelſtani. Unde medium locum is tenuit, inter Satrapam ſeu Comitem & Vicecomitem, ſummæque fuit dignitatis, qui Epiſcopo tum in æſtimatione tum in munere junctus, cum eo ſimul Comitatum regebat, illô ſecundùm divinum, iſtô ſecundum humanum jus, judicia publica exercente. Sic enim in Comitatu ſimul conſediſſe videntur, Comes, qui Reipubl. partes tueretur; Epiſcopus, qui Eccleſiæ; & *Aldermannus*, qui legem diceret & exponeret. Penes eundem fuit, arma tractare, & ſuæ ditionis vires cière, ut contumaces frangeret, & juſtitiam publicam promoveret, ex Alvredi *LL.* c. 38. De furibus etiam cognoſcere, ex *LL.* Inæ MS. *c.* 34. Nec eô inconſultô ſedem cuiquam mutare licuit, ex *LL.* ejuſdem Alvredi *c.* 35. *Aldermanniorum Civitatis*, *Burgi ſeu Caſtelli*, officium: *Leges & libertates & jura & pacem Regis*, & *juſtas conſuetudines Regni*, & *antiquas à bonis prædeceſſoribus approbatas*, *inviolabiliter*, & *ſine dilatione*, *modis omnibus pro poſſe ſuo ſervare*: *Cum verò improviſum vel dubium vel malum contra Regnum vel contra coronam Domini Regis*, *Juratis ballivis ſuis ſubitò emerſerit & pulſatis ſtatim campanis*, *convocare omnes & univerſos*, &c. ex *LL.* Divi Edwardi Confeſſoris, *c.* 35. Quæ tamen ad Prætores potius, quos *Majores* & Ballivos appellant, quàm ad *Aldermannorum* ordines (hodie in ſitu in quavis Civitate & Burgo) referenda exiſtimat, Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Vix enim hi Ordines apparuerunt Richardi I. tempore, quô novis miniſteriis antiqua nomina induci cœpêre. *Aldermannus Hundredi* ſeu Wapentachii, ſequitur, & *Aldermannus Novemdecimorum*, quorum hic inde dictus eſt; quod ſicut in Decania, Decanus novem præfuit hominibus, ſic in duplici Decania, ipſe Vicenarius novemdecim reliquis eſt præpoſitus: ille, quod toti centuriæ imperitabat, fortè idem cum Hundredi Præpoſito, & qui hodie dicitur *Seneſcallus Hundredi*. Plura vide apud præfatum Spelmannum. Hinc *Aldermannia*, apud Wilhelm. Thorn. *in Chron.* A. C. 1278. *Nicolaus Abbas cum conſenſu ſui Conventus conceſſit & dimiſit cuidam Magiſtro Nicolao*, Aldermanniam *de Weſtgate*, *quæ tum ad iſtud Monaſterium pertinebat* —— *reddendo inde annuatim* —— 10. *lib. ſterlingorum pro omnibus ſervitiis*. Præpoſitura eſt, ſeu Præfectura caſtri vel villæ, Gall. *Prevoſte*: quâ voce notatur quandoque villas & prædia, quæ ad Monaſteria aut Canonicorum Collegia ſpectant & Monachis aut Canonicis ad vitam vel ad certum tempus cum reditibus conceduntur. Car. du Freſne *in Gloſſario*.

ALDESCUS, Sarmatiæ Europææ fluv. qui ſe unà cum Panticape ex Riphæis montibus oriens in mare glaciale evolverat. Dionyſ. Perieg. v. 314.

[illegible]
[illegible]

Suidas. [illegible] Apud Priſcianum in margine pro *Aldeſci*, *Ardiſci* ſcriptum reperi, & eundem *Ardiſcum*, [illegible], teſte *Ariſtarchô*, fluv. Scythiæ eſſe, cujus etiam meminit Herodot. *Muſâ primâ*. *Nic. Lloydius*.

ALDESTANUS, Angliæ Rex. Vide *Adelſtanus*.

ALDHELMUS, vel ADELMUS, & corruptè *Authelmus*, frater Inæ Regis Saxonum Occidentalium, homineque Epiſcopus multa ſcripſit, obiitque A. C. 709. Beda *l.* 5. *Hiſt. Ang. c.* 19. Voſſ. *de Poet. Lat. c.* 5. & *de Scient. Mathem. c.* 34. §. 15. *c.* 51. §. 13. & *c.* 64. §. 11. Trithem *Chron.*

ALDIA, mulier ſubdita. *Tradimus cum omnibus — ſervis & ancillis*, Aldiis & Aldiabus, *colonis & colonabus*, in quodam *Privil.* Caroli M. apud Torrigium *de Vatic. Crypt.*, ubi Auctor hic notat, *Aldiones* & *Aldianos* in conditione differre à ſervis ſeu mancipiis & colonis, & eoſdem eſſe ait, cum clientibus & comitibus, Italice *Maſſari* & *Soccii* dictis. Dom. Macro *in Hierolex.* *Aldius* & *Aldio* eſt ſervus, ſeu liber, cum hypotheca aliqua ſervitutis

[illegible] m, cujus filius, [illegible] filia *Alk* [illegible] dicta: [illegible] Pleniſſ. l. pro Navarræ Eccleſia ha- [illegible] *alc. ſodibus & aldianis*, apud Baronium ad [illegible] in Cod. [illegible]. *Aldius* ſive: ex genere ſervo- [illegible] peculiaris & propria ſunt ſervorum ſpecies, ab aliis di- verſi, unde inter ſervos crebro recenſentur, in Lib. [illegible] 1 [illegible] § 4 *tit.* 7. §. 19 *tit.* 8. §. 1, 2, 3. alibique paſ- ſim [illegible] *Aldius* dicitur, qui *ad* [illegible] *ſervit patrono. Gloſſ. Veteres*, [illegible] *ſtatu liber*. *Aldius eſt libertus*, [illegible] *orum factus*. Quæ poſterior deſcriptio firmatur [illegible] *lib. tit.* 23. §. 3 [illegible] *Aldius cujuſcunque in caſa al-* [illegible] *domini ſub* [illegible] *gerit*, [illegible] *fuerit, ſic debet dare* [illegible], *qui eum habuerit, operas, quomodo de ſervo*. Atque inde e- jusdem conditionis dicuntur *Aldi* in Italia, qui *Fiſcalini* & *Lidi* in Francia, [illegible] *l.* 3. *tit.* 20. habebantque Patronum perinde ac Liber- ti [illegible] 35. §. 3. & *tit.* 44. §. 1. 4. Manumittebantur autem, ſeu [illegible] eximebantur, non in Eccleſia, ut Servi, ſed per chartam, *l.* 2. [illegible] 4. § 5. Salmaſio iidem qui *vaſſi* ſive *miniſteriales*; antiquio- ribus [illegible] *coſis*, *hoc*, inquit, *vaſſi* & *miniſteriales*, *Aldi* & *Miniſteria- les*, ſæpe junctim ponuntur in veterib. Longobardorum *legibus*. Hi- que erant propriè *caſtrenſes* & militares miniſtri, qui & *fideles* & *ho- mines* & [illegible] alii; qui dominos ſuos ad bellum euntes ſequi tene- bantur [illegible] præſto ſemper adeſſe, vide enim *Not. ad Lamprid. in Alexandro Severo c.* 41 & infra, in voce *Miniſteriales*. De etymo vocis vide Dominicum *de Prærogat. Aldiorum l.* 1. *n.* 8. Ab eodem origine *Ald*[illegible] dicti ſunt, quos inter officiales Regios recenſet [illegible] Caroli M. quæ extat in Chron. Farfenſi *p.* 653.. *Ducibus*, *Co- mitibus*, [illegible] *aſtaldiis*, *Vicariis*, *Centenariis*, Aldionatis, *vel reliquis fi- delibus* [illegible]. Ubi videntur longe potioris conditionis fuiſſe quam *Aldi* & *Aldiones*. Item *Aldionaricia*, habitacula *Aldiorum* & *Al- dionum*, quæ cum ipſis poſſeſſionibus variabant; in *Charta* Ludovici & Lotharii Imperatorum *dict. Chron*. &c. Plura de his vide apud Car. du Freſne [illegible] & infra in voce *Haldiones*.

ALDILAZITH. Aſtrologus Arabs, Auctor operis *Archi- bus* Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 64 §. 2.

ALDOBRANDINUS, Sylveſter, vide *Sylveſter*.

ALDROVANDUS Ulyſſes, Bononienſis, incomparabilis Naturæ perſcrutator, varietate doctrinæ, ubertate ſcriptorum, re- conditæ eruditi ingenii viribus, cunctos ferò tum priſci tum ſui ſe- culi ſuperavit, Bononiæ Profeſſ. Philoſophiæ, Medicinæ & Rei Her- bariæ, undecunque ad ſua oracula confluentes habuit innumeros. Muſæum [illegible] ibus naturæ deliciis inſtruxit, in quo gummi, la- chrymæ, radices, herbæ, lapides, animalia, gemmæ, quæ to- tius mundi mercatum referre videntur, ejus voluntate aſſervantur hodieque in Curia Bononienſi, magnifico apparatu, & exterorum conſpectui ac ſtupori exponuntur. Quod ſi antiquitas Theophra- ſtum 100. Chryſippum 700. Atrejum Capitonem Conſulem 69. Servium Sulpicium 180. &c, quod omnem fidem excedit, Orige- nem 6000 librorum volumina ediſſe gloriatur: nec hâc laude *Al- drovandus* fraudandus eſt, ut qui non impari felicitate Veterum æqua- vit gloriam, recentiorum verò ampliorem reddidit. Interim ob li- brorum editione, cum in res familiaris anguſtias ſenex redactus, ut in Xenodochio Bononienſi *della Vita* vitam finiret A. C. 1605. de- cubuit. Edidit cum iconibus *Specimen generale omnium rerum anima- tarum & inanimatarum*; *de Meteoris*, *Foſſilibus*, & *aliis inanimatis* [illegible] *generis*: *de Animalibus ſanguineis volumina V.* Ornithologiæ tomos III. *de Animalibus exſanguibus Hiſtoriam*, *lib. IV. de Plantis*. Sunt Ico- nibus De *Aldrovandis*, *Obſervationes* [illegible] *rerum natural.* *Diſtri- butionem omnium rerum natural.* *Antidotarium omnium medicamentorum, quæ ſunt in quotidiano uſu*: *Lectiones in Dioſcoridem*: *Indicem Plantarum* [illegible]: *Stephanologiam ſeu de Coronis*, *Moſchologiam*: *De Vinorum varietate*: *De Nectariis*: *De Fermento*: *De Unicorno*: *De Cancris*: *Dracologiam*, *Echidnologiam*, *Elucidarium Theolog.* & quæ reliqua ſunt, ſub Vid. Joh. Imperialem *Muſæo Hiſtor.* & Frehe- rum *Theatro*.

ALDUABIS. Celtarum fluv. oriens circa montem Juram, Sequanos ab Helvetiis dividens, lapſuſque per comitatum Burgun- diæ, Veſontionem Sequanorum oppidum, et circinò circumdu- ctum penè totum cingit: Deinde Dolam urbem prætercluens, cir- ca V[illegible], non longè à Cabillonenſi urbe, Arari fluvio mi- ſcetur, Gallicè *le Doux*, apud Cæſarem *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 38. *Al- duaſdubis*, vel, ut alii, *Aldualdis*. Græcus tamen Interpres Ἀλ- δούιο [illegible] reddit. *Dubis* eſt *Ptolemæo*.

AL[illegible]UAINUS, Rex Saxonum Occidentalium ſeculò 9. ab [illegible] vitiis neglectus. Polyd. Virg. *l.* 4.

[illegible]UI[illegible]US. Abbas S. Joh. Angeli circa A. C. 1025. *Ba-* [illegible] Item Præfectus E[illegible]enſis, ſub Carolo Simplici, qui [illegible] hanc poſteris hæreditatem tradidit uſque ad Aima- [illegible] cujus filia Comiti Luſignano nupſit. *Hiſt. Gall.*

[illegible]L[illegible]US, cognomine Manutius, frater Fr. Aldi &c. varia ſcri- pſit & inter humaniorum literatorum inſtauratores nomen me- ruit. Obiit Romæ, A. C. 1597.

A[illegible], Regnum Barbariæ. Hic pueliæ animalium figuras corporibus incidunt, & Rex bellum geſturus, ſuos, mirabili ornamento ad incrementum adſtringit. Sanut. *l.* 7. Jarr. *l.* 5. *c.*

ALEA, urbs Arcadiæ, Theſſaliæ, & Carpetanorum. *Steph.* Quam [illegible] Ἀλέα.

ALEA [illegible] Frodoardum Chron. memoratus, apud Fanum in [illegible] Belgicum flumen [illegible], vulgò *Aleos Laonnois*: Laudunen- ſium [illegible] irrigat. Verba Frodoardi in rebus A. C. 922 [illegible] *in* [illegible] *Laudunum, reſedit ſuper fluvium Sa-* [illegible] *ſuper Aleam*.

[illegible]A [illegible] Theuth, ut ſcribit Plato in *Phædro*, [illegible] crebris receptuque, ut inter edicta [illegible] illud extitit apud Ulpianum ſit, [illegible] *juſſiſſum* [illegible]

[illegible] *non* [illegible]. Ejus uſum rem antiquam vocat Juſtinianus Aug. *l.* 3. C. *de aleator.* & *alear. luſu*: quod optimè deſcri- bit Joh. Sareſberienſis *Polycrat. l.* 1. [illegible] 5. Alea, *ex* [illegible] *Aſia*, [illegible] *diverſa verba*, *non ſub una tantum ſpecie*, [illegible] *ad Græ- cos*. *Hinc teſſera*, *calculus*, *tabula*, *ſcruo*, [illegible], *dardana pugna*, [illegible], *monarchia*, *orbiculi*, *talorchus*, *vulpes*, *quarum artem utilius eſt dediſcere*, *quam docere*. *Quæ enim* [illegible], *ſi forum ſuæ gratiam* [illegible] *non debent*, *ſed* [illegible], &c. Juvenal Sat. 14 v. 4.

Si damnoſa ſenem juvat alea.

Eam pro quolibet ludò in quo Fortuna & caſus dominantur, acci- piunt, adeoque etiam pro teſſeris ac talis. L. Senec. *in Claud. Apoco- locynth. extr.*

Cumque recondictum [illegible]
Luſuro ſimilis ſemper, ſemperque petenti
Decepere fidem: refugit, [illegible] *per ipſos*
Fallax aſſiduo dilabitur alea furto.

Cui quoque, ut & latrocinio comparatur, ab Ariſtotele *Ethic. ad Nicom. l.* 4 *c.* 9. Certè Romanis legibus penitus interdicta, datò Æ- dilibus negotiò, animadvertendi in *Aleatores*, ut qui in diſciplinam civium publicam peccarent. Martial. *l.* 5. *Epigr.* 86.

Arcana modo raptus è popina
Ædilem rogat udus aleator.

Sed tempore Saturnalium ſaltem eâ ludere licuiſſe, videtur innuere Horatius *l.* 3. *od.* 24.

— *Neſcit equo rudis*
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet, *ludere doctior*,
Seu Græco jubeas trochò,
Seu malis, vetitâ legibus aleâ.

Luſêre tamen eâ viri Principes, M. Cato & Artaxerxes, Plut. *in Vitis*. Auguſtus, Sueton. *c.* 71. *Eutrop.* & *P. Victor*. Claudius Cæſar, Sueton. *c.* 33 Domitianus Aug. apud eundem *c.* 21 Verus apud Jul. Capitolin. *c.* 4. Theodoricus quoque Gothorum Rex qui *lucrum inter domeſticos partiebatur*, *ut gratiam promereretur*, Sidonius Appollin. *l.* 1. *Ep.* 2. &c. Germani olim tantò furore, ut cum omnia defeceraut, extremò ac noviſſimò jactu de libertate, & corpore contenderent, uti videbimus infrà, ubi de *Sponſionis in Foro apud Romanos faciendæ ratione*. Hinc proverb. *Jacere aleam*, vide Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom. l.* 5 *paralip. ad c.* 1. & hic infrà.

ALEÆ luſus, cum ludo calculorum malè à nonnullis confun- ditur, putantibus [illegible] ſeu [illegible] Græcorum, Latinorum *cal- culos* eſſe. Calculorum enim luſus, idem cum Latrunculorum, apud Græcos Latinoſque ſolis calculis peragebatur, nullis teſſeris: quare *Aleam* non habebat, ſed ſolam artem. Itaque [illegible] eſt Græco- rum, teſſeris calculiſque conſtans, artique pariter ac fortunæ ob- noxia; quam Romani aliter *Teſſeras*, *Tabulam*, *Duodecim ſcripta*, appellârunt. Adhibebantur nempe teſſeræ ad illum luſum, nec in ſo- lis calculis res erat poſita ut in ludo Latrunculorum: unde Græci [illegible] modò pro calculis, modò pro teſſeris accipiunt, ludumque ipſum modo [illegible], modò [illegible], vocant. Quanquam autem plures *Aleæ* ſpecies & artes eſſent, hanc propriè tamen & per excel- lentiam *Aleam* appellârunt, quæ cum teſſeris & calculis in tabula vel alveo luſorio luditur: de quo ludi genere accipienda ſunt, quæ- cunque in Veterib. libris de damnoſa & vetita legibus alea dicta oc- currunt. Vetuſtus habetur cento ex Virgilianis contextus verſibus & *de Alea* inſcriptus, qui totam hanc in tabula calculiſque ludendi ra- tionem luculentiſſime exponit: cujus carminis initium ita omnino habet,

DE ALEA.

Artis opus raræ, *tua ſi mihi certa voluntas*,
Expediam dictis, *donum exitiale Minervæ.*
Tu vatem tu Diva mone, [illegible] *ipſa vocas res*;
Et juſtis agitatus amor.

Iſidor. Origin. *l.* 18. *Alea*, *id eſt*, *luſus Tabulæ*, *inventa à Græcis*, *in otio Trojani belli*, *à quodam milite*, *nomine* Alea, *à quo & ars nomen accepit*. Sed de *Alea* milite nugæ ſolennes Iſidori. *Luſum Tabulæ* verò cum vocat, per ſynecdochen loquitur: In tabula enim luſoria, ut ho- die apud nos, ſic olim apud Veteres duplex præcipuè ludus ludebatur calculorum ſcil. ſeu Latrunculorum, & teſſerarum, quem & *Tabu- læ luſum* & *Aleam* & XII. *ſcriptorum*, *ludum* appellabant; quoniam tabulæ pars, quæ teſſeris ſerviebat, duodecim ſcriptis erat notata, in quibus ponebantur calculi: per, quas lineas ſeu ſcripta movebantur, varioſque poſitus ac ſitus accipiebant, ex vario teſſerarum jactu. Hinc vetus *Epigramma* de Tabula,

Diſcolor [illegible] *ſub jactu calculus adſtat*,
Decertatque ſimul candidus atque rubens:
Et quamvis pariti ſcriptorum tramite currant,
Is capiet palmam, *quem bona fata juvant*.

Scriptorum tramitem vocat ſcripta illa ſive lineas, per quas calculi currebant: [illegible] vocat Agathias in *Epigrammate* de eodem luſu: [illegible] etiam Iſidor. *c. de figuris aleæ l.* 16 [illegible] & [illegible] iterant Græci; unde [illegible], infelix tabulæ luſor, qui ad unum ſcil. calcu- lum redactus erat, quique omnes ſuos calculos amiſerat. Nam in hoc luſu vincebatur, qui cum paucioribus calculis erat relictus, imo qui omnes ad unum amittebat. *Capſos* & *Septa* Latini, Græ- ci [illegible], vocârunt quoque hæc ſcripta, de quibus vide ſuô loco. Porrò, in hoc luſu ars cum fortuna certabat, cum fortuna ex teſſerarum jactu, ars, in calculorum diſpoſitione, poſita eſſet. Li- cebat namque, quod fortè malè accidiſſet, id arte corrigere,

rectè ſcil. ludendo & peritè calculos ponendo. Hinc illa Comici Terent. *Adelph. Act.* 4. *ſc.* 7.

Ita vita eſt hominum quaſi cùm ludas teſſeris,
Si illud, quod maximè opus eſt jactu, non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Qui proin malè jactarat, malè jacta non dabat, ſed artem pro fortuna adhibebat: & in melius reponere tentabat, quod infeliciter ceciderat. Contra Ovidius præcipit *l.* 2. *artis amat.* amanti cum amica ſua ludenti, ut & malè teſſeras jaciat & malè calculos moveat, ſicque de induſtria perdat & ſe vinci patiatur:

Seu ludet, numeroſque manu jactabit eburnos,
Tu malè jactato, tu malè jacta dato.

Jactabantur teſſeræ, dabantur calculi, & ex vario teſſerarum jactu variè per ſcripta & lineas movebantur ac diſponebantur calculi; quam [illegible] calculorum vocat Agathias *Epigrammate*, in tabulam Zenonis, ubi toto illo narrat, qualis ſitus vel ordo ac poſitio calculorum fuerit, nigrorum albarumque, ordinem nominat *Quintilianus*: [illegible] *Ep.* 83. *l.* 1. Ariſtænetus, apud quem amicus ex æquo amator ac aleator, quoties cum rivalibus ſuis luderet, adeo præ amore nihil videbat, ut ſæpe ex jactu teſſerarum, quem ipſe jecerat, non ſuos, ſed adverſariorum calculos moveret ac ordinaret. Quotieſcunque autem aliquis hunc luſum ludens calculum dediſſet & mox pœnitentiâ ductus, datum reducere ac revocare vellet, licebat hoc ei facere, modo fieri concederet is quicum ludebatur. Cicer. *in Hortenſio apud Nonium*: *Ita tibi concedo, quod in duodecim ſcriptis olim, ut calculum reducas, ſi te alicujus dati pœnitet.* Quod Græci dicunt [illegible] ψῆφον, *calculum reducere*, ut videre eſt apud Platonem in *Hipparcho*. Unde per metaph. [illegible] τὸ [illegible] eſt apud *Heſychium*, &c. Cùm igitur jaci propriè dicerentur teſſeræ, dari calculi; hinc *jactus* videtur propriè vocari debuiſſe teſſera, quod jaceretur; *datus* autem calculus, quod daretur: at Galli viceverſa hodie *dates* vel *daves* vocant teſſeras, *jactes* verò calculos. Unde *jacti* vel *jactones* iis hodieque dicuntur calculi, quibus in putandis rationibus utimur. Sed & Græci βόλους, i. e. *jactus*, non tantum teſſerarum jactus, ſed etiam teſſeras ipſas nuncuparunt, item βόλους. Epigr. Græcum in [illegible],

[illegible]
[illegible]
Neque verò cum vicerit, te magnifac, neque deſpiciens
Dole, exiguam increpans teſſeram

Et quemadmodum [illegible] Græci & pro teſſeris & pro calculis uſurparunt, ſic Latini etiam teſſeras poſuerunt, ubi [illegible] & ubi ψῆφοι. *Gloſſæ*, *teſſeræ*, βόλοι, ψῆφοι. Græci quoque recentiores, [illegible] tam de calculis, quàm de teſſeris, dixêre, &c. Calculi verò ſive ψῆφοι, quibus in tabula ludebatur, erant rotundi, numerò quindecim, teſſeræ tres &c. Vide infrà. Cùm autem *Aleæ* ſeu *Tabularum* ludi inventor dicitur Palamedes, ut inter alia videre eſt apud Sophoclem in *Tragœdia cognomini*, non intelligendus is eſt, quem hactenus deſcripſimus, ſed [illegible] ſimplex & ſolis quinque calculis ab utraque ludentium parte tractari ſolita, abſque teſſeris. Quinque enim calculos unuſquiſque luſorum habebat in quinque lineis ponendos, hinc [illegible] Sophocli. Sic decem lineas habebat tabula in qua ludebatur & unam præterea medianam, quæ inter decem illas protenſa *ſacra* dicebatur. Operoſior verò illa & ingenioſior [illegible], de qua hactenus, Ægyptiorum eſt [illegible], tota Philoſophicè & ad rationem Aſtronomicam compoſita & excogitata, uti diximus ſuprà in voce *Ægyptiaca* [illegible]. Vide plura hanc in rem apud Salmaſ. *Not. ad Hiſt. Vopiſcum in Proculo c.* 13. & alibi paſſim, inprimis in *Tabula Trica*, & *Trichatum*.

ALEANDER Hieronymus, vide *Hieronymus*.

ALEBAS, Rex Lariſſæorum, qui à ſuis ſatellitibus obtruncatus eſt. Ovid. *in Ibin*:

Quoſque putas fidos, ceu Lariſſæus Alebas,
Vulnere non fidos experiare tuo.

ALEBECERII, populi Galliæ Narbonenſis Plin. *l.* 3. *c.* 4.

ALEBUS, fluv. Hiſpan. circa Baleares.

ALEC, vide infrà *Halec*, it. *Muria*. Eorum captura abundantiſſima, circa Rugiam inſulam olim celebris, poſtea apud Scanienſes increbuit, hinc ad Norvegos, ab his ad Scotiæ Angliæque oras migravit, ubi frequentiſſima in hunc diem exercetur & Europæ quodam modò ſufficit, ex quo autem muriâ hunc piſcem condiendi Guil. Buckeldius Belga invenit atque ut durare & longè latéque alportari poſſet effecit, circa A. C. 1416. De portendo hujus piſcatus ita Camdenus in *Britannia*, *Halecès Britanniam noſtram, non ſine divino conſilio, numeroſis examinibus quotannis circumnatant. Circa ſolſtitium æſtivum ex alio littora Scanica petunt, quò tempore quàm pinguiores ſunt, ſtatim divenduntur. Inde Anglica littora adeunt, & ab Auguſto medio ad Novembrem optima & uberrima eorum eſt captura, à Scarborough uſque ad Tamiſis æſtuarium. Poſtea aliquâ vehementi procellâ in Britannicum mare deferuntur, & in eo ad Chriſti uſque natalitia ſe piſcantibus offerunt; hinc Hiberniam utrinque permeantes in Septentrionalem Oceanum, circumnavigatâ Britanniâ, ſe transferunt & ad [illegible] quaſi ſubſiſtunt.* Hæc copia effecit, ut Belgis facilè concederetur illis in locis piſcatus, ſicut Seldenus amplius oſtendit, qui dominii hinc Anglorum marini argumentum extruit, *Mari clauſo l.* 2. *c.* 21. Alii vi conventionum, quàm tituli Imperii piſcatum hunc ſuum maluit. Vide Ioh. Henr. Boeclerum *Diſſertat. de Cro. Marinma*.

ALECTA, urbs Epiſcopalis Galliæ Narbonenſis, hodiè *Alette*, Ad Atacem fluv.

ALECTO, Furia infernalis, Latinè *inceſſans* dicta, ab α privat. & [illegible], quia cupiditas nunquam ſatiatur. Ovid. *Ep.* 2.

Aſſuit Allecto brevibus torquata colubris.

Virgilius, *Æneid. l.* 7. *v.* 324.

Luctificam Allecto dirarum ab ſede ſororum
Infernaſque ciet tenebris; cui triſtia bella,
Iræque, inſidiæque, & Crimina noxia cordi.

quod alſit [illegible], [illegible] apud Ovid. *Metam. l.* 4. *Fab.* 13. ubi Tiſiphonem ſororem ſuam

— — *Luctus comitatur euntem.*

Eadem ſtudem affert locum. *Et ſecum & lacrymas.* Alecto quoque apud Claudian. *l.* 1. *in Rufin. v.* 39. inter illas comites ſequitur,

Sciſſo mœrens velamine Luctus.

Giraldi. *Hiſt. Deorum Sing.* 1.3,6.8.18. *Æneid.* Suidas Orph. in *Hymnis*. *Nic Lloydius*, Vide *Furia*, *Eumenides* &c.

ALECTOR, fil. Anaxagoræ, patris in Argivorum regno ſucceſſit, Iphim genuit & Capaneum, qui fuit unus ex ſeptem ducibus Argivorum apud Thebas, *Volaterr.* *Alectora propugnaculum* circa Boryſthenis oſtia habes apud *Dionem Pruſæum*. Succeſſit ipſi Iphis, quem vide.

ALECTORIA Gemma, ſeu *Alectorius Lapis*, memoratur in *Excerptis* Solini Metricis,

Eſt & Alectorius gallorum in ventre lapillus,
Ut faba, cryſtalli ſpecie, pugnantibus aptus.

In ventre enim galli gallinacei, creſcere ac coaleſcere dicitur, ſicut Draconia, in capite draconis. Quòd verò addit, *pugnantibus aptus*, confirmatur à Solino c. 4. ubi de Milone, *Victor omnium certaminum; quo obivit, Alectoriâ uſus traditur, quo lapis ſpecie cryſtallina* &c. Et Plinio *l.* 37. *c.* 10. *Alectorias vocant, in ventriculis gallinaceorum inventas, cryſtallinâ ſpecie, magnitudine fabæ quibus Milonem Crotonienſem uſum in certaminibus, invictum fuiſſe videri volunt.* A voce ἀλέκτωρ, ſeu [illegible], gallus in genere & per excellentiam gallus *Perſicus* ſeu *Medicus*, à tiarâ ſive criſtâ rectâ, quam capite gerit. Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, *inprimis p.* 387.

ALECTRYON, teſte *Luciano*, adoleſcens fuit Marti adeò familiaris, ut adulterii, quò Veneri ille commiſcebatur, conſcius adhiberetur, foribuſque cuſtos apponeretur, ne Solis interventu adulter apprehenderetur. Verùm cum ille ſomnô captus negligentius excubias ageret, amantes à Sole comprehenſi ſunt, & ad Vulcanum delati, catenîſque adamantinis, multò antè in eum uſum paratis, impliciti. Quò nomine Mars indignatus *Alectryonem* in avem ſui nominis transformavit, quem *Gallum* Latini vocant, qui etiam hodiè, veteris negligentiæ memor, Solis adventum cantu ſuò prænunciat.

ALECTRYONES, h. e. *Galli Gallinacei*, vocitati fuerunt militari laſciviâ olim Cares, propter galeas criſtis inſignes, teſte Plutarchô in *Artaxerxe*. Quomodo etiam noſtrâ tempeſtate certam militum agmen, quâ ſe adverſus inopinos hoſtium inſultus [illegible] Clivenſes, noſtrates Die *Haanenfedern* appellant.

ALECTRYOPOLIS, urbs Macedoniæ inter Philippos & Theſſalonicam, vulgò *Alectoroſori*.

ALECTUM, poſteà *Dei Donum*, vulgò *Dondy* ſeu *Dundee*, teſte *Camdeno* cum aliis, oppid. Scotiæ in ora ad ortum ad oſtia Tai fluv. inter Andreapolin, & Brechinum.

ALECTUS, militum præfectus, Carauſium Aremoricæ uſurpatorem, occidit; ob vitam autem ſuis exoſus redditus, & à Conſtantio Aſclepiodoto Præfecto excubiarum Diocletiani ſimiliter interemptus eſt. Victor, *de Cæſaribus*.

AL EDRISI, ſeu NUBIENSIS Geographus, præclarè ante annos 500 orbem in ſeptem climata deſcripſit: Tempore Rogerii I. utriuſque Siciliæ Regis, A. C. 1151. Hunc ex Arabico Latinum fecêre *Gabriel Sionita* & *Iohannes Heſronita*, *Maronitæ*.

ALEGRANCA, parva inſul. prope Canarias, cum portu commodo & aliquot arcibus. Grammaius, *Afr. l.* 9. *c.* 5.

ALEIUS Campus, locus Lyciæ, in quem cecidit Bellerophontes, cùm à Pegaſo ab œſtro agitato excuteretur: Sic dictus, quòd ibi cæcus erraſſet Bellerophon, donec periret. Dionyſius *Perieg.* v. 872.

[illegible]
[illegible]

A vagando itaque *Aleius* dictus. Homer. *Il.* 6. *v.* 201.

[illegible]
[illegible]

Euſtathius verò aliam tradit nominis originem, videl. [illegible] *Nic. Lloydius*.

ALELE, Africæ urbs, circa Syrtim Minorem Plin. *l.* 5. *c.* 5.

ALEMANNI, *Stephano Alamani*, Arnobio *l.* 1. *Alamanni* ut diximus retrò, populi Germaniæ, Galliæ Belgicæ, & Rheno proximi, in Suevia quondam incolentes. Nunc omnes Germani *Alemanni* communiter vocantur. Quos *Quadratus*, rerum Germanicarum ſcriptor apud *Agathiam*, non à *Lemanno* lacu, aut ab *Alemanno* fluvio dictos putat; ſed quòd plerique Germaniæ populi in unum coïerunt. Siquidem *Al* Germanicâ linguâ idem ſignificat quod *Omnes*, *Man* verò idem quod *homo*. Ut dicti ſint *Alemanni* quaſi *omnis generis hominum colluvies & permiſtio*. Alii verò ſic dictos putant, quòd toti viri eſſent, & bellatores fortiſſimi. Horum regio *Alemannia* nominatur, hodiè *Alemagne*. De qua Claudian *de laud. Stilichonis l.* 1.

Oravit ſupplexque tuis Alemannia ſignis.

Vide B. Rhenanum *Rerum German. Nov. Antiq. l.* 2. aliſbique paſſim, & ad eum *Notas* Cl. Viri Jac. Ottonis *haud pridem editas*.

ALEMANNIUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

ALEMANNUS, fluv. Germaniæ ex Suevia ortum habens, ac per Auream urbem (nunc Aichſtadium) in Danubium inter Ingolſtadium & Ratiſponam influens. Vulgò *Altmola*, vel *Altmul*.

ALEMANNUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

ALEMUSII, Atticæ populi apud quos eſt Cereris Legiferæ, & Proſerpinæ templum. Paulan *in Atticis*.

ALENCONIUM, oppid Galliæ Celticæ Ducatûs titulô inſigne, ad Sartam fluv. vulgò *Alençon*, teſte *Rob. Cenali*. longitud. 22. 10. latitud. 48. 26.

ALENCONIUS Philippus vide *Philippus*.

ALENICUM, vide *Alenticum*.

ALENS, Cos Inſulæ locus, *Theocr.* Eiuſdem fluv. [illegible] Schol. Vide *Halens*.

ALEN-

ALENTARIA, regio Ducatus Livoniæ, in Eſthonia provinc. prope Narvam urbem, ſitum inter Lacum [illegible] & Peipum lacum, in Ingriæ Suecica.

ALENTIO, vulgo *Alençon*, oppid. eſt Galliæ ad Sartam fluvium cum titulo Ducatus: caput pagi *Alencomenſis*, vulgo, *l'Alençonnois*. Meminit apud Auctorem *libri de Geſtis Conſulum Andegavorum*, cum ait: *Rex Henr. in ſubnovo ageſtis Conſulis Andegavenſis Falconis oſſidione, ex arce Alentionis caſtri, ſuos fugavit.* Hodie corruptè dicitur *Alenconum*, [illegible] de ibi, & Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ALEON, fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 29. circa Ioniam Aſiæ. Bœotiæ *Ab* Pauſan. [illegible] 7.

ALEOPETRA, Inſula in Mæotide.

[illegible] EPTIMUS, loci nomen in Africa, in Concil. Carthag. ſub D. Cy[illegible] habito. Corruptè fortaſſe pro *Leptis minor.*

AL[illegible]PUM, metropolis civitas provinciæ Comagenæ, olim ſub proprio Sultano, ſicut Damaſcus, Iconium, Nicæa & Ninive, poſtquam Saraceni a Turcis pulſi eſſent, ut dicemus ubi de *Mahomede II.* nunc tertium locum obtinens inter civitates Turcicas: illuſtria [illegible] ſt. item ornata portis, tribuſque ſuburbus, Chriſtianis ut plurimum habitata ad fluvium Singam ſita eſt, canalemque habet ſive aquæductum, quo multi fontes in publicum & privatum civium uſum in civitatem ducuntur. Ibi famigeratum eſt emporium. Frequentia [illegible] incolarum inde colligi poteſt, quòd A.C. 1585. in ea ejuſque [illegible] trium menſium ſpatiò mortem obierint hominum centum viginti millia. *Natal. Metel.* Quibuſdam *Hierapolis*, aliis Lariſſa, nonnullis Berœa Veterib. Vide Cluver *P. de Valle*, *Ponteanum*, &c.

AL[illegible]RA, vulgò *Are*, fluv. Germ. in Saxonia inferiori Verdam urbem alluit, & poſtea in Viſurgim cadit. Vide *Allera.*

ALER[illegible]A, colonia & urbs Corſicæ maritim. in ora orientali ſub Archiepiſcopo Piſano, exciſa, manente Epiſcopatu, à Mariana, urbe etiam extinctâ, 30. mill. paſſ. in ortum diſtans. *Plin. l.* 3. *c.* 6. & *Ptol.* longitud. 32. 20. latitud. 41. 15. Vide *Valeria Col.* Coloniam in Corſicam deduxit Sulla, *Aleriam*, Marius Marianam: Poſtquam eadem fuiſſet à L. Scipione, uti legimus apud Florum *l.* 2. *c.* 2. *Lucio Cornelio Scipione, quum jam Sicilia, ſuburbana eſſet populi Romani provincia, ſerpente latius bello, in Sardiniam annexamque Corſicam tranſiit: Olbia hic, ubi Aleriæ Urbis excidio incolas terruit.* Hinc vetus *Inſcr.* Scipionis hujus ad portam Capenam haud pridem effoſſa:

HIC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQUE URBE.
DEDET. TEMPESTATIBUS. ÆDE. MERETO;

apud Salmaſ. *ad Solin p.* 29.

ALERUS Johannes, vide *Johannes.*

ALES, fluv. Ioniæ frigidiſſimus, juxta Colophonem urbem fluens, qui Plinio *loc. cit.*, *Alcon* dici videtur.

ALES, Superba, apud Martial. *l.* 6. *Epigr.* 53.

Quid ſemper caſideque cromanique
Et nolò uger alam ſuperba
Flagras plumbeis Merrotiani.

Phœnix eſt, vide Salmaſ. *ad Solin p.* 303. ut & infrà in hac voce.

ALESA, urbs Siciliæ. Vide infrà & *Halæſa.*

ALESA, condita ab Archonide Erbitenſium duce, in tumulo octo ſtadia à mari diſtante, deductis in eam mercenariis & aliis convenis, quos belli cum Dionyſio metus Erbitam compulerat. Cùm ob opportunitatem maris ocyus incrementum cepiſſet, aliæque in Sicilia ejuſdem nominis urbes eſſent, conditor illam à ſe *Archonidion* nominavit. Poſterioribus temporibus & opibus ex maris commercio auctos & immunitate à Romanis donatos, puduit originis ſuæ, tutpellacentes ex humiliore ſe civitate oriundos eſſe. Quidam ab Carthaginienſibus conditam fuiſſe aſſerunt, quò tempore Amilcar cum Dionyſio pacem fecit. Vide *Alæſa.*

ALESATIA, German. *Elſaſſ*, hodiè Alſatia, Gallis olim *Auſſois*, vel *l'Auſſois*, item *Auſſay* nunc *l'Alſace*, regio Germaniæ ſuperioris jam inde à Principatu Ludovici Pii, ante annos 810. Ducatus titulo inſignis. In Annalibus Bertinianis *Ducatus Helisatiæ* appellatur, ponaturque inter Ducatum Ripuariorum & Ducatum Alamanniæ. Diviſio Regni Lotharii A.C. 870 facta *Eliſatium* Baſilienſi pago pagum [illegible] facit, in eoque duos Comitatus ponit, Hadr. Valeſ. *Notit.* [illegible] Imo jam à Theodorico Rege Francorum, Erhico ſeu Athicus cognomine *Adelricus*, fil. Leudeſii Majoris-Domus, ab Ebroino circa A.C. 680. cæſi, Ducatum Aleſatiæ nactus, Ehenhemii habitavit, [illegible] us Bobiandis, cujus ſoror Bildechildis Chilperico II. Regi nupſerat. Ei ſucceſſit in Ducatu hoc fil. Adelbertus, hunc fil. Flicrhardus, fundator Monaſterii Murbacenſis, A.C. 724. quorum [illegible] tunctâ hæredem dicitur habuiſſe Guntramum Habſpurgenſem, familiæ hujus Auguſtæ ſatorem. Hujus enim Pater Hugo Com[illegible] abnepos Eboris ſeu Hermonis (qui frater Adelberti Ducis erat communis, per tres filios, trium familiarum ex *Alſatica* propagatarum, [illegible] e, *Dagsburgica* & *Habspurgica* Pater fuit. Adelbertus poſtea ſeu Albertus Dives, ex Guntrami prædicti poſteris [illegible] Rudolfi I. Imperatoris *Landgravii Alſatiæ* titulum primus [illegible], &c. Vide plura in voce *Alſatia.*

A[illegible]SCA, vide *Aliſca.*

ALES[illegible]A, vulgò *Alets*, urbs Galliæ, in Occitania inferiori [illegible] ad Gardonem. Diſtat 5. leucis ab Uetia, 10. autem à Ponte [illegible] Spiritus, in Nemauſenſi tractu, ad radices Gebenarum [illegible].

A[illegible]ESIA, oppid. Mandubiorum, *in colle ſummo, admodum edito* [illegible] 7. *Bel.* [illegible] *c.* 68, *cujus collis radices duo duabus ex partibus* [illegible] *lavarent*; in vulgatis exemplaribus *Alexia.* Ab Hercule [illegible] per Celticam revertente conditum, teſte Diodoro Sic. *l.* 4. [illegible] *c. ab ejus expeditionum errore Ἀλησία*, [illegible] Liberum perſtitit donec à Julio Cæſare, quem *ibi à Gal*[illegible] Tac[illegible] 13. [illegible] *c.* 23. vi captum & unà cum [illegible] Gal[illegible] Imperio Romano ſubjectum eſt, ant, ſi Floro *l.* [illegible] 10. [illegible] ſtatim ſolo æquatum. Situm eſt in antiquis Æduorum finibus, caput pagi *Alſienſis*, qui hodieque Epiſcopo Auguſtoduni Æduorum paret. Hodiè *Aliſe*, prope vicum Flaviniaco, in Ducatu Burgundiæ; & regione Alteſo, nunc in vici formam redacta; nomen priſcum retinet, *Aliſe* vulgo: eſtque colli declivi impoſita, ad cujus radices amnes duo Lutoſa, *Loſe*, & Oſera, *Oſerin*, decurrunt, in Brennam fluvium. Pagus verò *Alſienſis*, vulgò *Auxois*, vel cum articulo *l'Auxois* & *l'Auſſois*, recentioribus Latinis corruptè *Alſitum*, caſtellis & vicis quibuſdam cognomen dedit, inprimis Pulliaco vel Paulliaco, *Pouilli en l'Auxois*, Malliaco caſtello, *Mailli en Auxois*: Sinemuro, *Semur en l'Auſſois*. Teijo vel Tilio, *Ty en l'Oyſ*. Meminit urbis, quam *ab alendo* dictam vult, Erricus Monachus *l. de Vita S. Germani l.* 4. *cum ſic canit*:

Te quoque Cæſareis fatalis Aleſia caſtris
Haud pure abnuerim calamo committere noſtro;
Quæ quod alas proprios propingus pane colonos;
Nomine adjectis quondam ſigmata putavit,
Te juxta Eduos & limina ſumma tenentem,
Aggreſſus quondam ſævo certamine Cæſar;
Nunc reſtant veteris tandem veſtigia caſtri.

ALESIA, vide *Alexia.*

ALESICHORIUM, Æſch. in Ep.

ALESINI, Arabes circa Perſicum ſinum. *Strabo.*

ALESIUM, oppid. Peloponneſi. Strabo *l.* 8.

ALESIUS, Sectunnis fil. unus ex procis Hippodamiæ, vel ſecundum alios, Gargetti fil. unus ex filiis qui cum Pelope advenêre. Item oppid. Elidis. Steph. Et mons Arcadiæ non procul à Mantinea, ſic dicta ab *errore* Rheæ. Pauſan. *l.* 8.

ALESIUS Alexander, vulgò *Alexander de Ales*, Scotus Theologus inſignis, ob religionem patriâ pulſus, in Saxoniam venit, ac Lipſiæ docuit annos 20. Phil. Melanchthoni familiaris. Opera ejus, *Liber contra decretum Epiſcoporum Scotiæ*, *Liber Scripturas linguâ maternâ legendas*, *de Verbi auctoritate*, *Reſponſio ad XXXII. articulos Theologorum Lovanienſium*, *Catecheſmus*, *Ordinatio Eccleſiæ*, *Commentarii in Johannem*, *ad Timotheum*, aliaque complura, enumerata Antonio Teiſſier *Eloges des Hommes Sçavans*, *Volum.* 1. Obiit Lipſiæ, A.C. 1565. Alius ejuſdem nominis, Theologus Anglus, floruit A.C. 1228 *Doctoris irrefragabilis* encomio clarus.

ALESTES, fluv. Hiſpan. per Bracarum urbem fluens, teſte *Vaſæo*, vulgo *Rio di Braga*, Cavado nonnullis, ſed hic Celandus veteribus dictus.

ALESUS, Siciliæ fluv. *Pittineo*, teſte *Fazello*, Aletam oppid. alluens, ac in mare inter Cephalodium & Haleſam influens. Item Tuſciæ fluv. juxta Alſium fluens; *Sanguinaria*, teſte *Ortelio.*

ALETA, oppid. geminum; unum Illyrici in Dalmatia mediterranea *Muſch* hodiè, teſte *Nigro*. Alterum Siciliæ everſum, ubi nunc oppid. S. Marci, teſte *Fazello*. *Alerya* Ciceroni dicta videtur, ut rudera teſtantur.

ALETHA, poſtea Maclovium, ſeu Maclovopolis, vulgo *S. Mallo*, urbs Galliæ Celticæ in Britannia minori, ſub Archiepiſcopo Turonenſi. Parva, ſed dives & munita; emporium celebre, & ſtatio navium commoda, in Aaronis Inſula cum caſtro. Vide & *Alectha.*

ALETHES, Corinthiorum primus Rex, ex Heraclidis, fil. Hippotæ, circa tempus *Heraclidarum Reditus* (facti ſub Temeno, Creſphonte & Ariſtodemo) regnum hoc, quod Siſyphidæ hactenus tenuerant, occupavit, & ad poſteros ultra annos 300. tranſmiſit, uſque ad Prytanes & Cypſeli tyrannidem. Fuit vir inſignis, urbem auxit, & regnavit ann. 38. poſt quem è poſteris maximus natu ſemper in regnum ſucceſſit, ſuntque dicti ſucceſſores ejus *Heraclidæ*, uſque ad Bacchidem, quem vide. Itaque *Alethem* excepit Ixion Syncellus p. 179. Pauſan. *l.* 2. Euſeb. *Chron.* Item nomen proprium viri Trojani, unius ex Æneæ ſociis. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 125.

— *Grandævus Alethes*:

Sic dictus, quia [illegible], i.e. verax fuit, vel potiùs à fide & veritate, quæ præcipuè eſt in ſenibus. Nam

[illegible]

i.e. *In juvenibus fides perpetuò fluctuat.*

ALETHIA, una ex Apollinis nutricibus.

ALETHIÆ, i.e. *Veritatis fons*, in India, apud Brachmanes. Dion *Or.* 35.

ALETHINA, vide infrà *Alithina.*

ALETHIUM, oppid. Languedociæ, ad pedes montium Pyrenæorum. Vide *Alecta.*

ALETIDES, ſacrificia quædam Athenienſium, pro Icario & Erigone, quæ oſcillis agebantur. Cùm verò in finibus Athenienſium multæ virgines ſine cauſa ſuſpendio mortem ſibi conſciſcerent propter Erigonem, habitò ab Apolline oraculò, ſacrificium ſolenne inſtituerunt, quod publicè, privatimque faciebant, & id *Aletides* appellabant, quòd Erigone ſola cum cane ignotà patrem Icarium mendica perſequuta ſit: *ab ἀλάομαι erro.*

ALETIUM, Salentinorum urbs. *Ptol.* [illegible] Ἀλήτιον; quod vocabulum nunc corruptum legitur [illegible], vulgò *Lezze*. Hodie urbs Epiſcopalis eſt ſub Archiepiſcopo Hydruntino, inter Brunduſium ad occaſum & Hydruntum ad ortum, 24. mill. paſſ. primaria regionis, ac totius regni, poſt Neapolim, clariſſima, à Tarento 50. mill. paſſ. longitud. 42. 30. latitud. 40. 31.

ALETRINI, vide *Aletrium.*

ALETRIS, vide *Sibrea.*

ALETRIUM, Straboni Latii oppid. eſt: *Alatro* nunc dici ſcribit *Leander*: incolas *Aletrinates* habent Plin. *l.* 3. *c.* 5 & Cicer. *pro Cluent. c.* 16. & 20. item vetuſta inſcriptio in Goltzii *theſauro* · in Hernicis fuit Livio *l.* 9. *c.* 42. ſed per a in ſecunda. *Aletrini* populi apud Plinium *l.* 3. *c.* 11. ſunt alibi, circa Apuliam

ALETUM, civitas olim una urbibus Galliæ, in provinc. Lugdunenſi tertia, quæ à Metropoli Aremorica nomen habet. Ejus meminit Notit. Imper. his verbis: Sub diſpoſitione ſpectabilis Ducis tract. Armoricani & Nervicani Præfectus militum Martenſium, Aleto. Vetera autem Notitia provinciarum Galliæ nullam ejus urbis maritimæ mentionem faciunt, quæ in tractu Armoricano poſita, præſidium militare cognomine Martenſium habuit, Præfecto ſuo parentium, & diſpoſitioni Ducis tractus Armor. & Nervic. ſubjectorum, ut à latrociniis ac prædationibus Francorum & Saxonum, ea tum maria quotidianis incurſionibus infeſtantium, defenderetur. Inter Britannos Epiſcopos, qui à Nomenoio Regulo vargas & annulos abjicere coacti ſunt, Salaconem Aletenſem memorant, circa A. C. 850. Alberti Epiſcopi meminit Robertus de Monte in Chron. 1181. ut & Maclovii ſeu Machuti Britanni, qui & Machutes dictus eſt. Caput ſui pagi cognominis dictumque videtur Britanni. linguâ Guich-Aleth, quaſi burgus ſeu vicus Aletenſis. Viſuntur hodieque rudera murorum & portus eo in loco, caſtrumque Solidorum Solidor. Diruto verò Aleto, ſedes Epiſcopalis translata eſt in peninſulam S. Maclovii, mille plus minus paſſibus inde diſtantem & Oceanô ferè circumfuſam, quæ urbs S. Maclovii S. Malo, vel S. Malo de l' Iſle vocatur. Rinctum fluv. vulgò Rance ab uno latere, ſicut mare ab altera, Aletum olim alluiſſe, docet Auctor Vitæ Maclovii, apud Hadr. Valeſ. Notit. Gall.

ALETUM, tumulus ad portum Novæ Carthaginis. Polyb. l. 10. Vide Aletha.

ALEU, Arabiæ Felicis Inſula, Plin. l. 6. c. 28.

ALEVADÆ, Illuſtris & regia, è Theſſalia Lariſſæ familia, à Theſſaliæ Rege Aleva dicta. Ejus meminit Ovid. in Ibin. Vide Platon. in Men. Sozom. Pauſan. l. 3. Athenæum l. 12. Plut. adv. Colotem, c. 41.

ALEVADES, Theſſaliæ populi, apud Pauſaniam in Laconicis: item Platoni, Sozomeno, Ariſtidi, & Polyæno l. 4. c. 2. num. 32. Æliano quoque Animal. l. 8. c. 11. Circa Lariſſam, & Oſſam montem fuêre. Ipſos Lariſſenſes ſic cognominat Diodor. Sic. l. 15.

ALEUS, Rex Arcadum, poſt Ægyptum, egregiis fanis exſtructis famam adeptus. Vide Pauſan. l. 8.

ΑΛΕΞ. in nummo Juſtiniani Imperat. Alexandriæ nota eſt, ubi moneta cuſa. Præter ſedem enim Imperii Conſtantinop. olim ſub Imperatorib. Monetariæ Officinæ in Oriente fuêre, Alexandriæ, Antiochiæ & Cyzici. Et quidem Alexandrinam Monetam præ cæteris ſpectat nummus æreus Juſtiniani præfatus, in cujus averſa facie I. & B. intra Chriſti monogramma deſcribuntur, cum hiſce characteribus: ΑΛΕΞ qui Alexandriæ cuſum denotant ubi maxima Baſilica dedicata erat Joanni Baptiſtæ, qui per I. & B. indicatur. Car. du Freſne Diſſertatione de Inſer. ævi Numiſm.

ALEX, Locrorum fluv. terminuſque Brutiorum, quos à magna Græcia ſeparat, agrum item Locrenſem olim à Rhegino dividens. Dionyſius v. 367.

Τῶν ἐκ ποῦ ϛόμ&Ctilde; ... Κάπυ&Ctilde;.

Theocrito Ales dici videtur, Aleſſo hodiè vocari ſcribit Leander. Aliis Halex eſt. Peculiare quiddam de cicadis hujus loci narrat Strabo l. 6. Οἱ μὲν γὰρ ἐν τῇ τῶν Λοκρῶν περαίᾳ φθέγγονται, τοῖς δ' ἀφώνοις εἶναι συμβαίνει. Idem habet Plin. l. 11. c. 27. nec non Pauſan. in Eliacis: cui Cæcinus hic fluv. dicitur. Aliter verò hæc refert Ælian. de Animal. l. 5. c. 9. Aitenim, τὰ μὲν Λοκρικὰ ἐν Ῥηγίῳ σιγηλότατα εἶναι, τὰ δὲ Ῥηγῖνα ἐν τοῖς Λοκροῖς ἀφωνότατα.

ALEX, ſeu, ALECE, fluv. parvus Calabriæ ulterioris, in mare Ionium ſe exonerat. Vide infrà.

ALEXAMENES, Ætolus, Nabidis tyranni Lacedæmonii interfector, mox à Lacedæmoniis ipſis in regia obtruncatus Liv. l. 35. c. 34.

ALEXANDER, I. Rex Macedonum decimus, fil. Amyntæ, frequens Olympionices. Legatos Megabyzi, ad Patrem miſſos, laſcivientes occidit, regnumque non tam Perſicæ Regis munificentiâ, quàm propriâ virtute, auxit. Obiit an. regni 42. Juſtin. l. 7. c. 3.

ALEXANDER, II. fil. Amyntæ 2. à fratre juniore Ptolemæo per inſidias occiſus eſt. Sed hic fratricidiô partum regnum vix quadriennium tenuit. Cui ſucceſſerunt reliqui fratres Perdiccas & Philippus pater Alexandri M. Diodor. Sic. l. 15. & 16. Juſtinus in Eurydicem, Amyntæ uxorem, horum malorum originem rejicit, l. 7. c. 4.

ALEXANDER, III. cognomento Magnus, (ob quam cauſam Græci ἀλεξανδρῶδες pro θαυμαστὸς, admirabile, dixerunt, quod ad l. 13. Silii Heinſius obſervat p. 132.) Philippi Macedonum Regis, & Olympiadis fil. quamlibet Olympias nobiliorem ei patrem acquirere affectaverat, cùm ſe e ... draconis gravidam affirmaret. Ita tamen & ipſe erat, ut Deô genitus videretur. Peragravit orbem, ... ctoribus Ariſtotele & Calliſthene uſus. Subegit Aſiam, Armeniam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum: Taurum, Caucaſumque montes tranſgreſſus eſt. Bactros domuit, Medis & Perſis imperavit. Cepit Indiam, emenſus omnia, ad quæ Liber prius acceſſerat. Formâ fuit ſupra hominem auguſtâ, cervice celſâ, lætis oculis, & illuſtribus malis ad gratiam rubeſcentibus, reliquis corporis partibus non ſine majeſtate quadam decoris. Tantô honore hominis ingenii & ſcientiâ præſtantes proſecutus eſt, ut Homeri ſcripta ſcrinio Darii Perſarum Regis incluſi, ac tanquam pro viatico ſervari juſſerit: & Pindari ... familiæ, peni ... ibuſque pepercerit, cùm Thebæ caperentur, & Ariſtotelis Philoſophi patriam condiderit. Plin. l. 7. c. 29. Edixit autem, ne quis alius ipſum, quàm Apelles, pingeret; quàm Lyſippus ex ære duceret, quàm Pyrgoteles ſculperet. ... l. c. 37. Demum ... inter voluptates, quas vincere non potuit, periit, ... apud Babylonem, ut poſt ... Senecam, Solinus. c. 14. prodit; quanquam plures ſunt, qui veneni exſtinctum ſcribant, cum ... Dies verò emortuali ejus nos latet. Sed verba Lampridii: Sebis ... Magnus die natali ... habet ... Alexandri, quâ ille Magnus ex ... vita. Utinam vero diem, quam intelligit, charactere certô deſignaſſet. Nam tempus mortis Alexandri parum perſpicuè veteres indicarunt, ſcimus quam variè doctiſſimi viri hodie ſtatuant: Joannes vero Chryſoſtomus non obſcurè affirmat, diem, quô Alexander M. exceſſit, certò indicari non poſſe. Sic enim ſcribit Hom. 26. in poſter. epiſt. ad Corinthios. Εἰπὲ μοι, ποῦ ἐτάφη Ἀλέξανδρος, δεῖξόν μοι, καὶ εἰπὲ τὴν ἡμέραν, καθ' ἣν ἐτελεύτησε; Quamquam poſſis docere cum Onuphrio, natum eſſe Alexandrum Mæmacteriis 4. Kal. Julii, ſed tamen non nimis huic ἐπιλογισμῷ fidendum. Annum vero mortis Alexandri ignorare nos non ſinit Joſeph. l. 1. contra Apionem, his verbis, Ἀλέξανδρον γὰρ τετελευτηκέναι πάντες ὁμολογοῦσιν ἐπὶ τῆς ἑκατοστῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης Ὀλυμπιάδος, h. e. Alexandrum vero profitentur omnes mortuum fuiſſe Olympiad. 114. videlicet ineunte, adeò ut Olympiades 113. elapſæ ſint, & primus annus Olymp. 114 jam curreret. Vitam ejus ac res geſtas luculenter ſcripſerunt, tres optimi authores, Qu. Curtius, Plut. & Arrianus.

Ὅς μοι ... ἔργα ...

Joſephus Gorionides in ea hiſtoria, quam Hebraicè conſcripſit in uſum popularium ſuorum, Alexandri patrem ait neque Philippum fuiſſe, neque Hammonem Deum, ſed Magum quendam Ægyptium, qui in ſpecie Hammonis venerit ad Gabriam (ſic enim appellat uxorem Philippi) ex quo congreſſu natus ſit Alexander. Ait enim Magum illum cui nomen Nachenabor, (alias Nachegibor, fortè legendum Nectanebus, vel Nachenabus, de quo mentio apud Plutarchum & Nepot. in Ageſilao) quondam imperitâſſe Ægypto. Cumque ex aſtrorum ſcientia providiſſet, quod etiam poſt evenit, fore, ut Perſæ poterentur Ægypto, deſertô regnô, clam omnibus fugiſſe Antiochiam: unde porro habitu, qualis eſſe ſolet procerum Babyloniæ, veniſſe in Macedoniam ad Philippum Regem, ibique cùm in aula verſaretur atque in ſummo honore eſſet, captum amore Olympiadis; cui, quod ... eſſet, non optimè conveniebat cum v... noctu veniſſe ad eam in forma Hammonis Dei, atque hinc natum Alexandrum, vulgò creditum Hammonis filium. Hujus Hiſtoriæ autores citat Joſephus, Strabonem Cappadocem, Nicolaum Damaſcenum, Titum Romanum, nec non Ægypti ſapientes, quos ait conſcripſiſſe de rebus geſtis Alexandri. Druſius Miſcel. cent. 1. c. 40. Eum, ut & Philippum Amyntæ, univerſi Macedones divinô cultu proſecuti ſunt. Juſtinus l. 24. c. 5. Nunc orbitatem amiſſorum filiorum dolebant, nunc excidia urbium metuebant, nunc Alexandri Philippique, Regum ſuorum nomina, ſicut Numina, in auxilium vocabant. Ubi ſermo eſt de Macedoniæ ſtatu, Gallis in eam irrumpentibus, poſt cladem Ptolemæi Ceraunii. Idem ab Ionibus factitatum, apud quos, ſupra Clazomenios, lateri eo, quod Chalcidenſes occupârant, fuit lucus Alexandro M. ſacer; ac certamen etiam communi Ionum nomine peragebatur, quod Ἀλεξάνδρεια dixêre, ut de utroque auctor eſt Strabo l. 14. Sed & aras Alexandro M. Cæſar quo Auguſto conſecratas, ad Boryſthenem, memorat Amm. Marcellin. l. 22. c. 8. Porrò creditus eſt in ſomnis apparere & quæ agenda eſſent præcipere; quam famam commentô ſuô firmavit Eumenes & Plut. c. 12 de alio inſomnio. Antiochus it. Soter, qui cum Gallis pugnaturus, hôc ſomniô audaciam militibus fecit, Alexandrum adſtitiſſe ſibi, eique teſſeram daret, ὑγίαινε, juſſiſſe, ita victoria potiturum. Nec levis honos fuit Æra Alexandri in Oriente olim obſervata, Not. ad Supplem. Curtii l. 10. extrem. Imò ſequiore ævô inter Romanos, luxu in immenſum auctô, aurea ejuſdem Regis numiſmata calceis ad pretioſiorem ornatum, jungi conſuevitſſe, diſcimus ex Chryſoſtomo, qui Homil. ad Pop. Antiochenum, Quid ... ait, diceret aliq... de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numiſmata pedibus? Dic mihi, hæne ſunt ſpes noſtræ, ut, poſt crucem Domini, gentilis Regis in imagine ſpem ſalutis habeamus: Nempe, etiam Chriſtiani, hos enim Chryſoſtomus alloquitur, Gentilium imitati luxum ac ſuperſtitionem, ad bonum proſperi eventûs omen, Alexandri auream imaginem calceis annexam ſolebant geſtare, quem ritum aureus ille Eccleſiæ Doctor meritò reprehendit, in Macrianorum familia olim imprimis obſervatum; Dicebantur enim juvari in omni actu ſuo qui Alexandrum expreſſum vel auro geſtitarent vel argento, Treb. Pollio in XXX. Tyr. c. 14. ubi de Quieto, Vide & Ben. Balduinum de Calceo antiq. c. 18. & 22. nec non infrà Divinatio.

ALEXANDER, Magni ex Roxane fil. à Caſſandro cum matre, peremtus. Juſtin. l. 15. c. 2.

ALEXANDER, I. qui & Jannæus: Ariſtobuli frater, Rex Judæis conſtituitur à Salome, ſive Alexandra, ejuſdem Ariſtobuli uxore relicta, quæ mariti fratres, inter quos erat & Jannæus, ſtatim è vinculis liberat, A. M. 3858. ante Chriſtum natum 104. Jannæus fratrem regni æmulum occidit. Contra Ptolemaidem & Gazam, quæ à Judæis ſæpius defecerant, movit: cladem maximam à Ptolemæo Lathyro accepit, ad Jordanem. A Cleopatra Ægypti Regina, Ptolemæi hujus matre, opem implorat, quæ ne filius ſuus actâ Judæâ in Ægyptum irrumperet, validâ cum manu in Cyprum abire cogit. Maxima populi multitudo ab Alexandro deficit, ſed adjutos etiam à Demetrio Rege Syriæ, vicit, quorum potentiſſimos octingentos, dum cum ... ſcortis cœnat, crucifigi jubet, liberoſque & uxores eorum coram ipſis adhuc viventibus, mactari. Poſt hæc Jannæus hic, ſive Alexander crapulæ indulgens, in morbum incidit, quartanaque febri poſtquam tribus annis laboravit, obiit annô regni ... Vide Joſeph. Antiq. Jud. l. 13. c. 19. 20. & 21. & l. 1. de Bell. Jud. Torni. l. Salian.

ALEXANDER, II. Ariſtobuli fil. Judæam invaſit, cujus exercitum Gabinius vicit. Joſeph. Jud. Antiq. l. 14. c. 11. & de bell. Jud. l. 1. c. 17. Salian. Tornel.

ALEXANDER, fil. Herodis M. ex Mariamne, cum fratre Ariſtobulo, juſſu Patris inique ſtrangulatus. Joſeph. Jud. Antiq. l. 16.

l. 16. & *l.* 1. *de Bell. Jud.* poſt hunc venit Pſeudo-Alexander quidam, cujus hiſtoriam vide apud Joſeph. *l.* 17. *c.* 14.

ALEXANDER, Telette pulſo, Corinthi regnum occupavit, per annos 25. ab eo tandem ſublatus, cum ſucceſſorem habuit. Vide T...

ALEXANDER, Caſſandri fil. Macedonum Rex, regnavit cum Antipatro fratre annis 2. Hic matrem Theſſalonicam, à fratre occiſam, ulturus, a Socero Lyſimacho impeditur, & à Demetrio, Antigoni filio interimitur. Juſtin. *l.* 16. *c.* 1. Euſeb. *Chron.*

ALEXANDER, I. Epirotarum Rex, Olympiadis frater, Arymbæ in Moloſſorum regno ſucceſſit, Timoleum Leptinem ad deditionem coëgit, in Peloponneſum exulatum miſit, civitates libertate donavit. Diodor. Sic. *l.* 16. Vide etiam Juſtin. *l.* 17. *c.* 3 Strab. *l.* 6. Liv. *l.* 9. Oroſ. *l.* 3. A. Gellium, *l.* 17. *c.* 21.

ALEXANDER, II. Pyrrhi fil. Epirotarum Rex, regnum Macedoniæ oppugnavit, ſed à Demetrio pulſus & regnô exutus eſt, quod tamen ab Acarnanibus adjutus recuperavit. Juſtin. *l.* 26. *c.* 2. & 3.

ALEXANDER, I. Rex Syriæ, poſt Epiphanem, à Demetrio Sotere, legitimi hæredis, filio Nicanore, & ſocero Ptolemæo Philometore, inſidiis ejus offenſo regni an. 5. pulſus, ſecundum *Joſephum*, 10. verò ſecundum *Eutropium*, in Arabiam confugit, ubi et caput a Zabdo demptum 1. Machab. c. 10. & 11. Joſeph. *l.* 13. *Jud. Ant.* Juſtin *l.* 35. *c.* 1. & 2. Strabo, *l.* 17. *Euſeb. Sulpic.* Severus, &c.

ALEXANDER, II. Zebenna dictus, Rex Syriæ evaſit, ope Ptolemæi Phyſconis, victoque Nicanorem. Sed poſteà ipſemet ab hujus filio Antiocho Grypo ſuperatus regni an. 2. occiditur. Joſeph. *Ant. Jud.* *l.* 13. *c.* 18.

ALEXANDER Ptolemæus I. Rex Ægypti nomine, Ptolemæo Lathuro fratri, prælatus, ope Cleopatræ matris: quæ impotentis animi fœmina, qualia in Lathurum primò, dein in ipſum Alexandrum molita ſit, vide apud Joſeph *l.* 13. *Ant. Jud.* *c.* 20. & 21. Juſtin. *l.* 39. *c.* 4. Euſeb. *Chron.* Sed occiſa ab Alexandro, quod facinus peroſi Alexandrini, hôc pulſô, Lathurum ab exilio in thronum revocârunt.

ALEXANDER, II. Ptolemæus prioris fil. in Inſul. Co educatus, in Mithridatis venit poteſtatem. Inde liberatus ad Sullam confugit, à quo in regnum reſtitutus, ſed 19. die poſt coronationem a ſubditis occiſus eſt. Appian. *l.* 1. *Bell. Civ.*

ALEXANDER, III. Ptolemæus Ægypti, poſt Alexandrum II. fratrem, Rex, poſtquam ſatis feliciter regno, ann. 15. præfuiſſet, à ſubditis pulſus Tyri obiit Populô Romanô hærede dictô. Cicer. *Orat.* 1. & 2. *pro Rullo.*

ALEXANDER I. *Severus*, vide *Severus.*

ALEXANDER, II. Conſtantinopolitanus Imperator ſeptimus Baſilii Imperatoris fil. vir luxu & ignaviâ perditus, regnavit ann. 1 & menſ. 1. Obiit A. C. 912. *Curopalates*, *Cedrenus*, *Baronius.*

ALEXANDER, natione Phryx, apud Carthaginem Imperator electus, à Conſtantini exercitu jugulatus eſt. Eutrop. *l.* 11. Baron. *A. C.* 306.

ALEXANDER, I. Scotorum Rex pietate & juſtitiâ illuſtris, obiit improlis A. C. 1121. Leſle *l.* 6. *Buchanan*, *Genebrard.*

ALEXANDER, II. fil. Gulielmi, ſeo cognomine Scotorum Rex feliciter contra Anglos pugnavit, mox Henrico III. ſorore ... pacem cum illis iniit. Obiit A. C. 1249. an. regni 35. Leſle *l.* 6. Polydorus. *Hiſtor. Angl.*

ALEXANDER, III. prioris fil. Norvegiæ Regem vicit, & Hebridas Inſul. exiguâ pecuniæ vi Scotiæ adjecit regno. Obiit equi lapſu, A. C. 1286. regni 37. Leſle *l.* 6. Buchanan. *l.* 7 Boët. *l.* 13.

ALEXANDER, primùm Lithuan. Dux, dein Polon. Rex obiit A. C. 1506. regni 5. ætat 46. Taciturnus, temeculque, at maximè liberalis. Michov. *l.* 4. *c.* 81. *Spondan*

ALEXANDER, I. Romanus, poſt Euariſtum, Papa, ſub Adriano martyriô coronatus A. C. 131. Pontificatûs 10. Euſeb. *l.* 4. *Hiſt.* *c.* 4. Auguſtin. *ep.* 165. Irenæus *l.* 3. *c.* 3.

ALEXANDER, II. Mediolanenſis poſt Nicolaum, Pontifex, cui ab Epiſcopis Ciſalpinis Antipapa Honorius II oppoſitus eſt, qui tamen obiit A. C. 1064 Favit Guil Conqueſtori, in Angliæ occupatione, & Mathildis Comitiſſæ ope plurima perfecit, Laicis inveſtituram munerum Eccleſiaſtic. ademit. Obiit A. C. 1073. Pontific. 12 *Nauclerus*, *Volaterr. Onuphr Sigebert. Platina, Troſtienſis*, *Genebrard* &c.

ALEXANDER, III. Adriano IV. ſucceſſit, cui Victor IV. Friderico Imperatori approbatus, oppoſitus eſt. Hicque mortuô, Paſchali III. & Caliſto, III. Vicit nihilominus, & poſt triennalem abſentiam a Romanis revocatus eſt. Venetiis Fridericum Imperatorem pede cervici ejus impoſitô calcavit, abuſus verbis illis Pſ. 91. v. 13. *Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis.* Pari faſtu Henricum II. Angliæ Regem tractavit. Obiit, A. C. 1181. Pontificatûs 22. Authores prædicti, *Baronius.*

ALEXANDER, IV. poſt Innocentium III Papa, ſub quo Guelphorum & Gibellinorum turbis Italia æſtuabat. Cum Manfredo, bellô & indulgentiis certavit, Angliam exactionibus vexavit, contra Turcas motures, Venetorum & Genuenſium diſſidiis impeditus eſt. Obiit A C 1261. Pontificatûs 6. Præter ſupra laudatos, *Bzovius Spondan.* Joh. Balæus, *l.* 6. *aſt. Pontif. ex Pariſ.*

ALEXANDER, V. Cretenſis, in Conciliô Piſano, poſt Gregorium 12. Papa electus, liberalitate inſignis. Dixit ſe fuiſſe *divitem Epiſcopum*, *pauperem Cardinalem*, *Pontificem mendicum.* Obiit Bononiæ A C. 1410. Pontificatûs 10. menſe, vide ſupra. Item, Monſtrelet *l.* 1. *c.* 62. & *Joh. Baleum.*

ALEXANDER, VI. à matre *Borgias*, ex illuſtri regni Valentiæ ſtirpe, Paparum ſpurciſſimus, cum Cæſare, ſpurio ſuo, Eccleſiæ gravis fuit. Quem ut eveheret, Ferdinando, Maurorum victori, *Catholici* titulum conceſſit, atque inter eum & Luſitaniæ Regem Indias diviſit. Hoc ſedente etiam Carolus VIII. Galliæ Rex Neapolitanum regnum ſibi ſubjecit. Tandem cum Cardinalibus quibusdam venenum pararet, illo per errorem ipſe hauſtô, obiit, A. C. 1503. Pontificatûs 11. Vide inſuper Marian. *l.* 26. *c.* 2. Guicciard. *l.* 3. &c.

ALEXANDER, VII. Senenſis, ex Chiſiorum familia, poſt Innocentium X. Pontifex evaſit, poſtquam Pacificationis in Imperio negotium, tanquam Nuntius a Latere, fruſtra impeditum vidiſſet. Venetos, ut Jeſuitas reciperent, pecuniâ opibuſque contra Turcas juvit. Ludovicum XIV. ob legatum qui a Corſis violatus erat, irritatum, multô nepote, Pyramide erectâ, & Corſis in perpetuum rejectis, placavit. Thomam Villanovanum & Franciſc. Saleſium Sanctos eſſe juſſit, Regem Maroci baptizavit, controverſiam de S. Virginis ortu decidit, Romam ædificiis ornavit, obiitque A. C. 1667 ætat 60. Pontificatûs 12. Scripſit *Muſas Juveniles*, ſub Philomathi nomine, Coloniæ impreſſas. Adde, quæ infra habentur in vocibus *Catoptrica Alexandri VII. exhibitum*, ut & *Speculum Uſtorium.* Hinc *Alexandrinus* Obeliſcus, inter XIII. illos, qui Romæ viſuntur, ab *Alexandro* ſcilic. VII. Pontif. cui eum *Ath. Kyrcherus* dedicavit, nomen habet. Lateralibus ſequentibus epigraphis ad quodlibet quatuor laterum abaci ornantur. In quorum uno ſic legitur: *Alexandro VII. veteris ſapientiæ Magiſtro, Obeliſcum ad veterum Ægyptiorum mentem, hieroglyphicis notis inſcriptum erexit & dicavit*, *A. K.* In altera facie, *Alexand. VII. P. M. reconditioris eruditionis oraculo Obeliſcum hunc Encomiaſticè ſymbolorum contextu inſcriptum erigit & conſecrat* A. K. In tertia, *Alexand. VII. P. M. Oſiri rediviuo Obeliſcum hunc arcanis veterum Ægyptiorum notis inſcriptum erigit dicat*, A. K. In ultima verò, *Honori & immortalibus meritis Alexand. VII. P. O. M. Obeliſcum hunc ad Ægyptiacæ ſapientiæ normam inſcripſit, erexit, conſecravit* A. K. Vide Georg. de Sepibus in *Collegii* Romani Societ. Jeſu Muſæo p. 12. Vide quoque infrà *Minervæ obeliſcus.*

ALEXANDER, VIII. Prius *Petrus Ottobonus* Venetus, ſucceſſit Innocentio XI. A C. 1689. Avenionem à Galliæ Rege recepit, Nepotiſmum reſtituit, obiit A. C. 1691. ſedis annô 1. cum dimid. ſucceſſore Innocentiô XII.

ALEXANDER, Epiſcopus Alexandriæ, contra Arium Zelo inſignis obiit A. C. 325. Athanaſiô ſucceſſore deſignatô. Epiph. *hær.* 69. Socr. *l.* 1. *c.* 3. 5. & 8. Theodoret. *l.* 1. *c.* 26. Sozom. *l.* 1. *c.* 1.

ALEXANDER, Epiſcop. Hieroſolymitanus poſtquam 50. annos Eccleſiam rexiſſet, & inſignem Bibliothecam Hieroſolymis collegiſſet, ſub Decio martyrii coronam obtinuit. Euſeb. *l.* 6. *c.* 8. *l.* 9. *c.* 14. Hieronym *de Script. Eccl.* Baron. *A. C.* 199. 230. & 253.

ALEXANDER, primus Patriarcha Conſtantinopolitan. Metrophani Epiſcopo ſucceſſit A. C. 317. Ario vehementiſſimè reſtitit. Socr. *l.* 1. *c.* 5. & *l.* 2. *c.* 4. Sozom. *l.* 2. *c.* 28. & *l.* 3. *c.* 3. Theodoret. *l.* 1. *c.* 14. Rufin. *l.* 1. *c.* 12.

ALEXANDER, Patriarcha Antiochenus poſt impium Porphyrium, pacem Eccleſiæ reddidit, diſſentientibus reconciliatis. Obiit A. C. 408. *al.* 411.

ALEXANDER, Cardinalis Florentinus, vide Leo X.

ALEXANDER, *Ludoviſius.* Vide *Gregor.* IX.

ALEXANDER, fil. Johannis Junioris Holſatiæ Ducis Sonderburgicæ lineæ conditoris, hanc continuavit: et in regimine ſucceſſit fil. Johannes Chriſtianus, pater Chriſtiani Adolphi Reliqui ejus liberi fuêre *Alexander* Henricus, tranſitu ad Romanæ communionis ſacra & indignô matrimoniô contractô notus, Erneſtus Guntherus, Georgius Fridericus, Auguſtus Philippus, primò duarum ſororum è familia Oldenburgica, dein Mariæ Sibyllæ Naſſoviæ, maritus, Hollandorum Primo, inde Imperatoris Leopoldi in Hungaria miles & Phil. Ludovicus, General. vigiliarum apud Cæſareanos eôdem bellô præfectus, Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Hiſtor.*

ALEXANDER, fil. Ludovici cognomine *Nigri*, (qui Stephani ſecundo genitus fil. & Ruperti Imperatoris nepos fuit,) Dux Bipontinus, Patri ſucceſſit; ex morbo puſtularum *Claudus* & *Valetudinarius* cognominatus. Agnatum Electorem in Bavarico Bello non parum vexavit, communis Pater, ex duobus filiis Ludovico & Ruperto, totidem lineârum Bipontinæ & Lucelſteinæ. Idem.

ALEXANDER, ſeu *Alexandrinus*, cognomine *Æmiliani*, unus ex Triginta Tyrannis Romanorum, de quo ſic Treb. Pollio *c.* 22. *Thebaidem totamque Ægyptum peragravit & quatenus potuit barbarorum gentes forti auctoritate ſubmovit. Denique* Alexander vel Alexandrinus (*nam incertum id quoque habetur*) *virtutum meritô vocatus eſt.*

ALEXANDER, vide *Paris.*

ALEXANDER, alter dux triginta juvenibus Petram altiſſimam Indiæ, Aorni nomine, conſcendere aversâ parte juſſis, ab Alexandro Magno additus. Curt. *l.* 8. *c.* 11.

ALEXANDER, Myndius, Hiſtoricus, cujus Plut. meminit in C. *Mario*, ubi ſermo de duobus vulturibus exercitum ejus ſequentibus. Item Monachus quidam, qui ſcripſit de Inventione S. Crucis, quem edidit *Gretzerus.*

ALEXANDER, Philoſophus Epicureus, qui primus quæſtionem, *utrum prius, Gallina an ovum?* propoſuit. Plut. *in Dipnoſ.* *l.* 2 *quæſt.* 3. Gaſſendus, *in Vita Epicuri l.* 2. *c.* 6.

ALEXANDER, Præſidii per Æolida præfectus, qui edictô inſigni ſpectaculi magnam vim hominum concivit, quos poſtea niſi numeratâ pecuniâ non dimiſit. Vide Polyæn. *l.* 6. *c.* 10.

ALEXANDER, Theſſalus, navale prælium initurus, multis conſcenſoribus magnum miſſilium numerum telorum diſtribuit in conſtratis navium; eiſque præcepit, ut cum hoſtium navis appropinquaſſet, his in naves jaculis uterentur, at plurimi mutiles fierent. Polyæn. *l.* 6. *c.* 27.

ALEXANDER, Lyſimachi & Mecridæ fil. Idem *l.* 6. *c.* 12.

ALEXANDER, vide *Tiberius.*

ALE-

ALEXANDER, fil. Æropæ, vir fortis & Alexandro M. gratus. Freinshem. *ſupplem. in Q. Curtii l.* 2.

ALEXANDER, Lyciæ præfectus, ſupplementa militum Alexandro M. adduxit. Q. Curt. *l.* 7. *c.* 10.

ALEXANDER, Lithuaniæ Dux victoriis inclytus. Novogardiam ſibi ſubjecit, illam adeò in Septentrione celebrem. Crantz. *l.* 13. Cromer. *l.* 29.

ALEXANDER, ærarius faber, à Paulo Satanæ traditus. Vide 1. *Tim. c.* 1. *v.* 19. 20. 2. *Tim. c.* 4. *v.* 14. 15. An idem cum Alexandro Samaritano, de quo Euſeb. *l.* 3. *c.* 20.

ALEXANDER, Hæreticus, diſcipulus Valentini, Tertullian. *l. de carne J. Chriſti c.* 16.

ALEXANDER, Magus Apollonii Thyanæi diſcipulus ſub Antonino Pio, Serpentis, quem Æſculapium eſſe dixit, fictis oraculis Romanos illuſit. Baron. *A. C.* 145. Lucian. *in Vita ejus.*

ALEXANDER, quidam genere Phryx, diſciplinâ medicus, vitæque ac morum probitate cunctis charus, Dei amore concitatus, cùm aſſiſteret tribunali, nutibus ad confeſſionem hortabatur eos, in quos tormenta & quæſtiones exercebantur, ita ut omnibus, qui adſtabant, palam fieret, quid in animo gereret. Cumque id populi notaviſſent, conclamârunt adverſus eum, qui juſſus à Præſide in medium ſtatui, & quis eſſet, interrogatus, Chriſtianum ſe eſſe liberâ profeſſione, teſtabatur, quem continuò Præſes beſtiis adjudicavit. Euſeb. *l.* 5. *c.* 2.

ALEXANDER ab ALEXANDRO, ſive Neapolitanus, Juriſconſultus celeberrimus, tam in Patria quàm Romæ Jura publicè cum gloria docuit. Fori tandem pertæſus, reſiduum vitæ in literario otio & ſtudiis humanioribus exegit: reliquit *Genialium dierum libros* 6. Quos multiplici doctrinâ eſſe refertos, ſcriptoremque eſſe longè meliorem Philelphô, judicium eſt Floridi Sabini *apologiâ adverſus calumniatores L. L.* Rectè ſanè, inquit Voſſ. *de Hiſt. Lat. c.* 8. Sunt enim libri illi, promptuarium antiquitatis, veteriſque hiſtoriæ; etſi nec pauca in eo ſint ad verborum proprietatem, aliaque ſtudia pertinentia. Claruit A. C. 1475. Fuiſſe Joviani Pontani æqualem, ſatis liquet ex primis operis verbis. Atque alibi indicat, ſe in adoleſcentia Philelphum jam ſenem audiſſe Tuſculanas Ciceronis quæſtiones enarrantem. Item refert ætate ſuâ Nicolaum Perottum, & Domitium Calderinum, Martialis apophoreta, magnâ contentione Romæ prælegiſſe juventuti. Item Georgii Trapezuntii, Theodori Gazæ, Hermolai Barbari, Raphaëlis Volaterrani, ac Pauli Corteſii ut æqualium meminit. Unum autem hoc merito in hiſce præclaris commentariis improbari ſolet, quòd eorum, unde profeciſſet, diſſimularet auctores. Sed huic vitio medicinam fecit doctiſſimus Tiraquellus, qui, digitum ad fontes intendens, unde quæcunque hauſta eſſent, indicavit. Vide Hier. Ghilinum *Theatro Vir. doct. Quenſtedium Freherum* &c. Plures Alexandros, ſi deſideret lector (*neque enim omnes numerò comprehendere refert*) conſulat Voſſium, Meurſium, ac Jonſium *de Script. Hiſt. Philoſoph.*.

ALEXANDER, Aphrodiſienſis, Ariſtotelis interpres, quò nemo meliùs mentem Philoſophi iſtius aſſequi ſolet, uti loquitur Voſſ. *alicubi de Theol. Gent.* Ac proinde Bembus *l.* 2. *Ep. Hieron. Donato*, Alexandrum Aphrodiſæum, inquit, cujus de animâ libros abs te Latinè factos mihi miſeras, legi magnâ cum voluptate, cùm ejus Philoſophi causâ, tùm tuâ, &c. Vide Voſſ. *de Sectis Philoſ. c.* 17. §. 16. 17.

ALEXANDER Aetolus, Hiſtoricus ſeculô 12. Alius *Andersohn*, ſcripſit ſupplementum Apollonii. Alius *Benedictus*, Veronenſis Medicus & Philoſophus Auctor Diarii *belli à Carolo Siculo geſti.* Alius *Celeſtinus*, Rogerii Siculi Regis hiſtoriam ſcripſit. Alius *Corteſius*, Matthiæ Corvini encomiaſtes. Alius, *Ætolus*, Arati commentator. Alius *Fioravanti*, Capucinus, auctor *meditationum*. Alius *Picolomini*, Philoſophus & Mathematicus inſignis. Alius *Imola*, ſeculô 1. Alius *Somerſetenſis* vel *Staford.* Anglus proſâ & verſu celebris.

ALEXANDER Emeſenus, ſub Commodo Imperatore defectionem molitus, miſerè periit. Æl. Lamprid. *in Commodo c.* 8. *Nec alia ulla fuit defectio, præter Alexandri, qui poſtea ſe & ſuos interemit & ſororis Lucillæ.* Ad quæ verba, *Quis iſte*; quærit Caſaubon. *ubi ſine dubio Julius ille eſt Alexander Emeſenus, de quo eſt apud Dionem unum. Sed de illius defectione nihil apud nobiliſſimum Auctorem.* Vide *Dionem*, ubi de puero ejus delicato, dignam habes lectu hiſtoriam.

ALEXANDER Epheſius, cognomentô Lychnus, ſive Lucerna. inter illos, qui Epheſum illuſtrârunt, reponitur à Strabone *l.* 14. ubi etiam diſcimus, eundem & Rempubl. geſſiſſe, & hiſtoriam conſcripſiſſe, & poëmata de rebus cœleſtibus, ac orbe terreſtri edidiſſe. Vide Euſtath. *in Dionyſ. v.* 558. itemque Steph. in Αἰγυπτ- & Τεσσαρικα, qui ejuſdem Aſiam ac Lybiam citat *in Ξανθία*. Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 318.

ALEXANDER Farneſius, Parmæ Dux Caroli V. nepos, bellicæ rei gloriâ, & Belgii adminiſtratione illuſtris. Obiit A. C. 1592. ætat. 47. Grotius & Strad. *de Bello Belgico.* Item, 2. Cardinales. Vide Paulus III.

ALEXANDER Grammaticus oppidô Gothicô natus, de varia hiſtoria ſive materia 34. volumina reliquit, peritiſſimus ætatis ſuæ vir.

ALEXANDER de Hales, *Doctor irrefragabilis*, Thomæ Aquin. præceptor, varia ſcripſit. Circa A. C. 1240. Bellarmin. *de Scriptor. Eccleſ.*

ALEXANDER Lynceſtes, inter complices Philippeæ cædis, veniam tamen ab Alexandro M. nactus, quem ipſe primus Regem ſalutaverat, fidam poſtea ipſi navavit operam. *Arrian.* Freinshem. *Supplem.* 1. & 2..

ALEXANDER *de Medicis*, Florentiæ Dux, Caroli V. gener, vitiis ſcatens, miſerè periit A. C. 1537. P. Jovius, *l.* 38.

ALEXANDER Petrus, vide *Petrus.*

ALEXANDER Phæreus, in Theſſaliâ tyrannidem apud Phæreos exercuit. De quo Cicer. *Offic. l.* 2. *c.* 9. cujus verba apponam. *Quid? Alexandrum Phæræum, quo animo vixiſſe arbitramur? qui cùm uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidem compunctum notis Thraciis, diſtrictô gladio jubebat anteire, præmittebatque de ſtipatoribus ſuis, qui ſcrutarentur arculas muliebres, & ne quod in veſtimentis telum occultaretur, exquirerent. O miſerum, qui fideliorem & barbarum, & ſtigmaticum putaret, quam conjugem: nec eum feſellit opinio, ab eâ enim eſt ipſe propter pellicatus ſuſpicionem interfectus.*

Ovid. *in Ibin.*

Inque tuo thalamo jugulere more Pheræi,
Qui datus eſt leto conjugis enſe ſuæ.

Hujus meminit Plut. & Corn. Nep. *c.* 5. *in Pelopida*, Diodor. Sic. *l.* 15. Pauſan. *l.* 6. & Val. Max. *l.* 9. *c.* 13.

ALEXANDER Polyhiſtor, multa philologica & hiſtorica reliquit. Floruit Olymp. 173. quâ in Ægypto iterum regnavit Ptolemæus Lathyrus, bellumque in Græcia gerebat L. Sylla. De hoc Alexandro ita ſcribit *Suidas. Alexander Mileſius, qui & Polyhiſtor, & Cornelius cognominatur, propterea quod captus Cornelio Lentulo fuit venditus, ejuſque pædagogus factus eſt, & poſtea manumiſſus. Fuit autem Romæ Syllæ temporibus. Laurenti periit, ædibus, in quibus erat, flammâ conſumptis: quod ubi uxor ejus audivit, laqueô vitam finivit. Fuit verò Grammaticus, Cratetis diſcipulus: & libros ſcripſit innumeros, & de Roma libros quinque, in quibus ait Hebræam fuiſſe mulierem, Moſo nomine, cujus ſcriptum ſit lex Hebræorum.* Hæc *Suidas.* Sed quòd Alexandrum facit Mileſium, in eo repugnat *Stephanus*, ubi eum natum dicit Cotyaëi, civitate Phrygiæ ejus, quæ ἐπίκτητος, vel Helleſpontia, vel etiam minor appellatur. Atque hinc Ἀλέξανδρος ὁ Κοτυαεὺς vocatur Etymologo *in* Δοδώνη & Περγάμου. Eidem *Stephano* dicitur fuiſſe fil. Aſclepiadæ, ac ſcripſiſſe περὶ παντοδαπῆς ὕλης τεσσαράκοντα λόγους. Nam ne hunc Aſclepiadæ filium alium à Polyhiſtore putem, facit, quod ibidem vocatur γραμματικὸς πολυμαθέστατος. Multa quoque idem adducit paſſim, quæ ſcripſit, ſed quædam eorum pertinuiſſe ad illos omnigenæ hiſtoriæ libros, planè cenſeo. Nominat verò Φρυγιακὰ, ſive περὶ Φρυγίας, cujus operis etiam meminit Plut. *de Flum.* Item περὶ Βιθυνίας, de qua ab eo fuiſſe ſcriptum, etiam auctor eſt nobis Etymologus *in* Κυβέλη. Item *Ægyptiaca, Carica, Lyciaca, Libyæ periplum; de Aſia, Paphlagonia, Syria, Cypro, Ponto Euxino, Europa.* Item περὶ τῶν παρ' Ἀλκμᾶνι τοπικῶς εἰρημένων. Primum Κρητικῶν advocat Apollonii Schol. *in l.* 4. Athenæus quoque *l.* 12. citat eum ἐν τρίτῳ. Plut. *penè initio libri de Muſica*, exarâſſe librum ait, quô Phrygios Muſicos collegit. Ad hæc *in* διαδοχαῖς citatur à Laërtio *in vita Pherecydis & Socratis*, quô opere docuiſſe videtur, ut Philoſophorum alii aliis ſucceſſerint. Etiam edidit Πυθαγορικὰ ὑπομνήματα, ſive περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων. Priori modò appellat Laërtius *in Pythagorâ*: poſteriori Clem. Alex *l.* 1. *Strom.* & Cyrillus *l.* 9. *adverſus Julianum.* Idem Clemens *l.* 1. citat librum περὶ Ἰουδαίων, uti quoque Euſeb. *l.* 9. *de Præp. Evang. c.* 17. Ubi penè integrum ejus librum exſcripſit. Ibidem & illuſtre ejus elogium habemus, ubi πολύϊστωρ καὶ πολυμαθὴς ἀνὴρ vocatur. Nec dubium, quin hoc opus ſignet Juſtinus Martyr *Cohortatione ad Græcos*, ubi eos refert, qui Moſis meminerint, ut ducis & principis Judaici. Et ſanè nulli obſcurum eſt, quantum illi debeat Plinius ipſe, quippe quem toties ad partes advocet in *Hiſtoria Naturali.* Meminit ejus quoque Chalcidius, *commentariô in Timæum Platonis* & Agathias Scholaſticus *l.* 2. *Hiſtoriæ ſuæ*, item Joſeph. *Jud. Ant. l.* 1. *c.* 16. Ejuſdem de diluvio, & alterum de turri Babylonis teſtimonium adfert Cyrillus *Initio l.* 1. *contra Julianum* ex Voſſ. *l.* 1. *de Hiſt. Græc. c.* 22. *Nic. Lloydius.*

ALEXANDER Spartanus, ab Argivis, per fines Tegeatidis regionis irrumpentibus, occiſus cum 200. dum eos ingreſſu prohibere conatur. Diodor. Sic. *l.* 13.

ALEXANDER Sulpitius. Vide *Sulpitius.*

ALEXANDER Tortagricus JCtus Imolenſis fuit; Patavii, Ferrariæ & Bononiæ annos prope triginta jus civile interpretatus eſt, editiſque libris compluribus, obiit A. C. 1475. ætat. 50. Hotomannus apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

ALEXANDRA, Judæorum Regina, vidua Ariſtobuli, cujus fratres, prius in captivitate detentos, libertati reſtituit, Alexandrô Jannæô, natu maximô, in thronum evectô. Joſeph. *l.* 13. *Jud. Ant. c.* 20.

ALEXANDRA, cognomine Salome, Judæorum Regina, uxor Alexandri Jannæi, filium Hyrcanum ſacerdotio præfecit. Phariſæis univerſæ Judæorum Reip. adminiſtrationem commiſit, regnavit ann. 9. Vid. Joſeph. *Ant. Jud. l.* 13. *c.* 24. Torniel. A. M. 3979. Fuit & *Alexandra* quæ & *Caſſandra* dicebatur, Priami filia, ac vates, cujus gratia, hoc ipſô nomine Lycophronis Tragœdia inſcribitur.

ALEXANDRA, filia Hyrcani, mater Ariſtobuli & Mariamnæ, uxor Herodis, ſuperba fœmina, cum ad Cleopatram fugam pararet; cum filio, deprehenſa & unà cum ipſo necata eſt. Joſeph. *l.* 1. *de Bell. Jud. c.* 17. Torniel. A. M. 4019. *n.* 2. 4026. *n.* 1.

ALEXANDRA ſeu ALEXANDRIA, filia Caſſii Tyranni, memoratur Jul. Capitolino in *Marco Antonino Philoſ. c.* 26. *Ipſum Caſſium pro clementia occidi paſſus eſt, non juſſit. Filii autem Caſſii & amplius media parte acceperunt paterni patrimonii, & aurô atque argentô adjuti, mulieres autem etiam ornamentis, ita ut Alexandria filia Caſſii & Druncianus gener liberam vagandi poteſtatem haberent, commendati amitæ marito.* Et Vulcatio Gallicano *in Avidio Caſſio*, qui eadem penè verba cùm repetiiſſet, addit *c.* 9. *Veruntamen, non quaſi*

quaſi Tyrann[illegible] [illegible], ſed quaſi Senatoris ordinis in femina ſecerneret: [illegible] [illegible] [illegible] line objecti ſortiolum proprias vetuiſſet domus, damna[illegible] [illegible], quod in eos petulantes ſuiſſent. In quo utroque loco filia hæc Avidii Caſſii *Alexandria* vocatur, nec libri variant. Caſaubon. tamen in codice Regio & Puteani *Alexandra* legit, ſicque ſcribi vult; ſed parum refert, inquit Salmaſ. *Alexandra*, an *Alexandria* ſcribatur, cùm utrumque idem ſit. Nam Ἀλεξάνδρα, Ἀλεξάνδρεια, ut [illegible], [illegible]; & [illegible], [illegible] & ſimilia. Sic herba, quæ *Alexandra* vocatur, aliis *Alexandrina* dicebatur. Steph. [illegible] [illegible], [illegible] ἡ Ἀλεξάνδρεια [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] Ἀλ[illegible] [illegible] [illegible] Ἀλεξανδρ[illegible] [illegible] [illegible], *Fil & [illegible]* [illegible], *alii Alexandria, cujus folio coronabantur Alexander in ſacris [illegible]mentibus &c.*

ALEXANDRA, filia Bartholomæi Scalæ, Florentini, Latinè Græcèque doctiſſima. Angel. Polit. *in Epigr.* Obiit A. C. 1506. Voſſ. [illegible]. P[illegible].

ALEX[illegible]DREA Laurus. Vide infrà *Alexandrina.*

ALEX[illegible]DRI Aræ, itineris & victoriarum ejus termini, haud longe [illegible] Tanai [illegible] Jaxarte fluv. Plin. *l. 6. c. 16. Gens hæc obtinet [illegible] montis I[illegible] pa[illegible] ex adverſo [illegible] Indi[illegible] includitur flumine Oxo. [illegible] [illegible] [illegible] oppidum Panda, & in ultimis eorum finibus, Alexandria [illegible] ab Alexandro magno conditum. Aræ ibi ſunt ab Hercule ac [illegible] patre [illegible]tæ, item Cyro ac Semiramide atque Alexandro: [illegible] [illegible] ab illa parte terrarum, includente flumine Jaxarte, quod Scythæ Silyn vocant: Alexander militeſque ejus Tanaim [illegible] putavère:* Atque hæc eſt Alexandria, quam *Ptol.* Ἀλεξάνδρειαν ἐσχάτην vocat, in ultimis Sogdianorum finibus ſita. *Ptol.* ad Tanaidem Ponticum, *Alexandri Aras* ſtatuit: Sed his Tanais ab illo [illegible] diverſus, ad quem condita Alexandria ultima, verùm ambiguitate vocis decepti Scriptores. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin p. 789. & ſeqq.* & infrà in voce *Tanais.*

ALEXANDRI Jactus, in ludo talorum, ab *Alexandro* nomen accepit; in Alexandri cujuſdam Chii oriundi & Epheſi tumulo effigiatus. qui cum mortem obiiſſet, hoc ipſum in cippo tumuli expreſſum [illegible] noverit talis quorum quatuor ſitu ſuo jactum, qui vocabatur [illegible], referebant: alii quatuor jactum illum exhibebant, qui [illegible] dicebatur; Unus unionem indicabat, qui Græcè χῖ[illegible] dictus. Hinc *Epigr.*

Ω[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

Vide Salmaſ. *ad Solin p.* [illegible]. & infrà ubi de *Talis.*

ALEXANDRIA, urbs multiplex. *Prima* Ægypti in ora ab oſtio Canopico [illegible] mill. paſſ. in occidente opus Alexandri M. Caput urbium, Amm. Marcell. *l. 22. c. 16* Herodian *l.* [illegible] *c. 6* *Scanderia* Turcis, & *Aleſſandria* Italis, urbs Patriarchalis & emporium celebre, quò ex India merces, præſertim aromata, per univerſam Europam diſtribuenda advehuntur. Olim ante Cairi erectionem (à quo itinere quatriduo diſtat) clarior. Ipſa deficit indies. Ad oſtium portus Inſula Pharos eſt, quæ jam injectâ mole terræ adjacet, ubi turris Pharus nunc deſtructa: Super cujus rudera arx eſt Turcarum, qui juxta portum alteram arcem habent. Vide Curt. *l. 4. c. 8.* Strab. *l. 17.* Plin. *l. 5. c. 10.* Belon [illegible] *c. 19.* Sanut. [illegible]. Leon. *p. 8.* P. de Valle Ammian. *loc. cit. vertex omnium civitatum.* Plura apud Salmaſ. *ad Solin. paſſim.* Hinc *Alexandrinum.* Propert *l. 3. Eleg. 10.*

Noxia Alexandrina, dolis aptiſſima tellus.

Ob cœli clementiam, incolæ paſſim apud ſcriptores lotus maximè notati ſunt, velut apud Quinctilianum, *l. 1. c. 2.* & Ammian. Marcellin. *loc. cit.* Et ante utrumque, *Alexandrina vita, atque licentia* apud Cæſar. *l. 3. de Bell. Civ. c. 110.* Inde Ovid. *Triſt. l. 1. eleg. 2.*

Non ut Alexandri claram delatus in urbem,
Delicias videam, Nile jocoſe, tuas.

A[illegible] illic adeò temperatus eſt, ut quolibet die ſolem videant; unde, ob delicias, per excellentiam πόλις dicitur, ut ἄστυ Athenæ, & *urbs* Roma. longitud. 58. 10. latitud. 31. 25. Varia hic Concilia. Vide 1. 2. 3 *tom. Concil.* Athanas. Cyrill. Evagr. *Hiſt. tripart. Baron. Godeau.* Ibidem officina Monetaria ſub Imperatorib. olim celebris fuit, vide ſuprà AAEE. *Secunda*, Albaniæ, ad Caucaſi radices, & oram Caſpii maris urbs, & emporium regionis præcipuum. *Demircapi* Turcis, quaſi portæ ferreæ, & incolis *Derbent*, à Tauriſio, ſeu Ecbatanis, regia Perſarum, itinere 30. dierum diſtans in Boream, ubi ex Aſia in Se[illegible] per anguſtias tranſitus eſt. *Tertia*, Arachoſiæ, *Cabul* hodie, teſte *Caſtaldo*, regionis metropolis ad Arachotum fluv. à Prophthaſia regia Drangarum 5[illegible]. mill. paſſ. diſtans in Ortum Indiam verſ. longitud. [illegible]17. 00. latitud. 32. [illegible]. Aliis eſt *Candahar*, urbs munita Indiæ ci[illegible] Gangem, ſub dominio magni Mogolis. *Quarta*, Ariæ, *Heri Caſtaldo* & aliis (quod nomen eſt etiam ipſi provinciæ) urbs primaria, & regia ad Arium fluv. inter Hecatompylon, regiam Parthiæ ad occaſum 565. mill. paſſ. & Bactra, regiam Bactrianæ in ortum 484. mill. paſſ. [illegible] ut qui *Burgian* dici volunt. longitud. 11[illegible] 20. latitud. 38 [illegible]. *Quinta* Carmaniæ, *Sercon*, teſte *Caſtaldo*, urbs regia & regionis primaria, inter Armuzium, & Arium longitud. 1[illegible]0 [illegible]0 latitud. [illegible]0. 30. *Sexta*, Ciliciæ, ſeu Syriæ in confinio urbs Epiſ[illegible] [illegible] [illegible]inum Iſſicum, *Scanderona* Turcis, teſte *Leunclavio*, *Alexandrette* Gallis, Emporium celebre, longitud. 68. 00. latitud. 38 [illegible]. [illegible]pt[illegible]a, *Margiana*, *Indiso* hodiè dici putatur in tabulis recentiorib. urbs præcipua, & emporium earum regionum. *Octava*, Statielliorum, Anno 1178. à Mediolanenſibus, Placentinis & Cremonen[illegible] [illegible] [illegible] dicta urbs Liguriæ non obſcura ad Tanarum fluv. illa[illegible] [illegible] fluentem, ampla & permunita, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi inde 52. mill. paſſ. in Auſtro-Libycum, medio ferè inter Genuam ad ortum & Auguſtam Taurinorum ad occaſum. Ab Alexandro tertio Pontifice Epiſcopalis effecta, a quo & nomen habet, cùm prius Cæſarea diceretur. Ibi pons lapideus, & longitudinis admirandæ, vulgo *Aleſſandria della Paglia*, ſic per contemptum dicta, a Frider. I. Imperatore in Ducatu Mediolanenſi. Longitud. 30. 30. latitud. 43. 54. *Nona*, Troadis, quæ & Troas, quod nomen etiam regionis eſt, quæ & Phrygia minor, urbs Archiepiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cyziceno. Nunc locus S. *Mariæ* dicitur, ac Turcis *Caraſia* teſte *Leunclavio*. Plures Alexandrias ſi velit lector, conſulat Curt. *l. 7.* Plin. *l. 6. c. 16. 23. & 25.* ut & *Stephanum.*

ALEXANDRIA, Commoda Togata, à Commodo Imperatore Carthago ridiculè appellata eſt, ut habet Æl. Lamprid. in *Vita ejus c. 17* *Claſſem Afr[illegible] [illegible] inſtituit, quæ ſubſidio eſſet ſi forte Alexandrina frumenta ceſſaſſent. Ridiculè etiam Carthaginem Alexandriam Commodianam togatam appellavit: quum claſſem quoque Africanam, Commodianam Her[illegible]leam appellaſſet.*

ALEXANDRIA, Poloniæ urbs nova in Volhinia ſuperiori provinc. ad fluv. *Horin.*

ALEXANDRIÆ Juridicus, dicebatur olim, quem Cæſares Alexandriam mittebant, ad jura reddenda. Sine publico enim conſilio, uno Judice contenti vivebant, quem Cæſar dediſſet, à quo ſub Julio Cæſare, Alexandriam, in Romanorum ceſſiſſe poteſtatem, ordinatione Ægypti ſic per Auguſtum factâ, ut habet Dio *l. 51.* qui, cum hoc narravit, videtur ob oculos habuiſſe vetus exemplum in Campanos editum, cum recepiſſe Capuæ victor Populus Romanus, Leges imponuit. *Cum quidem*, inquit *Liv. l. 26. c. 16. habitari tantum, tanquam urbem, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis nec Senatus, nec plebis conſilium, nec Magiſtratus eſſe: Sine Conſilio publico, ſine Imperio, multitudinem nullius rei inter ſe ſociam, ad conſenſum inhabilem fore: Præfectum ad jura reddenda ab Roma quotannis miſit.* Quod obtinuit uſque ad principatum Severi, qui jus Curiæ Alexandrinis conceſſit. Æl. Spartian. in *Vita ejus c. 17. Alexandrinis jus Buleutarum dedit, qui ſine publico Conſilio, ita ut ſub Regibus, ante vivebant — — Multa præter cæ hic jura mutavit.* Poſteà ulterius itum, & cùm lege Auguſti legi in Senatum Populumque Romanum civis Alexandrinus non poſſet, id quoque mutatum lege Antonini Severi fil. auctore *eodem* Dione: Vide de Curia Alexandrina in *Cod. de Decurionib.* & Caſaubon. *ad Spartian.*

ALEXANDRIANI Sodales, apud Æl. Lamprid. *in Severo*, ubi de hujus conſecratione verba facit *c. 63. Datiſunt & Sodales, qui Alexandriani appellati ſunt, addita & feſtivitas matris nomine, atque ipſius, quæ hodieque Romæ religioſiſſimè celebratur natali ejus die:* ab *Alexandro* ſic dicti ſunt, quemadmodum Marciani Sodales, Antoniniani, Aureliani & ſimiles. Quare malè editum *Alexandrini*; ab Alexandria enim urbe, civis *Alexandrinus.* De Alexandro autem hoc in Deos relato, vide Caſaubon & Salmaſ. *Not. ad loc.*

ALEXANDRIDES, Lacedæmonius, ſororis filiam duxit, ex qua Doryeum Leonidem & Cleombrotum ſuſtulit.

ALEXANDRIDES, Delphicus, teſtis adducitur à Plut. in *Lyſandro*; niſi is alius *Anaxandrides.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 4. p. 502.*

ALEXANDRINA, dicta olim, quæ à Polymitariis texebantur, quorum ſtragula, quòd multis ea liciis texebant, *polymita* inde Græcis vocabantur: Hunc enim texendi modum & artem Alexandriæ primùm inſtitutam eſſe, refert Plin. *l. 8. c. 48.* ubi ait, *Plurimis vero liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria inſtituit.* Non acu operabantur autem Alexandrini illi Polymitarii, ſicut Phrygiones Plumariique, ſed pectine; nam in tela & textoriis inſtrumentis artem ſuam exercebant ac per hoc verè propriéque texebant. Interim tantum eorum fuit artificium & induſtria ut majore ferè varietate eorum opera diſtinguerentur, quam quæ acu Babylonicâ aut Phrygiâ picta eſſent. Hinc Martial. pronuntiare non dubitat, Babyloniam acum Alexandrino pectini concedere debere; quod hoc ejus *Epigr. l. 14. n. 150.* teſtatur, cui lemma impoſitum, *Cubicularia polymita:*

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera: victa eſt
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

Certum igitur eſt, hujuſcemodi *Alexandrina* polymita, tam varia olim texi conſueviſſe, tamque variis coloribus & picturis intexi, quàm ipſa Babylonica ſolebant & Phrygionica opera, quæ acu plumabantur. Nam & in his & belluarum & hominum & avium aliarumque rerum formæ exprimebantur, haud ſecus atque in Babylonicis. Unde *Alexandrinorum belluatorum* meminit Plautus, in *Pſeudolo Actu 1. ſc. 2.* hæc polymita indigitans,

Neque Alexandrina belluata conchylia tapetia.

Et meminit *Alexandrini veli* Anaſtaſius, duodecim phaſianos intextus habentis, in *Gregor. IV. &c.* Salmaſ. *Not. ad Vopiſcum in Carino Imp. c. 20.* Plura in hanc rem vide infrà ubi de *Polymitariis & Polymitis.*

ALEXANDRINA Aqua, ſeu *Alexandrinæ Thermæ*, Romæ ab Alexandro Severo extructæ, memorantur Æl. Lampridio in ejus *Vita* [illegible] *c. 25. Opera veterum Principum inſtauravit: ipſe nova multa conſtituit: in his thermas nominis ſui, juxta eas, quæ Neronianæ fuerant, aquâ inductâ, quæ Alexandrina nunc dicitur. Nemus thermis ſuis de privatis ædibus ſuis, quas emerat, dirutis ædificiis fecit. Oceani ſolium primus inter Principes appellavit &c.* Vide Urbis deſcriptiones, in Regione IX.

ALEXANDRINA Baſilica, inſtituta Romæ ab eodem Imperatore inter Campum Martium & Septa Agrippiana, in latum pedum centum, in longum pedum mille, ita ut tota columnis penderet: quam tamen efficere morte præventus non potuit. Vide Æl. Lamprid. *loc. cit. c. 26.*

ALEXANDRINA Faba, ab Ægyptia diſtincta, licèt *Alexandria* Ægypti eſſet. Faba enim Ægyptia, quæ in ponderibus alterû tantò pendebat, quàm Græca, verum hæc legumen Ægypti ſoli: *Alexandrina* verò, quæ in iiſdem ponderibus locum habet, minus quidem pendebat, quàm Ægyptia, at magis, quàm Græca. Quatuor

 quiſ-

quippe obolos penſabat Ægyptia faba, teſte *Alexandrino*, duos Græcas. Adamantius *de Ponderibus*, Ὁ Κύαμος ὁ Αἰγύπτιος ἔχει ὀβολοὺς δύο, ὁ Ἀλεξανδρινὸς ὀβολὸν ἕνα, ὁ δὲ Ἑλληνικὸς ὀβολὸν ἕνα. Et inde apud Neophytum Monachum *in Lexico Herbar.* faba Ægyptia appellatur, ὁ μέγας κύαμος, *magna faba* & talis naſcebatur in tota Ægypto, Alexandriâ ſolâ exceptâ, ubi peculiare fabæ genus proveniebat, minus quàm in reliqua Ægypto. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 981.

ALEXANDRINA Laurus. apud Plin. *l.* 15 *c.* 30. *Eſt & Alexandrina, quam aliqui Idæam, alii Hypoglottion, alii Daphnitin, alii caryophyllon, alii hypelaten vocant*: corruptè, pro *Alexandrea Laurus*. Non enim ab *Alexandriâ* urbe, ſed *Alexandro* Paride, quòd eâ coronari ſoleret in agonalibus certaminibus nomen accepit, hinc *Stephanos* quoque *Alexandri* dicta, apud *Plin. eundem*, ubi de daphnoide. Fuiſſe autem in ludicris his certaminibus exercitatum Paridem, diſcimus ex hoc Poëtæ,

Solus qui Paridem ſolitus contendere contrà &c.

Vide Salmaſ. *Ibidem*, p. 404. & ſuprà *Chamædaphne*.

ALEXANDRINA Purpura, ab eodem Alexandro Sev. nomen habuit. Lamprid. de eo, c. 40 *Purpuræ clariſſimæ non ad uſum ſuum, ſed ad matronarum, ſi quæ aut poſſent, aut vellent, certè ad vendendum graviſſimus exactor fuit: ita ut Alexandrina purpura hodieque dicatur, quæ vulgò Probiana dicitur, ideircò quod Aurelius Probus baphiis præpoſitus id genus muricis repperiſſet*. Senſus eſt, clariſſimæ purpuræ genus, *Probianum* vulgo ætate ſuâ appellatum, ab inventore quodam Probo, *Alexandrianum* etiam fuiſſe dictum, de nomine *Alexandri*, quod clariſſimam purpuram ſolitus eſſet exigere. Clara itaque omnis purpura generali appellatione dicebatur *Alexandrina* quod claræ purpuræ graviſſimus & faſtidioſiſſimus exactor olim extitiſſet Alexander: Hinc & illud etiam purpuræ genus longe clariſſimæ, ab Anſelio Probo repertum, & vulgo *Probianum* ab eodem dictum, *Alexandrinum* quoque vocabatur: quod erat nomen commune omnium clariſſimarum purpurarum jam inde ab hoc Alexandro &c. Salmaſ. *ad loc.*

ALEXANDRINÆ Thermæ, vide ſuprà *Alexandrina Aqua*.

ALEXANDRINI Pueri, Romanis olim in deliciis, ob dicacitatem. *Stat. l.* 5. *Sylv. ult. v.* 66.

Non ego mercatus Pharia de puppe procaces
Delicias, doctumque ſui convitia Nili
Infantem linguâque ſimul ſalibuſque procacem.

Puerulos vocat Arnob. *adv. Gent. l.* 4. ubi de numero plurativo Deorum: *Jamdudum nos pudet ad eum locum venire, in quo riſum tenere non poſſunt non tantùm puerculi & procaces, verùm etiam ſerii*. Atque hæc eſt αἰσχρότης Ἀλεξανδρινικὴ, de quo Lucianus *altera Diſſertatione de iis, qui ἐπὶ μισθῷ circa Magnates ſunt*. Plura infrà voce Cubiti, it. *Puer*.

ALEXANDRINI Sodales, vide ſuprà *Alexandriam*.

ALEXANDRINUM Opus, apud ſæpius jam dictum Lamprid. ubi de eodem Alexandro Imperatore loquens, c. 25. ait, *Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus, h. e. Porphyretico & Lacedæmonio, primus inſtituit, Palatiô exornatô hôc genere marmorandi*: non eſt marmorationis genus è duobus marmoribus, quod jam Claudii & Neronis temporibus Romæ cognitum eſt, ut diſcimus ex Plin. *l.* 35. *c.* 1 & iis quæ *ad Manilii Sphæram barbaricam* accuratè diſputat Joſephus Scaliger, de variis vermiculationis & Muſivi operis generibus, quemadmodum & Seneca quoque, Alexandrina marmora cruſtis Numidicis ſolita temporibus ſuis diſtingui, memorat *ep.* 86. Sed novum illius marmorationis aliquod genus, è Porphyretico & Lacedæmonio, Salmaſ. *Notis ad hunc loc.*

ALEXANDRINUS Calamus, *Celſo* vocatur calamus Indicus, quod ab India in Arabiam, hinc in Syriam; indeque *Alexandriam* perlatus; ex hâc urbe cum cæteris orientis aromatibus Romam afferretur. Vide infrà in voce *Calamus*.

ALEXANDRINUS Julius, vide *Julius*.

ALEXANDRINUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

ALEXANDRINUS Obeliſcus, vide infrà *Obeliſcus*.

ALEXANDRIUM, oppid. Palæſtinæ in ora inter Tyrum ad Boream & Ptolemaidem ad Auſtrum teſte *Zonarâ*, proximas urbes. *Scandalia* hodiè *Guilielm. Tyrio*.

ALEXANDROCOLACÆ, Græcè Ἀλεξανδροκόλακες, h. e. *Alexandri adſentatores*, Chareti, apud Athenæum *l.* 12. *c.* 9. ubi Alexandrum, ut quos *Dionyſocolacas* nominare ſolebant, *Alexandrocolacæ* nuncuparentur palam, paſſum eſſe, refert. Ita hæc peſtis, *perpetuum malum* REGUM, etiam Alexandrum, aliàs virtutibus, & rebus geſtis jure *Magnum*, corruperat: ac meliùs hic *loquens* cœperat, uti Curtius *l.* 8 *c.* 5. & *Diogenes Laërtius*, loquuntur. Nec eſt quod inde ſe extricâſſe putemus, cùm aut Dinocratis commentum *de monte Atho in ejus effigiem transfigurando*, reſpueret; aut librum Ariſtobuli, in quo *ſingulare ejus certamen cum Poro* ſupra veri fidem tradiderat, in Hidaſpem projiceret, apud Lucianum *de conſcrib. Hiſtor.* tanquam adulationis infenſus. Non enim iraſcebatur aſſentationi, ſed quod nullô artificiô mendacium regem, riſum potius atque contemtum ſibi apud homines, quam admirationem, excitatura videretur. Fuêre autem inter hos *Alexandrocolacas* Agis quidam Argivus & ex Sicilia Cleo, præcipui, memorati Curtio *dict. loc.* ad quem vide *Freinshemium, Loccenium, Raderum*. Alios.

ALEXANDROPOLIS, Parthorum urbs ab Alexandro M. condita Plin. *l.* 6 *c.* 25. cujus tamen hodiè nulla extant indicia.

ALEXANDROVIUM, oppid. Poloniæ, in Podolia, & Palatinatu Braclavienſi, non longè à flur. *Bog*.

ALEXANUM, hodie *Aleſſano*, urbs Salentinorum Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Hydruntino, inter Hydruntum & Gallipolim, ad 20. mill. paſſ. Leucæ urbi exciſæ, apud Japygium promontorium, cui ſucceſſit, propinqua; ab Aletio 25. longitud. 42. 40. latitud 40 10.

ALEXARCHUS, Hiſtoricus, quem in tertio Italicorum citat Plut. *in Parall.* 9. Servius etiam ad Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 334. Alexarchum Hiſtoricum Græcum (ſic vocat) teſtem laudat de Epiri, & Campaniæ nomine. Voſſ. *de Hiſt. Græc. p.* 319.

ALEXAS Laodicenus, qui Antonium, cui à Timagene erat conciliatus, ab Octaviâ disjunxit, & Cleopatræ conjunxit, ſuæque perfidiæ Cæſaris juſſu luit pœnas. Plut. *in Antonio*. Joſeph *de Bell. Jud. l.* 1 *c.* 15.

ALEXENOR, fil. Æſculapii & Lapetiæ.

ALEXIA, & ALESIA, ita habet *Codex* Fulvii Urſini & P. Chacconii. Dio *l.* 40. Ἀλεσίαν. *Plut.* Ἀλησίαν, *Oroſius Aleſiam*, *Ptolemæo Regiacum*, hodiè *Aliſe*, urbs everſa Mandubiorum in Gallia Celtica metropolis olim, nunc pagus, teſtibus *Vigenerio*, & *Paradino*, apud Flaviniacum caſtrum, & Semurium oppid. Burgundiæ, à Semurio 2. leuc. ab Auguſtoduno orbe 16. in Boream, inter Lingones 19 & Niverniis 26. Ab Hercule conditum tradit Diodor. Sic. *l* 5. Quidam illam *Arras* falsò indigitant, cùm illa ſit in Belgio. Vide Cæſar *de Bell. Gall. l.* 7. & 6. *Cluver. Du Val.* Ab *Alexia*, tractus circumjacens etiam nunc *Alexienſis* dicitur, vulgò *l'Auxois*, inter Divionenſem & Antiſſiodorenſem tractus.

ALEXICACOS, i. e. *malorum depulſor*, Apollo vocatus eſt, Arrian. *l.* 8. Pauſan. *in Atticis & Eliacis*, ideò illi nomen inditum ait, quòd à peſtilentiæ morbo, in bello Peloponneſiaco, populum liberaverit. Quod nomen Hercules poſtea eſt adeptus. Macrob. *l.* 1. *Saturn. c* 17. Eſt autem ἀλεξίκακος propriè *in malis adjutor*, *averruncator*, ὁ τὰ δεινὰ ἀπείργων, hominum defenſor, qualem verè Eccleſia Chriſtum agnoſcit, & Gentes falsò ſuum Herculem & Apollinem. *Nonnus* ἀλεξίκακον ὕδωρ vocat aquas ſalutares, quibus in regeneratione abluimur. Ἀλεξίκακοι etiam δαίμονες à veteribus dicebantur, qui nocumenta, & diras arcere, amoliri que exiſtimabantur. qui & ἀποτρόπαιοι & ἀποπομπαῖοι, & λύσιοι, φύλαξ & φύξιοι vocabantur. Pollux *l.* 5 *Heſych.* Ἀλεξίκακος ... ἀποτρόπαιος ... Vide & Cœl. Rhodig. *l.* 2. *c.* 10.

ALEXINUS, Elienſis Eubulidis Mileſii diſcipulus, vir acer, & contentionis viribus ac nervis clarus, Zenonis inimicus; dum nataret in Alpheo fluv. arundinis acumine læſus, fatô functus eſt. Erat autem Philoſophus Eriſticus φιλονεικότατος, *rixarum ſtudioſiſſimus*, ut inde Ἐλεγξῖνος *contradictorius* dictus ſit, apud Laërt *l.* 2. *Euclide*, ubi nomen hoc ejus Ἐλεγξῖνος reſtituendum ex *Heſychio Mileſio*. Neque modò Zenoni Stoico ſe oppoſuit, ſed exemplô magiſtri ſui Eubulidis Ariſtotelem quoque perſtringere non erubuit. Ariſtoteles *l.* 7. *de Philoſophia* eum ἀπομνημονεύματα ... ſcripſiſſe ait, in quibus fingat Alexandrum in colloquio cum patre Philippo habito, Ariſtotelis præcepta fuiſſe calumniatum, & Nicagoram Hermem præceptorem ſibi elegiſſe. Hermippus quoque *l.* 1. *de Ariſtotele* apud Athenæum *l.* 15. Alexini in Ariſtotelem petulantiam notat. Porrò *Laërtius* auctor eſt, eum non modò πρὸς Ζήνωνα, ſed etiam πρὸς Ἔφορον τὸν ἱστοριογράφον ſcripſiſſe: quòd ſi *ad*, non *adverſus Ephorum*, ea verba ſint interpretanda, Ephorus ad Olymp. 120. circiter vixit. *Nic. Lloydius*.

ALEXIO, Medicus, Ciceroni familiaris, cujus meminit idem Cicer. *l.* 3. *ad Att. ep.* 15.

ALEXIPPUS, Medicus Alexandri. Plut *in Alex.*

ALEXIS, Samius, libros de finibus Samiorum conſcripſit, teſte Athenæô *libb.* 12. 13. Item *Alexis* Thurius, Poëta Comicus ante Menandrum, reliquit plures fabulas. Vide *Suidam*.

ALEXIS, Aſinii Pollionis ſervus, ſic dictus quaſi *ſine reſponſione*, ac ſuperbus. Alii verò ab ἄλγος *cura*, derivant, quod Poëta curarum ſtimulis in eo amando torqueretur, unde Virg. *Eclog.* 2. *v.* 6.

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?

Alii ab ἀλέξω *arceo*, quòd cum faſtidio Poëtam à ſe arceret. Virg. *ubi ſupra, v. ult.*

Invenies alium, ſi te hic faſtidit Alexis.

Mæcenatis puerum fuiſſe innuit Martial *l.* 7. *Epigr.* 28.

Et Mæcenati Maro cùm cantaret Alexin.

Item *l.* 8. *epigr.* 56.

Jugera perdiderat miſeræ vicina Cremonæ,
Flebat & abductas Tityrus æger oves
Riſit Thuſcus eques, paupertatemque levando
Reppulit, & celeri juſſit abire fugâ.
Accipe divitias, & vatum maximus eſto
Tu licet, & noſtrum, dixit Alexin ama.

Vide Servium in Virg. *Eccl.* 2. *Nic. Lloydius*.

ALEXIUS I Comnenus, fil. Iſaci Imperatoris Conſtantinopolitani, incluſô in Monaſterium Nicephorô Botoniate, imperiô potitus, diviſis inter fratres terris, cùm ſumptuum non ſuppeteret ſatis, ſacris manus injecit, & exactionibus ſubditos crudeliter vexavit. Conatus God. Bulliones, terram S. recuperatum euntis, ſuffaminavit; ab eo prope Epidamnum victus. Obiit A C. 1118 ætat. 70 Imperii 37. Anna Comnena hujus filia in *Vita ejus*, *Zonaras* & *Glycas*, qui ideo finiunt. *Baron. Onuphr.*

ALEXIUS II. fil. Manuelis Comneni, Andronico à Patre commiſſus, ab eodem, an ætat. 15. interficitur, cadavere in mare abjectô. Qui hâc perfidiâ non contentus, viduam inſuper defuncti, Ludovici Junioris Franciæ Regis filiam ſibi invitam deſpondit. A. C. 1183. *Nicetas. Guil. Tyr.* Genebrard *in Chron.*

ALEXIUS III. *Comnenus & Porphyrogenita* dici voluit, cùm antea *Angelus* cognominaretur: Fratrem Iſaacum imperiô & oculis privavit, à quo è Turcica captivitate liberatus erat. Sed hujus fil. Venetus Gallos in Orientem cogitantes permovit, ut arma contra Alexium verterent. Quem etiam, urbe captâ, pepulerunt, an. Imperii 8. legitimô Imperatore Iſacô reſtitutô, *Nicet. Robert. San. Marth.*

ALEXIUS IV. *Junior*, poſt Iſacum patrem, Imperatorem

ab

ab Alexio Duca, aliàs *Murzufle* ſtrangulatur. Cui Balduinus Flandriæ Comes ſuffectus A.C. 1204. Vide Georg. Logothetam. *Hiſt. Conſt.* Nicet. Gregor. Spond. A.C. 1204. n. 11. & 12.

ALEXIUS, Patriarcha Conſtantinopolitan. A.C. 1025. 1043. *Zonar.* [illegible] *Curopalat.* Alius, qui Iſacium Angelum Imperio exutum, à Sacerdote quodam occiſus eſt. *Zicet. l. 6.* Alius Cilix, qui in Aſia turbas dedit, &c.

ALEXIUS, a ſtudiis & Epiſtolis Attico, ſive Amanuenſis de quo Cicero in Epiſtolis.

ALEXIUS Ariſtinus, Diaconus Eccleſiæ Conſtantinopolit. ut illum appellat Gilb. Genebrardus *l. de Trinitate*, inter Græcos Canoniſtas, Zonaram ſequutus. Scripſit Epitomen Canonum, juſſu Johannis Comneni Imperatoris ut obſervat Leo Allatius *de Conſ. Ord.* quod factum ſeculi duodecimi annô trigeſimô. Inſcribitur opuſculum, ἡ τῶν Ἀγίων κανόνων [illegible]. Ejuſdem auctoris fragmentum penes ſe habere, refert *Genebrardus*, cujus titulus Σύνοψις [illegible] ἐκ τῶν [illegible] τῆς οἰκουμενικῆς ἁγίας [illegible] *ſeptimæ* [illegible]. Continet autem opuſculum hoc Epitomen tantùm ſeu Indicem Codicis Canonum Eccleſiæ univerſæ, ſervatô ordine priorum Conciliorum, Nicæni videl. Ancyrani, Neo Cæſarienſis, Gangrenſis, Antiocheni, Laodiceni, Conſtantinopolitani, Epheſini & Chalcedonenſis, omiſſâ tamen numerorum ſerie; additis in principio Canonibus Apoſtolicis, tum Sardicenſibus, Africanis XXII. Trullenſibus tribuſque Epiſtolis Canonicis S. Baſilii, ut docet Chriſt. Juſtellus, *Præfat. Part. II. Biblioth.* [illegible] *Canon. vet.* qui & opuſculum ſeu compendium hoc Canonum Græcè Latinéque in eadem *Biblioth.* publici juris fecit. Omni arte collectionem hanc carere, & videri tantum in ſubſidium memoriæ compoſitam eſſe, judicat Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl.* num. 281. & 282. Poſt *Alexium*, Conſtantinus Harmenopulus, *Epitomen Canonum* edidit, vide infrà.

ALEXIUS Michalowiz, fil. Michaëlis, Magnæ Moſcoviæ Dux, poſt Patrem A.C. 1645. prudentiâ inclytus. Cujus ſpecimina Legati ejus in Galliam, Venetias &c. miſſi non exigua dederunt.

ALEXIUS Myrtilus, puerum Alexium venenô interemit. *Æmil.*

ALEXON Myndius, fecit libros narrationum fabuloſarum. Diog. Laërt. in *Thalete*, ubi citatur ἐν ἐνάτῳ μυθικῶν.

ALEZIUM, oppid. Langucdociæ, Vicecomitatus titulô inſigne. *Merul.*

ALFANUS, Archiepiſcopus Salernitanus, ſecul. 12. Martyrum quorundam hiſtoriam verſibus ſcripſit. Baron. *A.C.* 1107.

ALFAQUAQUES, nomen Officii ſeu Dignitatis, apud Gregorium Lopes *ad LL. Alfonſinas*, 2. *part. tit.* 31. *l.* 1. Alfaquaquus *ſeu Redemptor captivorum feret vexillum ſemper erectum, quocunque vadat & per viam Regalem & rectam pergat, non extra, in eaque maneat noctu*, &c. Vox Hiſpanica ſeu potius Arabica: ſicut & *Alfarda*, quod in Foris Aragoniæ tributum notat Principi debitum, apud Michaëlem *del Molino* in *Repertorio*, Car. du Freſne *Gloſſar.*

ALFAQUINI, Maurorum, qui fortè in Hiſpania adhuc occulti latent, velut Sacerdotes. J. Royas *de Hæret. Part.* 1. §. 552. *In regno Valentiæ Inquiſitores procedere poſſunt contra Judæos vel Saracenos, vel alios Infideles non baptizatos dogmatizantes inter Chriſtianos, præſertim ſi ſunt illi, qui vulgò* Alfaquini *vocantur, aut impedientes officium Inquiſitionis; aut circumcidentes pueros, hæreticorum receptatores, & compellentes aliquem, ut fidem abneget, vel inducentes illum ad eorum ritus & publicas ceremonias.*

ALFATERNA, idem quod *Nuceria*, ultima Campaniæ urbs, trans Veſuvium montem in valle, quam Sarnus amnis efficit, ſita. Diodor. Sic. *l.* 19. Οἱ δὲ τὸν Νουκερίαν τὴν Ἀλφατερνὴν καλουμένην κατοικοῦντες. Populi *Alfaterni* Plin. *l.* 3. *c.* 5. Vide *Nuceria*.

ALFELDA, Oppidul. Germaniæ & Saxoniæ inferioris ad Leinam fluv. in Epiſcopatu Hildeſienſi, juris tamen Brunſuicenſis. Hildeſiô & Goſlariâ 5. leucis diſtat.

ALFELLANI, populi Italiæ. Plin *l.* 3. *c.* 12.

ALFENUS, quibuſdam quoque *Varus* ſutrinâ relictâ, Romam venit, & ſub Servio Sulpitio JCtus inſignis evaſit, Conſul etiam poſt P. Vinucium. Vide A. Gellium, *l.* 6. *c.* 5. Horat. *l.* 1. *Sat.* 3. Item præclarus JCtus diſcipulus Papiniani, ſub Severo, Genebr. *in Pontiano*. Vignier. A.C. 224.

ALFENUS Varus, Caſtrorum præfectus apud Vitellianos. Tacit. *Hiſtor. l.* 2. *c.* 29. Dein prætoriarum cohortium, una cum Julio Priſco: Victis partibus ignaviæ infamiæque ſuæ ſuperfuit. Ibid *l.* 4. *Hiſtor. c.* 11.

ALFERTONIUM, vulgò ALFRETON, oppid. Angliæ in Comitatu Darbienſi, juxta Ambrum amnem 8. mill. Angl. à Darbia urbe.

ALFERUS, in *Charta* Adelfonſi Imperatoris Hiſpaniæ, æræ 1188. *Nuno ſancti Petri*: & in alia æræ 1215. *Martinus Guſſalvi ſubſcribunt cum dignitate* Alferi *Imperatoris*, apud Yepezium *Tom. V.* p. 438. & in *Bibl.* Cluniacenſi *p.* 1436. Hiſpanis Vexillifer eſt ſeu Vexillarius. Cujus vocis originem ex Latino *Aquilifer* arceſſit Ambroſius Morales *Hiſtor. Hiſpan. Tom.* 2. *p.* 7. Ovenartus in *Notit. Vaſconiæ l.* 2. *c.* 4. & alii, quos laudat Ægid. Menagius in *Originibus Ital. p.* 43. & 952. Sed Car. du Freſne eorum ſententiam præfert, qui eam ab Arabico deducunt, *Alpheres*, i. e. *Eques*. Vide quæ hac de dignitate apud Navarros, agit Oynartus *dict.* cap. Hinc *Alferecia*, vexillum Alferi, in veteri *Charta*, apud eundem Yepezium *Tom.* 4. *p.* 17.

ALFES, Rabbinus, auctor *Sephra & Sephri*. Genebr. *Chron. ſeculo* 4.

ALFONSUS, vide *Alphonſus*.

ALFORDIA, German. Aldorf oppid. Angl. in Lincolnia provinc. verſus oram littoralem 4. milliarib. Anglicis.

ALFREDUS, M. Anglorum Rex, fratri Ethelredo ſucceſſit A.C. 878. qui & *Ealfredus*, & *Aluredus* dictus eſt, debellavit Danos, & unicus ſui ſeculi Mecenas fuit. Hujus viri, nunquam ſatis laudati, res geſtas ſcripſit *Aſſerius Menevenſis*, cujus ego hiſtoriam plurimi merito facio, quòd Alfredo Regi aliquando præceptor fuit, & ejus actorum ocularius planè teſtis. Lelandus *comment. in Cygn. Cant.* Ita doctus evaſit demum, ut Grammaticus, Philoſophus, Rhetor, Hiſtoricus, Muſicus & Poëta non vulgaris haberetur: Imo Architectus ac Geometres perfectiſſimus. Balæus *de Script. Britan. Cent.* 2. Dedit Aluredus, jam viginti natus annos, operam literis, atque ita doctus evaſit brevi, ut D. Gregorii dialogos, opus Boetii de Conſol. Philoſ. & Pſalmos Davidis ex Latino in patrium (hoc eſt, Saxonicum) ſermonem verterit, quò à cunctis facile intelligerentur. Sic quoque Oroſium & Bedam Anglice vertit. Obiit A.C. 900. regni 29. Matthæus Weſt Monaſter. Polyd. Virgil. *Hiſt. l.* 5. Genebrard. *Chron. Nic. Lloydius.*

ALFREDUS, nomen duorum Hiſtoricorum Anglicor. apud Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 48.

ALFRICUS, cognomine Grammaticus Archiepiſcop. Cantuarienſis ſcripſit varia, obiit A.C. 1016. Voſſ. *de Hiſtor. Latin. l.* 2. *c.* 42.

ALGA, *Theophraſto* φῦκος i.e. *fucus*; qui duplex: θαλάττιος, ſeu *marinus*, qui in mari quidem naſcitur, ſed propius terram aut littora, & πόντιος vel πελάγιος, *qui in alto* creſcit. Non omnis autem marina *Alga* ſeu fucus tingendo aptus: Sed Creticus ſolum; quem quidem adeo alligari memorat Plinius, ut poſtea elui non poſſit, *l.* 32. *c.* 6. Theophraſtus vero Creticô fucô lanas & laſias veſtimentaque *tingi colore pulchriore, quam purpura, quamdiu recens eſt*, docens, hanc *Algam* colorem remittere, nec retinere, innuit. Unde & Pſeudonymus Democritus, inter eos colores, φῦκος recenſet, quos φευκτούς, ὡς ἀσθενεῖς vocat, *fugaces neque proin magni æſtimandos*. Tingebantur ergo eô colore lanæ, ſed evaneſcente tinctura ac fugiente. Unde idem Plinius, *fucum marinum conchylii ſubſternit*. ſicque conchyliatæ veſtis tincturam eô colore præparari, refert, *l.* 26. *c.* 10. Atque ab hac *Alga* ſeu *Fuco* marino, tingendis veſtibus idoneo omnis tinctura *Fucus* Latinis dicta eſt. Alius ab eo, Fucus, quô Mulieres ad expingendas genas utebantur; non enim *Algâ marinâ puniceâ* hôc fine illas uſas eſſe, *Dioſcorides* docet, ſed Fucô terreſtri Syriacæ radiculæ, de qua vide infrà in voce *Fucus*, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1146. & *ſeqq.*

ALGARBIA, pars Hiſpaniæ exigua, Portugalliæ adjecta, ſub Alphonſo III. cum titulo regni, cujus caput Taroira. Habet à ſeptentrione Portugalliam; ab Ortu Andaluziam, ab Occaſu autem & Meridie clauditur Oceanô, *Montanus Mercat.* Renſend. *Ant. l.* 4.

ALGARIUM, urbs Sardiniæ maritima, in ora occidentali vulgò *Algher*.

ALGARRIA, provinc. Caſtellæ Meridionalis, in Hiſpania, cujus limites penitiùs... Ejus caput olim *Guadalaxara* erat. Toletum atque Madritum in illo tractu cenſentur.

ALGAZEL, Arabibus dicitur dama πλατύκερως, quam ex Alberto, qui multa ab Arabibus didicit, Geſnerus ſic deſcribit *p.* 306. *de Animal. Eſt & ſui generis Avicennæ Algazal, quam Albertus damam nominat librô vigeſimo ſecundo his verbis: Dama beſtia eſt magnitudine capreæ, figura & pilis. Sicut cervus cornua habens, ſed plana, longa & acuta. Eſt autem curſu velox, vitâ provida, cornupeta in adverſas ſibi beſtias. Arabicè vocatur Algazel.* Atque iſtiuſmodi animal Bochart. judicat intelligi poſſe voce Hebr. ראם *Reem* vel רים *Rem*, quam *Monocerotem* vulgò interpretantur; imò *Reem* ſpeciem ejus eſſe. Nam cùm longa habeat cornua, meritò dicere potuit David, in Pſalmis, (92. *v.* 11.) *Attolles cornu meum ut τοῦ Reem*; cùm acuta, & iis feriat adverſus beſtias, benè dixit Moſes de Joſepho *Deuter. c.* 33. *v.* 17. & *Cornua Reem ſunt cornua ejus, quibus feriet populos*; ruſus David, *A cornibus τῶν Reemim exaudi me*. Quamvis enim apud nos damæ & capreæ ſint animal pavidum & fugax, non neceſſe eſt, ut ubique terrarum ſic ſe habeant. Hinc de damis Martial. *l.* 4. *Epigr.* 35.

Frontibus adverſis molles concurrere damas
Vidimus & Fati ſorte jacere pari.

Et *Epigr.* 74.

Aſpicis, imbelles tentent quàm fortia damæ
Prælia? tam timidis quanta ſit ira feris?
In mortem parvis concurrere frontibus audent,
Vis Cæſar damis parcere? mitte canes.

Quaſi plus periculi ipſæ ſibi mutuò creent, quàm canes infeſtiſſimi &c. Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 27. & infrà paſſim apprimis in *Gazella Monoceros*, Oryx, *Reem*.

ALGEBRÆ, regulæ numerandi Arabibus dictæ ſunt: Joh. Schrivelius in *Brevi Regular. Algebr. deſcr. Porro harum Regularum inventionem adſcribunt Diophanto Græco Scriptori, qui ut auctor Regiomontanus, libros* 13. *eas deſcripſit, atque ut Latini Rei & Cenſus, ſic Arabes regulas illas vocabulo ſuo appellare ſolent Algebras.* Hinc *Algebra*, Scientia numerorum, de qua ſic Pſeudo Ovidius de *Vetula l.* 1.

Sed quia de ludis ſerbat ſermo, quid illi
Pulchrius eſſe poteſt exercitio numerorum?
Qui dirimuntur numeri plerique per unum
Iſtud nomen, ſicut ludunt apud Indos
Ludum dicentes Algebræ, *Almucgrabalaque* &c.

Et *l.* 2.

Algebræ *memor, qui ludus Arithmeticorum*;

apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Idem quoque notat *Algoriſmus*, vox itidem Arabica, Hiſpanis, *Alguariſmo*, de qua vide Clavium *Algebræ l.* 1. *c.* 1.

ALGERIA, Urbs Africæ, in Barbaria regione ampla & dives, ſed piraticâ infamis. Cum portu capaci & munito arceque valida. Ab ea Regio adjacens dicitur regnum Algerii. Ubi olim Mauritania Cæſarienſis & Sitifenſis cum Numidia. Dividitur in 5.

provinciam & caput habet Algerium, aliàs Ruſicurum, quod vide. Reges olim habebat proprios, nunc quandam Reipubl. formam ſervat, ſub clientela Turcarum, ſed ad lubitum tantùm. Marmol. l. 5. *Mercator*, Relatio d'*Aranda*. Cùm prius ſub Regno Thremeſeno eſſet, defecit propriò ſibi Rege conſtitutò, quorum ultimus, nomine *Salimes*, à celebri illo pirata Horruccio Barbaroſſa A. C. 1515. occiſus eſt. Ita Regnò *Algeriæ* potiti piratæ, urbem hanc ab eo tempore in hunc uſque diem, commune omnium piratarum Maris Mediterranei receptaculum fecerunt. Georg. Hornim Orb. *Imper.* p. 473. Vide quoque infrà in vocibus *Barbaroſſa* & *Hariadenus*.

ALGERUS, Leodienſis, circa A. C. 1130 *de Officiis*, *L. Arbitrio*, & *Corpore ac Sanguine Dn. Noſtri Jeſu Chriſti* contra Berengarium ſcripſit. Bellarmin. *de Aut. Eccleſ.*

ALGESSASA, inter monſtroſa, ſeu potiùs fabuloſa Arabum animalia, portentoſa illis dicitur bellua, quam Antichriſtus equitaturus ſit, ut res novas inveſtiget. Id enim propriè *glaſſa*. Ibnoſaida & alii latere illam dicunt in Maris inſulis: Abu David Segeſtanus verò in mari *Kolzom*, i. e. *Rubro* degere, definit, ex triginta illorum hiſtoria, qui ex Mecchæ portu *Giuddam* ſolventes, appulerunt ad Inſulam, in qua illis occurrens hæc bellua mira narraverit. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſterior. l.* 6. *c.* 13.

ALGIA, ſaltus Galliæ, in Lexoviis, primùm memoratus Adelelmo, Sajenſi Epiſcopo, *in vita S. Opportunæ virginis*: ſitus eſt inter duos amniculos, ſeu inter S. Petrum & S. Barbaram loca ſita dicta, ex una parte; ex altera Condate ac Macerias *Meſieres*, habetque ad caput vicum *Saltum-Algiæ*, vulgo *Sant d'Auge* & corruptè *Sotdauge* nuncupatum. Dedit nomen circumjacenti pago, qui, in Normannia ſitus fere, à Cadomo ad civitatem Lexoviorum pertinet, peregrinis Baſilicam S. Barbaræ, nobile Monaſterium Canonicorum Regularium, petentibus notiſſimus vulgò, quoque *Auge*. Eum memorat Guil.-Britto *Philippidos* l. 6. his verſibus:

> *Non tot in Autumni rubet Algia tempore pomis,*
> *Unde liquare ſolet ſiceram ſibi Neuſtria gratam.*

Et l. 5.

> —— —— —— —— —— *Siceraque tumentis*
> *Algia potatrix.*

Proximus urbi Lexoviorum eſt vicus, *Pons-Algiæ* dictus, Gallicè *Pont. d'Auge*, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ALGIDUM, Latii oppid. Toſculo finitimum, ab urbe Roma paulo ſupra 12. mill. paſſ. diſtans, *Roccha del Papa*. longitud. 36. 30. latitud. 41. 40. Item *Algidum* nemus, *Selva dell' Aglio*, Silva Latii cum monte cognomine. Hinc *Algidus* nomen gentile, Ovid. *Faſt.* l. 6.

> *Viderat in campis Algida terra ſuis.*

Horat. l. 1. Od. 21

> *Vos lætam fluviis, & nemorum comam,*
> *Quæcumque aut gelidò prominet Algido.*

Idem l. 3. Od. 23.

> *Nam quæ nivali paſcitur Algidò*
> *Devota, quercus inter, & ilices;*

Item l. 4. Od. 4.

> *Duris ut ilex tonſa bipennibus*
> *Nigræ feraci frondis in Algido.*

Eſt & *Algidenſis* adject. Plin. l. 19. c. 5.

ALGIDUS Axis, i. e. Borealis. Apud Prudentium *in Symmachum* l. 3. v. 552.

> *Stirpis Juleæ ductore, exercitus audens*
> *Prævaluit, gelido quem miſerat Algidus axe:*

Hactenus legebatur. Sed unde tantam gloriam *Algido* monti, ut exercitus ab Italia profectus dici queat ab *Algido* miſſus, ut quidem Gaſelius interpretatur, nec aliam mentem verba recipiunt, inquit *Gronov.* Aliàs vocabulò hoc Prudentius communi utitur: ut *Kathem. Vel æra vel ſaxa algida.* In *Pſychom. ſive algida Borthe atas*: ubi idem Gronovius jubet plorare codicem, ex quo oſtentatur: *Borea algida ſive*; Græci enim & Βοῤῥᾶς & Βοῤέας dicunt. At iſto loco Bongarſianus,

> —— *gelidum quem miſerat algidus axe.*

Quæ lectio propior eſt illi lectioni, quam in membrana Rottendorfii inventam Idem probat:

> *Prævaluit, Boreæ quem miſerat algidus axis.*

Loquitur nempe de exercitu Auguſti in bello Actiaco, qui dicitur à *gelido axe* profectus: quoniam Ægypto oppoſita non modò in Occidentem, ſed etiam Septemtrionem ſpectat & propior eſt Italia. Vide Johann. Frider. Gronov. *Obſervat. in Eccleſ.* c. 5.

ALGONGUII, populi Novæ Franciæ, in America Septentrionali verſus fluv. S. Laurentii, inter Montem Regium oppid. & Magnum lacum, ubi aliquot Francorum Coloniæ.

ALGOTHUS, I. Suecæ Rex poſt Adolphum *Algothus* II Tordi 1. ſucceſſor, Ruſſos tributarios reddidit. *Ericus Pomer. num.*

ALGOVIA, Regio Germaniæ in Suevia, inter Danubium & Licium fluv. & lacum Conſtantienſem. Ibi Auguſta Vindelicor. Campodunum, Iſna, Vangena, Memminga & Biberacum. ab Alamannis nomen accepit, quaſi *Alman-gow*, i. e. *terra* vel *ager Alamannorum*, vide Stumpfium l. 4. *de Helvet.*

ALGOZIRIUS, Hiſpanis vulgo *Algozyr*, in Curia General. Catalauniæ Cervariæ celebrata, ſub Petro III. Aragon. Rege A. C. 1359 idem qui *Alguazilus* vel *Alguazirus*, quò nomine Juſtitiarii dignitas, apud Arabes, deſignatur. Rodericus Toletanus, in *Hiſtor. Arab.* c. 39. *Tunc Rex iſtum juſſit Zahen juſtitiarium, qui apud eos dicitur Alguazilus*: Vocem retinent etiamnum Hiſpani, apud quos *Alguazil* eſt Officialis Præfecti vel illius judiciorum executor, de cujus functione multa habent *LL.* Alfonſinæ ſeu *Partid. part.* 2. *tit.* 9. *l.* 20. Vide quoque *Repertorium* Michaëlis *del Molino* in hac voce, laudatus Car. du Freſne *Gloſſar.*

ALH ALI

ALHACA, vel ALHARAM, Maurorum in Hiſpania Rex, obiit *A. C.* 821. regni 26. Cui Abderamus fil. II. ſucceſſit. *Mariana.*

ALHACA, Rex Corduba, obiit *A. Æ.* 976. regni 16. Hiſſenò filiò ſucceſſore relictò, ſub Mahomeus Almanſoris tutelâ.

ALHAMA, urbs olim munita Hiſpaniæ in regno Granatæ, aliàs *Artigis*, quod vide.

ALHARITS, Muaviæ fil. primus apud Arabes aucupii per ſacros auctor fuit. Eſt autem *ſacer*, Gall. *Sacre*, vox Arabica, à verbo *Sakana*, quod *acutè videre* ſignificat, & denotat accipitrum ſeu falconum ſpeciem certam, cujus accipitrum ſupra reliquas omnes aves capaces mirabile eſſe ſcribit Alkazuinius, cum *ſacri* duo in capiteⅇ oculos involantes, aut eam alis diverberantes detineant, donec in venatorum manus incidat. Idem meminit, avem tàntillam in gruem inſilire audere &c. apud Bochart. *Hieroz. Part. poſter.* l. 2. c. 19.

ALHASOR, herba è qua ſaccharum *Tigala* conficitur, ita enim petendum eſſe in Officinis Conſtantinopolitanis, ait Bellunius, *Obſervation.* l. 2. c. 76. Hoc adeò fervidum eſt, ut eò vulgo utantur, tanquam efficaciſſimò pſilothrò ad coſſa depilanda. Manat autem id ex ipſo frutice, uti diſertè teſtatur *Serapio*, qui ſcribit ex oculis & ſedibus foliorum exire. Ex genere tithymallorum verò plantam eſſe tradunt plerique. Vide Salmaſ. ad *Solin.* p. 1318. & 1513. ut & infrà, ubi de *Saccharo*.

ALHAZEN, Arabs, ſcripſit *de Optica*, *Crepuſculis*, &c. circa ſeculum 11. Blancanus *ſec.* 11. Voſſ. *de Scient. Mathem.* c. 26. § 7. c. 53. § 15.

ALHERDON, nobile propugnaculum Scotiæ, ad mare Germanic. *Merul.*

ALI, gener Mahometis, Calipha IV. Saracenorum, auctor Legis Imamiæ, Perſas ſectatores habuit, quorum primi Caliphæ ab ipſo deſcenderunt. Poſt mortem Otmanni, ſucceſſit per inſidias, Moaviæ imperio, occiſus eſt. Ei ſymbolum fuit, *Adoro Deum Dominum meum ſincerè corde*. Regnavit ann. 4. menſ 6. Obiit. *A. C.* 659. Marmol. l. 2. c. 1. & 5. Succeſſit Acemus.

ALI, Rex Cordubæ, occiſus ab Alsarmo, cui propterea omnium Arabum odium in ſe conciliavit. Marmol. l. 2. c. 29.

ALIACMON, & HALIACMON, Plin l. 4. c. 10. *Pelecas*, *Sophaco*; *Platamona Moleto*, fluv. Macedoniæ, illam à Theſſalia ſeparans, ac in Ægeum mare, inter Pydnam & Dium influens. Amnis rapidiſſimus & præceps. *Alhagmon. Claudian.*

de ALIACO Petrus, vide *Petrus*.

ALIADORA, ſeu ALIOLA, Inſul. maris Æthiopici, inter Africam & Inſulas Madagaſcaris, prope Inſulas S. Spiritûs & Comori.

ALIÆ, inſulæ Æthiopiæ, in Adulico ſinu. Plin. l. 6. c. 29. *Ellæ Strabone* vocantur.

ALIAPTU, Mahometanus factus, ut Calipha Perſiæ fieret. Urbem Sublamam condidit, Damaſcum coëgerit, obiit *A.* C. 1116. Texeira l. 2. c. 53.

ALIARIA, Comagenæ urbs. *Antonin.* Item; uxor Sempronii Gracchi, ob adulterium cum Julia; in Inſul. Cercina, occiſi.

ALIARTUM, Bœotiæ oppid à M. Lucretio expugnatum. Liv. *Dec.* 5. l. 2. longitud. 51. 50 latitud 17. 45

ALIARTUS, & HALIARTUS, oppid. geminum; unum Bœotiæ, ad Copaidem lacum, juxta Permeſſum fluv. Alterum in Peloponneſo in ora Meſſeniæ, *Neocaſtro* teſte *Nigrò*, *Molino* aliorum *Arcadia*. Ejus meminit Stat. *Theb.* l. 7. v. 274.

> *Gargaphie - quæcumque novis Aliartus ariſtis*
> *Invidet.*

Longitud. 48. 50 latitud. 35. 40.

ALIATAN, Rex Arabum in Hiſpania *A. C.* 801. à Carolo M. primùm, dein quoque ab Alphonſo II. Caſtellæ Rege inſigni clade affectus, amiſsâ etiam Ulyſſiponâ: victus quoque à Ludovico Pio, obiit A. C. 819 Barcinonem obſeſſurus. Marmol. l. 2. c. 20. 21. 22.

ALIBACA, Pentapolis regionis urbs in Africa. *Ptol.*

ALIBALUCHIA, Inſul. maris Caſpii, in littore Hircaniæ, in ditione Perſarum, prope *Mokan* deſertum, & oſtium Araxis fluv.

ALICA & ALICULA, genus veſtis vel togæ, ex Græco ἄλιξ, ικος, quod Græcis chlamydis fibulatoriæ genus eſt. Heſych. Ἄλλικα, χλαμύδα ἐμπορπαμα, ἣν ἡ φορυσι ὑ χλαμυδα ὑπερ ... : manuleatam autem alibi χειριδωτόν, i. e. *manuleatam*, interpretatur. Unde *macrocheira tunica Severi*, in *Vita Alexandri*. Lamprid. c. 33. Salmaſ. ad *Poliſonem Lebradinum*, c. 16. Vide & hîc infrà.

ALICADRA, Mediæ urbs, *Ptol.*

ALICANUM, Pannoniæ urbs. *Antonin.*

ALICHORDA, Bactrianæ oppid. *Ptol.*

ALICIA, SALEMI, oppid. Siciliæ Occidentalis Mazaram verſus, 15. millibus. Hinc fluv. cognominus.

ALICIS, Laconiæ urbs, & Atticæ tribus. *Diodor Sic. Strabo*.

ALICIUM Caput, *Capo dell' Alice*, promontor. Italiæ & Calabriæ citerioris in mare Ionium excurrens.

ALICTUM, oppid. Hiſtriæ, hodie *Isola*

ALICULA, chlamys fuit & quidem puerilis; apud Romanos ac inter veſtimenta puerilia ab Ulpiano *D. de auro arg. leg. 21.* recenſitæ. Infantes enim olim, ac puſiones, aut nudi, aut chlamydulâ ſemitecti incedebant: quam, quia velut alas haberet, *Aliculam* dixerunt. Hinc Martial. l. 12. *Epigr.* 83

> *Bruma diebus, feriſque Saturni*
> *Mittebat Umber Aliculam mihi pauper:*
> *Nunc mittit alicam, factus eſt enim dives.*

Ubi per *Aliculam* veſtem, per *Alicam* verò potionem intelligit, quam a pauperioribus feſtivo illo die mitti ſolitam fuiſſe, docet idem l. 13. *Epigr.* 6.

Nos Alicam, miſſum poteris tibi mittere dignis,
Si tibi … ſit mittere dives eme.

Vide Octav. Ferrarium *de Re veſtiaria*, part. 2. l. 3. c. 8.

ALIENIGENA, idem cum *Advena* & *Albano*, in l. 2. Cod. Theodoſ. de … in Regeſto Philippi Aug. Herouvalliano, in Burgundicis Perardi p. 299. & *Monaſtico* Angl. *Tom.* I. p. 618. Vide ſupra. Leguleiis Anglis vernaculis *Aliens* dicuntur ii, quorum patres, atque adeo ipſi *alieni* extra Regni metas nati, in regnum venerunt commorandi gratiâ. Horum liberi, dummodo *alienigenæ* ipſi non ſint ex hoſtibus Regis, non alienigenæ erunt, ſed Angli: … ſi quis Regnicola cum Regis licentia regno excedat, ejus liberi alienigenæ non erunt. Raſtallus apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Pro hæretico *Alienigena* ſumitur *can. cave* 18. *qu.* 1.

ALIENUS CÆCINA, Galbæ quæſtor in Bætica, quem impigre in partes ſuas tranſgreſſum legioni in Superiore Germania præpoſuit. Mox compertum publicam pecuniam avertiſſe, ut peculatorem flagitari juſſit. Cæcina ægrè paſſus miſcere cuncta & privata vulnera Reipubl. malis operire ſtatuit. Tacit. l. 1. *Hiſt.* c. 53. *Allienum* rectè nominari negat *Fulvius Urſinus*, nam Cæcina non cognomen, ſed nomen familiæ fuiſſe conſtat ex alio *Cæcina*, qui C. *Cæcina Largus* dicitur in inſcriptione fratrum arvalium, & alio item, qui in baſi ſtatuæ Veſpaſiani Imperator. dicitur C. *Cæcina Pæ…* Hic autem ipſe *A. Cæcina* habetur apud *Fulvium* in antiquo lapide iiſdem literis inſcriptus. Nomina vero familiarum apud Romanos omnibus literis ſcribebantur, cum prænomina unicis tantum aut ad ſummum tribus literis notarentur.

ALIFA, vide *Alliſa*.

ALIGER, *Mer…* Cognomen, vide infrà.

ALIGERIUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

ALILÆI, Arabiæ Felicis populi, quos cum Gaſandis conjungit Diodor. Sic. l. 3.

ALIMELA, regio Lyciæ, *Steph.*

ALIMENTA, uxori a marito ex officio conjugali præſtanda, quod … non fiebat, ſicuti uxori apud Hebræos (quibus & aliæ gentes in hujuſmodi officiis conformes) in Foro adverſus maritum ſuo nomine agere, ubi ex ſententia *alimenta* præſtituebantur. Et quidem, ſi tenuioris eſſet mariti fortunæ & alimenta in univerſum ex ſententia eſſent ita ſubminiſtranda, decernebatur uxori panis quotidianus, qui diebus ſingulis profeſtis [illegible], *bina feſſa* … ſeu prandio ac cœnæ, ſufficeret; Sabbato autem, tribus: iſque ſive hordeaceus, ſive triticeus, pro loci & temporis ratione. Et pro more eorum, qui è vulgo infimæ erant, in eodem loco ſeu regione, integræ alicujuſlibet ac hominis frugi quantitas ejuſdem panis eſt definita. Adjiciebatur aliud eduli alicujus genus, velut leguminum, oleraque, quæ cum pane comederentur, præter fructus & oleum, quod tum cibo inſerviret, tum lumini. Etiam vini aliquantulum, ubi contra mores non erat, fœminas vinum bibere. Quin Sabbato caro ſive piſcium, ſive quadrupedum, ſive volucrium mundorum, pro more loci, ei inſuper debebatur. Quâlibet item hebdomade, *obolus argenteus ob neceſſaria ſua*, à marito ſolvendus erat, ut habetur in *Miſna* tit. *Cethuboth*, c. 5. Gem. Babylon. fol. 74. ſeu *ob rerum minutias*, ut ait *Jarchius Breteur…*, Angl. *to buy pinnes*. Quin et, ut oportuit, ei præſtitò, opificium ejus in alimentum cedebat compenſationem, non ut aliàs, in mariti commodum. Quod ſi adeò inops maritus eſſet, ut neque hæc poſſet præſtare, ex ſententia forenſi divortio ab illa facto, dotem pro qualicumque bonorum copia refundere cogebatur. Alii autem, qui beatiores erant, ut pro opulentia, quâ pollebant, *alimenta* uxoribus præſtarent, eodem modo ſolebat decerni, &c. Quod ſi peregrè profectò maritò, alimenta ſibi à Foro peteret uxor præbenda, ante trimeſtre à peregrinationis initio ſeu mariti diſceſſu, elapſum, ſententiam ſecundùm eam non ferebant: præſumebatur enim, neminem ædes ſuas rebus familiæ victui per tantillum tempus neceſſariis vacuas relinquere. Illô autem tempore exactô, … ex ſententia Fori lictores in bona mariti, ea in alimenta uxoris vendebant; ſaltem, ſi libellum dotalem apud Acta uxor edidiſſet. Imò & uxori ipſi licuit bona ita abſentis mariti, ob eandem cauſam, vendere, nec in Foro agere; putabatur poſt tamen … pretii rei venditæ atque alimentorum, ſive redeunte maritò, ſive cum exigeret ipſa, poſt mortem ejus, ab hæredibus, dotem ſuam. Mariti item in cuſtodiam tradita bona, in uxoris alimenta, vendi jubebat Forum. Quòd ſi maritò peregre profectò, in alimenta ſua mutuò aliunde accepiſſet uxor; maritus verò redux præſtitò ſacramentò ſe, cum proficiſceretur, domi, quæ alimentis Uxoris ſufficerent, reliquiſſe affirmaret, mutuum ex uxoris bonis erat reſtituendum: aliter, ab ipſo marito &c. Vide Joh. Seldenum *Uxor. Ebraic.* l. 2. c. 5.

ALIMENTARIA Compendia, apud Jul. Capitolinum *Pertinace* Imperatore c. 9. *Alimentaria etiam compendia, quæ novem annis ex inſtitutione Trajani debebantur, obdurata verecundia ſuſtulit.* Gloſſ. *Compendium*, … Videtur hoc dicere Capitolinus: non omnibus *alimentariis* debita fuiſſe alimenta; ſed iis ſolum, qui admiſſi ſunt à Trajano primum ad perceptionem frumentariam, i. e. quinque illis millibus ingenuorum puerorum, quibus frumenta dari primus Trajanus inſtituit, uti dicimus ex Plinii *Panegyr.* Caſaubon. *ad loc.* de cujus ſententia, plura vide apud Lipſium *Diatr. de Frumentatione*, & hic infrà.

ALIMENTARII Pueri & puellæ, ab Imperatore Trajano primitus inſtituti, ab Hadriano poſtmodum liberalitatis aliquod incrementum accepêre. Pius deinde, in honorem Fauſtinæ, novas puellas aſcribi fecit, quas *Fauſtinianas* appellavit. Poſt quem Marcus & Verus ob conjunctionem & participationem Imperii, novorum nominum pueros & puellas adſcribi præceperunt, apud Jul. Capitolin. in *Marco Antonino Philoſ.* c. 7. *Antoninus mox ipſe nomen … & Verum eum appellavit … Lucillam ſuam … deſpondit. Ob hanc conjunctionem pueros & puellas novorum nominum (ita enim corrigit Salmaſ. pro hominum) frumentariæ perceptioni adſcribi placuerunt.* Dicit, *novorum nominum*: Cum enim darent nomina ſua qui aſcribendi erant huic frumentariæ perceptioni, pueri puellæque, ideo *no… …* dicuntur; quod præter illos & illas, quarum nomina jam habebantur adſcripta, quaſque jam inſtituerant priores Imperatores, novi illi, Marci & Veri juſſu, aſcribebantur, &c. Salmaſ. *ad Capitolin.* Vide quoque infrà *Novæ puellæ*. Sic coloniarum quoque, municipiorum & aliarum Urbium pauperibus *alimenta* inſtituere ſæpe ſoliti ſunt boni Principes: cujus liberalitatis extant hodieque teſtes multi lapides. Imò nec ſolos Principes, ſed & privatos interdum, genus hoc liberalitatis uſurpâſſe, teſtatur de ſe verbâ faciens Plinius Jun. *Ep.* 8. *l.* 1. & *Ep.* 18. *l.* 2. Vide quoque hic infrà.

ALIMENTORUM Cura, apud Veteres Romanos, ſolicitè habita. Unde de Marco Antonino Philoſopho Capitolin. c. 11. *de alimentis*, inquit, *pu… … prudenter invenit.* Ad quod caput referri poteſt, quod antea dictum de novorum nominum pueris puellisque ad frumentationem vocatis, lege ejuſdem. Itemque ſequentia hæc in eod. c. verba, *Rei frumentariæ graviter providit*, quorum illud pertinet, ad alimenta eorum, qui pane gradili alebantur, hoc ad univerſi Populi Romani commoda; cui ſoliti Imperatores ſummâ curâ procurare ex Ægypto, Africa, Sicilia, frumenti atque aliarum ſpecierum ubertatem. Sed providit Marcus & privatorum alimentis: namque extant *l.* 8. *D. de tranſaction.* Excerpta ex oratione Marci, quibus multa explicantur, quæ ſunt ab illo inſtituta circa alimenta teſtamentô relicta, aut mortis cauſâ donata, Caſaubon. *ad locum*, qui proin cogitat, an non hic legendum ſit, *De alimentis publicis privatiſque*. Hinc maximæ dignitatis viris illa commiſſa, unde Pertinax, juvenis, per oppida & vicos ad viam Æmiliam hunc inde ſuos: ætate jam provectâ, poſt multos & magnos honores, eam curam in Urbe ſuſtinuiſſe legitur, apud Eund. c. 4. & de Didio Juliano Æl. Spartian. c. 1. *Poſt Germaniam inferiorem rexit. Poſt hæc curam alimentorum in Italia meruit.* Nec boni ſolùm, ſed & mali Principes, hac de re maximè ſolliciti. Hinc claſſem Africanam, quæ ſubſidio eſſet, ſi fortè Alexandrina frumenta ceſſaſſent, inſtituiſſe, eamque *Commodianam Herculeam* appellaſſe, Commodus dicitur, apud Lamprid. c. 17. Quamvis enim jam ante eum frumenta, ex Africa Romam devehebentur, ille tamen hoc inſtituit, ut per certos homines, impenſâ publicâ, ad inſtar Alexandrinæ (quam Auguſtus inſtituit) Africana quoque curaretur: de quibus vide in Juſti Lipſii *Electis* &c. Infrà quoque paſſim, imprimis ubi de *Frumento*.

ALIMUS, *vetus*, pars tribus Leontidis in Attica. *Steph.* Græcè Ἀλιμοῦς, caſtrum maritimum prope portum Phalereum; uti diſcimus ex *Strabone* & cognomine planta marina, unde illi nomen. Jac. Sponius *Itinerar. tom.* 3. Inde *Alimuntia myſteria* olim non minùs celebria, ac ſacra Iſiaca, Bacchi orgia, ſacra Sabaziorum, Cybeles Deûm Matris, Bonæ Deæ, Corybantia, Veneris Cypriæ, alia: quæ pleraque fœditate ſuâ, tenebris, & quò curatiſſimè tegebantur, ſilentiô digna, ipſâ tamen occultatione & ſanctitatis quibuſcumque imitamentis venerationem adepta fuêre, cum præſertim plerique arcerentur, qui publicô aliquô ſcelere ſe polluiſſent. Vide Athenagoram Orat. *pro Chriſtian.* Clem. Alexandr. *Protrep.* p. 7. & *ſeqq.* Arnob. *adv. Gent.* l. 4. Auguſtin. *de C. D.* l. 2. c. 4. & 5. & l. 7. c. 20. 21 & 26. ex Gentilibus Cicer. de *Haruſpic. Reſponſ.* & ex recentioribus Tob. Pfannerum *Theolog. Gentil. purior.* c. 1. §. 13.

ALIMUS, Græcè Ἄλιμος, abſque aſpiratione, apud Solinum c. 17. ubi de Creta Inſul. *Herba ἄλιμος dicitur: ea admorſa diurnam famem prohibet: proinde & hæc Cretica eſt.* Itaque hinc ei nomen; quæ enim ſitim & famem arcent pharmaca, ἄλιμα & ἄδιψα vocant Græci, unde ἄλιμος hæc herba. Glycyrrhizam putat eſſe Salmaſ. quam ἄδιψον ab effectu *Solinus* vocat. Plin. l. 11. c. ult. *Quædam exigui guſtu famem ac ſitim ſedant, conſervantque vires, ut butyrum, hippace, glycyrrhiza.* Idem l. 22. c. 9. de eadem, *Hac … ſitim famemque ſedari, ob id quidam adipſon appellavêre eam.* Quod ſi adipſon dicta, quia ſitim ſedet, quidni & alimos, *quia famem?* Sed & Athenæus meminit l. 2. τῆς ἀλίμου, quam & ἄδιψον vocatam aſſerit. Verùm ἄλιμος ibi & adverſus ſitim valebat, cui admiſcebatur malva, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 174. & 175.

ALINCUS, *Alyn*, lacus Hiberniæ, in Conaghria provinc. inter Comitatum *Letrim* & *Roſcomen*. Eum præterfluit Senus fluv.

ALINDA, urbs Cariæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Stauropolitano, mediterranea, Mylaſæ & Stratoniciæ propinqua. Χωρίον Καρίας … vocat. Arrianus l. 1. longitud. 57. 25. latitud. 39.00.

ALINDOEA, urbs Macedoniæ. *Steph.*

ALINGA, *æ*, vicus Galliæ vetuſtiſſimus, in Turonibus, ad flumen Ligerim, nunc *Langez*: ibi poſt dirutum Fanum, ablutoſque … a Martino Epiſcopo Eccleſiam conditam eſſe, tradit Gregorius Turonenſ. *Hiſtor. Franc.* l. 10. ubi eum vicum *Alingavienſem* vocat: Recentiores *Lengeacum* vocavêre. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ALINGO, oppid. Galliæ, in Vaſatibus, ad Garumnam fluv. unde Burdegalam ſecundo amne defluitur. Gall. *Lengon*; item truncatô capite *Langon*. Sidon. Apollinar. *in Ep. ad Trygetium* vocat *Alingonum portum*, … ac eum inter Coſſionem Vaſatium & Burdigalam Biturigum Viviſcorum poſitum eſſe & vix 12. mill. paſſ. Burdigalâ diſtare. Vide *Alingonis portus*.

ALINGONIS Portus locus circa Garumnam fluv. Sidonio Apollinari l. 8. *Ep.* Vulgò *Langon* in Vaſatenſi regione. Vix 2. leucis Cadillacô caſtrô diſtans.

ALIOHAR Arabibus margaritum per excellentiam dicitur: nam omnes gemmas vocant … Quæ vox planè è Latino detorta eſt, *Jocarium* & *Jocale*. Etenim hodieque … Galli vocant ſupellectilem omnem gemmariam, quâ mulieres oblectantur,

inde *Jocalia* & *Jocaliges* gemmariis. Certè Latini veteres *Joculum* dixêre id omne, ex quo aliquis voluptatem caperet, & in quo maximè acquieſceret, Græci παίγνιον. Vitruv. *l.* 4. *c.* 1. *Poſt ſepulturam ejus, quibus ea viva joculis delectabatur, nutrix collecta & compoſita in calatho periculis ad monumentum*, &c. Salmaſ. ad *Solin.* p. 1123.

ALION, urbs Albionis in Cumbria, ab Eboraco 55. mill. paſſ. in occidentem & à Carleolo 42. in meridiem longitud. 17. 16. latitud. 55. 02. Ad oſtia fluv. *Lune* in ora maris Hibernici. Vide *Lancaſtria*.

ALIPHA, & ALLIPHA, vide *Aliſa*.

ALIPHANUS, Scyphus parvus, *habens parvam formam ad modum vasis gutturalis.* Breviloq. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* qui etiam addit dici, quaſi *alens infantem.*

ALIPHERA, urbs Arcadiæ, quæ (teſte Polybiô *l.* 4. *c.* 77.) in ſummitate collis arcem & æneam ſtatuam Minervæ, à cæteris ſpecie ac magnitudine longè differentem, habuit. Lil. Gyraldus Syntag. *l.* 11.

ALIPILI, inter Gymnaſticos ſervos, memorati Senecæ, *Ep.* 56. ad vellendos ab aliquibus corporis partibus, & præſertim alis pilos adhibebantur: niſi velimus, ut docti Viri conſueruni, pro *pilicrepis* ac *alipilis*, apud eum *pedicrepos* ac *alipecos* legere, quaſi in Gymnaſiis fuiſſent, qui à pediculis purgarent homines; quorum tamen ſententiam non probat *Mercurialis*, cùm Juvenalis certò faciat teſtatum, fuiſſe in thermis, qui ab aliis pilos avellerent, ubi ſervos ſuos deſcribens Perſico ait, *Sat.* 11. *v.* 156.

Nec pugillares defert in balnea raucus
Teſticulos, nec vellendas jam præbuit alas.

atque hi modò volſellis ad id obeundum fuêre uſi; modò pumices adhibuêre reſinâ dein uſurpatâ (quam in evellendis è virorum corporibus pilis maximum honorem obtinuiſſe, fatetur Plin. *l.* 14. *c.* 20.) eò tandem ventum, ut, pſilothrô & dropace adhibitis, pilos arcerent. Plin. Valerianus *l.* 3. *c.* 52. *Sunt qui vel jam pilis, vel ſervorum ſuorum in balneo offenduntur, ſine ulla quidem ratione, ſed illorum quoque perſuaſioni ſuccurrendum eſt, & monſtrandum, quemadmodum effici poſſit, ut evulſi pili non renaſcantur. Omni autem pſilothrô ſic utendum eſt, ut, priuſquam adjiciatur, reſinâ pili auferantur.* Et Martial. *l.* 3. *Epigr.* 74.

Pſilothrô faciemque leves & dropace calvam:
Numquid tonſorem, Gargiliane, times?

A. quo miniſterio in veterib. Lexicis *Alipilarius* δρωπακιστὴς appellatur. Vide Hadr. Turnebum *l.* 27. *c.* 10. Quòd autem axillas alim vellerent, & lævigarent cum toto corpore, id mollitiei adſcribendum eſt. Sed inter fallacias & præſtigias venditorum hæc erat, quòd Mancipariis hôc pactô pubertatem venalium averterent. Ad quam turpitudinem prætereà inſtitutæ fuerunt in urbibus officinæ, ubi molles pice obliti à vulſoribus, depiles ac glabri fiebant. Nec aliò pertinebant, in Commodiana ſupellectili, Samnitica vaſa, memorata Capitolino in *Pertinace c.* 8. neque malè omnino Ælianus *de Hiſtor. Animal. l.* 13. Tarentinos notat & Tyrrhenos, ex vitis ſtuduiſſe ut mulieres facerent: primi quippe Tarentini cutem corporis lævigâſſe leguntur, apud Athenæum *l.* 13. Apud Lacedæmonios verò rigidioris diſciplinæ tenaces, Ephoros lege & edictô caviſſe, ne in balnea inferretur pix, atque omnes depilatores exploderentur, tradit Suidas in *Calvilon*. Vide Hieronym. Mercurial. *de Arte Gymnaſt. l.* 1. *c.* 12. & Laur. Pignorium *Commentat. de Serv.*

ALIPIUS, Antiochenus, auctor *deſcriptionis Veteris Orbis*, ſub Conſtantino & Conſtante Latinè editæ.

ALIPIUS, S. Auguſtini σύνεργος. Vide Auguſtin. *ep.* 8. Hieronym. *ep.* 82. Baron. *A. C.* 388. 394. 411. 419. Item, Antiochen. quidam, qui Geographica quædam ſcripſit. Amm. Marcellin. *l.* 23. *c.* 1.

ALIPTA, inter ſervos olim balneares; ita enim voce Græcâ Latio donatâ dicebantur, qui dominum lavantem ungebant, aliàs *Unctores* dicti. Senec. *Ep.* 56. *Cùm in Aliptam inertem & hâc plebeja unctione contentum incidi, audio crepitum illiſæ manus humeris, quæ, prout plana pervenit, aut concava, ita ſonum mutat.* Infrà, *Alipilum cogita, tenuem & ſtridulam vocem, quò ſit notabilior, ſubinde exprimentem, nec unquam tacentem, niſi dum vellit alas, & alium pro ſe clamare cogit.* Opelici unctoris meminit Martialis *l.* 12. *Epigr.* 71. Parthæ, Secundionis, Erotis, antiqua monumenta: ſuſtulitque hujuſmodi miniſter Commodum Imperat. teſte *Victore*: *Ibi per Miniſtrum ungendi (nam fortè is quoque in conſilio erat) faucibus, quaſi arte exercitus, brachiorum nodis validius preſſis expiravit.* Alluſit huc Horatius *l.* 2. *Sat.* 7.

— — — — juſſerit ad ſe
Mæcenas ſerum ſub lumina prima venire
Convivam; nemon' oleum feret ocyus? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore, fugiſque.

Aliquando verò pro unctorum Magiſtro, *Alipta*, ut apud Mut. *de tuenda valetudine*, & Cæl. *Aurelianum* ſæpius videre eſt. Etiam nonnunquam pro Gymnaſta ſumitur, quem *Julius Pollux Progymnaſten*, *Plato* verò *Pædotribam* vocat: quamvis alii à Gymnaſte Pædotribam diſtinguant, vide Mercurialem ſuprà laudatum *de Arte Gymnaſt. l.* 1. *c.* 12. Erant autem *Aliptæ* inſtrumenta, ſtrigilis, lintea, guttus. Senec. *Ep.* 95. *Venimus lintea & ſtrigiles Jovi ferre, & ſpeculum tenere Junoni. Non quærit miniſtros Deus. Quidni? ipſe humano generi miniſtrat.* Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 261

— Domus interea ſecura patellas
Jam lavat, & buccâ foculum excitat, & ſonat unctis
Strigilibus, plenô componit lintea guttô.
Hæc inter pueros varie properantur —

Ampulla adhæc & lenticula, cujuſmodi Romæ lectus eſt fictilem *lenticulari* (ut Appul. *Florid.* ait) *forma, terete ambitu, preſſulâ rotunditate*, Pignorius: ejus exemplum, ut & antiquæ ſtrigilis, ſubjiciens; *Comment. de Servis.* Vide miniſterium *Aliptæ* egregiè ridentem Epictetum, apud Arrianum *l.* 3. *c.* 26. & plura hue facetiæ infrà, ubi de *Unguendi ritu.*

ALIPTA, cognomen Andreæ Cretenſis Archiepiſcopi à Græcis ei tributum, quòd compoſuiſſet magnum illum canonem, quô peccatores ad pœnitentiam cohortatus eſt, & ad ſuperandos ſpirituales conflictus excitavit. Quam ob cauſam Feriâ 5. poſt Dominicam V. Quadrageſ. ut Rituale Græcorum habet, legebatur, & *Triodium* dicebatur is canon. Vide infrà in *Canon. Dominica Orthodoxiæ*, ut & ubi *de Triodio.* Quaſi, *ad conflictum exercitator*, voce ex Veterum palæſtra mutuatâ. Quâ eâdem eleganter etiam Gregorius Nazianzenus uſus eſt, quando epithetô hôc ſanctos Confeſſores ornavit, qui pro fide in Chriſtum variis tormentis excruciati vitam nihilominus retinebant & exemplô omnibuſque ſuis cæteros ad martyrium fortiter ſubeundum hortabantur: *Hanc Athletarum noſtrorum plerique ſuperârunt, alii ad mortem uſque dimicantes ideo videl relicti, ut victoriæ ſuæ eſſent ſuperſtites, nec in ipſo certamine animam efflarent, ſed aliis virtutis Aliptæ, vivi Martyres, ſpirantes columnæ, tacitaque præconia relinquerentur*, Orat. in laudem S. Baſilii: apud Marcos Fratres *Hierolex.*

ALIPTERIUM, Græcè Ἀλειπτήριον, Cæc. Plinio *l.* 2. *Ep.* 17 *Unctuarium* aliàs *Elæothesium*, quarta erat olim Gymnaſiorum pars, in quâ luctaturi aliaſque exercitationes aut balnea inituri, ungebantur redungebanturque: de qua prolixè infrà in voce *Unctuarium.*

ALIPTICE, olim pars Medicinæ; nec in Gymnaſiis tantùm aut Circo (nam & Circum ſuos habuiſſe *Aliptas*, notat *ad Vopiſcum in Saturnin. c.* 8. Caſaubon.) ſed etiam in Iatrice olim *Aliptæ* noti fuêre: qui non ſolùm ad conſervandam valetudinem, vires acquirendas, bonumque colorem conciliandum adhibebantur, ſed etiam ad recuperandam ſanitatem interdum. Nam & extitiſſe olim nonnullos, qui longos morbos *Aliptis* tractandos curandoſque committerent, docet compoſitum ex Medico & Unctore nomen, Ἰατραλείπτης. Plin. *l.* 29. *c.* 1. *Prodicus Selymbriæ natus, Diſcipulus ejus, inſtituens quam vocant Iatralepticen, unctoribus quoque Medicorum & mediaſtinis vectigalia invenit.* Ubi Iatralipias *Unctores Medicorum* reddit; quos *Aliptas* contemtim vocat Hadrianus *Ep.* quam Saturnini vitæ inſeruit Flav. Vopiſc. *c.* 8. *Ægyptum — totam didici levem — Nemo illic Archiſynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum Preſbyter, non Mathematicus, non Aruſpex, non Aliptes.* Quaſi dicat, nullam eſſe in Ægypto religionem, plures autem eſſe, nullam artem aut profeſſionem, quæ non Sarapin colat: ab omnibus igitur eum adorari, quamvis diverſæ religionis hominibus; omnium etiam Artium profeſſores eidem devotos eſſe. Illic, inquit, qui Sarapim colunt, Chriſtiani ſunt & devoti ſunt Sarapi, qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt: nemo illic Archiſynagogus Judæorum nemo Samarites, nemo Chriſtianorum Preſbyter, non Mathematicus, non Aruſpex, non Aliptes, *qui non Sarapin colat*, quæ verba hôc locô ſubaudienda ſunt. Uti autem hîc *Aliptas* cum Aruſpicibus & Mathematicis conjunxit Hadrianus, ita Medicos paulò antè Vopiſcus; cujuſmodi in Ægypto, qui utramque hanc ſimul profiterentur, complures fuiſſe, eo magis veriſimile eſt, quòd hæ artes & ſtudia ibi plurimùm vigerent. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. loc. cit.*

ALIQUIS, apud Tertullian. *Apologet. c.* 11 *Quot tamen potiores viros apud Inferos reliquiſtis! aliquem de ſapientia Socratem: de juſtitia Ariſtidem.* Et *c.* 12. *ô impiæ voces! ô ſacrilega convicia! Infrendite, inſpumate: Iidem eſtis qui Senecam aliquem pluribus & majoribus de veſtra ſuperſtitione perorantem reprehendiſtis.* Idem cum *neſcio quis* Arnob. *adv. Gent. l.* 4. *Hylam neſcio quem diligit*, i. e. *Herculem.* Sic Græci Τινὰ quandoque eleganter dicunt, quum aliquem perſtringunt. Ariſtophanes *Ranis* κακὸς ἄρα τινὰ, & ὅπως τῷ κακὸν &c.

— — ἀγαθὸν τινὶ
Ἐμὲ μὴ ʃεραπίζειν ἀδύνατον ὄντα.

Ubi *ἀγαθὸν τινὶ aliorum prædico*, h. e. *tibi ipſi.* Eâdem Fab. ἀπαγαγεῖ τινὰ & alibi ſæpius. Similiter Plautus *Amphitryone Act.* 1. *ſc.* 1. Olet homo quidam malo ſuo &c. Deſid. Heraldus *Animadverſionibus ad Arnobii locum.*

ALIRUNNA, vide *Alyrunna.*

ALISARNA, urbs Troadis. *Steph.*

ALISCA, Pannoniæ urbs. *Antonin. Almaz Lazio. Simlerus Angavara* vocat.

ALISINCUM, memoratum Æthico *in Itiner.* ab Auguſtoduno Luteriam Pariſiorum, inter Auguſtodunum & Decetiam, illinc 22. hinc 24. mill. paſſ. fortè nunc *Anſi* vocatur, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Aliſia.*

ALISO, oppid. Germaniæ inferioris ad fluv. *Yſſel* in Rhenum influentem, vulgò *Yſſelburg. Hadrianus* autem *Junius Weſel* vocat. Vide Rhenanum *Rer. Germ. l.* 3. Item fluv. Aliſonem oppid. (de quo ſupra) alluens, ac in Rhenum, ſeu foſſam Druſianam apud Duisburgum, influens.

ALISO, vulgò ALME, amnis Germaniæ influit in Lippam, haud procul Paderbona. *Cluver.* oriturque prope vicum *Alme*, in Weſtphalia.

ALISONTIA, vel ALISUNTIA vulgò *Alſitz.* fluv. Gall. Belgicæ per ducatum Lucemburgenſem in Moſellam ſupra Treveros una cum Sura influens; qui & *Als* aliis nominatur *Antonin.* Scalig. ad Auſon. *c.* 2. *Alſo* interpretatur, & *Aliſontiam* reponendum eſſe ſuſpicatur, & ſic legit Auſonii locum *in Moſella*, *v.* 371.

Stringit frugiferas felix Aliſontia ripas.

Ubi alii *Aliſuntia. Nic. Lloydius.* Totus eſt pagi Vabrenſis, & nonnullis quoque *Alſat* dicitur; nomine ad *Alſontiam*, quô in veterib. tabulis inſignitur, proximè accedente. Alluit montem S. Johannis, Lucelburgum *Luxembourg*, villam Cruptram *Crouchten*, infra *Mariſch*; Villare *Viller*: inde Ataro *Atert* auctus, apud Erleburgum in Suram effunditur. *Scaligero* malè *Alf* vel *Alb* explicatur; hic enim Gallis *Alve* dictus; ad vicum cognominem effluit in Moſellam,

pau-

paulo ſupra *Elz* fluvioli & Moſellæ confluentem, Latiniſque *Alba* nuncupatum eſt. Habet ab *Aliſontia* vel *Aiſontia*, vallis proxima nomen, quæ Aliſontiâ irrigata, *Aliſontienſis* ſub Ottonibus dicta eſt item pagus German. vocatur *Eliſchowe*, cujus mentio fit in diviſione regni Lotharis, inter Baſimacum & Varaſch: quod *ter rarum Eliganginm* vocatur, in *Vita* S. Wandregiſili Verodunenſis. Abbatis Fontanellæ, ubi ille Monaſterium in poſſeſſione ſua extruxiſſe dicitur. Meminit *Aliſontia* Auſonius in *Moſella*, & Surâ, in quem devolvitur, non minorem facit, hoc diſticho:

Nec minor hoc, tacitum qui per ſola pinguia labens,
Stringit frugiferas felix Aliſontia *ripas.*

ALISTA, Corſicæ oppid. *Ptol. Iſta Piutro.* Aliis eſt *Porto Vecchio*, portus cum oppido in ſinu, qui *Golfo Arſiano*. In parte Meridionali Corſicæ.

ALISUM, urbs libera Sueviæ ad Neccarum fluv. vulgò *Helbrun*, vel *Halbran*, i. e *ſalutis fons*. longitud 30 20. latitud. 51. 30.

ALISUS, urbs Germaniæ in ora Boreali maris Baltici, inter Sundum & Roſtochium *Ptol. Parthen Vilanernane*, ſeu potius *Bars*. longitud 15. 00. latitud. 52. 55. In ducatu Pomeraniæ ſub Suevis, vide *Bardaw*.

ALITERIUS, Jupiter vocatus eſt, & Ceres *Aliteria*, quòd in publica fame ſervâſſent molitores, ne farina diſperiret, quod in Ariſtophane notant *Grammatici Plut.* & *Pollux*.

ALITHINA, meliùs *Alethina* veſtis, ex Græco Ἀληθινή, vera, i. e. *purpurea*. Anaſtaſius Bibliothecar in S. *Zacharia*, *Simulque & vela ... alithina quatuor*: alibique paſſim. Ep. Michaelis Balbi & Theophili Imperatorum ad Ludovicum Pium, apud Baronium *A. C.* 824. *Tyria duo, blattas veras duas, diarodina duo*, &c. Græca habuerunt, ἀληθινὰ *Sic Myropſus* ait, *rubeam τὸ ἀληθινὸν ſaint veri colore reſicere*; Græcique imprimis recentiores crebro hâc notione vocem uſurpant. Moſchopulus MS. ad *Agapetum c. 4.* ... Heſych. ... χρῶμα ἀληθινὸν, &c. Trebellius Pollio in *Divo Claudio c 17. Chlamydes veri luminis*, i. e. *coloris*, reddit. Verum enim color Latinis per excellentiam purpureus dictus eſt; atque inde etiam, ſecundum *Salmaſ. Holovera* veſtes dictæ, quæ totæ ex illo vero coloreſcerent, h. e. totæ ex purpura, ſeu in quibus utraque pars texturæ, ſubtemen & trama ſcil. purpurâ tincta eſſent. *L.* Theodoſiana, *quæ tuſſu conchyliâ molline alterius permixtione ſubtexta ſunt*, ſeu, *quæ omni ex parte textura conchylii colore infecta*, interpretatur, &c. Verum itaque color, ut Græcis ἀληθινὸν χρῶμα, de purpura. In libro de *Cœna Dom.* qui Cypriano inſcribitur, multa genera veſtium cùm enumerentur, quæ diverſis ex S. Scriptura perſonis tribuit Auctor, appoſitè & accommodatè ad cujuſque vitam, aut vitæ actum aliquem inſignem, inter cætera ſic habetur, *Abiron nigram*, *Anna Perſicinam*, *Iſaac natram*, *Paulus Therſinam*. *Petrus operarium*, *Joſephus pſeudo-alethinam*, *Jeſus columbinam*. Ubi Joſepho *pſeudo-alethinam* veſtem tribuit, eo alludens, quòd falsò creditus eſt pater Domini. Sicuti nempe *alethina* veſtis eſt purpurea, ſic *pſeudoalethina*, quæ, cùm non ſit ex purpura, purpuram tamen imitatur. Vide Salmaſ. *Not. ad Pollucem loc. cit.* & *ad Solin. p.* 1252. nec non infrà voce *Vera*.

ALITROPHAGI, apud Amm Marcellin. *l.* 23 *c.* 6. corrupte pro *Anthropophagi*, quos vide. Salmaſ. *ad Solin. p.* 989.

ALJUBAROTA, Vicus Hiſpaniæ in Portugallia, celebris victoriâ Johannis Regis Luſitan. contra Caſtellanos, A. C. 1385.

ALIUM, oppid. in Elide, regione Peloponneſi.

ALIX, i. e. *Adelais*, alias *Eliſabetha*, uxor Ludovici Junioris Galliæ Regis. Item, Cypri Regina, cum filia cognomine quæ bellum geſſit, cum Theobaldo 4. Comite Bleſenſi, compoſitum, A. C. 1229. Item, uxor Ludovici Craſſi, filia Humberti Sabaudi. Item, Sponſa Richardi, Angliæ Regis. *Duplem*. &c. *Mezeray*.

ALIZONES, vide *Halizones*.

ALIZUBEIR, Mahometis Dux fortiſſimus, ſed mirè impius, nec curari equum, nec veſtes mundari voluit. Marmol. *l.* 2 *c.* 1.

ALKINDUS Jacobus, vide *Jacobus*.

ALKOVA, Arabibus ſeu *Alkobba*, conclave eſt camerati operis, quo lectus circumdatur, Hebr. *Kubba*, Numeror. c. 25. v. 8. ubi Zimri & Kosbi ſcortantibus, ingreſſus eſt Phinees in *Kubba*, & utrumque perfodit; θάλαμος eſt ſeu conclave, in quo Sponſæ thorus. Aliter Arabibus *Ommolonde* i. e. *mater teſtudinum*, quia camerata erat & teſtudinei operis: Græcis χελώνη, Judithæ c. 14. v. 13. ubi truncum Holofernis Bagoas projectum reperiſſe legitur, ἐπὶ τῆς χελωνίδος, uti *Barbarus* legit: quam vocem malè *limen* ſeu *limen* interpretatur *Suidas*; cùm chelonis non fuerit prope limen januæ, ſed in intimo tabernaculo, in quo etiam ipſe Imperatoris lectus. Fuit igitur thalamus Holofernis, cum Juditha, ut putabat, concubituri, hujuſmodi *Kubba* ſeu *Alkobba*, quæ cur Græcis χελώνη dicatur, ex dictis patet. Fortaſſe etiam χελώνη à materia dicta eſt; olim enim in Magnatum lectis & ſpondis multum fuiſſe teſtudinis uſum, notiſſimum eſt. Qui luxus in Oriente primùm uſurpatus, tandem & Romam devenit, tempore, quod à Plinio notatum eſt ... *l.* 9. c. 11. *Teſtudinum*, inquit, *putamina ſecare in laminas lectoſque & repoſitoria his veſtire, Carbilius Pollio inſtituit*. Et *l.* 16. c. 43. *Teſtudo in hoc ſecta. Nuperque portentoſis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet ſe*, &c. Hinc Martial. *l.* 12. *Epigr.* 67.

Gemmantes primi fulgent teſtudine lecti.

Juvenal *Sat* 11. v. 94.

Qualis in Oceani fluctu teſtudo nataret.
Clarum Trojugenis factura & nobile fulcrum, &c.

Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior* l. 4. c. 8. Vide infrà paſſim.

ALLA, oppid. Tridentinæ Diœceſis, in Italia, ad Atheſim fluv. ... fluv. Poloniæ, in Pruſſia Ducali. Cadit in Pregelam fluv. intra Alleburgum oppid. ad caſtrum *Velau*, alluitque Guſtatt & Hilbergam.

ALLABUS, fluv. Siciliæ, vide *Alabus*.

ALLADIUS, qui & *Remus*, ſeu *Aremulus*, vel etiam *Remulus Sylvius*, Agrippæ fil. XII. Latinorum Rex, regnavit ann. 20. Ob impietatem fulmine ictus interiit. Dionyſ. *l.* 2. Aliter Euſeb. *Chron.* A. M 3199. A. C. 855.

ALLAH, vox Arabica, Deum notans, Turcis frequenti in uſu. *Charta* Alboacem Regis Mauri Conimbricenſis A. C. 714. apud Sandovallium in *Rege Pavila*, *Si Chriſtianus fuerit*, (iverit) *ad meſquidam vel dixerit male de* Allah *vel Mahomet, fiat Maurus, vel matent eum*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* vide quoque *Alla*.

ALLANTE, urbs Macedoniæ, & Arcadiæ. *Steph.* Populi *Allantenſes*. Plin. *l.* 4. c. 10.

ALLARIA, vel ALLORIA, civitas Cretæ. *Steph.*

ALLASSON, apud Flavium Vopiſc. *in Saturnino*, c. 8. *Calices tibi allaſſontes verſicolores tranſmiſi, quos mihi Sacerdos Templi obtulit, tibi & ſorori meæ ſpecialiter dedicatos, quos tu velim feſtis diebus conviviis adhibeas*. Putat. Salmaſ. legendum, *Calices tibi allaſſontes, i. e. verſicolores*, namque *allaſſon*, inquit, *calix* & *verſicolor* idem. Sic enim dicitur is, qui colores mutat, & aliò modò refulget, cùm aſpicitur; aliò, cùm ſuſpicitur atque etiam aliò, cùm deſpicitur & colores alternat, ut in collis columbarum videmus. Galli *colour changeant*, h. e. *colorem mutantem*, vocant, & ad verbum ἀλλασσόμενον. Et quidem, vitrum olim, ut etiam nunc, in varios colores tingebatur ac pingebatur, *aut enim alia*, inquit Plin. *l.* 36. *c.* 26. *naturae ſuo gignitur, aut etiam picturæ accommodatur*. In Ægypto verò ex vitro fiebant calices verſicolores pretioſiſſimi, quos Hadrianus *dict. loc.* ἀλλάσσοντας vocat. Et narrat Strabo *l.* 16. ſe à Vitriariis Alexandrinis accepiſſe, eſſe quandam in Ægypto terram ὑαλῖτιν, ſine qua hujuſmodi calices verſicolores perfici nequirent. Unde non parvi muneris locô tres hujuſcemodi verſicolores & *alaſſontes* calices Serviano miſit Hadrianus; πολυτελεῖς & πολυχρόους; *pretioſos et varii coloris Strabonis* dictos. Quamvis itaque, ut idem ſcribit *ibid.* Romæ Vitriarii multa commenti eſſent & ad vitreorum colores & ad eorundem tornandorum facilitatem, tantaque ex eo vilitas eorum fuerit, ut vulgo poculum vitreum aſſe venundaretur, unde de iis Martial. *l.* 14. *Epigr.* 93.

Nos ſumus audaces, plebeja toreumata vitri,
Noſtro nec ardenti gemma feritur aquâ.

Vide infrà in *Audaces*. Tamen Ægyptiaci ex vitro calices verſicolores atque ἀλλάσσοντες, longè fuêre pretioſiſſimi. Diverſitate igitur & operoſitate vitrorum, ut Vopiſcus *in Tacito c.* 11. ait, celebris olim Ægyptus ferebatur. Nam, præter iſtos *allaſſontas*, alia etiam ibidem pocula fingebantur arte manuque pretioſa: de quibus Idem Poëta, *l.* 14. *Epigr.* 115.

Adſpicis ingenium Nili, quibus addere plura
Dum cupit, hoc quoties perdidit auctor opus.

Quorum artificium non in colorum varietate, ſed in ſculptura & cælatura, vitebatur, ut videmus infrà, ubi de poculis *Diatretis*. Plura vide apud Salmaſ. *ad Vopiſc.*

ALLATIUS Leo, vide *Leo*.

ALLATURA, urbs Moſcoviæ in regno Cazani, ad Camam fluv. Raris habitata colonis.

ALLECTI, ſeu ALLECTORES, Λογογράφοι, veteri Gloſſatori, apud Cujacium *Obſervat. l.* 11. *c.* 26. ſic dicti, quod ſuſcipiendis tributis fiſcalibus *allegentur*, *l.* 12. 22. & 23. *Cod. Theod. de ſuſcep. præpoſ. & arcar.* Eorum officium *Allegatio* in *l.* 22. *Cod. eod.* & *Allectura*, in *Inſcr. Lugdunenſi* apud Gruterum *p.* 375. *L. Beſio* — *Allectori Galliarum ob allecturam fideliter adminiſtratam*. Apud quem *Allectores* non ſemel occurrunt alibi quoque, ut *p.* 245. & 471. Vide Sidon. Apollinar. *l.* 5. *Ep.* 7. & *ibi* Savoronem, ut & Jacobum Gothofredum *ad l.* 13. *Cod. Theodoſ. de Suſcepter*. Car imprimis du Freſne, ubi multa habet de voce *Allegare*, in *Gloſſar*. Alia notio vocis *l. ult. de Senator.* ubi *Allecti* ſunt, qui, propter inopiam, ex Equeſtri ordine in Senatorum numerum ſunt adſumti. Ulpianus in *tract. de Decurionibus*, *ſpurios poſſe in ordinem allegi*, h. e. numero addi, ſcribit. Quid ſit *allectio ind. cives de incolis*, Accurſium non intellexiſſe, ait Spiegelius apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

ALLECTUM, vide *Allectum*

ALLEDIUS Severus, prænomine *Titus*, eques Romanus, primipilaris gratiâ impulſus Agrippinæ, ut fratris filiam exemplô Claudii ſibi matrimonio jungeret, C. Pompejô, Q. Veraniô Conſulib. Tacit. *l.* 12. *Annal c.* 7.

ALLELUJAH, Hebr. vox. i. e. *Laudate Deum*. Auguſtin. *de Diverſ. Serm. l. c.* 2. *Noſtis, quia* Alleluja *Latinè dicitur, Laudate Deum*. Arnobius Jun. *in Pſalm.* 104. Alleluja *in iſto Pſalmo principium ſumſit, quam qui interpretantur, Gloria Deo, Creatori omnium rerum dicunt*, &c in Pſalmis Davidicis frequens, & Hebræorum hymnis, à quibus ad Chriſtianos tranſiit; apud quos in bello inclamari ſolitum fuiſſe, teſtantur Conſtantinus de *Vita* S. Germani & Ordericus *Vitalis l* 12. p. 887. apud Car. du Freſne *Gloſſar*. Vide infrà. In Eccleſia Romana ſæpius adhibetur in Eccleſiaſt. Officiis, tempore Damaſi Pontificis in Latinam Eccleſiam ex Hieroſolymitana introductum primitus. Gregorius dein Magnus non Paſchali ſolùm tempore, ſed per totum annum, illud cantari voluit, ut refert Baronius ad *A. C.* 584 *num.* 27. Imo & in funeralibus quoque cani conſueviſſe, docet Hieronym. *Ep. ad Ocean.* more hodieque à Græcis retentô; & ad horum imitationem, ab iis qui Officium Gothicum ſeu Mozarabicum in Hiſpania ſervant. Idem Gallicanam quoque facere Eccleſiam, ait modò dictus Baronius ad *A. C.* 590. At Latinus ritus canticum hoc, utpote mœſtitiæ minùs conveniens, omittit! Sicut & jam ex Alexandri ſecundi juſſu à Septuageſima, uſque ad Sabbathum Sanctum, omitti cœpit; eo quod in hoc tempore mœſta Protoplaſti incipiat memoria. *c. hi duo. de conſecr. diſt.* 1. Eundem Pontificem, bis repeti ad Veſperas præcedentis Sabbathi Dominicæ Septuageſimæ, ordinâſſe, refert præfatus iterum Baronius ad *A. C.* 1073. Sed nec dicebatur in Circumciſionis die,

vi-

vide infrà in *Circumciſio Domini*. Quando verò omittitur, dicitur *Alleluia ab clauditur*, atque in Antiphonis habentibus Allelujah in fine, ejus loco dicitur, *Laudem*, Joh. Beletus *de divin Offic. c.* 79. quod tamen in officio privato neutiquam obſervatur. Porro non additur, in Antiphonis B M. Officii, quod canitur in Choro, tempore Paſchali, *Congregat. Rit.* 28. Martii A. C. 1626. At Benedictini Monachi antiquitus tantùm, Quadrageſimæ tempore, illud omittebant; hodie verò Ritui Romano conformantur. Ex decreto Concilii Toletani c. 10. non canebatur Kalendis Januar. quia tum jejunabat Eccleſia & Litanias celebrabat, ut Gentilibus ad crapulam tum & oblectamenta verſis contraria figeret veſtigia. Unde nec Græci decantatur in Bacchanalium hebdomade, ex Triodii diſpoſitione, exceptis feriâ tertiâ & ſextâ. In Sabbatho, quod Sanctum vocant, celebrante Pontificaliter Epiſcopo, Subdiaconus peractâ Epiſtolâ, ante manus oſculum, *Reverendiſſime Pater*, inquit, *annuntio vobis gaudium magnum, quod eſt Alleluja*; ad quod Epiſcopus juxta rubricam ter intonat *Alleluja*, vide *Ceremon* Epiſc. *l.* 2 c. 27. In tribus Antiphonis 3. noct. & ſignanter in Apoſtolorum nocturno tertio additur quoque *Alleluja*; quare idem fiat in Dominica tertia Adventus, vide ibidem, & plura hanc in rem, apud Macros Fratres in *Hierolex.* Car. du *Freſne* de vocis hujus in communione Romana uſu, ſic breviter: *In omnibus Eccleſiis* Alleluja *cantatur à Paſchate ad Pentecoſten ab antiquo: ſed extra Paſchale tempus Damaſus inſtituit, ut certis temporibus caneretur. Unde & in Dominicis, quæ ſunt ab octava Epiphaniæ, uſque ad Septuageſimam, & in Dominicis, quæ ſunt ab octava Pentecoſtes, uſque ad Adventum, cantatur.* De eodem *Regula Mag* c. 28. *A. Paſcha uſque ad Pentecoſten non licet jejunare, quia Sabbathum Paſchæ claudit triſtitiæ jejunia & Sabbathum Pentecoſtes claudit* Alleluja: *& Sabbathum Pentecoſtes claudit* Alleluja *& aperit jejunia; ſed Eccleſia claudunt Alleluja, &c.* In Africanis Eccleſiis, non omni tempore, ſed Dominicis diebus tantùm & quinquaginta poſt Domini reſurrectionem, *Allelujah* cantari ſolitum fuiſſe, in ſignum lætitiæ, ex reſurrectione Domini ortæ, tradit *Iſidorus*. Ut de aliis nil dicam. Quare autem omnes Eccleſiæ ac Nationes totius Univerſi, quæ linguis tam variis Deum celebrant, in officiis ritibuſque diverſis, Hebraicam hanc vocem adeò conſtanter retineant, rationem reddit Beda, cùm ait: *Hoc ideò fit, ut per talis conſonantiam devotionis, omnis admoneatur Eccleſia, quia & nunc in una fidei confeſſione & dilectione Chriſti conſiſtere debeat, & ad illam in futuro patriam feſtinare, in qua nulla eſt diverſitas linguarum, Homil. in I Dominic. poſt Pentecoſten.* Imo in primitivis Eccleſiæ temporibus non intra Eccleſiam ſolùm, ſed & extra, in ſecularium ore auditum fuiſſe hoc canticum, ex Sidonio *l.* 2. *Ep.* ult. idem oſtendere conantur *Macri*, cùm ait.

> *Curvorum hinc chorus helciariorum,*
> *Reſponſantibus Alleluja ripis?*

Sed de nautis Chriſtianis ac fidelibus, adeoque ad Eccleſiam utique pertinentibus, ibi ſermonem eſſe, docet verſus ſequens,

> *Ad Chriſtum levat amnicum celeuſma.*

Unde nauticum hoc celeuſma tum fuiſſe patet. De Agricolis ſimile quid habet Hieronym. *Ep. ad Marcellam*, *Arator ſtivam tenens* Alleluja *decantat*. De Militum clamore diximus aliquid ſuprà, & confirmatur id à Polydoro Virgilio, *l.* 3. *Britanni A.* C. 492. *nudâ fide armati, à Germano Epiſcopo ita inſtructi: non aliis armis parati, ſed ſolâ triplicata prolatione cantici* Allelujah *profuderant & ſuperaverant inimicorum exercitum.* Etiam ante nolarum uſum hoc ſigno ad preces & ſacra convocari conſueviſſe fideles, Hieronym. idem refert, *Ep.* 27. *ad Euſtoch.* ubi, *Poſt Alleluja*, inquit, *cantatum, quo ſigno vocabantur ad collectam, nulli reſidere licitum erat*, &c. Nec omittendum, quod tradit Franciſcus Alvarius *Itinerar.* c. 41. Monaſterium in Æthiopia reperiri, cui *Alleluja* nomen; propterea, quod in diverſorio illo Eremita quidam non modicæ ſanctitatis ab Angelis canticum hoc decantari audiverit. Inde enim ait factum, ut Superiorem Monaſterii illius, quod tunc de novo erigebatur, quò *Alleluja* id appellaret, rogaverit, apud Macrum utrumque *loc. cit.*

ALLEN, vox, quam Ludovicus II. Dux Burbonenſis Symboli locô uſurpavit; quod tamen poſtea dimiſit, vice uſurpans ejus vocabulum, ESPERANCE, i. e. *Spes.* Legitur autem vox illa *Allen* characteribus aureis tranſverſariè exarata, in ſcuto argenteo, in Oratorio, quod ſuperioris Caſtelli Molinenſis Capellæ adjacet & in Capella Burbonenſi, ad Luparam, Lutetiæ. Vide Orronvillam in *Vita* hujus Ludovici c. 3. & Favynum *Theatr. Honor.* p. 767. citatos in hanc rem Car. du Freſne *Gloſſar.*

ALLENDORFIA, Urbecula Germaniæ in Langraviatu Haſſiæ Caſſellenſi ad fluv. Verram.

ALLERA, vulgo ALLER, & ALRE, fluv. Germaniæ in Saxonia inferiore cadit in Viſurgim infrà Verdam Urbem, quam alluit. Oritur in Ducatu Magdeburgenſi rigatque Giſornam & Cellam urbes, recipitque fluvios Onacram & Leinam in Luneburgenſi Ducatu

ALLERBURGUM, oppid. *Pol.* in Pruſſia Ducali ad Allam fluv. qui mox cadit in Pregelam.

ALLERIÆ, vulgò ALLERES vel ALLIERES, caſtellum Galliæ in Cenomanis, memoratum Orderico Vitali *Hiſtor. l.* 10.

ALLIA, fluv Italiæ, qui à Cruſtuminis montibus, præaltô defluens alveô, Tiberino amni miſcetur, quadrageſimô ab urbe lapide, ubi magnâ ſtrage Romani à Gallis, duce Brennô, profligati ſunt. Plut. in *Mario*, Liv. *l.* 5. c. 37. Florus *l.* 1. c. 13. *Eutrop.* Hinc *Allienſis* dies dictus, quaſi infauſtus. Sil. *l.* 5.

> *Horriſtris ſeſe extulit Allia ripis.*

Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 717.

> *Quoſque ſecans infauſtum interluit Allia nomen*

Lucan. *l.* 7. *v.* 409.

> *Et damnata diu Romanis Allia Faſtis.*

Ovid. *de Art. Am. l.* 3. *v.* 413.

> *Tunc licet incipias, quà flebilis Allia luce*
> *Vulneribus Latiis ſanguinolenta fuit.*

Idem in *Ibin* v. 219.

> *Hæc eſt in Faſtis, cui dat gravis Allia nomen.*

Cicer. *l.* 9 *ad Att. ep.* 5. *Majores noſtri funeſtiorem diem eſſe voluerunt Allienſis pugnæ, quam urbis captæ.* Infelicitèr certè res omnis à Vitellio geſta eſt, *qui omni divinô humanoque jure neglectô Allienſi die pontificatum maximum cepit.* Verba ſunt Suetonii *in ejus vita*, c. 11. *Nic. Lloydius.*

ALLIENUS, Prætor Siciliæ ſub Cæſare. Hirtius. *Bell. African.* c. 2

ALLIFÆ, vel ALIFA, & ALIPHA, Italiæ juxta Æſerniam, prope Vulturni ripam, oppid. in provinc. Terræ laboris, in planitie, ad radices Apennini, vulgò *Alif.* Sil. *l.* 8.

> *Illæ Parthenope ac Pœno non pervia Nola,*
> *Alifæ, & Clanio contempta ſemper Acerra.*

Prima oppidi mentio fit apud Liv. *l.* 8 c. 25. *Eodem tempore & in Samnio res proſpere geſta. Tria oppida in poteſtatem venerunt, Alliſæ, Calliſæ, Ruffrium.* Idem *l.* 9. c. 38. C. *Marcius Rutilius Allifas de Samnitibus vi cepit.* Diodor. Sic. *l.* 10. ὁ δ Μάρκι⊙ ἐπὶ τοὺς Σαμνίτας ... πόλιν ... Oppidani *Allifani*. Plin. *l.* 3. c. 5. Hinc *Allifanus ager*, Silio *l.* 12.

> *Hinc Allifanus Iaccho*
> *Haud inimicus ager.*

Horat. *l.* 2. *Sat.* 8

> *Invertunt Alliphanis vinaria tota*

Nunc in ruinis jacet. *Nic. Lloydius.* Ad eandem urbem memorabili prælio cum Samnitibus conflixit Fabius Proconſul, uti his memorat idem Livius l. 9. c. 42. *Q. Fabius Proconſul, ad urbem Allifas, cum Samnitium exercitu ſignis collatis conflixit, minimè ambigua res fuit. Fuſi hoſtes, atque in caſtra compulſi: nec caſtra forent retenta, ni exiguum ſuperfuiſſet diei, ante noctem tamen ſunt circumſeſſa & nocte cuſtodita, ne quis elabi poſſet. Poſterò die vix dum luce certâ, deditio fieri cœpta: & pacti, qui Samnitium forent, ut cum ſingulis veſtimentis emitterentur. Hi omnes ſub jugum miſſi. Sociûm Samnitium nihil cautum: ad ſeptem millia ſub corona veniêre, qui ſe civem Hernicum dixerat, ſeorſum in cuſtodia habitus. Eos omnes Fabius Romam ad Senatum miſit*, &c. Quod cùm ægrè paſſi eſſent Hernici, novum hinc bellum ortum, *quod conſilium populorum habentibus Anagniæ, omnes Hernici nomines populo Romano indixerunt.*

ALLIGARI Colores, Latinis dicuntur, qui non facilè eluuntur nec fucum remittunt. Plin. *l* 32. c. 6. de alga marina, *Tingendis etiam lanis ita colorem alligans, ut elui poſtea non poſſit.* Sic idem *l.* 9. c. 38. de pelagio & buccino, *Buccinum per ſe damnatur; quoniam fucum remittit. Pelagio admodum alligatur, nimiaque ejus nigritiæ dat auſteritatem illam nitoremque qui quæritur cocci.* Græci κατέχειν dicunt & κατόχιμα vocant medicamenta, quæ colorem alligant, ac retinent: Hinc Chemici Græci in rebus tingendis tria requiri ſanciunt, τὴν ἀραίωσιν, quâ corpora rarefacienda ſunt, ut colorem bibant; τὴν βαφὴν, quæ ipſa tinctura eſt, & τὴν κατοχὴν, coloris alligationem, quum ſuperinducitur medicamentum, quô tinctura alligatur & ex fluxa fugacique hæſura redditur ac permanens. Alii pro κατοχῇ nominant ... Quidam & quartum addebant, τὴν εἰλύψιν, Latini *lomen* dicunt, Galli *luſtrum*, &c. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1146.

ALLIRROTHIUS, fil. Neptuni, qui cùm Pater à Minerva inventione oleæ ſuperatus eſſet, & proprietate Athenarum excidiſſet, miſſu & juſſu ejus oleam in arce Athenarum enatam excidere intendit. Sed ſtrictâ ſecuri aberravit, eamque cruribus ſuis tam graviter impegit, ut ex plaga interiret. Unde Olea *Moria* vocatari cœpit, quaſi μόρον, fati ſeu mortis cauſſa.

ALLIUM, urbs inter Pyrgum, & Oſtiam.

ALLIUM, nomen, ut cepe & porrum, inter Ægyptiorum olim Numina de quibus ſic Prudentius *contra Symmachum l.* 2. *v.* 465.

> *—— Quandrivus brevioribus ire parati*
> *Vilia Niliacis venerantur oluſcula in hortis,*
> *Porrum & cepe Deos imponere nubibus auſi,*
> *Aliaque.*

Unde irridendi Aſclepiadis, qui iſta damnans pari ſtultitiâ æquales Deos coleret, martinam ſumens, apud eundem, Romanus Martyr *Hymn.* 14. *v.* 259.

> *Adpone porris, inquit, religioſas arulas,*
> *Venerare acerbum cepe, mordax allium*, &c.

Vide Tob. Pfannerum *Syſtem Theol. Gentil. purior.* p. 1. §. 1. Ab ejus eſu Veteres gallis gallinaceis pugnaturis animum addidêre. unde ... pro forti & animoſo, ... *quoniam gallis ad pugnam incitantur, guſtatô allii*, Auctor Græcus apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1186. De qua gallorum gallinaceorum commiſſione publicâ Athenis olim & etiamnum in Anglia, ſtatis temporibus inſtitui ſolitâ, infrà dicemus. Vide quoque infrà *Inſans.*

ALLIUS Fuſcus, vir Conſularis, inter eos, qui Commodi Imperatoris juſſu occiſi memorantur Ælio Lampridio in *Vita* hujus: c. 7. *Et poſt eos ſex ſimul ex Conſularibus, Allium Fuſcum, Celium Felicem, Lucejum Torquatum*, &c. De eodem ſervat hanc *inſcr.* tabula marmorea apud *Onuphrium*, C. ALLIUS C. F. FUSCIANUS. Caſaubon *Not. ad Lamprid. loc. cit.*

ALLOBROGES, Galliæ Tranſalpinæ populi, qui Narbonenſibus aſcribuntur. Siti ſunt juxta Rhodanum, nunc Sabaudienſes, Delphinates & Pedemontani, victoriâ Fabii, & Catilinæ conjuratione noti. Tacit. *l* 1. *Hiſtor.* ... Strab. *l.* 4. Cluver.

Urbes primariæ Allobrogum.

Civaro, *Chambery*.	Mauriana, *S. Jean*
Geneva, *Geneve*,	Tarantaſia, *Mouſtiers*.
Gratianopolis, *Grenoble*,	Vienna, *Viene*.

ALLOBRYGES, *Ptolemæo*, Polybio *l.* 30, *c.* 50. autem Ἀλλόβρυγες [illegible] vocat *Steph.* Horat. *in Epod. Od.* 16.

Noviſque rebus infidelis Allobrox.

Juvenalis *Sat.* 7. *v.* 214. *de Ruffo.*

Ruffum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.

De origine nominis ita vir magnus *De Phœn. colon. l.* 1. *c.* 42. Apud utroſque Britannos, inquit, *bro regionem* vel *agrum* ſonat, ut Syris [illegible] *baro*, & *bei*, vel *abel campum*, ut Ebræis בל *bal* vel *el*, & Syris [illegible] *ellojo* Inde à Gallis dicti *Allobroges*, qui montanam Sabaudiæ regionem obtinebant. Hoc multò veriſimilius, quàm quod ſcribit vetus Juvenalis Scholiaſtes, *Dicti Allobroges, quoniam broga Galli agrum dicunt, allo autem aliud, dicti igitur, quia ex alio loco translati.* *Vet.* [illegible] Eorum origo licèt incerta ſit, certum tamen eſt, eos latum imperium & potens habuiſſe nomen, ita ut illorum regio comprehenderet hodiernam Sabaudiam, Delfinatum & confinales provincias, *Ptol.* enim Viennam *Allobrogum* facit metropolim. Et Cæſar *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 6. eorum extremorum Helvetiorumque finibus proximam Genevam dicit. Joh. Baptiſt Plantinus *Helv. Antiq. & Nov.* Certe Cicer. *in Orat.* 3. *in Catil.* de *Allobrogum* Senatu ac populo refert; *Homines Gallos ex civitate male pacata, quæ gens una reſtat, quæ populo Rom. bellum facere & poſſe & non nolle videatur, ſpem imperii & rerum ampliſſimarum ultro ſibi* [illegible] *Patriciis hominibus oblatam neglexiſſe.* nimirum *ſpem imperii* totius provinciæ Galliæ vel Narbonenſis: ſicut apud Cæſar. *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 64 Vercingetorix Allobrogum *Principibus pecunias, civitati autem imperium totius Provinciæ*, obtuliſſe legitur. *Cohors VIII. Allobrogum* in veteri *Inſcr.* apud Goltzium memoratur: Eorum perduellium 130 millia apud fluvium Iſaram, prælio commiſſo, adverſus Allobrogum Regem Arvernorumque gentes, ad 6. Idus Auguſt. cecidiſſe, Q. Fabium M. Conſulem hincque *Allobrogicum* nominatum, refert Plin. *l.* 7. *c.* 50. Quidam *Allobrogum* olim volunt fuiſſe, quidquid terrarum diœceſibus Vienneſi, Genevenſi, Gratianopolitana ac Maurienenſi continetur: è quibus Viennenſis maxima ex parte in Delphinatu eſt, aliquantulum in pago Vivarienſi Gratianopolitanæ parœciæ major portio in Delphinatu, minor in Sabaudia Genevenſis verò tota in Sabaudia, ut & Maurienenſis tota. Ut appareat, *Allobroges* ex æquo in Delphinatu & Sabaudia ſedes habuiſſe, cui ſententiæ accedit Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce, *Vienna Allobrogum.* Tran. Rhodanum illos habuiſſe vicos poſſeſſioneſque, ſcribit Cæſar *de bello Gall. l.* 1. *c.* 6. quod verum eſſe vel ex eo apparet, quod hodieque pars aliqua diœceſeos Vienneſis, in Helviorum ſeu Vivarienſium finibus jacet, quos trans Rhodanum eſſe, nemo neſcit. Cicero *Allobrox* à diſcipulis, ob eloquentiam, ſæpe dictus legitur, Q. Curtius Rufus Rhetor inſignis Romæ, Vienna Allobrogum oriundus. Unde Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 213.

Sed Ruſum, atque alios cædit ſua quemque juventus:
Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga *dixit.*

Hunc *Achilles Statius*, inter undecim Rhetores claros, quorum *Vitæ à Suetonio* ſcriptæ perierunt, in duobus codicibus priſcis tertium nominatum, Scriptorem Vitæ Alexandri Magni fuiſſe ſcribit.

ALLOBROX, apud Celtas eo tempore regnavit, quo Pharao Cenchres in mari Rubro periit. Beroſ. *l.* 5.

ALLOBROX, XV. Gallorum Rex. Beroſ. *l.* 5. Dupleix, *l.* 2. *c.* 16 Vide ſuprà.

ALLOCUTIONES Sponſales, dicebantur olim Epithalamia; quibus Sponſos ipſos Auctor alloquebatur. Cujuſmodi eſt illud Gallieni apud Trebellium Pollionem *in Gallieno*, *c.* 11. de quo ita hic auctor. *Fuit Gallienus — oratione, poemate atque omnibus artibus clarus. Hujus eſt illud Epithalamium, quod inter centum Poetas præcipuum fuit. Namque quum fratrum ſuorum filios conjugaret, & omnes Poetæ Græci Latinique Epithalamia dixiſſent, idque per dies plurimos, quum ille manus Sponſorum teneret, ut quidam dicunt, ſæpius* (Salmaſ. legit *exceptus*, nempe convivio nuptiali) *ita dixiſſe fertur,*

Ite, ait, ô pueri pariter ſudate medullis
Omnibus inter vos, non murmura veſtra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oſcula conchæ.

Tale & illud, quod in vetuſtiſſimo codice *Epigrammatum* nondum editorum reperit idem *Salmaſ.* Abiti cujuſdam, ſub titulo Sponſalis allocutionis, ad hunc modum.

ABITI ALLOCUTIO SPONSALIS.

Vince conſtricto de pectore vincula ſolve;
Et Domino te crede tuo: nec candida lædas,
In quibus ora vide, vel ne contacta repugnet.
Eſt in molle timor, non eſt in molle periculum,
Nec volo contendas, vinces, cùm vicerit ille.

Sed Sponſam tantùm *alloquitur* hic Avitus. Gallienus Sponſum & Sponſam Vide Salmaſ. *ad Pollionem loc. cit.* & ſuprà *Adlocutio.*

ALLODIUM, vide infrà *Alodis.*

ALLOERA, Lydiæ urbs, e [illegible], poſtea dicta. *Steph.*

ALLON, Latinè *quercus*, vel *fortis*, pater Sephe. 1 Paral. *c.* 4. 37

ALLONESUS, vulgò PELAGNASI, Inſul. Archipelagi, in ora Macedoniæ, verſus Thermaicum ſinum.

ALLOPHYLI, vide *Philiſtæi.*

ALLOQUI, propriè de Diis. Plautus *Amphitruone Actu* 1. *ſc.*

- - - *Numero mihi in mentem fuit*
Dis advenientem gratias pro meritis agere, atque alloqui.

Græcè [illegible]. Euripides *Hercule Fur.*

[illegible Greek verses]

Affari de proximo exponit Arnob. *adv. Gentes l.* 6. ubi templa à Gentilibus extructa & in illis ſimulachra reponi ſolita refert, ut eos (Deaſtros ſuos) *poſſent coram & cominus contueri, affari de proximo, & cum præſentibus quodammodo venerationum colloquia miſcere.* Sic enim ſtulti Gentiles templorum ſuorum idolorumque fabricam excuſabant, ac in ſimulachris ſuos Deos habitare, imò nec Deos eſſe iis ſublatis rebantur. Hinc & *adorare* dixerunt, quaſi *orare ad*, Græcè [illegible], h. e. ad imaginem Dei converſum orare, uti hoc diſcimus ex Euripidis *Hippolyto* [illegible]

[illegible Greek verses]

Adire quoque Deos, it. *Adire precibus*, uti vidimus ſuprà, voce *Aditus.* Neque alia certè de cauſa domi ſuos Penates & Deos domeſticos habebant niſi ut illos *alloqui* ſeu affari de proximo & ad eos preces ſuas concipere poſſent. Quam cauſam ſubindicat Prudentius *contra Symmachum l.* 1. *v.* 206.

Sacratumque domi lapidem conſiſtere, parvum
Spectarat, matremque illic pallere precantem.
Mox humeris poſitus nutricis, trivit & ipſe
Impreſſis ſilicem labris: puerilia vota
Fudit, opemque ſibi caca de rupe popoſcit,
Perſuaſumque habuit, quod quis velit, inde petendum

Sed ridet ſtultitiam hanc ipſe Lucianus, *Demonact.* Senec. it *Ep.* 41. *non exorandus æditus, ut nos ad aures ſimulachri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat.* Vide Deſid. Heraldum *ad Arnobii locum.*

ALLORIA, urbs Cretæ, ut ex Polyhiſtore refert *Steph.*

ALLOTRIGES, populi in tractu ſeptentrionali Hiſpan. Strabo *l.* 3. Ubi Caſaubon. *Mallim.* Ἀλλότριγες.

ALLUCITA, apud Petronium Arbitr. *Centum me allucitæ moleſtabant*: Græcè [illegible] eſt, quod *ad lucem* ſeu lucernam pervenire tutatur. Unde *hallucinari* nonnullis, quod *Fulgentius* interpretatur vana ſomniare. Vide *Præcidanea ad Petronium* Jani Douzæ. *Nonio*, vero aberrare, non conſiſtere, verbum id denotat: *Illas quidem delirationes mentis & corporis hallucinationes* Vide Stewechium *Electa in Arnobium l.* 2. & infrà *Alucita.*

ALMA, mons eſt in Mœſia ſuperiori prope Sirmium, quem Probus Imperator *Eutropio* teſte, vineis conſevit. Item *Alma* Heturiæ fluv. *Antonin. Arbia Leandro*

ALMA, ſic vulgo fluv. Tauricæ Cherſoneſi, illam quaſi bifariam ſeparans. Cadit in mare nigrum.

ALMA Redemptoris, Antiphona in honorem B. Virginis compoſita dicitur, ab Hermanno Contracto, qui floruit A. C. 1054. ab Hebræa voce *Alma*, quæ Virginem ſignificat. Meminit ejus *Sacr. Rit. Congreg.* A. C. 1616. in Officio pro Carmel. Diſcalc. *Quando Officium in B. Mariæ purificatione transfertur, prædicta Antiphona continuatur etiam per totam Octavam· quod fiet ubi cum Octava celebrabitur. Octava enim eſt ejuſdem feſti continuatio.* In ſubjuncta oratione, quæ dicitur poſt Nativitatem, omittitur clauſula conſueta. *Qui tecum vivit &c.* Cauſam vide apud Dominic. Macrum in *Hierolexico.*

ALMAARAB-IBNI-CATHAN, alias Arabs dictus, Cani nepos, qui *Arabiæ* nomen dediſſe fertur, ſicut à fratre ejus Sabo *Sabæa*, & altero Petro *Petræa* quibuſdam videtur dicta. Marmol. *l.* 1. *c.* 28. Sed potius vide Bochart. *in Phaleg. l.* 1. *c.* 7.

ALMAGRUM, oppid. Hiſpaniæ in Caſtella, in tractu *la Mancha*, dicto. Item, *Almaguer*, oppidulum Americæ meridionale in regno de *Popayan*, in monte ſitum, ad fontes fluv. *Cauca.*

ALMANA, Tuſciæ fluv. Scribitur & *Armana*, hodie *Albegna* dicitur.

ALMANISCÆ, locus ad Olinam flumen non ſemel memoratus Orderico *Hiſt. l.* 12. alibique. Vulgò etiamnum *Almeneſches*, Sajos inter & Argentomum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* In *Statutis* verò Maſſilienſibus *MSS.* apud Car. du Freſne A. C. 1576. Alamaneſca *Chlamys, cum penna & cum capucio vel almuſſa*, veſtimenti genus eſt.

ALMANIUS Jacobus, vide *Jacobus.*

ALMANSOR, I. Joſeph. Rex Maroci, à Mauris in Hiſpaniam vocatur, *A.* C. 1158. aliquoties victus eſt à Chriſtianis. Reverſus dein cum majoribus copiis, in obſidione Santarem, in Portugall. ſagittæ ictu periit. Marmol. *l.* 2 *c.* 35. *Mariana*, *Vaſæus.*

ALMANSOR, II. Jacobus, cognomine *Amir & Mocelemin*, prioris fil. potentiſſimus Africæ Regum evaſit. In Hiſpan. tranſgreſſus cum innumeris copiis, quas publicatione *Gaziæ*, i. e. ſacræ militiæ, collegit. Ibi omnium ſuæ ſectæ caput factus & memorabilem victoriam d' Alarcos nactus eſt. Inde in Africam redux, Marocum recepit, & rebelles, contra datam fidem, occidit. Quam ob rem reprehenſus à quodam Marabuto, vagari per mundum cœpit, obiitque piſtor Alexandriæ. Marmol. *l.* 2. *c.* 36. Gualt. Rauleigh *in Mahometis Hiſtor.*

ALMARASIUM, oppidulum Hiſpan. in Extramadura provinc. juxta Tagum fluv.

ALMATH, Latine *occultatio*, ſive *juventus*, aut *ſecula* vel diviſim *ſuper mortem*, & tunc eſt *Al-muth*, civitas in tribu Benjamin. Cum ſuburbanis, Levitis data. 1 Paral. *c.* 6. *v.* 60. Item fil. Bechor, filii Benjamin. 1 Paral. *c.* 7. *v.* 8.

ALMAZANUM, oppid. Hiſpan. in Caſtella veteri juxta fluv. Durium.

ALMEDESSUS, vide *Halmydeſſus.*

ALMENACH ſeu ALMANACH, Ephemeris ſeu Kalendarium, quod nomen ab Arabibus impoſitum cenſet Jos. Scaliger. *ad Manilium & Propertium*, conflatumque ait ex articulo Arabum *al* & Græcorum voce *μὴν*, *menſis*. Alii ab Ægyptiis longè ante Arabas celeberrimis olim Aſtrologis, profectum vocabulum aſſerunt; cùm conſtet ex Porphyrio, appellationem *Almenach* & deſcriptionem *Almenachicam* (Ἀλμενιχιακά) ipſius ætate etiam paſſim uſitatam fuiſſe, apud Ægyptios, ex ipſius verbis, quorum Euſebius meminit *de Præparat. Evang. l.* 3. *c.* 4. Ita ut ſic appellarint prædictiones rerum maximè contingentium ex ordine ſerieque menſium diſpoſitas atque deſcriptas. Vide Olaum Wormium in *Faſtis Danicis l.* 1. *c.* 2. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* et infrà *Kalendarium.*

ALMENDRALEGIUM, oppid. Hiſpaniæ in Extramadura.

ALMENE, civitas ad Euxinum Pontum, *Steph.*

ALMENTIA, ſive ALMANTIA, oppid. Galliæ Belgicæ in Lotharingia olim præcipuum, vulgò *Almance*, *Almantia* quoque oppid. Oreſtadis reg. Macedoniæ, ab Aulone non longè diſtans in ortum hodie *Avoſima*. longitud. 46. 00, latitud. 39. 40.

ALMENUM, *Harlingen*, Friſiæ oppid. in Belgio fœderato ad mare German. amplum & permunitum.

ALMEON, Princeps Arabs, Mathematicus inſignis, ſecul. 11. Item, alius, cognomine Almanſor. Blancanus *Chronol. Mathemat.* Voſſ. *de ſcient. Mathem.* c. 35. §. 3. & 19.

ALMERIA, urbs Hiſpan. Bæticæ litoralis, ſub Archiepiſcopo Granatenſi, olim *Magnus Portus*, hodie *Almeria*.

ALMERIA, quæ & *Villa Ricca*, oppid. Americæ, in nova Hiſpania, & provinc. Tlaſcalæ, in ora ſinus Mexicani. *Noothlan* incolis, ad oſtium cognom. fluvii.

ALMERICUS, I. frater Balduini, Hieroſolymorum Rex VI. Ægyptios vicit, Alexandriam cepit, & reddidit Soldano. Caſtrum autem, propter fidem non ſervatam, à Soldano, obſedit. Obiit A. C. 1174 Regni 12. Guil. Tyr. *l.* 19. Genebr. *Chron.* Blond *l.* 3. Æmil. *l.* 5.

ALMERICUS, II. Guidonis frater, Rex Cypri primùm, poſtea quoque, Hieroſolymâ à Saladino captâ, Rex Judææ. Sedit Ptolemaide, ubi nimiô Auratarum eſu, obiit A. C. 1205. Ei Hugo fil. in Regno Cypri ſucceſſit. Sanut. *l.* 3. *c.* 9. *hiſt. Terræ Sanctæ.*

ALMERICUS, fil. Simonis Monfortii, jure Comitatus Toloſani terrarumque vicinarum ceſſit Ludovico VIII. Galliæ Regi, eiuſque Conſtabilis evaſit. Dein comes Theobaldi, Navarræ Regis, in Orientem, ab infidelibus captus eſt, & cùm inde liberatus eſſet, in reditu obiit, in Italia A. C. 1239. Continuat. *militiæ ſacra*, *l.* 3. *c.* 15.

ALMERICUS, Hæreticus, qui docebat ideas in mente divina creare, & creari. Hunc Innocentius III. cremari juſſit Lutetiæ. *Volateran* Porto *Almericus*, vel *Almaricus* Germanicè eſt *Emerech*, i. e. *ſemper dives*, & *potens*, juxta *Lutherum* Gallicè ſcribitur *Aumery*, ſicut *Terry* pro *Theodorico*, *Herry* pro *Henrico*, *Frery* pro *Frederico*. *Camdenus.*

ALMERICUS Arnoldus, Archiepiſcopus Narbonenſis, primus contra Albigenſes inquiſitor. Item Patriarcha Hieroſolymitan. Guil. Tyr. *l.* 19. *c.* 1. Baronius *A.* C. 1159. 1180.

ALMERICUS, Carnutenſis Doctor Pariſienſis, erro. De quo vide Prateol. *de hær.* Sander. *hær.* 153. Gaguin, *l.* 6. Vincent. *l.* 29. c. 107. Antonin. *part.* 3. *tit.* 19. *c.* 1. §. 7. Spond. *A.* C. 1204. *n.* 17. Ejus Sectatores in Concilio Pariſiis habito, A. C. 1209. damnati demortuique cadaver refoſſum. Vide ſuprà.

ALMERINUM, Oppidul. Hiſpaniæ, in Portugallia, in provinc. Extramadura, ubi Reges degere conſueverant, ad Tagum ex adverſo Santerini oppid.

ALMINIUM, ſeu ALMISSA, Urbs Dalmatiæ. Vide *Peguntium.*

ALMISSUM & DALMISIUM, ſeu DALMASIUM oppid. Dalmatiæ recentiorum, olim Chulmiæ, ad oſtium fluminis Cetinæ. *Omiſc*, Slavè. Non eſt antiquum *Delminium*, quod erat civitas mediterranea.

ALMITAS, in *Vita* S. Adhalardi & apud Ermenricum in *Vita* S. Soliè. 10. Sanctitas eſt. Quem titulum compellatorium olim fuiſſe, diſcimus ex Marculfo *l.* 1. *Form.* 6. Deſiderio Epiſcopo Cadurcen. *Ep.* 1. 13. 15. Sigeſrido Moguntino Epiſcopo *Ep.* 5. Beda in *Vita* S. Cuthberti Epiſcopi. Aliis, laudatis Car. du Freſne *Gloſſar.*

ALMO, fluv. Romæ vicinus, ex via Appia in Tiberim defluens, *Darbia* hodie, vel *Aquataccia*, & Il. *Rio d' Appio.* In eo, ſacra quæ Cybelæ fiebant, lavabantur. Ovid. *Faſt.* *l.* 4. v. 337.

Eſt locus, in Tiberim quo lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpureâ canus cum veſte ſacerdos
Almonis dominam, ſacraque lavit aquâ.

Lucan. *l.* 1. v. 600.

Et lotam parvo revocant Almone Cybelen

Val. Flacc. *l.* *viii.* v. 239.

Sic ubi Mygdonios planctus ſacer abluit Almo,
Lætaque jam Cybele, feſtaque per oppida tædæ;
Quis modò jam ſævos adytis ſaeuiſſe cruores
Cogitet! aut ipſi quid jam meminere miniſtri?

Stat. *l.* 5. *Silv.* 1. v. 222.

Eſt locus ante urbem, quà primùm naſcitur ingens
Appia; quaque Italo gemitus Almone Cybelle
Ponit, & Idæos jam non reminiſcitur amnes.

Martial. *l.* 3. *epigr.* 47.

Capena grandi porta quà pluit gutta,
Phrygiumque matris Almo quà lavit ferrum.

Claudian. *de bello Gildonico*, v. 119.

Prælatoque lavat Phrygios Almone leones.

Vide Amm. Marcellin. *l.* 23. *c.* 6. Nic. *Lloydius.*

ALMOCABAL, nomen Magiſtratus cujuſdam Saracenici, apud Mauros Hiſpanos. *Charta* Alfonſi VIII. Regis Caſtellæ, æræ 1119. apud Antonium Yepezium *Tom. VII. Et veſtras tendas nullus Alvacil neque Almuſerifus, neque* Almocabel *violenter intret* &c. apud Eund. *Almocadenus* verò Capitaneus peditum, Hiſpanis eſt. Vide *Ll.* Alfonſinas *part.* 2. *tit.* 22. *leg.* 5. Ibid.

ALMOCHIQUI, populi Americæ in Nova Francia, ad Meridiem oppid. *Quebec*, ubi aliquot Coloniæ Francorum.

ALMOGAVARES, vide infrà *Almugavares.*

ALMOHADÆ, nomen familiæ in Regno Fezzæ & Maroci, olim Regnatricis. Poſtquam enim Regnum Fezzanum Ommiadæ condidiſſent, circa A. C. 800. Zenetæ iis ſucceſſerant, circa A. C. 950. hos Lamtunii Almoravidæ pepulerunt, A. C. 1052. quos ipſos exturbârunt *Almohade*, A. C. 1139. quò Ludimagiſter quidam, nomine *Abdalla Elmohadi*, ſpecie religionis reformandæ, comparatò exercitu Abrahamum, ultimum Almoravidarum Regem, prælio ſuperavit ac in tantam adegit deſperationem, ut ſe de rupe quadam in mare cum equo præcipitaret. Quò pactô potitus Africâ Ludimagiſter Regem ſe fecit, ac paulò pòſt defunctus ſucceſſorem habuit *Abdelmumen*, cujus in tantum potentia crevit, ut in ſola Africa Regnum ejus in longitudinem 90. dierum iter complecteretur ac in Hiſpania, uſque ad Aragoniam, magnam Caſtellæ & Luſitaniæ partem occuparet. Ei ſucceſſit Jacobus Almanſor, qui majus adhuc incrementum addidit. Poſtmodum verò, cùm *Muhamed Enazir*, in Hiſpania, ad Navas Tholoſanas, ingentem cladem accepiſſet, circa A. C. 1210. profugus in Africam, paulò pòſt ibi obiit. Secutum diſſidium inter filios ejus, quos decem reliquit: qui cùm ſecum invicem graviſſimè colliderentur, occaſio hinc præbita eſt defectioni provinciarum, ſingulis penè harum Præfectis nova ſibi Regna conſtituentibus. Ita ex naufragio Imperii *Almohadarum* varia per Hiſpaniam Africamque Regna, nimir. Regnum Granatæ, Fezzæ & Maroci, Telemeſinum, Tunetanum, Tripolitanum aliaque minora, originem cepêre & quidem Fezanum Regnum Merini obtinuêre, de quibus vide infrà. Georg. Hornius *Orb. Imper.* p. 470.

ALMOKTAFY Billa, Perſarum Calipha, Rachedi ſucceſſor, recepit ea, quæ prædeceſſorum Duces ſibi rapuerunt. Obiit A. C. 1161. regni 24. Item, alius, etiam *Almoktadi* dictus, qui obiit Hegiræ A. C. 487. Texeira *l.* 2. *c.* 41. & 48.

ALMOMOR, Synagogæ Judaicæ menſa. Joh. Math. Tiberinus in *Actis* S. Simonis à Judæis necati *num.* 9. *Cadaver ſuper almomor extenderunt, eſt enim* Almomor *menſa quædam, ante Altare, ubi Pſalmos, Antiphonas, Hymnoſque decantant*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ALMON, viri proprium apud Virg. *Æn.* *l.* 7. v. 531.

Hic juvenis primam ante aciem ſtridente ſagittâ,
Natorum Tyrrhei fuerat qui maximus, Almon
Sternitur. — —

ALMON, oppid. Theſſaliæ. Plin. *l.* 4. *c.* 8. Item civitas Bœotiæ, quæ ab *Hellanico* malè *Salmon* dicitur. *Steph.* Item pater Laræ nymphæ, ex qua Mercurius Lares peperit. Item civitas tribûs Benjamin. Joſ. c. 21. v. 18. quæ & *Almath.*

ALMON, vulgo ALMONDE, fluv. Scotiæ meridionalis in provinc. Lothiana. In Forthæ æſtuarium ſe exonerat.

ALMONSTACEM, ultimus Calipha Babylon. ex Abæ familia, à Tartaris occiſus. A. C. 1258. Alius, qui obiit, A. C. 1244. Alius qui mortuus eſt, A. C. 1180. Texeira; *l.* 2 *c.* 50. 54. Vide *Almoſtanzer.*

ALMONUS, fluv. Germaniæ, quo in tota Germania nullus piſculentior. Juxta *Kelhaim* in Danubium ſe exonerat, in Palatinatu ſuperiore: Vulgo *Altmul.* Alius *Alemannus*, quod vide.

ALMOPIA, Macedoniæ pars, ſic dicta ab *Almope* Gigante, Neptuni & Athamantidis filio. *Steph.* *Almopii* populi, Plin. *l.* 4. *c.* 10.

ALMORAVIDÆ, Mauritaniæ Regnô Zenetos pepulerunt, ipſi poſteà ab Almohadis prædictis exturbati. A. namque C. 1052. Lamtunii *Almoravidæ*, Africæ populi ad montem Atlantem, creatô Rege, Zenetorum Imperio finem impoſuerunt, ac in Africa & Hiſpania latiſſimè imperare cœperunt. Primus Regum fuit *Abel Theſſefin* ſeu *Texefin*, qui ſedem Regni poſuit in urbe *Achmed.* Ejus ſucceſſor Joſephus, qui univerſam Africam, uſque ad Ægyptum & Nigritarum regionem, ſibi ſubjecit, trajectô in Hiſpaniam exercitu, penè univerſam occupavit, de quo Rodericus Toletanus in *Hiſtor. Hiſpan. & Saracen.* condidit quoque urbem Marocum, quæ ab eo tempore Regni ſedes, deſertâ Feſſâ, eſſe cœpit: Quomodo verò poſtea *Almoravidas* hos Almohadæ everterunt, diximus ſuprà. Vide Hornium *loc. cit.* p. 470. & infrà in voce *Amoravii.*

ALMOSTADIUM, oppid. Sueciæ, in Smalandia provinc. in limite Blekingiæ.

Calipha Babylonii.

ALMOSTANZER, I. Almokladi ſucceſſor, ædificator celebris, opulentus & ſubditis charus, regnavit ann. 25. menſes 6. extinctus A. C. 1129. ſucceſſore Almoſtarchedô.

ALMOSTANZER II. poſt Almoſtangerum, regnavit ann. 9. menſes 8. literarum fautor. Obiit A. C. 1180. Eum excepit Nazer Ladin, ſub quibus ambobus Tartari mirificè ſunt deprædati. Vide infrà *Tajuba.*

ALMOSTANZER, III. Altaheri ſucceſſor, populis acceptus, bellô felix, vicit Tartaros, regnavit ann. 17. extinctus A. C. 1244. ſucceſſore filiô Abdulâ, quem vide.

ALMUCIUM ſeu ALMUTIUM, *Almucia* ſeu *Armutia*, inſigne indumentum, ſeu amiculum, quô in Eccleſia Romana Canonici caput humeroſque tegebant. Joh. de Janua in Voce *Flamen. Quicumque erat Sacerdos, in ſignum Sacerdotii deferebat Almucium.* In *Statutis* Maſſilienſibus MSS idem eſt cum *capucio* Wilh. Thorn. in *Chron.* A. C. 1510. *Quæſivit Epiſcopus, in quali habitu eſſet, reſponſum eſt, quòd in tunica de Burneto & almucia ſine cuculla*: cucullâ nempe capitis, reliquâ almuciâ humeri tegebantur. Uſus ejus quàm vetus, ex *Hiſtor.* Tornacenſi colligitur, in qua mentio fit picturæ cujuſdam Lietberti Canonicorum Decani, *Almutiam* ſuper humeros habentis, floruit autem is A. C. 1050. Ejus capuciô antiquitùs Canonicos, tempore divini Officii, caput texiſſe, apparet ex *Concilio Baſil. Et Eccleſias ingrediantur, non capucia, ſed* almutias, *vel byrreta tenentes in capite.* Quod etiam perſpicitur in lapidibus ſepulchralibus, Romæ præcipuè; imò uſque ad hanc ætatem in Gallia obtinet. Unde moris eſſe aliquibus in locis, ait Job. Cornarus *Hiſtor.* Tornac. *Tom. III.* c. 51. quòd, cùm novitius Sacerdos primam Miſſam celebraturus eſt, accedat ad Altare cum *Almutio* in capite. Hodie tamen *Ceremoniale* Epiſcop. *l.* 1. *c.* 18. habet, *Qui ſolent geſtare* almutium, *cùm aſſurgunt, à ſcapulis ad brachia dimittant.* Quando portari, quando non, debeat, *Statuta* Eccleſiæ Viennenſis narrant, apud Joh. *le Lievre* c. 26. de Canonicis: *A feſto S. Martini uſque ad Paſcha portabunt capas nigras ſupra pellicium, & à Paſcha uſque ad Feſtum omnium SS portabunt ſuperpellicium ſine capa & in capite capellum de griſo, quem vulgariter* almuciam *vocant.* Modus geſtandi hic

hoc erat, ſecundum *Car. du Freſne*: Primum *Almuciæ* caput operuerunt, ita ut à capite pellis pars retro penderet, quæ tegeret collum; pars verò ea, quæ caput operiebat, formæ eſſet quadratæ & quatuor velut cornua effingeret, ut patet ex picturis antiquis Canonicorum, in *Regeſto* Cameræ Computor. Pariſ. de Feodis Comit. Claromontenſis in Bellovacis, & ex Molineo *de Vitſibus Canonic. Regular.* poſtea in humeris brachiiſque geſtari cœpêre *ad inſtar Monachorum Græcorum*, inquit *Macer*, *quando caput detegunt*. Atque hinc jam elicit *du Freſne*, unde ejuſmodi pileorum; quos *Bonnets quarrez* Galli appellant, uſus fluxerit: Non enim alii ii ſunt, quàm *almuciorum* pars quæ caput tegebat, reſectâ caudâ, atque tum obtinuêre, cum almuciæ vel in brachiis vel ſupra humeros geſtari cœperunt. Vide Paſchaſium *De quiſit. Franciæ*. *l.* 4. *c.* 15. *&c.* Sed & *Almucia* fuit Monachorum propria. Clement. V. Pontif. Roman. in Concilio Vienn. *ut Almutiis de panno nigro vel pellibus*, *caputiorum locô*, *uterentur placuit*. Etiam Cardinalium inſigne *Almuciam* nigram fuiſſe, docet Cl. Macer in *Clerus*. Imo & virorum, qui non Eccleſiaſtici, *Almucia* fuit, uti diſcimus ex *Statutis* Maſſilienſibus MSS. apud Car. du Freſne, *ad A. C.* 1293. aliiſque auctoribus ab eo laudatis. Hinc coronam ſuper *Almuciam* Rex detuliſſe legitur, in *Ceremoniali* Romano *l.* 1. *ſect.* 5. *Ubi Imperator ſedens*, *appoſita almuciâ*, *primo induit ſandalia &c.* Quin & apſas fœminas id genus amictus geſtâſſe, ſuggerit idem *du Freſne*, ex *Computo* Stephani *de la Fontaine* Argentarii Regii A. C. 1350. Cujuſmodi *Almucias* qui faciebant, *Aumuciers* dicebantur Pariſiis, uti ex eorum *Statutis*, quæ ſervantur in Camera Computorum, diſcere eſt. Synonyma ſunt *Armuſa*, ut diximus, & *Amicia*, quô modo vocem exprimit *Monaſticon* Angl. *Tom. III. part.* 2. *p.* 36. Diminutivum *Almocella*, in *Teſtam.* Raimiri Regis Aragoniæ æræ 1099. apud Martinezium in *Hiſtor.* Pinnatenſi. Hinc vetus *Rotul.* A. C. 1234. *Pro duab. Almucellis ad proceres Regnum &c.* Quod ad vocis etymon, *Dominic. Macer.* corruptam eſſe vocem dicit, ab *armo* i. e. humero, quamvis armus de animalibus, humerus de hominibus dicatur. Unde *Armutium* dicendum potius contendit, ex eo quod *ſuper armos* feratur. Apud eundem Molanus *de Canon.* *l.* 1. *c.* 5. & 8. eam ſic vult nominatam, a Teutonibus, quorum linguâ *Altemuſſen*, pileum ſeniorum nocat. Bayffius *de Re Veſtiar.* ab *amiciendo* vocabuli etymon arceſſit, unde *Almucia*, quaſi *amicula*, dicta ſit, quæ, ut auctor eſt *Feſtus* & ex eo Iſidor. *l.* 19. *c.* 25. mulierum ſpecie veſtimenta. Alii, inter quos Joh. Cognatus *Hiſtor. Tornac. l.* 5. *à* Flandrico *Hoſt-Mutſe*, h. e. *capitis pileus*, deducunt: quâ appellatione donantur almuciæ, in Teſtam. Rodolfi *Carriboet.* Decani S. Petri Lovanienſis A. C. 1580. quô confert *duo almucia*, dicta *Bonte Mutſen*, h. e. pileos ex pellibus confectos: cui conſona habet J. Banck in *Taxa* Cancellariæ Romanæ. Certe *Almucias* Petrus Damianus *l.* 5. *Ep.* 16. de Clerico ridiculo, ita deſcripſit: *Ita ut caput ejus nunquam niſi gibellinica pellis obtegeret &c.* apud præfatum Car. du Freſne *Gloſſar.*

ALMUDAYNA, in *Uſatica* Regni Majoric. A. C. 1248. in Edictis apud Joh. Dametum in *Hiſt. Regni Balear.* aliiſque, idem fortè, quod Hiſpanis & Aragonenſibus *Calmedina*. In *Chartis* aliis apud modo dictum Dametum fit mentio *Almudaynæ*, *in urbe Majoricenſi*, & domorum; quæ in ea ſunt. Vide infra in voce *Zavalmedina*.

ALMUGAVARI, Hiſpanis *Almogavares*, Milites Hiſpani, ob animi magnitudinem celebres: quos quidam ab Avaribus ſeu Hunnis, qui primitus Hiſpanias & Gallias inſederunt; alii, quod ex Arabibus & Saracenis Hiſpanis genus ducerent, ſic appellatos volunt. Pachymeri *l.* 11. *c.* 23. & Nicephoro Gregoræ l. 7. Ἀμογάβαροι dicuntur: *Almogavares*, in *LL.* Alfonſinis *part.* 2. *tit.* 22. *leg.* 2. ubi iam vocantur Equites, peditum reſpectu denique *Almogavares*, in veteri *Charta* Gall. in Camera Comput. Pariſienſi. Meminit eorum Jos. Scaliger *l.* 1. *Ep.* *p.* 245. *Almogaveres*, *ſunt milites*, *quales Mariolaſſi*. Item Lucas Tudenſis æra 1273. Rodericus Toletanus *de Rebus Hiſpan.* *l.* 9. *c.* 16. Moncada *Hiſtor. Catalan.* *c.* 7. Car. du Freſne *Hiſtor. Gallo-Byzantina l.* 6. *c.* 24. & *Gloſſar.* ubi hos perperam *Meurſium*, cum *Ampſivariis*, de quibus *Notit. Imperii*, confundere addit.

ALMUNECARA, oppid. Hiſpaniæ in ora littorali Granatenſis regni. Aliis *Menoba*. Vide & *Excitani*.

ALMUS, Siſyphi fil. Pauſanias *Corinth.*

ALMUS, cognomen Ludovici Pii Imperatoris Caroli M. geniti, in *Chron.* S. Vincentii de Vulturno, *p.* 694. & apud Leonem Oſtienſem *l.* 1. *c.* 18. *Ludovicus Imperator*, *qui cognominatus eſt* Almus *vel Sanctus*. Vide Briſſonium *in Formulis p.* 40. laudatum eidem du Freſne *Gloſſar.*

ALMUS, Hungariæ mons, quem Probus Imperator electiſſimis vitibus, ex Italis allatis, (uti tradit *in ejus vita* Aurel. Victor) conſevit; *Arpatarra* & *Tarczal* incolis dicitur, teſte *Lazio*. *Eruſſha* verò *Jacobo Lucaro*. Vopiſcus *Alma* habet, quem vide *in Probo*, *c.* 18.

ALMUSERIFUS, nomen Magiſtratus cujuſdam Saraceni, apud Mauros Hiſpanos, memoratis in *Charta* Alfonſi VIII. Regis Caſtellæ æræ 1215. apud Anton. Yepezium in *Chron.* Ordinis S. Benedicti *tom.* VII. *Et neſtras tendas nullus Arracil*, *neque* Almuſerifus, *neque Almoqabel violenter intret*. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque ſuprà in voce *Almocabal*.

ALMUTAZAPHUS, apud *Eund.* Magiſtratus eſt apud Aragonenſes, cujus munus eſt intrare domos & in iis res furtò ademtas perquirere, ponderare panes, menſurare vinum &c. Uberiùs de voce agit Michael *del Molino* in *Repertorio*.

ALNA, pagus Hannoniæ, 3. leuc. à Laubaco oppido diſtans, hodie *Alne*, & *Aulne*.

ALNATEF aut NATEF, Arabibus eſt bdellium purum aut margaritum purum. Propriè enim *Nateſ* apud eos nomen eſt rotundæ vel capitatæ longioris & rotundi, ad inſtar dactyli vel phœnicobalani; hinc bdellium, *Alnateſ*, quia ex genere gummium eſt, quæ dum guttatim ex arbore fluunt, nunc rotundiore formâ, nunc longiore & cylindraceâ concreſcunt. Margaritum item *Alnateſ*, imprimis ex ſtalagmiorum genere, quæ velut guttæ aquæ cadentes & tractum ponduſ ſuum ſuſtinentes, balani productioris formam non malè referunt. Vide Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 1334.

ALNENSIS, ſeu ALNETENSIS ſeu ALNIENSIS tractus vulgò *pays d'Aunis*, regiuncula Galliæ, ad mare Aquitanicum, detracta ex Santonenſi territorio, ; ubi clara ſuis Rupella mœnibus.

ALNEVICKUS Martinus, vide *Martinus*.

ALNEVICUM, oppid. Angliæ, in Northumbria provinc. ad fluv. Alaunum, ubi Gulielmus, Scotiæ Rex captus fuit ab Anglis 3. milliarib. diſtat ab ora Oceani Germanici.

ALOA, numerò plurali feſtivitas fuit agricolarum Athenis, quæ ſubvectis ex agris frugibus celebrabatur. Sic dicta, quòd in *areis*, quæ Græcè Ἅλως dicuntur, præcipuè moras traherent homines; unde & Cererem Ἀλωάδα i. e. *areas replentem*, veteres nuncupant. Gyraldus in *Syntag.* *Heſych.* Ἀλῶα ἑορτὴ Ἀθήνῃσι. *Aloa* (alias *Haloa*) *feſtum Athenis*. Cujus verò Dei fuerit, haudquaquam exprimit; neque Harpocration, & *Suidas*, qui tamen ex *Philochoro* nominis originem exponunt. Ἀλῶα ἑορτή ἐστιν Ἀττική, Φιλόχορος [illegible]. Addit *Harpocration*, Ἄγεσθαι δέ αὐτήν φησιν ἐν τῷ [illegible] Ποσειδεῶνος μηνός. Ἅλως tamen non ſimpliciter aream ſignificat, ſed [illegible]. Quare *Philochorus* indicare videtur, hoc feſtum ab Agricolis obſervatum, cùm ad meſſem accingerentur. Verum Euſtath. ad *Il.* 1. Cereris & Bacchi ſacrum ait eſſe, quod comportatis in horrea frugibus agitatur. [illegible] Ἀλῶα [illegible]. Et quidem immoderè fructuum primitias abſumi oportuit; quia non licebat Aloorum die ſacrificare, aut hoſtias immolare, quarum alioquin carnes in viſcerationem cedebant aduſtis tantum coxis, & pinguedine, quorum nidore frui Deos arbitrabantur. Apud Athenæum, *l.* 13. Demoſthenes *in orat. contra Neæram.* Archiæ ſacrorum Antiſtiti exprobravit. Ὅτι Σινώπῃ τῇ ἑταίρᾳ Ἁλώοις ἐπὶ τῆς ἐσχάρας, τῆς ἐν τῇ αὐλῇ Ἐλευσῖνι [illegible]. *Nic. Lloydius.*

ALOCIÆ, tres inſulæ ad Orientale latus peninſulæ Cambricæ; Suntque hodie *Laſſo Rom* & *Anholt* in ſinu Codano, & juris Danici.

ALODE ſeu ALODIUM, Gall. *Aleu*, *Aleu Franc* ſeu *Franc aleu*, prædium eſt liberum, nulli ſervituti obnoxium, ideoque Feudo oppoſitum, quòd hoc ſemper alieni ſubjaceat ſervituti. Item hæreditas, quæ nobis obvenit, à parentibus, *acquiſitæ* contraria, quam ideo Beatus Rhenan. *Rerum. Germ.* *l.* 2. inſeparabilem eſſe aſſerit a familia: quin & ideo *ein anlot* vel *arlod* dici Germanicè. *Spelmannus* Feudum dicit, quod abſque Domini licentia, nec ad extraneos olim tranſiret, nec ad filios aut nepotes: *Alodium*, quod per omnem hæredum ſeriem diſcurreret, & cuivis è populo, etiam reclamante Dominô, dari poſſet & venundari, Propterèaque *Alodium* dici exiſtimat, à Saxon. *alead*, quaſi *populare*: Sic ut Feudum ſit prædium dominicale, *Alodium* populare. Dicitur etiam *Alodium*, terra libera, quam quis à nemine tenet, nec recognoſcit, licèt ſit in alieno diſtrictu & juriſdictione. ita quod ſolum eſt ſub domino diſtrictus, quoad protectionem & juriſdictionem. Apud Goldaſtum in *Comm. ad Burchard.* ponitur vox ſimpliciter, pro fundo vel prædio, ac quavis hæreditate. Alibi *fundus* dicitur apud *Sigebertum*, *Res mancipi* interpretatur &c. Henr. Spelmannus in *Gloſſar.* Car. du Freſne *Alodis* quivis fundus eſt. Dudo *de Actis Romanor.* *l.* 2. *Dedit itaque filiam ſuam*, *Giſlam nomine*, *uxorem illi Duci*, *terramque determinatam* in alodo *& in fundo*, *à flumine Eptæ &c.* Ubi *fundus*, & *alodis* idem ſonant, quod proprium immobile, quô modô Galli dicunt, *Donner en fonds*, *en heritage*, *en propre*. Unde *Alodium*, idem eſſe dicitur, quod prædium i. e. poſſeſſio, hæreditas, à beneficio diverſum in eo, quod hoc ad vitam tantum datur. Et quidem in *LL.* Salica, Bajuvar. Ripuariorum & Anglorum ſemper *Alodis*, in contextu per vocem *hæreditas* redditur; alibi per *proprietatem*, *proprium &c.* Hinc phraſes, *dare in Alodem*, *relinquere in Alodem*: *& bona tranſire in Alodem* dicuntur, quæ in proprietatem dantur; apud Eadmerum *Hiſtor.* *l.* 1. *p.* 58. Porro interdum *Alodium* opponitur *comparato ſeu acquiſito*, in *Formulis* veter. apud Bignonium: licèt aliàs ſæpè etiam pro *comparato* uſurpetur. Porrò *Alodium* nudè poſitum, ſæpè pro prædio immuni & quod nulli præſtationi aut oneri obnoxium eſt, uſurpatur, imo quod ab omni quoque ſervitio reali & perſonali liberum: licèt illius poſſeſſor dominum agnoſcat, à quo illud tenet in *Feudum honoratum*. *Charta* Bertrandi de Monteclauro A. C. 1274. *Vendo — — trado*, *cedo*, *pro libera & franco & abſoluto immuni* alodio, *tamen cum conſilio D. Petri Regis Aragonum ac Domini Montiſpeſſuli in quo infrà ſcripta tenentur in feudo & pro feudo honorato*, *ſine præſtatione cenſus*, *uſatici*, *canonis & alterius ſervitii*, *tam realis*, *quam perſonalis & alterius cujuſlibet generis*, *omnes res*, *quas habeo — — in decimaria de Terminis &c.* Hinc *tenere in alodium*, in *Conſuetud.* Pictav. *tenir en aleu*. Quod idem aliquando cum adjectione *Alodium liberum* dicitur. Duplex autem illud, alterum *Nobile*, Gall. *Aleu noble*; quod juriſdictionem ſeu ſuperiorem juſtitiam habet, & nulli homagio aut ſervitio feudali, nulliſque laudimiis, obnoxium eſt: alterum *Villanum*, Gall. *Aleu roturier*, quod juriſdictione inſtructum non eſt. Quæ ambo, etſi immunia & *libera* dicantur, à ſuperioritate alterius tamen non eximuntur: unde *Alodium liberum* aliquatenus feudum eſt, ſed immune à ſervitiis feudalibus; tameſi diverſum à Feudo Franco quod licèt liberum à ſervitiis, domino tamen obnoxium eſt. Interim ſæpe *Alodia* nullos agnoviſſe dominos, colligere eſt ex veterib. Tabulis. Unde inter alia in *Regeſto*

Comitatus Toloſæ, apud *Car. du Freſne*, extat homagium Bernardi V. Comit. Convenarum, præſtitum Raymundo Comiti Toloſano, A. C. 1244. in quo agnoſcit, quòd *feoda, quæ modo recepit à Dn. Comite Toloſæ, ipſe & antecesſores ejus non tenuerant in feudum — imo erat alodium proprium* &c. Quare verò *Alodiarii* prædia ſua interdum ſic in feuda ultro erigi curarent, ſervitiiſque feudalibus ſeſe adſtringerent, præclarè aperit Lambertus Ardenſis: *Audierat ſæpius & a Patribus ſuis didicerat, quod antiqui Nobiles multi in Ghisnenſi terra manentes, poſtquam — Ponterie quondam & S. Pauli atque Ghisnarum Comes Walbertus ſeculo valedixit & terram Ghisnenſium — dereliquit hæreavit, a viris nobilibus ſive Epiſcopis, ſive Abbatibus, ſive Præpoſitis, vel etiam quibuſcumque Eccleſiarum Prælatis, aut perſonis, ut majoris militarent nominis auctoritate, & ſub majorum protectione in ſecura pace viverent, ſimilis conditione dono, & ſua in feodum ſuſceperunt prædia. Hæc autem fuerunt ea, quæ per eundem & ad eundem Epiſcopum de alodiis ſive prædiis in feudum commutavit Adela* &c. Vocis etymon quod attinet, *Cujacius Alodium* dictum vult quaſi ſine *lode*, quòd ejus poſſeſſor ſit ſine *lode* & nemini ſit *Leudes*, i. e. vaſſallus: ſeu, quod libera ſit poſſeſſio, ſine recognitione feudali, alienabilis & abſque laudemii ſolutione, quod *Lods* Gallis; ita Macer in *Hierolex. Budæus*, à *laudatione* auctoris effictum vocabulum cenſet, quod qui prædia eo jure habent, *laudare*, h. e. *nominare auctorem ſummum tenentur. Rhenanus* & *Vadianus* à Germ. *anlot* ut dictum deducunt, quòd ea bona familiis conjuncta eſſent: ex *an* & *lot*, quaſi *ad ſortem*, ſors quæ ad aliquem hæreditate pervenit. Alii item à German. *lot*, i. e. *ſors*, quaſi *alodium* ſit prædium, quod ſine ſorte obvenit; vel etiam à voce *ald* ejuſdem linguæ, i. e. vetus, *antiquum*, apud *Aventinum*. quæ notatio *Bignonii* judicio, ad hæreditatem & paternam terram ſignificandam, proximè accedit, ut alias originationes *Carolo du Freſne* memoratas omittam: qui addit, pleroſque è doctioribus exiſtimare, vocem eſſe primigeniam Francicam, quæ *prædium*, ac rem proprietario jure poſſeſſam, denotet, videatur eruditè de hac materia diſſerentem, in *Gloſſar*. Sunt quoque, qui vocis hujus ſonum ad Cæſaris jam aurem perveniſſe olim credant, qui legionem, quam in Gallia conſcripſit, à vocabulo Gall. *Alaudam* vocaſſe legitur, apud Sueton. *in Vita ejus*, c. 24. Hinc *Alodarii* vel *Alodiarii*, qui alodia tenebant, adeoque de prædiis ſuis, inconſultis quibuslibet Dominis, pro libitu ſtatuebant. Inter quos præſtantiores erant, qui Gallis *Leudes Francs*, h. e. *Nobiles*, militiam ex arbitrio tractantes, nullius Domini imperio evocati, nulloque feudali gravamine cuèrem ſui juris homines; ſed qui dominum tamen agnoſcebant, & fidelitatem jurantes, cenſum Domino quantulumcunque augebant. Alii verò de nemine illos tenuiſſe aſſerunt: ac ſi, Hannoniorum more, à Deo & Sole ſuum accepiſſent patrimonium. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* &c. Sed & ſic vocari nonnunquam, qui *alodium* ſeu prædium Domino obnoxium tenent, docet idem *Car. du Freſne*, vide ſuprà.

ALOE, nomen duabus diverſiſſimi generis plantis commune; altera arboris aromaticæ, ad thymiamata vulgò uſurpatæ: altera, herbæ, ex qua ſuccus catharticus amariſſimus eliciebatur, qui etiam ἀλόης nomine cenſebatur. Iſidor. *c. de Arboribus arom. Aloa in India atque Arabia gignitur, arbor odoris ſuaviſſimi ac ſummi. Denique lignum ejus vice thymiamatum adoletur altaribus*. At *c. ſeq. de Herbis*, *Aloe, herba amariſſimi ſucci*. Prioris mentio fit, apud Septuaginta in Cantic. *c.* 4. *v.* 14. item Pſalmo 45. *v.* 9. & Proverb. *c.* 7. *v.* 17. ubi ſemper *σμύρνα καὶ ἀλόη, myrrha & aloe*, junguntur. In aliis, καὶ Ἀλωθ, quod eſt contractum ex *Ahaloth*, voce Hebraicà unde *Aloe* & *Agallochum*, quod idem, nomen accepit. Taprobanes incolæ, h. e. *Zeilan*, vocant *Aquilam*, apud alios ſeptimius *Aixylam*. Vulgus *Arborem Paradiſi* appellâſſe videtur, ob excellenti odore. Sic ἀλόης, pro ligno aromatico frequens mentio, apud recentiores Græciæ Medicos, præcipuè in unguentorum ac thymiamatum compoſitionibus, vide Aëtium *l.* 16. in compoſitione muſcati, Regii thymiamatis, unguenti liquidi σμύρνινου &c. Ξυλαλόη etiam Græcis hæc arbor, quod genus odorati ligni Arabibus *Hand* ſimpliciter, h. e. *lignum*, dicitur. Eò vinum quoſdam colorare ſolitos fuiſſe, Plut. tradit *Symp. l.* 6. *c.* 7. τὸν οἶνον ... ἀλόῃ χρωματίζοντες ... κτλ. Niſi potiùs hoc de ſandalo, vel alio quodam ligno, ad tingendum apto, quod ἀλόης nomine comprehenderit *Plut.* intelligas. *Nonnus* ubi de ἐνταφιασμῷ Domini Noſtri Joh. *c.* 19. *v.* 39. *Aloen* eandem, (quanquam minùs rectè) calamum aromaticum interpretatus eſt,

Ἰνδώης ἀλόης ἀναμίξας ... ἐρίπνης.

Qua in re fortaſſe & vocabulum, quò optimam hodie Aloën vocant Indi, ſuffragari illi videtur: *Calambac* enim dicunt, quibuſdam & *Calambuc* ſcribitur. Et fortè jam Nonni ætate hæc appellatio obtinuit: Indicæ namque omnes ſpecies, cum lingua ſua, ad nos pervenerunt & parum ab antiquo demutârunt. Porro non alia *Aloe*, quàm hæc aromatica, condiendis cadaveribus, ab Ægyptiis adhibita. Etiam Judæi, qui non condiebant quidem, ſed tamen plurimis cum unguentis ac aromatibus defunctos ſuos ſepeliebant, eâdem uſi ſunt. Sic ad ungendum & pollingendum CHRISTI corpus, Nicodemus apud Joannem dicitur attuliſſe μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν, *v.* 39. *c.* 19. *mixturam myrrhæ & aloës, librarum centum pondere*: quæ ambo ἀρώματα dicuntur *v. ſeq.* Et Mulieres apud Marcum *c.* 16. *v.* 1. & Lucam *c.* 23. *v. ult.* dicuntur emiſſe ac præparâſſe, ἀρώματα καὶ μύρα, inter quæ *Aloe* quoque fuit. Sed & ad ſuavitatem oris conciliandam, agallochi ſeu aloës lignum Veteres mandere & decoctò ejuſdem os colluere ſolitos, tradit *Dioſcorides*: Unde inter ſμηγμάτα recenſet Aloën Herophilus Philoſ. *l.* ... qui idem Aloën cum myrrha unguentum, quò à balneo ungebantur, compoſuiſſe ſcribit &c. Altera verò *Aloe*, vulgaris tempe, Medicamentaria ſeu Cathartica, in Medicina magnus uſus fuit. Unde Geographus Arabs *Part.* 7. *Climatis* 1. *plurimas ejus & præſtantiſſimas virtutes*, prædicans, *non eſſe perfecta medicamina abſque illâ*, addit. Vide de utraque pluribus diſſerentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1053. *& ſeqq.* uti de *Aloes* vi ad præputia circumciſa agglutinanda, infrà voce *Recutiti*. Optimam aloën ex Indiæ inſula Socotora afferri, dicemus infrà in hac voce. Adde, quæ dicemus voce *Xylaloe*.

ALOEUS, Gigas, cujus filii dicuntur Martem vulneràſſe, à quo patronymicum *Aloides* fuit, Titanis ac Terræ fil. cui conjux fuit Iphimedia; quam cùm violâſſet Neptunus, duos ex eo peperit filios, Othum & Ephialtum, qui & *Aloidæ* dicebantur, quos Aloëus educavit ut ſuos. Et cùm novem digitis ſingulis menſibus creſcerent, Gigantibus adverſus ſuperos bellum parantibus, nec ob ſenium Aloëus ad illud accedere poſſet, miſit geminos adjutores qui Apollinis & Dianæ telis confixi perierunt. Horum meminit Homer. *Il.* ε. *v.* 385.

Τλῆ μὲν Ἄρης, ὅτε μιν Ὦτος κρατερός τ' Ἐφιάλτης,
Παῖδες Ἀλωῆος, δῆσαν κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ.

Item *Od.* λ. *v.* 304.

Τὴν δὲ μετ' Ἰφιμέδειαν Ἀλωῆος παράκοιτιν
Εἴσιδον, ἣ δὴ φάσκε Ποσειδάωνι μιγῆναι.
Καί ῥ' ἔτεκεν δύο παῖδε (μινυνθαδίω δὲ γενέσθην)
Ὦτόν τ' ἀντίθεον, τηλεκλειτόν τ' Ἐφιάλτην.
Οὓς δὴ μηκίστους θρέψε ζείδωρος ἄρουρα,
Καὶ πολὺ καλλίστους, μετά γε κλυτὸν Ὠρίωνα.
Ἐννέωροι γὰρ τοί γε, καὶ ἐννεαπήχεες ἦσαν
Εὖρος, ἀτὰρ μῆκός γε γενέσθην ἐννεόργυιοι.
Οἵ ῥα καὶ ἀθανάτοισιν ἀπειλήτην ἐν Ὀλύμπῳ
Φυλόπιδα στήσειν πολυαΐκος πολέμοιο.

Q. Smyrnæus *Paral. l.* 1. *v.* 515.

Ἀγγῶσι δ' ἐχώρεον, ὅσσοι ἴδον ἀνέρες ἠγλαοὶ,
Εἰδόμενοι παίδεσσιν Ἀλωῆος μεγάλοιο,
Οἵ ποτ' ἐπ' ἀψαμένῳ Ὀλύμπῳ ἔθεντο ... ὄρεα μακρὰ
Ὄσσαν αἰπεινήν, καὶ Πήλιον ὑψικάρηνον,
Ὄφρα κεν οὐρανὸν εἴσω ἱκοίατο ...

Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 582.

Hic & Aloidas geminos, immania vidi
Corpora, qui manibus magnum reſcindere cœlum
Aggreſſi, ſuperiſque Jovem detrudere regnis.

Lucan. *l.* 6. *v.* 410.

Impius hinc prolem ſuperis immiſit Aloeus,
Inſeruit celſis prope ſe cùm Pelion Aſtris,
Sideribuſque vias incurrens abſtulit Oſſa.

Claudian. *de Bello Getica*, *v.* 67.

Quid mirum ſi regna labor mortalia vexat!
Cum gemini fratres, genuit quos aſper Aloeus,
Martem ſubdiderint vinclis, & ut aſtra negatas
Tentarint munire vias, ſtetemque revulſis
Pene tribus ſcopulis, cœleſtis machina bello.

Nic. Lloydius.

ALOGI, Hæretici, qui Verbum Divinum negabant, atque adeò nec Evangelium Johannis nec Apocalypſin ejus admittebant; quaſi *ſine Verbo*, ἄνευ λόγου. Item Equi, in *Donat.* Conſtantini: *Concedimus omnia ... & dignitatem regiorum alogorum*: quaſi ἄνευ λόγου *ſine canone*. Unde *Alogator* & *Protologator*, Equitum Dux, Macri Fratres in *Hierolex*. De Hæreticis præfatis, vide quoque in voce *Alogiani*.

ALOGIA, in *Gloſſ. Lat. MS. Reg.* Convivium Græcè. Breviloquo, *Convivium ſine ſermone, quia antiqui ſilentio prandebant*. In alio *Gloſſ.* Græc. *MS.* Reg. ἀλογία ἀνόητον. Uſurpat vocem Auguſtin. *Ep.* 86. *Quo poſſemus Dominica alogia referti omnes æqualis mente diguè cantare: Saturaſti Domine animam meam*. Et infrà, *Quid eſt autem* Alogia, *quod verbum ex Græca lingua uſurpatum eſt, niſi cum epulis indulgetur, ut a rationis tramite devietur, unde animalia ratione carentia dicuntur* aloga: *quibus ſimiles ſunt ventri deditis, propter quod immoderatum convivium, quo mens, in qua ratio dominatur, ingurgitatione veſcendi ac bibendi quodammodo obruitur*, Alogia, *nuncupatur*. Quò pertinet, quòd Juſtus Lipſius, quoties invitatus ad convivium eò ibat, quærentibus quorſum iret, reſpondere ſolitus eſt, *Perorationem imus*, ad rationem, Auguſtino indignatam, alludens. Vide *Fragmenta* Petronii *p.* 44. & Car. du Freſne *Gloſſar*.

ALOGIANI, Hæretici ſic vocati, quaſi *ſine verbo*, quia Domini verbum recipere noluerunt, Joannis Apocalypſin & Euangelium reſpuentes, in quo Dei fil. Verbum Patris appellatur. Horum hyperaſpiſtes poſtmodum Theodotus Coriarius Byzantinus fuit. Tertull. *de Præſcr. l. ult.* Epiph. *hær.* 51. 54. Auguſtin. *de hær. c.* 33. Euſeb. *l.* 5. *c.* 39. Baron. *A. C.* 196.

ALOIUM, civitas Theſſaliæ, juxta Tempe. *Steph.*

ALONE, inſula juxta Cyzicum. Item Paphlagoniæ civitas. *Steph.* Etiam apud Scriptores Britannicos Lancaſtrenſis urbs *Alone* dicitur. Item *Alone*, vel *Alona*, Hiſpaniæ Tarraconenſ. urbs. *Ptol.* Fuit verò Maſſilienſium colonia, uti teſtatur *Steph.* cui *Alonis* dicitur Ἀλωνὶς, inquit, νῆσος καὶ πόλις Μασσαλίας. Græcum igitur oportet eſſe vocabulum, ut ergo ... ſic ... ἁλῶν ſit Ἀλωνὶς; Præſtantiſſimò enim ſale & oleo, & nunc quoque abundat. Atque hòc ſolò argumentò convinci poſſunt, qui *Alonam* hodie putant eſſe *Alicante*, cum ea urbs nullas habeat ſalinas. Certum eſt autem, Alonam eſſe id oppid. quod olim Arabes *Tadmer*, Hiſpani verò *Guardamar* vocant, ſitum in peninſula ad os Taberis fluv. quem vulgò Seguram vocant. Innumeræ enim illic, & præſtantiſſimæ ſalinæ, eòque ipsò locò veteres Alonam deſcribunt. longitud. 21. 10. latitud. 38 40. *Nic. Lloydius*.

ALONI, populi Meſopotamiæ. Plin. *l.* 6. *c.* 26.

ALONTIGICELI, populi Hiſpaniæ. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

ALONTIUM, urbs Siciliæ in ora occidentali exerſa, inter Halæſam, & Agathurium, 12. mill. paſſ. diſſita. Ex ruinis S. Philadelphi oppidi conſtructum eſt, & proinde *S. Filadelpho* hodie dicatur, teſte *Fazello*.

ALOPE, mulier à qua dicta *Alope* Theſſaliæ civitas, de

quæ Homer. *Il. β.* v. 682. & Plin. *l.* 4. c. 7. Orpheus in *Argonauticis*.

Αἰϐαλίης δὲ ἔπειτα ἐπέπλωον Ἐγκελάδοιο
Μυρμιδόνων ἄστυ ... Ἀλόπην ...

Alia eſt Atticæ, alia Ponti, unde Pentheſilea nata eſt, quarta circa Boëbeam, quinta circa Delphos, ſexta juxta Locridem. *Steph.*

ALOPE, Cercyonis filia. *Schol.* in Ariſtoph. *Aves.*

ALOPE, inter Neptuno dilectas, memoratur Arnobio *adv. Gentes l.* 4. *Numquid enim a nobis argumenta Rex maris Amphitritas, Hippothoas, Amymonas, Menalippas, Alopeas per furioſa cupiditatis ardorem, caſtimonia virginitate privaſſe?*

ALOPECE, ſeu ALOPECIA, *Strab.* & *Ptol.* (cui etiam Tanais dicitur) Mæotidis paludis inſula, *l'Iſle des Renards Poron.* Item Boſphori Cimmerii inſula. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Item alia in mari Ægæo è regione Smyrnæ apud eundem *l.* 5. *c.* 31. *Heſych.* Ἀλωπεκαι, ... Ἀλωπεκῆς φυλῆς.

ALOPECE, Græcè Ἀλωπεκή, demus erat Athenienſis, ad Antiochidem tribum pertinens, Cynoſarge non procul & Urbe ad Occidentem vicinum. Inde oriundum Socratem Philoſophum, memorat Diogenes Laertius *l.* 2. *ep.* 18. Ibidem Heros Anchimolius tumulum habuit. Jac. Sponius *Itiner. Græcæ Tom.* III. *p.* 88.

ALORUS, Pæoniæ in Macedonia urbs. *Ptol.* *Olorus* Plinio, *l.* 4. *c.* 10. hodie *Durazzo*.

ALOS, Argiæ urbs in Peloponneſo. *Heſych.* Item Arcadiæ urbs *Stephano*, alia Phthiotidis Plinio, *l.* 4. *c.* 7. & Theſſaliæ *Etymologo*.

ALOSANGA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

ALOSTUM, urbs Belgii, Flandriæ Imperialis caput, ad Teneram fluv. media inter Bruxellas & Gandavum. Immunita nunc ſubeſt Hiſpanis; *Aelſt* Belgis.

ALOUS, urbs Illyridis. *Steph.*

ALPAIDIS, vel ALTHAIDIS, uxor Pipini, mater Caroli Martelli. Dupleix, *in Childeberto* II.

ALPATRAGIUS, vel ALPETRAGIUS, Mathematicus. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 64. §. 3.

ALPENACUM, vicus Underwaldiorum, in Helvetiis, in parte pagi ſuperiore, vulgò *Alpenach*. Hic, eodem die quo ad Moregartum pugnatum eſt, 16. nempe Novembr. A. C. 1315. Straſſbergius Comes, (unus ex Leopoldi Ducibus,) qui Underwaldiorum è monte Brunico præſidio dejecto, in regionem eorum penetraverat, abiit, poſtquam ſe recollegerant, victus eſt, vide Simlerum *Deſcr. Helvet.*

ALPENOR, Vates, ab Ulyſſe interfectus. *Barat.*

ALPENUS, Locrorum metropolis apud Thermopylas. Herodot. *l.* 7.

ALPES, montes ſunt excelſi (qui Italiam ſeparant à Gallia, Helvetia, Rhætia, Hungariaque & Germania.) *l'Alpi* Italis, *Alpen* Germanis dicti, qui multiplices ſunt, variaque, pro locorum diverſitate, ſortiuntur nomina. longitud. 3000. Sunt enim 1. Alpes *Carnicæ*. 2. *Cottiæ*, ſive *Cottiæ*. 3. *Graiæ*. 4. *Noricæ*. 5. *Juliæ*. 6. *Maritimæ*, ſive *Liguriæ*. 7. *Pannonicæ*. 8. *Penninæ*, *Pœnæ*, ſive *Penninæ*. 9. *Rhæticæ*. 10. *Tridentinæ*. 11. *Venetæ*. *Albia*, & *Alpiona* olim dictos fuiſſe hos montes ſcribit *Strabo*. *Stephano* etiam Ἄλπεια, & Ἄλπια dicuntur, *Phavorino* Ὄλβια, Quin & Σαλπια etiam videntur à *Lycophrone* appellari, ut putavit ejus commentator *Iſacius*. Per hos montes Annibal in Italiam tranſivit, aceto viam faciente. Liv. *l.* 21. *c.* 37. *Ardentiaque ſaxa infuſo aceto putrefaciunt: ita torridam incendio rupem ferro pandunt.* Juvenal. *Sat.* 10. v. 152.

—— Oppoſuit natura Alpeſque, nivemque,
Diducit ſcopulos, & montem rupit aceto.

Ubi rectè nives Alpibus tribuit, ita enim eos deſcribunt paſſim Poëtæ. Unde χιονώδεις Ἄλπεις, & νιφοῦντες in *Anthologia*. Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 5.

Furius hibernas canâ nive conſpuet Alpes.

Hinc *Alpina glacies* Claudiano, *l.* 2. *de Raptu Proſerp.* & *Alpinæ pruinæ* eidem *in Panegyr.* & *Alpinus rigor* Ovidio *Met. l.* 14. & *gelidæ Alpes* Lucano *l.* 1. v. 183. Imò à candore nivium, ut vulgò putant, dicti ſunt hi montes, quia perpetuis ferè nivibus albeſcant. Sabini enim *Alpum* dixere, quod poſteri Latini *Album*. Ita *Feſtus*. Melius, quod mirere, Iſidor. *l.* 14. c. 8. *Alpes propriè montes Galliæ ſunt, de quibus Virgilius, Aërias Alpes. Ex diverſo aërum, verbum expreſſit a verbo. Nam Gallorum linguâ Alpes montes alti vocantur.* Et ſic Alpes perpetuò deſcribuntur à Poëtis. Catull. *Epigr.* 11.

Sive trans altas gradietur Alpes.

Sil. Italicus *l.* 1. v. 127.

Non celſæ obſtiterint Alpes. ——

Quin & Servius in iſta Virgilii verba, quæ ſunt initio *l.* 10. *Æn.* v. 13. commentatus, *Sunt omnes altitudines montium, licèt à Gallis Alpes vocantur, propriè tamen montium Gallicorum ſunt.* Itaque Montis, qui Nicæo fluv. vicinus eſt, & haud procul Entelinga aſcenditur, alia longè lateque patens planities tritici feraciſſima, indubiè etiamnum *Albæ* nomen à culminibus olim Gallis retinet. Bochart. tamen in *Chanaan l.* 2. *c.* 42. montes hoſce nomen ſuum Phœnicibus debere putat, quibus לבן *laban* erat albus, & אלבן *alben* formâ Syrâ *albeſcere*. Unde & *Libano* nomen, quem Paraphraſtæ vocant טורא דאלבנא *Olbanus*, Cantic. c. 4. v. 11. Non tamen de nihilo Ἄλπις alii montem *altum* explicant, cum & *al* celſum, & *pen* verticem montis, ſeu collem ſignificet. Uſurpatur hæc vox præcipuè in plurali numero quanquam aliquando & in ſingulari. Dionyſ. v. 295. Ἄλπιος ἀρχῇ. Ovid. *Artis Am. l.* 3. v. 150.

—— —— Nec quot in Alpe feræ.

Claudian. *l.* 3. *de laudib. Stilicon.* v. 285.

—— Exemplo frondosâ fertur ab Alpe.

Porrò de Alpibus, vide Ptolem. *Geogr. l.* 3. *c.* 1. Plin. *l.* 3. *c.* 20. *l.* 4. *c.* 4. Strab. *l.* 4. & 5. Tacit *l.* 3. *Hiſtor. c.* 53. Merul. *Coſmogr.* Alciatum *comment. in lib. Taciti de Germania*, ſed imprimis Joſiam Simlerum, in libello quem de *Alpibus* inſcripſit. Optimè autem & copioſiſſimè omnium de Alpibus differentem vide doctiſſimum Cluver. *Ital. Ant. l.* 1. *c.* 30. &c. Alpium ſeries ſic ſe habet, à littore maris Gallici inchoando: Maritimæ, *Ptol.* quæ & littoreæ, Cottiæ, Penninæ, & Graiæ, à Gallia Narbonenſi dividunt: Maritimæ quidem, quæ *les Montagnes de Tende*, teſte *Pingonio*, dicuntur, à Provincia, incipiuntque à Nicæa, Barcinonetamque oppid. uſque protenduntur, inter Provinciam & Liguriam extenſæ. Sed deſinunt in Monte Veſulo, *Mont-Viſo*, unde oritur Padus fluv.

Cottiæ, quæ & Cottianæ à Tacito *l.* 1. *Hiſtor. c.* 61. & 87. nominantur, *Mont-Cenis*, Delphinatum à Tauriniis, h. e. à parte Pedemontani Principatus (per quem Padus fluv. decurrit,) dividentes.

Graiæ, *M. di S. Bernardo piccolo*, teſte *Pingonio*, Allobroges, h. e. Sabaudos à Salaſſis, five à valle Auguſtana diſcludunt. Graius mons apud Senec. *Ep.* 31. & Tacit. *l.* 4. *Hiſtor. c.* 68 & *l.* 2. *Hiſtor. c.* 66. Harum pars eſt mons Sempronius. Exordiuntur à Monte Ceniſio, excurruntque uſque ad Montem S. Bernardi majoris in limite Valeſiæ.

Penninæ, Tacit. *l.* 1. *Hiſtor. c.* 87. *M. di S. Bernardo maggiore*, quæ ab Allobrogibus & Sedunis partem Principatus Pedemontani & Inſubriæ, dividunt.

Summæ, Adula mons aliis, *M. de S. Gothard*, Penninis contiguæ, Helvetios ab Inſubribus ſeu parte Ducatus Mediolanenſ. ſeparantes: quarum radices ad lacum Verbanum perducuntur, *Gotthardsberg* Germanis, teſte *Schudi*. Ex his tria flum. Rhodanus, Ticinus, & Rhenus fluunt.

Lepontiæ Plin. *l.* 3. *c.* 20. Summis, ubi Rhenus ortum habet, junguntur, ubi Lepontii populi; *M. di S. Bernardino* dici videntur.

Rhætiæ, Plin. *l.* 3. *c.* 20. & Tacit. *in Germ. c.* 1. quæ & Juga Rhætica, *M. Braulio*, & Germanicè *Wurmſerloch*, teſte *Schudo*, Rhætos à reliquis Inſubribus dividentes. Inde Oenus per Noricos, Atheſis per Venetos Cenomanos, & Addua per Inſubres flumina derivantur.

Tridentinæ, *Caſſiod.* quæ ad occaſum *M. Bernina*, & *M. di S. Nicola*, ad ortum *M. Zelan* (unde Meduacus fluv. & Anaſſus profluunt) dicuntur, aliaque tenent nomina, Comitatum Tirolenſem à Venetis ſeparantes. Hæ extenduntur ad fontes fluv. Natiſonis, *Baudrand*.

Noricæ, Amm. Marcellin. *l.* 15. quæ apud Melam *l.* 3. *c.* 7. mons Taurus dicuntur, *Tauern*, inter Comitatum Tirolenſem, Salisburgenſem tractum, & Carinthiam interſitæ, circa Villacum *Villacher Alben*, & apud Salisburgenſes *Tauernberger*, aliiſque nominibus appellatæ.

Juliæ, Tacit. *l.* 3. *Hiſtor. c.* 8. quæ & Carnicæ *Ptol.* & aliis dicuntur, inter Noricos & Carnos, ſeu inter Carinthiam partem Norici, & Forum Julium, Carnorum ſeu Venetorum regionem, intercedentes, atque in Hadriaticum mare terminantes. Quæ adhuc *Zeglie*, ſeu *Zeghe* nominantur. *Ferrar.* Athanaſio Kirchero *Alpes* ſunt velut nodus quidam catenæ magnæ Montium, quos à Polo ad Polum duci oſtendit, ut hac veluti oſſaturâ Geocoſmus ſtringeretur ac contineretur. Ducit enim hanc in circulum ordinatam oſſaturam à Polo Arctico per Iſlandiam, Scotiam, Angliam, Germaniam, continuatâ montium ſerie, rectâque tramite uſque ad Alpes: ab his dein novo velut annulari ordine implexus Appennino illos jungi ait, quo medius Italiæ meditullium, haud ſecus ac ſpina quædam dorſi, continuatâ ferè per Siciliam, montibus Africæ, quos *Lunæ* vocant, connectatur, &c. Vide ejus *Mundum Subterraneum Part.* 1. *l.* 11. *c.* 8. & de *Alpium admirandis*, Joh. Bapt. Plantinum *Helvet. Ant. & Nov.*

ALPES, quoque Paſcua montana, quò æſtate pecora aguntur & paſcuntur, ea ſcil. quæ in montium convallibus ſita ſunt. Non enim deſunt, qui genuinâ notione, *Alpes*, montium ſeu collium anguſtias ſignificare cenſeant, ſequuti iis Procopius *de Bell. Goth. l.* 1. *p.* 186. Ἄλπεις ... *Et* Euſtath *ad Dionyſium Afcery. p.* 42. hanc vocem idem ſignificare ait, quod ὑψηλὰ ὄρη. Quâ notione occurrit in *Charta* Northeri Veronenſ. Epiſcopi A. C. 921. apud Ughellum: *Portionem etiam meam de ſilva, quæ dicitur Forojuliana: ſimilem adeo & campum meum in Lucano ad Alpes faciendas.* In alia, A. C. 1148. apud Auguſtin. *de la Chieſa in Hiſtoria Pedemont. c.* 26. *A Carolo Epiſcopo Taurinenſi quaſdam Alpes in valle Lancei ſitas acquiſivit*, aliiſque paſſim. Unde *Alpagium*, jus in Alpibus pecora paſcendi, vel penſitatio pro facultate ea adigendi in Alpes, in *Tabular. Eccleſiæ Toronenſis*: Item *Alpaticum*, eâdem notione, in *Tabular. Eccleſiæ* Gratianop. ſub Hugone Epiſcopo *fol.* 18. 42. 50. apud Car. du Freſne *Gloſſar*. Vide quoque ſuprà in voce *Alpiva*.

ALPESA, oppidum Celticæ regionis. Plin *l.* 3. *c.* 1.

ALPHA, fluv. non longè ab Aquileja.

ALPHA, vulgò *Aa*, fluv. Germaniæ inferioris in Friſia provinc.

ALPHABETUM, in modum crucis bis in pavimento deſcribit Roman. Pontifex, cùm Eccleſiam conſecrat. Bruno Signienſis *de Conſecr. Eccl.* Aliique paſſim, apud Car. du Freſne *Gloſſar*. Vide quoque ſuprà in voce *Abecedarium*, & infrà ubi de *Literis*, it. voce *Numeri*. Majuſculæ *Alphabeti* literæ vel picturæ in Chirographis olim ſcribi conſuevêre, quâ parte pergamenum ſecandum erat, ad vitandam falſitatem: Cùm enim chartæ, tabulæ ac inſtrumenta (quæ *Chirographi* nomine apud Recentiores veniunt) in duas partes dividerentur ac ſecarentur, quarum una uni, altera alteri è contrahentibus dabatur: in contractu ſeu pacto, quod bis in eodem pergameno deſcribebatur, quâ parte dividi ac ſecari debebat, ſcribebantur majuſculæ *Alphabeti* literæ, vel picturæ exarabantur, per quarum medium pergamenum ſecabatur, ut fraus omnis præcaveretur. Ut enim ſcripti ſeu pacti veritas probaretur, ipſæ poſtmodum majores literæ diſſectæ ac diviſæ, an invicem cohærerent, ſibique reſponderent exactè, conferebantur. Idem Car. du Freſne in *Chirographis*.

ALPHABUCELIS, urbs Marſorum. *Ptol.* *Avezzano*, ut aliquibus videtur.

ALPHAKIL, Doctores in Fezzano regno, de quo infrà.

ALPHANI, vel ALPHINI, & ALPINI, vicus prope Thermopylas, item metropolis Locorum, *Steph.* Sed legendum *Alponus.* Strab. enim Ἄλπωνος habet.

ALPHANUS, Archiepiſcopus Salernitanus, ſeculò 11. *Poſſevinus*, *Baron.*

ALPHARABUS, Arabs, Philoſophus & Aſtronomus inſignis. ſecul 10. Genebr. in *Sylveſtro* II. Blancanus *Chronol. Mathem.* ſec 1.

ALPHARACES, equi Arabici, generoſi. Vide infrà in voce *Farus equus.*

ALPHATERNI, vide *Alfaterna.*

ALPHEA, Diana, ex eventu ſic dicta, quòd Alpheus amore Dianæ percitus, Ortygiam uſque eam ſit inſecutus, ac mox deſtiterit: ubi id ex ſtructò mox Deæ templò, illi conciliatum eſt de facto cognomen. Cæl. Rhodig. *l.* 13. *c.* 34

ALPHENUS JCtus memoratur Æl. Lampridio in *Alexandro Severo*, *c. ult.* inter eos, qui in Principis hujus fuere conſilio: *Domitius Ulpianus Juris peritiſſimus — Julius Paulus Juris peritiſſimus — Pomponius Legum peritiſſimus*, Alphenus, *Aphricanus*, *Florentinus — qui omnes Juris Profeſſores diſcipuli fuêre ſplendidiſſimi Papiniani & Alexandri Imperatoris familiares & ſocii aut ſcribit Acholius & Marius Maximus.* Ad quem locum notat Caſaubon. ex Pomponio *Alphenum Varum* ſæpe legi in Pandectis, ſed antiquiſſimum, Servii Sulpitii diſcipulum: hujus vero cognominem alium fuiſſe Alexandri temporibus, aliunde non conſtare, adeoque jure hic id nomen eſſe ſuſpectum.

ALPHENUS, vel ALFENUS, nomen ſutoris apud Horat. *l.* 1. *Sat.* 3.

> — *Ut Alphenus vafer, omni*
> *Abjectò inſtrumentò artis, clauſàque tabernà,*
> *Sutor erat* — — —

ALPHES Junior nepos Rabbi Iſaac Alphes, auctor Schebarim, floruit A. M. 4942. juxta *Chronologiam Rabbinorum R.* Dav. Ganz

ALPHESIBOEA, Phlegii, fluv. filia, quam Alcmæon, donatò illi monili, quod Eriphyle matri detraxerat, in uxorem duxit. Propert. *l.* 1. *Eleg.* 15.

> *Alpheſibœa ſuos ulta eſt pro conjuge fratres,*
> *Sanguinis & chari vincula rupit amor.*

ALPHESIBOEUS, paſtor quidam apud Virg. *Ecl.* 5. *v.* 73.

> *Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.*

Ab ἀλφῶ invenio, & βοῦς quaſi *inveniens boves.* Nic. Lloydius.

ALPHEUS, Latin. *milleſimus*, vel *doctus*, vel *dux*, Pater Jacobi Apoſtoli Matth. *c.* 10. *v.* 3. Marc. *c.* 2. *v.* 14. Luc. *c.* 6. *v.* 15.

ALPHEUS, vir doctiſſimus, Juris Profeſſor. Lamprid. in *Alexand. c. ult.*

ALPHEUS, fluv. Elidis, Arcadiæ civitatis, juxta Piſas decurrens, qui longò curſu, receptis integris aliquot majoribus & fermè 140. minoribus fluviis, in Achajâ demergitur, ibique terrâ abſorptus, & ſubter mare defluens, ex Græciâ decurrit ad Arethuſam, fontem Siciliæ, ubi in mare Siculum cadit. *Moſchus.*

> Ἀλφειὸς μετὰ Πῖσαν ἐπὴν κατὰ πόντον ὁδεύῃ,
> Ἔρχεται εἰς Ἀρέθουσαν ἄγων κοτινηφόρον ὕδωρ.

Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 694. *Alpheum fama eſt huc Elidis amnem*

> *Occultas egiſſe vias ſubter mare, qui nunc*
> *Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur undis.*

Ovid. *l.* 5. *Met. Fab.* 10. & *l.* 3. *Amorum. eleg.* 6. *v.* 29.

> *Quid? non Alpheum diverſis currere terris*
> *Virginis Arcadiæ certus adegit amor?*

Lucan. *l.* 3. *v.* 176. — *Populoſaque per æquora mittens*

> *Sicanias Alpheus aquas.* — — —

Stat. *l.* 1. *Sylv.* 2. *Thanidos ſic transfuga Piſæ*

> *Amnis in externos longe flammatus amores,*
> *Flumina demerſo trahit intemerata canali:*
> *Donec Sicaniis tandem prorumpit anhelus*
> *Ore bibat fontes: miratur dulcia Nais*
> *Oſcula, nec credit pelago veniſſe maritum.*

Quòd ait *dulcia oſcula*, idem eſt quod innuit Virg. *Ecl. ult. v.* 4.

> *Sic tibi, cùm fluctus ſubterlabêre Sicanos,*
> *Doris amara ſuam non intermiſceat undam.*

Huc alludit Gregorius Nazianzenus, *in epitaphio Baſilii* Καὶ ὄντως, inquit. ἔστι ῥ πιστεύεται ποταμὸς δι᾽ ἅλμης ῥεῖν γλυκύς. Loquitur de Alpheo. Ideoque Libanius *in Progymnaſ.* Φυλάττει μιγεὶς ἐν τῇ θαλάσσῃ τὸ ῥεῖθρον. Idem Stat. *l.* 1. *Theb. v.* 271.

> — *Fluctivagâ qua præterlabitur undâ*
> *Sicanos longè relegens Alpheos amores.*

Sil. Italic. *l.* 14. *v.* 54.

> *Hic Arethuſa ſuum piſcoſo fonte receptat.*
> *Alpheum, ſacræ portantem ſigna coronæ.*

Claudian. *l.* 1. *de laudib. Stilicon.* — *Alpheus Geticis anguſtius increvit*

> *Tardior ad Siculos etiam nunc pergit amores.*

Sidon. Apollinar. *carm. ad Felicem.* — *Per inia ponti*

> *Alpheus fluit, atque tranſmarina*
> *In ſpecius cadit unda conjugalem.*

Conſentiunt Hiſtorici, aliique ſcriptores Plin. . . 103. *Arethuſa fons Syracuſanus, in quem redduntur jacta in Alpheum.* Vide etiam *l.* 4. *c.* 5. 6. Ammian. Marcellin. *l.* 15. *c.* 4. *Alpheus oriens in Arcadia, impidine fontis Arethuſæ captus, ſcindens Ionium mare, ut fabulæ ferunt, ad uſque amatæ conſinia progreditur*, & ante utroſque Mela *l.* 2. *c.* 7. Ubi de Sicilia. *Ab eo ad Pachynum ora quæ extenditur Ionium mare attingens, hæc fert illuſtria, Meſſanam, Tauromenium, Catinam, Megarida, Syracuſas, & in iis mirabilem Arethuſam. Fons eſt, in quo viſuntur jacta in Alpheum amnem, ut diximus, Peloponneſiaco littori infuſum. unde ille creditur non ſe conſociare pelago ſed ſubter maria, terraſque depreſſus, huc agere alveum, atque hic ſe rurſus extollere.* Quin & Strabo *l.* 6 ait, Alpheum ſumere originem in Peloponneſo, & per mare ſub terra in Arethuſam fontem terminari; vide etiam *l.* 7. 8. quamobrem finxerunt Poëtæ, Arethuſam venatricem deamatam ab Alpheo fugiſſe per ſubterraneos cuniculos in Ortygiam, quam Alpheum fuiſſe inſecutum *Pauſanias* dictum exiſtimat, quòd *Alphos*, vitiliginis ſpeciem, curet. Hunc fluvium Ethnici nonnulli pro Deo coluerunt, eique & ſtatuam, & communem aram cum Diana erexerunt, eumque amicum Jovis fecerunt, ob rationes ſatis lepidas, quas Pauſan. *l.* 5. refert. Conſecuta ſunt etiam ipſa Arethuſa poſtmodùm divinos honores, ut ait Nicanor Samius *l.* 5. *de fluminibus.* Siquidem mos ſuit Ægienſium, qui populi fuerunt Achajæ, liba ſumen ex aris ſalutis in mare projicere, quæ ſe mittere Arethuſæ Syracuſas teſtarentur, ſicut refert Melambes *l.* 3. *de ſacrificiis* Quoniam verò non animi ſolùm, ſed etiam corporis munditiesDeo gratiſſima exiſtimanda eſt, idcirco aquam illam, quæ vim haberet purgandi, ſacrificiis accommodatam eſſe Ethnici ſanxerunt, & fluvium ipſum, qui hujuſmodi aquam ſuppeditaret, exiſtimârunt eſſe Jovi amiciſſimum atque acceptiſſimum. Alii Mythologi divinam vim animorum noſtrorum, virtutiſque normam, per hujuſmodi fabulam explicârunt, quippe quòd ſicuti materia appetit formam, ut ſuum proprium bonum, (cùm ipſa per ſe inutilis ſit, & otioſa appareat) ſic anima noſtra virtutem, tanquam formam ſuam expetit. Hæc cauſa eſt, cur *Alpheus* fingebatur ſequi *Arethuſam*, cùm ἀλφὸς ſit *macula*, ſive imperfectio, & ἀρετὴ *virtus* à Græcis nominetur. *Orfeo* ſeu *Roſea*, hodiè dicitur, teſte *Sophiano* & *Carbon* ſeu *Darbon* nautis vocatur. *Nic. Lloydius.* Plura vide apud Petrum de Valle. *Itiner. tom.* 4. Inde *Alphion*, lacus vitiligines tollens. Plin. *l.* 38. *c.* 2.

ALPHINUS, in latrunculorum ſeu Scaccorum ludo, perſona, quam Galli *le Fol*, Itali *Alfino* vocant: Alanus in *Parabolis*,

> *Sic inter ſcachos* Alphinus *inutilis extat,*
> *Inter aves bubo* &c.

Pſeudo-Ovidius *de Vetula l.* 1 ubi de eodem ludo:

> *Sex ſpecies ſaltus exercent, ſex quoque Scaci;*
> *Miles &* Alphinus; *Roccus, Rex, Virgo, Pedeſque.*

Infrà.

> *Oblique ſalit Alphinus* &c.

Apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide Hieron. Vidam, qui eleganti Poëmate ludum hunc deſcripſit, & infrà, ubi de Calculis, *Latrunculis*, *Scaccorum ludo*, *Zatrikio.*

ALPHIUS vel ALFIUS, fœnerator inſignis, à quo primum profecta fertur celebris illa ſententia, videl *vel optima nomina non appellando fieri mala.* Ejus meminit Horat. in *Epod. Od.* 2.

> *Hæc ubi locutus fœnerator Alphius,*
> *Jam jam futurus ruſticus:*
> *Omnem relegit Idibus pecuniam,*
> *Quærit Calendis ponere.*

ALPHIUS Avitus, Poëta Hiſtoricus, ſub Severo. Voſſ. *de Hiſtor. Lat. l.* 3. *p.* 6. Diverſus ab *Avito Alcimo*, Poëta Chriſtiano.

ALPHONSUS, I. Hiſpaniæ Rex, *Catholici* titulum à Julio II. impetravit. Victoriis contra Mauros clarus. Mariana *Hiſt. Hiſp.* Baron. *A. C.* 738. 744.

ALPHONSUS II. Hiſpaniæ Rex, cognominatus *Caſtus*, 50. Virginum tributum Saracenis antea pendi ſolitum ſuſtulit, illoſque, Ulyſſiponâ captâ, magnâ clade affecit, A. C. 793. Ximenam Sororem, ſe invitò, Sanctio Sardiniæ comiti nuptam, in monaſterium detruſit, maritò ejus excæcatò, filium verò eorum Bernard. de Carpio, educari ſolicitè juſſit: qui adultus, cum parentum libertatem precibus obtinere non poſſet, aulâ & ſpe regni deceſſit. Obiit Alphonſus A. C. 824. *Rodericus*, *Mariana*, *Marmol.* regnavit ann. 41.

ALPHONSUS, III. Hiſpaniæ Rex, cognomento *Magnus*, Abdalæ & Mahometi, fortiter reſtitit, in Eccleſiaſticos beneficus. A Garcia filio regnò ſe abdicare coactus eſt, cui feliciter præfuerat, ann. 46. A. C. 883. Obiit, an. 887.

ALPHONSUS, IV. Hiſpaniæ Rex, *Monachus* cognomine, qui Monaſteriò ſe incluſerat, è quo thronum repetiturus, excæcatus eſt, A. C. 927 Ambroſ. Moral *l.* 16. *c.* 7. 9. 10. regnavit ann. 5. menſ. 7.

ALPHONSUS, V. Hiſpaniæ Rex, Varamundi fil. Correxit leges Gothorum, A. C. 1020. bellum cum Mauris geſſit, ſagittâ in obſidione urbis *Viſeo*, in Luſitania interfectus, A. C. 1027. *Marianus*, Genebr. *in Chron.* regnavit ann. 29.

ALPHONSUS, VI. Hiſpaniæ Rex. regnavit ann. 43. Cognomine dictus *Strenuus* Plurimis urbibus Mauros exuit, Henrico Burg. primo Portugalliæ Regi filiam Tereſam uxorem dedit, 6 uxorum maritus. Ejus tempore Cid & Rodrigo, illi adeo celebres, vixêre. Obiit A. C 1109. ætat. 70. *Marian. Rodricus.*

ALPHONSUS, VII. Hiſpaniæ prius jam Arragoniæ & Navarræ Rex, prioris nepos, Urracam uxorem, ob mores, repudiavit, Caſtellanò Regnò, quod per eam adeptus erat, poſt. 2. ann. relictò. *Bellatoris* nomen meruit, 29. prælus inclytus. Imperator Hiſpaniæ dici voluit, & pluribus urbibus è Maurorum poteſtate ereptis, obiit, in pugna. A. C. 1137. regnavit ann. 30. Vide prædictos auctores.

ALPHONSUS, VIII. Hiſpaniæ Rex, Raimundi, Burg. Comit. ex Urraca fil. cognomento *Bonus*, Imperatorem ſe coronari juſſit, per Archiepiſcopum Toletanum A. C. 1135. Poſt obitum Alphonſi VII. cum Navarræ & Arragoniæ Regibus feliciter bellavit. Obiit in expeditione contra Mauros, A. C. 1157. Caſtellæ regnò, Sanctio filio, & Legionis, Ferdinando Juniori relictò, vide ſuprà. Regnavit ann. 35.

ALPHONSUS, IX. Caſtellæ Rex, cognomine *Nobilis*, regnavit ann. 54. Adverſus Saracenos feliciter pugnavit. Ex Eleonora, Angliæ Regina, 11. liberorum Pater. E quibus natu maxima Blanca fuit, Ludovici IX. Galliæ Regis mater. Obiit A. C. 1214. Ætat. 59. *Mariana, Turquet, Gombrtaus.* Marmol. *l.* 2. *c.* 39. & 36. Vaſæus, *Chronol. Volaterran.*

ALPHONSUS, X. Hiſpaniæ Rex, poſt Patrem Fernandum A. C. 1252. Cognomine *Sapiens*, Hiſtoricus, Philoſophus & Mathematicus inſignis, a quo tabulæ Alphonſinæ. Iolantam, Arragoniæ Regis filiam repudiaturus, turbas expectavit, quæ compoſuit. Iſbello contra Mauros felix, Imperium Germanicum oblatum recuſavit, Occidentalis Imperatoris titulo contentus. Sed à Sanctio filio, de throno deturbatus, mœrore confectus obiit, A. C. 1284. regni 32. *Roderic. Mariana, Turquet, Gombr.* Rex hic in tabulis aſtronomicas convocatis undique Mathematicis inſignibus, 40. ut alii 400. coronatorum millia impendit, Alexandri erga Ariſtotelem in animalium hiſtoriam liberalitatem pene exæquatâ. *Ramus.* Dicere ſolebat, ſe malle privatum vivere, quàm eruditione carere. Virtutes ejus à *Blondo, Sabellico*, aliiſque celebrantur. Gravi morbò laborans, remedia medicis fruſtra præſcribentibus, cœpit legere Q. Curtii hiſtoriam de Alexandro, adeoque illius dulcedine captus fuit, ut, ſanitate recuperatâ, dixerit, Valeant Avicenna, Hippocrates, Medici cæteri. Vivat Curtius ſoſpitator meus. Biblia quoque cum Commentariis quatuordeciés perlegit. Anton. Panormitanus *l. de rebus geſt. Alphonſ. Genebr.* Cæterum à reverentia Numinis parum laudandus, ſi vera ſunt, quæ de ipſo Lipſius habet, *Monit. Polit.* 4. *Alphonſ*, ſi ſit Germanicum nomen, idem eſt quod *Helfunc*, i. e. *auxilium*: & à Gothis profectum eſt, ut videtur. Nam Alphonſus primus hujus nominis Rex Hiſpaniarum, A. C. 740. à Gothis deſcendit. *Camdenus.*

ALPHONSUS, XI. In cunis Rex ſalutatus, turbas regni compoſitis, fœdus iniit cum Luſitaniæ & Arragoniæ Regibus atque cum Mauris bellum feliciter geſſit, illis ingenti ſtrage fuſis, A. C. 1340. Peſte peremtus, A. C. 1350. ætat. 38. Succeſſorem habuit filium Petrum, *Crudelem* cognomine Villanius, *l.* 11. *c.* 119.

ALPHONSUS, I. Aragoniæ & Navarræ Rex. Vide ſupra *Alphonſum* VII.

ALPHONSUS, II. Obiit Perpiniani, A. C. 1196. Vide Marianam, *Invent. Hiſt. Hiſp. l.* 8. Volzenm *Chronol.*

ALPHONSUS, III. poſt Petrum III. patrem Rex, A. C. 1285. Obiit 1291. improlis, Marianal. 14. *c.* 14. & 15. Antonin. *tit.* 20. *c.* 8. §. 5.

ALPHONSUS, IV. Jacobo Patri ſucceſſit, *Pius* dictus, Leridam Academia ornavit, & Caſtellæ Regem, à Navarro, per Gaſtonem Borium, adjutus, pacem petere coegit. Obiit A. C. 1337. regni 8. Mariana *l.* 16 *c.* 4. *Spondan.*

ALPHONSUS, V. cognomine *Magnanimus*, Patri Ferdinando ſucceſſit, literarum & literatorum amans, ſed in ſequiorem ſexum pronior. Regnum Neapolitanum occupavit, A. C. 1442. poſtquam a Genuenſibus navali prælio victus captuſque fuiſſet. Obiit A. C. 1458. ſucceſſorem relinquens Ferdinandum, filium ſuum naturalem, à Pio II. in Regno confirmatum, excluſò legitimò hærede Renato Andegav. & Johanne fil. ejus. *Nauclerus, Æneas Sylv. Antonin. Spondan.*

ALPHONSUS, I. Luſitaniæ Rex quinque Mauritanorum Principibus victis inclytus A. C. 1139. Hinc inſignia Luſitaniæ Regum, quæ hodieque in uſu. Contra Alphonſum VII. Caſtellæ Regem & Mauros, Ulyſſipone aliiſque locis captis, felix. Obiit A. C. 1188. ætat. 91. regni 46. Duplex, *in Phil.* I. Mezeray, *in Ludov. Jun. Marlanus.*

ALPHONSUS, II. cognomine *Craſſus*, Sanctio I. Patri ſucceſſit, in fratres ſævus, unde et cum Rege Legion. bellum. Obiit A. C. 1223. ætat. 38 regni 11. Duard. *in Geneal. Portugall. Turquet Marianus*, &c.

ALPHONSUS, III. per Mathildem uxorem, quam poſtea repudiavit, primò Boloniæ comes, dein poſt Sanctium II. fratrem, Luſitaniæ Rex. Ab Alexandro IV & Gregorio X. excommunicatus, ſprevit bruta hæc fulmina, & magnò animò quæcunque bella geſſit. Obiit A. C. 1279. ætat. 70. regni 32. Mariana, *l.* 14.

ALPHONSUS, IV. cognomine *Audax*, Alphonſo XI. Hiſpan. Regi, Maurorum victori, ſuppetias tulit. Obiit A. C. 1357. ætat. 67. Regni. 32. Vide ſuprà.

ALPHONSUS, V. Socerum Petrum propriâ manu occidit, Guineâ repertâ, ex auro inde allato monetam cudit, cui *cruciger* nomen datum. Obiit A. C. 1481. ætat. 49. regni 45. Auctores ſuprà laudati.

ALPHONSUS, VI. Patri Johanni VI. ſucceſſit, A. C. 1656. à fratre Petro, in inſulam Terceram, relegatus.

ALPHONSUS, I. Rex Neapolis & Siciliæ, vide *Alphonſ.* V Rex Arragon.

ALPHONSUS, II. ſucceſſit patri, Ferdinando I. audito Gallorum adventu, regnum Ferdinando filio reliquit, & privatus Meſſinæ obiit, A. C. 1495. *Guicciard. P. Jovius*, Cominæus *l.* 7. *c.* 11.

ALPHONSUS, Pictavienſ. Comes, Ludov. VIII. Galliæ Regis fil. Ludovici IX. in expeditione in orientem comes, redux inde Senis obiit, A. C. 1271. Mezeray *in Philippo Audace.*

ALPHONSUS, Comes Toloſanus, Ludov. Junioris in Orientem Comes, obiit venenò Cæſareæ, A. C. 1148. Item, duo Ferrariæ duces, quorum poſterior obiit A. C. 1597. improlis. Item, M. Melitenſis M. à fratre venenò necatus. Item, Rex Manicondæ. Mar. *l.* 1. . 18. Item Prorex Indorum, vide *Albuquercus.*

ALPHONSUS Carrigliius, Hiſpan. Cardinalis. Spondan. A. C. 143 . n. 11. Alph. Petruccius, Cardin. in carcere ſtrangulatus, A. C. 1517. Guicciard. *l.* 13. P. Jovius *in Leone* X. Item Epiſcopus Carthagenæ, Hiſtoricus de Palentia, apud Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Lat. c.* 7. Alphonſus Hiſpalenſis; Alphonſus Toſtatus, ſcriptis illuſtris, apud Bellarm. *de Author. Eccleſ.*

ALPINUS, Scotiæ Rex poſt Dongalum, felix contra hoſtes; tandem tamen, a Brudo Pictorum Rege captus & occiſus eſt, A. C. 834. regni 4. Buchanan & Leſl. *hiſt. Scot.*

ALPINUS, Cornel. Poëta, Memnonis Auroræ filii bella deſcripſit, ſed adeò malè, ut ab Horatio dicatur eum carminibus ſuis jugulare. *Serm. l.* 2 *Sat.* 10.

Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona.

Vide Popelinier *l.* 5. *de Hiſtoricis.* Voſſ. *de Poët. Lat. p.* 31. 32.

ALPINUS, nomine *Julius*, è principibus Helvetiorum, quem ut concitorem belli Cæcina animadvertit. Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 68.

ALPINUS Montanus, Trevir, præfectus cohortis Vitellianæ, nuncius victoriæ in Germaniam à Veſpaſiano miſſus. Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 35.

ALPINUS Proſper, vide *Proſper*.

ALPINUS, vulgo *Alponverchio*, fluv. territorii Veronenſis, cadit in Atheſim, infra Veronam.

ALPINUS Caſeus, in deliciis Antonino Pio, apud. Jul. Capitolin. in *Vita hujus Imperat. c.* 12. *Quum Alpinum caſeum in cœna edidiſſet avidius, nocte rejectavit, atque alia die febre commotus eſt. Tertia die, quum ſe gravari videret, M. Antonino Remp. & filiam, præſentibus Præfectis commendavit.* Dictus ab *Alpibus*, unde mittebatur. Plin. *l.* 11. *c.* 42. *Duobus Alpes generibus caſeorum pabula ſua approbant; Dalmaticæ Docleatem mittunt; Ceutronicæ Vatuſicum.* Sed ſenſerunt hæc membranæ *Tranſalpinum.* Plin. *ibid. Laus caſeo Romæ, è pagorum Nemauſenſium præcipua.* Caſaubon. *Not. ad Capitolin. loc. cit.*

ALPONACUM, vulgo *Alpenach*, vicus German. in Helvetiis, in pago Undervaldienſi, notus aliàs clade Auſtriacorum.

ALPONOS, civitas & mons Macedoniæ. Alii Theſſaliæ civitatem faciunt, & alii Locrorum Epicnemidiorum *Steph.*

ALPUXARÆ, vulgo *los Alpujares*, montes Hiſpan. in regno Granatenſi. Aliàs *montes Solis*, inter Granatam & Almeriam.

ALREDUS, Saxonum Occidentalium in Anglia Rex, regni anno 10. depoſuit ſponte coronam, ob diſſiones bellis civilibus miſerè vaſtatas mœſtus. Polyd. Virgil *l.* 4. Item Hiſtoricus *Baronio* ſæpe laudatus, obiit A. C. 1160. Trithem. Sixtus Sen. *in Catalogo.* Dicitur etiam *Aluredus* vel *Ethelredus.*

ALRESFORDIA, oppid. Angliæ; in Hantonia provinc. ad fluv. *Itchin.*

ALRICUS, fluv. Scotiæ meridionalis in Tivedalia provinc. cadit in Tuedam fluv. prope Sclaricum oppid.

ALRUNÆ, vide *Runæ.*

ALSA, fluv. Fori Julii, Aquilejam præterfluens. Plin. *l.* 3. *c.* 18. Hodie *Auſa* dicitur, vel *Alſa*; vulgo *Limne*, & *Lizonzio Alſuatum* ego eum apud *Caſſiodorum* dici ſuſpicor, ubi Conſtantinus junior à Conſtantio fratre occiſus fuit. Eſt & *Alſa* alter fluv. qui *Elsa* potius Latinè dicitur, vulgo *Ill.* Vide *Helcebus.* Ab hoc *Alſatia* Germaniæ regio, quæ ab Hungaris, per Alemanniam & Lotharingiam deſcendentibus, vaſtata eſt. *Aventin.*

ALSADEMUS, vide *Sarcos.*

ALSATIA, vulgò *Elſatz*, Germaniæ ſuperioris regio, quam quidam quaſi *Edelſatz*, i. e. nobilem & præclaram ſeſſionem: alii ab illa fluvio, a in i mutatò, quaſi ſeſſionem ad Illam fluvium dictam autumant: Unde & quidam regionem *Illſaſs* & non *Alſaſs* appellatam aſſerunt: regio nobiliſſima eſt, cui ob inſignem felicitatem nulla alia in toto illo Rheni tractu comparari poteſt. 24. longitud. 48. latitud. *Sept.* Ad Orientem Helvetiam, à qua Rhenò diſterminatur: ab Occaſu Lotaringiam, Voſagò monte limitem inter Lotharingiam & Germaniam conſtituente, reſpicit: quà Meridies eſt, Helvetiæ parte & Burgundiâ: quà Septentrio, Wirtenbergenſi Ducatu terminatur: longitudo milliariorum Germanicorum IX. à Rheno ad montes latitudo trium mill. Germanic. Niſi quòd apud Haganoam ſit planities amplior, montibus ſcilicet magis ac magis à Rheni alveo recedentibus. Olim ſub dominio Regum Franciæ fuit, uſque ad Othonem I. ac pars regni Auſtriaci: cum annos 500. fere annis ſub Romanorum poteſtate fuiſſet. Poſtmodum ab Auſtriaca familia diu poſſeſſa eſt: donec ad Gallos partim pace Monaſter. partim bellô haud pridem, transiit. Primum autem Ducatus fuit Alſatia ſub Hilderico Francorum Rege: dein in Landgraviatum fuit erecta ab Ottone III. Cæterùm duplex eſt. Inferior & Superior: Inferioris urbs primaria eſt Argentina: Superioris vero nuper bellô miſerè vaſtata, Enſhemium, *Mercator. Merul.* Munſteri *Chron. l.* 3. *de Alſatia. Cluverius.* Pleniſſ regionis hiſtoria ſic habet. Ranú à Theodorico Francorum Rege Ethiconem quendam ex Majoribus Habſpurgi Comitum ſeculo VII. accepiſſe referunt, licet alii Gunthrami demum vel Gonzelini, qui ſeculò X. vixere, temporibus, eam genti huic, eruncti prioribus Landgraviis obveniſſe putent. *Landgravii* titulò Adelbertus ſeu Albertus I. cognomine *Dives*, Rodolphi I. Imperatoris proavus, primum uſus eſt. Majorem tamen ejus partem Egeshemii Comites, ejuſdem cum Habſpurgis, ut videtur, proſapiæ, tenuere; quibus deficientibus, cum Albertus Hohenbergius; Ludovicus Oetingenſis, qui poſtea portionem ſuam Epiſcopo Argentinenſi, cui inde titulus, vendidit, & Albertus Habſpurgius, Rodolfi pater, hæreditatem eam quoque ſibi vendicarent; Albertus Habſpurgius, pactâ filio Hohenbergii filiâ Annâ, ut hic jure ſuo cederet, impetravit, atque ita meliorem Alſatiæ partem ſibi gentique acquiſivit. Ita per multa ſecula poſſeſſam Galli nuperis Germaniæ bellis, tanquam armorum lege captam, & poſtea pactionis jure conceſſam, Regno adjecêre. De titulo tamen aliquandiu litigatum &c. Vide Tob. Pfannerum *de præcip. Germanicæ Principum Gentibus c.* 1. & ſuprà in voce *Alſatia*: adde dicenda infrà in *Elſatia.*

Alſatiæ urbes clariores.

Argentina, *Strasburg.*	Molſemum, *Molsheim.*
Benefeldia, *Benfeld.*	Rubeacum, *Rufach.*
Colmaria, *Colmar.*	Seleſtadium, *Schlettſtad.*
Enſhemium, *Enſisheim.*	Tabernæ, *Zabern.*
Haguenoa, *Hagenau.*	Turchimum, *Turckheim.*

Lan-

Landavia, *Landau*. Viſſemburgum, *Weiſſenburg*.

Ex quibus quædam præfatô bellô muris nudatæ, Seleſtadium autem de novo munitum eſt.

ALSHEICH, ſeu XEQVE, h. e. *Senior* vel *Presbyter*, titulus honoratius, apud Arabes, non quidem Sanctus, ut quidam volunt, aut ut alii, illuſtribus mediæ conditionis, ſed tum ſenioribus ac doctoribus moraliter, tum Viris in Republ. principibus civiliter tribui ſolitus. Sic Eben Sina ſeu Avicenna, Medicus ille celeberrimus nominatus eſt, *Alsheich*, i. e. Senior *Princeps*, ſeu *Senior & Princeps* ob ſingularem, quâ pollebat, ſcientiam; atque in *Synopſi propoſitorum Sapientiæ* Arabum, editâ Pariſiis A. C. 1634. citatur aliquoties nomine *Alsheich*, i. e. *Senior & Princeps Aben-Sina*. Mahumedes quoque ille Ben David, *in Gearrone* fronte vocatur *Alsheich*, i. e. Senior *conſpicuus* ſeu *ſpectabilis*. Et inter auctores Chymicos habetur *Senior Zadith*, fil. Hamuelis ex Arabico olim traductus, qui & ſimpliciter *Senioris* nomine indigitari ſolet. Liber ejus inſcribitur, *Senior ac Chemia*, in quo etiam *Ordinis Seniorum* mentio &c. Nomo verò vocis hujus civilis non rarò in Arabum ſcriptis occurrit, quò ſpectat Tyrorum ille ſupremus Magiſtratus, quem *Senem* [illegible] *appellatum eſſe*, ait Ammirius *Hiſtor. Part. 2. lib. 17. c. 9. §. 7.* Alibique legimus in Phœnicia quoddam *præficere ſibi Capitaneum*—*quem ipſi* (Alsheich, h. e.) *Veterem ſeu ſenem vocant*, in *Fortalitio fidei l. 4. c. de Diverſit. paganor.* &c. Vide Joh. Seldenum *de Synedr. l. 1. c. 14.* & in voce *Senior*.

ALSENA, Inſul. Daniæ, in mari Balthico, ad litus Orientale Sleſvicenſis Ducatus, à quo exiguô diſtat freto. Ibi magnifica arx Sunderburgum Ducum Holſatiæ, & caſtrum Nordeburgum.

ALSFELDIA, urbs in Germania.

ALSIATUM, pagus non obſcurus agri Mediolanenſis, hodiè *Alzia*, Andreæ Alciati JCti clariſſimi patria. *Ferrarius*.

ALSIETINA *Aqua*, & *Alſietinus fons*, aqua ductus viâ Claudiâ ab urbe Romæ 14. mill. paſſ. diſtans, Romam uſque perductus.

ALSIUM, ultra Pyrgos ad oſtia Tiberina euntibus fuit oppid. cujus antiquam originem indicare voluit Sil. Italicus *in verſibus*, l. 8.

> *Nec non Argolico dilectum litus Haleſo.*
> *Alſium, & obſeſſæ campo ſqualente Fregenæ.*

Ita legendum, non *Fregellæ*. Strabo l. 5. πολίχνιον, i. e. oppidulum ſuâ ætate vocat. Ἀπὸ δὲ Κοσσῶν, inquit, ἐς Ὠστίαν πολίχνια ἐστὶ Γραουίσκοι, καὶ Πύργοι, καὶ Ἄλσιον, καὶ Φρεγήνα. Vide Plin. l. 3. c. 5. Rutilii tempore villam tantum fuiſſe patet ex hoc diſticho:

> *Alſia prælegitur tellus, Pyrgique recedunt;*
> *Nunc villæ grandes, oppida parva prius.*

Populi *Alſienſes*. longitud. 33. 55. latitud. 41. 40. *Nic. Lloydius*.

ALSIUM, vulgo creditur *Palo*, caſtrum gentis Urſinæ, in Ducatu Braciani, ad mare Tyrrhenum.

ALSONA, oppid. Galliæ Narbonenſis in Occitania provinc. ad fluv. *Freſques*, inter Carcaſſonam & Fanum S. Pauli. in Arverinia inferiori *Aunon*. Valeſ. *Notit. Gall.*

ALSTEDIUS Johannes Henricus, vide *Iohannes Henricus*.

ALSTERA, fluviolus German. in Holſatia, cadit in Albim, juxta Hamburgum.

ALSUANGA, oppid. Livoniæ, in Ducatu Curlandiæ, in ora maris Balthici.

ALSULEGIAN, vide infrà *Gymnaſticus*.

ALSUS, Achajæ in Peloponneſo fluv. qui è Sypylo monte in Hermum fluit. Pauſan. *l. 7. non fert.*

ALSUS, nomen paſtoris. Virg. *Æn. l. 12. v. 304.*

> *Sic rigido latum caſſe ferit; Podalirius Alſum*
> *Paſtorem, &c.*

ALTA, fluviolus Angliæ, in Lancaſtrenſi Comitatu. Cadit in mare Hibernicum, prope Almuthum oppidulum.

ALTA, it. ALTEN, & ALTEBOTTEN, fluv. & æſtuarium Norvegiæ, in Finmarchia provinc. verſus Boreale Promontor. in Vardhuſiana præfectura.

ALTA, Petra, Abbatia illuſtris eſt Galliæ, in alto monte poſita quæ *la Haute-Pierre* vulgò, in Lotharienſium finibus, inter Medianum Monaſterium & Senonas, ubi potius eſt *Monſtier Haute-Pierre*, cella Cluniacenſis, ad fluvium Lupam in Sequanis, Hadr. Valeſ. *in voce Juſtina*.

ALTA Rhætia, arx Rhætiæ in altiſſimo monte ſita, prope pagum Tuſcanum, ubi fluv. Abella ab ortu labitur.

ALTA Ripa, oppid. German. ſuperioris ad Rhenum, in Palatinatu. vulgo *Alt-rip*: vicus eſt Valentiniani Auguſti ad Olybrium P. V. reſcripto nobilis, Valentiniano N. P. & Victore Conſulib. Valeſ. *Notit. Gall.*

ALTABA, Africæ propriæ urbs. *Antonin.*

ALTADAS, vel ALTHADAS, Africano *Sethos*, XI. Aſſyriorum Rex, otium, & vitæ tranquillitatem ſecutus fertur, eò quòd ſtultum eſſe duceret multis laboribus defatigari, amplificandi regni causâ, quoniam ea res ad nullam hominum ſalutem & utilitatem, ſed ad detrimentum potius, atque ſervitutem pertineret. *Beroſus*. A. M. 2354. Euſeb. *Chron.*

ALTAHAIM, vetus Rhætorum urbs, ubi Synodus habita, A. C. 917. *Tom. 9. Conciliorum.*

ALTAI & ALTHAI, montes Aſiæ in Tartaria vera ſeu Septentrionali, ubi ſepulcra Regum Tartariæ, verſus urbem *Caracoran* & regnum Mongul. Quibuſdam *Belgian*.

ALTANUM, Calabriæ oppid. *Antonin.* hodiè *Soreto*.

ALTANUS, in *Gloſſis* Saxon. Ælfrici, Wodanum ſeu Mercurium ſonat. Vide infrà *Wodan*.

ALTAO, urbs Mauritaniæ Cæſarienſis. *Ptol.* Aliis *Atao*, quod *Calao* hodiè dici ferunt.

ALTARARIUS, idem, qui *Altariſta*, vide infrà.

ALTARE, unum erat ex tribus ſacrificandi locis, apud Gentes, ab *altitudine* dictum. *Scrobiculo enim Diis Inferis, aris Terreſtribus, Cæleſtibus autem extructis focis ſacra ſecère Gentiles: unde denominata etiam ſunt* Altaria, *ad quæ, cum ſacrificabant, manus in altum porrigebant*, Servius. Erat enim ara humilior, & vix è terra eminebat, imò ſecundum quoſdam in ea occultata; *Altare* verò ſupra terram erectum ſtabat; Græcis βωμὸς, item ἄγος ἱερὸν vel ἕρκος ἱερὸν, quaſi *vallum*, vel *agger, ex aggeſta terra factus*. Certè Scholiaſtes Euripidis in *Phœniſſis*, notat, ad *Altare* per aliquot gradus fuiſſe aſcenſum. Hoc cum erigebant Græci, quemadmodum & cùm Idolum aliquod conſecrabant, ſolebant fœminæ, certo habitu inductæ, [illegible]: *ollas coctis leguminibus refertas circumgeſtare*, Diis offerendas. Ariſtophan. *in Pluto*.

> — Τὰς χύτρας αἷς τὸν θεὸν
> Ἱδρυσόμεθα, λαβὼν, ἴθι καὶ κεφαλῆς φέρε.
> — *Ollas, quibus Numen*
> *Dedicabimus, ſumens in capite gere.*

Communiter autem fiebat *Altare* ex terra congeſta, & tum χῶμα, i. e. *tumulus* vocabatur. Similiter ex cinerum aggeſtu nonnunquam extruebatur; aliquando ex terra ſanguine macerata; deinde lapidibus, & aliquando etiam ex ligno fiebat: Figurâ nonnunquam oblongâ, quadratâ item, ſed plerumque orbiculari. Loca, ubi Altaria ſtabant, *Excelſa* dicta ſunt, toties in Sacris Iſraelitis Ethnicizantibus a Prophetis exprobrata. Unde Sophocles in *Trachiniis*: Τοῦ Οἰταίου Διὸς ὑψίστου πάγου. In quæ verba Scholiaſtes: Ἕκαστος δὲ ἀγρὸς τοῦ Διὸς ὀνομάζεται, ἐπεὶ ὑψίστῳ ὄντι τῷ Θεῷ ἐν ὑψηλῷ δεῖ τὰς θυσίας ποιεῖσθαι τοὺς ἀνθρώπους, i. e. *Unuſquiſque mons Jovis nuncupatur, quia altiſſimo Deo in altiſſimis locis ſacrificia offerre convenit*, ut nempe eò facilius ſacrificantium è propinquiori loco preces exaudirentur. Adde, quòd *Altaria* in ſublimibus locis nimis erant profanationis periculo expoſita, unde ἄσυλα & ἄβατα eidem Scholiaſti dicuntur. Vide Franciſcum Roſſæum *Archæologiæ Atticæ l. 6. c. 3.*

ALTARE apud Hebræos, *a quibus Altarium uſus ad Gentes tranſiit*, in Tabernaculo, duplex erat, *Æneum*, in Atrio, & *Aureum* in Sancto. Et illud quidem, de quo vide Exod. c. 40. v. 29. decem cubitos Auſtrum verſus a Tabernaculo remotum, confectum erat, è puriſſima cedro, quinque cubitos longum ac tres altum. Obducebatur illud undique laminis æneis; ac mediò ſpatiò erata itidem lamina, foraminibus plena, ſacrificiorum cineres egerebat. in circuitu 4. annulos habebat quibus vectes inſerebantur, quoties Arca à Levitis transferenda erat; pariterque quatuor ejus anguli ære muniti, paulo altius extra *Altaris* limbum, extabant. Atque ea erant *Cornua Altaris*, ſanguini libationis & victimarum alligationi deſtinata. *Vincite victimam funibus uſque ad cornua Altaris*, Pſalm. 118. v. 27. Vide quoque Exod. c. 29. v. 1 – 8. Et hoc quidem fuit *Altare holocauſti*, cui inſerviebat reliquum inſtrumentum ejus, Crateres, Lebetes, Forcipes, Fuſcinulæ, Palæ &c. Exod. c. 27. v. 3. juxtaque illud diſpoſitæ columnæ, cum uncis ferreis ad excoriandas victimas; duplex item in Templo menſarum lapidearum ordo, quibus vaſa aurea & argentea, ad oblationem neceſſaria & præparatæ ſacrificii partes imponebantur, Exod. c. 40. v. 42. Iſtud, nempe *Aureum*, cedrinis tabulis deauratis conſtans, unius cubiti longitudinem ac latitudinem habebat, Exod. c. 30. v. 1. *& ſeqq.* Super quo bis de die ſuffitus adolebantur, tum à Pontifice tum à reliquis Sacerdotibus. Semel autem quotannis ſolemniori modô odores in eo incendebat Pontifex atque illud piaculari victimæ ſanguine expiabat ac luſtrabat, Exod. c. 30. v. 10. dicebaturque *Altare ſuffitus*: In Templi Salomonici poſtea Atrio *Altare holocauſtorum* à Moſaico, cum magnitudine, tum materiâ, differebat: utpote 32. cubitos in infimo ambitu, in ſupremo vero 24. in longitudine ac latitudine 20. in altitudine 10. continens, ut videre eſt 2. Chronic. c. 4. v. 1. Non autem, ut prius, ære ſolum obductum, ſed ex ſolido ære confectum ac ſeptem varios annulorum ordines habebat, juxtaque columnas quaſdam & menſas marmoreas, ad ſacrificiorum uſum: Medium verò cingebat filum coccineum, ad ſanguines diſcernendos: & ſubtus duo erant canales, qui victimarum ſanguinem in proximum torrentem derivarent &c. Vide Franc. Burmannum *Synopſ. Theol. Chriſt. tom. 1. l. 4. c. 14. & 15.* *Altare* hoc *æneum, quod fuerat coram Jehova* uſque ad tempora Achazi, Rex hic impius, qui in gratiam Tiglath-Pileſeri Regis Aſſyriæ, aliud erigi curaverat, ad ſimilitudinem illius Altaris, quod Damaſci viderat, *longius amovit ab interiore ipſius domus, ne eſſet inter ſuum Altare & domum Jehovæ. poſuitque illud ad latus ſui Altaris, Aquilonem verſus*, 2. Regum c. 16. v. 14. adeoque ſic ab uſu removit: Quemadmodum & Manaſſes Rex *toti exercitui cælorum Altaria extruxit, in Atriis domus Jehovæ*, 2. Regum c. 21. v. 5. Sed hujus filius Joſia, utriſque abolitis, *Altare Dei* reſtituit, 2. Reg. c. 23. v. 12. *& ſeqq.* donec expugnatis per Babylonios Hieroſolymis Temploque deſtructô, illud cum reliqua ſupellectile in hoſtium manus pervenit, c. 25. v. 12. *& ſeqq.* Poſt elapſum verò captivitatis tempus, *Altare Dei Iſraelis ad offerendum in eo holocauſta*, denuo extructum eſt, Ezræ c. 3. v. 2. manſitque, donec exhibito Meſſiâ, omnibuſque umbris impletis Romani ſub Veſpaſiano Reipublicæ Ceremoniiſque Judæis finem impoſuère, qua de re *alibi*.

ALTARE, hodieque in communione Romana erigi ſolet, in eminentiori Ædis ſacræ parte, teſte Walafr. *de Rebus Eccleſ. c. 6.* Bedâ *l. de Tabernac.* Ruperto *de divin. Off. c. 30.* &c. Vide quoque infrà, *Menſa Domini*. Et quidem anteà, ad ſignificandam Chriſti unitatem, unicum in Eccleſiis erat, quod proin Euſebius in *Encomio* pro Paulino Tyri Epiſcopo *Hiſtor. Eccl. l. 10. c. 4.* Unigenitum *Altare* appellavit. Poſteà in quolibet Templo complura ſtruxère Latini, inveniuntque tredecim eorum in una Æde Gregorius, *Ep. 50. l. 10. ad Palld.* Lapideum illud omnino eſſe volunt, *can. Altaria ſi non fuerint lapidea*: in quo, ubi Epiſcopus Diœceſanus celebravit, eodem die, abſque ejus licentia, idem facere licere, ajunt; quam obſervationem Græci extendunt etiam ad ſimplices Sacerdotes, ita

ut

ut eodem die ad unicum Altare duo Preſbyteri Sacrum facere nequeant. In majoribus verò Altaribus quatuor Baſilicarum Urbis Romæ Patriarchalium, nemini præter Papam celebrare licet; niſi quod Jacobus nundam, S. Pauli Abbas ex privilegio Bonifacii VIII. A. C. 1301. *Ep.* 98. hanc facultatem pro altari majori ejuſdem Baſilicæ accepit, à quo tempore Succeſſores ejus, qui Sacerdotii ordinem à Pontifice acceperint, idem privilegii retinent, ſed & Cardinales, cùm in uno ex præfatis Altaribus ſacris defungi cupiunt, Brevi à Pontifice accepto, ad id idonei habentur. Ipſe Pontifex antiquitus, in Sabbato quatuor Temporum Decembris, cùm in Altari S. Petri celebrabat, pro conferendis Eccleſiaſtic. Ordinibus, ab hoc ad aliud Altare deducebatur. *Deſcendit Pontifex ab Altari (ſcil. Majori) & vadit ad S. Andream, ubi facit conſecrationem; ſtatim conſecratione ad Altare revertitur, quia in hoc Altari nulla conſecratio fieri debet, niſi a Romano Pontifice*, Benedic. Can. S. Petri *Ceremonial. MS.* in Bibl. S. Auguſt. de Urbe. Porrò mos erat olim apud eoſdem *Altare*, ubi SS. in illorum, reliquiæ quieſcunt, circuiendi: qua de re vide infrà in voce *Phiteramus*. Ad quem finem *Altaria* à muro antiquitus ſeparata erant: cujus ritus hodieque Græca Eccleſia retinens eſt, quæ etiam tanta reverentiâ Altaria coluit, ut ad ea accedere nullis Laicis permiſſum ſit &c. Plura hanc in rem vide apud Macros Fratres *Hierolex.* Sed & *Altare*, partem Templi, in quo erectum altare conſpicitur, denotare, diſcimus ex Gregorio Turonenſi *Hiſtor. l.* 2. *c.* 14. Eccleſiam præterea, ut aptè ſignificat, vel obventiones ac reditus Altaris ſeu Eccleſiæ, maximè decimam Eccleſiaſticam, apud Gallos inprimis. Concilium Claromont. A. C. 1095. *can.* 3. *Eccleſia, quæ vulgari vocabulo apud eos (Gallos) altaria nuncupantur*. Unde *Altaria* vel *Altaria & Decimæ*, conjunctim Decimæ Eccleſiarum dicuntur, quæ ad ipſos Eccleſiarum Præſules pertinent, quaſque ſæpe a Laicis uſurpatas eſſe, docet *Charta* Philippi Regis Franciæ. A. C. 1076. in *Chron.* Monaſter. Johannis de Vineis p. 50. *Sed poſtmodum mors, qua intravit in Orbem terrarum, quamplurimos Laicos & Pſeudo Chriſtianos in tantum excæcavit, ut quidam Altaria vel Decimas in beneficia extorquerent, quidam verò attribuſſent ea jure hæreditatis, converterunt &c.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & plura de variis circa hæc Latinorum Ritibus, hic infrà. Hinc *Altaragium*, ſeu *Alteragium*, vel etiam *Altelagium*, obventio Altaris, apud Eund.

ALTARE, ſeu ARA, in Circo Olympiaco, memoratur Pauſaniæ *l.* 6. ubi de Ludis illis. Cùm enim duplex in Circo carcerum ordo eſſet, qui ſortito capiebantur a certantibus, unus ad ſiniſtram primæ metæ, alter ad dextram; in medio utriuſque partis locus erat ejus, qui machinationem movebat, quâ omnia oſtia aperiebantur: *Altare* nempè, Græcè Βωμὸς, circa mediam proram Circi (*proræ* figuram quippe habuit ἡ ἄφεσις, quæ ſatis lata erat, quæque diſcriminabat utrumque ordinem oſtiorum) Januæ Conſulum vel oſtio, quod ad medium Circi ſpatium patebat Romæ, reſpondens. Ad hujus Aræ vel primarum metarum partem dextram, omnes currus, emittendi ad currendum, ſtare debebant, quoniam rectâ curſu ad ultimam metam circumflectendam pertendebant: cùm paulo aliter ſe res haberet in Circo Romano, uti diximus ſuprà in voce *Alba Linea*, plura vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 902.

ALTARE Portatile ſeu *Viaticum*, Durando *Ration. l.* 1. *c.* 7. *num.* 34. *quod per viam portetur: Altare Geſtatile* ſeu *Geſtatorium*, Hugoni Flaviniac. *Chron. p.* 166. *Lapis Geſtatorius*, Anſelmo *l.* 3. *Ep.* 158. *Tabula Itineraria*, in Ord. Rom. *Antimenſium* quoque *Balſamoni*, Altariolum eſt, quod in eadem Communione locis Altaris omnino lapidei uſurpatur. Atque hoc ab Epiſcopo conſecratum, itidem ex lapide eſſe debet ac Martyrum habere reliquias, ſine quo celebrare nemo poteſt, niſi Pontificis Romani diſpenſatione, qui inter alia privilegia Miſſionariis Propagandæ Fidei, ut vocant, concedere ſolet, ut in caſu neceſſitatis abſque tali Altariolo ſacra conficiant. Debet autem ejuſmodi *Altare portatile* quoque ſpatium habere commodum, *ut calicem & hoſtiam capiat*, uti loquitur Navarr. in *Manual. c.* 25. *num.* 3. In duas verò partes diviſum ac plicatile, libri inſtar, Sacro inſervire nequit, quia ejuſmodi Altariolum ſymbolum unitatis Chriſti perſonalis eſſe ajunt, &c. Vide Macros Fratres in *Hierolex.* atque infra paſſim inprimis in voce *Antimenſium*, & *Viaticum*.

ALTARE S. Sedis, vide infrà *Apocriſiarius*.

ALTARE Teſtimonii, quod prætaltum filii Ruben, Gad & dimidia tribus Manaſſe in teſtimonium legis Moſaicæ ſuper ripam Jordanis, in tribu Benjamin extruxerunt.

ALTARE complectendi ritus, ad fidem faciendam, memoratur in *Chron.* Montis-Sereni A. C. 1126. *In Eccleſia B. Petri* Altare complexus, *quaſi ad probandum, quòd Henricus pro fœmina commutatus fuiſſet, ita ſe obligavit, ut ſi idem filius eſſet Henrici Marchionis, ipſe ſui corporis perderet ſanitatem*, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.*

ALTARE denudandi ritus, in eadem Eccleſia, uſitatus eſt. Fit autem *Altaris denudatio* in Feria 5. Cœnæ Domini. quâ nuditatem Chriſti in paſſione ſignificari, ait Alcuinus *de Offic. divin.* Meminitque *Ordo* Romanus ceremoniæ hujus Feriâ 6. Paraſceves obſervari ſolitæ: Scilicet ad illa verba Euangelicæ paſſionis, *Partiti ſunt veſtimenta*; duo Diaconi auferebant Altaris mappam, in quo ſic denudato conſumebatur Eucharistia à ſepulchro delata. Abuſus autem ille, quô olim a Sacerdotibus implorabatur divina vindicta, uti refert Gregorius Turonenſ. *de Glor. Martyr. l.* 1. *c.* 79. abrogatus eſt in Concilio Toletano XIII. *can. quicunque* 26. *quæſt.* 1. Denudabantur enim Altaria, extinguebantur luminaria ac tandem ipſa Officia divina deſerebantur. In Eccleſia Ambroſiana denudantur Altaria Feriâ 6. Paraſceves, parietesque velis ſanguinei coloris contegi ſolent, &c. Vide Dominic. Macrum *Hierolex.* Nudantur ibidem & lavantur quoque Altaria in Cœna Domini, uti refert Car. du Freſne *Gloſſar.*

ALTARE lavandi ceremonia, in Communione præfata, non minus in uſu eſt. Et quidem, in prædicta Feria 5. *Lavantur Altaria* hyſſopo, vino & aquâ. quorum illud, cum ſymbolum unctionis Chriſto à Magdalena adhibitæ; iſta, cùm ſanguinis & aquæ è Chriſti latere promanantis ſigna eſſe velint; ideò *Rupertus* illos meliùs facere judicat, qui *Altaria*, ipſo die mortis Chriſti, feriâ 6. lavare ſolent, Romæ tamen in Baſilica Vaticana, ut & Dominum agi Feriâ id quintâ ebeunt. In Eccleſia Græca ſolus Patriarcha munere hoc defungitur & Metropolitani in ſuis Eccleſiis, qui aquâ primò benedictâ, dein aquâ roſaceâ, ex *Euchologii* præcepto, Altaria lavant. Aſperſionem autem Altaris, quæ aquâ fit benedictâ ſingulis Dominicis per annum, Baptiſmum Salvatoris repræſentare, dicunt, eamque omittunt, cum Euchariſtiæ Sacramentum in illo expoſitum eſt: quemadmodum nec cruce Altare ſignant in principio Euangelii Johannis, in fine Miſſæ, eo quod ipſemet Auctor benedictionum ibi adſit, Gavant. *Part.* 4. *tit.* 19. *in rub. Miſſæ*, apud Dominic. Macrum in *Hierolexico*. Addit Car. du Freſne, in Cœna Domini quoque, nudari & lavari Altaria conſueviſſe, in *Gloſſar.* Vide ſuprà.

ALTARE oſculatur ſemper Sacerdos, in præfata Communione, antequam Populum ſalutet tribuatque pacem: ajunt enim, *pacem a Chriſto Domino in altari effigiato petendam eſſe*, ubi ut, apud eundem *Macrum*. Et quidem, ſi ex diſpenſatione Pontificis reliquiæ in Altari non ſint appoſitæ, Sacerdoti ante introitum Altare oſculanti omittenda eſſe verba illa, *Quorum reliquiæ hic ſunt*; & tunc oſculandum, quando dicit, *Indulgere digneris*, ait apud eundem Gavant. *Part.* 2. *titulo* 4 *in Rub Miſſæ.*

ALTARE velandi mos, ſimiliter apud eos in uſu: inprimis notabilis ceremonia fuit, quæ in nocte fiebat Natalem Domini præcedente. Tribus nempe velis cooperiebatur Altare, rubro, albo & nigro: è quibus hoc auferebatur, in fine primi nocturni, quô obſcuritatem temporis ante legem ſignificatam fuiſſe volunt; iſtud in fine ſecundi nocturni, in ſignum temporis Legalis; illud tandem in fine tertii & ultimi, in ſymbolum Legis Gratiæ, Joh. Beletus *de Divin. Offic. c.* 69 & Durandus *Ration. l.* 1. *c.* 3. Eadem ceremonia iterabatur ad matutinum Paſchæ, poſt quamlibet lectionem; cùm non niſi tunc unicum habeatur nocturnum. In Hiſpania, per totum Quadrageſimale tempus extenditur velum ante majorem aram, dum in Ferialibus recitantur horæ & canitur Miſſa, nec retrahitur, niſi cùm Euangelium canitur, in elevatione hoſtiæ, ut vocant, & calicis; ut & ad poſtremam ſuper Populum orationem. At in Feria IVta majoris hebdomadæ penitus aufertur, ad verba illa Euangelii: *Et velum Templi ſciſſum eſt.* Vide iterum Dominic. Macrum *Hierolex.* & ſuprà ubi de *Altaris denudatione.*

ad ALTARE jurandi ritus, vide infrà ubi de *Jurandi ritibus.*

ALTARI caput imponendi ceremonia, in ſignum profeſſæ ſubjectionis & obedientiæ occurrit apud Arnoldum de *Miracul. S. Emmerami l.* 1. *c.* 12. *Qui capita cum manibus religioſè Altari S. Emmerami imponentes, profeſſi ſunt, ſe Martyri perpetuos cenſuales.* Et in *Vita* Virgilii Epiſcopi Juvavenſis c. 7 *Ad Juvavenſe Monaſterium ſpecialiter caput ſuum in ſervitium Dei declinavit, ſingulis annis, quoad vixit, in ſignum ſubjectionis ſuæ aliquod obſequium illud perſolvendo*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Contra *ad Altare*, vel *circa Altare*, item *ante cornu Altaris*, manumiſſionem fieri ſolitam, dicemus infrà ubi de illa.

in ALTARI offerendi ritus, apud Marculfum *l.* 1. *Form.* 1. de donationibus, quæ fiebant Eccleſiæ, earum inſtrumentis ſuper Altaria poſitis, quò ſolemniores eſſent ac ita ipſi Deo eas factas eſſe conſtaret: memoratur in L. Alemannorum *c.* 1. §. 1. ubi de donationibus factis Eccleſiæ: *Et qui hoc facere voluerit, per chartam de rebus ſuis ad Eccleſiam, ubi dare voluerit, firmitatem faciat & teſtes ſex vel ſeptem adhibeat, & nomina eorum ipſa charta contineat, & coram Sacerdote, qui ad eandem Eccleſiam deſervit, ſuper Altare ponat, & proprietas de ipſis rebus ad ipſam Eccleſiam in perpetuum permaneat.* Adde L. Bajwar. *c.* 1. § 1. Cujuſmodi traditionis & oblationis formula extat in Capitul. Caroli Magni *l.* 6. *c.* 285. Vide præfatum Carolum du Freſne *Gloſſar.*

ALTARIA Trichora, apud Paulinum *Ep.* 12. *ad Sever. Reliquiis Apoſtolorum & Martyrum intra Abſidem* trichora *ſub* Altaria *ſacratis*, quid ſint, multis exponit *Commentator* Paulini. Sed *trichoram ſub Altari* legendum, monet Salmaſ. qui hanc vocem ad *abſidem* referens, eam *trichoram* vocari ait, quòd eſſet tribus concavitatibus ſinuata, ſeu quòd illa Abſis ſive Concha major, tribus concavis receſſibus ſinuata, duas alias conchulas dextrâ lævâque haberet, ut ex Paulini hiſce probat,

— ἣν ἐς ἐν κόγχας ἄλλας
Κόγχας ἀμφοτέρωθεν [illegible]

Et Paulino *ead. ep. cùm duabus dextra lævaque conchulis intra ſpatioſum ſui ambitum abſis ſinuata lateat.* Quòd enim *Altaria* legi non poſſit, inde patere addit, quòd unicum tantum Altare in templis eô tempore haberetur. Vide eum *ad Solin. p.* 1212.

ALTARIS Anniverſarium, ſicut & anniverſarium dedicationis Eccleſiæ, in eadem Communione, antiquitus celebrari conſuevit, uti diſcimus ex Macro in *Hierolex.* ubi de *Altaris* conſecratione varia.

ALTARISTA, in *Mirac.* S. Catharinæ Suec. Sacellanus, ſeu Vicarius Eccleſiæ, qui Altari ſervit, cuique aſſignari ſolebat emolumenta, quæ Preſbyteris & curionibus proveniunt, ratione Altaris. Meminit officii hujus Bulla Urbani V. A. C. 1368. apud Waddingum ubi inter alia hæc habemus: *Et Altaristarum (quod idem ac Altariſta) altaris Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe uſque noſtrum placitum ---- conſtituimus & etiam deputamus, ibi recipiendi omnes & ſingulas oblationes, obventiones, ac fructus ---- ad dictum Altare pervenientes*, &c. Vide iterum Car. du Freſne *Gloſſar.* Dominico *Macro* ſic dicitur

particularis Canonicus Eccleſiæ Vaticanæ, cui incumbit majoris Altaris ejuſdem Templi curam habere, & conſervare pallia, ei à Subdiacono Apoſtolico tradita, illaque in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli, Altari illi ſuperimponere, quæ poſtmodum Archiepiſcopis conceduntur. Idem *Altariſta* Epiſcopis fidem facit ad limina, ut ajunt, ſacra venientibus quolibet triennio ſeu pro Ultramontanis Præſulibus, quolibet luſtro atque etiam ter quavis hebdomade ad minimum cuncta illius Baſilicæ altaria inviſit. Facultatem inſuper habet ab Urbano V. & Innocentio VI. conceſſam, eandem Baſilicam, ſi fortè per effuſionem ſanguinis vel alio quovis modo violata ac polluta fuerit, aquâ ab Epiſcopo benedictâ reconciliandi, ut loquuntur, &c. *Altararius Canonicus* talis dicebatur, circa A. C. 1482. ut patet ex MSS. in ejuſdem Baſilicæ Archivo conſervatis: cui poſtmodum, ordinatione Sixti IV. Aſſiſius ſucceſſit, qui inter alia, ſingulis diebus, vel ſaltem quâlibet ſeptimanâ ſemel, Altaria Templi hujus viſere tenetur. Vide Macros Fratres paſſim, imprimis in voce *Altariſta*.

ALTARIUM Redemptiones, in eadem ſæpius dicta Eccleſia Romana vocabantur quædam præſtationes, quæ dabantur Epiſcopis, quotiescunque Eccleſiarum, quæ Monachorum juris erant, *Perſonæ* mutabantur. Nam cùm Eccleſias omnes Epiſcopi ſibi vindicent; eas illi interdum Monaſteriis aut Capitulis Canonicorum donabant aut à fundatoribus donari permittebant, retentâ eâ præſtatione, quæ *Redemtio Altaris* dicta eſt, veluti in ſignum dominii, quod Eccleſia matrix ſibi reſervabat, atque adeò reſervatis ipſius Eccleſiæ decimis, vide infrà in voce *Perſona*. Si enim Altaria Congregationibus Canonicorum vel Monachorum *per perſonas* darentur, *mortuis perſonis* in manus Epiſcoporum redibant, niſi eſſent per eorum ſcripta vel privilegia confirmata, ut eſt in Concilio Claromont. A. C. 1095. *can.* 7. Hæc itaque *Altarium redemtio*, venditionis nomine donata eſt, quod à Monachis poſt mortem vel immutatione *perſonæ* redimi dicerentur: quod prohibitum fuit, ſalvo Epiſcoporum cenſu annuo, eod. Concil. *can.* 3. & Nemauſenſi A. C. 1096. Imò & jam prius id vetuerat Leo XI. Pontifex Roman. apud Wibertum in *Vita* illius *p.* 86. *Venditiones altarium anathemate prohibuit: ſed conſtituit ut partes decimationum, ad Epiſcopum pertinentes, aut quiſque Præſul ſibi teneret aut cui vellet tribueret; partem autem ad Altare pertinentem proprio Paſtori Eccleſiæ gratis concederet.* Eodem facit Charta Rogerii III. Epiſcopi Catalaun. *Altaria hæc habenda perſonæ ---- eo pacto, ut quando perſona obierit, perſona alia à Monachis oblata reſtituatur, ſine muneris acceptione*, &c. *Relevationes* quoque iſtiuſmodi redemptiones appellatas eſſe, eò quòd inventæ hæ eſſent, inſtar redemptionum feudorum, quæ *Relevationes* dicuntur, obſervat Car. du Freſne; atque hoc nomine *Conſuetudinem* quandam *mandatam* veniſſe addit, quam Vicecomes Thoarcenſium Haimericus exigebat ab Abbate S. Albini, *qui noviter onus ſuſceperat Abbatis, equum unum centum ſolidorum, aut ſolidos centum pro mutatione & relevatione Abbatis. Dicebat enim ---- quod quicunque noviter crearetur Abbas in Monaſterio S. Albini, prædictum pro ſua ordinatione præjudicium ſolveret Vicecomiti*, ex veteri *Notitia* apud Charlonyum *ad Hiſtoriam Incideſmenſem* Cottixi. Remotâ igitur & à Synodis interdictâ redemptione, poſtmodum *Altaria ſub cenſu annuo* contulere Epiſcopi, in quem tamen etiam abuſum graviter invehitur Goffridus Vindocinenſis *l.* 3. *Ep.* 12. *cùm per annos ſingulos cenſum exigere ab Eccleſiis, annua ſeu plurimorum annorum ſimonia ſit.* Extant Chartæ iſtius abuſus teſtes compluſes in Tabulario S. Dionyſii, & alibi, de quibus, ut & plura in hanc rem, vide apud Car. du Freſne in *Gloſſar*.

ALTAVILLA, oppidul. Principatus citerioris in regno Neapolitano, ad Sabbatum fluv. Paucis conſtat incolis.

ALTDORFIUM, vicus cultiſſimus in colle, caput Urienſis pagi in Helvetia. Item Caſtellum Sueviæ vetus, nunc *Weingarten* appellatum, Monaſterio celebre, juxta Ravenſburgum, olim cum hoc, ſub Comitibus celeberrimis, qui rarâ felicitate, non adeò longi temporis ævo, ad ſuprema provecti, latiſſimè per Germaniam imperitavêre, Saxoniam, Bojariam, Noricumque, totumque qui Rhenum Albimque interjacet, tractum, ditione complexi. Quin huc etiam ſortis benignitate Guelphica res (hæc enim ex *Comit. Altorfenſibus*) progreſſa, ut Pomeranorum quoque, Obotritorum ſive Mechelburgiorum aliosque Sclavorum Vandalorumque Principes obnoxios haberent. Florentiſſimam Domum Henricus Superbus, ac fil. ejus Henricus Leo adflixêre, mirò rerum humanarum ludibriò, deſtructores magnitudinis quam ipſi condiderant, ſecundis rebus ad ſuperbiam prolapſi pulſique; acceſſit vicinorum invidia, qui tantam prope ſe creſcentem molem ſibi poſteriſque periculoſam rati, convellendæ tam formidoloſæ ſibi potentiæ occaſiones avidè quærebant arripiebantve: unde iſta in Henricos crimina ſive vera, ſive pro veris vulgata acceptaque, & Superbus poſtea Leo, Saxoniâ Bojariaque Cæſaris Procerumque ſententiâ turpiter provoluti, nihil tandem ex tanto fortunarum cumulo quàm Brunſuicenſem atque Luneburgi Comitatus retinuerunt ſuiſque ad poſteros propagârunt. Tob. Pfanner. *de præcip. Germaniæ Principum Gentib.* c. 5. ubi de *Gente Brunſuico-Luneburgica*. Vide quoque Aventin. *Annal. Bojor.* l. 6. Goldaſtum *ad Ratbert. Turreg. Hiſtor.* c. 2. *Rer. Alemannic. Tom.* 1. *Part.* 1. &c.

ALTEIA, fluvius Galliæ, in Picardia, *Autie* accolis, alluit vicum nominis ſui, Teuceram *Ticurt*, Donencum *Doulens*, Rumiacum *Rumegus*, Alciacum *Auxi*, Vicum ad Altejam *Vyſur Autie*, Adluliam *Argoulle*, vicum in *tabula Peutingeriana* unà cum Teuceræ memoratum; Pontes *Pont à Selane*, aliàs *Pont Aſſchout*, locum Æthico notum inter Ambianos & Geſoriacum, dictumque ſuis pontibus, quos plures habet fluvio impoſitum, hicque in Oceanum effluit. Proximum ei flumen eſt Quantia *la Cauche*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ALTELLUS, Romulus dictus, quaſi in *terrâ altus* à lupâ, ſive quod *telis alereiur*, ſive quod rebus geſtis *altus*, h. e. excelſus & glorioſus eſſet, ſeu quòd à Lato, Sabinorum Rege, in colloquium poſtulatus, *alterutr* vicibus eum audierit, nam ſicut à *mâtre macellus*, à *vaſro vacellus*, ita ab *alterno Altellus*. *Feſtus Pompejus*.

ALTEMBERGA, oppid. Tranſylvaniæ, 6. milliar. Germanic. diſtat ab alba Julia in colle, prope Zalatnam ſudetam.

ALTENA, caſtellum Germaniæ, in Weſtfalia, prius *Wilſcheberger* vocatum, olim ſub proprio Comite, ex familia Clivica. Hic enim cum in *Clivenſem & Teyſterbandiam* lineas eſſet diſtincta, in Eberhardo & Ruperto filiis Ludovici, qui obiit A. C. 829. Clivenſibus titulus ſuus duravit, donec ipſi eſſe deſiêre. Teiſterbandus non idem nominis ſui amor; quippe quo poſito A. C. 860. Theodoricus ejusque fil. Adolfus, ab *Altena* caſtello, Eberhardus Adolfi frater, à Bergenſi terra, denominari maluêre, uterque ab Henrico Aucupe vocorum damnati. Diſplicuit tamen poſtea & velut contemtum etiam *Altenæ* nomen, quod imperante Friderico II. Adolfus, *Marcam Comitatus* vocabulo, comparatâ ſibi Marcâ commutavit. Hodiè ſub Electore Brandenburgico eſt. Vide Tob. Pfanner. *de præcipuis Germ. Princip. gentibus* c. 2. ut & in voce *Clivia*.

ALTENBURGUM, urbs Germaniæ in Miſnia, ad fluv. *Pleiſſ.* Ducum Sedes, ex Saxonica domo. Item, oppid. Hungariæ inferioris permunitum prope Danubium, ſub Auſtriacis, *Owar Hungaris*: Prior etiam *Aniburgum* vocatur; ubi celebre Colloquium Theologorum habitum eſt A. C. 1568. in quo, præſidente Johanne Wilhelmo Saxoniæ Duce ex familia Vinarienſi, Wittenbergenſes *conſenſum inter Lutherum & Melanchthonem, in doctrina, vita & morte*, fuiſſe docuêre, Flaciani contrà, Johannes nempe Wigandus, Joh. Cœleſtinus, Irenæus, Roſinus, Selneccerus, Kirchnerus, contendebant, *in doctrina Lutheri & Philippi diſſenſum eſſe, ac diſcrepantiam tantam quanta eſt inter æſtatem & hyemem ſimilitudo*. Ita re infectâ diſceſſum, vide Chytræum *in Saxon. ad A. C.* 1568. Accepit hanc urbem Albertus Dux Saxoniæ, cognomine *Degener*, dotis nomine, à Friderico II. Imperatore, cujus filiam Margaretam duxit: ex arce dein *Altenburgica* Conradus Kauffungus, Erneſtum & Albertum, filios Friderici cognomine *Placidi*, A. C. 1455. noctu abduxit, conceptò in herum odiò, ſed in ſylva à carbonariis captus, utrumque mox reddidit, & ſcelus ſupplicio expiavit. Nactus eſt ditionem *Altenburgicam*, in diviſione hæreditatis Joh. Wilhelmi, retrò memorati, Fridericus Wilhelmus, ejus major natu fil. qui cum Joh. Georgio Brandenburgico admotus tutelæ Chriſtiani II. adminiſtravit Electoratum, in Reformatos acer: Eò, inter alios, natus Fridericus Wilhelmus, fratrum minimus, ſed eorundem, & poſtea Joh. Erneſti patruelis, ex parte hæres, auſpiciis Electoris agnati, in Luſatiâ A. C. 1634. exercitum duxit; Pater ex Magdalena Sybilla agnatæ Friderici Wilhelmi. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hiſtor.*

ALTENIUS, Cariæ mons, qui ſerpentes procreat, advenis quidem innocuos, incolis verò pernicioſos & infeſtos. Alexand. ab Alexandro *l.* 2. *c.* 17.

ALTERCATIO, nomen Libri Gennadio in *Scriptoribus Eccleſiaſticis* laudati, ubi meminit *Libri Altercationum* Juliani Epiſcopi Capuani: Iidem memorantur *Altercationes*, quas Eugenius Carthagin. Epiſcopus *cum Arianorum Præſulibus per interuntios habuit, ab eo conſcripta*. Sic, quæ haud pridem editæ ſunt à Luca Acherio *Tom.* X. *Spicil.* Conſultationum Zachæi Chriſtiani & Apollonii Philoſophi libri tres, hocce titulò inſcribuntur, in Codice Lemovic. *Altercatio Apollonii Philoſophi cum Zachæo Chriſtiano*. Nempe *Altercatio*, ἀντιβολὴ, denotat λόγων, ut *Gloſſ.* habent *Latino-Græca*. Dialogum videl. & collationem, ſed propemodum partium inter ſe diſſidentium, apud Car. du Freſne *Gloſſar*.

ALTERNIA, Carpetanorum in Italia urbs. *Ptol.*

ALTERNIS Diebus jejunandi mos Veterum, vide infrà verbo *Superponere*.

ALTES, Peloponneſi urbs ad Cladaum amnem, qui in Alpheum fluit. *Xenoph. Hiſt. Græc. l.* 7. *Alis* à Pauſania *in Eliacis* vocatur.

ALTEUS, Tuſci filius, regnavit ann. 20.

ALTHA, Babyloniæ urbs. *Ptol.*

ALTHÆA, Theſtii filia, Oenei Regis Calydonis uxor, cui inter alios filios Meleagrum peperit: quo nato audivit *fata* circum ignem dicentia, tam diu natum victurum, quamdiu ſtipes, qui tunc ardebat, ab igne inconſumptus maneret. Hunc itaque aſſervavit in eum diem, quo omnes filios præter Meleagrum in quâdam ſeditione occubuiſſe intellexit; quem ut etiam mortuum audivit, ſtipitem concremavit. Cujus facti poſteà pœnitens, laqueò vitam finivit, ut tradit ampliſſimè Diodor. Sic. *l.* 5. Ovid. tamen *Met. l.* 8. ſcribit, eam gladiò ſeſe transverberâſſe, atque ita occubuiſſe, *actô*, inquit: *per viſcera ferrô*. Seneca *in Medeâ*, *Actu* 4. *v.* 779.

Piæ ſororis, impiæ matris facem,

Ultricis Althææ, vide. ----

Ovid. *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 7. *v.* 18.

Utque cremâſſe ſuum fertur ſub ſtipite natum

Theſtias, & melior matre fuiſſe ſoror

ALTHÆMENES, coloniæ in Cretam Dux, Ciſſi fil. fuit, illius qui Argos condidit, eâdem tempeſtate quâ Procles Spartam. Strabo *l.* 10. Ciſus, Κεῖσος, vocatur à Pauſania *l.* 2. & Temeni, qui Argos occupavit, fil. dicitur. Diodor. Sic. *l.* 5. *c.* 9. Catrei Regis Cretæ fil. eſt, qui cum ab oraculo percepiſſet, à ſe patrem occiſum iri, in Inſul. Rhodum ſe contulit, & templum Jovis Atamyrii, in monte cognomine extruxit. Quo cum Pater, filium quærens, perveniſſet ab eo ignoranti occiſus eſt.

ALTHEA, urbs Olcadum. Vide Steph. & *Olcades*

ALTHENUS, fluv. ſanans omnium animalium ulcera, ope Podalirii. Iſac. in *Lycophr.*

ALTHEPUS, Neptuni fil. Ægyptiorum Rex, à quo Ægyptus *Althepia terra* cognominatur. Cal. Rhodig. *l.* 12. *c.* 9.

ALTILIA, Ligurum oppid. hodie *Altavola. Volaterran.*

ALTILIA, ſeu ABTHELIA, oppid. Italiæ, ad fluv. Sabato in Calabria.

ALTILIA, Gall. *Authie*, fluv. Galliæ in Picardia. Dulendum oppid. rigat, & cadit in Oceanum cum Pontivo tractu. Oritur autem in confinio Artesiæ, ſupra vicum *Authie*.

ALTILIA, peculiari ratione ſaginata, quæ in menſa Salomonis quondam abſumerentur, indigitari voce *Barburim*, 1. Regum. *c.* 4. *v.* 23. *Et erant cibaria Salomonis in dies decem boves —— præter cervos & capreas & bubalas &* barburim *ſaginatos*; Græcis interpretibus videtur, unde ὀρνίθων ἐκλεκτῶν σιτευτῶν habent, quaſi ſignificentur *aves electa altiles*, eæque gallinacei generis. De qua interpretatione quid ſentiendum, vide Sam. Bochart. *Hieroz. part. poſter. l.* 1. *c.* 19. & infrà in voce *Barburim*. Apud Car. du Freſne, *Altilia* in congregatione miniſtraſſe, *Regula S.* Aureliani veterum eſſe legimus, quem vide in *Gloſſar.*

ALTILIUS, Gabriel, vide *Gabriel.*

ALTINGUS, Menſo, A. C. 1523. traditus in obſidem Carolo, Duci Geldriæ, nomine Ordinum Drentiæ. Hujus nepos cognominis, primus, Albanis temporibus, in agrum Groningenſem ſemen verbi divini intulit. Theologus Emdanus graviſſimus, obiit A. C. 1612. ætat. 72. Pater *Henrici*, qui Heidelbergæ primum per 9. ann. dein Groningæ, per ann. 17. Theologiam docuit. Præfuit hic, cum aliis viris doctis, Recenſioni novæ Verſionis Novi Teſtam. & librorum Apocryphorum. Gloriæ duxit, ab adverſariis, *Theologus Scripturarius & Biblicus* dici. Scripſit plurima: inter quæ eminent *Theologia Didactica, Catechetica, Polemica & Problematica vetus & nova, cum Hiſtorica ex parte*: quæ duo poſtrema ſcripta *Jacobus*, fil. ejus, Theologiæ in eadem Groningana Profeſſor, poſt obitum patris edidit. Obiit autem A. C. 1644. ætat. 61. Vide *Altingii vitam à Mareſio Theologo ibidem Groning. editam*, nec non Paul. Freherum *Theatro Virorum eruditione clarorum.*

ALTINUM, urbs olim in litore Venetiæ floreniſſima, juxta Aquilejam. Plin. *l.* 3. *c.* 18. ab Attila deſtructa. *Leand.* hodie *Altino*, *Torcello* verò *Villanova*. Incolæ Altinates. Hujus urbis lana erat in pretio. Martial. *l.* 14. *Epigr.* 155.

Velleribus primis Apulia, Parma ſecundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 161. &c. longitud. 34. 30. latitud. 45. 20. Hic Concilium habitum, A. C. 802. Tom. 7. *Concil.* Vide & *Annales Pithœi.*

ALTINUM, quod & *Altinum*, oppid. Pannoniæ inferioris ad Danubium in Hungaria. *Lazius Tolna* vocari ait; *Simlera* vero *Bodoch* videtur. longitud. 42. 33. latitud. 46. 25.

ALTINUS, nomine *Julius*, detectâ conjuratione Piſonianâ tanquam ſuſpectus, non tamen convictus, in inſulas maris Ægæi expulſus à Nerone. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 71.

ALTIS, lucus juxta Olympiam, Jovi ſacer, unde Jupiter *Altius* dictus.

ALTISOLIA, oppid. Hungariæ ſuperioris juxta fluv. *Gran.* In Comitatu Biſtriciano, & in regiuncula *Bergſtet.*

ALTISSIODORUM, oppid. in Gallia, *Auxerre* vulgò, vide *Vellaunodunum*. longitud. 24. 41. latitud. 46. 20.

ALTITUDO, titulus Regum honorarius in veteribus Tabulis Regum Franciæ, apud Camutatum in *Antiquit. Tricenſib.* Beſlium in *Comit. Pictav.* Acherium *Spicileg. tom. XII* &c. cujus locô Græci ὕψος & ὑπεροχὴν uſurpant. Ita enim jam Pindarus *Olymp. od.* 1. Τὸ δ' ἔσχατον, inquit, κορυφοῦται βασιλεῦσι. Vide Euſtath. ad *Dionyſ. Perieg. p.* 2. *col.* 2. laudatum ſæpius memorato Gloſſarii Auctori *Car. du Freſne* Turcarum Imperatorum proprius hodie titulus eſt, *Hauteſſe* Gallis.

ALTMANUS, Epiſcopus Papienſis, & Legatus Pontificius in German. contra Henricum III. Imperatorem. Baron. *A. C.* 1082 1090. &c.

de ALTO Ponte Raimundus, vide *Raimundus.*

ALTOMONS, Belgii pagus, cum cœnobio, in Hannonia, quod nunc Omont dici ferunt. Ad Sabim fluv.

ALTOMONTIUM, oppid. in Calabria inferiori ad amnem *Grondo*, vitibus & fructiferis arboribus undique ſeptum eſt, unde ſales fodinæ mille paſſibus abſunt: vulgò dicitur *Altamonti*. Fuit terræ motu deformatum.

ALTONIUM, oppid. Angliæ, in Hantonia provinc.

ALTORFIA, oppid. German. in Franconia, cum caſtro & Academia recenti, à Norimbergenſibus excitata, A. C. 1579. prope *Schwarzach* fluviol. In limite Palatinatus ſuperioris. Etiam *Altorfium* & *Altorſum* dictum eſt. Olim ſub Comitibus celeberrimis quorum originem quidam referunt, ad Warinum Alemanniæ Principem & *Altorfii* Comitem, filium Eberhardi Alſatiæ Ducis. Hic Warinus pater dicitur fuiſſe Iſenbardi, duodecim Welforum genitoris, è quibus præcipuus Welfo Comes *Altorfii* & Ravensburgi nominatur. Hunc patrem fuiſſe volunt Judithæ uxoris Ludovici Pii Imperatoris, & Conradi Comitis: quo natus Conradus Dux partium Rhætiearum Juraniam, Comes Lingonum, Regum Burgundiæ conditor, & Ethico vel Henricus, a quo propagata Comitum *Altorfi* gens, cui in Welfo Ducatus Bavariæ acceſſit. Defecit autem familia in Welfo III. cujus ſoror Cunigundis, nupta Azoni Ateſtino vel Eſtenſi, in illam gentem, Welficum nomen intulit. Vide Phil. Jac. Spenerum in *Famil. Gallica*, & infrà in voce *Welſ.*

ALTORFUM, vulgò *Altorff*, vicus Helvetiæ, pagi Uraniorum, inter XIII Helvetiorum pagis præcipuus, ubi ſecundum Stumpfium *l.* 8. *de pace Tigur.* publici Gentis conventus haberi ſolent. Sunt eorum tamen ad Betzelingæ, qui locus mediæ horæ itinere ab Altorfo diſtat fieri docet, *Deſcr. Helvet.* Vide quoque *Altdorffium*, ut & ubi de *Urienſi Pago.*

ALTRICUM, ſeu ALTRIACUM, memoratum in *libro de Vita S. Amatoris Epiſcopi Autiſſiodor.* locus fuit ſeu vicus Galliæ, proximus Autiſſiodoro, & in conſpectu urbis, in quo Epiſcopi Autiſſiodorenſes ſepeliri ſoliti ſunt: hodie *Autri*. Hadr. Valeſ. in *Notit. Gall.* meminit quoque *Altriaci*, ad Axonam, quod *Autry* vocari vulgò ait.

ALTRINGAMUM, oppid. Angliæ, in Ceſtriæ provinc. propè amnem Ringay. In limite Lancaſtriæ.

ALTUM VILLARE, vel ALTUS-VILLARIS, locus & Monaſterium Galliæ, ad flumen Matronam, inter Sparnacum & Caſtellionem. Cujus auctor Nivardus fuit Remorum Antiſtes, circa A. C. 670. illudque Berchario Abbati, cum Baſilica B. Petri, multiſque prædiis ſuis donavit, ubi ipſe Monachique ejus ex præſcripto Columbani viverent, teſte Flodoardo. *Adſo* etiam auctor eſt, Bercharium, Childerico Francorum Rege ac Nivardo Epiſcopô adjuvantibus, in *Alto-villari* Cœnobium, in latere montis, duaſque Baſilicas condidiſſe, quæ à Nivardo, præſentibus provinciæ Optimatibus ac Antiſtitibus, ſint dedicatæ. Vulgò *Haut-villiers*, vel *Auvillers.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ALTUS, locus prope Theſſalonicam, *Steph.*

ALTUS-MONS, Monaſterium Belgii, in Hannonia, ad ripas Sabis fluminis, quo Ansbertum Epiſcopum Rotomagenſem Pippinus Dux ac Princeps Francorum relegavit. Vulgo *Haut-Mont*, locus eſt Melbodio oppid. Hannoniæ proximus, Monachi Benedicti inſtitutum ac regulas ſequuntur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ALTUS, Murus, Aliis *Alta villa*, urbs regni Neapolitani in Bariana provinc. Principatus titulô clara. Alias *Petilia* quibuſdam.

ALVA, Latin. *aſcenſio ejus*, ſive *prævaricatio ipſius*; civitas Idumæorum. Gen. *c.* 36. *v.* 40.

ALUACA, Mediæ oppidum. *Ptol.*

ALUAN, Latin. *ſuperius*, vel *excelſus*: aut Syriacè *perverſus*; filius Sobal. Gen. *c.* 36. *v.* 23.

ALVARADI, flumen Americæ, in nova Hiſpania & provincia de *Guaxaca*, in mare Boreale ſe exonerans.

ALVARILUS ſeu ALVARIDUS, Judex apud Arabes, ſeu Saracenos olim in Hiſpania. Vide ſuprà in voce *Alcaydus.*

ALVAROTUS, JCtus, Patavii natus, Leges ibidem publicè interpretatus eſt, nonnulliſque Commentariis relictis, prope ſeptuagenarius circa A. C. 1453. vitâ exceſſit. Hotomannus in *Prætermiſſis*, apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* Vide & *Jacobus Alvarotus.*

ALVARUS I Rex Congi præfuit, poſt Henricum Regem, è cujus Prædeceſſoribus primus Johannes, ſic in Baptiſmo nominatus, à Johanne II. Portugalliæ Rege A. C. 1491 ad Chriſtianam fidem converſus eſt. Sub eo Agages ſeu Jacchæ populi interioris Aſiæ feroſiſſimi, Regnum *Congo* invaſerunt, illudque ingenti exhauſtum cæde in poteſtatem redegerunt: Rege *Alvarô*, cum paucis, qui cladi ſuperfuêre, in exiguam Inſul. fluvii *Zaire* compulſo, ubi extremas ac ineffabiles ſuſtinuit ærumnas. Donec, devaſtati tam horrendum in modum Regni nunciô permotus Sebaſtianus, Luſitaniæ Rex miſſô cum copiis Franciſcô Govtâ, Jacchas iterum exturbaret, Alvarô reſtitutô A. C. 1560. & *ſeqq.* Ei ſucceſſit

ALVARUS II. circa A. C. 1580. Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 467. & 468.

ALVARUS Capralus, ab Emanuele, Luſitaniæ Rege in Indiam miſſus, detexit Braſiliam, A. C. 1500. poſtea ab Americo Veſpucio exactius viſam. Oſor. *l.* 2. Maffæus *l.* 2.

ALVARUS Didacus, Hiſpanus, patriâ Methymnenſis, ſive *de Medina*, Ord. Præd. Epiſcopus Tranenſis: *Ingenio candidus, moribus ſuavis, Theologus inſignis & in controverſiis de prædeſtinatione ut plurimum Orthodoxus*. Twiſſe *contra Corv. c.* 10. *ſect.* 2. Floruit ſub finem ſeculi præcedentis. Ejus extant *in Eſajam Commentarii*, 2. *Tom.* in 4. *Romæ. A. C.* 1599. 1600. 1609.

ALVARUS, vel ALVAREZ Franciſcus, Regis Luſitaniæ, ad Regem Abaſſenæ Legatus, veram incrementi Nili cauſam à Thraſyalce Thaſio per conjecturam indigitatam, ab Agatharchide exploratam traditam, ipſe αὐτόπτης confirmat, *Itiner. c.* 146. *In Abaſſena*, inquiens, *hyems incipit medio Junio, deſinit medio Septembri: toto tempore ingentes ſunt pluviæ, unde creſcit Nilus.*

ALVARUS, de Luna, 30. annorum ſpatiô, Johannis II. Caſtell. Regis gratiâ, & hinc opibus florens, tandem graviſſimorum criminum reus, capite plexus eſt, quod per aliquot dies in patina publicè expoſitum, ut ſepulturam emendicaret. Huic Aſtrologus prædixiſſe fertur, illum moriturum Cadahalſi, quod cum ille interpretaretur de loco ſuæ ditionis, iſte de ferali pegmate intellexit. Æn. Sylv. *deſcr. Europa*, *c.* 47. Mariana *l.* 20. 21. 22. Alius, Cordubenſis, Hiſtoricus, Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Lat. c.* 4. Item, Comes quidam ab Honorio II. excommunicatus. Spondan. *A. C.* 1217. Vide & *Franciſcus*, & *Pelagius.*

ALUCA, ſeu ALOTA, oppid. aliàs Corſicæ, nunc vicus in ora occidentali prope *ſinum Adjacenſem.*

ALUCITÆ, Tabernales, dicuntur Petronio apud Fulgentium, quos ipſemet *culices*, κώνωπας interpretatur: qui *tabernales*, à tabernis, h. e. *popinis*; quô ſolô ſenſu *tabernas*, Hadriani Imperatoris & *Petronii* temporibus etiam, ut videtur, appellabant. Notum enim de Hadriano illud,

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas
Culices pati, &c.

apud Spartian. *in Hadrian. c.* 16. ubi *tabernas* mox *popinas* interpretatur Cæſar. Locus Petronii eſt, *Nam centum alucitæ tabernales infeſtabant.* Vide Salmaſ. *ad Spartian. loc. cit.* & ſuprà *Alucita.*

ALVERNI, vel ARVERNI, aut AVERNI, populi Aquitaniæ, qui cum ſe à Trojanis oriundos eſſe dicerent audebant ſe Romanorum fratres appellare. Vide *Averni.*

ALVERNI, vulgò AUVERS, vicus non ignobilis Galliæ, in Velocaſſibus ad Iſaram, ſupra Bivam-Iſaræ. Ejus mentio in *Actis* Synodi Sueſſionis habitæ A. C. 861. quum Ludovicus Abbas Monaſterii S. Dionyſii *in Alvernis manſos duos*, præter cætera, Monachis ſuis attribuit, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ALVERNIA, provinc. Galliæ perampla. Dividitur in ſuperiorem & inferiorem, ejus primaria eſt Claromons. Vide *Arverna.*

ALVERNUS, mons Tuſciæ, in Italia, & agro Florentino.

ALVERTONIA, oppid. Angliæ in Eboracenſi provinc. ad Uvilcam fluv.

ALVEUS, in quo Veteres lavabant, occurrit apud Jul. Capitolin. *in Clodio Albino*: c. 5. *Fuit & aliud ſignum futuri Imperii. Nam cum Cæſariana familia hoc ſpeciale habuerit, ut parvuli domus ejus in teſtudineis alveis lavarentur, nato infantulo teſtudo ingens patri ejus munere piſcatoris oblata eſt: quod ille homo literatus omen accipiens & teſtudinem libenter accepit & eam curari juſſit, atque infantulo ad excalationem, pueriles dicam, nobilitandum etiam hoc ſperans.* Imo non pueri ſolùm in alveis, ſed olim etiam viri lavabantur, illâ Veterum duritie ac parcitate, cùm balnea nondum luxuries inveniſſet aut inveniſſet. Sed & *Alvei* in balneis, qui Græcis ἐμβάσεις, Latinis *Deſcenſiones*, recentioribus Græciæ incolis σκάφαι, unde σκαφολουτρίαι & σκαφολουτρον. Dicebantur & Τ... vel Σκάφαι, &c. Pueriles verò *Alveos*, in quibus infantes excaldabantur, quod attinet, & illi σκάφη & σκαφιστήρια Græcis dicebantur: etiam *ſcaphiſterus* Latinis. *Gloſſæ*, σκαφιστήριον, *ſcaphiſterium.* Aldhelmo *Capiſterium* meminit, de *Laudib. Virgin.* ubi *Capiſterium* eſt, pro *ſcapiſterium* vel *ſcaphiſterium*: quemadmodum & reperitur *caſteria*, pro *ſcaſteria*, h. e. σκαφιστήρια, apud Plautum *Aſinar. Act.* 2. *ſc.* 1. & Nonium *in Caſteria.* Niſi fortè *ſcaphiſterium* magis alii poſitum eſt pro *alveo*, in quo infantulis lineamenta lavabantur. Vide Salmaſ. *Not. ad Capitolin. loc. cit.* Alias *Solium*, & Græcè quoque πύελος. Quâ voce poſteriore etiam *Alvei* dicti, quibus cadavera ſua Perſæ Græci, aliique, qui corpora defunctorum non cremabant, ſolebant condere. Erant illi ex lapide ut plurimum facti, cui natura eſt corpora citò abſumere, qualis fuit Aſſius lapis, quem & σαρκοφάγον propterea Græci nuncuparunt. Vide infrà in hac voce. Poſtea tamen manſit σαρκοφάγου appellatio quibuſlibet mortuorum loculis etiamſi ex alia materia fierent; hodieque Galli *ſarcolium* quamvis ſepulchralem arcam appellant, voce ex *ſarcophagulus* detortâ. Porrò hi *Alvei*, ad modulum corporis facti erant, ac totum cadaver, quàm longum erat, recipere potuerunt; hinc ab *urnis*, in quibus cineres cadaverum crematorum apud Romanos condebantur, diverſi. Habuêre autem ſimilitudinem ſolii ſeu alvei, in quo lavabantur, unde nomen. Vulgò Galli dicunt *une Auge*, ex Latino ſequioris ſeculi *Albeum*, pro *Alveo*. Sic πύελον, in qua Cyri corpus jacebat, Curtius *ſolium*, h. e. *alveum*, eſt interpretatus *l.* 10. *c.* 1. Et Florus *l.* 4. *c.* 11. de Cleopatra, *Ibi maximos — induta cultus in differto odoribus ſolio, juxta ſuum ſe collocavit Antonium.* Similiter *fictilibus ſoliis multos condi maluiſſe*, Plinius ait, *l.* 35. *c.* 12. Et in ſolio, è chernite lapide facto, Darii corpus quieviſſe, ſcribit Theophraſtus *de Lapid.* Vide quoque infra in vocibus *Arca* & *Solium*: Et plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1203. & 1204.

ALVEUS Luſorius, memoratur Plinio *l.* 37. *c.* 2. ex actis triumphorum Pompeji Magni: *Tranſtulit alveum cum teſſeris luſorium è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor*; tertia enim pars longitudinis adjiciebatur ut plurimum in illis luſoriis alveis fabricandis, cujuſmodi etiam hodieque forma noſtrorum alveolorum eſt, quæ *tablaria* dicimus. Aliter *Tabula Luſoria*, unde ipſe ludus, qui alias *Alea*, *Tabula* quoque appellatus eſt, quo nomine totam ludi complexionem intelligunt Auctores, teſſeris calculiſque conſtantem & in tabula ſeu alveo luſitari conſuetam: Tria namque totum hunc conſtituebant ludum, teſſeræ & calculi, cum tabula lineis XII. conſcripta. Græcis Ἀβάκιον & πλινθίον πεσσευτικόν: Cujuſmodi *Alvei* ſeu Tabulæ veteris Luſoriæ formam, ex *Theſauro Antiqq. Inſcript.* Gruteri prolatam, ſubjicit curioſi Lectoris oculis, apud Vopiſcum in *Proculo* c. 13. Salmaſius, cujus inſcriptio ſic habet mixobarbara:

ΟΔΕ ΠΕΖΩΝ
ΤΟΝ ΙCΤΑ
ΒΩΛΙΑ
ΙC ΧC
ΝΙ ΚΑ
ΚΕ ΒΟΙΘΙ ΤΟΥC ΓΡΑ
ΦΑΝΤΑC ΑΦΤΟΝ
ΚΑΙ ΠΕΖΟΝ
ΤΑC ΙC ΤΑ
ΒΟΛΙΑ
ΑΜΗΝ

Quæ verba ita conſtituenda eſſe ait: Ὧδε παιζόντων εἰς τὰ βόλια Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ καὶ βοηθεῖ τοῖς γράψασιν αὐτὸ καὶ παίζουσιν εἰς τὰ βόλια. E quibus apparet, hanc tabulam Chriſtiani hominis fuiſſe. Nam & crucem in medio figendam curavit & Chriſti, nomen IC XC. ſcribendum, parum Chriſtianè; Impiè quoque *adjutorem illum futurum dicit ludentibus aleam*, legibus veritam bonisque moribus contrariam; omnibus olim Chriſtianis impermiſſam; poſteaque ſolis interdictam Clericis, ut diximus ſuprà, in *Alea*; & plura infrà, ubi de *Tabula Luſoria*, ſeu *Teſſeraria.*

ALUL, aliàs HALUL, civitas in tribu Juda, *Joſ.* c. 15. v. 58.

ALUMBRADOS, vide *Illuminati.*

ALUMEN, apud *Dioſcoridem*, ἄριστον δὲ ὑπάρχει ἡ σχιστὴ καὶ ταύτης ἡ πρόσφατος καὶ λευκοτάτη, *optimum eſt ſciſſile, & quidem recens ac candidum valde.* Quod de liquida potius accipi vult Salmaſ. cujus probatio, *ut ſit limpidum, lacteum, ſine offenſis fricanti, cum quodam igniculo caloris*, Plin. *l.* 35. *c.* 15. Inde *inalumnatæ margaritæ*, quæ limpidi ſunt & liquidè candoris, ut eſt liquidum alumen. Eo etiam inficiebantur lanæ colore clarô. Idem, *Quoniam inficiendis clarò colore lanis candidum liquidumque utiliſſimum.* Unde & margaritæ *claræ* dictæ, quæ *inalumnatæ*. Sed & pelles *inalumnabantur*, ut candorem clarum acciperent. Idem *ibid.* Unde *aluminata*, pelles confectæ & *alutæ*. Servius, *Unde & aluta pellis alba per naturam.* Imò per alumen. Nam & *alutam* Latini *alumen* dixêre. Sed & Aluminis genus eſt, quod inficit, ut galla, hinc fuſcis & obſcuris lanis coriiſque inficiendis legimus adhibitum, &c. Vide Salmaſ. *ad Solinum paſſim, imprimis p.* 1166. Porrò *Alumine* illitas legimus in hiſtoriis turres bellicas, ne ignem conciperent. Amm. Marcellin. *l.* 20. *c.* 11. *Machinas Romanorum Perſæ, exurere vi maxima nitebantur, & aſſiduis malleolis & incendiariis telis torquentes laborabant incaſſum: eo re, quod humentia ſcorta & centonibus erant opertæ materiæ plures, aliæ unctiæ alumine diligenter, ut ignis per eas laberetur.* Et certè inungendi *Alumine* materias quorum inolevisse, etiam alibi videmus. Ex *Alumine Æs* factitium, aſſervatur in Muſæo Kircheriano Romæ. Vide Georgium de Sepibus in Collegii Romani Societatis Jeſu *Muſæo*, & ſuprà in voce *Æs.*

ALUMNA, epitheton Cereris, quod frugum beneficiô alantur homines, Martian. Capella *l.* 2. ſive, ut alii volunt, quod terra omnes nutriat. Orpheus in *hymnis*,

> Γῆ μήτηρ πάντων, Δημήτηρ πλουτοδότειρα.
> *Terra mater omnium, Ceres cunctis ſuppeditans.*

Auctor *Carminis ad Meſſalam*,

> ...... Communis Alumna
> *Omnibus injectis ultrà cumulatur arenis.*

ALUNTIUM, oppid. Siciliæ Ἀλοντίον *Ptol.* Ἀλόντιον verò *Philiſtido, Dionyſ. Diodoro Sic.* imo Cicer. *Verr.* 4. & Plin. *l.* 3. *c.* 8. Aliis *Halontium*. *Alontium* autem ex עליות aloth, *Aluntium* ex עליות aluth factum putat Bochart. *in Chanaan l.* 1. *c.* 27. *Aloth* vero & *Aluth* idem ſunt; niſi quod prius Ebræum, alterum eſt Phœnicium. Tale quid occurrit in Plauti Pœnulo *Act.* 5. *ſc.* 1. *alonim Dea*, & *bunyth filia.* Adde *beryth*, puteos. Unde Regibus apud Syros עליות aluth. i. e. *celſa*, *ſub.* מקומות *mecomoth*, *loca*. Itaque Aluntio nomen à ſitu. Erat enim in loco edito. Cicero *Verrinâ quartâ. Cùm Aluntium veniſſet prætor laborioſus & diligens, ipſe in oppidum accedere noluit, quod erat difficile aſcenſu.* Th. Fazellus *Dec.* 1. *l.* 9. *c.* 4. *In colle edito, & mari prominenti, infra S. Philadelphi oppidum, Aluntium vetuſta urbs jacet.* Rectè *vetuſtam* appellat, cùm Trojanis temporibus putetur jam ſtetiſſe. Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. ubi de Æneæ profectione in Italiam, ... Vide Cluver. *Sicil. Antiq. p.* 293. *Nic. Lloydius.*

ALUONA, Liburniæ urbs. *Ptol.* longitud. 36. 50. latitud. 45. 30.

ALUS, ſeu ALUUS, vel HALUS, Arcadiæ vicus, quem *Æſculapii fanum* quoque vocant. Pauſan. *in Arcad.* quanquam ibi potius legendum ſit *Caus*, ut ex *Stephano* oſtendit *Sylburgius.*

ALUS, Latinè *commiſtio*, ſeu *aſperſio*, locus ad quem deſcenderunt filii Iſraëlis proficiſcentes in terram Chanaan. Num. c. 33. v. 13.

ALUTA, Daciæ fluv. *Ptol.* *Aluata Mercatori.* *Lazius* & *Sambucus* ſcribunt, *Olt* Hungaris, & *Alth* Germanis dict.

ALUTÆ, Gentes Illyricæ in conventu Scardonico. Plin. *l.* 3. *c.* 21.

ALUTARII, vide infrà *corilribuarii*

ALUTRENSES, Alpini populi Plin. *l.* 3. *c.* 19. *Ledro* oppid. putat *Simlerus*, à quo *Ledrones Comites.*

ALUVA, vulgò ALWAY, oppid. Scotiæ Auſtralis juxta Tavi æſtuarium, in Fifa provinc.

ALUUM, Hiſtriæ oppid. mediterraneum, *Aligna Leandro.* Vulgò *Albona.*

ALYATTA, regio Bithyniæ, ἀπὸ Ἀλυάττου τοῦ ... *Steph.* Inde *Alyattenus.*

ALYATTES I. Lydorum, ex Heraclidis, ſeu Dynaſtiæ II. Rex XX. ſucceſſit Ardyſo, regnavit ann. 14. Eum excepit Meles. Euſebius *in Chron.* num 1229. Vide *Ardyſus*, it. *Meles.*

ALYATTES, Lydorum Rex Mermnadarum, quæ tertia Dynaſtia, III. poſt Sadiatten, Crœſi pater, Cimmerios Aſiâ pepulit, cum Medis bella geſſit, obiit, in bello contra Mileſios, *A. M.* 3406. regni 35. Uſus fertur in exercitu Muſicis inſtrumentis. Herodot. *l.* 1. Euſeb *Chron.* Huic extructum eſt monumentum apud Sardos, maximâ impendii parte ab ancillis, quæ omnes apud Lydos corpore quæſtum faciunt, in hoc opus collatâ. *Nic. Lloydius.* Circa ejus tempora Cyaxares III. à Scythis victus Medis, & Necho Ægyptus adhuc imperitabant: Draco autem Legiſlator Athenis florebat. Poſt ſexennale bellum cum Cyaxare præfecto *ſub Eclipſi* cum eo pactus eſt: Cimmerios, qui ſub avo ejus Ardye, Sardes ceperant, jam demum ex Aſia pepulit, Strabo *l.* 13. regnavit ann. 57. dum in Media Aſtyages IV. Cyaxaris in Ægypto Pſammis, Apries, Amaſis Nechoni ſucceſſere. Eum excepit fil. Crœſus, Joh. Marshamus *Chron. Can. ad Sec.* XVIII. Inde *Regnum Alyattei* apud Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 16. pro ditiſſimo, quanquam ibi poſſet aliquis legere *Alyattei*, ut *Ulyſſei*, *Achillei.*

ALYBA, regio non procul à Myſia. Homer. *Iliad.* 2.

> Αὐτὰρ Ἁλιζώνων Ὀδίος καὶ Ἐπίστροφος ἦρχον,
> Τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης, ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη.

Hellanicus ſcribit, eſſe paludem Ponticam. Vide *Chalybes.*

ALYBAS, aliàs Metapontium, in Italiâ, vel Thr... ci itas, Inde *Alybantus*, *Steph.*

ALYBE, una ex Herculis columnis. Vide *Abyla.*

ALYCÆA, Arcadiæ oppid. Pauſan. *l.* 8.

ALYCÆUS, Scironis fil. qui à Theſeo interfectus, locô Megarenſis agri nomen dedit. *Plut. in Theſeo.* Item urbs Peloponneſi. *Steph.*

ALYCHME, urbs in quâ *Alychmius* Mercurius colitur. *Steph.*

ALYDDA, Phrygiæ majoris oppid. *Ptol.* [illegible] hodiè; longitud. 56. 00. latitud. 41. 10.

ALYMNE, urbs Phrygiæ majoris. *Steph.*

ALYRUMNÆ, apud Jornandem *de Rebus Get. c. 24. Reperit in populo ſuo quaſdam magas mulieres, quas patrio ſermone is ipſe Alyrumnas cognominat.* Magæ fuêre apud Gothos; quô à nomine etiam num Germani magas *Alrunas* vocant, à voce *Runa*, ut vult Ol. Wormius in *Monum. Danicis p. 524. 525.* in *Literatura Runica c. 3.* & in *Faſtis Danicis l. 1. c. 1. & l. 3. c. 3.* ubi *Runas* ait Danos literas ſuas, figurarum ductibus à cæteris aliis diſcrepantes, olim generatim vocaſſe; quarum quibusdam, ad res geſtas conſignandas & ad ſcribendum; aliis ad Magicas incantationes ac præſtigias; Veteres alios uſos fuiſſe addit. Hinc vero *Ram Runer* literas iſtas, h. e. *Runas amaras* ſeu *acerbas*, utpote in perniciem aliorum plerumque earum abuſu cedentes, dictas eſſe aſſerit: eos autem, qui iterant inſtructi, quique Aſtronomiæ & Magiæ operam dabant, *Runer*; item *Adelrunar*, quod in re literaria ceteris præcellerent, eſſe appellatos, nomine ipſis quoque ſcientiæ harum rerum peritis, tributo: è quo vocem *Alrunas*, *Alrunimo* & *Alirunnas* effinxerint Scriptores, ſeu potius depravaverint. *Rytharum* ſanè nomen literis omnibus Danicis attributum conſtat, iſtas tandem in oblongioribus baculis, *Stocklaeffle* de his, non atramenti, pigmenti aut colore illeviſſe; verum cultellis incidiſſe, docet præter Fortunatum Saxo Grammaticus *l. 4.* & *Brynolffus Notis in Saxonem MSS.* apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà ubi de *Runicis Literis.*

ALYSIUS, Bacchus, ἀπὸ τοῦ λύειν, i. e. à *ſolvendo*, ſic dictus. Cæl. Rhodig. *l. 7. c. 15.*

ALYSIUS *Jupiter*, colebatur in quodam Cretæ promontorio, ubi locus templum habuit celebre: ſic dictus [illegible].

ALYSONII, populi, quos cum Myſis, & Lydis, & Cabaliis, & Hygennenſibus conjungit Herodot. *l. 3.*

ALYSSUS, fons Arcadiæ in Peloponneſo, morſus rabidi canis ſanans. Pauſan. *in Arcad.* [illegible] h. e. *Abeſt ab oppido ſtadia haud amplius duo fons perennis aquæ, & fontem obumbrat platanus. Si quis ex rabidi canis morſu, vel vulnus, vel ſimile quidvis malum contraxerit, aquâ hauſtâ ſtatim ſanatur; & ex ea re fontem Alyſſon* (quòd per eum tollatur rabies nimirum ab α privativo, & λυσσᾶν *inſanire*) *nominant.*

ALYTARCHA, Græca vox Ἀλυτάρχης, *præſidens ad Spectacula. Sacerdos erat Antiochiæ, cujus officium ἀλυταρχία dicebatur*, Car. Macer *Hierolex.* Occurrit vox in *leg. 2. Cod. Theodoſ. de Equis Curul.* ubi *Alytarchæ* Verbo *Phœnarcho*, Cujacio & Jacobo Gothofredo dicta ſunt, qui ludos in honorem Deorum celebrari ſolitos, [illegible], h. e. [illegible] præeſſent. Nam *Rhabdophoros* ſeu *Maſtigophoros* ab Eleis Ἀλύτας vocatos ſcribit Auctor Etymologici. At Petrus Faber *Semeſtr. l. 1. c. 18.* ab ἀλύειν, quod eſt *lætari*, *exultare*, vocabuli originem arceſſit; ut eſſe *Alytarchas* appellatos, quaſi publicæ voluptatis *Arbitros* ſeu *Tribunos voluptatum*, uti quoque appellabantur. Namque in ludis uſu veniebat, ut lætarentur, exultarent ac præ gaudio diſſolverentur ſpectatores, vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Auctor *Etymologici* Ἀλυτάρχης ὁ τῆς ἐν τῷ ὀλυμπιακῷ ἀγῶνι [illegible] ἄρχων. In Syria Ludorum Præſidem Sacerdotem, ſic vocatum eſſe, notat Cujacius *Obſervat. l. 2. c. 13.* apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* Vide eundem Cujacium ad *l. 1. Cod. de Offic. Com. Orient.*

ALYXOTHOE, filia Dymantis, in Ovid. exſtat *Met. l. 11. Fab. 11.* [illegible]

> *Quamvis eſt* [illegible] *cum Dymante,*
> *Æſacon umbroſa furtim peperiſſe ſub Ida*
> *Fertur Alyxothoe.*

Hæc ex Priamo peperit Æſacum, qui poſtea in mergum, cùm Heſperiæ amore arderet, verſus eſt. Vide fabulam apud Ovid. *ubi ſupra. Nic. Lloydius.*

ALZAA, vulgò *Alzheim*, oppid. in Palatinatu Rheni, 3 leuck. Moguntiâ Vormatiaque diſtans. Malè habitum ultimo bello Germanico.

ALZAHER, vel ALTHAHER BILA, Calipha Perſarum ſucceſſit Patri Naſero, unicumque annum regnavit. A. C. 1225. Texeira 2. c. 52.

ALZATREC, Mauritanis latrunculorum ludus eſt, ex articulo Arabico *al* & Græcâ voce *Zatrikion*, quâ hæc in gente recentiori ex ludum hunc dictum eſſe, oſtendunt Eruditi. Græcis enim debere hunc ludum nemo amplius ignorat; à quibus ad Perſas [illegible] cùm nominæ tranſiit, quibus *Xatreng* vel *Xatrang* hodieque ludus hic appellatur. Hiſpani *Axedrez* vocant, voce à Mauritaniis manatâ, qui voces pene innumerabiles è Græco & Latino in ſuam linguam traduxerunt. Salmaſ. *de Solin. p. 1130.* Vide infrà in voce *Latrunculorum ludus*, item *Zatrikion.*

ALZILA, vide ſuprà *Alor.*

AM, urbs Armeniæ, in qua fuêre 1000. ædes, 1000. templa. Capta à Tartaris A. C. 1219. duodecimò ſaltem obſidionis die. Vincent. *l. 5. c. 95.* Antonin. *tit. 19. c. 3. § 9.*

AMA, Græcè Ἄμη, Latinè *Batillus*, ſeu potius *Vatillum.* Duas autem res ἄμη ſignificabat, olim apud Græcos, & inſtrumentum fodiendi [illegible] eſt & illud [illegible] ad ignem paratum eſt, & vaſ [illegible] juxta aptum, ſicut planè & σκάφη & [illegible]: nam [illegible] & ἄμη idem. Poſtea Græci, ut diſtinguerent ἄμην, quæ ad ignem miniſtrat, ab illa, quæ fodiendi eſt inſtrumentum, illam [illegible] vocaverunt, hanc verò ſimplex nomen habere; quod prius: donec lapſu temporis [illegible] etiam dici cœpit illud inſtrumentum, quod propriè ἄμην dicebant, nec igni ſerviebat, ſed fodiendæ terræ adhibebatur. Unde ad *Ariſtophanis* illud,

> [illegible]

ἄμας, inquit Scholiaſtes, [illegible]. *Ama* igitur foſſorium inſtrumentum: Polluci inter agricolarum *Organa*, *l. 10.* & *Iſidoro*, inter inſtrumenta hortorum; apud quem perperam eruditi nonnulli viri *amam* accipiunt inſtrumentum reſtinguendo incendio, cujus apud JCtos mentio. Gall. *Une pale de fer, ou un hochet.* [illegible] appellant quoque Græci, Latini *upupam* etiam, vel *opupam* uti docet Salmaſ. *ad Plauti locum in Captivis, Act. 5. ſc. 4.* ubi de ſervo in lapidicinas dato, ait Comicus,

> *Nam ubi illò adveni, quaſi patricii pueri aut monedulæ,*
> *Aut anates aut coturnices — — —*
> *Itidem hæc mihi advenienti upupa, qui me delectet, data eſt.*

Quamvis *upupa* non eâ quidem planè formâ, nec idem inſtrumentum cum *ama*: Nam hæc ad terram fodiendam & lævandam, unde [illegible] expōnitur à Grammaticis: illa ad eruendos lapides & acuta, & non malè ſcitè ſic upupa caput cum roſtro, &c. *Hamæ* vero, quarum in reſtinguendis incendiis uſus, quod conceruit; ſunt illæ vaſa ampla, ad continendam aquam, quæ ſiphonibus inde hauriebatur & exprimebatur, ad ignem reſtinguendum: quam ob rem *ſiphones* & *hamas* junctim poſuit Plinius *l. 10. Ep. 42.* Habebantur hæ aquâ plenæ & ſiphones juxta parati, in publico poſiti, unde *diſpoſitas hamas* dixit Juvenal. *Sat. 14. v. 305.* quæ ſemper cum aqua ſemper in publico ſtabant. Vide infrà in voce *Hama.* Adeoque hama vas aquarium & Græcis quoque ἄμη: ut ex *Heſychio* diſcimus & diminutivo ejus ἄμιον. Cato certè *de R. R. c. 135.* hamas cum urnis & urceis nominat: & *amarum argentearum* ſingulis ferè paginis mentio eſt, apud *Anaſtaſium Bibliothec.* inter ſcyphos, patenas, & calices; vide imprimis eum in *Sylveſtro.* Papiæ *Amæ ſunt vaſa, in quibus ſacra oblatio continetur, ut vinum.* Quâ notione etiam diminutivum *Amula* ſumitur, in *Ordin. Roman.* alibique paſſim. Quare Dominic. Macer, *Am* vel *Amula*, inquit, *Italicè Ampollina, vas eſt ad uſum Altaris ſacrificii.* Addit frater ejus Carolus, *Urceolus, Græci Ceraſophoron vocant — è quo vocabulo Græci fortaſſe* [illegible] *vocant vinum Sacrificio deſtinatum, quaſi in ama, i. e. urceolo poſitum*, in *Hierolexico*, &c. Eſt inſuper apud recentiores, *Ama*, vas vinarium, & *Hama*, majus dolium vinarium, unde Germani *Ahme.* Nec omittendum, quod circa ſignificatum *Hamæ*, quod inſtrumentum incendio ſedando adhiberi ſolitum diximus intelligi, obſervat Luc. Holſtenius *Notis ad Paſſion. SS. Perpetuæ & Felicitatis*, qui *Amas* non vult fuiſſe vaſa aquaria, ut *Salmaſium* docere viſimus, ſed falces grandiores ſeu ferramenta recurva, longiſſimis contis inſita, qualia incendii compeſcendi aut extinguendi cauſâ paſſim in Galliis alibique conſpiciuntur: Quæ cauſa eſt, inquit, quod *l. 12. § 18. Dig. de Inſtruct. leg. amas* & *harpagones* conjungit.

AMAA, ſeu AMNIA, Plinio, *l. 4. c. 22.* urbs Luſitaniæ, quæ nunc *Portus alacris*, vulgò *Portalegre* nominatur.

AMAAD, Latin. *populus teſtimonii*, aut *populi tranſitus*: vel *prædæ*, ſive *populus æternitatis*; civitas tribus Aſer. Joſuæ *c. 19. v. 26.*

AMACASTIS, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

AMACAUM, vulgò *Macao*, urbs Sinarum in ora provinc. *Canton*, in Inſul. ſub ditione Luſitanorum, emporium celebre & dives. Aliis *Amacao.* Munita eſt, ſub clientela tamen Regis Sinarum [illegible]. Receptam à Sinenſibus A. C. 1668. referunt Europæi, unde reduces.

AMACAXI, ſeu AMACACHES, populi Americæ in Braſilia regione, in mediterraneis, verſus præfecturam fluv. Januarii.

AMACCURA, Africæ urbs *D. Auguſtino.*

AMACHAN, Arabum caſtrum. *Hiſt. Miſcell. l. 23.*

AMACI, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi. *Ptol.*

AMACTION, Præfectus regiæ cohortis, in exercitu Seleuci, apud Polyæn. *l. 4. c. 9.* in *Seleuco.*

AMACUSA, Inſul. oblonga, & provinc. Japoniæ Inſul. in Aſia, cum urbe cognomine in ea parte, quæ *Ximo* dicitur. Aliàs incolis referta Chriſtianis.

AMADABATUM, urbs Aſiæ in India. Vide *Amadabathum.*

AMADATHI, Latinè *conturbans legem*, vel *menſura* Hebraicè *Ammadatha.* Pater Aman. Eſther. *c. 3. v. 1.*

AMADEUS, Sabaudiæ Dux. Porrò Sabaudiæ Ducum nomen *Aimé* (i. e. *Amatus*, ut *René* eſt *Renatus*) Latinè vocatur *Amadeus*, quaſi *amans Deum*: ut *Theophilus.* Utuntur nunc ferè *Amé*, ut differat [illegible] *Amie* mulierum nomine. Vide *Amedeus.*

AMADOCA, palus & civitas Sarmatiæ Europææ, ad Boryſthenem, fortè nunc *Kiow.* Item *Amadoci* montes & populi in eadem Sarmatia. *Ptol. Steph.* [illegible] vocat, ac terram eorum Ἀμαδοκίαν.

AMADOCUS, Rex Thraciæ, qui cùm Seuthæ vires exercitus tradidiſſet, ab eo everſus eſt. Ariſtot. *l. 5. Polit. c. 10.* Diodor. *Sic.* hunc vocat *Medocum.* Videatur Xenophon *l. 4. Anab.*

AMAE, [illegible]. Vide Seldenum *de diis Syris. p. 207.*

AMAGABARI, vide ſuprà in voce *Almugavari.*

AMAGE, Medoſacci, Sarmatarum Regis uxor, juſtitiâ & fortitudine inſignis, De quâ Polyæn. *l. 8. c. 56.*

AMAGETROBIA, vulgò *Margivers*, urbs Galliæ. Alii ſcribunt *Magetobria*, *Magſtat*, urbs Lotharingiæ. Quidam libri habent *Admagetobriæ*, linguâ veteri Gallicâ *an Magrentobel.* Vide *Magetobria.*

AMAGRIA, Inſul. Maris Baltici Hafniæ Urbi primariæ Daniæ adjacens ab Oriente, nutrix ejus dicta, eique ponte juncta.

AMAGUANA, Inſul. Americæ Septentrionalis & una ex Lucaiis Inſulis ſupra Hiſpaniolam.

AMAHALOTH, Hebræis dicuntur *Pſalmi graduum & aſcenſionis*, qui videl. tum canebantur, cùm aſcendebantur quindecim Templi Salomonici gradus; quales fuêre Pſalmi illi quindecim à Pſalmo 120. uſque ad 135. Vide Buxtorfium *in Lexic. Hebr.*

AMAIA, urbs Epiſcopalis Hiſpan. Tarraconenſis in Cantabris, inter Burgos & Legionem; ubi Leovigildus, Gothorum Rex, Romanos fudit. Aliis videtur *La Maya* oppidum in Vaccæis.

AMAL, Latin. *labor aut iniquitas* Fil. Helem 1 Paral. c. 7. v. 35.

AMALABERGA, filia Amalefredæ, ſoror Theodorici Regis Oſtrogothor. vidua Thraſimondi. Vandal. Regis nupſit Hermenfrido, cui Baſinus, Thuringiæ Rex, Pater, cum duobus fratribus Baderico & Bertero ditiones partiendas reliquerat. Huic, qui jam Badericum necaverat, menſæ dimidiâ tantum parte tectâ commentô, animos addidit uxor, ut fœdere cum Theobaldo Rege Metenſium ictô, Bertierum quoque è medio tolleret. Quod factum. Sed fratricida mox in Theobaldum verſus, ab eo, Clotarii Sueſſionum Regis ope adjuto, victus & præcipitiô necatus eſt, oxore ad cognatos vix fugâ elapsâ. Gregor. Turonenſ. *l.* 3. *c.* 4. & 7. Aimoin. *l.* 2. *c.* 9 *P. Æmil.*

AMALARICUS, poſt Geſalricum ſub tutela primum avi ſui Theodorici Veronenſis Oſtrogothorum Regis fuit; adultus Gothorum in Hiſpania Rex XII. Clotildem uxorem, Clodovæi filiam ipſe Arianus, malè tractavit, à fratribus proin ejus victus. Obiit in fuga, A. C. 531. Gregor. Turonenſ. *l.* 3. *c.* 10. Iſid. *Chron. Goth.* Procop. *l.* 1. Grotius *Præfat. in Hiſtoriam Vandalo-Gothicam*, alii. Eum excepit Theudis.

AMALARICUS Augerius, Hiſtoricus ſub Urbano V. cui Chronicon alphabeticum Paparum dedicavit. Voſſ. de *Hiſt. Lat.* *l.* 3. *c.* 1.

AMALARIUS Fortunatus, Epiſcopus Trevirenſis, obiit A. C. 814. poſtquam tractatum ſuum, *de Baptiſmo*, Carolo M. obtuliſſet. Brouverius, *de Epiſc. Trevir.* Sirmondus, *in notis ad Theod. Aurel.*

AMALARIUS Fortunatus, Diſcipulus Alcuini, ſub Ludovico Pio, à quo ad Gregor. IV. miſſus eſt, A. C. 830. Spondan. *in Epitome A.* C. 831. n. 2. Steph. Durandus, *l.* 3. *de Ritibus Eccl.* c. 27. Bellarm. *de Script. Eccl.* Fuit diaconus Metenſis, ſcripſitque *libros* 4. *de Eccleſiaſticis officiis.* Item *de Ordine Antiphonarii.*

AMALASUNTHA, Theodorici ſeu *Theoderici*, Oſtrogothorum in Italia Regis I. filia, Græcè Latinéque perdocta, ut & plurimarum aliarum linguarum perita; ex Eutharico Cilliga, Athalarici Gothorum Regis II. mater, cum quâ imperavit ipſe fil. 8. annos. Hæc, mortuô filiô, A. C. 634. Theodatum cognatum in conſortem imperii legit. Verùm ingratus hic ac perfidus, eam paullò poſt relegavit, tandem etiam obtruncari juſſit, A. C. præfatô. Cujus mortem Juſtinianus Imperator ulturus, Beliſarium contra Gothos miſit, illoſque graviſſimis cladibus affecit. Procop. *l.* 1. *de bell. Goth.* Caſſiodor. *l.* 10. *ep.* 2. 3. 4. & *l.* 11. *ep.* 13. *Jornandes.* Succeſſit Theodatus, quem vide.

AMALCHIUM, Oceani ſeptentrionalis pars, quam vulgò mare glaciatum vocant. Plin. *l.* 4. *c.* 13.

AMALECH, Latin. *populus lambens*; vel ex Ebræo & Syro, *populus percutiens*; Fil. Eliphaz ex Thamna concubina. Gen. *c.* 36. v. 12. Erat autem nepos Eſau. A quo *Amalechitæ*, pars Idumæorum vicini Judææ, verſus meridiem, maledictioni divinitus deſtinati, vide Gen. *c.* 14. v. 7. Exod. *c.* 17. v. 8. 9. 10. Deuteron. *c.* 25. v. 17. 18. 1 Sam. *c.* 15. v. 7. 8. 1 Paral. *c.* 1. v. 36. Joſeph. *l.* 2. *Jud. Ant.* c. 1. *Stephano* [illegible] vocat. De his Joſeph. *Jud. Ant. l.* 3. *c.* 2. [illegible]

Hanc Amalechitarum in Iſraelem cum vicinis conjurationem innuit Pſalmiſta, Pſ. 83. v. 8. Quam ſic in Paraphraſi ſua expreſſit *Vir doctiſſimus undequaque* Dionyſius Petavius:

[illegible]

Jacobus Dupontus, Græcorum Poëtarum noſtri ſeculi [illegible]:

[illegible]

Et ante utrumque Apollinarius. *Pſ.* 82.

[illegible]

Nic. Lloydius.

AMALI, gens olim in Gothos nobiliſſima cui ſervierunt Oſtrogothi Ejus meminit Jornandes *de Rebus Getic.* *Ordinant ſuper ſe Regem Alaricum, cui erat poſt Amalos ſecunda nobilitas.* Et paulo poſt, *Quis namque de Amalo dubitaret, ſi vacaſſet eligere.* Sub finem, *Hucuſque Getarum origo & Amalorum nobilitas.* Vide quoque Senatorem *l.* 4. *Ep.* 39. *l.* 5. *Ep.* 43. *l.* 8. *Ep.* 9. *l.* 9. *Ep.* 1. & 25. *l.* 10. *Ep.* 3. *l.* 12. *Ep.* 1. & 15. Atque inde fluxêre nomina *Amalaburge*, *Amalafreda*, *Amalarici*, *Amalaſunta*, & ſimilia Principum virorum fœminarumque, in hac celebri gente, apud Jornandem alioſque, qui de *Rebus Gothicis* ſcripſêre, ut docet Car. du Freſne *Gloſſar.*

AMALOBRICA, Hiſpaniæ urbs inter Salmanticam & Complutum. *Antonin.*

AMALON, Campaniæ Dux, à puella, cui vim illaturus erat, in cubiculo occiſus. Gregor. Turonenſ. *l.* 4. *c.* 27.

AMALPHIS, urbs Archiepiſcopalis Italiæ, ubi Joannes Goia, ſed habet *Ferrar.* Flavius Gioja, primus uſum pyxidis nauticæ invenit, circa A. C. 1320. unde *Panormitanus*:

Prima dedit nobis uſum magnetis Amalphis.

Vide Lipenium *de navigatione Salomonis Ophiritica*, p. 394. longitud. 38. 33. latitud. 40. 52. In Principatu citeriori provinc. regni Neapolitani cum titulo Ducatus. Vulgo *Amalphi.* Gall. *Melfi.* Alia tamen *Melfi*, Latin. *Melphia*, urbs Epiſcopalis Baſilicatæ eſt.

AMALTHEA, nutrix Jovis. Meliſſus cujus Rex Cretæ duas filias habuit, Amaltheam & Meliſſam, quæ Jovem caprino lacte & melle nutriverunt. Alii dicunt nutricem eam fuiſſe capram, & Amaltheam dictam; Meliſſi autem filias Adraſteam & Idam faciunt. Hæ nutriverunt illum lacte cujuſdam capræ, cui nomen erat *Amalthea*, quam Jupiter, jam adultus, ob acceptum beneficium in ſidera cum duabus capellis ejus, *Arato*, 2. Stell. Aurig. dictis, retulit. Hujus alterum cornu nymphis nutricabus dedit, videl. officii præmium, hanc adjiciens facultatem, ut quicquid optâſſent, id illis ex eo cornu largiter ſuppullularet. Ovid. *Faſt. l.* 5. v. 115. paulo diverſiùs fabulam narrat hoc pactô:

Naïs Amalthea Cretæâ nobilis Idâ
Dicitur in ſilvis occuluiſſe Jovem.
Huic fuit hœdorum mater formoſa duorum,
Inter Dictæos conſpicienda greges.
Cornibus aëriis, atque in ſua terga recurvis:
Ubere, quod nutrix poſſet habere Jovis.
Lac dabat illa Deo; ſed fregit in arbore cornu:
Truncaque dimidia parte decoris erat.
Suſtulit hoc Nymphe, cinctumque recentibus herbis,
Et plenum pomis ad Jovis ora tulit.
Ille, ubi res cœli tenuit, ſolioque paterno
Sedit, & invicto nil Jove majus erat;
Sidera nutricem, nutricis fertile cornu
Fecit; quod dominæ nunc quoque nomen habet.

Rem aliter narrat Diodor. Sic. *l.* 4. *c.* 5. & rurſum aliter, *l.* 5. *c.* 2. Vide loca ipſa; ut & Strab. *l.* 10. Lactant. *l.* 1. *c.* 22. *contra Gentiles.* Hinc proverbium, *Amalthea cornu*, quò utimur, quoties affatim omnia ſupereſſe ſignificamus. Horatius *in Carmine Seculari.* v. 59.

—— —— Apparetque beata plenô
Copia cornu.

Idem *l.* 1. *Ep.* 12. *extr.*

—— Aureâ fruges
Italiæ plenô defundit Copia cornu.

Ovidius tamen hoc ad Acheloum refert, *Met. l.* 9. v. 85. *ſ.*

—— Rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit, truncaque à fronte revellit.
Naïades hoc, pomis & odoro flore repletum
Sacrarunt, diveſque meo bona Copia cornu eſt,

Nic. Lloydius.

AMALTHÊA, Demophile vel Hierophile, Sibylla Cumana. Hanc *Servius* ait obtuliſſe Tarquinio Regi novem libros, in quibus erant fata & remedia Romana, & pro his popoſciſſe 300. Philippeos aureos, qui tunc temporis pretioſi erant, ideoque Rex libros emere nolebat. Aliô die, tribus libris incenſis, reverſa eſt, & tantundem popoſcit; Item tertiô aliis tribus incenſis cum tribus reliquis venit, pro quibus, 300. Philippeos, quantum poſtulaverat pro novem libris, accepit. Lactant. *l.* 1. *c.* 6. Tibull. *l.* 2. *Eleg.* 6.

Quicquid Amalthea, & quicquid Marpeſia dixit.

AMALTHEUM, nomen Gymnaſii, quod in villa ſua habuit T. Pomp. Atticus, omni eruditionis genere refertum. Cicer. *ad eum l.* 1. *Ep.* 13. *Ego te arbitror, cæſis apud Amaltheam tuam victimis, ſtatim eſſe ad Sicyonem oppugnandum profectum.* Alibi, *Epigrammatis, quæ in Amaltheo poſuiſti, contenti erimus.* Et *Ep.* 16. *Velim ad me ſcribas, cujuſmodi ſit* [illegible] *tuum quaſque hiſtorias de Amalthea habes, ad me mittas.* Vide Hadr. Turnebum *Adverſar. l.* 11. *c.* 16.

AMALTHEUS Hieronymus, & Joh. Baptiſta, fratres, ex Marchia Trevilana, quorum ille Philoſophus & Medicus, hic Philologus Græcus & Latinus, ambo Poëtæ Latini eximii fuere. Ut & Cornelius, tertius frater, quorum omnium poëmata uno volumine prodierunt. Ex his medius, apud 3. Pontifices gratiâ floruit, ac Tridentini Concilii Cardinalibus à Secretis fuit. Vide Joh. Matt. Toſcan. *Peplo Italiæ l.* 4. Gregor. Giraldum *de Poëtis ſui temp. l.* 2. *Thuanum* &c. nec non Anton. Teiſſier *in Elogiis*

AMANA, mons Ciliciæ, qui & *Amanus* dicitur, & [illegible] *Stephano.* Alii putant eſſe montem Cappadociæ. Lucan *l.* 3. v. 244.

Cappadoces, duri populus nunc cultor Amani.

De Ciliciæ monte Amano multi Solomonem egiſſe volunt cùm dicit, Cantic. *c.* 4. v. 8. *Mecum à Libano ſponſa, mecum à Libano venies, contemplaberis à vertice Amana, à vertice Senir, & Hermon, à luſtris leonum, è montibus Pardorum.* Quibus in ſpeciem non parùm favet, quòd mons Amanus abundat feris. Cervorum è monte Amano Ælianus ita meminit, *l.* 5. *de Anim. c.* 56. [illegible] Et Oppianus *Kyneg.* 3. memorat lupi genus planè eximii, denſis pi-

pilo, labiis acutis, immenſo robore prædita, degentes ſuper nivoſa Tauri juga.

Καλλινὸς το πάγχυς, ἢ πρῶνας Ἀμάνον.

Et Val. Flac. *l.* 3. *Argon. v.* 488. *ſ.* ingreſſuros venationes circa montem Amanum ita deſcribit eleganter, uti ſolet, *ubi*:

—— Haud aliter ſaltus, vaſtataque pernix.
Venator cum laſtra fugit: domitosque tumentem
Urget equum, teneros complexus pectore tigres:
Quos aſtu rapuit pavido, dum ſæva volutis
Mater in adverſo catulis venatur Amano.

Proinde, dum Ciliciam provinciam adminiſtrabat Cicero, à Cœlio rhetore rogatus eſt, ut eandem Romam, ad ludos, pantheras ad ſe mitteret. Ita habet Plut. *in Cicerone.* Καιλίου ϑ̕ ἐς τῆς ϑεάτρων παρδάλεις αὐτῷ πέμψαι τοῦ ϑέαν ἐπὶ Ῥώμην ἐκ Καλμίας ἀπαιτοῦντος. Sed Καιλίου legendum pro Καιλίου. Ad Cœlium enim è Cilicia ſcribit Cicero *l.* 2. *ep.* 11. *De Pantheris, per eos qui venari ſolent, agitur mandato meo diligenter.* Et ſtatim ſequitur jocus, quem Plut. *ibidem* refert, de fuga Pantherarum è Cilicia in Cariam, quęrentium, nihil cuiquam inſidiarum in Ciceronis provincia, niſi ſibi, fieri. Tamen Amana apud Salomonem non poteſt eſſe Ciliciæ Amanus. Primò, Quia in Judæa & vicinis locis eſt ſcena fabulæ dramatis. Secundo, Quia Libanus, Amana, Senir, & Hermon uſurpantur ut Synonyma. Itaque, ut Hermon & Senir, ſic etiam Amana eſt pars Libani montis, è quâ oritur fluv. ejuſdem nominis; qui b. & m. permutatis, etiam *Abana* dicitur in Hebræo texto. 2 Reg. *c.* 5. *v.* 12. Sed Chaldæus interpres habet *Amana*: Interim verò tam Ciliciæ mons *Amanus*, quàm Libani pars *Amana*, à firmitate nomen habent. Id enim Ebræis eſt אמנה *amana*, ac proinde *Lucano durus* dicitur. Nam quod Amanum dici volunt, quia Oreſtes ἐν τούτῳ τῷ ὄρει τῆς μανίας τῆς λῦξιν ἔσχε, ridiculum eſt, inquit Vir magnus *de Phœn. Colon. l.* 1. *c.* 5. *Nic. Lloydius.*

AMANA, Inſul. Americæ Septentrionalis, una ex Lucajis, ſub Anglorum dominio.

AMANDÆ, Indiæ populi. Plin. *l.* 6. *c.* 19.

AMANDRA, Regio ad Nilum fluv. in quatuor populos diviſa, Paucolatas, Altagalinas, Ceretas & Abſoos. Plin. *l.* 6. *c.* 20. Urbs etiam in Æthiopia, Cephei Regis regione. *Suidas.*

AMANDRATUS, inter Perſarum Deos, de quo vide aliquid, voce Omanus.

AMANICÆ Pylæ, vel *Portæ Ptolemæo*, quæ Curtio *l.* 3. *c.* 8. & *Straboni Amanides*, *Polybio Merude* ſunt ſive A. Plinius *l.* 4. *c.* 20. *Portas Amani montis* vocat, h. ei angustias, ſive fauces ejuſdem. *Stretto di Scanderone Ramuſio. Portella Mario Nigro. Syriæ Portæ* ſunt eædem *Ptolemæo*, aut non longè ab hinc diſtantes. *Ciliciæ Portas* Plinius quoque hoc tractu deſcribit *l.* 5. *c.* 27.

AMANOIDES, Ciliciæ promontorium Pomp. Melæ *l.* 1. *c.* 13. ſic dictum, quod formam effigiemque Amani circumnavigantibus exhibeat. Hæc eſt Hermolai Barbari conjectura (inquit Voſſ. *ad locum iſtum*) cum prius legeretur *Amanides*. Multis tamen de cauſis non poteſt hæc lectio probari; cùm nulla penitus ratio fingi poſſit, cur promontorium aliquod Amano magis ſimile eſſe dicatur, quàm alteri monti. Præterea mons iſte non eſt Amano ſimilis, ſed Amanus ipſe. Amanus enim vocatur ea etiam Tauri pars, quæ Ciliciam à Catafonia dividit. Duobus vero diverſis jugis in mare excurrit, totumque ſinum Iſſicum amplectitur, ut inquit *Strabo*. Alterô quidem jugô Syrias & Amanides Portas efficit, aliô verò Cilicias Portas, & hoc, cujus hic *Mela* meminit, promontorium. Sed uſu obtinuit, ut ſolæ illæ Portæ, quæ Syriæ Portis vicinæ ſunt & Iſſo urbi, dicantur Amanides. cùm tamen quatuor Amani Portas veteres recenſeant. Itaque non *Amanoides*, ſed vel *Amani*, vel *Amanidum* iſtud promontorium appellâſſet *Mela*. Sed profectò, quod ſemper ſanè, id ipſum quoque hic locum habere puto, ut lectio veterum librorum, aut ſaltem quæ ei proxima eſt, eadem quoque ſit veriſſima. Legendum enim *Ammodes*, Ἄκρα Ἀμμώδης Græci vocârunt, cujus nominis promontoria etiam alibi terrarum occurrunt. *Nic. Lloydius.*

AMANTANI, populi Pannoniæ inferioris *Ptolem. Amantes* Plinio *l.* 3. *c.* 23.

AMANTES, Græcè Ἀμάντες, populi Illyrici, originem trahentes à Phocicis Abantibus. Eorum meminit *Callimachus*,

Οἱ δ' Ἀμάντων ᾤκιζον Ὠρικόν,
Qui & Amantinum incolebant Oricum,

apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 378.

AMANTES, Solem olim viri, feminæ Lunam precabantur. Et quidem hanc, quod, cùm ea Endymionem amâſſet, non ſit veriſimile, feminis eam eôdem morbô laborantibus non opitulaturam: Quod item amori magis apta nox, cui Luna præeſt. Vide Euripidem in *Hippolyto*, cujus *Scholiaſtes* multa ad hanc rem; Theocritum *Eidyllio* 2. Senecam *Hippolyto*, v. 406. & *ſeqq.* ubi Phædræ ad Dianam preces, quæ incipiunt,

Regina nemorum &c.

Inprimis verò Cæl. Rhodig. *l.* 5. . 6.

AMANTIA, urbs Pannoniæ inferioris Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Colocenſi, *Laxo Quinque Eccleſiæ*, vulgò *Funfkirchen*. Aliis verò *Almas*, oppid. inter Budam & Altinum, ad Danubium à Buda 8. leuc. eſſe videtur. Aliis *Mohach*, oppid ejuſdem tractus apud Danubium, inter Batham & Valcovariam; à Bathâ 3. leuc longitud. 41. 80. latitud. 46. 66.

AMANTIA, orbs Brutiorum littoralis *Citeriore*, apud ſinum Napitinum ex adverſo Tropææ, ſub eodem Epiſcopo qui Archiepiſcopo Rhegino ſubeſt, in Calabria citeriore à Conſentia 16. mill. paſſ longitud. 40. 11 latitud. 39. 15 Quibuſdam *Adamantia* eſtque in ora maris Tyrrheni, in ditione Principis Biſignani. Arcem habet utcunque munitam juxta Olivani amnem Item oppid. Macedoniæ Maritimum in ora occidentali apud Celydni fluv. oſtia, inter Aulonem & Oricum oppid. Epiri, nunc *Porto Raguſeo*, Acroceraunits montibus vicinum, hodiè *l' Amanthea*. longitud. 44. 30. latitud. 40. 52. Item *Amantia* oppid. Lotharingiæ, vulgò *Amance*, vide *Almantia*, longitud. 27. 49. latitud. 48. 44.

AMANTINI, populi fuêre in parte Illyrici, quæ dein *Epirus nova* dicta.

AMANTIUS, Arcadio Imperatori à cubiculis per Porphyrium Epiſcopum Gazenſem effecit, ut Imperator Idolium, quod Gazæ erat, deſtrueret. Socr. *l.* 6. *c.* 6. Sozom. *l.* 8. *c.* 4. Baron. *A. C.* 401. Alius, præfectus cubiculi Anaſtaſii, a Juſtino Imperatore occiſus, quòd gratiâ abuſus Domini ſui, Eutychianis contra fideles faveret. Evagr. *l.* 4. *c.* 1.

AMANTIUS Bartholomæus, vide *Bartholomæus*

AMANTRICÆ, oppid. Italiæ in Aprutio, ad fontes Truenti & pedes Apennini. Principatus titulo gaudet. Aliis *Amantricum*.

AMANUENSIS, vide infrà *Scriptor*.

AMANUM, portus; aliis oppidul. *Portugalete*, in ora Biſcaïæ, paulo infra Bilbaum, ad oſtia Nervæ fluv.

AMANUS, Deus apud Perſas, teſte Strabone, *l.* 11. ubi narrat, ut à Perſis in Hyrcania templum ſit conditum Deæ Anaitidos, & τῶν ϲυμβώμων ϑεῶν, Ἀμανοῦ & Ἀναδάτου, Περσικῶν δαιμόνων.

AMANUS, pars Tauri montis, ad Euphratem & Melitenen pertingens, ubi Commagene Cappadociæ adjacet, Strab. *l.* 11. Vide Salmaſ. *ibid. p.* 630. in voce *Amana*.

AMAPAJA, provinc. Novæ Andaluſiæ in America meridionali prope fluv. Orenoque.

AMARA, civitas Arabiæ Felicis, non procul à Meta metropoli. *Ptol.* Armeniæ item urbs. *Cedrenus.*

AMARA, mons excelſus Æthiopiæ cum Regno cognomini & urbe. Ibi ſervantur filii & conſanguinei Regis Abyſſinorum in cuſtodia, quô defunctô, Imperii ſucceſſor educitur; eſtque juxta Regna *Bagamedri* & *Belegvanze*. Etiam *Amaara* ſcribitur.

AMARACUS, puer, Cynaræ Regis Cypri unguentarius, qui caſu lapſus, dum ferret unguenta, fregit Alabaſtrum, magnumque ex confuſione odorem creavit, unde optima unguenta *Amaracina* dicuntur Hic deinde cum nimiô dolore contabuiſſet, in herbam odoriferam ejuſdem nominis, de qua, vide Plin. *l.* 21. *c.* 11. & 22. Deorum miſeratione, commutatus eſt. Dicitur & Sampſychus; vulgò *Majoranam* vocant. Ejus meminit Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 695.

At Venus Aſcanio placidam per membra quietem
Irrigat: & fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos, ubi mollis amaracus illum
Floribus & dulci aſpirans complectitur umbrâ.

Catullus *Epigr.* 62. *v.* 7. *Cinge tempora floribus.*

Suaveolentis amaraci.

Inde *amaracinum*. Gellius in fine *Noctium Atticarum*: *Vetus adagium eſt, Nihil gracculo cum fidibus, nihil cum amaracino ſui.* Lucret. *l.* 6. *v.* 967.

Denique amaracinum fugitat ſus, & timet omne
Unguentum, nam ſetigeris ſubus acre venenum eſt

Nic. Lloydius.

AMARACUS, ut & Iris, *herba ſunt quarum ſuccus, i. e. oleum, per ſe unguentum faciunt, quibus pauca & alia alii miſcent*, Plin. *l.* 13. *c.* 1. Cyzicena autem inprimis commendata Veteribus. Hinc *Amaracinum unguentum*, de cujus conficiendi ratione, vide Theophraſtum & Dioſcoridem ubi de *Amaraco* & Salmaſ. *ad Solin. p.* 466. & 468. Vide quoque infrà *Marum*, & *Sampſuchum*.

AMARANTHUS, oppid. Luſitaniæ non obſcurum, inter Lamacum, & Bracaram, à qua 8. leuc. abeſt, in ortum, ad fluv. Tamagam, vulgò *Amarante*.

AMARANTI, Colchidis populi *Amarantii* montis incolæ, à quo Phaſis fluv. ingens Colchorum oritur.

AMARANTUS, Plinio auctore, *ſpica purpurea eſt verius, quàm flos aliquis & ipſe ſine odore. Mirum in eo, gaudere decerpi & lætius renaſci. Provenit Auguſto menſe, durat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerpunt aſſervantur. Mirumque, poſtquam defecere cuncti flores madefactum aqua reviviſcit & hybernas coronas facit. Summa ejus natura in nomine eſt appellata, quia non marceſcat. In nomine & cyani color, item heliochryſi. Omnes autem hi flores non fuêre in uſu Alexandri Magni ætate —— manifeſtum eſt poſtea placuiſſe. A Græcis tamen repertos quis dubitet? non aliter Italia uſurpante nomina illorum?* &c. *l.* 21. *c.* 8. Eum ſic deſcribit Franc. Pomey: *Flos eſt Amarantus, minimè flos; tantum turgeſcit in calycem, nec dehiſcit in florem, nec in folia explicatur, nec certam induat, ſed in quamvis poſſim figuram temerè laxaverit. Criſtam credis dixeris herbeſcentem & jacentem, innumeris contextam filis ſaturatæ purpuræ, multifariè contorsilibus; at paliuè adeò nitentem ſplendidamque, ut ſegmentum bombycinum heteromalli tranſenſim potius latineri te credas, quam florem, quin etiam tam coloris fulgore, tum teneritudine ſtaminum, heteromallum vincit & obſcurat; et quo eo cognomen ei validè factum eſt*, HETEROMALLI VICTOR FLOS. Gall. *Paſſe velours*. De ordine Equeſtri, cui ab hoc flore nomen, inſtituto à Chriſtina Regina Sueciæ, conſule moderno Scriptores.

AMARCOLI, apud Hebræos olim officii Eccleſiaſtici genus, de quo vide aliquid infrà, voce *Oſtiarius*, it. ubi de *Pontificali dignitate*.

AMARDI, populi Aſiæ apud mare Hyrcanum, gens fera inter Bactrianos & Sogdianos, apud Oxum fluv. Mela. *l.* 1. . 2. & *l.* 3. *c.* 5. *Amardi* Plinio, *l.* 6. *c.* 17. *Mardi Ptolemæo*, de quibus ſuo loco.

AMARDUS, Mediæ fluv. Ptolemæo, *l.* 6. *c.* 2. & Plinio, *l.* 6. *c.* 26. Cadit in mare Caſpium. Fortè *Aiana* hodie.

AMARI fontes, circa Arſinoën ad ſinum Arabicum. *Strab.*

AMARIACÆ, Caduſiorum populi *Ptol. Avarice Plinio* & *Solino* vocantur. Vide & hic infrà.

AMA-

AMARIACI, perperam *Ptolemæo* dicuntur, qui *Amariaci* ſilii, populi Mediæ. Meminit eorum Solin. c. 51 *A Caſpiis ad Orientem verſus eſt locus, quod Direum appellatur, cujus ubertati non eſt, quod uſquam comparari queat. Hunc circumſident Tapyri*, Amariaci, *Hyrcani*. Ad quem vide Salmaſ. p. 981.

AMARIAS, Latin. *dicens Dominus*, aut *celſitudo Domini*: vel ex Syro & Ebræo *agnus Domini*. Pater Godoliæ. Zeph. c. 1. v. 1. Fil. Meraioth 1 Paral. c. 6. v. 7.

AMARISPII, Bactrianæ gens. *Ptol.*

AMARMOCHDUM, oppid. Africæ in Æthiopia inferiori & Regno Zanguebar, in Regno Melindæ. 40. leucis Hiſpan. ab urbe Melinda.

AMARSIAS, nauta fuit, qui Theſeum in Cretam ad Minotaurum navigantem vexit. Simonides apud Plut. in vita Theſei.

AMARTHEAS, Saites, Ægypti Rex, regnavit ann. 6.

AMARTIGENIA, Græcè Ἁμαρτιγένεια, i. e. *Peccati ortus*, ſeu generatio, nomen libri, quem ſcripſit inter alios Prudentius Poëta Chriſtianus. Vincentius Bellovac. *Compoſuit & libellos, quos Græca appellatione praenotavit, Apotheoſis, Pſychomachia*, Amartigenia, i. e. *de divinitate, Animarum pugna, de origine peccatorum*. Dominic. Macri *Hierolex*.

AMARTUS, Græciæ urbs Homero, quam [illegible] i. e. *herboſam* vocat, *Hymn. in Apollinem*,

[illegible]

AMARUA, ſeu AMARUSA, Hyrcaniæ oppid. *Ptol.*

AMARUM, in coloribus, idem quod *auſterum*, *plenum*, *ſaturum*, &c. Sic πικρὸν Græcis in tinctura vel colore, quod valdè coloratum eſt. Epiphanius *de Smaragdo*, [illegible], *Et Neronianus quidem amarus, aſpectu, vehementer viridis*, h. e. auſterus colore & viriditate acerbâ. Similiter Plut. *Vitâ Sullæ*, [illegible], de Sullæ oculis, dicit *acrem & amaram glauciatem*: [illegible] &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 201. ubi Iſidorum, de viridi colore propterea *amarum* dici aſſerentem, refellit.

AMARUMAIA, fluv. Americæ meridionalis, oritur in Vilcabamba provinc. in Peruvia, verſus Cuſcum Civitatem & poſt longum curſum cadit in fluv. Amazonum, prope Tauricos populos.

AMARYSIA, Dianæ cognomen, vide *Amarynthus*.

AMARYLLIS, ruſticæ nomen, cujus *Theocritus*, & *Virgilius* meminerunt. Virg. *Eclog.* 1. v. 31.

Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.

Quo loco ſignat *Amaryllis* Romam, ubi Tityrus nactus eſt libertatem; *Galatea* Mantuam, ubi fingit ſe ſervum fuiſſe. Politianus l. 1. *Ep.* 1. ait, Romam arcano nomine Amaryllida nuncupatam; ſacris & ritualibus Florentiam, ſive Anthuſam, vulgato Romam: Poëtamque putat alluſiſſe ad nomen arcanum, & ab amore malè deducit. Sed contra eum pugnat Poëta, qui nomen enunciat, neque putandus eſt feciſſe contra religionem. Etenim ſacrum illud & arcanum Romæ nomen nemini licuit enunciare. Plin. *l. 3. c. 5. Roma, cujus nomen alterum dicere, arcanis ceremoniarum nefas habetur: optimaque, & ſalutari fide abolitum enunciavit Valerius Soranus, luitque mox pœnas*. Hæret itaque eruditiorum, & judicio Nannii Miſcellan. l. 6. [illegible] Græcè mulſe eſt, per quod aqua ad irrigationem derivatur. Tradit autem Fab. Pictor, Argeum campum, qui montibus includitur, inundationibus Tiberis inhabitabilem fuiſſe; ſed Vertumno ſacris factis, aquas in alveum reverſiſſe. Itaque ab incilibus, quibus ſiccata eſt paludis, Roma dicta eſt Amaryllis, ex Del. Cerd. [illegible].

AMARYNCEUS, Epeorum Rex, in Bupraſio ſepultus. Strabo l. 8. ex *Homer. Il.* Ψ. v. 630.

[illegible]
[illegible] - - - -

AMARYNTHUS, fluv. inter Arcadiam & Triphyliam, qui in Alpheum defertur, *Armon* hodie, uti à nonnullis indigitatur. Inſulæ quoque Eubœæ vicus eſt, in quo Diana colebatur, quæ inde *Amaryſia* dicta eſt. Imo pro inſula Eubœa ipſa uſurpatur apud Pauſan. l. 1. unde id delumpſit *Steph.*

AMAS, mons in Laconica Regione. Pauſan. l. 3.

AMASA, Latin. *populus parcens*, ſive *populum tollens*, vel *populum elevans*, fil. Abigail ſororis David, cujus pater Jether dicitur. 2 Sam. c. 17. v. 25. Dux ſummus copiarum, ſub Abſolomo primum, dein ſub Davide Rege à Joabo per inſidias occiſus. 1 Sam. c. 19. v. 13. & 1 Reg. c. 2. v. 32. Joſeph. *Hiſt. Jud.* l. 7. c. 9. & 10. Tornıel *A. M.* 3025. Fil. Hadali, 2 Paral. c. 28. v. 12.

AMASAI, per א. Latin. *fortis*, vel *robuſtus*; fil. Bani. 1 Paral. c. 6. v. 46.

AMASAI, per ע. Latin. *populi mecum*, vel *cum munere*. Fil. Elcana. 1 Paral. c. 6. v. 24. Pater item Mahath, 2 Paral. c. 29. v. 12.

AMASENUM, oppid. Africæ, in Nigritia, juxta lacum Bornu, & in cognomine Regno prope Nigrum fluv.

AMASENUS, Volſcorum fluv. in Latio. Vide *Amœnanus*.

AMASEUS Romulus, vide *Romulus*.

AMASIA, German. civitas. *Ptol.* Hodie *Marpurgum*, longitud. 30. 31. latitud. 50. 45. Item urbs Ponti, Mithridatis M. & Strabonis Geographi patria, dicente ipſo l. 12. ubi de Amaſia: [illegible]. Addit, eam mirum id modum apparatam eſſe cum providentiâ hominum, tum naturâ loci, longitud 65. 52. latitud. 43. 20. Turcis *Amaſian*, ex præcipuis Beglerbeatibus ſeu præfecturis Turcicis in Anatolia. Item fluv. Germaniæ inter Albim & Rhenum, juxta Embdam Friſiæ orientalis metropolim in Oceanum illabens. *Strabo. Cluverio* eſt *Embde*, urbs ampla & munita cum portu, caput Friſiæ Orient. Batavis oppignerata, ad oſtia Amaſii fluv. vide *Embda*.

AMASIA, ſive AMASIAS, Latin. *fortitudo Domini*, pater Joſæ 1 Chron. c. 4. v. 34. Item fil. Elciæ, filii Amaſai. 1 Paral. c. 6 v. 45. Nomen item ſacerdotis. Amos c. 7. v. 12. Denique Rex Judæ, qui regnavit ann. 29. Idumæos vicit. Demum occiſus eſt in Lachiſh. A. M. 3227. Vide de eo plura, 2 Reg. c. 12. v. 21. c. 14. v. 1. 2 Paral. c. 24. & 25. Joſeph. *Ant. Jud.* l. 9. c. 11. Sulp. Severum l. 1 *Hiſt. ſacræ*, c. 31. *Torniel. Salian.*

AMASIAS, per ץ. Latin. *onus Domini*, Fil. Zechri. 2 Paral. c. 17. v. 15.

AMASIS, inferioris Ægypti Rex X. poſt Ammenemem: regnavit ann. I. ſucceſſore Acelephilo, quem vide.

AMASIS I. qui & *Ammoſis* vel *Amos Pharao*, Ægypti Rex, *A. M.* 2112 *Euſeb.* Vide infra *Amoſis*.

AMASIS II. ex gregario milite, Aprie ut *Herodot.* *Pardamide*, ut Athen. l. 13. Rege occiſo, Rex Ægypti celebris. Turbatis enim Babyloniorum, ſub quorum fide à Nabuchodonoſore tempore Ægypti Reges fuerant, rebus & inclinatâ eorum fortunâ, *Ægyptum* reflorеſcere, libertatem & commercia recuperare, ac Regnum inſtaurari cœpit. Syria quidem nunquam recuperata, ſed Cyprum obtinuit tributariam, *Amaſis*, Herodot. l. 2. *pri. primus domitam*, Idem l. 2. c. 181. adverſus Arabas bellum geſſit, *præſentibus Diis*, Polyæn. l. 7. c. 23. Φιλέλλην ut erat, iis Naucratim in emporium conceſſit: cum regnâſſet ann. 44. *per quos nihil expertus eſt calamitatis*, Herodot. l. 3. c. 14. obiit ſub adventum Cambyſis (ob negatam ſibi filiam irati) in Ægyptum, anno 3. Olymp. 63. anno Nabon. 283. *Diodor. Sic.* illi attribuit annos 55. Sub eo Ægyptum maximè floruiſſe, tuncque urbes habitatas eſſe 20000. idem Herodot. l. eod. c. 177. tradit. *Legiſlator* Diodoro dicitur, habuitque ſucceſſorem, Pſammetichum II. filium Regum Ægypti poſtremum, quo victo à Cambyſe, Ægyptus Monarchiis, Perſicæ primum, inde Græcæ, poſtmodum Romanæ, acceſſit. Hodie, poſt Saracenos, Turcis ſubeſt. Cæterum ejus tumulus fuit una Pyramidum. Lucan. l. 9. v. 155.

Non mihi Pyramidum tumulis avulſus Amaſis
Atque alii reges Nilo torrente natabunt!

Egregiè commentò *Simulacri ex pelvi facti* vilipendium ſui ſubditis retudit. Herodot. l. 2. Euſeb. *Chron.* Diodor. Sic. l. 1. c. 95. Legem condidit, *ut unuſquiſque quotannis apud præfectum rationem vitæ ſuæ redderet, & monſtraretque unde viveret, aut qui quæſtu ſuſtentaretur, qui hoc non faceret, morte afficeretur*. Quam legem Solon ab Ægyptiis tranſtulit ad Athenienſes. Plut. *in Sympoſio*. Quum ab amicis carperetur, quòd ubi à ſummo manè in multum diem rerum adminiſtrationi vacâſſet, reliquum verò temporis luſu, riſu, & cute curandâ traduceret, reſpondit, ut refert Herodot. l. 2. [illegible], &c. Hunc Ælianus numerat inter eos, qui potationibus celebres fuêre, *Var. Hiſt.* l. 2. c. 41. Extat hodiè una ejus epiſtola elegantiſſima ad Polycratem, de experienda fortuna non uſquequaque ſecundâ, ſed laboribus & moleſtiis temperatâ, in qua ſcribit Amaſis: [illegible]. Plura de eodem vide apud *Herodotum*, Item voce *Carneum*. *Amaſis*, peditum Darii dux, contra Cyrenenſes miſſus. Herodot. l. 4.

AMASIUS, Germaniæ fluv. in ejus Oceanum influens, *Ptol.* *Amaſia*, *Straboni*. *Amiſia* Tacito, l. 1. *Annal.* c. 60. *Amiſius* Plinio l. 4. c. 14. & Pomp. Melæ l. 3. c. 3. *Ems* hodie. Fontes habet in Weſtphalia & Diœceſi Paderbornenſi, prope vicum *Ramſel* recipitque fluvios, Heſelum, Beveram, Aam & Haſſum, in Diœceſi Monaſterienſi & amnem, *Soſte*, ad arcem Lieroort, in Friſia Orientali, vide *Amiſius*.

AMASSI, populi circa Mæotim. Plin. l. 6. c. 7.

AMASSUS, vide *Tamaſſus*.

AMASTRIS, Xerxis uxor, vide *Ameſtris*.

AMASTRIS, Dionyſii Tyranni Heracleæ uxor, ſoror Darii, quem Alexander M. devicit, urbem cognominem ex quatuor pagis compoſuit, *Strab.* de qua vide in *Amaſtris*.

AMASTRIS, urbs Paphlagoniæ, in ora maris Euxini, quæ & *Amaſtrum*, ex quatuor urbibus, ſeu pagis proximis, Seſamo, Cytoro, Cromna ac Tejo, magnam in urbem crevit, media ferè inter Tejum, & Cytorum, Cromnæ propius, ab Heraclea Pontica 68. mill. paſſ. in ortum diſtans. Ejus meminit Catull. *Epigr.* 4. v. 13.

Amaſtri Pontica, & Cytore buxifer.

Val. Flacc. l. 6. v. 554.

----Pediten pedes hauſit Amaſtris.

Ita vulgo; & apud *Ferrarium*. Sed legendum:

---- Peditem pedes hauſit Amaſtrum

Et eſt viri nomen proprium. Hodie Amaſtris *Famaſtro*, vel *Samaſtro* dicitur. Hinc *Amaſtriacus*. Ovid. *in Ibin*:

Aut ut Amaſtriacis quondam Lenæus ab oris
Nudus Achillea deſtituatur humo.

longitud. 60. 43. latitud. 44. 25. *Nic. Lloydius*.

AMASTRIS, fluv. Bithyniam & Pontum rigans. *Natal.*

AMASTRUS, ex ducibus auxiliaribus Perſæ, contra Æetem, Colchorum Regem, occiſus ab Argo, Phryxi filio. Val. Flacc. l. 6 v. 54.

AMATA, Latini Regis uxor, mater Laviniæ, & ſoror Veniliæ Deæ, quæ ne videret Æneam generum, laqueò gulam fregit. Virg. *Æneid.* 7. v. 343.

Cui ſe petit, tacitumque obſedit limen Amatæ.

Item *Amata* vocabatur à Pontifice virgo Veſtalis, cùm ad Veſtæ myſteria capiebatur, quòd prima, quæ hòc ritu capta fuerat, eo nomine vocaretur. A. Gellius l. 1. c. 12. Vide *Veſtales*.

AMATÆ, Indiæ populi. Plin. l. 6. c. 20.

AMA-

AMATHA, Arabiæ Regio, quæ & *Amatha* vocabatur, teſte *Steph.* ubi fortè pro *Amatha*, legendum *Pſamatha*. Certè verba ſequentia, τοιαῦτ' ἀπὸ τῆς ψάμμου, tale quiddam innuere videntur populi *Amatheni*. Item urbs Phœniciæ, & Siciliæ. *Steph.* Item, Villa, in vicinia Gadaræ, in monte ſitæ, ad cujus radices aquæ calidæ erumpunt, balneis deſuper ædificatis, quæ ad farciendam corporum valetudinem ſunt commodæ. Gen. *c.* 36. Hieronym. *in loc. Hebr.* lit. *A.* & *G.*

AMATHUS, *thi*, fluv. Pylon urbem, Neſtoris patriam, præterlabens.

AMATHUS, *thuntis*, Cypri urbs, Veneri ſacra, unde tota inſula *Amathuſia* dicta, ut eſt apud *Ptol.* Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 51.

Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos, atque Cythera,
Idaliæque domus ---- ----

Ab aquis calidis vocabulum ſumpſit, quòd aquarum vapor Syrô ſermone *Amathan* dicitur. Egeſippus *de excidio Hieroſol.* *Amathus* autem inquit Bochart. *l.* 1. (*Chanaan c.* 3.) etiam Phœnices habuit conditores, vel ex familia חמתי *Amath*, filii Chanaan, vel ex Sinæis, ſi Jonathani credimus, qui Gen. *c.* 10. *v.* 17. pro Sinæis habet אנתוסאי *Anthuſae*, i. e. *Amathuſios*, ut Hieroſolymitanus קפרוסאי *Caprosae*, i. e. *Cyprios*. Ut ut ſit, *Amathuſios* pro Phœnicibus eſſe habitos, etiam ex Theopompo ſcimus, quem, Hiſtoriarum *l.* 12. narrâſſe teſtatur Photius: πῶς τῶν Ἑλλήνων οἱ σὺν Ἀγαμέμνονι τὴν Κύπρον κατέσχον, ἀπελάσαντες τοὺς μετὰ Κινύρου, ὧν εἰσι καταλειπόμενοι Ἀμαθούσιοι. i. e. *quomodo Græci, qui cum Agamemnone* ad Trojam militaverant) *Cyprum obtinuerint, iis ejectis qui cum Cinyra erant.* (i. e. Phœnicibus) *è quibus reliqui ſunt Amathuſii.* Porrò Amathunte pro Deo colebatur Adonis, quem cum Ægyptio Oſiride nonnulli confundentes, Adonin Oſiridem appellabant. Hinc *Steph.* Ἀμαθοῦς πόλις Κύπρου ἀρχαιοτάτη, ἐν ᾗ Ἄδωνις Ὄσιρις ἐτιμᾶτο, ὃν Αἰγύπτιον ὄντα Κύπριοι καὶ Φοίνικες ἰδιοποιοῦνται. Hæc tam vera ſunt, quàm quod ſequitur; vel ab *Amathunte*, Herculis filiâ, dici *Amathuntem*, vel ab *Amathuſa* matre Cyneræ, Incolas hujus urbis ira Veneris, propter hoſpites immolatos, mutavit in cornutos boves;

---- *Unde etiam nomen traxêre Ceraſtæ;*

Si Ovidio credimus, *Met. l.* 9. *Fab.* 6. Metallis eam abundare teſtis eſt idem Ovid. *l.* 10. *Met. Fab.* 10.

Piſcoſamque Gnidon, gravidamque Amathunta metallis.

Inde *Amathuſiacus*. Idem Ovid. *l.* 10. *Met. Fab.* 6.

Mactatos crederet illic
Lactantes vitulos, Amathuntiaſque bidentes.

Ubi alia exemplaria habent *Amathuſiacas*. longitud. 65. 45. latitud. 35. 00. Item *Amathus*, Laconiæ oppid. *Nic. Lloydius.*

AMATICA, aliter *S. Thomas*, urbs Americæ, in nova Hiſpan. & provinc. de *Honduras*. Extructa ab Hiſpanis, A. C. 1597. Eſtque parvi circuitus.

AMATINI, populi in Epiro. Cæſar. *l.* 3. *de Bell. civ.*

AMATISSA, vulgò L'AMASSE, fluv. Galliæ, inter eos qui Turonicum pagum à Meridie alluit, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AMATITUCUS, fluv. Americæ, in nova Hiſpan. & provincia Soconuſci. Cadit in mare Pacificum, verſus limites provinc. Guaxacæ.

AMATIUS, vulgò AMATO, fluv. Italiæ, in Calabria ulteriore in mare Tyrrhenum influit, verſus S. Euphemiam oppid. oriturque ex Apennino monte. Aliis *Lametus*.

AMATUS, Archiepiſcopus Burdigalenſis, A. C. 1088. Legatus Gregorii VI. in Hiſpan. Vide Baron. *A. C.* 1075. 1077. & 1079. Alius qui Petri & Pauli vitam, aliaque verſibus ſcripſit, circà A. C. 1060. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 46. & *Poet. Lat. c.* 6.

AMAXAMPEUS, Scythiæ fons, qui Hyparium fluv. amaritudine inficit. Græcis ἱεραὶ ὁδοὶ ſacræ viæ, ex Herodot. *l.* 4.

AMAXIA, vel **AMAXITA**, vetus Troadis urbs, arâ 12. Diis ab Agamemnone dicatâ, celebris. *Steph.* Item *Ciliciæ urbs*, lignis navalibus abundans, Strab. *l.* 14. Vide Plin. *l.* 5. *c.* 9. & 30. Hanc M. Antonius Cleopatræ muneri dedit.

AMAZENES, ſeu **MAZENES**, Oaractæ Inſul. Regulus. Miſſiopaſtem ex Ogyride Inſul. deſertâ, ad ſe confugientem, benignè excepit, & dux navigationis uſque ad Suſa, Macedonibus cum Nearcho, eò profectus eſt. Arrianus *in Indic.* Καὶ ὁ ὕπαρχος τῆς νήσου Μαζήνης συνέπλει αὐτοῖς μέχρι Σούσων, ἐθελοντὴς ἡγεμὼν τοῦ πλόου. Macedones verò Oaractam Inſulam, ad quam Alexandri naves appulerant, hujus nomine memoriæ ergò appellârunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1180.

AMAZONES, bellicoſæ mulieres, magnam Aſiæ partem occupavêre, ſic dictæ, quòd alterâ ex mammis careant, ab α. *ſine*, & μαζὸς *mamma*, unde & *unimammæ* dictæ fuerunt. Eoque Virg. alluſiſſe videtur *Æn. l.* 1 ubi de Penthesilea, *v.* 496.

Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ.

Mamma illa dextra fuit. Hippocrates *l. de Aëre, Locis, & aquis*, ubi ſermo eſt de Amazonibus: Τὸν δεξιὸν δὲ μαζὸν οὐκ ἔχουσι. Diodor. *Sic.* de illis loquens, τὸν δεξιὸν μαζὸν ἐπικαίουσι. Curt. *l.* 6. *c.* 5. *Aduritur dextra*, & addit rationem hanc, *ut arcus faciliùs intendant, et tela vibrent. Euſtath.* verò ſic dictas putat, quòd ſine pane, qui μάζα Græcis dicitur, lacertis, teſtudinibus, atque id genus feris alerentur. Alii ab ἅμα ζῆν appellatas volunt, tanquam *in communi viventes* ſine viris, quaſi Ἁμαζῶσαι. Maſculos liberorum, ſi quos genuiſſent, claudos feciſſe ac debiles, ne ullum facinus viro forti dignum edere poſſent, Sextus Empiricus autor eſt *l.* 1. *Pyrrhon. Hypotypoſeon.* Αἱ Ἀμαζόνες, inquit, ἐχώλευον τὰ ἄρρενα τῶν γεννωμένων, ὥστε τοῦ μηδὲν ἀνδρεῖον αὐτὰ ποιεῖν δύνασθαι. Earum originem, Reginas, res geſtas, & demum interitum copioſè deſcribit Juſtinus *l.* 2 *c* 4. Diodor. Sic. *l.* 3. *c.* 11. 53. 54. & *l.* 5. *c.* 1. Idem etiam *l.* 4. *c.* 4. 28. Plin. *l.* 6. *c.* 7. & 13. Herodot. *l.* 4. Præter has Scythas Amazonas, alias quoque ponit in Libya, quarum hiſtoriam ibi latiſſimè perſequitur. Unde Sil. *l.* 2. Harbitem, Hiarbæ filiam, *Amazonidem* vocat. Juſtinus verò non videtur, ut alii, Amazonum gentem in Hyrcania ponere, ſed ad Mæotim, & Tanaim. Nam, inquit, *l* 12. *c.* 3. 25. dictum itinere confectô in Hyrcania occurriſſe Alexandro. Rectius ſanè. Neque enim ullus Geographorum, Amazonas alibi collocare, quàm ad Mæotim, unquam dubitavit. Eâque etiam de causâ *Mæotides*, ac *Tanaitides* appellari nemo neſcit. Senec. *in Hippolyto Act.* 2. *v.* 399.

Qualis relictis frigida Ponti plagis,
Egit catervas, Atticum pulſans ſolum,
Tanaitis, aut Mæotis, & nodô comas
Coegit, emiſitque, lunata latus
Protecta peltâ: talis in ſylvas ferar.

Curtius tamen *l* 6. *c.* 5. Hyrcaniæ finitimam facit Amazonum gentem, ſed malè. *Erat*, inquit. *ut ſuprà dictum eſt*, *Hyrcaniæ finitima gens Amazonum* &c. Dicuntur & *Amazonides*. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 494.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens ---- ----

Propert. *l.* 3. *Eleg.* 13. *v.* 13.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodontiis turba lavatur aquis.

Item *Amazon* in ſingulari numero. Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 648.

At medias inter cædes exultat Amazon.

Martial. *l.* 9. *Epigr.* 104. *v.* 5.

Peltatam Scythicô diſcinxit Amazona nodô.

Præter peltas, ſecures quoque habuiſſe Amazonas teſtatur Horatius *l.* 4. *od.* 4. *Quibus*

Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia ſecuri
Dextras obarmet, quærere diſtuli.

Senec. in *Agamemnone v.* 216

Non picta pharetras, & ſecurigera manu
Peltata Amazon ---- ----

Claudian *l.* 2. *de Raptu Proſerpinæ. v.* 62.

Qualis Amazonidum peltis exultat adumbris
Pulchra cohors: quoties Arcton populata virago
Hippolyte niveas ducit poſt prælia turmas:
Thermodontiaca Tanain fregêre ſecuri.

Inde *Amazonius*. Stat. *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 131.

---- ---- *Amazoniâ latus intercludere peltâ.*

Et Plin. *l.* 12. *c.* 5. ſcribens de ficu Indicâ, *foliorum latitudo peltæ effigiem Amazoniæ habet*. Cæterùm de Amazonibus fabuloſa eſſe omnia putat Strab. *l.* 11. quem, ſis, conſule. *Melanes* eas vocat *Jornandes*, niſi corruptus ſit locus. *Nic Lloydius.*

AMAZONIA, dicta à Commodo Imperatore Marcia, concubina ejus famoſa, quâ literas ſignâſſe legitur apud Julium Capitolin. in *Clodio Albino*, *c.* 2. imagine ejus in ſignatorio ſuo annulo inſculptâ: *Habebis præterea dandi ſtipendii* — *liberam poteſtatem: quin & ſuper hoc ad Procuratores meos litteras miſi, quas ipſe ſignatas accipies ſigno* Amazoniæ: *& quum opus fuerit, Rationalibus dabis, ne te non audiant*, &c. Sic autem appellavit eam, quòd illam pictam in Amazone maximè diligeret: unde & ipſe *Amazonicô* habitu in arenam deſcendit atque inter varia cognomina, duo hæc unicè amavit ac conſtanter retinuit, *Exuperatorii* & *Amazonii*, dùm alia ſubinde mutaret ac deponeret. *Dio*, Αὐτὸς μὲν γὰρ ἄλλοτε ἄλλα μετελάμβανε τῶν ὀνομάτων, Τὸ δ' Ἀμαζόνιον καὶ τὸ Ὑπεραίροντα πάντας ἑαυτῷ ἔθετο, ὡς καὶ ἐν πᾶσιν ἁπλῶς πάντας ἀνθρώπους καθ' ὑπερβολὴν νικῶν. Atque titulus hic videtur *Salmaſio* intelligi apud Æl. Lamprid. in *Commodo*, *c.* 17. nomine *effeminati*: *Coloſſi autem caput dempſit, quod Neronis eſſet ac ſuum impoſuit: & titulum more ſolito, ſubſcripſit, ita ut illum gladiatorium & effeminatum non prætermitteret.* Ubi fortè per *gladiatorium* intelligit *Exuperatorii* cognomen, per *effeminatum* verò *Amazonii*, quò ex amore concubinæ ſuæ vocari volebat. Sed & cùm menſium nomina mutâſſet idem, Januarium Ἀμαζόνιον, i. e. *Amazonium* appellavit, uti diſcimus ex eodem *Dione*, & Decembrem Ὑπεραίροντα, i. e. *Exſuperatorium*, contra quàm *Lamprid. c.* 11. habet, qui Novembrem *Exuperatorium*, Decembrem autem *Amazonium* fuiſſe dictum, ait: *Menſes quoque in honorem ejus pro Auguſto Commodum, pro Septembri Herculeum, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exuperatorium, pro Decembri* Amazonium, *ex ſigno ipſius, adulatores vocabant.* Amazonius *autem vocatus eſt ex amore concubinæ ſuæ Marciæ*, &c. Vide Salmaſ. *Not. ad loc. cit.*

AMAZONIA, regio Amazonum. Vide ſuprà.

AMAZONICUS, inter Tauri montis epitheta, à gente *Amazonum* ei inditum: ſicut idem *Moſchicus*, *Coraxicus*, *Caſpius* & *Hyrcanus* à ſimili cauſa dictus eſt. Habet autem Paryadres mons (quod & ipſum Tauri cognomen) à dextra montem Hyrcanium & Caſpium, à læva Moſchicum, *Amazonicum* & Coraxicum. Vide Ptol. *in* 3. *Aſiæ Tab.* & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 788.

AMAZONIUM, locus in Attica, ubi Theſeus Amazonas vicit. Item Cumæ civitas, ubi Amazones habitabant. Eſt & *Amazonium* in Bœotia. Vide *Steph.*

AMAZONIUS, Apollo à Lacedæmoniis ſic dictus. Pauſan. *in Lacon.* Item *Amazonius* mons in Aſia, præter cujus radices Thermodon amnis labitur, ſic dictus ab *Amazonibus*, quæ illic habitârunt. Alius *Amazonicus* Plin. *l.* 6. *c.* 3.

AMAZONIUS Menſis, dictus eſt ab adulatoribus Commodi Imperatoris December, ex ſigno ipſius & amore concubinæ Marciæ, quam *pictam in Amazone* diligebat: imò propter quam & ipſe Amazonicô habitu in arenam Romanam procedere voluit. Iidem, in honorem Imperat. pro Auguſto *Commodum*, pro Septembri *Herculeum*, pro Octobri *Invictum*, pro Novembri *Exuperatorium* dixêre, Æl. Lamprid. *in vita Commodi* c. 11

AMAZONUM Fluv. vulgò *Rio de las Amazonas*, fluv. ingens Americæ meridionalis. Oritur prope Quitum ci-

vitatem Regni Peruviæ; dein auctus fluvus Cocà, Napò, aliiſque, percurrit provinc. Caneſam, & *Pacamoros*, ubi recipit fluv. Xauxam ſeu Maranionem, & poſtea rigat provinc. Surinam, Camſuaram, Matavam, Apancam, Coropam, Tapayam aliaſque. Receptis deinde fluviis Aramayâ, Jupurâ, aliiſque, poſt 800. leucar. decurſum, in mare ſeptentrionale ſeu *del Nort*, ſe exonerat inter Braſiliam & Guajanam Regionem. Quibuſdam *fluv. Orellani*, ab Inventore, Joh. Orellano Hiſpano A. C. 1541. Oſtium ejus ferunt Inſulis ſpatium 54. leucas Hiſpanicas complecti. A Coſta, *h. 2. c. 6.* Du Val *Relatio regionis hujus*.

AMB. in nummo æreo Magnentii, qui in averſa facie Chriſti monogramma præfert, cum Inſcr. SALUS DD. NN. AUG. ET CÆS infrà AMB. *Ambianum* notat, ubi moneta cuſa, judice Car. du Freſne, namque & in Gallia Magnentium regnâſſe, notum. Vide eum *Diſſertat. de Inſer. ævi Numiſm.*

AMBACIA, oppid. Celticum, in Turonenſi provinc. quod Ligeris amnis alluit: propter ſummam loci amœnitatem, eſt Francorum Regum baſilica. Vulgò *Amboiſe*. *Nic. Lloydius*. longitud. 21. 20. latitud. 47. 33. Vetuſtiſſimum eſt caſtrum, quod Ludovicus Nublæus Ambacienſis, ab *ambientibus aquis* dictum eſſe exiſtimat: Eſt enim poſita ad confluentes Amatiſſæ l. *Amaſſe* & Ligeris. *Valeſ.* verò amniculum hunc *Ambaam* olim dictum, qui loco nomen ſuum dederit, putat. Primus omnium ejus meminit Sulpic. Sever. *de Vita S. Martini ante ann.* 1260. Gregor. Turonenſ. *de mirac. Martini l. 2.* vocat *vicum Ambacienſem*, ubi tum pontem navalem Romani operis fuiſſe refert. Geſta Conſulum Andegavenſium, tres uno tempore Optimates, in *Ambacienſi caſtro* fuiſſe docent, Sulpicium dominum turris lapideæ, Fulcojum de Tornnecjo, dominum domus validæ, quæ ab ipſo *Mota Fulcoji* dicebatur, & Arnulſum filium Leonis de Magduno, cuſtodem domus Conſulis Andegavenſis Fulconis Rechin, quæ *Domicilium* vocabatur. Ibidem *Ambacia* quidem oppid. *Ambaciacum*, turris autem lapidea Sulpicii Calvomontenſis, apud eam, nunc turris, ſæpius arx nuncupatur, etiam locus qui *vetus Roma* tùm dicebatur, infrà urbem fuiſſe memoratur ibidem. Geſta Dominorum Ambacenſium, nunc *Ambaſiam*, nunc *Ambaquis* vocant, velut ab *ambientibus aquis*; vel ab *ambabus aquis*, i. e. à duobus fluviis, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide etiam *Ambaſia*.

AMBACTI, apud Cæſarem. *l. 6. Bell. Gall. c.* 15. ubi de Equitibus Galliæ agit, *Eorum*, inquit, *ut quiſque eſt genere copiiſque ampliſſimus, ita plurimos circum ſe* ambactus *clienteſque habet*: Clientes ſunt ſeu ſervi conductitii. Vox Gallica vetus, *Feſtus*: *Ambactus, Ennio, linguâ Gallicâ ſervus dicitur.* *Gloſſar.* *Ambactus*, δοῦλος μισθωτός, *ut Ennius*. Remanetque etiamnum in Germania & Belgio vocabuli veſtigium: In Civitatibus enim Flandricis paſſim, aliiſque nonnullis, *Ambachten* ejuſmodi corpora dicuntur, quæ unum ſibi legunt, cujus auctoritatem perinde atque capitis ſui venerantur. Unde & ii *Ambachtes heeren* Belgicô idiomate, *Ambactorum* quaſi *Dynaſtæ* intelliguntur aut certè viri tales, penes quos ſit rerum ſumma & in colonis territoriiſque dominatus. Regiones ipſæ in *Ambactias* diſtribuuntur: unde pro, *in Comitatu Engelberti*, aliquando in Diplomatibus legere eſt, in *Engelbrechtes Ambachte*, vel *Ambechte*, ut teſtatur Freherus *Orig. Palatin. l. 2.* Apud Kilianum, *Ambacht*, *eſt officium, præfectura, juriſdictio civitatis*. Lexicon Germanicum vetus apud Lipſium *l. 3. Ep. 44. Ambachtman, miniſtri*. Quam vocem *Somnerus* à Saxonico *embechtman*, miniſter, & *embeahtian*, miniſtrare, deducit. At Salmaſ. *libro de Uſuris c. 9. p.* 260. nequaquam vocem eſſe Gallicam contendit, hæcque Feſto addita eſſe, ab illius Abbreviatore & in Cod. MS. haberi poſt hæc Feſti verba: *Am præpoſitio loquelaris ſignificat circum, unde ſupra ſervus ambactus, i. e. circumactus dicitur.* Vide Eundem *ad Hiſtor. Aug. Vopiſc. in Carino c.* 16. Pithœum *Adverſar. l. 1. c.* 8. Pontanum *in Gloſſ.* Turnebum in *Adverſar. l.* 14. *c.* 12. Cluverium *Germ. Antiq. l. 1. c.* 8. & 13. Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà *Ambaſcia*.

AMBADARA, Urbs Æthiopiæ ſuperioris ad Nilum, in Regno Bagamedri, ad pedes montium, inter Sovam & Dambeam provinc. in Abyſſina regione.

AMBAR, vide *Ambarum*.

AMBARRI, Galliæ Celticæ populi Cæſar. *l. 1. Bell. Gall. c.* 11. Neceſſarii & conſanguinei erant Æduorum; Quos quidam opinantur Borbonienſes eſſe. Alii, pro parte Bituricenſes, alluſione vocabuli. *Ambarros* enim vel *Ambactos* dicunt Galli, civitatum clientes ſeu adhærentes. Oppidum autem *Ambarrorum*, pagus Semarius ſive mons Barri dicitur, Phryſ. *in Ptolem. Ind.* Horum regio, teſte *Vigenerio* eſt *Charrolois* in Burgundia inter Matiſconam, & Burbonium. Aliis *le pays à l'entour de Nevers*.]

AMBARVALE, ſacrum ad arva & ſegetes luſtrandas apud Romanos, multâ prece & religione celebrabatur. *Ambarvalis hoſtia*, ut ait Feſtus *apud Macrob. l. 3. c. 5. quæ rei divinæ cauſâ circum arva ducitur ab his, qui pro frugibus faciunt, ſeu ſacrificant. Ambarvale*, inquit Servius. *in Virg. Eclog. 3. v. 77. ſacrificium dictum eſt quòd arvum ambiat victima. Sicut Amburbale, vel Amburbium ſacrificium quòd urbem circumeat, ac ambiat victima.* Porro Ambarvale ſacrum non niſi de porca fœcunda, & gravidâ, aut vitula fieri conſueverat. Unde Virgil. *Eclog. 3. v. 77.*

Cum faciam vitulâ pro frugibus.

Tamen Tibull. *l. 2. Eleg. 1. v.* 15. de ſacro pro frugibus loquens ait:

Cernite fulgentes ut eat ſacer agnus ad aras.

Sed ſolvat litem idem Tibull. *l. 1. Eleg. 1. v.* 19. qui antea.

Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis horti
Cuſtodes fertis munera veſtra Lares.
Tunc vitula innumeros luſtrabat cæſa juvencos.
Nunc agna exigui eſt hoſtia parva ſoli.
Agna cadet vobis, quam circum ruſtica pubes
Clamet, Io meſſes, & bona vina date.

Hanc victimam, maturis frugibus, ter circum arva ducere ſolebant, omneſque poſt ſequentes clamabant, ex quibus unus quernâ coronâ ornatus, cum ſolcum ſaltatione, compoſitò carmine, Cereris laudes decantabat, & poſtquam vinô ac lacte libâſſet, antequam fruges meterent, porcam Cereri immolabant. Virgil. *Georg. l. 1. v.* 343.

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret:
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho,
Terque novas circum felix eat hoſtia fruges,
Omnis quam chorus & ſocii comitentur ovantes;
Et Cererem clamore vocent in tecta; neque ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri tortâ redimitus tempora quercu,
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Nic. Lloydius.

AMBARVALE Carmen, apud Fl. Vopiſcum, *in Divo Aureliano, c. 19. Vetuſtam monebat libros evolvi, Fata Reipubl. quæ ſunt æterna, perquirite; patrimis matrimiſque pueris carmen indicite*: dictum eſt quod in *Ambarvalibus* canebatur, apud Romanos, cum quo feſto minimè confundendum eſt Amburbium, de quo apud eundem paulò poſt. Apertè enim Servius ambo diſtinguit, *ad Eclog. 3. Virgil. v. 77. Dicitur hoc ſacrificium ambarvale, quod arva ambiat victima; ſicut Amburbale, vel Amburbium, quo urbem circumit & ambit victima.* Idem *ad l. 1. Georg. v.* 345.

Terque novas circum felix eat hoſtia fruges.

Dicit, ait, *ambarvale Sacrificium: quod ſæpe de porca fœcunda & gravida fieri conſueverat.* Quæ ſacrificia erant annua & pro frugibus fiebant, ac circum fruges hoſtia ducebatur; de quibus *Ambarvalibus* capiendus eſt Tibull. *l. 2. Eleg. 1. v.* 2.

Quiſquis adeſt, faveat: fruges luſtramus & agros,
Ritus ut a priſco traditus extat avo.

Nempe *ſacrificium Ambarvale* intelligit, quò fruges & arva luſtrabantur: quod non animadverſum in magnum errorem impulit doctiſſimum Virum, qui apud Poëtam hunc *ead. Eleg. v.* 21. corrigit:

Tunc nitidus plenis confiſus ruſticus arvis,
Ingeret ardenti grandia ligna foco.

Ibi ſcil. *plenis arvis* corrigit pro *plenis agris*; atqui Tibull. ibidem *Ambarvale ſacrum* exequitur. Tunc, i. e. cum fiunt ſacra pro frugibus, confiſus ruſticus plenis agris, i. e. novis frugibus plenis & magnam ſpem præ ſe ferentibus, foco magnam lignorum copiam ingerit, &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. loc. cit.*

AMBARUM ſeu AMBAR, Græcis ſimiliter Ἄμβαρ teſte Aëtiô, Gall. *Ambre* Ital. *Ambracane*, odoramenti genus: *Revulſoque ſarcophagi operculo mirificè Venuſtus ambare ſuaviter redolentis viri ſacrum demonſtrans*, in *Actis* S. Sebaſtiani Martyr. apud Carolum Macrum in *Hierolex.* Alkazuinio Scriptori Arabi eſt ſuccus *bovis aquæ* ſeu marini, qui è mari in terram aſcendit, ut fruges depaſcatur, i. e. phocæ, quæ mugitu, maxillâ ſuperiore & naribus, bovem aut vitulum refert. Nempe phocæ creduntur *ambarum* primò devorare, deinde egerere. Unde Pandectarius, *Azel eſt nomen piſcis magni devorantis ambarum*. Ex his Serapionis *c.* 196. *Mala eſt & alia* ambra, *quam devorant quidam piſces magni — qui cùm deglutiunt eam, occiduntur ab ea, & natant ſuper aquas mortui, quos videntes homines de Gengios (Zingitani) projiciunt ſuper eos uncos ferreos extrahuntque ipſos de mari, & extrahunt ambram de ventre eorum.* Alii verò *Ambarum* volunt ejici à ceto cognomine. Damis, *Et bellua, quæ illud vorat, vocatur Ambar.* Leo Afric. *l. 9.* Ambarum *à piſce* ambaro *ejici multi volunt.* Piſcem autem hunc aut balænam eſſe dicunt, aut cetum illi mole parem. Hinc Paulus Venetus *l. 3. c.* 39. ubi de Inſul. Madagaſcarâ: *In mari*, inquit, *cete grandia capiuntur, ex quibus ambarum colligitur.* Et Scaliger *Exercit.* 104. §. 10. *In Mauritanorum libris hoc invenio, ambar ab incolis Marocci & Fez balænam dici.* Etiam in Evangelus Æthiopicis Matth. *c.* 12. *v.* 14. ita vocatur *cetus qui devoravit Jonam*. Sed obſtat, quòd ſcuta fiunt ex pelle *ambar*, teſte Damire; balænis autem cetiſque corium mollius eſt, quàm ut ad ſcuta queat adhiberi. Itaque hoc phocæ convenit magis, de qua ſic Oppianus *Halieutic. l.* 5.

Φώκη δ' οὐκ ἄγρηισιν ἁλώσιμος, οὐδέ τις αἰχμή
Τ[illegible], ἐπεὶ [illegible] δέμας, [illegible]
[illegible]
Hiſpida fallax phoca haud vincitur ab homine,
Nec triſida corpus violatur cuſpide illa,
Nam prædura cutis valida obtegit undique membra.

Sed ſive à majore ceto dicas, aut à phoca, ſumi *ambarum*, aut etiam à piſciculo, quod Aſlaphius his verbis aſſerit; *In mari eſt animalculum, quod propter odoris fragrantiam illud expetit. Sed eſt ipſi venenum lethiferum: Et mare cadaver ejicit & ambarum educitur è ventre ejus*; Res Avicennæ meritò ſuſpecta eſt, qui poſtquam rejecit, ut parùm probabile, quod ambarum alii ſpumam maris, alii ſtercus animalis, eſſe aſſerunt, addit: *Sed quendam audivi, qui ut rem certam aſſeverabat, ſe juvenem olim maria frequentaſſe — & cum*, inquit, *ad loca maris quædam deveniſſem, quæ ibi vocant mare Germanicum, circa diem oriente me commiſi — ad litus maris. Et cùm mare verſùs litora fluctuaret, ambari fruſtra varia reperimus, & diverſorum colorum, quæ nonnulla illuc erant, qui primus occupabat — Accidit autem id ſemper, per certa temporum intervalla.* In quibus verbis conſtat agi de mari Balthico, in Æſtiis, circa Dantiſcum & Regiomontium, ubi ſuccinum quandoque in littora fluctus propellunt; ita ut abſque ullo labore poſſit à quovis colligi. Et quidem, quamvis & alibi proveniat ambarum ſeu ſuccinum, Germanici tamen ea eſt copia & nobilitas, ut aliorum famam facilè obſcuret: unde è Veterib. ſunt, qui, præter Germanicum, ſuccinum aliud nullum agnoſcant, Tacit. *de morib. Germanor. c.* 45. & Caſſiodor. *Var. l. 5. Ep.* 2. Veriſimile verò eſt, olim in Balthici maris inſulis & peninſulis hoc bitumen exſudâſſe. Ita enim Veteres multi, inter quos Diodor. Sic. *Galliæ* nomine tam latè ſumtò, ut etiam

Germaniam complectatur: *Ex adverſo Scythiæ, quæ ſupra Galliam, inſula in Oceano eſt Baſilia dicta, in quam, quod electrum vocant, fluctus abunde ejicit.* Et multò antè Pytheas, à Guttonibus (ſeu Gothis) Germaniæ gente, æſtuarium accoli ſcripſerat, *Mentonomon nomine ſtadiorum ſex millium, ab hoc diei navigatione inſulam eſſe Abalam* (Baſiliam legit Claver. & cum Succorum Scandinavia eandem facit): *Illo verò fluctibus advehi & eſſe concreti maris purgamentum. Incolas pro ligno ad ignem uti eo, proximiſque Teutonibus vendere. Huic & Timæus credidit, ſed inſulam Baltiam vocavit*; ut alia omittam, de quibus omnibus Plinium vide *l.* 37. *c.* 2. &c. Sed hac de re vide plura infrà, ubi de *Electro* & *Succino*: ut & apud Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 6. *c.* 15. Galli *Ambarum* hoc Boruſſiacum, cujus collectio ad Electorem Brandeburgicum ſpectat, vocant, *Ambre jaune*, neque quidquam aliud eſt, teſte *Joh. Baptiſtâ Tavernier*, quàm ſpecies quædam gummi, quod in mari congelaſcit & ſæpenumero animalcula aliaque gelu ſuô comprehenſa continet. Ejus in Sinenſibus uſus eſt non exiguus, inprimis cum Imperator convivio Proceres excipit. Tum enim inter pompæ epularis præcipua fercula *ambarum* eſt, cujus varia fruſta in ignem conjecta odorem fundunt naribus non ingratum, atque inſuper ignem, quem magnoperè venerantur, reddit luculentiorem. Petunt autem ambarum Sinenſes Bataviâ, Metropoli Hollandorum in India Orientali, &c. Præter hanc ambram aliud *ambari* genus eſt, quod *griſeum*, Gall. *Ambre gris* vocatur: quod quomodo & ubi generetur, obſcurum eſt. In Orientalibus tamen Maribus illud naſci veroſimile eſt, quamvis ejus aliquid nonnunquam etiam in littoribus Europæis, Britannico inprimis, reperiatur. Maxima illius copia in littore eſt prope Melindam, inprimis in fluviorum & præcipuè ejus, qui *Rio de Sena* appellatur, oſtiis, &c. Plura de eo, vide apud præfatum Tavernier *Itinerar. Parte* 2. *l.* 2. *c.* 23.

AMBASCIA, recentioribus Latinis idem, quod priùs *Ambaſcia* vel *Ambaxia*, ſervitium vel opera mercede conducta: uti *aſcellam* iidem pro *axilla* dixêre. In *LL.* Burgund. *Quicunque aſinum alienum extra Domini voluntatem præſumpſerit aut per unum diem aut duos in ambaſcia ſua, pulerunt, ut & ipſum & alium talem ei, cujus aſinus eſt, conſignet.* Ab *Ambactus*, quo nomine Veteres Latini deputârunt ſervum mercenarium, qui hàc & illàc circumagitur: *ambagere* enim vetus verbum, pro circumagere, ut *ambire*, pro circumire. Græcè ὁ περιαγόμενος, ὁ περιαγωγός: aliter quoque *Ambactus* Feſtus. *Ambactus, qui circumeunt & catervatim.* Hinc itaque *Ambaſciator*, Hiſpanis *Ambaxator*, pro Legato, i. e famulo ſeu cliente, cui Legati onus imponitur, aut cui res quæpiam mandatur perferenda, ut placet Scaligero, Salmaſio *ad Hiſtoriam Aug. Tom.* 2. *p.* 806. *Vileanio*, *Spelmanno*, aliis. *Lindenbrogius* tamen à German. *ambacht*, i. e. *opera*, vocis originem derivat, cui ſubſcribunt *Paulus Merula* & *Wendelinus*: ita, ut *Ambaſciator* is ſit, qui operas ſuas locat ad obeundam legationem, quod certè quidam perhonorificâ Legatorum negotiatione indignum cenſent. Vide præter *Origines Francic. & Italicas* Ægidii Menagii, Albertum Achariſium, qui ab *ambulare*, in *Vocabular. Ital.* Alios, qui ab Hebræo etymon arceſſunt. Ita ergo *Ambaſcia* idem eſt quod juſſio, ſeu munus alicui commendatum, Gall *Commiſſion*: *Ambaſciare*, legationem obire ſeu potiùs nomine alterius quidpiam efferre, nuntiare, referre: *Ambaſciatum*, apud Hincmarum *Ep.* 13. *ad Ludovic.* III. *Regem.* Legati rerum à ſe actarum relatio; in *Capitulari* verò de Villis *c.* 16. Legatio ipſa &c. Sed & *Ambaſciare* dicebantur Proceres, qui ab Epiſcopis aut Abbatibus interponebantur, ad donationem aliquam pro ſuis Eccleſiis ab Imperatorib. aut Regibus impetrandam. Has enim donationes *ambaſciaſſe*, i. e. ſuô interventu obtinuiſſe, ii dicebantur, eôque nomine Chartis ſubſcribebant, in quibus ſemper mentio fiebat, has donationes ad illorum preces factas fuiſſe. *Charta* Caroli Calvi A. C 877. apud Miræum *in Donat. Belg. Signum Caroli glorioſiſſ. Imp. Aug. Domina Richildis Imperatrix ambaſciavit.* Alia Carlomanni Regis Franciæ pridie Non. Mart. an. 5. Regni, Indict. I *Actum apud Trupechiacum villam* - *Theodoricus & Anſcharius Comites ambaſciaverunt*; alibique paſſim: pro quo Aelfryth Regina, Eadgari Anglorum Regis uxor, in ſubſcriptione, quæ extat apud Seldenum *ad Eadmerum p.* 11. videtur uſurpâſſe vocem *Legatio*: *Egò Ælfryth legitima præfati Regis conjux, meâ legatione Monachos eôdem loco, Rege annuente, conſtituens, crucem impreſſi.* Nam *legatio* idem eſt quod *ambaſcia*, &c. Vide plura hanc in rem apud Car du Freſne & Henr. Spelmannum in G[illegible]ar.

AMBASCIATOR, in Synodo Conſtantinopolit. *V. p.* 14. apud *Lindenbrogium*, *Paulus Dei miſericordiâ Diaconus &* Ambaſciator *Monaſterii. Et p.* 16. *Thomas Dei miſericordiâ Presbyter montis Sinai & Ambaſciator*, eſt, qui juſſa ſuperioris defert ac capeſſit. A voce *Ambaſcia*, cujus meminit tit. 1. §. 3. *LL. Salicarum. Si in Dominica* Ambaſcia *fuerit occupatus*; in editione Baſil. ubi alia editio habet, *ſi in juſſione Regis fuerit occupatus.* &c. Vide ſuprà. Hodie *Ambaſciatores*; Gall. *Ambaſſadeurs*, propriè dicuntur Legati primi ordinis, *Charactere*, ut vocant, *repræſentativo* inſtructi: quales ſunt, qui ſtrictè dicuntur, *Legati*, *Nuntii*, *Internuncii*, item *Ambaſciatores*, tam *Ordinarii*, quàm *Extraordinarii*. Quæ diſtinctio à 200. demum annis invaluit: cum antea omnes *Ambaſciatores*, re apud Principem, ad quem miſſi erant, confectâ, domum redirent. Ab eo verò tempore, *Ordinarii* dici cœperunt, qui in exteri cujuſdam Principis Aula perpetuò manere ſolent, tum commerciô conconſilii que conſervandæ; tum explorandis conſiliis & arcanis illius Principis. *Extraordinarii* verò appellantur, qui unius alicujus negotii causâ mitti aliquò ſolent: Quamvis *Ordinarius* ſæpiſſimè hic titulus, majoris ſplendoris ergò, ſuperaddatur. His inferiores ſunt *Plenipotentiarii*, *Commiſſarii*, *Miſſi*, *Reſidentes*, *Agentes*, *Deputati* &c. de quorum omnium juribus, officio, nævis, præmiis, pœnis &c. vide accuratè agentem Vicquefortium *in lib.* cui tit. *Memoires touchant les Ambaſſadeurs, & les Miniſtres Publics*, à *Cologne* 1673.

AMBASIA, Gall. *Amboiſe*, urbs Turonum, ad Ligerim cum arce, à Carolo VIII. ibi nato extructa. Hic Ordo Equitum S. Michaëlis, à Ludovic. II. inſtitutus, 1 Aug. A.C. 1469. De Amboſiana conſpiratione, vide Thuan. *l.* 24.

AMBASTÆ, Aſiæ populi, in Regione Sinarum, ubi nunc provinc. *Chequiam*, *Chiamſi* & *Fuquien*.

AMBASTUM, fluvii nomen in Aſia *Ptol.*

AMBASUM, metropolis Phrygum. *Steph.*

AMBATÆ, Aſiæ populi.

AMBAUTÆ, Paropamiſi gens. *Ptol.*

AMBE, Arabiæ Felicis urbs.

AMBEGNA Ovis, vide *Ovis Gemellipara.*

AMBENUS, Ducis nomen, qui in bello Colchico occidit truncâ haſtâ Otreum. Val Flacc. *l.* 6. *v.* 251.

AMBENUS, Sarmatiæ Europææ mons, apud Tyram fluv. & Ophiuſam, in ora maris Euxini. Val. Flac. *l.* 6 *v.* 84.

- - - Linquitur & mons

Ambenus, & gelidis pollens Ophiuſa venenis.

AMBER, fluv. Germaniæ, in Bavaria, cadit in Iſarum, paulò ſuprà Landshutum. Vide *Ambro* & *Ambra*.

AMBERGA, Urbs German. ad fluv. *Wils*, caput Palatinatus ſuperioris in ditione Ducis Bavariæ, à paucis annis.

AMBERTA, vulgò AMBIERTE, memoratur ab Agapeto Pontifice, qui A. C. 948. Romæ ſedere cœpit, inter loca Cluniaco ſubjecta. In Æduis eſt. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. in voce Carus locus.*

AMBIAMUM, Urbs & Regnum Æthiopiæ ſuperioris verſus *Zaflan* lacum.

AMBIANCATIVA, Urbs & Regnum Abyſſiniæ, prope Nilum fluv. inter Nubiam & Regnum Bagamidri.

AMBIANTINUM, vicus German. apud Confluentes, ubi Caligula Cæſar natus eſt. Sueton. in ejus vita *c.* 8.

AMBIANUM, vel AMBIANENSIS *civitas* Galliæ Belgicæ præſtantiſſima, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Remenſi. S. Firminus, unus antiquiſſimorum ejus præſulum: in Picardiæ provincia, ſic dicta ab *ambientibus aquis*, quibus undique circumdatur. Anteà verò dictam volunt *Samarobrivam*, vel potius *Sommonobrivam*, reſtauratamque ab Antonino Pio, ejuſque filio Aureolo, vulgò *Amiens*. Mentio ejus in præclaro Magnentii nummo æreo, ut vidimus ſuprà in A. M. B. Arcem hic munitiſſimam Henric. IV. extruxit, poſtquam illam ab Hiſpanis captam recuperâſſet, A. C. 1597. Fuit olim ſub Comitibus de Poquigni. Patria P. Eremitæ, Sylvii, Riolani, Fernelii, &c. Moiſier. *Ant. Amb* Populi *Ambiani*, ſive *Ambianenſes*, quos Plin. cum Bellovacis conjungit *l.* 4. *c.* 17. Hos Cæſar. *l.* 2. *Bell. Gall. c.* 4. inter Belgas, qui contra populum Romanum conjuraverant, numerat & 10. mill. armata ad bellum pollicitos eſſe ait, eoſque inter Bellovacos ac Nervios ponit, ac utriſque facit finitimos; ſicut ſunt hodieque, Bellovacos inter & Cameracenſes ſive Nervios ſiti. Eiſdem ad Aleſiam obſidione Romanâ liberandam, à Principibus Galliæ imperata eſſe 5. mill. hominum tradit, vulgò *les Amienois*. In *Notit. Imper. Equites cataphractarii Ambianenſes*, in vexillationibus Comitatenſibus numerantur, ut & in *veteri inſcript.* apud Goltzium. Plin. *l.* 5. *c. ultimo*, qui agros Galatiæ in Phrygia inſedêre Gallorum Toliſtobios & Voturos & *Ambianos* vocari ſcribit, &c. Vide infrà. Caput eorum *Samarobriva Ambianorum* ab incolis olim vocata eſt, circa quam cum tribus legionibus hyemavit Cæſar, ſecum habens Trebatium JCtum, ad quem Cicer. *l.* 7. *Famil. Ep.* 11. ſcribens & jocans ait, *Una mehercule collocutio noſtra pluris erat, quàm omnes Samarobrivæ.* Item, *ô caſtra præclara! Quid tu feciſſes, ſi te Tarentum, & non Samarobrivam miſiſſem.* Claudio Ptolemæo Σαμαρόβριγα; in *tabula Peutinger*: *Samarobriva* prope Teuceram *Tieurre*, qui vicus eſt ad flumen Altejam. Sic autem dicta eſt veteri Belgarum linguâ, quaſi *Samaræ* aut *Samaræ pons*; hodieque enim apud eam pontes ſunt ad Samarum, qui recentioribus *Somona Sumina* ac *Somena* dicitur. Eadem *civitas Ambianenſium* vocatur Sulpicio Severo *de Vita S. Martini* ac *in veterib. Notitiis*, inter 12. provinciæ Belgicæ civitates via 10. obtinet locum, etiam civitati Sylvanectum poſtpoſita: ſed in recentioribus octavo eſt, Noviomago, Sylvanectis, Bellovacis Laudunoque prælata: Roſcom Chlodionis Meroveique Regia dicitur. In Codice Theodoſ. *l.* 8. Valentinianus, Valens & Gratianus Auguſti reſcribunt *Ambianis*, (nomine gentis, quod veteri depoſitô urbs aſſumſit, more multarum Galliæ civitatum) qua in urbe Gratianus à patre ſuo Valentiniano Auguſtus, conſentiente exercitu, fuerat appellatus. Ex 8. in Gallia fabricis, ultima *Ambianenſis ſpatharia ac ſcutaria*, fuiſſe legitur: eſtque etiam hôc tempore celebre in ea armamentarium, in quo arma tormentaque bellica fabricantur ac ſervantur. Lati ſunt populi hujus fines, inter Caletos ac Morinos. Nam & pagus Pontivus, Suminam inter ac Altejam flumina Comitivæ titulô inſignis, & aliqua portio Comitatus Atrebatici, *Ambianorum* finibus ac diœceſi hodieque continentur, nec non pagus Vinemacus *le Vimeu*, inter Auciam, & Suminam fluvios jacens, ut & ager inter Altejam & Quantiam. Nam Monaſteriolum ad Quantiam ad Ambianos quoque pertinet & cuncta ab Aucia flumine uſque ad Quantiam. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* longitud. 23. 20. latitud. 49. 50.

Loca Ambianorum.

Abbatiſvilla.	Leuconaus, ſeu oppid. S. Walarici.
Cadocum *Cayeu.*	Monaſteriolum.
Corbeja.	Pinquimacum.
Corocotinum *Crotoy*	Pons Remigii.
Durocoregum *Rue*	Pontes *Pont Aſſelune.*
S. Eſprit	

AMBIANUS Guido, vide *Guido.*

AMBIANUS Hugo, vide *Hugo.*

AMBIATI, populi Galatiæ, de quibus Plin *l.* 5. *c.* 32. Apud Solin. *c.* 43. *Ambiani* dicuntur, ſed in MSS. *Ambitii*, vel *Ambituti*.

AMBIATINUM. Vicus German. apud Confluentes ad Rhenum, ubi C. Caligula natus. Nunc *Capelle*. Aliis *Ambitarinus vicus*.

AMBIBARETI, populi in quos Cæſar hyemandi causâ C. Antiſtium Rhegynum cum legione miſit. *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 90. miſiſſe ſe commemorat. Ii fortè erant Ambianenſes, vel aliqui his proximi, uti eos, Atrebateſque, & Morinos finitimos in fide contineret. Nunc Vivarienſes dicuntur, & urbs Vivarium. Vulgò *Viviers*, regio verò *Vivarez*. Aliis tamen Helvii fuiſſe dicuntur, ubi nunc Vivarienſis provinc.

AMBIBARII, populi Celtarum, inter Aremoricas civitates, Oceanum attingentes, ſiti inter Rhedonibus, & Lemovicibus, circa Britanniam cateriorem, & Normanniam, in regno Francorum ſiti. *Ambie* eò loci ponitur a *Vigenero*, prope montem S. Michaëlis.

AMBIDRANI, populi Norici, ubi nunc pars Orientalis Stiriæ, in Germania.

AMBIGATUS, Celtarum Rex, tempore Tarquinii Priſci, qui ubi majorem vidit ſuorum multitudinem, quàm ut commodè ab ea regione ali poſſent, Bellovesum, & Segovesum, ſorores ſuæ filios, cum magna Senonum parte ad quærendas novas ſedes, alterum in Italiam, alterum ad ſaltus Hercynios miſit. Liv. *l.* 5. *c.* 34. Dupleix *memor. Gall. l.* 2. *c.* 36. Vide *Bellovesus* & *Segovesus*.

AMBILIATES, populi Galliæ Celticæ, quorum oppid. *P. Amballes*, non obſcurum nominatur in Britannia minori, ubi charta pergamena copiosè conficitur. *Nic Lloydius*. longitud. 17. 50. latitud. 48 10. Hos unus memorat Cæſar *l.* 3. *Bell. Gall. c.* 9. cum ait: *Socios ſibi ad id bellum Oſiſmios*, *Lexobios*, *Nannetes*, Ambiliates, *Diablintes adſciſcunt*. De Venetis, Unellis ac Curioſolitibus loquitur. Poſita ſunt inter Brivcenſes Maclovienſeſque, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AMBILICI, populi Norici, ubi nunc pars Occidentalis Stiriæ, ſub Auſtriacis.

AMBIORIX, Rex dimidiæ partis Eburonum, Cæſar *de Bell. Gall. l.* 5. *c.* 26. *l.* 6. *c.* 30. Imperia erant ejuſmodi, ut non minus haberet in ſe juris multitudo, quam ipſe in multitudinem, *l.* 5. *c.* 27. Germanicum nomen valetur eſſe *Hanerich*. Hic plurimos Romanorum in inſidias pertractos occidit. Deni Legionem Q. Ciceronis aggreſſus, à Cæſare occiſus eſt, cum 60000. Gallis. Cæſ. *l.* 5. *Bell. Gall.* Dion. *l.* 40. Oroſ. *l.* 6. *c.* 9. Dupleix, *memor. Gall. l.* 4. *c.* 35. 36.

AMBIRKELETUS, Eugenii V. Scotiæ Regis fil. ante regnum optimus, iſto potitus peſſimus. Bello contra Pictos obiit, non ictu ſagittâ, incertum quâ miſſa manu, confixus. A. C. 697. Lesl. *l.* 4.

AMBISONTII, populi Norici, ubi nunc Carinthia provinc. in German. juxta Dravum fluv.

AMBITIO, apud Solin. *c.* 25. ubi de Britannia, *Navigant autem vimineis alveis*, *quos circumdant* ambitione *tergorum bubulorum*: eſt ἡ ἀμφίεσις. Uti apud Tertullianum *de Pallio*, *Cum latioris purpuræ ambitio & Galatici ruboris ſuperjectio Saturnum commendat*. Ubi *ambitio latioris purpuræ*, eſt laticlavi tunica, quâ corpus ambitur; *ut Galatici ruboris ſuperjectio*, pallium coccineum, humeris injici ſolitum. Idem nempe quod ἀμφίασμα. Aliàs quid *Ambitio* ſignificet, notum. Cum gratia ſæpe jungitur. Sic Tacitus *initio Agricolæ*, *Ita celeberrimus quiſque ingenio*, *ad prodendam virtutis memoriam ſine gratia aut ambitione*, *bonæ tantum conſcientiæ pretio ducebatur*. h. e. uti Heraldus interpretatur, ἄνευ χάριτος καὶ φιλοτιμίας [illegible]. Qui & ad hæc Arnobii *l.* 7. *Et ambitionis & gratiæ nullus locus in Diis eſſe*, *Ambitio*, ait, *dicitur nomen in iis*. *qua amor populari veliſicamur*, *& apud omnes ordines gratioſi eſſe volumus*. Adfertque hanc in rem Livii locum *l.* 43. *c.* 12. *Exercitum Conſulis inſequentem commeatibus vulgo datos per* ambitionem *eſſe*. Unde, pergit, *Ambitioſi*, *qui hac ambitione ad ſavorem graſſantur*. *Sic ambitioſus Conſul*, *ibid. c.* 14. *ambitioſum & indulgens Dux*, *alibi: decreta ambitioſa*, *i. e. gratioſa*, *l.* 5. *ff. de Minor*. Ab ambiendo, ſeu circumeundo, quod inter ſervilis adulationis notas reperimus, apud Arrianum *Diſſertat. Epictet. l.* 4. *c.* 7. [illegible]. Atque hinc potiùs *Ambitioſum*, quod idem *Solinus* alibi *interſtitio* contradiſtinguit & *pretioſum ac carum* intelligit. Quæ enim pretioſa ac magis rara ſunt, ea *ambitio* conſectari ſolet. Græci tamen modo καὶ τὸ ἀναγκαῖον, i. e. *neceſſarium*, pro caro & pretioſo uſurpârunt, ut ἀναγκαῖοι λίθοι, *lapides pretioſi*, & ἀναγκαῖος σμάραγδος, *pretioſus ſmaragdus*. Eò quod, quæ nobis neceſſaria ſunt & ſine quibus eſſe non poſſumus, tantò magis habenda &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 246. & 259.

AMBITUS repreſſus, lege *Aelia*, quam vide.

AMBITUS Muralis, idem cum *Sepe Murali*, quod vide.

AMBITUTI, populi Phrygiæ de quibus Solin. *c.* 43. *Galatiam primo ſeculo priſca Gallorum gentes occupaverunt Toliſtobogi*, *Voturi & Ambituti*: *quæ vocabula adhuc permanent*, *quamvis Galatia inde dicta ſit*, *ipſo ſonat nomine*. Ubi notat Salmaſ. negligentiam Auctoris, quod in populis Gallorum ex *Plinio* recenſendis, à quibus appellata Galatia eſt, eos tantùm numerat, qui partem Phrygiæ occuparant. Nam *Trocmi* Mæoniæ & Paphlagoniæ regionem inſederant, *Tectoſages*, partem Cappadociæ uberrimam tenuerunt, ac *Toliſtobogi*, cum *Voturis* & *Ambitutis* Phrygiam. Alii tamen Auctores ferè omnes tres tantùm veluti præcipuas gentes Gallorum nominant, quæ in Aſiam transmigraverint, *Toliſtobogos*, *Trocmos* & *Tectoſages*. Vide eum *ad Solin. p.* 877. & infrà in *Galatia*.

AMBIVARITI, populi Belgarum inter Rhenum & Moſam. Putantur eam ducatûs Brabantiæ partem incoluiſſe, in qua Buſcum-Ducis, Breda, & Antwerpia.

AMBLA, Gall. *Amble*, Vegetio *Ambulatura*, vox Latina & ex Latinorum conſuetudine facta eſt: uti *reſona*, pro reſonatione, à reſono; *cura*, pro curatione vel curatura, à curo &c. Vegetius *l.* 4. *c.* 6. *Inter colatorios enim & eos*, *quos gutturnarios vulgus appellat*, *ambulatura enim eorum media eſt*. Molliter ſignificat ac delicatum alturconum greſſum, Græcis ῥαβάνον dictum; quæ vox non tantùm illam curſus ſpeciem notat, quem Galli *trotum* vocant: Sed & mollem illam & ad delicias compoſitam vecturam, qualem exhibent, cum magna ſedentium commoditate ac voluptate, tolutarii vel Aſturcones. *Heſych.* hinc, ῥαβάνον interpretatur, [illegible]; nam Græci βαδίζειν per excellentiam dixêre de hoc molli alturconum greſſu. Quemadmodum *ambulare* Latini. Unde prædictus *Vegetius* alibi de iiſdem, *Non cum circulis*, inquit, *aut ponderibus gravant*, *ut ſoluti ambulare condiſcant*. *Plautus tolutim badiſſare* dixit: [illegible] βαδίζειν. Sed & βαδίζειν ut dictum, ſimpliciter & abſolutè. Ad hunc tolutariorum greſſum, quod proximè accedebat curſus tripedariorum equorum, ideò τολύτα & [illegible] etiam illum deſignabat. Quamvis enim tripedarius & ipſe tolutim incedens, cum tormina & ſuccuſſatione ſeſſoris id faciat, ſenſim tamen ad levitatem & mollitiem vecturæ, qualis in alturconibus eſt, edomatur. Qua in re Parthi olim exercitati, qui hujuſmodi tripedarios ſeu tripedarios ſumere ſolebant, quos condocefacerent alturconum modò blandè molliterque vehere, greſſuque ſpiſſo & minutò clementer erigere & molliculâ gratâque ſuccuſſione commovere: quâ arte poſtquam educti erant, mediam quamdam ambulaturam nacti ſunt, inter alturcones & trepidantes, atque tum *Trenenarii* dicti ſunt, &c. Vide infra paſſim, & in hanc rem plura, apud Salmaſ. *ad Capitolin. in Maximinis duobus*, *c.* 5.

AMBLADA, urbs Piſidiæ. *Steph.* Straboni *l.* 12. Ἄμβλαδα. Inde *vinum Ambladenſe* eidem *Straboni*, quod ibi [illegible] vocat.

AMBLAVA, & AMBLAVIA, fluv. in ducatu Lucemburg. apud Stabulum monaſterium, in Aguippuenſium confinio vulgò *Ambleve*. Alius ubi ſit, non conſtat, ſed *Recbte* fluv. alluit Stabulum Monaſterium, *Nic. Lloydius*. Nomen eſt quoque loci, in Tungrorum finibus, qui non procul à Monaſterio Stabulenſi, à fluvii cognomine dictus eſt. Fuit olim Villa publica, in ſylva Arduenna ac ſubjecta colli planitie poſita, Caroli Auſtraſiorum Ducis, de Neuſtraſiis victoriâ, ac Regis Chilperici Ragenfridique Præfecti Palatii fugâ, nobilis. Hæc vulgò *Amblef* vocatur, vicus autem an eodem hodie nomine appelletur, ſibi incompertum eſſe ait Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AMBLIDUM, caſtrum Galliæ, Frodoardo memoratum *in rebus* A. C. 943. ubi id à Rotberto & Rodulfo fratribus Remis expulſis detentum, ab Hugone verò, Præſule Remenſi, captum atque combuſtum dicit. Vulgò *Ambly*, adjacet fluminis Baro *Bar*, apud Doncherium in Moſam effluentis & Vrendeniſſæ villæ *Pendeniſſe*, *Idem*.

AMBO, Walafrido Straboni ab *ambiendo*; aliis meliùs à Græco ἀναβαίνειν, i. e. *aſcendere*, pulpitum eſt ſeu tribunal ædis ſacræ, ad quod gradibus aſcenditur. Paulus Warnefridus in *Epiſcopis Mett.* in Chrodegango: *Conſtruxit etiam* ambonem *auro argentoque condecoratum*, *& arcus per gyrum thronum ante ipſum altare*. Arabes *Mambar* vocant, præponendò more ſuò literam *M.* & in illo Evangelii loco, Matth. *c.* 23. *v.* 2. ubi Vulgatus Interpres legit, *Super cathedra Moyſi ſederunt*, habent illi, *ſuper Mambar* &c. Alter Latinus *Analogium* quoque, quòd in eo Verbum Dei legatur ac annunciatur: Græci tamen recentes Ἀναλόγιον pluteum illum & repoſitorium vocant, in quo ponitur liber ſuſtentandus, dum legitur, Ital. *Legio*: Porro *Bema*, *Lectorium*, *Lectricium*, *Pulpitum*, *Pyrgus*, *Suggeſtus*: *Lampium* item, ut videre eſt, apud Macros Fratres in *Hierolex.* Patebat ad *Ambonem* duplex olim aſcenſus, ut ex Silentiario probavit Car. du Freſne *in Deſcript. ædis Sophiæ num.* 75. & firmatur inſuper ex Durando *Ration. l.* 4. *c.* 24. *num.* 17. *Dicitur autem Ambo— quia gradibus ambitur*. *Sunt enim in quibuſdam Eccleſiis duo paria graduum*, *ſive duo aſcenſus in illum per ordinum*, *hora*, *unus a ſiniſtris*, *videl. verſùs Orientem*, *quò ſit aſcenſus*: *alter a dextris*, *videl. verſus Occidentem*, *quò ſit deſcenſus*. Anaſtaſius *gradum aſcenſionis & gradum deſcenſionis* vocat, in *Sylveſtro Pontif.* In *Ambone* autem legebantur Lectiones, Epiſtolæ & Evangelia, in ſacris Liturgiis, & quidem, cùm in *Ambonis* parte ſuperiore duo eſſent gradus, altior unus, inferior alter: in illo Evangelium legebatur, in iſto Epiſtola. Ordo Rom. *Subdiaconus vero*, *qui lecturus eſt*, *aſcendit in ambonem*, *ut legat*, *non tamen in ſuperiorem gradum*, *quem ſolet aſcendere*, *qui Evangelium lecturus eſt*. Neque verò Lectiones tantùm & Evangelia, ſed etiam conciones, aliaque quæ ad Populum recitanda vel exhibenda erant, in ambonibus recitabantur & exhibebantur. Martinus I PP. *in Synodo Lateran. Capitula numeri novem in ambone prædicari* &c. *Annales* Francorum *ad A. C.* 800. *Ipſe Pontifex coram omni Populo*, *in B. Petri Baſilica Evangelium portans*, ambonem *conſcendit*, *invocatoque Trinitatis nomine*, *de objectis ſe criminibus perejurando purgavit*. De orationibus ſermonibuſque in *Ambonibus* ad populum habitis, loquitur Epiphanius *Hiſtor. Tripartit. l.* 10. *c.* 4. *Epiſcopus vero*, *Eutropio ſub altari jacente*, *nimioque repercuſſus more reſidens ſuper* ambonem; *ubi ſolebat prius facere conſuetum ſermonem*. Iſo item Magiſter *de Miraculis S. Othmari Abbatis* 1. 4. *Quidam Archipresbyterum ambonem conſcendere*, *ac vice ſui ſermonem ad populum facere juſſit*. Sic Socr. *l.* 6. *c.* 5. [illegible], *Reſidens in ambone*, *à quo ſolitus erat prius ad Populum verba facere*, *ut ſive ut exaudiretur*. Unde Prudentius *Periſteph. Hymn.* 4. *de S. Hyppol. v.* 225.

Fronte ſub adverſa gradibus ſublime tribunal
Tollitur, *Antiſtes prædicat unde Deum*.

Sed & coronatos in *Ambone* Imperatores teſtatur Theophanes *p.* 405. 418. 419. 426. & Auctor incertus poſt eundem Theophanem *p.* 432. Imò & è loco hoc ſublimi, fervente ſeditione, à Sacerdotibus denon parti faventibus, Populum non rarò ad prava conſilia & quietem publicam turbandam, incitari, docet Jac. Aug. Thuanus *Hiſt.* Gallicarum Rer. maximè ubi de Liga, ſub Henrico III. Regi Regnoque infeſta, &c. Cæterùm, extare adhuc Romæ veteres *Ambones* ſupram, in Ædibus S. Clementis, S. Pancratii & S. Laurentii extra muros, teſtatur Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quæ de *Ambone Ædis* Sophianæ idem congeſſit in *ejuſdem Deſcript. num.* 74. & 75. Salmaſio *Ambo* propriè fuit, lapideus ſuggeſtus rotundus, in medio Templi, ad inſtar turris: unde ei nomen. Ventrem enim ampullarum

tum ἄμβωνα Græci vocant, à tumore umbilicato, *Pollux*; τῶ δὲ κα- λου- ὀμπήχου ὑπερέχοντα πλαγια στροφὴ τὸ χρυσοῦν ἄμβωνας καλοῦσιν. Unde ἄμβιξ, *ab*, quod ventrem habet prætumidum ἄμβωνας quoque montium *aſcenſus*, pars ſeu *gradus* eminentior. Vide etiam infra in *Umbo*, Suggeſtum vero iſtiuſmodi ſacræ lectioni & Concionibus in Templis Chriſtianorum deſtinatum, ſic deſcribit *Paulus Silentia-rius*:

> Ἔστι τις εὐρυπόροιο κατ' ἔνδον μέσσα μελάθρου
> Ἀέρος αἰθερίοιο ...
> Πυργος ...
> Ὀρθώσας ...
> Ὡς μὲν μὲν ...
> Ἔστι γὰρ ...
> Ἐς ...

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 704. & infra aliquid voce *Umbo*.

AMBOGLANNA, oppid. Angliæ, ubi nunc Cambecum, vulgò *Cambe*, apud Glocestriam Briſtoliam verſus. Verùm Camde-nus putat eſſe *Ambleſide*, in comitatu Weſtmariæ.

AMBOHITIMENI, populi Africæ in Inſul. Madagaſcar, verſus Orientem. Ubi etiam montes altiſſimi ſic dicti, quaſi *montes rubri*. *Flacurt.*

AMBOINA, Inſul. maris Indici in Aſia non procul à Moluccis, parva, ſed dives aromatum proventu & fertilis, ubi colonia Batavorum. Ejus oppid. principatum *Iſou*, ubi Eccleſia floreutiſſima eſt, 30000. Indorum partim ex Gentiliſmo, partim ex Mahometiſmo, converſorum, uti ſcribit M. Corn. vander Sluys Ultraj Paſtor ejus, d. 10. Jun. A. C. 1686. Detecta fuit à Luſitanis, A. C. 1515. ad meridiem inſulæ Ceram ſita 24. leucis à Banda.

AMBOLA, vulgò *Ambole*, provinc. & vallis fertiliſſima Africæ, in Inſula Madagaſcar, verſus Meridiem. Eam biſariam ſecat fluv. *Manampani*, ad Septentrionem provinc. Carcanoſſæ.

AMBOLAGIUM, vide *Amictus*, it. *Anabolagium*.

AMBON, Inſul. Indiæ Orientalis aſperrima ac ſterilis vicinis aliquot inſulis nomen dat. Periodromus ejus 500. milliar. Incolas habet anthropophagos & piratas.

AMBOSIA, vide *Amboſia*.

AMBOSIANUS Georgius, vide *Georgius*.

AMBOSIANUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

AMBOTA, oppid Poloniæ, in Samogitia provinc. ad Wardanam fluv. qui paulo poſt cadit in Uveram.

AMBRA, Vindeliciæ urbs, *Biſp Simbero*, ad lacum ejuſdem nominis ex quo *Ambra* fluv. ejuſdem nominis exit.

AMBRA vide ſupra *Ambarum*.

AMBRACIA, civitas nobilis Theſprotiæ, Epiri, juxtà Acheronteam fluv. ab *Ambraco* Theſproti filio dicta, prius *Epina*, & *Paraſba*, *Larta* vulgo vel *Ambracina*: longitud. 46. 40. latitud. 39. 20. Pyrrhi regia fuit, quam Alexander M. liberam eſſe juſſit, Macedonici præſidio inde avocato. Freinshem. Supplem. Curt. *l.* 1. *c.* 10 Auguſtus Nicopolin, à victoria, nominavit, cum vicisſet Antonium. Inde *Ambracenta*, ſive *Ambracenſes* incola, & *Ambracius ſinus*, pars Adriatici maris è pario adjacens. Mela *l.* 2. *c.* 3. *In Epiro nihil Ambracio ſinu nobilius eſt. Facit ſinus qui anguſtis faucibus & qua minus mille paſſibus patent, grande pelagus admittens*. Plin. *l.* 4. *c.* 1. hoc ſpatium tribuit, non oſtio ſinus Ambracii, ſed Iſthmo ſinus Corinthiaci. Itaque Pintianus omnia hæc verba alio tranſpoſuit, cum & ex *Strabone* & *Polybio* manifeſtum ſit, fauces ſinus Ambracii plus 4. minus verò 5. ſtadiis patere. Sed Mela antiquiores ſecù ſecutus eſt authores. Forte enim potuit, ut omnia illius oſtii utrinque pene concurrentia, cum Regnum Epiroticorum excreverant, fretumque anguſtârint. Quod ſi quis exiſtimet potius erraſſe hic Melam, & hoc quoque per me licet. Longè certè ignoſcibilior eſt hic error, quàm is quem committit Strab. *l.* 10. cùm dicit, ambitum ſinûs Ambracii eſſe 300 ſtadiorum Polybius enim *l.* 4. *c.* 63. certiſſimus teſtis, prodit tantam eſſe longitudinem ejus, latitudinem vero ſtadiorum 100. Polybium ſecutus eſſe videtur Plinius, cujus verba, ope libri veteris, ita ſunt reſtituenda: *Ambracius ſinus* DCC. *paſſuum faucibus, longitudinis* XXXVIII. *millia paſſuum, latitudinis* XII. *millia*. Niſi itaque nos fallit lectio vulgata, quod tamen vix puto, valde exiguum fecit hunc ſinum Strabo, quod optimè colligere poſſumus, qui non ſunt planè ἀγεωμέτρητοι. Voſſ. *in Mela loc. cit.* Hodie hic Sinus *le Golfe de Larta*, ſeu *de Preveſa* dicitur: celebris Actiacâ Auguſti Victoriâ. Vocatur etiam *Anactorius ſinus*, & recipit fluv. Inachum & Arachthum.

AMBRACIDES, fœmineι calceamenti genus, vide *Femina*.

AMBRACUS, Epiri oppidum. *Steph.*

AMBRETA, Gall. *Ambrette*, floſcli, cardui & cinaræ repræſentans florem, ſed mole haud paulò minore. Priuſquam dehiſcat, ſeſeque pandat, ſphærulæ exhibet ſpeciem, ſquamoſo ſcaboque cortice, colore viridi diluciore. Tum ſoſemè hiaſcens molliter, tenuiore capillis depromit diffunditque per ambitum fila, cœruleis amethyſtum inſernè ſubalbidi, & velut in ſidera in componit & explicat. Denique florem hunc non forma commendat, ſed odor admirandus, tam accedens prope ad odorem Ambari, ut ſortitus inde ſit *Ambretta* nomen. Fr. Pomey *in Deſcript. Var.*

AMBRISIUS, fluv. Aſiæ, in regno Congi. Cadit in mare Æthiopicum inter flumina *Lelunda* & *Loſe*. Oritur autem ex montibus prope oppid. *Tonda*.

AMBRO, fluv. German. in Bavaria oritur 2. leucis à Fuſſena urbe, in limite Comitatus Tirolenſis, vide *Amber*.

AMBRO devorator, in *Gloſſ.* Iſidori. Aldhelmus *de Laude Virg. c.* 5. *Quem Protoplaſtum, recentis Paradiſi colonus & totius terreſtris creatura, quamvis vertigo cœli, in modum rotantis fundibuli circumgyrat, vitalis poſſeſſor, buccis ambronibus* (uti reſtituit Gronov. cum antea legeretur, (*ambronibus*) & *labris lurconibus* vetitam degustans alimoniam, in gaſtrimargiæ voraginem crudeliter occidiſſet. Idem *de S. Virg.* de eodem Adamo loquens,

Dum vetitum ligni malum decerperet ambro.

Et rurſus *loc. cit.* crebra macrarum ſtrage ambronis Orci faucibus tradidi: ubi hic jam editum, *ambronis*. Confirmat emendationem Viri Cl. conjunctio earundem vocum, quæ infrà: *ut inſultatores Carbo-lica ſuis balbis buccatum labiis abominentur*. Similiter in *Carm.*

> *Aſtidet ut morſum ſpernebat baſia buccis,*
> *Dulcia ſed Chriſti compreſſit labra labellis.*

Et iterum.

> *Et ſuperi potius Sponſi lenteſcere labris,*
> *Sectus compreſſis impenderit oſcula buccis.*

Ubi per varias ſimilitudines colligit, nuptias inter contemtum eſſe ... qui virginitati poſtponerentur. Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſervat. in Eccleſ.* 14. ac Auctores laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.* Ab *Ambronibus* Galliæ populis vocem hanc originemque deducunt Macri Fratres in *Hierolex.*

AMBROCIUS, pagus fuit Hiſpaniæ Luſitaniæ ubi nunc Placentia Urbs, teſte *Jo. Mariana*.

AMBRODAX, Parthiæ urbs. *Ptol.*

AMBRONES, gentes Galliæ, quæ ſubitâ inundatione maris quum ſedes ſuas amiſiſſent, rapinis ſe alere cœperunt. Hinc factum eſt, ut turpis vitæ homines *Ambrones* dicerentur. *Feſtus* & Eraſmus *in Chil.* Cluverio aliiſque erant populi Helvetiorum, ubi nunc pagi Bernenſis, Lucernenſis & Friburgenſis. Ab iis etiam alii *Ambranicus pagus*, ſub quo magna pars Helvetiorum. Quibuſdam *Tigurini* ſunt. Hi à Mario, in Provincia, magnâ clade affecti. Cujus victoriæ monumentum adhuc extat prope Aquas Sextias. Plut. *in Mario*. Flor. *l.* 3. *c.* 3. Eutrop. *l.* 5. Oroſ. *l.* 5. *c.* 15. Strabo *l.* 4.

AMBRONIACUM, vel *ac*, *Ambournay*, Monaſterium eſt non ignobile Galliæ, apud Bugeſios, in diœceſi Lugdunenſi, ad radicem collis ſitum, in planitie, quà itur Lugduno Genevam: quod oppido muris cincto originem dedit. Ab *Ambronibus* fortè dictum: Fundator Monaſterii Bernardus fuit, qui locum ab Abbate Lugovienſi ſibi comparavit, ibique templum à paganis everſum reparavit, Abbatiamque conſtruxit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AMBROSIA, Dionyſii feſtum apud Iones, quæ *Lenæa* & *Chia* dicebantur. Cæl Rhodig. *l.* 28. *c.* 25. Iis apud Romanos reſponderunt Brumalia, menſe Decembri celebrata ſolita, de quibus in voce *Brumalia*

AMBROSIA, ſeu AMBROSII VICUS, ſeu *Ambresburia*, Urbs Angliæ, ad Avenam fluv. in Viltonia provinc. vulgò *Ambresbury*. Hinc *Ambroſii mons*, 2. milliar. ab Ambresburia Britannorum heroum, qui regnante Vortigerô A. C. 475. Saxonum dolò illic cæſi humatique ſunt, clade nobilitatus, hodie *Stanchenge* nominatur, ubi ſtupendæ magnitudinis Saxa, ab Aurelio Ambroſio Britanniæ Rege erecta, conſpiciuntur, modó tam incredibili conſtructa, ut omnes in admirationem tantæ ſtructuræ converterunt. Hiſtoriam ejus poſt *Ignatium Jones* conſcripſit *Gualterus Charletonus Medicinæ Doctor*. Horum quæ hodie reſtant, ſpatium 300 pedes continet. Hic Aurelius Rex et & Uterpendrago & Conſtans ſepulti. Plura *Joh. Speedus* ſuggeret. *Nic. Lloydius*.

AMBROSIANI, ſeu PNEUMATICI, enthuſiaſmos, ſcripturâ ſpretâ, jactabant. Prateol Gautierum, *ſecul.* 16.

AMBROSIANUM, in Regula S. Benedicti, ubi ſermo de Matutino eſt *Inde ſequatur Ambroſianum*: Hymnum ſignificat Te Deum, à D. Ambroſio compoſitum; cujus etiam mentio in *Vita S. Caroli Comit. Hymnum Ambroſianum, Te Deum laudamus, cum ipſo antiphonatim decantare cœpit*. Vide infra in voce *Hymnus Ambroſianus*. Ab eodem *Officium Ambroſianum* nomen habet, quô Eccleſia Mediolanenſis utitur. Item *Ritus Ambroſianus*, de quo Macri Fratres paſſim in *Hierolexico*.

AMBROSII Mons, it. Vicus, vide ſuprà *Ambroſia*.

AMBROSINI, Carolo du Freſne *in Gloſſ.* dicuntur nummi Dominorum ac Ducum Mediolani, S. *Ambroſii* equô inſidentis & flagellum dextrâ tenentis imagine inſignes, cujuſmodi paſſim videre eſt. Cudi cœpêre, poſtquam Luchinus Vicecomes, Mediolanenſium copiarum ductor à patruele ſuo Azone conſtitutus, victoriam inſignem de Lodriſio Vicecomite Azonis patruo, reportavit A. C. 1339. d. 21. Februar quo in prælio ferunt Ambroſium ab omnibus conſpectum, ſcuticâ hoſtes cædentem, adeoque ei Mediolanenſes victoriam aſcripſiſſe. Ab eo itaque tempore, in rei memoriam, celeberrimum hunc Antiſtitem, hâc ſpecie, in nummis ſuis, effigi curârunt Mediolani Urbis Domini. Narrant hiſtoriam *Boſius*, *Corius*, *Jovius*, alii. Antiquior verò memoria eſt vexilli Mediolanenſis, ejuſdem Præſulis nomine inſignis, nempe jam ſub A. C. 1160. in *Hiſt.* Archiepiſcopor. Bremenſ. 164.

D. AMBROSIUS, cui in cunis jacenti apicularum agmen in os ingredi, egredique viſum, Mediolanenſis Epiſcopus ex Præſide electus, priuſquam ſacri Baptiſmatis donum, & gratiam ſuſcepiſſet. Hieron. *de Script. Eccleſ. Vir diſertus, & valde eruditus in Philoſophia. Hunc ſalsò accuſat Porphyrius, quod ex Chriſtiano Ethnicus fuerit, cùm conſtet eum, uſque ad extremum vitam, Chriſtianum perſeveraſſe*. Laudes ejus ita quoque celebrat Trithemius: *Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, in divinis ſcripturis, atque in ſecularibus literis omnium facilè doctiſſimus, Græco atque Latino ſermone ad perfectum inſtructus, cujus meritum totus orbis perſonat. Qui in exponendis, declarandiſque divinis ſcripturis, omnes Doctores vicit, cujus ſidem nulla unquam poteſtas terrena infringere potuit: ita ut multis Epiſcopis pro fide exulantibus, Ambroſium nullus unquam auderet attingere. Fuit enim velut malleus hæreticorum, conſtans ... impugnator, cujus lingua in fide Chriſti loquendi nulla potuit magnitudo authoritatis humanæ imponere ſilentium*. Juſtinæ Imperatrici, quæ Arianis favebat, fortiter reſtitit, ut & Valentiniano, Idololatriæ cultum Symmacho concedere volenti; vaſa ſacra vendidit, ut captivos Chriſtianos redimeret, ſub Maximi tyrannide, &c.

Quantâ porro loquendi libertate apud Theodoſium Imperatorem ſit uſus, ipſum divino vinculo ligans, vide in dictione *Theodoſius*. Et Hiſt. Tripart. *l.* 9 *c.* 40. Obiit A. C. 397. Vide Bellarm. *de Anth. Eccl.* Auguſtin. *l.* 6. *Confeſſ.* Hieronym. *in Catal.* & *Chron.* Sigebertum, A. C. 481. 484 Onuphr. A. C. 369 Genebr. *in Syricio.* Paulinum *in Vita Ambroſii.* *Nic. Lloydius*: Ambroſii fuit filius, quem Pater Patritius Romanus, Symmachus nomine, Galliarum Præfectus in Galliis genuit è Frangipanorum familiâ, ut placet Laodrno, inquit *Poſſevinus.* Is è Præfectura Liguriæ atque Æmyliæ factus eſt Epiſcopus Mediolanenſis · σύγχρονος fuit S. Baſilio & Nazianzeno; charus quinque laudatiſſimis Imperatoribus, Valentiniano majori, Gratiano, Valentiniano jun. Theodoſio M. & Honorio, *Parens.* Opera ejus 3. Vol. fol. prodierunt Baſileæ A.C. 1592. & alibi ſæpius; ultimo tomis 5. fol. Coloniæ Agrippinæ A. C. 1616. De illo ſic inter alia *Eraſmus: Sit linguarum ac ſcripturarum peritior Hieronymus, ſit elaboratioris phraſeos Hilarius, ſit in quæſtionibus nodiſque explicandis argutior Auguſtinus; alii item dotibus excelluerint alii. Sed quem mihi dabis, qui pari ſinceritate tractet S. Literas, qui cautius vitaverit ſuſpecta dogmata, qui ſic ubique gerat Chriſtianum Epiſcopum, ſic ſpiret paterna viſcera, qui ſummam Præſulis auctoritatem cum ſumma manſuetudine conjunxerit. Eſt quem non ſine cauſa* Doctorem mellifluum vocat. *Hegeſippi* auctorem fuiſſe, ſunt qui aſſerant, inter quos Ludov. Vives *ad Auguſtin. de Civit. Dei l.* 21 *c.* 5. Certè hoc duæ præferunt editiones, ut & *MS. Gloſſarium* Scriverianum. Sed *Eraſmo* vix credibile videtur: *Scaligero* Auctor eſt infimæ vetuſtatis: *Barthius*, increpat Monachorum inſuper impudentiam, qui Ambroſium interpretem affinxerint. *Gronov.* non valdè repugnat, ſi quis ætate adoleſcentior aut in exordiis Pontificatus ſui opus hoc luſiſſe diſertum Antiſtitem contendat: Ita multa apud utrumque gemina germana reperiuntur, quibus bene exactis vix poſſis pati, quin unum eſſe & profeſſorum nomen auctoris ſui & hujus diſſimulantis illud ſcriptis auctorem exclames, inquiens. Vide eum *Obſervat. in Eccleſ. c.* 1. Anacephalæoſeos tamen, quæ Hegeſippo adjicitur, non idem eſt Autor. Hæc enim 5. Libris *de Hieroſolym. Excidio* conſtans, certum quidam veriùs eſt, quàm, quod vocatur, *Anacephalæoſis*, ex ſuperioris operis particulis hinc inde depromtis conſutus. Vide eundem Gronov. *cap.* 24.

AMBROSIUS, Cyzicenus, à Peleo in nocturno conflictu occiſus, Val. Flacc. *l.* 3 *v.* 138.

AMBROSIUS, vir quidam & genere, & literis, ſatis clarus; cùm Valentini dogmatis ſectator extitiſſet, ſecundum veritatem Catholicæ fidei ab Origene convictus, ac tanquam veri luminis ſplendore radiatus, relictis errorum tenebris, ad Eccleſiæ Catholicæ lucem ſplendoremque converſus eſt. Euſeb. *l.* 6. *c.* 12. 13. 15. 17. Hieronym. *de Script. Eccl.* Baron. *A.C.* 217.

AMBROSIUS, nobilis Aurelianenſis, ſumpſit in Anglia purpuram, ſub Zenone Imperatore & Barbaris reſtitit magnâ cum laude, Eccleſiaſticâ diſciplinâ ibi reſtitutâ. Gildas Sap. Beda, *l. de* 6. *ætatibus, in Zenone,* & *l.* 1. *hiſt. Angl. c.* 16. Adon. *in Chron.*

AMBROSIUS Ambertus, ſecul. 9. Item *de Camaldoli*, doctrinâ inclytus. Ab Eugenio IV. ad Concil. Baſileenſe miſſus, coram Emanuele Imperatore Græco peroravit Ferrariæ. Conſtantiæ mortuus. A. C. 1490. De cujus ſcriptis vide Bellarm. *de Script. Eccl.* Voſſ. *l.* 3. *de hiſt. Lat. c.* 5. Volaterran. *l.* 31. Sic Ambroſ. *Camarenus*, à Venetis ad Uſſuncaſſanem Perſarum Regem miſſos, iter hoc deſcripſit. Obiit. A. C. 1477. Alios Ambroſios vide apud *Bellarm. Spondan. Genebr. Voſſium*, &c.

AMBROSIUS Calepinus, Bergomenſis, Ordinis D. Auguſtini, quo tempore Ludovicus Sfortia Mediolanenſibus dux præerat, floruit. De quo vide Jo. Trithemium Abbatem *de Eccleſ. Script.*

AMBROSIUS Catharinus, Politus, natione Hetruſcus, patriâ Senenſis, Sixti Senenſis Præceptor; Dominicanus, primùm Minorenſis Epiſcopus, dein Archiepiſcopus Compſanus in regno Neapolitano. Ejus extant *Clavis S. Scripturæ, Enarrationes in* 5. *priora capita Geneſeos, in Epiſt. S. Pauli, in Epiſtolas Canonicas, Comm. in Apocalypſin* &c. Sixto Senenſi, *vir ingenii viribus valens, diſciplinarum nobilis excellens, & eloquentiam Hetruſcâ quàm Latinâ facundiâ præpotens.* Poſſevino, *vir acris ingenii ac judicii, aliqua tamen ejus non probantur.* Proin & Bellarminus *cautè ejus opera legenda* monet. Obiit ſenex A. C. 1552. Neapoli, *Labbeus.*

AMBRUARETI, populi Galliæ Lugdunenſis inter Ligerim & Icaunam fluv. ubi nunc pars provinc. Nivernenſis. Vide & *Ambuareti.*

AMBRUSSUM, Æthico memoratum *in Itiner.* vulgò *Ambres*, 15. milliar. à Nemauſio, Galliæ locus eſt, in Volcis Arecomicis. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AMBRYON, Theocriti Chii vitam ſcripſit, ut Laërtius *in Ariſtotelis vita* author eſt: ubi ex eo refert maledicum hoc Theocriti ejuſce epigramma in naturæ promum-condum Ariſtotelem ·

> *Ἑρμίου Εὐνούχου τε Εὐβούλου ἅμα δούλου,*
> *Σῆμα κενὸν κενόφρων τεῦξεν Ἀριστοτέλης.*

Cujus ſententiam, licet duriuſculè, ſic expreſſeris:

> *Hermiæ Eunuchi, & ſervi monumenta Eubuli,*
> *Mente inanis inane extruxit Ariſtoteles.*

Apud Etymologum in ὁμοκλήτωτων citatur · Ἄβρων. Fortaſſis idem eſt. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 320.

AMBRYSUS, nomen duarum urbium, quarum unam *Strabo* locat in Phocide, alteram in Bœotia. Quidam *Amphryſum* rectè dici affirmant. Pauſan. *l.* 10. *Ambroſon* quandoque vocavit, ab heroe ſumtô nomine.

AMBUARETI, Galliæ Lugdunenſis populi, inter Ligerim & Icaunam fluv. Cæſar. *Bell. Gall. l.* 7. *c.* 75. Glareanus legendum putat, qui alibi *Ambilatri* dicuntur *Ambarri.* Quos videl. vulgo *Ambrun, & le pays d'alentour.* Alii *Ambruareti*, quod vide.

AMBUBAJÆ, teſte *Acrone*, mulieres tibicinæ, Syrorum linguâ dicuntur. Alii Latinum putant, & venire ab *ambu*, pro *am*, h. e. *circum*, & *Bajæ*; fuiſſeque mulieres impudicas circa Bajas verſantes. *Cragius* cenſet *Ambubajas*, vel potius *Ambubejas* eſſe agyrtas, omnium morborum remedia vaniſſimè pollicentes, atque ita dici ab *ambubeja* herba, ex qua pharmacopæi conficiebant τὸ πάγχρηστον, h. e. medicamentum ad omnes morbos utile. Sed vera eſt *Acronis* ſententia. Nam Syris אבוב *abbub*, eſt tibia, ſive fiſtula, ſed Arabes inſerunt *n* אנבוב *anbub.* Latini autem, *m.* maluêre Syros verò tibicines & tympaniſtas Romæ fuiſſe docebit ille locus Juvenalis, *Sat.* 3. *v.* 62.

> *Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,*
> *Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas*
> *Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum*
> *Vexit & ad circum juſſas proſtare puellas.*

Sunt igitur Ambubajæ mulieres, & proſtituendô, & tibiarum cantu ſeſe ſuſtentantes. Hanc ὁμολογίαν ſequuntur *Joſ. Scaliger. Iſ. Caſaub.* &, ut arbitror, quotquot Syriacè ſciunt. Horat. *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 1.

> *Ambubajarum collegia, pharmacopolæ,*
> *Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne*
> *Mœſtum ac ſollicitum eſt cantoris morte Tigelli.*

Habet & Suetonius *in vita Neronis, c.* 27. *Nic. Lloydius.*

AMBULA, vel AMBULIUM, intybum erraticum ſeu cichorium dictum eſt, quod radices longas & multas ſpargat ac emittat, quæ ſub terra proſerpunt & vagantur, fibris erraticis atque hâc & illac decurrentibus, quibus fruges necantur, ſuiſque radicibus, velut pedibus multis, *ambulet* ac decurrat. Certè *pedes intybi* apud Lucillium occurrunt.

> *Intybu' præterea pedibus prætenſus equinis.*

Ubi deriderì ruſticam cœnam à Satyrico & enumeratis multis herbis, verſum illum ſubjici, obſervant Grammatici: ipſa verò vox *Ambula*, apud Plinium *l.* 20. *c.* 8. *Erraticum apud nos (intybum) quidam ambulium (ſeu ambulam) appellavêre, in Ægypto cichorium vocant, quod ſylveſtre ſit.* Dicta autem hæc herba *ambula*, ut à reſono, *reſona*, ab ἀνχῶ, *ancla*, quæ *anclat*, haurit; *orna*, quæ ornat, limbus nempe veſtis. Salmaſ. *ad Solin. p.* 830.

AMBULANS Statua, quâ methodô confici poſſit, vide infrà, in *Archita columba.*

AMBULATIO, non tantùm de actu ambulandi, ſed & de loco: Ulpianus JCtus. *Et ſi forte voluptarium ſuit prædium, viridaria, vel geſtationes vel* deambulationes *arboribus infructuoſis opacas atque amœnas habens.* Ubi *Geſtationes* & *Deambulationes* loca ſunt, in quibus olim Romani geſtabantur aut deambulabant, certô paſſuum numerô obſervatô, quem in deambulando Ciceronem adhibuiſſe, teſtatur Plut. *in Cicer.* Sic in Gymnaſiis veterib. prope Xyſtum & duplicem Porticum, hypæthræ *ambulationes* fuiſſe leguntur; quas Græci παραδρομίδας, Romani Xyſta dixêre, in quas per hyemem ex Xyſto ſerenô cœlô, Athletæ prodeuntes exercebantur. Fiebant autem ſic, ut eſſent inter duas porticus ſylvæ aut platanones, in quibus ambulationes inter arbores perficiebantur, ibique ex opere ſignino ſtationes erant. Vide Hieron. Mercurial. *de Arte Gymn. l.* 1. *c.* 6. In urbe verò, *ambulationi* inprimis inſerviebat porticus Pompeja, item Ovalia, de quibus vide *ſuô locô*, ut & voce *Periſtylium*: quemadmodum de *Ambulationis* multiplici ſpecie ac uſu, iterum Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 3. *capp.* 11. & 12. ut & infrà aliquid voce *Inambulandi* it. *Penſiles Horti. Via, Xyſti.* Addam ſaltem, in Septis *ambulationem* ante cœnam, multo in uſu apud Veteres fuiſſe, ex Thoma Dempſtero *Collectan. l.* 6. *initiô*, & Caſp. Barthio *Animadverſ. ad Stat. l.* 4. *Sylv.* 6. *ad verſus initiales*,

> *Fortè remittentem curas, Phœboque levatum*
> *Pectora, cùm patulis tererem vagus otia ſeptis,*
> *Jam moriente die, rapuit me cœna benigni*
> *Vindicis.*

AMBULATOR, vide infrà *Periodeuta.*

AMBULATOR equus, apud Adelbertum Abbatem Heidenheimenſem, *Dum reliquias Richardi Regis ad Eccleſiam ſibi ſui deferret*, Ambulatorem *abſtulerat.* Eckehardum junior. *de Caſibus S. Galli, c.* 15. Ambulator, *cui ipſe inſederat, alacritatem equorum poſt ſe ſentiens exultare cœpit.* Alios: idem qui *Tolutarius* Senecæ, *Ep.* 87. *Gradarius* Lucilio, *Aſturco* Plinio *l.* 8. *c.* 42. dicitur, cui mollis pedum, alternô crurum explicatu, glomeratio eſt; Gall. *Haquenée, Cheval d'amble*, Italis *Ambiante*, Hiſpanis *Cavallo ambiador.* Non à Græco ἀμβλύνειν, ſed quod ipſum nomen diſertè præ ſe fert, à Latino *ambulare*; quod per excellentiam de iſtiuſmodi equorum greſſu, ſicut τὸ βαδίζειν, apud Græcos, dici, oſtendimus ſuprà, in voce *Ambla.*

AMBULATORES, *Gregorio Theſſalonicenſi* dicuntur, qui *Balſamoni* hodiernîſque etiamnum Græcis *Exarchi*, Zonaræ *Periodeutæ*, Synodo Conſtantinopol. *Viſitatores*; officium videl. Eccleſiaſticum apud Græcos, in Concilio Laodiceno, inſtitutum, pro illis terris ac caſtellis, in quibus ſtatuere Epiſcopos non conveniret. Macer *Hierolex.* in voce *Periodeuta.* Vide & infrà paſſim.

AMBULATORIA Turris, vide infrà *Turris.*

AMBULATORIUM, in *Vita* S. Aniani Epiſcopi Aurelianenſis apud Hobertum: *Pontifex ſiſtit in Domino per muri ambulatorium Sanctorum geſtans pignora* &c. pedatura murorum ſeu mœnium eſt, περίπατος Conſtantino Porphyrogenn. *de adminiſt. Imper. c.* 29. Ἀμβῶλος *Harmenopulo*; in *Gloſſ.* Latin-Græc. Ἀμφοδον, Gallis *Rempart*, Car. du Freſne *Gloſſar.*

AMBULATRI, populi fuêre Galliæ, in Aquitania, prope Vaſates.

AMBULII, Caſtor & Pollux à Laconibus ſic nuncupati Pauſan. *l.* 3.

AMBURBALE, ſacrificium in ambiendis, & luſtrandis urbibus. Lucan. *l.* 1. *v.* 591.

Mox

Mox jubes & totam pavidis à civibus urbem
Ambiri, & ſtis pagatam mœnia luſtrà
Longa per extremos pomœria cingere fines.

AMBURBIALES, hoſtiæ dicebantur, quæ circum terminos urbis Romæ ducebantur. *Feſtus.*

AMBURBIUM, apud Vopiſc. *in Aureliano c.* 20. *Itum eſt deinde ad Templum, inſpecti libri, producti verſus, luſtrata urbs, cantata carmina, Amburbium celebratum, Ambarvalia promiſſa, atque ita ſolemnitas, quæ jubebatur, expleta eſt:* Sacrum fuit, quod malè cum Ambarvalibus confundit, qui ad *Feſtum* commentatus eſt. Sanè apud *Strabonem* Ἀμβουρβίαν ſcribendum, non Ἀμβαρουίαν; ut idem alibi Vir ſummus exiſtimabat. Hinc *Amburbiales hoſtia*, quæ circum terminos urbis Romæ ducebantur. Sed apertè *Amburbiale* ab *Ambarvali* Servius diſtinguit, ut ſuprà vidimus, ubi de *Ambarvali carmine*. *Amburbium* itaque intelligendum, quoties apud *Livium* legimus, inſpectis libris Sibyllinis luſtratam urbem fuiſſe; Urbs enim [illegible] vel *amburbiali* ſacrificio luſtrabatur: ut arva & agri, ambarvali, vide Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. loc. cit.*

AMBUSTA, Græcè [illegible], dicuntur Plinio *l.* 20. *c.* 6. 8. &c. & *Dioſcoridi*, puſtulæ ex igne vel aqua fervente adſperſa in corpore excitatæ: unde multa *ambuſtorum* remedia apud eos. *Gloſſæ*, *Ambuſtum*, [illegible], [illegible], & *Aſſula ambuſta Claudio* apud Servium, aſſulæ circumuſtulatæ, quibus ad fomites utebantur. E quibus explicandus titulus *Ambuſtiarum*, apud Valerium Max. 8. *c.* 1. de duabus mulieribus, quæ neque damnatæ, neque publico judicio abſolutæ fuêre. Qui damnatus eſt, penitus conflagraſſe [illegible] ligitur, qui abſolvitur, ex incendio illæſus evadit. *Ambuſtus* ille cenſetur, quem accuſationis ignis adflavit & contigit ac *circumuſtulavit*, non etiam conſumſit; ſed tamen qui needum omnino liberatus ſanatuſque habetur, *ambuſtionis* notis adhuc manentibus. Cum contrà *Fulminatos* dicerent, qui condemnati fuerant. *Attonitos*, [illegible]. Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 92.

—— quam fulmine juſſi
Et Capito & Numitor ruerint damnante Senatu.

Quod de [illegible] intelligendum, quos fulmen occiderit. Nam quos fulmen afflavit tantum & in aliqua corporis parte adufſit, nec interfecit, hi *ambuſti* propriè dicti ſunt: ut Fabius ille, qui *pullus Jovis* dictus, quòd fulmine ictus eſſet in natibus, toti poſtea familiæ id cognomen dedit. Et Anchiſes, apud Virgil. *l.* 2. *Æn. verſ.* 648.

—— ex quo me divum pater atque hominum Rex
Fulminis adflavit ventis & contigit igni.

I. e. *ambuſſit*, Sed & *ambuſtos* nonnunquam dixêre, quorum totum corpus ambuſſerat fulgur, ut Phaetontem & Capaneum. Horat. *l.* 4. *Carm. Od.* 11.

Terret ambuſtus Phaëton avaras
Spes.

Quod, [illegible], ſicut [illegible], de iis, qui quoquo modò fulmine interierunt, dixêre Græci. Salmaſ. *ad Solin. p.* 839. & 840.

AMBUSTUS, cognomen Fabiorum. Plin. *l.* 7. *c.* 42. Hoc geſſit Fabius Eburnus, quòd fulmine eſſet ambuſtus, uti ſcribit *Feſtus*. Vide ſuprà.

AMCOPELTUM, vulgò *Amcopelt holck*, mons celſus in medio Iſlandiæ, in mari Deucalidonio, in parte, quæ vulgò *Nordlendingafiordung* dicitur. 7. leuc. German. à Schaloſo urbe.

AMDENAGER, unum ex Regnis *Kankam*, cujus Reges vocantur *Niſa Maluco*, i. e. *Hafa Regni*. Dicitur autem *Kankam* totus ille tractus, qui inter Imperium Magni Mogolis & Regna Malabarica ſitus eſt, hodieque dividitur in ſex Regna, in quibus præcipuum eſt Regnum *Dekan*. Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 445.

AMEDEUS I. Comes Sabaudiæ & Maurienuæ, dictus *Cauda*, quia Veronæ palatium Henrici III. Imperatoris noluit ingredi ſine comitatu ſuo, quem ſic vocavit, Obiit A. C. 1045. improlis, ante Patrem Humbertum. *Chifflet*, *Guichenon*. Succeſſit Odo frater.

AMEDEUS II. Odoni patri ſucceſſit, Alexandrum II. contra Richardum Normannum defendit, Henricum IV. Imperatorem in Italiam comitatus, eum cum Gregorio VII. reconciliavit, Bugeſiæ inde dominio obtento. Obiit A. C. 1095. Cui Humbertus II. fil. ſucceſſit [illegible], *Chieza*.

AMEDEUS III. qui primus Pedemontii & Lombardiæ Comes, Henrici V. Imperatoris in Italiam comes, Imperii Comitis titulo decoratus eſt. Dein, cum Ludovico Juniore in Orientem expeditione ſuſcepta, obiit Nicoſiæ, Cypriorum metropoli, A. C. 1149.

AMEDEUS IV. Patri Thomæ ſucceſſit, à Friderico II. Ducis Auguſtanum & Vicarii Imperii auctoritate donatus. Obiit. A. C. 1253 *Pingon*, *Guichenon*.

AMEDEUS V. Magnus, felix bellator, Sabaudiæ plurimas regiones adjunxit: Philippo Pulchro, Henrico VII. Imperatoribus. Clementi V. & Johanni XXII. apprimè charus. Obiit Avenione, cùm Andronicum Imperatorem Orientis generum ſuum, adjuturus iret. A. C. 1323 ætat. 74. principatus 38. *Papyr. Maſſon. Guichenon.*

AMEDEUS VI. Viridis Comes dictus, Princeps clariſſimus. Vicinis devictis, Johannem Francorum Regem contra Eduardum juvit, cum Joanna Sicula fœdus iniit. Ordinem dell. Annonciada inſtituit, Johannem Palæologum à Bulgaris liberavit. Arbiter Italiæ & [illegible] aparum vindex. Obiit in Apulia, quo adjutum venerat Ludovicum Andegavenſ. Neapolis Regem A. C. 1383. Principatus 40. [illegible], *Guichenon*, Andreas Favinus *l.* 8.

AMEDEUS VII. Rufus cognomine, jus ſuum contra hoſtes egregiè tuitus, Carolo VI. Gallorum Regi auxilia ſubmiſit. Nicææ [illegible] poteſtatem redegit, in venatione equi lapſu mortuus. A. C. 1391. *Idem.*

AMEDEUS VIII. primus Sabaudiæ Dux, poſt prudens aliquod annorum regimen, ſeceſſit in arcem ſuam *de Ripaille*, ſolitudine delectatus. Poſteà à Concilio Baſileenſi Papa electus A. C. 1440. Felicis V. nomen aſſumſit, ſed poſt 9. annorum Schiſma ceſſit Nicolao, Cardinalis titulo contentus. Obiit A. C. 1451. ætat. 69. Æneas Sylv. *l.* 7. *Comment. ſub nomine Gobelini*, Platina, Onuphr. Genebr. *in Nicolao V.* Spondan. *A. C.* 1439. &c.

AMEDEUS IX. Patris Ludovici ſucceſſor, ob felicem adminiſtrationem *Fortunatus* dictus. Obiit *A. C.* 1472. ætat. 37. Boteri *de Princip. Sabaudia. Chifflet*, &c.

AMEDEUS Lauſannenſis, ſecul. 12. Occurit *in appar.*

AMEDEUS de Talaru, Archiepiſcop. Lugdunenſ. à Carolo VII. ad Eugenium miſſus A. C. 1432.

AMEDEUS, Franciſcanus Portugall. author libri cui *Apocalypſis* nomen, ſecul. 15. Marc. Olyſſipon. *Hiſt. Seraph. part.* 3. *l.* 6. *c.* 30. Bzovius. Spond. *A. C.* 1471. Duo comites Taurinens. &c. Vide quoque *Amadeus*.

AMEL, regnum Africæ in ora maris Atlantici, intra oſtia fluvi Nigri in Nigritia.

AMELA, civitas Mediæ. *Ptol.*

AMELANDIA, Inſul. maris Germanici in littore Friſiæ Occidental. ſub Batavis, oblonga, 6. leuc. Gallic. Leovardià diſtat in Boream, Sabuloſa verſus Boream, verſus meridiem vero frugum ferax. Hic magna cervum manſuetorum copia. Guicciard. *deſcr. Belgii.*

AMELAS, oppidum Lyciæ. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

AMELECH, vel HAMELECH, Latin. *Rex*, ſive *conſiliarius*, pater Joas, 1. Reg. *c.* 22. *v.* 26. Item alius, de quo Jeremias, *c.* 38 *v.* 6.

AMELES, fluv. apud inferos, cujus aquam nullum vas continere poteſt. Plato *l.* 10. *de Rep.* [illegible] Ἀμέλητα ποταμὸν, οὗ τὸ ὕδωρ ἀγγεῖον οὐδὲν στέγειν.

AMELESAGORAS, Clem. Alex. *Strom. l.* 6. Meleſagoras, antiquiſſimus Hiſtoricus. Voſſ. *de hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 2.

AMELIUS, Philoſophus Apamenſis, diſcipulus Plotini, Porphyrii magiſter, aliis commilito, Ammonii & Origenis contaneus. *Suidas. Vigner. A. C.* 215. Voſſ. *de Philoſ. c.* 17. §. 6.

AMELIANUM, corruptè *Amilianum*, incolis *Milhau*, oppid. Galliæ eſt, in Volcis Arecomicis, Diœceſique Nemauſenſi. Ab *Amelio* nomen accepit. Caput eſt pagi *Amilianus*, vel *Amilianum*, qui vulgo *le territoire de Milhau* dicitur. *Hadr. Valeſ. Notit. Gall.*

AMELIUS Petrus, vide *Petrus Amelius.*

AMELLUM, apud Virg. *Georgic. l.* 4. *v.* 271.

Eſt etiam flos in pratis, cui nomen amello:

Meliſſophyllum eſt, quem florem ſic deſcribit, paulò poſt. *v.* 274.

Aureus ipſe, ſed in foliis quæ plurima circum
Funduntur, violæ ſublucet purpura nigræ.
Sæpe Deûm nexis ornatæ torquibus aræ.

Nempè meliſſophylli flore olim coronari ſolitæ Deorum aræ; ad has in coronamentis frequens fuit. Idem. *ibid. v.* 62.

—— Huc tu juſſos aſperge ſapores,
Trita meliſphylla, & cerinthæ ignobile gramen.

Vide quoque Plin. *l.* 21. *c.* 9. & infrà in voce *apiaſtrum*, plura verò hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 102.

AMELONGUS, Romualdi Regis Longobardorum miles, cui tantum robur extitit, ut Græcum quendam equitantem ictu baculi ſellà excuſſerit, & in aëra ſupra caput ſuum extulerit. *Paulus Diaconus.*

AMEN, ob veritatem CHRISTUS ſic dictus. Apocalyps. *c.* 3. *v.* 14. [illegible] ὁ Ἀμὴν, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς, ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ. In calce orationis optantis eſt particula & idem ſignificat quod *Fiat*. Eſt etiam aſſerentis particula, & ſignificat *vere*, ſeu *fideliter*. *Suidas.* Ἀμὴν, [illegible], ἀληθῶς.

AMEN, ab Hebræis translatum ad Chriſtianos, in Communione Euchariſtica, à Populo olim dicebatur, ad verba Miniſtri. Ambroſ. *de Sacram. l.* 4. *c.* 4. *Ergo non otioſe cum accipis, tu dicis, Amen. Jam in Spiritu confiteris, quod accipias Corpus Chriſti, dicit tibi Sacerdos Corpus Chriſti & tu dicis Amen, h. e. verum, quod confitetur lingua, teneat affectus.* Quod etiam hodièque in uſu ritus Ambroſiani obtinet. Aliàs in Communione Romana, ad Clerici reſponſionem in Miſſa, *Sed libera nos à malo*; celebrans concludit, voce ſubmiſſà. *Amen*, cujus rei rationem exponit Bonaventura *in c.* 11. *Luca.* Similiter ad confeſſionem ejuſdem, quando Clericus explicit, *Miſereatur* & in fine *Suſcipiat*, celebrans *Amen* reſpondet. In die verò Paſchæ, celebrante ſolenniter Papà, ad illa verba ante orationem Dominicam poſita, *Per omnia ſecula ſeculorum*: Chorus non reſpondet, *Amen*; pro more; ſed Papa pergit, *Oremus*, uti legere eſt in *Ceremoniali Rom. l.* 1. *ſect.* 2. *c.* 1. quod *Dominic. Macer* putat in ſignum luctus fieri: namque illud *Amen* planctum trium mulierum, ad monumentum Chriſti lugentium, ſignificare dicit ſe reperiſſe apud Innocentium III. *de myſter. Miſſa c.* 12. Porrò, in eadem Eccleſia, cum ſolenni ritu indutus Epiſcopus, ad quamlibet orationem *Amen* eum reſpondere faciunt ceremoniarum Romanæ. Directores, quod è diametro rubricis Pontificalis Miſſaliſque opponi, præſcribentibus non niſi in ultima oratione pronunciandum; praxi inſuper ipsà in Miſſis privatis tam Epiſcoporum, quam aliorum celebrantium, refelli, dicit præfatus *Macer*. Quod vero Sigebertus in *Chron.* ad A. C. 633. Sigebertum Dagoberti Galliæ Regis filium, dum à S. Amando baptizaretur, ad omnes preces, licet undecimum ſolum ætatis diem attigiſſet, clarà voce *Amen* reſpondiſſe refert, fides penès Auctorem eſto. Ingenioſum vero illud eſt, quod Abbas Joachimus, magnum temporis ſui lumen, *in Apocal. c.* 3. obſervat, ſemper Deum in principio periodi incipere hàc voce *Amen*, ut è variis Scripturæ locis patet, at nos mortales ſemper in fine pronunciare: *Quia*, inquit,

Auctor

Auctor veritatis, imò ipſamet veritas Deus eſt; Nos verò veritatis proſ-ſequi ac diſcipuli ſumus, apud eund. *Hierolex.* De triplici Hebræorum *Amen*, infrà.

AMEN, apud Arnobium *l. 7.* [illegible], *ſpecies placentæ*, *Heſych.* Vide Deſid. Heraldum *ad Arnobium.*

AMENANUS, Siciliæ fluv. ad Ætnam mont. *Strab.* qui hodie *Iudicello* dicitur *Faxella.* *Amelianus Steph.* videtur in *Catane*, ſed tu lege Α'μήνανος, ac obiter emenda Ovid. *Met. l. 15. Fab. 3.*

Nec non Sicanias volvens Amaſenus arenas
Nunc fluit; interdum ſuppreſſis fontibus aret.

Scribe *Amenanus*; & ne dubites, Strabonem audi de hac ipſa re & fluvio loquentem, *l. 5.* [Greek illegible]. Apud eundem Ovid. *Faſt. l. 4.* ubi:

— Amaſenaque flumina curſu
Præterit. — legas, ſcribe *Amenanaque*, &c.

Emendationes iſtas *Fulvio Urſino* primùm debes, lector, deinde *Philippo Cluverio*, noviſſimè *Nicolao Heinſio*. *Nic. Lloydius.*

AMENEMES, interioris Ægypti Rex IX. poſt Seſonchoſim præfuit ann. 29. Suphide I. regnante apud Memphitas. Eum excepit Amaſis, quem vide.

AMENEMES ſeu AMMENEMNES, (nomine ex *Ammone* & *Mene* compoſito) Rex Ægypti poſt Rameſſem, Thebanorum Regum penultimus, præfuit ante Thuorim, ſed memoriâ nihil dignum geſſit; poſt Rameſſem præfatum Thebani nominis ſplendore ſenſim evaneſcente. Joh. Marshamus *Canone Chron. ad Sec. XVI.* ex *Africano*, *Euſebio*, *Syncello.*

AMENEMES, vide *Semmophres.*

AMENIDES, ſcriba Darii, ultimi Perſarum Regis, poſtea Alexandro operam dedit, ab eo Euergetis, qui & Arimaſpi, præpoſitus. *Curt. l. 7. c. 3.*

AMENOCLES, Corinthius, Græcorum primus *Triremes* Corinthi & Sami ædificavit; quum prius Græci [Greek illegible], *navibus L. remigum & navigiis longis* uſi ſint. Exinde Græci rebus maritimis ſtudioſius operam dederunt, & latrocinia ſuſtulerunt. Primumque 40. poſt *Amenoclis* ad Samios adventum circiter annô, Navale prælium, omnium quæ novimus vetuſtiſſimum, inter Corcyræos & Corinthios commiſſum eſt. Thucydides *l. 1.* annô ſcil. 1. Olymp. 29. quô tempore Prytanes annui Magiſtratum adhuc Corinthi gerebant. Joh. Marshamus *Canone Chron. Seculo XVII.* ubi de *Corin. in Regibus.*

AMENOPHIS, Ægypti Rex, regnavit ann. 21. *Euſeb.* Edictum de necandis Hebræorum pueris propoſuit, cui per obſtetricum pietatem ſatisfactum non fuit: quod tamen cum hiſtoria ægrè conciliaveris. Vide *Bocc.*

AMENOPHIS I. Manethoni, *Amenophthis* Africano, Thebanorum in Ægypto Rex XI. Chebroni ſucceſſit, bellum cum Paſtorum Rege Petubate continuavit, regnavit ann. 27. menſes 7. eum excepit Ameſſes ſoror, juxta eundem Manethonem apud Joſephum contra *Appionem l. 1.* Vide Joh. Marshamum *Canone Chron.*

AMENOPHIS II in eadem ſerie Rex XLV. Thummoſi ſucceſſit. Paſtores, poſtquam ab hoc expulſi fuiſſent in Ægyptum reverſos, poſt annos 13. iterum expulit, annô 511. à quo Ægyptum invaſerant, ſicque tota Ægyptus ſub unum caput redacta eſt. *Concupivit videre Deos.* Joſeph. contra *Appion.* regnavit annos 30. menſes 10. ſucceſſorem habuit Orum. Sub eo, *Æthiopes migrarunt ab Indo flumine & prope Ægyptum conſederunt*, *Euſebius* & *Syncellus*, apud Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. XIII.* ubi Regem hunc *Memnonem* & *Lapidem loquentem* iiſdem habitum addit: Item eundem ubi de *Theoptiis* agit, *Sec. IV.* & infra voce *Memnon.*

AMENOPHIS III. in eadem ſerie Rex LIV. excepit Rameſſem Miamum, regnavit annos 19. menſes 6. ſucceſſorem habuit Sethoſem, qui primus gentis gloriam immenſam extulit. Vide ibi.

AMENOPHIS IV. alius Ægypti Rex, qui Græciam, Syriam, & Phœnicen ſuæ ditioni adjunxit, Scythas ſubegit, atque in Thraciam exercitum duxit. *Vexores* à Juſtino *l. 1. c. 1.* & *Oroſio* dici videtur, ab aliis *Seſoſtris* melius *Memnon*, quem vide.

AMENOPHIS, alius quoque Ægypti Rex. Herodoto *Pheron* dici videtur, *l. 2.* Ob impietatem (quia in Nili exundatione ſumptum ſpiculum in medios vortices extorſit) excæcatus, rurſuſque poſt undecim annos oraculô monitus, ut oculos ablueret lotiô mulieris, quæ unicum virum cognoviſſet, paruit, & viſum recepit. Vide de his *Euſeb. African.* Joſeph. *contra Appion. l. 1. c. 5.* Plin. *l. 36. c. 7.* & infra, *Pheron.*

AMENOPHTHIS, decimus Paſtorum in Ægypto Rex Nophel-cheſis ſucceſſor, tempore Amuthantæi in Thebaide regnantis, præfuit ann. 9. circa extrema Ehudis Iſraelitarum Judicis. Illum excepit Oſochor. Joh. Marshamus *Canone Chron.*

AMENTUM, vide *Jaculum*: quod utrumque in *Hippolyto* Senecæ occurrit. v. 812. & *ſeqq.*

Amentum digitis tende prioribus;
Et totis jaculum dirige viribus:

ubi ex *Sex. Pompejo Amentum*, quo, ut mitti poſſent, vinciri conſueverint jacula [illegible]ve ſolearum loca: vocemque è Græco ἅμμα, vel quod aptantes ea ad mentum traherent, oriam docet *Delrius.*

AM[illegible]RA, urbs Antorum circa Mæotidem paludem. *Procop.*

AM[illegible]RBACHIUS Baſilius, vide *Baſili[illegible].*

AM[illegible]RBACHIUS Bonifacius, vide ibi, Fil. Joh. Typographi nobiliſſimi, JCtus excellens, & in Academia Baſilienſi, per annos complures Profeſſor, Reip. bl. Chriſtianæ cum docendo, tum de jure reſpondendo, plurimum profuit. Obiit A. C. 1562. ætat. 67. Pater Baſilii JCti ſimiliter celeberrimi. Hujus Bibliothecæ inſtructiſſimæ, juncta, ex legato, cimelia Eraſmiana inſigne hodieque Bibliothecæ Academicæ præfatæ ibi ornamentum ſunt. Plura de celeberrima Amerbachiorum Baſilienſium familia, vide apud Chr. Urſtiſium, *epitome hiſt. Baſil. c. 19.*

AMERBACHIUS Vitus, Vedinga Bavarus, diſcipulus primo ac auditor [illegible]theri & Melanchthonis, unde ad Latinos ritus tranſiit, Profeſſor Ingolſtadii factus, inter ſui ævi doctiſſimos, Simlero *Biblioth.* & Pantaleoni *Proſop. part. 3.* Ejus opera, *Antiparadoxa*, cum *Orationibus de laudibus Patriæ*, & *de ratione ſtudiorum*, *Commentaria in Ciceronem de Officiis*, *Paraphraſis Orat. pro Archia Poeta*, *Commentaria in varias alias ejuſdem Orationes*, *Enarrationes Epiſtolarum Familiar.* *Duplex interpretatio in Poemata Pythagoræ & Phocylidis*, *in Meteora Joviani Pontani*, *Expoſitiones in Ovidii queſtilium libros*, *de Anima liber*, *Epigrammata & Epitaphia*, *Scholia in Conſtitutiones Caroli M. de rebus Civil. & Eccleſ.* aliaque, quorum exactum Catalogum habes, apud Anton. Teiſſier *Eloges des Hommes ſçavans*, *Volum. 1.* Obiit A. C. 1557.

AMERIA, civitas Umbriæ, ante Perſicum bellum annis nongentis ſeptuaginta quatuor condita, teſte Catone apud Plin. *l. 3. c. 14.* Unde *Amerina retinacula* pro viminibus. Virg. *Georg. l. 1. v. 265.*

Atque Amerina parant lentæ retinacula viti.

Stephano Α'μέρια vocat. Conditorem neſcio cujus nationis, aut conditionis hominem, indicavit *Feſtus his verbis: Ameria, urbs in Umbria, ab Amerio ſic appellata.* Fuiſſe municipium Romanorum reſtantes *veteres inſcriptiones.* Hinc Tullius *Orat. pro Sexto Roſcio*, ubi crebrò nominat *Ameriam*, *municipem Amerinum* vocat Roſcii patrem. Coloniam paulo poſt Auguſti juſſu eo deductam ait Frontinus *l. de Colonis.* *Ager*, inquit, *Amerinus*, *lege Imperatoris Auguſti eſt adſignatus veteranis.* *Amerina ſalix* à Plinio *l. 24. c. 9.* & aliis plurimum commendatur, uberrim enim ibi provenit, quæ ſubſtrata toris, Venerem cohibere creditur, amica caſtitati. Unde Α'γνὸς ſalix à veneris. dicta. Hinc *Amerina*, genus pyrorum. Stat. *l. 1. Silv. ult. v. 18.*

Et marſit Amerina non perusſtis.

Plinius inter ſeriſſima pyrorum genera numerat, quem vide *l. 15. c. 15.* longitud. 35. 40. latitud. 42. 23. *Nic. Lloydius.*

AMERCIAMENTUM, vox Fori Anglici & Scotici; à verbo *amerciare*, (quod ſignificat mulctam ſeu pœnam pecuniariam pro delicti modo & qualitate in reum decernere) Mulcta eſt, ſeu pœna, alias *Mercia.* Anglo-Saxonibus olim *Wita*, mulcta ſcil. quæ levioribus delictis imponitur. Nam quæ majoribus, *Wita major*; quæ graviſſimis, *Compoſitio* dicta eſt. Origo vocis à Gall. *Mercy.* i. e. *Miſericordia*, quô modô etiam mulcta ipſa interdum nuncupatur, ſeu quod ſoleat irrogari crimen confitenti & *miſericordiam* flagitanti: ſeu quòd, qui deliquit, ſit in *miſericordia* Legis vel Principis, qui pro arbitrio mulctam infligit. Apud Veteres autem, certô boum, ovium aut aliorum animalium numerô æſtimari conſueviſſe mulctam, auctor eſt A. Gellius *l. 11. c. 1.* quod in Scotia quoque obtinuiſſe, dicetur infra in voce *Vacca.* Car. du Freſne *Gloſſar.*

AMERIÆ, vulgò *Aymeries*, caſtrum Hannoniæ provinc. ad Sabim fluv. in Belgio, inter Quercetum oppid. & Avennas. Malè habitum hôc bellô Gallicô.

AMERIAS, vel AMERIUS, Macedo, de origine vocum ſcripſit, *Suid. Athen.* Voſſ. *de Philol. c. 5. §. 16.*

AMERICA, quæ ob immenſam ſuam longitudinem (Circulum enim utrumque, Arcticum & Antarcticum pertingit, & tranſit) Novus orbis hodie vocatur, veteribus incognita manſit uſque ad A. C. 1492. quô primùm à Chriſtophoro Columbo Genuenſi, & Americo Veſpucio Florentino, à quo ei nomen, A. C. 1497. detecta eſt, quod humanæ admirationis modum excedere videtur. Conſideratâ namque cum antiquorum, in deſcribendo orbe terrarum diligentiâ, & ampliſſimorum Imperiorum ad perquirendas regiones commoditate, opportunitateque, tùm humani generis dirâ atque inſatiabili auro atque argento inhiante cupidine nihil non tentante, quibus hæ regiones incredibili copiâ abundant, tam diu potuiſſe urbe noſtro latere, homines docti non ſemel mirati ſunt. *Nic. Lloydius.* Contrarium tamen ſuadere videtur, Plato *Tim. tom. 3. p. 24. edition. H. Stephani.* Cui *Crator*, *Origenes*, *Porphyrius*, *Proclus*, *Marſil. Ficinus* ſuffragantur. Nec diſſentit Tertull. *de Pall. c. 2.* & *Apolog. c. 40.* ut *Turnebus* & *Pamelius* oſtendunt. Adde quòd Diodor. Sic. *l. 5.* ſcribit de Phœnicibus quibuſdam, in Inſulam feraciſſimam Africæ oppoſitam conjectis. Qui inſuper docet, Pœnos omnem lapidem moviſſe, ut Europæis hæc regio maneret ignota. Sic Auſtis *L. de Mundo* ait, ultra magnam illam Inſulam, quæ Europam, Aſiam, Africamque continet, adhuc alias eſſe. Vide Plin. *l. 2. c. 92.* Arnob. *l. 1. contra Gent.* Becan. *l. 3. de Antverp.* Turneb. *l. 20. Adverſ. c. 11.* Pamelium in Tertull. *de Pall. c. 2. n. 25.* & *c. 40. n. 528. Apologet.* Voſſ. *de Scient. Mathem. c. 42. §. 10.* Tota autem hæc pars hodie circumnavigata eſt. A Septentrione in Meridiem deſcendit ſub forma duarum peninſularum, quæ tenui Iſthmô 17. leuc. diſcernuntur. *Ortel. Franciſcus Lopez Gomara*, & *Hieron. Girava Tarraconenſis* ejus provincias & partes unà cum variarum gentium in eis habitantium moribus deſcripſerunt. Ex iam etiam in Hiſpanica, ac Italica & Anglica lingua non pauci alii ſcriptores, qui hujus orbis ſitum, ſolum, fertilitatem, & ſtatum exactè depingunt. Acoſta, *l. 1. c. 1.* Herrera *l. 1.* Cluver. *l. 6.* *Moquet*, *Ovedo*, *Vincent. le Blanc.* *Maffeus.* &c. Regio patet in longitudinem 750. milliar. Germanica, in latitudinem verò 525. *Baudrando.* *America* perſæpe *Novus Orbis*, dicitur, ſed impropriè, *Indiæ Occidentales*, *les Indes Occidentales* Gallis, *Weſt-Indien* Belgis: Non tantum ab Hiſpanis, qui illam denominationem primi uſurpârunt, ſed etiam à Belgis, Anglis, & aliquando à Francis, quod eodem ferè tempore detecta ſit ad Occidentem, quô ad Orientem India reperta eſt. Clauditur ab Occidente mari Auſtrino ſeu Pacificô, ab Oriente mari Boreali & Æthiopicô, & Meridiem versùs fretô Magellanicô & fretô Mæreô, At ſeptentrionales ejus fines ſunt incogniti, neque hactenus ab hac parte perluſtrati. Multæ illius partes ſubſunt Regi Hiſpaniæ, uti Peruvia, Nova Hiſpania, & aliæ regiones. Quædam autem versùs oram inſtantam parent Francis, Anglis, Batavis, Luſitanis, atque Suecis. Ibi incolæ cultiores redditi ſunt poſt Euro-

pæorum

patrum adventum. Sed qui mediterranea incolunt loca, mores patrios adhuc retinent. Dividitur autem in *Septentrionalem* & *Meridionalem*.

AMERICA Septentrionalis, quæ & *Mexicana* dicitur, à Mexico urbe præcipua, habet à Septentrione terras Arcticas incognitas, ab Occidente & Meridie fretum Anianum & mare Pacificum ſeu Auſtrinum, ab Oriente autem ſinum Mexicanum, & mare Boreale.

Americæ ſeptentrionalis regiones.

Canada, quæ & Nova Francia, *le Canada, ou Nouvelle France.*
Eſtotilandia *Eſtotiland.*
Florida, *la Floride.*
Nova Anglia, *Nouvelle Angleterre*, Anglis *Nievv England.*
Novum Belgium, *Nouveau Pays-Bas*, Batavis *Nievv Nederlandt.*
Nova Dania, *Nouveau Danemarck.*
Nova Hiſpania, ſeu regnum Mexicanum, *la Nouvelle Eſpagne, ou le Mexique*, Hiſpanis *Nueva Eſpanna, ò Mexico*, ubi *Jucatan, Nicaragua, Nova Galicia, Mechoacan, Guatimala*, & *Honduras* provinciæ.
Novum Regnum Mexicanum, alias Nova Granata, *le Nouveau Mexique.*
Virginia, *la Virginie.*
California Inſula, *l' Iſle de Californie.*
Cuba inſula, *l' Iſle de Cuba.*
Hiſpaniola inſula, *l' Hiſpaniola Isle, ou S. Domingue.*
Terra nova inſul. *l' Iſle de Terre-neuve.*
Aliæ multæ inſulæ Antillarum nomine contentæ.

Urbes præcipuæ Americæ ſeptentrionalis.

Amſtelodamum novum, *Nouveau Amſterdam.* Angelopolis, *Ciudad de los Angeles.* Anticaria, *Antequera.*
Dominicopolis, *S. Domingo*, Gallis *S. Domingue.*
Emerita, *Merida.*
Fanum S. Joannis de Portu divite, *S. Juan de Puertorico.*
Guadalaxara, *Guadalajara.* Guatimala, *S. Jago de Guatimala.*
Havana, *la Havana.*
Mechoacanum, *Mechoacan.* Mexicum, *Mexico*, quæ totius illius partis facile primatias.
Novum Plimuthum, *Nouveau Plimouth.* Panucum, *Panuco.* Pomeiocum, *Pomeiok.*
Quebecum, *Quebec.*
S. Auguſtini Fanum, *S. Agoſtino.*

AMERICA Meridionalis, quæ etiam *Peruviana* nuncupatur à Peruviæ regno, habet ad Septentrionem mare Boreale, ad ortum Oceanum Æthiopicum, ad Auſtrum mare Magellanicum, fretaque Magellanicum & Mæreum, ad occaſum autem mare Pacificum, ſeu Auſtrinum.

Americæ meridionalis regiones.

Braſilia, *le Breſil.*
Cile, *le Chili.*
Guajana, *la Guiane.*
Magellanica, *la terre Magellanique.*
Nova Andaluſia, *Nouvelle Andalouzie.*
Novum regnum Granatenſe, *nouveau royaume de Grenade.*
Paraguaya, *le Paraguay.*
Parana, *Parana.*
Paria, *Paria.*
Popajam tractus, *le Gouvernement de Popajan.*
Peruviæ regnum, *le royaume de Perou.*
Terra firma, *la Terre ferme.*
Terra ignium, *Terre de feux*, Hiſpanis *Tierra del fuego.*
Tucumania, *le Tucuman.*
Venezuela, *la Venezuele.*

Urbes præcipuæ Americæ meridionalis.

Arequipa, *Arequipa.* Argentea, *la Plata.* Arica, *Arica.*
Baeza, *Baeça.* Bonus aër, *Buenos Ayres.*
Carthagena Nova, *Nouvelle Carthagene.* Civitas S. Fidei, *S. Fé de Bogota.* Conceptio, *la Conception.* Corum, *Coro.* Cuſcum, *Cuſco.* Fanum S. Jacobi, *S. Jago.* Fanum S. Sebaſtiani, *S. Sebaſtiano de Rio de Janeiro.*
Guaira, ſeu Civitas Regia, *Guaira.*
Lima, quæ & civitas Regum, *Lima ò los Reyes.*
Manua, *Manoa el dorado.* Maranonium, *S. Luis de el Maranon.*
Olinda, *Olinde de Pernambuco.*
Panama, *Panama.* Para, *Para.* Popayanum, *Popaian.* Portus omnium Sanctorum, *la Baya de todos los Santos*, ſeu *Saint Salvador.* Portus ſecurus, *Porto ſeguro.* Potoſium, *Potoſi.*
Quitum, *S. Franceſco de el Quito.*
Santa Marta, *Sainte Marthe.* Siara, *Siara.*
Trugillum, *Trughillo. Nic. Lloydius.* Cæterum qui Columbo inventæ Americæ gloriam detractum eunt, referunt ipſum à Navarcho, quem *Alphonſum Sanchez de Huelva*, item *Aldretem Hiſpanum* & *Garciam Vegam* nuncupant, primam hujus rei cognitionem hauſiſſe, qui cum in tractandis commerciis Africæ occupatus fuiſſet, tempeſtate ad incognitas haſce terras ejectus fuerit, notiſque dein Europæ atque Africæ tractibus redditus, apud Columbum in Inſulam Madera degentem diverterit, ac paulo poſt morte abreptus ipſi, quos confecerat, navigationis ſuæ commentarios reliquerit: Sic Columbum, utpote Geographiæ & Aſtronomiæ peritum, in cogitationes de quærenda America incidiſſe, Vide Acoſtam, Grotium, Joh. de Laët Antverpianum, qui ad Viri hujus *πολυμαθεστάτου* Diſquiſitionem *Notas & Obſervationes* edidit, ac Contzium *Diſſ. de orig. gentium Americanarum.* Anglorum nonnulli Madoccum, filium Guynethi, fratrem Principis Walliæ, circa A. C. 1170. colonias in Floridam & Canadam jam eduxiſſe, referunt. Vide *Appendicem ad Diner. Herberti p.* 188. Quod ad originem gentium *Americanarum*, arbitratur paulo antè laudatus Grotius, Americanos Borealiores ex Norvegia ortos, ac per Groenlandiam in Americam veniſſe; Jucatanenſes & vicinos ex Æthiopia; Peruanos ex China, ceteros uſque ad Fretum Magellanicum, ex reliquo Oriente, per terram Auſtralem hæc loca petiiſſe. Sed Æthiopes & Chinenſes quod attinet, ſine inſigni rei nauticæ peritia, quæ hiſce demum ſeculis ad apicem pervenit, eò deferri nequiverunt. Quod autem de terra Auſtrali, Groenlandia, habet, ſolidius videtur: Et à terra Auſtrali & in *Americam* facili ac brevi trajectu res geri, per Groenlandiam autem ipſum terreſtre iter ſufficere potuit: Idem & de extrema Aſia dicendum, quà vel Americæ adhæret, vel ſaltem ipſi propinc eſt. Fieri quoque poteſt, ut homines navigiolis in altum abrepti in America appulerint &c. Vide præter auctores præfatos Hornium quoque de *orig. Gent. Americ.* & Hornbeckium *de Converſ. Indor. & Gentilium, Diſſert.* 8. *&* 9. Quorum ille ſic quoque habet hac de re, *Orb. Imper. Americani, ex noſtro Orbe, unde originem omnino trahunt, variis viis, utriuſque temporibus in Novum Orbem delati ſunt. Si enim Aſia Americæ alicubi cohæret, via terreſtris reperta eſt, ſi fretò vel mari dividitur, ſcaphis navibuſque trajecerunt: Alii quidem ab Occidente, per Novam Zimblam, & Groenlandiam, Alii per Orientem ex China, Japponia, per Terram haud pridem repertam cui Eſo nomen. Sed in univerſum Inſulanos Americæ & multas in continente gentes, à Phœnicibus eorumque colonis Carthaginenſibus, ortos, luculentis argumentis demonſtrari poteſt. Reliqua multitudo manifeſta Scythicæ ſeu Tartaricæ originis argumenta præ ſe fert, Mexicani præcipuè, Peruani & Braſilienſes. Nec dubium eſt, quin ex Britannia quoque, cùm Saxones illam devaſtarent, multi profugi in Novum Orbem migraverint: uti non ex Hiſpania, eô tempore, cùm Saracenica tempeſtas illi incumberet. Ita tamen omnes illi ab antiqua origine degenerârunt, ut hodie difficulter ad primos fontes reduci poſſint, linguis, moribus habituque corporis inter ſe variè confuſi. Et habuêre illi per ſingulas propè vicos, maximè in Nova Francia, Virginia, Florida aliiſque regionibus, peculiares olim Regulos: quos, qui Continentem habitant, Sagamos; qui Inſulas, Caſiquos appellârunt. In Virginia, ſuperioribus annis celebres fuerunt Rex Wingina, Opiſco, Diamico, Pomno, Specangmouch. In Florida magnus Rex Olava, Udina & Saturiova: in Quivira, repertus fuit ab Hiſpanis Rex Tatarax, i. e. Albus Tartarus, Regna verò, Mexicanum & Peruvianum, omnium ampliſſima fuêre ac ditiſſima. Chilenſes autem Rempublicam hodieque habent, at Braſiliani abſque Lege & Rege vivunt &c.* Controverſiam inter Joannem Portugalliæ Regem in detegenda India Orientali occupatum & Ferdinandum Catholicum (à quo eôdem ferè tempore Chriſtophorus Columbus ſeu Colonus, navibus acceptis, Cubam, Hiſpaniolam, aliaque loca detexit & Novum Orbem Regi ſuo aperuit) exortam, quò pactô Alexander VI. Pontifex ducendô à Septentrione lineam in Auſtrum, quæ totum terrarum Orbem ſecaret, partemque Orientalem Joanni, Occiduam autem Ferdinando concedendo, deciderit, vide apud Auctorem Anonymum *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* ubi integram Pontificis *Bullam* exhibet, quam in Bzovii quoque *Annalibus Eccleſ. ad* A. C. 1493. reperias.

AMERICUS Veſpucius, Florentinus, auſpiciis Emanuelis, Luſitaniæ Regis, primus Europæorum Americam, à ſe dictam, ingreſſus eſt, Poſtquam Chriſtoph. Columbus quinquenniô antè Inſulas vicinas, nomine Ferdinandi & Iſabellæ detexiſſet. Scripſit librum, de quatuor ſuis navigationibus, quem Renato Andegav. Siciliæ Regi dedicavit. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 12. & *de Scient. Mathem. c.* 42. §. 10.

AMERIOLA, oppidum in Latio, quod jam interiit, ideoque locus ejus ignoratur. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

AMERSFORDIA, urbs Belgii, ditionis Ultrajectinæ ad Emam fluv. probè munita. In illo tractu montes ſunt, qui vulgò ab illo *Amersforderberg* dicuntur. Malè habita hôc bellô Gallico.

AMERUZA Georgius, vide *Georgius.*

AMESISES, inferioris Ægypti Rex XV. poſt Chamoëm præfuit ann. 65. Rauoſe apud Thebanos imperante. Sub illo Abraham Patriarcha primus extraneorum, cum Sara in Ægyptum venit, ad 3. menſes. Ei ſucceſſit *ἀνώνυμος*, quem Uſe excepit. vide ibi.

AMESSIS, filia Amenophis, poſt Patrem in Ægypto regnavit, ann. 48. Euſeb. *in Chron.* Manetho *ſororem* Amenophis vocat, apud Joſephum *contra Apion. l.* 1. *c.* 5. & regnâſſe ann. 21. menſ. 9. ait, cum Oſorcho Tanitarum ſeu paſtorum Rex eſſet. Eam excepit Mephres. Vide Joh. Marshamum *Can. Chron.*

AMESIUS Gulielmus, vide *Gulielmus.*

AMESTRATUS, oppid. Siciliæ, circa Haleſum amnem, binomium. Ad prius nomen pertinent *Philiſti Μυτιστρατον*, Polybii *l.* 1. *c.* 24. *Μυττιστρατον*; *Zonaræ Μυττιστρατον*, & Plinii *l.* 3. *c.* 8. *Mutiſtratini* Ad poſterius Silii *l.* 14. *Amaſtra*, *Apollodori Ἀμήστρατος*, & Ciceronis *Verr.* 3. *c.* 39. *Ameſtratini. Steph.* ridiculè deſcripſit *περὶ Καρχηδόνα*, *circa Carthaginem*, adque tanquam ex Polybio, cum & ille, & alii omnes Siciliæ adſcribant. Itaque non fuit circa Carthaginem, ſed Carthaginienſium in Sicilia oppid. munitiſſimum, quod Romani per 7 menſes fruſtra obſeſſum, nec ſine magnis cladibus, tertiâ tandem obſidione ceperunt, & ſolo æquârunt, civibus quotquot ſupererant, ſub coronâ venditis. Diodor. Sic. *l.* 23. Nomen non intelligo ſatis (inquit Bochart. *in Chanaan l.* 1 *c.* 27.) niſi quòd à templo Aſtartes Punicæ Deæ dictum fuiſſe ſuſpicor. [Hebrew] *mat-Aſtrata*; & [Hebrew] *am-Aſtrata*, i. e. *urbem*, vel *populum Aſtartes.*

AMESTRIS, Regina Perſarum, Xerxis uxor, de qua multa Herodot. *l.* 9. Diodor. Sic. *l.* 11. Hæc, ut gratiam Diis referret; quòd in vita diu proceſſerat, 14. illuſtrium Perſarum liberos ſub terram vivos defodiſſe, & votum perſolviſſe dicitur; ſimiliter in Artaintæ, à marito amatæ, matrem ſuit crudeliſſima, quam in convivio regali, *Tectu* dicto, quæ vox *perfectum* deſignat, à Xerxe impetratam, uberibus, auribus, naribus, linguâ labiiſque privâſſe legitur.

AMETHYSTINUS color, ab *amethyſto* gemma, unus ex purpuræ olim coloribus, quæ prout preſſior ſaturatiorque erat, vel dilutior, varia etiam invenit nomina. *Eſt in his*, verba ſunt Plinii, *l.* 37. *c.* 9:

carbunculi tenuior ignis eſt amethyſti fulgens purpura, eſt ſmaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili mixtura lucentia. Loquitur autem de pæderote gemma, unde pæderotinæ veſtes. in quo gemmarum genere, cum quædam eſſent fuſcioris coloris, aliæ dilutioris; meliorem illum eſſe colorem idem Plinius judicat, cujus color vini colore fuſcatur, quàm qui diluitur aquâ. Atque hic erat, ad quem tingentium officinæ dirigebant vota, cui & oxypæderotinum videntur nomen feciſſe. Non magnum autem diſcrimen fuit inter amethyſtinum & oxypæderotinum. unde non mirum, eum colorem, ut pretioſiorem & purpuræ propiorem, rarius fuiſſe matronis Romanis uſurpatum, ante Aurelianum Imperat. Imò amethyſtini & Tyrii coloris uſu penitus interdixiſſe Neronem, Suetonius in ejus vita c. 32. refert: Quin etiam inter cantandum animadverſam matronam e ſpectaculis veſtita purpura cultam, demonſtraſſe Procuratoribus ſuis traditur, detractamque illico non veſte modo, ſed & bonis exuit. Ovid. tamen de Arte l. 3. amethyſtinum, inter pretii levioris colores enumerat, atque eum inter alios plures & viliores concedit mulieribus artis ſuæ. Sic videantur matronæ, in ſolatium ademptæ purpuræ vel conchyliatæ veſtis, aut, ut tum loquebantur, blatteæ, quæ erat magni pretii, amethyſtinas & oxypæderotinas, quæ proximè ad purpureas accederent, in uſu habuiſſe: donec Aureliani conceſſu, purpureas iterum veſtes, ea purpura clariſſima, geſtare cœperunt. Vide Salmaſ. Notis ad Vopiſc. in Aurelian. c. 46. Idem ex Plinio l. 21. c. 8. tria genera præcipua ac principalia fuiſſe docet purpurei coloris, Tyrium, qui omnium ſaturatiſſimus erat; Amethyſtinum, non adeò plenû colore refulgentem nec tantæ nigritiæ, nec æquè auſterum, ſed blandiorem aſpectu & magis violaceum: ac Conchylium, cujus cum variæ ſpecies eſſent, omnes tamen dilutiores pallidioreſque tum Amethyſtino, tum multum magis Tyrio, qui propriè purpureus dicebatur, fuêre. Plinii locus eſt: In quibus unguento viciſſe naturam gaudent luxuria veſtibus quoque provocavit eos flores, qui colore commendantur. Hos animadverto tres eſſe principales; in cocco, qui a raſis micat, & gratius nihil: ſuſpectus trahitur & in purpuras Tyrias dibaphasque ac Laconicas. Amethyſtum, qui in viola: & ipſe in purpureum, quemque ianthinum appellavimus. Genera eum tractamus, in ſpecies multas ſeſe ſpargentia. Tertius eſt, qui propriè conchylii intelligitur, multis modis: uno in heliotropio - - alius in malva, alius in viola ſerotinâ &c. De Tyrii & Amethyſtini temperamento, habes apud Eund. c. 58. l. 9. Vide quoque Salmaſ. prædictuor Ann. ad Tertullian. de Pallio p. 186. ſ. & infrà de [illegible].

AMETHYSTUS, non unius generis gemma eſt. Pulcherrimus eſt, quem [illegible] nonnulli, alii [illegible], quidam Veneris gemmam dixêre: in quo videl. ex carbunculo in purpuram refulgeret roſeus nitor. Contrà improbabantur, quæ ad vicinam cryſtalli deſcenderent. Dictus eſt autem talis [illegible], ob gratiam ſpeciei & coloris, quaſi æque venuſtus, ac amor, ſeu contra amorem pulcher. Vide Plinium l. 37. c. 9. aliiſque, ubi gemmæ ei ebrietati reſiſtere, Magorum vanitate traditur, addit, & Salmaſ. ad Solin. p. 563. Ex Amethyſto duas pyramides ſervat Muſæum Kircherianum Romæ, ut habetur in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo, Amſtelodami edito A. C. 1678. Fortunatus Poeta Carm. 8.

Alligat & nitidos amethyſtina vitta capillos.

AMFLEAT, vel AMFLEOT, ſinus eſt maris, Bedæ Hiſt. Angl. l. 1. c. 33. memoratus, ut & locus ad eum ignobilis à Bononia Civitate ſive Geſoriaco Morinorum non multum remotus. Fortè hodie Ambletolium, vulgo Ambleteul, 3. aut 4. leuc. ab urbe Bononia. Deſignat autem vox Fleat. vel Flet, ſinum maris & locum ad ſinum poſitum. Certè Cluverius ſcribit, æſtuaria alternis maris æſtibus nunc vacua, nunc aquis plena, quandoque paulatim in lacus redacta, à Belgis maritimis Vie atque Viet vel Fliet, à Germanis Fleet nuncupari, & hoc nomen cum marinis undis, tum maritimis oppidis ac vicis paſſim impoſitum reperiri, nec uſquam in Flandria, Selandia, Brabantia, Hollandia nomen illud inveniri, niſi quò æſtus pelagi accedere poſſint. Unde duo caſtella, ad oſtium Sequanæ & Oceani acceſſus poſita, Honfleu & Harfleu: item portus pagi Conſtantini, Barbefleot, non procul à Cæſarisburgo, ex eadem videntur origine manare. Idem dicendum de fluvio Caletorum Viteflen aut Viteſleur, qui Canejum Cani, Guiteflodam Vitefleu, Paludellum Paluet, Vellas Veules, præterlabitur, & ad Cheadentes in Oceanum effluit. Vide Hadr. Valeſ. Notit. Gall.

AMFRACTUS, apud Stat. Theb. l. 5. v. 518.

Sed nunc Ogygii juſſit quando ancus anhelat
Terra Dei, trepidæve latent in pulvere Nymphæ,
Sævior anfractu *laterum ſinuoſa retorquens*
Terga ſolo ----

reflexio, curvatura eſt, Scholiaſtes: Laterum anfractus Papinius, ut anfracta aurium, Varro dixit apud Nonium. Cyrillus in Lexico, [illegible], amfragoſus, amfractus, ambago. [illegible], amfractus circuitus, ambago. Sic Amfractus, orbes interrupti Equitantis, apud Val. Flacc. l. 6. v. 239.

Orbibus hos rapidis mollis per æquora Caſtor
Amfractu *levioris equi deludit anhelos.*

Et amfractus maris, recto curſui opponuntur, à Lucano l. 5. v. 426.

Nec maris amfractus, *luſtrandaque littora nobis,*
Sed recti fluctus, ſoloque Aquilone ſecundi.

E Lucretius de Sicilia, l. 1. v. 718.

Quam fluitans circum magnis amfractibus *æquor*
Ionium, glaucis aſpergit littus ab undis.

A fracto nimium ambitu: Am enim antiquitus circum denotat. Amfractus in Amphitheatro, apud Tertullian. de Spectaculis c. 3. Vias enim vocant cardines baltheorum per ambitum & diſcrimina popularium per procinctum. Cathedra quoque nominatur ipſe in anfractus ad conſeſſum ſitus: eſt imperfectus orbis, &c. Vide Calpas. Barthium Animadverſion. ad Papin. Statium loc. cit.

Rabbi AMI atque Rabbi Aſe, docuerunt Tiberiade, annò 4080. juxta calculum R. Ganz. Vide quoque infrà, ubi de R. Hone.

AMIANUS, Alexandriæ Epiſcopus, B. Marci Euangeliſtæ diſcipulus, oculum ſibi perforavit, quod intuitu parùm pudicò tranſeuntes fœminas conſpexiſſet. Sabellic. in Exemplis.

AMICA, unum inter tria conjunctionis nomina, apud juris Auctores, de qua vide infrà voce Pellex.

AMICI, item Socii, & Latini nominis ſocii, dicti ſunt Principes populique, qui, non quidem in jus civitatis Romanæ recepti, digni tamen habiti ſunt, qui fœdere Romanis jungerentur. Utebatur ergo Rex Princepſque talis, iſtiuſmodi titulò: Amicus & Socius Senatus Populique Romani; Et gens, Amici ac Fœderati Populi Romani. Hinc & ipſum fœdus Amicitia dictum eſt. Florus l. 4. c. 10. pari rurſus reverentiâ, integrata, inquit, amicitia; ubi de Craſſo atque Pacoro loquitur: & l. 1. c. 10. utrumque conjungens, ultro, inquit, cum pæne victus amicitiæ fœdera mit. Vide in voce Fœderati, item Socii.

AMICI Sponſorum, apud Hebræos, alias Socii ſeu Comites, Hebr. [illegible], iidem cum Paranymphis. Gemara Hieroſolymitana. Obſervavit Rabbi Juda morem antiquitus in Judæa obtinuiſſe, ut conſtituerentur bini Paranymphi, Socii ſeu Amici; alter Sponſi, alter Sponſæ - tempore nuptiarum ſeu deductionis — hi locum (decubitûs) Sponſi & Sponſæ perſcrutabantur, quin & — pernoctabant in loco Sponſi & loco Sponſæ (i. e. juxta eos, in thalamo) &c. Unde colligere eſt, non in nuptiis ſolum, verum etiam ipſi thoro conjugali primâ nocte officioſè adfuiſſe. Eoſdem verò de aliis etiam, quæ apparatum lætitiamque Sponſorum concernebant, proſpexiſſe, ambigendum non eſt. Ex hiſce Amicis, alter qui Sponſo tempore nuptiarum fidele præſtaret officium, innuitur in ſimilitudine illa ſacra S. Johannis, c. 3. v. 29. [illegible] Qui habet Sponſam, Sponſus eſt: Amicus autem Sponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponſi. Ubi, ex more memorato, dicit Johannes, ſe, uti paranympham ſeu Amicum Sponſi, vocem Sponſi inſignemque, ejus erga Sponſam, i. e. Eccleſiam, affectum obſervâſſe, atque inde ſummâ perfuſum eſſe lætitiâ. Certè omnia ita quadrant moribus Judæorum nuptialibus. Vide Dan. Heinſium Ariſtarch. Sacr. p. 879. Et ſcimus etiam, τὸ φίλου ſeu Amici nomen, quemadmodum & Comitis, à diffuſiore vulgarique ſignificatione delapſum, peculiarem non rarò apud Veteres dignitatem aut officium denotâſſe, quemadmodum in illo de Zabudo Ben Nathan, 1. Regum c. 4. v. 5. Amicus erat Regis, in Vulgata, ubi Helleniſtæ habent, [illegible], Socius Regis, quod idem innuit. Et Paraphraſis Chald. Amicus ſeu Socius Regis, ubi eodem pro Amico utitur vocabulò, quod Paranymphum etiam ubi de re nuptiali verba fiunt, ſignificat. Appoſitè quoque Kimchius, Amicus Regis, qui ei perpetuò erat comes, &c. Vide infrà in voce Paranymphus. Apud veteres Græcos, Amicorum idem nomen fuit uſuſque, Julius Pollux Onomaſtic. l. 3. c. 3. [illegible], &c. Quidam etiam ex Sponſi Amicis Janitor dicitur, qui januæ adſtans, &c. Sed & alibi Amici ſingularis in Sacris literis uſus indigitatur, 1. Paral. c. 27. v. 33. &c. Vide Johan. Seldenum Uxor. Ebraic. l. 2. c. 16. & infrà aliquid voce Symplator. Apud Romanos, Amici ad obſequia, in comitatu ambibant, hinc Anteambulones & Antepedes dicti, atque hi privatorum etiam erant, de quibus vide infrà: ſed celebres inprimis fuêre Amici Principis ſeu Comites Auguſti, quorum meminit in Hadriano Cæſ. Spartianus, c. 18. Quum judicaret, in conſilio habuit non Amicos ſuos aut Comites ſolùm, ſed Juriſconſultos. Sic nempe dicebantur, qui à conſiliis Auguſti erant, & quidem in interiorem familiaritatem ac contubernium Principis admiſſi atque adſciti. Spartianus idem ſuprà, c. 8. Optimos quoſque de Senatu in contubernium Imperatoriæ Majeſtatis adſcivit. Iidem Auguſtum in omnibus proceſſibus, ut vocabant, & expeditionibus bellicis ſemper comitabantur: ac pedaturam in caſtris juxta Prætorium accipiebant, à pedibus 60. ad 70. Hinc Amicos & Comites non Spartianus modò, ſed & variæ Inſcriptiones veteres junctim poſuerunt, inter quas vetus Saxum Mediolani:

C. SENTIO
SEVERO
QUADRATO
C. V. COS.
AMICO ET
COM. AUG. N.

Conſiliarii quoque Auguſtorum dicebantur, ut videre eſt infrà in hac voce: quò nomine & munere uſque ad poſteriores Imperatores manſêre. Namque Comites Conſiſtorii vel Conſiſtoriani dicebantur, conſiſtorium autem, ut notum eſt, τὸ [illegible] Principis: Primuſque Conſtantinus, ut volunt, gradus eorum tres inſtituit, & in primi ordinis, ſecundi ac tertii illos diſtinxit; veterum tamen omnium Imperatorum exemplô, qui Amicos totidem claſſibus & ordinibus diſtinctos habuêre. In primas enim & ſecundas & tertias admiſſiones digerebantur, ut ait Senec. de Benefic. l. 6. erantque primi ac ſecundi Amici. Lamprid. in Alexandr. c. 20. Moderationis tantæ fuit, ut Amicos non ſolum primi ac ſecundi loci, ſed etiam inferioris, ægrotantes inviſeret; è quibus fere digniores erant, primæ claſſis ſeu ordinis Amici, cum quibus conſilia participabat Imperator, quique in ſecretius atque interius conſilium admiſſi, in quo de Rempubl. agebatur, Legati audiebantur, & majora alia negotia tractabantur, & hi Comites intra Conſiſtorium & Comites S. Conſiſtorii Conſiſtorianique, ut diximus, ſequiori ævô appellati ſunt. Reliquos adhibebat Imperator cùm de negotiis ac jure tractaret, vel Romæ & in provinciis cauſas audiret, in quo numero Amicorum JCtos fuiſſe, ex Lampridio in Alexandro c. ult. patet. Hinc in Reſcripto divorum Fratrum, de jure Patron. Voluſius Mœcianus Amicus noſter, & ſic exponendum illud Valerii Probi de notis liter. AM. N. Sumebantur autem hi omnes ex Conſularibus Viris & Præ-

Prætoriis & Senatoribus; interdum etiam ex Equitibus: eratque eis hæc inter plerique arbitrii, ut quos vellet in Amicorum Comitumve habere numero, ipſe deligeret, Sueton. in Tito, c. 7. &c. Atque hi de domo Auguſta erant: reliqui Magiſtratus, qui Auguſtum non comitabantur, aut qui ab ipſo non ordinabantur, Amicorum quidem nomine honorabantur ab Auguſto, ſed non Comitum. Nam ſoli illi Comites & Amici, qui in comitatu Principis erant, cæteri Amici tantum, vel etiam Parentes & Amici, vel Parentes chariſſimi. Ita Conſules & Præfecti Urbis & Proconſules & provinciarum Rectores, honoris gratiâ ab Imperatorib. appellabantur. Senatores vero, ut de Hiſtis diximus, Amici ſolùm. Hinc inter officia domus Auguſtæ cura Amicorum Auguſta fuit, de quo infra. Plura in hanc rem vide apud Salmaſ. ad Ælium Spartian. in Hadriano, c. 18 & Trebellium Pollionem in XXX. Tyr. c. 12 ut & infrà, voce Cohors, nec non ubi de Comitibus Imperator. aliquid etiam legitimate Senſus communis, ubi Marcum Imperatorem illos onere perpetuò ſecum conviviandi & quaquaverſum comitandi ſublevâſſe, dicemus ex Capitolino in Vita ejus.

AMICIA, vide ſuprà Almucia.

AMICITIA, Gentium Dea, cujus picturam, & ejuſdem explicationem vide apud Baldum Iconologia, L. Gyraldum, Synt. de Diis Gentium.

AMICITIA, titulus compellationis, in Ep. 71. ex Sugerianis. Terre in amicitiam prædium quoddam dicebatur, quod ultro & ex merâ benevolentia ſibi conceſſum & ad libitum tradentis utendum permittebatur. Tabular. Vindocinenſe Thuani Chart. 73. Illam (terram) poſſidemus tenebit de D. Abbate, aut in fevum aut in amicitiam, ita ut recognoſcat ſe nihil juris in ea habere, niſi quantum ei à nobis conceſſum eſt ad tempus, &c. apud Car. du Freſne Gloſſar. Vide quoque eum in voce Drudaria. Apud Eundem, Amicitia ſeu Communia Jurata, dicitur, cujus vi oppidi alicujus incolæ, amicitiam ſibi invicem ſacramento firmabant. Ita porrò Communiam Arienſem in Atrebatibus appellabant, ut Amicos, quos alii Juratos. Hinc Præfectus Amicitiæ, Rewardus Amicitiæ Inſulenſis in Charta. A. C. 1258. in Probat. Hiſtor. Ginnenſis p. 595. qui Rewart ſeu Major Urbis.

AMICITIAM renuntiandi ritus, apud Romanos, indigitatur Tacito Annal. l. 2. c. 70. ubi de Germanici extremis, Componit epiſtolas, quis amicitiam ei (Cn. Piſoni) renuntiabat, explicatur ipſius Tiberii Imperat. verbis, Annal. l. 6. c. 29. ubi de Pomponio Labeone Auctor agens, Cæſar, inquit, miſſis ad Senatum literis diſſeruit, Morem fuiſſe majoribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domô eumque finem gratiæ ponere: id ſe repetiviſſe in Labeone.

AMICORUM greges, oſtentationis ergò, alii olim Romæ: ut divitias & opulentiam jactarent hujus rei ſtudioſi, Martial. l. 2. Epigr. 74.

Cinctum togatis poſt & ante Saufeium,
Quanta Reduci Regulus ſolet turbâ,
Ad alta tonſum Templa cum reum miſit,
Materne, cernis? invidere nolito.
Commodus iſte ſit, precor, tuus nunquam,
Hos illi Amicos & greges Togatorum
Fufidiculeius præſtat & Faventinus.

Imò ut hæc jactantia ſe proderet magis, Kalendaria (ut ita dixerim) Amicorum excogitata ſunt, (vide infrà) in quæ nomina eorum referrentur, Senec. de Benefic. l. 6. c. 33. Neſcis, quantum ſit pretium Amicitiæ, ſi non intelligis multum te ei daturum, cui dederis Amicum; rem non domibus tantum, ſed ſeculis raram, quæ non alicubi magis deeſt, quam ubi creditur abundare. Quid? iſtos tu libros quos vix Nomenclatorum complectitur aut memoria aut manus, Amicorum exiſtimas eſſe? Non ſunt iſti Amici, qui agmine magno januam pulſant, qui in primas & ſecundas admiſſiones digeruntur; Conſuetudo iſta vetus eſt Regibus Regeſque ſimulantibus, populum amicorum deſcribere. Cui neſcio quid ſimile ſtomachans Umbricius habet, apud Juvenalem Sat. 3. v. 183.

—— —— Omnis Roma
Cum pretio quid das, ut Coſſum aliquando ſalutes?
Ut te reſpiciat clauſo Vejento labello?
Ille metit barbam, crinem hic depoſuit amati,
Plena domus libris venalibus. ——

Vide quæ alibi de Officioſis & Salutandi ritu dicemus. In aula Palatina Liberti erant, qui Amicorum Principis gererent curam. Ita enim legimus, in ſepulchralibus quibuſdam Epigrammatibus Romæ,

TI. CLAUDIUS. AUG.
LIB. FORTUNATUS. A.
CURA. AMICORUM.

Et,

D. M
LIBERTORUM.
T. FLAVI. AUG. LIB.
VICTORIS.

Et,

M. ULPIUS.
AUG. L.
A CURA. AMICORUM.

At hæc frequentiæ dicis cauſâ facta ſunt. Etenim in Principum domo (ſcribit Plin. Panegyr. c. 85.) nomen tantùm amicitiæ, inane ſcil. irriſumque remanebat, Nam quæ poterat eſſe inter eos Amicitia, quorum ſibi alii domini, alii ſervi videbantur. Quod utcunque ſit, fuit hæc tam apud Principes, quàm apud privatos, charitatis & benevolentiæ plena compellatio. Hinc illæ voces Druſi, apud Vellejum Paterculum l. 2. c. 14. Ecquando propinqui Amicique ſimilem mei civem habebit Reſpublica? Tiberii, in codicillis, compotores & copulones Pomponium Flaccum & Luc. Piſonem, jucundiſſimos & omnium horarum Amicos, profitentis, apud Sueton. c. 42. Titi Cæſaris, Amici, diem perdidi, apud Eundem c. 8. &c. Imò, eôdem modô Convivii Dominus, apud Lucam Evangel. c. 14. v. 10. Φίλε προσανάβηθι ἀνώτερον, Amice, aſcende altius. Ipſe Chriſtus Dominus diſcipulos alloquens, ὑμεῖς φίλοι μου ἐστέ, Vos Amici mei eſtis Joh. c. 15. v. 14. & Matth. c. 22. v. 12. ἑταῖρε πῶς εἰσῆλθες, Amice, quomodo introiſti huc abſque: Ubi vox ἑταῖρος, idem quod φίλος; unde forſan magnus Etæriarches in aula Conſtantinopolitana. Impenſis verò in Perſarum Regis aula fuiſſe, qui Ὁμότιμοι ſive Amicos Regis nominatos diceremus, annotavit Euſtathius ad Odyſſ. 5. Neque vero viri ſolùm Amicorum, ſed & Matronæ, Amicarum greges habuêre, apud Romanos, uti diſcimus ex Juvenali Sat. 6. v. 350.

Nec melior, ſilicem pedibus quæ conterit atrum.
Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.
Ut ſpectet ludos, conducit Ogulnia veſtem,
Conducit comites, ſellam, cervical, Amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam, &c.

Vide Laur. Pignorium Comm. de Servis.

AMICTUS, Anglis olim, an Amytte, primum ex ſex indumentis Epiſcopo, in Eccleſia Romana, cum Presbyteris communibus: Sunt autem illa, Amictus, Alba, Cingulum, Stola, Manipulus & Planeta, uti habet Innocentius III. de Myſter. Miſſæ l. 1. c. 10. Et quidem Amictus, veſtimentum eſt, quò collum undique cingitur, ut Amalarius de Eccleſ. Offic. l. 2. c. 17. Quò & collum ſtringitur & pectus tegitur, ut docet Bruno Signienſis de Veſtim. Epiſcopi: Qui circumquaque ſuper humeros diffunditur, Idem Innocentius loc. cit. c. 50. apud Car. du Freſne Gloſſar. De eo Durandus l. 3. c. 2. Lotis manibus, Epiſcopus ſeu ſacerdos celebraturus aſſumit Amictum, quo caput tegitur, quem Pontifex locò Ephod, ſive ſuperhumerale & rationalis habet: —— renes & pectus ambit & tegit & omnibus ſacris veſtibus ſupponitur ſed omnibus ſupereminet. In renibus ſtringitur, duobus funiculis ſive chordulis ante pectus ligatur, & ſuper os planetæ volvitur apud Spelmannum in Gloſſar. Antiquitus enim ſuper caput ponebatur, eôdem modô, quo à Religioſis eorum hodieque obſervatur, replicando illum ſuper planetam: quâ ratione velum, quô in nocte Paſſionis milites DOMINI noſtri faciem velabant, ſpineam item coronam, ejus capiti impoſitam, deſignari conſueviſſe, ait Thomas Part. 3. quæſt. 8. artic. 5. Maronitæ Græci, & Ambroſiani ſuper Albam induunt Amictum, ut de Græcis diſcimus, ex quadam Soletinorum Archidiaconi Ep. ad Epiſcop. Molphetæ, ubi de Græcorum veſtimentis accuratè agitur: hodierni tamen Græci eô non utuntur. In Romana porro communione, Levitæ Cardinalis Amictus, primò ſtrictior erat, latior vero Cardinalis Presbyteri, ut colligit ex Davantriâ, qui vixit ad A. C. 1525. Ceremoniali MS. Dominic. Macer in Hierolex. ubi etiam diſputat, quo caſu ſine Amictu ſacra facere liceat Sacerdoti? &c. Gloſſar. Ἀναβολή, amiculum, amictus. ἀναβόλαιον, amiculum. Hinc & Anaboladium, in veterib. Gloſſ. Lat. Vide infrà, in hac voce, ut & ubi de Mafurio.

AMICULUM, præter pallam, etiam muliebre veſtimentum fuit; licèt commune cum viris: à circumjectu dictum Feſto. Id in viris non diſſimile fuiſſe videtur chlamydi: ſive paludamento. Unde veſtem ſuperiorem militarem nunquam aliter, quàm Amiculi nomine Curtius exprimit, de Dario loquens l. 3. c. 6 de Alexandro alibi: de Philota l. 6. c. 9. Et Amiculum Syloſontis, de quo Valer. Max. l. 5. c. 2. Ab Æliano Var. Hiſt. l. 4. c. 5. redditur, ἡ Συλοσῶντος χλαμύς, Syloſontis chlamys. Fuiſſe tamen & veſtem muliebrem, apparet ex eodem Curtio l. 5. c. 1. Fœminarum convivia ineuntium in principio modeſtus eſt habitus: dein ſumma quæque Amicula exuunt, paulatimque pudorem prophanant. Nec meretricum tantùm, quod Iſidorus voluit, ſed & honeſtarum matronarum fuit geſtamen. Hinc Liv. l. 27. c. 4. narrat, miſſam à Senatu Cleopatræ Reginæ pallam pictam cum Amiculo purpureo. Et l. 34. c. 7. Fœminis dumtaxat purpuræ uſum interdicemus, & cùm tibi viro liceat purpurâ in veſte ſtragula uti, matremfamiliâs tuam purpureum Amiculum habere non ſines? Quodnam autem ejus à palla diſcrimen, quæritur: brevius certè fuit, ita tamen ut, ſi pars ejus lævo brachio aut humero non ſuſtineretur, flueret ac traheretur, vide Octavium Ferrarium de Re Veſtiaria l. 3. c. 19. Apud Græcos, Amiculum ferale, veſtis erat, quô demortui cadaver, poſtquam, pro more gentis, ablutum erat, ſolebat involvi: habebat illud ſuas κειρίας, i. e. faſcias, quibus manus pedeſque defuncti conſtringebantur, ut patet exemplô Lazari, Joh. c. 11. v. 44. Hinc feralibus amiculis obſtrictus, Apulejus Metam. l. 10. Conficiebatur ad diu antè, vel ab uxore, vel ab amicis, adhuc viventis, eratque apud Græcos candicans, nigrum autem Latinis, Franc. Roſſæus Arch. Attic. l. 5. c. 21. De Amiculo Canonicorum in Eccleſia Romana vide ſuprà, voce Almucium: uti de Amiculo Sacerdotum V. T. Summi inprimis, infrà, voce Superhumerale.

AMICUS, ac Dexter, i. e. propitius, & favens, Hercules cognominatus eſt, idque ſumptum ex eo, quod lucri Deus Hercules ab Ethnicis creditus ſit. Horat. l. 2. Sat. 6.

—— —— Dives Amica
Hercule.

Perſius, Sat. 2. v. 10. —— Et ô ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria, dextrô
Hercule. —— ——

AMICUS Principis, quiſnam apud Romanos dici olim ſit ſolitus, vidimus ſuprà. Inde hodieque mos perdurat apud Gallos, ut Reges, quoties ad Magnates & primi ordinis Proceres ſcribunt, Amicos & Fideles illos, Amez & feaux appellant. In Vita Ludovici Imperatoris A. C. 827. Egildeo dicitur Regalium primus Amicorum: Eghinarto in Annalibus, inter omnes Amicos Regis primus, Car. du Freſne Gloſſar. Hodie le premier Miniſtre d'Eſtat.

AMICUS Gulielmus, vide Gulielmus.

AMICUSIA, inſula in mari Rubro. Steph.

AMIDA, Japonenſium Idolum, tanto apud eos in honore, ut vel, invocatô ſolô repetitôque ejus nomine, ſe beatos fore, ſufficereque ad ſalutem, ſi ſequentia verba ſæpius iterentur, Namu Amida, Buth, h. e. Felix Amida ſalva nos, credant. Quandoque illud in roſeto florido collocant & multis circa caput radiis ad-

ornant, coronâ præcinctâ) quod omnibus Deaſtris Japonicis commune) inſtructum. Aſſervatur unum horum in Muſæo Kircheriano Romæ, ut videre eſt, *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo, Amſtelod. edito A. C.* 1678.

AMIDA, quæ *Ptolemæo Ammaa*, Meſopotamiæ ad Tigrim oppid. à Sapore Perſarum Rege ingenti exercitu obſeſſum, captumque, cæſis Romanis. Amm. Marcellin. *l.* 19. A Conſtantino Imperatore inſtauratum fuit, & *Conſtantia*, dictum. Hic Præfectus Turcarum reſidet, à quibus *Caraemit* ob nigredinem dicitur, teſte *Johanne Leunclavio*, longitud. 78. 15. latitud. 39. 30. Vide Davity, *de Statibus Turc. in Aſia*, *p.* 318. In nummo Conſtantini M. AMID. urbis hujus nota, ubi moneta fortè cuſa videtur. Car. du Freſne *Diſſertat. de inſer. ævi Numiſm.*

AMILCAR, cognomine *Rhodanus*, Dux Carthaginenſis, facundiâ & ſolertiâ inſignis, de ſententia Atheniensium, qui eâ tempeſtate creſcentem Alexandri M potentiam timebant, in caſtra Alexandri pervenit, ſeſe & exulem fingens, & militem offerens, Parmenione aditum conciliante. Atque ita, conſiliis ejus exploratis, in tabellis ligneis, cerâ deſuper inductis, omnia Athenienſibus perſcribebat. Trogus *l.* 21 *c.* 6.

AMILCAR, an alius, an idem, quem ſuprà nominavimus, inter authores non ſatis deprehenditur; qui à Syracuſanis accerſitus eſt, fortiterque pugnavit contra Agathoclem tyrannum, eos obſidione prementem, quem tamen poſtea plurimum juvit, unde à Syracuſanis domi accuſatus eſt, ſed obiit Syracuſis paulo poſt. Trogus *l.* 22. *c.* 2. 3. Diodor. Sic. *l.* 20.

AMILCAR, cognomento *Barcha*, pater Annibalis, qui primam, ſecundùm Annibalem filium, inter Pœnos duces gloriam obtinuit. Hic ex Livio *l.* 21. Corn. Nepote, *in vita ejus*. Plut. *in Annibal* Polyb. *l.* 2. Diodor. Sic. *l.* 25. *Solin*, aliiſque ſcriptoribus notiſſimus eſt.

AMILCAR, alius apud Livium *l.* 31. *c.* 10. ubi ait. L. Furium Prætorem Gallos Inſubres rebellantes, & Amilcarem Pœnum in acie viciſſe. Vide etiam Oroſ. *l.* 4. *c.* 19. Eutrop. *l.* 4.

AMILCAR, An. Urb. Cond. 550. Galliâ contra Romanos excitatâ, per Cenomanenſes proditus eſt. Liv. *l.* 32. Frontin. *Strateg.* *l.* 3. *c.* 16. Alius, cum exercitu cæſus à Gelone Syracuſ. Rege, prope Himeram; cum Afri, Xerxis ſuaſu, in Siciliam veniſſent.

AMILCO, vide *Himilco*.

AMILOS, vel ANULUS, amnis in ſaltibus Mauritaniæ, ad quem, niteſcente Lunâ novâ greges elephantorum deſcendunt, ibique ſe purificantes aquâ ſolenniter conſpergunt ur, atque ita, ſalutatô ſidere, in ſilvas revertuntur. Plin. *l.* 8. *c.* 1.

AMILTON, promontorium prope Byzantium. *Amilios* etiam legitur. *Tripetum* (teſte *P. Gyllio*) hodie dicitur.

AMILUS, urbs Arcadiæ. *Steph.*

AMIMONE vel AMYMONE, fons apud Argos, in Lernam fluens. De quo Ovid. *l.* 2. *Met. Fab.* 1.

— — Quærit Bœotia Dircen
Argos Amimonen, Ephyre Pyrenidas undas.

AMINADAB, Latin. *populus ſpontaneus*, ſive *populus vovens*, aut *populi princeps*, Levita, pietate inſignis, Arcæ cuſtos, per 20. ann. 1. *Sam. c.* 7. *v.* 1. Joſeph. *l.* 6. *Ant. Jud.* c. 2. Item, Fil. Ram, filii Eſron, filii Phares, 1. Paral. *c.* 2. *v.* 10. Pater item Naaſſon, Principis tribus Juda. Numer. *c.* 1. *v.* 7. Ruth *c.* 4. *v.* 20.

AMINEA, regio Campaniæ, populi *Aminei*, qui ſunt ejus agri cultores, qui poſteà dictus eſt Falernus. Unde *Aminea vina* olim dicta ſunt Falerna à regione mutuum nomen ſortita; non, ut *Servius* ſomniat, ab eo quod *ſine minio* eſſent, h. e. alba, & ruboris expertia. Macrob. *Saturn. l.* 3. *c. ult.* *Uvarum iſta ſunt genera*; *Aminea, ſcil. à regione. Nam Aminei fuerunt, ubi nunc Falernum eſt.* Virgil. tamen videtur Amineam vitem extra Falernum agrum collocare, *Georg. l.* 2. *v.* 95. his verbis:

Purpureæ, Preciæque, & quo Te carmine dicam
Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt & Amineæ vites, firmiſſima vina.

Non omittendum hic, aliquos in Virgilio legiſſe *Taminea vites*; Vide Scal. *in Feſt.* Quidam intelligunt genus uvarum, quæ auſteræ ſunt. Nam Galenus *l.* 6. κατὰ τόπους dixit, τοῦ δ᾽ ἐστιν αὐστηρῶς Ἀμιναίου. Quem ſequitur *Aëtius* & Ἀμιναίας explicat τὰς στύφουσας, h. e. *aſtringentes*. Huc etiam accedit, quòd Dioſcorides Amineas exigit in conficiendo Omphacio. *Alciatus* vinum hujus generis interpretatur *ἄμεινον*, quia *optimum*. Notandum quoque duplicem fuiſſe Amineam, minuſculam & majorem, quod docent Cato *de R. R.* c. 6. & Varro *l.* 1. *R. R. c.* 25. iiſdem verbis. Genus quoddam Amineæ Varro vocat *Scantianum*, quod & Plin. commemorat, *l.* 14. *c.* 4. Porro fertilitatem Amineæ celebrat ex Varrone Auctor Geoponicon, *l.* 5. *Heſychius*: Ἀμιναῖοι, οἶνος, τὸν οἶνον λέγει. ἀπὸ γὰρ Πευκετίας, Ἀμιναίαν λέγεσθαι. *Nic. Lloydius.* Vide & *Amineæ Uvæ.*

AMINELIA, vulgò *Aminel*, oppid. Africæ, in ora & provinc. Barbariæ.

AMINIAS, Pronapi fil. Archon Athenis, Olympiad. aleator, ſycophanta & arrogans, de quo Scholiaſt. *in Ariſtophanis Nebulas*. Item *Veſpas*, *p.* 436. *c.* 1.

AMINIAS, Archipirata, ab Antigono ſubornatus ad decipiendum & evertendum Apollodorum, Caſſandreæ tyrannum, de quo Polyænus *l.* 4. *in Antigono cap.* 18.

AMINIUS *Rebius*, ex primoribus peritiâ legum & pecuniæ magnitudine, Q. Voluſio & P. Scipione Conſulib. cruciatus ægræ ſenectæ miſſo per venas ſanguine effugit: haud creditus ſufficere ad conſtantiam ſumendæ mortis, ob libidines muliebriter infamis. Lipſius egit *Caninium Rebilum*. Muretus verò *Caninius Rebilus*, vulgatam tuetur Flor. Cod. apud Tacit. *l.* 3. *Annal. c.* 30.

AMINIUS, Arcadiæ fluv. Pauſan. *l.* 8.

AMINNIÆ Uvæ, apud Vopiſc. *in Floriano c.* 4. *Vites, quæ uvas Aminnias albas ferebant, eò anno, quò iſte Imperium meruit, purpuraſcere plurimâ purpurâ cœpit*: Ita enim vetus ſcriptura, cùm vulgò *Amineas* legatur. Sed & Græci Ἀμιναῖον οἶνον dicunt. Servius quoque, *ad illud Poetæ l.* 2. *Georg. v.* 97.

Sunt & Aminnæ vites

duplicem eam literam agnoſcit. Et certè *Aminnium* potius, quam *Amineum* Veteres ſcripſiſſe, teſtes Grammatici ſunt, qui vinum illud *Amineum*, quaſi *ſine minio* dictum cenſent, h. e. ſine rubore. Quod quidem verum eſt, de Aminnia alba, ſed in nigra qui verum eſſe poteſt? Sunt enim Aminneæ uvæ, albæ & nigræ, quo modo Grammaticorum acumen eluditur, Et rectè Vopiſc. *loc. cit. vites quæ uvas Aminneas albas ferebant*. Nam ſi Aminneæ nullæ niſi albæ, nil opus erat *albas* addere, Salmaſ. *Not. ad Vopiſcum*. Vide quoque in *Aminea*.

AMINON, Archon Athenis, apud Athenæum, Περικλῆς δὲ ἀποθνήσκει κατὰ τὸ τρίτον ἔτος τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου, ἐπ᾽ Ἀμείνονος ἄρχοντος, *Pericles autem moritur, anno tertio belli Peloponneſiaci*, Aminone *Archonte*. Erat is annus ultimus Olymp. 87. quo Archelaus apud Macedones Regnum accepit. Ejuſdem meminit Scholiaſtes Euripidis, in *argumento* Hyppolyti, Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ Ἐπαμείνονος ἄρχοντος Ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ ἑβδόμῃ ἔτει ἐπ᾽ Ἀμείνονος Ἄρχοντος. *Scena dramatis Thebis eſt, Olympiade octuageſima ſeptima, Aminone Archonte*; & apud Laertium *l.* 3. *c.* 3. Πλάτων ἐπὶ Ἀμεινίου γέγονε, *Plato Aminone Archonte natus eſt*. Nempe Ἀμείνων nomen proprium Græcis, ut *Melior* Latinis; alias comparativus hic eſt nominis ἀγαθός. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 156.

AMINONE, fluv. Galliæ. *Vibius Sequeſter.*

AMINULA, urbs parvarum opum in Apulia. *Feſtus.*

AMIOTUS *Jacobus* Melodunenſis, Henrici II. Galliæ Regis filiorum præceptor, inde Abbas, & ad Concil. Tridentinum miſſus. Porrò Epiſcopus Antiſſiodorenſis, Plutarchum vertit & Diodorum Sic. A. C. 1551. *Biblioth. Gall. p.* 229. 230. Vide Anton. Teiſſier *Eloges des Hommes ſçavans*, volum. 1.

AMIR, vox Arabica, *Dominum* notat, Ἀμὴρ *Annæ Comnenæ*, hodieque pro Duce & Principe, inter Arabes, uſurpatur. Inde *Amiræ* & *Amiraldi*, apud Saracenos ac Turcas, Satrapæ, nempe urbium vel *provinciarum præfecti*, atque adeo ſupremi Sultani, qui Caliphæ ſuberant. *Martyrium* S. Bacchi junior. *p.* 206. ὁ στρατηγὸς ὁ παρ᾽ αὐτοῖς τῷ καὶ Ἀμηρᾶς ὀνομαζόμενος, *Exercitus Dux apud ipſos, qui & Amiras appellatur*. Anaſtaſius Bibliothec. *ad* VIII. *Synod. act.* 1. Hamiram *Græci vocant Principem Saracenorum: interpretatur autem, ut ferunt, lingua eorum Præpoſitus*. Ubi *Hamiram* vocat, qui alias *Amiras*. Variè enim hæc vocabula apud Scriptores efferuntur: *Admiraldus, Admiraldus, Admiralius, Admiratus, Admiraviſus* ſeu *Amiraviſus* (quô nomine Bagdatenſis inprimis Sultanus dictus eſt, apud Robertum Mon. *Hiſtor. Hieroſolym. l.* 5.) *Amiratus* (quem tamen ab Amira diſtinguit Sigebertus in *Chron. In Regno Saracenorum quatuor Prætores ſtatuit, qui Amirati vocabantur*; *ipſe verò* Amiras *dicebatur vel Protoſymbolus*) *Amiraldus, Amiratus, Ammiratus, Ammiralda, Amiratus, Hamiras, Miral*, &c. quæ omnia ſynonyma ſunt, & Satrapam Præfectumque denotant, quorum præfecturas ſeu diſtrictus Ἀμηρείας vocat Conſtantinus Porphyrog. *de Adminiſtr. Imper. c.* 25. A Saracenis; voces hæ *Admiraldus, Amiraldus, Amiralius, Amiralius*, &c. tranſiêre ad Chriſtianos, qui cùm viderent, Saracenos ita ſuos claſſium Præfectos appellare, ad nomines poſtmodum ſuis eodem claſſium Præfectis indiderunt, unde Gallorum *Admiral*, Ital. *Ammiraglio*. Hiſpan. *Almirante*. Nam fruſtra ſunt, qui aliunde vocis apud nos originem arceſſunt: inter quos Ed. Cokus *ad Littleton. ſect.* 439. qui à Saxon. *aen Mereal*, *i.e. Præfectus maris*, ſeu *claſſis*, etymon derivat. Specioſius eſt, quòd Macer Arabico-Græcam vocem efficiat, quaſi Ἀμὴρ ἅλιος, in *Hierolex.* Primi autem inter Chriſtianos, ſummos ſuarum claſſium Præfectos ſic appellâſſe videntur Siculi, uti habet Romualdus in *Chron. MS. A. C.* 1149. *Georgium — — ab Antiochia adductum, magnum conſtituit Ammiratum*. Exinde Genuenſes, ut colligitur ex Matthæo Paris A. C. 1244. *Eis* (galeis) *præfuerunt Poteſtas Januæ, quem Admiratum vocant & Majores civitatis*, &c. Horum dignitas *Ammiratus*, dicta eſt, quâ donati leguntur apud Siculos, ſub Rogerio Rege Georgius præfatus, qui *Magnus Ammiratus* dicitur Romualdo, A. C. 1152. & Majo, ſub Wilhelmo Rege, plures namque tum in eo Regno Ammiratos fuiſſe, patet ex *Charta* laudata Carolo du Freſne *in Gloſſar*. Vide quoque ſupra in voce *Admiralius*, ut & in *Thalaſſiarchus*: nec non infrà *Miramolinus*.

AMIRMUMNES, appellati Bagdatenſes ſunt, atque adeò ſupremi Sultani, qui ſub Chalipha univerſæ rerum adminiſtrationi præerant: *Cedreno, Zonaræ* & *Conſtantino Porphyrog.* Ἀμερμουμνῆς; *Annæ Comnenæ* Ἀμηρμουμνῆς; Latinis Scriptoribus *Almiramumus* & *Amir Almumenin, Amirmumus, Amiralmumenus, Amiramomenus, Hemirmomelin, Miramomelin, Mirmumnus*, &c. quas voces Credentium Principem ſeu Fidelium Dominum ſignificare, apud Arabes, pluribus docuit Car. du Freſne *ad Alexiadem p.* 371. 372. *Molanus* corruptè habet *Hiſtoria Hieroſolym p.* 1152. apud Eund. in *Gloſſar*.

AMISENA, regio Cappadociæ Strabo, *l.* 12.

AMISIAS, Poëta Comicus, ob frigus, Ariſtophani ridetur. Aliquot ejus contra Socratem verſus vide apud Diogen. Laërt. *in Socrate*, *Suidas*. Videtur legendum *Ameipſias*. Vide Voſſ. *de Poetis Græc. p.* 35. 37. 38. 40. ubi in indice *Ampeinas* dicitur. *Nic. Lloydius.*

AMISIUS, fluv. Germaniæ, vulgò *Ems*, vide *Amaſia*.

AMISODARUS, Lycius *Iſarus*, paraſſe Chimæram ſocurus Plut. *de virtutib. fœm. c.* 14. Vide *Bellerophon, Chimæra*.

AMISOS, Chalybum urbs, in Galatia *Ptolemæo*, à Sinope diſtans 900. ſtadiis, ſecundum *Strabonem*, h. e. centum & duodecim mill. paſſ. cui Eupatoriam à Mithridate adjunctam eſſe, Appianus auctor eſt *de Bellis Mithridat.* Nempe *Amiſum* amplificavit & partem eam, quam addidit, à ſe nominavit. Strabo *l.* 12. Ὃ δ᾽ εἰς Εὐπατορίαν ὠνόμασεν ἱερὸν καὶ αὐτονόμον ἦν. Quod utcumque oppidum, victo à Pompejo Mithridate, in nomen Pompejopolis amplificatum vide

Plin

Plin. *l.* 6. *c.* 2. ſed fruſtra. *Amiſus* enim uſque ad extrema Imperii tempora nomen ſuum ſervavit, ut ex *Ammiano* diſcimus; hodieque *Amid* dicitur. Sed & *Ptol.* Ἀμισὸς & Θεμίσκυρα in eadem provincia recenſet ac diverſas facit, & ſatis magnò intervallò à ſe invicem diſtitas. Adde quod *Amiſus* ad mare, Pompejopolis intus fuerit ſita. Athenienſium coloniam fuiſſe Ammianus ait, in *Periplo Ponti*, unde *Piræus* olim dictaeſt. A Meleſius conditam eſſe, Solin. memorat *c.* 46. *ad quem* vide Salmaſ. 849. ut & in voce *Amin.*

AMISSAS, Megapolitanus, in exercitu Macedonico, à Philippo Aridæo ad Equites extra Babylonem tendentes & frumentum in urbem convehendum interceptantes miſſus, de finiendâ cum Peditibus diſcordia armisque ponendis Curt. *l.* 10. *c.* 8.

AMISUS, ſeu AMISUM Plinio *l.* 6. *c.* 2. *Simiſo* incolis, & *Amid*, ſive *Hemid* Turcis, teſte *Leunclavio*, urbs Archiepiſcopal. Paphlagoniæ maritima, à Sinope 175. mill. paſſ. in ortum Trapezuntem verſus, in regione Chalybum primaria, à Byzantio 500. mill. paſſ. in ortum, media inter Sinopen & Themiſcyram ad ortum vergentem longitud. 65 50. latitud. 44. 15.

AMITAL, vel HAMITAL, Latin. *calor roris*, aut indignatio roris; vel ex Hebræo & Syro, *caloris ſui umbra*, mater Joachas filii *Joſiæ* 2. Reg. *c.* 23. *v.* 31. Mater item Sedeciæ fratris Joachaz 2. Reg. *c.* 24. *v.* 18.

AMITATANUS, lacus Americæ, in Nova Hiſpania prope civitatem S. Jacobi de Guatimala, à qua 4. leucis tantum in ortum diſtat.

AMITERNUM, Italiæ oppid. Salluſtii natalibus clarum, Plin. *l.* 3. *c.* 9. *Euſeb. Paulo Diacono Amiternus*, Dionyſ. Halicarnaſſeni, *l.* 2. feminin. gener. Ἀμίτερνα. Inde oppidani *Amiternini*, Virg. *l.* 7. *Æn.* v. 710. autem, & *Sil. Italicus*, metri causâ dixêre *Amiternam cohortem*, ut & Martial. *Amiternum agrum*, *l.* 13. *epigr.* 20. Strabo *l.* 5. Πολλὰς δ᾽ ἔχουσιν οἱ Σαβῖνοι ὀλίγας, ἢ τεταπεινωμένας διὰ τοὺς συνεχεῖς πολέμους, Ἀμίτερνον ἢ Ῥεάτε. Non procul ab *Aternum* fuiſſe hoc oppid. ex Varrone *de L. L. l.* 4. diſcimus. *Amnis*, inquit, *id flumen eſt, quod circuit aliquid, nam ab ambitu amnis. Ab hoc, qui circa Aternum habitant flumen, Amiternini appellati.* Rudera ejus non procul Aquilejâ hodieque viſuntur, *Nic. Lloydius.* Vide Davity, Cluver. *Ital. Ant. p.* 37. longitud. 37. 10. latitud. 42. 24.

AMITHAON, vel AMYTHAON, pater Melampodis Medici, & Sabinorum Vatis. Stat. *Theb. l.* 3. *v.* 451.

> ––– ––– *Solers tibi cura futuri,*
> *Amphiarae, datur, juxtaque Amithaone cretus*
> *Jam ſenior, ſed mente virens, Phœboque Melampus*
> *Aſſociat paſſus.* ––– ––– –––

Hinc *Amithaonius*. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 549.

> *Quaſiitaque nocent artes: ceſſêre magiſtri,*
> *Phillyrides Chiron, Amithaoniuſque Melampus:*

Item, Vir quidam Lemnius, à muliere occiſus.

AMITINENSES, Latii populi. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

AMITROCHARES, Rex Indorum, per epiſtolam ab Antiocho mitti ſibi iſchadas flagitavit. Cæl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 9. Lege *Amitrochates*, & vide Athenæum, *l.* 14.

AMIXOCORI, populi Americæ, in Braſilia Mediterranea verſus præfecturam fluv. Januarii.

AMMA, Latin. *obſcurata*, ſive *cooperta*, aut *populus ejus*, ſive *cum eo*, civitas in tribu Aſer. Joſ. *c.* 19. *v.* 30.

AMMA, vulgò *Emmen*, fluv. Helvetiorum, qui cadit in Arolam fluv. infrà Salodurum. Oritur prope Thunum lacum.

AMMÆA, Meſopotamiæ urbs præclara, vide *Amida*. Item Arabiæ deſertæ urbs. *Ptol.* in intimo receſſu ſinus Perſici.

AMMÆDARA, *Ptol.* urbs Africæ olim Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi, adhuc perſeverans, & nomen antiquum retinens inter Tebeſtam 25. & Lares 48. mill. paſſ. ſita. *Admetera Antonino.* longitud. 32. 10. latitud. 30. 30.

AMMAITHA, Syriæ urbs. *Lib. Notit.*

AMMAN, apud Germanos Belgaſque Prætor eſt, Præfectus, Prætor cauſarum civilium. In *Charta* Balduini Comitis Flandriæ. A. C. 1119. in Tabulario S. Bertini ſubſcribunt, *Rodolphus*, Amman de *S. Folquini Kerca*, *Aliſgerus*, Amman de *S. Georgio*, *Bermildus* Amman de *Broburg*, &c. Apud Metenſes *Aman* dicuntur regionarii Notarii, qui Acta publica conficiunt & conſervant, nomenque deſumunt a Parochiis, in quibus habitant. Imo in media Francia, vocem hodieque ſupereſſe docet Car. du Freſne ex *Conſuetudinibus* Peruſiæ in Arvernis A. C. 1175. à Thomaſſerio *l.* 1. *c.* 66. *editis*. Hinc *Landamman*, in Helvetia nomen ſupremi Magiſtratus, in Cantonibus illis, qui vicatim habitantur. Vide Joſ. Simlerum aliosque, qui de *rebus Helvet.* ſcripſêre; & infrà, *Ammanus*.

AMMANA, vide *Philadelphia*.

AMMANITÆ, genus Nabatæorum Arabum *Joſepho*, vulgò *Ammonitæ*.

AMMANIUM, vicus Tungrorum, inter Leodicum & Hojum poſitus, ſed huic propior, vulgò *Haeur*: ad Muſam Hic Oda, uxor Arnoaldi ſeu Boggiſi, ex eo Mater B. Arnulfi, primùm Regis Domeſtici, deinde Metenſis Epiſcopi, maritô ſuô orbata, templum extruxiſſe Georgio Mart. ibique ſepulta eſſe dicitur. Celebrantur ejus Natales a Leodicenſibus 10. Kal. Novemb. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AMMANUS, nomen dignitatis apud Helvetios primariæ ſignificat cum qui in pagis vicatim habitantibus, Uria, Suitia, Undervaldia, Tugio, Glarona & Abbatiſcella, publico Genti Conſilio præſidet; German. *Amman*, quaſi *Ampt-mann*, à voce Ampt, i. e. *munus*, *officium*, & Mann, i. e. *Vir*. Ut idem ſit, quod *officii ſeu muneris alicujus officio alicui publico præfectus*. Dicitur etiam *Landammanus* German. *Landammann*. Vide Simlerum. *Deſcript. Helvet.* & ſuprà *Amman*.

AMMAS, *Heſychio*, Ἀμμάς, ἡ τροφὸς Ἀρτέμιδος, καὶ ἡ μήτηρ, καὶ ἡ Ῥέα, καὶ ἡ Δημήτηρ. Dicitur quoque Ἀμμα & Ἄμμας etiam, Hebraicum eſt origine. Vide Seldenum *de Diis Syris*, *p.* 166. *Nic. Lloydius.*

AMMAUM, nomen civitatis 1. Macchab. *c.* 9. *v.* 50.

AMMENEMES, vel AMMENEMNES, vide *Amenemes*.

AMMER, ſeu AMMERREE, lacus ſeu palus in Bavaria provinc. fluv. Amber cum præterfluit, Monachiô 5. leucis, Auguſtâ 6. & Landsbergâ 2. diſtans.

AMMIANUS, Poëta quidam celebris, cujus meminit Cæl. Rhodig. *l.* 17. *c.* 11. refertque ex eo diſtichon quoddam, cujus hic ſenſus eſt, *Facilius multa eſſe, corvos repertos albos, volanteſque teſtudines, quam Rhetorem ex Cappadocia vita probatum.* Græcum velis? En tibi:

> Θᾶττον λευκοὺς κόρακας, πτηνάς τε χελώνας
> Εὑρεῖν, ἢ δόκιμον ῥήτορα Καππαδόκην.

Nic. Lloydius.

AMMIANUS Alexandrinus, bajulus primò, inde Græcis Σάκκας cognominatus, quaſi *Saccigerulus*, poſtea ſub Clemente Alexandrino literis dedit operam, tantô ſucceſſu, ut ejus poſtmodum in Cathedra ſucceſſor & Origenis Magiſter evaſerit; Theodoretus *de Provid. l.* 6. Mater. *Hierolex.* Melius *Ammonius*, quod vide.

AMMIANUS Marcellinus, Hiſtoricus Latinó-Græcus natione Antiochiâ oriundus, floruit ſub Gratiano, & Valentiniano, ſcripſit libros 31. ex quibus 13. priores deperierunt. Cujus fuerit nationis, & quâ profeſſione, unde item hiſtoriam cœperit, & quouſque ſit progreſſus, verba iſta *in epilogo hiſtoriæ* oſtendunt. *Hæc, ut miles quondam, & Græcus à principatu Cæſaris Nervæ exorſus adusque Valentis interitum, pro virium explicavi menſura.* Scriptor eſt veritatis ſtudioſiſſimus, & prudens, gravis planè ac ſerius, & dignus qui ab omnibus ametur. Dictio horridior eſt, ſed tantæ ſunt virtutes ejus, ut hoc in rationem venire non debeat. Antiquitatum inprimis Celticarum habet plurimum, & optimè explicat Francorum, Alemannorum Burgundorumque origines. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 18. *Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 9. La Mothe le Vayer, *Jud. de Hiſtoricis*, *Nic. Lloydius*.

AMMIEL, Latin. *populus Dei*, vel *mecum Deus*, pater Bathſuæ matris Solomonis 1. Paral. *c.* 3. *v.* 5. quæ & Bathſheba dicta eſt. Filius item Gemalli. Num. *c.* 13. *v.* 12. Pater Machir de Lodebar. 2. Sam. *c.* 9. *v.* 4.

AMMIENSES, populi Hiſpaniæ Plin. *l.* 4. *c.* 2. ab *Ammia* civitate, cujus meminit *Idem*.

AMMIRATUS Scipio, vide *Scipio*.

AMMISDAI, Latin. *populus omnipotentis*, ſive *mecum omnipotens*, aut *mecum devaſtator*, pater Achiezer; princeps tribûs Dan. Numer. *c.* 1. *v.* 12.

AMMITES, fluv. Græciæ. Athenæus, *l.* 8.

AMMIUD, Latin. *populus laudis*, vel *confeſſionis*, aut *mecum laus*, ſive *confeſſio*, pater Eliſama principis tribûs Ephraim. Numer. *c.* 1. *v.* 10. Pater item Samuël principis tribûs Simeon. Numer. *c.* 34. *v.* 21. Pater Hutai 1. *Paral. c.* 9. *v.* 4.

AMMOCHOSTUS, urbs Cypri Epiſcopalis in ora ad orientem, poſt Leucoſiam primaria, vulgò *Famagoſta*. Aliàs *Arſinoë* dicta. Vide *Arſinoe*.

AMMODYTES ſive Ceraſtes, ſerpentis genus, quod in iis quibus concolor eſt, arenis latens, ungulas equi mordet, Gen. *c.* 49. *v.* 17. & calcaneo hominis inſidiatur, Gen. *c.* 3. *v.* 15. ſobiſque exertis corniculis, quæ frumenti granis ſimilia ſunt, aviculas, quaſi ad eſcam advolantes, intercipit Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 4. Ab arenis *Ammodytes*, à corniculis *Ceraſtes* quæ cum hæmorrhoo ſerpente communia habet; namque & hic cornutus eſt: ſed & inſuper ſicut ille, dorſi ſpinas non habet oſſeas, verùm cartilagineas ſolùm, & in utramque partem ita flexiles, ut in inceſſu nulla poſſit eſſe firmitas. Unde Lucan. *l.* 9. *v.* 716.

> — *Spinaque vagi torquente ceraſtæ*, &c.

Vide infrà ubi de *Ceraſtis*, nec non voce *Hammodytes*.

AMMON, aliis *Hammon*, Jupiter ſub ſpecie arietis cultus in Libya; ſic dictus, quòd ſitienti Libero patri in Arabiæ deſertis, Jovemque imploranti apparuerit in forma arietis, terramque concutiens pedibus fontem oſtenderit. Quamobrem templum illic ædificavit, Jovique *Ammoni*, h. e. *arenario* conſecravit. Græci Ἄμμωνα *arenarium* vocant. Quod ignorare *Dionyſium* cenſet Euſtathius, dum ait:

> Καὶ τέμεν᾽ Αἰβυαίοιο θεοῦ ψαμαθῶδες Ἄμμωνος.

Sed cùm vocabulum illud origine Græcum non ſit, ſed Ἀμοῦν τοὺς Αἰγυπτίους ὄνομα τοῦ Διός, teſte Plutarchô *l. de Iſide & Oſiride*, probabilius eſt, quod ſtatuit Nic. Fullerus *l.* 2. Solem (quem eundem cum Jove fuiſſe probat Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 17. 18.) hôc nomine cultum; Is verò Ebræis חמה *Hammah* dicitur à חמם *calere*, unde *corniger Ammon* fingebatur ad radios deſignandos à ſole emicantes; ſicut eadem vox Hebraica & *radios*, & *cornua* ſignificat. Unde ridiculè apud Vulgatum Interpretem, ubi de vultu Moſis ſplendente agitur, *Et facies ejus erat cornuta.* Atque hinc Moſi cornua pictores vulgò attribuunt. Macrobio hæc vox ſignificat Solem cadentem, *Saturn. l.* 1. *c.* 21. Alii verò *Ham* filium Noë, cujus poſteri Libyæ coluerunt, *Hammonis* ſeu Ammonis nomine pro Deo hic cultum cenſent, quod Voſſio placet *l.* 1. *de Theol. Gentil.* *c.* 34. nec *Fullero* diſplicet, cùm ab hoc *Ham* vel *Cham* Ægyptus *terra Cham* dicatur, Pſal. 105. *v.* 23. & Χημίαν *in ſacris Iſidis* vocatam Plutarchus teſtetur. Lucan. *l.* 9. *v.* 517.

> *Quamvis Æthiopum populis, Arabumque beatis*
> *Gentibus, atque Indis unus ſit Jupiter Ammon*

Vide Curt. *l.* 4. *c.* 7. Diodor. Sic. *l.* 17. & Arrian. *l.* 3. *c.* 2. Plin. *l.* 5. *c.* 5. 6. 19 & 37. &c. Strab. *l.* 1. & 17. Pauſan. *l.* 3. Ovid. *l.* 5. *Met.* Peucerum *in comm. de Divinat. gener.* Hujus meminêre Suid.

& Ariſtophanem in *Avibus*. Strabonis ætate negligi jam cœpit Ammoni. Oraculum, ut indicat ipſe *l.* 17. [illegible] Magis etiam neglectum tempore Plutarchi, uti ſatis liquet ex iis quæ ſcripſit *de Oraculorum defectu*. Nempe quanto magis perrumperet lux Evangelii, tantò minus pretium erat tenebricoſis dæmoniorum oraculis. Itaque temporibus Theodoſii ſenioris deſpicatui planè erat. Unde *Prudentius*:

Nec reſponſa refert Libycis in gentibus Ammon.

Qua de re vide plura, apud Anton. van Dalen *Diſſertat. I. de Oraculis p.* 89. & *ſeqq.* nec non *diſſertat. II. p.* 187. ubi de *effigie* ejus, & *p.* 508. ubi de *modo, quo illud reſponſa dediſſe* dicitur. Diximus antè, quoſdam ab Ægyptiis Jovem Ammonem vocatum putaſſe. Ita ferè Herodot. *in Euterpe*: Ἄμμουν γὰρ Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία. Et Plut. *in Iſide* [illegible] Αἰγυπτίων [illegible] Ἄμμουν [illegible] Denique *Heſych*. Ἄμμους ὁ Ζεύς. Ἀ[illegible]. Nec in Ægypto ſolum, ſed & in Arabia & Africa univerſa notum fuiſſe nomen Ammonis, docent Arabiæ fluvius *Ammon*. Plin. *l.* 6. *c.* 28. & *Ammonium* promontorium. Ptol. *l.* 6 *c.* 7. & *Ammonii* populi, Plin. *ubi ſuprà*. In Africa propriè dicta *Ammonis* urbs ad Cinyphum fluv. Ptol. *l.* 4. *c.* 3. In inſula Meroë delubrum *Ammonis*. Plin *l.* 6 *c.* 29. In Marmarica urbs *Ammonia*. Strabo *l.* 17. quæ vulgò Parætonium, Denique regio *Ammoniaca*, ubi Ammonis oraculum totò orbe celeberrimum. Quidquod univerſa Africa dicebatur *Ammonis* vel *Ammonia* ab *Ammonis* Dei nomine. *Steph.* Ἀμμωνία ἡ μεσόγαιος Λιβύης, [illegible] Ἄμμωνος. Vide *Hammon*.

AMMON, *vel Ammonis Templum*, & *Oraculum*, Plin. Diod. *loc. cit.* & Solin. *c.* 30. Urbs Libyæ interioris in Cyrenaicæ regione confinio, apud Garamantes, à Cyrene 400. mill. paſſ. in Auſtrum recedens. *Cauzmon de Mahoma* nunc. Ejus meminit Claudian. *de Bell. Stilicon. l.* 1.

Et velox Garamas: nec quærens triſtibus Ammon
Reſponſis.

Nunc in ruinis jacet.

AMMON, pugil, de quo Ovid. *Met. l.* 5. *Fab.* 1

Hinc geminos fratres, Broteaſque, & caſtibus Ammon
Invict. —— —— ——

Item Tritonis filius, Rex Libyæ, pater Dionyſii, qui & Bacchus dicitur Diodor. *Biblioth. Hiſt. l.* 3. *c.* 68. *& ſeqq.*

AMMON, Latin. *populus ejus*, XVII. Judæorum Rex regnavit ann. 3. Item filius Lot, ex filia ſua minore. Gen. *c.* 19. *v.* 35. à quo *Ammonitæ* populi. *Heſych.* Ἀμμὰν υἱὸς [illegible]. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 1. *c.* 11 Torniel. *A. C.* 2138. *n.* 1

AMMON, & AMMONARIA apud Alexandriam ſub Decio Imperatore martyriò coronati ſunt, quorum hic ex militibus fuit, illa ex nobilibus matronis. Euſeb. *Hiſt. Eccl. l* 6. *c.* 29.

AMMON, Ægyptius, monaſticam vitæ genus excoluit; & cùm ſuorum impulſione uxorem duxiſſet, cum illa nunquam rem habuit, ſed perpetuam cum illa virginitatem ſervavit. Sozom. *l.* 1. *c.* 14.

AMMON, anachoreta, auriculam ſibi abſcidit, ne Epiſcopus fieret, ſed fruſtra, Baron. *A. C.* 385. Vide *Ammonius*.

AMMONIA, mediterranea pars Libyæ imo tota Lybia olim ſic dicta *Steph.*

AMMONIA, Juno ſic dicta, i. e. *arenaria*, culta in Græcia ab Eleis. *Pauſan.* Quo nomine Luna non ineptè intelligitur; ut enim Jupiter Ammon Sol erat, ſic Luna Juno *Ammonia* dicta videtur, quam in forma ovis cultam fuiſſe legimus. Vide Cœl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 38. Utriuſque nomine deſumtò ab Hebræâ voce חמה *Hammah*, i. e. *calore*. Unde idola, quæ in faſtigiis domorum extabant, perpetuo Soli expoſita, *Hammanim* dicta legimus, Levitic. *c.* 26. *v.* 30. Eſaj. *c.* 17. *v.* 8. *&* *c.* 27. *v.* 9. Adde quòd, ſicut Jupiter Ammon cornutus pingebatur, Lucan. *l.* 9. *v.* 512.

—— —— *Stat corniger illic*
Jupiter:

Similiter Lunæ cornua affingebantur. Horat. *Carm. ſecul.*

Siderum regina bicornis audi
Luna puellas.

Dicitur autem *cornigera* Luna, ob radiorum ſuorum reflexionem, cornua imitantem; & quia, quemadmodum robur cornutorum animalium in cornibus eſt, ita Luna, ut & Sol, influentiarum ſuarum vim ac robur in his inferioribus, per radios ſuos, exerunt, &c. Vide Thom. Godwyn *in Tractatu Angl. Moſes and Aaron*, *l.* 4. *c.* 6

AMMONII, populi, quos ex Ægypto originem duxiſſe author eſt *Herodot.* ubi ſcribit, Ægyptiorum & Æthiopum fuiſſe colonos, & ſermonem uſurpâſſe partim ex Ægyptio partim Æthiopico conflatum. Verba ejus hæc ſunt: Ἀμμώνιοι ἐόντες Αἰγυπτίων τε καὶ Αἰθιόπων ἄποικοι, καὶ φωνὴν μεταξὺ ἀμφοτέρων νομίζοντες.

AMMONITÆ, Palæſtina gens. Gen. *c.* 19. *v.* 33. Ab Ammone oriundi, cum Moabitis, Cœleſyriam incoluêre, Joſeph. *Jud. Hiſt. l.* 1. *c.* 11. Victi a Iephta, Judic. *c.* 11. *v.* 19. Saule, 1. Sam. *c.* 11. *v.* 1 *ſ.* Joſeph. *Hiſt. Jud. l.* 6. *c* 5. 6. Davide, 2. Sam. *c.* 10. *v.* 1. *ſ.* 1. *Paral. c.* 19. *v.* 1. *ſ.* Juda Maccabæo Joſeph *l.* 3. *Bell Jud. c.* 2. *Ammanitas* vocat *Joſeph.*

AMMONIUM, promontorium Arabiæ Felicis. *Ptol.*

AMMONIUS, Philoſophus, ſectæ Potamonicæ, vixit ſub Nerone & Veſpaſiano, Præceptor Plutarchi, ut ipſe ſæpius, inprimis in *Themiſtocle* prædicat.

AMMONIUS, Alexandrinus, ſummus Philoſophus, ſub Severo, præceptor Origenis, & Plotini Philoſophi, ut ait Porphyrius *l* 3. *contra Chriſtianos*. A puero Chriſtianus fuit, poſtquam autem ad maturam ætatem pervenit, ſe ad Philoſophiam convertit, deſertâ fide. Euſeb. autem *l.* 6 eum fidem Chriſtianam, cum Philoſophicis ſtudiis, integram, illibatamque ſervâſſe uſque ad extremum ſcribit, ut & Hieron. *in Catal.* Plutarchum quoque auditorem habuiſſe, ferunt *Eunapius*. Ejus exſtant *IV Evangel. Harmonia*: ubi nota, *Ammonii* Harmoniam, quæ extat in Bibliotheca Bigniana, opuſcule Tatiani, adeoque inſcriptionem ita mutatam: *Sanctorum Evangel. Diateſſaron, i. e. Unum ex quatuor, Tatiano Syri, Hereſiarcha, Encratitarum Principe, Authore*, Poſſevinus *in Apparat. Tom. primi.* Cognomentum *Sacci* habuit, quod ex bajulo evaſiſſet Philoſophus, ac tantus quidem, ut parem vix ac ne vix quidem habuerit, inter Ariſtotelicos, *Heerrboord.*

AMMONIUS, Hermiæ fil. Procli Diſcipulus, ejuſque frater Heliodorus dicuntur magiſtri Damaſcii, apud Suidam in Ἑρμείας. Idem [illegible], teſte Photiò *Theon.* 242. h. e. *Ammonius autem in Poëtarum enarratione, & Græcarum vocum correctione occupatum dixerit.* Quare eum aliquando ſcriptorem credidi libelli *De vocum Græcarum differentiâ*. Sunt qui hunc Ammonium Autorem vitæ Ariſtotelis eſſe malint. Vixit ſeculò 6. & in Ariſtotelem commentatus eſt. Vide Voſſ. *de Sectis Philoſ. c.* 17. §. 18. &. *c.* 21. §. 6. *Nic. Lloydius.*

AMMONIUS, & Euſebius Scholaſticus, Arcadio & Theodoſio juniore Imperantibus vixêre; quorum uterque carmine deſcripſit bellum contra Gainam, Gothorum Regem. De his duobus ſic Nicephorus *l.* 13. *c.* 6. *Si quis accuratius, plenìuſque, res ab bellò geſtas cognoſcere velit, eum Gainarum librum legere jubemus, quem Euſebius Scholaſticus compoſuit, Troili ſophiſtæ ſectator. Qui cùm rebus gerendis ſpectator ipſe bello interfuiſſet; in quatuor libellis heroico verſu id luculenter expoſuit; quod ſcriptum propter rei novitatem in magnâ admiratione fuit. Sed & Ammonius, Poëta alter, quidem bellum carmine compoſuit, præclarus proximò imperio, ſedecimò porroris Theodoſii conſulatu, quem cum Fauſto geſſit (tum enim poema id publicavit) habitus eſt.* Quæ ad verbum exſcripſit ex Socratis *l.* 6. *c.* 6. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *c.* 18. & *Poet. c.* 9. *Idem.*

AMMONIUS Hiſtoricus ἐν τῷ περὶ βωμῶν καὶ θυσιῶν citatur ab Harpocratione in Ἀμαζόνειον, uti & voce [illegible]. Ex quo etiam diſcimus Lampſacenſem fuiſſe, ut *Geſnerus* falsò Alexandrinum vocet. Eidem etiam Harpocrationi in Θόλος citatur ἐν [illegible] κωμῶν. Quæ lectio ſi ſana eſt, egerit de κώμαις, ſive vicis illis, in quos Athenarum urbs erat diſtributa, uti regio ipſa in δήμους ſive populos. Sed veriſimilius eſt, pro κωμῶν etiam hic βωμῶν legi oportere. *Voſſ. Idem.*

AMMONIUS, Monachus, ad Epiſcopatum gerendam vocatus, dextram ſibi amputavit auriculam, ut mutilato corpore Conſecrationem effugere poſſet. Socrates, *l.* 4 *c.* 18.

AMMONIUS, cognomine *Barca*, Dux Carthaginenſium, apud Polyb. *l.* 3.

AMMOTHEA, nympha marina, Nerei & Doridis filia Heſiod. *in Theog.* ita dicta ἀπὸ τοῦ ἄμμου καὶ θέειν, quaſi *per arenam diſcurrens*.

AMNAMETHU, Arabiæ Felicis inſula in mari Indico. *Ptol.*

AMNESTIA, Græc. Ἀμνηστία, item ἀμνησικακία, Lex erat oblivionis, apud Athenienſes, quâ cavebatur, Μὴ μνησικακεῖν, μηδὲ [illegible]. ne quis injuriæ bellô ſæviente illatas meminerit, aut vindicaret; Sed omnes placide viverent, [illegible]. Hâc nihil ad firmandam pacem belliquе inteſtini reſtinguenda incendia ſalutarius invenêre Auctor ejus Thraſybulus fuit, cujus *præclarum hoc quoque*, ut ait Corn. Nepos *in vita ejus*, *c.* 3. *quod reconciliatâ pace, cum plurimum in civitate poſſet, legem tulit: ne quis anteactarum rerum accuſaretur: neve multaretur: eamque illi legem* oblivionis *vocârunt, neque verò hanc tantùm ferendam curavit, ſed etiam ut valeret, effecit. Nam cùm quidam ex iis, qui ſimul cum eo in exilio fuerant, cædem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum erat, publicè prohibuit.* Factum id autem, poſt expulſos triginta Tyrannos & libertatem Patriæ redditam. Fuitque hæc lex ab omni multitudine, & ſingulatim à Judicibus ac Senatu ſolemnibus juramentis, confirmata, quorum formulæ apud Andocidem *Orat. de Myſteriis* hæ: Jurabant omnes, Οὐ μνησικακήσω [illegible]. Senatores, Οὐ δέξομαι [illegible]. Judices, Οὐ μνησικακήσω, [illegible]. Atque ad eam corroborandam mox rogata ab Archino & admiſſa lex hæc. *Si quis in jus vocat adverſus hoc juſjurandum, reus exceptione utitor: eaque de re Archontes primum judicia reddunto: primi, qui exceptione utitor dicito: qui cauſa exciderit, epobelia multator*, apud Iſocr. & infrà *Helias*, *it. Quingenti*. Athenienſium poſtea Exemplum, Cæſare interfectò, Senatus Cicerone ſuadente imitari tentaverat: quod & de Claudio legimus apud Oroſium *l.* 7. *c.* 6. deque Aureliano apud Vopiſcum *c.* 39. & Aur. Victorem *c.* 35 Vide & de Romanis, in X. Virorum Hiſtoria: de Cæſare, idem Æduis ſuadente, apud eum *Commentar. Bell. Gall. l.* 7. *c.* 34 de Cicerone iterum apud Vellejum Paterc. *l.* 2. *c.* 58. adde Tacit *Hiſtor. l.* 4. *c.* 44. Venuſte deſcribit eam Claudian. *in Ruffin. l.* 2. *v.* 125.

Mens eadem cunctis, animique recentia ponunt
Vulnera, non odit victus, victorve ſuperbit.
Et quamvis præſens tumeat & civilia nuper
Claſſica, bellatorque etiam nunc ira caleret:
In ducis examen conſpiravêre favorem.

Æquitatem legis innuit Cicer. *de Orat. l.* 2. *ut enim meritorum, inquiens, memoria ſempiterna, ita injuriarum breviſſima eſſe debet, quò amicitia immortalis ſit, inimicitia mortalis.* Hinc & apud eundem, Themiſtocles, artem memoriæ profitenti, dixit: *Gratius ſibi illum facturum, ſi ſe oblviſci quæ vellet, quam ſi meminiſſe, doceret.* Vide quoque Valer. Max. *l.* 4. *c.* 1.

AMNIAS, vide *Zaliſcus*.

AMNIBUS, præcipua veneratio, olim apud Parthos, teſte Juſtinò *l.* 41. *c.* 3. ubi de gentis hujus moribus verba faciens, *in ſuperſtitio-*

Parentibus, inquit, *atque cura Deorum, præcipua omnibus veneratio eſt.* Ita reſtituit Gronov. cùm priùs legeretur, *omnibus*: quod falſum. Deorum enim reverentiâ, præter alios populos, præcipuè Orientis, excelluiſſe Parthos, nuſquam proditum eſt, neque id his verbis explicaturus videtur fuiſſe Iuſtinus. Certum igitur genus expreſſit Numinum, adverſus quæ ſingularis eſſet eorum religio: ut etiam cæterarum erat ferè gentium. Equidem *Amnium* cultum à Perſis acceperunt tenueruntque. Herodot. *l.* 1. Ἐς ποταμὸν δὲ οὔτε ἐνουρέουσι, οὔτε ἐμπτύουσι, οὐ χεῖρας ἐναπονίζονται, οὐδὲ ἄλλον οὐδένα περιορῶσι, ἀλλὰ σέβονται ποταμοὺς τῶν πάντων μάλιστα, *In fluvium neque urinam reddunt, neque ſputum conjiciunt, neque manus in illo abluunt, neque aliud iſtiuſmodi faciunt quidquam, ſed venerantur fluvios omnium maximè.* Tacit. *Annal. l.* 6 *c.* 37. de Vitellio & Teridate, *Sacrificantibus; cùm hic more Romano Suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornâſſet.* Plin. de alio Teridate *l.* 30. *c.* 2. *Navigare noluerat, quoniam exſpuere in maria aliiſque mortalium neceſſitatibus violare naturam eam fas non putant.* Arnob. *l.* 6. *Ridetis temporibus priſcis Perſas fluvios coluiſſe.* Neque aliter intelligendus Ammian. *l.* 18 *Reges Ninive Adjabenæ ingenti civitate tranſmiſſâ, in medio pontis Anzabæ, hoſtiis cæſis extiſque proſperantibus tranſire lætiſſimi.* Sic Procopius *Perſic. l.* 2. de Chosroë Daphnes Antiochiæ contemplato, nemuſque & fontes admirato, Καὶ θύσας ταῖς Νύμφαις, inquit, ἀνεχώρησε, *Et ſacrificiis Nymphis factis diſceſſit.* In *Achologia* quoque ſervus, qui dicens introducitur, Πέρσης εἰμὶ καὶ τὰ πατρῷα, *Perſa ſum ex Parentibus*; addit mox, σέβομαι, δέσποτα, καὶ ποταμούς, *veneror, Domine, etiam amnes.* Vide Ioh. Frid. Gronov. *Obſervat. l.* 4. *c.* 10. Inter inſignia Suecica, *Amnes argentei coloris tres*, vel juxta alios, *duo*, Meddelpadiam provinc. notant, Spenerus *Oper. Herald. Part.* 2. *l.* 2. *c.* 95. ubi *de Rege Sueciæ.*

AMNICI Navicularii, ab Aureliano, Romæ inſtituti. Flav. Vopiſc. in *Vita ejus c.* 47. ubi in Epiſt. ad Flavium Arabianum eum inter alia ſcripſiſſe memorat, *Nihil mihi magnificentius, quàm quòd additamento unico omne annonarum urbicarum genus juvi: quod ut eſſet perpetuum, naviculariis Niliacos apud Ægyptum novos & Romæ amnicos poſui. Tiberinas extruxi ripas, vadum alvei tumentis effodi*, &c.

AMNISUS, portus Gnoſſi in ora Cretæ boreali apud Minoam, cum fluv. ejuſdem nominis, de quo *Callimachus, Apollonius*, & *Suidas.* Is nunc *Picoroa Nigro* nuncupatur. Unde Nymphæ *Amniſiades*, & *Amniſides. Steph.*

AMNITÆ & SAMNITÆ, ex aliis codice populi Galliæ Celticæ ad Ligeris oſtia: quorum oppid. *Ancenis* dicitur, teſte *Bertrando Argentræo.* Vide *Ancenſium.*

AMNIUS, Bithyniæ fluv. Appian *de Bell. Mithrid.*

Rabbi AMNON, diſpoſuit & dedit *Thokeph tephila*, i. e. Robur precationis, quam dicere ſolent initio anni & die Expiatorio. Item precationem *Tha Schemah* Germanorum, quam dicunt primò die ante veſperam diei Expiatorii. Vixit tempore Moſis ex *Kotzi*, quem vide.

AMNON, Latin. *fidelis*, aut *verax*, vel *nutritius*, aut *pædagogus* ſive *matris filius*: primogenitus David ex Achinoam uxore. Polluit inceſtu Thamaram ſororem, propterea biennio pòſt, Abſolonis juſſu, inter menſæ ſacra, occiſus. 2. Sam. *c.* 13. Joſeph. *Hiſt. Jud. l.* 7. *c.* 8. & 7. Item fil. Simonis. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 20.

AMNUS, Thuſcorum Rex, regnavit annis 25.

AMOEBÆUS, Citharœdus Athenienſis magni nominis fuit, juſſus canere in nuptiis Demetrii & Niceæ Polyæn. *l.* 4. *c.* 6. *in Antigono, com.* 1. Ejus ex Ariſteæ *de Citharœdis libro* meminit Athenæus, *l.* 14. Zenoni coætaneum facit Plut. περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς. Laudat eum à continentia (utpote qui uxorem ſuam nunquam attigerit, quamvis formoſiſſimam) Clemens Alexandr. *l.* 3. *Strom.* Ælian *Hiſt. An. l.* 6. *c.* 1. & *Var. Hiſt. l.* 3. *c.* 30. Hinc eſt quòd vir doctiſſimus Nicol. Heinſius locum Ovidii *l.* 3. *de Art. Am.*

Tu licet & Thamyran ſuperes atque Orphea cantu,

Ita reſtituendum putat — *Et Amœbea cantu.* *Nic. Lloydius.*

AMOENIA, in veter: *Gloſſar.* αἱ ἀκταί: loca ſunt amœna, ut actæ, unde *littorum amœna.* Vide Angelum à Nuce *ad Leon. Oſtienſem Chron. Caſin. l.* 1. *c.* 17. & Salmaſ. *ad Lamprid. in Commodo. c.* 17.

AMOENUS, Poëta Chriſtianus, author *Enchiridii* quibuſdam, quod Prudentii operibus ſubjunctum eſt. Fabric. *de Poet. Chriſt.* Bigneus *Biblioth. Patrum tomo* 8. Voſſ. *de Poet Lat. c.* 8.

AMOLBUS, civitas Magnetum, & alia Macedoniæ *Steph.*

AMOLETA, vide infra *Amuleta.*

AMOMETUS, Hiſtoricus Græcus cujus meminêre Plin. *l.* 6. *c.* 17 Antigonus Caryſtius *Hiſt. Mirab. c.* 164. Ælian. qui ex eo de mira cujuſdam carminis vi, quâ Crocodili ex aqua evocentur, narrat, *de Anim. l.* 17. *c.* 6. Scripſit de Attacis, Plin. *loc. cit. Nic. Lloydius*

AMOMIA, dictum recentioribus omne id, quô medicabantur corpora ac condiebantur; ab *Amomo*, quod non ſolum pretioſiſſimis unguentis, quæque maximè nares ferirent, addebatur, uti Plin. refert *l.* 12. *c.* 13. ſed & in funeribus præcipuè locum habebat, ut & myrrha & cinnamum & alia. Perſius *Sat.* 3. *v.* 104.

——— *tandemque beatulus alto.*
Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus Amomis,
In portam rigidos calces extendit.

Ubi tamen *amoma* pro quibuslibet unguentis poſuit, quibus corpora ungebant mortuorum. Pro *Amomia, Mumiam*, & *Mumiam* univerſa hodie dicit Europa, Vide infrà in voce *Mumia*, & plura hanc in rem apud Claud. Salmaſ. *ad Solin. p.* 401.

AMOMUM, ἄμωμον, dictum Græcis veterib. omne aroma, quod ſincerum & inculpatum eſſet, ut πιστικὴ νάρδος in Euangelio Marc. *c.* 14. *v.* 3. dicitur, *quæ ſine dolo eſt*, & minimè adulterata. Sic ἄμωμον λιβανωτόν, *thus ſincerum*, & ἄμωμον ſimpliciter. Inde & κιννάμωμον appellitavêre, quaſi κιννάμου ἄμωμον, *cinnamum inculpatum*: & *cardamomum*, &c. Unde *Avienus amomum*, pro cinnamomo poſuit; contra cinnamomum, pro *amomo. Heſychius*, cùm τόν Ἑῷον ἀσσύριον vocat. Certè *Aſſyrium amomum*, apud Poëtam, *herbam eſſe ſuaviſſimi odoris*, Servius ait in *Virg. Ecl.* 4. *v.* 25. Stat. *in Epicedio* Pileti Urſi, *l.* 2. *Sylv.* 6. *v.* 87.

Pharusque exempta volucri
Cinnama & Aſſyrii manantes graminè ſuccos:

Aſſyrium gramen idem vocat; quod & alibi *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 111. *pingue amomum* appellat; Ovid. *l.* 15. *Met. ſuccum amomi.* Quin & Dionyſius ipſe *cinnamomum*, pro *amomo* videtur accepiſſe, qui φύλλα ἀκηράσιον κινναμώμου vocat. Nam *Amomi* folia etiam odore commendabantur, ut tradit *Iſidorus.* At cinnami ſurculi, non folia afferebantur. Itaque *Amomum* in ſpecie, de herba hac Aſſyria; quæ integrâ & radice ſuâ mixa βοτρυώδης erat & uvæ modò convoluta, ſibique cohærens. Plin. *l.* 12. *c.* 13. *Amomum parvus eſt frutex, uvæ inſtar ex ligno in ſeipſum convolutus.* Nempe non fructus, ut in vite, botroſus erat, aut reapſe botrus, quod nonnulli volunt; ſed lignum ipſum fruticis, quod ὑπόκιρρον, i. e. *coloris ruſi*, laudatur *Dioſcoridi*, uvæ modò implexum in ſe & convolutum, quod & ſemine plenum. Ipſum vero, dum colligebatur, quoniam ſiccum & friabile, hinc fragile erat. Idem, *Capiturque cum radice, manipulatim leviter componitur, protinus fragile.* Unde ſolutum ac diſſipatum eligendum *Dioſcorides* præcipit, non convolutum & connexum, quia dum carpitur verum amomum, ſolvitur & frangitur. at quod adulterabatur; additô gummi efficiebant, ut cohæreret convolvereturque ſe in uvæ modum & ſic germanum videretur, vide omninò Plinium *dict. loc.* Hinc *Amomi uva*, apud eundem, quæ nihil aliud eſt, quàm *amomum* integrum, non diſſolutum, nec friatum in pulverem; cui majus pretium idem ponit: *pretium uvæ in libras denariis ſexagintâ: friata vero amomo denarii* XLIIX. nempe non ſolutum amomum & in uvæ figura remanens, cariùs vendebatur: eo quòd diſſolutum & friatum magis fraudi obnoxium erat. *Pulveris* verò *Amomi* meminit Ovid. *l.* 3. *Triſt. Eleg.* 3. *v* 69.

Oſſaque cum foliis & amomi pulvere conde.

Ubi *pulvis Amomi*, idem eſt, cum *Amomo friata* Plinii. Quibus verò uſibus *Amomum* inſerviret, diximus in voce *Amomia.* Hodie verum *Amomum* ignoratur. Nam qui putant roſam, quam vocant *Hieroſolymitanam* aut *Hierichuntinam*, Veterib. fuiſſe amomum, magnoperè falluntur. Nec melius ſentiunt ex Arabibus, qui *pedis columbini* ſpeciem eſſe perrendunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 400. & *ſeqq.* ut & Petrum de Valle *Itinerar. Perſ.*

AMOMUS, Græcè Ἄμωμος, in *Liturgicis* aliiſque hujus gentis libris frequenter vocatur Pſalmus 118. Hebræis 119. quia ejus initium eſt, Μακάριοι οἱ ἄμωμοι ἐν ὁδῷ, *Beati ſunt inculpati in via.* Canebatur is in Sancto Sabbatho: in ſolennitatibus verò Dominicis, ſi quidem in Sabbathum inciderent, canebatur, uti habet Nicephorus Conſtantinopolitan. *can.* 22. ſoluſque, ob prolixitatem, ob quam μέγας per excellentiam dictus eſt Palladio *Hiſtor. Lauſiaca. c.* 39. integrum κάθισμα abſolvens, in tria Tmemata ſeu στάσεις dividebatur, additô unicuique hymno, Δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ &c. Vide Jo. Meurſium *Gloſſar.* & Suicerum *Theſ. Eccl.*

AMON, Latin. *fidelis*, aut *verax*, vel *nutritius*, ſive *pædagogus* 3 fil. Manaſſe, Rex Juda. De cujus impietate & infelici exitu, vide 2. Reg. *c.* 21. *v.* 18. 2. Paral. *c.* 33. *v.* 20. Joſeph. *l.* 10. *c.* 4. *Jud. Ant.* Item princeps Samariæ civitatis. 1. Reg. *c.* 22. *v.* 26. Tertius quidam, de quo, Nehem. *c.* 7. *v.* 58.

AMONA, urbs in terra Iſraël, mare mortuum verſus, in parte orientali Judææ, juxta quam Gog gigas ſepultus jacet.

AMONIUS, vir nobilis, cujus tanta fuit abſtinentia, ut nunquam niſi panem aſſum ederit, nunquam iratus, nunquam mentitus fuerit.

AMOR, ponitur prò Cupidine, Veneris filio. Propert *l.* 2. *Eleg.* 12. *v.* 1.

Quicunque ille fuit puerum qui pinxit Amorem.

Theocritus: Νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα, βαρὺς θεός.

Vim ejus, ſive potiùs violentiam nemo ferè Poëtarum non exprimit. Græcos adducam ad Cupidinem. E Latinis duos tantùm impræſentiarum proferam, Virgilium, & Senecam Tragædum; Quorum hic *Georg. l.* 13. *v.* 242.

Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt: amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis, nec funera vulgò
Tam multa informes urſi, ſtragemque dedêre,
Per ſilvas tum ſævus aper, tum peſſima tigris:
Heu male tum Libyæ ſolis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, ſi tantùm notas odor attulit auras!
Ac neque eos jam fræna virûm, nec verbera ſæva,
Non ſcopuli, rupeſque cavæ, atque objecta retardant
Flumina, correptos undâ torquentia montes.
Ipſe ruit dentesque Sabellicus exacuit ſus,
Et pede proſubigit terram: fricat arbore coſtas,
Atque hinc, atque illinc humeros ad vulnera durat.
Quid juvenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæcâ ſerus freta: quem ſuper ingens
Porta tonat cœli: & ſcopulis illiſa reclamant
Æquora: nec miſeri poſſunt revocare parentes,
Nec moritura ſuper crudeli funere Virgo.

Ille *Hippolyt Act.* 1 *v.* 283.

Nulla pars iſti Puero: per orbem
Spargit effuſas agilis ſagittas.

v. 290. —— *Juvenum feroces*
Concitat flammas: ſenibuſque feſſis
Rurſus extinctos revocat calores:

Vir-

Vaginam ignotò ferit igne pectus:
Et jubet cœlo Superos relicto
Vultibus falſis habitare terras.

Exempla profert Phœbum, Jovem, Lunam, ac Herculem. Pergit v. 330.

Sacer eſt ignis, (credite læſis)
Nimiumque potens. Qua terra ſalo
Cingitur alto, quaque æthereo
Candida mundo ſidera currunt;
Hæc regna tenet puer immitis.
Spicula cujus ſentit in imis
Cœruleus undis grex Nereidum,
Flammamque nequit relevare mari.
Ignes ſentit genus aligerum.
Venere inſtincti quam magna gerunt
Grege pro toto bella juvenci!
Si conjugio timuere ſuo,
Poſcunt timidi prælia cervi;
Et mugitu dant concepti
Signa furoris. Tunc virgatas
India tigres decolor horret.
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, & totò eſt ſpumeus ore.
Pœni quatiunt colla leones,
Cum movit amor, tum ſilva gemit
Murmure ſævo.
Amat inſani bellua ponti
Lucæque boves.

Aliàs videri poterunt Plato *Tim.* & *Sympoſ.* Heſiod. *in Theogon.* Natalis Comes, *Mythol. l.* 4. *c.* 14. Giraldus *de Diis.* Philoſtr. *iconibus.* Pauſan. *l.* 1. 5. & 9. *Plut.* Athenæus, *l.* 3. *c.* 5. Lactantius Firm. *l.* 1. *c.* 11. & 17. Pier. *Hierogl. Nic. Lloydius.* Ejus indicia apud Græcos olim varia erant. Si cui in feſtivitate ſolenni ſertum, quo capita tùm ornari mos, ſolveretur, indicium id amoris habebatur: Hinc Athenæus, Διὸ καὶ τῶν στεφανουμένων ἐὰν λύηται στέφανος, ἐρᾷν λέγονται, *Quare ſi corollis ornatorum ſertum vel corolla ſolvitur, amare dicuntur!* quærit. Sic, cùm aures tinniebant. Unde *Sapphe*, βομβεῦσι δ' ἀκοαί μοι, *bombum edunt aures meæ.* Et Catull. *Epigr.* 52. *v.* 9.

— — —— Sonitu ſuapte
Tinniunt aures.

Amoris id erat omen. An redamarentur, explorabant crepitu folii, quod Τηλέφιλον appellabant, de quo Theocritus *Idyll.* 3.

Οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτεμάξατο πλαταγῆσαν.

i. e. *ſonitum non edidit, non crepuit.* Idem fiebat κοττάβῳ quem morem à Siculis acceperunt; *Callimachus.*

Πολλοὶ καὶ φιλέοντες ἀκόντιον ἧκαν ἐραζῆς;
Ο νοστῶν Σικελῆς ἐκ κυλίκων λάταγας.

Vide de his prolixè agentem Franciſc. Roſſæum *Archæologia Attica l.* 4. *c.* 4. & *ſeqq.* uti de *Amatoriis* Poëtarum ſcriptis publicè olim cantari ſaltarique ſolitis, infrà voce *Poeta*, de *Amatoriis epiſtolis* in *Poliptici*: aliquid etiam ubi de *Pomis*, it. voce *Pſithyrus.*

AMOR, nomen proprium viri; vide infrà *Favor.*

AMOR Infelix, Vide infrà *Philermos.*

AMOR matri præreptus, apud Virg. *l.* 4. *Æn. v.* 515.

Quæritur & naſcentis equi de fronte revulſus
Et matri præreptus amor.

Vide infrà, *Hippomanes*;

AMORAVII, memorati Orderico Vitali *l.* 15. *p.* 891. 893. Saraceni Afri ſunt; ſic dicti fortè, quod in Africa degeret hujus gentis Amirmumelinus ſeu Calipha vel magnus Sultanus, quem *Amiravijum* vocatum fuiſſe, ſuprà diximus in voce *Amir.* Nec ab iis diverſi *Almoravides*, Scriptoribus Hiſpanis nuncupati, Mauri ſcil. Africani, qui in Hiſpaniam tranſierunt a Rege Siciliæ Mauro evocati, Alfonſo VI. regnante. Meminit eorum Pelagius Epiſcopus Ovetenſis in *Adelphonſo Rege*, *æra* 1123. *A. C.* 1085. *Poſt hæc cum tantis proſperitatibus ad tantam elationem pervenit, ut* Almoravides *extraneas gentes, ex Africa in Hiſpaniam per Regem Abenhamet miſit, cum quibus prælia multa fecit, & multas contumelias, dum vixit, accepit ab eis.* At qui apud Poëtas Gallos *Amoravifii* occurrunt, Sclavi ſunt, Moraviam, nobilem Germaniæ provinciam incolentes, Carol. du Freſne *Gloſſar.* Ab *Amoraviis*, Afris, mures Pontici, vulgò *Martures*, Gall. *Martres*, dicti ſunt *Amorenſes Catti*, de quibus Alderiſius agit in *Geogr. Nubienſi p.* 9. Meminit eorum quoque Petrus Abbas Cluniàc. in *Statutis* Cong. Clun. *c.* 17. *Nihil ſe habere non parva piorum eique adhærentium multitudo putabat, niſi ex peloſis illis & condenſis —— Numantinorum h. e. juxta modernos* Amorenſium *cattorum pellibus contecto multi pretii coopertorio lectus muniretur pariter & ornaretur.* Nempe magnâ copiâ in Africa reperiuntur; unde illis id nominis hæſit. Vide eundem Auctorem ubi ſuprà.

AMORBACHIUM, urbs German. in Franconia, ad fluv. *Mudd*, qui paulo infrà cadit in Mœnum in ditione Electoris Moguntini. 5. leucis German. ab Aſciburgio, in meridiem, 3. autem à Verthæmo, in Occaſum; in Othonis ſylva.

de S. AMORE Guilielmus, vide *Guilielmus.*

AMORGES, ex Larii ducibus unus, qui in Caria occiderunt. Herodot. *l.* 2.

AMORGINUM, lini, an coloris genus? Certè *Ariſtophanes* illud,

Κἀν τοῖς χιτωνίοις ἀμοργίνοις,

lineas tunicas interpretantur, quod *Amorgina* veſtimenta, ad inſtar byſſi, ſive carbaſi tenuiſſima eſſent. Veteres tamen Critici *Amorginum* coloris genus dixêre, nempe purpureum ſecundum gloſſam, ut ait *Euſtathius*: ut non ſatis conſtet, utrum ea vox lini ſpeciem, an colorem, an utrumque ſignificet. Octavius Ferrarius *de Re Veſtiaria Parte* 2. *l.* 4 *c.* 12. Vide in voce *Amorgos*, & qui colorem eſſe negat, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1225.

AMORGOS, inſul. una ex iis, quas plerique Sporadas, *Steph.* verò & *Euſtathius* Cycladas eſſe ſtatuunt. Item, caſtellum quoddam, in inſul. Patria Simonidis Poëtæ, qui hinc *Amorginus* dictus. Strab. *l.* 10. Sunt qui *Amorgon* inſulam, ex qua ἀμόργη purpuræ genus, & ἀμόργινα ἱμάτια, per literarum inverſionem fieri volunt ex Ebræo ארגמן *argaman*, quô purpuram ſignificari nemo eſt qui neſciat. Favet huic conjecturæ, quod ab Etymologo in voce ἀπομόρξασθαι, Ἀμόργινα ἱμάτια reddantur τὰ πορφυρᾶ, & ἀμοργινοειδὴς ſolvunt πορφυροῦς. Sed & in *Euſtathio* ἀμοργὴ eſt πορφύρα κατὰ γλῶσσαν. Et in *Stephano* ἀμόργινος χιτών, χρώματος ἴδιον. Et in *Suida* ἀμόργινα, χρώματος εἶδος ἀπὸ τούτου Ἀμοργίνου. Aliis tamen placet veſtes *Amorginas* à materia dici, quia ἀμοργὶς aliquid eſt byſſo ſimile vel carpaſo, in veſtium uſum olim adhibitum. *Suidas*: ἀμόργινον, ὅμοιον βύσσῳ, καὶ πολυτελές, *Amorginum byſſi ſimile & precioſum.* Item: ἔστι δὲ ἡ ἀμοργὶς, ὅμοιον ἀλεπίστῳ λίνῳ ῾Περιαλεπεῖς(ι δὲ αὐτὸ, καὶ ἐργάζονται). Καὶ δὲ σφόδρα λεπτὸν ὑπὲρ τὴν βύσσον, ἢ τὴν καρπασον. *Amorgis autem eſt quid ſimile lino decorticato, quod decorticant, & elaborant, eſtque id tenuiſſimum ſupra byſſum, aut carpaſum. Etymologus*: Ἀμοργὶς δὲ ἐστι καλάμου τοῦ ἀνθήλης τὸ λεπτότατον μέρος, ὅθεν ἀμόργη, *Amorgis in lini calamo eſt pappi vel lanuginis pars tenuiſſima, ex qua fit amorge.* In eadem ſententia ſunt *Heſych. Julius Pollux, Harpocration, Lexici Attici* author, *Pauſan. Phavorinus*, alii. Atque id verum eſſe ſuadet, quod in *Æſchine* ἀμόργινα, & ἔργα λεπτὰ ſunt ſynonyma. Γυναῖκα, inquit, καταλιπεῖν ἀμόργινα ἐπισταμένην ἐργάζεσθαι, καὶ ἔργα λεπτὰ εἰς ἀγορὰν ἐκφέρουσαν, *mulierem reliquit, quæ amorgina perite elaborabat, & opera tenuia deferebat in forum.* Nec minus lucis in *Ariſtophanis* loco ex Lyſiſtrata, in quo mulierem ridet τὸ ἀμοργίον ἣν ἄλοπον οἴκοι καταλέλοιπε, *amorgidu quam domi reliquit nondum decorticatam.* Vide Salmaſ. *in Plin. Exerc p.* 1225. Omnino igitur ἀμοργὶς, vel ἀμοργὸς eſt lini genus in Amorgo inſula naſci, aut elaborari ſolitum. *Julius Pollux*· τὰ δὲ Ἀμόργινα γίγνεται μὲν τὰ ἄριστα ἐν τῇ Ἀμόργῳ, λινᾶ δ' ἐστὶ καὶ ταῦτα εἶναι λέγουσιν, *Amorgina autem optima in Amorgo fieri dicunt, eaque etiam eſſe linea.* Tamen amorgeu pro purpura, & amorgina pro purpureis ideo ſumi ſuſpicor, quia colore purpureô plerumque imbuebantur. Interim *Amorgon* à Phœnicibus appellatam eſſe crediderim (inquit Bochart. ὁ μέγας *l.* 1. *Chanaan. c.* 14.) אם ארגין *em orgin*, matrem textorum, vel inſulam עם ארגין *om* aut *am orgin* gentis textorum, aut etiam המון ארגין *ham orgin* copiæ textorum; voce הם *ham* ex המון *hamon* contractâ, ut in אברהם *Abraham.* Hodie *Morgo* vel *Amorgo* dicitur. Olim *Hypere*, & *Patage*, Plin. *l* 4. *c.* 12. *Pancale* & *Pſychia. Steph. Nic. Lloydius.*

AMORIA, Armeniæ urbs. *Procopius.*

AMORIUM, Phrygiæ majoris oppid. *Ptol.* Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Synnadenſi, inter Synnadam, & Apameam ſita. Cujus frequens mentio in *libr. Concil.*

AMORRHÆI, poſteri Amorrhæi, fil. Canaanis, Gen. *c.* 10. *v.* 15. populi Palæſtinæ, Latin. *amari*, *rebelles*, ſive *loquaces*. Hi Judææ montanis inſiderant; ſed plerique Jordanem tranſgreſſi bellum intulêre Moabitis & Ammonitis, & occupaverunt Baſan, & Heshbon, & quicquid terrarum eſt inter fluvios Jabboc & Arnon; in cujus victoriæ memoriam Poëta Chananæus ſcripſit carmen ἐπινίκιον quod Moſes libris ſuis inſerere dignatus eſt. Num. *c.* 21. *v.* 27. Horum Rex potentiſſimus Sihon, Moyſi tranſitum negans ab eo victus eſt, ejusque ditiones tribui Gad & Ruben, ut & dimidiæ tribui Manaſſe datæ. Num. *c.* 32. *v.* 33. Deuteron *c.* 2. *v.* 30. Jud. *c.* 11. *v.* 20. Joſeph. *l.* 4. *Jud. Ant. c.* 4, 5, 7. Hos fuiſſe teſtatur Amos proceritate cedris, robore quercubus pares, quia gigantes Rephaim (quorum unus fuit Og, Rex Baſanis) vel ex Amorrhæorum genere, vel Amorrhæis erant permixti.

AMORRHÆUS, filius Chanaan. Gen. *c.* 10. *v.* 15.

AMORRIO, Hiſtoricus Eccleſiaſticus; vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *p.* 502. Poſſev. *epit. appar. ſacri*, *l.* 1.

AMOS, per א in principio, & ץ in fine, Latin. *fortis* vel *robuſtus*, pater Eſaiæ prophetæ. Eſai. *c.* 1. *v.* 1. *Heſych.* Ἀμώς ὀχυρωθεὶς ἢ στερεωτὸς, ἢ ἰσχύς.

AMOS, per ע in principio & ס in fine, Latin. *oneratus* vel *onerans*, Propheta unus ex duodecim, cujus Prophetia extat. Occiſus, Amaziæ ſummi Pontificis juſſu, tempore horrendi terræmotus, an. 25. regni Oziæ, 40. Jeroboami, Torniell. & Salian. *A. M.* 3248. 3250. In hunc prodierunt Benefieldi *Conciones in c.* 1. *in* 8t. Oppenheimii, 1615. Brentii *Commentar.* Danæique Druſii *Lectiones.* Gerhardi *Annotationes*, & Livelejii, in 8t. Londini, 1587. Merceri *Comm.* fol. 1565. Genevæ. Oecolampadii *Annotat.* Baſileæ 1535. Quadrani *Homiliæ*, in 8t. Pariſiis 1576. 1587. Reuteri *Comment.* Ruffini *Comm.* Schaddæi *Synopſis* in 4to Argentinæ 1583. Selneccerii *Explicatio*, Lipſiæ. Vide Crowæi *Elench.*

AMOS Ægyptius, pater Chinomonachorum, quos ore opertô menſæ jubebat accumbere, ne parcè comedentium virtus appareret. *Amos* item Syrach, Judæorum Dux, regnavit ann. 15. Cujus fuit tanta caſtitas, ut cum uxore nonquam fuerit congreſſus, ſed eidem amorem virginitatis in animum induxerit.

AMOS, vel HAMOS, Patriarcha Hieroſolymitanus ſucceſſit Johanni 4. Gregor. *l.* 7. *ep.* 7. Baron. *A. C.* 595. *n.* 68. & 602. *n.* 14.

AMOSA, Latin. *purgium*, vel *adinventio*, aut *compreſſio*, civitas tribus Benjamin. Joſ. *c.* 18. *v.* 26.

AMOSIS, Ægyptiorum Rex, regnavit ann. 25. menſ. 4. fuit in ſerie Regum Thebanorum XXXVIII. Amuthantæi ſucceſſor. Bellô cum Pinache & Suſenne Paſtorum ſeu Tanitarum Regibus continuatô, Heliopolim (inferioris olim Ægypti metropolim, à Paſtoribus verò diu oppreſſam, illis tandem inde expulſis) recuperavit, urbem ejusque politiam ordinavit, immolandorum hominum pravam conſuetudinem ab iis introductam abolevit, atque locô trium hominum ἱδοκιμασμένων *probatorum* (ſicut quæſiti illi vituli puri & ſigillati) qui quotidie ſub Paſtoribus Junoni mactabantur, ſimiles cereos ſuffici juſſit, pro-

pri regna poſtliberium inſtauravit: unde Manetho Sacerdos Heliopolitanus, ab *Amoſe*, qui Thebanorum primus Heliopoli præfuit, ſuum Thebanorum Regum ſeriem orſus eſt. Sic itaque, cum ante Paſtorum incurſiones in capitalibus cujuſque regni urbibus, *Memphi*, *Heliopoli* atque *Thebis*, præfecturæ Juridicæ eſſent conſtitutæ, jam iſtis omnibus ſub unum caput redactis, unum (nempe Thebis) tribunal eſſe cœpit, ſervata nihilominus veteris privilegii ratione, unde tam ex Memphi, atque Heliopoli, quàm ex Thebis, ad magnum Thebanorum conſiſtorium Judices in poſterum electi, Diodor. Sic. *l.* 1. Illum in regno excepit Chebron. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec.* XI. ubi Joſepho hunc Regem *Tetmoſim* ſubdoleter vocari monet, variaque hanc in rem eruditè addit.

AMPATRI, populi Africæ, Inſulæ Madagaſcaris, oram verſus ad Meridiem, inter tractus *Carcanoſſe* & *Carcanaſſi*, teſte *Flacourt*.

AMPE, civitas ad mare Rubrum. *Steph.* & *Herodot.* Gentile eſt *Ampæus*.

AMPELA, oppid. Cretæ. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

AMPELOESSA, oppid. in Decapolitana regione quæ Syriæ proxima eſt, authore Plinio *l.* 5. *c.* 18. Regionis inſtar fuit & nomen *Tetrarchiæ* habuit: quemadmodum & Abila & Area, & Gabe, & reliquæ urbes Decapolitanæ Syriæ, uti diſcimus ex Plin. *loc. cit.* Sic in Phœnice ſingulas Urbes totidem Regna fuiſſe, tradit *Strabo*, apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 176.

AMPELONE, colonia Mileſiorum in Arabia Felici.

AMPELOS, inſula, ſeu promontorium Sami. *Strabo.* Sed & juga omnia, quæ totam Samon faciunt montoſam, eôdem nomine vocantur. Item civitas Cretæ. *Ptol.* Macedoniæ oppid. Plin. *l.* 4. *c.* 10. urbs Liguriæ. *Steph.* Item, urbs Cyrenaicæ regionis. *Idem.* Promontorium quoque, Strab. *l.* 14.

AMPELOS, Bacchi amaſius. Ovid. *Faſt. l.* 3.

Ampelon intonſum, Satyro, nymphaque creatum
Fertur in Iſmariis Bacchus amaſſe jugis.

Alius etiam eſt promontor. Macedoniæ, vulgo *Capo Canſtro* prope Toronaicum ſinum.

AMPELUS, urbs Africæ, in regione Cyrenaica, proxima Horto Heſperidum, à qua incolæ *Ampelitæ*, qui eandem ſilphio Delphis dedicârunt, cujus circa Heſperidas ferax regio fuit. Salmaſ. *ad Solin.* p. 174.

AMPELUSIA, promontor. Africæ in Mauritania Tingitana. Mela *l.* 1. *c.* 5. *Caput atque exordium eſt promontorium, quod Græci Ampeluſiam: Afri aliter, ſed idem ſignificante vocabulo, appellant.* Valde verò errat vir quidam doctus, qui Soloënta, vel Syloënta ex *Herodoto*, hic locum habere putat. Abeſt illud hinc quàm longiſſimè, ſed quod Ampeluſiam Græci vocavêre, à vitibus, quarum hic locus ferax, id *Cotes* Afri appellant. Vide *Cotes*.

AMPHANE, urbs Dorica. *Steph.*

AMPHAPALIA, urbs Cretæ. *Strabo.*

AMPHAXIS, oppid. Macedoniæ, unde regio *Amphaxitis*, ubi Theſſalonica, quo Cicero relegatus, & Stagira, Patria Ariſtotelis. Ejus populi *Amphaxitæ*, ſitus ad Axium fluv. *Steph.* Cluver *l.* 4.

AMPHIA, Meſſeniorum oppid. Laconiæ finitimum, ab Alcamene Spartanorum Rege non indictô bellô, occupatum, annô 2. Olymp. 9. quintô Æſimedis decennalis Archontis apud Athenienſes, bello Meſſeniaco initium dedit; ac quartò poſt annò Euphaës Meſſeniorum Rex cum hoſte conſlixit, Pauſan. *l.* 4. Vide *Alcamenes*, *Euphaes*, aliíque paſſim.

AMPHE, una Cycladum.

AMPHEA, urbs Meſſeniæ. *Steph.* Vide *Amphia*.

AMPHIALA, oppid. Atticæ. *Strabo.*

AMPHIALUS, Phæacenſis, ſaltu præſtans. Homer. *Od.* 8. v. 128. Ἄλματι δ' Ἀμφίαλος πάντων προφερέστατος ἦεν. Item, Neoptolemi fil. ex Andromacha. Hygin. *Fab.* 123.

AMPHIARAI Balnea, locus Africæ. Steph. in Ἅρμα. Sed legendum *Atticæ*. Vide locum.

AMPHIARAI Fanum Ἀμφιαράειον, ſitum fuit in itinere, quod Athenis Oropum dirigebat, in loco *Harma* dicto, Græcè Ἅρμα, i. e. *currus*, à curru, quò Amphiaraus excidit, uti *Dicæarchus* habet. At *Strabo* in Bœotia collocat. Nempe in Bœotia *Harma* Amphiarai fuit celeberrimum, ut ex Scriptoribus patet: quod e Cnopia (an Potnia) Thebaica traductum in locum cum Oropo vicinum ait. Hoc & ἱερὸν Ἀμφιαράειον Græci Scriptores vocant, eóque loci fuiſſe volunt, quò tellus diſceſſit fugienti Amphiarao ipſumque cum curru abſorpſit. Unde & Ἅρμα nomen impoſitum. Sed ubi hoc acciderit, non uſquequaque Veteres conſentiebant & Tanagræi quidem id contigiſſe contendebant, in via, quæ Thebis Chalcidem ducit, quò locò urbs vel vicus Ἅρμα nomine olim extitit, prope Mycaleſſum; Thebani in agro ſuo diſceſſiſſe terram, quæ Amphiaraum hauſit, dicebant. Acceſſit tertia opinio, factum id prope Oropum, in loco, ubi Templum poſteà ejus, Oraculorum famâ diu nobilitatum. Hoc certum, primos Græcorum Oropios honorem Amphiarai memoriæ habuiſſe & Templum ei condidiſſe: erat autem Oropus oppid. ad Mare, in confinio terræ Atticæ & Bœoticorum agri Tanagrici: de quo cum diu pugnatum eſſet inter Athenienſes & Bœotios, ab Athenienſibus tandem in poteſtatem redactum & Attici ſoli factum eſt. Vide infra in voce *Harma* & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 146. & *ſeqq.* ubi, poſt multa in omnem partem agitata, concludit in Harmate Attico Oropis vicino *Fanum Amphiarai* & *Oraculum* ... *famuliis captantium*, *Amphiarai* item *Balnea* ſeu *Fontem* fuiſſe.

AMPHIARAI fons, vide Alcyonium Stagnum.

AMPHIARAUS, Oeclei fil. (a quo Oeclides dictus) & maritus Eriphyles, Græcus ..., quem Adraſtus Rex ſecum ad bellum Thebanum ducere voluit: ſed ille præſciens vel per ſomnia, vel per avium volatum (Pauſan. *l.* 1.) ſe illinc non rediturum, latuit; & cum diu inveniri non potuiſſet, tandem ab Eriphyle uxore ſua aureo monili ab Adraſto Rege corruptâ, productus eſt, atque ita proficiſci coactus, primò die quò ad Thebas venit, poſtquam telum ejus, ab aquila, in auras ſublatum, in laurum verſum eſſet, hiatu terræ abſorptus eſt. Homer. *Od.* 15. v. 244.

Ἀντιφάτης μὲν τίκτεν Ὀϊκλῆα (genuit) μεγάθυμον,
Αὐτὰρ Ὀϊκλείης λαοσσόον Ἀμφιάραον,
Ὃν περὶ κῆρι φίλει Ζεύς τ' αἰγίοχος καὶ Ἀπόλλων
Παντοίην φιλότητ'· οὐδ' ἵκετο γήραος οὐδόν,
Ἀλλ' ὄλετ' ἐν Θήβῃσι, γυναίων εἵνεκα δώρων.

Natus homo verſus Amphiarai equus.

Horat. *l.* 3. *Od.* 16. *Concidit auguris*
Argivi domus ob lucrum
Demerſa exitio. ———

Pro Deo cultus eſt poſt mortem, templumque apud Oropios habuit ex marmore candido conſtructum, ubi Fons, & Ara, cujus deſcriptio extat apud Pauſan. in *Atticis*. Cicer. *l.* 1. *c.* 40. *de Divinat.* *Amphiaraum ſic honoravit fama Græciæ, Deus ut haberetur, atque ut ab ejus ſolo, in quo eſt humatus, oracula peterentur.* Hiſtoriam ejus latiſſimè ſcripſit Diodor. Sic. *l.* 5. *c.* 5. Pauſan. in *Att.* & Stat. *Theb.* *l.* 7. Vide Plut. in *Parall.* *Nic. Lloydius*.

AMPHIAS, ex parte Epidauriorum, ad ſopiendam, inter Athenienſes & Lacedæmonios diſcordiam, annô belli Peloponneſiaci 8. miſſus. Vide Scholia in *Eq. Ariſtoph.*

AMPHIAS, Tharſius quidam fuit, qui ex infima ſorte ad ſummas opes evectus, cum amicum, tanquam degenerem multis probris affeciſſet, tandem, velut reſipiſcens, ſubjecit, *Sed & nos ex iiſdem ſeminibus ſumus.* Quæ vox ab aſtantibus ſummâ lætitiâ eſt accepta. Macrob. *Sat.* *l.* 7. *c.* 3.

AMPHIBALUS vel AMPHIBALLUS, item *Amphibalum* & *Amphibolum*, apud Sulpicium in *Vita* S. Martini, *Dial.* 2. *c.* 1. *Nec mora, Sanctus, paupere non vidente, intra Amphibalum ſibi tunicam latenter eduxit.* Veſtis erat utrinque hirſuta ac villoſa, eademque cum *Amphimallo*, unde vox deflexa: neque enim ab ἀμφιβάλλειν deducitur, ut quidam cenſent. *Gloſſ.* S. Benigni, *Amphibalus*, *byrrhus villoſus*. Joh. de Janua, *Ambolus*, *veſtis*, *quæ eſt villoſa*, *ſicut eſt ſclavina*, *quæ circumcluditur* &c. Ejuſdem meminit Fortunatus *de Vita Martini ſuper adictis* *l.* 3. *c.* 2.

Qui tunicæ interius non inſpiciebat amictum,
Amphibali exterius dum membra obducta latebant.

Caput etiam texiſſe, docet *Vita* S. Boniti Epiſcopi Claromont. *c.* 2. *Amphibali ſummitas ipſa.* Et *c.* 7. *Ut portam amphibali mei, quâ caput tegitur, retineas.* *Vita* S. Deicoli Abbatis Lutrenſis *num.* 20. *Antequam ſeipſum pergeret, birrum ſuum, quem Græci amphiballum vocant, deponere voluit, refrigerandi gratia*, &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Peculiarem fuiſſe Epiſcoporum veſtem, colligit Dominicus Macer ex *Teſtam.* S. Remigii, ubi inter alia habetur, *Futuro Epiſcopo Amphibalum album Paſchale relinquo*, vide eum in *Hierolexico*, ut & fratrem ejus Carolum, qui *Amphibalum* cum *Amphimallo* idem eſſe negans, cum Heteromallo potiùs convenire, contendit. *Ibid.*

AMPHICLEA, vide Ophitea.

AMPHICRATES, Hiſtoricus, qui libros de viris illuſtribus conſcripſit. Diog. Laërt. in *Ariſtippo* *l.* 2. *c.* 101. Ἀμφικράτης ἐν τῷ περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, ... *Amphicrates libro de viris illuſtribus autor eſt, eum damnatum, venenum bibiſſe.* Athenæus *l.* 13. *c.* 283. *n.* 23. Θεμιστοκλῆς ἐξ ἑταίρας ἦν γεγεννημένος, ὄνομα Ἀβροτόνου, ὡς Ἀμφικράτης ἱστορεῖ ἐν τῷ περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν. *Themiſtocles è ſcorto, cui nomen Abrotono, natus eſt, ut refert Amphicrates libro de viris claris.* Eundem eſſe cum Rhetore illo Amphicrate, qui apud Tigranem vitam voluntariâ inediâ finiit, teſte Plutarchô in *Lucullo*, putat Jonſius *l.* 2. *de Script. Hiſt. Phil.* *c.* 15. *Nic. Lloydius*.

AMPHICTYON, Deucalionis ex Pyrrha fil. poſt Cranaum in Attica regnavit: huic inventum ferunt ſomniorum & portentorum interpretationem. Regnavit ann. 10. Hujus ætate templum in Delo conſtruxit Eriſichthon Triopis fil. Euſeb. in *Chron.* Hellen verò frater Amphictyonis, in Phthiotide regnavit, & *Hellenes* Græci dicti: certamen ſtidem ... habitum ac Cadmus Thebas venit Cadmæamque ædificavit, ut habent Epochæ Marmoreæ apud Marshamum, infrà citandum. Ei ſucceſſit *Erichthonius*, quem vide. Vide & hic infrà.

AMPHICTYON, Helenis fil. ampliſſimum illud Græciæ Concilium inſtituit, quod *Amphictyonum* vocabatur, teſte Dionyſio Halicarn. *l.* 4. Cicer. *l.* 1. *de Inventione*, *c.* 23. *Accuſantur apud Amphictyonas, commune Græciæ Concilium.* Conſtabat autem ex 7. Græciæ civitatibus. Poſtmodum ex 13. & Philippo Macedoni etiam permiſſum, illis aſſidere, cui duo ſuffragia, quemadmodum Phocenſes habuerant, conceſſa. Strabo *l.* 8. 9. Huic concilio qui præerant, *Amphictyones* vocabantur. Vide Budæum in *Annot. prioribus*, & Eraſmum in *Chil.* *Heſych.* Ἀμφικτύονες, ... (lege ...) ... Vide etiam *Harpocrationem*, *Suidam*, Pauſan. in *Phoc.* *Marmora Par.* à Comite Arundelio edita. *Euſeb.* *Juſtin.* *Oroſ.* Dionyſ. *l.* 4. Hic primus à Dionyſio edoctus, aquam vino miſcuit, quò frugi homines uſi ſunt, quos meraca priùs incurvabat potio; unde Dionyſio erecta ara, quem ὀρθὸν, i. e. *rectum* vocant. Cæl. Rhodig. *l.* 7. *c.* 15. *Nic. Lloydius*. Sed marmora citata *Amphictyoni* priori originem Concilii hujus celebris adſcribunt. Sic enim habent: *Ex quo Amphictyon Deucalionis Filius regnavit Thermopylis, & convocavit eos qui circa locum habitabant, & nominavit Amphictyonas, congregavit accolas vicinos, & nominavit eos Amphictyonas &* P... *etiamnum ſacrificant Amphictyones, anno* 1258. *regnante Athenis Amphictyone*, apud Joh. Marshamum *Canone Chron.* *Sec.* IX. ubi *de primis*, *ſecundis & tertiis* Ἀμφικτυονίαις, *earumque origine*.

AMPHIDAMAS, Buſiridis fil. quem Hercules unà cum patre hoſpites immolante interfecit.

AMPHIDAMAS, obiit in pugna contra Eretrienſes. Unde, quia incertum, an Victor obiiſſet, occaſio Poëtis nata mutuò ſe interrogandi, Plut. in *conv.* 7. *Sapientum*, *c.* 21. Item fil. Alei, Lycurgi & Cephei frater, ex familia Inachidarum, Pauſan. *Arcad.* *l.* 8. Argonautarum, in Colchica expeditione, comes, Val. Flacc. *l.* 1. v. 376.

Orpheo *ſpholiamus*. Sed filium hunc fuiſſe Lycurgi, & nepotem Alei, colligi videtur, ex Apollod *l. 3. Nic. Lloydius.*

AMPHIDOLI, civitas Triphyliæ *Steph.*

AMPHIDROMIA, etſi non fuerit Amphidromiorum publica ſolennitas, ſed privatorum affectibus conſecrata: tamen hic omittenda non fuit, quod cùm omnes ſigillatim homines ſpectet, etiam Δη[illegible] appellari quodammodo videatur. Igitur Ἀμφιδρόμια, vel ut alii ſcribunt, Ἀμφιδρόμια peragebantur à parentibus die quintò poſt partum, hôc ritu. Infantem geſtantes circum lares focumque currebant: Domeſtici & amici tanquam gratulabundi dona conferebant. Harpocration ex *oratione Lyſiæ de abortu*: Ἀμφιδρόμια, ἡμέρα τις [illegible] τοῖς νεογνοῖς παιδίοις, ἐν ᾗ τὸ βρέφος [illegible] περιέχοντες, [illegible], καὶ φίλοι [illegible], καὶ [illegible]. Curſus ille in orbem convertebatur. Plato *in Theæteto*; ubi Socrates rationem ſuam docendi obſtetricum officio confert; cumque Theætetus peperiſſet, i. e. ingenii ſui ſpecimen edidiſſet; Socrates veluti obſtetricis munere perfunctus addit; μετὰ δὲ τὸν τόκον, τὰ Ἀμφιδρόμια αὐτοῦ ὡς ἀληθῶς ἐν κύκλῳ περιθρεκτέον. *Heſych.* amplius tum nomina pueris imponi ſolita ſcribit: Ἀμφιδρόμια, inquit, ἡμέρα ἀγομένη τοῖς παιδίοις, ἐν ᾗ τὸ βρέφος [illegible] τὴν ἑστίαν [illegible] περιέχοντες κύκλῳ, καὶ [illegible] αὐτῷ ὄνομα. ὅτι ὑπὸ τῶν οἰκείων καὶ φίλων δῶρα [illegible]. Ex quibus ſcimi videtur, Amphidromia fuiſſe Romanorum Nominalibus affinia. Idem tamen author poſtea ſut velut obliti, decimò die nomina demum imponi tradit: τῇ δεκάτῃ [illegible] ὀνόματα τοῖς βρέφεσιν ἐτίθεσαν. Atqui ſi Amphidromia die quintô celebrantes, Nominalia decimô, eadem eſſe nequeunt. Aliô locô vocat δρομιάφιον ἦμαρ. Ἔστι δὲ [illegible] τῆς γενέσεως, ἐν ᾗ τὸ βρέφος βαστάζοντες [illegible] τὴν ἑστίαν γυμνοὶ τρέχουσι. Igitur acta die quintò Amphidromia, quòd hoc ſpacium ſufficere putarent ad ea curanda; quæ partum ipſum ſpectant. Hinc etiam obſtetrices, & quæ adfuiſſent enixenti, manus abluebant, & quaſi munere ſuo jam perfunctæ, ut poſterum nutricibus habendam infantis curam oſtendebant. *Etymolog.* Ἀμφιδρόμια, inquit, ἑορτὴ [illegible] τελουμένη, καθ' ἣν [illegible], ἐπὶ τῆς ἑστίας [illegible]. Τὸ δὲ αὐτὸ [illegible] καὶ μετὰ [illegible] τὸ βρέφος [illegible] τὴν ἑστίαν [illegible], [illegible]. Huc etiam facit, quod Genium, natalium præſidem, ſive γενέθλιον, *Æſchylus* Ἀμφιδρόμον appellavit. Cæterum illa non abſque ſolenni epularum apparatu tranſigebantur, ut Eubuli verſus apud Athenæum, *l. 2.* manifeſtè loquuntur, quos vide. *Nic. Lloydius.*

AMPHIGENIA, Peloponeſi urbs in Meſſenia regione cujus meminit Stat. *l. 4. Theb. v. 178.*

> -- *Quos fertilis Amphigenia,*
> *Planaque Meſſene, montanoque nutrit Ithome.*

Homer. *in Catalogo* Il. β. v. 593.

> Καὶ Κυπαρισσήεντα, καὶ Ἀμφιγένειαν ἔναιον.

AMPHILOCHI, populi Epiri in Acarnania, quorum urbs *Amphilochia*, & *Argos - Amphilochium* ſive *Amphilochicum*, etiam nunc *Anfolca* incolis dicta. *Amphilochi* pagi meminit Hippocrates, *l. 4. de morbis pop.* In Græcia uſpiam eſt *Amphilochi* tumulus, locus Ciliciæ. Iſacio *ad Lycophr.*

AMPHILOCHIA, oppid. Epiri, juxta Acheloum fluv. in Amphilochia regione, verſus Pindum montem.

AMPHILOCHIA, urbs Callaicorum in Hiſpania Tarraconenſi ad Minium fluv. inter Tyden & Lucum, vulgò *Orenſe*, teſte *Jo. Mariana.* A Teucro condita fuit, ſic ab Amphilocho, uno ex ſociis ejus nominata, teſte Strabone. longitud. 12000. latitud. 42. 30.

AMPHILOCHIUS, Metropolita Cyzicenus, ad quem ſcribit Photius *Ep.* 207.

AMPHILOCHIUS, Iconii (Lycaoniæ hæc Metropolis eſt) Epiſcopus. Floruit ſub Theodoſio M. quem etiam, non ſalutatò filiò ejus, ab Arianis, quibus hactenus favere videbatur, avertit. Quanti eum fecerit B. Hieronym. argumentò eſt, quòd, *epiſtola ad Magnum*, ſacrâ, profanâque doctrinâ eum Baſilio, & Greg. Nazianzeno, æqualem facere videtur. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 2. c. 19.* Hieronym. *in Catal.* Theodoret. *l. 5. c. 16.* Baron. *A. C.* 363. *n.* 55. 369. *n.* 45. Onuphr. *A. C.* 372. Sigebert. *de Viris Illuſtribus*, &c.

AMPHILOCHUS, Amphiarai, & Eriphyles fil. reverſus ab expeditione Trojana, patriâ relictâ Argos Amphilochium condidit, Rexque & augur apud Græcos habitus fuit.

AMPHILOCHUS, Theſpeſio cuidam Solenſi, qui ſceleratè hactenus vixerat, interroganti oraculum, an poſthac melius victurus eſſet, oraculum attulit, fore hoc poſt hanc vitam. Sic paulo poſt occiſus; triduò exactò reſurrexit. Plut. *de ſera Numinis vindicta*, c. 42.

AMPHILOCHUS, Athenienſis Philoſophus, & agriculturæ ſcriptor. Varro *l. 1. de R. R. c. 1.*

AMPHILYCUS Corinthius, Eumeli vel Thymeli Poëtæ pater, qui auctor eſt *Bugonia & Europæ*, poematum. Euſeb. *Chron.*

AMPHILYSUS, fluv. ab Aſſaro Sami monte fluens. *Steph.*

AMPHILYTUS, Acarnan hariolus. Herodot. *l. 1. c. 62.* Hic Piſiſtratum ad Athenas invadendas incitaturus, divinâ pompâ fungens, ſic vaticinatus eſt:

> Ἔρριπται δ' ὁ βόλος, τὸ δὲ δίκτυον ἐκπεπέτασται,
> Θύννοι δ' οἰμήσουσι σεληναίης διὰ νυκτός.
> *Eſt immiſſus projectus, item ſunt retia tenta,*
> *Nocte meant thynni claro ſub ſidere Lunæ.*

Vel, ut alii reddunt:

> *Verriculum jactum eſt, expanſaque retia, noctu*
> *Mox aderunt thynni, &c.* Quorum verborum occaſione,

Piſiſtratus Athenienſes poſt cœnam, partim ludentes, partim ſopitos aggreſſus, tertia vice Athenarum potitus eſt.

AMPHIMACHUS, Amphiarai & Eriphyles fil. quem *Homerus* cum aliis Græcorum ducibus Trojam veniſſe ſcribit. Ita *Dictionarii Poetici* primus compilator. Ego verò apud Poëtam *in Catalogo* duos Amphimachos invenio, neutrum tamen, quod ſciam, Amphiarai & Eriphyles filium. Primus occurrit v. 620.

> Τῶν μὲν ἄρ' Ἀμφίμαχος καὶ Θάλπιος ἡγησάσθην,
> Υἷες, ὁ μὲν Κτεάτου, ὁ δ' Εὐρύτου Ἀκτορίωνος.

Alterius mentio eſt v. 870.

> Τῶν μὲν ἄρ' Ἀμφίμαχος καὶ Νάστης ἡγησάσθην,
> Νάστης, Ἀμφίμαχός τε, Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα.

Nic. Lloydius.

AMPHIMALIA, oppid Cretæ in ora boreali, ubi *ſinus Amphimalus*, qui hodie *Golfo di Suda*, & *Golfo di Nicola* dicitur.

AMPHIMALLA, ſive ἀμφίμαλλοι χιτῶνες, veſtes ſunt utrinque villoſæ. Meminit eorum Plin. *l. 19. c. 1. Gauſapæ patris mei memoria cœpere, amphimalla noſtra, ſicut etiam villoſa ventralia.* Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiaria l. 1. c. 18.* An eadem cum *Amphitapis*, quarum meminit Lucilius *l. 1. Sat.*

> *Pſilæ atque* Amphitapæ *villis ingentibus molles.*

Quæque ſubſternebantur dormientibus. Idem *l. 6.*

> *Pluma atque* Amphitape, *& ſi aliud quid deliciarum.*

Item Varro *Manio. Alterum bene acceptum dormire ſuper Amphitapa bene molli.* Ita videtur ſupra laudato Ferrario, qui monet, inter Tapetes & Amphitapetes, Gauſapas & Amphimalla probè diſtinguendum, his verbis: *Ut eadem ſint plane Gauſapa & Tapetes, ut Amphimalla & Amphitapetes. Illa ex una parte, hæc utrinque villos habebant*; quod ipſa vox quoque declarat. Vide quoque ejus *de Re Veſt. part. 2. l. 1. c. 14.*

AMPHIMALUS ſinus, *Golfo di Suda*, ab arce Suda, in ſcopulo ſita & permunita, cum portu commodiſſimo multoties tentata à Turcis, bellô Creticô. Diſtat Caneâ, 12. milliar. Italicis, Rethimnâ verò 30. verſus Occaſum. Vicus autem *S. Nicola*, unde hic ſinus etiam denominari ſolet, diſtat Sudâ 10. milliar. in Orientem. Eſtque in Inſula parva, prope oram maritimam.

AMPHIMEDON, Libycus quidam qui in aula Cephei Regis adverſus Perſeum pugnans, occiſus eſt. Ovid. *l. 5. Met. v. 74.*

> *Ecce Syenites genitus Metione Phorbas,*
> *Et Libys Amphimedon, avidi committere pugnam,*
> *Conciderant lapſi.* —— a

AMPHIMEDON, unus procorum Penelopes, à Telemacho, Ulyſſis filio occiſus. Homer. Od. 22. v. 283.

> Ἔνθ' αὖτ' Εὐρυδάμαντα βάλε πτολίπορθος Ὀδυσσεύς,
> Ἀμφιμέδοντα δὲ Τηλέμαχος, Πόλυβον δὲ συβώτης.

Erat autem Melanthei filius, teſte eôdem Homer. Od. ω. v. 102.

> Ἔγνω δὲ ψυχὴ Ἀγαμέμνονος Ἀτρεΐδαο
> Παῖδα Μελανθῆος φίλον ἀγακλυτὸν Ἀμφιμέδοντα.

AMPHIMETRIUM, vide *Cerne.*

AMPHINOME, nymphæ nomen, à *circumpaſcendo*, quod proprium eſt aquarum, quæ ripas & litora circumquaque depaſcunt. Homer. *Il.* Σ. v. 44.

> Δεξαμένη τε, καὶ Ἀμφινόμη, καὶ Καλλιάνειρα.

Item mater Iaſonis, quæ gladiò ſibi pectus transfixit, & periit abſente filiô. Natal. Comes *l. 6. c. 7.*

AMPHINOMUS, unus ex procis Penelopes à Telemacho Ulyſſis filio interfectus. Homer. Od. 22. v. 89.

> Ἀμφίνομος δ' Ὀδυσῆος ἐείσατο κυδαλίμοιο
> Ἀντίος ἀΐξας, εἴρυτο δὲ φάσγανον ὀξύ,
> Εἴ πως οἱ εἴξειε θυράων. ἀλλ' ἄρα μιν φθῆ
> Τηλέμαχος κατόπισθε βαλὼν χαλκήρεϊ δουρὶ
> Ὤμων μεσσηγύς, διὰ δὲ στήθεσφιν ἔλασσε,
> Δούπησεν δὲ πεσών, &c.

Erat autem Niſi filius, teſte eôdem Homer. Od. 18. v. 412.

> Τοῖσιν δ' Ἀμφίνομος ἀγορήσατο καὶ μετέειπε,
> Νίσου φαίδιμος υἱὸς Ἀρητιάδαο ἄνακτος.

AMPHINOMUS, & ANAPIUS, Siculi fratres; cum Ætnæ incendio Catana urbe, & omnia prope Siciliæ loca deflagrarent, parentes humeris impoſitos periculo ſubduxerunt. Vide Val. Max. *l. 5. c. 4. ex. 4.* Et Senec *l. 3. de Benef. c. 37.* Cornel. Severus *in Ætna.*

> *Amphinomus, fraterque, pari ſub munere fortes,*
> *Cum jam vicinis ſtreperent incendia tectis,*
> *Accipiunt, pigrumque patrem, matremque ſenilem.*

Silius Ital. *l. 14. v. 197.*

> *Tum Catane nimium ardenti vicina Typhœo,*
> *Et generâſſe pios quondam celeberrima fratres.*

Vide Dauſquerii *notas ad locum iſtum* p. 596.

AMPHINOMUS, Philoſophus, ſcripta quædam Geometrica reliquit, Proclo laudatus, *Commentar. in Euclid. l. 3.* & Voſſio, *de Scient. Mathem. c. 54. §. 17.* Quo tempore vixerit, incertum. *Nic. Lloydius.*

AMPHION, fil. Jovis ex Antiope, Nyctei filia, quæ cùm Lyco Regi nupſiſſet, ab Epapho (ut apud Hyginum *Fab.* 155. legitur) aut certe Epopeo (ut *in Corinthiacis* habet Pauſan.) per dolum eſt conſtuprata, quâ re cognitâ, Lycus uxorem repudiavit, quam Jupiter jam viduam compreſſit, ex quo & gravida effecta eſt. Id ſentiens Dirce, cum qua ſecundas nuptias Lycus contraxerat, ſuſpicata eſt virum clam cum Antiope conſueſcere; eamque ob cauſam famulis imperavit, ut carceri eam includerent. Verum, inſtante jam tempore partûs, Jovis miſeratione ſoluta eſt, & in Cithæronem montem confugit, ibique in bivio gemellos edidit, quos paſtores pro ſuis educârunt. Et alterum quidem *Zethum* appellârunt ἀπὸ τοῦ ζητεῖν τόπον; alterum autem *Amphionem* ὅτι ἐν ὁδῷ, ἢ ὅτι ἀμφὶ ὁδὸν [illegible] αὐτὸν ἔτεκεν. Homer. Od. λ. v. 259.

> Τὴν δὲ μετ' Ἀντιόπην ἴδον Ἀσωποῖο θύγατρα,
> Ἣ δὴ καὶ Διὸς εὔχετ' ἐν ἀγκοίνῃσιν ἰαῦσαι,
> Καί ῥ' ἔτεκεν δύο παῖδ', Ἀμφίονά τε Ζῆθόν τε,
> Οἳ πρῶτοι Θήβης ἕδος ἔκτισαν ἑπταπύλοιο,
> Πύργωσάν τ' ἐπεὶ οὐ μὲν ἀπύργωτόν γ' ἐδύναντο
> Ναιέμεν εὐρύχορον Θήβην, κρατερώ περ ἐόντε.

Hi poſtea adulti, cognitis injuriis, quibus matrem ſuam affecerat Dirce, tauri indomiti caudæ eam alligârunt, eôque per loca aſpera agitatô, diris eam cruciatibus laniârunt, donec ejus miſertus Bacchus in fontem ſui nominis eam commutavit. Fuit autem Amphion muſicus tam inſignis, ut teſtudinem à Mercurio dicatur accepiſſe, ejuſque ſonô ſaxa ad urbis Thebanæ conſtructionem attraxiſſe. Apollon. Rhod. *Argonauticon*:

Ἀμφίων δ' ἐπὶ οἱ χρυσείῃ φόρμιγγι λιγαίνων
Ἤιε, δὶς τόσση δ' ἄρ' ἴχνεσιν εἵπετο πέτρη.

Euripides *in Phœniſſis*:

Ἀμφίονος ϑ' ὑπὸ λύρας ὑμνῳδίας,
Ἤλθον ἀγυιάς φορμίγγων ϑ' ὑπὸ τείχεα Θήβας,
Τᾶς Ἀμφίονος τε λύρας ὕπο, πύργος ἀνέστα.

Horatius *ad Piſones de arte Poët.*

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blandâ
Ducere quò vellet. ——

Et *l.* 3. Od 11. v. 2.

Mercuri: nam te docilis magiſtro
Movit Amphion lapides canendô.

Virg. *Ecl.* 2. v. 23.

Canto quæ ſolitus, ſi quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Propert. *l.* 1. *Eleg.* 9 v. 10.

Aut Amphioniæ mœnia flere lyræ.

Idem *l.* 3. *Eleg.* 2. v. 43.

Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem
Sponte ſua in muri membra coiſſe ferunt.

Ovid. *Μεταμορφώσεως l.* 3. v. 323.

Saxa tuo cantu, vindex juſtiſſime matris,
Fecerunt muros officioſa novos.

Stat. *l.* 1. *Theb.* v 9.

—— *Penituſque ſequar quo carmine muris*
Juſſerit Amphion Tyrios accedere montes.

Idem *l.* 8. v. 232. —— *Tyriam reptantia ſaxa*
Ad chelyn, & duras animantem Amphiona cautes,

Et *l.* 3. *Silv.* v. 16. *in Hercule Surrentino*:

—— *Tyrione hæc mœnia plectro,*
An Geticâ venêre lyrâ?

Obiit tandem, propriâ manu peremtus, quòd liberos ſuos, ab Apolline & Diana necatos videret. Apoll. Rhod. *l.* 2. & 4. *Argon.* Plura de Amphione Natal. Comes, *l.* 9. *c.* 15. Plut. *de Muſica*, *c.* 2. Plin. *l.* 7. *c.* 56. Pauſan. *l* 9. Ovid. *l.* 6. *Fab.* 2. *Met.* Eum autem ſaxa moviſſe, (inquit Albricus) nihil aliud fuit, quàm quòd mellifluâ oratione ſua ſibi ignaris, & rudibus hominibus, ac ſparſim degentibus, ut in unum convenirent, & civiliter viverent, & in defenſionem publicam civitatem mœnibus circumdarent. Quòd autem citharam à Mercurio ſuſceperit, id ſignificat, eum eloquentiſſimum fuiſſe. *Boccatius. Nic. Lloyd.*

AMPHION, Hypſonis Pellæi fil. ex Argonautis unus, fratri Deucalioni adeo vultu ſimilis, ut ne Pater dignoſcere potuerit. Val. Flacc. *l.* 1. v. 367.

AMPHION, fil. Iaſii, imperavit Orchomeniis, Minyis, & Pylus, teſte *Leandro*, aliàs nomine Argus vocatus, cui erat filia Chloris, natu minima. Homer. *Od.* λ. v. 280.

Καὶ Χλῶριν εἶδον περικαλλέα, τήν ποτε Νηλεὺς
Γῆμεν ἑὸν διὰ κάλλος, ἐπεὶ πόρε μυρία ἕδνα,
Ὁπλοτάτην κούρην Ἀμφίονος Ἰασίδαο,
Ὅς ποτ' ἐν Ὀρχομενῷ Μινυηΐῳ ἶφι ἄνασσεν,
Ἡ δὲ Πύλου βασίλευε.

AMPHION, pictor inſignis, Plin. *l.* 35. c. 10. Item, libertus Q. Catuli, ingeniô clarus, Idem, *l.* 35. *c.* 18. Item, Statuarius inſignis, fil. Aceſtoris. Pauſan. *l.* 10.

AMPHIPOLES, Archontes ſeu Magiſtratus, à Timoleonte Syracuſis inſtituti, poſt pulſum Dionyſium Juniorem. Horum auctoritas, ultra 300 annos viguit, uſque ad tempora Diodori. Sic, ut ipſe teſtatur *Biblioth. hiſtor. l.* 16.

AMPHIPOLIS, quæ poſtea Chriſtopolis à Græcis appellata eſt, hodie *Chriſtopoli*, & *Emboli* Turcis, urbs Archiepiſcopalis Macedoniæ, in Thraciæ confinio juxta Philippos ad oram littoream; ſic dicta ἀπὸ τοῦ περιέχεσθαι τῷ Στρυμόνι, quòd illam Strymon fluv. circumfluat utrinque. Hæc à Nicia, Athenienſ. colonia deducta, plurimorum bellorum inter Athenienſes & Lacedæmonios, argumentum, quæ Philippi Macedon. tempore reſuſcitata ſunt. Thucyd. *l.* 4. Juſtin *l.* 8. Plin. *l.* 4. *c.* 10. *Steph.* ait, olim *Acyricam* dictam fuiſſe, & *Eionæ.* Item Κρηνίδες, & Ἀνδρόπολις eidem dicitur. Vocabatur etiam *Urbs Martis*, & *Novemviæ*, Ἐννέα ὁδοί, teſte *Suidâ*, qui eam in Thracia ponit. Longitud. 50. 00. latitud. 41. 30. Eſt etiam Syriæ civitas juxta Euphratem à Seleuco condita, & à Syris *Turmeda* dicta, teſte *Stephano*. *Nic. Lloydius.*

AMPHIPOLITANUS *lacus*, cujus meminit *Suidas.*

AMPHIPROSTYLA Ædes, Græcè Ἀμφιπρόστυλος, dicta eſt, quæ in poſtico columnas habebat & faſtigium, uti Πρόστυλος, in fronte. Vocata autem πρόστυλος, quæ contra Antas duas columnas angulares haberet, & ſupra epiſtylia & dextrâ ac ſiniſtrâ in verſuris ſingulas. Poſticum verò, ὀπισθόδομος Græcis, in Gentilium Templis dicebatur ea pars, quæ poſt cellam ædis, ad idem ferè inſtar facta erat, ac πρόδομος ſeu πρόναος. Salmaſ. *ad Solin.* p 1217.

AMPHIPYROS, Dianæ cognomen apud Sophoclem *in Trachiniis*, ſic dicta, quòd utrâque manu facem geſtat. Cæl. Rhodig. *l.* 11. *c.* 26.

AMPHIRA, Minervæ epitheton, apud *Lycophronem.*

AMPHIRETUS Acanthius, captus à piratis in Lemnum deductus, vinculis detinebatur, prædonibus magno liberationis pretio inhiantibus. Ille ſibi abſtinens, minimum aquâ ſalsâ commiſtum bibit. Cùm igitur alvum exoneraret, piratæ opinati eum in ſanguinis profluvium incidiſſe, vinculis ſolverunt, ne ob morbum è vita diſcederet, & lytri ſpes periret. Ille ſolutus noctu aufugit conſcenſâque navi piſcatoriâ Acanthum pervenit. Polyæn. *l.* 6. *fin.*

AMPHIROE, nympha, ab *undecunque fluendo* ſic dicta. Heſiod. *in Theog.* v. 360.

AMPHIS, Poëta Comicus circa Olymp. 95. Platonis ſaltem ætate vixiſſe conſtat, ex Diog. Laërt. *l.* 3. *c.* 27. Ejus *Γυναικομανίαν* laudat Athenæus *l.* 14.

AMPHISA, fluv. in Phocide

AMPHISBÆNA, ſerpentis nomen, in Libyæ deſertis degentis duo habentis capita, quorum alterum locô ſuô eſt, alterum ubi cauda, unde utrinque venenum diffundit. Lucan. *l.* 9. v. 719.

Et gravis in geminum ſurgens caput Amphiſbæna.

Æſchylus *in Agamemnone*:

Ἀμφίσβαιναν, ἢ Σκύλλαν τινὰ οἰκοῦσαν ἐν πέτραισι.

Heſychius: *Ἀμφίσβαινα: εἶδος ὄφεως μακροκεφάλου, ἰσόπαχυ τὴν οὐρὰν κολοβὴν ἔχον, καὶ ταύτῃ πολλάκις τὴν πορείαν ποιούμενον, ὅθεν τινὲς ἀμφοτέρωθεν μὴ δύο κεφαλὰς ἔχειν λέγουσι ... Ἀμφίσβαινα. Nic. Lloydius.* De ea Solinus c. 27. *Amphiſbæna*, inquit, *conſurgit in caput geminum: quorum alterum in loco ſuo eſt, alterum in ea parte, quâ cauda, quæ cauſa efficit ut capite utrinque ſecus nitibundo ſerpat tractibus circulatis.* Ubi quod *de circulatis tractibus* habet, etiam *Iſidorus* confirmat, cùm ait, *Currens ex utroque capite, tractu corporis circulatô.* Atque hinc eſt, quòd *Heſychius* unum ſaltem caput *Amphiſbænæ* eſſe, ſed geminum videri, ait, ob illam videl. curſus obliquitatem ac circulationem. Vide Salmaſ. *ad d. l.* p. 339. Quòd verò *ἀστερωπὸς* εἶδος *Amphiſbænæ Nicander* tribuit, h. e. *notis compunctum*, alibi non reperitur. Imò contrà eſt, nec enim ullâ notarum varietate commendatur. Niſi fortè *ἀστεροειδὲς* vel *ἀστροχίτων* apud eum legas, quod tractibus circularis eat, uti dictum. *Ibid.* *Amphiſbænæ* 2. *aureæ alatæ*, cum baltheo purpureo, in campo cæruleo, occurrunt, in ſcuto Renati Ducis de Tremes, in Gallia, Familiæ *Bullet* teſſera gentilitia, Spener. *Oper. Herald. Part.* 2. *l.* 1 *c.* 73. ubi de *Potierus.*

AMPHISCII, vocantur ii, qui ſub Æquinoctiali circulo habitant, eò quòd quadruplici umbrâ verberentur. Nam Sole exiſtente in alterutro punctorum Æquinoctialium, i. e. in principio Arietis, aut Libræ, umbra eorum matutina jacitur verſus Occidentem, veſpertina verſus Orientem. Sole autem Cancrum, aliquodve ex cæteris ſignis Septentrionalibus perambulante, umbram habent Auſtralem: contrà verò Septentrionalem, Sole ſub Capricorno, aliquove alio Auſtralium ſignorum iter faciente.

AMPHISPHYRA, fœmineı calceamenti genus, vide *Fœmina.*

AMPHISSA, urbs Locrorum Ozolorum in Achaja. *Ptol.* ità dicta, teſte *Stephano*, quod undequaque montibus cingatur. *Lambena* hodiè, teſte *Nigro*, Aliis *Aſſila.* Lucan. *l.* 3. v. 172.

Phocaicas Amphiſſa manus, ſcopuloſaque Cyrrha,
Parnaſſuſque jugo miſit deſertus utroque.

Hinc *Amphiſſæ* qui Delphicum templum diripuerunt, ut eſt videre apud Demoſthenem *in Orat. pro Cteſiphonte* longitud. 47 40. latitud. 37. 50. Armeniæ quoque minoris regio, ſic dicta, teſte *Lycophrone. Nic. Lloydius.*

AMPHISSA, Magnæ Græciæ oppid. in ora Calabriæ ulterioris, inter Locros & Caulonam 8 mill. paſſ. apud oſtia Sagræ fluv. Hodie *La Rocella* dicitur, *Gabr. Barrio* authore. Principatus titulô gaudet, habetque Caſtrum munitum, ad mare Ionium. Ovid. *Met. l.* 15. v. 703.

Linquit Iapygiam, lævîſque Amphiſſia remis
Saxa fugit. —— ——

AMPHISSENE, regio minoris Armeniæ, Steph. *ex Strabone.*

AMPHISTHENES, vir Lacedæmonius, qui cum Dianæ ſacra faceret, in furorem converſus eſt. Pauſan. *l.* 1

AMPHISTIDES, vir quidam tantæ ſtultitiæ, ut ignoraret utrum ex parente eſſet prognatus, & cùm magnô Arithmeticæ addiſcendæ ſtudiô flagraret, ultra quinarium tamen numerandô procedere non potuerit. Ariſtot. *Problem. ſect.* 10.

AMPHISTRATUS, & Rhecas, Laconum Duces fuêre, qui Heniochiam inhabitârunt, quam ſic dictam ſcribunt, quòd hi aurigæ Caſtoris & Pollucis eſſent, quos Iaſon plurimis locis præfecit. Juſtin. *l.* 42. *c.* 3. Strabo *l.* 11. Item *Amphiſtratus*, nomen Statuarii cujuſdam. Plin. *l.* 36 *c.* 5.

AMPHITAPETES, vide *Tapetes.*

AMPHITHEATRUM, Latinè *Viſorium*, quòd commodiſſimè populus ad ludicra convocatus inde ſpectare poſſet, circulari formâ integrâ conſtruebatur, aut ovali & oblongâ, ut in eo gladiatorii ludi & concluſarum ferarum venationes exhiberentur. Vide Caſſiodorum, *l.* 5 *ep.* 51. *Amphitheatrum rotundum eſt, Theatrum verò ex medio Amphitheatro eſt, ſemicirculi figuram habens*, Iſidor Hiſpalenſ. *l.* 18. *c.* 52. Unde duobus Theatris in unum coëuntibus Amphitheatrum fiebat, dicebanturque *Cavea* quoque, ab interiore parte quæ concava erat. Item *Arena*, quòd arena ſpargeretur, ut certantes ſine offenſione caderent, ut ex Suetonio *in Tito c.* 8 liquet. Inde phraſis, *in arenam deſcendere*, i. e. certamen ſubire; & gladiatores *Arenarii* dicti. Nec vulgari ſolum ſabulô hîc uſi Romani; ſed *invenitur*, inquit Plinius, *l.* 36 *& alium uſum ejus lapidis, in ramentis quoque Circum maximum ſternendi, ut ſit in commendatione & candor*, &c. Aliquando verò & foveæ ſpecuſque ſub Amphitheatro, in quibus feræ aſſervabantur, cùm uſus eſſet, in ſpectaculum emittendæ, *Caveæ* dicebantur. Adde quòd *Amphitheatra* plena concavitatibus ſpecubuſque eſſent, in quibus, præter feras, aquæ etiam detinebantur, ad Naumachiarum uſum poſtea in locum ſpectaculi derivandæ. Vide Sueton. *in Domit. c.* 5. Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom. l.* 5 *c.* 5. Lipſium inprimis de *Amphitheat.* c. 2. & 3. Quia autem, cùm in

tam frequenti & copioſa ſanguinis effuſione facilè fieret ut lubricum redderetur ſolum, ab arena petitum remedium eſt, quæ, ut naturâ eſt bibula, & abſorbere effuſum humorem & renovari per intervalla ludorum facili negotiô poterat: hinc hodieque *les Arenes*, in variis Galliæ civitatibus dicuntur loca illa, ubi a Romanis olim rerum ibi potitis *Amphitheatra* fuerunt extructa &c. *Amphitheatri* à Veſpaſiano, ex Tiburtino lapide, in ipſo urbis meditullio, extructi, à Tito dedicati & à Domitiano exornati, formam ac faciem, cujus rudera Romæ viſuntur, ut de partibus ac forma *Amphitheatrorum* facilius judicare Lector poſſit, exhibet A. Friſius *ad Hieron. Mercurialem de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 4. Orbis illius circuli oblongi, ſeu potius ovi, formam refert, & ſi P. Victori fides, gradus Amphitheatri vel gradium pulvilli ſupra 87000. ſpectatorum capiebant. Ambitus ſuperior & circumjectæ porticus, Lipſii judiciô, denis adhuc vel vicenis hominum millibus ſeu ſtantibus, ſeu allatis cathedris ſedentibus, locus erat. Univerſa machina quatuor conſtabat ordinibus, Doricô, Ionicô, Corinthiô & Compoſitô, omnibus ita diſpoſitis, ut tardiùs advenientibus accedendi, & citiùs abeuntibus recedendi facultas, ſine aliorum incommodo, daretur. Area tota libera erat, niſi quòd in ea alicubi ara cernebatur, Jovi Latiari ſacra, ad quam mactatio ſtata & horrenda unius ex beſtiariis: Sub ipſa ara cloacæ ſubterraneæ fuêre, per quas, in uſum Naumachiarum, occultè & ſubitò inductas & eductas eſſe aquas præfatus Lipſius exiſtimat. Ceterùm ex eorum numero, qui cum beſtiis pugnabant, vel ad beſtias, ut ajunt, damnabantur, Chriſtiani erant: inter quos S. Ignatium fuiſſe, conſtans Fama eſt.

In Amphitheatro Titiano notanda.

Ara, quæ ſacra Jovi, ut dictum, Latiari.

Portulæ, per quas immiſſæ in Arenam beſtiæ. Has januas clauſas fuiſſe probabile eſt, non ſolùm ad belluas, ne egreſſus pateret jam ſolutis, ſed etiam ad aquas coërcendas, cum iis *Amphitheatrum* implerent.

Podium, cum ſuis columellis: & in medio ſuggeſtus Imperatoris.

Præcinctio ſive Diazoma, i. e. gradus altior & latior cujus generis tres fuiſſe in Theatris Vitruvius docet *l.* 5. *c.* 7.

Vomitoria, ſive Aditus, i. e. portulæ quædam quadratæ in ipſis gradibus, per quas in ſedilia diffundebantur. Ad eas diminuti erant gradus ſcalares, per quos quiſque ad deſtinata ſua ibat ſubſellia. Spatium medium inter ſcalares binos *Cuneus* dicebatur, appellatione ab acie inſtructa deſumtâ.

Foramina, ad tranſmittendos malos, quæ pauca in præfata icone expreſſa. Ibant ea in orbem, & externè à mutulis quibuſdam mali ſuſtinebantur.

AMPHITHEATRUM Statilii Tauri, cujus meminit *Sueton. in Calig. c.* 18. nunc ferè dirutum jacet.

AMPHITHEATRUM Titi, vide ſuprà.

AMPHITHEATRUM Veſpaſiani, hodie *Coliſeo*, à Veſpaſiano Auguſto extructum, Sueton. *c.* 9. a Domitiano inſtauratum, figuram habet ovalem, malè habitum à Gothis, aliiſque ultimo ſeculô, ſenſim deficit, mediaque ejus pars ferè diruta jacet. Hujus meminit Martial. *l.* 1. *epigr.* 2.

Hic ubi conſpicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, ſtagna Neronis erant. Vide ſuprà.

AMPHITHEMIS, Thebanorum Dux, qui bello Græcos Lacedæmonios implicavit. Plut. *in Lyſandro*, & Pauſan. *l.* 9.

AMPHITHEUS, Cereris quidam Athenis Sacerdos, qui apud Ariſtophanem *in Acharnenſibus* ſuum genus à Cerere deducit, hoc modô. Amphitheus antiquior, natus eſt ex Triptolemo & Cerere, ab iſto deſcendit Celeus, qui in matrimonio habuit aviam hujus Amphithei Phænareten, cujus filius erat Lycinus, pater Amphithei. Verùm *Scholia* notant, iſtas Genealogias ſaltem à Comico, ad irridendum Euripidem, inſtitutas, qui in ſuis fabulis certam generis ſeriem promittit. *Nic. Lloydius.*

AMPHITHOE, nympha marina Nerei & Doridis filia, ut poſt *Heſiodum* tradit Hyginus *Fab. præfat.* ab *utrumque circumeundo* ſic dicta.

AMPHITHYRON, apud Evagrium *l.* 6. *c.* 22. ubi ait, Choſroën Perſarum Regem Gregorio Epiſcopo Antiocheno dediſſe *Amphithyron Unicum*, januæ velum eſt, Ital. *portiera.* Et quidem velum hoc ex utroque latere aperiebatur, ut notatio vocis indigitat comprobatque Simonetta Græcus Auctor *l.* 5. *c.* 14. de eodem velo loquens. Eôdem nomine inſignivit Chryſoſtomus velum illud, quod ante portam Sanctuarii trahebatur, tempore Euchariſtiæ. Macer *Hierolexico.*

AMPHITRITE, Nerei, vel Oceani, & Doridis filia, Neptuni uxor, cujus nuptias cùm à principio fugeret, virginitatem ſervare cupiens, miſit ad eam Neptunus Delphinum, qui per varia loca quæſitam tandem ad radices montis Atlantis invenit, &, ut Neptuno jungeretur, perſuaſit. Claudian. *l.* 1 *de Raptu Proſerp. v.* 103.

— Nereia glaucô
Neptunum gremiô complectitur Amphitrite.

Hinc à Poëtis maris Dea fingitur, ex qua natus eſt Triton, ut canit Heſiodus *Theogon. v.* 243. Sumitur interdum pro ipſo mari. Ovid. *Met. l.* 1. [illegible] 13.

— Nec brachia longô
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Catullus in *Argonaut. Epigr.* 65. *v.* 11.

Illa rudem curſu prima imbuit Amphitriten.

Ita Græci Dionyſ. Perieg. *v.* 53.

Ἄλλα κ[illegible] Ἀμφιτρίτης.

Nomen deductum videtur παρὰ τὸ ἀμφιτρίβειν τὴν γῆν, h.c. quòd mare terram circumquaque atterat, & quaſi radat. Unde Virg. *l.* 7 *Æn.* [illegible] 10

Proxima Circææ raduntur litora terræ.

Et Dionyſ. Perieg. *v.* 61 *de Oceano:*

Ἡ [illegible] ἀμφιτρίτης [illegible].

Vel ἀπὸ τοῦ τρεῖν, quod eſt terrere. Mare enim circum ſe navigantes pereundi tempore inſequitur. *Heſych.* Ἀμφιτρίτην (lege Ἀμφιτρίτη) θάλασσα, [illegible]. *Etymologus.* [illegible] Ἀμφιτρίτη, [illegible]. Ideoque [illegible] debere. Joannes vero Diaconus *in Allegoriis*, quas ad Heſiodi Theogoniam ſcripſit, aliam profert ab his diverſam etymologiam: Ἀμφιτρίτην δὲ, inquit, λέγει τὴν θάλασσαν, [illegible]. [illegible]. Eadem habet & *Tzetzes*, ſeu quiſquis eſt vetus Heſiodi Scholiaſtes, *p.* 303. *edit. Heinſ.* Euripides *in Cyclope* quam nominat *Amphitriten*, quæ Neptuni uxor dicitur, qui eſt ſpiritus per univerſam aquæ molem diffuſus, & tanquam anima ipſius elementi aquæ. *Amphitrite* autem eſt corpus & materia humoris omnis, quæ intra terram includitur. *Nic. Lloydius*

AMPHITROPE, pars Antiochidis tribûs. *Steph.* Non procul Cephiſſiâ, uti ex Æſchine colligere eſt, *Orat. contra Timarch.* Vide Jac. Sponium *Itinerar. Græcia, part.* 3.

AMPHITRYO, Princeps Thebanus, Alcæi fil. Herculis pater. Vide *Alcmena.* Hinc *Amphitryoniades*, patronymicum pro Hercule apud Poëtas, & per epenthesin τοῦ α *Amphitryoniades*, qui licet Jovis filius, tamen Amphitryonis putabatur, unde Catullo *Falſiparens* dicitur *epigr.* 69. *v.* 112. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 213.

Interea cum jam ſtabulis ſaturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet

Propert. *l.* 4. *eleg.* 10 *v.* 1.

Amphitryoniades quâ tempeſtate juvencos
Egerit a ſtabulis, ô Erythea tuis.

Vide Heſiod. *in Scut. Herc. v.* 37. 44. 80. & Plaut. *in Amphitr.* *Nic. Lloydius.*

AMPHITUS, & TELCHIUS Dioſcurorum aurigæ, à quibus Heniochorum gens ortum habuit. Straboni verò *l.* 11. *Amphiſtratus*, & *Rhecas* appellantur.

AMPHORA, fluviolus, ſeu potiùs rivus Forojulienſis provinciæ in Italia. Cadit in mare Adriaticum, prope Aquilejam.

AMPHORA, menſura apud Romanos liquidorum erat, *Quadrantal* Veterib. dicta, capiens urnas duas, ſextarios octo & quadraginta, congios octo, &c. ut ex hiſce *Voluſii Metiani* videre eſt: *Quadrantal, quod nunc plerique Amphoram vocant, habet urnas duas, modios tres, ſemodios ſex, congios octo, ſextarios quadraginta octo, heminas nonaginta ſex, quartarios centum nonaginta duos, cyathos quingentos ſeptuaginta ſex.* Sic Feſtus, *Quadrantal vocabant antiqui, quam Græci Amphoram dicunt: quod vas pedis quadrati octo & quadraginta capit ſextarios.* Et Jul. Africanus *in Fragm.* [illegible]: Ὁ δὲ οἶνος, inquit, ἀμφορεὺς, [illegible] i. e. *Amphora vini, quam & metretam multi vocant, continet ſemiamphoras duas, quas cados communi nomine appellant, Romani vero urnas dicunt, ita ut Amphora ſit ſextariorum* 48. Jac. Oiſelius JCtus. *Not. ad Gell. l.* 18. *c.* 1. Ex lapide Schiſto Amphora Romana, aſſervatur in Muſæo Kircheriano, Romæ, &c. Vide etiam infra *Quadrantal.* Hinc Ἀμφορίτης ἀγών, qualis erat. Alcanum Æginis. qui agon unus erat ex iis, qui non *ſacri* erant, ſed in quibus certabatur propter præmium aliquod, hinc ἀργυρῖται & [illegible] dicti. Et quidem *amphoræ* vini donabantur victoribus. Salmaſ. *ad Solin. p.* 849. Sed & in *Amphoris* cineres defunctorum condi conſuevisse, legas apud eund. *p.* 1204. De inveſtitura *per Amphoram plenam aqua maris*, ſuô locô: de *Amphoris*, ad bellicos aſtus adhibitis, infrà voce *Murenæ:* uti de *componendis amphoris* aliiſque fictilibus vaſis, in *Pheos, Phleos, Stipa:* de elenchis ſeu pittaciis, ad indicandam vini ætatem, iis olim adfigi ſolitis, infrà voce *Uva*, it. *Cadus.*

AMPHORITES, genus certaminis in *Ægina Æaci*, videl. exercitii literarii, ubi bos præmium fuit Dithyramborum Poëtis, qui præclarius in Dionyſium cecinissent. Nat. Comes. *l.* 5. *c.* 4.

AMPHOTEROPLON, fœnus nauticum eſt, cùm fœnerator & commeatus & remeatus periculum ſuſcipit, *l.* 1. *ff. de nautic. fœn.* Sicut *Heteroplon*, cum commeatus tantum. Budæus *in Annot. ad l. nihil intereſt de nautic. fœn.* Addit Budæus *de Aſſe, l.* 2. ex Demoſthene [illegible], uſuram nauticam non fuiſſe menſtruam, ſed unà in omne tempus navigationis & negotiationis conſtitutionem tantam &c. Vide Calvinum *Lexic. Jur.* & Petrum *Comm. in LL. Att.*

AMPHOTERUS, claſſi ad oram Helleſponti, ab Alexandro, Præfectus. Curt. *l.* 3. *c.* 1.

AMPHRYSUS, Theſſaliæ fluv. vel Magneſiæ, juxta quem Apollo pavit armenta Regis Admeti. Lucan. *l.* 6. *v.* 367

— — Et flumine puro
Irrigat Amphryſus famulantis paſcua Phœbi.

Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 1.

— — Te memoranda canemus
Paſtor ab Amphryſo.

Ovid. *Met. l.* 1. *Fab.* 10.

Apidanusque ſenex, lenisque Amphryſus, & Æas.

Alius eſt ejuſdem nominis in Phrygia, reddens mulieres ſteriles Plin. *l.* 3. *c.* 22. Hinc *Amphryſiacus.* Stat. *l.* 1. *Sylv.* 4. *v.* 105.

Aut Amphryſiaco paſtor de gramine carpſi.

Eſt etiam urbs Phocidis. *Steph. Amphryſia vates* apud Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 398. ponitur pro Sibylla.

AMPIUS FLAVIANUS, prænomine *Titus*, conſularis legatus Pannoniæ, dives ſenex in partibus Veſpaſiani. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 86. à *Cornelio Fuſco* inductus, non quia induſtriâ ejus egebat; ſed ut conſulare nomen, ſurgentibus tum maximè partibus, honeſtâ ſpecie prætenderetur. Seditioni militum objectus nullô crimine: ſed jam pridem inviſus, turbine quôdam ad caſtrum poſcebatur propinquum Vitellii, proditorem Othonis, interceptorem Danuvi

amari clamitabant. Nec defenſionis locus, quanquam ſupplices manus tenderet: humi plerumque ſtratus, laceratâ veſte pectus atque ora ſingultu quatiens. Quem vix impetu caterva periculo ſubtraxit Antonius Ibid. c. 15. Fulvius tamen Urſinus conjunctim legit *Tampius Flavianus*, additque *Tampium* familiam ex denariis & antiquis titulis notam: cui libenter adſenſum præbemus. *Nic. Lloydius.*

AMPLEXU dimitti & recipi charos, moris Romani fuit, adeò ut jam mortuis idem præſtiterint. Stat. *Lachrymis Etruſci*, *l.* 3. *Sylv.* 3. *v.* 19.

——— ——— tenet ecce ſeniles
Leniter amplexus vultus, ſanctamque parentis
Canitiem ſpargit lachrymis, animaeque ſupremum
Frigus amat.

Idem *ibid.* *v.* 176.

——— ——— quoties laſſantem brachia vidi
Planctibus, & prono fuſum ſuper oſcula vultu
Vix famuli comitesque tenent, &c.

Græcis in uſu quoque, apud quos religionis inſtar fuit. Hinc de Apolline & Coronide, apud Ovid. *Amplexum cadaveris* velut inter neceſſaria ponentem. *l.* 2. *Met. Fab.* 9.

Ut tamen ingratos in pectora fudit odores,
Et dedit amplexus, *injuſtaque juſta peregit.*

Et de Iaſone, in funere Cyzici, Val Flacc. *l.* 3. *v.* 309.

Fas tamen eſt conferre genas, fas jungere tecum
Pectora, & exangues miſcere amplexibus *artus.*

Bion inprimis, in ſuaviſſimo illo Adonidis *Epitaphio*,

Ὡς δ' ἴδεν ...
Πάχεας ἀμπετάσασα κινύρεται· Μεῖνον Ἄδωνι,
Δύσποτμε μεῖνον Ἄδωνι, πανύστατον ὥς σε κιχείω,
Ὥς σε περιπτύξω, καὶ χείλεα χείλεσι μίξω.
Ἔγρεο τυτθόν, Ἄδωνι, τὸ δ' αὖ πύματόν με φίλησον,
Τοσσοῦτόν με φίλησον, ὅσον ζώῃ τὸ φίλημα, &c.

De *virorum complexu* nota omnia; ſingularia tamen notavit *ad Apulejum* Barthius, quem vide quoque. *Animadverſion. ad Statium Tom. II.* p. 883. & *Tom III.* p. 357. Addo ſaltem *Amplexus* Præſidum, apud Romanos magni olim habitos, non erga provinciales ſolum, ſed & erga cæteros Reges. De provincialibus inſignis locus eſt apud Spartian. *in Severo c.* 2. *Quum eum quidam municipum ſuorum Leptitanus, præcedentibus faſcibus, ut antiquum contubernalem, ipſe plebejus, amplexus eſſet, fuſtibus eum ſub elogio Præconis, occidit, Legatum Populi Romani homo plebejus temere amplecti noli.* De exteris etiam Regibus, apud Tacitum *l.* 15. *Annal. c.* 31 ubi pro Tiridate, magni Regis fratre, Rege ipſo antè pactos eſſe Parthos, *ut amplexu provincias obtinentium arceretur* legimus.

AMPLISSIMUS Ordo, Senatorius intelligitur, utpote omnium ſummus atque diligentiſſimus, *l. ſi decipiendi.* 2. §. 2. *ff. ad Senatuſc. Vellejan.* Cujus decreta conſultaque vocantur SC. *l.* 2. *de his quæ ut indign. l.* 15. *ex quib. cauſ. infam. l.* 2. *Cod. ad S. C. Macedon.* Ex quo *Ampliſſimorum* titulis Conſules honorantur, *l.* 50. *ff. de condit. & demonſtrat. l.* 2. §. *penult. ff. de appellat.* Etiam *ampliſſimam poteſtatem* & *Ampliſſimos Judices*, in *Conſtitutionibus* legimus, *l.* 29. *Cod. de appellat. l.* 3. *C. quando provoc. non eſt*, *nec.* quo elogio & Præfecti Prætorio ornantur, *in l. alt.* §. *penult. C. de tempor. appellat.* Briſſonius, apud Ioh. Calvinum *Lexic. Iuridic.*

AMPRE, oppidi nomen apud Plin. *l.* 6. *c.* 28.

AMPSAGA, caſtellum in Numidia. Mela *l.* 2. *c.* 6. ubi aliqui *Ampſe*. Sed nuſquam terrarum hoc nomen reperias. Vaticanus, aliique codd. legunt, *Et Ariſa caſtellum.* Ordo autem ipſe docet legendum hic eſſe *Quiſa*, vel *Quiza*, ut repoſuit Vir doctiſſimus *Iſaac Voſſ.*

AMPSAGA, fluv. Africæ Cirtam urbem alluens. Hodie *Suf Gemar Lud. Marmolio* dictus. Hujus oſtia diſtant Algeriâ 138 mill. paſſ. ab Igilgili 18. milliar. *Suſſegmar* quibuſdam etiam dicitur, & melius.

AMPSALIS, ſeu ALBASEQUIA, Sarmatiæ Aſiaticæ civitas *Ptol.*

AMPSANCTUS, vulgo *Mufiti*, ſub oppido *Frigento*, locus Italiæ in Hirpinis, vide etiam *Amſancti* & *Anſancti valles.*

AMPULLA, inter inſtrumenta Aliptæ, apud Romanos ut vidimus ſuprà; Item inter vaſa & miniſteria Eccleſiaſtica, apud Lanfranc. Breviloq. *Ampulla eſt vas amplum —— quod datur ad altare, in quo ſervatur vinum vel aqua.* Gilibertus Lunic. Epiſcop. *de Uſu Eccleſ. Ampulla cum vino & altera cum aqua.* Anonymus Poëta *de Epiſcop. Eborac.*

Juſſit ut obryzi non parvi ponderis auro
Ampulla *major fieret, qua vina Sacerdos*
Funderet in calicem, ſolemnia ſacra celebrans, &c.

Uſus præterea fuit, *ad oleum pro* Catechumenis *& infirmis* & *Chriſma conſervandum.* Capitulare Caroli M. *l.* 1. *c.* 162. *Presbyter in Cœna Domini tres ampullas ſecum deferat, unam ad Chriſma, alteram ad oleum ad Catechumenos inungendum, tertiam ad infirmos.* Offerebantur autem *Ampullæ* oleò repletæ a fidelibus hâc ipſâ die, ad Chriſma conficiendum & Oleum benedicendum pro Catechumenis, uti docet Alcuinus *de Divin. Offic.* Car. du Freſne *Gloſſar.* &c. De ipſa vero *Ampulla Chriſmatis* ſic Durandus *Ration. l.* 6. *c.* 74. *num.* 27. *Fertur ampulla cooperta ſindone alba in ſiniſtro brachio; portantem ampullam præcedit lumen: & antecedunt duo Sacerdotes, unus cum thuribulo alius cum Cruce & in medio eorum Diaconus, cum libro Evangelii & ſuper capita eorum fertur umbraculum ſeu pallium, & duo antecedunt cantando.* Ibidem *num.* 29. *Ampulla ſimiliter poſtquam benedicta fuit, ex parte cooperta, & ex parte diſcooperta, ſalutatur ab Epiſcopo & Presbyteris —— Salutantur autem quinquies* Ampullæ *ab Epiſcopo —— poſtquam autem ſalutata eſt à Miniſtris Altaris, —— itur, ut a nemine unda videatur & cooperta iterum ſalutatur —— Epiſcopus ter halat in ampullam, &c.* Verba autem, quibus ſalutatur, ſunt, *Ave ſanctum Chriſma:* de quibus ritibus pluribus agit Rivetus *Summæ Controv. Tract.* 2. *Qu.* 18. Inprimis verò *Ampulla Remenſis* in Gallia celebris eſt, in qua oleum, quô unguntur Reges Francorum adſervari ſolet. Hincmarus Remenſ. *Tom.* 1. *p.* 744. & *in Annalibus* Francor. Bertinianis A. C. 868. de Chlodoveo, *cœlitus illud oleum demiſſum*, una cum *Ampulla*, ajunt: addit Flodoardus *Hiſtor. Remenſis l.* 1. *c.* 13. ubi de ejuſdem Regis baptiſmo, *columbam candidam roſtro ampullam* hanc attuliſſe; præter quos etiam videri poteſt Aimoinus *Hiſtor. Franc. l.* 1. *c.* 16. Unde Nic. de Braja in Ludovico VIII. de S. Remigio:

——— ——— Cujus prece rorem
Miſit in Ampullam *cœleſtem Rector Olympi,*
Corpus ut hoc lavacrô Regis deberet inungi,
Depereatque liquor ſine corpore Regis inunctô.

apud Car. du Freſne *loc. cit.* Henricus tamen IV. oleô, non Rhemis, ſed Turonibus, petitô, apud Carnutes, inunctus eſt; & Philippus Craſſus A. C. 1109. in Aurelianenſi S. Sanſonis Eccleſia, Equ. Marſhamus *Canone Chron. Sec* XIII. ubi *de Saule Rege.* Præter *Ampullam* verò hanc etiam Auriflammæ, & Scuti Liliati, ſub hoc primum Chlodovæo, mentio fieri cœpit, quæ tria cunctis ſuperioribus ſeculis magni in Gallia æſtimata ſunt. Vide præter Auctores laudatos, Hub. Morum *de Sacris Unction.* Tenecurium & Chifletium *de Ampulla Rem.* Sirmondum *Notis ad Tom. I. Concil. Gallic. A. C.* 446. &c. Du Haillan verò, Hiſtoriographus Regius *de Statu & Succeſſu rerum Gallic. l.* 3. *Gregorium, ait, Turonenſem, qui circa hæc tempora vivebat, nullô modô meminiſſe hujus ampullæ, nec miraculi, quamvis alia miracula multa referat: primique, qui de ea ſcripſêre, Aimoinus & Hincmarus, nonô* demum ſeculô vixerunt, &c.

AMPULLA, ordo Equitum à Clodovæo I. inſtitutus, de quo vide Gaguin. Aimoin. *l.* 1. *c.* 16. Hincmar. *in vita S. Remigii.* Vide ſuprà.

AMPULLACIA, teſte *Neophyto.* Halimum vocatum Romanis, fortè quòd *ampullæ* vitreæ ex ea fierent, vel quòd ampullæ fractæ eâ ſolidarentur & maltharentur. Ex herbæ enim hujus exuſtæ cineribus fit *ſoda*, vitro conflando idonea, uti diſcimus ex veteri *Ariſtophanis* Scholiaſte, ... Sed hoc inventum vetus non eſſe, inde colligitur, quòd Plinii ætate, ex arena & nitro vitrum fundebatur tantum, unde herbæ hujuſmodi nuſquam meminit. Salmaſ. *ubi ſuprà p.* 1099.

in AMPULLIS, defunctorum olim cineres conditi. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1204.

AMPUNIANA, oppid. Inſulæ Corſicæ, in parte Orientali.

AMPURDANNIA, Principatus Hiſpaniæ. Unde Arragoniæ Regum primogeniti titulum ſovebant. Ejus præcipua urbs eſt Girona. Boterus, *in relatione Hiſp.* Davity, *deſcr. Hiſpan. p.* 155.

AMPYCIDES, Mopſus Ampycis fil. Ovid. *Met. l.* 8. *Fab.* 4.

Ampycidesque ſagax, & adhuc a conjuge tutus
Oeclides.

Idem *Met. l.* 12. *Fab.* 5.

Nec tu credideris tantùm cecinisse futura
Ampyciden Mopſum.

AMPYX, nomen viri proprium. Ovid. *l.* 12. *Met. Fab.* 5.

Ampyca quid referam, qui quadrupedantis Oecli
Fixit in adverſo cornum ſine cuſpide vultu?

Erat autem *Ampyx*, Mopſi pater. Orpheus *in Argon.*

Καὶ Μόψον Τιταρῆθεν, ὃν Ἄμπυκι ...
Χαονίην ... Ἀμπυκίδης ...

Quanquam Scholiaſtes Apollonii *Ampycum* eum vocat, *ut illud. l.* 1.

Ἤλυθε δ' αὖ Μόψος Τιταρήσιος, ὃν περὶ πάντων
Λητοΐδης ἐδίδαξε θεοπροπίας οἰωνῶν.

Ἀμπύκου υἱός, inquit, ὁ Μόψος, ἐκ Τιτάρου, μητρὸς δὲ Χλωρίδος. Ubi vereor, ne errorem commiſerit, patriam ejus pro patre ſumens. Mopſus enim erat è Titaro, oppido, ſeu monte Theſſaliæ. Item *Ampyx*, Patrenſis quidam nobilis Pauſan. *l.* 7. *Nic. Lloydius.*

AMRAM, Latinè *populus excelſus*, vel *manipulus eorum*, aut *cum excelſo*, filius Kaath, filii Levi, Moſis pater Exod. *c.* 6. *v.* 18 Natus eſt A. M. 2386. Denatus, 2522. Alex. Polyhiſtor, *apud Euſeb. l.* 9. *c. ult. de Præp. Evang.* Ἀμαράμης Joſepho dicitur *Jud. Ant. l.* 2. quem vocat unum τῶν εὐγενεστέρων παρὰ τοῖς Ἑβραίοις *c.* 2. 5. Vide Torniel Salian. Spond. *A. M.* 2380. 2522.

AMRAPHEL, Latinè *loquens arcanum*, *occultum*, vel *judicium*; Rex Senaar. Gen. *c.* 14. *v.* 1. Torniel. *A. M.* 2118. *n.* 2.

AMRI, per א, Latinè *amarus*, vel *dicens*, ſive *exaltatio*, aut Syriacè, *aries*, pater Zacchur. Nehem. *c.* 3. *v.* 2.

AMRI, per ע, Latinè *manipulus*, vel *dominium*, ſive *populus rebellis*, vel *amarus*, princeps militiæ ſuper Iſraël, Rex tandem conſtitutus, impietate prædeceſſorum nulli ſecundus, Samariæ ſedem regni conſtituit. Obiit A. M. 3117. regni 12. Vide 1. Reg. *c.* 16. *v.* 16. Mich. *c.* 6. *v.* 15. Sed legendum *Omri*. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 8. *c.* 7. Sulp. Severus *Hiſt. l.* 1. *c.* 74. Item pater Athaliæ, matris Ochoziæ, filii Joram. 2. Reg. *c.* 8. *v.* 26. Et fil. Bechor filii Benjamin 1. Paral. *c.* 7. *v.* 9.

AMRINUS locus, *Wildloch*, nunc in Weſtphalia teſte *Alberto Stadenſi.*

AMROMA, ſeu AMROM & AMROD, Inſul. Daniæ, in ora Ducatus Sleſvicenſis & mari Germanico. Aliis eſt *Amerum.*

AMSANCTUS, Locus in medio Italiæ apud Hirpinos; ſulfureas habens aquas, quæ quòd undique ſilvis, anguſtiisque clauſæ ſint, tam peſtilentem emittunt odorem, ut propius accedentes necentur. Hinc factus locus fabulæ, *In Amſancti vallibus Inferorum ſpiraculum eſſe.* Cicer. *de Divin. l.* 1. *c.* 36. *Quid enim? non videmus, quam ſint varia terrarum genera? ex quibus & mortifera pars quædam eſt, ut Amſancti in Hirpinis, & in Aſia Plutonio, quæ vidimus.* Virgil. *Æn. l.* 7. *v.* 563.

Eſt locus Italiæ in medio, ſub montibus altis
Nobilis, & famâ multis memoratus in oris
Amſancti valles; denſis hunc frondibus atrum
Urget utrinque latus nemoris, medioque fragoſus
Dat ſonitum ſaxis, & torto vertice torrens.

Claudian. *de Raptu Proſerp. l. 2.*

> *Tunc & peſtiferi pacatum limen Averni*
> *Innocuæ tranſiſtis aves, flatumque repreſſit*
> *Amſanctus.* — — —

Plin. *l. 2. c. 93. Alii Charoneæ ſcrobes mortiferum ſpiritum exhalantes. Item in Hirpinis Amſancti ad Mephitis ædem locum, quem qui intravêre moriuntur.* Hinc Sidonius explicandus *l. 3. ep. 13.* ubi lepidè cujuſdam naſum taxans, ait; *Nares circumſedentium ventilatâ duplicis Amſancti peſte funeſtat*, i. e. duo naſi foramina referunt Amſanctum & Mephitum. *Nic. Lloydius.*

AMSTELA, fluviolus Hollandiæ, Amſtelodamum, Urbem celeberrimam, alluit; & ibi in æſtuarium *het Ye* ſe exonerat.

AMSTELRODAMUM, vel AMSTERODAMUM, originem trahit à Caſtro ad fluv. Yam, quod Dominorum *ab Amſtel* erat, unde fluvio nomen. Olim piſcatorum ſedes, nunc florentiſſima, & primaria Hollandiæ civitas, mercimoniorum, ſuiſque cauſâ totô orbe celebris, formâ oblongâ, & ferè triangulari, Venetiarum inſtar, marinis aquis circumluitur; Loci ratione inexpugnabilis; Maximis navigiis frequens eſt, quæ Anglicis, Hiſpanicis, &c. mercibus onuſta, maximô numerô intra civitatis mœnia recipi, exonerarique poſſunt. Pollentes opibus cives habet, adeo ut licèt 300. quandoque navium claſſis uno eodemque tempore appellat, ingentis pretii merces conferens, earum tamen omnium promptiſſimi hic inveniantur emptores, qui ſtatim, vel numeratâ pecuniâ, vel aliarum mercium permutatione, omnia externarum navium bona comparent, ut, vel ſextô etiam die, itineri ſe rurſus committere queant. In Burſa ejus, ut vocari ſolet, omnis generis nationes ex toto orbe huc convolantes viſuntur. Moterio *Miraculum mundi* ob pulchritudinem, opêſque dicta. Hinc in domeſticæ ſupellectilis nitore, cùm univerſæ Hollandiæ, tùm huic imprimis civitati palma debetur. Omnia ejus ædificia maximis alni lignis innituntur, ut plus ſumptuum in fundamento collocationem, quàm ſuperioris ædificii conſtructionem, impendatur. Lanificiô etiam claret; ſed omnium religionum miſcella non parum laudis tantæ urbi deterit. Vulgò *Amſterdam.* longitud. 26. 34. latitud. 52. 30. Capta fuit à Batavis, ſub Gulielmo Naſſovio, A. C. 1578. poſt longam obſidionem; Vixque 2. milliarib. Germanicis diſtat à mari Auſtrano. Vide Cluver. *Itinerarium* Payens, *p. 57. Deſcript. Amſtelodami* Belgic. & German.

AMSTERODAMUM Novum, Urbs Americæ ſeptentrionalis in Novo Belgio, ad oſtia fluv. *de Nort*, hiſce ultimis temporibus extructa, & primaria effecta hujus tractus, ſub Batavis, cum portu capaci & munim. Sed & Amſterodamum, Inſul. maris Glacialis, in ora Occidentali regionis Spitzbergæ. Belgic. *Amſterdamſche eylandt.* Item, Inſul. Maris Indici, verſus Terram Auſtralem incognitam, ab Hollandis his temporibus nomen ſortita. Parvi circuitus eſt, & media inter Novam Hollandiam & Inſulam Madagaſcar. Altera porrò inſula, in mari Pacifico, prope Inſulam *Roterodamum* dictam, inter Peruviam & Inſulas Salomonis, ab Hollandis recens detecta & ſic dicta. Etiam, Aſiæ Inſula, in mari Sinico, à Batavis ſic dicta paucis abhinc annis quaſi media inter Japoniam & Formoſam Inſulas.

AMTRUSTIONES, fuiſſe videntur claſſis quædam ſelecta, cui Reges olim Germanicæ originis plurimùm confiſi, patrocinii beneficium, ob juratam fidelitatem, retribuêre. Chartam inſtituendi *Antruſtionis* exhibet Marculſus *l. 1. c. 18. de Regis Antruſtione.* Origo vocis ab *ampt*, i. e. munus, officium, & *truſty*, (hodieque apud Anglos) i. e. fidus: Sic *Antruſtio* erit, *fidus in munere*, vel *officialis miniſter*, *leudes*, *famulus*, *vaſallus fidelis.* Vide Henr. Spelmannum *Gloſſ. Archæol.* & infrà *Truſtis.*

AMUCHI, nomen apud Indos Præſidum & Paſtorum illorum Chriſtianorum, qui à S. Thoma nomen habent. Quorum ingens in montanis Malabaricis numerus, Itiner. *Archiep. Goenſis*, *l. 2. c. 9.* P. de Valle, *Itiner. Tom. 4.*

AMUDASA, urbs Africæ propriæ, ſeu Byzacenæ provinc.

AMULETA, vide ſupra *Abraces* infrà *Cyclaminus*, *Decanus*, *Jaſpis*, *Iecuncula*, *Lamina*, *Magia*, *Oſtenta*, *Periapta*, *Phylacteria*, *Pileati*, *Pontica*, *Pſellia*, *Kemelia*, *Sputum*, imprimis, verò voce *Vulnus.*

AMULIUS, Rex Albanorum, Procæ fil. Numitoris frater natu minor, quem Imperiò pepulit, filiumque ejus Lauſum necavit. Filiam verò Iliam, Veſtæ ſacerdotem fecit, ut ſpem ſobolis auferret. Occiſus fuit à Remo & Romulo, & regnum avo Numitori reſtitutum. Ovid. *Faſt. l. 3. v. 67.*

> *Romuleôque cadit trajectus Amulius enſe.*

Idem Ovid. *Mutationum l. 14. Fab. 18.*

> *Proximus Auſoniis injuſti miles Amuli*
> *Rexit opes: Numitorque ſenex amiſſa nepotum*
> *Munere regna capit.*

Diverſimodè verò à diverſis hæc hiſtoria narratur, præſertim ab *Euſebio*, *Plutarcho*, *Livio*, *Floro*, *Dionyſ. Halicarn.* & *Eutropio. Nic. Lloydius.*

AMULIUS, Pictor nobilis, qui Minervam depinxit. Plin. *l. 35. c. 10.*

AMULIUS Serenus, Primipilaris in cohortibus Prætoriis. Tacit. *Hiſt. l. 1. c. 31.*

AMUN, h. e. *Occultum*, Jovis nomen apud Ægyptios; Græci ac Latini *Ammon* extulêre: quò *occultatum* ſeu *occultationem* ſignificari Manethos Sebennita voluit, apud Plutarchum *de Iſide & Oſir.* Meminit ejus quoque Jamblichus apud Cœl. Rhodig. *l. 18. c. 37.* *Opifex*, inquiens, ex Ægyptiorum Theologia, *Intellectus, qui & veritas eſt & dominus, atque ſapientia, quatenus in genere progrediens, occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem*, Amun *Ægyptia lingua vocatur. Quatenus autem ſine mendacio peragit omnia, & artificiosè ſimul cum veritate*, Phtha *nuncupatur. Græci verò hunc Vulcanum nominant, artificiaſum duntaxat conſiderantes. Quatenus verò effector eſt bonorum, appellatur Oſiris, aliaſque denominationes habet, propter potentias actionesque differentes.* Vide Tob. Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. purior. c. 1. §. 12.* E quibus obiter colligas, Sapientiores Gentilium, non tam multos Deos coluiſſe, quàm uni Deo, propter varias virtutes actionesque, varia tribuiſſe nomina. Concordat autem ſignificationi vocis *Amun*, iſta Templi Saitici Minervæ dicati *Inſcr.* apud eundem Plut. *d. l.* καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν, *Meum peplum nemo adhuc mortalium detexit.* Numinum magis quid non ſit, quàm quid ſit Deus, ſciri poſſe, fortè etiam hôc epitheto indigitare voluerunt Ægyptii. Certè enim, ut Prudentius contra *Symm. l. 2. v. 94.* adducam verba:

> — *Cum divinis agimus de rebus, & illum*
> *Qui vel principiô caruit, vel fine carebit.*
> — — —
> *Conjectare animô contendimus, exigua eſt vis*
> *Humani ingenii, tantoque anguſta labori.*
> *Quippe minor Natura, aciem ſi intendere tentet*
> *Acriùs, ac penetrare Dei ſecreta ſupremi:*
> *Quis dubitet vel ô fragilem laſſeſcere viſu,*
> *Vimque fatigata mentis, ſub pectore parvo,*
> *Turbari, invalidaque hebetem ſuccumbere ictu!*

Vide eundem Pfannerum *c. 2. §. 33.*

AMUNCLÆ, apud Solin. *c. 2.* *Quantum Italia habeat hoc præjudicium familiare, à ſerpentibus non penitus liberata eſt. Denique Amunclas, quas Amyclas ante Græci condiderant, ſerpentes fugavêre;* Eædem cum *Amyclis*, quas Græci in Italia condiderant, ſic vocantes à Laconicis Amyclis. Latini enim *Amunclas* dixêre, ut Nævius *thunnum*, pro θύννος, *Theſaurum* alii ex Θησαυρός, &c. Salmaſ. *ad Solin. p. 86.*

AMUNDISHAMUS Johannes, vide *Johannes.*

AMUNDUS, vel HAMUNDUS, Rex Sueciæ, animoſus, cui Uffo ſucceſſit. Alii addunt *Amundum* dictum *ſenem* vel *carbonarium*, cui fil. naturalis cognominis ſucceſſerit, contra Regni leges. Eric. Pomeranus, *Hiſt. Suec.*

AMURATHES I. Turcarum Rex Solimanno I. fratri ſucceſſit. Hic in Europam ſtatim tranſgreſſus, Adrianopoli ſedem Imperii fixit. Deio Macedoniæ orâ vaſtatâ, Bulgarorum Principem & Serviæ Deſpotam vicit, cum cujus filio fœdus iniit, acceptâ ejus ſorore. Dein cum Johanne Palæologo amicitiâ contractâ, Myſiam inferiorem ſub jugum miſit. Baſſas rebelles coërcuit, filium ſuum, qui cum Græci Imperatoris filio ad parentes regnô pellendos conjuraverat, excæcavit. Poſtmodum in pugna contra Eleazarum, Triballorum Principem, ſagittâ ictus victor occidit. A. C. 1388. imperii 23. triginta ſeptem prælus feliciter commiſſis inclytus. Leuncl. *hiſt. Muſulmed. 5.* Chalcond. *l. 1. Baudier.*

AMURATHES II. Mahometis I. patris ſucceſſor, Muſtapham, Bajazethi filium prælió vicit, Conſtantinopolim fruſtra obſedit, Muſtapham alterum, à Græco Imperatore denuo ſibi oppoſitum, fudit, & Theſſalonica Venetis ereptâ, Caramaniam aggreſſus, Sperendoviam cepit, Belgradique obſidione fruſtra tentatâ, Boſſinæ Principem ſibi tributarium reddidit, ut & Johannem Caſtriotum, cujus quinque filios ſibi obſides miſſos, contra datam fidem, circumcidit, imò quatuor priores mox venenô ſuſtulit. Dein Tranſylvaniam cùm invaſiſſet, à Joh. Hunniade ad Pacis leges adactus eſt. Quas cùm ſuaſu Juliani, Legati Pontificii, Chriſtiani priores violâſſent, cruentiſſimô prælió A. C. 1444. illos divicit tabulis fœderis cœlum verſus extenſis & Jeſu perfidiæ Chriſtianorum vindice invocatô. Captus ipſe Rex Ladiſlaus, cum fermè jam victor eſſet, ejuſque decollati caput per Græciam circumlatum. Dein Joh. Hunniadem, viginti millibus cæſis, in fugam conjecit. Sed à Georg. Caſtrioto, *Scanderbeg* dicto, qui Turcis elapſus paternas ditiones receperat, tantopere vexatus eſt, ut omiſſô reliquum vitæ in pace, inter Zachitas religioſos Turcas, vivendi propoſitô, in Albaniam revolârit, & denuo Crojam, quam jam antea fruſtra tentaverat, obſederit, ſed, an apoplexiâ, an mœrore animi, ibidem mortuus. A. C. 1451. Imperii 31. Leuncl. *l. 14.* Phranz. *l. 3. c. 2.* Chalcond. *l. 7.*

AMURATHES III. fil. Selimi II. occiſis quinque fratribus, thronum conſcendit, Maximilianum Imperatorem impedivit, ne Poloniæ regnum obtineret, à Perſis ſæpius fugatus, Croatarum quietem ſolicitavit, 10000. Turcarum amiſſis. Dein cum Rodolpho II. Imperatore ipſi res fuit, cujus Ducum alter, Baro de Tauffembach, ſtrenuè rem geſſit, alter Comes ab Hardek Javarinum prodidit. Tandem Janizeris, & Tranſilvaniæ, Valachiæ, Moldaviæque Vaivodis turbas cientibus, præ tædio vitam finiit. A. C. 1595. ætat. 48. imperii 20. Continuatio Chalcond. *Baudier.*

AMURATHES IV. fil. Achmeti, fratri Oſmanno ſucceſſit, A. C. 1623. ætat. 15. Contra Perſas, Arabes, Polonos, Coſacoſque infelix. Obiit, ex nimio potu, A. C. 1640. imperii 16 *Idem.*

AMURGUS & AMURGO, vide *Amorgus.*

AMUS, Cariæ civitas Ἄμος *Steph.* Item, Lacus Aſiæ, in Tartaria & regione Zagathaja, teſte *M. Polo.*

AMUSTHIA, ſeu AMUSTIA, in *Vita B. Coletæ*, *Non obſtante, quod propter infectionem ægritudinis, totus pannus involveris ſuum corpus & tunica & amuſthia: Macra* eſt quædam textura, Italicè *Saja*, Gall. *Amoutte*, lanâ, linôque confecta, è qua in uſum Monialium infirmarum induſia conficiebant. Carolo du Freſne, tunicæ Monialibus propriæ ſpecies, quæ ad genua uſque pertingebat, unde quibuſdam, quod ad mediam corporis partem tantùm excurreret, dicta videtur ex Gall. *a moitie.* Vide eum in *Gloſſar.*

AMUTHANTÆUS, Thebanorum in Ægypto Rex XXXVII. Phruroni vel Nilo ſucceſſit, regnavit ann. 63. ac bellum cum Tanitis ſeu Paſtoribus à Mæride cœptum continuavit, cum Pliſſene videl. Nephel-chere, Amenophthi & Olochm. Eum excepit Amoſis. Joh. Marshamus *Canone Chron.* ex *Manethone* aliiſque.

AMYCA, Cœleſyria ab Hebræis עמקא *Amuca*, à Syris עמיקא *Amyca*, i. e. *profunda* dicebatur. Unde Ἀμύκης πεδίον Polybio *l. 5.* ubi de Oronte fluvio: Τὸ ἀρχαῖον τῆς προσαγορευ-

... Alſwoo ... A'vuxλαwo ... & *Aſguiras ... wodin, ... A'muyχλw.*

AMYCI Portus, locus in Ponto Amyco Bebrycum Rege interfecto, clarus, Plin. *l.* 5. *c.* 32. Cujus tumulus lauro tegebatur, quam inſanam vocabant, quoniam, ſi quid ex ea decerptum navibus inferretur, jurgia ſiebant, donec abjiceretur. Unde *Aaφ... ...* *Arriana* dicitur. Hodie *Lamo*, & *Scala marmorea* dici, ſcribit Gyllius *in ſuo* B *ſphoro*. *N... Lloydius.*

AMYCLA, una ex filiabus Niobes, quam tradit Pauſan. *l.* 2. cum Melibœa ſorore ſervatam, implorata Latonæ venia. Homer. tamen ... ſcribit, *Il.* 12.

AMYCLÆ, urbs Italiæ, inter Cajetam & Tarracinam, à Laconibus, Caſtoris & Pollucis comitibus, condita, & ab Amyclis Laconiæ ſic appellata. Cujus cives, cum, ſecundum Pythagoreorum ſectam, ab ... & animalium cæde abſtinerent, ſerpentesque ex vicinis paludibus natos occidere nefas putarent, ab iiſdem ſunt interempti. Ubi adhuc ſpecus Amyclæum, *Speronga* vulgo; ex quo mare Amyclæum *mare di Speronga*. Plin. *l.* 3. *c.* 5. à muribus deletas ſcribit. Et *l.* 8. *c.* 29. ab hoſtibus captas hoc modo: Cum frequenter hoſtium adventus falſo nunciaretur, legibus cautum eſt, ne quis porro hanc famam ſpargeret. Unde poſtea ex improviſo captæ ſunt Amyclæ. Hinc Proverbium: *Loqui volo, nam ſcio Amyclas tacendo periiſſe*. Unde etiam *Tacitæ* dicitur Virgilio, *l.* 10. *Æn.* v. 583.

Tacitis regnavit Amyclis.

Vide Serv. *in hunc loc.* Catullus Urbicarius, in *Pervigilio Veneris*, quod alii Petronio adſcribunt v. 90.

Perdidi Muſam tacendo; nec me Phœbus reſpicit:
Sic Amyclas, cum tacerent, perdidit ſilentium.

Sil. Italicus *l.* 8. v. 529.

— — Quaſque evertêre ſilentia, Amyclæ.

Unde *Amyclas vivere*, pro Amyclarum more ſilere, Auſonius dixit *Profeſſor. carm.* 15. v. 7.

Taciturne, Amyclas qui ſilendo vviceris.

Sunt tamen, qui Fatum hoc Amyclis Laconicis tribuant: De quibus paulo poſt. *Nic. Lloydius.*

AMYCLÆ, urbs erat Auruncorum popul. Italiæ & Latii, in ora maritima. Hinc olim ſinus Amyclanus, qui eſt Cajetanus & Formianus, nunc *Golfo di Gaeta* dicitur.

AMYCLÆ, Peloponneſi civitas, Caſtoris & Pollucis patria, canum nobilitate celebris. Unde Virg. *l.* 3. *Georg.* v. 345.

Armaque, Amyclæumque canem Creſſamque pharetram.

Una ex iis urbibus, quas olim Lacedæmonii centum tenuêre, inſtitutis etiam communibus ſacris pro ſingularum ſalute, quæ Hecatombas ab earum numero vocabant. Ab iis autem capta eſt ſub Teleclo Rege. Tunc etiam Lacedæmonii *Amyclas*, Pharin, Geranthras, oppida finitima, quæ ab Achæis adhuc tenebantur, everterunt. Et quidem Pharitæ & Geranthratæ, metu territi è Peloponneſo ex pacto deceſſerunt. *Amyclenſes* autem fortiter reſtiterunt, & cum multa dediſſent virtutis documenta, diuturnitate belli tunc ſuperati. *De iis porro Dorienſes tropæum erexerunt, quaſi nihil memorabilius ab ipſis geſtum fuiſſet*, Pauſan. *Laconicis*. Nomen indidit *Amyclas* Lacedæmonis filius, cujus matrem Diomedam Interpres Nicandri nominat. Amyclis autem, ut in tota fere Laconia, Apollo colebatur, uti poſtea docebimus, in *Amyclæus*. Hæ Amyclæ ab Ovidio vocantur *armiferæ*, *de Art. Am. l.* 2. v. 5.

Taus ab armiferis Priameius hoſpes Amyclis
Candida cum rapta conjuge vela dabat.

Item *patriæ* ab eodem, *Met. l.* 8. *Fab.* 4.

Et quos Hippocoon antiquis miſit Amyclis.

Item *Ledææ* Statio, *l.* 7. *Theb.* v. 163.

Parrhaſiumque nemus, Ledæaſque ibis Amyclas.

Item *tetricæ*, à ſevera Pythagoræorum ſuperſtitione eidem *l.* 5. *Sylv.* 3. v. 153.

Tetricis Alcman cantatur Amyclis.

Therapnæa vocantur à Martiali, *l.* 9. *Epigr.* 106. v. 5.

Iſta Therapnæis ſi forma fuiſſet Amyclis.

Etiam *Taygeta*, à monte Taygeto, ad cujus radices ſitæ, olim quoque *Lemnæ* in Laconia provinc. prope Eurotam fluv. Nunc *Vordonia*, Nigro teſte, appellatur. longitud. 48. 52. latitud. 35. 48.

AMYCLÆI, coloniam miſerunt in Cretam. *Onuphrius.*

AMYCLÆUM, civitas, & portus Cretæ. *Steph.*

AMYCLÆUS, Apollo ſic dictus, propter Amyclas, ubi eſt templum ei dicatum, opere, divitiiſque præcipuum, in loco omni arborum, ac frugum genere refertiſſimo, vide Pauſan. *l.* 3. Strab. *l.* 8. Hinc propter arborum pulchrarum copiam, Amyclæ Statio *virides* vocantur. *Theb. l.* 9. v. 769.

— Hunc virides non excipietis Amyclæ.

Herbas ejus commendat Val. Flacc. *l.* 1. v. 425.

Victorem pavida Caſtor dum quæreret Helle,
Paſſus Amyclææ pingueſcere Cyllaron herbæ.

De Apollinis autem fano ſunt & hæc Strabonis verba *l.* 8. *Ὑπὸ ... Ταΰγετον ... Ἀμύκλαι, ἐν ᾧ τὸ τοῦ Ἀμυκλαίου ἱερόν.* Hinc Amyclæ *Apollineæ* Statio dicuntur, *Theb. l.* 4. v. 223.

Hujus Apollineæ currum comitantur Amyclæ.

Ubi Lactantius, Luctatius, ſive Lutatius Scholiaſtes, *Amyclæ Laconicæ ...*, *ſacræ Apollini.* *Ni. Lloydius.*

AMYCLÆUS, Statuarius quidam, Pauſan. *l.* ...

AMYCLAIDÆ, calceamenti vitiis genus, vide infra *Vir.*

AMYCLAS, fil. Lacedæmonis & Spartes, abnepos Lelegis, Amyclas urbem condidit, vide ſupra *Amyclæ*. Soror ejus Eurydice Acriſio Argivorum Regi nupſit, mater ex ipſo Danaës. Ei ſucceſſit fil. Argalus, quem Cynortas frater excepit. Vide Pauſan. *l.* 3. Tertium filium habuit Hyacinthum, de quo ſuis locis.

AMYCLAS, Heracleota, Philoſophus Pythagoricus Geometriam ſtudioſiſſime excoluit, Procl. *l.* 2. *in Eucl.* Diog. Laërt. *in Democrito.* Item, Rex Spartæ, vide. *Amyclæ.*

AMYCLAS, Gubernator navis quæ duodecim ſcalmorum magnitudinem non exceſſit, à C. Julio Cæſare obvoluto capite & privato cultu conſcenſæ: qui cum tempeſtatis vi ſuperatus retrocedere ſtatuiſſet, Cæſar retecto capite exclamavit, *Caſarem Cæſariſque fortunam vehis.* Lucan. *l.* 5. v. 520.

—— Molli conſurgit Amyclas,
Quem dabat alga, toro.

AMYCTERES, apud *Strabonem*, gens Indiæ monſtroſa. *Ἀμυκτῆρες* Græcis, h. e. *naſuti*. Salmaſ. *in Solin. p.* 1006.

AMYCUS, Neptuni, & Meliæ nymphæ fil. Bebrycum Rex; qui eam conſuetudinem habuit, ut advenas ad certamen provocaret, & inſidiis circumventos ibidem interficeret. Cum itaque Argonautæ illuc veniſſent, Pollux ab eodem ad certamen provocatus, cognitis inſidiis, ſocios convocavit, & ab iis adjutus Amycum interfecit. Vide Theocrit. *in Idyll.* 22. cui titulus *Διόσκουροι*.

AMYCUS, Centaurus, Ixionis & Nubis fil. Ovid. *Met. l.* 12. *Fab.* 5.

Primus Ophionides Amycus penetralia donis
Haud veritus ſpoliare ſuis.

AMYCUS, Æneæ comes. Virg. *Æn. l.* 1. v. 225.

Nunc Amyci caſum gemit, & crudelia ſecum
Fata Lyci.

Idem *l.* 9. v. 771. —— *Inde ferarum*

Vaſtatorem Amycum, quo non felicior alter
Ungere tela manu, ferrumque armare veneno.

Frater Dioris Idem *l. ult.* v. 509.

Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Dioren
Congreſſus pedes, hunc venientem cuſpide longâ,
Hunc mucrone ferit. —— *Nic. Lloydius.*

AMYDON, civitas Macedoniæ, in Pæonia regione, ad Axium fluvium, unde auxilia miſſa fuêre Trojanis. Homer. *Il.* 2. v. 848.

Αὐτὰρ Πυραίχμης ἄγε Παίονας ἀγκυλοτόξους,
Τηλόθεν ἐξ Ἀμυδῶνος, ἀπ' Ἀξιοῦ εὐρὺ ῥέοντος,
Ἀξιοῦ, οὗ κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται αἶαν.

Ubi Scholiaſt. *Ἀμυδῶνος πόλεως Παιονίας.* Ejus meminit Juvenal. *Sat.* 3. v. 69.

Hic altâ Sicyone, aſt hic Amydone relictâ,
Eſquilias, dictumque petunt à Vimine collem.

AMYGDALINUM Unguentum, Plinio, *ex ... amaris nucibus arefactis & in offas contuſis, aſperſis aquâ iterumque tuſis exprimitur*, *l.* 13. *c.* 7. quod è Dioſcoride habet. Sic autem vocatum hoc unguentum tradunt, quod in eo conficiendo galbanum admiſceretur, *M...* in Ægyptiis dictum. Unde Plinium, *...* arborem Hammoniaci vocaſſe, carpit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 352. Plura de *Amygdalo* Vide infra ubi de *Virga Aaronis*.

AMYMNI, Epiri populi. *Steph.*

AMYMONE, Danai Regis filia, una ex 50. ſororibus, quæ, dum ſe in ſylvis jaculando exerceret, Satyrum percuſſit imprudens, qui, impetu in eam facto, vim ei voluit inferre. Quapropter implorato Neptuni auxilio, ab eo paſſa eſt, quod à Satyro formidarat. Itaque prægnans facta Nauplium peperit. Hanc in ſmaragdo Alexander ſculpi voluit. Strab. *l.* 8.

AMYMONE, fons & fluv. Peloponneſi per Argiam regionem fluens in Lernam paludem, ab *Amymone* Danai filia nomen habens. Ovid. *Met. l.* 2. *Fab.* 1. v. 239.

----Quæritur Bœotia Dircen,
Argos Amymonen, Ephyre Pyrenidas undas.

AMYNE, collis, mons Falerni, in Campania, vel *Aminæ*, vide *Aminea*.

AMYNIAS, Equiſo, equorum mangonio exercendo, rem ſuam apud Athenienſes fregit. Vide Ariſtoph. *Nubib.* Notus etiam oſor populi.

AMYNTÆ, Theſprotica gens. *Steph.*

AMYNTAS, à Nino decimus ſeptimus Rex Aſſyriorum, regnavit an. 25. ſatis feliciter. Euſeb. *Chron.* Item Rex Lacedæm. qui Athenas Hippiæ obtulit, Herodot. *l.* 5.

AMYNTAS I. poſt Alcetam Patrem, Macedoniæ Rex A. M. 3396. à cujus filio Alexandro, cum Legati Megabyzi, ob inſolentiam, eſſent occiſi; Bubares contra eum miſſus eſt, qui tamen pro hoſte gener ejus evaſit, Juſtin. *l.* 7. *c.* 3. Euſeb. *Chron.*

AMYNTAS II. Menelai, vel Tharralei fil. quartus Macedoniæ Rex. Occiſo inſidiis Pauſania, regnum invaſit, donec ab Illyriis ejectus ac ſpei recuperandi regni renuntians, donatâ Olynthiis finitimâ regione, paulo poſt à Theſſalis in regnum reſtitutus eſt. Cum Illyriis & Olynthiis, Lacedæmoniorum auxilio vixus, rem geſſit. Monitus à filia Euryone, ſibi ab uxore Eurydice perniciem imminere, ſibi proſpexit, obiitque decrepitus. An. regni 24. Ex priore conjuge Alexandrum, Perdiccam, & Philippum Alexandri M. patrem, ex poſteriore autem Archelaum, Aridæum, & Menelaum genuit, ſed Philippus, amoris erga fratres oblitus, eos trucidavit, atque ita patri in regno ſucceſſit. Juſtin. *l.* 7. *c.* 4. Diodor. Sic. *l.* 14. 15. Xenoph. *l.* 5. Nepos & Plut. *in Pelopida.*

AMYNTAS III. nonus Macedoniæ Rex, regnavit. ann. 50.

AMYNTAS IV. decimus ſextus Macedoniæ Rex, regnavit ann. 6.

AMYNTAS V. decimus octavus Macedoniæ Rex, regnavit ann. 21.

AMYNTAS VI. decimus nonus Macedoniæ Rex, regnavit ann. 45.

AMYNTAS, Gallogræciæ ſeu Galatarum Rex, Dejotaro ſucceſſit: Tetrarcharum hujus gentis ultimus. Poſt eum namque Auguſtus Cæſar regnum hoc in provinciam redegit, quo pacto Græcæ Monarchiæ, cujus hæc rudera in Aſia minori erant (Cappadocia nempe, Cilicia, Pergamus, Bythynia &c.) Roma-

Romana potentia finem impoſuit. Vide Strabonem *l.* 12. & infrà *Gallogræcia.*

AMYNTAS, Andromenis fil. inter Duces Alexandri Magni. Curt. *l.* 2. *c.* 6. fortè is eſt, qui quartò loco inter Chiliarchas, ab Alexandro, donatus eſt, in Satrapene.

AMYNTAS, unus ex Alexandri Ducibus, ad Darium transfuga; qui Perſis ad Iſſon victis, cum quatuor millibus Græcorum ipſum ca acie perſecutus, Ægyptum petiit atque occupare feſtinavit. ſed ibidem, ab Mazace, cum omnibus occiſus eſt. Curt. *l.* 5. *c.* 9.

AMYNTAS, Antiochi fil. è Macedonia ſe ſubduxit, non ob aliud, quam quod Alexandrum odeiat, & propterea ſe viniſſim ei inviſum crederet. Item, fil. Arrabei, contra hoſtes ſpeculatum miſſus. Vide Curt. *Arrian. Diodor. Sic. Juſtin.* Freinshemii *Supplem.* *l.* 2. *c.* 6.

AMYNTAS alius, in exercitu Alexandri Magni, Equitum præfectus. Curt. *l.* 4. *c.* 15. Habuit fratres Simmiam, & Polemonem, amiciſſimus Philotæ, & ideo conjurationis ſuſpicione implicatus ac juſſu Regis vinctus. Verum egregiè ſe defendit, abſolutusque eſt. Idem *l.* 6. *c.* 9. & in locum Clyti, Sogdianis datus Prætor, à Rege. *l.* 8. *c.* 12.

AMYNTAS, paſtoris nomen, apud *Theocritum*, & Virg. *Ecl.* 2.

AMYNTAS, fecit volumen, quod Σταθμοὶ, ſive *manſiones* inſcripſit. Meminit Athen. *l.* 10. & 12. ubi aliquid de ſepulchro Sardanapali, ejuſque epitaphio Chaldaicè ſcripto, ex illo citat: & Ælian. *de Animal. l.* 17. *c.* 17.

AMYNTIANUS, Hiſtoricus Græcus ſub Marco Antonino Imperatore ſcripſit elogium Alexandri M. ſed ineptum. Præterea vitam Olympiadis, item vitas parallelas Dionyſii & Domitiani. Philippi & Auguſti. Photius *Biblioth. Cod.* 131. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 14.

AMYNTOR, Phœnicis pater. Homer. *Il.* I. *v.* 448. *&* *v.* 266.

> Οἷον ὅτε πρῶτον λίπον Ἑλλάδα καλλιγύναικα,
> Φεύγων νείκεα πατρὸς Ἀμύντορος Ὀρμενίδαο.

Ovid. *Ep.* 3. *Heroid. v.* 27.

> *Venerunt ad te Telamone & Amyntore nati.*

Idem *Met. l.* 8. *v.* 307.

> *Hippothouſque Dryaſque & cretus Amyntore Phœnix.*

Item Dolopum rector, Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 364.

> *Quem Dolopum rector bello ſuperavit Amyntor.*

Item unus ex filiis Ægypti, ab uxore Danai filia, primâ nocte interemptus. Hyginus *in Fab. Poëtica n.* 170. Item, Pellæus Macedo, Pater Hephæſtionis. N. *Lloydius.*

AMYRÆI, prius *Cenæani* dicti, ab urbe Amyro.

AMYRALDUS Moſes, Salmurienſis Theologus; Edidit Paraphraſin *in Pſalmos*. Conſiderationes in *c.* 7. *Rom.* in 8o. Salmurii 1648. In *ad Epheſios*; Vitam Lanovii, cognomine *Bras de Fer*, &c. Obiit A. C. 1665.

AMYRAS, vide *Jalcos.*

AMYRGIUM, campus Sacarum. *Steph.*

AMYRICUS Campus, locus circa Theſſaliam. Polyb. *l.* 5.

AMYRIS, Sybarita, de quo talis hiſtoria narratur. Quùm Sybaritæ opibus florerent, quendam Delphos amandârunt, qui de rerum ſuarum ſucceſſu ſciſcitaretur oraculum. Reſponſum eſt autem, tum evertendam fore Sybaritarum fortunam, ubi plus honoris habere cœpiſſent hominibus, quàm Diis. Evenit deinde, ut ſervus à domino vapulans cum fruſtra ad Deorum aras confugiſſet, pòſt ad heri monumentum confugiens, à plagis liberaretur. Quod ſimulatque conſpexit Amyris, collectis rebus ſuis in Peloponneſum confugit, reliquis interim Sybaritis hominem velut inſanum ridentibus. Inde proverbiali figurâ dici cœptum, *Amyris inſanit*, ubi quis inſaniæ prætextu, rebus ſuis conſulit, aut, ubi quis ſolus periculum proſpiciens in tempore ſibi cavet, creditus interim vulgò deſipere, ac demum eventus docet, illum unum ſapuiſſe.

AMYRIUS, Rex Derbicum, cum quo Cyrus major conflixit, in eoque prælio, ſecundùm Cteſiam, cecidit.

AMYRUS, Theſſaliæ oppid. *Steph.* Item fluv. Val. Flacc. *l.* 2. *v.* 11.

> *Intranteinque Amyron curvas quæſita per undas.*
> *Æquora.* —— —— —— —— —— Inde *Amyricus campus.*

AMYSCHÆNUM, loci nomen. *Steph.*

AMYSTIS, Indiæ fluv. qui in Gangem influit. Arrian. *in Indic.*

AMYSUM, oppidi nomen. Plin. *l.* 6. *c.* 2.

AMYTHAON, Crethei fil. ex Tyro ſuſceptus, homo belliciſſimus, habitus inter nobiliores medicos, Melampodis & Biantis, qui Reges Argivi fuerunt, pater, Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 550.

> —— —— *Amythaoniuſque Melampus.*

Tibull. *Panegyr. Meſſala*, *l.* 4. *Epigr.* 1. *v.* 121.

> *Quem Amythaonius nequeat certare Melampus.*

Hunc vel reſtauratorem ludorum Olympicorum, vel augmentatorem credit, Pauſan. *l.* 5. Ab eo dicta *Amythaonia*, pars Elidis. *Steph.*

AMYTRON, Thraciæ urbs. *Heſych.* Ἄμυτρον, πόλις τῆς Θρᾴκης. Sed ibi legendum Ἄμυδον, ut rectè notat *Palmerius.*

AMYZON, Cariæ urbs. Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Mezo* hodiè, longitud. 57. 00. latitud. 38. 55.

ANA, Hiſpaniæ fluvius. Vide *Anas.*

ANA, cum ע, Latinè *reſpondens*, vel *cantans*, ſive *affligens*, vel *pauper*, pater Oolibamæ uxoris Eſau, Mulorum, an thermarum inventor? vide Torniel. *A. M.* 2319. *n.* 10. Gen. *c.* 36. *v.* 2. Filius item Sebeon, filii Seir Horræi. 1. Paral. *c.* 1. *v.* 38.

ANA, vel Hana cum ח, Latinè *commotio*, vel *motus*, nomen Idoli. 2 Reg. *c.* 18. *v.* 34.

ANAANUS, ſummus Sacerdos à Cyreniis conſtitutus. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 15. *c.* 5.

ANAB Latinè *uva*, aut Syriacè *ſodes*, nomen civitatis, ſive montis. *Joſ. c.* 11. *v.* 21. & *c.* 15. *v.* 49.

ANABAGATHA, Urbs Aſiæ Archiepiſcopalis ſub Patriarcha Antiocheno.

ANABAPTISTÆ, Hæretici, ſic dicti, quòd infantibus Baptiſmum negent, adeoque jam baptizatos ſub tempore rebaptizent, Thomæ Munzeri auſpiciis, A. C. 1524. exorti, qui ruſticis totius Germaniæ contra Principes ſuos fruſtra ſuſcitatis, capite plexus eſt. Horum deliria, & ſectas innumeras, in quas ſubdiviſi, vide apud Prateol. Sander. Meshovium *Hiſt. Anabapt.* Genebr. *in Clem.* VII. Inprimis apud Spanhemium, *Diſſertationibus de Origine & progreſſu Anabapt.* in Anglia, ſub Elizabetha & Iacobo I. duo *Anabaptiſtarum* erant genera, quidam Hæretici, & *Communionem bonorum aſſerentes*, *Magiſtratum ac Pædobaptiſmum negantes*, ſed parvò admodum numerò: alii, cætera orthodoxi, ſolum *Pædobaptiſmum negantes*, quorum turba ingens. Sub Carolo I. *Anabaptiſtæ*, unum ex IV. generibus ſeu claſſibus Independentium conſtituere cœperunt, tirones adhuc, necdum ad eos errores dilapſi, quos apud transmarinos invenias. Tota ferè lis, quæ illis cum orthodoxis intercedit, in *loco de Baptiſmate* conſiſtit & *Vocatione Miniſtrorum*. Baptizandos volunt *totos in flumine ſubmergi & quaſi aquis ſepeliri*. Miniſterium concedunt *cuilibet*, *qui poteſt concionari*, & Miniſtrorum *ſtipendia* volunt *eſſe libera*. Confeſſionem Fidei ſuæ, nomine VII. Eccleſiarum Anabapt. Londinenſium ediderunt A. C. 1644. conſtantem articulis 52. quorum pleraque referta ſunt ambiguitatibus & callidis reſervationibus. Nempe errores ſuos ſubdolâ phraſeologiâ abſcondunt, mentemque ſuam ſic explicant, ut Controverſias callidè declinent. G. Hornius *Hiſtor. Eccl. Periodo* III. *Artic.* 3. §. 46.

ANABASII, memorati Hieronymo *adv. Ruffinum l.* 3. *c.* 1. *Idcircone Cereales & Anabaſii tui per diverſas provincias cucurrerunt, ut laudes meas legerent?* Veloces fuêre nuntii, qui equis curribuſque conſcenſis velociter huc illuc mandata perferebant à Græco ἀνάβασις, *aſcenſus*, Car. du Freſne *Gloſſar.*

ANABATHRA, ſeu ANABATHRUM, Græcè ἀναβαθμὸν, gradus, dignitas Pſeudo-Ovidius *de Vetula l.* 1.

> *Ille putat, qui ſic adipiſcitur hoc anabathrum,*
> *Cujus habet turpem promotus reproba cauſam*, &c.

In aula Conſtantinopolitana thronus, cui inſidebat Imperator: Codinus *de Offic. Aula Conſtantinopolit.* *Rurſumque ad Anabathrum veniens, ſedet Imperator.* Vide Car. du Freſne *Gloſſ.* & Meurſium *Heroolex.*

ANABIS, fluv. Item urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis. *Ptolem.* fortè *Igualada*, ad Noyam amnem, in Catalonia, teſte Bertiô. Pagus Ægypti. *Euſeb.*

ANABOLADIUM, ſeu ANABOLAGIUM: Iſidoro *amiclorium eſt linteum fœminarum, quô humeri operiuntur, Græcè Latinèque ſindon. l.* 19. *c.* 25. *circa renes alligatum ſtrictè, latitudine diffuſum, omne genus continens colorum*, Ugutioni: *linteum tegumentum, quod caput tegit*, in *Gloſſ.* Saxon. Ælfrici: *veſtis Pontificalis* in *Ord. Rom.* idem cum *Humerali.* Ibid *cum Amictu*, Macro. *Pallium ab utroque latere regeſtum*, ἐπικείμενον ἀναβόλαιον, ſeu ἀναβολὴ & ἀναβόλαιον, Salmaſio *ad Tertullian. de Pallio*, ab ἀναβάλλεσθαι. Unde τὸ ἱμάτιον ἀναβεβλημένον, & τὸ ἱμάτιον ἀναβαλλόμενον, Græcis dicitur, qui pallium ſic utrinque regeſtum gerit. Qui mos pallii gerendi communis olim habitus elegantiorum Græcorum fuit. Partem enim utramque pallii retrorſum jaciebant, ita ut tota, quæ ſuberat tunica, pateret: pallium verò ipſum cervicibus circum ſtrictum moroſiuſque in rugas plicatum & ordinatum, fibulæ morſu in humeris tenebatur. Cum contrà Philoſophi, & præcipuè Cynici, tribonium ſuum veſtientes, totos ſeſe pallio obvolverent, atque partem ejus de ſub dextro humero ſuper ſiniſtrum rejicerent, ſicque, excluſò dextrô, obvelatô ſiniſtrô humerô eſſent. Vide Salmaſ. *ad d. Auct.*

ANABOLICÆ Species, apud Flavium Vopiſc. in *Aureliano*, *c.* 45. *Vectigal ex Ægypto urbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ, lini, ſtupæ atque anabolicas ſpecies æternas conſtituit*: i. e. *Embolica.* Ἀναβολὴ enim & ἐμβολὴ ejuſdem ſunt ſignificationis nomina ac utrôque indigitatur *onus navis*; quod de embola quidem magis certum, quia magis protritum, cùm *anabola* minus frequenter in eo ſignificatu occurrat: de hac verò minimè dubium eſt, quin idem ſignificet. Ἐμβάλλειν eſt *imponere in navem*, idem & ἀναβάλλειν: unde & ἀναβάλλειν, *in equum imponere* quod munus qui exhibent, Ἀναβολεῖς dicti. Sic ἀναβαλλόμενος εἰς ζυγὸν, *in lancem impono*, apud Athenæum. Adeoque verum eſt, verbum hoc ſignificare, *onus imponere*, *onerare*, ut etiam elegianti tranſlatione de bibulis dicatur, qui celocem onerant & vinô ſe implent. Gloſſæ, *Bibula*, Πότης ὁ ἀναβαλλόμενος: unde *celocem onerare*, pro *inebriare ſe*, apud Comic. Plaut. *Pſeud. Act.* 5. *ſc.* 2. *v.* 12.

> *Unde onuſtam celocem agere te prædicem? PS. cum tuo ſilio,*
> *Perpotavi modo*, &c.

Itaque *Anabolica* & *Embolica ſpecies*, eædem ſunt. Et quidem Αἰγυπτίων Ἐμβολὴν, ſeu, ut alii ſcribunt, ἐμπολὴν, apud Euripidem Grammatici rectè interpretati ſunt φόρτον, quâ voce Græci notant minutas merces, &c, ut ipſi dicunt, τὸν λεπτὸν φόρτον: cujuſmodi inter Alexandrinas merces fuêre vitrum, charta, linum, ſtupa, aliaque, tum Vopiſco hic memorata, tum Marco jam Tullio *Orat pro Rabirio Poſthumo.* *Embolam* autem *ſacram*, appellârunt certum frumenti modum, quem neceſſario Romæ ſubminiſtrabat Ægyptus. Quod non primus inſtituit Aurelianus, ſed ipſe, ut videtur, Auguſtus, ut à cujus tempore frequens *Alexandrinæ Claſſis*, apud veteres Scriptores, mentio eſt. Sed poſt Auguſtum, multi Principes circa hanc claſſem aliquid innovârunt, & videtur Aurelianus frumento Ægyptiaco alias ſpecies adjeciſſe, quæ pars Embolæ ſacræ cenſerentur; quod poſtea videtur iterum mutatum. Nam *ſacram Embolam* Juriſconſulti nominant τὸ τῆς αἰσίας ἐμβολῆς εἶδος. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *Notis ad d. l.* & plura hanc in rem infrà, in voce *Embola* &c.

ANA-

ANABUM, civitas circa Danubium. Α'ναβον, *Ptol.*

ANABUS, oppid. Germaniæ, prope Danubium fluv. forſan ubi nunc Nchoſelium, *Neyheuſel*, in Hungaria.

ANACÆA, pars tribus Hippothoontidis. *Steph.*

ANACALYPTERIA, dies feſtus fuit poſt nuptias, cùm ſponſa revelabatur, ut ab omnibus conſpiceretur. Munera etiam novæ ſponſæ *anaclypteria* dicantur *Philoſtrato*. Vide Cæl. Rhodig. *l.* 21. *c.* 20.

ANACAMPTICA, vide infra *Anaclaſtica*.

ANACARA, Ital. *Naccara*, crepitaculi ſeu tympani genus, quod ex una tantum parte eſt pelle coopertum, ex alia verò in convexitatem deſinit, inſerviuque equitatus militiæ, apud Orientales imprimis ac Teutones. In *Vita Ludov. Tympana*, *Anacara & alia ſimilibus inſtrumentis horribiliter reſonabant*. Meurſius in *Gloſſar. Naccarum* appellari ait, refertque Curopalata, quoties Imperator Conſtantinopolitan. ante prandium per civitatem progrederetur, tubis *anacarisque* populum ad concurſum commonitum fuiſſe; in pomeridiano verò egreſſu, ſigna hæc data non fuiſſe, ne quis fortè ebrius incompoſitè ac temerè ad Imperatorem accederet, *c.* 5. apud Macros fratres *Hierolex.*

ANACE, urbs Achajæ. *Steph.*

ANACES, Caſtor & Pollux ſic dicti. *Nic. Lloydius.* Græcè Α'νακες, (ita enim cum *Victorio*, quam Α'νακτες, legere mavult *Voſſius*) quo nomine juxta receptam ſententiam, Tyndaridæ dicti ſunt, Caſtor nempe ac Pollux. Itemum Plut. in *Theſeo*, Τιμῶν ἰσοθέων ἔτυχον Α'νακες ὀνομασθέντες, *Divinos honores conſecuti, qui Anaces appellati*. Theodoretus *Græcanic. affect. l.* 8. Καὶ μὴν δὲ καὶ Τυνδαρίδας Θεοὺς ὠνόμαζον Ε'λληνες ἢ Διοσκούρους ὠνόμαζον καὶ ε'φόρους καὶ Α'νακας. *Et quidem Tyndaridas Deos vocarunt Græci, & Dioſcuros nominarunt, & ſamiliares & Anaces.* Ac ſimiliter Tzetzes in *Lycophron.* Eoſque Α'νακας dictos putabat Euſtathius in *Odyſſ. α.* quia Græci ἀνακῶς dicant, pro φροντιστικῶς, ἐπιμελῶς, παραφυλακτικῶς, *curatè, ſtudioſe, cautè*: quod ipſum legas apud Plut. in *Theſeo*, quamvis hic arbitretur poſſe etiam ex eo nomen videri, quia procuraverint ἀνοχὰς, ſeu inducias; vel ab ἄνω, h. e. *ſupra*, quia in cœlis conſpiciantur. Unde Horat. *l.* 1. *Od.* 3.

Sic fratres Helenæ lucida ſidera.

Accuratiùs verò, qui hac de re diſſerunt, non ſolos Tyndaridas Α'νακας docent fuiſſe dictos, verùm & Tritopatream, Eubuleum & Dionyſium, de quibus ſic Cicer. *de Nat. Deorum l.* 3. *c.* 21. *Dioſcuri etiam apud Græcos multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur* Anaces, *Athenis ex Jove, Rege antiquiſſimo, & Proſerpina nati, Tritopatreus, Eubuleus Dionyſus. Secundi, Jove tertio nati ex Leda, Caſtor & Pollux. Tertii dicuntur à nonnullis Alco & Melampus Emolus, Atrei filii, qui Pelope natus fuit.* Nempe ita dixêre Veteres viros principes, qui genus ducerent ab Anac ſive Ænac, qui & Hæbræis, ענק, LXX. ſenibus Ε'νακείμ, aliis *Anacim*. Meminit Moſes, Numeror. *c.* 13. *v. ult. Vidimus gigantes e filiis Anac* & Joſ. *c.* 11. *v.* 21. *Excidit Enacæos.* Item *c.* 14. *v.* 15. *Nomen autem Hebronis fuerat Cariath-Arbe. Is fuerat homo inter Anacæos maximus.* Ubi dubium, num maximum ſtaturâ, an dignitate, an utroque dicat? Saltem de dignitate arguit, quod ab eo urbs nomen accepit. Unde & Joſuæ *c.* 15. *v.* 13. *Dedítque ei Joſue urbem Arbe patris Enac: ea eſt Hebron.* Et fortaſſe *Anaces* Spartæ & Athenis deſcendêre ab *Anacim* Palæſtinæ, unde à Joſua profligati in Græciam conceſſerunt. Non dubium autem, quin qui Α'νακες prius, hi Α'νακτες poſteà dicti ſint: ut hinc etiam, unde Α'νακτίοι dicantur, liqueat, nempe T. inſertò. Sed Cypriis non tam Reges, quàm eorum liberi ac fratres, ſic appellati ſunt, teſte Athenæo *l.* 6. & Harpocratione, qui idem proditum ait ab Ariſtotele, *de Cypriorum Rep.* Facilè autem à vicinis Phœnicibus hanc vocem Cyprii acceperint: Græci verò habeant à Cadmo Phœnice, vel Cananæis, qui, Joſuâ Cananæam occupante, in Græciam profugerint. Et fortaſſe ex his Spartani, qui ab Abrahamo deſcendiſſe videri volebant, ſi Joſepho credimus *Ant. Jud. l.* 12. *c.* 5. Nempe partim ex poſteris Agaris, aut Cethuræ; partim ex Cananæis, à Joſua fugatis, fuiſſe videntur, è quibus ratio facilis redditur, cur Tyndaridas ſuos Lacones Α'νακας dixerint. Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 13. Neque verò ſolum Spartanis hi culti, ſed & Athenis templum Dioſcurorum fuit, quod Α'νακεῖον vocabatur, teſte Pauſaniâ in *Atticis*; *Harpocratione* & *Heſychio*. Idem *ibid.* Vide quoque *Anax*.

ANACHARSIS, Philoſophus Scytha, matre Græcâ natus, *ſapientia admiranda*, quemadmodum ſcripſit Cicer. in *l.* 5. *Tuſcul. c.* 32. *ſobrius, continens, abſtemius, & temperans.* Quod mirum eſt, cum inter Scythas ſolus fuerit doctus, & Philoſophus repertus. Unde proverbium de raris hominibus *Anacharſis inter Scythas*. Floruit Solonis temporibus, cujus imaginibus inſcriptum fuit, *Linguâ, Ventre, Pudendis abſtinendum eſſe.* Scripſit de LL. Scytharum, & vitæ fragilitate. Plin. *l.* ... 56. tradit, eum inveniſſe rotam figuli, cujus circuitu vaſa formantur. Ibat nudis pedibus, dormiebat in terra, & famem pro pulmento habuit. Leges aranearum telis quàm ſimillimas eſſe dicebat. Interrogatus, quo pactò quis abſtemius fieret; reſpondit, Si ebrioſorum motus ſibi ante oculos ponat. Pecuniam, faſtumque contempſit. Ardalus Anacharſim aliquando allocutus, interrogavit, An apud Scythas tibicinæ eſſent? cui ex tempore reſpondit, Ne vites quidem apud eos eſſe. Rurſumque Ardalò dicente, Annon Dii ſunt Scythis? Omnino, inquit Anacharſis, iique intelligentes humanæ linguæ. Neque Scythæ putant, quod Græci, qui quanquam Scythis eloquiô præſtare ſe cenſent, tamen Deos oſſium & lignorum ſonos, quàm humanam vocem libentiùs audire opinantur. Plut. in *Convivio* 7. *Sapientum.* Tandem verò ſacra Deæ Matris, cui votum Cyzici fecerat, vel ut alii, Athenienſium leges apud ſuos introducere conatus, a fratre, ... loci Rege, ſagittâ confoſſus eſt. Diog. Laertius in *Anacharſ.* Vide & illic Menagium, ut & Herodot. *l.* 4. Cicer. *loc. cit. Nic. Lloydium.*

ANACHIMOSI, populi Africæ, in Inſula Madagaſcar, verſus Orientem; & in Mediterraneis, prope fontes fluv. *Manangbare*, teſte *Flacurtio*.

ANACHIS, unus ex Diis Laribus, apud Ægyptios. Hi enim quatuor Lares fuiſſe opinabantur, Dymonem, Tychen, Heroëm, & Anachim, quos putabant, ſimulatque in lucem editus eſſet homo, illius pervigilem curam habere. Alex. ab Alex. *l.* 8. Sed Cirogor. Gyraldus *Syntagm.* 15. exiſtimat, hæc nomina corrupta legi, pro Dynamis, Tyche, Eros, & Anance, i. e. Vis, Fortuna, Amor, Neceſſitas. *Nic. Lloydius.*

ANACHORETA, ex Græco, Α'ναχωρητὴς, qui in ſolitudine degit, *Monachus* ex primævo ſignificatu, *Eremita*. Benedictus in *Regula c.* 1. *Secundum genus* (Monachorum) *eſt Anachoretarum, i. e. Eremitarum.* Inter quos tamen diſcrimen facit Iſidor. *de Eccleſ. Offic. c.* 15. *Genus eſt, inquiens, Eremitarum, qui procul ab hominibus deſerta loca & vaſtas ſolitudines ſequi, atque habitare perhibentur, ad imitationem ſcilicet Eliæ & Joannis Baptiſtæ. Genus eſt* Anachoretarum, *qui jam cœnobiali converſatione perfecti, includunt ſemetipſos in cellis, procul ab hominum conſpectu remotis, nulli præbentes acceſſum, ſed in ſola contemplatione divina viventes.* Cujuſmodi *Anachoretam* Maronitæ Arabicò vocabulò *Hhabis*, vocant, h. e. *incarceratum*. *Anachoretica* autem vitæ auctor Paulus fuit, ante quem, prioribus Eccleſiæ ſeculis, nullos fuiſſe, collegit Scaliger in *Elencho*, ex hoc Tertulliani loco, *Non ſumus*, inquit, *ſylvicolæ & exules vitæ.* Hoc certum, neceſſitatem potiùs & perſequutionum violentiam Chriſtianis primum in avia loca ſecedendi occaſionem præbuiſſe, quàm liberam electionem, ut ex Pauli Eremitæ Hiſtoria conſtat. De eorum vita ac converſatione, ſic Auctor *Conſultationis Zachæi l.* 3. *c.* 3. *Hi autem, quibus primus obſervantiæ gradus eſt, ſoli eremum ... habitant, verâque vocabuli nuncupati ſingularem tranſigunt vitam, aut cavatis in habitaculum ſaxis, ſubterraneis ſpecubus, a Sole & imbribus temperantes, pane vetere & ſine ciborum adjectione veſcuntur, ſumentes potum e fontibus potum. Veſtimenta illis aut pelliceum, aut cilicinum eſt, & totius vitæ uſus in agone mentis & corporis, &c.* apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Vide & Dominic. Macrum in *Hierolexico*, ut & infra, ubi de *Eremitis* & in voce *Laura*.

ANACINDARAXES, Rex Ninives, Pater Sardanapali. Vide Scholiaſt. in *Ariſtoph. Aves*.

ANACIUM, mons in quo Dioſcurorum fanum, *Phavorinus*. Hujus etiam meminit Polyænus *l.* 1. *c.* 21. In Attica eſt.

ANACLASTICA, Græcè Α'νακλαστικὴ, terminus Optices. Tota enim potentiæ viſivæ ratio triplex cum ſit; prima, cùm viſio directè fit, *Optica* propriè: altera, cùm viſio fit per reflexionem aliaque corpora, quæ ſpecies objectas reverberant, *Anacamptica* (à Græco verbo Α'νακάμπτω); tertia, cùm viſio fit per refractionem, modiſque corporibus diaphanis, *Anaclaſtica*, item *Dioptrica*, dicitur. Quo ordine ſervatò, *Muſæi* Kircheriani ſelectiora deſcripſit Georg. de Sepibus, & primò quidem varia experimenta *Optica*; dein *Catoptrica*, quæ videl. ope ſpeculorum planorum, ſphæricorum, cylindraceorum, conicorum, Ellipticorum, Auctor præſtitit (ubi viſendi *Quadrans Catoptricus*, *Theatrum Catoptricum*, *Proſpectiva Catoptrica*, *Machina ectypon Alexandri VII. in ſpeculo monſtrans. Cupido Horarius*, *Octogonum Catoptricum*, *Proteus Catoptricus*, alia.) Tandem *Dioptrica*, ubi intra cryſtallinæ ſphæræ ſeptem mira oſtenduntur, accuratè enarrat, in *Collegio Soc. Jeſ. Muſæo Amſtelodami edito A. C.* 1678.

ANACLETUS, Athenienſis; Clementi Papæ, ſucceſſit, A. C. 103. novem poſt annos Martyrii coronam adeptus. Auguſtin. *ep.* 165. Baron. *A. C.* 103. 106. 112. Platina in *ejus vita*.

ANACLETUS, Antipapa, tempore Innocentii II. à Rogerio Neapol. & Siciliæ Rege defenſus, excommunicavit Innocentium, ab eo viciſſim excommunicatus. Ei poſt 8. ann. mortuo, A. C. 1138. ſubſtitutus eſt ab aſſeclis Victor IV. paulo poſt iterum depoſitus. Bernard. *ep.* 147.

ANACLINOPALE, Græcè Α'νακλινοπάλη, terminus veteris palæſtræ, apud Martialem *l.* 14. *Epigramm.* 201. cui lemma *Palæſtrita*.

Non amo, qui vincit, ſed qui ſuccumbere novit,
Et melius didicit τὴν ἀνακλινοπάλην.

Nempe Pancratium ſic dicebatur, quòd in eo palæſtritæ vincerent velut in terram cadentes ac reſupinantes ſe; hinc εἰς γαῖαν καταπεσόντες παγκρατιάζειν Theocrito in Η'ρακλίσκῳ vel potiùs ... uti Salmaſ. cenſet legendum, dicuntur. Vocantur autem hæ artes pancratiaſtarum ... item ... ; ad quos alludens Pindarus, *Iſthmion. Od.* 4. Pancratiaſten, qui arte ſolà majorem viribus adverſarium ſuperavit, vulpi comparat, quæ aquilæ impetum ſuſtinet ac repellit, ἀνακυπτουσα ..., *quaſi ſupina cadens*. Ipſi verò Κυλίσεις dicti, à nexibus humi implicandis & explicandis; unde ... i. e. *volutationes*, plurimum verſari illos, dicit Plut. *Sympoſiac. l.* 2. *c.* 4. Artem porrò eorum, *luctam ſuper pavimento*, vocat Anthyllus, apud Oribaſium *Collect.* 6. *c.* 27. Cui opponitur ἡ ὀρθία πάλη ſeu ὀρθοπάλη, *lucta erecta*, eidem dicta, quæ à ſtantibus & erectis peragebatur, ubi viciſſe erat adverſarium ſolò dejeciſſe, ut contrà victi ignominiâ cecidiſſe, &c. Alia fuit ἀνακλινοπάλη Domitiani, cujus Suetonius meminit. Vide Salmaſ. ad *Solin. p.* 190. & infrà in vocibus *Lucta*, *Pancratium*, *Volutatoria Lucta*, &c.

ANACLITERIUM, apud Æl. Spartian. in *Ælio Vero*, *c.* 5. *Fertur etiam aliud genus voluptatis, quod Verus invenerat; Nam lectum eminentibus quatuor Anaclitериis fecerat, minuto reticulo undique incluſum, eumque foliis roſæ, quibus demtum erat album, replebat, jacenſque ... velamine delitus ſiſſo ſe tegebat, unctus odoribus Perſicis*: pars lecti, ad quam pulvinum ponebant, ſuſtinendo capiti. Lectorum enim cùm quatuor eſſent ἀνάκλιτα, ad caput unum, alterum ad pedes; ad ſpondas interiorem & exteriorem duo. Illud cui incumbit caput, Græci Α'νακλιτήριον ſeu ἀνακλιτήριον nominabant,

Romani *fulcrum vel pluteum*; LXX. Interpret. Geneſeos, [illegible]. Et erat quidem apud Veteres lectorum genus, *ἀμφικέφαλοι*, quaſi *utrinque capitati* dictum, qui duo anaclinteria habebant: at hunc Veri lectum, quatuor habentem, enormis magnitudinis fuiſſe neceſſum eſt, atque adeò ad ejus tempora inauditum. Nam in amphicephalis longitudo ſolùm deſiderabatur ultra communem morem, in iſto & latitudo par neceſſaria: in quo quidem adverſis veſtigiis jacerent, qui omni ex parte invicem oppoſiti cubabant, &c. Iſ. Caſaubon. *ad l.* Salmaſ. mavult *Anaclinteriam*, quia Græcis frequentius eſt Ἀνακλιντήριον & Ἀνάκλιντρον, quàm *ἀνάκλιθρον* & *ἀνάκλιτον*: lectoſque duobus iſtiuſmodi pluteis conſtantes, *ἀμφικεφάλους* potiùs dicendos cenſet, quia *κεφάλαιον* eſt cervical ſeu pulvinus. *Pollux*, [illegible]. Nempe, in illa parte lecti, cui caput incumbebat, & quà pulvinus ponebatur, eminentem pluteum ex aſſeribus compactum erigebant Veteres, quod *ἀνάκλιθρον* & *ἀνακλιντήριον* & *ἀνάκλιτον*, vocabant: Cujuſmodi plutei in hodiernis lectis etiam ad caput fieri ſolent. Sed & cathedræ ac ſedilia, quibus adduntur ejuſmodi plutei reclinando, Ἀνάκλιτα Græcis; Unde Ἀνάκλιτοι θρόνοι *Plutarcho*. Hodie *Doſſualia* vel *Doſſueria* Galli vocant (quòd ad ea dorſum applicetur & acclinetur) iſtiuſmodi Ἀνακλιντήρια, &c. Vide quoque Salmaſ. *Notis ad Spartian.* & infrà, ubi de *Pluteo* antiquorum.

ANACOLE, Ægæi maris inſula. *Antonin.*

ANACOLI, Græcè *ἀνάκωλοι*, apud Diodorum de camelis, [illegible], quæ verba Solinus ſic reddit *c.* 49. *Sunt alii oneri ferendo accommodati, alii perniciores dicuntur, quibus longa crura ac ſubſtricta corpora.* Sic *ἀνάκωλοι*, tunicæ breves, quæ crura non tegunt, ſed crurum tenus demiſſæ ea relinquunt aperta, ita ut iis induti *ἀνάκωλοι* videantur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 987.

ANACREON, Poëta Lyricus, ex Teïo, Ioniæ civitate, circa 61. & 62. Olymp. *Euſeb. Suid.* in ſcriptis, ita & totò vitæ genere, ſuprà modum laſcivus. Amavit inter cæteros puerum, nomine Bathyllum, inſigni pulchritudine ſpectabilem. Horatius *Epod. Od.* 14. *v.* 9.

Non aliter Samiò dicunt arſiſſe Bathyllo
Anacreonta Teium.

Periit ſtrangulatus acinò uvæ paſſæ, ut tradit Plin. *l.* 7. *c.* 7. In honore fuit apud Hipparchum, filium Philoſtrati, & Polycratem Samiorum tyrannum, cujus etiam puerum Smerdiam dilexit. Ælian. *l.* 9. *c.* 4. Hujus poëma totum amatorium eſt, ut ſcribit Cicero, & laſciviæ plenum. Cæterùm de Anacreonte, unà cum reliquis Græcis, ac Latinis Poëtis veteribus, quorum ſcripta extant, nos alibi. *Nic. Lloydius.* Vide etiam Herodot. *l.* 3. Pauſan. *in Att. l.* 1. Strab. *l.* 14. Ælian. *hiſt. var. l.* 9. *c.* 4. Plin. *l.* 7. *c.* 7. Voſſ. *de Poët. Græc. c.* 4. *Nic. Lloydius.*

ANACRUSTA, Græcè *ἀνακρουστὰ* [illegible] dicuntur, quæ ſurſum impulsò pectine à ſtantibus olim percutiebantur, ac texebantur, de quibus vide infrà, ubi *de Recta Tunica*, & de *Textoria Arte*, item in voce *Surſum*. Sic Laconicæ claves *ἀνακρουσταὶ* dictæ, quòd clauſtro immiſſæ ſuccuterent repagulum, donec ex uncino exiret. Vide Salmaſ. *Ibid.*

ANACTEUS, vide infrà *Anax.*

ANACTORIA, urbs ad oſtium Sinus Ambracii, Corinthiis & Corcyræis olim communis, & hinc diſſidiorum frequens materies. Hæc ab Athenienſibus capta, Acarnanas incolas accepit, Thucyd. *l.* 1. *c.* 24. Plin. *l.* 4. *c.* 1. Pauſan. *l.* 5. Auguſtum hanc coloniam Nicopolim, prope Actium deduxiſſe refert, quod Strab. confirmat, *l.* 10.

ANACTORIA, civitas Moloſſorum in Epiro, & inſula, quæ poſteà Miletus dicta eſt. Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Anactorium* dicitur Plauto *Pœnul. Prol. v.* 87. *Straboni*, & *Plutarcho*. *Vonizza*, hodiè. Populi *Anactorii Thucydidi* dicuntur. Sil. Ital. *l.* 15. *v.* 299.

Hinc & Anactoriâ ſigna oſtentavit in orâ.

Porrò *Anactorium*, ut ſcribit *Herodotus*, fuit templum Cereris in Eleuſine. Pollux pro adyto accipit; ſed tunc eſt *ἀνάκτορον*. Laurembergio *Vodizza* eſt Bonditium oppid. in eo tractu.

ANADEMA, genus mitræ. Jul. Pollux. *l.* 7 *c.* 22. *Mitras & Anademata* conjunxit. Dionyſ. Lambin. *ad l.* 4. *de Rer. Nat. T. Lucretii Cari*, *v.* 1122.

Et benè parta patrum fiunt Anademata mitræ.

ANADYOMENE de qua Plin. *l.* 35. *c.* 10. Venerem exeuntem è mari D. Auguſtus dicavit in delubro patris Cæſaris, quæ Anadyomene vocatur, verſibus aliquot Græcis & opus & pictorem collaudantibus. Corruptam hujus inferiorem partem, qui reficeret, non potuit reperiri. Conſenuit hæc tabula carie, aliamque pro ea Nero ſubſtituit, Dorothei manu. Meminêre hujus *Plut.* & Artemidorus *l.* 2.

ANÆA, urbs Cariæ, in ora occidentali contra Samum inſulam ab ANÆA, Amazonum unâ, ſic dicta. Populi *Anaitæ Thucydidi*, ANÆI verò *Stephano* vocantur.

ANÆTIA, Armeniæ majoris oppidum, quod ab Euphrate alluitur. Plin. *l.* 5. *c.* 24

ANAGAI, vulgò *Anacujes*, populi Americæ, in Braſilia, verſus Præfecturam Segerippe, ſub Luſitanis.

ANAGALLIS, Corcyræa Grammatica; ita *Suidas*; non *Agallis*, ut eſt apud *Athenæum*. Fieri poteſt, ut anagallidi herbæ fuerit cognominis, ſicut Cicero ciceri, Piſo piſo, Lentulus lenti, Thermus *θέρμῳ*, &c. Caſaubon. *in Athen.*

ANAGALLIS Herba, vide *Anagyritis.*

ANAGARUM, Urbs Ducatus multò inſignis, & victoriâ Petri, cognomentò *Crudelis*, Caſtellæ Regis contra Henricum Fratrem, A. C. 1367. ſita eſt, in Rigovia provinc. Caſtellæ adjuncta. Aliis *Najera* dicitur.

ANAGELUM, vulgò *Anaghelom*, oppid. Hiberniæ, in Ultonia provinc. & Comitatu Dunenſi, ad fluv. *Ban.* 10. milliar. Angl. ab Armacho in ortum; 10. autem, à Newriaco in Boream diſtans.

ANAGLYPHA, Græcè Ἀνάγλυφα, vaſa cælata, ſculpta; quod ſculpturæ genus Itali *baſſo rilievo* dicunt. Eucherius *l.* 3. *Regum c.* 17. *Anaglypha Græce, Latinè Cælaturæ: cælata autem ſunt vaſa aurea vel argentea ſignis eminentioribus, extra, intuſque expreſſa. Hæc alio nomine ſculpta vocantur.* Anaglypha *vaſa*. Verùm Interpres Juvenalis *Sat.* 14. *v.* 62. *Hic læve argentum. Anaglypha ſigilla.* Virg. *l.* 5. *Æn. v.* 267.

---- ---- & aſpera ſignis.

Quod expreſſit Metellus in *Quirinalibus*,

Qui bibitur ſcypho unus ſignis anaglyphis, &c.

Sic *calices argentei anaglyphi* meminit, in *Sylveſtro*, Anaſtaſius Bibliothecarius: *Vitreorum quorumdam vaſculorum anaglypha ſubtilitate cælatorum*, Auctor *Vitæ* Odilonis Abbatis Cluniacenſis *c.* 23. *Capſa opere anaglypho decorata*, *Vita* Urbani Epiſcopi Lingon. *c.* 1. *Crucis —— anaglyphis ex auro & gemmis in ripariatis*, Ratbertus *de Caſibus* S. Galli, *c.* 1. &c. Quæ *anaglypta in aſperitatem excisa*, dixit Plinius *l.* 33. *c.* 11. *Anaglyphicum metallum* Sidonius Apollinaris *l.* 9. *Ep.* 13.

Gerulis caput plicantes
Anaglyptico metallo,
Epulas ſuperbiores,
Humeris ferant onuſtis.

Ubi Macer *Anaglyphtico* malè & contrà metri genium legit, in ſuo *Hierolex.* Vide quoque Car. du Freſne *in Gloſſario.* Salmaſio *Anaglypta* & *Anaglypha*, à vaſis proſtypis & ectypis diſtincta erant. Toreuticæ enim Artis cum duo modi methodique fuiſſe videantur, una quæ argentum in ipſo corpore ſcyphi excuderet & ſigillis eminentibus exſculperet; altera quæ ſigilla ſeorſim facta argento vel auro includeret atque illigaret, per illam Artem, quam *Ἐμπαιστικὴν* vocârunt: Illa *Anaglypha* vocabantur, Plinius *ubi ſupra*: *Nunc* Anaglypta, *in aſperitatemque exciſa circa linearum picturas quærimus.* Vas nempe ipſum argenteum in aſperitatem exciſum & ſigillatum cælabatur, figuris extantibus, unde *anaglyphon* vel *anaglypton* dicebatur. Eòdem modò vaſa lignea caſculpebantur. De quo modo cælandi capienda ejuſdem hæc verba, *Acragantis in templo Liberi Patris, in ipſa Rhodo, Bacchæ Centauríque cælati in ſcyphis.* Item, *Poſt hos celebratus eſt Calamis & Antipater, quoque Satyrum in phiala gravatum ſomno collocaſſe veriùs, quam cælaſſe, dictus eſt, Stratonicus.* Eodem referendæ patinæ *corymbiata* & *hederacia* & *filicata*, à genere cælaturæ ſic dictæ, quæ corymbos & hederas & filicem herbam in ſcypho exprimeret exſculptis figuris, &c. Iſta verò *Emblemata* & *Cruſtæ* dicebantur: quæ quòd illigarentur & immitterentur vaſis & ſcyphis, eximi iterum poterant ac revelli; cùm *Anaglypha* detrahi nequirent. Sed & *Anaglypha* à *Cataglyphis* diſtinguenda; quorum illa eminentibus ſigillis expreſſa, hæc depreſſis ſulcis & imaginum cavatis lacunis ſculpta. At utraque *γλυπτὰ* ſunt, Latinis quoque *ſculpta* & *ſculptilia*, &c. Vide Salmaſ. laudatum, *ad Solin. p.* 1045. & infrà ubi de *Cælatura*.

ANAGNIA, civitas Hernicorum in Latio, ubi Antonius ſorore Auguſti contemptâ, & Cleopatrâ in uxorem ductâ, monetam feriri juſſit. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 683.

—— Qui roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt, quos dives Anagnia paſcit.

Sil. Ital. *l.* 8. *v.* 392.

Hernicaque impreſſò raduntur vomere ſaxa,
Quis putri pinguis ſulcatur Anagnia glebâ.

Idem poſtea, *l.* 12. *v.* 532.

Surgit ſuſpenſa tumentis
Dorſo frugiferis Cerealis Anagnia glebis.

Strabo *l.* 5. *πόλιν ἀξιόλογον* vocat. Urbs hodie Epiſcopalis eſt, Alexandri IV. Bonifacii VIII. Gregorii IX. & Innocentii III. natalibus clara. Populi *Anagnini* Livio *l.* 9. *c.* 42. & Plinio *l.* 3. *c.* 5. Diodor. Sic. autem *l.* 20. *Ἀναγνῖται*. Longitud 37 02. latitud. 41. 40. Vide *Anagninum*.

ANAGNIUM, ſeu Anagnia in Hernicis, vide ibi. Urbs aliàs Latii, nunc Campaniæ Romanæ Epiſcopalis ſub Pontifice, Semidiruta jacet, à paucis habitata, inter Signiam ad Occaſum & Ferentinum ad Ortum.

ANAGNIUS Johannes, vide *Johannes*.

ANAGNOSTES, nomen ſervi literati apud Romanos, memoratur Vatinio apud Cicer. *Famil. l.* 5. *Ep.* 9. *Dicitur mihi tuus ſervus* Anagnoſtes *fugitivus cum Vardæis eſſe.* Plinio *Lector* vocatur, *l.* 8. *Ep.* 1. *Encolpius quidem Lector, ille ſeria noſtra, ille deliciæ, exaſperatis faucibus pulvere, ſanguinem rejecit.* Officium ejus erat, cœnante Domino, ſerii quiddam prælegere. & fuiſſe ii omnino videtur è Studioſorum illorum cohorte, de quibus ſubinde mentio fit. Certè in Domo Cæſarum Liberti *à Studiis* iis præpoſiti fuêre. Sueton. *in Claudio c.* 28. *Ac ſuper hos Polybium à ſtudiis, qui ſæpè inter duos Conſules ambulabat.* Etiam Lemnus neſcio quis, apud eundem Imperatorem, eodem munere functus eſt, ut patet ex *veteri* hac *Inſcr.*

TI. CLAUDIUS
LEMNUS
DIVI CLAUDII
AUGUSTI LIB.
A STUDIIS.

Sed & in privatorum familiis hujuſmodi ſervos fuiſſe, certum. Pignorius *de Serv.* Vide quoque Alex. ab Alexandro, Meurſium *Auctar. Philolog. c.* 5. Auctores *Notar. ad C. Nepotem in Attico c.* 13. In Eccleſia Romana *Anagnoſta*, ſeu Lector, unus eſt ex quatuor minoribus Ordinibus, Communionis Romanæ cujus ſolius in *Euchologio* Græcorum mentio eſt; unde, an Oſtiarii, Exorciſtæ ac Acoluthi, apud Græcos fuerint, nonnullis dubitatum. Vide infrà in voce *Lector*. Hinc *Anagnoſticum*, Ἀναγνωστικόν, iiſdem id omne eſt, quod legitur, aut recitatur. Unde pro Epiſtola, aut quovis ſcripto, vocem uſurpat Ennodius *l.* 1. *Ep.* 4. & *l.* 8. *Ep.* 5. Gregorius Magnus *l.* 7. *Indict.* 2. *Ep.* 128. *Anagnoſtico ante longum tempus dulciſſima mihi veſtra excellentia,*

Nea-

Neapolitanè quidem juvene veniente, mandare curaverat, ut piiſſimo Imperatori ſ[illegible] iborem, &c. Car. du Freſne Gloſſar. Vide quoque infrà in voce *Lector*, it. *Pericope.*

ANAGNOSTES Theodorus, vide *Theodorus.*

ANAGNUTES, populi Galliæ, in Aquitania, ubi nunc *Pays d'Aunis*, regio in ora Oceani, inter Pictavienſem & Santonenſem provincias. Vide *Alnienſis tractus.*

ANAGOGITIS Gemma, ἀπὸ τοῦ ἀνάγω, *ob evocandis* Deorum Manium imaginibus, ad quem uſum olim adhibebatur. Plin. *l. 7 c. 11.* Anagogitide *in Necromantia dicunt evocari imagines Deorum inferorum. Synochitide umbras evocatas teneri.* Ubi *Anancitide* legit Turnebus, & *anancaeum*, h. e. ἀναγκαῖον cenſebat dictam ἀπὸ τῆς ἀνάγκης, quæ Deos cogeret atque invitos evocaret, &c. Cicero *l. 1 Tuſc. c. 16 Inde ea, quæ meus amicus Appius Necyomantia faciebat. Inde in vicinia noſtra Averni lacus:*

> *Unde animæ excitantur, obſcura umbra, aperto oſtio,*
> *Alto Acheronte, ſalſo ſanguine, imagines mortuum.*

Ψυχαγωγεῖν, *excitantur*, ἀναγαγεῖν, *ex imo citantur*: Inde omnino ἀναγωγὶς λίθος, vel *anagogitis*. Unde Auctores Chemiæ herbam *anagallida* dictam ibidem arbitrantur, ἀπὸ τοῦ ἀναγαγεῖν τὰς ψυχὰς, *ob excitandas animabus.* Proprium quidem Magorum, Deos elicere & evocare, ſed in alio genere, quam Necyomantia &c. Vide Salmaſ. *ad Solin p.* 1091.

ANAGRATÆ, caſtrum antiquum Galliæ, jam olim dirutum, in eremo ſaltuque Voſago, proximum Fontanis *Fontanes*, ubi duæ cellæ Monachorum proximæ Luxovio, in diœceſi Veſontienſi, quales nunc a Monachis *Prioratus* appellantur. Hic Columbanus reſediſſe memoratur, apud Jonam *in vita ejus.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ANAGYRUS, pars tribûs Erechtheidis, ubi plurima anagyris naſcitur (unde nomen loco eſt) *Steph.* Et quia frutex iſte teterrimè olet, cum tractatur, adagio locum præbuit, *Anagyrim* ſive *Anagyrum commoves*: de eo, qui ſibi malum procurat. Alii Anagyrum Genium quendam fuiſſe dicunt, qui, propter ſacellum ſuum violatum, omnes incolas vicinos evertit; & inde adagium ortum, ut apud Ariſtophanem *in Lyſiſtrata* legitur, referente *Suida*; qui ait, Genium illum, ſenem quendam, qui lucum ſuum inciderat ſic ultum fuiſſe, immiſſo amore inſano in concubinam ſenis erga filium ejuſdem; qui, cum non aſſentiretur mulieri, ab ea delatus ad patrem, quod ſe voluiſſet ſtuprare, à patre præceps è tecto datus eſt, moxque pater facti pœnitens, laqueo ſe ſuſpendit & mulier demum ſe in puteum præcipitavit. Hic templum erat Cybeles celebre, locus autem ipſe inter Phalerum & Sunium, Lamprâ non procul. Inde Ἀναγυράσιος, *Anagyro* oriundus, in lapide veteri Athenis,

> ΕΡΕΧΘΕΙΣ ΑΝΔΡΩΝ ΕΝΙΚΑ
> ΕΝΕΤΕΛΗΣ ΜΕΝΙΤΟΣ ΑΝΑΓΥ
> ΡΑΣΙΟΣ ΕΧΟΡΗΓΕΙ
> ΑΡΑΤΟΣ ΗΥΛΕΙ
> ΝΙΚΟΜΑΧΟΣ ΗΡΧΕΝ.

Uti ſupplet Jac. Sponius,

> ERECHTEIS TRIBUS VICIT
> ENETELES FIL. MENITIS ANA
> GYRASII EDIDIT
> ARATUS CANTICUM COMPOSUIT
> NICOMACHO ARCHONTE.

Vide apud Eund. duas alias *Inſcriptiones Itiner. Græciæ Part.* 3.

ANAHARATH, Latinè *ardditas*, aut *incenſio*, vel *ira*, ſive *bimnus*, aut *raucedo*: vel Syriacè *ſuffocatio*: civitas in tribu Iſſaſchar. Joſuæ *c.* 19. *v.* 19.

ANAITICA, Regio Armeniæ, apud Plin *l.* 5. *c.* 24. ubi de Euphrate, *Flu: Xerxenen primam, mox Anaiticam, Armeniæ regiones à Cappadocia excludens*, Græcè Ἀναϊτικὴ, à cultu *Anaitidos*, quam impensè colebant Armenii, nomen accepit. Sed quænam illa ſit, incertum. De hac enim regione apud alios nihil An Aciliſene hoc nomine intelligenda? Ita videtur ex Strab. *l.* 11. Sed hæc magis ad Meridiem vergit, cum illa ſit Septentrionalior. Ἀναία etiam Cariæ Regio, cujus gentile Ἀναίτης: Sed nec de illa hic accipi poteſt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 624. *&* 625. Vide *Anaitis.*

ANAITIS, Dea, quam Armenii imprimis colunt, ita more receptô, ut vel nobilitate præſtantes, ejus miniſterio dedicent filias, quæ ibi corporis pudicitiâ in vulgus datâ, velut inde auguſtiores factæ, mox traduntur viris, nemine non conjugia id genus alacriter admittente. Hujus Deæ Numini dicata ſunt Sacarum feſta. Dies quoque illi dicatus facer, *Saca* vocatus. In his ſacris turba virorum, & mulierum vino ſeſe ingurgitabat, vel uſque ad ſtuporem. Celebritatis ratio ex hiſtoria eſt. Cyrus, cum expeditionem in Sacas feciſſet, prœliô victus fugit, & caſtris eô loco poſitis, ubi impedimenta reliquerat, paululum quiete refectô exercitu, tabernacula omnium rerum copiâ, ac maximè vinô plena relinquens, fugam ſimulat. Sacæ inſequentes, cum caſtra hoſtium vacua cibô, potuque plena repeeriſſent, ſeſe plus æquô ingurgitârunt. Cyrus reverſus omnes [illegible]it, ac diem illum Deæ conſecravit. Strab *l.* 11. Ubicumque autem fanum ejus Deæ eſt, ibidem ſtatutum eſt celebrari *Sacæa* feſtum Bacchicum, per diem, ac noctem, Scythicô habitu, potantibus viris, ac mulieribus, atque in vino invicem per joca & laſciviam concertantibus. Vide Bochart. *Geogr. Sacr l.* 4. *c.* 19. Pauſan. *l* 3. à Lydis Dianam hoc nomine cultam ait. Plin. *l.* 33. *c.* 4. [illegible]mam omnium ſtatuam auream huic Deæ ſacratam fuiſſe, An[illegible]tra Parthos bellô fractam, refert. *Nic. Lloydius.*

[illegible]ALECTA, i. e. Liber Collectaneorum, Lexicon Græco-Latin. Budæi, Tuſani & Conſtant. excuſum à Johanne Criſpino A. C. 1562. apud Mærum *[illegible]olex.*

ANALECTÆ, apud Romanos, dicebantur ſervi, qui cœnæ [illegible]ias, aut ea, quæ ceciderant de menſa, colligere ſolebant. Erat quidem in plurimia tricliniis, in pariete, foramen proluendi pavimenti causa excavatum. *l.* 28 *ff. de Servit. præd. urb.* per quod *Analecta* & vina profuſa in pavimentum exportabantur, cui profuſioni quâ ratione occurrerint, exponit Vitruvius *l.* 7 *c.* 4. bibulo imminum pavimento, ex *carbonibus, ſabulo, calce & ſavilla mixtis*. Verum non extante foramine, aderant ſervi, qui ſputa detergerent, & reliquias ſubditi colligerent temulentorum. Horat. *l.* 2 *Sat.* 8. *v.* 10.

> *His ubi ſublatis puer, altè cinctus, acernam*
> *Gauſape purpureo menſam perterſit, & alter*
> *Sublegit, quodcunque jaceret inutile, quodque*
> *Poſſet cœnantes offendere.*

Ad quæ & ſimilia ſcobe utebantur, teſte Jul. Baſſô, apud Senecam *l.* 4 *Controv.* 25. Vide quoque infrà, in voce *Scobs*, it. *Peniſpe.*

ANALEMMA, Græcè Ἀνάλημμα, apud Vitruvium *l.* 9. *c.* 4. *eſt ratio conquiſita Solis curſu, & umbræ creſcentis, a brumæ obſervatione inventa, e qua per rationes Architectonicas circinique deſcriptiones, eſt inventus effectus in Mundo.* Nempe umbra creſcit à bruma, à Solſtitio decreſcit; breviſſima itaque umbra Brumæ die, ut Solſtitii longiſſima. Cujuſmodi umbræ creſcentis decreſcentiſque obſervatione, non Solis tantum curſum deprehenderunt veteres Mathematici, ſed etiam Mundi magnitudinem, quanta Mundo eſſet terra, aliaque infinita, etiam multo ante Horologiorum inventionem & horarum obſervationem; imo ex hac ipſa ratione gnomonica & umbrarum vicibus, Horologia quoque poſtea prodita ſunt & horæ obſervari cœptæ. Solis enim *Analemmatis* veteres Aſtronomi, qui Æquinoctiorum ac Solſtitiorum veram rationem ope gnomonicorum & ſciothericorum organorum indagârunt, tum uſi ſunt; Sic Anaximander Lacedæmone Heliotropium conſtituit, in quo per gnomonem Solſtitia & Æquinoctia deſignabantur, quod utique *Analemma* fuit, non Horologium, ut quidam volunt. Nam licèt ex umbræ magnitudinibus, ut erant in *Analemmatis* notatæ, rationes ſumerentur, horarum Brumalium, Æſtivarum, Æquinoctialium, ut & Menſtruarum, quæ in Horologiis deſcribebantur, ex Horologiis tamen nunquam horæ per umbræ menſuram collectæ ſunt & obſervatæ &c. Ex illis porrò *Analemmatis* depromta methodus illa, cujus veteres Comici paſſim meminerunt, umbræ pedibus admetiendæ, ad indicandum diei tempus. Gnomonis certè ſive ſtyli ſtata ſemper magnitudo fuiſſe videtur, quæ juſtam hominis ſtaturam non excederet. Hinc illæ locutiones de variis diei temporibus, ἑξάπουν, δεκάπουν σκιά, *ſex, decem pedum umbra &c.* Cujuſmodi machinæ ſciothericæ, a rotunda *poli* forma, cujus medio gnomon infigebatur, πόλοι alias dictæ ſunt. Quæ eadem *Analemmata* appellata, quòd in ſuggeſtibus lapideis & columnis deformarentur. *Saxeas pilas* vocat Curtius *l.* 5 *c.* 1. Strab. *l.* 16. κίονας τετραγώνους, h. e. *pilas quadratas.* Nec obſtat definitio Vitruvii allata; Cum enim locus ipſe, in quo iſtiuſmodi ratio Solis curſum obſervandi, propriè *Analemma* diceretur, per Metonymiam alterum pro altero uſurpavit. Quemadmodum idem Parapegma dixit, pro canone ortus & occaſus ſiderum, cùm tabula, in qua deſcriptus erat, potius ſic diceretur &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 739. *& ſeqq.* ut & infra, in voce *Polographia.*

ANALITÆ, Arabiæ Felicis populi. Plin. *l.* 2. *c* 28.

ANALIUS, ſeu ARALIUS, vel ARATIUS quintus Aſſyriorum Rex poſt Patrem Ariem regnavit annos 40. uſque ad *A. M.* 2198. qui erat 160. Abrahami. African. Euſeb. *in Chron.*

ANALOGIUM, Græcè ἀναλογεῖον, Balbo in *Catholico*, idem quod *Ambo.* Unde Alcuinus *de Divin. offic.* & Remig Autiſſiodorenſ. *l. de Celebr. Miſſæ, Deſertur Evangelium ad* Analogium, *præcedentibus cereis.* Vide ſupra in voce *Ambo.* Interdum vero, *Analogium*, vocatur pluteus portatilis, aut inferior, ubi Evangelium & Epiſtolarum liber ponuntur leguntur que: *Pulpitum* hinc *manuale* dictum, in veterib. *Gloſſis*, quòd ad manum ſit & manu, quò opus eſt, feratur. Suid. Ἀναλογεῖον, ἐν ᾧ τίθενται τὰ βιβλία. *Analogium, in quo reponuntur Biblia*: Curopalates *de Nativ. Chriſti*, ἔμπροσθεν δὲ τοῦ ἀναλογίου ἐφ' ᾧ [κεῖται] ἅγιον Εὐαγγέλιον, *Coram ipſo Analogium, in quo ſitum eſt S. Evangelium.* Coram ipſo, h. e. Imperatore. Item alibi τὸ ἐπάνω τοῦ ἀναλογίου τεθειμένον ἀσπάζεται ὁ Βασιλεὺς, *Crucem [illegible] impoſitam, oſculatur eam Imperator. &c.* Ex pretioſo metallo fieri ſolitum, docet *Chron.* Franciſcum *Hiſtor. Franc. Tomo IV. p.* 96 Analogium *Hiſpanico metallo ſieri fecit ſuſoria arte compactum, cui præeminet deaurata Aquila ſparſis alis.* Item feſtivis diebus in Eccleſia Romana velô obumbrari conſuevisse docet Monachus Pegavienſis A. C. 1109. *Velamen optimum, quod Analogio ſummis in feſtis ſuperponitur, in quo Evangelium recitari ſolet* quibus iiſdem *linteum jubet Evangelium poni*, *Acta* Murenſis Monaſterii p. 29. Oſtiarium illud ante Diaconum portare, narrat Udalricus *Conſuetud. Cluniac l.* 1. *c.* 13. *Intrat Diaconus alba & ſtola indutus, & textum Evangelii portans, quem præcedunt, unus Oſtiarius Eccleſiæ cum* Analogio, *in quo legatur &c.* Hinc *Analogium Nocturnale*, in quo *nocturni* apud eoſdem leguntur, apud Ekkehardum Jun. *de Caſibus S. Gall. c.* 1. laudatum Car. du Freſne *Gloſſar.* Sed & Martyrologium ſeu Necrologium quoque hâc voce denotari videtur, apud laudatum Udalricum *l.* 3. *c.* 10. quod eſt *de Præcentore*: *Ipſe ſupervenientes breves Fratrum defunctorum accipit & in* Analogio *notat.* Fortè, quod Martyrologium ſemper in *Analogio* eſſe ſoleat, ex quo pronuntur, quæ ad dies anniverſaria ſeu obitus peragenda, Idem *Gloſſ.* Auctor. Vide quoque Spelmannum *in Gloſſario.*

ANALPHABETUS, Græcè Ἀναλφάβητος, i. e. *Illiteratus*, epithetum Juſtiniano Imperatori attributum, quaſi literas ignoraſſet. Ex Suida Baronius *ad A. C.* 526 *num.* 2. apud *Mœrum.*

ANAM & Save Sirei, Rabbini ſecul. 8. Sadduceiſmi inſtauratores. Genebr. *in notis, in Chron* 8. *ſecul. p.* 102.

ANAMÆON, adoleſcens quidam, à quo *Mæones* populi dicti.

ANAMANI, populi Galliæ Ciſpadanæ. Aliter *Ananes* & *Ana-*

Sucnare, in Italia. Ubi nunc D. catus Placentinus & Status Buſſe-ti, in Longobardia ſub Duce Parmenſi.

ANAMASCIA, Pannoniæ inferioris urbs, *Antonio*. *Almaz* dicitur *Sonlero*. *Anamatia Lazio*; quod tamen aliis putatur eſſe *Amantia*.

ANAMASIS, Ægypti Rex, qui & *Amaſis* dicitur. Vide ſuprà.

ANAMELECH, Latinè *reſponſio*, aut *canticum Regis*, ſive *afflictio*, vel *paupertas Regis*, Deus Sepharvaim. 2 Reg. c. 17. v. 31. Melius *Anammelech*

ANAMIM, Latinè *fons*, ſive *oculus aquarum*, fil. Miſraim. Gen. c. 10. v. 13. Vide Bochart. *Geogr. Sacr. l.* 4. c. 1.

ANAMIS, fluv. Carmaniæ ulta, in Perſia. Cadit in Sinum Perſicum. Fortè *Tſindo* hodie.

ANAN, Latinè *nubes*, ſive *augurium*, aut *divinatio*, Nomen viri. Nehem. c. 10. v. 26

ANANCÆUM, Græcè ἀναγκαῖον, locus carceris, τὸ δεσμωτήριον, in quo rei *vincti* detinentur. Ἀνάγκη enim Græcis, quidquid animum ſuæ ſpontis eſſe non patitur. Unde affectus omnes ἀναγκαῖοι & *anancæum poculum* apud *Plaut.* & ἀναγκοφαγίαν Pugilum, qui hanc ipſi ſibi neceſſitatem impoſuerunt, & μοῖρας ἀνάγκη, *Fati neceſſitas*, *Herodio* &c. In amatoriis etiam rebus vox uſitata eſt, de his qui philtro per vim in amorem inducuntur: imo & ipſa philtra ἀναγκαῖα & ἐξαναγκαῖα dicta. Inde herba, quâ Theſſalas mulieres ad amorum veneficia uti *Dioſcorides* ait, quod amandi neceſſitatem faceret, *Catanance* dicta: quo nomine Leontopodium nonnulli indigitatum volunt. Porro lymphationes & vani metus, qui mentibus immitti ab irato aliquo Numine credebantur, ſimiliter ἀνάγκαι appellatæ. Unde vanos metus, à Corybantibus immiſſos, ψυχὰς ἀνάγκας, vocat Orpheus in *Thymiamate Corybantum*.

> [illegible Greek verse]
>
> [illegible Greek verse]

Qua de re vide inſtà in voce *Corybantiaſmus*. Eſt autem vocabulum [Greek] & [Greek] Magicæ vanitatis, ut videre eſt infra in voce *Defixio*. A cujuſmodi neceſſitatum vinculis, vanis terroribus, lymphationibus & aliis Magicis defixionibus, qui ſolvere credebatur, adamas, ἀναγκίτης iidem dictus eſt, ut docet Salmaſ. ad *Solin. p.* 1085. *& ſeqq.* Vide quoque ſuprà in voce *Anagogia*, ut & in *Ambitio*.

ANANCITIS Gemma, vide hic *Anancæum*.

ANANDIA, ſeu VALLIS ANANDI, vulgò ANANDAL, provinc. Scotiæ meridionalis. Cujus caput Ananum, ibi alias Selgovæ populi. Sita eſt inter provincias Nithiam, ad Occaſum, & Eskiam, ad Ortum.

ANANDUS, vulgò ANAN, fluv. Scotiæ meridionalis in Anandia provincia Ananum alluens, & in ſinum *Solway frith* ſe exonerans, verſus mare Hibernicum. Oritur in montibus, prope fontes Cludæ fluvii.

ANANELUS, infimò loco, Babylone natus, ſummus Judæorum Sacerdos, ab Herode conſtitutus, ab eodemque mox ſacerdotio privatus, ut Ariſtobulus, Mariamnes frater, quem Alexandra mater, Cleopatrâ intercedente, ad Pontificatum omni ſtudio promotum ibat, illo potiretur. Joſeph *Jud. Ant. l.* 15 c. 2.

ANANI, Latinè *nubes* ſive *auguratio*, aut *divinatio*, filius Elioenai filii Naariæ. 1. Paral. c. 3. v. 24.

ANANIA, vel ANANIAS, Latinè *nubes Domini*, aut *divinatio Domini*, nomen unius ducis Regis Oziæ. 2. Paral. c. 26. v. 11. Item, Socii Miſaëlis & Aſariæ. Dan c. 1. v. 6 7. Nomen etiam civitatis, in qua filii Benjamin habitârunt poſt Babylonicam captivitatem Nehem c. 11. v. 32. Nomen item viri cujuſdam, cujus cor dicitur ingreſſus Satan, Actor. c. 5. v. 1. De quo vide Cæl. Rhodig. *l.* 2 c. 13

ANANIA Laurentius, Calaber Geographus è civitate Taberna, ſcripſit *de Fabrica Mundi*, Italicè: Qui liber Venetiis A. C. 1582. prodiit.

ANANIAS, Damaſci divinitus mandatum accepit, ut Paulo recèns converſo, manus imponeret. Quo factò ille viſum recepit & baptizatus eſt. Actor. c. 9 v. 10. & c. 22. v. 12. Item Sacerdos quidam, Albino, Judææ Præſidi tam acceptus, ut 10 prædonum libertate filium ejus redimeret, Joſeph. *Jud. Antiq.* l. 20 c. 8. Item Poëta Græcus Jamborum auctor, *Ananus* quibuſdam, Voſſ. *de Poët. Græc. p.* 89. & *Philol. c.* 9 §. 6.

ANANIENSIS Laurentius, vide *Laurentius*.

ANANUM, oppid. Scotiæ meridionalis in Anandia provinc. in littore & juxta oſtia Anandi fluvii 15. milliar Anglic. diſtat Carleolo in Circium.

ANANUS, I. ſeu ANNAS, Sacerdos ſummus Judæorum, ad quam dignitatem omnes 5. filii ejus ſimiliter pervenerunt Joſeph. *Jud. Ant. l.* 20. c. 8. Socer Caiphæ Ejus tempore Johannes Evangelium prædicare cœpit. Joh. c. 11. v. 49. Primus ex illis fuit, qui Apoſtolos, poſt reſurrectionem Jeſu Chriſti examinavit, Actor. c. 4. v 6.

ANANUS, II. fil. prioris, Sadducæus, Sacerdos ſummus homo audax & Judicum ſemper ſeveriſſimus. Jacobum Apoſtolum ſuſtulit, ab Agrippa Rege ſacerdotio motus, poſtquam 4. ſolum menſes illo functus fuiſſet. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 20. c 8. Euſeb. *Hiſt. l.* 2. c. 22

ANANUS, III Sacerdos ſummus ob prudentiam & pietatem laudatus, Zelotas pellere ſtuduit, ſed ab iis ope Idumæorum, occiſus eſt. Joſeph. l. 4. *Bell Jud.*

ANANUS, Alexandriæ Epiſcopus, poſt Marcum Evangeliſtam, anno primo Neronis Euſeb. *l.* 2. c. 24.

ANAPAUOMENOS, fons de quo Plin. *l.* 2. c. 103. Sic enim ille: *In Dodone Jovis fons cùm ſit gelidus, & immerſas faces extinguat, ſi extinctæ admoveantur accendit: idem meridie ſemper deficit quâ de cauſa, Anapauomenon vocant; mox increſcens ad medium noctis exuberat, ab eo rurſus ſenſim deficit*

ANAPHE, inſula ſponte in mari enata. Plin. *l.* 2. c. 87. *Amm Marcellin* quoque *Emerſerunt*, inquit, *Delos*, [illegible] *Thera*, *& Anaphe & Rhodus*. Sic dicta ab Argonautis, quia tempeſtate laborantibus intermeſtris Luna ex inſperato illis apparuit. Apollonius *Argonaut. l.* 4.

> Ἀνάφην δέ τε λισσάδα νῆσον
>
> [illegible Greek verse]

Vide Steph. in Ἀνάφη. Ab hac inſula Apollo *Anaphæus* cognominatus eſt, in qua colebatur. Anaphe (inquit Vir magnus) Phœnicium eſt [Hebrew] *anepha*, i. e. *ramoſa* & *opaca*. Unde Apollonius *l.* 4. v. 1714

> Τοὶ δ᾽ αἴγλῃεν Ἀπόλλωνα
>
> [illegible Greek verse]
>
> Ἡοῖοι.

Idem *Apollonius* [Greek] vocat. Itemque *Phavorinus*: [Greek] Quæ ſunt verba *Scholiaſtis* Itaque fallitur *Ortelius*, qui ea ſic accepit, quaſi *Bæa* eſſet proprium hujus inſulæ nomen *Bæe*, inquit, *eadem vocatur in Phavorini Lexico*. Cur autem Ægletæ Apollini Anaphæi [Greek], *cum deriſione*, ſacrificaverint, & [Greek], h. e. *ſibi invicem conviciantes*, ex Conone diſcat, qui volet, apud Photium *Tmem*. 186. Si Hegeſandro credimus, cum quidam Aſtypalæenſis duas perdices in hanc inſulam immiſiſſet, [Greek], ita Athenæus *l.* 9. Hodie *Nanfio* dicitur. Ejus meminit Ovid. *Met. l* 7. v. 461.

> *Hinc Anaphen ſibi jungit & Aſtypaleia regna.* Nic. Lloydius.

ANAPHLYSTUS, Græcè Ἀνάφλυστος, pars tribus Antiochidos Athenis, ab *Anaphlyſto*, Heroë, filio Trœzenius, dicta, Oppidulum fuit haud procul Athenis, verſus promontor Coliadem, quo reliquiæ Perſicæ claſſis, apud Salamina victæ, ſeſe receperunt. Aliàs olim celebre Panis, Cereris, Veneris Coliadis & Genetyllidum Dearum fanis. Etiam vaſa, quæ ibi ex terra picta fiebant, in pretio olim fuiſſe, memorat *Athenæus*. *Inſcriptio* hæc apud Gruterum extat: ΘΕΩΝΟΣ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΚΟΣΜΗΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΜΑΡΚΟΣ ΑΝΑΦΛΥΣΤΙΟΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ, *Sub Theone Archonte, Coſmeta Dionyſio*, *Marcus Anaphlyſtius Gymnaſiarcha*. Alias duas vide apud Jac. Sponium *Itiner. Græc. Part.* 3.

ANAPHONESIS, Græcè Ἀναφώνησις exercitium vocis de quo vide infra voce *Phonaſcia*. it. *Vociferatio*.

ANAPIAS, vel ANAPIUS, vide *Amphinomus*.

ANAPLISTUS, ſeu ANAPLYSTUS, Atticæ municipium, 60. ſtadiis a Thorico, ubi argentifodinæ. Pars Antiochidis tribus, *Steph.* Urbs Atticæ *Ptol* in ora maritima Atticæ, *Aſopa*. Per φ *Ptol.* & *Ariſtoph.* ſcribunt. *Nic. Lloydius*. Vide ſuprà.

ANAPLUS, ſuburbium Byzantii, ab eo ad 4 mill. paſſ. diſtans verſus os Ponti, teſte *P. Gyllio*.

ANAPUIA, provinc. Venezuelæ, in America meridionali, aliàs ab Hiſpanis perluſtrata, verſus montes S. Petri & [illegible]rum fluv. *Buria*. Diſtat 40 circiter leucis, ab ora maris Borealis, in Ortum.

ANAPUS, Siciliæ fluv. juxta Syraco paludem enit Vide de illo Ovid *Fab.* 6 *l.* 5. *Met* Hodiè accolarum ſimplicitate, vulgati vocabulô *Alfeo* dictus. Ejus meminit Theocritus *Idyl.* 1.

> Οὐ γὰρ δὴ ποταμοῖο μέγαν ῥόον εἴχετ᾽ Ἀνάπω.

Ovid. *Ponticor. l.* 2. *eleg.* 10. v. 26.

> *Quaque ſuis Cyanen miſcet Anapus aquis.*

Sil. Ital. *l.* 14 v. 516.

> *Et Cyanes, & Anapus, & Ortygiæ Arethuſa.*

Ælian. *Var. Hiſt. l.* 2. c. 33. [Greek] Situm ejus intelligimus ex vetuſtis ſcriptoribus. Thucyd *l.* 6. [Greek], h. e. *Syracuſanos omnem populum, ex urbe ac pratum prope Anapum flumen egreſſum, recenſuerunt*. Pratum iſtud eſt ſupra Syracam paludem, inter Anapum, ſive, ut nunc vocant, Alpheum, & Neapolim. Planius Plut. *in Dione*: [Greek]. In hujus quoque fluminis vocabulo enodando Grammatici ineptias ſuas exercuerunt Sic enim *Theocriti Scholiaſtes*: [Greek]. Quæ enim falſa ſint, & ἀπίθανα, videant peritiores, an non ab [Hebrew] *anab*, i. e. *ab uva*, deducatur Anapi nomen? Uvi certè fertiles agros fuiſſe Syracuſanos, circa Anapum, vel ex Theocrito colligere eſt, qui cùm in Homero legiſſet, terram Cyclopum ferre vinum [Greek], putavit agi de ſolo circa Anapum, quia utrobique par fertilitas Unde eſt, quod *Idyl.* 7. Polyphemo ad Anaphum tribuatur ſedes. Verba ſunt:

> [illegible Greek verse]
>
> [illegible Greek verse]

Item fluv. Epiri, juxta Stratum urbem fluens, ab ea 10. ſtadiis diſtans, teſte *Thucyd*

ANAQUITUS, Campus Americæ, in Peruvia & Regione Quito, ubi ingens prælium commiſſum, inter Proregem Peruviæ & Pizarrum Hiſpanos, magnâ utrinque clade, A. C. 1546

ANARGYRI, Græcè Ἀνάργυροι, i. e. *abſque argento* Græcis dicti ſunt, ut & aliquot Latinis Scriptoribus, Coſmas & Damianus, in Communione Græca & Romana pro ſanctis habiti, quod abſque argento ac ullâ mercede ſola charitate moti, mederentur infirmis. Vide Aldhelmum *de Laude Virgin.* c. 24. Erant autem trigemini fratres his nominibus inſignes. Primi quidem Confeſſores ex Aſia, Theodotes filii, ex parte gentili, quibus Kalendæ Novembres apud Græcos ſacræ, ex parte, uti patet ex *Conſtitutione* Manuelis Comneni Secundum par fratrum, fuêre Martyres Romani, quorum memoria primâ Julii, iidem ex parte fœmina.

recens

rupos. tradita eſt, uti ex *Menologio* diſcimus. Tertii fratres, *Coſmas* & [illegible] nomine celebres, ex Arabia etiam, & diem 1. Octobr. ſacram habebant, *Menæa ad* [illegible]. Etiam verò alii ſancti Me[illegible] hoc elogio inſigniuntur, in *Liturg.* [illegible], quæ Chryſoſtomo tribui ut apud *Allat.* [illegible]. In *Menologio* Græcorum, Cyrus & Joannes occurrunt, quibus ob eandem cauſam idem nomen, & memoria diem 31. Januarii dicata. Sampſon, cujus feſtum incidit, diem 27. Junii [illegible]. Panteleemon, cujus feria inſignit diem 27. Julii, in [illegible]. Poſtrò Coſmæ & Damiani Arabum [illegible], Anthimus, Leontius & Euprepius, qui [illegible] tam in Ciliciam veniſſe, & à Duce Lyſia [illegible], cum Coſma & Damiano (quibuſcum eandem diem feſtam habent) [illegible], *capite plexi*. Præter hos Hermo[illegible] Diomedes, Thallalei Tryphoniſque, meminit [illegible] omnibus, *Georgio* ſuprà laudata. Vide Meurſium [illegible] *ad Theophanem Orat.* 47. Suicerum *Theſauro* [illegible] in [illegible] *imagines Anargyrorum Hiſtoric.* [illegible] 1660.

ANARIACÆ, populi ad mare Caſpium incolentes, [illegible] Plinio l. 6. c. 16.

ANARIUM, oppid. Armeniæ majoris inter Arſamotem fluv. & [illegible] lacum.

ANARRYSIS, ſecundus dies Apaturiorum (vide *Apaturia*) quo ſacrificabant ſub lex Jovi Sodali & Palladi. Nam ut *Scholiaſt.* [illegible] exponit, & ex eo [illegible], ἀνάῤῥυσις eſt ἱερεῖον, & [illegible] hoc eſt, quod Homerus dicit αὐέρυσαν, i. e. [illegible]. Nam ſi quando Diis ſuperis ſacrificabant, [illegible] ſupinabant, ut cœlum intuerentur. Euſtath. ad l. a. Il. [illegible]. Ritum hunc optimè declarat Sophocles in *Ajace Flagellifero*, quem furore correptum in pecudes ſævientem inducit, [illegible]. Ἀνάῤῥυσις eſt, hoſtiam [illegible], i. e. [illegible] ſuperis; quod fiebat in ſacris Deorum ſuperûm, quales ſunt Jupiter & Pallas, quibus hâc Ἀναῤῥύσεως die ſacrificabatur. *Nic.*

ANARTES, Cæſari, l. 6. Bell. Gall. c. [illegible] Straboni l. 2. fortè, in Aſiaticæ Scythiæ deſcriptione *Anar*[illegible], & Plin. l. 6. c. 16 [illegible]. Niſi fortè *Ara*[illegible] apud Cæſar. [illegible] legendum, ut [illegible] Pannoniæ Inferioris populi, quos Tacit. in *German.* c. 28. *Araviſcos* vocat. C[illegible] *Anartos Ptol.* maximè Septentrionales Daciæ facit juxta Carpatum montem, quod maximè congruit verbis Cæſaris. Illinc enim ſiniſtrorſum vertitur Hercynia ſylva. Sic ergo eſſent populi Daciæ Walachis, & Tranſylvanis finitimi, Marciano [illegible] populis, inter Rhenum & Danubium, propè Hercyniam ſylvam Dacis finitimi. *Idem.*

ANAS, Urbes duæ Arabiæ deſertæ. Una ad Euphratem, altera ad fluv. de Laſtan. Texeira *Itin.* c. 8 *Du Val.*

ANAS, Hiſpaniæ fluv. *Straboni*, *Ana Ptol.* Hiſpanis *Rio Guadiana* dicitur, ab Arabibus recepto vocabulo, quibus *Guad* fluvium deſignat. Hic ex montanis *de Conſuegra* ortus, per Meridam & Badajos, labitur, & in confiniis Algarbiæ & Andaluſiæ in mare ſe exonerat. Propè Medellinum terrâ conditur & poſt 6 milliaria apud Argamaſillam iterum emergit. Hinc Hiſpani inter tria ſua memorabilia hoc reponentes, pontem ſe habere jactant, ſuper quo 10000. ovium paſcuntur. Vide Plin. l. 3. c. 6. & l. 4. c. 22. Pomp. Melam, l. 2. c. 6. l. 3. c. 1. &c. ſic Bochartus, *Chanaan.* l. 1. c. 35. Anas, inquit, inter Tagum & Bætim medius Luſitaniam à Bætica dividit. [illegible] *ana* nomen Syris eſt *ovis*. Inde dici potuiſſe videbitur Anas fluv. propter ovium frequentia paſcua in utroque litore. Maximè, cùm Bæticæ eo [illegible] quam Anas ab Aquilone, & Occaſu alluit, ſint vellere notabiles teſtante Plin. l. 8. c. 48. itemque Martiale *diverſis locis*. Sed Anas, ut quidem reor, Punicè [illegible] *Hanas* dictus eſt. Significatio [illegible] ex Arabica lingua petenda, quâ [illegible] *hanas* verbum eſt, & ſignificat *ſe ſubducere*, *ſe* [illegible] *ere* & *occultare*. Arabes de Diabolo uſurpant, qui, cùm quis orat, [illegible] *hanaſa*, i. e. ita ſe ſubducit, ut [illegible] ratione, ſtatim regrediatur. Proinde ab iiſdem Dæmon ipſe [illegible] *hanas* vocatur. Ex eodem petitur quod [illegible] *hanaſa* [illegible] ſunt ſidera in occaſus, qui [illegible] aliter occidunt, quàm in [illegible] ſecuntur. Itaque etiam [illegible] *Hanas* appellari potuit amnis qui terram ita ſe condit, ut ex ea rurſus emergat. Plin. l. 3. c. 1. *Anas* [illegible] *agro excurrens* [illegible] *modo in ſtagna* [illegible] *modo in anguſtias reſorbens*, [illegible] *cuniculis condens*, & [illegible] *gaudens*, *in Atlanticum Oceanum effunditur*. *Tot.* [illegible]. Secundum Auctorem Anonymum *Hiſt. Orb.* [illegible] *Geogr.* & *Civ.* [illegible] in agro Laminitano, [illegible] 39. fluitque inter urbem [illegible] *Royal*, Calatravam, Meridam, *Badajos*, Olivencam, [illegible] ad caſtrum Alcotim, & in tres ſinuatur portus: Ipſum ad [illegible] Regium, *Palatio del Rey* [illegible] terræ viſceribus ſe condere. [illegible] poſt 20 milliaria, ad Metallinum. *Medellin*, iterum erumpere [illegible] in planitie, quam ſubſtr:, plurima pecora, res com[illegible] nota eſt. Cùm tria maximè memorabilia Hiſpaniæ [illegible] illi prodant, *Pontem*, *cui aqua ſuperfluat* [illegible] *atam* & *P*[illegible]*em*, *in quo decem millia pecorum paſcantur*; per [illegible] *Aquæ ductum Segoviæ*, per ſecundum *Madritum*, cujus ex ſilicibus conſtant & per tertium, *conditorium* hoc *Anæ* [illegible]. Sed monet Ortelius, id vulgi opinione potius [illegible] conſtare, idque ſe accepiſſe ab oculato teſte [illegible] ab Auſtria Præpoſito Harlebecenſi, *ad tab.* 16. *Theatri Orb.* Interim & Furnerius, cætera ſatis accuratus, eandem rem [illegible] continuavit, l. [illegible] c. 14. & Ricciolus l. 10. c. 7. neque rem [illegible] poſſibilem facilè concedet, qui Maris Mediterranei & Maris [illegible] ductus ſubterraneos Jordanis item ac Lacus Aſphaltitis conſiderationem expenderit. Alia exempla, vide apud Athanaſium Kircherum *Mund. ſubterr.* l. [illegible] *ſubſp.*

ANAS, Siciliæ fluv. apud Livium l. 24. quem *Anatum* vocat.

ANASSUS, fluv. Carnorum Venetæ ditionis Plin. l. 3. c. 18. *La Piave!* [illegible] vide *Anaſſus*.

ANASTASIA, vel ANASTASIOPOLIS, civitas Meſopotamiæ, apud Niſibim, ab ea 12. mill. paſs. diſtans, ab *Anaſtaſio* Imperatore condita; *Dara* prius, teſte *Marcellino*, & *Daras*, teſte *Procopio*, dicta. Altera in Galatia ſub Archiepiſcopo Ancyrano. Tertia in Thracia, ſub Archiepiſcopo Trajanopolitano.

ANASTASIMOS Græca eidem vox Ἀναστάσιμος, dies Reſurrectionis Chriſti; in Eccleſia Romana *Dominica*. *Nova* dicitur nonnullis, [illegible] per hanc Dominicam Palmarum intelligentibus. Vide infrà.

ANASTASIS, nomen Templi, ab Helena Conſtantini M. matre Hieroſolymis exſtructi, in quo Crucem ab [illegible] inventam recondi am eſſe tradit *Theophanes*. Ejus imaginem in nummo adulterino Heraclii Imperatoris per tres lampades ad trabem appenſas repræſentatam eſſe, conjicit Car. du Freſne ex eo, quod in ædibus ſacris appendi trabibus aureo, argenteo vel ære obductis, aut iis impoſita luminaria: ſive ædium parietibus eſſent infixæ, ſive ſe liberæ & a fornice catenulis aut funiculis penſiles, conſueverunt. Ita namque de hujuſmodi trabibus Leo Oſtienſis: *Trabem quoque* [illegible] *ex ære, cum candelabris numero quinquaginta, in quibus utique totidem* [illegible] *per feſtivitates præcipuas ponerentur, lampadibus* [illegible] *eadem trabe triginta ſex dependentibus* &c. Aſſervatam autem crucem, in Æde Ἀναστάσεως, ſeu *Reſurrectionis*, longè ante Heraclium (qui eam à Perſis recuperavit & in urbem Hieroſolymam denuo intulit) palam eſt, cum non ſolùm [illegible], unde dicatur Auctor *Chronici* Alexandrini, ſed & qui crucem in e[illegible] ſervabat Presbyter, *Cuſtos Crucis* appellerit Victori Tununenſi in *Chron.* [illegible] & *Theophani*, qui Johanni Moſchopulo [illegible], Cuſtos *ſuppellectilis S. Anaſtaſis*, ſeu Reſurrectionis: quod dictum, Francis Hieroſolymitanum Regnum obtinentibus, C[illegible] *ſanctæ Crucis* titulô inſignis, ejuſdem Eccleſiæ Canonicus, partem ſcil. ejus ligni, quæ in ea Æde aſſervabatur. (Nam partem reperta cruci ad Conſtantinum filium miſiſſe, alteram Macario Patriarchæ Hieroſolymitano auro incluſam commendaſſe, Helena dicitur.) Heraclius igitur, cum Siroe Perſarum Rege fœdere inito, receptaque cruce, quam pater ejus Choſroës annô 5. Imperatoris Heraclii expugnata Hieroſolymis in Perſas abduxerat, eam in *Anaſtaſi* recondidit: donec Conſtantinopolim relata eſt. Reædificâſſe autem eâdem imperante Heracliô Ædem hanc Modeſtum Patriarcham tradit Guillelmus Tyrius. Vide Car. du Freſne *Diſſertat. de Inferioris Ævi Numiſmat.*

ANASTASIUS, I. poſt Zenonem, Imperator, ope Ariadnes Imperator ex Silentiario factus, Longinô Zenonis fratre ſpe imperii hâc ratione dejectô. Primis Imperii annis laudatus, abolitô ambitu & ſublatô Chryſargyrô, quod nomen exactionis erat, benignus & liberalis. Poſt in contrarium verſus, Conſtantinopolitanos, Longini inſtinctu, infeſtos ſenſit primùm, dein Iſauros, quibus victis larvam penitus depoſuit, & Acephalæ hæreſin apertè amplexus, Euphemium & Macedonium Epiſcopos ſurrogatis hæreticis pepulit, &c. Sed difficilibus bellis implicitus, pacem pecuniâ redimere coactus eſt, & Conſtantinopolim adverſam habuit. Proclus qui Vitaliani Conſtantinopolim obſidentis claſſem combuſſit, inſignis Mathematicus, cum ex oraculo noſſet, Anaſtaſium igne periturum, cubiculum ei concinnavit, in quo tutus eſſet. Sed fulmine percuſſus, obiit A. C. 518 In perii 27. *Cedrenus*. *Evagrius*, *Theodor. Lector*, *Marcellinus*, *Procopius*, Hic auditô Clodovæum I. contra Alaricum & Alemannos feliciter pugnâſſe, ei coronam imperialem miſit, quam Francus Papæ Symmacho tranſmiſit, in Baſilica Petri reponendam, Greg. Turonenſ. l. 2. c. 38. Hincmar. in *S. Remig.* Aimoin. l. 1. *Sigebert.*

ANASTASIUS, II. prius *Artemius*, Secretarius Philippici Imperatoris, ei ſucceſſit, eruditus & moderatus. Ducem cum claſſe contra Saracenos miſſum, à rebelli milite Rhodi occiſum, audiit, moxque Theodoſium quæſtorem, Imperatorem creatum, Qui urbe poſt 6. menſium obſidionem captâ, Anaſtaſium tonſum in monaſterium detrudit, imperii annô 3. A. C. 715.

ANASTASIUS, I. Papa Romanus poſt Siricium, A. C. 398. Obiit A. C. 402. Hieronymo laudatus, *ep.* 16. Auguſtin. *ep.* 105. Socr. l. 7. c. 9. Sozom. l. 8. c. 24. Theodoret l. 5. c. 23.

ANASTASIUS, II. poſt Gelaſium, Pontifex, circa A. C. 498. ad Eutychianiſmum propendit. Hunc inteſtina, in ſecreto loco, Arii inſtar effudiſſe, ſunt qui ſcribant. Theodor. Lect. l. 2.

ANASTASIUS, III. Romanus, Luciani fil. Sergio III ſucceſſit, qui in gratiam Berengarii Regis Papienſi Archiepiſcopo, ubi tum aula Regum, jus umbellæ, albi equi, crucis & in Conſtitio [illegible], conceſſit, nullâ aliâ re memorabilis. Sigebert. Onuphr. Genebr. *in Chron.* Antonin. §. 13. Baron. *A. C.* 911. 912.

ANASTASIUS, Antipapa, contra Benedictum III. creatus, mox Româ pulſus eſt. Onuphr. Genebr. & Ciacconius *in Bened.* 3. Baron. *A. C.* 855. *num.* 36.

ANASTASIUS, Patriarcha Conſtantinopolitan. A. C. 458. 477. Item, Epiſcopus Nicxenſis, cui cùm Philomeno Nicomedienſi, de Juribus Diœceſis, contentio fuit, in Concilio Chalcedonenſ. *ſeſſ.* 5. compoſita. Seculo 7. Vide Bellarm. *de Scr. Eccleſ.*

ANASTASIUS, Patriarcha Conſtantinopolitan. Germano a Leone Iſaurico ſuffectus, à Conſtantino Copronymo publicè ludibrio expoſitus eſt. Zonar. Theophyl. *A.* C. 730. 741. 753.

ANASTASIUS, Epiſcopus Antiochenus. Varia ſcripſit, à Juſtino in exilium ejectus, & ab eodem reſtitutus. A. C. 593. Niceph.

ceph. *l. 8. c.* 44. Sigebert. *de Scr. Eccleſ. c.* 42.

ANASTASIUS, Jacobita, Heraclio Imperatori pollicitus, ſe Concilio Chalcedonenſi ſubſcripturum, ut Patriarcha Antiochenus evaderet, fidem feſellit, & Imperatore ſeducto, Orientem turbavit. Baron. *A. C.* 629. *n.* 5. *& ſeqq.*

ANASTASIUS, Hiſtoricus, qui præceptoris ſui Maximi vitam memoriæ prodidit, floruit circa A. C. 650.

ANASTASIUS, Theopolita, Cyrilli æqualis, compoſuit *Perſica*, ſive quæ in Perſide contigerunt, ſuper Dionyſiaro, & Philippi Hiſtoriographis, inter Chriſtianos & Paganos.

ANASTASIUS, Abbas, ſeculo 8. ſcripſit contra Judæos, Vide *tom.* 4. *Biblioth. Patrum.* Item, Præſes Palæſtinæ, ab Anaſtaſio Imperatore Olympio ſuffectus, &c.

ANASTASIUS, Abbas Romanus, ordinis S. Benedicti, Presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli, & Bibliothecarius Gregorii IV. A Leone autem IV. in Synodo Romana exauctoratus, eo quod, contra Canonum decreta, Eccleſiam ſuam quinquennio deſeruiſſet. Vide Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 23. *&* 35. Quæ poſteriora de Anaſtaſio Antipapa intelligenda, oſtendit *Moretum*.

ANASTASIUS, Monachus Caſſinenſis, & Cardinalis, ac Bibliothecarius Stephani II. Papæ, A. C. 754.

ANASTASIUS, Hiſtoricus quidam, qui vitam Gregorii Nazianzeni, a Gregorio Presbytero Græce ſcriptam, Latinè tranſtulit. Vixit circa A. C. 960.

ANASTASIUS, auctor præſcriptionis quadraginta annorum *l.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *C. de præſcrip.* 30. *vel* 40. *annorum*, Gotofredus *ad tit. Cod. eod.* apud Johann. Calvinum *Lex. Jur.*

ANASTUS, fluv. oriens ex Alpibus Carnicis, in confinio Carinthiæ, prope fontes Dravi fluvii excipitque fluvios, Padolum, Boetum, Calorum & Cordevolum, & prope Feltrium urbem labitur. Hinc per Marchiam Tarviſinam fluens, ibi in Adriaticum ſe exonerat. Vide *Anaſſus*.

ANATARCÆ, veteri Geographo, pro *Anariacæ*, quos vide.

ANATES de Faraone, Ægyptiæ, apud Fridericum II. *de Venat. l.* 1. *c.* 23. *quæ ſunt variæ, ex albo, nigro & rubeo, & habent inter nares & frontem quoddam tenue, carneum rubeum elevatum ad modum criſtæ, non tamen inciſum, ſicut eſt galli criſta*, Car. du Freſne *Gloſſar.*

ANATETARTA, urbs Cariæ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Stauropolitano, teſte *Miræo*.

ANATH, Latinè *reſponſio*, ſive *canticum*, aut *afflictio*, vel *paupertas*, pater Samgar Judicis Iſraël. Judic. *c.* 3. *v.* 31.

ANATHA, urbs quam *Arria[n]* *Tyron* vocat. *Steph.*

ANATHEMA, ut & *Devotum* ac Sacrum, interdum rem pietatis ergo Numini ſacratam, interdum diris onuſtam denotat; cum ſcil. utraque devovebatur, hæc ut malorum Vindici, illa ut bonorum Auctori Conſervatorique. Unde & Hebræum חרם *Cherem*, ſeu *Anathema* aut *Devotamentum*, ut Tertullianus vocat *adv. Gnoſticos c.* 2. duplicem hunc uſum apud Hebræos obtinuit, idque quadruplici hac notione. Namque aut ſacrum ſignificat donarium ipſum, quod Numini ſeu in ſacros uſus devovebatur, ut *v.* 28. *c.* 27. Levitici; aut id, quod expreſſè jure belli perditioni devovebatur odiove inteſtino; aut quod in commiſſum cadebat, aut denium, quod diris, jure tantum patris, onuſtum. Et quidem, ut de primo vocis ſignificatu nil dicam; ſecundi generis exemplum illuſtre habetur, de Hierichunte urbe. Joſuæ *c.* 6. *v.* 17. *Eſtque urbs hæc* anathema *ſeu* Cherem, *ipſa & omnia, quæ in ea, Domino.* Et ſtatim, *Et vos cavete ab anathemate — omne argentum atque aurum, vaſa ænea atque ferrea Domino conſecrabuntur venientque in theſaurum Domini.* Ubi urbs illa tota *anathema* erat in pœnam ſeu vindictam hoſtium, ita tamen, ut metalla in Victoris poteſtatem redacta, *anathemata* fierent primi generis, utpote Domino ſacra & in ſacros uſus ſervanda; cæteræ tam perſonæ (exceptâ Rahab) quàm res, ſive nece, ſive incendio, aliove modo diſperderentur: idque ſub graviſſima pœna, ut ex Achanis hiſtoria patet. Atque ad hoc genus attinent publica ſive Populi, ſive Regis, ſive Synedrii, anathemata, quibus bellum geſturi, ſive prælium inituri, milites ſuos aliosve, ſi quidquam imperatum non præſtarent, devovebant morti; quemadmodum illud Populi, de eis qui non aſcenderent in Mizpa, Judic. *c.* 21. *v.* 5. & illud Saulis Regis de eis, qui ante noctem quid comederent; 1 Sam. *c.* 14. *v.* 24. Eodem pertinet excommunicatio ſimul & anathema, quo Cuthæi veteres qui Templi inſtaurationem impeditum iverant, devovebantur, in *Pirke* Rabbi Eliezer *c.* 38. ubi inter alia, trecentarum buccinarum, quarum ſono *Anathema* illud denuntiatum, mentio fit. Tertium *Anathematis* genus viſitur in illo Ezræ edicto, *c.* 10. *v.* 8. *Quicunque non adfuerit intra triduum juxta decretum Principum & Seniorum, anathematiſabitur univerſa ſubſtantia ejus & ipſe diſterminabitur ab Eccleſia tranſmigrationis.* Quarti denique generis, quod jure Patris diris fiebat, ſpecies ſunt binæ, altera, ubi diris quis devovebatur, ſi quid in poſterum ſive committeret, ſive omitteret: altera, ubi quis ob jam commiſſum quid ita devovebatur. Prioris exemplum eſt, in illo Joſuæ, *c.* 6. *v.* 26. ubi maledixit illi, qui Hierichuntem eſſet inſtauraturus. Quò pertinet, quod ex inſtituto Rabbenu Gerſon (qui in Gallia floruit circa A. C. 1070.) literis obſignatis Judæi hodieque apponere ſolent: Diris nempe devovent eum, qui præter ſententiam mittentis eas reſignaverit, [illegible] perſonæ & loco, ad quem mittuntur, nunc ſic, tunc aliter, devotionis formulâ ſubjunctâ: *In anathema devoveatur [illegible] per Excommunicationem, Anathema & Separationem Rabbi Gerſon Luminis Captivitatis, & panis ejus ſit cibus Gentilium, vinumque ejus vinum idololatrarum.* Hujuſmodi ſcil. di[ris] alienum, qui reſignaverit, devovent; breviter atque more ſuo, unoquoque vocabulo pri[mo] tantùm ſui elemento denotato. Ejuſdem generis erat, quo *quidam ex Judæis ſe ipſos anathematizaverunt, dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum*, Actor. *c.* 23. *v.* 12. 14. 21. Item, quò devovebantur adjurati, ſi pejerârent. Etiam, quò admiſſi in Eſſenorum ſectam ſe obligabant, ut videre eſt apud Joſephum *de Bell. Jud. l.* 2. *c.* [illegible]. Denique, quod ſtatis temporibus Hebræi veteres et univerſos Iſraëlitas, qui capita aliquot Juris ſive tacti ſive aliter introducti, cautius p[illegible] obſervanda, ſponte & ſcienter violarent, tactis Bibliis promulgare conſueverunt: cujus formula exſtat in Colbo, libro Rituali Hebræorum. Atque ejuſdem generis anathematiſmi ſunt in Jure Cæſa[reo], [illegible] ex Hebræorum more memorati. Permiſit enim Juſtinianus Hebræis Legem ſuam ſive Græcè, ſive Latinè, legere, *Neque*, inquit, *[illegible] licentiam habebunt hi, qui ab his, majores annibus Archipherecitæ aut Presbyteri appellantur, peremtis aliquibus, aut anathematiſmis [illegible] prohibere, niſi [illegible], propter hoc, caſtigationem [illegible], &c.* Altera, ſpecies quarti generis eſt, quâ ex ſententia forenſi devovebatur is qui excommunicatus ſeu à cœtu Iſraëlitico, ejuſque conſuetudine, ſite remotus, intra tempus ſibi [illegible] præſtitutum non reſipuiſceret, ſed ex contumacia ſua aut neglectu ſibi in cauſa eſſet, ut excommunicatione interim non ſolveretur. Et quidem hanc quod concernit, 24. à Talmudicis aſſignantur cauſæ, ob quas excommunicandus erat quis ſeu liberâ cœtûs Iſraëlitici conſuetudine arcendus: hujuſmodi excommunicationem נידוי *niddui*, i. e. [illegible] & שמתא, *Shamatha*, i. e. *excommunicationum*, appellant. Formula, cauſa primum indicatâ, verbis inconceptis hujuſmodi erat: [illegible] *Shamata* (hoc enim vocabulum magis proprium ac receptum) [illegible] *excommunicationi ſit obſtrictus*: פלוני יהיה בשמתא. Quo fulmine qui feriebantur, privabantur ſolitæ popularium conſuetudinis libertate, uſque dum pœnitentiâ ad bonam mentem rediens ſolveretur. Scilicet nec luctûs ritibus eum uti fas erat, neque cenſebant eum in [illegible] hominum decem, ubicunque hic numerus neceſſarius eſſet, adeoque ita cœtus eſſe pars deſiit, ut, cum novem aliis, decem non conficeret. Quin adjicitur in *Sepher Shulcan Aruch*, *ſi ita viſum eſſet Foro, licuit interdicere, ne convivio cuiquam intereſſet, ne cum decem oraret, nec, ſi mortuum haberet, quis eum ſepeliret, nec, ſi plurimi, eum quis circumcideret.* Sed verò ex jure communi ſeu receptiſſimis moribus, haudquaquam fas ei erat alteri (præter uxorem & liberos) intra ſpatium quatuor cubitorum aſſidere, nec ſi mortuus eſſet, plangendus erat. Addunt, ſuper tumulum ejus ſaxum grande relinquendum, ut lapidandum ejus ſepulchrum eſſe (erat autem *lapidatio* pœna apud illos graviſſima) indigitaretur, &c. Quod ſi excommunicatus reſipiſcens ſolvi ſe deſideraret, fiebat ad hanc formulam; שרוי לך ומחול לך, *Abſolutio tibi eſt, res eſt tibi permiſſa*, idque citius, ſerius, pro delicti gravitate. Sed ut plurimum fiebat excommunicatio ad diem triceſimum, intra quod tempus expectabat Forum, ut ad frugem rediret: ita tamen, ut interim verberibus etiam, pro Fori arbitratu eſſet puniendus. Poſt 30. dierum contumaciam, idem tempus ſemel iterabatur: at verò, ſi ante ſexageſimum diem excommunicatus abſolutionem non peteret, חרם *Cherem*, i. e. *Anathemate* feriebatur, i. e. diris multo gravioribus: Cujuſmodi carmen ſolenne ac horrendum erat, *N. anathema ſit, ſeu devotus atque execrandus habeatur. Diræ imprecationes in eum, Juramentum in eum, Excommunicatio in eum.* Quidquid ſcil. horrendum eſt, ſive Numinis vindictam, ſive hominum odium atque averſam conſuetudinem ſpectes, in eum incidat. Atque ſic talis omnimodâ ferè conſuetudine hominum privabatur, fiebatque ei tuguriolum, in quo ab omni hominum commercio ſemotus aleretur, ſeu ut de hujuſmodi anathemate, ſub initia Eccleſiæ Chriſtianæ loquitur Tertullianus *adv. Gentes c.* 39. *[a] communicatione orationis & conventus, & omnis ſancti commercii relegabatur.* Vide plura hanc in rem, ut de *Apoſynagogis*, *de quæſtione, an conſecratus quiſpiam nomine* anathematis, *ut donarii ſacri, aut is, qui inter bona in commiſſum caderet aut ſolenniori devotus anathemate, morti eus eoque nomine [illegible] de illo item anathematis genere, quo expreſſè homines, ex jure belli, neci devovebantur: de voto Jephthæ aliisque huc pertinentibus*, apud Joh. Seldenum de *Jure Nat. & Gent. juxta diſcipl. Hebr. l.* 4. *c.* [illegible] *& ſeqq.* ut & infra, ubi de *Excommunicatione*. Adde Albaſpinæum *Obſervat. l.* 2. *c.* 4. Petavium *in Miſcellan. Exercitat. ad [illegible]* 13. 14. 15. 16. Joh. Fileſacum *ad Vincentium Lirin.* Lindenbrogium, Salmaſ. *ad Solin.* &c. laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.* qui id unum ad hanc vocem adnotat; *Anathema* propriâ notione apud Scriptores Chriſtianos ſignificare inflictam ab Eccleſia excommunicationem; non tamen quamvis ἀκοινωνησίαν, ſed eam quæ cum execratione & maledictione decernatur & per quam non ſolùm à fidelium communione ac Eccleſiæ ingreſſu, ſed etiam ab omni precum conſortio ac publica mentione, convictu, colloquio, ſalutationeque fidelium, tales arceantur, ex *Capitulis* Caroli Calvi *tit.* 6. §. 56. & Hincmaro *Opuſc.* 55. adeoque Excommunicationem, quam ſequitur *Cherem*, ut de quarto genere Anathematis apud Hebræos uſitati, deque poſteriore ejus ſpecie, diximus ſuprà. Vide quoque, voce *Apoſ[ynagogo]*.

ANATHEMA ſim, Judæis & antiquis Chriſtianis, in certis in jurejurando formulis, h. e. *à Synagoga & Eccleſia excluſus ſim*: Cujuſmodi *anathema* ſibi imprecari, ἀναθεματίζειν, dixêre. Apud Matthæum *c.* 26. *v.* 74. de Petro Dominum abjurante, τότε ἤρξατο καταθεματίζειν καὶ ὀμνύειν, ὅτι οὐκ οἶδα τὸν ἄνθρωπον, *Anathema ſibi ipſi imprecabatur, ſi vi[diſſet] hominem*, h. e. à Synagoga excluſus voluit eſſe, ſi &c. Hoc enim vox Ἀνάθεμα indigitat, longè diverſa à voce ἀνάθημα, propriè ſignificante donarium ac rem templis dicatam, nec quamvis, ſed eam tantum, quæ ſuſpendi poterat, aut in excelſo & conſpicuo loco poni, ut eſſet Templis ornamento, cujuſmodi erant phialæ aureæ & argenteæ, tripodes, acerræ, corollæ & ſimilia. *Pollux*, Τὰ [illegible] φιάλας, [illegible], θυμιατήρια, [illegible]. Unde apud Homerum ἀναθήματα pro quolibet ornamento, *Od.* α. *v.* 152.

Τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός.

Hæc enim ornamenta convivii.

At de terra, aut agro, aut ædificio, aut pecore, aut arbore, vel etiam homine Diis conſecratis ac dedicatis Græci veteres non ἀνάθεμα dixerunt, ſed ἀνάθημα, Hebraicè *Cherem*, atque ea [illegible] vocita-

runt

rum, [illegible] & [illegible]: Atque inde [illegible], pro *perdere* po-ni cœpit, quia res ei perit, à cujus uſibus abſcinditur ac Deo vindicatur. Nec mirum tam diverſæ ſignificationis [illegible] & [illegible] eſſe. Namque non minus in diverſa notione ponitur, τὸ [illegible], quod ſignificat *dedicare* & τὸ [illegible], quod denotat *e ſua regione ac ſede deducere*, ac *removere*, [illegible]: cujus rei cauſa diverſa notio præpoſitionis ἀνὰ utrobique &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1089. *& ſeqq.* ut & Suicerum *Theſauro Eccl.* ubi, inter alia, vocem Ἀνάθεμα, etiam de homine Deo dedicato, deprehendit apud Patrum quoſdam: ſed & utramque vocem aliquando apud eoſdem promiſcuè uſurpari, notat.

ANATHOTH, civitas 3. milliaribus ab Hieroſolymis diſtans. *Eſa. c.* 10. *v.* 36. Item fil. Bechor, filii Benjamin. 1. Paral. *c.* 7. *v.* 9.

ANATILI, populi Galliæ Narbonenſis. ubi nunc *la Crau* & *la Camargue*, partes Provinciæ in ora maritima ad oſtia Rhodani fluvii.

ANATILIA, oppid Galliæ Narbonenſis, Plin. *l.* 3. *c.* 4. Vulgò *S. Gilles*, quòd ibi S. Ægidius vitam egerit ſolitariam. longitud. 25. 2. latitud. 42. 44.

ANATILORUM Regio, *Ptol. Provence Jo. Poldo* vocatur. Vide *Anatili*.

ANATIS, Mauritaniæ Tingitanæ fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 1. & Solin. *c.* 27. *Zilia* hodie, teſte *Mariana*, vide etiam ſuprà *Ana*, Siciliæ fluv.

ANATOLE, una horarum, quarum varia nomina diſtribuuntur ab Hygino *Fab.* 183. Item nomen montis, circa Gangem fluv. qui & *Coripha*, in quo Sol Anaxibiam nympham compreſſit, ut ſcribit Plut. *de Montibus.*

ANATOLIA, Gall. ANATOLIE & NATOLIE, pars Aſiæ, aliter *Aſia minor*. Aliis, præter Aſiam minorem, Cappadociam, Galatiam, Paphlagoniam, Pontum, Bithyniam, Lyciam, Pamphyliam & Ciliciam continet. Quidquid nempe inter Pontum Euxinum & mare Mediterraneum quod Cyprum alluit, intercipitur. Fortè, ab Ἀνατολῆς Conſtantinopoli enim verſùs ortum eſt. *Nic. Lloydius*. Aliis dicitur, quòd Mari Mediterraneo ejuſque accolis Europæis ad Ortum objaceat, planè ac hodie nunc Italorum *Levante*, h. e. *Oriens*, ſe habet, cujus nomine partes Aſiæ Mari Mediterraneo vicinas ipſaſque remotiores ab Occidente Inſulas Maris iſtius, intelligunt. Terminatur ab Ortu Armeniâ & parte Syriæ, cætera Pontus Euxinus, Propontis, Archipelagus & Mare Mediterraneum cingunt. Provinciæ olim ejus numeratæ, Primò Pontus & Bithynia. 2. Aſia minor, in ſpecie ſic dicta (alicubi enim & totam *Natoliam* ita vocatam videre eſt) eaque comprehenſæ Phrygia, Myſia, Lydia, Caria, item Æolis, Doris & Ionia, à Græcis olim habitatæ. 3. Lycia, 4. Pamphylia. 5 Cilicia, quam Belſiæ aut Lugdunenſi territorio in Gallia aſſimilat Bellonius *Obſervation. l.* 2. *c.* 100. 6. Cappadocia. 7. Galatia & Paphlagonia. Quibus ferè reſpondent,

Provinciæ Anatoliæ regionis hodie ita dictæ:

Chiutale.	*Menteſeli.*
Becſangil, *Sarcum & Gre-man*	*Carmania.*
	Amaſia, *Anadole*, *Sivas*
Aidinelie	*& Genech.*
Rum, *Bolli.*	

Mediis ſeculis Imperatorum Græcorum, aliis diviſionibus diſtracta fuit, cuſitque Imperium Trapezuntinum, à Trapezunte, ſede regia, quæ hodie *Trebiſonde*, ita dictum. In *Chiutale*, aut Ponto urbes ſunt *Scutari*, quæ olim Chalcedon, Nicomedia, Pruſia ſeu *Burſia* &c. In Aſia minore ſeu *Sarcum* Smyrna, Auctor Anonymus *Hiſt. Terr. Orbis Geogr. & Civ.* Vide quoque hic infrà.

ANATOLICA Diœceſis, Græcè Ἀνατολὴ & Ἀνατολικὴ [illegible], Latinè *Oriens* & *Orientalis provinc.* non fuit eadem cum Aſia Minore, ut quidem Conſtantinus contendit *de Themat. l.* 1. nec eadem cum Aſiana Diœceſi; ſed primis & mediis Eccleſiæ ſeculis etiam Arcadiò adhuc regnante, nomine τῆς Ἀνατολῆς, ſeu *Orientis*, provinciæ infrà ſcriptæ XV. intelligebantur, *Palæſtina*, *Phœnice*, *Syria*, *Cilicia*, *Cyprus*, *Arabia*, *Iſauria*, *Palæſtina Salutaris*, *Palæſtina ſecunda*, *Phœnice Libani*, *Euphratenſis*, *Syria Salutaris*, *Oſrhoena*, *Meſopotamia & Cilicia ſecunda*, in *Notit. Imperii* ſub Arcadio compoſita: Quas etiam omnes ſub ſe habebat ille, qui *Comes Orientis* dicebatur; Magiſter Militum itidem per Orientem ſimiliter militibus, per univerſas illas locatis provincias, præſidebat. Eædem in ſpiritualibus Antiocheno Patriarchæ ſuberant, qui propterea dicebatur ὁ Ἀνατολῆς Πατριάρχης & τῆς Ἀνατολικῆς διοικήσεως Ἔξαρχος. Hinc & Ἀνατολικὴ Σύνοδος & Ἀνατολικοὶ Ἐπίσκοποι, qui illi Patriarchæ ſuberant, nec quicquam habebant commune cum Aſianis, qui Conſtantinopolitanum Patriarcham agnoſcebant. *Notitia* vetus provinciar. *Romanar.* decem tantùm Orientis provincias numerans, eas ſic nominat, *In Oriente N. X. Syria cœle, in qua eſt Antiochia, Syria Palæſtina, Phœnice, Iſauria, Cilicia juxta montem Taurum, Cyprus, Meſopotamia inter Tigrim vel Euphratem, Euphratenſis, Oſdroene, Sophene.* At infimis Græciæ & cadentis Imperii temporibus Minor Aſia ſeu potiùs pars ejus ulterior Ἀνατολικὸν Θέμα, i. e. *Orientalis provincia dicta eſt*, hodieque *Natolia* appellata: quam Conſtantinus *de provinciis Orientalis Imperii*, quinque his gentibus conſtare ait, *Phrygibus*, *Lycaonibus*, *Iſauris*, *Pamphylis & Piſidis*. Altera verò pars ejuſdem Aſiæ, nempe citerior, Θρακησίων Θέμα, h. e. *Thracenſium provinc.* eſt appellata, quæ ſub ſe continebat *Mæoniam*, *Lydiam*, *Cariam*, *Ioniam & Phrygiam Minorem*. Qua de re vide pluribus differentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 804 *& ſeqq.*

ANATOLICUM Thema, apud Conſtantinum Porphyrogennetam, ea pars Aſiæ minoris quam Turcæ etiamnum *Natolia* vocant. Vide *Anatolia*, & *Anatolica Diœceſis.*

ANATOLIUS, Conſul Romanus Valentiniani Aug. 5. collega.

ANATOLIUS Alexandrinus, ſucceſſor Euſebii, in Epiſcopatu Laodicenſi, non minus pietate, quàm eruditione illuſtris. Orator inſignis, Mathematicus excellens, Philoſophus conſummatus, doctiſſimus Ariſtotelis interpretum ſuo tempore habitus. Pauca, ſed bene ſcripſit. Euſeb. *Chron.* A. C. 280. *& l.* 7. *c.* 36. *Hiſtor.* Hieronym. *in Catal.* Ado *in Chron.* Trith. *de ſcript. Eccleſ.* Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 50. §. 3. *& c.* 67 §. 3

ANATOLIUS, Diaconus Romanus A. C. 533. Item Dux copiarum Theodoſii II. Imperatoris contra Perſas, Sarracenos & Iſauros, Amm Marcellin. *l* 31.

ANATOLIUS, nuntius Dioſcuri, apud Imperatorem priùs, dein Patriarcha Conſtantinopolitan. Eutychianorum fautor. Obiit A. C. 458. Concil. Chalced. *Act.* 1. 3. 6. Leo *ep.* 52. 55.

ANATOLIUS, humili locô natus, ingenii ope ad ſummas dignitates Antiochiæ evectus eſt. Sed deprehenſus, clam idolis facere, à Tiberio II. Conſtantinopolim accerſitus eſt, & à feris dilaniatus. Baron A. C. 580. *n.* 1.

ANATOMICI ſeu Diſſectores, Medicorum genus, de quibus infrà, voce *Medici*.

ANAVA, urbs Phrygiæ. *Steph.*

ANAVE, provinc. Regni Parthici, unum ex duodeviginti regnis Parthorum, quorum manſiones recenſet, in libello [illegible] *Iſidorus.*

ANAUCHIDAS luctator inſignis. Pauſan. *Eliac. poſter.*

ANAUDOMA, oppidum Syenitarum. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

ANAURUS, fluv. Theſſaliæ, oriens in Pelio monte: ſic dictus, quòd ex ſe neque auram, neque nebulam mittat. Lucan. *l.* 6. *v.* 369.

Quique nec humentes nebulas, nec rore madentem
Aëra, nec tenues ventos aſpirat Anauros.

Lege *ſuſpirat*. Videtur autem in Lucanum cenſoria diſtringi meritò virgula debere, inquit doctiſſimus Turnebus *l.* 3. *Adverſ. c.* 2. Anaurus enim ab eo, ut Theſſaliæ fluv. recenſetur, & tamen, quod ſciam, nec Strabo, nec Plinius eum nominat in Theſſalia reddenda. Videtur autem eum in errorem induxiſſe Apollonius Rhodius *l.* 1. *Argonaut.* cujus verſus eſt:

[illegible] Ἀναύρου.

Sed eô nomine, non perennis, nec jugis fluv ſed torrens & hybernus intelligitur, vel ejus interprete auctore, cujus hæc verba ſunt: Ἄναυρον [illegible]. Quin ex eo nomen habere videtur, quòd nullas gignat auras. Lucanum tamen inſcitiæ magnis teſtibus abſolvere poſſumus. Callimacho v. g. *hymnô in Dianam*:

[illegible] Ἀναύρῳ.

Cujus interpres ait: Ποταμὸς Θετταλίας Ἄναυρος. Quin & *Heſychius*: Ἄναυρος ὄνομα ποταμοῦ. Item, Troadis fluv. ad Idam montem, ubi Paris paternas paſcebat oves, ut refert Coluthus Theb. *de raptu Helenæ. Nic. Lloydius.*

ANAUSIS, Alanorum & Heniochorum Rex, procus Medeæ, poſteà à Styro rivali interfectus. Val. Flacc. *Argonaut. l.* 6. *v.* 43.

Miſerat ardentes, mox ipſe ſecutus, Alanos,
Heniochoſque truces, jampridem infenſus Anauſis;
Pacta quod Albano conjux Medea tyranno.

ANAX, Cœli & Terræ fil. à quo Miletus olim dicta fuit *Anactoria*. Indidem id eſſe factum putaverim, quòd, apud Poëtarum antiquiſſimos, nomen *Anax* in honore fuit, tanquam ſacrum & auguſtum, Regibuſque, & Heroibus peculiare. Etiam Dioſcuros Ἄνακας ideo dictos eſſe conſentaneum eſt, quòd ſtaturâ & majeſtate cæteris mortalibus anteſtarent. Cicer. *l.* 3. *de Nat. Deor.* author eſt, primos Διοσκούρους ex Jove antiquiſſimo Rege & Proſerpina natos, Athenis *Anaces* fuiſſe appellatos. Cùm verò plures Dioſcuros fuiſſe conſtet, idem nominis etiam Tyndaridis alii tribuerunt; Plutarchus *in Theſeo*, ubi cauſam quoque exponit appellationis: *Τιμὰς [illegible]* [illegible] *Divinos honores obtinuerunt Anaces appellati, vel propter inducias (quas Græci vocant ἀνοχάς) vel ob curam operamque, quam adhibuerunt, ne quis injuriâ afficeretur, cùm tantus eſſet in urbe exercitus (quem illi duxerant ad recuperandam Helenam) nam* [illegible] *dicuntur, qui quamcunque rem tuentur, & cuſtodiunt. Et Reges fortaſſis ob hoc ipſum Ἄνακας vocant. Sunt autem, qui dicant, ſic appellatos propter ſplendorem ſiderum; nam ἄνω, quod eſt ſurſum, ſi ve ſupra, Athenienſes ἀνέκας efferunt.* Ad poſteriorem nominis rationem fortè reſpexit Horat. *l.* 1. Od. 3. *v.* 2.

Sic fratres Helenæ lucida ſidera.

Euſtathius *ad Odyſſ. a.* probat etymon, quod Plut. priore locô ponit: [illegible], inquit, [illegible]. Quô ſenſu ab Herodoto & Thucydide uſurpatum eſſe, teſtis eſt Pauſan. *l.* 2. Pindarus *Pythionic* 5. *Epodo ultima*, unum Pollucem nominans, ſic tamen, ut etiam de Caſtore intelligi debeat, non Ἄνακας, aut Ἄνακε, ſed Ἄνακτα vocat. Quem ſecutus eſt Tzetzes *ad Lycophronem*: [illegible]. Divinos autem honores Tyndaridis habitos, non Lacedæmone modò, ſed etiam Athenis, oſtendit Theodoretus, *l.* 8. *de cur. Græcorum affect.* [illegible]. In tantum, ut illis feſtum dicârint, quod ratione nominis jam adducti, Ἀνάκεια nuncupârunt. Julius Pollux *l.* 1. *c.* 1. Pauſanias ſtudens

loc.

loc. cit. Illius verba ſunt. [illegible Greek]. Hujus vero [illegible Greek]. *Nic. Lloydius.*

ANAX, apud Gregorium Turonenſem *de Glorm Confeſſ. c. 8. Pateram & ureeum, qui* Anax, *dicitur, in patriam deferunt*: materiam denotat, è qua vaſa conficiebantur, ut colligere eſt ex *Hiſtor.* Epiſcoporum Autiſſiodor. In qua *Anacleus*, ut adjectivum, vaſis aliis adjungitur *c. 20. Miſſorium* anacleum *penſantem l. 30. Bacchonicam aliam* anacteam *penſantem* &c. --- *Scutellam anacteam &c.* Ubi vaſa iſta anactea ejuſdem fortè materiæ vel operis, atque adeò nominis fuêre, ac ea quæ *anacas* vocat Plautus in *Rudente Actu* 2. *ſc.* 3. *v.* 33.

Credo hercle anacao datam quod biberet:

Alii legunt *anancao*. Certè, ut ab *anacle*, *anacleum*, ſic ab *anace*, *anaceum* eſſe poteſt. Ex Plautiniani vocabuli veſtigium agnoſcit in *Gloſſ.* Latino Græc. Car. du Freſne, ubi pro *Apuades*, [illegible Greek], legit, *Anaces*, [illegible Greek] &c. Sed & Altaſſerra, apud Gregorium M. *l. 4. Ep. 40. anacem* legendum cenſet, *Unam vero* anacem *cum duobus parvulis Atticis*; ubi *Attica*, vaſa fictilia pariter interpretatur, ſic nuncupata ab Attica regione & ab *Anace*, vocem *Anap* vel *Hanap* Gallicam, pro ſcypho grandiore, inde deductam putat. Sic itaque videtur *Anax* fuiſſe materia quædam argentea, vel vas quoddam argenteum, [illegible Greek], cùm in *Hiſtoria* Epiſcoporum præfata, pondus obſervetur, perinde ac aureorum & argenteorum vaſculorum. [illegible Greek] Hippocrati [illegible Greek] appellari annotat *Phavorinus*: & [illegible Greek] eſſe eidem *Hippocrati*, ſed an ea nomenclatura Gregorii adhuc ævô in uſu fuerit, incertum, Car. du Freſne *Gloſſar.*

ANAXAGORAS, fil. Megapenthis, patri in Argivorum regno ſucceſſit. Ab eo, an avo ejus Præto, Melampus ſibi tertiam partem regni, tertiam fratri ſuo Bianti, ut ejus filias melancholiâ laborantes (*vaccas* enim ſe eſſe rebantur) ſanaret, obtinuit, Pauſan. p. 116. ſilii ſucceſſit Alector, quem vide

ANAXAGORAS Clazomenius Philoſophus, Anaximenis diſcipulus, ob ingenii ſubtilitatem, *Spiritus* dictus, in Phyſicis præcellens. Socratis, Periclis, Euripidis Præceptor. Hic non modò generis gloriâ & divitiis, verùm animi quoque magnitudine clariſſimus, totum patrimonium ſuis ſponte reliquit, & cùm ab eis negligentiæ inſimularetur; *Quid ergo*, inquit, *nonne vos iſta curatis?* Mox abſcedens, ad ſpeculandam rerum naturam ſe contulit, ſtudiô doctrinarum flagrans, reique tum privatæ, tum publicæ omnino negligens, & adeò incurioſus, ut cuidam ipſum ita compellanti; *Nullane tibi patriæ cura eſt?* dixerit, *Mihi verò patriæ cura, & quidem ſumma eſt*: digitum in cœlum intendens. Cum autem poſt diuturnam peregrinationem, quam in Ægyptum inprimis, ſapientiam illorum addiſcendi cupidus, ſuſceperat, in patriam rediſſet, poſſeſſioneſque deſertas vidiſſet, *Non eſſem*, inquit, *ego ſalvus, niſi iſta periiſſent.* Qui pluris faciens culturam ingenii, quam prædiorum, famam conſecutus eſt inter Philoſophos, non tamen apud Apollonium Tyaneum, Sic enim Suidas in [illegible Greek]: [illegible Greek]. Idem unum eſſe Deum agnovit, (fulmine proin, juxta Luciani figmentum, à Jove percuſſus) & cœleſtium literarum ſcientiâ prædixiſſe fertur, quibus diebus ſaxum è ſole eſſet caſurum. Plin. *l.* 2. *c.* 58. Lunæ quoque defectus primum commonſtràſſe eum, ait Plut. *in Nicia*, idque ex eo probat; quòd, cùm Nicias, rebus malè geſtis, Siciliam deſerere decreviſſet, & nocte fortè Luna defeciſſet; omnes milites ejus propter rei ignorantiam, quam paulò antè Anaxagoras calluerat, turbati, malum aliquod ſibi portendi arbitrati ſunt. De illo Tullius *l. 4. Academ. Qu. c. 23. & 31. Anaxagoras nivem nigram dixit eſſe; ferres me ſi ego idem dixiſſem?* Argumentum ejus autem erat hujuſmodi, referente Sextô Empiricô *Pyrrhon. Hypotyp. l. c.* 13. [illegible Greek]. Lactantius *l. 3. c. 3. Diſcipulus hic fortaſſe Anaxagoræ fuerit, cui nives atramentum fuerunt.* Idem primus, *Homeri poëma de virtute & juſtitia compoſitum eſſe*, dixit, [illegible Greek]. Ejus meminit Lucretius *l. 1. v.* 829.

Nunc & Anaxagoræ ſcrutemur [illegible Greek].

Eſt autem [illegible Greek], *partium ſimilitudo.* Eâ voce utitur Juſtinus Martyr, [illegible Greek]: [illegible Greek], inquit, [illegible Greek]. Sunt autem [illegible Greek] partes ſimplices, & inter ſe ſimiles, quas Medici ſimilares vocant. Talis eſt caro, cartilago, nervus, vena, arteria, membrana, ligamentum, os. Quæ verò partes ex his compoſitæ ſunt, diſſimilareſque dicuntur, [illegible Greek] Græcis vocantur; talis oculus, manus, pes. Sed ad Anaxagoram redeamus, cujus morientis præclarum dictum refert Cicer. Tuſcul. *l. 1. c. 43. Præclare*, inquit, *Anaxagoras, qui cùm Lampſaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas, in patriam, ſi quid accidiſſet, auferri? Nihil neceſſe eſt*, inquit, *undique enim ad inferos tantundem via eſt.* Rogantibus iterum principibus, numquid fieri mandaret? *juſſiſſe*, ferunt, *ut pueri quotannis eô, quô deceſſiſſet, menſe, ludere permitterentur.* Quæ conſuetudo Lampſaci diu ſervata eſt. Obiit an. ætat. 62 Olymp 88. *A. M.* 3626. Urb. Cond. 326. Plura de illo vide apud *Suidam*, & *Diog. Laertium* Auguſtin. *de Civ. Dei*, *l.* 8. *c.* 2. Plut. *in Nicia*, Plin. *l. 2. c.* 58 *Nic. Lloydius.* Fuêre item eôdem nomine alii tres; Primus Ægineta ſtatuarius, cujus meminit Pauſan *l.* 5. Alius, cujus meminit Antigonus, Tertius Grammaticus, Zenodoti diſcipulus. Quibus adde quartum Argivorum Regem, de quo Pauſan. *in Corinthiacis.*

ANAXAGORAS, fil. Echeanactis Epheſii, qui cum fratribus, Codro & Diodoro, Hegeſiam Epheſi tyrannum è medio ſuſtulit. Vide *Codrus.*

ANAXANDER, Euryeratis fil. Pater Euryeratidæ, *Heraclides.* Herodot *l.* 7. Spartæ Rex, ab Euryſthene XII. collega Anaxidami Proclidæ, Pauſan. *in Laconicis.* Hic interrogatus, quare Lacedæmonii nullum congererent theſaurum, reſpondit, quia nollent, ne cuſtodes corrumpantur, Plut. *in apophth. Lac. c.* 34. Eo regnante, bellum Meſſeniacum II. ferbuit, cœptum annô poſt Ithomes excidium 39. annô 4. Olymp 23. tum cùm Meſſenii Ariſtomene duce lectô à Lacedæmoniis defecerunt. Et primò quidem ad Deras pugnatum, annô 1. Olympiad. 24. ubi neutris aderant ſocii, ac Ariſtomenes præclara edidit facinora. Annô ſequente cùm utriſque ſocii acceſſiſſent, prælio ad Apri monumentum (quod vide) Ariſtomenes lectiſſimis è Meſſenia juvenibus 80. ſtipatus contra *Anaxandri* cohortem in acie ſtetit quam tandem difficulter fudit; fuſam perſequi alios jubet, ipſe alios atque alios adoritur, donec hoſtes penitus in fugam vertit: Quos dum palantes ageret, ſcutum amiſit, non niſi poſt deſcenſum in Trophonii adytum, recuperatum. Poſt quæ, collectis Meſſeniis, aſſumptâque juvenum manu, quos circum ſe habere ſolebat, ſub veſperam ad Pharas contendit Laconiæ oppidum, quô direptô *Anaxander* illum prædâ redeuntem à tergo urgebat; verùm Ariſtomenes Regem iterum fudit & inſequutus eſt, donec natium alterâ jaculô trajectâ, retrocedere cum præda coactus ſit. Tertiô belli annô proditione Ariſtocratis Arcadis, pecuniâ à Spartanis corrupti, ad Magnam Foſſam prœliô commiſſô, Ariſtomenes fugere coactus, in Eiram montem ſe recepit: indeque ex Laconio prædas frequentes egit. Trienniô exactô, annô 2. Olymp. 25. cum *Anaxandro* & Anaxidamo ambobus Regibus congreſſus, & percuſſô ictu lapidis capite corruens, cum 80. de ſuis captus, Spartam pertractus & in [illegible Greek] conjectus eſt. E qua foveâ tantùm non miraculô liber varia porrò præclarè egit, donec Eirâ captâ, ſecundum hoc Meſſeniorum & Laconum bellum finem habuit annô 1. Olymp. 28. Quô factô Ariſtomenes hominibus 500. ſelectis, quibus ſe Arcades 500. obtulerant in facinoris ſocietatem: Spartam invadendi conſilium cepit, dum Lacedæmoniorum pars magna rapiendis Meſſeniorum rebus adhuc occupata eſſet. Verùm Ariſtocrates præfatus iterum Lacedæmoniis rem prodidit: utriuſque proditoris indiciô ex reſcripta *Anaxandri* Regis epiſtolâ intercepta, detectô. Arcades itaque proditorem lapidibus obrutum & inſepultum, extra fines abjecerunt: Meſſenii verò, quotquot ad Eiram & alibi relicti, à Lacedæmoniis, in publicorum ſervitiorum, numerum conſcripti ſunt &c. Pauſan. *Meſſeniacis*, Succeſſorem habuit filium Euryeratidam, quem vide.

ANAXANDER, Megalopolitarum, ut videtur, Dux, à Thebanis ad Telphuſam captus. Diodor. Sic. *l. 16. ſ.* 503.

ANAXANDRIDES, Fil. Leontis, Pater Cleomenis I. & Leonidæ, Herodot. *l.* 17. Lacedæmoniorum Rex, ab Euriſthene XV Solus Lacedæmoniorum duas uxores ſimul habuit, & duas domos ſimul inhabitavit. Pauſan. *ubi ſupra.* Plut. *apophth. Lac. c.* 33.

ANAXANDRIDES, Comicus Rhodius, tempore Philippi Macedonis, docuit fabulas 65 vicit 10. *Suidas.* [illegible Greek]. h. e. *primus amores & virginum ſtupra in ſcenam introduxit.* Item alius Hiſtoricus, qui confecit libros [illegible Greek]. In eorum primo retulerat, unde ortum proverbium: [illegible Greek]. Narrat hoc collector Proverbiorum, quæ è Bibliothecâ Vaticana edidit Schottus. p. 255. *Nic. Lloydius.*

ANAXARCHUS, Philoſophus Abderita, ſectator Democriti; habuit inimicum Nicocreontem Cypri tyrannum, cujus caput quia deeſſe convivio regali dixerat, interrogatus ab Alexandro M. apud quem ſummô locô erat, poſt hujus mortem à tyranno comprehenſus, conjectuſque in pilum petlanæ, ſive mortarium ſaxeum, [illegible Greek] vocant, ibique ferreis malleis contuſus, adeò toleranter pertulit aſperrimos illos cruciatus, ut verbum illud memorabile conduplicaverit: [illegible Greek], h. e. *Tunde Anaxarchi culeum, Anaxarchum verò ipſum non tundis.* Ad ultimum, amputationem linguæ minitante tyrannô, protinus dentibus abſciſſam, & commanducatam in os ejus irâ patulum conſpuiſſe dicitur. Ovidius *in Ibin. v.* 571.

Aut, ut Anaxarchus, pilâ contuſus in altâ,
Iactaque, pro ſolitis frugibus oſſa ſonent.

Ad quem locum vetus Scholiaſtes: *Anaxarchus in mortario poſitus fuit, & ſicut ſinapi contritus.* Plut. *in Tractatu de Virtute morali*, ubi de Anaxarcho: [illegible Greek] (Nicocreon ſcilic.) [illegible Greek]. Tertullian. in Apologetico; *Anaxarchus, cùm in exitium ptiſanæ pilô tunderetur, Tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis.* Origenes *contra Celſum l.* 6. [illegible Greek]. Clemens Alexand. *Strom. l.* 4. [illegible Greek]. Meminit Nemeſius quoque, *de Natura Hominis c.* 30. ſed qui tormenti cauſam aliam reddit: [illegible Greek]. Ex quibus locis patet, [illegible Greek] legendum eſſe apud Laërtium, non [illegible Greek]. Vide Philonem in libro *Quòd omnis probus liber.* Gregor. Nazianz. *Ep.* 58. Theodor. *Serm.* 8. Cicer. *l. 3. de Nat. Deor. c 33. & l. 2. Tuſcul. c.* 21. Val. Max *l. 3 c.* 3. Diog. Laërtio *Anaxarcho.* Plut. *in Alexandro.* Arrian. *l.* 4. Floruit Olymp. 114. *Suidas. Idem Lloyd.*

ANAXARCHUS, Thebanorum Dux, Thucydidi, *Hiſt. de bell. Peloponn* ſæpius memoratus.

ANAXARETE, puella Cypria ex Salamine oppid. formâ inſignis, & regiâ ſtirpe ſuperba; quam cum Iphis infimæ ſortis juvenis perditiſſimè adamaret, & ab eâ ludibrio haberetur, doloris impatientiâ ſeſe ad fores ejus ſuſpendit, cujus funus cùm Anaxarete ſiccis, immotiſque oculis intueretur, in ſaxum converſa eſt. Ovid *Met. l.* 14. *v.* 748.

Fortè viam vicina domus, quà flebilis ibat
Pompa, fuit: duræque ſonus plangoris ad aures
Venit Anaxaretes; quam jam Deus ultor agebat.
Mota tamen, Videamus, ait, miſerabile funus:
Et patulis iniit tectum ſublime feneſtris.
Vixque bene impoſitum lecto proſpexerat Iphin;
Diriguere oculi, calidusque e corpore ſanguis
Inducto pallore fugit; conataque retrò
Ferre pedes, hæſit: conata avertere vultus,
Hoc quoque non potuit: paulatimque occupat artus,
Quod fuit in duro jampridem pectore, ſaxum.

ANAXENOR, citharœdus, quem Tyana civitas valdè extulit, ſed magis M. Antonius, qui quatuor civitatum ei tributa legenda dedit. Strabo *l.* 14.

ANAXIAS, Ducis Thebanorum nomen. Pauſan. *l.* 3.

ANAXIBIA, ſoror Agamemnonis. Pauſan. *l.* 2.

ANAXIBIUS, Byzantiorum navarchus.

ANAXIBIUS, Laco, præſidii Abydeni præfectus, de quo Polyænus *l.* 3. *com.* 44. *l.* 9. in Iphicrate. Ubi vitiosè legitur *Anabius.* Vide de eo quoque Frontinum *l.* 1. *c.* 4. *Exempl.* 7. *Et l.* 11. *c.* 5. *Exemplo* 42.

ANAXICRATES, Athenienſium Archon. Pauſan. *l.* 5.

ANAXIDAMUS, Zeuxidami fil. poſt Patrem, Spartanorum Rex, ex Proclidarum Familia XI. Anaxandri Eurycratidæ collega, ſub quibus Meſſenii à Lacedæmoniis deficientes belli Meſſeniaci II. cauſam præbuere, annò 4. Olymp. 23. quò durante Ariſtomenes Meſſenius res præclariſſimas geſſit; Lacedæmonii Tyrtæi Athenienſis Poëtæ conſiliis & cohortationibus elegiacis ac anapæſticis, proſtitutione dein Virginum Lacænarum, tandem proditione Ariſtocratis Arcadis uſi, Eiram ceperunt & Meſſenios denuo ſubactos in publicorum ſervitiorum numerum conſcripſerunt, vide *Anaxander, Ariſtomenes, Eira, Meſſene,* &c. Pauſan. *in Lacon.* Habuit fil. Archidamum II. ſucceſſorem.

ANAXILAS, Poëta Comicus, de quo vide Voſſ. *de Poet. Græc. p.* 47.

ANAXILAS, vel ANAXILAUS, Meſſenius, Rheginorum tyrannus, Zanclen bello cepit Olymp. 20. & Meſſanam appellari juſſit. Ioh. Marshamus Zanclæos à Tyranno navali prælio ſuperatos notat, circa idem tempus annum nempe 1. Olymp. 29. quò Navale prælium quoque commiſſum eſt inter Corinthios & Corcyræos, quod omnium, quæ novimus vetuſtiſſimum judicat Thucydides *l.* 1. Utroque autem prior erat Salmanaſari & Tyriorum naumachia, ut idem Marshamus docet *Can. in Chron. Sec.* XVII. Fuit autem *Anaxilas* juſtitiâ cum cæterorum tyrannorum crudelitate certans, moderatione ſua haud mediocrem fructum tulit: quippe decedens, cum filios parvulos reliquiſſet, tutelamque eorum Micalo (aliis Smicytho) ſpectatæ fidei ſervo commiſiſſet, tantus amor memoriæ ejus apud omnes fuit, ut parere ſervo, quàm deſerere Regis filios mallent; principesque civitatis obliti dignitatis ſuæ, regni majeſtatem adminiſtrari per ſervum paterentur. Is verò tutelam ſanctè geſſit, & perductis in ætatem pueris, & bona, & imperium tradidit, dein parvò viaticò ſumptò, profectus eſt Olympiam, ibique ſummâ tranquillitate conſenuit. Pauſan. *in Meſſen.* Juſtin. *l.* 4. *c.* 2. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 11. Fuit autem *Anaxilas* hic quartus ab Alcidamida (qui poſt Ariſtodami Meſſeniorum Regis mortem, Ithome expugnatâ, è Meſſenia Rhegium commigraverat) & Meſſenios, bello II. debellatos à Lacedæmoniis in Italiam accivit, Zanclæorum, quibuſcum tum illi res erat, agrum opimum traditurum ſe pollicitus, ſi ſecum hoſtem confeciſſent. Quod cùm placuiſſet Meſſeniis, hi terrâ, illi mari hoſtem devicêre, obſeſſam dein ab utriſque urbem captamque deditione, pro Sancle *Meſſenem* appellârunt. Vide Marshamum præfat. *d. l.* ubi *de Bello Meſſeniaco Secundo.*

ANAXILAS, vel ANAXILAUS, Magus, ab Auguſto totâ Italiâ pulſus. Lariſſæ oriundus erat, & ſectator Pythagoræ. Euſeb. *in Chron.* Item, Hiſtoricus, apud Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. Item, Medicus, Plin. *l.* 19. *c.* 1. *& l.* 25. *c.* 13. *& l.* 35. *c.* 15. Plures vide apud Plut. *in Alcibiad. & Apophth. Lac. c.* 35. &c. Vide *Anaxilam*

ANAXILAUS, Lacedæmonius, cujus meminit. Plut. *in Alcib.*

ANAXILAUS, Hiſtoricus, cujus meminit Dionyſ. Halicarn. *initio Antiqu. Rom.* ubi eum dicit, proœmium hiſtoriæ ſuæ à vituperatione aliorum orſum eſſe, idemque factum eſſe à Theopompo, quorum neutrum ait ſe imitari velle. Neque alium putat Voſſ. *l.* 3. *de Hiſtor. Græc. p.* 320. Anaxilaum, ex quo Mylonem fuiſſe Arcadem, Laërtius refert, in *Myſone.* At alius eſt *Anaxilas* Comicus, cujus fabulas longè plurimas citat *Athenæus,* qui *Anaxilas* dicitur *Suidæ,* & *Etymologo,* de quo ſuprà. Alius eſt etiam *Anaxilaus* Medicus, quem laudat Plinius *l.* 19. *c.* 1. *& l.* 25. *c.* 13. *& l.* 30. *c.* 8.

ANAXILIDES, de Philoſophis libros conſcripſit, quorum ſecundum citat Laërtius, *in Platone.* De hoc B. Hieronym. *contra Jovinianum,* ſcribit, quod in *l.* 2. Philoſophiæ ferat, Platonis matrem phantaſmate Apollinis oppreſſam fuiſſe, & ob id ſapientiæ principem Platonem arbitraretur. Vide Diog. Laërt. *in Platone.*

ANAXIMANDER, Mileſius Philoſophus, Thaletis ſodalis, auditor, ac ſucceſſor; Claruit tempore Servii Tullii Romanor. Regis. Primus terræ, mariſque circuitum deſcripſit, & ſphæram conſtruxit. Cylindri formæ terram eſſe aſſeruit, tantæ profunditatis, ut ad altitudinem profunditas tertia inveniatur. Is infinitatem rerum poſuit, quâ omnia naſcerentur. Cicer. *Acad. Qu. l.* 4. *c.* 37. Horologium & Gnomonem invenit, primus etiam Geographicam tabulam edidit, Strabo ex *Eratoſthene.* Opinatus eſt, nativos fuiſſe Deos, longis intervallis orientes, occidentesque. Idem ex aqua, terraque calefactis homines exortos eſſe putavit. Denique Lacedæmoniis terræ prædixiſſe, ut urbem ac tecta cuſtodirent, quòd inſtaret terræ motus; ac tunc urbs eorum tota corruit, & Taygeti montis magna pars ad formam puppis eminens abrupta, cladem inſuper eam ruinâ oppreſſit. Plin. *l.* 2. *c.* 79. Diog. Laërt. *l.* 2. *c.* 1. &c. Vide infrà.

ANAXIMANDER, Anaximandri fil. Mileſius junior, temporibus Artaxerxis Mnemonis. Συμβόλων Πυθαγορείων ἐξήγησιν ſcripſit, teſte Suidà in Ἀναξ. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 6. Auguſtin. *l. de Civ. Dei* 8. *c.* 2. Plut. *Plac. Phil.* Plin. *l.* 2. *c.* 8. *& l.* 7. *c.* 56. Strabo *l.* 1.

ANAXIMENES, Philoſophus Eraſiſtrati filius, (Euryſtrati, Εὐρυστράτου *Suid.*) Anaximandri diſcipulus & ſucceſſor, eo die obiit, quô Sardis capta eſt, & Crœſus à Cyro victus. Hic principium rerum aërem opinatus eſt, quem genere infinitum, qualitatibus finitum ajebat, cujus condenſatione, ac rarefactione cuncta gigni putavit: Motum vero ab æterno eſſe dixit: Terram ex aëre conſtipato, primam omnium factam, latam, magnam, ideirco non abſque ratione ſuper aërem contineri. Solem, Lunam, cæteraſque ſtellas à terra ortum habere, Aërem Deum eſſe aſſerebat. Cicer. *Acad. Qu. l.* 4. *c.* 37. & *l.* 1. *de Nat. Deor. c.* 10. Primus Solarii manualis auctor extitit, &c. Diog. Laert. *in ejus vita, l.* 2. Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 8. *c.* 2. Plin. *l.* 2. *c.* 76. Voſſ. *de Scient. Mathem. & ſectis Philoſ. c.* 34. *§.* 2. 3.

ANAXIMENES, Ariſtoclis filius, Lampſacenus orator, diſcipulus Diogenis Canis, & Zoili Amphipolitani Grammatici illius, qui Homerum maledictis eſt inſectatus. Præceptor fuit Alexandri Macedonis, ipſum etiam in bellum ſecutus eſt. Hic Regem Alexandrum, Lampſacenis iratum, hujuſmodi arte circumvenit. Cùm Lampſaceni Perſarum partibus ſtuderent, Alexander irâ præter modum inflammatus, minabatur ſe graviſſimis quibuſque malis ipſos affecturum. Illi verò in uxorum liberorumque amittendorum, & patriæ funditus evertendæ manifeſto periculo verſantes, Anaximenem mittunt Alexandro ſupplicaturum, ut irâ depoſitâ ſibi parceret. Alexander verò cùm cognoviſſet, quâ de cauſâ ille veniret, per Deos juravit, ſe profectò contraria ipſius precibus facturum. Anaximenes verò hoc beneficium, inquit, ô Rex, mihi largiaris, ut uxores, & liberos Lampſacenorum in ſervitutem abſtrahas, eorum templa incendas, & urbem ſolo æques. Alexander verò, cùm nihil haberet, quod adverſus hæc excogitaret callidè, aut quod contra moliretur, cum etiam juris jurandi neceſſitate conſtrictus teneretur, Lampſacenis invitus veniam dedit. *Hæc Suidas.* Eandem hiſtoriam habes apud Pauſan. *l.* 6. Is etiam, teſtibus iiſdem, primus dicitur inſtituiſſe, ut oratio extemporalis, & declamatio fieret, exercitationis gratiâ. Vide Diog. Laert. *l.* 2. Adſcribunt huic quidam Rhetoricam Ariſtotelis, Pauſan. *l.* 2. *&* 6. Strabo, *l.* 13. Fabius *l.* 3. *c.* 5. Val. Max. *l.* 7. *c.* 3. *ex.* 15. Freinshem. *ſupplem. Curt. l.* 1. *c.* 2. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 10. Cæterum de variis Anaximenibus vide Meurſium, *in Notis ad Chalcidium, pag.* 57. Addam ſolùm *Anaximenem* Lampſ. juniorem, hujus è ſorore nepotem, Hiſtoricum & Orat. ſub Ptolomæo Lago, cujus ſcripta Veteribus frequenter laudantur. Athen. *l.* 12. Clem. Alex. *Stromat. l.* 6. Voſſ. *l.* 1. *c.* 11. *Hiſt. Græc.* Nic. *Heydius.*

ANAXIPOLIS, Thaſius, Poëta Comicus, de quo Plin. *l.* 14. *c.* 14. in veteribus editionibus: *Sic quoque diu vina tranſmarina fuerunt in auctoritate, ad atavos uſque noſtros. ſicut apparet ex illo Comici verſu Anaxipolis Thaſii.*

Quæque Thaſia vini inde depromam.
Falerni bona. Hujus meminit M. Varro *l.* 1. *c.* 1. & Columella *l.* 1. *c.* 1. inter R. R. ſcriptores. Vide Voſſ. *de Poet. Græc, p.* 68. & 69. & infra *Anazipolis.*

ANAXIPPUS, Myndios, Herculi ſtatuam conſecravit. Pauſan. *Eliac.* 1.

ANAXIPPUS, Novæ Comœdiæ ſcriptor; floruit temporibus Antigoni ac Demetrii Poliorcetæ. Dicere ſolebat, Philoſophos in ſermone tantum ſapientes eſſe, in vitæ verò actionibus inſipientes. Multæ illius fabulæ recenſentur ab *Athenæo. Suid.* Voſſ. *de Poet. Græc. c.* 8. &c.

ANAXIRHOE, Coroni filia, Epei uxor. Pauſan. *Eliac.* 1.

ANAXIS, Bœotus Hiſtoricus, hiſtoriam ſuam perduxit uſque ad Olym. 104. ac imperium Philippi Amyntæ filii, teſte Diodorò Sic. *extremò l.* 15.

ANAXITHEA, Danais, ex Jove peperit Olenum. Steph. *in* Ὤλενος.

ANAXIUS, fluvius per Feltrenſem agrum fluens.

ANAXO, Ancæi filia, quam quidam Alcmenæ matrem faciunt, non Lyſidicen ſororem Pitthei ex Pelope & Hippodamiâ, ſicut vult *Plut.*

ANAXUS, vulgò *la Piave,* fluv. Italiæ. Vide *Anaſus.*

ANAXYRIDES, ſeu Antapodia, virilis calceamenti genus; vide infrà voce *Vir.*

ANAZARBUS, urbs Ciliciæ, *Stephano Anazarba,* ad Pyramum fluv. à conditore ejuſdem nominis ſic dicta. Oppiani Poëtæ & Dioſcoridis rei herbariæ peritiſſimi patria. Plin *l.* 5. *c.* 27. eam Cæſaream Auguſtam ſuo tempore, & *Suidas* Diocæſaream olim fuiſſe dictam, ait, cujus in hoc tractu meminit *Ptol. Azar* hodiè *Meliteo,* aliis *Azar.* Vide Carol. Steph. & Davity, in *Cilicia.* Populi *Anazarbeni.* Plin. *loc. cit.* longitud. 64. 20. latitud. 38. 50.

ANAZIPOLIS, melius per x. Poeta Græcus de Agricultura ſcripſit, cui quidam attribuunt verſum, apud Plin. *l.* 14. *c.* 14. Voſſ. de *Poetis Græc. c.* 8. qui eum ſub Ptolomæo Lathuro floruiſſe conjicit. Vide ſuprà *Anaxipolis.*

ANCA vel ANCA MEGAREB, h. e. Occidentis, apud Arabes, avis fabuloſæ nomen, quam tantæ molis eſſe fingunt, ut ova pariat montium inſtar, & rapiat elephantes, eâdem facilitate, quâ mures milvus. Addunt, eùm volat, ex alis ejus fragorem audiri tanquam torrentis, vivere annos mille & cum fœmina ſua copulari circa annum vitæ quingenteſimum; fuiſſe autem aliquando inter homines, ſed quum aliquando Sponſam unà cum monilibus ſuis

rapuiſſe imprecatum ei eſſe Handalam Saphuani filium, Prophetam illorum temporum, Deumque illam relegâſſe in inſulam, hominibus inacceſſam, in qua ſunt elephantes, monocerotes, bubali, tigres, aliæque feræ & aves rapaces, ut alia omittam. Sed fabulam explodit ipſe Poëta Arabs, cum ait: *Probitas & Empuſa & Anca tria ſunt nomina, quæ non reperiuntur, nec unquam extant.* Interim verum animal eſſe *Ankam*, ſed molis non multo amplioris, quam vulgus magnatum avium, Ibnocholcan his verbis docet: *Vidi in H[illegible] --- Azizum, ſilium Arami, Ægypti dominum, aves peregrinas collegiſſe --- & in iis ancam, quæ ipſi venerat ex Ægypti Thebaide, longa ut ardea --- ſuper caput tutelam habens & multicolores pennas*, &c. Quin aquilæ ſpeciem alii faciunt: Unde colligere eſt, licèt ut plurimum fictitiæ avis hoc nomen ſit, tamen etiam pro vera ave nonnunquam ſumi. Vide Bochart. *Hieroz. Part poſter. l. 6. c.* 14.

ANCÆUS, Lycurgi & Antinoës filius, patriâ Tegeates, unus ex Argonautis. Hyginus, *in Fab. Poëticis.* 14 Orpheus in *Argonaut.*

> 'Αγκαῖος δ' αὖ ὅπλοις ἀπ' Ἀρκαδίης πολυμήλου
> Ἦλθε πατὴρ [illegible] ἐπὶ νῆα Ἀργῴην.

Apollonius l. 1. Τρίτατός γε μὲν [illegible]

> Ἀγκαῖος, τὸν μέν ῥα πατὴρ Λυκόοργος ἔπεμπε.

Ubi Scholiaſt. Λυκόοργου καὶ Ἀντινόης Ἀγκαῖος.

ANCÆUS, Neptuni & Aſtypalææ fil. patriâ Samius (aliàs Rex Sami) qui & ipſe inter Argonautas ab Hygino *loc. cit.* memoratur; Cui, defuncto Tiphy, navis gubernandæ munus mandatum eſt, teſte *Simonide.* Is (uti ſcribit *Ariſtoteles*) agriculturæ ſtudioſus fuit: Quum autem vineam plantaret, nimium gravi labore ſervos premebat. Quare illorum quidam dixit, Dominum ex illa vinea fructum nunquam percepturum. Ancæus verò, poſteaquam uva maturuit, lætus vindemiabat, coactâque vindemiâ, vinum ex lacu ſibi hauriri juſſit, increpans eum, qui futurum prædixerat, ut nunquam ejus vineæ vinum biberet. Poculum igitur cùm ori admoveret, dictum ſervi in memoriam revocavit. Cui ſervus,

> Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου,

h. e.

> *Multa cadunt inter calicem ſupremaque labra.*

His verò dictis, quidam accurrit, nunciavitque quàm maximum aprum vineam ingreſſum illam vaſtare totam. Itaque abjecto Ancæus poculo, ad aprum feſtinavit, ab ejuſque dente ictus interiit. Unde natum eſt proverbium, in eos, quibus præter ſpem aliquid evenit; Quod ſic è Græco in Latinum Cato vertit, *Multum intereſt inter os & offam.* Vide Natal. Com. *l.* 7 *c.* 2. Cave autem, ne Ancæum hunc confundas cum eo, qui ab apro Calydonio percuſſus fuit. Is cum Parrhaſius Ovidio *l.* 8. *Met. Fab.* 4. *v.* 315. dicitur:

> *Penelopeſque ſocer cum Parrhaſio Ancæo.*

Alius fuit Pleuronius, Argonauta quoque. Orpheus *loc. cit.*

> Ἀγκαῖός τ' ἤλυθε Πλευρώνιος, ὅς ῥα [illegible]
> [illegible]

Nic. Lloydius.

ANCALITES, populi in Anglia, Trinobantibus, Bibrogis, Caſſiis, & Cenimagnis proximi. Cæſar *Com. l.* 5. *c.* 22. *The Hundred of Henly. Camden.*

ANCAMARI, populi Americæ meridionalis, prope fluv. Madeiram, qui poſtea cadit in fluv. Amazonum, in Cayana provinc. Aliis *Ancamares.*

ANCAMIA, vulgò *l'Iſle d'Ancam*, Inſula Sinarum oblonga, in littore provinc. Cantonenſis.

ANCARA, civitas Italiæ. *Steph.*

ANCARIA, Dea ab Aſculanis populis colebatur, tanquam tutelaris, ne hoſtium incurſu vaſtarentur. *Alex. ab Alex. Ancharium* ſcribit Cæl. Rhodig. *l.* 28. *c.* 3. Vide Tertull. *Apolog. c.* 24. Turneb. *adverſar. l.* 17. *c.* 24. Pamelium *c.* 24 *Apol. n.* 387. *Nic. Lloydium.*

ANCARIUS, Judæorum Deus, Martiali *l.* 11. *Epigr.* 95. de Theodoro Judæo,

> *--- jura, verpe, per Anchariun:*

Sic enim legit Js. Voſſius, ſeu *ancarium*; obſervans in optimo codice Thuanæo, jam ante annos 800. exarato *Anchalium* legi, cùm vulgò *Anchialum* habeatur. Significat autem vox aſinum, qui ἀγγάριος eſt ſeu ἀχθοφόρος. Unde *Lucilius.*

> *Hæc inquam rudet è roſtro atque epiſiſacit,*
> *Concurſans velut ancarius clareque quiritans*, &c.

Nempe atrocis hujus calumniæ labe Judæos aſpergere conabantur Ethnici, ut aſinum pro Deo ab ipſis coli per ſummam impudentiam ſcripſerint. Primus fabulæ architectus Apion fuit, Grammaticus Ægyptius, ſub Tiberio, Cajo & Claudio, qui editò contra Judæos libro aſſeruit, *eos in ipſo Templi ſacrario aſini caput collocâſſe & id colere -- additque, ex Idumæa urbe Dora Zabidum quendam multâ quiete ad templum veniſſe & aureum detraxiſſe cantherii caput & rurſus Doram velociter ſe contuliſſe.* Eum ſequutus Damocritus Hiſtoricus *l. de Judæis*, diſertè αἱ χρυσῆν ὄνου κεφαλὴν προσκυνεῖν, *aureum aſini caput adorâſſe*, tradidit; ei hoſtias humanas immolâſſe addens, ut ex Suida diſcimus voce *Judas*; qui proin Judæorum illos, qui relinquere ſuam fidem vellent, *aſino albo* per ſynagogas eorum ſolemni ſabbathi die vehi ſolitos, adnotat in *Zenon.* Rationem adjecit Plutarchus *Sympoſ. l.* 4. *quæſt.* 5. Τὸν ὄνον [illegible] *Aſinum, qui olim illis monſtraverat aquæ fontem, honore proſequuntur.* Et latiùs Corn. Tacitus *Hiſtor. l.* 5. *c.* 4. quem vide. Unde factum, ut Chriſtianis etiam id objiceretur, ut videre eſt apud Tertullianum *Apologet. c.* 16. & Cæcilium Ethnicum in *Octavio* Minucii. Quin & Tertullian. ubi modo, picturæ meminit à quodam propoſitæ cum blaſphema hac inſcriptione, *Deus Chriſtianorum Onocoetes*: ubi Voſſius legendum putat, *Onocoetes* [illegible] vide infrà. Sed calumnias has Gentilium recitâſſe refutâſſe eſt. Ipſæ enim ſe deſtruunt, ut à Joſepho & Tertulliano jam olim obſervatum: quorum ille Apioni Polybium, Strabonem, Nic. Damaſcenum, Timagenem, Caſtorem & Apollodorum opponit, qui Hieroſolymitani Templi ab Antiocho Epiphane expilati (quò tempore id detectum fuiſſe finxit Apion) hiſtoriam ita referebant, ut de Aſini capite aureo in Templi adytis reperto ne γρῦ quidem haberent. Addit non Epiphanem ſolum, ſed & Antiochum Theum & Pompejum M. & Licinium Craſſum, Titum denique Cæſarem, vidiſſe Templi penetralia, nec tale quidquam ibi inveniſſe &c. Jam Tacitum ex ipſo Tacito Tertullianus refellit, qui in eadem *Hiſtoria l.* 5 *c.* 5. refert, Pompejum in Templo Hieroſolymitano nullum reperiſſe ſimulachrum. Dum verò anxiè multi quærunt, quid occaſionem dederit putidiſſimæ huic calumniæ de aſino à Judæis culto, ex Ægyptia lingua (Ægyptius enim fuit Apion) illam arceſſit Bochartus: quâ cùm [illegible] ſit ὄνος, *aſinus*; *videntur*, inquit, *impuri homines* (*horreſco referens*) *quod in Scriptura tam frequens eſt*, [illegible] *h. e. os Domini, item mandatum aut verbum Domini, ad aſinum traxiſſe ---- Hic nomen [illegible] Jao ſcribimus more Veter. Græcos enim ita --- extuliſſe nullus eſt, qui neſciat --- proinde id in Patribus frequens &c.* Jam quod de ſiti additur, putat idem originem traxiſſe, ex hiſtoria de deſerto Elim, in quo, poſt longam ſitim, aquas *Mara* per miraculum Deus edulcavit, tandemque in umbra palmeti tot fontes reperti ſunt, quot erant in populo tribus: *Elim* autem legit Joſephus Ἠλὶν, *Ilin*, ac ſi ab aſinis nomen haberet, qui Syris ita appellantur. Vide eum *Hieroz Part I, p.* 227. & in voce *Anchialus.*

ANCENISIUM, Aliis ANGENISIUM, oppid. Britanniæ, in Gallia, ad Ligerim, aliàs munitum, nunc dirutum. Vide *Amnita.*

ANCGELHEIM, oppid. Pomeraniæ. *Merl.*

ANCHARIA, Familiæ nomen apud Romanos, ſicut *Aſellia*: Ancharius enim, vel *Ancarius*, eſt Aſinus. Ἀχθοφόρος Græci interpretantur Ἀγγάριον, accipiuntque iſtud vocabulum æquè de jumento atque homine ἀχθοφόρῳ. Utitur hâc voce *Lucilius*:

> *Hæc inquam rudet è roſtro, atque epiſiſacit*
> *Concurſans, velut ancarius, clareque quiritans.*

ANCHARIA, Octaviæ mater. Plut. *in Antonio.*

ANCHARIUS, vir nobilis Romanus, a Marianis occiſus, [illegible], Plut. *in C. Mario*, Ἀγχάριον ἄνδρα βουλευτὴν, καὶ στρατηγικὸν ἐντυγχάνοντα τῷ Μαρίῳ καὶ μὴ [illegible] αὐτῷ, τοῖς μαχαίραις [illegible].

ANCHEMOLUS, filius Rhœti Marrubiorum Regis in Italia, cui cùm pater Caſperiam, ſive Caſpiam novercam ſuperinduxiſſet, privignus eandem conſtupravit: quò cognito, cùm pater eum perſequeretur, & ad pœnam vocaret, fugiens ille ad Turnum ſe contulit. Poſtea tamen à Pallante Evandri filio occiſus eſt. Virg. *l.* 10. *Æn. v.* 388.

> *--- Et Rhœti de gente vetuſta*
> *Anchemolum, thalamos auſum inceſtare novercæ.*

de ANCHERANO Petrus, vide *Petrus.*

ANCHESITES, ventus ab Anchiſa portu Epiri ſpirans, cujus mentio eſt apud *Dionyſium. Halicarnaſſ.* Cicer. *l.* 7. *ad Attic. Ep.* 1, *Flavit ab Epiro leniſſimus Anchesites.* Antea legebatur *Anchemites*: ſed ita reſtituit *Turnebus.*

ANCHESIUS, mons juxta Orchomenum, ab Anchiſæ monumento dictus. Pauſan. *l.* 8.

ANCHESMUS, mons Atticæ, in quo Jovis Ancheſmii ſtatua. Pauſan. *in Attic.*

ANCHIALA, vel ANCHIALE, *Dionyſio* Ἀγχιάλη, Ciliciæ civitas, Ejus Ptolemæus non meminit, quam tamen *Strabo* & *Plinius* inter Tarſum, & Solos ponunt, exiguò à mari intervallò, unde nomen. Hanc unà cum Tarſo, à Sardanapalo Rege, eòdem die, conditam fuiſſe, affirmat *Ariſtobulus* apud Strabonem, atque ibi monumentum ejus conſpici, in quo imago plaudentis, cum hâc inſcriptione: Σαρδανάπαλος ὁ Ἀνακυνδαράξεω παῖς Ἀγχιάλην καὶ Ταρσὸν ἔδειμεν ἐν ἡμέρῃ μιῇ. Σὺ δ' ὦ ξένε, ἔσθιε, πῖνε, παῖζε, ὡς τἆλλα τούτου οὐκ ἄξια. Vide Scholia in Ariſtoph. *Aves.* 590. D. Ejus meminit Plin. *l.* 5. *c.* 27. Ex hac urbe fuit Athenodorus, qui non à Sardanapalo, ſed ab *Anchiale* Japeti filia conditam vult, à qua nomen vicino fluvio, qui Ἀγχιαλεὺς dicebatur.

ANCHIALIUS Michaël, vide *Michaël.*

ANCHIALUS, urbs Thraciæ ſita intimò ſinu, atque ubi Pontus alterum ſui flexum angulò finit, non procul à magna Apollonia. *Anchialo* ac *Achelo* hodiè Græcis, teſte *Sophiani.* *Kenkis* verò Turcis, ut ait Leunclavius. Ovid *l.* 1. *Triſt. Eleg.* 11. *v.* 35.

> *---- Et ab hac per Apollinis urbem*
> *Alta per Anchiali mœnia fundat iter.*

longitud. 54. 45. latitud. 44. 30.

ANCHIALUS, Aſtrologus, cujus meminit. Cicer. *l. de Divinat.*

ANCHIALUS, Mentis filius (imò potius pater) vir bellicoſus. Homer. *Od.* 1. *v.* 180.

> Μέντης Ἀγχιάλοιο δαΐφρονος εὔχομαι εἶναι
> Υἱός, ἀτὰρ Ταφίοισι φιληρέτμοισιν ἀνάσσω.

ANCHIALUS, Phæacenſis. Homer. *Od* 8. *v.* 112.

ANCHIALUS, Judæorum Deus, ut quidam colligunt ex loco Martialis *l.* 11. *epigr.* 95.

> *Ecce negas, juraſque mihi per templa Tonantis,*
> *Non credo: jura verpe per Anchialum.*

Salmaſ *l. de linguâ Helleniſticâ*, legit [illegible] & interpretatur, *per eum qui vivit in æternum.* Verùm illud non eſt Hebræum, prima enim litera abundat, duæque inſuper voces ſunt חי־עולם, ut eſt apud Danielem, *c.* 12. Et ſic jam olim Scaliger legebat hunc Martialis locum. Sed profectò nihil minus, quàm Hebraicè, doctus

dictum fuit Martialis. Optimus codex Thuanæus, jam ante octingentos annos exaratus, qui excerpta continet Martialis epigrammata, legit hoc loco *Ancharium*. Omnino itaque legendum:

—— Jura verpe per Ancharium,

Ancharius verò vel *ancarius* eſt Aſinus. Unicè autem confirmat hanc conjecturam verſiculus ille Petronii *in Fragm. Carmin.* ex quo liquet, Judæos olim malè audiiſſe, quòd crederentur per Aſinum jurare

Judæus licèt & porcinum numen adoret,
Et cæli ſummas advocet auriculas.

Cillus autem eſt aſinus, hinc *ſemicillus*, ἡμίονος & *cillones*, *ageſo* ... Malè autem ... vulgo legitur. Gentiles enim finxerunt, Judæos duce ... reperiam aquam in eremo; Et hinc fabula illa fluxit, Judæos aſinum coluiſſe. Tacit. *l. 5. Hiſt. c. 3.* *Jamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cùm grex aſinorum agreſtium, è paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Secutus Moſes conjecturâ herbidi ſoli largas aquarum venas aperit.* Plut. *l. 4. Symp.* ... Sed à Græculorum impudentiâ in Chriſtianos etiam derivata eſt hæc calumnia, quorum Deum, non tantùm ..., ut Moſem, ſed Sacra teſtatur finxerunt, uti vid. re eſt apud Tertullianum, cum hac inſcriptione: DEUS CHRISTIANORUM ONOCHOIRITES. Ita enim legendus locus ille, qui omnes hactenus exercuit eruditos. Ὀνοχοίρητες ... pingebatur, tanquam ex aſino & porco compoſitum monſtrum. Epiphanius, *de Gnoſticis*: ... Hinc *Aſinarii* dicti Chriſtiani. Iſ. Voſſ. in *Annotat. ad* ... p. 48. Vide & *Ancarius*.

ANCHIDOLIUM Mare, vulgò *Mer de Lanchedal*, pars Oceani Orientalis, à Java Inſula & Freto Sundano, ad Auſtralem terram parum cognitam porrecta.

ANCHIMOLUS, Dux Lacedæmonius, contra Piſiſtratidas miſſus, in expeditione occiſus eſt. Herodot. *l. 5.* Item, fil. Rhæ. Marrubiorum Regis, qui Caſperiâ novercâ corruptâ, ad Daunum Rutulorum Regem confugit, & Turnum contra Æneam ſecutus eſt. Virg. *l. 10. Æn. v. 388.*

—— Et Rhæti de gente vetuſta,
Anchemolum. —— —— Vide ſupra *Anchemolus*.

ANCHIMOLUS, Sophiſta apud Elidem ſuit, aquæ potor, ac ficis tantummodò veſci ſolitus, nec tamen aliis imbecillior habebatur. Cæl. Rhod. *l. 6. c. 4.*

ANCHION, curſor nobilis Lacedæmonius. Pauſan. *l. 3.* Seu *Anchionis*, aut *Chionis*, vide *Chionis*.

ANCHISA, oppid. Italiæ. *Steph.* Dionyſ. Halicarn. *Ant. Rom. l. 1.* ... Ἀγχίσα ...

ANCHISES, Capyos fil. ante bellum Trojanum, nemorum latebras, & ſolitudines coluiſſe fertur, gregibus, & armentis intentus: quibus cum vacaret, à Venere adamari cœpit, & cum ea concubuit, unde natus eſt Æneas, apud Simoënta, Trojæ fluvium. Ovid. *l. 3. Triſt. v. 299.*

In Phrygiam Anchiſes, in Latmum Latmius heros.

Dido apud Virgil. *Æn. l. 1. v. 621.*

Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchiſæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?

Diſſident hic inter ſe Homerus & Heſiodus. Ille *2. Il.* ait genitum Æneam Ἴδης ἐν κνημοῖσι, i. e. *in imis partibus Idæ*. Ille in *Theog. v. 1010.* Ἴδης ἐν κορυφῇσι, *in Idæ verticibus*. Virgil. Homero adhæſit, nam Simois fluebat per radices Idæ. Ovid. autem Heſiodo, nam in *Ep. 16. Heroid. v. 2. 1.*

Phryx erat Æneas, volucrum cui mater Amorum
Gaudet in Idæis concubuiſſe jugis.

Nonnus, *in Baſſaricis l. 15.*

... Ἀγχίσης ... Κύπρις
...
... — —

Cæterùm Anchiſes, cùm ſe Veneris concubitu uſum fuiſſe jactaret, ab eadem oculis privatus eſt: propterea dicunt eum Trojanorum conſiliis non interfuiſſe. Ardente Trojà, cùm nulla ſalutis ſpes appareret, ſenio confectum Æneas humeris eum impoſuit, ſecumque Drepanum uſque Siciliæ urbem vexit, ubi fatis conceſſit. Hinc *Anchiſæum*. Virg. *Æn. l. 5. v. 761.*

Et lucus late ſacer additur Anchiſæo.

Item *Anchiſiades*, pro Æneâ Anchiſis filio. Virg. *Æn. l. 8. v. 348.*

Dux Anchiſiades, nec me Deus æquore merſit. Nic. Lloydius.

ANCHISES, Archon Athenienſis. Dionyſ. Halicarn. *l. 1.*

ANCHISUS, Arcadiæ mons, apud cujus radices Anchiſæ monumentum. Pauſan. *l. 8.*

ANCHITÆ, Arabiæ Felicis gens. *Ptol.*

ANCHOE, locus circa Cephiſi fluv. oſtia, & ibidem lacus eôdem nomine. *Strabo.*

ANCHORA, Græcè Ἄγκυρα, Tectoſagum, qui quondam Galatiæ partem tenuerunt, Phrygiam majorem verſus, caſtellum erat. Aliud in quoque fuit ejuſdem nominis, Lydiam verſus, circa Blaudum Phrygiæ oppidum. Strabo *l. 12.*

ANCHORA, vide infrà *Sacra anchora*. Signum, Seleucidarum generale fuiſſe, refert Juſtinus *l. 15. c. 4.* *Mater ejus (Seleuci) Laodice ... eſt ... per quietem ex concubitu Apollinis concepiſſe, gravidamque ... annulum ... a Deo accepiſſe, in cujus gemma anchora ... eſſet: ... donum filio, quem peperiſſet, dare. ... ſculptura annuli ... relictis reperitus eſt, & figura anchoræ ... Seleuci natu cum illo parvulo fuit. Originis argumentum ... manſit. Siquidem filii nepoteſque ejus anchoram in ... notam generis naturalem, habuere.* Hinc Auſonius, de Antiochia, *in Claris Urbib. Epigr.*

—— Illo Seleucum
Nuncupat ingenuum, cujus fuit anchora ſignum

Vide quoque Appianum in *Hiſtoria Syriaca*, & de hujuſmodi notis genitivis, haud pervulgata, apud Mich. Piccartum *Dec. 1. c. 7.* Inter inſignia hodierna Familiarum illuſtrium, *Anchora* frequens quoque in ſcuto Ducum Veraguæ, inter alia, *Anchoræ 2. aureæ in decuſſim diſpoſitæ* occurrunt, ſymbolum Thalaſſiarchiæ ſive *Admiralatus* Indiæ Occidentalis, quæ dignitas Columbis conceſſa eſt. Et quidem Iſabella filia Jacobi Columbi Duci Veraguarum, cujus pater Chriſtophorus Americanas inſulas detexit, inſignia hæc marito Georgio Comiti de Gelves attuliſſe videtur Cl. Spenero *Oper. Heraldic. Parte 2. c. 72.* Sic *anchoræ cæruleæ 4.* in clypeo Ducum Henriquezioſum, Thalaſſiarchiæ Caſtellianæ ὅγμα eſt, ibid. *l. 1. c. 36.* &c.

ANCHORARIUS, mons. Plin. *l. 13. c. 15.* vide *Ancorarius*.

ANCHUNIUS Ochy, Rex Thebaidis in Ægypto, vel tyrannus potius poſt Choma-Phthain, per annos 60. rebus Paſtorum ſub Apachna & Aphophe adhuc prævalidis. Eum excepit Pente Athyri, quem vide. Circa illa tempora Moſes natus, expoſitus & à filia Pharaonis Aphophis educatus eſt, Joh. Marſhamus *Canone Chr.*

ANCHURUS, Midæ fil. de quo ſic Plut. *in Parall.* *Circa Celenon, Phrygiæ oppidum, terræ hiatus cum aqua domos complures ipſis cum hominibus abſorpſit in profundum. Midas Rex oraculò monitus, ut res ei preciosiſſimas conjiceret, ita enim futurum, ut terra coiret, aurò & argento injectis, nihil opis attulit. Anchurus igitur, Regis filius, cùm nihil in vita humana precioſius eſſe animâ ſecum ipſe verſaſſet, datis genitori complexibus, & Timothea uxori, equum oſcendit, inque hiatum locum concitatus eſt. Ac ſic terra rurſus coiit, & auream coloris ſortis Idæi aram Midas dedicavit.* Hujus rei quoque teſtis eſt Calliſthenes, *l. 2. Metam.*

ANCHUSA, Græcis ἄγχουσα, item πορφύριον, à colore rubræ purpuræ, Plinio *l. 22. c. 20.* dicitur *præparare lanas coloribus pretioſis*, h. e. ſubſterni coloribus pretioſis, ut conchylii, ac purpuris & cocco. Eâ enim ut & aliâ materiâ imbuebantur primò lanæ, ut alii pretioſiores modò dicti ſuperinducerentur. Quemadmodum hodie varantia & guaſtum coccineis purpuriſque ſubſterni ſolent, ut colorem alligent & faciant tenacem. Sed & radice ejus mulieres olim uſas eſſe, ut ruborem genis conciliarent, docet *Heſychius*, Ἀγχοῦσα, εἰς ᾗ ... ſanguineô enim colore *Anchuſæ* radix imbuit; quam proin in ornatu mulierbri quoque enumerat Ariſtophanes in altera Θεσμοφοριαζούσαις, quæ non exſtant, exceptis verſibus quibuſdam apud Clem. Alexandrinum & Pollucem, quos exhibet Salmaſ. *ad Solin. p. 1148.* Ubi notandum, ἄγχουσαν & ... ibi diſtinctè recenſeri; contra eos, qui *Anchuſam* cum Fuco terreſtri (de quo infrà in voce *Phycos* & *Radicula*) confundunt. Memoratur quidem præter hæc duo ... quoque, ad eundem uſum mulieribus uſurpatus, ſed eô nomine nil aliud, quàm unguentum ex radice Anchuſæ, aut ea radicula Syriaca, *Fucus* dictâ, intelligi docte Salmaſ. *loc. cit.* Vide quoque infrà in *Paderos*. Certè in colorandis unguentis anchuſæ meminit Plinius *l. 15. c. 7.* ubi de Rhodini confectione, quam τὸ τῆς Ἀχαΐας ἄνθος, i. e. *colorem Achaicum* vel *Græcum* vocat *Democritus*, quòd in Græcia paſſim naſceretur: cùm Fucus præfatus, qui ei paſſim jungitur, τὸ τῆς Συρίας ἄνθος, item χρῶμα, per excellentiam vocaretur. Quæ duo tamen ſubinde ſibi invicem ſubſtituebantur, ut docet idem Salmaſ. *ad Solin. p. 1148. & ſeqq.*

ANCILE, ſcutum breve, authore *Feſto*, ad vocem *Mamurii*, ita ex utroque latere reciſum, ut nullus angulus videri poſſet, & ſummum infimumque ejus latus medio pateret. Fertur id, Numæ Pompilii tempeſtate, de cœlo decidiſſe, ipſaque editam vocem, omnium potentiſſimam fore civitatem, quamdiu in ea manſiſſet. Ovid. *Faſti l. 3. v. 373.*

Ecce levi ſcutum verſatum leniter aurâ
Decidit, à populo clamor ad aſtra venit.

Et paulo poſt. v. 377.

Idque ancile vocant, quod ab omni parte reciſum eſt;
Quemque notes oculis, angulus omnis abeſt.

Virgil. *Æn. l. 8. v. 664.* —— —— *Lapſa ancilia cœlo*

Juvenal. *Sat. 2. v. 124.*

Segmenta & longos habitus & flammea ſumit,
Arcanò qui ſacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus.

Nonius ancilia, grandia ſcuta interpretatur. *Mureto* & *Camerario* dicta videntur *ancilia*, à Græco ἀγκύλος, h. e. *incurvus*. Eſt & aliorum quorundam hæc opinio, qui idcirco *ancylia* per *y* ſcribunt. Verùm, in veteri Antonini Pii numiſmo, ubi tria ſcuta, ovali propè figurâ, conſpicere eſt, ANCILIA adſcriptum. Eodemque modò in antiquis codicib. mss. inveniri auctor eſt Pierius, *ad l. 8. Æneid.* Verius etymon apponit Varro *l. 6. de L. L.* *Ancilia*, inquit, *dicta ab ancîſu, quod ea arma ab utraque parte, ut pelta Thracum, inciſa.* Sed nihil æquè ancilium formam explicat, ac verba Plutarchi *in Numa*, quæ ideo apponam: *Ancilia vocant, propter figuram, circulus enim non eſt, neque exprimunt, ut pelta, orbiculatam formam, ἀλλ' ἐκτομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδοῦς, ſed exciſa eſt, ita ut revoluta linea fiat.* Hiſtoriam autem ſeu fabulam, de lapſis cœlo ancilibus, quæ eam ob cauſam *cæleſtia arma* Liv. *l. 1. c. 20.* vocat, habes apud Dionyſ. Halicarn. *l. 2.* & Lactant. *l. 1. c. 2.* *Vet. Gloſſ.* *Ancilia*, Διοπετῆ. Quæ oratio integra non eſt, & puto deſiderari vocem ὅπλα. In *Gloſſ. Græco Lat.* Διοπετὲς ὅπλον, ... *Ancile*. Hæc ancilia autem Romæ in Templo Martis aſſervabantur, & annis ſingulis circumferebantur Menſe Martiò, per Sacerdotes, alioſque primores per urbem: dieque trigeſimò demum recondebantur. Quod antequam fieret, nihil publicè feliciter fieri, ſuperſtitio tenebat. Hinc Suetonius Othonem contra religionem nondum conditis ancilibus, inauſpicatò profectum ſcribit, *in ejus vita, c. 8.* Vide ſis ibi Caſaubon. qui ſimilem ſuperſtitionem Athenis, cùm *Plynteria* celebrarentur, obtinuiſſe erudite, uti ſolet, obſervat. Aliter de iſtoc ſuperſtitionis genere Turnebus, quem Torrentius ſequitur, in explicando Suetonii loco. Malè autem, uti Lipſio oſten-

oſtenſum. *l. 5. Antiq. Lect. c. 26.* Figuram eorum habes, in antiquo nummo, apud Guther. *l. 5. de Jure Pontificio, c. 11. Nic. Lloydius.*

ANCILLA, quaſi ANCULA. Ab ANCLO enim, vel ANCULO antiquo, i. e. *miniſtro*, primùm *Ancula*, dein *Ancilla*. Argumento Dii illi, quibus nomen *Anculi* & *Anculæ*, tanquam miniſtri quidam, *Feſt.* Aliis *Ancillæ* dictæ, ab *Anco* Martio Roman. Rege, quod is magnum fœminarum numerum cepit; vel ab *anculare*, quod eſt *miniſtrare*. Item ab ἀγκὼν, i. e. *cubitus*, quod ipſum ab ἀγκύλος, quia operâ manuum miniſtrabant. Nonnullis vox eſt ab *am* & *cilleo*, i. e. *circum moveo*. Harum non minus, ac Servorum, ingens apud Veteres fuit numerus, unde apud Scriptores non rarò *miniſteriorum catervas*, *turbas* etiam aliquando ac *populos*, legimus. Nota certè apud Tacitum *Annal. l. 3. c. 33.* Severi Cæcinnæ querela: *Inceſſe mulierum comitatum, quæ pacem luxu, bellum formidine moretur & Romanum agmen ad ſimilitudinem barbari inceſſus convertant.* Quare Matet Juliani Martyris apud Surium *Tom. 1. in publicum legitur prodiiſſe cum innumerabili familia, utriuſque ſexus.* Nec hyperbolicè quidem Cæcinna locutus eſt, ſi Amm. Marcellin. audimus *l. 14.* qui Matronarum comites recenſet Textrices, Coquos, Spadones, & univerſum promiſcuè ſervitium. Reſpexit huc Juvenal *Sat. 6. v. 418.*

—— Gravis occurſu, teterrima vultu
Balnea nocte ſubit, conchas & caſtra moveri
Nocte jubet, &c.

Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, è quo etiam ſequentia decerpſimus & in ordinem digeſſimus: ut & ſuprà, voce *Abra*.

Varia Ancillarum, apud Romanos, miniſteria.
In Familia Urbana.

Ab argento potorio, miniſtram habuit Livia, Vibiam Succeſſam.
A cubili.
A cura catellæ, qualis Aurelia erat, Liviæ itidem Aug. *Ancilla.*
Adſtetrix, memorata Ovidio *Met. l. 9. v. 307.* ubi de Galanthide, *Aderat, faciendis ſtrenua juſſis.*
Ancillulæ ex Æthiopia, *Gaditanæ* &c. Vide hic infrà *Puellæ.*
Anteambulatrices, ex officio præibant, cùm Matrona in publicum prodibat, ſicut Pediſſequæ ſubſequebantur. Dictæ eædem *Amicæ*, vide ſuprà in voce *Amicus.*
Crotaliſtriæ.
Cymbaliſtriæ.
Cythariſtriæ.
Flabelliferæ, inter *Ancillas* conſpicuæ erant; quod tamen officium Eunuchi illis in plurimis domibus præripiebant.
Janitrices.
Lanificæ.
Lampendiæ, quæ inter Lanificas penſa partiebantur, quando ea munera ſordere dominabus viſa ſunt.
Mamma, eadem quæ Nutrix.
Medicæ, quoque in uſu fuerunt, quæ videntur Gynæcia curâſſe & curam adhibuiſſe Mulierum paſſionibus.
Nanæ, memorantur Lampridio *in Severo c. 34.*
Negotiationi quoque *Ancillas* à dominabus fuiſſe præpoſitas, JCti teſtantur.
Nutrices.
Obſtetrices. Vide ſuis *locis.*
Ornatrix, ſimiliter.
Pediſſequæ, ſequebantur dominas, ſicut Anteambulatrices præcedebant.
Penaria, vel penuaria, Græcè ἡ Ταμία.
Περιδεία, olim dicebatur in Græcia, *ἡ περιαγγέλλουσα τὰς ὥρας τοῖς δεσπόταις*, *Heſych.* *quæ nuntiabat horam dominabus.* Sicut enim Proceres Romani pueros habuêre ad hoc, qui horas ſibi nuntiarent; ſic in Græcia idem obtinuit, Dominæ verò ancillas habebant, quæ hoc munus ſibi fungerentur. Nempe cùm horologus adhuc homines carerent, umbram pedibus dimetiebantur Veteres &c. uti docet Salmaſ. *ad Solin. p. 634.*
Pſecades, vide infrà.
Puellæ in miniſterio variæ, nuditate, cantu, ſaltatione.
Sandaligerulæ.
Sarcinatrix.
Textrices.
Tibicinæ, quæ in convivio epulantium animos oblectabant.
Tonſtrices, memorantur Martiali *l. 2. Epigr. 17.* & in *veter. Inſcr.* Earum erat ungues quoque reſecare.
Tractatrices, corpus fricabant, Medicarum, ut videtur miniſtræ. Namque & Medici Tractatores habuêre.
Tympaniſtriæ.
Veſtificæ.
Veſtiplicæ.
Veſtiſpicæ.
Umbelliferæ, *diſtenta ſuis umbracula virgis* tenebant, ut ait Ovidius *de Arte am. l. 2. v. 209.*
Unctrices, Dominas poſt balnea ungebant &c.

In Familia Ruſtica.

à Coquina mulieres, pulmentaria ruſticis coquebant.
Cuſtodes villæ, ne quid vicini rerum, quæ villâ continebantur, occuparent, dabant operam.
Focariæ, ad culinam pertinebant, quia focus in culina. Sunt qui *Focarias* concubinas interpretentur, non malè, ut colligitur ex Varrone *de R. R. l. 1. c. 10.*
Lanæ & Lanificæ, cum adſcriptitiis glebæ, quam incolebant, adſignatis, cohabitabant.
Panicoctariæ Chryſologo *Ser. 99.* dicuntur, quæ panem coquebant.
Piſtrices: Viros enim mulieresque, ubi non aderat aquæ vis, in piſtrinum fuiſſe conjectos, perſpicuum eſt ex Euangelio Lucæ *c. 17. v. 35.* *Δύο ἔσονται ἀλήθουσαι ἐπὶ τὸ αὐτό. ἡ μία παραληφθήσεται κλ.*

Villica, vide ſuo *loco.*

ANCILLA Honorum. Treb. Pollioni dictus eſt Antipater quidam, in *Divo Claudio, c. 5.* *Nam Gallus Antipater, Ancilla honorum & Hiſtoricorum dehoneſtamentum, principium de Aureolo ſic habuit, Venimus ad Imperatorem nomini ſui.* Ubi alii legunt, *Ancillariorum & Hiſtoricorum dehoneſtamentum*. Vir doctus emendat, *Pater ancillariorum*: ſed conſtanter optimi codices ſuggerunt, *Ancilla Honorum* &c. *Ancillam* nempe *honorum* Antipatrum hunc vocat Trebellius, adulatorem & aſſentatorem ſummarum poteſtatum vel ambitioſum. Namque *ancillam* vocabant Latini, qui ſordidè adularetur & ambiret vel honores vel honoratos. *Gloſſ.* *Ancillula, ἐρyoμaνὴς πapάσιτος*; ubi *ancillula* idem planè eſt, quod hôc locô *ancilla*. Ἐργόμανον enim Græci vocant hominem adulandi adſentandique artificem. Eædem *Gloſſæ*, *Adſentatores, ἐργομανεῖς, adſentio, ἐργομανῶ, τὸ κολακεύειν*. In aliis *Gloſſ.* ἐργομανὴς, *adulator, ambitioſus*. Ita apud Trebellium *Ancillam honorum* accipere poſſumus, *ambitioſum & honorum cupidum*, cujuſmodi homines etiam ἰεράκας Græci vocant: ἰέραξ autem, ut nemo ignorat, *ancilla* eſt lanifica; unde *ἱεράκων*, *ambitio* exponitur in optimo *Gloſſario*. Sic & *ἱεράκιον τῆς μαλλοῦ*, *adſectatores*, in iiſdem Gloſſis exponuntur. Salmaſ. *ad Pollion. loc. cit.*

ANCILLÆ Dei, Moniales ſeu Monachæ dicuntur, in Concilio Roman. A. C. 721. *Si quis Monacham, quam* Dei Ancillam *appellamus, in conjugium duxerit, anathema ſit.* Et apud Gregorium M. *l. 6. Ep. 23.* Ancillas Dei, *quas vos Græcâ lingua Monaſtrias dicitis*. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi etiam meminit veteris *Epitaphii* in Monaſterio S. Victoris Maſſil. deſcripti a Joh. Mabillonio *Tom. IV. Vitarum Ord. Benedicti p. 539.* *Per hic requieſſet in paſſe Euſebea religioſa magna ancela Domi...*

ANCILLARIOLI, dicebantur apud Romanos, qui non liberè uxoribus imperabant, adeoque ut vel conſciis iis adulterarentur. Quo de infami maritorum erga uxores obſequio, admiranda ſunt, quæ ſcribit Seneca, *de Benef. l. 1. c. 9.* *Conjugibus alienis, nec clam quidem, ſed apertè ludibrio habitis, ſuas aliis permiſêre. Ruſticus, inhumanus, ac mali moris & inter matronas abominanda conditionis eſt, ſi quis conjugem in ſella proſtare vetuit, & vulgo admiſſis inſpectoribus vehi undique perſpicuam. Si quis nullâ ſe fecit amica inſignem, nec alienæ uxori annulum præſtat, hunc matronæ humilem, & ſordidæ libidinis & Ancillariolum vocant. Hinc decentiſſimum Sponſaliorum genus eſt adulterium & in conſenſu vidui cœlibatus nemo uxorem duxit, niſi qui abduxit, jam raptam.* Uſque adeò quidem, *ut conjugium pudicum* vulgo diceretur *unius adulterium*, *l. 3. c. 16.* *Numquid jam ullus adulterii pudor eſt, poſtquam eò ventum eſt, ut nulla virum habeat, niſi ut adulterum irritet? Argumentum eſt deformitatis pudicitia. Quam invenies tam miſeram, tam ſordidam, ut ei ſatis ſit Adulterorum par? Niſi ſingulis horas diviſit? Et non ſufficit unus dies omnibus. Niſi apud alium geſtata eſt, apud alium manſit? Infrunita & antiquata eſt, quæ neſciat, Matrimonium vocari unius adulterium.* Quæ, licet horrenda, non tamen tunc nova, aut priùs inuſitata erant. Notiſſima Horatii loca, quibus ob frequentiam adulteriorum omnia mala Romanis obvenire teſtatur, & ut vetus Sapientiæ Magiſter, dehortatur omnes ſuos diſcipulos, dum *in Satyris* morum & doctrinæ Præceptorem profitetur. Ad eadem tempora pertinent Ovidii, Propertii, Tibulli ambitus, quorum omnium illæ celebratæ deliciæ, *Mulieres* fuerunt *nuptæ* &c. Vide Caſpar. Barthium *Animadverſion. ad Stat. Tom. 2. p. 757.* & *Not. ad Tibullum*. Item infra in *Arga*.

ANCILLARIS Veſtis, cujus Ulpianus *D. de injuriis* meminit, cùm ait: *Si quis Virgines appellaſſet, ſi tamen* Ancillari veſte *veſtitas, minùs peccare videtur: multo minùs ſi meretriciâ veſte fœminæ, non matris familiâs*, veſtitæ eſſent: qualis fuerit apud Romanos, non eſt proditum. Verùm cùm matronæ ſtolâ & pallâ uterentur, facilè eſt credere, utrâque ancillis interdictum, atque ita tunicâ breviori ad medium crus pertinente, nullâ inſtitâ aſſutâ, illas uſas eſſe, qualem tunicam meretriciam fuiſſe docent eruditi: Hâc tamen ancillas ab his diſtinctas, quod hæ togatæ inſuper, illæ tunicatæ tantum fuerint. Faber *veſtem ancillarem*, atram ac ſordidam interpretatur, ſed talis etiam fœminarum ingenuarum viliorum eſſe potuit, Octav. Ferrarius *de Re Veſtiaria Parte I. l. 3. c. 23.* Dii Deæque *Ancillarum*, Anculi Anculæque dicti ſunt. Vide ibi. De *Ancillis* plura, ſuprà; De *Ancillis* comæ ornandæ præfectis, quoque in voce *Pſecades*. &c.

ANCIUNA, vulgo Ancium Fu, urbs Sinarum in provinc. Sciensia, teſte *Martinô Martinio*.

ANCIUS, prænomine SP. Romanorum legatus, Fidenis interfectus.

ANCKLITZEN Conſtantinus, aliàs *Bertholdus Schwartz*, Friburgo German. oriundus, & Monachus profeſſione, inventor pulveris pyrii & ſcloporum ignivomorum, chymiæ beneficiô. His Venetos primùm uſos, in bello contra Genuenſes, A. C. 1380 dicunt. Vide Salmuth. *Obſervat.* hanc in rem, *in Comment. rerum memorab. Pancirolli, part. 2. tit. 18.* Polyd. Virgil. *de rerum invent. l. 2. c. 11.*

ANGLA, inſtrumentum, quô aqua hauritur de puteis, quod *hauſtrum* Veteres appellabant; ab *anclare*, i. e. *haurire*: ut *orna* ab *orno*, vox ad Græcos delata, quiὄρνας vocant inſtitas, quibus veſtes ornabantur. *Rotarum cados*, interpretatur *Nonius*; quô modô etiam *Ancla* planè accipitur, in hoc veteri *Epigrammate* nondum edito:

DE ANCLA

Pendet & haurit aquas, pendentes evomit undas,
Et fluvium vomitura bibit, mirabile factum!
Portat aquas, portatur aquis, ſic unda per undas
Volvitur & veteres haurit nova machina lymphas.

Apud Salmaſ. *Not. ad Vopiſcum in Bonoſo, c. ult.* Vide quoque eum *ad Solin. p. 830. 2.*

ANCLABRIA, vide infrà ubi de Romanorum *Vaſis*, quæ in ſacrificiis adhibuerunt.

ANCLAMUM, urbs Germaniæ in Pomerania, valde munita, ſub dominio Regis Sueciæ, ad fluv. *Pene*. Diſtat Vulgaſtiâ 4. leucis German. in meridiem, Oſwaldomiâ 3. in Occaſum, & Stetinô 8. in Circium.

ANCLIO, apud Ugutionem *MS.* ubi fortè legendum *Coclio*, *Car. du Freſne.* Vide infrà *Cancularii*.

ANCOHARITIS, regio Arabiæ deſertæ oppoſita. *Epit. Strabon.* In Meſopotamia eſt *Ptolemæo*, verſus Euphratem.

ANCON, Leucoſyrorum urbs in Cappadocia. *Ptol.* Portum vocat Arrianus, *in Periplo*.

ANCON, vel ANCONA, unde ditioni, *Marca Anconitana*, nomen urbs Epiſcopalis totius Piceni celeberrima, in litore Adriatici maris.

mano, à Siculis condita, portum habens inſigni operâ à Trajano Cæſare conſtructum. Nomen habet a ſitu, qui cubiti flexuram refert. Græci enim & cubitum, & locum cubiti modô ſinuoſum ἀγκῶνα vocant: Unde in nummo ΑΓΚΩΝ, & *Brachium*, urbis ſymbolum. Plin. *l.* 3. *c.* 13. *A Siculis condita eſt colonia Ancona: Appoſita eſt promontorio Cumero, in ipſo flectentis ſe oræ cubito.* Lucan. *l.* 2. *v.* 402.

Illa Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

Juvenalis *Sat.* 4. *v.* 40.

Ante domum Veneris, quam Dorica ſuſtinet Ancon.

Sil. Italicus *l.* 8. *v.* 437. ubi recenſet Picenum oppida, ſummumque:

Stat fucare colus nec Sidone vilior Ancon,
Murice, nec Lybico,

Portum habet hodie amplum, ſed non valde tutum arcemque munitam, prope Cumerum promontor. quod vulgo *Monte S. Ciriaco*. A Firmo, 30. milliar. in Boream, 55. ab Auximo, in Cæciam; ſub Pontifice eſt. Longitud. 37. 10. latitud. 43. 48. Item nomen Coloniæ in Sicilia. Item urbs Galliæ, Strab. *l.* 5. *&* 6. Plin. *l.* 2. *c.* 72. *&* *l.* 3. *c.* 24 *&* 19. Cluver. *l.* 3. *Merula, Sanſon, Du Val.*

ANCORA, vulgò ANCRE, oppid. Picardiæ, in Gallia, ad amnem cognominem, quibuſdam *Aubret* dictum, repugnantibus tamen incolis, inter urbes Corbejam, in Africum, & Bapalmam, in Cæciam.

ANCORA, vide *Anchora*.

ANCORARIUS, mons in Mauritania, circa Tingitanum caſtellum. *Ammian.*

ANCORE, urbs Bithyniæ, *Antigonia* poſtea dicta, deinde *Nicæa. Steph.*

ANCRINA, Siciliæ oppid. *Ptol.* Nomen haud dubiè corruptum ab genuino Ἀγκυρῖνα, Latinè *Ancyrina*. Vide Cluver. *Sic. Ant. p.* 373.

ANCUDIA, provinc. regni Chile in America meridionali. Hinc Ancudanus Archipelagus, *Archipelague de Ancud, ou de Chilve*, multitudo illa Inſularum adjacentium, in ora maris Pacifici. Vocatur etiam illa provinc. Ancudiana, aliter *Agualapa*; eſtque in parte Auſtrali Chiles. Sed nullam in illo tractu coloniam habent Hiſpani.

ANCULI, & ANCULÆ, Dii, Deæque ancillarum. *Feſtus*.

ANCULUS, in *Gloſſ.* Iſidori, *miniſterialis domus regiæ*: vetus verbum, *miniſtrum* ſeu *ancillum* denotat, à Græce Ἀγκυλος, hinc enim *anculus* & *anculæ*, ut à Σικελος *Siculus*. Unde *anculari*, miniſtrare & *ancillari* diminutivè. Vide infrà in *Camillus & Miniſterialis*, ut & in *Anculi*.

ANCUS, prænomen à Sabinis tranſlatum. Appellatur autem teſte Feſto, *Ancus*, qui aduncum brachium habet, ita ut exporrigi non poſſit, ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος, i. e. à cubito incurvo, ſicut & *Anconæ* ſive *Ancon*, Piceni urbs dicta eſt, à cubito curvo. Fuit autem prænomen quarti Romanorum Regis *Anci Marcii* & *Anci Publicii* Imperatoris Lanuvini, contra Hoſtilium Regem, de quo *Dempſter. Vide Ancus Martius.*

ANCUS Martius, quartus Romanorum Rex, nepos Numæ ex filia. Latinos bellô domuit, Aventinum, & Martium montem urbi addidit, Janiculum ponte ſublicio ubi conjunxit, Romanorumque limites ad mare uſque promovit, ubi & Oſtiam condidit. Fertur præterea primus carcerem inſtituiſſe. A τοῦ ἀγκῶνος, i. e. à cubito ſic dictus fuit, quem incurvum habuiſſe fertur, ut ait Servius, tales enim *ancos* appellari, *Feſtus* affirmat, ut vidimus. Alter Conſtantinus Manaſſes, *v.* 1654.

Τὸν δ᾽ ἀγκύλον τοῦ ποδὸς ἔχει ἐστερημένον.

Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 815.

— Quem juxta ſequitur jactantior Ancus.

Ingenium ejus quale fuerit, ſatis indicat Liv. *l.* 1. *c.* 32. Nam de illo: *avitæ gloriæ memor*: &, *medium erat in Anco ingenium, & Numæ, & Romuli memor.* &, *cuilibet ſuperiorum Regum belli, pacisque & artibus & gloria par.* Plutarchus ait, ἀεὶ τύχῃ, conditum Fortunæ templum ab hoc Rege, arrogante ſibi Romanas victorias. Quæ res etiam ſatis declarat illius jactantiam. Regnavit ſatis feliciter 24. ann. Dionyſ. Halicarn. *l.* 3. *c.* 9. Flor. *l.* 1. *c.* 4. Liv. *l.* 1. *c.* 32.

ANCUS, Luſitaniæ fluv. Sautium oppid. alluens. *Rio di Soure.*

ANCYLION, Impius quidam in matrem, à Comicis, perſtringitur. Vide Scholia *in Ariſtophan. Crabron.* 515. B. Cujus uxor paulò poſt perhibetur *Soſtrata*, filia *Myrtæ*, *p.* 530.

ANCYLIUM, Siciliæ oppid. vide Cluver. *Sic. Ant. p.* 389.

ANCYRA, Galatiæ urbs, Magnæ Phrygiæ contermina, ideoque ab aliis Phrygiæ, ab aliis Galatiæ tribuitur. Plin. *l.* 5. *c. ult.* duas Ancyras memorat, alteram in Phrygia, alteram in Galatia. Hinc Synodus *Ancyritana*, in Jure Pontificio. Quæ duplex, una A. C. 314. Baron. *A. hoc.* Altera A. C. 357 habita. Hilar. *l.* 6. *de Synod.* Baron. *A. C.* 357. in quarum priore ſcripta ſunt Canones viginti quatuor; tot enim tantùm genuini ſunt: atque hi primi extant in Codice Canonum. Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccleſ.* § 22. Hanc dein excepit ac ſupplevit Synodus Neocæſarienſis, itidem provincialis, Neocæſareæ habita, ut quidam conjiciunt, ſub A. C. 318. Baronius in *A. C.* 314. conjicit. Idem *ibid.* Sic dicta, ab anchoris navium captarum à Mithridate, quas Ptolemæus Ægypti Rex ſuppetias Gallogræcis miſerat *Stephanus*. Hodie *Angouri*. Metropolim Galatiæ ſuiſſe teſtatur Libanius, *Orat.* 26. Ἐν Ἀγκύρᾳ τῇ πρώτῃ τῆς μητροπόλεως Γαλατῶν πόλεῖ. *Fecunda errorum mater Hieronymo* dicta eſt, Hinc enim Photinus, A. C. 374. hinc Ophitæ, Camphryges, Manichæi, Artotyritæ, Aſcodrogi &c. quibus Epiſcop. Athanaſius, Baſilio laudante, fortiter reſtitit. Hieron. *præf. ep. ad Galat.* Baſil. *ep.* 67. Baron. *A. C.* 347. 375. In hujus urbis agro Bajazetes à Temurlanco victus eſt. Longitud. 62. 10. latitud. 42. 30. Aliam Livius collocat circa Macedoniam, aut Illyricum, *l.* 38. *c.* 24.

ANCYRÆ, Siciliæ urbs, Carthaginenſium partes ſecuta. Diodor. *Sicil.* 24. Vide Cluver. *Sicil. Ant. l.* 2. *p.* 373.

ANCYREUM, Aſiæ minoris promontor. ubi Ponti ſinus incipitque Boſporus. Hodie *Pſomeo*, teſte *Petro Gyllo*.

ANCYRION, oppidum Italiæ. *Steph.*

ANCYROMACHUS, navis ſpecies ſic dicta, *quod celeritate ſua anchoris & inſtrumentis reliquis vehendis ſit apta*; ut eſt apud Iſidorum *l.* 19 *c.* 1. & Ugutionem. *Gloſſæ Iſid.* *Ancyromagus, genus navigii* In *Gloſſis* Ælfrici Sax. corruptè eſt *Archeromachus*, vide Car du Freſne *Gloſſar.* in voce *Acheromacus*.

ANCYRON, urbs Ægypti. *Steph.*

ANCZACRICUS, fluv. Podoliæ. Cadit in mare Nigrum, unâ leucâ tantum ab urbe Oczacovia, quæ nunc eſt in Chryæmea provinc. ad oſtia Boryſthenis fluv. *Le Vaſſeur.*

ANDA, Afiææ urbs. *Polybius.*

ANDABASIS, regionis nomen, unde coccum optimum adfertur. *Serapio.*

ANDABATÆ, non Aſiæ populi in tenebris verſantes, uti ſomniavit *Ferrarius*, ſed gladiatores, clauſis oculis pugnantes. Cicero ad Trebatium, *l.* 7. *Ep. Famil.* 10. *Quem antea ne Andabatam quidem defraudare poteramus.* Vide Cl. Voſſium, *in Andabata, Nic. Lloydius*

ANDABILIS, Cappadociæ civitas. *Antonin.*

ANDACA, Indiæ urbs, quam Alexander deditione accepit. Arrianus. *Indic.*

ANDACHARIUS, ſeu HADWACKER, vel ODOACER, unus ea filiis Hengiſti, (qui A. C. 449. Britanniam occupârant de gentis ſuæ nomine, *Angliam* vocavit) in Germania, Saxonia produxiſſe fertur, per illos poſteros, Hadvigatum, Hildericum, Bodicum, Bertholdum, Sighardum vel Sigiſmundum, Saxonum Duces vel Reges. Huic Sigbardo Henetorum A. C. 633. victori, filium dant Dietericum Regem à Carolo Martello A. C. 722. victum & dein Carolomanno rebellem. Dieterico aſſignantur Edelhardus, Bertholdus, Wernekinus, bellis adverſus Carolomannum & Pipinum Francos celebres; quæ bella continuavêre adverſus Carolum M. Albion & Hermannus Edelhardi, ac Witikindus hodiernorum Saxoniæ Principum conditor, Wernekini filius. Vide Phil. Jacobum Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſt. in fam. Witikindea Saxonica.* & infrà in voce *Witikindus*.

ANDAGUILI, populi Americæ meridionalis, in Peruviæ regno, inter fluv. Xaucam & Abancajum, 25. leucis à civitate Cuſco in Circium.

ANDAIA, vel per y. Burgus Galliæ, Hiſpaniæ propinquior. In Aquitania & in ora Oceani Aquitanici è fronte Fontarabiæ.

ANDAIA, ANDANCE, oppid Galliæ, in Vivarienſi provinc. ubi Donna fluv. cadit in Rhodanum. 8 leucis Viennâ, Valentiâque diſtat.

ANDAINUM, pagus alis oppid. cum cœnobio in ditione Leodienſi, intra ſylvam Arduennam, ad amnem *Homme*, in confinio ducatus Lucemburgenſis. Hodie *S. Hubert*. *Andaginum Sigeberto* dicitur. Huc pertrahuntur, qui rabiem ex rabidi canis morſu reformidant.

ANDALUSIA, regio Hiſpaniæ & regni Caſtellæ, ſolo qua major Hiſpaniæ Bæticæ pars, olim *Vandalitia*, à Vandalis Germaniæ populis, dicta, quibus Sarraceni ſucceſſêre, tandem ab Alphonſo 3. pulſi. Aliqui verò Hiſtorici eam Bæticam, à fluvio Bæti, ipſam perlabente, nuncupatam aſſerunt; Alii autem non à dicto fluvio nomen acceptiſſe, ſed Chaldaicè *Betis* (quô nomine terra fertilis & deliciis affluens ſignificatur) appellatam volunt. Poëtæ campos Elyſios in hac provincia conſtituerunt, quâ fictione excellentem præ omnibus aliis terræ ubertatem efferre voluerunt. Ad Ortum habet Granatam, ad Septentrionem Caſtellam novam & Extremaduram, ad Occaſum Luſitaniam & Algarbiam, ad Meridiem Atlanticum ſpectat mare. In ea numerantur 104. civitates & oppida, inter quas Corduba Senecæ & Lucani patria, Nebriſſa, S. Lucar de Barrameda, &c. *Merul. Mercat.* Sed primaria urbs eſt Hiſpalis, ampla & dives, ad fluv. Guadalquivir. Vide *Vandalitia*.

ANDALUSIA NOVA, regio Americæ meridionalis inter Venezuelam, & fluv. Orenoque, ſmaragdorum proventu nobilis. Vide *Vandalitia nova*.

ANDANA, vulgò ANDEN, aliàs ANDENNE, vicus eſt ad ripam fluminis Moſæ, Namurcum inter & Hojum poſitus: ubi Begga Pippini ſenioris, Præfecti Palatii per Auſtriam filia. Gertrudis Nivialenſis Abbatiſſæ ſoror, poſt Anſigiſili mariti mortem clarum Monaſterium extruxit: quod hodieque illuſtre eſt & vetuſtate opibuſque percelebre Nobilium Canonicarum, vulgò *Secularium* dictarum, collegium: Quia in Hannonia, Cœnobium Melbodienſe Adelgundis & in Brabantia Nivialenſe B. Gertrudis ſunt. Ibi eadem Begga, prædicta ſeptem baſilicas condidit, utrumque ſuum interemtum ſepelivit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ANDANAGARIUM, urbs Indiæ exterioris, in regno Decan, in Aſia, juxta fluv. Mandovam, in Mediterraneis. Malè habita fuit, hiſce temporibus à Mogorum Rege.

ANDANIA, Arcadiæ urbs in Peloponneſo. *Strabo*. Quam Meſſeniæ tribuit Pauſan. *l.* 4. ut & *Stephanus*, qui Meſſeniam ipſam ſic quoque appellatam vult. Hic Ariſtomenes, Σῆμ᾽ ἀγὼ ἐν ἀγορῇ Meſſeniorum inclytus, educatus eſt, cujus cum matre Nicoteleâ genius quidam, draconis ſpecie, concubuiſſe fertur. Unde cùm ex prælio ad Apri monumentum victor, in hanc velut patriam ſuam reverteretur, tæniis & carminibus à matronis gratulabundis exceptus eſt, annô 2. Olymp. 24. Poſt prælium verò ad Foſſam quo Arcadiæ Regis Ariſtocratis proditione victi Meſſenii, Ariſtomenes, *Andania* oppidiſque mediterraneis relictis ἐς Εἶραν, in Eiran montem ſe recepit, vide *ibi*, & plura hanc in rem apud Pauſaniam *loc. cit.* nec non paſſim.

ANDANIA, mulieris nomen. Pauſan. *l.* 4.

ANDANIUS, Carmaniæ fluv. *Strabo*. *Andanis* Plinio *l.* 6 *c.* 23. dicitur. Forte *Tiſindan* hodiè.

ANDANUM, urbs Cariæ. Vide Steph. in *Bargyla*.

ANDARÆ, Indiæ populi. Plin. *l. 6. c. 19.*

ANDARBA, Dalmatiæ urbs. *Anton.*

ANDARISTUS, Pelagoniæ in Macedonia oppid. *Ptol.* Populi *Andariſtenſes* dicuntur *Plinio. Vaſſanga Theveto. Eriſo* aliis.

ANDATE, locus in Britannia inſula. Xiphilin. in *Nerone*. Lege *lucus*. Sic enim *Xiphilinus*: Καὶ ταῦτα πάντα ὕβριζον ἔν τε ἄλλοις ἱεροῖς, ἀπεσφάττοντο, ἔν τε τῷ τῆς Ἀνδάτης μάλιστα ἄλσει. Subdit, Οὕτω γὰρ τὴν νίκην ὠνόμαζον, καὶ ἐσέβοντο αὐτὴν περισσότατα. Ubi pro Ἀνδάτης reſcribendum Ἀνδράστης putat Bochartus, vel etiam Ἀνδράστη, quomodo legit *Gulielmus Blancus* Xiphilini Interpres. Vide ſis Verum magnum, *de Phœnicum colon. l. 1. c. 42. Nic. Lloydius.*

ANDATIS, Æthiopiæ ſub Ægypto oppid. in Nili ripa. Plin. *l. 6. c. 30.*

ANDAUTONIUM, Pannoniæ ſuperioris oppid. *Ptol.*

ANDEBONTHUS, fil. legitimus Canuti Anglorum Regis, ægrè ferens, Haraldum filium nothum ejuſdem Knutonis patri in regno ſucceſſiſſe, mortuum Haraldum refodi juſſit, ejuſque corpus in mare projici. *Volaterran.*

ANDECABEO, ſeu ANCLABEO, in *Gloſſ.* Iſidori. *Anclabeo* vel *Annclabeo, i.e. Lex Longobardorum*: & apud Ugutionem MS. *Andecabeo & Anticlabeo, i.e. Lex Deorum, hac Longobard.* voces ſunt incertæ originis & ſignificatûs. *Pignorius* & Voſſius *l. 2. de Vitiis Serm. c. 22.* corruptè in locis hiſce ſcriptas eſſe cenſent, pro *Andregaverto* & *Arigaverto* & *annigare* dicunt ſe coerciri, qui adhuc ſanus de rebus ſuis diſponit ſeu teſtatur; *arigare*, qui infirmus & æger: unde apud *Papiam*, *Andregaver & Arigaver, i. e. in ſanitate & infirmitate*. Sed nec promtum eſt aſſequi, quid apud Ugutionem hæc vocabula ſonent, *i.e. Lex Deorum, hæc Longobardorum.* Car. du Freſne per *Legem Deorum* intelligi poſſe judicat Legem Deirorum ſeu Northambrorum, ita ut *Andecabeo* hanc appellari putaverit, *Anclabeo* verò Longobardorum. Vide omnino eum in *Gloſſario*.

ANDECRIUM, Dalmatiæ mediterranea civitas. *Ptol. Straboni* verò *Andetrium* dicitur, quod vide, ut & *Anderitum*.

ANDEGAVIA, Gall. *l'Anjou*, regio Galliæ Turonibus ac Biturigibus finitima, Oceanoque proxima, fertilis admodum & irrigua. Cujus caput *Andegavum*. Gallicè *Angers*. Populi *Andegavi* Tacit. *l. 3. Annal. c. 41.* & Plinio *l. 4. c. 18.* Vide *Andes*.

ANDEGAVINA, vide *Angevina*.

ANDEGAVUM, vulgò *Angers*, olim Juliomagus, urbs Galliæ admodum ampla & elegans 2. leucis à Ligeri fluv. 9. à Salmuria, totidemque à Flexia, Meduana fluv. alluitur: Eſtque Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Turonenſi.

ANDELANGUS, vox crebrò occurrens in veter. traditionum *Chartis*, hac fermè ſemper formulâ: *Per feſtucam atque per andelangum tradere, donare*; præſertim in *Formulis* Lindenbrog. *Per feſtucam, & andelaginem* (nam & hæc formatio vocis eſt) *& per ramos arborum, tradidi tibi — curtem meam* &c. in *Tabular.* Caſaurienſi ann. Ludovici II. Imperat. 25. *Per feſtucam, vvaſonem & andelaginem, & ſponſionem ſupra ſcriptorum ramos de arboribus — tradidimus*, in veter. *Charta* apud Chiffletium, in *Lucubrationibus Salicis* c. 6. *Per waſonem terra & feſtucam nodatam ſeu ramo arborum atque per cultellum & wantonem ſeu andelaginem* &c. in Charta Mathildis Comitis A. C. 1079. apud Fr. Mariam &c. quid denotet, hactenus incertum manet. Malbrandus *cremacram* interpretatur, atque, *Soliti ſunt antiquitus in ſymbolum petiti propria tradere in manus poſſeſſoris triticeam ſpicam, ſi quid arabile donaretur: vel andelaginem, i.e. cremacram, ſi domus vel habitaculum.* Intelligens *andelam* ſeu ſuſtentaculum focarium, quod vulgò *Landier* vocant Galli: quod tamen aliud eſt à cremacra. *Spelmanno*, ex Saxon. *andlang*, venit, quod *fuſtem* ſeu baculum *longiorem* videtur indigitare: nam *per fuſtem* inveſtituræ olim fieri conſueverunt. *Wendelinus* ex German. *in handen langen*, quod eſt, *in manum tradere*, derivat: at in formulis prædictis corporale quidpiam vox ſignificat. Car. du Freſne *Gloſſar.*

ANDELAUM, vulgò ANDELOT, oppid. Galliæ, in agro Lingonico, inter urbem Lingonas & Naſium caſtrum Leucorum, quò Guntchramnum & Childebertum Reges A. C. 587. conveniſſe unà cum Brunechilde ac Faileuba, pactumque inter ſe ac pactiones quaſdam feciſſe, ſcribit Gregor. Turonenſ. Ejuſdem meminit Fredegarius *l. 5. Chron. Anno*, inquiens, 17. *regni Theoderici Lingonas menſe Majo exercitus adunatur: dirigenſque per* Andelaum, *Naſio caſtrò captò Tullum civitatem pervenit*, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ANDELAUS vulgò ANDELY, pagus Galliæ Celticæ cum cœnobio, ad Sequanam fluv. in Normannia. Fluvium habet ejuſdem nominis ad Floriacum. In hoc oppido obiit ex vulnere ad Rothomagum accepto, Antonius Rex Navarræ. Henrici M. Pater.

ANDELAUS, vulgo ANDELLE, fluv. Ortus prope oppidul. *la Ferté*, caditque in Sequanam, paulo ſupra montem Arcuenſem.

ANDELIACUM, vulgò *Andeli ſur Seine*, aut *l'Iſle d'Andeli ſur Seine*, cum tamen nec in inſula ſitum ſit, nec flumen Sequanam, licet ei proximum, attingat, locus Galliæ eſt venerandæ antiquitatis, ad rivum in Sequanam effluentem, 7. circiter leuc. ab urbe Rothomago. Hîc Chrothildis, Regina Francorum, fundavit Monaſterium Virginum, quod vulgò *Prioratus B. Mariæ* vocatum eſt, *le Prieuré de Noſtre-Dame d'Andely*, & ante aliquot annos ex cella ſeu Prioratu veteri Benedictinarum Abbatia evaſit. Habet & collegium vetus Canonicorum, *Noſtra Dominæ* titulô inſigne. Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ*, ubi hunc locum, in Velocaſſibus poſitum patriam fuiſſe Hadriani Turnebi, addit. Vide quoque *Andelaus*.

ANDELOVIUM, vulgò ANDELOT, oppid. Franciæ, in Campan. provinc. in Baſſiniaco agro, ad amnem *Raugnon*. vide *Andelaum*.

ANDELUS, Hiſpaniæ civitas, non procul a Pompejopoli, quæ vulgo *Pampelone* appellatur, Metropolis regni Navarræ. Gallicè *Pampelune* dicitur.

ANDEMAO, Inſul. ſinus Gangetici, in Aſia, verſus oram regni Pegu. Ei adjacent 6. aliæ inſulæ quæ ſub illo nomine continentur, inter ſcopulos & ſyrtes, verſus ſeptentrionem Inſul. Sumatræ, 80. leucis Hiſp. hinc diſtantes.

ANDENESIUM, vulgo ANCENIS, locus eſt Galliæ, in confinio Andecavorum atque Namnetum poſitus, ad Ligeris ripam, proximus Idoni *Oudon*, vico eidem ripæ adpoſito: quæ utraque loca, olim Andecaviæ attributa, nunc Britanniæ Armoricæ adſcribuntur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ANDERA, *Stephano* Ἄνδειρα, Phrygiæ oppid. juxta Scepſim, in quo lapis reperitur qui uſtus in ferrum tranſit, deinde cum quadam terra in camino excoctus, pſeudargyrum, ſeu argentum falſum ſtillat: cui ubi eſt æs additum, temperamentum fit, quod orichalcum vocant. *Steph.* ex Strabone *l. 13.* Inde *Anderina*, mater Deorum. *Nic. Lloydius.*

ANDERICA, Ciſſiæ regionis ſtathmus 200. ſtadiis à Suſis diſtans Herodot. *l. 6. c. 119.*

ANDERIDA, Angliæ oppid. in agro Cantiano, vulgo *Newenden*, teſte *Camdeno*, quaſi media inter Cantuariam (à quâ 16. mill. paſſ. abeſt) & Roffam.

ANDERIDUM, Vaſconum in Hiſpania oppidum. *Ptol.* Aliis eſt Mimatum, *Mende*, Gabalorum caput. Eſtque Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Bituricenſi. Vide *Mimatum*.

ANDES, populi inter Celtas, Carnutibus, & Turonibus finitimi. Cæſar *l. 2. Bell. Gall. c. extr.* Hos Meduana fluvius alluit, qui paulo poſt in Ligerim cadit. Gallicè *Le pays d'Anjou*. Eorum caput Juliomagus ſeu Andegavi, ut & totius Ducatus: vide *Andegavum*: Ubi Academia, à Ludovico II. Andegav. Duce erecta, A. C. 1348. & ab Henr. III. aucta: Conciliaque duo habita: Primum A. C. 453. Tom. 6. *Concil.* Secundum A. C. 1448. Poſlev. *tom 2. Appar. ſacri.* Vide *Mercurium*. Hos, ut diximus, Jul. Cæſar *loc. cit.* cum Turonibus & Carnutibus memorat, & *l. 3. c. 7.* proximos Oceano facit: *P. Craſſus adoleſcens cum legione 7. proximus Oceano in Andibus hyemabat.* Sunt tamen Namnetes Oceano illis propiores, utpote inter Andes ac Oceanum medii. Dumnaci *Andium* Ducis meminit Hirtius *l. 8. c. 26.* Eoſdem *Andes* vocat *l. 7.* Plinio *l. 4. c. 18.* *Andegavi*: Tacito *l. 3. Annal. c. 41.* melius *Andecavi*, ut & in priſcis Galliæ Regum nummis; Vulgò *Angevins*, gens Comitibus ſuis primùm, dein & Ducibus illuſtris. Eorum ager vocatur *pagus Andegavenſis*, in Capitulis Caroli Calvi apud Silvacum latis, incolis *l'Anjou*, recentioribus *Andegavia*; maxima ex parte cis Ligerim in Lugdunenſi Gallia jacens, nonnulla quoque trans Ligerim oppida, & caſtella ac loca obtinens, quæ tamen Aquitaniæ non attribuuntur. Et quidem pars minor trans Ligerim jacet; cui unum è ſuis Archidiaconis Epiſcopus Andecavorum præfectum habet, qui *Archidiaconus Transligerenſis*: quemadmodum alium trans fluvium Meduanam, qui *Archidiac. Transmeduanenſis* vocatur. Caput gentis Juliomagus eſt, vide ibi.

Reliqua Andium celebriora loca, oppida, caſtella:

Argentò caſtrum, aliàs *Argentomum*, vulgo *Argenton*.	Credo vel Credonium ad Oldam, *Craon*.
Balgejum, aliàs *Balgiacum* & *Bangejum*, vulgò *Baugé*, ad Coanonem *Couëſnon*.	Duroſtallum ad Lidericum *Durestal*.
Balgejum vetus *le Vieil Baugé*.	Flechia ad Lidericum *la Fleche*.
Bellum Forte in Valle, *Beaufort en Vallée*.	S. Florentii oppidum.
Bellum Pratellum *Beaupreau*.	Luſdium *le Lude*.
Bellum Vadum *Beauvau*.	Monaſteriolum Berlaii *Monſtreuil Bellay*.
Briſerta ad Sartam *Briſerte*.	Mons Johannis *Monte Jan*.
Briſacum, poſtea Braccum ſæcum, *Briſſac*; ad Albaniam *Aubance*.	Mons Revelli *Montrevau*.
Burgulium *Bourgueil*.	Mons Sorelli ad Ligerim.
Calidus Mons *Chaumont*.	Poëncejum *Pouance*.
Calonna *Chalonne*, locus illuſtris, ad Ligerim ſiniſtrum.	Pons Saeji, aliàs *Pons Seji*, & *caſtrum de Ponte Seji*, vulgò *les Pons de Sé*.
Camiliacum *Chemillé*.	Rupes fortis *Roche-fort*, ad Ligerim.
Caſtellum Guntheri *Chaſteau Gontier*, ad Meduanam fluv.	Salmurus vel Salmurium *Saumur*, ad eundem fluv.
Celſi *Cenon*.	Secretum aut Segrejum *Segré*.
Coceyum, unde nobilis familiæ nomen, *Coſſé*.	Teotuadum caſtrum, vel Doedum, & Doeum, *Doue*.
Conaldum *Cunaut*.	Triviæ vel Treveæ *Treves*.
Condate *Cande*, ad Erdræ & alterius amniculi confluentem.	Tulliacum *Tullé*, &c. quibus omnibus mater & caput præeſt Juliomagus Andium.

ANDES, plural. numeri, vicus Italiæ, non procul a Mantua, Virgilii patria. Hinc *Andinus*. Sil. Ital. *l. 8. v. 595.*

Mantua Muſarum domus, atque ad ſidera cantu
Evecta Andino. i. e. Virgiliano.

ANDES, Aliis *Cordillera de los Andes*, & *Sierra Nevada*, montes Americæ meridionalis altiſſimi. Quorum multi ignivomi, præſertim verſus Chilem, ad capes uſque meridiem extenduntur, à parte Septentrionalis regni Peruviæ, ab Hiſpanis *Volcanos* dicti.

ANDESAGINA, vulgò ANSENE vel ANCESNE, locus eſt Auciæ adjacens, in Neuſtriæ pago Vinemaco: in quem Lupus Epiſcopus Senonicus à Chlotario juniore Francorum Rege relegatus legitur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ANDETHANNA, vel ANDETHANNALIS, oppid. cum cœnobio agri Trevirenſis, ad Suram fluv. vulgò *Echternach*. Aliis Lucemburgenſis eſt provinc. Dicitur etiam *Andethannale*, quod nomen Gallicum eſt, ex duobus vocabulis ignotæ ſignificationis compoſitum. Hîc Willebrordus Epiſcopus Trajectenſis, Friſiorum plurimorum ad Chriſtianam fidem converſione inſignis, Epternacum Monaſterium condidit, atque in baſilica ejus ſepultus eſt. Unde locus *Epternaci* poſtea nomen accepit. Donavit illud idem

largè

longè Eccleſiis ac villis, quas à Pippino & ejus conjuge Plectrude ſilioque Carolo Martello, atque ab ingenuis Francis acceperat. Epternaci meminit quoque diviſio Regni Lotharii A. C. 870 quod oppidum eſt & Monaſterium in Ducatu Lucilburgenſi diœceſique Trevirenſi; Poſtquam autem Abbatia hæc Regalis per 109. ann. Monachos habuerat, inducti ſunt in eam A. C. 859. ſeculares Clerici ſeu Canonici; donec A. C. 974. Otto I. Imperator, in Canonicorum deficientium locum Monachos rurſus ſubſtituit, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ANDETRIUM, ſeu ANDRETIUM, Straboni *l.* 7. ubi de Illyride; Ἐστὶ δὲ Ἀνδήτριον εὐερκὲς χωρίον. *Ptolemæo* Ἀνδήκριον, vel Ἀνδήτριον. *Dioni* Ἀνδήτριον Plin. *l.* 3. *c.* 22. *In hoc tractu ſunt Burnum, Mandetrium*, lege *Andetrium*. Vide infrà.

ANDETRIUM, oppid. Dalmatiæ; dein *Cluſa* & *Cliſſura*, nunc *Cliſſa* Eſtque arx permunita, in colle, à Venetis expugnata, 20. mil. paſſ. Sebenico in ortum diſtat.

ANDIANTES, Pannoniæ inferioris populi. *Ptol.*

ANDIATAROCUS, lacus novæ Franciæ in America Septentrionali, verſus limites novæ Angliæ,

ANDIUM, vulgò ANDIE, una ex cautibus ventis, quam inſulis, in Oceano Gallico, *Æthico* memorata.

ANDIZETII, Liburniæ populi Strabo *l.* 7. Ἀνδιζήτιοι vocat. Sunt autem, quos Plin. *l.* 3. *c.* 25. *Sandrizetes* appellat. Nam τὸ in dictionum capite modò adeſt, modò deeſt. *Casaubon.*

Ab ANDLO Georgius, ex familiâ admodum nobili, Canonum Doctor, præpoſitus Baſileenſ. & Lutenbacenſis, apud ſuperiores Alſatas, doctrinâ, prudentiâ & gravitate conſpicuus, primus Academiæ Baſileenſis Rector: Et Caſparus Mauer Theologiæ, Petrus Zemlufi Juris, Wernherus Wolfius Medicinæ, & Joh. Creutzer Philoſophiæ, primi ibidem Decuriones, additi ſunt. Obiit A. C. 1466. poſtquam in Eccleſia illa annis 50. floruiſſet. Vide Urſtiſ. *Epit. Hiſt. Baſ. c.* 8.

Rauraci primus tractavit ſceptra Lycei,
Ingenio excelſo, nobilitate pari.

ANDOCIDES, Orator Athenienſis, fil. Leogoræ: Unus ex 10. illis oratoribus, quorum vitas *Plut.* deſcripſit. Sæpius accuſatus & exilio multatus eſt; ſed dexteritate ſuâ ſemper in gratiam rediit. Patrem, quem prius criminis ſuſpicione aſperſerat, defendit. Plut. *de* 10. *Orator.* Orationes ejus habemus Περὶ μυστηρίων. Περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου. Περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης. Κατὰ Ἀλκιβιάδου. Excudebat Henricus Stephanus 1575. in folio,

ANDOINUS, ex primis Regibus Longobard Thraſimundum, Gepidarum Regem in pugna occidit, & cum ſuis Pannoniam occupavit, A. C. 542. Ei ſucceſſit fil. Alboinus, qui primus Italiam ingreſſus eſt. Diacon. *Hiſt. Longob. Aimoinus.*

ANDOLOGENSES, populi Hiſpan. Tarraconenſis. Plin. l. 3. c. 3.

ANDOMATIS, Indiæ fluv. qui in Gangem fluit. *Arrian.*

ANDOMATUNUM, Lingonum urbs, in Gallia Belgica *Ptol. Villanovanus Langres* eſſe putat. *Ptolemæo* Ἀνδομάτουνον, Latin. melius *Andematunum*, à veteri voce Gall. *Dunum*, collem locumve eminentem ſignificante, nomen accepit; utpote urbs in monte poſita, caput Lingonum: Unde recentiores, nomine gentis, ex more *Lingonas* nuncupârunt. Hinc in Notit. veteri Imperii, *in Gallia Præfectus Sarmatarum Gentilium Lingonas*, reperitur vulgò *Langres*. In *Notitia* vetuſtiſſimis provinciarum & civitat Galliæ, tertia ponitur inter civitates provinciæ Lugdunenſ primæ, inveniturque in civitate hac Inſcriptio D. M. *Moderato Liberto coloniæ Lingonum*: quæ apud *Gruterum* inſcriptio ſi vera eſt, deducta fuerit hæc Colonia, poſt Marci Antonini principatum, ſeu poſt Cl. Ptolemæi ætatem, qui ejus coloniæ non meminit. A Vandalis expugnata, à Geilone Eccleſiæ Lingonicæ Epiſcopo reparata eſt, circa A. C. 887 ob perſecutionem Normannorum; qui quoque Carolo Craſſo perſuaſit, ut *propter omnes Comitum ſeu Judicum inquietationes, civitatis murum, & 15. pedes intus, 60. extra, ac omnia fiſcalia intra eandem civitatem ad jus Comitis pertinentia, Lingonenſi Eccleſiæ ejuſque Rectorum ordinationi donaret*, & ut jus feriundæ monetæ, à patruo ipſius Carolo Calvo, Iſaaco Epiſcopo Lingonenſi & Eccleſiæ Lingonicæ, ac Divionenſi Eccleſiæ S. Stephani conceſſum, ſuis literis confirmare dignaretur, nec jam ad alicujus Judicis ſeu Comitis, ſed ad Lingonicæ Eccleſiæ Rectorum diſpoſitionem ambæ monetæ perpetuo pertinerent Datæ ſunt literæ 18. Kal. Februar. A. C. 887. E quibus magnitudinis ſuæ initiis ita poſtmodum Præſules hi crevêre, ut ex Comitibus Duces Pareſque tandem ſint facti., Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* ut & in voce *Lingones*.

ANDORISIPPO, urbs Hiſpaniæ Bæticæ. Plin. l. 3. c. 1. ubi alii *Andoriſæ* legunt.

ANDORRA, vallis fertiliſſima Pyrenæorum, in Diœceſi Urgellenſi, vicina Ceretanis & Fuxenſibus, juxta Baltram fluv. qui eadis inſecorim. Forſan aliàs *Udura*.

ANDOVERPUM, vide *Antverpia*. Ejus primus meminit Audoënus Epiſcopus Rotomagenſis, de *Vita B. Eligii Noviom. & Turnac. l.* 2. *c.* 8. ubi incolas ab hoc ad fidem converſos refert. Dicitur etiam *Andoverpa*, vulgò nunc incolis *Antwerpen*, German. *Antorff.* Gallis *Anvers*, Hiſpan *Amberes* in diœceſi olim Cameracenſis, nunc ipſa Epiſcopatus ſedes. Poſita eſt ad Scaldim fluv. 45. mill. paſſ. à mari, cujus tamen æſtus euſque accedere conſuetus: in agro Renenſi, vulgò *Het Land van Ryen* dicto, cujus caput habetur: per quem fluvius exiguus Nutta vel Nuta, *Neta* nunc appellatus, decurrit & præterlapſus oppidum Liram *Lier*, Rupelâ accipitur. Marchiæ *Antwerfa* meminit Lamb Schafnaburgenſis *ad A. C.* 1081. quæ hodieque pro Marchia vel Marcha Imperii habetur. Ibi aureos olim nummos percuſſos eſſe, patet ex literis Hildolfi Præpoſiti S. Michaelis, A. C. 1184. apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ANDRA, fluv. Africæ, in ora littorali Guineæ. Quibuſdam *Ardra.*

ANDRACA, Cappadociæ urbs. *Ptol.*

ANDRACHNE, Græcè Ἀνδράχνη, arbor Græcis peculiaris nec proin nomen habens in Latio de qua vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 510.

ANDRÆMON, Thoantis pater. Homer *Il.* 2. *v.* 638.

Ἀιτωλῶν δ' ἡγεῖτο Θόας Ἀνδραίμονος υἱός.

Unde Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 357. Thoantem *claro Andræmone natum* periphraſticè appellat.

ANDRAGATHUS, vir quidam, quem patriæ ſuæ proditorem primo muneribus affecit Lyſimachus, apud Polyænum *l.* 4. *c.* 12. Poſtea verò vita privavit.

ANDRAGATIUS, Maximi Tyranni Dux, Gratianum Imperatorem, ab exercitu ſuo deſertum occidit. Hinc in Siciliam miſſus, audito, Maximum à Theodoſio victum, in mare præceps iit. Marcellin, *Chron.* Zoſim. *l.* 4. & 6. Socr. *l* 4. *c.* 11. & *l.* 5. *c.* 14. Pacatus, *Panegyr. Theodoſii.* Obiit autem Gratianus, A. C. 383. & parricida ejus, A. C. 388. Item, Philoſophus Chryſoſtomi præceptor.

ANDRAGIRA, quæ & *Gudabira*, urbs Aſiæ, cum regno cognomine in Inſul. Sumatra, ferè ſub linea Æquinoctiali, & in medio inſulæ, 40. circiter leucis diſtat à Malaca in meridiem.

ANDRAGORAS, vir, qui ſubitâ morte periit, Martial. *l.* 6. *Epigr.* 53.

Lotus nobiſcum eſt hilaris, cœnavit & idem:
Inventus manè mortuus Andragoras,

ANDRAMYTES, Rex Lydorum, qui primus mulieres fecit eunuchas, iiſque vice eunuchorum uſus eſt. Cœl. Rhodig *l.* 20. *c.* 14 Alex. ab Alex. *l.* 2 ex Xantho *Lydiacorum* auctore, apud Athenæum *Deipnoſoph. l.* 12. quod tamen Suidas ad Gygem refert in *Ξανθ.* Fuit hic *Andramytes* ex Heraclidis, II. Dynaſtiæ Regibus, ſed quotus ignoratur: cum Euſebius, omiſſis XVIII prioribus, quatuor tantum poſtremos enarret, ab Ardiſu ſeu Ardyſo, Rege XIX. orſus, quem vide.

ANDRAPANA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

ANDRASIMUNDI, Taprobanæ inſulæ promontorium. *Ptol.*

ANDRASSUM, urbs Aſiæ minoris circa Galatiam. *Cedrenus.*

ANDREÆ Jacobus, vide *Jacobus.*

ANDREÆ Joannes, vide *Johannes.*

ANDREAPOLIS, urbs Archiepiſcopalis, & Academia Scotiæ in ora orientali. Vulgò S. *Andrews.* longitud. 17. 18. latitud. 57. 46.

ANDREAPOLIS, vulgò ANDERO, urbs Hiſpan in littore Biſcajæ, olim Flavionavia, Epiſcopalis deſignata his temporibus. Portum habet percommodum, cum caſtro antiquo. Ab aliis in Aſturia Santillana ponitur.

ANDREAS, nomen Apoſtoli. Marc *c.* 1. *v.* 16. Qui ante vocationem ſuam diſcipulus erat Joannis Baptiſtæ. Joh. *c.* 1. *v.* 41. Euangelium annuntiavit Scythis, Sogdianis, Thracibus, Æthiopibus, Achivis. Proconſulis Ægei juſſu, in urbe Patras, cruci affixus. Vide Gregor. Naz. *Orat contra Arianos.* Chryſ. *hom. de* 12. *Apoſt.* Euſeb. *l.* 3. *c.* 1. Niceph *l.* 2. *c.* 39. & *l.* 3 *c.* 6.

ANDREAS, I. Hungariæ Rex, excæcatô fratre Petrô, qui thronô potiebatur, Regnum partitus eſt cum fratre Bela, à quo tandem, Polonorum ope, planè pulſus, præ mœrore obiit, A. C. 1062. Bonfin. *Annal. Ungar.*

ANDREAS, II. fil Belæ III. & frater Emerici, poſt Ladiſlai, ex fratre nepotis, mortem, Rex Ungariæ Sacræ expeditionis comes invitus, mox rediit, cum inſigni damno Chriſtianorum. Quod notandum contra Blond *l.* 2. *decur.* 7. & Bonfin. *l.* 7. *dec.* 2. Nihilominus *Hieroſolymitani* tulit elogium. Hujus uxor Gertrudis, mater S. Elizabethæ, in abſentia mariti, à Comite Petro trucidata eſt, Quam eadem Epiſcopus Strigonienſis ſuaſit his verbis, nullâ commatum diſtinctione interpunctis: *Reginam occidere nolite timere bonum eſt ſi omnes conſentiunt ego non contradico.* Obiit A. C. 1235. regni 16. Cardinalis Vitriac. *l.* 2. *de bello Orient.* Chronic. Aug. Calviſius *Chron.* ad ao. 13. Spond. *A.* C. 1217. 1235.

ANDREAS, III. cognomine *Venetus*, Auſtriam vaſtavit, oppida amiſſa recepit, 11. regni annô, obiit A. C. 1301. Æmulum habuit Carol. I. cognomine Martellum, fil. Caroli 2. Hieroſolym. Siciliæque Regis & Mariæ Ungaricæ. Villanius *l.* 7. *c.* 134. Bonfin. *l.* 8. & 9.

ANDREAS, Italis ANDREASSO, ex Hungaria, duxit Joannam Reginam Neapolitan. hâc lege, ut Calabriæ Ducis titulô eſſet contentus. Mox à Neapolitanis occiſus, quòd Ungaros ſaltem eveheret, A. C. 1345 *Bocat* & *Petrarcha*, apud *Spond* & *Bouchetum*, *hiſt. prov. in Joanna* I. Vel potiùs hujus juſſu, ſtrangulatus eſt, quæ poſtmodum eodem loci ſuſpenſa, ubi Andreæ gulam fregerat. Bonfin. *dec.* 2. *l* 10. Lipſius *mon politica.*

ANDREAS, Rex Æthiopum, ſecul. 15. *Genebrardus.*

ANDREAS, Argivus ſtatuarius. Pauſan. *l.* 6.

ANDREAS, Panormitanus, edidit libros de memorabilibus, quæ in quibuſdam Siciliæ oppidis contigiſſent, quorum triceſimum tertium citat Athenæus *l.* 14. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4 *p.* 502. Item *Andreas* Penei filius. Pauſan. *l.* 6.

ANDREAS, Abbas monaſterii cujuſdam Bambergenſis, Hiſtoricus Voſſ. *de Hiſt Lat. l.* 3. *c.* 10.

ANDREAS Alciatus, vide *Alciatus.*

ANDREAS Argolus, Ephemeridum auctor. Voſſ. *de Scient. Mathem. cap.* 68. § 30

ANDREAS Barbatius, celebris JCtus, cujus ſcripta Ægid. Autinius edidit. Bellarmin. *de Scriptor. Eccleſiaſt.*

ANDREAS Bathorius, Cardinalis Princeps Tranſylvaniæ à Cæſareanis occiſus A. C. 1599.

ANDREAS Bilius, Hiſtoricus.

ANDREAS, Auſtriacus, Cardinalis Gubernator Belgii. Obiit Romæ, Spond. A. C. 1578. 1600. Grotius in *Annal.* Frater Caroli Burgoviæ Marchionis, fil. Ferdinandi Archiducis, ex Philippina Welſeria, patricia Auguſtana. Cardinalis fuit & Conſtantienſis Epiſcopus. Inde ab Alberto Cardinali Sponſam petente, in Belgio vicarius relictus, magna cum prudentiæ & moderationis laude munere defunctus eſt. Poſt reditum Alberti, petitò commeatu, diſceſſit, & per Galliam, diſſimulatò habitu, pervenit ad Epiſcopatum. Iturus tandem ad annum Jubilæum Romam, obiit A. C. 1599. Phil. Jac. Spenerus *Syll. Geneal. Hiſtor.* Ab eo nomen caſtello, quod eodem annò Carolus Mansfeldius ea humo molitus fuit, hinc Moſæ, inde Vahali incumbens; annò verò ſequente à præſidiario milite Germano & Walone 125000. Mauritius florenorum redemit, inſigni ſtructurâ & ſitu ad Hollandiæ tutelam aptiſſimò; bellò præſenti a Gallis vaſtatum, Gallis *Fort S. André.*

ANDREAS, Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus natione Græcus fuit. Ejus *Explanationes ſive Commentarii in Apocalypſin* in compendium redactæ, ab Aretha Cæſar. Cappadoc. Epiſcopo, Græcè extant, Veronæ 1532. Latinè Ingolſtadii A. C. 1584 Græcè & Latinè cum *Notis* Sylburgii Heidelbergæ A. C. 1585. Genev. 1596. & in Bibliotheca Patrum ut & in hoc Tomo II. operum Oecumenii. *Vir fuit eruditus & orthodoxus, niſi quod eorum opinioni favere videatur, qui Sanctos ante communem carnis reſurrectionem in cælos admitti negabant.* Poſſevinus. *in Apparatu.*

ANDREAS Corſalius, Florentinus ſcripſit de navigatione maris rubri & ſinus Perſici. Poccianitus, *de Script. Florent.*

ANDREAS Damaratus, Cancellarius Ordinis S. Johan. Hieroſolym. Solimanno Rhodum prodidit. Hiſtor Turc. *in Solim.* 2.

ANDREAS Dandolus, Dux Venetus rebus geſtis & prædeceſſorum hiſtoriâ memorabilis.

ANDREAS Doria, Reip. Statum Genuæ immutavit, Caroli 5. auſpiciis, bellis contra Turcas celebris, obiit A. C. 1560.

ANDREAS Ducheſnius, librorum copiâ, & ſylloge Hiſtoricorum Gallor. clariſſimus. Obiit A. C. 1640.

ANDREAS Dudithius, Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, Legationibus clarus, uxorem duxit. *Thuan.*

ANDREAS Jacobus, Joh. Brentium Tubingæ excepit, interfuit Colloquio Mompelgardenſi, ubi coram Jacobo Marchione Badenſi Johannem Piſtorium gravem habuit antagoniſtam. Linguarum, Philoſophiæ & Theologiæ peritiâ clarus, ſed pacis minus amans habitus eſt. Ubiquitatis acerrimus defenſor. Vide Melch. Adami, *Vit. Theol.* Simlerum *Biblioth.* & Anmu. Teiſſier *in Elogiis*, ubi ſeriem ſcriptorum ejus habes.

ANDREAS Laurentius, Medicus Henrici M. ſcriptis clarus.

ANDREAS Oſiander, Lutheranus, novæ de Juſtificatione noſtri opinionis auctor. Obiit A. C. 1552.

ANDREAS Rivetus, vide *Rivetus.* Plures alios vide apud Voſſ. *de Hiſtor. Lat. & Mathem.* Bellarm. *de Scriptor. Eccleſiaſt.* &c.

S. ANDREAS de Cardno, Ordo Equitum in Scotia, cujus lemma. *Nemo me impune laceſſet.* Ab Achaio, Scotiæ Rege, qui cum Carolo M. fœdus iniit, inſtitutus. Buchan. *Hiſt. Scot.*

ANDREIS, Græciæ regio. Pauſan. *l.* 9.

ANDRESTI, Indiæ populi ab Alexandro M. victi. Vide *Adraiſtæ.*

ANDRI, populi circa Claſtidium in Gall. Ciſalpina. Polyb. *l.* 2.

ANDRIA, urbs Elidis, & alia Macedoniæ. *Steph.* Item, urbs Epiſcopalis ſita in Barrana provinc. regni Neapolitani in planitie. Ducatus Caraffarum, ſed parvi circuitus.

ANDRIA, alias ANDRA, olim ANDERNA, vulgò ANDRE, locus Galliæ, in finibus Morinorum & Comitat. Gvinenſi, Ardam inter & Gisnas, unde Monaſterio nomen, quod à Balduino Comite Gvinenſi A. C. 1084. conditum. Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.* Eſt & nomen fluvii, qui aliàs *Anger.* Vide ibi.

ANDRIACA, Mediæ oppidum, & alterum in Lycia. *Ptol.* Aliud in Thracia *Straboni.* Vide Plin. *l.* 5. *c.* 27.

ANDRICLUS, Ciliciæ Mons. Strabo *l.* 14. Eſt etiam fluminis nomen. Plin. *l.* 5. *c.* 27. quem *Strabo Andricum* vocat, & in Scamandrum fluere affirmat. Dicitur *Andricus* & *Andrieus.*

ANDRISCUS, Hiſtoricus, *Naxiaca*, h. e. *de rebus Naxiacis* libros conſcripſiſſe, quorum primum citat Parthenius, *Eroticon* c. 9. Secundum eidem c. 19. Quædam etiam de eodem opere refert Athenæus, *l.* 1. *Nic. Lloydius.*

ANDRISCUS, ex infima fæce, Macedones contra Romanos ſuſcitavit. Florus *l.* 2. *c.* 14. Eutrop. *l.* 4. *c.* 3.

ANDRISUS, vel a, vulgò *Indrois*, quaſi *minor Andria*, fluv. eſt Galliæ qui Villam-Lupæ *Ville-loin* & Montemthelanti prætetlapſus, Andriâ recipitur. Sicut Minor Salera *Petite Saudre*, majorem Saleram auget, minor Croſa *Petite Creuſe*, majorem Croſam. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque in voce *Anger.*

ANDROBIUS, pictor nobilis. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

ANDROCALIS, Æthiopiæ ſub Ægypto oppidum. Plin. *l.* 6. *c.* 29

ANDROCLEA, una ex filiabus Antipœni, quæ pro ſalute populi ſeipſas interfecerunt. Nam cùm pugna eſſet Thebanis & Herculi contra Orchomenios, oraculum eſt allatum, eos bellò fore victores, ſi manum ſibi inferret, qui generis dignitate inter cives eſſet notiſſimus. Et cùm Antipœno (hic enim majorum genere maximè illuſtris erat) non placeret pro populi ſalute mori, ejus filiabus Androcleæ, & Heracleæ placuit. Ubi itaque ſeipſas interfeciſſent, hic eis pro tanto beneficio honos eſt habitus, ut, in parte templi Dianæ Eucliæ, Leonis ſimulacrum ab Hercule illis dicatum conſpiceretur. Pauſan. *in Bœot.*

ANDROCLES, fil. Phintæ, Meſſeniorum Rex cum fratre Antiocho, præfuit; ſucceſſore Euphaë. Pauſan. *l.* 4. Item Joniæ Rex qui Epheſum exornavit. *l.* 7.

ANDROCLES, fuit ſervus & mendicus & cinædus, ut Cratinus eum notat *in ὥραις, ſelectiones* & Ecphantides eum ſcripſerunt eſſe crumenſectorem.

ANDROCLIDES. *περὶ τῶν ἰατρῶν τεχνολόγων*, *de Sophiſtis extemporaneis* ſcripſit teſte *Suida.* Porphyrii æqualis fuit, & ſub Aureliano principe vixit.

ANDROCLIDES, Lacon, qui cùm probro daretur, quòd, cùm claudus eſſet, bellatoribus ſe nomen dediſſet; ideoque ab omnibus, tanquam inutilis, a prælio arceretur, irâ commotus reſpondit: *In aciem profectos debere, qui de prælio, non de fuga cogitent.* Plut. *in Apophtheg.* & Cæl. Rhodig. *l.* 14. *c.* 5.

ANDROCLIDES, Nobilis Thebanus ſtatus popularis, contra Oligarchicos, defenſor, quem ideò Leontides dolò interficiendum curavit.

ANDROCLUS, Codri fil. Rex Ionum. Pauſan *l.* 7. partem Epheſi, *Τρηχεῖαν* dictam, oppido incluſit. Erat autem illa ὁ ὑπὲρ τὸ Κορησσὸν παρόρειον, *jugum collis* (urbi imminens) *ſupra Coreſſum,* ut habet *Strabo.* Poſtea ex montanis deſcendentes circa Dianæ Templum habitabant, quod in cavo ac depreſſo loco erat conditum, ubi etiam uſque ad Alexandri M. ætatem urbis ſuæ ſedem habuêre Epheſii. Poſt Alexandrum verò Lyſimachus urbem iterum in ſuperiora tranſtulit, quò cùm ægrè migrarent Epheſii, magnis & continuis imbribus ſupervenientibus urbs eorum antiqua ſubmerſa eſt, diluvium ad ipſo Lyſimachò adjuvante, obturatis cloacarum naribus. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 809.

ANDROCOTTUS, vel SANDROCOTTUS, fugiens Alexandri M. iram, ſub arbore laſſus obdormivit, & à Leone permulſus eſt. Ad quod omen, animò receptò, Indias occupavit, Alexandri ducibus pulſis. Juſtin. *l.* 15. *c.* 4.

ANDROCYDES, Medicus, cujus extat epiſtola quædam ad Alexandrum M. ſcripta, apud Plin. his verbis, *Vinum poturus, Rex memento te bibere ſanguinem terræ. Sicuti venenum eſt homini cicuta, ſic & vinum.* Plin. *l.* 4. *c.* 5. Alius pictor eidem Plinio *l.* 35. *c.* 9. Plut. *in quæſt. conviv. l.* 4. *q.* 2.

ANDRODAMAS, dictus *magnes qui argenti colorem præfert*, Plin. vi & duritie adamantis. Potius gemma hæmatitis, ferrei coloris, duritie & pondere inſignis; nec enim alium *androdamantem* Veterib. cognitum fuiſſe conſtat. Eum trahere in ſe argentum, æs, ferrum, idem Plinius docet *l.* 36. *c.* 20. Unde *ἀργυροδάμας* quoque nonnullis dictus, quod argentum domaret & ad ſe raperet, quem argentei coloris eſſe, ſolò nomine inducti, nonnulli ſcripſiſſe videntur, Salmaſ. *ad Solin.* p. 565. Nomen illi, *quòd hominum iras ac impetum domaret*, uti tum credebant *Ibid.*

ANDRODAMUS, Rheginus, qui leges Chalcedonenſibus Thraciæ populis condidit. *Ariſtotel.*

ANDRODUS, Dacus ſervus, Romæ in Circo maximo agnitus à Leone, cujus pedem vulneratum aliquando curaverat in ſylvis. Ejus hiſtoriam lectu dignam vide, apud Gellium. *l.* 5. *c.* 14.

ANDROETAS, Hiſtoricus Tenedius *ἐν τῷ περίπλῳ τῆς Προποντίδος* citatur ab Apollonii Interprete, *l.* 2.

ANDROGEA, Perſidis regio. *Cedrenus.*

ANDROGEUS, fil. Minois Cretæ Regis, & Paſiphaës, qui cùm omnes in palæſtra ſuperaret, ab Athenienſibus & Megarenſibus ex invidia occiſus eſt. In cujus ultionem Minos, Niſo Megarenſium Rege occiſò, Megaram evertit, Athenienſes acri bellò ſuperavit, eoſque quotannis ſeptem adoleſcentes, totidemque puellas à Minotauro devorandos in Cretam mittere coëgit. Virgil. *Æn. l.* 6. *v.* 20.

In foribus lethum Androgeo, tum pendere pœnas
Cecropidæ juſſi.

Catull. *de Nupt. Pel. & Thet.* v. 76.

Nam perhibent olim crudeli peſte coactam
Androgeneæ pœnas perſolvere cædis,
Electos juvenes, ſimul & decus innuptarum
Cecropiam ſolitam eſſe dapem dare Minotauro.

Legendus Plut. *in Theſeo* & Pauſan. *in Attic.* Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 456.

Bella parat Minos, qui, quamquam milite, quamquam
Claſſe valet, patriâ tamen eſt firmiſſimus irâ,
Androgeique necem juſtis ulciſcitur armis.

Idem *in ep. Ariadnes* 10. *Heroid. v.* 99.

Viveret Androgeos utinam, nec facta luiſſes
Impia funeribus, Cecropi terra, tuis!

Contra Propert. *eleg.* 1. *l.* 2. *v.* 60.

Et Deus extinctos Creſſus Epidaurius herbis,
Reſtituit patrius Androgeona ſocis.

Androgeus collocabatur in prorâ navium. Meminit Callimachus *in Cauſarum l.* 4. & Clemens *in Protreptico.* Τιμῶνται δὲ ἐν τῷ Φαλήρῳ κατὰ πρύμναν ἥρωες. Phalerus autem erat portus Atticæ. Item unus è Græcorum ducibus, qui Trojam profecti ſunt. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 370.

Primus ſe Danaûm, magnâ comitante catervâ,
Androgeus offert nobis ſocia agmina credens.

Nic. Lloydius.

ANDROGYNÆ, vel ANDROGYNI, populi in Africa ſuper Naſamones, utriuſque ſexûs, inter ſe vicibus coëuntes; dextra mamma his virilis, læva muliebris Plin. *l.* 7. *c.* 2. Vide etiam infrà, *Monſtra*, it. *Zelotæ.*

ANDROINUS de Rupe, Abbas Cluniacenſis, miſſus in Angliam, Johannis Regis liberandi & pacis conciliandæ causâ. Hinc Cardinalis, & in Italiam legatus, ab Innocentio VI. ſed infelix. Spond. A. C. 1356. &c.

ANDROLITIA, oppidi nomen apud Plin. *l.* 5. *c.* 29.

ANDROMACHE, Hectoris uxor, Eetionis, Regis Thebarum Ciliciæ filia. Homer. *Il. Z v.* 394. ubi de Hectore,

Ἔνθ' ἄλοχος πολύδωρος ἐναντίη ἦλθε θέουσα
Ἀνδρομάχη, θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος,
Ἠετίων, ὃς ἔναιεν ὑπὸ Πλάκῳ ὑληέσσῃ,
Θήβῃ Ὑποπλακίῃ, Κιλίκεσσ' ἄνδρεσσιν ἀνάσσων.

Filium peperit Aſtyanactem. Mortuo marito Pyrrhus eam in Græciam adduxit, & ex ea Moloſſum ſuſcepit, poſtea vero eam Heleno vati, Priami filio, cum parte regni in uxorem dedit. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 319.

Hectoris Andromache, Pyrrhin' connubia ſervas?

Peperit & Francionem, primum Galliæ Regem, ſi *Manethoni* fides. A *viri pugna* nomen ſortita eſt, fuit enim quædam virago. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 503.

— — Andromachen à fronte videbis,
Poſt minor eſt.

Martialis poſuit, pro quavis fœmina juniore, *l.* 3. *Epigr.* 76.

Cum poſſis Hecubam, non potes Andromachen.

Nic. Lloydius.

ANDROMACHIDÆ, populi qui virgines nupturas Regi ſuo exhibere ſolebant, qui pulchriorem & gratiorem ſibi ſtupret.

ANDROMACHUS, Tauromenitanus, Timæi Hiſtorici Pater, divitiis & animi magnitudine præcellens. Diodor. Sic. *l.* 16. Timoleontis in recuperanda Syracuſanorum libertate adjutor. Ibid. *fol.* 546.

ANDROMACHUS, Prætor Alexandri M. cui Parmenio Syriam, quæ *Cœle* appellatur, tradidit, bello quod ſupererat, interfuturus. Curt. *l.* 4. *c.* 5. Hunc vivum Samaritæ cremaverunt. Ibid. *c.* 8.

ANDROMACHUS, Prætor ſive Dux Seleuci junioris, de quo Polyæn. *l.* 4. *c.* 17.

ANDROMACHUS, Cretenſis, Medicus Neronis, theriacæ cognominis auctor, de qua verſu quædam ad Neronem ſcripſit. Vide Galen. *l.* 1. *de antid. c.* 1. *& l.* 1. *de ther. ad Piſ. c.* 5. Aſtrologica quædam eidem attribuuntur, Voſſ. *de Scient. Math. c.* 33. § 10.

ANDROMACHUS, adulator Craſſi, à quo Parthis proditus eſt. 2. Sophiſta è Neapoli Syriæ, Zonæ fil. qui Nicomediæ Grammaticam docuit, Diocletiani tempore. *Suidas.*

ANDROMACHUS, Achæi, qui Achaidem urbem in Aria condidit, pater, frater fuit Laodices, Seleuci Regis uxoris. Salmaſ. *ad Solin. p.* 984.

ANDROMADAS, Rheginus, Chalcidenſibus, qui ſunt in Thracia, legum lator fuit, ejus leges caſtant de homicidiis & Epicleris, i. e. mulieribus hæreditates adeuntibus. Ariſtot. *l.* 2. *Politic. c. ult.* ubi Sepulveda *Andromachum* legendum cenſet, Giſanius *Androdamum. Nic. Lloydius.*

ANDROMEDA, Cephei Æthiopum Regis, & Caſſiopes filia, ob matris ſuperbiam, quæ ſe Nereidas formâ ſuperare gloriabatur, à Nymphis ſaxo alligata fuit, & ceto marino monſtro expoſita: poſteà tamen à Perſeo in patriam revertente, occiſo prius ceto, liberata, eidem nupſit. Propert. *l.* 2. *Eleg.* 28. *v.* 21.

Andromede monſtris fuerat devota marinis,
Hæc eadem Perſei nobilis uxor erat.

Idem *l.* 1. *eleg.* 3. *v.* 3.

Qualis & accubuit primo Cepheïa ſomno,
Libera jam duris cotibus Andromeda

Idem *l.* 3. *eleg.* 22. *v.* 29.

Non hic Andromeda reſonant pro matre catenæ.

Ovid. *in Ep.* 15. *Heroid. v.* 35.

Candida ſi non ſum, placuit Cepheïa Perſeo
Andromede, patriæ fuſca colore ſuæ.

Vide etiam *Met. l.* 4. Poſtremò, Minervæ beneficiò inter aſtra collocata eſt, oriturque in parte Piſcium duodecimâ. De hac Tragœdiam ſcripſit Euripides, eamque, ab hujus nomine *Andromedam* appellavit. *Nic. Lloydius.* Ceto expoſita fingitur, quod rapta eſſet & aſportata nave, quæ ceti figuram habebat, uti quidem vult Conon. Navis autem κῆτος dicta, quæ protomen ceti in prora præferebat, ὡς κητοφόρος. Eædem naves & κητίδες & κητῆναι dicebantur. *Heſych.* Κητίναι, πλοῖον μέγα θαλάττιον. Item *Priſtes*; nam priſtis eſt bellua marina. Virg. *l.* 5. *Æn. v.* 116.

Velocem Mneſtheus agit acri remige priſtim.

Ubi Servius, *Vel a navicula*, inquit, *depicta, vel ἀπὸ τῆς πρίζειν τὰ κύματα.* Volebat dicere παρόσημον. Priſtis enim εἶδος erat belluæ marinæ, quæ in prora navis ſtatuebatur, unde navi nomen &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 671. & infra ubi de navium *Paraſemo.*

ANDROMEDA, de pellibus arietum veſtis, à Græco *andres*, i. e. *aries.* Joh. de Gallandia in *Synonym.*

Veſtes quæ fiunt de ſolis pellibus, hæ ſunt,
Pellicium, Rheno, quibus Andromeda *ſociatur:*

apud Car. du Freſne. *in Gloſſar.*

ANDROMON, nomen proprium ejus, qui Colophonem ædificavit

ANDRON, Muſicus memoratur Jul. Capitolino in *M. Antonino Philoſ. c.* 2. *Uſus eſt Magiſtris, ad prima elementa Euphorione litteratore & Gemino Comœdo, Muſico Androne eodemque Geometrà: quibus omnibus — — plurimum detulit.* Hunc *Tantaſidem* dici, in initio operis à Marco conſcripti, ubi nominat eos, qui primi ipſum ſtudiis Philoſophiæ imbuerunt, conjicit Caſaubonus; ita enim ibi *Marcus*, καὶ τὸ ἀκοῦσαι παρὰ μὲν Βακχείου, εἶτα Ταν[illegible] καὶ Μαρκιανοῦ· ſed depravatam eſſe lectionem, nec verò facilem emendatu, judicat, *Not. ad d. l.*

ANDRON, Catanæus, teſte *Theophraſto*, tibiis canens, primus omnium motiones corporis, & ryſthmos excogitavit. Cæl. Rhodig. *l.* 5. *c.* 4.

ANDRON, Epheſius, de 7. Sapientibus ſcripſit, ut indicat Pindari Scholiaſtes *in Iſthm.* Meminit ejus quoque Laërtius *l.* 1. *c.* 119. Clem. Alex *Strom. l.* 1. Et Euſeb. *l.* 10. *de Præp. Evangelica.* Idem hic omnino *Andron* περὶ Τριπόδων ſcripſit, ut author eſt Appollonius *Hiſt. Mirab. c.* 8. ubi quartum ejus operis librum citat Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 321.

ANDRON, Argivus, quem per arida Libyæ deſerta ſine potu profectum fuiſſe tradit Ariſtotel. *l. de Ebrietate*, apud Apollonium *Hiſt. Mirabil. c.* 25. & Laërtium *l.* 9. *c.* 81. Sextus item Empiricus *l.* 1. *Pyrrhon. Hypot. fol.* 17. *Edit. Aurel. Andronem* Medicum memorant Celſus *l.* 5. *c.* 20. Galen. *l.* 5. *de Compoſ. Med. c.* 3. Item Athenæus *l.* 15. *Andronem* Muſicum & Geometram M. Antonini magiſtrum fuiſſe novimus ex Capitolino, *in Marco. c.* 2. Vide Jonſium, *l.* 1. *Hiſtor. Philoſ.*

ANDRON, à Dionyſio, in expeditionem profecto, præpoſitus arci Syracuſarum. Eum hortabatur Hermocrates, ut ſibi adeſſet in obtinenda arce & pecuniis. Salva autem paulo poſt Dionyſius reverſus, cùm nihil audiret ab Androne, ab aliis ſe omnino audiiſſe finxit; verum ab ipſo quoque velle cognoſcere, quis novas res cogitaverit. Qui deceptus prodidit Hermocratem: Andronem verò Rex necandum curavit, quod non confeſtim poſt reditum hoc indicaſſet. Polyæn. *l.* 5. *c.* 2.

ANDRON, Alexandrinus, Χρονικὰ edidit. Athenæus *l.* 4. Item *Andron*, Halicarnaſſenſis, qui laudatur Plutarcho *in Theſeo*, Iſacio Tzetzæ *ad Lycophronem*, ac Scholiaſt. Æſchyli, *ad Perſas.* Item *Andron*, Tejus, cujus Periplus citatur à Schol. Apollonii *l.* 2. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 321.

ANDRON, oppid. inferioris regionis Nili. *Ptol.*

ANDRON, Græcè Ἀνδρών, exterioribus Latinis *Androna*; atrium ſeu locus domicilii longitudine anguſtior, in quo Viri plurimùm morabantur, auctore *Sexto Pompeio Feſto* aliiſque, compitum, locus publicus, ubi viri invicem confabulabantur, Latini quandoque & *Triclinium*, & frequentius, rem ipſam, *convivium* vocant. *Pollux* συμπόσιον, qui & locus convivii eſt, συσσίτιον, τρίκλινον οἶκον, & Ἀνδρῶνα ſynonyma facit: uti *Suidas* Ἀνδρῶνες & τρίκλινος. Quò pactò *Andron* ſive *Andronitis*, locus fuerit, in quo convivia virilia fiebant, à quibus mulieres arcebantur more Græcò, quem à Perſis accepère. C. Nepos *Præfat. In Græcia, neque in convivium adhibetur mulier, niſi propinquorum, neque ſedet, niſi in interiore parte ædium* &c. quem tamen erroris arcellit Caſaubonus *ad Athenæum l.* 8. *c.* 9. contrarium ſæpiſſime apud Græcos factum docens. Cicero tamen idem teſtatus *Accuſat. l.* 1. *Tum ille — — negavit, moris eſſe Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres.* Vide Muretum *Var. lect. l.* 7. *c.* 2. *Andronas* verò Græcorum ſic deſcribit Vitruvius *l.* 6. *c.* 10. *Habent autem — — veſtibula, egregia œcos quadratos, tam amplâ magnitudine, uti faciliter in iis, tricliniis quatuor ſtratis, miniſtrationum, ludorumque operis locus poſſit eſſe ſpatioſus. In his œcis fiunt convivia virilia. Non enim fuerat inſtitutum, matresfamiliarum eorum moribus accumbere.* Et paulo poſt, *Græci enim Ἀνδρῶνας appellant œcos, ubi convivia virilia ſolent eſſe, quod eò mulieres non accedant.* Sed & Atrium quandoque denotari hac voce, dicemus infrà quoque. Gall. *Galeries*. hodie in celebrioribus Emporiis, *Burſa.* Unde Concilium Carthagin. II. *can.* 47. & Atto Epiſcop. in *Capitul. c.* 44 *Clericus per plateas & andronas — — non ambulet.* Petrus item Damianus *l.* 3. *Ep.* 4. *Pecunia per regiones, andronas vel angiportus erogatur.* Juxta Vitruvium *l.* 6. *c.* 10. ἀνδρῶνας appellant Græci itinera, quæ inter duas aulas media ſunt interpoſita, μεσαύλια &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Macro, locus quoque ſic dicitur in Ædibus ſacris fortiori ſexui deſtinatus, cùm antiquiſſimi moris fuerit, ſeparatim in Templis viros fœminaſque ſtare; id quod hodieque religioſè obſervatur apud Chriſtianos Orientis ubi mulieres in parte remotiore ac ſtrictim per cancellos ſeparatæ, & januam ſuam peculiarem habentes, ſeponuntur. Fuit autem hic Virorum locus in parte Ædis Meridionali, ſicut mulierum, in parte oppoſita Septentrionali. Amalarius *de Eccleſ. Offic. l.* 3. *c.* 2. *Maſculi ſtant in Auſtrali parte, & fœminæ in Boreali, ut oſtendatur per fortiorem ſexum firmiores Sanctos ſemper conſtitui in majoribus tentationibus æſtûs hujuſmodi: Et per fragiliorem ſexum, infirmiores ſanctos aptiori loco. Fidelis namque Deus, qui neminem permittit tentari, ultra vires* &c. Idem apud Hebræos olim obtinuiſſe, contendit Car. Macer, ex Ezechiel. *c.* 8. *v.* 14. Vide utrumque Fratrem in *Hierolex.* & infrà in voce *Tranſenna.*

ANDRONICUS Cyrreſtes, ventorum octo numerum (quos ſolos antiqui ut præcipuos nôrunt, tres Occidentales, & tres Orientales inter ſe adverſos, unum Septentrionalem & unum Meridionalem, ut videre eſt apud A. Gellium *l.* 2. *c.* 22.) primus inſtituit ſicque diviſit. Cujus rei ergò turrim marmoream Athenis collocavit octogonon, ut cujus ſingulis lateribus ſingulorum ventorum imagines exſculptas contra ſuos cujuſque flatus deſignavit; ſupra turrim autem metam poſuit itidem ex marmore, cui Triton æneus impoſitus, ad omnem venti auram verſatilis, virgâ, quam manu porrigebat, indicabat quis flaret ventus. Ad quod exemplum hodie in ſummis ædium faſtigiis & templorum obeliſcis gallus gallinaceus ponitur ex ære, qui ſemper roſtrum contra ventum flantem habet converſum, vide infrà in voce *Pinnacula.* Formam octogoni hujus Salmaſ. exhibet, *ad Solin. p.* 1246. & nomina ventorum ex *Vitruvio* hæcce, *Solanus*, *Eurus*, *Auſter*, *Africus*, *Favonius*, *Corus*, *Septentrio & Aquilo*, quibus Græca iſta nomina addit, Ἀπηλιώτης, Εὖρος, Νότος, Λίψ, Ζέφυρος, Ἀργέστης, Ἀπαρκτίας, Βορέας. Vide infra in voce *Octogonum.*

ANDRONA, Cyrrheſticæ regionis in Syria oppid. *Antonin.*

ANDRONICUS, i. e. *vir victorioſus*, nomen viri. 2. Machab. *c.* 4. *v.* 34. & Rom. *c.* 16. *v.* 7.

ANDRONICUS I. ſtrangulatò Alexiò II. cujus tutor erat, Conſtantinopolitanò Imperiò potitus, Agnetem Franciscam, Alexii deſponſam, ſibi nubere coëgit, in Nicæa, aliarumque urbium

 incolas

incolas crudeliſſimè deſæviens. Ab uno nepotum ſuorum, Guilielmi Siciliæ Regis ope adjuto, Conſtantinopoli obſeſſus: Sed virtute civium liberatus, ſævè agere pertexit, & omnes, quorum nomina ab *Is* incipiebant, quod nomen ſibi fatale eſſe ex Magis didicerat, interemit; ab Iſacio tamen Angelo, qui Imperator proclamatus erat, & furibunda plebe crudeliſſimô integri iudiit ſupplicio peremtus, quod tantâ pertulit conſtantiâ, ut, Dei juſtitiâ inter driſſimes dolores agnitâ, hoſtibus etiam grat as ageret. Nicet *l.* 2 Guil. Tyr. *l.* 2. *c.* 12. & 13. Baron. *A* C. 1183. 1185.

ANDRONICUS II. Palæologus, ſucceſſit Patri Michaëli, A. C. 1283. à quo jam antè in ſocietatem imperii aſcitus erat. Hunc tamen ob unionem Græcæ Eccleſiæ cum Latina tentatam, refodi curavit. Poſteà, Michaele, filiô, quem ſocium imperii dixerat, mortuô, cùm Michaëlem Clœharum quendam in idem axioma aſciturus eſſet, à nepote Andronico, Venetorum & Bulgarorum viribus ſubnixo, regno cedere coactus, in monaſterio conſenuit viſuque privatus tandem obiit, A.C. 1330. Gregoras *l.* 4. *& ſeqq.* Cantacuz *l.* 1. & 2.

ANDRONICUS III. dictus *Junior* ſolos imperavit 9. ann. Contra Bulgaros & Acarnanas, ope Turcarum, quos imprudens evocaverat, victor, Obiit A. C. 1341 Filius in tutela Cantacuzeni relictus, qui ipſe imperium invaſit. Gregoras *l.* 10. & 11. Cantacuz. *l.* 2. *Onuphr.* & *Genebr Nicephorus*, &c.

ANDRONICUS, fil. Johannis Palæologi, conſiliô cum filio Amurathis II. initô, ad Parentes pellendos, acetô ardenti oculis infuſô excæcatus eſt. Chalcondyl. *l.* 1. Phranz. *l.* 1. *c.* 15, 16.

ANDRONICUS. Rhodius, Philoſophus Peripateticus. *Strabo.* Scripſit Indicem Librorum Ariſtotelis, & Theophraſti, itemque 10 Categorias Ariſtotelis, nec non libellum *περὶ παθῶν*, qui etiam hodiè extat.

ANDRONICUS, unus ex *Prætoribus* Alexandri Magni, cum Carano, Erigyo, Artabazo, additis ſex millibus Græcorum, ſexcentis Equitibus à Rege miſſus in Arios ad perſequendum Satibarzanem Curt. *l.* 7. *c.* 3.

ANDRONICUS, Grammaticus, deſidioſior in profeſſione Græca, cujus meminit Sueton. *de Illuſtr. Gramm.* c. 8. Item Hiſtoricus qui res Alexandri ſcripſit. Volater. *l.* 21. *Anthropol.* Vide de Andronico, Hiſtorico Græco Hieron. *præf.* in *Danielem.*

ANDRONICUS, Præfectus Pentapolitanus, in Ægypto, ob crudelitatem, ab Epiſcopo Syneſio excommunicatus veniam delictorum petiit. Synel. *ep.* 52. 57. 68.

ANDRONICUS, vide *Livius.*

ANDRONICUS, Legiſlator Chalcidenſium. Alex. ab Alex. *l.* 6. *c.* 10.

ANDROPHAGI, Scythiæ gentes in Europa. *Herodot.*

ANDROPOMPUS, Thebanus, Bori filius, Xanthum in ſingulari certamine, ſed fraude interfecit. Pauſan. *in Bœoticis*, Quamvis id à Melantho Andropompi filio, non à patre factum fuerit.

ANDROS, Britanniæ inſula maris Hybernici, inter Walliam, & Hyberniam. *Hedros Ptolemæo.* Anglicè *Berdſey.* Britannicè *Enhly*, dicitur. Eſt autem apud Gangarorum promontorium, quod vulgò *Abercowey* vocatur.

ANDROS, maris Ægæi inſula, prima inter Cycladas, vicina Samo, cum oppido ejuſdem nominis, quæ Aſiæ adjacet ex oppoſito ad Epheſum, Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 70.

Hic Andro, ille Samo, &c.

Ovid. *Met.* *l.* 7. *v.* 469.

At non Oliaros, Didymeque, & Teros & Andros.

Idem *l.* 13. *v.* 661.

Et totidem natæ Andros fraterna petita eſt.

Multa habuit nomina apud veteres. Nam *Cauros*, *Laſia*, *Nonagria*, *Hydruſſa*, & *Epagris* dicebatur. Nomen habuit ab *Andro*, Eurymachi filio. Ibi fons eſt, qui quotannis Nonis Januariis vini ſapore fluit. Plin. *l* 2. *c.* 103. & *l.* 4. *c.* 12. De contentione inter *Andrios* & Chalcidenſes, ob Acanthum à barbaris deſertam, oborta, Vide Plutarchum *Quæſt. Græc* §. 30. *pag.* 298.

ANDROSA, Caſtrum Scotiæ Auſtralis, & provinc Cuninghamiæ, in ora littorali: Aliis *Ardroſen.* 4. milliar. ab Irvino, & 15. à Dumbritonio.

ANDROSIA, Galliæ oppid. hodiè *Andres*, ex *tabulis recentiorib.*

ANDROSTHENES, ex Ducibus Alexandri M. ſpeculatum cùm nave miſſus oras Arabiæ, Arrian. *l.* 7. c. 20. Strab. *l.* 16 Edidit deſcriptionem Orbis, Artemidoro Epheſio & Theophraſto, *l.* 2. c. 7. *de Plant.* laudatam. Item, alius, cujus meminit Polyb. *l.* 11.

ANDROSTHENES, Prætor Theſſaliæ, Pompejo favens, à Cæſare obſeſſus, & expugnatus. Cæſ. *l* 3. *de bell. Civil.* *c.* 80. Item nomen ſtatuarii Thebani Pauſan *l.* 10.

ANDROTION, Atticam hiſtoriam edidit, teſte Pauſaniâ *in Eliacis*, & *Phocicis* & Marcellinô *in vita Thucydidis.* Ejus meminêre Plut. *in Solone*, Ælian. *Var. Hiſt.* *l.* 8. *c.* 10. aliique. Etiam *Androtion*, ſive alius, ſive idem de Agricultura ſcripſit; quem Plinius memorat *in Hiſt. Nat.* & ante eum Varro, & Columella, uterque *initiô* *l.* 1. *de R. R.* ubi eum reponunt inter eos Rei Ruſticæ ſcriptores, quorum patriam non acceperant. Voſſ. *de Hiſtor. Græc.* *l.* 3. *p.* 322.

ANDRUS, vide ANDROS.

ANDURIANUS, vulgò *Lago-Salſo*, lacus Capitanatæ, in regno Neapolitano ab oppid. Andurio dictus, aliis Salſus, prope oſtia fluv Candelari in mare Adriaticum. Parvus admodum.

ANDUSA, Urbs Galliæ, in Occitania inferiore ad fluv. Gardonem. Nunc mœnia ejus disjecta; eſtque ad radices montium

ANEBURGUS, vulgò *Laſnebourg*, burgus Sabaudiæ, ad radices Alpium & Montis Ceniſii, ad Arcum fluv. Etiam *Lansburgum* dicitur, *Lanslebourg*, ad differentiam alterius *Lans le Villars*, oppiduli in vicinia. Ibi ordinarios tranſitus Alpium ex Sabaudiæ Ducatu & Mauritana valle, in Pedemontium.

ANECUS, Siciliæ fluv. Vibius Sequeſter in *Catalogo*: *Anecus Siciliæ, qui per* 2. *mill. paſſ. ſub terra mergens, Syracuſis miſcetur mari, appellaturque Ano, poſt Anapus venus, ſuperior Antiſthenes.* Quem locum plurimâ ſui parte eſſe vitiatum, jamdudum ſuſpicati ſunt viri docti, neque noſtrum eſt ſine ope ms. cum emendare

ANEDADIS, Philoſophus & Medicus, *ſecul.* 6. Genebrardi *Chron.*

ANFIANUM, urbs Italiæ, inter Patavium & Mutinam. *A tenui. monte Amano* hodie *Similero.*

ANELONTIS flumen, juxta Colophonem, meminit Pauſan. *l.* 8. cujus frigiditatem prædicat. Aliis *Alea s*

ANEM, Latinè *reſponſio*, aut *canticum eorum*, ſive *afflictio*, vel *paupertas eorum*: aut Syriacè, *ovis eorum*, nomen civitatis. 1. Paral. *c.* 6. *v.* 73.

ANEMO, fluv. in octava Italiæ regione. Plin. *l.* 3. *c.* 15. Hodiè *Roſanaro*, *Fanteo*, & *Santerno*. Aliis ſic. *Anemo*, ſeu *l'Amore*, fluv. Æmiliæ, ſive Galliæ togatæ ex Apennino monte in Padum, per Faventiam (quam interluit) influens, inter Ravennam & Argentam. De eo P. Burg *l.* 7. *ſic*:

Aſſluit & valles quicunque Anemonis & agros
Cultor habet.

ANEMOLIA, Phocidis urbs, quæ poſtea Hyampolis. *Strabo.* Bœotiæ civitas *Ptolemæo.*

ANEMONE, ipſo veris initiô venit in lucem, odoris expers, at non decoris & dignitatis. Ejus cauliculus exilis, lanuginoſus, palmaris, circa dimidium, aut ſub ipſum cacumen, tribus foliareis laciniis, ſine pediculo preſſiùs inhærentibus & aliquantulum ſurrectis intercinctus. In cacumine florem explicat, latioribus foliis non minùs ſenis, ferè in roſæ amplitudinem circinatum. Aliàs idem flos, multiplici ſerie foliorum contexitur, ſed anguſtiorum; mediô interdum globulô ſtaminibus obſitô atque villoſô, ſeminibus plenô capitulatis. Color item multiplex eſt, ruber, albidus, violaceus, cinereus, varius. Franciſcus Pomey *Deſcript Var.*

ANEMOREA, urbs Phocidis, quæ poſtea *Anemolia* dicebatur; in confinio Phocidis, ac Delphorum in alto colle. Situs eſt autem ſuper eam locus *καθ᾽ ἐγγύην* dictus, unde cognomen Minerva à ſedatis ventis adepta eſt. Cæl. Rhodig *l.* 20. *c.* 19.

ANEMOSA, vicus Arcadiæ. Pauſan. *l.* 8.

ANEMOTHICOS, urbs circa Cariam. *Porphyrogen.*

ANEMOTIS, Palladis nomen, inde tractum, quòd, cùm Mothonem Peloponneſi civitatem, locaque vicina, venti paulò violentiores, minuſque tempeſtivè perflantes inſigniter oblæderent, Diomedis, qui cum ibi imperabat, ſuaſû, ſimulacrum Palladi erectum eſt, eique ab incolis fuſæ preces; quibus peractis, mox ventorum ceſſavit impetus, unde cognomen Minerva à ſedatis ventis adepta eſt. Cæl. Rhodig *l.* 20. *c.* 19.

S. ANEMUNDI caſtrum, Galliæ, haud procul ab urbe Lugduno, in pago Forenſi, S. *Anemundi* Epiſcopi Lugdunenſis nomine illuſtre, quem vulgò appellant Chaſemundum. *S. Chamond*, & corruptè *S. Chaumont.*

ANEMURIUM, urbs Ciliciæ littoralis Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Seleucienſi, inter Antiochiam ad occidentem & Celenderim ad ortum *Stalemura* hodiè, vel *Scalemuro*, teſte *Nigro.* Longitud. 65. 10. latitud. 36 50.

ANEMUSA, inſula maris Mediterranei. *Ptol.*

ANEMYTAS, apud Tarentinos aſinus erat, qui ventis ſacrificabatur. *Etymologus*, *Ἀνεμύτας παρὰ Ταραντίνοις ὁ ὄνος ὁ ἀνέμοις θυόμενος.*

ANENA, Inſul. Norvegiæ regni, in ora meridionali Finmarchiæ provinc. prope inſulas *Veſtrol* & *Samen*, & media ferè inter Nidroſiam & Vardhuſium. Aliàs *Andenes* dicitur diſtatque à *Machiroom*, 25. leuc. German. in Cæciam.

ANENSIA Juga, apud Plin. *l.* 37. *c.* 2. ubi de cryſtallo, *Cornelius Bocchus & in Luſitania naſci perquam mirandi ponderis* Anenſibus *jugis, depreſſis ad libramentum aquæ puteis*; ubi legit Salmaſ. ſunt juga, unde *Ana* fluvius oritur. Vide eum *ad Solin.* *p.* 407.

ANER, Latinè *reſponſio*, aut *canticum lucernæ* ſive *affligens lucernam*, Frater Mamre. Gen. *c.* 14. *v.* 13. Item civitas, in tribu Manaſſis. 1. Chron. *c.* 6 *v.* 70.

ANFRITÆ, Marmaricæ Nomi gens. *Ptol.*

ANETHUSSA, urbs Libyæ. *Steph.*

ANETIA, nomen oppidi Plin. *l.* 5. *c.* 24.

ANETICUS, Aſiæ locus eſt arundinibus abundans.

ANETIS, Dea quædam apud Armenios, quibus mos erat, ut virgines in fano vetuſtiſſimo Anetis Deæ proſtituerentur, ubi ipſius ſtatua ex ſolido auro ſita erat, quam Antonius expilavit. Vide *Anaitis.*

ANETUM, oppid. Gall. in provinc. Inſulæ Franciæ, ad Eburam fluv. & in limite Normanniæ, cum caſtro ſplendido, à Diana, Valentinenſi Duce, excitato Principatus titulô gaudet Ducis Vindocinenſis. Vulgò *Anet.* Ejus meminit *Orderic Vital.*

ANFA, vulgò ANFE, oppid Africæ, in Regno Fezzæ, olim celebre, nunc dirutum, in littore Oceani. Quibuſdam *Anaffe* Eſt in provinc. *Temeſna*, in portu capaci.

ANGADIVA, ſeu ANCHEDIVA, Inſul. parva Aſiæ & Indiæ citerioris, in ora regni *Decan*, 12 leuc. à Goa, in meridie, ibi aliàs caſtrum Luſitaniæ nunc disjectum.

ANGAMALA, Urbs parva Indiæ, in monte, ad fluv. *Alcota*, Archiepiſcopalis ſita in regione Malabaria; Ibi & in vicinis d.gunt

degunt Chriſtiani S. Thomæ. Dicitur etiam *Archiepiſcopatus Serrenſis*, ſeu S. Thomæ aut *Cranganorenſis*.

ANGARIA, vox Perſica, per Græcos ducta; i. e. quod præter debitum exigitur per Superiores à ſubditis: ſive in pecunia, ſive in obſoniis, ſive in operibus perſonarum, equorum curruumve & hujuſmodi. Will. Conqueſtoris Abb. Rames. *Volo, ut nullo unquam graventur oneribus expeditionum, nec pontium reſtructione, nec juris apprehenſione, ſed ab omni* angaria *Regalium miniſtrorum ſint perpetuo expediti*. Brito Armoricanus *Philipp. l.* 12.

Vexavit nullum cenſus exactio, nullum
(ut fieri ſolet à multis) angaria *læſit.*

Hinc *Angarius*, pro exactore, bedello ſeu ballivo. Dicuntur etiam *Angari*, quos hodie poſtas vocant: & *Angaria*, diverſoria ubi hujuſmodi poſtæ curſus ſiſtunt. Vide Henr. Spelmannum in *Gloſſar.* ut & hic infrà.

ANGARIÆ, plauſtrorum & jumentorum præſtationes ſunt, & quidem per viam directam, ut *parangaria* alioverſum, ut pluribus docet Gothofredus *ad l.* 4. *Cod. de Curſu publ.* hincque pro ipſis carris & plauſtris, quæ ad curſum à provincialibus præſtabantur. Unde onerum menſura definita in rhedis, *angariis*, & veredis, *l.* 30. *Cod. Theodoſ. de Curſu publ. Ut nemo amplius rhedæ, quàm mille pondo; angariæ, quàm mille quingenta; veredo, quàm triginta, auderet imponere*: Et *l.* 28. *ejuſd. tituli. Angarias* à bobus fuiſſe tractas patet, *l.* 2. *eod. tit.* & *l.* 11. quâ cavetur, ut per ſingulis *angariis* bina tantùm boum paria conſequantur, quibus Angariarum curſus permiſſus fuerit. Adeoque *angariæ* illæ plauſtra tantùm & carra fuêre ferendis oneribus & impedimentis deſtinata & tranſvehendis ſpeciebus publicis, quæ non multum celeriter ibant, quia boves ea trahebant. Quam ob cauſam *angarias* & *parangarias* à *curſu* ſeparat tit. *Codicis Theodoſ. de curſu & angariis*, & *l.* 15. cùm Julianus diſcurſus veredorum & paraveredorum amputâſſet in provinc. Sardiniæ, *angarias* tamen non ſubmovit, propter publicas ſpecies, quæ ad diverſos portus erant deferendæ. Salmaſ. *ad Capitolin. in Antonino Pio, c.* 12. Vide quoque infrà, ubi de *Clavulari Curſu*, quem is Vehiculario contradiſtinctum, cum Angariis eundem facit. Sed & *Angariæ*, onera dicuntur agris aut perſonis impoſita, apud Ugutionem & Wilhel. Britonem in *Vocabular. MS.* atque hinc, pro qualibet vexatione, injuria, animi anxietate, aliquando ſumuntur. Guntherus *Ligurini l.* 2.

Hujus ab antiquo Comitatum in finibus urbis,
Solus ab angariis *Italorum pene ſolutus,*
Præſulio Ligurum Guido Blandratenſis habebat, &c.

Originis Perſicæ, ut dictum, vox eſt: *Angaros* enim, tabelliones Regios eâ linguâ dici ſolitos, notum; quibus quia concedebatur facultas ſumendi ubique equos, obvioſque quoſlibet ad auxilium præſtandum cogendi (id quod hodie apud Turcas in uſu eſſe, non ſine maximo iter facientium incommodo, Tavernier docet, *Itiner.*) hinc ἀγγαρεύειν, pro *urgere*, *cogere*, *onus imponere*, etiam in Sacris, dici cœpit. Huc reſpiciens Æſchylus in *Tragœd.* ἄγγαρον πῦρ eleganter vocavit ignem illum, quo in littoralibus pharis conſtituto ſignum dabatur, quoties per totam regionem quiddam celerrimè nunciari eſſet neceſſe; quaſi *Curſorem Ignem* &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros Fratres in *Hierolex*. At *Angaros* ipſos Perſarum Syrorumque, nam & hi illis utebantur) à voce עגור *Agor* dictos vult Bochartus: quæ quamvis hodie pro *grue* non uſurpetur apud Arabes, olim tamen ſic adhibitam eſſe, veriſimile eſt, hinc namque verbum *agara*, quod aliquem *ad lares ſuos poſtliminiò reverti* vel *aufugere* notat: qui gruum omnino mos eſt. Illas enim amore patriæ in Scythiam & Thraciam, unde ortæ ſunt, quotannis redire, pluribus docet Ælian. *l.* 3. *c.* 13. & 14. Jam verò *Angari* cum gruibus certare credebantur celeritate curſûs: ὥστε ἔνιοι ταύτην τὴν πορείαν τῶν γεράνων θᾶττον... *Quidam hoc iter gruum volatu celerius confici referunt*. Xenoph. *Cyropædiæ l.* 8. apud Bochart. *Hieroz. Part. poſter.* § 20.

ANGARIS, mons Palæſtinæ. Plin. *l.* 5. *c.* 13. Item Bithyniæ emporium, prope Helenopolim. Socr. *Hiſt. l.* 8. *c.* 20.

ANGE, Arabiæ Felicis vicus. *Ptol.*

ANGELA Curionia, virgo nobiliſſima. Filia Cælii Secundi Curionis, viri clariſſimi, Vide ibi. Italicè, Germanicè, Gallicè venuſtè loquuta, Latinè non ignara, in epiſtolæ ejus teſtantur, nihil habuit divino ſuo ingenio atque induſtriæ impervium. Obiit Baſileæ, quo Patrem, ob puriores religionis amorem, ex Tauriniis ſe recipientem, ſequuta eſt; A. C. 1554. ætat. 28.

ANGELA Zabatha, Valentiâ Hiſpan. oriunda, ingeniô, literis, prudentiâ, inclyta. Lud. Vives *de Inſtit. fem. c.* 3.

ANGELA, Inſul. Britanniæ, vide *Mona.*

ANGELE, pars e tribu Pandionide. *Steph.* Hodie *Angelocopus* & corruptè *Ambelokipum* dicitur. Fuit caſtrum ſeu pagus 1. milliar. Athenis diſtans: unde qui erant Ἀγγελεῖς appellati ſunt, uti docet Jac. Sponius, ex vet. *Inſcr.* Prytanum tribus Pandionidis, quæ hodieque ſupereſt in ædibus cujuſdam Atheneinſis, & ſic incipit:

ΠΑΝΔΙΟΝΙΔΟΣ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ
ΑΝΕΘ

ΠΑΙΑΝΙΕΙΣ	ΑΓΓΕΛΕΙΣ
ΣΤΡΑΤΩΝ	ΘΕΟΓΕΝΗΣ
ΔΗΣ ΣΩΣΙΓΕΝΟΥ	ΕΡΕΘΦΙΛΟΥ
	ΜΕΛΗΤΟΣ &c.

Vide eum *Itinerar. Græciæ Part.* 3. *p.* 69. & *ſeqq.* nec non *Part.* 2. *p.* 172.

ANGELI quatuor, in leonis, vituli, aquilæ & hominis ſpecie primo Ezechieli *c.* 1. *v.* 10. & *c.* 10. *v.* 4. deinde etiam Johanni in Apocal. *c.* 4. *v.* 7. viſi, non Angeli ſolum, ſed & Archangeli, qui aliis præfecti ſint & eorum unicuique penſum ſuum aſſignent, fuere, judice Bocharto: qui ex *quatuor fabris*, totidem *cornibus*, i. e. *Imperiis oppoſitis*, apud Zachariam *c.* 1. *v.* 8. 19. ex quatuor item *quadrigis*, apud Eund. *c.* 6. *v.* 5. porro, ex quatuor *Mundi partibus*, apud Danielem *c.* 7. *v.* 2. totidemque *Templi faciebus*, apud Ezech. *c.* 43. *v.* 30. novæ tandem Hieroſolymæ *lateribus*, apud Johannem Apocalypſ. *c.* 21. *v.* 13. tot eſſe Archangelos, tam Eccleſiæ, quàm Terrarum Orbi, præfectos, colligit, per quos inferiora hæc omnia Deus adminiſtret atque gubernet. Formas verò quod attinet, per *Leonem* ſignificari vult in *Angelis* robur, generoſitatem & Majeſtatem Dei, hoſtibus terribilem, in iis relucentem; per *Bovem* conſtantiam, patientiam, firmitatem, & aſſiduitatem, in obeundo munere, ſibi divinitus demandato, per *Hominem*, humanitatem, lenitatem & φιλανθρωπίαν; per *Aquilam* tandem, naturæ cœleſtis vigorem, agilitatem, & ad ſublimia nixum. Addit, ſingula hæc animalia eximium aliquid habere: quippe Leo inter feras, aquila in aëre, bos inter domeſticum pecus. Homo in omnes imperat & primas tenet. Et ex his duo ſunt fera, Leo & aquila; duo manſueta, bos & Homo: illa, ut rebelles terreant, hæc ut piis ſint ſolatio. E feris Leo in terra ſectatur prædam, aquila etiam in aëre & mediis in nubibus: ut hoc pacto ſciamus, non ſolùm homines aggredi, qui humi repunt, ſed & τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, Ephes. *c.* 6. *v.* 12. &c. Vide prædictum Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 6. ut & Commentator. Biblic.

ANGELIA, Mercurii filia, apud Pindarum, ideo quòd Mercurius nuntiis præſit. Cæl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 6.

ANGELICA Veſtis, apud Florentium Wigornienſem de *Gregorio* VII. Pontifice Romano. *Quia finem vitæ ſuæ aſpiciebat --- induebat ſe* Angelicam *veſtem*: ἀγγελικὸν σχῆμα, in *Euchalog.* Græcorum & in *Vita* S. Nili Junioris τὸ ἀγγελοειδὲς καὶ πανάγιον σχῆμα, in *Martyrio* Bacchi Junioris alibique paſſim, habitus dicitur Monachicus. Unde Ἀγγελικὴ ἀκολουθία, in eadem Nili *Vita*. Ordo ad habitum hunc induendum. Monachorum autem habitus hoc elogiô ornatus eſt, quod & ii dicantur *Angeli* Patribus non ſemel, eorumque vitam *Angelicam* eſſe conveniat. Sed & Willhelmus ait Abbas Metenſis *Ep.* 5. *Multi tales ſub Angelico habitu deliteſcunt, quorum miſera eſt converſatio, tantaque vita perverſitas* &c. Hunc verò habitum ſumere dicebantur moriturî Laici, ut ait Car. du Freſne, qui prius quàm vitâ excederent, Monachicis indumentis involvi poſtulabant, ut orationum Monachorum eſſent participes eorumque ad id nomina in Calendario ſeu Necrologio ſcriberentur, ex Anſelmo *l.* 2. *Ep.* 12. Aliiſque Scriptoribus, quos magno numero hanc in rem laudat, in *Gloſſar.*

ANGELICI, Hæretici quidam Ἀγγελολάτραι, quorum meminit Epiphanius *Hæreſ.* 60. & Balſamon *ad* 35. *canon Concilii Laodiceni*. Mirum verò ambigere Epiphanium, an non & ita vocari potuerint ab regione ultra Meſopotamiam, quæ Ἀγγελινὴ dicta ſit. Nam, ut ſanè *Angelina* reſcribas (quomodo uterque vertit Interpres) non tamen ἀνάλογον, unde Ἀγγελικοὶ deducas. Nihil verò Ἀγγελινὴ habet tum Baſileenſis editio, tum Patavina. Ac in Codice etiam Juſtinianeo *l.* 1. *Tit.* 29. qui eſt *de officio Magiſtri Militum*, in 3. miſſ. *Angelinas* reperit L. Ruſſardus JCtus. Clariùs igitur etymon proſpexit nobis Auguſtin. *Hæreſ.* 19. *Angelici in Angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omnino defeciſſe teſtatur*. Voſſ. *l.* 1. *de Idololatr. c.* 9. Baron. *A. C.* 360. *n.* 69. *Nic. Lloydius.* Vide & *Angelolatria.*

ANGELINA, locus quidam dicebatur, cujus meminit Epiphanius *Hæreſ.* 60. ubi de Angelicis Hæreticis loquens ait, ita dictos fuiſſe, ſive ex eo, quòd aliqui mundum ex Angelis factum eſſe dicerent, ſive quòd ſeipſos in ordine Angelorum eſſe jactarent, ſive etiam à loco nomen acceperint. Nam locus quidam eſt *Angelina*, ultra Meſopotamiam regionem ſita. Hæc ille.

ANGELION, ſtatuarius, qui Apollinis ſimulacrum apud Delos fecit. Pauſan. *in Corinthiacis*.

ANGELITÆ, Sabellii ſectatores, à loco prope Alexandriam, *Agelio* vel *Angelio*, dicti. Niceph. *l.* 18. *c.* 49.

ANGELLÆ, Bæticæ urbs inter Cordubam & Hiſpalim. *Antonin.*

ANGELOCRATOR Daniel, vide *Daniel.*

ANGELOLATRIA, ſatis antiqua eſt. Sanè Joſ. Albus *in Icarim l.* 3. *c.* 18. eam omnium antiquiſſimam idololatriam arbitratur, quòd homines, *Angelis* cultum ſtatuerint, tanquam Mediatoribus & ſequeſtris, inter ſe & Deum. Sed enim hic etiam honor univerſè damnatur, Deuteron. *c.* 6. *v.* 13. & *c.* 10. *v.* 20. Inprimis ad Coloſſ. *c.* 2. *v.* 18. Paulus, ubi ait, *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione* Angelorum, *quæ non vidit* &c. illud inanis Philoſophiæ *v. præc.* 8. rejectæ, exemplum improbat, quando quis humilitatis prætextu, non rectà ad Deum & Chriſtum preces ſuas fundit, ſed Mediatores *Angelos*, more Platonicorum, invocat: quibus Spiritus ejuſmodi erant *divinæ mediæ poteſtates*, ut ait Appuleius, *inter mortales cœlicolaſque vectores, hinc precum, inde donorum.* Et Coloſſi quidem, quibus ea ſcripſit Paulus, Phrygiæ erat civitas, ut Metropolis ejus Laodicea. In Phrygia autem & Piſidia obtinuit hic cultus, non Apoſtolicis modò temporibus, ſed etiam tribus poſt ſeculis. Unde Synodus Laodicena A. C. 364. ſic cavit can. 35. ſive 138. juxta collectionem & interpretationem Dionyſii Exigui: *Quod non oporteat Chriſtianos Eccleſiam Dei relinquere & ire atque* Angelos *nominare, & congregationes facere, quæ interdicta noſcuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ Idololatriæ ſerviens, ſit anathema; quia reliquit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & ſe Idololatriæ tradidit.* Qua de re ſic Theodoretus *ad Coloſſ. loc. cit. Qui legem*, inquit, *defendebant, hos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes fuiſſe per eos legem datam. Manſit autem diu hoc vitium in Phrygia & Piſidia. Quocirca Synodus quoque, quæ convenit Laodiceæ --- lege prohibuit, ne precarentur Angelis, & in hodiernum uſque diem licet videre apud illos & eorum finitimos, oratoria S. Michaëlis. Illi ergo hoc conſulebant, utique humilitate utentes, dicentes univerſorum Deum nec cerni nec comprehendi, nec apud eum poſſe perveniri, & oportere per Angelos divinam ſibi benevolentiam conciliare.* Illi autem, qui *Angelos* colebant, *Angelici* dicti ſunt

quorum meminit Epiphanius *Hær.* 60. & ex eo Zonaras ac Balſamo *ad Can. Concilii Laod. prædictum.* Mirum verò, ambigere Patrem, an non & ita vocari potuerint ab regione ultra Meſopotamiam, quæ Ἀγγελικὴ dicta ſint: Clarius ironice perſpexit Auguſtinus *Hær.* 39 *Angelicos in Angelorum cultum inclinatos, quos Epiphanium jam omnino defeciſſe teſtatur.* Vide quoque infrà *Simonianos.* Et hæc de *Angelis* bonis, quorum veneratio fuit antiquior, de quibus vide quoque in voce *Genius*: poſtea & mali ſibi, metu hominibus incuſſo, delubra araſque quæſiverunt, ſed de iis vide in voce *Dæmon*: uti de *Angelorum Baſilicis*, apud Chriſtianos, ſuo locô: de *Ordinibus* eorumdem *decem*, apud Judæos, *novem* apud Latinos, aliquid infrà voce *Virtutes.*

ANGELOMUS, ſeculô 9. ſcripſit *Commentar. in 4. libros Regum. Canticum Cantic.* &c. natione Gallus, ſub Lothario Imperatore. Bellarm. *de Scriptor. Eccleſiaſt.*

ANGELOPOLIS, urbs Apuliæ Dauniæ, in monte Gargano, apud Sipontum, Archiepiſcopalis. Altera in Hirpinis Epiſcopalis vulgò *S. Angelo di Lombardi.* Tertia in Veſtinis, Pinnæ proxima. Olim *Angulus.*

ANGELOPOLIS, in America, *Los Angeles*, vel *Puebla de los Angeles*, in Nova Hiſpan. Ab urbe Mexico in Ortum 22. leuc. Hiſpanic. Ædificata eſt. A C. 1531 ab Hiſpanis in *Tlaſcala* provinc. eſtque Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Mexicano.

ANGELOPOLIS, altera, *S. Angelo in Vado*, quibuſdam *caſtrum S. Angeli Vadenſe*, olim *Tiphernum Metaurum* dictum, urbs Italiæ, in ditione Pontificia & Ducatu Urbinate. Epiſcopatus ejus cum Urbanienſi Epiſcopatu unitus eſt ab Urbano VIII. Vide *Tiphernum Metaurum.*

ANGELOPTES, cognomen Johannis Ravennatis Archiepiſcopi inter ſuos pro Sancto habiti, quem ob continuas *Angelorum* apparitiones, ſic vocatum eſſe, quaſi *Angelos ſpectantem*, ait Car. Macer *Hieroxe.*

ANGELOTUS Fuſci, Cardinalis à famulo inter meridiandum, occiſus. Platina. *in Eugenio* 2. Spondan. *A C.* 1444. *n.* 19.

ANGELUS, Neptuni fil. ex concubitu nymphæ cujuſdam, in Chio natus Pauſan. *in Corinthiac.*

ANGELUS, titulus quô Monachi olim apud Patres inſigniti, ut vidimus. Quô item Pontifices Romani aliique Epiſcopi compellari conſueverunt. Juſtinianus Comes, poſteà Imperator, ad Hormiſdam Pontificem. *Convenerunt ... ad Angelum ... vitrum bene diſcedentes iter arripuiſſe.* Anaſtaſius Biblioth *Præfat. ad Synodum* VIII. *Domino Coangelico Johanni Pontifici* &c. Sic Honeſtus *Coangelicus Archiepiſcopus Ravennatis Eccleſiæ*, in veteri Charta apud Rubeum *Hiſtor. Ravenn. l.* 5. Johannes Tranenſis in Apulia Epiſcopus ἰσάγγελος apud Lambecium *Cæſar. Biblioth. l.* 5. *p.* 124. quô modô apud Palladium in *Hiſtor. Lauſiac.* 43. Theodoſius M. à co ἰσάγγελος ἀγαθοποιὸς, dicitur. Occaſio tituli ex Apocalypſi S. Johannis, in qua Epiſcopi VII. in Aſia Eccleſiarum conſtantes *Angeli* dicuntur. Vide ibi, & plura de hoc titulo, apud Car. du Freſne. *in Gloſſar.*

ANGELUS, apud Witikindum *de Geſtis Saxon. l.* 1. *Imperatorem, in primis, mediis & ultimis verſantem, videntes, eumque eo Angelum ... acceperunt fiduciam, magnamque conſtantiam.* Et *l.* 3. *In quinta (acie) quæ erat maxima, & dicebatur Regia, ipſe Princeps vallatus lectis ex cunctis militum millibus, alacrique juventute, coramque eo Angelus, penes quem victoria, denſo agmine circumſeptus* &c. Vexilli præcipui, apud Imperatores Occidentales, quod S. Michaëlis effigie inſigniretur, nomen erat. Ita enim ipſe Witikindus, *Hic vocabulo effigieque ſignum quod ... inſignitum*, *l.* 1. *cit.* Vide quoque *Conr. Urſpergenſem.* Apud Græcos Imperatores ſequioris ævi inter varia, quibus in ceremoniis Palatinis & Eccleſiaſticis utebantur, vexilla, primum ſimiliter ſunt, quod τὸ Ἀρχιστράτηγα ſeu S. *Michaëlis*, appellatum eſt, Codinus de *Officiis c.* 6. apud Eund. *Car. du Freſne.*

ANGELUS, nummus aureus Francicus, in *Regeſto* veteri appellatus *Denarius* nempe auri puri cum Angelo, Gall *Denier d'or fin à l'Ange*. in quo effictus *Angelus* togatus & coronatus, draconem pedibus premens, dextrâ crucem floligeram & lævâ ſcutum tenens, in quo tria expreſſa lilia. pond 5. den. 16. gr. & pretii 75. Turon. ponderis 33 & 2 tert. ad marcam Pariſienſem. Cuſi ſunt ſub Philippo VI. hi nummi, & vocantur *Prim Angels* vulgo: præter hos enim, ſub eodem Rege, etiam prodierunt *Angeli ſecundi*, Gall. *ſeconds Anges*, pond 5. den. tantùm & pretii 75. Turon. pond 42. ad marcam Pariſ. & *Tertii Angeli*, pond. 4. den. 13. gr. pretii 4. lib. 5. ſol. Turon Vide Car du Freſne in voce *Moneta.*

ANGELUS Baldus, JCtus famoſus.

ANGELUS de Clavas, Genuenſis autor ſummæ caſuum conſcientiæ, *Angelica* ab ip. vocatæ. C ... A C. 1480

ANGELUS Corarius, Venetus. Patriarcha primùm Conſtantinopolitan. dein Cardinalis tandem Papa Vide *Gregor.* 12.

ANGELIUS Petrus, ex agro Florentino, in Græciam Aſiam. que ... totius juvenis excurrit. Præs humanioria profeſſus diu, poſtmodum Romæ Cardinalis Ferdinandi Medicæi gratiâ florens, Orator & Poëta excellens. Plurima ſcripſit, inter quæ *Cynegetica* ejus eminent ... Obiit A C. 1596. ætat. 78 P. Manutius *Epiſt.* Poſſevinus *Bibl.* ... Anton. Teiſſier *in Elogiis* Alii.

ANGELUS Politianus, à Mont. Politiano loco natali, ſic dictus ... B ..., Canonicus Florentinus, Johannis Pici Mirandul. ſtudiorum comes, ... Laur. Medicæo filiorum inſtitutioni præpoſitus. Græcè Latineque plurima, eaque egregia ſcripſit Obiit A C. 1494. ætat. 40 Volaterran. *l* 20.

ANGELUS Ubaldus, JCtus Peruſii natus Baldi frater, Pariſiis Jus Civile docuit, magnamque de eo volumina in lucem edidit; Floruit autem ... A C. 1 ... Hotomannus in *Prætermiſſ.*

ANGENNES Claudius, vide *Claudius.*

ANGERMUNDA, oppid. Germaniæ in Marchia Brandenburg. ad fluv. ..., qui mox in Oderam cadit. Alii *Angermunda* ...

ANGERMANNIA, provinc. Sueciæ, Norlandicarum una, ubi & Angermannus fluv. & civitas unica Hernoſandia, in ora ſinus Bothnici.

ANGERMUNDA, oppid. Livoniæ, in Ducatu Curlandiæ, & ora maritima maris Balthici.

ANGERONA, ſeu ANGERONIA, dubium an ſit ab *angina*, cui præerat, an ab *angendo*, ſive *angoribus*, quibus medebatur. Sed ἀναλογία magis favet poſteriori etymo, ut *Angerona* ſit ab *anga*, quomodo à *pello Pellonia*, apud Arnobium *l.* 4. à *populor*, *Populonia* apud Auguſtin. *l.* 6. *de Civ. Dei c.* 10. Pellonia enim à pellendis hoſtibus dicta eſt: Populonia, quod populationes arceret. Similiter itaque *Angeronia*, quod *anginam* morbum, vel quod *angores* & anxietates pellat. Prius etymon ſecutus eſt Feſtus in *Angerona*, & Jul Modeſtus, apud Macrobium *Saturn. l* 1. *c.* 10 Poſterius amplexus eſt *Verrius Flaccus*, & *Maſſurius*, apud eundem Macrobium ibidem. Sed potius *Angerona* dicta eſt, quia *angit* & comprimit os. Nam eſt Dea *σιγηρὰ*; ideoque in *Gloſſis* Philoxeni ἡ θεὸς τῆς σιωπῆς καὶ ἡσυχίας dicitur. Ambigunt aliqui, annon legendum ſit *Agerona*, quod ad *agendum* excitet, uti docet Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 6 Sed ſana eſt vulgaris lectio, nam Angeronia ideo conſiliis præeſt, quia in iis opus eſt ſilentio: Ideo ſimulacrum ejus fuit, *ore obligato, ſignatoque*, ut eſt apud Plinium *l.* 3. *c.* 5. Maſſurius adjicit hujus Deæ ſimulacrum ſic expreſſum, in ara Volupiæ, propterea collocatum, quod qui ſuos dolores diſſimulant, patientiæ beneficiô ad maximam voluptatem perveniant. Angeronæ feſtum dictum *Angeronalia*, teſte Varrone *l.* 5 *de L L.* & Feſtô. Fuit autem illud 12. Cal. Jan. *Plinio, Solino, Macrobio* teſtibus. Voſſ. *in Etymol.* Plut *in Numa*, &c. *Nic. Lloydius.* Non omnis autem ſilentii præſes *Angerona* habita eſt, ſed illius tantum, quô nomen alterum Romæ tacere, regique, religio jubebat. Unde & eam quidam Numen tutelare Romæ eſſe tradiderunt, cujus etiam nomen ne publicaretur, arcanis ceremoniarum erat ſancitum, haud minus quam Romæ. Vide *Plinium*, *Solinum* & qui ad hunc commentatus eſt, Salmaſ. *Exercit. Plin. p.* 8.

ANGEVINA, meliùs *Andegavina*, Gall. *l'Angevine*, dicitur apud Andegavenſes in Gallia feſtum nativitatis S Mariæ, quòd cenſuum ac redituum prædiorum in ea provincia ſolutiones ferè omnes in hoc feſtum incidant. non verò, quòd illud inſtitutum fuerit à S. Maurilio Andegavenſi Epiſcopo, uti Bordinius cenſet *Hiſtor. Andeg. p.* 16. cùm ejus celebritatis memoriam primùm audiram in Galliis plerique velint, ſub Carolo Calvo, quod is in *Capitula* Walterii Epiſcopi Aurelianenſ editis à Cellotio, *c.* 18. illius meminerit, de ea verò ſileant Herardus Turonenſis, Hincmarus Remenſis, Iſaacus Lingonenſis & Theodulfus, & ipſi Aurelianenſes Epiſcopi. Car. du Freſne in voce *Feſtum.* Vide quoque Ægidium Menagium et laudatum in *Origin. Linguæ Franc. p.* 676.

ANGIA, oppid. Belgii in Hannonia. Ducatus titulô clarum. Flandris & Hannoniis *Edinghen*; Gallis *Enghien* olim, nunc *Anguien* vel *Enguien*. Primo ſub Dominis, dein Baronibus, tertiò ſub Ducibus fuit. Unde errant, qui pro Duce *Anguiani*, Ducem Enguienenſium vel Anguianum nobis obtrudunt, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall*

ANGIO, vulgò *Agnon*, fluv. Galliæ, qui Campiniacum *Champigny* & Marginellam *la Margelle*, aliquotque alios vicos præterfluens, dein Tilam auget, Hadr. Valeſ. *loc. cit.*

ANGIRA, vulgò *Anſene*, urbecula Ægypti ſuperioris non longè à Nilo in monte. 20. circiter leucis à Cairo in meridiem.

ANGISTIDIS, mater Deorum. Vide *Agdiſtis*

ANGITES, Thraciæ fluvius, qui Strymonem ſubit. *Herodot.*

ANGITIA, nemus in Marſorum regione, inter Albam & lacum Fucinum, *Selva d'Albi* vulgo. Solino *Anguitia* dicitur *c.* 8. *Gentem Marſorum ſerpentibus illæſam eſſe, nihil mirum; a Circes filio genus ducunt, & de avita potentia deberi ſibi ſentiunt ſervitium venenorum, ideoque venena contemnunt. C. Cælius, Æetæ tres filias, Anguitiam, Medeam, & Circen, dicit fuiſſe. Circen Circæos inſediſſe montes, carminum maleficiis varias imaginum facies mentientem. Anguitiam vicina Fucino occupaviſſe: ibique ſalubri ſcientia adverſus morbos reſiſtentem, quum deſiiſſet hominum vivere, Deam habitam.* Sil Italicus *l.* 8. *v.* 496.

Hæ bellare acies norant, ac Marſica pubes
Et bellare manu, & chelydris cantare ſoporem,
Vipereumque herbis hebetare & carmine dentem.
Æetæ prolem Anguitiam mala gramina primam
Monſtraviſſe ferunt, tactuque domare venena;
Et lunam excuſſiſſe polo, ſtridoribus amnes
Frenantem, ac ſilvis montem nudaſſe vocatis.

Virg *Æn. l.* 7. *v.* 750.

Quin & Marrubiâ venit de gente ſacerdos,
Fronde ſuper galeam, & felici comptus olivâ
Archippi Regis miſſu, fortiſſimus Umbro:
Vipereo generi & graviter ſpirantibus hydris
Spargere, qui ſomnos, cantuque manuque ſolebat,
Mulcebatque iras, & morſus arte levabat.
Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum
Evaluit: neque eum juvere in vulnera cantus
Somniferi, & Marſis quæſitæ in montibus herbæ.
Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.

Ubi Servius: *Medea, quando, relictis Colchis, Iaſonem ſecuta eſt, dicitur in Italiam perveniſſe, & ibi populos quoſdam, circa Fucinum lacum habitantes, qui Marrubii appellabantur, quaſi circa mare habitantes; propter paludis magnitudinem, docuit remedia contra ſerpentes. Quamquam alii Marrubios à Rege dictos velint. Hi ergo populi Medeam Angitiam vocârunt, ab eo, quod cantus ſerpentes angerent.* Vibius in Catalogo nemorum: *Anguitia, vel Angitiæ, Lucaniæ.* Mendum apertiſſimum eſt in prima voce: in qua literas ſi viciatas eſſe ab exſcriptoribus

tibus in *a*, dubium eſſe haud poſſit. Etenim varietatem vocabuli, quod *Virgilio* ac *Servio Angitia*, *Silio* verò atque *Solino* ſcriptum erat *Anguitia*, indicare voluit *Vibius*. In eo autem, ab ipſo erratum judico, quod nemus hoc Lucaniæ tribuat, cum à dictis autoribus diſertè Marſis, Fucinoque lacui adſcribatur. *Caster. Nic. Lloyd.*

ANGITULA, Italiæ fluv. & oppidum in Calabria. *Antonin.* Opſa dicitur *Lycophron.* Hodie *Rocchetta d'Angitola*.

ANGIUM, urbs opulenta circa Peloponneſum. *Leonic.*

ANGLEDURA, vulgo ANGLURE, locus Galliæ, in agro diœceſique Tricaſſium; Baronias unus è quatuor Paribus Epiſcopatûs Tricaſſini ſedes, ad fluv. Albam: ut Arciaca, Planciacum vel Planceyum & Marcelliacum *Marcill.* Item locus Leodico proximus, vulgo ſimiliter *Anglewre* dictus, *Hadr. Valeſ. Notit. Gall.*

ANGLESEIA, Inſul. Angliæ, Valliæ adjacens. Vide *Mona*.

ANGLI, Germaniæ populi ad Albim amnem, ad hæc uſque tempora in poſteritate clariſſimi. Ἀγγειλοὶ *Ptolemæo* malè. Rectiùs apud Procopium. *belli Gottici l.* 4. Ἄγγιλοι. Vide Cluverium *de Germ. Ant. p.* 605

ANGLIA, Inſulæ Britannicæ pars, olim *Albion*, ſeu *Albanus*, ob *albas rupibus* (ut quidam volunt) quæ primùm illuc navigantibus apparent, ſic dicta. Hodie in duas partes dividitur, Angliam propriè ſic dictam, veteribus Lhoëgriam, & Cambriam, ſeu Walliam. Cæterùm *Angliæ* nomen Britanniæ impoſuerunt Angli-Saxones, quia priùs ipſorum terra *Anglia* dicta fuit. Nam regio illa, inter Holſatiam & Jutarum terram, *Anglia* dicebatur, & fuit antiqua Saxonum ſedes, unde à Danis expulſi ſunt. *Beda & Krantzius.* Dicta fuit autem Teutonicè *Engeland*, ob anguſtiam regionis, nam *Eng* illis, angulus, anguſtiæ. Erat enim *Anglia* illa angulus quidam, vel anguſta terra ad mare Balticum. *Saxo* autem *Grammaticus*, à quodam Rege *Angul*, Anglos hos Saxones vult dictos. Sed priore notatione obtinente, & Britannia non immeritò hinc appellatur *England*, ob anguſtiam inſulæ verſus occidentem & ſeptentrionem. Egbertus autem Occidentalium Saxonum Rex, ſublata Heptarchia, Angliam vocari voluit, potius quam Saxoniam, Gregorii Pontificis alluſionem affectans, qui *Anglos* dixit *Angelicos* eſſe. Nam *Engel* eſt *Angelus*, & *Engelſch*, *Angelicum*, Teutonicè. Hinc *Angliam*, alludendo, *Engliſce* i. e. *Angel-land* vocavit. Nam & *Anglus* Teutonice eſt, *Ein Engelſchman*. Quidam ſcriptores eam *Saxoniam Transmarinam*, & *Saxoniam* novam nominârunt. *Verſtegan.* Veteres eam ſterilem quidem dixerunt, & ne ſcrupulum quidem auri, argenti, aut æris in ea reperiri. Ita Tullius, ni fallor, alicubi *in Ep. ad Familiares.* Sed hodiè ipſa metallis & mineralibus abundare deprehenditur. Terram ſulphuream & bituminoſam ad ignem aptiſſimam habet. Lupos, neque ulla animalia rapacia nutrit, unde infinita ferè ovium greges. Omni etiam pecorum aliorum genere abundat. Canum genus nullius gentium major ferociaque. Liceat hic obiter patriæ honoris ergo, aliquid de canibus noſtris Britannicis hic inſerere. Inter antiquos autores, qui eorundem meminerunt, agmen ducat Gratius Faliſcus, Ovidio æqualis, qui Cynegetici *ſui v.* 174. de iiſdem ſic ſcribit:

> *Quid freta ſi Morinûm dubio refluentia ponto*
> *Veneris, atque ipſos libeat penetrare Britannos?*
> *O quanta eſt merces, & quantum impendia ſupra!*
> *Si non ad ſpeciem mentiturosque decores*
> *Protinus; hæc una eſt catulis jactura Britannis.*

Nemeſianus *Cyneg. v.* 124.

> *—Divisa Britannia mittit*
> *Veloces, noſtrique orbis venatibus aptos.*

Oppianus Κυνηγετικῶν α.

> Ἔστι δέ τι σκυλάκων γένος ἄλκιμον ἰχνευτήρων
> Βαιὸν, ἀτὰρ μεγάλης ἀντάξιον ἔμμεν' ἀοιδῆς·
> Τοὺς θρέψαντ' ἄγρια φῦλα Βρεττανῶν αἰολονώτων,
> Αὐτὰρ ἐπικλήδην σφὰς Ἀγασσαίους ὀνόμηναν.

Strabo etiam *l.* 4. refert, quod ex Britannia in Gallias deferrentur præter alia, καὶ κύνες εὐφυεῖς πρὸς τὰς κυνηγεσίας. Cæterum Canes noſtros ab exteris etiamnum celebrari. Unum nominabo, ſcil. Vavaſorem doctiſſimum Janum Vlitium, cujus verba ad Gratii locum prædictum, ſic ſe habent: *Antequam* (inquit) *de canibus Britannicis, quos hic celebrat Gratius, diſtinctè dicam, quos ille pauciſſimis his verſibus mea autem prædixerunt, de toto eorum genere aliquid præmittam. Olim duæ ſpecies cognitæ tantum fuere, robuſti, de quibus hic Gratius aliique, & Agaſſæi, qui & velocitate, & ſagacitate excellunt. Hodie quoque illi robuſti etiamnum ſuperſunt, ſed ruſticis, & paſtoribus magis inſervientes, numerquam tamen & venatoribus, cum validior aliquis cervus, cui impares ſunt vel collatâ ſagaces, ſive ſanguinarii, debellandus eſt. Quod plurimum eorum olim in hac ipſa venatione uſus fuerat, majus etiam veſtigium apparet, ex Taurali illa venatione, quam in tauros & urſos exhibent Anglorum lanones; quibus jampridem incredibilem ſuæ naturam meliore, antequam tribus ad minimum canibus ad ſuetum ſæpe vexatis faciat. Unde etiam per minimos pagos frequens hoc ſpectaculum [illegible], & multis educandi hujus generis canes animum facit, ut impunè ut lenis, niſi ſtato pretio redimant, verum greges ſuos mactare. Lud[illegible] autem ei luſus peculiare extructum dudum theatrum eſt, & certis calendis aliquot, præter urſos, aliaſque ad genus feras, aluntur, [illegible] in ſpecie depugnent cum canibus; quos unicuique licet immittere, modò plures duobus non concurrant in taurum, quatuor in urſum. Vidi aliquoties ſingulum canem; qui nare mordicus apprenſa ita inhærebat, ut [illegible] ſine eo excuti poſſet. Vidi etiam, qui eadem in [illegible] [illegible] invaderent, ut uno huncce jam olim de iis dixerat* Claudian. *l.* 3. *de laud. Stil. v.* 301.

> *Magnaque taurorum fracturæ colla Britannæ.*

[illegible] eorum generis [illegible] quos Moloſſis æquiparat Gratius, cujus [illegible], nec veloces è Britannia petitos hactenus fuiſſe hunc patet. Sed [illegible] Strabo; qui paulo poſt floruit, *l.* 5. *teſtatur*, *canibus Britannicis ad bella ſua uſos fuiſſe Gallos*: Ταῦτα δὲ κομίζεται ἐξ αὐτῆς (Βρεττανικῆς φησὶ) καὶ δέρματα, καὶ ἀνδράποδα, καὶ κύνες εὐφυεῖς πρὸς τὰς κυνηγεσίας. Κελτοὶ δὲ καὶ πρὸς τοὺς πολέμους χρῶνται καὶ τούτοις, καὶ τοῖς ἐπιχωρίοις. *Ex quibus apparet, ſatis frequenter petitos inde hoc genus canes fuiſſe, etiam Romanis, quorum majeſtati generoſa maximè conveniebat venatio, cui aptiſſimi, ut nunc quoque, illi canes. Hoc ideo magis retuli, quia* Johannes Cajus Anglus *in libello ſuo de canibus Britannicis, hos ſupinè nimis præterit, qui olim Gratio noſtro, & Straboni cogniti, nec etiamnum adeò* degeneres, *ut ita ab eo vocari, aut, ut inutiles ablegari debuerint. Mitiſſime inſuper fallitur, credens Hyrcanum, quem laudat ex Gratio, eundem eſſe cum Urcano ſuo, quem ex urſo & cane mixtum ſatis breviologeſt. Nec unquam tale canum ex urſis mixtum genus inveniri ſcripſiſſe crediderim, quamvis ex vulpe mixtos canes caſus magis, quam uſus aliquando prodiderit. Ille etiam & hoc quaſi prætritum aliquid videtur nobis obtrudere, quod ego rumore tantum, & vix ita compertum habeo. Et hoc quidem loco canum Britannicorum merita a populari ignominia vindicare, extra pretium exiſtimavi.* Subdit poſtea. *Sunt ſane deformes ſatis bellicoſi Anglorum canes, ſed longe minus, quam ſanguinarii, quos vocant qui & generoſi fere & valido corpore ſunt, non adeo tamen, ut bellicoſis totè accenſeri poſſint. Si hos intelligas, non poteſt quidquam iis melius aureis-hos, quam quod hic de deformitate in Britannicis canibus excernit Gratius. Oculis iis ita lippis, ut detortis, labris & malis adeò fordidis ac dependentibus apparent, ut advenis mera monſtra videantur. At quantò deformiores, eo ferè meliores æſtimandi. Nam ſi & labra plurimum propendeant, eo certius odorem quaſi jubent, & clariorem ululatum ſavientis veſtigatumi teſtem edunt.* Idem ad *Nemeſiani Cyneget. v.* 124. *Tria canum genera, & in unoquoque optimos habet etiamnum Britannia, totumque diſtribuuntur per orbem, jam à Strabonis ævo uſque. Sed ille & Claudianus & Gratius de bellicoſis tantum loquuntur. Hic itaque & ſagacibus & velocibus ſuus locus erit. De ſagacibus primum agemus. Eorum hodie tria genera non tantum magnitudine, ſed etiam ſenſuum, ac virium conſtitutione diverſa. Maximum ſagacitate præſtat, ſed ob corporis molem tardiſſimum: ideoque* Slowhounds, *& qui eorum ad cervos vulneratos ſanguinis deſtillatione tracti dimut,* Bloudhounds, *i. e. ſanguinarii vocantur. Sub hoc genere fere omnes Inductores veniunt, & maximè Segulii, quos apud alterum Xenophontem commemorabo. Secundum magnitudine, & ſagacitate eſt, quos* Fleethounds *vocant, à velocitate; Petronii a me accenſos, apud Gratium, quos & hic fortè intellexerit Nemeſianus, quia* veloces *vocat. Minimum denique, quoad corporis magnitudinem, planè id ipſum genus eſt, quod Agaſſæorum nomine deſcribit Oppianus.* Begles *vocant indigenæ. Maximus, ut dixi, ad Xenophontis Jumorias c.* 3. *introducam. Minores jam apud Gratium deſcripſi.* Vide quæ ſequuntur. Atque hæc ſimul in canum Anglicanorum honorem, & lectoris rerum talium ſtudioſi gratiam dicta ſunto. *Non eſt enim* (ut Plin. *l.* 37. *c.* 5. loquitur) *quod contemnas hoc ſtudendi genus. Mirum eſt, ut animus agitatione motuque corporis excitetur. Jam undique ſilvæ & ſolitudo, ipſumque illud ſilentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt. Proinde cum venabere, licebit autore me, ut panarium & lagunculam, ſic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus, quam Minervam, inerrare.* Sed hæc παρ' ὁδόν. Ad Angliam nunc revertemur; cujus ſolum jucundum quidem eſt & frugiferum, ſed vino caret, ob cujus defectum cerviſiâ optimâ utuntur incolæ, quæ in alias regiones tranſvehitur. Oceanus, qui inſulam alluit, omnis generis piſcium copiâ abundat. Gens proceſſâ ſtaturâ, venuſtâ & candidâ facie eſt, cæſiis ut plurimum oculis, & ut ſono linguæ Italis perſimiles, ita corporum habitu ab illis pene nihil diſcrepent, veſtimentis non multum abſimilis Gallicis utuntur. Fœminæ niveo candore, inſignique formâ, quam longè decentiſſimo veſtitu honeſtant. Unde verſicul.

> *Anglia, mons, fons, pons, Eccleſia, Fœmina, Lana.*

Poſtremum quod attinet, lanam ſcilicet, vel de multitudine intelligendum, vel de præſtantia. De priori, id ovium numero adſcribendum. Unde querela iſta Viri Cl. Thomæ Mori, olim Angliæ Cancellarii, in Utopia ſua: Oves, inquit, *quæ tam mites eſſe, tamque exiguo ſolent ali; nunc tam edaces & indomitæ eſſe cœperunt, ut homines devorent ipſos, agros, domos, oppida vaſtent, ac depopulentur.* Secundum quod ſpectat, Hodie (inquit Vir Magnus *de Theol. Gentili l.* 4. *c.* 70.) præcipua eſt bonitas lanæ Anglicanæ: cujus qui rationem arceſſitur à pabulis minus lætis, tueri ſe poſſunt Marone, qui læta opiſiones pabula fugere jubet. *Georg. l.* 3. Sanè è ſolo parum fertili lanam reddi ſubtiliorem, Cardani etiam judicium eſt, *l.* 10. *Subtilitatum, qui eſt de animalibus perfectis.* Addunt alteram item rationem, quòd eâ regione oves vix bibant, ſed ad ſitim extinguendam, cœleſti ferè rore ſint contentæ. Regio eſt quocunque anni tempore temperatiſſima. Quippe hyemes non illic pro plaga & Septentrionis vicinia aſperæ, cùm vehementer Gallicam oram quatiant, quà Britanniæ adverſa eſt, multoque rigidius Batavorum cœlo incumbant. Cœlum craſſum, in quo facilè nubes, imbres, ventique cogantur. Atque eò minus frigoris, æſtuſque propter aëris denſitatem. Unde Minutius Felix, cùm docet Divinum Numen ſuâ providentiâ, non ſolùm univerſitati, ſed & partibus conſulere; *Britannia*, inquit, *Sole deficitur, ſed circumfluentis maris tepore recreatur.* Quin & Strabo *l.* 4. in Britannia ſerenô etiam cœlo aërem caliginoſum eſſe ſcribit; ὥστε ἐν ταῖς αἰθρίαις ὅλας τρεῖς ἢ τέτταρας ὥρας ὁρᾶσθαι τὸν ἥλιον τὰς περὶ τὴν μεσημβρίαν. Quò etiam ſpectâſſe videtur Ceſcennius Gætulicus, Poëta vetuſtus, cùm de Britannia ceciniſſet:

> *Non illic Aries verno ferit æra cornu,*
> *Gemini nec Geminos præcedunt cornua Tauri:*
> *Sicca Lycaonio reſupinat plauſtra Bootes.*

Cæſar etiam *l.* 5. *Bell. Gall. c.* 12. *Loca ſunt in Britannia*; inquit, *temperatiora, quam in Gallia, remiſſioribus frigoribus.* Cornelius item Tacit. *in Agricol.* 12. *Aſperitas frigorum abeſt.* Hactenus *Nic. Lloydius.* Sub tot olim Principibus Anglia fuit, quot ibi nationes:

Primus Romanorum Julius Cæſar in hanc Inſulam delatus, incolas crebris victoriis perculit, parte Galliæ viciniore ſubjugatâ. Claudius poſtmodum ulteriùs progreſſus, majorem ejus partem ſibi ſubjecit, totâ à Domitiano demum occupatâ. Sub his itaque fuit uſque ad Theodoſium minorem, cujus tempore Picti, occaſione militum in Galliam evocatorum, & negatæ ab Ætio opis, licet flebilibus hiſce literis imploratæ; *Ætio ter Conſuli gemitus Britonum. Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros, Inter hæc oriuntur duo genera funerum: aut jugulamur aut mergimur* Beda *l.* 1. *Hiſt.* P. Diacon. *l.* 14. Polydor. Virg. *l.* 3. Circa A. C. 430. 446. pulſis ex parte priſcis incolis, & in Galliæ eam partem, quæ poſtea Britannia Aremorica ab iis dicta eſt, ejectis, terrâ potiti ſunt. Poſtmodum iterum ſub variis Regulis Anglia fuit, miſerè à Danis lacerata aliiſque, donec ſub Egberto, ſecul. 9. uni iterum ſubeſſe cœpit, cujus poſteri regnârunt uſque ad Gulielmum Conqueſtorem, qui, ab Eduardo ſcriptus hæres, victô Haraldô, Angliæ regnum in Normannicam familiam, in qua hodieque durat, tranſtulit, A. C. 1066. Auctoritas Regum à Parlamento limites accipit. Nuperus Rex Carolus II. fuit, filius Caroli I. inaudito ſcelere capite truncati, A. C. 1649. poſt cujus mortem, 40. Conſiliarii electi, ſub capite uno Cromvello, qui *Protectoris* ſpecioſo nomine aſſumptô, luminæ rerum per integrum decennium præfuit: Sed Generalis Monckii, poſt hujus mortem, prudentiâ & fide, ad legitimum hæredem è Belgio Fœderato revocatum regnum redut, A. C. 1660. Cui defuncto, ſucceſſit frater Jacobus II. quem excepit Wilhelmus III. gener, hodie feliciter regnans, vide de quovis ſuô locô. Prima omnium Europæ provinciarum publicè, Euangelium recepit, doctore uſa Joſephô Arimathæô, qui, ſub Nerone, circa A. C. 60 in Inſulam delato Arviragus Rex parum terræ, cum ſociis, ad inhabitandum dedit. Polydor. Virgil. *Hiſtor. l.* 1 *&* 6. Annô dein 174. Fugatius & Damianus, ab Eleutherio Epiſcopo Romano ad preces Lucii Regis miſſi, hunc cum tota domo & populo univerſo baptizârunt. Idem *l.* 2. Tum Archiepiſcopi 3. & Epiſcopi 28. in Archiflaminum Flaminumque locum ſurrogati, prophanoque Deorum cultu ſublatô, templa Chriſto dedicata ſunt. Sub Diocletiano, graviter preſſa Eccleſia, unà cum reliquis, quarum mentio, in Epiſtola Synodali Athanaſii, apud Theodoretum *l.* 4. *c.* 3. Reſpiravit ſub Conſtantino Magno, qui patri, Eboraci mortuo, à militibus, in imperio ſuffectus eſt, A. C. 306. Infelix Pelagii mater, qui A. C. 400. pacem ſacram turbavit: à Scotis & Pictis non parum afflicta, A. C. 430. à Saxonibus Anglis è Germania advocatis, levamen primò ſenſit. Polydor. Virgil *l.* 3. Beda *Hiſtor. l.* 1. Paul Diacon. *l.* 14. Mox his imperio inhiantibus iterum inquieta fuit, ſed ſub Utero Pendraco, cum Germanus Epiſcopus Britannos educens, ter cantâſſet canticum Alleluja, hoſtes fugati. Polydor. *Hiſt. l.* 3. & 4. Ethelbertus dein A. C. 587 Berthæ conjugis pietate, & Auguſtini monachi prædicatione motus, fidem quoque amplexus eſt, cum plurimis Saxonibus: qui cùm ſubjectionem Gregorio Magno negâſſent, ab hoc, per Ethelredum Northumbriæ Regem, miſerè tractati ſunt, Gilfridus *l.* 8. *de geſtis Britan.* Sub Eduâldo quoque Ethelberti filio apoſtata, perſecutio orta, A. C. 616. Beda *Hiſt.* Polydor. *l.* 4. Sed Edwinus, ab uxore ſua, filia Edualdi, converſus, Archiepiſcopatum Eboracenſem inſtituit, A. C. 613. eandemque fidem Oſwaldus Rex magnô zelô propagavit, Epiſcopis ex Scotia vocatis, quorum conciones Anglicè tranſtulit, A. C. 634. *Beda.* Cerdvalla poſtea Veſt Saxonum Rex ſacrô quoque fonte initiatus eſt, A. C. 659. Vigbertus in Germaniam hunc conceſſit A. C. 686. à Radbodo, Friſone, quòd ſtatuam Jovis & Foſtæ evertiſſet, interfectus, Idem *l.* 5 Sigebertus *Chron.* Interim regnum Papæ vectigale ab Ina factum, A. C. 725. Polydor. *l.* 4. & in Germania, à Bonifacio Anglo, hujus auctoritas ſedulò propagata eſt, circa A. C. 739. Pap. Maſſonius *in Hiſtor.* Egbertô, qui multitudini regnorum finem impoſuit, toti Angliæ præeſſe cœpit, regnante, irruptione Danorum, novæ turbæ, urbes exciſæ, templa everſa, &c. A. C. 827. Polydor. *l.* 5. Camden. *in Britan.* ſed eô victore, rediit tranquillitas: quemadmodum & fil. Edelvolphus Normannos repulit, Polydor. *l.* 5. at Leonis IV Papæ regnum denuo tributarium reddidit, *Idem.* Poſt hæc, Alfridus, frater Ethelredi, ab Hadriano II. Papa unctionem & coronam primus accepit, inde *Papæ adoptivus filius* dictus, A. C. 872. à quo ad A. C. 1538. quô Henricus VIII. jugum Papale excuſſit, numerantur anni 666. Cœlibatus Sacerdotum, ab Odone Cantuarienſi Archiepiſcopo & Dunſtano, Præſule Glaſconenſi, cùm fabula de Gabriele Angelo 12. articulos contra conjugium ſacerdotum aſſerente, non valuiſſet, brachiô Eadgari Regis obtruſus, & Presbyteri uxorati ex Collegio Vintonienſi ac Vigornienſi pulſi ſunt, A. C. 900 Idem *l.* 6. Similiter & A. C. 1018. ſacerdotes uxorati, à Canuto, ex templo Buxenſi ſunt ejecti. Idem *l.* 7. Hiberniâ legi hunc fortiter reſiſtente, Baron. *in Annal.* Cumque Vilhelmus Conqueſtor, poteſtatem uxores habendi Presbyteris denuo conceſſiſſet. Anſhelmus Epiſcopus Cantuarienſis Synodô Londini coactâ, A. C. 1064. id de novo prohibuit. Idem *l.* 9. Imo ibidem Synodô celebratâ, præſente Johanne Cremonenſi, legatô Pontificis conjugium Sacerdotum, rurſus damnatum eſt: Sed hic ipſe, in meretricio interceptus, confuſione plenus domum rediit, A. C. 1125. Polyd. *l.* 11. Seculô eôdem Eum Brito, Chriſtum ſe finxit. Sigon *l.* 11. ad A. C. 48. Henricus II. ob interfectum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum juſſu Calliſti Papæ, virgis cæſus eſt. Matth. Pariſ. *in Henr.* II. Verùm ab Albigenſium quibuſdam huc delatis doctrinæ purioris aliquis radius tum affulſit, quorum 30. cum Doctore Gerardo cæſi flagris, fameque & frigore necati ſunt. Nic. Harpsfeld. *Hiſt. Eccl. Angl.* ſecul. 12. c. 36. Et Richardus Rex Epiſcopum Belluacenſem captum Papæ repoſcenti, loricam ejus miſit, Matth. Pariſ. *in Hiſt. Ang.* Polyd. *l.* 14. Johannes quoque cum Pontifice, ob creatum Archiepiſcopum, ſine hujus ſcitu, diſſidit: at excommunicatus rapuitque Galliarum Regi expoſitus reſignavit coronam in manus Papæ, ob id à ſubditis contemtus. Matth. Pariſ. *in Joan.* Polyd. *l.* 15. Blondus *dec.* 2. *l.* 6. Ant. Flor. *par.* 3. *tit.* 19. §. 5. Exactionibus hinc Honorii inprimis III. exhauſtum regnum. Joh. Balæus *l.* 7 Matth. Pariſ. *in Henr.* III militum 60000. Gregorii IX. ſollicitatione in Orientem miſit. Nihilominus Richardus, Innocentio IV, contra Conradum magnis promiſſis evocatus, non paruit. Et Robertus Epiſcopus Lincolnienſis *Romanorum malleus ac contemtor*, eôdem tempore, dici meruit, Idem *ibid.* Sub Alexandro IV. iterum tantopere preſſa Anglia eſt, ut *venderentur Prælati, ſicut boves, & Aſini*: Joh. Balæus *l.* 6. *Act. Pontif.* ex Pariſienſi, verùm & tum, Ruſtando Legato dicenti, Eccleſias omnes eſſe D. Papæ: reſpondit quidam Anglus; *Verum eſt, tuitione non fruitione; defenſione, non diſſipatione* Clementi dein IV. Occamus ex hoc regnô, reſtitit, apud Ludovicum Bavarum Imperatorem gratiâ valens. Gregorium vero XI., Eduardus III. inveſtiturâ, decimis, & nummô Petrinô privavit Johanniſque Viclefi zelo, qui ſub ipſo, voce ſcriptôque, veritati teſtimonium perhibebat, minimè adverſatus eſt: Hinc Procerum etiam multi, in Viclefi partibus, Joh. Balæus *in Hiſtor. Pontiſ.* Polyd. *l.* 19. Hunc tamen pepulit Richardus II, qui inde in Bohemiam ſeceſſit, poſtea revocatus. *Idem* 1 cujus oſſa poſt ann. 40. juſſu Martini V. exhumata & combuſta. Diſputationi A. C. 1431. coram Jagielone Poloniæ Rege Cracoviæ inſtitutæ interfuit, inter alios, Petrus Anglus, & partes Huſſi tutatus eſt. Laucius *l.* 1. *de geſtis Br.* Poſteri quoque Viclefi, hujus veſtigiis cum zelo inſtiterunt, multa ac gravia paſſi. Tandem Euangelii luce, paſſim locorum, ſeculô 16. pleniſſimè erumpente Henricus VIII. primò quidem contra Lutherum ſcripſit, titulô *Defenſor fidei* ob id, à Clemente VII. donatus, poſt cum ab eodem diris devotus eſſet, ob divortium, Ordinum regni decretô, auctoritatem Pontificiam per regnum abrogavit, tributô annuô negatô, Monachiſque ejectis: interim & hic in Euangelicos ſævit, Thuan. *Hiſt. l.* 2. At ſub Eduardo VI, ope Thomæ Crammeri, Hopperi, &c. purgatior religio introducta, evocatique in Angliam Petrus Martyr, Mart. Bucerus, Paul. Fagius & Johannes à Laſco. Nec Mariæ Reginæ, quæ fratri ſucceſſit, ſævitia naſcentem Eccleſiam extirpare potis fuit. Eliſabetha enim, hujus ſoror, è carcere in thronum ſublata, Mariâ poſt breve imperium mortuâ, ſub auſpicia regni, *quatuor nobiliſſimos captivos*, Euangeliſtas indigitans, *liberos ſe promulgare*, in Ordinum regni conventu, profeſſa eſt, *Verulam.* & pulſô, quidquid primævæ doctrinæ hactenus adverſum fuerat, totô regnô Euangelium propagavit. Cujus veſtigia ſucceſſores feliciter hactenus preſſêre. Quamvis enim ob Hierarchiam & ceremonias retentas jam ſub Elizabetha turbari cœptum eſſet progreſſu dein temporis ſub Jacobo I. & Carolo I. ſupremus hæreſes innumeræ ex Puritaniſmo & Independentiſmo ortæ floreutiſſimam regionem infeſtaverunt, ut receptaculum omnis generis deliria credendi, *ſcribendi*, *committendi* inventæ facta videretur. Longè magis tamen inter ipſas has ſpinas *pietatem* efflorviſſe, nec habere omnes ſectas, ſchiſmata, hæreſes, deliria, quod nisi illi, ſummis ſuos viribus, opponere queant, ex ipſo eventu patuit. Vide hic paſſim, ubi de *Browniſtis*, *Conformiſtis*, *Eraſtianis*, *Expectantibus*, *Independentibus*, *Non-Conformiſtis*, *Ranteris*, *Separatiſtis*, *Semiſeparatiſtis*, *Seſquiſeparatiſtis*, Aliis. Plura volenti, de Angliæ ſitu & diviſione, conſulatur Cluver. *introd. Geogr. l.* 2 *c.* 13. De ſoli hominumque indole, Polydorus Virgil. *l.* 1. Leſlieus *de orig. Scotorum*. De regimine, Tacit. *in Annal. & Agricola.* Cæſar. *Comment.* Polydor. Virg. Salmonetus, Camdenus. De religione incolarum, Beda *l.* 2. *Hiſt. Angl* Polydor. Greg. *l.* 5. *ep.* 52. & *ſeqq.* Buchananus *Hiſt. Scot.* &c. Conciliis tandem ibi celebratis, Moreri. *in Diction. Hiſt.* Adde Spaadum *deſcr. Angl.* Guil. Malmesburium, Rog. Hovedenum, Henr. Huntingdonium, Ethelvodum Ingulfum, Guil. Nebriſſenſem, Joh. Aſſer, Matth. Pariſienſem, Thom. Walſinghamum, Th. Morum, Mat. Weſtmonaſterienſem, Ranulfum Ceſtrienſem, Joh. Froiſſardum, Greg. Lilium, Rich. Graftonum, Ducheſnium, Camdenum, &c. Gildas Sap. & Ponticus Virunnius *Hiſt. Britonum* ſcripſêre: Balæus, Lelandus, Pitſeus *de ill. Angl. Script.* Franc. Godwinus de *Præſul. Angliæ*, de heroibus ejus Anonymus *Herooleg.* Ut & hoc addam: Ejus recepta Inſtrumentis publicis diviſio, 3. his membris conſtat, *Angliâ* in ſpecie ſic dictâ, Walliâ & Berwickô ad Twedam: è quibus Berwicki civitatis mentio fit, quia propriè ad Scotiam olim pertinuit, ſed poſtmodum Conqueſtus jure Anglorum reddita eſt; in diſtributione Collectarum tamen Comitatui Northumbriæ annumerari ſolet. Minores partes ſunt Shiræ de qua voce vide ſuô locô, vel Comitatus 52. Angliæ 39. Walliæ, 13.

Shiræ ſeu Comitatus Angliæ, ex Camdeno, qui illos hoc ordine proponit.

Cornubia *Cornwall.*	Huntingdonia *Huntingdonſhire*
Devonia *Denſhire.*	Northamptonia *Northamptonſhire.*
Dorſetia *Dorſetſhire.*	Leceſtria *Leiceſterſhire.*
Somerſetenſis C. *Somerſetſhire.*	Rutlandia *Rutlandſhire.*
Wiltonia *Wiltſhire.*	Lincolnia *Lincolnſhire.*
Hantonia *Hamſhire.*	Nottinghamia *Nottinghamſhire.*
Berceria *Berkſhire.*	Darbia *Derbyſhire*
Surria *Suthry.*	Warwicum *Warwickſhire.*
Suſſexia *Suſſex.*	Wigornia *Worceſterſhire.*
Cantium *Kent.*	Staffordia *Staffordſhire.*
Gloceſtria *Gloceſterſhire.*	Salopia *Shropſhire.*
Oxonia *Oxfordſhire.*	Ceſtria *Cheſhire.*
Buckinghamia *Buckinghamſhire.*	Eboracum *Yorkſhire.*
Bedfordia *Bedfordſhire.*	Richmondia *Richmondſhire.*
Herfordia *Herfordſhire.*	Dunelmenſis Epiſcop. *Biſhoprick of Durham.*
Middleſexia *Middleſex.*	
Eſſexia *Eſſex.*	

Suffol-

Suffolcia *Suffolk.*	Lancaſtria *Lancaſhire.*
Norfolcia *Norfolk.*	Weſtmorlandia *Weſtmorland.*
Cantabrigia *Cambridgeſhire.*	Cumbria *Cumberland.*

Northumbria *Northumberland.*

Shiras Walliæ, vide ſuô locô. Solum, præter ea, quæ jam dicta, croci quoque inſigniter ferax eſt, adeò ut ingentia arva tempore autumnali eô turgeant, & numeratur inter meliora croci genera, quod ibi creſcit. Tabaci quoque culturam non minori cum ſucceſſu in agris Gloceſtrienſibus incolæ exorſi ſunt, ſed edictis regiis, quamquam ægre, inde retracti ſunt, ne Coloniæ Americanæ quidquam detrimenti hinc caperent. Nec viteas terra reſpuit, ſed illarum negligitur cura, quod non credant nativum vinum ad ſiceræ ſuæ (potus ex pomis expreſſi, vulgo *Cider*) bonitatem ſurrecturum, & dein vinum Gallicum eôdem ematur pretiô, quod in vinum curtam impendendum eſſet. Hoc etiam *Angliæ* peculiare eſt, quòd arbores multas & ramas plerumque mutas habet: Plura horum qui volet, videat Eduardi Merreti *Pinacem Rerum Nat. Britannicarum*, & Joh. Caldæi *Britanniam Pacatam*. Nec omittendum quòd Regum Angliæ periodos quinque numerant Politici. I. *Britannicam*, à veteri epocham Bruto, uſque ad Cæſarem. II. *Romanam*, à Cæſare uſque ad Conſtantinum M. quâ Britannia, Cambriâ exceptâ, in Romana poteſtate fuit, ſed nedum primum ſub hoc Imperatore milite, mox plane [illegible] III. *Saxonicam*: Cum enim diſcedentibus Romanis, Britanni a Pictis, Scotiſque miserum in modum divexarentur, illi Anglos & Saxones è Germania in auxilium vocârunt: qui ducibus Hengiſtô & Horsâ A. C. 449 appulſi, rem primo contra Britannorum hoſtes egregiè geſſerunt, dein ipſos Britannos retrocedere ac in montana Cambriæ ſe recipere coegerunt, quæ loca hi deinde uſque ad Normannorum retinuêre tempora, veterum morum ac linguæ in hunc uſque diem tenaciſſimi. Tum *Angliæ* nomen increbuit, ortaque eſt celebris Heptarchia Regulorum Anglo-Saxonum, quam uſque ad Normannorum tempora utcunque produxerunt. IV. *Danicam* eam quidem non diuturnam, ſed tamen rebus geſtis ſatis illuſtrem. Poſtquam enim Dani toto 330. annis prædandi animô, Angliam variis invaſionibus turbaſſent, tandem Sueno Danorum Rex imperii in Anglia initium fecit, circa A. C. 1012. Quem ſecutus fil. Canutus, initiô, dimidiô regnô, ex pacto cum Edmundo Rege, paulo poſt autem, interfectô hoc, totô potitus eſt. Sed ſucceſſoribus Canuti Heraldô & Hardecnutô ſenſim enervatis ac extinctis, regnum ad Eduardum Confeſſorem, Ethelredi Regis è Saxonum familia filium, devolutum eſt. Vide *Normannicam*, cujus auctor Guilhelmus Conqueſtor, qui ab Eduardo præfato ſucceſſor nominatus, Heraldô Comite regni uſurpatore victô, Angliæ regnum occupavit & ad poſteros ſuos transmiſit.

Succeſſores Guilhelmi I. Conqueſtoris, in Anglia.

Guilielmus II. cognom. *Rufus.*	Eduardus IV.
Henricus I.	Eduardus V.
Stephanus.	Richardus III.
Henricus II.	Henricus VII.
Richardus I.	Henricus VIII.
Johannes.	Eduardus VI.
Henricus III.	Maria.
Eduardus I.	Elizabetha.
Eduardus II.	Jacobus I.
Eduardus III.	Carolus I.
Richardus II.	Carolus II.
Henricus IV.	Jacobus II.
Henricus V.	Wilhelmus III.
Henricus VI.	

De quibus vide hic paſſim. Comprehenduntur autem Regum *Angliæ* juriſdictione, hodie Magna Britannia, Hibernia, utque adjacentes inſulæ Orcades, Hebrides, Sorlingæ &c. Etiam ad Galliam ſitæ Garnſea & Jerſea; In America Nova Anglia, Novum Belgium, Virginia, Jamaica &c. in Africa Tingi *Tanger*, &c. Maris quoque circa M. Britanniam dominium quæſitum, quam in rem A. C. 1665. flagrante bellô Anglico-Belgicô nummus fuere cuſi, cum inſcriptione; QUATUOR MARIA VINDICO: Sed res inter eruditos non ſine controverſia fuit, nec utrôque bellô, tum prædictô, tum nuperô, ſcopus obtentus. Imperio Germanico quidem ſe ſubmiſiſſe *Anglia* legitur, in literis Henrici II. ad Fridericum Barbaroſſam & tempore Richardi I. captivi, quem *conſilio matris ſuæ Henrico VI. imperatori ſicut univerſorum Domino, regnum tradidiſſe & inveſtituram per pileum* [illegible], narrat Roger. Hovedenus, verum res diuturnæ obſervationis non fuit. Nec tributarium illud Romanæ ſedi, ſed denarium Petri Romam quotannis miſſum, eleemoſynam ſolum fuiſſe, in ſuſtentationem Scholæ Anglorum Romæ inſtitutæ, demonſtrare, Spelmannus *Concil. Angl. T. 1. p. 230. & 311.* et Uſſerius *de Chriſt. Eccl. Succeſſ. & Stat. c. 7. §. 8. & ſeqq.* Imò & ante Henricum VIII qui ſeſe *Eccleſiæ Anglicanæ caput* primus vocavit, [illegible] ſacræ Poteſtatis ſuæ, qui ante eum fuêre, Reges ſubinde emiſerunt. Statutô ſcilicet duplici conditô, de *Mortmaine* & *Præmunire*, quorum illud tempore Eduardi I. A. C. 1279. alterum annô Regni Richardi II. 16. Domini 1359 factum eſt. Parlamenta [illegible] non Dicaſteria ſignificant, ut in Gallia, ſed Ordines Regni, i. e. eos, quibus facultas deliberandi & decidendi de publico data eſt. Sunt ſcilicet duo Superius, quod Proceres, qui vulgo *Lords*. Sonorè [illegible] compellandi formula *Mylords* dicuntur, & Archiepiſcopos, Epiſcopos, Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites ac Barones, comprehendit: & Inferius, quod Nobiles ac Cives conſtituunt. Utriuſque conſenſu & auctoritate, Regiô accedente juſſu, Leges regni conduntur, quibus nomen datur *a Statute Act of Parliament*: ſed ſi [illegible] diſſenſerit, *An ordinance of Parliament* vocatur, nec Legis [illegible] titulô donari poteſt. Inter ſtatuta primas tenet Magna Charta, vide ibi.

Viri miniſteriô ac gratiâ Regiâ præcipui.

Richardus Foxius & Reginaldus Brajus, ſub Henrico VII.	Robertus Comes Eſſexius ſub Elizabetha.
Wolſæus, & Thomas Cromwellus ſub Henrico VIII.	Robertus Car, Georgius Villerius Buckingamiæ Dux creatus, ſub Jacobo I. Magnæ Britanniæ Rege.
Reginaldus Polus, ſub Maria.	

Populi *Angli*, inter quorum ſingularia eſt: Quòd initium annorum ſuorum ducunt a die 25. Mart. quæ conſuetudo & in Hiſpania eſt recepta: In Inſtrumentis publicis inſuper non tam annos Domini noſtri, quàm Regum ſuorum, numerant: Tormentis in veritatem non inquirunt: Cum quis per contumaciam in judicio capitali mutus ſtat, vel illud non reſpondet; quo judicium ad exitum poſſit perduci, de cœtero autem in confeſſo eſt, illum criminis reum eſſe, enecant illum ſupplicii genere, quod *Pœnam fortem ac duram* vocant; cæterum bona necati hæredibus relinquunt, quæ aliàs in Fiſcum Regium concederent, &c. Patronum olim *Angli* (ſicut Portugalli) S. Georgium, Equites inprimis Periſcelides, habuerunt, de quo ordine vide in voce *Periſcelis*. Quemadmodum apud Scotos S. *Andreas*, & apud Cambros David *S. Davy*, avunculus Arthuri Regis in pretio fuit. Plura vide apud Auctorem Anonymum *Hiſt. Orbis Terrarum Geogr. & Civ. paſſim, inprimis vero c. 4. de Regno Angliæ.*

ANGLIA Nova, regio Americæ Septentrionalis ad Mare Boreale, inter novam Franciam & Novum Belgium dicta *Virginia*, vel à Rege quodam gentis Viginia, vel à Regina Elizabetha. Præcipuas urbes habet Pomejok & Secota. Cluver. *l. 6. Indic. marc.* In hac regione VI. Eccleſiæ Indorum baptizatorum, & XVIII. cœtus Catechumenorum, ſub XXIV. Paſtoribus indigenis & IV. Anglis, jam florere, circa A. C. 1687. ut Baſtonio d. 12. Jul. ejuſdem anni ſcribit ad Joh. Leuſden Creſcens Malherbius, de quo infrà. Vide *Nova Anglia.*

ANGLICUM Opus, cujus meminit Johannes Rubeus in *Vita* Bonifacii VIII. Pontificis Romani p. 345. *Quæ jac* [illegible] *quorum tria ſunt de opere Cyprenſi & 12. de* opere Anglicano, *& unum eſt* ad *Smaltos* &c. & Leo Oſtienſis *l. 2. c. 33. Loculus ille mirificus — argento & aurô gemmiſque* Anglicô opere *ſubtiliter ac pulcherrimè decoratus*; quid ſit, patet ex *Geſtis* Guilhelmi Ducis Normanniæ & Regis Angliæ *p. 211.* ubi de Anglorum in artibus ſolertia: *Anglicæ nationis fœminæ multum acu & auri texturâ, egregie viri in omni valent artificio*, Car. du Freſne *Gloſſar.*

ANGLICUS, monetæ Anglicæ ſpecies, in *Vita* S. Donatian Epiſcopi: *Filium argenteum duos* Anglicos *valentem, pro munere ſibi apportabit*, Dominic. Macer *Hierolex.*

ANGLICUS Johannes, vide *Johannes.*

ANGLICUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

ANGLISCHERIA, vide *Engliſcheria.*

ANGLORIA, Urbs Lucaniæ Epiſcopalis hâc tempeſtate eversa.

ANGLO-SAXONES, è Germania, à Vortigerno Britanniæ Rege (poſt deſertam à Romanis ſub Valentiniano II. Imperatore circa A. C. 430. Britanniam) à Scotis Pictiſque graviter afflicto, contra illos evocati, Ducibus Hengiſtô & Horsâ, non ſolùm Britannorum hoſtes fortiter repulerunt, ſed & amœnitate Regionis capti, arma in ipſoſmet Britannos verterunt, illiſque totâ ferè Inſulâ pulſis, ſeptem conſtituêre Regna, de quibus vide paulò infrà. In qua Heptarchia ſemper penès unum aliquem Monarchiam fuiſſe, teſtatur *Beda*: quæ ambulatoria fuit, & modò penès hanc, modò penès aliam gentem, non ſucceſſione, ſed armis ac potentiâ quærenda. Donec ſeptem hæc Regna in unum tandem coaluerunt, circa A. C. 800. ſub Rege Weſt-Saxonum Egberto, qui primus factus Monarcha perpetuus, abrogatô Saxonum nomine, univerſam gentem *Anglos* & regnum *Angliam*, voluit appellari. Fuêre autem Regna hæc plerunque electiva, uti patet ex formula in electione Regum tum uſitata quærendi, *An populus conſentire vellet?* Unde Reges multi à Parlamento inſtanter ſæpe petiiſſe leguntur, ut filii ſui in Regno ſuccederent: neque unquam, apud antiquos Saxones, juramentum fidelitatis ad Regis hæredes ſucceſſoreſque extenſum eſt. Imò non raro præteriti ſunt vel primogeniti Regum filii, vel propiores agnati, aliis, qui aptiores videbantur, adſcitis: ita ut illa formula, *Regi & Hæredibus*, non reperiatur recepta, ante diſſidium Eboracenſium & Lancaſtrenſium, i. e. circa A. C. 1400. Præterea, ſummam tum poteſtatem, penès Parlamenta, h. e. Ordines Regni, fuiſſe, certum eſt: Namque tempore Alfredi Regis leges à Communi Concilio Epiſcoporum & Senatorum conditæ ſunt, teſtaturque Beda, multis in locis, in Concilio publico ſervâſſe *Reges*, *Sacerdotes privatos* (per quos Populum intelligit) & *Optimates*, ſuum quemque ordinem, &c. Adeo itaque ſtrictè *Anglo-Saxonum* hi Reges ſubditis juramentô obligabantur, ut in *LL.* S. Eduardi c. 17. quod eſt de officio Regis, dicatur expreſſis verbis: *Quod niſi fecerit, nec nomen Regis in eo conſtabit*: Sicque Rex primo præſtabat juramentum Ordinibus; deinde demum Archiepiſcopus converſus ad Populum quærebat, *An conſentire vellet?* uti diximus. Plura hanc in rem vide apud Georg. Hornium *Orb. imper. p. 312. & ſeqq.* uti de *Anglo-Saxonum* origine ac trajectu in Britanniam, apud B. Rhenanum *Rerum Germ. Nov-Antiqq. l. 1. Cum notis* D. Jac. Ottonis JCti aliquid etiam voce *Anglis*. Poſt *Anglo-Saxones*, Dani in Britannia rerum potiti ſunt, circa A. C. 1025. donec circa A. C. 1066. Regnum ad Normannos perveniret, in qua familia durat hodieque. Idem *ibid.*

Anglo-Saxonum Regna VII.

Cantii Regnum primum fuit, fundatum ab Hengiſto, A. C. 449.	ſtitutum eſt A. C. 488.
Suthſexiæ Regnum, ab Ella in-	Weſt-Saxonum Regnum, Cerdicum Auctorem habuit A. C. 519.

Eaſt-

East-Saxonum Regnum, ab Ina, circa A. C. 547. fundatum, in Regnum Deiræ & Berviciæ, quorum illud ab urbe Deira, nunc *Durham*, hoc ab urbe Berwica denominatum fuit, ſubdiviſum eſt.

Nordanthumbriæ Regnum, poſt hæc originem accepit.

East-Anglorum Regnum, Uffam fundatorem habuit, circa A. C. 575.

Merciorum Regnum, à Penda fundatum eſt, A. C. 656. Vide de hiſce omnibus ſuo locô, & plura apud Hornium præfatum.

ANGLUS Petrus, vide *Petrus*.

ANGLUSA, oppidul. Galliæ, in Bria provincia, ubi Anga fluv. cadit in Albam fluvium, qui 3. leucis infra in Sequanam ſe exonerat.

ANGOLA, nomen Viri ſtrenui, qui circa A. C. 1500. à Rege Congi deficiens, Monarchiam *Angolenſem* conſtituit Regnoque nomen ſuum impoſuit: poſtquam, Luſitanorum ope, Regulos minores ſubegit. Dictus eſt à magnitudine rerum geſtarum, *Incur*, h. e. *Magnus*, præfuitque uſque ad A. C. 1506. quô ipſi ſucceſſit *Tambi Angola*; quem *Quilongi Angola* circa A. C. 1518. excepit, vitâ regnóque uſque ad A. C. 1600. extenſô. Regum horum potentia tanta eſſe fertur, ut pluſquam millena hominum millia dicantur in aciem poſſe producere. Idem Hornius *Orb. Imper. p.* 466.

ANGOLA, Regnum Africæ meridionalis in Æthiopia, quod dividit linea à Sinu vel Portu Vaccarum, verſus orientem ducta. Et hæc eſt ejus pars Septentrionalis: à portu Vaccarum uſque ad promontorium Nigrum, in litore maris, numerantur 220. milliaria: in quibus comprehenſa regio multis ſubeſt Regulis, Angolæ Regi vaſallis. Hinc ducta linea obliqua verſus orientem per montes, qui *Frigidi* dicuntur, & paulò altius verſus æquinoctialem per Niveos, deſinit juxta montium cryſtalli radices. Olim Rex ejus vaſallus fuit Regis Congiani, quô tempore *Abonda* dicta erat, ſed non ſolùm arripuit dominium provinciæ, cujus erat adminiſtrator, verùm & circumjacentes populos ſibi ſubditos reddidit, ita ut nunc ſit Rex potentiſſimus, nec Congianô inferior, unde ei etiam, cùm libet, tributum aut pendit, aut denegat. *Mercel.* Regio eſt dives & nota Europæis. Ejus primaria urbs Fanum S. Pauli in Inſul. Loanda, in ora Oceani, cum portu percommodo; ſubeſt Luſitanis, cum ea parte, quæ argentifodinis inclyta eſt, inter quas Montes de Cambambe eminent, vide Jarric. *l.* 3. *c.* 6. Pigafett. *l.* 1. *c.* 7. urbem præcipuam nominat Cabazzam. Alii Regem ordinariè Dongi ſedem habere aſſerunt.

ANGOLUS, vide *Angelopolis*

ANGONES, linguâ Francicâ, tela ſeu haſtæ dicuntur, quibus Franci vetuſtiores utebantur, dictæ hinc *Franckiſche Hacken*. Eos ſic deſcribit Agathias *l.* 2. *Brevia tela, quæ ipſi Angones vocant; cujus pars major ferro obducta eſt, ita ut ex ligno aliquid præter membrum vix extet: in ſuperiori ferro tanquam hami utrimque ſunt, & deorſum vergunt.* Quibus conſona habet *Euſtathius*, nec non *Etymologici* auctor ac *Suidas*. E qua deſcriptione, Lipſii in *Poliorceticis* ſententia quibuſdam arridet, qui Gallorum ſecuticulas deſcribi cenſent, quas vocabulis haud multum abludentibus, Belgæ *Haacken*, Galli *Hachet* appellant: *Anchon* ſeu *Achon* etiamnum ſecuticulas Arveroi vocant: vocibus ab *ango* vel *aggo* deductis, ut exiſtimat Vir doctus. Meminit *Angonum* Pachymeres quoque *l.* 12. *c.* 30. Ἰταλικοῖς τόξοις καθωπλισμένοι, αὐτοὶ δὲ μὲν πάλαι καὶ πολλὴν ἐπιχωρίως φοροῦντες, ἃ δὴ τὸ παλαιὸν ἀγγῶνας ἐκάλουν, τὸν πόλεμον ἀνεθάρρουν, *Italicis arcubus armati, ipſi verò priùs & popularibus haſtis, quæ antiquitùs Angones vocabantur, prælium fidenti animô inſtaurabant.* Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* & D. Jac. Ottonem *Not. in B. Rhenanum Rer. Germ. Nov. Antiq. l.* 2. ubi plura hanc in rem.

ANGOTINUM, Regnum Africæ, cum urbe cognomine ad Abanbum fluv. in Æthiopia ſuperiori ſeu Abyſſina inter Azugam Urbem in meridiem & Beleguanze, in Boream.

ANGRA, Urbs Inſulæ Terceræ, una ex Azoribus, verſus Africam, in Oceano Atlantico Epiſcopalis. Paret Luſitanis, cum tota Inſula, in cujus eſt parte meridionali. Parva & munita, cum arce ampla *S. Philippi* dicta.

ANGRIA, Weſtphaliæ pars, ubi nati Hengiſtus, & Horſus; Sepultus autem Witikindus Dux, Saxo ille percelebris, cum quo Carol. M. tamdiu dimicaverat, Chriſtianus tandem effectus. *Nic. Lloydius*. Huic Witikindo nepotem ex Wigperto filio Walpertum, Ducem *Angriæ* & Comitem Ringelhemii, quidam aſſignant, cujus fil. Theodoricus Ringelhemii itidem Comes, ex filiis Immodo Sabaudorum, Witikindo Ferrarienſium, Theodorico Marchionum Brandenburgicorum veterum & Regimberto Oldenburgicorum fuerit ſator, Phil. Jac. Spenerus in *Fam. Oldenburgo-Danica*.

ANGRIVARII, Germaniæ populi *Ptol.* & Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 8. potens Saxonum Dynaſtia, ad Luppiæ fluv. caput; quorum oppid. *Angermund*, & *Engern*, vel *Engerben*, dicitur. Dicti quaſi *Angreiſſer*. *Bexhornius*. Horum antiquiſſimi Domini memorantur, Hengiſtus atque Horſus, fratres, Saxonum Duces, qui ſeculô circiter ſextô ab Anglis contra Scotos Pictoſque in auxilium aſciti, adeò beneficiô iſtô Anglos in ſui amorem pertraxerint, ut ii relictô patriô ſolô, has in terras migraverint; inde, ſi Annalibus fides, nominis origo, *Angliæ*, ſive *Anglariæ* primùm appellatæ, quod poſt in *Angrivariæ* vocabulum abierit: ſive, qui *Engriben* hactenus dicerentur, leviori mutatione *Angeriben* vocari fuerint. Aliquot inde ſeculis Witekindus imperiô tituloque *Angrivariorum* inclaruit; cui etiam à Carolo terra iſta relicta, generoſô & uſurpatô priſcis Romanis clementiæ exemplô, quamvis bellô victis Regibus Regna ſolitis reddere: Et poſt hunc longiore ſpatiô iidem *Angrivariæ*, qui Saxoniæ Principes. Donec in Aſcanius diviſum evenit; quibus, tranſlata in Miſnenſem familiam Saxoniâ, *Angrivaria*, in Bernhardi (Alberti Urſi geniti & primi ex hac familia Saxonum Ducis) poſteritate, ad noſtram uſque ætatem, permanſit; juxta cum iis Weſtphaliæ terris, quas Henrico Leoni ablatas, Bernhardo Aſcanio Cæſar adjecerat. Tob. Pfannerus *l. de præcipuis Germ. Principum gentibus*, *c.* 10. Vide quoque infrà, in *Weſtphalia*.

ANGRUS, fluv. Illyrici in Boream fluens. Herodot. *l.* 4.

ANGUIFER, & ANGUITENENS, ſidus cœleſte, de quo ſic Columella *l.* 11. *c.* 2. *Anguifer, qui à Græcis* Ὀφιοῦχος *(vide infrà Ophiuchus) dicitur: mane occidit, tempeſtatem ſignificat.* Et ante eum Tullius *l.* 2. *de Nat. Deorum c.* 42. *Atque hæc quidem à tergo, propter caput autem Anguitenens;*

Quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graji.

Vide Hyginum, *in ſignis cœleſtibus, c.* 14. *Nic. Lloydius*.

ANGUIGENÆ, populi non procul ab agro Prianenſi, quos antiqui finxerunt cognationem quandam cum ſerpentibus habere. Strabo *l.* 13. Ὀφιογενεῖς vocat.

ANGUILLA, Hebr. צלופח, pinnas habet, ſquamis tamen caret, unde immunda olim ex lege, Levitic. *c.* 11. *v.* 9, 10. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 1. *c.* 6. Non aliorum piſcium, quàm *Anguillarum*, & quidem fluviatilium, non lacuſtrium, in *L.* Salica aliiſque ejuſmodi, mentionem fieri obſervans *Wendelinus*, hinc conjicit, non alibi Leges illas eſſe latas, quàm circa prata Brabantiæ, verſùs Hercam, ubi inexhauſta ferè anguillarum eſt piſcatio: apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Eſt autem *Anguilla*, ex piſcibus καταδρόμοις, h. e. *qui in mare e fluviis deſcendunt*, Anaxandridæ *in Civitatibus* dicta τῶν ὄψων μέγιστον, *obſoniorum præcipuum*: ac *Eraſiſtrati* etiam judiciô.

— — — — Βασιλεύει
Πάντων τῶν ἀεὶ δαιτῶν καὶ ἡδονῆς ἡγεμονεύει.
— — — — Regnat
Hæc epulis cunctis, eſtque ejus prima voluptas.

Eadem Epicureo cuidam, apud Athen. *l.* 7. τῶν δείπνων Ἑλένη, *Cœnarum Helena*, vocata eſt: nec Archeſtratus, apud eundem, dubitat Meſſanenſium prædicare felicitatem, ob *anguillarum* frequentiam. Copaidas celebrat Ariſtophanes, *Acharnenſibus Act.* 4. *Scen.* 1.

Πρέσβειρα πεντήκοντα Κωπᾴδων κορῶν
Ἔκβηθι, τῷδε χαριζομένη τῷ ξένῳ.
Egredere, natu magna quinquies decem
Copaidum, hunc & grata facias hoſpiti.

Ubi priorem verſum lepidâ parodiâ effinxit, ex illo Æſchyli, *in Armorum jud.*

Δέσποινα πεντήκοντα Νηρῄδων κόρη.
O domina decies quinque Nereidum.

Anguillæ Bœotiæ meminit & Antiphanes, *in Philothebæo* apud Athen. *l.* 14. & Eubulus *in Ione*, apud Eund. *Copaides* autem dictæ, ab lacu & flumine Bœotiæ, prope oppidum Κώπας: quas apud Athen. *l.* 7. etiam celebrant Dorion, Agatharchides, Eubulus; qui & docet, illas betis involutas comedi conſueviſſe. Nempe quia beta vi ſuâ nitroſâ humorem excrementitium detergeat: unde & ſale conditur, quem morem eſſe antiquum ex Hicceſio conſtat, inter ſalſamenta referente *Anguillas* Macedonicas, *l. c.* Sed varios apparandi modos, ex Apicio diſce, vel Bartbol. Platina *Res Culinaria l.* 8. *c. de torta ex anguilla*. Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 4. *c.* 29. *ſub fin.* Ægyptiis verò *Anguilla* etiam pro Numine fuit, ut Herodotus *Euterpe* docet: ob quem cultum lepidè in *Lycone* Comœdia illos riſit Antiphanes, apud Athenæum *loco ſupra cit.* cujus verba reddit Grotius in *Excerptis*;

Tum rebus aliis aiunt eſſe Ægyptios
Solertes, tum quod Anguillam æquiparant Diis.
Quæ verò longe eſt illa Diis pretioſior.
Nam ſolis precibus nobis ſe indulgent Dii,
At illam, drachmas ſolidas cùm dederis decem,
Aut plus aliquanto, olfacere vix tandem licet.
Tantam habet in ſe animal illud ſanctimoniam.

Eundem morem *ibidem loci* taxat alius Comicus Anaxandrides, in *Civitat.* ubi inter alia, quæ Ægyptiis objectat, ait,

Τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῇ δαίμονα,
Ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον παρὰ πολύ.
Anguillam *Numen eſſe rerís optimum,*
Quæ mihi putatur optimum eſſe obſonium.

Vide iterum Voſſ. *dicto librô c.* 51. cui adde J. Ouzelium *Animadverſion. ad Minucium Fel. p.* 176. & 177.

ANGUILLARA, oppid. ditionis Pontificiæ in provinc. Patrimonii, ad lacum Bracciaocenſem ſeu Sabbatinum. Prope *Arrone* rivum.

ANGUILLARA, oppid. & lacus Italiæ in Patavino agro, ditionis Venetæ, prope Atheſim fluv.

ANGUIS, ab ἄγχις, quod Siculi Dores dicebant pro ἔχις, n additô more Latinorum; à *ſerpente* diſtinguitur. Plin. *l.* 8. *c.* 59. *Jam quædam animalia indigenas innoxia advenas interimunt, ſicut ſerpentes parva in Tirynthe, quas terrâ naſci produnt: item in Syria angues, circa Euphratis maximè ripas dormientes Syros non attingunt*: ubi *ſerpentes* ex terrarum, *angues* aquarum ſunt. Plerique tamen confundunt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 144. Ad auguria olim frequenter adhibitus legitur *Anguis*, apud Gentiles. Hinc *Iliad.* β. Calchas, viſô dracone, qui octo paſſeres cum matre devoravit, belli Trojani annos inde auguratus eſt. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 85. etiam *anguis*, qui ad Anchiſæ tumulum,

Septem ingens gyros ſeptena volumina traxit.

Septem illis gyris, auctore Servio, Æneæ ſui erroris omen oſtendit. Et ex Hiſtoriis notum eſt, quod Tiberio Graccho, in Lucanis ſacrificanti, portenderunt *angues* duo ex occulto prolapſi, qui repentè hoſtiæ, quam immolaverat, adeſo jecinore, in ſuas latebras ſe retulerunt: & alii duo *angues* domi comprehenſi, quorum fœmininum ille, occiſô mare, emiſit, Cicer. *de Divin. l.* 1. Syllæ item in agro Nolano ante Prætorium immolanti, quod ſignificaverat

verit *anguis* ab infimis ara emerſit? Et quid de Roſcio puero reſponderint conſulti Haruſpices, eum dormientem illum reperiſſet nutrix ſerpentis amplexu circumplicatum? Atque in genere habebatur ominoſum, anguem in tecto conſpici, aut per impluvium decidere de tegulis; quam artem augurandi primus dicitur Telegones inveniſſe, apud *Suidam*. Terentius in *Phorm. Actu* 4. *ſc.* 4

--- --- Monſtra evenerunt mihi:
Introiit in ædes ater alienus canis,
Anguis per impluvium decidit de tegulis.

Aut viam, quà quis iter facturus eſſet, occurſu ſuô quaſi diſſecare & interrumpere. Horat. *Carm. l.* 3. *Od.* 27. *v.* 5.

Rumpat & ſerpens iter inſtitutum,
Si per obliquum ſimilis ſagittæ
Terruit mannos.

Uti apud *Heliodorum* Calaſiris ... , *impedimentum aliquod in itinere futurum ſignificari, prædicebat*, cùm crocodilum vidiſſet, à dextra parte in alteram repentem. Itaque in pedeſtribus auſpiciis reptile hoc recenſet *Feſtus*; & apud *Heſychium*, οἰωνοὶ non modò ſunt ex aves, à quibus auſpicia petuntur, ſed & ὄφεις, *ſerpentes*. Quin *angues* à Veterib. creditos eſſe vaticinandi peritiam inſpirare, diſcimus ex fabula, de Priami liberis, Helena & Caſſandra, in Thymbræi Apollinis fano dormientibus, apud Scholiaſtem Homeri *Il.* η. Cui ſimile eſt, quod de Melampode referunt multi Scriptores, dracones ejus aures lambendo, ſermonis avium intellectum ei dediſſe; quódque pari ſuperſtitione crediti ſunt idem conſequi, qui draconis carnes ederent. Forte & eòdem referendum, quòd vatum antiquiſſimus Ophion dictus eſt ὄφιος, *Anguis*. Unde eſt, quòd Nonnus *Dionyſiac. l.* 4. ſeptem tabularum meminit ſeptem Planetis cognominium,

Τοῖς ἐνὶ ...
...
Queis mundi eventus & ineluctabile Fatum,
Purpureis ſculpſiſſe notis memoratur Ophion.

Quin anguiorum præſidem Deum crediderint Græci veteres ſerpentis formâ coluiſſe, ac proinde *Pythium* & *Pythonem* dictum; quia *peʈhen* Hebræis ſerpentis eſt ſpecies. Unde Python Moſi eſt אוב *Ob*, voce ab Ægyptiis mutuatâ, quibus *obion* hodieque *anguem* notare habet Kircherus *Nomenclator c.* 15. Horus Apollo ſcribit *οὐραῖον*, *Hieroglyph. l.* 1 &c. Nempe Diabolus eâ maximè formâ coli voluit, quâ ſeduxit primos homines. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 1. *c.* 3. *Anguis* jubatus, major ſolitis, qui ſe à cauda medium comedit, viſus eſt in Arabia, ſub Antonino Pio, ut inter alia adverſa, quæ ejus temporibus evenerunt, memorat Capitolin. *c.* 9.

ANGUITIA, vide *Angitia*.

ANGULANI, Italiæ populi, Plin. *l.* 3. *c.* 12. quorum oppid. *Angulus* Ἄγκλον Ptolemæo, vulgò *Civita di ſant Angelo*. longitud. 38. 10 latitud. 41. 51.

ANGULUS, inter pauperum privilegia apud Hebræos. Vide infrà *Pauperes*.

ANGURUS, mons Scythiæ, juxta Iſtrum fluv. Apollonius *Argonaut. l.* 4.

ANGUSTICLAVII, Equites Romani olim dicti ſunt. Ut enim latiores clavi purpurei in tunicis Senatorum aſſuebantur, ita minores ſive arctiores Equitum tunicas illuminabant. Unde Paterculus *l.* 2. *c.* 88. de M. Mæcenate, *Vixit*, inquit, *anguſto clavô penè contentus*. Et Stat. *l.* 4. *Sylv.* 5. *v.* 41.

Hic parvus inter pignora Curiæ,
Contentus arctô lumine purpuræ,

h. e. *anguſtô clavô*. Proin idem Equeſtrem purpuram eleganter *pauperem clavum* appellat, *l.* 5. *Sylv.* 2. *ad Criſpinum*, *v.* 17.

--- --- Non te ſeries inhonora parentum
Obſcurum proavis, & priſca lucis egentem
Plebeja de ſtirpe tulit: non ſanguine cretus
Turmali, Trabeaque Remi & paupere clavô,
Auguſtam ſedem & Latii penetrale Senatus
Advena pulſâſti.

Hinc *Laticlavii* & *Anguſticlavii* fluxêre. Suet. *Auguſtum tradit ſingulis alis binos plerumque Laticlavios præpoſuiſſe*; *c.* 38. Alibi *in Othon. c.* 10. Patrem ſuum *Tribunum Anguſticlavium* idem vocat, indigitans eum non Senatoris filium, ſed Equite prognatum fuiſſe. Tribunis enim, qui è Senatorum fuêre ſanguine, ab inſtituto Auguſti, tam domi, quàm militiæ, jus lati clavi fuit. Interim Equites inſigniores, qui & *Illuſtres* dicti, jus lati clavi non ſecus, ac Senatores habuiſſe, ex Dione notavit Lipſius *ad Tacitum*. Sed ita diu non obtinuiſſe illud declarat, quod Præfecti Prætorio, qui ferme ex Equitibus legebantur, laticlavii jus non habuêre. Non ſolùm autem Equites illuſtres, ſed & eorum filios jus hujus clavi habuiſſe, ex Ovidio patet, qui, ubi ad ætatem Senatoriam pervenêre, cum nolebant, aut non poterant in ampliſſimum ordinem adſcribi, anguſtum reſumebant. Idem Poëta *l.* 4. *Triſt. Eleg.* 10. *v.* 35.

Curia reſtabat, clavi menſura coacta eſt,
Majus erat noſtris viribus illud onus.

Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiaria Part. I. l.* 3. *c.* 24. & in voce *Clavus*.

ANGYRORUM urbs, civitas in Ægypto. *Ptol.*

ANHALTIUM, caſtrum Germaniæ in Saxonia ſuperiore ferè dirutum, à quo Regio circumjacens dicitur Principatus Anhaltinus. Cujus Urbes præcipuæ, Deſſavia, Servelta & Bernburgum. Hinc *Anhaltinæ* Familiæ nomen, cujus origo ab Aſcenazo, ex Japheti progenie Gen. *c.* 10. *v.* 3. & in ſpecie ab Aſcaniis, qui relictâ Bithyniâ & poſtea Aſcaniâ palude ad Boſphorum, cum Cimbris & Cavcis in has oras profecti ad Hercyniam conſederint, à nonnullis arceſſitur. Intermedium ortum ſolent communiter ab Urſinis Romanis repetere, & quidem ab Ariperto quodam: Alii ab aliquo Saxone, qui aliquandiu in Italia fuerit commoratus, maluit Aſcanios deducere: E cujus poſteris Albertus II. Aſcaniam reſtauraſſe & Bernburgum condidiſſe fertur: Inter hujus nepotes Otto VI. pater fuit Alberti, cognomine *Urſi* ſeu *Pulchri*, qui novus quaſi generis conditor, Principatu Brandenburgicô familiam auxit: Eô nati, Otto, ſtirpem *Brandeburgicam* & Bernhardus *Saxonicam* condidêre. Quorum illius familiâ A. C. 1322. in Johanne IV. deletâ, Marchia cum Electoratu ab Imperatore Ludovico tanquam feudum vacans, *Anhaltinis* & Saxonibus fruſtra reclamantibus, filio ſuo Ludovico collata, inde in Lucenbergiam familiam delapſa eſt: hujus verò ſtirps diuturnior fuit. Bernhardus enim, de Friderico I. Imperatore bene meritus, ab eo Saxoniæ Ducatum obtinuit, perque filios, Albertum, ramum *Saxonicum*, è quo hodiernì Principes Lauenburgici deſcendunt, & Henricos duos, *Anhaltinum* ſevit. Ex his junior Aſcaniam tenuit, quam liberis ipſius Henricus Senior patruus eorum eripuit. Hic à Friderico II. creatus *Princeps Anhaltinus*, ſtemma continuavit; Pater inter alios Sigfridi, à quo *Serveſtana* & Bernhardi, à quo *Bernburgica* linea ortæ ſunt. E quibus hæc deſiit ſeculô 15. ſucceſſore agnatô Georgiô, cujus filio Woldemaro natus Wolgangus A. C. 1566. cœlebs deceſſit; Erneſtus verò, VVoldemari frater, Johannem, Georgium & Joachimum ſuſcepit, quorum hic *Deſſaviam*, iſte *Hatskerodam*, ille *Serveſtam* tenuêre. Johannes, fratribus ſine prole defunctis, pater fuit Caroli, Joachimi Erneſti & Bernardi: è quibus medius, fratrum hæres, unus poſt plura ſecula totius Principatus fuit ſucceſſor. Extinctus hic A. C. 1586. præter filias ſplendidiſſimè elocatas, & filios aliquot ſine ſobole defunctos, quinque habuit filios, totidem Linearum Auctores. *Deſſavienſem* enim ramum, Johannes Georgius, *Bernburgicum*, Chriſtianus, *Plezkauſem* Auguſtus, *Serveſtanum* Rodolfus & *Cothenſem*, Ludovicus incepêre. Vide in voce *Aſcania*, & de Principibus ac Principatibus præfatis, quemque *ſuo locô*. Pfannero, familia hæc cùm jam dudum Comitatum Aſcaniæ, Dynaſtiam Ballenſtedii, aliaſque ad Hercyniam Sylvam *Comitum* & *Dynaſtarum* titulô poſſediſſet, poſtea Marchiam veterem, ſive Solquellenſem ab Henrico II. Imperatore obtinuiſſe, à Pribiſlao, Herulorum Rege rurſus ei ereptam, at Ottoni Diviti, eâdem proſapiâ prognato, à ſocero Magno Electore Saxonico, qui eam Pribiſlao rurſus eripuerat, redditam, legitur. Secutis temporibus, tota Marchia Brandeburgica Alberto Urſo: Saxonia Bernhardo ejus filio, utraque cum *dignitate Electorali* obtigit, quæ tamen ambæ in alias familias tranſiêre, ut infrà dicemus. Manſêre ditiones, *Anhaltini Principatus* & *Ducatus Saxo-Lauenburgici* nominibus celebres, in Anhaltinos Principes & Duces Saxo-Lauenburgicos, diviſæ, qui, quanquam ejuſdem gentis, duas in familias etiam titulô invicem diſtinctas, abiêre; orti à filiis Alberti Bernhardo (cui Albertus Urſus pater fuerat) genitis, Alberto II. Electore Saxoniæ & Johanne Duce Saxo-Lauenburgico. Titulos familiæ & gentes eò pertinentes, *Angrevariam*, *Weſtphaliæ* quædam, *Aſcaniam*, *Serveſtam*, Bernburgum, Jeveram, & Kniphuſiam recenſet Tob. Pfannerus *l. cit.* Primus ex Familiâ hac illuſtri *Anhaltini Principis* titulum à Friderico ut dictum accepit Henricus ſenior, Bernhardi Electoris Saxoniæ fil. Alberti Urſi præfati nepos, quò rerum *Comitum* atque *Dynaſtarum* tituli hactenus habitas, celſiori & dignô paternâ fortunâ nomine poſſideret. De reliquis titulis vide hic *paſſim*.

ANHOLTIUM, oppid. Comitatus Zutphanienſis, in Belgio Unito.

ANI, Latinè *reſponſio*, ſive *canticum*, vel *afflictio*, vel *pauper*, nomen Janitoris & Cantoris. 1. Paral. *c.* 15. *v.* 18.

ANIA, Romana mulier, quam cùm propinquus moneret, ut alteri viro nuberet (eſſe enim ei & ætatem integram, & faciem bonam) *Nequaquam hoc faciam*, inquit: *Si enim bonum virum invenero, ut ante habui, nolo timere, ne perdam, ſin malum, quid neceſſe eſt, poſt bonum, malum ſuſtinere?*

ANIACA, regio circa Armeniam. *Cedrenus*.

ANIAM, Latinè *navis populi*, aut *dolor*, ſive *fortitudo populi*. Filius Samidæ, filii Galaad, filii Machir, filii Manaſſe. 1. Paral. *c.* 7. *v.* 19.

ANIAN, Regio Americæ Septentrionalis, ad ultimum uſque Occidentis limitem pertingens, cœli inclementiâ, & nimiâ paupertate penitiûque cognita, hujus regni fines Boream verſus excurrentes Arctico Circulo ſubjiciuntur, & niſi Oceani æſtus impediat, Orientalibus Tartarorum Sinarumque terris conjungerentur. Aniamiæ illæ anguſtiæ per Septentriones intra Arcticum circulum, ad Groenlandiam, Iſlandiam, Angliam ducunt. *Metel.*

ANIANA, Meſopotamiæ urbs. *Ptol.* Item, Sinarum, in provinc. Chuquanii.

ANIANÆ Thermæ, balnea Campaniæ inter Bajas & Cumas, quorum aquæ multis ſunt morbis ſalutares. *Bagni de Agnano* hodiè teſte *Scipione Mazzella*.

ANIANUM Fretum, fretum celeberrimum Oceani Septentrionalis. Quod hodie creditur eſſe inter Inſulam Californiæ, verſus Americam & novam Albionem, ſeu potius terram Eſonis. De nova enim Albione nihil certi.

ANIANUS, Patriarcha Alexandrinus, per 22. ann. Euſeb. *in Chron.* Baron. *A.* C 64. & 87.

ANIANUS, Monachus Ægyptius, ſub Arcadio Imperatore Chronologiam ſcripſit. Item, Alius, qui Alarici Viſigothorum Regis auſpiciis, in epitomen redegit 16. libros Codicis Theodoſ. ab hoc Principe publicatam, M. Febr. A. C. 506. & primas 8. homilias Chryſoſtomi *in Matth.* ab Orontio Epiſcopo rogatus, Latinè reddidit. Item Flander, Chronica ſcripſit, ſecul. 15. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 20. *& de Lat. l.* 3. *c.* 6.

ANIAVA, promontor. celebre in terra Eſonis, quæ vulgò *Terra d'Eſo*, in Aſia, ſupra Japoniam, in Septentrionem. Batavis *Aniva*.

ANICETUS, Syrus, poſt Pium I. Epiſcopus Romab. A. C. 163 cum Polycarpo de celebratione Paſchatis convenire non potuit, Gnoſticos In Eccleſiam Romanam irrepere doluit, martyrio coronatus, Epiſcopatus annô 8. Euſeb. *Hiſt. l.* 4. c 13. & *l.* 5. c. 24.

ANICETUS, Libertus pueritiæ Neronis educator, claſſis apud Miſenum præfectus, qui inventor navis ſolutilis, quâ Agrippina effunderetur in mare ac caſu periiſſe crederetur. Poſt interficiendæ matris ſcelus jubente Nerone, ſuſcepit in ſe Iterum cùm juſta repudii cauſa cum Octavia à Nerone inveniri non poſſet, adigente eô, adulterium illius confeſſus eſt: Præmii loco ſeceſſus abundantes in Sardinia largitus eſt Nero, ubi fatô quoque obiit.

ANICETUS, Polemonis libertus, regiæ quondam claſſis præfectus; poſtquam regnum in formam provinciæ verti, mutationis impatiens, Vitellii nomine adſcitis gentibus Ponti accolis, Trapezuntem irrupit, cæſo ibidem præſidio: Claſſem dein incendit. Quem Virdius Geminus, in oſtio Cohibi aſſequutus, ab Rege Sedochezorum deditione accepit. Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 47. 48.

ANICHÆ, gens Indica. *Ptol.*

ANICIA, Familia celeberrima. De Viris vide in *Anicii*. Fœminas habuit illuſtriſſimas; Julianam & Demetriadem, Hieronymi epiſtolis celebratas. Quarum mater Proba Falconia, cognomine *Anicia*, Centonis Virgiliani de Jeſu Chriſto author. Chryſoſt. Hieron Auguſtinus &c. *Tomo* 8. *Biblioth.* Patrum, *edit.* 2. ſub nomine *Proba.*

ANICIACUM, villa Galliæ, in Epiſcopatu Laudunenſi, à qua Epiſcopus hic, qui Dux Laudunenſis, & Par Franciæ, Comes *Aniciaci* quoque vocatur, vulgò *Anizy.*

ANICII, florentis jam olim Reipubl Romanæ temporibus, clari atque illuſtres habiti ſunt. L. enim *Anicius* Gallus Lucii fil. Marci nepos de Illyriis, & eorum Rege Gentio triumphavit, Propraetor an. urb. Cond. 585 Et L. *Anicius* Gallus, Lucii, fil Lucii nepos, Conſul fuit cum collega Corn. Cethego an urb. Cond. 593. *Anicius* Cerealis ſub Nerone Conſul deſignatus fuit. Ex ea familia primus ille Chriſtianus ſenatus *Anicius* Julianus Ex ea V. C. Probus ſub Valentiniano præfectus prætorio; de quo videatur Paulinus, *in vita Ambroſii.* Ammian. *l.* 27. *c.* 28. ejuſque filii *Anicii* Hermogenianus, Olybrius, Probinus & Probus, quorum duo priores unà Conſules fuêre, A. C. 395. ſub initio imperii Arcadii & Honorii, à Claudiano Poëta inſigni carmine laudati Ex ea *Aniciis* Fauſtus. *Anicius* Maximus, Boëtii ætate, omnes diverſis temporibus Conſules, cæterique plures, quos recenſere ſingulos, operæ longioris eſſet. Nomen autem hoc, Boëtii præſertim ſeculò celebratum eſt, ob *Anicium* illum Julianum, qui, quemadmodum Flavius Conſtantinus primus Imperatorum; ita primus ſenatorum Romanorum Chriſtianus fuit. Unde poſteà omnes ferè Imperatores *Flavii*, ſicut & ſenatores *Anicii*, affectatâ primariâ illâ familiâ cognominabantur; ut Romanorum Græcorumque Faſti annotant, & vetera monumenta loquuntur. Aniciorum, Proborum ſcilicet & Olybriorum ſplendorem, Secundinus ad D. Auguſtinum ſcribens notat, cùm ait, *Ego namque fateor, non tali diligentiâ, nec tantâ induſtriâ Anicianæ domus micare marmora, quantâ tua ſ[illegible]pia eloquentiâ.* Quod & S. Gaudentius *ſermone de Macchabæis*, confirmat. *Anicios*, inquit apud Caſſiodorum (*epiſt.* 11. *l.* 10.) Rex Theodahadus, *penè principibus pares ætas priſca progenuit. Familiam*, inquit paulo pòſt (*epiſtola ſequent.*) *totô orbe prædicatam. Nic Lloydius.*

ANICIUM, Galliæ urbs, quæ & Podium, Epiſcopalis immediatè ſub Pontifice; vulgò *Le Puy* vocatur. Sunt qui *Avitios* ſcribendum velint; longitud. 24. 40. latitud 41. 28. Prope Ligerim fluv in monte ſita eſt, Velaunorum caput. Epiſcopus, qui Comes eſt Velaunenſis, jus pallii, & olim quoque monetæ cudendæ habuit. Vide Cæſar *l.* 7. *de bello Gall.* Strab. *l.* 4. Gregorium Turonenſ. *l.* 10. *c.* 25. Sidonium Apollinar. *in epiſt.* Ducheſnium, *de Urb.* In hac urbe, conciliô ab Aquitaniæ Epiſcopis celebratô, A. C. 1130. damnatus Anacletus Antipapa, Innocentius autem II. confirmatus eſt. Baron. *in Annal.* & *Tom.* 10. Concil. Hinc, (quòd ſcil. diximus, immediatè Pontifici ſubeſſe Epiſcopum) in literis Stephani Epiſcopi A. C. 1223. datis, is ſe *Dei gratiâ Anicienſem Epiſcopum, Domini Papæ Suffraganeum ſpecialem* appellat. Sic in quodam vetuſtiſſimo *Provinciali* reperitur, inter Epiſcopos Aquitaniæ *Anicienſem*, ſive Podienſem exemtum eſſe: qui quoque in *Notit.* Epiſcopatuum Galliæ dicitur eſſe *Domini Papæ* quia tum Archiepiſcopi Bituricenſis Metropolitani juriſdictioni exemtus erat, & conceſſâ ſibi ab Epiſcopo Romano perpetuâ libertate gaudebat, ei uni peculiari quodam privilegiô ſubjectus: quales vulgò *Independentes ac per ſe ſubſiſtentes* dicuntur, vide Hadr. Valeſium *Notit. Galliæ*, in voce *Ad S. Abundium.*

ANICIUS, vide ſupra *Anicii.*

ANIENSIS Juniorum, apud Livium *l.* 24 *c.* 7. ubi de Comitiis Conſularibus ſecundis à Q. Fabio Maximo poſt Cannenſem pugnam habitis, *Eo die cum ſors prærogativæ Anienſi Juniorum exiſſet, eaque T. Otacilium & M. Æmilium Regillum Conſules diceret, tum* &c. uti reponit Gronovius, cùm anteà legeretur *prærogativæ Aniæ juniorum*; tribus Romanæ nomen eſt, cujus idem Livius meminit *l.* 10. *c* 9. *Et luſtrum eô annô conditum à P. Sempronio Sopho & P. Sulpitio Saverrione Cenſoribus, tribuſque additæ Anienſis & Terentina.* Cicero quoque in *Orat pro Plancio*, Senatus conſultum; item in *Epiſtola Cœlii ad Ciceronem. L. Ateius L. F. An.* quod eſt, *Anienſi.* Porro *Anienſem juniorum* dicit, ut *l.* 27. *c.* 6. *Galeria juniorum quæ ſorte prærogativa erat, Q. Fulvium & Q. Fabium Conſules dixerat* &c. Vide Joh. Fred Gronovium *Obſerv. l.* 4. *c.* 1.

ANIGRUS, Theſſaliæ fluvius, *Aniger Vibio Sequeſtri.* Hujus meminit Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 281.

Ante bibebatur, nunc, quas contingere nolis,
Fundit Anigrus aquas, poſtquam (niſi vatibus omnis
Eripienda fides) illic lavêre bimembres
Vulnera, clavigeri quæ fecerat Herculis arcus.

Hinc *Anigriades nymphæ*, Pauſaniæ *l.* 5. ac *Straboni. Nic. Lloydius.*

ANILE Dogma apud Prudentium in *Agone Fructuoſi, Hymn.* 10. *v.* 37.

Tu, qui doctor, ait, ſeris novellum
Commenti genus, ut leves puellæ
Lucos deſtituant, Jovemque relinquant
Damnes, ſi ſapis, anile dogma.

Religio Chriſtiana eſt, ex mente ac convicio Gentilium. Ita enim Lactantius *l.* 5. *c.* 13. *Si [illegible] fœmina ſexus infirmitate labuntur (Nam interdum iſti muliebrem & anilem ſuperſtitionem vocant) viri certè ſapiunt.* Eoque ſpectat *c.* 2. *Jam pro[illegible] ab oraculis, quas contemnunt, & a patria noſtra[illegible] erroris [illegible] ſtultitia irridebant.* Scilicet vulgò exprobrabant, Chriſtianorum fidem ab imperitis ſolum, & mulierculis ſexu delirantibus magni haberi, vide Julianum apud Nazianzenum *Orat.* 2. Cyrillum *l.* 16. *p.* 142. Celſum apud Origenem *l.* 3. Alios. Hinc & Cæcilius apud Minucium Fel. in *Octavio* ingeminat, *Chriſtianos de ultima fæce collectis imperitioribus & mulieribus credulis ---plebem profanæ conjurationis inſtituere.* Quod *de plebe & mulierculis* & ipſi Chriſtiani non inficiati: inter quos Theodoretus *Serm.* 8. Chriſtianos ait non divites aut doctos, ſed χαλκοτύπας, σκυτοτόμους, ἐρεουργούς, καὶ γεωργούς, καὶ οἰκέτας καὶ γυναῖκας. Vide quoque ſuprà *Agreſtes.* Sed καὶ μωρὰ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ θεὸς ἵνα τοὺς σοφοὺς καταισχύνῃ, καὶ τὰ ἀσθενῆ τοῦ κόσμου κτλ. Vide 1. Cor. *c.* 1. *v.* 26. *& ſeqq.* & Deſid. Heraldum alioſque *ad Minucium & Arnobium.* Ut autem *Anile Dogma* apud Prudentium, ſic *Anilis ſuperſtitio*, apud Minucium, propriè eſt rhetoricè. Sequior enim ſexus ad ſuperſtitionem propenſior, unde mulieres, & δεισιδαιμονίας ἀρχηγοὺς Straboni *l.* 7. & περιάμματα, περιαρτήματα, aliaque hujuſmodi ab aniculis frequentius appenſa, Heraldus *ibid.*

ANIM, Latinè, *reſpondentes*, ſive *cantantes*, aut *afflicti*, ſive *pauperes*, Nomen civitatis. Joſuæ *c.* 15. *v.* 49.

ANIMA, corpori nubens, anuliterm Lunam, eo excedens Proſerpinam habere credita eſt Porphyrio. Eandem, à corpore ſolutam, triplici elementô expurgari, ſtatuerunt Gentilium Theologi, quâ de re vide infrà, in voce *Lemures.* Quòd vero eam immortalem eſſe noverant, hinc cultus ejus apud Gentilium non paucos, quem inter decem Idololatricì honoris genera, ſeptimô locô recenſet Iſaacus Abrabanel. Et quidem ab antiquis Perſis ac Afris receptus is non eſt, at ſolas defunctorum *Animas* Augilæ agnoſcebant, gens Africæ, inter Gatamantas, & Troglodytas, de qua Mela agit. *l.* 1. *c.* 8. *Augilæ*, inquiens, *Manes tantum Deos putant, per eos dejerant, eos, ut Oracula, conſulunt: precatique, quæ volunt, ubi tumulis incubuêre, pro reſponſis ferunt ſomnia.* Quod de Naſamonibus, Africæ item populo, Herodot. quoque tradit *Melpom.* ut de aliis taceam. Duûm verò gentium hic cultus fuit: quia *Animarum* aliæ privatâ colebantur auctoritate, aliæ publica, ut quæ Regiâ, vel Optimatium vel Populi auctoritate in Deos relatæ forent. Priori modô venerabantur Lares, de quibus vide Apulejum *de Deo Socr.* ubi quadruplicem videas appellationem, *Lemurum, Larium, Larvarum* & *Manium.* Sed ſacris quibuſdam opus fuiſſe, ut *Animæ* fierent Dii, indicat Servius *ad Æneid. l.* 3. ubi Lares, *Deos Penates & Viales* vocat, qui celebantur feriis Denicalibus, quæ privatæ erant, teſte *Feſt.* & quotannis recurrebant. Imò & quotidie ſuum Laribus fuiſſe honorem habitum domi, diſcimus ex Plauti *Aulul Prolog.*

Huic filia una eſt: ea mihi quotidie
Aut thure, aut vi[illegible], aut aliqui ſemper ſupplicat:
Dat mihi coronas, &c.

Qua de re plura vide infrà, ubi de *Laribus* &c. Alias verò *Animas* princeps poteſtas cœlò locavit, ſive quia nobili reperto profuiſſent generi humano, ſive quoniam gentis vel urbis forent conditores, ſive quia bellô rem præclarè geſſiſſent, vide Lactant. *de falſa Relig. l.* 1. *c.* 5. Auguſtinum *de Civ. Dei lib.* 8. *c.* 9. Ciceronem etiam *de Nat. Deor. l.* 1. &c. Cujuſmodi Ἀρχηγοὺς ἐπιχωρίους dicebantur *Dii Indigetes*, quod nomen primum Æneam ſortitum eſſe legimus: quamvis alios eo antiquiores coluerint Latini, Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum, Cicer. *de LL. l.* 2. Præter quos etiam alii memorantur Voſſio *de Idol. l.* 1. *c.* 12. Sub Regibus Romani hominem nominem cœleſti donârunt honore, præter unum Imperii conditorem Romulum, atque, ut videtur, longè tamen inferiore gradu, nutricem ejus Accam Laurentiam. Poſteà verò, ſi quis hoc honoris adeptus ſit, unica fuit Anna Bovillana: nec tamen è ſententia Senatus. Intereà Heroas ſuos magnis ſunt dignati honoribus, at non divinis: quæ diſtinxêre etiam Græci, quibus aliud ἡρωΐζειν, aliud ἀποθεοῦν. Sed apud hos ferè uſu veniebat, ut qui prius heroicis eſſent honoribus affecti, iiſdem poſteà præſtarentur divini, quod & Lampsacæ contigiſſe, docet Plut. de *præcl. Mulier factis.* In Heroicis autem honoribus Græcis Romaniſque erat, ſi ſtatuis donarentur: particulatim verò apud Romanos, ſi effigies ferretur in pompa Circenſi, item nomen referretur inter hymnos Saliares; quemadmodum apud Athenienſes nomina eorum intexebantur Minervæ peplo, ut alias dicetur. Eversâ Republ. primus Cæſarum conſecratus eſt Julius, idque ab Auguſto, Sueton. *Julio c.* 88. poſt quem conſecrati & alii, Plin. *Panegyr. c.* 11. de quo ritu vide infra in voce *Apotheoſis.* Imò nec ſoli Cæſares, ſed & Auguſtæ, mariceique alii, qui ex Auguſtea domo fuêre, inter divos relati ſunt. Vide Tertullian. *l.* 2. *adverſ. Marc.* Et quod mireris, in numiſmate veteri habemus conſecrationem etiam Conſtantini M. licèt Chriſtiani: In eo enim *Anima* ejus linteo velata, cætero nuda, in cœlum vehitur quadrigis, brachioque extensô excipitur à brachio altero cœlitùs porrectô. Subſcriptum verò CONS. h. e. CONSECRATIO. Verùm hæc Chriſtianô ſenſu accipi poteſt, non de immortalitate in terris à mortalibus collata, ſed de cœlorum gloria, donata divinitus, vide Voſſium *loc. cit.* Nec minùs defunctorum *Animas* à Græcis cultas eſſe, adeoque Numina eorum homines fuiſſe, in cœlum, ob merita evectos, idem docet *cap. ſequentibus*, ut de aliis gentibus, uſque ad finem *libri præfati.* Aliquid etiam voce *Myſteriorum* item *Teletes* & *Theurgia* ubi *Animæ* perfectionem, Græcis τελείωσιν, omnium Sacrorum Ethnicorum finem fuiſſe, in eo autem conſiſtere creditam, ut poſt mortem deificarentur, videbimus, ut &, ubi de *Purgatione Animæ* apud eoſdem triplici ſicut de *Animarum obambulatione* olim hodieque non paucis credita, voce *Spectra*: de Hæretico-

rum circa *Animam* erroribus infrà *Arabici*, it. *Thnetopſychitæ*, & *Theodotiani*. In Sacris ſæpe *Anima*, pro Homine. Sic in *Hiſtor.* Clementis I. Pontificis *Rom. de illa quingenta animæ baptizatæ*: apud Anonymum in *Vita* Ligerii *l. 2. c. 40. Tanta fuit copia decimæ, ut decimam ... animæ ... partem B. Ligerii ſorte devenirent*, alibique paſſim. Hinc ψυχὴ apud Theophanem annô 18 Mauricii, ... reddiens, *ſingula capita*: & *Capitatio animarum*, in leg. 6. *Cod. Th. de Censu* ... eſt ea, quæ pro ſervis, ... præſtatur, quæque ψυχικὸν ... apud Anaſtaſii *leg. ult. cap. de Annonis & trib.* ... Sed & Gallis hodieque *Ame* hominem notat. Car. du Freſne *Gloſſar.* Aliam notionem vocis, vide infrà ubi de H...

ANI ... ACA, fluv. Aſiæ, in India, & regione Malabaria. Oritur in regno Calecuti, & in Oceanum influit. Oppid. rigat cognomine.

ANIMÆ, Græcis ψυχαὶ genus animalis lucernas circumvolitantis & flammam appetentis exitiô ſuô. ... alitèr iiſdem dicuntur. Gloſſarium vetus c. de avibus, *Anima*, ψυχὴ. ... Heſych. ψυχὴ, ... *Anima*, ... Interpres Nicandri veius ... vocari ait ψυχὰς ... autem, inquit, ... *Rhodienſe eſt vocabulum*; ... *animalis, quæ lucernas circumvolitant*. Valerio in Cæſare, etiam ... à ..., cujus ut & vini amantes ſunt ac ... &c. apud Salmaſ. *ad Spartian. in Adriano Cæſ. c. 16.*

ANIMAL, ut Græcè ζῶον, ita Hebr. *chaia*, ratione vitæ dicitur: non quod vita ſit animalis propria, ſed quia illud ſolum ſentit, appetit & movetur. Unde ... Græcis, ſæpe idem quod *Animal*: quô ſenſu Pythagoras τῶν ἐμψύχων ἀπέχεσθαι ... *animatis deguſtare prohibebat*. Cujus dogmatis apud Comicos frequens mentio, Antiphanes in Coryco, apud Athenæum *l. 4.*

> Πρῶτον μὲν ὥσπερ Πυθαγορίζων, ἐσθίει
> Ἔμψυχον οὐδέν.
> *Primùm quidem, ut Pythagoræ ſectator, edit*
> *Animatum nihil.*

Alexis apud Eund. *l. 4. in Achaide*,

> Ὁ πρῶτος εἰπὼν ὅτι σοφὸς οὐδεὶς
> Ἔμψυχον ἐσθίει, σοφός τις ἦν.
> Ἐγὼ γὰρ ἥκω ... οὐδὲ ἓν
> Ἔμψυχον. ... τεθνεῶτα.
> *Qui, primus dixit Philoſophum neminem*
> *Animatum cujuſquam comedere, ſapiens quidem fuit.*
> *Ego etiam veni mercatus animatum nihil,*
> *Emi enim piſcis mortuos* &c.

Eſt autem aliud ... aliud ἄλογον, 2 Petri *c. 2. v. 12.* quorum hoc, brutum ſcil. Hebræi dividunt in 4. ſumma genera בהמה, *Animal quadrupes*, עוף. *avem*; רמש, *reptile*; & דג *piſcem*: quæ, ut alias notas ... omittam, motus præcipuè diſtinguit. Graditurenim quadrupes, avis volat, reptile ſerpit, natat piſcis. Græci vero, a reptilibus tam quadrupeda, quamlibet parva, quàm inſecta (ab Hebræis ſub *Reptilium* nomine comprehenſa) diſtinguunt; Quos ſecutus Bochart. illuſtre ſuum Opus de *Animalibus S. Scripturæ*, ſeu *Hierozoicum*, in duas partes diviſit: quarum prior, 4. libris comprehenſa, poſt *Animalia in genere*, de *quadrupedibus domeſticis & feris*; item *de oviparis*, ut ſunt *lacertæ & teſtudines*, agit; poſterior ſex libris, *Aves mundas, immundas ex lege Dei, ſerpentes, inſecta, aquatica & fabuloſa animalia*, perſequitur. His omnibus Adamus nomen cuique conveniens impoſuiſſe legitur, Gen. *c. 2. v. 19, 20.* quæ ſcilicet ad eum adducta fuêre, ſolis merè aquaticis, utpote in diverſo elemento agentibus, exceptis. Namque & amphibia, ut ranæ, fibri, phocæ, crocodili, hippopotami, ex aquis excedere poterant, ut tam ſolenni concilio intereſſent. E ſingulis autem ſpeciebus bina ſolum huc conveniſſe veroſimile eſt, quomodo poſtmodum in arcam Noæ, ut confuſio vitaretur: nec ſine Deo factum, quòd tam hic, quàm in Arca, lupus cum ove, canis cum lepore, felis cum mure, accipiter cum columba, ſimul pacatè degebant; Creatore illorum rabiem & horum trepidationem & fugam ad tempus reprimente, ne intempeſtivis tam diverſæ naturæ animalium diſſidiis conventus turbaretur. Quô modô autem Animalium tam multæ ſpecies in unum locum deductæ ſint; An ventis impellentibus, ut in Deſerto coturnices? An per Angelos, ut cum Philippus Azotum tranſvectus fuit? Aut arcanô Dei impulſu, ut in Ægyptum ranæ & cynomyia? &c. nihil opus eſt quærere. Namque etiamnum ciconiæ & grues ex Boreali plaga in Ægyptum & Æthiopiam certâ anni tempeſtate volant & poſt aliquot menſes revolant, unde diſceſſerant: Halecet ... & thynni quotannis ingenti turbâ ſedes mutant & in alias ſedes tranſeunt. Nempe idem Deus, qui hanc iis naturam indidit, reliquis etiam animalibus id facilè inſpirare poteſt, ut, cum res ita poſtulat, in certum confluant locum, tanquam ſi voce præconis citata ac convocata eſſent. Aliquid ſimile attentavit Regum maximus Alexander, qui naturæ animalium pernoſcendæ cupidus, ſe commentationem Ariſtoteli delegavit, octingentis talentis, i. e. ex Budæi ſupputatione, aureorum noſtri temporis 480000. per Græciam Aſiamque hanc in rem impenſis. Quod jam in animo habuiſſe patrem Alexandri Philippum, & πλοῦτον ἀφθονώτατον, *immenſas opes*, ad ... exequendum de ſe liberaliſſimè ſuppeditâſſe, in Æliani *Variis* legas, *l. ... c. 19.* Sed quidquid uterque egerit, tamen Ariſtotelem multa Animalia latuêre, de quibus in eximio opere ne γρῦ quidem habet, ... etiam, ex auditu ſolùm, cognita habuit. Unde ... quantô hominibus ſit potentior Deus, qui uno momentô exequitur, quod per plures annos, tantis ſumtibus & tot adjutorum ope, præſtare nequiverunt duo Reges potentiſſimi. Ita igitur *Animalium* conventus habitus eſt, quâ is deinceps nullus alius, præterquam in Arca Noæ, ad quam pariter conveniunt, ſed longè diverſa de causâ. Namque, ut alia omittam, in prima brutorum hac convocatione id præcipuum fuit, quod brutum ad hominem converſis ſtatim à creatione, fuit voluntariæ ſubjectionis profeſſio, quaſi ſe domino ſuo ſiſterent & in ejus ſe reciperent clientelam. Hinc in ſervitutis notam omnibus illis Adam nomina impoſuit, nempe ut dominis ſervi ſolent, quemadmodum Joſephi a Pharaone, Danielis & Sociorum à Nebucadnezare, Eliakimi à Necone, nomina mutata eſſe, ut ex novis nominibus ſe novis ſubeſſe dominis diſcerent, legimus, Gen. *c. 41. ... 45.* Danielis *c. 1. v. 7.* & 2 Paralip. *... 36. v. 4.* Qua de re, ut & aliis huc pertinentibus, vide præfatum Bochartum *Hieroz. Part. pri. l. 1. c. 9.* ubi de omnis generis *Animalium* receptaculis, carceribuſque hic paſſim, inprimis infrà voce *Vivaria*; it. *Zotheca*: de conſecratione & cultu, voce *Conſecratio*, it. *Zoolatria*; de more verò *Animalium* figuras veſtibus intexendi hic paſſim vocibus *Belluata*, *Periſtromata*, *Phrygiones*: in corporibus pingendi, voce *Facies*. Apud Græcos voce ζῶον, it. Ἄλογον, abſolutè equum plerumque indigitari, dicemus infrà, voce *Volutabrum*: uti apud Latinos recentiores *Animal*, equum aut jumentum notat, *l. 9. Cod. Theodoſ. de Re milit.* apud Paul. Diaconum in *Heraclio*, Aimoinum de *Miracul. S. Benedicti l. 3. c. 6* Gaufridum de *Vita S. Bernardi c. 2.* num 4 Alios. Hinc *Animalia publici curſus*, pro equis ad curſum publicum deſtinatis, *l. 8. Cod. Theod. de curſu publ.* quæ etiam *Animalia publica* dicuntur, *in l. 2. 10. 53. 60. Cod. eod.* At *Animal de baſte*, in *Charta* Remundi de Canavellis Domicelli in Comit. Ruſcinon A. C. 1298. alibique idem eſt, quod *Animal mulinum*, Anaſtaſio in *Hiſtor. Eccl.* ... 9 Copronymi, & ζῶον ... mulus nempe vel mula, uti explicat alia *Charta* Berengarii de Canavellis filii Remundi A. C. 1308. apud Car. du Freſne *in Gloſſar.*

ANIMALES & LUTEI, Origeniſtis dicti ſunt reliqui omnes, qui ſacris eorum initiati non erant. Hieron. *Ep. ad Pammach. & Ocean. de error. Origen. Nec mirum, putant enim ... & propter* Animales & *Luteos nolle palam dogmata proferre. Ipſorum enim decretum eſt, non facilè margaritas ante porcas eſſe mittendas, nec dandum ſanctum canibus &c.* Ubi perſtringit acriter eos, quòd myſteriorum arcanè habendorum prætextu, obtegendæ dogmatum, quorum ipſos pudebat, pravitati abuterentur. Quod de Baſilide ſimiliter, turpiſſimæ improbiſſimæque doctrinæ auctore, notat Epiphanius *Hær. 24.* &c. Vide Tob. Pfannerum *Syſtem. Theolog. Gentil. purior. c. 1. §. 12.* infrà *Pſychici*. & de Myſteriorum occultatione apud orthodoxos æquè ac heterodoxos, infra paſſim, inprimis in voce *Myſterium*, *Novus Fideles*, *Silentium*.

ANIMALES Dii, quinam Veterib. dicti ſint, ex præcedentibus facilè liquet. Nam, ſi exceperis τοὺς τῶν μωσαϊκῶν ..., paucos qui ſolum ſinceris Deum colerent, cæteri vel adorabant Naturales Deos; vel *Animales* non naturales, vel in unum conflabant cultum utrumque. Naturales autem appellabant, quando vel tota rerum Natura, vel ejus pars, aut affectio, invocaretur; cujuſmodi Dii erant, *Mundus*, *Æther*, *Sol*, *Aer*, *Aqua*, *Tellus*, *Tempeſtas*, *Amor* & ſimiles. *Animales* nuncupabant animas à corpore ſolutas, uti illas *Herculis*, *Thebani*, *Caſtoris*, *Romuli*, *Julii Cæſaris*, alias. Unde Servius *ad Æn. 3. Labeo*, inquit, *in libris, qui appellantur de Diis, quibus origo animalis eſt, ait eſſe quædam ſacra quibus animæ humanæ vertantur in Deos, qui appellantur* Animales, *quòd de animis fiant. Hi autem ſunt Dii Penates & Viales*. Et de his vide Voſſ. ubi *ſuprà*: ut & Salmaſ. *ad Solin. p. 64.*

ANIMALIA, apud Romanos in publicum producebantur, trium rerum gratiâ: *ἕνεκα τῆς θέας*, ut ſpectarentur ſolùm; vel, ut pugnando ſpectatores oblectarent; aut denique ut à Populo non ſpectarentur tantùm ſed & diriperentur: ad quod tertium genus Gordiani venatio pertinet, Capitolino memorata, c. 3. *Extat ſylva ejus memorabilis quæ picta eſt in domo Roſtrata Cn. Pompeji ... quâ pictura continentur cervi palmati ducenti mixtis Britannis: equi feri 30. oves feræ 100. alces triginta, tauri Cypriaci centum, ſtruthiones Mauri miniati trecenti; onagri triginta, apri centum quinquaginta, ibices ducenta, damæ ... Hæc omnia Populo rapienda conceſſit die muneris, quod ſextum edebat.* Nempe *Sylva* iſtiuſmodi venatio dicta eſt, ab eo quòd totus circus ad ſylvæ ſpeciem arboribus eſſet conſitus, quâ differta omni genere herbaticorum animalium immittebatur populus, qui omnia diriperet, ut videbimus infrà pluribus, in voce hac. Hanc verò cum Pancarpo malè a Viris quibuſdam eruditis confundi, docet Salmaſ. ad *loc. cit.*

ANIMALIA Herbatica, Græcè ποηφάγα, apud Solin. c. 27. *Inter ea, quæ dicunt Herbatica, eadem Africa onagros habet, in quo genere ſinguli imperitant gregibus fœminarum.* Et Vopiſc. *in Probo*, c. 19. *Mille ſtruthiones, mille cervi, mille damæ, ibices, oves feræ & cætera* Herbatica *animalia, quæ vel ali potuerint, vel inveniri*. dicuntur ex ſylveſtribus ea, quæ herbis gramineque veſcuntur, ut diſtinguantur à carnivoris, vide infrà *Herbatica* & ubi de eo venationis genere, quæ *Sylva* dicta eſt. In Sylva enim *Herbatica Animalia* exhibebantur, ut dictum; at *Animalia* σαρκοφάγα ad Pancarpum, aliud ſpectaculi genus, pertinebant. Solebat autem miſſio hujuſmodi Animalium ſylveſtrium fieri diſcreta per ſexum. Unde in *Vitis* Imperator. legimus ſæpe, *centum leones una miſſione editos & centum leænas*. Apud Vopiſcum iidem *ibid. in Probo, edita centum Leopardi Libyci: centum deinde Syri: edita centum leænæ* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 213.* De *Animalium* ... in puppis navium, pingi ſolitis, vide infrà ubi de Navium *Paraſemis*.

ANIMALIA Munda, & Immunda, vide infrà.

ANIMALIA Quatuor in viſione memoratâ, Ezech. c. 1. v. 5. & Apocal. c. 4. v. 6. vide ſuprà, ubi de *Angelis*. Hæc picta fuiſſe in quatuor Judæorum vexillis de quibus Numer. c. 2. v. 3. 18, 25. dicunt Judæi Aben Ezra in *Numer. c. 2. v. 2. Et Anticeſſores noſtri dixerunt, fuiſſe in Rubenis vexillo figuram hominis, puta vim ſymbolicam mandragorarum. & in vexillo ... leonis; quia illum Jacob Leoni comparavit: & in vexillo Ephraim figuram bovis ... quia dicitur* (Deuteron. c. 33. v. 17. *de Joſepho patre Ephraim* Primogeniti bovis illius

Illum decor eſt eis: & in vexillo Dan figura aquilæ, ut ſimilis ſit Cherubim, quem vidit Ezechiel Propheta. Quibus ſimilia habent Chezkuni & Bar Nachman *ad eundem loc.* Sed hoc commentô nihil judicat Bochartus putidius. Nam, ut de Juda jam taceamus, inquit, planè abſurdum eſt, quod Rubenitas figuram hominis volunt habuiſſe in vexillo ſuo, propter mandragoras à Rubene repertas, quæ ſcil. fuerint *ἀνθρωπόμορφοι*, ut Pythagoras appellat: unde Columella, *l.* 10.

> *Quamvis ſemihominis veſani ſemine ſeta,*
> *Mandragoræ pariat flores.*

Namque nec mandragora quidquam cum forma hominis commune habet, præter radicem, quæ ſæpe biſurcata eſt, ut ſciunt illi, qui viderunt: nec Ruben mandragoram invenit, ſed *dodaim*, quæ planè aliud eſſe, oſtendit idem Bochartus *peculiari libello*. Abſurdum quoque illud, Ephraimitas figuram bovis & Danitas figuram aquilæ in vexillis habuiſſe; illos, propter ultima Moſis morientis verba: hos verò, quia è quatuor Cherubinorum faciebus, quos vidit Ezechiel, una fuerit *ἀετόμορφος*. Agitur enim de vexillis, quæ erexerant Iſraëlitæ annô ſecundô ab Ægypti exitu, annis ante Moſis obitum 38, ſeculis ante Ezechielem circiter novem &c. Imò planè nullas animalium imagines in vexillis ſuis habuiſſe Hebræos, ex Joſepho colligere eſt *l.* 18. *c.* 7. Cum enim Vitellius in Arabas bellum moturus, vellet è Ptolemaide per Judæam exercitum ducere, [illegible Greek] *Viri (Judææ) primarii illi occurrentes, tranſitum per regionem deprecati ſunt, cauſſ[a] patrium ritum non permittere ut inferrentur ullæ imagines quales Romana ſigna plerque habebant.* Quorſum, ſi & ipſi imagines habuerunt in vexillis ſuis? Adde, quod nec in Scriptura, nec in Joſepho, nec in libris *de Vita Moſis* apud Philonem quidquam tale habeatur; ſed nec in univerſo opere Talmudico &c. Vide Sam. hunc Bochartum *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 5. & infrà *Corporale.*

in ANIMAM alterius jurandi ritus, Tillio obſervatus eſt *l.* 1. ubi inter alia refert, fœdera, quæ cum aliis Regibus Galliæ ſanciebant Reges, non ab ipſiſmet, ſed, iis præſentibus, à quopiam ex Aulæ Proceribus ad id delecto *in eorum animam* jurata. Sic Priorem S. Martini de Campis coram Ludovico IX. Sacramentô *in illius animam* factô, inducias cum Henrico III. Angliæ Rege pepigiſſe A. C. 1231. alias item inducias inter eoſdem Reges, quendam de Proceribus, pro & coram ipſo Henrico juraſſe, A. C. 1244. &c. Hinc in *Actis* Innocentii III. legitur de Philippo Auguſto Rege Franciæ *Faciens in animam ſuam juramento firmari, quod honorificè ipſam ut Reginam tractaret.* Adde *Probat. Hiſtor.* Vergiac. p. 305. & Matth. Paris p. 109. atque ita tum uſus apud Principes invaluerat, uti docet Car. du Freſne ex *Epiſtola* Wilhelmi Regis Siciliæ ad Henricum II. Angliæ Regem apud Rad. de Diceto A. C. 1175. Falcando *l. de Siciliæ calamitatibus*, *Actis* Hadriani IV. Pontificis apud Baronium *A. C.* 1155. *Actis* Alexandri III. apud eundem *A. C.* 1177. *Epiſtolis* ejuſdem Alexandri 51. 52. & *Charta* Jacobi Regis Majoric. A. C. 1284. Imo non Regum duntaxat hunc morem fuiſſe, ſed aliorum quoque, patet ex *Actis* Innocentii præfatis ubi nobilis quidam *in animam Marcualdi* Seneſcalli Imperii jurat p. 3. Juſatum quoque fuiſſe, *in animam Univerſitatis*, refert Gulielmus de Podio Laurentii c. 40. Quam in rem vide quæ erudite congeſſit Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Juramentum.*

ANIMAS ex Inferis, Magicâ ope evocari poſſe, ad oracula reſponſitanda, creditum olim inter Gentilium complures. Saniores tamen eorum hac de re meritò dubitantes, ſolas *ἀώρων* & *Biothanatorum* *Animas* ad hoc elici crediderunt, non etiam ad Inferos jam redactas & ſedibus beatis receptas. Nempe opinio fuit multorum, non receptos inferis, qui funere acerbô aut violentô mortis genere eſſent erepti, uti nec eos, qui ſepulturæ honore caruiſſent. Hinc *Animas* talium, in Necyomantia, Magicis Artibus evocari quidam opinabantur, quia de propinquo evocarentur, nec avellendæ eſſent ex intimis Inferorum ſedibus, ubi quieſcere dicebant animas maturâ morte ſolutas, placidâ morte ſeparatas, atque etiam ſupremitatis honore donatas. Vide quæ hanc in rem habet Salmaſ. *ad Solin.* & hic paſſim, ſupra ubi de *Aboris*, *Biothanatis*, & *Necyomantia.*

ANIMATÆ Tegulæ, dicebantur Veterib. quæ in modum canaliculi factæ erant, & in imo ac ſummo ſpiramenta habebant, h. e. foramina. Vitruvius *l.* 7 *c.* 4. *Deinde inſuper* animatæ tegulæ *ab imo ad ſummum parietem figantur, quarum interiores partes curioſius picentur; ut ab ſe reſpuant liquorem: item in imo & in ſummo ſupra cameram habeant ſpiramenta.* Quomodo in antiquis duobus Palatinæ Bibliothecæ codicibus ſe legiſſe, ait Salmaſ. cum vulgò habeatur *hamatæ.* Ad eundem ſanè modum *animatoria olla* dicebatur, quæ in ſummo ſpiramentum habebat, h. e. quæ pertuſa erat. *Gloſſa* χύτρα [illegible], *olla animatoria.* Non diſſimili genere loquendi, *nares foſſæ*, apud Vopiſc. in *Probo* c. 21. *nares canalis*, apud Vitruvium *l.* 7. *c.* 4. [illegible Greek], de clice, apud veter. *Gloſſarii* Auctorem, occurrunt. Vide quæ hanc in rem annotavit prædictus Salmaſ. *Not. ad Vopiſcum* & *l.*

ANIME Luſitanorum, *Dioſcoridi* [illegible Greek], *Saracenica lachryma*, eadem cum Bdellio, quod vide.

ANIMETTA, palla dicitur in Eccleſia Romana quæ calicem tegit; quid quaſi anima in Corporali plicato includatur & conſervetur. Joſ. Vicecomes *l.* 7. *c.* 5. Græco Auctori, ψυχία, à ψυχή, *anima*, Dominic Macer *Hierolex.* Vide infrà *Corporale.*

ANIMOTHA, Arabiæ urbs. *Lib. Notit.*

ANIMUS, inter Gentilium Numina, memoratur Arnobio *adv. Gentes l.* 2. *Ipſe denique Animus, qui immortalis à vobis & Deus eſſe narratur, cur in ægris æger ſit, in infantibus ſtolidus, in ſenectute defeſſus, delira & fatua & inſana.*

ANINA, urbs Indiæ extra Gangem. *Ptol.*

ANINACHA, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

ANINSULA, vulgò *S. Carileſo*, pagus ſeu cœnobium Galliæ Celticæ in finibus Cenomanorum, apud Vindocin. Urbem & Ledum fluv. Ubi S. Carileſus eremita prius, mox Abbatem egit. *Maſſon.*

ANIO, ſive ANIEN, vulgò *Teverone*, nobilis Italiæ fluv. in montibus Trebianorum naſcens, Tiburtinum agrum irrigans, ubi è ſublimi in ſubjectam vallem magnô impetu delabens efficit catarractam, deinde per plana fluens tres nobiles lacus ſecum in Tiberim defert. Dixi *ſive Anien*, idque authoritate Statii *l.* 1 *Silv.* 3. *v.* 20.

> *Ipſe Anien (miranda fides) infraque ſuperque*
> *Saxeus, hic tumidam rabiem, ſpumoſaque ponit*
> *Murmura.* ————————

Nomen autem accepiſſe putatur, ab *Anio* Hetruſcorum Rege, qui inſequens Cethegum filiæ ſuæ raptorem, cùm eum aſſequi non poſſet, in hunc fluvium inſiluit, &, ut *Anio* vocaretur, effecit. Horat. *l.* 1. *Carm.* 7. *v.* 13.

> *Et præceps Anio, & Tyburni lucus, & uda*
> *Mobilibus pomaria rivis.*

Propert. *l.* 4. *Eleg.* 7. *v.* 73.

> *Ramoſo Anio qua pomifer incubat arvis.*

Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 683.

> *Gelidumque Anienem, & roſcida rivis*
> *Hernica ſaxa colunt.*

Strab. *l.* 5. [illegible Greek] Plinius etiam ait, hunc fluvium efficere lacus tres nobiles amœnitate, *l.* 3. *c.* 12. Sil. Italicus *l.* 1. *v.* 606.

> *Ac gelidis Anio trepidabat cærulus undis.*

Idem *l.* 12. *v.* 539.

> *Sulphureis gelidus quà ſerpit leniter undis,*
> *Ad genitorem Anio labens ſine murmure Tibrim.*

Propert. *l.* 1. *Eleg.* 21. *v.* 23.

> *Hic Anio Tiburte fluis, Clitumnus ab Umbro*
> *Tramite, & æternum Martius humor opus.*

Hinc *Anienus* adjectivum. Virgil. *Georg. l.* 4. *v.* 369.

> *Unde pater Tiberinus, & unde Aniena fluenta.*

Propert. *l.* 1. *Eleg.* 20. *v.* 8.

> *Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes.*

Ubi *Amerina* legit Scaliger ex veteri libro & lacum Vadimonis intelligit. Sed *Aniena unda* Propertius ipſe meminit, *eleg.* 15. *l.* 3. *v.* 4.

> *Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.*

Stat. *l.* 4. *Silv.* 4. *v.* 17.

> — *Anienaque frigora captant.*

Hinc *Anienus*, Deus ipſe fluvii Anienis, ut *Tiberinus* Tiberis. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 7. *v.* 86.

> *Acceſſit ripæ laus, Aniene, tuæ.*

Stat. *l.* 1. *Silv.* 3. *v.* 70. in Tiburtino Manlii:

> *Illis ipſe antris Anienus, fonte relicto,*
> *Nocte ſub arcana glaucos exutus amictus.*

Hinc demum *Anienicola*. Sil. *l.* 4. *v.* 225.

> *Quoſque ſub Herculeis taciturno flumine muris*
> *Pomifera arva creant, Anienicolæque Catilli.*

Nic. Lloydius.

ANISENA Flumina, apud Ovid. *Faſt. l.* 4. Sed locus eſt corruptus, lege *Amenana*, & vide *Amenanus.*

ANISIS, qui & Aſychis, Ægyptiorum Rex à ſacerdotibus deſignatus, regnavit ann. 6. Vide infrà.

ANISTIS Lacon, Alexandri M. curſor, à Sicyone Elim uſque mille ducenta ſtadia uno die percurrit. Solin. *c.* 6.

ANISUS, Auſtriæ fluvius, hodie *Ens*, *Rhenanus.*

ANITHA, Arabiæ Petreæ urbs. *Ptol.*

ANITIA, aliis *Lentia*, *Lenza* fluv. Italiæ, in Longobardia. Ortus ex Apennino, caditque in Padum, prope Brixellum, dividitque Ducatus Parmenſem & Mutinenſem.

ANITIUS, Ædilis Curulis. Plin. *l.* 33. *c.* 1.

ANITIUS Fauſtus, Conſul Romanus Galli collega. Horum tempeſtate ſe, ut Deum, honorari Diocletianus juſſit. *Euſebius.*

ANITIUS Lupus, inter viros illuſtres, Commodi juſſu occiſos, apud Lamprid. in *Commodo. c.* 7.

ANITIUS Paulinus, Conſul Romanus Cejonii Juliani Camœnii collega.

ANITIUS Paulinus, Junior, Conſul Romanus Publii Optati collega.

ANITIUS Rufinus, Conſul Romanus Acilii Severi collega. Vide & *Anicius.*

ANITORGIS, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis Livio, *l.* 25. *c.* 32. ad quam inter Scipiones, & Aſdrubalem pugnatum eſt; Ea aliquibus *Concha* eſſe videtur, aliis *Albarracinum.*

ANIUS, locus Puteolis vicinus, hodiè *Lago Sudatorio* dictus.

ANIUS, Apollinis fil. ex Rhea, & Rex in Delo; habuit Andrium filium. Virg. *l.* 4. *Æn. v.* 80.

> *Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique ſacerdos,*
> *Vittis & ſacrâ redimitus tempora lauro*
> *Occurrit.* —— ——

Ubi Poëta Anium, Deli inſulæ Regem Sacerdotemque inducit. Servatum hoc priſcis gentibus, ut earum Reges, ſacerdotes quoque eſſent. Quod de Rege Romulo ſcribit Cicer. *l.* 1. *de Divinat. c.* 2. *Hujus urbis parens Romulus, non ſolum auſpicatò urbem condidiſſe, ſed ipſe etiam optimus Augur fuiſſe traditur.* Ubi latè probat, Reges olim omnes ac Principes claruiſſe dignitate auguratûs, quæ res ſemper ad ſacerdotes pertinuit, & ſignatè ait, principum liberos ſex apud Romanos traditos in diſciplinam Etruriæ populis, ut

artem

artem vaticinandi addiſcerent, ne ars tanta propter tenuitatem hominum à religionis authoritate abduceretur ad mercedem & quæſtum. Dionyſ. etiam Halicarn. l. 2. ubi deſcribit conſtitutionem regum factam à Romulo, ita ait: Βασιλεῖ μὲν ἐξῄρητο τάδε τὰ γέρα. Πρῶτον μὲν ἱερῶν καὶ θυσιῶν ἡγεμονίαν ἔχειν, καὶ πάντα δι' ἐκείνου πράττεσθαι τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσια. Deinde latè perſequitur, quæ pertinent ad civilem adminiſtrationem. Non ſolùm autem hoc in uſu Romanis, ſed aliis quoque, ut Palæſtinis, ut Ægyptiis &c. De Palæſtinis Xiphilinus, in Pompejo: Ἦρχον δ' αὐτῶν Ὑρκανός τε, καὶ Ἀριστόβουλος ἀδελφοί, καὶ ἐτύγχανον ὑπὲρ τῆς τοῦ σφετέρου θεοῦ, ὅς ποτε αὐτός ἐστιν, ἱερωσύνης διαφερόμενοι. Vide etiam, de hac eadem re, Juſtinum l. 36. c. 2. loquentem de ſacerdotibus & Regibus Judæorum. De Ægyptiis Plut. l. de Iſide & Oſiride. Οἱ βασιλεῖς, καὶ ἱερεῖς ὄντες. Inde eſt, ut avocatis jam Regibus ab adminiſtranda religione, Reguli, authore eodem Plutarcho, ſacrorum & religionis curam ſuſceperint. Quæ nota Plutarchi utilis eſt, intereſt enim juventutis ſcire, eur, qui ſacris præſunt, Reguli Latinis auctoribus dicantur. Sed ad Annum revertamur. Eum autem Delo imperaſſe Dionyſ. etiam narrat l. 2. Rom. Ant. ac Trojanos, duce Æneâ, eò appuliſſe: Ἐν ᾗ τῶν Πολιτείων ἄρχοντες οἱ Τρῶες, οἳ Δαιδαλειδῶν ..., βασιλεύοντος ... Ἀνίου. Vide Cæl. Rhodig. l. 7. c. 25. Cæterum Anius non ſolùm vir & Rex fuit, verùm etiam Deus habebatur. Clemens Alex. Ἄνιος, δαίμων ἀποτρόπαιος Ἠλείοις; ubi Canterus Ἀνταῖος legit: Dicitur autem ab ἄνω, & cum Ἱερεμίου nomine convenit, à mundi luſtratione dictus, teſte Nannio in Miſcellaneis. Porrò Anium ſic vocavit mater ... τὴν ἀνίαν, inquit Etymologus; vel διὰ τὸ ἀνιαθῆναι δι' αὐτόν, ut ſcribit Iſacius, in Lycophronem. Nam ex Apolline gravida, ut fabulantur, & è paterna domo pulſa, eum poſt multos errores peperit, in antro Eubœæ. Ἄνιος autem Phœnicibus eſt ὑγιής, quomodo etiam Aſſyrium vocant. Plura de Anio vide apud Diodor. Sic. l. 5. c. 229. Nos ex fabulis hoc ſolùm addemus, hunc Anium, ductâ Dorippe, genuiſſe tres Oenotropas, Oeno, Spermo, & Elaidem, quibus Bacchus id impertivit, ut quotieſcunque vellent, pro nominum ratione, vinum, ſemina, & oleum converterent, eaſque cùm Agamemnon in expeditionem Trojanam illas invitas ſecum ducere vellet, Bacchi ope imploratâ, in columbas verſas eſſe. Ovid. Metam. l. 13. fab. 4. Fabulæ occaſionem dedit magna vini, frumenti & olei copia Anio ſacerdoti Apollinis ... poſſitata. Nempe, ex omni terræ proventu, à cultoribus ſuis tria hæc exigebat Diabolus, Dei ſimia. Vide Deuter. c. 18. v. 3. 4. Nic. Lloyd.

ANNA, Latinè gratioſa, ſive miſericors, aut requieſcens; vel donum, altera uxor Elkanæ. 1 Sam. c. 1. v. 5. Hebraicè Hanna Nomen item Propheteſſæ cujuſdam, de qua ſit D. Lucas c. 2. v. 36. 37. Καὶ ἦν Ἄννα προφῆτις, θυγάτηρ Φανουήλ, ἐκ φυλῆς Ἀσήρ. Αὕτη προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις πολλαῖς, ζήσασα ἔτη μετὰ ἀνδρὸς ἑπτὰ ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς. Καὶ αὕτη χήρα ὡς ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων, ἣ οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν. De eadem hoc eſt teſtimonium S. Cyrilli Hieroſolymit. Cat. 10. quòd fuerit mulier ἐγκρατὴς ἀσκήτρια, καὶ σεμνοτάτη. Ubi primus character continentiam ejus, & caſtitatem vidualem denotat, quam per tot annos integram, illibatamque ſervaverat (ſeptem nempe duntaxat annos cum conjuge poſt nuptias vixit, quò tempore maritus ejus, ut par eſt credere, moriebatur.) Secundus pietatem ejus reſpicit. Tertius, non ſolitariam, aut monialem vitam (quemadmodum ibi Latinus interpres falsò reddidit,) ſed ſeveram ἐγκρατευτικήν obſervantiam, utpote quæ bis quâlibet ſeptimanâ jejunaverit, preceſque quotidianas tum publicè, tum privatim aſſiduè frequentaverit, prout olim Aſceticis in uſu fuit. Ita ſeſe à curis, & negotiis mundanis ſubduxit, ut ſoli Dei cultui vacaret, ideoque ſub horas precationis quotidie in templum aſcendebat; Non quod nunquam vel comederit, vel dormierit, vel quòd ibi ſemper ullô modò permanere potuerit; verùm quòd illic ſtatis precationum temporibus Deum ſemper coluerit, poſteaque domum ſuam redierit. Ita Apoſtoli, Luc. c. 24. v. 53. Διὰ παντὸς ἐν τῷ ἱερῷ fuiſſe dicuntur. Et Act. c. 1. v. 15. Διηνεκῶς ὄντες, non quod nunquam eâ inde abſceſſerint, ſed, ut illic ſequitur, ἦσαν προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν τῇ προσευχῇ καὶ δεήσει. Nic. Lloydius.

ANNA, Dea ab anno, quibus præſidebat, vocata, cui menſe Martiò privatim & publicè ſacrificabatur, ut populo Annare & Perennare liceret. Fuit autem Beli filia, & ſoror Didonis, cui in fuga comes fuit. Quæ, poſtquam mortuam ſororem vidit, & Carthaginem ab Hiarba Gætulorum Rege occupatam, relictâ ſede patriâ, ad Battum Regem, qui Melitæ imperabat, curſum arripuit: à quo jure veteris hoſpitii benignè ſuſcepta, duos circiter annos ibi manſit. Sed, cum Pygmalionem fratrem jam cum armis adventare didiciſſet, Battus veritus potentiam illius, Annam, ut inde abiret, hortatus eſt. Mox igitur mare ingreſſa, vi tempeſtatis acta, in Laurentem oram pervenit, ubi jam Æneas, paratis rebus, ac ductâ uxore Laviniâ imperabat, à quo benignè invitata in regiam cum eo profecta eſt: cui mox Lavinia tendere inſidias cœpit. Sed Anna in ſomniis à Didone monita, ut infauſtam domum relinqueret, ſtatim per feneſtram exiliit, cumque citatò curſu ad Numicium amnem perveniſſet, in eum ſe præcipitem dedit. Ortâ deinde luce, magnis clamore eam quæritantibus apparent veſtigia pedum, uſque ad Numicium amnem. Unde Ovid. Faſt. l. 3. v. 653.

Placidi ſum nympha Numici.
Amne perenne latens Anna Perenna vocor.

Alii autem Anna eſt Luna, tanquam ab anno dicta, ut quæ menſes & annos ſuò motu impleat. Aliis eſt Themis, aliis Io, aliis una Atlantidum, quæ Jove ubera præbuiſſe volunt Ovid. ubi ſupra, v. 657.

Sunt quibus hæc Luna eſt, quia menſibus impleat annum:
Pars Themin, Inachiam pars putat eſſe bovem.
Invenies, qui te nympham Atlantida dicant,
Teque Jovi primos, Anna, dediſſe cibos.

Sed & eôdem teſte, v. 667.

Orta ſuburbanis quædam fuit Anna Bovillis
Pauper, ſed multæ ſedulitatis anus:

de qua mox plura.

ANNA, Bovillana vetula, plebem Romanam, cùm in Aventinum fugiſſet, pavit. Unde Ovid. loc. cit.

Pace domi factâ ſignum poſuere Quirites,
Quòd ſibi deſectis illa ferebat opem.

Divinos proptereà honores poſt obitum adepta, non tamen è Senatus ſententia. Hoc enim cùm illa ſeceſſio neutiquam placuiſſet, honores divinos vetulæ huic haberi nolebant, nec negare interim quidquam tempora ſinebant. Quare, ut os plebi ſublinerent, decrevit, quaſi in Annæ honorem, ut Martiô Menſe, qui veteris anni erat primus, ſacra cœleſti fierent Numini, quibus rogaretur, ut annare & perennare, h. e. annum illum exigere & alios illi ſuperaddere daretur. Itaque ejus feſtô in conviviis cum voto hoc alii aliis propinabant, ſic ut pro cyathorum numero & votis multiplicibus, etiam Neſtoris annos biberent: quod ex Ovidii Faſtis cognoſcimus. Atque hôc modò aliò plebs in appellatione hujus Numinis, aliò prudentiores ſpectabant, neque ſacra illa verè anui iſtius, ſed excellentioris poteſtatis fuêre, cujus beneficium putarent annare & perennare. Voſſ. de orig. & progr. Idolol. l. 1. c. 12. ubi hôc nomine, non Didonis ſororem, quæ apud Æneam exulaverit, cultam eſſe docet, quippe cùm inter Æneam & Didonem, cujus ſoror Anna fertur, circiter trecentorum annorum intervallum ſit; ſed anum illam, beneficentiâ in plebem inclytam, de qua dictum.

ANNA, Bernardi, Comitis Hohenbergenſis Sueviæ filia uxor Rodolphi I, Imperatoris. Obiit A. C. 1281. Baſileæ in Summi Templi adyto ſepulta. Hæc nobiliſſimorum Auſtriæ Principum genitrix fuit, unde & præcipuarum per Germaniam domorum propagines exortæ. Vide Urſtiſ. epit. Hiſt. Baſil. c. 8.

ANNA, filia Franciſci, ultimi Aremoricæ Ducis, quæ cùm jam per Procuratorem nupſiſſet Maximiliano Regi Romano A. C. 1491. ducta eſt à Carolo VIII. Galliæ Rege, qui ejuſdem Maximiliani filiam Margaretam, ſibi deſponſatam, Patri remiſit. Quô mortuô, Ludov. XII. maritum nactus eſt; mater quidem egregiæ prolis, ſed quæ brevis ævi. Obiit A. C. 1514. ætat. 37. Hiſtorici Gall. in Carolo 8. & Ludov. 12. Verulam. in Henrico 7.

ANNA, filia Moſcoviæ Regis Henrici I. Galliæ Regis conjux.

ANNA Auſtriaca, filia Philippi M. Hiſpani Regis nupſit Ludovico XIII. Galliæ Regi ex eo Ludovici XIV. mater. Vide infrà.

ANNA, mater Calo-Johannis, Imperatoris Conſtantinopolit.

ANNA, filia Johannis, Cypri Regis quæ Ludovico Sabaudo nupſit, A. C. 1426.

ANNA, filia Ludovici XI. Caroli VIII. fratris tempore, turbarum cauſa.

ANNA, Sigiſmundi Bathorii uxor.

ANNA Danica, Jacobi I. M. Britanniæ Regis uxor.

ANNA Binſia, Antverpiana, vernaculò ſermone poemata ſcripſit à Guil. Fuchario Gandav. Latinè reddita. Albert. Miræus in Elog. Belg. Valer. Andr. Biblioth. Belg. &c. De hac Frid. Subertus ita cecinit:

Arte pares Lesbis Sappho, & mea Binſia, diſtant
Hoc ſolò, vitia hæc dedocet, illa docet.

ANNA Bolenia, uxor Henrici VIII. Angliæ Regis capite minuta, &c.

ANNA Comnena, filia Alexii Comneni Imperatoris eruditione inſigni præfulgens. Scripſit Hiſtoriam Patris ſui 15. libris comprehenſam, nuper à Johan. Gronovio publici juris factam. Vide de illa Zonaram.

ANNA Maria Schurmann, Virgo, genere, ingeniô, & multivariâ eruditione, nobiliſſima, natione Germana, Ultrajectinam Academiam, cujus natali, excellenti carmine, gratulata eſt, diu illuſtravit. Obiit ante paucos annos. Epiſtolæ ejus in 4 linguis exaratas Frid. Spanhemius edidit.

ANNA Marquetia, Monialis Poſſiacena, Græcè Latinèque docta, poëtria non incelebris, Ronſardi, Dorati, &c. tempore. Obiit A. C. 1588. Lud. Jacob, Bibl. fem. Auguſtin. de la Chieſa, Theat. des Dames Sçav. Hilario Coſte, &c.

ANNA, Urbs antiqua Arabiæ deſertæ, ad Euphratem fluv. Mercatu prius celebris; ſed deficit indies, variiſque habitatur, cum arce in Inſul. adjacente. Alia in Meſopotamia eſt. Item, Portus in Amurgo, vel Mergo, Ægæi maris Inſul. Natal. Metell.

ANNA, civitas Judææ ſupra Hierichuntem. Steph.

ANNABERGA, Urbecula Germaniæ, in Miſnia provinc. & monte Schneberg, verſus Bohemiam. Juxta Schop amnem.

ANNACIUGI, populi Americæ, in Braſilia Mediterranea verſus præfecturam Portus ſecuri.

ANNACUS, vir quidam, qui ann. 300, vixit. Vide Stephanum in Iconio.

ANNÆUS, vide Lucius.

ANNÆUS Mella, vide Mella.

ANNÆUS Seneca, vide Seneca.

ANNÆUS Serenus, vide Serenus.

ANNÆUS Statius, vide Statius.

ANNALE, in Eccleſia Romana Anniverſarium eſt, dies ſcil. qui pro mortuis celebratur ſingulis annis, Ugut. Ut plurimum verò Miſſas denotat, quæ in eadem Communione per anni ſpatium pro defunctis celebrantur; & Annale quoque dicitur, Car. du Freſne Gloſſar. Dominic. Macer, in Gallia, feſtum primæ Claſſis Annale, feſtum verò ſecundæ Claſſis Semiannale dici annotat, in Hierolexico.

ANNALES Baculi, in quibus faſtos ſuos olim inſcribebant Dani, apud Olaum M. *Hiſt. Sept. l.* 16. & Olaum Wormium *de Faſtis Danicis l.* 1. *c.* 2. *&* 3.

ANNALES Livii, memorantur Firmico, ubi de Libero & ejus ſacris: *Imitatur te Lycurge & ſobrium ſuum inſtitutum ſequitur, nec a ſalutaribus tuis legibus exorbitat etiam Conſul noſter Poſthumius: nam ſicut in Livii Annalibus invenimus, Bacchanaliorum ſcelera, Æbutio quodam adoleſcente deferente, detecta ſunt.* Quamvis enim libros ſuos non inſcripſerit Livius *Annales*, ſunt tamen *Annales* reverâ, ſed & aliquid amplius. Non enim modo per annos digerit res geſtas, ſed etiam occaſiones, conſilia, ordinem rerum geſtarum & ſequenda fugiendaque explicat, quod non eſt nudorum Annalium, ut Sempronius Aſellio monet, apud A. Gellium, *l.* 5. *c.* 18. Interdum tamen vocabulum laxâ ſignificatione pro qualibet hiſtoriâ reperitur. Ut cum Florus *l.* 1. *c.* 10. *Quæ niſi in Annalibus forent, hodie fabula viderentur.* Sed elegantiſſimè Maro, *l.* 1. *Æn. v.* 377.

Et vacet Annales noſtrorum audire laborum.

Ubi alteram differentiam, Gellio quoque obſervatam, Servius docet & Livii recte proprieque *Annales* dici: *Inter hiſtoriam & Annales*, inquit, *hoc intereſt: Hiſtoria eſt eorum temporum, quæ vel vidimus, vel videre potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, i. e. videre. Annales vero ſunt eorum annorum, quos ætas noſtra non novit: unde Livius ex Annalibus & Hiſtoria conſtat.* Quod diſcrimen Tacitus ſecutus eſt in duplici opere ſuo in ſcribendo, &c. Gronovius *Obſervat. in Eccleſ. c.* 9. vide & infrà *Coronica caſſa.*

ANNANAS, vide infrà *Bonjama.*

ANNARIA Lex, apud Romanos dicebatur, ex qua præfiniebantur anni Magiſtratuum capiendorum. Æl. Lamprid. *in Commodo, c.* 2. *Poſt cum venia Legis Annariæ impetrata Conſul factus eſt.* Arnob. *adv. Gent. l.* 2. *in poteſtatibus obeundis leges obſervans Annarias in donis, muneribus, Cincias* &c. Cujuſmodi *LL. Annales* vocat Cicero *Philipp.* 5. meminitque earum *de Orat. l.* 2.

ANNARUS, Rex Babyloniæ, qui tanti luxus fuiſſe fertur, tamque gulæ deditus, ut ſtolâ muliebri amictus, merô, & unguentis madens, 150. pſaltriis ſimul accubantibus, velut officina nequitiæ, magnis effuſionibus cœnitaret. Alex. ab Alex *l.* 5.

ANNAS, i. e. *affligens*, vel *humilians*, aut *reſpondens*, Pontifex Iudæorum, ſocer Caiphæ. Luc *c.* 3. *v.* 2. Vide *Ananus.*

ANNAS Montmorantius, Dux, Par & Coneſtabilis Franciæ, ſub Ludovico XII. Franciſco. I Henrico II Franciſco II. & Carolo IX rebus præclarè geſtis nomen *Magni Ducis Exercitûs* adeptus. Obiit octogenarius, in prælio San Dionyſiano, contra Principem Condæum, Reformatorum in Gallia hyperaſpiſten, A. C. 1559. octo vulneribus confoſſus. *Thuan. Franciſc. du Cheſne, Dupleix, Mezeray, La Serre,* &c.

ANNAS, Dux Joiuſellæ, Henrico III. gratus, obiit in pugna Curtracenſi, ab Henrico Navarræ Rege qui poſteà Henricus IV. cum omnibus copiis, cæſus. A. C. 1587. Thuan. *in Hiſt.*

ANNAS Burgius, agnatus Antonii Burgii, qui ſub Franciſco I. Galliæ fuerat Cancellarius, Senator Pariſienſis, cùm Regem Evangelicos, à Valentina illa ſtrige accenſum, perſequentem, unà cum collega Ludov. Fabro, in mitiorem partem inflectere vellet, ejus juſſu, in carcerem conjectus, eòque in haſtiludio pauló póſt occiſo, An. ætat. 38. combuſtus eſt. Poſtquam ſerió prius Judices monuiſſet, *Jam tandem ignes veſtros & incendia compeſcite, atque ad Deum, emendata priore vitâ, mentes convertite, ut peccata vobis condonentur.* In ipſa morte, quam conſtantiſſimè pertulit, precatus eſt, *Deus meus, ne me derelinquas, ne ego te derelinquam!* Thuan. *l.* 12. 13. *&* 23. 28.

ANNAS, vel ANNIUS Viterbienſis. Vide *Annius.*

ANNATÆ, dicuntur in Communione Romana dimidium anni proventus, fiſco Apoſtolico, ut vocant, pendi ſolitum, ab omnibus iis, qui ſacerdotium, vel beneficium aliquod Eccleſiaſticum conſequuntur. Harum primus auctor Bonifacius IX. fuit, vel, ut alii volunt, Johannes XXII. Vide Blondum & Platinam, qui addunt, inventum hoc Pontifices, non minùs Chriſtiani orbis, quàm Urbis dominos reddidiſſe. Polydorus Virgil. *l.* 8. *c.* 2. earum originem altiùs arceſſit, etſi non neget, vectigal hoc à Johan & Bonifacio ſuprà dictis promulgatum & publicatum eſſe. Admiſerunt tunc hanc conſuetudinem omnes, præter Anglos, qui id de ſolis Epiſcopatibus conceſſere. Damnatæ ſunt poſtmodum in Baſilienſi concilio *Seſſ.* 21. Carolus VI. quoque Galliæ Rex illas è regno exportari inhibuit, Paul. Æmil *l.* 10. *Hiſtor.* Vide plura apud Claudium Eſpenſæum, *in Epiſt. ad Tit. c.* 1. *p.* 68. Gul. Budæum *l.* 5. *de Aſſe.* Cardin. Cuſanum *de Concord. Cathol. l.* 2. *c.* 40. Nicol de Clemangiis, Archidiaconum Bajocenſem, *de Annatis non ſolvendis.* Duarenum *l.* 1. *de ſacris Eccleſ. Min. c.* 6. Tandem Marcum Ant. de Dominis, *l.* 9. *de Rep. Eccl. c.* 9. &c.

ANNECIUM, urbs lepida Sabaudiæ Ducatus & ampla, ſed à paucis habitata, ad lacum cognominem. Huc tranſlata, ſedes Epiſcopi Genevenſis, à pluribus annis. Ibi quoque requieſcit Corpus Franciſci de Sales, Epiſcopi Genevenſis.

ANNEN, Sadducæorum ſectam, à tempore excidii antemnatam admodum, novô robore ſuffulcivit Annus, 4515 juxta *R. Ganz.*

ANNESTUS, vel ANNESTUM, Arabiæ Felicis oppid. à Gallis deletum. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

ANNI Gratiæ, dicti quód à Natali Chriſti initium ſumant, Joſ. Scaliger in *Can. Iſagog.* p. 275. ubi obſervat, Æthiopes ætatem Mariæ duplicitèr putare, aut ab annis expanſis Diocletiani, aut à periodis Dionyſianis: ab annis enim Diocletiani, abjectis omnibus 712. reliquos eſſe *annos Gratiæ*, Vide eundem *de Emend. Tempor.* Primum vero *ab Incarnatione Chriſti*, annos numerare cœpit Paul. Diaconus A. C. 492. *à Nativitate Chriſti* Dionyſius Exiguus A. C. 527. ſcribitque Ægidius Bucherius in *Chronol. Regum Francor. poſt.* 1. ſupputationem annorum à Chriſto nato, in antiquas hiſtorias ante A. C. 750. circiter vix uſurpatam; ſub Pipino Rege demum ejuſque filio Carolo M. paulatim in Gallia invaluiſſe &c. Idem annos Incarnationis computandi mos in Anglia obtinuit, ſaltem ſub Guilielmo Notho; ut ex aliquot *Chartis* colligitur, in *Monaſtico* Angl. *Tom. I. p.* 43. 53. &c. Deinceps veró vix ulla in Anglicis diplomatibus annorum nota reperitur, cum Regia regni annos, cœtera nullos ferè præferant. Apud Germanos perinde Nativitatem Chriſti annum aperuiſſe, docet Wippo de *Vita* Cunradi Salici, Venericus item vere, in *Apolog.* Henrici IV. &c. De aliis generibus infrà.

ANNI Imperii, in nummis Byzantiis, adſcribi conſuevere, Auguſtorum eorum, quorum erant, annotante Car. du Freſne, qui id uſurpatum in æreis Juſtini Thracis, Juſtiniani, Juſtini Junior. Tiberii, Mauritii, Phocæ, Heraclii & aliquot aliorum, obſervavit: in aureis vero & argenteis nulli comparent. Scribuntur autem characteribus Romanis: unde errare ait *Alemannum*, qui in nummis Juſtini & aliorum, e Græcorum *ἑξάκις*, ſex denotans, literis putavit, cum ſit *V.* Barbarum, ſeu, ut à Græcobarbaris tum effingi ſolebat, quod ex ſimilibus nummorum inſcriptionibus cuivis colligere licet. Quidam veró etiam Indictionem præferunt, ut ille æreus Mauritii, in quo ſub *I.* litera, vel columna crucigera, exaratum, *IND. II. &c.* Vide Carolum du Freſne *Diſſertat. de Infer. ævi Numiſmatibus.*

ANNI Totius villa, apud Senec. *Epiſt.* 55. Vide infrà *Villa.*

ANNIA Cornificia, ſoror natu minor Marci Antonini Philoſ. Jul. Capitolin. in *Vita* hujus *c.* 1.

ANNIA Fauſtina, conſobrina & uxor ejuſdem Imperatoris, *Galeria Fauſtina*, dicitur inſcr. *Vita* Marci *c.* 1 De qua cùm multa dicerentur, ob nimiam libertatem & vivendi facilitatem, maritus ea cum animi dolore compreſſit, Jul. Capitolin. in *Antonino Pio c.* 3. Mater fuit duorum marium totidemque filiarum; occiſa tandem in Achaja, juſſu Commodi. Lamprid. de Commodo, c. 7.

ANNIANUS, Poëta Latinus ſub Antonino & Adriano Imperatorib. A. Gell. *l.* 7. *c.* 7. & *l.* 20. *c.* 8.

ANNIBAL, Carthaginenſium Dux, Amilcaris fil. quem adhuc impuberem jurejurando ante aras pater aſtrinxiſſe fertur, ut quàm primum per ætatem liceret, arma contra Romanos ſumeret. Sil. Ital. *l.* 1. *v.* 104.

Olli permulcens genitor caput, oſcula libat,
Attolliique animos hortando, ac talibus implet:
Gens recidiva Phrygum Cadmeæ ſtirpis alumnos
Fœderibus non æqua premit: ſi fata negarint
Dedecus id patriæ noſtra depellere dextra:
Hæc tua ſit laus, nate, velis: age concipe bella
Latina cuſtum Laurentibus: horreat ortus
Jam pubes Tyrrhena tuos, partuſque recuſent
Te ſurgente, puer, Latia producere matres.

Quibus Annibal ſic reſpondit *v.* 114.

Romanos terra, atque undis, ubi competet ætas,
Ferro, igneque ſequar, Rhœteaque fata revolvam.
Non ſuperi mihi, non Martem cohibentia pacta,
Non celſæ obſiſtent Alpes, Tarpejaque ſaxa.
Hanc mentem juro, noſtri per numina Martis,
Per manes, Regina, tuos.

Succeſſit Aſdrubali, an. ætat. 26. ſtatimque in Hiſpania res feliciter geſſit, Salamancâ Vaccæorum, & Saguntô, poſt 7. menſium obſidionem, captis. Gallos ad Rhodanum ſuperavit; Alpes pervias fecit, *& Montem rupit acetô*, uti loquitur Juvenal *Sat.* 10. *v.* 153. In Italiam venit, cum exercitu 90000. peditum & 12000. equitum, captô intra triduum Taurinô, hic Scipionem vicit, Titum Sempronium Conſulem apud Trebiam ſuperavit; Flaminium Conſulem ad Traſimenum lacum ſudit, 15000. Romanorum cæſis. A Q. Fabro Maximo paulatim imminutus, poſteà, reſumptis viribus, Paulum Æmylium, ac Terentium Varronem Conſules apud Cannas vicit; 40000. peditum, & 2700. equitum cæſis, tribuſque ac dimidiô modiis annulorum Carthaginem miſſis. Caſtris deinde prope Romam poſitis,

Nil actum eſt, inquit, niſi Pœno milite portas
Frangimus, & mediâ vexillum pono Suburrâ.

Tempeſtate autem coactus in Campaniam venit, cujus deliciis fractus, mox à Marcello apud Nolam victus, & auditô, fratrem Aſdrubalem à Cl. Nerone victum & occiſum, graviſſimè perculſus eſt. Poſtea à Sempronio Graccho, magnâ ſuorum clade repulſus, navali pugnâ, ad Eurmedem victus venit. Deinde Carthaginem rediit, ut eam à P. Scipionis Africani obſidione liberaret, cum quo apud Zamam oppid. congreſſus 20000. Pœnorum amiſſis, ferè totidem captis. Ipſe ad Antiochum fugit, à quo auxilium & vires ſumpſit, cum quo etiam poſtremò ſuperatus. eſt. Cæterùm à Romanis poſtulatus, apud Antiochum & Pruſiam Reges, ipſorum fidem ſuſpectam habens, hauſtô, quod annulo incluſum geſtabat venenô, ſeipſum confecit. An. ætat. 64. Urb. Cond 571. An. Mund. 3871. ante Chriſtum Natum 183. Quidam ferunt, lapidibus obrutum fuiſſe à Carthaginenſibus, ob rem malè geſtam; Livius veró ſcribit eum cruci affixum fuiſſe: Nicephorus Gregoras in Syneſium *De inſomniis*: Ἀννίβας ὁ Καρχηδόνιος [illegible] ὑπὸ τοῦ Ἀφρικανοῦ Σκιπίωνος, [illegible] Προυσίαν. Μετ' οὐ πολὺ δ' οὖν οἱ Ῥωμαῖοι [illegible] Τίτος [illegible] Ἀννίβαν, [illegible] Καρχηδόνα [illegible] Ὁ δὲ [illegible] ὁ Ἀννίβας, [illegible] (Anglicè made himſelf away) [illegible] Ῥωμαίων, [illegible] θάνατον, [illegible]

[illegible] *Juvenal. Sat.* 10. v. 159. *de Annibale:*

Exitus ergo quis eſt? ô gloria! Vincitur idem
Nempe & in exilium præceps fugit, atque ibi magnus
Mirandusque cliens, ſedet ad prætoria Regis,
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miſcuit olim,
Non gladii, non ſaxa dabunt, non tela: ſed ille
Cannarum vindex, ac tanti ſanguinis ultor
Annulus. —— ——.

De ingenio ejus Liv. *l.* 21. *c.* 4. de excellentiâ ejus & auctoritate legere idem *l.* 28. *c.* 12. Militarem peritiam & artem ita miratus eſt Scipio, ut omnium Ducum ſeu Imperatorum hunc primum, ſecundum Pyrrhum, tertium ſemet ipſum pronunciaret. Plut. *in Pyrrho.* Lucianus quoque, in *Mortuorum Dialogis*, Alexandrum, Annibalem, & Scipionem de primo loco inter Duces contendentes introducit. Verùm ibi primum locum Minos Alexandro, alterum Scipioni, tertium demum Annibali tribuit. Cor. Nepos de eo ita ſcribit, *in ejus vita: c.* 1. *Si verum eſt, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute ſuperarit, non eſt infitiandum, Hannibalem tantò præſtitiſſe cæteros Imperatores, quantò populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes. Nam quotieſcumque cum eo congreſſus in Italia eſt, ſemper diſ eſſit ſuperior: Quod niſi domi civium ſuorum invidiâ debilitatus eſſet, Romanos videtur ſuperare potuiſſe. Sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem.* Sil. Italicus *l.* 1. v. 242.

—— *Primus ſumpſiſſe laborem,*
Primus iter carpſiſſe pedes, partemque ſubire
Si valli feſtinet opus, nec cætera ſegnis,
Quæcumque ad laudem ſtimulant, ſomnumque negabat
Naturæ, noctemque vigil ducebat in armis:
Interdum propriùs humi:

& poſtea, v. 250. —— *Tum vertice nudo*
Excipere inſanos imbres, cœlique ruinas.
Spectarunt Pœni, tremuitque [illegible] *Aſtur,*
Torquentem cùm tela ſuum, [illegible]*que nimbis*
Fulmina, & excuſſos ventis [illegible] *ſlatibus ignes*
Turbatò tranſirit equo:

& poſtea, v. 259. [illegible] *poſſet inventa jacuiſſe ſub umbrâ:*
Exercetque ſitim, & ſpretà [illegible] *cedit.*
Idem correptus ſternacem [illegible]
Frangere equum, & [illegible] *amare lacerti:*
Ignotique amnis tranare [illegible]
Gaudet, & adverſà pop[illegible]
Idem expugnat primus, [illegible]
Et quoties campo rapida. [illegible]
Quâ ſperſit ferrum, late rubet [illegible] *limes.*

Et ſanè Horatius Annibalem non niſi ab adverſariis fortibus & bellicoſis vinci poſſe innuit, in *Odis*. Ait enim *l.* 3. *Carm. Od.* 6. v. 33.

Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor ſanguine Punico,
Pyrrhumque & ingentem cecidit
Antiochum, Annibalemque dirum:
Sed ruſticorum maſcula militum
Proles. —— —— —— ——

Ab eodem Horatio *l.* 4. *Carm. Od.* 4. v. 49. & *Epod. Od.* 16. v. 8. *perfidus*, & *parentibus abominatus* dicitur. Plura de Annibale vide apud Nep. *in vita ejus.* *Liv. Flor.* [illegible] Diodorum *fragm. Polybium, Appianum, Eutropium, Zonaram, epitomen Virorum illuſtr.* quæ Plinio Jun. adſcribitur. *Nic. Lloydius.*

ANNIBAL, prioris Annibalis fil. ab Himilcone Duce in Lilybæum, quod à Romanis oppugnabatur, ad Siculos in officio continendos miſſus eſt. Polybius *l.* 1.

ANNIBAL, Rhodius, Dux item Carthaginenſis. Hujus meminerunt Xenophon, *l.* 1. *Hiſt. Gr.* Diodor. Sic. *l.* 13. Trogus *l.* 19. *c.* 2. Mortuus eſt bellô Siculô annô 3. Olymp. 93. Inter hujus obitum, & alterius Annibalis nativitatem, interſunt anni plus minus 160. Non poteſt itaque patruus fuiſſe magni illius Annibalis.

ANNIBAL, fil. Giſconis, nepos Hamilcaris, à Gelone an. 274. Urb. Cond. victi, à Carthaginenſibus, Egeſtanis auxilio miſſus, aliquot primò urbes cepit, ſed mox ab Hermocrate, exule Syracuſano, malè exceptus eſt, Diodor. Sic. *Biblioth. Hiſt.* Juſtin. *l.* 22. 23.

ANNIBAL, dictus *Senior*, in Sardinia à C. Sulpicio Paterculô, Conſule Romano ſuperatus; paulo poſt claſſe inſuper amiſſâ, à ſuis in crucem actus eſt. Vide Liv. *l.* 42. *c.* 28, 29. *Polyb. Diodor.* Juſtin. *l.* 33. *c.* 1. *&c.*

ANNIBALIANUS, vel ANABALIANUS, nepos Conſtantini Imperatoris & ductâ ejus filiâ, Ponti Rex, accuſatus necis ſoceri cum complicibus illatæ, & ſeditionis excitatæ, occiſus eſt. Zoſim. *l.* 2. Ammian. Marcell. *Chr.* [illegible] *Alexandr.*

ANNIBALIANUS, memoratur Vopiſco in *Probo*, *c.* 22. *Duces præclariſſimos inſtituit. Nam ex ejus diſciplina Carus, Diocletianus, Conſtantius, Aſclepiodotus,* Annibalianus, *Leonides, Cecropius* — *& cæteri, quos Patres noſtri mirati ſunt, & de quibus nonnulli boni Principes extiterunt, inſtituti ſunt.*

ANNIBI, montes & gentes in Serica regione. *Ptol.*

ANNIBI, Lacus Tartariæ Septentrionalis in Aſia, & montes cognomines in eadem regione, teſte *M. Polo.*

ANNICERII, Ariſtippeæ Scholæ ſecta, animadvertentes inſitam naturæ humanæ labem, Διὸ, monuerunt, [illegible] *Oportere in optimis quibusque aſſueſcere, propter malitiam & inſitam nobis vitioſam affectionem,* apud Laërtium *in Ariſtippo. c.* 96. Vide *Anniceris.*

ANNICERIS, Cyrenæus, nobilis equorum agitator, qui artem Platoni oſtentaturus ante Academiam currus conjunxit, ſæpeque eundem curſum iiſdem veſtigiis nihil deflectando repetiit, [illegible] Verba ſunt Æliani *Var. Hiſt.* *l.* 2. *c.* 27. Lucianus, *in Demoſthenis Encomio:* [illegible] *Nic. Lloydius.*

ANNICERIS, diſcipulus Ariſtippi, Hegeſiæ commilito, Platonem ex captivitate liberavit, & auctor extitit unius quinque illarum ſectarum, quæ ex Cyrenaica ſuppullularunt. Diogen. Laërt. *in Ariſtippo l.* 2. *c.* 69. & *Platone l.* 3.

ANNICHORI, vel ANNICHORES, populi Perſis vicini. *Steph.*

ANNINSULA, locus Galliæ in Cenomanis veterrimô inſignis Monaſteriô, cui à flumine, vel potiùs amniculo præterfluente nomen. Vulgò S. Carileffi Monaſterium, *Saint Calés* appellatur, à Carileffo Arverno Presbytero & Monacho Maximi Miciacenſis Abbatis diſcipulo, qui illud, regnante Childebertô, majore Chlodovei filiô, conſenſu Innocentii Cenomanorum Epiſcopi extruxit, & quò Chilpericus Rex Meroveum filium ſuum Presbyterum ordinatum miſit, ut Sacerdotali regulâ erudiretur. Quibuſdam Monaſterium & locus Monaſterii *Aniſola* vocatur à fluvio, & olim *Caſa Cajani* locus dictus eſſe fertur; vulgò nunc *Anille*, à nomine loci, nunc *Saint Calais*, ut dictum, à nomine Patroni. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ANNIVERSARIUM, dies eſt annua, quâ defuncti alicujus memoria celebratur; Germanicè *ein Jahrtag*, Anglicè olim *a Yeer-day*, item *a mind-day*. Rem ab Anacleto primùm, dein à Felice Pontificibus Romanis editam ferunt, qui, Martyrum dignitati conſulentes, in eorum memoriam annua ſacra inſtituiſſe perhibentur. Poſteriores autem, ſua ſibi plerumque *Anniverſaria* curabant perficienda: facultates proin & prædia Eccleſiæ largiebantur, ut pro animabus preces annuè funderentur & pecuniæ cibariaque inter pauperes diſtribuerentur; Quorum formulas perplures habes Alamannicarum Antiquit. *Tom.* 2. *part.* 2. *ſub tit. Alamannicæ Eccleſiæ anniverſaria:* ubi ſtatim in exordio, *Norpertus Abbas* [illegible], *primus inter Abbates anniverſarium ſuum obſervari ordinavit, largitis aliquibus bonis in uſum fratribus, in ſecunda die Paſchæ manducandis.* [illegible] *inſtituit anniverſarium S. Wiboradæ Martyris & Virginis Chriſti. Poſteà autem à dictis dominis Abbatis Mangoldi anniverſaria cœpit ſunt in Alamannia ab omnibus utriuſque ſexus celebrari, circa* A. C. 1261. Quod hodieque obtinet in Eccleſia Romana. Dicitur & *Anniverſitas*, &c. De *Anniverſariis veterum Romanorum feriis*, vide infrà voce *Feria.*

ANNIUM, Elidis in Peloponneſo oppidum.

ANNIUS Annulinus, Romanus Conſul, Numidii Tuſci collega.

ANNIUS, vel Annas, Annalium conditor. Voſſ. *Hiſt. Lat.* *l.* 3. p. 675.

ANNIUS Baſſus, Undecimæ legionis legatus, qui Poppæum Silvanum conſularem ſecordem bellô & dies rerum verbis terentem ſpernebat atque regebat. Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 50.

ANNIUS Fabianus, vide *Lucius.*

ANNIUS Cornicula, adulator Gallieni Imperatoris, de quo Trebell. Pollio in *Gallienis*, *c.* 17. *Ubi de Valeriano patre comperit* (Imperatore) *quod captus eſſet — dixit ille, ſciebam patrem meum eſſe mortalem. Nec deſuit Annius Cornicula, qui eum quaſi conſtantem Principem falsò ſuà voce laudaret, pejor tamen ille, qui credidit.* Ubi poſtrema verba omnia abſunt à regio, in quo hæc ita concepius, *Qui eum quaſi conſtantem Principem diceret.* Caſaubon. *Not. ad loc.*

ANNIUS Fauſtus, Equeſtris ordinis temporibus Neronis delationes factitavit. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 10. Sed accuſante Vibiô Criſpô, cujus fratrem perverterat, damnatus eſt ſub Othone.

ANNIUS Fuſcus, pater Peſcennii Nigri Imperatoris, maritus Lampridiæ, fil. curatoris Aquini. Spartian. in *Peſcennio c.* 1.

ANNIUS Furius, vide *Titus.*

ANNIUS Libo, Conſul Romanus patruus M. Antonini Philoſophi, apud Capitolinum in *Vita hujus. c.* 1. It. Conſul Romanus Torquati Aſprenatis collega.

ANNIUS Marcus, inter Oratores Græcos, quibus idem Imperator Magiſtris uſus eſt, apud Eund. *c.* 2. Meminit ejus apud Philoſtratum quoque in *Vitis* Sophiſtarum, nec enim alius hic Marcus eſt. Nam & illis temporibus vixit, quibus potuit eſſe Marci Magiſter in Rhetoricis, & illâ ætate fuit magno in pretio: [illegible] verba ſunt Philoſtrati, [illegible] Nec obſtat, quod *Annius Marcus* apud Capitolinum dicitur, Philoſtrato tantùm *Marcus*: namque & Caninium Celerem & Ti. Atticum Herodem iiſdem Capitolino memoratos, non niſi *Celerem Herodemque* vocat idem Philoſtratus. Salmaſ. ad Capitolin. *loc. cit.*

ANNIUS Pollio, vide *Pollio.*

ANNIUS Rufus, Judææ Præfectus. Vide & *Titus.*

ANNIUS Scapula, maximæ dignitatis & gratiæ Provincialis homo, propter conjurationem in Caſſium interfectus eſt. Hirtius, *de Bell. Alexandr. c.* 55. Alios *Annios*, vide in *Feſtus*, *Florianus*, *Milo*, &c.

ANNIUS Severus, ſocer Gordiani Imperatoris, cui hic *tantum detulit, ut in familiam ejus quaſi filium migrâſſe ſe crederet, ut nunquam cum eo laverit, nunquam illô præſente ſederit, ante Præturam. Conſul cum eſſet, aut in domo ejus ſemper manſit, aut, ſi in Pompejana domo, ad illum vel manè vel ſero proceſſit.* Jul. Capitolin. in *Gordianis. c.* 6.

ANNIUS Tacitus. Vide *Tacitus Imperator.*

ANNIUS Veriſſimus, Poſt Patris Annii Veri exceſſum, ab Hadriano

driano Imperatore vocatus eſt. M. Antoninus Philoſ. cùm antea patri eſſet cognominis: ὡς τὴν τῆς Ῥωμαίων ὀνομασίαν ἐκλείπειν, ad verum Romanæ ſenſum, inquit Dio, h. e. quod eſſet veritatis amantiſſimus ac tenaciſſimus. Pioui Veriſſimum eum vocant Juſtinus, Euſebius, Georgius Mon. & Lamprid. quoque. Poſt virilem autem togam, ad nomen quod initio habuerat, rediit. Idem Capitolin. in Marco. c. 1.

ANNIUS Verus, Romanus Conſul Auguris collega.

ANNIUS Verus, nomen proavi, avi & patris Antonini Philoſ. qui primò Catilii Severi, materni proavi, nomen habuit; inde Annius Veriſſimus, ut modò vidimus, dictus eſt: tandem, ab avo paterno adoptatus & educatus, Annius itidem Verus, appellari cœpit. Vide Capitolin, ubi ſupra.

ANNIUS Viterbienſis (Johannes) Dominicanus, Linguarum & antiquitatis peritiſſimus; De quo 17. libros edidit, quibus Beroſi, Manethonis, &c. opuſcula jam dudum eruditis exploſa, inſeruit. Vide Leand. in deſcr. Italiæ. Patriæ ſuæ antiquitatem lepidò commentò aſſerere conatus, ſi fides Antonio Auguſtino, 10. dialogo, habenda Vide Scalig. de Emendat. Tempor. l. 5. Genebr. l. 1. Chron. Peter. in Danielem. Poſſev. l. 16. Bibl. Volaterran. l. 16. Anthropol. Crinit. de honeſt. diſcipl. l. 24. &c.

ANNO Domini, in ſupputatione annorum, quando uti Chriſtiani cœperint, vide infrà, ubi de Incarnatione & Nativitate Jeſu Chriſti: ut & ſuprà aliquid, in Anni Gratia.

ANNOBONA, Inſul. Africæ in littore Guineæ. 10. leuc. in circuitu habet. Sic dicta, quia primò Anni die à Luſitanis detecta. Diſtat 180. mill. paſſ. à promontorio Lupi Gonſalvi, in Occaſum.

ANNON, ſive HANNO, Dux exercitus Carthaginenſis, coactus eſt vertere ſolum exilii causâ, quod in expeditionibus leonem haberet ſarcinas vehentem, tanquam argumento id eſſet, eum ad Tyrannidem aſpirare. Plut. de inſtit. Princ. c. 4. & Plin. l. 8. c. 16.

ANNON ſeu HANNO, Dux Carthag. à Scipione, in Hiſpania captus Romamque miſſus eſt. Filius illius Bomilcaris, qui ab Annibale juſſus Rhodanum clam trajecit, ut Gallos funderet. Plut in Annibale. Liv. l. 26. 27. & 28. Polyb. l. 1. Item, Dux alius Carthag. qui in Siciliam venit, &c.

ANNON, Carthaginenſis præ nimio faſtu humanis terminis non contentus cupiebat majora. Nam cùm aves multas ex iis, quæ modulationibus in cantu utuntur, emiſiſſet, nutrivit eas in obſcuro loco, docuitque id unum dicere, Annon Deus eſt. Cùm autem aves unam hanc vocem auditam percepiſſent, aliam aliò dimiſit, ratus carmen illud; quod aves edocuerat, aliis in locis etiam divulgatum iri: quæ tamen opinio eum fefellit: nam aves ſemel ſolutæ, & ad propria, conſuetaque loca profectæ, priores & naturales cantus edebant, contempto Annone, & iis diſciplinis, quas captivæ didicerant. Ælian. Var. Hiſt. l. ult. c. 30. Simile extat exemplum de Pſaphone, apud Eraſmum in Adag.

ANNON, vel HANNO, Carthaginenſis, Periplum ſcripſit, quô proſecutus eſt Africæ ambitum, & terras in Atlantico Oceano à ſe inventas. Librum iſtum Punicè ſcripſit, ſed Græcè eſt tranſlatus, hodieque extat. Quid de illo ſentiant Voſſius Pater & Filius, vide hunc de Hiſt. Græc. l. 4. p. 513. illum verò ad Melam, p. 302.

ANNONA, apud Romanos Dea τῆς εὐθηνίας καὶ εὐετηρίας, fertilitatis & ubertatis annuorum redituum. Unde vetus Inſcr. DIVÆ ANNONÆ, apud Salmaſ. ad Solin. p. 250. Idem de Pomona factum, quæ pomorum proventui, ſicut Annona unius anni fructui, propriè fuit, quod de omnibus fructibus, ſed imprimis de frugibus dictum, Græcis ὁ ἐπέτειος ἐνιαυτός. Ad hujus Deæ ſacra pertinet, quod legitur apud Appulejum l. 11. Met. Indidem de ſublimi ſuggeſtu — renunciat ſermone ritùque Græcienſi ita, λαοῖς ἀφέσιν, uti reſtituit locum Salmaſius; quâ voce feliciter ut cunctis eveniret, ſignificatum. Unde gaudio delibuti populares, verbenas & coronas ferentes & exoſculatis Deæ veſtigiis diſceſſerunt. Salmaſ. ad Solin. p. cit.

ANNONA, ab ANNONIS, in eo differt, quòd annonæ ſint panes, annonâ verò etiam aliæ ſpecies cellariæ continebantur. Unde legimus apud Lamprid in Severo c. 41. Aulicum miniſterium in id contraxit, ut eſſent tot homines in officiis ſingulis, quot neceſſitas poſtularet. ita ut annonas, non dignitatem, acciperent fullones & veſtitores, & Piſtores, & Pincernæ, omnes Caſtrenſes Miniſtri, quemadmodum peſtis illa inſtituerat, ſed annonas ſingulas vix binas. Ad quæ verba, Annonæ, inquit Salmaſ. numerò ſingulò cùm dicunt, frumentum ſignificat & vinum & oleum & carnem & capitum & alias ejuſcemodi cellarienſes ſpecies, vide tit. Cod. Theod. de erogat. militar. annonæ. Annonæ verò multitudinis numerò enuntiatæ, panes tantum ſignificant & hôc ſenſu accipiendæ ſunt, ubi annonæ ſingulæ, binæ aut ternæ dari dicuntur; tot enim panes accipi debent. Apud eundem Lamprid. infrà, c. 42. Medicus ſub eo unus Palatinus ſalarium accepit, cæteri omnes, qui uſque ad ſex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant, ita ut mundas ſingulas conſequerentur, alias aliter. Ubi mundas annonas non niſi de panibus interpretari poſſumus. Nec enim de larido aut capito animalium dixeris mundas annonas; cùm tamen laridum & capitum, etiam annonæ nomine comprehenderentur: ſed non annonarum quibus propriè panes denotabantur, ut vidimus. Hinc titulus Codicis Theodoſ. de excoctione & tranſlatione annonarum, ſolius panis vel buccellati excoctionem intelligit, ut ex l. 1. & 2. ejuſdem tituli videre eſt. Et in Synopſi Baſilικῶν, Μηδεὶς παντελῶς σῖτα τῶν ἀννωνῶν μηδὲ τῷ θείῳ οἴκῳ παρεχέσθω, Nulli ne divinæ quidem domui frumentum pro annonis præbeatur. σῖτα τῶν ἀννωνῶν, i. e. loco panum, &c. Vide infrà, in voce Annona civica. Quanta autem Annonæ olim cura habita fuerit apud Romanos, tum in Urbe & provinciis, diximus ſuprà, ubi de Alimentorum cura; tum in caſtris & exercitu, dicemus infrà, in voce Annona militaris. Addam hîc ſaltem locum inſignem, qui occurrit apud Liv. l. 2. c. 9. ubi de Porſena Urbi Romæ minitante: Multa igitur blandimenta plebi per id tempus ab Senatu data. Annonæ imprimis habita cura & ad frumentum comparandum miſſi, alii in Volſcos, alii Cumas. Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenſo pretiò venibat in publicum omni ſumtu, ademptum privatis. Portoriis quoque & tributò plebe liberatâ, ut divites conferrent, qui oneri ferendo eſſent. Ubi quod de ſale inter alia dicitur, ſic intelligit Turnebus, ut dicat datum plebi ſalem de publico, onere & ſumtu illiô in Rempublicam receptô. Sed præter durum loquendi genus, inſolentiſſima foret hæc largitio, in tanta egeſtate Reipublicæ. Manutius impenſo pretio exponit, non ſoluto. At id prohibent exempla tot alia, voluntque intelligi, pretiô vel maximô, aut quantumvis magnô. Vel eô ſenſu, quô aliàs etiam aut & id quidem. Si nihil aliud, introductio, de qua ſequitur, dotatæ Aquilliæ hunc ſenſum affirmat. Nummus porrò, venibat in publicum, ſine omni ſumptu ademptum privatis. Quod ſit, venditum fuiſſe publicè, detractis oneribus ſolutorum ac vectigalium, ut præter pretium ſalis nihil ſit ſolutum. Sed ne hoc quidem ex iſtis verbis poteſt confici Venire in publicum dicitur, quod emitur pecuniâ ærarii: Ut contrà apud eundem Liv. l. 40. c. 51. Forum Piſcatorium, circumdatum tabernis, quas vendidit in privatum. Non poteſt autem eſſe cauſa, cur privatis adimeretur illud commercium, quod magnò pretiò à Republica compararetur. Cur enim Reſpublica compararet? Dein, plebi conſultum eſt hôc inſtitutô: plebs igitur gravata erat anteà, non Ærarium. Sed & poſtrema verba nihil habent ſani. Itaque Gronovius ſic cenſet: Salinas Oſtiâ deductâ inſtituerat olim Ancus. Eæ, ut ſolent publica, haud dubiè locabantur redemptoribus exercendæ. Qui cùm magnò conducerent, atque ideò Annonam ſalis excandefacerent. Patres plebis demerendæ causâ tum non locaverunt ſalinas privatis vectigal pro eo penſuris, ſed mandaverunt operis publicis, quæ in publicum colligerent omne ſal, conſtitueruntque Inſtitores, qui ſalubriori pretiô plebi divenderent. Sueton. Calig. c. 40. Vectigalia nova atque inaudita, primum per Publicanos, dein, quia lucrum exuberabat, per Centuriones Tribunoſque Prætorianos exercuit. Nempe quod hic fecit avaritiâ & invidiâ in redemptores, id illi indulgentiâ in plebem. Unde verba Livii his verbis ei videntur concepta: Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenſo pretio venibat, in publicum omni ſumtum, ademtum privatis. h. e. non ad haſtam locaverunt ſocis, ſed ad ſe receptum Patres Actoribus publicis mandaverunt. Sumere enim in publicum, ut redigere in publicum, referre in publicum: qualia paſſim frequentat Cato in Originibus, vide quoque Varronem de LL. l. 4. Livium iterum l. 26. 42. & 44. In iiſdem verbis aliud levamenti genus latiùs patens, Portoriis quoque & tributo plebe liberatâ &c. Qua de re vide plura apud Joh. Frider. Gronov. Not. ad Livium d. l. Sub Imperatorib. Annonam vaſtabant, ſeu incendebant, aut excandefaciebant, ut Lamprid. in Commodo c. 14. & Varro l. 3. Rei Ruſt. c. 2. loquuntur, qui Rempubl. gerebant, vel avaritiâ moti, vel ut Principibus invidiam conflarent; quemadmodum ſub Commodo Cleander, ſicut referunt Dio & Herodianus, aſtu improbô id egit, ut conflatâ ex ea re invidiâ Commodum opprimeret: quem tamen hæc molientem Papyrius Dionyſius Annonæ Præfectus aſtu pari, verùm ſine diverſiô, vexans & ipſe annonam perdidit. Nec idoneum verò ſemper caritatis remedium vilitas propoſita, ut de Commodo Lamprid. refert: Unde Amm. Marcellin. l. 22. in elog. Juliani: Inter præcipua tamen & ſeria illud agere ſuperfluum videbatur, quod nulla probabili ratione ſuſceptâ popularitatis amore, vilitati ſtudebat rerum venalium, quæ nonnunquam ſecus, quàm convenit ordinata, inopiam gignere ſolet & famem. Prudentiſſimè igitur Alexander Severus, de quo Lamprid. c. 22. Cum vilitatem, ait, P. R. ab eo peteret, interrogavit per Curionem, quam ſpeciem caram putarent: illi continuò exclamaverunt, carnem bubulam atque porcinam. Tunc ille non quidem vilitatem propoſuit, ſed juſſit ne quis ſumminatam occideret &c. Adhoc meliùs verò Pertinax, cujus exemplo, cùm ille parcius frageret: ex omnium continentia vilitas nata eſt, apud Capitolin. c. 8. Vide Caſaubon. & Salmaſ. ad h. l. ut & infrà, in voce Annonarum.

ANNONA Militaris, quàm ſolicitè curata olim, indicat Lamprid. in Alexandro Severo c. 15. cùm de Imperatore hoc, Annonam, inquit, militum diligenter inſpexit. Pro quo verbo reſpexit habemus, quod proprium huic rei, apud Vulcatium Gallicanum in Avidio Caſſio, c. 5. Annona militaris omnis parata eſt, neque quidquam deeſt ſub bono Duce — c. 6. Arma militum ſeptimâ die ſemper reſpexit; veſtimenta etiam & calceamenta & ocreas: delicias omnes de caſtris ſubmovit &c. Quas ſpecies contineret, potiſſimùm ex Capitolino in Gordiano Tertio c. 28. diſcimus: Cujus viri tanta in Rep. diſpoſitio fuit, ut nulla eſſet unquam civitas limitanea potior, quæ non poſſet Exercitum Populi Rom. ac principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento, & larido atque hordeo & paleis condita non haberet. Servabantur illæ, in urbibus munitiſſimis, quæ ferè capita ſuarum provinciarum erant, uti refert Marcellin. de Palatiis Iſauriæ, Procopius de Daras & Niſibi, ubi ἐν δημοσίῳ, i. e. in Prætorio, illas conditas narrat: quemadmodum conſtituit Leo Imp. l. ult. C. de Offic. Rectores prov. In limitaneis imprimis civitatibus, quæ prout magnæ, aut parvæ eſſent, plurium aut paucorum menſium habebant condita: longè enim major pars militum in limitibus conſtituta erat; unde tam frequens mentio in Cod. Theodoſ. primipilariorum ad paſcendos milites ad limitem ſolemniter deſtinatorum. Ex limitibus verò vel limitaneis urbibus ad caſtra deferebantur ſpecies hæ, per viciniores limitis provinciales, militeſque in limitaneis caſtris conſtitutis. duas alimoniarum partes ibidem ſumebant, tertiam ipſi vehere cogebantur, l. Julian. Cod. Theodoſ. de erogat. milit. ann. &c. Cùm autem per provincias, iter faciebat Imperator, totius Annonæ militaris ratio coràm illi exponebatur, atque etiam δείγματα oculis ſubjiciebantur, quæ poſterior ætas trabam appellavit. Morem aperit Amm. Marcellus. l. 21. Jovinianus vehiculo inſidens, quod portabat reliquias Conſtantii, ut Principibus ſolet, annonæ

mutatis offerebantur indicia & (ut ipſi nominant) proba & annualia publica monſtrabantur &c. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *ad Spartian. in Hadrian.*, c. 12. ubi illum, etiam in caſtris, ubi præterituræ Militum lumitaneorum, ſpecies annonarias aſſervari ſolitas, contendentem, hic refellit, ut & infrà in voce *Conditu*, item in *Horreum*. Secundum pittacia autem militibus erogari has ſpecies conſueviſſe, dicemus infra in voce *Pittacium*. Sed & apud Wiſigothos, per ſingulas civitates atque caſtella Officiales erant ſeu Magiſtratus, *Annonarii* dicti, qui militibus annonam ſine fraude exhiberent, uti docent *LL.* Wiſigoth. *l.* 9. *tit.* 2. §. 6. &c. Vide infrà.

ANNONÆ Præfectus, Romæ extraordinarius fuit Magiſtratus, ab Ædili Cereali, qui ordinarius erat, diſtinctus. Fuit ejus munus, videre ne plebs annonæ caritate ne inopiâ laboraret, verum ut panis ſuppeteret affatim, ponderoque juſtò ac munditie debitâ veniret. Itaque, ſi quid ad annonam pertinens, commiſſum erat, cognoſcebat. Mentio ejus fit à Livio *l.* 4. *c.* 12. & *alibi*. Geſſit hunc Magiſtratum Cn. Pompejus M. eò annò, quò Cicero revocatus eſt ab exilio, ut conſtat ejus ex *Orat. pro Domo*. Fuit autem primò in urbem annona illata, ex Sicilia & Sardinia, quæ proin *Horrea populi Romani* dici amârunt. Auctâ poſtea Republ. prolatóque ſub Conſulibus Imperiô, ex Africa, domitâ jam Carthagine: ſub primis Imperatorib. ex Ægypto, denique declivi jam Principatu, aut potius diviſô, è Gallia frumenta in urbem, ad Populi annonam, convehebantur. D. Auſonius in *urbib. Narbo v.* 21.

--- Toto tibi navigat orbe catapluſ.

Inprimis vero Alexandrinæ frumentationes nobiles fuêre, etiam apud Græcos, ut patet ex Athenæo *Dipnoſophiſt.* 11. cumque reliqua navigia, quæ ex Africa ſub Auguſto in Italiam commeabant, Capreas inſul. tranſitura, velò ſolò contentæ eſſent, Alexandrinis etiam ſuppara addere ſuis permiſſum. Sed & ex Hiſpania fruges petitæ, Claudian. *in Eutrop. l.* 1. *v.* 406.

Teutonicus vomer, Pyrenæque juvenci
Sudavère mihi; ſegetes mirantur Iberas
Horrea: nec Libyæ ſenſerunt damna rebellis,
Jam tranſalpina contenti meſſe Quirites.

Ex his igitur provinciis advecta annona navibus onerariis, dein imponebatur caudicariis navibus, ut per Tiberim in urbem inferretur. Hinc Cappella *de Nupt. Merc. Philolog. ad oſtia*, inquit, *Tiberina naves onerariæ appellunt*: dicebanturque qui ejuſmodi navigiis præerant, *Codicarii*, ſive *Caudicarii*, ut ex *inſcr.* lapidis antiqui patet: *Menſores Portuenſes, quibus venia ſtatuum Caudicariis dimittuntque certamen.* Advectam jam Menſores hi in publica horrea inferebant: quæ vel *penſilia* erant, in editiori villæ parte, vel *ſubterranea*, quorum illa Vitruvius *l.* 6. *c.* 9. *ſublimia*, hæc Plinius l. 18. *c.* 30. *defoſſa* vocat: quibus & ex *tabulis ligneis mobilia* fuiſſe, addendum ex Scævola JC. *l.* 60. *ff. de acquir. rer. dom.* Itaque, niſi ex horreis publicis diſtribueretur frumentum, eſuriebat civitas. Unde crudele illud Caligulæ factum, cum nonnunquam *horreis præcluſis famem populo indiceret*, Sueton. *in eo c.* 26. Inde annona efferebatur & populo dividebatur, vel per Præfectum frumenti dividendi, qui dicebatur *annonam dividere & dare*, & præterea *regere*, vel per Ædiles. Neque verò ſemper annona frumentum erat, ſed interdum arctiore in penuria panis dividebatur. Quòd ſi annona defeciſſet, ut nec in horreis publicis frumentum, nec gradibus panis ſuppeteret, ſæpe oriebantur ſeditiones, & ab indignante famelicaque plebe, petebantur lapidibus ii, quibus id negotii incumbebat. Lucanus *Pharſal. l.* 3. *v.* 55.

— — Irarum cauſas & ſumma favoris
Annona momenta trahi, namque aſſicit urbes
Sola fames, emiturque metus, cùm ſegne potentes
Vulgus alunt.

Victor in *Antonino Pio*, ſub fin. *Cùm ob inopiæ frumentariæ ſuſpicionem lapidibus peteretur.* Ideoque cùm arctiſſima fuit annona, ut loquitur Sueton. *in Galba cap.* 7. lenitate ſuâ Imperatores ſubvenire ſolebant & commeatuum in urbem ſubvehendorum curam alicui permittere, Symmachus *l.* 10. *Ep.* 31. quod nunc gratuitum & ſine pretio, imò interdum & ſine menſura hi conſiciebant, ad aucupandum popularis gratiæ favorem. Quemadmodum autem pecunia ad ſtateram pendi, non numerari, conſueverat olim, ita frumentum plebi dividendum, teſſerâ frumentariâ datâ, non menſurâ, ſed pondere primitus erogabatur. Hinc in legg. Xvital. *Vincto farris libra in ſingulos dies datur.* & Horatius *l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 68.

— --- — Cui ſatis una
Farris libra foret, &c.

Plora ſuprà, & apud Thom Dempſter. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 38. Vide quoque *Comes annonæ* infrà.

ANNONÆ Æratæ, quæ adæratæ in pretiis exhibebantur, *l.* 1. *Cod. de erog. milit. annona.*

ANNONÆ Civicæ, item *Annonæ Publicæ*, dicti ſunt *tit. Cod. de Annonis civ.* panes, qui plebi Conſtantinopolit. olim Imperatoriâ liberalitate quotidie diſtribuebantur. *l.* 8. *eod. tit. Annonas civicas in Urbe Conſtantinopol. ſcholæ ſcutariorum & ſcutariorum clibanariorum divi Conſtantini adſeruntur liberalitate meruiſſe.* Græci πολιτικοὺς ἄρτους & πολιτικὸν dixêre. Latini inſuper *buccellas*, ut teſtatur *l. Valentinian. Cod. Theodoſ. de annonis civ. & pan. grad. Civis Romanus, qui in viginti panibus ſordidis ---- quinquaginta uncias comparabat, triginta & ſex uncias in buccellis ſex mundis ſine pretio conſequatur.* Ubi *buccellæ mundæ*, ſunt καθαροὶ ἄρτοι, Spartiano in *Aureliano* ... 5. *Annona munda* &c. Nempe olim frumentum populo dabatur, unde ſub Imperatorib. qui Aurelianum anteceſſerunt, crebra teſſerarum frumentariarum mentio: Aurelianus primus *annonam* Populo in pane coctò diviſit; quemadmodum idem porcinam quoque primus populo diſtribuit. Zoſimus, Ἐπὶ τούτοις καὶ ἄρτον δωρεᾷ τὸν Ῥωμαίων ἐτίμησε δῆμον, *Ad hæc & panum munere Romanum honoravit populum.* Bilibres primùm fuiſſe hos panes, ex *Vopiſco* diſcimus, & quidem in modum coronæ ſive circuli formatos; acceſſit dein ſub eodem Aureliano aliiſque Principibus incrementum, ita ut ſub Theodoſio ſex panes quotidie darentur ſingulis popularibus, quorum quiſque ſex uncias pendebat; cum 25. tantum unciæ in uno pane ſub Aureliano præberentur, vide *loc. dict.* Hi *gradiles* dicti, quod in iiſdem gradibus, quibus olim congiaria Populo dabantur, æra dividebantur & miſſilia omne genus, teſſeræ item mittebantur, erogarentur, in Amphitheatri nempe gradibus ſive Theatri, de quibus dicemus latiùs infrà in *Gradiles Panes*. Interim, cùm ex Conſtantini inſtituto, Annonæ civicæ Populo in Urbe Conſtantinopol. non minùs, ac Romæ, erogari cœpiſſent, erogatio ea non in Circi aut Amphitheatri gradibus, ſed in Foro fieri ſolita eſt. Sed & ibi Populus per gradus diſtinctus & per turmas diviſus, cùm in ſuo quiſque loco ac gradu adſtaret, panes illos civiles, qui de publico dabantur, accipiebat. Sicut autem olim quibus frumentum dabatur, teſſeræ mittebantur, ſic poſtquam panes frumenti vice dari cœperunt, teſſeræ etiam datæ ſunt, ligneæ videl. ξυλήφια Polybio, παλάμια Codino, σύβολα παλάτια Chron. Alexandr. &c. Vide infrà in *Teſſera panaria*: quarum locô juſſêre Imperatores Valentinianus & Valens, ut titulus æneus in gradibus figeretur, in quem & panis modus ac nomen percipientis incidi debebat, vide *l.* 5. *Cod. Theodoſ. de annon. civ. & pane grad.* Teſſeris itaque acceptis ad Forum ibant populares & ibi iiſdem oſtenſis, panem quiſque ſuum accipiebant: hinc παλαμοφορεῖν apud *Themiſtium* dicti. Cum his autem accedebant ad *ἀρτοθήκας*, ſeu ſepta, de lignis, conſtructa, in medio Conſtantinopol. Foro, quod Ταύρου vel Αὐγουστεῖον vel Αὐγουστεῶνα vocabant, in quibus gradus illi, de quibus dictum, ubi locum ſuum quiſque obtinebat à Præfecto Urbis ſibi adſignatum. Corippus *de Conſulatu Juſtini Jun. l.* 4.

Jam vicina dies ſpectandi Conſulis omnes
Urgebat turmas arcus ſtatione replere,
Et loca, quæ populis Præfectus deputat Urbis.

Sic ſtantes in ſuis arcubus & ſeptis, ac per gradus & ordines diviſæ plebi, ab illis ipſis gradibus dividebantur *Annonæ* quotidie, idque gratis, ſicut & vinum & oleum, & porcina, uſque ad principatum Heraclii: cujus Imperii annò 8. civibus Conſtantinopol. tributum ſeu capitatio, panum Civicorum nomine, impoſita eſt, ut pro ſingulis ſcil. panibus, quos de publico percipiebant, tres nummulos penderent. Quod tributum cùm ſolviſſent, eòdem illò ipſô annô, menſe Auguſtô, ejuſmodi omnis *Annonarum civicarum* diſtributio omnino ſublata eſt &c. Non omittendum autem, emolumenta illa civica neminis deputaviſſe Conſtantinum, niſi qui domos in urbe haberent, hinc οἰκοδόμοι ſeu *poſſeſſores* dicti, qui jus hoc panum, propterea Ἀρτοπολιτῶν etiam dictorum, ad poſteros ſuos, ut & venditis domibus, ad emptores transferebant &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Aurelian. loc. cit.* ut & infrà paſſim, inprimis ubi de *Pane*.

ANNONARIA Regio, apud Treb. Pollionem *in Tetrico Sen. c.* 24. *Eum — Correctorem totius Italiæ fecit.* i. e. *Campaniæ, Samnii, Lucaniæ — omniſque* annonariæ *regionis*: dicta eſt omnis Italia, ab *annonaria* functione, quam ad exercitum comitatumque Imperatoris alendum, qui ſemper, aut maximâ parte aderat, conferre conſueverat. Quam ſolam olim præſtationem cùm agnoſceret, poſteà etiam tributô onerata eſt. Aur. Victor in *Maximiano Herculeo*: *Parti Italiæ invectum tributorum ingens malum; nam cùm omnis eadem functione moderatèque ageret, quo exercitus atque Imperator — alii poſſent, penſionibus inducta lex nova, quæ ſanè illorum temporum modeſtia tolerabilis in perniciem proceſſit.* Ubi per *functionem*, intellige *annonariam*; per *penſionem* tributum. Sic in *l.* 4. *Cod. Theodoſ.* penſionem glebalem ab annonaria functione diſtinguit. Hanc autem functionem etiam urbicaria regio conferebat, ut conſtat ex *l.* 14. *Cod. Theodoſ. tit. dict. Quod de annonariis functionibus per urbicarias regiones clementia noſtra concepit, etiam in largitionalibus titulis — cuſtodiri mandamus.* Et *l.* 3. *tit. tributa in ipſis ſpeciebus inferri*: *Quod per eque in omni vero, quod ex Urbicaria regione confertur, obſervandum eſſe cenſemus.* Hoc igitur differebant regiones *annonariæ* & urbicariæ, quòd urbicariæ utique & *annonariæ* fuerint, i. e. *annonariam functionem* præſtiterint: at non omnes *annonariæ* urbicariæ etiam ſint appellatæ. Nam omnes Italiæ regiones ſic dicebantur propriè, vel quòd olim ſolæ hujuſmodi functioni eſſent obnoxiæ, exemptis urbicariis: vel ut ab urbicariis, i. e. urbi vicinis ac circumjacentibus, diſtinguerentur hôc appellationis diſcriminulô, cum utræque tamen idem præſtationis onus munuſque ſubirent. Hinc, quia ex XVII. Italiæ provinciis nulla tota aut integra intra centeſimum ab Urbe milliare (quô ſpatiô territorium Urbis finiebatur) fuiſſe reperitur incluſa, ſed pars Piceni tantum ab uno latere & pars Tuſciæ ab altero: factum, ut pars illa Tuſciæ, quæ urbi propinqua & intrà terminos urbicæ juriſdictionis concluſa, *Tuſcia urbicaria*, ſeu *ſuburbicaria* diceretur; altera verò pars, Italiæ accenſeretur & *annonariæ Tuſciæ* nomine veniret. Idem de Piceno dicendum. Quam rationem omnino eſſe putat Salmaſ. quare nullæ aliæ ex Italiæ regionibus, præter duas has, apud auctores nominatim dictæ inveniantur *Annonariæ*, aut *Suburbicariæ*. Reliquæ enim, quamvis nulla non *annonaria* eſſet, iſtiuſmodi adjectione opus non habebant, cùm nulla pars earum urbicaria eſſet. Illud verò animadverſione dignum, ita ſemper diſtinctas & diſpunctas fuiſſe provincias urbicarias ab annonariis, ut ſatis conſtet, duas Tuſcias, urbicariam & annonariam, quamvis adeò vicinas, ut una magis quàm duæ provinciæ, cenſeri poſſent, nunquam ab uno eodemque Judice adminiſtratas eſſe, cùm tamen *Tuſcia annonaria* non ſola per ſe adminiſtraretur, ſed cum Umbria juncta unum Rectorem acciperet. Quemadmodum *Picenum* quoque *annonarium* nunquam eundem Conſularem cum urbicario habuit, ſed Flaminiæ junctum ab uno eodemque Præſide regebatur, &c. Cùm itaque

Trebellius *Tetricum totius Italiæ Correctorem* factum eſſe dicit, itaque nomine non Urbs & urbicariæ regiones, ſed *annonariæ regiones*, quæ cum Italia incedunt, & Urbi ac Urbicariis contradiſtinguuntur, ſunt intelligendæ. Qui enim totius Italiæ Corrector erat, idem omnis *annonariæ regionis* etiam fuiſſe Corrector cenſendus eſt: uti, qui Urbi præfectus fuit, idem & Urbicarias regiones ſub ſe habuit. Sic Rationalis rei privatæ per urbem Romam, fuit & per urbicarias regiones: alius verò erat Rationalis rei privatæ per Italiam, h. e. per *annonariam Regionem* &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Trebellium loc. cit.*

ANNONARIUS, in *LL.* Wiſigoth. dicitur *erogator & diſpenſator annonæ*, i. e. Officialis ſeu Magiſtratus, qui in ſingulis civitatibus aut caſtellis militibus *annonam* ſine fraude exhibens curabat. Vide *ſuprà*. In Monaſteriis quoque *Annonaria Præpoſitura* occurrit, cui qui præfectus erat Monachus, annonæ colligendæ & in Monachorum victum erogandæ, vel panis Monachis diſtribuendi, curam ſuſtinebat, Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide & infra *Periſſeborgia*.

ANNONIACUM vulgò, ANNONAY, Oppid. Galliæ Celticæ ad rivum *Deume*, 2. leuc. à Rhodano fluv. in Vivarienſi provinc. ſuperiori.

ANNOTATORES, dicti ſunt, qui illatarum ſpecierum breves ſeu rationes conficiebant, Tabularii, in *leg. 3. Cod. Theodoſ. de ſuſceptor.* apud *Eund.*

ANNOTINUM Paſcha, quaſi *Anniverſarium Paſcha*, Romanis dictum, *quia antiquitus apud illos, qui in priori Paſcha baptizati erant, in ſequenti anno eodem die convenire, ſuæque generationis anniverſarium diem cum oblationibus ſolenniter celebrabant*, Micrologus *Eccleſiaſt. Obſervat. c. 56.* Agebatur autem ratione Octavæ poſt Dominicam in Albis: Unde in nonnullis *Sacramentariis* MSS. reperitur poſt dictam Dominicam, ſpecialiter Miſſa aſſignata, cujus titul. *Miſſa in Paſcha annotinum.* Macer *Hierolex.*

ANNUALE, idem quod *Annale*, de quo ſuprà. Item, idem nonnunquam cum *Annata*, reditus nempe annuus Præbendæ Canonici defuncti. *Necrologium* S. Victoris Pariſ. de Ludovico VII. Rege Franciæ: *Annualia quoque regalium Abbatiarum, aliaque multa nobis donavit*; precibus ſcil. Stephani de Garlanda Archiepiſcopi Pariſ. ut eſt in eodem *Necrolog.* aliis. *Charta* Roberti Abbatis ejuſdem S. Victoris in *M. Paſtorali Eccleſ. Pariſ. l. 20. Charta 85. Super eo, quòd dicti Religioſi dicebant, ſe percipere debere* annuale *in pane & vino, ubicunque decederent ſocii Dn. Epiſcopi Pariſienſ.* &c. *Charta* Johannis Ducis Caſtrivillam A. C. 1160. *Volo, quod Prior de Marmuſia --- habeat* annalia *Canonicorum decedentium*, &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Aliud *Annuitas*, penſio videl. annua, Anglis *Annuity*. Unde *Breve annuitatis*, quo creditor debitorem convenit, cùm penſionem annuam conſtitutæ pecuniæ percipere non poteſt, apud Littletonem *ſect.* 219. laudatum eidem.

ANNUBO vel ANNUBIUS Poëta, de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 555.

ANNULARIA Creta, vide infrà *Selinuſia*.

ANNULATIM criſpatæ comæ, indigitantur apud Julium Capitolin. in *Pertinace c. 12. Fuit autem ſenex venerabilis, immiſſa barbâ, reflexo capillo*, &c. Hic enim *reflexus capillus* idem eſt, quod flexus, i. e. ἑλικτὸς Græcè ſeu ἑλικώδης, quem in *Albino*, c. 13. *criſpum & renodem* dixit. Flectere enim capillum eſt torquere & vibrare, unde *ſi ab ingenio ſui capilli* Petronio, qui naturâ tales, non arte: *Quintiliano, in annulum ponere capillos*; flexi enim illi annulos & nodos quodammodo exprimunt. Unde Arnulfus *de locis ſacr.* *ſubannellatum* Chriſti *capillum* fuiſſe ſcribit, ubi *ſubannellatus* eſt ἑλικτός: cujuſmodi capillum imagini olim Chriſti affingi conſuevisse, apud *Suidam* legimus. Alii *gradibus capillum frangere* dicebant. Quintilianus utrumque, gradus & annulos conjungens, *l. 12. c. 10. Sed me, ait, hactenus cedentem nemo inſequatur ultra. Do tempori, ne craſſa toga ſit, non ſerica: ne intonſum caput, non in gradus atque annulos totum comptum*, &c. Vide infrà in voce *Gradus*. Aliter tamen *gradus* dicimus in capillorum compoſitione, aliter *annuli*. Inflexio namque ipſa atque criſpatio capillorum nexiles annulorum orbes imitabatur: Comæ tamen ſic *annulatim* criſpatæ, non etiam confuſæ ac turbatæ & indiſcriminatim temereque implexæ habebantur, ſed per gradus quoſdam poſitæ & ordine digeſtæ, ita ut unaquæque annulorum ſeries ſtationem quaſi ſuam ſervaret & gradatim alveolatimque alia ſuper aliam ſcanderet. In quibus exprimendis Latini, *ordinem, ſtationem, gradus*, ſolent uſurpare: Euripides [illegible] dixit; Manilius *fluctus*. Nam illa crinium per annulos inflexio & per gradus digeſtio fluctuum modò extantium, modò ſubſidentium, & ſe invicem propellentium undulatos intortoſque motus planè refert *l. 5.*

Illa cura ſui vultus frontiſque decoræ
Semper erit: tortos in fluctum ponere crines,
Aut vinclis revocare comas, aut vertice denſo
Fingere.

Ubi *tortos crines in fluctum ponere*, idem eſt, quod Quintiliano ſuprà *in annulos ponere*. & fallitur Vir Incomparabilis, qui aliter accipit. Ovid. *l. 3. Art. Am. v. 148.*

Suſtineat ſimiles fluctibus illa ſinus.

Albi namque *ſinus* vocat, *annulum* illum & modum tortilem inflexi capilli Ovid. *l. 1. Amor. Eleg. 14. v. 23.*

Quàm ſe præbuerant ferro patienter & igni,
Ut fieret torto nexilis orbe ſinus, &c.

Vide Salmaſ. *ad Capitolin. d. l.* & hic paſſim, præcipuè ubi de *Capillo*. Addo ſaltem *Annulis* crinium ſeu cincinnis utrinque in cornicum formam acuminatis atque retortis, ſpectabiles inceſſiſſe olim Sacerdotes Lydos atque Armenos: Ab iiſdem *corniger* caput Bacchi Poëtis appellati: nec alia credi Moſis fuiſſe cornua, quæ tamen alii de facie ejus intelligunt, quæ קרן *radiabat* &c. Delrius *ad Hippolytum Senecæ v. 756.*

ANNULI, originis incertæ, fabulæ illorum vetuſtatem à rupe Caucaſea repetunt & Promethei vincula eò detorquent. Trojanis certè temporibus uſum *Annuli* fuiſſe ignoratum, *Plinius* aſſirmat, hâc ratione ductus, quod Homerus eorum nullam fecerit mentionem, cùm & *codicillos miſſitatos Epiſtolarum gratiâ* indicet, *Il. ζ.* & conditas arcis veſtes, ac vaſa aurea argenteaque & ea colligata nodis, non Annulis, *nodo*, *Odyſſ. θ.* Et quidem de Græcis hæc verè dicuntur. Nam hos, & præſertim Lacones, ante inventum annuli ſignatorii uſum, lignis à vermibus exeſis res quaſvis ſignaſſe, legimus in Græcorum Commentariis: quæ ſignacula θριπήδεστα & θριπόβρωτα fuêre nuncupata. Sed apud Hebræos & Ægyptios etiam, ante Iliaca tempora, *Annulos* fuiſſe uſurpatos apparet, cùm ex facto Judæ, qui Thamari pignoris loco dedit annulum, Gen. c. 38. v. 18. tum ex hiſtoria *Joſephi*, qui à Pharaone Ægypti Rege *Annulo ſignatorio* donatus legitur, Gen. c. 41. v. 42. & apud Joſephum *Antiqq. Judaic. l. 2. c. 3.* Unde mirum, cur Plinius neget, Ægyptios annulis uſos eſſe, *l. 33. c. 1.* quorum uſus ab iis, ut multa alia, ad Græcos manavit, & inde ulteriùs ad veteres Italiæ populos. Nam Sabinos, etiam Romuli temporibus, *Annulos* geſtaſſe, auctor eſt Dionyſ. Halicarnaſſ. *l. 2.* ubi de Tarpeja. A Sabinis tranſiiſſe eos ad Romanos; niſi fortè hi ab Hetruſcis acceperint, cùm inter alia Magiſtratuum inſignia, quæ Tarquinius Priſcus à Tuſcis debellatis ſumſit, etiam annulos ponat *l. 1. c. 5.* Tardè enim hanc conſuetudinem Romanos amplexos, & ne Reges quidem omnes annulis fuiſſe delectatos conſtat. Hinc præter Numæ & Servii Tullii ſtatuas, nullam aliam ex iis, quæ Regibus in Capitolio poſitæ erant, annulum habuiſſe, auctor eſt Plin. *loco citato*. Statuas verò annulis ornari ſolitas eſſe, Cicero quoque confirmat, cum *ad Atticum l. 6. Ep. 1.* ex ſtatua, amictu, *Annulo*, imagine, collegit ejuſdem Scipionis ſtatuam eſſe, & quæ ad Opis, & quæ ad Pollucis ædem poſita eſſet. Fuêre autem *Annuli* quidam è ſimplici metallo, alii è mixto: Nam vel inaurabant ferrum & argentum, vel aurum ferrô cingebant, de quorum aſtis vide Artemidorum Ὀνειροκρ. *l. 2. c. 5.* de illis Plinium *loc. cit.* utriuſque generis geſtaſſe videtur Trimalcio, apud *Petronium*: quos *Samothracios* fuiſſe appellatos, indicat Plinius *ibid.* Sed & alii erant, quibus cùm circulus totus eſſet aureus, ſigillum tamen gemmæ loco erat argenteum: & contrà, quibus circulus erat argenteus, ſigillum vero aureum, cujuſmodi videre eſt apud Gorlæum *Num.* 95. 96. 97. 98. Ruſum alii erant ſolidi, alii caſſi ac pervii, Artemidorum *l. 2. c. 2.* qualibus ſolis uti Flaminibus Dialibus fas erat, Feſtus *in Edera* & Aul. Gellius *l. 10. c. 15.* Item alii ſine gemma, Græcis ἄσημοι, ἄλιθοι & ἀψῆφοι dicti, Ariſtot. *Phyſ. l. 3. c. 9.* Jul. Pollux *l. 6. c. 33. ſect. 7.* Artemidor. *l. 2. c. 5.* Alii gemmam habebant, eamque vel figurâ aliquâ inſignem vel nullâ, Plin. *loc. cit.* Quid quòd duas quoque gemmas (fortè & plures) uni annulo inſertas fuiſſe, videre eſt ex Epiſtolis Valeriani Imperatoris, ubi *annuli bigemmis uncialis* fit mentio, apud Trebellium Pollionem *in Claudio c. 14.* Nullum verò fuit lapidis pretioſi genus, modò aut ſcalprô aut cælô corrumpi poſſet, quod antiquis intactum ſit relictum; ſolô adamante exceptô: donec, quomodo & is vitiaretur, reperit haud pridem quidam Mediolanenſis Jacob. Trecia, qui Philippi Hiſpaniæ Regis gentilitia inſignia adamanti ſummâ arte inſculpſit. Interim, cùm omnes ferè gemmæ ad uſum ſigillorum inciderentur aut cælarentur, tres tamen maximè omnium ad hos uſus aptabantur, achates, onyx & ſarda, eò quòd ceram non traherent pulcherrimèque ac ſine labe effigiem exprimerent. Vitreas gemmas in annulis vulgus uſurpabat, Plinius *l. 35. c. 6. Annulare*, (color annularis) *quod vocant, candidum eſt, quo muliebres picturæ illuminantur. Fit & ipſum ex creta admixtis vitreis gemmis, ex vulgi annulis.* Cæterùm imagines, quæ gemmis incidebantur, aliæ erant cavæ, quæ ſcalprô fiebant: aliæ exuberantes prominenteſque, quæ cælo, unde & gemmæ *Ectypæ* dictæ, Senec. *de Benefic. l. 3. c. 26.* Sed nec modus *Annulos* geſtandi unus idemque apud Veteres fuit. Dextrâ quidem geſtatos, evidenter oſtendit Jerem. c. 22. v. 24. apud Romanos verò, ante uſum gemmarum, cùm ſculptura adhuc annuli materiæ imprimeretur, ſive ex ferro foret, ſive ex auro, *geſtabatur, ut quiſque vellet, quâcunque manu, quolibet digito*, Macrob. *l. 7. c. 13.* At, poſtquam gemmæ addi cœperunt, ſiniſtra potiſſimùm manus huic geſtamini deſtinata eſt: niſi quòd interdum homines ſupra modum molles & luxuriæ deditis, etiam dextram in ſubſidium vocabant, ſi fors ſiniſtra ferendo oneri non eſſet, Lucian. *Navig.* De lævâ verò, præter Tertullianum *de Hab. mul. cap. ult.* Plin. *l. 33. c. 1.* Silium Italicum *l. 11.* ita Horat. *l. 2. Sat. 7. v. 8.*

—— —— Sæpe notatus
Cum tribus annellis, modò lævâ Priſcus inani
Vixit inæqualis.

De digitis, ita Plinius, ubi ſuprà: *Singulis primò digitis geri mos fuerat, qui ſunt minimis proximi. Sic in Numæ & Servii Tullii ſtatuis videmus. Poſtea pollici proximo induêre, etiam Deorum ſimulachris. Dein juvit & minimo dare. Galliæ Britanniæque in medio dicuntur uſæ. Hic nunc ſolus excipitur, cæteri omnes onerantur.* Similiter veteres Græcos annulum habuiſſe, in digito ſiniſtræ manus, qui minimo eſt proximus, docet A. Gell. *l. 10. c. 10.* Sed & pollice etiam interdum fuiſſe geſtatos, non obſcurè innuit Jul. Capitolin. qui c. 6. Maximinum Cæſarem ait fuiſſe *pollice ita vaſto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo.* Uſus annulorum non minùs multiplex, præcipuus tamen in *ſignando* fuit. Signabantur autem primò omnes *tabulæ*, quæ pacta conventaque continebant, Senec. *de Benefic. l. 3. c. 15.* Et quidem de tabulis Nuptialibus diſertè id docet Sueton. *in Claudio c. 29.* de Sponſionibus, Plut. *in Pompejo*: de Teſtamentis, Appianus Alexand. *l. 1.* Tum *Epiſtolæ ac Diplomata*: Unde Achabi Regis Samariæ annulô, literas, quibus Nabothus occidi jubebatur, fuiſſe obſignatas, extat 1. Regum c. 21. v. 8. De more Perſarum, vide Eſther. c. 8. v. 10. & Xenoph. *Hellen.*

Hellen. l. 1. ad quem modum Alexander M. *literas, quas in Europam mitteret, veteris annuli gemmâ obſignabat. iis, quas in Aſiam ſcriberet, Darii annulus imprimebatur,* Curtius *l.* 6. *c.* 6. Idem de Cæſaribus Rom. habes apud Juſtinum *l.* 43. *c. ult.* ubi, quemadmodum apud veteres Perſas, Trogi Pompeji Patrem *ſub Cajo Cæſ. militaſſe, Epiſtolarumque & Legationum ſimul & Annuli curam habuiſſe,* tradit: nempe à Cæſare ipſi commiſſam. Ita in Imperio poſtea Conſtantinopolitano Logothetæ; apud Francos, *Referendario* olim, nunc *Cancellario* dicto, cuſtodia ac cura *Annuli* Regii; in Eccleſia Græca, annuli Patriarchalis, Chartophylaci, commiſſa. Porro & aliæ res *annulis* obſignatæ reperiuntur. De *Templo* obſignato, extat illuſtris hiſtoria, apud Danielem *c.* 14. In Elide quoque obſignatam eſſe illam *domum*, in qua tres vacui lebetes Dionyſio collocabantur, qui paulò pòſt ſigillò, quod integrum manſerat, revulsò, ab ingreſſis vini pleni reperti ſint, tradit Ariſtotel. *de Mirabil. aud.* Sic *fores* Gynæceorum ſigillò & peſſulò à maritis obſirmari, queritur mulier apud Ariſtophanem *Theſmophor.* Ad quem modum, *lapidem* illum, qui ponebatur ſuper os lacus in quem Daniel demiſſus & beſtiis objectus erat, *Rex obſignavit annulo ſuo, & annulo optimatum ſuarum*, Daniel. *c.* 6 *v.* 18. Quemadmodum & lapis *ſepulchri*, in quod Servator noſter illatus fuit, à Phariſæis obſignatus eſt, Matth. *c.* 27. *verſu ult.* Præterea *ſupellectilem* atque adeò *penum* univerſam, ab attentis Patribus familiâs annulò obſignatam, teſtatur Plin. *l.* 33. *c.* 1. Plautina materfamiliâs *in Caſina: Actu* 2. *ſc.* 1.

Obſignate cellas, referte huc Annulum *ad me.*

Ita *ſalinum* cum ſale, Plaut. *Perſa Actu* 2. *ſc.* 2. vini *lagenam*, Martial. 9. *Epigr.* 89. alia alii obſignata tradunt: Irriſuſque ob hanc rem à Parthis ſuis fuit Vonones, Phraatis filius, quòd diverſus à Majorum inſtitutis, Græcos haberet comites, & vilem etiam ſupellectilem annulò obſignaret, Tacit. *Annal. l.* 2 *c.* 2. Sed & *pecuniam* in ſacculo, vel ciſta conditam, ſi fortè eam vel apud Nummularios, vel in æde ſacra deponere volebant, *annulo* obſignavêre Veteres, *l.* 1. §. *ſi pecun. &* §. *ſi ciſta ſi n.* cujus rei illuſtre exemplum extat apud Appulejum *Metam. l.* 10. Nec ſilentiò prætereundum, quòd Cn. Pompejus, cùm in Sicilia bellum gereret, audiretque milites flagitiosè vivere, illorum gladiis ſigillum impreſſit, quod qui amoviſſet, ei pœna infligebatur, Plut. *in Pompejo.* De *votorum*, quæ tabellis inſcripta Deorum genibus plerumque affigebant, obſignatione, vide Jan. Rutgerſium *Var. Lect. l.* 5 *c.* 5. &c. Signa quod attinet, ſeu imagines *Annulorum* ſigillariorum, hæ initiò quidem inſculpebantur cælabanturque in ipſo metallo, ex quo annuli facti; augente verò luxuriâ, etiam in ipſis gemmis, Macrob. *l.* 7. *c.* 13. Etſi autem Claudii Cæſ. Principatu nullas admittebant gemmas in annulis cælatas ſculptaſque, ſed aurô ipſô ſignare tum moris erat, teſte Pliniò *l.* 33. *c.* 1. non tamen ille mos diu duravit, & paulo pòſt tam in gemmis, quàm metallo, imagines fingi cælarique jus fuit: dictique ſunt qui vel gemmas auro includebant, vel ſigna gemmis & auro incidebant inſculpebantque, Græcis Δακτυλιογλύφοι. In veteri *Inſcript. Flaturarii, Sigillarii.* Porrò ſculpturæ annulorum gentilitiæ olim ac familiares non erant, ut hodie, ſed pro cujuſque arbitrio fiebant. Et primitùs quidem, ex Numæ lege, *Deorum* imagines in Annulis ſcolpi nefas fuit, poſtea tamen mutatò more, Romani tùm aliorum, tum Ægyptiorum Numinum iconas in annulo geſtârunt, Plinius *l.* 2. *c.* 7. & *l.* 33. *c.* 3. ſic Veneris armatæ effigiem geſtabat C. Jul. Cæſar, Dio *l.* 43. Deæ cœleſtis iconem, Aſclepiades Philoſophus, apud Marcellinum *l.* 22. ut de aliis taceam. Macrianorum familia Alexandri M. imagine ſignabat, Trebellius Pollio *in Quieto c.* 14. Eraſmus Terminò, Viglius Zuichemus JC. Belga Pallade. Poſt Deos, ſolebant plerumque effigiem alicujus ex *Majoribus* in annulo geſtare, qui tamen illis, ſi degenerarent, detrahebatur, quemadmodum de Africani filio docet Val. Max. *l.* 3. *c.* 3. Ita Publius Lentulus Sura, in ſignando, utebatur Avi ſui imagine, apud Cicer. *Catil.* 3. Alii *amicorum*, apud Ovidium *Triſt. l.* 1. *Eleg.* 6. Epicuri, familiares ejus, apud Cicer. *de Finibus l.* 5. Commodus Amazoniæ (i. e. concubinæ Marciæ, quam pictam in Amazone diligebat) apud Capitolin. *in Clodio Albino c.* 2. Nec amicorum tantùm ac Majorum, ſed & *Regum* ac *Principum* imagines geſtabantur. Sic Ariſtomenes Agathoclis imaginem geſtavit in annulo, apud Polybium *l.* 15. Callicrates Ulyſſis, apud Athen. *l.* 6. Auguſtus Alexandri M. & ipſius Auguſti, Succeſſores ejus, apud Sueton. *c.* 50. & Dionem *l.* 51. qui tamen Galbam excipit, & ſigillò à Majoribus acceptò uſum tradit: Cherſonitæ Conſtantini M. apud Conſtantinum Porphyrogenn. *c.* 53. Antiochenſes, Meletii Epiſcopi apud Chryſoſt. *Orat. de laudibus Meletii*, &c. Neque in auro ſolùm, ſed & ferro, Imperatorum imagines ſculpi conſueviſſe, diſcimus ex Nazianzeno *Orat. de Baptiſm.* Non autem Claudii Principatu fas fuit, imaginem Principis in annulo aureo geſtare, niſi quibus admiſſionum Liberti illud jus dediſſent, Plin. *l.* 33. *c.* 3. Sed & ſuâ ipſorum imagine inſigniiſſe Veteres annulos, docet Plautus *Pſeudolò Actu* 1. *Sc.* 1.

Eâ causâ miles hic reliquit ſymbolum,
Expreſſam in cera ex Annulo *ſuam imaginem.*

Præterea, alia quoque gemmis inſculpta. *Sphinghe* Auguſtus, inter initia, ſignavit apud Plin. *l.* 33. *c.* 1. Mæcenas *ranam* uſurpavit, Ibid. *Leonem* ξιφήρη, Pompejus M. teſte *Plutarchô*. *Canem* ex prora proſpectantem Galba, apud Dionem *l.* 51. Viri apud Ægyptios bellicoſi *ſcarabæum*, Plut. *de Iſide*: Areus Lacedæmoniorum Rex ad Oniam Pontificem Maximum ſcribens *Aquilam*, draconem unguibus tenentem, apud Joſeph. *l.* 12. *c.* 5. Darius Perſarum Rex in ſigillo ſculptum habuit *equum*, cujus hinnitu Rex factus eſt, apud *Scholiaſten* Thucydidis: Sporus *Proſerpinæ raptum*, apud Suetonium *Neron. c.* 46. Locri Heſperii *Heſperum* ſtellam, apud Strab. *l.* 4. &c. Imò & rebus inanimatis interdum ſignabant: *Quadrigâ* Plinius Jun. *Ep.* 16. *l.* 10. Polycrates *lyrâ*, apud Clem. *Pædagog. l.* 3. Seleucus *ancorâ*, Ibid. Chariclea *literis hieroglyphicis*, apud Heliodor. *l.* 8. Summa, quod cuique in mentem veniebat, hôc vel illô ſphragiſmate utebatur; plerumque tamen tali, quod ſibi conveniret, vel ob eventum quempiam, vel artem, vel munus. Chriſtiani verò veteres annulos ſuos inſignire ſolebant duabus literis Chriſti nomen exprimentibus, per primos duntaxat characteres, literâ Græcâ P. ſcil. decuſſatâ & ſciſſâ, per medium, ipſo X. hôc modô: ☧, cujuſmodi aliquot è rudibus effoſſos ſe vidiſſe ait Cardin. Baronius, *ad A. C.* 57. qui etiam notat, Sponſalitium Chriſtianorum annulum *Fidei* ſignum inſculptum habuiſſe, velut mutui fœderis ac concordiæ ſymbolum. Hactenus de *Annulorum* in ſignando uſu: præterea verò etiam peculiare ornamentum & inſigne fuêre, quô ſtatus hominum olim & ordines Romæ diſtinguebantur. Et primis quidem ejus Reipubl. temporibus, *aureum geſtare* ne Senatori quidem jus erat, niſi qui Legatus ad cæteras gentes iturus eſſet: & quidem hi ipſi legatione defuncti, annulò aureò, quem publicè acceperant, in publico tantùm utebantur; intra domos verò ferreis, Plinius *l.* 33. *c.* 1. quam ſimplicitatem priſcam retinuiſſe quoque triumphantes, idem *ibid.* tradit. Poſtea Senatoribus promiſcuè, mox & Equitibus, jus aureorum annulorum fuit: quibus tamen *non licebat iis uti, niſi à Prætoribus donati fuiſſent*, Acro *ad Horatium Sat.* 7. *l.* 2. *v.* 53. fitque prima mentio annulorum aureorum, quibus quidem Romani uſi ſunt, apud Livium *l.* 9. *c.* 8. annô ab Urb. Cond. 432. Ab illo tempore *Annulus aureus* peculiare Equitum fuit ornamentum, quô à Plebe diſtinguebantur, Plin. *l.* 33. *c.* 2. Dio *l.* 48. Plut. *in Mario.* Alii: nec domi ſolùm ſed & militiæ, donec gregariis etiam militibus id à Severo conceſſum, Herodian. *l.* 3. Plebs *argenteis* uſa videtur, Plinius *l. cit. c.* 12. inter ſervos *ferrum* hæſit: quibus tamen annulus hic ad uſum potiùs, quàm ornatum fuit, Appulej. *l.* 10. *Met.* Interim etiam è plebe aliqui *aureis* ſubinde à Magiſtratu donabantur, Cicero *Verrin.* 3. quô honore Sylla Roſcium Comœdum affecit, teſte Macrobiô, *Saturn. l.* 2. *c.* 10. Balbus Quæſtor Herennium Gallum hiſtrionem, apud Cicer. *l.* 10. *Ep.* 31. Idque juris ſolis ingenuis, ante Auguſti tempora, indultum: hic verò primus eôdem honore ornâſſe legitur Menam & Ant. Muſam libertos, Dio *l.* 48. & 53. donec, cùm increbreſceret hic uſus, & cum vilibus etiam perſonis communicaretur, à Tiberio conſtitutum annò Urb. Cond. 775. *Ne cui jus eſſet id, niſi cui ingenuo ipſi, Patri Avoque paterno ſeſtertia cccc. cenſus fuiſſet, & lege Juliâ theatrali in XIV. ordinibus ſedendi.* Verùm nec hæc diu conſtitutio duravit, nam ſtatim ſub Claudio, Senatus Pallanti ejus Liberto, inter alia, *uſum aureorum annulorum* decrevit, Plin. *l.* 8. *Ep.* 6. quod & de Icelo Galbæ, tradit Tacitus *Hiſtor. l.* 1. *c.* 13. & Sueton. *in eo c.* 14. ut de Aſiatico Vitellii liberto, de ſervo Verginii Capitonis, de Hetruſco ſervo Domitiani, aliis, nil addam. Conſtitutione tandem Juſtiniani *Nov.* 78. omnibus, etiam Libertinis aurei annuli conceſſi ſunt, &c. Luxum *Annulorum* quod ſpectat, olim quidem vitio dabatur Viro, plures annulos, quàm unum digitis geſtare, Iſidor. *l. penult. c.* 32. poſtea verò omnibus digitis geſtati ſunt. Martial. *l.* 3. *Epigr.* 65.

Per cujus digitos currit levis annulus omnes.

Imò verò unô digitô plures. Idem de Charino *l.* 11. *Epigr.* 60.

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit annulos.

Quidquid etiam in ſingulis articulis & quidem in uno plures ferebant, teſte eôdem, *l.* 5. *Epigr.* 11. Quæ mollitiei ſpecies increpita, à Seneca *Natur. Quæſtion. l.* 7. *c.* 31. Quintil. *Inſtit. Orat. l.* 11. *c. ult.* Clem. Alexandr. *Pædagog. l.* 3. *c.* 11. Ariſtoph. *Nubibus*, &c. Sed & in varietate luxus fuit: Quoſdam enim hyeme ſolà, alios æſtate gerebant, hinc *Semeſtres* dictos Juvenali *Sat.* 7. *v.* 89. & quidem æſtivi fuiſſe videntur Heliotropii, Aſteriæ, Mithridaticæ & Indicæ, quarum vis ac delectatio quædam peculiaris eſt, cùm Soli opponuntur. Reperiuntur & quidam annuli ſolò die Natali geſtari ſoliti, Perſ. *Sat.* 1. *v.* 16. tantaque quorundam veſania fuit, ut in *Annulos* ferè omne patrimonium profunderent, Tertullian. *de Hab. Mul.* At omnium luxuriam Heliogabalus ſuperavit, qui, ut calceamentum, *ita annulos nunquam iteravit*, Lamprid. *c.* 32. &c. Redeo ad *Annulorum* uſum, qui inſignis jam olim erat in dandis arrhis, ubi inprimis notabilis *Annulus*, quô ſingulis annis mare ſibi deſpondet Reipubl. Venetæ Dux: in Epiſcoporum inveſtitura: in inauguratione Imperatorum, in feudorum confirmatione: Imò & in præſtigiis ac incantationibus. Non enim hodie ſolùm, ſed & olim homines fuêre malè feriati, qui hujuſmodi annulos, ſtellà aliquâ fortunatâ aſcendente, certis characteribus inſigniebant, iiſque herbam vel lapidem huic ſtellæ ſubditum includebant: quos qui geſtaret, eum non ſolùm perpetuò victorem & ab omni veneno tutum fore; ſed etiam cujuſcunque vellet, amorem ſibi conciliare, malos genios pellere, morbis mederi & multa alia præſtare poſſe, impudenter aſſerebant. Græci hos *Annulos* φαρμακίτας & γεγοητευμένους, Arabes *Taliſman* appellârunt, teſte Scaligerô *Epiſt. Gall.* Qualis procul dubio Gygis fuit annulus, de quo Plato *de Rep. l.* 2. & Cicer. *Offic. l.* 3. Tales & illi, quos Eutheſtus, Phocenſium Tyrannus, habuit, quorum ſtrepitu admonebatur de rebus ſuis, Clem. *l.* 1. *Strom.* Talis Eleaſari Judæi, quô, inſpectante Veſpaſianô Imperatore multos à malo genio obſeſſos liberâſſe dicitur Joſepho *Jud. Ant. l.* 8. *c.* 2. Celebres quoque ſunt ſeptem illi annuli Jarchæ, Indorum ſapientiſſimi Principis, Apollonio Tyanæo dono dati, per quos ille, quamvis jam centenariô major juventutis nitorem prætulit, Philoſtr. *l.* 3. Quò & annuli pertinent, quos Timolaus ſibi optabat, apud Lucianum *Navig.* Annulus item fatidicus, quô de Valentis ſucceſſore quæſitum, apud Amm. Marcellin. *l.* 29. ut & illi, de quibus Antiphanis ſonant verſus, apud Athenæum *l.* 3. & Ariſtophanes *Pluto* loquitur:

Οὐδὲν προτιμῶ σου. φορῶ γὰρ πριάμενος
Τὸ δακτύλιον τονδὶ παρ' Εὐδάμου δραχμῆς.
Non facio te hujus quando geſto hunc Annulum,
Precio drachmæ mercatum ipſum ab Eudamo.

Nec rara apud Medicos priſcos Annulorum mentio eſt, qui morbis averruncandis inſerviebant, vide Marc. Empiricum *c.* 29. Alex. Trallianum

liarum *de Colico aff l.* 10. & *alibi.* Cujus generis fuiſſe videtur annulus S. Eduardi Regis Angliæ comitiali morbô laborantibus ſalutaris, Cario *Chron. l.* 3. Imprimis autem memorabilis eſt, in ore cujuſdam mulierculæ mortuæ repertus, cujus amore ad inſaniam uſque captum fuiſſe Carolum Magnum refert Petrarcha *l.* 1. *Ep.* 3. Inter gemmas autem, quibus hujuſmodi vis ineſſe creditur, Achatem inprimis ac Jaſpidem viridem referunt Auctores: Contra venena *Annulo* hauſit Demoſthenes, apud Plinium *l.* 33. *c.* 1. Annibal, apud *Aurel. Victorem*: ædituus Jovis Capitolini, apud Plin. *d. l.* Heliogabalum quoque Imperat. mortis causâ habuiſſe *Annulos*, Lamprid. ibi docet. Hic multiplex, cur ſumerentur *Annuli*, fuit finis; ſed & ponere illos non una ſuaſit ratio. Ad nuntium Caudinæ pacis, *annulos aureos poſitos* narrat Livius *l.* 9. *c.* 8. Quidam *exequiarum* (Augusti) *die ponendos aureos annulos, ferreosque ſumendos cenſuerunt*: apud Sueton. *c.* 100. adeoque publicô luctu aureos ſaltem geſtare nefas habitum. Sed & rei ac ſupplices, more lugentium, annulos poſuiſſe, diſcimus ex Livio *l.* 43. *c.* 16. Val. Max. *l.* 8. *c.* 1. Alius. Iturı quoque cubitum aut loturi eos deponebant, quorum illud non factum in Charino notat Martialis *loc. cit.* de hoc Terentius *Heautont. Act.* 4. *ſc.* 1. *Et lavatum dum it, ſervandum mihi dedit annulum.* Vide quoque lepidam hiſtoriam de Alphonſo Siculo, apud Fulgoſum & Egnatium *l.* 4. *c.* 8. Morientibus iidem detrahebantur. Plin. *l.* 33. *c.* 1. *Gravatis ſomnô aut morientibus religione quâdam annuli detrahebantur.* Nempe, ne in pollinctorum manus devenirent; aliâs enim poſtea redditos iterum digito, & cum cadavere combuſtos, non obſcurè indicat Propert. *Eleg.* 7. *l.* 4. *v.* 9.

Et ſolitum digito beryllon adederat ignis.

Ptolemæum quoque Herodis mortui digito annulum detraxiſſe, & in concionem protuliſſe: eundemque poſteà fuiſſe Cæſari Auguſto tranſmiſſum, ſcribit Egeſippus *l.* 1. *c. ult.* Ipſi quandoque morientes uni ex amicis *annulum* tradidiſſe leguntur: Auguſtus Agrippæ, apud Dionem *l.* 53. Alexander M. Perdiccæ, apud Curtium *l.* 10. *c.* 5. &c. nonnunquam in teſſeram traditæ poteſtatis. Unde Helenam, Adjabenorum Reginam grandiori natu filio Monobazo annulum patris ſignatorium dediſſe, commiſsâ ipſi Reipubl. adminiſtratione, donec adveniret frater Izates, quem Pater regni hæredem deſtinaverat, ſcribit Joſeph. *Ant. Jud. l.* 20. *c.* 2. Et Johannem Comnenum, cùm videret Matrem id agere, ut in ſororem Annam, Nicephoro Bryennio nuptam, imperium transferretur, Patri Alexio jamjam morituro *Annulum* detraxiſſe, hôc pactô ſibi imperium firmaturum, legimus apud Nicetam *init. Hiſtor.* Apud Saracenos idem obtinuit: unde *Annulus Chaliſatus* legitur, apud Elmacinum *l.* 2. *c.* 2. in exede Alamion: idque ſignum eſſe Principatus apud Agarenos, ait Conſtantin. Porphyrog. *de adminiſtr. Imperio c.* 21. &c. Vide infrà, voce *Moribundi.* Ut nil addam de omnibus ex annulis captari ſolitis, de probatione per annulum candentem, de proverbiis ab *Annulo* deſumtis, de eorum noxio nonnunquam uſu, aliisque: Verbum tamen adjiciam de arcula ſeu capſula, *Dactylotheca* Græcis dicta, in quam recondebantur annuli. De ea ſic Plin. *l.* 37. *c.* 1. *Gemmas plures, quod peregrinô appellant nomine Dactylothecam, primus omnium habuit Romæ privignus Syllæ Scaurus. Diuque nulla alia fuit, donec Pompejus Magnus eam, quæ Mithridatis Regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut M. Varro aliique ejus ætatis Auctores confirmant, multum prælatam Scauri. Hôc exemplô Cæſar Dictator ſex dactyliothecas in æde Veneris Genitricis conſecravit; Marcellus Octaviâ genitus, in Palatinæ Apollinis æde unam.* Nec omittendum, non è metallo ſolùm, ſed & è ſuccino, & ebore, integriſque gemmis *Annulos* fuiſſe factos; Annulum enim ex Sarda integra, cum pala aurea & circulo argenteo, exhibet Gorlæus *Dactylioth. num.* 101. & ſuccineorum eburneorumque meminit Artemidorus *l.* 2. *c.* 5. ſuccinoque uſuſmm gaviſas eſſe mulieres, teſtatur Plin. *l.* 37. *c.* 2. Sed nec illud, cùm conſtitutione Juſtiniani *Annulorum* uſus omnibus fuiſſet permiſſus, ſolis Clericis, niſi eſſent in dignitate conſtituti, eos geſtare non licuiſſe, ex decreto Concilii Lateranenſ. ſub Innocentio III. & Baſilienſ. ſub Sigiſmundo Imperatore habiti. Etiam paucis mentio injicienda Legis priſcæ à Solone latæ, [illegible], *Annulariis expreſſam annuli, quem vendidit, ſignaturam ſibi ne habeto*: quâ legiſlator cavit, ne poſſet Annularius aliô factô ſimili annuliô (ſignatorio, hunc enim Lex intelligit) fraudem ei facere, cui priorem vendidiſſet, &c. Vide eruditum tractatum Joannis Kirchmanni Lubecenſis *de Annulis*: de *Annuli pala*, infrà quoque aliquid voce *Obſignatio*; uti de *Annulis* in non uno piſce inventis, ubi de *Polycrate.*

ANNULI Capillorum, quid ſint, ſuprà videre eſt. Apud Martialem verò paulo aliud quiddam *Annulus comarum eſt*, *l.* 2. *Epigr.* 66.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incertâ non bene fixus acu.

Hîc enim *Annulus*, non ſignificat [illegible] criſpati capilli, ut aliàs ſolet, unde capillus *annulatus* & *anellatus*, [illegible], ſed circulum unum, ex tota crinium compage ſeparatim convolutâ & per multos orbes contexta. Eâdem autem acu, quâ capillum diſtinguebant, & à fronte dividebant, mox comptam diſtinctumque, per *Annulos* & ſertas crinium, fixâ eâ & inſertâ retinebant, ne tota compages diſſiparetur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 760. At error feſtinantis eſſe videtur *Gronovio*, quum ipſe de *Annulo* dicit, quod Martial. *de Orbe*: & de orbe, quod ille de annulo.

ANNULI Chirographi, apud Catullum, *Epigr.* 25. ſignatorii ſunt, qui in Bithynia fiebant, & ex eo *Thyni* illi dicebantur:

Remitte pallium mihi meum, quod involaſti,
Sudariumque Setabum, chirographoſque Thynos.

Hinc Thyni annuli, ex politura Bithynica celebres & nominati; de quibus leguntur verſus apud *Iſidorum*, ab omnibus ferè doctis tacti tentatique, à *Salmaſio* tandem correcti emendatique:

Lucentes auro vito nec ſmaragdos;
Berillos mihi, Flacce, nec nitentes:
Nec percandida margarita quæro:
Nec quos Thynia lima perpolivit
Anellos, &c.

Idem *Cirographos*, h. e. *cerographos* mavult legi apud Catullum, h. e. *ceram imprimentes*, quod annuli ſignatorii faciunt. Signatorios verò hos *Sigillaritios* vocat Vopiſc. in *Aureliano*. *c.* 50.

ANNULI Conſecrati, vide *ſuprà.*

ANNULI Epiſcoporum, Prælatorum, Pontificum, in Communione Romana memorantur, in *Chron.* Mauriniacenſi *l.* 3. *Ipſos quoque annulos, in quibus ad ipſos* (Epiſcopos) *pertinens Eccleſia deſponſatio exprimitur, ſine reſpectu miſericordiæ abſtulit.* Et in Charta Johannis Archiepiſcopi Capuani A. C. 1301. *Item annulum unum Pontificalem de auro magnum*, apud Carolum du Freſne *Gloſſar.* Cujuſmodi annulum aureum, gemmâque pretioſâ ornatum, ſed ſine ſculptura aliqua, vult Durandus *l.* 2. *c.* 9. Ponitur autem in Pontificali celebratione, in annulari digito: ſicuti Sponſis in Nuptiali Sacro, & Galliæ Regi, quando ab Epiſcopo Rhemenſi inungitur. Protonotariis autem non participantibus & Doctoribus, in eadem Eccleſia cum annulo celebrare non licet; uti nec Cathedralium Canonicis: penès Ethnicos verò planè nemini. Ovidius *Faſtor. l.* 4. *v.* 658.

--- *Nec digitis Annulus ullus ineſt*, &c.

Cùm Pontifex novo Cardinali titulum confert, annulum digito ejus ſapphiro fulgentem inſerit, pro quo quingenta Cardinalis ſcuta ſolvit, quæ à Gregorio XII. aſſignata fuere Collegio Germanico de Urbe, poſtea verò à Sixto V. abrogata: tandem Congregationi de Propaganda Fide, per ſpecialem Bullam Gregorii XV. applicata ſunt, &c. Dominic. Macer *Hierolexico.* Vide quoque Honor. Auguſtodunenſem *l.* 1. *c.* 206. aliosque à Car. du Freſne citatos; de *Annulo Piſcatoris* autem infrà.

ANNULI [illegible], dicebantur qui gemmam habebant. Pollux, [illegible]. [illegible] nemque annuli gemma eſt; quia qui carebant, [illegible] vocabantur: ſicut [illegible], quæ carebant purpurâ, clavumque nullum habebant, contrà [illegible] dicta eſt, veſtis teſſeris auro textis vel purpureis clavata, apud Diog. Laërtium in *Ariſtotele*, Salmaſ. *ad Lamprid.* in *Alexandr. Sever. c.* 33.

ANNULI Juncei, ſeu *de Junco*, in *Conſtitut.* Ricardi Epiſcopi Sarisberienſis A. C. 1217. *c.* 55. memorati, adhibebantur olim in nuptiis eorum, qui priùs illicitâ copulâ ſeſe conjunxerant: *Nec quiſquam annulum de junco vel quacunque vili materia vel pretioſa, jocando manibus innectat muliercularum, ut liberiùs cum iis fornicentur, ne dum jocari ſe putat, honoribus matrimonialibus ſe adſtringat.* Quò ſpectat, quod ſcribit Brolius *Antiqq. Pariſ. l.* 1. eos qui in Foro Eccleſiaſt. ob illicitam ante initam copulam, *Officialis* judiciô matrimonium inire cogantur, in ædem S. Mariæ deduci ibique à Curione, annulô junceô ſeu ex palea confectô, deſponſari: apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ANNULI in Naribus, Hebr. *Neſem*, Geneſ. *c.* 24. *v.* 22. ornamenta narium ſunt, quibus fœmineus inprimis ſexus olim hodieque uſus legitur, in Oriente. Hieronym. *in Ezech. c.* 16. dicit eſſe, *Ornamenta mulierum, & quidem circulos,* (h. e. annulos) *aureos ex fronte pendentes, & naribus imminentes.* Auguſtin. *Quæſt. in Geneſin*: *Mos*, inquit, *Maurorum eſt, ut inaures, etiam in naribus, habeant fœminæ*, &c. Vid. Thom. Bartholinum *libello de Annulis Narium*, & Petr. de Valle *Itiner. Tom.* 2. ubi, ex occaſione uxoris ſuæ, Aſſyriæ gentis, Babylone ductæ, de hoc Orientalium more prolixè & accuratè diſſerit: His adde Liceturn *de Annulis antiquorum.*

ANNULI Pontificales, vide ſuprà *Annuli Epiſcoporum.*

ANNULI Pronubi, apud Hebræos: arceſſuntur nonnullis ab ævo Moſaico, vel ſaltem Eſajæ Prophetæ, nixis auctoritate locorum Exodi *c.* 15. *v.* 22. & Eſaiæ *c.* 3. *v.* 21. ſed in cultu ſeu mundo tantùm ibi cenſeri *annulos* manifeſtum attentiùs conſideranti eſt. Certè nummulus ſeu nummuli valor, velut Sponſalitii contractûs ſive arra ſive pretium, Sponſæ antiquitus dari conſuevit; cujus locum poſtea cùm viderent Hebræi apud alias gentes *annulum* occupâſſe in nuptiis, viſum etiam iis eſt eundem non ratò adhibere & [illegible], quò *Fortunam* precantur *bonam*, in eo inſcribere. Sed adhibere non quâ Annulus eſt, verum tantummodò, quâ pretii ſeu nummuli locum occuparet, docet Seldenus *Uxor. Ebraic. l.* 2. *c.* 14. Vide quoque infrà in voce *Nuptialis Annulus.*

ANNULI Regii, quô Reges Imperatoreſque utuntur, ad ſubſignanda ſua diplomata, memorantur Agobardo *de inſol. Judæorum*, Fauſto *in Vita* S. Mauri de Theodeberto Rege Thegano de *Ludovico Pio c.* 19. Aliis. Unde formula vulgaris omnibus ferè Regum & Imperatorum diplomatibus adſcripta: *Et ut inviolabilem obtineat firmitatem, manu propriâ ſubterfirmavimus & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.* Erant autem Annuli Regis, tum apud alios, tum apud Francos præſertim, Regum imaginibus & nominibus inſigniti, cujuſmodi Childerici Regis annulus eſt, qui in ejus ſepulchro juxta Tornacum inventus, in Gazophylacio Galliæ Regis cui ab Imperatore muneri miſſus eſt, aſſervatur: Ectypum ejus exhibuit Ioh. Jac. Chiffletius in *Anaſtaſi*, cujus hæc Inſcr. CHILDERICI REGIS. Præterea alter Ludovici Pii, apud Petrum Fr. Chiffletium *in Hiſtor. Tornutienſi p.* 193. cujus hæc epigraphe: XPE. PROTEGE HLUDOVICUM. IMPERATOREM; apud Car. du Freſne *Gloſſar.* qui penès *Referendarium Annuli Regii curam fuiſſe* addit.

ANNULI Sigillaritii, vide infrà, ut & *Annuli Chirographi*, *Cyrographi*, ubi de *Obſignatoribus ac Signandi ritu.*

ANNULI Signatorii, Laconum inventum, qui non contenti clavibus & clauſtris, in conclavibus, thalamis, cellis, & cæteris interioribus domuum membris muniendis, ſignacula etiam adhibebant. Et primò quidem hâc fini ligna [illegible], h. e. *verme corroſa* uſurpabant, eorumque figuram ſignaculis, foribus appenſis, impri-

imprimebant. Poſtea *Annulos* excogitârunt, qui eundem uſum præſtarent, & à fraudibus ſervorum & ſuppilatione res aſſervatas vindicarent. Quod tamen quàm nihil Lacydem Philoſophum juverit, dicemus infrà ex Laertio in *Lacyde*. Hos *Annulos ſignatorios*, malè confundit Lipſius *Annal. l.* 2. cum *Annulis adjunctas claves habentibus*, quorum duos inſerit d. l. in Batavia erutos. Sed nullum in illis impreſſum ſigillum ad ſignandum aptum: meræque claves ſunt cum annulo, ut digito teneri poſſint, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 911. Inprimis *Annulo* obſignabant Veteres, quæ ſeras & clauſtra non patiebantur, ut armariola, lagenas vini & cætera ejuſmodi χρηματα, Martial, *l.* 9. *Epigr.* 89.

Nunc ſignat meus annulus lagenam.

Sed hac de re infrà pluribus diſſerendi erit occaſio.

ANNULO miſsô, accerſiri olim homines ſolitos, legimus in *L. Bajwar tit.* 2. §. 14. *Si quis juſſionem Ducis ſui contempſerit, vel ſignum, quale viſum fuerit Dux tranſmittere, aut annulum aut ſigillum, ſi neglexerit venire*, &c. Vide Theophylactum Simocattam *l.* 8, *c.* 11. laudatum præfato *Gloſſarii* Autori.

ad ANNULUM decurſio, vide infrà *Decurſio*.

ANNULUS Piſcatoris dicitur, quô Romanus Pontifex in cera rubra Brevia ſignat; ita vocatus ab imagine S. Petri Apoſtoli piſcantis impreſſa: eſtque unum ex tribus Papæ ſigillis; quorum alterum *Bulla* dicitur, quô in Cancellaria Apoſtolica, ut vocant, plumbeæ Bullæ ſignantur, habens ea una parte amborum Apoſtolorum capita, cruce diviſa; ea altera verò Pontificis viventis nomen: Tertium *Signum*, in quod aliqua S. Scripturæ ſententia inciditur. Dominic. Macer *Hierolex*. De ejuſdem uſu ſic Gerh. von Maſtricht: *Appenditur*, ait, *bulla plumbea non niſi arduis diplomatibus. Breve Apoſtolicum, quod eſt diploma vel reſcriptum Papæ aut Pœnitentiarii M ſcriptura exigua, in parvo conceſſo negotio in papyro, non habet eam; ſed in cera rubra imprimitur annulus Piſcatoris, Hiſtor. Jur. Eccleſ.* §. 402. ex Gregor. Tholoſano *Syntagm. Jur. Univerſ. l.* 15, *c.* 3. *num.* 24. & *ſeqq.*

ANNUM Felicem votis communibus aperiri, dixêre Arcadius atque Honorius Imperatores *l. un.* C. *de oblat. votor.* more jam ab ipſis priſcis Romanis petitô, cujus meminit Lucianus *Tom.* 3. *p.* 632. *Atque hoc erat quidem Anni initium, imò verò tertia dies a Novilunio magno, quando Romani juxta Veterem conſuetudinem & ipſi preces quaſdam pro toto anno faciunt & ſacrificia peragunt pro eo, ac ipſis Rex Numa ſacrificandi ritus hos conſtituit.* Unde Gajus *l.* 233. §. 1. *de V. S. Poſt Kal. Januar. die tertio pro ſalute Principis vota ſuſcipiuntur*: quod jam Julii Cæſaris tempore cœpiſſe, diſcimus ex Dione *l* 44. ubi ſtatutum eſſe refert, εὐχὰς ὑπὲρ αὐτοῦ δημοσίας καθ' ἕκαστον ἔτος, *Ut quotannis pro ipſius ſalute publica ſupplicaretur.* Quem honorem etiam Auguſto, poſt Actiacam pugnam, habitum idem memorat. *l.* 59. atque id poſtea ſolennem in morem abiiſſe alibi indicat, &c. Vide Tob. Pfanneruum *Syſtem. Theol. Gentil. purior. c.* 16. §. 19. Sed de *Anni* ante Chriſtum ratione, ritibuſque Gentium in auſpiciis ejus adhiberi ſolitis, alibi: adſeram paucis, ex Car. du Freſne, quàm diverſa etiam poſt Chriſtum natum apud omnes ferè Gentes ejus ratio fuerit; ut in perlegendis Scriptoribus, quorum quique ſuam annos numerandi & eorum initia ducendi methodum ſervant, eò expeditius Studioſa Juventus progredi queat. Digeram autem Gentes celebriores illas, quarum res geſtæ ſcribi meruerunt, literarum ordine cui maximè aſſuevimus omnes. Plura qui volet, adeat ipſum Auctorem, cui placuit primò tabellam à Chriſto nato ad annum uſque 660. *Gloſſario* ſuo inſerere, Epochas, Chriſti vulgarem Dionyſianam, Periodi Julianæ, Græcorum, Seleucidarum, Æræ Hiſpanicæ, Cyclos præterea Solis & Lunæ Julianos, Indictiones, Literas Dominicales & Paſchales dies, continentem: Cui ſubjunxit aliam, comprehendentem præterea Chataiorum, Arabum, Perſarum, ac Chowarezmiorum Epochas, ex traditione Ulug Beigi, & ad Periodum Julianam & Epocham Chriſti vulgarem Dionyſianam in annis expanſis, à Johanne Gravio redactam; è quibus quidem tabulis & laterculis, Lectori ſtatim primò intuitu percipere licebit, ad quem Chriſti annum ejuſmodi minùs protritæ Epochæ referendæ ſint.

Annum auſpicandi ratio apud varias Gentes varia.

Ægyptii Chriſtiani Eccleſiæ Alexandrinæ, anni ſui, quem *annum Martyrum* ſeu *Epocham Diocletianam* vocant, deſumunt à perſecutione Diocletiani, quam in A. C. 302. vel 303. vulgò conjiciunt Chronologi. Eâdem Epochâ Abyſſini quoque utuntur. Vide præter alios, Joh Bræum *De juſ. de initio perſecut. & epocha Cirthenſis Concilii*: & Heuſchenium in *Exeg. prælimin. ad Tom. III. Martii. c.* 2. *num.* 11.

Angli, tempore Guilelmi Nothi & anteà, menſes ſuos juxta Lunæ curſum computantes, annum orſi ſunt ab 8. Kal. Januar. die, quô *Natale Domini* celebratur. Poſt Guilelmi verò tempora, vix ulla in Anglicis diplomatibus annorum nota reperitur, cum Regia regni annos, cætera nullos ferè præferant. Vide infrà à *Nativitate Chriſti*.

Antiocheni ſeu Syro-Macedones, poſt Julianam *Anni* formam editam, Solares adſerverunt, atque *ab Hyperberetæo* ſive Octobri Juliani duxerunt exordium. *Petav.* Iidem præterea peculiari ratione annos putantes, à menſe Octobri duxêre ejus initium & ab A. M. 1935. ac Periodi Jul. 4665. quâ quidem ærâ, quam χρηματισμὸν τῶν Ἀντιοχέων vocat, utitur præ cæteris Evagrius: vide eundem Petavium *de Doctr. Temp. l.* 10. *c.* 62.

Arabum Lunares anni, *ab Hegira* Muhammedis deducuntur, primuſque eorum menſis *Moharram*, juxta medium motum Lunæ incipit: & quidem in A. C. 622. incidit: eorum annus primus, à Julio incipiens.

Chataiorum Cycli anni computantur è tribus Cyclis ſexagenis: inciditque eorum annus 79 in A. C. prædictum.

Chowarezmios quod attinet, anni Epochæ Gelalææ Solaris ab æquinoctio verno ſive à merid. prox. ſeq. ingreſſum Solis in arietem, in horizonte Chowarezmiorum, initium capiunt: inciditque primus A. C. 1079.

Cyprii, annum à *Nativitate Domini*, putârunt. *Charta*, *Anno a Nativitate* 1378. *In..il.* 1. *ſeptimâ Martii ſecundùm curſum Regni Cypri.*

Franci, ſupputationem annorum à *Chriſto nato* ante A. C. 750. vix videntur uſurpâſſe: deinceps verò illa invaluit ſub Pipino Rege & Carolo M. Auſpicabantur autem olim annum à *Kal. Martii*. Et quidem obſervat Henſchenius *de Regib. Dagobertinis c.* 2. *n.* 3. Gregorium Turonenſem & Fredegarium annos a *Natali Domini* viſos inchoâſſe, aut ſaltem more Romanô à Kalendis Januar. necdum, inquit, receptâ conſuetudine, quæ deinde paulatim per omnes Francorum ditiones propagata eſt, *à Paſchate ad Paſcha* annos computandi. Iidem tamen, aliique è veter. Scriptoribus, annos *à Paſſione Domini* interdum numerâſſe videntur. Sed & annos à *Tranſitu* ſeu morte *S. Martini* non ſemel computat Gregor. Turonenſis quem mortuum eſſe A. C. 400. aſſerit Petr. Franc. Chifletius *Diſſertat. de S. Martini temporum ratione.* Sub *altera*, Regum Francicor. *ſtirpe*, annos à *Chriſti nativitate* ordiuntur Scriptores omnes, qui II. & III. *Hiſt. Franc. volumen.* continentur: conveniunt autem illi cum Indictionibus. At ſub *tertia*, *a Domini Incarnatione*, h. e. à 25. Martii: neque tamen obſtitit, quin Kalendæ Januar. primus anni dies ſemper habitus ſit. Labentibus poſtea ſeculis obtinuit, ut non à 25. Martii, ſed à Paſchate anni numerari inceperint: quod inde manâſſe exiſtimat Car. du Freſne, quòd antiquitus conſuetudo eſſet, ut tabella Cereo Paſchali appenderetur, in qua annus currens deſcriberetur, indeque ejus initium Franci inprimis putarent. Donec tandem edictô Caroli IX. A. C. 1564. cautum eſt, ut in Galliis, in publicis privatiſque tabulis ab Kl. Januar. annorum exordium repeteretur.

apud Germanos, perinde *Nativitas Chriſti* annum aperuit: Vide ibi. Quod tamen non ſemper obtinuiſſe, patet ex Charta Henrici Imperatoris apud Chiffletium in *Beatrice Cabilon.* cum hac temporis nota: *Datum* --- 5. *Kal. Januar. Indict.* 13. *anno Dom. Incarnat.* 1224. quippe annô 1224. ſumtô initiô à Kal. Jan. currebat Indict. 12.

Græci æras præcipuas habuêre tres: *Antiochenam*, quæ à Mundo Condito ad Chriſti conceptionem aut natalem annos numerat 5493. *Æthiopicam*, quæ 5501. & *Alexandrinam*, Scriptoribus Byzantinis familiarem, quæ 5509. Iidem annos Mundi, ut & Indictiones, auſpicantur à Kal Sept. Vide Petavium in *Auctario l.* 8 *c.* 2.

Hiſpani, vide ſuprà in *Æra*.

Iſlandi, annum à *feſto Natalitiorum Dom.* ordiuntur, veterum more, apud Olaum Wormium *Faſtor. Danic. l.* 1. *c.* 12. at apud Suenonem in *I L.* Caſtrenſ. *c.* 7. à *die Circumciſionis.*

Itali, annos à *Nativitate* auſpicabantur, ut obſervat Covarruvias *Tom. II. Reſol. variar. l.* 1. *c.* 12. §. 1.

Judæi, annis Seleucidis (quos *annos contractuum* vocant) & quidem Lunaribus, ut plurimum uſi ſunt, poſtquam ſub dominatu Græcorum eſſe cœperunt. Initium eorum à Seleuci Regis exordio ſumitur, ante Chriſtum Natum 312.

Mahumedani, vide *Hegira*.

Perſæ, annos ſuos dierum 365. ab *interregno* Yezdejerd, ordiuntur: inciditque eorum primus in A. C. 632. à menſe *Fervardin*, Junio reſpondente, incipiens.

Piſani, initium Anni Incarnationis aſſumunt novem menſibus ante Nativitatem; ſicut Florentini tribus menſibus poſt Nativitatem numerum annorum Incarn. incipiunt; qui uſus in Curia quoque Romana ſervatur.

Syromacedones, vide ſuprà *Antiocheni*.

Trevirenſes, à 25. Martii ordiuntur, &c. Vide quoque infrà in voce *Annus*.

ANNUNTIATA, vulgò ANNONCIADA, nomen aliquot Societatum & Ordinum. Primus Ordo, propriè *Servitarum* dictus, vel *Servorum Virginis* A. C. 1232. à 7. mercatoribus Florentinis, inſtitutus eſt. Secundus, à Johanna filia Ludovici XI. & uxore Ludovici XII. A. C. 1498. Tertius, dictus etiam *Cæleſtium*, à Maria Victoria Fornaria, vidua Genuenſi originem accepit. Obiit autem illa A. C. 1617. Alius, à Cardinali de Turrecremata, Romæ fundatus, ad elocandas pauperes virgines, A. C. 1468. Ultimus auctorem habuit Amedeum, vide Comitem Sabaud. A. C. 1355. & equeſtris eſt.

ANNUNTIATIO Deiparæ, feſtum Eccleſiæ Romanæ Græcis Χαιρετισμὸς dictum, à χαίρω, i. e. *ſalveo*, propter ſalutationem Angelicam B. Virgini factam, vide infrà in voce *Chæretiſmus*. Item, Εὐαγγελισμὸς, vide in *Evangeliſmus*. Incidit in 25. Martii, à quo Trevirenſes anni initia capeſſere modò diximus. Armeni verò 5. menſis Januarii illud celebrant, tempus anticipantes, quòd in Quadrageſima feſtum celebrare religioni ducunt: Græci tamen, reliqua quidem excludentes, hoc nihilominus, ut & Feſtum XL. Martyrum, intra Quadrageſimale tempus, celebrant. Ambroſiani ſimiliter in Quadrageſima diem nullum feſtum habent: & Toletanum olim Concilium ordinavit: ut Feſtum *Annuntiationis B. Virginis* celebretur ad diem 18. Decemb. cujus rei adhuc indicia quædam ſuperſunt, cum in feria quarta IV. temporum Decembris Miſſa tota ad myſterium Incarnationis directa, in eadem Communione, legatur. Ambroſianum *Breviarium* Feſtum hoc in Dominica ultima Adventus notat. Vide Dominic. Macrum *Hierolex.* paſſim, inprimis in voce *Feſtum*. Primitùs verò Chriſto dicatum fuit Feſtum *Annuntiationis*, ejuſque mentio, quàm reliquorum, antiquior eſt. Certè quæ ſub nomine Athanaſii circumfertur Oratio, illô die habita, hoc Feſtum unum eſſe dicit ex *Dominicis* Feſtis, atque adeò primarium & prorſus venerandum. Et in *Sermonibus*, qui apud Auguſtinum habentur, de eadem Feſtivitate *Annuntiatio Dominica* appellatur.

tur. Unde Johannes Hartus, in *Colloquio* cum Rainoldo, contendit, *Annunciationis* & *Purificationis* Feſta, *nequaquam propria ac peculiaria fuiſſe B. Mariæ, ſed alterum conceptionis Chriſti eſſe; alterum, quo in Templo ſiſtebatur*, c. 8. p. 178. Inferrque, quia nunc in Eccleſia Anglicana utraque Feſtivitas adhuc celebratur, *hâc ratione nullius Feſti ſolemnitate B. Virginem ibi ornari.* Poſtea verò, ut plura alia, in B. Virginem ſequens ætas Feſtum tranſtulit, &c. *Rivet.* Sed & *Annunciatio* ſacer Hebræorum fuit ritus, in Paſchatis feſto adhibitus, ad quem Apoſtolus reſpicere videtur 1 Cor. c. 11. v. 26. linguâ ſacrâ הגדה *Haggada* dictus, de quo vide infrà, voce *Paſcha*, it. *Paſchalis agnus.*

ANNUS, quaſi *Annulus*; namque

---- ---- *in ſe convertitur annus:*

ab Ægyptiis draconis ore caudam retinentis hieroglyphicè fuit repræſentatus; Sacer Jovi, ſicut Junoni menſes, Plut. *Problem. Rom.* c. 77 Habebat is initiò unius tantùm menſis ſpatium, quem quia ad Lunæ curſum metiebantur, appellârunt Lunarem. Alii bimeſtris ſpatiô eum terminabant, inter quos & Ægyptii: qui etiam in tres, aliquando in quatuor illum ſecabant, Plut. *in Numa.* Sex menſium ſpatiô annum claudebant Cares & Acarnanes: atque hi quidem pro ſummo Deo Lunam venerabantur, ideo ad ejuſdem curſum annos ſuos circumſcribebant. Alii verò ad Solis motum anni curſus metiti ſunt, Perſæ, Græci, Latini, licèt aliquô diſcrimine, Romulus diebus 304. menſibus decem, annum comprehendit:

Seu quia tot digiti, per quos numerare ſolemus,
Seu quia bis quino fœmina menſe parit,
Seu quod adusque decem numerô creſcente venimus,
Principium ſpatiis ſumitur inde novis.

Ovid. *Faſtor.* l. 3. v. 121. Numa dein duos menſes addidit, eumque diebus 354. circumſcripſit: quod quidam Tarquinio Priſco tribuunt. Studiô poſtmodum & curâ Julii Cæſaris cùm Faſti impenſius correcti eſſent, *Annus Julianus* ſurrexit, menſium itidem 12. ſed dierum 365. Hic *magnus* quoque, ad diſcrimen annorum Lunarium: & *vertens* dictus eſt, quòd in orbem continuo volveretur. De *Anno Attico*, vide Petitum *Miſcell.* l. 8. Petavium *de Doctr. Temp.* l. 1. Franciſcum Roſſæum *Archæol. Attica* l. 2. c. 10. &c De *Anno Eudoxi*, qui ex noſtris, ſeu Solaribus annis, octo continebat, vide Strabonem *Geogr.* l. 4. De *Anno Hippocratis*, qui dierum 360. fuiſſe dicitur, Marſil. Cagnatum *Obſervat.* l. 4. c. 14. De *Metonico*, in voce *Meton*: Per *Novum Annum* apud Scriptores Romanos quidam novum principium Magiſtratus initi: alii unde Veris ortum intelligi volunt: de *Anno Platonico*, aliiſque huc pertinentibus, præter Auctores retro laudatos, vide Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom* c. 4. l. 4. Addam ſaltem, Hebræos ante exitum ex Ægypto, Ægyptiorum morem ſequutos, incepiſſe annum à menſe *Tiſri*, qui partim Septembri, partim Octobri noſtro reſpondet: poſt exitum, à menſe *Niſan*, qui partim Martium, partim Aprilem noſtrum refert: (aliam eorum numerandi rationem vide infrà ubi *de Decimis*) Romanos à Martio: Græcos ab Hecatombæone ſeu Julio noſtro: Anglos à 25. die Martii, quod & in Hiſpania receptum: Venetos à die 1. Martii: Portugallos, & nonnullos Africæ incolas à 29. Auguſti, Auctor Anonymus *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* c. 4. §. 25. Plura hanc in rem vide ſuprà.

ANNUS, & Dies, in *Chartis* apponi ſolebant, ut vim haberent. *Lex Alamann.* tit. 43. *Scriptura non valeat, niſi in qua Annus & Dies evidenter oſtenditur.* Adde *L. Baiwar.* tit. 15. §. 13. *LL.* Burgorum *Scotic.* c. 9. *Capit.* Caroli M. l. 6. c. 147. & l. 4. §. 1. *ff. de Pignor. & hypoth.* In *L.* Frederici I. Imperatoris apud Urſperg. A. C. 1187. ſignificat annum completum, Gall. *An & jour*, &c. *Annus* verò & *vaſtum*, ſeu, *Annus, dies & vaſtum*, pars dicta eſt prærogativæ regiæ, quâ proficua terrarum & tenementorum ad eos ſpectantium, qui feloniæ aut minoris proditionis condemnati erant, contra Dominum Feudi, *ad Annum & Diem* vindicabat & prætereà vaſtationem tam terrarum, quàm tenementorum hujuſmodi, niſi Dominus Feudi eadem competenti pretiô redemiſſet. Ita ex Cowello, Raſtallo, Wilhelmo Thorn. *Monaſtica* Angl. *Tom. I.* & Fleta l. 1. c. 28. Car. du Freſne *Gloſſar.*

ANNUS Decimarum, vide infrà *Decimæ.*

ANNUS Magnus, apud Solinum c. 33. *Cum hujus* (phœnicis) *vita, magni anni fieri converſionem, rata fides eſt inter auctores, licet plurimi eorum* Magnum Annum *non quadraginta & quingentis, ſed duodecim millibus & nongentis quinquaginta quatuor annis conſtare dicant*: Periodus eſt annorum 540. quam Manilius Senator apud Plinium, l. 10. c. 2. cujus exſcriptor Solinus eſt, Phœnicis vitæ tribuit. Sed alii, mille quadringentis ſexaginta uno annis, *Anni* hujus *Magni* converſionem, ſecundùm Ægyptios, peragi putabant; & totidem annos durare phœnicem, unde opinio illorum, qui 1000. annos ei tribuunt rotundò numerô. Et hic certè numerus fuit *Anni Maximi Canicularis* in hac gente: quô nempe caniculæ ortus, à quo annum ſuum auſpicabantur, ad idem principium revolvebatur. Ut enim Ægyptiorum annus, quem Ἡλιακὸς & Θεοῦ Ἐνιαυτὸς & Κοσμικὸς & Tetrageros vocabant, trecentis ſexaginta quinque diebus & diei quadrante conſtabat, ita *Magnus Annus* eorundem totannis conſtabat, quot ille diebus, ſcil. 365. & anni quadrante, ſeu tribus menſibus. *Maximus* verò ex annis 4. magnis conſiſtebat, quâ periodô annorum 1461. ἀποκατάστασιν omnium Planetarum & tempeſtatum fieri vulgò tum Ægyptii, tum Græci omnes, exiſtimârunt. Vide hanc in rem Salmaſ. *ad Solin.* p. 551. & *ſeqq.* nec non infrà, voce *Oenopides.*

ANOB, Latin. *uva*, aut *nodus*, filius Cos. 1 Chron. c. 4. v. 8.

ANOBRET, Nympha Phœnicia, uxor Ili, quô nomine Phœnices Saturnum indigitârunt, ex ea ſuſcepit filium *Jeud*, h. e. unigenitum, quem rebus Crepetis pater βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι, *regiô ornatum cultu*, ad aram a ſe exſtructam immolavit, Philo Byblius Sanchuniathonis interpres, *Hiſtoria Phœnicum* L. 1. apud Euſebium *Præp. Evang.* l. 4. c. 16. A quo tempore Phœnices in magnis periculis, chariſſimorum aliquem, ad ad ſuffragiis publicis delectum, ſacrificare Saturno conſueviſſe, Porphyrius habet *de Abſtin.* l. 2. §. 56. Vide *Ilus.*

ANOCHUS, luctator quidam. Pauſan. l. 7.

ANOEGATÆ, Libyæ interioris urbs. *Ptol.*

ANOEXIUM, Græcè Ἀνοίξιον, Balſamoui dicitur, ad quod aliàs *Dedicatio*; Item *Encænia*, vide ibi.

ANOLUS, Lydiæ urbs, teſte *Stephano.*

ANOMIANI, Hæretici, quaſi *abſque Lege*, Macer in *Hierolex.* Vide *Anomi.*

ANOMOEI, Græcè Ἀνόμοιοι, appellabantur olim Ariani, quòd Verbum Divinum ἀνόμοιον Patri, h. e. *diſſimile*, item ἀνομοούσιον, *diſſimilis ſubſtantiæ*, appellarent: cùm Semi-Ariani, quamvis conſubſtantialitatem negarent, conſimilitudinem tamen admitterent. Vide Sozom. l. 4 c. 13. & 18. at l. 6. c. 26. laudatum Macro in *Hierolex.*

ANONIUM, Lepontiorum urbs in Latio. Ἀνώνιον *Ptolemæo*; in Vaticano tamen Ἀνώνιον legitur.

ANONIUM, vulgò *Anone*, incolis, *La Roque de Non* Gallis oppid. agri Alexandrini in Ducatu Mediolanenſi, deformatum hôc bellô & quaſi Monferrato inſertum. Ad Tanarum fluv. 10. milliar. ab Alexandria in Occaſum.

ANONUS, fons quidam, de quo Pauſanias l. 5.

ANOPÆA, Græcis, quæ אנפה *Anapha* Hebræis, nomen Aquilæ, ab ita factum. Meminit ejus Homer. *Od.* α. v. 320. de Minerva loquens, quam avi huic comparat:

Ὄρνις δ' ὣς ἀνόπαια διέπτατο
Avis ut anopæa, *avolavit*:

ob celeritatem hujus avis, quam *inter rapaces velociſſimam* eſſe, ajunt Arabes. Fortè ex Falconum genere, qui *montanus*, Barbaris *montanarius*, *Alberto* deſcribitur: nulla enim avis in iram pronior. Ita autem is inter alia; *Eſt hoc falconum genus ferum ---- iracundum ---- raro manu tenendum, præterquam in Aurora, & aucupii tempore, & cùm paſcendus eſt ---- Si præda evaſerit, præ cæteris indignatur, ita ut per iracundiam aliquando revocantem ſe invadat, & caput aut faciem falconarii, vel, cui is inſidet, equi dilaniet.* Et inferius, *Si per iram immoderatè incaluerit, præcipitat ſe in mortem* Item, *Cùm è rupe veniens perdicem ſequeretur, & aquila fortè advolans ex adverſo illam ei præripuiſſet, nec falco illam aquilæ denuo extorquere poſſet, ---- altiſſimè tandem conſcendit & impetu deorſum factô, caput aquilæ feriens ſe pariter ac aquilam interemit.* Et paulò pòſt, *mirè gaudet feritate ſuâ ---- adeoque interdum crudelitati ſuæ indulget, ut, occidendis avibus occupatus, cibi obliviſcatur*, &c. apud *Geſnerum.* Sed an in Oriente jam olim nota fuerit hæc avis, meritò dubitatur. Alias interpretationes vocis *Anapha*, vide apud Bochart. *Hieroz Part poſter* l. 2. c. 30

ANOPÆA, mons, & via dicta prope Aſepum fluv. in regione Melienſi. Herodoto Ἀνόπαια, quem vide l. 7. c. 216.

ANOPOLIS, urbs Cretæ. Vide *Aradon.*

ANOSSIA, vulgò *Anoſſi & Carcanoſſi*, provinc. Africæ, in Inſula Madagaſcar, verſus oram meridionalem. Ubi coloniæ Francorum aliquot. Incolis *Androbeizaha*, inter Ampatres populos ad Orientem, & Ambolam vallem, ad merid *Flacurt.*

ANOTHIA, una ex inſulis Sillinis, in Oceano, 25. circiter leucis, à Cornubia, Angliæ provinc. in occaſum ſub Anglis.

ANOTIA, vulgò *Anout*, Inſul. parva maris Baltici in Dania, inter Jutiam Septentrionalem & Hallandiam, provinc. Sueciæ; inter Syrtes poſita.

ANOYPHES, Rex Thebaidis in Ægypto X. dictus υἱὸς κοινός, *filius communis*, poſt Marem præfuit. Regnavit annos 20. dum Binothris Thinitis, Memphitis verò Suphis imperaret. Eum excepit Sirius. Vide ibi.

ANSA, oppid. Galliæ, in Lugdunenſi provinc prope Ararim fluv. 40. leuc. à Lugduno, in Septentrionem Matiſconem verſus, ubi aliàs Concilia celebrata Primùm quidem A. C. 1025. Vide *tom.* 9. *Concil.* Deinde A. C. 1100. 1107. 1175. &c. Bellô cætera vaſtatum, non magni nominis eſt.

ANSÆ poculorum. Pocula quædam anſulis olim carebant, alia *anſas* habebant, nonnulla unâ tantùm parte erant aurita. Julius Pollux *Onom.* l 6 c. 18 *Phialam verò ancipitem*, inquit, & *auream poculum* (ἀμφωτον) *utrinque anſatum Homerus à forma appellat, ſed unicam anſam habens nominabatur Cotyliſcus.* Philemon apud Athen. l. 11. poculum unâ parte tantùm anſatum, *Ciſſibium* vocavit. Macrob. *Saturn.* l. 5. c. 21. Carcheſium *anſatum* mediocriter fuiſſe refert, &c. *Anſularum* harum uſus, ut qui propinaret, aut porrigeret, unam earum manu teneret, alteram verò is, cui poculum tradebatur, arriperet. Ovid. *Ep.* 16. v. 251.

Dum ſtupeo viſis, (nam pocula fortè tenebam)
Tortilis à digitis excidit anſa meis.

Inde vaſa hæc calices *pterotoi* dicuntur Plinio l. 36. c. 26. quaſi *pinnatos* aut *alatos* dicas, quòd anſæ utrinque protenſæ alarum ſpeciem referrent, &c. Vide Dempſter. *Antiqq. Rom.* l. 5. *Paralipom. ad c.* 30. & infrà, ubi de *Poculis.* De *clypeorum* verò *anſis* aliquid infrà voce *Criſto.*

ANSANCTUS, vide *Amſanctus.*

ANSBERTUS Ambroſius, vide *Ambroſius.*

ANSEGISUS, Abbas, capitularium legum Caroli M. & Ludovici, filii ejus, collector. Item Archiepiſcopus quidam in Galliis ſub Carolo Calvo, Spondan. in *Epitome* A. C. 775. n. 6. *Trithem. Sigebert.* Abbas fuit Laubienſis ſeu Lobienſis (quod eſt Benedictinorum illuſtre Cœnobium, ad Sabim fluv. in diœceſi Cameracenſi, ſed ſub ditione Leodienſi) poſtea Archiepiſcopus Senonenſis: cujus quanta ſuô tempore fuerit auctoritas, ex Odoranni Monachi Senon *Chronico* videre eſt; *Annô ab incarnat. Chriſti* 882. *obiit* Anſegiſus *venerabilis Senonum Archiepiſcopus, totius Galliæ & Germaniæ Papa ſecundus feliciter ---- Hic Carolum Calvum unxit in Regem & poſtquam primatum totius Galliæ obtinuit, & ſupremâ moderatione ſecundus Papa appellari meruit, in Synodo habita in loco ---- Pon-*

tigonis

Lgom -- *ann.* 876. *Judeus* - - *& Mamales ab urbe Senonica expulit*, &c. Vide ibidem Epitaphium ejus octoſtichô comprehenſum. Hic itaque *LL* Eccleſiaſticas Caroli M. ut & Ludovici Pii ejus filii & Lotharii nepotis collegit, & in duos, uti ſeculares *LL.* itidem in duos libros retulit, publicavitque A. C. 827. Imperii Ludovici annô 15. Indict. 5. ut ipſe teſtatur in *Præfationis initio*, quam Capitulis præmiſit, ubi totius operis rationem & modum digeſtiones exponit. Præmittitur libro primo ipſius Caroli M. præfatio, lectu digniſſima; continetque is Capitula 168. Secundum incipit ipſe Collector aliâ, ſed brevi præfatione, quâ monet, ſe in eum conjeciſſe Capitula Eccleſiaſtica, Ludovici Pii & Lotharii Imperatoris, complectitur autem co Capitula 47. quorum primum eſt Imperatoris præfatio. Tertium itidem novâ præfatione, ut & quartum, orditur *Anſegiſus*, monens ſe tertiô *illa ad mundanæ augmentum Legis pertinentia, quæ Dominus Karolus Imperator edidit*, & quartô ejuſdem argumenti, *quæ — Dominus Ludovicus Aug. & Lotharius Cæſar fecerunt, capitula adnotaviſſe libellô*: continet verò tertius Capitula 89. quartus verò 75. Sequuntur tres appendiculæ, &c. Hi poſtea 4. libris ab *Anſegiſo* non ſatis diligenter, aut potius non ſatis plenè collectis, Benedictus Levita libros tres, quintum nempe, ſextum & ſeptimum, adjecit, in quos non tantùm prædictorum Imperatorum Capitula, ſed & alia inſuper conjecit, ut infra videbimus. Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſtoria Jur. Eccleſ. num.* 193. *& ſeqq.*

ANSELMUS, Mantuâ oriundus, Epiſcopus Lucenſis à Gregorio VII. factus, hujus cauſam contra Henricum Imperatorem acriter tuitus eſt: Scripſit varia, obiitque A. C. 1086 Vitam ejus Anonymus quidam, qui ejus Pœnitentiarius fuerat, & quidem ipſim verbis, ſcripſit ubi inter alia, *Apologeticum unum ex diverſis SS. Patrum ſententiis compilavit — multos libros propriis manibus conſcripſit. In Lamentationes Jeremiæ dulciſſimam fecit Expoſitionem. Pſalterium quoque rogatu benedictiſſimæ Dei Mathildæ expoſuit luculenter*, &c. E quibus Apologiam illam ſcripſit contra Guibertum Antipapam, ut *Baronius* vocat, qui ab Imperatore & Synodo abdicato Gregorio ſuffectus erat. Extat illa in Henr. Caniſii *Antiq. Lection. Tom. VI.* facitque hæc *Collectio Canonum* utramque ferè paginam, in emendatione Gratiani juſſu Gregorii factâ, & apud Anton. Auguſtinum, *de Emendat. Gratiani* qui eam tamen in dubium videtur revocare, *l.* 2. *dial.* 5. *princ. fere.* Vide quoque Blondellum *Prolegom. Pſeudo Iſidori c.* 28. *p.* 98. Uti autem *Anſelmus* poſt Burckardum, ita poſt eum Ivo Carnutenſis, ad colligendos Canones, ſe accinxit, de quo vide infrà. plura autem hanc in rem, apud præfatum Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccleſ. num.* 160. 161. & 162.

ANSELMUS, in Auguſta Salaſſorum urbe in Alpibus ſita natus, Benedictinus, ex Abbate Beccenſis Monaſterii in Normannia Archiepiſcopi Cantuarienſis Lanfranci diſcipulus ac ſucceſſor. Obiit A. C. 1109. ætat. ſuæ 76. ſecundum Pareum, Londini, & in Eccleſia Cantuarienſi ad caput Lanfranci jacet. Ejus opera in fol. prodierunt ſæpius, editiones celebriores ſunt Colon. Agr. 1612. & Lugdunenſ. 1630. Vide quoque in voce *Anshelmus.* Ejus æqualis aut paulo junior fuit *Anſelmus* Laudunenſis, cognomine *Scholaſticus* Gallus: cujus extat *Gloſſa Interlinearis & Marginalis* inter Biblia. *Ingeniô acutus, eloquiô preſſus & Laconicæ cujuſdam brevitatis imitator*, Sixto Senenſi. Vide & *Anſelmus.*

ANSER, Poëta Romanus, quem Ovid. *procacem* vocat, *l.* 2. *Triſt. v.* 435.

Cinna quoque his comes eſt, Cinnaque procacior Anſer.

Propert. *l.* 2 *Eleg. ult. v.* 90. ubi de Virgilio:

Nec minor his animis, aut ſi minor, ore canorus
Anſeris indoctô carmine ceſſit olor.

Scaliger legit, *nec ſe minor*, & ſic exponit. Nec Virgilius propterea aliquid indignum majeſtate illâ ſui carminis, aut ſeipſo fecit, cum laceſſitus ab æmulo Anſere non reſpondit. Reprehenderat enim ille hæc Virgiliana *Ecl.* 1. *v.* 1.

— Sub tegmine fagi,
Tityre ſi toga calida tibi eſt, quo tegmine fagi?

Item, *Cujum pecus.*

Dic mihi Damœta, cujum pecus, anne Latinum,
Non, verum Ægonis, noſtri ſic rure loquuntur. Item,
Grandia ſæpe quibus mandavimus hordea ſulcis.
Hordea qui dixit, ſupereſt ut tritica dicat. Item,
Nudus ara, ſere nudus, hyems ignava colono.
Nudus ara, ſere nudus, habebis frigora, febrem.

Ludit itaque Propertius in nomine *Anſeris*, ut Virg. ipſe *Eclog.* 9. *v.* 33.

Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinnâ
Digna, ſed argutos inter ſtrepere anſer olores.

Cicero Phil. 13. *Anſeres Falerno depellantur.* i. e. inquit *Servius*, Anſer Poëta, cui agrum Falernum donaverat Marc. Anton. *Nic. Lloyd.*

ANSER, avis duræ carnis ſuccique mali; olim tamen altiles in pretio fuêre: quales idcirco Ageſilao Lacedæmonio, quum in Ægyptum veniſſet, unà cum vitulis donô miſêre Ægyptii, ut ex Theopompo refert Athen. *l.* 9. Fuêre & *Anſeres* fartiles. Nempe, ut porcellos variis implebant animalibus, ac cupediis: ita & *Anſeres* rebus variis farciebant, Δουρείους hinc dictos, eò quod equum Trojanum δούρειον Poëtæ vocabant. Diphilus apud Athen. *loc. cit.*

Δούρειον ἐπάγω χῆνα τῷ θυμώματι.
Flatu tumentem Duria adduco Anſerem.

Præcipuè autem in deliciis fuit jecur *anſeris*, cujus alimenta lacte fuiſſent imbuta. Plin. *l.* 10. *c.* 22. *Fartilibus in magnam amplitudinem creſcit: exemptum quoque lacte mulſo augetur*: Etiam jecoris cauſâ potiſſimùm ficis alebant *Anſeres*; unde συκωτὸν dixêre. Horat. *l.* 2. *Sat.* 8. *v.* 88.

Pinguibus & ficis paſtum jecur anſeris albi, &c.

Quam augendi *jecoris anſerum* rationem nonnulli, ut ait Plin. *loc. cit.* tribuerunt Scipioni Metello, Viro Conſulari, alii M. Sejo, Equiti: qui ambo vixêre, ætate Varronis, qui eorum junctim meminit de *Re Ruſt. l.* 3. *c.* 10 Meſſalinum verò Cottam primum docuiſſe torrere *palmas anſerinorum* pedum & cum gallinaceorum criſtis condire, idem Plin. docet ubi *ſupra.* Britannis autem in deliciis erant, quos Græci χηναλώπεκας, *fero anſere minore*, dicebant, *Ibid.* &c. *Anſerem*, diebus feſtis adhibuit Alex. Severus apud Lamprid. *c.* 37 *Erant decreta* (i. e. conſtituta in ſumptum quotidianum) *& carnis diverſa pondo XXX. erant & gallinæ ova, adhibebatur & anſer diebus feſtis.* Contra Heliogabalus, *canes jecinoribus anſerum pavit.* Apud Eund *c.* 21. Cœterùm Lacydem, novæ Academiæ principem, Arceſilai ſucceſſorem, fuiſſe *Anſeri* dilectum, memoriæ prodidit Athen. *l.* 13. quem proinde non ambitioſè minus, quàm filium aut fratrem, Philoſophus is ſepulturæ dedit, Ælian *de Animal. l.* 7. *c.* 41. De *Anſere*, per quem juravit Socrates, Româ item *Anſerum* ſtrepitu ſervatâ, *alibi.* In *Epitaphio* veteri fœminæ cujuſdam, cui *Myro* nomen, cùm ſculpta eſſent, arcus, canis, lorum, anſer & noctua, cum hac *Inſcr.*

Μὴ θαυμάσῃς μάστιγα, Μύρος ἐπὶ σήματι λάϊνον
Γλαῦκα, βιόν, χαροπὸν χῆνα, θοὰν σκύλακα:

Anſer, domus cuſtodem denotavit: ſicut *canis*, liberorum amantem; *lorum* ancillarum caſtigatricem &c Vide plura de hac domeſtica ave, apud Gerh Joh. Voſſium *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 84. & infrà *Auca.* item *Bernacle*, *Conſecratio*, *Martinalia*, *Pluma.* Inter Inſignia familiarum illuſtrium, *Anſer argenteus coronatus volans, in rubeo ſolo*, Budliziorum ex Comitib. Mansfeldtis teſſera eſt, quâ Lotharius Imperator Gebhardum Comitem Mansfeldium, quem, jam ante Imperium prælio ad *Welfesholz* captum, dum in Aula ſua gratum habuerit, donaviſſe, unà cum parte Prignicię & regionis Vinidorum, legitur, *in Chron. Quedl.* quod ſcutum etiam ſub titulo *Gans zu Budlitz*, in Baronum ſerie, refert Sibmacherus *Wapenbuch Part.* 1. Sed ut *Anſer* non volet, vetuit telluri virenti inſiſtat. Ejuſdem metalli alius, *auro coronatus, cum corona in collo, e corona aurea partis rubeæ ſuper. inferioribus area ſcutis rub. & arg. exarata, emergens*, occurrit in ſcuto Comitum de *Schallenberg*, Corbaniæ Comitum Symbolum, qui cum iis coaluêre. Idem *Anſer* coronatus, aliâ coronâ in collo ſuperbiens, & terræ coronæ inſidens, in clypeo quoque Comitum *de Sintzendorf* viſitur, cujus cauſam vide apud Cl. Spenerum *Artis Herald. Parte p.* 531. ubi de *Familia hac.*

ANSES, Semidei, Gothica vox; quâ Proceres ſuos hæc gens appellavit. Jornandes *de Rebus Goth. c.* 13. *Magnaque potiti per loca victoriâ, jam Proceres ſuos, quaſi, qui fortuna vincebant, non puros homines, ſed Semideos, i. e.* Anſes, *vocavêre.* Unde hodieque apud Germanos, *groſſe Herren* und *Hanſen* iſtiuſmodi primates Viri appellantur, vide Loccenium *Antiquit. Sueciear. l.* 2. *c.* 4.

ANSHELMUS, Epiſcopus Cantuarienſis A. C 1064. Poteſtate uxores ducendi Presbyteris conceſſâ à Vilhelmo Conqueſtore, Londini ſynodum convocavit, Sacerdoteſque uxores ducere prohibuit, etſi multa teſtarentur, lotô conjugii prohibiti, in tota Anglia, illicitas commixtiones graſſari. *Polyd. Virg.* Chemnitius *in exam. de celib.* Item, Epiſcop. Lucenſis, eruditus & probus. Scriptis defendit Gregor. 7. contra Gilbertum. Obiit A.C 1086 Item, Epiſcop. Lucenſis, qui poſtmodum Papa, vide *Alexander* II. Item, Epiſcop. Abellinens ſcripſit quædam aſcetica. Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 50. Item, Abbas Gemblacenſis continuator Sigeberti, obiit A. C. 1136. Item Remenſis, auctor Itinerarii Leonis 9. Sigebert. *in catal. c.* 153. Item, Franciſcanus Terræ S. deſcriptionem edidit. Caniſius, *t.* 6. *Ant. Lect.* Vide & *Anſelmus.*

ANSIANACTI, populi Africæ in Inſul. Madagaſcar, in mediterraneis 30. circiter leucis, ab ora Occidentali verſus Inſulam *S. Mariæ.*

ANSIBARII, Germaniæ inferioris populi proximi Friſiis, à Chaucis pulſi, Tacit. *Annal. l.* 13. *c.* 55. Quorum oppidum *Anſeloh* ſive *Amſſen.* Pagus apud Lochemum, à Zutphenio. 2. leuc. à Daventriâ 3. diſtans. *Cluverio* in illa parte Weſtphaliæ fuêre, ubi nunc Mindenſis Principatus & Comitatus Dieppholtzenſis & Hojenſis.

ANSICANI, populi Africæ, in Æthiopia ſuperiori ad Septentrionem regni Congi, & ad Orientem regni Loangi, in mediterraneis.

ANSIDONA, nunc ANSEDONIA, prope mare Tirrhenum, ubi olim Coſæ everſæ; in ruinis jacet, ſub magno Hetruriæ Duce.

ANSLÆUS Henricus, vide *Henricus.*

ANSLOGA, Scandinaviæ urbs in Norvegia Epiſcopalis, ſub Archiepiſcopo Nidroſienſi, vulgò *Anſlo.* Aliter, *Opſlo.* A Chriſtiano IV. *Chriſtiana* dicta.

ANSPACHIUM, oppid. Germaniæ cum caſtro, in Franconia, Brandeburgici juris. Alias *Onoltzbach*. ad fluv. cognominem 6. leucis à Norimberga in occaſum, 7. autem à Nordlinga, in Boream.

ANSPRANDUS, Longobardorum in Italia Rex XVI. poſt Aripertum II. regnavit breviſſimè, extinctus eô ipſô, quô ſucceſſit Ariperto, A. C. 712. ſucceſſore Luitprandô. Vide & *Aſprandus.*

ANT, in nummis Conſtantini M. & Juliani, *Antiochea*, ubi moneta cuſa, index eſt. Vide ſuprà AAEZ.

ANTA, in nummis Iuliani & Eudoxiæ, eandem urbem deſignat: ubi A. annus I. Imperii vel Monetarii nota eſt. Car. du Freſne *de infer. ævi Numiſmat.*

ANTA, Amnis Galliæ, in Normannia. Faleſam urbem alluit, & 3. leuc. infra in Divam fluv. cadit. Item, oppid. cum portu, in ora maritima Guineæ, in Africa. Tribus leucis diſtat à promontor. trium Capitum, Orientem verſus.

ANa

ANTACÆ, Sarmatiæ Aſiaticæ populi. *Plin. l. 6. c. 7.*

ANTACHARÆ, urbs Indiæ intra Gangem. *Ptol.*

ANTACITES, amnis in Aſiæ latere ad Tyramben oppid. à quo piſces *Antacei*, ſalſamentum *Athenæo*, cæteriſque nobile: Nam & in hodiernum diem in Mæotide lacu præſtantiſſimi quotannis invehuntur. Amnem hunc apud *Ptol.* corruptè legas *Attacum* pro *Antacite*. *Nic. Lloydius.*

ANTÆ, populi trans Iſtrum *Procopius.* Congeneres Sclavinis, quos in Romanas Provincias irruentes Juſtinianus Imperator per Chilbibium Ducem repulit, & miſſo poſt aliquot annos Germano, ſororis ſuæ filiô, ad internecionem ferè delevit, ut meritò ab illis nomen *Antici* adeptus ſit, quam vocem Haloander rectè in tit. Juſtiniani, pro *Attico*, reſtituit. Vide Alciatum *Parerg. l. 5. c. 3.*

ANTÆ, ſeu ANTES & ANTERIDES, nonnullis pro ſynonymis habentur, ſed perperam. *Antæ*, enim ſunt παραστάδες, columnæ quadræ vel pilæ, quæ ad latera oſtiorum utrinque ponuntur, nec enim quælibet columna quadrata *Anta* dicta eſt, ſed extantium, quæ in lateribus oſtiorum, ἀπὸ τῶ ἀντίων. Atque hæ antepagmentis ligneis operiebantur, ornamenti gratiâ. *Antes*, ordines ſunt ſeu στίχοι cujuſcunque rei anteriores & qui frontem ſpectant: unde & dicti: Ut *Antes vinearum* στίχοι ἀμπέλων. Virg. *l. 2. Georg. v. 417.*

Jam canit extremos effœtus vinitor Antes.

I. e. Laſſus & effœtus vinitor, in extremis *Antibus*; qui inprimis adhuc integer, utpote laborare tum incipiens, quum in extremis vineæ ordinibus labore jam fractus ſit; ut enim extremi ſunt Antes in vineis, ita & primi ac medii. Sic Cato *de re Milit.* apud *Servium*: *Equites quatuor agminibus, pedites duobus* Antibus *ducas*, i. e. duobus ordinibus. *Anterides* tandem, ſunt columnæ vel lapides eminentiores, qui interponuntur ad ſuſtinendam ſtructuram, ἀπὸ τῶ ἀντερείδειν, Vitruvio *l. 6. c. 11. Eriſma*: ſeu pilæ lapideæ muris objectæ & obnixæ, ad fulciendam ſtructuram. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1216.* & hîc infrà *in Ante*, it. *Paraſtades.*

ANTÆA, Dea quædam. Eandem cum Rhea fuiſſe tradit Apollonii interpres ad illud:

Ἢ οἵαν Δίνδυμον ἐπὶ Φρυγίαν Θεᾶς [illegible]
Ἀντάων [illegible]. — ...

Ubi *Scholiaſt.* Ἡ Ῥέα ὅτω λέγεται, διὰ [illegible] τοῖς Τελχῖσιν [illegible]. Ἀντ*αίαν*, autem eandem eſſe cum τῇ τύχῃ tum alii, tum Horat. *l. 1. Carm. Od. 35. v. 1.* oſtendit in his,

O Diva gratum quæ regis Antium
Præſens, vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos.

Ita dicebant Deam illam, quæ Antii colebatur, [illegible] *Heſychium* [illegible]. *Nic. Lloydius.*

ANTÆAS, Scytharum Rex, Iſmeniam tibicinem bellô captum juſſit ad cœnam canere. Omnibus autem admirantibus, & præ voluptate plaudentibus, juſejurandô affirmavit, *Suavius ſe interdum equum hinnientem audiſſe*: Uſque adeò aures habebat à Muſica abhorrentes. Plut. *in l. de Alexandri fortuna.*

ANTÆOPOLIS, civitas in Ægypto. *Steph.*

ANTÆUS, Gigas Libycus, Neptuni & Terræ fil. magnô ac procerô corpore; qui, quoties membra labore eſſent defeſſa, tactu terræ recreabatur. Hic Neptuno fanum ex craniis humanis extructurus, obvios quoſque occidit, tandem ab Hercule, qui eum in altum ſublatum ſuffocavit, ſuperatus eſt. Lucan. *l. 4. v. 598.*

Hoc quoque tam vaſtas cumulavit munere vires
Terra ſui fœtus, quod, cum tetigêre parentem,
Jam defecta vigent renovatô robore membra.

Stat. *Theb. l. 6. v. 893.*

—— Herculeis preſſum ſic fama lacertis
Terrigenam ſudaſſe Libyn, cum fraude reperta
Raptus in excelſum, nec jam ſpes ulla cadendi,
Nec licet extremâ matrem contingere plantâ.

Juvenal. *Sat. 3. v. 88.*

—— Cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis.

Seneca Tragœdus *in Herc. Octæo Actu 1. v. 24.*

—— Nullus Antæus Libys
Animam reſumit.

Tingi, vel Tingin oppidum in Africa condidiſſe fertur. Solinus *c. 27. Tingi exſtruit, Mauritaniæ nunc colonia, cujus primus author Antæus eſt.* Plin. *l. 5. c. 1. Tingi quondam ab Antæo conditum.* Et paulo poſt, ubi de vicinis oppidis Zili, & Lixo: *Ibi regia Antæi, certamenque cum Hercule, & Heſperidum horti.* Inde Plutarchus *in Sertorio*, ubi de Tingi ab illo captâ, Ἐνταῦθα τὸν Ἀνταῖον οἱ Λίβυες [illegible]. Καὶ τον τάφον αὐτοῦ Σερτώριος διέσκαψε, τοῖς βαρβάροις ἀπιστῶν διὰ τὸ μέγεθος: ἐντυχὼν δὲ τῷ σώματι, [illegible] (ὥς φασι) πηχῶν ἑξήκοντα [illegible]. Hoſpitum capita poſtibus affigere ſolitum fuiſſe, innuit Lucanus *l. 2. v. 161.*

—— —— Cognoſcitur illic
Quicquid ubique latet ſcelerum. Non Thracia tantum
Vidit Biſtonii ſtabulis pendere tyranni,
Poſtibus Antæi Libye. Nec Græcia mœrens
Tot laceros artus Piſæa flevit in aula.

Mythologiam Antæi, vide apud Natal Comit. *l. 7. c. 1.* & Alex. Roſſæum *in Myſtagogo Poetico. Nic. Lloydius.*

ANTÆUS, alter Maximinus à militibus cognominatus eſt, apud Capitolin. *in Maximin. c. 6.*

ANTÆUS, unus è libertis T. Pomponii Attici, quorum meminit. Cicer. *l. 13. ep. 44.*

ANTÆUS, Medicus, Plin. *l. 28. c. 1.* Statuarius, *l. 34. c. 8.*

ANTAGORAS, Cous, vir, cujus meminit Pauſan. *l. 5.* Item Rhodius, Poëta non ignobilis, cujus feſtiviſſimum fertur reſponſum. Hic enim gulæ nonnihil impertiendum ratus, congrum intentius coquebat; Admonitus ſuper ea re Antigonus, illique aſſiſtens retro, leniter retractum interrogavit, Putaſne, inquit, ô Antagora, Homerum Agamemnonis & Græcorum rebus carmine celebrandis diſtentum, quô pactô congri meliùs ſaperent, perſtrìſſe? Cui ille, An opinaris, inquit, ô Rex, Agamemnonem, ῷ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε, cui tantarum rerum onus incumberet, perſcrutaturum, Ecquis in exercitu congrum coqueret? Cæl. Rhodig. *Antiq. Lection. l. 7. c. 8. Nic. Lloydius.*

ANTALCIDAS, Lacedæmonius, fil. Leonis, miſſus in Perſiam, cum Patriæ damno, pacem cum Artaxerxe concluſit. Plut. *in Pelopida*, & *Artaxerxe.* Xenoph. *l. 1.* Diodor. Sic. *l. 14.* Pauſan. *l. 4.*

ANTANDER, Meſſeniæ Dux contra incurſiones Lacedæmoniorum. Pauſan. *l. 4.*

ANTANDROS, nunc *S. Dimitri*, teſte *Sophiano*, Phrygiæ urbs ad meridiem poſita, quam habitavêre Leleges finitimi Cilicibus. *Edonis* prius vocabatur, deinde *Cimmeris*, & *Aſſos*, & *Apollonia* Virg. *l. 3. Æn. v. 5.*

—— —— Claſſemque ſub ipſa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ.

Nomen ejus quod attinet, audi Melam. *l. 1. c. 18. Duplex cauſa nominis jactatur. Alii Aſcanium Æneæ filium, cùm ibi regnaret, captum à Pelaſgis, ea ſe redemiſſe commemorant: Alii ab iis putant conditam, quos ex Andro inſula vis & ſeditio exegerat. Hi Antandrum, quaſi pro Andro, illi quaſi pro viro accepi volunt.* Vide de la Cerda, & Servium, *ad prædictum Virgilii locum.* longitud. 54. 30. latitud. 41. 00. *Nic. Lloydius.*

ANTANII, Cariæ gens. *Porphyrogenneta.*

ANTAPODIA, vide *Anaxyrides.*

ANTAPRISTENA, Myſiæ urbs. *Nicephorus.*

ANTARADUS, Syriæ urbs. *Ptol.* Conſtantiam aliquando nominatam à Conſtantio Imperatore ſcribit *Cedrenus.* Hodie *Torteſa* dicitur. Sed in ruinis, & ferè deſerta jacet.

ANTARCTICÆ Regiones partes orbis, quæ verſus Polum Antarcticum ſitæ. Aliis *Terra Auſtralis.* Sed vix ab Europæis luſtratæ ſunt aliquot partes, verſus oram littoralem; ſuntque Regio Petri Nuitſii, Terra Concordiæ ſeu Nova Hollandia, Carpentaria, Regio Antonii Diemens, Nova Zeelandia, & regio Ferdinandi à Quiro. Vide *Terra Auſtralis.*

ANTARCTICUS, polus Auſtralis, Arctico oppoſitus, qui terræ objectus à nobis cerni non poteſt. A noſtris *Meridionalis* vulgò dicitur. Virg. *Georg. l. 1. v. 240.*

Mundus, ut ad Scythiam, Riphæaſque arduus arces
Conſurgit, premitur Libyæ devexus in Auſtros.
Hic vertex nobis ſemper ſublimis: at illum
Sub pedibus, Styx atra videt, maneſque profundi.

Hauſit ex Arato, cujus hæc ſunt:

Καὶ μιν πειραίνουσι δύω πόλοι ἀμφοτέρωθεν.
Ἀλλ' ὁ μὲν οὐκ ἐπίοπτος, ὁ δ' ἀντίος ἐκ βορέαο
Ὑψόθεν Ὠκεανοῖο.

Author libelli, *de Mundo*: Τῶν δ' ἀκινήτων πόλων τούτων, ὁ μὲν ἀεὶ φανερός ἐστιν ὑπὲρ κορυφὴν ὢν κατὰ τὸ βόρειον κλίμα, Ἀρκτικὸς καλούμενος: ὁ δὲ ὑπὸ γῆν ἀεὶ κατακεκλειμένος κατὰ τὸ νότιον, Ἀνταρκτικὸς καλούμενος. Dionyſ. Halicarn. *l. 2.* [illegible] *Nic. Lloydius.*

ANTARIANI, populi. Plin. *l. 6. c. 17.*

ANTARTA, Græcè ἀντάρτης, rebellis & tyrannus vel apoſtata à verbo ἀνταίρειν, quod eſt *contra ſurgere*, cui contrarium eſt συναίρειν. *Gloſſæ*, *Delliones*, [illegible], qui locus in *Gloſſis* hodie corruptiſſimus circumfertur. Aliæ *Gloſſæ*, Ἀνταρσία, *rebellio*, *perduellio.* [illegible], *rebellatio.* Unde [illegible], bellum ab *antarta* excitatum. Optimæ *Gloſſæ*, *Antartium* [illegible]. Pro *Antarta*, recentiores *Intarta* dixerunt, hôcque nomine appellârunt Tyrannos, ſeu rebelles Duces, qui ſolâ eorum, quibus præerant, auctoritate ac conſenſu Imperium ſumebant: cujuſmodi inter alios fuêre Tyranni illi XXX. quorum res Trebellius Pollio ſuccinctè, expoſuit. Vox frequens apud Anaſtaſium Bibliothec. in *Vitis* Pontificum &c. Vide Salmaſ. *Notis ad Trebellium in Gallienis c. 15. & XXX. Tyr. c. 1.* item infrà, in *Indervoti.*

ANTAVARES, populi Africæ, in Inſula Madagaſcaria verſus oram & partem Orientalem ad Septentrionem regionis Matatanæ. Fluvio *Mananzari* tractus eorum rigatur.

ANTB. In nummis Honorii & Heraclii, *Antiochiam* deſignat: ubi B. annus eſt Imperii Secundus, vel etiam nota Monetarii. Vide Car. du Freſne *Diſſert. de infer. ævi Numiſmatibus.*

ANTE, in nummo Valentiani eandem urbem, E. verò, annus eſt quintus Imperii ac Monetarii nota. Idem *ibid.*

ANTE cœnam, in cœnatium conviviis lautioribus erant prima ferculorum miſſus, qui & interdum iterabantur: cum ſecunda fercula, ipſumque velut ſolidum cœnæ, *cœna* dicerentur, Turnebus *Adverſar. l. 17. c. 10.* Caſaubono *Antecœna* ſive *Antecœnia* dicebantur, qui Martiali *l. 13. Epigr. 52. guſtus*, Græcis προπόματα, vide eum *ad Lamprid. in Heliogab. c. 19.* ut & *ad Athenæum.* Sumebantur autem in *antecœnis* oſtrea, echini, pelorides, ſphondyli & ſimilia. Apud Macrob. *l. 3. c. 13. Antecœna echinos, oſtreas crudas, quantum vellent, pelorides, ſphondylos, &c.* Lactuca item, de qua Martial. *l. 3. Epigr. 50. v. 3.*

—— —— adfertur protinus ingens
Inter lactucas oxygarumque liber.

Ubi *antecœnam* intelligit, &c. Salmaſ. *ad Capitolin. in Gordiano Jun. c. 21.* Vide infrà, *Frigida menſa.*

ANTEAMBULONES Servi, dominum domô egredientem olim apud Romanos præcedebant, honoris gratiâ & turbam per viam incedenti circumfuſam ſubmovebant. Plin. *l.* 3. *Ep.* 14. *Equés Romanus, à ſervo ejus, ut tranſitum daret, manu leviter admonitus, converſus ſe, nec ſervum, à quo erat tactus, ſed ipſum Macedonem, tam graviter palmâ percuſſit, ut penè concideret.* Sueton. *in Veſpaſ.* *c.* 2. *Eadem demum extudit magis convitiô, quàm precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam* Anteambulonem *patris appellat.* Senec. *Ep.* 87. *O quàm vellem Catoni nunc occurrere, & aliquem ex his troſſulis in via divitibus curſores & Numidas & multum ante ſe pulveris agentem.* Solebant illi obvios in latus fodiendo dicere. *Date locum domino meo.* Acron. *in Horat. Ep. l.* 1. Vide quoque Barn. Briſſonium, *de Formul. l.* 8. Neque verò ſervi hi ſolum fuêre, ſed & ad diverſos homines pertinuiſſe hanc operam, indicat Martial. *l.* 3. *Epigr.* 46.

> *Exigis a nobis operam ſine fine togatam:*
> *Non eo, libertum ſed tibi mitto meum.*
> *Non eſt, inquis, idem: multò plus eſſe probabo.*
> *Vix ego lecticam ſubſequar: ille feret.*
> *In turbam incideris, cunctos umbone repellet*, &c.

Merces erat, centum quadrantes, Idem *l.* 10. *Epigr.* 7.

> *Centum miſelli jam valete quadrantes*
> *Anteambulonis congiarium laſſi.*

Quos *centum plumbeos* vocat, *l.* 10 *Epigr.* 74. Vide infrà in voce *Sportula*. Magnò eos fuiſſe numerô, indicat Ammianus, *l.* 14. cùm illos *prægreſſum exercitum* vocat: ideòque myriadas ſervorum comparatas fuiſſe, ut comitum, *Anteambulonum*, & aſſeclarum copia ne deeſſet, ſcribit Athen. *l.* 6. Imo & Matronis non defuêre ſuæ *Anteambulatrices*. Moris enim fuit, ut ſine ancillarum præcedentium inſequentiumque comitatu Materfamiliâs aut Matrona ordinis honeſtioris, non prodiret in publicum. Unde Hieronym. ad Demetriad. virg. Graves, inquit, *fœminæ & maximè viduæ ac virgines tibi comites eligantur, quarum probata eſt converſatio, ſermo moderatus, ſancta verecundia.* Quam ob cauſam, non levem injuriam eiſdem fieri ab iis, qui comites earum abducunt, auctor eſt Ulpianus, *l.* 15. §. 15. & 16. *de Injur.* Eoque reſpexiſſe quoque Plautus videtur *Amphitruon. Act.* 3. *ſc.* 2.

> *Valeas tibi habeas res tuas, reddas meas:*
> *Juben' ire mihi comites?* JUP. *Sanan' es?* AL. *Si non jubes;*
> *Ibo egomet, comitem pudicitiam duxero.*

Vide Eundem *Moſtellar. Act.* 1. *ſc.* 1. Sed & Spadones hoc officium teneriori ſexui præſtitiſſe, docet iterum Hieronym. *Ep. ad Furiam Rom. nobilem viduam*, cùm ait: *Noli ad publicum ſubinde procedere & ſpadonum exercitu præeunte, viduarum circumferre libertate*, &c. Vide Laur. Pignorium *Comment. de Servis*, & T. Popmam *de oper. ſerv.* de *Anteambulonibus* autem *Imperatorum* aliquid infra voce *Obſequentes*.

ANTEBROGIUS, Rhemorum, qui proximi Galliæ ex Belgis erant, legatus ad Cæſarem, *l.* 2. *Comment. c.* 3.

ANTECANIS, qui & *προκύων*, diverſus à Sirio, qui etiam *προκύων* dicitur, & ſtella eſt in maxilla majoris canis. Antecanis enim ſidus eſt, quod & *προκύνα* dixêre, quia ante canem majorem oritur, conſtitutus juxta lacteum circulum; ortus autem *Manilio* ac *Firmico* in 27. parte cancri, *Aëtio* in 14 Julii; Sirius verò ſtella eſt, & *canicula* dicitur, oriturque iiſdem in prima parte leonis, vel 19. Julii. Quam in rem varia habet Salmaſ. *ad Solin. p.* 410. & 431.

ANTECESSOR, Græcè Α'ντικήνσωρ, Tertulliano Spiritus S. dicitur *l. de Virgine vel. Non enim ab ſe loquitur, ſed quæ mandantur a Chriſto. Hic ſolus* Antecceſſor, *qui ſolus poſt Chriſtum.* Eidem *Antecceſſores* alibi Apoſtoli dicuntur: voce à Romanis mutuatâ, apud quos *Antecceſſores* ſunt Juris Doctores, Magiſtri & Profeſſores, unde apud *Heſych.* Α'ντικήνσωρ ὁ τοῦς νόμους μεταδιδούς. Quô titulò cohoneſtatos legimus Theophilum inprimis Inſtitutionum Juſtiniani Paraphraſten, & Julianum Patritium, Novellarum Græcarum ejuſdem Principis Interpretem. Sic inſcriptio *Proœmii ff.* dirigitur ad Theophilum, Dorotheum, Theodorum, Iſidorum, Anatolium, Thallælæum, & Cratinum. *Antecceſſores.* Et *l.* 2. *Cod. de vet. jure Enuc.* *Et Dorotheum Virum illuſtrem & facundiſſimum* Antecceſſorem, *quem in Berytienſium ſplendidiſſima civitate Leges diſcipulis tradentem — ad nos deduximus*, &c. Et paulò pòſt, *Nec non & Cratinum — optimum* Antecceſſorem *hujus almæ urbis conſtitutum*. Conſtantinop. namque & Beryti Jura publicè doceri ſolita fuiſſe legitur §. *hæc autem tria in proœm. ff.* Haloander ſic dictos vult, à *præcundo* diſcipulos & quaſi porrectâ manu in penetralia Juris deducendo. Potiùs ad exemplum *Antecceſſorum*, quorum meminit Sueton. *in Vitellio*, *c.* 17. & *c.* Præcurſorum, Gall. *Avant-coureurs*, quorum erat ante agmen ire, loca caſtris metandis idonea deligere, & vias, quibus duci commodè exercitus poſſit, videre. Vide quoque Hirtium *de Bello Afric. c.* 12. Dominicus Macer hodieque Lectores Jubilatos in nonnullis Academiis *Antecceſſores* dici refert, in *Hierolexico*. Vide etiam infrà in voce *Antigrapheus*. Roſino *l.* 8 *Antiq. Roman. c* 4. *Antecceſſores*, nomen dignitatis apud Rom. Cùm enim Juriſconſultorum hæc apud illos ſervaretur differentia, ut alii Juris eſſent Studioſi ſive Candidati, alii *Antecceſſores* ſive Sophiſtæ, alii denique Juriſconſulti ſive Juris Auctores: Studioſi aſſidebant; Candidatorum operâ Principes, in recitandis potiſſimum orationibus, uti ſolebant: Et qui jus publicè interpretabantur, hi *Antecceſſores* erant. Juriſconſulti autem populo de jure reſpondebant. Vide & infrà voce *Antigrapheus*.

ANTECOENA, vide ſuprà *Ante cœnam*, & infrà *Cœna*, it. *Frigida*.

ANTECUSTODIA, ſeu *Antegarda*, ex Gallic. *Avantgarde*, prima acies, apud Thom. Walſinghamum, in *Geſtis Ludovici* VII. Regis Franciæ *c.* 12. apud Hieron. Vignerium *in Hiſt. Alſat.* alibique; quam, ut & *Retrogardam facere*, in exercitu Regis Gall. Seneſcalli Franciæ officium fuiſſe, tradit Hugo de Clericis *Tract. de Seneſcallo Franc.* qui *Protutelam* & *Retutelam* vocat: Wilhelmus Britto verò Mareſcallo Franciæ id juris adſcribit, *Philipp. l.* 8

> *Cujus erat primum geſtare in prælia pilum,*
> *Quippe Mareſcalli clarò fulgebat honore.*

Hoc certum, magnæ id dignitatis fuiſſe; ut ex controverſia hinc inter Theobaldum Campaniæ & Ferrandum Flandriæ Comites, utri eorum primam in Franciæ Regis exercitu aciem regere competeret, ortâ patet, quæ tamen hôc modô ad tempus utcunque Sopita eſt: *Ego Theobaldus — notum*, &c. *quòd cùm eſſet controverſia inter me — & Fernandum Comitem Flandriæ —* de Antegarda *&* Retrogarda, *in exercitu Domini Regis, faciendis ita ad preces — Ludovici Regis — ad concordiam ſumus revocati: ſcil. quod dictus Comes Flandriæ ſemel faciet antegardam — eundo in Britanniam & bis retrogardam, quia ego feceram ſimiliter — Deinde — ſimul faciemus antegardam & retrogardam. Hæc autem omnia ſunt ſalvò jure meo & ſalvo jure F. Comitis Flandriæ, tam in ſaiſina, quàm in hæreditate — Datum an. gr.* 1230. &c. ex *Tabulario* Campaniæ, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ANTEJURAMENTUM ſeu PRÆJURAMENTUM, Anglis olim dictum *Juramentum de calumnia*, quod ab accuſatis & accuſatoribus æquè exigebatur, priuſquam in litem deſcenderent, uti inprimis cautum in *LL.* Æthelſtani Regis *c* 23. apud *Lambardum*. Et ab accuſatore quidem in hujuſmodi *antejuramento* deficiente reus liber evadebat: ab hoc verò tantò id rigore exigi conſuevit, ut vel ad ordalium ſeu purgationem Canonicam, niſi eò prius præſtitô, neutiquam admitteretur. Vide *LL.* Philippi Comitis Neoportuenſis A. C. 1164 *LL.* Henrici I. *c.* 66. alibique *LL.* Kanuti *c.* 42. & 43. apud Bromptonum & Concilium Tributienſe A. C. 895. *c.* 21. apud Car. du Freſne *Gloſſ.* Saxonicè *Aſwaren-ed*. Quod quale fuerit, ſic refert Andr. Suenonis Archiep. Lundenſis *Danic. LL. l.* 7. *c.* 6. *Hæc eſt forma juramenti quod eundem ferri judicium antecedit: ut affirmet autor ſub juriſjurandi religione, quòd non odii cauſâ, non lucri gratiâ reo impoſuerit furti crimen, ſed quia ſcit eum veraciter rem ſibi furti vitio ſubtraxiſſe*, apud Eund. in voce *Aſwaren-ed*.

ANTEJUS, prænomine Publius, Syriæ à Nerone præpoſitus. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 22. ſed variis mox artibus eluſus, ad poſtremum in urbe retentus eſt: inviſus Neroni caritate Agrippinæ & præterea, quòd annuam pecuniam Pammeni Chaldææ artis perito miniſtraret, ab Antiſtio Soſiano per verſus crimine novarum rerum. Quô compertô, Antejus hauſtô venenô finem vitæ ſibi afferre voluit, dein tum, tarditatem ejus peroſus, inciſis venis mortem approperavit Tacit. *l.* 16. *Annal c.* 14.

ANTELIA, Armeniæ minoris urbs. *Ptol.*

ANTELIUS, idolum, ad ædium fores, olim ſolitum exponi, quaſi *ante Solem* vel *verſus Solem* poſitus. Tertullian. *de Idolol.* *c.* 5. Antelios *Dæmones oſtiorum præſides legimus*, apud Macrum *Hierolexico*. Vide infrà *Anthelii*, ſic enim meliùs ſcribitur.

ANTELUCANI Conventus veterum Chriſtianorum, carmen ibi Chriſto decantantium, memorantur Plinio Jun. *l.* 10. *Ep.* 97. ad Trajanum, lectu atque obſervatione digniſſimâ, cujus meminêre Oroſius *l.* 7. Tertullian. *Apologet.* & Euſeb. *Chronicis.* Quomodo verò intelligendi illi, dicemus infrà, voce *Nocturni*.

ANTEMANICA ſeu ANTEMANICIA, in *Gloſſ.* Arabico-Lat. *ornamentum brachii, quod ante manicam apponitur.* Et in veteri *Schedâ* Thuan. *antemanicias paria* 1. &c. pars veſtis, quæ ante manicas induitur, Gall. *Avant-manches*. Car. du Freſne in *Gloſſar.*

ANTEMISSÆ Arbores, quas nonnulli, ante poſſeſſionum ſuarum fines intactas ſolent dimittere; ut magnitudine cæteris anteſtent, ſicque obſervationem finium præſtent, dicuntur Siculo Flacco *de condit. Agror.* Frontino & *Aggeno*.

ANTEMNÆ, ſive, ut quidam habent autores, *Antemna*, Sabinorum urbs, ex Anienem, à Latinis condita, ac denominata, ſi Varroni credimus, *l.* 4. *de L. L.* *Oppidum*, inquit, *Interamna dictum, quòd inter amnes eſt conſtitutum; item Antemna, quòd ante amnem.* Idem de nominis iſtius etymo tradunt *Feſtus* & *Servius*. *Dionyſ. Halicarn.* Antemnas & Cæninam οὐκ ἀσήμους πόλεις fuiſſe aſſerit, itemque Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 629.

> *Quinque adeò magnæ poſitis incudibus urbes*
> *Tela novant, Atina potens, Tiburque ſuperbum,*
> *Ardea, Cruſtumeriique & turrigeræ Antemnæ.*

At contra Strabo *l.* 5. πολίχνια, h. e. *urbeculas* vocat. *Nic Lloydius.*

ANTEMURALE, in *Ceremoniali* Cardinalium Paris Craſſi *l.* 2. *c.* 22. veſtibulum Altaris & Presbyterii ſeu potiùs Bematis, quod Græci *Soleam* appellârunt. Niſi legendum *Ante murale*, i. e. *ante murum* ſeu cancellum, qui Presbyterium à Choro dirimit, Car. du Freſne *Gloſſar.*

ANTENACUM, Germaniæ oppid. ad Rhenum, vulgò *Andernach*. *Antonacum Ammiano*; *Antunacum Antonino*. longitud. 28. 00. latitud 50. 25. In ditione Archiepiſcopali Colonienſi parvi circuitus & paucorum incolarum.

ANTENNA, Græcè κέρας πλοίου, κεραία, ἐπίκριον, lignum tranſverſum in navi ad malum, cui velum alligatur. Ad cujus ſimilitudinem pars crucis apud Veteres tranſverſaria quoque *Antenna* dicta, quòd arrectaria mali inſtar haberet, vide infrà voce *Suppedaneum*. De κεραίαις verò λιθοβόλοις ſeu *antennis*, quibus ad *Saxorum conjectionem* utebantur Veteres, aliquid vide infrà, ubi de *Saxis*.

ANTENOR, Scytharum, ad oſtia Danubii, Rex, à Gothis in bello cum multis cæſus eſt; huic ſucceſſit Marcomirus fil. Vide *Trithem.* Item *Antenor*, Marcomiri fil Francorum Rex, A. C. 61. hic habuit ex Britannia uxorem Cambrem, quæ prudentiâ, & formâ omnibus ſui temporis mulieribus præſtantior fuit: Item nomen ſtatuarii. Pauſan. *l.* 1.

ANTENOR, unus ex Trojanorum Principibus, patriam ſuam prodidiſſe, putatur, quia & legatos, qui propter Helenam venerant, hoſpitiò ſuſcepit, & Ulyſſem habitu falsò cognitum non indicavit. Hinc Venetiam venit, urbemque in eâ condidit, *Antenoream* primò dictam, poſtea *Patavium*, demum *Paduam*. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 246.

Antenor potuit, mediis elapſus Achivis,
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timavi;
v. 251. *Hic tamen ille urbem Patavi, ſedeſque locavit*
Teucrorum, atque urbi nomen dedit.

Enarrator Lycophronis ei dat accenſam lucernam ad vocandos Danaos, & recluſionem equi lignei: Ἀντήνωρ δέ φασιν ἀνῆψε τοῖς Ἕλλησι, καὶ τὰ ὑποχόρευμα τοῦ ἵππου ἀνοίγει. Sunt autem qui illum liberent hôc crimine. Inclinat in hanc partem Virgilius; qui elapſum ait, quô fuga innuitur, non pactum. Liv. *l.* 1. *c.* 1. tantùm ait, fuiſſe illum unà cum Ænea auctorem pacis, & reddendæ Helenæ. Ita Ovid. *Faſtor. l.* 4. *v.* 75.

Adjice Trojanum ſuaſorem Antenora pacis.

Ita Horatius *l.* 1. *Ep.* 2. *v.* 9.

Antenor cenſet belli præcidere cauſam.

Audi ipſum *Iliad.* η *v.* 350.

Δεῦτ' ἄγετ' Ἀργείην Ἑλένην, καὶ κτήμαθ' ἅμ' αὐτῇ
Δώομεν Ἀτρείδῃσιν ἄγειν.

Hinc Adject. *Antenoreus.* Lucan. *l.* 7. *v.* 192.

Euganeo (ſi vera fides memorantibus) augur
Colle ſedens; Aponus terris ubi fumifer exit
Atque Antenorei diſpergitur unda Timavi.

Nic. Lloydius.

ANTENOR, Cretica conſcripſit. Ælian, *de Anim, l.* 17. *c.* 35. *Delta* cognominabatur, teſte Photiô *Teucr.* 109. Rationem addit, διὰ τὸ ἀγαθὸς εἶναι, καὶ φιλόπολις. Τοὺς γὰρ Κρῆτας τὸ ἀγαθὸν δέλτα καλεῖν φασί.

ANTEPAGMENTA, veteribus Antipagmenta, ab *ante*, valvarum ornamenta ſunt, *quæ Antis adpanguntur, i. e. affiguntur. Feſt.* Quæ proin malè nonnulli confundunt, cum *Antis*: Antæ enim lapideæ, ut dictum, *Antepagmenta* lignea, quæ ornamenti gratiâ Antas operiunt. *Vetus Inſcr.* FACITO ANTEPAGMENTA ABIEGNA LATAS ---- apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1217.

ANTEPANNI, faſciæ vel zonæ, ſeu ultimæ fimbriæ, quibus veſtis ornatur, Græcis recentioribus Ἀντίπανα, item παραλόγια, i. e. *paraturæ*, ornaturæ. Vide infrà in voce *Pannus.*

ANTEPEDES, amici obſequium facientes, *Iſidor.* Cùm enim & ſervi & amici ad obſequia eſſent, Amici, quod anteirent, *Anteambulones* & *Antepedes*, ſervi autem *pediſequi*, *à pedibus*, *ad pedes* & *circumpedes* dicebantur. Agrœcius de Orthogr. *Circumpedes ſunt obſequia ſervorum, Antepedes amicorum*: Meminit eorum Caſſiodorus *in Formula Curæ Palatii*: *Illud quoque conſidera, quâ gratificatione tractaris, ut aureâ virgâ decoratus, inter obſequia numeroſa, &* Antepedes *regios primus videaris incedere.* Et Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 142.

---- ---- *Togati*
Antepedes ----

apud Salmaſ. *ad Trebellium Pollion. in Claudio. c.* 14.

ANTEQUIA, vel ANTECUIA, Hiſpan urbs. *Ptol. S. Andr*, teſte *Hen. Coquè*, in ora Boreali Autrigonum, inter Laredum, & Fanum S. Julianæ. oppid. Cantabrorum. Nunc etiam *Andreapolis*, quod vide.

ANTERIDES, Græcè Ἀντηρίδες, ἀπὸ τοῦ ἀντερείδειν, unde & ἀντερειστικά. Vitruvio *l.* 6. *c.* 11. *Eriſmæ*, columnæ ſunt vel lapides eminentiores, qui interponuntur ad fulciendam ſuſtinendamque ſtructuram. Latinis etiam *Obices* & *Tibicines*. Servius in *l.* 2. *Virg. Georg. v.* 417. *Antes lapides eminentiores, qui interponuntur, ad maceriam ſuſtinendam.* Item, *ſunt eminentes lapides vel columnæ ultimæ, quibus fabrica ſuſtinetur, & appellantur Antes, ἀπὸ τοῦ ἀντέχειν.* Sed *Anterides* hic cum *Antibus* confundit. *Anterides* enim hujuſmodi columnæ ſunt. *Heſych.* Ἀντηρίδες καὶ ἀντερειδόμενα ξύλα ἢ λίθινα κατασκευάσματα. Salmaſ. *ad Solin.*

ANTEROS, Martis & Veneris fil. cujus meminit Cicer. *l.* 3. *de Nat. Deorum*, & Pauſan. *l.* 1. apud quem δαίμων dicitur, ultor ſcilicet eorum, qui vel amantes vel amores ſpernunt. *Anteros* etiam dictus eſt Apollonius Alexandrinus Grammaticus, Apionis diſcipulus, qui Romæ ſub Claudio docuit. Suidas in Ἀντέρως. de quâ voce vide Rhodium, *ad Scribonium Largum, fol.* 237. *Nic. Lloydius.*

ANTEROS, genus amethyſti, aliis παιδέρως, nonnullis *Veneris gemma.* Sic autem dicti ſunt ii amethyſti, in quibus ea carbunculo in purpuram refulgeret leniter roſeus nitor, ob gratiam ſpeciei & coloris: cùm contrà improbarentur, qui ad viciniam cryſtalli deſcendunt, *albicante purpura defecti.* Græcè ἀντέρως, h. e. *æque venuſtus, ac amor*, contra amorem pulcher. Quemadmodum *Coloſſeros*, in *Hiſtor. Auguſt.* ὁ κολοσσέρως, vir eſt grandis ut coloſſus, ſed venuſtus & amabilis, ut amor ipſe. Non enim hic *pueri amorem*, aut παιδικῶν ἔρωτα, vox notat. At ἱππέρως, in iſto.

Τὸν ἱππέρωτ' ἀπόλεσέ με τῶν πραγμάτων.

τὸν ἱππικῶν, rei *equeſtris* amorem deſignat. Salmaſ. *ad Solin. p.* 565. Vide quoque infrà in voce *Pæderos.*

ANTES, gens Scythiæ fortiſſima, habitans ad Ponticum mare. *Agathias.*

ANTES, vide ſuprà *Antæ.*

ANTESIGNANI, iidem cum Campiductoribus ſeu Campigenis, apud Romanos, Vegetius *l.* 2. *c.* 7. ubi nomina & gradus principiorum Legionis enumerat: *Campigeni*, inquit, *h. e. Anteſignani, ideo ſic nominati, quia eorum operâ atque virtute exercitii genus creſcit campo.* Ubi *genus exercitus, quod creſcit campo*, eſt armatura, quæ tradebatur à Campidoctoribus. Campigenos autem inter principia Legionis enumerat, eoſque *Anteſignanos* interpretatur, eo quod Campidoctores & reliqua Legionis principia ante ſigna pugnabant & *anteſignani* vocabantur. Idem *l.* 2. *c.* 15. *Sed ante ſigna & circa ſigna, nec non etiam in prima acie dimicantes, Principes vocantur, h. e. ordinarii cæterique principales.* Ammianus, *Horum campiductoribus, ut fortium factorum Anteſignanis, poſt civitatis excidium, armatas ſtatuas apud Edeſſam* ... *locari juſſerat Imperator.* Vide Salmaſ. *ad Lamprid. in Alexandro Severo, c.* 53. & infrà ſuò locò.

ANTESTARI, quid ſit, docet Acron in *Horatii Serm. l.* 1. *Sat.* 9. *v.* 75. *Denuntiames litem anteſtatos habebant, quibus præſentibus conveniebat, ut aurem illis tertio vellerent. Solebant enim teſtium aures tenere, & ita dicere: Memento, quòd tu mihi in illa cauſa teſtis eris, quod* eſt Antiſtari. *Aliter, olim qui anteſtabantur, auriculam tangebant. Ideoque Poëta ait,*

Libenter auriculam obtuli.

Aliter: Anteſtari, *i. e. teſte uti, quòd judicii causâ volo manum injicere. Nam hæc erat conſuetudo, ſi quis vadato non paruiſſet, et adverſarius aliquem è præſentibus anteſtabatur, i. e. tangebat ejus aurem, & dicebat, licetne anteſtari? Si reſpondiſſet ille, licet: tunc injiciebat vadatus manum in eum, qui non paruiſſet & ducebat in judicium; aliter ſi injeciſſet manum, injuriarum poterat accerſiri*, &c. Ipſe Horat. *dict. loc.*

---- *Et quo tu turpiſſime? magnâ*
Exclamat voce, & licet anteſtari? *ego verò*
Oppono auriculam, rapit in jus.

Quòd ſi verò non *anteſtatus* eſſet Actor, & manum injeciſſet, injuriarum reum Lex Decemviralis ideò conſtituit, ne ſine juſta cauſa ſic in adverſarios ſævirent Actores. Ut autem à teſtimoniis reliquis, ſic etiam ab Anteſtatione ſervos fuiſſe ſolitos repelli, docet Plautus *Curcul. Actu* 4. *ſc.* 4. *Actu* 5. *ſc.* 2. & 3. Sed nec anteſtatione opus fuit, ſi reus improbus eſſet, & inteſtabilis; unde lenones, fures & id genus alii, ſine *anteſtatione*, ad Prætorem rapiebantur, ne ſub prætextu ſecuritatis publicæ, tergiverſatione, rapinis, plagiis, furtis indulgerent. Plautus *in Perſa*, ubi cùm in Dropalum lenonem manus injiceret Saturio Paraſitus, interrogatus à lenone, anne anteſtaretur, reſpondet *Actu* 4. *ſc.* 9.

Tuâne ego causâ carnifex
Cuiquam mortali libero aures atteram,
Qui hic commercaris cives homines liberos?

Vide eundem in *Aulularia*, de Lyconide adoleſcente; *in Rudente*, de Labrace lenone, &c. Cæterùm ſi honeſtior eſſet perſona, quàm ut eam rapi conveniret (erant enim, qui in jus vocari, duci aut rapi nonnisi medió quidem anteſtationis poterant, ut ex *Epigr. l.* 48. *de verb. ſign.* colligitur) diem ei dicebat actor, eumque promiſſâ pœnâ, quam *multam* Plautus appellat, datisve ni prædia poſſideret vadibus vel pignore, diruitrebat, &c. Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* & ſuprà in voce *Alapa*, ut & infrà, ubi de ritu *Aurem in teſtimonium torquendi.*

ANTEVORTA, Dea Romanorum, quòd præterita noſſet, ſic dicta. Hanc Romani coluerunt, ob res præteritas, ſicut Poſtvortam, ob futuras ambaſque Providentiæ comites agnoverunt: Cæl. Rhodig. *l.* 25. *c.* 30. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 17.

ANTEUS, Pater Leonati, Macedo, ex Pella oppido.

ANTΓ. in nummis Valentiniani Theodoſii & Arcadii, *Antiochia*, Γ. verò anni tertii Imperii vel etiam Monetarii nota eſt. Car. du Freſne *Differtat. de inferi. ævi Numiſmatibus.*

ANTH. in nummis Valentiniani, eandem urbem notat. H. verò annum 8. Imperii, vel Monetarium deſignat, Idem *ibid.*

ANTHAIM, Antarum regio apud *Paul. Diaconum.* *Haim* German. patriam notat.

ANTHANA, una ex 100. urbib. Laconiæ, ab *Anthe* Neptuni filio per Cleomenem Leonidæ fratrem excoriato, oraculis in pelle ejus ſervari juſſis. Plin. *l.* 4. *c.* 5. Eſt & Arcadiæ civitas. *Steph.*

ANTHANIS, olim dicebatur Troezen, urbs Peloponneſi. *Steph.*

ANTHARIS, vel AUTHARIS fil. Clephonis. Langobardorum Rex III. A. C. 585. Teudelinam, vel Theolindam, Garibaldi Bavarorum Regis filiam, accepit uxorem. Hiſtriam cædibus & incendiis replevit; Franciſionem Ciſalpinæ Galliæ præfectum vicit: Comumque cepit. Demum cùm ſex annis regnâſſet, inſidiis domeſticorum apud Ticinum extinctus eſt venenatô poculô. A. C. 591. Paul. Diaconus, *Hiſt. Longob. l.* 3. *c.* 18. *& ſeqq.* Dictus eſt etiam Flav. ANTHARICUS, fuitque Mauritio Imperatori coævus; eum excepit Agilolphus, quem vide. Addo ſaltem ex Diacono cit. *c.* 33. Regem Autharim columnam freti Siculi haſtæ cuſpide attingentem dixiſſe (ut fertur) *Uſque huc erunt Longobardorum fines.* Certè per potentiam gentis hujus Græcis nihil ferè, præter Romam & Ravennam urbes, in Italia relictum fuit, longè lateque ſe Barbaris diffundentibus, nec unquam poſteà, quamvis Francorum auxiliô aliquoties à Mauritio Imperatore petitô, recuperari Italia & ad Græcos reduci potuit: Partem verò Italiæ à Langobardis reliquam, per *Exarchos* regere cœperunt, uſque ad Conſtantinum Copronymum, ſub quo Aiſtulfus Longobardos captâ Ravennâ etiam Exarchatui finem impoſuit. Vide hic paſſim.

ANTHARIUS, Sextus Sicambrorum Rex, regnavit ann. 35. Moguntiam, quæ tunc temporis Romanorum erat Colonia, evertit. A Gallis, Romanorum auxiliô, victus eſt, cui ſucceſſit filius *Francus*, à quo Sicambri *Franci* dicti ſunt.

ANTHAS, Anthæ civitatis conditor. Pauſan. *l.* 2.

ANTHEA, vide *Anthia.*

ANTHEAS, vide *Anthas.*

ANTHEAS, Lidius Poëta, qui primus poëſin ex compoſitis nominibus excogitâſſe dicitur.

ANTHEDON, urbs Bœotiæ, quam Homer. ἐσχατόωσαν vocat, *Il.* β. *v.* 508. Etymon habet ex florido, fertilique agro, vel ex *Anthedone* Neptuni, fil. Thracibus quondam habitata. Ejus meminit Ovidius *Met. l.* 13. *Fab.* 9. *v.* 905.

Nuper

Nuper in Euboicâ verſis Anthedone membris
Glaucus aquis. ---- ----

Tolandi hodie, teſte *Ortelio*. *Heſych.* Ἀνθηδών, ὁ μέλιττα, καὶ πόλις Βοιωτίας καὶ Πελοποννήσου. *Nic. Lloydius.*

ANTHEDON, portus Peloponneſi. Plin. *l.* 4. *c.* 5. Athenienſium portus apud *Ptol.* videtur.

ANTHEDON, Syriæ urbs, Gazæ vicina, mare verſus. Plin. *l.* 4. *c.* 7. poſtea dicta fuit *Agrippias*, *Joſepho* teſte. *Geib Volaterrani.* vocat, *Lariſſa* dicitur *Nigro*, qui ait præſidium illic nunc eſſe, quod *Darom* appellat.

ANTHELA, vicus circa mare, quem Aſopus amnis præterfluit. Herodot. *l.* 5.

ANTHELII, Θεοὶ ἀνθήλιοι, apud Athenienſes Dii, quorum ſtatuæ ante portas erectæ ſtabant, perpetuò Soli expoſitæ, unde nomen ortum, Heſych. & Dionyſ. Petavius in *Themiſtium.*

ANTHEMIS, maris Mediterranei inſula, Melamphyles, & Parthenia vocata, à fluv. Parthenio, qui Imbraſus poſtmodo appellatus eſt. Eadem eſt hæc inſula cum Samo Ionicâ. Strabo. *l.* 10.

ANTHEMIUS, fil. Procopii cujuſdam, Juliani Apoſtatæ cognati, Imperator à Ricimero, militiæ Magiſtro, renunciatus, Romam Macedonianos hæreticos ſecum duxit. Ricimerum dein generum aſcivit, à quo, Attilà prius in Dacia victû, A. C 446. tandem an. imperii 4. vel 5. occiſus eſt A. C. 471. Sidonius Apollin. *in Paneg. Anthemii.* *Caſſiodor.* *Jornandes*, Niceph. *l* 15. *c.* 11. Evagr. *l.* 2. *c.* 18. Idem Conſul ſolus. Item, alius, collega Stilicones. Tertius, Florentini collega, Socrates meminit alicujus Anthemii, qui præfectus fuit, cum Antiocho, urbis Conſtantinopol. dum Theodoſius Junior adhuc minorennis eſſet. *l.* 7. *c.* 1.

ANTHEMOISIA, Lyci fluminis fil. uxor Daſcyli, qui ex ea ſuſcepit Lycum & Otrea, vel, ut alii Prolam.

ANTHEMOISIS, nomen paludis circa Maryandinos. Apollonius *l.* 2. Aliàs *Anthemuſis.*

ANTHEMON, Trojanus, Simoiſii pater. lege *Anthemion.* Homer. *Il.* 4. *v.* 473.

Ἔνθ᾽ ἔβαλ᾽ Ἀνθεμίωνος υἱὸν Τελαμώνιος Αἴας
Ἠΐθεον θαλερὸν, Σιμοείσιον, ὅν ποτε μήτηρ
Ἴδηθεν κατιοῦσα, παρ᾽ ὄχθῃσιν Σιμόεντος
Γείνατ᾽. —— ——

ANTHEMUS, Macedoniæ oppid. apud Thermam. Item urbs Syriæ, *Strabo*. Fluvius etiam Colchidis, & Gadis inſulæ.

ANTHEMUSIA, eadem quæ Samos. Item civitas Meſopotamiæ. Strabo *l.* 16. *Alchuli Caſtaldo*. Regio item ejuſdem eſſe videtur apud *Eutropium*.

ANTHENA, Cynuriæ terræ in Peloponneſo urbs. Thucyd. *l.* 5.

ANTHERMUS, Chius, Micciadis fil. Malæ nepos, ſculptor inſignis, cujus filii Bupalus & Anthermus clariſſimi in ea ſcientia fuêre, Hipponactis Poëtæ ætate, cujus imaginem, quòd illi notabilis fœditas vultûs fuit, laſcivià jocorum propoſuêre ridentium circulis. Quod Hipponax indignatus, amaritudinem carminum diſtrinxit in tantum, ut credatur aliquibus ad laqueum eos compuliſſe, quod falſum eſt. Complura enim in finitimis inſulis ſimulachra poſtea fecêre, ſicut in Delo, quibus ſubjecerunt carmen, *Non vitibus tantum cenſeri Chium, ſed & operibus Anthermi filiorum.* Verba ſunt Plinii *l.* 36 *c.* 5. Iidem Dianæ ſimulacrum eâ arte concinnârunt, ut templum ingreſſis ſubtriſte, egredientibus verò lætum appareret. Idem *Ibid.* *Nic. Lloydius.*

ANTHEROPSITA, nomen imaginis Domini noſtri, apud Anaſtaſium Biblioth. *in Stephano II.* Lege *Acheropita*: intelligitur enim imago ἀχειροποίητος, de qua ſuprà in *Acheropoeta*. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* qui Gretzerum laudat libr. *de Imaginibus non manufactis.*

ANTHERUS, Græcus natione, Epiſcop. Roman. ſucceſſit Pontiano, Curavit primus Martyrum res geſtas diligenter conſignari, hinc Maximino Tyranno inviſus, Martyrium ſubiit. Euſeb. *Hiſt.* *l.* 6. *c.* 22. & *in Chron.* Baronius, *A.* C. 237. 238.

ANTHES, Athedonius, hymnorum repertor. Plut. *l.* *de Muſica.* Item Neptuni fil. Vide Stephanum, in *Anthana* & *Anthedon.*

ANTHESPHORIA, feſtivitas fuiſſe traditur, quæ in honorem Proſerpinæ fiebat, ſic dicta à legendis floribus. Nam ea, cum à Dite rapta eſt, floribus legendis erat intenta; ut ex Ovidio liquet *Met.* *l.* 5. *v.* 391.

—— *Quo dum Proſerpina luco*
Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit;
Dumque puellari ſtudio, calathoſque ſinumque
Implet, & æquales certat ſuperare legendo,
Pene ſimul viſa eſt, dilectaque, raptaque Diti.

Claudian. *l* 2. *de raptu Proſerp.* *v.* 122.

—— *Sic fata doloris*
Carpit ſigna ſui. Varios tum cætera ſaltus
Invaſere cohors, credas examina fundi
Hyblæum raptura thymum, cum cerea Reges
Caſtra movent; fagique cavâ demiſſus ab alvo
Melliſer electis exercitus obſtrepit herbis.
Pratorum ſpoliatur honos: hæc lilia fuſcis
Intexit violis: hanc mollis amaracus ornat:
v. 137. *Hæc graditur ſtellata roſis, hæc alba liguſtris.*
Æſtuat ante alias avido fervore legendi
Frugiferæ ſpes una Deæ: nunc vimine textò
Ridentes calathos ſpoliis agreſtibus implet.
Nunc ſociat flores, ſeſeque ignara coronat
Augurium fatale tori.

Porro Ἀνθεσφόρια, Latinè *Floriſertum* dixeris: de quo *Feſtus*, *Floriſertum dictum, quòd eò die ſpica ſeruntur ad ſacrarium.* De cætero, num quidquam hæc inter ſe habeant commune, compertum non habeo. Verùm *Antheſphoria* Siculos Proſerpinæ dicâſſe certum eſt. Pollux *l.* 1. *c.* 1. Κόρης ἱερὰ παρὰ Σικελιώταις, Ἀνθεσφόρια. Quorum eam eſſe cauſam puto, quod (ut verbis Arnobii utar, *l.* 5.) *quodam tempore, cum in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondum mulier flores, & adhuc virgo Proſerpina, cumque illam per ſurcam meſſium, hunc atque illunc, paſſim lectionis cupiditas avocaret, per profunda altitudinis ſpeluncam Rex proſiliens Manium, raptam virginem ſecum vexerit.* *Nic. Lloydius.*

ANTHESTHERIA, quæ & Bacchanalia, menſe Novembri, à Romanis celebrabantur, poſtridie Kal. Vide Roſinum *Antiq. Rom.* *l.* 4. *c.* 4 ut etiam in voce *Anthiſteria.*

ANTHEUS, Antenoris fil. quem Paris amavit, & imprudens interfecit. Quô nomine dictus eſt unus ex Æneæ Ducibus, de quo Virgil. *Æn.* *l.* 1. *v* 514.

---- *Anthea, Sergeſtumque vocat.*

ANTHIA, Soror Priami, capta à Græcis, quæ incenſis navibus adegit Pallenenſes condere Scionem. Vide Polyæn. *l.* 7. *c.* 47. Sic autem hunc heroinæ nomen ex ſuo codice reſtituit Iſaac. Caſaubon. Interpreti vocabatur *Æthria*. Rutgerſius verò *l.* 6. *Variar. Lect.* *c.* 2. leg. *Æthylla* vel *Anthylla.*

ANTHIA, filia fuit Amphianaſſæ, uxor Prœti Argivorum Regis, Abantis filii. Boccatius *l.* 2. *c.* 2.

ANTHIA, urbs Peloponneſi prope Argos, & alia Ponti, juxta Thraciam, Mileſiorum & Phocenſium colonia. *Heſych.* Ἄνθεια, πόλις τῆς Πελοποννήσου, καὶ Ἀφροδίτη παρὰ Κνιδίοις. Græcè Ἄνθεια, urbs memorata Homero *Il.* 1. *v.* 151. 293. quæ poſtmodum Θουρία, *Thuria* dicta, vicina Cardamylæ. Solin. *c.* 7. *Anthia & Cardamyle, ubi quondam fuêre Thyræ, unus locus dicitur, in quo annò XVII. regni Romuli inter Lacones & Argivos memorabile bellum fuit*; ad quem locum vide Salmaſ. *p.* 139.

ANTHIA, Lybiæ vicus, & Italiæ civitas, *Antium* poſtea dicta. *Steph.*

ANTHIAS, Eumeli fil. Triptolemi illius, qui ex Attica rationem ſervandarum frugum Patras invexit, dracones curru junxit, & ſementem facere voluit; ſed curru elapſus diem extremum obiit. Pauſan. *l.* 7.

ANTHIMUS, Eutychianus, Patriarcha Conſtantinopol. poſt Epiphanii obitum, factus, ope Theodoræ Auguſtæ, Eutychianæ, *quæ omnibus modis commoda eorum curabat, qui unam tantum naturam in Chriſto ſtatuebant*, ut *Evagr.* ait. Sed re à Juſtiniano Imperatore cognitâ, exturbatus, ſcripta ejus publicè combuſta, & Menna orthodoxus ſubſtitutus eſt. Anaſtaſ. Biblioth. *Hiſt. miſc.* *l.* 16. Baron. *A.* C. 535. 536.

ANTHIMUS, Epiſcopus Nicomedienſis martyr, ſub Diocletiano Imperatore capite plexus, templôque incenſò 20000. Chriſtianorum combuſta. A. C 302. Balæus, *in Diocl.* Item Metropolitanus Cappadociæ, de provinciæ finibus cum Baſilio diſceptans, A. C. 375.

ANTHION, puteus Bœotiæ, ubi à Proſerpinæ raptu ſediſſe Cererem ferunt, vetulæ imagine præditam. Quô nomine, velut Argiva, à Celei filiabus deducta ad matrem eſt. Cæl. Rhodig. *l.* 24. *c.* 17.

ANTHIS, & STAGONION, meretriculæ quædam fuêre, *Aphiæ* cognominatæ, quòd minutulæ forent, albæque ac oculis grandioribus, ut ex *Apollodoro* refert Cæl Rhodig. *l.* 8. *c.* 19.

ANTHISTERIA, ſacra, quæ apud Athenienſes in menſe; qui Ἀνθεστηριών appellabatur, quòd plurimos flores gigneret, agebantur. In quibus (ut à Romanis in Saturnalibus) ſervi Græciæ hilaribus conviviis à Dominis ſuis accipiebantur. Lege *Antheſteria*. Erant autem dies Baccho feſti. *Heſych.* Ἀνθεστήρια τὰ Διονύσια. Tamen peculiarem non fuiſſe ſolennitatem, innuit doctiſſimus Interpres Ariſtophanis *in Acharnan.* referens ex *Apollodoro*, Athenienſes Bacchi dies feſtos in univerſum Ἀνθεστήρια dicere, ſigillatim verò ſuum cuique nomen adſignare: Φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος, Ἀνθεστήρια καλεῖσθαι κοινῶς τὴν ὅλην ἑορτὴν Διονύσῳ ἀγομένην, κατὰ μέρος δὲ πιθοιγίαν, χόας, χύτρους, *Pithœgian, Choas, & Chytras.* Sanè Athenienſes ab illis menſem nominârunt: Ἀνθεστηριῶνα, quem *Harpocration*, & *Suidas* octavum fuiſſe tradunt, & Baccho ſacrum, κεκλῆσθαι δὲ αὐτὸν οὕτω διὰ τὸ πλεῖστα τῶν ἐκ τῆς γῆς ἀνθεῖν τότε. *Etymologicum Magnum*: ἐπειδὴ ἡ γῆ τότε ἄρχεται τοῦ ἀνθεῖν. His accedit Macrob. *l.* 1. *c.* 12. *Aprilis Antheſterion vocatur, quòd eò tempore cuncta floreſcant.* *Theodorus* autem *Gaza*, quem ſequuntur *Junius* & *Gyraldus*, ſextum eſſe putat, & reſpondere Novembri. Sed difficile eſt; Græcorum menſes ad Romanorum rationes vocare. Cæterùm Athenienſes magnâ conviviorum hilaritate celebrabant, uti tritum illud vulgò apud Græcos oſtendit:

Θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ᾽ Ἀνθεστήρια;
Exite Cares, non amplius Antheſteria.

Quod Zenobius explicat, *centuriâ* 4. *Proverb.* 33. Et Suidas *cent.* 7. *proverb.* 90. prout litterarum immortale decus, Andreas Schottus, editione nuperâ diſtinxit. *Caſtellanus.* *Nic. Lloyd.*

ANTHIUM, Thraciæ oppid. poſtea Apollonia. Plin. *l.* 4. *c.* 11. *Stephanus* Ἄνθειαν vocare videtur. Item Italiæ civitas. Vide *Antium.*

ANTHIUS, Bacchi nomen, quod *floridum* ſignificat, Athenis autem colebatur. Patrenſes quoque Anthii Dionyſii ſimulacrum habuêre. Pauſan. *l.* 1. Catullus in *Argon.* *Epigr.* 65. *v.* 301.

At parte ex alia florens volitabat Iacchus.

ANTHO, Amulii Albanorum Regis filia.

ANTHOLOGIUM, Liber Eccleſ. Græcorum, vide *Florilegium.*

ANTHONGES, paſtor, ſeditionem in Judæâ movit, propter quam duo ferè hominum millia in crucem acta ſunt. Ἀθρόγγης dicitur Joſepho *Ant. Jud.* *l.* 17. Ἐτὶ, inquit, καὶ Ἀθρόγγης τις ἀνὴρ οὔτε προγόνων ἐπιφανείᾳ ἀξιώματι, οὔτε ἀρετῆς περιουσίᾳ, ἢ τινῶν πλήθει χρημάτων, ποιμὴν δὲ καὶ ἀνεπιφανὴς τοῖς πᾶσιν εἰς τὰ πάντα ἐν ... μεγέθει σώματος, καὶ τῇ καὶ χειρῶν ἀλκῇ διαπρέπων, ἐτόλμησεν ἐπὶ βασιλείᾳ φρονῆσαι. &c. Idem Joſephus *l.* 2. *de Bell. Jud.* *c.* 2.

c. 2. *Anthrongeum* vocat: Τότε καὶ ποταμὸν τὸν ἀντιπαρακειμένως ῥέοντα ὠνόμασεν, Ἀθροίγγεον ἐκάλεσεν. Προῆλθε δ' αὐτῷ τῷ ἐκεῖθεν πόρῳ ἐπὶ τὸν χειμῶνα καὶ ἀφίκετο.

ANTHORES, viri nomen apud Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 777.

—— A. illa volans clypeo eſt excuſſa, proculque
Egregium Anthorem latus inter & ilia figit:
Herculis Anthorem comitem, qui miſſus ab Argis,
Hæſerat Evandro, atque Itala conſederat urbe.

ANTHRACIA, nympha. Pauſan. *l.* 7.

ANTHRAX, Græcè Ἄνθραξ, nomen ardentium gemmarum quarum principatum obtinet, quæ *Anthrax* propriè dictus eſt. Strabo *l.* 15. de India, φέρει δὲ καὶ λίθους ἡ χώρα πολυτελεῖς κρυστάλλους, καὶ ἀνθρακίνους πάντας, ὥσπερ καὶ μαργαρίτας: ubi nomine κρυστάλλων, *gemmas, cryſtallinâ facie* & candicantes, uti nomine ἀνθρακίνων, *ardentes*, ſignificari, ait Salmaſ. *ad Solin. p.* 1093. Habet autem *Anthrax* εἶδος ὀξυπόρφυρον, *ſpeciem clare purpurantem*, Epiphan. Vide infrà in voce *Carbunculus* & eundem *p.* 180. Hinc *Anthracites* apud Solin. *c.* 37. ubi eum dicit *coruſcare velut ſcintillantibus ſtellis*. Plin. *l.* 36 *c.* 20. *Anthracitin* vocat, *In Anthracitide ſcintillæ aliquando diſcurrere videntur.* Alia tamen eſt *Anthracitis*, quam inter carbunculorum genera retulit, in Theſprotia foſſilem & carbonibus ſimilem; alius *Anthracites lapis*, è genere hæmatiturum. Fortè Solinus in Plinio legit, *in Anthracia ſcintillæ diſcurrunt.* Sed ille *Anthraciam* gemmam dixit, non *Anthracitem* lapidem, τὴν ἀνθρακίαν, &c. Vide Eundem *ibid. p.* 770. & infrà in voce *Lychnites*; namque & ſic *Anthracem* Græci, qui de Lapidibus ſcripſère, cuponunt, quia luceat, ut lucerna accenſa vel ignis.

ANTHROPINUS, TISARCHUS, DIOCLES, Agathocli Syracuſano Tyranno inſidias fecerunt: quò compertò Agathocles in arceſſitas mercenariorum exercitum commiſit, ut fœderatæ cuidam civitati ab hoſtibus preſſæ ſuppetias ferrent. Et eras, inquit, in Timoleontium cum armis & equis conveniemus omnemque expeditionem ordinabimus. Illi libentibus animis hæc receperunt, quòd etiam ſe militares copias ad aggrediendum Regem habituros putabant. Poſtridie, cùm in Timoleontium conveniſſent; Agathocles ſignum ad eos comprehendendos dedit. Reliqui, auditò ſignò, Dioclem, Tiſarchum & Anthropinum, cum univerſo ſatellitio, ad ducentos confoderunt, omneſque quotquot his opem vellent ferre, ſimul neci dederunt, non minus ſexcentis, Polyæn. *l.* 5. *c.* 3. *n.* 8.

ANTHROPOGRAPHUS, dictus eſt Dionyſius, quòd nihil aliud quàm homines pinxerit. Plin. *l.* 35. *c.* 10.

ANTHROPOMORPHITÆ Hæretici, ſimplicitate ruſticâ Deum membra habere arbitrabantur, & Paſcha cum Judæis celebrabant. Epiph. *hær.* 70. Auguſtin. *hær.* 50. Aliàs *Audiani* dicti, à quodam Audeo, cujus ſectatores fuère. Etiam 10. ſeculò quidam horum errorum Eccleſiam turbavère, à Rathiero, Epiſcopo Veronenſi confutati Sigebert *A. C.* 939. Sic Propheti ſſæ quædam, ex Montani ſecta, animæ corpoream figuram affinxère, cui errori adſtipulatus eſt quoque Tertullian. *l. de Anima, c.* 9.

ANTHROPOPHAGI, Scythiæ populi humanâ carne veſcentes, ſiti ſunt ad Orientem, ac Septentrionem, Maſſagetis finitimi, circa quos triſtiſſima ſolitudo, & mare, quod *Tabin* vocant. Plin. *l.* 4. *c.* 12. & *l.* 6. *c.* 30.

ANTHROPOPHAGI, ſunt quoque populi Americæ, majori ex parte, præſertim verſus Braſiliam, Magellanicam & alibi. Hos Hiſpani delere conati ſunt, ſed in caſſum. Ipſi enim Hiſpanos in provinc. mediterran. magnis cladibus affecère; ſed, in maritimis malè mulctati ab Europæis, ipſis majori pro parte parent. Etiam Populi Æthiopiæ inferioris *Anthropophagi* ſunt, præſertim in ora Caffrorum, & Zanguebaria, aliiſque locis maritimis. Inprimis verò tales ſunt incolæ Inſularum de *Andreman* ſeu *Andremaon*, in Oceano Indico, & Caribani aliique Americæ incolæ, quibus cum vicinis bella gerere & aliorum deinde tanquam hoſtium carnes in cibum ſuum vertere, voluptas eſt. Quanquam Hiſpanorum cadaveribus illi aliquando pepercerunt, ne etiam poſt mortem nocerent. Verùm nec ſolùm hoſtes, ſed & advenas quoſcunque, tempeſtate aut ſimili caſu eò abreptos, hæc ſors manet: Unde & juſtitiam armorum Indis illatorum aliqui hinc arceſſiverunt, ſed an ſatis ſolidè, illi viderint. De more ſenio aut morbò confectos, defunctos quoque Parentes, conſanguineoſque edendi apud Ethnicos, vide Carolin. *Heedendaegſche Heidendom*, *Part.* 1. *c.* 14. § 2. Ipſis Europæis noſtris hanc *Anthropophagiam*, ab Æthiopibus Africæ ad Oceanum Æthiopicum, objectam legimus; *in Hiſt. Navigat.* Aloyſii da Ca de Muſto. Vide Auctorem Anonymum *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 9. §. 4. *de Moribus Gentium*. Quemadmodum veteribus Chriſtianis idem crimen ab Ethnicis objectum præter alias, ex *Tatiano* diſcimus, qui non reperiri apud Chriſtianos ἀνθρωποφαγίαν, nec propterea tanquam ſceleratos averſandos, oſtendit. Qualis autem illa fuerit, quam objiciebant, exponit Salvianus *de Provid. l.* 4. *Initia noſtra religionis a duobus maximis facinoribus oriri arbitrabantur, homicidio & inceſtu, inceſtu matrum ſacroſanctarum, & homicidio innocentium parvulorum, quos non occidi tantùm, ſed & vorari arbitrantur.* Quæ ſuſpicio oborta, an ex Communione S. Euchariſtiæ, in qua corporis ſanguiniſque Domini fideles participes fieri aliquò rumore inaudîerant, quantâ enim circumſpectione myſteria illa olim peragerentur, docemur infra lemmate, *Norant fideles!* An Hæreticorum, infanticidiis, inceſtis conviviis & ritibus inhumanis infamium ſcelere, veris Chriſtianis, cum quibus illi nil, niſi nomen hoc nobile, commune habebant, ab hoſtibus tributa? Certe de Simone Mago, perverſè intellectò illò locò Joannis *c.* 6. *v.* 53. *Niſi comederitis carnem filii hominis, & biberitis ipſius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:* immanitati huic primam anſam dediſſe, res nota. Vide quoque infrà *Infanticidium*.

ANTHROPOTHYSIA, vide *Pædothyſia*.

ANTHUSA, mater Chryſoſtomi. Chryſoſt. *ep.* 1. *ad Vit. Jun.* Item, filia Conſtantini Copronymi, cujus memoriam Græci in Menologio ſuo celebrant, *d.* 17. *April.* Item alia, quæ Imperatrici, Copronymi uxori, prædixiſſe dicitur fœcunditatem, cùm anteà ſterilis eſſet. A. C. 775.

ANTHYLLA, urbs in Ægypto inſignis. Herodot. *l.* 2. Τοῦτο δὲ ἡ μὲν Ἄνθυλλα, ἐοῦσα λογίμη πόλις, ἐς ὑποδήματα ἐξαίρετος δίδοται τοῦ αἰεὶ βασιλεύοντος Αἰγύπτου γυναικί. Athen. paulo aliter *l.* 1. Ἄνθυλλα, πόλις οὐ μακρὰν οὖσα τῆς Ἀλεξανδρείας, ἣν οἱ τότε βασιλεῖς Αἰγυπτίων τε καὶ Περσῶν ταῖς γαμεταῖς ἐδίδοσαν εἰς ζώνας.

ANTHYPATUS, apud veteres Romanos, Proconſul, Græcè Ἀνθύπατος: ſub Imperatorib. Conſtantinopolit. nudus titulus fuit, quò non modò aulicos ſuos, ſed etiam exteros Principes ac viros illuſtres, interdum donabant. *Chron. Caſinenſe l.* 2. *c.* 2. *A Mariano quoque Anthypato, Imperiali Patricio*, &c. Sic Johannes Dux Amalphitanus, apud Ughellium *Tom. VII. Ital. Sacr.* & Landulphus Princeps Beneventanus apud eund. *Tom VIII.* inter alios dignitatis titulos, *Anthypatorum* elogiis exornantur. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

ANTHYRIUS, Alexandri M. Miles, poſt hujus obitum, cum Obotritis ſuis, a veſtium ſeu armorum varietate ita dictis, navi, cujus prora gryphem, velum Bucephali caput referebat, in ora Gothica prius, dein Balthica appuliſſe, & familiæ Vandalicæ, è quâ orti Reges Herulorum Principes Rugiæ, originem dediſſe fertur. Sed fabulam hoc ſapere, eruditè docet Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Hiſt. in Fam. Vandalica.* Vide quoque in voce *Antyrius*.

ANTI, Hunnorum gens, circa Mæotidem paludem, quos Flavius Juſtinianus devicit; unde *Anticus* dictus, in *Digeſtis*. *Procopius*.

ANTIA, urbs Italiæ ù Romanis ſubdita. Vide *Steph.*

ANTIA LEX dicebatur, quam Antius Reſtio tulit, quæ licet optima, luxuriæ tamen obſtinatione, nullò abrogante, obliterata eſt; quare ipſum tradunt, quamdiu poſteà vixit, foris non cœnâſſe, ne teſtis fieret contemptæ legis, quam publicò locò pertuliſſet. Macrob. *Saturn. l.* 3. *c.* 17. Gellius *l.* 2. *c.* 24.

ANTIÆ, apud Tertullian. *de Pallio c.* 4. ubi de Hercule, apud Omphalem ſerviente: *Credo & jubas pectinem paſſas, ne cervicem exterminaret ſtiria leonina: hiatus crinibus infarſos, genuinos inter antias adumbratos*: non ſunt, ut quidam volunt, ſincipitis leonini crines antependuli aut ejus fronti impendentes; ſed vult & fingit Auctor, Omphalem, cùm exuvias illas Herculi leonis ſibi aptaret & indueret, hiatum ejus globis crinium muliebrium inferſiſſe, genuinos autem leonis dentes inter *antias*, h. e. inter capillos & cincinnos ſuos ab utraque parte deſcendentes texiſſe. Non enim alii capilli, quàm qui utrinque per tempora & genas deſcendebant, genuinos leonis poterunt adumbrare, & hi *Antiæ* dicuntur. *Gloſſ. Antiæ, comæ*, διὰ τὰ κρώβυλα παρακείμενα γυναικῶν. *Gloſſa* S. Benigni Divion. *Antiæ, capilli, quos proximos auribus in capite mulieres componunt.* Græci παρωτίδας vocant; *Pollux* etiam βοστρύχους & κικίννους; ac *Lucianus* τοὺς παρ' ὦτα βοστρύχους. Quò ſenſu Appulejus *in Floridis*, ubi de Apolline: *Crines ejus remulſis antiis & promulſis caproneis, anteventuli & propenduli*, ait. In quibus verbis *Promulſa caprone* & *propendula* in frontem: *remulſa antia* & *anteventula*. Nam qui per genas & tempora dimiſſi ſunt crines, etiam *anteventuli* dici poſſunt & *antependuli*, ad differentiam eorum, qui colla & cervices flagellant. Sic idem *Mileſiar. l.* 5. *retropendulos* dicit crines, qui cervices peterent: *antependulos*, qui genas; atque hi ſunt, qui *Antiæ* dicebantur. Idem *alibi*, *Adoleſcens viſendâ pulchritudine, crinibus fronte parili ſeparatis per malas remulſis*: de *antiis* omnino loquitur. Comarum igitur, aliæ ὑπὲρ τὸ μέτωπον, quas Latini *caproneas*; aliæ ἐπὶ τῶν ὤτων, quas *Antias*; aliæ κατόπιν nutriebantur, quas retropendulas *Appulejus* vocat, &c. Origo vocis ab *antis*, quæ ſunt latera oſtiorum: Sed & *antes* cujuſque rei extremitates ſunt. Salmaſ. *ad Tertullian. p.* 199.

ANTIANA, oppid. Hungariæ in Pannonia inferiori, *Zanko Lazio*.

ANTIANI, apud Genuenſes & in aliquot Italiæ civitatibus, Patricii ac Nobiles dicti ſunt, qui auctoritate, ætate & honore cæteros anteirent atque adeò ipſi Magiſtratus. Ἀρχιγέροντες, Primates ordinum ſeu decuriæ Primi, *l.* 5. *Cod. de Epiſc. audient.* Vide Joh. Villaneum *l.* 6. *c.* 51. *et* 84. & Car. du Freſne *Probat. Hiſt. Gallo-Byzantinæ*, & ſuprà *Abbas*.

ANTIANIRA, mater Euryti & Echionis. Apollonius *l.* 1.

Τοὺς δ' υἷ' ἐνεγείνατο Μενετηΐς Ἀντιάνειρα.

Heſych. Ἀντιάνειρα, Ἀμαζὼν ἱσανδρος. Ἢ ἐπειδὴ τῶν Ἀμαζόνων, αἱ διὰ ἀνδρῶν ἀντιπάλων αἱ δίδονται αὐτοῖς συνδυασμοί.

ANTIAS, Dea Fortuna. *Antiatina* Suetonio *in Calig. c.* 57. Imò non ſimpliciter *Fortuna*, ſed *Fortunæ Antii*, unde hoc illis nomen, colebantur. Macrob. enim *Saturnal. l.* 1. *c.* 23. *Ut videmus, ait, apud Antium promoveri ſimulacra Fortunarum, ad danda reſponſa.* Quæ confirmantur ab *Inſcr.* in *Theſauro Gruteri* extante, *p.* 72. *num* 5. *Fortunis. Antiatibus. M. Antonius. Rufus. Axim. Damaſco. S. D. D.* & *Epigrammate* Martialis primi *l.* 5. *v.* 3. ubi *Sorores* vocat,

Seu tua veridicæ diſcant reſponſa Sorores,
Plana ſuburbani quà cubat unda freti.

Vide Anton. van Dalen *de Oraculis Diſſertat.* 1. *p.* 92. it. hic vocibus *Antia* & *Antium*.

ANTIAS Valerius, vide *Valerius*.

ANTIATES, vide *Antium*. Suidas, Ἀντιάται. οἱ ἀπὸ Ἀντίου πόλεως, ἣ ἀρχαῖοι Ῥωμαῖοι ἐκτισαν. Horum aquæductus, inter opera Antonini Pii, recenſentur, apud Capitolin. *c.* 8.

ANTIBARUM, urbs Dalmatiæ, apud oram Adriatici maris, olim Doclea, ut nonnullis videtur. Hodie *Antivari*. Longitud. 41. 32 latitud. 42 12.

ANTIBOLE, unum oſtiorum Gangis fluvii. *Ptol.*

ANTICANIS, vel ANTECANIS, ſidus quod ante majorem Canem

Cancri oritur. Hic in lacteo Circulo defixis pedibus Æquinoctialem Circulum tangit, ſpectat occaſum, inter Geminos & Cancrum conſtitutus. Occidit in ortu Capricorni; exoritur cum Leone. Cicero in *Arateis*:

Anticanis, Procyon Graio qui nomine fertur.

Nic. Lloyd.

ANTICARIA, urbs Hiſpaniæ Bæticæ, quæ & Singylia, à Singyli fluvio dicitur, in loco aſpero & edito. Hodie *Antiquera*. longitud. 16. 00. latitud. 36. 58.

ANTICARIA, in America, *Nova Antequera* dicitur. Urbs Epiſcopalis. Sita eſt in Nova Hiſpania & provinc. de *Guaxaca*. Parva & malè culta. Diſtat à Civitate Mexico 80. leuc. Hiſpanic. à Mari Boreali 7. & 20. ab oppido Veræ Crucis.

ANTICATONES, dicti ſunt duo libri, quos Cæſar contra Catonem ſcripſit. Scripſit Cicero librum pro Catone, quem Cato inſcripſit. Cui reſpondit Cæſar libro, quem *Anticato* appellavit. Plut. *de Cæſare*: Ἔγραψεν πολλοὺς τινας ... Κάτωνα ... Τὸ δὲ βιβλίον Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται. Quod verò Author noſter ſecundo librorum meminit, duos teſtes habet, Martian. Capellam *l.* 5. *Ut Catonem Tullius laudans, ac duobus voluminibus Cæſar accuſans*; Et Juvenalem *Sat.* 6. *v.* 338.

Majorem; quam ſint duo Cæſaris Anticatones.

ANTICAUCASUS, mons Seleuciæ. *Strabo.*

ANTICHTHONES, de quibus Mela, *l.* 1. *c.* 1. *Antichthones alteram, nos alteram habitamus.* Ad quæ verba ſic *Iſ. Voſſius*. *Qui hic annotârunt, Pomponium perperam antichthones vocare, qui antoeci, vel antæci erant dicendi, illi ipſi errant. Duplicem terram ſtatuit Pomponius, uti quoque multi alii, hanc noſtram & oppoſitam ἀντίχθονα. Qui ἀντίχθονα habitant, ſunt ἀντίχθονες. Diſtinguendum hic tamen, non omnes, qui τὴν ἀντίχθονα habitant, eſſe nobis antichthones; ſed illos tantum, qui in oppoſito degunt hemiſphærio, quique pedes noſtris adverſos habent. Verum hemiſphærium non hic accipit Mela pro illa orbis parte, quam Horizon à nobis diſterminat, ſed pro hemiſphærio Auſtrali. Id ipſum quoque faciunt alii ferme omnes veteres, qui per τὴν ἀντίχθονα nihil aliud intellexere, quam terræ hemiſphærium Auſtrale, vel Oceano, vel Zona fervida interveniente a noſtro ſeparatum hemiſphærio, ut ipſi exiſtimabant. Verùm ita ſi accipiamus, jam neceſſariò aliqua pars terræ antichthonum in noſtro eſt hemiſphærio, ut proinde non poſſint vel Antichthones, vel antipodes dici, verum antœci: attamen quia major pars hujus terræ ſub Horizonte noſtro merſa eſt, alicubi etiam κατὰ διάμετρον nobis oppoſita, rectè eam antichthones inhabitare dixit Mela noſter, juxta veterum hypotheſin. Notandum hic tamen, antichthones non ita à veteribus accipi, uti vulgo pro antipodibus, ſed pro omnibus illis, qui oppoſitam terram Auſtralem inhabitare credebantur, etiamſi in ſuperiori noſtra degerent hemiſphærio. Ita ſemper ab antœcis, & antipodibus diſtinguuntur. Nonnulli tamen aliter hæc verba accipiunt, & hemiſphærium Antichthonum hic eſſe aiunt illam orbis partem, quæ eſt infrà Horizontem, & vel utrius omnibus libris, vulgatam illam lectionem ſervant.* Eademque in duo latera, quæ hemiſphæria nominantur, ab Oriente diviſa ad Occaſum; *duoque iſta hemiſphæria Mela non ſeparari ajunt alveo Oceani in zona torrida, ſed Horizonte, & Oceani ipſo, qui illi reſpondet. Alveum enim zona torrida, non hemiſphæria, ſed maculas tantum binas, uti vocat Macrobius, utrinque diſtinguebre. Fieri autem non poſſe, ut Oceanus decuſſatim quatuor maculas ſeparet, quas ſigillatim ambit. Licet hæc opinio magnos habeat autores, falſa eſt tamen, & menti Pomponii contraria. Ille enim non quatuor maculas, ut Macrobius, ſed duplicem tantùm ſtatuit terram, hanc noſtram, & oppoſitam, ut diximus Auſtralem. Jam vero ſcire velim, quid ſit terra diviſa ab oriente in occidentem? Cur magis ab ortu in occaſum, quam a meridie in Boream? Verùm quid verbis opus eſt? Ipſe Pomponius, cùm inquit, antichthonum terram propter ardorem intercedentis plagæ incognitam eſſe; oſtendit, illam totam ad Auſtrum fuiſſe ſitam. Item infra c.* 9. *cum antichthones nobis à meridie oppoſitos facit, & illi, & alius locus, mentem ſuam ſatis prodit. Nic. Lloydius.*

ANTICIMENON, Græcè Ἀντικείμενον, i. e. *oppoſitio*, repugnantia, titulus libri S. Bertarii Abbatis Caſinenſis, in quo quæſtiones & controverſiæ utriuſque Teſtamenti continentur, de quo vide Leonem Oſtienſem *l.* 1. *c.* 32. Impreſſus fuit, ſub Anonymi auctoris titulo, Coloniæ Agrippinæ A. C. 1533. jam verò *Annotationibus* illuſtratus de novo prodiit, operâ Joh. Baptiſtæ Mari. *Macr.*

ANTICITES, vel ANTICITTUS. Atticitus *Ptol.* Fluv. Sarmatiæ Aſiaticæ, in mare contra Boſporum Cimmerium fluens, è regione Panticapæi urbis. *Lauti* nunc, teſte *Villanovano*.

ANTICLEA, Dioclis filia, mater Ulyſſis, quæ cùm duceretur ad Laërtæ nuptias, à Siſypho latrone, Æoli filio, corrupta eſt. Alii dicunt, cum Laërtæ jam nupſiſſet, & Oraculum conſultura pergeret, captam à Siſypho latrone, & ut multi putant, ex eo Ulyſſem concepiſſe. Quod Ajax ei objicit apud Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 32.

---- *Quid ſanguine cretus*
Siſyphiô, furtiſque & fraude ſimillimus illi
Inſeris Æacidis alienæ nomina gentis?

ANTICLES, Archon Athenienſis, Olympiadis centeſimæ tertiæ annô tertiò.

ANTICLES, è puerorum nobilium Alexandri M. cohorte, conjurationis Hermolao in Regem particeps. Curt. *l.* 8. *c.* 6.

ANTICLES, Athenienſis, victor Stadii Olympiade centeſimâ decimâ.

ANTICLIDES, Hiſtoricus, ſemel, iterumque in ſecundo Δηλιακῶν citatur à Scholiaſte Apollonii *in l.* 2. Ejuſdem liber, περὶ νόστων, memoratur Athenæo *l.* 11. & *alibi*. Ejus memoriam quoque celebrant, Strabo *l.* 5. Plin. *in Alex.* & Plin. *l.* 7. *c.* 56. ubi *Phoroneum antiquiſſimum Græciæ Regem* vocat. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 322.

ANTICOLI, Libyæ interioris populi. *Ptol.*

ANTICONDYLES, populi Bœotiæ. *Steph.*

ANTICRAGUS, mons Lyciæ Crago oppoſitus. Strabo *l.* 4.

ANTICRATES Lacon, Epaminondam Thebanorum Ducem in prælio ad Mantineam haſtâ trajecit. Plut. *in Ageſil.*

ANTICUM, apud *Feſtum*, pro *janua*. Item pars Templi, quam Græci πρόδομον, πρόναον & παστάδα dixêre; cui oppoſitum *poſticum* ſeu *poſticum*, pars Ædis ſacræ apud Græcos poſterior, quam ὀπισθόδομον appellavêre: In Chriſtianorum enim Templis hæc pars non fuit. Dictum autem *Anticum*, ab *Antis*, de quibus ſuprà. Erat enim pronaus ſeu πρόδομος, vel parietibus *Antarum* vel columnis ædificatus cum faſtigio. Vide hîc *paſſim*, & apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1217.

ANTICYRA, Ἀντίκυῤῥα *Ptol.* vulgò *Suola*, Phocidis urbs, inter Criſſam ad occidentem & Siphas oppid. Bœotiæ ad ortum, Iſthmum Corinthiacum verſus, à Delphis 10. mill. paſſ. diſtans; *Cypariſſus* ab *Homero* dicta. longitud. 48. 4. latitud. 39. 5. *Anticyra* verò, in qua Helleborus naſcitur, unde proverb. *Naviget Anticyras*, in inſanos, inſula eſt (vel urbs *Stephano*) ſinus Maliaci contra Oetum montem. Horatius *Serm l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 83.

Danda eſt Hellebori multo pars maxima avaris,
Neſcio an Anticyram ratio illis deſtinat omnem.

Ovid. *Ponticorum l.* 4. *Ep.* 3. *v.* 53.

I bibe, dixiſſem, purgantes pectora ſuccos,
Quicquid & in totâ naſcitur Anticyrâ.

Horatius iterum *ibid. v.* 164.

---- *Ambitioſus & audax*
Naviget Anticyram ----

Perſius *Sat.* 4. *v.* 16.

---- *Anticyras melior ſorbere meracas.*

Suidas ſimpliciter, Ἀντίκυῤῥα, ὄνομα χώρας τινός. *Heſych.* Ἀντικυρίζεσθαι, ὁ ἐλλεβορίζεσθαι. Vide Plin. *l.* 4. *c.* 3. *l.* 25. *c.* 5. Strab. *l.* 9. Eraſm. *Adag.* & lepidam hiſtoriam de quodam Prætore, hùc relegato apud Sueton. *in Caligula*, *c.* 29.

ANTIDALÆI, Arabiæ Felicis populi. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

ANTIDAMUS, vel ANTIDAMAS, Heracleopolites, edidit præter moralia, hiſtoriam Alexandri Magni. Vide Voſſ *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 323.

ANTIDICOMARIANITÆ, Helvidii ſectatores, Mariam Virginem, poſt Servatorem Mundi editum, ex Joſepho marito liberos ſuſcepiſſe, dixêre. Epiphan. *hær.* 78. Auguſtin *hær.* 84. Hieronym. *contra Helvidium.*

ANTIDONUS, Philippi Regis miles fortiſſimus, qui in obſidione Perinthi catapultâ confoſſus, non priùs eam evelli paſſus eſt, quàm hoſtem fugatum inter mœnia compuliſſet.

ANTIDORUM, Græcis ἀντίδωρον, *Donum*. *Macro*, panis eſt benedictus, ex cujus parte media, quæ cruce obſignata eſt, ſecundùm Græcorum ritum, aufertur à Sacerdote conſecrationis materia, reliquum verò populo poſt Miſſam diſtribuitur. Addit Frater, in lateribus ejus hæc verba eſſe impreſſa, *Jeſus Chriſtus vicit*: Caſaubon. panem κλάσματα ſic dictum eſſe ait. Vide Macrum utrumque in *Hierolex*. Caſaubon. *Exerc. contr. Baron.* & infrà in voce *Panis*.

ANTIDOTUM, pro acriori cathartico, apud Æl. Spartian. in *Adriano Cæſ. c.* 23. ubi de Cejonio Commodo Vero, quem Adrianus adoptatum *Ælium Verum Cæſarem* appellavit: *Denique accepto largius antidoto, ingraveſcente valetudine, per ſomnum periit.* Idem in *Ælio* hoc *Vero c.* 9. *potionem* vocat: *Nam cùm de provincia Ælius rediſſet --- accepta potione, quâ ſe exiſtimaret juvari, Calendis ipſis Januariis periit.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 375.

ANTIDOTUS, pictor nobilis, Euphranoris Iſthmii diſcipulus, qui maximè inclaruit diſcipulo Niciâ Athenienſi, cui fuit peculiare diligentiſſimè mulieres pingere. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

ANTIGENES, Secundus inter Chiliarchas ab Alexandro; cùm in Satrapene moraretur, pro præmio navatæ operæ conſtitutus eſt. Curt. *l.* 5. *c.* 14. Factus deinde Dux cum Teutamo Argyraſpidum: qui cùm Eumenem Antigono prodidiſſet, præmium quidem promiſſum adeptus eſt: ſed ab Antigono ejus perfidiam timente in caveam æream incluſus vivus combuſtus eſt.

ANTIGENES, Hiſtoricus, à Plutarcho *in Alex.* commemoratur inter eos, qui Amazonem ad Alexandrum veniſſe narrant, cùm Orexartem fluv. trajeciſſet. *Geſnerus* cenſet cognomentum Iſtri habuiſſe, nempe quia continuò Iſtri nomen apud Plutarchum ibidem ſubjicitur: Sed omnino Iſter ab Antigene diverſus eſt, uti poſteà videbimus. Item, Muſici nomen, Plin. *l.* 16. *c.* 36.

ANTIGENES, paſtoris incertum, an choraulæ nomen apud Virg. *Ecl.* 5. *v.* 88.

At tu ſume pedum, quod me cùm ſæpe rogaret,
Non tulit Antigenes, & erat tum dignus amari.

ANTIGENIDAS, Thebanus, primus multiforatilem tibiam πολύτρητον αὐλόν, excogitâſſe legitur apud Theophraſtum; cum ante ipſum tibia paucis foraminibus, & dextera Phrygia quidem unô, ſiniſtra duobus tantùm eſſent apertæ. Horat. *de Art. Poet. v.* 202.

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubæque
Æmula, ſed tenuis, ſimplexque foramine pauco.

Pollux vero id inventi Diodoro Thebano; *Athenæus* tandem & *Pauſanias* Pronomo, indidem oriundo, tribuunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 120. & infrà, ubi *de Muſica ſimplice*: ut & in voce *Antigenides*.

ANTIGENIDES, Muſicus Thebanus, Philoxeni diſcipulus, primus calceamentis Mileſiis laſcivioribus uſus eſt. Plin. *l.* 16. *c.* 36. Hic etiam, (authore Cicerone in *Bruto*) diſcipulo ſuo Iſmeniæ, cùm ſcitè canens populo minus probaretur, *Mihi*, inquit, *cane & Muſis*: admonens, prorſus eſſe contemnendum imperitæ multitudinis judicium. Vide *Suidam*, Gellium *l.* 15. *c.* 17. Val. Max. *l.* 3. *c.* 7.

c. 7. Idem, cùm eſſet tibiciniô apprimè nobilis, nihil æquè ſe laborare, & animô angi ac mente dicebat, quàm quod monumentario eboraulæ tibicines dicerentur; ut Apulejus *in Floridis* refert. Quod tamen de Iſmeno *Dio Chryſoſtomus* prodidit, ut Jac. Nicol. Loenſis *l.* 6. *Epiphyllid. c.* 8. obſervat, itemque Geverhartus Elmenhorſtius, *ad prædictum Apulei locum. Nic. Lloydius* Vide etiam *Antigenidas*. *Antigenidæ* etiam apud *Athenæum* mentio fit.

ANTIGENIDES, Muſicus, Alexandri M. ad bellum incitator. Plut. *de fortuna Alex. l.* 2. Hunc in cauſa fuiſſe cur Athenis Juvenibus arte tibiâ canendi interdiceretur, ob lepidum quid, quod Alcibiadi contigerat, auctor eſt A. Gellius, *l.* 15. *c.* 17.

ANTIGONA Berenicia, Philippi filia, Pyrrhi uxor. *Plut.*

ANTIGONA Pſaphara, Paraxiæ regionis urbs. *Ptol.*

ANTIGONE, filia Oedipi, Regis Thebanorum, patri cæco, & à Creonte in exilium acto, vitæ Dux fuit, Seneca *in Oedipo*, & Statius *in Thebaide*. Eadem poſtea, cùm ad officium funebre fratrum ſuorum Eteoclis, & Polynicis veniſſet, ibique adjuvante Argivâ Polynicis conjuge, fratrum cadavera concremâſſet, ambæ Creontis juſſu, captæ & occiſæ ſunt: quarum mortem poſtea Theſeus ulciſcens, Creontem interfecit. Hæmon autem Creontis fil. amator, ad Antigones mortuæ tumulum ſe interfecit. Propert. *l.* 2. *Eleg.* 8. *v.* 21.

Quid! non Antigones tumulo Bœotius Hæmon
Saucius ipſe ſuô corruit enſe latus?

Ovid. *Triſt. l.* 4. *Eleg.* 3. *v.* 67.

— Fratrem Thebana peremptum
Suppoſuit tumulo, Rege vetante, ſoror.

Apollodorus *l.* 3. vivam ſepultam ait. Hyginus *Fab.* 72. ſcribit Hæmonem & ſe, & Antigonem occidiſſe, cùm exorare patrem pro ſalute ejus non potuiſſet. Idem *Fab.* 243. Antigonem ipſam ſibi manus ait attuliſſe. Tragœdiam *Antigonem* ſcripſit Sophocles grandi cothurnô, ſæpiſſimè editam, & doctis omnibus probatam. Item *Seneca*.

ANTIGONE, ſcortum quoddam, quod Philotam amantem circumvenit. *Plut.*

ANTIGONIA, urbs Epiri mediterranea, in Chaonia, apud Macedonum fines, *Argiro caſtro*, teſte *Nigrô*; *Sophiano* verò & *Lazio Croja*, urbs quondam Albaniæ regia in Macedonia Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Dyrrhacino, inter Dyrrhacium, Albanopolin, & Liſſum: cui tamen ſitus Antigoniæ repugnat, cùm hæc in Epiro, illa in Macedonia ſit.

ANTIGONIA, urbs Macedoniæ in Mygdonia regione *Cojogna*, *Pineto* interprete: aliis *Antigoca*, inter Pydnam & Magneſiam. longitud. 45.02. latitud. 40.50. *Antigonia* item inſula Propontidis, inter Byzantium & Nicomediam. *Iſola del Prencipe*, teſte *Gyllio*, à frequenti filiarum Principum habitatione virginitatem ſolitariam profitentium. Alia eſt *Antigonia* Arcadiæ; Mantinea dicta. Alia Bithyniæ, juxta Daſcylium. Alia Syriæ prope Antiochiam. Eſt & caſtellum Cyzicenæ. *Steph.*

ANTIGONIS, tribus Atticæ ab Antigono dicta.

ANTIGONUS, Alexandri præfectus, Lycaoniam cepit. Curt. *l.* 4. *c.* 1. quintum locum inter Chiliarchas, præmium fortitudinis ab Alexandro Magno, cum in Satrapene ſubſiſteret, tulit. Curt. *l.* 5. *c.* 2.

ANTIGONUS, primus poſt Alexandrum in Aſia regnare cœpit, duodeviginti annis multa bella geſſit, in quibus Eumenem ab Argyraſpidis proditum cepit, Caſſandrum, Seleucum & Ptolemæum vicit, tandem, in memorabili ad Ipſum in Phrygia prælio, octogenarius occubuit. Plut. *in Demetrio*, *Pyrrho*, Diodor. Sic. *l.* 19. & 20. Juſtin. *l.* 13. 14. 15. Euſeb. an. 453. Urb. Cond.

ANTIGONUS I. Gonatas, Demetrii Poliorcetæ fil. Antigoni primus nepos, Macedonum Rex, regnavit A. M. 3778. Atheniensibus libertatem reſtituit, Gallos ſuperavit, demum à Pyrrho Macedoniam occupante regnô pulſus eſt, quod tamen, illô mortuô, receptum, Demetrio fil. poſt regni 36. annos reliquit. Juſtin. *l.* 24. & 25. *Polyb. Plut.*

ANTIGONUS II. Tutor Philippi, filii Demetrii, cujus viduâ in uxorem ductâ, regnum ipſe invaſit. *Doſon* dictus eſt, teſte Plut. *in P. Æmylio*, quod multa promitteret, pauca verò præſtaret. Cleomenem Spartanum Regem, qui Ætolis contra Achivos favebat, prælio ſuperatum in Ægyptum fugere coëgit, Spartamque cepit. Dein Illyrios vicit, & moriens an. Urb. Cond. 533. regni 12. pupillo ſuo Philippo regnum reliquit. Juſtin. *l.* 28. & 29. Polyb. *l.* 2. Plut. *in Cleomene*.

ANTIGONUS, fil. Ariſtobuli II. Judæorum Rex, ope Regis Parthorum, cui mille talenta, & 500. fœminas pollicitus eſt, Phazaelem & Hyrcanum in vincula conjecit, auriculis huic poſteriori reſectis; ne ad Sacerdotium ſummum porrò aſpirare poſſet. Sed ab Herode, Romanis viribus ſuffulto, captus ipſe, & ad Antonium deductus eſt; qui ipſum ultimum Aſmonææ ſtirpis, ab Herode magnâ pecuniæ vi adductus, capite plecti juſſit; poſtquam hæc familia regnâſſet 126. ann. A. M. 4018. Ante Chriſtum Natum 36. Joſeph. *Ant. Jud. l.* 14. & 15. & *de Bell. Jud. c.* 1. *Dion. Plutarch.*

ANTIGONUS, fil. Hyrcani, Pontificis ſummi frater Ariſtobuli Philelei I. Judæorum Rex de Aſmonæorum ſtirpe, quem ille, poſtquam in regni ſocietatem ab eo aſcitus fuiſſet, de medio ſuſtulit. Joſeph. *l.* 12. *Ant. Jud. c.* 18. & 19. & *de Bell. Jud. l.* 1. *c.* 3.

ANTIGONUS Caryſtius, Hiſtoricus; extremi Philadelphi temporibus vixit. De vitis Philoſophorum ſcripſit, quos recenſuit Jo. Jonſius *l.* 2. *c.* 4. *de Hiſt. Phil. Scrip.* Idem *ἱστορίας τῶν παραδόξων συναγωγὴν* reliquit, quam *Steph.* citat in Γύνος; & *Meurſius* edidit, notiſque illuſtravit. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 12. *p.* 78. Diog. *in Chryſippo*, & *Pyrrhone*. Athen. *l.* 3. 7. 13. Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. Plut. *in Romulo*.

ANTIGONUS, Statuarii nomen, Plin. *l.* 34. *c.* 8.

ANTIGONUS, locus in altero tabulæ luſoriæ, apud Veteres latere. Præter nomina enim numerorum, quæ punctis ſeu locis tabulæ impoſita erant, unus etiam dicebatur, Ἀντίγονος, & alter Δῖος. *Agathias*,

—— —— μοιραν δ' ἄλλο
τῆθος τὴν τρυμάτην ἀμφίεσσαν δῖον.

Et paulo poſt,

Διζυγὴς Ἀντίγονον δεινόμενον.

Ubi Δῖος Latinum nomen eſt, *divus*: quô Romanorum Imperatores poſt mortem appellatos eſſe, nemo neſcit. Nempe Tabulæ ludus ad imaginem belli cùm planè compoſitus eſſet, in eoque calculi nigri vel ruſſei cum albis certarent: in uno latere tabulæ locus erat, qui dicebatur *Divus*, quaſi Regis Romani ſedes; in altero, oppoſitus & contrarius, *Antigonus*, quod nomen fuit Macedonum Regis: quos ſemper Romanis adverſos & contrarios fuiſſe notum eſt. Et quidem, quia albi calculi in dextro latere ſtatuebantur, nigri in ſiniſtro; *Antigonus*, poſterius hoc nitus eſt, & poſt tertiam decimam lineam, locum quartum decimum occupavit. Duodena enim puncta utrumque latus habebat, invicem ſibi oppoſita, ſeu duodecim lineas aut ſcripta, unde XII. *Scriptorum* ludus Romanus dictus eſt, &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo*, c. 13. Vide infrà in voce *Tabula*.

ANTIGONUS Sochæus, celebris inter Judæos, Præceptor fuit Sadoci; qui ab Antigono in Phariſaiſmo ſolicitè inſtitutus, poſtmodum ab illo deficiens, Sadducæorum hæreſin orſus eſt. Erat autem Antigonus ille ſucceſſor Simeonis Juſti, qui cùm docuiſſet, *pietatem noſtram non debere eſſe mercenariam*, diſcipuli ejus Sadoc & Banthus illud ſic intelligentes, quaſi omnis præmii in altera vita ſpem præcidiſſet, eò delapſi ſunt, ut *Reſurrectionem*, *vitam alteram*, &c. infiçiarentur. Thom. Godwyn. *Tr. Angl. Moſes and Aaron l.* 1. *c.* 12. *de Sadducæis*. Vide quoque *Beythos*.

ANTIGORIA Vallis, in Lepontiis, dicitur in regione dicta *Val de Oſcela*, German. *Eſchenthal*, tractus à fonte Toiæ, qui in Alpibus haud procul à fontibus Rhodani abeſt, per 5. milliar. deorſum vergens. ibi vicus *Bommet*, ubi Germanicæ linguæ uſus. Simmpſ. *l.* 9. *de Lepontiis*, *c.* 11.

ANTIGRAPHEUS, Græcè Ἀντιγραφεύς, in *Gloſſ. dictator*, *reſcriptor* eſt; non *ſcriba*, ut quidam vertunt. Tantum enim *Antigrapheus* à ſcriba differt, quantum dictator à librario. Habebantque Ἀντιγραφεῖς ſub ſe librarios & ſcribas, eoſque qui ſcrinium gerebant. *Novella* Conſtantini Porphyrogenn. de ſportulis Scribæ, Ἐπειδὴ ὁ Σκρίβας ... In *Gloſſis Barnabitarum*, Ἀντιγραφεὺς διαθήκης dicitur Teſtamenti dictator, quem *Anteceſſorem* exponunt, i. e. Juriſperitum, qui Teſtamentum dictat; tabellio verò ſcribit, qui & Νομικός. Ἀντιβολεύς etiam exponitur in optimis *Gloſſis* ſicque propriè dicebatur, qui exemplaria inter ſe contendebat, &, ſi quid in iis vitioſum, corrigebat & emendabat. Quod utique faciebant epiſtolarum, libellorum & memoriæ *Antigraphei* ſeu *dictatores*: Nam poſtquam dictâſſent, relegentibus librariis & ſcriniariis, dictata recognoſcebant ac corrigebant, Ἀντιγράφειν enim *recenſere* eſt ac *reſcribere*: dicebatur autem reſcribere opus ſuum Auctor, qui emendandi animô illud recognoſcebat. Sueton. in *Julio c.* 56. *Exiſtimatque reſcripturum & correcturum fuiſſe.* Atque hôc ſenſu ἀντιγραφεῖν exponit Ulpianus in *Demoſth.* ... adeoque verum eſt, vocem hanc *dictatorem* Latinis denotare, ut Græci recentiores ſummi Imperii Magiſtratum in veteri Republ. h. e. *Dictatorem*, ἀντιγραφεῖα verterint, cùm ille tamen nihil minus, quàm ἀντιγραφεύς fuerit: quippe quem Dionyſius aliique Græci veteres *Μόναρχον* interpretati ſunt, &c. Erant autem iſtiuſmodi *Antigraphei* ſeu dictatores, in Aula Imperatorum recentiorum quatuor, primus *libellorum*, ſecundus *memoriæ*, tertius *epiſtolarum* & quartus *diſpoſitionum*: totidemque ſcrinia. Anonymus Scholiaſtes in *Novellas* Juſtiniani, *Quatuor ſunt ſcrinia —— unde & quatuor* Antigraphei *ſunt. Nam Magiſtri*, &c. Ubi à Magiſtris ſcriniorum *Antigraphei* diſertè diſtinguuntur, quos malè ſummus JCtus confundit. Magiſter enim ſcriniorum omnia ſcrinia curabat, & ſub ſe *Antigrapheos* omnes habebat, qui quòd ab illi proximi eſſent, *Proximi* quoque & *Primi* appellati ſunt. *Gloſſæ Barnab.* Πρόξιμοι, πρῶτοι, *Obſecundatores ſcriniorum*, eos vocat *l.* 3. *Cod. Theodoſ. de Proximis*: *Obſecundatoribus ſacrorum ſcriniorum, quorum monitibus ingeniiſque commutimus, quidquid in alios quoque perennium ſæpe proſcriptione ſanctionum.* Quibus verbis planè *Antigrapheos* expreſſit, quorum ingeniô formabantur Principis ſanctiones, epiſtolæ, reſponſa & reſcripta: ingenium enim tantum, non manum, commodabant, atque inde *dictatores*, citerioribus Latinis *dictati* appellati ſunt &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Caro l.* 8. & infrà, in voce *Proximus*, item in *Scrinio*. Ceterùm, vocem Ἀντιγραφεύς aliâ quandoque notione apud Scriptores etiam reperiri, certum eſt. *Pollux* enim Ἀντιγραφεύς eſt ὁ τῇ βουλῇ καθιστάμενος ... ubi ἀντιγράψασθαι, eſt τὸ ἴσον γράψαι, *exemplum ſcribere*, unde ἀντίγραφον. *exemplum*, *exemplar*: quod etiam ἀντίβιβλον dicebant, item ἀντίτυπον, ac ἴσον. Sed & ἀντιγράψασθαι Latini quoque *contraſcribere* dixerunt; unde ὁ Ἀντιγραφεὺς τῶν λόγων in *veteri Inſcr.* redditur, CONTRASCRIPTOR RATIONIS SUMMI CHORAGI: quem vulgò *Contrarotulatorem* Galli appellant. Ἀντιγραφεία porro Cancellarium etiam reddit Iſidorus in *Gloſſ.* &c. Sed proprium vocis ſignificatum eſt, quod diximus.

ANTIGRAPHUS, melius ANTIGRAPHEUS, vide ſuprà. Apud Iſidor. *Origin. l.* 1. *c.* 20. una eſt è notis ſententiarum, quæ *cum puncto opponitur, ubi in tranſlationibus diverſus ſenſus habetur.*

ANTILEO, *περὶ χρόνων* libros fecit, quorum ſecundum citat Laërtius; *initiô vitæ Platonis*. Meminit & Antileonis ſeu ejuſdem,

dem, ſeu alterius Julius Pollux, *in Onom.* 24. Item Chalcidenſium tyrannus, quô deſtructô, illa Reſpubl. migravit in Oligarchiam. Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 12. Item Homo improbus & ardelio in comœdias traductus. Vide Schol. *in Ariſtoph. Equit. p.* 349.

ANTILIA, locus apud Suetonium, ex quo *Volaterranus* Liguriæ urbem facit, quam *Aucola* vocat. longitud. 30. 45. latitud. 43. 38.

ANTILIA, vulgò ANTIA, oppidulum Angliæ, in Comitatu Bedford. 4. milliar. Anglic. diſtat. à Bedfordia in Auſtrum, & à Bockingamia 12. milliar. in Ortum.

ANTILIBANUS, Plin. *l.* 5. *c.* 20. *Strab.* mons Syriæ ſeu Phœniciæ, inter quem & Libanum vallis eſt longa, ferulisque, ac optimè habitata, *Aberblus* incolis dicta, teſte *Poſtello*, per quam Orontes fluv. decurrit apud Heliopolim. Inhabitatur pro majori parte, à Druſia, populis Chriſtianis, ibique eſt Abanum oppid. *Aban.*

ANTILLÆ, vulgò *les Antilles*, Inſulæ Americæ Septentrionalis in mari Boreali, quæ in longum excurrunt, inter Floridam regionem & novam Vandaliniam in America. Earum præcipuæ, Hiſpaniola, Cuba, Jamaïca, S. Johannis Inſul. Lucajoneca, Bahama, aliæ. *Linſcot.* Aliis autem, & fortè rectiùs, Antillæ inſulæ jacent inter continentem Americæ meridionalis & partem Orientalem Inſulæ S. Johannis de portu divite; ſuntque in modum arcus poſitæ. Detectæ primùm à Chriſt. Columbo, A. C. 1492. dicunturque Antillæ Americæ, quaſi ante inſulas Americæ, nempe ante majores Inſulas ſinus Mexicani. Ex iis 28. præcipuæ numerantur; & majorem partem parent Gallis, ut Inſulæ Tabaci, S. Vincentii, Martinega, S. Dominici, S. Chriſtophori, Barbada, & Gardaloupa, ut *Morer.* ſcribit; Anglis & Batavis, qui in his multas habent Colonias ab A. C. 1625. Dicuntur etiam *Caribanæ* Inſulæ ab incolis antiquis. Quibuſdam *Camercanæ.* Ab Europæis autem, harum partium incolis, tota hæc multitudo Inſularum cum aliis ſinus Mexicani, vulgò *Archipelagus Mexicanus* dicitur. Sunt pleræque fertiles & riguæ, abundantque omnibus ad victum & delicias etiam neceſſariis: Sed hominibus anthropophagis famoſæ. A. Coſta, *Hiſt. Ind. l.* 3. *c.* 15. Linſchot. *Amer. c.* 4. *Hiſt. Antillarum*, quæ cum vocabulario Caribaico, prodiit Roterodami, A. C. 1658. &c.

Antillarum propriè dictarum præcipuæ, ſecundum Baudrandum.

Anguis inſul. *l'Anguille*, in ditione Anglorum.
Antiqua inſul. *Antigoa*, Anglorum.
Barbata inſul. *la Barbade*, Anglorum.
Barbuda Inſul. *la Barbonde*, Anglorum.
Deſiderata Inſul. *la Deſirade*, Francorum.
Dominica Inſul. *la Dominique*, Caribarum
Granata inſul. *la Grenade*, Francorum.
Guadalupia inſul. *la Guadaloupe*, Francorum.
Mariagalanta inſul. *Mariegalante*, Francorum.
Martinica inſul. *Martinique*, Francorum.
Montis ferrati inſul. *Montſerrat*, Anglorum.
Nivium inſul. *Nieves*, ſeu *Meves*, Anglorum.
Saba inſul. *Saba*, Hollandorum.
Sanctæ Crucis inſul. *Sainte Croix*, Francorum.
Sanctæ Luciæ inſul. *Sainte Alouzie*, Francorum.
S. Bartholomæi inſul. *S. Barthelemy*, Francorum.
S. Chriſtophori inſul. *S. Chriſtophle*, omnium illius tractus facilè primaria, Francorum & Anglorum.
S. Euſtachii inſul. *S. Euſtache*, Hollandorum.
S. Martini inſul. *S. Martin*, Francorum & Hollandorum.
S. Vincentii inſul. *S. Vincent*, Caribarum.
Tabaci inſul. *Tabago*, ſeu *New Valcheren*, Hollandorum.

ANTILOCHUS, Rex Meſſeniorum, Pauſan. *l.* 7.

ANTILOCHUS, Neſtoris & Eurydices major natu fil. patrem ſecutus ad bellum Trojanum, in pugna à Memnone Auroræ filio occiſus eſt, uti tradit Homer. Od. 4. v. 187.

> Μνήσατο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Ἀντιλόχοιο,
> Τόν ῥ' Ἠοῦς ἔκτεινε φαεινῆς ἀγλαὸς υἱός.

Vel ab Hectore, ut ait Ovidius, *in Ep. Penelopes* 1. *Heroid. v.* 15.

> *Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum.*

Juvenalis *Sat.* 10. *de Neſtore v.* 250.

> *— Oro parumper*
> *Attendas, quantum de legibus ipſe queratur*
> *Fatorum, & nimio de ſtamine, cum videt acris*
> *Antilochi barbam ardentem.*

Propert. de eodem. *l.* 2. *eleg.* 13. *v.* 48.

> *Non ille Antilochi vidiſſet corpus humari;*
> *Diceret, aut, ô mors, cur mihi ſera venis.*

Vide Q. Smyrnæum *l.* 2. *v.* 260. Verùm luctus ille non indeſinenter duravit. Horat. *od* 9 *l.* 2. *v.* 13.

> *At non ter ævo functus amabilem*
> *Ploravit omnes Antilochum ſenex*
> *Annos.* — — —

Nic. Lloydius.

ANTILOCHUS, Poëta, qui, cùm carmine Lyſandri laudes ſcripſiſſet, ab eo, *Plutarchô* teſte, donatus eſt pileô Laconicô argenti plenô.

ANTILOCHUS, Hiſtoricus, laudatus *Dionyſ. Halicarn.* Clementi Alex. *Stromat. l.* 1. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 323.

ANTIMACHUS, Cinædus quidam & formoſus fœminarum amore inſaniens. Alter malitiæ nomine à Comicis taxatus. Tertius cognomine Ψακὰς, h. e. minuta pluvia. Quartus Trapezita, cujus meminit Eupolis ἐν Δήμοις. Quintus, Hiſtoricus.

ANTIMACHUS, Claro, ex Ionia oriundus, vel ut alii volunt, Colophonius, Poëta Græcus, tempore Socratis & Lyſandri, de Homeri ætate & genere egit, ut author eſt Tatianus, *Oratione contra Gentes.* Ex quo opere omnino Colophonium fuiſſe Homerum; prodit Plut. *libellô de Homero.* Is Antimachus, cùm poema quoddam obſcurum recitaret, atque omnes præter Platonem, quod minimè intelligerent, diſceſſiſſent, *Plato mihi*, inquit, *pro omnibus.* Cicero & Plut. *in Lyſandro.* Hic aggreſſus belli Thebani materiam, vigeſimum quartum volumen implevit, antequam duces Thebas uſque produceret. *Suidas.* De eo Catullus *Epigr.* 96 *v. ult.*

> *Ut populus tumidô gaudeat Antimachô.*

Propert. *l.* 2. *Epigr.* 34. *v.* 45.

> *Tu non Antimacho, non tutior ibis Homerô.*

Aliquot ejus verſus profert Pauſan. *in Arcadicis.* Idem de Gratiis egit, teſte eôdem Pauſaniâ *in Bœoticis.* Adriano Imperatori ſummoperè commendatus. Antimachos alios ponit *Suidas*, alterum Ægyptium, patriâ Heliopolitanum, qui Coſmopœiam verſibus ſcripſit, alterum Poetam Melicum, cognomentô Pſecada. Idem Hiſtoricum hujus nominis habet: & ſtatuarium celebrem, Plin. *l.* 34 *c.* 8

ANTIMACHUS, Trojanus, qui donis Alexandri, utrôque corruptus, impedimentô fuit, quò minus Helena redderetur. Quin & pro concione Trojanos hortatus eſt, ne Menelaum, dum legatus ad eos in urbem veniſſet cum Ulyſſe, redire ad ſuos ſinerent, ſed in urbe ipſos aſſervarent, trucidarentque. Homer. *Il.* 11.

ANTIMENES, Deiphontis fil. Pauſan. *l.* 2.

ANTIMACHUS Marcus Antonius, vide *Marcus Antonius.*

ANTIMENIDES, cum Alcæo Dux exulum, Pittacum tyrannum oppugnantium. Vide Ariſtot. *l.* 3. *Polit. c.* 14. Strabonem *l.* 13.

ANTIMENSIUM, Græcorum recentiorum vox, Ἀντιμίνσιον, quaſi *vice menſæ*, apud Balſamonem *ad Concil.* 6. *can.* 31. idem eſt cum *Tabula Itineraria*, de qua *in Ord.* Rom. & *Viatico* Bonifacii VIII. *de Privileg. c. ult.* altariolum nempe, ſeu altare portatile, quô uti ſolent, ubi Altaris conſecrati copia non eſt. Manuel. Patr. *in Reſp.* Antimenſia *non in omnibus menſis poni neceſſe eſt, verùm in iis tantum, de quibus neſcitur, an ſacrata ſint — locum enim obtinent Altarium*, &c. Non verò ex lapide ſunt, ut Latinorum Altariola, ſed confecta ex tela illa, quæ cooperiebat Altare, in die conſecrationis Eccleſiæ & in qua continuò per octavam celebrabatur: diſciſſa dein in partes ab Epiſcopo & Presbyteris diſtributa, ut, in defectu conſecrationis Altarium, his *Antimenſiis* uterentur. Vide eam conſecrandi formulam in *Euchologio* Græcorum. Aliquando verò vox hæc idem Significat, quod *Corporale* Latinis. Vide Macros Fratres *in Hierolex.*

ex ANTIMONIO Æs, in Muſæo Kircheriano Romæ, vide ſuprà in *Æs.*

ANTINO, pro ANTINOOPOLIS, apud recentioris ævi Scriptores, vide *infra.*

ANTINOE, urbs Ægypti ſuperioris ad Nilum. *Anthios Leoni Africano.* Ab *Antinoo*, Adriani amaſio, ſic dicta, uti ſcribit Hieronym. *in Jovinianum.* Nunc in ruinis.

ANTINOEÆ Coronæ, vulgò Alexandrinis dictæ ſunt, quæ ex floribus ῥοδίζοντος λωτοῦ, *roſea loti*, erant plexæ: ab *Antinoo* Hadriani Imperatoris puero delicato. Nominis originem hanc narrat Athenæus *l.* 5. Cùm in Ægypto eſſet Hadrianus Imperator & in urbe Alexandriæ verſaretur Pancrates, Poëta quidam indigena, obtulit ei τὸν ῥοδίζοντα λωτὸν, quem florem Poeticâ adulatione dixit tellurem tum nuper ſubtuliſſe, ex ſanguine Mauruſii leonis natum, quem in Libya Ægypto contermina ipſe occiderat Hadrianus. Cujus Poetæ ingeniô ac novitate delectatus Cæſar, juſſit eum adſcribi numero eorum, qui τῆς ἐν Μουσείῳ σιτήσεως participabant, ac ſumptibus publicis alebantur. Coronæ hinc ex hoc flore plexæ *Antinoeæ* dictæ ſunt. Salmaſ. *ad Solinum pag.* 975. *&* 976.

ANTINOMI, Græcè Ἀντίνομοι, quaſi *Legis hoſtes*, dicti ſunt Joh. Agricolæ ſectatores, quem, *inutilem eſſe Legem divinam, atque ad ejus obſervantiam homines Evangelicos non teneri*, docuiſſe refert Ramaldus in *Annal. Eccleſ. ad A. C.* 1539. apud Dominicum Macrum *loc. cit.* Sed & alii.

ANTINOMI, i. e. Hæretici, *Legis* uſum in Eccleſia Chriſtiana inficiantes, vel iique *Veteres*, vel *Novi*: hi, qui vixêre elapſô ſeculô, vel hôc præſenti, ipſique ſunt *meliores vel peſſimi*, vide Hoornbeckium *Summâ Controverſiar.* Horum in Anglia primus auctor fuit Joh. Eatonus, qui librum edidit de *Juſtificatione libera*, per ſolum Chriſtum: in quo præcipuè urget, *Deum nec velle nec poſſe videre ullum peccatum in juſtificatis.* Qui error in fatali ſub Carolo I. confuſione caput extulit, ac in unam ex præcipuis IV. Independentium ſectis excrevit. Cùm enim tam expeditam & facilem in cœlos viam tradat, ingens ſimplicium hominum vis eam amplexata eſt: ut cui doctrina hæc titulô *liberæ juſtificationis* pulvinar in peccando ſubſternit, deplorare aut cavere peccata juſtificatos prohibens, imò grande nefas ducens. Graſſata autem eſt tum in Veteri tum in Nova Anglia, uti docet Georg. Hornius *Hiſtoria Eccl. Novi Teſt. Periodo III. Artic.* 3. ubi prolixè de illis, eorumque graviſſimis erroribus. Vide etiam aliquid infrà voce *Hutchinſonia.*

ANTINOOPOLIS, urbs in Antinoi memoriam & Adriani Cæſaris ſolatium condita à Græcis, in Ægypto, inque Thebaide, ejus regione. Hegeſippus apud Euſebium *Hiſtor. Eccl. l.* 4. Καὶ γὰρ καὶ πόλιν ἔκτισαν ἐπώνυμον Ἀντινόου, *Nam & urbem extruxerunt Antinoo cognominem*: ſeu potiùs inſtaurârunt ejus gratiâ, cùm eſſet antè in locus alii Numini conſecratus. *Beſam* Deum illum & urbem quoque priores vocabant: quam appellationem diu etiam poſteà retinuêre Ægyptii, alterâ Græcis relictâ. Unde factum, ut de duobus nominibus unum componerent, & oppidum iſtud BESSANTINOUM appellarent, teſte *Photiô*, ubi de Helladio Scriptore Ægyptio, qui civitatis hujus incola erat. Ἀντινόειαν vocat eam *Steph.* qui & *Hadrianopolim* ait dictam: Marcellin. *Antinoum l.* 22. & Chryſoſtom. in 2. *ad Corinth.* Recentiores illam *Antino* appellaverunt

gerunt & Græci Ἀϐϐᾶ. Hinc in veter. Eccleſiarum Orientis laterculo, apud Salmaſ. in Thebaide priore Ἀϐϐᾶ μητρόπολις, *Ammo metropolis*, primum locum tenet &c. Vide eum *Not. ad Spartian.* c. 14.

ANTINOUS, Bithynicus juvenis, ab Adriano Imperatore adamatus, cui ut creditur, pro Imperatoris ſalute, ex magica diſciplina, mortuo, templum apud Mantineam conſtituit. Spartian. *in Hadriano*. c. 14. *Et Græci quidem, volente Hadriano, eum conſecrarunt.* Ait, *volente Hadriano*, quaſi conſecrationis hujus non fuiſſet Hadrianus auctor, ſed Græci homines, quod & Athenagoras his verbis videtur ſignificare: Ἀντίνοος, inquit, φιλανθρωπίᾳ τῶν ὑμετέρων πρὸς τοὺς ὑπηκόους ἔτυχε νομίζεσθαι Θεός. Quidam in orbe Lunæ cum Eudymione collocârunt. *Tatianus*: Πῶς ὁ ἀποθανὼν Ἀντίνοος μεμόρφωται ἐν τῇ Σελήνῃ ... ; *Clemens Alexandrinus*: Καὶ ναὸς ἐστὶν Ἀντινόου καὶ πόλις. Meminerunt ejus *Jo. Xiphilinus*, *Vopiſc. Dion*, *Spartianus*, & S. Chryſoſtom. *in* 2. *Cor.* c. 12. Ejus conſecrationis cum alia extant hodieque monumenta, tum illud Romæ egregium, ΑΝΤΙΝΟΩ, CΥΝΘΡΟΝΩ, ΤΩΝ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ, ΘΕΩΝ Μ. ΟΥΛΠΙΟC ΑΠΟΛΛΩΝΙΟC ΠΡΟΦΗΤΗC. Caſaubon. ad *loc. cit. Spartiani*. Imagines illiuſdem maximè ad ſimilitudinem *Bacchi effingebantur*, Pauſan. *l.* 8. unde in pulcherrimo Numiſmate aureo unciali Marshami Equ. Angli, in quo legitur ΑΝΤΙΝΟΟC. Capillitiem in orbem circumteata, qualis Baccho olim tributa, comparet. Vide *Siſbe*. Hujus novi Ægyptiorum Deaſtri quæ Sacerdotes faciebant, cum Servatoris noſtri miraculis, impudentiſſimè conferre auſus eſt, qui aliàs ipſe Gentilium riſit oracula ac Sacerdotum impoſturas, Celſus Epicureus, ac proin hôc nomine accuratè ab Origine refelli meruit. Vide quoque Athenagoram in *Legat. Tatianum*, Tertullianum *contra Marcion. Euſebium*, *Athanaſium*, & tot alios. Mantinenſes annuis ſacris & quinquennali certamine eundem coluêre, Pauſan. *Arcad.* Fuerat autem is Hadriani Atrienſis, teſte apud Euſebium *Egeſippo*: quæ vera cauſa quòd in comam ejus non omninò conveniat illud Martial. *l.* 4. *Epigr.* 42. *v.* 7.

— — Molleſque flagellent

Colla comæ:

Cùm ſint neque promiſsô capillô, neque detonsô, ſed cirratô & leviter diffusô, quem tenorem omnes *Antinoi* icones ſervant. Atrienſes autem perpetuò cirratos fuiſſe, patet ex Phædro *Fab.* 5. *l.* 2. Superſtitio tamen ad Bachi, ut diximus, imitationem id retulit. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis* & infrà *ſuo loco*.

ANTINOUS, procus Penelopes ſuperbus, ab Ulyſſe in convivio bibens ſagittâ transfixus. Homer. *Od.* 22. De quo Propert. *l.* 4. *Eleg.* 5. *v.* 7.

Penelopen quoque, neglectô rumore mariti,

Nubere laſcivo cogeret Antinoo.

ANTIOCHENI Canones XXV. ſcripti, in Synodo Antiochiæ habita, à provincialibus Epiſcopis, in cauſa Athanaſii potiſſimùm, ſub Conſtantio & Conſtante Imperatorib. ac Julio Papa Romano, *A.* C. 341 in Codice Canonum Eccleſiæ, poſt Nicænos, Ancyranos, Neocæſarienſes & Gangrenſes Canones collocati ſunt: quos Laodiceni ſequuntur, &c. Alios finxit, vel ſaltem fictos Orbi literato obtruſit, *Canones Apoſtolicos novem Antiochenos* Lambertus Gruterus, in editione Operum Clementis Romani, quæ prodiit Coloniæ, A. C. 1570. quos ab Apoſtolis in Synodo Antiochena, in antiquitate Eccleſiaſtica inauditâ, nulliqve Hiſtorico fide digno memoratâ, conſtitutos vult ac ſancitos, qua de re videatur Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl. num.* 136.

ANTIOCHENUS Michaël, vide *Michaël*.

ANTIOCHIA, provinc. apud Plin. *l.* 5. *c.* 20. *Promontorium, in quo Laodicea libera, Dioſpolis, Heraclea, Charadrus, Poſidium: Deinde Promontorium Syriæ Antiochiæ: intus ipſa Antiochia libera Epidaphnes cognominata*. Et Melam *l.* 1. *c.* 12. *In eo prima eſt reliqua pars Syriæ, cui Antiochiæ cognomen additur.* Simpliciter *Antiochia*, apud Plinium alibi, pro *Antiochena* vel *Antiochica*, ſ. in qua Cyrrheſtica regio. Sic *Antiochia Piſidia*, pro *Piſidica*, in *Tab.* Peutinger. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 890. Idem tamen utrumque & quoque ſeipſum corrigens, *Antiochiam Syriam*, non provinciæ, ſed urbis nomen, quæ in Syria ſita erat, fuiſſe, ait *p.* 1226.

ANTIOCHIA, urbs Syriæ, de qua ſic Græcus Geographus ſub Conſtantio & Conſtante Imperatorib. à Jacobo Gothofredo editus: Ἔστι τοίνυν ἡ Ἀντιόχεια, πρώτη πόλις, βασιλεύουσα, καὶ ἀγαθὴ ἐν πᾶσιν, ὅπου καὶ Κύριος τῆς οἰκουμένης ἔχει. Idem ferè habet Amm. Marcellin. *l.* 15. *Hanc*, inquit, *nobilitat Antiochia, mundo cognita civitas, cui non certaverit alia advectitiis ita ſluere copiis, & interius*. Ab Antigono & Seleuco Nicanore in ſuorum memoriam condita, quorum ille inchoavit, hic perfecit. Eunapius in *Libanio*: Ἀντιόχεια τῆς Κοίλης Συρίας, πρώτη πόλις, Σελεύκου τοῦ Νικάτορος ἐπώνυμον ἔργον. Ab Antiocho verò ſic dicta, teſte Dionyſiô Periegetâ, *v.* 917.

Ἠχί περ Ἀντιόχοιο ἐπώνυμος Ἀντιόχεια.

Quòd verò παρ' ἱερὸν ῥίνημα Δάφνης, uti loquitur *Dionyſius*, *juxta Daphnen* Antiochia hæc condita eſſet, hinc Ἀντιόχεια ἐπὶ Δάφνη vulgò vocata eſt, diſtinctionis cauſâ, cùm plures eſſent huic cognomines urbes. Laudes ejus non vulgares recitat D. Chryſoſtom. ἐν ἐγκωμίῳ τῆς Ἀντιοχείας, ac Dio Chryſoſtomus *Orat.* 47. Libanius *in Baſilico*, & *alibi*. Maxima verò Antiochiæ laus eſt, χρηματίσαι πρῶτον ἐν αὐτῇ τοὺς μαθητὰς Χριστιανούς, uti loquitur D. Lucas Actor. *c.* 11. *v.* 26. Æra Antiochena, ab hac urbe dicta, quâ Evagrius aliique utuntur, incipit ult. an. Olympiad. 182. Urb. Cond. 705. A. M. 4005 ante Chriſtum Natum 49. Hîc ſynodus ab Apoſtolis habita. Vide Concil. 2. Nic. *Act.* 1. Dein Concilium, contra Novatianos, A. C. 255. Contra P. Samoſatenum, A. C. 266 & 272. Euſeb. *Hiſt. l.* 6. *c.* 35. & *l.* 7. *c.* 22. Aliaque partim ab Arrianis, partim ab Orthodoxis, vide Athanaſ. *de Synodis* Socr. *l.* 2. *c.* 25. & *l.* 5. *c.* 5. Sozom. *l.* 3. *c.* 5. & 10. & *l.* 3. *c.* 7. Hieronym. *in Chron.* Theodoret *l.* 5. *c.* 3. Ibidem Monetaria officina ſub Imperatoribus olim celebris fuit, unde in numinis ANT. ANTA. ANTB. ANTΓ. ANTE. ANTH. ANTP. ANTS. SMA. SMAB. SMAN. SMANΓ. SMANR. SMANS. SMANT. SMANTE. SMANTS. SMAT. SMNA. Vide hic *paſſim*. longitud. 68. 10. latitud. 36. 20. Nunc *Antachia* dicitur. Sedet partim in clivo, partim in plano, juxta Orontem fluv. qui ibi ponte jungitur lapideô. Muri urbis ferè integri manent. Ipſa autem ſemiruta in ruinis jacet. Patriarchali tamen dignitate gaudet, Turciſque paret. *Nic. Lloydius*; Aliquo Medio ævo, ſub Principe Chriſtiano aliquandiu fuit. Cùm enim Boëmundus, Tancredi filius, in hæredis ſortem, à Rogerio Fratre Tarento & Bari Principatus obtinuiſſet, ut narrat Ordericus Vitalis *l.* 8. *p.* 677. *Antiochiæ* Dominus factus, ejuſdem *Princeps* appellatus eſt; quod, inquit Wilh. Tyrius *l.* 6. *c.* 23. anteà *Princeps* vulgò appellaretur, *Tarenti* ſcilicet, vide infrà in voce *Princeps*.

ANTIOCHIA, quæ & Niſibis, urbs Meſopotamiæ Archiepiſcopalis, à Seleuco Rege Antiochi filio (uti ſuperior) condita, ad rivum, qui 25. mill. paſſ. ſe exonerat in Tigrim fluv. ab Artaxata urbe Armeniæ majoris 750. mill. paſſ. diſtans in Auſtrum. Nunc *Niſibin*.

ANTIOCHIA, Piſidiæ urbs primaria, ſedeſque Præfecti, *Verſageli* à Turcis dicta, ab Epheſo 92. mill. paſſ. in Eurum recedens. longitud. 61. 20. latitud. 39. 36. Nunc paucis conſtat incolis. In *recentioribus* autem *tabulis* Antiochia hæc nomen priſtinum ſervat, diſtatque à *Verſageli* 20. leuc. in occaſum & ab Epheſo 20. mill. paſſ. in ortum, in Aſia minori.

ANTIOCHIA, ſuper Crago monte, urbs Ciliciæ litoralis in Piſidiæ, Pamphyliæque confinio, inter Selinuntem, & Nephelim urbes finitimas. longitud. 62. 30. latitud. 38. 30. *Antiochetta*.

ANTIOCHIA, ad Tragum aliàs dicebatur, quia ſita erat juxta Tragum fluv. & prope Cragum oppid. in Cilicia aſpera. 25. leucis à Seleucia in Occaſum & 4. à Selinunte in Cæciam.

ANTIOCHIA, Margianæ, quæ & Alexandria & Seleucia dicta, teſte Pliniô, *l.* 6. *c.* 26. *Indiam* hodie ex *tabulis recentiorib*.

ANTIOCHIA, ad Taurum montem, urbs Epiſcopalis Comagenes in Syria, in ejus, & Euphrateſiæ confinio, nomen adhuc retinens, teſte *Bellonio*; longitud. 68. 40. latitud. 39. 10. *Antiochiæ* aliæ 7. à veteribus memorantur, quæ cùm minimè extent, prætermiſſæ ſunt. Ea verò Antiochia, quæ & Mygdonia & Niſibis, urbs Meſopotamiæ, hodie etiam *Aſebin* ab incolis nominari fertur. *Ferrarius*.

ANTIOCHIA, urbs Americæ meridionalis in regno Popajano, ſub Hiſpania, parva & malè culta, 15. leucis Hiſpanic. diſtat ab oppido S. *Fidei Antiochea*. 12. à fluv. Cauca, in Occaſum à Popajani civitat. 60. in Boream. 50. autem à Carthagena nova.

ANTIOCHIA Mæandri, urbs Cariæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Stauropolitano, *Tachiali* vulgò, ad Mæandrum fluvium.

ANTIOCHIANUS Præfectus, memoratur Æl. Lamprid. in *Heliogabalo c.* 14. *Inde itum eſt in hortos, ubi Varium* (id quoque Heliogabalo nomen) *inveniunt* --- *Antiochianus ex Præfectis unus milites* --- *ſacramenti admonitione exoravit, ne illum occiderent*, &c.

ANTIOCHIS, mater Antiochi Seleuci filii, & mulier quævis è quâvis Antiochiâ oriunda. Præterea nomen tribus. *Steph.*

ANTIOCHIS, tribus Attica, ab Antiocho quodam Heroë dicta.

Municipia Tribûs Antiochidis.

Ægilia vel Ægilus.	Leucopyra.
Alopece.	Melenæis vel Melænæ.
Amphitrope.	Pallene.
Anaphlyſtus.	Pentele.
Atene vel Atenia.	Phalerum.
Beſſa.	Samachidæ.
Crion.	Thoræ.

Vide Franciſcum Roſſæum *Archæologia Attica l.* 1. *c.* 7.

ANTIOCHUS, Rex Aſiæ, urbis Magneſiæ caduceatores veteranos, alveorum ducendorum cauſâ, ad ſe miſſos miratus, quòd canô capillô, & barbâ valde nigrâ eſſent, à Medicis ſuis, hâc de cauſâ accerſitis, hujus rei rationem requirit. Cui Medici, Non mirandum, inquiunt, ô Rex; Aquoſa Magneſiæ habitatio, flumine Mæandrô, & ingenti palude circumſepta, hoc efficit: nam cerebrum ita humefactum reddit, ut capitis pilus plus ante ſenium albeſcat. At caduceatores; Non ita, ô Rex, ſed quia capitis crines ſunt barbâ natu majores: nam naſcendo capillos è vulvâ matris, barbam autem multò poſt tempore ſuſcipimus.

ANTIOCHUS I. Soter, Seleuci fil. ejuſque nominis primus, Syriæ, & Aſiæ Rex, regnavit, ann. 19. Stratonicen novercam, Eraſiſtrati Medici ſuaſu, Patre conſentiente, duxit. Euſeb. *in Chron.* Val. Max. *l.* 5. *c.* 7. *ex.* 4. Juſtin. *l.* 36. & 38. Polyb. *l.* 4. Appianus *in Punic.*

ANTIOCHUS II. cognomine *Theos*, quod nomen à Mileſiis, unde Tyrannum Timarchum expulerat, accepit, dictus, Soteri Patri ſucceſſit, bellum cum Ptolemæo Philadelpho compoſuit, ductâ filiâ ejus Berenice. Quod ægrè ferens Laodice, ex qua jam duos ſuſceperat filios, illum venenô, Seleucô Callinicô fil. in thronum evecto, & Berenicem cum filio, ex Antiocho ſuſcepto, immiſſis percuſſoribus, ſuſtulit. Obiit an. regni 15. Mundi 3808. Hieron. *in Dan. c.* 11. *v.* 6. Euſeb. *in Chron.* Genebr. *l.* 1. Sulpic. Sev. *l.* 2. Appianus Alexandr. *de bellis Syriæ*.

ANTIOCHUS III. Magnus, Seleuci Ceranni frater, Syriæ & Aſiæ Rex, regnavit ann. 37. *Hierax* vulgò dictus, quòd *accipitris more in rapiendis alienis vitam duceret.* A Ptolemæo Philopatore ad

ad Rapham cæſus. *A. M.* 3837. in Perſiam verſis armis, Sardes expugnavit. Hinc, victò Philopatore, Judæam ſubegit, *A. M.* 3845. A Romanis, *Ptolem.* Epiphanis tutoribus, ſuperatus, & quotannis 2000. talent. multatus eſt. Tandem Beli Elymeenſis, in Suſiana, direpturus templum, ibi cum ſuis occiſus eſt. *A. M.* 3867. Juſtin. *l.* 31. 32 Strab. *l.* 16. Liv. *l.* 34. Florus *l.* 2. *c.* 8. Appian, *Bell. Syr. Euſeb.* Hieronym. *in Daniel.* Sulpicius Sev. *l.* 2.

ANTIOCHUS IV. Epiphanes, h. e. *Illuſtris ſive Nobilis*, poſt Seleucum fratrem, VIII. Syriæ Rex, regnavit ann. 12. Hic Hieroſolymam deſtruxit, & multa mala Judæis intulit, crudeliſſimus omnium tyrannorum, ideoque *Epimanes*, h. e. *Inſanus*, aut *Furibundus* à Polybio *in Fragm. è l.* 26. vocatur. Oniam Sacerdotiò Summò pepulit, Ptolemæum Philometorem fruſtra oppugnavit, à Romanis prohibitus. Hieroſolymà captà, templum profanavit, in Judæos ſupra modum ſæviens; quibus tamen Matthatias, cum filiis, aliquid ſolatii attulit. Poſt hæc, templum Perſepolit. ſpoliaturus inde pulſus eſt, & auditò, quid interea in Judæa actum, furore inſanus eo properavit, ſed divinitus horribili morbò affectus, obiit *A. M.* 3891. regni 11. Vide *l.* 1. *&* 2. *Maccab.* Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 12. *Polyb. Appian.* Hunc Polybius *loc. cit.* ſcribit immenſos pecuniarum theſauros in commeſſationibus & ſympoſiis prodegiſſe, ſolitumque eſſe ludibundum, interdum & ebrium, grandiuſculos nummorum ſaccos in vias publicas abjicere, ac ſubinde dictitare, Iſthæc accipiant ii, quos ſors, fortunave huic commodo jampridem deſtituavit; nonnunquam etiam roſis coronatum, aureâque indutum chlamyde vagari ſolitum dicit, lapides ſinu geſtantem, quibus obvios quoſque impeteret. Publicis quinetiam balneis cum populo promiſcuè lavari ſolebat, pretioſiſſimiſque unguentis inungi; unde cùm quidam aliquando è populo ei dixiſſet, Beatus es ò Rex, qui adeò benè oles. Aſt ego, inquit, hâc tibi in re continuò ſatisfaciam, & perquam ſaturum reddam; quò dictò bicongium vas pretioſiſſimi unguenti plenum ſuper illius caput infundi juſſit. Ex quo vehemens adeò odoris fragrantia exorta eſt, ut pleroſque à foro ipſo, & longinquis etiam urbis partibus excitatos, ad eum locum contraxerit, ut impellentium ſeſe ſtudiò hinc inde & craſſi unguenti lubricitate, & plurimi balneatorum humi caderent, & Rex ipſe profuſiſſimò penè enectus cachinnò pronus corruerit. Hunc aliquando ferunt in certaminibus, quæ Antiochiæ celebravit, omnes qui aderant Græcos invitâſſe, pretioſiſſimiſque unguentis ex aureis guttis perfuſtos omnes conviviò ſuſcepiſſe: in quo ipſe inverem diſcubuiſſe, ac diſcumbentibus miniſtrâſſe fertur, cum mimis etiam ac hiſtrionibus licenter adeò, & impudenter ſaltâſſe, ut omnes convivas, præ pudore, oculos à ſe avertere cogeret. Is eſt Antiochus, qui Romæ aliquando pro obſide fuerat, & inde ad regni apicem evectus, ad has inſaniæ notas regali licentià ſine reſpectu turpiter declinavit. Hæc *Polybius.* Typus Antichriſti à Patribus habitus eſt, in Daniel. *c.* 11. Vide Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 17. *c.* 8 Suidam, in Ἀντίοχος.

ANTIOCHUS V. cognomine *Eupator*, Patri Antiocho Epiphani ſucceſſit, cum immenſis copiis contra Judæos, ſed Judâ Maccabeò fortiter reſiſtente, fruſtra movit, inde ut Philippi, ad Syriæ regnum aſpirantis, conatus impediret, in Syriam, pace cum Judæis initâ reverſus, Demetrii Philopatoris juſſu, interfectus eſt, ut thronò, ab Antiocho Epiphane ſibi ereptò denuò potiretur. Maccab. *l.* 1. *&* 2. Joſeph. *l.* 12. Juſtin. *l.* 34.

ANTIOCHUS VI. cognomine *Eutheus* ſeu *Nobilis*, à Patre Alexandro Baleo, Arabis cujuſdam, Malci nomine, curæ in Italia commiſſus, diadema accepit à Diodoto Tryphone, Duce copiarum, ut hunc e Demetrio, populis inviſo, opponeret. Sed ab eodem via annò elapsò interfectus eſt. *l.* 2. *Machab. c.* 13. Joſeph. *l.* 13. *hiſtor. Jud.* Torniel. *A. M.* 3910 3912.

ANTIOCHUS VII. Sidetes, XV Syriæ Rex, regnavit ann. 11. Primùm Tryphonem metuens, in Syria, delituit, dum frater ejus Demetrius Nicanor ſuppetias flagitat à Parthorum Rege, qui ipſi fil. Rhodogunem dedit. Quò perceptò uxor hujus Cleopatra, ad nuptias, & regiam, quæ in Seleucia erat, Antiochum invitat, qui fretus Simonis auxiliò, Tryphonem, Doram obſidentem fudit, fugavitque, ac Apameam cepit. Sed regnò potitus erga Judæos ingratus extitit, in bello tandem contra Parthos occiſus. Juſtin. *l.* 38. Appianus *Bell. Syr.* Joſeph. *Ant. Jud. l.* 13. & 15. *A. M.* 3955.

ANTIOCHUS VIII. cognomine *Gryphus*, à naſo aquilino, fil. Demetrii Nicanoris, ex Cleopatra, quæ cùm fratrem ejus Seleucum 5. ſagittâ interemiſſet, ille efferatus, cùm & ſibi venenum à matre paratum noſſet, illam ut id biberet coëgit. Dein Alexandrum Zebennam, quem Ptolemæus Ægypti Rex Syriæ præfecerat, occidit: ipſe A. M. 3958. regni 29. ab Heracleonte per inſidias interfectus. Joſeph. *Jud. Hiſt. l.* 12. *& de Bell. Jud. l.* 1. Juſtin. *l.* 39. Appian, *Bell. Syr.*

ANTIOCHUS IX. cognomine *Cyzicenus*, ab urbe in quâ educatus fuerat, fil Antiochi Sidetis & Cleopatræ, cum Grypho fratre uterino, de regno dimicavit. Quò ſublatò, à filio Gryphi Seleuco, prælió ſuperatus, & captus, obiit A. M. 3959. Vide *Authores priores.*

ANTIOCHUS X. cognomine *Pius*, per ironiam, ut Appiano *loc. cit.* placet, quia duxerat Selenam, uxorem primùm patris ſui, dein avunculi, fil. Antiochi Cyziceni, Seleucum Gryphi filium, totâ Syriâ depulit. Dein cùm diu ipſi cum agnatis contentio eſſet, à Parthis tandem, Reginæ Galatarum ſuppetias venturus, occiſus eſt. A. M. 3963. Appian. *loc. cit.* Joſeph. *Jud. Ant. l.* 13. *c.* 21. *Euſeb. Torniel.*

ANTIOCHUS XI. Gryphi fil. Seleuci frater, cui ſucceſſit. Ab Antiocho Pio, cum copiis, cæſus eſt. Joſeph. *Hiſt. l.* 13. *c.* 21. Euſeb. *Chron.*

ANTIOCHUS XII. cognomine *Dionyſius*, fil ultimus Gryphi, Rex Damaſci proclamari voluit, abſente fratre Philippò, qui ejus legitimus erat poſſeſſor, & in inferiore Syria regnabat. Occiſus in pugna, contra Arabas, cum via annum regnâſſet. A. M. 3969. Joſeph. *l.* 13. *c.* 21. *Jud. Hiſtor. & de Bell Jud. l.* 1. *c.* 4.

ANTIOCHUS XIII. Cyziceni fil. à Lucullo, pulsô Tigrane, in avitum regnum reſtitutus, ſed mox iterum à Pompejo depoſitus eſt, dictitante, non dignum eſſe Syrò diademate, qui belli tempore delituiſſet. Juſtin. *l.* 40. *c.* 2.

ANTIOCHUS, Commagenorum Rex, ab Antonio victus. Cæſar *l.* 3. *de bello Civ. c.* 4.

ANTIOCHUS, Rex Meſſeniorum, poſt Phintam, unà cum Androcle regnavit, circa tempora Alcamenis Spartanor. & Polymeſtoris, Arcadiæ, Regum. Eos excepit Euphaës. Vide & *Androcles*, Pauſan. *Meſſeniacis.*

ANTIOCHUS, Claſſis Athenienſium Gubernator, cui cùm ſummam imperii credidiſſet Alcibiades, à Lyſandro victus eſt. Vide Scholia *in Ariſtoph. Ranis.* Xenoph. *l.* 1. Diodor. Sic. *l.* 13.

ANTIOCHUS, vetuſtis opibus ingens & inſervientium Romanis Regum ditiſſimus, Veſpaſiani partibus acceſſit. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 81.

ANTIOCHUS, Ptolemaidis Epiſcopus ob eloquentiam *os aureum* dictus, Imperatrici Eudoxiæ, contra Chryſoſtomum, adhæſit. Socr. *l.* 6. Sozom. *l.* 8. Baron. *A. C.* 400. &c. Item, alius, quem Iſdegerdes, Perſarum Rex miſerat, qui Imperium adminiſtraret, donec Theodoſius Junior adoleviſſet. Theoph. *Hiſt. Miſc. l.* 13.

ANTIOCHUS, Conſul Roman. Baſſi collega.

ANTIOCHUS, Aſcalonita, ex Academia vetere, dicendi peritiſſimus, Luculli, Ciceronis, & Bruti præceptor. Strabo *l.* 16. Plut *in Lucullo, & Cicerone.* Fuit & alius Antiochus Sophiſta, qui ad Rempubl. gerendam, quòd animò eſſet vehementiori, accedere noluit.

ANTIOCHUS, cujus *Suidas* meminit, inter alios, apud Theodoſium Juniorem delatus, honore, quò fruebatur, privatus fuit, & publicatis ipſius bonis, in Sacerdotum ordinem cooptatus eſt, edictô ab Imperatore promulgatò; Ἀντίοχος ἐν τοῖς πατρικίοις μὴ ἴτω, *Ne Eunuchus inter patricios cenſeretur.* Alius Cilix erat natione, qui principiò ſe Cynicô more philoſophari ſimulabat, & propterea militibus in bello maximè profuit. Ipſos enim propter magnum frigus animum abjicientes confirmabat, in nivem ſe abjiciens, & in ipſa ſe volutans; unde & opes & honores à Severo Antonino eſt conſecutus. Iis autem elatus, cum Tiridate ſe conjunxit, & cum ipſo ad Parthos transfugit.

ANTIOCHUS, Alexandrinus, de Poëtis egit, qui in mediâ Comœdia perſtringuntur. Athenæus. *l.* 11. *c.* 9.

ANTIOCHUS, Laodiceâ oriundus, Scepticus. Diog. Laërt. *in Phyrrhon. l.* 9.

ANTIOCHUS, Sophiſta, quem Argæ Ciliceum tulêre, vir doctiſſimus, de quo *Philoſtratus*: Securus in figuris, vehemens in accuſationibus, venuſtus in defenſionibus, in Demonſtrativis potens, in forenſibus ſophiſticâ, in Sophiſticis forenſi utebatur oratione.

ANTIOCHUS Syracuſanus, fil Xenophanis, Hiſtoricus, ſcripſit de Italia; citatus ſæpe à *Strabone*, Diodoro, *l.* 12. ac Dion. Halicarnaſſæo. *l.* 1. Vide Voſſium *de Hiſt. Græc p.* 456. Itemque *p.* 504.

ANTIOCHUS, literatus T. Pomponii Attici ſervus, de quo Cicer. *l.* 13. *Ep.* 33.

ANTIOCHUS, tonſor quidam, de quo Martial. *l.* 11. *Epigr.* 85.

ANTIOPA, vel ANTIOPE, Nyctei filia, & uxor Lyci Regis Thebarum, & Ægyptiorum. Hanc Jupiter in Satyrum mutatus compreſſit, quod cùm Lycus comperiſſet, eâ repudiatâ, Dircen ſuperinduxit, à qua in carcerem conjecta eſt: Verùm cùm partus adveniſſet, ruptis vinculis aufugit in Citæronem, ibique Zethum & Amphionem peperit, & expoſuit; ſed à paſtoribus, reperti, ab iiſdem educati ſunt, qui poſtea adulti, matris injuriam ulciſcentes, Lycum cum uxore Dirce interfecerunt. Propert. *l.* 1. *Eleg.* 4. *v.* 5.

Tu Licet Antiopæ formam Nycteidos, & tu
Spartanâ referas laudibus Hermionem.

Idem *l.* 3. *Eleg.* 14. *v.* 26.

Invocet Antiope quem niſi, vincla, Jovem?

Ovid. *Met. l* 6. *v.* 111.

Addidit ut Satyri celatus imagine pulchrâ
Jupiter implerit gemino Nycteida fœtu.

Nonnus Dionyſ. *l.* 7. ubi de Jovis amoribus, quos duodecim recenſet:

Ἕβδομος Ἀντιόπης Σατύρῳ δολόεντι συνάπτει.

Idem *l.* 16.

Ἀντιόπης ἰδὼν φιλοπαίγμονα θερμὸν ἔρωτα,
Καὶ Σάτυρον γελόωντα νόθον μιμηλὸν ὑποστάς.

Item Pacuvii Tragœdia ſic dicta. Perſius *Sat.* 1. *v.* 77.

Sunt quos Pacuviuſque & verrucoſa moratur
Antiope, ærumnis cor luctificabile fulta.

Nic. Lloydius

ANTIOPE, Amazonum Regina, de qua Natal. Comes *l.* 7. *c.* 8. Fama eſt, Amazonas bellicoſas fœminas in Græciam aliquandò cum armis hoſtiliter irrupiſſe, atque in Athenienſium agrum præcipuè feciſſe impreſſionem, Antiopenque ipſarum Reginam, vel (ut alii malunt) Hippolyten fuiſſe à Theſeo ſuperatam, cùm illi Scythæ opem tuliſſent. Plut. *in Theſeo.* Natalis Com. *loc. cit.*

ANTIORUS, Lycurgi fil. Plut. *in Lycurgo.*

ANTIPATER, Jolai fil. miles Philippi, deinde inter Alexandri M. Duces, & regni ſucceſſores, diſcipulus & ipſe Ariſtotelis, Succeſſor Alexandri, quem è medio ſuſtuliſſe, ejuſque familiam totam extirpâſſe legitur, in regno Macedoniæ, poſt bellum Athenienſibus

illatum, legatis ad eum de pace venientibus, quorum Princeps erat Xenocrates, reſpondit, ſe in amicitia permanſurum, ſi ſibi Demoſthenes & Hyperides dederentur: Si ſuum præſidium in Munychiam, i. e. Athenarum arcem recepiſſent; Si denique abſumptam in eo bello pecuniam, acceptaque damna reſarcirent. Quibus illi conditionibus conſenſerunt. Vide *Suid.* Curt. *l.* 6. *& ſeqq.* Arrian. *in Punic.* Juſtin. *l.* 9. 11. 12. 13. 14. Plut. *in Alex.*

ANTIPATER, Caſſandri fil. Macedoniæ Rex, gener Lyſimachi, qui in Thracia rerum potiebatur, matri propriæ necem intulit, quod illa Alexandro fratri magis favere videretur. Juſtin. *l.* 16. Alius ejuſdem Caſſandri fil. Vide proximè ſequentem.

ANTIPATER, trigeſimus ſecundus Macedonum Rex, regnavit dies 45.

ANTIPATER, Cilicum Rex.

ANTIPATER, Herodis pater, vir maximus, ac potentiſſimus, Judææ procurator à Cæſare conſtitutus, quem in Ægypto, poſt mortem Pompeji adjuverat, muros civitatis reædificavit, Phaſelum Hieroſolymis, Herodem Galilææ præfecit. Venenô à Malcho necatus eſt. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 14. *c.* 24. & *de bell. Jud. l.* 1. *c.* 11.

ANTIPATER, Herodis fil. à patre quintô die, priuſquam animam ageret, in vinculis interfici juſſus eſt. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 14. 15. 16. 17 *& de Bell. Jud. l.* 1.

ANTIPATER, Archon Athenis, Olymp. XCVII. an 4 Item, è cohorte nobilium puerorum Alexandri M. conjuratonis in Regem Hermolao particeps. Curt. *l.* 8. *c.* 6. Item Grammaticus, qui ſcripſit in Ariſtoph. commentaria. Vide Scholia *in Aves.*

ANTIPATER Hierapolitanus, ſophiſta nobilis, præceptor liberorum Severi Principis, cujus etiam res geſtas conſignavit, ac ei ab Epiſtolis fuit. *Philoſtratus.* Fuêre etiam duo Latini Hiſtorici, Cælius *Antipater* & Gallus, *Antipater.*

ANTIPATER, Philoſophus, & Poëta Sidonius, Stoicæ ſectæ, Catonis Uticenſis præceptor. Poſt Panætium, *de officiis*, ſcripſit. Hic, quô die natus fuit, eôdem ſemper febre laboravit ſingulis ætatis ſuæ annis, eidemque die ac eipſe morbô conſumptus eſt. Nobili epigrammate Sappho decimam inter Muſas cooptavit. Ex tempore innumerabiles penè verſus faciebat. Quinctilian. *l.* 10. *c.* 7. Vide Voſſ. *de Poët. Græc. p.* 68. Cicer. *l.* 3. *de Oratore.* Plin. *l.* 7 *c.* 51. Val. Max. *l.* 1. *c.* 8. *ex. ext.* 16.

ANTIPATER, Stoicus, Diogenis Babylonii diſcipulos laudatus Ciceroni, *l.* 3. *de Offic.* Hic cum Carneade non aliter, quàm ſcriptô diſputare auſus eſt. Item, Tyrius, Philoſophus, amicus Catonis Uticenſis. Plut. *in Catone.* Cicer. *l.* 2. *de officiis.*

ANTIPATER, Tarſenſis, Philoſophus Stoicus, auctore *Plutarchô.* Strab. *l.* 14.

ANTIPATER Theſſalonicenſis, Poëta Græcus, floruit Auguſti Cæſaris temporibus: ſicut conſtat ex quodam ejus epigrammate, Ἀνθολογίας *l.* 4. *Tit.* Εἰς ὀρχηστρίδας. Ac eum, una cum Bathyllo, primos fuiſſe pantomimos, ac ſub Auguſto claruiſſe, ſatis notum ex *Dione*, *Zoſimo*, *Suida*, atque aliis. Alius eſt hic ab Antipatro Sidonio. Utriuſque multa epigrammata habemus in Anthologia. *Voſſ.* Cœterum de variis *Antipatris*, vide Jonſium *de Scriptoribus Hiſt. Phil. l.* 1. *c.* 13. & Voſſ. *de Hiſtor. Græc. l.* 3. *p.* 124. *Nic. Lloydius.* Addam ſaltem *de Antipatro Theſſal.* illum Piſonis, in quem extat oratiò Ciceronis & qui Macedoniam Proconſule obtinuit, familiarem fuiſſe, quod inde patet, quod ei in multis Epigrammatis partim editis, partim ineditis, adulatur. Epigramma ejus elegantiſſimum, quò rotas aquarias, quæ molendina verſant, ſuò ævô primùm inventas, deſcribit, affert Salmaſ. *Not. ad Lamprid. in Heliogab. c.* 24. Alterum item, non minùs elegans ac venuſtum, in Antimachi Poëtæ laudes; *Notis ad Spartianum in Adriano Cæſ. c.* 16. ad verba, *Antimachum imitando*, utrumque hactenus ineditum.

ANTIPATER, nobilis toreuta, apud Plin. *l.* 33. *c.* 12.

ANTIPATHES, Græcè Ἀντιπαθὴς, inter philtra Veterum & teteas, quibus amor conciliari creditur, ponitur nonnullis, qui verſus illos Lælii *in Apolog.* Appuleji, ubi pleraque philtra deſcripſit, ſic legunt,

> *Philtra omnia undique eruunt*,
> Antipathes *illud quæritur*, &c.

Sed vox planè contrarium notat. Sic enim Græci vocant, quidquid adversùs effaſcinationes, incantationes & amoris faciendi artes Magicas potentes eſt efficax: ſeu quod ἀλεξιφάρμακον eſt. Unde *Antipathes*, gemma Plinio *l.* 37. *c.* 10. quæ contra effaſcinationes auxiliari credebatur; & corallii genus, ab eodem effectu. Inprimis verò Moly illud nominatiſſimum, quò Mercurius Ulyſſem munit contra Circes effaſcinationes, Ἀντιπαθὲς vocitatum eſt. Sic ergo ſcribit illos verſus Salmaſ.

> *Antipathes illud quæſito*,
> *Philtra omnia undique irruunt*, &c.

ad Solin. p. 942.

ANTIPATRIA, Dareudis urbs Polybio *l.* 5. *c.* 108. Macedoniæ Livio. *l.* 31. *c.* 27.

ANTIPATRIDAS, Telmeſſi Cariæ Urbis Præfectus, qui dum amico Nearcho Cretenſi ad colloquium compareſt, & ejus ſpecie victos ſervos ac Pſaltrias recipit, miſerè deceptus orbem amittit. Polyæn. *l.* 5. *c.* 15.

ANTIPATRIS, Palæſtinæ civitas, nunc diruta, quam Herodes Rex Judææ, ex patris ſui Antipatri nomine, vocavit. Nunc *Aſſur*, & *Sur*, teſtibus *Tyrio*, & *Poſtello.* Ad hanc D. Paulus ductus eſt captivus. Actor. *c.* 23. *v.* 31. longitud. 66. 20. latitud. 32. co. Sita erat, non longè ab ora maritima inter Joppen ad Auſtrum, & Apolloniam, ad Boream nunc, ut dictum, diruta jacet.

ANTIPEMPTON, apud Anaſtaſium Biblioth. *in Leone III.* *Fecit aquamanus antipemsi de auratas pariâ duo*; corruptum eſt pro *Antipemte*, ex Græco ἀντὶ & πέντε, *Dominicu Macro*: Car. du Freſne. pro *Antipebthon*, ex Græco ἀντεπτηθὲν, i. e. ἀντεπτηθὲν χρυσὸς, *aurum recoctum*, quomodo *obryzum* vocabant. Cui ſententiæ favet Reinerus *de Inventione Reliquiar. Eutychetis & Acacii*, apud Ughellum; ubi legitur: *Crucem Domini ex auro puriſſimo fecit admirabilis artiſicio compactam, quod ſplandoclaſtum & Antipempton* (lege *Antipephthon*) *vocabatur.* Vide eum in *Gloſſar.*

ANTIPHANES, Argivus, nobilis, & ingenioſus ſtatuarius. Pauſan. *l.* 5. Item ſcriba equitum Alexandri. Curtius, *l.* 7. *c.* 1.

ANTIPHANES Smyrnæus, vel Rhodius, Comicus mediæ Comœdiæ, vixit Olymp. 93. De Pythagoricorum victu egit, teſte Athenæô *l.* 4 *c.* 16 Idem ἐν Ἀντείᾳ περὶ τοῦ οἰκονόμου προσαγορευομένου Ἀλαζόνος citatur ab eodem Athenæo *l.* 12. *c.* 2. Fuêre autem præter hunc Antiphanes alii. *Antiphanem* Cergæum Comicum memorat Steph. in Βέργη. Cujus tanta fuit mentiendi conſuetudo, ut locum proverbio fecerit. Unde Strabo *l.* 1. & 2. narrationem Eudoxi vocat Βεργαῖον διήγημα, quaſi diceret, fabulam eſſe meram. Ita enim locum iſtum emendavit magnus *Caſaubonus*, cum ante Διέργειον legeretur. *Antiphanes* Athenienſis Comicus Panætiô junior, memorarunt Suidæ, in Ἀνθοῦσαις. Quin & *Antiphanes* quidam *de ſcortis Athenienſibus* ſcripſit, teſte Harpocratione in Ναννίον Etiam *Antiphanes* quidam *de inventis* citatur à Clem. Alex. *l.* 1. *Strom.* Vide etiam *l.* 2. *Strom.* & Athen. *l.* 13. *Antiphanes* Delius, medicus, varietatem ciborum eſſe cauſam morborum ſtatuit, apud eundem Clem. *l.* 2. *Pæd.* Quod ſi *Suidæ* verba mendô carent, *Antiphanes* hocum omnium antiquiſſimus Caryſtius, qui Theſpidis tempore vixit, à quo Ἀντιφάνειος κωμῳδία. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *p.* 504. *& de Poët. Græc. c.* 6. *Nic. Lloydius.*

ANTIPHATES, Læſtrygonum anthropophagorum Rex, unus ex Lami poſteris, Formiarum conditoris. In cujus litore cùm aliquando ejectus eſſet Ulyſſes, treſque ex ſociis miſiſſet, qui regionem explorarent, Antiphates unum ex his apprehenſum ore dilaniavit; reliqui duo vix fugâ ſalutem quæſiverunt; Quos Antiphates cum magna Læſtrygonum manu inſecutus, naves Ulyſſis omni conatu oppugnavit, ſaxiſque ac trabibus in eas conjectis, omnes demerſit unâ tantum exceptâ, in qua Ulyſſes ipſe cum nobilioribus aliquot ſociis vehebatur. Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 212.

> *Inde Lami veterem Læſtrygonis, inquit, in urbem*
> *Venimus. Antiphates terra regnabat in illa.*
> *Miſſus ad hunc ego ſum, numerô comitante duorum:*
> *Vixque fuga quæſita ſalus, comitique, mihique*
> *Tertius e nobis Læſtrygonis impia tinxit*
> *Ora cruore ſuô: fugientibus inſtat, & agmen*
> *Concitat Antiphates: coëunt, & ſaxa, trabeſque*
> *Contorquent: merguntque viros, merguntque carinas.*
> *Una tamen, quæ nos, ipſumque vehebat Ulyſſem*
> *Effugit.* —— ——

Idem *Pontiror. l.* 2. *Ep.* 9. *v.* 41.

> *Quis non Antiphaten Læſtrygona devovet?* — —

Statius *l.* 1. *Silv.* 3. *v.* 84.

> —— ——. *Lituſque cruenti*
> *Antiphatæ.* —— ——

Tibullus *ad Meſſalam*, *l* 4. *Eleg.* 1. *v.* 114. ubi de Ulyſſe:

> *Incultos adiit Læſtrygonas, Antiphatemque*
> *Nobilis Artaciæ gelidos quos irrigat unda.*

Vide hæc latiùs apud Poëtam Homer. Od. 10. *Idem.*

ANTIPHATES, nothus Sarpedonis. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 696.

> *Et primum Antiphatem, is enim ſe primus agebat*
> *Thebanâ de gente nothum Sarpedonis alti.*

ANTIPHATES, avus Amphiarai. Homer. Od. 15. *v.* 243.

> Γείνατο δ' Ἀντιφάτην καὶ Μάντιον, υἷε κραταιώ,
> Ἀντιφάτης μὲν ἔτικτεν Ὀϊκλῆα μεγάθυμον,
> Αὐτὰρ Ὀϊκλείης λαοσσόον Ἀμφιάραον.

ANTIPHATES, alius à Leonteo occiſus. Homer. *Il.* μ. *v.* 91.

> Αὐτὰρ δ' αὖ κολεοῖο ἐρυσσάμενος ξίφος ὀξὺ,
> Ἀντιφάτην μὲν πρῶτον ἐπαΐξας δι' ὁμίλου
> Πλῆξ' αὐτοσχεδίην.

ANTIPHELLUS, & PHELLUS, loca Lyciæ, χωρία Λυκίας *Steph.* De Antiphello, Plin. *l.* 5. *c.* 27. & *l.* 31. *c.* 11. Ubi molliſſimas ſpongias circa illius muros reperiri ait. longitud. 60. 30. latitud. 38. 20.

ANTIPHEMUS, Gelæ in Sicilia urbis conditor, floruit Olymp. 25. Frater Lacii Lindii, à quo Phaſelis in Pamphylia condita. Euſebius num. 1340.

ANTIPHERON Oretanus. *Quidam*, inquit Seneca *l.* 1. *Natural. Quæſt. c.* 3. *hoc laborant valetudinis genere, ut ipſi ſibi videantur occurrere, ut ubique imaginem ſuam cernant. Quare? quia infirma vis oculorum non poteſt ne proximum quidem ſibi aërem perrumpere, ſed reſiſtit, in quorum numero Antipheronem ponit Ariſtoteles.*

ANTIPHILI Portus, locus juxta mare Rubrum è latere Africano. Strabo. *l.* 16. *Vella* nunc, teſte *Sanckio.*

ANTIPHILUS, Athenienſis, militaris rei peritiâ ac fortitudine præſtans, in locum Leoſthenis, ad Lamiam, ictu lapidis in caput afflicti ac triduo pôſt extincti, Olymp. 114. an. 2. ſuffectus. Diodor. Sic. *l.* 18.

ANTIPHILUS, nobilis pictor, qui inter egregia opera puerum in ignem curvatum, & flantem pinxit, quò igne paululum flatu excitatô, tota domus videbatur aliquantulum lumen accipere per noctem. Idem jocoſô nomine Gryllum ridiculô habitu pinxit Ipſe in Ægypto natus didicit à Cteſidemo Plin. *l.* 35. *c.* 10. Fuit Apellis æmulus. *Lucianus.*

ANTIPHON, quidam ſcripſit librum περὶ τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευσάντων.

τευσάντων, è quo Laërtius Diogenes, *l.* 8. Pythagoræ vitam illuſtrat. Citat eundem, ſed περὶ τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευσάντων, Porphyrius, *in Vita Pythagoræ*, & ex illo Cyrillus, *l.* 10. *contra Julianum.* Glauci Rhegini, *de Poetis*, [illegible]ber *Antiphonti* (non *Antiphoni* Latinè, ut judicant Grammatici, Soſipater Chariſius, *l.* 1. & Priſcianus, *l.* 6. ſervatur tamen Græca flexio à Cicerone aliiſque, quos imitamur) adſcriptus eſt a quibuſdam. Idem autem ſit Antiphon, necne, non facilè dixerim, cùm multi ejus nominis fuerunt, ut eos collegit Jonſius *in Hiſtor. Philoſ. Scriptorib. l.* 4.

Primus ergo fuit Antiphontis illius, qui in Parmenide Platonis loquens introducitur, pater vero Pyrilampis, teſte Platone, ubi ſupra. Pyrilampen etiam Antiphontis filium memorat Plut. *l. de Socratis Genio.*

Secundò, Antiphon quidam Rhamnuſius, apud Thucydidem ad Olymp. 92. laudatur. Sic enim ille, *l.* 8. Ὁ μέντοι ἅπαν τὸ πρᾶγμα ξυνθεὶς ὅτῳ τρόπῳ κατέστη ἐς τοῦτο, καὶ ἐκ πλείστου ἐπιμεληθεὶς, Ἀντιφῶν ἦν, ἀνὴρ Ἀθηναίων τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀρετῇ τε οὐδενὸς ὕστερος, καὶ κράτιστος ἐνθυμηθῆναι γενόμενος, καὶ ἃ γνοίη εἰπεῖν. Καὶ ἐς μὲν δῆμον οὐ παριὼν οὐδ' ἐς ἄλλον ἀγῶνα ἑκούσιος οὐδένα, ἀλλ' ὑπόπτως τῷ πλήθει διὰ δόξαν δεινότητος (i. e. ῥητορικῆς teſte Scholiaſte) διακείμενος. Τοὺς μέντοι ἀγωνιζομένους καὶ ἐν δικαστηρίῳ καὶ ἐν δήμῳ πλεῖστα, εἷς ἀνὴρ, ὅστις ξυμβουλεύσαιτό τι, δυνάμενος ὠφελεῖν. Καὶ αὐτός τε, ἐπειδὴ τὰ τῶν τετρακοσίων ἐν ὑστέρῳ μεταπεσόντα, ὑπὸ δήμου ἐκακοῦτο, ἄριστα φαίνεται τῶν μέχρι ἐμοῦ ὑπὲρ αὐτῶν τούτων αἰτιαθεὶς, ὡς ξυγκατέστησε, θανάτου δίκην ἀπολογησάμενος. Rhamnuſium hunc appellat Plut. *in Nicia*, & quod Nicias, (qui Olymp. 91. an. 4. cum Demoſthene itidem Duce Athenienſium à Siculis occiſus eſt, Thucyd. *l.* 7. ac Diodor. Sic. *l.* 13.) Antiphontis eloquentiam, populo jam ſuſpectam fuiſſe, obſervaverit, tradit. Atque hic Antiphon, qui Olymp. 92. an. 1. unus è Quadringentis fuit, ſequenti annò, quò eorum poteſtas abrogata eſt, ut Thucydides hiſtoriam ſuam finit, damnatus egregiâ oratione ſe defendit. Quod etiam Cicero teſtatur *in Bruto* c. 12. his verbis: *Antea neminem ſolitum via nec arte, ſed accurate tamen, & de ſcripto pleroſque dicere: ſcriptaſque fuiſſe & paratas a Protagora rerum illuſtrium diſputationes, quæ nunc communes appellantur loci. Quod idem feciſſe Gorgiam accepimus, cùm ſingularum rerum laudes, vituperationeſque conſcripſiſſet, quod judicaret hoc Oratoris maxime proprium, rem augere poſſe laudando, vituperandoque rurſus affligere. Huic Antiphontem Rhamnuſium ſimilia quædam habuiſſe conſcripta, quo neminem unquam melius ullam oraviſſe capitis cauſam, cum ſe ipſe defenderet, ſe audiente, locuples auctor ſcripſit Thucydides.* Addit Cicero de ſuo, *habuiſſe Antiphonta locos quoſdam communes Rhetoricos conſcriptos, quibus uteretur.* Alii fingunt hunc orationes complures ſcripſiſſe. Vide Plut. *l. de* 10 *Orat.* Clemens Alexandr. *l.* 1. *Strom.* ex Diodoro primum eum Scholaſticas declamationes, & Rhetoricas figuras atque proprietates inveniſſe, & judicialem orationem ſcripſiſſe ac δυνάμεις χαρακτῆρος extuliſſe tradit. Quod ſi verum eſſet, Thucydides in Antiphontis laude minimè reticuiſſet. Contradicit Cicero *in Bruto* huic ſententiæ, ubi inter antiquos Rhetores, quos enumerat, eum præterit, poſt tamen de eo illa tradit, quæ ſuprà adduximus, quibus addit Lyſiam, Theodorum, Iſocratem ea inveniſſe, quæ Antiphonti aliàs tribuuntur à Plutarcho & Clemente. Occiſus tandem Antiphon hic eſt à populo Athenienſi, Olymp. 92. an. 2. De cujus morte Theramenes Cothurnus ille, qui Olymp. 94. an 1. interfectus fuit, apud Xenophontem, *l.* 2. Ἑλλην. Ἀλλὰ μὴν καὶ Ἀντιφῶντος ὑφ' ἡμῶν ἀποθανόντος, ὃς ἐν τῷ πολέμῳ δύο τριήρεις εὖ πλεούσας παρείχετο. Errant igitur, qui Antiphonta hunc, ante Triginta viros Olymp. 3. an. 49. conſtitutos occiſum, ſub iiſdem adhuc vixiſſe contendunt. Vide Plut. *de Vitis* 10. *Rhet.* Errat Cæcilius apud eundem, qui hunc Antiphonta Thucydidis diſcipulum eſſe ſcripſit. Veriſimilius eſt, quod habet Suidas *in* Ἀντιφῶν, præceptorem ejus ignorari, diſcipulum fuiſſe Thucydidem: quod Marcellini quoque teſtimonió in Thucydidis vita comprobatur. Error quoque in Plut. *l. de* 10. *Rhet.* hic notandus poſtremò eſt, ubi de Antiphonte agit: Ἔγραψε δὲ καὶ τὸν Ἱπποκράτους τοῦ ἰατροῦ στρατηγοῦ λόγον. *Scripſit quoque Orationem contra Hippocratem Medicum* (hanc vocem Xylander in verſione ſua rectè omittit, & in Annotationibus eandem benè, tanquam gloſſema, expungendam eſſe judicat) *Ducem.* Vox ἰατροῦ ab imperito librario ſive lectore, qui Hippocrati Medico famam quandam inde & gloriam conciliare voluit, margini, credo, prius adſcripta, poſt in textum recepta eſt. Verum ἰατρὸς hic & ex Photii Ecloga rejiciendum eſſe multa probant. Hippocrates ille στρατηγὸς, apud Plutarchum, Athenienſis fuit, & Athenienſium militum Dux, Ariphronis filius, qui Megaram proditione fruſtra tentavit, poſtea longos ejus muros cepit, Niſæam occupavit, Delium in Bœotia munivit, cum Bœotis acie conflixit, & cecidit Olymp. 89. an. 1. teſte Thucydide, *l.* 4. Confer Diodor. Sic. *l.* 12. *c.* 66. & Pauſan. *in Laconicis.* Quæ omnia in Hippocratem medicum non convenire, nemo inficias ibit. Sed ad Antiphontem noſtrum Rhamnuſium redeamus, qui, ob ſuam prudentiam & facundiam, *Neſtor* dictus eſt, teſte Plutarchò, *l. de* 10. *Orat.* Quid quod omnes viri ſapientes dicti ſunt Rhamnuſii, propter Antiphontis Rhamnuſii ſummam ſapientiam, teſte Suidâ, *in* Ῥαμνούσιος. Hujus vitam ſcripſit Cæcilius, eumque ſecutus *Plut.* ſed ſapienti Rhamnuſio pluſcima tribuunt aliis tribuenda. Imò jam ante Cæcilii ætatem multa Antiphonti falsò fuerunt ſuppoſita. Hic enim apud *Plut.* è 60. Antiphontis Orationibus 25. ſpurias eſſe dicit. Plurimas ſanè etiamnum Antiphonti orationes ab antiquis tribui obſervavimus, de quibus jure dubites, Antiphontis ſint, necne? Antiphontis λοιδορίας & convitia in Alcibiadem ſcripta citat Plut. *in Alcibiad:* & Athen. *l.* 12. *c.* 5. ubi de mollitie Abydenorum oratione ſolutâ egit. Ejuſdem omnino Antiphontis nomine Orationes quædam ſuperſunt, quæ tamen Scholaſticæ ſunt, atque fictæ declamationes, & Antiphontis nil præter nomen habent. Antiphontis, *de cæde Herodis* citat Harpocration, *in* Φ[illegible]. Ejus περὶ ὁμονοίας memorat Etymologus *in* Σκανδίκιον. Ejuſdem πολιτικὸς Athenæus *l.* 10. *c.* 6. Etymologus, *in* Εὐσύμβολος. Priſcianus *l.* 18. *Gram.* quorum hic loco quidem ὀλιγαρχικὸς citat. Ejus περὶ κρίσεως ὀνείρων adducit Varinus, *in* [illegible] & περὶ τῆς [illegible], idemque in [illegible]. Ejus τέχνην laudat Ammonius *de diff. vocum*, *in* Σ[illegible], & fortè etiam Galenus *præfat. Gloſſarum.* Qui ipſe *comm.* 1. *in Hippoc. de offic. med. Sect.* 3. Laudat Antiphontis primum περὶ Ἀληθείας. Secundum ejus περὶ Ἀληθείας citat Etymologicus in [illegible]. Antiphontis etiam περὶ Ἀληθείας citat Heſych. *in* Ἀ[illegible]. Ejus [illegible] adducit Ammonius *de diff. vocab. in* [illegible]. Eidem Antiphonti tribuuntur quædam ſententiæ. Antiphon Rhetor dixit [illegible], apud Clem. Alexandr. *l.* 6. *Strom.* Aliud Antiphontis dictum citat Plut. *in Antonio*, Τὸ πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος. Eidem tribuendæ ſententiæ Antiphontis apud Stobæum quamplurimæ. Fortè & hunc Roſciana imitatio apud Cicer. *l.* 2. *de Orat.* ſignat. Hunc *Antiphonta* quidam Sophili faciunt filium, λογομάγειρον quoque dictum: de quo magnificè admodum Thucyd. *l.* 10. Tandem αὐτοδίδακτον eum fuiſſe docent, &c.

Tertius, Antiphon quidam τερατοσκόπος fuit, de quo *Suidas.* Ἀντιφῶν Ἀθηναῖος τερατοσκόπος καὶ ἐποποιὸς, καὶ σοφιστής. Ἐκαλεῖτο δὲ λογομάγειρος. Atque hunc ceu diſtinctum ab Antiphonte Rhamnuſio recenſet *Suidas*, de quo poſtea agit. Laërtius *in Socrate*: Τούτῳ δὲ [illegible] Ἀριστοτέλης ἐν τρίτῳ περὶ ποιητικῆς ἐφιλονείκει Ἀντίλοχος Λήμνιος καὶ Ἀντιφῶν ὁ τερατοσκόπος. Hic omnino eſt, cujus Clem. Alexandr. *l.* 7. *Strom.* meminit: Χαρίεν δὲ τὸ Ἀντιφῶντος· οἰωνισαμένου τινὸς, [illegible], θεασάμενος αὐτὴν ὑπὸ λιμοῦ διὰ μικροψυχίαν τοῦ τρέφοντος κατισχνωμένην. Χαῖρε, εἶπεν, ἐπὶ τῷ σημείῳ, [illegible] ἔφαγε τέκνα. Eadem ferè habet Theodoretus *Serm.* 6.

Quartò, Antiphonta quendam divitem cum Socrate diſputantem introduxit Xenoph. *l.* 1. Ἀπομνημ. Quis verò Antiphon ille fuerit, non indicat. Plut. *in vita Antiphontis*, & Photius *Tmem.* 259. Cæcilium, ut apparet, ſecuti, Antiphontem Rhamnuſium in Xenophonte intelligendum putant.

Quintò, Antiphontem quendam pauperem Andocydæ filium memorat Ariſtophanes, *in Veſpis*: [illegible], & πολλάκις δ' &c. Ubi *Scholiaſt.* addit, Ἀντιφῶν ὁ Ἀνδοκίδου, [illegible] πένης δὲ ἦν ὁ Ἀντιφῶν.

Sextò, Antiphon quidam Rhamnuſius, Rhetor ineptus fuit. Teſtis eſt Socrates apud Platonem *in Menexeno*: Ἀλλὰ καὶ ὅστις ἐμοῦ κάκιον ἐπαιδεύθη, μουσικὴν μὲν ὑπὸ Λάμπρου παιδευθεὶς, ῥητορικὴν δὲ ὑπ' Ἀντιφῶντος τοῦ Ῥαμνουσίου. Οἱ περὶ Θεόδωρον καὶ Θρασύμαχον καὶ Ἀντιφῶντα [illegible], ait Dionyſius, *ep. ad Ammæum de Demoſthene.* Ἀντιφῶν ὁ Ῥαμνούσιος τὸ αὐστηρὸν ἔχει μόνον καὶ ἀρχαῖον, ἀγωνιστὴς δὲ λόγων οὔτε συμβουλευτικῶν οὔτε δικανικῶν ἐστι. Idem *in Iſæo*, ubi eum cum Thraſymacho Chalcedonio, Polycrate Athenienſi, Critiâ Trigintavirûm & Zoilo, qui contra Homerum ſcripſit, Rhetoribus enumerat. Fortè idem, quem cum Iſocrate & Iſæo pueros Rhetoricam in ſcholis docuiſſe ſcribit Plut. *l. de Glor. Athen.* niſi propterea de alio Antiphonte hæc accipienda videntur, quòd poſt Iſocratem nominatur. Carpit Deipnoſophiſta, apud Athen. *l.* 11. *c.* 15. quod malè de Antiphonte & Lampro loquatus Socrates apud Platonem. Hermogenes *l.* 2. περὶ ἰδεῶν, ubi duos Antiphontes, Rhetoras, eorumque unum Rhamnuſium ἀρχηγὸν τοῦ τύπου πολιτικοῦ facit, alterum omnino noſtrum duriore dicendi genere uſum fuiſſe tradit.

Septimò, Antiphon quidam, Antiphontis primi nepos, Pyrilampis fil. Platonis, Adimanti, & Glauconis ὁμομήτριος frater erat, teſte Platone *in Parmenide.* Νεώτερον appellat Plut. *l.* περὶ Φιλαδελφ. Fortè Pyrilampes hic eſt idem cum illo ὀρνιθοτρόφῳ, qui avibus & præcipuè pavonibus delectabatur. Taxat eum propterea Ariſtoph. *in Veſpis.* Sanè Plut. *in Pericle*, Pyrilampen, qui Periclis familiaris erat, à Comicis propterea traductum ſcribit, quaſi mulieribus, quibus Pericles miſcebatur, pavones ſubjiceret. Antiphon Rhetor orationem *de pavonibus* habuit, teſte Athenæò *l.* 9. *c.* 12. in qua Δῆμον τὸν Πυριλάμπους (Sic legendum, non περιλάμπους) varias aves nutrire ſcribit, quæ à multis ſpectentur. Memorat eandem orationem Euſtath. *in Il.* β *fol.* 259.

Octavò, Antiphonta Critobuli filium memorat Hippocrates, *in Epidemiorum libris*, apud Galenum *l.* 2. *de diebus criticis c.* 5.

Nonò, Antiphon quidam circuli quadraturam tradidit, teſte Ariſtotele *l.* 2. *de Sophiſt. Elench* 1. 10. & *l.* 1. *Phyſ. c.* 2. ubi Simplicius eum Sophiſtam appellat.

Decimò, Antiphon quidam Poëta fuit, quem Dionyſius ſenior Siciliæ Tyrannus è medio ſuſtulit, quòd tragœdias ipſius vituperaverit. Vide Plut. *l. de* 10. *Rhet.* Dionyſii verò ſenioris Tragœdias laudat Plut. *in Timoleonte.* Idem *l. de diſc. adul. & am.* docet, Tyrannum ſermone pauló acerbiore ab eo irritatum: Roganti enim Dionyſio, quodnam æris genus optimum eſſet, reſpondit, illud è quo Harmodii & Ariſtogitonis ſtatuæ conflatæ ſunt. Hi autem Tyrannicidæ fuêre. Verba ſic habent: Καινὸς δὲ καὶ Ἀντιφῶν παρὰ Διονυσίῳ ζητήσεως οὔσης καὶ λόγου, ποῖος χαλκὸς ἄριστος, ἐκεῖνος, εἶπεν, ἐξ οὗ κατεσκεύασαν Ἀθηναῖοι τὰς Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος εἰκόνας. Οὔτε γὰρ ὠφελεῖ [illegible] βωμολοχίας καὶ παιδιᾶς. Ἀλλ' [illegible]. Καὶ γὰρ Ἀντιφῶν ἀπέθανεν ὑπὸ Διονυσίου. Confer eundem, *de Contradict. Stoic.* Antiphontis hujus procul dubio moribundi dictum adfert Ariſtoteles *l.* 2. *Rhet. c.* 6. Ἀντιφῶν ὁ ποιητὴς μέλλων ἀποτυμπανίζεσθαι ὑπὸ Διονυσίου, ἰδὼν τοὺς συναποθνήσκειν μέλλοντας ἐγκαλυπτομένους, ὡς ᾖεσαν διὰ τῶν πυλῶν, Τί ἐγκαλύπτεσθε, ἔφη, ἦ μὴ αὔριόν τις ὑμᾶς ἴδῃ τουτωνί; Fortè hic eſt ὁ τραγῳδοποιὸς Athenæo ſic dictus *l.* 15. *c.* 4. cujus Μελέαγρον Ariſtotel. *Rhet. l.* 2. *c.* 2. & Ἀνδρομάχην Auctor Ethicorum Eudemiorum *l.* 7. *c.* 4. citant. Hunc Antiphontem cum Rhamnuſio confundit Plut. ubi ſupra.

Undecimò, Antiphon quidam Athenienſis fuit ſomniorum interpres, qui, de ſua arte, librum ſcripſit. *Suidas*, Ἀντιφῶν Ἀθηναῖος [illegible]. Meminit ejuſdem Cicer. *l.* 1. & 2. *de Divinat.* De eodem Senec. *Controv.* 9. *Orbo ſunium ethdi quidem* 4. *libros editorum, quos bene Gallio noſter Antiphontis libros vocabat, tantum in illis ſomniorum eſt.* Tertullian. *l. de Anima, c.* 46. ubi de ſomniis agit: *Quorum autem commentatores, & adfirmatores in hanc rem, Artemon, Antiphon, Strato Philochorus, Epicharmus*, &c. Meminit ejuſdem Fulgent. *l.* 1. *Mythol. c.* 13. ubi malè *Antiphon Philocorus* dicitur, cum *Antiphon, Philochorus* legi debeat.

Duodecimò, Antiphon quidam à Demoſthene coram Areopago proditionis accuſatur, quaſi Philippo Macedoni navalia Athenienſium ſe concrematurum clam pollicitus eſſet, & capitis damnatur. Plut. *in Demoſth.*

Denique Antiphonta quendam Georgicorum ſcriptorem laudat Athen. *l.* 14. *c.* 17. Hactenus *Nic. Lloydius.*

ANTIPHONA, Cantus Eccleſiaſticus alternus, cùm ſcil. à duobus Choris alternatim Pſalmi aut Hymni concinuntur. Iſidor. *Origin. l.* 6. *c.* 19 & *de Eccleſ. Offic. l.* 1. *c.* 7. Τὰ Ἀντίφωνα, Germano Patriarch. Conſtantinopolit. *in Sacra Theor.* Concilium Epheſ. [illegible] Ἀρχιμανδρίταις [illegible] ψάλλοντες ἀντίφωνα. Concilium Toletan. I. *can.* 9. *Nulla Profeſſa vel vidua, abſente Epiſcopò & Presbyterò, in domo ſua*, Antiphonas *cum Confeſſore vel ſervo ſuo faciat*, &c. Harum apud Græcos auctor creditur S. Ignatius, à quo formam illam alternâ vice in Eccleſia cantandi, in Eccleſiam primò Antiochenam profluxiſſe, tradunt Socrates *l.* 6. *c.* 8. Nicephorus Caliſtus *l.* 13. *c.* 8 Walafr. Strabo *c.* 28. &c. alii, inter quos Theodoretus, & ex eo Sigebertus, Flaviano & Diodoro id tribuentibus. Inde ad Latinos ritus hic tranſiit, apud quos primus Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſ. *Antiphonas*, Græcorum imitatus exemplum, conſtituit, ſicque in cunctas Occidentis regiones earum uſum diffudit, *ne populus mœroris tædio contabeſceret*, Auguſtin. *Confeſſion. l.* 9. Juſtinâ, Valentiniani Imperatoris matre, quæ Arianæ ſectæ erat addicta, in fideles acriter tum ſæviente. Vide Sidonium Apollinar. *l.* 5. *Ep.* 17. Sigebertum *ad A. C.* 338. Rabanum *de Inſtitut. Clericor. l.* 2. *c.* 50. Durandum *Ration. l.* 5. *c.* 2. *num.* 30. *& ſeqq.* & Durantum *de Ritibus Eccleſ. l.* 3. *c* 17. laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà ubi de Muſica Eccleſ. Hodie in Eccleſia Romana *Antiphona*, in Eccleſiaſticis officiis dicuntur meræ ex variis Pſalmis diverſorum verſuum eclogæ, ſolennitatis myſterio exprimendo maximè convenientes, quæ Pſalmis ipſis concinendis præmittuntos: ſeu ſententiæ, quæ Pſalmum antecedunt; quia, ut ait Amalarius *de Eccleſ. Officiis l.* 4. ad ejus ſymphoniam Pſalmus cantatur per duos choros, qui ipsâ *Antiphona* conjunguntur: qua de re vide plura hîc infrà, ut & aliquid voce *Offerenda*. Hinc *Antiphonatim* cantare, in *Vita* Caroli Comit. Fl. i. e. *alternis choris*. Sic Florentio Wigornenſi Celeſtinus Papa conſtituiſſe dicitur, *ut Pſalmi David.* 150. *ante ſacrificium* antiphonatim *decantarentur*. Quod in Eccleſia Lugdun. Nicetium Archiepiſcopum inſtituiſſe, indicat *Epitaphium* ejus.

Pſallere præcepit, normamque tenere canendi
Primus & alternatim tendere voce chorum.

Alia *antiphonatim* canendi ratio apud Græcos viget, quam *παρακονταῖον* appellat Leo Imperator in *Tacticis c.* 7. §. 12. ubi hæc habet: [illegible] *Exergebis eos, ut viri bini ſibi mutuò occurrant cedantque, & inclam declinent atque evolvant, ad modum paracontacii.* In quem locum Philippus Pigafetta, *Vox militaris*, inquit, *qua num.* 12. *Imperator utitur, à cantu deſumta eſt, quem Caloceri in divinis Officiis ſuis adhibent, cui Paracontacii nomen eſt. ſic autem hymni vocantur, qui in Sanctorum honorem alternis decantantur hôc modo: Sit Chorus quatuor Calocerorum, qui laudes Sancti alicujus decantent, horum bini primum cantant, dein tacent: ſuccedunt alteri bini, qui cantandi vices ſumunt, ſimiliterque ceſſant, prioribus cantum reſumentibus, tacentibuſque verſus, donec alternâ hâc ſibi invicem canendi cedendique viciſſitudine hymnus abſolvatur.* Quomodo etiam Goarus alternum & ἀντίφωνον iſtum cantum deſcribit, *ad Euchology. Græc. p.* 123. Vide eundem Car. du Freſne & Spelmannum in *Gloſſar.* nec non infrà *Canticum*: ut de *Antiphonis*, in Gentilium quoque ſacris, occurrentibus aliquid infrà voce *Myſterium.*

Antiphonæ varii generis in Eccleſia Romana.

ANTIPHONA ad Introitum, quæ etiam *Introitus* dicitur, in introitu Miſſæ cantari conſuevit Walafr. Strabo *de rebus Eccl. c.* 22. Vide infrà in voce *Introitus.*

ANTIPHONA Alleluiatica, quæ per *Alleluja* clauditur, apud Joh. Abrincenſem *de Off. Eccl.*

ANTIPHONA ante Evangelium in Andegavenſi Eccleſia dicebatur, quæ in aliquibus ſolemnitatibus canebatur, ante Miſſæ Evangelium, ad *Benedictus* illius diei aſſignata, Macer *Hierolex.*

ANTIPHONA Invitatoria, quæ replicatur ad Pſalmum *Venite exultemus*, Idem. Amalarius *de Ord. c.* 69. *Antiphona Invitatoria currunt per Dominicas noctes.* Vide infrà in voce *Invitatorium.*

ANTIPHONÆ Majores, dicuntur 7. illæ, quæ tempore Adventus, ad *Magnificat*, per ſeptem dies ante Nativitatem Domini cani ſolent. In Eccleſia Pariſienſi novem ſunt, quas ter replicari (exceptâ ſextâ, quæ in honorem S. Thomæ Apoſtoli dicatur) nempe in principio & fine cantici *Magnificat*, & tertio poſt *Gloria Patri*, refert Theoph. Raynaldus in *ſuo Paraſceveaſtico Præl.* 4. In Hiſpania ſeptem hæ *Antiphonæ*, ex privilegio Gregorii XIII. incipiunt à die 16. Decembr. Ad 17. enim vacant, ob ſolennem expectationem Virginalis partus; &c. Extraordinaria ceremonia, erat quam Pariſius de Graſſis refert in ſuis *Diariis*, quòd nempe, cùm in Sabbato præcedenti Dominicæ 3. Adventus Papa, in Baſilica Vaticana, canebat ſolemnes Veſperas, dici conſueverunt *antiphonæ* ad laudes, & ſuggerente Primicerio intonationem Pontifici illius primæ antiphonæ, *juſſit*, &c. Papa à Camerario acceptam auream monetam, in ore Primicerii poſuerit: Macer in *Hierolexico.*

ANTIPHONÆ Proceſſionales, quæ in proceſſionibus cantantur, apud præfatum Joh. Abrincenſem *de Officiis Eccleſ. p.* 38

ANTIPHONÆ Rogationales, quæ in Rogationibus dicuntur, apud Eundem *p.* 15. &c. Quomodo autem *Antiphona* differt à Reſponſorio, vide infrà.

ANTIPHONARIUM, volumen, in quo *Antiphonæ* totius anni continentur; à Gregorio Magno in Eccleſia Romana ordinatum, ut Bernus refert *c.* 1. & ab Eliſgaro Presbytero in Gallicanam Eccleſiam introductum, docente *Amalario*. Agobardus *l. de divina Pſalmodia*, *Neceſſe fuit omnium ſacrorum officiorum ſeriem, qua ſolita Cantorum miniſterio, per totum anni circulum, in Eccleſiaſticis conventibus, exhibetur —— diligentiùs & pleniùs in libello, quem uſitato vocabulo*, Antiphonarium, *mancipant, colligere atque digerere.* De hujus *ordine* librum ſcripſit Amalarius Fortunatus; qui *Reſponſorium* quoque, à Reſponſoriis quæ ibidem continentur, dicitur. *Antiphonarium diurnum & nocturnum*, quorum ſcil. uſus in diurnis nocturniſque officiis, occurrunt in *Chron.* Caſinenſi *l.* 3. *c.* 62. apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Apud Spelmannum, Romanum *Antiphonarium* compoſuiſſe fertur S. Gregorius, illudque notâ Romanâ notâſſe; quod poſtea Hadrianus Papa, Carolo M. dedit cum Theodoro & Benedicto Eccleſiæ Romanæ doctiſſimis cantatoribus, ut juxta idem cantum Gallicum emendarent. Quod & factum, & nota Romana deinde *Francica* appellata eſt. Vide eum *Gloſſ. Archeol.* ubi inter alia, in Cœnobio obſcuro de *Crobhuſe*, agri Norfolcienſis, duo *Antiphonaria*, circa A. C. 1424. viginti ſex marcis i. e. 58. libris Anglicis conſtitiſſe, refert.

ANTIPHONUS, Priami fil. qui comitabatur patrem, cùm Hectoris corpus ab Achille redimeret. Homer. *Il. ult.*

ANTIPHRA, oppid. prope Alexandriam, non procul à mari. *Steph.*

ANTIPHRYGIUM, Innocentio III. Pontificis Romani mitra appellatur, vide infrà *Mitra.*

ANTIPHUS, Priami fil. ex Hecuba, quem Agamemnon unà cum Iſo fratre, ſed illegitimò thorò nato, in bello Trojano interfecit. Item Theſſali fil. & nepos Herculis, qui cum fratre Philippo Dux 30. navium cum aliis Græcis ad Trojam commigravit. Homer. *Il.* 2. Item Antiphus & Halitherſes, Ulyſſis amici. Homer. *Od.* 17.

ANTIPHUS, Ctimeni frater qui ambo, Ganyctoris Naupactii filii, Heſiodum Poëtam, ſuper imminuta ſororis ſuæ pudicitia immeritò ſuſpectum, apud Locrenſe *Nemeum*, ex inſidiis trucidârunt, ejuſque cadaver in mare dejecerunt. Sed brevi poſt ab Heſiodi cane proditi, atque in mare vivi præcipitati, à Locris, gloriâ viri permotis, dirutâ quoque domô meritas dedêre pœnas, uti Solon refert *in VII. Sapientum convivio*, apud Plut. *p.* 162. *c.*

ANTIPODES, Subtilis, & diverſa apud veteres fuit inquiſitio; Suntne homines, qui ſub terra, ſua veſtigia noſtris oppoſita habeant, nec ne? Quod ita eſſe ratione ſatis evidenti Macrob. *l.* 2. *de Somn. Scip.* & Plin. *l.* 2. *c* 65. oſtendere conantur. De his Cicer. *l.* 4. *Acad. Qu. c.* 39. *Nonne etiam dicitis eſſe è regione nobis, è contraria parte terræ, qui adverſis veſtigiis ſtent contra noſtra veſtigia, quos Antipodas vocatis?* Fuêre verò nonnulli, qui credebant fabuloſa eſſe omnia; quæ de Antipodibus referuntur, quorum rationes videre licet apud Plut. *l. de facie in orbe Lunæ.* Præcipuè verò Chriſtiani; vide Lactant. *l.* 3. *c* 24. Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 16. *c.* 9. Bonifacius inprimis Epiſcopus Moguntinus, qui ſic ratiocinatus eſt: *Si eſſent Antipodes, alii homines, adeoque alius Chriſtus introduceretur*, Nancel. *c. l.* & Aventinus *Annal. Bojor. l.* 3. Cui cum Virgilius, ſanctimoniâ & eruditione celebris in Bavaria Epiſcopus, adverſaretur, Bonifacius apud Zachariam Pontificem tantum effecit, ut ille ad Utilonem Bavariæ R. literis miſſis Virgilium Epiſcopali ſede ejiceret. Zachariæ ad Bonifacium Reſcriptum habes, in Marci Antonio de Dominis *l.* 7. *de Rep. Chriſt. c.* 5. *num.* 48. Ac Libertus Fromondus quidem in *Anti-Ariſtarcho* hiſtoriam hanc longe aliter, quàm hactenus relata fuit, explicare conatus eſt: Habet tamen eandem Claud. Fauchetus, Hiſtoricus Gallus, *Tom.* 1. *fin.* Vide Auctorem Anonymum *Hiſt. Orbis Terr. c.* 1. Aſſentitur illis Lucretius *l.* 1. *v.* 1063. quem vide. Feſtivè ac lepidè Seneca *Ep.* 122. luxurioſos homines, qui noctu potant, interdiu dormiunt, *Antipodas* vocavit: quem locum operæ pretium erit videre. Vide *Antœci.*

ANTIPOENUS, Thebanus nobiliſſimus, cujus filiæ pro patriæ ſalute ſeipſas interfecerunt. Pauſan. *l.* 9. Vide *Anticlea.*

ANTIPOLIS, Transtiberina Romæ regio dicta eſt, cujus incolæ *Antipolitani.* Plin. *l.* 3. *c.* 5. Antipolis, *quod nunc Janiculum; quaſi ante vel contra civitatem Saturniam ſeu Latialem, quæ nunc Roma.* Hinc de thynno transtiberino Martial. *l.* 13. *Epigr.* 103.

Antipolitani fateor ſum filia thynni.

Apud Dominicum Macrum *Hierolexico* in voce *Eſox.*

ANTIPOLIS, Galliæ Narbonenſis urbs, in Provincia, cum portu; condita à Maſſilienſibus, in agro Deceatium, quem armis occupaverant, & quod Vinto capiti Neruſiorum ac Deceatibus cæteriſque Liguribus Capillatis eſſet oppoſita, hôc nomine appellata eſt. Auctor enim eſt *Strabo*, à Phocenſibus Agatham barbaris Rhodani accolis, i. e. Volcis: Tauroentum, Olbiam, *Antipolim* & Nicæam Salyis ac Liguribus Montanis, velut propugnacula, oppoſita eſſe ac objecta. *Oppidum Latinum* Plin. *l.* 3. *c.* 4. eam vocat, Græcam quidem origine urbem, ſed à Senatu Populoque Romano Latii jure donatam: quæ tamen *Colonia Antipolis*, in nummo Titi apud Goltzium, ſed falſo fortitan ac ſuppoſititiô nomine vocatur. Tacito *Hiſt. l.* 2. *c.* 15 *Antipolis Narbonenſis Galliæ municipium* dicitur. Atqui

quæ ſi oppidum Latinorum fuit, ætate Plinii, principatu Veſpaſiani ac Titi, Coloniâ utique eodem Tito Principe eſſe appellarique non potuit: aut ſi Colonia Titi Aug. juſſu evaſerat, paulo poſt, ætate Titi, imperante Domitiano Titi fratre, aut Trajano, de Colonia Municipium vocari nec potuit nec debuit. Ab Amm. Marcellino ponitur in provinc. Viennenſi, cum Aquis Sextiis & Nicæa, Stœchadibusque inſul. quæ loca poſtea provinc. Narbonenſi ſecundæ ex Viennenſi detracta ſunt attributa. In Notit. itaque Provinc. & civitatum Galliæ, inter provinc. Narbonenſis ſecundæ civitates ſeptem, ultima numeratur; cujus Epiſcopi, Agroecius Synodo Agathenſi; Eusebius Concilio Aurelianenſi 4. Eucherius per Septembrem miſſum, quarto: Optatus Concilio Pariſino quarto: Optatus Matiſconenſi ſecundo: Deocatus Concilio Cabillonenſi, juſſu Chlodovei jun. habito, interfuêre. Dein provinciæ quoque Narbonenſi detracta, & provinc. Alpium Maritimarum attributa eſt, &c. Laudabatur olim muriâ Antipoli, ut Plin. l. 31. c. 8. & Martial. l. 4. Epigr. 89. ac l. 13. Epigr. 103. docent: Erat illa rubra, ſiebatque ex primo ſanguine thynni adhuc exſpirantis, ſicut garum Sociorum de ſcombrorum ſanguine. Thynnum quoque Antipolitanum commendat Martialis, ut vid. bimus inſtâ & hodieque illorum capturâ urbs nobilis eſt. Theatrum etiam in illa fuiſſe, indicat vetus Inſcriptio à Petro Victorio relata. Sedes olim Epiſcopalis, ut vidimus, quæ Graſſam tranſlata, ab Innocentio IV. ob aëris inſalubritatem & frequentes piratarum incurſiones. Durante ſchiſmate, inter Robertum Genev. Cardinalem, qui Clemens VII. nomine ſumptô, Urbano VI. obnitebatur; prior urbem hanc nobilibus quibuſdam Genuenſibus oppigneravit, tradiditque, eo quod Epiſcopus Graſſenſis partibus ſuis non faveret. Qui contractus, licèt a Concilii Baſileenſ. partibus irritus pronuntiatus, ab Eugenio tamen confirmatus eſt, Vicario Apoſtolico in hac urbe, privatis juriſdictione Eccleſiaſt. Epiſcopis, conſtituto. Quæ lis hodieque durat. Antibe hodie. Martial. l. 13. Epigr. 103.

Antipolitani fateor ſum filia thynni

Vide ſis eundem l. 4. Epigr. 89. longitud. 29. 49. latitud. 42. 30. Urbs hodie permunita eſt; cum portu in Provincia. A Nicæa 5. leucis in Occaſum 2. à Vincio, in meridiem, & 7. à Foro Julii in Cæciam. In nummis ΑΝΤΙΠΟΛΙΤΩΝ occurrit apud Joh. Marshamum Canone Chron. Sec. XVII. ubi de Græcorum in Italia Colonis.

ANTIPROPEMPTICON, Carminis genus, de quo vide infrà Propempticon.

ANTIPYRGUS, urbs Marmaricæ. Ptol. Tetrapyrgia Straboni, Luca hodie, Caſtaldo interprete.

ANTIQUA, vulgo ANTIGOA, Inſul. Americæ Septentrionalis ſub Anglis, in mari del Nort. Una eſt Antillis Inſul. inter Barbaram & Guadalupam; longa 7. leuc.

ANTIQUARIA Ars, apud D. Hieronym. Ep. ad Florentium, καλλιγραφία dicitur, in Vita Nili Jun. p. 29. & 137. Antiquarii nempe, in veterib. Gloſſis, ἀρχαιογράφοι καλλιγράφοι. Iſidor. Origin. l. 6. c. 14. Librarii iidem, qui & Antiquarii, vocantur, ſed Librarii ſunt, qui nova & vetera ſcribunt: Antiquarii qui tantummodo vetera. Itaque Antiquarii ſunt, qui vetuſtate libros obſoletos componunt, reparant, deſcribunt, ut eſt in l. 2. C. Theodoſ. de Studiis lib. urb. Rom. & l. 10. Cod. de Proximis ſacr. ſcriniorum. Hinc Antiquariorum domus, in Monaſteriis, quod & Scriptorium dicitur in Vitis Abbatum S. Albani, apud Car. du Freſne Gloſſar. Valentinianum Imperatorem ſeptem Antiquarios ac peritiſſimos tranſcriptores, quatuor videl. Græcos & tres Latinos in ſua Bibliotheca conſtituiſſe, ex eadem l. 2. docet Dominic. Macer in Archivia.

ANTIRITES, vulgo Lattie, fluv. Sarmatiæ, vide Anticites.

ANTIRRHINUM, vel ANTIRRHIZUM, herba olim multùm ad Magicos uſus adhibita. Ad famam enim & dignitatem comparandam aliquid facere, prodidêre nonnulli, apud Theophraſtum Hiſtor. Plantar. l. 9. c. 21. [illegible] Dioſcorides gratioſos evadere dicit, ſi qui eô unguntur. [illegible] Idem verò Theophraſtus eô unctos claritatem nominis conſequi, ſcribit, ibid. Quam ejus virtutem non in loco tripolio perperam aſcribit Plinius. Dicitur autem [illegible] vel [illegible], quod vituli nares aſſimilet, &c. Vide Salmaſ. ad Solin. p. 1067.

ANTIRRHIUM, promontor. Achaiæ, ſeu Æoliæ, contra Rhium promontor. Plin. l. 2. c. 90. Hodie S. Andrea.

ANTIRRHODUS, Ægypti inſula circa Pharum. Strabo.

in ANTIS, dicebatur Templum, quod Antas haberet in pronao, Græcè Ναὸς ἐν παραστάσι, Vitruvius l. 3. c. 1. In Antis erit ædes, quum habebit in fronte Antas parietum, qui cellam circumcludunt, & inter Antas in medio columnas duas ſupraque faſtigium. At, quæ contra Antas duas columnas angulares habuit & ſupra Epiſtylia & dextrâ ac ſiniſtrâ in verſuris ſingulas, Πρόστυλος dicebatur. Idem Salmaſ. ibid. p. 1216. & 1217.

ANTISARA, Datinorum urbs, & portus. Dicitur & Tiſara. Steph.

ANTISCOTA, Inſul. Americæ ſeptentrionalis aliàs Aſcenſionis Inſul. in nova Francia, & Sinu S. Laurentii, ubi aliquot Coloniæ Francorum.

ANTISIGMA, Iſidoro Origin. l. 1. c. 20. una eſt è notis ſententiarum, quæ ponitur ad eos verſus, quorum ordo permutandus eſt, ſicut & in antiquis auctoribus poſitum invenitur. Antiſigma cum puncto, ponitur in iis locis, ubi in eodem ſenſu duplices verſus ſunt, & dubitatur, qui potiùs eligendus.

ANTISSA, vulgò ANTESSA, oppid. in Leſbo inſul. versùs Borealem partem Inſul. Steph. addit, inſulam quoque unam Cycladum ſic vocari, & aliam Indiæ. Eſt & inſul. Leſbo adjuncta. Plin. l. 2. c. 89. & 92. Ovid. Met. l. 15. v. 287.

Fluctibus ambitæ fuerant Antiſſa, Pharoſque
Et Phœniſſa Tyrus, quarum nunc inſula nulla eſt.

Vide Leſbos.

ANTISSIODORENSIS Robertus, vide Robertum. Item Guilielmus.

ANTISSIODORUM, aliis Altiſiodorum, Ammian. Autoſidorum vocat; Galliæ civitas in Senonenſi provincia quondam à Burgundis ſubdita, incendiô repentinô combuſta, à Mathilde Comite reſtaurata, qualis hodie conſpicitur. Vulgò Auxerre. Urbs ampla & culta, in fertili planitie. Sita eſt ad Icaunam fluv. cum Comitatu & Epiſcopatu qui a Senonum Archiepiſcop. dependet. Emit ſibi hanc ditionem Carolus V. à Johanne Cabillonenſi, A. C. 1372. ibique Juridiciale prætorium ſeu Balliviatum conſtituit. Alias quoque Autricum dicta. Amm. Marcellin. Proſper, Ericus Poëta & Uſuardus. Concilium ibi A. C. 578. ſub Pelagio II. & A. C. 1147. in quo Gilbertus Epiſcopus Pictavienſis fidei rationem reddidit. Otto. l. 1. de vita Friderici Imperator. c. 45. 46.

ANTISTHENES, Patre Athenienſi, matre verò Phrygiâ natus, Philoſophus, poſteaquam docuiſſet Rhetoricam, audiiſſetque Socratem, dixiſſe fertur diſcipulis, Abite & magiſtrum quærite, ego enim jam reperi, ſtatimque venditis, quæ habebat, & publicè diſtributis, nihil ſibi præter palliolum reſervavit. Princeps fuit Cynicæ ſectæ, & ad audiendum Socratem, quotidie ibat ex Piræeo, 40. ſtadiis emenſis, acutus magis quam eruditus. Præceptor Diogenis fuit. Patientiam & duritiem adamavit. Multos populares eſſe Deos aſſerebat, unum tamen naturalem rerum omnium artificem: Cui illud Plut. tribuit: Ad Rempublicam accedendum eſt, ut ad ignem; [illegible] i. e. neque nimis propè, ne uraris; neque nimis procul, ne frigeas. Idem Pontico cuidam adoleſcenti, eùm ei ſe in diſciplinam tradere vellet, rogaretque, quibuſnam rebus ſibi opus eſſet, reſpondit, [illegible], libro novo, & graphio & tabella nova; mentem ſubjiciens. Interrogatus item, quid omnium eſſet apud homines beatiſſimum? [illegible], felicem, dixit, mori. Et familiari apud ſe deploranti, quod commentaria perdidiſſet, oportebat, inquit, [illegible], animo illa non chartæ, inſcribere. Rurſum interrogatus, Quænam eſſet diſciplina maximè neceſſaria? mala, inquit, dediſcere: [illegible]. Denique eoſdem dixit eſſe [illegible], nobiles, & beneficos. Diog. Laërt. Scripſit 10. ingentia volumina, ut idem auctor refert. Fuit & Antiſthenes, Heracliti diſcipulus: Alius Epheſius; Tertius Rhodius Hiſtoricus, uti tradit Laërtius. Fuit & Antiſthenes Sybarita. Antiſthenes etiam Peripateticus Philoſophus citatur à Phlegonte Tralliano. Mirabil. c. 3. Vide Voſſ. de Hiſt. Græc. l. 3. p. 325.

ANTISTIA, Rubellii Plauti uxor. Tacit. l. 14. Annal. c. 22.

ANTISTIANA, Hiſpaniæ citerioris urbs inter Barcinonem & Tarraconem. Antonin.

ANTISTITA, nonnunquam occurrit, pro Archimandritiſſa ſive Abbatiſſâ: olim pro uxore Epiſcopi. Vide in voce Epiſcopiſſa.

ANTISTIUS, Romanus nobilis, qui uxorem, quam cum libertino fabulari viderat, repudiavit. Alex. ab Alex. l. 4.

ANTISTIUS, Orator, unus ex illis, quorum curæ Marcus Antoninus Imperator, filium ſuum Commodum commiſerat. Volateran. anthrop. l. 14.

ANTISTIUS Burrus, ſeu Burrhus, memoratur Julio Capitolino in Pertinace c. 4. Byrrhus Lampridio dicitur in Commodo c. 6. ubi de eo, Cleander —— tantum per ſtultitiam Commodi potuit, ut Byrrum ſororis Commodi virum, reprehendentem nuntiantemque Commodo, quæ fiebant, in ſuſpicionem Regni affectati traheret & occideret, multis aliis, qui Byrrum defendebant, pariter interemptis. Capitolin. verò, à Pertinace apud Commodum affectati imperii inſimulatum eſſe, dicit. Onuphrius, ſororem ejus Criſpinam, Commodi Imperatoris uxorem fuiſſe, prodit, ſed nullô idoneô auctore. Caſaubon. ad Lamprid. loc. cit.

ANTISTIUS Capella, Literator Latinus, quô Commodus uſus eſt, apud Eund.

ANTISTIUS Labeo JCtus inſtitutus eſt à Trebatio, de quo l. 2. §. poſt hoc. ff. de orig. jur. Vide quoque Sueton. in Auguſto c. 54. & A. Gellium l. 13. c. 10. & 12. Ejus libris, qui poſt mortem editi ſunt, Poſteriorum nomen inditum eſt: præter quos ſcripſit etiam Commentarios in LL. XII. Tabb. ut idem Gellius teſtatur. Citatur & à Plut. ob [illegible], &c. Ob præfractam in ſententiis in Senatu dicendis libertatem, quâ ne Auguſto quidem ipſi cedebat, inſaniæ notâ aſpergitur ab Horatio, Imperatori ſuo blandiente, Sat. 3. l. 1. Serm. v. 82.

—— —— Labeone inſanior, inter
Sanos dicatur.

Ad quem locum vetus interpres Marcus ait, Antiſtius Labeo, Juriſperitus memoratæ libertatis multa liberè contra Cæſarem dixiſſe & feciſſe dicitur, ab eo latas leges contumaciter reprehendens. Quare in gratiam Auguſti eum ſic carpit & Inſanum nominat. qua in re quam fuerit Atteio Capitoni ſuo impar, Tacitus docet, l. 3. Annal. c. 70. Briſſonius apud Calvinum Lexic. Jurid. Vide & Labeo.

ANTISTIUS Lucius, vide Lucius.

ANTISTIUS Petro, Gabiis oriundus, per quem fœdus illud celebre inter Romanos & Gabinos regnante Tarquiniô ſuperbô ictum. Dionyſ. l. 4. Vide Fulvium Urſinum ad l. 6. Cæſar. Comment.

ANTISTIUS Reginus, prænomine Cajus, Cæſaris in Gallia l. 6. & 7. legatus cum L. Caninio Rebilo. Sed non is eſt, qui in denario Auguſti C. Antiſtius Reginus IIIvir dicitur monetæ cudendæ. Nam ab uno ad alterum anni inter ſunt plus ferè quam quinquaginta,

ot veriſimilius ſit. Antiſtium III. virum filiam fuiſſe legati Cæſariani. *Antiſtia* vero gentis dux extiterunt familiæ & *Reginorum* & *Veterum*.

ANTISTIUS Soſianus, tempore Neronis Plebei tribunus, incuſatus ob licentiam à Senatu, quod immodeſtos fautores hiſtrionum & à Prætore in vincula ductos omitti juſſiſſet. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 28. Prætor factus probroſa carmina in Neronem factitavit vulgavitque celebri convivió apud Oſtorium Scapulam. Exin condemnatus accuſante Coſſutianó Capitone & publicatis bonis in Inſulam deportatus eſt. P. Marió, L. Aſinió Conſulib. Idem Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 48. Ubi ſceleratis fraudibus Anteium & Oſtorium Scapulam pervertit, ut ſibi reditum impetrarent. Vide Tacit. *l.* 15. *c.* 28. & *l.* 16. *c.* 14 Sub Veſpaſiano egreſſus exilium in eaſdem Inſulas redactus eſt. Tacit. *l.* 4. *Hiſt. c.* 44.

ANTISTIUS Turpio, miles factionis Pompejanæ in Hiſpaniâ, ita fidens viribus, ut adverſarios Cæſarianos ſolus ad pugnam provocârit. Hirtius. *c.* 25.

ANTISTIUS Vetus, prænomine *Cajus*, Triumvir monetæ cudendæ, de quo extat Laureæ Tullii Epigramma, apud Plin. *l.* 31. *c.* 2. & *l.* 33. *c.* 2. Vide & *Cajus*.

ANTISTIUS Vetus, è Primoribus Macedoniæ abſolutus adulterii, increpitis judicibus; ad dicendam majeſtatis cauſam, à Tiberio retractus, ut turbis & Rheſcuporidis conſiliis permixtus, quà tempeſtate Cotye fratris filió interfectô, bellum adverſus Romanos voluerat. Igitur aquâ & igni interdictum reo, adpoſitumque ut teneretur inſulâ, neque Macedoniæ neque Thraciæ opportunâ. Tacit *l.* 3. *Annal. c.* 38. Vide & *Lucius*.

ANTITACTICI, Hæretici, ex Gnoſticorum portentoſâ ſecta ſuppullulantes, peccatum adeò non malum eſſe agnoverum, ut etiam præmió dignum ſtatuerent. Clemens Alex. *Strom. l.* 3. Baron. *A.C.* 120.

ANTITAURUS, mons Armeniæ minoris à Tauro in Septentrionem avulſus, in cujus convallibus Comana urbs eſt. Illum *Roham Thaura* ab incolis vocari ſcribit *Thevetus*.

ANTITHEI, quinam Gentilibus dicti, Arnobius docet, *adv. Gent. l.* 4. *Magi haruſpicum fratres memorant ſuis in accitionibus* Antitheos *ſæpius obrepere pro accitis, eſſe autem hos quoſdam materiis excraſioribus Spiritus, qui Deos ſe fingant, neſciosque mendaciis & ſimulationibus ludant.*

ANTITHEUS, Athenienſium Archon, Olymp. 166. Pauſan. *l.* 7.

ANTITRINITARII, circa A.C. 1570. exorti, tres Perſonas Divinas una in perſonalitate ſubſiſtere, impiè docere cœperunt. Macer *Hierolex.* Sed & in veteri Eccleſia, ut de Manichæorum duobus principiis & portentoſis Æonum Syzygiis, de Valentinianorum & Gnoſticorum ingenio, deque Montani Paracleto, quem Spiritui Sancto opponebat, taceam; *quadruplici* agmine contra ſacratiſſimam veritatem & Chriſtianæ fidei veluti arcem, doctrinam hanc de *Trinitate*, qualem Scriptura nobis tradit, inceſſêre. *Prima* acies fuit Ebionitarum, Cerinthianorum, Carpocratianorum atque Nicolaïtarum, qui Chriſti divinitatem negârunt: quo in agmine etiam fuit Theodotus, coriarius, ac poſt illum Artemon, & 60. poſt annis Paulus Samoſatenus, ab Antiocheno Concilio ſede ſuâ motus; quem Photinus excepit, à Synodo Syrmienſi pariter damnatus. *Secunda* fuit Patripaſſianorum: cujus Duces fuêre Praxeas, Tertulliano refutatus; Hermogenes, Noëtus, Sabellius, qui expunctis Perſonis earumque diſcrimine, non aliam, quàm trinominem, *Trinitatem* intellexêre. *Tertiam* Arius duxerit, qui *Trinitatem* conceſſit, ſed valdè imparem & Filiô quidem minorem quandam Deitatem & alienam à Patre eſſentiam, Spiritui S. autem creaturæ nomen adſcripſit. Poſt quem in diverſum abiêre Hæretici: Quidam enim cum Ario Filium quidem Patri *ὁμοιούσιον*, verbô; re ipsâ autem per omnia *ἀνόμοιον*, ſeu *diſſimilem*, quippe creatum & ex non entibus factum, dixêre, qui inde *Exoucontiani*, & à ſectæ auctoribus *Acaciani*, *Aetiani*, *Anomæi*, *Eudoxiani*, *Eunomiani*, & *Urſaciani* appellati fuêre: atque cum his idem planè præteritô ſeculô ſenſit Eraſmus Johannes, qui cum Socino ſuper hoc argumento biduum palam diſputavit. Idemque ferè ſentire videtur Epiſcopius, ut de aliis nil dicam. Alii ſimilem quidem eum per omnia Patri, ſed non conſubſtantialem, aſſeruêre, ut Semi-Ariani. *Quartam* aciem inſtruebant Pneumatomachi, auctore Macedoniô Epiſcopô Conſtantinopolit. A. C. 360. qui parte Arianæ impietatis, de Filio, repudiatâ; partem alteram de Spiritu S. amplexus eſt. Quos omnes Hæreticorum errores imitatus & ſupergreſſus eſt deinceps Mahometes, famoſiſſimus impoſtor, A. C. 620. imperante Heracliô, qui pariter in Eſſentia Divina unam ſolum Perſonam, & in Chriſti perſona unam tantùm eſſentiam agnovit. Præteritô vero ſeculô, ſepultas jam hæreſes veteres ex orco revocavit Michaël Servetus Hiſpanus, quem ſecuti Valentin. Gentilis, Georg. Blandrata, Fr. Davidis, Fauſtus Socinus, aliique ex iſto grege, qui in neganda *Divinitate* Chriſti conſpirantes, in cultu atque adoratione ejus non leviter diſſentiunt. Spiritûs verò S. non Divinitatem ſolùm, ſed & Perſonam, abnegârunt; ac SS. Trinitatis dogma tartareô ore afflare pro ludo habent; quin & *Antichriſti commentum* blaſphemè vocant, atque à prodromis ejus Chriſtiano populo obtruſum, Tertulliano præſertim atque Athanaſio, quorum is ex Montani Spiritu & fanaticarum mulierum prophetia illud hauſerit; hic ex odio in Arium novum dogma procuderit, quod Synodo Nicænæ omnem ſuam auctoritatem debeat, ut Chriſtus annô 327. demum Deus factus ſit, & Spiritus S. annô 347. pluraque alia, calumniantur. Socinianos non longô intervallô ſequuntur plurimi Anabaptiſtæ, ſed qui ipſi non ſatis inter ſe concordes longè imperitius hoc argumentum tractârunt, &c. Quæ adeò variæ hæreſeos hujus facies, licèt non unô ſe vultu oſtendant, reverâ tamen in eandem impietatem conſpirant omnes; & Valentini *Æones*, Sabelli *trinominis unitas*, Arii *Creatura*, per quam Deus omnia condiderit; Samoſateni, Photini ac Socini *Homo deificatus*, nihil aliud ſunt,

quàm alternantia unius Veritatis adulteria, uti accuratè docet Fr. Burmannus *Synopſeos Theologiæ Chriſtianæ*, *Part.* 1. *l.* 1. *c.* 15. Vide quoque paſſim alibi nominatim de Hæreticis ſupra memoratis.

ANTIVESTÆUM, promontor. Angliæ extremum, ad occidentem in Cornubia regione, *Belerium Ptol.* Varie hodie nominatur, *The cape of Cornwall Camdeno*, vulgò *The lands end*, quaſi finis terræ & *Penriguard*.

ANTIUM, vetus urbs in Latio, Volſcorum caput, Neronis patria, Romanorum colonia: ab Oſtia 20. mill. paſſ. in Eurum, à Velitris, 14. in Meridiem. Ita dicta, quod ante alias urbes, in ipſo littore ſita fuerit, ad Romanorum otium, rerumque urbanarum permutationem accommodata. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 718.

—— Spiſſi littoris Antium.

Io hac fuit Fortunæ templum celebre. Horat. *l.* 1. *Carm. od.* 35. *v.* 1.

O Diva gratum quæ regis Antium, &c.

Variè formatur vocabulum hujus oppidi Straboni, Dionyſio, Appiano ac Ptolemæo, Ἄνθιον dicitur. At qui hos deinceps conſecuti ſunt Græci, variè id formârunt, modò Ἀντία & Ἄντεια, modo Ἄνθεια, atque Ἄνθιον. In quorum duobus poſterioribus haud dubiè Grammatici nugantes ἀπὸ τῆς ἄνθους, i. e. à flore originem ſommârunt. Solinus *c.* 8. *Conſtituta ab Aſcanio Longa Alba, Fidena, Antium*. Populi *Suida Antiates*, ac *Dionyſio Halicarn.* paſſim Ἀντιᾶται. At Val Maximo *l.* 1, *c.* 8. *ex.* 2 *Antienſe templum* dicitur; & Suetonio *in Calig. c.* 57. *Antiatinæ ſortes*. Ita enim is, *Monuerunt & Sortes Antiatinæ, ut à Caſſio caveret. Quâ cauſa ille Caſſium Longinum Aſiæ tum Proconſulem occidendum delegaverat, immemor Chæream Caſſium nominari.* Ibi enim *per Sortes* oracula, reddebantur, quemadmodum & Tibure & Præneſte, alibique paſſim. Vide ſuprà *Antias*. Ipſa urbs haud ampliùs reſtat; Nomen ejus verò etiamnum durat in promontorio, cui vulgaris appellatio *Capo d' Anzo*. Ad cujus etiam latus occidentale ſpecula in littore poſita vulgò dicitur *Torre d' Anzo*. Vide omnino doctiſſ. Cluverium *Ital. Antiq. l.* 3. *p.* 986. longitud. 36. 30 latitud. 41. 20. Nunc etiam *Anzio rovinato*. Navale autem Antiatum nunc a multis creditur Neptunium, *Nettuno*, oppid. aliàs Columnenſium, 2. milliar. ab Antio, in Campania Romana & ora maris Tyrrheni. *Nic. Lloydius*.

in ANTLIAM damnatio, inter pœnarum apud Veteres genera, vide infrà voce *Pœna*

ANTO, vulgo ANTON, locus eſt Galliæ, ad Rhodanum, 2. leucis à Perogia *Perouge*, memoratus Guidoni Comiti Forenſi in *literis* datis A. C. 1165. apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ANTOBROGES, Aquitaniæ populi Narbonenſi Provinciæ conterminí, non procul à Caduicis. Plin. *l.* 4. *c.* 19.

ANTOECI, Si relativè conſiderentur partium terræ habitatores, reſpectu ad ſe invicem, alii *Perioeci* ſunt, alii *Antoeci*, alii *Antipodes*. *Perioeci* ſunt, qui pari Latitudine ab Æquatore diſtant, & ab eodem Æquatoris latere habitant (utrique ſcil. à Boreali ejus latere, aut utrique ab Auſtrali) ſed Longitudinem planè oppoſitam habent, ita ſcil. ut ipſorum Meridiani 180. gradibus à ſe invicem diſtent. Tales ſunt incolæ Virginiæ in America, reſpectu Chinenſium in Aſia ultima. His par dierum longitudo, & pares anni tempeſtates, pari tempore contingunt; ſed dum aliis meridies, aliis media nox eſt. Jam verò *Antoeci* ſunt, qui eandem Longitudinem habent, quippe ſub eodem Paralleló habitantes, & parem etiam Latitudinem, ſed hi Borealem, illi Auſtralem: Tales ſunt Peloponneſi in Græcia incolæ, reſpectu extremæ Africæ habitatorum ad Caput Bonæ Spei. His ſimul meridies eſt, & pariter media nox; Sed cùm aliis horum æſtas eſt, aliis hyems eſt; cùm aliis dies longiſſimi, aliis breviſſimi. Denique *Antipodes* ſibi invicem ſunt, quibus tam Longitudo, quàm Latitudo oppoſita eſt, ita ut totô Sphæræ diametrô à ſe invicem diſtent. Tales ſunt Chinenſes, reſpectu incolarum Chili Americanæ regionis. His omnia contraria; dum aliis horum meridies, aliis media nox eſt, quæ aliis æſtas, aliis hyems, quæ aliis dies longiſſima, aliis breviſſima. *Montanus. Nic. Lloyd.*

ANTOMENES, ultimus Corinthiorum Rex, poſt quem annui Principes conſtituebantur.

ANTONA, fluv. & oppid. Angliæ Fluvium Polydor. Virgilius *Avon* dici teſtatur, incolis *Nie*, in Sabrinam influentem. Oppid. *Northampton* teſte *Lipſio*, nominatur. Sed aliis Fluv. *Nen* eſt, Bennaventam, ſive Northamptonam (quaſi Antonam Borealem dixeris) alluens. Cæterùm gemina eſt *Antona*, una Meridionalis in ora contra Vectim inſulam, à Wintonia 10. mill. paſſ. diſtans, Emporium non obſcurum, *Hampton* & *Southampton* Anglis dicta. longitud. 19. 15. latitud. 51. 04 Altera Borealis *Northampton*, oppidum celebre inter Londinum & Coventriam, inde 57. hinc 20. mill. paſſ. diſtans. Vide *Bennaventam*.

ANTONGIL, ſeu ANTONII ÆGIDII ſinus, ſub Polo Antarctici altitudine 16. graduum, ad Auſtrum Inſulæ S. Laurentii, Incolis *Manghabei*. Magnus eſt, decemque milliarium amplitudinem habet: in ejus extremo eſt inſula parva, poſt majorem ſita, ubi ſtatio navium ſecura, quôcunque flante ventô. Inſula parva ſuos habet incolas, producitque fructus omnigenos, multæque ibi aquæ è montibus defluunt. Populus eſt nigerrimus, eorum capilli piliique barbæ non ſunt criſpi, ut verorum Maurorum, nec naſus, labiaque ita formata; audax eſt & robuſtus, ad pocula promptus, porcorum enim more ſe ingurgitant, inebriaturque potu ex oryza & melle coctô. Potus hic certis tantùm temporibus conceditur. Nulla alicujus momenti ſupellex in ipſorum domibus videtur, bibendo locô poculi longâ arundine utuntur, quæ obturamentô clauditur: quilibet habet propriam meſſem oryzæ. Nudi incedunt, niſi quòd corpus, linteô è ſubtiliori cortice compoſitô, circumdant: componunt ſtoreas elegantes, quibus

uſi-

inſidéat. Non omnes arma gerunt, immò nec ipſorum dimidia pars, armaque ipſorum ſunt haſtæ 9. aut 10. pedum, & parmæ ligneæ. Circumdatur hic ſinus oppidulis & vicis, eſtque navibus recreandis optimus. *Natal. Metel.*

ANTONIA, filia Marci Antonii, ex Octavia, ſorore Auguſti, Domitii Ænobarbi uxor, mater Neronis & duarum filiarum. Hujus ſoror uxor Druſi.

ANTONIA, vide *Flaccilla*.

ANTONIA, uxor Druſi, mater Germanici, quam Valerius miré laudat à continentia, & amore in conjugem *l.* 4. *c.* 3. *ex* 3. Eam Plin. *l.* 7. *c.* 19. ait nunquam ſpuiſſe.

ANTONIA, ſoror Germanici. Item filia Claudii & Æliæ Petinæ, ex familia Tuberonum, ob cauſas leves à marito repudiata, Sueton. *Claud. c.* 1. Tacit. *l.* 11. *Annal.*

ANTONIA, caſtellum apud Hieroſolymam ab Herode in M. Antonii gratiam ſic dictum, nunc exciſum; antea *Baris* dictum, teſte Joſepho *Bell. Jud. l.* 5. *c.* 15.

ANTONIA Lex, quam tulit M. Antonius Conſul cum C. Jul. Cæſare ann. Urb. Cond. 809. voluit, *ut tertia Judicum decuria è Centurionibus Antefignanis, Alaudis, Manipularibus fieret*, Cicer. *Philipp.* 1. *&* 5. Sueton. *in Auguſto*, *c.* 32. Alia à Marco Antonio Triumviro lata, *Ne quis ullam ob cauſam de Dictatore creando referret, neve Dictaturam oblatam reciperet: qui ſecus faceret, eum ut necare jus faſque eſſet*, vide Appianum *l.* 3. *de Bell. Civil.*

D. ANTONII Fratres, vide ſuprà *Ærofcatores*.

ANTONII, ab Antone Herculis filio derivati. Plut. *in Antonio*. Patricios hos majorum gentium fuiſſe liquet. Fuerunt *Antonii* & plebeii. Ex Patricia Antonia gente fuerunt tres *Antonii*, duo *Merendæ*, alter Decemvir legibus ſcribundis, alter tribunus militum conſulari poteſtate. Tertius Magiſter Equit. *Antoniorum* Gens plebeja Pietatis & Balbi cognomina uſurpavit. Hæc & ipſa conſulatibus ſeptem, cenſuris duabus, magiſterio equitum, triumphô, ovationibus duabus celebris noviſſimis Reipubl. temporibus fuit. Vide *Antonius, Cajus, Lucilius, Marcus*.

ANTONII Diemeni regio, pars terræ Auſtralis detecta ſub auſpiciis Anton. Diemeni Hollandi, Præfecti ſtatuum Societatis Batavæ Indicæ Orientalis A. C. 1642. die 24. Novembr. Ejus pars maritima tantùm nota eſt verſus Auſtrum. Utrum autem Inſula ſit, an continens, neſciunt. Inſulis in littore quamplurimis referta eſt; eſtque in mari Pacifico, verſus terram Auſtralem, & media ferè inter Hollandiam novam & Zeelandiam novam.

ANTONINA, urbs Batavorum, Utreſium *Antonianum*, vulgò *Utrecht*. Aliis *Trajectum inferius*, vel *Trajectum ad Rhenum*, ad alterius in Brabantia diſcrimen, quod *ſuperius*, & ad *Moſam* nominatur. Vide *Ultrajectum*.

ANTONINI ludi Natalitii, Kal. Aprilibus celebrari ſolebant, Roſin. *l.* 5. *Antiq. Roman. c.* 22.

ANTONINIANÆ Caracallæ, apud Æl. Spartian. *in Antonino Caracalla c.* 9. *Ipſe* CARACALLI *nomen accepit, a veſtimento — demiſſo uſque ad talos — unde hodieque* Antoninianæ *dicuntur caracallæ hujuſmodi, in uſu maximè Romanæ plebis frequentata*: Non ab *Antonino* inventore ſic dictæ ſunt, quem quidam & nomen & genus harum veſtium excogitâſſe volunt. Namque ex Gallia veſtis in Romanum ſolum invecta eſt; ſaltem *Antoninus* illam talarem fecit, nomine veteri retentô: quod tamen poſteà uſu deceſſit ita, ut poſt Antoninum caracallæ ejuſmodi ad pedes demiſſæ plebique tantùm Romanæ uſurpatæ, non ampliùs ſub *Caracallarum*, ſed *Antoninianarum* nomine, venirent. Non ergo ab *Antonino*, tanquam ab inventore, ſed tanquam ab eo qui in veſte hac Gallica aliquid mutavit, nomen id adeptæ ſunt. Vide Salmaſ. *ad dict. loc.* & infrà in voce *Caracalla*.

ANTONINIANÆ Thermæ, ſeu Lavacrum *Antonini*, quod Antoninus Caracallus quidem, velut perpetuum opus, dedicaverat, & in iis cùm lavabat ipſe, tum populum admittebat, ſed imperfectum reliquerat; deficientibus porticibus, quas Antoninus Heliogabalus inchoavit, Alexander perfecit: memoratur Lampridio in *Heliogabalo*, *c.* 9. Cujus operis quanta fuerit vaſtitas, ſuggerit Olympiodorus *in Excerptis ad Photium*, Ἦσαν δὲ καὶ λουτρὰ δημόσια παμμεγέθη. Αἱ δὲ Ἀντωνινιαναὶ οὕτω καλούμεναι, εἰς χρείαν τῶν λουομένων καθέδρας εἶχον ὑπὲρ χιλίας ἑξακοσίας, ἐκ μαρμάρου κατεσκευασμένας ξεστοῦ. *Erant autem & Thermæ publicæ ingentis magnitudinis.* Antoninianæ *autem ſic dictæ, in uſum lavantium ſellas habuerunt mille ſexcentas e marmore*, &c. Caſaubon. *ad loc. cit.*

ANTONINIANI Aurei, apud Flavium Vopiſc. *in Probo*, c. 3. *Aureos* Antoninianos *trecentos, argenteos Aurelianos mille*, &c. & Valeriano in *Vita Aureliani c.* 9. *ipſi autem ad ſumtus, aureos* Antoninianos *diurnos binos, argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum*: moneta fuêre Romana, cui ab *Antonino* Imperatore nomen. Sicut enim *Philippei*, modò dicti, Philippi primùm juſſu formati fuêre, atque ab eo tempore, poſtquam forma placuiſſet, retenta ea eſt appellatio; hôc ſolùm immutatô, ut vultum & nomen nummus referret, non Philippi, ſed ejus Principis, qui cudi juſſiſſet: Sic *Antoniniani aurei* primitus appellati ſunt, quos Antoninus cudi juſſit, ſervatumque etiam à poſterioribus Imperatorib. nomen eſt. Idem de Valerianeis, aliiſque dicendum. Caſaubon. *ad Trebellium in Claudio*.

ANTONINIANI Pueri & Puellæ, inſtituti ab Antonino Diadumeno, apud Lamprid. *ibi c.* 2. *Paraverat ſanè pocula pocula coloris roſei dare Macrinus Imperator, in honorem Antonini filii ſui, quæ vocarentur* Antoniniana — *Congiarium etiam per edictum* Antoninianum *promiſit* — *Verba edicti: Vellem, Quirites, jam præſentes eſſemus, Antoninus veſter vobis congiarium ſui nominis daret. Daret præterea & pueros* Antoninianos *&* puellas Antoninianas, *quæ tam grati nominis gloriam propagarent.* Ubi *daret* eſt, pro *inſtitueret*, ſeu potiùs *incideret*, ut vetus liber hîc legit, i. e. reciperet & aſcriberet in numerum eorum puerorum puellarumque, quibus ex publico dabantur alimenta. Nomina enim eorum, qui ad illam perceptionem frumentariam participandam admittebantur, in æs incidi conſueviſſe, docet Plinius de his ipſis pueris, à Trajano primùm inſtitutis, loquens, in *Panegyr. c.* 26. *Tu ne rogari quidem ſuſtinuiſti & quanquam lætiſſimum oculis tuis eſſet conſpectu Romanæ pubis impleri, omnes, antequam te viderent recipi, incidi juſſiſti, ut jam inde ab infantia publicum parentem munere educationis experirentur.* Sed jam Seneca *de Benefic. l.* 4. *c.* 28. de his qui frumentum è publico percipiebant, *Frumentum publicum — accipiunt ſine delectu morum, quiſquis inciſus eſt*, &c. Salmaſ. *ad Lamprid.* Vide etiam ſuprà.

ANTONINIANI Sodales. Antonino Pio poſt mortem conſecrati, occurrunt apud Jul. Capitolin in *Vita* ejus *ſub fin. Meruit & Flaminem, & Circenſes, & Templum, & Sodales Antoninianos.* Vero itidem dedicati à Marco, apud Eundem Capitolin. *in M. Antonino c.* 15. *Flaminem &* Antoninianos Sodales, *& omnes honores, qui divis habentur, eidem* (Vero) *dedicavit.* Sed & ipſi Macro à Senatu, apud Eundem *in ſeqq. c.* 18. Imò & Antonino Caracallo, à Macrino, apud Æl. Spartian. *ibi c. ult. Hic tamen — à Macrino, qui eum occiderat; timore militum — inter Deos relatus eſt. Habet templum, habet Salios, habet* Sodales Antoninianos, *qui Fauſtinæ Templum & divale nomen eripuit*, &c.

ANTONINIANUS Menſis, apud Capitolin. eſt in *Antonino Pio*, *c.* 10. *Menſes Septembrem atque Octobrem* Antoninianum *atque Fauſtinianum appellandos decrevit Senatus, ſed id Antoninus reſpuit.* Ubi Salmaſ. vult legi *Antoninum & Fauſtinum*, ſicut Julius à Julio, Auguſtus ab Auguſto, dictus eſt: quod jam ante ipſum cenſuit Gruterus *ad hunc. loc.*

ANTONINIAS, nomen libri, cujus meminit Jul Capitolin. in *Gordianis Tribus*, c. 3. *Adoleſcens quum eſſet Gordianus, Poëmata ſcripſit — Scripſit præterea, quemadmodum Virgilius Æneidos, Statius Achilleidos, & multi alii Iliados; ita etiam ille* Antoniniados, *h. e. Antoninum Pium & Antoninum Marcum verſibus diſertiſſimis, libris XXX. vitam illorum & bella & publicè privatimque geſta perſcribens.*

ANTONINUS, cognomen fuit Arriæ gentis: Piuſque Auguſtorum primus id geſſit; initio quidem ut cognomen, cùm adoptatus fuiſſet à T. Arrio *Antonino* avo materno. Sed, quod priùs ipſi cognomen erat, accedente *Pii* cognomine factum eſt nomen, dictuſque eſt, T. ANTONIUS PIUS. A Pio tranſiit eadem appellatio ad Marcum, qui non quaſi cognomine, ſed ut verò nomine, dictus eſt MARCUS ANTONINUS. Unde Lamprid. *c.* 6. *Marcus verum nomen Veriſſimi habuit; ſed hoc ſublatô atque abolitô, non prænomen Antonini, ſed nomen accepit.* In Marco autem cœpit hæc appellatio velut ſymbolum eſſe Imperii: quod Imperium cùm ille communicâſſet Vero, etiam hoc nomen illi detulit, ut ſubjicit ſtatim Capitolin. *c.* 4. Et *Lamprid.* quoque non prænomen, ſed nomen *Antonini* ab illo acceptum admonet. Poſteriores vero Imperatores, ad Maximinum uſque, prænomine hôc uſi ſunt, tanquam omnibus Auguſtis debitô; qua de re præclarè diſſerit Alexander Severus, referente *Lampridio*. Ita factum, ut appellatio eadem pro cognomine, nomine & pronomine, diverſis temporibus fuerit habita. Caſaubon. *ad Jul. Capitolin. in M. Antonino Philoſopho. loc. cit.* Nec omittendum, cùm nomen hoc Heliogabali vitiis eſſet *decoloratum*, ſimulque *Romanum Imperium dehoneſtatum*, ut loquitur Lamprid. in *Alexandro Severo c.* 9. huic poſtea magnô quidem ambitu à Senatu P. Q. fuiſſe unà cum Imperio delatum, ſed ab eodem recuſatum, ut ibi videre eſt. Unde idem Auctor bene de Heliogabalo *c.* 34. *Et quoniam hic ultimus* Antoniniorum *fuit, neque poſtea hoc nomen in Republ. loco Principum frequentatum eſt, etiam illud addendum eſt, ne quis error oriatur, quum duos Gordianos narrare cœpero, patrem & filium, qui ſe de* Antoniniorum *genere dici volebant, non nomen in illis primùm fuit, ſed prænomen. Deinde, ut pleriſque in libris invenio, Antonii dicti ſunt, non Antonini.* Ubi quod de Gordianis habet, non omnino convenire videtur, cum eo quod idem in Vita horum *c.* 9. ait: *In plurimis libris invenio & hunc Gordianum & filium ejus pariter Imperatores appellatos & Antoninos cognominatos: alii verò Antonios.* In quibus verbis pro cognomine, nomen *Antoninorum* ipſis fuiſſe, innuit; quod & in præcedentib. *c.* 4. dixit. *Jam illud ſatis conſtat, quòd filium Gordianum nomine,* Antonini *ſignò illuſtravit, quum apud Præfectum Ærarii more Romanò profeſſus filium publicis Actis ejus nomen inſereret.* i. e. filium Gordianum nomine, *Antonini* ſignô, i. e. cognomine, illuſtravit. Sic in *Gordiano Jun. c.* 17. Antoninum *filium ſuum ipſe ſignificari voluit in Senatu*, h. e. filium ſuum cognominari voluit *Antoninum*. Signum enim cognomen eſt: Lamprid. *in Commodo*, *c.* 11. *Pro Decembri Amazonium ex ſigno ipſius adulatores vocabant.* Vopiſc. in *Aureliano c.* 6. *Huic ſignum exercitus oppoſuerat, manu ad ferrum.* Spartian. *in Peſcennio Nigro*, *c.* 8. *Quod intellectum non eſt, niſi quum Baſſianus* Antonini, *quod verum ſignum Pii fuit, nomen accepit*, &c. Salmaſ. *ad Lamprid. in Antonin. Diadumeno c.* 4

ANTONINUS, Imperator Romanus cognomentô *Pius*, regnavit ann. 23. A. C. 138 Succeſſit Hadriano Cæſari, à quo pro more adoptatus erat. Pacem coluit, deque omnibus benè mereri ſtudens, exteros Reges, atque populos literis & humanitate in officio continuit. Urbes deſtructas, ædificiaque belli flammis conſumta in Inſul. Rhodo, Oriente, Africa, & Gallia, reparavit. Mauros, & Barbaros in Britannia repreſſit, muri ibi obice oppoſitô. Obiit A. C 161. ætat 77. Imperii 22. menſ. 7. die 26. *Xiphilin. Dion. Lamprid Spartian.* Euſeb. *Chron. Aurel. Victor.* Eutrop. *l.* 8. Jul. Capitolin. & Oroſ. *l.* 7. *c.* 14. Ei ſucceſſit fil. Marcus Aurelius *Antoninus*, cognomentô Philoſophus, qui propinquum L. Aurelium Verum, ſocium Imperii ſibi adſumpſit. Per quem feliciter geſſit Parthicum bellum: Ipſe domi & in urbe Rempubl. curans. Deinde mortuô Verô, ſolus imperavit, & in Germanos benè rem geſſit: Marcomannos etiam oppreſſit, & Sarmatas, & Vandalos, & Quados, qui Pannonias invaſerant. Hic eſt ille Antoninus, qui *Suida* teſte, ſcripſit ἑαυτοῦ βίου ἀγωγὴν βιβλία ιβ'. Quæritur autem,

tem, utrum hi ſint illi ipſi libri, quorum inſcriptio Τὰ καθ' ἑαυτὸν, ſive *de ſe ipſo*. Ita cenſet *Xylander*. Et favet huic ſententiæ, quòd & illi libri ſint 12. numerò: & *Suidas* non alius operis meminit, quàm ejus quod dixi. Amplior tamen Inſcriptio eſt, quæ apud *Suidam* legitur; cum in 12. illis libris, quos hodiè habemus, non tam vita Aurelii referatur, quam illuſtria tradantur Sapientiæ præcepta. Quare alicui placere poſſit ſuſpicio Caſp. Barthii *Adverſar. l. 51. c. 16.* ubi cenſet, non exſtare ipſos Antonini libros, ſed excerpta ex iis, qualia veteres *Florida* ſive *Laudabilia*, Græci *χειρισμὸν* dixêre. Cui ſententiæ favere aliquis dixerit, quod in codice ms. qui Romæ eſt, inſcribantur ἐκ τῶν καθ' ἑαυτὸν, *Geſnero* teſtante. Sed multò veriſimilius eſt, inquit Voſſ. *l. 2. de Hiſt. Græc. c. 14.* τὰ καθ' ἑαυτὸν, idem eſſe opus, ac illud, quod *Suidas* appellat, *ἰδίου βίου ἀγωγήν*, non quaſi vitæ ſuæ hiſtoriam reliquerit, ut vulgò ſunt arbitrati: ſed quia ideam ſuæ vitæ condiderit. Siquidem ſunt hi duodecim libri de officio boni Principis, quos ſcripſit, non ad filium, ſicut Cicero tres libros de *officiis* filio ſuo miſit: ſed πρὸς ἑαυτὸν, h. e. *ad ſeipſum*. nempe ut illos aſſiduè legeret, ac ſecundùm eos vitam componeret, ac mores. Opus hoc erutum è Palatina Bibliotheca primus in lucem emiſit *Conradus Geſnerus*. Latinè autem vertit *Guil. Xylander*. Ejus poſteà tralationem ad incudem vocavit Vir Clariſſimus Mericus Caſaubonus If fil. Eruditas præterea *Notas*, & *Emendationes* addidit. Poſteà verò recenſuit, ac perpetuò commentariò illuſtravit Thom. Gatakerus Londinas, vir πολυμαθέστατος Cantabr. A. C. 1652. At vita illa M. Aurelii Antonini, quæ ab Antonio Guevara, Mendoniensi Epiſcopo, & Cæſari Carolo V. à Conſiliis, Hiſpanicè edita eſt, eaque è lingua in alias tranſlata fuit, nihil Antonini habet, ſed tota eſt ſuppoſititia, ac genuinus Guevaræ ipſius fœtus; qui turpiter os oblevit lectori, planè contra officium hominis candidi, maximè Epiſcopi. Habet interim plurima lectu nec inutilia, nec injucunda: imprimis verò Principi; unde & *Horologium Principum* inſcribitur. Eidem à quibuſdam tribuitur *Itinerarium Antonini Auguſti*, quod poſt Conſtantinum videtur editum, aut certè ſubinde mutatum, novis urbibus inſertis; meminit enim Conſtantinopoleos. Alii id Antonino Auguſto Geoponicorum ſcriptori, nonnullis Æthico tribuentibus. Voſſ. *loc. cit.* Vide *M. Aurelius*, & *Titus*.

ANTONINUS Commodus, prioris laudatiſſimi Imperatoris fil. flagitioſiſſimus fuit; per legatos devicit Mauros atque Dacos: compoſuit Pannonias, Germaniam, Britannias, imperium ejus recuſantes: ipſe interim in omni genere turpitudinis & crudelitatis vitam degens. Vide *Commodus*.

ANTONINUS Baſſianus Caracalla, Septimi Severi Imperatoris fil. Hic eſt Antoninus ille, cui Oppianus libros ſuos de venatione, & piſcatione dedicavit. Ita enim orditur Κυνηγετικῶν:

> Σοὶ, μάκαρ, ἀείδω γαίης ἐρικυδὲς ἔρεισμα,
> Φέγγος ἐναλκίον πολυγηθέος Αὐσονιήων,
> Αὐσονίε Ζηνὸς γλυκερὸν θάλος Ἀντωνῖνε,
> Τὸν μεγάλῳ μεγάλη φιτύσατο Δόμνα Σεβήρῳ,
> Ὄλβιον εὐνηθεῖσα, καὶ ὄλβιον ὠδίνασα.

Scribit autem Sozom. *in epiſtola ad Juniorem Theodoſium*, quòd Antoninus eâ erga Oppianum uſus ſit liberalitate, ut pro ſingulo ejus operis verſu cum aureo uno donaverit; quod Imperatoriæ largitatis ac liberalitatis omnibus miraculum fuit; ut adhue ipſius Oppiani carmina à plurimis Aurea ſint appellata. Vide *Caracalla*. De variis porrò Antoninis videndus Jonſius *de Script. Hiſt. Phil. l. 3. c. 10.* *Nic. Lloydius*. Ejus ſtatua ſervatur in Muſæo Kircheriano Romæ, vide Georg. de Sepibus *in Collegii Romano Societ. Jeſu Muſæo p. 8.*

ANTONINUS Heliogabalus, vide *Heliogabalus*.

ANTONINUS, Patriarcha Hieroſolymit. ſeculò 6. Item, Epiſcopus Epheſi, ſacrilegii accuſatus, ab Euſebio, Epiſcopo Valentinopolitano, Godeau *Hiſt. Eccl. l. 4. c. 78.* Item, *Antoninus Conſtantinianus*, cujus opera 3. tomò Biblioth. Patrum extant.

ANTONINUS, Archiepiſcopus Florentinus eruditione & virtute inſignis, legationibus ad varios Pontifices obitis, obiit A. C. 1459. Ab Adriano 6. inter Sanctos eſſe juſſus, A. C. 1523. Scripſit Summam Theologiæ, varia aſcetica, & hiſtoriam Chronolog. quam Summam hiſtoriæ vocarit, in 3. partes diviſam. Mainardus *in vita ejus*. Spond. *A. C.* 1459. *n.* 6.

ANTONINUS Auguſtus, Scriptor *Geoponicorum*, auctor *Itinerarii Antonini* ſecundùm quoſdam. Voſſ. *loc. cit.*

ANTONINUS Liberalis, vide *Liberalis*.

ANTONINUS Lucius, vide *Lucius*.

ANTONINUS Marcus, vide *Marcus*.

ANTONIOPOLIS, civitas Meſopotamiæ. Amm. Marcellin. *l.* 18.

ANTONIOPOLITÆ, Lydiæ populi, qui Mæandro alluuntur.

ANTONIUM, in diviſione Regni Lotharii, A. C. 870. facta, memoratum, M. *Antonio*, qui cum una legione in Atrebatibus hyemavit, nomen fert, hodieque *Anton* dicitur; vicus eſt ad Scaldim, non procul ab urbe Tornaco, veteri Monaſteriò Canonicorum nobilis, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Condatum ad Scaldim*.

ANTONIUS Gnipho, Poëta Gallus, Romæ docuit, Rhetoricam, & poëmata in domo Julii Cæſaris adhuc pueri, cujus ſcholam Cicero & alii clari viri frequentâſſe dicuntur. Nihil unquam de mercedibus pactus eſt, eoque plura ex diſcentium liberalitate conſecutus eſt. Vixit an. 50. Sueton. *de Illuſtr. Gramm. c. 7.* Nomen *Antonii* quod attinet, Græcè Ἀντώνιος ſignificat *certatim emptum*, i. e. pretioſum vel facilè vendibilem. Sic Ἀντωνεῖσθαι, licitari adverſus aliquem. *Lyſias*. Malè ſcribitur Anthonius & ab Ἄνθος deducitur à quibuſdam, ac ſi idem ſonaret quod *Florens*, *Florentius*, *Thaler*, *Euthalius*. Utinamque hoc non excidiſſet *Camdeno*, vel quicunque fuit is qui Reliquias ejus publicavit: ubi additur, quoſdam derivare hoc nomen ab *Antone* ſocio Herculis, ut eſt apud *Gellium*.

ANTONIUS Marcus, Orator Triumviri Antonii avus, de quo Tullius *in Bruto*: *Omnia veniebant Antonio in mentem, eaque ſuo quæque locò, ubi plurimum proficere, & valere poſſint. Ut ab imperatore equites, pedites, levis armatura, ſic ab illo in maximè opportunis orationis partibus collocabantur. Erat ei memoria ſumma, nulla meditationis ſuſpicio, imparatus ſemper aggredi ad dicendum videbatur, ſed ita erat paratus, ut judices, illò dicente, nonnunquam viderentur non ſatis parati ad cavendum fuiſſe.* Interfectus fuit à Mariana factione, unà cum plurimis aliis clariſſimis civibus, quorum capita in roſtris pependêre. Lucan. *l. 2. v. 121.*

> --- *Aut te præſage malorum*
> *Antoni, cujus laceris pendentia canis*
> *Ora ferens miles feſtæ rorantia menſæ*
> *Impoſuit.* ---

Vide Val. Max. *l. 9. c. 2.* *Nic. Lloydius*.

ANTONIUS Marcus, Oratoris fil. natu major, Cottæ Conſulis & Cethegi favore in Senatu curationem rei frumentariæ totius oræ maritimæ, cum infinito imperio, ſub initia belli Piratici, nactus, Siciliam, & provincias omnes depopulatus eſt. Poſtremò Cretenſibus bellum inferens, ibi morbò interiit. Hunc Salluſtius *l. 3. Hiſt. Fragm.* ait *perdendæ pecuniæ genitum, & vacuum à curis niſi inſtantibus*. Vide & *Marcus*.

ANTONIUS Cajus, alter Oratoris fil. multos in Achaja ſpoliavit, nactus de exercitu Syllano equitum turmas. Græci autem eum adduxerunt in jus ad M. Lucullum Prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat. Hunc Gellius, & Lentulus Cenſores, ſexennio, quòd hæc dicerentur, ſenatu moverunt, cauſaſque ſubſcripſerunt, quod ſocios diripuerit, quòd judicium recuſaverit, quod propter æris alieni magnitudinem prædia ſua mancipaverit. Hunc Cicero in *Verrinis* vocat, *In exercitu Syllano prædonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium*. Nam inter eos fuit, qui juſſu Syllæ in Circenſibus, quos ipſe poſt victoriam fecit, quadrigas agitaverunt. Dictus fuit cognomentò *Hybrida*.

ANTONIUS Cajus, prioris fil. cum Cicerone Conſul fuit, eique maximè adverſus, quod Catilinæ faveret, ſed collegæ conſiliò ac induſtriâ delinitus, acceptâ Macedoniâ provinciâ, pro Republ. ſe ſtaturum recepit, idque præſtitit. Re autem apud Dardanos malè geſtâ in urbem reverſus, à M. Lælio accuſatus, damnatus eſt, & in exilium actus. Vide & *Cajus*.

M. ANTONIUS Triumvir, Marci Antonii Oratoris filii filius, & Lucii frater, cauſa & fax totius belli Civilis fuit. Cùm enim Tribunus eſſet, clam ex urbe ad Cæſarem in Galliam profugit. Mutinam, Bruti provinciam invadentem, hortante Cicerone, Senatus hoſtem judicavit. Superatus ab Hirtio & Panſâ Conſulib. ac Cæſare puerò, mox Triumviratus fœdere inter eum, & Lepidum & Octavium initò, Brutum & Caſſium in Macedonia apud Philippos ſuperavit. Quò bellò confectò, Auguſtus valetudinis cauſâ Romam rediit. Antonius autem in Græciam, Aſiamque profectus, honore quaquaverſus ingenti exceptus eſt. Quum illi Oriens, Auguſto Occidens, Lepido Italia obtigiſſet, multos per Orientem Reges ac Tetrarchos debellavit. Inter quos Antigonum Judæorum Regem ſecuri percuſſit, quod antea Regum nulli contigit. Captus amore Cleopatræ, multa ipſius gratiâ nefanda perpetravit, quod Romanis in infamiam maximè ceſſit. Virg. *Æn. l. 8. v. 685.*

> *Hinc ope Barbaricâ variiſque Antonius armis*
> *Victor, ab Auroræ populis, & litore Rubro*
> *Ægyptum, vireſque Orientis, & ultima ſecum*
> *Bactra vehit: ſequiturque (nefas) Ægyptia conjux.*

Quod ait *nefas*, videtur eſſe ſtomachus Poëtæ indignantis Ægyptiam conjugem Romano civi nupſiſſe; ut etiam Ovid. *Met. l. 15. v. 826.*

> *Romanique ducis conjux Ægyptia.* --- ---

Planius Horatius *Epod. 9. v. 7.*

> *Ut nuper, actus cùm freto Neptunius*
> *Dux fugit uſtis navibus,*
> *Minatus urbi vincla, quæ detraxerat*
> *Servis amicus perfidis.*
> *Romanus (eheu poſteri negabitis)*
> *Emancipatus fœminæ,*
> *Fert vallum, & arma miles, & ſpadonibus*
> *Emancipatus fœmina,*
> *Interque ſigna turpe militaria*
> *Sol aſpicit Conopeum.*

Fulviam uxorem initiò Triumviratus repudiavit, ac Octaviam Auguſti ſororem duxit; Utramque poſtremò ob Cleopatram contempſit; quæ cauſa fuit inter eum & Octavium diſſenſionis. Quocum poſtremò ad Actium navali præliò congrediens, ſuperatus eſt, Alexandriamque confugiens, atque ibidem ab eodem obſeſſus, gladio ſponte incubuit, annò ætat. 56. Vitam ejus ſcripſit *Plut.* eumque vivis coloribus depinxit Cicero *in Philippica ſecunda*, quæ res poſteà mortis ejus cauſa fuit. Juvenal. *de Cicerone Sat. 10. v. 122.*

> *O fortunatam natam, me Conſule, Romam.*
> *Antoni gladios potuit contemnere, ſi ſic*
> *Omnia dixiſſet. Ridenda poëmata malo,*
> *Quàm te conſpicuæ Divina Philippica famæ,*
> *Volveris à prima quæ proxima.* ---

Idem Lloyd.

JULUS ANTONIUS, Antonii Triumviri fil. ad quem Horatii *Oda 2. l. 4.* Conſul erat cum Paulo Fabio Maximo, ad quem *ejuſdem libri Oda prima*. Huic Julo cognomen *Africanus*. De eodem Seneca *l. de brevitate vitæ c. 5.* *Filia, & tot nobiles juvenes, adulterio velut ſacramentò adacti, infractam ætatem* (Auguſti ſcilicet)

territa-

terminabant, poſtquam & iterum timenda cum Antonio mulier. Apparet enim hunc Julum aliquod ſcelus (cui proximus ab adulterio gradus eſt) cum filia in Auguſtum concepiſſe: uti olim cum Cleopatra ejus pater. Hunc juſſu Auguſti occiſum prodidêre Dio, & Tacit. *l. 4. Annal. c. 44.* Velleius ſuâ manu cecidiſſe eum dat intelligi *l. 2. c. 100.* Præceſſit autem juſſus Auguſti, quem ille exſecutus ſuâ manu. Lipſius *ad Tacit. Annalium l. 1.*

Lucius ANTONIUS, Triumviri frater, apud Peluſium ab Octavio fame obſeſſus, in deditionem cum 300. aliis venit: quibus, ut ait *Livii Epitomator*, Octavius ipſe pepercit; ut vero Tranquillus, omnes ad aram Cæſaris necari crudeliter juſſit. Hic patronum laudem plurimum affectaſſe, & à M. Tullio traducitur *Philip. 6.* quod ſe à 35. tribubus adoptandum, & inſcribendum Italiæ patronum curaverit.

ANTONIUS, prænomine *Lucius* multâ claritudine generis, ſed improſperâ. Nam patre ejus *Julo Antonio* ob adulterium *Juliæ* morte punitô, hunc admodum adoleſcentulum ſororis Octaviæ nepotem ſepoſuit Auguſtus, in civitatem Maſſilienſem, ubi ſpecie ſtudiorum nomen exilii tegeretur. Obiit Corneliô Coſſô, Aſiniô Agrippâ Conſulib. Tunc habitus tamen ſupremus honor; oſſaque tumulo Octaviorum illata per decretum Senatûs. Tacit. *l. 4. Annal. c. 44.* Vide & *Lucius.*

ANTONIUS Felix, Claudii Libertus, Judææ Procurator, Druſillâ Cleopatræ & Antonii nepte in matrimonium acceptâ. Tacit. *l. 5. Hiſt. c. 9.*

ANTONIUS Flamma, ſub Veſpaſiano Cyrenenſibus damnatus lege repetundarum & exiliô ob ſævitiam. Tacit. *Hiſt. l. 4. c. 45.*

ANTONIUS Julianus, Romæ Rhetor fuit, perquam honeſti, atque humani ingenii, doctrinâ quoque utiliore iſta, ac delectabili, veterum elegantiarum curâ & memoriâ multâ.

ANTONIUS Julius, Vide *Julus.*

ANTONIUS Merenda, Vide *Quintus.*

ANTONIUS Muſa, Medicus Auguſti Cæſaris. Plin. *l. 29. c. 1.* Aliis Artorius.

ANTONIUS Naſo, tribunus Prætorianarum cohortium à Galba exauctoratus.

ANTONIUS Primus, tempore Neronis falſi, ob ſubditum Domitio Balbo teſtamentum damnatus, ſenatu motus eſt: poſteà recuperatô ordine, acerrima fax Veſpaſiano, ad civile bellum.

ANTONIUS Taurus, tribunus in Prætorio, à Galba exauctoratus.

ANTONIUS Borbonius, fil. Caroli I. Ducis Vindocinenſis, à Ludov. IX. qui *Sanctus* dicitur, in recta linea deſcendens, uxorem duxit, Viraginem illuſtriſſimam, Johannam Albretanam, filiam Henrici Albretani, Navarræ Regis A. C. 1548. quô mortuô Rex Navarræ factus, A. C. 1555. primùm inter puriores religionis vindices, cum fratre Ludovico Principe Condæo, Reformatorum fortiſſimo hypeaſpiſtâ, dein promiſſô Sardiniæ regnô deluſus, inter hoſtes, Rothomago ſecundâ vice obſeſſo, globi ictu occiſus eſt. A. C. 1562. Pater Henrici IV. Galliæ Regis cui res geſtæ *Magni* nomen pepererunt. Thuan. *l. 28. 29.* &c. *Dupleix, Mezeray.*

ANTONIUS, Prior *de Crato*, & Magiſter Equitum Rhodienſium, Ludovici, Eduardi fratris, Luſitani, fil. naturalis, poſt mortem Henrici Regis, quæ A. C. 1578. contigit, à populo Rex electus eſt: ſed à Philippi II. ducibus victus, patriâque extorris aliorum Principum ope aliquandiu fruſtra imploratâ, tandem Eliſabethæ Angliæ Reginæ auxilio ſubnixus votis potiturus videbatur: verùm dum miles, captô jam Olyſſiponæ ſuburbiô, prædâ expletus, non pugnam, ſed domum cogitat, eò iterum excidit; ſæpe poſteà ingeminans, quamvis in ſpem potiundi Paradiſi veniret, nunquam Anglorum ope id tenturum. Obiit exul, venenô, ut creditur, extinctus, A. C. 1595. familiâ ejus variis in locis, ut Hollandia, ubi Emanuel fil. ex Naſſovia familia uxorem duxit, &c. diſperſâ. Vide Thuan. *Hiſt. l. 96.* Brev. Reid. *an. l. 8.* Lætum Compend. *Hiſtor. Univ.* p. 454.

ANTONIUS, Dux Brabantiæ, fil. Philippi, Burgundiæ Ducis. Item Dux Lotharingiæ, ſub Franciſc. 1. celebris. *Mezeray.*

ANTONIUS I. minimus natu fil. Johannis Comitis Oldenburgici, ex reſignatione fratris Johannis A. C. 1529. adminiſtrationem ſuſcepit. Bellô A. C. 1538. Monaſterienſibus illatô, multa eis damna dedit, demum juſſu Commiſſariorum Cæſareorum Delmenhorſtum diu ab illis detentum vi cepit A. C. 1547. & munivit. Inde A. C. 1559. agnatis Holſatiæ Ducibus in bello Dietmarſico tulit auxilium, ſed cum iiſdem A. C. 1569. controverſiam habuit; cùm hi ſimultaneam inveſtituram eius *Antonio* peterent, is verò Delmenhorſtum ſuô ſumtu & periculis recuperatum aſſereret, Oldenburgici autem Comitatus non aliter permitteret ſucceſſionem, quàm ſi viciſſim ipſi de Holſatia & Sleſvico idem promitterent. Ei à conjuge Sophia Lauenburgica Harpeſtodenſis ditio acceſſit. Pater fuit Johannis & *Antonii.*

ANTONIUS II. Guntherus, fil. Johannis præfati, ultra 60. annos provinciam magna cum prudentiæ fama adminiſtravit, in medio belli æſtu utriuſque partis favore ſervatô. Ultimus ſuæ gentis haud pridem vitâ exceſſit, hærede agnatô Daniæ Rege, & in Comitatu Oldenburgenſi ac Delmenhorſtano, ſucceſſore. Dominium autem Jeverenſe Princeps Anhaltinus Servestanus, ejus ex ſorore nepos; Kniphuſii verò dominium nactus eſt *Antonius* fil. qui ex Ungnadia ſuſceptus, *Comitis Imperii, Domini in Aldenburg, nobil. Domini in Varel, Dn. in Kniphauſen*, titulum à Cæſare impetravit, & Auguſtam Wigenſteiniam uxorem habet.

ANTONIUS, Antonii I. fil. minor natu, Delmenhorſtanum ramum conſtituit; pater filiorum filiarumque plurium, quarum hæ illuſtribus elocatæ matrimoniis, illi cœlibes deceſſêre.

ANTONIUS Ulricus, Dux Brunſvicenſis, fil. ſecundo genitus Auguſti, ex Chriſtina Eliſabetha Barbienſi, Eliſabetham Julianam Holſatam conjugem habet. Item fil. Friderici Wirtembergiæ Ducis A. C. 1615. natus: de quibus vide Phil. Jacobum Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſtor.*

ANTONIUS, Ægyptius, Monachis Chriſtianorum initium dedit, licèt non ante omnes Monachos fuerit. Primus enim mirè omnium ſtudia ad eam vitam imitandam incitavit, Monachorumque dogma inſtituit, ſicuti mox D. Baſilius in Græcia fecit, & Hilarion in Syria. Polydor. Vergil. *de Invent. rerum l. 7. c. 1.* Hieronym. vero Paulo Thebæo id tribuit, qui tempore Decianæ perſecutionis, aſſiduis inſidiis petitus, ad montium deſerta confugit, ibique, neceſſitate in voluntatem verſâ, 90. fere annos in orationibus duxit, palmâ in veſtem cibumque contentus, in *vita Pauli Eremitæ.* Hunc ſequutus Antonius, & ipſe A. C. 90. in ſolitudine exegit: quod unum tum perſecutionis effugium erat. Et panis eſcæ fuit, & aqua potus, ſemel in die, idque ſub occaſum ſolis, tenui cibô reficiebatur. Hujus ſanctitas ita celebris fuit, ut Helena, Conſtantini Imperatoris mater, ſe & filium ſuum per literas illi commendârit. Obiit in eremo ann. natus. 105. A. C. 361. Tribuuntur illi 7. Epiſtolæ, Bibliothecæ Patrum inſertæ. Hieron. *Chron.* & *Catal. Nic. Lloydius.*

ANTONIUS, cognomine *Cauleus* Patriarcha Conſtantinopol. Obiit A. C. 890. Item, Antonius cognomine *Studites*, eandem dignitatem obtinuit, A. C. 975. eàque ſponte ſe annô vix exactô abdicavit. Obiit A. C. 981. Item tertius, itidem Patriarcha Conſtantinopolit. cui à Latinis Angelus Corarius oppoſitus eſt. Onuphr. Genebr. *Chron.* A. C. 1398.

ANTONIUS Luſitanus vulgò S. *Antonio di Padoua*, Franciſcanus, vixit, ſeculo 13. Obiit A. C. 1231. à Gregorio IX. Sanctis aſſociatus, annô poſt ejus mortem. Hunc nautæ, in mari periclitantes, quomodo ridiculâ ſuperſtitione ligare ſoleant, Vide apud P. de Valle, *Itiner. tomo 4.*

ANTONIUS, Auctor *Vitæ Simeonis Stylitæ.*

S. ANTONIUS, Ordo, à Gaſtone quodam, nobili Delphinate, A. C. 1095. inſtitutus, in ſolatium eorum, qui igne ſacrô afflicti. Inſigne ejus litera *T.* eſt. Item, Ordo militaris, in Abaſſinia, de quo librum edidit Joh. Balthaſar Abyſſinus, Eques.

ANTONIUS Auguſtinus, edidit Collectores Decretalium, quorum primus fuit Bernhardus Circa, Papienſis Præpoſitus: Secundæ collectionis auctores ſeculô XIII. memorantur tres, Gilbertus & Alanus quidam Epiſcop. Antiſſiodorenſ. nec non Johannes Galienſis vel Vallenſis: Tertiæ Bernhardus Compoſtellanus, ſub Innocentio III. Quarta, ſub eodem, quinquennio pòſt concinnata eſt. Vide eum in *Antiqq. Decretalium Collectione.* Quintam, quæ prodiit circa A. C. 1227. auctore Nancredô Bononienſi Archidiaconô; non edidit inter ſuas collectiones: Toloſæ demum A. C. 1645. ab Innocentio Cirono, publicatam, &c. Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccleſiaſtici num.* 338. alibique, ut & infrà, ubi de *Decretalibus.*

ANTONIUS de Beek, Epiſcopus Anglus, à Clemente V. titulum Patriarchæ Conſtantinopolitani nactus Spond. *A. C.* 1305.

ANTONIUS Bonfinius, Hiſtoricus & Philoſophus, ſeculô 15. Matthiæ Corvino gratus, cujus impulſu hiſtoriæ Hungaricæ incubuit.

ANTONIUS Caraffa, Cardinalis Bibliorum Græco-Latinorum editionem accuravit, auctorque Baronio fuit, ut Annales meditaretur. Obiit A. C. 1591. Vide *les Eloges* Anton. Teiſſier *Part.* 2.

ANTONIUS Cartularius, vitas Philoſophorum, Laërtium imitatus, ſcripſit. Voſſ. *Hiſt. Lat. l. 3. c. 9.*

ANTONIUS Caſtor, in ſimplicium notitia verſatiſſimus, centenarius obiit. Plin. *l. 25. c. 2.*

ANTONIUS Chandæus, Baro de *Sadeel*, antiquâ nobilitate in Seguſianis ortus, Chabotii, domô maternâ, & Matiſconenſis agri caſtellô, in confinio Galliæ & Sabaudiæ ſito; ex illuſtri & antiqua Chandæorum gente. Henrici Navarræ Regis, qui poſtmodum Galliæ regnô feliciter potitus eſt, præceptor, Genevæ ex febre hectica, an. ætat. 57. à Nato Chriſto 1591. cùm ſcribendo & docendo totos 36. ann. inſumſiſſet, obiit, Theologus inſignis. Opera ejus uno vol. in fol. prodierunt Genevæ, A. C. 1614 in quibus genus dicendi lene ac ſimplex, ſine illecebris, ſine fuco, nec tamen ſine facundia, ſine arte, ut rerum utilitas ac doctrina, cum eloquii ſplendore certaret; nec brevitas obſcuritatem, nec prolixitas tædium pareret. Melch. Adami *in vitis Theolog.* Hunc ſatum velut ipſius Dei manu excultumque, ſcribit. Lectius *in vita ejus.* Primo *Zamariel*, dein *Sadeel* dici voluit. *Bucholc.* Plura in *Elogiis* Anton. Teiſſier. *Part.* 2.

ANTONIUS Cornazani, Poëta Hiſtoricus, Placentinus; Leand. *deſcript. Ital.*

ANTONIUS Corrigia, Venetus, aliàs *Tilianus*, celeberrimus ſeculô exactô pictor.

ANTONIUS Cucchus, JCtus Ticinenſis, ſcripſit *Inſtitutiones Juris Canonici*, quas edidit A. C. 1564. *Notis* verò illuſtravit Sam. Mareſius Theologus Groninganus. Vide infrà, *Marcus Antonius Cucchus.*

ANTONIUS Diogenes, memorabilia Thules ſcripſit 24. libris. Photius *Biblioth. c. 166.*

ANTONIUS de Dominis, Archiepiſcopus Spalatenſis, Vir eruditus, A. C. 1600. Eccleſiam Romanam *incitatus*, ut ajebat, *ſolo Jeſu Chriſti nomine*, deſeruit, & in Angliam, quò ſe receperat; *Libros de Repub. Chriſt.* conſcripſit, quibus Becanus & Eudæmon Jeſuitæ ſe oppoſuêre. Sed poſtmodum à Gregorio XV. olim condiſcipulo, ſpe ingentium promiſſorum, Romam evocatus, & à Succeſſore ejus Urbano VIII. in carcerem S. Angeli detruſus, ibi non ſine veneni ſuſpicione, A. C. 1625. animam efflavit. Cada-

ver poſt mortem, cum ſcriptis ejus combuſtum eſt. Jac. Revius *in Urbano* VIII. Andr. Rivetus *in jejuniâ vapulante* 15. S. 16. & Boccalinus in *Epiſtolis*.

ANTONIUS Faber, Eques, Baro *de Peroges* &c. primarius Præſes Senatus Sabaudici, Sebuſianus gente, fil. Philiberti, ſub Antonio Manutio Taurini ſtudiis vacavit, ſummis exin a Principe muneribus admotus. Scripſit *Conjecturarum lib. XX. De erroribus Pragmaticorum & interpretum Juris Civ. tom.* 4. Obiit A. C. 1624. ætatis 67.

ANTONIUS Fr. Doni, de Muſica librum edidit.

ANTONIUS Galatheus, Medicus & Poëta, de quo vide Voſſ. *Hiſtor. Lat. l.* 3. c. 8.

ANTONIUS Giraldinus, nomine Ferdinandi & Iſabellæ, coram Innocentio 8. peroravit. Scripſit quædam verſu. Idem *ibid.*

ANTONIUS Godeau, Epiſcop. Graſſæ primùm, dein Vincii Druidenſis patriâ. Eruditione illuſtris, ex primis Academiæ Gallicæ auctoribus. Scripſit Poëmata Chriſtiana, carmen de S. Paulo, Hiſtoriam Eccleſiaſt. &c. Pſalmos Davidicos quoque Gallico carmine expreſſit. Obiit haud pridem.

ANTONIUS de Govea, Luſitanus, Philoſophus & Philologus inſignis, obiit A. C. 1565.

ANTONIUS Herrera, novi Orbis deſcriptor.

ANTONIUS de Leva, unus ex Ducibus Caroli 5.

ANTONIUS le Maiſtre, Pariſienſis, Orator & Advocatus inſignis. Scripſit varias cauſas publicè à ſe dictas: *Plaidoyers*. Obiit A. C. 1658.

ANTONIUS Manetti, Florentinus Philoſophus & Mathematicus, variis ſcriptis celebris, Poccian. *de Script. Flor.*

ANTONIUS Muſa, Medicus Auguſti, Plin. *l.* 29. c. 1. & *l.* 30. c. 13.

ANTONIUS Natalis, Vide *Natalis*.

ANTONIUS Nebriſſenſis, inſignis in omnivaria ſcientia, plurima ſcripſit. Obiit A. C. 1544. Vaſſæus *Chron.*

ANTONIUS Panormitanus, ob eruditionem plurimis Principibus gratus, P. Jov. *in Elogiis*.

ANTONIUS Poſſevinus, à Gregorio XIII. in Poloniam & Moſcoviam miſſus, eruditione inclytus, obiit Mantuæ, A. C. 1611.

ANTONIUS Sarcialupi, Muſicus Florentinus, ſtatuam meruit. Voſſ. *de Mathem.* c. 60. §. 14.

ANTONIUS Titus, Vide *Titus*.

ANTONIUS Tudertinus, ex urbe Todi, olim *Tuder*, in Umbria, oriundus, in omni ſcientia verſatiſſimus, Eraſmo ſæpius laudatus. Leand. *deſcript. Ital.* &c.

ANTOR, Centauri cujuſdam nomen apud Val. Flac. *l.* 1. v. 146.

---- *Ardentis peragit Clanis Antora quercu.*

Lege *Actor*, & *Actora*.

ANTORIDES, pictor, Ariſtippi, filii Ariſtidis Thebani, diſcipulus. Plin. *l.* 35. c. 10.

ANTP. in numiſm. Valentiniani Valentis & Honorii *Antiochiæ* nota eſt. P. verò Monetarium, aut *percuſſa*, deſignat, Car. du Freſne *de inſer. ævi Numiſm.*

ANTRICUM, oppid. Galliæ Narbonenſis Normanniæ finitimum. vulgò *Chartes*.

ANTRIM, caſtrum Hiberniæ, in Ultonia prov. & Comitatus cognom. caput. Prope lacum *Neaugh*.

ANTRIMENSIS Comitatus vulgò *Countyr Antrym* Angl. provinc. Hiberniæ in Ultonia. Terminatur à ſeptentrione mari Deucalodomô, ab Ortu mari Scoticô, à Meridie Comitatu Dunenſi & ab Occidente Comitatibus Colranenſi & Tyronenſi. Ejus primaria, Rupes Ferguſii.

ANTRONIA, urbs in Meſſenia Peloponneſi regione, ab *antris*, è quibus molares lapides exciduntur, appellata. *Straboni Antras* dicitur, itemque *Stephano*, qui Theſſaliæ urbem eſſe ſcribit. Ab hac *Antronii aſini* dicti, de magni corpore, & ſtolidi mente. *Heſych.* Ἀντρών, πόλις Θετταλίας, ὅθεν Ἀντρώνιος ὄνος. Ita enim legendus ille locus, ubi vulgo malè diviſim, & ὄγκος pro ὄνος legi ſolet. Ego potiùs *Antronios aſinos* à lapidibus molaribus dictos putem, quos ὄνους Græci vocant. Item *Antronii aſinum* caſtellum in Phthiotica plaga, cujus meminit Strabo *l.* 9. *Nic. Lloyd.*

ANTROS, inſula in æſtu Garumnæ fluvii ex Pyrenæo monte delapſi. Vide Melam. *l.* 3. c. 1. *editione Voſſiana*. Vulgò *Cordouan*: parva, ſeu veriùs ſcopulus, inter Syrtes. Ubi Pharum ſuperbam ædificavit Henricus M. quam poſt injuriâ temporis collabentem reparavit magnificentiſſimè, Ludovic. XIV. Vulgò *La Tour de Cordouan*.

ANTRUM, vulgò *S. Hermeland*, Inſul. Galliæ Celticæ ad Ligerim fluv. Aliis *Antrium*, vulgò *Aindre*. *Lloyd.* Inſul. eſt amnica, in Ligere fluv. non procul ab hujus ore & ab urbe Namnetis. Nomen ei à denſis opaciſque ſylvis, in medio ſui montoſa eſt, longa 24. ſtadia, habetque proximam inſul. æquè ſibi conſimilem, licèt minorem, *Antricinum* vel *Antriginum* dictam. Forſan *Antros* eſt Pomp. Mel. *l.* 3. c. 2. ea, quæ hodie *Antrum* dicitur, *quamque* ille *pendere & attolli aquis increſcentibus*, ex vulgi opinione, refert. Hic Hermenlandus Noviomagenſis, ex Præpoſito Pocillatorum Regis Monachus Fontanellenſis, Cœnobio à Paſchario, Namnetico Præſule extructo, Abbas primus præpoſitus eſt, principatu Theodorici Francorum Regis & filiorum: quod à Nortmannis A. C. 843. poſt urbem Namnetum direptam, vaſtatum & incenſum eſſe, docent tabulæ Monaſterii S. Sergii, in quibus Monaſterium *Antrum* nomine Inſulæ appellatur, nec non *Monaſterium Inſularum*, quoniam in Inſulis Namneticis nullum aliud Monaſterium reperiebatur. Vulgò Inſula hæc *Aindre*, vel *l'Iſle d'Aindre* dicitur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ANTRUM Hecates, oppid. Samothraciæ fuit. Vide *Zerynthus*.

ANTRUM Sibyllæ, vulgò *Grotta Della Sibilla*, locus celebratiſſimus Campaniæ, ubi Sibylla Cumana habitavit, in antro, intra duriſſimum ſaxum interius mirè excavato, apud Avernum lacum, inter Bajas, Cumas & Puteolos, ad 1 & 3. mill. paſſ.

ANTS. in nummo Arcadii, *Antiochia ſignata*. Car. du Freſne *d. l.*

ANTUATES, populi circa Rhodanum, finitimi Allobrogibus & Genevæ. Vide *Nantuates*. Ita enim legendum videtur. Hodie provinc. eſt Sabaudiæ, cum titulo Ducatus. Comprehendit Ballivatus *de Ternier & Gaillard*, cum terris S. Victoris, & Capituli. Vulgò *le Chablais*. Lacum Genevenſem ad Septentrionem, Velaunos ad Ortum, tractum Fuſcinuenſem ad Meridiem, ditionem Genevenſem ad Occaſum habet. Nantuatum & Veragrorum olim ſedes. Hanc regionem Conradus Salicus Imperator Humberto 1. conceſſit, in præmium opis contra Odonem 2. Comitem Campaniæ, qui ipſi de regno Burgundiæ controverſiam moverat, præſtitæ. Evangelii lucem præterito ſeculô ſenſit, ſed ad breve tempus. Guicheno, *Hiſt. Saband.* Eorum meminit Cæſar *l.* 3. c. 1. inquiens, *Cùm in Italiam proficiſceretur Cæſar, Servium Galbam cum legione duodecima & parte equitatus, in* Antuates, *Veragros Sedunoſque miſit, qui a finibus Allobrogum & lacu Lemanno & flumine Rhodano ad ſummas Alpes pertinent.* E quibus verbis colligit Plantinus, illos eam occupâſſe vallem, quæ à S. Mauritio ad Lacum uſque extenditur, quæque maxima ex parte Bernenſibus hodie paret: quod reliquum eſt trans Rhodanum, Valleſianis. Nominis veſtigium eidem remanſiſſe videtur, in viculo Mandamenti, ut vocant, Olonenſis, vocatô *Antagne*. Regionem poſtea *Chablaiſii* eam nominatam volunt quidam, extenduntque Genevam uſque: à *caballis* autem ſic dictam, quòd eò equitatus Romanus ſeſe reciperet. *Antuatum* celebriora loca ſunt Penne locus & Aquilea, vicus hodieque Gallicè *Aigle*, German. *Aelen*; Hactenus Joh. Baptiſta Plantinus *Helv. antiq. & nov.*

ANTURNACUM, oppid German. inferiorem ad Rhenum. *Antonin.* vulgò *Andernach*. longitud. 28. 00. latitud. 50. 25. Verò ac ſincerô nomine *Antunnacum*, vel *Antonnacum*, in Annalibus Mettenſibus, inter *fiſcos obſequiis Imperialibus debitos*, i. e. villas fiſcales ſive Dominicas, quas *Villas publicas*, *Villas Regias* & *Palatia* Gallici Scriptores appellant, numeratur. Ibi *Notit. Imper. Roman.* præter cæteros *Præfectum militum Acincenſium*, ſub Duce Mogontiacenſi, fuiſſe memorat, *Antunacumque* vocat: diſtinguendum ab *Anternaca*, quod olim *Anderannale*, poſtea *Apternacum* ſeu *Epternacum* vocatum eſt. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide & *Anternacum* & *Antonnacum*.

ANTWERPIA, olim *Atuatum*, & *Atuacutum*, nobile Brabantiæ oppidum. Sedes Epiſcopalis & caput Marchionatus Imperii, in ripa Scaldis fluv. Europæ nationibus maximè frequentatum. Sumptuoſis tam privatis, quàm publicis inter ædificiis. Auguſtiſſimô D. Virginis templô, cum turri ex candido lapide altiſſimâ: Civicâ, Hanſeaticâ, Anglicâ, ac Portugallenſium Domo: Monaſteriô Præmonſtratenſium, monumentôque Iſabellæ Caroli Ducis Burgundionum nobilis. A. C. 1567. die 3. Novemb. Antwerpiæ mœnia à Cronemburgio uſque ad Cæſaream portam divulſa, ſoloque æquata fuêre, & arx (vulgò *Citadel*) vallo cincta, foſſâ & aquâ circumdatâ, quinque propugnaculis ex vivo ſaxo munita contructa eſt: habens in circumferentia inter propugnacula ſupernè eminentes decem & tres formas planas ad hoſtium inſultus propellendos fortiſſimas. Intus latè patentem aream percommodè claudunt ædes præſidiariis militibus aptæ. In areæ medio tunc ſtatua ænea deaurata, maximis ſumptibus fuſa, Ferdinando Toletano, Albæ Duci olim in Flandria, Regis Hiſpani præfecto poſita, paulo pòſt deturbata, & comminuta eſt. Arx illa diruta & everſa eſt, denuò autem procurante Alexandrô Duce Parmenſi inſtaurata, & adhuc erecta permanet. Gallicè *Anvers*, *Antorff* Germanis, *Anveres* Hiſpanicè, & *Anverſa* Italis dicitur longitud. 25. 41. latitud. 51, 16. Sub dominio Hiſpan. deficit in dies, ex quo Amſtelodamum crevit in tantam opum abundantiam.

ANTYLLA, ſeu ANTHYLLA, urbs erat Ægypti, apud Alexandriam, cujus vectigal à Regibus Perſarum, uxoribus in cinctuum impenſas dabatur.

ANTYRIUS, Alexandri Magni Dux egregius, qui à ſui domini obitu, cum militum ſtrenuorum agmine, qui ipſum Regem elegerant, inſtructâ claſſe ex Scythia ſolvens, ad avitas Herulorum terras navigavit, eaſque armis occupavit, circa 330. annum ante Chriſtum natum: navis principis vela capite bovinô aut equi Alexandri, Græcè *Βουκέφαλος* dicti, ornaverat: onde in hodiernum diem Duces Megapolenſes (qui ab Herulis ſunt oriundi) pro inſignibus habent caput bovinum. *Mitel.*

ANUBINGARA, Taprobanæ urbs. *Ptol.*

ANUBIS, Ægyptiacus canis, in cujus forma colebatur Mercurius, Cynopoli inprimis. Strab. *l.* 17. Virg. *Æn. l.* 8. v. 698.

Omnigenumque Deûm monſtra, & latrator Anubis.

Propert. *l.* 3. *eleg.* 10. v. 41.

Auſa Jovi noſtro latrantem opponere Anubim.

Bene *latratorem*, & *latrantem* dixerunt, nam colebatur hic Deus caninô capite, quod ſcribit Plut. *de Iſ. & Oſir.* Euſeb. *de Præp. Evang. l.* 2. c. 1. Tertull. Apologet. c. 6. & 15. Arnob. *l.* 7. Cyprian. *ad Demetrianum*, *Minutius Felix*, &c. Rationes hujus formæ vide apud alios, *Plut.* inprimis & *Euſeb.* Eundem hunc fuiſſe cum Cynocephalo, cui caninum caput, certum eſt. Sunt & qui putent verè hunc Mercurium fuiſſe. *Servius*, *Quia caninô capite fingitur, hunc volunt eſſe Mercurium, ideò quia nihil eſt cane ſagacius.* Juvant verba iſta Apuleii *l.* 5. *Ille ſuperum commeator, & inferum, nunc atrâ, nunc aurea facie ſublimis, attollens canis cervices arduas Anubis, levâ caduceum ferens, dextrâ palmam virentem quatiens.* Strabo *l.* 9. Plut. etiam, ubi ſupra, ait Anubin vocatum *Hermanubin*. Hermes autem Mercurius eſt Ovid. *Met. l.* 9. v. 686.

Inachis ante torum, pompâ comitata ſuorum,
Aut ſtetit, aut viſa eſt, inerant lunaria fronti
Cornua, cum ſpicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus; cum qua latrator Anubis,

Sancta-

Sanctaque Bubaſtis, variuſque coloribus Apis
Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet;
Siſtraque erant, nunquamque ſatis quæſitus Oſiris,
Plenaque ſomniferi ſerpens peregrina veneni.

Lucanus *l.* 8. *v.* 831.

Nos in templa tuam Romana accepimus Iſin,
Semicaneſque Deos, & ſiſtra moventia luctum.

Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 532.

Ergo hic præcipuum, ſummumque meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo
Plangentis populi currit deriſor Anubis.

Vide etiam Virgil. *l.* 8. *Æn. Diodor. Sic.* &c. Anubin patrem Oſirim ad bella ſecutum geſtâſſe canis inſigne in clypeo: Alii adjuvâſſe Iſidem in Oſiridis corpore inveſtigando. *Nic. Lloydius.* Vide & Joh. Marshamum *Canone Chron.* ut & infrà voce *Cynocephalus.* Hujus cultum, apud Zonæ torridæ incolas, perverſiſſimos idololatras, hodieque vigere, refert αὐτόπτης, P. de Valle, *Itiner. tom.* 4. ubi harum gentium miſeram ſuperſtitionem, à Veterib. Ægyptiis mutuatam, accuratiſſimè deſcripſit.

ANUCHTHA, Suſianæ urbs. *Ptol.*

ANULATI, pedes ſervorum Appulejo *l.* 9. *Met.* in veter. *Glosſario* ... : ut & damnatorum. *Anulus* enim vel *anuli* inſtar erat, quô utrorumque pedes vinciebantur. *cippus* ſeu *cuſpus* dictum in veter. *Gloſſis*, ξύλινον σανδάλιον, *lignum ſandalium*, cujus formam ſcitè nobis dat intelligendam *Euſtathius*, [Greek text illegible], &c. Salmaſ. ad *Tertullian. de Pallio*, Vide etiam infrà in vocibus *Cippus*, *Cuſpus*, *Servus.*

ANULINUS Conſul Rom. Sabini 2. Collega. Horum tempore Antoninus Caracalla Alexandriæ cùm eſſet, Alexandrinam juventutem convocavit, eamque paſſim omnem, militibus ſignô datô, interemit. Herodot. *l.* 4.

ANULUS, Mauritaniæ fluvius.

ANULUS, Vide *Annulus.*

ANUROGRAMMI, Taprobanæ populi. *Ptol.*

ANUS, locus Samariæ, à Neapoli 10. mill. paſſ. Hieroſolymam verſus occurrens.

ANUSCANA, urbs Etruriæ in Hirpinis. Vide *Nuſcum.*

ANXA, oppid. Italiæ in ora Salentinorum, olim Gallipolis. Plin. *l.* 3. *c.* 11. Hodie etiam *Gallipoli* dicitur. longitud. 42. 12. latitud. 39. 58. Permunitum, cum portu, in regno Neapolitano provinc. Hydruntina. Jacet in ſcopulo, à mari quaſi ſejunctô. Alii negant Gallipolim Anxam fuiſſe dictam. *Leand.* Vide *Callipolis.*

ANXANTINI, Pelignorum populi. *Strabo.*

ANXANUM, Ferentanorum in Aprutio Italiæ oppid. *Ptol.* Ἄγξανον, [Greek text illegible]. Hodiè *Lanciano* ſive *Lanzano.* Populi *Anxani*, Plin. *l.* 3. *c.* 12. lege *Anxanenſes.* longitud. 38. 55. latitud. 42. 27. Deficit in dies.

ANXIUS, fluv. ex Armenio monte oriens, & in Euphratem influens.

ANXUR, ex Ducibus auxiliaribus Perſæ, contra Aeeten, Colchorum Regem. Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 68.

ANXUR, urbs Volſcorum. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Capta & tantùm non deſtructa à Romanis, Anno Urb. Cond. 348. Liv. *l.* 4. *c.* 59. Hanc olim *Trachinam*, nunc *Terracinam* dicunt. Horatius *in Hodœporica*: *l.* 1. *Sermon. Sat.* 5. *v.* 25.

Millia tum pranſi tria repſimus, atque ſubimus
Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

Lucan. *l.* 3. *v.* 84.

Jamque & præcipites ſuperaverat Anxuris arces.

Statius *l.* 1. *Silv.* 3. *v.* 87.

— — Arceſque ſuperba
Anxuris — —

Silius *l.* 8. *v.* 392.

— — Scopuloſi verticis Anxur.

Idem *l.* 4. *v.* 534.

Monte procelloſo Murrhanum miſerat Anxur.

Martial. *l.* 5. *Epigr.* 1. *v.* 6.

Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis.

Liv. *l.* 5. *c.* 12. *In Volſcis depopulato agro, Anxur nequicquam oppugnatum locô altô ſitum.* Longitud. 37. 02. latitud. 41. 08. Urbs Epiſcopalis munita, *Baudrando*, Sed parva, cum caſtro; in Campania Romana & ditione Pontificis ad radices montis, & in ora Maris Tirrheni. Paucos habet incolas, propter aëris gravitatem, & paludes Pomptinas ei adjacentes.

ANXURUS, ſive potiùs ANXYRUS, nomen eſt, quô Jupiter à Campanis vocabatur, qui maximè Anxuri colebatur imberbis, vel quaſi ἄνευ τῆς ξυροῦ, *ſine novacula*, quia barbam nunquam raſiſſet. Servius, *in illud Poetæ Æn. l.* 7. *v.* 799.

Circæumque jugum; queis Jupiter Anxurus arvis
Præſidet. — —

Ubi *Anxyrus* de la *Cerda* contendit legendum. Sanè Pauſan. *in Eliacis prioribus* meminit duplicis ſimulacri Jovis οὐκ ἔχοντος γένεια, *non habentis barbam.* Porrò de nummo quodam Jovis aut *Anxuri* aut *Creſcentis* vix eſt, qui non meminerit eruditorum, *Germanus*, *Levinus*, *Scaliger*, *Ortelius*, *Dalechampius*, & alii. Non omittendus hîc Statii locus *Theb.* 10. *v.* 61. de Templo ſacro & Junonis puellæ, & Jovi Axuro:

Ipſa illinc magni thalamo deſponſa Tonantis
Expers connubii, & timidè poſitura pudorem,
Lumine demiſſa pueri Jovis oſcula libat
Simplex, & nondum furtis offenſa mariti.

Neque Claudiani, *de* 4. *Conſulatu Honorii v.* 195.

Talis ab Idæis primævus Jupiter antris
Poſſeſſi ſtetit arce poli, famulosque recepit
Natura nutante Deos: nondum
Vibrabant vultus, nec adhuc per colla fluebant
Motura convexa comæ: tum ſcindere nubes
Diſcebat, fulmenque rudi torquere lacerto.

Aliam ejuſdem parvuli Jovis imaginem repræſentat Stat. *l.* 1. *Achilleid. v.* 588. in hunc modum:

Sic ſub matre Rhea juvenis regnator Olympi
Oſcula ſecreta dabat nil auſa ſorori
Frater adhuc, medii donec reverentia ceſſit
Sanguinis, & verſos germana expavit amores.

Jovis etiam pueri meminit Apollon. *l.* 1. *Argon.* dicitur ab eo νήπιος & ἔτι φρεσὶ νήπια εἰδώς. Et Nonnus *Dionyſiacon l.* 41. his verſibus:

[Greek verses illegible]

Nummus Pauſæ & Vibii, cujus meminit Conſtant. Landus. *Numism.* in cujus parte altera erat JOVIS AXUR. in altera imago barbata, ſed intonſa: Unde colliges, non ſemper Jovem Axurum ſumi pro Jove puero, ſed etiam pro Jove intonſo, quaſi ἄνευ ξυροῦ, qui nunquam egeret novaculâ, ſemper enim tonſus erat, etiamſi grandis ſuit. *Nic. Lloydius.*

ANYSIS, cæcus à nativitate, urbe cognomine Ægypti oriundus, in regno Ægypti, Aſychis fuit ſucceſſor; Nechi ſeu Nechaonis I. Saitarum Regis iii & Bocchoridis σύγχρονος. Hic auditô, Sabachum Æthiopiæ Regem adventare, regnô ceſſit, donec ille inſomniis territus in Æthiopiam reverteretur. Tum è latibulo ſuo inſul. Ælzâ rediit in thronum, & mortuus, Sethonem, Vulcani ſacerdotem, ſucceſſorem habuit Herodot. *l.* 2. ſeu *Euterpe*, *c.* 141. Vide *Sethon.*

ANYSTIS, Græcè Ἄνυστις, Curſor celebris. Solinus *c.* 1. *Anyſtis Lacon & Philonides, Alexandri Magni Curſores, Elin abiſque Sicyone mill. ducenta ſtadia una die tranſierunt.*

ANYTA, poëtria, cujus operum fragmenta adhuc extant. Voſſ. *de Poët. Græc p.* 85.

ANYTIOS, Ægypti nomus Herodot. *l.* 3.

ANYTUS, Rhetor Athenienſis, unà cum Melito & Lycona Socratem accuſavit, & occidi curavit. Horat. *Serm.* 2. *Sat.* 4 *v.* 2. 3.

— — Qualis vivens
Pythagoras, Anytique reum, doctumque Platona.

Poſteà ab Athenienſibus cum ſociis morte mulctatus eſt. Laërt. *in Socrate.* Ælian. *varia Hiſt. l.* 2. *c.* 13.

ANZABA, fluv. circa Tigridem. Amm. Marcellin. *l.* 18.

ANZERMA, oppid. Americæ meridionalis in Regno Popajano. Aliis S. *Anna d' Anzerma.* 50. leuc. ab urbe Popajan in Septentrionem juxta fluv. Caucam. 12. autem à Caramanta oppid. in meridiem.

ANZETA, Armeniæ majoris urbs. *Ptol.* A qua *Anzetene* regio quæ *Anzitena Nicephoro*, & *Anatis* Plin. *l.* 5. *c.* 24. verſus Euphratem fluv. à quo diſtat 40. mill. paſſ. in Ortum.

ANZIGI, vulgò ANZICAINS, populi Africæ, ultra Loanghum, nempe à Zaire fluv. uſque ad deſerta Nubiæ, in Æthiopia inferiori. Dicuntur & *Anſicani*, Vide ibi. Iidem & *Anziges*. populus totius Africæ ferociſſimus & maximè barbarus. Subfuerunt olim Regi Congenſi: ſed poſtquam eô à Johanne II. Portugalliæ Rege ad Chriſtianam fidem converſo, baptizatoque A. C. 1491. intra breve tempus, totum ferè Regnum, non fidem tantùm, ſed & mores veſtitumque Luſitanorum ſuſcepiſſet, ſuſpecta barbaris hæc peregrinitas eſſe cœpit, primique *Anziges* obſequium exuerunt, ſubſequutis mox aliis, uti videre eſt ſuprà in voce *Agages.* Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. p.* 467.

ANZUQUIUM, oppid. in ora provinc. *Voni*, in Japonia inſul. in Aſia. Diſtat à Meaco, primaria Urbe Japoniæ, 20. leuc. in Ortum. In Ora ſinus Meaci. *Briet.*

AOD, Hebr. *Ehud.* Latinè *laudans*, ſeu confitens, Iudex Iſraelitarum, Eglonem Moabitarum Regem occidit, & decem millibus cæſis, populum è ſervitute hoſtium liberavit, Judic. *c.* 3. *v.* 15. Sulpic. Sev. *l.* 1. *c.* 46. Torniel. *A. M.* 2641. 2720.

AOLLIUS, Romuli ex Herſilia fil. pòſt *Abillius* dictus.

AOMAR, ſeu HOMAR, vel OMAR, Arabs, tres libros conſcripſit, *de die Natali.* Voſſ. *Scient. Mathem c.* 64. §. 10.

AON, Neptuni fil. factione ſuorum ex Apulia pulſus, navigiô Euboeam, & inde Bœotiam venit, ubi populis montes habitantibus imperavit, eoſque *Aones*, ut & montes vicinos *Aonios* appellavit. Porrò hic Aon filium Dymantem reliquit, qui ei in regno ſucceſſit.

AONES, populi AONIÆ. Pauſan. *l.* 9. Fuit autem Aonia pars Bœotiæ montana, unde totam Bœotiam priùs Aoniam dictam legimus. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 10

Primus ego in patriam mecum, modò vita ſuperſit,
Aonio rediens deducam vertice Muſas.

Juvenalis, *Sat.* 7. *v.* 58.

—— Cupidus ſilvarum, aptuſque bibendis
Fontibus Aonidum.

Claudian. *l.* 2. *in Ruffin. v.* 418.

Sic mons Aonius rubuit cùm Penthea ferrent
Mænades. ——

Hinc *Aonios ſpecus* poſuit Catullus *Epigr.* 62. *v.* 28. pro antris Bœoticis. Servius, *in illud Virgil. Eclog.* 6. *v.* 64.

Tum canit errantem Permeſſi ad flumina Gallum
Aonas ad montes.

Aonia, inquit, *quæ & Bœotia.* Hinc *Aonides Muſæ*, quæ apud

Auſonium *Bœotia nomina* dicuntur. Hine *Aonia mentes*, & *Aonia lyra*, apud Ovid. & Propert. *l. 2. Eleg. 2. v. 36. Nic. Lloydius.*

AORI, Græcè ἄωροι, dicti ſunt illi juvenum, quos mors ante tempus rapit immatura, ut fructus, qui acerbi adhuc & immites avelluntur; Græci ἀπὸ ἄωρος θανεῖν dicunt. Nempe univerſo hominum generi certum vivendi tempus præſcriptum à Natura & conſtitutum eſt, quô completô ſponte humana compages diſſolvitur. Hoc juſtæ & legitimæ ætatis ſpatium alii centum annis, alii paucioribus, alii etiam pluribus determinârunt. Ante quod qui de homine exeunt, *ante diem mori*, Græcè ἀπὸ ἄωροι dicti ſunt θανεῖν. Aliud eſt ἀπὸ καιρὸς θανεῖν, quod de illis, qui violentô exitu defunguntur, Græci dixêre: de quo utroque mortis genere vide pluſcula apud Salmaſ. *ad Solin. p. 518. & ſeqq.* In Magicis imprimis ſacris differentia fuit τῶν Βιοθανάτων, *qui violentâ morte decedunt*, & τῶν Ἀώρων, *qui ante diem*, horum enim inprimis Animas, utpote adhuc ſupra terram vagantes, in Necyomantia evocari quidam opinabantur; imò horum ſolùm alii, qui ex ipſis inferis animas elici poſſe ne inter Gentiles quidem crediderunt. Sed hac de re dictum ſuprà, in voce *Abori*.

AORIS, Arantis fil. Corinthi Regis venator bellicoſus, Sororem Arathyræam tam tenerè dilexit, ut totam illam, ubi morabatur, regionem ejus nomine appellaverit, Pauſan. *l. 2.*

AORIS, vel potiùs *Chloris*, Nelei uxor. Pauſan. *in Bœoticis.*

AORNOS, vel AORNIS, petra apud Indos præceps & invia, monumentis hiſtoricorum celebrata, quaſi *avibus inacceſſa*. Dionyſius Periegetes, v. 1149.

> Ἡ δ᾽ ἤτοι ἀσσοτάτω ἐπ᾽ Ὠκεανοῖο βαθυδδίνου,
> Ἠλίβατος τρηχεῖα δυσέμβατος οἰωνοῖσι.
> Τόσσα μὲν καὶ ὄρνεις ἐπικλείουσιν Ἄορνον.

Neſcio; quò auctore fretus Dionyſius Coliacum promontorium Oceano imminens Ἄορνον cognominari affirmet. Celebris quidem eſt apud auctores eos, qui Alexandri res geſtas ſcriptis mandârunt, Ἄορνος petra (per hyperbolen, altitudinis cauſâ, ſic appellata, ac ſi *volocribus quoque invia videretur*, uti de Macedoniæ montibus L. Florus *l. 2. c. 12.*) quam ab Hercule fruſtrà obſeſſam ferunt, ab Alexandro verò expugnatam. Vide Curtium *l. 8. c. 11.* & Arrianum *l. 4.* Sed petra illa longè à Coliaco promontorio diſſita ad Indum ſcil. fluv. quà Alexander Indiam ingreſſus iter fecit. *Radices ejus* (inquit Curtius) *Indus amnis ſubit.* Et prope ipſos Indi fontes eam ſtatuit Strabo *l. 15.* Ἄορνον πέτραν, ἧς τὰς ῥίζας ὁ Ἰνδὸς ὑποῤῥεῖ πλησίον τῶν πηγῶν. Scribit *Plut.* Alexandrum, cùm intellexiſſet hanc petram teneri ab homine meticuloſo, dixiſſe, Nunc locus iſte captu facillimus eſt. De hac rupe Lucianus *in Rhetor. Præcept.* Εἶτα ἐπειδὰν πλησιάσῃς τῷ ὄρει, τὸ μὲν ἀπαθὲς ἀπογνώσῃ τὴν ἄνοδον, καὶ τὸ πρᾶγμα ὅμοιόν σοι δόξει ὅσα ἡ Ἄορνος πέτρα ἔδοξε Μακεδόσι, ἀπότομος αὐτοῖς ἀπανταχόθεν ἰδοῦσι ἀνέχουσα, οὐδὲ ὀρνέοις ὑπερπτῆναι ῥᾳδίως, Διονύσου δεῖν, ἢ Ἡρακλέους, εἰ μέλλοι καταληφθήσεσθαι. *Nic. Lloydius.*

AORNUS, locus in Teſprotide, ubi oracula reddebantur. Pauſan. *l. 9.* Item urbs in Epiro. *Ptol. & Steph.*

AORNUS, lacus quidam prope Tarteſſum, aliàs *Libyſſinus* dictus. Schol. Ariſtoph. *in Ranas*: Ἡ δὲ Ταρτησσὸς πόλις Ἰβηρικὴ περὶ τὴν Ἄορνον λίμνην.

AORNUS, lacus inter Puteolos & Bajas, Latinis *Avernus*, ſic dictus, quòd *avibus careat*, quæ ſupervolantes gravi ejus odore enecantur: ſive quòd ſulphureæ exhalationes aërem uſque adeò extenuent, ut aves ſuſtinere non poſſit. Virg. *Æn. l. 6. v. 237.*

> *Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu*
> *Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris;*
> *Quam ſuper haud ullæ poterant impunè volantes*
> *Tendere iter pennis, talis ſeſe halitus atris*
> *Faucibus effundens ſupera ad convexa ferebat.*
> *Unde locum Graii dixerunt nomine Avernum.*

Hauſit ex Lucretio ſuo. Sic enim ille *l. 6 v. 738.*

> *Principio quòd Averna vocantur, nomen id ab re*
> *Impoſitum eſt, quia ſunt avibus contraria cunctis.*

Similis planè deſcriptio eſt, apud Petronium Arbitrum *in Satyrica*:

> *Eſt locus exciſo penitus demerſus hiatu,*
> *Parthenopen inter, magnæque Dicarchidos arva*
> *Cocytâ perfuſus aquâ, nam ſpiritus extra*
> *Qui furit effuſus funeſtò ſpargitur æſtu.*
> *Non hæc autumnô tellus viret, aut alit herbas*
> *Ceſpite lætus ager: non vernô perſona cantu*
> *Mollia diſcordi ſtrepitu virgulta loquuntur:*
> *Sed Chaos & nigrô ſqualentia pumice ſaxa*
> *Gaudent, ferali circumtumulata cupreſſo*

Nominis notationem tetigit Claudian. *l. 2. de Raptu Proſerp. v. 348.*

> *Tunc & peſtiferi pacatum limen Averni*
> *Innocuæ tranſiſtu aves.*

Nic. Lloydius.

AORNUS Palus, in Iberia, propter quam Tarteſſon collocant. Vide Schol. *in Ariſtoph. Ranæ, Act. 11. ſc. 11.* Vide *Aornus Lacus.*

AORSI, populi Sarmatiæ, Tanaim fluv. accolentes, Horum regio *Severia* hodie dicitur, ſub Moſchis. Eorum meminêre *Strabo & Ptol.* Alii populi Aſiæ, in Scythia, intra Imaum, verſus mare Caſpium & oſtia Iaxartis fluv.

AORUS, Cretæ civitas. *Steph.*

AOTI, populi in finibus Thraciæ, Getis finitimi, non procul ab Iſtro. Plin. *l. 4. c. 11.*

AOUS, fluv. in eâ parte Macedoniæ, quæ mari Adriatico adjacet, non procul ab Apollonia in mare illabens; *Vajuſſa* hodie. *Lous Ptol.* Æas *Straboni* ac Melæ *l. 2. c. 3.* dici videtur.

AOUS, fluv. qui *Laurembergio Alus*, *Appiano Aorus*, Plut. *Anus*, Stymphaliam & Elymiotas percurrit. Philippi Macedoniæ Regis clade celebris, hodie *Pelina*. *Brietius.*

APACHNAS, ut Manetho vocat, ſeu *Pachnan*, ut Africanus; tertius Paſtorum in Ægypto Rex, Beonem excepit, paulo ante nativitatem Aaronis, Chomâ Ephthâ in Thebaide regnante, præfuitque annos 36 menſ. 7. quô temporis intervallo Moſes quoque natus, expoſitus, & à Pharaonis filia educatus eſt. Eum in regno excepit Aphophis. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Seculo* VIII.

APACI, populi Americæ Septentrionalis in parte Boreali regionis novi Mexici. Sunt longè lateque diffuſi: dividunturque ab Hiſpanis in 4 nationes; nempe *Apaches de Perillo*: verſus Meridiem *Apaches de Xila*. *Apaches de Navajo*, ad Septentrionem *Apaches Vaqueros*, ad Orientem.

APADNA, Meſopotamiæ urbs. *Lib. Notit.*

APADNAS, locus in Iſauria Procopius *l. 5.*

APÆI, populi in Æthiopia ſub Ægypto *Ptol*

APÆSUS, urbs Troadis, quæ & *Paſus* dicitur. *Steph.*

APAFI Michaël, nuperus Tranſylvaniæ Princeps, fortis, prudens, pius. Wendelini, Theologi haud pridem Anhaltini, compendium Theol. in patrium ſermonem tranſtulit In Hungaros, ob religionem exules, benignus. Deceſſit A C. 1690. relictô filiô *Apafio* II. excelſæ indolis juvene. J. Franciſcus Pariz de Papa Med. D. & in Enyed. Acad. Prof. P in *Epiſt.*

APAITÆ, Aſiæ minoris populi *Strabo*. Quondam Cercitæ, & Cercenici dicti.

APALACHE, Floridæ in America regio, 6. provincias fertilitate inſignes continens. Hujus incolæ à Gallorum colonia, Ribaldô duce, Caroli IX. auſpiciis, illuc deducta, Chriſtianiſmi cognitionem aliquam acceperunt. Linſchot. *deſcr. America, c. 1.* Hiſtor. Antillarum, *l 2 c. 8* Vide *Apalatæi*.

APALÆI, apud Solin *c. 49.* *E quibus celeberrimi ſunt Maſſagetæ, Eſſedones, Satarchæ & Apalæi*: Scythiæ populi quos *Apellæos* idem vocat *c. 19.* *Mare autem Caſpium, ex altero Ponti latere, ultra Maſſagetas & Apalæos Scythas eſſe — dulce hauſtu, Alexandro Magno probatum eſt.* Græci Ἀπαλαίους vocant. Salmaſ. *ad Solin. p. 216.* Vide quoque *Apellæi*.

APALAR, ſeu *Apalare*, & contractè *Aplare*, cochlear, item diſcus: *Pro vera benedictionis cauſa direximus ad vos apalareum unum.* In *Ep* Pontif à Gretſero editi *Hic poſuit in apſida Baſilicæ ſuprascriptæ ſuper ſedem* apalaream *argenteam penſantem libras centum viginti*, Anaſtaſius Bibliothec. in *Sergio*. Nomen ei ab *hapalis* ovis: Interim, ſicut *boletar* anteà quidem dictum eſt, quòd in eo boleti tantum apponerentur; poſteà verò omnibus cibis ſuſtinendis ſerviit & pro quolibet vaſe eſcario uſurpari cæptum eſt, unde Martial. *l. 14. Epigr. 101. v. 1.*

> *Cum mihi boleti dederint tam nobile nomen,*
> *Prototomis, pudet heu, ſervio cauliculis.*

Sic *Apalare*, quod ab ovis hapalis nomen, ut dictum, habuit primitùs, non ovis tantùm, ſed etiam aliis quibuſlibet obſoniis capiendis vas aptum ſignificare cœpit. Auſonius, *Ep. 21.*

> *Jam patinas implebo meas, ut parcior ille*
> *Majorum menſis apalaria ſuccus inundet.*

Meminit autem *averam hapalorum* Marcellus Empiricus, ut & Apicius, obſervante Hadr. Turnebo *Adverſarior. l. 27. c. 10. & l. 28. c. 5.* Vide quoque Salmaſ. *ad Trebell. Pollionem* in *Claudio* c. 17.

APALATÆUS, mons, in Florida, regione Americæ Septentrionalis. Ibi quoque populi *Apalatei*, in mediterran. Europæis etiam *Apalachites* dicti, valde potentes; Quibus proprius Rex, cui 6. amplæ ſubſunt provinciæ. Nempe, *Bemarim*, ubi urbs *Melilot*, regni caput, *Amana & Matique*, in planitie, & 3. aliæ, *Schamo*, *Meraco*, intra montes, & *Aqualaque*, juxta lacum *Theomi*, verſus Septentrionem. Ibi Rex Chriſtianus à paucis annis, & quædam Coloniæ Anglorum, quæ ex Virginia illùc penetrârunt, teſte *Briſtokii Anglo*.

APAMA, Artaxerxis fil. Pharnabazi, Ioniæ & Lydiæ ſatrapæ, uxor

APAMA, Antiochi Seleucidæ filia. Pauſan. *l. 1.*

APAMÆENSIS Petrus, Vide *Petrus*.

APAME, Nicomedis mater, uxor Pruſiæ, Bithyniæ Regis à qua urbi *Apamea* nomen.

APAME, ſive APAMEA, Antiochi Soteris mater, ex Seleuco Nicatore; qui *Apameam* Syriæ condidiſſe & nomen ei uxoris indidiſſe fertur. Ejuſdem in honorem *Apameam* Phrygiæ, fil Antiochus præfatus extruxit. Salmaſ. *ad Solin. p. 216.* Vide etiam in voce *Apamea*.

APAMENA, Syriæ regio. *Ptol.*

APAMESTA, oppidum Magnæ Græciæ. Populi *Apameſtini*. Plin. *l 3. c. 11.*

APAMIA, vel APAMEA, Phrygiæ urbs, ad Marſyæ fluv. oſtia, *Cibotos* olim appellata. Græcè autem κιβωτὸς eſt *arca*, quâ voce utuntur tum author epiſtolæ ad Hebræos, *c 11. v. 7.* tum B. Petrus *ep. 1. c. 3. v. 20.* ubi de arca Noë; quam Flav. Joſephus λάρνακα vocat *Ant. Jud. l. 1. c. 4.* Strabo, Ἀπάμεια, ἡ Κιβωτὸς λεγομένη. Ptol. Ἀπάμεια Κιβωτός. Plin *l. 5 c. 29* *Tertius Apameam vadit, ante appellatam Celænas, deinde Ciboton.* Claudebatur enim in arcæ modum, à tribus fluviis illam ambientibus. Plinius ubi ſuprà: *Sita eſt in radice montis Signiæ, circumfuſa Marſyâ, Obrimâ, Orgâ fluminibus in Mæandrum cadentibus.* Nunc à paucis inhabitata. longitud. 59. 50. latitud. 39 50. Eſt & *Apamea* Bithyniæ oppid à Nicomede Pruſiæ regis filio, de matris *Apames* nomine ſic dictum, poſtea *Myrlea*, à *Myrlo* Colophoniorum duce appellata, urbs parva & malè culta, longitud. 56. 50. latitud. 49 56 Item urbs Mediæ, in illius & Parthiæ confinio *Miana*, teſte *Moletio*. Item alia in Meſopotamia, apud Euphratem fluv. ex adverſo Zeugmatis. longitud. 79. 50. latitud. 49. 56. Altera ad Tigrim in eadem provincia. ubi

ium

is in 2. alveos dividitur, ſupra Seleuciam ad 125. mill. paſſ. Alia in Perſide. Denique urbs Syriæ archiepiſcopalis olim clara ad Orontem fluv. inter Antiochiam, & Emeſam ad 65. mill. paſſ. à Lariſſa 15. *Hamam*, teſte *Bellonio*, *Hama Leunclavio*, *Aman* aliis, à Seleuco Nicanore rege condita, ac de ſororis, aliis, de uxoris nomine dicta. Hanc Thomas Epiſcopus dexteritate ſuâ, A. C. 544. ab armis Coſrois, Perſarum Regis qui advantabat Antiochiam devaſtaturus, liberavit. A Rege enim ad ſpectacula invitatus, proceſſit, quò animum ejus modis omnibus mitigaret, & placatum redderet: Interrogatuſque ab eo, an experteret ipſum in urbe ſua videre; ipſe qui ſciebat, prudentiæ partem eſſe, etiam apud feroeiſſimos homines, veritatem cum magnanimitate & modeſtia dicere, reſpondit: *Se nequaquam id cupere*. Quod reſponſum miratus tyrannus, Apameenſibus pacem dedit. Expugnata ſub Juſtino Minore A. C. 569. cui cum Coſroë & filio hujus Hormiſda res fuit. Vide Evagr. *l. 4. c. 24. 25. & l. 5. c. 7. 10.* P. Diacon. *l. 16.* Item Plin. *l. 5. c. 29.* Strab. *l. 6. & 11.* Regio *Apamena*. Dionyſ. v. 918.

Ἄγχι δ' ἐν' μεσάτῃ Ἀπαμηΐς πτολίεθρον
Τὴν δ' ἀμφὶ, αἰγλήεις κατακλύζεται ὑγρὸς Ὀρόντης.

longitud. 70. 00. latitud. 14. 45. Notandum hic, urbes hujus nominis ferè quotquot ſunt, aquis pariter circumfundi. Amm. Marcellin. de Apamea Meſenes: *Urbs eſt, quam Tigridis aqua ambiunt.* *Steph.* Ἀπάμεια ἔστι καὶ ἄλλη ἐν τῇ Μεσηνῶν γῇ τῷ Τίγρητι περιεχομένη. Et Plin. *loc. cit. Tigris circumdatur huic.* Idem de Apamia Phrygiæ, *Sita eſt in radice montis Signiæ circumfuſa Marſya.* *Steph.* de Apamia Syriæ, Ἐκαλεῖτο δὲ Χερρόνησος διὰ τὸ περιέχεσθαι τῷ ὕδατι. Itaque veriſſimum puto, quod obſervat Vir Maximus, *Apamia* vocem eſſe Syram, quamvis illius originem non videatur planè aſſecutus fuiſſe, quæ tota latet in Jonæ verbis, *c. 2. v. 4.* אפפוני מים *aphaphuni majim*, h. e. *circumdederunt me aquæ. Bochart.*

APAMIA, vulgo PAMIERS, urbs Galliæ, in Occitania. Hic circa A. C. 1207. Colloquium inſtitutum inter Albigenſium Doctores, & Didacum Epiſcopum Oxomenſem Dominicum Monachum Abbatemque Ciſtertienſem, ab Innocentio III. miſſos, cùm eadem res prius Carmanii tentata fuiſſet. Sed cùm Albigenſes de ſententia cedere nollent, crucem in eos ſumi juſſit Pontifex, pares indulgentias ac contra Turcas largitus. Ita Dominicô incentore, Simone vero Monfortiô duce, bellum atrox, A. C. 1209. Vide Papyr. Maſſon. *Hiſt. Gall. l. 3.* P. Æmyl *l. 6.* Propter hujuſdem urbis Epiſcopum, ob inſolentiam carceri incluſum, excommunicatus Philippus Pulcher Galliæ Rex à Bonifacio VIII. primo huic generoſè per literas reſpondit, dein Synodo Pariſiis convocatâ illum condemnavit, tandem per Vilhelmum Nogaretum Ananiæ cepit, A. C. 1301. 1302. 1303. Vide *Philippus Rex & Bonif. VIII.* Plura autem de *Apamea*, in *Appamia*. Addo ſaltem, quòd antequam urbs hæc à Bonifacio VIII. cujus antè mentio, Epiſcopatûs ſedes conſtitueretur, quod factum circa A. C. 1296. in Monaſterio S. Antonini ad Aregiam, quem *Apamienſium* Patronum caſtro S. Antonini nomen dediſſe, refert Valeſius: *nobiliſſimum caſtrum Apamiarum*, appellatur Petro in *Hiſtor. Albigenſium*, qui Abbatis ac Eccleſiæ S. Antonini Mart. apud Apamias quoque mentionem facit: *Villa Apamienſis*, in *Chron.* Simonis Montfortii. Subeſt Archiepiſcopatui Toloſano: alluit eam, Areja vel Aregia fluv. vulgò *Ariege*, qui Garumnâ recipitur, ut & Tarnis: Hunc auget Avario *Avayron*, qui Calliacum, Segodunum Rutenorum. Villam Francam Rutenorum, caſtrum S. Antonini, Nigrum Palatium *Negrepelice*, præterlabitur atque Tarni jungitur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

APANARCTICE, Græcè Ἀπαναρκτική, in Iſidori Characeni σταθμοῖς urbs eſt, caput provinciæ *Apanarcticenes*, ita enim ait: Ἐντεῦθεν Ἀπαναρκτικηνή, σχοῖνοι κζ. ἐν ᾗ πόλις Ἀπαναρκτική. Erat hæc provincia, unum ex duodeviginti Regnis Parthorum, quæ *dict. loc.* enumerantur, nec non apud Plinium, ubi de Parthorum Imperio. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1197.

APANARE, in *Charta* Dominorum Canneti in Provincia A. C. 1328. apud Car. du Freſne, panem eſt ac cibum porrigere paſcere *panem* enim pro quocunque alimento, uſurpari palàm eſt. Hinc *Apaner un fille*, in *Conſuetud.* Nivern. *c. 23. artic. 24.* alibique, ſeu *apanager*, in *Conſuetud.* Sylvanectenſi *art. 66.* &c. apud Eundem eſt dotem, ſeu legitimam portionem bonorum filiæ conferre, ita ut in cæteris hæreditatis bonis locum non habeat uſque renuntiet. Ab eodem fonte *Apanamentum* ſeu *Apanagium* Gallicis Scriptoribus uſurpatur, pro eo, quod ad victum & in alimentum ſecundogenitis præſtatur & conceditur à Parentibus, *Souſtenance* vocat Petrus de Fontanis in *Conſilio c. 34.* Nam in pluribus Galliæ provinciis, ut ait Petrus de Vineis *l. 6. Ep. 25. Major natu, excluſis minoribus fratribus & cohæredibus, ſolus in caſtro ſuccedit, inter eos nullo tempore dividendo.* Quippe Baroniæ ſeu majora prædia ac feuda diviſionem non recipiunt, ſed ad ſolum primogenitum pertinent: qui tamen tenetur *apanagium* fratribus aſſignare reliquis, pro dignitatis ac natalium ratione. Unde *Apanagium*, diviſioni, ſeu *partagio*, opponitur, in *Pacto* A. C. 1323. quod refertur in *Probationibus Hiſtoriæ Cabillonenſis*, eidem laudato. Introductus autem is mos, ut nobilium familiarum dignitas integra illibatuſque ſplendor permaneret, dum ad unum ex liberis univerſâ majorum prædiorum perveniente ſucceſſione, reliqui *apanagii*, ſeu *proviſione*, ut quoque vocatur, contenti vel clericalem aut cœlibem vitam eligerent, vel bella ſectarentur (niſi aliunde illos bonis ditari contigerit) ſicque feuda illa crebra ac frequenti diviſione non minuerentur. Quod exemplô geminô, in familia Monteſpeſſulana, illuſtrat idem Car. du Freſne: ut & de Comitibus Flandriæ idem docet, ex Lamberto Schaffnaburg. A. C. 1071. Neque alia fuit Principum quorundam mens, qui legum condendarum auctoritatem ſibi vindicantes ſtatuerunt, ut tota bonorum ſucceſſio unicum ſpectaret primogenitum, ſecundogeniti certis ſtatiſque penſionibus pro victu & veſtitu ad tempus contenti eſſent: quod etiamnum in Pomivenſi Comitatu & aliis aliquot Franciæ provinciis, obtinet. Inprimis verò id jure Reges uſurpârunt, non quidem primæ ſtirpis, cum Franciæ Regnum tunc non ſemel inter plures filios diviſum legamus; nec ſecundæ omnino, nam inter Ludovici Pii filios quanta bellorum hinc ſeges orta, notum. Tertiæ tamen, ubi certis pariter penſionibus ſecundogenitos contentos eſſe voluerunt, Regnum unigenito ſoli attribuentes, ad quem deficiente reliquorum lineâ directâ, bona ipſis, *apanagii* jure, conceſſa redeunt. Quod quidem ex antiqua Regni conſuetudine obtinuiſſe, probat ſæpe laudatus Auctor, ex *Areſto*, è ſchedis Peireſcianis à ſe deſcripto, quod vide, ſi collibitum eſt, apud eum in *Gloſſar.* idem moris alibi quoque obtinuiſſe, vigereque etiam noſtro tempore, dicemus infrà, ubi de *Primogenitorum jure*.

APANCHOMENE, Ἀπαγχομένη, Diana apud Arcadas. Clemens *in Protreptico*.

APANTA, provinc. Terræ firmæ, in America Meridionali inter lacum *de Parimé*, & fluv. Amazonum, ubi etiam *Apantes*, populi ad ſiniſtram fluv. Amazonum ripam, ad Occidentem provinc. *Coropæ*, *Textera*.

APAPPUS Maximus, Regum Thebanorum in Ægypto XX. Succeſſit Pammo Archondæ, regnavit *una horâ minus annis* C. Manetho apud Syncellum, *p. 104.* Cognomentum *Maximi* veriſimiliter ab incremento imperii accepit, namque ſub eo & Thinitarum & Memphitarum regnum cum Thebano coaluiſſe videtur. Ei ſucceſſit Acheſeus Ocaras. Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec. VI.* Idem *Apappum* hunc Memphitis *Piopem* dictum, & illô adhuc in ſuperiore Ægypto regnante, Iſraëlitas in inferiorem adveniſſe, monet, *ad Sec. VII.*

APARCTIAS, ventus ab Arcto flans, h. e. à Septentrione. Plin. *l. 2. c. 47.* Iidem nempe erant hi duo venti, *Aparctias* & *Boreas*, in prima & antiquiſſima diviſione Ventorum quaternaria, ut & in ſecunda octonaria, cujus auctor fuit Andronicus, de quo ſuprà. At in duodenaria, quæ ſequuta eſt, & cujus Ariſtoteles meminit in *Fragm.* περὶ Σημείων, Ἀπαρκτίας ſeu *Septentrio*, inter *Boream* ſeu *Aquilonem* & Thraſciam medius eſt. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1247. & ſeqq.*

APARIA, provinc. Peruviæ, in America Meridionali prope fluv. Amazonum, ubi recipit Cumaraium, ad Septentrionem provinciæ Pacamorum. *P. Textera.* Ei inſidet Canela provinc. ad Occidentem.

APARNI, Scythiæ populi ex Nomadum gente, Hircanis, & eorum mari proximè adjacentes. Strabo *l. 11.*

A PARIBUS, titulus quô Gregorius M. Pontifex Roman. in *Regiſt. in principiis Epiſtolarum* utitur, quoties ad homines mediocris conditionis ſcribit. Macer in *Hierolexico*. Vide infrà *Appar.*

APARTHENI, populi circa Mæotim. Plin, *l. 6. c. 7.*

APASIACÆ, gens Maſſagetarum. *Steph.* & *Strabo*

APATHIS, apud Plin. *l. 7. c. 19.* *Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam torvitatemque naturæ duram & inflexibilem affectuſque humanos adimit; quales Apathis Græci vocant, multos ejus generis expertus, quod mirum ſit, auctores, maximè ſapientiæ, Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum, Timonem, hunc quidem etiam in odium generis humani evectum, &c.* Græcè ἀπαθεῖς: de quibus vide inprimis, ubi de *Stoicis*.

APATURIA, Minerva ab Æthra ſic dicta, quæ per quietem ab ea monita, ut Sphæro ſacrificaret, cùm in inſulam trajeciſſet, à Neptuno compreſſa, Palladis templum ibi erexit. Prætereaque conſtituit, ut Trœzeniorum virgines zonas ante nuptias Apaturiæ Palladi conſecrarent. Item *Apaturia* Venus dicta. Nam cùm Gigantes quodam tempore vellent eam interimere, dicitur in latebris tam diu delituiſſe, donec Herculis auxiliô ſigillatim omnes interfecit. Inde *Apaturum*, Veneris templum in Phanagoria. Steph. *ex Strabone*

APATURIA, feſta Athenienſium; quàm vocem rectè *Budæus* vertit, *Feſtum deceptionis*: quippe cui præbuit originem ἀπάτη, i. e. *deceptio*. Nam cùm finium regundorum controverſiam, inter Athenienſes & Bœotos ortam, Reges Melanthius, & Xanthius certamine ſingulari dirimere ſtatuiſſent, Xanthius aſtu circumventus occubuit. His enim dimicantibus, quidam à tergo Xanthii nigrâ pelle capræ indutus apparuit: Tunc Thymœtas (Is enim tunc regni præfectus fuit) injuriam ſibi fieri queſtus, quòd ad ſingulare certamen Xanthius cum ſocio accederet, Xanthius reſpiciendi gratiâ converſus ab adverſario interficitur. Cùm verò Bacchus creditus eſſet pelle capræ apparuiſſe indutus, dies feſti fuerunt, in ejus honorem, ab Athenienſibus menſe Octobri inſtituti. Ariſtophanis Interpres nunquam ſatis laudatus *in Acharnens.* Πόλεμος ἦν Ἀθηναίοις πρὸς Βοιωτοὺς περὶ Κελαινῶν, ὃ ἦν χωρίον ἐν μεθορίοις. Βοιωτὸς δὲ ὁ Βοιωτῶν προσκαλεῖται τὸν Ἀθηναίων βασιλέα Θυμοίτην. Οὐ δεξαμένου δὲ αὐτοῦ, Μέλανθος ὑπέδυ, Μεσσήνιος τὸ γένος, ἀπὸ Περικλυμένου τοῦ Νηλέως ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ. Μονομαχούντων δὲ ἰδὼν τῷ Μελάνθῳ ἐκ τοῦ ὄπισθεν τοῦ Βοιωτοῦ [illegible] αἰγίδα [illegible]. Ἔστι δ' ἄδικον αὐτῶν, δεύτερον ἥκειν, ὁ δὲ ἐπιστραφείς. Ὁ δὲ παίσας ἀπέκτεινεν αὐτόν. Ἐκ δὲ τούτου ἑορτὴ Ἀπατούρια, καὶ Διονύσου Μελαναιγίδος ἱδρύσατο. Quamobrem, qui genus ſuum referebant ad Melanthium, i. e. omnes verè Iones, Apaturia celebrant, exceptis Epheſiis & Colophoniis. Herodotus *Muſâ primâ*: Εἰσὶ δὲ καὶ πάντες Ἴωνες, ὅσοι ἀπ' Ἀθηνέων γεγόνασι, καὶ Ἀπατούρια ἄγουσι ὁρτήν. Ἄγουσι δὲ πάντες, πλὴν Ἐφεσίων καὶ Κολοφωνίων. Οὗτοι γὰρ μοῦνοι Ἰώνων οὐκ ἄγουσι Ἀπατούρια, καὶ οὗτοι κατὰ φόνου τινὰ σκῆψιν. Vide etiam Natal. Comit. *l. 5. c. 12.* Porrò quæ *ad Acharnens.* Ariſtophanis Interpres expoſuit, repetit *in Pace*, & *Suidas* ad verbum, uti ferè ſolet omnia, excerpſit: Niſi quòd dies quatuor enumerat, uti etiam tot fuiſſe confirmat *Harpocration*, Ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις, ἐν ᾗ [illegible] ἡμέρας τέτταρας. *Heſych.* Ἀπατούρια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἐπὶ ἡμέρας τέτταρας. Ὧν ἡ πρώτη, Δορπία καλεῖται, ἡ δὲ δευτέρα Ἀνάρρυσις, ἡ τρίτη Κουρεῶτις, ἡ δὲ τετάρτη Ἐπίβδα.

De quibus ſuis locis. Ita *Nic. Lloydus.* Res verò ſic habuit. Athenienſibus cum Bœotis certantibus *de Celænis*, in confinio, lite tandem in monomachiæ eventum collatâ, Xanthius Thebanus pro *Bœotis* pugnaturum ſe ſtitit; Thymætes autem Athenienſium Rex μονομαχίαν detrectans, abdicavit regnô. Subſtitutus eſt Melanthus, qui ſtratagemate præfato adverſarium ſtravit: unde illi regnum delatum, & feſto *Apaturiorum* origo: in cujus primo die Tribules *veſperi epulabantur*, unde is Δόρπεια; in altero, *ſacra faciebant* Jovi τῷ Φρατρίῳ & Minervæ, unde is Ἀνάῤῥυσις, in tertio *pueros & puellas* in Tribus adſcribebant, unde is Κουρεῶτις dictus eſt. Quartam diem ἐπίβδα adduunt alii, ut vidium. Adde jam laudatis Auctoribus Frontinum *Strategem. l. 2. c. 5.* Polyænum *l. 1. c. 19.* Cononem apud Photium *Narrat.* 39. ubi Melanthum Meſſenâ & Pylô ab Heraclidis pulſum, ſingulari certamine *Oenoas* (non Celenas) Athenienſibus, ſibi regnum acquiſiviſſe, refert. Alios. Illuſtr. præcipuè Marshamum *Canone Chron. Sec. XIII.* ubi *de Melantho Rege* ex profeſſo agit. De tertio die quod diximus, non omittendum, in Φρατρίας aſcribi apud Athenienſes filios ſolitos, poſtquam Patres ſuos illos eſſe ſacramenti religione confirmârunt. Unde, quia prius quaſi ἀπάτορες cenſebantur, feſto nomen datum eſſe, vult Auctor *Etymologici.* Xenophon autem *Hellen. l. 1.* Ὅτε οἵ τε πατέρες καὶ οἱ συγγενεῖς ξύνεισι σφίσιν αὐτοῖς, *quoniam genitores tum cum affinitate propinquis conveniebant*, eâdem ratione hoc feſtum Ἀπατούρια vocatum ait, quâ uxor ἄκοιτις quaſi ὁμόλεκτρος, vel ἄλοχος quaſi ὁμολέχος dicta eſt; Vide Franc. Roſſæum *Archæologia Attica l. 5. c. 12.*

APEAUROS, mons in Peloponneſo. Polybius *l. 4.*

APELBUSA, quæ & *Antelbuſa*, Inſul. Aſiæ minoris in ora Pamphiliæ, & ſinu Attalico, inter Attaliam & Sidam, urbes littorales.

APELIOTES, idem ventus cum Euro, in diviſione ventorum quaternaria; ſed ab eo, in octonaria Andronici, diviſus: ab Æquinoctiali exortu procedit, Græcè Ἀπηλιώτης: de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1250. & ſeqq.* & infra in *Carus.*

APELLA, idem eſſe quod verpum ſive recutitum, ac dici quaſi *ſine pelle*, etiam magnus Turnebus cenſet *l. 24. c. 9. & l. 28. c. 21.* Imò in *veteri* quoque *gloſſario* legas *Apella*, λειπόδερμος. Impoſuit autem iis Horatii locus *l. 1. Sat. 5. v. 100.*

—— —— Credat Judæus Apella.

Ubi *Apella* eſſe proprium viri, tum quantitas primæ ſyllabæ comprobat, tum quod eôdem modô Clium *Apellam* legimus, apud Ciceronem, *Ep. ad Att. l. 12. ep. 19.* Quanquam duo veteres Horatii Scholiaſtæ cum vulgo interpretantur: Hic *Apella, quod pellem in parte genitali non habeat.* Ille, *Fingit, nomen, quaſi ſine pelle, aut certè Apella, quia præputium non habet. Nic. Lloydius.*

APELLAS, Cyrenæus Geographus, memoratur in epitome Artemidori Epheſii. Fortè eſt idem qui de rebus Delphicis commentarium edidit, cujus meminit Clem. Alexandr. *in Protreptico.* Videndum annon idem ſit, qui Athenæo Apollas vocatur. Voſſio quidem *de Hiſtor. Græc. l. 3. & ſcient. Mathem. c. 69. §. 27.* ſic videtur, quia & is de urbibus ſcripſit, & proclivis in una litera lapſus fuit.

APELLEI, populi quidam. Plin. *l. 6. c. 17.* lege *Apelleæ*, ſunt autem in Scythia.

APELLES, Cous, pictor eximius, ingeniô, & gratiâ, quam in ſe maximè jactabat, præſtantiſſimus, voluminibus etiam apud Perſeum diſcipulum editis, quæ artis ſuæ doctrinam continerent. Floruit Alexandri M. temporibus, qui ab illo tantùm depingi voluit, Pancaſte Lariſſæâ ei donatâ. Horat. *ad Auguſtum de Alexandro l. 2. Ep. 1. v. 239.*

Edictô vetuit, ne quis ſe, præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra,
Fortis Alexandri vultum ſimulantia.

Cicer. *Ep. 12. l. 5. ad L. Lucceium: Neque enim Alexander ille gratiæ cauſa ab Apelle potiſſimum pingi, & a Lyſippo fingi volebat: ſed quod illorum artem cum ipſis, tum ſibi etiam gloriæ fore putabat.* Plut. *de Fortuna Alexandri*: Ἦν δὲ καὶ Ἀπελλῆς ὁ ζωγράφος, καὶ Λύσιππος ὁ πλάστης κατ᾽ Ἀλέξανδρον, ὧν ὁ μὲν ἔγραψε τὸν κεραυνοφόρον Ἀλέξανδρον οὕτως ἐναργῶς, καὶ κεκραμένως, ὥστε λέγειν, ὅτι δυοῖν Ἀλεξάνδρων, ὁ μὲν Φιλίππου γέγονεν ἀνίκητος, ὁ δὲ Ἀπελλοῦ ἀμίμητος. Ovid. *l. 3. de Art. Am. v. 401.*

Si nunquam Venerem Cois pinxiſſet Apelles,
Merſa ſub æquoreis illa lateret aquis.

Propert. *eleg. 8. l. 3.*

In Veneris tabula ſummam ſibi ponit Apelles.

Hinc *Apelleus* adject. Propert. *l. 1. Eleg. 2. v. 21.*

Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis eſt color in tabulis.

Statius, *l. 5. Sylv. 1. v. 5.*

Ut vel Apelleô vultus ſignata colore.

Vide Plin. *l. 35. c. 10.* Ælian. *Hiſt. l. 12. c. 34.* Val. Max. *l. 8. c. 11. ex. ext. 2.* & Quinctil. *l. 12. c. 10.* Non omittendus hic locus ille S. Empirici Pyrrhon. *Hypotyp. l. 1. c. 12.* Ὅπερ ἐν λόγοις Ἀπελλῇ τῷ ζωγράφῳ λέγεται, τοῦτο ὑπῆρξε τῷ Σκεπτικῷ· φασὶ γὰρ ὅτι ἐκεῖνος ἵππον γράφων, καὶ τὸν ἀφρὸν τοῦ ἵππου μιμήσασθαι τῇ γραφῇ βουληθεὶς, οὕτως ἀποτυγχάνειν, ὡς ἀπειπεῖν, καὶ τὴν σπογγιὰν εἰς ἣν ἀπέμασσε τὰ ἀπὸ τοῦ γραφείου χρώματα προσρίψαι τῇ εἰκόνι. Τὴν δὲ προσαψαμένην ἵππου, ἀφροῦ ποιῆσαι μίμημα. *Nic. Lloydius.*

APELLES, Monachus Ægyptiacus plurima miracula edidiſſe fertur. Hunc, cùm in opere fabrili tenere ut occupatum, (banchanamque artem profitebatur) ſpectrum dæmonis noctu, habitu mulieris formoſæ, quam continens eſſet, tentare cœpit, qui ferrô, quod tum poliebat, ex igne extractô, dæmonis faciem exuſſit; Dæmon autem cum fremitu horrendo & ejulatione aufugit; Sozom. *l. 6. c. 28.* Item *Apelles*, vir commendatus à D. Paulo. Rom. *c. 16. v. 10.*

Fuit etiam *Apelles*, Marcionis hæreticî ſectator, à cujus communione rejectus, novæ hæreſeos auctor exiit. Legem & Prophetas ſprevit, Chriſto corpus aëreum adſcripſit, reſurrectionem negavit, &c. De hoc vide Euſeb. *l. 5. Hiſt. c. 13.* Epiphan. *hær. 44.* Auguſtin. *hær. 23.* Tertullian. *de præſcr. c. 30. 31.* Baron. *A. C. 146.*

APELLICON, Teius, Ptolemæi Lathyri tempore floruit. Philoſophus fuit Peripateticus, qui de Hermea Atarnenſium tyranno, & Ariſtotelis cum eo familiaritate ſcripſit. Teſtis eſt Ariſtocles Peripateticus *l. 7. de Philoſophia*, apud Euſeb. *de Præp. Evangel. l. 15. c. 2.* Πῶς μὲν δὴ Ἑρμείᾳ καὶ τῷ Ἀριστοτέλει φίλος ἐγένετο, ἄλλοι τε πολλοὶ συγγεγράφασι, καὶ δὴ καὶ Ἀπελλικῶν, οὗ τοῖς βιβλίοις ὁ ἐντυχὼν, παύσεται βλασφημῶν αὐτόν. Apellicon autem hic familiaris erat Athenioni itidem Peripatetico, Athenionis illius, qui in Erymnei Peripatetici ludo diligentem ſe diſputatorem præbuit, filio, Athenienſium tyranno, cùm Mithridates Aſiam in ſuam poteſtatem redegerat, An. Urb. Cond. 665. ut fusè narrat Athenæus *l. 5.* Biennio poſt Romani, duce Syllâ, Athenas receperunt, ubi Sylla Apelliconis jam mortui, teſte Strabone *l. 13.* bibliothecam, in qua pleraque Ariſtotelis & Theophraſti erant libri multis parum noti, Romam deportandam curavit, ut patet ex *Plutarcho.* Apellicon autem libros illos à Nelei, cui *Theophraſtus* bibliothecam ſuam tradiderat, poſteris magnô emit. Strabo *ubi ſupra*, Apelliconta φιλόβιβλον magis, quàm φιλόσοφον fuiſſe tradit, ejuſque librorum uſum Romæ à Bibliothecæ præfecto Tyrannionem Grammaticum impetrâſſe, à quo nos exemplaria corrupta habeamus. *Nic. Lloydius.* De ejus hæredibus *Strabo*, Κατακλεῖσαι, inquit, εἶχον τὰ βιβλία, quòd Ariſtotelis libros ſub clave haberent, nec exire in publicum ſinerent. Vide infrà in voce *Catacliſta.*

APELITÆ, Hæretici, Angelum quendam Deo ſuperiorem, quem *Deum igneum* appellabant, Iſraëlitarum Legiſlatorem fuiſſe, aſſerentes; Chriſtum verum Deum eſſe negârunt, &c. ab *Apelle* quodam dicti, de quo vide ſuô locô. Dominic. Macer in *Hierolexico.*

APENARII, apud Trebellium Pollionem in *Gallienis c. 8.* ſeu *Apinarii* aut *Apenarii*, ut in quibuſdam MSS. legi Caſaubon. monet; Meurſio *in Gloſſar.* ἀπηνοχοι ſunt, i. e. *aurigæ*, ἀπήνη enim *currum aſinis aut mulis junctum* denotat. Vide infrà *Apinarii.*

APENESTÆ, urbs Apuliæ Dauniæ. *Ptol.* Ἀπουλῶν Δαυνίων. Σαλαπία, Σιπιοῦς, Ἀπενέσται. *Veſte* hodiè, *Ligoria* autem *Manfredonia* dicitur. Quô locô autem fuerit, divinatu haud facile eſt, inquit *Cluverius.* In regno Neapolitano & provinc. Capitanata ſitam, 16. milliar. ab Hurio in Eurum, habet Ferrarii ult. editio. Caſtrum habet munitum, ſed paucis conſtat incolis. In ora maris Adriatici.

APENNINUS, mons, cujus nominis origo planè incerta eſt; ſiquidem nemo eam unquam aperuit, niſi quæ per ſummum delirantis cerebri paganorum de eo adnotaverunt Grammatici, in quibus Iſidor. *Origin. l. 14. c. 8.* ita tradit: *Apenninus mons adpellatus, quaſi Alpes Pœninæ; quas Hannibal veniens ad Italiam, eaſdem Alpes aperuit: unde & Virgilius, Alpes immittet apertas. Has enim Hannibal poſt bella Hiſpaniæ acetô rupit, & inde loca ipſa, quæ rupit, Apenninæ Alpes vocantur.* Servius, ad Virg. *Æn. l. 10. v. 13. Alpes immittet apertas. Has (inquit) ante exuſtas, acetô infuſô Hannibal rupit, & inde loca ipſa, quæ rupit, Apenninæ Alpes vocantur.* Paul. Diaconus, *rerum Longobardicarum l. 2. c. 18. Apenninæ Alpes, per medium Italiam pergentes, Tuſciam ab Æmilia, Umbriamque a Flaminia dividunt. Alpes autem Apenninæ dictæ ſunt a Pœnis, h. e. Annibale, & ejus exercitu; qui per eaſdem Romam tendentes tranſitum habuerunt.* Ecquid hos homines ullam Italiæ cognitionem habuiſſe dixeris? Ecquid Romanas hiſtorias de bello Hannibalico unquam legiſſe crediderit? Vix arbitror, (inquit *Cluverius*) Quippe quis tam rudis imperitusque rerum Romanarum eſſe poteſt, qui ignoret, quô tractô ſint *Pœninæ*, ſive ut alii ſcripsêre, *Penninæ Alpes*, quas Hannibal cum Punico ſuo exercitu ferrô, igni, acetoque rupiſſe traditur? Nempe, qui nunc vocatur *mons Jovis*, ſive aliô nomine, *Mons Divi Bernhardi*: quà tranſitus eſt ex Salaſſiis ab Auguſta Prætoria in Veragros ad Octodurum, quod vulgò dicitur incolis *Martinach.* Cæterùm de Apennino, ita tradit Liv. *l. 36. c. 15. Id jugum, ſicut Apennini dorsô Italia dividitur, ita mediam Græciam dirimit.* Et Martianus Capella *l. 6. Si a primis Alpibus dextrum latus, & prolixi montis brachium contempleris, promuntorias utrinque componens: Theatrum quoddam ſpectare videaris undarum. Lunata quippe, & quodam hemicycliô in promuntorium memoratum circumfertur Italia.* Leucopetram intelligit. Plinius *initio c. 5. l. 3. Lucanum Bruttiumque litus, quò longiſſimè in meridiem ab Alpium ſine lunatis jugis in maria excurrit Italia.* Et eodem capite poſteà, expoſitâ Ligurum orâ maritimâ: *A tergo autem ſupra dictorum omnium Apenninus mons, Italiæ ampliſſimus, perpetuis jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum.* Vetus commentator Horatii, ad *Epodôn od. 16. Apenninus mons ab Alpibus ortus, & mediam Italiam longiſſimo tractu, verſus Siculum fretum, quaſi dorſo quodam ſcindens, inferum mare a ſupero dividit.* Strabo *l. 2.* Νέμονται δ᾽ οἱ Λίγυες μέρος τῶν Ἄλπεων, καὶ συνάπτουσι τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι, μέρος δὲ καὶ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν κατέχουσι. Ταῦτα δ᾽ ἐστὶν ὀρεινὴ ῥάχις διὰ τοῦ μήκους ὅλης τῆς Ἰταλίας διατείνουσα ἀπὸ τῶν ἄρκτων ἐπὶ μεσημβρίαν, τελευτῶσα δ᾽ ἐπὶ τὸν Σικελικὸν πορθμόν. Ptol. *in deſcriptione Italiæ*: Τὰ δὲ Ἀπέννινα ὄρη ἀπείργεται μὲν ἐν τῇ Λιγυστικῇ ἀρχόμενα ἀπὸ τῶν Ἄλπεων, καὶ μέχρι τούτου ἐκτείνεται ἄχρι Ἀγκῶνος, κἀνθένδε ἐπιστρέφει ἀπὸ μεσημβρίας, τελευτᾷ ἐπὶ τὴν Λευκόπετραν. Lucan. *l. 2. v. 399.*

Mons inter geminas medius ſe porrigit undas
Inferni ſuperique maris: colleſque coercent,
Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Piſæ;
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

Rutilius *Itinerarii l. 2. v. 27.*

Di-

Diverſas medius mons obliquatur in undas,
Quà ferit, atque refert Phœbus uterque diem.
Urget Dalmaticos Eoö vertice fluctus,
Cæruleaque occiduo frangit Etruſca jugo.

Polybius *l.* 2. Τὸν δ' Ἀπέννινον ἀπὸ μὲν τῆς ἀρχῆς Λιγυστικοὶ κατοικοῦσι, καὶ τὸν ἐπὶ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος πλευρὸν αὐτοῦ κατακείμενον, καὶ τὸν ἐπὶ θάτερα πρὸς θάλατταν μέν, μέχρι πόλεως Πίσης. Ἑξῆς δὲ Τυῤῥηνοί, τοῦτοις δ' ἑξῆς ἐπὶ [illegible] Ὀμβροι. Λοιπὸν ὁ μὲν Ἀπέννινος ἀπέχων ὅσον ἀπὸ τὸν Ἀδρίαν θάλατταν σταδίους πεντακοσίους, ἀπολείπει τὰ πεδία δεξιός, [illegible] καὶ διὰ μέσων τῶν Ἰταλίας διίκων εἰς τὸ Σικελικὸν καταστρέφει πέλαγος. Apennini deſcriptionem etiam nobis exhibet Marcus Vitruvius Pollio *l.* 2. *c.* 10. cujus verba apponam: *Montis Apennini primæ radices ab Tyrrheno mari in Alpes, & in extremas Hetruriæ regiones oriuntur. Ejus verò montis jugum ſe circumagens, & media curvatura prope tangens oras maris Adriatici, pertingit circumitionibus contra fretum. Itaque citerior ejus curvatura, quæ vergit ad Hetruriæ Campaniæque regiones, apricis eſt poteſtatibus: namque impetus habet perpetuos à Solis curſu. Ulterior autem quæ eſt proclinata ad ſuperum mare, Septentrionali regioni ſubjecta, continetur umbroſis & opacis perpetuitatibus.* Cæterùm ex Polybii loco, nuper adducto, hæc hauſit Strabo, *l.* 5. Τὰ Ἀπέννινα ὄρη [illegible] Λιγυστικῶν, εἰς τὴν Τυῤῥηνίαν ἐμβαλεῖ, στενὴν παραλίαν ἀπολείποντα. Εἶτ' ἀναχωροῦντα εἰς τὴν μεσόγαιαν κατ' ὀλίγον, ἐπειδὰν γένηται κατὰ τὴν Πισᾶτιν, ἐπιστρέφει πρὸς ἕω καὶ πρὸς τὸν Ἀδρίαν, ἕως τῶν [illegible] καὶ Ἀγκῶνα τόπων. Συνάπτοντα δὲ τοῖς ὄρεσι τούτοις, [illegible] ταύτῃ πλάτος τῆς Ἰταλίας ἀπὸ θαλάττης ἐπὶ θάλατταν [illegible] λαμβάνει πάλιν, καὶ τέμνει τὴν χώραν ὅλην ἐπὶ μῆκος, [illegible] Πευκετίων καὶ Λευκανῶν οὐ πολὺ ἀφίσταται τοῦ Ἀδρίου, [illegible] Λευκανοὺς ἐπὶ τὴν ἑτέραν θάλατταν ἀνακλᾶται μᾶλλον, καὶ λοιπὸν διὰ μέσων τῆς Λευκανῶν καὶ Βρεττίων διεξιόντα τελευτᾷ πρὸς τὴν Λευκόπετραν τῆς Ῥηγίνης. Claudian. *in Panegyrico de* 6. *Conſulatu Honorii v.* 386.

---- Stipatus adhuc, equitumque catervis
Ingreſſus, ad montes reliquo cum robore ceſſit,
Quos Apenninum perhibent. Hunc eſſe ferebat
Incola, qui, Siculum porrectus ad uſque Pelorum,
Finibus ab Ligurum populos amplectitur omnes
Italiæ, geminumque latus ſtringentia longe
Utraque perpetuo diſcriminat æquora tractu.

Unus quidem Strabo Apennini quaſi alterum quoddam cornu à proximis Lucanorum finibus, fonteque amnis Bradani in Apuliam producit; quod jugum Alpibus cohærens, *Vulturem* dictum fuiſſe incolis oſtendit *Cluverius.* Atqui reliqui omnes authores unum Apenninis lunatum jugum faciunt, ab Ligurum finibus ad Leucopetram uſque promontorium. *Strabonis*, ut videtur, verbis inducti noſtri ævi Geographi, Apenninum in duo ſcindi cornua affirmârunt; quorum alterum in Leucopetra; in Salentino ſive Japygio promontorio alterum finiatur. Quod idem innuere quoque putârunt Pomponii verba, quæ *l.* 2. *c.* 4. ſunt hujuſmodi; *Italia ab Alpibus incipit in altum excedere: atque ut procedit, media ſe perpetuo Apennini montis jugo attollens, inter Hadriaticum & Thuſcum, ſive, ut aliter eadem appellantur, inter ſuperum mare, & inferum excurrit: diu ſolida: verum ubi longe abit, in duo cornua ſcinditur; reſpicitque altero Siculum pelagus, altero Ionium.* Quæ ita Solinus *c.* 8. mutuata refert: *Italia universa conſurgit à jugo Alpium, unde procedens paulatim, ſe Apennini dorſo extollit, excelſa inter Tuſcum & Adriaticum, i. e. inter ſuperum mare, & inferum. Ubi longius proceſſit, in cornua duo ſcinditur; quorum alterum Ionium ſpectat æquor, alterum Siculum.* Verùm his verbis non Apenninus mons, ſed ipſa terra Italia *in duo ſcindi cornua* diſertiſſimè perhibetur. Præterea falſum eſt, quod illi noſtri ſeculi adfirmant homines, Apenninum aliquod continuatum in Japygium uſque promontorium. Quippe prædictus *Vultur mons*, quem *Strabo* vocat partem Apennini, non ultra regionem Egnatiæ extenditur. Reliqua hinc terrarum pars, ad memoratum uſque promontorium ſatis jam plana eſt; etiamſi incola nuper hujus oræ Antonius Galatæus, *in libro de Japygia*, montes hîc extollat tantò verborum tumore, uti Apenninique ipſarum Alpium altitudinem, antè quàm coram ipſe inſpexerat, exæquare eos exiſtimaverit *Cluverius.* De cætero nec illud verum eſt, quod unus *Ptol.* ait, ad Garganum adpropinquare Apenninum montem: quum hâc regione ferè medium teneat Italiæ inter gemina maria. Apud Lucanum quoque de eodem Apennino ſic ſcriptum eſt, *l.* 2. *v.* 432.

---- Non deſerit antè
Heſperiam, quam cum Scylleis clauditur undis,
Extenditque ſuas in templo Lacinia rupes
Longior Italiâ, donec confinia ponti
Solveret incumbens, terraſque repelleret æquor.
At poſtquam gemino tellus eliſa profundo eſt,
Extremi colles Siculo ceſſêre Peloro.

Siciliam vult quondam adnexam fuiſſe Italiæ; ut plerique alii veteres authores (uti oſtendemus *in Rhegium*) ante ejus divulſionem Apenninum extenſum fuiſſe in eam inſulam, quà Pelorus mons Meſſanæ Tauromenioque urbibus imminet. At quam hîc partem ille facit Apennini, veluti cornu quoddam, in Lacinium uſque promontorium ad 40. fermè millia extenſum, Plin. *l. c. montem Clibanum* vocat. Undè igitur perpetuò dorsò Apenninus à Ligurum finibus, per omnem reliquam Italiam, ad fretum uſque Siculum in promontorium Leucopetram excurrit. Hyperbolicè quidem, poëtico more, de montis hujus rectitudine loquitur Dionyſius, dum eum Italiam mediam dividere affirmat, tanquam lineam amuſſi fabrili ductam. Ita enim verba ejus ſunt intelligenda. *v.* 339.

Μέσσῃ δ' ἀμφοτέρων ὀρθὸν τετάνυσται Ἀπεννίνος οὖρος
Πιλνάμενος, τὸν μέν τε μέσον ὅρος ἄνδιχα τέμνει

Ὀρθόν, ὥς ἐκ στάθμης ἐληλαμένον (ἐκ δ' ἂν ἐκεῖνο
Ἴδοις παρκείμενον ἀτραπιτοὺς Ἀδρίου)
Ὃ μέν τε κατάγοντες Ἀπέννινον, ἐκ δὲ βορείης
Ἄλπιος ἀρχόμενον Σικελὰς ἐπὶ πορθμὸν ἐλᾷ.

Ubi in ultimis verbis hypallagen eſſe oportet, ſi authorem errore liberare volumus; ut non intelligatur *à Boreali Alpium parte eſſe Apennini principium*, ſicut verba præ ſe ferunt (cùm ab Auſtrali potius earum parte oriatur ſcil. juxta Liguriam) ſed quòd *ipſe Apenninus ab alpibus*, ut Boreali ſuo termino, oriatur; qui inde ad Orientem & Meridiem vergit, Italiam ferè mediam ſecans, donec ad fretum Siculum deſinat. *Longitudinem* hujus montis tribuit poëta quidam (quem Neronem fuiſſe vulgò putant) apud Perſium *Sat.* 1. *v.* 95.

Sic coſtam longo ſubduximus Apennino.

Altitudinem ejuſdem indicare voluit Petronius Arbiter *in Satyrico*, Diſcordiam introducens hôc modô:

Hæc ut Cocyti tenebras, ac Tartara liquit;
Alta petit gradiens juga nobilis Apennini:
Unde omnes terras, atque omnia litora poſſet
Aſpicere, ac toto fluitantes orbe catervas.

Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 701.

Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipſe, coruſcis
Quum fremit ilicibus, quantus gaudetque nivali
Vertice ſe attollens pater Apenninus ad auras.

Horatius *in Epod. Od.* 16. *v.* 29.

In mare ſeu celſus procurrerit Apenninus.

Lucanus *l.* 4. *v.* 396.

Umbroſæ mediam, quà collibus Apenninus
Erigit Italiam, nullo quà vertice tellus
Altius intumuit, propiuſque acceſſit Olympo.

Silius Italicus *l.* 4. *v.* 743.

Horrebat glacie ſaxa inter lubrica ſummo
Piniferum cœlo miſcens caput Apenninus;
Condiderat nix alta trabes; & vertice celsô
Canus apex ſtrictâ ſurgebat ad aſtra ruinâ.

Verùm licèt immenſæ ſit altitudinis Apenninus; tamen Alpium ſublimitatem minimè adæquat, Cluveriô teſte. *l.* 3. Utroſque conjunxit Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 226.

Aeriaque Alpes, & nubifer Apenninus.

Nic. Lloydius. Varia ſortitur nomina diverſis in locis. Inter agrum Mutinenſem & Lucenſem dicitur *Mons S. Peregrini*, ubique arduus & difficilis valde, ſoloque à fluvio Aufido ſecatus, prope Compſam urbem. *Baudrand.*

APENNIS, Carolo du Freſne ſcriptum dicitur, confectum in gratiam eorum, qui incendiô aut hoſtili deprædatione, chartas, quibus poſſeſſionum ſuarum proprietatem & jura oſtendere poſſent, deperdiderunt. Tunc enim coactâ loci plebe ipſoque coram Judice factâ accuratâ inquiſitione, aliud conficiebatur inſtrumentum, quò in poſterum rerum ſuarum jura firmarentur: idque duplici factô exemplari, quorum unum in Foro civitatis publico affigeretur, ut omnibus innoteſceret; alterum penès poſſeſſorem remaneret, qui id ad majorem cautelam Regis ipſi, aut loci domino, firmandum proferret. Unde *relatum* & *Chartula relationis* dicitur, in veterib. formulis à *Bignonio*, & *Lindenbrogio* editis, quia ex aliorum relatu conficiebatur. Meminit hujus rei Incertus auctor in *Formulis* poſt Marculfum *c.* 45. cui titul. *Relatum, quod dicitur Apennis: Mos nobilium Romanorum adſtruit & ratio ejus depoſcit, ut ſi cujuſcunque domus igne crementur, is per ſpeciem ſcripturarum Chartulam relationis, quæ dicitur* Apennis, *recipiat.* Vide quoque *Formulas* veter. ſecundùm Legem Roman. eidem laudatas *c.* 28

APENROA, vulgò APENRADE, urbs parva Daniæ & Iutiæ Meridionalis prope mare Balticum, in Ducatu Sleſvicenſi. Portu gaudet capaci.

APER, (Arius) occidit Numerianum Imperatorem generum ſuum, ut ipſemet imperiô potiretur, ſed à Diocletiano, qui imperator proclamatus eſt, viciſſim neci eſt datus, qui ſic *Aprô fatali*; ut quondam ei à Maga quadam prædictum erat, interfectô, Imperium obtinuit. Vopiſc. *in Caro & Numeriano. c.* 12.

APER, Conſul Rom. Catulini collega. Alter Pollionis 2. Collega, *&c.* Item, Grammatici nomen.

APER, inter cupedias, jungitur lepori, Juvenali *Sat.* 11. *v.* 138.

Summæ cum magno lepus, atque Aper, *atque Pygargus.*

Quemadmodum igitur in lautitiis minorum quadrupedum primus leporinæ fuit honos; ita in cupediis quadrupedum majorum fuit gloria carnis aprugnæ ſive ſuillæ. Erat interea in utroque animali partium diſcrimen: Nam in leporibus maximè ſapere exiſtimabantur tum anteriori parte armi, tum poſteriori coxæ; Aprugnæ autem ſuillæque deliciæ erant glandulæ & lumbi: Martial. *l.* 7. *Epigr.* 19. *v.* 4.

Ter poſcit Apri *glandulas, quater lumbum,*
Et utramque coxam leporis & duos armos.

Delicatiores etiam porci partes indicat illud Plauti *Carbonar.* apud *Feſtum.*

Peto pernam, ſumen, ſueres, ſpetile, callum, glandia.

Idem *Menæchmis Act.* 1. *ſc.* 3. inter ſcitamenta, quibus de foro obſonarent, refert.

Glandionicam, ſuillam, laridum, peronidem,
Sinciput, polimenta porcina.

Adde & varias fartutas, de quibus Varro *de L. L. l.* 4. & dexteritatem coqui illius Alexandri M. qui unicum *Aprum* in tam varia eduliorum genera digeſſit, ut regiam inde cœnam extrueret, apud Euſtathium *in Homer.* Vide quoque Voſſ. *de orig. & progreſſu Idolol. l.* 3. *c.* 66. ac infrà *Singularis Ferus. Apri* pelle Tydeum indutum, in Tragœdiis olim introduci conſueviſſe; *Aprum* verò Ζεῦγμα in Conſtantii gemma fuiſſe ſculptum, habes apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 312:

&

& 1317. De quo, ut & *Aprorum Venatione*, vide infrà in hac voce, nec non in voce *Sapphirus*. Inter Familiarum hodieque Illuſtrium Inſignia *Aper Niger aureâ coronatus, erectus & currens, in aurea campo*, Baronum Sauſhemiorum in Franconia: in *humo vero ſeu petra viridi* Scuti aurei Durlacenſis, vetus *Eberſteniorum*, inde dictorum, teſſera eſt. *Dimidius vero ſeu Protome Apri, in ſolo argenteo & nigro transverſe ſecto*, Giengerorum Baronum in Suevia, eſt ἄσημον. At *Aprugnum* caput, apex Scuti Grimaldorum Comitum *de Beuil*, in Gallia; Comitum Manderſcheidiorum, in Germania. Tria verò, *in argenteo Solo* Scuti Richelii Familiæ Vignerodiæ *de Pont de Courlay*, teſſera eſt & gentilitia nota. Vide Cl. Spenerum *Art. Herald. Parte 2.*

APERA, Galatiæ oppidum. *Antonin.*

APERANTIA, urbs Theſſaliæ. *Steph.*

APERANTII, populi fuêre Græciæ, in Epiro, inter Moloſſiam & Athamaniam, ad fontes Acheloi fluvii. *N. Sanſo.*

APERETHES, Arcadiæ urbs. Pauſan. *l. 8.*

APERI Oculos, vulgò *Abrolhos*, inſul. parva & aliquot ſcopuli, in mari Braſilico, in itinere ex Europa, Pernambucam verſus. Ab ora Braſiliæ 70. leuc. circiter, nautis formidabiles, propter Syrtes; quæ ad 50. leuc. extenduntur. Sunt autem inter Inſulam Ferdinandi Noronæ & oram Braſiliæ Occidentalis.

APERI Oculos, vulgò *as Abrolhos*, Scopuli & Syrtes in mari Braſilico, in America meridionali inter Inſulam Aſcenſionis, ad Eurum, & Præfecturam Portus Securi.

APERI Oculos Babuecæ, vulgò *Abreojos ò Baxos de Babueca*, Scopuli & Syrtes Americæ Septentrionalis in mari Boreali 16. circiter leucis, ab ora maritima Inſul. Hiſpaniolæ, in Septentrionem.

APERIA, urbs circa Mœſiam. *Hiſtor. Miſcell.*

APERIRI fores, ἔξω ἀνοίγεσθαι, dicebantur olim januæ, quæ aperturas habebant in exteriores partes, ut loquitur Vitruvius *l. 4. c. 6.* quô modô fores *aperiebantur*, apud Atticos antiquos. Nempe qui intus domô exibant, earum aperturam in exteriores partes & verſùs publicum projiciebant. Hinc jocô apud Comicos; qui intus exeunt, priùs oſtium percutiunt & crepitum faciunt, ut, qui extra ſunt, admoneantur recedere, ne apertura oſtii læderet tranſeuntes; quod ψοφεῖν θύραν dixêre, *crepare oſtium* Latini. Terent. *Andr. Act. 4. ſc. 1. crepuit a Glycerio oſtium.* At cùm externus oſtium pulſates intrantur, κόπτειν dicebatur τὴν θύραν. Pandebantur autem foràs pleræque januæ, quæ intus occludi conſuevêre: ſic apud Atticos dictos, ἔνδοθεν κατακλείεσθαι, ἔξω ἀνοίγεσθαι, *intus obſerabantur, extra aperiebantur.* Mediæ verò Græciæ temporibus, quæ ſub Imperio Romano fuit, fores ἔσω ἀνοίγεσθαι, i. e. *in interiorem partem aperturam inclinabant*: forinſecus tamen habuere adfixas & aptatas ſeras, quibus occludebantur, &c. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p. 934.* & infrà, *Oſtii apertura*, it. ubi de *Triumphali domo*.

APEROPIA, inſula Argiæ regionis. Pauſan. *l. 2.*

APERRÆ, *Ptol. Apyre* Plinio *l. 5. c. 27.* Lyciæ urbs. *Phinica*, teſte *Villanovano.*

APERTIO, ſeu *Apertionis myſterium*, apud Ambroſium *l. de Initiandis c. 1. Aperite igitur aures & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite, cum Apertionis celebrantes myſterium diceremus, Epheta, Epheta, quod eſt adaperire, &c.* Qui etiam *de Sacrament. l. 3. c. 1. Ergo quid egimus Sabbatô? nempe* Apertionem. *Quæ myſteria celebrata ſunt? Apertionis*: Ceremonia eſt Car. du Freſne, quâ Baptiſtes accedentis ad Baptiſmum nares aureſque tangens, dicebat, *Epheta*, i. e. *adaperire*, vide eum in *Gloſſario*. Apud Eundem in *Regula* Magiſtri *c. 44. Domine, labia mea aperies*, dicitur *Verſus Apertionis*, quô ſacra liturgia aperitur. In Iſidis Sacris *Apertio* quid fuerit, dicemus infrà verbo *Excitare*, item *Iſis*.

APERTO capite, vide infrà ubi de *Nuditate*.

APES & Bombyces, inter utiliora inſecta primas facilè obtinent, illi ad cibi obſonia maximè, & lucem noctu in tenebris præſtandam & ſummum in Medicina uſum; hæ ad ſuperbiſſimas veſtes ac utenſilia. Et quidem *Apes* quos in Panos tutela Gentilitas poſuit, ut infrà videbimus, potiſſimùm ab admiranda earum induſtria atque ingenio, labore ac ſedulitate ineffabili, incredibili regendi peritia & politia Plin. *l. 11. c. 5.* celebrat: adjungi poteſt inviolam juſtitia, concordia, pietas, temperantia, munditia. Mirabile inprimis, quomodo tam puſilla animalcula ex tanta florum diverſitate mel ceramque colligant, per longiſſima intervalla deferant, conſtipentque ne effluat. Plura genera florum eodem itinere non tangunt, ſed à viola in violam ſpatiantur, donec in alveari ſe exonerent. Ariſtodemum Philoſophum ſcribit *Auguſtin.* annos multos inſudaſſe, ut naturam apis inveſtigaret; & Ariſtomachum *Cicero* Solinenſem annos duodeſexaginta nihil aliud geſſiſſe teſtatur. Hodieque diſputant docti, utrum ſuccum ex floribus ducant, qui protinus mel ſit, an in ſaporem convertant: volunt tamen *favos* ex floribus, *ceram* ex lachrymis arborum, *mella* ex rore aëris, ſiderum exortu potiſſimùm & arcus cœleſtis incubitu fieri. Vide infrà voce *Ros*. Pavimentum illinunt ex ſalice & ulmo, ne beſtiolæ ſubeant nocivæ. Regum cellas eminentiore, veluti Regiô locô, majori laxitate peramplas fingunt & ſepimentô, tanquam muniô quôdam, ad Majeſtatem tuendam circumvallant. In regiæ autem vicinis cellis, ſumma ſenectute affectæ, tanquam Regis ſatellites, habitant: proximæ ſunt natu minimæ, nondum anniculæ: adoleſcentes & firmiores per extima verſantur. Mella partem, proles aliam atque aliam ſuêre per favos poſcunt, qui erecti & collapſi fulciuntur, quaſi pilis fornicatis. Non in rectum ſunt ingreſſus in domunculas: ſi quod animal ingrediatur, hoſtem propellunt, occidunt & evolvunt gregatim. Si duo cohabitent examina, genere favorum diſcernuntur. A tecto pendent favi, ſolum non tangunt, ut ſubeant faciliùs. Favi per Germaniam octo pedes longi etiam *Plinio* ſunt viſi. Trinô exercentur opere, quod *in cibum, mel & favum* diſpeſcitur. Cellæ omnes ſexangulæ ſunt, pro numero & opere pedum, æqualibus lateribus. Cœlô ſerenô provolant *Apes*, ortâ pluviâ, lapillis ſeſe muniunt contra ventos, ut aiunt Taurum etiam volantes in Cilicia, ob metum aquilarum. Urinam hominis expetunt, morbô icteritiæ; foris dormientes; ſupinæ jacent, ne ros officiat alis: ſegnes eſcitant & morte puniunt. Sunt porrò foris & intus munia diviſa: operantur intra ſexaginta paſſus & ſubinde, floribus in propinquo conſumptis, ſpeculatores ad pabula ulteriora mittunt: videas flores aggerere pedibus, aquam ore, guttaſque totius corporis lanugine: aliæ quærunt mel, aliæ ſtipant, aliæ ſtruunt cellulas; adoleſcentes foris, ſenes intus exercentur. Excipiuntur onera & diſponuntur; ſolicitam caſtris adhibent cuſtodiam; non inſidiantur alienis laboribus. Omnes ut in exercitu vivunt, atque alternis dormiunt & opus faciunt pariter & colonias mittunt. Obſervatum eſt, ad Solis occaſum eas ad alveare congruere & quaſi defatigatas ſeſe ad quietem componere: Tum ante veſtibulum excubat cohors prætoria, quæ per alvearis partes exteriores mittit curſores; ut cives colligant, hoſtium inſidias diſcant, idque ſubinde, ſed breviore continue ſpatio, donec manipulares paulatim ſeſe condant, & poſtrema vigil bis terve ante oſtium oberret, adeoque ſeſe recipiat. Duces conficiunt quædam ad vocem, quaſi imitatione tubæ habentque inter ſe ſigna pacis & belli. Statio interdiu ad portas more caſtrorum, noctu quies in matutinum, donec una excitet bombo, ad quem mox provolant; & cùm jam adveſperaſcit; in alveo ſtrepunt minùs, donec rurſus una circumvolet, eodemque, quô excitavit, bombô, veluti, quietem imperans, tunc repente omnes conticeſcunt. Sunt qui Reges aculeis carere velint; ſunt qui negent: conſenſu meo, nunquam carent. Quemadmodum Tribuni militum apud Romanos ferebant enſes ſine mucrone, ut docerent, ſe milites non occidere, ſed corrigere debere. Rege prehensô, totum agmen tenetur, amiſsô dilabitur, defunctô mœret, aberrantem odoratu ſagaci perſequitur & reducit, geſtat cum volare non poteſt. Inter ſe pugnant nunquam; ſuâ ſorte contentæ in aliud alveare non migrant, adverſùs immundos homines acriter inſurgunt, ipſæque, quidquid ſpurcitiæ inter opera oboritur, moa egerunt, &c. Cæterùm pennas habent detectas, eaſque quatuor, Ariſtoteles memorat & albas; crura ſunt ſcabra, ut flores tectius hæreant; lingua prælonga, quam foris gerunt, velut aculeum fungoſum & cavum, ut eo ſimul & guſtare & cibum trahere poſſint; habent dentes & ventriculos, in quos congerunt mellis liquorem acrius: aculeos infigunt & relinquunt, exinde moriuntur. Eventus docuit, *Apum* examina & adverſa & proſpera ſignificâſſe. Val. Max. *l. 1. c. 6. ex. ext. 3.* certè; *Formicæ Midæ*, inquit, *per meritoque Apes Platonis prætulerim*; In cujus adhuc infantis ore mella eas congeſſiſſe; notum: quod de Pindaro quoque, Hierone Parentis juſſu expoſito; Comate ſervo Siculo apud Theocritum, aliis, legimus, &c. Vide Auctorem *Sinæ & Europæ c. 38.* & hîc paſſim, inprimis ubi de *Apiariis*, *Cera* ac *Melle*, ut & in voce *Apis*. De *Apibus* verò *aureis*, in Childerici Franc. Regis ſepulchro, haud pridem in Flandria, repertis, in voce *Childericus*: infrà item, voce *Apis*. Sed & de *Apium decimis*, vide Ordericum Vitalem *l. 5. p. 581.* de Jure, quod dominus loci habet in *Apiaria*, in ſylvis inventa, Car. du Freſne in voce *Abolagium*, item *Vas apum*; *de alvearibus Apum cum ipſis Apibus in hoſtem projectis*, in *Hiſt.* Auſtr. *A. C.* 1589 &c. Virgilius *Apum* Rempubl. elegantiſſimô carmine proſequutus eſt, *Georg. l. 4.* quod ſic incipit *v. 149.*

Nunc age, naturas Apibus *quas Jupiter ipſe*
Addidit, expediam: pro qua mercede canoros
Curetum ſonitus, crepitantiaque æra ſequutæ;
Dictæo cœli Regem pavere ſub antro
Solæ communes gnatos, conſortia tecta,
Urbis habent, magniſque agitant ſub legibus ævum:
Et patriam ſolæ & certos novêre penates,
Venturæque hyemis memores, &c.

APESAS, ſive APESUS, APESANTUS Plinio *l. 4. c. 5. Apeſantus Plut.* mons Peloponneſi in Argia regione, apud Lernam paludem, & Nemeam ſilvam. Papinius *Theb. l. 3. v. 460.*

Mons erat audaci ſeductus in æthera dorſo
Nomine Lernæi dicunt Apeſanta Coloni,
Gentibus Argolicis olim ſacer. ---

Ubi *Lactantius Scholiaſtes* vult, montem eſſe Tarſi Ciliciæ, unde ſe Perſeus miſit ad volandum, ἀπὸ τοῦ ἀφεῖναι; ideoque *Apheſanta* legit. Ab hoc monte *Apeſantius* Jupiter dictus. Vide Steph. in *Apeſas*. *Nic. Lloydius.*

APETUA, Hiſpaniæ Bæticæ urbs, non procul à Corduba. *Strabo.*

APETUBÆ, Gall. *Apetous*, populi Americæ, in Braſilia, verſùs præfecturam Portus ſecuri, in mediterraneis.

APEX, peculiariter dicebatur apud Romanos, pileus Flaminis (qui *Flammeum* aliàs vocabatur) per ſynecdochen, quòd in conum deſinebat. Hinc *Feſtus*, *Apex*, inquit, *Sacerdotum inſigne, dictus ab eo, quod comprehendere antiqui vinculo apere dicebant, unde aptus is, qui convenienter alicui junctus eſt.* Filum autem laneum, quô ſtrictus *Apex velabatur*, quoque eum regerebant, ne gravis eſſet ſummis æſtatis caloribus, *Apiculum* vocabant. Vide Joh. Roſin. *Antiquit. Roman. l. 3. c. 15.* Aliàs vox non pilei ſolùm Flaminici, ſed & alterius cujuſlibet rei ſummitatem, notat. Hinc *Apices literarum*, αἱ κεραῖαι, τὰ ἄκρα τῶν γραμμάτων: *Apex montis*, ἡ κορυφή. Sic in galea & pileo, τὸ περιφέρειον etiam *Apex* dicebatur & *Conum*, Virg. *l. 12. Æn. v. 492.*

--- *Apicem tamen incita ſummum*
Haſta tulit.

Ut autem *Apices* diverſæ formæ in galeis veter. ita in capite avium diverſi generis *Apices* natura poſuit, quos ſic explicat Plinius *l. 11. c. 37. In capite paucis animalium, nec niſi volucribus, apices, diverſi quidem generis: Phœnici plumarum ſerie e medio eo exeunte alio: pavonibus crinitis arbuſculis, ſtymphalide, cirra Phaſianæ, corniculis: præterea parvæ, quæ ab illo galerita appellata quondam: poſtea gallica*

voca-

vocabulo etiam legioni nomen dederat alaudæ. E quibus phœnicis apicem lucernus Auctor coronam radiatam vocat:

Æquatur toto capiti radiata corona
Phœbei referens verticis alta decus, &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 546. & 547. *De Apicibus* verò *galearum* infrà in vocibus, *Conus* & *Criſta*: adde dicenda, in *Apices*.

APEXABO, farciminis genus, memoratum Arnobio *adv. Gent. l.* 7. *Si magnificum videtur, atque amplum, ſingulare Diis tauros: Quid-ſibi hoc volunt, apexabo, iſicia, ſilicernia longabo? quæ ſunt nomina & farciminum genera.* Nomen ei ab *apex*. Varro *de L. L. l.* 4. ubi de primo farciminis genere, *Quod in hoc farcimine ſummo quiddam eminet, ab eo quod ut in capite apex* Apexabo *dicta.* Vide Godeſc. Stewechium *Electis ad Arnobii locum.*

APHACE, urbs Libyæ. *Steph.* Fuit & *Aphace*, vel *Aphaca*, Palæſtinæ locus inter Heliopolim, & Byblum, ubi fanum Veneris *Aphacitidis.* Euſebius in vita Conſtantini, *l.* 3. *c.* 55. Ἄλσος ἦν καὶ τέμενος ... ἐν Ἀφάκοις ἱδρυμένον. Ubi pro *in Aphacis* perperam *Miſceulus in fruticeto*, uti Chriſtophorſonus Epiſcopus olim Ciceſtrenſis *inter arbuſta.* Socr. *l.* 1. *c.* 4. Τὸ ἐν Ἀφάκοις ... ἱερὸν τῆς Ἀφροδίτης. Et Sozom. *l.* 2. *c.* 4. Ναὸς ὁ ἐν Ἀφάκοις τῆς Ἀφροδίτης ... Ἀδώνιδος ... Quod apud Caſſiodorum, in Tripart. *l.* 2. *c.* 10. ſic redditur: *In Aphacis juxta montem Libanum, & Adonim fluvium Veneris domus.* Ortelio etiam in *Theſ. Geogr.* jamdiu obſervatus locus ille Zoſimi, *l.* 1. Ἄφακα χωρίον ἐστὶ μέσον Ἡλιουπόλεώς τε καὶ Βύβλου ... Ἀφροδίτης Ἀφακίτιδος ἵδρυται. Idem legere eſt in *Nicephoro*, niſi quod habet perperam ἐν Φακοῖς, pro ἐν Ἀφάκοις. Ejus cultores non alia de cauſa in locum illum confluebant, quàm ut in honorem Deæ ſcilicet omni libidinis genere ſe polluerent, quod etiam teſtatur *Euſeb.* Tam deteſtandæ libidini videtur dediſſe occaſionem ipſa loci appellatio. Quippe [illegible] *aphaca* Syris, adeoque & Phœnicibus *amplexum* ſonat. Aphacis porrò ab amplexibus voluerunt ideo nomen obtigiſſe, quia in [illegible] ipſo loco accenſa libidine, in Adonidis amplexus ruit Venus. Ne quis nos putet divinare, audi quæ profert *Etymologicum* ex aliquo veterum, quamvis authorem non citet, Ἄφακα Συριακὴ μὲν ἐστιν ἡ λέξις, δύναται δὲ κατ᾽ Ἑλλάδα γλῶσσαν ... [illegible] ... τῆς Ἀφροδίτης αὐτὸν τὸν Ἄδωνιν ... Vide Bochartum *de Phœn. Colon. p.* 830. & 831. Oraculum ſic deſcribit Zoſimus *d. l. Propter fanum iſtud locus quidam eſt, ſtagna manu facta ſimile. Juxta fanum & vicina loca ignis inſtar lampadis aut globi conſpicitur, quoties ſtatutis temporibus ibi conventus habentur; qui quidem ad noſtram ætatem uſque conſpectus fuit. Ad lacum dona, quotquot ibi conveniebant, in honorem Deæ ferebant, ex auro & argento facta, itemque telas lineas & byſſinas alteriuſque materiæ pretioſioris. Ac ſiquidem illa viderentur accepta, pari cum aliis pondere pannus ſubſidebant: ſin eſſent ingrata & rejecula, tum ipſas telas aqua erat videre innatantes; tum ſiquid erat ex auro & argento, & aliis materiis, quarum eſt ea natura, ut ſuper aquam ſe nunquam attollant, ſed demergantur.* Ubi & de Palmyrenis exemplum ſubjungit. Ejuſdem templi meminit Lucianus *l. de Dea Syria*, ubi inter alia: *In eo autem ſunt — donaria — Deorumque ſtatuæ, Diique ipſis admodum conſpicui. Nam ſtatuæ ſudant, moventur & oracula edunt; & clauſo Templo clamor in æde ſæpenumero eſt coortus, quem audivêre multi.* Quæ omnia arte ac fallaciis hominum, abſque ulla præternaturali Dæmonum ope facilè potuiſſe perfici, pluribus docet Anton. van Dalen *de Oraculis Diſſertat. II. pag.* 295. qui etiam ibidem, quæ de *ſubmerſione* aut *ſupernatatione* diximus, quo pactò vel non ita revera res geſta, ſed tantùm conſultoribus vel abſentibus, vel ita procul ſtare juſſis, ut rem exactè oculis arbitrari non poſſent, à Sacerdotibus ita fuerit recitata; vel horum fraude ſic contingere potuerit: eruditè exponit, collatione cum aliis hujuſmodi Oraculorum præſtigiis inſtitutâ, *pag.* 339. & 340. Adde Joh. Marshamum, qui *de Bætylis* tum Veneris hujus, tum aliorum Deorum, eruditè diſſerit *Canone Chron Sec.* IV. ubi de Idololatriæ vetuſtate: namque *Bætylas* hujuſmodi ſeu lapides informes & impolitas ſtatuas, alias aliis conſecratas fuiſſe Deo, Saturno, Jovi, Soli, aliis, apud *Photium* Damaſcius tradit: ſed & ipſam de Bætylis commentationem adi, ſuô locô.

APHÆA, Diana dicta, cujus in Ægina templum fuit. Pauſan. *l.* 2. Britomartis à Cretenſibus Dictynna vocata eſt, ab Æginetis Aphæa, διὰ τὸ ἀφανισθῆναι, quod effugerit Minois vim. *Heſych.* Ἀφαία, ἡ Δίκτυννα. Ἄρτεμις. Pauſan. *de Britomarti*, χαίρειν δὲ αὐτὴν δρόμοις τε καὶ θήραις, καὶ Ἀρτέμιδι μάλιστα φίλην εἶναι, Μίνω δὲ ἐρασθέντα φεύγουσα ἔρριψεν ἑαυτὴν ἐς δίκτυα ἀφειμένα ἐπ᾽ ἰχθύων θήρᾳ, ταύτην μὲν θεὸν ἐποίησεν Ἄρτεμις. Σέβουσι δ᾽ οὐ Κρῆτες μόνον ἀλλὰ καὶ Αἰγινῆται, λέγοντες φαίνεσθαί σφισιν ἐν τῇ νήσῳ τὴν Βριτόμαρτιν. Ἐπίκλησις δέ οἱ παρά τε Αἰγινήταις ἐστὶν Ἀφαία, καὶ Δίκτυννα ἐν Κρήτῃ. Virgilius (uti vulgò putatur) in Ciri:

Nunquam tam obnixe fugiens Minois amores,
Præceps aëriis ſpeculâ de montis abiſſes.
Unde alii fugiſſe ferunt, & numina Aphææ
Virginis aſſignant: alii, quò notior eſſes,
Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam.

Videſis illic *Scaligerum. Nic. Lloydius.*

APHÆCI, turris munita, in tribu Ephraim, cui vici circumpoſiti. Joſeph. *l.* 2. *Bell. Jud. c.* 23.

APHÆRIAS, accuſator Lynceſtis Alexandri. Curt. *l.* 7. *c.* 1.

APHANA, Inſul. ſinus Perſici, in ora Arabiæ *Quexumi* forſan hodie 10. leucis diſtat ab ora marit. in Ortum.

APHANNÆ, regio Siciliæ ignobilis: unde proverbium *Ad Aphannas*, de obſcuris. *Steph.*

APHAR, Arabiæ Felicis Metropolis, circa ſinum Arabicum Arrian. *in Periplo.*

APHARA, Latin. *vacca*, ſive *frugifera*, aut *accreſcens*, ſive *irritans*, urbs in tribu Benjamin. Joſ. *c.* 18. *v.* 23.

APHARETUS, Marpiſſam Oenomai filiam viſam ex choreâ rapuit. Plut. in *Parallelis.*

APHAREUS, Rex Meſſeniorum. Pauſan. *in Meſſen.*

APHAS, Moloſſorum fluv. Plin. *l.* 4. *c.* 1. In ſinum Ambracium cadit. *Hodie Inacho.*

APHASIUS VERTEX, diſtans Chalcedone 15. ſtadia, ubi Darius, obſidens urbem, cœpit cuniculos agere. Polyæn. *l.* 7. *c.* 11.

APHEC, ſive APHECA, Latin. *pelagus*, *vigor*, vel *fortitudo*, Urbs in tribu Manaſſe. Joſ. *c.* 12. *v.* 18. Item urbs in tribu Judæ Joſ. *c.* 15. *v.* 4. Item urbs in tribu Aſer Joſ. *c.* 19. *v.* 30. ubi Philiſtini contra Iſraelem caſtra poſuerunt 1. Sam. *c.* 4. *v.* 1. Ubi etiam Benhadad Rex Syriæ victus eſt 1 Reg. *c.* 23. *v.* 30.

APHEDANTES, populi Moloſſorum. *Stephano* Ἀφείδαντες.

APHEDAS, Rex Athenienſium, vel, ut *Steph.* Moloſſorum.

APHERIMA, Civitas cum præfectura, in tribu Benjamin, quam Samaritis ademptam, Judææ attribuit Demetrius Rex 1. Machab. *c.* 11. *v.* 33. Joſeph. *l.* 13. *Jud. Ant. c.* 7.

APHESAS, apud Papinium Statium *Theb. l.* 3. *v.* 461.

Mons erat audaci ſeductus in æthera dorſo
(Nomine Lernæi memorant Apheſanta *coloni)*
Gentibus Argolicis olim ſacer ----

Mons eſt Thaſſii-Ciliciæ *Lutatio*; unde Perſeum temeriò volatu cœlum petiiſſe fabulantur Poetæ, eùm, ad extinguendam Gorgonem, Libyam peteret; ἀπὸ τῆς ἀφέσεως, ut vult idem. A paſtore *Apheſanto* verò ſic dictum, ſcripſit *l.* 1. *Heraclides* Demodocus, uti recenſet *Auctor de fluminibus*, in voce *Inachus.* Sed & in Græcia eum *Papinius* collocat. Atque Auctor Fluviorum modo memoratus, Inacho adhærere ſuum *Apeſantum* clarè ſcripſit. Et certè *Apeſas* eſt Pauſaniæ, qui de ſitu ejus in *Corinthiacis* videndus. Ideò in Lutatio *Mons eſt Argis vicina vel Argolica*, corrigit Caſp. Barthius *Animadverſ. ad d. l.* Vide quoque Petrum Gyllium *de Boſphoro Thracico l.* 2. *c.* 8.

APHETA, Græcè Ἀφέτης, Prætor apud Romanos dictus eſt, quòd ſignum daret in Circenſibus emittendarum quadrigarum. A verbo ἀφιέναι, i. e. *mittere*, *dimittere*, unde Ἄφεσις, *dimiſſio*: Ἀφετηρία, in Circo, idem quod ὕσπληξ, quô nomine indigitantur carceres & repagula, quibus remotis ac laxatis equi proſiliebant. Quorum carcerum fores quòd cancellatæ eſſent & reticulatô operè factæ, hinc ἀφετηρίαν *Tzetzes* interpretatur καγκελλωτόν, Latinque *Transennam*, de qua voce *infra*. Sed & in Stadio ἀφετηρίαν ſeu ὕσπληξ fuit. Et quidem in Stadio ὕσπληξ repagulum erat ſive regula linea, quæ laxabatur & aperiebatur exituris in ſtadium curſoribus: in Circo ὕσπληγες, carcerum repagula vocabantur, quibus laxatis equi emittebantur. Certè in Stadio primitus viſi ἀφετήριοι Ἑρμαῖ, duo illi Hermulæ, qui utrinque extantes fune demiſſô repagulum ſolvebant, inventore Tlepolemô Myrenſi. uti infrà pluribus dicemus. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 931. & *ſeqq.*

APHETÆ, urbs Magneſiæ in Pagaſetico ſinu. *Steph.* Apollon. *Argon. l.* 1.

Τὸν δ᾽ αὖ τὴν Ἀφέτας Ἀργοῦς ἔτι κικλήσκουσι.

Quia inde, ceu à carceribus, ſoluta eſt & emiſſa Argo navis. Pomp. Mela *l.* 2. *c.* 3. *At cùm litora leguntur, a promontorio Sepiade per Demetrion & Halon & Pteleon & Echinon, ad Pagaſæum ſinum curſus eſt. Ille urbem Pagaſam amplexus, amnem Sperchium accipit: & quia Minyæ Colchida petentes inde Argo navem ſolvere memorantur.* Et hic, inquit *Voſſ. in hunc loc.* errat Mela. Non enim per ſuprà memorata loca curſus eſt ad ſinum Pagaſæum, ſed per ſinum Pagaſæum curſus eſt ad ſuprà dicta loca. Errat quoque, cum dicit Sperchium infundi in ſinum Pagaſicum, cùm in Maliacum effunderetur. Rectè verò dicit Argo navem Pagaſis ſolviſſe. Nam quòd *Aphetas* hic repoſuit *Pintianus*, id non probo. Tum quod id adverſetur veterib. exemplaribus, tum quoque quòd Aphetæ & Pagaſæ pro eodem accipi debeant loco. Itaque & Aphetis & Pagaſis rectè dicuntur ſolviſſe Argonautæ. Lucan. *l.* 9. *v.* 400.

Prima fretum ſcindens Pagaſæo litore pinus.

Nic. Lloydius.

APHETERII, Caſtor & Pollux ſic dicti. Pauſan. *in Lacon.*

APHETERION, portus Gangeticus. *Ptol.*

APHETOR, Apollo ſic dictus ab edendis oraculis. Cæl. Rhodig. *l.* 8. *c.* 16. & Lilius Gyraldus *Syntag.* 7. Quidam ex antiquis, cujus nomen jam non occurrit. Ἀφήτωρ ὁ ἐν τοῖς Δελφοῖς θεός, ὁ [illegible]. *Heſych.* Ἀφήτορα, μάντιν. *Idem*, [illegible].

APHEUS, vel APHNIUS, Mars ita dictus in Arcadiæ monte Creſio. Pauſan. *in Arcad.* Cæterùm tu vide Cæl. Rhodig. *l.* 20. *c.* 25.

APHIA, Latin. *flans*, *loquens*, aut *illaqueans*, filius viri Jemini. 1. Sam. *c.* 9. *v.* 1.

APHIDAS, Centaurus Ἀφείδας Græcè. Item XIV. & ultimus ex Erecthei familia Athenarum Rex. Vide Meurſium *de regno Attico l.* 3. *c.* 9. Præfuit annum 1. poſt Oxyntem; & Thymœti locum fecit, quem vide. Sub hoc *Aphidante*, Athenienſibus hoc Dodonæi Jovis oraculum datum eſt.

Φράζεσθ᾽ Ἀρεὸς τε πάγον βωμούς τε θυώδεις
Εὐμενίδων, ὅτι χρὴ Λακεδαιμονίους σ᾽ ἱκετεῦσαι
Δουρὶ πιεζομένους ...
[illegible]

Ara tibi Eumenidum ſumans & Curia Martis
Sint curæ. Hinc bello domiti cum fortè Lacones
Supplicater muſſis venient. Ne conſice ferrò,
Nec violà. Supplex ſacer eſt & crimine purus.

Apud Pauſan. *l.* 7. Quod impletum, bellô Lacedæmoniorum, contra Codrum Regem. Cum enim hujus morte auditâ Peloponneſii (ut quibus victoriæ ſpes nulla ſuper) ex Attica receſſiſſent, quidam eorum, qui intra mœnia eâ noctè delituerant, manè ſe deſtitutos à ſuis videntes, in Areopagum ſe receperunt & aras Eume-

nidum complexi, veniam impunè diſcedendi ab Athenienſibus, obtinuerint: quò vix apud Græcos vetuſtius τοῦ ἀσύλου exemplum. Marshamus *Canone Chronico Sec.* XIII. ubi de *Jure Aſyli*.

APHIDNA, pars Atticæ, & Leontidis tribûs. *Steph.* Nomen ei ab Heroë *Aphidno*, Theſei comite. Sub Theſei Regno, capta eſt à Caſtore & Polluce, quod ſororem eorum Helenam raptam Theſeus eò deduxiſſet. Uti verò ad Ægeidem Tribum pertinebat, antequam Leontidi jungeretur, ut notat *Harpocratio*: ſic cùm Hadriania Tribus, nova & decima tertia, reliquis adjiceretur, *Aphidna* Leontidi Tribui ſubſtracta & Adrianitidi addita eſt. *Tetracomia* quoque dictum hunc vicum Delrius docet *ad Senec. Hippolytum* v. 24. Inde Ἀφιδναῖος, *Aphidnæus*, in veteri. *Inſcr.*

ΔΗΜΟΚΡΑΤΗΣ
ΧΑΡΙΞΕΝΙΔΟΥ
ΑΦΙΔΝΑΙΟΣ.

apud Jacobum Sponium *Itiner. Græciæ*, *Part.* 3. *p.* 9.

APHIDNÆ, locus in Attica. Seneca *in Hippolyto* v. 23.

---- *Parvas atım*
Calcet Aphidnas. ----

Eſt & urbs Lycaoniæ. *Steph.* Sed illic eſt Ἀνταννάς.

APHLE, vulgò ALARCH, ut ſcribit *Pinetus*, vicus Babyloniæ regni apud lacum Chaldaicum.

APHNEUM, civitas Phrygiæ & Lydiæ. *Steph.* quem vide.

APHOEBETUS, conjurationis, contra Alexandr. M. in Axiis initæ particeps. Curt. *l.* 6. *c.* 7.

APHOPHIS, Rex IV. Paſtorum, in Ægypto, Apaconam excepit, dum Anchunum Ocby in Thebaide tyrannidem exerceret, regnavit ann. 61. Sub eo Moſes ann. ætat. 40. Ægyptium occidit, fugitque in Madianitidem. Inde verò reverſus populum eduxit; poſt ingentia miracula coram Pharaone *Aphophe* patrata, qui ipſe tandem rubro mari merſus interiit; Succeſſore Janiâ. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec.* VIII. & IX. ex *Manethone*, *Africano*, *Euſebio*, *Syncello*.

APHORMIUM, lacus Theſpienſium. *Steph.*

APHRA, urbs Aſiæ Epiſcopalis ſub Patriarcha Hieroſolymitano *Guil. Tyrius.*

APHRACTA, fœminei calceamenti genus. Vide *Femina.*

APHRAIM, civitas in tribu Iſſachar. Joſ. *c.* 19. *v.* 19.

APHRICA, una ex tribus orbis, jam priſcis cogniti, partibus, melius *Africa*. Fuit olim, ſub variis Principibus, à quo Cain Noæque poſteri ibi ſedes fixerunt. Poſteà, à Romanis ſubactâ Carthagine, huc coloniæ deductæ: donec Vandali, Genſerici auſpiciis, regione potiti ſunt, A. C. 427. ſecundùm Proſperi *Chronicon*. Recuperavit eam Beliſarius, Juſtiniani copiarum Dux, Gilimerumque cum Carthagine cepit, A. C. 533. Arabes A. C. 653. dein ſeu 40. Hegiræ, ſub Odmano Califa 3. ductu Occuba ben-nafi huc pervenerunt, junctique Saracenis Heraclii Imperatoris præſidia pepulerunt, à quo tempore per annos 900. graviſſimâ ſervitute terra hæc preſſa eſt: jam Turcarum Imperator partem ejus tenet, reliquum ſub Principibus propriis, Mahometanis itidem, gemit, maritima quædam loca Hiſpani quoque poſſident, & Angli. *Marmol. Diego de Torres.* Alii complures Religionem Afrorum quod attinet, primi Barbariæ incolæ Soli & Igni ſacra fecerunt, dedicârunt que templa ſumtuoſiſſima, ubi non minori curâ Ignis, quàm apud Perſas, Romanoſque cuſtoditus eſt; converſi A. C. 387. Numidæ planetas adorârunt. Nigri quibuſdam aſtris elementiſque honorem exhibuerunt divinum, imo etiam primæ rei viventi, in quam matutini inciderunt. Æthiopiæ ſuperioris populi Deum cœli, ſub nomine *Guighimo*, venerati, Maguedæ Sabæ Reginæ ſuaſu Judaiſmum receperunt, ab Eunucho autem Candaces Chriſtianâ fide imbuti ſunt. Inferioris Æthiopiæ incolæ idololatræ omnes, moribus ab humanitate abhorrentibus, brutis quàm hominibus ſimiliores, ſemper fuêre; nihilominus quidam ex illis à Luſitanis ſubinde converti dicuntur. Ægyptus olim ridiculi omnino Idolorum cultores, poſteà devoti Chriſtiani, tandem Mahometani ſuperſtitioſi evaſerunt. Marmolius *l.* 1. *c.* 5. Salvianus *l.* 7. *de provid.* Auguſtin. *c.* 15. *de unit. Eccl.* docent, Africam ab Apoſtolis ipſiſmet, vel ad minimum, ab horum diſcipulis veram fidei doctrinam hauſiſſe: unde Eccleſia per aliquot ſecula, inter perſequutionum procellas, erroreſque Manichæorum, Donatiſtarum, Arianorum, Pelagianorum, Circumcellionum, &c. tandem falſorum Fratrum inſidias, ſub Diocletiano, & Apoſtatarum inſultus ſub Decio, nihilominus floruit. Baron. *A.* C. 302. 353. 439. &c. Vandali poſt hæc rerum potiti, Eccleſiam graviſſimè afflixerunt, vide *Victorem Uticenſem*. Sub Hilderico tamen Thraſimundi ſucceſſore, exules è Sardinia revocavit. A. C. 522. Tandem Arabes ſub finem ſeculi 7. Africam ingreſſi, Mahometis eam deliriis infecerunt, quæ, etiam auctoribus in deſerta compulſis, nihilò ſecius durant. Propriè autem quinque incolarum hodie genera, Mahometani, Caſri exleges, Idololatræ, Judæi & Chriſtiani. Primi magnam Africæ partem poſſidentes, iterum in 72. ſectas ſunt ſubdiviſi. Secundi nullâ Dei cognitione imbuti, brutorum more vivont. Tertii Nigrorum regionem & Æthiopiam præſertim inferiorem impleverunt. Judæorum in variis ibi regnis non exiguus numerus. Ex his indigenæ Abrahami quoque ſe poſteros ferentes, in Ægypto & Abyſſinia non invalidi. Advenæ partim, poſt vaſtatam à Romanis, Perſis, Chriſtianis & Saracenis terram Canaan, huc ſe receperunt: partim ex Europa pulſi, è Gallia A. C. 1395. Italia A. C. 1342. Anglia 1290. Hiſpania 1492. eodem confugerunt. Habent hi Synagogas aliquot, ſed egeni ſunt & ab omnibus calcati. Chriſtianorum in hac Mundi parte degentium quidam peregrini ſunt, ut à piratis capti, vel indigenæ, ut Regum Angliæ, Hiſpaniæque ſubditi, & magna pars Abyſſinorum. Reliqui Schiſmatici ſunt, ut Maronitæ, Georgiani, Græci, Armenii & qui à S. Thoma nomen habent; quorum aliqui Patriarcham Alexandrinum pro capite agnoſcunt, alii Præſules habent peculiares. Græci à Conſtantinopolitano dependent. *Joh. Leo*, *Gramaye*, *Marmolius*, &c. Synodo Carthagine à Cypriano, A. C. 255. habitâ, rigor erga abnegantes mitigatus, & pœnitentibus reditus permiſſus eſt. Dein A. C. 257. controverſia ingens oborta, an ab hæreticis baptizati rebaptizandi: quod cum affirmarent Afri, à Stephano Epiſcopo Romano excommunicati ſunt, increpantibus hunc Orientalibus Epiſcopis, quod lenitatem & humilitatem Apoſtolicam non ſervâſſet, Euſeb. *l.* 7. *c.* 3. Cyprian. *t.* 5. *Ep. ad Pompejum.* Unde Schiſma. Plura de Conciliis Africanis vide apud Lætum *in comp. Hiſt. univ.*. Morer. *in Diction. Hiſt.* Baron. *A.* C. 257. 258. 522. 523. Conciliorum *tom.* 1. &c. De ſitu autem, moribus incolarum, regionibus urbibuſque ſuprà, in *Africa*.

APHRICES, Indus, qui cum viginti millibus militum & quindecim Elephantis ſubſtitit ad Aornam Petram: ſed à ſuis dolo interfectus, caputque ei præciſum ad Alexandrum relatum eſt. Hunc, ut *Janus Gebhardus* obſervat, vocat Curtius *Erycem* *l.* 8. *c.* 6. Vide Diodor. Sic. *l.* 17. *parte poſteriore.*

Alex. APHRODISÆUS, unus ex Ariſtotelis interpretibus, *Quo nemo melius mentem Ariſtotelis aſſequi ſolet.* Voſſ. *de Theol. Gentil.* *l.* 1. *c.* 4.

APHRODISIA, inſula in mari Perſico, ubi Perſis à Carmania diſpeſcitur, ſic dicta quòd in ea Venus coleretur. Alio nomine Καταιὰς dicta.

APHRODISIAS Inſul. Græcè ἡ Ἀφροδισιάς, memorata Solino *c.* 54. *Carmania Perſis annectitur, quæ incipit ab inſula Aphrodiſiade, variarum opum dives*, &c. Ἀφροδίσιας νῆσος, *Ptolemæo* dicitur, quam in Arabico ſinu collocat. *Arrianus* ex *Nearcho* *Kataiam* propriò nomine nuncupat & Mercurio Venerique ſacram eam fuiſſe dicit, ut non minus Ἑρμαία, quàm Ἀφροδίσιας, indigitari potuerit: Ἐκαλεῖτο δὲ Καταίη τοῦνομα ἱερὴ ... Ἑρμέω καὶ Ἀφροδίτης ἐλέγετο. Deſertam fuiſſe, *Nearchus* ſcripſit, ejuſdem *Arrian.*, ut & *Oneſicriti*, teſtimonio: Plin. *l.* 6. *c.* 25. vero habitatam refert. Vide Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 1129.

APHRODISIAS, templum Veneris, Plin. *l.* 4. *c.* 11. *S. Theodoro*, teſte *Carol. Cepiô*, oppid. Ciliciæ maritimæ 12. mill. paſſ. à Seleucia in Africum, 18. autem ab Arſinoë in ortum.

APHRODISIAS, olim Trœzen Peloponneſi. *Steph.* apud quem duodecim *Aphrodiſiades* enumerantur.

APHRODISIAS, urbs Cariæ apud Mæandrum fluv. *Ptol.* *Abodiſia* hodie. *Aphrodiſium Ptol.* Nunc ferè diruta, ſub Turcis. longitud. 58. 40. latitud. 38. 10.

APHRODISIUM, urbs Africæ maritima inter Neapolim & Hadrumetum. Hoc *Mahometta Caſtaldus* interpretatur. *Mercator* verò *Africa*. Sic etiam *Calvetus Stella*, qui ejus expugnationem à Carolo 5. Imperatore factam deſcripſit, alludque à Mauris *Mahadia* appellari ait. Urbs hodie munita Barbariæ, in ora regni Tunetani. longitud. 36. 15. latitud. 32. 04. Alterum quoque Aphrodiſium in ora litorali ejuſdem Africæ, apud Hipponem Regium, ab eo parum recedens in occidentem, urbs & colonia. *Mabra Caſtaldo* & *Moletio*. longitud. 30. 20. latitud. 32. 30.

APHRODISIUM, oppid. Cypri in ora ad ortum & Boream à Salamina 9. mill. paſſ. inter Carpaſium & Ceraunium urbes. vulgò *Achaten*, teſte *Luſignano*. Nunc in vicum redactum eſt.

APHRODISIUM, promontorium cum oppido ejuſdem nominis in ora Hiſpaniæ citerioris. *Ptol. Capo de Cruz*, teſte *Floriano*. *Straboni* & Plinio *l.* 3. *c.* 3. *Pyrenæa Venus*, *Portus Veneris Melæ* dicitur. Aliis in confinio Cataloniæ provinc. prope montes Antipyrenæos, diſſitque à *porta Veneris*, vulgò *Port Vendres*, qui capaciſſimus juxta Caucoliberim portus eſt, in Ruſcinonenſi Comitatu & ditione Regis Franciæ 4. leuc. ab Aphrodiſio promontor. in Circium & 3. ab Helena in ortum. Vide *Baudrand*.

APHRODISIUS, Præſul Bituricenſis, Petri diſcipulus, genere Ægyptius. *Volaterran.* In hujus ædibus, Cairi, per ſeptennium, ſive quod magis probabile, biennium latuiſſe Chriſtum, A. C. 1. 2. ſunt qui ſcribant. Vide Joſeph. *Jud. Ant.* *l.* 18.

APHRODITE, Græcis Venus dicta, ab ἀφρὸς, quod eſt ſpuma, nam de ſpuma maris natam ferunt. Unde illud Ovidii *Ep.* 15. *Heroid.* *v.* 213.

--- --- *Venus orta mari, mare præſtat eunti*

Tibullus *l.* 1. *Eleg.* 2. *v.* 41.

Nam fuerit quicunque loquax, is ſanguine natam,
Is Venerem è rapido ſentiet eſſe mari.

Muſæus *in Leandro*:

Ἀγνώσσεις ὅτι Κύπρις ἀπ' εἰναλίου γένος ἕλκει,
Καὶ κρατέει πόντοιο καὶ ἡμετέρων ὀδυνάων;

Heſych. Ἀφροδίσιον, Ἀφροδίτης ἄγαλμα. Inde Ἀφροδισιάζειν, γυναικίζειν, Idem *Heſych.* Ἀφροδίσιος ὅρκος, παρέργως, καὶ ἀνεγγύητον,

Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐ δίκαιος.

Sophocles apud *Stobæum*, Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος. *Callimachus*:

Ὤμοσεν, ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα, τοὺς ἐν ἔρωτι
Ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων.

Athen. *l.* 12. Πλάτων δὲ ἐν τῷ Φιλήβῳ, ... ἀλαζονιστάτη, ὡς ὁ λόγος καὶ ἐν ταῖς ἡδοναῖς ... τὰ Ἀφροδίσια ... δοκοῦσιν εἶναι καὶ τὸ ἐπιορκεῖν συγγνώμην εἰληφέναι παρὰ θεῶν. Apollodorus *l.* 1. ... ὑφ' Ἥρας ... ἐμπίπτων, ἐν τοῖς ... Διὸς ... Ἡσίοδος ... ὅρκους ὑπὲρ ἔρωτος.

Tibullus *l.* 1. *Eleg.* 4. *v.* 21.

--- *Veneris perjuria venti*
Irrita per terras & freta ſumma ferunt.

Idem *l.* 3. *Eleg.* 7. *v.* 17.

--- *Perjuria ridet amantum*
Juppiter, & ventos irrita ferre jubet.

Ton-

Totidem propè verbis Ovid. in l. 1. de Art. Am. v. 633.

Jupiter ex alto perjuria ridet amantum,
Et jubet Æolios irrita ferre Notos.

Idem in l. 3. Amorum Eleg. 3. v. 11.

Scilicet æternì falſum jurare puellis
Dii quoque concedunt, formaque numen habet.

Propert. l. 2. Eleg. 18. v. 7.

Hoc perdit miſeras, hoc perdidit ante puellas,
Quicquid jurârunt ventus & unda rapit.

Idem tamen contrà, l. 2. Eleg. 16. v. 47.

Non ſemper placidus perjuria ridet amantum
Jupiter, & ſurda negligit aure preces.

Nic. Lloydius.

APHRODITES, civitas juxta Athribim, & Æthiopiam, & Thraciam *Steph.*

APHRODITIA, regiuncula Laconiæ. *Steph.* ex *Thucydide.*

pro APHRONITRIS Eunuchi, apud Æl. Lamprid in *Heliogabalo* c. 21. *Eunuchos pro aphronitro dedit: dedit quadrigas, equos ſtratos, mulos, baſternas & rhedas, &c.* Ita enim legi poſſe, cùm vulgata lectio præferat, *Eunuchos pro apophoretis*, cenſet Salmaſ. cùm de piſcinis & balneis proximè ſermo fuerit. Nitri certè & aphronitri in balneis uſum fuiſſe apud antiquos, qui lavantes eo ſe detergebant ac defricabant, notum. Unde Cyprianus Ep. 76. *Neque enim ſic in ſacramento delictorum contagio, ut in lavacro carnis & ſecularis ſordes cutis & corporis abluuntur, ut aſionitris & cæteris quoque lomentis & ſolio & piſcinâ opus ſit, quibus ablui & emundari corpuſculum poſſit.* Pro aphronitro itaque Alagabalus iis, qui ſecum unà lavarent, Eunuchos dabat & quadrigas & equos & aureos millenos. Dicet aliquis, quæ *aphronitrorum*? Certè nulla. Sed cùm nullam hoc propudium perdendi profundendique occaſionem prætermitteret, populo ſecum lavanti, *Aphronitrorum* nomine hæc talia dabat, quæ hic commemorantur. Plerunque etenim boni Imperatores balneum, quò uſi eſſent, populo gratis exhibebant, ut omnia ſcil. quæ ad lavandum opus ſunt, ſine mercede acciperet, ut de Antonino Pio Capitolin. c. 7. ait. At hic nepos & gurges, Populo ad lavandum ſecum admiſſo, non *aphronitra*, nec quæ balneorum poſcit uſus, danda curabat, ſed pro aphronitris illa, quæ diximus. Sic ut convivis pro pipere margaritas exhibebat, aureos nummos pro piſis, ceraunia pro lentibus, electra pro fabis. Salmaſ. *Not. ad Lamprid.* Eſt autem *ἀφρόνιτρον*, flos nitri, de quo vide eundem *ad Solinum* p. 1079.

APHSES, i. e. *comminuens*, vel *eripiens*, ſive *aperiens*, aut *deſtruens*, nomen viri. 1. Chron. c. 24. v. 15.

APHTHALA, vel APHTHÆA, Ægypti nomus, hinc *Aphthites.*

APHTHARTOCITÆ, Hæretici ex Eutychianorum ſecta ſuppullulantes, Servatorem noſtrum corpus à conceptione immortale habuiſſe, commenti ſunt. Saudeius *hæreſ.* 106. Baron *A. C.* 535.

APHTHONIUS, Sophiſta, ſcripſit *προγυμνάσματα* i. e. *præexercitamenta* in Rhetoricam, & in ueiem Hermogenis, ſeculò 2. Extat Græcè cum Hermogene & Longino apud Jo. Criſpinum 1557. Item Græc. Latin. apud Hieron. Commelinum 1597. Vide Volaterran. *Anthrop.* l. 13. Genebr. *in Eleuthero.*

APHUSIA, Ἀφουσία Græcè, inſula quædam, in qua exulârunt D. Theophanes Poëta, & Theodorus ipſius frater cognomentô Γραπτός. Uterque confeſſor. *Suidas.*

APHYDNUS, miles Æneæ à Turno occiſus. Virg. *Æn.* l. 9. v. 702.

APHYTE, vel APHYTIS, oppid. Thraciæ non procul à Pallene oraculô Apollinis inſigne Incolæ *Aphytæi*. *Steph.* Hos Jovem Ammonem non minore cultu, quàm ipſos in Africa Ammonios veneratos, Pauſan. *in Laconicis* refert, & Lyſandro urbem oppugnanti Ammonem per noctem apparuiſſe, & illum monuiſſe, & illi, & Lacedæmoniis melius ceſſurum, ſi Aphytæos deſiſſent bello vexare. Itaque Lyſandrum obſidionem deſeruiſſe, & Ammonis religioſius colendi eis auctorem fuiſſe. *Nic. Lloydius.*

APIA, regio ab *Api* IV. Sicyoniorum Rege appellata, Ægialea antea dicta, nunc Peloponneſus. Homer. *Il.* 1. v. 270.

Τηλόθεν ἐξ Ἀπίης γαίης. ——

Ubi tamen *Schol.* Ἐκ τῆς ἀπωτάτω καὶ μακρὰν ἀπεχούσης γῆς. *Idem.* Item, Tellus apud Scythas. Herodot. *Melpomene.*

APIANUM, vulgò AVIANO, & APPEN, German. caſtrum Tridentinorum, apud Athefin fluv. in via Tridento Veronam euntì occurrens.

APIANUS, Oaſi Ægypti urbe natus, Alexandriam ſe contuliſſe, cujus ſemper civis habitus eſt. Deìn, Theo. in profeſſione Rhetoricæ, ſub Tiberio ſucceſſit. Hinc Alexandriam reverſus, ad Caligulam Imperatorem remiſſus eſt, ubi contra Judæos librum edidit, quem Joſephus refutavit. Ridet illum Plin. *in præfatione Hiſt. naturalis*, ſub nomine *Cymbali mundi*, quò Apianus à Tiberio notatus erat. A. Gell. l. 5. c. 14 & l. 6. c. 8. Euſeb. *Hiſt.* l. 2. c. 5. Senec. *ep.* 88. Clemens Alexandr. *Strom.* l. 1. Vide *Apion.*

APIANUS meliùs *Appianus* Petrus, vide *Petrus.*

APIANUS Philippus. vide *Philippus.*

APIARIA, frequentiſſima in Podolia, regione Poloniæ, ubi Apes propter paſcuorum ubertatem, odorem ſuavem, abundantem florem ac ſaporem jucundum, maximas terræ foveas favis melle plenis replent, ut immanes quoque urſi, dulcedini mellis inhiantes, in iis quandoque ſuffocentur, uti docet *Olaus M.* & elegantiſſimô carmine in *Utopia* ſua Bidermannus Jeſuita expreſſit. Idem de Sarmatarum univerſa regione, Ambroſius Leo Nolanus refert In quorum vaſtis ſylvis, cum in abietum cavernis ſedes plerunque habeant hæ Veris filiæ, urſi mellis cupiditate felium more ad prædam in arbores enituntur; adverſus quos *Apiarii* malleum ingentis ponderis, ante Apum veſtibula, hâc arte ſuſpendunt, ut beſtia malleum amotura eo vehementius tundatur, quò majore impetu malleum repellit, &c. Contra *Apis* in Scotia nuſquam; etiam advectum inde pulverem ſeu lapillos ſi quis alibi ſparſerit inter alvearia, deſerunt favos examina. cùm apud Hibernos paſſim reperiantur. Vide Auctorem Anonymum *Siam & Europæ* p. 1080. & hic, ubi de *Apibus*, nec non infrà *Hymettus.*

APIARIUS, Presbyter Eccleſiæ Siccenſis in Numidia, ob crimina, ab Epiſcopis provinciæ condemnatus, ad Zoſimum appellavit, ab eoque abſolutus eſt. Poſtmodum, cùm Tabaram, aliam Numidiæ urbem, perveniſſet, enormium criminum reus deprehenſus & à Synodo condemnatus eſt. *Concil.* 5. *Carthag.*

APIASTRI flore, coronatæ olim Deorum aræ, ut diximus ſuprà. ubi de *Amello*. Eſt autem hoc *Apiaſtrum* idem cum meliſſophyllo, quod proin ab *apibus* nomen habet, non ab *apio*, uti alterum *Apiaſtrum*, h. e. agreſte apium, ἀγριοσέλινον, quod venenatum in Sardinia naſcitur, & idem eſt cum herba Sardoa. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 101. &c.

APIATÆ maculæ, in menſis Romanorum citreis, olim nobiles. Nec enim unius generis aut nominis erant *tigrinæ illæ maculæ, quas tanta facultatibus veteres illi Quirites æſtimaverunt*, ut ait Tertullianus *de Pallio*. Aliæ namque tigrinæ, aliæ pantherinæ appellabantur, aliæ pavoninæ, aliæ etiam *apiatæ*: quæ ultimæ non ab apibus vel apiculis, ſed ab *apio* nomen habebant, quod denſâ grani congerie criſpæ apii ſemen & grana denſè congeſta referrent. Salmaſ. *Notis ad Tertull.* p. 435.

APIATES, Aquitaniæ populi à P. Craſſo ſuperati. Diodor. Sic. l. 39.

APICATA, Sejani uxor, ex quâ tres liberos ſuſceperat, ab eo repudiata, ne adulteræ Liviæ Druſi Tiberi F. uxori ſuſpectaretur. Tacit. l. 4. *Annal.* c. 3.

APICELLÆ, in *Charta* Wilhelmi Regis Siciliæ, apud Ughellum *Ital. Sacr.* Tom. VII. p. 404. *Inſuper confirmamus eidem Monrenſi Eccleſiæ omnes homines de eadem terra, qui dicuntur* Apicellæ, *præfatæ Eccleſiæ pertinentes, apothegorios 2. & furnarios 2. mandantes & firmiter præcipientes, ut tam homines ipſi, qui dicuntur* Apicellæ, *quam & ipſi 2. Apothegarii, ei reſpondeant*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

APICES faſtigati Alanorum, apud *Iſidorum*. *Perſæ brachia ac crura linimentis, caput tiara tegunt. Eminent apicibus faſtigatus Alani.* ſunt κυρβασίας εἰς ὀξὺ ἀπηγμένας, ſeu *pilei acuminati*; cujuſmodi ferè omnia erant barbarica pilea Sic tiaræ Perſicæ acumen habebant, imò nec tiaræ dici alias poterant, cum *τιάραν λόφον* i. e. *apicem* notare dicat *Heſych.* Unde in antiquis aſteris morum figuris, Cepheus pingitur cum ejuſmodi tiara, in anteriorem partem acumine proclinatô. Non diſſimiles κυρβασίας Scythis donat *Herodotus*. Atque hinc *Bardaici cuculli*, à Bardæis Illyrici populo. Eſt autem cucullus propriè tegmen capitis acuminatum, in ſummo, ex Græca origine, quia κόκκυξ ſignificat λόφον vel *apicem*; quem *unciam* appellat Martial. l. 1. *Epigr.* 54 ubi de Lingonico Bardocucullo. Habebant enim hi apicem retrò inflexum, non in ante, ut in Perſicis & Phrygiis tiaris vel etiam rectum, quô ſolò Reges inſignes erant. Hodieque ita ſunt cucullæ Monachorum & Benedictinorum cappæ, quas vocant. Et tales fortè olim pænularum ſive lacernarum, quas pluviô tempore ſuperinducebant, cuculli, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 556.

APICIUM, oppid. regni Neapolitani ad fluv. Calorem, in Principatu ulteriori. A Benevento, 7. mill. paſſ. in Orientem totidemque ab Ariano, in Occaſum paucisque conſtat incolis.

APICIUS Romanus, totum nomen *M. Gavius Apicius*, omnium belluonum maximus gurges, cui parum fuit & principum congiaria, & Capitolii vectigal devoraſſe, niſi inſuper gulæ ſuæ monumentum poſteris reliquiſſet, editô *de gula irritamentis* volumine, quò ſeculum ſuum infecit. Hunc Senec. *l. de Conſolatione ad Helviam* c. 10. ſuô ſeculô vixiſſe teſtatur, & laqueô vitam finiviſſe, cùm ſubductis rationibus ex ſeſtertio millies, quod in culinam congeſſerat, centies tantum ſupereſſe ſibi cognoviſſet. Juvenalis, *Sat.* 11. v. 2.

— Quid enim majore cachinnô
Excipitur vulgi, quam pauper Apicius?

Martial. l. 2. *Epigr.* 69. v. 3.

Ipſe quoque ad cœnam gaudebat Apicius ire,
Quum cœnaret, erat triſtior ille, domi.

Alii *Apicius*. Ejus quoque meminit Athen. l. 1. Cæterùm tres Roma tulit Apicios, inquit Caſaub. *ad Athen.* l. 1. c. 6. & Lipſius *ad Annal. Tacit.* l. 4. Primum, qui Athenæo nominatur, l. 4. c. 10. qui veteri Republ. fuit, quemque à *Poſidonio* celebratum ait, & auctorem fuiſſe, ut Rutilius in exilium mitteretur. Alterum, qui Auguſti ævô, de quo ſupra, *nepotum omnium altiſſimus gurges* Plinio l. 9. c. 17. & l. 10. c. 48. dictus, de cujus deliciis volumen Apione Grammatico ſcriptum legas Athenæi l. 7. Vide Dion. l. 57. Tacit. l. 4. *Annal.* c. 1. & Senec. *Conſol. ad Helviam.* c. 10. Tertium, qui in imperio Trajani, cujus mentio apud Suidam in Ὄστρεα, ſi tamen *Trajani* ibi vox incorrupta *Nic. Lloydius.*

APIDANENSES, Arcades. *Dionyſius.*

Ἀρκάδες Ἀπιδανῆες ὑπὸ σκοπιὴν Ἐρυμάνθου.

Ubi alii Ἀπιδανῶντες legunt, ut referatur ad montem Erymanthum. Cur verò Arcades ipſi, aut mons ille ſic dicatur, haud ſatis conſtat. *Euſtathius* quidem ab Apide quodam, qui ex Epiro veniens Arcadiam incoluit, Peloponneſum totam *Apiam*, Arcades verò peculiariter *Apidanæos* dictos refert, hunc verſum ex *Arriano* in rei teſtimonium adducens:

—— Κλυτὸς Ἆπις
Ὅς ῥ' Ἀπίην ἐπόλιζε καὶ ἀνέρας Ἀπιδανῆας.

Callimachus, *Hymno in Jovem*

—— Ἀζηνὶς ἡ Ῥείης
Ὠγύγιον καλέεσκε λεχώιον Ἀπιδανῆες.

Ubi Scholia; Ἀπιδανῆες, οἱ ἀρχαῖοι Ἀρκάδες. *Strabo* tamen Apiæ nomen potius ad Argiam, & Ἀπιδόνες (ſic enim vocat) ad Argivos propter pertinere cenſet. Porrò tamen Apis utrique regioni imperitavit, & ſic *Strabo* eum *Dionyſio* & *Euſtath.* conciliabitur. *Idem.*

APIDANUS, unus ex præcipuis Theſſaliæ fluviis, tardè fluens, quouſque illi commiſcetur Enipeus, quem ipſe ſecum in Peneum defert, ſupra Lariſſam, ut habet Lucanus *l. 6. v. 372.*

— It gurgite vaſto
Apidanus, nunquamque celer, niſi mistus Enipeus.

Ovid. *Met. l. 1. v. 580.*

Apidanuſque ſenex, leniſque Amphryſus & Æas.

Idem *l. 7. v. 228.*

Multa quoque Apidani placuerunt gramina ripis,
Multa quoque Amphryſi.

Propert. *l. 1. Eleg. 3. v. 6.*

Qualis in herboſo concidit Apidano.

Demetrius Troadis fluvium facit. *Steph.* Hodie *Epideno* & *Pidanemo.*

APIDIUS Merula, quòd in acta D. Augusti non juraverat, à Tiberio Cæſare albô Senatoriô eraſus eſt. Tacit. *l. 4. Annal. c. 42.*

APIENNATES, Umbriæ populi. Plin. *l. 3. c. 14.*

APILA, Civitas ad Septentrionem Urbis Aſtaroth. Hieronym. de *Loc. Hebr.*

APILOCARIUM, Luſitaniæ orbs. *Phlegon Trallianus.*

APINA, vel APINÆ, urbs Apuliæ. *Tricas* autem & *Apinas* vulgò res futiles, & nugatorias dicunt. Martial. *l. 14. Epigr. 1. v. 7.*

Sunt Apinæ Tricæque, & ſi quid vilius iſtis.

Plin. *l. 3. c. 11.* Diomedes ibi delevit gentes Monadorum, Dardorumque, & urbes duas, quæ in proverbii ludicrum vertêre, *Apinam*, & *Tricam*. Inde *Apinarii*, γελωτοποιοί, ſcurræ, mimarii, qui divitum menſas ſectabantur, Trebellius Pollio. in *Gallien. c. 8.* Vide hîc infrà.

APINARII, memorati Trebellio Pollioni in *Gallienis c. 8. Cyclopea etiam luſerunt omnes* Apenarii, *ita ut miranda quædam & ſtupenda monſtrarent*: Non ſunt rhedarii ſeu aurigæ, Græcè ἀπηνάριοι, ut quidam Vir doctus contendit; ſed ab *apinis* dicti *Apinarii*, ſcurræ videl vel ludii, qui moribus & geſtibus fabulas & hiſtorias deſaltabant in ſcena & varia miraque in illo genere oſtendebant, ut hi *Apinarii*, qui Cyclopea luſerunt & mimam illam Cyclopis fabulam expreſſerunt. *Apinas* optimæ *Gloſſæ* interpretantur ἀμαλογίας; quæ vox notat argutias, ineptias & garrulitates idque genus alia facetias ac lepores: Unde & ἀμαλόγος, *garrulus*, qui omnia ſimul effundit & effutit, nec finem facit garriendi blaterandique, ut ſcurræ ſolent & vernaculi. Item σάννας, unde *Sanniones* & *Sanni*, qui ridiculis motibus quidvis imitantur & oſtendunt. *Fabulones* iidem dicebantur, Macrob. *l. 2. c. 1.* ubi alii *Sabulones* malè legunt: Scenici enim & Atellani & iſtiuſmodi *Apinarii* ibi deſignantur. *Varro.*

Et orthophallica attulit pſalteria,
Quibus ſonant in Græcia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia:
Ut Comici, Cinædici, Scenatici.

Inde igitur *Fabulones*, à fabulis, &c. Sic itaque *Apinæ* nugæ ſunt, vel ridicula & nugatoria dicta, atque inde *Apinarii* vel *Apenarii* (ut *patenas* pro *patinis* non rarò, *Catena* pro *Catina* urbe, in veterib. libris legitur) ſunt μωρολόγοι & qui ridicularia quacunque occaſione funditant; quique non dictis ſolùm & ſalibus, ſed etiam motibus corporis & geſtibus, ſunt ridiculi. Quales illi fuêre *Pollioni* memorati, qui totum iſtud Cyclopicæ fabulæ argumentum non ſolùm facetiis ac dictis ſimilibus, ſed ſchematibus præcipuè ac geſtibus peregerunt: unde miranda quædam & ſtupenda monſtraviſſe, in illo Cyclopeorum luſu dicit Salmaſ. *ad dict. loc.* Vide etiam infrà, ubi de *Sannis* & *Sannionibus.*

APINIUS Tiro, Præturâ functus Claſſis Miſenenſis, cum Claudio Apollinari Præfectus, Ducem ſe defectoribus ad Veſpaſianum obtulit; à quibus municipia coloniæque impulſæ, præcipuò Puteolanorum in Veſpaſianum ſtudiô. Tacit *Hiſt. l. 3. c. 57.* Romana Editio *Aponium* præfert, atque *Gruterus* nomen hoc notius alterô; nec putat iſtud alibi inveniri. Vide *Aponium.*

APIOLA, vel APIOLÆ, civitas Italiæ, capta à Lucio Tarquinio rege, de cujus præda Capitolium inchoavit. Plin. *l. 3. c. 5.* *Steph.*

APION, cognomen Ptolemæi ex Lagidis Nothi, Libyæ Regis, qui regnum moriens teſtamentô Populo Romano reliquit; in quo inclytæ civitates erant Berenice, Ptolemais & Cyrene. Factum hoc an. urb. cond. DC.LX. Cajô Cæliô, L. Domitiô Conſulib. Videatur Appian. *l. 1. Bell. Civil.* & *Eutropius.*

APION, Tiberii temporibus & ultra floruit, περιεργότατος γραμματικῶν, *Grammaticorum curioſiſſimus*, ut *Africano* apud Euſebium vocatur; ἀνὴρ δοκιμώτατος, *vir celeberrimus*, uti dicitur *Tatiano*, *Literis homo multis præditus, rerumque Græcarum plurimâ, atque variâ ſcientiâ*, ut judicat Gellius *l. 5. c. 14.* Natus fuit Oaſi, Ægypti civitate: ſed Alexandrinus vocari volebat, quòd jus ejus civitatis haberet. Auctor Joſeph. *l. 2.* eorum quos *adverſus eum* ſcripſit. Cognomen habuit Πλειστονίκης, h. e. *Multivictor*, uti liquet ex Plin. *l. 37. c. 5.* Gellio *l. 6. c. 8.* & Clem. Alex. *l. 1. Strom.* Sed *Suidæ* dicitur Ἀπίων ὁ Ποσειδωνίου. Verùm fallitur; nam Poſidonii fil. fuit, teſte Africanô in tertio χρονογραφιῶν. Etiam cognomen habuit Μόχθος, *ab aſſiduo labore*, ut *Suidas* docet, ex quo etiam cognoſces, quibus præceptoribus uſus ſit. Plin. *in Præfat. Nat. Hiſt. Apion Grammaticus, hic quem Tiberius Cæſar Cymbalum mundi vocabat, cùm publicæ famæ tympanum potius videri poſſet, immortalitate donari a ſe ſcripſit, ad quos aliqua componebat.* Unde liquet, Tiberii ætate non exiguum nomen habuiſſe. Idem ab Alexandrinis ad C. Cæſarem, cognomentô Caligulam, accepit legationem. Quô tempore Philo à Judæis eſt miſſus ad eundem, ut gentis ſuæ cauſam ageret, adverſus Alexandrinos. Joſeph. *Jud. Ant l. 18. c. 10.* Senec. *Ep. 88. Apion Grammaticus, qui ſub Cajo Cæſare tota circulatus eſt Græcia.* Nec tantùm Tiberii & Caji, ſed Claudii etiam tempore vixit, teſte *Suidâ*: Cui *Flavius Joſephus* reſpondit. Idem ſcripſit Ægyptiacorum libros 5. Gellius *l. 5. c. 14.* & *l. 10. c. 10.* Ab Ægyptio Apidis numine vocatus eſt. Errant ideo, qui geminatô *p.* dicunt *Appionem*, quaſi derivatum ſit, ab Appia gente Romana. Video tamen, non ſemel ſic ſcribere Joſephum Scaligerum, *in erudita appendice præclari operis, de Emendatione Temporum.* Voſſ. *l. 2. de Hiſt. Græc. c. 7. p. 530. 531.*

APIS, Argivorum Rex II. Iovis fil. ex Niobe Phoronei filia, alio nomine *Oſiris* appellatus, Iſidem uxorem duxit; Achajæ regnô Ægialeo fratri conceſſô in Ægyptum trajecit: ubi cùm homines rudes ad mitiorem vitæ cultum traduxiſſet, colendarumque vinearum rationem eos edocuiſſet, concordibus omnium votis in Regem eſt adſcitus. Cùmque aliquandiu mirâ prudentiâ, parique clementiâ Ægypti regnum adminiſtrâſſet, multaque in ſubditos beneficia contuliſſet, vitâ tandem functus, pro Deo eſt habitus, & ſub vivi bovis imagine, ad cujus imitationem fortè vitulus aureus ab Aarone conflatus eſt, ab Ægyptiis cultus. Hic *Straboni* fronte candidâ, cætera niger erat. *Herodotus* addit, in dorſo aquilæ imaginem, in lingua cochleam, &c geſtâſſe. Pomp. Mela *l. 1. c. 9.* & Plin. *l. 8. c. 46.* illum in latere lunæ creſcentis imagine inſigniunt; ajuntque ex præcipuis religionis arcanis fuiſſe, ne diu viveret. Illô igitur mortuô Sacerdotes, nebridibus cincti, horribiliter clamabant, reſpondente populô, donec alterô inventô lætitia triſtitiam pelleret. Hunc dein per quadragenos dies ſoliciè nutriunt, quô tempore à ſolo ſexu ſequiore viſebatur, Memphin deducebant, ubi populus eſcam ei proponens oracula petiit. Hanc enim cùm renuebat, uti Germanico fecerat, infauſtum omen erat, &c. Cicer. *l. 1. De Nat. Deor. Quid cenſes igitur Apin illum ſanctum Ægyptiorum bovem, nonne Deum videri Ægyptiis?* Ovid. *Amor. l. 2. Eleg. 13. v. 14.*

Et comes in pompa corniger Apis erat.

Lucanus *l. 8. v. 478.*

—— Illô cultore Deorum
Luſtra ſua Phœbes non unus vixerat Apis.

Idem *l. 9. v. 160.*

Et ſacer in Magni cineres mactabitur Apis.

Certè vulneratum eum in femore jam à Cambyſe, imò occiſum, aſſatum & comeſtum ab Artaxerxe Ocho, *in Perſiæ Regum hiſtoria*, legimus. Nec omittendum, quòd Eudoxi Cnidii, cùm in Ægypto verſaretur; *veſtem linxerit Apis*, unde Sacerdotes prædixerunt, illum ἔνδοξον, ἀλλ' ὀλιγοχρόνιον, *illuſtrem futurum, ſed non diu victurum*, quod & factum. Fuit enim is inter Aſtronomos ſui ſeculi inclytus, ſed 53. ætatis annô extinctus eſt, Diogenes Laërt. *in Eo &c.* vide & *Serapis.* It. *Euſeb* Clement. *de præpar. Evang. c. 11.* Herodot. *l. 3.* Ælian. *Hiſt. var. l. 4. c. 8* & *l. 6. c. 8.* Diodor. Sic. *l. 1.* Macrob. *Saturn. l. 1. c. 21.* Strab. *l. 7.* Melam. *l. 1. c. 9.* Plut. *de Iſide & Oſiride*, & *quæſt. conviv. l. 8.* Plin. *l. 8. c. 46.* *Minutium* Felicem, Auguſtin. *de Civ. Dei l. 18. c. 5.* Et quia bovis hujus frequentiſſimus inter Indos hodieque cultus, P. de Valle, *Itiner. tom. 4.* ubi hanc Indicarum ſuperſtitionum Camarinam facundè movet. Regnâſſe illum poſt Phoroneum ann. 35. Telxienis dein & Telchinis inſidiis periiſſe ἄπαιδα Apollodorus tradit. *l. 2.* Argò ſucceſſores ſed *Pauſan.* & *Hyginus* hunc in Argivorum ſerie rejecerunt: ut videre eſt apud Ioh. Marshamum *Can. Chron. ad* Sec. VI. è quo vera *Apidos* hiſtoria paucis infrà ſubnectetur. Item *Apis*, vicus in Africa ſic dictus, quia nobilis Ægypti religione eſſet. Plin. *l. 5. c. 6.*

APIS, ſub Cæacho, Thinitarum in Ægypto Rege in Memphi, ſicut Mnevis in Heliopoli, & Mendeſius caper, Dii haberi cœperunt. Et quidem, uti Mnevis Soli, ita *Apis* (qui princeps illis Deorum) Lunæ ſacratus eſt, *bos diverſis genitalium notarum figuris expreſſus, maximeque omnium corniculantis Lunæ ſpecie latere dextrô inſignis.* Amm. Marcellin *l. 22.* Idem verò & *nigrore corporis & nodô ſub lingua, quem κάνθαρον vocant, Solis quoque inſigne ſuit*, Euſebius *Præpar. Evang. l. 3. c. 13.* Vide quoque *Menſam Iſiacam* Bembinam, & *Nummum* Hadriani Aug. ubi *Apis*, & inſigne ei in dextro latere candicans macula, cornibus Lunæ creſcere incipientis, cernitur, apud Triſtanum *l. 4. p. 514.* Cauſa conſecrationis, quòd Oſiridis (ſeu Menis, Beli, Ammonis, Thamuzi &c. quibus nominibus *Cham* inſignitur) anima in bovem tranſmigrâſſe, & in poſteros perpetuò tranſfuſa fuiſſe, credita eſt, κατὰ τὰς ἀναδείξεις αὐτοῦ, *ſecundum ejus apparitiones*, Plut *Iſide.* Cur verò in duos boves unius Oſiridis anima tranſmigrâſſe dicta ſit videbimus infrà, voce *Mnevis*. Itaque *Apis*, cùm poſt vivendi ſpatium præſtitutum ſacrô fonte immerſus è vita abiiſſet, alter ſimilis cum publico quæſitus eſt luctu, ductuſque Memphim Æſculapii cultu famoſam. Ubi, initiante Antiſtitum numerô centum, inductus in thalamum, eſſe ſacer, & ſigna rerum futurarum demonſtrare, dictus eſt, Marcellinus *ubi ſupra.* Fuerunt autem delubra gemina, *Thalamos* vocabant, auguria populorum: *Alterum intrâſſe lætum erat, in altero dira portendebat. Reſponſa privatis dabat, è manu conſulentium cibum capiendo*, Plin. *l. 8. c. 46*; vel *palliam lingendo*, vide ubi de *Eudoxo Cnidio*. Cæterum ſecretus, *cùm ſe proripuit in cœtus, inceſſit ſummotu lictorum, grexque puerorum comitatur, carmen honori ejus canebat. Qui greges repente lymphati futura præcinebant*, Plinius *dict. loc.* quod quô modo factum, dicemus ubi de Mercurio *in Phonſis*. Quando verò cœperit *Apis ſigna rerum futurarum demonſtrare*, non liquet: cùm inter vetuſta Ægypti oracula nulla ejus ſit ratio, apud Herodotum *l. 2. c. 83.* & *c. 133.* Plura hanc in rem vide apud præfatum Marshamum *Can. Chron. Sec. IV.* ubi & de *Vitulo in deſerto*, & de *Vitulis a Jeroboamo*, occaſione bovis hujus Ægyptii, conſecratis agit: Simulque Mythologos Græcos, &, qui hos ſequuti Chriſtiani contra Græcos ſcripſerunt, *Tatianum*, *Clementum Alex.* alios, perperam conſecrationem *Apidis* ad Phoronei fil.

ril. Apin, retuliſſe docet. Adde ſuprà dicta, nec non dicenda, vocibus *Athyr*, *Bathor*, *Murin*, *Monemphis* &c.

APIS, unum ex quinque animalibus, quæ apud Mahometanos occidere non licet, uti infrà dicemus voce *Rana*: Hebr. דבורה *debora*, dicta, à mirabili ductu & ordine: politicum enim hoc animalculum eſt. Reges habens, & populos & urbes & prætoria, de quibus è Græcis potiſſimum conſulendi Ariſtoteles, *l.* 9. *Hiſtor. Animal. c.* 40. Ælian. *Hiſt. Anim.* & Scriptores *Geoponicôn*, ut, è Romanis, Varro *l.* 3. *RR. c.* 16. *Virgilius*, *l.* 4. *Georg.* Columella, *l.* 9. *c.* 2. 3. 4. Plinius, *l.* 11. *c.* 5. *& ſeq.* & ex Arabibus, *Damir* & *Alkazuinius*. Apud omnes autem *apis natura* eſt καὶ ἐπίδοξος, *amabilis & clara*; ut cujus opus, mel videl. ubique naſcitur, ut notat Plin. *l.* 22. *c.* 24. & ubique in pretio eſt, ab ultima Scythia uſque ad Afros & Æthiopes. Unde non puduit Ariſtomachum Solenſem, duodeſexaginta annos in natura *apis* inveſtigandâ deſudâſſe; nec Philiſcum Thaſium, in deſertis eas colentem, *Agrii* inde nomen ſibi contraxiſſe. Quò pertinet, quòd mulierem frugi ex *ape* natam eſſe finxêre Veteres ut apud Stobæum c. 71. Simonides:

Τὴν δ' ἐκ μελίσσης, τήν τις εὐτυχεῖ λαβών
Κείνῃ γὰρ οἴῃ μῶμος οὐ προσιζάνει
Θάλλει δ' ὑπ' αὐτῆς κἀπαέξεται βίος
Natam ex ape qui duxerit, felix eſt:
In hac enim ſola culpa non reſidet;
Floretque & ab ea augetur res familiaris, &c.

Unde variæ illuſtres fœminæ *Apis* nomine appellari non ſunt dedignatæ. Apud Hebræos *Debora* duplex, una Rebeccæ nutrix, Gen. *c.* 35. *v.* 8. altera Propheteſſa, quæ judicavit Iſraëlem, Judic. *c.* 4. *v.* 4. Apud Græcos, Jovis nutrix *Meliſſa* nympha & *Meliſſa* Epidamnii filia, de qua Steph. in Δυῤῥάχιον. *Meliſſa* item Periandri uxor, Regis Corinthiorum; & alia recentior, cujus *Epiſtolam* edidit Aldus in *Volum. Græcarum Epiſtolar.* Eſt etiam id receptum, ut ἐργάτις dicatur, nomine communi proprii vice acceptô. *Anthol. l.* 1. *c.* 60.

Αἰθέριαι πτηναὶ νέκταρος ἐργάτιδες.
Ætheriæ volucres nectaris artifices &c.

Sed & fortitudinis merentur elogium, quam ob cauſam eum iis infeſtiſſimos hoſtes comparari in Sacris novimus. Certè earum examina multum ſæpe in bello profuiſſe, teſtatur Appian. in *Mithridat.* ubi, cùm Luculliani per cuniculos Themiſcyram aggrederentur, Themiſcyrii urſos, feraſque alias & σμήνη μελισσῶν, *apum examina*, in operarios emittebant: & Bonfinius *Decad.* 3. *l.* 4. ubi ſcribit, Amurathe Albam Græcam obſidente, oppidanos, *apum* examinibus in Turcas immiſſis, ſe fuiſſe tutos. Cui non abſimile eſt, quod refert Witichindus *de Saxon. geſtis l.* 1. unum ex Ducibus Henrici Imperatoris à Giſelberto Lotharingiæ Rege obſeſſum, invaſores, objectis apium alveariibus inhibuiſſe, quorum aculeis equi in furorem acti seſſores vel excuſſerint vel ad pugnandum reddiderint inutiles: ut nil dicam de incolis oppidi *Tauli*, in ditione Mauritaniæ Xiarimenſi, à Luſitanis, Duce Banigâ, jam fermè ad incitas redactis, A. C. 1515. de quibus Oſorius *de reb. Emmanuelis l.* 8 Ita, ſi minùs verum, ſaltem vero ſimile eſt, quod apud *Photium* ſcribit Jamblichus de copiis, Rhodanem & Simonidem obſidentibus: Φεύγουσιν οἱ τρόφιμοι, τοῦ τῶν μελισσῶν πολέμου πονήσαντες, *Copiæ diffugiunt, apum pugnâ afflictæ*. Neque prorſus incredibile, loca quædam trans Iſtrum, ut *Herodot.* narrat, propter earum multitudinem, hominibus inacceſſa fuiſſe. Hodie inter pœnas, quas adultero imponit Judaica gens, hæc una eſt, ut nudus æſtate per denſam *apum* turmam tranſeat & illarum aculeis corpus ſuum objiciat, donec totum intumuerit; idque ſemel atque iterum, pro delicti gravitate, ut habetur apud Buxtorfium, *Synagog. Judaic. c.* 34. &c. Plura de *Apibus*, vide ſuprà in *Apes* & præter Auctores laudatos, apud Bochart. *Hieroz. parte poſter. l.* 4. *c.* 10. *& ſeqq.* In ſepulchro Childerici, Francorum Regis, haud pridem prope Tornacum in Flandria reperto, præter alia Regiæ ſepulturæ ornamenta, magnum apum ex auro, pollicis longitudine, tamen ſimul erutum fuiſſe, refert Car. Patinus *Relation. Hiſtor. l.* quæ omnia Imperatoris munere Galliæ Regis cimeliarchio illata fuiſſe, addit Fortè *apes* tumulato Regi additæ, in ſymbolum bellicæ fortitudinis, quum animalculum hoc, magnos animos exiguo in corpore verſans, belligerum eſſe ſuprà ſit viſum. Cæterùm de *Apum* Decimis, vide Ordericum Vitalem *l.* 5. *p.* 82. de utilitatibus earum, *Chartam* Henrici V. Imperatoris A. C. 1112. apud Nicolaum Zylleſium in *S. Maximino p.* 49. Capitul. de *Villis c* 17. & ſuprà in voce *Aboſlagium*; uti de *Ape* ſuccino incluſa infrà ubi de *Electro* &c. Aliam verò mentionem vocis exhibebimus, voce *Proſerpina*.

APIS Natales, toti olim Ægypto feſti atque celebres erant, *ſolenne ſacrum* Senecæ *Natur. quæſt. l.* 4. *c.* 2. ubi de fonte ſacro, Phila dicto: *In hunc ora ſtipem Sacerdotes, & aurea dona Præfecti, cùm ſolenne venit ſacrum, jaciunt.* Nempe hôc fonte mergebatur, *Apis*, ubi diu ſatis vixerat, Solinus *c.* 32. *Apim vocant — ſtatum ævi ſpatium eſt, quod ut affuit, profundo ſacri fontis immerſus necatur, ne diem longiùs trahat, quàm licebit. Mox alter, nec ſine publico luctu, requiritur, quem repertum centum Antiſtites Memphin proſequuntur, ut incipiat — ſacer fieri.* Iis autem diebus, quibus feſtum hoc Natalium Apis celebrabatur, jaciebant in fontem hunc, quem *fontem Sacerdotum* Plin. *l.* 5. *c.* 9. vocat, pateras aureas & ſtipem, Sacerdotes ac Præfecti &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 440. Iiſdem, erant autem VII. quaſi pactô caſtrenſi fœdere, ab omni ſævitia crocodili ſic deſciſcere, ut neminem per eos attingerent, crediti ſunt, Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 5. *c.* 16. Vide plura de hoc Ægyptiorum idolo in voce *Apis*, item infrà in *Joſephus* & *Serapis*.

APISAON, viri Trojani nomen, Homer. *Il.* λ. & ρ. ubi tamen alii Ἀμυθάονα legunt.

APITAMI, Arabiæ populi. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

APITIUS, Galba, ſcurra nobilis ſub Tiberio Cæſare. Juvenal. *Sat* 5. *v.* 3

Si potes iſta pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæſaris ad menſas, nec vilis Galba tuliſſet.

APIUM Palladis, Græcè Μελισσόφυλλον. Vide ſuprà in voce *Apiaſtrum*.

APLC in nummo Magnentii, *percuſſa Lugduni* notat, judice Car. du Freſne *Diſſertatione de infer. ævi Numiſmatibus*.

APLÆ, Græcis ἀπλαῖ, ſoleæ ſunt, piſces ex planorum genere, quos Græci etiam σανδάλια dixêre, de quibus vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1318.

APLANES, apud Dungalum Recluſum *l. de Solis Eclipſi*, ad Carolum M. *De novem circulis, qui Aplanem illum ambiunt: h. e. maximam ſphæram, in qua* 12. *Signa videntur infixa, & cui ſubjecta* 7. *alia ſphæra.* Et infrà, *Mundus ergo non ſine eſt, cùm ſtellæ omnes omniaque ſidera, quæ Aplanes habet, a certo loco ad eundem locum ita remeaverint, &c.* Firmamentum eſt, ex Græco ἀπλανὴς, i. e. *non erraticum*, Ita enim Macrob. *de Somnio Scipionis l.* 1. *c.* 14. *Prima*, inquit, *illa ſtellifera ſphæra, quæ propriè nomine dicitur cælum*, Aplanes *apud Græcos vocatur, continens & arcens cæteras.* Uſurpat vocem quoque Radbodus Epiſcopus. *Carm. in S. Suibertum Epiſc.* apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

Nonne tuas modulis oblectat dulcibus aures,
Orbibus Aplanes obvius Empyreis?

In Gallia Familiam illuſtr. Montmorantiorum pro ſymbolo familiari habuiſſe Græcam vocem ΑΠΛΑΝΩΣ (h. e. *abſque errore*) ſtellæ fixæ adſcriptam, monet Cl. Spenerus *Artis Herald. Parte* 2. *l.* 1. *c.* 63. §. 11.

APLUSTRE, Græcè ἄφλαστον, ſumma pars puppis, Homer. *Il.* ο. *v.* 716.

Ἕκτωρ δὲ πρύμνηθεν ἐπεὶ λάβεν, οὐχὶ μεθίει
Ἄφλαστον μετὰ χερσὶν ἔχων.

Sicut ἀκροστόλιον, proræ. Eminebant autem in puppis ſummitate pennæ ac criſtæ, ut in galea: unde in nummis M. Antonii & Hadriani aliiſque quampluribus videre eſt tres pennas ex apice ſummo puppis ſurgentes pro inſigni; Cujuſmodi pennam, ad ornamentum puppi imponi ſolitam, *Apluſtre* quoque vocavit *Ennius*. In medio *Apluſtri* fixum erat lignum rectum, è cujus medio pendebat infula ad ornamentum, ſeu tænia; pro qua in aliis, ad ornatum *Apluſtris*, addebatur penna, in aliis parvum velum. In navis Argoæ apluſtri triplices tæniæ forma viſitur in clypeolo, de pennis jam dictum. At quæ hic στυλίς vocat Auctor *Gloſſar.* & *Apluſtre* Latini, quod apluſtre, i. e. ſummitati & apici puppis imponeretur. Quô ſenſu omnino accipienda *Apluſtria*, in hoc verſu Ciceronis, Priſciano citati.

Navibus aut ſummis fluitantia quærere apluſtra.

Et apud Poëtam,

— & totô fluitantia vela theatrô &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 572. & 573.

APOBATERION Carmen, vide infrà *Epibaterion*, it. *Propempticon* & *Vale*.

APOBATHRA, Straboni *l.* 13. ad Seſtum locus ab exſcendendo è navibus Apobathra nominatur, ubi Xerxis navis dicitur fuiſſe congelata. Euſtath. *ad Dionyſ. Perieg.* qui locus Straboni facem præfert

APOBOEOTI, populi Ætoliæ. *Steph.*

APOCALYPSIS, liber Revelationum divinarum, quibus Johannem Euangeliſtam & Apoſt. in inſula Pathmo, Deus dignatus eſt: ultimus ex Canonicis N. T. continet *capita* 22. Scripſerunt in ſacrum hunc librum: Alſtedius Joh Henricus, *Trifolium Propheticum*, *in Cant. Dan. & Apoc.* in 4to Herborn. A. C. 1640. S. Ambroſius. S. Auguſtin. Bibliander, *in Apoc.* Baſileæ, 1545. Borrhaus *in Eſaiam & Apoc.* Baſil. 1561. *in fol.* Brightmannus, *in Apoc. Analyſis & Scholiis.* in 4to. Francof. 1609. &c. Le Buy, *ſur l'Apocalypſe.* Cluverius, *Comment.* Colladon, *Methodus facillima in Apocalypſin.* in 8t. Morgiis, 1581. Cregutius, *Notæ.* Dieſtius, *Analyſis Apocal. Exegetica.* Forbeſius, *Commentar.* Amſtelod. 1646. Gerhardus *Commentar.* in 4to. Ienæ, Anno 1643. Gomarus in 5. *priora Capp.* inter opera ejus. Graſerus, *in plaga regia*, in 4to. Tiguri 1610. Hoë, *Comment.* 6. *volum.* in 4to. Lipſiæ 1612. 1618. &c. Hogelius. Iacobus Rex, *Paraphraſis in Apoc.* inter opera ejus. Joachimus Abbas, *in Apoc. expoſitio*, in 4to. Venetiis, 1519. 1527. Junius, *in Apoc. analyſis methodica.* Kromayerus. Laurentius *in Apoc.* 3. *priora cap.* Hardervici, 1629. Leonimus, *Contemplatio exegetica*, in 8. Amſtelod. 1608. Lucius *in Apoc. notæ textuales & Conc.* 231. Germ. Hanoviæ. Medus, *de numero Beſtiæ*, in 8. Baſil Perkinſius, Piſcator, *Commentar.* Pricæus, Prideaux, Riccardus, *Idea concionum*, *in Apoc.* Bernæ, in 4to. Plures vide apud Guilhelmum Crowæum, *in Elencho ſcriptorum in Sacram Scripturam*, edito Londini A. C. 1672.

APOCALYPSIS, nomen quoque eſt variorum librorum apocryphorum, qui ob ab Auctoribus ſuis inſigniti ſunt, ut faciliùs incauti deciperentur. Sic meminit *Apocalypſis S. Petri* Euſeb. quem librum damnatum eſſe refert *Chron. l.* 3. *c.* 14. Sozom. vero, in Palæſtina, feriâ 6. in Paraſceve, adhuc ſuô tempore lectum eſſe, narrat *l.* 7. *c.* 16. De *Apocalypſi D. Pauli*, vide quæ Nicephorus, Sozom. & Euſeb. *l. eod. c.* 3. De *Apocalypſi Adami*, quæ Epiphanius; de *Apocalypſi Eſdræ*, quæ Nicephorus: *Eliæ*, quæ Baronius A. C. 44. *num.* 49. tradunt. Gratianus quoque in *Decretalibus* trium *Apocalypſeon* meminit, *D. Thomæ*, *D. Stephani & Moſis*, de quarum ultima etiam Caſſiodorus quædam habet.

APOCARTERESIS, à Marcionitis dicta eſt mors violenta, ex inedia vel laqueo, accelerata, à verbo Græco ἀποκαρτερεῖν. Tertullian. *contra Marcion. l.* 1. *Hypocritam apocartereſi probat ſe Marcionitam.* Idem eandem vocem adhibet *adv. Gentes l.* 1. *c.* 46. *Lycurgus apocartereſim optavit, quod Leges ejus Lacones emendâſſent* Vide Macrum *Hierolex.*

APOCATASTASIS omnium Planetarum. Vide ſuprà in voce *Annus Magnus*.

APOCHYMA, Græcè Ἀπόχυμα, dicebatur is comendorum crinium modus, quô capillus effuſus, abſque modo & ligatura, ſpargebatur per humeros, apud Clementem in *Canonibus*. Tertullian. *aut Parthorum more capillum effundere*. Pol.
.... *deleratque comam diffundere ventis*.
Cujuſmodi comam Græci [illegible] & [illegible] vocant, quæ videl. ſeriè prolixâ, exporrectâ & effuſa dorſa permanat. At cum crinis colligebatur & in unum ſive nodum, ſive corymbium conſtringebatur, ornatus is [illegible] dicebatur, item *corymbium* & *botronatus*. Præter quos tertius ornandi comam modus erat, cùm ea dividua ac diſcriminata ſervabatur, non implexa & inflexâ, ut in ſpatalio, nec effuſa, ut in *Apochymate*.

APOCOPA, ſinus in Arabico receſſu. *Steph.* Imò legendum apud ipſum, *ἐν Βαρβαρικῷ κόλπῳ*, *in Barbarico ſinu*; ad quorum Orientem æſtivum ſitum eſt Aromatum emporium. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 798.

APOCOPI, montes Indiæ intra Gangem, [illegible] *Ptol.*

APOCRISIARIATUS, apud Humbertum *contra Græcor. calumnias*, dignitas *Apocriſiarii* eſt. Erant autem *Apocriſiarii Zoſimo*, [illegible], quos Vopiſcus in *Aureliano*, c. 36. *Notarios ſecretorum*. Recentiores Latini, barbaros Græcos imitati, *Aſecretas*, dixere; alii nomine *ad Reſponſum*, item *Referendarios*: nam [illegible] & [illegible] idem, Latinis *notaria* ſeu *notoria*. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. loc. cit.* Joh de Janua, *Apocriſiarius*, *Secretarius* — *Cancellarius*, *quia ipſe eſt Secretarius Regis vel Imperatoris & ejus ſecreta ſcit*. Curam habebat annuli Regii, quô diplomata & præcepta Regia ſubſignabat, Honor. Auguſtodun. *in Gemma Animæ l. 1. c.* 185. quod Referendarii munus fuiſſe, diximus jam. Unde Frigebodus S. Audoënum fuiſſe *Apocriſiarium Regis* ſcribit, quem *Geſta Dagoberti c.* 39. & Aimoinus *l. 4. c.* 41. *Referendarium*, vocant. Sic Ordericus Vitalis *l. 12. initiò*, Gelaſium Pontificem quem Cancellarii munus antea geſſiſſe ait, *Apocriſiarium Præſulum* mox vocat. Inde *Legatum*, *Nuntium*, vox denotare cœpit. *Gloſſæ Baſil.* Ἄγγελος ὁ [illegible], ὁ Ἀποκρισιάριος, [illegible] --- *Apocriſiarium*. Quâ notione eam non ſemel uſurpant, è Latinis, *Chronicon* S. Vincentii de Vulturno, & *Guil. Tyrius*; è Græcis *Theophanes*, *Cedrenus*, *Conſtantinus Porphyrog.* *Nicetas*, Alii. Id autem nomitus Legatis inditum, quòd [illegible], ſeu *Reſponſa* Principum deferrent. Namque Juſtinianus *Novell.* 25. [illegible], *Regia mandata*, Deceſſoribus ſuis [illegible], *Reſponſa*, dicta fuiſſe, ſcribit. Unde Procopius *B. l. Vandal l.* 1. veredarios ait eſſe, qui [illegible] mittuntur: quô locô [illegible], *negotia* appellat; quò etiam nomine à Scriptoribus citerioris ævi indigitata fuiſſe negotia, quæ inter diſſitos a ſe invicem peragerentur, dicemus infrà. Poſteà verò in Aula Regum, *Apocriſiarii* munus ad res Eccleſiaſticas reſtrictum eſt, ubi id officii gerebat, quod Conſtantinopol. *Apocriſiarius Eccleſiæ Romanæ* cujus inſtar erat: nec enim Româ delegabatur, ſed deligebatur à Rege. *Reſponſalem negotiorum Eccleſ.* vocat Hincmarus de Ord. *Palatii c.* 13. de uno idem ſic *c.* 16. Apocriſiarius, *quem noſtrates Capellanum vel Palatii cuſtodem appellant*, *omnem Clerum ſub ſua cura & diſpoſitione regebat*. *Cui ſociabatur ſummus Cancellarius*, *qui A ſecretis olim appellabatur* &c. Sed & *Apocriſiarii* hinc dicti, præſertim qui à Pontifice Romano vel etiam Patriarchis ad Comitatum ſeu Curiam Principis mittebantur, quò res Eccleſiarum ſuarum peragerent & de iis ad Principem referrent. Juſtinianus *Novell. 6. c. 2. Sancimus*, *ſi quando propter Eccleſiaſticam occaſionem inciderit neceſſitas*, *hanc aut per eos qui res agunt --- Eccleſiarum*, *quos* Apocriſiarios *vocant*, *aut per aliquos Clericos huc deſtinatos --- notam Imperio facere aut noſtris adminiſtratoribus*, *ut impetrent*, *quod competens eſt*. Atque hunc mittendorum de Sede Romana *Reſponſalium* (nam ſic Latini *Apocriſiarii*, vide infrà) Conſtantinopolim morem Hincmarus Rem. *l. cit. c.* 13. ab ipſis Novæ Romæ incunabulis viguiſſe tradit, (quod tamen ad tempora demum Juſtiniani aliis referre viſum eſt) quorum erat, res Eccleſiaſticas ibi procurare, & ſi quæ de fide oborirentur quæſtiones aut Eccleſiarum diſſidia eſſent componenda, aliaque ejuſmodi negotia peragenda, præſtò eſſent. Addictam iis domum Placidiæ in qua oratorium extructum erat, quod *Altare ſanctæ ſedis* appellat Anaſtaſius *Bibliothec.* quòd in eo ſacris Liturgiis more Latinorum vacarent, tradit idem Auctor in *Martino* p. 49 & 50. Vide Car. du Freſne *in Conſtantinop. Chriſtiana*. Deſiit verò mos illa mittendorum in Urbem Regiam *Reſponſalium* ad aliquod tempus, occaſione hæreſis Monothelitarum, cujus acerrimi propugnatores erant Sergius, Pyrrhus & Paulus, Patriarchæ Conſtantinopol. imperantibus Heracliô & Conſtante. Poſtmodum Vitalianus Papa electus iterum miſit, qui Conſtantii electionem ſui ſignificarent, ſed mox domum illi reverſi ſunt. Donec ſublato ſchiſmatum diſſidiis Conſtantinus Imperator à Leone VI. Pontifice *Apocriſiarium* iterum ad ſe mitti poſtulavit, ſed cum plenæ Legationis auctoritate: cui Conſtantinum Subdiaconum, ſed nullà Legationis poteſtate conceſſâ, miſit. Verùm ineunte ſeculô VIII. cùm Imaginum ferveret diſſidium & Iconoclaſtæ Imperatores prævalerent, iterum interrupta in Urbem Regiam mittendi Româ Reſponſales conſuetudo fuit; imò abrupta penitùs. Nam, captâ a Francis Conſtantinopoli, rurſum à Pontificibus eò miſſi ſunt Cardinales, qui non *Apocriſiariorum* duntaxat, ſed & *Legatorum*, ut vocant, *à Latere*, vicem agebant, ut pluribus refert Car. du Freſne *Not. ad Villharduinum num.* 104. Vide eundem in *Gloſſar.* ubi quoſdam eorum recenſet. Hodie Prælati mittuntur, quos Nuntios appellant, & ferè cum titulo Patriarchatûs vel Archiepiſcopatûs in partibus infidelium: Car. Macer in *Hierolexico*; Vide quoque Dominicum Fratrem ejus *ibid.* ut & in voce *Reſponſalis*.

APOCRISIARIUS, quoque officii Monaſtici nomen eſt, quod ſic deſcribit Udalricus *Conſuetud. Cluniac. l. 3. c.* 12. Apocriſiarius eſt, *qui cuſtodit Eccleſiæ theſaurum & in cujus manu eſt, quidquid ad Altaria offertur* &c. Idem *Theſaurarius*, item *Legatus*, dictus Papias ſuſtinebatque inſuper portarum Templi aperiendarum ac claudendarum munus: & *ſemper in Eccleſia morabatur excubans*, *ibi dormiebat & legebat*, ut ait idem *Udalricus*, &c. Car. du Freſne *Gloſſar.*

APOCRYPHA, ſic libri dicti, qui publicè primò non legebantur in Eccleſia. Ludovicus Vives, *in l. 15. de Civ. Dei c.* 23. Vel, quia apud Judæos, à ſacra illa crypta, in qua libri Canonici aſſervabantur, abfuerunt: Auguſtin. *l. 11. contra Fauſtum*, *c.* 2. Epiphanius, *de Pond. & Menſ.* Damaſcen. *l. 4. c.* 18. Horum quidam *Uniti* olim cenſebantur, quos *Eccleſia quidem legit*, *ſed inter Canonicas ſcripturas non recepit*, Hieron. *præf. in libr. Salom.* Ut, *liber Judithæ*, *Tobiæ*, *libb. 2. Maccabæorum*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſticus*: *Baruch*, *Additiones ad Danielem & Eſtheram*, *Canticum trium puerorum*, *Hiſtoria Suſannæ & Beli*, *l. 2. & 3. Eſdræ*. Vide quemque ſuo loco. Alii *Novi* ut *Evangelium Thomæ*, *Nicodemi*, *Jacobi*, &c. de quibus hic ſermo non eſt. Priores in pretio primitus eſſe cœperunt, partim propter materiam, videl. pietatis doctrinam; partim etiam propter hiſtoriæ ſacræ continuationem: ſic ſecernebantur à libris profanis. Dein conjuncti fuerunt cum libris Canonicis, eôdem volumine. Tertiò, legi cœperunt in Eccleſia propter rudiores, ad mores eorum formandos & excitandos, firmandoſque animos ad conſtantiam Confeſſionis, exemplis Martyrum, vide Can. 47. Concil. Carthag. qui tamen abuſus, & confuſio librorum, jam olim damnata eſt, à Synodo Laodicena Can. 57. Tandem Conciliô Florentinô & Tridentinô par iis cum Canonicis auctoritas data eſt. Vide Frid. Spanhemii *Diſputat. de auctoritate Libr. Apocryphorum*: Auctorum vero, qui in libros Apocryphos commentati ſunt, elenchum exhibet Gul. Crowæus, *in Elencho ſcriptor. in S. Scripturam*.

APOCRYPHÆ Virgines. Vide infrà, ubi de *Canoniſſis*, item *Recluſis*.

APODANEA, Papiæ dicta eſt *Eccleſia S. Michaëlis*, *à pedis veſtigio ibi impreſſo*. Car. du Freſne *Gloſſar.*

APODIPNON, Græcè Ἀπόδειπνον, *quaſi poſt cœnam*, in Eccleſia Græca vocatur, quod *Completorium*, in Latina, ultima ſcil. Canonicarum horarum pars, quâ recitatâ totius diei officium completur, *initium Noctis*, in *Regula* S. Columbani. Et quidem apud Græcos duplex eſt Ἀπόδειπνον, *μέγα* ſeu *magnum*, quod in Quadrageſima recitatur, & *μικρὸν*, i. e. *minus*, pro totius anni curſu: quorum utrumque Completoriô Latinorum, quod ad auctorem S. Benedictum refertur, antiquius eſt. Baſiliô enim in *Reg. interrog.* 37. ſic deſcribitur: *Tum primùm ſe jam noctis intendentibus tenebris ſequitur ad eorum petitionem*, *ut quies*, *quam ſumus capturi*, *inoffenſa*, *ac vitio libera ſit*, *quâ hora etiam neceſſariò Pſalmus nonageſimus* (Qui habitat &c.) recitari debet, &c. Vide Macros Fratres in *Hierolex.* & infrà, in voce *Completorium*.

APODYTERIUM, pars illa Palæſtræ ſeu Gymnaſii potiùs, quæ aliàs *Spoliatorium*, quod vide.

APOINTI, una e tribus Solis ſtatuis, apud Peruanos, quibus ſacra facere conſueverunt, menſe Decembri, illas *Raymi*, quâ annuum ordiuntur, vide infra *Capataclayme*.

APOLAUSTUS, Agrippæ hiſtrionis cognomentum. Capitolin. *in Vero*: *c. 8 Habuit & Agrippam hiſtrionem*, *quem Apolauſtum nominavit*. Propter obſcœnum fortè miniſterium ſic dictus: nam [illegible] vita, qualis illa Epicureorum. Videtur autem Apolauſtus ille, quem unà cum aliis libertis aulicis cæſum, temporibus Commodi, narrat Lamprid. *in Commodo c. 9. Caſaubon.* Verba Capitolini *loc. cit. Habuit & Agrippum hiſtrionem*, *cui cognomentum erat Memphius*, *quem & ipſum è Syria*, *velut tropæum Parthicum*, *adduxerat*, *quem* Apolauſtum *nominavit*. Ubi *Agrippum*, non *Agrippam*, legit Salmaſ. librorum conſenſu nixus. Meminit ejus *antiqua Inſcr. lapidis Rom.* ubi *Memphius* cognomen additur, quæ ſic habet:

L. AURELIO.
APOLAUSTO. MEMPHIO
AUGG. LIB. HIERONICÆ
CORONATO. ET. TON. DIAPAN
DON. APOLLINIS. SACERDOTI
SOLI. VITTATO. ARCHIERI
SYNHODI. ET AUG.
L. AURELIUS.
PANNICULUS. QUI. ET.
SABANAS. PATRONO
OPTIMO.

De eo, ſub Commodo, occiſo, Lamprid. *loc. cit. Sed & Cleandro dignus vita ſua impoſitus*. *Nam quum inſidiis illius Arrius Antoninus --- eſſet occiſus*, *nec eam tum invidiam populi ſæviente Commodus ferre potuiſſet*, *plebi ad pœnam donatus eſt*: *quum etiam* Apolauſtus, *aliique liberti Aulici pariter interempti ſunt*. Vide Salmaſ. ibi.

APOLECTOS, apud Plin. *l. 32. c.* 11. inter genera pelamydum: *Phager*, *Phycis ſaxatilium*, *Pelamys*, *earum generis maxima Apolectos vocatur*, *durior Tritone*. Sed perperam, [illegible] enim ſubintellige [illegible], pars grandior & ſelectior eſt pelamidis confectæ, quæ dein in cybia quadrata particulatim concidebantur. Hinc rectè idem *l. 9. c.* 15. *Pelamides in Apolectos*, *particulatimque conſectæ*, *in genera cybiorum diſpartiuntur*. *Heſychius* [illegible], &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1317. & infra in voce Cybium.

APOLLINARES Ludi, inſtituti primitus, ſuaſu Cornelii Rufi Decemviri, in honorem Apollinis; primùm incertò tempore, poſt à Licinio Varo Prætore lege latâ 4. Non. Quint. celebrati, bove auratô, capris duabus auratis. Liv. *l. 25. c.* 12 Macrob. *Saturn. l. 1. c.* 17 Servius in *l. 6 Æn.* Hos ludos populus laureatus ſpectabat, ſtipe datâ pro cujuſque copia. *Feſtus*. Matronæ ſupplicavêre, vulgo apertis januis in propatulo epulati ſunt celebrique dies omni ceremoniarum genere fuit. Origo eorum: Ex vaticinio Martii vatis & Sibyllino

byllinô carmine, Romani admoniti hos ludos Apollini dedicârunt; qui cum primâ vice celebrarentur & Romani ſubitâ hoſtis invaſione perculſi, armis arreptis eum repuliſſent, poſtque victoriam in Theatrum reduces, ſi licitum eſſent, ne intermiſſa religione advenirent iique eſſent inſtaurandi, inventus eſt C. Pomponius libertinus, mimus magnô natu, qui ad tibiæ cantum ſaltabat: quô viſô, pace lætitia non interruptæ religionis, acclamatum, *Salva res eſt, ſaltat ſenex*; quod in proverbium poſtea abiit. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 17. Hoſpinianum *de orig. Feſtorum* &c. Præfuit ludis his Prætor ii, qui jus populo dabat: Hic in Circo Maximo, cum eos facturus eſſet, edicere ſolitus eſt, ut populus per eos ludos ſtipem Apollini, quantum commodum eſſet, conferret, idem Roſin. *Ibid.*

APOLLINARIS, Conſul Priſci collega.

APOLLINARIS, Epiſcopus Ravennæ, Petri diſcipulus. Item, Archiepiſcop. Bituricenſis, Obiit A. C. 611. Item, Poëta, cujus meminit Martialis, *l.* 7. *Epigr.* 25. Aur. *Apollinaris*, ſcripſit vitam Imperatoris Cari. Vopiſc. in *Numeriano*. c. 11.

APOLLINARIS, aliô nomine *Claudius*, Præfectus claſſis Miſenenſis neque fidei conſtans neque ſtrenuus in perfidia, à Claudio Faventino in partes Veſpaſiani tractus. Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 57.

APOLLINARIS, inter conſcios cædis Antonini Caracalli Imperatoris cujus meminit Spartian. in *Vita* hujus *c.* 16. *Conſcii cædis fuerunt Nemeſianus & frater ejus Apollinaris* &c.

APOLLINARIS, hæreticus, fil. Apollinaris, de quo paulo pôſt, Lector fuit Eccleſiæ Laodicenſis, Rhetoricam docuit, & Sophiſtæ Epiphanii, ethnici, amicitiam excoluit. Quam ob cauſam objurgatus, ad novam hæreſim cudendam animum applicuit. Cujus præcipua momenta: Divinitatem J. C. ei animæ locô, carnem ejus cœlitùs demiſſam, perque Mariam Virginem tanquam canalem, derivatam, eamque Deitati coeſſentialem & coæternam, eſſe. Imo, duos eſſe Filios, unum ex Deo, alterum ex Virgine natum, &c. Quibus deliriis, diſcipuli ejus *Apollinariſtæ* dicti, varios errores ſuperaddiderunt; partim à Manichæis mutuatos, de natura peccati; partim à Tertulliano, de animæ origine, partim à Sabellio, de perſonarum divinar. confuſione. Quæ omnia, Alexandrinâ Synodô, cui Athanaſius interfuit, & Conciliô Oecumenicô Conſtantinop. 2. damnata, A. C. 373. 381. Scripſit 30. libros contra Porphyrium, Evangelia & Epiſtolas, in formâ dialogi. Vide Hieronym. *in Catal.* Athanaſ. *ep. ad Epictetum Cor.* Nazian. *ep. ad Cledon.* Epiph. *hær.* 77. Auguſtin. *hær.* 55. Theodoret. *l.* 5. Socrat. *l.* 2. *& l.* 5. *c.* 10.

APOLLINARISTÆ, vide *Apollinaris*, Hæreticus.

APOLLINARIUM, regio, Plin. *l.* 3. *c.* 24. *Apollinarium in Montium*, ſeu *Regi Apollinaris Albicorum*, qui & *Albicenſes* dicebantur, nunc eſt *Riez*, urbs Epiſcopalis Galliæ, in Provincia, inter aquas Sextias & Sanitium; & 12. leucas diſtat ab oppid. *le Buys* in Eurum. Vide *Rep. Baudrand.*

APOLLINARIUS, Præſul Alexandrinus, ſucceſſit Zoilo, A. C. 544. Eum excepit Johannes, circa A. C. 560.

APOLLINARIUS, Alexandriâ oriundus, vir ingeniô præſtantiſſimus, doctrinâ clariſſimus, carminum & verſuum elegantiâ & promptitudine mirus, ſuis libris, ut ait Baſilius, terrarum orbem replevit. Familiaris erat Gregorio, & Baſilio, defenſor coeſſentialitatis. Cum Julianus, cognomentô Apoſtata, Græcorum diſciplinam interdixiſſet Chriſtianis, tum Apollinarius verſibus expoſuit ad Homericum modum & ſtylum hiſtorias antiquas ſacrarum literarum. Μετάφρασιν τ̃ ψαλτῆρος διὰ ἐπῶν ἡρωϊκῶν ejus hodie habemus, unà cum interpretatione Latina è typographeo Hieronym. Commelini A. C. 1596. Vide omnino Jac. Duportum *Præfat. ad Metaphraſin Libri Pſalmorum Græcis verſibus a ſe contextam. Cantab.* A. C. 1666. Plura etiam de hoc Præſule (erat enim Laodiceæ Epiſcopus) habes apud *Euſeb.* Socr. *l.* 2. *c.* 36. Sozom. *l.* 6. *c.* 25. *Suidam* & Voſſ. *l.* 2. *de Hiſt. Græc. c.* 18. *Nic. Lloydius.*

APOLLINIACUM, vulgò POLIGNAC, oppid. Galliæ prope Podium, in Velaunis. Vide *Podiomacum*.

APOLLINIDES, Græcus, ſed Perſarum partes belliô inter Darium & Alexandrum exortô amplexus, Chion, volente Pharnabazô, modicô præſidiô obtinuit. Sed ſeditione intra urbem natâ hoſtes in urbem irruperunt, quibus oppidani olim proditionis conſiliô agitatô, ſe aggregantes, Perſarum præſidium cædunt, vinctumque Apollinidem Amphotero & Egilocho tradunt. Curt. *l.* 4. *c.* 5.

APOLLINIS Arx, ad Sibyllæ antrum: cujus meminit Virg. *Æn. l.* 6. Hodie *arca Felice* nominari, tradit Pighius in *Hercule Prodicio*.

APOLLINIS Civitas magna in Ægypto. *Ptol. Munſio Ziegiero.*

APOLLINIS Civitas parva in Ægypto, Libyam verſus. *Ptol. Steph.*

APOLLINIS Civitas tertia in Æthiopia, juxta mare Rubrum. *Steph.*

APOLLINIS Diæta, in veteri lapide. Vide *Zeta*.

APOLLINIS Fanum, in Africa propria ſitum. *Ptol.*

APOLLINIS Fons, apud Cyrenam in Africa. *Euſtath.*

APOLLINIS Promontorium, eſt in Africa Propria. *Ptol.* & Liv. *l.* 30. *c.* 24. *Roſinuſat Mercatori*. Eſt & *Apollinis promontorium*, in Mauritania Cæſarienſi eidem *Ptolemæo*, quod *Cabo de Tenes* vocatur *Caſtaldo*. In ora maritimæ Barbariæ, & regni Algerii, a Teneſa urbe vicina ſic dictum. *Baudrand.*

APOLLINIS Templum Zerynthium vocant incolæ. Liv. *l.* 38. *c.* 44. qui hoc in Thracia deſcribit in Ænirorum finibus. Item *Apollinis templum* in Myrienſi ſinu Lyciæ. Ælian. *l.* 6. *Var. Hiſt.* c. 9.

APOLLO, Monachus in Thebaide, qui annis 40. moratus eſt in ſolitudine, parvulam in monte vicina ſpeluncam habens, ſed pro miraculorum multitudine brevi effectus inſignis, plurimorum Præſes extitit monachorum. Sozom. *l.* 8 *c.* 2.

APOLLO, pro Apollinis templo. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 274.

Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis
Et formidatus nautis aperitur Apollo.

APOLLO, Ἀπόλλων, ὁ Διὸς υἱὸς, uti vocatur ab Homero *Il. α. v.* 8. Jovis & Latonæ fil. *Phœbus* etiam dictus & *Sol*. Apollo autem dictus eſt ἀπὸ τ̃ ἀπολλύναι, quod jaculis perderet, quia radii ejus in peſte perniciem afferunt animantibus. Vel, *Chryſippô* teſte, ab α privativo & πολλοὶ, cui non ſunt multi ſimiles, vel quod ſolus luceat. Unde & *Sol*, quaſi *ſolus* dicitur, teſte Tulliô *l.* 2. *de Nat. Deor.* Sane Heſych. Ἀπόλλων ὁ τ̃ [illegible] θεός. Ἐτυμολογοῦντες ὅ μη [illegible]. Syri *Adad* vocant, quod ſignificat *unus*. Vide Macrob. *Sat. l.* 1. *c.* 17. Quanquam Euſeb. *de Præparat. Evang.* ab ἀπαλλάττειν *Apollinem* nuncupari indicat, quod ab ægritudinibus homines ſolvet. Natus eſt in Delo eodem partu cum Diana, quæ & ipſa *Phœbe* dicitur. Adultus Pythonem ſerpentem ſagittis occidit, deinde Cyclopas, ob fabricatum fulmen, quô fil. ejus Æſculapius fuit ad inferos detruſus; Unde aliquandiu divinitate privatus, Admeti Theſſaliæ Regis armenta apud Amphryſum fluv. pavit. Fertur à Mercurio citharam accepiſſe, & poſtea Muſis præiviſſe. Amavit Cyrenen puellam, item Daphnem Penei fluv. filiam, quæ fugiens illius amorem in laurum converſa eſt, arborem huic ſacram. Item Hyacinthum liberali formâ puellum, quem mortuum in florem ſui nominis commutâſſe fertur. Branchum item Theſſalum, cui in ſuo templo ſacra fieri juſſit, &c. Vicit Marſyam tibicinem, à quo laceſſitus fuerat, tibiæ cantu, victum autem excoriavit. Muros Trojæ, adjuvante Neptunô, Laomedonti Regi ædificavit. Medicinæ uſum primus intuliſſe, & propterea Deitatem meruiſſe creditur. Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 520.

Inventum medicina meum eſt, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Author fuit carminis & Muſices, quapropter Poëtæ præcipuum ſibi numen eum faciunt. Ovid. *l.* 1. *Amor. Eleg.* 15. *v.* 35.

---- *Mihi flavus Apollo*
Pocula Caſtalia plena miniſtrat aquâ.

Vates quâ ratione factus ſit, ex veterum fabulis docet Lucanus *l.* 5. *v.* 79.

Ultor ibi expulſæ premeret cum viſcera partus
Matris, adhuc rudibus Pæan Pythona ſagittis
Explicuit, cum regna Themis, tripodaſque teneret.
Ut vidit Pæan vaſtos telluris hiatus
Divinam ſpirare fidem, ventoſque loquaces
Exhalare ſolum, ſacris ſe condidit antris,
Incubuitque adyto, vates ibi factus, Apollo.

In Rhodo inſula, Coloſſum habuit tantæ magnitudinis, ut inter 7. mundi miracula ſit connumeratus. Antiquitus vero ejus ſimulacrum, ut & Deorum aliorum, rudis erat lapis; unde κίονα, h. e. *columnam*, ejus in Delphis, habet Clemens *l.* 1. *Strom.* & Apolloniatæ *columnæ acuminatæ* ſpecie illum venerabantur, Goltzius *Gr. tab.* 2. Vide ibi. Triplex ejus eſt poteſtas, ut ſit Sol in cœlo, Liber pater in Terris, & Apollo apud inferos. Ejus ſimulacro tria appingebantur, Lyra, clypeus, & ſagittæ. Eidem, ut Baccho, perpetua juventus attribuitur, propterea ſemper imberbis a Poëtis fingitur.

Solis perpetua eſt Phœbo Bacchoque juventa.

Horat. *Epod. Od.* 15. *v.* 9.

Intonſoſque agitaret Apollinis aura capillos.

Sacra ei fuêre Cicada, Gallus, Accipiter, Olea, Laurus, &c. Vide Cicer. *de Nat. Deor. l.* 3. Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 17. *Plut.* Multa habuit cognomina, de quibus vide *Pauſan.* & *l.* 1. Anthologiæ, ubi Acroſtichis ingenioſiſſimis ſecundum literas Alphabeti ſunt comprehenſa, quædam illorum infra memorabimus. Artem inſuper Rhetoricæ reperiſſe dicitur, ut auctor eſt *Artemidorus*, quam alii dicunt è cœlo ab Jove per Mercurium, procurante Prometheô, demiſſam. Ægyptiacâ lingua Apollo vocatur *Horus*; à quo *Horæ* nomen acceperunt, ut ait Macrob. *l.* 1. *c.* 21. Illi Lyræ, tibiarum & fiſtularum aſſignatur inventio. Polydor. Vergil. *l.* 1. *c.* 5. Cicero *de Nat. Deor.* quatuor Apollines conſtituit, Primum antiquum cuſtodem Athenarum. Alterum Corybantis filium, natum in Creta. Tertium Jove & Latonâ natum, qui ex Hyperboreis Delphos venerat; quamvis *Euſebius* antiquiorem illum deſcribit. Quartum in Arcadia, quem Arcades, quòd illis leges dederit, *Nomium* vocant. Cæterùm de Apollinis mythologiâ vide Natal. Comit. *l.* 4. *c.* 10. Alex. Roſſæum, *in myſtagogo Poëtico*. Lil. Giraldum. Ut verò oraculorum & vaticiniorum præſes *Apollo* fuit habitus: ſic quædam illorum *per ſeipſum*, reliqua per *Sacerdotes* & *Interpretes* edere, creditus eſt. Ita enim Lucianus *de Dea Syr.* *Oracula multa ſunt apud Græcos, multa quoque apud Ægyptios: multa etiam in Africa, multa etiam in Aſia. Sed illa nec ſine Sacerdotibus, nec ſine Interpretibus reſponſa dant. Sed hic* (Apollo ſcil. de quo ipſi ſermo) *per ſe movetur ipſe & vaticinia plene per ſe peragit. idque hoc modo. Quando vult vaticinari, in ſede ſua primum movetur: tum protinus Sacerdotes ipſum attollunt: quod ſi non attollant ille ſudat, & in medium ſeſe movet. Quum vero eum illi ſuppoſitis humeris portant, illos ducit, ſe undiquaque circumagendo: atque ex alio in alium tranſilit: tandem primarius Sacerdos ſupplicans, de rebus omnibus illum interrogat. Ille verò, ſi quid non vult fieri, retro vadit; contra, ſi quid approbat, agit in anteriorem partem geſtantes, perinde ac qui habenas moderantur* &c. Quæ omnia quô pactô perfici potuerint arte ac fallaciis humanis, erudite docet Anton. van Dalen *de Oraculis Diſſertat. II. p.* 192. Eundem, ſi quando matrimonium contracturi erant Veteres, licèt matrimonii ſui Præſides erant, adiiſſe oraculumque ejus teſtatur, diſcimus ex Heraldo *ad illud Arnobii adv. Gentes l.* 3. *De matrimoniis ille* con-

conſultos, vel ſaltem Augures Aruſpices, ceteroſque varios hujus idoli ſequaces, uti docet Apulejus *Mileſia* 5. *Prophyrius*, Alii. Ariſtophanes quoque non niſi conſultis avibus id factum, docet in *Avibus*.

> Ἐσμὲν ὑμῖν Ἄμμων, Δελφοί, Δωδώνη, Φοῖβος Ἀπόλλων.
> Ἐλθόντες γὰρ πρῶτον ἐπ' ὄρνεις, οὕτω πρὸς ἅπαντα τρέπεσθε,
> Πρός τ' ἐμπορίαν, καὶ πρὸς βιότου κτῆσιν, καὶ πρὸς γάμον ἀνδρός.

Vide quoque Tullium *de Divin. l.* 1. & hic non uno in loco.

Apollinis varia apud varias gentes epitheta.

APOLLO Ἄκτιος, Actiacus, Romæ cultus, idem cum *Palatino*.

Agyæus, Athenis; vide infrà *Apolloniates*.

Alexicacus, *Ibid.*

Apotropæus, *Ibid.*

Cœliſpex, Romæ.

Capitolinus, in Apollonia Ponti urbe, ubi Argonautas Apollinis aram ſtatuiſſe, canit Apollonius *l.* 2. cultus eſt; cujus ſimulachrum ſeu coloſſum, à Lucullo Romam advectum, tradit Plin. *l.* 4. *c.* 13. *Circa Iſtrum Apollonia urbs LXXX. M. à Boſporo Thracio, ex qua M. Lucullus* Capitolinum Apollinem *advexit*, de quo loco vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 214.

Chochæus, vide infrà.

Clarius, apud Solin. *c.* 40 *Colophon civitas nobilis Oraculô Clarii Apollinis*: à Claro, Colophoniorum oppido, ubi Templum Apollinis & oraculum extitit, quod ἐν Κλάρῳ dicebatur, nomen habuit, de hoc multa Salmaſ. *ad Solin. p.* 810. & 860 Vide quoque infrà, in voce *Clarus*, item *Manteum*. Ejus Oraculi Germanico dati, ſub Tiberio: & Lolliæ Paulinæ, ſub Claudio, meminit Tacit. *Annal. l* 2. & 12. Viguiſſe adhuc, ſub Domitiano, ex *Philoſtrato* diſcimus.

Cumanus, memoratus Jul. Capitolino in *Clodio Albino*, *c.* 5. cum inter *Imperii ſigna*, *bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus eſt* --- *quæ tamen cornua in templo* Apollinis Cumani *ab eodem poſita jam Tribuno diu fuiſſe dicuntur*. *quod, quum ille ſortem de Fato ſuo tolleret, his verſibus eidem dicitur eſſe reſponſum*;

> *Hic rem Romanam magnô turbante tumultu*
> *Siſtet eques, ſternet Pœnos Gallumque rebellem*

ubi *purpureo ad plenum colorem* cornua ſunt, purpuræ acutiſſimæ & veriſſimæ & intenſi luminis; quem Græci κατακορῆ colorem, Latini *plenum* & *ſaturum*, dicunt. Salmaſ *ad loc.*

Daphnæus, cujus oraculum reſponſum dedit Hadriano Imperatori, qui cùm fontem fatidicum obſtruaſſet, ne alius quoque Oraculô hôc uteretur: Julianus illum recluſit oraculumque inſtauravit poſtea, ut ex *Ammiano* diſcimus.

Deliacus, in Delo Inſul.

Delphicus, reliquis omnibus celebrior reſpondit adhuc Neroni; imò & Juliano Apoſtatæ, apud *Cedrenum*. Jam verò Pyrrhi temporibus *verſus facere deſiit*, *Plut.*

Didymæus, in Mileto, de cujus oraculo, quod Licinio contra Conſtantinum belligeraturo contigit, vide *Sozom.*

[illegible], vide infrà *Somnia*.

Heliopolitanus, in Syria, cujus fanum & oraculum pluribus deſcribitur Macrobio *Saturnal. l.* 1. *c.* 23.

Horus, in Ægypto.

Hyperboreus, à Scythis colebatur. Vide *Hyperborei*.

[illegible] Iſmenius Leſchenorius, vide infrà in hac voce.

Λοίμιος.

Medicus, cui Romæ ædem Marcus Fulvius Nob. Cenſor dedicavit.

Mileſius, apud *Vitruvium*, *Mileti Apollini item Ionicâ ſymmetriâ idem Pæonius Daphniſque Mileſius inſtituerunt*: idem eſt cum Didymæo, cujus templum, quod in Mileſiorum agro fuit, idem Pœonius, qui ſummam addidit manum fabricæ templi Epheſii, ſymmetriis Ionicis cum Daphnide inſtituit. Hoc à Xerxe combuſtum, à Mileſiis poſtea refectum eſt. vide Salmaſ. *ad Solin p.* 814.

Myricinus, vide infrà *Myrica*.

Navalis, idem cum *Actiaco*.

Pæan à Græcis cultus.

Palatinus, cui ab Auguſto templum Romæ extructum in Palatio: ubi & ſortes Sibyllinas ſub *Apollinis* hujus baſi poſuit, quæ antea in Capitolini Jovis æde ſervabantur. In ejus porticu Danaidum & filiorum Ægypti ſtatuæ unde oracula per ſomnium data Vide infrà *Somnia*. Conflagravit illud, ſub Juliano Apoſtata, eôque incendiô penè conſumta fuêre Cumana carmina, Ammian. *l.* 23. &c. Vide Salmaſ. *d. l. p.* 78.

Æthoſyrus, apud Scythas, Herodot. *Melpom.*

APOLLO [illegible]: & Σμινθεύς, vide *Sminthium*.

Paratorius, idem cum *Palatino*.

Patrius, vide infrà.

Phanæus, vide infrà voce *Leſchenorius*.

[illegible], vide infrà *Somnia*, it. *Forte*.

Pnous, cujus Fanum ſitum ſupra paludem Copaidem, ante montem, proximè urbem Acræphiam: conſultus à Mardonio apud Herodotum *l.* 8

APOLLO Pythius, vide in voce *Pytho*: it. *Delphi*. Idem fanum habebat, ἐν τοῖς ὅροις Ἐφεσίων, *in finibus Epheſiorum*, ut Creophylus apud *Strabonem* ait; quod, quia inde oracula quoque reddebantur, nonnullis [illegible] dictum eſt. Idem *p.* 810. Vide infrà voce *Leſchenorius*.

Sandaliarius, cujus in vico 4. regionis ſimulachrum Auguſtus dedicavit.

Sarpedonius, Seleuciæ in Cilicia cultus adhuc ſub Aureliano, oracula fudit, ſi fides *Zoſimo* &c. Vide de his omnibus aliiſque veterum Oraculorum impoſturis Anton. van Dalen *de Oraculis*.

Soſianus, } apud Romanos.
Thuſcanicus, }

Thyræus, apud Athenienſes. Vide ſuprà.

Tortor, à Romanis cultus in vico, in quo venalia tortorum flagella &c.

Vide Thom. Dempſterum. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 7. & *paralipom. ad illud*, Franciſc Roſſæum *Archæologia Attica l.* 2. *c.* 1. &c.

APOLLO, vide APOLLOS, vir quidam Alexandrinus, magni nominis in Eccleſia, ab Aquila & Priſcilla pleniùs inſtructus, inde in Achajam, &c. miſſus, vide Actor. *c.* 18. *v.* 1. & 1 Cor. *c.* 3. *v.* 4.

APOLLO, inſula navis Maſſici, cujus paraſemon tigris erat. Virg. *Æn. l.* 10. *v* 166.

> *Maſſicus ærata princeps ſecat æquora Tigri.*

Et mox *v* 170.

> --- *huic totum inſignibus armis.*
> *Agmen & aurato fulgebat* Apolline *puppis.*

Vide infrà in vocibus *Paraſemon*, & *Tutela*.

APOLLOCRATES, alter ex Dionyſii filiis, qui una cum patre in expeditionem, dum exularet, profectus eſt. Strabo. *l.* 6.

APOLLODORUS, Archon Athenis, Olymp. 107. an. 4.

APOLLODORUS, ab Alexandro Babylone diſcedente relictus, ut cum Menete regioni Babyloniæ & civitati præeſſet. Curt. *l.* 5. *c.* 1. Fuit hic Apollodorus Amphipolitanus, ut teſtatur Diodor. *Sic. l.* 17. *parte poſteriore*.

APOLLODORUS, Caſſandreæ tyrannus, ab Antigono aſtu everſus. Polyænus *l.* 4. *in Antigono com.* 18. Quô aſtu vero & quantâ ſimulatione civilitatis invaſerit tyrannidem, vide eundem *l.* 6. *p.* 457.

APOLLODORUS, *pictor* excellens. Plin. *l.* 35. *c.* 9. Item Sculptor. Item duo Medici. *Idem.*

APOLLODORUS, Athenienſis Grammaticus, Aſclepiadis fil. Panætii Rhodii Philoſophi & Ariſtarchi Grammatici diſcipulus. Primus genus metri Triambici invenit, uti teſtatur *Suidas*. Scripſit quoque hiſtoriam Athenienſium, uſque ad reditum Heraclidarum, uti teſtatur *Diodor. Sic.* Uſque adeò arte ſuâ emicuit, ut ei Amphictyones Græciæ honorem habuerint. Plin. *l.* 7. *c.* 37. Scripſit [illegible], teſte Laërtiô *in Solone*. Scripſit item commentarium in Sophronem. Athen. *l.* 3. Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος ἐν τοῖς περὶ Σώφρονος. Pluribus autem libris id opus conſtitit. Tertium citat Athen. *l.* 7. Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῷ τετάρτῳ περὶ Σώφρονος, non *de temperante*, uti perperam *Dalechampius* vertit. Apollodori de Sophrone quartum librum citat Schol. Ariſtoph. *ad Veſpas*. Librum ſecundum operis ejus περὶ Νομοθετῶν, citat Laërtius *in Solone*. Crebro ejuſdem Χρονικοῖς ad Philoſophorum hiſtoriam illuſtrandam adducit idem *Laërtius*. Meminit & Phlegon Trallianus *l. de Longævis*. Tertium χρονικῶν citat Laërtius *l.* 4. Τὰ Λυκούργου νόμιμα, ὡς Ἀπολλόδωρος, inquit Euſebius *Chron. an.* 1208. *Lycurgi leges a Lacedæmone, juxta ſententiam Apollodori, hâc ætate ſuſceptæ.* Ita vertit *B. Hieronym.* Qui locus vel ex libris ejus de Legiſlatoribus, vel ex Chronicis petitus eſt. Iſta Chronica reſpicit omnino Cicero *l.* 12. *ad Att. ep.* 23. *Quibus Conſulibus Carneades & ea legatio Romam venerit, ſcriptum eſt in tuo Annali. Hæc nunc quæro, quæ cauſa fuerit. De Oropo, opinor, ſed certum neſcio: Et ſi ita eſt, quæ controverſiæ. Præterea, qui eô tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui præfuerit hortis: qui etiam Athenis* πολιτικοὶ *fuerint illuſtres, quæ etiam ex Apollodori puto poſſe inveniri.* Scripſit porro Bibliothecam hiſtor. *de origine Deorum*, ſæpè priſcis laudatam, quæ nihil aliud erat, quam Epicus Cyclus, ut dicemus infrà, voce *Bibliotheca*. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 8 & 17. Gell. *l.* 17. *c* 4. Clemens Alex. *Stromat. l.* 1. Nic. *Lloydius*. Eum ſequutus Diodorus Sic. *Bellum Trojanum* ſtatuit [illegible] non tam Hiſtoriæ, quàm Chronologiæ: *Quæ*, inquiens, *Troica præceſſerunt, non definimus certô ſpatiô: quia nullus occurrit ſatis eorum terminus cui fidamus*, *l.* 4.

APOLLODORUS Tarſenſis Tragicus, cujus tragœdias recenſet *Suidas*. Item Comicus eôdem tempore, quô & Menander, cujus fabulæ nonnullæ ab eodem *Suida* commemorantur.

APOLLODORUS, ſcripſit de Parthis. Strab. *l.* 2. 11. & 15. Item, Hiſtoricus Erythræus, Lactant. *de falſa relig. l.* 1 *c.* 6. Item, alius Nicæâ oriundus, *Suida* memoratus. Item Geographus Epheſius.

APOLLODORUS, Pergamenus Rhetor, Caſſidii, aliàs Calidii, itemque Cæſaris Auguſti præceptor & familiaris, auctor ſectæ à ſe appellatæ, quæ Theodoro oppoſita. Scripſit de Rhetorica, ut author eſt Strabo, *l.* 13. Sueton. *in Aug. c.* 89.

APOLLODORUS, Philoſophus Epicureus. Laërtius *l.* 10. Gaſſend. in Epicuro, *l.* 2. *c.* 6. Cæterùm de variis Apollodoris, vide Jonſium *l.* 2. *de Hiſt. Phil. Script. c.* 17. & Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1 *c.* 21. & *l.* 3. *p.* 356.

APOLLONIA, virgo ſub Decio Imperatore apud Alexandriam cum aliis pluribus coronata. Euſeb. *l.* 6. *c.* 19.

APOLLONIA, urbs in tribu Ephraim. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 13. *c.* 23. & *Bello Jud. l.* 1. *c.* 6.

APOLLONIA, Cyrenaicorum navale in Pentapoli regione *Ptol.* Hodie *Bonandrea Caſtaldo*. longitud. 50. 10. latitud. 31. 40. Portu gaudet utcunque capaci: pauciſque conſtat incolis, in regno Barcæ. *Baudrand.*

APOLLONIA, Phrygiæ urbs, quam *Margion* quoque vocat *Steph.*

APOLLONIA, Mygdoniæ civitas hodie *Seres*, teſte *Nigro*. ad fluv. Echedoram.

APOLLONIA, Taulantiorum in Macedonia oppid. ad Ionicum mare ſitum. *Ptol. Siſſopoli Pirrto. Niger* dicit, hôc locô caſtellum eſſe *Piergo* dictum. *Sophianus* ait, antiquum nomen obtinere. Arbitrii jus ſit penes lectorem. Hanc Apolloniam vocat Plin. *l.* 3. *c.* 23. Corinthiorum coloniam, ex quo ſuſpicor eandem eſſe cum ea, quam *Stephanus Gylaciam* vocat (etſi eam in Illyrico ponat) nam & Coloniam Corinthiorum eſſe ait, non longè ab Epidamno ſitam, quod in Macedoniæ confinibus eſt, ubi eadem à *Ptolemæo*, & *Plinio* deſcribitur. Fines namque regionum ab auctoribus confundi non ſemel experimur. In regno Albaniæ eſt, à paucis habitata. *Baudrand.*

APOLLONIA, Cretæ urbs, antea *Eleutherna* appellata. *Steph.*

Sedes

Sedes fuit Minois I. ac *Cydonia* quoque dicta eſt, ubi ſecundi Crisſius; de qua infrà. Job. Marshamus *Canone Chron. Sec.* XI. ex *Epocha Marmoreis*, ubi regnante Athenis Pandione Minoem ibi *ᾠκηκέναι*, *ſedes fuiſſe* legimr.

APOLLONIA, Siciliæ urbs, ſupra Calactam & Aluntium in Mediterraneo. Ejus meminêre *Diodor. Sic.* & *Stephanus Epitomator.* Vide Cluver. *Sicil. Ant.* p. 384.

APOLLONIA, Aſiæ oppid. maritimum, *Aſſos* dictum in Act. Apoſtolorum, c. 20. v. 13. ut quidam putant. Item urbs in ora Ponti, Mileſiorum colonia. *Strabo.* Item Thraciæ civitas, Plinio, *l.* 4. *c.* 11. *Anthium* olim vocata. Mela *l.* 2. *c.* 2. *magnam* cognominat. Porro *Apollonia*, urbs fuit apud Parnaſſum, juxta Delphos, aliàs *Cyparisſus* dicta, *Steph.* Trœzen etiam olim *Apollonia* dicebatur. *Steph.* Populi harum urbium prædictarum *Apolloniatæ*, vel *Apollonienſes.* Item *Apollonienſes*, pars quædam addita Attalidi tribui. *Steph.* Quam vide in Ἀπολλωνία.

APOLLONIA, urbs Bithyniæ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Nicomediæ in confinio Myſiæ, ad Rhyndarum fluv. Alia urbs Cariæ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Stauropolitano prope Lyciam interiorem, inter Alabandam & Cabiram, urbes, cujus vix apparent veſtigia.

APOLLONIA, urbs Syriæ, ad radices Caſſii montis. *Baudrand.*

APOLLONIA, promontor. Africæ, in ora meridionali Guineæ, prope oſtia fluv. *Manca*, 20. circiter leucis ab arce S. Georgii de Mina.

APOLLONIA Thynnias, Inſul. Ponti in Aſia, ſic appellata, quod eſſet Apollini ſacra. In ea namque *Apollini* aram ſtatuiſſe Argonautas, canit Apollonius *l.* 2. Meminit ejus Arrianus *in Periplo, Ponti.* Ἀπὸ Ῥήβας εἰς Ἀπολλωνίαν νῆσον μικρὰν, ὀλίγον δέχεται τῆς ἠπείρου, *A Rhoe Apolloniam uſque, Inſulam exiguam, parum diſtantem à Continente.* Pomponio *Thynnias* dicitur *l.* 2. *c.* 7. De qua vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 215. ubi etiam de *Apolloniatarum* Inſul. cujus præter *Plinium*, nemo alius meminit, judicium ſuum exponit.

APOLLONIADES, Agyrinenſium tyrannus, à Timoleonte finem dominationis facere coactus, Olympiadis centeſimæ decimæ annô ſecundô.

APOLLONIATES, populi Aſſyriæ, ubi Apollonia Sitracena, quæ Antiochia *Plinio*, urbs ad *Gorgem* fluv. qui paulò infrà cadit in Tigrim. A via. Sed & *Apolloniata*, cives urbis Apolloniæ: in quorum nummis ſtat *columna acuminata intra ſertum*; quorum hoc ludos deſignat, illa autem eſt *Apollinis* Ἀγυιῶς effigies, Goltzius *tab.* 2. Vide Suidam in Ἀγ. uti de rudibus hujuſmodi Deorum apud veteres ſimulachris, infrà, voce *Baetylus.*

APOLLONIATIS Regio, inter unde viginti Regna Parthorum, quæ memorantur Iſidoro in *libello* Παρθικῶν σταθμῶν.

APOLLONIDES, Nicenus, Commentarium ſcripſit, *de male obita Demoſthenis legatione.* Meminit Ammonius *libello de Similibus & differentibus vocibus, in* Ὀξῆλυ. Etiam Apollonidæ hujus *περὶ παροιμιῶν* librum, citat Steph. *in* Τίγρις. At ſimpliciter *Apollonides* in Europæ periplo ſemel, iterumque citatur à Schol. Apollonii *in l.* 4. Laudatur etiam à Strabone *l.* 7. Itemque à Plinio *l.* 7. *c.* 2. Fuit prætereà *Apollonides* Horapius, de quo vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. p. 328. Fuit etiam *Apollonides* Stoicus, quem Cato minor Uticæ jam è vita diſceſſurus, unà cum Demetrio Byzantino Peripatetico circum ſe habebat, teſte Plut. *in Catone minore.* Fuit etiam *Apollonides* Cyprius, medicus Methodicus à Galeno memoratus, *l.* 1. *Method. Med. c.* 7. *Apollonides* etiam ὁ Κηφεὺς ἐν τῷ ὀγδόῳ περὶ καταψευδομένης ἱστορίας laudatur Anonymo, *in vita Poetæ Arati. Nic. Lloydius.*

APOLLONIUS, Africæ, quæ Ægypto conjuncta eſt, ab Alexandro M. poſt deditam Ægyptum, præpoſitus. Curt. *l.* 4. *c.* 8.

APOLLONIUS, Antiochi Epiphanis copiarum Dux, Præfectus Samariæ, quem occidit Judas Machabæus. 1. Machab. *c.* 1. & 3. Joſeph. *Antiq. Jud. l.* 12. *c.* 10.

APOLLONIUS, Conſul Roman. Magni collega.

APOLLONIUS, Philoſophus Stoicus è Chalcide accerſitus ab Antonino Pio, ut Marcum Antoninum, à ſe adoptatum, artibus imperandi imbueret, cùm Romam perveniſſet, intrare domum Imperatoris noluit, dicens, *Non Magiſter ad diſcipulum venire debet, ſed diſcipulus ad Magiſtrum.* Cui Imperator ſubridens, *Facilius*, inquit, *erat Apollonio è Chalcide Romam venire, quam à domo ſua in palatium.* Circa A. C. 160. *Aur. Victor.* Hic Philoſophus omnem adhibuit diligentiam, ut Bardeſanem ad apoſtaſiam permoveret.

APOLLONIUS, Philoſophus Chriſtianus, Romæ, poſtquam pro fide Chriſtiana, apologiam in Senatu recitâſſet, ſuppliciô affectus eſt. Circa A.C. 140.

APOLLONIUS, Eremita, cùm per omne vitæ tempus, nihil monaſticæ vitæ didiciſſet, ſciens, quia nec ſcribere, nec artem jam propter ætatem exercere poſſet, omnia medicamina & cibaria opportuna laborantibus comparavit, & quotidiè à primo manè, uſque ad horam nonam per ſingula monachorum oſtia perrexit, quò ægrotus viſeret. Cùm autem jam eſſet è vita migraturus, ea quæ poſſidebat, alteri tradidit, juſſitque, ut eadem ipſe pietatis officia obiret. Sozom. *l.* 7. *c.* 1.

APOLLONIUS, luctator quidam apud Pauſan. *l.* 5.

APOLLONIUS, Senator Romanus, lectô ſenatui Apologeticô, pro fide Chriſti, capite truncatus eſt, ſub Commodo, A. C. 189. Euſeb. *l.* 5. *c.* 21. Confunditur à Nicephoro, *l.* 4. *c.* 25. 26. cum celebri quodam Authore Eccleſ. qui contra Cataphrygas ſcripſit. Sed Hieronym. *in Catal.* & Euſeb. *l.* 5. *c.* 17. contrarium ſuadent.

APOLLONIUS, Stoicus, Panætii diſcipulus Strabo. *l.* 4. Item, Medicus, Athenæo, *l.* 15. *Galeno* citatus. Alius Medicus Pergamò oriundus, qui de Agricultura ſcripſit, *Varro*, Columell. *l.* 1. *de R.R.* *c.* 1. Item, cujus meminit Plin. *l.* 29. *c.* 6. Alius, Rhetor, it. Philoſophus, ſub Vero Imperatore *audivit Seniorum Grammaticum Latinum — Rhetores* Apollonium, *Celerem Caninum & Philoſophos, Apollonium & Sextum*, Jul. Capitolin. *c.* 5.

APOLLONIUS, Alabandenſis (Alabanda autem oppid. eſt minoris Aſiæ) dicendi magiſter clariſſimus, teſte Suetonio *in Jul. Cæſ.* *c.* 4. qui cùm mercede doceret, tamen non patiebatur eos, quos judicabat non poſſe oratores evadere, operam apud ſe perdere, quemque autem dimittebat, ad quamcunque artem putabat eſſe aptum. Cicer. *l.* 1. *Orat.*

APOLLONIUS Alexandrinus, cognomentô Dioſcorus, pater Herodiani Grammatici, nobilis & ipſe Grammaticus, filiumque erudiit. Scripſit de conſtructione partium orationis, & alia quamplurima in arte Grammatica.

APOLLONIUS, Aphrodiſienſis Hiſtoricus, ſcripſit res Caricas, de Trallibus, de Orpheo, ejuſque myſteriis, teſtibus *Suida, Stephano*, & *Etymologo.* Fuit etiam *Apollonius* Aſcalonita, Hiſtoricus itidem, teſte Steph. *in* Ἀσκάλων. Alius eſt *Apollonius* Geometres, qui inter Arati Interpretes recenſetur. Item alius Apollonius Chæronis filius, citatus Ariſtophanis Scholiaſtæ, *in Veſpis.*

APOLLONIUS, Illei vel Sillei fil. Argonauticôn ſcriptor Naucratita Ægyptius fuit, Rhodius cognominatus. Ἀπολλώνιος ὁ Αἰγύπτιος dicitur Theophilo, *l.* 3. *ad Autolycum.* Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ὁ Ναυκρατίτης vocatur Athenæo, *l.* 7. *c.* 7. & Æliano *Hiſtor. Animal. l.* 15. *c.* 23. Cur autem *Rhodius* dicatur, *Anonymus vitæ ejus Autor* exponit, [Greek illegible]. Suidas *Alexandrinum* eum appellat, in Ἀπολλώνιος. Meurſius, *in notis ad Apollonium Dyſcolum*, hunc Alexandrinum à Rhodio diſtinguit, ac propterea à Voſſio, *l.* 1. *de Hiſt. Græc. c.* 16. jure reprehenditur. Potuit enim Naucratita ille Alexandriæ, & in Rhodo docuiſſe, & utrinque denominari, dicique Naucratita, Rhodius, & Alexandrinus, uti & Dionyſius Grammaticus triplici nomine gaudet. Dicitur enim *Thrax, Alexandrinus*, & *Rhodius.* Strabo *l.* 14. Διονύσιος ὁ Θρᾷξ καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τὰς Ἀργοναυτικὰς ποιήσας, Ἀλεξανδρεῖς μὲν, καλοῦνται δὲ Ῥόδιοι. Fuit Callimachi diſcipulus, à quo ob ingrati animi vitium *Ibis* dictus eſt, æqualis Eratoſthenis Grammatici, cujus etiam ſucceſſor fuit in præfectura Bibliothecæ apud Ptolem. Evergeten. *Nic. Lloydius.*

APOLLONIUS Chalcidenus, Philoſophus Stoicus, inter educatores Antonini Pii memoratur Jul. Capitolino, in hujus *Vita*, *c.* 10. ubi de eo lepidam hanc hiſtoriam adfert: *Quum Apollonium, quem Chalcide acciverat, ad Tiberianam domum, in qua habitabat, vocaſſet, ut ei Marcum Antoninum traderet, atque ille dixiſſet*: Non Magiſter ad diſcipulum debet venire, ſed diſcipulus ad Magiſtrum. *Riſit eum dicens*, Facilius fuit *Apollonio* à Chalcide Romam venire, quàm à domo ſua in palatium. Idem eum *Chalcedonium* vocat in *M. Antonino Philoſ. c.* 2. qualem eum quoque *Eutropius* facit: ac refert, Imperatorem hunc, jam nactum dignitatem Imperatoriam, tantô Philoſophiæ ſtudiô flagrâſſe, *ut ad domum Apollonii diſcendi causâ veniret.* Vide Salmaſ. *Not. ad d. l.*

APOLLONIUS Citticus, Medicus. Strabo *l.* 16. Tyrius quidam, Strab. *l.* 16. Diog. Laërt. *l.* 4.

APOLLONIUS Collatius, vide *Petrus.*

APOLLONIUS Dyſcolus, ſub Antonino Pio vixit, ἱστορίας θαυμασίας edidit, etiamnum ſuperſtites, & Meurſii notis itidem illuſtratas. Δύσκολος autem propterea dictus eſt, ὅτι ἐν ταῖς γυμνασίαις δυσλύτους ζητήσεις ἔλεγεν, ut auctor eſt Anonymus *in ejus vita.* Vide Wowerium *de Polym. c.* 10. *Nic. Lloydius.*

APOLLONIUS Herophilius, Herophili diſcipulus, ſcripſit de unguentis *Athenæus.* Apud *Plin. Apollodorus* ſcribitur.

APOLLONIUS Molo Rhodius, Præceptor Ciceronis, ac Julii Cæſaris eôdem tempore, teſte *Plut.* Romæ docuit, quò legatus venerat de præmiis Rhodiorum, Dictatore Syllâ. Orator unus in cauſis, ſcriptorque præſtantiſſimus, & in annotandis, animadvertendiſque vitiis, & inſtituendo, docendoque clariſſimus. Cicer. *in Bruto*, & Fabio, *l.* 3. *c.* 1. Sueton. *in Cæſare*, *c.* 4. Plut. *in eodem.*

APOLLONIUS Pergæus, magni nominis Geometra; claruit ſub Ptolemæo Evergeta. De quo vide Voſſ. *de Scient. Mathemat.* p. 54. &c.

APOLLONIUS Syrus Platonicus, apud Spartianum in *Adriano Cæſ. c.* 2. *Habuit autem præſumtionem Imperii mox futuri ex ſorte quoque Niceph. Jovis, manante reſponsô, quod* Apollonius *Syrus Platonicus libris ſuis indidit*: non eſt *Apollonius* Chalcidenus, de quo ſuprà: illum enim *Dio* accenſet τοῖς Στωϊκοῖς λόγοις μελετῶσι: at iſte Platonicus eſt. Sed forte Tyanæus alter, *Suida* dictus; Nam Tyana ad portas Ciliciæ ſita, cujus breviſſimus in Syriam tranſitus eſt. Salmaſ. *ad Spartian.*

APOLLONIUS, cognomentô Titus, à Jonatha victus. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 13. *c.* 6. 8.

APOLLONIUS Tyaneus, profeſſione Philoſophus Pythagoricus, re ipſâ autem Magus conſummatus, cujus vitam ſcripſit Philoſtratus, & ante eum Damis ipſius in peregrinatione comes. Hic dum Epheſi vitam ageret, & fortè in multitudine diſputaret, per eam horam, quâ Domitianus, cui imperium priùs prædixerat, immolatô infante, interficiebatur, defixus, & elinguis ſteterit; tum autem exclamavit: *Euge Stephane pulchrè, Stephane percute: pulſaſti, vulnerâſti, interfeciſti.* Hic ſermonis animalium peritus erat, Cæl. Rhodig. *l.* 17. *c.* 13. Idem hoc unum à Diis petebat, ut bonos cognoſceret, malos vitaret. Alex. ab Alex. *l.* 4. *c.* 17. De ejus annulo idem *l.* 2. *c.* 19. Alexander Severus Imperator religione tactus; Chriſtum, Abraham, Orpheum & Apollonium, velut

Deo intra ædes veneratus eſt. Idem *l. 6. c. 14.* Comparatus eſt etiam ab Hierocle, ob mira quæ edere videbatur, Jeſu Chriſto Dn. Noſtro peculiari libellô, hac de re editô, quem *Euſebius* refutavit. Obiit tandem; poſtquam diu orbi illuſiſſet, Chriſtianiſque plurimum nocuiſſet, A. C. 97. vel 99. nemine conſciô. Philoſtr. *in vita ejus.* Juſtin Martyr. *q.* 24. Anaſtaſ. Nic. *q.* 23. Lactant. *Inſtit. l. 5. c. 2.* Agreiphon apud Suidam, *in Apollonius* indicat, alium Tyaneum Apollonium fuiſſe præter prædictum, qui ſub Nerone vixit his verbis, Ἀπολλώνιος ἕτερος Τυανεὺς φιλόσοφος γέγονεν ἐπὶ Ἀυγούστου τοῦ βασιλέως. *Nic. Lloydius.*

APOLLONIOS, denique Sophiſtas duos ponit Philoſtratus, Naucratitem unum, alterum Athenienſem, qui ambo M. Antonini tempore Athenis docuêre. Plures hujus nominis adducit Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 1. c. 21.* Itemque Jonſius *de Script. Hiſt. Philoſ. l. 3. c. 9.* Meurſius quoque in tractatu, *de Apollonis. Idem.*

APOLLONOSHIERITÆ, populi quidam. Plin. *l. 5. c. 29.*

APOLLOPOLITIS, præfectura quædam. Plin. *l. 5. c. 9.*

APOLLOPHANES, Poeta Comicus circa Olymp. 97. *Suid.* Ælian. *Hiſt. animal. l. 6. c. 52.* Item Poeta, cujus meminit Plin. *l. 21. c. 21.*

APOLLOPHANES, Regis Antigoni adulator, *Apollophanem* quendam Stoicum Laërt. *l. 7.* ad Stoicorum placita & dogmata explicanda adhibet, & in Phyſica eum de vacuo diſſeruiſſe, alibi etiam unam tantum virtutem, prudentiam nempe, ſtatuiſſe tradit. Locum autem inter hiſtoricos ſibi vendicare videtur, *ob ſuum Ariſtonem.* Athen. *l. 7.* Ἀπολλοφάνης (in codicib. vulgatis Ἀπολλώνιος mutilatè legitur, neque, quod mirêre, correxit *Caſaubonus*) γνώριμος ὢν καὶ αὐτὸς τοῦ Ἀρίστωνος, ἐν τῷ Ἀρίστωνι, καὶ αὐτὸς ἤδη ἐπιγράψας τὸ σύγγραμμα ἐμφανίζει τὴν τοῦ διδασκάλου φιληδονίαν. Libellô itaque hoc, quem *Ariſtonem*, inſcripſerat, Ariſtonis magiſtri ſui voluptuariam vitam expoſuit. Quæ de ætate ejus nos dubitare non ſinunt; quod Ariſtonem magiſtrum habuiſſe dicatur. Zenonem enim Stoicum audivit Ariſto, Arceſilai tempore: Ariſtonem verò Apollophanes, tempore Ptolemæi Euergetæ. Patriam hujus Apollophanis aperit Steph. *in* Ἀντιόχεια: Τετάρτη (Ἀντιόχεια ſcil.) Μεσοποταμίας, Μυγδονία καλουμένη, ἥτις πρὸς τῇ ἐπιχωρίῳ Ἀντιοχίᾳ λαλοῦνται, ὅθεν Ἀπολλοφάνης ὁ Στωικὸς φιλόσοφος. Citat *Apollophanem* hunc Tertullian. *l. de Anima, c. 14.* quod novem animæ partes ſtatuat. Fuit & *Apollophanes* Medicus, in aula Antiochi Soteris, Regi apprimè charus, teſte Polybiô *l. 5.* quem laudat Plin. *l. 22. c. 21.* & Corn. Celſus. *l. 5. c. 18.* Cujus fortè malagma, contra jecinoris duritiem, deſcripſit Galenus *l. 8. de compoſ. medic. ſec. locos, c. 9.* & Paulus Ægineta *l. 7. c. 18.* laudatque Ætius *tetrab. l. 3. ſect. 3. c. 18.* Ut ut verò uterque *Apollophanes* ſub Euergete floruerit, non tamen hoc ſufficere arbitramur, ut eoſdem eſſe ſtatuamus. Alius fuit *Apollophanes* Sophiſta, cui tempore CHRISTI PATIENTIS Dionyſius Areopagita Heliopoli in Ægypto dixit: *Aut divina natura patitur, aut patienti condolet*, teſte Suidâ, *in* Διονύσ. Sed quòd Polemon Laodicenus Sophiſta, Ariſtidis magiſter hunc *Apollophanem* audiverit, juxta Suidam *loc. cit.* ratio temporis vix admittit: ex *Jonſio. Nic. Lloydius.*

APOLLOTHEMUS, Hiſtoriam fecit, quantum colligere licet ex iis, quæ de Lycurgi morte ex eo refert Plut. *in Lycurgo.*

APOLLYON, Hebr. *Abaddon*, Latin. *perdens*, vel *deſtruens.* Apocal *c. 9. v. 11.*

APOLOGETICUS Liber, Græcâ voce is dicitur, qui in Chriſtianæ Fidei veræque Eccleſiæ defenſione occupatus eſt: ſic aliquot *Apologeticos* contra Gentes aliosque Veritatis hoſtes à Patribus editos novimus. Paulò aliter Gregorius M. in ſuo *Sacramentar.* vocat quaſdam orationes *Apologeticas*, in quibus propria ſua ἐγκλήματα nævoſque confitetur: Nulla enim in divino tribunali major defenſio eſt, quam propriæ culpæ accuſatio. Eâdem ratione Ambroſius tractatum, in quo Prophetæ peccatum manifeſtat, *de Apologia David* titulum fecit. Vide Dominic. Macrum *Hierolex.* Sed & *Apologetica* ſeu *Apologias*, vocant in Latina Eccleſia, excuſationes & purgationes, quibus Miniſtri ſacra facturi excuſant ſe, quòd indigni ad tam veneranda & tremenda myſteria accedant: quarum formulæ complures habentur in *libro Sacramentorum* Gregorii modò dicto. *Miſſa* Romana edita ab Illyrico: *Quomodo Sacerdos apologetica celebrare debeat, antequam ad Miſſarum celebrationem accedat* &c. Earum locô apud eoſdem, hodie *Confeſſio* ſeu *Confiteor* dicitur. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & de *Apologia* Ægyptiorum funebri, infrà ubi *de Arca Mortuali.*

APOLYSIS, Græcè Ἀπόλυσις, in Eccleſia Græca, *dimiſſio cœtus*, idem quod ſequiori ævô, in Latina vox *Miſſa*, i. e. miſſio. Hinc quod Joannes *Vita* Epiphanii, vocat Ἀπόλυσιν τῆς Συνάξεως, Caſſianus *de Cænob. Inſtit. l. 3. c. 7.* appellat *Miſſam congregationis.* Aliquando ultimus eſt cujuſcunque feſti dies, ut apud Baſilium Seleuc. *de S. Thecla l. 2. c. 18.* Frequentiùs finis cujuſcunque officii Horarum, Veſperarum, Miſſarum, ut in *Triodio* & *Euchologio* videre eſt. Formulam certè Ἀπόλυσιν eſſe, quâ Sacerdos populum poſt officium celebratum dimittat, disertè docet *Pachymeres*: vocatque orationem hanc εὐχὴν ἀπολύσεως Demetrius Chomatenus *in Reſponſis*, ubi eam continerì his verbis, Εὐλογία θεοῦ ἐφ᾽ ὑμᾶς κτλ. *Benedictio Dei ſuper vos* &c. addit. Hinc Ἀπολύσιμος, apud Niceph. Homologetam in *Can.* nomen hebdomadis, quo tamen quænam hebdomas anni intelligatur, ſibi non liquere ait Leo Allatius *de Dominicis & Hebdom. Græcorum*, Indidem Ἀπολυτίκιον, in *Triodio*, *Typico* Sabæ, *Liturgiis*, Chryſoſtomi, Baſilii, alibi: troparium, quô laudes illius diei vel Sancti, cujus ſolennitas agitur, celebrantur. Hoc ultimô locô & poſt reliqua illius officii, ſed ante formulam dimiſſionis ſuprà indigitatam canebantur, ſuntque multiplex & unicuique diei ac feſto proprium. Hanc frequenter in *Menologio*, Ἀπολυτίκιον ἑορτῆς. Vide Jo. Caſp. Suicerum. *Theſ. Eccl.* in vocibus his: ut & infrà, ubi de *Dimiſſoriis literis.*

APOMAGDALIÆ, Græcè ἀπομαγδαλίαι, quid ſint apud *veterem Scholiaſtem Homeri Odyſſ. κ. v. 216:* ubi de canibus Poeta,

> Ὡς δ᾽ ὅταν ἀμφὶ ἄνακτα κύνες δαιτύθεν ἰόντα
> Σαίνωσ᾽ (αἰεὶ γάρ τε φέρει μειλίγματα θυμοῦ)
> *Ut cum circa herum canes è convivio euntem*
> *Blandiuntur. Is enim ſemper affert animi deliniamenta.*

accuratè docet Jul. Pollux his verbis *l. 6. c. 14.* Οἱ δὲ παλαιοὶ ταῖς καλουμέναις ἀπομαγδαλίαις ἐχρῶντο, αὗται δ᾽ ἦσαν ἐκ τοῦ ἄρτου μαλακοῦ, καὶ σταιτώδεις, εἰς ἃς ἀποψησάμενοι ταῖς κυσὶν αὐτὰς παρέβαλλον. ὅθεν καὶ Λακεδαιμόνιοι κυνάδα τὴν ἀπομαγδαλιὰν καλοῦσι· ὑπονοεῖ δὲ καὶ Ὅμηρος, &c. *Apomagdalias, quas vocant, Veteres utebantur. Ea erant, quod in pane molle & paſtaceum eſt, quod poſtquam ſe abſterſerant, canibus id projiciebant. Unde eſt quòd* apomagdaliam *Lacedæmonii cynadem* (quaſi *caninam*) *vocant. Atque id ſubinnuit Homerus* &c. Atque has panum cupedias, & ut Poëta ait, μειλίγματα θυμοῦ, canes ſomniare, Piſcator apud Theocritum dicit *Idyll. 21.* eôdem modò piſces ſe ſomniare addens,

> —— —— Καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις
> Πᾶσα κύων ἄρτον μαντεύεται, ἰχθύα κ᾽ ἐγών.
> *Etenim in ſomnis*
> *Omnis canis panes auguratur, & ego piſces.*

Ubi vir doctus ἄρτον non probat, & legi mavult ἄγρην, *agrer.* Sed quorſum id? Nam, ut piſcator piſces, quidni canis panes ſomniet, quorum eſu impensè delectatur: præſertim panum his cupediis, de quibus diximus. Vide quoque Euſtathium *ad d. l. Heſychium*, Plutarchum *in Lycurgo*, *Suidam*, Cæl. Rhodig. *l. 28. c. 1.* Eraſmum *in Adagio, Canis vivens ex magdalia*, Alios, laudatos Bocharto *Hieroz. Parte prior. l. 2. c. 55.* nec non infrà in voce *Canis*, item in *Magdalia.*

APOMYIOS, apud Plin. *l. 29. c. 6.* Jovis cognomen, quaſi *Muſcarum abigens*, vide infrà & *Myiodes.*

APOMYIUS, Ἀπόμυιος Jupiter in Elide colebatur ὁ ἐλαύνων τῶν Ἠλείων Ὀλυμπίασι τὰς μυίας. Pauſan. *l. 5.* Plin. *l. 29. c. 6.* *Myiodem* vocat, & *l. 10. c. 38.* *Myiagrum.* Poëta apud Athen. *l. 1.* Ἀεὶ δ᾽ ὥσπερ Ὀλυμπίασι θύειν ταῖς μυίαις ποιοῦσι· βοῦν τοῖς ἀκλήτοις προκατακόπτουσι. Profert iſta patronus umbrarum, & eorum qui invocati veniunt ad convivia. Ait, Bonum factum ferè, ſi iſti alienô ſumptu alantur, fiatque illis quod ſolet muſcis Olympiæ: h. e. ut non prius incantur ab iis, qui volunt unà eſſe, convivia, quàm in gratiam paraſitorum bovem mactaverint. Sacrificium, in honorem Jovis muſcarum averruncatoris, fieri ſolitum, ſic iſte interpretatur, quaſi in muſcarum gratiam fieret, ut eſſet illis unde lautè, ac dapſilè acciperentur. *Caſaubon.* Clemens Alex. *in Protreptico*: Ἀπομυίῳ Διὶ θύουσιν Ἠλεῖοι, Ῥωμαῖοι δὲ Ἀπομυίῳ Ἡρακλεῖ. Et paulò poſt: Ἡρακλείδης περὶ τὸν Ἀκαρνανίαν, φησίν, ἔνθα τὸ Ἄκτιον ἐστὶν ἀκρωτήριον, καὶ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἀκτίου τὸ ἱερὸν ταῖς μυίαις προθύεσθαι βοῦν. *Nic. Lloydius.* vide *Beelzebub.*

APONIANA, inſula Lilybæo proxima. Hirtius *de bello Afric. c. 2.*

APONINÆ Sortes, memoratæ Vopiſco in *Firmo, c. 3.* *Ipſe quoque dicitur habuiſſe duos dentes elephantis, pedum denum, e quibus Aurelianus ipſe ſellam conſtituerat facere —— in qua Jupiter aureus & gemmatus ſederet cum prætexta, ponendus in templo Solis*, Aponinus (vulgò legitur *Apenninus*) *ſortibus additus: quem appellari voluerat Jovem Conſulem, vel Conſulentem.* Etiam apud Treb. Pollionem occurrunt in *Claudio. c. 11.* *Item cum in* Aponino *de ſe conſuleret, reſponſum hujuſmodi accepit.*

> *Tertia dum Latio regnantem viderit æſtas.*

Item, cùm de poſteris ſuis,

> *His ego nec metas rerum, nec tempora pono.*

Item, cum de fratre Quintillo, quem conſortem habere volebat Imperii reſponſum eſt:

> *Oſtendent terris hunc tantùm Fata.*

Ubi legit Caſaubonus iterum pro *Apennino*, uti vulgò editum, *Aponino* vel *Aponi fonte.* Vide in voce *Aponus.*

APONIUS, vir Prætorius, de quo Sueton. *in Calig. c. 38.*

APONIUS, prænomine *Marcus*, Mœſiæ præfectus, quòd Rhoxolanos novem millibus equitum in provinciam irrumpentes feliciter cæcidiſſet, triumphali ſtatuâ ab Othone honoratus eſt. Tacit. *Hiſt. l. 1. c. 79.* alterum nomen eſt *Saturninus.* Vide Tacit. *Hiſt. l. 2. c. 85.* Seditione militari inceſſitus atrociſſimè, vulgatis epiſtolis, quas ad Vitellium ſcripſiſſe credebatur. Itaque ad ſupplicium poſtulatus, ac fortè vacantium balnearum fornacibus abditus evaſit mortem, Tacit. *Hiſt. l. 3. c. 11.*

APONIUS, commentariô Canticum Canticorum illuſtravit; qui in *Biblioth. Patrum* reperitur. Seculô 6. *Nic. Lloydius.* Græcus fuit, ſcripſitque in *Canticum Cantic.* ut diximus, *Expoſitionem per paraphraſin*, collectam ex Gregorii Nyſſeni, Nili & Maximi commentariis: *Vir in S. literis diſertiſſimus.* Sixto Senenſ. *Eruditionis & ſanctimoniæ non vulgaris, ac in cœnobio latitans nycticorax*, Joh. Fabri *in Epiſt. dedic.* Eidem *concionis accommodatiſſimus, in quo nihil eſt quod tollas.* Floruiſſe dicunt Bellarmino A. C. 812. Aliis 700. Labbæo A. C. 680. ubi plura, ſi lubet, vide. Prodiit *Expoſitio* ejus in fol. Friburgi A. C. 1538.

APONUS, fons & vicus ad Euganeos colles, in Italia propè Patavium, ubi & aquæ calidæ variis morbis aptæ; A Claudiano elegiacô carmine laudatæ, & à Theodorico Gotthorum Rege mœnibus cinctæ, teſte *Caſſiodorô.* Lucan. *l. 7. v. 192.*

> *Euganeo, ſi vera fides memorantibus, augur*
> *Colle ſedens, Aponus terris ubi fumifer exit,*
> *Atque Antenorei diſpergitur unda Timavi.*

Ejus aqua fatidica olim credebatur. Unde conſultans Tiberius ſortes in eas conjecit. Lege Sueton. *in Tiber. c. 14.* Videturque illuc reſpexiſſe *Lucanus*, ubi ſupra.

Martial. *l.* V. *Epigr.* 62. *v.* 3

> *Conſetur Apona Libio ſuo tellus,*
> *Stellaque nec Flacco minus.*

Idem *l.* 6. *Epigr.* 42. *v.* 4.

> *Nec fontes Aponi rudes puellis.*

Etiam Claudius II. inde reſponſum accepit; de ſe oraculum hoc Geryonis conſulens, ſub initium Imperii ſui *quamdiu ſcil. imperaturus eſſet.* Item quum de poſteris ſuis, & de fratre Quintillo, quem conſortem habere volebat Imperii, ex illo ſciſcitatum venerat, apud Trebellium Pollionem *in Eo c.* 10. Ubi exemplum Virgilianarum ſortium habes. Nomen ei, quia contra morbos eſt, vel quia citra dolorem medetur, ab α & πόνος, *labor.* Vide Cluver. *Ital. Ant.* p. 153.

APONUS Petrus, vide *Petrus.*

APOPEMPTICON Carmen, vide infrà *Epidemia* & *Propempticon.*

APOPHORETA, Græcè Ἀποφόρητα, dicta ſunt dona, quæ in Saturnalibus conviviis dabantur domum ferenda, ab ἀποφέρω. *Veſpaſianus dabat ſicut Saturnalibus Apophoreta viris, ita & per Calendas Martii feminis,* Sueton. *in eo c.* 19. Vide Hadr. Turnebum *l.* 18. *c.* 32. & infrà *Panchreſtum.* Idem titulus eſt Martialis *Epigramm. l.* 14. ſeu *ultimi:* ubi ſtatim ſub initium docetur, divitum dona fuiſſe citreos eburneoſque pugillares, chartas majores &c. pauperum, quintuplices, triplices, chartas epiſtolares, candelas &c. Quæ per ſortem contigiſſe, diſcimus ex *Epigr.* 40.

> *Ancillam tibi ſors dedit lucernæ* &c.

Apud Lamprid. *in Heliogabalo c.* 21. *Apophoreta* eſt; ubi notat Caſaubon. *Apophoretum* eſſe munus à convivio auferri ſolitum, vide infra, ubi de Licitatione & de *Sortibus convivalibus.* Hinc donum quodvis, in munerum editione, & dignitatum vocis, ſignificare cœpit, ut apud *Symmachum* videre eſt, & ulterius patet ex iis, quæ Raderus *ad Martial.* idem Caſaubon. ad *Sueton.* Beroaldus ad *Appulej.* Roſweidus *ad Paulin.* aliique adnotârunt. Tandem pro ipſo vaſe, in quo munera reponebantur, uſurpata vox, Iſidor. *Origin. l.* 20. *c.* 4. Paulin. *ad Sever. Ep.* 2. &c. Atque hinc ad feretra, in quibus defunctorum reliquiæ ferri mos, denuò tranſlata, ut ex Auctoribus ulterioris ævi Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macris Fratribus in *Hierolexico,* laudatis, videre eſt.

APORETICI, vide infrà *Ephectici.*

APORTANUS Georgius, Theologus inſignis Friſiæ Orientalis circa A. C. 1540. Is initiò, permiſſu Comitis Edſardi, parentibus in campis prope Emdam, concurrente magnâ hominum multitudine conciones habebat, poſt Emdam, datô ſacrô locô, tranſlatus eſt, poſtquam Comes, Evangelii doctrinâ ex libris hauſtâ, eam Auricæ, Leeræ, Nordæ Emdæque proponi curâſſet. Lætus *Hiſt. Univer.*

APOSTATICI, Hæretici. Vide ſuprà in voce *Angelici.*

APOSTOLA Francorum, vide infrà *Apoſtolici.*

APOSTOLÆUM, ædes ſacra, prope Chalcedonem, Petro & Paulo Apoſtolis, dedicata. Imo & quæcumque Ædes, Apoſtoli alicujus nomen præ ſe ferens, quemadmodum *Prophetæum,* quæ alicui ex Prophetis conſecrata eſt. Theodoretus *l.* 1. apud Macrum *Hierolex.*

APOSTOLATUS, Græcè Ἀποστολὴ, titulus honoris Epiſcopis olim tributus. *Epiſtola* Vitalis & Conſtantii ad Capreolum Epiſcopum Carthagin. *Ideoque provoluti genibus exoramus humiles ſervi tui, per* Apoſtolatum *veſtrum, ut informetis parvitatem noſtram* &c. Sidonius *l.* 6. *Ep.* 4. *ad Lupum Epiſc. Trecenſ. Præter officium, quod — — Apoſtolatui tuo ſine fine debetur.* Et *Ep.* 7. *ad Fonteium Epiſc. Vaſion. Ego quoque ad* Apoſtolatus *tui notitiam — — accedo.* Atque ita paſſim apud Hadrianum Pontif. *Ep.* 91. Ruricium *l.* 1. *Ep.* 14. & *l.* 2. *Ep.* 8. 49. 50. 57. Ennodium *l.* 5. *Ep.* 17. Avitum *Ep.* 10. 23. 37. 59. Fortunatum *Ep. ad Euphron.* Turonenſem Epiſcopum, *l.* 3. *Poemat. Ep.* 44. & 45. *Hiſtor. Francor. Tom. I. p.* 874. &c. Olim enim Epiſcopi univerſim omnes *Apoſtolici,* vel ſimpliciter, vel adjunctâ *Epiſcopi, Viri* aut aliâ voce, dicti ſunt, tanquam *Apoſtolorum* ſucceſſores & vicarii quiſque in diœceſi ſua. Unde Fortunatus ad Gregorium Epiſcop. Turonenſ. ſcribens, ipſum *Dominum Apoſtolicum* vocat, in *Prologo ad Vitam S. Martini* ad *l.* 2. *Poem.* ut & Euphronium Epiſcop. Turonenſ. *l.* 3. & Nicetium Treviranſ. *eòdem l. Poem.* 10. Ita apud Marculfum paſſim legimus: *Ille Rex viris* Apoſtolicis *patribus noſtris:* Apoſtolico *illi Epiſcopo,* aliòſque quamplurimos. Atque hinc *Apoſtolica ſedes* Epiſcopalis quæcumque appellata eſt. Marculfus idem *l.* 1. *Form.* 6. *Domino Sancto* Apoſtolicæ *ſedis dignitate colendo illi Epiſcopo.* Vide quoque Sidonium Apollin. *l.* 6. *Ep.* 1. *ad Lupum Trec.* &c. Verùm ſicut *Papa* appellatio, quæ ſimiliter Epiſcopis omnibus primitus communis fuit, ſequiori ævô ſoli Pontifici Romano adſcripta legitur; ita *Apoſtolici* elogium idem ſibi ſoli procedente tempore vindicare cœpit. Vide Caſaubon. *Exercitat.* XIV. *in Baron* §. 4. *ann.* 32. *num.* 5. unde factum, ut & *Apoſtolatus* appellatio tandem ad ſolam Paparum dignitatem fuerit reſtricta. Paulus Warnefridus *de Geſtis Longobard. l.* 4. *c.* 30. *B. Gregorius — migravit ad Chriſtum — cujus in locum ad Apoſtolatus officium Sabinianus eſt ordinatus.* Bernardus *Ep.* 38. *Eugenii* Apoſtolatus *excuſat me.* Et inde pro titulo honorario uſurpata vox: Honorius Imperator in *Reſcripto* ad Bonifacium I. Pontificem Romanum. *Petimus, ut quotidianis orationibus* Apoſtolatus *tuus ſtudium ac votum tuum — dignetur impendere.* Joh. Sariſber. ad Alexandrum Pontif. *Ep.* 110. *Cum ergo* Apoſtolatus *veſtri culmen nequeamus pro voto viſitare,* &c. Similiter *Apoſtolica Sedes* de ſola Pontificia dici cœpit, &c. Vide quoque Car. du Freſne *Gloſſar.*

APOSTOLI Doctor, nomen dignitatis in Eccleſia olim Conſtantinop. hic, ad quam, in publicis concionibus, Pauli Apoſtoli epiſtolas explicare ſpectabat. Macer *Hierolex.*

APOSTOLI, nomen XII. Diſcipulorum Chriſti, quos miraculorum, linguarum, & infallibilitatis donô inſtructos, miſit in univerſum orbem, ut Eccleſias ubique fundarent, & diſcipulas facerent omnes gentes. Horum nomina. *Simon cognomine Petrus, Andreas frater ejus: Jacobus Zebedæi fil. Johannes frater illius: Philippus & Bartholomæus: Thomas & Matthæus: Jacobus, Alphæi fil. Lebbæus, qui & Thaddæus: Simon Cananæus & Judas Iſchariotes,* Matth. *c.* 10. *v.* 2. 5. Qui ultimus cum Magiſtrum prodidiſſet, abiiſſet in locum ſuum, ſorte ei ſurrogatus eſt Matthias Act. *c.* 1 *v.* 25, 26 His acceſſit tandem Paulus, peculiari elogiô *Apoſtolus Gentium* dictus, vide Gal. *c.* 2. *v.* 9. Ex his Jacobus, in Concilio Hieroſolymitano, præſedit, Act. *c.* 15 *v.* 13. *Boanerges,* cum fratre, dictus à Chriſto, Marc. *c.* 3. *v.* 17. qui ambo quoque *patres Chriſti:* & στῦλοι dicuntur, unà cum Simone agnominato Petro, Gal. *c.* 2. *v.* 9. Imò omnes 12. θεμέλιοι τοῦ τείχους τῆς πόλεως, Apocal. *c.* 21. *v.* 19. innixi lapidi illi ἀκρογωνιαίῳ Jeſu Chriſto, Epheſ. *c.* 2. *v.* 20. appellantur. Neque inferiorem ſe Paulus ait ſummis Apoſtolis, 2 Cor. *c.* 11. *v.* 5. Scripſerunt Petrus, Jacobus, Johannes, Matthæus, Paulus & Judas Thaddæus: Vide quemque horum *ſuô locô.* Reliqui vivâ ſolùm voce docuerunt. Etiam horum quidam cœlibes, ut Paulus: reliqui uxorati, περιῆγον, in peregrinationibus ſuis, ἀδελφὰς γυναῖκας, *ut Fratres Chriſti & Cephas,* 1 Cor. *c.* 9. *v.* 5. Unde Clemens Alex. *l.* 7. *Strom.* Petro non ſolùm uxorem, ſed & filios tribuit; Philippo item filios atque filias. Sic quoque Ignatius Petrum, imò & Paulum, aliòſque Apoſtolos in matrimonio vixiſſe ſcribit, *in ep. ad Philadelph.* additque, *cœlibatus propugnatores inhabitatorem Angelum illum Apoſtatam habere,* &c. Plura de Apoſtolis ſcire cupientes, videant ſingulos, *ſuis locis.*

APOSTOLI, apud Judæos, *qui ad exigendum aurum atque argentum a Patriarcha certo tempore diriguntur, l.* 14. *Cod. Theodoſ. de Judæis.* Coronarium ſcil. cujus canon anniverſariùs erat & à Judæis ſolebat penſitari, Car. du Freſne *Gloſſar.* Sed & jam antè in hac gente ſic dictos fuiſſe, ait Baron. *A. C.* 32. qui pecuniarum, ad Templum ſartum tectum conſervandum, collectores, eſſent, atque in obſervatione Legis Moſaicæ urgenda, velut Legati juriſdictionem haberent. E quorum numero Paulus fuiſſe creditur, quem obtinuiſſe literas à principibus Sacerdotum legimus, ut ſi alicubi deprehendiſſet Chriſtianos, velut Legis hoſtes, Hieroſolymam vinctos abduceret. Unde non abſque myſterio ſuam ad Galatas Epiſtolam his verbis ordiatur: *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum.* Quaſi dicat, Jam non ampliùs Apoſtolus ſum, à Synagoga miſſus, ſed Legatus Jeſu Chriſti. Atque de his *Apoſtolis* Hebræorum Epiphanius agit *Hær.* 30. ubi eos magna in veneratione, & dignitate apud ſuos populares fuiſſe, refert: duravitque tamen ac poteſtas eam in hac gente, uſque ad principatum Theodoſii, qui iis in *C. de Judæis,* titulum & poteſtatem hujus *Apoſtolatus* publicô Edictô prohibuit, vide Dominicum Macrum *Hierolex.* & præ hoc Jac. Gothofredum *ad l. d. Cod. Theodoſ.* ubi multa *de Apoſtolis Judæorum.* Sed & in Eccleſia Chriſtiana, *Apoſtoli* Papiæ dicuntur *Hæretici quidam hoc ſibi nomen ſumentes, quia nihil proprium poſſidentes, nequaquam recipiunt aliquid in hoc mundo poſſidentes.* Eoſdem *Apoſtolicos* appellat Auguſtin. *de Hæreſ. c.* 40 &c Vide in voce *Apoſtolici.*

APOSTOLICI, propriè dicuntur Epiſcopi, qui in Apoſtolorum cathedris ſucceſſerunt; & quia omnes Epiſcopi locum tenent Apoſtolorum, teſte Hieronymo *Ep. ad Marcellam,* cui ſuffragatur Auguſtin. *in pede Pſalm.* 44. & 12. *q.* 1. *c.* in morem abiit, ut omnes utique *Apoſtolici* dicerentur: præſertim apud medii ævi Scriptores, ut abunde liquet è *Marculfi* formulis, circa A. C. 600. conſcriptis. Hinc Clodoveus ad Synod. Aurelianenſem I. *Dominis ſanctis & Apoſtolicâ ſede digniſſimis Epiſcopis, Clodoveus Rex.* Et in fine, *Orate pro me D. D. ſancti, & Apoſtolicâ ſede Papa digniſſimi.* Similiter Gunthramnus Rex in edicto Concilii Matiſcon. II. ditionis ſuæ Pontifices alloquutus, *Vos,* inquit, *Apoſtolici Pontifices.* Unde Epiſcopalis dignitas etiam *Apoſtolatus* dicta eſt: & Epiſcoporum Legati *Apoſtolici* nuncupati ſunt. Subſequentibus autem ſeculis, *Apoſtolici* nomen, quemadmodum & Papæ, apud Pontificem Romanum ſolùm remanſit, qui etiam *Apoſtolus,* præſertim à Gallis, dictus eſt. Anglorum *Apoſtolus* S. Gregorius, Francorum *Apoſtola* Clotildis, Clodovei Regis uxor nuncupata eſt, quòd ille Anglo-Saxones, ad fidem adduxit: hæc prima apud Francos Chriſtiana, cæteros ſimiliter ad Chriſtum provehi fecit, Magn. *Chron. Belg.* ſub A. C. 500 &c. Vide Henr. Spelmannum *Gloſſ. Archæol.* & de voce *Apoſtolus,* pro claſſis Præfecto ſeu Admiralio, in voce *Thalaſſiarchus.* Vide quoque ſuprà *Apoſtolatus.*

APOSTOLICI, Hæretici, Encratitarum & Catharorum Soboles, ſic dicti, quia Apoſtolicæ puritatis imitatores videri volebant. Circa A. C. 145. Conjugium rejecerunt, tanquam cœli temoram; bonis ſe abdicârunt, omnia communia eſſe debere dictitantes; iis qui poſt Baptiſmum peccant, ſpem omnem gratiæ præcluſerunt; locò Evangelicorum ſcriptorum, Apocryphis quibuſdam uſi, ut *Actis S. Andreæ & S. Thomæ,* &c. Etiam *Apotactitæ* dicti, quia mundo renuntiabant. Auguſtin. *Hær.* 40. Alios habet ſeculò 12. exortos *Morerius:* qui dicuntur præter Purgatorium, preces pro mortuis, & invocationem Sanctorum, rejeciſſe Pædobaptiſmum, conjugium, & uſum quorundam ciborum, ex Manichæorum diſciplina; refutatos à S. Bernardo A. C. 1147. Ex hujus *Serm.* 66. *in Cantic.* Sanderus. *Hær.* 144. Baron. & Genebr. *in Innoc. II.* De hiſce Phil. à Limborch ita: *Albigenſium videntur propago. Juxta Eymericum, tempore Honorii IV. Bonifacii VIII. Nicolai IV & Clementis V. circa A. C.* 1260. *in partibus Lombardiæ, Epiſcopatu videl. Parmenſi & Novarienſi, exorti ſunt Geraldus Sagarelli Parmenſis & Dulcinus Novarienſis. Hi congregationem quandam fecerant quam* Apoſtolos *vocaverunt, qui ſub nullius obedientia vivebant, & vitam ſequi Apoſtolorum ſingulariter afferebant: & habitum quendam novum religionis aſſumpſerunt, ab Honorio IV. condemnati A. C.* 1285 *à Nicolao quoque A. C.* 1290. *Sagarellus crematus eſt, ſub Bonifacio VIII. A. C.*

1300. *contra Dulcinum, qui cum 6000. ſequacibus in Alpes ſe receperit*, *Clemens V.* Cruciadam *indixit, qua is victus, captus, membratim dilaniatus & concrematus eſt, altero poſt ſociam.* Dogmata illorum pateor, ex ſententia Petri Lucenſis Hiſpan. in libro *ſententiarum Inquiſit. Toloſ. fol.* 183. ubi tamen promiſcuæ Veneris, quam illis, ut & Valdenſibus, Eymericus attribuit, nulla penitus mentio. Vide præfat. Limborchium *Hiſtor. Inquiſit. l.* 1. *c.* 18. Sic dictos eſſe Hæreticos illos tempore Bernhardi, quòd ſeſe ſucceſſores Apoſtolorum jactitarent, auctor eſt Rainerus contra *Valdenſes c.* 6. apud *Car. du Freſne.*

APOSTOLICI Canones, vide infrà.

APOSTOLICI Patrimonii Rectores, vide infrà *Rector.*

ſub APOSTOLIS, Romæ appellata eſt Aula Lateranenſis Palatii, ex pictura Apoſtolorum in ejus pariete effigiata: unde Anaſtaſius Bibliothecar. Nicolaum I. Synodum habuiſſe *ſub Apoſtolis* refert. Dominic. Macer in *Hierolexico.* Carolus verò hujus frater, per *ſub Apoſtolis Aulam*, ipſam Baſilicam Lateranenſem, quam *Aulam Dei* nuncupatam eſſe ait *Panvinius*, intelligit; ſicque dictam vult, vel quod ibi extiterint Apoſtolorum Principum capita, vel quod mos eſſet, capita eorundem in Conciliis collocare, uti in Concilio Florentino factum fuiſſe, referunt, Severinus Binius Concilior. *Tom. VIII.* Victorellus *Addition. ad Ciaccon. Tom. II. col.* 1155. *lit. A. & E.* Alii.

APOSTOLIUM, in *Epiſtola* Chlodovæi Regis Franciæ ad Epiſcop. *De cæteris quorum captivis laicis, qui extra pacem ſunt captivati*, Apoſtolia, *eos volueritis, arbitrii veſtri non eſt negandum*, Lege *Epiſtolia*, Car. du Freſne *Gloſſar.* At *Apoſtolicum* in *Ordin. Roman. Subdiaconus autem, qui lecturus eſt, ſub cura ſua habebit* Apoſtolicum & *Archidiaconus Evangelium* · liber eſt Epiſtolarum S. Pauli, quem Ἀποστολικὸν βιβλίον vocat Cabaſilas in *Expoſitione Liturgiæ* c. 22. Vide infrà in voce *Apoſtolus liber.*

APOSTOLORUM Acta, liber Canonicus N. T. à Luca Evangeliſta conſcriptus, hiſtoriam Eccleſiæ naſcentis, annorum 24. circiter exhibet, capp. 28. ab Aſcenſione Chriſti initiô factô, uſque ad Pauli captivi adventum in urbem Romam. Hunc librum illuſtrârunt ſcriptis ſuis, Amyraldus *Paraphraſe ſur les Actes des Apoſtres*, 1654. Auguſtinus, Brentius, *in Acta homiliis* 122. Bullingerus, Calixtus, Calvinus *Comment. in Acta*, in fol. Genevæ A. C. 1572. 1580 1614. in 8t. ibid. A. C. 1565. Caſſiodorus, Chryſoſtomus, de Dieu. Eraſmus *Commentar. Homil. in Acta.* Faucheur *in* 10. *capp. priora; Gallice.* Ferus *in Acta Enarrat.* Colon. A. C. 1567. Venet. 1568. Gerhardus, in *Annotation. poſthumis*, in 4to. A. C. 1669. Gregorius M. Grynæus. Gualterus. Juſtus Jonas, *Annotation.* in 8t. Baſil. A. C. 1525. 1567. Menzer. *in Acta Meditatione*, in 4to. Gieſſæ; 1622. Nicetas. Oecumenius. Pelargus *in Acta Expoſition.* in 8t. Francof. 1615. Pererius, *in Acta Comment.* Morgius, 1580. Pricæus, *Annotatis* in 8t. Pariſ. 1647. Rothmalerus, 165. *Concion. Germ.* Streſo *in c.* 16. *pr. Comment. practic.* in 4to. Amſtelod. 1650. &c. Theophylactus, Viretus, *in Acta Comment.* Gall. &c. Reliquos ſuggeret, Guil. Crowæi *Elenchus Scriptorum in S. Scripturam.*

APOSTOLORUM Doctores, vide infrà *Protapoſtolarius.*

APOSTOLORUM Feſtum, in Communione Romana cujus meminit Microlog. *c.* 55. *Feſtivitas Sanctorum Jacobi & Philippi & omnium Apoſtolorum*: ad Kal. Majas celebrari conſuevit. Apud Græcos verò die 30. Junii, h. e. poſt Apoſtolorum Petri & Pauli ſolennitatem. In *Miſſali* Hieroſolymitano Equitum Argentorati A. C. 1505. impreſſo, reperitur ſub die 16. Julii commemoratoria Miſſa, quando *Apoſtoli*, ad prædicandum per Orbem, diviſi ſunt, ſub titul. *Diviſio Apoſtolorum.* Quid *Apoſtolorum* antiquæ picturæ, cum volumine in manu, denotent, vide infrà in *Rotula*, & plura hanc in rem, apud *Macros* Fratres.

APOSTOLUS, i. e. Miſſus, Nuntius, Proxeneta, quis dictus apud Hebræos, vide infrà voce *Virgo*, & ſuprà *Apoſtoli.* Eadem vox Athenienſibus jam olim uſitata, quâ vocare ſolebant hos, quos tanquam provinciarum Viſitatores, ad neceſſitatibus ſubditorum conſulendum, Reſpublica mittebat Macer in *Hierolexico.* Apud recentioris quoque ævi Scriptores eâdem notione paſſim occurrit. Sic *Luithprandus*, ubi refert, Regis Bulgariæ Oratorem in Aula Imperiali Conſtantinopoli. ex privilegio ſpeciali. inter reliquos Oratores, primum tenuiſſe locum, propter ſui Regis cum Imperatore (cujus filiam in uxorem duxerat) affinitatem: *Conſonantia*, inquit, *ſcripta juramentô firmata ſunt, ut omnium gentium* Apoſtolis, *i. e. Nuntiis, penès nos Bulgarorum* Apoſtoli *præponantur*, *ut Legat.* apud *Macrum* eundem & Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide ſuprà in voce *Apoſtolus*: ſed & voce *Thalaſſiarchus*, ubi Ἀπόστολον Athenienſibus dictum eſſe, qui Rei maritimæ curam gereret, & Ἐπιστολεὺς Ciceroni diceretur, vidimus.

APOSTOLUS Liber, dicitur in Eccleſia Romana Epiſtolarum S. Pauli, qui ad Miſſam legi ſolet. Liber *Sacramentor.* Gregorii M. *Deinde ſequitur Apoſtolus*, i. e. lectio ex Apoſtolo. Hincmarus Remenſ. *Tom. II. opuſc.* 7. *p.* 149. *Uſque ad Evangelium in Miſſa ſtare ſolent & recedunt ſtatim poſt* Apoſtolum, *i. e. poſt Epiſtolam, hanc admonitionem noſtram ---- legiſſe*, &c. Similiter in Græca vocem Ἀπόστολος uſurpavit Cyrillus Scythopolit. in *Vita* S. Sabæ, Ἅμα δὲ κατέχηχει αὐτόν, ἵνα τὸ ψαλτήριον διδάξῃ καὶ τὸν Ἀπόστολον, *Simul autem & urgebat eum, ut me pſalterium doceret ac Apoſtolum* Codinus item de Offic. c. 6. ὁ ἀναγινώσκων τὴν προφητείαν καὶ τὸν Ἀπόστολον ὁ Πρωταποστολάριος, *Legens Prophetiam & Apoſtolum Protapoſtolarius.* In Ord. Roman. *Apoſtolicum* dicitur, uti vidimus ſuprà in voce *Apoſtolicum*: ubi cura ejus Subdiacono, quemadmodum *Evangelii* Archidiacono commendatur. Sed & alius apud Græcos erat liber, quem Πραξαπόστολον nuncupârunt quòd præter Epiſtolas Pauli aliaſque Canonicas, Acta etiam Apoſtolorum contineret. Vide de hoc *Typicum* Sabæ & *Triodium*, laudata Carolo du Freſne in *Gloſſar.*

APOSTOLUS Pomeranorum, vide infrà *Suantiborus* I.

APOSTOLUS Indorum, vide infrà *Xaverius Franciſcus.*

APOSTROPHIA, Veneris cognomen, quæ in hunc finem ſic a Cadmo cognominata, ut ab omnibus ſpurcis artibus avocaret, & ab obſcœna libidine, & a concupiſcentiis averteret. Pauſan. *l.* 1. & 9.

APOSYNAGOGI, Græcè ἀποσυνάγωγοι, apud Hebræos, in Hiſtoria Evangelica memorati, *Seldeno* ſunt ii, qui popularium conſuetudine, vi excommunicationis atque anathematis, ita privabantur, ut nec cum aliis converſari, victumque capere, neque illis aſſidere, aut ulli conventiculo ſolito, iis intereſſe liceret: Vocem enim συναγωγῆς, omnimodum populi plebiſque ſive totius ſive partis conventum non rarò denotare, ex Pentateucho & Prophetis oſtendere contendit, ubi Helleniſtæ συναγωγὴν pro קהל, quod *Populi conventum, ſeu totum Populum notat* ſubſtituunt. Vide quæ ſuprà de *Anathemate* attulimus. Sed plus aliquid, quàm civilem pœnam & ſequeſtrationem à Politicis ſolum conventibus hâc voce indicari, ſolidè probant Theologi, quos vide.

APOTACTITÆ, Græcè Ἀποτακτῖται, Hæretici ſic appellati, quod bonis omnibus renuntiarent, quaſi dicas *Renuntiantes*; ut *Encratitæ*, i. e. *Abſtinentes.* Mentio eorum *l.* 7. *Cod. Theodoſ. de Hæreticis.* Iidem videntur cum *Apoſtolis* ſive *Apoſtolicis*, de quibus ſuprà.

APOTEVIZZA, Oppid Sclavoniæ, in regno Hungariæ non longè à Dravo fluv. in Riſienſi Comitatu, vix unâ leucâ, a Copranitzio, in Occaſum, infra montes.

APOTHECA, cella propriè vinaria, Græcè ἀποθήκη *Gloſſ. Horreum*, ἀποθήκη. Nempe *Horreum* apud Latinos, non ſolum frumenti, ſed etiam rerum quarumcunque ταμεῖον dicebatur; & in Horreis militaribus, de quibus ſuò locò, non frumentum condi tantum erat ſolitum, ſed vinum, acetum, lardum, fœnum, paleæ & reliquæ ſpecies fiſcales ac militares. Itaque & Columella *Vini horrea* pro *apothecis* dixit. Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano.* c. 11.

APOTHEOSIS, Latin. *Conſecratio*, quâ voce Cicero utitur *l.* 2. *ad Quintum fratr. ep.* 1. ritus fuit apud Romanos, à Cæſ. Auguſto primum inſtitutus, deinde à Tiberio inſtauratus, quò conſecrabantur Imperatores, qui ſuperſtitibus filiis vel ſucceſſoribus moriebantur, ſicque *in Divos relati* dicebantur. Sic Auguſtum, apud Auſonium *de Mortibus Cæſarum*, v. 2. addidit.

---- ---- *Divis matura ſenectus.*

Et facetum illod Veſpaſiani Principis, qui *primâ morbi acceſſione, ut*, inquit, *puto Deus fio.* Sic Claudium, Veſpaſiani filios, Antoninos, Trajanum alioſque divinis poſt mortem honoribus affectos legimus. Imò & ante Auguſtum, jam Cæſar Dictator id honoris conſecutus eſt, Sueton. *in eo c.* 88. *Stella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa undecimam horam, creditumque eſt animam Cæſaris eſſe in cœlum recepti, & hoc de cauſa ſimulachro ejus in vertice additur ſtella.* Verbô, *Omnes Imperatores inter Deos poſt mortem referri ſolitos eſſe*, docet Thom. Dempſter. *in Antiq. Rom. l.* 3. *paralipom ad c.* 18. Unde Juvenalis *Sat.* 6. *v.* 115. *Rivales Deorum* dicuntur. In quæ verba vetus Scholiaſtes, *videns*, inquit, *quia Imperatores inter Deos referuntur.* Ritus autem hic talis erat. Imperatore vitâ functô, totâ urbe feſta celebritas erat. Ex primò quidem functum vitâ corpus ſumtuoſò funere ſepeliebant: ceream dein imaginem mortuo quàm ſimillimam, in Palatii veſtibulo, ſupra eburneum lectum maximum, ſublimem & veſtibus inſtratum aureis locabant. Et quidem imago illa ad ægroti ſpeciem placidè decumbebat. Circa lectum verò utrinque magnam partem diei ſedebant à læva quidem Senatus omnis veſtibus atris amictus: à dextra verò matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honeſtabat. Hæc ita per ſeptem dies continuos faciebant, Medicis ad lectum quotidie accedentibus inſpectumque veluti ægrum deterius ſe habere ſubinde pronuntiantibus. Dein, ubi jam viſus eſſet obiiſſe diem, lectum humeris ſublatum, Equeſtris Senatoriique ordinis nobiliſſimi juvenes, per viam ſacram in vetus Forum deferebant, ubi Magiſtratus Romani Imperium deponere conſueverant. Ibi extenctò coloris lapidei tribunali lignëô, ſuper quod ædificium fabrefactum erat, columnis ſuffultum eboreque variè ornatum & aurò, eò allatus eſt alius lectus conſimilis, in quo ſtatuam ceream Principis conſecrandi è Palatio allatam, ornatu triumphali, collocabant; puerô inſigni formâ, quaſi Imperator dormiret, pennis pavonis muſcas abigente. Accedebant mox ponè lectum ſuperſtitum Imperatores, Senatus Senatorumque uxores, veſtibus lugubribus induti, & in gradibus ad ſcalarum ſimilitudinem extructis, ex altera Fori parte puerorum chorus, ex altera fœminarum illuſtrium, hymnos pæanaſque in defuncti laudes canebant. Quibus peractis, funebris pompa in foro inchoabatur extra urbem in Campum Martium tendens, quò antequam perventum, Imperator vivus Roſtris conſcenſis defunctum Imperatorem laudabat, cumque lectum de loco, in quo erat, moveri oporteret, omnes ſimul Senatores in fletum & lamenta ſolvebantur. Sic lectum à tribunali tollebant Pontifices & Magiſtratus qui eum poſteà nonnullis Equitibus ferendum tradebant, parte Senatorum cum variis mœſtitiæ indiciis præcedente, Imperatore verò ſubſequente. Ita in campum Martium poſtquam pervenêre, quà latiſſimè ille patet, rogus ſive ſuggeſtus quidam ſpecie quadrangulâ, lateribus æquis aſſurgebat, nullâ præterquam lignorum ingentium materiâ compactus in tabernaculi formam: quod interius totum erat fomitibus oppletum, exteriùs autem intextis aurô ſtragulis atque eburneis figuris undique exornatum. Super hoc alterum minus, tertium item & quartum, ſemper inferiori contractius, ac deinceps, poſitum erat, donec ad ſupremum, quod omnium erat minimum, perveniebatur: in cujus ſummo currus erat inauratus, quô, dum viveret Imperator, vehi ſolebat. Igitur lectô in ſecundum tabernaculum promotô aromata & ſuffimenta omnis generis fructus, herbæ & ſucci odorati, acervatim effundebantur, quò factô Imperator ſuperſtes cœterique mortui Imperatoris propinqui ejus ſtatuæ oſcula figebant; mox Princeps tribunal conſcendit, Senatores verò, exceptis Magiſtratibus, in tabula parva aſſidebant,

ſidebant, ut tutò ſimul & commodè, quæ gerebantur, ſpectare poſſent: Magiſtratu & cæteris, pro cujuſque dignitate, ex ordine collocatis. Tum circa ædificium certâ quâdam lege ac recurſu omnes Equeſtris ordinis viri: pedites quoque circa rogum curſibus urbanis & confictis decurrebant. Currus item circumagebantur inſeſſi purpuratis rectoribus, qui perſonas ferebant Ducum Romanorum Principumque illuſtrium. Poſt quæ face ſumtâ Imperator eam tabernaculo admovit, mox Conſules primò, dein cæteri omnes Magiſtratus, & alii ordine undique ignem ſubjecerunt, ſic brevi cuncta valido igne correpta. Mox à ſupremo tabernaculo, tanquàm è faſtigio quodam, ſimul cum ſubjecto igni aquilam dimittere moris erat, quæ in cœlum animam Principis deferre credebatur: unde in nummis quibuſdam aquilæ, qui Imperatores, & pavones, qui Auguſtas, in cœlum ſubvehunt, expreſſi videntur. Ex illo, unà cum cæteris Numinibus Imperator defunctus coli cœpit, ſubſtructis templis fanisque; additis ex Senatus-Conſulto Flamine & Sodalibus, qui ab eo nomen acciperent, & nomine mutatô, *Divus* inſuper Deuſque dictus eſt. Ejuſdem imagines, non minùs ac Deorum ſtatuæ, radiis, aſtris, fulminibus inſignes, collocabantur etiam inter Deos Penates, ut infra videbimus, ubi de *Imaginibus*. Porrò per nomen ejus jurabatur, tantâ quidem religione, *ut tutius eſſet per Jovis Genium pejerare, quam Regis*, Minucius Fel. *Octavio*, ubi Ouzelium cæteroſque vide. Nec conſecrandi Auguſtas, quarum primæ Liviæ hic honor obtigit, longè diverſa fuit ratio. Per nuas & juratum eſſe, diſcimus ex Dione, qui Druſillæ id honoris tributum à Cajo eſſe, ut mulieres per illam jurarent, tradit *l.* 59. Liviæ item, à Claudio, *l. ſeq.* de quibus paulo infrà plura. Non autem ſolùm apud Romanos, verùm & alias gentes, hæc bene meritos viros divinis poſt obitum honoribus afficiendi conſuetudo viguit. Sic enim omnes Dii Veterum conſecrati ſunt, nec publicè illud modò, ſed & privatim unicuique id permiſſum fuit. Et quidem de Hercule, Libero Patre, Caſtore ac Polluce aliiſque Diis Conſentibus, res notiſſima eſt. De Alexandro M. à Demade inter Deos relato, legimus apud Ælianum *Var. hiſt. l.* 5. *c.* 12. mulctatô centum talentis adulatore, & matre Olympiade ridente: manſit nihilominus is decimus tertius inter Deos Conſentes, Pierius *Hieroglyph. l.* 43. Eòdem modô apud Latinos priſcos Æneam Diis aſcriptum, & *Jovem Indigetem*: Romulum verò eòdem honore mactum, *Quirinum* appellatum eſſe, referunt Liv. Dec. 1. *l.* 1. & Silius Italicus *l.* 13. *v.* 83.

Ledæos referam fratres veſtrumque Quirinum.

Sed hæc aliorum ſuperſtitio fuit, quæ verò ambitionis inſania, quòd ipſe Auguſtus *ſe templis & effigie Numinum per Flamines & Sacerdotes coli voluit*, apud Tacit. *Annal. l.* 1. Quò forſan alluſit Virgilius *Eclogâ I. v.* 7.

Namque erit ille mihi ſemper Deus:

quaſi diceret, *& dum vivit, & dum vitâ functus erit.* Nec ſolùm ipſe voluit juſſitque, verùm & modum locumque præſcripſit, quod Suetonius innuit *in eo c.* 52. Imitati eum in hoc inſaniæ exceſſu Caligula, Domitianus &c. factumque inde, ut Cæſares pro Diis vivos etiam Romani colerent, *Deoſque* appellarent: quod nomen etiam ſub Chriſtianis Principibus aliquandiu manſit, licèt cultum immortali unique Deo concedendum cenſerent. Hinc Latinus Pacat. *panegyrico Theodoſ. Deum dedit*, inquit, *Hiſpania quem videmus*: Et de Honorio Claudian. *præf. de* 3. *ejus Conſulatu v.* 15.

Me quoque Pieriis tentatum ſæpius antris
Audet magna ſuo mittere Roma Deo.

Reſcriptaque prouis eorum *Oracula* quoque dicta ſunt, &c. Vide Herodian. *Hiſt. Rom. l.* 4. Blondum Flavium *Romæ triumph. l.* 2. Bernardinum Reatin. *Annotat. in varia Scriptorum loca c.* 16. Franc. Robortellum *Emendat. l.* 2. *c.* 38. Joh. Roſinum *Antiq. Rom l.* 3. *c.* 18. & Th. Dempſteri *Paralipomena ad illud &c.* Tabernaculi, de quo ſupra, formam exhibent numiſmata Sabinæ Aug. Antonini Pii, Fauſtinæ Aug. & matris & filiæ, M. Aur. Antonini, L. Aur. Veri, P. Helvii Pertinacis, L. Septimii Severi, & Juliæ Piæ Aug. De Coronis radiatis, quibus ſtatuæ conſecratorum circumfulſere, vide Sueton. *in Aug. c.* 94. & *Caligula c.* 45. Plin. *in Panegyr. Trajani c.* 52. Thom. Dempſter. *Antiqq. Rom. l. I. Paralipom. ad c.* 13. *ad regionem quartam, de Coloſſo Solis & corona radiata*: ut & infrà in voce *Corona*. Quædam ſaltem ex *Voſſio* hîc ſubnectam, ſecundùm quem: Apud Romanos, ſub Regibus, homo nullus cœleſti donatus honore eſt, præter unum Imperii conditorem Romulum, atque, ut videtur, longè tamen inferiore gradu, nutricem ejus Accam Laurentiam. Florente Republ. ſi quis honoris id adeptus eſt, unica fuit Anna Bovillana; nec tamen è ſententia Senatus, nec ſi ſacra ſpectes, ea veteri illius anni fuere, ut ſuprà dictum; Interea Heroes ſuos magnis ſunt dignati honoribus, ſtatuis videl. pompâ Circenſi, relatione in hymnos Saliares, qui honos etiam contigit Mamurio Veturio & Luciæ Volumniæ, teſte Varrone *de LL. l.* 5. *&* 8. Exutô verò libertate Populô, primus Cæſarum conſecratus eſt Julius, idque ab Auguſto, Sueton. *in Julio c.* 88. quem proin in Juliani *Cæſaribus* Silenus vocat Κοροπλάϑον, *Puparum effectorem*, eò quòd ut homulli faciunt pupas, ſic ipſe fecerit Deos. Auguſto dein, *templum & cæleſtes honores decreti*, Tacit. *Annal. l.* 1. Numerioque Attico, qui eum in cœlum euntem ſe vidiſſe teſtatus eſt (uti Jul. Proculus de Romulo narravit) à Livia datum eſt decies ſeſtertium, Dio *l.* 56. Poſt eum conſecrati alii, de quibus vide Plin. *in Panegyr.* Nec ſoli Cæſares Diis illati ſunt, ſed etiam Auguſtæ: Livia, apud Sueton. *in Claudio c.* 11. & Dionem *l.* 60. & Fauſtina, apud Capitolin. *in Antonin. c.* 26. Imo & comperimus, honorem aliis habitum, è domo tamen Auguſta: Druſillæ ſorori à Caligula, quam cùm Livius Geminus, vir Senatorii ordinis, ſimiliter in cœlum aſcendentem ſpectâſſe ſe juràſſet, etiam decies ſeſtertium meruit, teſte Dione *l.* 59. Mæſæ item, ſorori Juliæ II Severo Cæſ. nuptæ, Aviæ duorum Imperator. Heliogabali & Severi Alexandri. Sed & mares è domo Auguſtea, relati in Divos: Geta, Severi fil. ut nil dicam de Hadriani Imperatoris ſordidis & inſipidis deliciis Antinoo Bithyno &c. Vide Voſſ. *de orig. & prog. Idol. l.* 1. *c.* 12. ut & ſuprà in voce *Anima*, ac infrà, ubi de *Conſecratione*.

APOTHEOSIS, titulus libri, quô Prudentius Poëta Chriſtianus, defenſionem Divinitatis contra Infideles, complexus eſt. Maces in *Hierolexico*.

APOTOMIÆ, Marmaricæ nomi gens. *Ptol.*

APOTROPÆI, Dii ἀλεξίκακοι, h. e. *averrunci*, ſive *malorum depulſores*, quibus agnicula immolabatur. Ammian. Marcellin. *l.* 25.

APOXYOMENOS, inter ſigna Lyſippi, de quo ſic Plin. *l.* 34. *c.* 8. *Plurima ex omnibus ſigna fecit jocundiſſima artis; inter quæ diſtringentem ſe, quem Marcus Agrippa ante thermas ſuas dicavit, mirè gratum Tiberio Principi: qui non quivit temperare ſibi in eo, quanquam imperioſus ſui inter initia principatus, tranſtulitque in cubiculum, aliô ibi ſignô ſubſtitutô: cùm quidem tanta contumacia Populi Romani fuit, ut magnis Theatri clamoribus reponi Apoxyomenon* (quæ Græca vox Latinè *diſtringentem ſe* denotat) *flagitaverit, Princepſque, quanquam adamatum, repoſuerit.*

APPA, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

APPADANA, Perſiæ urbs. *Ptol.*

APPAMIÆ, vulgò *Pamiers*, Urbs Galliæ. Vide *Pamea*.

APPANAGIUM, vide ſuprà *Apanare*.

APPARENS, ſeu *Præſens*, Græcè Ἐπιφανὴς, Deorum epitheton nummis, alibique frequens, vide infrà *Epiphanes*, & *ia*.

APPARES vel APARES, inferioris ſeculi Scriptoribus dicuntur Epiſtolæ generales, quæ unô exemplô, paucis immutatis, ad diverſos mittuntur. Anaſtaſius in *Hadriano*, *Apparem iſtius donationis per eundemÆtherium adſcribi faciens.* Ubi pro *exemplo*, ſeu uti dicimus, *copia*, vox ſumitur: uti poſt *Novellam* Theodoſii & Valentiniani de Amota militantibus fori præſcriptione ad Ariovindum Magiſtrum Militum: *Eòdem exemplô Aſpari viro illuſtri Comiti Exmagiſtro Militum & Exconſuli bis ordinario.* Atque hæ quidem epiſtolæ *uniformes* dicuntur, apud Nicolaum I. Pontiſ. *Ep.* 8. *in fin. Epiſtolæ* autem ibidem 16. titulus hic eſt: *Nicolaus — ſingulis quibuſdam Senatoribus Conſtantinopol. aparibus.* Ubi vox *aparibus*, non ad vocem *Senatoribus* refertur, ut quidam contendunt (qui voce hâc *inferiores* denotari volunt) ſed per receptam eâ ætate formulam additur, ut innuatur, unô exemplô dictatas & miſſas epiſtolas ad diverſos, quæ pluries occurrit apud Gregorium M. interdum unô p. interdum geminô: inprimis *l.* 1. *Ep.* 4. quæ ad diverſos inſcribitur, ubi iſta habentur; *Incipit quidem* aparibus, *ſed circa finem ſingulis Epiſtolis, juxta locorum & perſonarum competentiam, diſcrepantibus. Data Romæ &c.* Similiter apud Radulfum de Diceto, Epiſtola, quam Richardus Anglorum Rex Nobilibus, quibus Regni curam commiſerat, dum ſacram obiret peregrinationem, hanc inſcriptionem præfert: *Richardus Rex Angl. Willhelmo Cancellario, G. Filio-Petri, W. Mareſcallo, & H. Bard & W. Brewer, aparibus*, &c. Origo vocis Salmaſio *de Jure Attico & Rom* eſt à diſtinctis vocabulis *a* & *paribus*, ut ſit ἀπὸ τοῦ ἴσου, ἀπὸ τοῦ ἰσοτύπου, ἰσοτύπως, epiſtola ſcil. eòdem, quô alia, exemplô ſcripta. Carolo verò du Freſne, à voce eiterioris ævi *Appar & Apar* i. e. ſimilis. Ita enim *Papias*, *Suppar*, *Compar*, Appar, *compoſita*, & Liber *Differentiar.* MS. *Inter Appares & Pares: Appares, quod videtur; (Sic) Pares, qui obſequuntur.* Cur verò *Aparibus* vulgò ſcriberetur in ablativo; exiſtimat idem indicari Epiſtolas *pari* tenore vel certè *aparibus* ſeu ſimilibus deſcriptas, ſingulisque (quibus aliàs generatim inſcribuntur) licet eòdem contextu, inſcriptas & miſſas, &c. Vide omnino Auctorem hunc in *Gloſſar*

APPARITORES Milites, & Tribunis, & Ducibus apud Romanos, dabantur, quod poſtea ſuſtulit Severus: qui tamen quatuor milites ante Tribunum ambulare voluit, ante Ducem ſex, ante Legatum decem. Lamprid. in *Vita ejus*, *c.* 52. *Apparitores denique nullos eſſe paſſus eſt: Tribunis aut Ducibus niſi milites, anteire voluit, juſſitque ut ante Tribunum quatuor &c. hique ad domos ſuas reciperentur.* h. e. apparitionis officiô peractô, ad domos ſuas reciperentur, nec hærerent in miniſterio Ducum aut Tribunorum, niſi ſolùm ad apparendi officium. Unde & legi poſſet, *hique ad domos ſuas ſe reciperent.* Vide Salmaſ. *ad Probum*, ubi de Veaillatio ei à Valeriano Imperatore deputato, & *ad Lamprid. loc. cit.* Pers *Apparitoribus*, non ſemel in Cod. Theodoſ. *Apparitiones* habes, alibique. De *Apparitoribus Curiarum* vide & infrà, *Libertus*, *Lictor*.

APPELDON Hermannus, vide *Hermannus*.

APPELLARE è ſponſo, apud Plin. *l.* 16. *c.* 33. ubi de cupreſſo, *Huic patria Inſula Creta, quanquam Cato Tarentinam eam appellet, credo quod primum eò venerit — ſed in Tarento quocunque in loco terram moveris quiſpiam, ſi naturalis hæc gignitur protinuſque emigrat: in illa verò etiam non* appellato *ſolo* è ſponſo, *maximèque in Idæis montibus &c.* Gallicè dicitur *Appeller à garan.* Naturalis terra *è ſponſo appellanda* eſt, niſi reddis bonâ fide ſemina, quæ ſibi convenientia acceperit: hoc enim quaſi ſpondere videtur ſoli natura, ut ea optimè ferat, quibus ferendis naturaliter idonea eſt. At cupreſſus ubique in Creta feliciſſimè provenit, etiam in non ſua terra, qualis è ſponſu appellari non poteſt; nec enim id promittit ſeſe ſe reddere, cui gignendo minùs apta eſt. *E ſponſu* nempe *appellatur*, qui pro alio ſpopondit &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 173.

APPELLATORES, Anglis Scriptoribus, fures, dicuntur; & in genere, ii, qui crimen aliquod ſeu feloniam commiſêre eamque ultrò confeſſi, criminis ſocios *appellant* vel *approbant*, i. e. deferunt: Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide etiam infrà in voce *Approbator.* Deducitur vox ab *Appello*, vulgò *Appeale*, quod in jus vocationem ſeu accuſationem denotat, & in criminalibus actionibus, propriè Anglis uſurpatur. Aliud eſt Practicis Aragonenſibus *Appellitum* vel *Appellitus*, ſubmonitio nempe, ſeu evocatio populorum ad maleficia vindicanda. Vide infra *Concurſus*, item *Junſta*.

APPENNAGIUM, vide ſuprà *Appanagium*.

APPENCENSIUM Urbs, *Gap.* Vide *Vapincum.*

APPENZELLA, ſeu ABBATISCELLA, Helvetiæ Pagus, ſed qui omnibus modis oppidum repræſentat, quaſi *Abbatum ſella.* Habuerunt enim hîc Benedictinæ ſocietatis Abbates arcem *Claux*, Latinè *Clavium* nominatam, tutiſſimum quovis tempore refugium, quorum authoritas paulatim adaucta, non huic tantùm pago, ſed univerſo territorio appellationem dedit, quod Marti & Bellonæ conſecratos homines producit, unde ſæpe pauci, nonnunquam unicus, integras hoſtium fudêre turmas, quam ob cauſam ad Helveticum fœdus A. C. 1513. admiſſi, decimum tertium in ordine locum obtinuerunt, vulgò *Appenzel.* Sedet pagus ad fluv. Sintraſſ. X. Mill. paſſ. à Cella Monaſterio. Regio verò ſupra S. Galli oppidum ſita eſt, inter altiſſimos montes, juxta Rhætorum fines. Vicatim habitatur, & octo inſignes habet vicos, præter Appenzellam Pagi caput, Alſtetten, Trogam, Hundivillam, Heriſoviam, &c. qui cum olim diverſis nobilibus, Comitibus, dominiſque paruiſſent, dein in Abbatis dominium conceſſiſſent, tandem in unam Rempubl. coiêrunt, quam Rupertus Imperator approbavit. Aſſeruerunt autem ſe incolæ poſt fruſtra ſæpe imploratam juſtitiam, in libertatem, partim armatâ manu, partim, magnâ pecuniæ ſummâ Abbati perſolutâ: poſtquam ſæpiùs victores ad pacem illum adegiſſent, A. C. 1408 conciliante Ruperto, Conſtantiæ compoſitam. Hôc bellò primùm fœdere juncti Helvetiis fuerunt, Suitiis nempe & Glaronenſibus; ſeu, ut alii, Lucernatibus, Uriis, Suitiis & Underwaldiis. Triennio pòſt, cùm Abbas S. Galli novam litem illis intendiſſet, ſocietatem junxêre, cum Tiguro, Lucerna, Suitia, Underwaldia, Tugio & Glarona: unde, ſaciente Abbate, ab Imperatore proſcripti & à Pontifice excommunicati ſunt. Ab illo montibus, ab hoc contrariò decretò factò ruti, cujus ſumma: *Si wellend uit im ding zyn.* Itaque cum Legato, Sacerdotes, Pontificii edicti tenaces, partim è regione ejecerunt, partim cæciderunt. Quare Abbas, nil ſe proficere cernens, apud Imperii Septemviros illos accuſavit, qui Helvetiis, & civitatibus Germaniæ ſuperioris in mandatis dederunt, hos ut ad officium revocarent. Verum his paci magis conciliandæ intentis, poſtquam à Comite Toggenburgio Abbatiscellani bis prælio victi eſſent, pax concluſa eſt, annò pòſt quartò. Quam cùm vicini nobiles non ſervâſſent, Abbatiscellani re ſtrenuè geſtâ ac 6000. aureorum datis, Rineggum & Reguſcorum vallem occupatam, obtinuerunt, & à proſcriptione ſunt exemti, A. C. 1445. A. dein C. 1452. ſeſe cum ſeptem Pagis perpetuis fœdere junxerunt, Auſtriis, Burgundicis Suevicisque bellis forti & fideli operâ præſtitâ. Tandem ut dictum, A. C. 1513. in numerum Pagorum adſcripti ſunt. Ager dividitur hodie in ordines ſeu Partes 12. quas *Roden* vocant: Harum 6. conjunctæ pago Abbatis cellæ, dicuntur Interiores, atque olim Abbati S. Galli paruerunt; Communioni Romanæ addictæ: Reliquæ 6. Exteriores, quondam partim liberæ, partim Nobilibus ſubjectæ, hodie Reformatam religionem ſequuntur. &c. Vide *Helvetiorum Rempublic.* diverſorum Auctorum, Lugd. Batav. A. C. 1627. Guillimannus regionem hanc ſic deſcribit:

Ventum erat Urnacum, fluvii de nomine vicum.
Hinc ſeſe in vallem demittere molliter Alpes
Excelſa incipiunt: incluſam more theatri
Vertice ſic modicò colles hinc inde coronant,
Frondibus umbriferis, & veſcô gramine læti.
In medio vallis montes æquare propinquos
Culmine connitens Abbatis cella laborat,
Sintras quam trepidò ſecat agmine. Nec procul inde
Viſuntur priſcæ labentia mœnia Clavis,
Perfugium quondam Abbatum & munimen avitum.

Henricus Glareanus, *Helv. deſcr.* de indole gentes:

Tarda venis, ſed grata meo Cellana proventus
Concentu, fidibus iſtis, plebs aſpera cultu,
Contemtrixque auræ, moleſque objecta perachis
Suavorum, cui quanquam alti ſint ardua montes
Pergama, ſtat fortis pro duro dextera muro.
Eſt tibi ſimplicitas prudens, moderata poteſtas,
Et quò nil majus, juſtò moderamine ferrum.
Te quoque quis cultu Dei, pietateve major?

APPHA, Parthiæ oppid. *Ptol.*

APPHADANA, Meſopotamiæ urbs. *Ptol.*

APPHAIM, Lanuè *vultus*, *facies*, aut *furores*, ſive *nares*, vel *piſtores*, fil. Nadab, filii Semei, filii Onam. 1. Paral. *c.* 2. v. 30

APPHANNA, inſul. ſinus Perſici. *Ptol.* Fortè *Querion* hodie. Furſan inſul. *Guezmu* in littore Arabiæ, 40. leuc. à Balſera urbe in meridiem. Dicitur etiam *Aphana. Baudrand.*

APPHAR, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. *Ptol.*

APPHUS, fil. Mattathiæ, filii Joannis. 1 Machab. *c.* 2. v. 5.

APPIA, nomen fœminæ apud Beat. Paulum epiſt. ad Philemonem. v. 2.

APPIA Via, ab urbe Roma per Capuam Brunduſium uſque perducebatur. 330. ſeu 350. mill. paſſ. longa, ab Appio Claudio Conſule conſtructa, qui eam à porta Capena uſque ad urbem Capuam muniendam curavit, ut ſcribit Frontinus, *de Aquaeductib.* Perduxit poſteà uſque Brunduſium ſive Cajus Gracchus Tribunus, qui pleraſque vias fecit ac refecit: ſive C. Cæſar, qui curator viæ Appiæ non leviter in eam impendit: ſive Auguſtus, de quo inſcriptiones priſcæ, S. P. Q. R. QUOD. VIÆ. MUNITÆ. SUNT. Lucanus *l.* 3. v. 85.

Et qui Pontinas via dividit uda paludes.

Statius *l.* 2. *Silv.* 2. v. 12.

Appia longarum teritur regina viarum.

Martial. *l.* 9. *Epigr.* 104. v. 1.

Appia, quam ſimili venerandus in Hercule Cæſar
Conſecrat, Auſonia maxima fama viæ.

Nic. Lloydius.

APPIADES, Deæ Venus & Pallas ſic dictæ ſunt, quibus ad *Appias* aquas templum erectum erat, prope Cæſaris forum. Ovid. *l.* 3. *de Art. Am.* v. 451.

Hæ Venus è templis multò radiantibus auro
Læta videt lites, Appiadeſque Deæ.

Vide Cæl. Rhodig. *l.* 12. *c.* 1.

APPIANI, populi. Plin. *l.* 5. *c.* 29.

APPIANUS, Alexandrinus, Hiſtoricus Græcus, Trajani, Adriani, & Antonini temporibus vixit. Romæ primùm fuit cauſarum patronus, poſtea adlectus fuit Cæſaris procuratoribus. Hiſtoriam Romanam ſcripſit, *libris* 24. Ac orſus ab Ænea, & capto Ilio, percurrit illa tempora uſque ad Romulum. Inde accuratiùs perſequitur omnia uſque ad Auguſtum, quædam etiam carptim atque obiter ad ſe uſque ad Trajanum. Vide *Suidam*, *Photium.* Voſſium *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 13. La Mothe le Vayer, *Judic. de Hiſtor. &c.*

APPIANUS Petrus, ſeu *Benewitz*, Germanus emiſit Coſmographiam, A. C. 1524. quam reſtituit A. C. 1540. Rainerus Gemma, Friſius. Vide & *Apianus.*

APPIARA, Myſiæ inferioris oppid. *Antonin.*

APPIDANUS, vide *Apidanus.*

APPII Forum, *Hieronym.* putat ab *Appio* quodam Conſule appellatum, à quo *Via Appia* dicta. Oppidum fuit longius à Roma, quàm Aricia diſtans, quod Horat. oſtendit *Sermon.* 1. *Sat.* 5. v. 1.

Egreſſum magnâ me accepit Aricia Româ
Hoſpitiô modicô, Rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longè doctiſſimus; inde Forum Appi
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.

Ad hunc locum B. Paulus venit, cùm Romam duceretur, S. Lucas in hiſtoria Actor. Apoſt. *c.* 28. v. 15. Κἀκεῖθεν οἱ ἀδελφοὶ ἀκούσαντες τὰ περὶ ἡμῶν, ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν ἡμῖν ἄχρις Ἀππίου φόρου, καὶ Τριῶν ταβερνῶν. Cicer. ad Attic. *l.* 2. *Ep.* 10. & 12. *Ab Appii Foro horâ quartâ, dederam aliam paulò, antè à Tribus Tabernis. Nic. Lloydius.*

APPII Prænomen ex Sabinis ortum, fortè ex Sabino Actio, alii ab Apibus vel ab Appulis dictum exiſtimant. *Appii* autem prænomen proprium reipubl. temporibus Claudiis patriciis tantùm fuit. Etenim non omnia omnibus familiis prænomina communia fuerunt, ſed alia aliis peculiaria. Poſt Auguſti tempora quidam ex gente Junia hoc prænomine uſus invenitur; qui *Ap. Junius. C. F. Silanus* dicitus. Hac etiam religioſâ prænominum obſervatione paulatim labante, in Familiæ nomen, ſub Domitiano, tranſiit. A Prænominibus autem unam ſaltem gentem, aliquando verò duas vel tres manâſſe *l.* 1. *Saturn.* docet Macrob. *c.* 6. Quod etiam in prænomine *Appii*, à quo *Appicii* fluxêre, accidit. Cognomen etiam *Appiani* ab *Appio* prænomine deducitur.

APPION, vide *Apion.*

APPIORUM gentem, Romæ cognominatam eſſe legimus ab *apii* corona, quam L. Appius in Achaja meruit. *Nic. Lloydius.*

APPIUS, proſcriptus à Triumviris, opes ſuas ſervis diviſit, & cùm navem cum illis conſcendiſſet, in Siciliam tranſiturus, mari tempeſtate obortâ, in ſcapham, quaſi in tutiorem ſpem depoſitus eſt, ubi ſalvus evaſit; illi autem perfractâ nave ad unum omnes cum opibus, propter quas Dominum prodiderant, perierunt. Appianus *l.* 4.

APPIUS, quidam Cenſor Romanus, an. 442. Uſh. Cond. de quo Horat. *Serm. l.* 1. *Sat.* 6. v. 20.

—— —— Cenſorque moveret
Appius, ingenuo ſi non eſſem patre natus.

Cicer. *epiſt.* 11. *ad App. l.* 3. *Vale, & in cenſura, ſi jam es cenſor (ut ſpero) multùm de proavo tuo cogita.*

APPIUS Annius Trebonius Gallus Conſul. M. Atilii collega.

APPIUS Appianus, prodigus & ob flagitia egens, quem ea de cauſâ Tiberius Senatu ſponte cedere paſſus eſt. Tacit. *Annal. l.* 2. *c.* 48.

APPIUS Caudex, fil. Appii Claudii Cæci, de quo vide infrà, Hieronem Siciliæ Regem fudit.

APPIUS Claudius Decemvir, cum ſociis magiſtratum vi obtinuit; tentatâ Virginiæ pudicitiâ, quam pater propriâ manu in concione interfecit, mutati ſtatus Reipubl. auctor, exiliô demum damnatus eſt.

APPIUS Claudius, invenit Romanis literam R. ut pro *Valeſiis*, & *Fuſiis*, *Valerii* & *Furii* dicerentur.

APPIUS Claudius Cæcus, orator Romanus, de quo Tullius *in Bruto*, & *Tuſcul. l.* 4. à quo *Via Appia* ſecundùm quoſdam. Hic cœcus evaſit, cùm munus Herculi ſacrificandi, quod hactenus Poticiorum erat, ad ſervos tranſlatum iviſſet. Aquæductibus Romam ornavit. In veteri Romana hiſtoria nobilis, diſturbatâ maximè cum Pyrrho pace. Ovid. *Faſt. l.* 6. v. 203.

Appius eſt auctor: Pyrrho qui pace negatâ
Multum animo vidit, lumen captus erat.

APPIUS Claudius Craſſus Conſul Spurii Nautii Rutilii collega, à Perſeo victus. Liv. *l.* 2. *Decad.* 5. Celtiberos vicit, caſtriſque exuit. *Idem.*

APPIUS Claudius Dictator, Herniſcos vicit.

APPIUS Claudius Lentulus. Conſul. M. Perpennæ collega.

APPIUS Claudius Pulcher, Cæci nepos, Conſul, Pub. Servilii collega, cujus ætate Sylla, depoſitô magiſtratu, vitam vixit privatam, commentarioſque ſcripſit, quos Lucullo dedicavit. Plut. *in Lucullo.*

APPIUS

APPIUS Claudius Pulcher, Conſul, Lucii Domitii Ænobarbi collega.

APPIUS Claudius Pulcher, Conſul, M. Sempronii Tuditani collega.

APPIUS Claudius Pulcher, Conſul, Q. Fulvii Flacci collega. Sub his Tarentum ab Annibale captum eſt. Pœni autem à Conſulibus victi cæſique ſunt.

APPIUS Claudius Pulcher, Conſul, C. Norbani Flacci collega; de Afris, & Rege Hierone triumphavit, Polyb. *l.* 1.

APPIUS Claudius Ruffus, Conſul, P. Sempronii Sophi collega.

APPIUS Claudius Sabinus, Conſul, C. Quinti Capitolini collega.

APPIUS Clauſus, Sabinorum Dux, à civibus ſuis malè tractatus, cum quinque millibus familiarum, Romam ſe recepit, in Senatoriium ordinem mox adlectus. Plut. *in Publicola*.

APPIUS Herdonius, Capitolium occupavit, cum quatuor mille partim exulibus, partim ſervis, inde paulo poſt deturbatus. Vide *Dionyſ.* Liv. *l.* 3. *c.* 15. Florum *l.* 3. *c.* 19. &c.

APPIUS Junius Sabinus, Conſul fuit annô Urb. Cond. 837. collega Domitiani: ad quem Conſulatum refert vir doctus Juvenalis *Satyras*, ſed perperam; omnes enim illas, extinctô jam Domitianô, ſcriptas fuiſſe, ipſæ de ſe clarè clamant &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 448.

APPIUS Junius Syllanus, Conſul, P. Silii Nervæ collega.

APPIUS Silanus, majeſtâtis poſtulatus ſub Tiberio. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 9.

APPLARE, vide ſuprà *Apalar*.

APPLEDORA, oppidul. Angliæ, in Cantii provinc. ad Rotherum fluvium.

APPLICARE, apud Scriptores citimæ ætatis, idem quod *divertere*, hoſpitari, appellere, propriè *in campo*, *in agro*, *ſub tentoriis degere*, quod ſolenne fuit Wiſigothis & Burgundionibus, atque adeò Francis veterib. cùm iter agerent, uti obſervavit Car. du Freſne *Notis ad Alexiadem*, ex *L.* Wiſigothor. *l.* 8. *tit.* 12. §. 3. & *tit.* 4. §. 25. & ex *L.* Burgundica *tit.* 38 §. 7. *Edicta* item Rotharis Regis Longobard. *tit.* 108. &c. Quod etiam firmat Gregorius Turonenſ. de *Vita* Patrum *c.* 12. *Cum propinqui ad Urbem, cadente Sole, fratres tentoria manſionem pararent* &c. Et Auctor *libri de miraculis* S. Dionyſii *c.* 10. *Bertrannus quidam Comes iter faciens, tempore æſtivo, divertit temere in pratum fontis contiguum, ibique figi juſſit tentoria*, &c. Hinc ἄπληκτον recentioribus Græcis pro caſtris, ſeu loco, ad quem exercitus applicat & ubi tentoria figit. Car. du Freſne *Gloſſar.* Aliter vox apud Ciceronem *de Oratore l.* 1. uſurpatur, *Quid quod item in Centum virali judicio certatum eſſe accepimus: qui Romam in exilium veniſſet, cui Romæ exulare jus eſſet, ſi ſe ad aliquem quaſi patronum* applicuiſſet, *inteſtatoque eſſet mortuus, nonne in ea cauſa jus* applicationis, *obſcurum ſanè & ignotum, patefactum in judicio atque illuſtratum eſt a Patrono?* Ubi *jus applicationis Hotomanno* fuiſſe videtur, ut qui peregrinus ſeſe in civis alicujus Romani quaſi Patroni fidem & clientelam dediſſet, hæreditatem patrono, ſi inteſtatò mortuus eſſet, relinqueret. Id ab Atheniensibus ortum eſſe tradit Hadr. Turnebus *Adverſar. l.* 24. *c.* 32. apud quos ſe peregrini opulento alicui civi in clientelam dabant dicabantque, quod νόμον προστάτου appellatum: quod qui non feciſſet, in judicium vocabatur quod dictum eſt ἀποστασίου δίκη. Inde mos ad Romanos tranſlatus, de quo multa apud Joh. Calvinum in *Lexica Jur.* Vide quoque infrà in voce *Cliens*, *Commendati*.

APPLUMBARII Papæ, dicuntur Gloſſatori *Gratiani*, qui Pontificum Romanor. bullis plumbum aptant, apud Spelmannum *Gloſſar.* Macer *Applumbarios* vocat, in *Hierolex*.

de APPOLDIA Theodoricus, vide *Theodoricus*.

APPOSITUS, in Concilio Moguntino A. C. 1071. eſt Epiſcopus intruſus ſeu contra Canones electus. Car. du Freſne *Gloſſar*.

APPRENTICII, ex Gallic. *Apprentis*, Tyrones, diſcipuli, qui artificii alicujus ediſcendi gratiâ ex pacto ad tempus conſtitutum ſerviunt. De quibus ita Cowellus *Inſtitut. l.* 1 *tit.* 3. §. 10. *Eſt apud Anglos certa perſonarum conditio, ſervorum inſtar, libera tamen & ingenua, eorum nimirum, quos* Apprenticios *dicimus, qui ad artem aliquam mechanicam, ſive aliam mercenariam perdiſcendam, heris ſuis conventione parentum vel gubernatorum adſtringuntur. Hi enim in herorum poteſtate ſunt —— & illis acquirunt, niſi aliter conventum fuerit. His domini ſpondent haud pauca* &c. Eorum meminit Thom. Walſinghamus in *Richardo II. p.* 301. *De Londoniis multi* apprentitii, *plures ſervi, ſumptis albis capuciis, invitis Magiſtris & dominis ſunt profecti*: ut alios omittam. Hinc *Apprentitii* Juris, qui ediſcendarum *LL.* civilium aut Regni cauſâ, Scholas publicas frequentabant, apud *Eund.* *Apprenticios ad Legem* etiam dictos, auctor eſt *Spelmannus*, qui alios *Apprenticios ad Barras* recenſet, quibus ſcil. poſt exacta in Scholis Juris ſtudia, cancellos Fori (quos *Barras* vocant) ſalutare atque illic cauſas agere permitteretur. De quibus apud Car. du Freſne, *in Gloſſar*. Andreas Horn *in Speculo Juſtitiariorum*,

Hanc Legum ſummam, ſi quis vult noſcere tutò,
Perlegat & ſapiens ſi velit orator haberi.
Hoc Apprentitius ad Barras Ebore munus,
Gratum Juridicis utile mittit opus.
Horn mihi cognomen, Andreas eſt mihi nomen &c.

APPROPRIATIO, in Foro Eccleſiaſt. propriè uſurpatur in Eccleſia Romana de Eccleſiis aut beneficiis Eccleſiaſtic. quæ Eccleſiis principalibus aut Monaſteriis, à quibus dependent, uniuntur, earum fructibus in proprios Eccleſiæ, cui *appropriantur*, uſus redactis. De quo more ſic Alexander IV. Pontifex Roman. in *Regeſto* anni 7. *Ep.* 25. ex Biblioth. Regia apud Car. du Freſne, *Accepimus, quod Religioſorum quorundam non ſolum Angliæ, ſed & aliorum Regnorum avara cupiditas, qui, ut certiò accepimus eloquiô, appropriationem Eccleſiarum parochialium in Regno Angliæ à Sede Apoſtolica ex falſis cauſis hactenus obtinuêre ſibi concedi in eodem Regno, uſque adeò latè, patet, quid illud veneni hujuſmodi totaliter ferè in ſuis partibus jam infecit: quoniam ex hoc divinus in eis cultus perit, intermittitur hoſpitalitas, jura Epiſcopalia detrahuntur, pauperibus clauduntur oſtia pietatis, ac proficientibus Clericis, dum ſpes proviſionis adimitur, proficiendi ſtudium minoratur. Inter alia quoque ſcandala, quæ de hujuſmodi Eccleſiarum appropriationibus ſuborta propoſitis, ſignanter exprimere curaviſtis* &c. Vide quoque Auctores eidem Carolo du Freſne laudatos hanc in rem in *Gloſſar*.

APPULEJUS, tribunus plebei, qui Furio Camillo ad populum diem dixit, quòd albis equis triumphâſſet & prædam Vejentanam iniquè diviſiſſet. Prænomen huic fuit *Lucius*. Vide per unum p.

APRANADIUS, Babylonis Rex VIII. Succeſſit Belibo, Manaſſe in Juda & Aſarhaddone in Aſſyria adhuc rerum potitis. Præfuit annos 6. cum excepit Regebelus. Vide *Canonem Babylon.* apud Ptolem. & Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. XVIII.*

APRES, è Ducibus auxiliaribus Aëtæ à Colaxe occiſus. Val Flacc. *l.* 6. *v.* 638.

APRI Monumentum, Græcè Κάπρου σῆμα, locus in ea parte agri Meſſeniaci, qui *Stenyclerus* vocatus eſt, ubi Hercules olim ἐπὶ τομίων κάπρου, *ſuper extis capri*, cum Nilei liberis fœdus iniiſſe fertur. Hic annô poſt prælium ad Deras, annô ſcil. 2. Olymp. 24 Lacedæmonii Rege Anaxandro ab Ariſtomene Meſſeniorum Imperatore fuſi ſunt: quos hic cum palantes ageret, ſcutum amiſit, quô pactô Lacedæmoniis datum eſt elabendi ſpatium. Ipſe Andaniam reverſus, tæniis & carminibus à matronis gratulabundis exceptus eſt. Scutum poſtea recepit, cùm Delphos primùm veniſſet atque inde Pythiæ juſſu, in Trophonii adytum, apud Lebadæam Bœotiæ deſcendiſſet. Clypeum hunc ipſemet poſtea Lebadæam detulit ibique affixit: ejus ἐπίσημον fuit *Aquila alis expanſis ad extremos clypei margines*, Pauſan. *l.* 4. Vide quoque Marshamum *Canone Chron. Seculi* XVII. ubi *de Bello Meſſeniaco* II.

APRIANUS Conſul cum Papo, cujus meminit Jul. Capitolin. in *Gordiano* III. *c.* 29. *Quo mortuo*, Apriano, *& Papo Coſſ. ſuccepit locum Præfecti Prætorii factus eſt Philippus Arabs*. Sed Salmaſ. *Arriano* legit *& Papo*, veter. lapidum Faſtorumque fide nixus.

APRICA, dicuntur loca, quæ opportunè Solem accipiunt, quaſi *aperica*, quòd Soli ſint aperta: Nam *apericum* Veteres dixêre. Nec tamen omnis locus Soli expoſitus, *apricus* dicitur ex Latinè loquentium uſu. Non certè, qui adeo Soli patet, ut immodicis caloribus torreatur, ſed ubi ſalubris temperies aëris. Solinus, *c.* 51. ubi de gente Attacorum, *His temperies prærogativa miram aëris clementiam ſubminiſtrat. Arcent ſanè afflatum noxium colles, qui ſalubri apricitate undique ſitum objecti prohibent auras peſtilentes.* Diſertius vocis vim aperit locus Juſtini *l.* 36. *c.* 3. ubi de Hierichunte, *Sed non minor loci ejus* apricitatis, *quam ubertatis, admiratio eſt: quippe cùm totô orbe regionis ejus ardentiſſimus Sol ſit, ibi tepidi aëris naturalis quædam ac perpetua* apricitas *ineſt*. Ubi *apricitatem* vocat locum tepidum ac temperatum nec nimiô Sole æſtuantem: præcipuè verò temperatus hic eſt, cùm commodiùs oritur, qui proin coquendis uvis & perficiendis ſuccis maximè eſt accommodatus. Hinc *aprici colles*, qui Soli orienti ſunt obverſi: qui Sol quoniam non eſt intemperatè calidus, *apricitatem* pro temperie optimi Auctores poſuêre. Græci Veteres ejuſmodi loca εὐήλια & πρόσειλα vocârunt: eſt namque ἕλη & εἵλη *calor Solis modicus* ac tepidior. Ab ex voce *apricum* locum idiotiſmô ſuô Galli vocant, qui à vento, pluvia, cæteriſque aëris injuriis ſecluſus eſt &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 990.

APRIES, vel APRIUS, Pſammis Ægypti Regis fil. *Africano*, *Euſebio & Syncello*, *Vaphres*, in Sacris *Pharao Hophra*, Jerem. *c.* 44 *v. ult.* undecim circiter annorum intervallô demum patrem excepit: quippe quô tempore, Rege ſublatô, populô abductô, libertate amiſsâ & commerciis interverſis, graviſſima calamitas regno incubuit, de qua vide Ezech. *c.* 29. Rerum potitus, bellum Sidoni intulit, & navali pugnâ cum Tyriis dimicavit: *poſt Pſammetichum avum ſuum Regum ante eum fortunatiſſimus*, Herodot. *l.* 2. *c.* 181. Quô verò rerum ſucceſſu elatus eò ſuperbiæ evectus eſt, *ut ne quidem ab ipſo Deo regno ſe poſſe exui* jactaverit. At exutus eſt annô regni 25. juſſu Nabuchodonoſori, ut creditur, ab Ægyptiis, qui ad Amaſim defecerant, ſtrangulatus, & in paternis monumentis ſepultus. Herodot. *l.* 2 Diodor. Sic. *l.* 1 & Euſeb. *Chron.* Ejus tempore Aſtyages Medis imperavit. Vide & *Partamis*.

APRILIS, ex ordinatione Romuli, ſecundus anni menſis, quibuſdam à Venere, quæ Græcis Ἀφροδίτη; cui tamen nullus dies feſtus, nullumque ſacrificium inſigne per hunc menſem à Romanis veteribus inſtitutum legitur: Aliis potiùs ab aperiendo, quaſi *Aperilis* dictus videtur, quòd ver omnia hôc menſe aperiat & hôc tempore cuncta floreſcant. Fuit in Veneris tutela, habuitque dies 30 ex Romuli & Jul. Cæſaris, 29. verò ex Numæ inſtituto. Græcis auſpicatiſſimus, habuit apud Hebræos ex parte ſibi reſpondentem menſem *Jiar*, cui à pulchritudine nomen. Ejus Kalendis, apud recentiores Romanos ſacra fiebant Veneri cum floribus & myrto, & mulieres ſertis myrteis redimitæ lavabantur: Eôdem die thure ſacrificium à Virginibus Fortunæ virili fiebat, & Venus Verticordia placabatur. Pridiè Nonas Megaleſia celebrabantur: Octavô Idus, dies erat conſecrationis templi Fortunæ publicæ, in colle Quirinali: Sextô Idus ludi fervebant ob victoriam Cæſaris: Quintô Idus, Ludi Cereris. 17. Kal. Maji ſeu die 15 *Aprilis* Fordicidia erant; eôdemque virgo Veſtalis Maxima cremabat vitulos, è quorum cinere in templo Veſtæ ſervato ſuffimen fiebat, quô populus Palilibus purgaretur: Sequenti die, quô apud Athenienſes Munychia, unde menſi nomen, in honorem Dianæ celebrabantur, Oct. Auguſtus apud Romanos Imperator eſt ſalutatus. Die 19 quô apud Athenienſes Διάσια feſtum, in Jovis Meilichii honorem, vigebat, erant apud Romanos Equiria, in Circo Max. & vulpes cum ſtipulis ardentibus in Circo mittebantur. Eôdem Cerealia erant: ſicut 11. Kal Maji ſeu die hujus

menſis 21. Palilia, & die 23. Vinalia, & die 25. Robigalia, & die 28. Floralia. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 4. c. 8.* Eodem menſe, apud Athenienſes, exterorum cauſæ dijudicabantur. Vide Franc. Rouſæum *Archæol. Att. l. 2. c. 10.*

APRISIONES & APPRISIONES, in *Chartis* Caroli M. Ludovici Pii & Caroli Calvi pro Hiſpanis, ſunt novalia ſeu arva primum proſciſſa ac *aperta*, quæ in ſolitudinem ab ipſis Regiis Marchionibus redacta, Hiſpanis, qui ſe de poteſtate Saracenorum ſubtraxerant, à Carolo M. excolenda fuerint data, uti quidem, præter alios, Jac. Gothofredus aſſerit, ad *L. unic. Cod. Theodoſ. de Rei vindic.* Vel agri in *portionem* ſeu ſortem dati, tanquam *adportiones*, quos ii poſtmodum ex eremis & incultis ad cultum traduxerunt, donô præfatorum Imperatt. illorum poſſeſſionem nacti, ut pluribus contendunt Steph. Baluzius *Appendic. ad Capitular. Regum Francor.* & Car. du Freſne in *Gloſſar.*

APRONIANUM SenatusConſultum *l. 28. ad SC. Tertull. l. 1. liber. municip.* Briſſonius apud Calvinum *Lexic. Jurid.*

APRONIANUS, Conſul Pauli collega. Alius ejuſdem nominis, collega Braduæ; ſub quibus Romæ incendium fuit. Vide & *Titus.*

APRONIANUS, nomine *Vipſanius*, Africæ proconſul, ſub Othone, antea Conſul cum C. Fonteio ſub Nerone. Fulvius Urſinus ea fragmentis inſcriptionum fratrum Arvalium legendum cenſet C. *Vipſanius Apronianus.*

L. APRONIUS Cæſianus Conſul, annô Urb. Cond. 792.

APRORUM Venatio, inprimis Principibus æſtimata, ut in qua venatoriæ artis palmam poſuerunt: ut de fatali Diocletiani *Apro* legimus, & multa in numiſmatis rei memoria. Imò nec ſatis ex ære nummos, marmore ſtatuas talium facinorum Principibus feciſſe, ſed ad gemmas etiam hôc argumentô nobilitandas aſſentatio laborem protulit: quo ex genere *Sapphirus* eſt Conſtantii Aug. Xiphilianam venationem exhibens, quâ ille in Cappadocia feliciter defunctus eſt; Sed de hac aliquid infrà dicemus, ubi de *Sapphiro*, ut & in voce *Xiphiana Venatio.* Ingens autem id fuit monſtrum, & toti provinciæ formidabile. Sic de Severo Imperatore ſcribit è *Dione* Xiphilinus, cùm Niſibin veniſſet, *aprum* reperiſſe maximum, qui magnô impetu cùm equitem, qui viribus ſuis confiſus eum conficere conabatur, dejeciſſet, tandem ingenti militum operâ captus cæſuſque, & ad Severum fuerit perlatus. Telorum autem ad hanc rem non unum genus, jacula, haſtæ, haſtilia, conti, enſes, cultri, venabula: quorum alia jactu mittuntur & vibrantur, alia manu inferuntur & defiguntur. Nimirum tutior ratio, primò haſtis miſſilibus præludere aut experiri, quæ vulnere debilitent feram, ſi non ſternant. Neque aliter Meleager, apud Naſonem *l. 8. Met. v. 414.*

> *At manus Oenidæ variat, miſſiſque duabus,*
> *Haſta prior terrâ, medio ſtetit altera tergo.*

Idem inſigni in gemma apparet, cujus ectypon à Nic. Fabricio Patavió ad ſe miſſum, refert Freherus: nimirum eques haſtam intentans apro irritato, jam alteram in tergo fixam habenti, non ſine literis APR. Et in denario Getæ III viri unâ parte Diana pharetrata conſpicitur, alterâ aper à cane exagitatus, haſtile tergo infixum ferens. Militum porro comitumque manus, canes, retia, huic uſui: At in ſapphiro præfata Conſtantius ſolus exprimitur, is que nec eques, ſed manus ſolum lacertorumque fiduciâ confiſus,

> *---- hoſtemque irritat ad iram*
> *Splendidaque adverſos venabula condit in armos.*

Quod etiam in Nerone, Tito, Commodo, ſubinde repræſentant nummi. Idem de Anthemio prædicat *Sidonius*, cui puero ludus fuerat,

> *Inventas agitare feras & fronde latentes*
> *Quærere, deprenſas modò claudere caſſibus artis,*
> *Nunc totò penetrare veru: tum ſæve fragore*
> *Laudari comitum, frendens cum bellua ferrum*
> *Ferret & iratas exirent arma per armos &c.*

Quô verò ſtatu corporiſque nisu, quâ arte tam metuendus hoſtis excipiendus, videre eſt apud Xenophontem *in Cynegetico*, quo avidum hujus rei lectorem remitto; Illud unum, quod inprimis memorabile, hic addens, de Electore Brandeburgico moderno, Imperii fortiſſima columna, Germaniæque gloria: quem non modò heroicâ hac venatione magnopere delectari, ſed & inuſitatô animi imperterriti auſu, in feram jam obnoxiam inſilire divaricatiſque cruribus ei inſidentem, illam ſub ſe conficere conſueviſſe, refert Car. Patinus *Relat. Hiſtor. 4.* ubi tanto Capiti meritò timens, addit verba illa Veneris ad Adonidem, apud Ovid. *l. 10. Met. v. 544. 546.*

> *---- In audaces non eſt audacia tuta,*
> *Neve feras, quibus arma dedit natura, laceſſe:*
> *Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri &c.*

Vide quoque infrà *Aprugna, Fera* 1 11. *Rete*: & locum *Xenophontis*, de iis quæ in *Aprorum* venatione neceſſaria, voce *Venabulum.*

APROS Colonia, Thraciæ oppid. *Juſtino* & Plinio. *l. 4. c. 11.* *Theodoſiopolis* etiam dicta fuit, teſte *Cedreno.* *Apri Ptolemæo*, vulgo *Apro*, inter Philippos orb. Macedoniæ 187. & Byzantium 120. mill. paſſ. longitud. 35. 40. latitud. 42 50.

APROSITOS, ſeu APROSITA, inacceſſibilis Inſul. quibuſdam *Lanzarotta*, una ex Canariis, in mari Atlantico. Aliis autem eſt *Porto Santo*, Inſul. prope Maderam, ad 25. leuc. in Cæciam, ſub Luſitanis. *Sanſoni* eſt *Iſla de San Borondon*, quæ aliis *Ombrio* dicta fuit, hodieque Hiſpan. *l'incantada e la non trovada* dicitur.

APRUGNA, in Tetrapharmaco Ælii Veri, memoratur Æl. Spartiano, in *Vita* hujus c. 5. *Nam tetrapharmacum, ſeu potius pentapharmacum, quô poſtea ſemper Adrianus eſt uſus, ipſe dicitur reperiſſe, hoc eſt ſumen, faſianum, pavonem, pernam cruſtulatam & aprugnam.* Ubi pernam abeſſe debere, judicat *Salmaſ.* Item in *Vita* Getæ, c. 5. *Habebat etiam iſtam conſuetudinem, ut prandia per ſingulas literas juberet, ſcientibus ſervis, velut in quo erat anſer,* aprugna (alii legunt *aprunum*). Apud Æl. Lamprid. in *Heliogabalo*, c. 21. *aprugnarum ſuminum* mentio fit: *Pſittacis atque faſianis leones pavit ---- & ſumina aprugna per dies decem tricena quotidie exhibuit, cum ſuis bulbis* ubi *bulbi* ſunt *vulvæ*, quas inter delicatiſſimos cibos poſuêre veteres gulones. Sic *bulbam* pro *vulvam* legitur in verſibus Nævii apud Macrob. *l. 2. c. 14.*

> *---- ---- ---- heri*
> *Quos apud te Præneſtini & Lanuvini hoſpites.*
> *Suopte utroſque decuit acceptos cibos.*
> *Alteris inanem bulbam madidantem dari;*
> *Alteris nuces in proclivi profundere, &c.*

Vide Salmaſ. *ad Hiſtoriam Aug.*

APRUS, amnis Poloniæ, *Warta*, in Viſtulam cadens, in confinio Poloniæ & Sileſiæ. *Cluverio* teſte.

APRUSA, Gall. Togatæ fluv. viam Æmiliam ſecans, apud Saviniatum oppid. inter Cæſenam & Ariminum, & in mare Hadriaticum deſinens. *Plusa Leandro Alberto.*

APRUSTIUS, vide *Lupus.*

APRUSTUM, Plin. *l. 3. c. 11.* *Abyſtrum Ptolemæo*, oppid. Brutiorum in Calabria citeriore quod *Caſtrovillari*, nunc dicitur, teſte *Barrio*, à Cotiano 6. mill. paſſ. à Balbia, 7. a Beſidiano 25 in occaſum. Aliis eſt *Vermecario*, oppidulum Caſtrovillario & Murano propinquum. Abyſtrum verò teſte eôdem Barriô, diverſum ab Apruſto, vulgò *Urſimarſo*, in Magna Græcia, apud Petiliam ex *Ptolemæi* deſcriptione. Aliis eſt *Aprigliano*, vicus in Calabria citeriore.

APRUTIUM, vulgò Abruzzo, Italiæ regio in regno Neapolitano ubi aliàs Veſtini, Marrucini, Frentani, Peligni & Marſi, populi. Nunc duplex eſt: Nempe *Citerius* & *Ulterius*. A Septentrione habet Marchiam Anconitanam & Umbriam: ab Oriente mare Adriaticum, à Meridie Comitatum Moliſinum; ab Occaſu Campaniam Romanam & terram Laboris; Regio eſt fertilis & abundans. Aprutii ulterioris caput eſt Aquila, totius Aprutii facilè primaria, citerioris autem Anxanum.

APRUTIUM, Civitas, aliter Theramum, *Teramo* vulgò, Urbs Aprutii ulterioris in regno Neapolitano. Hinc Epiſcopus Aprutinus in provinc. Roman. Vide *Interamna* & *Theramum.*

APSALUS, oppid. Macedoniæ mediterraneum, Europo, & Hormis oppidis finitimum. *Ptol. Preſpa Moletio.*

APSANDRUS, Archon Athenis, τῶν Δεκαετῶν VI. poſt Leocratem, regnavit ann. 10. Succeſſore Æryxiâ, quem vide.

APSARUS, oppid. cum fluv. Cappadociæ in Colchidis confinio, inter Trapezuntem 150 & Phaſim urbem Colchorum in Boream 75 mill. paſſ. *Arcano* nunc dici putatur, teſte *Moletio.*

APSILÆ, gens Scythica Lazis vicina *Steph.* Plin. *l. 6. c. 4* poſt fluv. Chryſorrhoam Apſilarum mentionem facit, quorum Juſtinianus quoque, *in Novell. ſua*, meminit. Hos *Apſilios* appellat Agathias *l. 3.* & ſub Colchorum ditione fuiſſe ſcribit.

APSINIUS, Rhetor nobilis Athenienſis, de arte Rhetorica præcepta edidit, quæ etiamnum Græcè extant.

APSINTHES, Sophiſta Gadareus, Smyrnæ præceptorem habuit Heraclidem Lycium, Nicomediæ Baſilium; docuit Romæ Maximiniani tempore, cujus beneficiô adeptus eſt conſulatum.

APSINTHII, vel APSYNTHII, Thraciæ populi ab Ἀψίνθῳ, quæ *Stephano* Θρᾴκης πόλις dicitur. Dionyſius v. 575.

> Οὐχ ἵνα Θρηΐκιος ἐπ' ἠόνα Ἀψίνθοιο,
> Βιστονίδων παλάμῃσιν ἐρίβρομος Εἰραφιώτης.

Ubi *Scholiaſt.* τὸ δ' ἔθνος οἱ Ἀψίνθιοι, ἀπὸ ποταμοῦ ἐθνικῶς καλοῦνται Ἀψίνθου.

APSIS, recentioribus *Abſida*, item *Apſida*, Græcè Ἀψίς, aliter *Camera*, in Baſilicis *Concha* dicebatur, locus Sanctuarii, quod *apſide* concameratus eſſet, cùm reliquum Baſilicæ tectum lacunarium fieret. Hodie *Choram* vocant. Conſtabat autem tribus concavitatibus intus recedentibus, hinc Ἀψὶς τρίκογχος *Paulo Silentiario*, quod ſcil. tres κόγχας haberet, h. e. *circulos dimidiatos*. & quod idem, *Apſis trichora*, Paulino *Ep. 12. ad Severum.* Imo non locus ſolum Sacrarii, ſed & culmina veterum Baſilicarum ſive Templorum apſidata fuiſſe; docet ex veteri *Epigrammate* Salmaſ. in quo mentio fit *Apſidis* in Templi introitu extra Narthecem. Propriè tamen pro Sacrario ſumitur; muſivo illud conſueviſſe, diximus ſuprà in *Abſida.* Vide infrà quoque in *Concha.*

APSORUS, urbs Ponti, & fluv. ad mare Euxinum. *Ptol. Apſarus Arriano*, qui dicit eam *Apſyrtum* appellatam, quod Medea illic fratrem *Apſyrtum* occiderit. Fluvium hunc Ægialeum appellatum ſcribit *Stuckius*, & num idem dicatur *Naxius* ab *Æliano*, ſubdubitat.

APSORUS, inſul. in mari Adriatico, Liburniæ adjacens, in qua civitas eôdem nomine *Ptol. Stephano* civitas Illyriæ dicitur.

APSUS, ſeu ANIUS, *Plut. Aous, Strab* & Plin *l. 3. c. 23.* *Aleres Appian.* fluv. Macedoniæ vicinus, in mare Ionium, inter Dyrrhachium, & Apolloniam decurrens, Genuſo proximus. *Aſpro* hodie. Ejus meminit Lucanus *l. 5. v. 461.*

> *Prima duces vidit junctis conſiſtere caſtris*
> *Tellus, quam volucer Genuſus, quam mollior Apſus*
> *Circumeunt ripis. Apſo geſtare carinas*
> *Cauſa palus, leni quam fallens egerit unda.*
> *At Genuſum nunc ſole nives, nunc imbre ſolutæ*
> *Præcipitant: neuter longô ſe gurgite laſſat,*
> *Sed minimum terræ vicinô litore novit.*

APSUS, fluv. aliis *Spernaza.* In mare Adriaticum ſe exonerat. 18. milliar. ab Apollonia in Boream. Aliàs *Thapſus* etiam dicebatur. *Baudrand.*

APTA Julia, urbs Galliæ Narbonenſis ad Calevonem fluv. prope montes, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Aquenſi. *Apte*, *Atte*, & *Xat* hodiè dicta longitud. 26. 05. latitud. 43. 10. *Nic. Lloydius.* Vulgientium fuit caput, oppidiſque Latinis à Plinio *l. 3. c. 4* accenſetur

ſetur. Poſtea Colonia facta eſt, juxta *inſcr.* in lapide Arelatenſi, in qua *Col. Apta* nuncupatur. Sic autem a Romanis videtur dicta, quod *apto* & commodò eſſet ſitu: Sedet enim ad ripam Calvonis, qui in Druentiam effluit, opportunò locò inter Segiſteronem & Caballionem. *Julia* vero cognominata eſt aut à C. Julio Cæſare, qui, teſte Suetonió, c. 28. *Galliarum potentiſſimas urbes præcipuis operibus exornavit*; aut certè ab Auguſto, qui in Julii, à quo adoptatus erat, nomen tranſiit, & ſecundum *Dionem*, in multas Galliæ Narbonenſis Hiſpaniæque urbes colonias miſit. In *veterib. Notitia provinciarum ac civitatum Galliæ*, inter Provinc. Narbonenſis ſecundæ civitates ſeptem ſecunda ponitur, ejuſque Epiſcopus, apud Gervaſium Tilleberienſem, primus numeratur, inter quinque Epiſcopos, Aquenſi Archiepiſcopo vel Metropolitano ſuffraganteis. Dicitur hodieque *Apt*. Ex ejus Præſulibus; Prætextatus concilio Epaonenſi, Clementinus Aurelianenſi 4. ac & Matiſconenſi interfuère, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

APTERA, oppid. Cretæ mediterraneum, *Apteria Ptolemæo Apteron* Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Atteria in tabul. recent.* & aliis *Paleocaſtro*. Rationem nominis reddit *Steph.* Ait enim à Sirenibus vocatum, quod victæ ibi cantu a Muſis, præ mœrore exoſis pennis in mare deſiluiſſent; qui addit urbem Lyciæ eòdem nomine appellari.

APTEROS Victoria, Græcè Ἄπτερος Νίκη, i. e. ſine alis, & implumis, ab Athenienſibus formabatur, teſte Pauſan. *in Atticis*, cujus & ſtatuam deſcribit. Idem *in Laconicis* ait, Victoriam ideo ἄπτερον eos ſtatuiſſe, ne videlicet avolaret.

APTUCHI Fanum, urbs in Cyrenaica regione. *Ptol. Langiſaye* incolis.

APTUNGIS, *D. Auguſtino*, *Lungitaria* incolis, teſte *Ludovicô Marmolio*. Ἀπτούγχου ἱερὸν (inquit vir Maximus Bochart. *l.* 4. *Phaleg. c.* 29) in *Ptolemæo* ſervat adhuc veſtigia nominis [Hebrew] *Naphtuchæorum*. Nam *Aptuchus*, aliis *Aphtuchus*, in fabulis legitur eſſe Cyrenes fil. & Ariſtæi frater. Apollonii Schol. *de Ariſtæo*: ἐκ Κυρήνης τῆς Ὑψέως καὶ Ἀπόλλωνος, ἀδελφοὶ δὲ Αὐτοῦχος: Ἀλλ' ὁ μὲν ἐν Λιβύῃ Ἀρισταῖος δὲ ἐν τῇ Κέῳ. *Nic. Lloydius.*

APUA, oppid. Liguriæ, in Thuſciæ confinio amplum, ad Macram fluv. cujus incolæ *Apuani Livio*. Hodie *Pontremoli*, teſte *Juſtiniano* dicitur. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 1. *c.* 10. Subeſt magno Duci Hetruriæ, qui id redemit ab Hiſpanis, paucis ab hinc annis. Eſt valde munitum; eratque prius feudum Ducatus Mediolanenſis.

APUA, piſciculus minutus admodum, qui ex limo concreſcit, & miraculô vivit; cibô enim non eget, ſed alter alterius linctu paſcitur, capitur reticulis & attritis pannis; eſt aliorum piſcium eſca & coquitur celerrimè. Unde Proverb. Ἀφύη ἐς πῦρ, ita *Lexicographus*. Voſſio *Apuarum* genus eſt, quod gignitur locis fœtidis & largos poſt imbres caleſcente ſæpius ſpumâ, unde piſciculi ſic geniti ἀφροὶ *Ariſtoteli*, ἀφρίται *Athenæo*. Id verò nec prolem generat nec grandeſcit, nec diu vivit, ſed ſolum ab Arcturo auctumnali ad ver uſque. At *Apua illa*, quæ κωβῖτις vocatur, quaſi *Gobialem* dicas, ſemper fit e piſciculis. Nam procreant eam κωβιοὶ μικροὶ καὶ φαῦλοι, *gobii minuti & ignobiles*. Quemadmodum & alia *Apua* eſt, γόνος μαινίδων καὶ μορμύρων, *ſœtura mœnidum & mugilum*, vide Ariſtotelem *Hiſtor. Animalium l* 6. *c.* 15. & Scholiaſtem Ariſtophanis *ad Equites*. Caro illarum humida & flatulenta, ventrem ſolvit, ac difficulter concoquitur, Mneſitheus & Diphilus apud Athenæum *l.* 8. πτωχικὸν ὄψον, *pauperum opſonium* hinc, ut & propter ex multitudine ortam vilitatem, Athenienſibus, teſte Chryſippô, apud eundem; quod intelligendum de *Apua*, quæ prope Athenas capiebantur, ἐν τῷ Ἀθηναίων λιμένι. At quæ ἐν Φαλήρῳ, Atticæ portu capiebantur, *Apuæ* ſcil. *Phalericæ*, in ſcitamentis Athenienſium recenſentur Ariſtophani *in Avibus*: quemadmodum & Archeſtratus, cæteris damnatis, has ſolas excipit. Ἀφρὶδες præcipuè Unde Scholiaſtes citatus, Ἔστι δὲ, inquit, ἀφύη γαμιαία ἡ ἀφρῖτις. ὥσπερ δὲ καὶ μάλιστα παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις ἀφύαι. Hæ λιπαραὶ Comico in *Acharn.*

> Εἰ δὲ ἀφύας ὑποτιθεὶς λιπαρὰς καλλίστας Ἀθήνας,
> Εὗρε δὲ πῦρ ἂν διὰ τὰς λιπαράς, Ἀφύας τιμῆς περιάψας.

Nempe oleum earum λίπος, & condimentum, ideirco ait, ἀφύας τιμῆς περιάψας. Vide hunc locum explicantem Deſ. Heraldum *Animadverſionibus Arnobianis l.* 3. & Gerh. Jo. Voſſium *de Idolol. Gentil. l.* 4. *c.* 1. & 25. Atque hactenus *Apua*, ab ἀφρός, *ſpuma*. Aliud etymon ſuggerit Plin. *l.* 31. *c.* 8. *Capit tamen & privatim alex ex inutili piſciculo minimoque confici: Apuam noſtri, Aphyen Græci vocant, quoniam is piſciculus è pluvia naſcitur.* Ubi Ἀφύη Græcis, ἀπὸ τοῦ ὕειν, *a pluendo*, vult dictam. Hodie in Oceano Normannico magnâ copiâ reperitur, Galliſque *menuiſe* dici, Lexici Auctor ſuprà citatus ait: qui & *Apollonio* meretriculas duas, quarum nomina aliàs *Stagonion* & *Anthis*, quod minutulæ, albæ & grandinibus oculis eſſent, Ἀφύας cognominatas fuiſſe, addit.

APUI, vulgo Apuyes, populi Americæ, in Braſilia mediterranea, verſùs fontes, & præfecturam fluv. Januarii. *Lætius*, *alii*.

APULEJA Varilia, ſororis Auguſti neptis, adulterii cum Manlio quodam, ſub Imperatore Tiberio damnata. Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 50.

APULEJA Lex ſeu APPULEJA, cujus auctor L. Appulejus Saturninus Tribunus Plebis annô Urb. Cond. 651. C. Mariô V. M. Aquilejô Conſulib. vim in urbe ac ſeditionem vindicavit. *Carolus Sigonius* putat eâdem etiam quæſtionem de Majeſtate perpetuam conſtituetam eſſe, vide Joh. Roſin. *Antiq. Rom. l.* 8. *c.* 23.

APULEJUS, vel APPULEJUS, Madaurenſis, ſcripſit libros 11. Mileſiarum (ut *Capitolin.* vocat) ſive de Aſino Aureo: quod opus de fonte expreſſit vel Luciani, vel Lucii Patrenſis, qui author fuit libri ingenioſiſſimi Metamorphoſeôn, cujus meminit Photius, *cod.* 129. & Salmaſ. *præf. in Solin.* Unde initiô operis dicit, ſe Græcanicam fabulam incipere. Inter opera ejus deperdita fuit *Epitome Hiſtoriarum*, ut à Colvio, *in vita Appuleii* traditum eſt. Sanè ex *epitome Appuleii* quædam Priſcianus *l.* 6 refert: at hiſtoriarum fuiſſe epitomen non dicit. Conſcripſit & alia compluſcula; velut *Convivales Quæſtiones*, Macrobiô teſte *l.* 8. *c.* 5. & 10 & Sidoniô Apollin. *l.* 9. *ep.* 13. Item librum *de Proverbiis*, ut eſt apud Soſipatrum. Ad hæc libros *Ludicrorum*, *Apologiam*, aliaque quæ partim ſuperſunt, partim a *Servio*, *Nonio*, ac *Fulgentio*, commemorantur. *Scriptorem eruditiſſimum* vocat Caſaubon. *de Satyr. poeſi*: *In Aſino plane rudit, in aliis ſonat hominem, niſi quod Florida ſunt ridiculo, ſed excuſat ea Inſcriptio.* Lud. Vives *l.* 3. *de trad. diſcipl. Apulejus non malus author, & antiquarum vocum uſurpator.* Turneb. *Adverſ. l.* 8. *c.* 14. Idem *l.* 29. *c* 13 *Interdum non malus auctor, præſertim cum laſciviæ ingenii non indulget.* Rudere veriùs, quàm loqui in Aureo Aſino Apulejus viris eruditis videtur. Neand. *Geogr. part.* 3.

APULEJUS, vide *Marcus*.

APULEJUS Pauſa, vide *Quintus*.

APULEJUS Ruffinus, Conſul Roman. Æl Spartian. in *Severo* 4. *Conſulatum cum Apulejo Ruffino primum egit.*

APULIA, apud Tertullian adnotante Latinô *in Obſervat. ad illum*, locum denotat obrectum & à pluvia ſecutum; unde etiam provinc. Neapolitanæ nomen arceſſit: Namque & Horatio in *Epod. Od.* 3. v. 16. *Siticuloſa Apulia* dicitur. *Pamelius* verò, oriri vocem ex α. privativo & πύλη, ac denotare *locum extra portas* vel columnas, contendit. Cui favere videtur Cyprian *de Spectac.* *Quod Deus etiam extra cameras & gradus & apulias oculos habet* &c. Vide Macros Fratres in *Hierolex.*

APULIA, Italiæ regio ſecunda, unà cum Calabria, ex diviſione Italiæ ab Auguſto primùm factâ, quæ complexa etiam Salentinos & Hirpinos uſque ad Tifernum fluv. ſe protendit. Ipſa mari Adriatico conterminа (vulgò *la Puglia*) inter Dauniam & Calabriam, quæ & *Japygia*, ab Japyge Dædali filio, qui eam regionem tenuit uſque ad Dauniam, dicta eſt: Dividitur in *Apuliam Dauniam*, quæ hodie *Puglia Piana*, nunc *Capitanata*, quod vide, dicitur, & *Apuliam Peucetiam*, quæ Italorum linguâ Terra *Barimana*, ſive *Terra di Bari* ultra quam etiam partem *Baſilicatæ* continet, vocatur. Vide Plin. *l.* 3. *c.* 1. Dicta Apulia, an ab Apulo Priſco, multis ætatibus ante bellum Trojanum hujus oræ Rege? Apuliæ Peucetiæ termini ſunt, in longum ab agro Tarentino ac Brunduſino uſque ad flumen Phiternum ultra montem Garganum: in latum à ſupero mari ſeu Adriatico, uſque ad Lucanos, Hirpinos, & Samnites, ad Septentrionem ſinus Ionicus ſive Adriaticus, ad occaſum amnis Phiternus Carатenorum & Frentanorum, qui nunc Aprutii terminus. Inter hos tamen limites concluſam regionem veteres in 2. partes dividunt, ut à Brunduſio Tarentoque ad flumen Aufidum una, inde altera Phiternum pertineat, latitudine, ut ſuprà conſtitutum, utrique reſervata. Apuliæ vero Dauniæ ſeu Planæ fines ſunt ab Oriente Apulia Peucetia flumenque Aufidus, à meridie Apenninus cum Hirpinis & Samnitibus: ab Occidente Frentani Caraceniique, nunc Aprutii cum Phiterno, à Septentrione Adriaticum vel Ionium mare. Ex præcipuis Regni Neapolitani partibus eſt, & alias Ducatus titulô nobilis, Apulia: Imò & regni. Rogerius Normannus enim, ab Honorio II. Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ Dux, ab Anacleto II. Antipapa verò Rex creatus eſt, circa A. C. 1130. Sigon. *l.* 11. qui à Lothario Imperatore pulſus, Ranulphô, Duce Apuliæ declaratô, A. C. 1137. poſt hujus mortem, amiſſa recepit, A. C. 1139. & Innocentium II. per fil. Wilhelmum malum cepit, titulô Regis Papæ extortô. Succeſſor ſic patris, ab Adriano IV. per Græcos oppugnatus, hos feliciter ſuperavit: navigatione in Ægyptum ſusceptâ irrita, Idem *l.* 12, 13. 14. Hujus filiô naturali Tancredô mortuô, Henricus VI. Imperator regnum occupavit, filiô Tancredi Vilhelmô exciratô. Idem *l.* 15. Poſtmodum Otto IV. Apuliam, cum aliis Italiæ ditionibus, ereptam Imperio recuperaturus, Papam adverſarium habuit, oppoſitô Friderico Siciliæ Rege, qui Ottonem imperiô exuit, circa A. C. 1212. Quô in Caſtro Florentino Apuliæ peremptô, A. C. 1250. fil. hujus Conradus Siciliæ ac Apuliæ Rex Innocentium IV. vicit, cui Conradinus fil. ſucceſſit, ſub tutore Manfredo; qui cùm regnum invaſiſſet, à Carolo Andegaveoſ. à Pontifice evocato, victus eſt, ut & Conradinus, qui paternum regnum recuperatum advenerat. Sic Victor à Clemente IV. Siciliæ Apuliæque Rex factus eſt. Platina *in Clem. IV.* Ei in Apuliæ regno ſucceſſit fil. Carolus Claudus; Huic fil. Robertus, Henrico VII. Imperator. obnixus, Princeps eruditus & fautor literarum. Hic Johannæ I. nepti ex filio Carolo, Andream maritum dedit. Bonfin. *dec.* 2. *l.* 10. Quô ſtrangulatô à Ludov. Ungarum Levitu pulſa, ſed reſtituta eſt à Pontifice, jure in Avenionem ei donatô. Jacobo dein Aragonio, poſtea Ottoni Brunſuicenſi nupta, Urbanum VI. qui Carolum Dyrrachinum Apuliæ Regem creavit, infeſtum habuit, proin Ludovicum Andegavenſem Caroli VI. patruum ſucceſſorem ſibi adoptavit. Idem *ibid.* Sed hôc extinctô regnum Carolus tenuit & Ladiſlao fil. reliquit: qui Romam cepit; mœnibuſque nudavit, imperante Rupertô Palatinô. Bonfin. *dec*, 3. *l.* 3. Peucerus *Chron. l.* 5. *Platina* Ladiſlao poſtea venenô ſublato, ſucceſſit Johanna II. ſoror: à qua Alphonſus primò Siculus, poſtea Ludovicus Andegavenſ. dein frater hujus Renatus hæredes inſtituti: Qui ultimus ad Carolum ex fratre nepotem regnum tranſmiſit, A. C. 1480. à quo Ludovicus XI. ſucceſſor dictus eſt. Tandem in Hiſpanorum poteſtatem tranſiit, poſt graviſſima cum Gallis bella; &c. Porrò vaſtata eſt Apulia à Saracenis A. C. 825. 872. quô tempore Ludovicus II. Imperator illis fortiter reſtitit; A. item C. 907. Græcis erepta eſt, cum Calabria, ab Ottone M. A. C. 973. ob Legatos contumelioſè habitos. Senſit terræ motum adeò ſtupendum, A. C. 1627. ut pluſquam XVIIICIↃ. hominum, unà cum oppidis ac pagis quampluримis, admirabili Dei providentiâ, in conſervandis quibuſdam elucente, perierint. Cæterùm ovibus *Apulia* olim abundabat, quarum lanæ Martialis palmam tribuit *in Apophoretis*, *l.* 15. *Epigr.* 155.

Velleribus primis Apulia, Parma ſecundis
Nobilis; Altinum tertia laudat ovis.

Idem *l.* 8. *Epigr.* 28. *v.* 3. *de Parthenana toga*:

Apula Ledæi tibi floruit herba Phalanthi,
Qua ſaturat Calabris culta Galeſus aquis?

Et hinc Cicero *Apuliam* à paſtorum copiâ deſcribit Orat. 3. *contra Catilinam*. Prima ſyllaba communiter longa eſt. Horat. *l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 77.

Incipit ex illo montes Apulia notos
Oſtentare mihi ---- ---.

Idem tamen *l.* 3. *Carm.* Od. 4. *v.* 10. corripuit:

Altricis extra limen Apuliæ.

Idem *in Epod.* Od. 3. *v.* 15.

Nec tantus unquam ſiderum inſedit vapor.
Siticuloſæ Apuliæ. Nic. Lloydius.

Urbes Apuliæ Dauniæ, olim,

Apeneſtæ.	Teanum.
Arpi.	Salapiæ.

Peucetiæ Urbes.

Canuſium.	Barium.
Erdonium.	Egnatia.
Nuceria Apulorum.	Venuſia.

Urbes hujus temporis Apuliæ ſunt:

Andria, *Andria.*	Gravina, *Gravina.*
Aſculum Apulum, *Aſcoli.*	Luceria, *Luceria.*
Barium, *Bari.*	Manfredonia, *Manfredonia.*
Barulum, *Barleta.*	Tranum, *Trani.*
Bitunrum, *Bitonto.*	Troja, *Troja.*
Bovinum, *Bovino.*	Venuſia, *Venoſa.*

APULUM, Daciæ urbs. *Ptol.* Hodie *Alba Giulia.* Vide *Alba Julia*, *it. Julia.*

APULUS Guilelmus, vide *Guilelmus.*

APURIMA, fluv. Americæ meridionalis in Peruvia. Fontes habet in Patinacochæ tractu, ad pedes Andium montium, alluitque territorium Cuſci; & poſt curſum 60. leucarum Hiſpanicar. in fluv. Xauxam, ſeu Maranionem ſe exonerat; inter Abancayum & Incayum fluv.

APURWACA, qui & *Caperwaca* quibuſdam, fluv. Americæ meridionalis in Guajana provinc. ex præcipuis illius tractus. Ortus ex montibus, ſupra Lacum Harrinanorum, per quem labitur, & deinde, poſt longum curſum, in Oceanum Borealem ſe exonerat. *Peraque* quibuſdam.

APUSCIDAMUS, Africæ lacus, in quo omnia fluitant, nihil mergitur. Plin. *l.* 31. *c.* 2.

APYRÆ, Lyciæ urbs. Plin. *l.* 5. *c.* 27. *Finica* nunc, Nigrô teſte.

APYRI, quos *Tapyros* vocat Geographus, ut Euſtath. tradit *in Dionyſ. Perieg.* Populi ſunt Hyrcanis vicini. Vide *Tapyri.*

APYRINA, apud Martial. *l.* 13. *Epigr.* 42. malorum granatorum genus, de quo vide infrà aliquid voce *Tuber.*

AQ. In nummis Conſtantini M. Conſtantis &c. *Aquileja* nota eſt, judice Car. du Freſne *de infer. ævi Numiſm.*

AQUA, ab Dorico *ἀκὸς*, h. e. *æquus* ſive *levis*, Voſſ. *Orat. Inſtitut. l.* 4. *c.* 6. Etſi nec abſurdè Cæſ. Scaliger *in Theophr. de Plant. l.* 1. ubi & Græcos ſic appellâſſe antiquitus, colligit ex nomine Ἀχελῷος. Ob utilitatem ſuam multiplicem ac mirandam naturam, tertiò inter Elementa locô, poſt Tellurem nempe ac Ignem, Deorum numero à Gentilibus addita eſt, ut etiam legas in libro Sapientiæ c. 13. *v.* 2. Præcipua verò in veneratione apud Ægyptios ac Perſas fuit, Plut. *de Iſid. & Oſir.* Athanas. *Orat. contra Gentes*, Jul. Firmicus *de errore profan. Rel.* Vitruvius *præf. l.* 8. Laërtius *proœm.* Clem. Alex. *Admonit. ad Gentes*, Arnob. *l.* 6 Agathias *l.* 2. Herodot. *l.* 1. & Strabo *l.* 15. Et proin, ut apud Ægyptios in cœlo Sol, quatenus Lunam ſuo implet lumine, *Oſiris* bonique effector; quatenus verò torret & exurit, *Typho* ac mali auctor: ſic in ſubcœleſtibus *Aqua* & *Oſiris*, quatenus Nilus attendebatur; & *Typho*, quatenus conſiderabatur Mare, eſt appellata. Unde, quod Clemens Rom. *Recognit.* 10. *Aquam* ait Oſiridi dicatam, de aqua Nili non marinâ, quæ *Typhonis & mali principii* nomine intelligebatur, capiendum eſt. Sed & Canopus Ægyptiorum Numen fuit, nec aliud per eum, quàm *Aqua*, ſignificatum eſt. Vide *ſuo locô.* Ægyptios Libyes ſequuti ſunt, quibus Neptunum impensè cultum eſſe, atque ab his venerationem ejus ad Pelaſgos perveniſſe, Herodotus docet *loc. cit.* Perſis tanta in veneratione fuit *Aqua*, ut iis in flumina mejere vel alvum exonerare, vel inſpuere, vel ſordidum quid conjicere, atque adeò vel manus vivô flumine abluere, religio eſſet. Itaque & in expeditione Xerxis Magi, ubi ad Strymonem deventum, albis illi equis litaverunt, Herodot. *l.* 7. & Tyridates, Euphratem cum Vitellio & copiis tranſmiſſurus, equum ei immolavit, Tacit. *Annal. l.* 6. *c.* 37. Sed & Aſſyriorum Atergatis ad *aquas* refertur: ut & Palæſtinorum Dagon, & Babyloniorum Oannes. Græci verò inprimis Romanique huic Elemento, variis ſub nominibus, divinos honores exhibuêre; imò *Aqua* Homero non ſolum pro Numine, ſed etiam pro Numine primo atque antiquiſſimo fuit: ut hôc verſu oſtenditur *Il.* ξ. *v.* 201.

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν.
Oceanumque Deûm patrem, & Thetyn genitricem.

Fuêre autem apud illos Numina *Aquarum* partim maſcula, quorum principes Oceanus & Neptunus, partim muliebria, in quibus familiam ducebant Tethys & Amphitrite. Præter quæ Numina marina, habebant alia, per quæ humor potabilis ſignabatur, nempe *Διόνυσον* ſive Liberum vel Bacchum: Fluvios, Fonteſque pro Diis cultos Deabuſque, ut & Stagna & Puteos, quoque his enim omnibus ſuas fuiſſe Nymphas, legimus: de quibus vide *ſuo locô.* Neque verò apud Scythas, Celtas ac novi Orbis incolas ſua *Aqua* veneratio defuit. Scythis enim, ut Sol & Luna, Aër & Terra; ſic *Aqua* etiam colebatur, ſub nomine *Thamimaſadæ*, Herodot. *in Melpom.* Fontibus & lignis ſacrificabant Catti ſeu Heſſi, Willibald. *c.* 8. & Bohemi, Joh. Dubravius *Hiſtor. Bohem. l.* 1. Mare pro Deo coluêre Peruani, ſub nomine *Mammacocha*: ab iiſdem flumina quoque ac fontes pro Diis ſunt habiti, uti teſtis eſt Joſ. à Coſta *l.* 5. *c.* 2. & 4. &c. Vide his omnibus accuratè agentem Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *à c.* 67 *uſque ad c.* 83. Aliis non pro Numine quidem, in Sacris tamen, magni uſus *Aqua* fuit, ut videbimus infrà de *Baptiſmo*, item voce *Lotio*, & *Mithra* nec non ubi de *Neptuno.*

Nomina quibus apud varias Gentes Aqua olim culta.

Amphitrite, Græcis dictum eſt mare, ἀπὸ τοῦ ἀμφιτρέχειν τὴν γῆν, i. e. *quia circumquaque terram fluctibus ſuis atterat.* Uxor fingebatur Neptuni; vide hic ſuprà.

Atergatis, Aſſyriorum Numen, supernè mulier, infernè piſcis, ſignificabat poteſtatem à Sole in Lunam, à Luna in elementa cæta, præcipuè in *Aquas*, effuſam.

Bacchus, Græcè *Διόνυσος*, aliàs *Liber*, Latinis Græciſque, Ægyptiis *Oſiris*, partim erat cœleſtis ſicque idem cum Sole; partim ſubcœleſtis atque ita idem cum humore potabili: qualis eſt *aqua* pluvia, fluvialis, fontana ac putealis. Unde patet, cur à nonnullis Liber dicatur *Lunæ filius.*

Canopus, apud Ægyptios, quoque *Aquam* denotabat: cujus ſymbolum hydria fuit, Appulej. *Mileſiar. ult.* quæ quamâ religione ad ejus ædem ſolita fuerit deferri, vide Vitruvium *præfat. l.* 8.

Dagon, Palæſtinorum Deus, ſemihomo ac ſemipiſcis, complexu ſuô, tum Lunam, ſive Lunum, ut principium activum; tum Mare, ut paſſivum, indigitavit.

Liber, vide hic ſuprà *Bacchus.*

Mammacocha, Mare Peruanis dicitur, hôcque nomine ab iis ſollicitè colitur.

Neptunus Romanis, Græcis *Ποσειδῶν*, denotavit Aquam, prout una eſt ex præcipuis Mundi partibus: Sicut Oceanus, prout rerum principium eſt.

Nereides 50. quarum præcipua Thetis, nymphæ marinæ, varias Maris affectiones indigitabant; vel partes internas.

Nereus, filius Neptuni, æquè latè patebat, ac ipſe Neptunus: Namque piſces, qui universè dicebantur *Νηρέως τέκνα*, Plauto vocitantur *Neptuni pecus in Pſeud. Act.* 3. *ſc.* 2. *v.* 45.

Nilus, præcipuus Ægyptiorum Deus, idem cum eorundem Oſiride ac Græcorum Libero, in S. Scriptura dictus eſt *Schichor.* i. e. *niger*, ab aqua ejus turbida, ſuffuſca ac nigricante; denotavitque principium boni activum: ſicut Typhon *aquam* marinam, ſeu principium mali.

Nympharum vocabulum, propriè conveniebat Deabus *aquarum* præſidibus, quæ ex eo dictæ *Hydriades* vel *Ephydriades.*

Oannes apud Babylonios, ſemipiſcis, ad repræſentandam vim, tum Lunarem, tum Marinam, cultus eſt.

Oceanus, denotabat *Aquam*, ut rerum principium, hinc ipſo Neptuno dictus antiquior. Propriè verò indicabat mare externum, Orbem ambiens universum: quemadmodum Neptunus modo nobilem Univerſitatis totius: modo quamvis *aquarum* partem, ac ſæpius maris interni, ut Græcis Romaniſque notioris, ſignificabat.

Salacia, eadem cum Tethye.

Siris, pro Oſiris, truncatò vocabulò, Æthiopibus & Ægyptiis quoque Nilus dicebatur.

Tethys, uxor Oceani, Mare itidem Græcis denotabat, à *τίτθη*, vel *τηθὶς*, *avia* ſeu *amita*: ob rationem retrò dictam.

Thamimaſades, apud Scythas Neptunus vocitatus, hôcque nomine humidum hocce elementum cultum eſt. Originem vocis è veteri Germanorum lingua arcellendam judicat Voſſ. *loc. cit. c.* 82. cui iſta Scytharum erat proxima; quandoquidem ex Aſiatica Scythia Scythiam Europæam, viciniaſque magnæ Germaniæ gentes, genus ducere, validis argumentis probari poſſit.

Thetis, Tethyos, de qua ſuprà, ex Doride filiâ, neptis, hinc *Oceanine* dicta; quamvis alii *Neptuninen* vocare malint, tanquam ex Canache, Neptuni filia, Nereo genitam. ex Nereidibus una fuit; per ſynecdochen tamen partis pro toto Mari uſurpatur, apud Maronem *in Pollione.* Quemadmodum, cùm Peleo nupſiſſe dicitur, id quoque ad connubium Maris ac Terræ pertinet.

Typho, idem Ægyptiis, quod Neptunus Græcis, *Aquam* nempe marinam innuerat: quò quia nihil inimicius Oſiridi putabant vel Oro, ejus ex Iſide filio, eum ſic fatebantur, ut nullis dignarentur ſacrificiis. Vide quoque *ſuprà.*

AQUA, per annos 441. à Romanis petebatur, aut ex Tiberi, aut ex puteis, aut hauriebatur è fontibus. Verùm Urbe quotidie creſcente, & penuriâ ejus laborante, aliæ aquæ in urbem derivatæ ſunt tantâ cupiâ, ut etiam ſingulæ ferè domus ſuos habere cœperint fontes. Fiebat id autem hôc modô: Poſtquam ab Aquilege explorata fuit aqua, an facilè ex illo fonte derivari aliò poſſet, & probata, ducebatur aut formâ ſtructili (ita enim tubos ſeu canales diſertè vocat Caſſiodor. *l.* 7. *Ep.* 6.) aut plumbeis fiſtulis, aut canalibus ligneis, aut *fictilibus tubis*, ut loquitur Palladius Æmilianus Taurus *l.* 9. *in Ruſtica c.* 11. (ubi non ſubterraneis meatibus, ſed altis molibus ſubſtructis aquas in urbem invectas fuiſſe docet) in caſtellum primùm, qui locus erat aquam publicam recipiens & in varia loca dimittens; ex illo à Caſtellario ſeu Caſtellorum horum cuſtode certâ menſùrâ diſtributa in loca deſtinata effluebat. Omnis enim apud Antiquos aqua in publicos erogabatur uſus, legeque cautum erat, ne quis privatus aliam duceret, quàm quæ ex lacu abundaret, poſteris *caducam* vocatam neque hæc ipſa in alium uſum, quàm in balnearum aut fullonicorum dabatur, ſtatutâ vectigali mercede, quæ in

publicum

publicum penderetur. Jus dandæ vendendæve Cenſorum fuit, vel, cùm hi non eſſent, Ædilium Curulium. Tutela ſingularum aquarum locabatur, eorumque operum probandorum cura fuit penès Conſules aliquando, & Ædiles; interdum etiam penès Cenſores. Poſtea tota res ad Curatores tranſiit, quorum primus ab Auguſto creatus eſt Meſſala Corvinus. Impetratæ aquæ jus neque hæredem, neque emtorem neque ullum novum dominum apud Veteres ſequebatur, ſolis Balneis publicis, ex antiquo privilegio, aquâ, quæ ſemel conceſſa fuit, perpetuò manente. Duæ autem familiæ erant, quæ aquis operam præberent, una publica, Cæſaris altera: quarum illam Auguſtus ab Agrippa ſibi relictam publicavit, hominum circiter 240. ista, quam Claudius, quum aquas in Urbem perduceret, conſtituit, 460. continebat. Utraque in aliquot miniſteriorum ſpecies, Villicos videl. Caſtellarios, Curatores, Silicarios, Tectores aliosque opifices, diducta. Qui *Aquæductus*, qui an. Urb. Cond. 441. ut dictum ſuprà, vel ſub Anco Martio, ut Plin. vult *l.* 31. *c.* 3. inoleverunt, Romæ, violâſſent, vel aquam aliò, quàm leges, ſtatuta publica, Cenſores vel Ædiles permiſiſſent, derivâſſent: vel plus aquæ, quàm conceſſum erat, ſumſiſſent, magno mulctabantur. Primus autem Appius Claudius arcuatû opere aquam in Urbem perduxiſſe dicitur. Arcuum altitudinem definit *Procopius* tantum, *ut equus per eos fornices apportunè poſſet tranſire. Julius Frontinus ſublevatos ad centum & novem pedes* habet. *Urbis montes altitudine æquaſſe*, refert Plin. *l.* 36. *c.* 15. Unde Rutilius *Itinerarii l.* 1. *v.* 97.

Quid loquar aëriò pendentes fornice rivos,
Quà vix imbriferas tolleret Iris aquas!
Hos potius dicas creviſſe in ſidera montes,
Tale giganteum Græcia laudat opus.

Hæc de Urbano aquæ uſu. In Caſtris autem, ad eam convehendam, ſi fortè in locis aridioribus & ſiccis caſtrametatum fuiſſet, calones ac lixæ adhibebantur: hinc frequenter fiebat, ut *ſurvi alio ab hoſtibus derivarentur, quo exercitus ſiti domitus facile ſuperari poſſet*, Herodian. *l.* 7. quod Gothis contigiſſe, memorat Claudian. *l. de* 4. *Conſul Honorii v.* 478.

Uno calle latent, ſitiens, incluſaque vallo
Exceptas quæſivit aquas, quas hoſtibus antè
Contiguas alio Stilico deſtruxerat arcu,
Mirantemque novas, ignota per oppida, valles
Juſſerat averſo fluvium migrare meatu.

Plura vide apud *Jul. Frontinum*, Plinium *l.* 31. *c.* 6. Georg. Fabricium *in ſua Roma*, Aldum Manutium *l.* 1. *de quæſitis per epiſt.* Juſtum Lipſium *Magnit. Rom. l.* 3. *c.* 11. Johannem Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 13. & 14. Th. Dempſter. *Paralipom. ad c. poſterius*, Laur. Pignorium *Comm. de Servis &c.* uti *de Aqua in horologiis imprimis uſu*, infrà voce *Clepſydra*, item *Horologium*, in *Muſica*, ubi de ea, & plura ubi de derivatis & compoſitis ex Græco Ὕδωρ lit. *H.* it. vocibus *Saberus & Silam*.

XX. Aquæ in urbe Roma, ex Roſino.

Aqua Appia.	Aqua Crabia.
Aqua Anio vetus.	Aqua Sabatina, vel Cimina, Aurelia, Septimiana trans Tiberim.
Aqua Martia, aliàs Auſeja.	
Aqua Tepula.	
Aqua Julia.	Aqua Trajana.
Aqua Virgo.	Aqua Alexandrina.
Aqua Halſia, quæ & Auguſta.	Aqua Damnata.
	Aqua Annia.
Aqua Claudia Albudina, Cærulea, Curtia, Auguſta.	Aqua Algentina.
	Aqua Severiana.
Anio novus.	Aqua Antoniana.
Rivus Herculaneus.	Aqua Setina.

Aquæductus verò quatuordecim, ſuò tempore, in Urbe fuiſſe, ſcribit *Procopius*. Vide quoque in voce *Aquæ Romæ*.

AQUA, vide infrà *Daphne*.

AQUA Amara, vide infrà *Aquæ amaræ examen*, ut & *Suſpecta*.

AQUA Aſperſionis ſeu *Benedicta*, divinitùs inſtitutum, regenerationis noſtræ Sacramentum eſt: de qua Baſilius *de Spirit. Sanct. c.* 27. *Conſecramus autem aquam Baptiſmatis.* Vide quoque Cyrillum *Hieroſolym. Catech.* 3. &c. Præter hanc alia eſt in Communione Romana cujus inſtitutionem Alexandro I. Pontifici tribuit Anaſtaſius in *Alexandro*, *Hic conſtituit* aquam aſperſionis *cum ſale benedici in habitaculis hominum.* Micrologus *c.* 46. & Honorius Auguſtodun. *l.* 3. *c.* 27. *Alexander --- conſtituit, ut ſal &* aqua *benediceretur, ad conſpergendum populum, & habitacula eorum, quod & nos, in omni Dominica, juxta Canones ſequimur*, &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Ubi *ſalis* & *aquæ* commixtione unionem Chriſti hypoſtaticam, & *ſale* quidem divinam, *aqua* verò humanam naturam ſignificari, ait *Macer*: qui addit, in aqua, quæ pro benedicendis Ædibus ſacris fiat, miſceri vinum & cinerem, ſicque alludi ad vinum & cinerem vitulæ rubræ, quibus Moſes divinò juſſu inſtrumenta Tabernaculi aſperſerit. Græci in qualibet prima menſis dominica *aquam benedictam* renovant populumque aſpergunt, hanc ceremoniam ἁγιασμὸν, h. e. *ſanctificationem*, vocantes: Deſiſtunt autem in duobus menſibus, Januario videl. ob ſolennem benedictionem Epiphaniæ, in qua Baptiſmum Chriſti celebrant, & Septembri, in quo hanc ceremoniam transferunt, ad diem ejuſdem 14 propter feſtum Exaltationis S. Crucis. Solentque illi in aſperſione, locò aſpergilli, frondibus ocymi uti, quod herba hæc evulſa eſſet, juſſu Helenæ Conſtantini M matris, in loco, ubi crucem ab ea inventam dicunt. Latini verò in Templis Altaribuſque benedicendis, ferià 5. hebdomadæ majoris hyſſopum adhibent, quod in Veteri Teſtam. ejus in ſacris aſperſionibus olim uſus eſſet, &c. Sed & in bello *Aquam benedictam* uſurpari voluit Leo VI. Græcus Imperator ut è *Tacticis* ejus diſcimus, ubi ante conflictum cum hoſtibus Duces monet hàc aquâ exercitum aſpergere; hodieque plumbeæ glandes iſtiuſmodi liquore tinctæ à plurimis adhibentur, teſte eòdem Macrò in *Hierolex.* quòd mira patrandi vim ei credant ineſſe. Eadem *Aqua* Exorcizata dicitur, quia in illius benedictione exorcizant Dæmones jubentque ut ab ea recedant. *Sic Salem exorcizatum & aquam commixtam*, ac utriſque domum aſperſam, legimus apud Braulionem Cæſarauguſt. in *Vita* S. Æmiliani *c.* 24. totius Monaſterii ambitum *aquâ exorcizata* reſperſum, apud Gordianum Mon. in *Vita* S. Placidi Martyris *c.* 58. *exorcizatis aquis* lotum leproſum, apud Marbodum Diac. in *Vita* S. Licinii Epiſcopi Andegavenſ. &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Formula exorciſandi Aquam hanc iſta eſt: *Exorciſo te*, inquit Sacerdos, *in nomine † Dei Patris omnipotentis, & nomine † Jeſu Chriſti, filii ejuſdem, Domini noſtri & in virtute † Sp. Sancti: ut fias Aqua exorciſata, ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare valeas, cum Angelis ſuis Apoſtaticis, per ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem* &c. ut in *Paſtorali* legitur. Sed inſtitutum ejus Alexandro I. Eruditis videtur recentior, ut cujus Epiſtola habetur ſuppoſititia: cujus occaſione Bellarmin. de omnibus his Epiſtolis, quæ veterib. Romæ Epiſcopis tribuuntur: *Aliquos*, ait, *errores in eas irrepſiſſe non negaverim, nec indubitatas eſſe affirmare auſim*, de *Pontif. l.* 2. *c.* 14. Occaſio nonnullis à Gentilium ritibus arceſſitur, apud quos vulgatiſſimum erat, ut aquâ à Sacerdote conſecratâ, reliqui homines ac ſacrificiorum inſtrumenta aſpergerentur. Unde apud Dionyſ. Halicarn. *l.* 7. ἐν ἱερῷ καθαρῷ τε καὶ ἁγνῷ ὕδατι. Vide quoque Homer. *Il.* α. & Virg. *Æn. l.* 6. Certè Guilielmus Choulius *de Relig. Rom.* aſpergillum depinxit, quali veteres Romani uſi ſunt: Et marmoreum vas, in quo *Aqua* luſtralis, ad Templorum portas, ingredientibus proſtabat. *Feſtus* quoque loci, ubi aqua circa Templum incluſa conſervabatur, meminit, quem *Faviſſam* appellat. Quò faciunt verba Baronii *Annal Tom. I. ad A. C.* 439. *num.* 88. *Vigilias anniverſarias habes apud* Suetonium *in Veſpaſ. c.* 7. *Luſtralem aquam, aſperſionem ſepulchrorum*, apud Juvenalem *Sat.* 6. *& alios: lumina in iiſdem parare* &c. Epiphanius verò de Aquæ (extra Baptiſmum) efficacia in ſpiritualibus, ſic habet *contra Hemerobapt. Neque Oceanus, neque omnia fluenta, ac maria, fluviique perpetui ac fontes, univerſaque ὀμβροτόκος ſive imbripara natura, in unum congeſta, peccata delere non poteſt, quandoquidem non juxta rationem, nec ex præcepto Dei fit.* Hiſtoriam de Valentiniano, qui miles adhuc Julianum Fortunæ Templum intrantem ſequens, ab Æditiuo guttis iſtiuſmodi aquæ irrigatus eſt, lege apud Theodoretum *l.* 3. *c.* 16. Vide quoque ſuprà *Aprilis* & infrà ubi de *Aſpergendi ritu*.

AQUA Fervens, vide infrà *Aquæ ferventis judicium*.

AQUA Formarum, apud Caſſiodor. & Joſippum Gorionidem מי פורמי *Aquæ formæ*, *Hiſtoriar. l.* 1. *c.* 2. dicuntur, quæ per tubos vel arcus deferuntur. Apud Auctores enim Juris Civil. eoſque, qui *de Aquæductibus* ſcripſerunt, *forma* interdum eſt tubus, quò defertur aqua, interdum arcus ipſi ſic dicuntur, devehendis aquis, humilioribus in locis ſoliti exstrui: Ut cum dicuntur *aquæ formarum conſtructionibus advectæ*, Caſaubon. *ad Spartian. in Severo. c.* 19.

AQUA Fortis, vide infrà *Chryſulca*.

AQUA Frigida, vide itidem infrà, ubi de *Aquæ Frigidæ judicio*.

AQUA Incorrupta, in phiala hermeticè clauſa, aſſervatur in Muſæo Kircheriano Romæ. Ventricoſum vas eſt, in longitudine quatuor palmorum graciliſcens à Chriſtophoro Clavio conſummatore: qui ei indidit aquam puram & naturalem, è Jordane Romam allatam ac Hermeticè clauſam. Hæc jam à ſexaginta annis prorſus immutabilem ſtatum retinet & in hodiernum diem incorruptum, ab omni phlegmate aut fæcis contaminatione liberum, nec non ab omni ſedimento immunem. Unde colligit *Kercherus*, omnis putrefactionis & corruptionis cauſam, Aëris eſſe inclementiam. Vide Georg. de Sepibus *in Muſæo Kercheriano* p. 14. At *vbiq; alibi*, *Aqua immortalis*, nomen tincturæ ſuæ admirabilis, qua de infrà aliquid, ubi de *Pontica terra*.

AQUA Muliebris, Carino apud Vopiſc. *c.* 17. dicuntur lavacra muliebria, quas Capitolin. *excaldationes* vocat *in Clodio c.* 5. His rarò viri utebantur à luxuria alieni, interdum tamen. Lamprid. de Alexandro, *c.* 30. *Unctus lavabatur ita ut caldariis vel nunquam vel rarò, piſcinâ ſemper uteretur.* Militibus verò nunquam permiſſum: unde balnea iſtiuſmodi *l.* 1. *Codicis*, vetantur hoſpites poſcere & ab iis exigere, præcipui quoque militiæ Duces, notaque ſeveritas Caſſii, apud Volcatium Gallicanum, & Alexandri Severi apud *Lamprid.* in milites *aquâ* iſtiuſmodi *muliebri* uſos. Vide infrà, ubi de *Excaldationibus*, & plura hanc in rem apud Caſaubon. *Not. ad Volcatium* modò dictum *c.* 5.

AQUA Reconciliationis in Communione Romana, *Aqua benedicta* dicitur, quâ aſperguntur Ædes ſacræ, cùm reconciliantur. Vide infrà, ubi de *Reconciliandi ritu*.

AQUA Sale conſperſa, ſeu *Aqua ſalſa*, adhibita olim à Donatiſtis, quâ ea lavabant, quæ à Catholicis polluta eſſe calumniabantur. Hinc Optatus *l.* 6. *contra Parmenianum adv. eos*, *o aqua*, ait, *quæ dulcis à Deo creata es, ſuper quam ante ipſius Mundi natalem Spiritus Dei ferebatur. Præſentiâ Moyſi in te amaritudo moritur & à Schiſmaticis hodie cum Catholicorum turba, dulcedo tua vexatur.* Ubi eos, quòd aquæ ſalem miſcerent, *vexâſſe dulcedinem* ejus, queritur. Vide eum *loc. cit.*

AQUA Sancta, quid vocetur in Eccleſia Romana, vide infrà, *Aqua benedicta Beneficia*.

AQUA Sapientiæ, in Muſæo Kircheriano. Fecit nempe Auctor globum cryſtallinum, hermeticè ſigillatum, in quo liquorea, juxta Elementorum ordinem, quadruplici colorum varietate diſtinguuntur; permixtione verò confuſi tam pertinacis naturæ ſunt, ut immediatè quilibet ſe in ſuam Sphæram recipiat, verum quatuor Elementorum ſymbolum. Ita Georgius de Sepibus *in Collegii Romani Societ. Jeſu Muſæo, p.* 46. Plura verò ejuſdem Auctoris in hoc elemento experimenta vide infrà, ubi de *Hydraulicis*, *Hydroſtaticis* &c.

AQUA Separationis, apud Hebræos, dicebatur *Aqua* cinere vaccæ rufæ reſperſa, quâ pollutii è morticino purificatio, quæ præ

cæteris omnibus ſingularis erat, peragebatur, Numer. c. 19. v. 19. Nempe vacca hæc tota rufa erat, quam qui comburebat princeps Sacerdotum (ſecundus à Pontifice) per ſeptem dies eum in finem *ſeparabatur* ab uxore. Comburebatur autem, è Templo educta, in monte Olivarum, & ſanguis ejus aſpergebatur. Aquæ verò illios reſperſæ cineres ſervabantur, ut purgandæ immunditiei ex contrectatis cadavere contractæ inſervirent. Ad quem ritum David alluſit Pſalm. 51. v. 9. *Expiabis me hyſſopò & purus ero: lavabis me & præ nive albeſcam.* Et Paulus 1. Cor. c. 15. v. 29. ubi de *Baptiſmo* ὑπὲρ νεκρῶν, h. e. eorum, qui purificati à pollutione mortis, in Sanctuarium redibant. Burmannus, *de Munditie & Immunditie legali.*

A Q U A Sordida & ſtercorata, ſuper ſponſam jactata, in *L.* Longob. *l.* 1. *tit.* 16. §. 78.

A Q U A Sparſa, caſtellum fuit Galliæ, in inferiori Alvernia, Montipencerio proximum, à re nomen habens. Fons enim ibi ſeu rivos, cujus aqua *ſpargitur* ac deficit. Vulgò *Aigue-perſe*, pro *Argue-eperſe*, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque *Aquaperſa.*

A Q U A Sparta, oppid. Ital. in Umbria. Sita in monte, Ducatus titulo gaudet, gentis Cæſiæ.

A Q U A Tepida ſeu *Calida*, in ſacrificio, ut vocant, h. e. in S. Euchariſtia, à Græcis adhiberi ſolita, memoratur Innocentio IV. *Ep.* ad Ottonem Cardin. Tuſcul. §. 8. Vide Jac. Goarum *ad Euchologium Græc. p.* 148.

A Q U A Viva, Vicus, prope Apenninum, in limine comitatus Moliſini, in regno Neapolitano. Item, oppid. Pannoniæ ſuperioris in Stiriæ & Hungariæ confinio, *Fuezet* ſeu *Teplicza.* Item, caſtrum regni Neapolitani in Barana provinc. ad radices Apennini. Unde celebris familiæ nomen. Vide & *Aqua viva.*

de A Q U A Sparta Matthæus, vide *Matthæus.*

A Q U Æ Amaræ examini, olim apud Hebræos, ſuſpecta adulterii uxor, ſubjecta eſt, ex Lege de qua Numer. c. 5. a marito Zelotypo, h. e. qui præmonuerat uxorem, ne deinceps in ſecreto eſſet cum aliquo, idque coram teſtibus; quæ nihilominus cum illo, de quo præmonita erat, *in ſecreto* fuiſſet occultata, idque teſtibus item probaretur, *quantillo tempore pollui fœmina poſſet.* Quà modò uxore ſuſpectà etiam marito interdicebatur, uſque dum potatis *aquis amaris* innocentem ſe præbuiſſet &c. Fuêre tamen uxorum aliquot genera, quæ, tametſi anteceſſerat *præmonitio* & *occultatio*, adeſſentque teſtes utriuſque, potatione nihilominus libera erant, at ejicienda ſine dote & illicita dein perpetuò marito. In hiſce & Sponſa & Fratria, cujus nuptiæ à Levim expectabantur; niſi Sponſus præmonuiſſet & poſt nuptias occultaretur uxor cum eo, de quo præmonita fuerat. Item uxor cæci, claudi quoque ac muti, aliæque, de quibus Magiſtri conſulendi. Sed nec ritè ad *aquas* has uxorem adigebat maritus, qui ipſe purus non eſſet; unde, ſi talis uxorem ſuſpectam in examen deduxiſſet, *non ſuam examinis non exercuiſſe Aquas*, iidem tradunt. Vide Gemaram Babylon. *ad tit. Kidoſchem* c. 1. *fol.* 27. Quæ autem examinis hujus formula fuerit ac ritus; quò item illud ſeculò in deſuetudinem abierit, dicemus infrà, in voce Zelotypia. Plura verò qui volet, adeat Joh. Seldenum. *Uxore Ebraic. l.* 3. *c.* 13. 14. 15.

A Q U Æ Benedictæ beneficia, in Eccleſia Romana dicuntur in Synodo Exonienſi A. C. 1287. c. 29. *fuiſſe a Majoribus ab initio inſtituta, intuitu caritatis, ut ex eorum proventibus pauperes Clerici exhiberentur in Scholis, ibidem taliter proficerent, ut aptiores ---- fierent ad majora.* Mox addit Synodus, *Statuimus quod in Eccleſiis quoque à Scholis Civitatis vel Caſtrorum Diœceſis ultra* 10. *non diſtantibus milliaria*, Aquæ benedictæ beneficia, *ſolis Scholaribus aſſignentur.* Deinde jubentur Presbyteri Parochiales Clericos magis idoneos ad ejuſmodi beneficium præficere, quibus ſi Parochiani ſubtrahere velint eleemoſynas conſuetas, ad ipſas erogandas compellantur. E quibos colligit *Car. du Freſne*, agi hic, *de Parochianum*, ut in Gallia vocantur, *Clericis*, qui etiamnum in aliquot Galliæ provinciis ſtatim poſt peractam Miſſam majorem, *quam benedictam* in parochianorum domos deferunt, eâque familiam univerſam, præmiſſâ oratione brevi, aſpergunt. Non modò enim populum, ſed & domus ipſas hac *aqua* aſpergi, ab antiquo obtinuit: Vide de Conſecratione fontis & aquæ per domos ſpargendæ, apud Riculfum, Sueſſion. Epiſcop. in *Conſtitut. c.* 5. E quo officio quod obveniebat, *Aqua ſancta* nudè appellatur in *Charta* veteri apud Ughellum *Tom. II.* Hinc *Circuitiones cum aqua benedicta*, inter jura Parœcianiæ, recenſentur ab Innocentio III. *l.* 3. *Ep.* 31. Nam ſolis Presbyteris Eccleſiarum ſeu Curionibus, jus erat *die Dominicò cum pſallentio circumire Eccleſiam ſuam una cum populo & aquam benedictam ſecum ferre*, ut habetur in *Capitul.* Caroli M. *l.* 5. *c.* 210. apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Quid autem dicatur *Aqua Benedicta*, vide ſuprà.

A Q U Æ Ferventis judicium, una ex purgationibus olim vulgaribus, quas *Judicio Dei* appellabant: ſeu examen, quo quis de crimine ſuſpectus, quò ſe purgaret, manum in *aquam ferventem* nudatô brachiô immittebat; atque, ſi illæſam extraheret, innocens: ſi contrà, reus pronuntiabatur. De cujuſmodi examine multa præ cæteris habet Hincmarus Remenſ. *de Divortio Lotharii & Tetbergæ*, *Vicarius ipſius fœminæ ad judicium* aquæ ferventis *exiit*, *& poſtquam incoctus fuerat ipſe repertus, eadem fœmina maritali thoro ac regio conjugio ---- reſtituta eſt*, &c. Fuit autem aqua calefacta, in *aëno*, i. e. cacabo, ſeu olla, ſuppoſitò igne: unde *ad aënum* ſeu *aneum provocare*, in *Pacto* Childeberti & Chlotarii §. 4. quod aliis *caldaria eſt*, unde *manum in caldariam mittere*, *L.* Longobard. *l.* 1. *tit* 33. §. 1. Quemadmodum & *Cacabus* pro examine ferventis aquæ uſurpatur, in *Charta* A. C. 1102. apud Ughellum *Tom. VII. p.* 864. & apud Johann. Tinnemuthenſem in *Vita* Paterni Epiſcopi Venetenſis *num.* 4. Quô ritu verò hoc examen fuerit peractum, diſcimus ex *Ordine Exorciſmi vel benedictionis aquæ calidæ*, quam habent Juretus *ad Ivonis Carnot. Ep.* 74. Delrius *Diſquiſit. Magic. l.* 4. *quæſt.* 4. *ſect.* 4. Pithœus in *Gloſſis ad Capitul. Caroli M.* Lindenbrogius, poſt *Formulas ſolemnes*, Goldaſtus *Alamannicorum Tom. II.* Mabillonius *Analectorum Tom. I.* Alii: Ita autem is, *Cum homines vis mittere, ad comprobationem judicii aqua calida, primum fac eos intrare cum omni humilitate in Eccleſia & proſtratis in oratione dicat Sacerdos has orationes ---- Quibus completis ſurgatur pariter, & coram hominibus illis cantet Presbyter Miſſam & faciat ad ipſam Miſſam offerre. Cum autem ad Communionem venerint, antequam communicet, interroget Sacerdos cum adjuratione, & dicat: Adjuro vos &c.* (Vide infrà ubi de *Aqua frigidæ judicio*) *Deinde imponatur ignis ſubter caldaria & dicat Sacerdos has orationes, quando ipſa aqua caleſcere cœperit ---- & qui manum mittit in aquam, ad ipſum examen, dicat orationem Dominicam & ſignet ſe ſignaculo crucis & feſtinè deponatur ipſa aqua fervens deſuper juxta ignem, & Judex perpendat ipſum lapidem inligatum ad menſuram N. infra ipſam aquam more ſolito & ſic inde extrahat eum in nomine Domini, ipſe qui intrat ad examen judicii. Poſtea cum magna diligentia ſic fiat involuta manus ſub ſigillo judicis ſignata, uſque in die tertio, quà viſa ſit viris idoneis & aſtimatis.* Ubi quæ habentur de *lapide inligato*, diſtinctiùs explicantur in *LL.* Adelſtani Regis. *In aqua ferventi accipiat homo lapidem, qui per funem ſuſpendatur in ſimpla orobatione, per menſuram palmæ, in tripla autem unius ulnæ; manus verò ſigilletur & aperiatur, ut dictum in conſecratione ferri.* Nimirum Lapis fune deſuper alligatus in cacabum demergebatur, quem reus extraheret, immiſſa in aquam ferventem manu, vel brachiô. Eodem facit vetus Notitia ex Adverſariis Peireſcianis, à Car. du Freſne excerpta, quæ ſic habet: *Arnulfus, — S. Mariæ Monaſterio vineas ſuas poſt mortem filiorum ſuorum Laurentii & Frogerii, ſi abſque liberis migrarent à ſeculo, in perpetuum conceſſit. Quibus nullo remanente hærede defunctis, Gauſridus Adelelmi fil. Telbertuſque Præpoſitus, Odilus atque Lambertus; ſeſe hæredes illius ---- aſſerentes, donationem illam irritam reddere* conati ſunt, atque adeò *prædictis vineis, calumniam impoſuerunt, quod in Curia S. Mariæ ante Richildim Abbatiſſam veraces ſublimeſque perſonæ, quorum nomina ſubterſcribuntur*, A P E R T A L E G E *probandum fore judicaverint: qui videlicet calumniatore hominem ſuum Hermaldum nomine ---- in SS. Trinitatis Eccleſiam, ubi caleſiebat aqua, deduxerunt. Sed Deus ---- apertè manifeſtavit judiciò, illos prædictarum calumniatores injuſte extitiſſe vinearum. Nam prædictus Hermaldus, Miſſa celebrata, corporiſque Chriſti ac ſanguinis communione perceptâ, nec non & perejurandò ſuper Sanctorum reliquias pro more perſoluto, ita oculorum lumine privatus erat, ut vix ad ſartaginem ---- recedere poſſet. Immiſſam verò manum ita ex aqua laſam extraxit, ut ipſe non ſolùm in manu, verùm etiam interiùs penè ad intima uſque cordis ſe combuſtum conſiteretur, & ille & magiſtri ſui reatum ſuum agnoſcere cogerentur. Qui etiam dum in manum, moris eſt, ſigillare permitteret, rogaretur; ajebat, ſe nullatenus poſſe præ dolore pati ut aliquid manum illam contingeret. Servatur in manu ancha uſque in diem tertium inflatam admodum & excoriatam, ſanieque jam carne putrida effluentem dextram cunctis oſtendit. ---- Teſtes Gauſridus de Meduana* &c. Vide quoque infrà: it. voce *Tripodium.*

A Q U Æ Frigidæ, ſeu etiam *Aquæ Judicium* ſimpliciter, purgationis olim genus erat, quô criminis alicujus ſuſpectus vel accoſatus, in *aquam* demergebatur: ita ut, ſi ſupernataret, nocens ac reus; contrà, ſi in imum delaberetur, innocens judicaretur. Sic apud Gregorium *Decret. l.* 5. *c.* 8. Presbyter de homicidio infamatus, *judicio aquæ frigidæ ſuam innocentiam probaſſe*, dicitur: cujuſmodi purgationes, apud medii ævi Scriptores, frequenter occurrunt. Fundamentum earum hoc fuiſſe, ait Hincmarus Remenſ. *lib. cit. p.* 60. *Et quoniam ---- oſtendimus divinâ auctoritate Baptiſmum eſſe judicium quo Princeps mundi mendax foras ejicitur — divini Viri ad ignota inveſtiganda invenerunt Judicium* Aquæ frigidæ. *In quo ad invocationem veritatis, quæ Deus eſt, qui veritatem mendacio cupit obtegere: in aquis, ſupra quas vox Domini Dei intonuit, non poteſt mergi* &c. Idem ad Hildegarium Epiſcopum Meldenſem, *p.* 676. *Solertia Chriſtianitatis, inter acta & agenda judicia conſiſtentis, ex antiquo ſanxit & frequentavit judicium quod fit per* Aquam, *quodque ſub Noe factum fuerat in Arca fidei, liberans innocentes & condemnans noxios.* Adjurabat autem hominem priùs Sacerdos hôc ferè modô: *Ut ſi de hoc furto ſciſti, aut vidiſti, aut bajulaſti, aut in domum tuam recepiſti, aut conſentiens aut conſentaneus exinde fuiſti, aut ſi habes cor incraſſatum aut induratum, evaneſcat cor tuum & non ſuſcipiat te aqua, neque ullum maleficium contra hoc prævaleat, ſed manifeſtetur.* Quô factô, interdum plures in aquam demergebantur tales, ſi plurium criminum ſuſpecti eſſent, & quidem immergendi colligabantur: in quo judicio qui cadebat, *perire* vulgò dicebatur, ut diſcimus ex Hincmaro *Tom. I. p.* 608. item, ex *Divortio* Lotharii p. 607. *Charta* Philippi Auguſti, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Aliis. Judicii peragendi formam verò paulo prolixiùs ita exhibet *Ordo ad Exorciſmum Aquæ frig.* apud Juretum alioſque ſuprà laudatos: *Cùm hominem vis mittere ad judicium aquæ frigidæ, ob comprobationem, ita facere debes; adduc eos in Eccleſiam & coram omnibus illis cantet Presbyter Miſſam & fac eos ad ipſam Miſſam offerre. Cùm autem ad Communionem venerint, antequam communicent, interroget Sacerdos cum adjuratione iſta & dicat: Adjuro vos homines per Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum, & per Chriſtianitatem, quam ſuſcepiſtis & per Sanct. Trinitatem, quam docuiſtis & per iſtas ſanctas reliquias, vel ſanctam venerationem quæ in iſta Eccleſia ſunt, ut non præſumatis accedere ad hoc ſanctum altare, nec hanc ſacram communionem accipere ullò modò, ſi hanc cauſam veſtra reputationis (h. e. illa vel illa) feciſtis, aut conſenſiſtis, aut ſcitis quis hoc egit. Si autem tacuerint ---- accedat Sacerdos ad altare & more ſolitò communicet; poſtea verò communicet illos, qui in aquam mittendi ſunt. Cùm autem communicat, dicat Sacerdos ad altare. Corpus hoc & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit vobis ad probationem hodie. Expletâ Miſsâ, accipiat Sacerdos crucem & Evangelium & incenſum & pergat ad locum deſtinatum cum aſperſione aquæ benedictæ, ut probentur. Et cùm venerint ad ipſum locum, det illis hominibus bibere de aqua benedicta, dicens: Hanc aquam dedi vobis ad probationem hodie. Poſtea conjuret aquam, ubi illos mittere debet, dicens ita: Adjuro te aqua* &c. *Dein exuat eos veſtimen-*

tis

in ſait (*& induat eos veſtimentis de Exorciſta & alliget in eis ſingulariter ſinus rectè conſuetudinis*) *faciatque eos oſculari Evangelium & crucem & poſt hoc aſpergat ſuper unumquemque ex ipſis de iſta aqua benedicta & dicat adjurationem ſequentem & projiciat eos ſtatim ſingulariter in ipſam aquam. Hæc autem omnia facere debet jejunus; & neque illi antea comedant, neque ipſi, qui eos mittunt. Sequitur exorciſmus* &c. Orationes ipſas, quas *Benedictionis aquæ judicii* indigitat Gilbertus Lunicenſis Epiſcopus *de Uſu Eccleſ.* vide apud Scriptores retro citatos. Conſonant autem huic Ordini ad exorciſmum Aquæ frig. *LL.* Æthelſtani Saxonicæ §. 23. Codex verò *MS.* quem laudat Mabillonius, hæc ſubdit: *Hoc autem judicium creavit omnipotens Deus, & verum eſt; & per Dominum Eugenium Apoſtolicum inventum eſt, & —— omnes Chriſtiani —— eum obſervare ſtudeant —— Ideo enim ab illis inventum eſt & inſtitutum, ut nulli liceat ſuper altare manum ponere, neque ſuper reliquias vel Sanctorum corpora jurare.* Nec omittendum, coram Sacerdotibus ipſis iſtiuſmodi examen conſueviſſe peragi, uti teſtantur *LL.* Edw. Confeſſor. *c.* 9. Quod improbat Ekkehardus Jun. *de Caſibus S. Galli c.* 14. *Adſerſerunt ſibi Presbyteros, qui animas hominum cariſſime vendant, feminas nudatas aquis immergi impudicis oculis curioſi perſpiciant, aut grandi ſe pretio redimere cogant.* Quin & ipſis in Ædibus ſacris actitata, legere eſt in *ſtatutis* Calomanni Hungariæ regis *l.* 1. Spectâſſe autem hoc judicium ruſticos aut infimæ ſortis homines, *LL.* docent Scoticæ *l.* 4. *c.* 3. §. 4. cùm per ferrum calidum liberi homines ſe purgarent. Aliquando tamen & nobiles viros ejuſmodi aquæ ſubiiſſe judicium, ſuggerit Hovedenus *p.* 566. ut & Cont. Abbas Urſperg. qui Welphonem quendam Comitem ſub Conrado II. Imperatore *judicio aquæ frigidæ innocentiam ſuam probaviſſe*, narrat &c. Tandem id ſublatum eſt, interdictô Ludovici Pii, Friderici. I. Imperator. & Alexandri II. Scotiæ Regis quod videretur rebaptizari, qui in nomine Domini aquis immergebatur: proſcriptumque, ut & aliæ vulgares probationes, in Concilio Lateranenſ. ſub Innocentio III. *can.* 18. Ne ullus Clericus aut Sacerdos *purgationi aquæ ferventis vel frigidæ ſeu ferri candentis, ritum cujuslibet benedictionis aut conſecrationis impendat.* Obſervat tamen *Delrius loc. cit.* in crimine maleficii ſeu magiæ adhuc examinis hujus reliquias ſupereſſe, ita tamen, ut ſine ulla Dei invocatione, ſine ullo ritu pietatis aliquid præferente, quaſi per ludum, Judices eô abutantur, in quibuſdam Germaniæ regionibus. Quas enim famâ vel aliorum depoſitione ſuſpectas habent, eas ſtatim abſque ulteriore inquiſitione capiunt, captaſque extra urbem deducunt & in *aquam frigidam* ita conjiciunt, ut dextra manus ſiniſtro pedi, ſiniſtra verò dextro alligata ſit: & ſi ſupernatant, veneficas vehementiùs ſuſpicantur & ideirco acriori ſubjiciunt quæſtioni; ſin ſubmergantur, innocentes eſſe putant. Ad cujuſmodi veneficarum examen videntur ſpectare, quæ habet Auctor *Vitæ* Ludovici Pii A. C. 834. *Gerberga —— tanquam venefica, aquis præfocata eſt.* Et Nithardus *l.* 1. *A. C.* 835. de eadem: *Gerbergam more maleficorum in Ararim mergi præcepit* &c. Plura vide apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Loccenium *Antiqq. Suecicar. l.* 2. *c.* 7. Sibrandum à Sicama ad *L.* Friſion. *tit.* 24. ex Jure Friſico vetnac. & Kilianum in *Water* vocibus, *ordeel* t ut & infrà paſſim, in *Ordalium*, *Purgatio* &c.

AQUÆ & Ignis interdictio, videi infrà *Exilium*.

AQUÆ, vulgò *Baden*, oppid. Helvetiorum ad Limagum fluv. qui paulo pòſt cadit in Arolam. Aliàs *Oberbaden. Vide Thermæ.* Item, oppid. Germaniæ, verſùs Sylvam nigram, non procul à Rheno fluv. vide *Bada*, it *Badena*.

AQUÆ, Oppidum etiam Auſtriæ, 3. leuc. à Vienna in Auſtrum, ad montium radices.

AQUÆ Albenſes, Urbs Mauritaniæ Sitifenſis. Epiſcopalis.

AQUÆ Auguſtæ, *Ptol.* urbs Aquitaniæ in Gallia, vulgò *Bayonne Acs* verò vel *Dax Vineto.* longitud. 19. 40. latitud. 43. 43. Vide *Taberla* & *Vibio*.

AQUÆ Balıſſæ, oppid. Hungariæ in Pannonia inferiore à Quinque Eccleſiis 5. leuc. diſtans in occidentem. *Selle* vulgò, teſte *Lazio*.

AQUÆ Bigerronum, hodie *Bagneres.* Vide *Aquenſis vicus*.

AQUÆ Bilbilitanorum, *Antonino*, quod in Bilbilis Tarraconenſis urbis agro ſitæ ſint, fortè ſic dictæ. In Arragonia ſunt, & *los banos de Albama*, teſte *Varrerio*, vocantur. Eidem etiam hodie aliæ ſic dictæ ſunt in Bætica, quô verò nomine ex antiquis cognitæ fuêre, ſtudioſis indagandum relinquo.

AQUÆ Cajæ, thermæ in Thuſcia. Harum meminit Strabo *l.* 5. ut refert *Annius Viterbienſis*, item Tibullus in hoc carmine *l.* 3. *Eleg.* 5. *v.* 1.

Nunc autem ſacris Cajarum maxima lymphis.

Sed illic optimi codices *Bajarum* habent. Vulgò *Bagni di Ballicano. Ferrarius* non *Cajas* ſed *Calidas* habet.

AQUÆ Calidæ, urbs Angliæ. Vide *Aquæ Solis*.

AQUÆ Calidæ, *Ptol. Aquæ Celinæ Antonino. Amphilochia Straboni. Auria, in lib. concil.* vulgò *Orenſe*, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis in Gallæcia Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Compoſtellano, inde 18. leuc. quot à Luco in auſtrum Tyden verſus 8. ad Minium fluv. Sed *Aquæ calidæ* potiùs ſunt *Aigues Caldes*; teſte *Beuterô.* Oppid. etiam Hiſpaniæ Tarraconenſis in Auſetanis, propè Gerundam urbem, vulgò *Bagnoles*.

AQUÆ Convenarum, Aquitaniæ oppid. *Antonin.* vulgò *Bagneres* notiuſſim. *Hadr. Valeſio Aques*, Vide illum *Notit. Gall.* in voce *Convenæ* Longitud. 22. 15. latitud. 42. 20.

AQUÆ Cutiliæ, lacus Sabinorum in agro Reatino, vulgò *Lago de Contigliano*.

AQUÆ Flaviæ, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſ. in Bracarum & Callaicorum confinio, oppid. amplum Portugalliæ, à Bracara Auguſta 11. leuc. paulo pluribus à Bragantia. Populi *Aquiflavienſes*. A Tito, & Veſpaſiano nomen habent. Ad fluv. Tamacam, eſtque in Provinc. Portugalliæ, quæ intra montes dicitur, & ad radices montium. Quibuſdam *Aquæ Leæ. Baudrand.* Vulgò *Chiaves*. Longitud. 12. 30. latitud. 41. 40.

AQUÆ Gradatæ, vicus Carnorum apud Aquilejam, ab ea 3. mill. paſſ. ubi S. Chryſogonus pro Chriſto capite plexus eſt. Vulgo *S. Cantiano.* Vicus, ad Sontium fluv. 4. milliar. ab Aquileja, in Ortum, in ea parte Fori-Julii, quæ ſubeſt Imperatori, propè oram littoream maris Adriatici.

AQUÆ Grani, ab aquis calidis ſeu thermis, & ab Apolline Granno, quaſi *Aquæ Apollinis*, vel certè à nomine loci, dictæ ſunt, vulgò *Aken* Germanis, *Aix la Chapelle* Gallis, à Baſilica maxima, quam Carolus M. Chriſto Servatori & S. Virgini ejus matri ædificavit, ut docent Eginhardus *in Vita Caroli* & Poeta Saxo *Annal. l.* 5. quæque vulgò Chriſti omiſsô nomine *Baſilica S. Genitricis* ſeu *B. Mariæ* vocata eſt. Sitæ ſunt in Tungris ſeu in diœceſi Leodienſi. Hic Pippinus Francorum Rex A. C. 765. hiberna habuit & Natalem Domini ac Paſcha celebravit. Filius ejus Carolus M. ſimiliter A. C. 788. imò ab A. C. 794. uſque ad mortem, per annos 20. ibi ſemper hyemavit ac ſedit, ſolô exceptô trienniô, quem Ludovicus Pius eſt imitatus, qui *Aquas* cæteris villis Regiis prætulit. Factum id inter alia, *ob calidos ſaluberrimoſque fontes*, quos ibidem ebullire notum. Alcuino non ſemel dicuntur, pro vico aut villa, *magna & læta & excelſa urbs*, nec non *ſecunda Roma*, *ventura Roma*, ſeu *altera Roma*. ſcribitque à Rege Carolo locum altis mœnibus cinctum, *forô*, *Senatu*, *arce*, *theatrô*, *atriis & Æterni Regis templô*, *balneis* inſuper ſeu thermis, ubi *marmoreis gradibus ſpecioſa eſſent ſedilia*, ornatum eſſe & *fontis bullientis rivos in omnes urbis partes eſſe deductos.* Unde colligitur, loco huic *Romæ* tunc nomen impoſitum, & Carolum de hacce villa Regia urbem facere, atque ita vocari voluiſſe: Hinc & ædes, quas ibi condidit, *Lateranas* nuncupavit. Plura vide apud prædictum Eginhardum, & inprimis *de Manſionibus omnium cujuſque dignitatis hominum, circa Palatium Caroli conſtructis, deque Procerum habitaculis à terra mirâ arte in ſublime ſuſpenſis, de Baſilica item, antiquis Romanorum operibus præſtantiore brevi ab eo fabricata, ex omnibus Ciſmarinis regionibus Magiſtris & opificibus advocatis*, apud Monachum Sanctigallenſem *l.* 1. *c.* 30. & 32. Etiam poſterioribus temporibus Reges ac Imperatores Romanorum *Aquas* adeò venerati ſunt, ut ibi Regni Lotharienſis atque Germanici coronam recipere plerunque voluerint: Ubi nimirum & à Carolo M. Ludovicum, & à Ludovico Lotharium coronatos ac Imperatorii nominis conſortes conſtitutos, & ab eodem Ludovico Pippinum ac Ludovicum, minores filios, Reges appellatos, atque alterum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfectos eſſe cognoverant. Gaufridus *de vita S. Bernardi l.* 4. *c.* 6. ſuâ ætate ſedem Regiam adhuc fuiſſe docet, & celeberrimâ Caroli M. *Capellâ*, i. e. Baſilicâ, illuſtrem extitiſſe. In libro item *de mirac. S. Bernardi*, vocatur *Regum ſedes, celeberrimus & amœniſſimus locus voluptati corporum accommodatior, quam animarum ſaluti.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ*, & infrà in voce *Aquiſgranum*.

AQUÆ Lupiæ, vulgò *Guadaloupe*, Inſul. Americæ Septentrionalis, una ex Antillis, nunc ſub Francis. Vide *Guadalupea*. Item, Vicus Hiſpaniæ cum amne cognomine in Extremadura.

AQUÆ Mattiacæ, vulgò *Visbaden*, oppid. Germaniæ cum titulo Comitatus in ditione Archiepiſcopali Moguntina, à Moguntia 2. leucis in Boream, Francofurtô 4. in Occaſum.

AQUÆ Mortuæ, oppid. Galliæ Narbonenſis operâ C. Marii 200. mill. paſſ. Rhodani oſtiis deductæ. Hæ etiam *Foſſæ Marianæ* vocabantur. Nunc verò, ob aquas ſilentes, *Aigues mortes.* Hic Pharus eſt, & ſedes ſalarii tributi. 7. leuc. ab Arelate in Occaſum, 5. à Monteſpeſſulano in Ortum, juxta Rhodani oſtia, propè mare. *Valeſio* hic locus erat poſitus, inter ſtagnum Latenam vel paludem Taurum & os Hiſpanienſe Rhodani ad mare, & ob id aquis ſtagnantibus ac reſidibus, & veluti mortuis abundabat. Uſique ſunt olim plurimùm Franci hôc portu, unde apud Guil. Nangiacenſem Rex Franciæ Ludovicus, A. C. 1269. *Lugdunum, Viennam & Belliquadrum pertranſiens, ad apertum portum Aquarum mortuarum perveniſſe, & intraſſe mare, ut Tunetum peteret*, dicitur. Nunc urbs alluitur quidem ſtagnô uſque ad muros accedente, cui nomen ſuum debet; ſed à mari 2. mill. paſſ. circiter ſeu ſemileucam abeſt, adeoque portu caret, qui arenis à Rhodano invectis obſtructus eſſe dicitur. Malè autem *Foſſa Mariana Johanni Olivario* vocatur, cùm iſta, Melâ *l.* 2. *c.* 5. Pliniô *l.* 3. *c.* 4. *Æthicô* teſtibus trans Rhodanum fuerit in provincia Vienienſi, *Aquæ Mortuæ* verò citra oſtia Rhodani in provincia Narbonenſi prima ſeu Septimania, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AQUÆ Neri, municipium Galliæ, in agro Burbonenſi finibuſque Biturigum Cuborum, aquis olim nobile, vulgò *Neris.* Hic Patroclus Biturix Monaſterium puellarum, deinde & cœnobium Columbarienſe in Biturigibus ædificavit, Monachiſque loci Abbatem præfecit, teſte Greg. Turonenſi *de vita Patrum c.* 9.

AQUÆ Paſſaris, vel Paſſeris, quarum Martialis etiam meminit *l.* 6. *Epigr.* 42. *v.* 3.

Non mollis Sinueſſa, ferventque,
Fluctus Paſſeris, aut ſuperbus Anxur,
Nec Phœbi vada, principeſque Bajæ.

AQUÆ Patavinæ. *Plin.* quæ *Fontes Aponi Livio* aliiſque dicuntur. *Bagni d'Abano* vulgò. Vide *Aponus*.

AQUÆ Quinctiæ, ſive *Quinctianæ*, oppid. Hiſpaniæ in Callaicis. *Aigues Caldes Moletio.* Aliis oppidul. *Sarria*, in Gallæcia: quod fortè melius.

AQUÆ Regiæ, urbs Africæ Epiſcopalis, ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi. *Antonin.* nunc pagus inter Hadrumetum & Suffetulam 30. mill. paſſ. *Caſal Romol* vulgò dictus, teſte *Moletiô*.

AQUÆ Romæ urbis, fuêre ſequentes.

Anio novus, aqua ex Aniene fluv. extracta, viâ Sublacenſi Romam perducta, 24. ab urbe mill. paſſ.

Anio vetus, aqua pariter ex Aniene, ſupra Tibur extracta, Romam-

mamque perducta per viam novam inter Latinam & Lavicanam.

Alſietina ab Alſio urbe.

Appia ex agro Lucullano, viâ Prœneſtinâ, inter ſextum & octavum ab urbe lapidem deducebatur.

Claudia è lacu Sublacenſi 35. mill. paſſ. diſtante in urbem derivabatur: cujus aquæductus arcus propior apud hortos Pincianos adhuc conſpicitur. Urbem ingrediebatur per portam, quæ nunc major appellatur, olim Eſquilina.

Julia ab Aureliano ducta in Tepulam 12. ab urbe lapide incidebat.

Martia ex lacu Fucino via Valeria deducebatur: cujus aquæductus pars apud Sanctum Laurentium extra muros adhuc videtur.

Tepula ex agro Lucullano via Latina, 12. ab urbe milliariô, ubi villa Luculli erat, apud Columnam oppid. excifum, inter Tuſculum & Tibur.

Virginea, & ipſa ex agro Tuſculano via Prœneſtina, 8. mill. paſſ. ab urbe, in eam per portam Pincianam ducta, nomen ſervans, ac *di Trevi* dicta, uſui totius urbis inſerviens. Cujus meminit Ovid. *l.* 1. *Faſt.* v. 464.

Hic ubi Virginea campus obitur aqua.

Harum porrò aquarum ſola Virginea perſeverat.

AQUÆ Sextiæ, urbs Archiepiſcopalis & colonia Galliæ Narbonenſis, Provinciæ Metropolis, conventuſque juridicus Maſſiliæ finitima, ab ea 5. leuc. in Boream diſtans, ab Arelate 12. ab Avenione 13. in ortum inter Nemauſum ad occaſum 53. & Nicæam ad Varum 10 ortum 73. mill. paſſ. ex *Strabone*. Contractis in unum quinque ſyllabis *Aix* vulgo appellatur. Cæſi hic à C. Mario Teutones Cimbrique. Ad amnem *Arc* ſita, ampla & pulchra eſt, in planitie, creſcit indies, eſtque Parlamenti totius Provinciæ ſedes. longitud. 26. 45. latitud. 42. 45. Olim colonia Romanorum, ut videbimus paulo poſt in Salyorum regione condita, à Cajo Sextio Calvino, à quo nomen accepit, ut & thermis, quas ibidem extruxit. An. 630. vel 631. Urb. Cond. 164. Olymp. 142. ante Natum Chriſtum. Liv. *l.* 60. 61. Vellej. *l.* 2 *c.* 12. Strabo *l.* 4. Plin. *l.* 3. *c.* 5 Plut. *in Mario*. Ad fidem converſa eſt, à S. Maximino, qui primus urbis Epiſcopus dicitur, A.C. 49. Archiepiſcopalis poſtmodum facta. Parlamentum, cujus hæc urbs ſedes, inſtitutum eſt à Ludovico XII. aliis ad Ludovico XI. vindicantibus, poſtquam Carolus Andegav. ultimus Provinciæ Comes, ei ditionem hanc donavit. Moneta hic cuſa literam X habet. Bouchetus & Pithœus, *hiſt. urbis hujus*. Frequentes hic Synodi. Spond. *A.C.* 1585. & 1612. Moretius non à Sextio Calvino conditam, ſed inſtauratam tantùm vult, poſtquam à Barbaris everſa eſſet: quod fatum etiam ſub Longobardis & Saracenis ſubiit. Academia quoque in hac urbe inſignis eſt, &c. Aquarum harum calorem diuturnitate temporis defeciſſe. *nec jam parem eſſe famæ priori*, ſcribit Solinus c. 8. A' *Plinio* Urbs oppidis Latinis accenſetur, at in nummo Veſpaſiani nuncupatur, *Colonia Aqua Sext. leg. XXV.* h. e. legionis viceſimæ quintæ: à *Ptol.* quoque ὕδατα Σέξτια καλοῦνται dicitur; quod idem è duobus lapidibus, Arelatenſi & Romano *Joſ. Scaliger* ac *Sirmondus* probant. *Sextias Bajas Sidonius* vocat i. e. Sextias Aquas ab aquis ſinûs Bajani celeberrimis, circa quas duobus prœliis C. Marius Teutones & Ambrones deleviſſe dicitur, cæſis hoſtium 200 millib. captis 90. In *veterib. Notitiis* provinciæ Narbonenſis ſecundæ *Metropolis civitas Aquenſium* appellatur, ſubjectas ſibi habens 6. civitates, Aptenſium, Rejenſium, Forojulienſium, Vapincenſium, Segeſteriorum & Antipolitanam. Sed poſtea, detractâ Antipoli, & Maritimis Alpibus attributâ, cœteræ ſupradictæ civitates numero quinque, Aquenſi Burgundiæ vel Provinciæ Metropolitano Archiepiſcopo ſubjectæ permanſerunt. Montana urbs eſt, & ſita ad fluviolum *Arcum*, ut dictum, vulgò *Arc* vel *l'Art*, orientem, qui ſtagnum Maſtromelam ſeu Berienſe ingreditur & flexu aquarum ſuarum arcum refert. Incolas ejus *Gregor. Turonenſ. Aquenſes*, *Theodulfus* Aurelianenſis Epiſcopus *Aquinos*, hodie *Aquiſextienſes* eruditi vocant. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AQUÆ Siccæ, vulgò *Seiches*, locus Galliæ *Æthico* memoratus, à Verno Sole 12. millib. paſſuum diſtans. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Vernum Sol.*

AQUÆ Solis, *Antonin.* urbs Angliæ. *Thermæ* & *Aquæ calidæ* dicta; vulgò *Bathe*. In Somerſetenſi Comitatu ad fluv. Avonam. In planitie. Britannis dicebatur *Yrennaint Twimin*, Vide *Bathonia*.

AQUÆ Statellæ, vel *Statyellæ* Plinio, *l.* 3. *c.* 5 Lombardiæ Ciſpadanæ oppid. quod *Acqui* hodie dicitur. Populi *Statielates* Livio *l.* 42. *c.* 8. Ciceroni verò *l.* 11. *Famil. Ep.* 11. *Statellenſes* dicuntur. Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 81. Sub Duce Mantuano, ſed verè deſolata, longitud. 30. 27. latitud. 43. 35.

AQUÆ Sueſſanæ, *Sinueſſanæ*, Liv. *l.* 22. *c.* 13. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Martial. *l.* 11. *Epigr.* 8. vulgò *Torre di Bagni*, Thermæ apud Sinueſſam Campaniæ urbem exciſam. Aliis *Acque di Mondragone* dicuntur.

AQUÆ Tarbellæ, *Auſon. Tarbellicæ Antonin.* quæ *Aquenſium civitas. Liber. Provinc.* Erant in finibus Tarbellorum, in arenis, quas *Landes* vocitant, caput pagi *Aquenſis*, & cum Lapurdo ſeu Bajona malè à quibuſdam confunduntur. Habet urbs hæc Tarbellorum præcipua ab aquis nomen, à gente cognomen, interdum & ab Auguſto, unde nunc *Aquæ Auguſtæ*, nunc *Aquæ Tarbellicæ* dicta eſt. De aquis ejus, ita Plin. *l.* 31. *c.* 2. *Emicant aquæ benignè paſſimque in plurimis terris, alibi frigidæ, alibi calidæ, alibi junctæ: ſicut in Tarbellis Aquitanica gente, & in Pyrenæis montibus, tenui intervallô diſcernente*: quod hodieque ita ſe habet. Inter 12. provinciæ Novempopulanæ civitates ſecunda collocatur & *Aquenſium* dicitur *civitas*, in veterib. Notitiis, Epiſcopuſque ejus primus numeratur, inter decem Antiſtites, Auſcitano, Vaſconiæ Archiepiſcopo ſuffraganeos, apud Gervaſium Tiſlebenenſem. Vulgò *Aqs*, aliàs *Dacqs*, Epiſcopatûs ac Vicecomitatus antiqua ſedes. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* ut & *Aquæ Auguſtæ*.

AQUÆ Taurinæ, *Plin. Acquila Ptol.* oppid. Etruriæ ſub Pontifice apud Peliam fluv. inter Senam 40. & Volſinios 10. in via quæ Romam ducit. Vulgo *Acqua pendente*. Populi *Aquenſes*. Vide *Aquula*.

AQUÆ Voconis, oppid. Hiſpaniæ citerioris in Catalaunia, teſte Epiſcopô Gerundenſi. Urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis in Auſetanis, *Sanſoni Balneole*, ſeu *Banioles* vulgò dictum. Aquæ apud Geographos plura alia ejuſmodi extant nomina, quæ partim Thermæ, partim urbes, & oppida olim fuêre.

AQUÆ in Utta, vulgò *Aix en Otte*, aliis *Aiz en Ot*, & *Aix* abſolutè, caſtellum olim Galliæ in ſylva Utta, ad rivum in Venenam effluentem, non procul a Sedanto in Utta, ad Eccleſiæ Tricaſſinæ Epiſcopum pertinens: ubi Anglos 400. in præſidio fuiſſe A.C. 1358. & cum uſque ad portas Auguſtobonæ Tricaſſium incurſionem faciendo perveniſſent, à Tricaſſinis fuſos eſſe, ſcribit *Anglus*: qui addit, ab his qui evaſerant, *Aquas* eſſe incenſas atque deſertas, Valeſius, *Notit. Gall.*

AQUÆDUCTUS, vide infrà *Canales*.

AQUÆMANILIS, AQUAMANILE & AQUIMINALE, Græcis Χερνιβεῖον, malluvium eſt, quod in templorum veſtibulis antiquitus extitiſſe, indicat Syneſius *Ep.* 121. ut notat *Lyaim*, & liquet ex Paulo Diacono *in Valentiniano*. Anaſtaſius de Innocentio, A.C. 402 *Obtulit — Aquæmaniles argenteas, penſantes ſing. libras 16. &c. Gloſſæ veteres Latino Græc. tit. de artis: Aquale*, νιπτροχάνιον, vide quoque infrà *Aquamanile*.

AQUAGIUM, Feſto *quaſi aquæ agium*, i. e. *aqua ductus appellatur*: foſſa nempe, per quam aqua ducitur, in locis paluſtribus, ſeu per quam eluitur. *Gloſſar. Græc. Lat.* Ὑδραγωγεῖον, *Aquarium*, *Aquagium*, apud Car. du Freſne *Gloſſar. Salmaſio* verò *Aquaria* & *Aquagia* eadem cum Nymphæis ſunt, Græc. ὑδρεῖα; Latinis aliter *Siliani*: ſalientes videlicet, vel fontes manu ſtructi aquam in publico ejaculantes, &c. *Not. ad Capitolin. in Gordiano III. c.* 32. Vide infrà.

AQUALANIA, vicus Italiæ, in Ducatu Urbinat. ubi Totila victus à Narſete plagam accepit, ex qua interiit. Prope fluv. Cannanum.

AQUAM & Terram poſcendi ritus, veterum Perſarum à gentibus, quas ſibi ſubjici volebant, indigitatur Curtio *l.* 3. *c.* 10. *Datis* — *Xerxis inſolentia, aquam ipſam terramque poſtulantium: ut neque fontium hauſtum, nec ſolitos cibos relinquerent.* Quâ petitione abſolutam dantium deditionem ſignificabant, tanquam rerum ad humanam vitam maximè neceſſariarum. Quod pulcrè judicat Taxiles apud Plut. *Alexandr. c.* 103. *Quum neque aquam nobis ademptum, neque victum neceſſarium veneris, pro quibus ſolis neceſſe habent homines ſani decertare.* Qui itaque & hoc & illud quaſi darent, accipere ſe imperium ultro innuebant: qui negarent, illi mox bellô petiti ſunt. Vide quæ de iſto Perſarum more adnotavit B. Briſſonius *l.* 3. cui adde ex Ariſtidis *Panathen.* locum, quô tradit Xerxem iterum Salaminem ad Athenienſes miſiſſe, Aquam & Terram, ut antea petitum, Freinſhemius *ad Curtium dict. loc.*

AQUAMANILE, Lanfranco Archiepiſcopo Cantuarienſi *Ep.* 13. *vas dicitur inferius, in quod manibus infuſa aqua delabitur.* Sicut *urceolus vas ſuperius, unde lavandis manibus aqua infunditur.* In Eccleſia Romana inter miniſteria & vaſa ſacra, occurrit apud Joh. de Janua, *Aquamanile dicitur vas, ſuper quod cadit aqua, quâ abluuntur digiti Sacerdotum, poſt ſumptionem corporis Chriſti.* Hinc *Aquamanile & urceum argenteum mirabili opere*, habet *Chronicon* Fontanellenſe c. 16. &c. Fuit autem trulleum ſeu vas, quod vulgo *Bacinum* appellant Galli, in quod aqua ad manus abluendas defunditur; contrà quàm apud Latinos, apud quos *Aquæmanale* urceolus fuit, ſic dictus Varroni *de Vita P. R. l.* 2. apud *Nonium*, quòd eô aqua in trulleum infunderetur, quaſi *a manando*. Verùm fallitur, judice *Scaligero*, quia *a manibus* dictum, eſtque id vas, quod poſtea *Aquamanile* appellatum. Sed, ut dictum, recentiores pro trulleo vocem hanc uſurpârunt. Illius etymon attigêre, qui per *Aquamanus* vel *Aquammanus* extulêre: Innuere enim hi voluerunt eam loquendi formulam, quâ nobis, aut convivis, aquam ad manus lavandas miniſtrari petimus. Unde in *Gloſſ. Lat. Græc. Aquamanus*, per νίψασθε effertur, ubi legendum alii volunt νίψατε, vel νίψασθε. Et in *Excerptis veter. Gloſſar. Aquam manibus*, ὕδωρ κατὰ χειρῶν; quod iiſdem penè verbis effert Auctor *Colloquii*, i. e. *Affer aquam manibus*, φέρε ὕδωρ κατὰ χειρῶν; quæ loquendi formula vulgaris eſt, apud Plautum *Truculentô* & *Perſâ*. Vide Jac. Cujacium *Obſervat. l.* 2. & *l.* 10. *c.* 13. *Lydius*, *Spelman.* ut vidimus, & Vir doctus *ad Epiſtolas Innocentii III.* ita apud recentiores appellari cenſet vas illud, quod in Communione Romana in Ædis ſacræ ingreſſu, aquâ luſtrali plenum, collocari ſolet; ſed aſſenſum non impetrant à Car. du Freſne, quem vide in *Gloſſar.*

AQUAPERSA, vulgò *Aigueperſe*, oppid. Galliæ, caput Delphinatus Arverniæ, ad amnem Buronium, in eo tractu, qui vulgo *La Limagne*. Urbs princeps eſt Ducatus Montpenſerii. Vetus hic caſtrum, ſitu opereque munitiſſimum, urbi imminebat, ſed deſtructum eſt, A. C. 1634. *Davity.*

AQUARIA, Gall. *Yvoire*, oppid. Sabaudiæ, ad lacum Lemannum, in Caballiaco tractu.

AQUARIA Mola, vide *Mola*.

AQUARII, Hæretici quidam, ſic dicti, quod ſolam aquam afferebant in Calice Sacramenti. Cæl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 40. Cyprian. *Ep.* 63. Epiphan. *hær.* 46. Auguſtin. *hær.* 64. Baron. *A. C.* 257. *n.* 5. Hos imitati ſunt ſeculô 2. etiam fideles non pauci, qui, ne odore vini hoſtibus ac perſequutoribus proderentur, aquam ſimiliter puram in ſacra Synaxi adhibebant, cui errori obviam itum

eſt

eſt Concilio Africanô. Sed & hodie guttas aquæ vinô mixtas, in calice, ponunt qui Latinos ſectantur ritus; quô pactô indigitari dicunt unionem hypoſtaticam duarum naturarum in Chriſto, vinô divinam, aquâ humanam, denotantibus: ſed præter Chriſti Domini noſtri inſtitutum, ut videre eſt ex Hiſtoria Evangel. & Pauli ad Corinthios priore. Græci quoque, præter aquam, quam in Miſſæ principio calici infundunt, & aquam è latere Chriſti manantem deſignare volunt, infundunt poſt conſecrationem etiam aliquas guttas aquæ calidæ ante communionem, ut indigitent, quemadmodum adnotat Simon Theſſalonicenſis, etiam in corpore Chriſti jam mortui remanſiſſe Divinitatis calorem, ſeu ut idem ſubjungit, *Ut labiis admotis & ſanguinem communicantes ita afficiamur, quaſi è vivifico illo latere biberemus.* Quod qui ex officio facere tenetur, *Camiſatum* dici conſuevit, fortè a Camiſia, quæ eſt alba ſeu ſuperpellicium Clericale indumentum. Sed & hæc humanitus excogitata. Vide Macros Fratres in *Hierolex.* & plura de *Aquariis* Hæreticis, infrà in voce *Hydroparaſtæ*.

AQUARII vel AQUARIOLI, dicebantur olim miniſtri Lenonum ſeu meretricum, qui in domo lenonia meretricibus ad lavandum aquas aggererent, vel eas lavantes aquâ perfunderent, ut mediaſtini ſolebant in balneis, quos Græci ὑδροχόους aut ὑδροχόους vocavêre. Spartian. in *Commodo c.* 2. *Aquam geſſit, ut lenonum miniſter*, i. e. ut *Aquariolus* aut baccario, quô modô vocabantur, inquit Salmaſ. οἱ πορνοδιάκονοι, qui in lupanaribus aquam miniſtrabant. *Feſtus, Aquarioli dicebantur mulierum impudicarum ſordidi adſecla.* *Veteres* Gloſſæ, ὑδροφόρος & βαλανεὺς & πορνοδιάκονοι pro ſynonymis habent, ſicque interpretantur apud Plautum in *Pœnulo Act.* 1. *ſc.* 2. v. 12. locum, ubi meretricula de meretricularum lavatione ita verba facit.

> *Binæ ſingulis quæ datæ nobis ancillæ,*
> *Eæ nos lavando, eluendo operam dederunt:*
> *Aggerundaque aquâ duo ſunt viri defeſſi.*

Ubi *ab gerunda*, malè quidam, pro *aggerunda*, legunt. Sic enim idem in *Rudente*, *Act.* 2. *ſc.* 5. v. *ult.*

> --- -- *repperi negotium*
> *Siquidem hic ultro mihi aggerunda etiam eſt aqua*, &c.

Iidem Græcis βακήλοις, ab aqua jacienda ſeu effundenda, ἀπὸ τοῦ βάλλειν ὕδωρ. Latinè quoque *Bacariones*, à *bacarione*, quod vaſis erat aquarii genus, longiori manubriô: *trullam quidam appellabant* inquit *Feſtus*. Eô aquam in balneis hauriebant mediaſtini, quam ſuper lavantes jactarent & funderent, ad eos eluendos: Græcè ἀρύταινα, item ἀρυστήρ. Hinc itaque Bacariones *Aquarioli* dicti ſunt, quòd hujuſmodi munus in domo lenonia obibant & lavantibus miniſtrabant meretriculis, &c. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino c.* 21. Vide quoque infrà in voce *Baliones*. Multum autem in illis luſtris aquæ fuiſſe, teſtis eſt M. Tullius paſſim. *Orat. pro M. Cœlio, pro Muræna, in Vatinium: ad Atticum l.* 1. *Ep.* 16. Hinc Frontinus de *Aquæduct. libr. l.* 2. *Ipſam Martiam ſplendore & rigore gratiſſimam, balneis ac fullonicis & relatu quoque fœdis miniſteriis deprehendimus ſervientem.* Erat enim moris, ut, priuſquam inde abirent, totum corpus lavarent, Chryſoſtomus *in ad Corinth. c.* 6. Ad quem morem alluſit Auctor *Διαταγῶν Clementinarum l.* 6. ubi, quia conſuetudo veterum Chriſtianorum tunc fuit, ut, ſive ab uxoris geniali lecto prodirent, ſive ab impura & ſceleſta Venere, templa non priùs orationis causâ adirent, quàm corpus laviſſent; horum utrumque affirmat ſupervacaneum: hoc quia nil proſit; illud, quia non neceſſarium. Sanè enim hæ lavationes, quarum multi veter. Patrum meminêre, imitatione paganorum uſurpatæ ſunt. Clemens Alexandrin. ὡς ἱερῷ μὴ συνιέναι ἀπὸ γυναικὸς ἀλούτους ἐνομοθέτησαν Αἰγύπτιοι, *Ægyptii lege ſanciverunt, ne quis à muliere illotus ſacra adiret.* Verba Herodoti ſunt, quem lege in *Euterpe*, barbaros reprehendentem, quòd non idem ſervarent. At *l.* 1. ejuſdem conſuetudo Babyloniorum eadem, multis exponitur: In *Ritualibus* quoque Judæorum libris de hoc lavationis genere complura occurunt. Vide iterum Salmaſ. *ad Lamprid. in Commodo c.* 2. Quia verò iſtiuſmodi *Aquarii* ſemper mulieribus hiſce præſtò erant, hinc iis amorum internunciis non raro Romani ſunt uſi; teſte Juvenali, *Sat.* 6. v. 332.

> --- *Veniat conductus Aquarius*, &c.

Sed nec omittam, etiam Aquarum cuſtodes, Græc. Ὑδροφύλακας, *Aquarios* appellati, *l. penult. de aquæduct. lib.* 11. *Cod.* & apud Frontinum *l. de Aquæduct.* Vide Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* & qui multa de iis congeſſit, Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, infrà quoque aliquid voce *Saliens*. Car. du Freſne notat *Aquarios* ſeu *Aquariolos* meretricum, in balneis, Νηροφόρους dici, in *Paſſione* S. Patricii Epiſcopi *num.* 7. 28. April. Ὁ δὲ αὐτὸς παρθένος ἐγγὺς ἵστατο ἐν τῷ ζύθῳ, ὡς εἰς νηροφόρον εἰσήρχετο: &c.

AQUARIUM, vulgo ACQUARIA, oppid. Italiæ, in Friniana regione & Ducatu Mutinenſi, medicatis aquis nobile, ad Scultennam fluvium.

AQUARIUS, Græcè Ὑδρανὸς, in Eleuſiniis ſacris, olim dicebatur ὁ Ἁγνιστὴς τῶν Ἐλευσινίων, qui expiabat aliquem Sacris Eleuſiniis. Lavacrum enim, ut in aliis, ſic in horum quoque Sacrorum initiamentis, ſolenne fuit, more, ex Ægypto Athenas ab Erechtheo jam Rege traductô, Heſych. Υ. & Diodorus. Sic. *l.* 1. Fuit autem in hunc ritum ſacratus, Iliſſus fluv. ubi Luſtrario fieri conſuevit Minoribus Myſteriis, per quæ ad Majora tranſire ſolebant, Polyæn. *Strateg. l.* 5. *in Heraclide.*

AQUARIUS, undecimum Zodiaci ſignum, Capricorno proximum. Ortus 15. Cal. Febr. Fabulantur Poëtæ, hunc fuiſſe Ganymedem, quem Jupiter ejus pulchritudine captus, ab aquila in cœlum raptum, miniſtrum ſuum feciſſe exiſtimaretur. Catullus *Epigr.* 67 v. *ult.* vocat *Hydrochoum*, Julian. *Aquæ fuſorem.* Palladius *Aquæ geſtatorem.* Ovid. *l.* 2. *Faſt.* v. 457.

> *Jam levis obliquâ ſubſedit Aquarius urnâ.*

Virgil. *l.* 3. *Georg.* v. 303.

> ---- ---- *Cum frigidus olim*
> *Jam cadit, extremoque irrorat Aquarius anno.*

Horat. *l.* 1 *Sat.* 1. *de formice*: v. 36.

> *Quæ, ſimul inverſum contriſtat Aquarius annum,*
> *Haud uſquam prorepit.*

Nota ejus ≈ aquarum fuſionem repræſentat; quâ antiqui etiam Chimiæ Auctores marinas aquas deſignavêre. In libro vetuſtiſſimo, quibus ea ſigna explicantur, offendit hoc modô Salmaſ. θαλάσσια ὕδατα, ≈ ὄμβρια ὕδατα, &c. uti videre eſt apud illum *ad Solin* p. 1245. Cæterum uti Leo Ægyptiis, ſic *Aquarius* Romanis anni fuit principium, Idem p. 435.

AQUARUM Comes, vide infrà ut & *Aquarum Conſularis*, ibidem.

AQUARUM Curator apud Romanos, qui & *Aquarum Pontifex*. Vide infrà. Idem Græcè Κρηνῶν Ἐπιστάτης, Magiſtratus Athenis, de quo, vide infrà in *Potens inter Hippicum*.

AQUATIO, Græcè ὑδρεία, apud Cicer. *de Offic. l.* 3. *Hic loco Syracuſis eſt, quicquid eſt piſcium. Hic aquatio. Hac villa iſti carere non poſſunt.* Sicut locus aquationis, ὕδρευμα. Sed & pro ipſo loco *Aquatio*, ſumta Latinis, uti & ὑδρεύματα Græcis, adeoque pro manſione in locis aridis ac incultis: Id enim in his ὑδρεύματα ſunt, quod in locis cultis ac habitatis σταθμοί, i. e. *manſiones*. Manſiones ſemper circa ὑδρεῖα vel puteos diſpoſitæ, ad quas neceſſario divertendum ac manendum, quod iter aliâ viâ inexplicabile eſſet propter aquarum penuriam. Hinc Plinius iter a Copto Berenicen confici ſcribit, *aquationum ratione diſpoſitis manſionibus*, *l.* 6. *c.* 23. &c. Quemadmodum autem ἐποχαί temporum dicuntur certæ notæ ac ſigna, quibus temporum intervalla diſtingui ſolent, quibuſque immorari ac ſtare neceſſe habent, qui tempora ſolicitè computant ac Chronica ſcribunt: ita οἱ τῶν ὑδρευμάτων ἐποχαῖς, *Aquationum manſiones*, vocat *Ptol.* quibus itineris intervalla diſtinguebantur, quòd per ea neceſſariò tranſeundum viatoribus. Breviſſimæ verò illæ ſunt, utpote quæ diei bonus iter vix ſuperent, & per eas neceſſariò eundum ac redeundum: quapropter ſtadiaſmum illorum locorum ita compertum idem eſſe vult, ut nihil magis. Cùm in majoribus diſtantiis, quas μεγάλας διαστάσεις, item μείζονας ἀποχὰς vocat, talis certitudo locum non habeat. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 495. & 1184. P. de Valle *Itiner. Tom. IV* ubi iter ſuum per *Arabiæ Deſertum enarrat*, & infrà in vocibus *Hydreum* & *Manſio*.

AQUATULCUM, oppid. & portus Americæ Septentrional. in nova Hiſpan. & provinc. Guaxacæ, ad mare Pacificum. Paucis conſtat incolis, cum caſtro Hiſpanorum.

AQUAVIVA, nomen urbis, de qua ſuprà in *Aqua Viva*: in qua ſeculô 15. florim Julius Antonius *Aquaviva* Dux de *Atri*, fil. Gioſiæ *Aquavivæ* Dux de *Atri*, extinctus A. C. 1479. Quô & Catharinâ Urſinâ natus Andreas Matthæus Dux *de Atri*, Princeps Tarent. genuit ex Iſabella Piccolominea Arragonia, Joh. Franciſcum *Aquavivam* Marchionem *de Bitonto*, maritum Dorotheæ Gonzagæ, patrem Julii Antonii Comitis Converſani; qui ex Anna Gambacorta reliquit Joh. Franciſcum Marchionem *de Bitonto* (qui in Gallia deceſſit exul: Pater ex Camilla Caracciola Gioſiæ & Annæ Uxoris Ludovici d'*Aretio*, Comitis de *Chaſtean villain*) & Balthaſarem *Marchion. di Bellante* cui ex uxore Hieronyma Cajetana Aragonia obtigit poſteritas, titulô *Marchionum di Bellante* & *Principum di Caſerta* &c. Vide Phil. Jac. Speneruṁ *Theatro Nobilit. tom.* 3.

AQUENSIS Albertus, vide *Albertus*.

AQUENSIS Matthias, vide *Matthias*.

AQUENSIS Vicus, Gall. *Bagheres*, oppid. Galliæ, in Novempupulania, in Bigerronibus, aquarum ſalubritate nobile. Ad Aturium fluv. in valla Campana.

AQUEUS Chamæleon, vide *Chamæleon Aqueus*.

AQUIA, provinc. & oppid. Japoniæ, in Aſia, in ora meridion. parteque ea, quæ *Niphon*.

AQUIFOLIUM, inter arbores infelices, apud Veteres quibus portenta & prodigia comburi ſolebant, qua de re pluribus agit Salmaſ. *ad Solin.* p. 270. & *ſeqq.* Interim inter pretioſa ponitur ligna Plinio, quæ in laminas ſecabantur & quorum operimentô veſtiebatur alia materies, *l.* 16. c. 43. *Quæ in laminas ſecantur, quorumque operimentô veſtiatur alia materies, præcipua ſunt, citrum, terebinthus, acerii genera, buxum, palma*, Aquifolium, *ilex, ſambuci radix, populus.* Idem ex Catone notat *ibid.* vectes *aquifolios*, laureos, ulmeos, fieri debere. Apud eund. p. 962.

AQUIGIRÆ, populi Americæ meridionalis in Braſilia, verſus præfecturam Spiritus Sancti in mediterraneis.

AQUILA, vir Judæus ex Ponto. Actor. c. 18. v. 2. Alius, qui libros Veter. Teſtamenti ex Hebræo in Græcum ſermonem tranſtulit. Vixit ſub Hadriano, à quo Ædilis factus, & Hieroſolymæ, quam hic Imperator *Æliam* à nomine ſuo vocavit, condendæ præpoſitus eſt. In hoc munere dum verſatur, Religionem Chriſtianam amplexus, & baptizatus eſt, ſed ob nimium Aſtrologiæ amorem à communione excluſus, tranſiit ad Judæos, circumciſione admiſsâ. A quibus cùm Hebræam linguam utcunque didiciſſet, Biblia Græcè ſic vertit, ut animum in 70. Interpret. & Chriſtum infenſiorem non raro prodat. Moretius in *Aquila*. Voſſ. *de Art. Gram. l.* 1. c. 31. *Aquila Ponticus ex Gentili Chriſtianus, poſteaque Judæus factus, cùm Hebraicè didiciſſet, ſub Cæſare Hadriano* A. C. 129. *Veteris Inſtrumenti libros Græcè ita tranſtulit, ut verbum verbo redderet.*

AQUILA Pontinus, vide *Pontinus*.

AQUILA Vedius, vide *Vedius*.

AQUILA, olim *Calydon*, urbs Ætoliæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Naupactenſi ad Euenum fluv. vulgo *Ayton*, teſte *Sophiano*.

AQUILA, urbs Epiſcopalis Brutiorum, ex ruinis Furconii antiquiſſimi oppidi, à Longobardis ædificata. *Volaterran.* Ex præcipuis

regni Neapolitani longitud. 37. 10. latitud. 42. 19. Vide *Amiternum*. Item Scythiæ fluv. *Herodot.* Etiam *Aquila* Major & Minor, Mauritaniæ Tingitanæ loca duo. *Antonin.* Fuit & Tuſciæ mediterraneæ urbs, *Aquapendente Leandro*.

AQUILA, vulgo *l'Aigle*, oppid. Franciæ, in Normannia, ad Riſlam fluv. Orderico Vital. *Hiſtor. Eccl. l. 4.* vocatur *caſtrum Aquilæ*, à nido *aquilæ*, in quercu ibi: cum conderetur, reperto. Ejus Auctor Fulbertus eidem dicitur, qui præfati libri illud quoque *Oppidum Richerii* appellat. Oppidulum eſt, ad flum. Riſclam, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide & ad *Aquilas*.

AQUILA, ob ſuam excellentiam à Gentilibus Jovi, ut ſummo Deorum, olim dicata, ejuſque *armigera* dicta eſt, unde fulmen triſulcum pedibus geſtantem fingebant. Hinc *Aquila ſignum Jovis*, Scholiaſtæ *Cæſaris* Germ. *ad Arati Phænom.* dicitur; fortè ideo, quia, uti ſcribit *Fulgentius*, in prælus aquilam auream, locò inſignis, ſibi fecit Jupiter, unde finxere Poetæ, ejuſce avis miniſteriò Ganymedem ab eo raptum eſſe. Sed & jam longè priùs de ea *Theocritus* dixerat, Διὸς αἰετὸς αἰσιος ὄρνις, *Jovis fauſta avis*, *Jovis hoc ſignum*. Ajunt autem, Jovem hanc potiſſimùm ſibi avem delegiſſe, quòd, dum adhuc infans eſſet, in Creta inſul. nectar eidem quotidie aquila deferret, ex ſcopulis, ut ex Oceano, ambroſiam columbæ. Vel, ut alii volunt, quòd felici aquilæ advolantis augurio victoriam contra Titanas eſſet conſecutus: Vel ſanè, quòd *aquila ζῶον βασιλικὸν*, *animal regium* ſit, uti appellatur ab Æſchyli Scholiaſte, & ſupremi inter Deos Imperii, quod in Jove finxere Gentiles, fuerit ſymbolum. Unde Clearchus Heracleenſis Tyrannus, cùm ſe ab ipſo Jove prodiiſſe, populis vellet eſſe perſuaſum, *Aquilam*, tanquam natalium hujuſmodi infallibile indicium, præferri ſibi voluiſſe legitur. In auguriis certè illi principatus attributus eſt, ac jam Homericâ ætate, ſi a dextris, alis expanſis, perſtrepuiſſet, boni ominis putatum. Eadem Tarquinio Priſco imperium, Alexandro M. victoriam, at Tarquinio Superbo & Dionyſio Siculenſi imperii amiſſionem dicitur portendiſſe. Etiam Jovis hæc ales aliis prælata eſt, in Imperatoribus conſecrandis. Nam, ut eſt apud Herodian. *l. 4.* ſimul ac Veter. rogo ignem ſubjecerant, *Aquila* ſoluta è rogo petebat ætherem, quæ in cœlum animam Imperatoris deferre credebatur: Unde in nummis cernas parte unâ effigiem Imperatoris, alterâ *Aquilam*, cui is inſideat, cum inſcript. CONSECRATIO SC. Præterea, figurâ ejus ſignificata olim Imperii potentia ac Majeſtas: quam ob cauſam regiis ſceptris eam etiamnum inſidentem; Dionyſ. *l. 3.* Liv. *l. 9.* Plut. *in Romulo*; uti & eburneis apud Romanos Conſulum ac triumphantium ſcipionibus. Unde Prudentius contra *Symmachum l. 1. v. 349.*

Poſt trabeas & eburnam Aquilam, *ſellamque curulem.*

Qui à quibus eam acceperint: an à Perſis, quos Aquilam longiori haſtæ impoſitam vexilli locô in præliis extuliſſe atque inde *Æſchylum* non alio Xerxem, quàm Ἀετοῦ nomine indigitâſſe, legimus: an ab Etruſcis, de quibus infrà dicetur; non adeo liquidum eſt: cùm ab ipſis Reipubl. primordiis inter præcipua ſupremæ dignitatis inſignia ſemper habita ſit, tradatque *Dionyſ. Halicarn.* eam à Thuſcis habuiſſe Romanos, quibus, poſt inita pacis fœdera, Regum ſuorum ornatus præcipuos miſerint, hoſque inter *ſceptrum eburneum aquilâ inſignitum*, quod Romani Conſules ſervaverint deinceps, tanquam præcipuum dignitatis ſuæ argumentum. A quo tempore, *Aquila*, in inſignibus militaribus *præcipuum* primò fuit: cujus cuſtodiam gerebat primipilus ſive primus Triariorum Centurio: quem ad honorem ferè à primo principe, uti ad hunc à primo haſtato pertingebant. Ab hoc itaque *Aquilæ* hujus ſeſe expandentis effigies, haſtæ præpilatæ ſuffixa geſtabatur: primùm Legionibus dicata à C. Mario, Plinio teſte *l. 10. c. 4.* Unde in nummo veteri videas aquilam bicipitem, argumentum legionum duarum in unam coalitarum. Dein, *unicum* eſſe cœpit, ex quo Marius hic bellô contra Cimbros, cæteris Romanorum ſignis abrogatis, illam ſolam retinuit: quæ quidem aurea fuit, & in ſacrario perinde aureo ſolebat aſſervari. Quando verò *biceps Aquila* invecta fuerit, ſimiliter aſſequi planum non eſt; cùm nec in Imperatorum vel Conſulum nummis, nec in cæteris rei antiquariæ monumentis uſpiam occurrat, præterquam in columna Trajani Romæ, ubi militis clypeo inſculpta viſitur. Et quidem, ut de Orientali Imperio aliquid priùs dicam, cùm de Occidentali nullum ſit dubium, (ubi Rex quidem Roman. unicam, Imperator bicipitem in inſignibus habet) de Romano Diogene Imperatore Conſtantinopolit. eô prælio, quô à Turcis cæſus eſt, aguſtum abiis, ex aquila aurea loricæ intextâ, ait Guilielmus Apulienſis, ſed an bicipiti, non indicat, *de Geſtis Normann. l. 1. p. 23.*

Indicus Aquilæ, *quòd plus dabat omnibus armis*
Aurea conſpicuum lorica intexta nitorem,
Græcorum dominus cognoſcitur.

Et uniceps *Aquila* in inſignibus gentilitiis Palæologorum Montferratenſium, quâ Imperium Conſtantinopol. deſignaret, deſcripta eſt; in effigie quoque Conſtantini Palæologi Michaelis Imperatoris filii, pallium aquilis cum unico capite inſperſum conſpicatur. Præterea in priori Theodori Laſcaris, ejuſdemque Michaelis Palæologi Imperatorum nummis, quos Octav. exhibuit *Strada*, ſi tamen genuini ſunt pulvilli, quibus pedes inſiſtunt, ejuſmodi omninò aquilis inſperguntur. Ita pariter in Michaelis Palæologi Imperatoris pedibus ſubſtrato pulvillo, ad utrumque latus, uniceps aquila effingitur: in Andronici verò ad ſiniſtrum duntaxat, in iis ſcil. eorundem Augg. imaginibus, quas ex codice Auguſtano *Hiſtoriæ* Georgii Pachymeris. Nicephoro Gregoræ præmiſit *Hieron. Wolphius*. Idem tamen Strada Theodori Laſcaris junioris nummum alium deſcribit, in cujus pulvillo *aquilæ bicipites*, quomodo etiam effingitur à Wolphio, ex eodem codice Auguſtano. Sed & Georgius Phranzes ſolennem apparatum, quô Venetiis exceptus eſt Johannes Palæologus Imperator deſcribens, ait, nautarum, qui navem, quâ ille vehebatur, ducebant, pileos bicipitibus aquilis fuiſſe ornatos: & in ipſius navigii puppi, binos exaratos leones, hoſque inter ſimilem aquilam effictam. Teſtatur etiam *Iſmael Bulialdus*, etiamnum in eo Palatio, quod Conſtantini nomen ſervat, compluria ſcuta cum bicipiti aquila ſpectari. Sed & præ manibus habere ſcribit Car. du Freſne *Epiſtolam* Demetrii Palæologi Deſpotæ ad Carolum VI Franciæ Regem cui adnexum ſit ſigillum cereum papyro ſuperlitum, in quo *biceps Aquila* iiſdemque corollæ conſpicitur, ut de calceis eorum nil addam de quibus vide infra in voce *Tzanga*. E quibus omninò confici videtur, Byzantinos ævi poſterioris Auguſtos bicipitem detuliſſe aquilam auream (in campo rubeo) uſitamque perinde, ac cæteras nationes armorum inſignibus. Vide quoque *Johannem Cantacuzenum*, qui locô navalem Andronici Palæologi Imperatoris ad Chienſem expeditionem proficiſcentis apparatum commemorat, *l. 2. c. 18.* A Romanis vero ad Byzantinos tranſiiſſe armorum ſeu inſignium uſum certum eſt, quamvis non certo definiri poſſit, quando id primùm cœperit. Fuit autem biceps *Aquila* ſignum Romani Imperii in *Orient.* & *Occident.* diviſi: quod non jam ætate Conſtantini M. contigiſſe dicenti, nec demum imperante Carolo M. quod *Ulyſſes Aldrovandus* cenſuit: ſed in temporibus Honorii & Arcadii, quorum culpâ Imperium ſic eſt debilitatum, ut intra ſeculum in Occidente, ſub Momyllo Auguſtulo, amiſſum ſit, nec niſi poſt 324. annos à Carolo præfato inſtauratum, Gerh. Joh. Voſſius *de Idolol. l. 3. c. 76.* Aliis tamen hæc Aquila biceps non eſt, ſed *duæ* ſunt *Aquilæ concorporatæ*, *in campo aureo*, *expanſis invicem alis*, *dorſa ſibi jungentes*, quale ſignum in columna Antonini quoque ſe obſervâſſe, tradit Lipſius *Analectis ad Militiam Rom. p. 278.* Applicatque hoc ſymbolum Henr. Kippingius ultimæ imperii diviſioni, quæ ſub Carolo M. introducta, poſteaque ſtabilita fuit, tunc cùm Otto II Germaniæ Imperator reſiduas Italiæ partes, hactenus à Græcis poſſeſſas, jure dotis acquiſivit. Otto III. bellô feliciter geſtô tenuit, ut nunquam eas Græci recuperare poſſent: *Hæc*, addens, *Aquilæ duplicis origo*, *in qua comprehenditur Apuliæ Regnum nobiliſſimum*, *pars Imperii ejus*, *quod Græciæ Cæſares in Occidente viribus ſuis continebant*. Vide omninò eum *Juris Publ. l. 2. c. 1. §. 13. & ſeqq.* & hanc in rem plura, ut & egregia quædam de Imperator. Germanorum *Aquila*, quæ nigro colore effingitur, fortè quia ↄ primæ aquilæ is color, deprehendes, apud Car. du Freſne *Diſſertat. de inferioris ævi numiſm.* E quo hoc unum ſuperaddimus, *Marianum Scotum* ſcribere, Occidentales Imperatores bipartita inſignia detuliſſe, in quorum parte alterâ dimidia aquila, in altera familiæ inſignia deſcripta fuerint, uſque ad Sigiſmundum Imperatorem, qui, cum Orientalium Imperatorum, videret inclinare poteſtatem, Saracenis ac Turcis undique in illos irruentibus, primus *Aquilam nigram ac bicipitem* in inſignibus adſcripſerit, quod nec Carolum M. ne Græcos irritaret, facere auſum addit. Cui ſententiæ favere videtur lemma adſcriptum equidem Sigiſmundi ſigillo cereo, uti à *Marq. Frehero* deſcribitur: in averſa enim parte, circa Aquilam hoſce verſiculos *προφητικῶς* quiddam ſonantes, legi inquit.

AQUILA EZECHIELIS,
SPONTE MISSA EST DE CELIS,
VOLAT IPSA SINE META,
QUO NEC VATES NEC PROPHETA,
EVOLAVIT ALTIUS. &c.

Nigram autem aquilam, quam αἰετὸν μελανάετον & μέλανα vocant Græci, *Valeriam* Latini, qui ideo *Aquilam* nominârunt, quòd *aquilo* i. e ſubfuſcô eſſet colore, ad cujus imitationem, nigrum colorem Imperiali aquilæ eſſe, diximus, Jac. Aug. Thuanus *de Re Accipitr. l. 2.* ita deſcribit:

Optima & ipſa aquilam animis ingentibus illam,
Corporis inferior quamvis ſit mole, nec ungue,
Aut roſtrô tantum valeat, digitiſve. ſed ortus
Non mentita ſuos, animive oblita virilis,
Accipitres collata nothos facit. Hanc quoque noſtra
Valeriam dicunt, Graji melanaeton, atram
Quod referat roſtrô pennaſque, atque ungue colorem &c.

Neque verò Romani ſolùm Imperii, ſed multorum etiam Regum Principumque *Aquila* gentilitium fuit ſignum. In Perſarum certè exercitu, notat Xenophon *Expedit. l. 1.* regii inſignis locô ἀετὸν χρυσοῦν ἐπὶ πέλτης ἐπὶ ξύλου ἀνατεταμένον: Curtiuſque de acie Codomanni verba faciens, *Inter hæc*, inquit, *Aquilam auream*, *pennas extendenti ſimilem*, *ſacraverant*, *Hiſtor. l. 3. c. 3.* Vide quæ ſuprà jam dicta. Alexander dein M. *Aquilam auream pennas extendenti ſimilem ſacratam cum fulmine triſulco*, in nummis ſuis cudi curavit. Hub. Goltzio teſte *Vol. de Græcia univ. Tab. 33.* Similem effigiem videmus in nummis Cleopatræ Ægypti Reginæ, apud Petrum Seguinum *de Numiſm. ſel. p. 35.* Apud Romanos, jam ante Cæſares, *ſignum Reipublicæ* fuit, ut diſertè vocat Sueton. *in Aug. c. 94.* & ſupra diximus. Vide quoque infrà, ubi de *Aquila Conſulari*. In ipſis Scripturis Sacris, Regiæ dignitatis ſignum fuiſſe, Nebucadnezari Babylonio & Pharaoni Ægyptio, diſcimus ex Ezech. c. 17. v. 3. Ulterius Ægyptii proceſſêre, apud quos in divino cultu *Aquilam* fuiſſe, annotavit Diodorus Sic. *l. 1.* Τὸν δ' ἀετὸν, inquiens, Θηβαῖοι τιμῶσι διὰ τὸ βασιλικὸν εἶναι δοκεῖν τοῦτο τὸ ζῶον καὶ τοῦ Διὸς ἄξιον. *Aquilam venerantur Thebæi, quod animal hoc Regium & Majeſtate Jovis dignum videatur.* Sed & Romanos Aquilis ſuis non minorem venerationem exhibuiſſe, dicemus infra, ubi de *Aquila Militari* &c. Plura de Regia hac ave, vide apud Gerh. Joann. Voſſium *l. cit. paſſim.* Ulyſſ. Aldrovandum *Ornitholog. l. 1. p. 92.* Auctorem Anonymum *Siniæ & Europæ c. 37.* & Sam. Bochart *Hieroz. Part. poſter. l. 2. c. 1. & ſeqq.* uti de gemma hinc nominatâ, ſuprà voce *Aetites*.

AQUILA, apud Sugerium *de Adminiſtrat. ſua c. 32.* Aquilam *vero in medio chori ammirantium tactu frequenti deauratam*, *reaurari fecimus*, alioſque recentioris ævi Scriptores, lectrum eſt ſeu analogium in modum aquilæ alas expanſas habentis confectum; in quo libri Eccleſiaſtici,

[illegible] quæ in Eccleſia leguntur, reponi ſolent. Ita enim Hugo Flaviniac. in [illegible], 1696. [illegible] *quod paratum eſt recipiens textum* [illegible] *Johannes Euangeliſta in ſimilitudinem aquilæ volantis* [illegible]. Nempe *aquila* hâc ſpecie Euangeliſtam Johannem deſignari [illegible] unt. *A*[illegible] *modi cuprea*, [illegible] *libr.* [illegible] [illegible] Eccleſiæ Ambianenſis, apud Ca[r]. du Freſne *Gloſſar.* ubi *Anglev* in *Charta* vetust. Guilielm. Comites Hannonienſis A. C. 1409. apud Ægid. Waldum in *Hiſtor.* Lobienſi *l.* 9. vocant ad [illegible]. Græci quoque in ædibus ſacris ſuas habuêre *Aquilas*. Eucholo[gium] *de Ordinatione L*[illegible] 305 [illegible] [illegible] Ubi Goarus, judice Car. du Freſne, perperam *Aqu*[illegible] *in* [illegible] *depoſitum*, dixiſſet enim analogium ad quod legit [illegible]. *Aquilam* tamen ab analogio diſtinguit qui ſcripſit [illegible] *la Francorum* uſque ad Robertum *MSS.* ex Bibl. Loiſelliana, A. C. 1014. *Porro multo ipſam ſacratiſſimam ædem honeſta*[illegible] *quæ Analogium Hiſpanicò metallò fieri* [illegible] *ſuſtentante* [illegible], *cui* [illegible] *aquila alis* [illegible], apud Eund.

A[QUI]LA, [Sig]num cœleſte, cujus ala dextra circulum Æquinoctialem parum prodit: ſiniſtra autem non longè à capite Ophiuchi [illegible]. Roſtrum ejus à tela [illegible] dividit circulum à Cancro ad Capricornum pervenient. Exoritur [illegible] occidit, oritur autem cum [illegible]. Habet in capite Stellam unam, in utraque penna unam, in cauda unam. Inter aſtra autem receptus dicitur Aquila, quod Jo[vem] [illegible], cum adhuc infans eſſet, in ſpelunca, ne à Saturno [illegible] eretur, abſconditum nectare nutriverit, ut tradidit Maro [illegible], in his,

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Vel quòd Jovi ad expeditionem bellicam adverſus Titanes, qui parentes ejus in vincula conjecerant, accincto, hæc avis augurium futuræ victoriæ in Naxô attulerit, & arma pugnanti ſubminiſtrârit. Unde & ſibi ſacram Jupiter in poſterum voluit, & in reliquis expeditionibus Aquilæ effigie pro ſignis militaribus uſus eſt, quod imitati ſunt poſtea Romani, ut author eſt Alex. ab Alex. [illegible] Imò attribuit illi tantam facultatem, ac immunitatem, ut nullo fulminis ictu lædi unquam, & ſolis fulgorem oculis ſemper apertis, ac minimè hebeſcentibus intueri poſſit. Vel etiam, quòd formoſiſſimum illum Ganymedem Trois, Trojanorum Regis filium, centeſimò circiter annò ante bellum Trojanum, rapuerit, ac in cœlum portaverit, quò Deorum conſuetudine frueretur: ut auctor eſt Apollonius Argonaut. *l.* 3.

[illegible]
[illegible]
[illegible]

U[bi] Scholiaſtes: [illegible]

[illegible]

Unde & traditum illi imperi[um] [illegible] teſte Horatiô, *Carm. l.* 4. *Od.* 4.

Qualem miniſtrum fulminis alitem
Cui [illegible]
[illegible]
Jupiter in [illegible] *de flavo.*

Alii tamen tradunt, Jovem ipſum in Aquilam converſum, Ganymedem ex luco agris Priapen[i], & Cyziceno contermino rapuiſſe, unde [illegible] ille poſtmodum [illegible], teſtante Strabone *l.* 13. Verùm rap[tor] ille non Aquila fuit, neque Jupiter Phrygius, qui Ganymedem rapuit, aut rapi curarit, in Aquilam [tr]ansformatus, [illegible] talem fide traditur. Proinde ſuſ[picatur] Philippus Cæſius, [illegible] fuiſſe *Aqu*[illam] dictam, ob *Aquil*[illegible], vel, ſi mavis, [illegible] ſui exercitum Phrygium, Aquilæ [illegible] in vexillis militantibus, [illegible] modo diximus, utentem; [illegible] hujus, vel illius [illegible] antalus, Phr[ygiæ] & Paphlagoniæ Rex catamitum hunc abduxerit, [illegible] & Tros pater Ganymedis, ac [T]antalo [illegible] bellum [illegible] eſſe, indicat [illegible] & Or[illegible]. V[illegible] hîc intelligunt *Aquilam*, [illegible] T[y]phone & [illegible], [illegible] natam: quæ Prometheum [illegible], quem O[illegible] Ægypti præfecerat [illegible], & [illegible] monte [illegible] ab [illegible] cui poſtea ſagittis [illegible], Pherecydi [illegible] *Theogonia*, ac Luciano *in Promet.* & *dial. de S*[illegible] [illegible] Prometheum tanti cruciatibus à Jove affectum ſcribunt [illegible] ignem (nempe rerum Divinarum, & Scientiarum [illegible]) mortalibus divinitùs ademptò Minervæ h. e. Sapientiæ auxiliô in cœlum aſcenderit, ibique [illegible] ad currum Solis admota, cum ruſus in terram portaverit. Cujus tamen aliam cauſam [illegible] *Menander* [illegible] quia Prometheus invenerit fœminam [illegible] Philoſophiam intellige) omnium humanarum calamitatum auctorem & animalium genus ſceleſtiſſimum, vel quia Palladem, h. e. ſapientiam amaverit: uti Divid. prodidit. Verùm de his plura in *Promet*[illegible]. [illegible] manum de tabula tollam, dicere [illegible] quòd [illegible] Veterum in [illegible] quoque, ut videtur, fuerint opinione, animam Platonis in hanc Aquilam cœleſtem fuiſſe converſam. Et indicat [illegible] *Speuſippus*, a[illegible] quiſquis ille fuit qui Græcum illud [epigr]amma in tumulum Platonis [illegible] poſuit, quod aliquis ita tranſtulit:

[illegible], Aquila, *ad tumulum* [illegible] *volitas?* [illegible] *ab aſtris*
[illegible] *habitare De*[illegible] *fortè aliquem* [illegible]
Sum magna animula [illegible] *diva Platonis* [illegible] *corpus*
Quæ [illegible]: *ſed corpus terrigenum Attica habet.*
Nic. Lloydius.

AQUILA Alba, Ordo Equeſtris in Polonia, ab Uladiſlao 5. cognomine Lokieto, inſtitutus, in nuptiis filii Caſimiri M. cum Anna, Ducis Lithuaniæ filia A. C. 1325. Occaſio inſignibus, àndo aquilarum, ab uno primorum Regum invento, cum urbis Gneſnæ fundamenta jacerentur. *Hiſt. Polon.*

AQUILA Alis expanſis, ad extremos clypei margines, *intelligenda* [illegible] *Aroſſandrus Me*[illegible] apud [illegible] *l.* 4.

AQUILA Biceps, Imperii hodie ſymbolum eſt, uti pluribus ſuprà vidimus. Ad cujus imitationem Moſcorum Tyrannus, Joannes Baſilius, qui ab Imperatoribus Romanis ortus videri volebat, eidem *Aquilam* [bi]*cipitem*, eamque duplici coronâ inſignem, ſed non in cœlum, uti Germanorum, verùm terram verſus alas protendentem, Moſcovitici quoque Imperii inſigne eſſe juſſit, uti legimus apud Olearium *Itinerar. Perſ.* [illegible] 10. Joachim. Fellerum *Animadverſion. ad Georg. Hornii Orbem Imper. p.* 379. Seb. Feſchium *Diſſertat. de Inſignibus*, Alios. At in veteri nummo, *Aquila Biceps*, duarum Legionum in unam coalitarum ſignum eſt &c. Vide *ſuprà*.

AQUILA Conſularis, ſignum fuit Reipublicæ. Sueton. *in Auguſt.* [c.] 94. *Somniavit ſomnum* [illegible] *præcatatu compluribus circa aram ludentibus* [illegible], *atque in ejus ſinum ſignum Reipublicæ, quod manu geſtaret, repoſuiſſe.* Inſidebat illa Conſulis ſcipioni aut ſceptro eburneo, quod manu tenebat, quoties in Curia Jus diceret. Juvenalis *Sat.* 10. [v.] 43.

Da mihi & volucrem ſceptrò quæ ſurgit eburnò.

Unde eſt, quod Auguſtus Cæſar triumphali quadrigâ vectus, manu gerens ſceptrum, in cujus apice Aquila eſt, cernitur in nummo, apud Petrum Seguinum *in Numiſm. p.* 102. Quòd item Domitianus, in equo conſidens, manuque ſceptrum, velut Conſulatus inſigne, geſtans, repræſentatur in nummis; apud Jac. Biæum *Tab.* 32. [illegible] 5. &c. A quibus autem ad Romanos hoc ſymbolum devenerit, diximus ſuprà.

AQUILA Julius, vide *Julius*.

[A]QU[I]LA Militaris Romanorum, quam illi an à Thuſcis, uti diximus, an ab Epirotis, quos etiam hoc inſigni in bello uſos fuiſſe, nummi loquuntur, acceperu[nt] [illegible] erat vel aurea, vel argentea, ſummæ haſtæ perpilaæ fuſſita expanſis que alis, interdum fulmen unguibus [tene]bat, q[ua]ſi jaculatura. Servabatur Romæ in Ærario, quod in Saturni Templo erat, indeque depromta educebatur in bellum. Defigebatur autem in terram, cùm in pugna, tum in caſtris, unde ſi, cùm opus eſſet, ægrè avelleretur, ut Craſſo Euphratem tranſituro cont[igit], peſſimi ominis locô habebatur. Vide inprimis Dionem *Hiſtor.* [l.] 40. Huic porrò ſigno ſacellum ſeu ſacellum imponebatur quadratum venerationis cauſa: Signa namque militaria Deorum inſtar coluiſſe Romanos, locuples teſtis eſt Dionyſ. Halicarn. *l.* 6. ideoque Tacitus, *Romana aves propria Legionum Numina*, appellat, *Annal.* [l.] 2. [c.] 17. & extant nummi Auguſti, cum ara accenſa inter [d]ua ſigna militaria, *Aquilam*, Legionis inſigne & duo ſigna cohortium. Sæpius quoque ſerti hæ Aquilæ cingebantur, & ſuppoſitis haſtis clypei five orbes aurei affigebantur, ut videre eſt in columna Trajani, continentes imagines Cæſarum humerotenus expreſſas: quas qui geſtabant, dicebantur *magnifici*. Ex hac verò caſtrenſi religione ortus eſt ſignorum amor & deſerendi nefas, hincque ma[xi]mum ad pugnam incitamentum fuit, ſigna in hoſtes aut vallum ob[illegible] [illegible] alacri[us] repeterent. Aquilas namque amiſſas Romani ægre admodum tuliſſe, ex hiſtoria Varianæ cladis patet &c. Vide Feſchium [s]upra laudatum *Diſſertat. de Inſignibus*, & plura retrò in voce *Aquila*.

AQ[U]ILA Sepulchralis, apud Græcos ad Romanos, A'[illegible] ſeu *Conſecrationis* virorum, ſicut pavo, fœminarum, ſignum fuit. Credebant enim Principum Regumque defunctorum animas [illegible], *ſidera*, Aquilarum alis, ad beatas ſedes: unde imagines eorum aquilis adje[ctis] ornârunt, uti legimus apud Artemidorum *l.* 2. c. 20. [Hu]c alludens [illegible], Achillem in currus ſectum Hectoris occ[iſi] corpus auferentem, A'[illegible] i. e. *Aquilam* vocat. Franc. Roſſæus, *Arc*[illegible] *l. Attica l.* [illegible] 33. Vide ſuprà, ubi de *Apotheoſi*, in voce *Aquila*, ſub initium, & alibi paſſim, ubi de *Conſecratione*, *Exequiis* &c.

AQUILA Verſa, apud Ditmarum *l.* 3. *p.* 29. *Poſt hæc autem* [illegible] *adunavit expeditionem ſuam, ac* [illegible] *Lotharium* [illegible], *qui in Aquiſ*[grani] *palatium & ſedem regiam*, [illegible] *valido exercitu præſumſit invadere*, [illegible] *verſa Aqu*[illegible], *deſignare. Hæc ſtat in* [illegible] *parte domus*, [illegible] *locum poſſident* [illegible] *vertere Regna.*

de AQUILA Henr[illegible].

AQ[U]ILÆ [L]ignum odoriferum, [illegible] colore, in montibus prope [illegible], quæ Metropolis eſt [illegible]. *Hayton in Sinis*, reperitur; quò utuntur Sinenſes ad pannos ſericos ungendos. Hiſpani *Laacca* [v]ocant. Au[illegible] Anonymus *Sinæ & Europæ c.* 14.

AQ[U]IL[A]M [i]n dorſo figurandi [illegible] ritus, Saxoni Grammatic[o] [illegible] deſcribitur *l.* 9. *Interea S*[illegible] *ac Biarnus cum* 400. [illegible] *bellum Regi* [illegible] *prævenientem ſignificantes, idque* [illegible] *comprehenſi ipſum dorſum* plagâ aquilam figurante [illegible], *ſæviſſimum hoſtem* [illegible] *ſigno profligare gaudentes, nec* [illegible] *patentes, laceratam* [illegible]. Ubi Saxonis interpres *Stephanus* eum viguiſſe morem ſcribit, apud Anglos, Danos aliaſque gentes Boreales, ut [illegible], ignominiâ [illegible] adverſarium afficeret, gladium circa ſcapulas ad [illegible] dorſi adigeret coſtaſque ampliſſimo per corporis longitudinem factô vulnere [illegible] à ſpina ſepararet, quæ ad latera deductæ alas repræſentarent aquilinas, cujuſmodi [illegible] Iſlandico *Blodorne* ſive *Bladugle* & *Bladrijſ* appellari addit, apud Eund. in *Ad*[illegible].

AQ[U]ILARIA, locus in Africa. Cæſar *l.* 2. c. 23. *Bell. Civ.*

AQUILAS, Judæus, è Ponto, [illegible] artifex hoſ[pit]io à S. Paulo Corinthi eſt exceptus, & cum uxore ſua Priſcilla converſus. Poſtmodùm ambo hi Apollo, qui ſaltem baptiſmum

paſſimum Johannis hactenus noverat, in Chriſtiana religione, plenius inſtrui cœpit. Actor. c. 18 v. 2

AQUILEBURGIUM, vulgo Aroldburg, arx Daniæ, propè Coldingam, Urbem Jutiæ Septentrionalis. Vide Coldinga.

AQUILEIA, ſeu AQUILEGIA, Herodiano l. 8. c. 2. Roma ſeu Romana ſecunda dicta, quia florente Imperio ſecundum ſemper locum obtinuit, urbs Carnorum ad Natiſonem fluv. Romanorum colonia, primitus contra Barbarorum excurſiones extructa 11. mill. paſſ. diſtat à mari, juxta quam Timavum amnicem nonnulli locârunt. Martialis, l. 4 Epigr. 25. v. 5.

Et tu Ledæo felix, Aquileia Timavo.

Saltem non procul abfuiſſe à Venetiis, indicat Silius l. 8. v. 605.

Nec non cum Venetis Aquileia ſuperfluit undis.

Dionyſ. Per.

---- Τῆδ' ὑπέρτατος Ἀκυληΐα ἄκρα
Ποιεῖ δ' ἀγχίγυρος Α ... ... -

Mela, l. 2. c. 3. Natiſo non longè à mari ditem attingit Aquileiam. Ubi doctiſſimus IS. Voſſius. Aquilegiam habent libri veteres, quemadmodum etiam paſſim, apud auctores alios, ſcribi notiſſimum eſt. Exiſtimant plerique, verum nomen eſſe Aquileia dictamque fuiſſe ab Aquila, quæ dextrâ, cum muri conderentur, advolaſſet, ut ait Julianus Imperat. oratione de geſtis Conſtantii, hinc aliqui vocârunt Aquiliam. Ego aliter puto, nempe Aquilegiam antiquum fuiſſe nomen, ſicque appellatam eſſe à fontium, & rivorum copiâ. Nam & fluviatilibus aquis & putealibus urbs hæc abundabat, uti docet Strabo l. 5. Vide & Plin. l. 3. c. 19. P. Diac. & Leand. deſcr. Ital. c. Ex hac orti ſunt Chromatius, ad quem Hieronymus ſæpe ſcripſit, itemque Ruffinus Græcè Latinèque eruditus. Aglar vulgò dicitur. Auſonius in Catalogo Clarar. Urb. Epigr. 7. v.

Nona inter claras Aquileia cieberis urbes.

Nic. Lloydius.

Olim perampla, inſigni virtute, Maximini Thracis Imperatoris acerrimos obſidioni impetus repreſſit, cum mulieres ex propriis crinibus funiculos præſtarent, poſtquam nervi ad ſagittas emittendas defeciſſent, A. C. 240. ſed ab Attila, auſpiciò excuſſa, A. C. 452. poſt triennii obſidionem, Procop. l. 3. de bellis Vandal. deinde à Longobardis, A. C. 590. incenſa & devaſtata fuit, poſtea à Popone Patriarcha reædificata. Ad hanc ... ... Conſtantii Occidentem erepturus prælio victus eſt, A. C. 340. Eutrop. l. 10. Aur. Victor. Maximus Tyr. quoque à Theodoſio ibidem victus, captus & obtruncatus eſt, A. C. 387. Oroſ. l. 7. c. 20. 21. Antiquitus fuit, ſub ditione temporali Patriarchæ, poſtea ab Archiducibus Auſtriæ occupata, uſque in hunc diem, ſed muris carens, & ob aëris inclementiam à paucis habitatur. Vix 9 milliar. ab ora littorali maris Adriatici, media inter Palmam, & Gradum. Baudrand. Patriarchatus primo Gradum, nunc Venetias tranſlatus eſt. Concilium ibi habitum primò A. C. 381 contra reliquias Arianorum, Tomò 1 Concil. Secundò, A. C. 400. contra Origeniſtas &c. Vide Sigebert. A. C. 698. Bed. 6. ætate, Paul. Diaconum, l. 5. c. 14. Ibidem ſub Imperatoribus ... etiam olim cuſſam, patet ex notis AQ. AQOB. AQPS. AQS. AQT. in nummis occurrentibus. Vide hic paſſim, ut & in notis AQ. QA. SMAQ. SMRQ. Certè ad Aquilejenſem Monetam referendam putant Conſtitutionem Gratiani, Valentiniani & Theodoſii Imperator. quâ in monetarum opifices, extraneis ſe matrimonio jungentes, pœna ſtatuitur. Plura apud Cluverum de Italia Ant. l. c. longitud. 36. 30 latitud. 45 45. Cæterum Aquilejenſis ... ... us origo ad A. C. 570. refertur à Macedonio ... Epiſcopo ..., ... ſtriæ item ac Liguriæ, Epiſcopo Romano ſubjici renuentes, & Paulinum urbis hujus Epiſcopum, Primatem ſuum eligentes, eum Patriarchæ nomine atque dignitate inſignivêre, quod nomen tunc primum in Occidente auditum: confirmatumque eſt, rebus compoſitis, à Pontifice Romano continuatio hujus tituli Aquilejenſium Præſulibus, & ſancitum, ut prima hæc ſedes, poſt Romam, in Italia eſſet, Ravennas verò tertium locum obtineret. Poſtea quoque multa privilegia certatim in hunc Patriarchatum ab Imperatoribus congeſta ſunt, juſque cudendæ monetæ & titulus Forojulienſis Ducis, Iſtriæ Marchionis ac S. Romani Imperii Principis, conceſſus. Dum autem lites, de quibus ſuprà, durarent, Pontifices Patriarchatus titulum Gradenſi tribuerunt, eumque Aquilejenſi oppoſuerunt, unde inter duos hos Præſules maximæ contentiones ortæ ſunt, Longobardis Aquilejenſem, Papâ verò & Exarcho Ravennate Gradenſem tuentibus. Sed dignitas hæc tandem in Venetorum Epiſcopum tranſlata eſt, à Nicolao V. qua de re vide ſuo loco.

AQUILEX, Græcè Ὑδροσκόπος, qui aquas occultas & ſub terris latentes, inducit terris & in apertum evocat elicitque. Ars ipſa Græcis dicta Ὑδροσκοπικὴ, ἀπὸ τῶ ... ὕδωρ, ab aqua ... enda & producenda. Cujuſmodi Artifices ſub Aquario, naſci, canit Manilius Aſtronomic. l. 4.

Ille quoque inſcriptâ fontes ... ... nâ
Cognatas tr... ... ſurarum. Aquas in artes
Cernere: ſub terris undas ... induceres terris,
Ipſaque converſis aſpergere ... ... aſtra.

Eorum ſigna ex arundinibus, quæ aquæ latentis indicium faciunt &c. Vide Salm. ... ad Solin. p. 738. & 1 ... .

AQUILI, Dæmonum, quos in aëre ponit Capella una cum Manibus & H... ... bus: dicti quaſi nigri. ... leſſa. Aquilum. μελαν. Cæterum de Diis Aquilis Arnob. l. 4. Grumbos effingitis, alios leones, ſerpentes, porcos, ... aquilas, Paſſos, &c. Malè eſt in Gloſſ. Papiæ. Aquili, ſpecies Dæmonum, qui in ſimilitudine aquarum apparent. Nic. Lloydius.

AQUILIA, vide Aquileia.

AQUILIA adulterii delata cum Vario Ligure, quanquam eam Lent. Getulicus lege Juliâ damnâſſet, exiliô punita eſt à Tiberio. Tacit. l. 4. Annal. c. 42.

AQUILIA Severa, Veſtaliſvirgo, quam Heliogabalus Imperator clam uxorem duxit, ut ex hoc conjugio cœleſti planè ſoboles, ipſe enim Pontifex erat, naſceretur. Lamprid. & Dio, in Heliogab.

AQUILICIA, ſacra à Romanis fieri ſolita, cum in magna ſiccitate, aqua eſſet elicienda; tunc enim Jovi immolabatur. Sacerdotes, Aquilices. Tertullian. in Apol. c. 40. & adv. Marcion. hæc falsè videt.

AQUILINA, quæ & Evelina ſylva & Sylva Eulina, vulgò la foreſt d'Iveline, vel ſim, liciter Eveline. Sylva G... hæc eſt; ubi caſtrum Rambeliſtum, vulgò Rambouillet, aut Rambouilet dictum, quod pago Hui... cuſi à ... uſdam attribuitur, ... Chaſteau de Rambouillet en ... ſuper ... vocatur; item Mons Fortis Amalarici, quæ duo Carnutinæ diœceſeos finibus continentur, Hadr. Valeſ. Notit. Galliæ.

AQUILINA, vulgaris quidem ſed minùs gratus flos eſt, cujus radix digitali craſſitudine, colore albô, cum plurimis fibris, foliô rotundô, & ſerratô, viridi in cinereum proclivi: diverſis caulibus cubitalibus. Flos eſt cœruleus, in campanæ figuram natus, ad tumicum d... ... deorſum, Uncinuli acuminati ad pediculum coëunt ferè, lata folii fimbria, in hemicyclum extenſa, ut exhalationes à tad... e excipiat, pluviam vitet. Flore evaneſcente erigitur ... & ſiliquis quaternas, quinas ve ... atur, quibus minutulum ſemen, adeò atrum, ut fulgeat, concluditur. Prata & ſylvæ hunc florem ferunt, ſed horti ... virum, duplicatò, triplicatò foliò. Eſt & ſpecies alia candidi coloris, ſuperiori per cætera ſimilis; tum alia fuſci coloris; rariſſima eſt rubicunda, cum variegata, tum illa, quæ multiplicis folii, coloris candidi, in cœlum erigitur. Miraculi vicem præbet idem flos viridis, rubrô inſperſô. Et flore & ramô hôc ornatur adverſus veneficia, imprimis ubi Sponſus aut Maritus iis tentatur. Maximum flos hortis blandimentum affert, Auctor Anonymus Sinæ & Europæ c. 33.

AQUILINUS, Conſul Junii Ruſtici collega. Alius Æmiliani collega. Tertius Junii Maximi collega.

AQUILIUS, Centurio, notus cædibus Senatorum, ſub Didio Juliano, ab hoc miſſus eſt, ut Severum occideret, apud Spartian. in Juliano c. 5. quaſi Imperator tantus à Centurione poſſet occidi. Idem in Peſcennio Nigro, c. 2. ubi notum cædibus Ducum eum vocat.

AQUILIUS Cheus, vide Corvus.

AQUILIUS Florus, vide Capua.

AQUILIUS Gallus JCtus Ciceronis familiaris, auctor eſt formulæ inſtituend... um poſthumorum nepotum, quæ in l. 29 ff. de lib. & poſth. exponitur. Ab eodem Aquiliana ſtipulatio nomen habet. Joh. Calvin. Lexic. Juri.

AQUILIUS Manius, Oppii legatus, à Mithridate crudeliſſimè interemptus. Arnobius Adv. Gent. l. 1. Innumerabiles alii gloriâ & virtute, & exiſtimatione pollentes, acerbiſſimarum mortium experti ſunt formas, ut Aquilius Trebonius, Regulus. Ubi de noſtro Aquilio cum agere rec... obſervat doctiſſ. Caſaubon. magnum litterarum lumen, & ſingularis pietatis ac probitatis exemplum, ut eum vocat Deſid. Heraldus. Minutius felix Viros cum Mutio, vel cum Aquilio, aut Regulo comparat. A... autem capto miris modis illuſit Mithridates, tandemque ... αὐτῶ ... χρυσίον, ait Appian. in Mithrid. ..., Aurum in os infudit, ait Plin. l. 33. c. 3. Ejuſdem meminit M. Tull. de Lege Manil. Nic. Lloydius.

AQUILIUS Marius, vide Marius.

AQUILIUS Niger, Hiſtoricus, Suetonio laudatus, in Aug. c. 11. Voſſio idem cum eo, qui Aquinum Niger alius, Hiſt. Lat. l. 3. c. 11.

AQUILIUS Quintus, vide Quintus.

AQUILIUS Regulus, delator, frater Vipſanii Meſſallæ, quem ſub ... is Cenſorum ... Orph... domus in ſummum odium extulit, nam ſponte ex Senatuſconſulto accuſationem ſubiiſſe juvenis admodum nec depellendi periculi, ſed in ſpem potentiæ videbatur. Tacit. Hiſt. l. 4. c. 42. Q... eum vide. Eundem Plinius. l. 6. Ep. 2 l. 2. Ep. 1... merito flagellat & alibi l. 1. Ep. 5. Bipedum nequiſſimum dicit.

AQUILIUS Severus, Hiſtoricus, & Poëta Hiſpanus, de quo ſic Hieronym. in ... ſ... illuſtr. Aquilius Severus in Hiſpania, de genere illius Severi, ad quem Lactantii duo epiſtolarum ſcribuntur libri, compoſuit volumen, q... ... ... totius vitæ ſuæ ſtatum continens, tam proſâ, quam verſibus, quod vocavit ... & ſub Valentiniano Principe obiit. Meminit & Honorius in Catalogo. Idem nomen JCti cujuſdam.

AQUILLIA, vel AQUILIA, gens Romæ Patricia, quæ tamen paucos habuit claros, quamvis ex ea nonnulli Conſules fuêre. Vide Plut. ... , 3.

AQUILO nomen equi famoſiſſimi, de quo ſic Caſaubon. ad Jul. Capitolin. in Vero Imper. c. 6 verba, Volucri equo pra... ... Hujuſmodi, inquit, nomina equis veteribus imponebant. Neque Caligula Incitatus. Io ſaxis nominantur alios alii, cum famoſiſſimus quidam Aquilo ... & Græce ſimiliter Κόραξ equum celebrant. Archias Epigrammat. in ſtatu.

Ὁ ποὶν ἀεθλοφόρος ... ...

AQUILO, ventus à Septentrione flans, à vehementiſſimo flatu & volatu, inſtar Aquilæ, ſic dictus, Feſtò teſte. Græcis Boreas, ſiccus, & frigidus. Ovid. l. 1 Triſt. El. 2. v. 27.

Tantaque commota vis eſt Aquilonis, ut altas
Æquet humo turres, tectaque rapta ferat.

Horat. Epodôn od. 10. v. 7.

Inſurgat Aquilo quantus altis montibus
... ... ilex.

Cæterùm Aquilonis violentiam nemo meliùs expreſſit, quàm Virg. Georg. l. 3. v. 196.

Qualis Hyperboreis Aquilo cùm denſus ab oris
Incubuit, Scythiaque hyemes, atque arida differt
Nubila, tum ſegetes altæ campique natantes
Lenibus horreſcunt flabris, ſummæque ſonorem
Dant ſilvæ, longique urgent ad litora fluctus:
Ille volat ſimul arva fuga, ſimul æquora verrens.

Aquilones etiam dicuntur venti, qui 8. fermè diebus exortum Caniculæ antecedunt, & perſlant diebus 40. quos vocant Eteſias & *Prodromos* quaſi Præcurſores. *Nic. Lloydius.*

AQUILONIA, Hirpinorum in Italia oppid. Liv. *l.* 10. *c.* 38. *Tum ... ſtus omnes, Aquiloniam ...* Ptol. Ἱρπινῶν Ἀκυιλωνία. Plin. *l.* 3. *c.* 11. Hirpinorum *Æculani*, *Aquilani*. Lege *Æculanenſes*, & *Aquilonienſes*. Aliis eſt *Aquone* oppid. in Aprutio. Aliis *Anglona*, urbs excifa in Lucania. Celſo Cittadino *Lacedogna* urbs Epiſcopalis Hirpinorum ſub Archiepiſcopo Compſano. Sed ſitus repugnat. Nam Aquilonia, ut ex *Livio* patet, erat inter Beneventum, & Luceriam; Laquedonia verò Melphi & Monti viridi proxima eſt Quare illam prorſus extinctam cum *Volaterrano* putat *Ferrarius. Idem.*

AQUILONIA, *Brettis* eſt *Carbonara*, vicus regni Neapolitani in Principatu ulteriore, inter Laquedoniam & Montem viridem, juxta Aufidum fluv.

AQUILONIUM, vide *Aquilonium.*

AQUILONIUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

AQUILUNDA, Lacus Africæ, in regno Congi, verſus Orientem & terminos Abyſſiniæ, cum multis Inſulis. Ex eo profluit fluv. Dandus, Europæis *Lago di Quilonda* dictus.

AQUINCUM, Pannoniæ inferioris urbs. *Ptol. Cepol Lazio. Cluver. Buda*, quod vide.

AQUIMITI, vide ſuprà *Acœmeti.*

AQUIMOLA, apud Anaſtaſium Bibliothec. in *Leone* IV. Hodiqueque ubibique, ut & alios citimæ ætatis Scriptores, molendinum eſt aquaticum, ſeu mola aquaria, Græcè Ὑδρομύλη, in *Gloſſ. Latino Græc. Aquimolina*, Gall. *Moulin a eau*: cujuſmodi molarum cum nulla ... apud ſurce ... mentio, conjecerunt nonnulli, recentius eſſe inventum. Verùm Auguſti tempeſtate, vel paulò ante Auguſtum, *molas aquis ...*, *Romæ in Tiberi primum factas*, auctor eſt Pomponius Sabinus *ad Virgilii Moretum.* Vide quoque Procopium *Goth. l.* 1. Senatorem *Var. l.* 9. *Ep.* 31. *l.* 10. *C. de Aquæduct. l.* 11 *c.* 4. *de Canone frumentar. Urb. Romæ C. Theodoſ. l.* 14. *tit.* 15. &c Earundem *Rotarum aquariarum*, quarum hodie multus uſus in *Aquarum ...* & ..., jam Antipater meminit Epigrammatarius, Ciceroni ..., apud Salmaſ. *Lamprid. in Heliogabalo*, c. 24. vide infrà, ... de *Rotis Aquariis.*

AQUINIUS, malus quidam Poëta. Cicer. *l.* 5. *Tuſcul. Adhuc neminem cognovi Poëtam, & mihi fuit cum Aquinio amicitia, qui ſibi non optimus videretur.*

de AQUINO Thomas, vide *Thomas.*

AQUINUM, Latinorum oppid. ad fines Samnitum; quod Melpha fluv. alluit. *Strabo.* Vulgò *Aquino.* Sil. Ital. *l.* 8. *v.* 404.

Commovet, atque viris ingens exhaurit Aquinum.

Dicit Author hujus *Dictionarii*, Aquinum Thomæ Doctoris Scholaſtici patriam fuiſſe, qui inde *Aquinatis* nomen ſibi obtinuit. Addam ego & Juvenalis quoque patriam fuiſſe. Sic enim ipſe *Sat.* 3. *v.* 319.

.... Et quoties te
Roma tuo refici properantem reddit Aquino.

Nic. Lloydius. Huſce ſuperaddas Victorinum, Geometram inſignem, *Morenum*. Pro *Melpha* autem ſuprà lege *Melpes*, idque authoritate Strabonis. Sic enim ille *l.* 5. Ἀκουῖνον μεγάλη πόλις ἐστι, παρ' ἣν ὁ Μέλπις ῥεῖ ποταμός. Haud perinde magnus eſt amnis ille; de urbis verò magnitudine, præter *Silium*, idem ſatis apertè teſtatur Tullius, dum ... *magnum eſſe municipium. Philip.* 2. Coloniam fuiſſe à Romanis deductam, teſtis eſt Corn. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 63. *Occiſi Dolabellam ..., quem in Coloniam Aquinatem ſepoſitum ab Othone ſuprà retulimus ...* ta eſt in regno Neapolitano & in provinc. Terræ Laboris, non longè à Liri fluvio, ſub dominio utili Ducis Soræ: longitud. 73. 37, latitud. 41. 28. Vide Leandr. *deſcript. Italiæ.*

AQ...US, aliò nomine *Cornelius*, legatus Legionis in Germania, ... Fonteji Capitonis. Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 7.

AQ...S, Norvegiæ Rex, cui Gregor. IX. excommunicatus ... eſt, ut bona Eccleſiaſtica, in proprios uſus ab eo ... Pater Henrici, pietate inclyti. Crantz. *Hiſtor. Norveg.* ...

AQ...RANUM, Gallicè *Aix*, urbs Imperialis in Menapiorum finibus, inter Rhenum & Moſam ſita, thermis excellentibus, Romanorum Imperatorum primâ inauguratione, & coronatione, unde inter alios de Alberto Auſtriaco legitur, in tanta hominum frequentia hic coronatum fuiſſe, ut Dux Saxoniæ opprimeretur A. C. 1298 Trithem. *in Chron.* D. Caroli Magni palatio & ſepulchro, ſeptennalique peregrinorum viſitatione celebris. Nomen ... à *Grano*, Neronis fratre, (ut quidam putant) qui *Aquas calidas* in ... tractu inveniens, juxtà habitavit, atque arcem ſtruxit, ... adhuc extat monumentum, *Turris Grani* dicta: quam quidem ... qui ... Agrippinæ ... eſſe, cujus meminit *Ptol.* Ad hanc Otto II. Imperator à Lothario Galliæ Rege vix non oppreſſus, A. C. 978. injuriam non ſolum Lutetiam uſque cum irato exercitu excurrendo, ſed & de Lotharingia pro lubitu decernendo, ultus eſt. Aimoin. *l.* 5. *c.* 44. &c. Incolæ, à Ruperto Palatino Imperatore proſcripti, ac ad ſubjectionem redacti. Cuſpinian. *in Ruperto.* Iterum Proteſtantes hic malè mulctati, ſub initium hujus ſeculi, urbe à March. Spinola expugnatâ, A. C. 1614. ſed poſt redditâ. Varia hic à Carolo M. concilia celebrata, A. C. 809. ubi actum de proceſſione Spiritus S. de clauſula ſymbolo Niceno addita, *Filioque.* Crantzius *l.* 2. *c.* 14. 15 Tom. 7. Concil. &c. Alia ſub Ludovico Pio, A. C. 816. 819. 836. habita, quò Imperator hic *Chriſtianiſſimus* appellatus, Pap. Maſſon. *in Ludovico Pio.* Synodi eidem Viro doctorum injunxit, S. Scripturam Germanicè carmine transferre, quò & idiotæ eam diſcere poſſent. Flacius *in Catal. teſtium Ver. Plat us,* &c. Otto quoque M. in concilio A. C. 937 hic habito coronatus eſt ab Archiepiſcopo Moguntino. *Baronius.* Incendiò penè tota conflagravit. A. C. 1656. Sub clientela eſt Ducis Juliacenſis, celebris quoque pace ibi facta A. C. 1668 inter Galliæ Hiſpaniæque Reges. longitud. 27. 37 latitud. 50. 45. Germanicè *Aachen*, vel *Aken*, ſita eſt locò depreſſò & collibus ferè cinctò; ubi præcipuæ thermæ ſunt, Regiæ altera, altera Corneliæ dictæ, ut locorum intercapedine, ſic vi & facultatibus diverſæ. Eam Carolus M. ab Hunnis primùm vaſtatam inſtauravit, palatiò planè regiò, temploque Imperatoriâ magnificentiâ extructò: de quo Celtes *Amor. l.* 3.

Quaque pater celſa genitrici templa Tonantis,
Sanctius in noſtro quo nihil orbe micat.

Quorum illud A. C. 1381. à Normannis exuſtum fuit, hoc propter arctiſſimam lapidum congeriem Vulcanò reſiſtente. Hanc itaque urbem Carolus M. qui non ob plebejæ fœminæ amorem, ut vult Petrarcha *l.* 1. *Ep.* 3. ſed loci ſalubritate allectus poſt tot victorias & labores exantlatos, ibi frequenter commoratus eſt, caput & ſedem Regni Teutonici peculiari conſtitutione confirmavit. Unde hymnus Divo Carolo ſacer:

Urbs Aquenſis, urbs Regalis,
Sedes Regni principalis,
Prima Regum Curia.

Et propter memoriam ejus, (ſunt enim qui Conſtitutionem hanc fictitiam eſſe aſſerant) jam à tempore Caroli I. illuc Reges Germaniæ ac Imperatores ad primam unctionem & Teutonici regni coronam accipiendam deduci olim ſunt. Palatium inſuper Aquenſe, primum fuit inter Imperatoria palatia, & proin *ſedes prima Franciæ Nabandæ* [*Sedes Regni Rhe nenſi*], dictum eſt. Hodieque ibi imperii regalia ſymbola ex parte aſſervantur, Gladius videlicet Caroli M. Perſico non diſſimilis acinaci, liber Evangeliorum, in ejus ſepulchro repertus & Sanguis S. Stephani Protomartyris, aureâ capſâ clauſus. Unde cives à vectigalibus in toto Imperio immunes ad externum tribunal trahi nequeunt, poſſunt bannitos per totum Imperium ſecurè recipere, aliiſque, in coronatione imprimis Cæſaris, egregiis gaudent privilegiis. Status Democraticus eſt, ab A. C. 1450. inſignium que locò habet Aquilam ſimplicem. Vide Limnæum Enucl. *l.* 4 *c.* 2. Ob privilegia & religionem, magnis motibus, urbs obnoxia, quos ab origine exponit Thuan. *l.* 133. privilegiis exuta, A. C 1589. ac deinde quanquam provocaret ad privilegia vicariatus Palatini, à Spinola capta eſt, A. C. 1614. Rege Hiſpano tanquam Duce Brabantiæ, advocatiam Urbis prætendente, Meteran. *l.* 25. 29. 32. 33. cum Dux Juliæ olim Advocatus fuerit. Georg. Hornius *Orb. Polit.* p. 282. Vide &c. *Aqua Grani.*

AQUITA, provinc. Inſul. Japoniæ, verſus ſeptentrionem in Aſia. Urbem habet cognominem in ora littorali, prope fretum *Sangaar*, in parte, quæ *Niphon* vulgò, parva & ad montium pedes. *Brut.*

AQUITANIA, regio, tertia olim Galliæ pars. A Circio Oceanum habet, qui *Aquitanicus ſinus* dicitur; ab Occaſu Hiſpaniam; à Septentrione Lugdunenſem provinciam; à Meridie Narbonenſem. In ea Toloſa, & Burdigala civitates, Populi *Aquitani.* Plin. *l.* 4. *c.* 17. *Gallia omnis Comata, uno nomine appellata, in ... populorum genera dividitur, amnibus maximè ... A Scaldi ad Sequanam, Belgica: ab eo ad Garumnam, Celtica, eademque Lugdunenſis: Inde ad Pyrenæi montis excurſum, Aquitania. Aremorica* olim dicebatur. Ἀκυιτανία, *Stephano*, Ἀκυιτανία *Ptolemæo.* Vide Strab. *l.* 4. Cluver. *l.* 2. De Marca & Othenart. *hiſt. Bearn. & Vaſcon.* Meter. *in Aquitania.* Nunc ſtrictiùs ſumitur, & vulgò *Guienne* ſeu *Gaſcogne* dicitur, atque à Garumna fluv. tripartitur. Accuratiores tamen inter Vaſconiam & Guiennam ſic diſtinguunt, ut illa contineat Armeniacum, Bigerrenſem, Convenenſem, Agennenſem, Benearnenſem provinc. ſeu inferiorem Vaſconiam, &c. Iſta autem cum titulo ducatus Burdegalenſem propriè tractum comprehendat. Solum eſt fertile, aer temperatus, incolæ ingenioſi, ſed & jactabundi. Olim ſub Romanis, quibus à Viſigothis erepta eſt, donec & hi à Clodoveo pellerentur. Poſt quem Guienna proprios habuit Duces, ſub Carolo M. regno inſerta. Reges tamen quoque habuit Ludovicum, filium Caroli, A. C. 777 & Pipinum, fil. Ludovici Pii, A. C. 817. Paul. Æmil. *l.* 3. Hanc cum Carolus Calvus Pipino patrueli eripere vellet, victus eſt, A. C. 844. Crantz. *l.* 2. *c.* 7. Angli poſtmodum ... ſatis diu potiti. Inter quos Henricus III. Rex Angliæ à Ludovico IX Dux Aquitaniæ & Par Franciæ creatus eſt, A. C. 1265 Polyd. Virg *l.* 16. &c. Eduardus I. eam amiſit, ſed mox Philippo Pulchro reconciliatus, recepit, A. C. 1299. Paul. Æmil. *l.* 8 Eduardus poſtea A. C. 1355. in hac ipſa provincia Johannem Regem vicit cepitque, Froiſſard *l.* 1. uſque ad Carolum VII qui illis expulit, cruentâ potitus victoriâ, A. C. 1451. Paul. Æmil *l.* 10 Appanagii locò à Ludovico XI. fratri Carolo data, hôc ſine prole decedente, rediit ad coronam Variis in hac urbes A. C. 1518 expugnavit Henricus VIII. Polydor. *l.* 27 *Annales Aquitan.* Lurbeus, *in Onomaſt.* & *de illuſtr. viris Aquit.* Joh. Beſlius, *Geneal. Ducum Guienne* Ducheſnius &c. Addo, quòd *Armoricam* eam dictam eſſe refert Plin. *l.* 4. *c.* 17. quod ſi verum, ſic dictam eſſe à Gallis credemus, quòd maritima majore ex parte eſſet, poſteà à Romanis Latinò nomine nuncupatam *Aquitaniam*, ab aquis ſalubribus calidis & frigidis, quibus ſcatet. Ibi enim ſunt Aquæ Convenarum, Aquæ Tarbellicæ, Aquæ Siccæ & in Bigerris, in Benearnenſi agro Levitanaroque montibus aliæ. Eam Cæſar *Comment. l.* 1. *c.* 1. *à Garumna ... ne ad Pyrenæos montes & eam partem Oceani, quæ ad Hiſpaniam eſt, pertinere*, tradidit, deceptus relationibus M. Craſſi, omnia in majus augentis, cui maxima regionis pars ſe dediderat obſideſque his victa miſerat: & *l.* 3. *c.* 20. *illam & regionum latitudine & multitudine hominum ex tertia parte Galliæ æſtimandam eſſe* aſſerunt; cùm tamen ab imo Pyrenæo ad

ad Garumnam fluvium ſeu Burdigalam iter ſit vix 100. mill. paſſ. Quem errorem cùm agnoviſſet Julii ſucceſſor Auguſtus, *Aquitaniam* à Pyrenæo ad Ligerim protulit, 14. Gentibus, quæ inter Garumnam & Ligerim habitant, ei attributis, ut auctor eſt *Strabo*. Sunt autem gentes illæ, Bituriges Cubi, Arverni, Ruteni, Albienſes, Cadurci, Lemovices, Gabali, Vellaci, Bituriges Viviſci ſive Burdigalenſes, Aginnenſes ſeu Nitiobriges, Ecoliſmenſes, Santones, Pictones & Petrocorii: quot ſunt populi provinc. Aquitanicæ primæ & ſecundæ. Hinc Tibullus Aquitanicæ victoriæ Meſſallæ, à quo Pictones & Bituriges Cubi perdomiti ſunt, non Garumnam modò, ſed & Ligerim facit teſtes *l. 1. Eleg. 7. v. 11. 12.* Et primò quidem una ac ſimplex *Aquitania* fuit, inter Pyrenæos & Garumnam ac Oceanum, qualis à Cæſare deſcribitur: etiam diu poſt promotos ejus ab Auguſto ad Ligerim uſque terminos, una eſſe perſeveravit Provincia. Unde *Aur. Victor* & *Eutropius* Tetricum *Præſidem Aquitaniæ* principatu Galliarum functum fuiſſe cùm dicunt, totius regionis Præſidem fuiſſe indicant. Poſtea Conſtantius M. ut videtur, ordinatione, ex una provincia duæ factæ, & *Aquitania* altera, altera à novem populis *Novempopulana* dicta eſt. Demum remanentibus Novempopulis, prior ſubdiviſa eſt, in *Aquitanicam primam*, cujus Metropolis Biturigæ, & *Aquitanicam ſecundam*, cujus caput Burdigala facta eſt. Ex his Novempopulanam provinciam Pyrenaica gens citerioris Hiſpaniæ Vaſcones, ſub Merovingis Regibus, paulatim occupaverunt, eique *Vaſconia* indidêre nomen: quæ appellatio ad totam aliquando Aquitaniam trahi ſolet. Hæc Gallis *Aquitaine* primùm, dein corruptô & truncatô vocabulô *Guienne* dicta eſt: quô nomine prius tota Aquitania, poſtmodum pars ejus duntaxat eſt deſignata; & ſub Veſigothorum Regibus, uſque ad Chlodovei victoriam, Regnum; tum deficientibus Merovingis Ducatus: & iterum ſub Caroli M. poſteris Regnum aliquandiu fuit. Regibus poſtea ſucceſſêre iterum Duces, qui Ducatum Vaſconiæ latè patentem ſuo Aquitaniæ Ducatui tandem adjunxêre, Regum Francorum milites & clientes. Repertas autem ſæpe apud priſcos Auctores *Aquitaniam* à Gallia diſertis verbis diſtinctam. Unde Auſonius *de Clar. Urbib. Epigr. 8. v. 7. de Arelate*,

> —— *Populoſque alios & mœnia ditas,*
> *Gallia quibus fruitur, gremioque* Aquitania *lato.*

Imò & *Vitruvius*, Auguſti æqualis, eam à Gallia diſtinxit. *Cohors prima Aquitanorum equitum*, item *Præfectus cohortis ſecundæ Aquitanorum*, in *veterib. Inſcr.* reperiuntur. Apud *Aquitanos* multis locis ærarias eſſe ſecturas tradit Cæſar *l. 3. Bell. Gall. c. 21.* & auctor eſt Scaliger *contra Cardanum*, æris Cyprii in Pyrenæis & Cebennis fodinas eſſe hodieque, atque in aliquot Aquitaniæ locis chalybem effodi, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* *Baudrandus Aquitaniæ* has recenſet urbes:

Aquitaniæ urbes primariæ hujus temporis.

Aginnum, *Agen.*	Lactorium, *Lectoure*
Aquæ, *Acqs.*	Laſcurris, *Laſcar.*
Aturrus, *Aire.*	Lombarium, *Lombez.*
Auſcii, *Auſch.*	Oluro, *Oleron.*
Bajona, *Bajone.*	Palum, *Pau.*
Bergeracum, *Bergerac.*	Petrocorium, *Perigueux.*
Blavia, *Blaye.*	Ruthena, *Rodez.*
Briva, *Brive.*	Santones, *Saintes.*
Burdegala, totius Aquitaniæ facilè primaria, *Bordeaux.*	Sarlatum, *Sarlat.*
Cadurcum, *Cahors.*	Tutela, *Tulles.*
Condomum, *Condom.*	Vabræ, *Vabres.*
Fanum S. Licerii, *S. Liser.*	Vaſatum, *Baſas.*

AQUITANICA Veſtis, apud Gregorium M. in *Regiſt. l. 6. Ep. 6.* quæ aliàs *Bigerrica*. Vide ibi.

AQUITES, nomen ſacerdotis. Val. Flac. *l. 6. v. 295.*

> *Indigenæ ſacratus aquæ, magnuſque ſacerdos*
> *Phaſidis Arctœus Aquites errabat in armis.*

AQOB. in nummis Theodoſii M. *Aquileja obſignata.* AQPS. in Gratiani & Valentiniani Junior. *Aquileja pecunia ſignata*, vel percuſſa ſignata. AQS in Conſtantini Junior. & Conſtantis, *Aquileja ſignata.* AQT. in Conſtantini M. & Conſtantini Junior. *Aquilejæ percuſſa*, notat, judice Car. du Freſne *Diſſertatione de inſer. ævi Numiſmatibus.*

AQUULA, ſeu *Acula*, *Aqua pendente*, urbs eſt Hetruriæ Epiſcopalis, facta ab Innocent. X. locô Caſtri diruti; in clivo & ſat ampla, ſed paucorum incolarum, prope Peliam fluv. qui ibi jungitur ponte pulcherrimô, Gregorianô dictô. Paret Pontifici. Vide *Aqua Taurina.*

AR, Civitas Moabitarum; ſive *Ars*, ſonat *civitas Solis*. Nam ערי *Ares* eſt *Sol*. Vel quaſi urbs Oſtracina, nam *Ares* etiam ὄςρακον, ſive *teſta*. *Hieronym.* Idem: *Moab provincia Arabum*, &c. *Hujus Metropolis civitas Ar: quæ hodie ex Hebræo & Græco ſermone compoſita Areopolis nuncupatur.* Non quòd Ἄρεως, i. e. *Martis civitas* ſit. Interpretatur *autem Ar*, τὸ ἀντίδικος i. e. *adverſarius.*

ARA, fil. Jether. 1. Paral. c. 7. v. 38. Latinè *maledicens*, aut *videns.*

ARA, urbs Aſſyriorum. 1. Paral. c. 5. v. 26. Hieronym. in *Qu. Hebr.* ipſam *Rages* eſſe ſcribit. Medorum civitatem, de qua Tobiæ c. 1. v. 16. Latinè *mons*, aut *prægnans*, ſive *demonſtratio.*

ARA, civitas Arabiæ regia, & inſula Arabiæ adjacens.

ARA, cœleſte ſidus. Cujus meminit Ovid. *Met. l. 2. v. 138.*

> *Neu te dexterior tortum declinet ad Anguem,*
> *Neve ſiniſterior preſſam rota ducat ad Aram.*

Cicero *in Arateis*;

> *Inde Nepas cernes propter fulgentis acumen*
> *Aram, quam flatu permulcet ſpiritus Auſtri.*

Horizontem noſtrum ſtringit mediâ nocte, ſub finem Junii, meridianum tranſiens, & duodecim in globo noſtro complectitur ſtellas. Θυτήριον *Arato* dicitur. Sic enim ille:

> Αὐτὰρ ὑπ' αἴθοντος κέντρῳ τέρατος μεγάλοιο
> Σκορπίου, ἄγχι νότοιο Θυτήριον αἰωρεῖται.

Cæterùm *Aram* hanc Cœleſtem denotare ajunt aram illam, juſſu Deorum à Vulcano, ſive, ut ait *Eratoſthenes*, apud *Arati Scholiaſten*, à Cyclopibus, nempe Vulcani fratribus & miniſtris, extructam; ſuper qua Jovi adverſus Titanas bellum ſuſcepturo, fidelitatis ſacramentô Dii omnes ſeſe obſtrinxêre. Itaque auxiliô Deorum devictis Titanibus, Jupiter, in perpetuam rei memoriam, Aram illam inter aſtra locaſſe dicitur. Alii tamen Aram hanc in cœlo collocatam dicunt, in gratiam Chironis Centauri; nempe quod lupum, qui etiam hinc *Victima Centauri* dicitur, & Aræ in cœlo proximus eſt, in ejuſmodi ara immolaverit. Quæ inſimul & Chironi ante oculos ſit poſita, ut ejus inſignis erga Deos immortales religio & pietas in perpetuum demonſtretur. *Nic. Lloydius.* Vide hic infrà.

ARA, Tria fuerunt Veterum in ſacrificiis loca, per quæ expiationem faciebant, *Scrobiculus*, quô Inferis: *Ara*, quâ terreſtribus, & *Altare* ſeu Focus, quô Cœleſtibus factum eſt. Hinc Vir eruditus *ad Juſtinum l. 21. c. 5.* *Altare quod auguſtius & in quo victima adolentur, Diiſque ſuperis Sacrum erat. Ara etiam, in qua ſupplicatur, aut tantùm libatur, atque etiam ad Deos inferos pertinet. Quin & antiquioribus temporibus* Aram *pro foculo Sacerdotis uſurpatam non eſt vana opinio.* Unde Virgilius, *l. 4. Æn. v. 219.*

> *Talibus orantem dictis, araſque tenentem.*

Dicta autem eſt *Ara*, vel ab ardendo, vel à ſimilitudine arearum, quas puras eſſe oportet, vel à Græco ἀρὰ, *preces*. Varro apud Macrob. *l. 3. c. 2.* ait, illas primùm *Aſas* dictas eſſe, quòd eſſet neceſſarium eas à ſacrificantibus teneri. Figurâ erant quadratâ, parùm extra humum extantes, in quibus cùm ſacrificabant, ceſpitem gramineum illis imponere mos fuit: quæ cauſa, quòd *Ara graminea* Virgilio dicantur *Æneid. l. 12. v. 119.* Lex dedicatæ *Aræ*, à *Georg. Fabricio* recitatur, unde cognoſci poteſt, quâ ferè verborum formâ, non ſolùm in templis, ſacriſque ædibus, ſed & in *Aris* dedicandis Veteres uſi fuerint. Vide quoque Adolphi Occonis *Numiſm. p. 46. & 47.* Cæterùm illas inviolabiles voluêre antiqui; hinc Tullius *in aram Tribunatus confugere* dixit: Confugientes itaque in Fana, immunitatem impunitatemque conſequebantur, ſi *Aras* fuiſſent amplexi. Cujus immunitatis inſtitutio prima fovendæ Reipubl. utiliſſima & à civitatum conditoribus ideo introducta fuit, ne *humilioris ſortis homines a potentioribus injuriam paterentur.* Vide Martian. Aug. *l. 6. C. de his qui ad Eccleſ. confug.* Sed iis ſolùm hoc perfugium profuit, qui injuriam alteri non intuliſſent; Nam *illatâ injuriâ poterant ab ipſa ara avelli*, Calliſtratus JCtus *l. 28. ff. de pœn.* Vide Tacit. *Annal. l. 3.* & Lipſium *Comment. in hunc librum.* Hinc Servulus apud Plautum, *Moſtell. Act. 5. ſc. 1. v. 45.*

> *Ego interim hanc Aram occupabo.*

Tibullus, *l. 4. Eleg. 12. v. 25.*

> *Et veneris ſanctæ conſidam vinctus ad aram.*

Benè conſidam, quia ſupplicum ſedere. C. Nepos *Pauſaniâ c. 4.* *Fanum Neptuni eſt Tænari id ille index confugit: in ara conſedit.* Nec in Latio tantùm, aut more Romanorum, ſed etiam Græcorum id receptiſſimum erat. Corn. Nepos hunc modò citatus in *Pauſania*, *indicem in Fanum Neptuni, quod Tænari eſt, confugiſſe, & in Ara conſediſſe* refert: eandemque *publicæ* pacis vocat, in *Timotheo, c. 2.* Sed & *Euripides*,

> —— ἔχει γὰρ καταφυγὴν θῆρ μὲν πέτραν,
> Δοῦλοι δὲ βωμοὺς θεῶν. ——

Nec verò Diis modò, ſed & Heroibus quibuſdam, id honoris datum, uti Lipſius ex Plutarchi *Theſeo* docet, & nos mox videbimus. Ab aris autem nemo vi poterat avelli, ſed ſi quis magni ſceleris reus eò ſe recepiſſet, vel igne admotô ſponte inde diſcedere cogebatur, vel obſtructis valvis fame enecabatur, Thom. Dempſter *Antiqq. Rom. l. 1. Paralipom. ad c. 13.* Ruſſæus tamen *Archæol. Veter. l. 6. c. 1.* docet, non quamvis *Aram*, templumque quodvis hôc privilegiô apud Athenienſes fuiſſe gaviſum, ſed tria ſolùm iſtas, *Miſericordiæ* videl. *Minervæ*, *Eumenidum*, *Munychiæ*, & duas in Theſei templis, quarum altera intra mœnia, altera foris erat; Originemque hujus rei acceſſit ab Herculis poſteris, qui *inſidias eorum, quos Avus aſflixerat, timentes, Athenis ſibi primi Aſylum, h. e. templum miſericordiæ collocârunt, unde nullus poſſit abduci*, Servius *ad Æn. l. 8.* Porrò & juraturi *Aras* tenebant; ſive ut ait Tullius *pro L. Corn. Balbo*, *ut mos Græcorum eſt jurandi cauſâ ad aras accedebant*, Vide Barn. Briſſonium *Formular. l. 8.* & oraturi, uti vidimus ſuprà, & uti infrà dicemus, ubi de *Orantium ritibus*. Adde qui priorem ritum egregiè inſuper illuſtrârunt, Hadr. Turnebum *Adverſar. l. 16. c. 10. l. 19. c. 19.* & *l. 26. c. 2.* Joſ. Scaligerum *ad Manilium*, Keuchenium *ad Hannibalem Cornel. Nepotis c. 2.* Alios: uti de Pœnis idem factitare ſolitis, Alex. ab Alexandro *Genial. Dierum l. 5. c. 10.* Sed & Romanos id ſoli tos, inde patet, quòd apud illos *Aram tenere* vel *tangere*, eſt ὀμνύειν τῶν βωμῶν ἐφαπτόμενον, ut loquitur *Theo*. Morituri quoque illas amplexabantur. Virg. *Æn. l. 2. v. 155.*

> —— *Vos Aræ, enſeſque nefandi,*
> *Quos fugi, vittæque Deûm, quas hoſtia geſſi.*

Seneca *in Hercule fur. Act. 2. v. 501.*

> *Conjugia quoniam pervicax noſtra abnuis,*
> *Regemque terres, ſceptra quid poſſint, ſcies.*
> *Complectere Aras, nullus eripiet Deus*
> *Te mihi:*

quibus verbis Lycus, ad Megaram, quam interfecturus erat, utitur. Quô ſenſu accipiendum & Plinii illud *l. 35. c. 10.* *Timanthis eſt Iphigenia, oratorum laudibus celebrata, quâ ſtante ad aras peritura*,

cùm

cum noſtros pinxiſſet mores, Patris vultum velavit, &c. Vide quoque ſuprà in voce *Altare*: uti de *Aram coronandi more* ibi à, aliquid etiam in Bi*onomica*, de fœda adulatione Veter. *Aras be aſque vasis in locis diſponendi*, in adventu Principum, Lipſium *Not.* 77. *ad Hiſtor. Taciti* & Berneggerum *ad Juſtin.* l. 24. c. 3.

ARA Cæ[illegible]is, vulg. *Ar'ago*, pagus Inſubriæ, in agro Mediolanenſi, apud Curiam pictam.

ARA Comitii, ſub qua defoſſa Navii Auguris novacula, quâ cotem diſciderat, non longè à ſacra ficu, in memoriam tantæ rei [illegible]ſta eſt, ut Cenn[illegible] videl. ante Curiam, ubi etiam Navio ſtatua togata poſita erat, Plin. l. 34. c. 5. *Namque Atti Navii ſtatua fuit ante Curiam, cujus baſis conflagravit incendio Curia P. Clodii funere.* Cicero [illegible] vocat, quo nomine Aras, quæ foramen habebant, dici [illegible] ueviſſe, videbimus infrà in voce *Puteal*. Plura hanc in rem, apud [illegible]maſ. *ad Solin.* p. 1138. & ſeqq.

ARA Lapidea. Vide *Arclape*.

ARA Lugdunenſis, vulgò *Ainay*, cœnobium nunc propè Lugdunum, ad Araris cum Rhodano confluentiam, de quo Juvenal. *Sat.* 1. v. 44.

---- ---- *Et ſic*
Palleat, ut nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad Aram.

Caligula ſiquidem, teſte Suetonio c. 20. Lugduni certamina oratoria ea lege inſtituit, ut victi victorum laudes componerent, vel præmia [illegible] conferrent; qui maximè diſplicuiſſent, ſpongiâ, linguave ſcripta ſe delerent, niſi aut ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluiſſent. Oratores autem illic dicturi metu pallebant, propoſitum ſupplicium timentes. *Nic. Lloydius.*

ARA Lugdunenſis, aliàs *Athanacum*; Abbatia prædives intra muros Lugduni.

ARA Magnetica. Vitreum cœlum Archimedes fabricâſſe fertur, in quo omnes cœleſtium corporum motiones, itinera, intervalla, proportiones tam ingenioſè aptarit, &c. Et ſimilem non unam, ſed tres oſtentat: *Auſtri Kircherius* (Ara Magnetica, quæ in medio Muſæi ambulacri Auctoris ingenioſâ diſpoſitione ſuperbit. Harum vitrearum orbitarum media & grandior fluitantis humidi, pendulum orbis terrarum globum in centro refert, quæ ponderibus ipſa ſuis librata, magnetis vi, circa ſuum centrum 24. horarum ſpatia conficit, ſympatheticè Angelo, qui in media aqua fixus manet, indice occurrentia ſibi horarum intervalla diſtinguente. Secundus globus vitreus, cujus exteriorem ſuperficiem diverſis coloribus interſtincti circuli ſeu lineæ, Solis ac Lunæ reliquorumque Planetarum vagabundorum circumvolutionem diurnam & nocturnam diſcriminantes referunt. Genius in medio pendulus, ad ſuæ motricis virtutis prædominantis imperium, impiger circumit, ſceptroque in circumferentia ſphæræ influxum prædominantis planetæ indicat. Tertia ſphæra Zodiacum & reliquas ſtellas refert: in cujus medio alter itidem genius magnete, uti prior, fœtus, iiſdem legibus 24. Meridianorum intervallis totidem horarum ſpatia, & ad quodvis momentum, noſtrum Horizontem influentia ſydera fixa oſtendit. Fulcimentum harum machinarum laterum columnæ, parallelepipedæ duæ, ex utroque ſcil. latere, quarum una ad horarum Italicarum altera ad Aſtronomicarum curſum indies deſignandum inſervit, tantò artificiò, ut nihil ſuprà. Sunt porrò adeò adornatæ, ut inter ſe contrariò motu horas indicent, cum earum unâ Solis ſimulacrum in leviſſima chartula, magnete ferâ, aſcendendo horas indicet, pari paſſu in altera columna Luna itidem leviſſima chartula effigiata, deſcendendo æquis intervallis idem prorſus præſtet. Quæ duæ chartulæ moventur motu naturali, progrediunturque mox ſurſum, mox deorſum, nec tamen ulli rei annexæ hærent, nec rotis devehuntur, nec aliò adminiculò externò fulciuntur, ita ut eas liberè abſtrahere liceat & in ſuum locum reponere. Ex parte autem ſuperiore ab unius columnæ corona ad alteram naturalis aviculæ eſt exuvium, artificiò intrinſecus ita animatum, ut quatiendo alas, caput & caudam ad vivum movere atque ab una columna ad alteram volare & in utroque termino veluti requieſcere videatur. Hæc etiam tranſitu ſuò in pulchrè adornata trabe, quæ aviculæ pedes ſuſtinet, diviſa linearum ſpatia indicat. Circumdat tam elegans florum ac frugum corymbus hanc epigraphen: *Mens agitat molem* &c. In aræ demum lateribus utrinque [illegible]phæræ cum ſuis in medio indicibus inſtructæ cernuntur; à quorum [illegible]cum motu conus aræ partes ſympatheticò motu concitantur, ſingularibus adæquatis intervallis tum motu naturali deorſum, tum violentò ſurſum, & in linea recta horizontali, demum verò in peripheria è Centro, ſecundùm peripheriæ ambitum, unò eodemque actu moventur. Vide figuram, in 2. *edit. Artis Magn. lucis & umbræ* l. [illegible]. 20. 21.

ARA Maxima, apud Solinum c. 1. *Suo quoque Numini idem Hercules initiavit aram, quæ* Maxima *apud Pontifices habetur --- conſeptum* *ritus* &c. ubi alii *ſuo Nominis* legunt, quaſi Herculis nomini hæc Ara fuiſſet inſcripta: uti alias moris erat. Inſcribebantur enim aræ nominibus eorum Deorum, quibus erant conſecratæ, ut Servius docet *ad Æn.* l. 3. & *Zoſimus*, Βωμὸς ἰσεύθη, ᾧ τὸ γράμμα ἦν, Ἄδου καὶ Περσεφόνης, *Ara inventa eſt, in qua literæ ha, Plutonis & Proſerpinæ.* Sed *Ara Maxima* nullius nomen præferebat, hoc ſaltem nomine proſcripta, apud *Victorem* & *Rufum*. Meminit ejus quoque Ovid. *Faſtor.* l. 1. v. 579.

Immolat ex illis taurum tibi Jupiter unum
Victor: & Evandrum ruricolaſque vocat.
Conſtituitque ſibi, quæ Maxima *dicitur, aram* &c.

Nempe occiſò Caco & recuperatis bobus, quos ille averterat, Jovi Victori, vel, ut alii volunt, Inventori, taurum immolavit Hercules, convivióque adhibitis agreſtibus cum Evandro, *Aram Maximam* ſibi ipſi conſtituit. Eam idem in Foro Boario collocat, quod erat in VIII. Reg. Urbis; at *P. Victor* & *Sext. Rufus* conſtituunt illam in XI. Reg. ad Circum Maximum. Quas ſententias ſic conciliat *Dionyſ.* ut dicat, non quidem in Foro Boario, ſed prope illud, inter quod & Circum Maximum, vicus tantum unus interceſſerit, qui velis tempore ludorum intendebatur, eam fuiſſe &c. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 9.

ARA Salutis, l. 3. *in princ. Cod. de his qui ad Eccleſ. confug.* Vide infrà *Aſylum*.

ARA Tutila, vulgò *Calonica*, oppid. olim, nunc pagus Corſicæ, inter Aleriam & Marianam, mediò ferè itinere.

ARA Ubiorum, vulgò *Bonne*, oppid. German. ad Rhenum, ubi ſedes Electoris Colonienſis, 15. mill. paſſ. ſupra Coloniam Agrippinam *Cluver.* Origo ei loco à veneratione Auguſti, cui novo cœliti ara illic, receptâ adulatione, extructa, uti ara Lugduni, & ad eam Sacerdotes ex primoribus gentis, Lipſius *ad Tacit.* l. 1. c. 57. Vide *Bonna*.

de ARA dicendi ritus, memoratur Tertulliano *de Pallio* c. 5. *Tamen propemodum mihi quoque licebit in publicum prodeſſe, ſoleo de qualibet margine* (i. e. ſuggeſtu lapideô vel terreô, ad fines conſtitutô) *vel Arâ medicinas moribus dicere*, &c. i. e. de quolibet editiore loco, ut ſunt *aræ*, & margines ſeu crepidines viarum. Qui enim in publico aliquid dicere volebant, ſemper ex editiore loco, quaſi ſuggeſtu vel tribunali pronuntiabant, ut ab omnibus audirentur faciliùs. Unde milites alloquuturis Imperatoribus ceſpititia tribunalia erigebantur. Circulatores verò & ſcurræ, qui in triviis & quadriviis plebem congregabant, pro ſuggeſtu vel tribunali quaslibet obvias *Aras* occupare ſoliti erant, ut inde, quæ vellent, ad circumfuſam dicerent multitudinem. Lucianus in *Alex. Abonoticote*, Ἐώθει δὲ γυμνὸς εἰς τὴν ἀγορὰν ἐκπηδήσας, διάζωμα δὲ περὶ τὸ αἰδοῖον ἔχων, διάχρυσον καὶ τοῦτο, καὶ τὴν ἅρπην ἐκείνην φέρων, σείων ἅμα τὴν κόμην ἄνετον ὥσπερ οἱ τῇ μητρὶ ἀγείροντες καὶ ἐνθεάζοντες, δημηγορεῖν ἐπὶ βωμοῦ τινος ὑψηλοῦ ἀναβὰς, καὶ τὴν πόλιν ἐμακάριζεν αὐτίκα μάλα δεξομένην ἐναργῆ Θεόν. Ubi inſcenſâ *arâ* ſummotum ille venditor populum alloquitur. Sic Dio apud *Philoſtratum*, milites alloquuturus ac moniturus, *aram* in caſtris conſcendit: Sic Cynici, qui nec vitiis, nec perſonis parcebant, ut ἐν ἐπηκόῳ πάντων in luxum hominum elatrarent, *aram* aut marginem aliquem inſcendere conſueverant. Apollonius quoque Thyaneus, apud eundem *Philoſtratum*, eò ipſò die, quò à Stephano Domitianus eſt interfectus, ἀναβὰς ἐπὶ λίθον ὑψηλὸν καὶ συγκαλέσας τὸ πλῆθος, ἀνεβόησεν, καλῶς Στέφανε, εὖγε Στέφανε, παῖε τὸν μιαιφόνον, ἔπληξας, ἔτρωσας, ἀπέκτονας, *Conſcenſò lapide quodam ſublimi --- & convocatâ turbâ, iſta dixit, pulchrè Stephane, bene Stephane, percute ſceleſtum, percuſſiſti, vulneraſti, occidiſti*, &c. *Aræ* autem in omnibus locis urbis in propatulo extructæ viſebantur: quæ proin circulatoribus, mendicis, hariolis, Cynicis & aliis hujuſmodi planis ac ſtultæ plebeculæ concionatoribus pro tribunali præſtò ſemper erant. Vide Salmaſ. *ad loc. cit.*

ARAAS, Latinè *ira*, vel *calor confidentiæ*, ſive *protectionis*. Pater Thecuæ, patris Sellum, mariti Huldæ Propheteſſæ. 2. Reg. c. 22. v. 14. Hebraicè *Harethas*, qui 2. Paral. c. 34. v. 22. *Haſra* dicitur.

ARAB, Latinè *inſidians*, vel *multiplicans*, aut *feneſtra*, ſive *locuſta*, civitas in tribu Judæ. Joſ. c. 15. v. 52.

ARABA, nomen viri. 1. Machab. c. 15. v. 22.

ARABÆGYPTII, ab Heroum oppido, ad Meridiem tendenti, in Ægypti parte habitabant, & ipſi νομαδικῶς degentes: quos excipiebant Troglodytæ Æthiopes etiam νομάδικοι. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 486. Apud eundem varia paſſim habes de Arabibus *Aſcitis*, *Catabanibus*, *Olenis*, *Scenitis*, &c.

ARABARCHES, publicanus apud Ægyptios. Juvenal. *Sat.* 1. v. 130.

---- *inter quas auſus habere*
Neſcio quis titulos, Ægyptius atque Arabarches.

Ubi alii *Alabarches*. Κλαῦα *Heſychio* eſt μέλος τι γράφοντι: Quidam volunt ſignificare etiam ſcriptum de tributo, quod pro pecorum paſtu ſolvitur. Inde *Alabarches*, qui præeſt huic ſcribendi muneri. *Schol. Juvenalis* Arabarchen ait irriſoriè dictum, quaſi *Arabum principem*; i. e. ſervorum, qui eſſent Romæ ex Arabia. Vide *Alciatum* & Brodæi *Miſcellanea*. *Nic. Lloydius.* Vide & hîc infrà.

ARABARCHIA, erat Alexandriæ Magiſtratus, qui Judæis præerat Alexandrinis, quibuſdam etiam *Alabarchia* dictus. Unde in *Epigrammate*,

Ἐξ Ἀλαβαρχίου γραμματεὺς γέγονεν.

Meminit hujus muneris Joſeph. *de Bell. Jud.* l. 12. c. 5. *Primus inter Alexandrinos Judæos, tam opibus, quam genere, & tum Alabarchiæ magiſtratum gerentes.* Et ſuprà l. 19. c. 4. ubi *Ethnarcham* appellat. Vide Hadr. Turnebum *Adverſar.* l. 27. c. 25. & hîc ſuprà.

ARABATHANE, nomen civitatis. 1 Machab. c. 5. v. 3.

ARABIA, Aſiæ regio, Africæ proxima, cujus longitudo à mari Mediterraneo in confiniis Ægypti, uſque ad initium ſinus Perſici & promontorium Corodamum, latitudo inter Perſicum Arabicumque ſinus intercipitur. Habet ab Ortu montes, qui illam à Babylonia & ſinu Perſico ſeparant. Ab Occaſu ſinum Arabicum ſeu mare Rubrum & Iſthmum, qui inter hunc ſinum & mare Mediterraneum eſt. A Septentrione Palæſtinam Cœleſyriam & Euphratem. A Meridie mare Indicum. Triplex eſt, Prima *Deſerta*, ubi 40 annos Iſraëlitæ deterti, olimque antiqua urbs Eſcena, vel Eſcerneta, *Marmol.* hodie Meſcher, Ocem & Anna urbes. Inculta & ſterilis eſt, nunc *Beriara*, teſte *Vlkinovand*, cum aliis; vel *Arden*, inter Syriam ad occidentem, & Arabiam Felicem ad ortum, atque inter Meſopotamiam ad Septentrionem; Euphrate fluvio diſſeparante, & Arabiam Petræam ad Auſtrum. Secunda *Felix*, hodie *Hyaman*, & Turcis *Gemen*, vel *Giamen*, à Saracenis *Mameotta*, ampliſſima, inter 2. maximos ſinus Arabicum & Perſicum perſtricta, inter occidentem & ortum longiſſimè excurrens, ad Boream Arabias Petræam & Deſertam habens, mari Rubrô, Indiam verſùs definita; Felix

autem dicta eſt, ob aromatum odorumque in ea uberem proventum, & penitus hîc modò inter prædictos ſinus comprehenditur. Præterea ſeculi Geographi in complura regna eam ſecant, eaque pleraque Perſarum Regibus parentia, qui ut in officio provincias contineant, ſuos in iis Proreges conſtituunt; cujuſmodi ſunt *Iraim*, *Amanjieſdia*, *Ormus*, *Becatim*, *Happha*, *Altlunals*, *Gubelaman*, *Fortach*, *Hereth*, *Adem* & *Zibith* regna, quæ partim propriis Regibus, partim à Perſis ſubſtitutis, partim Turcis parent: his etiam ab aliquibus annumerantur *Aima*, *Charama* & *Sabara* regna. Bis, ut Indiæ, conſeritur ob fœcunditatem: fluminibus ſcatet, aromatum omnis generis feraciſſima, quibus omnia permutant: urbes ſine mœnibus colunt, quod in pace maximè degant. Auro abundant & præcipuè Dobæ: proximi ſunt Sabæi, thure, myrrhâ & cinnamomo divites: nec terræ hic minus opulentæ, quorum ferè ſupellex omnis ex auro & argento eſt, ex his enim & ebore domorum limina, tecta & parietes conſtruunt. Hæc olim fortaſſe fuit Arabiæ facies: qui verò hâc noſtrâ ætate eam vidiſſe ſe profitentur, multa ex his aliter habere aſſerunt, ventorum nimirum lævinam in arenis congerendis multam: neque binas meſſes eſſe, illamque aquarum penuriâ laborare: Cinnamomi nihil habet, eboris inſuper & Elephantorum nihil, niſi adventitiorum. *Natal. Metel.* Urbes habuit olim celebres, hodieque Mecham, Medinam, aliaſque nonnullas. Hinc Saraceni egreſſi Vide Plin. *l.* 5. *c.* 12. *l* 6 *c.* 24. 28 Strabon. *l.* 1. Cluver. *l.* 5. Marmol. *l.* 1, c. 28. Terra *Petræa* demum, *Nabathæa Straboni & Plinio. Barrasb*, & *Bengaucal*, aliiſque nominibus hodiè appellata; inter Palæſtinam ad occaſum Jordane, & Aſphaltite lacu diviſa, & Arabiam Felicem ad ortum ac inter Deſertam ad arctos, Ægyptum autem partemque ſinûs Arabici ad meridiem. Illius inprimis magna pars arenoſa & ſterilis eſt, raroſque habet incolas & urbes, tum ob vaſtas ſolitudines & mores aſperrimos, tum etiam propter aquæ penuriam. Eſtque ferè tota ſui juris. Celebris eſt tamen urbe *Harac* vel *Crach*, in SS. *Petrâ deſerti* dictâ, à Nabathæis inhabitatâ & monte Sinai, è quo Deus legem ſuam promulgavit. Hic Alabaſtri & coralliorum vis. *Bellonius.* Ut & hoc addam: *Deſerta*, hodie *Arden*, Babyloniæ ad Occaſum adjacet, in qua deſertum *Benabals*, ſeu *Benaſcals*, communiter *Mare arenoſum* dictum. Eodem itineraria referunt Medinam & Meccam, loca peregrinationibus Turcarum religioſis celebria. Inter naturalia ipſi propria eſt roſa, vulgò dicta *Hierichuntina*, quæ in arena ad littora maris hîc creſcit, non autem Hierichunte, licèt nomen inde ferat. *Petræa*, nunc *Harac* vel *Aracha* in illa quoque deſerta *Sin*, *Zur*, *Kedar*, *Cades*. Fuêre ibi olim Amalekitæ, Edomitæ, & Medianitæ. *Felix*, proventu thuris & aromatum quorundam gaudet, habetque portus non incelebres *Zidere*, *Sibus*, *Aaen*: ex urbibus ejus Mediterraneis inſignis eſt *Almacarama* ſeu *Samaraca*, de qua vide le Blanc *part.* 1. *c.* 2. 3. 4. Auctor Anonymus *Hiſtor. Orbis Terr.* Erant olim Arabes ſub Principibus, Diodor. Sic. *l.* 2. Ab Aſſyriis Perſiſque ſæpe victi. Herodot. *l* 2. & 3. Xenoph. *Cyropæd.* 1. 2. 3. 4. 8. &c. Alexandrum M. quoque dominum ſenſerunt, quem hîc ſedem Imperii ſtatuere voluiſſe, Strabo *l.* 16. refert. Vide & Plin. *l.* 12 *c.* 14. Poſt hujus mortem, Hierotamus, Arabum auxiliis nixus, immenſum crevit: Hyrcanus quoque Judæorum Rex Aretam Arabum Regem imploravit, qui obſedit Hieroſolymam, à Scauro pulſus. Joſeph. *Jud. Antiq. l* 14. A Romanis dein ſub Auguſto & Trajano ex parte utcunque ſubacti, tandem A. C. 625. ſtatu Mahometis jugum penitus excuſſêre. Vide ſuprà. In Africam ex Aſia primum A. C. 653. ſub Odmanno Calipha; ductu Occuba ben Nafici, tranſierunt Arabum 80000. orbe *Carvan*, vel *Curavan* ibi conditâ, 30. milli. Tuneto inoriuni: Poſteà, permiſſu Caitæ, qui Carvanæ Calipha fuit, alia nia Arabum genera huc pervenerunt, A. C 999 Hegiræ 400. Hodieque in illa frequentes ſunt, in Tribus diviſi, quarum præcipua *Eſguegena*, in 6. alias ſubdiviſa eſt. Habitant autem 10 pagis *Advares* dictis, qui nil aliud quàm tentoria ſunt. Numidici Arabes miſeri admodum, nihilominus feroces ſunt, canum commercio celebres, venatus, Poëſi & Aſtrologiæ addicti: Reliquorum paulo melior ſors eſt, niſi deſerti Barcæ incolas excipias, qui Siculis Mercatoribus ſæpe liberos ſuos, pro frumento oppignorare ob penuriam coguntur. Idololatræ priſcis temporibus Solem Lunamque aliqui, aliqui arbores quaſdam & ſerpentes, univerſi Turrim *Alcara* vel *Aquebila*, quam ab Iſmaële ſtructam dixêre, venerati ſunt. An à Magis, qui Chriſtum primi ſalutârunt, hinc profecti, ſecundùm Juſtinum Mart. *Dial. cum Tryphon.* Tertullian. *l.* 3. *contra Marc. c.* 13. & *contra Jud.* Cyprian. &c Evangelii luce colluſtrari; poſtmodum Judæ Apoſtoli diſcipuli fuêre A Mahomete dein ſeducti, *Melech* ſectæ adhæſerunt, quibuſdam tamen *Odmanni* quoque *Leibariique* partes ſequentibus. Afri Arabes in 60 ſectas, Mahometanæ tamen omnes, diſcerpti ſunt. Cæterùm de ſoli incolarumque ingenio accuratius agentes, vide *Bellonium*, *Texeiram*, P. de Valle *tom.* 4. &c. De Arabibus Africæ, Marmol. *l* 3. *c.* 27. *uſque ad* 33. De regimine Arabiæ, Diodor. Sic. *l.* 2. Herodot. *l.* 2. & 3. Xenoph. *Pæd. l.* 1. 2. 4. & 8. Plin. *l.* 12. *c.* 14. Strab. *l.* 16. Joſeph *Jud. Ant. l.* 16. Amm. Marcellin. *l.* 14. Paul. Diac *l* 5. & 16. Marmol. *l.* 2. De religione tandem Arabum. Eundem *ibid.* Concilium in Arabia habitum, A. C. 259. quò Beryllus Epiſcopus Filium Dei divinitatem propriam non habere fabulatus, ab Origine convictus eſt. Euſeb. *l.* 6 *c.* 26. Rurſus A. C. 247. contra Arabicos hæreticos, quorum plurimi, ab Origene, eò accerſito converſi. Idem *l* 6. *c.* 30. Vide infra *Arabici*. De Arabia *Baudrandus* iſta habet: Regio, *l'Arabie* Gallis, *Arabia* Italis, & *Arabiſtan* Aſiaticis eſt ex præcipuis totius Aſiæ partibus, terminos habens à Septentrione Syriam & fluv. Euphratem, ab Oriente ſinum Perſicum, ab Occidente ſinum Arabicum, & à Meridie mare Arabicum, ſeu partem Oceani Indici. Triplex eſt. Vide ſuprà. Illius maxima pars arenoſa eſt & ſterilis, & raros habet incolas, & urbes, tùm ob vaſtas ſolitudines & montes aſperrimos, tum etiam propter aquæ penuriam; eſtque ferè tota ſui juris.

Ejus urbes præcipuæ nunc ſunt

Adenum, *Aden.*	Jamana, *Iamana.*
Almacharana, *Almacharana.*	Malcatum, *Maſcat.*
Anna, *Anna.*	Mecca, ſeu Marraba, *La Mequa.*
Aracum, ſeu Petra, *Crac.*	Medina, *Medina Tanabhi.*
Balſera, ſeu Teredon, *Balſora.*	Sanaa, *Sanaa.*
Boſtra, *Buſſereth.*	Zibithum, *Zibith.*
Gella, *el Catif.*	

Heſych Ἀρραβίων ὁ Σύριος; [illegible]

Hinc *Arabus*, nam quoties aliquem loquacitatis notare volumus, *Arabum tibicen* dicimus. Græcè Ἀράβιος αὐλητής. Item *Arabius numus*, Ἀράβιος ἄγγελος. In eos dici ſolitum, qui à ſemel cœptis nunquam deſiſtunt. Adagium hinc natum exiſtimant, quòd olim ſola mancipia muſicam exercerent, quæ plerumque ex Arabia producebantur. Citatur ex *Menandro*, illiuſque meminit *Julius Pollux*; Populi *Arabes*, & *Arabs* Virgilio Æn. *l.* 7. *v.* 605. quos cum Hyrcanis conjungit:

Sive Getis inferre manu lachrymabile bellum,
Hircaniſve Arabiſve parant, ſeu tendere ad Indos,
Auroramque ſequi, Parthoſque repoſcere ſigna.

De nominis origine hæc *Sithoſonus*. *Arabia* Hebræis ערב *arab*, à locis campeſtribus ac deſertis, nam ערבה *arabah* deſertum eſt vel ſolitudo campeſtris. Vel à mixtis populis, nam ערב eſt miſcuit, mixtum etiam coitum habebant, de quo poſteà. Non de nihilo eſt (inquit Bochartus *l* 4. *Phaleg. c.* 2.) quod ערבי (*Arabi*) Arabs, ערב (*ereb*) veſpera, & עורב (*oreb*) corvus ſint ab eadem radice. Nec deſunt, qui Arabas ab Homero Od. δ v. 84 Ἐρεμβοὺς dici volunt, quaſi Ἐρεμνοὺς, vel Ἐρεβέννους, i. e. nigros. Vide *Strabonem*, & *Magnum Etymologicum*. Aliter *de la Cerda*. De Etymo Arabum ſcias (inquit) eâ voce notari *latrones*, ut Chananæis *mercatores*, Chaldæis *Mathematicos*. Auctor Hieronym. *in c.* 3. *Hierem.* Arabia olim pretioſis unguentis notiſſima. Lucian. *de Syria Dea*: [illegible] Unde *Dionyſius*.

[illegible Greek verse]

Tibullus *l.* 2. *eleg.* 2. *v.* 3.

Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener è terra divite mittit Arabs.
Poſſideatque metit quicquid bene olentibus arvis
Cultor odoratæ dives Arabs ſegetis.

Item *l.* 3. *El.* 2. *v.* 23.

Illic, quas mittit dives Panchaia merces,
Eoique Arabes, dives & Aſſyria.

Propertius *l.* 2. *El.* 29. *v.* 17.

Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores.

Idem *l.* 5. *El.* 12. *v.* 7.

Et Tyros oſtrinos præbet Cadmea colores,
Cinnamon & multi paſtor odoris Arabs.

Ovid. *in Ep. Heroid.* 15. *Sapphus v.* 76

Non Arabum noſter rore capillus olet.

Quint. Curt. *l.* 5. *c.* 1. *Arabia odorum fertilitate nobilis regio.* Vide Plin *l.* 5. *c* 11. Plautus in *Milite glorioſo Actu* 2. *ſc.* 5. *v.* 2. *Ut Arabico fumificem odore.* Idem in *Pœnulo Actu* 5. *ſc.* 4. *v.* 6. *Arabus* (ita Chariſius) *murrhinuſque odor omnia complebat.* Statius *l* 5. *Silv.* 3. *Epicedio in Patrem v.* 41

— Odoratas nec Arabs decerpſit ariſtas.

Divitias ejus paſſim innuit Horatius. *l.* 1. *Ep.* 7. *v.* 35.

— — — Nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto

Et *Carm. l.* 1. *Od.* 29. *v* 1

Icci beatis nunc Arabum invides
Gazis. — —

Et *Carm. l.* 3. *Od* 24. *v.* 1.

Intactis opulentior
Theſauris Arabum & divitis Indiæ.

Idem *Carm. l.* 2. *Od.* 12. *v.* 24.

Plenas aut Arabum domos.

Idem *l.* 1. *Ep.* 6. *v.* 6.

Quid maris extremos Arabas ditantis, & Indos.

Seneca Tragœdus:

Et qui ſagittas divites Arabes linunt.

Mollitiem Arabum notat Catullus; Ad Furium & Aurel. *Epigr.* 11. *v.* 5.

Sive in Hyrcanos Arabeſque molles.

Itemque Manilius *l.* 4.

— Molles Arabes, terramque ferentem
Delicias, variæque novos radicis odores.

Idem *alibi*,

Et molles Arabes ſilvarum ditia regna.

Claudian. *de* 4 *Conſul. Honorii*, *v.* 257

Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorant.

Dionyſius v 968.

[illegible Greek verse]

Denique Sabæos, Arabiæ Felicis gentem, *molles* vocat Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 57.

— Molles ſua thura Sabæi.

Hodie latrociniis infames ſunt Arabes. Ut inprimis videre eſt, apud P. de Valle *tom.* 4 *Itiner.* Notandum hic, quòd quamvis prima ſyllaba in *Arabs* ſemper corripiatur, in *Arabia* tamen eam producit Propertius *l.* 2. *El.* 10. *v.* 16.

Et tremit intactâ te domum Arabes.

Idem eodem libro, *El* 3. *v.* 15.

Nec ſi quis Arabo lucet bombyce puella.

Porrò

Porrò Arabes, qui Felicem incolunt Arabiam, eâ olim utebantur conſuetudine, ut una omnibus conſanguineis uxor eſſet. Ex his enim (teſte Strabone, *l. 6.*) qui primus ad eam ingrediebatur, poſito præ foribus baculo (nam baculum ex more quiſque gerebat) cum eâ coibat, ipſa tamen cum natu grandiore noctes agebat. Adulter apud eos capitis damnabatur, quia ea eo deprehendebatur, quod alius generis eſſet. Unde hoc relatu dignum aliquando accidit. Erat enim cujuſdam Regis filia, mirâ pulcritudine, cui quindecim erant fratres, qui ejus omnes æquè amore flagrabant: propterea alius poſt alium junctim ad eam ingrediebantur. Illa autem aſſiduò concubitu jam defeſſa, rem hujuſmodi commiſcetur. Fecit ſurculos non utique fratrum ſurculis abſimiles: ex quo ſtatim ab ea quiſpiam exibat, ſurculum aliquem ſimilem ante januam ponebat, quò fratres qui invicem ſequebantur, ſurculum præ foribus fixum cernentes, eorumque aliquem intus eſſe putantes, ab ingreſſu arcerentur. Verum cùm aliquando omnes in foro eſſent, unus ad fores acceſſit, & cum baculum vidiſſet, ſuſpicatus adulterum intus eſſe, currens ad patrem, ſororem de ſtupro accuſavit: ſed cognitâ re, eam falſo criminari convictus eſt. Hæc Strabo. Arabes maſculos ſuos omnes annum decimum tertium agentes circumcidere ſolent, quòd eo ætatis tempore Iſmaël, gentis illius author, fuerit circumciſus, Gen. *c.* 17. *v.* 25 Comeſtor *in locum. Nic. Lloydius*

ARABIA, emporium vel maritimus vicus, in Arabia Felice, qui & ipſe Εὐδαίμων Ἀραβία, *Felix Arabia* dictus eſt. *Ptol.* Ἀραβία ἐμπόριον Et Auctor *Peripli*, Εὐδαίμων Ἀραβία κώμη παραθαλάσσιος ... ὁρμοὺς ἔχουσα ... Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 496.

ARABIANUS, apud Capitolio. *in Maximo & Balbino. c.* 1. *quum & Dexippus & Arabianus Maximum & Balbinum dicant electos contra Maximinum, poſt Gordianos, &c.* corruptum eſt, pro *Arrianus.* Salmaſ. *ad loc. cit.*

ARABICA, recentioribus dicta eſt pars Ægypti, ubi Troglodytæ Æthiopes, at & regio omnis, quæ inter Arabicum Sinum, & Nilum eſt: qui idem littus quoque illud vocat Pre *Arabicam*: Miſſi Theodoſii *Arabiam Troglodytam* appellant, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 485.

ARABICA Gemma, apud Solin. *c.* 33 *aſpectu eburnea eſt, ratio* *abuuit. contra nervorum mo eſtias proceſſi habentibus.* Plinio inter lapides recenſetur *l.* 36. *c.* 21. *Arabicus lapis, ebori ſimilis, dentifriciis accommodatur crematus.* De quo in dentifriciis ejus uſu *Dioſcorides* quoque, Ὀδόντων ξ. inquit, σμῆγμα γίνεται κάλλιστον καυθείς. Unde Appulejus in *Apolog.*

Calpurniane ſalve properis verſibus,
Miſi, ut petiſti, mundicias has dentium,
Nitelas oris ex Arabicis frugibus.

Dentifricium intelligit ex hoc lapide, qui crematus & in pulverem tritus, terſui dentibus comparabatur. *Nobilem pulviſculum ibidem* vocat. Vide Salmaſ. *dict. loc. p.* 585.

ARABICI, Hæretici 3. ſeculò, ſub Severo Imperatore in Arabia exorti. Animas hominum cum corporibus ſuis mori, & cum iiſdem reſurgere commenti ſunt. Author in incerto eſt. Auguſtin. *Hær.* 83. Niceph. *l.* 5. *c.* 23. Porrò de *Arabum* circa animarum originem, mortalitatem, immortalitatem, tranſmigrationem, &c. erroribus conſulendus Abrahamus Echellenſis in *Hiſt. Arab. c.* 12. *& ſeqq.*

ARABICI Equi, equorum in Africa genus, item in Ægypto, Arabia & Aſia tota; pernicitate præſtantes, de quibus ſic Marmolius *l.* 1. *c.* 23. *In tota Europa Barbari vocantur equi è Barbaria advecti. ſed in Africa, Ægypto, Arabia totaque Aſia, una eſt equorum ſpecies, quos Arabicos appellant, ex eorum proſapia, qui in deſertis Arabiæ procreantur — Ii ſunt mirè veloces, neque majus ullum eſt eorum velocitatis argumentum, quam cum feram Lampt.. aut ſtruthiocamelum aſſequuntur ... talis equus mille ducatis aureis aut centum camelis æſtimatur: Sed in Barbaria tales pauci ſunt. Et certe eſt hæc Arabum ſententia, nullum eſſe animal, quod ſtruthionem ſuperet curſu*: apud Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 2. *c.* 17.

ARABICUS Sinus, quem Dionyſius cum auctore *libri de Mundo* . 2. & aliis pleriſque Græcis, à mari Rubro perpetuò diſtinguit. Mare enim Rubrum ipſis Oceani pars eſt inter Æthiopiam & Indiam interjecta. Ex Latinis tamen aliqui, atque etiam ex Græcis nonnulli, ad ſinum etiam Arabicum, & Perſicum, ex Oceano illo prodeuntes, Rubri maris nomen extendunt. Ita Seneca in *Troade, v.* 11.

Tepidum rubenti Tigris immiſcet freta.

Ubi, per *fretum rubens*, Sinum Perſicum intelligit, in quem Tigris ſe exonerat. Et Plinius non ſemel, nomine maris Rubri, ſinum Arabicum intelligit, ut *l.* 5. *c.* 11. quod & à LXX. Interpretib. fit, & ab authore epiſtolæ ad Hebræos, *c.* 11. *v.* 29. Ex quorum verbis malè intellectis ortus eſt quorundam error, qui nomen maris Rubri ſinui iſti (qui Hebræis ים־סוף mare *Suph*, quaſi mare *algoſum*, ſeu *carricoſum* dicitur) proprium putârunt. At Plinius, maris Rubri nomen Sinui huic cum Perſico commune facit, quatenus ſcil. uterque ex Oceano Rubro (ut ab *Hebræis* vocatur) prodit, & ejuſdem quaſi pars eſt, ut patet ex *l.* 6. *c.* 23. 24. 25. ubi de Mari Rubro propriè dicto, h. e. Oceano Meridiano, loquens, *c.* 24. *In duos*, inquit, *dividitur ſinus*, de Perſico & Arabico verba illa mox explicans. Sic Solinus *c.* 58 *Irrumpit hac litora Rubrum mare, idque in duos ſinus ſcinditur*. Neque aliter accipienda videtur ſacrorum Interpretum ſententia; quanquam enim ים־סוף illis ἐρυθρὰ θάλασσα redditur, non tamen hoc ita accipiendum, ac ſi par eſſet nominis utriuſque extenſio. Sed quòd mare Rubrum latius ſumptum etiam ים־סוף ſeu Arabicum ſinum, tanquam partem ex ipſo prodeuntem, complecteretur. *Guil. Hill.* *Mar di Mecca* ab accolis vocatur: *Bar. Bohar Coſſum* 1. e. mare clauſum dicitur. Nautis formidabilis eſt propter frequentes Syrtes & ſcopulos versùs utramque oram litoralem, præſertim versùs Arabiam, ubi recipit aliquot flumina parvi momenti. Aquis in imo ſui receſſu præbuit tranſitum Iſraelitis.

ARABINUS, injuſtus judex, ab Alexandro Severo Imperatore Senatu motus eſt, exclamante. ô Numina: ô Jupiter, ô Dii immortales! Arabinus non ſolùm vivit, verùm etiam in Senatum venit. Æl. Lamprid. *in Severo c.* 17.

ARABIS, vel ARABIUS, ARBIS Plinio *l.* 7. *c.* 2. Indiæ fluv. qui ab Ariants montibus per Drangas, & Gedroſios in Oceanum defluit. Ejus accolæ *Arabitæ*. *Steph.* Item Æthiopiæ vicus. *Ptolemæo*

ARABISSUS, urbs Armeniæ minoris Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Meliteneſi in confinio Comagenes. *Antonin.* 70. milliar. à Melitene in Auſtrum, & 80. ab Anazarbe, in Boream.

ARABITÆ, Græcè Ἀραβῖται, populi dicti ſunt, fluvii Indiæ, *Arabis* accolæ. *Steph.* Ἀραβῖτ. ποταμὸς Ἰνδικῆς ... χώρα. παρὰ δὲ ... Ἀραβῖται, ὡς Ὠρεῖται. Et ſic etiam præferunt vulgatæ editiones Arriani *in Indicis* Sed Ἀρβῖται *Arbitæ*, & Ἀρβιεῖς; item Ἀρβῖς, *Arbis*, eſſe legendum, monet *Salmaſ.* Occurrunt autem *Arbies* primi, ab Indo versùs Occidentem navigantibus, poſt quos Oritæ, quos Arbi fluvio ab Indis dividi, ait Plin. *l.* 7. *c.* 2. Ipſi verò his veſtibus memorantur *Dionyſio*, qui Ἄραβας eos metri gratiâ vocat:

Ἠτοι μὲν δύνοντος ἐπὶ κλίσιν ἠελίοιο
Ὠρεῖται τ' Ἄραβές τε λινοχλαίνοι τ' Ἀραχωτοί.
Certe quidem occidentis ad inclinationem Solis.
Oritaſque & Arbias, lineiſque indutos Arachotas.

Fluvii verò mentio apud *Apollodorum.*

Ἐντὸς δ' Ὠρεῖται τε & Γεδρωσίοι
Οὐκ ἔγνωμεν Ἰνδοὺς οἳ ἐνοικοῦσιν πέραν
Ἄρβιος.
Poſtea autem Oritaſque & Gedroſios
Non agnoſcimus Indos, quippe habitantes ultra
Arbium.

Etiam Ἄρβις urbs in eadem gente, apud *Ptol.* Ἀρβιτῶν κῶμαι, *Arbitarum vici*, apud Marcianum Heracl. in *Periplo* Gedroſiæ, & Ἀρβιτῶν ὄρη, *Arbitæ Montes*, quod provinciæ illi nomen. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1176. & 1177. ut & in voce *Arabius.*

ARABIUS, *Ptolemæo* Gedroſiæ in Aſia fluv. Indorum ab Occidente, teſte *Arriano*, terminus. Eum Curtius *l.* 9. *c.* 10. *Arabon* appellat. Ab hoc ait, Janus Gebhardus, *Exercitationib. ad Q. Curt. Arabitas* appellatos, nempe *Arabi* accolas. Cæterùm idem affirmat Diodor. Sic. *l.* 17. *ſ.* 617. hinc emendandum, ubi vulgati codices habent Ἀμβρίται vel Ἀβρῖται. In Curtii codicibus malè quoque legitur *Abaritas*. *Nic. Lloydius*, qua de re vide ſuprà. Hodie *Ilment* fortè.

ARABLÆUS Petrus, vide *Petrus*.

ARABO, fluv. & urbs Pannoniæ ſuperioris in Hungaria. *Antonin. Narabo Ptolemæo.* *Rab* utrumque incolis vocatur, urbs verò *Giavarino* Italis dicitur, Auſtriacisque ſubeſt.

ARABOS; vide *Arabum*.

ARABRIGA, Luſitaniæ urbs mediterranea: hodiè *Arrabida*. Aliis vicus *Caſtanheira*, in Portugallia, ad Tagum fluv. medius fermè inter Scalabim & Ulyſſiponem, prope oppid. *Alanquer*, 10. leuc. Hiſpanic. à Leiria. Quod melius videtur. *Baudrand.*

ARABS, vel ARABUS, Apollinis fil. ex Babylone, ut inquit, Plin *l.* 7. *c.* 56. quem artis Medicæ repertorem fuiſſe dicit: fortaſſe, quod Babylone natus ibi medicinæ ſtuduerit, poſtea autem ad Arabes detulerit. Item *Arabs*, vel *Arabus* eſt lapis eburnei candoris, qui in pulverem redactus aptiſſimus dentifriciis eſt. Plin. *l.* 36. *c.* 21.

ARABYZA, civitas Cauconidis, quæ nunc *Peſinus*. *Steph.* ubi malim *Peſinus*.

ARACCA, vel ARECCA, urbs Suſianæ, ſed in confinio Suſianæ ac Babyloniæ; unde *Arecææ campi* Tibullo *l.* 4. *Epigr.* 1. *v.* 283. in quibus Naphthæ, h. e. liquidi bituminis fontes ſcaturiebant:

Aut ubi Arecæas unda perluſtrat campos.

Vide Strabonem de liquido bitumine, *l.* 15. & alia quædam de hac voce, in *Arach.*

ARACH, vel ERECH, civitas à Nimrode conſtructa, Gen. *c.* 10. *v.* 10. Ἄρακκα *Ptol.* urbs Suſianæ dicitur, à qua videntur Arabes hodieque *Irakam* appellare. *Irakam* enim diſpeſcunt in Agemicam, ſive Perſicam, & Arabicam. *Golius*. *Salmaſ* autem *Arach* & *Irakam* pro diverſis habet, ob diverſam ſcripturam, Gain ſcil. & Elif. Ab Aracca verò dicti *campi Arecææ* apud Tibullum, *loc. cit.* ut idem notat.

ARACHID; alias *Aaron*, Fil. Madi, Calipha Saracenorum XXIII. Succeſſit Eladi Belæ fratri, regnavit annos. 25. Cappadociam & Phrygiam vaſtavit, *Cedren.* amicus Carolo M. *Eginhart.* Obiit A. C. 810. Succeſſore Imane filio Mahamed Amine. Vide ſuprà *Aaron.*

ARACHLE, urbs Aſiæ in Palæſtina Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Tyrenſi. *Miræus.*

ARACHNÆUM, mons in Argo. *Steph.*

ARACHNE, puella Lydia, Idmonis filia, lanificii peritiſſima, ægrè ferens opus ſuum à Pallade, quacum certamen ſuſceperat, confractum, laqueo gulam ſibi fregit, quam Pallas in araneam transmutavit, uti teſtatur Ovid. *Met. l.* 6. *v.* 130. in his:

— Doluit ſucceſſu flava virago,
Et rupit pictas, cœleſtia crimina, veſtes.
Non tulit infelix: laqueoque animoſa ligavit
Guttura: pendentem Pallas miſerata levavit:
Poſtea diſcedens ſucci Hecateidos herba
Sparſit, & extemplo triſti medicamine tactæ
Defluxêre comæ: cumque his & nares, & aures.

Ipſique

Fitque caput minimum totó quoque corpore parva.
In latere exiles digiti pro cruribus hærent,
Cætera venter habet: de quo tamen illa remittit
Stamen, & antiquas exercet aranea telas.

Voluit Mythologi, per Arachnen naturam, per Minervam verò artem indigitari, quæ naturam polit perficitque. Conſtat, inquit Plin. *l.* 7. *c.* 56. Arachnen linum, & retia inveniſſe, cujus filius Cloſter fuſos in lanificio invenit. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 56

— Vos tenui prægnantem ſtamine fuſum
Penelope melius, levius torquetis Arachne.

Nic. Lloydius. Nomen ei ab Hebr. ארג, *arag*; quod de *aranea* dicitur, Eſaiæ *c.* 59. *v.* 5. & *texere* ſignificat. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 4. *c.* 23.

ARACHNE, ut ſcribit *Livius*, civitas Theſſaliæ quoque eſt.

ARACHOSIA, civitas non procul à Maſſagetis, à Semiramide condita, quæ etiam *Cophen* vocabatur, à *Cophe* fluv. qui in Indum influit. *Steph.* Item una è Satrapiis ultra Indum fluv. cujus meminit Plin. *l.* 6 *c.* 23. in deſcriptione Indiæ, & Strabo *l.* 11. Item Aſiæ regio, *Cabul Caſtaldo*, *Chesimur Mercatori*. Nunc *Candahar*. *Sanſon*. Provinc. aliàs Perſiæ, ſed à paucis annis, ſub M. Mogole, cum urbe cognomine permutata, intra montes, quæ forſan aliàs Alexandria Arachoſiæ. Leucis 100. circiter ab Indo fluv. in Occaſum, totidem ferè ab urbe Cabul in meridiem, Hodie *Meeran* Hornio, ubi urbes *Cuni*, *Muſarna*, *Arbet*. Vide eum Orbe Polit. *p.* 478.

ARACHOTI, vel **ARACHOTÆ**, Indiæ populi, ab Arachoto fluv. ſic dicti, qui ex Caucaſo profluit. Dionyſ. *v.* 1096. Λινοχλαίνους Ἀραχωτὰς vocat, innuens eos *lineis veſtibus indui ſolitos*. Sic Indos quoſdam *lineis peplis veſtiri* refert Solinus *c.* 55. *Et centum legatos duarum gentium, quæ Arachoſiis tributariæ fuerunt, lineis veſtibus auro intextis indutos fuiſſe*, refert Q. Curtius *l.* 9. *c.* 7. *Nic. Lloydius.*

ARACHOTOS, lacus & fluv. Arachoſiæ. Fluvius *Sim*, lacus *Bimara* dicitur.

ARACHOTUS, urbs, aliis *Chatzan*, in reg. *Hajacan*, ditionis M. Mogolis, media fere inter *Candahar* urb. & fluv. Indum.

ARACHOVA, vide infrà *Cypariſſus*.

ARACHTHUS, unus è quatuor nobiliſſimis fluviis Epiri, non procul à Nicopoli in ſinum Ambracium influens. Strabo *l.* 7. Item oppid. ejuſdem nominis in Acarnanum finibus; *Spagmagurcoſi* incolis, teſte *Nigro*. Vide *Arethon*.

ARACIA Inſula, dicta Ἀλεξάνδρου, *Alexandri*, quòd ad eam adpuliſſent naves Alexandri Magni, memoratus *Ptolemæo*, inter inter inſulas Perſidi objacentes, de qua vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1180.

ARACILLUM, ſeu **ARRACILLUM** Floro, *l.* 4. *c.* 12. *Aracelium Antonino*, oppid. olim, nunc pagus Hiſpaniæ Tarraconenſis *Arracela* hodiè vel *Arexil Garibaio*. *Araciol* autem *Hieronymo Zurita*. Aliis *Aracillum* & *Aracolis*; eſtque *Araquil* ſeu *Huarte Araquil*, oppidul. Hiſpaniæ in Navarra, 5. leuc. à Pompelone in Occaſum.

ARACTÆUS Mahometes, vide *Mahometes*.

ARACTENE, Græcè Ἀρακτηνή, pro Ἀρτακηνή, *Artacene*, apud *Strabonem* Vide *Artacene*.

ARACUITI, populi Americæ meridionalis, in Braſilia, prope præfecturam Pernambuci, in mediterraneis.

ARACUM, urbs Arabiæ Petrææ, quæ olim *Petraa*. Vide ibi.

ARACYNTHUS, mons Acarnaniæ. Plinio *l.* 4. *c.* 2. Bœotiæ *Stephano*. Sed legendum Αἰτωλίας. *Caſaubon*. *Vibius Sequeſter* Atticæ tribuit, *Servius* Thebis, Euſtath. *in Dionyſ.* Ætoliæ; Sunt etiam qui Arcadiæ montem faciunt, ſed falsò; nam in Vibio legendum *Acarnania*, non *Arcadia*, ex nota Brodæi, *l.* 2. *Miſcellan.* *c.* 8. Inde mirè variarum ab interpretibus, in explicatione verſus illius Virgilii *Ecl.* 2. *v.* 24.

Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Nam qui dici Aracynthus poteſt mons Actæus, cùm in Attica non ſit? Vibii enim opinio cum nullo conſonat veterum Geographorum. Ergo an tanta varietate *Stephano* adhæreamus & *Servio*, qui Bœotiæ & Thebarum montem faciunt, hoc enim quadrat cum ſuperioribus; nam ille, qui Dircæus, i. e. Bœotius, aut Thebanus, canebat in monte Bœotiæ, aut Thebarum. Sed quid de epitheto dicemus ſumpto ab Attica? Placet duplex ſolutio, inquit *de la Cerda*, aut *Fulvii*, aut *Germani*. Lector, quam velit, eligat. Ait prior, *Actæum* hic ſumi pro παραθαλάσσιος, i. e. *litoralis*; ſicut *actium* Virg. Æn. *l.* 5. poſuit pro *litore*. Poſterior accipit *Actæum* pro *ſaxoſo* & *petroſo*, more Græcorum, qui ἀκτὴν non ſolùm vocant litoralem oram, ſed ſaxa πετρώδη. Nam & Homero *Hymn.* 6. *v.* 3. ἀκτὴ προβλῆτι eſt promontorium, ſeu ſcopulus, & ἀκταὶ *Ammonio* ſunt loca maris petricoſa, ſicut θῖνες arenoſa. Oppianus *Cyneget.* 3.

—— Ταύροιο νεοβλῆτες ὑπὲρ ἀκτῆς

Denique hanc rem firmat Propertii auctoritas, qui Virgilium interpretans, *l.* 3. *El.* 34. *v.* 41.

— Victorque canebat
Paona Amphion rupe, Aracynthe, tuâ.

Ejus meminit Dionyſius *v.* 431.

Τῆς δ' ὑπὲρ ἐς νότον ἦσιν ὑπὸ σκοπιῆ Ἀρακύνθου
Αἰτωλῶν Αἰτωλῶν πεδίον μέγα ——

Juxta Pleuronem urbem fuit, teſte Strabone *l.* 10. *Nic. Lloydius.*

ARAD, Rex Cananæus, verſus meridiem audito Iſraëlitarum adventu, illis ſe oppoſuit, aliquibus occiſis. Sed mox vitâ regnoque ab iiſdem exutus eſt. Numer. *c.* 21. *v.* 1. Torniel. *A. M.* 2581. *n.* 7. Hinc fortè *Aradii*, quorum Strabo meminit, *l.* 6. Vide *Aradus*.

ARAD, Latinè *Onager*, aut Syriacè *draco*, civitas Amorrhæorum ad ſortem Judæ pertinens, ad auſtrum, ſolitudini Cades vicina. Numer. *c.* 21. *v.* 1.

ARADEN, urbs Cretæ, quæ & Ἀνώπολις, quòd ſuperiori locô ſit. *Steph.*

ARADIO, viri fortiſſimi in Africa nomen, cum quo Probus Imperator ſingulari certamine pugnavit. Flavius Vopiſc. *in Probo*, *c.* 9. *Pugnavit & ſingulari certamine, contra quendam Aradionem in Africa, eundemque proſtravit; & quia fortiſſimum ac pertinaciſſimum virum viderat, ſepulchrô ingenti honoravit, quod adhuc extat tumulô uſque ad ducentos pedes terræ lato* (Salmaſ. legit *alto*) *per milites, quos otioſos eſſe nunquam eſt paſſus.*

ARADUCA, urbs Luſitaniæ. *Ptol.* Hodiè *Arzua. Guimaraens*, ad Avum fluv. Ducali titulò *Baudrand.*

ARADUCTA, Luſitanorum urbs. *Ptol.* *Lamarante Moletius*. Aliis *Arouca*, pagus Portugalliæ, prope montes, medius fermè inter Viſeum & Portum urbes, ad 6. leucas.

ARADUS, inſul. Phœniciæ apud Orthoſiam urbem ponte juncta continenti, à litore olim 20. ſtadiis recedens, cum urbe ejuſdem nominis ab *Aradio* vel *Arvadeo*, filio Chanaan condita. *Dionyſius Perieg.*

Ἄγχι δ' Ἀραδίων Ἄραδος.

Vide Melam *l.* 2. *c.* 7. Geographum *l.* 16. & Plin. *l.* 2. *c.* 103. & *l.* 5. *c.* 31. Etiam Aradus nomen inſulæ cujuſdam, prope Cretam, & alterius in ſinu Perſico, quamvis Aradii Phœnicios jactitent ſuos eſſe colonos. Vide Bochart. *Geogr. Sacr. p.* 346. & Voſſium *ad Melam p.* 202. *Nic. Lloydius.*

ARÆ dicuntur ſaxa, quæ inter Africam & Sardiniam mediô mari eminent. Sic dictæ, quòd ibi Afri & Romani fœdus inierunt. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 112.

Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet,
Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, Aras.

Hi ſcopuli novem fuiſſe dicuntur, mox *Aræ propitiæ* vocatæ. *Siſenna*, citante *Servio*, atque etiam Claudius Quadrigarius 1. *Annal.* has Aras *Neptunias* vocat.

ARÆ, in Circo utrinque tres olim fuêre: Et quidem in ſuperiori ejus parte, ἀνωθεν τοῦ ὀβελίσκου, *ſupra obeliſcum*, ut habet Joannes Lydus, ad Euripum, *Saturni*, *Jovis ac Martis*; infrà, ad eundem Euripum, verſus carceres, *Veneris*, *Mercurii & Lunæ*: Præter quas obeliſcus vel Pyramis, quæ in medio, ara erat Solis dicata. Hinc ſeptem ſpatia conficiebant circa illas ſeptem aras quadrigæ, διὰ τὸ ἑπτὰ εἶναι τὰς τῶν πλανητῶν πόλους, *quod ſeptem eſſent Planetarum poli*, ut ait Idem. Fuerunt autem *aræ* illæ trinæ, infrà & ſuprà collocatæ, metæ, cum triplici apice vel ſummitate: Nam, ut ait *Caſſiodorus*, ternas ſummitates ſingulæ metæ ſuſtinebant; quas ὠὰ Græci, item *Bœmi*, vocabant. Euripum verò dixit infima Imperii ætas crepidinem illam, ſeu ſuggeſtum aut aggerem, qui ab una harum metarum ad alteram pertingebat, ὁ ὑπὸ μέσον τοῦ ἱπποδρόμου &c. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin.* & hic paſſim.

ARÆ, pro Terminis, olim frequentes. Strabo *l.* 3. *Aras pro termino poſuit Alexander, imitatus Herculem & Bacchum*. Nempe amborum horum columnæ, expeditionum termini memorantur, *Epigr.* 4. 12. Ἀνθῶν τὰς ὁδῶν συντέρμονας: ubi certè non Gaditanæ Herculis columnæ intelligi poſſunt, ſed aliæ in India quærendæ, Bacchicæ ſcil. συντέρμονες, *conterminæ*. *Aræ* autem hæ columnæ quia ingentes erant, turrium inſtar, Arrianus *l.* 5. *c.* 4. L. cubitorum, Diodor. Sic. *l.* 17. *c.* 95. Bacchum Herculemque imitari, Semiramis & Cyrus, teſte Solinô *c.* 49 ſicque antiquitùs limites poni ſolitos aliquot exemplis oſtendit Strabo *loc. cit.* Itaque & Alexander, ex India reverſurus, *erigi XII. aras ex quadrato Saxo, monumentum expeditionis ſuæ*, juſſit apud Curtium *l.* 9. *c.* 3. cum quibus minimè confundendæ *XII. aræ Deorum* quas in ingreſſu Aſiæ ſtatuerat, apud Juſtinum *l.* 11. *c.* 5. aliæque, quas ibi unde ex Europa ſolvit, memoratæ Arriano *l.* 7. *c.* 4. *Altaria ſtruxit, Jovi Deſcenſori, & Minervæ, & Herculi, ibi unde ex Europa ſolvit, & in eo loco Aſiæ, in quem deſcendit*. Hoc enim voti cauſâ fecerat: quod imitatum quoque *Aræ Druſo ſitæ*, Tacit. *Annal. l.* 2. *c.* 7. Cæterùm Plin. *l.* 6. *c.* 25. alias etiam *Aras Alexandri in promontorio Carmaniæ* locat. *Ptolemæus* etiam in Scythia trans Caucaſum! Sed erroris eum convincit Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 739 ubi de *Aris Alexandri* multus eſt. Vide quoque infrà *Cyreſchata*, it. *Sol. Indicus*, cui ſuas aras Alexandrum inſcripſiſſe, videbimus.

ARÆ Alexandri, *Ptol.* locus erat Sarmatiæ Europææ apud Tanais flexionem, ubi maximè in ortum vergens, proximè ad Rha fluv. accedit, in Moſcovia.

ARÆ Cæſaris, locus Sarmatiæ Europææ apud Tanaim fluv. *Ptol.* quæ & *Aræ Alexandri*. Hodie *Viblki Prevvos*, teſte Sigiſmundô Herberſteiniô. Ubi *Scoſna* oppid. Moſcorum, ſeu non longè. *Ferrar.*

ARÆ Flaviæ, Germaniæ urbs ad Danubium. *Ptol.* vulgò *Nordlingen*. longitud. 31 10. latitud. 48. 49. *Nic. Lloydius*. *Aurach*, oppid. Sueviæ, in Ducatu Wirtembergenſi. *Cluverius*. 4. leuc. à Tubinga, in Ortum.

ARÆ Herculis, locus in Alpibus Grajis, quà Cæſar in Galliam trajecit, apud montem S. Bernhardi.

ARÆ Moriæ, *Catoni* & *Plin.* *Aremuriæ*, oppid. Hetruriæ, in colle, exciſum, in finibus Vejentum, apud urbem Caſtellanam.

ARÆ Philænorum, *villa Philæni Ptol.* oppid. Africæ maritimum, & extremum in Cyrenes confinio teſte *Lud. Marmolio*, cum aliis; cujus meminêre Salluſt. *Bell. Jug. c.* 19 & 79. & Val. Max. *l.* 5. *c.* 6. *ext.* 4. *et.* Vulgò *Nain*, Aliis *Porto di Sobia* dici videtur.

ARÆ Sabeæ, *Moletio Caitachi*, urbs Mediæ, in ora maris Caſpii, in Atropatia, apud Cyri fluv. oſtia.

ARÆ Seſtianæ, ſive *Aræ tres Auguſti*; Trileucum vel Τεσσάρων

nem Ptolemæo, ut ſitus perſuadere videtur, vulgò *Capo di Penas*, in peninſula Aſturum apud Gigiam oppid. ab Oveto 7. leuc. in Boream recedens. *Scythicum* Melæ *l.* 3. *c.* 1. dici videtur. Ubi *Capo di Mongia*, promontor. in ora Gallæciæ Borealis inter Artabrum promontor. & Caramum oppid.

ARÆ Sextianæ, urbs Hiſpaniæ in Gallæcia. *Turris Auguſti* Melæ *l.* 3. *c.* 1. *Lucus Auguſti Ptolemæo*, hodie *Lugo*, teſte *Ambroſio Morali*. Sed *Ara Sextianæ*, quæ eædem cum *Sextianis* dici videntur, à Luco Auguſti diverſæ ſunt: illæ enim litorales, Lucus verò in mediterran. eſt 14. leucis in Ortum ab illis diſtans. In Gallæcia.

ARÆ Solis, promontorium Callaicorum. *Ptol. Capo di Mongia Moletio*. Sed Græci codices. *Ἡλίου βωμοὶ* habent. *Nic. Lloydius*.

ARÆTHYREA, regiuncula Achajæ poſteà *Aſophis* dicta, urbem habens ejuſdem nominis, quam Homer. *in Catalogo*, ab amœnitate commendat, *Ἀραιθυρέην ἐρατεινὴν* eam appellans. Strabo *l.* 8 Plin. *l.* 4. *c.* 5. *Ἀραιθυρέα, χώρα πόλεως*, corruptè apud *Heſych.* pro *Ἀραιθυρέα*. *Idem.*

ARÆUS, Jupiter dictus, ad quem cuncti precantur. Cæl. Rhodig. *l.* 15. *c.* 18.

ARAGA, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.* Ubi Agrani populi.

ARAGISUS, Dux Beneventanus, gener Diderici, Longobardorum Regis Caroli M. conatus remoraturus, ab eo in ordinem coactus eſt. Contra quem cum denuo quædam machinaretur, Capuâ amiſſa Salernum, ab eo ſuperatus, confugit. Nihilominus veniam accepit, [illegible] ratiam Rumoaldi & Grimoaldi filiorum, quibus Imperator [illegible] tris mortem Ducatum reddidit. Almoin. *l.* 7. *c.* 7. & 8. Dupleix & Mezeray, *in Carolo M.*

ARAGONIA, corruptè factum ex *Tarraconenſis Hiſpan.* cujus pars eſt, Regio Hiſpaniæ, ab Antigonibus, Hiſpaniæ populis, teſte *Laurentio Valla*, vel à *Tarracone*, antiqua Civitate, ut *Antonio Nebricenſi* & *Vaſæo* placet, nomen accepit. Alii ab *Aragone* fluvio: qui illic ortus Iberum influere perhibetur: Nonnulli ab Herculis Ara & Agonalibus ludis derivant. Vetus Celtiberorum ſedes. Terminatur ad Caurum Navarrâ, ad Vulturnum Cataloniâ, quâ Africo expoſita Caſtiliam ſpectat, quâ Aquiloni Pyrenæos habet montes, ſeu, ut *Mercerus* habet, Cataloniam ab ortu, Pyrenæos & Navarram ad ſeptentrionem, Caſtellam ad Occaſum, Valentiam ad Meridiem reſpicit. Regni titulô hodie gaudet, primuſque ejus Rex fuit Ramirus, nothus fil. Sancti III. Navarræ Regis A. C. 1016. Vel potius Abarca, qui circa A. C. 898. Aragoniæ & Pompeloniæ Rex creatus eſt. Vaſæus *in Chron.* poſtquam, Azare Duce, jugum Saracenicum incolæ excuſſiſſent, A. C. 785. Paul. Æmyl. *l.* 3. Ramiro dein prædicto in pugna occiſo ſucceſſit Sanctius II. Caſtellæ Rex 1065. Poſteà fil. Ramiri Sanchius II. de ſolio deturbavit Sanctium IV. Navarræ Regem vel, ſecundùm alios, liberorum ejus tutor fuit. Pater Petri I. Aragoniæ & Navarræ Regis, cui ſucceſſerunt fratres Alphonſus I & Ramirus Monachus. Quorum ille Urracæ Alphonſi Caſtellanæ filiæ maritus, Legionis & Vaſconum regnum Arragoniæ adjecit, ultimumque Maurorum Regem occidit, A. C. 1108. 1110. Aliis tamen obiiſſe videtur 1104. Mariana de reb. *Hiſp.* Vide *Alphonſus VII.* Hicce pertæſus laborum, traditô regnô cum filia, Raimundo Barcinonenſi Comiti Alphonſo II. poſtea dicto, in Cœnobium conceſſit. *Annales Aragon.* Sequentibus temporibus Petrus Aragoniæ Rex Alphonſi II. fil. cum Alphonſo Caſtellano, poſt pacem cum Aben Joſepho, factam, Sanctium Vaſconum & Legionis R[illegible]m regnô exuit. [illegible] interfuit, quô Mahometes Maroci Rex [illegible]us, A. C. 1212. Albigenſibus auxilia ſummiſit, in prælio contra Simonem Montfortium occiſus, A. C. 1213. Surita, *Ind. Reg. Arag. l.* 1. &c. Eum excepit Jacobus I. fil. qui Baleares inſulas Valentiamque regno adjecit. Obiit A. C. 1276. Pater Petri III. cujus conſilio veſperæ Siculæ inſtitutæ ſunt, A. C. 1281. occiſi A. C. 128[illegible], poſtquam à Pontifice diris devotus & à Carolo Valeſio, oppugnatus [illegible]et. Hunc ſequutus eſt Alphonſus III. fil. qui improlis [illegible] obiit, A. C. 1291. Succeſſit frater Jacobus II. Pater Alphonſi IV. qui obiit A. C. 1337. Ejus ſucceſſor Petrus IV. Barcinone mortuus eſt, A. C. 1387. Hujus fil. Martinus, poſt Johannem I. fratrem Rex, qui, cum Eccleſia Romana horrendô illô ſchiſmate diſcerpta eſſet, j[illegible]ta Ducem Britanniæ, Comitem Hannoniæ, Rempubl. Leodienſem, Paparum neutrum agnovit: quod obtinuit per annos 40. Antimach. *in Præf. ad l.* 2. Obiit ultimus ex familia Comitum Barcinonenſium, A. C. 1410. Hujus morte regnum Ferdinando fil. Regis Caſte[illegible] delatum, & poſt tranſiit in filio hujus Alphonſo V. qui genuit Johannem II. patrem Ferdinandi dicti Catholici, Iſabellæ mariti, cujus filia Johanna Philippo nupta, totam ſic Hiſpaniam in Auſtriacam familiam intulit, ab A. C. 1479. Hunc excepit Carolus V. Imperator &c. Vide quemque Regum ſuo locô. De præfato Ferdinando, id hoc addam: conceſſêre circa A. C. 1470. regna con[illegible]lura, Legionenſe, Caſtellanum, Navarræ, in unius Ferdinandi Catholici *Aragoniæ* Regis poteſtatem, qui hic tertiæ Regum Hiſpaniæ periodo, *Caſtellana* ſcil. initium præbuit. Licèt enim *Aragonius* eſſet Ferdinandus; tamen quia Caſtella potior erat, ab hac unius [illegible] a Regiis appellatio hæſit. Idem reſiduum Maurorum in Granata regnum [illegible] pugnavit. Deſiit in *Aragonia* æra Hiſpanica A. C. 1358. *Hiſt. Orb. Terr.* Juxta *Grotium* olim Reges, (id nomen, iis honos modicæ poteſtati) ſuffragiô legebantur; mox accepti imperio hæredes, ſed in legum verba adacti. Sub Philippo II. per ſ[illegible] inquiſitores populorum patientia tentata primum, dein belli G[illegible] ſpecie perſuaſa civitas, ut Regis exercitum per ſuos fines, & urbem Cæſaraugustam, regni caput, inde trans Iberum juga duci pateretur. Tum primoribus trucidatis, & qui ad libertatem præverant, expleta ultio, proſpectumque in poſterum dominationi eſt. Factum id A. C. 1592. Hugo Grot. *Hiſt. l.* 1. De origine Regni & Regum Aragoniæ, ſcribit prolixe Radereus Sanctius, *Hiſt. Hiſp. part.* 1. *c.* 13. & Surius Marinæus Siculus *l.* 8. *de Regib. Hiſp.* De [illegible] [illegible]ragonum, quod [illegible] fuerat officii, vide infrà voce *Juſtitia*. Regnum eſt peramplum & ex tribus Hiſpaniæ præcipuis. Iberus fluv. illud bifariam ſecat, habetque *Cæſar-Auguſtam*, primariam urbem. Eſt tota regio ſiccior, aſpera & ſatis deſerta, præſertim verſus Caſtellam. Concilium ibi habitum A. C. 1062. Hieron. Blanca *Comm. de rebus Arag.* & ab Antipapa Bened. XIII. A. C. 1409. *Spond. Niremius.* Sub *Aragonia* regno latè ſumpto aliàs erant regna Valentiæ, & Majoricæ, & Catalonia. Nunc ab ipſo disjuncta ſunt, & continet tantum Aragoniam propriam, ſub qua cenſentur regiunculæ *Sobrarbe* & *Ribagorça*, verſus Pyrenæos, aliàs notæ in hiſtoriis illius regni. Scribitur autem Aragonia cum uno *r* ab incolis & ab Hiſpanis, non autem cum duplici *r*, ut quidam ſcripſêre.

Aragoniæ urbes præcipuæ.

Barbaſtrum, *Balbaſtro.*	Lobetum, *Albarazin.*
Bilbilis, *Calatajud.*	Montio, *Monçon.*
Cæſar-Auguſta, regni caput, *Caragoça.*	Oſca, *Hueſca.*
	Terulum, *Teruel.*
Daroca, *Daroca.*	Turiaſo, *Taraçona.*
Iacca, *Iacca.*	

ARAGONIUS, fluv. Hiſpaniæ. Cui ortus in Pyrenæis montibus, prope S. Chriſtinam in Aragonia. Jaccam & Sangoſtam alluit, & cum Arago fluv. ſimul in Iberum fluit, in Navarra, infra Calagurim urbem.

ARAGUS, fluv. Moloſſorum, *Strabo*. Item Hiſpaniæ fluv. hodie *Arga*, teſte *Baudrando*, qui dicit eum non longè à Bayona, urbe Galliæ Aquitanicæ oriri & in Iberum fluv. influere. Aliis *Agrada*.

ARALIUS qui & Analius, VII. aliis V. Aſſyriorum Rex, regnavit ann. 51. aliis 40. Clarus ingeniô, & ſtudiô militari, & (quod mirum) primus adduxit pompas, & gemmas, ac muliebres delicias. Jul. African. & Euſeb. *in Chron*, Tornìel. & Salian. *in Annalibus*.

ARAM, Latinè *celſitudo* (unde *Heſych.* Ἀράμ, *ὑψηλός*) ſeu *decipiens*, aut *maledictio eorum*: filius Sem; à quo Aramæi orti, qui poſteà Syri dicti. De cujus quatuor filiis, illorumque regniis, vide Gen. *c.* 10. *v.* 23. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 1. *c.* 6. Fil. item Somer. 1 Paral. *c.* 7. *v.* 34

ARAM, in Hebræo *Ram*, Latinè *excelſus*, vel *projiciens*; inter progenitores Chriſti, Ruth. *c.* 4. *v.* 19. Matth. *c.* 1. *v.* 3. 4. Luc. *c.* 3. *v.* 33. fil. Erom, Pater Aminadab. Cæterùm de locorum nominibus, quibus vel præfigitur, vel poſtponitur nomen *Aram*, vide Bochart. *Geogr. Sacr. l.* 2. *c.* 6. *Nic. Lloydius.*

ad ARAM miniſtrans, Græcè *ὁ ἐπὶ βωμῷ* numerat ex IV. illis; qui præcipuas olim in Eleuſiniis ſacris partes obtinebant; cæteri fuêre Hierophanta, Daduchus & Præco. Et quidem, ut Hierophantam Creatoris, Daduchum Solis Præconem Mercurii, ſic *τὸν ἐπὶ βωμῷ* Lunæ imaginem repræſentaſſe, tradit Euſebius *de Præpar. Evang. l.* 3. Vide Jo. Meurſium *l. de Eleuſiniis*.

ARAMA, civitas in tribu Nephthali Joſ. *c.* 19. *v.* 36.

ARAMÆI, Scythæ Scribit enim Plin. *l.* 6. *c.* 17. Scythas vocatos eſſe *Sacas* à Perſis, & ab antiquis *Aramæos*. Syri etiam *Aramæi* dicti ſunt. Vide *Aram*.

ARAMAVA, Græcè Ἀραμαύα, urbs Arabiæ, *Ptolem.*

ARAMBYS, urbs Africæ ab Hannone condita, de qua vide Bochart. *de Phœnic. colon. l.* 1. *c.* 37.

ARAN, fil. Thare, patris Abrahami & Nachoris Obiit in Ur Chaldæor, & Lothum filium reliquit, cum filiabus Saca & Milca, quarum prior Abrahamo, poſterior Nachori nupſerat. Gen. *c.* 11. *v.* 26. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 1. *c.* 6. Tornìel. *A. M.* 2079. *n.* 1 Hebr. *Haran.*

ARANCILIS, *Heſych.* Ἀράγκιλις ἡ τοῦ Κεγχρ[illegible].

de ARANDA Petrus, vide *Petrus*.

ARANDIS, Luſitaniæ urbs. *Ptol. Torre vedra Moletio.* longitud. 16. 55. latitud. 42. 00.

ARANEA, Hebr. עכביש, *acchabis*; inverſô nomine ex שבך, *ſabach*, quod *implexum eſſe* ſonat; unde recte Arabibus *ſabecha*, & Hiſpanis *Xabega*. Græcè *ἀράχνη*, ab Hebr. ארג *arag*, i. e. *texere*. Earum telæ *Horoſcopa* eleganter dicuntur Tertulliano *de Pallio*, quod ſimiles ſint ſciathericis organis, quibus horæ oſtenduntur: nam illa variis in orbem diſtincta lineis à centro, in quo gnomon, ad circumferentiam ductis, araneorum caſſes planè referunt, vide ibi Salmaſ. Ob fragilitatem verò, cum impiorum molitionibus conferuntur, Eſaj. *c.* 59. *v.* 5. 6. quod ad Hæreticos referunt nonnulli Patrum: ad Aſtrologos alii, ut ad Sophiſtas Ariſto Chius, apud Laertium *l.* 7. Certè cùm, quâ horâ Monothelitarum Hæreſin Conſtantinopoli damnaret ſexta Synodus Oecumenica A. C. 681. *tela aranearum* ingentiore magnâ copiâ in populum decidiſſent, id ita acceptum eſt, quaſi Deus tam inſolitâ pluviâ ſignificatum voluiſſet, hæreſium ſordes ex Eccleſia eſſe ejectas. Vide *Anaſtaſium*, *Regmanum Abbatem*, alios. An Davide in ſpelunca latente, 1 Sam. *c.* 24. *v.* 4. aditum telâ obſepiens *Aranea*, Sauli eum perſequenti ſuſpicionem demſerit, ullum mortalium eò latebrarum cauſâ ingreſſum eſſe, ut volunt *Chaldæus Interpres*, quod idem de Felice Nolano, Presbytero Chriſtiano, *Paulinus*, *Ado* & *Beda* in ejus *Vita* adnotârunt, meritò dubitat Bochart. quem de *Aranea* fusè agentem vide, *Hieroz. Part. poſter. l.* 4. *c.* 23. Ridiculum id, quod de Heliogabalo Lamprid. *c.* 26. refert, ita illum cum ſervis jocari conſueviſſe, *ut eis juberet millena pondo ſibi aranearum deferre propoſitô præmiô, collegiſſeque ita decem millia pondo aranearum, ac dixiſſe, & hinc intelligendum, quam magna eſſet Roma*, &c. Apud Caribes, in novo Orbe, *Araneæ* dentibus ſunt longis & acutis cruribus exiguis, tanti interea corporis, ut dimidium malum citrium adæquent: Telam ii texunt filis adeò firmam, ut in iis paſſeres etiam aliæque volucres irretiantur, fœminæque ſalentiæ inde parentur, quæ ubi abluuntur, albæ fiunt, Euſeb. Nierenbergius, ex Hiſpanorum Commentariis, *Hiſtor. Natur. l.* 12. *c.* 26. Ob ſimilitudinem cum *Aranea*, *Dioſcorides* membra-

nulas tenues, [illegible]bus calami aromatici fiſtula, ſicut ſiliquæ arundines, confe[illegible]eſt, [illegible] vocat; præſtantiſſimumque calamum hôc indiciô deprehendi ait, ſi in multas aſſulas frangatur fiſtulamque habeat membranulis illiuſmodi [illegible] refertam, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1059 Vide quoque in voce *Arachne.*

ARANES, caſtrum ſeu potius palatium ſuperbiſſimum Regum Sueciæ, in Gothia provinc. prope lacum *Veter*, cujus nunc tantum rudera ſuper.

ARANIA, Inſul. Scotiæ, cum caſtro cognomine. Adjacet Cantieræ & Ar[illegible]provinc. eſtque Ducatus titulô inſignis. Alias *Glotta.* Huic Glotta æſtuarium, ubi ea inſula. Vide *Glotta.* Item, Vallis fertiliſſima, iuxta Pyrenæos montes in regno Aragoniæ, unde oritur Garumna fluv. Ibi Viella, oppidul. præcipuum.

ARANIÆ, Inſul. duæ Hiberniæ, ad fauces ſinus Gallovidienſis, in Connachia provinc. Item, aliæ Inſul. cognomen in littore Occidentali Ultoniæ provinc. & Comitatus Dungalenſis.

ARANIUM, oppid. in Æthiopico ſinu. Plin. *l.* 6 *c.* 29

ARANSCARTI, *ind.* Bawar. *tit.* 12. *c.* 8. maleficium ſortilegorum eſt, quô ariſtas ſeu ſpicas inanes ac vacuas reddunt. Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARANTHAS, Bebrycius octo cubitis longus fuiſſe dicitur.

ARANTIA, urbs, *Phlius* poſtea dicta. *Steph.* qui etiam in *Aræthyrea* de ea ſcribit. *Nic. Lloydius.* Huc primùm aurea mala ab Hercule, quum ab Heſperidibus rediret, illata, hincque *Arantia*, poſtmodum *Aurantia*, appellata eſſe, ſunt qui delirent. At nomen *Aurantiorum malorum* vel *Arantiorum*, ſub extremæ Latinitatis demum temporibus auditum eſt, quibus nulla jam *Arantia* urbs, nec Phlius fuit. Imò *Arantia* poma corruptè, pro *Aurantiis*, ab aureo colore potiùs ſic dicta: quæ eadem eſſe cum aureis Heſperidum malis, dicemus *infra.*

ARANUS, fluv. Tranſylvaniæ. Oritur prope Claudiopolim, & in Mariſium ſe exonerat.

ARAPENNIS, ſeu ARPENNIS, idem quod *Arpennum*, Columellæ *l.* 5. *c.* 1. Gallica vox eſt, menſuramque notat, quâ ſiniſtores & agrimenſores agros metiuntur, quamquam cum *jugero* vel *jurnali* Galli vulgò confundunt. Ab *arando*, Iſidoro *Origin. l.* 15. *c.* 15. Joſepho Scaligero ac Salmaſio *ad Solinum*, quaſi *arvipendus*, quia *arvipendio*, i. e. funiculô, agros olim metiebantur. *Gloſſ. Lat. Græc.* *Arvipendium*, [illegible], *funiculus Geometricus.* Nec obſtat, inquit *Salmaſ.* quòd verbum *pendere*, de ponderibus tantum acciperetur, cùm & certum agri modum *libram* dixerint etiam Veteres, ut Auctor eſt *Hyginus.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi diverſam *Arpenni* rationem, in variis Galliæ provinciis, pluribus exponit, & *infrà* in *Arvipendium.*

ARAPHEA, inſul. Cariæ. *Steph.* Parthenius *in Iphiclo:*

> —— Καὶ [illegible] Ἀραφέαν.

ARAPHEN, pars tribus Ægeidis. *Steph.* Hinc nobilis vico nomen, qui dictus *Ala Araphenides.* Vide ſuprà, & plura apud Jac. Sponium *Itinerar. Græc. Part.* 3.

ARAPOTES, Plinio *l.* 5. *c.* 10. *Maria*, & *Mareotis*, *Μαρεία*, ἡ *Μαρεῶτις*. *Straboni.* *Μαρεία ἡ Μαρεῶτις Stephano*, lacus Ægypti, Alexandriæ incumbens à plaga meridiana. *Bucheira Zeglen* dicitur. Aliis *Lago de Amacon.* Pro Arapotes *Rhacotes* legendum, & non *lacum* ſed *locum* ſuadet Pintianus *in Plin. loc. cit. Nic. Lloydius.*

ARAR, fluv. Galliæ Narbonenſis ex monte Vogeſo, in confinio Lotharingiæ, per Comitatum & Ducatum Burgundiæ fluit, ubi auctus fluv. Dubi aliiſque & rigatis Græô, Cabillone & Matiſcone Rhodanum juxta Lugdunum ſe exonerat. Clarus ponte Cæſaris, unô die militum opere fabricatô; ſed fidelium cadaveribus, in quos totam per Galliam ſævitum, A. C. 1572. hauſtis funeſtus. *Araris* etiam dicitur, vulgo *La Saona.* Porrò *Arar* Britannis *lentum* ſonat, ut Ebræis [illegible] *abarai* Prov. *c.* 28. *v.* 23. à verbo [illegible] *ahar*, tardare, ſeu morari. Inde *Arari* fluvio nomen, qui, Cæſare teſte *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 12. *fertur incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, judicari non poſſit.* Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Fertiliſſimus amnis Rhodanus, rapiens ſe ex Alpibus per Lemanum lacum, ſegnemque deferens Ararim.* Claudian. *l.* 2. *in Rufin. v.* 111. *Lentus Arar Rhodanuſque celer* —— vel *velox*, ut in editione Heinſiana. Silius *l.* 3. *v.* 452.

> *Spumanti Rhodanus proſcindit gurgite campos,*
> *Auget opes, ſtanti ſimilis, tacitóque liquore*
> *Mixtus Arar.* ——

Idem *l.* 15 *v.* 501.

> *Qvorum ſerpit Arar per rura pigerrimus amnis.*

Lucan. *l.* 1. *v.* 433.

> —— *Quà Rhodanus raptum velocibus undis*
> *In mare fert Ararim.* ——

Et *l.* 6. *v.* 475. ſenſu contrario:

> —— *Rhodanumque morantem*
> *Præcipitavit Arar.*

Claudian. *l.* [illegible]. *in Eutrop. v.* 268

> *Quàm Rhodano ſtimu*[illegible] *Arar.* ——

Seneca *in Apotheoſ.*

> *Ararque dubitans quò ſuos curſus agat.*

Strabo *l.* 4. [illegible] Inde putârunt Græci nomen inveniſſe [illegible], cum ante *Brigulus* vocaretur. Plut. *l. de Flum.* [illegible]. Ibidem multa de Arari, ex Calliſthenis *Galaticis.* Vide Plut. *loc. cit. Nic. Lloydius.* Valeſiô teſte etiam *Saucoman* dixêre fluvium hunc Galli, non multo ante ætatem Ammiani Marcellini; Unde *Sagonna*, *Sagona*, *Sacna*, & tandem Gallicum hodiernum *la Saone* factum eſt. Oritur autem nobiliſſimum hoc flumen in monte ſaltuque Voſago, apud Lotharienſes Meridianos, *le Vooge*, alluitque Bonamvillam *Bonville*, Attiniacum *Attigny*, Monaſteriolum *Monſtereul*, ad Tria Balnea *Trois Bains*, Caſtellionem *Chaſtelhon*, Pontem ad Ararim *Pont ſur Saone*, Gradicum Caſtrum *Grey*, Pontem Arliciorum vel Arlejum *Pont Arly*, paulo infra Vincennæ vel Vingennæ *la Vi*[illegible] & Araris confluentes. Tum fluviolus Vernela *la Venelle*, Sclongiam caſtellum, Miribellum & S. Leodigarii vicum prætetlapſus, Arari accedit; qui poſtquam Auxonam alluit, Tilâ augetur. Mox Beſua, deinde & Oſcara *Ouſche* labitur, & per Colcas *Conches*, Divionem caſtrum [illegible]num, caſtellum Robur *Rouvre*, & Longam C[illegible]tem *L*[illegible], in Ararim influit, contra Latonam *S. Jean de Laone.* Arar deinde Surregium attingit *Seurre*, Paulracum *Pouly* & apud Virdunum Du[illegible] amnem celebrem ac illuſtrem, *le Doux*, è monte Jura Sequanis [illegible] venientem, recipit: mox irrigat Cabillonum Æduorum & G[illegible] vel Graonæ fluviolo nomen aquaſque aufert, qui *la Grone* [illegible] dictus, Cluniacum *Cluny*, Braneidunum *Brancion* ac Firmitatem *Ferte* præterfluit. Sequuntur ad Ararim Tinurcium vel Trenorcium *Tournus*, Balgiacum *Bangé*, Saliæ *la Saulé*, Matiſco *Æ*[illegible], Cavinio *Chavignon*, Monimerulæ *Montmerle* Trebula vel T[illegible]lum *Trevol*, Vimiacum *Vimy*, Rupeſciſſa *Roche taillée*, inſula Barbara *l'Iſle Barbe*, veteri Cœnobiô nobilis. Lugdunum Seguſianorum *Lyon*, infra quam urbem apud Atanacum *Ainay* Rhodano miſcetur, multis ex utraque ripa amnibus acceptis vix ipſi minor. Fluit ſic inter provinciam Lugdunenſem primam ac Maximam Sequanorum, hoſque à Lingonibus & Æduis provinciæ Lugdunenſis primæ populis dividit, poſtquam procul à finibus Germaniæ primæ è Vogeſo vel Voſago ortus eſt. Quare mirandum, quòd *inter Germaniam primam eum fluere*, dicat Amm. Marcellin *l.* 15. *c.* 11. Fortè deceptus cum Virg. paſtorem de induſtria ignarum ſitus fluviorum & *Ararim* in Germania ponentem, introducens, *in* [illegible] *Ecl.* 1.

> *Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim.*

Vide Hadr. Valeſ. *Notit Gall.*

ARARAT, regio Armeniæ, aut ipſa Armenia. 2 Reg. *c.* 19. *v.* 36. Mons eſt, juxta Boccatum, majoris Armeniæ. Cordianus *Beroſo* apud *Joſeph.* *Baris* Nicol. Damaſc. *Hiſt l.* 96. Nivibus perpetuis obſitus, quæ procul conſpiciuntur Hic ſtetit area Noæ, poſt diluvium. Pars eſt montis Caſpii, prope Mediam Nunc *Arar. Hebert.* Latinè *maledictio tremoris*, ſive *lux currentis* Vide S. Bochartum *Geogr. Sacr. l.* 1. *c.* 3. *Nic. Lloydius. Oleario* Mons hic Perſis *Agri*; Arabibus *Subalaìm* dicitur, teſtanturque Armeni communiter, arcæ reliquias ibi etiamnum videri in lapideam ferè duritiem converſas; imò Scammachiæ, in templo Armenio, crucem ſpadiceam ex hiſce reliquiis confectam oſtendunt. Sed hodie terræmotibus ferè inacceſſus redditus eſt, vide Oleſtrium *Part.* 1 *p.* 190

ARARAUCELES, populi in Cyrenaica regione. Plin. *l.* [illegible] *c.* 5.

ARARENA, Nomadum regio, ex magna parte deſerta, cujus Sabus Rex fuit. Strabo *l.* 10.

ARARICUS, Oſtrogothorum in Italia Rex VI. Theobaldo ſucceſſit, regnavit menſes 3 extinctus A. C. 642. Succeſſore Totila. Dicitur & *Eraricus*: Procopius *Goth l.* 3.

ARARICUS Vulcatius. Vide *Vulcatius Araricus.*

ARAROS, Poeta Comicus, Olymp. 101. fil. Ariſtophanis Comici. *Suid.* Vide ibidem Caſaub. *in Athen. l.* 3. *c.* 2. & 15.

ARARUS, Scytharum fluv. in Heniochis montibus oriens, & per Armeniam fluens. Vide Herodot. *l* 4. Item, fluv. Americæ meridional. in Braſilia, vulgò *Arar*: Cadit in mare Boreale juxta præfecturam & Inſulam Tamaracam.

ARASPAS, Medus quidam, cui Panthea Abradatæ, uxor à Cyro aſſervanda data eſt. Cæl. Rhodig. *l.* 13. *c.* 33.

ARATHIA, urbs Aſiæ, in Cappadocia Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cæſarienſi. *Miræus.*

ARATIA, inſul contra Perſidem, cum monte alto, Neptuno ſacra. Plin. *l.* 6. *c.* 25.

ARATIO, apud Græcos Romanoſque communiter terna. Et quidem, quæ primò *arabatur* terra, *reſcindi* dicebatur Latinis, [illegible] ac [illegible] Græcis præeratque huic arationi Vervactor, qui primò à Flamine Cereali cùm ſacrum Cereri ac Telluri faciebat, inter divos agricolas primô locô invocari ſolebat. *Vervactum* enim terra eſt, primò arata, quaſi *vere actum.* Cùm ſecundò *arabant*, vocabant id *redarare*, unde *Redarator* invocatus; item *iterare*, propriè *offringere* Latinè, [illegible] Græcè · unde [illegible] talis terra. Tertiò cùm *arabant*, jactô ſemine, boves *lirare* dicebantur; tunc enim tabellis additis ad vomerem, ſimul & ſatum frumentum operiebant in porcis & ſulcabant foſſas, quò pluvia aqua d[illegible] quæ terra [illegible] Græcis appellata. Atque huic arationi *Imporcitor* Deus præfectus erat; poſt quem Sator ſequebatur. ſemina quippe jaciebant poſt tertiam arationem. Vide de triplici hac aratione facundè ac ſuaviter canentem Virg *Georg. l* 1. *v.* 43. Ubi inter alia,

> *Vere novò gelidus canis cùm montibus humor*
> *Liquitur, & Zephyrô putris ſe gleba reſolvit.*
> *Depreſſò incipiat jam tum mihi taur*[illegible] *aratrô*
> *Ingemere*, &c.

Sed & quarta *aratio* nonnunquam adhibita, cùm videl. hyeme *arare* incipiebant, & proſcindebant terram, quam *vicem hybernam Theophraſtus* vocat. Ejuſdem Poëta meminit *dictô locô v* 47.

> *Illa ſeges demum votis reſpondet avari*
> *Agricolæ, bis quæ Solem, bis frigora ſenſit,*
> *Illius immenſæ ruperunt horrea meſſes.*

Dicere vult, illam feliciſſimè proventuram ſegetem, quæ *quater* ſit aratiô, talis enim bis ſolem, bis frigora ſentire dici poteſt Qua de re plura habet Salmaſ. *ad Solin. p.* 724 & *ſeqq. ubi totam hanc veteris Ruſticationis rationem accuratè exponit.* Vide & hic infrà, ubi de inventore hujus Artis, aliiſque quibuſdam huc pertinentibus.

ARA-

ARATOR, Poëta Christianus. ſecul. 6. Romanus Subdiaconus, qui Hiſtoriam Apoſtolicam, a D. Luca conſcriptam, hexametro verſu expreſſit. Floruit A. C. 544. Trithem. Bellarm. de Scriptor. Eccl.

ARATRII, Indiæ intra Gangem gens, Arrian. in Periplo.

ARATRIUS, Græcè Ἀρότριος, epitheton Jovis, qui & Dagon, Aratricultus. Euſebius Præp. Evang. l. 1. Ὁ Δαγὼν ἐπειδὴ εὗρε σῖτον καὶ ἄροτρον, ἐκλήθη Ζεὺς Ἀρότριος, Dagon, quod frumentum & aratrum invenisset, nuncupatus eſt Jupiter Aratrius. Vide Joh. Marſhamum Canone Chron. Sec. I. ubi de Mone, Hammone & Belo.

ARATRO aſinum ſimul bovemque jungere, vetitum Deuteronom. c. 22. v. 10. Nempe etiam aſinos araſſe, conſtat ex Eſaiæ c. 30. v. 24. & c. 32. v. 20. Hinc Joſeph. contra Apion. l. 2. Sunt apud nos [illegible] operibus & ad agriculturam rebus neceſſaria monſtravere. Sed & Romani Scriptores aratores aſinos nobis deſcribunt, Varro de R. R. l. 2. c. 6. Plin. l. 8. c. 43. & l. 17. c. 5. Columella l. 7. c. 1. Apulejus Apolog. 1. Alii è quibus Plin. c. 43. cit. Aſinum CCCC. nummûm emtum Q. Axio Senatori, opera geruli moritica, arando quoque ex Varrone refert. Sed non id aſino quod bovi, robur. Quò reſpiciens Euclio in Aulularia Plauti, actu 2. ſcen. 2. ait:

Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te eſſe hominem divitem,
Factioſum, me item eſſe hominem pauperum pauperrimum:
Nunc ſi filiam locaſſem meam tibi, in mentem venit.
Te bovem eſſe & me eſſe aſellum, ubi tecum conjunctus ſiem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego aſinus in luto, &c.

Idem de equo & aſino: quò hæc Secundi pertinent Antholog. l. 1. c. 33.

Τίπτε τὸν ὀγκηθμὸν βραδύπουν ὄνον ἄμφιγ' ἐν ἵπποις
Γυρὸν ἀλωνίταις σχίσματε δρόμον;
Cur, ubi flaventes divus terit area culmos,
Jungitur alipedi tardus aſellus equo?

Unde Ulyſſes, ut crederetur inſanus, equum cum aſino junxit ad aratrum, apud Hyginum F. 95. Nicephorum Babylaeum Hiſt. 4. Tzetzem in Lycophron. alioſque Mythologos, &c. Hinc Aſinorum, niſi ubi terra levis, ut Varro loquitur, nullus uſus: Bos propriè aratro natus. Hunc vero primum aratro junxiſſe Græci nonnulli Cererem volunt: Orpheus,

Ἣ πρώτη ζεύξασα βοῶν ἀροτῆρα τένοντα,
Quæ prima junxit boum aratricem cervicem.

Alii ad Triptolemum, tanquam ab ea edoctum, id referunt, Hyginus l. 273. nec alius apud Poetam,

— uncique puer monſtrator aratri.

Quidam ad Buzygem Heroëm Athenienſem, Plin. l. 7. c. 56. Nec deſunt, qui Minervæ tribuant, quæ Βουδεία propterea à Bœotis dicta fuerit, apud [illegible]. Ab aliis creditur Bacchus primus eſſe hujus artis auctor, Diodor. Sic. l. 3. qui ideo cornua ei à Pictoribus ac Poëtis affingi addit. Vide quoque Arrianum in Indic. Neque ab eo diverſus Oſiris, cui idem inventum tribui, tam ex Plut. quam ex Diodoro, teſtat. In Æſchyli Prometheo vincto, hoc idem Prometheus ita ſibi vindicat.

Κἄζευξα πρῶτος ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα
Ζεύγλαισι δουλεύοντα σώμασίν θ', ὅπως,
Θνητοῖς, μεγίστων διάδοχοι μοχθημάτων
Γένοιτ'. — —
Et jumenta primus jugo ſubjeci,
Quæ collis jugo inſertis & corporibus ſerviunt, ut
Homines à maximis laboribus ſublevent.

In Hiſpania, vetuſtiſſimum Tarteſſiorum Rex Abides, boves primò aratro domari frumentaque ſulcò ſerere, docuit, ut Trogus eſt auctor l. 44. Quò pertinere videtur, Abidis nomen aut cognomen potiùs, illi Regi inditum, à Phœnicibus Tarteſſi jam olim incolis: quia Phœniciò ſermone עבד, abad, eſt terram colere & עובד agricolam notat. &c. Quam de aratri origine litem Servius optimè decidit, ex cujus ſententia: Non unum aratrum in toto orbe monſtravit, ſed diverſi in diverſis locis. Nec eſt, quòd Græci hoc inventum Cereri aut Triptolemo aſcribant, cum utroque antiquior Moſes de agricultura leges tulerit, ut cum arare vetat primogenito bovis, Deuteron. c. 15, v. 19. & bovem ad aratrum cum aſino jungere, prohibet loc. ſuprà cit. Et ad cædis expiationem, juvencam decollari jubet, quæ nondum araverit, Deuteron. c. 21, v. 3. Quid? Quod diu ante Moſen Jobo fuêre primò quingenta, deinde mille juga boum, & agricolatio multa, Jobi c. 1. v. 3. & c. ult. v. 12. Proinde agriculturæ nullus alius auctor agnoſcendus, quàm ſummus Deus, à quo hoc inventum exiiſſe diſertè tradit Eſajas in fin. c. 28. Prima ii artis rudimenta Caino cum inſpiraſſet, eôdem auctore poſteriores colophonem addiderunt, boum uſi miniſteriò, quos homini ſubjecerat, Pſalm. 8. v. 7. 8. &c. Vide Bochart. Hieroz. l. 2. c. 32. part. prior. uti de Aratri in oppidis condendis deſtruendiſque apud veteres uſu infrà voce Oppidum. Apud Recentiores aratrum Soca dicitur, quam vocem infrà vide. Cæterum Aratrum, aliaque opera faciundo neceſſaria, ob fœnus pignori capere Legiſlatores olim Græcos vetitum voluiſſe, apud Diodorum habes l. 1.

ARATUS, Poëta Solenſis, tempore Ptolemæi Philadelphi, in aula Antigoni Gonatæ, fil. Demetrii Poliorcetæ plerumque verſatus. Scripſit, quæ extant Φαινόμενα & Διοσημεῖα, in quibus ſitum, motum, ortum, occaſum, & numerum explicat ſtellarum apparentium. Quò librò adeo delectati fuêre Claudius, & Germanicus Cæſar, ut Latinum fecerit uterque. Verum eum Latinè & Cicero adhuc adoleſcens. Taceo Rufum Feſtum Avienum, qui eundem Latinis verſibus eleganter expreſſit. Ovid. l. 1. Amor. El. 15. v. 16

Cum Sole & Lunâ ſemper Aratus erit.

Ejus pulcherrima eſt hæc ſententia:

Μόχθος μὲν τ' ὀλίγος, τὸ δὲ μύριον αὐτίκ' ὄνειαρ
Γίνετ' ἐπιφροσύνης αἰεὶ πεφυλαγμένῳ ἀνδρί.

Verùm de Arato non alibi. Hic tantùm notet Lector, Arati hujus meminiſſe Theocritum Idyll. 6.

Δαμοίτας καὶ Δάφνις ὁ βουκόλος εἰς ἕνα χῶρον
Τὰν ἀγέλαν ποκ', Ἄρατε, συνάγαγον.

Ubi Schol. Περὶ δὲ Ἀράτου τοῦ ποιητοῦ τοῦ τὰ Φαινόμενα γράψαντος φίλον ὄντα συναλεγοντα ὁ Θεόκριτος, ἰσόχρονος γὰρ ἦν αὐτῷ, ἐν τῇ αἰπολικῇ μνημονεύει. Hinc Aratum. Cujus apud Iſidorum:

Hæc tibi Aratæis multum invigilata lucernis
Carmina, &c.

Nic. Lloydius.

ARATUS, Sicyonius, optimus Princeps, qui patriam ſuam à tyrannide liberavit, Nicocle tyrannò ſuperatò; Ptolemæum in Achæorum ſocietatem pertraxit, Ariſtomachum Argivorum tyrannum aggreſſus eſt, reſtitit Cleomeni, & Philippum, Antigoni fil. in regnum reſtituit, ſed ab hoc ingrato mox venenò ſublatus eſt, unà cum filio. Tullius l. 3. Officiorum, & Liv. l. 69. & 70. Polyb. l. 2. Plut. in ejus vita. & Pauſan. l. 2.

ARATUS, Cnidius, Hiſtoriam Ægypti ſcripſit.

ARATUS, nomen unius ex Pœmatibus, quæ Gordianum Imperatorem, adhuc adoleſcentem, ſcripſiſſe tradit Jul. Capitolin. in Gordiano. c. 3.

ARAUCUM, caſtrum cum valle & fluvio cognomine Americæ meridionalis in regno Chile, in ora littorali, ubi Araucani populi notiſſimi, qui per 100. propè annos cum Hiſpanis pro libertate, pugnavêre, felici perſæpe eventu, tandem inter ipſos pax coiit A. C. 1650. Vallis eſt cultiſſima, prope fluv. Lebo.

ARAVISCI, ſeu **ARABISCI**, Ptolemæo, Pannoniæ populi Scordiſcis finitimi, iis borealiores, qui nunc Raſciani dici putantur; quos Tacitus German. c. 28. ad ulteriorem Danubii ripam, ubi regio Maſovs dicitur, deſcribere videtur.

ARAURA, ſive **CESERO**, locus Galliæ, in agro Agathenſi, ad Arauram fluv. (unde ei prius nomen) inter Forum Domitii & Ceſſeras, Tiberii Martyris, qui cum Modeſto & Florentia, Diocletiani ac Maximiani Principatu cæſus eſt, (unde nomen poſterius) Monaſteriò inſigne. A quo locus quoque dicitur hodieque S. Tiberii, vulgò S. Uberi corrupte pro S. Tuberi aut S. Tiberi, Hadr. Valeſ. Notit. Gall. paſſim.

ARAURACIDES, Pentapoleos regionis in Africa populi. Ptol.

ARAURARIS, ſeu **ARAURIUS** Ptolemæo, Rhauraris Straboni, fluv. Galliæ Narbonenſis ex Gebennis montibus proſluens, ac in mare Gallicum, ad Agatham urbem influens; vulgo l'Eraud. Vide quoque Araurre.

ARAURIS, recentioribus Eravus, vulgò Erhau, aliàs Arau; notiſſimus eſt Galliæ Narbonenſis fluv. qui Ptolemæo Ἀραύραρις, Straboni & Melæ Araurarus mendosè, pro Arauris, dicitur, ex Cebennis demiſſus, juxta Agatham fluit: Cyrta quoque Græcô nomine, à flexuoſis recurſibus, quaſi incurvus, à Maſſilienſibus, qui Agatham condidêre, dictus. Oritur in finibus Gabalorum, ut ajunt, & alluit Montanacum Montagnac, Caſtellum novum, Arauram ſive Ceſeronem; unde per Florentiacum Florenſac & Agatham decurrit in mare, receptò præ cæteris fluviò Largà Lergue vel Lergue, qui Lutevam alluens, ad Canetum, Araurim auget. Vide Hadr. Valeſi Notit. Gall.

ARAUS, apud Joſeph. Jud. Antiqq. l. 7. c. 5. qui in Sacris Rehob, pater Adad-Ezeris Syriæ Sophenæ Regis, vide Rehob.

ARAUSIO, & **ARAUSICENSIS** Principatus, Galliæ Narbonenſis regio, nomen habens à Metropoli Arauſione, amœna civitate, ad fluv. Ægue, unà leucâ a Rhodano, cujus meminerunt Veteres ſcriptores; Colonia Secundanorum, Plin. l. 3. c. 4. &c. Vulgò Le Principauté d'Oranges. Innexus undique jacet Avenionenſi Comitatui, ſuetus illi ad Occidentalibora Rhodanò: formâ ferè ſemilunari, exſurgentibus utrinque verſus Septentrionem cornibus. Habitârunt hic olim populi Cavares & Arauſici: nunc ditionis eſt Naſſovienſium Principum, olim Cabilonenſium imperiò celebris. Vide infrà. Metropolis ejus dicitur Arauſio Cavarum, Arauſica civitas; Arauſionenſis urbs. Apollinar. Ἀραυσίων Ptolemæo: Arauſio apud Plin. l. 3. c. 4. & Pomponium Melam l. 2. c. 5. qui Secundanorum, ut dictum, nominant. Hic multa antiquitatis veſtigia apparent, cum aliarum rerum, tùm theatri & arcus triumphalis in porta, per quam in Lugdunenſium agros iter patet. Menol. Merula. Eum C. Marius & Luctatius Catulus extruxerunt, poſt Cimbros Teutonaſque triumphatos. Præterea Circus, loca unde beſtiæ in theatrum immiſſæ; rudera prodigioſæ turris, quam Dianæ templum fuiſſe quidam ajunt, aquæductus, &c. gratum viſentibus ſpectaculum præbent. Academia hic à Raimundo 5. erecta eſt A. C. 1365. in Aurea quoque Bulla memorata; Parlamentum à Wilhelmo Cabilono inſtitutum, A. C. 1470. Moreri. Urbs ipſa quibuſdam videtur à Phocenſibus, qui Maſſiliam quoque ſtatuerunt, condita. Præter hanc Principatus hic comprehendit, Cortheʒon, Jonquieres & Gigondas, ut & alia, minoris momenti loca. Solum Cereris Bacchique theatrum eſt, croci, &c. ferax. Epiſcopatus ejus ſub Arelatenſi, in quo olim floruerunt Conſtantius A. C. 387. Eutropius Hilario Papæ & Sidonio Apollinari laudatus, Florentius, &c. Vide Joſ. de la Pise, Hiſt. d'Orange. Noſtradam. & Boucheum Hiſt. de Prov. Catellum Hiſt. de Lang. Chorier. Hiſt. de Dauph. &c. Valeſio Urbs dicitur Secundanorum Arauſio, à militibus veteranis ſecundæ legionis, (quemadmodum Arelatum Sextanorum. Biterræ Septimanorum) quorum fuit Colonia & urbium Galliæ opulentiſſimis à Mela adnumeratur. In nummo Neronis vocatur COL. ARAUSIO SECUNDANOR. COH. XXXIII. VOLUNT. h. e. Colonia Arauſio ſecundanorum cohortis 33. voluntariorum. Ponitur inter provinc. Viennenſis civitates 14. nonò, in veterib. Notit. in Arelatenſi provincia tertiò loco

apud Robertum in Chron. Epiſcopuſque *Arauſicenſis* tertius numeratur, inter Epiſcopos Arelatenſi Burgundiæ Archiepiſcopo ſuffraganeos, apud *Gervaſium Tilleberienſem*. Gallis *Orange*, incolis *Aurange*, Belgis *Oranjen*, Caput olim Cavarum, hodie pagi *Arauſicani* vel *Arauſici*. Ex ejus Epiſcopis Concilio Aurelianenſi I. Fauſtinus (qui Presbyter potiùs fuit) Concilio Aquilejenſi, Gratiani Principatu, Conſtantius: Epaonenſi Florentius, alius alii interfuêre. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Hiſtoria Principatus hujus paucis ſic habet: Urbs, cum ditione, *ſupremi Principatus* titulò, inſignità, Provinciæ partem facit, olim imperio Franco-Germanico ſubjecta, unde moneta cum imperii inſignibus ibi cuſa: poſteà ſub Provinciæ Comitibus fuit. Erat autem tempore Caroli M. Princeps Guilhelmus Cornetus, circa A. C. 800. cujus poſteritate maſculà extinctà, circa A. C. 1177. in Ramboldo IV. dein per Tiburgen in Bauſcorum familiam cum immunitate Princip. imperii tranſiit, ut patet ex inſtrumento confecto à Bertrando Bauſco, A. C. 1242. parte Hieroſolymitanis Equitibus conceſſà, hinc nummi quidam in antica parte Arauſionenſis, in poſtica Hieroſolymitani Ordinis inſignia repræſentantes. Poſteà A. C. 1256. Carolus Andegavenſis, Ludovici IX. frater, qui Beatricem Raimundi Berengarii, ultimæ ex Barcinonenſium Comitum familia, filiam uxorem duxerat, Provinciam, cujus is Princeps fuerat, creavit, & Guilhelmum Bauſcum Arauſionenſ. Principem tanquam beneficiarium, in fidem accepit. Caroli dein fil. Carolus II. ab Hieroſolymitanis Equitibus, parte, quam in hoc Principatu tenuerant, comparatà, A. C. 1307. eam mox Bertrando Bauſco attribuit, hâc lege, ut de Principatu univerſo ipſe, poſterique ejus beneficiarii Provinciæ Comitum eſſent. Bertrando Guilielmus fil. ſucceſſit, hunc Raimundus I. fil. excepit: Poſt hunc Raimundus II. ſeu V. ut *Morerius* vult, Arauſionenſ. Princeps fuit, cujus filia unica Maria Johanni Cabillono nupſit, A. C. 1410. poſtquam Bauſci Principatum poſſediſſent ab A C. 1240. Ex hoc conjugio natus Ludovicus Cabilonius, Renato Siciliæ regi A. C. 1436. dum captivus Divione detineretur, magnâ pecuniæ ſummâ mutuò datâ, jus ſupremi Imperii viciſſim ab ipſo, pignoris loco, accepit. Quò cùm Ludovici filius Guilielmus licentiosè uteretur, tranſactum cautumque eſt A. C. 1471. ut ſubditis appellare jus eſſet: regnante Ludovicò XI. Renati & Caroli, in Provinciæ comitatu, hæredæ, qui demùm cum Guilielmo ſic tranſegit ut ille acceptis XLcIↃ. aureorum, in poſterum Regi & Delphino Viennenſi, tanquam beneficiarius, fidem obligaret, ſubditiſque ad Gratianopolit. Senatum provocandi jus eſſet: Princeps viciſſim titulos ſupremi Principis, & gratiæ Dei, jus item cudendæ monetæ, gratiam delictorum impertiendi, &c. retineret, A. C. 1475. Poſt hæc Ludovicus XII. Johanni II. Guilielmi filio optimè de ſe merito ſupremum jus remiſit, quod hic ab eo tempore uſurpavit, & curiam Parlamenti Præſideraque cum 4 Conſiliariis inſtituit. Rege mortuò, Franciſcus I. gratiâ illius revocatâ Philebertum, Johannis fil. rurſum in fidem accepit: qui Renatum Naſſovium Claudiæ ſororis fil. hæredem ſcripſit, illò in Cabillonii nomen adoptatò. Hic cum Auſtriacis adhæſiſſet, poſt Ticinenſem cladem, Madritanâ pace, jus antiquum recuperavit: quod confirmatum eſt A C. 1559. quò Guilhelmus IX. Guilhelmi fil. Renati frater patruelis præfectum urbi impoſuit, Magiſtratuſque denuo inſtituit. Hic celebris eſt ille Belgicæ Libertatis auctor, cui ſucceſſit Philippus, Mauritius & Henric. Fridericus filii: Hunc poſtremum excepit Guilhelmus X. Cui filius ſucceſſit Guilhelmus XI. Jam M. Britanniæ Rex. Vide infrà *Wilhelmum* III. In Belgicis Hiſtoriis omnes notiſſimi. Plura, ut de Reformatione Principatus, obſidione urbis & calamitate, cùm à Guiſiis expugnata eſſet. Anno 1562. Vide apud Thuan *Hiſt. l.* 10. & prædictos. A C. 1660. urbs dedita eſt Ludovico XIV. Galliæ Regi, qui arcem ejus permunitam, à Mauritio Principe A. C. 1622. extructam, in monte, disjecit. Ei ſubſunt aliquot pagi. Hodie quis ejus ſtatus, bello inter Regem & Confœderatos, quorum magna pars eſt præfatus Guilhelmus III. Rex, durante, ex hujus belli ſcriptoribus petendum. Concilium hic A. C. 441. habitum, cui S. Hilarius & S. Eucherius interfuerunt. A. C. 529. Decio Jun. Conſule, ob dedicationem templi, à Liberio, cui Galliæ præfecturam Theodoricus commiſerat, extructi: item libros Fauſti, hujuſque ſectatores, qui diſcipulos Auguſtini accuſarent, doctrinam ejus de Prædeſtinatione, de Gratia & Libero Arbitrio ibant eliminatum. III. contra Albigenſes, circa A. C. 1228. Vide *Concilia Galliæ* Sirmondi, Baron. *in Annal.* Godeau *Hiſt. Eccl.* Caballutium in *Notitia Concil.* &c.

Sed placet hæc aliquanto ampliùs in Lectoris gratiam explicare è MSto quodam nobis communicato.

ARAUSIO, Urbs, Epiſcopatus & Principatus Galliæ, in Provincia à Rhodano milliari, & Avenione 4. circiter milliaribus diſtat. Varia à Veteribus nomina ſortita eſt, *Arauſio Cavarum*, vel *ſecundanorum*, *Arauſica Civitas*, & *Arauſionenſis urbs*, quô nomine à Sidonio Apollinari inſignitur. Quidam (verùm origine admodum incertà) eoſdem cum Maſſiliæ conditores, Phocenſes ſcilicet, eam agnoſcere putàrunt: Arauſionem tamen antiquiſſimam & commendatiſſimam olim civitatem dixeris, ſi, quas ibi mirantur Viatores magnificentiæ Romanæ reliquias, obſervaveris. Ibi enim Circus affabrè conſtructus, Caveæ, unde belluæ educebantur, & Aquæ ductus viſuntur. Ibi pars extat pertraſſæ Turris, quam quidam Dianæ Templum fuiſſe autumant, varia ſunt quoque ibidem vetuſtiſſima fragmenta. Verùm extra muros, Arcûs Triumphalis à Cajo Mario, & Luctatio Catulo poſt victoriam de Cimbris & Teutonibus reportatam, erecti reliquiæ dignæ ſunt quæ obſerventur: Urbs olim longè amplior erat, quàm hodiè, verùm multa à variis Barbarorum incurſionibus, paſſa eſt. Nunc ad fluviolos Arguas & Mainam, uno ut dixi, à Rhodano milliari, ſita eſt. Ejus Ara, quam Mauritius Naſſauvius, Arauſiacus Princeps Anno 1655. ex artis legibus & præceptis firmavit, colli imminebat, & Arauſionem unum ex muniliſſimis Europæ oppidis efficiebat: ſed, ut omnes norunt, ab anno 1660. ſolo adæquata fuit. Wilelmus, cognomine *Cornetus*, vel *brevi naſo inſtructus*, tempore Caroli Magni, circiter annum 800. Princeps Auriacus fuiſſe creditur, quâ dignitate poſiti ſunt ejus poſteri, uſque ad Rambaldum IV. qui abſque liberis mortuus, anno 1177. Tiburgis hanc ditionem ad Bertrandum de Baux tranſtulit. In eorum filio Wilelmo Principum Auriacorum ſtirps ſecunda originem habuit; quæ ducta ad annum uſque 1393. quo Raimundo V. abſque liberis maſculis defunctò, ejus filia Maria de Baux cum Joh. de Châlon nupta, hunc Principatum in familiam de Châlon transfudit. Eorum filius Ludovicus Wilelmum VIII. genuit, cujus filius fuit Johannes II Philberti pater. Hic ultimò abſque liberis annò 1501. è vivis excedens, ſororem ſuam Claudam, Henrico Naſſauvio matrimonio junctam, hæredem habuit. Hoc modo modica hæc Ditio ad quartam hanc familiam devenit. Renatus, Henrici Naſſavii & Claudiæ de Châlon filius, hanc hæreditario jure accepit, verum quum abſque liberis annò 1544. obiiſſet, patruum Wilelmum Naſſavium hæredem conſtituit. Wilelmum hujus nominis IX. ex variis uxoribus, Philippum, Wilelmum, Mauritium, & Fredericum-Henricum, omnes Principes Auriacos ſuſcepiſſe; iſtumque Fredericum-Henricum, Wilelmum Naſſavium genuiſſe, qui ex Henrietta-Mariâ, Regis Angliæ filià, hodiernum Principem Auriacum ſuſcepit; omnibus compertum eſt. Quod in ſequentibus, quum de omnibus Auriacis à Wilelmo I. Principibus verba faciam, ſpecialius expoſiturus ſum. In hoc Principatu ſunt, cum quibuſdam Pagis, Arauſio, Courthezon, Jonquieres, & Gigondas, oppida mœnibus cincta. Longitudine IV. milliaribus, latitudine totidem patet, Comitatuique Venaſcinô capitur; ſolum ejus inprimis vinô, frumentô, crocô, &c. feraciſſimum eſt. Academiâ à Raimundo V. anno 1365. & Supremâ Curiâ à Wilelmo de Châlon conſtitutâ, anno 1470. Arauſio gaudet. Hujus Ditionis ſupremos Dominos conſtat fuiſſe Comites Provinciales, apud quos officium clientelare profeſſi ſunt Principes Auriaci. Ità hic Principatus fidei ac profeſſionis nomine Provinciæ Comitatui ſervit. Epiſcopatus Arelatenſi Metropolitæ ſubjecto Præſules clariſſimi præfuerunt; inter quos Conſtantius Concilio Aquilejenſi annô 381. Sanctus Eutropius, ad quem Papa Hilarius & Sidonius Apollinaris ſcripſerunt, Sanctus Florentius, &c. Nec obliviſcendum Meliteneſem Militiam, partem ditionis Auriacæ Civitatis poſſediſſe, illamque multa XVI. ſeculô, vi Calviniſtarum, quos tuebatur Princeps, paſſam fuiſſe. Epiſcopum & Canonicos expulerunt, Templa & Monaſteria diripuerunt; & ſibi omni tempore licentiæ & ſeditionis licere putàrunt. Verum hôc ſeculô, curâ Regis, qui, quia Princeps Reformatus eſt, ad Epiſcopatum tanquam ſupremum Dominus & Provinciæ Comes, nuncupat, Epiſcopus reſtitutus, & Religio Orthodoxa ibi floret. Supremæ Curiæ Delphinatus Auriacum Principatum olim ſubjecerat Ludovicus XI. Sed, ut optimè obſervavit Dominus Du Puy, in jus ſupremi hujus Ditionis involabat, utpote qui nondum Provinciæ Comes exſtiterat. Verùm cùm hujus controverſiæ diſcuſſio ad rem meam non ſpectet, id ſatis mihi erit, ſi Principes Auriaci in genere innoteſcant. Valdè incerta eſt ſeries primæ ſtirpis Principum, uſque ad Rambaut II. anno 1096. Comitum Auriacum, Primus Comes vel Princeps *Wilelmus* hujus nominis primus, Cornetus cognomine, ex cornu venatico, hodiernis etiamnum hodie Arauſionis inſignibus ſic dictus, fuiſſe creditur. Alii eum brevi naſo inſtructum cognominatum ideò putant, quia illi gladio Aorovinon amputatum fuerat. Hæc facta, ut & origo hujus Wilelmi comprobari via poſſunt, an ſcilicet, ut quidam arbitrantur, ſequanus ille fuerit, aut Vicecomitis Narbonenſis filius. Carolo Magno, anno 806. viventi, pro ſuis meritis cariſſimum fuiſſe, duas uxores duxiſſe, filiumque nomine Bernardum reliquiſſe, vulgò illum arbitrantur. Si hæc omnia facta vera ſint, hunc primum Auriacum Comitem eundem eſſe cum Divo Wilelmo, Comite Tholoſano, Diethenici, tempore Pipini, Comitis filii, concludendum eſt. Abbatiam Divi Wilelmi in deſerto, anno 804. condidit atque dotavit, Sanctèque obiit. Priuſquam ſecederet, Chunegondam primò uxorem duxerat, & ſecundò Ginbergam, & inter alios quos procreavit liberos, extitit Bernardus Septimaniæ Dux, Toloſæ & Barcinonis &c. Comes, prout, ubi dum de Linguadocia, narro. quidquid ſit. Wilelmum Cornetum filiam quoque *Hermbrunam* nominat progenuiſſe ajunt, eam ex Provinciæ Proceribus nuptam, ex quo *Hugonem* Auriacum Marchionem, cujus poſteri ignoti, & Rorgonem Auriacum Comitem peperit. Ejus ac ſequentium poſteri Comitatûs Auriaci Domini, nempe *Alatan* annò 880. *Rambaud* hujus nominis primus annò 910. Bozon annò 914. *Gerant-Adhemar* annò 1086. & *Rambaud* II. Comes Auriacus annò 1096. Hic in Palæſtinam peregrinatus eſt, ejus origo ignota, verùm conſtat ipſi circa annum 1115. natam fuiſſe filiam *Tiburgim*, hujus nominis primam, Principem Auriacam, quæ cum *Wilelmo* II. Domini ejuſdem Principatûs participe, matrimonio juncta fuit. Ipſis duo filii fuerunt, qui ex æquo paterna bona partiti ſunt, eandemque filiæ Wilelmus III. de quo ſtatim; *Rambaud II.* abſque liberis defunctus. *Tiburgis* II. fratris ſui Rambaud hæres, & Bertrandi de Baux conjux; & Tiburgetta Adhemaro de Murvieux nupta. *Wilelmus* III. Princeps Auriacus annò 1150. genuit Wilelmum IV. de quo mox; & Tibouram Principatûs Auriaci participem, eaque nullos ex Rambaud Guſſan, maritô ſuo, liberos peperit. *Wilelmus* IV. ex quadrante Princeps Auriacus, annò 1174. genuit *Rambaud* IV, qui nullos poſt ſe filios reliquit. Quò modò hic Principatus ad familiam de Baux tranſlatus eſt. *Bertrandus de Baux* hujus nominis II. Princeps Auriacus, deinde Baro de Baux, ex Tiburge II. Auriaca Principe, *Wilelmum* V. de quo in ſeq. ſuſcepit: Bertrandum & Hugonem. De iſtis Dominis ſub nomine de Baux loquor; idemque id repetere nulli foret uſui. Adnotâſſe ſufficiat, Raymundum de Baux V. nomine Principem Auriacum, circiter annum 1393. obiiſſe, quum ex Johanna Genevenſi Mariam, Auriacam Principem, & Adheladem Baronem de Baux ſuſcepiſſet. *Maria Johannæ de Châlon*, Baroni de Harlay nupſit; à quo Principum Auriacorum Stirps tertia originem duxit. Obiit anno 1417. Ludovicò, de quo ſtatimus

ſtriis ; Johanne Comitum de Jorgny capite ; Adhelaide Wilelmo Viennenſi nupta ; & Mariâ Comitis Friburgenſis uxore, genitus. *Ludovicus de Chalon*, Princeps Auriacus, primam uxorem duxit Johannam de Montbeillard, & ſecundam Eleonoram Armeniacam, obiitque annô 1463. Fortis & magnanimus erat Princeps. Ille & Dux Sabaudiæ, à partibus Ducis Burgundiæ, contra Regem Carolum VIII. ſte erant, & Delphinatum inter ſe partiri conſtituebant : Ludovicus de Gaucourt a Rege huic Provinciæ Præfectus, haud multò poſt eorum conſilia infregit. Inter Colombier & Anthon Principem delevit, qui potius, quam in victoris manus deveniret, ſe obequitantem & cataphractum in Rhodanum, fluvium illum trajecturus projecit. Hoc annô 1429. contigit. Ex prima uxore *Wilhelmum* VIII. ſequentem, ex ſecunda Johannam de Chalon, Ludovico Comiti de la Chambre nuptam, ſuſcepit. *Wilelmus de Chalon* VIII. nomine, Princeps Auriacus, Ducum Burgundiæ partes, ſed parum ipſi commodas amplexus eſt ; quippe poſt multa damna annô 1473. captus eſt, nec niſi poſt duos annos liber evaſit XL. M. Argent. numm. pretiô redemptionis promiſſô. Poſtea Burgundiam, cujus adminiſtrationem ambiebat, Regi Ludovico XI. ſubjecit. Verùm eodem ferè tempore obiit, 24. ſcilicet Septembris annô 1475. Ex pacto Auguſt. 18. annô 1468. Catharinam de Bretagne duxerat, Richardi de Bretagne Eſtampii Comitis & Margaritæ Aurelianenſis, & Franciſci II. Ducis Britanniæ ſororis, filiam, ex quo connubio *Johannes de Chalon* II. nomine genitus eſt. Hic tempore pupillari Caroli VIII. ætatis, Ducis Aurelianenſis factioni contra adminiſtrationem adhæſit, & in pugna S. Albini du Cormier annô 1488. captus eſt. Deinde Regis matrimonium cum Anna Britanniæ Duciſſa multùm adjuvit ; & officia quæ Duci Aurelianenſi, qui poſtea Ludovicus XII. præſtiterat, illius Monarchæ gratiam ipſi conciliarunt. Per Regia ejus diplomata annô 1499. in Principatûs Auriaci poſſeſſionem, quem pater Regi Ludovico XI. vendiderat, redintegratus eſt : in actis tamen ſuper ea re vitia multa interceſſerant. Johannes II. 9 April. 1502. obiit, relictis ex Philiberta Luxemburgenſi, Comitiſſâ de Charny, uxore, Philibertô, de quo mox ; & Claudiâ de Chalon, Henrico Naſſovio nuptâ. *Philibertus* de Chalon, Princeps Auriacus & Melphenſis, à partibus Caroli V. Imperatoris contra Franciſcum I. ſtetit, qui ejus bona fiſco addixit, annô 1520. Principatum Auriacum Annæ de Montmorency, Mareſcalli de Chaſtillon viduæ, dono dedit. Dein annô 1523. idem Philibertus de Chalon, in Hiſpaniam ſe recipiens captivus detentus fuit, Lugdunumque ductus, unde nonniſi annô 1526. pactione Madritenſi exiit. In obſidione Florentina annô 1530. non conjugatus concidit, bonaque ſua Renato Naſſovio ſororis filio reliquit.

Jamjam alibi obſervavi, Naſſoviam Familiam in duos præcipuos ramos dividi. Secunda quæ Naſſovio-Dilenburgenſis dicitur, ortum ab Othone Comite ejus capite, Adolphi Naſſovii Imperatoris patruo, in quinque alias ſtirpes, quarum prima eſt Arauſiaca, diſpertita eſt. *Otho* Henrici Divitis filius, Agnes Solmis Comitiſſam duxit, ex qua Henricum, de quo mox, Johannem & Ericum tulit. Henricus Naſſovius Othonem II. & Henricum procreavit. *Otho Naſſovius* nomine II. in Flandriam familiam ſuam tranſtulit, treſque filios ibi reliquit, quorum ſecundus *Johannes Naſſovius Engelbertus* hujus nominis primi, cum Johanna Bredenſi Barone matrimonio conjunctus, pater fuit ; unde natus eſt Johannes *Senior* dictus, Comes Naſſovius Brabantiæ Adminiſtrator, qui ex Mariâ Lohenbergenſi uxore f[illegible], *Engelbertum* II. Inferioris Germaniæ Proregem, annô 1[illegible]4. abſque prole defunctum, & *Johannem* Naſſovium Comitem Juniorem cognominatum, Elizabethæ Haſſiacæ maritum, & annô 1516. mortuum, progenuit. Hic filios duos totidémque filias, Henricum ſequentem, & Wilelmum *Seniorem* dictum, de quo in ſequentibus, ſuſtulit. *Henricus* Comes Naſſovius Claudiam de Chalon, annô 1521. defunctam, uxorem duxit, ex quâ *Renatum Naſſovium*, quartæ ſtirpis Principum Arauſiacorum caput, ſuſcepit, quem, ut jam dixi, Philibertus ejus patruus hæredem eâ lege conſtituit, ut & nomine & inſignibus ejus, innoteſceret. Huic Teſtamento filiæ familiæ de Châlon obſtiterunt ; quæ ſe utriuſque parentis bona ſubſtitutas eſſe probabant. Quod diuturnæ controverſiæ cauſa fuit. Interim Renatus in Caroli V. Imperatoris partes ſe contra Franciſcum I. conjecit ; itaque eò quòd rebellaverat, nec cæteris Provinciæ nobilibus, caſtrenſibus muniis militaturus, interfuerat, Principatus Auriacus Provinciæ Divioni, ejuſdem regionis ſupremæ Curiæ judicio addictus fuit, 30. Junii A. 1543. Hic Renatus ex vulnere in obſidione oppidi S. Deſiderii 15. Julii 1544. accepto obiit, quum Teſtamento ſuo 20. Junii ſuperioris, *Wilelmum Naſſovium* hujus nominis IX. Principem Auriacum patruelem ſuum ; filium ſcil. Wilelmi *Senioris* & Julianæ Stolbergenſis, hæredem ſuum conſtituiſſet. Hunc Principem, Fœderati Belgii ordines Reipublicæ ſuæ, ac ſignatarum fundamentum & Caput, agnoverunt : Domi, Militiæque clarebat, ad conſilia prudens, in adverſis cautus, propoſita ſua aliis impervia, hoſtium verò conſilia acutiſſimè deprehendebat. Magno ſuo malo experti ſunt Hiſpani, qui cùm ſibi omnia licita eſſe putarent, dummodò ſe ab iſtiuſmodi hoſte expedirent, in maximis periculis verſatus eſt Princeps Auriacus, uſque tandem ſuccubuit. Domi ſuæ è menſâ conſurgendo, à Jauregui, ſervo cujuſdam Argentarii fortunis omnibus ſpoliati, quem Johannem Auſtriacum veneno extinxiſſe ſuſpicabantur, ſclopeti glande 18. Mart. 1582. vulneratus eſt. Quæ epiſtolæ Hiſpanico idiomate conſcriptæ in ſicarii hujus ſacculo repertæ ſunt, notum eum fecerunt. Intereà Princeps ex vulnere convaluit : verùm Sequanus, nomine Baltazar Gerardus Hiſpanorum Emiſſarius, eum aliâ ſclopeti glande in ejus ædibus 10. Julii Annô 1584. ex inſidiis percuſſit. Conjugium quater inierat. 1. enim Annam Burenenſem Comitiſſam duxit, ex quâ Philippum-Wilelmum, de quo ſtatim ; & Mariam Comitis Hohenloenſis uxorem. 2. Annam, Mauritii Electoris Saxonici filiam ; ex quâ Mauritium Naſſovium, de quo poſteà ; Annam Wilelmi-Ludovici, Comitis Naſſovii uxorem, & Emiliam Annô 1597. Emanueli I. Portugalliæ Principi, Indiarum Proregi nuptam. Tertiam duxit uxorem Princeps Auriacus Charlottam Borboniam Ludovici Borbonii hujus nominis II. Monpenſierii Ducis &c. & Jacquelinæ Longwicæ, ut alibi dico, filiam. Jotarii Monaſterii primò Abbatiſſa fuit, verùm Reformationem amplexa, noctè quadam è Monaſterio evaſit, & apud Fredericum III. Comitem Palatinum Rheni ſe annô 1572. recepit. Duobus annis elapſis Brielæ die 10. Junii Principi Auriaco nupſit, & Antverpiæ 6. Maji 1582. ob ſauciatum eundem Principem maritum ſuum terrore perculſa, obiit. Hi ſunt eorum liberi ; Ludovica-Juliana Naſſovia, Frederici nomine IV. Principis Palatini Rheni & Imperii Electoris uxor, 15. Mart. 1644. defuncta : Elizabetha Henrici Turris-Bullionii, Principis Sedanenſis Galliæ Mareſcalli uxor ſecunda, quæ Sedani menſe Septembri annô 1642. obiit. Catharina Belgica Philippo-Ludovico nomine II. Comiti Hannovio nupta : Carlotta Brabantia Claudii Domini Tremolienſis, Ducis Thouarcenſis uxor : Carlotta Flandrina Monaſterii Sanctæ Crucis Pictavienſis Abbatiſſa 30. April 1640. mortua : & Emilia Naſſovia Frederici-Caſimiri Comitis Palatini Rheni apud Lanſpergam uxor. Quartam Conjugem ſibi ſumpſit Wilelmus IX. Ludovicam de Coligny, filiam Gaſparis de Coligny, rei maritimæ Præfecti & Charlottæ Lavallenſis primæ ejus uxoris Caroliqué Domini de Teligny viduæ. Ex eâ Henricum Fredericum Naſſovium, Principem Auriacum, de quo, poſtquam de ejus fratribus dixero, loquar : & Renatam quæ Rupellæ, nullo fœdere illigata, obiit, ſuſcepit. *Philippus-Wilelmus* Naſſovius Princeps Auriacus moriente patre penes Hiſpanos erat, nec inde nonniſi multò poſt rediit. Eleonoram Borboniam annô 1606. uxorem duxit, Henrici Borbonii hujus nominis I. Principis Condetenſis filiam, & ſecundæ ejus uxoris Charlottæ Catharinæ Tremollienſis. In Caſtello Muretenſi 20. Janu. 1619. hæc Principiſſa fato functa eſt. Abſque liberis Princeps Auriacus 20. Feb. 1618. jam obierat. Defuncto fratre *Mauritius* Naſſovius Princeps Auriacus extitit. Patre ejus annô 1584. occiſô, Fœderati Belgii ordines ei, vix etiamnum octodecim annos nato, Hollandiæ, Zelandiæ, Ultrajecti, reique maritimæ Præfecturam commiſerunt. Quam de ſua fortitudine & prudentiâ exiſtimationem conciliaverat optimè ſuſtinuit. Omnia Hiſpanorum oppida in Hollandia expugnavit. Bredam Turffarum cymbâ, quibus milites circiter LX. obtexerat, invaſit, & ita fœliciter ſe geſſit, ut brevi tempore Friſiam totam, Groninganum Dominium, Tranſiſulaniam, Neomagum & Geldriam recuperârit. Hulſtum ; Sanct-Andreanum propugnaculum &c. ſubjecit ; & Europâ totâ admiratione obſtupefactâ, ſeptem Provincias ſub ſuâ adminiſtratione conſociavit. Poſteà, per celeberrimam Oſtendæ obſidionem, annô 1604. Cluſam, Gravium, aliaque oppida occupavit. Hiſpani & Ordines Fœderati XII. annorum inducias Antverpiæ 14. Aprilis 1609. indictas pacti ſunt. Bellum annô 1621. redintegratum. Spinolenſis Marchio Hiſpanorum Imperator annô 1625. Bredam expugnavit. Princeps Mauritius, qui eôdem tempore Arcem Antverpianam invadere ſperaverat, tantô angore, ob irritum inceptum, correptus eſt, ut paulò poſt Hagæ nullo connubio junctus, ætatis annô 58. obierit. Frater ejus *Henricus-Fredericus* Naſſovius ei in Principatu Auriaco, Reipublicæque Dignitatibus ſucceſſit, & partam à Patre & Avo exiſtimationem tuitus eſt. Grollam & Sylvam Ducis, fruſtrà à Principe Mauritio tentatam, annô 1629. occupavit. Poſteà Berguam, Venloovium, Ruremondam, Trajectum ad Moſam, indéque Bredam annô 1637. ſibi ſubjecit. Multa alia bellô ſubegit paucis militibus amiſſis, eâque curâ copias rexit eſt, ut inde Militum Parens dictus fuerit. Hagæ 14. Martii 1647 hic Princeps, qui ex Emilia Solmenſi, quam uxorem duxerat, Wilelmum X. de quo mox, ſuſcepit, ut & Ludovicam-Henriettam Naſſoviam, annô 1646. Friderico-Wilelmo Electori Brandeburgico nuptam, & 15. Junii 1667 defunctam ; Henriettam-Emiliam Naſſoviam, annô 1642. Wilelmo-Friderico, Principi Naſſovio cognato, fœdere junctam ; & Henriettam-Catharinam primò Hennoni-Ludovico Oſt-Friſiæ Comiti ; dein annô 1659. Johanni-Georgio, Anhaltenſi-Deſſavio Principi, nuptam. *Wilelmus Naſſovius* hujus nominis X. Princeps Auriacus, Patris Dignitatibus 23. Janu. 1648. ſucceſſit ; quô annô cum Hiſpanis pacem Fœderati Ordines Monaſterii inierunt. Amſtelodamum 30. Jul. 1651. obſidere voluit Princeps Auriacus. Vertente menſe Octobri ex Geldriæ Ordinibus variolarum morbô ægrotans rediit, ex quo annô ætatis 24. 6 Novembris ejuſdem anni occubuit. Henriettam-Mariam Anglicam, Caroli I. Magnæ Britanniæ Regis & Henriettæ-Mariæ Gallicæ, filiam duxerat. Ex hoc matrimonio filium poſthumum Wilelmum-Henricum, de quo mox, habuit. Princeps Auriaca Londini 24. Decembris 1660. annô ætatis XXIX obiit. *Wilelmus-Henricus* Naſſovius, Princeps Auriacus patris & avi Dignitates ſucceſſione conſecutus eſt, ſuæque fortitudinis in ultimis bellis ampla ſpecimina dedit. Uxorem duxit annô 1677. Mariam, Londini in Divi Jacobi Palatio 10. Maji 1662. natam ex Jacobo Eboracenſi & Albaniæ in Scotiâ Duce, unico Magnæ Britanniæ Regis fratre, & Johannâ Hydâ primâ ejus uxore ; Domini Edouardi Hydi, Magni Angliæ Cancellarii, & deinde Comitis Clarendonii filiâ (vide Wilelmum III.) Plin. *l*. 3. *c*. 4. Pomp. Mela *l*. 2. Paradin, Belleforeſt, de Marca, *Beſſ.* &c. Joſeph. à Piſa, *Hiſt. Auriac.* Du Cheſne *Hiſt.* Noſtradam. & Bouch. *Hiſt. Provinc.* Catel, *Hiſt. Langued.* Chorier. *Hiſtor. Delphin.* Du Puy, *Jura Regis.* Sincer. *Itinerar. Gallic.* Sanct. Marth. *Hiſtor. general. Galliæ, & Gall. Chriſt.* Lomenii. *Itiner.*

Concilia Arauſiaca.

Annô 441. Epiſcopi in Templo Juſtiniano dicto, congregati Concilium I. Arauſiacum celebrârunt, ut ſuarum Diœceſium Eccleſiaſticam Diſciplinam componerent, quam 30. Canonibus complexi ſunt. S. Hilarius Arelatenſis, & S. Eucherius Lugdunenſis, ibi cum XIII. aliis Præſulibus interfuerunt. II. Concilium Arauſiacum, Conſule Deciô *Juniore*, non verò eô annô quem annotat Cardinalis Baronius, habitum eſt ; cui Concilio S. Cæſarius Arelatenſis præfuit. Huic Conventui anſam dedit Dedicatio Templi à Liberio, quem

Theodoricus Galliis præfecerat, conſtructi. Rumor quem concitabant Libri Fauſti, ejuſque fautorum accuſationes, contra Divi Auguſtini diſcipulos, ejus de Prædeſtinatione, Gratia, & Libero Arbitrio ſententiam tuentes, fecerunt ut hanc quæſtionem Epiſcopi agitarent. xxv Canones, in quibus tota Controverſia Doctrina ipſiſſimis D. Auguſtini verbis explicatur, condiderunt. Præter xiv. Præſules, Præfectumque Liberium, Siagrius, Opilio, Pentagathus, Adeodatus, Cariato, Marcellus, & Nemacius Viri nobiles & illuſtres huic Concilio ſubſcripſerunt. Aliquantò poſt Bonifacius II. Pontifex illud epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem qui ejus confirmationem efflagitaverat, ſcriptâ comprobavit. Bernardus Gui-Wilelmus Puteo Laurentius, aliique de alio Concilio Arauſiaco anno 1228. contra Albigenſes Hæreticos congregato, loquuntur: ibi pœnitentiæ Hæreſeos ſuſpectis imponendæ præſcriptæ ſunt. Conſule Patris Sirmondi Concilia Galliæ, Ultimam Conciliorum editionem. Baron. *in Annal.* Godeau, *Hiſt. Eccl.* Cabaſſut, *not. Concil.* &c.

Articulus perquam accuratus ex ipſis Principatûs Auriaci Annalibus & Monumentis deſumptus.

Arauſio, urbs, Epiſcopatus, Academia & Principatus nulli ſubditus, Regno Galliæ includitur, ex eo tempore quo Linguadocia, Delphinatus & Provincia Gallicæ Coronæ Ditioni addictæ ſunt. Veteris olim Provinciæ Romanæ, vel Galliæ Narbonenſis II pars, quæ hodie *Provincia* dicitur. Variis nominibus Arauſio Urbs à Veteribus denominata fuit, qualia ſunt *Arauſio Cavarum* vel *Secundanorum*, *Arauſica Civitas*, & *Arauſionenſis Urbs*, quo nomine illam deſignat *Sidonius Apollinaris*. Quidam, ſed incertâ origine, eoſdem, cum Maſſiliâ, conditores Phocenſes eam agnoſcere volunt. Verùm ex clariſſimis magnificentiæ Romanæ reliquiis, quas ibi mirantur Viatores, dici poteſt Arauſio antiquiſſima, & Oppidum non contemnendum. Ibi extat Circus affabrè conſtructus, Aquæductus, & percraſſæ Turris pars, quam quidam Templum Dianæ extitiſſe arbitrantur: verum inter omnia notandæ ibi ſunt extra muros Arcûs Triumphalis reliquiæ, quem poſt reportatam de Cimbris & Teutonibus victoriam, Cajus Marius & Luctatius Catulus erexerunt: Hæc Urbs longius olim, quàm hodie, teſtibus veterum murorum ruderibus, exporrigebatur. Multa, ex ſitu murorum, variorumque Barbarorum, inprimis Gothorum & Sarracenorum, qui ei aliquamdiu adhæſerunt incurſionibus paſſa eſt.

Antiqua mœnia, cum tribus circiter urbis quadrantibus 5. & 7. ſeculis diruta ſunt; quod ſupererat leviter admodum uſque ad annum 1130. munitum extitit, quô annô Princeps Tiburgis I. optimô murô eam cinxit; qui murus ſtetit uſque ad annum 1682. quo Rex Galliæ Ludovicus XIV, illum funditus dirui juſſit, incolaſque truculentis & furentibus militibus objecit.

Colli Arauſionenſi Caſtellum olim magnificum, puteuſque inſolitæ altitudinis ſaxo incavatus, imminebat. Arcem ex artis præſcripto itam unam in eodem colle condidit Mauricius Princeps, ut inter totius Europæ munitiſſima propugnacula Arauſin cenſeretur; ſed Ludovicus XIV. eam, ſic ferebat voluntas, annô 1660. ſolo adæquari juſſit, etſi Avenione pacto cum Comite Dhonacenſi tunc Urbi Præfecto 25. Mart. ejuſdem anni, convenieſſet Ludovicus XIV. omniaque integra ſervaturum, Principi Arauſiaco, quum ſui ipſius juris eſſet, reſtituenda, ſanctè ſpopondiſſet. Veteris Caſtelli, omniumque urbis munitionum everſionem, 22. aut 23. annis poſtea, mandâ ô ejuſdem Regis Galliæ, excepit arcis ruina. In ex orbe celeberrima tria Concilia habita ſunt I. anno 441. Pontifice Leone I. Imperante Valentiniano, de Diſciplina Eccleſiaſtica, Joſéque Patronatûs Laicis collato.

. II. Pontifice Felice IV. Atalarico Italiæ, & Childeberto Galliæ Regibus, anno 529. à Liberio ex Galliarum Præfectis, Arauſione commorante, convocatum eſt; quo in Concilio Pelagianorum errores damnati ſunt. & III. ibi contra Albigenſium Sectam, à Romano Cardinali Diacono, Pontificis Honorii Legato, Imperante Conrado indictum eſt, ubi tantum Epiſcopi Itali comites ejus, interfuerunt.

Arauſione Præſules quidam claruerunt, inter quos Conſtantius Aquileiano Concilio anno 381. interfuit; S. Eutropius, quem Hilarius Papa, & Sidonius Apollinaris pluimis epiſtolis cohoneſtârunt; S. Florentius, S. Cæſarius, aliique. Academiâ, & Supremâ Curiâ gaudet. Academiam Raymondus V. anno 1365. Supremam Curiam Wilelmus VII. annô 1470. inſtituerunt.

Principatus Arauſiacus longius olim quam hodie porrigebatur, ſive in Sancti Pauli Tricaſtrinenſis, Avenionis, Valenciæ, Diæ, Vapinci, Siſteronis, & Nicææ, ſive in Montis-Peſſulani, Nemauſi, & Luteva, Diœceſibus: verùm lapſu temporis, maxima pars, vel uſurpationibus, vel dotibus, & hæreditatibus uſuratur divulſa eſt. In primis autem Anno 1150. Princeps Tiburgis I. illum in quatuor portiones partitus eſt, Wilelmo nempe filiorum natu maximo. Ditionis Arauſionenſis dimidiam partem, cum iis ferè omnibus agris, qui Delphinatui, Provinciæ, Pedemontio, ſubjacebant, ab hoc Principatu moventibus, dedit; minori verò natu Rambaldo alteram Arauſiacæ Ditionis dimidiam partem, cum integris Courthezoni, Jonquieræ, & Gigondæ oppidis, Valle Bucrenſi, aliiſque agris concesſit. Illô tempore Principatus, Epiſcopatus duos, Arauſiacum nempe, & Sancti Pauli Tricaſtrinenſem, cum ſex Abbatiis, & amplius 30. Prioratibus, capiebat; adde & Comitatus Grignanenſem, S. Paulinum, & Suſianum, Baroniam Gigondanicolem, Serignanenſem, & Leruenſem. quatuor oppida, nempe Caſtellum Novum, Donzeram, Tulettam, & Montem-Briſonum, quorum Epiſcopus Vivarienſis, S. Spiritus Prior, & Dux Ventadorienſis ſe Principes dictitant.

Subdiviſit præterea Princeps Tiburgis eam quam Rambaudo conceſſerat portionem; Tiburgi filiæ, Bertrandi de Baux Uxori, partem, quique pene ſe erant in Linguadociâ agros, Tiburgi alteri filiæ ſuæ, Adhemaro de Marvieux, nuptæ, dedit.

Huic Principatûs Diviſioni, aliæ quoque haud contemnendæ acceſſerunt. Superſunt enim tantummodo Arauſio, Courthezo, Jonquiera & Gigondas, cum quibuſdam aliis pagis ipſi ſubjectis. Adeò ut nunc hic Principatus 6. tantum longitudine, 4. verò latitudine milliaribus pateat, Comitatuque Venaiſcino, Ditioni Romani Pontificis ſubditô, flumineque Rhodanô coarctatur. Fluvii Ey, Mayna, & Louveza illum præterfluunt, quibus Ager ejus, inprimis, frumentô, vinô, crocô, fericô, omnigeniſque fructibus feraciſſimus eſt.

Princeps nomine Theofretus Arauſionem annô 700. occupabat, cui filius Theofretus, Martyr, vectibus immanitate Sarracenorum mactatus, ſucceſſit. Wilelmus *Cornetus*, vel *brevi naſo inſtructus*, Rege Galliæ Carolô Magnô, ejus urbis primus Comes vel Princeps extitit, eo quod illam in Therbaldum, aut Therbardum Regem Sarracenum, ibi commorantem, anno 793. bello ſibi comparaviſſet. Hic Princeps *Cornetus*, ob cornu venaticum, etiamnum hodie Arauſionis inſignia, dictus eſt. Alii eum *brevi naſô inſtructum* dixerunt, quia in certamine ipſi actotinon gladiô amputatum eſt. Ex Regia Burgundiæ ſtirpe oriundus erat: & ſub Rege Pipino *Brew* Coneſtabilis erat i. e. in regios exercitûs imperium perpetuum obtinebat. Sanctum obiiſſe credimus in Abbatia quam extruxit, dotavit, & nomine ſuô vocavit prope Agniatam Diœceſeos Lutevienſis in Linguadocia. Primus omnium Comitis, *Dei gratia*, titulô uſus eſt, quem tunc temporis ſoli tantùm ſupremi Domini uſurpabant. In hac Abbatia varia de vita & geſtis Wilelmi Manuſcripta viſuntur, unum ex ejus actis de Abbatiæ fundatione 14. Decemb. ann. 804. Pontificis Alexandri II. Diploma, & Lodovici *Pii*, tum Aquitaniæ Regis duntaxat, Literæ publicæ, præter Legendam ſeu libros memoriales hanc veritatem confirmantes, qui in Epiſcopali Sede Arauſiaca extant. Wilelmus duas uxores, alteram Chunegundam vel Gumbaldam, alteram Orablam duxit. Hæc Regis Therbaldi filia fuit, quam cum oppido captam, baptiſandam, & *Guiberga*, ſeu *Guibergam* nominandam curavit. Illi quidem tres filios fuiſſe legimus, non autem quod ſibi uxorem duxerint aut liberos genuerint. Ejus filia nomine Herimbruia ei in omnibus bonis ſucceſſit, quæ Rollino vel Goſſelino magnorum in Arelatenſi Regno prædiorum Domino, ſecundum quoſdam, ex familia de Baux oriundo, dotem dedit. Hiſtorici quidam hunc Wilelmum I. primum Tholoſanum Comitem extitiſſe exiſtimârunt: ſed hac de re Catellus accuratiſſimos dubitat. Reverà Comites Tholoſani nunquam Cornu venaticum in inſignibus ſuis uſurpaverunt, neque ſe à Wilelmo oriundos profeſſi ſunt. Soli id Principes Auriaci ſibi aſſumpſerunt.

Hic Wilelmus annô 809. obiit, & in ſupra dicta Abbatia ſepultus fuit. Ejus ſororem Carolus Magnus annô 810. uxorem duxit. Ex uxore Herimbruâ duos filios Hugonem & Rogonem ſuſcepit Rollinus ſeu Goſſelinus. Hi in publico ſcripto, annô 839. Marchionum ſeu Comitum Arauſiacorum nomenclationem, cum jure patronatus in Epiſcopatum Arauſiacum, ſibi adſcripſerunt, Principatumque primi pariter ſunt. Arauſionem cum locis ipſi ſubditis natu maximus poſſedit. Hugonis filia Alatais ipſi Annô 880. aut 890. ſucceſſit, mater Rhambaldi I. mortui annô 910. cujus quoque filius Baſon annô 924. obiit. Propter monumentorum publicorum raptum, vel incendium ann. 1562. nihil de Boſonis ſucceſſoribus comperti habetur, uſque ad Gerardum Adhemarum annô 1086. defunctum. Ejus filius Rambaldus II. Comes Arauſiacus, in Terram Sanctam, ſeu Palæſtinam, ubi annô 1115 obiit, peregrinatus eſt. Illi filia unica fuit, Tiburgis II. uxor Wilelmi II. Auriaci, etiam ante conjugium, dicti, nempe quia ex Rogone Wilelmi Cornuti oriundus erat.

Ex hoc matrimonio duo filii, quorum natu major Wilelmus III. totidemque filiæ, nati ſunt, quibus Tiburgis I. ut ſupra dictum fuit, Principatum Arauſiacum, partita eſt, eâ lege tamen ut Comiti Provinciæ, niſi reſpectu Serignani & Camareti, nullô modô ſe ſubjicerent, nihilque ex prædiis, niſi ſe hæreditate excluſos vellent, Eccleſiæ Romanæ concederent. Quod ſcriptò ſe obſervaturos pollicitis ſunt. Wilelmô III. filius Wilelmus IV. natus eſt, filiaque nomine Thibour nupta Rhambaldo Gurano, quæ abſque liberis defuncta, Sancti Johannis Hieroſolymitani Xenodochio, jam quartam partem urbis Arauſionis poſſidenti, alterum quoque quadrantem dedit; hic Wilelmus IV. filium genuit nomine Rhambaldum, qui abſque liberis vitâ functus, eidem Xenodochio portionem ſuam conceſſit, ut & quam poſſederat Arauſionis quartam partem. Rhambaldus III. Tiburgis I. filius uxoratus non fuit, Teſtamentóque ſuô ann. 1173. omnia bona ſua legavit Tiburgi II. ſorori ſuæ, uxori Bertrandi de Baux, qui, in Templo Archiepiſcopali Arelatenſi, die Paſchatis anno 1181. mandato Raymondi V. Tholoſani Comitis, mactatus fuit. Filios tres progenuit Wilelmum V. Bertrandum, à quo Iſtriæ & Brantonum ſtirpes quæ ſe in Regnum Neapolitanum receperunt, originem duxerunt; & Hugonem, qui unicum tantum filium in Templo Arauſionis primario Canonicum procreavit. Wilelmus II. Bauxienſis, ut & hujus nominis V. Auriacus Princeps, Principatûs habenas anno 1182 capeſſiit. Epiſcopatus Tholoſanus, Sancti-Paulinus, & Arauſiacus cum Clero & Principatûs Plebe tota, ejus Patronatum in Epiſcopatum, aliaque Principatûs beneficia ritè agnoverant, cujus rei Acta duo publica annorum 1184 & 1208. quo jure in emolumentum Eccleſiæ ſpoliatus eſt, expreſſô Miloni Legati mandatô in Sancti Ægidii oppido 17. Januar. 1209. quô tempore Comitem Tholoſanum bonis omnibus nudavit, eumque flagellô mulctavit Legatus, quem 3000. militum tuebatur exercitus. Imperator Fridericus II. Regnum Arelatenſe Aureô Diplomate ann. 1214. alio etiam 29. Septembris ſequentis confirmatô, Wilelmo dono dedit. Quum hic idem Imperator donatam Xenodochio S. Johannis Hieroſolymitano Dimidiam Arauſionem præter Tiburgis I. prohibitionem, Wilelmique III. obligationes, perſpexiſſet,

hac dona Diplomatibus 7. Januar. 1214. inſequit: quare Wilelmus II. A[illegible]enſis alterius di[illegible]idiſſe [illegible]tis poſſeſſionem iniit, quam tamen ſponte [illegible] Xenodochio, publico [illegible] ipſis [illegible]. Octob. 1215. [illegible] teſtavit, ut Principes jure Commiſſi, & Retenti fr[illegible]r, apud ſe X[illegible]dochium munus clientelare profiterentur, hanc dimidiam [illegible] partem alteri diſtrahere non poſſet. Quod tribu[illegible] publ[illegible] 8 Sept. 1[illegible] 1, Auguſt 1272 & 15 Februar. 1288. confirmatum e[illegible]. Carolo I. Provinciæ Comes hujus j[illegible] agnoſ[illegible] 1. Septemb. 1257. quibus Xenodoc[illegible]m Principibus ubjiciendum fore pollic[illegible]tur, ſe, id juris ipſis nihil ſibi vi[illegible], teſtituendum, ſuis ſu[illegible]ptibus co[illegible] atauirum, neque ſe, neque poſteros nihil unquam ulli.bi, vel etiam in ſocietate cum Principibus, poſſeſſuros, ubicunque eorum jura paterent. Carolus tamen II. [illegible] hanc Arauſionis dimidiam partem à Xenodochio, permu[illegible]tione aliorum in Provinciâ agrorum, ſibi 17. [illegible] 13[illegible]7. comparavit. Quare Bertrandus Princeps Au[illegible] jus ſuum & Supremi Domini & pactorum perſecutus eſt. Volenti enim Bertrando de Marſillac ejus poſſeſſionem nomine Caroli II. [illegible] obſtitit, & publ[illegible]cè [illegible]tò 21. Novemb. 1[illegible]7. ſe vi juris ſui [illegible]m detenturum denu[illegible]vit. Quod quum accepiſſet Carolus, Principem, ejus uxorem & liberos Aquas-Sextias in Provincia allexit, [illegible]bi du[illegible] conditionibus, totius Principatus fidem & clientelare offi[illegible] extorſit. Qua[illegible] quum [illegible] ſati feciſſet, dimidiam Ar[illegible] partem Principi re[illegible]it, [illegible]t in publicis 22. Mart. [illegible] Actis legitur, [illegible] quorum præfatione Carolus eatenus [illegible] Ex hoc tamen ſcripto publico [illegible], & poſt illum Puteani omnia, juris Provinciæ Comitum [illegible]ſionem, a[illegible]menta depromunt, ſedulò ſe abſtinentes ab adducendis [illegible]tiis quæ ex eo [illegible]fficientiſſimè colliguntur. Verum præter [illegible] præcedentia, Bertrandus III quantum ſibi per tempus, locum & [illegible] Carolo licuit, contra iſtud quodam modo, in prærogativarum, quas urbi Arau[illegible]enſi annô 13[illegible]1. conceſſit, Art[illegible] III. conteſtatus eſt. Sed firmiſſima conteſtatio in Conventu totius Provinciæ Ordinum A[illegible]-Sextiis 22. Novemb. 1288. habita eſt; quo in [illegible]ventu Ra[illegible] præſentibus Comitis Miniſtris Principis [illegible] nomenclationem recepit, ſolemnique ritu, jus ſuum interpoſitâ conteſtatione à ſe con[illegible]vandum ſignificavit, qua de re, nemine contradicente, ipſi ab Ordinibus Acta publica conceſſa ſunt. [illegible]um Ludovic[illegible] de Chalon Principi Au[illegible] [illegible]ertione & ceſſi[illegible] Renati Provinciæ Comitis con[illegible]um eſt ſcripto pu[illegible]co 6. Auguſt 1536. & tribus aliis ſcriptis, 14. & [illegible] ejuſdem menſis, & 18. Septemb. ſequentis, confirmato. Ab [illegible] autem tempore Renatus Principem, ut ſummum Dominum [illegible]ovit, & inprimis, Actis 14. April. & 5. Septem[illegible]. Adeo ut hoc jus ſine controverſia inconcuſſum Principibus ſuperſit; præcipuè autem ab eo tempore quo Carol[illegible]. Teſtamento annô 1481. Ludovicum XI Gall[illegible] Regem eâ lege hæredem c[illegible]ſtituit, ut quicquid Comites & Comitiſſæ Provinciæ, eorumque Miniſtri diſtraxiſſent, dono dediſſent, & oppign[illegible]aſſent quietum ac tutum præſtaret. Quod Ludovicus XI. & ej[illegible] ſucceſſores præſtiterunt. Hæc omnia, eo[illegible] omnium, quæ geſt[illegible] ſunt poſt publicum Anni 1308. ſe i[illegible]ſum, ut & etiam poſt ter[illegible] invitam fidem clientelarem, Reginæque Johannis [illegible] Raymundum VI. damnationem, [illegible]bant, quidquid co[illegible] à Puteanus aliique, [illegible]. Præterea [illegible] ext[illegible] Acta publica 13. 14. & 15. ſeculis, quibus [illegible]enium & Patrimoniale Dominium Arauſiacum diſtrahi [illegible]tur, quibuſque, quod poſitum eſt, funditus evertitur, [illegible] nempe Pr[illegible] Principatûs Arauſiaci ſupremos eſſe Dominos, Ludovicumque XI. olim hunc Principatum Supremæ Del[illegible]tûs Curiæ ſubjeciſſe. Hoc etiam ex Hiſtoria evincitur, quâ [illegible]ſſe Principes Auriacos VIII. ſeculo, Provinciamque non ni[illegible] hinc 69[illegible]. annis à Comitibus rectam fuiſſe, quod [illegible] notatu dignum, hoſque Principes & Comites nunquam ſibi invicem ſubjectos fuiſſe. Quibus & iſtud addere licet; in Comitatûs [illegible] partitionibus annis 10[illegible]. & 1125 factis, nihil [illegible]m à [illegible] eam præter A[illegible] dimidiam p[illegible]em, Tore & [illegible]montium ad Principatum Auriacum, Comites po[illegible]diſſe. [illegible] variis etiam publicis ſcriptis Comitum ann. 1126. 1[illegible]7 & 1[illegible]8. probatur, ut & quorundam Pontificum Romanorum [illegible]. Agrorumque Bauxionorum enuntiationibus, in pa[illegible] & 1[illegible], in quibus enarrandis omnino lapſus eſt Puteanus. [illegible] omnia libera, ſeu à ſubjectione immunitas vel [illegible]tur, quod Cæſares Fredericus I & II. in Prærogativis an[illegible] & 1214. Wilelmum II & Wilelmum III. Principatum [illegible] ceſſiſſe aſſerant; quod etiam ſequentibus [illegible] Imperatores agnoverunt, qui in iis quæ cum [illegible] Regni [illegible] 1526. 1529. 1544. & 1559. pacti pe[illegible] [illegible] tum ſunt. De eo quod ſpectat Ludovicum [illegible] ſequentibus dicetur, quia hic Chronica Principum reſumenda.

[illegible] primâ uxore Wilelmus V. Wilelmum VI. Et ex Ec[illegible]nda Raymundum I ſuſcepit, qui ei anno 1225. ſuc[illegible]. Wilelmus V[illegible]. quatuor filios ex Precioſâ Aqua-Sext[illegible] [illegible] W[illegible]n VII. Ber[illegible]andum qui ei ſucceſſit, q[illegible] [illegible]lam [illegible], ex [illegible] Andiæ, Tatenzi & Urſini Duces [illegible], Hu[illegible]m [illegible] Seneſcallum & Raymundum [illegible]. Principem [illegible]tauſiacum. Wilelmus VI. anno 1239. obiit. Wilelmus VII. nulli ex Galbu[illegible]a uxore procreatis filiis, 1[illegible]8. [illegible] eſt. Raymundus II. frater ej[illegible] ei ſuc[illegible] [illegible] ex Bigna uxore ſua Bertrando II. & Raymundo III. [illegible] anno 1[illegible]2. obiit. Quum Bertrandus II. & Ray[illegible] III. [illegible]ſiſſent, Raymundus III. Bertrando II. omnia [illegible] Princip[illegible] jura tradidit. Iſto regnante, Propatruus ejus anno [illegible], ipſi adhuc in vi[illegible] Bertrando III. quod ſuum erat commiſſo. Bertrandus III. cum Bertrando II. ita anno 1[illegible]3. pepigit, ut omnis Principatus ſui poſteris indiviſus perſiſt[illegible], ea[illegible] oppi[illegible] Contrbe[illegible], locuſque ipſi ſubjectis, quæ Bertrandus II. ſibi, ſub fide & hom[illegible]agio, cum ruſtib[illegible] & ad Pr[illegible] [illegible] aut libe[illegible] abſque prole obirent, q[illegible] anno 1[illegible]9. [illegible] Bertrandi II. [illegible] Domini fi[illegible] in Ita[illegible] Roberto & Johannâ I. Regibus, [illegible] & illuſt[illegible] mundus III. ex Eleonora Genevenſi uxore [illegible], Wil[illegible], Raymundum & Hen[illegible], ſuſcepit, W[illegible] duobus filiis, unicâque filiâ Bertrando, W[illegible], & Thiburgeâ, ex Thiboura Bauxienſi, uxore natis, ſup[illegible]. Raymundus III. Raymundi II. natu minor, ſuperſti[illegible] annô 1[illegible]14 ſu[illegible], cui Bertrandus & Wilelmus fratr[illegible] omnia ſua in Princip[illegible] jura ceſſerunt. Henricus Auguſtoduni Canonicus ex[illegible]. Raymundus IV. ex Anna Viennenſi, Guidonis Viennenſis Delphini, & Beatricis Bauxienſis filia, ſex filios progenuit, Raymundum ejus in Au[illegible]iaco Pri[illegible]patu annô 1340. ſ[illegible]ceſſorem Wilelmum & Gionetum cœlibes defunctos, Bertranderum Dominum in G[illegible]gonda, Guidonem & Johannem cœlibes quoque m[illegible], treſque filias Deo in cœnobio conſecratas. Raymundus V. primò uxorem duxit Conſtantiam Tallardenſem abſque liberis extinctam; & ſecundò Johannam, Annæ Comitis Geneven[illegible] filiam, ex quâ [illegible] unicam Mariam Bauxienſem dictam, qu[illegible] in omnibus, nuptiali [illegible]tione, illam in[illegible] & Johannem Cabilonenſem de Harlay Dominum, 11 April. 1386. hæredem ſuam conſtituit. Avenione præſente Papâ Clemente VII. Johannis Genevenſis p[illegible] eâ lege expeditum eſt hoc matrimonium, ut Principatus Auriacus, cum iis omnibus quæ illi ſubſiciuntur, penes eſſet primum filium ex hoc connubio natum, is autem fuit Ludovicus Cabillonenſis de quo poſteà. Raymundus anno 1[illegible]93 obiit. Obſervandum in Raymundo V. & Maria ejus filia ſtirpem Bauxienſem defiiſſe, qui cùm omnium iſtius [illegible] familiæ bonorum hæredes eſſent [illegible] jure Ludovico Cab[illegible] quæ ſucceſſoribus tranſmi[illegible]unt, qui ob Teſtamenta in eorum gratiam condita, multis argumentis & p[illegible]urationibus, in primis autem Annis 1384. 1429 & 1446. & 1447. contenderunt, ut ſua jura in Provincia i[illegible]ent. Johannes Cabillo[illegible] quo Principum Auriacorum tertia ſtirps oritur, annum unum poſt uxorem, annô 1418. obiit, duorumque filiorum, totidemque filiarum, ſuperſtitum, Ludovici ejus ſucceſſoris, & Johannis, à quo [illegible] de Toigni oriuntur, Adhelaïdis Wilelmo Viennenſi nuptæ, & Mariæ Fribusgenſis Comitis uxoris, parens fuit. Ludovicus Cabillonius optimo, ad audendum parato, & [illegible] animo erat. Primò Johannam Mon-Pelicardenſem, ſecundò Eleonoram Armeniacenſem uxorem duxit. Se fortem & optimum in Ludovicum XI. teſtatus eſt, quum negl[illegible]ctâ patris ejus Caroli VII. auctoritate, eum cum Arauſione urbe ſuâ in fidem ſuam, tutelamque recepit, ei impenſas ſubminiſtravit, ſuiſque ſumptibus eum in Brabantiam apud Ducem Burgundiæ duxit. Hic Princeps, cum Sabaudiæ Duce, à partibus Ducis Burgundiæ contra Carolum VII. ſteterat: imò & Delphinatum inter ſe partiri e[illegible] venerant. Verùm Gauc[illegible] ejus Provinciæ Prorex, P[illegible]ipe Colombiertum inter & Anthonum delectô, eorum paulò poſt conſilia diſturbavit. Princeps in Rhodanum ſe projicere, eumque tranſnatare maluit, quam in [illegible] arbitrium ac poteſtatem devenire, hoc annô 1429. contigit. Ex prima [illegible] Wilelmum VIII. annô 1466. ſucceſſorem, & ex ſecunda Ludovicum Caſt[illegible]o-Guyonenſem Dominum, & Johannam Ludo[illegible]co Comitis Cubiculario nuptam ſuſcep[illegible]. Wilelmus VIII. [illegible] ſuis bonis, in Burgundiæ Comitatu ſitis, à Duce Burgundiæ ſpoliatus, Arauſione eorum poſſeſſionem repetiturus profectus; ſupra Montem-Pelicardum captus eſt, Viennamque Allobrogum & inde Avaricum ductus, mandatô Ludovici XI. obtendentis Principem [illegible] Arauſione, ſine Sal[illegible]o-conductu, Burgundiam petere, ut in [illegible]ſitionibus, ab Imberto Groll[illegible]o Delphinatûs Prorege, menſibus Februariô, Martiô & Aprili, anno 1473. inſtitutis, diſquiri etiamnum poteſt. Tunc, ſe ut vinculis ex[illegible], ſupremum ſuum in Auriacum Principatum Dominium Ludovico XI. 4[illegible] nummis, q[illegible], verùm non numeratos, acceptos retulit, vendere coactus eſt. Hujus venditionis ſcriptum publicum 9. Junii 1475. actum eſt. Quibus peractis, pr[illegible] movente Lud[illegible] mino, Delphinatus Pro-R[illegible], Actis 17. Junii, & 29. Ju[illegible]. ejuſdem anni in bona ſua [illegible] integratus eſt. Poſt vim iſtam ſibi illatam tribus exactis menſibus hic Princeps, 24. Sept. 1475. obiit. Catharinam Richardi Armoniei, Stampenſis [illegible]mitis, & Margaritæ Aurelianenſi filiam uxorem duxerat. Ex hoc matrimonio Johannes Cabil[illegible]onius, hujus nominis II. & Princeps Auriacus natus eſt. F[illegible] Aurelianenſem, contra Admini[illegible]onem, per Caroli VIII. min[illegible]tatem amplexus eſt, in ejus ar[illegible] & poteſta[illegible] præl[illegible] S. Albini du Cornier, anno 1488. devenit. Liber poſteà, matrimonio Regis cum Annâ Britanniæ Ducisſâ nepti ſuâ. 16. Novemb. [illegible]491 decreto, ſervi[illegible]. Id officii, aliaque quibus, Ducem Aurelianenſem ante & poſtquam ſub nomine Ludovici XII. Rex inauguraretur, ſibi obſtrinxit, illius Monarchæ benevolentiam ipſi [illegible]unt: adeò ut non ſolum Armoricæ ſeu Britanniæ Præſes factus ſit, ſed & quidquid ultimus Britanniæ Dux ipſi dederat, Annis, 1487 88. 90. 93. 98. 1501. & 1[illegible]. [illegible] confirmatum, & [illegible]um portubus Crenonſium & Harpaſionum interje[illegible], Pontinenſi [illegible]omitatu, Moncontuurſiò, Lamball[illegible], Sueſinâ, & [illegible]nifino, aliiſque Caſtellis & locis, ut facilè probari poteſt ex decem Ac[illegible], in quorum executione ejus ſucceſſores impediti ſunt. Reve[illegible] ex pactis p[illegible] quæ Imperium inter & [illegible]iam Annis 1[illegible]6. 1529 1544. & 1559. intercesserunt, r[illegible] etiam; verum id execu[illegible]ioni haud mandatum fuit. Ludov[illegible] XII. cui vis patrem Johannes II. illata ignota non erat, qui neque [illegible]bat 40000. nummos ſolutos non fuiſſe, mandata ſcripto dedit, quibus ſupremum Dominium juris venditio irrita fiebat, accepti [illegible] retulit 40000. nummos. Quod poſteà Franciſcus I. Annis 1498.

1500. 15. 16. & 1518 Diplomatibus confirmavit. Proptèr bella ineunte XVII. ſeculi, Princeps amplexus Cæſaris partes variis captionibus impeditus eſt. Tandem ex pactis ſuprà memoratis Principes in omnia omnino ſupremi Dominii jura redintegrati ſunt. Johannes II. 9 April. 1502. obiit, ſuperſtiteſque reliquit ex Philiberta Luxemburgica, Charnienſi Comite, uxore ſua, Philibertum, de quo mox, & Claudiam Cabillonenſem, Henrico Naſſovio Comiti nuptam. Philibertus Cabillonius Auriacus & Melphienſis Princeps a Cæſare Carolo V. ſtetit contra Franciſcum I. qui bona ejus anno 1520. occupaſſet, Principatum Auriacum Annæ Montmorency, Mareſcalli Chatillonenſis viduæ, dedit. Idem Philibertus in Hiſpaniam anno 1523. ſe conferens, captus, & ex Flandria Lugdunum ductus fuit, indeque Burdigalam, unde nonniſi pactione Madritenſi anno 1526. egreſſus eſt. Is quoque Cæſaris exercitui in Romæ expugnatione imperabat, poſt mortem Borbonii Ducis, qui dum impetum in urbem ciebat, ictu catapultæ cecidit. Philibertus verò, ne mortem ejus militibus pateret, eum paſſim tegi juſſit, inceptoque impetu inſtans, ſuburbium primò, deinde urbem invaſit. Denique in obſidione Florentina annô 1530. nullo unquam matrimonio junctus occiſus eſt. Evinci poteſt, omnia clariſſimæ familiæ Cabillonenſis bona, legitimò jure poſſediſſe hunc Principem ante Patrem ſuum, qui ea cum cæteris facultatibus ſuis, Renato Naſſovio, Henrici Naſſovii & Claudiæ Cabillonæ ſororis filio, Teſtamento legavit. Familiam Naſſoviam in duas præcipuas ſtirpes dividi obſervandum eſt, ſecundamque Naſſovio-Dilemburgenſem dictam, quæ ab Othone Comite, Adolphi Naſſovii Cæſaris patruo, ortum, quinque alias ſtirpes, quarum prima Arauſiana, conſtituiſſe. Otho Henrici Divitis filius Agnezam Comitem Solmenſem duxit, ex qua Henricum, de quo mox, Johannem & Ericum procreavit, Henrico Otho II. & Henricus ſuperſtites fuerunt. Otho Naſſovius, hujus nominis II. familiam in Flandriam tranſportavit, ſuperſtiteſque tres filios genuit, quorum ſecundus Johannes Naſſovius pater fuit Engelberti I. qui ex Johanna Bredenſi, quam uxorem duxit, Johannem Seniorem dictum, Comitem Naſſovium, & Brabantiæ Præfectum, qui ex Mariâ Bohembergenſi uxore ſuâ, Engilbertum II. Inferioris Germaniæ Proregem, abſque prole annô 1504 defunctum, progenuit. Et Johannes Comes Naſſovius, Junior cognominatus, Elizabethæ Haſſiacæ connubio junctus, annô 1516. mortuus Hic duos filios, totidemque filias ſuperſtites habuit Henricum nempe, de quo ſtatim; & Wilhelmum Seniorem dictum, de quo in ſequentibus agetur. Henricus Comes Naſſovius Claudiam Cabillonenſem uxorem duxit, quæ quum Renatum Naſſovium, à quo Principum Auriacorum quarta ſtirps originem ducit, peperiſſet, annô 1521. obiit Ejus Patruus Philibertus, ut jam ſuprà dictum eſt, eum hæredem, ſuum eâ lege, conſtituit, ut & nomine & inſignibus ſuis condecoraretur. Dux Longavillæus, ex Adhalaide Cabillonenſi, Johannis I. & Mariæ Bauxienſis filia, ortus, huic Teſtamento obſtitit, niſus ſubſtitutione, de qua in Teſtamento ſupradictæ Mariæ, annô 1416. condito. Huic etiam Cauſæ Comes de la Chambre, tanquam ex Johanna Cabillonenſi, Ludovici Principis Auriaci filia oriundus, ſe immiſcuit, etiam ex ſubſtitutione quam in Teſtamento Ludovici annô 1466 conſcripto, occurrere arbitrabatur. Qua in lite Dux Longavillæus & Comes de la Chambre multa Decreta curârunt fieri in Principes Auriacos, indictâ cauſâ condemnatos, præcipuè cùm tunc temporis, Principibus ab Imperio ſtantibus, Gallia Principatum Auriacum occuparet. Attamen hæc omnia decreta paci pactionibus, Madritenſi, Creſpiacenſi, Nicenſi, & Cameracenſi; Annis 1526. 1529 1544. & 1559 irrita facta ſunt. Abrogabatur quoque ab his duobus ultimis pactis ſupremæ Curiæ Provincialis Decretum, 30. Junii 1543 quo Fiſco Principatus Auriacus addicebatur. Præterea, capita ſive clauſulæ, de quibus in hiſce pactionibus agitur, variis Galliæ Regum [illegible] Franciſco I. ad Henricum IV. interpretationibus confirmantur, ut & eorum Senatus-conſultis, qui ſe nullam in rebus Principatûs Auriaci legitimam juriſdictionem habere profeſſus eſt. Credita ſubſtitutio Longavillæi Ducis, pactione nuptiali Johannis I. & Mariæ Bauxienſis, quâ Principatus Auriacus Ludovico Cabillonio filio ſuo integer obtingebat, planè omninò reſcinditur: idem dicendum de iis quæ Comes de la Chambre ſibi aſſumebat; cùm [illegible] Johanna Cabillonenſi Ludovico Comiti de la Chambre nupta ortus non ſit: adde quod ſubſtitutio, quæ Ludovici, in gratiam Johannæ Teſtamento continetur, ideo abrogata eſt, quia poſteri mares Ludovici, Johannæ poſteris ſuperſtites fuerint. Renatus, ut dictum eſt, bonorum Philiberti hæres qui à Carolo V. contra Franciſcum I. ſtetit, abſque liberis ex vulnere in obſidione oppidi Sancti Deſiderii accepto, 15. Julii 1544 obiit Wilelmum nomine IX. Principem Auriacum, patruelem ſuum, Wilelmi Senioris & Julianæ Stolbergenſis filium, Teſtamentô ſuô 2[illegible]. Junii præcedentis hæredem nuncupaverat. Hôc Principe Bella civilia Galliam vaſtabant [illegible] ure proxima Arauſio iiſdem [illegible] calamitatis expers fuit, urbs enim capta, expilata, & in[illegible] ſa eſt annô 1562. à Sarbellone qui Pontificis Romani, & à Comite Suziano qui Caroli IX. copiis imperabat. Id obſervante Dominô Thuanô Avenionem urbem locupletavit: & annô. 1571. ibi Reformati, qui ex priori calamitate evaſerant, omnes cruentâ ſtrage trucidati ſunt quod ipſiſſimâ Purificationis die contigit, poſteà Principis Commentaria, haud quidem levia, & documenta omnia [illegible] & combuſta [illegible] rum [illegible] amen pars potior Romam à C[illegible] din[illegible] Armagnacenſi de[illegible] a fuit. Quod ut quam maximè adverſarii [illegible] quæ in ſuperioribus editionibus hac de re occurrunt, quibus hæc inſerta ſunt, *Vim Calv[illegible] tarum, quam Princeps ob ſ[illegible]lorum artibus [illegible] aut [illegible] tus f[illegible] chat, hac omne in Araſ[illegible] tam calamitate in; rimis vero Epiſcopi & Canonicorum ex[illegible] ſuorum, Templorum va[illegible] & [illegible] quod omnia [illegible] licentia & ſævitia tempore licita eſſe arbitrarentur; Verum hîc ſie[illegible] inquiunt alii, curâ Regis, Supremi Domus, in Provincia Comitis ad Epiſcopatum, quia Principe Reformatos eſſe, moriente, Templa reſtaurata, Epiſcopus reſtitutus, Orthodoxaque Religio reducta, revocataque eſt.* Verùm, cum id, quoquo ſenſu ſumatur, mera ſit calumnia, obſervandum [illegible] pluſimas Pontificis Romani, & Caroli IX. copias, Templa, Sedemque Epiſcopalem expilâſſe, & igne conſumpſiſſe. Verum eſt à Principe Epiſcopum & Clerum urbe expulſos, ſed ob flagitia à ſe, annis 1569. & 1571. perpetrata. Stragem enim concitârunt, eo quod Princeps Reformatis ſubditis ſuis, invitis Pontificis Pii [illegible] 22. Auguſt. 1562. 26. Octob. & 29 Decemb. 1563. aliorum extinctionem apud eum ſollicitantis, Diplomatibus, parcebat. Idem Princeps, qui urbe ſuâ Epiſcopum & Clerum expulerat eos illos aliquantò poſt, precibus Henrici III. Galliæ Regis, revocavit, ut iiſdem à ſe, in eam rem, ad Wilelmum IX. conſcriptis Epiſtolis, probari poteſt. Hic Princeps Wilelmus IX. Templum Primatium & reparavit, & locupletavit nullus verò unquam Rex Galliæ vel reparavit, vel opes in Eccleſiam Arauſiacam contulit, niſi ſolus Ludovicus XIV. qui per illorum hæc bella, Arauſione occupatâ, ejuſque Epiſcopatu vacante, ad hunc Epiſcopatum nuncupavit. Verum quidem eſt eum, duabus variis vicibus, antea Epiſtolis ſuis Principem interpellâſſe, ut ipſi apud Pontificem eos quos indicabat, nuncupare placeret; quod nunquam executus fuiſſet Ludovicus, ſi, ut quidam fidenter affirmant, Comites Provinciæ ad Principatûs Arauſiaca Beneficia Eccleſiaſtica, nuncupare penes fuiſſet. Inſuper, variis Pontificum Romanorum Diplomatibus, pluribuſque Comitum Provincialium, Principumque Auriacorum è nono ad decimum uſque ſextum Seculum Actis Publicis, evincitur, Principes Auriacos tantùm, ſui Principatûs Templa ædificâſſe, dotâſſe, & reparâſſe Wilelmus IX. de quo hic nunc verba facturus ſum, à Belgii Fœderati Ordinibus, cui reverà ſuum debent & decus & fundamentum, ut Reipublicæ ſuæ Dux & Caput, agnitus eſt. Domi, Militiæque magnus erat, in adverſis prudens, in ſuis imperviis, in aliorum verò deprehendendis conſiliis, peritiſſimus. Magnô ſuô malô experti ſunt Hiſpani, ſed cum omnia ſibi, ubi de perdendo ejuſmodi hoſte agitur, licita eſſe arbitrarentur, maximis in diſcriminibus verſatus uſque tandem obtutus eſt Princeps Auriacus. Primò enim à Trapezitæ cujuſdam, cui nihil fortunatum ſuarum ſupererat, quemque Johannem Auſtriacum veneno intereniſſe ſuſpicabantur, ſervo, nomine Jauregui, ſclopeti glande, domi ſuæ, menſâ exeundo, vulneratus eſt, 18. Mart. 1582. Ex epiſtolis Hiſpanicô idiomate conſcriptis, & in ejus ſacculo inventis, innotuit hic Sicarius. Princeps ex illo vulnere convaluit quidem: ſed quidam Hiſpanorum Emiſſarius, cui nomen Baltazard Gerardus ex Burgundiæ Comitatu oriundus, eum domi ejus Delphis 10. Julii 1584. aliâ ſclopeti glande, mactavit. Hic Princeps quater matrimonium iniit. Primo enim Annam Comitem Burenenſem duxit uxorem, ex quâ Philippum-Wilelmum, & Mariam Comiti Hohenlohenſi nuptam, ſuſcepit. Secundo Annam, Mauritii Electoris Saxonenſis filiam, quæ ei Mauritium Naſſovium, de quo poſteà. Annam Wilelmi Ludovici Comitis Naſſovii, uxorem, & Emiliam annô 1597. Emanueli II. Luſitaniæ Principi, Indiarumque Proregi, nuptam. Tertiam uxorem 10. Junii 1574 duxit hic Princeps Carlottam Borboniam, Ludovici Borbonii II. Montiſpenſerii &c. Ducis, & Jaquelinæ Longwicenſis, filiam Ex ea ſex filias procreavit; Ludovicam Juliam Naſſoviam, Frederici hujus nominis IV Principis Rheno Palatini, Imperiique Electoris, uxorem, 15. Mart. 1644. defunctam: Elizabetham Henrici Turrienſis, Bullonii Ducis, & Sedani Principis, Franciæ Mareſcalli, uxorem menſe Septemb. 1642. mortuam; Catharinam Belgicam, Philippo Ludovico hujus nominis II. Hanovienſi Comiti, nuptam; Carlottam Brabantinam, Claudii Domini Tremollienſis, & Ducis Thoarcenſis, uxorem. Carlottam Flandrinam, Sanctæ Crucis, Pictavii Abbatiſſam, 10. April. 1640. vitâ functam; & Emiliam Naſſoviam, Frederici-Caſimiri Comitis Rheno-Palatini apud Landibergum, uxorem. Quartum connubium Wilelmus IX. cum Ludovicâ Colignacenſi, Gaſpardi Colignacenſis, in Franciâ Rei maritimæ Præfecti, & Carlottæ Lavallenſis, primæ uxoris filia iniit. Ex ea Henricum-Fredericum Naſſovium, Principem Auriacum, de quo, poſtquam de Fratribus ejus dixero, verba faciam; & Renatam quæ Rupellæ nullo unquam connubio juncta, obiit. Philippus-Wilelmus Naſſovius, Princeps Auriacus, penes Hiſpanos erat, moriente Patre, unde non niſi multo poſt rediit. Annô 1606. Eleonoram Borboniam, Henrici Borbonii, hujus nominis primi, Principis Condetenſis, & Carlottæ Catharinæ Tremol[illegible] nſis, p[illegible] ejus uxoris, filiam, uxorem duxit, quæ, Principe Auriacô [illegible] abſque prole, 20. Februar. 1618 defunctô, in Caſtello Muretenſi 20 Januarii 1619. obiit. Mauritius Naſſovius, poſt obitum Fratris, Patre ejus occiſô, Princeps Auriacus fuit Ei [illegible] 8. annis tantum nato anno 1584 Adminiſtrationem Hollandiæ [illegible] landiæ, Ultrajecti, cum rei maritimæ Præfectura, detulerunt conceptamque ejus prudentiæ & fortitudinis exiſtimationem optimè tutus eſt. Oppida omnia quæ penes Hiſpanos in Hollandia erant, expugnavit. Scaphâ merſis. 60. militibus obtegentibus, onuſtâ, Bredam invaſit: itaque feliciter ſe geſſit, ut brevi tempore Friſiam totam, Groninganam Dominium, Tranſiſulaniam, Neomagum, Gueldriamque recuperaverit: Hulſtum, Sanct Andreanum propugnaculum &c ſubjecit: &, mirante totâ Europâ, ſeptem Provinciæ, ſub ejus Adminiſtratione unâ fœdus & ſocietatem inierunt. Exinde Sluſam, Graviam, aliaque oppida, per celeberrimam Oſtendæ, annô 1604. obſidionem, expugnavit Annô 1609. Inducias Hiſpani & Ordines in XII. annos, Antverpiæ 14. Aprilis ejuſdem anni promulgatas pepigerunt. Bellum annô 1621. reparatum eſt. Marchio Spinola copiis Hiſpanis Præfectus annô 1625. Bredam occupavit. Princeps Mauritius, qui eôdem tempore Arcis Antverpianæ invaſionem meditatus fuerat, tantô mœrore ob irritam ſpem captus eſt, ut annô ætatis 58. Hagæ 24. April. 1625. nullô matrimoniô illigatus obierit. Et Fredericus-Henricus Naſſovius Frater ejus,

ejus, in Principatu Auriaco & Reipublicæ Dignitatibus ſucceſſit, & partam à Patre & Fratre exiſtimationem optimè conſervavit. Grollam annò 1627. Sylvam Ducis a Principe Mauritiò fruſtrà tentatam annò 1629. expugnavit. Dein Bergam, Venlovium, Ruremundam, Trajectum ad Moſam, & annò 1637. Bredam occupavit. Multa alia, paucis deſideratis militibus, bellô paravit, tantàque curâ ſuas lavit copias, ut inde *militum Pater* dictus ſit. Hagæ 14. Mart. 1647. obiit. Emiliam Solmenſem uxorem duxerat, ex qua ſequentem Wilelmum II. ſuſcepit, ut & Ludovicam Henriettam Naſſoviam, Menſe Majo 1646. nuptam Friderico-Wilelmo, Electori Brandenburgico, 9 Maji 1688. defunctô, illâ autem 15. Junii 1667. Albertinam Naſſoviam, annò 1648. Wilelmo-Frederico Principi Naſſovio, Conſobrino ſuo, Friſiæ Adminiſtratori, nuptam; Henriettam annò 1659. Johanni Georgio Principi Anhaltino Deſſavo, collocatam; & Mariam Naſſoviam, Defunctô Duci Simmerenenſi ex familiâ Palatinâ conjugatam, Menſe Martio 1688. vitâ functam. Wilelmus Naſſovius nomine X. Princeps Auriacus, Patris Dignitatibus 23. Januar. 1648. ſucceſſit; quô annô cum Hiſpanis pacem Monaſterii Ordines Fœderati pepigerunt. Exeunte Menſe Octobr. Annò 1650. Princeps Auriacus ex Gueldriæ Ordinibus Hagam reverſus, morbo laboravit, ibique 6. Novemb. ejuſdem anni, annò ætatis XXIV. obiit. Henriettam Mariam Anglicam, Caroli hujus nominis I. Magnæ Britanniæ Regis, & Henriettæ Mariæ Gallicæ Filiam, uxorem duxerat. Octo diebus ab ejus obitu, 14. nempe Novembris annô 1650. Domina Princeps Auriaca, ejus Vidua ſequentem Wilelmum Henricum Principem peperit; obiitque 3. Januar. 1661. Londini, quo Regia ejus Celſitudo Carolum II. Magnæ Britanniæ Regem, fratrem ſuum viſum, & cum illo de fauſta ejus in Regna reſtitutione gratulabunda, ſe contulerat. Wilelmus-Henricus Naſſovius hujus nominis XI. Princeps Auriacus, Patris, & Avorum omnibus Dignitatibus anno 1672. ſucceſſit, uxoremque Mariam Anglicam, Patruelem, vel Amitinam ſuam, filiam prioris Ducis Eboracenſis matrimonii, Caroloque II. neptim, duxit. Wilelmus Henricus ſe prudentiâ & fortitudine in ultimis bellis anni 1672. clarum & illuſtrem præſtitit. Remque publicam animi celſitate & magnitudine, quæ ipſi gloriam immortalem pepererunt, ab interitu eripuit & vindicavit. Ulterius proceſſit hic Heros. Sexcentis navigiis mare Menſe Novemb. 1688. trajecit, & infinitis defunctus periculis, ut Magnam Britanniam ex eo, quô premebatur, pondere eriperet. Conſilium tandem fauſtè, feliciter & proſperè ſucceſſit, eique præmium Triplex Diadema conciliavit. In Templo Weſtmonaſterienſi 21. April. 1689. Londini, cum Maria Regina ipſius uxore, poſt Jacobi II. in Galliam ſeceſſum, ſacrata & coronata fuit Ejus Majeſtas, eademque die eorum Majeſtates Edimburgi Scotiæ Metropoli ſub nominibus Wilelmi III. & Mariæ II. Rex & Regina denuntiatæ ſunt.

Paulò poſt Rex Jacobus, cui Gallia opem ferebat in Hiberniam appulſus, exercitum circiter 4 . militum, cum Hibernorum tum Gallorum conſcripſit, quò ſe ſaltem in hoc Regno tueretur. Verùm Rex Wilelmus, quanti ſit Hoſtis conſiliis maturè occurrere gnarus, Præfectô Duce Schombergô, exiguum exercitum in Hiberniam qui Jacobo Regi obſiſteret tranſmiſit, donec ipſe illuc, exeunte Juniô, annô 1690. ſe conferret. Statim atque exercitum omnibus rebus inſtruxiſſet, hoſti obviam ivit, quem quum amne & tormentis communitum conſpexiſſet, in mediis aquâ & tormentis fluvium trajecit, Regemque Jacobum iterùm in Galliam, inexpectatô extremus eventu, ſe recipere compulit, ejuſque exercitum fugavit. Quum deinde ſe Dublini, Regni primariæ urbis, Regem denunciari curaſſet, exercitûs partem quibuſdam Præfectis, qui Rebelles reliquos ſubjicerent, commiſit: Quumque iterato in Angliam trajeciſſet, Regni Ordinibus convocatis, ingentem nummorum vim confecit, quo Reipublicæ neceſſitatibus occurreret, nihilque factioſos & ſeditioſos moratus, in Hollandiam transfretavit, ut ibi cum Fœderatis Ordinibus, cæteriſque Sociis de Rebus Bellicis ageret. Navem itaque, nullâ aſperæ tempeſtatis habitâ ratione, conſcendit, magniſque, per ſeptem dies tranſitûs ſui, in diſcriminibus verſatus, tandem 31. Januariô 1691. Hollandiam attigit, & Tormentorum fragore, Campanarumque ſonitu Hagam pervenit. Nulla tunc Lætitiæ ſigna nec in Reipublicæ Primoribus, nec in populo deſiderata ſunt. Tantus forſan, reverſô in Patriam victore, plebis concurſus nuſquam factus eſt, quantus Hagæ, ob Wilelmum Regem, per ſex hebdomadas viſus eſt. Non ſolùm eum eò, ex iſtius Regionis locis omnibus, infinita virorum mulierumque multitudo conveniebat, ſed etiam illuc numeroſiſſima confluxit Principum exterorum Corona; quos inter eminebant Bavariæ & Brandemburgi Electores, Haſſia-Caſſellanus Landgravus, Zellienſis, Wolfembutellenſis, Wirtembergenſis, Curlandus, & Saxo Eyſſenachus Duces; Marchio Gaſtaniga Belgii Regii Protex, Commercienſis Princeps, Copiis Imperialibus Præfectus, Principes Waldeckenſis, Naſſo Sarbruckenſis, & Naſſo-Friſius in exercitibus Fœderati Belgii Ordinum, Caſtrorum Tribuni, nec omiſſis haud contemnendæ ſortis viris mulieribuſque innumeris. Ibi quoque Cæſaris, Hiſpaniarum, & Daniæ Legati, cum extraordinariis Moguntiæ, Coloniæ Agrippinæ, Auguſtæ Treverorum, Saxiæ, Palatini, Holſteinii-Gottorpii, Sabaudiæ, Principiſque Leodienſis, Nunciis, aderant.

MONITUM.

Cum in hujusce Dictionarii ſuperioribus Editionibus, multa ſub nominibus Arelatis, Bauxu, Chalonu, Delphinatûs, Arauſionis, & Provinciæ, *irrepſerint vitia, ſequenſque Commentarius, quò omnia reſtaurantur, non niſi poſt magnam hujusce Dictionarii partem typis excuſam venerit, ad eum attendere jubetur Lector, nec ea quæ ſupra, in hæc ſex capita dicta ſunt, morari, utpote quæ planè Hiſtoriæ veritati adverſentur, fidemque omninò iis quæ modo de Arauſione in præſenti Editione, ſequentique Commentario diximus adhibere.*

Quidam ſupra, ſub nomine Bauxio, lapſus & errores, haud ſine emendatione prætermittendi, obrepſerunt. Primò, Ditionem Bauxenſem, Agroſque etiamnum hodie Bauxenſes dictos, olim ſub nomine Principatûs, vel Comitatûs innotuiſſe, eorumque Dominos, Principes, vel Comites dictos fuiſſe, ut plurimi veteres Hiſtorici teſtantur: Hôc eos Titulô Cæſares Conradus II. Fredericus I. & II. in aureis Diplomatibus ſuis, annis 1140. 1175. 1178. & 1214. ut & Pacta inter eos & Provinciales Comites, annis 1150. 1177. & 1257. condecorârunt. Agri Bauxenſes numero 77. non verò, ut ſupra dictum eſt 69. erant, ſub quorum Ditione Oppidum Aquæ-Sextiæ, Inſulæ Martiguæ, Burgus-Novus Arelatenſis, Trinquetaillum, aliaque Prædia capiebantur, quæ ſub magnis muneribus, ex lege obſequii & functionis clientelaris à Provinciæ Comitibus juxta pactionem annò 1150 & mediante Cæſare Fredericô II. ab omni dominatione libera, Principes Bauxenſes poſſidebant. Secundò, Maſſilienſem Vicecomitatum, quem Bertrandus Bauxienſis Hugonis filius, Epiſcopo & Oppido 84000. nummis Regiis coronatis vendidit, eorum quoque patrimonio ſubjectum fuiſſe. Hic idem Bertrandus omnia alia paterna bona ſua, Legatis, Donationibuſque immodicis, ſuò, ultimâ Julii die annô 1170. teſtamentô, exhauſit, magnô ſubſtitutionis gradualis damnô, quæ in Patris ejus Hugonis, in gratiam aliûs Bertrandi ejus fratris, Principia Auriaci, poſterorumque, Teſtamentu continetur: quod in cauſâ fuit cur Cæſar Fredericus I. has alienationes, Bertrandique Teſtamentum, cauſâ ab utriſque adverſariis dictâ, ſuis, menſe Auguſtô 1178. aureis Diplomatibus, infirmaverit. Tertiò, Regnum Arelatenſe, à Cæſare Frederico II. Diplomate 13. Januar. 1214. aliâ etiam 29. Septemb. ſeq. Bullâ, confirmatô, Wilelmo V. Principi Auriaco, Bertrandi I. filio, dono datum fuiſſe. Verum igitur non eſt, illud Raymundum Wilelmi nepotem, Carolo I. Provinciæ Comiti, D. Ludovici Regis Galliæ fratri, anno 1257. ceſſiſſe; cum conſtet hunc Comitem eo quod id ſibi juris comparâſſet, Raymundum adegiſſe, ut ſibi pro illo Regno, tanquam Imperii Cliente & Beneficiario, fidem & ſacramentum præſtaret. Quod tamen cum Actis 10. Septemb. 1257. non convenit, quibus omnia Jura, & Prærogativæ, cum Imperiales, tùm aliæ, Principi Auriaco, quieta & tuta præſtantur. Quartò, dilucidè etiam evincitur, Raymundum Bauxienſem, ejuſque Stephanettam uxorem, Gilberti Comitis filiam unicam, ſibi, ejuſdem Gilberti proprii ejus Domini obitu, Provinciam totam legitimô jure, eorumque Conradi Cæſaris in illam, 11. Auguſti 1146. introductione, comparâſſe. Ejus reverà ab illis poſſeſſio in controverſiam paulo poſt vocata eſt, à Raymundo Berengario II. *Juniore* cognominato, quem Barcinonis Comes, Rex Arragoniæ Patruus, vel Avunculus ejus tuebatur, qui Provinciam, vi ſubſtitutionis agnaticæ, quæ Teſtamento veteris Comitis Raymundi Berengarii, Dulcæque Gilberti utriuſque parentis continebatur, ſibi partam eſſe aſſerebat. Hæc controverſia Pactione 1. Septemb. 1150. Raymundum Berengarium inter, & Stephanettam tunc temporis viduam expedita eſt. Huic Stephanettæ tres fuerunt filii, qui Pactioni matris ſuæ, illam in ea læſam eſſe ſtatuentes, aſſentiri recuſârunt, viqque armorum Berengarium omni ferè Provinciâ ſpoliârunt. Quod Cæſaris Frederici II. Rechildis, uxoris Berengarii Junioris, Patrui vel Avunculi, interventioni anſam dedit: & ſic ex ejus auctoritate pax anno 1177. acta eſt. Tandem deficientibus maſculis Provincia quatuor, Raymundi Berengarii hujus nominis quinti, filiabus obtigit. Sic Principes Auriaci, Stephanettæ vicem gerentes, cum illis, aut cum earum poſteris Provinciam jure partiri poſſunt. Hi præterea Bauxin-Auriaci Principes ſoli ſuô Scutariô & Inſignibus, excluſis omnibus aliis Principibus, monetam cudere poterant, quâ in totius Provinciæ commercio uterentur. Eorum quoque erat, armis & vexillis paſſis in totam Regionem, quæ Alpibus, Iſerâ, Rhodanô & Mari continetur, juxta Prærogativas ſibi annis 1146. 1178. & 1214. conceſſas, iter facere.

Ut quod in articulo de Cabillono ſuprà inſerto, quod dictum eſt ad æquitatem exigatur: iis quæ de Clariſſima illa Familia dicta ſunt addendum, Anno 1237. Johannem Cabillonenſem Hugoni Burgundiæ Duci, ſuum Cabilloni ad Ararim Comitatum, permutatione Harlayenſis, Prædiorumque ipſi ſubjectorum, Baronatûs, dediſſe. Huic Baronatui 295. Clientes ſubjiciebantur, quos inter Neocomenſis Comes, cujus Principes Auriaci, à Stirpe Cabillonenſi oriundi, jura ſervârunt à Rodolpho Romanorum Rege Aprili 1298. Johanni Cabillonenſi hujus nominis ſecundi, de quo modo diximus, filio, conceſſa, poſtquam, ipſo annuente, Rollinus Neocomenſis Comes ſe iis abdicâſſet. Hoc idem jus Johannes in Stirpem Hœbergenſem transfudit, ſibi fide & ſacramentô, quæ præſtita ſunt, reſervatis. Ludovicus autem Neocomenſis Comes, ultimus familiæ Maſculus, Annô 1373. relictâ filiâ nomine Elizabethâ, obiit. Huic filia nata eſt, cui nomen Frena, Conrado II. Comiti Friburgenſi nupta, ex iis Conradus III. natus eſt. Hôc adminiſtrante & annuente, Senatus & Populus Neocomenſis menſe Auguſtô 1406. decrêrunt, ut, ſi abſque filio legitimo e vivis excederet, Comitatus ad Principem Auriacum, tunc Johannem Cabillonenſem I. pertineret. Paulo poſt Conrado e Maria Vergienſi uxore ſua, filius unicus natus eſt, Johannes nuncupatus, qui, ductâ Mariâ Cabillonenſi, Johannis I. Principis Auriaci filiâ, abſque liberis annô 1458. obiit. Omnia is bona ſua Rodolpho, Hœbergenſi Marchioni, conſobrino ſuo, Annæ Conradi III. Comitis Friburgenſis filiæ, marito cujus poſteri ſua jura in Familiam Longavillæam tranſmiſerunt, Teſtamentô legavit. Maria Conrado viro ſuo ſuperſtes, de omnibus bonis Teſtamento, in gratiam filii fratris Ludovici Cabillonenſis, Principis Auriaci, decrevit, quibus in bonis continebantur jura in Comitatum Neocomenſem reverſionis, quæ ejus Pater Johannes I. illi nuptiali pactione conceſſerat. Poſteà de illis Teſtamento ſuo annô 1466. ſtatuit Ludovicus in gratiam poſterorum ſuorum, qui id juris, quantum penes ipſos fuit, tuiti ſunt, quod tandem reſpectu Auriacæ Familiæ ſenſim evanuit, ab eo tempore quo hic Comitatus

in ſtirpem Aurelio-Longavillæam, quam hac in re turbantur Reges Ludovicus XI. & Carolus VIII. tranſmiſſus eſt. Inde originem duxit odium inter Johannem II. Principem Auriacum, & Comitem Dunnenſem, inclemens, quod odium Carolus VIII. & Anna Britannica ejus uxor quòdam modò menſe Decemb. 1491. temperârunt, quum jura quæ hic Princeps animo ſibi aſſerebat, amicè & placidè dijudicanda eſſe, decreviſſent. Quod tamen executioni mandatum non eſt, quia ab una parte, Johannes annò 1502. obiit; & ab altera, quòd Philibertus filius ejus Princeps Auriacus à partibus Cæſaris Caroli V. contra Galliam ſteterit; vel hoc quoque propter bella, imò hujus ſeculi, civilia, præſtitum non fuit. Quomodo hoc jus indeciſum ſuperfuit. Priuſquam finis imponatur, addamus, Delphinatum legitimò jure ad Beatricem Viennenſem Guidonis XIII. filiam unicam, Johannisque II. neptim, Hugoni Cabillonenſi Harlayenſi Domino nuptam, perveniſſe. Quod manifeſtò evincit Chorierium, ejuſque ſequaces deceptos fuiſſe, quum Delphinum Guidonem XIII. abſque liberis defunctum aſſeruerunt; vel ſubentes ignorârunt, ut iſtius Provinciæ jus Humberto ultimo tribuerent, eòque modò jus, quo illam Galliæ Regno annò 1341. dono dedit, ratum facerent. Conſultò quoque omiſſum eſt, Humbertum, Beatricem Amitam ſuam, Johannemque filium ſuum Harlayenſem Dominum in Delphinatu dementem, eos vi adegiſſe, ut quidquid in Delphinatu poſſiderent, æquè ac jus hæreditarium, ſibi cederent, ut duobus Actis Publicis, 10. Februarii 1334. & 20. Januarii 1344. evincitur; quod etiam ea Philippi Valeſii Galliæ Regis, ejuſque filii Johannis Normandiæ Ducis menſibus Junio & Julio 1349. renovatum eſt, dummodò ipſis aliquot in Delphinatu Baronatus, & quædam pecuniæ ſumma darentur; quibus Baronatibus nec Beatrix, nec filius ejus Johannes imò nec eorum poſteri unquam potiti ſunt, neutrique vel minorem iſtius ſummæ partem receperunt, ut ex plurimis Actis, quæ referre tædioſum eſſet, ab anno 1351. ad annum 1436. Ex quibus, Principes Auriaci jus antiquum ſuum ſibi vindicare poſſunt. Plin l. 3. c. 4. Pomp. Mela l. 2. *Paradinus, Belleforeſt Thuanus, Marca, Beſſius, Mezerayus &c. Joſephus & Gaſparus Piſani, Hiſtoria & Prærogativa Auriaca*, Catellus *Hiſtoria Tholozana & Linguadoc. Ducheſnius, Noſtradamus, Bouchaus, Ruffinus*, & Bomſius *Hiſt. Provinc.* Chorierus *Hiſtoriâ Delphinatûs*, Louvetus in *ſplendore Galliæ*, Caſtanus & Puteanus *Iurium Gallicorum in Diſquiſitione*, Sincerus *Itiner. Gall.* Sta Marthao *Hiſt. General. Galliæ, & Gallia Chriſtiana*, Lomenii *Itiner.* Molinæus & Bellius *in ſuis conſiliis*, Mauretius *in ſuis Commentariis &c.*

ARAVUS, fluv. Galliæ Belgicæ per Lotharingiam in Moſellam influens, de quo ſolus Auſonius ex veteribus agit, in ſua *Moſellana*. v. 367.

Naviger undiſonâ dudum me mole Saravus
Tota veſte vocat. --- ---

Ubi tamen aliæ editiones habent, *mole Saravus*. Et meliùs *Saravus* habent; *Sar*, qui cadit in Moſellam paulò ſupra Treverim. *Baudrand.*

ARAUZONA, Illyrici oppid. *Oſtrovica Nigro. Suonigra Simlero.*

ARAXA, Noachi filia, Britonis mater, qui originem, & nomen dedit Britonibus, uti fabulatur *Gildas*.

ARAXA, urbs Lyciæ. *Steph.* longitud. 60. 00. latitud. 56. 40.

ARAXÆ, vel ARAXI, populi Illyrici. *Steph.*

ARAXAJUS, fluv. Americæ meridional. in Braſilia & Præfectura Paraibæ. Cadit in fluv. Mongaguabam.

ARAXATES, apud *Ammianum* fluv. Sogdianæ; fortè Ὀρξάντης eſt, quem Arrianus *l. 5. extr. Tanaim* appellatum à Macedonibus narrat, auctore *Ariſtobulo*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 791. & infrà *Tanais*.

ARAXES, fluv. Theſſaliæ, idem qui Peneus. *Steph.*

ARAXES, Perſis *Araſ*, fluv. notiſſimus & ingens Armeniæ majoris, illam à Media Atropatia ſeparans, & in mare Hyrcanum influens. *Baudrandus* habet: Artaxatam rigat, & in mare Caſpium ſe exonerat, inter oſtia Cyri & Cambyſis fluv. Lucan. *l.* 1. v. 19.

Sub juga jam Seres, jam barbarus iſſet Araxes,

Idem *l.* 7. v. 188.

Armeniumque bibat Romanus Araxem.

Virg. *Æn. l.* 8. v. 728.

Et pontem indignatus Araxes.

Ubi alluſum volunt ad hiſtoriam Alexandri, qui, cùm vellet tranſgredi amnem hunc, ponte fabricato, inundans aqua pontem diruit. Iſidor. *l.* 13. *c.* 21. Poſteà verò Auguſtus firmiore ponte illum ligavit, ut ait *Servius*. Itaque hoc vates ad Auguſti gloriam. Servianum hoc firmat Statius, *l.* 1. *Silv.* 4. v. 79.

--- *Patiens Latii jam pontis Araxes.*

Alii ajunt, reſpectum ad hiſtoriam Xerxis, qui conatus eſt hunc fluv. pontibus conſcendere. Ad eaſdem hiſtorias Sidonius *Panegyr. Anthem. Auguſto*:

--- *non ut moles preſſus Araxes*
Impoſito ſub ponte fluat.

Et Claudian. *l.* 1. *Ruffin. ad finem*:

--- *Calcabitur aſper*
Phaſis equo, pontemque pati cogetur Araxes.

Ab eodem 4 *Conſul. Hon. impacatus* dicitur. Stat. *l.* 5. *Silv.* 2. v. 141. dat ei feritatem & exultantiam, cùm ait;

--- *Ferus exultabit Araxes.*

Dionyſ. Perieg.

--- Κελάδοντ᾽ Ἀράξην.

Hæc omnia non abeunt ab etymo hujus fluv. quod dictum ait *Euſtath.* Ἐκ τοῦ ἀράσσειν τῇ ὀξύτητι τοῦ ῥεύματος. Magnam autem hic fluv. Geographiæ obſcuritatem attulit, dum diverſis adeò locis deſcribitur. Aliqui ex Tauro, vel Caucaſo, Herodot. *l.* 6. ex montibus Matianis, qui ſunt in Media; Ariſtoteles *Meteorologicus*, ex Paropaniſo profluere ſcribunt. Hinc apparet, non uni fluvio nomen *Araxis* attributum fuiſſe. Primus qui illum deſcripſit, eſt *Herodotus*. Verùm ille per *Araxem* manifeſtè Oxum intelligit, cùm Maſſagetarum faciat terminum. Sed quomodo ex Matianis ium ortus montibus? Debuiſſet enim dicere, ex Paropaniſo, ut *Ariſtoteles*. Sanè Oxum, ante victorias Alexandri, à Græcis *Araxem* vocari, nullus dubito, cum ad orientale maris Caſpii latus illum deſcribant. Quod verò Mela, *l.* 3 *c.* 5. & alii Araxi aſcribunt, illud ipſum *Polybius* Oxo tribuit. *Dionyſius* quoque *Alexandrinus* Araxen Maſſagetarum facit terminum, ſed perperam ab Oxo diſtinguit. Jam verò quòd *Herodotus* ſcribit, Araxen 40. oſtia, ſive potius ἐκτροπὰς habere, illud neſcio an cuiquam fluvio in Caſpium cadenti; poſſit aſcribi, præterquam *Volgæ* vel *Rha* fluvio. Quod etiam *Ariſtoteles* ait, Tanaim profluere ea Araxe, & hoc quoque verum eſſe non poteſt, niſi per Araxen fluv. Rha ſive Volgam intelligamus. Hòc enim poſitò, jam commodam verba *Ariſtotelis* interpretationem admittunt, nempe, ut ea capiamus de foſſa illa, quæ hodie quoque comparet illic, ubi Volga Tanai proximus eſt, quæque utrumque hoc flumen committit. Neſcio quid Barbari foſſæ accolæ de hac narrent, interim non dubito, quin antiquiſſimus ſit canalis iſte, ac is ipſe, ut puto, cujus meminit aliquoties *Herodotus*, addens à ſervis Scytharum eſſe effoſſam. *Iſ. Voſſ. in Mela loc. cit.* Vide porrò de fluvio hoc Plin. *l.* 6. *c.* 9. Strab. *l.* 8.

ARAXES, alius Savoras, fluv. Meſopotamiæ, in Euphratem ſe exonerat. 80. milliar. infra Thapſacum.

ARAXUS, Peloponneſi promontor. *Ptol. Chiarenza Bardonio*; *Tornese Nigro.*

ARBA, vel SCARBONA, inſula & civitas Epiſcopalis Illyrici. Ptol. *l.* 2. *c.* 17. Plin. *l.* 3. *c.* 21. Vide *Arbe*.

ARBACE, civitas Celtiberiæ. *Steph.*

ARBACES, Medorum Rex primus, qui unà cum Belocho Babyloniæ Præfecto, factâ conjuratione bellum adverſus Sardanapalum inter fœminas deprehenſum, fecerunt, eumque vicerunt. Regnavit ann. 28. *Arbactus* Juſtino *l.* 1. *c.* 5. dicitur, *Oroſio Arbatus* Velleio *l.* 1. *c.* 6. mendosè *Pharnaces* pro *Arbaces*. Habuit ſucceſſores 9. ſub quibus Monarchia Medorum ſtetit ann. 317. Vide Petav. *Part.* 2. *l.* 2. *c.* 17. *Ration. Tempor. Nic. Lloydius.* Hæc ex Cteſia, Caſtor verò *in ſuo Canone* Ninum facit Sardanapali ſucceſſorem. *Arbacem Diodorus*. Nini cives in pagos diſtribuiſſe, urbem ſolò æquaviſſe, multa argenti aurique talenta in Ecbatana Medorum regiam tranſtuliſſe, & ſic Aſſyriorum Imperium ſubverſum fuiſſe, tradit, *l.* 2. quæ quidem à veritate prorſus aliena, & cum S. Literis repugnantia ſunt. Eò enim tempore Aſſyriaci nominis adhuc nulla, in Hebræorum hiſtoria memoria extat: Ninus urbs à Phraorte Medo demum tentata, à Cyaxare vero capta eſt: nec Ecbatana tum fuêre, utpote poſt 200 annos à Dejoce ſaltem condita. Quemadmodum & in Arbacis Succeſſorum ſerie Cteſiana plurima annotantur incerta. Unde Medorum epocham à Dejoce mavult arceſſere, Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec.* XVII. quem vide.

ARBACULA, vulgò AVILA, urbs Hiſpaniæ, in Caſtella. Vide *Abula*.

ARBANIUM, civitas juxta Pontum. *Steph.*

ARBAXANI, populi Liguriæ. *Steph.*

ARBE, ſeu ARBA, Inſul. eſt in Dalmatia & ora ſinus Flanatici, Venetis parens. *J. Lucius.*

ARBEA, vel ARBA, Judææ civitas, quæ & *Hebron*, & *Mamre*, Gen. *c.* 23. v. 2. Sic dicta, ut volunt, quia illic tres Patriarchæ ſepulti fuerunt, & quartus Adam.

ARBEIA, vulgò JERBEI ſeu JERBY, oppid. olim Albionis, nunc Angliæ pagus, in Cumbria.

ARBELA, plural. numeri Perſiæ civitas, ad Lycum fluv. ab *Arbelo* Athmonei filio dicta. *Steph.* Mallem ego cum doctiſſimo Gregorio noſtrate ab ארבל *Irbel* derivare, h. e. *Beli civitate*, qui proculdubio urbem iſtam fundavit. Hic ab Alexandro ac Dario, ob Orbis imperium, pugnabatur, Qu. Curtiò teſte. *l.* 5. *c.* 1. Arrianus autem *l.* 6. apud Gaugamela, pugnam iſtam ſtatuit, quocum conſentit *Plut.* Τὴν μεγάλην μάχην πρὸς Δαρεῖον, οὐκ ἐν Ἀρβήλοις, ὥσπερ οἱ πολλοὶ γράφουσιν, ἀλλ᾽ ἐν Γαυγαμήλοις γενέσθαι συνέπεσε. Nunc vix rudera ſuperſunt. Regio *Arbelitis*, Plin. *l.* 16. *c.* 13. longitud. 89. 00. latitud. 35. 52.

ARBELA, perantiqua Siciliæ urbs, Græcis ἡ Ἄρβηλα ſeu Ἀρβίλη. *Steph.* Ἄρβηλα, πόλις Σικελίας. *Suidas.* Ἀρβίλη πόλισμα Σικελικόν. Corruptè apud Sil. *l.* 14. v. 272. *Arabela* dicitur. Cives ejus ſtolidi erant & abjecti, ut proverbii ſint, teſte *Stephano*. Dicebatur enim: *Quid non ſis Arbelas profectus?* *Nic. Lloydius.*

ARBELLA, terminus Judææ, ortum Solis aſpiciens. Hieronym. *in Locis Hebraicis.* Eſt uſque hodie, inquit, vicus Arbel trans Jordanem, in finibus Pellæ civitatis Palæſtinæ. Eſt alius hôc vocabulo in campo prægrandi, diſtans ab oppido Legionis 9. mill. paſſ. Strabo *l.* 16.

ARBELUS, hominum primus, qui pro Deo habitus fuit, & Jupiter cognominatus, filius Nimrod. Cyrillus *l.* 3. *contra Julianum.*

ARBERGUM, vide *Arola Mons.*

ARBETIO, Conſul Roman. Mavortii Lolliani collega, uxoris literis, quas inconſideratius illa ſcripſit, in ſuſpicionem affectati Imperii ductus, interficitur ſub Conſtantino. Am. Marcellin. *l.* 15. *c.* 8.

ARBII, ſeu ARBIES, ſeu ARBITÆ, populi Indiæ finitimi, non procul ab Arianis, & Gedroſiis: ita dicti ab *Arbi* vicino fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 23. *Strabo. Steph.*

ARBIS, Gedroſiæ fluv. Indorum ab occaſu terminus. *Strab.* Plin. *l.* 7. *c.* 2. *l.* 9. *c.* 3. *Artabum Ammiano, Araphim Ptolemæo.*

Ber-

Berbero hodie *Nigro* vocatus. Alius urbs eſt, à quibuſdam *Biber* dicta. Unde

ARBITI, montes Gedroſiæ *Ptol. Barbitani Marcellino.*

ARBITRIUM, vide infrà *Compromiſſum*, *Diæta*, *Laudum*: ... de *Arbitri* & *Judicis* diſcrimine, haud protrita, apud Jac. Ouzelium *Animadverſion. ad Minucium Fel. p.* 23.

ARBIUS, mons Cretæ, & montis incola ſimiliter. Ab hoc monte Jupiter *Arbius* cognominatus eſt, quòd ibi ſit educatus. *Steph.*

ARBOCALA, urbs, quam Hannibal adverſus Romanos proficiſcens cepit. Plut. *in Hannibale.*

ARBOGASTUS, à Theodoſio Imperatore in Gallias, contra Victorem, Maximi fil. miſſus, illô occiſô, Dux exercituum factus eſt. Poſtmodum Valentiniani Imperatoris favore abuſus, Sunnonem & Marcomirum, Gallorum Principes bellô perſecutus eſt, ſed infelici ſucceſſu. Hinc cùm gratiâ excidiſſet, prævenire Imperatorem conſtituit, qui etiam paulo pòſt in lectulo ſuo, Viennæ Delphinatum, ſtrangulatus inventus eſt, ipſis vigiliis Pentecoſtes. Quo ſublatô, cùm parricida Eugenium ad Imperium evexiſſet, mox à Theodoſio victum, rebus deſperatis, ſui ipſius carnifex evaſit. A. C. 394. Zoſim. *l.* 4. & 7. Socr. *l.* 5. *c.* 14. & 24. Epiph. *de pond. & menſ.* Procop. *l.* 1. P. Diac. Pacatus, *in Paneg. Theodoſii*, Gregor. Turonenſ. *l.* 2. *c.* 9.

ARBOGIA, vulgo ARBO, ad fluv. cognominem urbs Sueciæ, in Weſtmannia provinc. Suecis *Arbogen*. Paucis conſtat incolis, & ſita eſt in confinio Sudermanniæ, 3. leuc. ab Aroſia, in Occaſum & 4. ab Orebroa, in Ortum.

ARBON, civitas Illyriæ. *Steph.*

ARBONA, montis nomen. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Ptol. Abnoban* vocat.

ARBOR, inter Numina Idololatrarum. Cujuſmodi cultum antiquiſſimum fuiſſe, arguit Judaica ſuperſtitio, à Cananæis veterib. hauſta & ad gentes poſtmodum alias illata. Hinc Hoſeæ *c.* 4. *v.* 13. *Super capita montium ſacrificabant & ſuper colles, accendebant thymiama, ſubtus quercum & populum & terebinthum, quia magna erat umbra ejus.* Et de quercu pariter Ezechiel, *c.* 6. *v.* 13. *Cùm fuerint interfecti veſtri, in medio Idolorum veſtrorum, in circuitu ararum veſtrarum, in omni colle excelſo — ſubtus omne lignum nemoroſum & ſubtus univerſam quercum frondoſam, locum ubi accenderunt thura redolentia univerſis idolis ſuis.* Initia tamen hujus rei ſancta fuerunt. Angelo enim Domini, ſeu potius ipſi Domino, offert ſacrum ſub *quercu* Gedeon, Judic. *c.* 6. *v.* 19. Et Gen. *c.* 21. *v.* 33. *Abraham plantabat* arbores *& prædicabat ibi.* Poſtmodum verò uſus abuſu contaminatus eſt, uti vidimus, & inſuper apud Jeremiam legere eſt *c.* 17. *v.* 2. Lege hinc divinâ vetitæ ſunt *arbores plantari juxta Altaria*, Deuter. *c.* 16. *v.* 21. *Non plantabis lucum & omnem* arborem *juxta altare Domini Dei tui.* Contra quam tamen Judæi adeò turpiter inſanierunt, ut etiam everſâ Republ. furorem hunc furere non deſierint. Ita Juvenalis capiendus *Sat.* 6. *v.* 543.

Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna Sacerdos
Arboris, *ac ſummi fida internuncia cœli.*

Quem locum parùm eruditè vetus aliique Interpretes acceperunt. Totenim Judaica in eo ſunt myſteria, quot ferè verba, &c. De aliis gentibus, vide Plin. *l.* 12. *c.* 1. Tacitum *German. Max. Tyrium*, & hic paſſim. Colebant verò etiam ſæpe *Arborem*, qualis illa platanus Theocriti & quercus Druidarum. Ad quas hoſtias humanas, quæ plerumque alienigenæ, immolabant. Imò hodieque in Aſiana Sarmatia, *Arbores* coli itidem apud alios penitioris Barbariæ populos, pro comperto habetur, Freinſhemius *Not. ad Curtium l.* 8. *c.* 9. Sed & Numina culta dedicatis *Arboribus*, quibus ſuſpenſa ornamenta omnium rerum, quæ grata cuique credebat ſuperſtitio, notum: Sic Cereri ſacra erat *Laurus*, uti habet Claudian. *de Raptu Proſerp. l.* 3. *v.* 73.

—— lucô dilectior omni
Laurus, virgineos alim quæ fronde pudicâ
Umbrabat thalamos

Eidem *Quercus*, ornata vittis, tabellis, ſertis, apud Ovid. *l.* 8. *Met. v.* 742.

—— Lucos ferrô temerare vetuſtos.
Stabat in his ingens annoſô robore quercus
Unanemus: Vittæ mediam, memoreſque tabellæ,
Sertaque cingebant voti monumenta potentis.

Ut alia omittam. Vide C. Barthium *ad Stat. l.* 2. & 9. & hic paſſim, inprimis in voce *Excelſa*, item *Lucus*, nec non *Pauſata arbor* ac *Sacrivæ Arbores*, uti de *Arborum primitiis*, voce *Primitiæ*. Adde quæ de Veter. *Tropæis Tumuliſque* item de more recentes natos infantes, Nominaque eorum *Arboribus* appendendi, inſcribendique diximus lemmate, *Virga Natalitia*; de alio Ægypti Regum priſcorum, quàndoque ignem quandoque *Arborem* aut redolentia unguenta majeſtati conciliandæ, ſuper caput geſtandi, ubi de *Ungendi ritu*; de alio Venatorum circa *Arboris truncum* ſe circumagendi, cum uros venantur, voce *Zubron*.

ARBOR Felix, in *Itinerar.* Antonini. *German. Arbon*, vetus oppid ad lacum Acronium; in quo præſidium Romanum fuiſſe, tempore Gratiani ex Helvetia in Pannoniam euntis, memorat Ammianus. *Liber Notit.* in eo Tribunum cohortis Herculiæ ex Pannonia fuiſſe docet. Dictam à maxima ſoli fertilitate. *Arbona Walafrido* & *Raperta*. Arcem habet antiquiſſimam, D. Galli morte nobilitatam, ut vult Vadianus in *Mel. l.* 3. Epiſcopo paret Conſtantienſi, qui ibi præfectum habet, ſie tamen, ut Cives præterea Ammanum & Senatum legant: qui A. C. 1454. fœdere cum Sangallenſibus initô, ad jus civitatis illius admiſſi ſunt. Habent & Helvetii aliquid in hoc oppido juris: eorum enim uſibus belli tempore arx prædicta inſervit, civeſque iiſdem militant. In Turgea eſt provinc. Vide Munſter. Stumpf. *Chron. l.* 5. *c.* 9. it. B. Rhenanum *Rer. Germanic. l.* 3. *cum Not.* Cl. Othonis longitud. 32. 15. latitud. 47. 20

ARBOR Finalis, apud Siculum Flaccum *de Condition. agror.* aliiſque, inter agrorum terminos recenſetur, unde ei nomen: *Terminales* has arbores vocat Imperat in §. 6. *Inſtitut. de Offic. Jud.* quæ quod inciſuris aut notis in trunci cortice inciſis notabantur, hinc *Notata* quoque dictæ ſunt eidem *Flacco*; & *Inciſa*, in *Tabularia* Vindocin. Chart. 470. A. C. 1091. Notas autem hujuſmodi ſeu inciſuras *Decurias* vocat Papinianus *tit.* 39. *lib. Reſp.* quòd in decuſſem efficitæ eſſent, ut & *L.* Bajuvar. *tit.* 11. *c.* 3. §. 2. *L.* Wiſigoth. *l.* 8. *tit.* 6. §. 1. *l.* 1. *tit.* 3. §. 3 *Theclaturas*, *L.* Longob. *l.* 1. *tit.* 26. §. 5. *Charta* Deſiderii Regis in Bullario Caſin. *Tom.* 2. *p.* 14. *Et deinde per ipſa via percurrente per arbores teclatos habentes literas Omega; &c.* Vide infrà, in voce *Teclatura*. Interdum notarum locô, clavi in arborum truncis figebantur, unde illæ *Clavata* dictæ, apud Gromaticum Arcerianum. Aut eædem *Signatæ* appellantur, in *L.* Salica *tit.* 29 §. 29. Vide apud Car. du Freſne *Gloſſar* & hic infrà.

ARBOR Majalis, vide infrà *Majus*.

ARBOR Metallorum, in *Muſæo Kircheriano*. Ludit mirificè ars in rerum natura, conterit & ad minima redigit quævis metalla, quæ mirâ fermentatione fœta, ac vitreo vaſi incluſa paulatim fermentationis incrementum percipiunt, atque in gratam arborem ſe hinc inde in vitreo vaſe dilatantem excreſcentemque extendunt. Talis arbor *argentea*, in Muſæo illo. Vide Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Muſæo*, *p.* 46. ut & infrà *Metallica planta*.

ARBOR Sylva. Curtius *l.* 9. *c.* 1. *Sylva erant* (in interioribus Indiæ) *prope in immenſum ſpatium diffuſa, procerisque & in eximiam altitudinem editis arboribus umbroſa, pleraque rami inſtar ingentium ſtipitum flexi in humum, rurſus, qua ſe curvaverant, erigebantur adeo, ut ſpecies eſſet non rami reſurgentis, ſed arboris ex ſua radice generatæ.* De cujuſmodi arboribus multa & mira reperias, apud Goropium in *Indoſcythicis p.* 485. qui ficum, ex qua Adam decerpſerit, exitii ſibi generique humano malum fuiſſe putat. Iconiſmum habes apud Car. Cluſium, *Not. in Garcia Hiſtor. Arom.* ubi interdum octingentos, aut mille viros, imò terna etiam hominum millia, ſub tali arbore latere poſſe, ex Fabricii Mordenis Salernitani relatione narrat. Vide quoque Strabonem *l.* 15. Plinium *l.* 7. *c.* 2. *l.* 12. *c.* 5. Theophraſtum *de Plantis l.* 4. *c.* 5. & infrà voce Ficus. Ut verò Indicæ iſtæ arbores ſuâ ſponte rurſus tellurem ſubeunt: ſic arte & curâ effecêre Hunni, ut arbuſtis variè implicantibus frondes intra eorum regio in ſepis modum; quam *Hagam* ſeu *Hegia* dixiſſe infra videbimus, cingeretur, cujus generis apud Curtium quoque *l.* 6. *c.* 5. Mardorum munitio occurrit. Atque hi quidem ſecuritatis id causâ fecerunt. At voluptatis. *Valentia in Hiſpania horti non tantum teriis conſiti, ſed etiam citreis parietibus virente materiâ concluſi ſunt, ut dubites, hortine ſint, an ædes? ſunt enim parietes ex truncis citreorum confecti; & tamen frondibus veſtiti, ut perſpici introrſum nequeat, nedum intrari*, Valla *Hiſtor. l.* 3. quibus ultimis verbis videtur reſpexiſſe Cæſarem *de Bell. Gall. l.* 2. *c.* 17. ubi de Nerviis, qui *teneris arboribus inciſis atque inflexis, crebriſque in latitudinem ramis enatis & rubis ſentibuſque interjectis effecerant, ut inſtar muri hæ ſepes munimenta præberent. quò modò non intrari, ſed ne perſpici quidem poſſet*; apud Freinſhemium *ad Curtium c.* 1. *dict. l.* 9

ARBOREA, Sardiniæ urbs Archiepiſcopalis in ora occidua, à litore 6. mill. paſſ. diſtans, inter Saſſarim & Calarim ad merid. 60. mill paſſ. circiter; à Boſa 30. in Auſtrum; ægrè ob aeris inclementiam habitata, vulgo *Oriſtagni*. Habuit Dominos ſeu Iudices, uti dicebantur, aliàs valde notos, cùm Inſula in Aragonum devenit poteſtatem. Portu gaudet capaci, ad oſtia ferè fluv. *Iriſi*. Expugnata fuit A. C. 1639. à Gallis, Duce Harcurtiô; & ab ipſis *l'Oriſtan* vocatus. Vix 45. milliar. diſtat à Calari. Ei adjacet ſinus Arborenſis; vulgò *Golfo d'Oriſtagni*: & urbs olim *Uſellis* dicta fuit. Quod vide. Longitud. 32. 50. latitud. 38. 08.

ARBORES Frugiferæ, in hoſtico non ſuccidendæ; ex Lege, Deuter. *c.* 20. *v.* 19. velut oliva, palma, pomum. Fructus licitè comedebatur; *arbore*, ut in humanos uſus fructum poſtea iidem ferret, ſervandâ. At ſi arbor omnino ſterilis eſſet, aut ſi fructum ferret plerumque nocivum aut inutilem, aut adeò intempeſtivum ſeu inopem ut culturæ labores neutiquam compenſaret, aut arboribus vicinis, agrove, in quo ſata eſt, eſſet detrimento, aut pretiô eximiô venundari poſſet ejus materies, ex Majorum dictæ Legis interpretatione, etiam in qualeſcunque uſus bellicos excidere ſeu radicibus evellere licuit. Neque verò militi ſolùm, in obſidione occupato id prohibitum, ſed ſimile interdictum civibus etiam cæteris, ex Majorum interpretatione, inculcatum: adeo ut nemini in toto Regno Iſraelitico impunè liceret *arborem frugiferam* cædere, דרך השחית, *ita ut inde corrumperetur aut periret*. Idem interdictum ad eos quoque extenſum, qui, aquas inhibendo, arbores frugiferas areſacerent aliôve modô infœcundas ultro redderent. Atque ex notiſſimo hoc apud Ebræos, in ipſis Juris ſui capitibus, arborum diſcrimine, ortum fortè eſt quod in Evangelio, de hujuſmodi arboribus atque eorum fructu, iiſque quæ bonum non ferrent, ſuccidendis, velut parœmia cuivis obvia, toties occurrit, &c. Vide Joh. Seldenum *de Jure Natur. & Gent. juxta Diſciplin. Ebræor. l.* 6. *c.* 15. Simile quid de Ægyptiis, Oſiridis cultoribus, legitur apud Plutarchum *de Iſide*, ubi iis interdictum, δένδρον ἥμερον ἀπολλύναι, *arborem hortenſem perdere*, ait.

ARBORES Fulguritæ, dictæ ſunt fulmine percuſſæ. *Fulgurare* enim nomine medium Latinitatis ævum fulmen indigitavit, imo & antiquior ætas:

—— qui publica fulgura condit.

In ceremonia inprimis condendorum fulgurum, *Fulgura*, magis dici ſolita, quàm fulmina, Plinius *l.* 16. *c.* 17. tradit. Non autem condebantur, niſi arâ extructâ, & ſacrô factô, ut infrà dicemus.

ARBORES Infelices, quarum mentio in veteri illa horrendi carminis Lege, *caput obnubito, infelici arbore ſuſpendito*, &c habitæ ſunt olim omnes, quæ fructum nigrum aut nigram baccam ferunt. Tarquitius Priſcus *in oſtentario Arborario: Ficum atrum, quæque baccam nigram nigroſque fructus ferunt, itemque aquifolium, pyrum ſylvaticum, ruſcum, rubum*, &c. Item quæ ſpinis infeſta gerunt folia vel ramos, quemadmodum pyrum ſylvaticum idem inter eas memorat, qui totus ſpinulentis faſtigiis eſt armatus: uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 525. & 962. quas iidem portenta & prodigia comburi conſueviſſe, ait *p.* 270. Vide quoque infrà *Infelix*.

ARBORES Inſitivæ, vide infrà *Inſitiva*.

ARBORES Laniferæ, vide infrà *Byſſus*, *Cucurbita*, *Lanugo*.

ARBORES Sacrivi, vide infra in *Sacrivi*.

ARBORES Terminales, ſicut hodieque apud Perſas, ita olim agros, velut & lapides, terminabant, frequentius tamen lapis Terminus erat. Reperiuntur *Arbores Terminales* apud Paulum JCtum & indiſcretè *Arbores lapideſve Terminales* dixêre JCti *legg.* 1. 3. *ff. de Term. moto.* Hinc Ovid. *l.* 2. *Faſt. v.* 641.

Termine, ſive lapis, ſive es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque Numen habes.

Et ex ejus imitatione Tibullus *l.* 1. *El.* 1. *v.* 11.

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florida ſerta lapis.

Vide ſupra *Arbor finalis*, & infrà *Terminus*.

ARBOREUS Johannes, vidê *Johannes Arboreus*.

ARBORICHÆ, Galliæ Belgicæ inſulæ vulgò *Zeelande*, contra oſtia Scaldis, numero 7. Prima, *Scaldia*, vulgò *Schowen*, à Scaldi fluv. effecta, in qua Syriſlæa oppid. Secunda, *Duvelandia*, in qua oppid. nullum, pagi, & villæ aliquot. Tertia, *Tola*, in qua oppid. ejuſdem nominis, cum Fano S. Martini oppidulo. Quarta *Valacria*, vulgò *Walkeren*, in qua Metelburgum, vulgò *Middelburgh*, urbs Epiſcopalis olim ſub Archiepiſcopo Machlinenſi, oppida verò tria ſcil. *Vera*, quæ & *Campoſtera*, vulgò *Canfera*, *Veer* ad ortum, *Vliſſinga*, vulgò *Fluſhing* ad ortum, denique *Ramua*, vulgò *Armuyden*, portus celeberrimus. Quinta, *Zuidbevelandia*, in qua oppida 2. *Romerſvalla* vulgò *Romerſwall*, à Berga ad Somam urbe Brabanticâ 1. leuc. recedens; & *Goa*, ſive *Tergoa*, vulgò *Goes*, & *Tergoes* in ora adverſa. Sexta, *Northevelandia*, cujus oppid. *Corchiena* è regione Veræ aquis abſorptum eſt. Septima, *Wolſerdicum*, in qua nullum oppidum reperitur. Alii hic fuiſſe Toxandros ajunt; *Ortelius* Maſſiacos. Inter Antverpiam & Molam, in medio Brabantiæ *Arboricbas* locant, *Bertius* & alii. Vide *Valeſium*

ARBOROSA, urbs Galliæ in comitatu Burgundiæ, ad amnem Lauſtinani. *Arboſium* Ammiano *l.* 16. Victor Giſelinus; vulgò *Arbois*, vinô celebris. longitud. 27. 35. latitud. 46. 15.

ARBORIS in Candelabris majoribus Ædium ſacrarum, in Eccleſia Latina imago. Bernardus de *Vita & moribus Religioſ. c.* 25. *Cernimus & pro candelabris* Arbores *quaſdam erectas, multò æris pondere, miro artificis opere fabricatas, nec magis coruſcantes ſuperpoſitis lucernis quam gemmis*. Nempe candelabra iſtiuſmodi, multis inſtructa luminibus, è terra ſurgunt, arborum inſtar, unde & *Arbores* dicuntur. Paulus Silentiarius de candelabris iſtiuſmodi.

Κῶνα γὰρ ἑ[illegible] ἀρχιγενέθλια [illegible]
Δενδρεά [illegible].
Illa enim aut pinubus in montibus nutritis ſimilia,
Arbores quis vocet.

Et *v.* 473.

Καὶ [illegible] χορευτῆρος τε δενδρα[illegible],
Δένδρεα [illegible], [illegible] ἰάνει.
Et aliquis ver coronæ chorcaque ſpectans
Arbores *fulgentes, triſtem animum permulcet*, &c.

apud Car. du Freſne *Gloſſar*.

ARBORIS, in Duello, uſus memoratur in *Speculo Saxon. l.* 1. *artic* 36. §. 6. & Wichbild Magdeburg. ubi duelli formam deſcribunt: *Cuilibet eorum* (duello contendentium) *Judex unum, qui arborem ſub Phalangam ejus ferat, ordinabit, qui ferentes neminem eorum ullatenus impediunt. Sed ſi eorum quis ceciderit, vel fuerit vulneratus, arborem petierit, & judex hoc licentiaverit*, arborem *interponant: poſtquam circulo pax eſt nuntiata.*

ARBORUM Ordines recti, *viæ dictæ* Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 284.

Omnia ſint paribus numeris dimenſa viarum.

Et ſuprà, *v.* 278.

---- ---- *Omnis in unguem*
Arboribus poſitis ſecto via limite quadret.

Xenophonti, ὀρθοὶ ὄρχοι τῶν δενδρων [illegible]: *Ciceroni* illum locum vertenti, *Directi in quincuncem ordines*. Quid autem quincunx ſit, infrà vide. Eôdem omnino modô in delineatione ac deſcriptione urbium condendarum, quæ in ſolo areæ formabatur, ſectio viarum & directio præcipuè ſpectata, quam Græci *ῥυμοτομίαν* dixêre; ut videl. omnia rectis ordinibus dimenſa eſſent. Quâ parte cùm laboraret Athenarum urbs, inde *κακῶς ἐῤῥυμοτομημένη* dicta eſt Dicæarcho. Salmaſ. *ad Solin. p.* 821. Vide infrà in voce *Ruga*.

ARBOSIUM, locus Burgundiæ Comitatenſis, vinô ſuô nobilis. Vulgo *Arbois*.

ARBRISSELLUS Robertus, vide *Robertus*.

ARBUCALE, civitas maxima intra Iberum, quam Annibal ægrè obtinuit. *Steph.*

ARBURGUM, oppid. in Helvetia, cum caſtro munitiſſimo ad Arolam fluv. in Bernenſi pago. 2. leucis Germanic. à Soloduro in ortum 4. autem à Tiguro, in occaſum. Dicitur etiam *Arelaburgum*.

ARBUSCULA, mulier cula mima, quæ cùm à populo exploderetur, ab equite autem laudaretur, contentam ſe eſſe dixit bonorum teſtimoniô. Horat. *l.* 1. *Sat. ult. v.* 76.

---- *Nam ſatis eſt equitem mihi plaudere, ut audax*
Contemptis aliis exploſa Arbuſcula dixit.

Item nomen pellicis, quæ floruit cum Origine & Cytheride meretricibus.

ARBUZIA Margarita, vide *Margarita*.

ARCA Syriæ Cœles urbs. Joſeph. *Ant. Jud l.* 5. longitud. 68. 20. latitud. 34. 00. Ejuſdem meminit Plin. *l.* 7. *c.* 18. de Urbibus Syriæ Decapolitanæ, *Intercurſant cinguntque has urbes tetrarchia, regionum inſtar ſingula & in regna contribuuntur, Trachonitis, Paneas, in qua Cæſarea* ---- *Abila, Arca, Ampeloëſſa, Gabe.* Ubi *Arcam*, ut & reliquas urbes, regionum inſtar fuiſſe ſingulas & 10 Regna, ſub *Tetrarchiarum* nomine, contributas notat. E quibus *Ptol. Arcam* & Cæſaream Phœniciæ tribuit, ut obſervat Salmaſ. *ad Solin. p.* 576.

ARCA, vulgò ARQUES, vicus Galliæ in Normannia, 2 leuc. à Diepa in Auſtrum, prælió ſub Henrico M. celebris, ad amnem cognominem.

ARCA, fluv. Sabaudiæ, Maurianam vallem præterfluens, inque *Iſaram* ſe exonerans. Oritur ex Alpibus.

ARCA, apud Romanos, Diſpenſatori, ut ex ea erogaret, credita eſt Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 89.

---- *Neque enim loculis comitantibus itur*
Ad caſum tabulæ, poſita ſed luditur Arcâ.
Prælia quanta illic Diſpenſatore videbis
Armigero?

Imò adeò indiſcreta *Arca* ac Diſpenſatoris ratio fuit, ut Fabius major *Declam.* 145. conjunctim retulerit: *Ad ſummum, inquiens, in Republ. noſtra honorem, non animus, non virtus, non manus mittit, ſed* Arca *& Diſpenſator*. Ideoque Diſpenſator *Arcarius* & vice verſâ *Arcarius* Diſpenſator appellatus eſt, Turneb. *l.* 18 *c.* 5. Meminit *Arcarii* Scævola *leg.* 41. *ff. de fideicomm.* & Chryſologus *Serm.* 23. Eraſtus autem ille, quem *Arcarium Corinthi* vocat Interpres D. Pauli ad Roman. c. 16. *v.* 23. Græcè Οἰκονόμος eſt: ad cujus analogiam *Arcarius*, qui Romano olim Pontifici divina myſteria celebranti aderat, præerat tributis: ut & *Arcarius Præfectorum* Caſſiodoro *l.* 1. *Ep.* 10. qui & *Arca arbiter*. Cæterùm concinnè admodum Juvenalis loculos *Arcæ* oppoſuit: hæc enim, ſive ærata, Juvenal. *Sat.* 14. *v.* 259. ſive ferrata, *Sat* 11. *v.* 26. ſtataria fuit, loculi verò mobiles ac geſtatorii, quos videtur tractâſſe quiſpiam è grege miniſtrorum, vide Pignorium de *Servis*, & infrà *Cofferarius*, ac *Diſpenſatores*: ut de *Arca communi* Collegiorum ſeu Sodalitatum, apud Romanos Græcoſque, aliquid infrà voce *Opifices*, it. de *Arca & Scutella*, duplici pauperum apud Hebræos ſubſidio, quarum illi Chriſtianorum *[illegible]*, Chryſoſtomo memoratum reſpondebat, infrà voce, *pauperes*, it. ubi de *viginti triumvirali Synedrio*.

ARCA, cuſtodiæ genus, apud Romanos, clauſæ & anguſtæ, in qua detineri ſolebant, qui ulteriori examini erant deſtinati. Cicero *pro Milone*, *Subitò abrepti in quæſtionem, tamen ſeparantur à cæteris & in* Arcas *conjiciuntur, ne quis cum his colloqui poſſit.* Vide quoque infrà *mala manſio*.

ARCA Cæſarea, vide in voce *Arcena*.

ARCA Eleemoſynaria, vide ſuprà.

ARCA Fœderis ſeu *Teſtimonii*, Hebr. ארון, Iſraëlitarum velut Palladium, ac præſentis inter ipſos Dei certiſſimum pignus, in Adyto ſeu interiori Sanctuarii thalamo collocata, confecta erat è ligno *Zittim* ſeu cedro, Exod. *c.* 25. *v.* 10 atque intus & extra aurô fuit obducta: Longitudine 2. cubitorum & ſemiſſis, latitudine & altitudine unius cum dimidio, Exod *c.* 25. *v.* 10. — 16. Ambiebatur coronâ ſeu limbô aureô: quatuorque annulos aureos habebat ad latera, ex quibus vectes duo ex eadem cedro, pariter deaurati, prominebant, et geſtandæ: quod Sacerdotum Kehatitarum miniſterium fuit, additis nonnunquam Levitis & multâ cum religione peragebatur. In *Arca* continebantur ſolæ *Legis Tabulæ*, de novo à Moſe edolatæ: coram ea repoſitum erat *Volumen Legis*, de quo Deuteron. *c.* 31. *v.* 26. *Urna Mannæ & Virga Aaronis*, ad utrumque latus erant diſpoſitæ, Exod. *c.* 16. *v.* 33. 34. Numer. *c.* 17. *v.* 10. Porrò *Arcam* tegebat *Propitiatorium*, pari cum ea longitudine ac latitudine, è ſolido auro: ſuſtinens duos Cherubinos frontibus adverſis *Arcam* deſpectantes, inter quos ſedes ac thronus Dei erat; qui locum ipſum gloriâ implebat, cujus externum ſymbolum *Nubes ac Ignis* fuit. Propria namque Numinis ſedes locus erat illi ſupra *Arcam*, quem Cherubinorum alæ amplexu ſuô incingebant, quemque nubes illa, anguſtum in modum, medium adimplebat, Levit. *c.* 16. *v.* 2. Pſalm. 99. *v.* 1. &c. Atque hac, viſibili ſignô præſens erat Deus, inde petentibus fundens reſponſa, Exod. *c.* 25. *v.* 22. eaque fuit illa שכינה ſeu *glorioſa Dei in terris habitatio*, quam Judæi adeò celebrant. Quæ omnia quid ſignificârint, conſule Theologos, Franc. imprimis Burmannum *Synopſ. Theol. Tom. I. l.* 4. *c.* 14. In ſecundo Templo *Arcam* defuiſſe ipſi Judæi fatentur, & inter quinque res, quæ in eo deſiderint, eam quoque numerant: quam à Joſia vel Jeremia fabulantur abſconditam; cùm in Templi excidio periiſſe verius ſit. Quod Deus, tum ob peccata populi, tum, ut gradibus quibuſdam ceremonias aboleret; denique, ut ſub iſta domo venturum Eum ſignificaret, qui omne *Arcæ* myſterium impleturus foret, ſapientiſſimô conſiliô fieri permiſit. Tempore autem Meſſiæ, cum aliis rebus ſacris, eam reſtituendam iidem ſuaviter ſomniant, repugnante Jeremiâ *c.* 3. *v* 16. 17. Idem *ibid.* De Appenſis utrinque huic *Arcæ* donariis Philiſtæorum, vide infrà in *Riſcus*. Ab illa autem diverſam fuiſſe *Arcam*, in qua Pectorale cum Urim & Thummim conſervabatur, quæ ipſa etiam *Arca Dei* appellatur in Sacris, videbimus infrà ubi de *Sanctuario*.

ARCA ſeu ARCULA Libraria, quæ puerum diſcentem ſequebatur. Vide infrà *Capſa*.

ARCA Minervæ, vide infrà *Minerva arca*

ARCA Mortualis indigitatur *Petronio*, *Jubet mariti ſui corpus tolli ex arca atque illi, qua vacabat, cruci affigi*: in *Gloſſis* σορός. i. e. *Sarcophagus*, aliter Græcis ληνός, item πύελος, quæ voces ſynonymæ ſunt. Fiebant illæ primùm ex lapide Sarcophago, de quo infra dicemus; inde & ex alia materia. Sic ex cheramite lapide, Darii: ex Porphyretico marmore, Domitiorum, apud Plin. *l.* 36. *c.* 17. & Sueton. *in Neron. c.* 50. fuêre. Fictilium meminit idem Plinius *l.* 35. *c.* 12. Habebantque alvei formam, unde *Solia* Latinis quoque dictæ: Capiebant namque totum cadaver, quàm longum erat; unde Græcis in uſu, qui cadavera non cremabant. Sed & Romani in *arcis* ad rogum cadavera deferebant, non tamen omnium. Honeſtiores enim efferebantur in lectis, qui farciebantur papyrô, ſcirpô, & aliâ omni materiâ combuſtibili, multiſque etiam odoribus differtô, & pyræ una cum corpore cremabantur: Propert. *l.* 4. *El.* 7. *v.* 30.

Juſſiſſes lectum lentius ire mecum.

At tenuiores & plebeji, in *Arca* lignea vel ligneo ſarcophago efferebantur, ex paucis tabulis compacto, qui unà cum cadavere ibidem eâdem uſtrinâ comburebatur. De cujuſmodi *arca*, quam propriè *ſandapilam* Latini vocant, intelligendi, Horat. *l.* 1. *Sat.* 8. *v.* 8.

Huc prius anguſtis ejecta cadavera cellis
Conſervus vili portanda locabat in arca.

Et Lucan. *l.* 8. *v.* 736.

Da vilem Magno plebeji muneris arcam.

Unde tales arcæ Græcis σωματοθήκη, & σωματοθηκαῖα ἀγγεῖα quoque dictæ. Ab his vero longè diverſæ ſepulchrales *Arcæ*, in quibus divites condebantur. Poſt uſtrinam enim cadaveris, reliquiæ ac cineres collecti, in urnam aut ollam mittebantur, & terrâ obruebantur ac humabantur; aut intra *arcam* vel monumentum reponebantur, ſi qui gentilia haberent monumenta. Quô ſenſu propriè *Arca* eſt monumentum ex lapide in modum arcæ ſtructum. Senec. *Ep.* 86. *In ipſa Scipionis Africani villa jacens hæc tibi ſcribo, adoratis manibus ejus & arcâ, quam ſepulchrum eſſe tanti viri ſuſpicor.* Ubi *Arca* monumentum eſt, quales in finibus agrorum extruebantur, quas pro terminis obſervabant. Eæ enim arcæ finales ut plurimum ſepulchrales erant, aliquando tamen ad finiendos tantum agros ponebantur. Hinc Seneca ſuſpicari tantum ſe dicit, Arcam illam in villa Scipionis, ſepulchrum ejus eſſe. Utriuſque arcæ iconem habes apud Salmaſ. *ad Solin.* & quidem finales quadratæ & ſupra apertæ erant; eædem, ſi pro ſepulchris quoque conſecrarentur, arcuatô tectô concamerabantur. Ab his iterum diverſæ arcæ, in quibus ſequiore ævô apud Romanos quoque condita cadavera monumentis illis hypogæis inſerebantur: illæ ex multis lapidibus conſtructæ, hæ ex uno cavatæ erant, & propriè πύελοι Græcis dicebantur. De quo *Arcarum* genere ſonat vetus *Inſcr.* NE QUIS NOS INQUIETET EX ARCA NOSTRA NEQUE ABANTE ALIAM PONAT AUT COMMUTET. Et altera, quæ Veronæ extat in Sarcophago marmoreo:

P. JULIUS APOLLONIUS SIBI ET
ATTIÆ VALERIÆ CONJUGI OB-
SEQUENTISSIMÆ VIVUS PARA-
VIT. EJUSQUE CORP. IN ARCA
CONDIDIT ET LOCUM SERVIO
DEDICAVIT.

Transferri poterant hæ arcæ & locò moveri, ut videre eſt, apud Marcianum *Inſtitut. l.* 3. & Cajum, utrumque *l. Divi ff. de relig. & ſumpt. fun.* Nec plura corpora recipiebant; à ſepulchris proin ſeu monumentis, quæ plurium arcarum capacia, diſtinguendæ. Singula namque corpora in ſuis arcis erant ſita, ac ſepulta; omnes verò arcæ, intra unum Monumentum, ſeu generalem *Sinum* omnium in eadem familia defunctorum, receptæ ac conditæ: tum apud Græcos, tum apud Romanos. Condebantur autem cadavera in arcis cum melle. Lucretius *l.* 3. *v.* 902.

Nam ſi in morte malum'ſt, malis, morſuque ferarum
Tractari, non invenio qui non ſit acerbum
Ignibus impoſitum calidis torreſcere flammis:
Aut in melle ſitum ſuffocari atque rigere,
Frigidi' quum in ſummo gelidi cubat æquore ſaxi,
Urgerique ſupernè obtritum pondere terræ.

Ubi tres modos ſepulturæ tangit: qui cremabantur, qui terrâ obruebantur & qui in lapideis arcis cum melle condebantur, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1102. *& ſeqq.* & hic paſſim; ubi de *Exequiis*, *Funere*, *Mortuis*, *&c.* de *Arcis* verò Finalibus, etiam infrà in voce *Arcatura*. Addam hic ſaltem *Inſcr.* quæ Spalati, prope Templum S. Franciſci, viſitur, hucque pertinet:

AUR. QUINTIANUS DEC.
COLL. FAB. ET CENT QUI
VIXIT. ANN. P. M. LI. MENS.
V. D.. VIVUS SIBI POSUIT
ET AUR. JAENUARIÆ CON-
JUGI SUÆ COT. SI QUIS
AEAM ARCAM POST MOR-
TEM EORUM APERIRE VO-
LUERIT INFER. DECURIÆ
MEÆ X XXV.

ex Jacobo Sponio *Itiner. Græciæ Part.* 3. *p* 81. h. e. *Aurelius Quintianus Decurio Collegii Fabrûm & Centonariorum, qui vixit annos plus minus* 51. *menſes* 5. *dies . . . . vivus ſibi poſuit & Aureliæ Januariæ conjugi ſuæ. Quod ſi quis eam arcam poſt mortem aperire voluerit, inferet Decuriæ meæ ſeſtertia viginti quinque.* Alia à prædictis fuit *Arca*, cujus de Ægyptiis agens Porphyrius meminit *de Abſtin. l.* 4. §. 10. ubi Morales vitæ illos ſymbolum in funeribus tale exhibere ſolitos ait: *Cum condiant nobiles defunctos, alvum privatim eximunt & in Arca reponunt: deinde inter alia* --- *arcam ad Solem attollentes eum invocant, uno ex Libitinariis hujuſmodi orationem habente pro defuncto, quam Euphantus ex lingua Ægyptiaca tranſtulit: Domine Sol, Dique omnes, qui vitam hominibus largimini, Me accipite & Diis æternis viventes contubernalem tradite. Ego enim Deos* - *quæ colui* - *Et parentes meos honoravi: Neque aliorum hominum occidi quemquam; Neque eos depoſitô fraudavi, Nec aliud quidquam inexpiabile malum admiſi. Si vero, dum viverem, peccavi, non per me peccavi, ſed per illa* (*oſtendens* arcam, *in qua erat venter*) *atque hæc locutus in fluvium eam abjecit, reliquum autem corpus, tanquam purum, condit.* Quæ funebris apologia quàm non diſſonet ab illis, quæ in II. Tabula Moſes præcepit, cuivis facile liquet. Johann. Marsham. *Canone Chron. Seculo* IX. Vide quoque infra, ubi *de Vin Feliceum*, apud eoſdem Ægyptios.

ARCA Noë, quâ architectura & fabrica *Arca* exponitur, in 3. libros diſtincta, & *res ante Diluvium, in Diluvio ac poſt Diluvium* peractas, curioſis quæſtionibus exponens; prodiit Auctore Athan. Kircherò Amſtelodami 1675. *in fol.*

de ARCA ſolvere, i. e. domo, cui contrarium eſt, *de ſcriptura menſa*. Donatus, *Unde hodie additur in chirographis, domo ex arca ſua vel ex menſa ſcriptura.* Et alibi, *Tunc enim in foro & de menſa ſcriptura magis, quàm ex arca domoque vel ciſta, pecunia numerabatur.* Non enim ſolùm *arca publica* erat, de qua Vopiſc. *in Aureliano*, *eſt præterea veſtra auctoritatis arca publica*, cujuſque fit mentio in veteri *Inſcript.* aliter *arca Populi*, ut in alio ſaxo. *Hoc monumentum ſi quis donare aut vendere voluerit, inferat arcæ Pop. Rom.* H. S. L. M. N. Neque Pontificibus, præter hanc, Collegiiſque variis, tantum ſuæ *arcæ* fuêre: ſed privati etiam ſuas *arcas* habebant, quas qui adminiſtrabant diſpenſabantque, ſervi *Arcarii* dicebantur. *Arcarium* tamen veter. *Gloſſæ* exponunt, ὁ ἐπὶ τῆς δημοσίας τραπέζης, ubi *menſam* & *arcam* eandem faciunt. Niſi fortè δημοσία τράπεζα hic *arca publica* eſt, & qui ejus ratiocinia tractabat, *Arcarius*. Arca certè Prætorio Præfecti etiam *menſa* dicebatur, &c. Salmaſ. *ad Lamprid. in Alexandro Severo. c.* 46.

ARCABRICA, ſive ARCABRIGA, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis olim Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Toletano, nunc pagus, Conchæ urbi, quæ ſedem illius & Valeriæ Epiſcopalem tenet, finitimus. Nunc vicus *Arcas*, in Caſtella nova. *Baudrand.*

ARCADIA, Arcadii Imperatoris filia, inſignis pietate. Sozom. *l.* 9. *c.* 1. & 2.

ARCADIA, Peloponneſi regio intima, à mari undique remota, Poëtis decantatiſſima, ab Arcade Jovis filio, ſic appellata. Hæc, ut *Euſtath.* docet, aliquando dicta eſt Pelaſgia, à Pelaſgo Rege magno, & ſapiente viro, qui vitæ cultioris eis author fuit, & victum ex ſtirpibus herbarum, arborumque frondibus, tranſtulit ad glandem, maximéque ad fagineam. Unde illud.

Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασι.

Sanè Arcades glande ſolitos veſci, Artemidorus etiam obſervat, *l.* 2. *Oneirocr. c.* 25. ubi & *Regaltum* videre licebit. Aliquando etiam Lycaonia, Gigantis, & Parrhaſia dicta, teſte *Stephanô*. Oppida ejus præcipua ſunt Megalopolis, hodie *Leontari*, patria Polybii, Mantinea, hodie *Mantin*, prælio Thebanorum contra Lacedæmonios, auſpiciis Epaminondæ, feliciter geſtô, celebris. Tegea, & Stymphalus. Montes Pholoë, Cyllene, Lycæus, Mænalus, & Nonacris. Fluvii Ladon & Erymanthus. Habuit Arcadia Elidem & Meſſeniam ad Occidentem, Lacedæmonem ad Meridiem, Argolicam regionem, hodie *Romania*, ad Ortum, fuitque tota paſtioni potius pecoris, quàm aut negotiationi, aut agriculturæ dedita: ideoque Pana, paſtorum Deum, velut peculiare numen ſibi vendicârunt. Virg. *Eclog.* 4. *v.* 58.

Pan etiam, Arcadiâ mecum ſi judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat ſe judice victum.

A Muſices ſtudio Arcades, cui à prima infantia liberos aſſuefaciebant, Polybius laudat, *l.* 4. *p.* 289. Inde Virg. *Eclog.* 10. *v.* 33.

— — Soli cantare periti
Arcades. — —.

Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς, *Arcadiam me poſtulas.* Proverb. cujus *Diogenianus* duplicem oſtendit uſum; convenit enim vel in magna vel inutilia petentem. Herodot. *l.* 1. natum innuit ex Oraculo. *Ἀρκάδιον βλάστημα*, *Arcadicum germen*, de grandibus & ignavis dici ſolitum. Arcades enim olim ob ſtuporem ingenii malè audiêrunt. Unde Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 160.

— — Læva in parte mamillæ
Nil ſalit Arcadico juveni.

Lucianus *in Bis accuſato*: Πόθεν γὰρ ἐν Ἀρκαδίᾳ τοσοῦτος ὁ φιλόσοφος; Habuit Arcadia & aſinos proceriſſimos, qui ob corporis magnitudinem in proverbium abierunt. Perſ. *Sat.* 3. *v.* 8.

Findor ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.

Ἀρκάδας μιμούμενος apud *Heſychium*, παροιμία ἐπὶ τῶν ἄλλοις πονούντων καὶ μοχθούντων. Οἱ γὰρ Ἀρκάδες πολλὰ πολεμήσαντες ἀδείαν οὐδέποτε ἴδιον ἔσχον. Apud *Diogenianum* eſt ἐπὶ τῶν ἄλλοις, & exponitur fruſtra. Ita quoque legas in *Diogeniano*. *Suidas* verò ἐπὶ τῶν ἑτέροις πονούντων, quem ſis vide. Homer. tamen Arcades ob fortitudinem bellicam non ſemel commendat. *Il.* 2. *v.* 611.

— Ἀρκάδες ἄνδρες ἐπιστάμενοι πολέμοιο.

Et *Il.* 7. *v.* 134.

Ἀρκάδες ἐγχεσίμωροι.

Arcadiam itidem ob paſtionem laudat. *Hymn.* 3. *v* 2.

— Ἀρκαδίης πολυμήλου.

Et *Hymn.* 18. *v.* 30.

— Μητέρα μήλων.

appellat. Aquis quoque benè ſcatentem innuit ibidem, A'ρκαδίην πολυπίδακα vocant. Cæterum plura de Arcadibus vide apud Strab. *l.* 8. Plin. *l.* 4. *c.* 6. Athen. *l.* 14. Pauſan. *in Arcad.* ſeu *l.* 8. in & in *Arcas. Nic. Lloydius.* Addam hoc unum, Arcadiam nunc cum Laconia dici *Tzaconia*, & Turcis ſubeſſe, cum tota Græcia, à 180 annis. De Regibus ejus vide aliquid voce *Cypſelus*, it. *Lapus* &c.

ARCADIA, civitas Ægypti. *Steph.* Item urbs maritima, ſed ubi ſit, non addit. Munitum oppidulum in Zacyntho. Diodor. Sic. *l.* 15.

ARCADIOPOLIS, Thraciæ urbs. *Cedrenus.* Nunc *Berges*, in ea parte Thraciæ, quæ aliàs *Corpealica* dicebatur.

ARCADIUS, fil. major natu Theodoſii M. patri ſucceſſit, A. C. 395. ætat. 18. in imperio Orientali ſicut frater ejus Honorius, in Imperio Occidentis. Duxit uxorem Eudoxiam, Leontii Phil. filiam, formâ & ingeniò inclytam. Quod ægrè ferens prætorii Præfectus Rufinus, Gothos accivit, qui Græciâ crudeliſſimè vaſtatâ, ipſam obſedêre Conſtantinopolim: interim Arcadio, apud quem hucuſque plurimum valint, perſuaſit, ut copias ſuas jam victoriæ certas alior-ſum vocaret. Subolet fraus Ducibus, & Rufinum, qui jam in eo erat, ut Imperator ſalutaretur, in fruſta diſcerpunt. Succedit Gainas, eoque Imperatorem adigit, ut Procopium, ſibi chariſſimum, cum Johanne, Saturnino & Aureliano, fidelibus ſuis Miniſtris, tyranno trucidandos permittat. Sed & ob hoc liberatus, poſtea templa Gentilium deſtruxit, Arianos pepulit, legeſque contra hæreticos & Gentiles à Parente latos rigidè obſervavit. Felix, ſi ingeniò ſuò potiùs, quàm Eudoxiæ Eunuchorumque, uſus fuiſſet, ex quorum conſilio à Chryſoſtomo diſſedit, eumque etiam exiliò multavit. Obiit A. C. 804. *ætat.* 31. Succeſſit ei Theodoſius Junior. Socr. *l.* 5. & 6. Zoſim. & Sozom. *l.* 6. *Marcellin.* Caſſiodor. Proſper, *in Chron. Theophanes*, &c.

ARCADIUS, Noæ nepos, Arcadiam tenuit, & nominavit, uti fabulatur Beroſus *l.* 4.

ARCADIUS, Epiſcopus, Epheſino Concilio interfuit, ab Epiſcopo Romano Cœleſtino miſſus, &c. *Tom.* 2. *Concil.* Item, Archiepiſcopus Bituricenſis, A. C. 542. Item, Senator Arvernas, qui auditò, de morte Digeriei, rumore, Childebertum ſollicitavit, ut provinciam hancce occuparet, ſed cum falſus ille eſſet, patriæ ſuæ exitium attulit. Gregor. Turonenſ. *l.* 3. *c.* 9. 12. & 16.

ARCADIUS Probus, unà cum Paſchaſio, & Eutycho propter Fidem à Genſerico martyriò coronatus eſt. Iſidor. *Hiſt. Vandal.* Proſper *Chron.*

ARCADIUS, fluv. Cappadociæ, apud *Ptol* quem priùs *Acherontem* dictum nonnulli volunt: Sed longè ab Acheronte illum Geographus locat. Vide Salmaſ *ad Solin* p. 858.

ARCÆ, aliis *Arca*, *Archæ*, vicus littoralis Phœniciæ, in Syriæ confinio.

ARCÆ Caletorum, caſtrum Galliæ, Frodoardo memoratum *ad A.* C. 944. hodiè municipium Normanniæ, Deppæ proximum, *Arques* dictum: quod ſylvæ ad mare poſitæ nomen ſuum dedit: vocatur enim ſylva *Arcenſis*, vulgo *la foreſt d'Arques.* Hic eſt locus Henrici Magni primâ ex continuis victoriâ nobilis. In *Geſtis* Guilielmi Ducis Normanniæ & Regis Angliæ cognomine *Conqueſtoris*, vocatur *Arcenſe caſtrum in excelſi montis Arcarum cacumine*; Wilhel. Gemeticenſi *l.* 2. *c.* 10. *Statio navium apud Haſdans, quæ Archas dicitur*: & fortè *Arcæ* primùm hic locus nuncupatus eſt, ſive ab aliquo *arcu* triumphali ibi erecto, ſive ab *arcubus* pontis, Deppæ flumini impoſiti: *Arcas* poſteà barbarò nomine, ac demum corruptò per aſpirationem Germanicam *Archas.* Huic proximus eſt viculus *Arcella*, vulgò *Archelles*, Arcis detractus, à quibus rivò interfluente ac ponte dividantur, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ARCÆ Eccleſiarum, quibus olim Diaconi præfecti erant. Paulin. de *Vita Martini l.* 4.

Protinus adſtanti Diacono, quem more priorum
Antiſtes ſanctæ cuſtodem legerat arcæ.

Inde *Arcarii*, arcarum Eccleſiæ cuſtodes, apud Odonem Abbatem de *Mirac.* S. Mauri *c.* 10. inter quos præcipuus *Arcarius Eccleſiæ Romanæ* memoratur, inter officia Eccleſiaſtica, Anaſtaſio in S. *Agathone* & in *Conſtantino Pontif.* &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Apud Hebræos, tria loca commemorant Scriptores, in Templo, ad recipiendas oblationes, fuiſſe: Primum, dictum *Muſoch*, ab Achazo Rege extructum, ubi Principum Magnatumque dona repoſita, Alterum γαζοφυλάκιον, popularibus oblationibus deſtinatum: Tertium denique *Corbona*, quod pro eleemoſynis Sacerdotibus Templique Miniſtris inſervierit, Macer in *Corbona.* Apud Marcellum Presbyterum in *Vita* S. Felicis Presbyteri Nolani *c.* 3. *Sanctæ arculæ* mentio fit, ubi ærarium Eccleſiaſticum, è quo ſportulæ Presbyteris diſtribuebantur, intelligit Car. du Freſne, Cyprianum laudans *Ep.* 34. & 66. Vide quoque Meurſium in voce Α'ρκλαι, & infrà paſſim, imprimis vocibus *Theſaurarius*, & *Theſaurus.*

ARCÆ Gromaticorum, & Agrimenſorum, ſigna ſunt finalia, per poſſeſſionum extremitates conſtituta, ſive conſtructa. Frontinus de *Coloniis*: *Adrianus ager — finitus per rationem* arcarum, *riparum*, &c. Vide quoque L. Wiſigoth. *l.* 10. *tit.* 3. § 3. & *Chartam* Theodemiri Galleciæ Regis æræ 610. apud Bivarium in *Notis ad Pſeudochronicon Maximi*, p. 451. laudatam Carolo du Freſne *Gloſſar. Gloſſ. Latin. Græc. Arca*: ἄρκα ἀλημάτων, lege ἀλημάτων Papias, *Arca, ab arcendo dicta; fines enim agri cuſtodit eoſque adiri prohibet.* Fuêre autem illæ formâ quadratâ atque intus cavâ, quemadmodum ſunt *arcæ* ſeu ciſtæ, unde potiùs nomen; cùm cæteri limites, ut variâ & diverſâ figurâ, ita & appellatione, donentur, ab Hygeno *de limitib. conſtituend.* p. 222. Interim poſtea factum, ut appellatio hæc ad cæteros quoque limites ſignificandos extenderetur. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1106. ut & ſuprà.

ARCÆ Remorum, vel potius *Arcus*, vicus eſt in agro Macerienſi; ad Moſam fluvium in Neuſtriæ Regnique Lotharii ſeu Auſtriæ confinio olim poſitus vulgò *Arches*, liber & ſui juris: à quo vico Gonzagæ *Principes Archenſes* inſcribuntur in nummis, qui in Arcenſi ſolo Carolupolim condidêre. Villa olim Regia ſeu Palatium. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ARCÆ Veſtiariæ, ſeu Paſtophoria, in quibus Sacræ veſtes apud Hebræos Chriſtianoſque; item ἱματιοφυλάκια privatorum, in quibus veſtes, olim reconditæ, vide infrà voce *Veſtiarium*, it. *as*, nec non aliquid voce *Riſcus.*

ARCÆA, urbs Palæſtinæ, aliàs *Arch* ſive קרית ארבע cujus mentio apud Chaldæum Paraphraſtem librorum ſacrorum; quondam *Kiriath-ſepher*, poſtea *Debir*, dicta. Vide ibi.

ARCANDAM, vel ARCANDRINUS, Arabs, ſcripſit prædictiones Aſtrologicas, imprimis *Genethlia* ſpectantes; editas Pariſiis A. C. 1542.

de ARCANIS, ſeu pro ARCANIS, dictus eſt Pſalmus 45 (46.) *h. e. pro his*, inquit Baſilius Magnus, *quæ neutiquam evulganda ſunt & prodenda, quod rationem contineant ſecretorum in myſterio retinendorum, Homil. in hunc Pſalmum.* Idem in princ. *Proverb. Verba enim ac myſteria ſalutis in quemvis ſine diſcrimine jactare & omnes atquè ad hunc theſaurum recipere, nec vita moribus purgatos neque ratione prius & ordine diligenter utentes, haud aliter fuerit, quam in ſordidum vas unguentum infundere pretioſum*: Nempe non ſolùm ſanctò quòdam ſilentiò diviniora dogmata, ne in vulgus publicata vileſcerent, involuta, Ethnicorum Theologi tenuêre, ſed & eandem viam inivêre, imò prærivêre, ſacri utriuſque Fœderis Scriptores: quod Dei ſecretum Arcâ Fœderis, à ſuprapoſitis Cherubinis obumbratâ & velando honoratâ, ſignificatum olim fuiſſe, Auguſtin. ait, *Tomò VII. de Bono perſever. l.* 2. *c.* 16 Idem dein in prima Eccleſia Chriſtiana obſervatum, in qua *Catechiſtarum & Catechumenorum* nomen profluit, à verbo κατηχέω, *vivâ voce doceo*, dictorum, quod olim nefas haberetur myſteria literis committere, voce tantùm tradenda, ut Eraſmus docet in *Hieron. Apolog. ad Domnion. verb.* ἀπλοϊκῶς, &c. Tobias Pfannerus *Syſtem. Theologiæ Gentil. purior.* c. 1. §. 8. & *ſeqq.* Vide infrà paſſim, inprimis in voce *Catechiſta*, *Novum Fideles*, *Silentium.*

ARCANUM, vulgò ARCAN, ſive CHARCAN, oppid. Tartariæ deſertæ, in Aſia, ad fluv. Caſſimain, in Cafra regione ad pedes montium, & ad Auſtrum oppid. Ghermam, ut quidam dicunt.

ARCANUM, Ciceronis villa, quod *Arce* nunc dicitur. Cicer. ipſe ejus meminit *in Ep. ad Att. l.* 7. *Ep.* 10. ſed fratris ſui eſſe dicit; non procul à Minturnis fuiſſe videtur. *Nic. Lloydius.*

ARCARII, ab Alexandro Severo inſtituti, *qui de arca Fiſci munera ederent*, occurrunt apud Æl. Lamprid. in *Vita* ejus *c.* 45. *Arca* igitur etiam Fiſci dicebatur. Aliter *Arcarii* dicuntur *Cod. de Suſceptor. Præpoſitis & Arcariis*: Ibi enim *Arcarii* ſunt, qui ſuſcipiebant arcæ præfectoriæ inferenda. *Arcarios* tamen etiam tribuit Comiti rei priv. *leg.* 14. *Cod. Theodoſ.* Vide Salmaſ. *Not. ad Lamprid. loc. cit. Vicarius Arcarii*, reperitur in *Inſcript.* apud Gruterum 580. 10. *Arkarius Reipubl. Amerinorum*, 1091. &c. Inter officia Latinorum Eccleſiaſtica, recenſetur *Arcarius Eccleſiæ Romanæ* apud Anaſtaſium in *Agathone* & *Conſtantino*, alibique apud Scriptores inferioris ævi. Vide quoque ſuprà in *Arca* & *Arca.* Apud Anglo-Saxones alioſque olim, pro *Theſaurario* Regis ſumtam eſſe vocem, docet Henr. Spelmann. in *Gloſſar.*

ARCAS, Jovis & Calliſtûs fil. parùm abfuit, quin matrem, à Junone in urſam converſam, interimeret. Poſtea, cum illa inter ſidera relatus. Υἱὸς δὲ ὄντα, Θεμιστοῦς καὶ Διὸς ὁ Ἀρκὰς ἐγένετο. Ita *Steph.* Ab hoc *Arcadia*, & *Arcades* dicti, quos quia vetuſtiſſima gens fuit, ante Solem & Lunam fuiſſe Poëtæ fabulantur. Apollon. *Argon.* 4.

Ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται.

Nonnus, *Baſſaricon l.* 41.

— οἱ δ᾽ ἐπὶ αὐτῷ
Ἀρκάδες προσέληνοι.

Plut. *in Qu. Rom.*

Οἱ δὲ ἀπὸ Ἀρκάδες τῶν ὑπὸ Εὐάνδρῳ προσελήνων λεγομένων

Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 290.

Ante Jovem genitum terras habuiſſe feruntur
Arcades, & Lunâ gens prior illa fuit.

Idem ibidem *l.* 1. *v.* 469.

Orta prior Luna (de ſe ſi creditur ipſi)
A magno tellus Arcade nomen habet.

Seneca in *Hippolyto Actu* 2. *v.* 785.

Aut te ſtelliferò deſpiciens polò
Sidus poſt veteres Arcadas editum.

Statius *Theb. l.* 4. *v.* 275.

Arcades hinc veteres, aſtris Lunâque priores,
Agmina fida datis. — —

Videamus autem, quod ait Illuſtris vir Juſ. Scaliger in *Prolegom. ad libb. de Emend. Temp.* Laconibus (inquit) ante plenilunium aut novilunium aliquid incipere religio fuit; unde, Λακωνικὰς σελήνας vicinorum proverbiò jactatas. Inde etiam Arcadibus, proverbiali convició, neglectum religionis objectum legimus. Quòd enim ante novilunium aut plenilunium, ut plurimum bella, aut alia ſeriora aggrederentur, ob eam rem à finitimis nationibus Προσέληνοι vocabantur, quaſi *Antelunares.* Quæ convicii cauſa ab ipſis Arcadibus interpretatione eluſa eſt, probrum in laudem converſum ad vetuſtatem originis ſuæ referentibus, & antiquiorem ſidere iſtô gentem ſuam gloriantibus. Fabulæ hujus cauſam & originem Cenſorinus *de die Natali*, ita refert *c.* 19. *Arcades trimeſtrem annum primò habuiſſe dicuntur, & ob id Proſeleni appellati: non, ut quidam putant, quòd antè ſint nati, quam Luna aſtrum cœlo eſſet: ſed quòd prius habuerint annum, quàm is in Græcia ad Lunæ curſum conſtitueretur. Nic. Lloydius.*

ARCAS, Armeniæ minoris urbs. *Antonin.*

ARCASSONIUS, vulgò ARCACHON, portus, ſeu potius ſinus Galliæ, in Aquitania, ad Oceanum, inter oſtia Garumnæ & Aturi fluv. vix 6. leuc. à Burdigala diſtat in Occaſum.

AR.

ARCATI, urbs Indiæ citerioris regia. *Biſnagar Caſtaldo.*

ARCATURÆ, apud Caſſiodor. *Variar. l. 3. Ep. 52. Unde miramur, tanta animoſitate fuiſſe litigatum, quod aut terminis teſtibus, aut jugo montium, aut fluminum ripis, aut* arcaturis *conſtructis, aliiſque ſignis evidentibus conſtat eſſe definitum*: erant hujuſmodi arcarum, quæ olim terminorum vicem erant, ſtructuræ. De his ita Frontinus de *limitibus Agror. In Campis verò ſtatuerunt terminos quadratos curſorios & interjectis locis* Arcas *& monumenta, vel alia teſtimonia.* Sic paſſim apud Agrimenſores, *Arcam in trifinio, in quadrifinio* conſtitutam legere eſt, quæ vox nihil aliud ſignificat, quàm terminum in modum arcæ conſtructum. Frontinus iterum, *Aſculanus ager terminis, in modum arcellæ, eſt demonſtratus*: Cujuſmodi Arcæ finalis figuram, ex veteri Hygini libro, exhibet *Salmaſ.* infrà laudandus. Et hæ Arcæ *finales* tantùm erant; aliquando verò, & *monumentales* ſimul, & *finales* erant: namque & ipſa monumenta finalia pro terminis plerumque obſervari ſolita ſunt. Unde & *ſepulturæ finales* & *monumentales termini*, in libris Agrimenſorum, & *memoriæ in finem conſtitutæ* occurrunt: certè & Arcæ juxta ſepulchra plerumque ponebantur & in ipſis ſepulchris arcæ conſecrabantur finales; ſed de his vide ſuprà in voce *Arca mortualis*, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1206.

ARCEJÆ, nomen corruptum factumque ab Artiaca vel Arciaca. Vide *Artiaca*. Eſt quoque *Arceja*, vulgò *Arcey*, locus Galliæ in nemore Ottonis. Utræ ſylvæ parte, ubi S. Ebbo, Senonenſis Archiepiſcopus eremiticam vitam duxit, circa A. C. 750. *Arcia* verò *Villa*, Odoranno *in Chron.* memorata, vulgò quoque *Arcey*, proxima eſt Villæ Novæ Regis, ad flumen Icaunam: à Leotherico Senonum Archiepiſcopo S. Petri Vivi Monaſteriô donata, vide *Hadr. Valeſ.* paſſim.

ARCELLÆ, vide ſuprà in voce *Arca Caletorum*.

ARCELLINA, inter miniſteria & vaſa ſacra, memoratur, in *Charta* Ferdinandi M. Hiſpaniæ Regis æræ 1101. apud Anton. Yepezum in *Chron. Ordinis Bened. Tom. VI. Tertia verò* (Corona) *eſt diadema capitis mei aureum &* arcellinam *de cryſtallo aureo coopertam, & crucem auream cum lapidibus*; &c. Fortè *parvam arcam* denotat. Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARCENA, Alexandri Severi Romanor. Imperatoris patria. Lamprid. *in Severo c.* 1. *Aurelius Alexander urbe Arcenâ* genitus. Hæc urbs inferius c. 13. *Arca Cæſarea* eidem nominatur, quia, uti ſcribit *Victor*, huic loco duplex nomen, *Arca*, & *Cæſarea*. *Ptolemæo* inter Phœnices mediterraneas urbes recenſetur Ἄρκη ſive Ἄρκαι, aut Ἄρκαις, ut & *Georgius Monachus Arcas* numerô multitudinis nominat. Ait enim Alexandrum, ἐν Ἄρκαις τῆς Φοινίκης τεχθῆναι, rectè. *Stephanus* Ἄρκη πόλις Φοινίκης ἡ ἡ νῦν Ἄρκαις καλουμένη. Cave confundas cum eruditis viris urbem hanc cum alia, quam Xiphilinus ex *Dione* nominat Ἀρκὼ, *in Severi hiſtoria.* Nam hæc quidem Alexandri patria, Phœniciæ in Syria fuit: Illa verò Aſſyriæ, ubi Ἀρκαλῖνδιν collocat *Strabo*, & Moſes quoque *Arech* in terra Senaar Babyloni vicinam facit, Gen. c. 10. v. 10. Diverſa etiam eſt, & ſi non longô intervallô diſſita, urbs *Arca* [illegible], cujus mentio apud Chaldæum Paraphraſtem librorum ſacrorum. Judææ enim hoc oppid. fuit, quondam *Kiriath ſepher*, poſtea *Dabir* dictum. Nominatur & *Arcaa* in Palæſtina Joſepho. Vide illum *l.* 4. *c.* 4. & 7. *Jud. Antiquit.* Ubi de Aarone, in monte excelſo territorii urbis Arces, mortuo.

ARCENNUM, ditionis Pontificiæ oppid. parvum, ſed lepidum, *Bracciano Leandro Alberto.* Ducem proprium ex Urſinorum familia habet. longitud. 35. 50. latitud. 41. 45. Item, promontor. Aſiæ minoris in Ionia. Excurrit in ſinum Argennum, alias Smyrnæum, prope Chium inſul.

ARCENSIUM COLONIA vulgò **ARCOS**, urbs parva Vandaliæ, cum caſtro, Ducatus titulô clara, gentis Ponciæ, ſub Hiſpaniæ Rege. Ad fluv. *Guadalete.*

ARCERII, ſeu **ARCARII**, apud Recentiores, Sagittarii ſunt, Italis *Arcieri*, Gallis *Archers*, fueréque olim multùm æſtimati *Arcarii* Anglici, ut ex *Chron.* Bertrandi Gueſclini *MS.* docet Car. du Freſne in *Gloſſar.* Vide quoque Froiſſardum *Volum I.* Ducem Clivenſem in *Talbico p.* 81. &c. De Francis *Arcariis*, vulgo *Francsarchers* nuncupatis, conſulendi ſunt Monſtrelletus *Volum.* 3. p. 13. & Bertius in *Carolo* VII. p. 165.

ARCES Lobiæ, *Hueſſen*, ad Rhenum, qui paulo infra in Rhenum & Iſalam dividitur; ſub Batavis.

ARCESILAUS, Batti fil. Cyrenenſium Rex, ſeditione civium regnô excidit. Polyæn. *l.* 8. c. 41. Herodot. *Melpomene.* Ei ſucceſſit, filius *Battus* II.

ARCESILAUS, è Ducibus Alexandri Magni, cui poſt ejus mortem, in diviſione Provinciarum, Satrapia Meſopotamiæ ceſſerat. Diodor. Sic. *l.* 18 *p.* 628. *f.*

ARCESILAS, Dux Catanenſium eorumque proditor. Nam donis à Dionyſio ſuperiore corruptus, conticiniô noctis eundem intra mœnia recepit, urbemque tyranno ſubjecit. Diodor. Sic. *l.* 14.

ARCESILAS, & **ARCESILAUS**, Philoſophus, Polemonis diſcipulus, in diſputatione pertinacior, & magnô ingenii acumine, Cicer. *l.* 3. *de Fin.* Ex Pitane, Æolica civitate, ortus, relictô genitali ſolô, Sardes perrexit: mox Athenas profectus in Academiam ſe ad Crantorem contulit, quem Platonicam Philoſophiam omnino commutâſſe, novamque quandam conſtruxiſſe ferunt. *Cavillator* vocatus eſt, quòd cùm nihil ſe ſcire diceret, nec alios ſcire quicquam pateretur, ſed omnes perturbaret ſophiſmatibus. Perſ. *Sat.* 3. v. 78.

——— Non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſique Solones.

Vide Lactant. Firm. *de Inſtit. l.* 3. *c.* 5. 6. Cæterum magni nominis, & Principibus gratus, vixit Olymp. 120. Seneca, *de beneſic. l.* 2. c. 10. Diog. Laërt. *in ejus vita.* Fuit etiam Poëta ejus nominis priſcæ comœdiæ; alius Elegiacus; alter ſtatuarius, in quem & Simonides ſcripſit epigrammata. Laërt. *l.* 4. Item ſculptor quidam apud *Plinium.* Item pictor, Tiſicratis fil. teſte eôdem Pliniô *l.* 35. *c.* 11. Denique unus è quinque Ducibus Bœotorum, qui ad Trojam cum 50 navibus advenerunt, ut oſtendit Homer. *in ſuo Catalogo,*

Βοιωτῶν μὲν Πηνέλεως καὶ Λήϊτος ἦρχον,
Ἀρκεσίλαός τε, Προθοήνωρ τε, Κλονίος τε.

Ab Hectore poſtea interfectus eſt, teſte eôdem Homerô *Il.* o. v. 329.

Ἕκτωρ μὲν Στιχίον τε καὶ Ἀρκεσίλαον ἔπεφνε,
Τὸν μὲν Βοιωτῶν ἡγήτορα χαλκοχιτώνων..

Nic. Lloydius.

ARCESINE, civitas in Amorgo una Cycladum. *Steph.*

ARCESINES, Indiæ fluv. in Indum incurrens; ſerpentes fert longitudine cubitorum 70. Philoſtratus *l.* 2. *de vita Apollonii.* Fortè *Aceſine*, de quo ſuprà.

ARCESIUS, Jovis fil. pater Laërtis. Ulyſſes apud Ovid. *Met. l.* 13. v. 144.

Nam mihi Laërtes pater eſt, Arceſius illi,
Jupiter huic. ——— ———

Ἀρκείσιος Homero Od. π. v. 118. ubi ſic Telemachus,

Ὧδε γὰρ ἡμετέρην γενεὴν μούνωσε Κρονίων,
Μοῦνον Λαέρτην Ἀρκείσιος υἱὸν ἔτικτε,
Μοῦνον δ' αὖ Ὀδυσῆα πατὴρ τέκεν, αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
Μοῦνον ἔμ' ἐν μεγάροισι τεκὼν λίπεν.

Item *Arceſius*, qui Arceſicerata urbem condidit. Steph. *in* Ἐπιφάνεια.

ARCHA, vulgò **HERCK**, caſtrum Leodienſis ditionis, in confinio Brabantiæ. Alluitur amne cognomine qui paulo infra in *Demeram* ſe exonerat.

ARCHADIUS, ſcripſit nonnulla, quæ commemorantur à *Suida.*

ARCHÆA, Æolidis in Aſia urbs. Pauſan. *l.* 2.

ARCHÆANAX, Mitylenenſis, ex Sociis Piſiſtrati Athenienſium Tyranni, Sigeum, ex ruderibus Trojæ, murô circumdedit, Strabo *l.* 13. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron, Sec.* XVIII. ubi *de Piſiſtrato.*

ARCHÆATIDIS, Peloponneſi regio. *Polyb.*

ARCHAGATHUS, fil. Archagathi, qui à militibus ſuis in Africa interfectus eſt, Agathoclem avum, Syracuſarum Regem, venenô ſuſtulit, circa A. M. 3765. Urb. Cond. 465. Diodor. Sic. *l.* 20. *& in fragm.*

ARCHAGATHUS, Peloponneſius, Lyſaniæ fil. Medicus primus à Romanis receptus. Plin. *l.* 29. *c.* 1.

ARCHAMA, Ciliciæ præfecturæ in Cappadocia urbs. *Ptol.*

ARCHAMBALDUS, dictus *Magnus*, Borbonii Dominus, pater Margaretæ, quæ Theobaldo, Campaniæ Comiti & poſtea Regi Navarræ, nupſit. Item, alius cognomine *Junior*, pater Agnetis, quæ ex Johanne Burgundo, mater fuit Beatricis, quæ Roberto Ludovici IX. quarto filio, nupta, inter regiæ familiæ progenitrices *Hiſtor. Franc.*

ARCHANDER, Danai ſocer. Herodot. *l.* 2.

ARCHANDROPOLIS, civitas Ægypti. *Steph.*

ARCHEBIUS, Heracleotes, hoſtibus prælium detrectantibus, navigia piſcatoria contraxit, uſque per carinas vinculis inſertis immobilibus redditis hoſtes, in inſidias deductos, cæcidit. Polyæn. *l.* 5. *p.* 408.

ARCHEDEMUS, à Comicis exagitatus, quòd, diutius Athenis commoratus, civibus adſcribi non potuerit. Vide Scholia *in Ranas Ariſtoph. Act.* 1. *ſc.* 7.

ARCHEDICUS, Poëta Comicus, ſcripſit contra Demochárem, Demoſthenis propinquum, teſte *Athenæo*. Voſſ. *de Poët. Græc.* c. 8.

ARCHEGETES, Apollinis cognomen, Græcè Ἀρχηγέτης, h. e, *Princeps* ſeu *Dux*: quo in Inſul. Naxo inſignis fuit, ubi ei Chalcidenſes aram extruxerunt, teſte Thucydide *l.* 16. Servat memoriam ejus *Inſcr.* quam Jac. Sponius Hierapoli reperit.

ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΑΡΧΗΓΗΤΕΙ.

Vide eum *Itiner. Græciæ Part.* 3. p. 150.

ARCHELAI, in Cappadocia regnaverunt; ex his alter ſuperatus eſt à Sylla, quod Mithridati auxilium tuliſſet; alterum Romæ retinuit Tiberius. Hic ultimus Cappadocum Rex, acceptum ab Antonio, An. Urb. 718. regnum, per 50. annos adminiſtravit: ſed inviſus Tiberio, quòd eum Rhodi agentem nullô officiô coluiſſet. Hinc Liviæ literis illectus, poſtquam in urbem venit, mox in ſenatu accuſatus, finem vitæ, ſponte an fatô, implevit. Nupſit filia ejus Glaphira, Alexandro filio Herodis, quem Patri egregiô commentô Archelaus conciliaverat. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 16. *& Bell. Jud. l.* 1.

ARCHELAIS, Cappadociæ colonia, à Claudio Cæſare deducta. Item vicus in Palæſtina. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 17.

ARCHELAUS, XII. Macedonum Rex, Perdiccæ II. fil. cui ſucceſſit, regnavit ann. 23. Secundùm alios VII. fuitque interfectus ab adoleſcente Crateva nomine, quem habebat in deliciis, quòd ei promiſſam filiam alteri deſpondiſſet. *Volaterran.* Juſtin. *l.* 7. *c.* 4. Ælian. *Var. Hiſt. l.* 2. *c.* 21. *l.* 8. *c.* 9. *l.* 12. *c.* 43. *l.* 14. *c.* 17. Diodor. Sic. *l.* 14. & 24. caſu ab imprudente Cratero in venatione occaſum ſcribit, Olymp. 95. an. 1. cùm tantùm ſeptem annos regni expléſſet.

ARCHELAUS, Cappadocum Rex, ope Antonii Triumviri, Ariobarzani ſurrogatus, quinquaginta annis regnavit. Tacit. *Annal. l.* 2. *c.* 42. ubi ab offenſo Tiberio, matris literis Romam elicitum, *angore, ſimul feſſum ſenio, & quia regibus æqua, nedum infima inſolita ſunt, finem vitæ ſponte an fato impleviſſe, regnumque in provinciam redactum eſſe, fructibus ejus levari poſſe centeſimæ vectigal profitente Cæſare*, ait, vide quoque Suetton. *in Tiberio* c. 37. & Vellejum Paterc. *l.* 2. *c.* 39. nec non ſuprà, voce *Archelai.*

AR-

ARCHELAUS, Dioni *l.* 55. Herodes dictus, XIII. Judæorum Rex regnavit ann. 9. Glaphyram Archelai Cappadocum Regis filiam, Alexandri fratris ſui relictam, contra legem, uxorem duxit. A Cæſare exilio damnatus Viennæ mortuus eſt. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 17. *c.* 18. Hegeſip. *l.* 5. *c.* 5.

ARCHELAUS, fil. Herodis illius, qui innocentes occidit, Rex Judææ. Matth. *c.* 2. *v.* 22. Ob ſævitiam ſuis inviſus. Vide priorem *Archelaum*.

ARCHELAUS, Lacedæmonius Rex Heraclides, ab Euryſthene VII. fil. Ageſilai, cui ſucceſſit. Pauſan. *l.* 3. pater Teleclis. Herodot. *l.* 7. Regnavit ann. 42. feliciter, cum Charilao, Rege alterius familiæ, captis aliquot urbibus, Ægys imprimis, quam vocem vide. Sed numerum annorum perperam auget *Euſebius*: brevis ævi enim fuiſſe Pauſan. habet. *l.* 3.

ARCHELAUS, cui Alexander Magnus Suſas urbem, ab Abulite deditam, cum præſidio trium millium militum tuendam tradidit. Curt. *l.* 5. *c.* 2.

ARCHELAUS, unus è Ducibus Antigoni junioris, qui præſidio Acrocorinthi, cum Perſæo Philoſopho, impoſitus eſt. Polyæn. *l.* 6. *c.* 5. *p.* 451. Qui prodita à quatuor fratribus Syris Acrocorintho, miſſus eſt liber ab Arato.

ARCHELAUS, Dux ac Præfectus Mithridatis egregius, de quo Polyæn. *l.* 8. *c.* 9. *in Sulla*

ARCHELAUS, Præſul Meſopotamiæ, qui librum diſputationis contra Manichæum Syro ſermone compoſuit, ſub Probo Imperatore. Hieron. *catal. de Script. Eccl.* Epiphan. *hær.* 66.

ARCHELAUS, Philoſophus Athenienſis, ſeu Mileſius, patrem habuit Apollodorum: fuit auditor, ſucceſſorque Anaxagoræ, à quo Socrates Philoſophiam audivit. Cicer. *l.* 5. *Tuſc. Qu.* Hic Phyſicam Philoſophiam ex Ionia Athenas invexit, fuitque vel propterea *Phyſicus* appellatus, vel quòd in eo defecerit Philoſophia naturalis. Socrate moralem introducente. Quanquam ne hic quidem Ethicæ rudis fuit, qui de Legibus, de honeſto, & æquo philoſophatus eſt. Calorem & frigus rerum principia ſtatuit, primuſque vocem definivit, pulſum aëris. Plura de ipſo vide apud Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 8. *c.* 2. Diog. Laert. *in ejus Vita. l.* 2. *c.* 16. Præter hunc tres alii celebrantur, teſte *Laërtio*. Primus erat χωρογράφος. Hic omnem terram deſcripſit, quam Alexander M. perambulavit. Alter, quæ propria, ac ſingularis naturæ ſunt, verſu conſignavit. Tertius orator de arte ſua volumen reliquit. Secundus iſtorum Laërtio dicitur, ὁ ἰδιοφυῆ ποιητής. Unde liquet, eundem intelligi ab Athenæo *l. extr.* cum ait, Παρὰ Ἀρχελάῳ Χερσονησίτῃ ἐν τοῖς Ἰδιοφυέσιν. Sed qui hoc loco eſt *Cherſoneſites*, is *Ægyptius* vocatus Antigono Caryſtio: qui illum παράδοξα καὶ θαυμάσια ἐπιγράμματα ad Ptolemæum ſcripſiſſe teſtis eſt. Vide eum *Hiſt. Mirabil. c.* 23. & 96. ubi & epigrammata ejus recitat, quibus docebat, ex crocodilo ſcorpios; ex equis veſpas; ex ſpinæ medulla, in nonnullis cadaveribus, parvos naſci ſerpentes. Cùm autem hæc ad animalium hiſtoriam pertineant: planè cenſeo (inquit Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 329.) eſſe Archelaum eundem, quem de animalibus ſcripſiſſe, & quâ re onum quodque eorum curetur, Artemidorus dicit *l.* 4 *Oneirocritic. c.* 24. Idem confirmat locus Plin. *l.* 8. *c.* 50. *Archelaus auctor eſt, auribus capras ſpirare, non naribus, nec unquam febri carere.* Iſtum quod de capris dicit *Plinius*, etiam Varro Archelaum laudat auctorem *de R. R. l.* 2. *c.* 3. *De quibus admirandum illud* (reſpicit ad titulum θαυμασίων, καὶ παραδόξων) *quod etiam Archelaus ſcribit, capras, non ut reliqua animalia, naribus, ſed auribus, ſpiritum ducere ſolere.* non alium Archelaum ab eo ſignari, quàm illum Antigono memoratum, liquet ex *l.* 3. *de R. R. c.* 16. ubi idem ait, *Primum apes naſcuntur, partim ex apibus, partim ex bubulo corpore putrefacto. Itaque Archelaus in epigrammate ait, eas eſſe βοὸς φθιμένης πεπλανημένα τέκνα.* Idem,

Ἵππων μὲν σφῆκες γενεά, μόσχων δὲ μέλισσαι.

Hæc *Varro*. Stobæus *Serm. de morbis, & moleſtiarum in eis ſolutione*, advocat Archelaum, *l.* 1. περὶ ποταμῶν. Similiter Plut. *l.* 1. *de Flum.* citat Archelaum in ιγ περὶ ποταμῶν, itemque *primo de lapidibus*. Voſſ. *loc. cit. Nic. Lloydius.*

ARCHEMACHUS, Euboicarum rerum libros conſcripſit, quorum 3. citant Athen. *l.* 6. & Clem. Alex *l.* 1. *Strom.* quartum autem Harpocration, in Ἀλωνεύς. Nempe de patria ſua hos libros ſcripſerat. Siquidem Straboni *l.* 10. vocatur Ἀρχέμαχος ὁ Εὐβοεύς. Vide etiam Plutar. *in Iſide & Oſiride.* & Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 130.

ARCHEMIA & ARCHEMISTÆ, Patrum ævô dicti, qui hodie *Alchymiſta & Alchymia*, vide ſuprà

ARCHEMORUS, qui & **OPHELTES**, Lycurgi Thracum, vel Regis fil. Hic Hypſipilem nutricem habuit, quæ, cùm ſitientibus Achivis, qui ad Thebaicam expeditionem venerant, Langiam fontem oſtenderat, Archemorum puerum ſuper viridi herba depoſuit, qui à ſerpente vulneratus periit. Unde annuus agon, in pueri illius memoriam, celebrari cœpit; Ludos hoſce Nemæos vocabant: auctor Archias *l.* 1. *Anthologiæ*: *Euſebio* de horum ludorum origine aliter ſentiente. *Archemorus* etiam poſtea Langia fons vocabatur. *Nic. Lloydius.*

ARCHENNUS, nomen Hiſtorici ſeu Grammatici, apud Ariſtoph. Scholiaſt. *in Avibus.*

ARCHEPOLIS, conjurationis in Alexandrum, in Atris, initæ, particeps Dymno. Curt. *l.* 6. *c.* 7.

ARCHEPTOLEMUS, Iphiti fil. Hectoris auriga, ſuffectus in locum Eniopei, qui à Diomede interfectus fuit. Homer. *Il.* θ. *v.* 328

ARCHEPTOLEMUS, fil. Hippodami multis in Athenienſes meritis clarus, acerrimus Cleonis adverſarius. Alii eum gente Thurium, Alii Mileſium faciunt. Schol. *in Ariſtoph. Equit.*

ARCHESTRATUS, Poëta, Sardanapali ſectator, cujus hoc fuit decretum, in convivio, ut convivæ 3. aut 4. non plures quàm 5. eſſent. Cæl. Rhodig. *l.* 28. *c.* 8.

ARCHESTRATUS, vetus author, præter γαστρονομίαν, ſive leges ventris ferendas, cujus Athen. *l.* 3. ſæpius meminit, etiam librum edidit περὶ αὐλητῶν, ſive de tibicinibus, cujus apud eundem fit mentio *l.* 14 Erat autem Συρακούσιος, ἢ Γελῷος, teſte eodem Athenæo *l.* 4 Voſſ. *de Græc. Poëtis*, p. 85.

ARCHESTRATUS, an idem cum præcedente, apud Athen. *l.* 13. tam macilentus, ut ab hoſtibus captus, & in lance appenſus, oboli pondus non impleret.

ARCHETIMUS, primus Hiſtoriæ Philoſophicæ ſcriptor, vixit circa initium regni Perſici, quo tempore 7. Græciæ *ſapientes* floruére, quæ hiſtoriam eorum, nec non cum Cypſelo congreſſum, cui ipſe quoque interfuit, perſecutus eſt. *Laertius*, Ἀρχέτιμος ὁ Συρακούσιος ὁμιλίαν αὐτῶν (ſapientûm 7. ſcil.) γέγραφε παρὰ Κυψέλῳ, ᾗ καὶ αὐτὸς φησι παρατυχεῖν. Diog. Laërt. *in Thalete l.* 1. *c.* 40. Forteam idem eſt *Archetimus* ille Ἀρκαδικῶν ſcriptor, apud Plut. *in Qu. Græc.* quem incertæ ætatis Hiſtoricis annumerat Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 350 & *l.* 4. *c.* 2. *Nic. Lloydius.*

ARCHETYPON Bolticum, ex numiſmate extractum, & dictum *Splendor Domus Joannia*, quæ eſt una ex perilluſtribus & antiquiſſimis Hiſpaniæ Familiis; prodiit, Auctore Athan. Kirchero, Amſtelodami A. C. 1671. *in quarto.*

ARCHETHYRUM, Græcè Ἀρχίθυρον, dicta eſt prima domus Janua, quæ in publicum aperitur. Cujuſmodi januæ ædium, ut & Urbium portæ, *ſerâ* olim vel vecte ligneo firmabantur tranſverſo: ubi βάλανος & βαλανάγρα proin locum habebat, de quibus infrà dicemus, in voce *Balanus*, Ovid. *l.* 1. *Amor. El.* 6. *v.* 24.

---- ---- *Excute poſſe ſeram.*

Aliò munimine, ferreo nempe obice, interiorum conclavium & macrum fores firmatæ fuére, ut dicemus infrà, ubi de iſtiuſmodi ferreis *Obicibus.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 925.

ARCHIABBAS, Comes Fulco, dicitur in *Charta*, quam deſcripſit Gallandus *Tr. de Franco allodio p.* 295. continentem controverſiam, inter Monachos S. Albini & Canonicos S. Licinii Andegav. in qua refertur, utroſque *habuiſſe Abbates*: *Monachos*, *Monachum nomine Humbertum*; *Canonicos*, *Laicum nomine Tetbaudum*, & controverſiæ Judicem elegiſſe, *Comitem Fulconem utrorumque Abbatum*, *Archiabbatem*, utpote, qui prædia harum Eccleſiarum poſſidebat eóque nomine *Abbatem* ſeſe inſcribebat. Nempe iſtiuſmodi Abbates Laici, modò Decanos habebant, qui curam Monachorum gererent, interdum unum ex Monachorum numero reliquis præficiebant. Vide ſuprà in *Abbacomites*, & plura hanc in rem apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARCHIACOLUTHUS vel **ARCHIACOLYTHUS**, Acoluthorum caput. Luithprandus *Hiſt. l.* 6. *c.* 6. *Stephanus* Archiacoluthus, *cum omnibus Acoluthis ac regionariis.* Cùm enim in Eccleſiis Cathedralibus olim quatuor eſſent Canonicorum ordines, Presbyterorum ſcil. Diaconorum, Subdiaconorum & Acolythorum; quilibet horum ſuis capitibus ſuberant, Presbyteri Archipresbyteris, Diaconi Archidiaconis, &c. Hodieque *Archiacolythorum* nomen in Eccleſia Capuana durare, obſervat Michaël Mon. in *Sanctuario Capuano* p. 576. ſed illos cum Acolythis nullum neque in Choro, neque in Capitulo ordinem facere, omneſque pro libitu poſſe amoveri, addit: olim verò ad eos in Feſto Innocentium officium ordinare ſpectâſſe, Domini. Macer ait in *Hierolex.* Meminit Benno Cardinalis *Archiacolythi Eccleſiæ Romanæ.*

ARCHIAS, Archon Athenis, Olymp. 108. annô 3. Item Imperator Corinthius ex Hercule oriundus, Syracuſarum an. 13. Urb. Romæ, Conditor, cui cum ab Oraculo conſulto optio daretur ſanitatis ac divitiarum, has legit. Vide Scholia *in Ariſtoph. Equit.* Dionyſ. Halicarn. *l.* 2. *Volaterran.* Achæus fuit, & Myſcellum quoque in condenda Crotona adjuvit. An ab eodem *Aricia* condita? Ita certè mavult *Salmaſ.* quàm ab Archilocho Poëta, quod Solinus ait, *c.* 2. Condidit autem Syracuſas, circa Olymp. 11. quò tempore Eumelum ἐποποιὸν, Corinthium itidem, floruiſſe, ex *Clemente Alex.* diſcimus Sed & ab *Archia*, alii Calondam vocatum, Archilochum Poëtam in prælio interfectum, ſcribit Plin. *l.* 7. *c.* 29. Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim.*

ARCHIAS, Architelis fil. ſive puer, qui cùm in Oenei convivio manibus aquam infunderet, condylô ab Hectore eſt interfectus. Cæl. Rhodig. *l.* 4 *c.* 3.

ARCHIAS, cujus integrum nomen, *Aulus Licinius Archias*, Poëta Antiochenus, Romæ claruit, adjutus à familia Lucullorum, & nonnullis Græcis civitatibus donatus, Ciceroni imprimis familiaris, diſcedens è Sicilia cum L. Lucullo Heracleam venit, cujus auſpiciis in eandem civitatem adſcriptus eſt. Dein, lite motâ a Græco quodam, Cicero ipſum luculentâ oratione defendit, ubi multa de laudibus Poëticæ dixit. *Aſcon. Ped.* Item alius Hyblæus præco celeberrimus. *Jul. Pollux.*

ARCHIAS, Thebanus, qui cùm in adulterio deprehenſus eſſet, quanquam pœnam meritus fuiſſet; quia tamen legibus ſancitâ pœnâ non fuerat adfectus, ſed contumelioſiſſimè in forum ad palum publicè vinctus, vindictæ cupiditate Oligarchicos oppreſſit. Ariſtotel. *Polit. l.* 5. *c.* 6. Vide quoque infrà, voce *Epidauria.*

ARCHIATRI, Medici Principis & qui in ſacro palatio militant, *l. un. de Comitibus & Archiatris ſacri Palatii*, ad quam, de eorum dignitate, multa congeſſére Cujacius & Joh. Filefacus *Selectorum l.* 1. *c.* 328. Vide etiam Jacobum Gothofredum *ad tit. de Medicis Cod. Theodoſ.* Altaſerram *ad Epiſtolar. Gregorii Magni l.* 2. Aliosque nec non infrà voce *Medici. Archiatros* Galliæ Regum, à Mareleſo, qui ſub Childeberto Rege id munus ſuſtinuit, uſque ad Antonium d'*Aquin*, qui hodiernus Regia *Archiater* eſt ordine recenſet in ſuo *Gloſſario*, Car. du Freſne, quem vide. *Phyſicos Regis* nonnullos eorum appellatos eſſe, reperies *ibid.* Hinc *Archiatria dignitas*, *l.* 8. *Cod. Theodoſ. de Archiatris.*

ARCHIBIADES, Byzantius legatus, à Memnone miſſus ad Leucονem Phoſphori Tyrannum, explorandæ ejus potentiæ. *Polyæn. l. 5. c. 44.*

ARCHIBIUS, Apollonii fil. Grammaticus, in Callimachi epigrammata enarrationem ſcripſit. *Suidas.* Item alius Grammaticus, qui Romæ docuit ſub Trajano. *Idem.*

ARCHICANCELLARIUS, in *Charta veteri* Lotharii Imperatoris A. C. 844. apud Car. du Freſne, *Agilmarus venerabilis ſanctæ Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus & ſacri Palatii noſtri Archicancellarius dicitur*, qui ceteris Aulæ vel Palatii Cancellariis ſeu Notariis præerat. *Summus Cancellarius*, Hincmaro *de Ordine Palat. c. 16.* *A ſecretis*, & Græcè voce Latinam æmulante, Ἀρχιγραμματεὺς et πρωτονοτάριος, in Aula Græca, de qua vide infra. Maximè autem *Archicancellarii* titulus obtinuit, ſub Regibus Franciæ 1. & 2. ſtirpis, & Imperatoribus poſtea Germanicis. Qui cùm Italiam & Galliam Archatenſem, ſolemni Procerum comitatu, frequentes adirent, copias inſtructas è Nobilibus civibusque collectas, per urbes agroſque diſtribuebant, adjunguntque à corpore Cæſaris & Procerum prohibendas; inveſtituras concedebant, ſidem in Comitiis publicis à Proceribus Imperio ſubditis accipiebant, diplomata ſcribebant & *Archicancellariis* ſuis, quos pro numero Regnorum aras habebant, tradebant obſignanda. Quam dignitatem Archiepiſcopos Moguntinum, Trevirenſem & Colonienſem, jam antequam Electorum Collegio aſcriberentur, habuiſſe, luculenter oſtendit Bern. à Mallinckrodt *l. de Archicancellariis Imper. Rom. p. 31. & ſeqq.* Et quidem Moguntino Germania obtigit; Trevirenſi Gallia; Colonienſi, Italia: ſic ut ſuam quiſque provinciam, prout Imperator ſedem mutâſſet, negotiis gerundis, diplomatis ſignandis, atque omnium queſtibus audiendis dirimendiſque controverſiis, adminiſtraret: quod ab Ottonis M. ævo repetit Browerus *Annal. Trevir. l. 16.* Vide Car. du Freſne *Gloſſ.* ubi ex Præſulib. Trevirenſibus primum Boëmundum titulum *Archicancellarii* ſibi vindicâſſe, notat ex eodem Browero. & Henr. Kippingium *Method. nov. jur. publ. l. 2. c. 6.* Præter hos occurrit *Archicancellarius Burgundiæ Regni*, dignitas, quâ Archiepiſcopus Viennenſis in Galliâ præfulget, confirmata à Friderico I. Imperatore in favorem Stephani Archiepiſcopi diplomate A. C. 1157. quod habetur in *Vienna* Johannis à Boſco & Levrii c. 42. &c. Car. du Freſne *ibid.* Item, *Archicancellarius Imperatricis ſeu Auguſtæ*, dignitas Abbatis Fuldenſis in Germania conceſſa antiquitus: ut quàm una cum prærogativa ſedis Berthous Abbas jam ſub Lothario Imperatore eam & ipſe, à Majoribus acceptam, ſibi aſcripſit: Confirmata certè Henrico Abbati & ſucceſſoribus ejus legitur, à Carolo IV. *in Diplom.* A. C. 1358. quod recitat Goldaſtus *Conſtitut. Imp. Tom. II. p. 344.* illud adjiciens: Abbatem, quoties Imperatricem vel Reginam Romanam coronari aut in veſte Imperiali ſeu Regia comparere contigerit, id tunc habere muneris, ut illam coronam, cùm more vel ordine poſcente, à capite ejus deponi necesse eſt, deponat ac teneat, capitique ejus imponat. Vide quoque Christoph. Browerum *Antiqq. Fuldenſ. l. 2. c. 15.* Car. du Freſne *Gloſſ.* Georg. Hornium *Orb. Polit.* et quæ infra, ubi de *Fuldenſi Abbate*.

ARCHICANTOR, in Eccleſia Romana Primicerius Scholæ Cantorum. Beda *l. 4. c. 18.* *Johannes Archicantor Baſilicæ Vaticanæ*, *& S. Martini Abbas*, *tanquam delegatus Apoſtolicus*, *ad Synodum Anglicanam*, *ab Agathone Papa*, A. C. 769. *miſſus*, *Britannos cantum*, *juxta Vaticanum ritum*, *docuit.* Idem cum *Archiparaphoniſta*, de quo infra.

ARCHICAPELLANUS, qui & **CAPELLANUS** per excellentiam, dicebatur olim, *qui omnem Clerum Palatii ſub cura & diſpoſitione ſua regebat*, Hincmarus *de Ordine Palatii c. 16.* Seu, qui Palatinis Oratoriis & Sacellis erat præfectus. Cujuſmodi Regum Miniſtri primitus *Abbates* dicebantur, ut de Angilberto *Archicapellano* Caroli M. legimus, apud Car. du Freſne, in voce *Capellani*. Habebant hi *Archicapellani*, magnam cum Summis Cancellariis affinitatem; imò non deſunt, qui credant, non ſolùm ſub prima & ſecunda Regum Franciæ ſtirpe, ſed & ſub tertia, *Archicapellanos* & *Archicancellarios* eodem functos munere; ut ex Diplomatum ſubſcriptionibus probant, in quibus utriuſque hiſce promiſcuè uſi leguntur. Adeoque non modò reliquias ſervabant atque adeò Cimelia & Archiva Regia (quod antiquitus eorum munus fuit) ſed Archicancellarii quoque officia poſtmodum obiêre. Quod cùm ægrè paterentur Eccleſiæ Gallicanæ Patres, ſtatutum Concil. Cabillonenſi II. A. C. 813. *can. 44. Presbyteros villicos eſſe non debere --- Cancellarios publicos eſſe, mundana inſolenter peragentes*, &c. Sed & Clericorum cauſis eos fuiſſe præfectos, docet Walafridus Strabo *de rebus Eccl. c. ult.* Adeoſdem Regiæ inſuper menſæ benedictionem ſpectâſſe; Theodulfus Aurelian. *l. 3. Carm.* de Hildeboldo Archicapellano, *p. 185.* his verbis docet,

Adſit Præſul ovans animo vultuque benignus,
Ora beata ferens, & pia corda gerens,
Quem ſincera fides, quem tantus culminis ordo,
Petrus & innocuum Rex tibi, Chriſte, dicat.
Det benedicturus Regis potumque cibumque,
Sumere quæ etiam Rex velit, ille volet.

Apud præfatum Gloſſarii Auctorem, è quo etiam nomina *Archicapellanorum* Palatii Francici ſubjungere viſum eſt.

Archicapellanorum Palatii Francici ſeries.

Ruſticus, poſtea Epiſcopus Cadurcenſis, Abbas Palatini Oratorii, ſub Chlotario I.
Bertharius, poſtea Carnutenſium Epiſcopus ſub Chlotario II.
Ricolfus, ſub Dagoberto.
Launus, Abbas S. Eparchii, poſtea Epiſcopus Engoliſmenſis, ſub Pipino.
Fulradus, Caroli Martelli ex fil. Hieronymo nepos, Abbas S. Dionyſii, ſub eodem.
Andreas, ſub Carolo M.
Landebertus, ſub eodem.
Ingelramnus ſeu, Engelramnus Epiſcopus Metenſis, ſimiliter.
Hildibaldus, Archiepiſcopus Colonienſis, *Capellanus*, *Apocriſiarius* & *Archicapellanus S. Palatii*, promiſcuè dictus, ſub eodem & filio ejus Ludovico Pio.
Angilbertus, Berthæ Caroli M. geniitæ maritus, poſteà Abbas Centulenſis, ſub Pipino Italiæ Rege.
Hilduinus, Abbas Monaſterii S. Germani Pariſ. ſub Ludovico Pio.
Fulco, ſub eodem.
Drogo, Caroli M. fil. nothus, Metenſis Epiſcopus, ſimiliter.
Guntharius, Archiepiſcopus Colonienſis, ſub Lothario.
Ebroinus, Epiſcopus Pictavienſis, & Abbas S. Germani de Pratis, ſub Carolo Calvo.
Gozlinus, Abbas ibidem, ſub eodem.
Joſeph, Epiſcopus Eporedienſis, ſub Ludovico Lotharii filio.
Fridebaſtus ſeu Fridebertus, Epiſcopus Pictavienſis, ſub Pipino Rege Aquitaniæ.
Remigius, Archiepiſcopus Lugdunenſis ſub Carolo Rege Burgundiæ, Lotharii Imperatoris filio.
Grimaldus, Abbas S. Galli, ſub Ludovico III.
Adventius, Epiſcopus Metenſis, ſub Lothario Rege Lotharingiæ.
Orthaldus, ſub Ludovico Rege Bajoariæ.
Granoldus, ſub eodem.
Deotmarus, ſub Arnulpho Rege.
Theotmarus ſub Arnulpho Lotharingiæ Duce.
Hermanus, ſub Zuentibaldo Rege.
Rutgerus, ſub eodem.
Balduinus, ſub Henrico I.
Radbodus, ſub Carolo Simplice, A. C. 917. Poſtea deſiit hæc apud Francos *Archicapellanorum* appellatio, & in *Capellanorum*, dein in *Primorum & Magiſtrorum Capellanorum Regis*, titulum tranſiit. Hodie *Magiſtros Oratorii Regis* vocant, de quorum dignitate ac munere videndus Miramontius *de Præpoſito Hoſpitii p. 40. &c.* In Flandria, *Archicapellani Flandriæ*, titulo gaudet Præpoſitus Eccleſiæ Brugenſis. In Germania *Archicapellanus Imperatricis*, eſt Abbas Maximini Trevirenſis, ut auctor eſt Nicolaus Zyllesius *Defenſ. ejuſdem Monaſterii, part. 1. ſect. 2. §. 4. &c.*

ARCHICHORUS, apud Bernardum Monachum *in Conſuetudin. Cluniac. MSS. c. 25.* Præcentor eſt, qui Choro, dum ſacra liturgia peraguntur, præeſt, Gall. *qui tient le Chœur*; Car. du Freſne. *Gloſſar.*

ARCHICLAVUS, in *veteri Charta*, quæ extat *Biblioth. Sebuſ. l. 2. c. 1.* ubi Petrus Apoſtolus *Archiclavus totius Monarchiæ Eccleſiarum* appellatur: ſeu *Archiclavis*, apud alios, dignitas in Communione Romana eſt Eccleſiaſtica, eadem cum *Theſaurarii* in Eccleſiis Cathedralibus & Monaſteriis, quæ quidem dignitatis appellatio in Eccleſia S. Martini Turonenſ. maximè viguit. Car. du Freſne *Gloſſar.* Archidiaconali dignitate ſuperiorem fuiſſe, colligit Macer ex ordine in ſubſcriptionibus, *Signum Arnulfi Archiepiſcopi*, *ſignum Guarcilami Archiclavi*, *ſignum Jonæ Archidiaconi*, &c. Sed *Archiclavum*, Regentem interpretatur ſeu Gubernatorem Eccleſiæ ac Monaſterii, vocemque à *clave* deducit, in *Hierolex.*

ARCHICOMES, titulus Comitis Flandriæ, ob magnam ejus potentiam, datus à Gulielmo Britone *Philipp. l. 4.*

Flandricus Archicomes; *Francorum Rege relicto*,
Regis ad Anglorum partes jam tranſtulerat ſe.

Sed nimis auſpicatè, ait Spelmann. *Gloſſar.*

ARCHICUBERNUS, vide Gothofredum *ad l. 64. in princ. ad SC. Trebell.* & infrà *Archigubernus*.

ARCHICUSTOS, in Eccleſia Romana dignitas eſt in Monaſteriis majoribus Ordinis Benedictini. Idem cum *Capicerio*, vide infrà.

ARCHIDAMIA, Cereris Sacerdos; Ariſtomenem Meſſeniorum Στρατηγὸν αἰχμάλωτον, à Matronis Cereris Feſtum in Ægilis agentibus captum, non pretiô, ſed amore, addictum, ipſâ eâ nocte, dimiſiſſe dicitur, cum vinculis exuſtis aufugiſſe ſimulans. Pauſaniæ *in Meſſeniacis.* Vide ſuprà *Agilæ*.

ARCHIDAMIA, mulier Spartana, Cleadæ Regis filia quæ Lacedæmoniis deliberantibus mulieres in Cretam mittere, cum gladio in ſenatum venit, viros purgans, quaſi victuros fœminis, Spartâ eversâ. Plutarch. *in Lycurgo & Agide*, Polyænus *l. 8. c. 49.*

ARCHIDAMUS I. fil. Theopompi Spartanorum Regis, ante patrem mortuus: pater fuit Zeuxidami I. qui avo ſucceſſit, ut videbimus ſuô locô.

ARCHIDAMUS II Anaxidami fil. ex Eurypontidis XII. ſucceſſorem habuit Agaſiclem fil. quem vide.

ARCHIDAMUS III. Rex Spartanus, Ageſilai II. fil ex Proclidarum ſeu Eurypontidarum familia, Cleomenis III. Euryſthenidæ collega rogantibus ſociis, quantum pecuniarum foret ſatis ad bellum Peloponneſiacum, ſcitè reſpondit: *Bellum ordinaria non quæ-rere.* In aliis hujuſce Dictionarii editionibus *ordinata* legas, propriè ad mentem Plutarchi, apud quem τεταγμένα legitur, *in Agide & Cleomene.* Pater fuit Agidis II. & Ageſilai, regnavitque ann. 42. Helvicus *Theatro Chronol. p. 67.* Ab eo bellum Peloponneſiacum *Archidamium* quoque dictum eſt, quod ultimô ejus annô cœpit.

ARCHIDAMUS IV. Rex Spartanorum *Archidamus Diodoro* quod idem cum Ἀγις, Doricè ſit Ἀγιδ.., Leotychidæ Regis ex filio Zeuxidamo nepos, avo ſucceſſit, ex Eurypontidarum ſeu Proclidarum familia XVI. (ſi Demarati locô Leotychidem decimô quintô locô numeres) collega Pliſtoanactis Euryſthenidæ, Arcadas, Argivoſque vicit, tropæis erectis, Xenoph *l. 7.* auxiliô Tarentinis miſſus, in pugna ſtrenuè ac fortiter dimicans occubuit, cætera laudabilis, niſi quod ſe piaculi Phocenſium participem feceris & auctor extiterit

teſtat Delphorum occupandorum. Regnavit annos viginti tres, ſucceſſore filio Agide IV. Olympiadis centeſimæ octavæ anno tertio, Diodor. Sic. l. 16. f. 543. At in fine illum occubuiſſe ſcribit, Olympiadis centeſimæ anno tertio f. 556.

ARCHIDAMUS V. fil. Eudamidæ I. Lacedæmoniorum Rex, pater fuit Eudamidæ II. Pauſan. *Laconicis.*

ARCHIDAMUS, Princeps Lacedæmoniorum, Telidas fil. Methonem ad Athenienſium exercitum, deficientem recipit: in bello contra Pylum primus è navi proſiliens, non vulneratus eſt, ſed ſcutum dimiſit; denique adverſus Amphipolim ſtrenuè decertavit. Inſimulatus poſtremo, quod Thraciæ Regis amicitiæ ſtuderet; damnatus eſt. *Suidas.*

ARCHIDAMUS, Rex Spartanorum vicit Helotas; poſt inſignem terræmotum, quo Sparta graviter erat afflicta. Diodor. Sic. *l.* 11. Vide ſuprà.

ARCHIDAMUS, fil. Ageſilai, qui ſubſidiarias duxit copias Cleombroto ad Leuctra. Diodor Sic. *l.* 15 *f.* 486. m. Alterum cornu in prælio Leuctrico tuitus, in quo cæſus eſt.

ARCHIDAMUS, fil. Anaxidami. Item, fil. Xenii Theopompi, item & Zeuxidami, qui Platæas occupavit.

ARCHIDAMUS, Epiſcopus. Vide Athanas. *apol.* 2. Baron. *A.C.* 347.

ARCHIDAS, Athenienſium Dux nomine, ſed reipsâ tyrannus, à ſuis eſt interfectus; Plut. *in Ageſilao.*

ARCHIDEMIA, fons Siciliæ. Plin. *l.* 3. *c.* 8.

ARCHIDEMUS, Dialecticus, apud Cicer. *in Lucullo.*

ARCHIDEMUS, Philoſophus Stoicus, ſponte ad Parthos exulatum iit, ſucceſſoribus Babylone relictis. Plut. *de exilio.*

ARCHIDIACONUS, in Eccleſia Romana ſanè dignitatis olim fuit, ut *Epiſcopi Vicarius* in *Ordine Romano*, & *Oculus Epiſcopi* in *Ep.* Clementis alibique paſſim appelletur. Ejus officium inter alia erat, ut Eccleſiaſticum theſaurum, unà cum cæteris Eccleſiæ Diaconis cuſtodiret atque diſpenſaret; uti videre eſt ſuprà in voce *Arca Eccleſiarum.* Reliqua exequitur pluribus Ebo Archiepiſcopus Remenſis *Indicul. de Miniſtris.* Habebant præterea juriſdictionem ſuam, quæ *Audientia Archidiaconi* dicitur, *l.* 5. *Capitul. c.* 171. ſed quaſi *Officiales Epiſcopi*, uti appellantur Radulfo de Diceto in *Imagini Hiſtor. p.* 587. Unde ab eorum ſententiis appellabatur ad Epiſcopum & propterea inter Ordinarios accenſentur ab Innocentio III. Pontif. *l.* 14. *Ep.* 44. At mores eorum in juſtitiâ adminiſtranda tales erant, ut graviter in ævi ſui *Archidiaconos* invehatur Johannes Sariberienſis, ut videre eſt in *Ep.* ejus 156. Imo jam longè anteà *Archidiaconorum cupiditas* notata eſt, ut ex *Capitulari A.C.* 844. *c.* 12. & *Addit.* 4. *Capitul. c.* 145. Car. du Freſne obſervat. Vide quoque infrà voce *Procuratio*, ubi de Richmondiæ in Anglia *Archidiacono* luxu prodigioſo. Interdum verò in Eccleſiis Cathedralibus plures *Archidiaconi* inſtituti, uſque ſui diſtrictus attributi leguntur, in quibus viſitationes ſuas quotannis exercerent; atque hi à diſtrictuum ſuorum appellationibus nomen accepêre, vide infrà in voce *Circumluſtrator.* Prærogativas *Archidiaconorum* quod attinet, *Archidiaconus* Eccleſiæ Romanæ ſedebat coram Pontifice, Baron. *A.C.* 1097. imò vicarius ejuſdem erat in cauſis Eccleſiaſticis, ut ex *Ordine Rom. c.* 7. *de Offic. Archidiaconi* & 25. *diſt. can.* liquet. Idem de Jure *Datarii* officium exercebat, *Ibid.* ac officiô Magiſtri Cæremoniarum antiquitùs defungebatur. In Eccleſia Anglicana olim *Archidiaconi*, poſt Epiſcopos & Abbates, primum habuêre locum & Decanos ipſos anteivêre: quod hodieque in Eccleſia Galliæ Cadurcenſi obtinet: alibi verò Decani præcedunt. In Eccleſia Conſtantinopolitana, in die Crucis Exaltationis induebatur Archidiaconus Sacerdotali caſulâ, ut *Curopalata* notavit; quia tum officium Sacerdotis, ex ordine Exocatacœlorum, obibat, vide infrà, & plura hanc in rem apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & Martos Fratres *Hierolexic.* ut & infrà, in voce *Protodiaconus.* Hinc *Archidiaconatus*, ipſum Archidiaconi munus; quos feudi jure poſſeſſos à Viris ſecularibus, etiam tempore Caroli Magni, patet ex ejus *Capitulari* 1. A.C. 805. *c.* 15. *Capitulari* 4. ejuſdem anni *c.* 2. *l.* 1. *Capitular.* 111. & *l.* 6. *c.* 166. ubi illud vetitum. *Archidiaconatus* quoque *dati ad firmam*, quoad jura ſpiritualia, meminit *Provinciale* Eccleſiæ Cantuar. *l.* 5. *tit.* 4. Vide infrà in voce *Præſentatio.* Apud Innocentium III. Pontific. *l.* 14 *Ep.* 120. mentio eſt *Archidiaconatûs Menſa*, in Eccleſia Pompejopolitana; cujus curæ erat *menſa & reditus* Capituli ejuſdem Eccleſiæ. Etiam *Archidiaconatus ſuper totam Parochiam Croylandiæ*, occurrit apud Ingulfum in *Hiſtor. Croyland.* Cujuſmodi *Archidiaconi* in Monaſteriis dicebantur *Archidiaconi Abbatum*, ut notat Car. du *Freſne*: Sed & ipſos Abbates *Archidiaconi* munere nonnunquam functos eſſe, legimus apud Lupum Ferrar. *Ep.* 80. extatque *Charta* A.C. 1061. quâ Epiſcopus Abrincenſis Abbatem S. Michaëlis in Monte *Archidiaconum* ſuum conſtituit, in dicto Monte, ſub certis conditionibus apud *Jac. Petitum*, &c.

ARCHIDIACONUS S. Eccleſiæ Romanæ, uti habet Cencius Cardin. in *Ceremoniali*, ſeu *Primus in ordine Diaconi Sedis Apoſtolicæ*, uti habet Gregorius M. *l.* 2. *Ep. Præfat.* dignitas fuit, quâ functus legitur Gelaſius II. antequam Pontifex fieret, in ejus Epitaphio memoratâ: ut & alii Pontifices, ante Papalem dignitatem impetratam. Abrogata dein, uti refert *Panvinius*, à Gregorio VII. qui ipſius locô Camerarium inſtituit, ut arcam & ærarium Eccleſiæ ſervaret: quod Camerarii potiſſimum, ut & Diaconorum ac Archidiaconorum olim munus fuit. Occurrunt tamen poſt Gregorium VII. aliquot *Archidiaconi Eccleſiæ Romanæ*, ſub Urbano II. & Innocentio II. apud Eadmerum *l.* 2. & Guil. Tyrium *l.* 13. *c.* 13. meminitque præterea dignitatis hujus *Cencius* prædictus, apud Baronium *A.C.* 1191. Car. du Freſne *in Gloſſ.* laudatum. Vide & *Diaconus.*

ARCHIDIUM, Cretæ urbs. Pauſan. *l.* 8.

ARCHIDONA, oppid. Hiſpaniæ in Andaluſia, prope confinia regni Granatenſis, Parvum & in edito colle. Item oppidul. Americæ meridionalis in Peruvia, & provinc. Canela, verſus Napum fluv. & Abulam, oppid. paucis conſtat incolis.

ARCHIDUX Auſtriæ, primus dictus eſt Fridericus III. Imperator. Bertius *Rer. Germ. l.* 2. *c.* 27. Maximilianus I. fil. ejus Spenero *Sylloge Genealogico-Hiſtor.* Sunt tamen qui Carolum IV. hujus honoris auctorem faciant, vide Conringium *Animadverſ. ad Ser. in Lampadium de Rep. Rom. Germ. Part.* 3. §. 3. imò & qui Fridericum II. M. Zuer. Boxhornius *Chronol. p.* 56. idque A.C. 1245. Vide infrà voce *Auſtria.*

ARCHIDUCIS titulus, à Scriptoribus paſſim majoris auctoritatis ac potentiæ Ducibus adſcriptus legitur. Sic in Chron. Trudonis *l.* 1. Pipinus ſub Dagoberto, *Auſtrae ſeu Auſtraſiæ inſtructus Archidux*; Apud Sigebertum A.C. 959. Bruno Archiepiſcopus Colon. & *Archidux Lotharingiæ*: apud Winterum *Chron. l.* 1. *c.* 27. *Lotharingiæ & Brabantiæ Archidux*, dictus eſt. Gilbertus Borbonius Comes Monpenſerius à Carolo VIII. Galliæ Rege *Archidux Ceſſe*, in Regno Neapolitano eſt electus. *Palatinorum Archiducum*, in Charta Friderici I. Imperatoris A.C. 1156. pro erectione Auſtriæ in Ducatum, apud Miræum *Donat. Belg. l.* 2. *c.* 58. mentio fit. Hodie in ſola Auſtriaca Familia titulus hæret, qua de re ſic Spigelius, apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid. Archiducis appellationem primus Bruno, frater Ottonis Imperatoris ejus nominis primi, inſolenter aſſumpſit. Id poſtea Carolinianorum Principes uſurpârunt, quibus extinctis, ad Auſtriacos ſimul cum ditione tranſiit*, &c. Vide etiam in voce *Dux.*

ARCHIELECTUS, i.e. in Archiepiſcopum electus, dicitur Henricus, apud Cæſarium Monachum Heiſterbacenſem in *Chron. MS. Archiepiſcoporum Colonienſium*, *A. Corvæo*, Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARCHIEPISCOPI vox, à Patriarchis Alexandrinis primum invecta videtur, qui, cum primo ſoli eſſent in Ægypto Epiſcopi, creatis ſubinde aliis, ut eſt in Eutychio *Originib.* hunc ſibi titulum vindicârunt. Primus verò hoc uſus vocabulo S. Athanaſius, *Apolog.* 2. Alexandrum Patriarcham Alexandr. ſic indigitans. Dein in Concilio Epheſino A.C. 431. Cyrillus Hieroſolymorum & Cæleſtinus Romanorum *Archiepiſcopi* appellantur. Leo quoque I. in Concilio Chalcedonenſi: & de Felice Anaſtaſius, *Venerabilis beatæ Archiepiſcopus ſedis Apoſtolicæ urbis Romæ.* Vide Cujacium ad *Novellam* 11. Marinum *Mercatum l.* 1. *c.* 20. Alios. Eſt autem dictus *Archiepiſcopus*, *qui totius provinciæ curâ* ... 9. *can.* ... *c.* 2. & *ſeqq.* atque ad eum conſtituendum *X.* vel *XI. Civitates & unus Rex, decem vel undecim Epiſcopi Suffraganei*, requiri conſuevêre, *Can. Scitote* 6. *quæſt.* 3. Ipſe verò in provinciæ Metropoli reſidebat, hinc *Metropolita* ſeu *Metropolitanus* quoque dictus; item *Primas*: donec multiplicatis in eadem provincia Metropolitis, *Primus* dein eſt appellatus, qui cæteris Comprovincialibus præeſſet. Sed & interdum *Archiepiſcopi* vocati ſunt, ipſi Epiſcopi, quibus pallii jus a Romano Pontifice conceſſum eſt: cum quibus ſimile quid videntur habere Græcorum illi Archiepiſcopi, quos à Metropolitanis ſic diſtinguit Balſamon *in Medit.* ut Metropolitanum dicat, Epiſcopos ſub ſe habere, in quos jus exerceat; Archiepiſcopum verò nullos: Perinde namque Epiſcopi hi in Eccleſ. Roman. nullum jus habent in alios Epiſcopos, ſolâ pallii dignitate & Archiepiſcopali titulô cæteris ſuperiores. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Martum *Hierolex.* Qui verò *Archiepiſcopalis S. Palatii* dictus apud Scriptores occurrit, idem cum Archicapellano eſt, &c. De *Epiſcopi*, *Archiepiſcopi* ac *Patriarchæ* diſcrimine ſic Bertramus: *Comprimis*, inquit, *Epiſcopi pares eſſent, & unum haberent Epiſcopatum, atque à communi Concilio Eccleſiæ ejuſdem provinciæ per Synodos regerentur; dein Metropolitanorum ſeu Archiepiſcoporum nomina nota ſunt: eratque Metropolitanus Epiſcopus ejus urbis, quæ provinciæ erat caput. Illius officium, Synodos convocare iiſque præſidere & recens electos Epiſcopos confirmare* ... *honore potius, quàm poteſtate, reliquis Epiſcopis major eſſet — Cum verò à Conſtantino plures provinciæ in unam diœceſin redigerentur, ſuper Metropolitanos conſtituti ſunt Patriarchæ ſeu Primates, Exarchi Diœceſium dicti &c.* Addit Cardinales, qui Epiſcopis ac Archiepiſcopis hodie longè præeminent, olim autem Presbyteros vel Diaconos ſeptem regionum ſeu cardinum Eccleſiæ fuiſſe, *Syſtem. Part.* 2. *p.* 140. &c. Hodie in Imperio Romano *Archiepiſcopatus*, ſunt vel *Electorales*, ut *Moguntinus*, Cancellarius Imperii per Germaniam, qui jus coronandi Cæſaris ſibi vindicat; *Trevirenſis*, Cancellarius per Galliam & *Colonienſis*, Cancellarius per Italiam, qui cum Moguntino de jure modò dicto contendit; vel *Non-Electorales*, ut *Salisburgenſis*, Legatus Sedis Romanæ & Germaniæ Primas; *Veſontionenſis & Cameracenſis*: Magdeburgicus enim & Bremenſis in Principatus ſeculares ſunt converſi. Sed & Veſuntionenſis ac Cameracenſis Galliæ Regi jam addicti ſunt. Georg. Hornius *Orb. Polit. p.* 166 & *ſeqq.*

ARCHIEREUS, per contemptum dictus ab Antiochenſibus, Ægyptiis, Alexandrinis, Alexander Severus Imperator apud Æl. Lamprid. in *Vita* ejus: *c.* 28. ex Græco, Ἀρχιερεύς. Vide etiam infrà in *Archiſynagogus.*

ARCHIEUNUCHUS, Cubiculariorum Regiorum Princeps, apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

ARCHIFRATER, dictus Theochariſtus in *Chron.* S. Maximi Martyr. apud Baronium *A.C.* 656.

ARCHIFUR, S. Princeps furum apud Ægyptios, memoratur Diodoro Sic. *l.* 5. Lex fuit, *ut qui operam darent furto, nomen profiterentur*, ... Ἀρχιφῶρα, *apud Principem furum, ſpontéque rem furtô ſurreptam ad illum protinus deferre, ut, quorum ablatum, hi ad illum ſcriberent de re quaque amiſſa, & de ſitu & loco, die & hora. Hoc modô rebus facile repertis qui amiſit ſua recuperavit quarta parte perſolutâ.*

ARCHIGABUS, Sacerdotum Cybeles, magnæ matris Deorum, antiſtes dicebatur, quem adeò ingenioſè ridet Tertull. *in Apol. c.* 25. & *de Reſurr. Carnis. c.* 27. ut & *Julius Firmicus.*

ARCHIGALLUS, ſummus præſes caputque Gallorum, Cybeles Sacer-

Sacerdotum, qui aliàs Curetes, Corybantes & *Idæi* quoque *Dactyli* vocati ſunt. Tertullian *de Reſurr. carnis. Et tamen calicem non dico Venenum, in quem mors atque ructaret, ſed præbentis, vel Archigalli, vel gladiatoris, aut carnificis ſpiritu infectum, quæro an minus damnes, quam oſcula ipſorum?* Et in omnes Gallos ſeu Cybeles myſtas ſummum fuit imperium, primuſque is cymbala prælata in illis ſacris pulſavit. Juvenal. *Sat.* 9. v. 62.

Cymbala pulſantis legatus ſit amici:

Ubi vetus *Scholiaſtes: Archigalli*, inquit, *cymbala percutientes, ac per hoc Gallo, inquit, legetur, i. e. legatario donabitur.* Sic intelligendus Claudian. *in Eutrop. l.* 1. v. 278.

Vel ſi ſacra placent, habeat pro Marte Cybelen,
Rauca Celenæ ad tympana diſce furores,
Cymbala ferre licet, pectuſque illudere pinus,
Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris.

Ubi *Cymbala ferre*, rectè dictum, ad *Archigalli* officium deſignandum, &c. Vide Thom. Dempſter. *in Antiqq. Rom. Roſini l.* 2. *paral. ad c.* 4.

ARCHIGENES, Medicus, Apameâ Syriæ oriundus, fil. Philippi, diſcipulus Agathini, artem hanc ſub Domit. Nerva, Trajanoque profeſſus eſt. Obiit an. ætat. 73. Ultimô Trajani. In quem ſæpè invehitur Galenus. Vide Juvenal. *Sat.* 6. v. 236.

—— *Tum corpore ſanô*
Advocat Archigenem.

Idem *Sat.* 13. v. 98.

—— *Si non eget Anticyrâ, nec*
Archigene. ——

ARCHIGENES, Siculus, Ariciam urbem condidit.

ARCHIGERONTES, in *l.* 6. *Cod. de Epiſc. aud. Alciato* ſunt, qui procurant negotia Aulæ Principalis: *Hottomannus*, levi mutatione *Archigerontes* legit, & Principes fabrorum intelligit, ab ἀρχιγεροντῶν vel ἀρχιτεκτόνων Græc. Car. du Freſne in *Gloſſar.* ſunt primates plebis Alexandrinæ, ſeu qui quaſi Principes ſummóque honore & locô erant inter artifices, ex Jac. Gothofredo *ad l.* 1. *Cod. de Alexandrinis primat.* Carolo Macro, Decani *ſenum famulorum Palatii*, ex vocabuli ſignificatu, quaſi *Principes ſenum*, in *Hierolex.* &c. Hos Lex prædicta *Chriſtianos* eſſe vult, unde corrunt *Accurſio* ſuſpicio, Chriſtianorum Archipresbyteros, voce hâc denotari, exiſtimantis. De iiſdem ſic habetur in *Græcis* Juris Cæſarei *Paratitlis*, Μηδεὶς αἱρετικὸς ἀρχιγέρων ἢ διοικητὴς συστήματος ὁ τῶν ἐργαστηρίων ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γινέσθω, ἀλλὰ πάντως Χριστιανὸς ψήφῳ τοῦ Αὐγουσταλίου καὶ τῆς πεπιστευμένης αὐτῷ τάξεως, *Nullus hæreticus in Alexandria fiat* Archigeron, *ſeu collegii ſeu ergaſtotarum adminiſtrator. Sed omninò ſit Chriſtianus, interveniente curâ Auguſtalis & parentis illi officii.* E quibus verbis contendunt nonnulli indigitari hôc vocabulô Diœcetas & Alexandriæ Corporatorum Præſides, Anglis *Maſters or Wardens of Companies* Græcis διοικητὰς τῶν συστημάτων, &c. Vide Joh. Seldenum *de Synedriis veter. Ebræorum l.* 1. *c.* 14. *p.* 594.

ARCHIGETES, vel ARCHEGETES, Apollinis epitheton. Thucyd. *l.* 6. Aliis *Atqeuetes*, Græcis Ἀρχηγέτης, cui Camarinenſes, qui ſacram Solis inſulam incolebant, rem ſacram faciebant; uti Deo, qui ſemper exoriens gignitur, quique ipſe generat omnia.

ARCHIGRAPHUS, quaſi *Princeps Scriptorum*, Livius dicitur Albertino Muſſato *de Geſtis Henrici VII. l.* 1. *in Prologo.* Io *l.* 4. *de Geſtis Italic. poſt Henricum, Rubr.* 2. *Archigraphus Regiæ Majeſtatis*, Notarius vel Cancellarius Regius, appellatur. Vide ſuprà *Antigraphus.*

ARCHIGUBERNUS, Græcè Ἀρχικυβερνήτης, navis ſeu claſſis præcipuus gubernator ſeu præfectus. Javolenus. *l.* 36. *ff. ad SC. Trebell. Seius Saturninus Archigubernus teſtamentô reliquit hæredem Valerium Maximum Trierarchum*, apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

ARCHIJUSTITIARIUS, ſupremus Angliæ Juſtitiarius, apud Radulfum de Diceto. Vide *Juſtitia.*

ARCHILAIDAS Lacon, duxit olim exercitum magnâ cautione & prudentiâ. nam iter ingreſſurus, etſi ignorabat quid futurum eſſet; tamen tanquam tale aliquid accidere poſſet, prædicebat. Vide Polyæn. ubi vocatur *Arxilaidas l.* 2. *c.* 8. *ſ.* 117.

ARCHILE, Pentapoleos regionis in Africa oppid. *Ptol.*

ARCHILEVITA, vide *Levita.*

ARCHILOCHUS, Poëta Parius, perſecutus eſt Lycamben Socerum ſuum, quòd ei filiam pactam, nomine Neobulen, alteri collocaverat, eumque ad laqueum ob Iamborum petulantiam in eum ſcriptorum compulit. Horat. *de Arte* v. 79.

Archilochum propriô rabies armavit Iambô.

Idem *Epod. Od* 6. v 13.

Qualis Lycambæ ſpretus infido gener.

Et *l.* 1. *Ep.* 19. v. 25.

— — *Parios ego primus Iambos*
Oſtendi Latio, numeros, animoſque ſecutus
Archilochi, non res, & agentia verba Lycamben.

Ovid. *in Ibin*, v. 52.

Tincta Lycambeô ſanguine tela madent.

Quinctilian, *l.* 10. *c.* 1. *Archilochus primus inter eos, qui Iambos ſcripſere. ſumma in eo ...., elegantes ſant, vibrantesque ſententiæ; plurimum ſanguinis, & nervorum, &c.* Emicuit regnante Romulô, ut ait Cicer. *in Tuſculanis, init.* Hujus libros, ob inverecundiam & obſcœnitatem, Lacedæmonii e urbe tolli juſſerunt, authoremque eorum in exilium miſêre. Poſtremò à quodam, cui nomen Coraci, in bello interfectus fuit; cujus interfectores Delphis arguit Apollo, ob clariſſimum ejus ingenium. Herodot. *Clio*, *ſeu l.* 1. Clem. Alex. *Strom.* Cyrill. *l.* 1. *contra Julian.* Tatian. *contra gentiles*; Cicer. *loc. cit.*

C. Nepos, apud *A. Gellium*, *l.* 17. *c.* 21. Plin. *l.* 7. *c.* 29. Item Poëta Lacedæmonius, qui Romæ floruit, regnante Tullô Hoſtiliô. Item Neſtoris fil. qui patrem in expeditione Trojana ſecutus à Memnone interfectus eſt. Homer. *Il. β.* v. 823. *Nic. Lloydius.*

ARCHILOGOTHETA, apud Lambertum, indigitator Heribertus Colonienſis Archiepiſcopus in *Vita* ejus, i. e. *Archicancellarius*, ſeu *primus Cancellarius*, uti idem dicitur Ruperto Tuitienſi, c. 7. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide infrà in *Logotheta.*

ARCHIMAGIRUS, in *Vita* S. Vincentii Presbyteri Græcè Ἀρχιμάγειρος, *Princeps Coquorum*, vide infrà *Coquus*, item *Mundator.* Stiriæ *Archimagirorum* hæreditariam dignitatem, Germanis *Erbkuchelmeiſter-ampt*, Barones Wumprandios, poſtquam in regionem ex Auſtria conceſſiſſent, nactos eſſe, habes apud Spenerum *Oper. Herald. Parte* 2. *l.* 2. *c.* 113.

ARCHIMANDRITA, Græcè Ἀρχιμανδρίτης quaſi *Princeps mandræ*, de qua voce *infrà*, titulus eſt Abbatibus tribui ſolitus olim. Unde *Memphitici & Palæſtini Archimandritæ*, apud Sidonium *l.* 8. *Ep.* 14. Hodieque viget inter Latinos Eccleſiaſtica dignitas Meſſanæ in Sicilia, quæ prius Monachorum Baſilianorum erat, jam verò *in commendam*, ab Hiſpaniæ Rege Clericis ſecularibus conceſſa eſt, maximi honoris ac reditûs. Aliquando tamen quivis Prælatus ſic appellatur. Auctor *Vitæ* Severi Archiepiſcopi Ravennatis, quæ MS. ſervatur Romæ, in Biblioth. Sanctæ Mariæ Vallicellæ de Urbe, *Qualiter Beatus Archimandrita Severus ejus ſepulturæ fuiſſet divinitus deſtinatus.* Sic *Nov.* Juſtin. 5. *Hoc prohibent dilecti Dei Epiſcopi &* Archimandritæ. Hinc *Archimandritiſſa*, pro Abbatiſſa. Vide Dominicum Macrum *in Hierolex.* & ſuprà in voce *Abbas.*

ARCHIMEA, apud Capitolin. *in Maximinis*, c. 5. *Lupi quingenti ſimul ingreſſi ſunt in eam urbem, in quam ſe Maximinus contulerat: plerique dicunt Hemonam, alii Archimeam.*

ARCHIMEDEA Cochlea, vide infrà *Cochlea.*

ARCHIMEDEA Sphæra, vide infrà *Sphæra.*

ARCHIMEDES, Syracuſanus geometra; Cardano *l.* 16. *Subtil.* inimitabilis dictus, ſæpenumero invitus ad balnea ductus, dum perungendus in craterem conſtitueretur, per corporis unguenta, figuras ac lineamenta digito inſcribebat. Plut. *in Marcell.* Cicer. *l.* 1. *Tuſc. Qu.* cum eſſet in Sicilia Quæſtor, ſepulcrum ejus inter vepres inveniſſe gloriatur. Hic, tanquam Deus terrenus, mechanicô artificiô ſphæram vitream fecit, in qua mirâ converſione diſſimiles motus circulorum viſebantur. Claudian. *in Epigr.* 16. v. 5.

Jura poli, rerumque fidem, legeſque Deorum
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.
Incluſus variis famulatur ſpiritus aſtris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus Signifer annum,
Et ſimulata novô Cynthia menſe redit.

Marcellus in expeditione Syracuſarum interdixit, ne Archimedes unus violaretur, verùm cùm urbs caperetur, & ipſe animô, ac oculis in terram defixis, formas Geometricas deſcriberet, ab ignoto milite interfectus eſt. Erat autem Hieronis Syracuſanorum Regis propinquus, *unicus ſpectator cœli, & ſiderum*, ut Livii de eo *l.* 24. *c.* 34. verba ſunt, *mirabilium inventor, ac machinator bellicorum tormentorum fuit.* Julius Firmicus *Matheſ. l.* 6 *c.* 3. *Hic eſt Syracuſanus Archimedes, qui Romanos exercitus mechanicis artibus ſæpe proſtravit. Hunc Marcellus in triumpho victoria conſtitutus, ac inter ovantes militum ſtrepitus, laureaſque collocatus lugubri mœrore deflevit.* Quàm ſubtili ratione, quomodo argenti auro admiſti per fraudem menſura deprehendi poſſit, invenerit, narrat Vitruvius *l.* 9. *c.* 3. & Fannius Poëta vetus *de ponderibus.* Vide plura de illo, apud Val. Max. *l.* 8. *c.* 7. ex 7. Liv. *l.* 5. *dec.* 3. & *l.* 25 *dec.* 31. Voſſium *de Scientiis Mathem. c.* 16 §. 2 *ſ.* Fuit alius, Grammaticus Trallianus, qui edidit commentarios in Homerum, & mechanica. *Suidas*

ARCHIMEDIS Cochlea, continuô motu globos ſurſum ferens, per helices canales vitreos; qui motus perpetuus hydraulicus per rarefactionem peragitur: viſitur in *Muſæo* Kircheriano. Vide Georg. de Sepibus *p.* 4.

ARCHIMIMI, præcipui ſeu Principes Mimorum. Vide in *Mimus & Pantomimus.*

ARCHIMINISTER Sacri Palatii, Boſo Dux, Richildis Auguſtæ frater, ſub Carolo Calvo dictus repetitur in Synodo Ticin. A. C. 876. Suppo item, Picenus Comes, ſub Ludovico juniore apud Guil. Bibliothecarium in *Hadriano II.* Videtur idem fuiſſe cum Majore domus, cui apud Romanos Imperatores Magiſter officiorum par erat. Nec alia fortè dignitas *Miniſtri Imperatoris & Imperii*, quam Matfrido Proceri Palatii & Comiti Aurelian ſub Ludovico Pio adſcribit Agobardus, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARCHIMONASTERIUM, titulus Monaſterio S. Remigii Remenſis, Cluniacenſi, Saviniacenſi & Landavenſi, apud Scriptores tribuitur. Vide Car. du Freſne *Gloſſ.* & *Monaſticon* Angl. *Tom.* 3. *p.* 190.

ARCHINARA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

ARCHINOTARIUS, aliquando idem cum Archicancellario; Sic Halduinus Archiepiſcopus, modò *ſacri Palatii Notarius ſummus*, modò *Archicancellarius*, in *Chartis* Lotharii Imperatoris. Aliàs ab eo diſtinguitur: Ita in Diplomate Ludovici Imperatoris filii Lotharii in *Tabular.* Caſaur. ſubſcripſêre *Ruſtemirus Archinotarius*, una cùm *Traſlemiro Archicancellario*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARCHINUS, Ἀρχῖνος ἐν Θετταλικοῖς adducitur à Pindari Schol. *in Pyth. Od.* 5.

ARCHINUS, cùm Argivi arma cunctis civibus publicô ſumptu fabricarent, procurator ejus officii deſignatus, ſingulis civibus nova arma largiens, vetera, quaſi Diis ſuſpenſurus, accipiebat: Etenim ſic decretum fecerant Argivi. Poſtquam omnium vetera arma

ſolus collegit, armatis mercenariis inquilinis, Argivorum tyrannidem invaſit. Polyæn. *l.* 3. *c.* 8.

ARCHINUS, Rhetor quidam Athenienſis, qui Poëtis à Magiſtratibus conſtitutas mercedes intercepit & conſumſit. Schol. *in Ariſtoph. Ranis, Act.* 1. *ſc.* 7.

ARCHIOECONOMUS, in *Capitulis* Caroli M. *l.* 2. *c.* 29. qui Eccleſiarum œconomis præeſt.

ARCHIOENOCHUS, Græcè Ἀρχιοινοχόος, pincernarum ſeu pocillatorum, aut, ut Hieronymus *Quæſt. in Geneſ. ſub finem*, ait, *vinariorum Princeps*; vide infrà in *Pincerna*, & *Pocillator*.

ARCHION, locus juxta Byzantium, qui *Agios Phocas* nunc dicitur. *Pet. Gyllius.*

ARCHIOTA, in *Dig. l.* 30. *tit* 4. *l.* 18. §. 10. Græcè Ἀρχιώτης *Archiviſta* eſt, inquit Macer, *in Hierolex.* h. e. *Antiquarium*; cujuſmodi VII. Antiquarios ac peritiſſimos Scribas in ſua Bibliotheca, 4. nempe Græcos, & 3 Latinos, conſtituiſſe Valentinianum Imperatorem diſcimus ex *Cod. Theodoſ. h.* 2. *de Stud. Libr. Urb. Rom.* Vide quoque Gregorium M. *c.* 4. *Dialog.*

ARCHIPALATINUS Præſul, vide ſuprà *Archicapellanus.*

ARCHIPAPA ſeu PROTOPAPA, occurrit in Imperio Orientali, ſecundas obtinens ab Archiſacerdote, apud Codinum *de Offic.*

ARCHIPARAPHONISTA, Græcè Ἀρχιπαραφωνιστὴς, quaſi *primus Acclamator*, dicitur in Communione Romana Cantor principalis, cui oblationis tempore in ſacrificio, ut vocant, aquam præbere incumbebat. Cantores enim quòd canendo occupantur, non adſtricti erant, ſicut reliqui adſtantes, ad offerendum panem & vinum; ideoque à vicino ſolum fonte aquam petebant. *Ord. Rom. Deinde deſcendit Subdiaconus ſequens ſcholam & accipit fontem de manu* Archiparaphoniſtæ *& defert Archidiacono & ille ex amula infundit; faciens crucem in calice.* Idem in *Ceremonialibus* antiquis dicitur *Præcentor*, quia ad ipſum pertinebat Miſſæ introitum intonare, quod incipiebat per ſignum egreſſionis Papæ è ſacrario: Tunc enim ad januam accedens, ſub Pontificis egreſſum, mox reliquos miniſtris altà voce *Accedite* acclamabat; quæ ceremonia hodieque viget in Eccleſia Andegavenſi, in Gallia, ubi Præcentor, ante introitum, eòdem verbò ingreſſum chori denuntiat, & in quibuſdam feſtivitatibus *proceſſionaliter* aquam pro ſacrificio ex ſacriſtia defert, in vaſculo abſcondim ſub velo ab humeris pendente, præcedente Subdiaconò, uti præſcribit præfatus Ordo. Vide Dominic. Macrum. *in Hierolex.* ſuprà quoque *Archicantor*, & infrà in *Paraphoniſta*, it. *Præcentor.*

ARCHIPATER, Baldrico *Chron. Camerac. l.* 1. *c.* 84. dicitur Bruno Archiepiſcopus Colonienſis Wilhelmo item Brittoni Archiepiſcopus Remenſis *Philipp. l.* 12. Dudo verò *Præf. ad Acta Normannorum*, priſcos & famoſos Duces hôc elogiò inſignat; apud Car. du Freſne & Henr. Spelmann. in *Gloſſar.*

ARCHIPELAGUS, vocatur illa Maris pars, quæ multis inſulis intercipitur: Sic *Archipelagus d'Andemaon* ſeu *Andreman*, vocatur illa Inſularum congeries, quæ in ſinu Gangetico ſeu *Golfo de Bengala*, Regno Pegu, Siam & Cherſoneſo Aureæ obtenditur, uſque ad inſulam *Nicobar*. Incolæ carne hoſtium veſcuntur, ut deſcribuntur à Vincentio le Blanc *part.* 1. *p.* 75. De reliquis vide infrà.

ARCHIPELAGUS, pars Maris mediterranei inter Græciam & Aſiam minorem. Sic in ſpecie dicitur, vulgò *Archipelago*: olim *Mare Ægeum*, inter Inſulas Græciæ, Thraciæ & Aſiæ minoris adlabitur. Hic Chriſtiani, ductu Johannis Auſtrii, Turcicam claſſem feliciter profligârunt, ſeculò præteritò. Thuanus *Hiſt.* Vide *Ægeum Mare.*

ARCHIPELAGUS Chilvenſis, in America meridionali prope oram Auſtralem regni Chiles. Quibuſdam Archipelagus Ancudianus. Vide *Chilva.*

ARCHIPELAGUS S. Lazari, pars Oceani Orientalis ob plurimas ſparſas Inſulas ſic dicta; verſus Latronum Inſul. Veniunt nempe hôc nomine Inſulæ, à ſinu Bengalenſi, uſque ad Moluccas & Philippinas, omnes uberrimò aromatum proventu eoque commercus Europæorum percelebres. Potiores harum ſunt: Sumatra, Java major, Borneum, Moluccæ, Amboina, Banda & Philippinæ, de quibus vide *ſuis locis*. Addam ſolùm, incolas Philippinarum, quæ extremum in hoc Archipelago locum tenent, avidiùs Chriſtianam religionem fuiſſe amplexos, quàm reliqui Inſulani, & pleruſque jam eam profiteri, Auctor Anonym. *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. & Civ.*

ARCHIPELAGUS Maldivarum, pars Oceani Indici circa Inſul. Maldivas, in Aſia, verſus oram Malabaricam, ubi infinitæ Inſulæ. Vide *Maldivæ*. Olim *Hippodes mare*. Sic *Mexicanus*, vide *ſinus Mexicanus*. Sic *Novi Belgii Archipelagus*, pars Oceani Borealis, inſulis plurimis referta, in America Septentrionali inter oram novi Belgii, & Inſulam *'t lange Eylandt.*

ARCHIPHERACITÆ, פרק *pherac* in Gemara non *Titulum* tantum ſignificat, ſed *prælectionem* ſimul, & *explanationem* particulæ legis. Inde *Archipheracitæ*, quorum munus erat Legis partes & prælegere populo, & interpretari, iidem ſcil. qui & ἀρχισυνάγωγοι dicuntur. *Grotius.*

ARCHIPHONISTA, dignitas Eccleſiaſtica in Communione Romana, *Rozo Archiphoniſta*, in *Charta* Alrici, Epiſcopi Aſtenſis ſub A. C. 1020 apud *Ughellum*: ubi tamen *Archiparaphoniſta* legi jubet *Car. du Freſne*. Vide *Archicantor* ſuprà, & infrà, ubi de *Schola Cantorum.*

ARCHIPHYLAX, Græca itidem vox: Ἀρχιφύλαξ i. e. *primarius Cuſtos*: Sic appellabatur in monte Carmelo Generalis totius Ordinis Carmelitarum olim, uſque ad A. C. 1121. Tunc enim Armenicus Patriarcha Antiochenus in Terra S. generale Capitulum congregavit, ubi ad generalatum Bertholdus Latinus vocatus, relictòque veteri titulò, ad imitationem Occidentalium, *Prior* nominatus eſt. Dominic. Macer in *Hierolex.*

ARCHIPIRATA, apud varios Scriptores, pro Amiralio ſeu ſummo Claſſis Præfecto. Vide infrà *Pirata.*

ARCHIPONTIFEX & ARCHIPRÆSUL, pro ſummo Pontifice, item Archiepiſcopo, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARCHIPOLIS, conjurationis in Alexandrum M. Dymno particeps, quam hic, per Nicomachum, Regi aperuit. Curt. *l.* 6. *c.* 7.

ARCHIPPE, Marſorum oppid. à Marſya, Lydorum Duce, unde *Marſiglia* dicta conditum, quod lacu Fucinò hauſtum ſcribit Plin. *l.* 3. *c.* 12.

ARCHIPPOCOMI, *Stabulo præfecti* ſunt, Gallis *Mareſcalli*, juxta nonnullos, quod erroneum. Sic *Archippocomi Auſtriæ hereditarii* Comites ſunt *ab Harrach*, de quibus vide Spenerum *Oper. Herald. Part.* 2. *l.* 1. *c.* 34. At *Archippocomi Imperii*, German. *Reichſtallmeiſter*, ex Schwartzenburgica Familia Comites fuêre Leutenbergici, quibus præteritò ſeculò extinctis, inter Inſignia agnatorum Comit. *de Schwartzenburg* etiamnum occurrit in pede ſcuti argenteo *furca* (German. *Strengabel*) & *pecten* ſeu *raſtrum*, *minio tincta*, dignitatis priſtinæ nota. Idem *Ibid. l.* 3. *c.* 34. §. 7.

ARCHIPPUS, nomen Regis, quod ab *Archippe* urbe in Lacum Fucinum diſſolutâ, ſinxit Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 750.

> *Quin & Marrubiâ venit de gente ſacerdos,*
> *Fronde ſuper galeam & felici comptus olivâ*
> Archippi *Regis miſſu.*

Nam Marrubii circa Fucinum lacum habitabant. An *Archippe* urbs potiùs ab illo *Archippo* Rege vocata? Sic certè videtur. Nam doctiſſimus ille Poëta ſine dubio ex hiſtoria nomen illius Regis ſumpſit. Nec obſtat, quòd Archippe à Lydorum Rege Marſya condita dicitur. Eandem enim urbem, ut varia nomina, ſic varios poſſe habere conditores, nomin. Vide Salmaſ. *ad Solinum. p.* 59.

ARCHIPPUS, Archon Athenis, τῶν διὰ βίου, ſeu *perpetuorum III.* ſucceſſit Acaſto, Davide in Iſraële regnante adhuc: præfuit ann. 19. Illum excepit Thirſippus. Joh. Marshamus *Canone Chron. ad Sec. XIII.*

ARCHIPPUS, nomen viri, Coloſſ. *c.* 4. *v.* 17. & Philem. *v.* 2. Item Philoſophos, qui Thebis Scholas habuit, & Pythagoræ auditor fuit. Alius Comicus Athenienſis, Olymp. 91. de quo vide Voſſ. *de Poët. Græc. c.* 6. *p.* 39.

ARCHIPRESBYTER Cardinalium, apud Bennonem in *Geſtis Hildebrandi p.* 40. tituli S. Mariæ Majoris nempe, Car. du Freſne *Gloſſar.* Romæ unaquæque ex tribus Baſilicis Patriarchalibus ſuum *Archipresbyterum* Cardinalem habet, quorum vicarii ſunt Prælati, quibus juſſu Alexandri VII. dimidia pars proventus Canonicalis Archipresbyteri aſſignata eſt. In *Ritualibus* antiquis & *Diariis*, tres hi *Archipresbyteri* vocantur *Priores*, quemadmodum etiam tria Ordinum capita in Collegio Cardinalium dicebantur, nimirum *Prior Epiſcoporum*, *Prior Diaconorum* & *Prior Presbyterorum*, quos hodie horum ordinum *Decanos* vocant. Ex his autem *Archipresbyteris* purpuratis quilibet, exceptò Vaticanæ Baſilicæ, in anni ſancti, ut ajunt, principio, portas ſanctas ſuorum titulorum aperit; ſicut Pontifex portam ædis S. Petri, & Cardinal. Oſtienſis portam ædis S. Pauli. Vide Macrum *Hierolex.*

ARCHIPRESBYTER Franciæ, in *Ep.* Adriani Pontif. apud Flodoardum *Hiſtor. Rem. l.* 2. *c.* 17. Fulradus dicitur Abbas S. Dionyſii. Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARCHIPRIOR, pro Militiæ Templi Præfecto. Henr. Spelmann. in *Gloſſar.*

ARCHIPROTOPAPATUS, apud Gaufredum Voſienſem, 1. *part. c.* 65. *Primò locò ponatur excelſus ille Johannes, qui Regnis imperans magnus, humilitatis causâ Presbyteri ſibi nomen aptavit; hujus principatus diverſarum copias rerum, qualiterve plures ipſi ſerviunt Reges & de* Archiprotopapatu, *vel qua de causâ pater ejus, Quis eſt ut Deus, dictus eſt, Epiſtola Manueli ab eo directa, prodit breviter.* Vide *Presbyter Johannes.*

ARCHIRGILUM, caſtrum Scotiæ Septentrionalis in ora littorali, prope Cathaneſiam Urbem Boream verſus & in provinc. cognomine.

ARCHISACERDOS, apud Fortunatum *l.* 3. *Poëm.* 11. idem quod *Archiepiſcopus*: alibi, quod *Archipresbyter*, & *Protopapas* Dominic. Macer. *Hierolex.* Vide quoque Spelmann. *Gloſſar.* ubi *Archiſacerdotem Sacerdotum*, à Gregorio Nazianz. vocari Athanaſius, *in Orat. ad Heronem*, obſervat.

ARCHISCHOLARIS, apud Auctorem *de Diſcipl. Scholarum*, idem fortè qui *Proſcholus*, vide ibi.

ARCHISCHOLUS, i. e. Magiſter Scholarum ſeu Scholaſticus, dignitas Eccleſiaſtica, in *Vita* Lietberti Epiſcopi Cameracenſis *c.* 2. & 4. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARCHISCRINIUS, Beſlop. 291. in *Charta* Guilielmi Ducis Aquitaniæ Theſaurarius Eccleſiæ, apud *Eundem.*

ARCHISCRUTINIARIUS, officium Monaſticum, apud Ughellum *Tom.* 4. *p.* 1381. *Ibid.*

ARCHISENIORES, in *Vita* S. Pharonis *c.* 72. iidem qui *Archigerontes*. Vide *ſupra.*

ARCHISTERIUM, Græcè Ἀρχιστήριον, in *Vita* S. Antonii *c.* 53. *Ad interius* Archiſterium, *propter aſperitatem itineris ire non poterant.* Ubi alii *Aſceterium* legunt. Aliquando per ſynecdochen partis, Sedem Epiſcopalem denotat, cùm ſit primariæ Eccleſiæ in diœceſi manſio, ut colligitur, ex *Vita* S. Severi Archiepiſcopi Ravennæ, quæ *MS.* in Biblioth. Vallicellana de Urbe aſſervatur; *Quod uxoratus ad* Archiſterium *Ravennæ acceſſerit*: ubi fortè intelligitur Pontificis ædes, quæ tanquam principalis Præſulis manſio conſideratur. *Archiſterium* enim Monaſterium, item manſionem, denotat. Vide Macrum in *Hierolex.*

ARCHISTRATEGUS, Ἀρχιστρατηγὸς, i. e. *Princeps militiæ*; Græcis Michaël Archangelus dictus eſt: cujus feſtivitatem illi

ad

ad diem 6. Septembr. ex Emanuelis Imperatoris conſtitutione & Menologio, celebrant. Hinc & vexillum, in quo S. Michaelis effiges, *Archiſtrategon Curopalatæ*. Vide etiam infrà.

S. ARCHISTRATICI Monaſterium, in *Charta* anni 1077. apud Ughellum *Italiæ ſacr. Tom.* 7. *p.* 110. vocatur Monaſterium S. Michaelis dicatum, quem *principem militiæ cœleſtis* vocant Patres, Σ᾽τρατηγὸν & Ἀρχιστρατηγὸν τῶν ἀγγέλων ταγμάτων, ut modò vidimus, in voce *Archiſtrategus*. Meminit monaſterii iſtiuſmodi etiam Ignotus Caſin. *c.* 5. & Luithprandus *l.* 1. *c.* 2. Vide quoque Zonaram *Tom.* 3. Scylitzen, Nicetam in *Manuele l.* 7. *Gregoram*, *Codinum*, alios. Magnô nempe cultu veneratos Græcos S. Michaëlem fuiſſe, arguunt præ cæteris vexillum, cujus paulo antè meminimus, quod in præcipuis ceremoniis deferebatur, & crebræ ei dicatæ ædes ſacræ. Neque minori apud Gallos reverentiâ colitur, quibus pro Regni Angelo tutelari haberi conſtat, cujuſque feſtum ſolenniter celebratur, ex Caroli M. fortè inſtituto, ait Car. du Freſne *Gloſſar*. Vide in voce *S. Michael*.

ARCHISUBDIACONUS, antiquum in Eccleſia Romana officium, cujus ſæpe meminit *Ordo* Rom. *Archiſubdiaconus levat calicem & dat eum Archidiacono* &c. idem quod, primus inter Subdiaconos. Macer & Car. du Freſne. in *Gloſſ.*

ARCHISYNAGOGUS, per convitium dictus Alexander Severus, apud Æl. Lampridium, in *Vita* ejus, c. 28. *Volebat videri originem de Romanorum gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici: maxime quod quodam tempore feſtô, ut ſolent, Antiochenſes, Ægyptii, Alexandrini, laceſſiverant eum conviciis, Syrum* Archiſynagogum *eum vocantes & Archiereum*. Apud Flav. Vopiſc. in *Saturnino*, c. 8. Judæis *Archiſynagogi* quaſi proprii attribuuntur, ut Chriſtianis Preſbyteri: Judæis tamen etiam ſuis Preſbyteri, præter Archiſynagogos & Patriarchas. Cod. Theodos. *de Jud. cœl. & Sam. l.* 13. *& l.* 14. tit. eod. Vide Salmaſ. *ad Hiſtor. Aug. loc. cit.*

ARCHITÆ Columba, tholo cryſtallino imminens & horas liberô volatu indicans, conſpicitur in Muſæo Kircheriano Romæ; cujus Auctor Architæ volantem columbam hôc artificiô eſt imitatus: Binis columnis ſuffultam cupulam, quæ extrinſecus in coronæ regiæ ornatum abit, intrinſecum latus planô ſpeculô circumferentiâ circulari totum obtegit. In hujus itaque ſeu coronæ ſeu cupulæ ſpecularis ſuperficie reconditur machinula rotatilis (quæ etiam horologium eſſe poſſit, horas in ſpeculo ritè diſpartitas exhibens) Porrò huic machinulæ optimi magnetis fragmentum ineſt, in circumferentia ſpeculi poſitum. Baſis harum columnarum Architectonicô artificiô ita eſt conſtituta, ut in baſis centro, velut in monte poſitus, Architas, ſupra fulcrum aciculare, tenuiſſimô filô leviſſimam chartaceam columbam, acu magnete animatâ ligatam teneat, tantâ induſtriâ, ut acus acumen ex aviculæ roſtro prominens tantô diſtet ſpatiô, ut roſtrum non poſſit ſperulum abſolutè contingere, ſed tantô ſolùm diſtare ſpatiô à ſuperficie ſpeculi, quantum ſufficit, ut chartæ foliolum poſſit inter roſtrum & ſpeculi planitiem interponi. Quoties igitur ex motu rotatilis machinæ Herculeus lapis in circumferentiam circumagitur, nim etiam unà ſecum acum roſtro columbæ inſertam trahit, quæ & motu occultæ machinæ in orbem, nil remorata fugientem amicum, per tholi gyros, pari volatu conſectatur nec quieſcit priùs, quàm arcanus motor ſubſtiterit. Georg. de Sepibus in *Collegii Romani Societat. Jeſu Muſæo p.* 5. *&* 10. Vide *Archytas*.

ARCHITECTI Imperii, *Hamelmanno* dicuntur fuiſſe Comites Oldenburgici, quos per Friſiam hinc inde extruxiſſe arces & pontes, ac in dignitatis ſymbolum, *trabes geminas* inter Inſignia habere, ait: qua de re vide Theodor. Hœpingium de *Jure Inſignium Parte* 7. c. 6. & Phil. Jac. Spenerum *Art. Herald. Parte* 2. *l.* 3. *c.* 12. ubi de *Daniæ & Norv. Reg. num.* 14.

ARCHITECTON, apud Solinum *c.* 32. ubi de Alexandria Ægypti: *Quam metatus Dinocrates* Architecton *alterum à conditore in memoria locum detinet*: ex Græco ἀρχιτέκτων, melius eſt quàm *Architectus*, quod Græcum eſt, ſed formatione Latinâ. Sic *Magiſtrum Architectonem* habemus apud A. Gellium *l.* 1. *c.* 13. *de* Craſſo: *Is cùm in Conſulatu obtineret Aſiam provinciam & circumſedere oppugnareque Leucas oppidum pararet, ſcripſit ad* Magiſtrum Architectonem *Elatenſium, ſociorum amicorumque Populi Romani*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 476. Fuêre autem *Architecti* ſemper inter Artifices, quibus aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit, habiti. Vide *l.* 6 *ff. de jure Immunit.* Iidem in Brevi ſubdito *lege* 2. *Cod. Theodos. de excuſationibus Artificum*, primi omnium nominantur. Emolumenta illis auxit Aurelianus Imperator apud Vopiſc. *c.* 35. *Decrevit etiam emolumenta* Architectis *& Miniſtris*, Caſaubon. *ad loc.* ubi per *miniſtros* intelligit eos, qui in diſcipulatum ſe *Architectis* tradiderunt, de quibus Conſtantinus Imperator. *l.* 2. *ſuperioris tituli*, *Tam ipſos* Architectos, *quam eorum parentes, ab iis quæ perſonis injungi ſolent, volumus eſſe immunes, ipſiſque qui diſcent, ſalarium competens ſtatui*. At alter longè verba *Vopiſci* Salmaſ. legit, quem vide. Horum artem, *Architecturam* videl. in tres partes, *Ædificationem*, *Gnomonicem & Machinationem* dividit Vitruvius, *l.* 1. *c.* 3. ut videre eſt apud Eund. *ad Solinum p* 632.

ARCHITIS, Venus apud Aſſyrios culta, ut Macrob. teſtatur *Saturn. l.* 1. *c.* 21. *Adonin (inquit) Solem eſſe non dubitatur, inſpectâ religione Aſſyriorum, apud quos Veneris Architidis, & Adonidis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phœnices tenent.* Plerique ſuſpicantur, hunc locum eſſe corruptum. Itaque pro *Architidis* Scaliger *in Varronem* reſcribit *Dercetidis*, Robertus Cottonus *Adargidis*, Seldenus *Aphacitidis*, quomodo Macrobium ſcripſiſſe, *auſim* (inquit) *ferè dejerare*, Bocharto tamen *l.* 2, *Chanaan*, *c.* 14. recepta lectio fruſtrà ſollicitari videtur, cùm in loco Aphacis proximo, nempe ſuper Libanum, ſpatiô ferè mediô, inter Byblum, & Heliopolim ſitam fuiſſe *Arcam* urbem ex *Ptolemæo* conſtet. Ἀρκῖτα Venus dici poteſt *Arcitis*, vel *Architis*, additâ aſpiratione, ut fit paſſim in nominibus peregrinis. *Nic. Lloydius.*

ARCHIUM, Oppid. Hungariæ. Ubi Boſna fluv. hauritur à Savo. Sub Turcis.

ARCHIVUM ſeu ARCHIUM, ARCEPS &c. Locus, ſeu ſcrinium, ubi Chartæ publicæ aſſervantur, vide infrà *Chartophylacium*. Etiam *Archia*, apud Tertullian. *contra Marc. l.* 3. Græcè Ἀρχεῖον, *Suid. Vetus Inſcr.* inedita, reperta nuper A.C. 1670. Smyrnæ, in area Conſulis Batavi.

ΝΑΙΣ. ΕΡΜΟΥ. ΤΟΥ. ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ.
ΑΓΟΡΑΣΑΣΑ. ΤΟΠΟΝ. ΨΙΛΟΝ. ΚΑΤΕ
ΣΚΕΥΑΣΕ. ΤΟ. ΜΝΗΜΕΙΟΝ. ΤΩ. ΚΑΤΟΙ
ΧΟΜΕΝΩ. ΥΙΩ ΖΩΣΙΜΩ. ΚΑΙ. ΕΑΥΤΗ. ΚΑΙ.
ΤΟΙΣ ΘΡΕΜΜΑΣΙ. ΚΑΙ. ΠΡΟΚΑΗ. ΤΗ. ΤΡΑΦΕΙ
ΣΗ. ΥΠ. ΑΥΤΗΣ. ΕΞΟΥΣΙΑΝ. ΕΧΟΥ
ΣΗΣ ΑΥΤΗΣ. ΕΠΙΘΕΤΕΙΜΑΙ. ΣΩΣΟΝ. ΕΙΣΙΝΚΗ
ΣΕΥΘΗΣΕ. ΤΑ. ΙΜΟΝΗ. ΜΙΔΕΝΟΣ. ΕΧΟΝΤΩ.
ΕΞΟΥΣΙΑΝ. ΕΤΕΡΟΝ. ΒΑΛΕΙΝ. ΕΝΤΑΛΛΟΤΡΟΣΑ
ΤΑΥΤΗ ΤΗΣ. ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ. ΑΠΕΤΕ
ΘΗ. ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ. ΕΙΣ. ΤΟ. ΑΡΧΕΙΟΝ.

apud Car. du Freſne *Gloſſar*. Hinc *Archiviſta*, vide ſuprà *Antiquarius*, & *Archiota*.

ARCHIZUPANUS, titulus olim Serviæ Principis, apud *Cinnamum*, Ἀρχιζουπάνος τῆς Σερβίας *Archizupanus Serviorum*, quos Ζουπάνους γέροντας, *Zupanos ſenes*, Conſtantinus *de adminiſtr. Imp. c.* 29. Ἐξάρχους τῶν Ζουπάνων, *Selectos Zupanorum*, Anna Comnena *Alexiados l.* 9. *Megajupanos*, Innocentius III. Pontifex in *Actis* &c. vocant. Vide infrà in voce *Zupanus*.

ARCHOLEON, apud Capitolin. in *Gordiano tertio*, *c.* 33. *Fuerunt ſub Gordiano Romæ elephanti XXX. & II. --- Archoleontes X. Cameloparduli X.* &c. Quid ſit, diſceptatur. *Egnatius* & alii *jubatos leones* hâc voce denotari volunt, de quibus Plin. *l.* 8 *c.* 16. *Leonum ſimul plurium pugnam Romæ Princeps dedit Q. Scævola --- Centum autem jubatorum primus omnium L. Sulla --- poſt eum Pompejus M. in Circo DC. ac in iis jubatorum CCCXV.* Utut enim jubati ſint mares leones omnes, tamen in fortioribus illis (nam duo Leonum genera Plin. habet *loc. cit.*) juba maximè notabilis, quia promiſſior, longiſque & ſimplici villô; atque hi videntur iis hîc intelligi. Palatinus codex *Arcoleontes* habet, unde mutatâ unicâ literâ ſcribit *Argaleontes* Salmaſ. h. e. *albos leones*, quorum mentio in *Ep.* Alexandri ad Ariſtotelem: *Jam nos vigiliis inquietos quintâ noctis horâ buccina monebat ad quieſcendum. Sed affuerunt albi leones taurorum comparandi corporibus, qui cum ingenti murmure concuſſis cervicibus alti jubis in modum fulminum in nos impetum faciunt excepitque eorum venabulis.* Nempe ſubalbi iſtiuſmodi leones ſunt & vulgaribus minus flavi. Cujuſmodi leonum genus Hebræis ליש *laiſ* dicitur, à robore & audacia: unde λῖς Græcorum. Vide Salmaſ. *Notis ad Capitolin. loc. cit.* & Sam. Bochart. *Hierœz. Part. prior. l.* 3. *c.* 1.

ARCHON, è Ducibus Alexandri Magni, cui poſt ejus exceſſum, in diviſione Provinciarum, Babylonia eſt attributa. Diodor. Sic. *l.* 18. *p.* 628. *f.*

ARCHONTES, novem erant Princeps, nempe Rex, Archon, Polemarchus, & Theſmothetæ ſex, quibus jus omne, quod primò Regum, deinde Archontum fuerat, ita eſt diviſum, ut in eorum manu & poteſtate tota eſſet Athenienſium Reſpubl. Poſt Codrum inſtituti, primùm perpetui, à Medonte ejus fil. uſque ad Alemæonem, Olymp. 6 Dein decennales. Annui tandem Olymp. 22. *Pauſan. Juſtin.* Euſeb. *Chron.* &c. Ante Solonem ſuffragiô eligebantur: at ille, ſorte ut id fieret, inſtituit, ita tamen, ut poſtquam lecti eſſent, in Senatu quidem examinarentur, in Comitiis populi probarentur. Apud Archontem verò à Rege, & ſociis ſeparatum, lites intendebantur de mala tractatione, ebrietate, rerum diviſarum electione, tutelâ pupillorum, hæreditatibus &c. Quin etiam idem curator erat mulierum, quæ poſt mariti mortem prægnantes eſſe viderentur. *Lyſias*, *Demoſthenes*, *Pollux*.

ARCHONTES, Magnates aulæ Conſtantinopolitanæ, apud Guil. Tyrium *l.* 20. *c.* 18. *Ex quo enim in Ægyptum deſcenderant ejus Archontes*, & Pachymerem *l.* 9. *c.* 10. *Quorum uxores* Ἀρχόντισσαι, apud Nicetam *in Iſaac. l.* 3. *c.* 11. Ordo ipſe Ἀρχοντικὸν, Annæ Commenæ *Alexiad. l.* 1. Ἀρχοντικὴ τάξις Cantacuzeno *Proœm. Hiſtor.* qui Gallis vulgò *Baronagium* & *Barnagium* &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & *Not. ad Alexiadem.*

ARCHONTICI, Valentinianorum ſecta, univerſitatem, quam Deus condidit, opera eſſe Principum ſeu ἀρχόντων dicebant. Negabant reſurrectionem carnis, Baptiſmum, & Cœnam Domini prorſus abjiciebant, de crudelitate Sabaoth Dei in 7. cælo, & c plurima nugati. Vide *Theodoretum*, Epiphan. *hær.* 40. Auguſtin. *hær.* 20 Baron. & Godeau, *A.C.* 175.

ARCHYLUS Thurius, inter Duces Dionyſio ſuperiori datis militum ſelectis, noctu, ſcalis Motyes collapſis domibus applicitis, urbem cepit; propterea à Dionyſio mille minis honoratus eſt. Diodor. Sic. *l.* 14.

ARCHYTAS, Mitylenæus Muſicus; cui cùm propinum daretur, quòd non exaudiretur, reſpondit, *Inſtrumentum pro me loquitur*. Fuit etiam alius agriculturæ ſcriptor, tertius Poëta Epigrammatarius. Diogenes Laërtius *in vita Platonis*, *l.* 8.

ARCHYTAS, Heſtiæi, ſive, ut alii, Mneſarchi fil. Philoſophus Tarentinus, profeſſionis Pythagoricæ, aſtrologus, & geometra, quemadmodum eum *Maris & terræ, numeroque carentis arenæ Menſorem* Horat. appellat, *Carm l* 1. *od.* 28. *v.* 1. Meminit ejuſdem Cicer. *l* 3. *de Orat.* Platonem cujus in Geometria diſcipulus fuerat, per literas monuit, ut è Sicilia diſcederet, quod Dionyſius de eo necando cogitaret; ſepties ob virtutem Tarenti Rector, cum aliis munere hôc non niſi per annum fungi liceret. A Cardano, *Subtilit, l.* 16. inter 12. ſubtilia ingenia numeratus. Cubum primò

invenit. Ligneam columbam volatilem fecit. Gellius *l.* 9. *c.* 12. Voſſ. *de ſcient. Mathem. c.* 13. *§.* 5. *& c.* 48. *§.* 1. *c.* 46. *§.* 7. Primus platagen, h. e. crepitaculum puerorum invenit, quô pueros nunquam quieſcentes detineret, & à periculoſioribus ludis avocaret. Hinc factus eſt locus proverbio, ut deſipientes, & puerilia tractantes *Ad Archytæ platagen* recidiſſe dicamus. *Diogenianus*, Ἀρχύτου πλαταγὴ, ἐπὶ τῶν ἀνυχαζόντων ἢ διαφερόντων, ὁ γὰρ Ἀρχύτας τέκτων ὢν ἐποίησε πλαταγὴν, ἣν ἐδίδοσαν τοῖς παιδίοις, ἵνα μηδὲν τῶν κατ᾽ οἶκον διαφθείρωσι. Mundum ingenitum & incorruptibilem, hominumque genus ſine ullo ortûs principio ab æterno fuiſſe ſomniavit. Vide Diog. Laërt. *in ejus vita*, *l.* 8. & Cenſorin. *de die Natali c.* 4. Periit naufragiô, ſicut locum ipſe indicat apud Horat. ubi ſuprà v. 21.

Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.

Inter ſcriptores Rei Ruſticæ Archytam Varro & Columella *a.nut.* memorant. *Nic. Lloydius.* Vide & *Archytæ columba.*

ARCI, Hiſpaniæ Tarraconenſis oppid. quod hodie *Hariſa* dicitur, ex antiqua inſcriptione ejuſdem loci. *Cluſius.* Hoc *Arſi Pudens.* *Arci* verò, *Arcus*, potius eſt inter Harizzam & Methymnam cœli. Vide *Arcobriga.*

ARCIACA, vulgò ARCHY, oppid. Galliæ Celticæ in finibus Trecenſium, 5. leuc. à Trecis in Boream, ad fluv. *Albam*, & vulgò *Arcis ſub Aube* dicitur, in Campania provinc. *Baudrand.*

ARCIFINIUS Ager, dictus olim Agrimenſoribus; qui nullâ menſurâ, nec ullis limitibus claudebatur, ſed montibus aut fluviis aut viis, aut rivis, aut foſſis, aut aquarum divergiis, aut arboribus antemiſſis, quas relinquebant agricolæ, aut quodam culturæ genere diſcriminabatur. Quomodo ferè territoria à territoriis hodie diſcriminantur: Agri verò privatorum invicem ſeparabantur lapidibus, qui in recta linea conſtituti erant, quos pro terminis ſervabant. Verbô, *Arcifinius ager eſt, qui terminatur quidem, non verò limitatur*: quâ conditione jam omnes ferè agri ſunt. Nullus enim ager limitatur hodie, ſed terminatur tantùm. Olim verò centurias includebant limites, centuriæ per actus dividebantur, in ſingulas centurias lapides terminales ponebantur, qui invicem diſtabant pedes II. CCCC. ſi centuriæ ducentenis tantùm jugeribus conſtarent. In ſingulos actus pali defigebantur, qui diſtabant à ſe pedes 121. quæ unius actus longitudo eſt. Quam in rem, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 680.

ARCILACIS, oppid. Hiſpaniæ geminum *Ptol.* Unum in Bætica, *Alcala Herra*, teſte *Moletio.* Aliis *Lora*, vicus in regno Granatenſi vel *Hardales* in Andaluſia. Alterum in Baſtitanis, *Archeſana* eidem *Moletio*: cui non ſatis fido, cùm nullus Hiſpanus author illi ſuffragetur. Quibuſdam eſt vicus *Xarajuel*, ad Sucronem fluv. *Baudrand.*

ARCIROESSA, civitas Heracliæ in Ponto. *Steph.*

ARCISISI, vel potiùs ARCICISI, pagi tres memorantur, in *Capitulis* Caroli Calvi, h. e. *Arciacenſes* vel *Arciacenſes*: quorum uni nomen dedit Arciaca ad Albam, *Arcis ſur Aube*: alteri *Arcia* vel *Arciſa* ad Albionem in Albam effluentem, *Arcq ſur Aujon* poſtremò, Arcia ad Tilam, *Arc ſur Tille*, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ARCISSA Palus, vulgò *Lac de Vaſtan*, palus Armeniæ majoris non longè ab Arthemita, verſus montes Caſpios, & confinia Mediæ. Aliis *Arſiſſa* & *Arſanius fluv.*

ARCIVA, Daciæ oppid. *Ptol.*

ARCLOVIUM, Urbecula Hiberniæ, in Lagenia & Comitatu Caterlogenſi, ad oſtia fluv. Durii, non longè à mari, cum caſtro Ducis Ormondani.

ARCOBADARA, urbs Daciæ, ad Tyram fluv. *N. Sanſon* fortè *Chotezin* nunc, in Moldavia Septentrionali.

ARCOBRIGA, urbs Hiſpaniæ gemina. *Ptol.* Primam in Luſitania ponit, *Alcaſar Moletio*, ubi nunc *Laura*, oppidul. provinc. inter Tagum & Aram. *Baudrand.* Alteram in Tarraconenſi Celtiberorum regione, hodiè *Arcos.* Vide *Ferrarium.* Ad Salonem fluv. Deficit in dies. *Baudrand.*

ARCONA, Rugiæ inſulæ Metropolis, in promontorio excelſo Wittovia, in regione Monæ Danicæ collocata. Expugnata eſt & deleta à Waldemaro, primo Daniæ Rege, A. C. 1168. quò Rugiam imperio Danico ſubjecit. Veteris nominis veſtigium locus adhuc retinet, *Orkunde* ab incolis dictus. *Metel.*

ARCONESUS, inſul. Cariæ. *Steph.* aliàs *Aſpis* dicta.

ARCTANES, gens Epirotica. *Steph.*

ARCTICÆ Regiones, aliter *Terra Arctica*, vel *Boreales.* Vide *ibi.*

ARCTINUS, Mileſius, Poëta, Homeri diſcipulus. Vixit Olymp. 3 & 9. magnâ apud Veteres gloriâ. Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. Clem. Alexandr. *Stromatum l.* 6. *Suidas.* *Hieronymo* duo memorantur *Arctini*, unus Arctinus Mileſius verſificator omni opere & metrô, quem ponit claruiſſe tempore primæ Olympiadis. Alia ad tertiam Olympiadem ita refert: *Eumelus Poëta, qui Bugoniam & Europam; & Arctinus, qui Æthiopiam compoſuit & Ilii Perſin.* Sed ſine dubio idem eſt uterque Arctinus. Inter Cyclicos Poëtas refertur à Clemente, ut & Leſches, cum quo & vixiſſe & certâſſe traditur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 854. & infrà, ubi de *Cyclicis* Poëtis.

ARCTOMYS, vide infrà *Saphan.*

ARCTON, inſul. Cyzicus ita vocabatur. *Steph.* à Jovis nutricibus, quas illic in ἄρκτους, i. e. *urſas* migrâſſe tradunt. Ἢ ὅτι ὁ [illegible], καὶ ἀπὸ τῶν ἄρκτων [illegible], ἢ διὰ τὸ ὑψηλὸν τοῦ ὄρους (erat enim mons Cyzico incumbens) ἀπὸ τοῦ δοκεῖν ταῖς ἄρκτοις [illegible] ταῖς ἀρκτῴοις. Τὸ δὲ ἀγχοῦ [illegible], *Schol. Apollonii. Nic. Lloydius.*

ARCTONESUS, oppid. Meleſiorum ad Propontidem, quod aliò nomine *Cyzicus* vocabatur.

ARCTOPHYLAX, ſidus juxta majorem urſam, aliò nomine *Bootes.* Cicer. *l.* 2. *de Nat. Deor. c.* 42.

Arctophylax vulgò qui dicitur eſſe Bootes.

Aratus ipſe,

Ἐξόπιθεν δ᾽ Ἑλίκης φέρεται ἐλάοντι ἐοικὼς
Ἀρκτοφύλαξ, τόν ῥ᾽ ἄνδρες ἐπικλείουσι Βοώτην,
Οὕνεχ᾽ ἁμαξαίης ἐπαφώμενος, εἴδεται Ἄρκτου.

Latinè *urſæ cuſtodem* dixeris. Ovid. *l.* 3. *Faſt. v.* 405.

Sive eſt Arctophylax, ſive eſt piger ille Bootes.

ARCTOS, mons juxta Propontidem, quem ſemiferi & horrendi gigantes ex terra geniti incolebant, quos etiam Theſſalos fuiſſe dicit Deilochus: Apollonius verò, in Herculis perniciem, à Junone fabuloſè ſcribit creatos. Fabulæ à leone Nemæo genitos volunt. Polygnoſtus verò prædones eos fuiſſe ſcribit. Hi aſſiduè cum Cyzicenis bellum gerebant.

ARCTOS, pro duobus ſignis cœleſtibus accipitur, quæ Septentrionali polò, velut axe quodam nixæ, Arcticô Circulô clauſæ, & ita collocatæ, ut utraque reſupinata alterius caput contingat; ſed caput ejus, quæ ſuperior eſt, ad caudam inferioris contendat. Alteram majorem urſam, ſive Cynoſuram, i. e. *Canis caudam* vocant; alteram minorem. Hanc Phœnices, illam Græci nautæ obſervant. Aratus, ubi *de duabus Urſis.*

Αἱ δή τοι μὲν, Κυνόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσι,
Τὴν δ᾽ ἑτέρην, Ἑλίκην. Ἑλίκῃ γε μὲν ἄνδρες Ἀχαιοὶ
Εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται, ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν,
Τῇ δ᾽ ἄρα Φοίνικες πίσυνοι, περόωσι θάλασσαν.

Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 107.

Eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura petatur
Sidoniis, Helicen Graja carina notet.

Idem *Triſt. l.* 4. *El.* 3. *v.* 1.

Magna, minorque feræ, quarum regis altera Grajas,
Altera Sidonias, utraque ſicca, rates.

Val. Flac. *l.* 1. *v.* 17.

—— Neque enim in Tyrias Cynoſura carinas
Certior, aut Grajis Helice ſervanda magiſtris.

Harum Virg. meminit, *Georg. l.* 1. *v.* 245.

Maximus hic flexu ſinuoſo labitur Anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

Complicat hic Anguis duas Urſas, minorem Cynoſuram collô & capite, majorem Helicem caudâ; ita *Hyginus.* Aratus quoque *in Phæn.*

Οὐρῇ πὰρ κεφαλὴν Ἑλίκης ἀποτείνεται Ἀρκτου.

Et poſteà, *de Cynoſura:*

——— Ἡ δὲ κατ᾽ αὐτὴν
Εἰλεῖται κεφαλήν.

Manilius *l.* 1.

Majoremque Helice major decircinat arcum,
Anguſto Cynoſura brevis torquetur in orbe.

Quæ autem de comparatione fluminis ſcribit Poëta, ſumſit procul dubio ab Arato, ſic enim ille:

Τὰς δὲ δι᾽ ἀμφοτέρας, οἵη ποταμοῖο ἀπορρὼξ
Εἱλεῖται (μέγα θαῦμα) δράκων περί τ᾽ ἀμφί τ᾽ ἐαγὼς
Μυρίος.

Quos verſus ita reddidit Cicero *l.* 2. *de Nat. Deor. c.* 42

Has inter veluti rapido cum gurgite flumen,
Torvus draco ſerpit ſubter ſupraque revolvens
Seſe, conficienſque ſinus è corpore flexos.

Germanicus Cæſar verò ſic vertit:

Has inter medias, abrupti fluminis inſtar,
Immanis ſerpens ſinuoſa volumina torquet,
Hinc atque hinc ſupraque illas mirabile monſtrum.

Denique Feſtus Avienus,

Inter utramque dehinc præclari nominis Arctum
Ceu circumflexâ ſumantur flumina lapſu,
Squameus agmen agens Draco volvitur, atque alias ambas
Spirarum curvo anfractibus. ———

Porro Seneca ad imitationem Arati, in *Medea, Actu* 4. *v.* 694.

Huc ille vaſti more torrentis jacens
Deſcendat Anguis, cujus immenſus duæ
Major Minorque ſentiunt nodos feræ.

Et in *Thyeſte, Actu.* 5. *v.* 869.

Et qui medias dividit Urſas
Fluminis inſtar lubricus Anguis.

De flumine tacuit Vitruvius *l.* 9. *c.* 6. *Serpens, qui eſt inter Arctos, quæ Septentriones dicuntur, implicatus.* Tacuit etiam Sil. Italicus *l.* 3. *v.* 192.

Quantus non æquas perluſtrat flexibus Arctos,
Et geminum lapſu ſidus circumligat Anguis.

Alluſit fortè Manilius *l.* 1. nam uſus eſt verbô *interfundo*, quod aquarum proprium:

Has interfuſus, circumque amplexus utramque
Dividit, & cingit ſtellis ardentibus Anguis.

Et *l.* 5. pari aquarum verbô.

Illinc per geminas Anguis qui labitur Arctos.

Denique conſentiunt omnes, plus vidiſſe Virgilium hôc locô quàm Homerum. Impingit enim ille (notante *de la Cerda*) in duplicem ſcopulum. Nam & Urſam in ſingulari numero nominat, cum duæ ſint: & addit *ſolam*, cùm & aliis ſtellis id contingat, quæ circa illas. Sic enim ille *Od. ε. v.* 275. Οἴη δ᾽ ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο. Ab utroque cavit Virgilius, & *Arctos* dixit in plurali, neque *ſolas* dixit, ne ſtellas alias excludere videatur. *Euſtathius* tamen Homerum defendit, itemque Ariſtoteles *l.* 1. *de arte Poët.* Τὸ Οἴη δ᾽ ἄμμορος, κατὰ μεταφοράν, τὸ γὰρ γνωριμώτατον, μόνον. Et ſanè Ovidius Homerum imitatur *Met. l.* 13. *v.* 294.

—— Immunemque æquoris Arcton.

Item-

Itemque Manilius, ubi de Urſa:

Nunquam tincta vadis, ſed ſemper flexilis orbe.

Nic. Lloydius.

ARCTURUS, Stella in ſigno Bootæ, poſt caudam majoris urſæ, cujus ortus & occaſus futuras tempeſtates portendunt. Horat. *Carm. l. 3. Od. 1. v. 27.*

Nec ſævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis hædi.

Et ante eum Plautus, *in Rudente Prol. v. 5.*

Arcturus ſignum ſum omnium quàm acerrimum,
Vehemens ſum cùm exoritur, cùm occido, vehementior.

Oritur à Canicula ferè poſt dies 50. Sic dictus παρὰ τὴν τῆς ἄρκτου οὐρὰν, h. e. ab Urſinâ cauda. *Heſychius*, Ἀρκτοῦρος, ἀρκτοῦρος [illegible]. *Suidas*, Ἀρκτοῦρος δὲ λέγεται καὶ [illegible] ὁ Βοώτης. [illegible] λέγεται καὶ Ἀρκτοφύλαξ. *Idem.*

ARCUATUM, vulgò ARQUA, vicus Liguriæ, ad Scriviam fluv. ſub Gavienſibus, ad radices Apennini & in confinio Ducatus Mediolanenſis.

ARCUATURÆ, curvaturæ ſunt, ſeu concamerationes & volutæ, apud Salmaſ. *ad Æl. Spartian. in Peſcennio Nigro, c. 6. Hunc in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de muſivo inter Commodi amiciſſimos videmus.* Vide quoque infrà.

ARCUBALISTA, vide infrà *Baliſta, Crenkinarii.*

ARCUDIUS Petrus, vide *Petrus.*

ARCULA, [illegible], in *Gloſſar. Lat. Græc.* Vide Meurſium in Ἀρκλα, Joh. Calvin. *Lexic. Jurid. in Arcula* & ſuprà in *Arca.*

ARCULANUS Johannes, vide *Johannes.*

ARCULUS, Deus eſt, penès quem ſuit arcarum cuſtodia.

ARCUS, oppidul. Tridentinæ Diœceſeos ad Sarcam fluv. qui paulò pòſt cadit in Benacum lacum. 14. mill paſſ. à Tridento in occaſum.

ARCUS, Urbs Bæticæ Hiſpaniæ, vide *Arcenſium colonia.*

ARCUS, ſeu COENUS fluviol. Galliæ, in Provincia, Aquas Sextias allnit, & poſtea in mare Mediterraneum ſe exonerat, ad Aſtromelam ſinum. Vide *Aquæ Sextiæ.* Item Lacus Scotiæ Septentrionalis in Loquabria provinc.

ARCUS, in cippo ſepulchrali fœminæ cujuſdam, cui *Myro* nomen, *in Epigramm. Græc.*

Μὴ θάμβει μάστιγα, [illegible]
Γλαῦκα, βιὸν, χαροπὰν χῆνα, θοὰν σκύλακα.
Ne time flagellum, Myrus in monumento cernens
Noctuam, arcum, anſerem, celerem catellam:

Magiſtram domui intentam eam fuiſſe notat. Salmaſ. *ad Solin. p. 1221.* De *cippis* autem hujuſmodi ſeu *ſtelis*, vide infrà.

ARCUS, apud Corippum *de Conſulatu Juſtini Jun. initiò l. 4.*

Jam vicina dies ſpectandi Conſulis omnes
Urgebat turmas arcus ſtatione replere,
Et loca, quæ populis Præfectus deputat urbis:

Et paulò pòſt,

Roboribus flexis teretes curvaverat arcus
Artificum prudocta manus, trabibuſque cavatis
Adfigens tabulas pendentes junxerat ædes.

Alibique: dicuntur ſepta illa, in Auguſteone ſeu Foro Orbis Conſtantinopolit. in quibus popularium unuſquiſque ſecundum ordinem & gradum ſuum diſpoſitus ac diſtinctus ſtans, quotidie panes accipiebat, de quibus ſuprà in *Annona civica.* Idem Corippus *tabulata* vocat eod. *lib.*

Exornatque locos & feſtâ fronde coronant
Partes quiſque ſuas: ſixis tabulata virebant
Palmarum ramis, & amica pacis oliva.

Themiſtius [illegible] *Orat. 4.* ubi de his qui teſſeras ſuas & [illegible] ad forum, portabant, ut panes acciperent ibidem de gradibus erogandos: [illegible], inquit, [illegible], &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aurelian. c. 35.* & *ad Solin.* ubi [illegible] Siculis [illegible], i. e. *ſeptum*, dici ait. Apud Anaſtaſium *Bibliothec.* vox non ſemel ornamentum denotat, in ædibus ſacris appendi ſolitum & fortè *arcus* formam habens; in *Leone I. Paſchali III.* & *Leone IV.*

ARCUS Triumphales, olim honoris virtutiſque causâ erecti ſunt iis, qui externis gentibus domitis, ſingulares victorias patriæ pepererunt. Ii primùm rudes fuêre ac ſimplices, idque vel lateritii, ut Romuli: vel ex rudi lapide quadrato, ut Camilli: ex marmore dein facti ſunt, ut Cæſaris in foro: Druſi cum tropæis, in via Appia: Trajani in ejuſdem foro: Gordiani in Viminali: Gratiani, item Theodoſii, non longè à via Triumphali &c. cum ſuperbis inſcriptionibus & inciſis victoriarum monumentis. Forma eorum antiquitus ſemicircularis fuit, unde apud *Ciceronem fornix Fabianus*, qui à Victore *Arcus Fabianus* nuncupatur. Poſtea quadrata, ita ut in medio ampla eſſet porta fornicata, cui ab utroque latere minores portæ additæ. Intra mediæ autem portæ fornicem Victoriæ pependerunt alatæ, quæ tranſeunti Victori coronam demiſſæ imponerent. Superior arcus pars ſpatia habebat, in quibus, vel qui tubis canerent, vel qui tropæa maximè inſignia oſtentarent, ſtetiſſe exiſtimantur. Quæ magnificentia Auguſti temporibus, vel paulò antè cœpit. Novitium quidem hoc inventum *Plinius* vocat, verùm non tam de ipſis arcubus, quàm de luxu & magnificentia inſolita, intelligendum eſt. Antiquiſſimi arcus tres, præter Plinio quinque memorantur, Georg. Fabricius *in ſuo Roma c. 15.* Imò quatuordecim in urbe arcus ex Hieroclis & P. *Victore* inprimis, enumerat Onuſrius Panvinius, ſed ante Titum neminem Imperatorum arcum triumphalem ſtatuiſſe, contendit Bartholom. Marlianus *Topogr. l. 4. c. 17.* Sicut autem virtutis ergò primitus *Arcus* erecti fuêre, ita ſequioribus ſeculis ſola ſæpe Imperatorum libido eos ſibi ſtatuit. Sueton. *in Domit. c. 13. Janos Arcuſque cum quadrigis & inſignibus triumphorum, per regiones urbis, tantos & tot extruxit, ut cuidam Græce inſcriptum arcus ſit, Arcum & calvitium.* Illum enim, ut Auſonius habet, *in Cæſarib. Monoſt. de Ordine XII. Imperat. v. ult.*

— Calvum dixit ſua Roma Neronem.

Habebant *Arcus* à triumphantibus nomina, dictique ſunt Septimii Severi, Gallieni, Titi, Fabianus &c. ſolebantque à Senatu ante diem Triumpho præſtitutum & quidem ex manubiis, ut & Templa, aliaque victoriæ monumenta, extrui. Hinc Roma ad Honorium, apud Claudian. *de 6. ejus Conſ. v. 369.*

Aſt ego frenabam geminos, quibus altior ires,
Electi candoris equos, & nominis Arcum
Jam moliebar, per quem radiante decorus
Ingrederere toga.

Nec nomina tantùm Ducum ſeu Imperatorum triumphantium, verùm & hoſtium devictorum gens, geſta, habitus & ſpolia iis inſculpebantur, velut in omne tempus manſurum tropæum: Unde idem Claudian. *de laud. Stiliconis l. 3. v. 65.*

— Septem circumſpice montes,
Qui ſolis radios auri fulgore laceſſunt,
Indutoſque Arcus ſpoliis.

Tranſiit conſuetudo à veteri ad novam quoque Romam, unde Corippus *in Juſtin. min.* arcuum ſæpe meminit. Sed dubium an Triumphales illi & perpetui, an tolutis lignorum congeſtione in publica lætitia tantùm erigi eaque abſolutâ ſubverti ſoliti fuerint? Icones *Arcuum triumphalium*, tum in *Antiquit.* Gamucci, tum in veterib. nummis, magnò numero exhibentur: aliquas etiam reperias apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 10. c. 29.* ad cujus *l. 1. c. 13. Vide quoque paralipomena* Thomæ Dempſteri.

ARCZISZEVIUS Chriſtophorus, viri illuſtri in Polonia, familiâ natus, præclaram Belgii Confœderatis Ordinibus in America operam navavit, circa A. C. 1640. Ei in regimine & Præfectura Braſiliæ, ſucceſſit Mauritius Naſſovius.

ARDA, oppid. Morinorum, ab Arnulfo Selnesſenſi, ex ruinis caſtelli Selneſſæ A. C. 1057. conditum: Vulgò nunc *Ardres.* Nomen accepit à paſcuis, ut docet Lambertus Ardenſis Eccl. Presbyter, *in Hiſt. Comitum Giſnenſium, quam principatu Philippi Aug. ſcripſit: ſic locus, inquit, eo quòd paſcuus erat, à paſturæ, ut ajunt incola, dicebatur Arda. Dicebant enim paſtores ad invicem: Eamus & conveniamus in paſturam, hoc eſt, in Ardam. Creſcentibus autem ibi populis indigenis ſimul & advenis, crevit villæ ſitus & amplitudo: crevit & Ardenſis nominis bonitas & fama. Arnoldus conſenſu Balduini Giſnenſis Comitis de villa ſua Ardea (nam & ſic quandoque nominatur) liberum fecit caſtellionis oppidulum, XII. Pares vel Barones caſtro Ardeæ appendicios inſtituit, Scabinos ibidem ordinavit.* Hæc *Ardæ*, ſecundùm *Lambertum*, origo. Idem Robertum Comitem Flandrenſem Arnoldo Ardenſi Domino conceſſiſſe narrat, ut hæreditario jure cum XII. Flandrenſis Curiæ Paribus & Baronibus ſederet ac judicaret, honoris eorum & dignitatis particeps ac compar: Ex quo intelligitur, Flandriæ tum hoc oppidum aſcribi conſueviſſe. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ARDABIGARA, Aſſyriæ oppid. & gens. *Procopius.*

ARDABUTIUS, Conſul Roman. Hierii collega.

ARDALUS, Vulcani fil. quem tibiam adinveniſſe, & ab eo Muſas dictas *Ardalidas*, *Ardaliotidas*, ſcribit Pauſan. *l. 2.* & Steph. Vide Cæl. Rhodig. *l. 27. c. 16.* Inde *Heſychius* Ἀρδαλίδες, αἱ Μοῦσαι.

ARDANIA, Ægypti regio ſupra Parætonium. *Strabo.*

ARDANIS, Marmaricæ promontorium. *Ptol.* *Capo Ramedo* vulgò dicitur.

ARDARICANUS, in *Additamento 2. L. Burgund. §. 6. De monetis ſolidorum præcipimus cuſtodire, ut omne aurum quodcunque pensaverit, accipiatur, præterquam iſtas 4. monetas, Valentiniani, Genavenſis & Gothicos, qui à tempore Regis adcrati ſunt & Ardaricanos.* Monetæ ſpecies eſt: Car. du Freſne legendum conjicit *Alaricanos*, à Rege Alarico, in *Gloſſar.*

ARDARICUS, Gepidarum Rex, junctus Oſtrogothis, vicit in Pannonia Ellac, Chaba & Dincioucm, Attilæ filios, de ſucceſſione diſſidentes, ac in Barbariam repulit. Jornandes *de rebus Goth.* A. C. 455.

ARDATUM, Urbs Hiberniæ in Momonia provinc. & Kerrienſi Comitatu. *Briet.*

ARDAXANUS, fluv. Illyrici circa Liſſum Urbem. *Polyb.*

ARDEA, Ulyſſis & Circes fil. Steph. in Ἀρδέα. Item Perſiæ urbs *Ptolemæo* & *Amm. Marcellino.*

ARDEA, urbs in Latio, à Danaë, ſecundùm quoſdam, condita, Turni & Rutulorum regia, quaſi *Ardua*, i. e. *magna & nobilis*, teſte Servio, *in illud Virg. Æn. l. 7. v. 411.*

— Locus Ardea quondam
Dictus avis, & nunc magnum tenet Ardea nomen.

Hyginus ab augurio avis Ardeam dictam tradit. Alii verò à fervore regionis. Martial. *l. 4. Epigr. 60. v. 1.*

Ardea ſolſtitio, Paſtanaque rura petantur,
Quaque Cleonæo ſidere fervet ager.

Ubi etiam morboſum locum *Ardeam* fuiſſe diſcimus. Strabo *l. 5.* Ἅπαντα δ' ἡ Λατίνη ἐστὶν εὐδαίμων, καὶ παμφόρος, πλὴν ὀλίγων χωρίων,

gion, ἢ ἐς, ὁδὲ ὕδωρ ἐστὶν ὅτου ὄχετο καὶ πηγῆς, οἶον ἐν τῷ Ἀρδεατῷ, &c. Hinc illud Senecæ *Ep.* 104. *Quæ obſervanda tibi ſunt, ut ſalubrior vivas, dicam. Tu tamen id mediam, cenſeo, iſta præcepta, quemodo ſibi præceperem quâ ratione bonam valetudinem in Ardeatino tueretur.* Hanc urbem, poſt Turni mortem; igne conſumptam, & in avem ſui nominis commutatam fabulatur Ovid. *Met. l.* 14. *fab.* 14. *v.* 573.

... & Cadit Ardea, Turno
Soſpite, dicta potens, quam poſtquam barbarus ignis
Abſtulit, ac tepida jacuerunt tecta favilla,
Congerie e media tum primum cognita præpes
Subvolat, & cineres plauſis everberat alis:
Et ſonus, & macies, & pallor, & omnia, captam
Quæ deceant urbem, nomen quoque manſit in illa
Urbe, & ipſa ſuis deplangitur Ardea pennis.

Nunc in ruinis jacet. Manet tantùm caſtrum Marchionatus Cæſarinæ gentis in ora maris Tirrheni longitud. 36. 25. latitud. 41. 30. *Nic. Lloydus.* Inſtaurata hæc urbs fuerat poſt primam deflagrationem, quæ ſub Ænea contigit; unde *Ardeæ Rutulorum* meminit Liv. *l.* 1. *c.* 57. ſub Tarquinio. Poſtea verò ab Hannibale denuo everſa ac incenſa legitur, apud Servium. Salmaſ. *ad Solin. p.* 57.

ARDEA, amnis Galliæ in Normannia provinc. In Oceanum Britannicum ſe exonerat, prope Abrincas. Aliis *Ardum*.

ARDEBILA, Urbs Aſiæ, in Perſia, verſus mare Caſpium, in provinc. *Servan.* Ibi viſuntur multa ſepulchra Perſiæ Regum. Urbs perampla & ſine muris. *Olear.*

ARDEBURUS, Dux exercitus Theodoſii Junioris Perſas vicit, dein in Italiam miſſus, contra Joannem tyrannum, ab hoc captus, & Ravennæ in carcere detentus eſt. Hinc verò à filio Aſparo mirabiliter liberatus incolumis evaſit. Socr. *l.* 7. Theodoret. *l.* 5.

ARDEBURUS, in Aula Leonis Imperatoris adeò potens, ut filio Ardeburi filiam ſuam Imperator deſponderit; qui poſtmodum hujus inſolentiam non ulteriùs ferre certus, Zenoni Iſaurio illum interimendum tradidit, filio ejus in exilium pulſo. A. C. 470. Marcellin. *Chron.* Niceph. *l* 15. *c.* 27 Evagrius, *l.* 2. *c.* 16.

ARDECA, vulgò ARDESCHE, fluv. Galliæ in provinc. Vivarienſi, Albenacum alluit & in Rhodanum cadit, ſupra Pontem Sancti Spiritus.

ARDELICA, item Piſcaria, arx Italiæ permunita, in ditione Venetorum, ad lacum Benacum. *Baudrand.*

ARDEMBURGUM, oppidul. Flandriæ, ſub Batavis, ab A. C. 1604. à Gallis A. C. 1672. fruſtra tentatum.

ARDENTES, apud Anonymum *de Miraculis S. Agili c.* 3. *Deus per ejus merita operatur ſanationes & maximè Ardentium reſtinguit ignes:* Dicuntur, qui igneo quodam morbo correpti, toti quodammodo *ardebant*, & membris deuſtis ſenſim conſumebantur. Morbum hunc Veteres *ſacrum ignem* vocabant, h. e. *crudelem & peſſimum*, quomodo Donatus *ad l.* 7. *Æn.* interpretatur. Ipſe Virg. ejus meminit *Georg. l.* 3. *v. ult.*

---- Nec longo deinde moranti
Tempore, contactos artus ſacer ignis edebat.

Ἐρυσίπελας Græci vocant, &c. Hinc ædiculæ S. Genovefæ ſacræ Lutetiæ Pariſiorum, *Ardentium* nomen inditum; quòd ſub A. C. 1130 ſub Ludovico VI. ad feretrum Virginis hujus, quò ædificata deinceps fuit ædes, complures hâc lue correpti ſanati traditi ſunt, ut eſt apud Brolium *Hiſt. Pariſ. l.* 1. Idem factum eſſe ad ædem Deiparæ Pariſienſis, ait Flodoardus in *Chronico* A. C. 945. Nempe ignis hæc ſacri plaga, in peſtilentiæ modum, ſæpius homines, in Gallia maximè, olim pervaſit, ut oſtendit, plurimis in hanc rem Auctoribus citatis, Car. du Freſne *Gloſſar.* Gallis *Ardents*.

ARDENTIUS Radulphus, vide *Radulphus*.

ARDERE, de purpura veri luminis, eleganter Poëtæ dicunt. Val. Flac. *l.* 3. *v.* 340.

Dat pallas auro atque ardentes murice veſtes.

Quod idem paulo aliter *l.* 2. *v.* 341.

---- nitidus famula convivia tectis
Expediunt: Tyrio vibrat torus igneus oſtro &c.

Cujuſmodi purpura cæteras ſordere faciebat. Vopiſc. *in Aureliano c.* 29. de purpura Indica, *Meminiſtis fuiſſe in Templo Jovis Capitolini pallium breve purpureum lanestre, ad quod cùm matronæ atque ipſe Aurelianus jungerent purpuras ſuas, cineris ſpecie decolores videbantur cæteræ, divini comparatione fulgoris.* Et proin ſecundùm *ardorem*, purpuræ pretium æſtimabatur, unde qui benè culti haberi volebant, pendibant in Solem. Auguſtus apud Macrob. *Saturnal.* l. 2. c. 4. *Cum de Tyriæ purpuræ, quam emi juſſerat, obſcuritate quereretur; dicente venditore, Erige altius & ſuſpice: His uſus eſt ſalibus: Ego, ut me Populus Rom. dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum.* Quaſi dicat, Ergone ego, in quem omnium oculi conjiciuntur, ut lux purpuræ claritudo perſpici poſſit, in Solarium aſcendam & ita demum dignâ me veſte cultus videbor, cùm aliarum purpurarum ſplendor vel in umbra luceat &c. Sed hoc genus tincturæ, quod per totum terrarum orbem tot ſecula nobilitatum & omnibus mortalibus fuit notum, adeò penitus interiit, ut nec ratio ejus reparandi ſuperſit ulla. Barthius *Animadverſion. ad Stat. l* 4. Vide infrà, in voce *Argavan*, item *Lumen*, *Purpura*, nec non ſuprà ubi de *Albatis Veſtibus*.

ARDERICUS, Hiberniæ archo, qui, ſpretis conſuetudinibus Eccleſiaſticis, etiam fœminas, pueroſque caput tondere coëgit. Inſulâ pulſus. A. C. 1053.

ARDESIA, Hiberniæ regiuncula, in Ultonia provinc. ad lacum Coyn, in Dunenſi Comitatu in modum peninſulæ extenſa.

ARDESIA, Gallis ARDOISE, lapidis cœrulei ſpecies, ex quo in tenues lamellas ſeu ſcandulas fiſſo, ædium tecta operiuntur. Martinus in *Vita B. Mariæ de Malliaco num.* 12. *Tectum ligneum ---- in lapideum commutavit*, quod Ardeſias vocant. Hodie paſſim in uſu, at veteribus olim ignota: Refert enim Plin. *l.* 16. *c.* 10. Romanos uſos ſcandulis ſeu ligneis aſſulis & ſectilibus aſſiculis. Ab *ardendo*, ut videtur Philandro *ad Vitruvium l.* 2. *c.* 1. *Noſtri utuntur cærulea in nigro ſectilibus laminis craſſitudine. Is lapis ferrâ dentatâ, ut lignum, ſecatur, aſſulatimque frangitur, nomen ceteris in cæmenta, Ardeſiam vocamus, credo ab ardendo, quod è tectis ad Solis radios veluti flammas jaculetur.* Ejuſmodi teſtas, ut & figulinas qui conficiunt, Ὀστρακάριοι Theophani dicuntur. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide & infrà in voce *Scaglia*; ſic enim & aliæ nonnullis dicuntur, ex Italico *Scaglia*, i. e. *Squama*; Squamarum enim more in tectis conſeruntur, &c.

ARDETTUS, nomen erat loci, in Græcia, prope fluv. Iliſſum, dicti ab Ardetto viro Optimate, qui populum tumultuantem & ſeditionis manifeſtum, jurejurandi religione ad pacem & amicitiam ſervandam adſtrinxit. Unde mos ortus, ut poſtmodum Athenienſium Judices, eodem loci, per Apollinem Patrium, Cererem ac Jovem Regem, jurare tenerentur, ſe ſecundùm Leges jus dicturos, uſque in caſibus, ubi Lex nil definivet, ex æquo & bono ſententiam laturos. *Etymologici Auctor*, Ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ ὤμνυον οἱ δικασταὶ ὅρκον, *In hoc igitur loco jurabant Judices Judiciale juramentum.* A conſueto hoc jurandi loco, factum poſtea, ut qui ad juramenta temerè proſiliebant, vel etiam perjurii infames erant, dicerentur Ἀρδηττοί, Heſych. proverbialiter, i. e. *perjuri*. Vide Franc. Roſſaeum *Archæol. Att. l.* 3. *c.* 2. & infrà *Dicaſteria*.

ARDIÆI, Illyriæ populi Strabo *l.* 7. Civitas eorum *Ardia*. *Steph.* Vide *Varalu*.

ARDICES, Corinthius pictor fuit. Plin. *l.* 35. *c.* 3.

ARDIEA, amnis Hiſpaniæ in Anam ſe exonerat, infra Olivenſem Urb. ad Muram, oppidul. Luſitaniæ. Oritur in Andaluzia.

ARDINACHA, vide *Armacha*.

ARDINIUM, civitas in campo Thebæ. *Stephano* Ἀρδίνιον dicitur

ARDISCUS, teſte *Ariſtarcho*, Scythiæ fluv. cujus meminit Herodot. *Muſâ* 4tâ

ARDISTAMA, Galatiæ oppid. *Ptol.*

ARDISUS, Lydorum Rex, Dynaſtiæ II. ſeu Heraclidarum ordine XIX. ad primam Olympiadem collocatur *Euſebio*, qui Reges octodecim priores ex eâ ſtirpe omiſit. Eorum enim XXII. fuere, ut ex Herodoto diſcimus, *Poſt Atyadas regnârunt Sardibus Heraclidæ per ætates XXII. ab Argone uſque ad Gygem*, *l.* 1. *c.* 7. Priorum itaque memoria ſic periit, quatuor tantùm poſtremos Euſebio recenſente, *Num.* 1239. quorum antepenultimus fuit Alyattes, *Ardiſi* ſeu *Ardyſi*, qui regnavit annos 36. ſucceſſor. Vide *Alyattes*.

ARDIUS, ut *Xylander* legit apud *Strabonem*, Græca Ἄρδιον habent, mons eſt, qui Dalmatiam mediam ſecat. Hic, teſte B. Rhenanô, ſub Juliarum Alpium nomine, à *Sexto Rufo* deſcribitur. Quibuſdam *Roſa* nunc dicitur.

ARDMORIA, urbecula olim, nunc vicus Hiberniæ in Comitatu Waterfordienſi, cum portu in ora Momoniæ.

ARDON, Latinè *imperans*, vel *deſcendens*, fil. Caleb. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 18.

ARDONEA, civitas Apuliæ Liv. *l.* 24. *c.* 20.

ARDOTIUM, Illyrici oppid. *Ptol.* hodie *Magouicha Nigro*.

ARDRA, vulgò ARDRES, Galliæ Urbecula in Picardia, permunita, in paludibus.

ARDRACUM, oppid. Hiberniæ in Ultonia provinc. & Comitatu Lugenſi, ad fluv. *Ardram*, *Arder*. Item, Urbecula Hiberniæ in Connachtia provinc. & Comitatu Lonfordienſi.

ARDSTINUS, fluv. Scotiæ meridionalis in Gallovidia provinc. In Glottæ æſtuarium & mare Hibernicum ſe exonerat, prope *Ardſtinſel* oppid. ex adverſo Araniæ Inſul.

ARDUBA, Dalmatiæ oppid. à Tiberio expugnatum. Dio. *l.* 56. Dein Teninium Croatiæ. *Baudrand.*

ARDUENNA, Galliæ totius maxima ſilva, quæque ab ripis Rheni, finibuſque Trevirorum ad Nervios pertinet, millibuſque amplius quingentis in longitudinem patet, ut deſcribit & æſtimat Cæſar *l.* 6. *Bell. Gall. c.* 29. Gallicè *La foreſt d'Ardenne*, cujus magna pars in ditione Leodienſi, in Ducatu Lucemburgenſi, & in Byſſilia regione perſeverat. *Valeſio* attingit Rhenum inter ac Moſam Juliacenſes, Colonienſes ſeu Agrippinenſes, Tolbiacenſes, Aquenſes, Condruſos, Eſiam, Lemburgenſes, Confluentinos ac Mogontiacenſes, Lucilibargenſes & Bublionenſes in finibus Trevirorum, Mediomatricos ſive Metenſes, cis Moſam Leodicenſes, *Tungros* olim dictos, Namurcenſes, Nervios vel Hannonios, apud quos *Carbonaria* vocatur, Teoracam, Catalaunenſes ac Barrenſes Ducales, ſi *Marliano* creditur. *Valeſio* Nerviorum, Veromanduorum, Remorum ac Catalaunorum fines ſtringit. Nam hodieque ad Duodeciacum, Sedanum & Doncheriam Remorum oppida, ſylva eſt ingens, *Arduennæ* ſervans nomen *bois des Ardennes*: & ab oppido S. Manechildis, quod diœceſi Catalaunicâ continetur, Verodunum petentibus tranſeunda eſt ejuſdem ſylvæ portio, hodieque *la foreſt d'Ardenne* nuncupata. Deinque ad utramque Moſæ ripam nobiles ſuperſunt ejus reliquiæ *les Ardennes* dictæ, hinc Mariæburgô, Cimacôque in Hannonia, Malaberti fonte & Rupe Regiâ in Remis, atque Monte Cornutô, inde Fumacô ac Orcimonte clauſæ: nec procul à dextra fluminis ripa pars alia ejuſdem ſylvæ cernitur, capite fluv. Urbæ, & Andainô, ſive St. Huberti Monaſteriô, ac priſcâ appellatione nobilis. *Saltus, quibus nomen Arduenna*, Tacit. vocat *l.* 3. *Annal. c.* 42. Hanc proin ſaltus Cæſar à Rheno fluvio, *ad Remos millibus amplius D.* (*Aliàs L.*) *in longitudinem patere* ait: cum pateat millia 160, h. e. leucas Gall. 50. Nam à Colonia Agrippina abeſt Bagacum Nerviorum mill. paſſ. 110. à Bagaco Nerviorum Durocortorum Remorum 55. mill. In hac ſylva aut in Voſago, nec unquam ferè aliàs potamnis ex more

antu-

autumnalem venationem peragere conſueviſſe Carolum M. & Ludovicum Pium Imperatores apud Hiſtoricos legimus. Sigibertus quoque junior Auſtraſiorum Rex eam *Foreſtam ſuam* vocat, apud Notgerum *de vita Remacli*. Adeoque non licebat privatis in ea, utpote ſylva Regali ac Dominica, venari ac majores feras occidere, niſi Regio permiſſu. Hinc Fortunatus ad Gogonem, *l. 7. carm. 4.*

Ardenna an Voſagi cervi, capræ, helicis, urſi,
Cæde ſagittiferâ ſilva fragore tonat?
Seu validi bufali ferit inter cornua tempus,
Nec mortem differt urſus, onager, aper?

Imo & filio ſuo Ludovico in quinque dominicis ſylvis venatione interdixiſſe Carolus Calvus Imperator legitur. Porro quia *Arduenna* ſylva regalis erat, hinc Notgerus recto memoratus *loca omnia Arduennæ adjacentia ſub Regia ditione fuiſſe*, i. e. fiſci ſeu patrimonii Dominici extitiſſe, ſcribit. Adjicit Sigibertum duo condidiſſe Monaſteria in hac ſylva, Malmundarium *Malmedi* & Stabulaus, *Stavelo*, quæ nunc extra ejus fines ſunt, cultorum ac præ cæteris Monachorum operâ paſſim excisæ. Nomen ab *Arduenna* ſylva accepit pagus ſeu Comitatus *Arduenna* dictus, in diviſione Regni Ludovici Pii inter filios, ubi ponitur inter Hasbaniam & Friſiam Cis Rhenanam, quæ ad Moſam aut etiam Scaldim uſque pertinebat. Hinc Comites *Ardenna & Bulliona*: Miræus Comitatum hunc eum Lemburgenſi eundem credit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ARDUINUS Marchio, ut Italiæ Regem ſe fecit A. C. 1005. ab Henrico II. Imperatore quem primò in fugam conjecerat, tandem victus, ac omni potentiâ exutus, A. C. 1015. Sigon. *l. 8.* Fabric. in *Coron. Friſing. l. 6.*

ARDULFUS, Northumbriæ Rex à ſubditis pulſus Caroli M. & Leonis III. ope imploratâ, paulo poſt reſtitutus eſt. A. C. 808. *Annales Franc.*

ARDURNA, oppid. Scotiæ Septentrionalis cum fluv. cognomine in comitatu Strathnaverniæ, non longe à Virvedro promontor.

ARDUUS, vulgò *Ardre*, fluviolus Galliæ, Glabro Rodulfo *l. 3. c. 3.* memoratus.

ARDYENSES, circa Rhodanum gens, Polyb. *l. 3.*

ARDYS Gygis fil. Lydorum Regis, cui etiam in regno ſucceſſit, XIX. Rex, ab Argone Heraclida, regnavit 36. ann. Euſeb. in *Chron.* Herodotus, cum Prienen iis cepiſſe & Maleſiis bellum intuliſſe, 49. autem ann. regnâſſe ait, *l. 1.* *Nic. Lloydius*. An de numero XIX intelligendus *Ardyſus*, XIX. Heraclidarum Rex, de quo ſuprà. Gygis enim fil. *Mermnadarum* ſeu Dynaſtiæ Lydorum Regum III. Secundus Rex, ab Argone Heraclida, viceſimus quartus fuit: ac ſucceſſorem habuit Sadyatten; quô tempore Pſammetichus Ægypti Rex Azotum obſidebat, Phraortes verò II. Medis imperabat. Vide infrà *Sadyattes*. Cæterùm, *Ardye* hôc Mermnadâ regnante Cimmerii, à Scythis ſedibus ſuis ejecti, & Aſiam ingreſſi Sardes ceperunt præter arcem, Herodotus *d. l.* ab Alyatte demum *Ardyis* nepote terrum Aſiâ pulſi: qua de re vide Joh. Marſhamum *Canon Chron. ad Sec. XVII.*

ARDYSUS, vide *Ardiſus*.

ARE, regio Arabiæ Felicis & inſul. in ſinu Arabico. *Ptol.* longitud. 80. 00. latitud. 14. 26.

AREA, Minervæ epitheton, i. e. *fortis & ſtrenua*, cui apud Platæenſes, ex Marathoniæ pugnæ manubiis, templum ædificabatur.

AREA, nomen viri. Nehem. c. 6. v. 18. Eſdr. c. 2. v. 5. Latinè *via ſive ſemita*, aut *viator*, vel *oderans*, ſive *amæna*.

AREA, ſive ARIA, inſul. Ponti Colchos verſus Marti ſacrata. Item fons in Thebis, cujus accolæ *Arei Stephano* dicuntur.

AREA, apud A. Gellium *l. 4. c. 5.* Spatium eſt ante Deorum ædes, quod in privatorum ædificiis veſtibulum vocatur; *unde Vulcani area*. Spei item, Minervæ, Fidei, & Capitolini Jovis *area*, apud Sueton. *in Calig. c. 22. 34. Plinium, Vitruvium*, alios. *Circi area*, apud Ovid. *Faſtor. l. 6. v. 205.*

Proſpicit a templo ſummum brevis area Circum &c.

Sic *Area*, in campo Martio. Ut enim inambulationis gratiâ Baſilicis, Templis, Faniſque Deorum prætenſa loca vacua, (ante Pronaum enim erant) *Area* dicta Feſto *l. 1.* quod nempe eſſent *aqualitate tabularum ſtrata*, ut loquitur Iſidor. *Etymolog. l. 15. c. 13.* Ita *Area* in Campo Martio, tyronibus exercendis locus dictus, quidquid ſcil. inter Tiberim fluv. & ſepta ſpatii interjacebat. Horat. *l. 1. Od. 9. v. 18.*

—— Nunc & campus & Areæ,
Leneſque ſub noctem ſuſurri
Compoſitâ repetantur horâ.

Quem locum male nonnulli de Circo Romano exponunt, ac & illum Claudiani *de 6. Honorii Conſul. v. 621.*

Hic & belligeros exercuit area luſus
Armatos hic ſæpe choros, pulchraſque vagandi
Textas lege fugas, inconfuſoſque recurſus.

Namque & hic Poëta de campeſtribus ſeu militaribus exercitus loquitur, quæ in Campo Martio, aut veteris, *Area* illius, fervebant &c. De *Areis* Templorum *Marmor Neapolitan.* ſic habet: *Ab Colonia. deducta. anno. XC. N. Fufido. M. F. M. Pollio. Duovir. P. Rutilio. Cn. Mallio. Cos. operum. lex. II. lex. parieti. faciundo. in. area. quæ. eſt. ante. ædem. Serapis. trans. viam. qui redemerit. prædes. dato. prædiaque. ſubſignato. Duum virûm. arbitratu hoc opus. omne. facito. arbitratu. Duovir. &. duovirateium. qui. in. conſilio. eſſe. ſolent. Puteolis. dum ne. minus. viginti. adſient. cum. ea. re. conſuletur. quod. eorum. viginti. jurati. probaverint. probum. eſto. quod. ei. improbaverint. improbatum. eſto*, apud Wolfg. Lazium *Comm. Reipubl. Rom. l. 5. c. 2.* Unde colligitur, non in urbe modò, ſed & in Coloniis Municipiiſque Areas ſacrarum Ædium veſtibulis adjici conſueviſſe. Vide Thom. Dempſter. ad *Roſin. Antiq. Rom. l. 1.* ubi de regione Urbis prima, in qua *Arearum* crebra mentio; ut & Salmaſ. *ad Solin.*

AREACIDÆ, Numidiæ gens. *Polybius*.

AREBRIGIUM, pagus Salaſſiorum ultra Auguſtam Prætoriam in Alpibus Grajis, *Buras de la Duile*, Simlerô teſte. Alias *Erenburm* pagus ejuſdem tractûs, quod magis probatur. *Nic. Lloydius*. Nunc *Morgex* vicus, *Briotio*.

AREBURGIUM, vicus inter Treviros & Coloniam Agrippinam. *Arenburg Simlero*. Ad amnem *Art*, eſtque principatus ſacri Romani Imperii.

AREC, urbs in terra *Sennaar*, Babyloni vicina, Gen. *c. 10. v. 10.* *Aracca* vel *Arecca Plinio*, urbs Suſianæ, in hujus confinio ac Babyloniæ ſita. Unde *Areccæi Campi* Tibullo, in quibus naphthæ, h. e. liquidi bituminis, fontes ſcaturiebant. *l. 4. Epigr. 1. v. 181.*

Ardet Arecceis aut unda perhibita campis.

In Suſiana enim naphthæ liquidæ fontes. Strabo *l. 15.* de liquido bitumine, ἐν ᾧ φησὶ διττὴν, τὴν μὲν καλεῖ Νάφθαν, γίνεσθαι ἐν τῇ Σουσίδι, τὴν δὲ ξηρὰν δυναμένην πήγνυσθαι ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ, *Liquidum quidem, quod naphtham vocant, naſcitur in Suſiana: ſicca vero, in Babylonia.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1194.*

ARECA, Syriæ urbs in Comagena, *Ptol.* Vide & *Arecc*.

ARECA, arbor Indica, palmæ ſimilis, mater nucum Indicarum, quas *Cocos* vocant, ſed tamen minùs craſſa & foliis quoque tenuioribus. Fructus ejuſdem nominis nucem refert, prædurus, nec niſi forcipe dividendus. Ad piperis genus reducitur à nonnullis, ſed perperam, quod ſuſtineat ſaltem piperis fruticem, labruſcæ non multum diſſimilem; quin potius ſylveſtris palma reputatur; Luſitanis *Arequero*. Auctor Anonymus *Sina & Europa c. 34.* Ejus apud Indos frequentiſſimus uſus, infra indigitabitur, ubi de aromate *Betre*.

ARECHIS, Dux Beneventanorum, primus *Principis* nomen, in honorarium, ſeu potius feudalem titulum, in Italia, invexit: enim qui ante eum eſſent, *Beneventi Duces* appellarentur. *Hunc & ab Epiſcopis ungi ſe fecit & coronam ſibi impoſuit, atque in ſuis chartis ita in fine ſcribi præcepit, Scriptum in noſtro ſacratiſſimo Palatio*, Leo Oſtienſis *l. 30. c. 60.* Vide infrà in voce *Princeps*, item *Ravenna*.

ARECLOA, Urbs Hiberniæ, vide *Arclovium*.

ARECOMICI, populi Galliæ Narbonenſis Volcis proximi; *Arecomii Ptolemæo*. *Arecomiſci Straboni*, quorum urbs eſt Nemauſus, Gallicè *Avignon*, aliis *Niſmes*. Vide *Volcæ*.

ARED, fil. Benjamin. Gen. *c. 46. v. 21.* Latinè *imperans* vel *deſcendens*.

AREDATE, Auſtriæ oppid. *Ptol.* *Lintz* hodie dicitur.

AREFA, Phœniciæ urbs. *Lib. Notit.*

AREGIA, Hiſpaniæ Tarraconenſis urbs. *Iſidor.* *Amaya* hodie.

AREGON, pictoris nomen. Strabo *l. 8.* In Alpheoniæ Dianæ templo (inquit) Cleanthis & Aregontis picturæ viſuntur, hominum Corinthiorum; Alterius quidem Trojæ captivitas, & Minervæ natalia; Alterius, Dianæ in cunis deportatio; opera laude ſummâ celebrata.

AREGONIS, Mopſi mater. Orpheus *in Argonauticis*:

Καὶ Μόψον Τιταρῆθεν, ὃν Ἄμπυκι νυμφευθεῖσα
Χαονίῳ ὑπὸ δρυῒ Ἀρήγονις ἐξελόχευσε.

AREJA, in veterib. tabulis *Alegia*, fluv. Galliæ, Apamiam alluit & Garumnâ recipitur. Vulgo *l'Ariege* vel *l'Auriege*, Hadr. Valeſ. in vocibus *Apamia* & *Garumna*.

AREIUS, Argonauta. *Orpheus*.

Αὐδῖνος Ταλαός τε καὶ Ἀρήϊος, υἷες ἀγαυοί,
Ἦλθον Ἀβαντιάδαο ἀεξόμενοι, ὡς ἄρα φασίν.

ARELATUM, urbs nobilis Archiepiſcopalis Galliæ Narbonenſ. ſecundùm quoſdam ab Arulo, Priami nepote, vel ab Areli, filio Gad. Gen. *c. 46. v. 16.* condita: Phocenſibus aliis ejus originem tribuentibus, eô tempore, quô etiam Maſſilia extructa. *Sextanorum Colonia Plinio*, quòd è ſexta legione milites coloni eò deducti ſint, quam *Strabo* ad Rhodanum ſitam ampliſſimô emporiô inſignem eſſe ſcribit. *Multarum civitatum decus* vocat *Amm. Marcellin.* Vide Melam *l. 2. c. 5.* Plin. *l. 3. c. 4.* Ptol. *l. 2. c. 10.* Strab. *l. 4.* Sueton. *in Tiber. c. 4.* Caſſiod. *l. 8. ep. 11.* Paulin. *l. 6.* Gregor Turonenſ. *l. 9. c. 39. 40. & 41.* Fortunat. *l. 5. v. 2.* &c. præter *Caſ. Procop. Proſperum*, alioſque innumeros. *Conſtantia* olim à Conſtantino Imperatore denominata eſt, uti docet *Auſonio ſuo* Scaliger. *Mamillaria Colonia* dici putabatur in *veteri Inſcriptione*, teſte Ortelio. Ubi tamen Pontanus *Mamillarum* legendum ariolatur; quia *Feſtus Avienus*, in *Ora maritima*, ait, *Arelatem* dictam incolis olim Græcis *Thelinen*, quod quid aliud quàm *Mamillaria*? Θηλὴ enim *mamilla*. Verſus Avieni ſic ſe habent;

Arelatus illic civitas attollitur,
Theline vocata ſub priore ſeculo
Grajo incolente. ---- ----

Cauſa ejuſce appellationis duplex; Forma urbis, & rerum omnium; annonæque præſertim ſingularis ubertas. Huc fortaſſe reſpexit Auſonius, *Gallulam Romam* nuncupans. Sic enim ille in *Catalogo. n. VIII. v. 2.*

Gallula Roma Arelas: quam Narbo Martius, & quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.

Roma enim ſonat *mamillam*. Ab illa *ruma* dicti *Romulus & Remus*, *Plut. Feſt.* *Arelate Straboni* dicitur, vel ab *Areſlat*, Græc. quaſi *Martis populus*, vel ab *Ara lata*, vel linguâ Britannicâ, quaſi urbs in loco paludoſo extructa. Gaſſend *in vita Peireſcii*, *p. 89.* Vide infrà. Reges olim habuit; Poſtremus eorum nomine Boſo, cum Epiſ-

copo, quòd ſe non expectâſſet in nocte Nativitatis Domini, alapam impegiſſet, ab Othone Imperatore regnò exutus & in cœnobium detruſus eſt, ex quo tempore regnum Arelatenſe ceſſavit, & Romano imperio adnexum eſt. Vide eundem infrà. De nominis origine Bochartus *l.* 1. *Chanaan c.* 42. *Lath*, inquit, Britannis eſt *humiditas*, planè ut Ebræis לחות *Lachuth*; unde *Arelates* nomen *Camdenus* ita deducit, *Arelate celeberrima Galliæ urbs ſolo uliginoſo, & humido poſita ab ipſo ſitu nomen ſumpſiſſe videtur. Ar enim Britannis ſuper, & Lath humidum ſignificat.* Ad Orientalem Rhodani alveum, ubi ex adverſo incipit regiuncula feraciſſima, *la Camargue* vulgo dicta. longitud. 29. 29 latitud. 42. 45. Urbis hiſtoriæ ex *Morerio*, paucis ſic habe. Primitus Colonia fuit Romana dein Sedes Præfecti prætorii in Gallia, ubi ſingulis annis ſeptem provinciarum conventus agebatur. Conſtantinus M. poſtmodum Imperium in Gallia ibi conſtituit, ut & Conſtantinus tyr. Majoranus & Avitus. Deficiente Imperiò Romanò à Regibus Burgundiæ occupata eſt. Theodoricus dein Viſigothorum Rex ibi diu ſedit, urbemque egregiis ædificiis ornavit. Boſo primus Rex Arelatenſis, circa A. C. 879. cum fil. Ludovico, regnum hoc 43. ann poſſedit, Quod poſt Hugonem III. tranſiit ad Rodolphum II. Burgund. Regem, cui Conradus Pacificus ſucceſſit, quem Rodolphus III. *Ignavus* excepit. Cujus nepte ductâ, Henricus II. Imperator hoc regnum tenuit. Poſt varias viciſſitudines tandem, ad Principes Andegavenſes, Comites Provinciæ, pervenit, A. C. 1257. uſque ad A. C. 1481. quum ultimus Carolus omnes ditiones ſuas, in Ludovicum X. Galliæ Regem tranſtulit. Viſuntur hodieque illuſtria hic Antiquitatis monumenta, Amphitheatrum 60. arcubus inſigne, pluriumque aquæductus. Patria fuit Phavorini Philoſophi Ambroſii aliorumque clariſſimorum Virorum; ſedes Academiæ, nuper admodum, ibi erectæ. Trophimus, primus urbis hujus Epiſcopus fuit, circa A C. 69. Vide Lætum, *Compendio hiſt. Univ. p.* 32 *edit. an.* 1653. Ejuſdem urbis mentio in veterib. nummis paſſim, ut apparet ex notis l'AR. PARL. S. ARL. SAR. TAR. quæ in iis occurrunt. Fuit enim ex tribus Fabricis Monetariis in Gallia, ſub Imperatorib. Romanis, reliquæ erant Lugdunum & Treviri, vide ſuò locò. Addam ex *Valeſio*: Melæ *loc. cit.* inter urbes Galliæ Narbonenſis opulentiſſimas numeratur *Sextanorum Arelate*: in veteri *Inſcriptione colonia Arelate*; *Col. Arelate Sextan.* in nummo Cari Cæſar. *Ptolemæo* in agro Salyum Gentis Galliæ Narbonenſ. ponitur Ἀρελᾶτον κολωνία: Ab *Auſonio Arelatum* vocatur, & inter claras urbes decima collocatur: Eidem quoque *Arelas* truncatò nomine, unde vulgarum *Arles*: item *Gallica Roma* nuncupatur. Et fuit quidem *Arelatum* ſimplex primò ac totum in ſiniſtra Rhodani ripa poſitum: ſed poſtea Conſtantinus M. in dextra fluminis ripa novam è regione veteri urbem ſtatuit, atque ambas navali ponte junxit: cujus meminit Auſonius *de claris urbibus*, *n.* 8. *v.* 4.

Præcipitis Rhodani ſic interciſa fluentis:
Ut mediam facias navali ponte plateam.

Prudentius item *de vita & virtut. S. Martini*, *l.* 6. Caſſiodorus *Variar l.* 8. & Gregor. Turonenſ. *l. de gloria Martyrum.* Quippe Conſtantinus opportunitate loci, non procul à mari, in capite Galliarum ad maximum flumen poſita, & inter Italiam Hiſpaniamque medie, plurimùm eſt delectatus: ibique filium Conſtantinum, poſtmodum Imperatorem, ex Fauſta uxore ſuſcepit, & Epiſcopos eò convenire adverſus Donatiſtas juſſit: Cumque Præfectos Prætorii per provincias varios inſtitueret, hanc urbem præ reliquis ſedem Præfecti Prætorio Galliarum eſſe voluit, illique magnis à ſe operibus exornatæ, ut Cirtæ oppido Numidiæ, nomen ſuum, ut dictum, impoſuit: Certè in conſtitutione Honorii Aug. *Conſtantina urbs* vocatur, ibique VII. *provinciæ*, *ut in Metropolitana*, *omni ſingulis habere concilium* jubentur. Nunc, quale primùm, iterum ſimplex eſt Arelatum, totum ad ſiniſtram Rhodani ripam, novâ urbe ciſrhodanicâ à Gothis aut aliis barbaris exciſâ. Hic olim officina monetæ, & Amphitheatrum ac Circus, crebraque ludorum ſpectacula: hodieque ſupereſt Amphitheatrum, conſtans fornicibus 56. quod à cavea vel arena, ludis gladiatorum & ferarum venationibus deſtinata, vulgò *Arenas* vocant. Palatii *Arelatenſis* à Romanis ibi quondam extructi mentio fit in Eumenii *Panegyr. Conſtantini*, ubi Maximianus Herculius tertio uſurpavit imperium, & Aëtius Patritius ac Magiſter utriuſque militiæ plerumque habitavit. Ex *Notit.* quoque *Imperii Romani* diſcimus, Honorii (cujus ut & Valentiniani ſpecialibus privilegiis & *matris omnium Galliarum* appellatione decorata eſt) principatu, fuiſſe *Præpoſitum Theſaurorum Arelatenſium*; *Procuratorem Monetæ Arelatenſis*; *Procuratorem Cynegii Arelatenſis Viennenſis provinciæ*; *Præpoſitum Barbaricariorum ſeu Argentariorum Arelatenſium*, & *in provinc. Gallia Riparienſi*, i. e. in parte Viennenſis ripæ Rhodani appoſita, *Præfectum Claſſis fluminis Rhodani Viennæ*, *ſive Arelati*. Fuit Metropolis jam Honorii tempore circa A. C. 417. quò Patroclus ejus Præſul erat; & tamen nonniſi recentiores Notitiæ provinciam Arelatenſem à Viennenſi ſeparârunt, in qua 8. Epiſcopos numerant, *Arelatenſi* Burgundiæ Archiepiſcopo ſuffraganeos, qui poſtea ad quatuor ſunt redacti, Maſſilienſem, Arauſicum, Tricaſtinenſem & Telonenſem; Avenione Metropoli factâ & Vaſione, Cabellione ac Carpentoracte ſedibus ei ſubjectis Arelatoque ademtis. *Album Arelatum* vocat Rogerius Hovedenus, qui in ann. 1200. deſiniit, *Arle le Blanc*: contrà Agatham *civitatem nigram* appellatam eſſe quidam ſcribunt: quam ob cauſam, in abdito eſt. Patria fuit Favorini Philoſophi, quem Græcè ſcripſiſſe Hadriani Principatu A. Gellius *l.* 20. *c.* 1. docet, & fuit apud Arelatenſes Græca lingua multo in uſu: idque propter Maſſiliæ viciniam. Ibidem Syri & Judæi multi olim; Gothi quoque, Burgundiones & Franci: florens enim hìc commercium. *Theodulfus* Epiſcopus Aurelian. ſic de urbe, jam ante annos 850.

Quis bene compoſitis, nos tandem opulenta recepit
Urbs Arelas, cives quam ſtatuêre ſibi:
Urbs Arelas, aliis quæ pluribus urbibus extat
Prima, gradu tamen eſt Narbo ſecunda tibi.

Vide plura de hac urbe apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & de Regno Arelatenſi, Nobiliſſ. inprimis Couringium *tract. de finibus Imperii*, ut & infrà in voce *Boſo*. Concilium ibi habitum A. C. 314. contra Donatiſtas, præſente Imperatore Conſtantinò. Dein ab Arianis aliud celebratum, A C. 353. quò Paulinus Epiſcopus Trevirenſis damnatus, quòd depoſitioni Athanaſii ſubſcribere recuſaret. Sequentibus temporibus alia plura ibi habita, quæ non magni momenti. Vide Concilia Franciæ, Sammarth. *tom.* 1. Saxy *Hiſtor. Eccl. Arelatenſis.* &c.

ARELAUNUM, ſylva Galliæ, pæne tota Sequanâ circumdata, in quam, velut locum naturâ munitiſſimum, duos Reges Francorum, Chlotarium nempe, & nepotem ejus cognominem, in pago Senonico, victum aciê à Theodorico Burgundiæ Rege, confugiſſe legimus: Appellationem traxit ex nomine proximæ villæ Regiæ, quæ non longè aberat à Belſinnaca inſula Sequanæ, diœceſeos Rothomagenſis finibus contentâ. Quibuſdam hodie *la Foreſt de Bretonne*. Ejus quartam partem Dagobertus junior, ſuggerente Theodoaldò Majore domus, Monaſterio Fontanellæ donavîſſe dicitur, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ARELLANA, familia illuſtris, origine Navarrena, è qua Ramirus Sanctius, Dn. de *Arellano*, in Caſtellam tranſiit, regnante Carolò II. Navarræ Rege. Eò genitus Joh. Ramirus gratiſſimus Henrico II. Caſtellano, ab ipſo dominiis *de los Cameros*, *Aguilar* aliiſque donatus eſt. Succeſſit ei fil. Johannes; inde nepos Carolus, qui Johannem Ramirum II. ſucceſſorem & Carolum dominorum *de Cirin* & *Borotia* autorem, genuit. Iſte iterum, ex minori filio Carolo, dominorum *de Alcanadre* & *Sartaguda* ſator extitit; Major verò ejus fil. Alfonſus Ramirus I. Comes I. *de Aguilar* creari meruit: quò nati ſunt, Carolus reliquorum propagator ac Alfonſus Ramirus II. genitor dominorum *de Clavijo* & *Miraflores*. Carolus autem præfatus ex Johanna *de Zuniga* Petrum Ramirum ſuſcepit: quò & Annâ cognatâ, natus Philippus Ramirus I. pater fuit ex Maria *de Zuniga* Philippi Ramiri II. qui ex Johanna Manrica dedit Johannem Ramirum III. Johannam & Mariam, qui hòc ſeculò floruêre. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. tom.* 2.

ARELLIUS, celebris Romæ pictor, paulò ante D. Auguſtum, niſi flagitiò inſigni corrupiſſet artem; ſemper alicujus fœminæ amore flagrans, & ob id Deas pingens ſub dilectarum imagine. Hæc Plinius *l.* 35. *c.* 10.

ARELLIUS Fuſcus, nomen notiſſimum Senecæ ævò, inter Declamatores; unde procul dubio oriundus *Arellius Fuſcus Conſularis* Trebellio Pollioni memoratus, in *Triginta Tyr.* in *Piſone*, *c.* 21. ubi perperam vulgò *Aurelius* legitur: *Quum eſſet nuntiatum, Piſonem à Valente interemptum, ipſum Valentem a ſuis occiſum*: Arellius Fuſcus *Conſularis primæ ſententiæ*, *qui in locum Valeriani* (ad alios tum tranſgreſſi) *ſucceſſerat*, *ait*, *Conſul*, *conſule* &c. Proconſulem fuiſſe Aſiæ, in cujus locum Falconius delectus, refert Flav. Vopiſc. in *Aureliano*. c 40.

AREMBERGA, Comitatus Imperii, Juliacenſi & Colonienſi regioni vicinus: Unde familiæ illuſtris nomen, quæ Marcanæ, ſeu Cliviæ veteris, ramus fuit. Hujus enim cùm præcipuus ramus ita eſſet, cui Clivia, ac deinceps Juliacenſis atque Montana hæreditas, cum titulo Ducali, obtigit: Ex Eberhardo Adolphi, qui Margaretæ Cliviæ maritus atque præfatæ lineæ auctor fuit, fratre alii rami ſuccrevêre, *Arembergius*, Builionius, Lumainius: quorum primus defecit in Margaretâ, quæ Johanni Barbanſonio, ex Lignenſi familia (*Lignes*) nupta, *Arembergicum* Comitatum ejus familiæ intulit. Ex eorum filiis Carolus Pr. Comes Arembergæ, ab uxore Anna Croviaca. Ducatum Arſchotanum, Principatum Cimacenſem ac Porcianum aliaque nactus eſt: (denuo duorum Philippi Ducis Arſchotani & Alexandri Pr. Cimacenſis Pater) Alter Robertus Barbanſonios propagavit. Univerſis verò Ducatûs Arembergenſis axioma ab Imperatore collatum eſt. Alexander præfatus, qui obiit A. C. 1629. ex Magdalena Egmondana, Pater fuit Alberti Ducis Arembergæ Principis Cimaci, extincti A. C 1648. quô & Clarâ Eugeniâ Arembergiâ agnatâ, genitus eſt A. C. 1643. Erneſtus Princ. Lignenſis, Siciliæ, nomine Hiſpanorum Regis, factus Prorex. Idem Spenerus *ibid.*

AREMBUS, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

AREMORICA, Galliæ regio, quæ nunc Aquitania. Plin. *l.* 4. *c.* 17. quia maxima pars populi ejus ad Oceanum accolebat. *Populi Aremorici. Dalechamp.* apud *Plin.* legit *Arecomica*, quæ *Armagnac Marliano.*

AREMORICA, vulgò *la Bretagne*, Galliæ provinc. Vide *Armorica.*

AREMPHÆI, apud Melam *l.* 1. *c.* 5. aliter *Arimphæi* Latinis, melius *Argimpæi*. Græcè Ἀργιμπαῖοι, apud Herodot. *l.* 4. ſeu Ὀργιμπαῖοι, apud *Zenobium*, populi ſunt Scythiæ, *Hyperboreis ſimiles*, *qui & ipſi frondibus arbuſtorum gaudent: baccas edunt*, *juxta viros & fœminas ſedet crinium. Amant quietem, non amant lædere. Sacri habentur, attrectarique eos, etiam a feroſiſſimis nationibus, nefas ducitur. Quicunque periculum à ſuis metuit, ſi ad* Arimphæos *transfugerit*, *tutus eſt*, *velut aſylo tegatur. Ultra hos Cimmerii* &c. Solin. *c.* 17.

AREMULUS Sylvius, qui & *Remulus*, Agrippæ fil. XII. Latinorum Rex, regnavit ann. 19. Præſidium Albanorum, ubi nunc Roma eſt, poſuit: ob impietatem fulmine ictus interiit. Oroſius *l.* 1. *c.* 20. Vide *Aladium.*

ARENA, ſive ARENE, civitas Triphyliæ & Meſſeniæ in Peloponneſo, quam Homer. *Il. β. v.* 591. ἐρατεινὴν, i. e. *amœnam* vocat; Meminit ejus & *Stephanus.*

ARENA, apud Juſtin. *l.* 1. *c.* 2. ubi de Semiramide. *Hæc Babyloniam condidit, murumque urbi coctò latere circumdedit, harenæ vice bitumine interſtrato*: ſola memoratur, etiam in parietibus muriſque ſtruen-

ſtruendis nunquam locum habuerit abſque calce; Et Vitruvius bitumen vice arenæ & calcis in muris Babyloniis interſtratum eſſe dicat, *l.* 1. *c.* 5. Calce enim & arenâ farciebantur olim parietes & cæmenta continebantur, ut hodieque fit. Hinc Salmaſius in Juſtino ſcribi vult, *arenæ vice bitumine interſtratô.* Vocaverunt autem *arenatum*, calcem cum arena mixtam Vitruvius *l.* 7. *c.* 3. *Sed etiam mortario collocatâ calce & arena ibi confuſa, decuria hominum inducta ligneis vectibus piſant materiam.* Paulo poſt, calcem illam & arenam confuſam & ligneis vectibus in mortario ſubactam, *Arenatum* vocat. Ubi quidem de arenato loquitur, quo inducebantur parietes ſupra trulliſſationem; ſed in parietibus quoque ſtruendis, ad cæmenta continenda, ſimiliter eô uſos fuiſſe, h. e. calce & arenâ mixtâ, cujus vicem Babylonii bitumen præſtabat, ex Plinio *l.* 35. *c.* 15. diſcimus. *Calx arenata* dicitur in vetere *Inſcr. Eoſque parietes marginesque omnes, quæ lita non erunt, calce harenatâ, litô politoque & calce uda dealbatô.* In qua calx uda dicitur mera & pura, cui arena non admixta. Unde *albarii* & *tectorii operis* diſcrimen notandum: quorum iſtud harenatâ calce vel marmoratô, illud calce merâ fieri conſuevit &c. Salmaſ. *ad Solin.* p. 1228. & 1229. In Xyſtis Veterum raſam & æquatam *arenam* fuiſſe, ut deambulationi aliiſque Athletarum exercitiis locus eſſet aptior, dicemus infrà voce *Xyſti* &c. Ab *arenis* gemma *Hammochryſos* dicta, indidem nomen nactum ſerpentis genus eſt, vide ſuprà *Ammodytes*, ut & infrà *Harena.*

ARENA Auroſa, Χρυσῖτις ἄμμος, Vide infrà *Auroſa.*

ARENA, marmora incruſtas ſecandi artificium, memoratur Plinio *l.* 36. *c.* 6. *Craſſior enim arena laxioribus ſegmentis terit, & plus erodit marmoris, majuſque opus ſcabritia politura relinquit. Rurſus qua Thebaica polituris accommodatur, & quæ fit e poro lapide, aut e pumice.* Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1101. & infrà voce *Marmor*, it. *Smiris.*

de ARENA Iacobus, vide Jacobus.

ARENACUM, Tacito *l.* 5. *Hiſtor.* *c.* 20. Germaniæ urbs, permuoita & elegans, in Geldriæ Ducatu hodie *Arnhem* dicta, uti *Divæus* & *Rhenanus* tradunt, in ea Geldriæ parte, quæ Velavia dicitur. 2. leuc. à Noviomago in Boream, totidem à Doesburgo in Occaſum. Ab A. C. 1585. ſub Hollandorum dominio, quibus bellô Gallicô erepta A. C. 1672. ſed recepta eſt A. C. 1674. longitud. 27. 20. latitud 52. 02.

ARENÆ, ſequioribus ſeculis Amphitheatra dicta ſunt, hodieque Gallis *les Arenes*: *ab arena*, ludis gladiatoriis & ferarum venationibus deſtinatâ. Vide ſuprà *Arelatum*; ut & hic infrà *Arenarius.*

ARENÆ Oloneuſes, oppid. maritimum Galliæ in Pictavienſi provinc. ubi periti nautæ. Vide *Olona.*

ARENARIUS, qui in arenam ad pugnandum deſcendit, *Gloſ. in Canon. ſi teſtes 4. quæſt* 2. & 3. §. ſi res exigit. Ab *arena*, quæ propriè gladiatorum; ut *campus*, militum, erat. Vegetius *de re milit.* *l.* 1. *c.* 11. *nec unquam aut arena aut campus invictum armis virum probavit, niſi qui diligenter exercitatus docebatur ad palum.* Ubi campum ad milites, *arenam* ad gladiatores, retulit. Unde *Arenæ*, apud recentiores, paſſim Amphitheatra dicta, ab *arenis*, in quibus pugnabant gladiatores: Sic *Arenarum* Treviris, meminit Aimoinus *l.* 3. *c.* 1. *Arena* Veronenſis, Racherius Epiſcop. in *Quolit. conſcl. de Veron. Amphith.* teſtaturque Panvinius, Amphitheatrum hoc etiamnum *Arenas* dici: *Arenarum* Nemauſenſium, *Hiſtor.* Wambæ Regis & Poldus Albenas, qui, uti hodie etiamnum hoc Amphitheatrum viſitur, figuram ejus exhibuit, in *Antiqq.* Nemauſenſibus. Vide quoque infrà *Nemauſus*. *Arenarum* Petracoricenſium, *Chronicon* Epiſcop. Petracor. *Arenarum* Remenſium, Marlotus in *Metropoli Rem.* *l.* 1. *c.* 5. Pariſienſium ante S. Victorem, *Charta* vetus apud Car. *du Freſne*. Sic occurrit *Caſtrum Arenarum* Maſſiliæ, apud Guelnajum in *Annal. Maſſil.* citatum *Eidem*. De phraſi, *Arena lege agere*, vide infrà voce *Miſſio*. Sed & apud Tertullianum *Harenarius numerarius* occurrit, de quo vide infrà ubi de *Calculonibus*, & *Edamatore* prima vocis: it. voce *Numerariu.*

ARENATES, Hiſpaniæ populi teſte *Moral.*

ARENDÆ, Lyciæ urbs. *Ptol.*

ARENE, Meſſeniorum urbs in Peloponneſo. *Strabo.* Meminit ejus Plin. *l.* 4 *c.* 5. & Pauſan. *l.* 4. qui addit *Orbaliam* poſteà nuncupatam. *Scholiaſt.* Apoll. Rhodii dicit ea Piſandro *Hierona* quoque dictam. *Samicum*, Heroum tempore, aut aliquanto antè Arenem vocatam fuiſſe, *Pauſaniæ* perſuaſum eſt. *Heſychius* ſimpliciter Ἀρήνη, ὄνομα πόλεως. Vide *Arena.*

in ARENIS Africæ, cadavera conditi multi aſſerunt & pro mumia diſtrahi; certè in calidis locis arena vim habet ἀντισηπτικήν, quâ res diu à corruptione ſervat. Bochart. *Hieroz. part. prior l.* 4. *c.* 3. Hinc *Arenarium*, apud Scriptores Chriſtianos, pro cœmeterio, ſeu cryptis *arenariis*, quarum uſus non modò, in humandis defunctorum cadaveribus, è quo nomen inductum eſt; Sed & perſecutionis tempore, ad latebras Chriſtianorum. Ita Baron. *A. C. num.* 2. ubi ejuſmodi *Arenaria* graphicè deſcribit: in quibus frequentes conveniſſe Chriſtianos, diſcimus ex *Actis* Hippolyti, Euſebii & ſociorum Martyrum. Prudent. περὶ στεφ. *Hymno* *I. v.* 8.

> *Iulitas cruore ſanctô nunc arenas incola*
> *Confrequentant obſecrantes voce, votis, murmure.*

Ubi *Iſo* Magiſter, *arenas ſepulchra*, interpretatur; apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARENOSUM Litus, Corſicæ urbs. *Ptolemæo* ἀμμῶδες. *Lajero* hodie *Porto* dicitur.

ARENSBERGA, Urbs Weſtphaliæ ad fluv. Roer, in ditione Electoris Colonienſ. paucorum incolarum.

ARENSBURGUM, oppidul. præcipuum Inſul. Oſiliæ, in mari Baltico, juris Suecici, cum caſtro permunito, in ora Orientali inſul.

ARENSIUM, vulgò ARLEUX, oppidul. Belgii in Arteſia provinc. & Flandriæ confinio. Alius eſt *Aruſium*, bellô nuper deformatum.

ARENSWALDA, oppid German in nova Marchia Brandeburgica juxta lacum *Slavio*; in limite Pomeraniæ. Malè nuperô bellô habitum

ARENTALIUM, oppid. Belgii, in Brabantia, ad Notham fluv. Aliis *Herentalium*, quod vide.

AREOBINDAS, Theodoſii Junioris militiæ præfectus, vicit monomachiâ Alamundurum Saracenorum Regulum, Varanâ Perſæ militantem, circa A. C. 421. Socr. *l.* 7. *c.* 18. Alius è Ducibus Juſtiniani Imperatoris feliciter contra Cabadem & Coſroëm Perſarum Reges, rem geſſit, unà cum Petro Notario, & maximè Beliſario. A. C. 558. Procop. *de bell. Perſ. l.* 1.

AREOPAGITÆ, Judices Athenienſes ſeveriſſimi, inſtituti A. M. 2545. vivente Cecrope, eôdem annô, quô Aaron Sacerdos Summus factus eſt, à Solone inſigniter ornati, *Plut.* De cauſis capitalibus pronunciabant tantâ integritate, ut noctu, non interdiu judicarent, quod non dicentes, ſed quæ dicerentur, obſervarent. Cicer. *ad Att. l.* 1. *Ep.* 14. *Romana res ſic ſe habent, Senatus Ἄρειος πάγος, nihil conſtantius, nihil ſeverius, nihil fortius.* Hi in templo Martis judicabant; quòd, cùm Mars, qui Græcè dicitur Ἄρης homicidii crimine reus fieret, judicantibus duodecim Diis in eo pago, ſex ſententiis abſolutus ſit. Alex. ab Alex. *l.* 3. *c.* 5. & *l.* 4. *c.* 11. & *l.* 6. *c.* 11. Cœl. Rhodig *l.* 7. *c.* 19. Huic Senatui ſe ſiſtere juſſus eſt S. Paulus, qui unum ex Senatoribus, Dionyſium &c. convertit, Actor. *c.* 17. *v.* 19. In eundem cooptabantur Novemviri ſive Archontes, poſtquam Magiſtratus geſti cauſâ dictâ rationibuſque relatis, innocentes eſſent deprehenſi, ex Lege Solonis: Τὴν ἐν Ἀρείῳ βουλὴν εἶναι ἐκ τῶν κατ' ἐνιαυτὸν Ἀρχόντων. Plut *in Solone* & *Pericle*. Aliis verò placet 6 tantum Teſmothetas, poſt exactum ſui Magiſtratus tempus, in id Concilium quotannis fuiſſe aſſumtos, ex Libanio *in Antiotiane Argum.* Unde patet, certô numerô *Areopagitas* non fuiſſe circumſcriptos; quamquam, quot eſſent ſingulis annis, dici poſſet, quemadmodum in *veter. Inſcr.* apud Volaterranum: ΤΩ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΩ ΑΝΘΥΠΑΤΩ ΤΗΣ ΕΛΛΑΔΟΣ ΡΟΥΦΩ ΦΑΙΣΤΩ ΚΑΙ ΑΡΕΙΟΠΑΓΙΤΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΠΑΓΟΥ ΒΟΥΛΗ ΤΩΝ ΤΡΙΑΚΟΣΙΩΝ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ Ο ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΕΥΝΟΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΕΝΕΚΑ. Non verò omnes ſemper *Areopagitæ* in omnibus cauſis jus dicebant, ſed quidam ex illis tantùm, ut in aliis factum eſt Tribunalibus: Hinc in cauſa Oreſtis ſediſſe finguntur ab Æſchylo *Eumenid.* Areopagitæ triginta & unus tantùm. Erat verò hic Magiſtratus perpetuus: neque quiſquam eô Senatu movebatur, qui non grande & inexpiabile admiſiſſet nefas. Illi cùm Draco, Ephetis conſtitutis, omne abrogâſſet imperium, Solon veteri jure reſtitutô, eum cum Ephetis de cæde judicia reddere voluit, unde quaſi de novo primumque Senatum hunc conſtituiſſe videtur: Et fortè primus ex annuis Novemviris conſtituit: voluitque eum ſuô regere conſiliô Rempubl. ut Leges & Majorum inſtituta ſervarentur, Ita enim Lex ejus habet apud Plut. *loc. cit.* Τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν εἶναι ἐπίσκοπον πάντων καὶ φύλακα τῶν νόμων. Hinc nil quidquam, quod alicujus eſſet momenti, ſive in ſago, ſive in toga, abſque illius auctoritate fiebat. Cicer. *de Nat. Deor. l.* 2. Ad eundem pertinuit cura viarum, ne quis in illis privatim quicquam ædificii extrueret, aut obſtrueret, Heraclid *Fragm. de Politiis.* Laudes Senatus Æſchylus recenſet *Eumenid.* Majeſtatem tamen ejus imminutum ivit Pericles, Ephialtis operâ uſus, ut teſtatur Ariſtotel. *Polit. l.* 2. *ſub fin.* Adeò verò honeſtè atque temperanter vitam inſtituerunt hi Senatores, ut Lege caverint, ne quis eorum Comœdiam ſcriberet: Μηδένα ποιεῖν κωμῳδίας Ἀρεοπαγίτην, Plut. *de Athenienſ. gloria.* Idem autem Senatus rationes ſuas quotannis reſerebat, ex Lege, Τὴν βουλὴν, τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ ἐγγράφειν πρὸς τοὺς λογιστὰς λόγον καὶ εὐθύνας διδόναι. *Senatus Areopagiticus apud Logiſtas rationes ſuas referto*, Æſchin. *contra Cteſiphont.* &c. Vide Sam Petitum *Comm in LL. Atticas l.* 3. *tit.* 2. qui eſt *de Magiſtratibus* & Fr. Roſſæum *Archæol. Att.*

AREOPAGUS, vicus erat Athenis, à templo Martis ita dictus, ubi primum judicium capitis, Halirrhotiô, Neptuni filiô occiſô actum fuiſſe ſcribit Plin. *Areum Judicium* dixit Tacit. *Annal. l.* 2. *c.* 55. Juvenali *Sat.* 9. *v.* 101. *Martis curia* dicitur:

> *Ergo occulta teget ut Curia Martis Athenis.*

Non tamen id τὸν πάγον ſonat, ſed *Martis collem*, *ſaxum*, ſive *rupem*. *Heſychius*, Ἄρειος πάγος, ἐν Ἀθήναις δικαστήριον ἐν τῷ Ἀρεοπαγίτῃ. E *Stephano* diſcimus, Areopagum fuiſſe Ἀρεοπαγιτῶν Ἀθηνῶν, quem vide. Quid ageretur in *Areopago*, docet Jul. Pollux. *l.* 8 ubi de magiſtratibus Athenienſium. Vide Salian. *Annal.* Budeum, *l.* 2. *Pand.* Vivem, in Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 18. *c.* 10. Iſid. Peluſiotem, *l* 2. *Ep.* 91. *Suid.* Voſſ. in *Areopago*, & imprimis eruditiſſimum Joh. Meurſium *ſing. l de ſenatu Areopagitico*, ut & Petitum *leges Atticas*. Rudera ejus loci hodieque ſuperſunt, ad Meridiem templi Theſei, quod cùm olim in medio fermè civitatis eſſet, nunc extra Athenarum mœnia eſt hodieque Græcorum cultui inſervit & *Hagios Georgios* dicitur. Fundamenta viſuntur in ſemicirculum, è quadratis ſaxis prodigioſæ magnitudinis, conſtructa, ſuper quæ planities 140. circiter paſſuum, quæ propriè Aula erat auguſti hujus Senatus, non multùm eminens. In ejus medio rupi inciſum Tribunal, & ad latus utrumque ſedilia, quibus *Areopagitæ* olim inſidebant ſub dio. Propè aliquot ſpeluncæ in rupe videntur, quæ forſan reorum olim receptacula erant. Inter verò locum hunc ac Theſei templum memoratum, rudera cernuntur Templi S. Dionyſio Areopagitæ dicati, cujus domus videtur fuiſſe, quæ inde haud procul viſitur, quæque hodie ſedes Archiepiſcopi eſt: uti refert Jac. Spon, qui hæc omnia A. C. 1676. ipſe oculis luſtravit. Vide ejus *Voyage d'Italie, de Dalmatie, de Grece & du Levant tom* 2. ut & de judiciis ibi exercitis, voce *Cephalus.*

AREOPOLIS, Arabiæ civitas, quæ & *Moab* & *Ariel*. Palæſtinæ

læſtinæ urbs eſt *Hieronymo*, *Rhabathmona Stephano*, qui eam in Arabia ponit, *Rhabathmoa Ptolemæo* eſt in Arabia Petræa. Populi *Areopolita*, longitud. 68. 30. latitud. 30. 30.

AREOS Helos, inſula Ponti, juxta Colchos. *Steph.*

AREQUIPA, Urbs Americæ meridional. in ora Peruviæ regni, ſub Archiepiſcopo Limenſi. Parvi circuitus, ſub Hiſpan. juxta fluv. Quilcam.

ARES, Cyzicenus, cum fratre Melantho, in conflictu nocturno, à Telamone occiſus. Val. Flacc. *l.* 3. *v.* 203.

ARES, *etis*, regio Eubœæ. *Steph.* Gentile *Areſius*.

ARESCON, vir, quem Licinius Mutianus prodidit viſum à ſe Argis, cui nomen *Areſcuſa* fuiſſet, nupſiſſe etiam, mox barbam habuiſſe, & ad virilitatem perveniſſe, uxoremque duxiſſe. Plin. *l.* 7. *c.* 4.

ARESIUS Paulus, vide *Paulus*.

ARESTÆ, Indiæ populi quos *Adreſtas* Juſtinus vocat *l.* 12. *c.* 8. ubi tamen MSS. omnes *Areſtas*. Et ſic quoque Lucan. *l.* 3. *v.* 249.

Tunc furor extremos movit Romanus Areſtas.

Ubi alii *Oreſtas*, *Oleſtras*, aut *Areſdas*. *Grotius* tamen *Oretas*. Sunt enim proximi Carmaniis (inquit) Ὠρεῖται, apud Strab. *l.* 15. Sed Poëta primam ſyllabam corripuit, eâ licentiâ, quam in voce *Orion* uſurpari cernimus. *Praſtos* vocat Qu. Curtius malè. *l.* 9. *c.* 8.

ARESTANUS, ruſticus quidam, cujus capra Æſculapium à matre expoſitum lactavit, cane cuſtode. Pauſan. *l.* 2.

ARESTOR, pater Pelaſgi. Vide *Parrhaſia*.

ARESTUM, Leguleiis Anglis uſurpatur, cùm quis reus capitur, & in carcerem conjicitur, ſeu vi Brevis, ſeu à quovis homine: nam reos majeſtatis, proditores & infractores pacis quivis poteſt auctoritate propriâ capere atque in carcerem compingere, unde *Areſtare*, detinere, Gall. *Arreſter*, *Raſtal*. At Gallis *Areſta*, ſunt decreta ſeu judicia forenſia, à Judice ſuperiori, à quo nulla datur appellatio, lata, cujuſmodi ſunt Parlamentorum: quæ ſic appellata vult *Car. du Freſne*, quòd poſt varias ab inferioribus & pedaneis Judicibus de re quapiam latas ſententias, litem & controverſiam ſupremò examine ac Judiciô definiant & decidant. Et quidem cùm quadruplicis generis & appellationis judicia ſuprema ſeu à ſuperioribus Judicibus lata, obſervare ſit in *Regeſtis* Parlamenti & magnorum dierum Trecenſium, *Areſta* nempe, *Judicia*, *Conſilia* & *Præcepta* ſive *Mandata*, *Areſta* dicebantur judicia, à Judicibus; poſt Patronorum ſeu Advocatorum hinc inde orationes auditas, publicè recitata: quorum pronuntiationis formula erat, *Quibus rationibus utriuſque partis, hinc inde auditis, dictum fuit per Areſtum Curiæ* &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & *Diſſertat.* 2. *ad Joinvillam.*

ARETA, Ariſtippi Philoſophi filia, aliis mater, unde μητροδίδακτος dictus, quæ ei ſucceſſit in ſchola, ſummum bonum in ea voluptate, quæ maximè ſenſum moveret, poſuit. Laërt. *l.* 2. Item Dionis uxor in mare viva demerſa. Plut. *in Dione*.

ARETÆUS, Medicus Cappadox, cujus quædam ſcripta ſuperſunt, Latinitate donata. Quo tempore vixerit, ignoratur. Voſſ. *de Philoſ. l.* 13. *c.* 12 §. 10.

ARETALOGI, vide infrà, in *Neanicologi*, *Scurra* &c.

ARETAPHILA, Melanippi Apollinis, apud Cyrenæos ſacerdotis uxor, à Nicocrate tyranno, maritô cæsô rapta: quæ piâ ultione tyrannum ſubvertit. Polyæn. *l.* 8. *c.* 38.

ARETAS, ſocer Herodis Tetrarchæ, Arabiæ Petrææ, & Damaſci Dominus. Hyrcanum, ab Ariſtobulo Juniore pulſum, reſtituere conatus, victô Ariſtobulô, Hieroſolymam obſedit, capturus, ni Scaurus Pompejani exercitus Dux impediſſet. Dein, ob filiam à genero repudiatam, ingens bellum conflavit, Herode ſæpius fugatô, &c. Hic cùm Damaſcum attentius cuſtodiri curâſſet, Paulus à Diſcipulis prope portam habitantibus, in cophino demiſſus evaſit. 2. Corinth. *c.* 11. *vult.* Joſeph. *Ant. Jud. l.* 13. & 18.

ARETAS, Calabriæ fluv. ut ex *Etymologo* ſcribit *Gabr. Barrius* in ſua Calabria, qui eum novô nomine *Lipula* vocat. Alluit Umbriaticum Urbem, & poſtea in mare Ionium ſe exonerat. Aliis *Aretas*.

ARETATES, Cnidius, Macedonica ſcripſit, quorum tertium citat Plut. *in Paral. Min.* c. 11. Reliquit item librum de Inſulis, teſte eôdem Plut. *ibid. c.* 27. Condidit opus etiam de rebus Phrygiis, ut arbitratur Voſſ *l.* 3. *de Hiſtor. Græc. p.* 330. Sed pro eo apud Plut. *l. de Flum.* ſcribitur Ἀρετάζης, ubi *Mauſſacus* cenſet ex iſto ſcriptore, utrumque Plutarchi Chæronenſis locum corrigi debere. *Nic. Lloydius.*

ARETE, unica nata Rhexenoris, Alcinoi, Regis Phæacum uxor, ex qua Nauſicaam filiam ac tres filios ſuſcepit. Ἀδναίδητος Homero Od. η. v. 233. 335. dicitur. Orpheus *in Argonaut.* Ἀρήτη ῥοδόπηχυς, id' Ἀλκίνοος Θεοειδής. *Idem.*

ARETES, haſtatorum, quos ſariſſophoros vocant, in exercitu Alexandri M. Dux. Curt. *l.* 4. *c.* 15.

ARETHAS, inferioris Syriæ Rex poſt Antiochum deſignatus; item vetus Interpres, qui in *D. Joannis Apocalypſin* commentaria Græcè ſcripſit. Extat cum Scholiaſtis reliquis ab *Oecumenio* collectis, Veronæ 1532.

ARETHISSA, lacus majoris Armeniæ, omnia illata pondera ſuſtinens Solin. *c.* 40. *Straboni* Ἀρσηνή. Per hunc Tigris fluv. tam impetuoſô curſu fluit, ut nec lacus Tigri, nec Tigris lacui admiſceatur. Plinio *l.* 2. *c.* 103. *Arethuſa* dicitur.

ARETHON, fluv. Epiri. Cum *Arachtho* idem, nunc *Spagmarimtiſi* dicitur. Vide *Arachthus*.

ARETHOUS, Rex Arnæ in Bœotia. Fortè leg. *Arethous*.

ARETHUSA, Nerei & Coridis filia, Elidis nympha, & Dianæ comes; quam cùm Alpheus fugientem perſequeretur, à Diana in fontem ſui nominis commutata eſt, cujus aquas cùm ſuis miſcere vellet Alpheus, illa à terra abſorpta, in Ortygiam inſul. deinde in Siciliam delata eſt. Alpheus autem, cùm propter mare ſequi non poſſet, per cuniculos ſubterraneos in Siciliam itidem pervenit, ibique aſſociatus Arethuſæ aquis, in mare Siculum ſe exonerat. Vide Bochart. *de Phœnic. Colon. l.* 1. *c.* 28. Cluverium de Sic. *Ant. p.* 156. & P. de Valle, *Itiner. tom.* 4.

ARETHUSA, lacus Armeniæ majoris prope fontes Tigridis, in quo nihil mergi poteſt, quique piſces nitroſos alit. Plin. *l.* 2. *c.* 103. prope montes Gordiæos, *Baudrand.* Vide *Arethiſſa*.

ARETHUSA, fons circa Smyrnam. Item Chalcidis Eubœæ, ut & Ithacæ, & Bœotiæ prope Thebas. *Heſych.* Ἀρέθουσα, κρήνη ἐν Σμύρνῃ, καὶ ἐν Σικελίᾳ, ἐν ᾗ ὁ ἐν τῇ Ἤλιδι ῥέων ποταμὸς Ἀλφειὸς ἀργύρεον κομίζων νομίζεται. *Didymus* octo fontes hujus nominis memorat, ut epitheton eſſe putetur cujuſcunque fontis, ab irrigando. *Stephanus*, Ἀρῶ ἐστι ποτίζω, ὃ τὸ ἀρδεύω [illegible], ὡς ... *Nic. Lloydius.* Item locus Syriæ munitus, juxta Emeſſam, hodie Fornacuſa. *Strabo.* Item Amphaxidis regio in Macedonia oppid. ad ſinum Strymonicum. *Tadino* hodiè, niſi fallat *Pinetus*, vel *Rendina*, *Ferrar.*

ARETINUM, Tuſciæ urbs Epiſcopalis colonia Romanorum, *Arrhetium Ptolemæo.* *Aretium*, *Silio.* Itali nunc vulgò *Arezzo* vocant. Ejus urbis mœnia alta fuêre. Silius Ital. *l.* 5. *v.* 123.

——— *Primus nunc accipit altos*
Aretii muros, Corythi nunc diruat arcem.

Ubi alii *Arreti*. Et ſanè omnes antiquæ *Inſcriptiones* (notante *Cluverio*) geminum r habent. Vaſa ejuſdem non magno pretio apud Veteres. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 54. *v.* 6.

Sic Aretina violant cryſtallina teſta.

Idem eorundem meminit *l.* 14. *Epigr.* 98.

Aretina nimis ne ſpernas vaſa monemus.

Oppidani *Diodoro* ac *Dionyſ. Halicarn.* Ἀῤῥητῖνοι. *Steph.* Ἀῤῥήτιον πόλις Τυῤῥηνίας. Τὸ ἐθνικὸν Ἀῤῥητῖνος, Strabo. *l.* 5. Μάλιστα δ' ἐστὶ μεσογαίᾳ τὸ Ἀῤῥήτιον πρὸς τοῖς ὄρεσιν, ἀπέχει γοῦν τῆς Ῥώμης χιλίους σταδίους. Hæc urbs ſita eſt in monte; in Territorio Florentino, ſubeſtque magno Hetruriæ Duci. *Baudrand.* Hic profligavit Carolum Andegavens. Conradinus, A. C. 1266. ab eo mox in Marſis fuſus. Hic quoque Synodus Diœceſana habita, A. C. 1597. Leand. *deſcr. Italiæ*, longitud. 34. 49. latitud. 43. 00.

ARETINUS, nomen quod vulgò Guidoni Abbati Benedictino, celebri illi Muſico, Aretinô oppid. oriundo, tribuitur. Qui primus ſex notas muſicas, primam Stropham Hymni S. Johannis decantans, invenit. Illa autem ſic ſonat:

UT queant laxis *REſonare fibris,*
MIra geſtorum *FAmuli tuorum*
SOlve polluti *LAbii reatum.*

Scripſit plurimos libros Muſicos, cum tractatu contra Berengarium, Circa A. C. 1022. Trithem. *Catal.* & *l.* 2. *c.* 74. *de viris illuſtr. S. Benedicti.* Sigebert. & Genebrard. *in Chron.* Voſſius, *de Muſ. c.* 4 §. 10.

ARETINUS Carolus, vide *Carolus*.

ARETINUS Johannes, Cubicularius Eugenii IV. Scripſit plurima. Frater Caroli Aretini, Poggio Florentino tantoperè laudati. Eôdem *Aretini* nomine inſignitus eſt, Leopoldus Bruni, Philoſophus, Hiſtoricus & Orator. Trithem. A. C. 1420. 1443.

ARETINUS Petrus, vide *Petrus*.

ARETIUS Benedictus, Bernenſis, Theologus celebris, ſcriptis, de re ſacra, libris methodicis inclytus. Obiit Bernæ Helvetiorum, A. C. 1574. Ejus inter alia habentur *Commentar. breves in Pentateuchum*, *Commentar. in N. T.* 2. *Vol. in fol.* ſæpius excuſi, ultimâ vice Genevæ A. C. 1618. & *Iſagoge in Epiſt. Canon. in* 80. Lauſannæ 1579. De illo Verheiden, *Virum hunc*, inquit, *candor, pietas, eruditio, labor & methodica illa in docendo ratio celebrem fecêre.* Vide & Anton. Teiſſier *in Elogiis*, *Volum.* 1.

ARETUS, fil. Neſtoris & Eurydices. Bocat. *l.* 10.

AREVA, citerioris Hiſpaniæ fluv. *Ereſma*, nunc appellari credit Navagierus, *in ſuo Itinerario Italica lingua ſcripto*. Aliis eſt, *Arlanzon*, fluv. Caſtellæ veteris qui cadit in Piſoracam, & deinde cum eo in Durium. *Briet. Sanſon.*

AREVACÆ, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi *Ptol.* *Arevaci* Plinio *l.* 3. *c.* 3. Ἀρουάκκοι *Appiano*. Hoc tempore eorum urbem *Matheſia* dici, ex ejus antiquis ruinis colligit *Car. Cluſius*. Eſt tamen in hoc tractu pagus, qui antiquum nomen retinere videtur. *Navagierus* *Arevala* urbem habet, quam credit antiquum Arevacorum nomen retinere. longitud. 16. 00. latitud. 41. 35. Erant hi populi juxta Durium fluv. ubi nunc pars Caſtellæ Veteris & territorii Segovienſis, & Uxamenſis. *Baudrand.*

AREUNA, nomen viri 2. Sam. *c.* 24. *v.* 16. qui 1 Paral. *c.* 21. *v.* 15. dicitur *Ornan*. Latinè *arca*, *canticum*, *lux noſtra*, vel *exultatio*. Dicitur etiam *Araunah*.

AREUS I. Lacedæmoniorum Rex, ex Euryſthenidarum familia, fil. Acrotati, ante patrem Cleomenem II. mortui, prælatus Cleonymo, Acrotati fratri, qui cum Pyrrho fœdus icerat. Athenis ab Antigono obſeſſis ſuppetias, ſed nullô ſucceſſu, tulit. Habuit nepotem cognominem qui in pueritia obiit. Ipſe apud Corinthum defunctus *Plut.* Pauſan. *Lacon.* &c.

AREUS II. patri Acrotato II. ſucceſſit. Sed octennis obiit, ſucceſſore Leonidâ, filiô Cleonymi præfati, quem vide

AREUS, Bithyniæ fluvius. Plin. *l.* 5. *c.* 32.

AREZIBUM, Oppidul. Americæ Septentrional. cum fluv. cognomine in Inſula S. Joannis de Porto Divite. In ditione Hiſpanica cum tota Inſul.

ARFERIA, aqua olim, quæ Inferis libabatur, à ferendo: *arferia*, & *adferia*. Item vas vini ſacris adhiberi ſolitum. Vide *Feſtum* & *Gloſſas*. Vinum autem victimæ bis ſuperinfundebatur primum ad explorandum, an eſſet idonea, ut docent Servius in. *l.* 4. *Æneid.* & Plut. *de def. Oracul. l.* 1. poſteà verò victimæ in fruſta conciſæ, ut fit apud Homerum. *Il.* 11. & *Odyſſ.* 12. Uti verò à *ferendo* ſeu *adferendo*, aqua hæc *Arferia*, ſic ab *inferendo*, vinum *inferium* appellatum eſt, de quo vide infrà ſuô locô.

ARGA, qui uxoris adulteriò infamis eſt, prolemque alienam pro ſua educat, *Curruca*, *iners*, *inutilis*, *cessator*, Longob. *l.* 1. *Tit.* 5. *leg.* 1. ubi Boherius *Argam*, interpretatur *cucurbitam*, h. e. *curucam*, Angl. *a Cuckold*, Gall. *coucou*: nec malè, cùm utrumque vocabulum ſtupidum & ignavum deſignet. Vox orta à Græco *ἀργὸς*, *piger*, *iners*; Unde *Argam* ſeu cucurbitam dixêre, qui vel debitum munus non eſt executus, vel qui illatam hanc injuriam ſtrenuè ultus non eſt. Excidio fuit nomen *Arga*, per vituperium impoſitum, Duci & omni Nobilitati, exercituique Forojuliano, dum Rector provinciæ (cui etiam nomen *Arga* fuit) Ducem ſuô exemplô, ad temerarium cum Sclavis congreſſum, in faſtigio montis caſtrametantibus, provocavit inquiens: *Memento Dux Ferdulphe*, *quòd me eſſe inertem & inutilem dixeris*, *& vulgari verbô* Arga *vocaveris. Nunc autem ira Dei veniat ſuper illum*, *qui poſterior è nobis ad hos Sclavos acceſſerit*, apud Paulum Diac. *de geſtis Longob. l.* 6 *c.* 8. Spelmann. in *Gloſſar.* Vide ſupra in voce *Ancillariolus*. Apud Papiam & Iſidorum in *Gloſſis*, Hincmarum item Laudunenſem Episc. *Tom.* 2. *p.* 336 idem *Sarga* dicitur.

ARGADIA, vide *Argathelia*.

ARGADINA, Margianæ oppid. *Ptol.*

ARGÆI, teſte Varrone, *l.* 4. *de LL.* dicebantur effigies ſcirpeæ, quæ per Virgines Veſtales jaciebantur, ſingulis annis, in Tiberim, per pontem Sublicium. Vide *Argea* & c.

ARGÆUS, Pelopis fil. & Alectoris pater. Alius fuit Lycimni fil. qui ab Hercule abductus, vi morbi peregrè periit; cujus cremati cineres Hercules retulit, ut jusjurandum, quod dederat, ſe illum reducturum, ſervaret. Hunc dicunt primum fuiſſe, qui crematus ſit, & ab eo deinde morem ſervatum. Cœl. Rhodig. *l.* 17. *c.* 31.

ARGÆUS, ſive **ARGEUS**, Apollinis & Cyrenes fil. Juſtin. *l.* 13. *c.* 7. Aliter Pindarus *Od.* 9. *Pyth.* & Diodor. Sic. *l.* 4. qui Cyrenes filium unicum referunt Ariſtæum; Nomium verò & *Agreum* (in eum legendum, non *Argæum*, ut hic) Ariſtæi cognomina faciunt, ideo ſic dicti, quòd venationi & paſcendo eſſet addictus. Nam *ἀγρεὺς* eſt *venator*, & *νόμιος* à *νέμω paſcere* dicitur.

ARGÆUS, Cappadociæ mons, quam ab una parte cingit, arduus, & perpetuis pruinis rigens, cui Mazara Cappadocum metropolis ſubjacet. Equorum paſcuis olim nobilis fuit. Claudian. *in Ruffin. l.* 2. *v.* 30.

--- --- Jam paſtus ſumunt
Cappadocum, *volucrumque parens Argæus equorum.*

Et *in l. de laudibus Serenæ v.* 191.

--- --- Delectus equorum,
Quos Phrygiæ matres, *Argæaque gramina paſta*
Semine Cappadocum ſacris præſepibus edunt.

Idem de equo Honorii, *Epigr.* 36. *v.* 4.

Seu te Cappadocum gelida ſub valle natantem
Argæa lavêre nives. --- ---

Et de equo Arcadii, *Epigr.* 34. *v.* 5.

Sive illum Armenius aluerunt gramina campus,
Turbidus Argæò ſeu nive lavit Halys.

Nemeſianus, *v.* 240.

Cornipedes igitur lectos det Græcia nobis,
Cappadocumque notas referat generoſa propago
Argæa. --- ---

Suidas, *Ἀργαῖον*, ἡ Καππαδοκίας ὄρος. *Nic. Lloydius.*

ARGÆUS Campus, ſubſidens ſeptem collibus, in quibus Roma condita; ſic dictus eſt ab Argo, Evandri hoſpite; è comitibus Argivi Herculis, qui ad Evandrum venerunt & in Saturnia ſubſederunt. Hinc extrema *Argileta* dicuntur. *Fabius Pictor.*

ARGAIS, inſul. juxta Lyciam. *Steph.* Item parva inſul. juxta Canobum. *Idem.*

ARGALUS, Rex Laconum, poſt Amyclam patrem, ſucceſſorem habuit Cynortam fratrem. Pauſan. *Lacon.* vel *l.* 3 Ἀργαλος Heſychio, in Ἀργ. Joh. Marthamus *Canone Chron. Sec.* IX. ubi vetet. Spartæ Regum genealogiam exhibet.

ARGAMAN, ארגמן, vel, quod idem eſt, ארגון, *Argavan*, rubra eſt purpura, non ex conchylio facta, ſed ex alius cochleæ ſanie, quæ propriè *purpura* dicitur. Utut enim purpura & conchylium non rarò pro eodem ſumantur, quia ſunt vicinæ naturæ & in eoſdem uſus adhibeantur, tamen diverſas eſſe concharum ſpecies, certum eſt. Proinde cùm *rubere* purpuram extra controverſiam ſit, conchylio glaucum colorem & mari ſimilem, tribuit Plin. *l.* 9. *c.* 36. atque hoc poſterius purpuræ genus Hebræis תכלת, *thecheleth* dicitur. Hinc Ezech. *c.* 27. *v.* 7. affertur utrumque purpuræ genus ex Inſulis Eliſæ, i.e. Græciæ in mari Ægæo; ſuitque utrumque in ſummo pretio: ſed *Argavan* paulo pretioſius fuiſſe, colligas ex eo, quòd Danieliſ *c.* 5 *v.* 7. 16. 29. it, quem Aſſyriorum Rex ad ſummos honores vult evehere, non veſtitur תכלת *thechlà*, ſed ארגון, *argavan*. Vide S. Bochart. *Hieroz. part. poſter. l.* 5. *c.* 9. & infrà *paſſim*.

ARGAN, urbs novæ Caſtellæ, in diœceſi Toletana. Ubi Concilium ab Archiepiſcopo habitum, A.C. 1473. in quo decretum, ut Eccleſiaſticæ muneri nemo amplius admoveatur, Latinæ linguæ rudis. Valer. Serenius, *in editione Hiſp.*

ARGANIA, Indiæ civitas. *Steph.*

ARGANTHONA, puella, quam Rheſus, priuſquam ad Trojam proficiſceretur, in Cio repertam duxit uxorem: Hæc, cognitâ mariti morte, è mœrore mortua eſt. Parthenius *Eroticon c.* 36. Aliis *Arganthone*.

ARGANTHONIS, Myſiæ mons prope Chium. *Strabo. Stephanus* vult, ita appellatum ab *Arganthonide* Rheſi conjuge.

ARGANTHONIUM, mons Cii, ὄρος Κίου, inquit Scholiaſt. Apollonii *ad illud l.* 1.

Ἀμφ' Ἀργανθώνειον ὄρος, προχοαῖς τε Κίοιο.

ARGANTHONIUS, Rex Tarteſſi, quem Plin. *l.* 7. *c.* 48. ait vixiſſe 120. annos. Silius autem 300. qui ejus meminit *l.* 3. *v.* 396.

Arganthoniacos armat Carteia nepotes,
Rex proavus fuit humani ditiſſimus ævi,
Ter denos decies emenſus belliger annos.

Ideoque Bochart. *l.* 1. *c.* 34. *Chanaan* vocatum ארך עונה *Arcantho*, i. e. πολυχρόνιον, *ſive longi temporis. Nic. Lloydius.*

ARGANTOMAGUM, ſive **ARGENTOMAGUM**, oppid. Galliæ in finibus Biturigum, vulgò *Argenton*, ad Crauſiam fluv. in limite Marchiæ Lemovicenſis. Ab Inculiſma 28. leuc. in Ortum. longitud. 22.06. latitud. 46.05. Alterum, quod in Martyrol. *Argentomachum* legitur, vulgò *Argentan* in Neuſtria, ſive Normannia inter Sagium, & Faleſiam paulo ſupra 3. leuc. interſitum, haud obſcurum oppidum, ad Argenam ſeu Ornam fluv. longitud. 21. 00. latitud. 49.44. Vide quoque hic infrà *Argentomagus*.

ARGANTOMAGUS, oppid. Galliæ, in Biturigibus Cubis, quod Eginhardus, in rebus anni 766. *Argentomagum caſtrum* appellat, & à Waifario Duce Aquitaniæ deſtructum, à Pippino verò Rege reparatum eſſe tradit, & præſidium Francicum ibi collocatum: Situm eſt ad Croſam minorem. Eſt & ejuſdem nominis caſtrum ad Argentonem fluvium, quem Toëdus *Toué* in Ligerim defert, vulgò *Argenton l'Egliſe*, in confinio Andicavorum & Pictonum, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ARGANTOUARIA, Ἀργεντουαρία, in Sequanis, ponitur à *Ptolemæo*, locus clade Alamannicâ & Gratiani victoriâ nobilis, quem apud *Argentarium oppid. Galliæ* XXX. *Alamannorum millia bello extinxiſſe*, *Amm. Marcellin.* & Aur. Victoris *Epitome*, docent. In veterib. *Notitiis provinciar. & civitatum Galliæ nunc civitas Argentarienſis*, nunc & ſæpius *caſtrum Argentarienſe*, in provinc. Maxima Sequanorum appellatur: & ad Eccleſiam Rauracenſem vel Baſileenſem pertinuiſſe videtur. Poſtea ergo literâ O. ſublatâ *Argentuaria* cœpit dici, ac demum ſublatâ alterâ literâ *Argentaria* vocata eſt, corruptò quidem, ſed Latini vocabuli ſpeciem præferente nomine. Poſita erat autem inter Argentoratum, quod Nitardus cum *Argentonaria* vel *Argentuaria* malè confundit, ac Auguſtam Rauracorum Baſileæ proximam: quam ob cauſam *Simlerus* & *Cluverius* eam pro Colmaria habent: *Albertus* vero *Miræus Horburg* interpretatur. Vide quoque *Argentuaria*.

ARGARADAUCA, Mediæ urbs *Ptol.*

ARGARICUS, ſinus Indiæ intra Gangem. *Ptol. Golfo di Bengala Mercatori.*

ARGAS, Demoſthenes ob morum feritatem, ac naturam immitem ſic dictus. *Heſychius*, Καὶ Δημοσθένης ὑπὸ Αἰσχίνου Ἀργᾶς ὠνομάσθη. Οἱ δ' ὄφιν Τροιζήνιοι. Vide *Suidam*. Item *Argas*, qui præter annorum rationem ſapit. *Suidas*, Ὁ ὑπὲρ τὴν ἡλικίαν, ἀργυρᾶς καλοῦνται. Cæl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 6.

ARGATH, Armeniæ urbs. *Cedrenus.*

ARGATHELIA, provinc. Scotiæ meridionalis ſita inter Levinniam & Canthieram provinc. aliàs ſub Caledoniis propriè dictis, & ad Boream Novantarum. Marchionatus titulò gaudet.

ARGE, venatrix famoſa, quam propterea in cervam fuiſſe transformatam, fabulantur Poetæ. Hyginus *Fab.* 205. *Arge venatrix*, *cùm cervum ſequeretur*, *cervo dixiſſe fertur*; *Tu*, *licèt Solis curſum ſequeris*, *tamen te conſequar. Sol iratus in cervam eam convertit.* An ex Hebræo commenti hujus occaſio: in hac enim lingua cervi boatus creditur eſſe ערג, *Ariga*, quia legitur Pſalmo 42. *v.* 2. *Ut cervus* תערג, *glocitat ad fontes aquarum* &c. Vide S. Bochart. *Hieroz. part. 1. l.* 3. *c.* 17.

ARGEA, loca Romæ ſic appellata, quòd in his ſepulti eſſent quidam Argivorum illuſtres viri. *Feſtus*. Varro *l.* 4. *de LL.* Reliqua urbis loca olim diſcreta, cùm Argeorum ſacraria in 27. partes urbis ſint diſpoſita. Argeos dictos putant à principibus, qui cum Hercule Argivo Romam venerunt & in Saturnia ſubſederunt. Apud *Feſtum* vero legendum eſt *Argei*, ut apud *Varronem*, *Plutarchum*, *Ovidium*, & alios legitur. In *Lege Flaminia*; *Quum eat ad Argeos neque caput comito*, *neque capillum depectito*, vide & *Argei*.

ARGEATHÆ, Arcadiæ vicus Pauſan. *in Arcad.*

ARGEI, vide **ARGEA**. It. ſimulachra ſcirpea, quæ in Tiberim Veſtales olim quotannis præcipitabant, Idibus Maji, ut infra dicemus, ubi de hoc menſe.

ARGELIA, German. urbs. *Ptol. Torgaw Petro Apiano* in Saxonia. longitud. 35. 00. latitud. 51. 30. *Sanſoni* eſt *Erfordia*. Quod vide.

ARGENES, vulgò *Orne* & *Olne*, fluv. Galliæ, in Normannia Oritur prope Sagium Urbec. & 3. leuc. infra Cadomum, in mare Britannicum ſe exonerat.

ARGENNUM, promuntorium Ioniæ, inter Clazomenas, & Erythras, proximas urbes, aliis *Artemium*, à quo Chios inſul. 60. tantùm ſtadiis abeſt. *Capo Stellara Sophiano Capo bianco Nigro*. Alterum Siciliæ promuntor. *Capo di S. Aleſſio Fazello*, cum caſtro nomen antiquum ſervante, in ora ad ortum à Meſſana 25. mill. paſſ. à Tauromino 6. Denique tertium Lesbi promuntor. teſte *Strabone*.

ARGENNUSA, inſul. ad continentem Troadis, prope Argennum promontor. juxta quod Alcibiades extinctus eſt. *Steph.*

ARGENTANUM, urbs Brutiorum mediterranea, in Calabria citer. Hodie *S. Marco*, teſte *Barrio*. Item, Urbs Franciæ, in Normannia ad fluv. Olinam. Vide *Argentomagum*.

ARGENTARII, dicti ſunt apud Romanos, cives Romani, qui tum Romæ, tum in provinciis, rei nummariæ negotiationem exercebant. Sic Cicero, *Ep. ad Auguſt.* Avum ſuum *Argentarium* fuiſſe, indigitat Aliter *Nummularii*, *Menſarii*, *Campſores*, *Trapezitæ*, *Collybiſtæ*, *Menſæ exercitores* Latinè Ἀργυροπρᾶται Ἀργυραμοιβοὶ Ἀργυρογνώμονες, Græcis &c. quæ voces ſynonymæ ferè ſunt, niſi quòd *Argentarii* majores negotiatores erant, qui non in permutando tantum, ut cæteri, tabernam exercebant, ſed qui etiam nummos, tum ſuos, tum aliorum fœnori collocabant. Habebant illi tabernas ac menſas ſuas in Foro & apud eos fœnebres pecuniæ deponebantur, quas per partes erogabant, ac collocabant, quarum probatio ſcripturis probationibuſque continebatur, *l. 4. prin. l. quædam l. Argentarius de edend.* &c. Sed & ad eos deferebantur pecuniæ, ſine fœnore, propter fidem publicam duntaxat, i. e. ut tutiore locò, quàm privatis in ædibus, aſſervarentur: nam in æde Caſtoris reponebantur, uti ex Plauto diſcimus *Curculione*, *Actu 4. ſc. 1. v. 20.* Juvenal. *Sat. 14. v. 260.*

—— Quantò capitis diſcrimine conſtant
Incrementa domus, ærata multus in arca
Nummus, & ad vigilem ponendi Caſtora nummi.

Iidem Auctionibus præerant: contractus quoque, apud eos celebrati, illorum calendariis inſcribebantur, quos idcirco cogebantur edere poſtulantibus, *l. 4. l. 6. 9. §. 1. & l. 10 ff. de ed.* Porro eorum erat ſpectare pecuniam, an proba ſit & locabilis cujuſque pretii, unde ἀργυρογνώμονες, ut viſum, dicti. Primus autem iis Tabernas in Foro extruxit Tarquinius Rex, uti refert Dionyſ. Halicarn. *l. 3.* apud quas auctiones fieri ſolitæ. Has Hannibal poſtmodum, velut de Roma capienda certus, vocatò præcone ipſas venire juſſit, apud Livium *l. 26.* Vide quoque infrà *Horrea*, it. *Menſa Trapezitica*. Hinc *Argentariam facere* vel *exercere*, *l. Argentar. §. 1. ff. de eden.* & *Argentariæ Societas l. 52. §. cum duo ff. pro ſoc.* apud Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.* Recentiori ævò *Argentarii* dicti ſunt, qui ab argento, i. e. qui *cuſtodiunt argentum*, Willh. Britoni; *Gloſſ. Græco-Lat.* Ἀργυροφύλαξ, *Argentarius*. Cujuſmodi munus fuit *Argentarii Regis*, in aula Franciæ Regum, penès quem Theſaurarii Regii ex fiſco quotannis certam pecuniæ ſummam deponebant, ad Regiæ domûs impenſas, de qua rationes inibat in Camera Computorum: Is autem A. C. 1351. libras 400. pro vadiis percipiebat, ut docet ex *Computo* Stephani de Fonte, *Argentier du Roy*, quod in eadem Camera aſſervatur, Car. du Freſne. Propriè verò Latinis Scriptoribus *Argentarios* fuiſſe Ἀργυροπράτας ſive Ἀργυραμοιβοὺς, quos vulgo *Cambiatores*, Galli *Changeurs*, dicunt, probat pluribus Salmaſ. *de Uſuris p. 490.* ubi etiam *Coactores* appellatos fuiſſe, oſtendit. Aliquando tamen *Argentarii* idem, qui Monetarii, ſunt, atque ita *Præpoſitos Argentariorum* in *L.* Wiſigoth, *l. 2. tit. 4. §. 4.* intelligendos quidam volunt. Vide ſuprà *Nummularii*. In *l. 37. Cod.* Theodoſ. *de Decurion. Argentariorum* nomine veniunt, qui argentò vel aurò arma militaria ornabant; iidem fortè cum Barbaricariis, in *Not. Imp.* ubi *Præpoſiti Barbaricariorum ſeu Argentariorum* non ſemel occurrunt. Tandem in *L.* Burg. ſic dicuntur, qui argentea opera conficiunt, uti docet, Car. du Freſne in *Gloſſar.* Vide Calvin. *Lexic. Jurid.*

ARGENTARIUS, mons Tuſciæ in ora auſtrali, in mare, inter portum Herculis & Telamonis excurrens; de quo Rutilius vetus poëta, *l. 1. Itinerarii, v. 315.*

Tenditur in medias mons Argentarius undas.

ARGENTARIUS, ſeu ARGENTERIUS Johannes, Pedemontanus, Philoſophus & Medicus inſignis, contra Galenum & veteres Medicos ſcriptis editis, Lugduni per annos 5. inde Antverpiæ, Medicinam fecit. In Italia dein eam Neapoli primùm, hinc Piſis, unde Monte regiò & Taurini publicè docuit: Obiit ſeculò præteritò plurimorum Scriptorum Auctor, quorum ſeriem habes, apud Anton. Teiſſier in *Elogiis Volum.* 1. Vide & *Vitam* ejus à filio Hercule, ſcriptorum paternorum editore, literis conſignatam.

ARGENTARIUS Mons, vulgò *le col de l'Argentiere*, unus ex Alpibus, per quem tranſitus è Gallia in Italiam, in limite Marchionatus Saluciarum.

ARGENTARIUS Theodotus, vide *Theodotus*.

ARGENTATAS carrucas habendi poteſtatem, Aurelianus Imperator privatis conceſſit, quum antea ærata & eborata vehicula fuiſſent, apud Vopiſc. c. 46. Senatoribus idem conceſſum à Severo prænomine Alexandro, tradit Lamprid. *c. 43.* Unde ab aliquo ſequentium Imperatorum ſublatum oportuit, ut opus habuerit Aurelianus redonare. *Privatorum* namque vocabulò Vopiſcus tàm Senatores, quam Magiſtratus, comprehendit, h. e. omnes honoratos; *Argentata* enim vehicula Senatorum non minùs, quàm Magiſtratuum. Vetus *Epigramma* Græcum carrucam *argentatam* Præfecto Urbis tribuit: εἰς ἀπὸ φιλόσοφον γενόμενον ὕπαρχον πόλεως ἐπὶ Βαλεντινιανοῦ καὶ Βάλεντος, uti lemma conceptum eſt membranis;

Ἄντυγος ἠερίης ὑπερήμενος ἐς πόθον ἦλθες
Ἄντυγος ἀργυρέης, αἶσχος ἀπειρέσιον.
Axis cœleſti inſidens deſiderio correptus es
Axis argentati, probrum immenſum!

Ubi ἄντυγα ἀργυρέην vocat *argentatam carrucam* Urbis Præfecti. Salmaſ. *ad Vopiſc.* Heliogabalus autem contentus *argentatis* & eboratis & æratis vehiculis, gemmata & aurata habuiſſe, legitur apud Lamprid. in *Vita* ejus *c. 29.* Apud eundem mentio eſt, ſellæ muliebris eboratæ & *argentatæ* &c. Vide quoque infrà.

ARGENTEA Regio, ἀργυρᾶ χώρα, ſicut & *Aurea*, χρυσῆ, duæ regiones in India extra Gangem vocabantur, non quòd ſolum haberent argenteum, aureumque, ut nonnulli nugantur, ſed quòd his metallis fertiles eſſent. De *Argentea* clarè Ptol. *in deſcr. Indiæ ulter.* Τῆς δὲ Ἀργυρᾶς χώρας, ἐν ᾗ πλεῖστα εἶναι λέγεται μέταλλα ἀργύρου &c. *Argenteæ regionis, in qua plurima dicuntur eſſe metalla argenti.* Ubi *argentum* primus ἄσημον vocat. Græci enim Veteres ἄσημον ἀργύριον dixêre *argentum non ſignatum*, quod in nummis non eſt, ſed in vaſis ac poculis. unde abſolutè poſteriores ἄσημον, pro *argento* uſurpârunt; hodieque Græci idem ἄσπρον appellant &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 996.*

ARGENTEA, vulgò *La Plata*, Urbs ampla Americæ Meridional. ex præcipuis Peruviæ, & primaria provinc. *de los Charcas*, in montanis, prope fluv. Picolmayum; Urbs nova fodinis argenti mirè opulens, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Limenſi, 180. leuc. à Cuſco in Auſtrum, 18. à Potoſio in Ortum, ſub Hiſpanis.

ARGENTEA Sigilla & Emblemata, aureis nonnunquam ſcyphis includi conſuevêre: quemadmodum viciſſim aureæ cælaturæ in vaſis argenteis, & quidem communiter collocabantur. Quorum prius Verrem factitâſſe, Cicero ait *Act. 6.* de aureis cælaturis in argentum deſcendentibus, vide Senec. *de Benefic.* Nempe *Argentea* Pocula & Vaſa præcipuè olim ſcalpta & cælata. Licèt enim Cælatura, Græcè Τόρευμα, h. e. ars illa, quæ extantes oſtendebat figuras, & extra corpus materiei prominentes, interdum totas, interdum dimidiatas, in aureis argenteiſque vaſis, apud Veteres locum ſuum ac auctoritatem maximè teneret, præcipuè tamen in argenteis videri amavit. Hodiè tantùm ſcalpitur & cavatur argentum, ex quo pocula fiunt: Cæterum vaſa etiam *argentea ſcalpta*, in *Hiſt. Aug.* legimus. Et quidem aut totis figuris extantibus cælabatur *argentum*, quæ ἔκτυπα, ὁλόγλυφα & ἀνάγλυφα Græcis; qualis erat *ille ſtans extra pocula caper*, apud Satyricum *Sat. l.* Aut dimidiatis & unum ſolum latus oſtendentibus, quæ ἐκτυπώματα Græcis, Gallis *en boſſe*, uti de collo & ventre craterum, legimus apud Athen. *l. 5.* Utraque exemptilia erant & de vaſis revelli poterant, & aliis rurſus illigari Cicero ubi ſupra de Verre: *Patella grandis, cum ſigillis & ſimulachris Deorum.* Et paulo poſt, *Sigillis avulſis, reliquum argentum ſine avaritia reddidit.* Ibidem, *Quæ probarant, iis cruſtæ* (h. e. dimidiatæ figuræ) *& emblemata* (h. e. totæ extantes) *detrahuntur.* *Sic Haluntini excuſſis deliciis cum argento puro domum revertuntur.* Ubi *Argentum purum* vocat id, quod ſine ullis cruſtis ac emblematis erat, quæ cælaturâ conſtabant. Juvenal. *Sat. 9. v. 141.*

Argenti vaſcula puri.

Aliquando verò *argentum* in ipſo corpore ſcyphi exſcindebatur per Ἀναγλυπτικὴν Artem &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. d. l.* ut & hic paſſim, inprimis, ubi de *Anaglyphis* & arte *Empaeſtica*: hæ enim duæ Toreuticæ Artis ſeu Cælaturæ methodi fuiſſe videntur Addam ſaltem, optimum & præſtantiſſimum, ad cælaturas eligi ſolitum; onde puſtulatum de primæ notæ argento dicebatur: eſt autem *ex puſtula* vel *puſtulatum*, opus ἐκτυπωμένον, quod vulgò etiam *en boſſe* Galli dicunt. Idem *p. 1048.*

ARGENTEOLA, Aſturiæ urbs in Hiſpan. *Ptol.* *Argentiolum Antonino.* Hodie *Medules*, teſte *Moletio*.

ARGENTERIUS, vide *Argentarius*.

ARGENTEUS, Galliæ Narbonenſ. fluv. in Provincia, inter Olbiam, & Forum Julii in mare Mediterraneum exiens. *Argenteum Ptolemæo.* Hodiè *Argentone Pineto*, *Argentus* verò *Villanovano*. Alter vulgo *Argent*, in Rhodanum influens, ſeparanſque comitatum Venuſinum à Provincia reliqua. Druentiæ fluv. hoc tribuit, *Baudrand.*

ARGENTEUS, vulgò *Rio de la Plata*. Hiſpan. *Paranaguaza*, Americæ fluv. meridionalis aliter de *Paraguay*, ex maximis totius Orbis. Oritur in regione Paraguaja ſupra lacum *de los Xarayes*, dein longò curſu verſus Meridiem defluens, fluviiſque quamplurimis auctus in mare Braſilicum ſe exonerat, per oſtium 40. leuc. latum. Ab illo Regio, circa ejus oſtium, vulgò *Provincia de Rio de la Plata* dicitur; eſtque fertilis admodum & irrigua.

ARGENTEUS Mons, vulgo *Sierra Segura Floriano*, *Sierra d'Alcaraz Cluſio*, mons Hiſpaniæ Tarraconenſ. unde Bætis effluit. Fortè Tugienſis ſaltus Plinii, *l. 3. c. 1.* ex eo enim Bætim oriri ſcribit. Appellatur etiam *Argentarius*, *Avieno*. Vide Bochart. *de Phœnic. colon. p. 666.* In Caſtella nova verſus confinia regni Granatenſis, eſtque pars montis Oroſpedæ *Baudrand*.

ARGENTEUS Nummus, vide infrà *Aureus*.

ARGENTI Flos & Spuma, quam ejicit, dum excoquitur, eadem cum λιθαργύρῳ de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1079. & ſeqq.*

ARGENTI Scobs, viæ ſternendæ adhibita, apud Lamprid. in *Vita Heliogabali*, *c. 31.* *Scobe auri porticum ſtravit* (hoc luxuriæ monſtrum) *& argenti, dolens quòd non poſſet & electri: idque frequenter, quacunque fecit iter pedibus, uſque ad equum vel carpentum, ut fit hodie de aureoſa arena.* Vide infrà.

ARGENTIA, vel ARGENTA, burgus Ducatus Ferrarienſis in Italia, medius ferè inter Ferrariam & Ravennam.

ARGENTIA Gorgonzola, vicus Inſubriæ, & Ducatus Mediolanenſis ad incile Martelanum.

ARGENTINA, vide *Argentoratum*.

ARGENTINA Albertus, vide *Albertus*.

ARGENTINA Thomas, vide *Thomas*.

ARGENTINI, Calabriæ populi. Plin. *l. 3. c. 21.*

ARGENTINUS, Deus colebatur ab antiquis, ſicut & *Æſculanus*, quem patrem illi poſuerunt, quia prius ærea pecunia in uſu fuit, quàm argentea. D. Auguſtin. *l. 4. Civit. Dei c. 21.*

ab ARGENTO Eſcatio, Pororio, apud Romanos, inter nomina miniſterii domeſtici, vide ſuprà *Ancilla* & infrà de *Servo*. Addo ſaltem, *Argentum* hoc ut & Miniſtros, ab amicis mutuo ſumſiſſe Præfectum Prætorio, quoties abſente Imperatore poſceret, ut infrà dicemus verbo *poſcere*.

ARGENTOCLUSUS, apud *Ammianum*, vide infrà *Incluvum*.

ARGENTOLIUM, vulgò ARGENTEUIL, oppidul. Galliæ, ad Sequanam, 3. leuc. infrà Lutetiam in ortum.

ARGENTOMAGUM, vide *Argentomagum*.

ARGENTOMUM, vulgo ARGENTAN, caſtrum Galliæ, ad Olinam flumen in Sagiorum Diœceſi, nobile. Vide *Argentomagum*.

ARGENTONUM, quod ARGENTOMAGUS *Antonini* putatur, oppid. in Ducatu Bituricenſi, turrem habet, quæ dicitur *Eracly*, in qua Tauri effigies cernitur, cui inſculpta Cæſaris illa, *Veni, Vidi, Vici. Merul. Merula*.

ARGENTORATUM, ſic dictum ab argenteo, quia ibi tempore Romanorum ærarium: vulgò *Straßburg*, à platea: quod olim Attila, Hunnorum Rex deſtructâ civitate, amplam per eandem dederit plateam, unde & *Stratopolis* quandoque: Urbs Germaniæ ſuperioris ampla, dives, munita, ex Germaniæ præcipuis ad Rhenum qui ponte ibi jungitur, Alſatiæ caput, libera uſque ad 17. Sept. A. C. 1681. ut infrà videbimus: & Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Moguntino, inter Baſileam ad Auſtrum & Spiram ad Septentrionem. Ejus adminiſtratio olim apud Nobiles fuit, ſed poſtquam diſſidiis familiarum de *Mullenheim* & *Zorn*, in cædes itum, Reſpublicaque turbata eſſet, occaſione captatâ plebeji A. C. 1332. rerum ſummâ ad ſe pertractâ, novum ſibi ex ſui ordinis viris Senatum conſtituerunt. Qui licèt ſæpenumero per vices variis conſtitutionibus fuerit immutatus, nunquam tamen ad primam faciem rediit. Ampliſſimis gaudebat privilegiis, Homagium non præſtabat Imperatori, à tempore Ottonis III. Vexillum ejus, Imperii vexillo proximum erat: à Lothario II. tempore ſub archiori Imperii protectione fuit, quod renovatum ſub Ferdin. II. A. C. 1628. Cudit monetam, habet jus nundinarum, &c. Inſignia urbs habet, plateam rubram in campo albo. Ditionis adjacentis caput eſt. Vide Limnæum Enucleat. l. 4. c. 3. Hic Alemanni à Juliano primùm A. C. 356. poſteà à Gratiano Auguſto ad 30. millia cæſi. Adempta eſt Romanis, à Childerico, A. C. 478. cum tota ad Rhenum regione. Dein ſub Imperium rediit. *Argentina* poſterioribus dicitur, Armamentario, Turri Eccleſiæ Cathedralis, & horologiò mirâ arte fabricatò inſignis. Tacito *de mor. German.* c. 28. & Cæſari *l. 1. Bell. Gall. c.* 51. dicitur *Tribocorum* & *Tribocum*. Primus urbis Doctor Maternus fuit, Petri diſcipulus, qui idem Coloniæ Agrippinæ docuit circa A. C. 68. Eſpencæus *in c.* 4. *ad Timoth.* 2. &c. Inter Epiſcopos, ſic peculiariter vocatos, Sanctus Amandus primus cenſetus circa A. C. 642. Inter cujus ſucceſſores, Vilderolphus à muribus ob impietatem devoratus ſcribitur, circa A. C. 998 Munſter. *Coſmogr.* Sequenti tempore A. C. 1230. cùm in Alſatia nobiles quidam Papam damnarent, quòd Sacerdotibus uxores, & carnis eſum adimeret, acriter in illos ſævitum; quorum quidam in hac urbe combuſti, faſſi ſunt, tantum eſſe numerum ſuorum, ut ſi quis è Colonia ire Mediolanum ſtatueret, omni nocte hoſpitium apud ſuos habere poſſit: in profeſſione ſupra omnem fidem conſtantes, vitæ prodigi, & necis improvidi ſectatores, ut quidam de illis ſcribit. Vide Huldric. Mutium *l.* 19. Johan. Baleum *l.* 5. Mornæum *in Myſter.* p. 869. Munſteri. *Geogr. l.* 3. Trithem *in Chron.* Circa A. C. 1529. Euangelii doctrinam amplexa eſt, poſtquam Matthias Cellius Cæſariſpergius, primus Euangelizare ibi cœpiſſet, A. C. 1522. Lite dein inter Lutherum & Caroloſtadium circa ſenſum verborum S. Cœnæ obortâ, cum illi Saxones, Suevi, Dani, &c. adhærerent, huic Argentinenſes, Helvetici, Sabaudici, & poſtea Palatini Theologi adſtipulati ſunt, A. C. 1524. Lætus *Hiſtor.* Cum Tigurinis, Bernatibus & Baſileenſibus, A. C. 1520. fœdus iniit urbs, ad mutuam defenſionem, contra vim injuſtam, quæ propter Euangelium inferretur. Buchole. in *Chron.* Eòdem annò Confeſſionem fidei, cum urbibus Conſtantia, Memminga & Lindavia, Cæſari exhibuit, per Caſparum Hedionem, Eccleſiæ ſuæ Doctorem, quæ publicè audita non fuit. Poſt hæc Calvinum, Bucerum, Martyrem, Zanchium, &c. docentes audivit. A. C. 1538. Academia ibidem, impulſu Jacobi Sturmii fundata à Senatu, quæ à Maximiliano II. A. C. 1566 privilegia accepit. Cum Fratribus Bohemis, mediò Matthiâ Ozewenkâ ad Bucerum, unionem iniit, A. C. 1542. eademque ex urbe monuit Hieron. Zanchius Staniſlaum Oſtrorogium Polonum, ne nimis iis in locis à Luthero dependerent, Lætus *hiſtor.* p. 410. Condemnationem Stancari à minoris Poloniæ Theologis factam cum Wittebergenſibus & Genevenſibus idem Argentinenſes approbârunt. Exin à Reformatis receſſio facta eſt, quibus nihilominus Wolfshemium, in ditione Hannovienſi, ſacrorum causâ excurrendi libertas permiſſa. De Epiſcopatu hujus urbis acerrima contentio à Rodolpho II. Imperatore ſopita eſt. Vide Thuani *Hiſtoriam*. Poſtmodum A. C. 1608. in Congregatione ſacri fœderis, Romæ inſtituta, decretum, ut eòdem tempore Geneva & Argentoratum impeteretur, ad diſtrahendos Euangelicos. *Idem.* Ejuſdem ſeculi An. 17. jubileum hîc, ut & Spiræ, in Electoratu Saxonico, Palatino & Brandeburgico celebratum, Deoque pro accenſa luce Euangelii gratiæ actæ ſunt. Tigurinorum & Bernatum bellò ſuperô præſidium urbem miſſum eſt, quô poſt pacem Neomagenſem dimiſſò in Gallorum ea poteſtatem venit, A. C. 1681. Vide inſuper Bertium *rer. Germ. l.* 3. *c.* 2. Franciſc. Guillimannum, de *Argent. Epiſcopis*, *Wimpheling.* *Heuſchenium*, &c. *Profeſſorum Argentinenſium* Catalogum Melch. Sebizius edidit, de quo vide Paul. Freherum *Theatro Virorum eruditione clarorum.* Epiſcopi ſedes nunc Taberna eſt. longitud. 29. 26. latitud. 48. 25. Sita eſt proximè ad fluv. Hellelum, *Ill*, ubi in fluv. *Breuſch* cadit, non longe à Rheno. Nec omittendum, quòd dicatur hæc urbs *barbaricis cladibus nota*, *Ammiano Marcellino*, ob fuſos ibi, ut dictum, à Juliano Alamannos & Chnodomarium, nobilem eorum Regem, captum. Quodque ibi, præter duas alias vias publicas ſive militares, tres ſint celeberrimæ, una per Alpes Grajas Mediolanum ducens, altera Lugdunum Batavorum, tertia Auguſtam Trevirorum: A quibus quinque viis nonnulli Scriptores eam *Strataburgum* dixêre, h. e. *Burgum*, ſive oppidum ripenſe, *poſitum in via militari*, quam præter cæteros Eutropius *Stratam* à re appellat, in *Aurelium*, Gall. *l'Eſtrade*, vel *l'Eſtree*. Vide *Strataburgum*: & adde Auctoribus præfatis B. Rhenanum *Rerum German. Nov-Antiqq. l.* 5. cum *Notis* Jac. Ottonis JCti.

ARGENTUARIA, & ARGENTARIA Aurelio Victori, *c.* 72. hodie, teſte B. Rhenanò *Horburg* dicitur, oppid. Germaniæ ſuperioris ad Ellum fluv. Rhenum verſùs, jam exciſum, ex quo Colmariam illi ſucceſſiſſe ferunt, Argentuariamque novam dici. Vide præfatum Rhenanum ubi ſuprà, cum *Notis* Clariſſ. Viri præfati, nec non voce *Argentovaria*.

ARGENTUM, repertum ab Erichthonio; monetæ aptatum primum, in Lydis; primò, trichinis additum, à Carvilio Pollione: eò calceatos homines & jumenta, dicemus infrà. Uſus in ſacris non exiguus: In Atrio enim Tabernaculi, juxta Altare holocauſti duplex hinc inde menſarum lapidearum ordo, quibus vaſa aurea & *argentea*, ad oblationem neceſſaria, imponebantur, fuiſſe legitur Ezech. *c.* 40. v. 42. In Templo inprimis Salomonico auri *Argentique* ſumma ultra fidem erat: Ex *Argento* quoque tubæ fuêre, de quibus infrà. Ad uſum ut tranſeam profanum, Romani primo ære, dein *Argentò*, tandem aurò nummos ſignârunt. Et quidem ære illecti, facile ad *Argentum* traduci potuêre. purioris paulatim metallô avaritia digna erat & in compendium opes fuêre deducendæ, quia creverant. Ad plebem aſſes & onera; noluit ultrà niſi *argentò* manus nobilior inquinari: quod quando factum, dicat Plin. *l.* 33. *c.* 3. *Pop. Romanus, ut argentò quidem ſignato, ante Pyrrhum Regem uſus eſt.* Et diſtinctius: *Argentum ſignatum eſt anno Urbis* CCCC. *LXXXV* Q. *Ogulniò* & *C. Fabiò Coſſ. quinque annis ante primum bellum Punicum.* Varro verò, apud Cariſium *Inſtitut. l* 1. nummum *argenteum* conflatum primo à Servio Tullio, tradit. Quorum utrum ſit, nummus ex argento fuit triplex Denarius, cujus nota, ut *Viluſius* tradit, *X.* & partes Denarii Quinarius *V.* Seſtertius *HS.* Libella, Sembella, Teruncius: è quibus Denarius *Argentum* ſimpliciter quoque dictus eſt. Plin. *loc. cit. Nota argenti fuêre bigæ atque quadrigæ, & inde Bigati, Quadrigatique*, vide infrà ubi de *Moneta*. Sed & *Argentò* literas ſignâſſe olim Clerum, docet Phranzes *l.* 2. *c.* 10. *Ego cum literis bullâ argenteâ inſignitis, & jurejurando firmatis, & multò aliàs miſſus ſum, ut Athenas & Thebas in poteſtatem reciperem.* Luitprandus item *in Legat. Tulerunt autem & alias literas* argenteò *ſignatas, atque dixerunt Papam veſtrum* &c. Annulos *argenteos* Libertinos geſtâſſe, vult *Iſidor.* ſed apud probatæ fidei Auctores nihil ſimile legitur. Se nimis conjecturis agendum, iis plebs videtur uſa: Plin. enim fœminas plebejas ſibi ex argentò compedes (ita annulos appellat) feciſſe ait, *l.* 33. *c.* 12. *Argentum ſuccedit & aurò, luxu fœminarum plebis compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas mos triſtior vetat.* Cùm aurum penes Optimates, ferrum inter ſervos hæſerit, vide Joh. Kirchmann. *de Annulis c.* 15. uti de *argentea urna*, in quam Athletarum ſortes conjectæ infrà ubi de *Homogrammis Scabellis* duobus, quibus Athenis olim inſidebant litigantes, ubi de *Homicidio*: de *argenteis* Dianæ *templis*, aliiſque *alibi*. Addam ſaltem, cum vaſa eſcaria vinariaque apud Romanos ex auro argentoque fuerint, miniſtrum fuiſſe peculiarem *Argento præpoſitum*, cujus meminit *Africanus* JCtus: item alium *ab Argento potorio*: quò munere apud Liviam Auguſtam functa eſt Vibia Succeſſa, cujus meminit *vetus Inſcript.* Præterea *vectorii* argenti, ut & *balnearis*, meminiſſe JCtum, *Lege* 40. *ff. de auro & arg. leg. Scænici* quoque mentionem extare Romæ in hortis Carpenſibus, ubi iſta legitur *Inſcr.* T. ÆLIUS. AUGUSTORUM. LIB. A. MEMPTUS. AB. ARGENTO. SCÆNICO &c. de quibus omnibus vide Pignorium *Comm. de Servis*, uti de Argenti fodina olim celebri, infrà voce *Hiſpania*. Hodie nullibi *Auri Argentique* major proventus eſt, quàm in Regno Peruviano, ejuſque provinc. celeberrimâ *Potoſi*, de qua vide Ath. Kircherum *Mundi Subterranei l.* 10. *ſect.* 4. *c.* 8. Quanquam aliàs omnis ille tractus Americæ, à Tropico Cancri uſque ad Tropicum Capricorni, metallorum feraciſſimus ſit. Sed & in Germania ac Suecia *Argentum* eruitur &c. Auctor Anonymus *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 10. *de Commerciis.* Plura de *Argento*, apud Plin. *l.* 33. *c.* 26. *& ſeqq.*

Argenti varia epitheta.

ARGENTUM Capillare, in pilorum modum condenſatum, oſtenditur in *Muſæo* Kircheriano Romæ, vide Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societ. Jeſu Muſæo* p. 41.

ARGENTUM Factum, h. e. ſignatum, τῷ ἀσήμῳ oppoſitum, & pecuniâ denotat, Manilius. *l* 4.

Et factis mercator erit per utrinque metalli;

i. e. *argenti* vel æris, quod utrinque ſignatum eſt. Græci enim veteres ἄσημον dixêre *argentum non ſignatum*, quod in nummis non eſt, ſed in vaſis ac poculis. Inde verò poſtmodum recentiores ἄσημα ſimpliciter de *argento* uſurpârunt; quod primum feciſſe Ptolemæum in *deſcr. Indiæ ulter. ſupra* diximus, ubi de *Argentea Regione*: ex *Salmaſio*. Curtius verò *Argentum factum a ſignato* diſertè ſeparat, *l.* 3. *c.* 15. §. 16 Nempe *Factum argentum eſt, quod neque in maſſa neque in laminâ, neque in ſignato, neque in ſupellectile, neque in mundo, neque in ornamentis reſit*, Ulpianus *l.* 34. *tr. leg.* 27. § *ult. tit.* 2.

ARGENTUM Menſale, miniſterium conviviorum, quæ in Templis fierent, dedicatum à Tacito Imperat. apud Vopiſc. *c* 10.

ARGENTUM Purum, vide ſuprà *Argentea Emblemata*.

ARGENTUM Puſulatum, h. e. candidiſſimum, quod æris admiſtione non ruberet. Ut enim aurum argento, æs plumbô: ſic *argentum* ære adulterabatur. Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 5. de priori, *Et nivеum candens puſula vincit ebur.* Juvenal. *Sat.* 9. v. 31. verò, de argento

gento æte mixto, — *Tenue argentum venæque ſecundæ.* Contra cujuſmodi adulteratores, cavit Tacitus Imperator, *ut ſi quis argento publicè privatimque æs miſcuiſſet, ſi quis auro argentum ſi quis æri plumbum, capitale eſſet cum bonorum proſcriptione*, apud Flav. Vopiſc. *loc. cit. c.* 9.

ARGENTUM Regis, Gall. *Argent le Roy*, vel *Argent fin*, in veter. Galliæ Regum de Monetarum fabrica & fuſione *Statutis*, intelligitur de ea materia argenti, quæ eſt undecim denariorum & 12. granorum puri argenti, h. e. in qua eſt pars vigeſima quarta æris: Namque argentum purum ſeu *finum* illud eſt, quod conſtat 12. denariis puræ ſeu finæ materiæ argenteæ, quanquam adeò purum vix reperitur. Vide Car. du Freſne in *Gloſſario*.

ARGENTUM in fila deducendi artificium, Aureliani Imperatoris ætate recentius eſſe, patet ex Fl. Vopiſco in *Vita* ejus, c. 46. *Habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas — mitteretur, dicens plus auri eſſe in rerum natura quam argenti: ſed aurum per varios — filorum & liquationum uſus perire, argentum autem in ſuo uſu manere.* Ubi per *fila* intelligit fila aurea, quibus, & ſubtemine ſericô, veſtes texebantur claræ ac pretioſæ. Spartian. in *Pertinace*, c. 8. *Veſtis ſubtemine ſericô filis aureis.* Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 483.

Et pictuatas auri ſubtemine veſtes.

Ubi *ſubtemen* poſuit Poëta, pro trama & filis, ut ad *Pertinacem Spartiani* oſtendit Salmaſ. Non enim ſtamen ex auro poteſt eſſe. Nondum igitur ætate Aureliani inventum erat *argentum in fila deducere*, & filis argenteis contexere veſtimenta, quod ſub ultimis Imperatorib. apud Græcos multum in uſu fuit: quæ *Syrmatina* dicebantur, à ſyrmate, h. e. filo argenteo, ſic enim vocabant. Vide infra in voce *Syrma*, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Vopiſc. loc. cit.*

ARGENTUM Vivum, vide infrà *Mercurius Philoſophorum*.

ARGENUS, vulgò ARGUENON, fluv. Galliæ Celticæ per Britanniam minorem fluens, alluit Jugonem oppid. & in mare Britannicum cadit.

ARGES, Cyclopum unus, *Apollodorus*: Μετὰ τούτους δὲ αὐτῷ τεκνοῖ Γῆ, Κύκλωπας, Ἄργην (lege Ἄργην) Στερόπην, Βρόντην, ὧν ἕκαστος εἶχεν ἕνα ὀφθαλμὸν ἐπὶ μετώπου. Callimachus *Hymn. in Dianam.*

Μίτρας μὲν Κύκλωπας ἔτ' ἐπὶ πατρὸς καλαυρῶ

Ἄργην, ἢ Στερόπην.

Heſiod. *in Theog.* v. 140.

Βρόντην τε Στερόπην τε καὶ Ἄργην ὀβριμόθυμον.

Nic. Lloydius.

ARGESTES, Græcè Ἀργέστης, venti Noti ſeu Auſtri ſpecies. Euſtath. in *Odyſ.* Φ. tradit, quòd ἀργέστης barytonè ut pluſimum ſit venti nomen, oxytonè autem νότος ἐπίθετον, ut Homer. *Il.* λ. v. 306. Ἀργεσταο νότοιο, hoc eſt, λευκοῦ, ab ἀργὸς quod eſt λευκός. Ibidem tradit eſſe, qui ἀργέστην dicant νότον ἐξ Ἄργους εἰς Τροίαν πνέοντα, quos ait ἐν ἀδιανοήτῳ dicere. Ariſtot. *Meteor. l.* 2. *c.* 6. ait Euro contrarium eſſe Ἀργέστην. Strabo *l.* 1. citat ex *Iliad.* λ. *hos verſus.*

— Ὡς δ' ὁπότε Ζέφυρος νέφεα στυφελίξῃ

Ἀργεσταο νότοιο βαθείῃ λαίλαπι τύπτων.

Vide ibi Caſaubon. Vitruvius *l.* 1. *c.* 6. *Circa Favonium Argeſtes, & certis temporibus Eteſiæ.* Plin. *l.* 2. *c.* 47. ab occaſu ſolſtitiali flare ſcribit. *Heſych.* Ἀργέστης, ὁ ἰαπυγὶος. *Nic. Lloydius.* Adde & dicenda infrà, voce *Sciron*, it. *Thraſcias*.

ARGESTRATUS, tertius Lacedæmoniorum Rex, regnavit ann. 35 Vide *Echeſtratus*.

ARGEUS, quintus Macedonum Rex, Perdiccæ fil. pacatè regnavit ann. 38. *Euſeb.* Juſtin. *l.* 7. *c.* 2. Item decimus ſeptimus Macedonum Rex, regnavit annum unum. Vide infrà.

ARGEUS, ſecundùm quoſdam regnum Macedoniæ, ejectô ab Illyriis Amyntâ, biennium tenuiſſe cœpit, circa Olymp. XCVI. an. quartum. Diodor. Sic. *l.* 14. *f.* 444. Occiſô ab Illyriis Amyntâ Athenienſes eum, per Mantiam Ducem, Regno Macedoniæ reſtituere allaborârunt. Olympiad. CV. annô primô. In codicibus *Polyæni* impreſſis, neſcio quàm bene ſcribitur ΑΡΓΑΙΟΣ *Nic. Lloydius.*

ARGEUS mons, vide *Argæus*.

ARGEUS, idem quod *Argivus*, Horat. *l.* 2. *Carm. Od.* 6. v 5.

Tibur Argeo poſitum colono.

ARGI, urbs Italiæ, apud *Servium*; *Non una eſt Argos: fuit enim & in Italia, quam Diomedes condidit: quæ primò* Argi, *poſt Argyrippa, poſt Arpi dicta eſt.* Nempe primo Ἄργος Ἵππιον eſt appellata, ſed Æoles pro Ἄργος dicebant Ἄρπος unde *Arpos* Latini pronuntiavêre, pro *Arbos*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 64. Vide in voce *Arpi* ut & in *Argyripa*.

ARGIA Adraſti Argivorum Regis filia, Polynicis uxor, tantâ in virum pietate, ut cadaver ejus inter maximos cæſorum acervos, nocturnô tempore, conquirere non dubitârit, & contra edictum Creontis, funeris juſta ei perſolvere, ab una adjuta Antigone Polynicis ſorore, & quæ ipſa noctu deceptis cuſtodibus, Thebis egreſſa erat, ut idem fratribus ſuis officium præſtaret; quamobrem utraque à Creonte interfecta eſt; cujus rei ultionem, enecatô Creonte, Theſeus fecit. Stat. *l.* 12. *Theb.* Vide *Antigone*, & *Adraſtus*.

ARGIA, Peloponneſi regio. *Ptol.* Hodie *Romania* dici putatur. *Suidas*. Ἀργεία, ἡ χώρα, καὶ ἡ τῶν Ἀργείων γῆ. Nunc pleriſque *Sacania*. Item *Romania Morea*, Turcis ſubeſt. *Baudrand.*

ARGIÆ, Calceamenti vilis genus apud Argivos, vide infrà *Vir.*

ARGIAVANA, arbor ſeu arbuſtum, apud Perſas, deſcribitur in Thiphaſi *libro de diſcrimine lignor.* his verbis: *Arbor eſt in Perſide, cujus flos inſigniter rubet, à qua denominant Arabes, quicquid rubore ipſi ſimile eſt. Frequens eſt arbor illa, circa Eſpahan. Roſam producit inſigni rubedine — pulchram viſu, ſed ſine odore. Flos eſt calidus & dulcis saporis. Aliquantum ex eo ſumitur poſt potum. Lignum habet molle & tenue, ex quo — nigrum faciunt, quo lidem ſupercilia inungunt, ut nigriora ſint, & venuſtiora pilo. Cortex radicis eſt inter pharmaca, quæ vomitum provocant, cum ejus coctis ferent bibitur. Narravit mihi, qui hanc arbuſti abundare eandem arborem, circa Moſſarſalus (urbem Arantinæ non procul ab Aſunda) Eoalus, multam eſſe in vitibus montis Cordubenſis (vel in monte Chyrum nomine, prope Cordubam) Hiſpaniæ* &c. A qua rara & eximia planta, purpuræ nomen ductum eſſe, cum Auctor contendat; refellitur is à Cl. Bocharto, vocem enim, *argavan*, de qua ſuprà, Hebræam Chaldæamque eſſe, quâ Daniel & Eſdras ante annorum plus duo millia uſi, oſtendente. Itaque purpura ab arbore nomen non habet; ſed arbor à flore, cujus color purpureus eſt. Vide eum *Hieroz. Part. poſter. l.* 5. *c.* 9.

ARGIDAVA, Daciæ oppid. *Ptol. Argiſch* hodie, teſte Lazô in Valachia, apud fines Tranſylvaniæ. longitud. 48. 45 latitud. 48. 50.

ARGILA, urbs Cariæ. *Steph.* Item oppid. Mauritaniæ à Portugalliæ Rege expugnatum A. C. 1471. vulgo *Arzilla*.

ARGILETUM, locus Romæ juxta Palatium, ubi tabernæ opificum erant, præſertimque Bibliopolarum. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 4. v. 1.

Argeletanas mavis habitare tabernas.

Idem *l.* 1. *Epigr.* 118. v. 9 per tmeſin.

Argi nempe ſoles ſubire letum.

Et *l.* 2. *Epigr.* 17. v. 3.

Argique letum multus obſidet ſutor.

Dictum ab Argo Argivorum Duce, qui ab Evandro hoſpitiô exceptus, cùm in affectati regni ſuſpicionem veniſſet, ab Arcadibus inſciô Evandro, occiſus eſt, cui poſtea Rex tumulum erexit, quem de nomine ejus *Argiletum* vocavit, Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 345.

Nec non & ſacri monſtrat nemus Argileti,

Teſtaturque locum, & letum docet hoſpitis Argi.

Alii dictum putant, quaſi *Argilletum*, ab *argilla*, h. e. cretâ, cujus eo in loco magna erat copia. Utramque opinionem refert Varro *l.* 4. *de L. L.* his verbis: *Argiletum ſunt, qui ſcripſerunt ab Argo, ſeu quòd is huc venit, ibique ſepultus ſit: alii ab argilla, quod ibi hoc genus terra.*

ARGILIA, *Heſych.* Ἀργιλία, ὄνομα τῆς Ἀττικῆς.

ARGILII, Andriorum coloni. Ἀργίλιοι ἄποικοι. Thucyd. *l.* 4.

ARGILIUM, Bithyniæ oppid. mediterraneum. *Ptol.*

ARGILLA, vide infrà *Fictile*, *Fictor*, *Plaſta*, *Plaſtica*, *Simpulum*, *Statua*.

ARGILLA, piſcis ex mera cartilagine, exceptâ ſpinâ dorſi, abſque oſſibus & ſquamis, à natura compactus; idem cum *Raja*, quod vide.

ARGILLARIÆ, vel ARGILLERIÆ, oppid. Galliæ, non procul à Domnomanno, *Dormans*, à ſolo *argilloſo* dictum, vulgò *Argilly*. Ejus fit mentio in *Vita Sanct.* Bernardi, apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ARGILLUS, Ægypti mons circa Nilum. *Plut.*

ARGILUS, urbs Emathiæ non procul ab oſtio Strymonis fluv. occidentem verſus. Herodot. *l.* 7. Item urbs Thraciæ Stephano ex Thucyd. *l.* 4.

ARGINA, Locrorum Ozolorum oppid. Plin. *l.* 4. *c.* 3.

ARGINUSA, Urbs Æolidos, è regione Lesbi & promontor. *Mana.* Schol. in *Ariſtoph. Ran. Act.* 1. *Sc.* 2.

ARGINUSÆ, Straboni *l.* 13. tres inſulæ parvæ continenti proximæ, inter Mitylenen & Methymnam. Hic Conone Duce Lacedæmonii ſuperati, Callicratide amiſſô, an. 347. Urb. Cond. Plut. in *Conone*, Plin. *l.* 5. *c.* 31. Vide Steph. *l.* 13.

ARGIOPE, Nymphæ nomen, Parnaſſi incolæ, mater fuit ex Philammone Thamyris, qui tertius in Pythiis Ludis cecinit & cantu vicit. Vide *Philammon* it. *Thamyris*. Item filia Teuthrantis Myſorum Regis, cui ſi, quòd mares non haberet liberos, regnum reliquit. Vide *Teuthras*.

ARGIPHONTES, Mercurii cognomen ab *Argo*, centoculo Ius cuſtode, quem, Jovis juſſu, interfecit. Mythologi interpretantur *Argum* ſphæram eſſe ſtellatam, quod illi inſit ſpecies quædam cæleſtium oculorum; Io autem terram eſſe volunt, quam Ægyptii in Hieroglyphicis literis bovis imagine exprimunt. Hanc Argos, i. e. cœlum ſtellatum, nocturnô tempore deſuper videtur obſervare. Mercurium autem Solem interpretantur, qui Argum tunc dicitur occidere, cùm luminis ſui magnitudine ſtellas omnes obſcurat, earumque à mortalibus conſpectum eripit. Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 19.

ARGIPPEI, populi inter Sauromatas. Herodot. *l.* 4. ab ipſa nativitate calvi, ſimis naribus, & ingenti mentô, proprio quodam oris ſonô, ex arboribus victitantes. Hi cum arma nulla habeant, à nemine tamen afficiuntur injuriâ, quod ſacri putentur. Iidem finitimorum controverſias dirimunt, & ad ſe confugientes ab injuria tuentur. *Nic. Lloydius.* Melius *Argippæi*; nomen habent ab equis albis: quia, ut *ibidem* auctor eſt Idem, circa Scythiæ paludem, Hypanin, ἵππους ἀγρίους ἀργοὺς λευκούς, *ferreque albi paſcuntur.* Quemadmodum hodieque equos albos in magno eſſe honore, apud Tartaros, ſcribit Paulus Venetus *l.* 1. *c.* 63. & horum armenta Regem habere, quæ decem millium numerum excedant. Quod mirum non eſt, ſi verum, quod idem refert *l.* 2. *c.* 15. Calendis Februariis,

quod

quod anno [illegible] magno illi Regi a [illegible] quandoque [illegible] alborum [illegible] centum millia. Equos enim-que [illegible] loco sed [illegible] præſtare, hinc Horatius [illegible] 7. v. 8.

[illegible]

[illegible] Virgilio Turnus, [illegible] Æneâ dimicaturus, poſcit equos [illegible] dat [illegible] Orithyia, Boreæ uxore [illegible] 12. Æn. v. 84.

[illegible] anteirent nives [illegible]

[illegible] Caſtor & Pollux, apud [illegible] & P[illegible] [illegible] 6. [illegible] tam & [illegible] Poetæ paſſim [illegible] Deorum [illegible] Unde Camillo [illegible] albis [illegible] invectus eſt [illegible] Quamquam [illegible] l. 4. [illegible] Camillum [illegible]

Quatuor hunc albos Romulus egit equos.

Nec [illegible] A[illegible]guſti, de P[illegible] apud Ovidium [illegible] & [illegible] de Africa, [illegible] [illegible] in libro [illegible] c. 6. v. [illegible] & [illegible] v. [illegible] & [illegible] 4. tam Ch[illegible] [illegible] eſſet ex [illegible] dent. [illegible] Poëta, quem Suidas paſſim [illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible] poſſumus [illegible] eſt,
Sed [illegible] novus.

V[illegible] Non itaque [illegible] candore [illegible] nomen ſibi ad-ſc[illegible]

ARG[illegible]RI, [illegible]

[illegible] U[illegible] T[illegible] M. [illegible] urnis, modo ma-ris Ad[illegible] Vide [illegible]

[illegible] E, [illegible] Italiæ [illegible] pe Peneum [illegible] à Lariſſæ filio [illegible]

[illegible] ndum [illegible] in Ultonia [illegible] m la [illegible] Oceanum Ca-le[illegible] Comitatus [illegible] & Antrimen-ſem.

ARG[illegible]THEA, U[illegible] fuit Epiri, Caput Athamaniæ, in medio terra[illegible] Theſſaliæ [illegible]

AR[illegible]A, Iuno ab [illegible] ita cognominata, ubi locô ſacra ejus cel[illegible]abantur. Virg. Æ[illegible] v. [illegible]7.

Iunoni Argivæ juſſos adolemus honores.

S[illegible] hic modo d[illegible] Pauſan[illegible] 2. [illegible]

[illegible]

[illegible] mentio vero Strabo. lib. 1. [illegible] ejus in [illegible] Apollo [illegible] habet: [illegible] vocantes, ut [illegible] in honore apud [illegible] quod celebre [illegible] Inachi temporibus, [illegible] unde etiam cultus ejus [illegible] Argos [illegible] apud Euripid[illegible] [illegible] apud Pi[illegible] [illegible] quæ primo præfuerit [illegible] dicitur. Neque enim [illegible] ſacerdotium [illegible] & eadem honorat[illegible] admittebantur. per quas [illegible] computata [illegible] per Archontes Athe-nis, [illegible] E quidem [illegible] hoc [illegible] ſacerd[illegible] vehebatur albis bobus ad templum Iunonis, [illegible] Palæphatus [illegible] Piſtra apud Jo. Meu[illegible]

[illegible] R G[illegible], ab A[illegible] quorum eſt frequens [illegible] tamen [illegible] ut ab [illegible] adagium ortum [illegible] Nam apud Argivos [illegible] audiebant [illegible] & ca-[illegible] apud Diogen. [illegible] 79. [illegible] corpus licentia te-[illegible] privatis [illegible]

A[illegible] L A, Ca[illegible] Paul.

A[illegible] oppid. [illegible] in Ultonia provinc. & [illegible] verſus Scotiam ad [illegible] Cap. &

ex adverſo peninſul. Ardes, 14. milliar. Hiberniæ. Rupe Fergaſii in Auſtrum.

ARGO, navis in qua Iaſon cum 54. Heroibus Theſſaliis Colchos navigavit. De nominis ratione variant Etymologi. Sententiæ eorum ad ſex claſſes revocari poſſunt. Primo Nomen [illegible] videtur ab Architecto, cujus nomen Argus. de quo Val. Flacc. l. 1. v. 93.

—— Ad [illegible] devolat Argum;
A[illegible] puppem [illegible] mutare ferro
Robora, —— ——

Diodor. Sic. l. 4. [illegible] Argo. Vide Hyginum in Argo. Secundo, Alii hic vocatum volunt, quod ſecum Argivos tulerit, quod ſentire videtur M. Tullius Tuſcul. Qu. l. [illegible] quæ eſt nominata Argo, quia Argivi in ea [illegible] Quæ poſtrema verba ex Poëta aliquo antiquo, ut ſæpiuſcule in his libris ſolet, deſumpta [illegible] Tertio, Quidam à velocitate ejus ſic dictam arbitrantur. Diodor. Sic. ubi ſupra. [illegible] Unde Catullus, Epigr. 65. v. 6.

[illegible] ſalſa citâ decurrere puppi.

Et Pindarus [illegible] Quamquam [illegible] quoque Græcè dicitur tardus. Huc jocus Martialis l. 3. Epigr. 67. v. 8.

[illegible] vagi per undas,
[illegible] carica.
Non nautas puto vos ſed Argonautas

Quartò, Pherecydes [illegible] apud [illegible] Barbum tradit [illegible] ſumpſiſſe nomen ab Arg[illegible] filio. [illegible] Aliud [illegible] ducunt, Hebrai-cè [illegible] Hoelzlinus [illegible] ad Apollon. l. [illegible] Sane Catullus de [illegible] fabricatae, [illegible] v. 10

Pinea [illegible] 4.

Ad quem [illegible] Scaliger [illegible] Texere naves veteres dicebant, [illegible] ubi naves fabricantur, [illegible] dicebatur [illegible] Scaligerum ſchedis [illegible] Qu. Ennius.

[illegible] campus habet [illegible] longis.

h. e. [illegible] Sic [illegible] dixit Archimelus Poëta, in navem Hieronis

[illegible]

[illegible]

Malè enim apud [illegible] Ep. Heroid. 16. v. 120.

T[illegible] & coſta [illegible]

Si[illegible] Ital[illegible] 8. v. 120.

[illegible] texit, quâ [illegible] agmina, claſ[illegible]

Idem l. 13. v. 588.

[illegible] mille [illegible]

Paregoriſte [illegible] navalia [illegible] Sextò, Bochartus [illegible] à longitudine [illegible] ſuſpicatur. Gallis [illegible] vibus [illegible] Phœnices oppoſuiſſe [illegible] ut Syri [illegible] i. e. naves [illegible] ſeu quod idem eſt naves [illegible] ac inde factum, [illegible] & C. per-m[illegible] quod [illegible] ut navis [illegible] appellaretur, quæ [illegible] navi apud Græcos, [illegible] uſque ad Iaſonem & Ar-gonautas [illegible] rotundis navibus utebantur. Plin. l. 7. c. 56. [illegible] Et Apol-[illegible] de Argonau[illegible] Et Herodot. [illegible] l. 1. de Argonautis, [illegible] habere refert [illegible] i. e. [illegible] unde ſequitur, longam fuiſſe cubitorum [illegible] ſi ſingula [illegible] fuerint [illegible] l. 1. 2. Quinimo longior fuit, ſi The[illegible] à quo in Hy[illegible] Argo. [illegible] Lignum, ex quo confecta fuit, [illegible] & Seneca. Hinc, Epigr. 63.

Peliacâ quondam [illegible] vertice pinus,
Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per undas,
Phaſidos ad [illegible] & fines Æetæos

[illegible] in Medea,

[illegible] mundi
[illegible]

Quibus adde [illegible] 16. [illegible]

[illegible] Argos [illegible]

Et Ovidium [illegible]

[illegible] cum Tiri[illegible] de prolé

Et Statium [illegible] l. [illegible] 156.

Olim equidem Argoa pinus [illegible] Theſſala Reges
Hic [illegible] ——

Orpheus ex fago factam tradit [illegible] paulò poſt addens [illegible] vocal[illegible] intelli-gendum quam [illegible] fuiſſe ſignificat [illegible] Lycoph. [illegible] con-ſentiunt, factam eſſe ex arboribus Dodonæ [illegible] olim ora-c[illegible] Unde & Poſtea [illegible] ipſam fuiſſe voca[illegible]. Seneca in Medea, v. [illegible]

— [illegible]
Perdidit Argos: — —

Val. Flac. *l.* 1. *v.* 3.

Fatidicamque ratem.

Claudian. *in Panegyrica, de* 3. *Conſul. Honor. v.* 106.

– — Rurſusque locuta

In te Chaonia moverunt carmina quercus.

Idem alibi plenius:

—— —— Licèt omnia vates

In majus celebrata ferant, ipſamque ſecandis

Argous trabibus jacêret ſudaſſe Minervam,

Nec nemoris tantum vexiſſe carentia ſenſu

Robora, ſed caſo Tomari Jovis augure luco,

Arbore præſaga tabulas animaſſe loquaces.

Orpheus:

—— Τομάρειος λαλαγὴ φηγός.

Idem φυλάκος Ἀργοῖ & λάλον φώνην vocat. Æſchylus, citante Philone in tractatu Πιῶν ἐκ ευρήματον, &c.

Πῶ δ᾽ ἔνι Ἀργοῦς ἱερὸν αὐδᾶξαν ξύλον.

Lycophron *in Caſſandra*, τὴν λάλαθρον κίσσαν, h. e. *picam loquacem* nuncupat. Meminit & Philoſtratus *in Imaginibus*, Sophocles *in Trachiniis*. Lucianus *in Somnio ſive Gallo*, καὶ νῦν ἐπιθυμεῖς, ὥ ποτε ἡ τῆς Ἀργοῦς πρῶτον ἐλάλησε. Variant autem authores de parte navis. Jo. Meurſius, ad Lycophronis locum nuper productum, *Argo navis loquacem malum de quercu Dodonæa habuiſſe dicitur.* Vocale lignum in prora ponit Apollodorus *l.* 1. Κατὰ δὲ τὴν πρῷραν ἐνήρμοσεν Ἀθηνᾶ φωνῆεν φηγοῦ τῆς Δωδωνίδος ξύλον. Val. autem Flac. *l.* 1. fingit, hanc navem è tutela voces fundere, ut quæ Dodonæam quercum ibi habuerit. Verba ſunt, *v.* 301.

Viſa coronata fulgens tutela carina

Vocibus his inſtare duci.

Vide Bochart. *de Phœn. Colon. p.* 810. Porro hanc primam omnium ratem fuiſſe Poëtæ, ut plurimùm, volunt. Catullus, *Epigr.* 65. *v.* 11.

Illa rudem curſu primâ imbuit Amphitriten.

Lucan. *l.* 3. *v.* 192.

Theſſaliam Ammonum vomer proſcindit ſolum,

Inde laceſſitum primò mare, cum rudis Argo

Miſcuit ignotas temeratò litore gentes.

Ovid. *Met. l.* 6. *v. ult.* ubi de Argonautis:

Per mare non notum primâ petière carinâ.

Et *l.* 3. *Ep.* 1. ex Ponto *v.* 1.

Æquor Iaſoniò pulſatum remige primùm.

Idem *l.* 3. *de Triſt. Eleg.* 9. *v.* 8.

Per non tentatas prima cucurrit aquas.

Et *l.* 2. *Amor. Eleg.* 11. *v.* 1.

Prima malas docuit, mirantibus æquoris undis,

Peliaco pinus vertice caſa vias.

Seneca *in Medea*, *v.* 363. *Altera.*

Merces primâ digna carinâ.

Manilius *l.* 1.

Mari quæ prima cucurrit.

Martial. *l.* 7. *Epigr.* 18. *v.* 2. de fragmento Argûs:

Hæc fuit ignoti prima carina maris.

Val. Flac. *l.* 1. *v.* 1.

Prima Deûm magnis canimus freta pervia natis.

Orpheus *in Argonaut.*

Ἣ δὴ τὰ πρῶτ᾽ ἐλάτησιν ἐν ἔργμασιν ἁλμυρὰ βένθη

Πεῖραν ὑπεξεκέλευσε, τρίβους δ᾽ ἄποροι διεπέρησε.

Denique Cicer. *l.* 2. *de Nat. Deor.* inducit paſtorem, viſâ tum primùm *Argo* navi, ut divinò & novò vehiculò, primò admiratum & perterritum hôc modô loqui:

—— Tanta moles labitur

Fremebunda ex alto, ingenti ſonitu & ſpiritu

Præ ſe undas volvit, &c.

Quanquam probabilius alii Tyriis navium inventionem tribuunt; inter quos eſt Tibullus *l.* 1. *Eleg.* 7. *v.* 20.

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Dionyſius *Erythræis*,

Οἳ πρῶτοι νήεσσιν ἐπεφράσσαντο θαλάσσης,

Πρῶτοι δ᾽ ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο.

Alii Phœnicibus. Vide Schefferum, *de Militia Navali l.* 1. *c.* 2. Denique *Argo* navis in ſidus cœleſte tranſlata eſt.

Manilius *l.* 1.

—— Tum nobilis Argo

In cœlum ſubducta.

Idem *l.* 5. *v.* 13

Et ratis Heroum, quæ nunc quoque navigat aſtris.

Nic. Lloydius.

ARGOB, Latinè *gleba*, vel *glarea*, aut *maledictio pavoris*, vel *dorſi*, ſive *lux altitudinis*; nomen regionis Baſanitidis. Deuter. *c.* 3. *v.* 13. quæ in ſortem dimidiæ tribûs Manaſſis cecidit.

ARGOBASTES, vel ARBOGASTES, cum Valentinianum juniorem, apud Viennam, dolò ſtrangulâſſet, ut eidem in imperio ſuccederet, à Theodoſio mortem ulciſcente ſuperatus, ſuâ ſe manu percuſſit. *Paul. Diaconus.* Vide *Arbogaſtes.*

ARGODA, Tauricæ Cherſoneſi urbs. *Ptol.*

ARGOLÆ ophiomachi, ſerpentum genus, quos ex Argo Pelaſgico in Ægyptum ab Alexandro tranſlatos, ut aſpides interficerent, fabulantur. *Suidas* Ἀργόλαι εἶδος ὄφεων, οὓς ἤνεγκε Μακεδὼν ὁ Ἀλέξανδρος ἐκ τοῦ Ἄργους τοῦ Πελασγικοῦ εἰς Ἀλεξάνδρειαν εἰς ἀναίρεσιν τῶν ἀσπίδων, ἀντὶ ἀναιρέτην τῶν ἀσπίδων: Nempe Hebræum ophiomachi nomen חרגל *Chargol* fortè Veteres ſcripſère, aſpiratione demtâ, unde fabulæ origo. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* … *c.* 1.

ARGOLAS, tumulus in Locris Epicnemidiis. Diodor. Sic. *l.* 16.

ARGOLEONTES, vide ſuprà *Agroleontes*, it. *Archeleontes.*

ARGOLICA Juno, vide *Argiva*, & hîc infrà.

ARGOLICA Statua, apud Trebellium in XXX. Tyrann. *c.* 32. *Hujus uxor Calphurnia — cujus ſtatuam in Templo Veneris adhuc videmus Argolicam, ſed auratam*: Caſaubono, eſt ſtatua Argivarum matronarum habitum præferens. Salmaſ. *Acrolitha* legi vult. Vide ſuprà de *Argiva* vero *Junone*, præcipuo honore apud veteres culta, ad cujus adeò inſtar Romæ, ſicut ad Jovis Olympici, Cœlatas ſtatuas fecêre Romani, infrà voce *Juno*.

ARGOLICUS, Laconis fil. è primoribus Achæorum. Tacit. *Annal. l.* 6. *c.* 18.

ARGOLICUS Sinus, ad Peloponneſum. *Ptol.* Eſt autem *Argolicus* idem quod *Argivus*, & *Argeus*.

ARGOLIS, Regio Peloponneſi, eadem quæ *Argia*, inter Arcadiam ad occaſum & mare Ægæum ad ortum.

ARGOLUS Andreas, *vide Andreas.*

ARGON, ex ſtirpe Herculis, poſt Atyadas, primus regnavit in Lydia, 505. anni. ante Gygem. Nomina ſucceſſorum ejus caliginosâ nocte latent, uſque ad Ardyſum I. ex Heraclidis XIX. qui regnare incepit, *A. M.* 3261. Herodot. *l.* 1. *c.* 7. Hujus tres ſucceſſores, adeoque ex Heraclidarum ſtirpe quatuor poſtremos, recitat Euſebius XVIII. prioribus ab illo omiſſis *num.* 1239. & *ſeqq.* quid eorum tempora menſuram primæ Olympiadis excederant. Joh. Marshamus *canone Chron. ad Sec. XII.* Sic itaque illorum nomina periêre. Cœpit autem *Argon*, ex Alcæo Cleolai nepos, adeoque Heraclidarum in Lydia caput, regnare annò Periodi Julianæ 3491. quintò ante expeditionem Trojanam annô: Sardes verò, Lydorum Regia, rebus Trojanis recentior eſt, Strabo *Geogr. l.* 13. Vide Marshamum *d. l.* ut & infrà voce *Cleolaus*. In Heraclidarum verò numero, quorum nomina deſiderantur, fuêre forſan *Andramytes* & *Alcimus*, Xantho Lydiorum Auctori apud Athenæum *Deipnoſoph. l.* 12. memorati, quos vide ſuis locis.

ARGONAUTÆ, Heroës, qui cum Iaſone in *Argo* navi, A. M. 2791. Colchos profecti ſunt ad diripiendum vellus aureum; Sunt qui dicant fuiſſe duos, & quinquaginta numerò, alii addunt quatuor: Inter quos præcipui Hercules, Hylas, Theſeus, Pirithous, Orpheus, Peleus, Telamon, &c. Numerantur autem ab *Apollonio*, *Orpheo*, & Val. Flac. *l.* 1. Elogia illorum ſparſa plurima, apud Poëtas Græcos & Latinos paſſim occurrunt. Pindaro *Pyth. Od.* 4. dicuntur ναυτᾶν ἄωτος, ſive *nautarum*, ſicut & Theocrito *Idyll.* 13. θεῖος ἄωτος Ἡρώων. Et Virg. *Ecl.* 4. *v.* 34.

—— Erit altera quæ vehat Argo

Delectos Heroas. ——

Eidem *Theocrito*, ἀριστῆες *Principes*, ſive *optimates*, ut & Apollodoro. *l.* 1. *Bibl.* ἀριστεῖς. Ovid. *Pont. l.* 1. *Ep.* 4. *v.* 33.

—— Primos telluris Achivæ

Vocat. A Catullo *Epigr.* 65. *v.* 4. *Lecti* dicuntur; Apollonius *Argon. l.* 4. Αἰολίδαι ἥρωες. Statius *l.* 1. *Achilleid. v.* 156. *Argoos Reges* dixit. Pari laude eos inſignivit Val. Flaccus *l.* 1. *v.* 203.

Preſſam ſub Regibus alnum.

Iterum *l.* 1. *v.* 542.

—— Video noſtro tot in æquore Reges.

Et rurſus *v.* 101 *Turba Ducum.* Aliàs Catullus, *Epigr.* 65. *v.* 43.

Heroës ſalvete, Deûm genus.

Apollonius, *l.* 1.

Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖος στρατός.

Ecl. 3. Ἀθανάτων υἷες. Senec. *in Medea*, *Act.* 2. *v.* 226.

Decus illud ingens Græciæ, florem inclytum,

Præſidia Argivæ gentis, & prolem Deûm.

Et Manilius *l.* 1. apertè *Deos* vocat,

Servando Dea facta Deos.

Denique Val. Flaccus de iiſdem, *l.* 1. *v.* 17.

Divûm progenies —— ——

Ac iterum

—— Reges Diis genitos. *Nic. Lloydius.*

ARGONAUTICA, pars Cycli Epici, de quo infrà dicemus.

ARGONNA, regiuncula Franciæ, cujus periêre limites. Partim eſt in Campania, partim in limite Lotharingiæ, verſus Moſam & Virodunum, ubi Bellomontium & Claromontium.

ARGOS, vetus ac nobilis urbs Achajæ in Argolide, quod etiam *Argos Hippium* dicebatur, ab equorum præſtantiâ. Horat. *Carm. l.* 1. *Od.* 7. *v.* 9.

Aptum dicet equis Argos, ditesque Mycenas.

Quem verſum ab Homero imitatus eſt, apud quem *Il.* β. *v.* 287.

Ἄργεος ἱπποβότοιο. & alibi *Il.* ι. *v.* 180. πολυχρύσοιο Μυκήνης.

Item *Argi* plurali numer. Horat. *de Art. Poët. v.* 118.

—— Thebis nutritus an Argis.

Virg. *l.* 2. *Æn. v.* 95

Si Patrios unquam remeaſſem victor ad Argos. Plura hîc infrà.

ARGOS, Peloponneſi civitas, juxta Athenas, Nemeis ludis celebris & egregiorum Virorum proventu. Hîc Juno eximiè colebatur, unde ſicut inter Joves Olympio, Sic inter Junones *Argolica*,

præcipuus eſſet honor. Ibidem loci Pœlia, in Peregrinorum hoſpitio, ſacrificantes invocabant Apollinem & Homerum, Ælian. *Var. Hiſtor. l. 9. c. 15.* quod majores eorum *in Iliade* impensè prædicarentur, *rhapſ. β. v. 560.* unde & ex ære illi ſtatua erecta & ſacrificatum eſt *τῇ ἐνη καὶ νέᾳ*, *juxta diem*, *menſem cum Luna*, *& annum cum Sole congruentem*, *Argos* Heſiod. & Homer. qua de re vide Geminum *εἰσαγωγῆς c. de Menſib.* in *Uranologio* Petav. Cæterùm Rex primus Phoroneus fuit, aliis Inachus, A. M. 2297. cujus filia Jovi amata; ex Strab. *l. 8.* Ortel. Euſeb. *in Chron.* dicta ab *Argo* Rege, uti ſcribit Auguſtin *l. 18. de Civ. Dei.* 5. Hodie *Argo* dicitur, longitud. 48. 30. latitud. 38. 18. In Catalogo Regum, Euſebius Caſtorem Rhodium ſequitur, cujus *Excerpta*, quæ à Caſaubono excepit Scaliger, cum Euſebianis optimè conveniunt, vide eum *Theſauro Temp. p. 214. 264.* unde & Euſebium hic potius, quam Tatianum, Syncellum, Pauſaniam & Hyginum ſequitur, Marshamus *Can. Chron. ad Sec. VI.* Ipſi vero *Argivi* non per Regum, ſed per *Sacerdotum Junonis* tempora, Chronologiam deducebant: quæ Heraides dicebantur, *Etymol. M.* quarumque prima fuit Callithyia, tertia Alcynoe, cujus *Sacerdotii anno 26 gens Sicula ex Italia migravit*, teſte Hellanico Lesbio apud A. Gellium *l. 15. c. 23.* aliæ fuerunt Admeta, Cydippe, Chryſis, Phainis. Idem *ad Sec. IX.* Iidem lupis nummos ſignabant, à quo Danaus, omine tauri à lupo ſuperati, Gelanorem regnò ſibi cedere coëgit, uti refert Pauſan. *l. 2.* Vide quoque *Inachus*, *Phoroneus*.

ARGOS, Theſſaliæ oppid. quod *Pelaſgicum* dicunt à Pelaſgia. Plin. *l. 4. c. 7.* Lucan. *l. 6. v. 355.*

— Ubi nobile quondam
Nunc ſuper Argos arant.

Vulgò *Armiro.* longitud. 48. 45. latitud. 40. 20. Etiam ipſa Theſſalia *Argos Pelaſgicum* appellata eſt, apud veteres Strabo *l. 9.* Item pro tota Græcia aliquando ſumitur. Lucan *l. 10. v. 60.*

— Quantum impulit Argos,
Iliacaſque domus facie Spartana nocentis.

ARGOS, cognomento *Amphilochium.* In Epiro eſt, inter Ambracium ſinum & Acheloum fluv. occurrens, in finibus Acarnanum. Vide Voſſ. *ad Melam p. 158.* longitud. 46. 30. latitud. 39. 45. Nunc omnino periit. *Briet.*

ARGOS, Apuliæ oppid. à Diomede conditum, quod deinde *Argyripam*, & poſtremò *Arpos* vocàrunt. Vide Cluver. *Ital. Ant. l. 4. c. 5*

ARGOUS Portus, vulgò *Porta ferraro*, portus Æthaliæ, ſeu Ilvæ inſulæ maris Tyrrheni *Paulus Jovius.* Sub M. Hetruriæ Duce, qui eum munivit, tempore Caroli 5. Imperator.

ARGUDA, Paropaniſi urbs *Ptol.*

ARGUINUM, caſtrum Africæ, in ora maris Atlantici, in regione Nigritia & tractu Gualata. Sub Anglis. Inſulam habet cognominem in littore.

ARGULUS, fil. Amyclatis, quem primum apud Achæos quadrigam junxiſſe dicunt, cùm alii Arogilo illud aſcribant.

ARGURUS Iſſaeus, vide *Iſaeum.*

ARGUS, nonnullis Argivorum Rex III. qui Apim in illa ſerie ſecundum agnoſcunt, Phoroneo avo, et cujus erat *θυγατριδοῦς*, ex *filia nepos*, ſucceſſit, regnavit ann 70. habuit ue ſucceſſorem Criaſum, circa tempora morientis in Ægypto Jacobi Patriarchæ, vide *Criaſus.*

ARGUS, Areſtoris fil. unde *Areſtorides* Ovidio dicitur, *Met. l. 1. v. 624.*

Donec Areſtoridæ ſervandam tradidit Argo.

Apollodorus, *l. 2. de Argo*, ὃν Ἀπολλωνίδης μὲν Ἀρέστορος λέγει, Φερεκύδης δὲ Ἰνάχου. Idem tamen alibi Agenoris filium facit. *Πανόπτης* Græcis dicebatur, quòd totus oculis ſcateret. Hunc Poetæ fabulantur, à Junone conſtitutum fuiſſe cuſtodem Iûs Inachi filiæ, à Jove in juvencam commutatæ; quem poſtea Mercurius Jovis juſſu interfecit, oculis ejus fiſtulæ ſonò conſopitis. Ovid. *l. 1. Met. v. 625.*

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inque ſuis vicibus capiebant bina quietem,
Cætera ſervabant, atque in ſtatione manebant.

Plautus in *Aulularia Act. 3. ſc. 6. v. 19.*

Quem Argus ſervet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ioni Juno cuſtodem addidit,
Is nunquam ſervet.

Juno autem oculos ejus avi ſuæ, h. e. pavonis caudæ, inſeruit. Ovid. *ubi ſupra, v. 721.*

Excipit hos, volucriſque ſuæ Saturnia pennis
Collocat; & gemmis caudam ſtellantibus implet.

Mythologi per Argum, cœlum ſtellatum, per Vaccam, terram, per Mercurium Argicidam, Solem: per oculos partim ſopitos, partim apertos, noſtrum Antipodumque horizontem intelligunt: Plura vide apud Alex. Roſſæum, *myſtagogo Poëtico.*

ARGUS, Evandri hoſpes, vide *Argiletum.*

ARGUS, canis Ulyſſis: vel hòc ſaltem memorandus, quòd ſolus dominum vicefimò demùm annò domum redeuntem agnoverit. Homer. *Odyſſ. 17. v. 300.*

Ἔνθα κύων κεῖτ᾽ Ἄργος ἐνίπλειος κυνοραιστέων.
Δὴ τότε γ᾽ ὡς ἐνόησεν Ὀδυσσέα ἐγγὺς ἐόντα,
Οὐρῇ μέν ῥ᾽ ὅ γ᾽ ἔσηνε, καὶ οὔατα κάββαλεν ἄμφω.

ARGUS, fluv. Germaniæ in Suevia provinc. Vangenam alluit, & poſteà in lacum Conſtantienſem ſe exonerat, prope Langenarchiam, oppid.

ARGUTA, civitas Theſſaliæ, prius *Argiſſa* dicta. Eſt & locus Eubœæ, vide *Stephanum*, qui loci illius incolas *Argyros* & *Lemnior* vocari ſcribit.

ARGUTA, apud Veteres quænam ſacrificia dicta, vide infrà *Muta.*

ARGUTARII Canes vel *Acutarii*, in *L. Salica*, ſunt ἰχνευταί, quos & *vertagros* dicebant. Vide ſuprà in *Acupedes*, & infra, ubi de *Canibus.*

ARGYNA, oppid. Locrorum, cujus incolæ vocabantur *Ozolæ*, Plin. *l. 4. c. 3.*

ARGYNNIS, Venus, ab *Argynno* puero ab Agamemnone amato, qui cùm frequentiùs nataret, in Cephiſo flum. periit, quo in loco ſepelivit eum Agamemnon, ibidemque Veneris Argynnidos, i. e. turpidinis ſuæ templum conſtruxit. Propert. *l. 3. Eleg. 6. v. 21.*

Sunt Agamemnonias teſtantia littora curas,
Qua notat Argynni pœna natantis aqua.

Ubi aliæ editiones *Argivi pœna minantis.* Turnebus, *c. 33. l. 26. Adverſ.* conatur hos verſus explicare. A Polluce Ἄργυννος vocatur, à *Stephano* Ἄργυννος, à Plutarcho Ἄργυννος, *in lib. qui bruta uti ratione docet*; atque, Agamemnona perluſtràſſe totam Bœotiam perveſtigando eum puerum, qui ſe fugiebat, eaque moræ prætexebat adverſos ventos; ac demum ſe in lacu Copaide abluit, ſi fortè ardorem ſuum unà eluere poſſet. Hæc ille: Martial. *l. 7. Epigr. 14. ad Arginnum puerum:*

Quæ puer hic nitidis adſiſtit Hyantidas undis?
Et fugis ad dominam Naida? numquid Hylas?
O benè quod ſilva colitur Tirynthius iſta,
Et quod amatrices tam prope ſervat aquas!
Securus licet hos fontes Argynne miniſtres,
Nil facient Nymphæ, ne velit ipſe, cave.

Hæc fabula recitatur à Stephano, in Κηφισσός, ut nos monet *Parrhaſius*, qui Stephani integrò codice uſus eſt, nam vulgo eâ parte mutilus circumfertur. *Nic. Lloydius*

ARGYRA, nympha, cujus amore cùm Selenius torqueretur, obiit ejus nimiò deſideriò, & à Venere in cognominem fluv. mutatus eſt, cujus aquam amantibus prodeſſe ad amoris remedia, veterum fuit opinio. Pauſan. *l. 7.*

ARGYRA, urbs & fons Achajæ, & regio Indiæ extra Gangem. *Ptol.* & *Steph.* Item urbs circa Troadem. *Strabo.* Et Siciliæ civitas, unde ſe Diodorus Siculus oriundum facit, cujus incolæ *Argyrini.* Eſt etiam Taprobanæ Metropolis *Steph.*

ARGYRASPIDES, ſic dicebatur Macedonica quædam legio, à *clypeis argenteis.* Qu. Curtius, *l. 4. c. 13.* *Poſt phalangem Argyraſpides erant.* Τάγμα τῶν ἀργυρασπίδων τῶν Ἀλεξάνδρου *Heſychio* dicuntur. Horum meminère Arrian & Athen. *l. 13.* Alexander verò Severus, etiam *Chryſaſpidas* milites habuit. Cæterùm *Argyraſpidum* eorum multi ſeptuagenarii, nullus ſexagenariô minor fuit. Sed mortuô Alexandrô, *cùm omnes Duces faſtidirent*, *ſordidam militiam ſub aliis, poſt tanti Regis memoriam exiſtimantes*, Juſtin. *l. 14. c. 2.* in prælio Eumenis contra Antigonum, *dum Ducis imperia contemnunt, non gloriam tantùm tot bellorum, cum conjugibus & liberis. Sed & præmia longâ militiâ parta, perdiderunt*, *c. 3.* Proditô tandem Eumene, duci ab eo devoti *c. 4.* nec iis irritis. Nam, ut Plut. *Eumene c. 34.* Polyænus *Stratagem. l. 4. c. 6. 8.* tradunt, *Argyraſpidas* Antigonus ipſa etti maximè profuerant, ob perfidiam execratus, Sibyrtio Arachoſiæ præfecto tradidit omnibus modis atterendos conficiendoſque. Eiusdem Ducem eorum Antigenem in caveam æneam concluſum, vivum combuſſit, ut eſt apud Diodor. Sic. *Bibliotheca l. 19. c. 44.* laudatum, Cl. Berneggero *ad Juſtin. c. 4. cit.* quod legiſſe operæ erit pretium.

ARGYRE, extra Indi oſtium inſul metallorum fœcunda Mela *l. 3. c. 7.* *Ad Tamum inſula eſt Chryſe, ad Gangem Argyre, altera auri ſoli, (ita veteres tradidêre) altera argentei. atque ita ut maxime videtur, aut ex re nomen, aut ex vocabulo ficta fabula eſt.* Item habet Solin. *c. 55.*

ARGYRINI, gens Epirotica. *Steph*

ARGYRIPA, oppid. Apuliæ Dauniæ, à Diomede conditum, *Argyrippa Polybio* dicta. *Arpi* recer. *Ptol.* & aliis. Virg. *Æn. l. 11. v. 246.*

Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Iapygis arvis.

Ovid. *Met.* 14. *v. 458.*

—— Ille quidem ſub Iapyge maxima Dauni
Mœnia condiderat, dotaliaque arva tenebat.

Quin & Strabo, *l. 6.* hanc urbem Ἄργος ἵππιον Diomedis vocat.

ARGYRITÆ Agones, Græcè Ἀργυρῖται, dicta illa certamina, in quibus præmii causâ decertabatur, aliàs χρηματῖται & δωρῖται quoque appellati, qui ſacris agonibus opponebantur. Cujuſmodi certamina, quæ non erant ἱεροὶ ἀγῶνες, in ſingulis ferè urbibus Græciæ celebrabantur. Sic in Marathone, phialæ argenteæ dabantur victoribus: alibi clypei ærei, ut in Junonis Ludis, qui Argis ſervebant. In urbe Pellene Θεοξένια vel Ἑρμαῖα celebrabantur, in quibus læna præmium erat, in Æacîis Æginæ, amphoris donabantur, qui vicerant: In aliis certaminibus tripodes ænei proponebantur &c. Salmaſ. *ad Solin. p. 849.* At in Sacris Agonibus ſeu Iſelaſticis, præter coronam non aliud præmium erat, unde illi φυλλῖται dicti ſunt &c.

ARGYRIUS, Athenienſis (qui à *Suida Agyrius* vel *Agyrrius* vocatur) vir fuit prædives, ſed ob eximias opes adeò immodeſtus & inverecundus; ut in congreſſu pedibus cæcere ipſum non puderet.

ARGYRODAMAS, genus lapidis, ſic dictum, an quòd *argentum* domaret ac ad ſe raperet, quod Plin. tradit de androdamante (quem cum *argyrodamante* confundit.) *l. 36. c. 10.* An quòd *argentei* coloris eſſet? Certè videtur *Argyrodamas* appellatus, tanquam *Argenteus Adamas* vide Salmaſ. *ad Solin. p. 564. & 1103.*

ARGYRONDAS, vel **ARGYRONDES**, *Æoliæ* fluv. Ariſtarcho, propter argenteum aquæ candorem.

ARGYROPOLIS, Byzantii ſuburbium, Chryſopoli, alteri ejuſdem urbis ſuburbio oppoſitum. *Nicephorus.*

ARGYROPYLUS, Imperator Conſtantinopol. qui Zoæ uxoris, & Michaëlis Paphlagonis ejus adulteri dolô, inter balnea, aqui ſubmerſus eſt. *Bapt. F[illegible]* Vide *Romanus.*

ARGYROPYLUS Byzantinus, eruditione clarus, floruit cum Chalcondila, ſecul. 15. *P. Jovius.* Vide & *Johannes.*

ARGYRUS, nomen urbis. *Steph.* ex *Philippo.* Item mons. Vide *Tarteſſus.*

ARGYRUTUM, Illyrici urbs. *Ptol.* *Argyruntum* Plinio *l.* 3. *c.* 21. *Scriptus Nigro*, *Novigrad Aonetio*, *Obravazo Ragaſæo.*

ARHUSIA, urbs Daniæ, in Julia Boreali, in ora ſinus Codani, illam perfluit Gutylus amnis, eique adjacet Scanderburgum arx, ad 3. leuc. in Occaſum; Vaſtata fuit à Suecis A. C. 1644. Subeſtque Daniæ Regi.

ARI, vulgò *Aryer*, populi Americæ, in Braſilia, verſus Præfecturam Portus Securi in mediterraneis. *Laëtius.*

ARIA, Aſiæ regio, hodie Caracan, Item lacus, urbs & fluv. ejuſdem regionis. *Ptol.* Item una è Satrapiis Indiam terminantibus. Mela. *l.* 1. *c.* 2. *Indis proxima eſt Ariane, deinde Aria.* Ubi *Voſſ. Ariam hic*, inquit, *non rectè collocat, tanquam ſi litoralis eſſet regio.* Hoc miror, neminem hic reprehendiſſe, illud verò et vitio vertiſſe, quòd *Ariam* & *Arianem* diverſas faciat, cum tamen in eo prorſus nihil commiſerit. Verùm operæ pretium hic eſt paucis oſtendere, quamnam veteres differentiam inter *Arias* & *Arianos* poſuerint, quoniam hæc res multos eruditos in errorem egit. O[illegible] Salmaſ. aliquot locis eos diſtinguit, ali[illegible] eoſdem eſſe affirmat, in *Punicis*. Verum ita res ſeſe habet. *Ar[illegible]* regio ſemper dicta fuit illa tantùm portio terræ, quæ ad *Arium* fluv. erat ſita, *Arii* verò qui illam inhabitabant. Non tamen, uſ[illegible]e ad tempora Alexandri M. & ſucceſſ[illegible] rum ejus, verùm etiam [illegible] ſeculis poſtea *Ariæ* iidem fuêre termini, quos *Ptolemæus* & ali[illegible] hinc aſſignant. Scio quidem *Herodotum* & *Pauſaniam* narrare, Medos dictos fuiſſe *Arios* ante adventum Medeæ; verùm id nihil ad rem facit, etiamſi verum ſit. & forſan fabella eſt. Imò auſim affirmare eſſe [illegible]llam, cùm Medi jam ab ipſo ſtatim initio ita fuit d[illegible], nec [illegible] aliud nomen habuerint. *Ariane* verò longè alia eſt. Nom[illegible] inauditum a[illegible] tempora Alexandri. Verùm poſtquam ab Ariis ſubacti fuêre Ba[illegible]i, Gedroſii, Sogdiani, aliæque complures gentes, factum eſt, ut pleræque iſtæ regiones, Ariorum dicerentur provinciæ. Plin. *l.* 6. *c.* 20. itaque Gedroſos, Arachotas; & P[illegible]opamiſades vocat Ariorum ſatrapias. Quod non ita interpretandum, ut *Salmaſ.* interpretatur, tanquam ſi *Plin.* omnes h[illegible] populos *Ar[illegible]* vocaret, [illegible] quod eſſent in ditione *Ariorum.* Nemo [illegible]nquam u[illegible] ex his gentibus [illegible] ub *Ariorum* homine, comprehend[illegible]. [illegible] tantum unius regionis incolæ dicuntur. Longè alia eſt *Ariane.* Illa c[illegible]ta ab Indo fluv. uſque ad os ſinus Perſici. [illegible]prehendit verò præter ipſam *Ariam*, has quoque regiones, Gedro[illegible]m, Drangianam, Arachoſiam, Paropaniſum, Bactrianam, Sogdianam, Parthiam, Carmaniam, & ſi quas alias regiones ſubegerunt aut Menander, aut alii, vel ante, vel poſt illum, Ariorum duces. *Ar[illegible]* itaque nomen unius tantùm regionis, *Ariane* verò continet totum Ariorum imperium. Habebat autem *Aria* olim, à [illegible]ntrione Bactrianam & Margianam, ab Oriente Paropaniſum, à Meridie Drangianam, ab Occidente Parthiam. Ejus urbs Aria nunc [illegible] ſeu [illegible] dicitur, urbs ampla & dives, roſiſque ſuis celebris, 30. circiter leuc. Hiſpanic. à lacu Ario ſeu Burgiano in Occaſu diſtans. *Baudrand.* Item *Aria Nigerrima* apud *Stephano*, qui eam quoque Thrac[illegible] [illegible] nomen fuiſſe perhibet. *Nic. Ll[illegible]*. Addo Saltem de *Aria* Margianæ vicina, quòd utraque optimô vi[illegible], ad miraculum uſque, fertilis eſt. Strabo *l.* 2. *In Margiana ſæpe vitis truncum inveniri aſſerunt tantæ craſſitudinis, ut duorum hominum ulnis vix ambiatur, uvam autem bicubitalem.* Et Ariam [illegible] parem, *adeoque vini proventu ſuperiorem, quòd in vaſis non picatis ad tres [illegible] ætates du[illegible]et.* Quæ ipſa *l.* 11. ferè iiſdem repetit verbis. Quòd verò coralli apud eos magnam vim reperiri ſcribit *Dionyſius*, aſſenſum non impetrat; cùm coralium non niſi in mari gignatur, à quo *Aria*, quæ prope Parapamiſum, admodum remota eſt. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* [illegible] *c.* 7.

ARIA, Ponti Euxini inſul. *Ferrar[illegible] Fun[illegible]*. Apollonius autem & Arrianus *in Periplo*, Ἀρητιάδα eam vocant. Mela *l.* 2. *c.* 7. *Non longè accolunt Ariâ, quæ Marti ſacrata (ut fabulis traditur) tulit aves cum ſumma clade advenientium, pennas quaſi tela jaculatas.* Ubi Voſſ. Ita repoſuit *Hermolaus Barbar[illegible]*, cùm prius legerent *non longe Achi[illegible] ſaria*, quemadmodum omnes etiam, q[illegible] quot vidi, manu exarati codices. Legend[illegible] [illegible] *Aria. Steph.* [illegible] [illegible] Κόλχο[illegible] [illegible] Ἀρίαν. [illegible] Quaſi verò [illegible] Ἀρεω[illegible] non ſit po[illegible] ab Ἄρε[illegible]. Verum neſcivit Stephanus, ita quoque appellatam [illegible] hanc inſulam. Poſſis & legi [illegible] immutatione. [illegible] Naſi & Coli in hoc tractu, quorum regio Κωλική, cujus jam ſuperius meminit Mela. Nec eſt, quòd quiſquam exiſtimet, Colis hic locum non eſſe, quòd ii longius abſint Septentrionem [illegible], c[illegible] & Plinius hoc loci Colicam recenſeat *l.* 6. *c.* 5 [illegible] *Caucaſo ad Ripheos montes torquentur.* Et hic, pro *Coica*, repoſuerunt *Colchicam* regionem, [illegible] fidem veterum exempla[illegible]. Quod [illegible] verum eſt, Colos [illegible] τὴν ἐσχάτην [illegible] Καύκασον, [illegible] apud Stephanum, & [illegible]aucaſi extrema juga d[illegible]a ſint Κωλικὰ ὄρη, jam rectè dixerit Mela *Ariam eſſe Colis vicinam*, cùm montes hujus inſulæ [illegible] Caucaſi [illegible] appendices. I[illegible] Aria Plinio *l.* 6. *c.* 12. eſt [illegible], f[illegible] ab avibus, quas χαλκεῖς, ἐνάγριους, & [illegible] [illegible]ulantur. Idem [illegible].

ARIA, vulgò *Arrie*, ſeu *Arren*, Inſula parva maris Baltici propè Daniæ, prope partem Auſtralem Tiniæ inſul. ubi caſtrum Koping, eſtque Ducatus Sleſvicenſis.

ARIA, incolis *Arien*, Gallis *Aire*, oppid. ad ripam Letiæ fluminis poſitum, duabus obſidionibus præterito bellô, & tertiâ, quâ bellô præſenti à Gallis occupatum eſt, A. C. 1676. il[illegible]ſtre. [illegible]tè olim ab *area* vel planitie, in qua ſita erat, nomen accepit, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ARIABIGNES, Darii fil. ex filia Gobryæ, qui unà cum Prexaſpe & Megabyzo præpoſitus fuit claſſi Xerxis. Herodot. [illegible] 7.

ARIACA, Margianæ urbs. *Ptol.*

ARIACÆ, Scythiæ populi juxta Iaxartem fluv. in Sogdianorum confinio. *Ptol.* Quos Caſtaldus *De[illegible]* [illegible].

ARIACES, Sadinorum oppid. Indiæ int[illegible] Gangem.

ARIACOS, oppid. Myſiæ vel Troadis. Plin *l.* 5. [illegible].

ARIADNE, vel **ARIADNA** Mino[illegible], C[illegible]enſium [illegible] ex Paſiphaë filia, Theſeum, cujus amore detinebatur, per [illegible] labyrintho extricavit, eumque redeuntem in patriam uſ[illegible] [illegible] inſul. inſecuta eſt; quò loco à perfido Theſeo relicta, ac [illegible] Libero Patri nupſit, à quo donata eſt coronâ Cnoſſiâ 7. ſtellis [illegible] Poſtremo à Diana dicitur ſagittâ percuſſa, quòd virginit[illegible] [illegible]et. Catullus *epigr.* 65. *in Argonauticis*, (quem [illegible]) de Theſeo, v. 112.

> *Inde pedem victor multa cum laude reflexit,*
> *Errabunda regens tenui veſtigia filo.*

Vide Ovid. *Metam. l.* 8. & *Ep.* 10. *Stat. l.* 2. *Silv.* 6. *v.* 25.

> — *Non talem Creſſa ſuperbum*
> *Callida purpureo revocavit Theſea filo.*

Propert. *l.* 3. *Eleg.* 16. *v.* 7. Bacchum alloquens:

> *Te quoque enim non eſſe rudem teſtatur in aſtris,*
> *Lyncibus in cælum vecta Ariadna tuis.*

Ovid. *l.* 5. *Faſt.* v. 345.

> — *Baccho placuiſſe coronam*
> *Ex Ariadnæo ſidere noſſe potes.*

Catullus, *Epigr.* 67. v. 60.

> *Fixa corona foret.* — —
> *Ex Ariadnæis aurea temporibus.*

Propert *l.* 3. *Eleg.* 19. *v.* 18.

> *Teſtis ſiderea toria corona Dea,*

Virg. Georgic. *l.* 1. *v.* 222.

> *Gnoſiaque ardentis decedat ſtella coronæ.*

Habuerant ex *Arato.* Sic enim ille.

> Αὐτοῦ κἀκεῖνος στέφανος, τὸν ἀγαυὸν ἔθηκε
> Σῆμ' ἔμεναι Διόνυσος ἀποιχομένης Ἀριάδνης.

Vide Philoſtr. Cœſium, *in Cælo Aſtronomica Part. c.* 12. *Nic. Lloydius.*

ARIADNE, filia Leonis Imperatoris, mater Leonis, hôc mortuô, Zenoni, Leonis ſucceſſori nupſit, [illegible] à Baſiliſco pulſus in Italiam cum uxore confugit, poſtea in Imperium reſtitutus, vitam infamem vitam egit. Hic cùm quôdam die ſomnô vinôque eſſet ſepultus, Ariadnes juſſu tumulo illatus eſt, in quo, cùm ad ſe rediiſſet, in furorem actus obiit. Quô defunctô Ariadne Anaſtaſium Silentiarium, familiariùs quàm decebat ſibi cognitum, in th[illegible] evexit, Longinô, Zenonis fratre, præteritô. Obiit A. C. 515. Zonar. *Annal.* Evagr. *l.* 3.

ARIALBINUM, oppid. Sequanorum, vulgò *Milhauſen*, *Simler. Baſil*, C[illegible] & al[illegible]. In *Tabul. T[illegible]*, ponitur inter Cambete ac Auguſtam Rauracorum [illegible] collocat inter Vindonam ſeu Vindoniſſam, ac inter Montem Briſiacum: idemque alibi inter Rauracos illud ac [illegible] ſtatuit. F[illegible] itaque *Mylhauſium* potius, quàm Baſilea, vide B. Rhenanum *Rer. Germ. l.* 3. cum *Notis Cl. Oſtorum.*

ARIALDUNUM, Hiſpaniæ urbs *Plin.*

ARIALDUS, Diaconus Med[illegible]enſ. genere & pietate illuſtris, juſſu neptis Archiepiſcopi G[illegible], quòd Simoniacis & Nicolaitis fortiter obſtiterat, occiſus eſt. Baron. *A. C.* 1[illegible]. *Ariamirus*, vel *Miron*, ſucceſſit Theodomiro, Suevorum Regi in Hiſpan. A. C. 570. Cui Eboricus ſucceſſit, A. C. 583 Ejus Pater, cum filius æger mirabiliter ſanitatem recepiſſet, Arianâ hæreſi ejuratâ, orthodoxam fidem amplexus eſt. *Gregor.* [illegible].

ARIAMNES, Theſpei fil. ex Achæmenidis illuſtri apud Perſas ſtirpe, pater fuit Ariamis, de quo infrà.

ARIANDA, Cariæ urbs. Mela, *l.* 1. [illegible] 16. Atqui *Carianda* illic legendum ait *Iſ. Voſſ.* quem ſis vide.

ARIANE, Græce Ἀριανή. regio Aſiæ, vide *Aria.*

ARIANI, vel **ARIENI**, Aſiæ populi. Dionyſ. v. 714.

> *Καὶ [illegible] Ἐρυθραίων καὶ Ἀριανῶν.*

Ita verſum hunc in antiquis exemplaribus ſcriptum inveni[illegible] [illegible] conſtat: ipſe autem copulam i[illegible]terpoſui volui, ut Ἐρυθραίων τ' Ἀριανῶν ac de diverſis montibus [illegible] [illegible]las Arianorum, intelligerentur. Sed cur A[illegible] Ε[illegible] Non à colore certè; quod ſenſiſſe videtur H[illegible] Ste[illegible], [illegible]beat *Arianos* hic reddit: ſed quod *Erythræum mare* fines eo[illegible] pertingerent. Arianam ſeil[illegible] latè ſumunt veterum [illegible], [illegible] Ariorum regionem ſtrictè ſumpſeam, ver[illegible] & alias vicinas ſub eo nomine comp[illegible]res. Vi[illegible]. Hill. *ad l*[illegible]. [illegible].

ARIANIA, Gens Caduſiis vicina *St[illegible]h.*

ARIANTES, Rex Scytharum, q[illegible] ſingulis ſubjectis ſibi quotannis offerri ſagittam voluit. Herod[illegible] 4.

ARIANTHE, op[illegible]. Oenotriorum in Calabria c[illegible] ad fluv. cognominem, apud Ninæam, ſive, ut nunc dicunt, oppid. S. Donat, inter Balbum & Artemiſ[illegible] m 4. [illegible] aſſ. diſſi[illegible]. [illegible]lont, teſte Barrio. Sed potius *Arcula* videtur [illegible] ejuſdem regionis inter Frigidum & Agellum. *Ferrarius.*

ARIANUM, urbs parva, in regno Neapolitano & Principatu ulteriori in colle difficili. A Luceria 25. mill. paſſ. in Auſtrum, & 12. à Benevento, ad radices Apennini. Ab ara Jani dicta, proprium habet Comitem. Epiſcopalis eſt. Sub Archiepiſcopo Beneventano. Item, oppid. Ducatus Ferrarienſis, in Italia, ad Padum, unde regio adjacens *Pol[illegible] de Ariano*, in limine Veneto. Diſtat ab Adria 9. milliar. in Auſtrum, & à Ferraria 25. in ortum æſtivum.

ARIANUS & ARIANI, vide ARRIANUS & ARRIUS.

ARIANUS Lucus, vide *Lucus*.

ARIARATHEA, civitas prope Cappadociam, ab *Ariarathe* rege, Antiochi genero. *Steph.* Aliter, *[illegible]*, ad montem [illegible], *Bandrusene* [illegible] eſt urbs Armeniæ tertiæ, epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Melitenenſi, non longè à Mela fluv. 80. mill. paſſ. ab Arev[illegible] Occaſum, totidem à Sebaſtia in Meridiem.

ARIARATHES, Cappadociæ Rex primus, qui à Perdicca obſeſſus, cùm jam deſperaret effugium, ne quid fructûs vel tropæorum inimicis accederet; urbem incendit, ſibique & ſuis omnibus mortem conſcivit. Juſtin. *l.* 13. *c.* 6. Diodor. Sic. vero *l.* 18. *c.* 76. eum, cùm poſt aliquot annorum pacatum regnum, Darii & Alexandri tempore, Perdiccæ eum [illegible] peditibus [illegible]one, equitibus ſe oppoſuiſſet, victum & ab hoſte in crucem actum eſſe, refert.

ARIARATHES II. ab affine Mithridate occiſus, Juſtin. *l.* 29. *c.* 1. & *l.* 38. *c.* 5. qui Nicomedem Bithyniæ Regem interea vacuum regnum invadentem repulit, regnumque ſuo ex ſorore nepoti reſtituit, *Ibid.*

ARIATHES III. prioris ex Laodice fil. ab avunculo Mithridate præfecto reſtitutus; ſed paulò poſt ejuſdem fraude peremptus eſt, relicto filio octenni, de quo mox.

ARIARATHES IV. fil. prioris, regnum ab avunculo magno, patris avique interfectore, recepit, & per Gordium, ſibi ab eodem tutorem traditum rectoremque adminiſtravit.

ARIARATHES V. patruus prioris, ab Aſia, ubi educabatur à Proceribus evocatus (quòd præfectorum à Mithridate crudelitatem & libidinem ferre non poſſent) à Mithridate vincitur & pellitur: paulò poſt in adoleſcentia præ mœrore extinctus. Poſt eum *Pſeudo-Ariarathes*, à Nicomeda præfecto ſubornatus turbas dedit: quas Romani tandem ita compoſuerunt, ut Mithridati Cappadociam, Nicomedi Paphlagoniam eriperent, Cappadocum autem populum libertate donarent. Cui tamen libertatis munus abnuens, cùm negaret, *ſe vivere ſine Rege poſſe*, Senatus illis Rom. Regem conſtituit Ariobarzanem, de quo infrà: plura apud Juſtin. ubi ſuprà *c.* 2. Vide quoque Strabonem *l.* 12.

ARIARATHES, Thracum Rex, memoratus Livio *l.* 2. *Dec.* 5.

ARIAS Montanus Benedictus, Hiſpali oriundus, eruditione & linguarum peritiâ celebris. Scripturæ Sacræ editionem in 5. linguis Antverpiæ ſtudiosè procuravit. Mortuus A. C. 1598. Genebr. *in Gregor.* 13. *Spondan.* Vide & *Benedictus*.

ARIASMENUS, unus ex iis ducibus; qui Perſæ fratrem contra Æêten [illegible] auxilium tulerunt. Val. Flacc. *l.* 6. *Argon.* v. 103. A falcatis curribus, quos ducebat, laceratus & obtritus, v. 414.

ARIASPÆ, populi Aſiæ, ab urbe *Ariaſpe*, in confinio Drangianæ & Arachoſiæ ſitâ. Eorum meminit Plin. *l.* 6. *c.* 17. Prophthaſiam oppidum eorum eſſe tradens, quod in Drangiana ponit *Ptol.* Poſtea *Euergetæ* dicti ſunt, uti videre eſt apud Arrianum *in Exped.* [illegible] *Alexandri* & Curtium *l.* 7. *c.* 3. Salmaſ. *ad Solin.* p. [illegible]

ARIASPE, aliis *Caliaſsa*, oppid. Perſiæ, ad fluv. Salsim, porvi[illegible] 20. circiter leuc. à Gobinia in Ortum.

ARIBANNUM, Gall. *Arriereban*, mulcta eſt non proficiſcentis in militiam edicto licèt publicè evocati. Rectiùs *Heribannum*: niſi contractionem fortè dixeris, pro *Arierebanno*, i. e. *Retrobannum* ſive iterata evocatio. Perinde ac ſi *Bannum* eſſet evocatio prima vel ſimplex, *Aribannum* ſubevocatio, ſeu citatio poſterior: à Gall. *arriere*, quod & *retrò* ſonat, ut dicatur de iis, qui retro manſerint poſt *Bannum* ſeu evocationem. Sunt autem, quibus vox hæc ſimplex videtur eſſe evocatio vaſallorum regniorum; compoſita verò, inferiorum ſeu plebejorum: aliis, contrà. Dicitur etiam *Arriereban* pro ipſa cohorte ita conſcriptâ, Henr. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* Vide quoque infrà in voce *Heribannum*.

ARIBBÆUS, Ducis cujuſdam nomen, apud Polyæn. *l.* 7. *c.* 29.

ARIBERTUS, vide *Aripertus*.

ARIBON, Epiſcopus ſcripſit ſacra quædam. Item, alter Pſalmos 15. interpretatus eſt. *Sampſon. Chron.* Philippi Bergom. *Sigebert.*

ARICA, Gall. *l'Iſle de Sark*, Inſul. maris Oceani, in littore Normanniæ, in ditione Anglorum, parvi circuitus, inter Jarſejam & Garnſejam Inſulas. Ei adjacet parvus ſcopulus, Anglis *little Sarck*, ſive *parva Arica*.

ARICA, Oppid. Americæ meridionalis in ora Peruviæ, in provincia *de los Charcas*. Sub Hiſpanis. Paucas cunſtat incolas, ſed portum habet capacem.

ARICADA, Drangianæ urbs. *Ptol.*

ARICANDOS, amnis in Lycia, à quo & urbs ibi *Aricanda*.

ARICHONDAS primus author taberum in Græcia.

ARICHUS, Grammaticus. Schol. in *Ariſtoph. Ran. Act.* 5. *ſc.* 1.

ARICIA, puella Attica, Hippolyti uxor, poſtquam ille à Diana in Italiam tranſlatus fuiſſet. *Virg. Æn. l.* 7. v. 762.

[illegible] & H[illegible] proles pulcherrima bello,
[illegible] quem mater Aricia miſit
Eductum [illegible] tria luca. — —

ARICIA, Latii oppid. poſt Albanum montem in via Appia, ab Hippolyto Theſei filio conditum; ita dictum ab *Aricia*, nobili Atticæ fœmina, quam idem fertur adamaſſe. In agro Aricino præſtantiſſimi proveniebant porri, de quibus Columella *l.* 10.

Brutia quæ tellus & mater Aricia porri.

Martial. *l.* 13. *Epigr.* 19.

Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros.

Quòd ait *nemoralis*, in eo non ſolus eſt. Ovid. *Faſt. l.* 6. v. 59.

Ipſa (quis credat?) habeat nemoralis Aricia faſtos.

Lucan. *l.* 6. v. 74.

Parva Mycenæa quantum ſacrata Diana
Diſtat [illegible] excelsâ nemoralis Aricia Româ.

Ejus clivo recumbebant mendici. Martial. *l.* 2. *Epigr.* 19.

Debet Aricino conviva recumbere clivo,
Quem tua felicem, Zoile, cœna facit.

Idem *l.* 10. *Epigr.* 68. v. 4.

Dorus Aricina de regione pater.

Et *l.* 12. *Epigr.* 32. v. 2.

Migrare clivum crederes Aricinum.

Juvenalis *Sat.* 4. v. 117.

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.

Perſius *Sat.* 6. v. 55.

— — Accedo Bovillas,
Clivumque ad Virbi. — —

Hoc eſt, ubi Virbius, i. e. Hippolytus colebatur. De ſitu Ariciæ ita Strabo. *l.* 5. [illegible] *i. e. poſt Albanum montem in via Appia, urbs eſt Aricia, 160. ſtadia à Roma, ſita concavo, arce tamen valida, & natura loci munita.* Ubi in iis numero ſtadiorum ingens eſt, non dixerim Strabonis errorem, ſed deſcriptoris mendum. Dionyſ. enim *l.* 6. 120. ſtadia tantùm numerat: [illegible] Eundem ſtadiorum numerum habet Philoſtratus, *de vita Apol. l.* 3. *c.* 12. [illegible] In hâc Oreſtes, oraculò monitus, ſimulacrum Scythicæ Dianæ, quod è Taurica regione tranſtulerat, priuſquam Argos peteret, conſecravit. Erat ad hujus templum nemus, quod vocatur *Aricinum*, dicente Ovidiò, *l.* 3. *Faſt.* v. 263.

Vallis Aricinæ ſylvâ præcinctus opacâ
Eſt lacus antiquâ relligione ſacer.
Hic jacet Hippolytus loris diſtractus equorum,
Unde nemus nullis illud aditur equis.

Nunc Arica, *la Riccia*, oppidul. eſt Campaniæ Romanæ, Ducatus titulò inſigne. Ei adjacet lacus Aricinus, nunc *Lago di Nemi*. *Nic. Lloydius.*

ARICOMICI, Galliæ Narbonenſis populi. Vide *Arecomici*. Alii legunt *Aracomices*.

ARICONIUM, vulgò *Kenchefter*, teſte Camdenò, oppid. Angliæ mediterraneum inter Callevam ad ortum 39. & Iſcam ad occaſum 22. mill. paſſ. Nunc vicus in Comitatu *Herefordenſi*, non longè à Walliæ confinio & à fluv. Waga, vix 3. milliar. ab Herefordia in Occaſum.

ARIDA Saginatio, apud Tertullian. *de Pallio c.* 4. *Et luteâ unctio & pulvereâ volutatio & arida ſaginatio.* Vito maximo eſt [illegible], Salmaſio [illegible], quæ Athletarum propria. *Saginari* autem de illis inprimis: Ita namque Curtius Dioxippum pugilem, *ſaginati corporis belluam* vocat *l.* 9. *c.* 7. Vide quoque Tertullian. *adv. Pſychicos.* Sic Græcis [illegible]; ut eſt apud Laertium, *l.* 8. [illegible], ad hunc modum pugiles ſaginaſſe. [illegible] verò non illo tantum tempore de Athletis dicta eſt, quò ficus aridas eſitabant, quod facere deſierunt, à quo Pythagoras quidam veterem [illegible] ſuſtulit & pugiles tranſtulit ad carnium uſum. Tertulliani enim temporibus non amplius *aridæ* ficus ad ſaginationem athletarum ſumebantur & tamen *aridam ſaginationem* & [illegible] de athletis ſui temporis uſurpat. Nempe pulpam tantum ſiccam & aridam, nullis ſeſtamentis & jurulentis oblandimentis, edebant, unde victum eorum [illegible] Laertius vocat. *Aridum* enim *victum* pro tenui & minimè uncto dicebant. Cicero *pro Roſcio Amer.* *In ruſticis moribus, in victu arido, in [illegible] [illegible] ſimodi maleficia [illegible] non ſolere*. Carne autem ut plurimùm bubulâ & ſuillâ ve[illegible]ur. Unde illud Diogenis Cynici, qui interrogatus, cur inſenſibiles eſſent Athletæ? reſpondit, [illegible], *quia carne ſuillâ & bubulâ eſſent conſtructi.* Horum porrò animalium partes illas ad victum aſſumebant, quæ minimam ſucci & pinguedinis haberent, quæque maximè aridæ ſunt & ſiccæ, pedeſque prorſus bubulos & ſuilla acrocolia edebant, [illegible] Græcis & [illegible] dicta, vide infrà in voce *Coliphium*, &c. Sed & xerophagias veterum Chriſtianorum jejunia appellata fuiſſe notum eſt: inter quas tamen & [illegible] pugilum ſe interferat, quòd Chriſtiani, cùm jejunarent, non modò carnibus abſtinerent, verùm etiam omnibus jurulentis & pomis ſucci vinoſioris utroque in totum, ut aſſibi Tertullian. ſcribit: inde [illegible] dictæ: at pugiles & athletæ in ſua *arida ſaginatione* carnes quidem edebant, ſed ſine ullis condimentis: nec enim ſeſtamenta, nec placentas, nec alias hujuſmodi cupedias attingere illis licitum; imò præterea & frigidâ ſeſe abſtinere interdum cogebantur, non ſemper &c. S[illegible] *l. adhoc.* Solebant autem [illegible] Chriſtiani, non quadrageſimam ſolùm [illegible] eam, ex Laodiceni Concilii præſcripto ſed etiam ſinguli hebdomadum quartâ & ſextâ feriâ, *can.* 69. [illegible] *ſtol.* Sex item diebus majoris hebdomadis uti legimus apud Epiphan. *Compend. Doctr. Cathol.* Vide infrà *Xerophagia*.

ARIDÆUS, Satrapa ac præcipuus Cyri Junioris Dux: nam al-

reta cornu præerat habueratque ſub ſe milites ex Phrygia ac Lydia, nec non mille equites. Victô Cyrô reconciliatus eſt Artaxerxi paſtus Græcorum ac mercenariorum itinere proditionem. Vide & *Aridæum*.

ARIDAGAMANTIA, Sylva Galliæ, à qua regiuncula Batpalmas proxima *Arouaſia* vel *Aridagamantia* dicitur, cum Monaſterio cognomine *Arouage* vel *Arouaiſe*, Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ*.

ARIDAI, Hamanis fil. Eſther. *c.* 9. *v.* 9. Latinè *leo abundans*, aut *maledictionis abundantia*.

ARIDATHA, alter ejuſdem fil. ibidem. Latinè *Leonis lex*

ARIDEUS, Philippi nothus, Alexandri frater, cui ſucceſſit, Juſtin. *l.* 9. *c.* 8. quamvis ab Alexandro præteritus, *l.* 12. *c.* 15. Nominatus pro ſucceſſore à Meleagro, recuſatur à Ptolemæo, *l.* 13. *c.* 2. Rex tamen appellatur à militibus, *ibidem*. Tandem verò cum uxore Eurydice, regni an. 7 necatur ab Olympiade, *l.* 14. *c.* 7. Lege *Aridæus*. Vide etiam Diodor. Sic. *l.* 18. Appian. *Syriac.* Euſeb. *Chron.*

ARIDICES, Philoſophus, de quo ſic Macrob. *Saturnal. l.* 7. *c.* 3. Quum Regis libertus, ad novas divitias nuper erectus, Philoſophos ad convivium congregâſſet, & irridendo eorum minutulas quæſtiones, ſcire ſe velle, dixiſſet, *cur ex nigra & alba faba, pulmentum unius coloris edatur?* *Aridices indignè ferens*, *Tu nobis*, inquit, *abſolve*, *cur de albis & nigris loris ſimiles maculæ gignantur?*

ARIEL, i. e. *leo*, ſive *leo Dei*, nomen loci. 2. Reg. *c.* 15. *v.* 25. Eſai. *c.* 29. *v.* 1. accipitur pro civitate Jeruſalem, in qua altare holocauſti. In Ezechielis verò *c.* 43. *v.* 15. *altare holocauſti* ſignificat. Eſt etiam nomen viri. 1. Paral. *c.* 11. *v.* 22. *Nic. Lloydius*. *Bochart.* *Ariel*, Hebr. אריאל, propriè eſt *Leo Dei*, i. e. *Leo magnus*, ut *montes Dei*, *cedri Dei*, *inclinationes Dei*. Fuit autem fortium virorum cognomentum in terra Moab: unde eſt, quòd Benaja percuſſiſſe legitur, *duos Ariel Moabitarum*. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 20. hodieque apud Arabes vir fortis *Aſedollah*, h. e. *Leo Dei*, appellatur. Marmolius *Africæ ſuæ l.* 2. *c.* 12. *Per Soliman mortem*, *Arabum imperio ſucceſſit Omar Ibnomeadi*, *Abdolmelici filius*, *quem etiam vocabant Aſed-allah*, *quod leonem Dei ſignificat*. Sed & à Perſis Hali, ſectæ ſuæ Principi, idem cognomen fuiſſe inditum, docet Adam Olearius *Perſ. Itin. l.* 5. Et tale eſt, quòd Athletas Græci *Leones* nuncupabant, ut videre eſt apud Lucian. in *Demonacte*: inque his Claudiani *de bello Gildon. v.* 422.

> *Dictaque ab Auguſto legio*, *nomenque probantes*
> *Invicti*, *clypeóque animoſi teſte leones:*

Leonum nomine videntur milites intelligi, qui clypeo Leonem appingebant, &c. Idem nomen etiam Altari inditum Ezech. *c.* 43. *v.* 15. 16. adeoque Templo & Urbi, Eſai. *c.* 29. *v.* 1. forte propter Altare, cujus ignis perpetuo accenſus holocauſta, leonis inſtar, vorabat, & conſumebat &c. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior.* l. 3. *c.* 1. alibique paſſim.

ARIEL, fluv. Tartariæ minoris Precopenſis. In Boryſthenem fluv. ſe exonerat, infra Circaſſiam urbem, *Hondii* teſte.

ARIELDEBA, Ægypti urbs. *Lib. Notit.*

ARIENA, vide *Ariana*. Item Halyattis filia, Aſtyagis, Regis Medorum, uxor. *Herodot.*

ARIES, Hebr. איל *ajil*, à viribus dictus, agno opponitur, qui Græcè ἀμνὸς vocatur, quaſi ἄμυνος, h. e. *ſine viribus*. Nominis origo ab איל, i. e. *robore*; ita ut איל *aries* & אל *Deus fortis* conjugata ſint. Quin vox plur. אילים *elim* & *arietes* & *Deos* notat: Unde eſt, quòd Ethnicorum vetuſtiſſimi Jovem ſuum finxerunt Κριοπρόσωπον, *arietis vultu*, &c. Illuſtris Domini noſtri typus fuit, quem pro filio in holocauſtum Pater credentium obtulit, Gen. *c.* 22. *v.* 13. Eum Judæi nugaces creatum volunt ante annos bis mille & amplius, nempe ſub veſperam diei ſextæ creationis: veroſimilius à vicino grege aberrâſſe, & in Abrahamum, Deò rem ſic dirigente, incidiſſe, ne ſanctus Patriarcha, qui ſacrificandi animô illuc iverat, re infectâ diſcederet, & ut, filiô à morte exemptô, haberet, unde Deo teſtaretur debitam gratitudinem. Cujus hiſtoriæ lacinias, ſed de more interpolatas, Græci ſuis fabulis immiſcuerunt: Iphigeniam enim narrant à patre Agamemnone Dianæ fuiſſe oblatam, ſed, cùm Calchantis miniſterio jamjam eſſet immolanda, cervam ante ipſam aram divinitus inna comparuiſſe, atque ejus vice oblatam eſſe. Ipſa Iphigenia apud *Euripid.*

> Ἀλλ' ἐξηλλάξατο ἔλαφον ἀντιδοῦσα μοι
> Ἄρτεμις Ἀ- - - - - - -
> *Sed me ſubduxit*, *cervam pro me ſubjiciens*
> *Diana Græcis.*

In Plutarchi *Parallelis c.* 35. ſimiles fabulæ duæ ſunt; una Græca ex Ariſtodemo, de bucula Helenæ, propter peſtem Lacedæmone graſſantem, popularíumque ſalutem, immolandæ ſubſtituta: altera Romana, ex Ariſtide Italicis, de Valeria Luperca, quæ, in tremendum graſſantis peſtis pariter mactanda, ſimili caſu ſervata ſit. Vide eundem Bochart. ubi ſuprà *l.* 2. *c.* 46. ut & aliquid infrà *Maximo hoſtia*. De horrendo vero ſacro, quô *Attys* aries mactabatur, infrà in *Criobolium*, uti de Mahometanorum ritu *Arietem* Sacrificandi, in Meccham peregrinatione, ubi de *Muſlimis*. Propriè autem *harviga* hoſtia dic[illegible], quâ *aries* immolabatur, vide infrà *Haruſpices*.

ARIES Danieli viſus *c.* 8. *v.* 3. qui cornibus ſuis omnes orbis partes ita impetebat, ut nullus ei obſiſteret, Perſarum Rex eſt: qui ſediſſe dici[illegible] *ad Eulæum*, quia Suſa, Regni Metropolis, ad eum amnem ſita erat; & *cornua duo habuiſſe*, h. e. duo Regna, Medicum & Perſicum: *quorum po*[illegible] namque Perſicum, Medicum Regnum digni[illegible] & [illegible] ſuperabat. Huic hircus oppoſitus &c. Vide [illegible] hiſtoriam ſacram. Simile quoddam [illegible] obtigiſſe Sullæ, Plutarchus narrat, in *Vi*[illegible], & in Accii *Bruto*, quâ à Cicerone citatur *de Divinat. l.* 1. Tarquin. Superbus ſuum hoc ſomnium narrat.

> *Viſum eſt in ſomnis paſtorem ad me appellere*,
> *Duos conſanguineos arietes inde eligi*,
> *Poris lanigerum eximiâ pulchritudine*,
> *Præclariorumque alterum immolare me*,
> *Deindè ejus germanum cornibus conniti*
> *In me arietare*, *eoque me ad caſum darbi*
> *Exin proſtratum terrâ graviter ſaucium*,
> *Reſupinum*, *in cælum contueri maximum.*

Qui *arietes conſanguinei* L. Junium Brutum & fratrem ejus à Tarquinio cæſum ſignificabant; quorum ille, in Tarquinium inſurgens, regnô eum ſpoliavit. Vide Bochartum *l. cit.* ut & *c.* 50. ubi de ariete & tauro, à Judæis, in Ægyptiorum contemptum, immolare ſolitis, ex *Tacito*. De *Arietum alborum nigrorumque factionibus* in Perſia, ſub Turcomannis, vide infrà *Karakoinli*. Inter Illuſtrium Familiarum Inſignia *Aries* quoque etiamnum conſpicitur. In Scuto Daniæ & Norvegiæ *Regis* *Aries argenteus*, *in viridi campo*, Inſularum Ferroë, ſeu Ferroënſium, quæ à pirata Grimero Camban primum detectæ A. C. 868. planè Norvegorum ſæpe ſæpe jugum, A. C. 1100. teſſera eſt. *Arietes* verò 3. [illegible] *cornibus & tintinabulis aureis*, *in ſolo nigro*, Mantuæ primigenium ſymbolum fuêre, donec Joh. Franciſcus primus Marchio *Crucem cum Aquila* ejus locô aſſumſit, vide Cl. Spenerum *Arte Herald. Part.* 2. *l.* 2. *c.* 29. §. 3.

ARIES, primum Zodiaci ſignum, quod Sol ingrediens 4. Idus Mart. Æquinoctium vernum efficit. Fabulantur autem Poëtæ, hunc illum ipſum eſſe Arietem, qui aureô vellere inſignis Phryxum per Helleſpontum ejecit; Hellem verò ibidem ſubmerſit. Ovid. *Triſt. l.* 4. *Eleg.* 12. *v.* 3.

> *Impoſitamque ſibi qui non bene pertulit Hellen*,
> *Tempora nocturnis æqua diurna facit.*

Manilius *l.* 4.

> --- *Teſtis tibi laniger ipſe*,
> *Cùm vitreum findens auratô vellere pontum*,
> *Orbatumque ſuâ Phryxum per fata ſorore*,
> *Phaſidos ad ripas*, *& Colchidos regna revexit.*

Ovid. *in epiſt.* 18. *Heroid. Leandri. v.* 143.

> *Invidea Phryxo*, *quem*, *per freta triſtia tutum*,
> *Aurea lanigero vellere vexit ovis.*

Alii autem eum eſſe malunt, qui Libero Patri in Libyæ deſertis ſiti laboranti fontem oſtendit. Vide Cæſii *Cælum Aſtronom. p.* 21. Princeps Zodiaci ſignum figuram ab Ægyptiis hanc accepit, in honorem Chami ſive Jovis Ammonis, qui ad potentiam ſignificandam arietinis fingebatur cornibus. *Arietem* autem habitum fuiſſe Jovem Ammonem, traditum Iſidoro *Origin. l.* 3. *c. ult.* Sed nec Jovis is ſolùm, verùm & Minervæ ſymbolum fuit. Unde Maro *Æn. l.* 11. *v.* 258.

> *Supplicia & ſcelerum pœnas expendimus omnes*,
> *Vel Priamo miſeranda manus: ſcit triſte Minervæ*
> *Sidus & Euboicæ cautes*, *ultorque Caphareus.*

Ubi vide *Servium*. Neque, cùm Minerva ſit conſilii Dea, obſcurum eſt, cur *Aries* Minervæ ſit ſidus: quippe ipſe eſt dux ſignorum; ut ex ſuo conſilio præcedat, cætera ex ejus conſilio ſequantur. Hinc Manilius *Aſtronom. l.* 2.

> *Conſilium ipſe ſuum eſt Aries*, *ut principe dignum eſt.*
> *Audit ſe*, *Libramque videt*, &c.

Vide Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 36. Quod autem de Jove Ammone dictum, in veteri nummo, conſpiciunt is cum cornibus arietinis, quibus partim potentia Chami & regni ejus, quod poſteri obtinuêre; partim etiam ingens denotatur vis Solis: quò & Macrobius reſpexit *l.* 1. *Saturn. c.* 21. *Ideo & Ammonem*, *quem Deum Solem occidentem Libyes exiſtimant*, *arietinis cornibus fingunt*, *quibus maximè id animal valet*, *ſicut radiis Sol*. Fortè & oracula Ammonis iſtiuſmodi cornuum inſtar, torta flexaque hôc ſymbolô indigitantur, unde *oracula arietina* dicta. Plaut. *in Frete* apud A. Gell. *l.* 3. *c.* 3.

> --- *Hoc illud eſt*,
> *Quod Arietini reſponſum magnis Ludis dicitur:*
> *Peribo*, *ſi non fecero*, *ſi faxo*, *vapulabo.*

Certè Ammonis cornua *torta* vocat Lucan *Pharſal. l.* 9. *v.* 514. *Flexa*, Silius *Punic. l.* 9. *v.* 298 Vide iterum Voſſium *loc. cit. c.* 11. Nota ejus in veteri ſigillo, apud *Gorlæum*, eſt ♈. Meliùs tamen in Græcorum libris ita effigiatus oſtenditur, ♈ In quatuor notarum illa recta cornua, in hac torta & inflexa exhibentur, qualia quoque ſunt *Arietis*. Manilius de hoc ſigno, *l.* 1.

> --- *Arieſque in cornua tortus.*

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1236.

ARIES, machina militaris, quâ, inter alias, ad urbium oppugnationem Veteres uſi ſunt. Ejus deſcriptio talis: Eligitur abies vel ornus excelſa, cujus ſummitas durô ferrô concluditur, & prolixâ, *Arietis* efficiens prominulam ſpeciem; Sicque ſuſpenſa utrinque tranſverſis aſſeribus & ferratis quaſi ex lance, vinculis trabis alterius continetur: Hanc deinque, quam menſuræ ratio patitur, multitudo retro repellens, rurſus ad obvia quæque rumpenda protrudit ictibus validiſſimis, inſtar aſſurgentis & cadentis armati. Quâ crebritate, velut reciproci fulminis impetu, ædificiis ſciſſis in rimas, concidunt ſtructuræ laxatæ murorum. Quô genere operis, ſi fuerit exercitô vigore diſcuſſum, nudatô vallô defenſoribus, ſolutáque obſidio civitates munitiſſimæ recluduntur, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 17. Inventa autem hæc machina Carthagine eſt, poſtmodum Getas & Pephaſmenum aliquid addiderunt, ut dicemus infrà voce *Getas*. Ad ejus verùm impetum avertendum adhibitam machinam, *lupum* vocavêre, vide infrà. In illius locum poſtea *Helepolis* ſucceſſit, cujus operâ feliciter uſus eſt Demetrius Poliorcetes. Contrarium *Aries*, quô

Titus,

Tyrus, in Hieroſolymorum oppugnatione, uſus fuiſſe legitur, rotis vehebatur quaternis; habens ab utroque latere imbricamentum ſeu compluvium quoddam, ſub quo milites, machinæ deſtinati, tuto laterent. Vide Joſeph. Ben Gorion *de bello Jud.* Amm. Marcellinum *l.* 23. *c.* 3. *&c.* ut & infrà *Oſcilla.* Adhibuerunt quoque Romani *Arietem* animal, cum bellum indicerent hoſtibus. Tum enim Fecialis illo in hoſticum emiſſo indigitare volunt, brevi terram illam in paſcua Romanis ceſſuram. Unde Proverb. *Arietem emittere*, i. e. pugnam denuntiare, ortum. Vide Eraſmum *Adag.*

ARIES Aureus: hunc multi aureum vellus habuiſſe narrant, quos ſecutus eſt *Orpheus* & Apollonius, qui Mercurii contactu aureum dicit effectum *l.* 21. Simonides verò album interdum, interdum purpureum fuiſſe dicit. Acuſilaus ex mari purpureo infectum colore aſſerit. *Apollonius* aragens humanam habuiſſe ſcribit: quod & *Hecatæus* affirmat. Sunt qui dicant, hoc ideo fictum, quia Phryxus in navicula, arietis figuram in prora habente, navigavit. Dionyſius verò Mitylenæus *Crion* (quod nomen apud Græcos *Arietem*, ſignificat) Phryxi pædagogum fuiſſe, atque cum ipſo ad Colchos navigaſſe: unde ea omnia ficta eſſe, narrat.

ARIETEM levare, ſuperſtitioſi aut inhoneſti ludicri ſpecies, apud Anglos: cujus mentio in *Inquiſition.* Archidiaconorum Lincolnenſis diœceſ. *A.* C. 1233. *c.* 30. *An alicubi levantur Arietes, vel fiunt ſcotalla, vel decertetur in prætereundo cum vexillo matricis Eccleſiæ?* Item in Synodo Wigorn. A. C. 1240. *can.* 38. *Nec intersint ludis inhoneſtis, nec ſuſtineant ludos fieri de Rege & Regina, nec Arietes levari, nec paleſtras publicas fieri &c.* Sic in *Statutis* Provincial. Walteri Epiſcopi Dunelmenſis A. C. 1255. prohibentur *levationes Arietum ſuper rotas*, & ludi, quibus decertatur ob bravium exequendum apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARIETHUS Tegeates, laudatur ab Hygino in *Poet. aſtron. l.* 2. *c.* 1. *&* 6. ubi vocat eum *hiſtoriarum ſcriptorem*, niſi corrigendum *Areithoum*, quod verum putat Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 331. qui addit, Sanè & *Areithoum* Κορυνήτης legere eſt, apud Pauſan. in *Arcadicis.* Atqui fallitur vir maximus, ſi hiſtoricum putet, quem Pauſanias memorat. Nam Rex fuit hic & bellicoſus, cui *Corynetæ* cognomen fuit à clava, quà in pugna utebatur. Κορυνήτης, inquit, δῖος ἐπίκλησιν. Homer. *Il.* 7. *v.* 138.

> Τῷ δ' ἔχεν ἔντεα δῖος Ἀρηΐθοος ἄναξ,
> Δίου Ἀρηϊθόου, τὸν ἐπίκλησιν Κορυνήτην
> Ἄνδρες κίκλησκον, καλλίζωνοί τε γυναῖκες,
> Οὕνεκ' ἄρ' οὐ τόξοισι μαχέσκετο, δουρί τε μακρῷ,
> Ἀλλὰ σιδηρείῃ κορύνῃ ῥήγνυσκε φάλαγγας.

Malè itaque Κορυνήτης legit Voſſ. *Nic. Lloydius.*

ARIETINA Cornua, Jovis Ammonis in nummis affictà, uti vidimus ſuprà ubi *de Ariete Zodiaci ſigno.* Sed & iconcula Moſis antiquitùs expreſſa in lamina æris rotunda, haud pridem Shenæ, in agro Surrienſi, circa nonum à Londino lapidem, inter rudera reperta eſt: quæ craſſa admodum & ponderis paulo amplius dodrantis unciæ; unà parte verba præ ſe fert Hebraica, quæ Latinè ſonant. *Non erunt tibi Dii alieni coram facie mea*, deſumpta ex Decalogo. Alterà parte Moſis viſitur imago, *arietinis cornibus* inſignis: Nec capillus ejus, aut aliquod tegmen capitis videtur. An ratio inſit aliqua cornutæ illius faciei, quæ Moſi tribui ſolet, viderint quibus operæ pretium duxerint. Sed in figuris ejus cornutis, erigi ſolent, ut Panum & Satyrorum aut capreolorum, non incurvari, ut *arietum*, atque Jovis Hammonis, cornua. In pictura ſcil. Chriſtianorum, qui ex eo, quod in vulgata habetur de Moſe, Exod. *c.* 34. *v.* 29. & 35. *Ignorabat, quòd cornuta eſſet facies ſua* & *videbat faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam*, biornem Moſen pingunt. Sed rident cornua illa Judæi, quibus verba Hebræa ſonant, *Splendebat, ſeu radiabat cutis faciei ejus.* Nec alium exiſtimant Viri docti fuiſſe Interpretis vulgati ſenſum, utcunque Pictores Sculptoreſque atque ii, à quibus docentur, aliam intervertêrint. Nam luce radii cornua velut imitantur & Hebr. in קרנים tam hæc, quàm illos, notat. Quò facit, quòd diſertè Paulus 2. Corinth. c. 3. v. 7. τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ, *Gloriam vultus ejus*, radios illos faciei Moſis nuncupat. Videtur autem lamina hæc potiùs quàm nummus Chriſtiani alicujus opus, fortaſſis ideo ante ſecula aliquod factum, ut officioſi muneris vice inſerviret ad Judæos aliquos ſive demerendos ſive ad Chriſtianiſmum civiliter invitandos, Joanni Seldeno, qui iconem ejus exhibet, *de Jure Nat.* & *Civ. juxta Diſcipl. Ebræor. l.* 2. *c.* 6. Cæterùm *Arietinum cornu*, ſeu *buccina arietina* in Sacris celebris, cujus clangor in Jubilæo, qui ab Hebr. ejus nomine nomullis dictus eſt, ut infrà videbimus, perſonuit.

ARIETIS Frons, Tauricæ Cherſoneſi promontor. Vide *Crimetopon.*

ARIGÆUM, urbs Indiæ, quam Alexander incenſam ac deſertam reperit. Arrian. *l.* 4.

ARIGIA, fluv. Galliæ, in Occitania provinc. Cadit in Garumnam. Vide *Albarracu* & *Arrigeta.*

ARIGNOTE, inter fœminas præclaras à Clemente Alexandrino recenſetur *l.* 4. *Strom.* ac memoriæ prodidiſſe dicitur res geſtas à Dionyſio tyranno.

ARIGNOTUS, Ariphradis fil. quem Ariſtophanes tanquam infanda patrantem, ſimulque ut imperitum citharœdum traducit. Vide *p.* 159. D. Item eund. Ariſtophan. *Crabron. p.* 322. Ubi ejus pater vocatur Automenes.

ARIGONDE, Clotarii Franciæ Regis uxor, vivente adhuc Ingegonde ſorore, quæ eidem Regi nupſerat, ab illo ducta. Mater Chilperici. Vide Aimoin. *l.* 2. Gregor. Turonenſ. *l.* 4. *c.* 3.

ARII, Indiæ populi, item Arabiæ, Plin. *l.* 6. *c.* 20. 23. nec non Scythiæ *Herodoto.* Arios etiam in Germania ponit Tacit. *in Germ. c.* 43. *Populi Arii*, inquit, *ſuper vires, quibus paulo ante enumeratos antecedunt, truces, inſitæ feritati arte ac tempore lenocinantur: nigra ſcuta, tincta corpora; atras ad prælia noctes legunt: ipſaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hoſtium ſuſtinente novum, ac velut infernum aſpectum; nam primi in omnibus prœliis oculi vincuntur.* Horum nominis reliquiæ in *Ar* Danica inſula. Dicti illi *Arii* cari fidique Romanis. *Procopius Arboricbos* appellat; ſeu potius ſcribendum *Arimuchos.* Hos quoque nominis rectè *Arvallos* fuerunt autem hi ſedibus ſuis ob ſocietatem & amicitiam ejecti à Francis, & poſteà oram maritimam Belgicæ occupavêre. Nuncupati autem vicinis poſtea *Armoricki* ſive *Armoriki. Nic. Lloydius.*

ARIMA, urbecula Aſiæ, in ora littorali Japoniæ, ejuſque partis, quæ *Ximo*, dicitur. Portu gaudet commodò, in regione *Figen.* Ibi multi aliàs Chriſtiani.

ARIMA, locus Ciliciæ, vel Syriæ, vel in Pithecuſis, juxta Tyrrhenos, ubi Typhœum terrà obrutum in fabulis legimus. *Steph.* Homer. *Il.* 2. *v.* 782.

> Γαῖα δ' ὑπεστονάχιζε Διὶ ὣς τερπικεραύνῳ
> Χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἱμάσσῃ
> Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Τὰς Χώρας (inquit *Strabo*) Ἀρίμους δέχονται, ὡς νῦν Ἀραμαίους λέγουσιν, οἱ δὲ Ἀραμαίους καλοῦσιν, ἢ Ἄριμα. Quod ut melius intelligatur, ſciendum, quòd Orontes Syriæ fluv. *Typhon* olim appellabatur, tanquam à Typhone vel Typhœo ibi fulmine percuſſo. Verum eſt, Typhœa Cilicem facit *Æſchylus* & *Pindarus*; ſed & Cilicia quoque olim pars Syriæ fuiſſe creditur, antequam Syros inde pepuliſſent Phrygiæ populi Cilices. Bochartus. *l.* 2. *Chanaan. c.* 33. Vide *Inarime.*

ARIMANIS, unus ex tribus illis Principibus, quos placet veteribus quibuſdam habere imperium ſuper mundum; hi ſunt Oremaſis, Mitris, Arimanis. Cæl. Rhodig. *l.* 9. *c.* 14.

ARIMANNI, vide infrà *Herimanni.*

ARIMANTIS, Pentapoleos regio in Africa urbs. *Ptol.*

ARIMARA, Syriæ ad Euphratem urbs. *Ptol.*

ARIMASPES, Zoroaſtri amiciſſimus. Cæl. Rhodig. *l.* 23. *c.* 4.

ARIMASPI, dicti *Euergetæ*, ab Alexandro M. ſub jugum redacti. Curt. *l.* 7. *c.* 3.

ARIMASPUS, Scythiæ fluv. aureis arenis abundans, cujus accolæ *Arimaſpi* dicuntur, populi Scythiæ Europææ, habentes unum oculum in fronte, qui perpetuo bellum gerunt cum gryphibus aurum & ſmaragdum colligentibus. Ut finxit Ariſteas. Vide Herodot. *Melp.* 3. Strab *l.* 1. *&* 13. Plin. *l.* 7. *c.* 2. Turneb. *Adverſ. l.* 24. *c.* 42. Lucan. *l.* 3. *v.* 280.

> ——— *Auroque ligatas*
> *Subſtringens, Arimaſpe comas.* ———

Dionyſius Arimaſpos, vel *Arimaſpos* vocat. *Æſchylus* verò μουνῶπα στρατόν, i. e. *unoculum exercitum*, quòd ſagittarii cum ſint optimi, alterum inflectunt oculum, ut à parvulis aſſueti, alterò melius collineant, unde etiam nomen adepti ſunt: nam *Ari* Scythicè *unum* ſignificat & *maſpos oculum.* Fallitur verò author noſter, ſi *Arimaſpos* apud Dionyſ. pro nomine proprio habeat. Ἀρημανέας quidem vocat, h. e. *Marte furentes*, ſive *bellicoſos*; epithetum verò illud commune eſt, ut alibi apud eundem Poëtam.

> ——— Ἀρήιοι ἀμφὶ χέρεσσι.

Quod etiam Horatius expreſſit, *Carm. l.* 2. *Od.* 16. *v.* 5.

> *Otium bello furioſa Thrace.*

Quòd autem addit, *Ari* Scythicè *unum* ſignificare, habuit ex *Euſtathio*; Aliter tamen Herodot. *l.* 4. Ὀνομάζομεν δὲ αὐτοὺς Σκύθαι Ἀριμασπούς. Ἄριμα γὰρ ἓν καλέουσι Σκύθαι, σποῦ δὲ τὸν ὀφθαλμόν. *Nic. Lloydius.* Habitabant, ubi nunc Ingria, & Ducatus Novogradenſis & Pleſcovienſis, in Moſcovia. *Baudrand.*

ARIMASTHÆ, populi juxta Pontum Euxinum. Orpheus in *Argon.*

ARIMATHÆA, Judææ civitas. Matth. *c.* 27. *v.* 57. Latinè *Leo mortuum domino*, vel *lux mortis domini.*

ARIMAZES, Sogdianus, loco edito & exercitu fretus, an Alexander poſſet volare interrogans, tandem perterritus in caſtra Regis deſcendit, cum propinquis & nobiliſſimis gentis ſuæ, quos omnes verberibus affectos ſub ipſis radicibus montis Alexander crucibus affigi juſſit. Qu. Curtius *l.* 7. *c.* 11. Polyæn. *l.* 4. *c.* 3. in Alex. *Ariomazes*, fortè rectiùs.

ARIMBAS, Epiri, ſeu Moloſſorum Rex.

ARIMENES, Perſis Vejovis dictus, ſive malus Genius. *Heſychius* Plutonem intelligit. Ἀρειμάνιος ὁ Ἅιδης παρὰ Πέρσαις.

ARIMI, montes & populi Myſiæ & Lydiæ. *Suidas.* Item Syriæ. Strabo *l.* 13.

de ARIMINO Gregorius, vide *Gregorius.*

ARIMINUM, urbs vetus in Flaminia, juxta Rubiconem fluv. Galliam à Flaminia ſeparans. Lucan. *l.* 1. *v.* 231.

> *Vicinumque minax invadit Ariminum* ———

Strabo Umbrorum dicit eſſe coloniam, ſicut & Ravennam. Hæc priùs à Cæſare occupata, bello Civili initium dedit. Fuit autem ædificata, Sempronio, & Appio Claudio Conſulib. Eam Octavianus ampliavit, & à Liburnis dirutam Diocletianus repoſuit, eique devictis arcum triumphalem in ea extruxit. Hodie *Rimini* dicitur. Epiſcopalis eſt, ſub Archiepiſcopo Ravennenſi, cum portu olim celebri, è cujus marmore templum S. Franciſci nunc conſtat. Ibi prope unam portarum inſignis arcus triumphalis, in honorem Auguſti conditus, & reliquiæ in urbe egregii theatri. Poſt Romanos, variis dominis ſubfuit, ſub Juſtino Imperatore auſa Gothis reſiſtere. Malateſtarum dein imperium ſuſpexit, qui palatiis ſuperbiſſimis urbem exornârunt. Concilium hic ab Imperatore Conſtantio celebratum A. C. 359. ubi pro Concilio Niceno, decretum primò: poſtmodum, a Conſtantio, Urſacii & Valentis artibus præventô, conci-

Et patres [illegible] ſcribens formulæ fidei, in qua [illegible] tantùm filium [illegible] excepcha [illegible], ſolum pr[illegible] quorum conſtantia cuſ[illegible] ligatione expugnabilis fuit. Athanaſ. de [illegible]. Hieron. [illegible]. 83, & contra Luciſer. S. Hilar. in fragm. Sulpit. [illegible] Socr. l. 2. Sozom. l. 4. &c. De urbe hac plura apud Cluver. [illegible] Ant. l. 2. c. [illegible] lyngenud 34. 37. Ital. [illegible] 43. 58. Sita eſt in Romandiola provinc. in plano, Eſtque ex [illegible], ſub Pontifice nota [illegible] Hadrianici. [illegible] Græcam Coronam, ex [illegible] ΑΡΙΜΙΝΟΝ, docet Joh. Marcham. Canon. Chron. [illegible]. X [illegible] M, ubi de Græcorum Col[illegible] dem Italiæ fluv. viam Flaminiam Æmiliæ jungens. Ma[illegible], v. [illegible] Lean[illegible], Steph. [illegible] Feſtus. Ariminum à nomine fluminis præterfluentis dictum, Plin. l. 3. c. 15. Ariminum coloniam cum amnibus Arimino & Aprusa [illegible] Rubico.

ARIMINUS, vulgò Marecchia, fluv. Æmiliæ provinc. Italiæ, oriturex A[illegible] montibus, prope fontes Tiberis, Ariminum alluit, & ibi ſe adiens mare Hadriaticum.

ARIMOA, Inſul. A[illegible], verſus novam Guineam, & prope oram Septentrional. Terra [illegible], à Batavis detecta ineunte [illegible] ſeculi. Patri[illegible] ſe inter Inſulas Moam & Geil. Schutens.

ARIMPHÆI, populi Scythiæ Plinio, l. 6. c. 7. vel Aſiæ ſeptentrional. prope Riphæos montes, ubi Riphæi deſinunt, Ammiano. In nemoribus habitant, baccis vivebant, juſti, ac moribus placidis, quorum uterque ſexus depoſitos capillos habet.

ARIMUS, Rex Myſiæ, ſeu Mæoniæ. [illegible], Xanthum citans, antiquum [illegible] ſcriptorem.

[illegible] A, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. Ptol. Tecela hodie.

ARINES, apud [illegible], in prælio à Colaxe cæſus, Val. Flacc. l. 6. v. 638.

AR[illegible]NIANUM, coloniam ad ripam Arni fluv. condidiſſe Janum ſcribit Cato. Nunc vicus in territorio Florentino Arignano Alberta.

ARINIANUM, oppid. Faliſcorum, nunc vulgò Rignano, jacet, [illegible] in provinc. Patrimonii dicta, uno milliar. à Tiberi fluv. & paucis conſtat incolis. Baudrand.

ARINTHE, civitas Oenotrorum. Steph. Aliis Arianthe in Calabria [illegible] ad fluv. cognom. [illegible] Barrio. Alias Arcuda potius videtur.

ARINTHEUS, Roman. Conſul. Maximi collega.

ARIOALDUS, Longobardorum Rex, poſt mortem Theudelindæ, ejecto Adoaldo, regno præfectus eſt. Blondus, Decad. 9. Vide Ariovaldus.

ARIOBARZANES, Cappadociæ Rex poſt tutelas Pſeudo-Ariarathis comp[illegible] ſitas, auctoritate S. P. Q. R. in locum Ariarathæ [illegible] & à Sylla in thronum evectus; inde à Mithridate pulſus, [illegible] à Romanis, &c. Pompejo in bello Pharſalico fa[illegible]. Populi Romani amicus fuit, & à Cicerone cum toto regno ſervatus, l. 5. ad Attic. Ep. [illegible] Horat. l. 1. Ep. 6. v. 38.

Mancipiis locuples eget æris Cappadocum Rex.

Ariobarzanem Cappadociæ Regem videtur tangere velle, de quo Tullius, Ep. 1. l. 6. ad Att. [illegible] regno ſpoliatus, nihil Rege egentius. Vide [illegible] Orat. pro L. Manilia, &c. Quater nempe Rex ille [illegible], toties que reſtitutus. Flor. l. 3. c. 5. Appianus in Mithridatic. Dio l. 35. Plut. in Sylla & Lucullo. Juſtin. l. 38. c. 2 3 Eutrop. l. 5. Poſt eum Archelaus, favente Antonio, regno admotus eſt, vide ibi.

ARIOBARZANES, Phrygiæ Satrapes, ab Artaxerxe deſcivit, & mortuo Mithridate, ejus regnum ſibi invaſit. Diodor. Sic. l. [illegible] f. 504 tenuitque annos viginti ſex, defunctus Olympiadis centeſimæ decimæ anno quarto, filio Mithridate ſuccedente. Vide etiam l. 17. c. 17.

ARIOBARZANES, Darii militiæ præfectus, qui Suſidas pylas adverſus introitum Alexandri cum 25000. peditum occupavit. Dein cum per mediam aciem Macedonum, cum multo ſuorum, atque hoſtium ſanguine erupiſſet, Perſepolim urbem regiam occupare feſtinans, à cuſtodibus urbis excluſus, cum comitibus fugæ comitibus, renovato prælio cecidit. Qu. Curtius. l. 4 & 5.

ARIOBARZANES, origine Medus, ob inſignem corporis formam & præclarum animum, volentibus Armeniis, à Cæſare componendæ Armeniæ delectus, præfectus eſt Rex. Periit morte fortuita. Tacit. Annal. l. 2. [illegible]4.

ARIOBARZANES, mons inter Parthos & Maſſagetas. Orosius.

A[illegible]IOBINDA, ex Ducibus Anaſtaſii, inſigni clade à Perſis affectus Marcellin. Chro[illegible] Procop. de bello Perſ. l. 1.

ARIOCH, Rex Ellaſar; Gen. c. 14. v. 1. Latinè procerus ebrietatis, aut [illegible].

ARIO[illegible]A, Gal. Belg. urbs Antonia.

ARIOLI, Hebr. [illegible] Græc. [illegible], qui dicitur, vide in [illegible] ubi de Ariolorum in Sacris pœnis, voce [illegible].

ARIOMANDES, Athenienſium adverſus barbaros Dux Plut.

ARI[illegible]MARDUS, D[illegible] filius. Herodot.

ARI[illegible]MEDES, Xerxis navarchus. Plut.

ARION, Methymnæus citharœdus, & ſocietate lyricus, ex Leſbo inſul. Natus Olymp. 28. Scripſit cantica circiter verſuum 2000. [illegible] temporibus habita. Dicitur & Tragici carminis [illegible] fuiſſe, & chorum inſtituiſſe, ac Dithyrambicum carmen [illegible] hujus [illegible] optimum magiſtrum, cecinisse, Suidas. Hujus hiſtoriam Ovid. in Faſtis & Gellius l. 16 [illegible] 19. ac Ælian. de Animal. l. [illegible] referunt. Charus fuit Periandro, Corinthiorum tyranno, cujus auſpiciis in Italiam profectus, ingentem pecuniam, ex arte ſua promeruit; cumque rurſum Leſbon peteret, videretque ſe [illegible] à nautis peti propter opes, quas ſecum afferebat, nautas oravit, ut carmen aliquod [illegible] moreretur, [illegible] permitterent, quod cum impetraſſet, ſumpta cithara ſubdolam [illegible] in mare ſe conjecit, ſed à Delphino [illegible] ejus cantu, dorſo exceptus, Tænarum, quod oppid. eſt Laconiæ, hodie Capo di Malapan del [illegible], totius Moreæ Auſtralem maximè locum, Olymp. 29. Solin. c. 11. vel potius, Olymp. 41. Euſeb. Chron. vectus eſt, antequam nautæ illuc appulſiſſent; & ibi relicto Delphine Corinthum petit, omnemque rem geſtam Periandro enarrat; qui tamen [illegible] ſuis verbis minimè credidit, donec etiam hiſtoriam à nautis compertam habuit. Vide Lucian. Dial. [illegible], poſt [illegible] Virg. Ecl. 8. v. 56

O[illegible] in Sylvis, inter Delphinas Arion.

Dubitaverunt multi, hæc fabulane fuerit, occaſione hiſtoriæ de Jona Propheta, orta, an vera hiſtoria? Plinius in veram hiſtoriam inclinat; aſſerens, Quæ ſeribuntur, ut credatur, Arionem quoque [illegible], &c. Vide eum l. 9. c. 8. Idem quoque ſentire videtur Ovid. l. 2. Faſt. v. 113. ubi ait.

Inde (fide majus) [illegible] Delphina recurva
Se memorant, oneri ſuppoſuiſſe novo.

Ejuſdem ſententiæ quoque fuit Pauſan. in Laconic. Nam, poſt figuram Arionis Delphino inſidentis, tanquam veritatem firmaturus, ſubjicit hiſtoriam aliam Delphini alterius. Indicat hoc ipſum Apulejus l. 6. Accedemonitque & ipſe miraculis. Credemus enim exemplo tuæ veritatis, & Phryxum ariete ſupernataſſe, & Arionem Delphinum [illegible], & Europam tauro ſupercubaſſe. Propert. l. 2. El. 26. v. 17.

Sed tibi ſubſidio Delphinum currere vidi,
Qui [illegible] Arionam veſerat ante ratem.

Martial l. 8. Epigr. 51 v. 15.

Sic Methymnæo gavisus Arione delphin,
Languida non tacitum per freta vexit onus.

Dio Chryſoſtomus Orat. 37. non ſolùm rem narrat, ſed addit nautas illos, qui facinus aggreſſi ſunt, fuiſſe morte mulctatos, cùm res in quæſtionem duceretur. Firmant hanc veritatem, quæ de voluptate Delphinorum circa Muſicam paſſim leguntur, & caſus ille, quo [illegible] adoleſcens in mari ſervatus eſt à Delphino, eodem penè modo, quo Arion, de quo vide Plut. Sympoſ. Quidquid verò ſit, hiſtoriam, [illegible] eſſe, Joſ. Scaliger aſſerit Animadverſ. in Euſeb. p. 79. Quæ hactenus dixi videntur ſtare pro hiſtoria. Contrà ad fabulas refert Gellius, [illegible] ait enim, Fabulam ſcripſit Herodotus ſuper fidicine illo Arione. Et Strabo. l. 13. Arion, quem Herodotus in Tænarum ſervatum fabulatur. Ovidius l. 3. Art. Am. v. 326.

Arionis fabula nota lyræ.

Nic. Lloydius.

ARION, equi nomen, quem Princeps Oetæus quidam, ſecundus Hercules, ab eo Adraſtus Argivorum Imperator habuiſſe traditur. Hic equus eſt ille, quem primum omnium ejus generis Neptunus, percuſſa terra, tridente produxiſſe fingitur: quo Claudian. reſpiciens Panegyr. de 4. Conſul. Honorii v. 555 canit;

S[illegible] [illegible] equus, tua poſceret ultro,
[illegible] Neptunium ſigula [illegible] Arion.

Apollodorus l. 3 [illegible]. Hic explicandus Ovid. Met. l. 8. v. 118.

Et te flava comas frugum mitiſſima mater
Senſit equum. ———

Propert. l. 2. El. 34. v. 37.

Quàm & Adraſti fuerit vocalis Arion,
Triſtis ad Archemori funera victor equus.

Stat. l. 1. Silv. 1. de equo Domitiani v. 52.

Hunc & Adraſtæus viſum extimuiſſet Arion

Idem, Theb. l. 6. v. 444.

——— Dum, non cohibente magiſtro,
Spargitur in gyros, dexterque excurrit Arion

Idem ibidem:

Ducitur ante omnes rutila manifeſtus Arion
Igne jubæ. ———

Hunc equum dono dedit Adraſto Neptunus, uti ſcribit [illegible]. Vide Pauſan. in Arcadic. ubi de eo plura Nic. Lloydius.

ARION, equus in curru Polynicis, apud Statium Theb. [illegible] præcipuus. Deſcribit ibi ludos circenſes, quos Archemoro celebrarunt Argivi, & equum hunc, in Polynicis quadriga, ſolum [illegible], excuſſoque ſeſſore [illegible] vicitſſe victorem [illegible], v. 501.

——— Nam flavum Arion
Ut [illegible], fatebre juba, atque [illegible] in armo
Stat, ſociumque [illegible] ac æque [illegible]
[illegible] alio ſuſpendit equum. ———

Ubi ex ratione antiquorum curruum loquitur, in quibus [illegible] ſubjugo juncti habebantur & duplex erat temo. At [illegible], quæ tempore Statii obtinebat, [illegible] [illegible] hunc enim tum primarum partium fuiſſe habitum. [illegible] Vide Salmaſ. ad Solin. p. 890 & Barthium ad Stat. d. l.

ARIONA, oppid. Hiſpan. in Vandalitia p[illegible] be Andutar. Vide Arriesa & [illegible] Vireavoe[illegible] [illegible] ex) apud Sevlacem hodie Orbla. [illegible] [illegible], hunc Gravoſa ſeu S. Cruce, prope Ragu[illegible].

ARIOSTUS Lud. Ferrarienſis, Poë[illegible] [illegible] dias, Satyras & Poëma de Rolando, ingenioſe, [illegible] caſtus.

P. Jo-

P. Jovius, *in elog.* Huic Cardinalis Eſtenſis Poëma ſibi inſcriptum non penſâſſe dicitur. Obiit A. C. 1533. Vide Paul. Freherum *Theatr. Vir. eruditione clarorum.*

ARIOVALDUS, Rex Longobard. in Italia VI. in thronum, favore Epiſcoporum, evectus, Adelvaldô ob inſaniam remotô, quem Honorius Papa reſtituere fruſtra conatus eſt. Arrianæ hæreſeos fautor, obiit A. C. 638. regni 12. P. Diac. *l.* 4. *&* 5. Floruit Heraclii ævô, ac ſucceſſorem habuit Rotharim, vide quoque *Arioaldus.*

ARIOVINDUS, Conſul, cujus collega fuit Aſper.

ARIOVINIUS, Conſul, Meſſalæ collega.

ARIOVISTUS, Germanorum Rex, bellô clarus ac potens, numeroſas habuit copias, vel hôc unicô argumentô, quod à Cæſare fugam ſimulante victus, octoginta ſuorum militum millia amiſerit. Pugnam hanc contigiſſe eô loci, ubi nunc D. Apollinaris cœnobium, 1. milliar. Baſileâ ad Occaſum diſtante, reliquiaſque ſui exercitus poſt 5. mill. paſſ. emenſâ, cum Duce, Rhenum trajeciſſe, ubi nunc Baſilea ſita eſt, docet *Beatus Rhenanus.* De hoc multa Cæſar, *l.* 1. *de bell. Gall.* Itemque Dio Caſſius *l.* 38. Meminit ejus quoque Tacit. *l.* 4. *Hiſt.* nec non *Plut.* Oroſ. *l.* 6. 7. Frontin. *l.* 2. *c.* 1. 3. Arioviſtum autem dixiſſe videtur Cæſar, qui Germanorum linguâ dicebatur *Erneſt*, i. e. *Severus Aventinus.* Angli eam vocem adhuc retinent. *Camdenus. Arnfaſtus* Saxonu. Fortè à gente Aria, quæ inter Germanos, & flexa in Roman. vocem.

ARIPERTUS I. fil. Gundebaldi, frater Theodelindæ, melius ex fratre nepos, Rodoaldo in Regno Longobard. in Italia ſucceſſit, A. C. 659. habuit ſucceſſorem Grimoaldum, A. C. 663. Sigon. *l.* 2. *de reg. Ital.* P. Diaconus *l.* 5. *c.* 53.

ARIPERTUS II. fil. Ragumberti, Taurinorum Ducis, poſt inteſtinis diſſidiis turbata omnia, Rex Longobardorum evaſit, in ſerie illorum Regum ordine XV. Ut ſcelera elueret, Johanni VI. Alpes Cottias dediſſe dicitur, A. C. 704. obiit Ticinô merſus, A. C. 712. Regni 12. Ei ſucceſſit poſt Aniprandum, Luitprandus, P. Diac. *l.* 6 Beda & Ado Vienn. *in Chron.*

ARIPHRADES, Ariphradis fil. frater Arignoti, quem tanquam fœdiſſimum hominem & muliebria lingentem traducit, Ariſtoph. *Equit.* 4. *Epirrhem. In Crabronibus* ejus patet indigetamr Automenes.

ARIPHRON, Pherecli fil. IX. Athenienſium Archon, τῶν διὰ βίου, poſt patrem regnavit ann. 20 circa tempora Armenophis IV. ſeu Memnonis, Ægyptior. Regis, ſub eo Dæicles coronatus, Olymp. VI. & Pheidon ſeu Phidon Argivus Ludis præſedit, Olymp. VIII. Vide infrà. Ei ſucceſſit *Theſpeus*, quem vide.

ARIPPARA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

ARIS, Meſſeniæ fluv. Pauſan. *l.* 4.

ARISABION, Indiæ extra Gangem urbs, *Ptol.*

ARISAI, Latinè *ſponſus*, Hamanis Agagitæ fil. Eſther. *c.* 9 v. 9.

ARISBA, oppid. Troadis, Mitylenæorum colonia, in litore Rhœteo, ab Achille everſum. Virg. *l.* 9. *Æn.* v. 264.

Bina dabo argentô perfecta, atque aſpera ſignis
Pocula, devictâ genitor quæ cepit Ariſba.

Lucan. *l.* 3. v. 203.

Myſiaque & gelido tellus perfuſa Caico
Idalis, & nimium glebis exilis Ariſbe.

Homer. *Il.* β. v. 13. εὐναιομένην ac δίαν vocat. *Etymologus*, Ἀρίσβη, πόλις ἀπὸ Ἀρίσβης θυγατρὸς Τεύκρου, ἣν ἔγημε Δάρδανος. Item civitas Lesbi. *Steph.* Et Bœotiæ. *Suidas.*

ARISBUS, fluv. Thraciæ. *Steph.* Troadis verò *Strabont.*

ARISCOTUM, vulgò ARSCHOT, urbs Brabantiæ, in Germania Inferiori cum titulo Ducatus, ad Demeram fluv. Vide *Arſcotum.*

ARISERIA, Cyrrheſticæ regionis in Syria urbs. *Ptol.*

ARISITUM, Gregorio *l.* 5. *Hiſt. Franc. c.* 5. dictum *Ariſitenſis vicus.* Auctori incerti carminis, de ſtemmate Caroli Calvi *Hariſidum & Ariſidum.* Alii aliter; Fortè vicus eſt *Arisat*, in finibus Rutenorum, ad Blautum fluv. qui in Avarionem cadit; aut certè *Arre*, vicus montanus. Ajunt in Rutenis, inter Amilianum & Ucetiam, territorium pagumve eſſe, longum 6. leuc. hodie *l'Arſat.* Theutarius primus *Ariſitenſium* Epiſcopus fuit, cui Mundericus (quæ duo nomina Germanica ſunt) fratris ſui filius ſubſtitutus eſt. Emmo quoque concilio Remenſi interfuit. Vide eundem. Poſteà hic Epiſcopatus abolitus & XV. illæ Diœceſes, quas prædictus auctor commemorat, Ruteniciæ Eccleſiæ redditæ fuiſſe videntur. Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall. Anno* 1675. *Pariſiis edita.*

ARISPÆ, Indica gens, circa Indum fluv. Arrian. *in Indic.*

ARISTA, cognomen Enecoms ſeu Inicons, Navarræ olim Regis, quem proin XIII. *ariſtas aureas*, inſcripſiſſe clypeo rubro, ob cognominis rationem, ajunt: cùm tamen illud, non à Latina voce *Ariſta*, verùm ab *Harizeta*, vico Baigorriæ primatum, tractum videatur Cl. Spenero *Arte Herald. Part.* 2. *l.* 1. *c.* 22. §. 48.

ARISTADIUM, vulgo ARNSTATT, oppid. Germanic. in Thuringia. Vide *Arnoſtadium.*

ARISTÆNETUS, Conſul temporis Honorii Imperator. *Ariſtæneti* cujuſdam ſcriptoris meminit Steph. in Γέλα, ubi citat primum *l.* τῶν περὶ Φαρσάλου. *Ariſtæneti* Epiſtolas amatorias primus edidit Sambucus A. C. 1566. Altera editio emendatior & auctior prodiit Pariſiis Græc. Lat. M. D. VIC.

ARISTÆUM, oppid. Thraciæ in Hæmi mont. radicibus ſitum. Plin. *l.* 4. *c.* 11.

ARISTÆUS, Apollinis (Cicero 6. *Ver.* dicit, Bacchi) ex Cyrene filia Penei Regis Arcadiæ fil. hic deinde in Arcadia regnavit. Hunc primum apum & mellis uſum, lactiſque coagulum demonſtraviſſe, uſumque olei, & alia quamplurima adinveniſſe refert Juſtin. *l.* 13. *c.* 7. Fabulam verò ſic Poëtæ commenti ſunt. Ariſtæum Eurydicen Orphei adamâſſe, quam illa fugiens à ſerpente occiſa eſt, in cujus ultionem nymphæ omnes apes perdiderunt. Quapropter, matris auxilium imploravit, quæ illum ad oraculum Protei perduxit, à quo infortunii cauſam edoctus, Eurydicen ſacrificiis placare juſſus eſt; quod cùm faceret, tauroſque 4. totidemque juvencas immolaret, ingens apum multitudo à bobus erupit, atque hôc pactô apes ſuas recuperavit. Virg. *Georg. l.* 4. v. 554.

Hic verò ſubitum, ac dictu mirabile monſtrum
Aſpiciunt: liquefacta boum per viſcera toto
Stridere apes utero, & ruptis effervere coſtis:
Immenſaſque trahi nubes: jamque arbore ſummâ
Confluere, & lentis uvam demittere ramis.

Meminit ejus Oppian *l.* 4. *Cyneg.*

Μοῦσα δ' ἀγρονόμον βιοτὴν ἐδιδάξατο φωτῶν.

Quæ mox explicans ait, illum primum omnium nepote à tureſtribus divinis inſtructiſſimum, pecuniam informâſſe, oleum expreſſiſſe, coagulô lac compegiſſe, & abſolvit,

—— —— Καὶ ποτὶ σίμβλων
Ἐκ δρυὸς ἀΐξαντα ἀγελαῖς ἐστάλφατο μελίσσας.

Schol. in Apol. *l.* 2. *Argon.* Ἀρισταῖος δ' ἐν τῇ Κέῳ εὑρετὴς τὰ μελιττουργικὰ ἀγῶνος, καὶ τὴν τοῦ ἐλαίου κατεργασίαν, καὶ κατωνομασμένος τοῖς Ἐνερίαις, Ζεὺς Ἀρισταῖος ἐκλήθη, καὶ Ἀπόλλων, Ἀγρεὺς καὶ Νόμιος. Et Apollonius ipſe, *l.* 4.

Κῦρε Ἀρισταίου μελισσεργοῦ, ὃς ῥα μελισσῶν
Ἔργα, πολυκμήτοιο τ' ἀνεύρατο πῖαρ ἐλαίης.

Interpres etiam Pindari *in Pyth.* ait, Ariſtæum primum omnium inveniſſe κυνηγεσίαν, κυνηγίαν, ἐλαιουργίαν, μελιτουργίαν. Id ipſum latè ſcribit Nonnus *Dionyſiac. l.* 15. Hyginus *Fab.* 161. 180. 181. Thebarum Regem facit. Quædam etiam ſuggerunt Interpretes aliqui, ex Germanico Cæſare, in *Phænomena Arati.* Tu vide, ut Juſtinus adductô locô conformet fabulas Ariſtæi ad veritatem Hiſtoriæ. Multa, quæ de illo ſcribuntur ab Interprete Apollonii, ut non neceſſaria, omitto; magnam partem illorum retulit Apollodor. *l.* 2. Pauſan. *l.* 8. Nat. Comes *Myth. l.* 5. *c.* 19. Alex. Roſſæus, *in myſtagogo Poët.* Ovid. *l.* 1. *Faſtor.* v. 363.

Flebat Ariſtæus, quòd apes cum ſtirpe necatas
Viderat inceptos deſtituiſſe favos.

Nic. Lloydius. De eo Solin. *c.* 4 ubi de Sardinia, *Mox* (nempe poſt Noracem & Sardum) *Ariſtæum his regnando proximum, in urbe Caralis, quam condiderat ipſe —— ſejuges uſque ad ſe gentes ad unum morem conjugâſſe, imperium ex inſolentia nihil aſpernatas.* Ariſtoteles contrà, primum omnium in Sardinia imperâſſe tradit *Ariſtæum*, quum ea Inſula tota multis & grandibus avibus teneretur. Cum Dædalo autem in Sardiniam eum tranſiiſſe, *Servius* tradit: *Hic poſt laniatum à canibus Actæonem, Thebas reliquit & Ceam Inſulam tenuit primo hominibus adhuc vacuam: poſt eâ relictâ cum Dædalo ad Sardiniam tranſitum fecit.* Addit tamen, huic opinioni refragari Pindarum, qui canit eum de Cea Inſula in Arcadiam migrâſſe, ibique vitam coluiſſe, & apud Arcadas pro Jove cultum. Contrà Apollonius Rhodius, *Ariſtæum* Arcadiâ relictâ Ceon tenuiſſe, & ibi Jovis *Icmæi* templum ſtatuiſſe, ſcribit *Argonautic. l.* 2. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 99. ut & *p.* 414. ubi Ἀγρέα & Νόμιον Ἀπόλλωνα apud Arcadas, *Ariſtæum* dictum eſſe addit.

ARISTÆUS, Judæus natione, Philadelphi tempore vixit, à quo, receptis 12000. Judæorum, qui in ſervitutem redacti erant, Hieroſolymas miſſus eſt, ſcriptor jam olim laudatus Joſepho *Jud. Ant. l.* 12. *c.* 2. Tertulliano *in Apol. c.* 12. Epiphanio *l. de pond.* & Hieronymo *præfat. in Pentateuchum.* Meminit etiam Euſebius, cum aliis, tum *l.* 9. *Præp. Evangel.* Ἀρισταῖος, inquit, ἐν τῷ γεγραμμένῳ βιβλίῳ περὶ τῆς ἑρμηνείας τοῦ τῶν Ἰουδαίων νόμου. Extat hodieque *in Biblioth. Patrum, tom.* 7. *edit.* 2. liber ſub Ariſtæi, ſeu Ariſteæ nomine de Tranſlatione Legis per 27. Interpretes, ſed eum genuinum videri negat Lud. Vives *in Auguſt. l.* 18. *de Civ. Dei c.* 42. Sed Vivi in eo refragari cùm alios non paucos, tùm Petronium, *Obſervationibus in B. Juſtini Parænesin ad Gentes*; tum Card. Bellarm. *l. de ſcript. Eccl.* ex Joſeph. *Ant. Jud. l.* 12. *c.* 2. *l. contra Appion* Tertull. *Apol. c.* 2. Euſeb. *loc. cit.* Epiphan. *de pond. & menſuris.* Hieron. *Præf. in Pent.* &c. Sed Ludovico accedunt Leo Caſtrius & Alphonſus Salmero. Et profectò levia non ſunt, quæ pro hac ſententia adfert Joſ. Scaliger *Animadverſ. in Euſeb. ad A. M.* 1734. Ipſum adi. Voſſ. *l.* 1. *de Hiſt. Græc. c.* 15

ARISTAGORAS, Hiſtoricus, nomen ſibi peperit Ægyptiacis ſuis, quorum primi libri Steph. meminit, in Ταπόσιρις, ſecundi autem teſtimoniô utitur, in Νικίου κώμη. Ἀπλῶς quoque hoc opus nominat, in Ψεβώ, non additô libri numerô. Idem volumen ſignat Ælian. *de Animal. l.* 11. *c.* 10. Inter alia hoc in opere, de Pyramidibus egit, teſte Plin. *l.* 36. *c.* 12 Porro, Laërtius *in Chilone*, meminit Ariſtagoræ Mileſii, quem, quia Chilon unus ex ſeptem ſapientibus brevitate gauderet, hunc loquendi morem Χιλώνειον appellâſſe ait; ſed Mileſius hic, idemne ſit cum ſuperiore, non ſatis habeo compertum. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 332. Item *Ariſtagoras*, Præfectus exercitûs Darii contra Græcos. Herodot. *l.* 5. Alius fil. Molpagoræ, gener Hiſtiæi, Mileti tyrannus, qui contra Darium rebellavit, ſuaſu Soceri, Athenienſibus aliiſque Græcis, in arma ſociarent, perſuaſis. Perſiæ fines ingreſſus, Sardeis captas incendit, injuriam Dariô graviſſimè ferente, ejuſque memoriam, quoties cœnaturus erat, refricante. Tandem à Thracibus cum ſuis occiſus eſt. Idem *ibidem.* Vide Polyænum, *l.* 1. *c.* 24.

ARISTAGORAS, fax belli Ionici, quod à Dario circa Olymp. 70. Ionibus & Græciæ illatum eſt: A quo Pherecydes, in eo gerendo & conſiliis pro bono Patriæ capiendis, ſæpe diſſedit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 845.

ARISTAGORAS, Cyzicenus. Herodot. *Muſ.* 4. item, Cumanus. *Ibid.*

ARISTANDER, vates celeberrimus apud Plut. *in Alexandro.* Vide Plin. *l.* 17. *c.* 25. qui eum Hiſtoriam *etiam admirabilem* ſcripſiſſe ait. Freinsh. *ſuppl. in Curt. l.* 1. & 2. Curt. *l.* 4. *c.* 2. & 6. *l.* 5. *c.* 4. *l.* 7. *c.* 7.

ARISTANDROS, ſtatuarius nobilis apud Spartanos. Pauſan. *l.* 3.

ARISTARCHA, Epheſina matrona, quæ Dianæ juſſu, unà cum Phocenſibus, navigationem ſubiit, atque in Maſſilia, templi Dianæ conſtructi Sacerdos, deſignata eſt. Strabo. *l.* 4.

ARISTARCHUS, Rex inferioris Ægypti tertius, poſt Curudem, præfuit annos 34. Toſorthrô apud Memphitas imperante. Illi ſucceſſit Spanius. Joh. Marshamus *Canone Chron.* ex *Syncello.*

ARISTARCHUS, Grammaticus Alexandrinus celeberrimus, oriundus è Samothracia, patre itidem Ariſtarchô. Floruit, Olymp 156. ſub Ptolemæo Philometore, cujus etiam filium Lathurum erudiit. Scripſit commentarios ſupra mille; diſcipulus fuit Ariſtophanis Grammatici, Cratetis contemporaneus. *Ἀλεξανδρεὺς τῇ θέσει, φύσει δὲ Σαμόθραξ*, uti loquitur *Suidas.* Deceſſit in Cypro, ſeipſum cibi abſtinentiâ necans, ob morbum hydropicum, ætat. ſuæ 72. Filios genuit Ariſtarchum & Ariſtagoram, ambos ſtultos. *Suidas.* Diſcipulos circiter 40. reliquit; æmulumque, & adverſarium habebat Cratetem Malloten, Grammaticum Pergamenum. *Ælianus* tradit, cum tam caſtigatô fuiſſe judiciô, ut Homeri verſus non putarerit, quem ipſe non probaret. Unde etiam *Ariſtarchos* hodie vocamus alienorum ſcriptorum cenſores. Ovid. *l.* 3. *Ep.* 9. *è Pont. v.* 23.

> *Corrigere at res eſt tantò magis ardua, quantò*
> *Magnus Ariſtarcho major Homerus erat.*

Cicer. ad *Appium Pulchrum l.* 3. *Ep.* 11. *Ut enim Ariſtarchus Homeri verſum negat, quem non probat: Sic tu (libet enim mihi jocari) quod diſertum non erit, ne putaris meum.* Et ad *Attic. l.* 1. *Ep.* 9. *Ego varia mea orationibus, quarum tu Ariſtarchus es, ſoleo pingere.*

Horatius *ad Piſones, v.* 449.

> *Arguet ambigue dictum, mutanda notabit,*
> *Fiet Ariſtarchus.* — —

Mendum obiter è Suida, in *Ἀμμώνιος*, tollendum, cùm Ammonium Saccum Origenis & Plotini familiarem, atque magiſtrum, qui ſub Commodo vixit, Ariſtarchi Scholæ præfectum jam ante Auguſti tempora fuiſſe refert. Videtur ſanè, ob tantum temporis intervallum, lacunam ibi eſſe, propter quam poſteriora verba, *ὃς καὶ διεδέξατο τὴν σχολὴν Ἀριστάρχου πρὸ τῆς μοναρχίας τοῦ Αὐγούστου*, à prioribus ſeparanda, ac de altero Ammonio Grammatico intelligenda. Alius *Ariſtarchus*, Chronographus, Epiſtolam hiſtoricam reliquit de Athenarum ſitu & rebus ibi geſtis, temporibus Apoſtolorum; itaque lus de vita Dionyſii Areopagitæ. Voſſ. *de Hiſt. Græc. p.* 333. Item *Ariſtarchus* Tegeates, Poeta Tragicus, qui Æſculapio pro recepta ſanitate tabulam vovit. Vixit Olymp. 81. Docuit Tragœdias 70. vicit duabus, ultra annum centeſimum vixit. *Suidam* ſis adi. Fuit etiam *Ariſtarchus* Epheſi tyrannus, & alius Mathematicus. *Suidas.* Denique alius Macedo comes Pauli, Romam proficiſcentis, Actor. *c.* 27. *v.* 2. & vinculorum ſocius, Coloſ *c.* 4. *v.* 9. *Nic. Lloydius.*

ARISTARCHUS, Medicus Reginæ Berenices, viduæ Antiochi. Polyæn. *l.* 8. *ſ* 629.

ARISTARCHUS, Orator apud Ambraciotas, qui civibus ſuis perſuaſit, impoſitum urbi à Philippo Macedone præſidium ut ejicerent. Diodor. Sic. *l.* 17. *initio.*

ARISTARCHUS Samius, inter eos, qui Gnomonica vel Organica invenerunt, Horologium fecit, *Scaphen* ſive *Hemiſphærium* à forma dictum, & diſcum in planitie, ad eundem uſum, ſtruxit: de quo, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 636. 646. & 647. ut & infrà, in voce *Scaphe.*

ARISTARETE, Nearchi filia, pictrix nobilis. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

ARISTATO, in *L. Sal. tit.* 16. §. 4. *Si quis* Ariſtatonem *ſuper hominem mortuum capulaverit* &c. palla eſt, pallium, ſeu ſtragulum, defunctorum tumbis ac monumentis olim imponi ſolitum. Eadem *L. tit.* 58. §. 4. Codex Heroldi, *Chriſtaduna* habet: ubi Wendelinus *Ariſtatonem*, Germanicum *Ere-ſtaet* eſſe ait, quæ vox *honorarium ſtatum* ſonat. Palliis autem tapetibuſque tegi & inſterni ſolitos Sanctorum, atque adeò nobilium & honoratiorum virorum tumulos, teſtantur prætereà Gregor. Turonenſ *de Gloria Confeſſ. c.* 20. 21. 30. alibique paſſim, Avitus Viennenſis *Poëmat. l.* 3. *v.* 253. Helmod. *l.* 1 *c.* 79. aliique Auctores, laudati Car. du Freſne in *Gloſſar.* Hinc mos in Eccleſia Romana fluxit, mortuorum feretra palliis Eccleſiaſticis obvoluta, in Ædem ſacram, deferendi. Vide infrà in *Palla*, & Guil. Apul. *de Geſtis Normann.* qui ſic de hoc ritu, ubi ſermonem facit de Roberto Guiſcardo, celebri Normannorum Duce:

> *Utile figmentum verſutus adinvenit, atque*
> *Mandat defunctum, quòd quemlibet eſſe ſuorum*
> *Gens ſua teſtetur, qui cùm quaſi mortuus eſſet*
> *Impoſitus feretro, palamque obducere certâ*
> *Illius hunc facie juſſit latitante fuiſſet,*
> *Ut Normannorum velare cadavera mos eſt.*

ARISTAZANES, nobilis Perſes, Artaxerxi Ocho, exceptô Bagoâ Eunuchô, intimus, & internuncius mandatorum ac petitorum. Diodor. Sic. *l.* 16.

ARISTE, ex Græco *Ἀρίστη*, *Optima*, cognomen Minervæ, vide infrà.

ARISTEAS, Proconneſius genere, claruit Cyri & Crœſi temporibus, fil. Democharis, aut Cauſtrobii, *Theogoniam* ſcripſiſſe dicitur, *Suidæ* verbis, *καταλογάδην εἰς ἔπη*, *Oratione ſolutâ ad verſus guſtâ.* Sic interpres habet *Æmylius Portus*, quem ſequitur Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 1. & *l.* 4. *c.* 2. Nec aliter ſonat ea vox apud veteres quoſdam, præcipuè Plutarchum, qui *δίχα μέτρου καὶ καταλογάδην* junctim locat. At ſequens vox *ἔπος* reclamat, quæ in pedeſtri ſermone non verſum, h. e. ſcripturæ proſaicæ lineam, ſed metrum notat, & ſanè metri ſpeciem Heroicam: unde diſtincti ab Jambicis & Melicis Epopœi. Adeò ut utrobique Ariſteas etiam, in ſua Theogonia, fuerit Epicus, vel Hexametrorum Dactylicorum Poëta, ſicut clariſſimè fuit in illa ſua Arimaſpidos tribiblo, propter verſus inde quoſdam Gnomicos, de Navigationis miſeria, productos à D. Longino, *περὶ Ὕψους c.* 8. Itaque aliter ſonat *Suidæ* vox *καταλογάδην*, nempe *per modum Catalogi*, i. e. nominibus nudè tantùm recenſitis: non *μυθολογικῶς*, cum fabuloſæ Hiſtoriæ intertextura, qualiter Heſiodus Theogoniam ſuam ſcribit. *Κατάλογος* propriè eſt *directa & continua ſeries nominandi, promeræandive*; unde transfertur interdum ad orationem ſolutam, quaſi liberè lateque profluentem, nec certis metrorum legibus & modulationis recurſu illigatum. Hinc elegantiſſimè ex veteri & veriori ſcripturâ, apud Apuleium *in Floridis*, dicitur *oratio prorſa*, h. e. *prorſa*, rectà uſque procedens; non converſa modulatimque recurrens. Hinc per vulgarem ſyncopam *Proſa*, *Proſaicus. Heſych.* Meleſius, cognomentô Illuſtris, *Ἀριστέα τὸν Προκοννήσιον φασὶ τὴν ψυχὴν ἐξιοῦσαν ὅτε ἐβούλετο καὶ ἐπανιέναι πάλιν.* Sed Herodotum haud ſatis clarè tranſcribit, *l.* 4. *c.* 13. Ubi Ariſteas, Cauſtrobii filius, ex Proconneſiorum nobilitate primaria ſcripſiſſe dicitur *Ἀριμάσπεια* carmina, præſtigioſus exertim Poëta, *ποιητὴς ἐπέων*, *verſificator.* Utpote, admirationis excitandæ gratiâ, profectus ad Iſſedonas, Arimaſpis proximos, venisſe *φοιβόλαμπτος γενόμενος*, h. e. *à Phœbo inſtinctus.* Vixit Olymp. 55. 56. Vide præter Plin. *l.* 7. *c.* 2. A. Gell. *l.* 9. *c.* 4. Henr. Jacobi *Orationem Inauguralem p.* 54. Et Voſſ *Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 1. Item *l.* 4. *c.* 2. Alius *Ariſteas* fuit Stratoniceñſis, de quo Pauſan. *l.* 5. *Nic. Lloydius.*

ARISTERÆ, Inſulæ nomen apud Pauſan. *in Corinth.*

ARISTEUS, Sophiſta, tempore Antonini Imperator. item, Argivus, qui Pyrrhum contra cives excitavit. Polyæn. *l.* 8. *c.* 68.

ARISTHUS, res Arcadicas prodidit. Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* 1. Niſi, ut Sylburgio placet, legere mavis *Ἀρίσθου*; vel *Ἀραίθου*. *Idem Nic. Lloydius.*

ARISTIBUS, *fluv.* Pæoniæ. Polyænus, *l.* 4. *c.* 12.

ARISTIDES, fil. Lyſimachi, Athenienſis, nobilitate & juſtitiâ inſignis, qui cum Themiſtocle diſſenſit, ut Cato cum Cæſare: *ὃς οὐ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει*, h. e. *Qui non videri, ſed eſſe voluit optimus*; quemadmodum Æſchyli hunc verſiculum populus Athenienſis accommodavit, atque adeo *δίκαιον*, i. e. *juſti* cognomen ei tribuit. Hujus autem juſtitiam non ferens Themiſtocles, exiliô eum damnari curavit. Sed annô ferè ſextô revocatus ac reſtitutus eſt, cùm Xerxes Atticam adoriri ſtatuiſſet, uti Corn. Nepos auctor eſt, *in ejus vita.* Sed annô tertiô id contigiſſe Plut. *in ejuſdem vita*, teſtatur: at Schottus *in Chronologia*, id quartò annô factum oſtendit. Tandem verò cùm multas præfecturas geſſiſſet, namque & pugnæ Salaminiæ interfuit, & cum Pauſania Mardonium vicit, ad Platæas, delectuſque eſt qui conſtitueret, quantum pecuniæ quæque civitas daret, ad claſſes ædificandas, bellumque comparandum, in tanta paupertate obiit, ut vix tantillum pecuniæ corradi potuerit, quæ veſpillonibus, & vilibus cadaverum funeratoribus daretur. Plut. *in Ariſtide*, Diodor. Sic. *l.* 11. *c.* 47. Thucyd. *l.* 1. &c.

ARISTIDES, Athenienſis, Philoſophus Chriſtianus eloquentiſſimus, ſub priſtino habitu, volumen contextum Philoſophorum ſententiis, A. C. 126. noſtri dogmatis rationem continens, Adriano Principi tradidit. Hieronym. *Catal.* & *Ep.* 84. *ad Magn.* Euſeb. *Hiſt. l.* 4. *c.* 3. Quô eodem tempore cùm Serenius quoque Granius, Proconſul Aſiæ, pro Chriſtianis intercederet, perſequutionem inhibuit Imperator.

ARISTIDES Eleates, qui Cauloniam contra Dionyſium defendit, ut colligitur ex Polyæn. *l.* 6. *c.* 11.

ARISTIDES, Locrenſis à muſtela morſus moritur. Ælian. *Var. Hiſt. l.* 14. *c.* 4.

ARISTIDES, orator Athenienſis, & Sophiſta, cujus extant Orationes 54. in quibus præter alias egregias ſententias, hæ duæ ſunt aurô contra non caræ: *Πάντα λόγον αὐτὸς τὸ ποιῆσαι τοῦ θεοῦ.* Et, *εἰ γὰρ ἴδοι ὅσοι εὐτυχήσαντες ἀπηγχόνισαν.*

ARISTIDES, Philoſophus è civitate Adrianorum Myſiæ, Smyrnæ docuit, & advenienti fortè M. Antonino Principi unus omnium non proceſſit obviam, eoque modò in cognitionem & amicitiam Imperator. venit. *Philoſtratus.*

ARISTIDES, pictor Thebanus, Apellis tempore, qui omnium primus animum pinxit, & ſenſus, ac perturbationes expreſſit. Item ſtatuarius inſignis, Plin. *l.* 34. *c.* 8. & *l.* 35. *c.* 10. Fuit alius *Ariſtides* Samius, Varroni in *Hebdomadibus* citatus, ut Gellius indicat, *l.* 3. *c.* 10.

ARISTIDES Mileſius, celebratur à Plut. frequenter, *in Parall. min.* Nomen ſibi comparavit libris *rerum Sicularum*, *Italicarumque*, teſte eôdem Plutarchô. Nec dubito, quin idem ſit *Ariſtides*, qui *Perſica* compoſuit, quorum ex primo quædam refert Plut. *ubi ſupra.* Fortaſſis idem *Ariſtides* eſt, quem in commentariis de Cnido advocat Pindari Schol. in Od. 5. *Pyth.* Idem condidit Mileſia, vel Mileſiaca, quæ *ἀκόλαστα βιβλία*, ſive laſcivos libros appellat Plut. *in Craſſo.* Illud enim opus; non geſtas Mileſiorum res, ſed amatorias quaſdam, atque laſcivas narrationes continebat. Ovid. *Triſt. l.* 2. *v.* 413.

> *Junxit Ariſtides Mileſia crimina ſecum*
> *Pulſus Ariſtides nec tamen urbe ſuâ eſt.*

Ita vulgò quidem legitur, ut autem, quomodo legendum ſit, vide T[illegible] ſium Fabrum, *Ep.* 1. p. 12.

ARISTIPPUS, Cyrenæus, *Senior* dictus, Socratis auditor, cum Epicuro de voluptate ſenſit. Primus quæſtu philoſophatus eſt, & cum Xenophonte ſimultatem habuit, & à Diogene *Canis Regius* appellatus eſt, quod Dionyſio, ac aliis divitibus ventris gratiâ adularetur. Horat. *l.* 1. *Ep.* 17. *v.* 14.

> *Si pranderet olus patienter, Regibus uti*
> *Nollet Ariſtippus, ſi ſciret Regibus uti,*
> *Faſtidiret olus.* —— ——

Is dicebat, lautiorem victum nulli eſſe impedimento ad benè vivendum. Habuit ingenium ad omnia, pro tempore, loco, & perſona ſimulanda omnino promptum, quamobrem Dionyſio inter cæteros charus fuit. Et ut præſentibus voluptatibus libenter fruebatur, ita & abſentes facilè contemnebat. Cùm in Græciam philoſophandi causâ proficiſceretur, juſſit ſervos aurum projicere, ut expeditiores ad iter capeſſendum eſſent. Horat. *Serm.* 2. *Sat.* 3. *v.* 100.

> - —— *Quid ſimile iſti*
> *Græcus Ariſtippus? qui ſervos projicere aurum*
> *In media juſſit Libya, quia tardius irent*
> *Propter onus ſegnes.* —— ——

Voluptatem bonorum, dolorem malorum finem conſtituit. Cæteras ſcientias excluſit, illud ſolum utile putans, ut quæras, ſi quid domi mali, aut boni contigit. Summum bonum poſuit in leni motu ad ſenſum emanante; i. e. in voluptate corporis ſenſus titillante. Qui ab eo fluxerunt, & in dogmate permanſerunt, à præceptoris patria *Cyrenaici* vocabantur. Tradunt Platonem dixiſſe, ſoli Ariſtippo & chlamydem, & pannum ferre datum eſſe. Horat. *l.* 1. *ep.* 17. *v.* 23.

> *Omnis Ariſtippum decuit color & ſtatus & res.*

Vide Diog. Laërt. *in Ariſtippo*, *l.* 2. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *c.* 8. Alius hoc nomine Argivorum tyrannus fuit, de quo Plut. *in Arato*.

ARISTIPPUS, cognomine *Junior*, Philoſophi nepos, ex filia Metrodidacte. Verum potius ipſe *Metrodidactos* dictus eſt, vide *Areta*. Cyrenaicæ ſectæ illuſtris aſſertor. Duos animi motus, dolorem & gaudium, principia ſtatuit, &c. Vide Diog. Laërt. *in Ariſtippo*. His in navigio ob tempeſtatem expalleſcens, interrogatus, quare, cùm Philoſophus eſſet, timeret? reſpondit; Non eandem ſibi, & interroganti cauſam eſſe; quoniam is non eſſet magnopere ſollicitus pro anima nequiſſimi nebulonis, ipſum autem pro Ariſtippi anima timere.

ARISTIPPUS, Hiſtoricus *Arcadiæ* Hiſtoriam ſcripſit. Laërt. *l.* 2. ubi de quatuor *Ariſtippis* loquitur, nempe præter tres prædictos etiam de alio quodam Philoſopho novæ ſectæ. Plin. *l.* 35. *c.* 4. & 10. pictoris egregii, Ariſtippi meminit.

ARISTIUS, prænomine *Marcus*, tribunus militum Cæſaris, iter ad legionem faciens, fide datâ, à Gallis ab oppido Cabillono eductus. Cæſar *l.* 7. *Comment. c.* 42. Hic haud dubiè eſt *Ariſtius* ille, cui poſtea Proconſuli ſcripſit Cicero, ut eſt videre *l.* 13. *Epiſt.* Etſi perperam ibi non *Ariſtio*, ſed *Ariſto*, legitur. *Nic. Heyden.*

ARISTO, Argivus palæſtrita, apud quem Plato exercitatus eſt; & ab eo propter egregium corporis habitum *Plato* cognominatus, cùm prius *Ariſtocles*, ex avi nomine vocatus eſſet. Diog. Laërt. *l.* 3.

ARISTO, Alexandrinus, Philoſophus Peripateticus, qui de Nilo ſcripſit. Ejus meminit Strab. *l. ult.* Α᾽ρίστων (inquit) *[illegible]*, Εὐδώρῳ τε καὶ Α᾽ρίστωνι, τῷ ἐκ τῶν περιπάτων. Addit deinde, iiſdem propè verbis utriuſque librum eſſe perſcriptum; ut alter neceſſariò ſit plagiarius: ſed uter ab altero ſit ſuffuratus, id eſſe dictu difficile: ab Eudoro quidem accuſari hoc nomine Ariſtonem; ſed dicendi genus magis eſſe Ariſtonicum. Eſt verò Ariſto hic ſextus ordine ex his, quos hujus nominis Laërtius recenſet, *in Zenone*. Ubi præter Muſicum quendam Athenienſ. & alium qui Rhetoricam ſcripſit, alterum etiam nominat Ariſtonem Peripateticum, ſed Ceum; quippe Julietem, qui Athenis pulſus, tragœdiâ contra Meneſtheum ſcriptâ. *Plut.* Eſt autem Julis, civitas in inſula Ceo. Porro, ſimilitudo nominis inter Ariſtonem Ceum & Ariſtonem Chium, qui Zenonis Cittiei auditor fuit, fecit, ut multa Ariſtonis Cei Peripatetici, tribuerentur Ariſtoni Stoico. Nam ex tam multis, quæ Laërtius commemorat, ſolæ epiſtolæ verè erant Ariſtonis Chii: cætera fuerunt Ariſtonis Cei, Peripatetici: ut Laërtius tradidit ex Panætio & Socrate. Sed ſi non aliud dicit Strabo, quàm Peripateticum Ariſtonem eſſe auctorem libri de Nilo: Laërtius autem docet, duos fuiſſe Ariſtones Peripateticos, Alexandrinum unum, alterum Ceum: unde conſtat, Alexandrinum potius ejus operis eſſe patrem, quàm Ceum? Nempe, ut ita ſentirem, impulit, quòd veriſimile videretur de fluv. Ægyptio egiſſe potius hominem Ægyptium, quàm de Ægæi maris inſula. Sed ſ[illegible]lum injicit Schol. Apollonii *in* 4. *Argonaut.* ubi Ariſtonis Chii de Nili origine ſententiam inter alia adfert. Nempe vulgatam quidem ſecutus ſententiam, *Chium* & *Ceum* confundit. Ariſtoni Chio quoque tribui ſolet liber ἐρωτικῶν διατριβῶν, quem Ariſtoni Ceo Peripatetico aſſignat Athen. *l.* 10. & 13. ubi vocatur ἐρωτικὰ ὅμοια, ſecundusque ejus operis adducitur. Meminit ejus Plut. *de Iſid. & Oſir.* ubi laudatur Α᾽ρίστων ὁ γράψας Α᾽θηναίων ἀποικίας. Item Laërtium *in Heraclito*, ubi citat Α᾽ρίστων ἐν τῷ περὶ Η᾽ρακλείτου. Ejus *[illegible]* citat Schol. Ariſtoph. Νεφέλ. Schol. Apollonii, & Phavorinus in [illegible], in quibus duobus poſterioribus locis *[illegible]* pro *[illegible]* rectè legit Rutgerſius *Var. lect. l.* 1. *c.* 18. Scripſit præterea, de Zenonis Dogmatibus, teſte Laërtio *l.* 7. De Demoſthene Theophraſti judicium, ex Ariſtone Chio, profert Plut. *parall.* Demoſthenis. Sed hoc ex Ariſtonis libro περὶ τοῦ Γλήρως petitum, arbitratur *Jonſius*. De morte Demoſthenis itidem; ex Ariſtone locum adfert Plut. *ubi ſupra*. Sed πάντων οἱ Α᾽ρίστωνες, uti loquitur ingenioſiſſimus Lucianus *in Lexiphane*. Titi *Ariſtonis* eruditionem ſummè admiratur Plin. *l.* 1. *Ep.* 22. à quo alius Claudius *Ariſto* Epheſiorum Princeps, apud eundem *l.* 6. *Ep.* 31. Fuit & *Ariſto* Pellæus, ſed qui Hadriani demum tempore, aut pòſt, vixerit. Ex eo quædam, de poſtrema Judæorum rebellione, quæ ſub Hadriano contigit, refert Euſeb. *Hiſt. Eccleſ. l.* 4. *c.* 6. & Nicephorus Calliſtus *l.* 3. *c.* 24. Denique *Ariſto* Epheſius fuit, qui genus fœmineum peroſus, cum aſina concubuit, ex eoque concubitu genita eſt puella, cui à *cruribus aſininis* nomen *Onoſcelis* inditum eſt. *in Paral.* Vide etiam *Ariſton*.

ARISTOBATHRA, Indiæ inter Gangem oppid. *Ptol.*

ARISTOBULA, Diana à Themiſtocle ſic dicta, qui Athenis ei templum erexit, quod in Perſico tumultu rebus Græciæ ſalutaria protuliſſet conſilia. Cæl. Rhodig. *l.* 10. *c.* 5.

ARISTOBULUS I. cognomine *Philelen*, Judæorum Rex, fil. Johannis Hircani, Principis & Sacerdotis Summi ſucceſſit Patri, *A. M.* 3951. junxitque diadema tiaræ. Vivò adhuc Parente, Samariæ habitavit, & Antiochi Cyziceni copias fudit. Dein Antigonum fratrem in ſocietatem regni aſſumſit, reliquis tribus, cum matre, carceris pœdore fameque confectis. Mox ipſum Antigonum necavit, & primò regni ſui annò mœrore animum ſubeunte, obiit, bonâ parte Ituræ regno adjectâ, ejuſque incolis ad Judaiſmum pertractis. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 13. *c.* 18. & 19. *De Bell. Jud. l.* 1. *c.* 3. Sulpic. Sev. *l.* 2. Euſeb. *Chron.*

ARISTOBULUS II. fil. Alexandri Jannæi, Rex Judæorum, Hircanò majore natu fratre victò. Cui ſuppetias veniens Aretas, Arabum Rex, Ariſtobulum in templo Hieroſolymitan. obſedit, ſed à Scauro, Pompejano Duce, recedere coactus eſt. Uterque ergo Damaſcum ad Pompejum, qui clandeſtinò Ariſtobuli diſceſſu irritatus, Hieroſolymâ captâ, Regem cum Alexandro & Antigono filiis captivos Romam miſit. Unde cùm Ariſtobulus cum Antigono evaſiſſet, regnum viribus retinere conatus, denuo victus, per Gabinium, Romam mittitur; paulo pòſt ab Auguſto liberatus, ut ipſi in Aſia contra hoſtem uſui eſſet, ſed à Pompejanis venenò necatus, obiit. *A. M.* 4005. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 13. & 14. *De Bell. Jud. l.* 1.

ARISTOBULUS, fil. Alexandri, Succeſſoris & filii Ariſtobuli II. ab Herode, matris Alexandræ & Mariamnes ſororis precibus, Sacerdotium Summum impetravit, an. ætat. 17. Quod cùm gratius fuiſſet Judæis, quàm ut Herodes id poſſet pati, Juvenem mergi juſſit, *A. M.* 4020. & ut celaret facinus, ſuperbas ei fecit exequias. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 15. *c.* 2. & 3.

ARISTOBULUS, fil. Herodis ex Mariamne, Berenices, quæ Salomes, Herodis ſororis, fil. erat, maritus. Cum fratre Alexandro, Sebaſtæ, crudeliſſimi parentis juſſu, licet nullius criminis rei ambo eſſent, ſtrangulatus, *A. M.* 4049. Vide *Alexander*, *fil. Herodis*. Item, fil. Herodis, Regis Chalcid. cui Nero minorem Armeniam dedit, Joſeph. *Jud. Ant. l.* 20. *c.* 5.

ARISTOBULUS, frater Epicuri. Diog. Laërt. *in Epicuro. l.* 10. & Gaſſend. *in ejuſdem vita*, *l.* 1. *c.* 1. & 8.

ARISTOBULUS, Ariſtobuli fil. inter comites Alexandri fuit, & de rebus ab eo geſtis Hiſtoriam perſcripſit, teſte Arriano *initio l.* 1. cujus & Plut. ſæpe meminit *in Alexandro*, multaque ex illo de rebus Indicis adfert Strabo *l.* 15. Non dubium verò (inquit Cl. Voſſ. *l.* 1. *de Hiſt. Græc. c.* 20.) quin idem ſit, quem *Caſſandreum* cognominat Plut. *in Demoſthene*, Item Lucian. *in Macrobiis*, ubi ait eum ultra 90. annos vixiſſe. Plut. *l. de fluvi.* citat primum Ariſtobuli librum, *de lapidibus*. Si quis eundem putet, non video, ut refelli poſſit. Fortaſſis & idem eſt, cujus libros *de rebus Italicis* citat Plut. *in Parall. Min. c.* 32. At alius eſt *Ariſtobulus* Judæus, Philoſophus Peripateticus, ut eum vocat Clemens Alex. *l.* 1. *Strom.* Scripſit explanationem in Moſem, eamque Philometori Ptolemæo dicavit. Euſeb. *l.* 9. *Præp. Evang.* Α᾽ριστόβουλος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν πρὸς Φιλομήτορα: quæ Trapezuntius vertit, *Ariſtobulus in primo apud Philometora*, cùm deberet, *in primo eorum quæ ad Philometora ſcripſit*. Vide Hieronym. *in Catal.* & Euſeb. *Hiſt. Eccl. c.* 26. *l.* 7. Item vir quidam, cujus familiam ſalutat B. Paulus. Roman. *c.* 16. *v.* 10.

ARISTOCLEA, formoſiſſima puella, quæ rem divinam factura nuda eſt à Stratone viſa, qui in eam exarſit, antea etiam à Calliſthene adamatam. Ipsò verò nuptiarum die, in amantium manibus diſcerpta eſt, quorum poſtea alter ſibi manus intulit, alter aufugit, nec unquam poſtea viſus eſt. Plut. *in Amator. Narrat.*

ARISTOCLES, Meſſenius Peripateticus, *[illegible]* φιλοσοφίας βιβλία δέκα, *[illegible]* φιλοσόφους, καὶ δόξας αὐτῶν. Immediatè enim hæc cohærere debent, in Suida, voce Α᾽ριστοκλῆς. Sextum ejus operis librum citat idem Suidas, in Ξενοφάνης. Septimum verò Euſebius, & ex eo egregia fragmenta ſervat, *l.* 15. *Præp. Evang. c.* *[illegible]*, ubi de adverſariis Ariſtotelis agit. Et quæ ex Lycone de Ariſtotele ibi Ariſtocles adducit, eadem ex Ariſtocle, non tamen citatò librò, adducit Theodoretus, *Serm.* 8. 12. Octavum operis ejuſdem librum laudat idem Euſebius, & multa inde adfert, *l.* 14. *Præp. Evang. c.* *[illegible]* 5. & ſeqq. Quibuſdam Alexandri Aphrodiſæi præceptor fuiſſe dicitur, quod ſi ita eſt, jam de ejus ætate conſtaret. Fuit & *Ariſtocles* Rhodius, Grammaticus; ut in proœmio Erotianus teſtatur. Alter, an neuter, eſt *Ariſtocles*, qui paradoxorum libros ſcripſit. Quibuſdam certè Sophiſta Megarenſis fuit. Ex iis quædam Stobæus narrat, *Sermone de vituperatione Veneris*. Ælian. quoque *de Animal. l.* 1. *c.* 4. refert Ariſtoclis neſcio cujus octaſtichon de bove; quem, cùm vix decem viri domare poſſent, unus ſacerdos ſolâ aure prehenſum ad aram deduxerit. *Ariſtocles* Lampſacenus Stoicus, ſcripſit libris 4. enarrationem vocum, quæ Chryſippus tradidit, de ratione ſingulorum dicendorum; & cogitandorum: Item *Ariſtocles* Hiſtoricus, cujus Clemens meminit, *l.* 6. *Strom.*, quemque ἐν τρίτῳ Ι᾽ταλικῶν citat Plut. *in Paral.* Hunc ſuâ ætate vixiſſe, diſertum dicit Strabo *l.* 14. quò locò de illuſtribus viris

Rhodiis tractat. Meminit ejus, ſed ut Grammatici, Varro *l.* 9. *de L.L.* ubi definitiones ejus obſcuras vocat. Ejuſdem verò, ut rhetoris Rhodii, mentionem facit Dionyſ. Halicarn. *in Dinarcho.* Etiam περὶ ποιημάτων ſcripſiſſe, Ammonius indicat, *de differ. Verb.* voce Ἐπιτομή. Alius fortè eſt *Ariſtocles* Muſicus, cujus meminit *Athenæus.* Apollonii ad *Ariſtoclem* ſententiam laudat Stobæus *Serm.* 20. *qui eſt de ira.* Vivebant autem quidam *Apollonius* & *Ariſtocles* ſub Euergete 2. Itemque ſub Auguſto, & tandem ſub Antonino Pio, ut incertum ſit, qui Apollonius & Ariſtocles hîc intelligantur. Ad *Ariſtoclem* Phrynichus librum ſcripſit, teſte Photiô *Eclog.* 158. *Ariſtocles* etiam Platonis nomen, priuſquam à magiſtro ſuo *Plato* appellaretur, cujus avus etiam *Ariſtocles*, Diog. Laërt. *l.* 3. *Nic. Lloydius.*

ARISTOCLES, Tegeatum Princeps, à perfugium ſimulante Sthenippo, ope eorum, quos ad id corruperat, in pompa jam ſacrificaturus, necatur Polyæn. *l.* 2. *c.* 26. Alius *Ariſtocles*, ut videtur, meminit Idem *l.* 6. Laconic. Vide in *Ariſtocrate.*

ARISTOCLIDES, Orchomenii tyrannus, qui, cùm Stymphalide virgine potiri non poſſet, primò patrem ejus de medio ſuſtulit, deinde & virginem ipſam, quæ ad aras Dianæ confugerat, multis vulneribus confodit. Quamobrem in eum univerſa Arcadia bellum ſuſcepit, virginiſque necem tyranni morte ulta eſt. Hieronym. *contra Jovin.*

ARISTOCLITUS, Muſicus, qui genus ſuum ad Terpandrum referebat, floruit in Græcia circa bellum Medicum. Hujus diſcipulus fuit Phrynis Mitylenenſis, qui initiò erat tibicen, ſed ab hoc citharâ canere doctus fuit. Vide Scholia *in Ariſtoph. Nubes Act.* 3. *Sc.* 3.

ARISTOCRATES, Spartanorum Rex, qui hoſtes ſolebat contemnere. Vide Pauſan *l.* 8.

ARISTOCRATES, Hiceta fil. Trapezuntius patriâ, Arcadum Rex, præliô ad Magnam Foſſam inter Spartanos & Meſſenios jamjam incipiente, ab illis pecuniâ corruptus, hos (quibus opitulatum venerat) deſeruit, ac facilem Spartanis victoriam præſtitit. Nec hâc perfidiâ contentus, poſtmodùm quoque, cùm poſt Eiram captam Ariſtomenes hominibus 500. (cui 300. Arcades in Sogeratem facinoris ſe obtulerunt) conſtitis, Spartam invadendi Conſilium cepiſſet, dum pars magna Lacedæmoniorum rapiendis Meſſeniorum rebus adhuc occupata eſſet, hoſtibus id pecuniâ eorum delinitus aperuit. Propterea à ſuis lapidibus obrutus & inſepultus, extra fines abjectus eſt. Pauſanias *Meſſeniacis.* Vide quoque voce *Anaxander.*

ARISTOCRATES, civis Rhodius, qui, quòd pluſimum dignitatis, ſtrenuitatiſque præ ſe ferret, civium omnium conſenſu belli Dux electus eſt: in quo ſpem ſuorum egregiè fefellit, ut qui in rebus gerendis, tanquam adulterinus iambus, in igne apparuerit, & omninò alius, quàm primâ fronte promiſerat. *Suidas.*

ARISTOCRATES, Scelii fil. qui Athenis popularem ſtatum commutare conatus erat. Vide Scholia *in Ariſtoph. Aves.* 54. 7.

ARISTOCRATES, Dux Athenienſium, cum viginti quinque triremibus auxilio miſſus Zacynthiis exſulibus. Diodor. Sic. *l.* 15. Hujus meminit Polyæn. *l.* 5. *c.* 40.

ARISTOCRATES, unus ex iis Prætoribus, quos Athenienſis populus præliô ad Arginuſas commiſſô reduces morte multavit. Vide Scholia *in Ariſtoph. Ranas Act.* 5. *Sc.* 1. 268 *F.*

ARISTOCRATES, Hypparchi fil. Hiſtoricus Græcus in quarto Λακωνικῶν citatur ab Athenæo, *l.* 9. Plut. *in Lycurgo.*

ARISTOCREON, terrarum ſitum deſcripſit. Plin. *l.* 5. *c.* 9.

ARISTOCRITUS, innotuit commentariô ſuô de Mileto, ex quo opere undecima eſt Parthenii hiſtoria, in Eroticis, Plin. *l.* 5. *c.* 31. tradit ex eo, ut Samos inſul. aliquando dicta ſit Melamphyllos. Meminit etiam ejus Apollonii Schol. *in l.* 2.

ARISTOCRITUS, ſcripſit archæologiam Deorum. Schol. *in Ariſtoph. Crabr.*

ARISTODEMUS, Ariſtomachi fil. Herculis abnepos. Herodot. *l.* 7. Hic cum fratribus Temeno & Creſphonte, poſt patrem in prælio contra Pelopidas interfectum, verô utriuſque oraculi (de quo vide voce *Ariſtomachus* & *Hyllus*) ſenſu demum perceptô, claſſem fabricant in Ætolia (unde *Naupacti* nomen) & Rhium advecti, Duce Oxylô τριοφθάλμῳ, Peloponneſum feliciter invaſerunt, unde novus rerum Peloponneſiacarum ſtatus; illamque inter ſe, pulſis prioribus dominis, ita diviſerunt, ut Lacedæmon *Ariſtodemo* ſortitò obtingeret: qui quidem, Tiſamenô Oreſtis filiô, qui Argis & Lacedæmone regnaverat, expulsô Lacedæmonem tenuit, & regnum hoc per geminos filios, Euryſthenem & Proclem (unde duplex apud Spartanos ſucceſſio Regia) ad poſteros per annos fermè DCCCC. tranſmiſit. Reliqua vide in *Creſphon* & *Temenus.* Atque hæc fuit ἡ Ἡρακλειδῶν κάθοδος, *Heraclidarum Reditus*, celebris Græcorum aliâ Epochâ, quam 80. annis poſt Trojam captam, 60. annis ante Migrationem Ionicam contigiſſe, Eratoſthenes, apud *Euſebium*, refert; qua de re vide Ioh. Marſhamum *Canone Chronico Sec.* XIII. ut & in *Continuatione*, ubi de *Heraclidarum Deſcenſu* agentes, *Ariſtodemum* fulmine periiſſe, inter alia, notamus. Vide quoque *Euryſthenes* & *Procles.*

ARISTODEMUS, vide *Ariſtomedes.*

ARISTODEMUS, Meſſeniorum Rex à Lacedæmoniis plurimis urbibus exutus, Ithomam ſe recepit, mox recollectis viribus tantâ ſtrage hoſtes afflixit, ut uxores filiaſque vulgò liberos quærere coëgerint. Unde *Parthenii* orti, qui 30 poſt annis, Phalantô Duce, deſertâ patriâ Tarentum in Italia occupârunt. Poſtmodùm Ariſtodemus, mactatâ, juſſu oraculi, filiâ ſuper ſepulchro ejus ſe confodit, Olymp. 14. Urb. Cond. 30. Ante Chriſtum Natum 724. A. M. 3310. *Nic. Lloydius.* Potuit, ſub Euphaë Rege Meſſenii Ithomam Spartanorum metu, ſe recipientibus, Oraculum Delphicum juſſit, ut virgo ex Æpytidarum familia immolaretur: cùm verò Lyciſci filia, ſorte ducta, aufugiſſet, *Ariſtodemus* filiam ſuam ultro obtulit. Cujus Sponſus quia negabat eam eſſe in poteſtate patris, & ratione hâc parum proficiebat, puellam jam ex ſe gravidam eſſe affirmabat. Filiâ autem ab irato patre protinus occiſâ, ejuſque uterô exciſô, conſtabat eam non fuiſſe prægnantem. Vates cædem de oraculo litatum eſſe negabat: ſed Euphaës perſuaſit, populum nullâ amplius religione teneri: neque intereſſe, à quo virgo cæſa ſit. Poſt Euphaïs dein obitum, *Ariſtodemus* populi ſuffragio Rex electus. Lacedæmonios vicit annô regni ſui 5. annô 5. Olymp. XIII. inſtante annô belli 20. (cujus decimô ταγματικὸν vati) viſa per quietem filiâ, ad illius ſepulchrum ſibi mortem conſcivit, annô regni 6. & menſ. aliquot. Sic Meſſenii ſubacti per annos 39. Lacedæmoniis ſervierunt, uſque ad Ariſtomenis ætatem, quô Duce bellum recruduit. Vide ibi, & Pauſaniam *In Meſſeniacis.*

ARISTODEMUS, Archon Athenis, Olymp. 107. an. 1.

ARISTODEMUS, ex poſteris Herculis, Euryſthenis & Proclis; gemellorum, pater, Apollodor. *l.* 2. Vide ſuprà. Item tyrannus, Pauſan. *in Arcad.* Xenocritæ operâ interfectus, Plut. *de virt. mulierum.* Vide infrà.

ARISTODEMUS, Cumanorum tyrannus, cognomentô *Malacus*, i. e. *mollis*, cujus furores deſcribit, Plut *l.* 1. *de rebus geſtis illuſtrium mulierum.* Cæterùm de Ariſtodemo vide *Dionyſ. Halicarnaſſ.* Item *Ariſtodemus* Nyſæus, fil. Menecratis, quem Strabo *l.* 14. dicit, ſe juvenem vidiſſe ſenem. Alius, ſuperioris ἀνεψιὸς, ſive conſobrinus, Magni Pompeii filios erudiit, mane Rhetoricam, meridie Grammaticam docuit. *Strabo.* Fuit & *Ariſtodemus* ὁ Ἀλεξανδρεὺς, qui aliquot libris *de Pindaro* egit, quorum tertium citat Athen. *l.* 10. Eundem laudat Schol. *Pindari ad Olymp.* 9 *Pyth* 3 *Iſthm.* 1. *& Nemeon.* 7. ubi ὁ Ἀριστάρχου μαθητὴς dicitur. Item Ἀριστόδημος ὁ Ἠλεῖος, cujus mentio apud Harpocrationem, in Ἑλλανοδίκαι. Difficile igitur eſt dicere, cujus *Ariſtodemi* ſit collectio fabularum, de qua Plut. *in Paral. Min. c.* 35. ubi ex tertia congerie narrat, ut Helena, cùm immolanda eſſet, ad averruncandam Lacedæmone peſtilentiam, aquilæ beneficiô fuerit liberata. Item cujus fuerint Θηβαϊκά; quorum primum citat Apollonii Schol. *in l.* 2. *Argon.* Aut Γελοῖα ἀπομνημονεύματα; quorum ſecundum librum adducit Athen. *l.* 6. 8. 13. Aut μυθικὴ συναγωγή, ex qua quædam narrat Plut. *in Par. Min.* c. 35. Atque idem judicium eſto, de libris *Ariſtodemi* περὶ *Ægyptiorum*, quorum mentio eſt apud Clem. Alex. *in primo* Στρωμ. Item de epitome *Ariſtodemi* τῶν καθόλου Ἡροδιανοῦ περὶ τόνων, de qua *Suidas.* Meminêre *Ariſtodemi* etiam Varro *l.* 9. *de LL.* Tertullian. *de Anim. c.* 46. nec non Euſeb. *l.* 1. Χρονικῶν, ubi *Ariſtodemum*, de Olympiadum initio conſentire ait cum Polybio. Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. c.* 21.

ARISTOGENES Cnidius, vel Thaſius, Medicus, ſervus Chryſippi Philoſophi, famam adeptus eſt ex curatione Antigoni Gonatæ, Macedoniæ Regis, cui libros de arte ſua dedicavit. *Suidas.* Vixit Olymp. 125. Vide de eo Voſſ. *de Philoſ. c.* 11. §. 35.

ARISTOGITON, legatus Athenienſium, ad Darium, captus in deditione Damaſci Curt. *l.* 3. *c.* 13.

ARISTOGITON, orator Athenienſis, impudens, ex quo Canis vocatus eſt ab Athenienſibus. Scripſit *apologiam ad Demoſthenem Ducem, contra Timotheum, ad Lycurgum contra Dinarchum.* Item *Ariſtogiton* & Harmodius, liberatores tyrannidis Piſiſtrati, quibus ſtatuæ in foro ab Athenienſibus poſitæ. Herodot. *Muſa* 5. Thucyd. *l.* 6. *c.* 12. *Plut.* Pauſan. *l.* 1. *Suidas.*

ARISTOLAUS, Pauſiæ fil. & diſcipulus, ſeveriſſimus pictor, cujus opera nonnulla commemorat Plin. *l.* 35. *c.* 11.

ARISTOLAUS, Imperatoris Theodoſii Junioris tribunus, ingenio & pietate inſignis. Cyrillum cum Johanne Antiocheno, qui Neſtori favebat, [illegible]. A. C. 432

ARISTILOCHUS, Athenienſ. victor ſtadiô Olymp. 109.

ARISTOMACHE, uxor Dionyſii Syracuſani, itemque Dionis. *Plut.*

ARISTOMACHUS, fil. Cleodæi, pronepos Herculis. Herodot. *l.* 6. [Greek illegible], *cùm Oraculum ſibi editum non rectè intellexiſſet, itidem à via Reditus in Peloponneſum* (ut pater ejus & avus Hyllus) *aberravit*, Pauſan. *l.* 2. Erat autem Oraculum tale:

Nicolo vob Quiones θεοὶ δ' ὁδοῖο στενήγρου,
Victoriam tibi oſtendunt Dei per viam anguſtiarum humidarum

Quod cùm is interpretaretur *de Iſthmo Corinthiaco*, per illum aggreſſus Peloponneſios, in pugna occubuit, Euſeb. *Præpar. l.* 5. *c.* 20. Pater *Temeni*, *Creſphontis* & *Ariſtodemi*, qui demum intellexerunt γαστρὸς ὑγρῆς, *ventrem ſulcum*, in oraculo Hyllo dato, non γῆν, *terra*, ſive trientium, ſed γενεάς, *generationes tres:* & *anguſta* in altero Oraculo, non Iſthmum Corinthiacum, ſed *fretum* illud eſſe, *inter Rhium & Antirrhium*, quod Ætolos dirimit à Peloponneſo. Apollodor. *l.* 2. & Euſeb. *d. l.* Vide *Ariſtodemus*, *Creſphon*, *Temenus.* Item hoſtis Cardianorum, ut videtur ex Polyæn. *l.* 5, *c.* 41.

ARISTOMACHUS, Heracleota, contra Lacedæmonios pugnaturus miſſus. Thucyd. *l.* 1.

ARISTOMACHUS, Athenienſis ſcriptor, de vini apparatu. Plin. *l.* 14. *c.* 19. Item vir, Solis oriundus, qui amore apum ſic flagravit, ut duo de ſexaginta annis nihil aliud fecerit. Plin. *l.* 11. *c.* 9. & *l.* [illegible] *c.* 24

ARISTOMACHUS, Tribunus, memoratur Æl. Lampridio in *Heliogabalo. c.* 24. *Inde itum eſt in hortos, ubi Varius* (i. e. Heliogabalus) *inventus* — *qui ſublata militum ſtrepitu exterritus in angulum ſe condidit* — *Antiochianus*, [illegible] *ex Præfectis unus, milites, qui in hortos venerant, & ſacramenti admonitione exoravit, ne illum occiderent, quia nec nihilis venerant & pleraque cum vexillo, quod Ariſtomachus Tribunus, retinuerat, remanſerant.*

ARISTOMEDES, Diodoro apud Syncellum, *Ariſtodemus*

Pon-

Pauſania & Euſebio, VIII. Corinthiorum ex Heraclidis Rex, ſucceſſit patri Eudamo: regnavit ann. 35 ac mortuus Teleſtem puerum reliquit ſub tutel. Agemonis, Vide Joh. Marshamum *Canon Chron.* . X II ubi de *Regibus Corinth.*

ARISTOMEDES, Theſſalus, inter Duces Darii, Perſarum Regis ad uni, 2000. Barbarorum peditum præpoſitus. Curt *l.* 3 *c* 9.

ARISTOMENES, qui ad Helleſponti oram recuperandam, à Dario, miſſus erat, à claſſe Macedonum ex Græcia accita, captus, aut demerſis navibus ſuperatur. Qu. Curt. *l.* 4. *c.* 1.

ARISTOMENES, Meſſenius, Athenienſium Dux juſtiſſimus, uti ſcribit *Hieronym.* victis Lacedæmoniis & nocturna ſacra celebrantibus, rapuit de choris ludentium virgines 12. & totâ nocte gradu concitò fugiens, exceſſit de finibus Spartanorum. Cùmque eas comites ejus vellent violare, monuit, quantum potuit, ne hoc facerent, & ad extremum quoſdam non parentes interfecit, cæteros metu coërcuit. Redemptæ poſtea à cognatis puellæ, cùm *Ariſtomenem* viderent reum cædis fieri, tamdiu ad patriam non ſunt reverſæ, quamdiu ad Judicum advolutæ pedibus defenſorem pudicitiæ cernerent abſolutum. Tantâ calliditate fuit, ut Lacedæmoniorum ſæpe urbem ingreſſus, & aliquando captus, atque in vincula conjectus, clam aufugerit; quod cum tertio feciſſet, tandem occiſus eſt; cujus, exſecto corpore, inventum eſt cor piloſum. Vide Diodor. Sic. *l.* 15. Pauſan *l.* 4. Juſtin *l.* 3. Ejus hiſtoria accuratius ſic habet. Poſt Ariſtodemi Regis obitum, Meſſenius ſub jugum Spartanorum redactis, per annos 39. *Ariſtomenes*, cujus cum matre Nicotelea Genius quidam draconis ſpecie concubuiſſe fertur, Andaniæ educatus, annô 1. poſt defectionem, annô 1. Olymp. 24 poſt prælium ad Deras, Rex ſalutatus eſt (erat enim ex Æpytidarum genere) ſed recuſantem Σ gr. [illegible], *Imperatorem* eum elegerunt. Hic ut initiò belli hoſtes perterrefaceret, noctu Lacedæmonem veniens, ad Minervæ Chalciœcæ templum affixit ſcutum, cum Inſcript. Ἀ[illegible] Σ[illegible] [illegible]. Annò ſequenti ad Apri monumentum Lacedæmonios fudit, inde Pharas diripuit. Lacones iterum profligavit; virgines Dianæ choros in Caryis agitantes comprehendit, ſed matrones in Ægilis feſtum Cereris agitantes fruſtrà adortus eſt. Tertiò belli annò, proditione Ariſtocratis Arcadum Regis à Spartanis ſuperatus reliquias prælii collegit; & Andaniâ, oppidiſque mediterraneis relictis in Eiram montem ſe recepit, ac cohorte 300. virorum conſtâ hoſtilem agrum undiquaque infeſtum reddidit. & Amyclas diripuit. Tandem verò annò 2. Olymp. 25. cum hoſtibus congreſſus denuo, victus captuſque & cum ſociis ἐς τὸν Κεάδαν dejectus eſt. Inde tamen non miraculosè cùm emerſiſſet, Corinthios Spartanis ad Eiræ obſidionem miſſos noctu adortus, Duces occidit, caſtra diripuit, & Jovi Ithomatæ Ἑκατομφόνια fecit. Captus dein ac pharetratum loris vinctus à 7. Sagittariis Cretenſibus, mox ope puellæ cujuſdam ruſticanæ liberatus, eam Gorgo filio ſuo uxorem dedit. Undecimò obſidionis annò Eirâ captâ, bellum finem habuit, annò 1. Olymp. 28. ipſe verò 800. hominibus collectis Spartam invadendi conſilium cepit, ſed iterum ab Ariſtocrate proditus fruſtra fuit. Meſſeniis dein novas ſedes quærentibus Gorgum & Manticlum Duces dedit: ipſe autem Damageto Rhodio Jalyſi Regi, à Pythia juſto ut τῶν Ἑλλήνων ἀρίστου filiam duceret, filium ſuum adduxit; inde cùm Sardes ad Ardyn Gygis fil. & Ecbatana ad Phraorten Medum tranſmittere cogitaret, contra Spartanos (quibus ſe hoſtem dum viveret manſurum firmaverat) auxilia rogaturus, morbô oppreſſus diem obiit. Joh. Marshamus *Canon Chron.* Sec. XVII. Vide & hîc paſſim.

ARISTOMENES, quoque recenſetur Lacedæmonius, Dionyſio in auxilium miſſus, à Polyæno *l.* 2 *c.* 31.

ARISTOMENES, Athenienſis Comicus, inter ſecundos antiquæ Comœdiæ, floruit Olymp. 88. Cognomentum habuit Θυρο-[illegible] i. e. *januarum fabricator*, ut eſt apud *Suidam*, ubi aliqui malunt [illegible], *caſtum conſcriens*.

ARISTON, Agaſiclis fil. Patri in regno Lacedæm. ſucceſſit, ex Prochdarum familia Rex XIV. maritus uxoris, quæ ante nuptias turpiſſimâ formâ cùm eſſet, in matrimonio inſigni pulchritudine erat. Hæc cum ſeptimò, à quo gravida erat, menſe, Demaratum peperiſſet, Ariſton in publico Ephororum conventu, auditô nunciò, prolis ſe eſſe parentem inficiatus eſt. Pauſan. *l.* 3. Plut. *in apophth. Lacon.* Vide *Demaratus*.

ARISTON, Ætolorum Dux, item ſculptor, cujus meminit Plin *l.* 3 *c.* 12. 34. *c.* 8. & JCtus apud Gellium. *l.* 11. *c.* 18.

ARISTON, Corinthius gubernator, qui auxilio videtur fuiſſe Syracuſanis, contra Athenienſes, Polyæn. *l.* 5. *c.* 13.

ARISTON, in exercitu Alexandri magni Pæonum Equitum præfectus, qui Satropaten, Equitatus Perſici Ducem, vicit. Curt. *l.* 4 *c.* 9.

ARISTON, Autoleontis F. inſidiosè & malignè à Lyſimacho paternô Pæoniæ regnô ſpoliatur. Polyæn. *l.* 4. *c.* 12.

ARISTON, à Ptolemæo Ægypti Rege miſſus ad explorandum Arabicum Sinum, uſque ad Oceanum Indicum, Neptuno Pelagio aram conſecravit, in eo loco Arabici ſinus, quod Ποσείδειον appellatur. Ab eo manſioni, *Ariſtonis manſio* dictæ nomen, cujus mentio apud Auctorem *Itinerarii* veter. laudatum Salmaſio *ad Solin. p.* 1184. Idem nomen fuit nobilis cælatori Plin. *l.* 34. *c.* 8. *Ariſton, qui & argentum cælare ſolitus eſt* h. e. qui ſcyphos ſigillatos ex argento faceret; cujuſmodi opera [illegible] Græci dixêre.

ARISTONAUTA, Pellenæorum navale. Pauſan. *l.* 1.

ARISTONICUS, Eumenis Regis fil. Aſiam invaſit, & Pergamenum Regnum à Romanis Attalo donatum, vi retinere conatus, Conſ. Licinium Craſſum, vicit, ſed annô poſt à Conſ. Perpenna ſuperatus, & in carcere ſtrangulatus eſt. Liv. *l.* 59. Juſtin *l.* 36 *c.* 4. Florus. *l.* 2 *c.* 20. Eutrop. *l.* 4. *c.* 9. Vellej *l.* 2 *c.* 4. Item Methymnæ tyrannus, qui, cum ignoraret Chion Macedonibus traditam eſſe cum piraticis navibus, primâ vigiliâ, ad portus clauſtra ſucceſſiſſet, & Pharnabazum conventum vellet, velut hoſpes ac ſocius admiſſus eſt atque in vincula compactus. Poſtea popularibus traditus, quem illi ob injurias tortum necaverunt. Qu. Curt. *l.* 4. *c.* 5. & 8. Item Grammaticus Alexandrinus, Ἀριστόνικος ὁ καθ' ἡμᾶς dicitur Straboni *l.* 1. Scripſit, περὶ τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μουσείου, è quo Sopater duodecimum Eclogarum ſuarum librum confecit, teſte Photiô *Eclog.* 161. Scripſit librum quoque, in Theogoniam Heſiodi, & de nominibus, ſive conſtructione apud Homerum. Item Hiſtoricus Tarentinus, de quo Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 4. *p.* 506. Denique Eunuchus quidam, de quo *Suidas*.

ARISTONICUS, Citharœdus Olynthius, in arte ſua celebris. Vide Polyæn. *l.* 5.

ARISTONIDES, ſtatuarius inſignis, qui cùm Athamantis furorem Learcho filio præcipitato reſidentem, ejuſque pœnitentiam vellet exprimere, ferrum & æs miſcuit, ut ferri rubigine per nitorem æris relucente exprimeretur, verecundiæ rubor. Plin. *l.* 34. *c.* 14.

ARISTONOUS, Piſæi Macedonis, ex Pella Urbe, fil. inter corporis cuſtodes Alexandri M.

ARISTONUS, Præfectus Pæonum equitum Alexandri, vir bellicoſiſſimus & prudens Qu. Curt. *l.* 9. *c.* 5. *l* 10. *c* 6.

ARYSTONYMUS, Poëta Comicus ſub Philadelpho, præfuit Regiæ bibliothecæ, poſt Apollonium, qui Eratoſtheni ſucceſſerat. Veniens tandem in ſuſpicionem, quòd ad Eumenem transfugere cuperet, in cuſtodia per aliquot annos fuit, tandem verò liberatus, mortem non multò pòſt retentione urinæ, an. ætat. 77. obiit. *Athenæus*, *Suidas*.

ARISTONYMUS, ex citharœdis Alexandri M. Plut. *de fort. Alex.*

ARISTOPHANES, Archon Athenis, Olympiadis centeſimæ duodecimæ annô ſecundô. Diodor. Sic. *l.* 17. *c* 49.

ARISTOPHANES, Poëta Comicus, Philippi fil. ex Lindo Rhodi oppid. ortus, inventor tetrametri, in carpendis hominum vitiis liberrimus: Ab Athenienſibus ſerto ex ſacra lauro, quæ in acropoli erat, ornatus. Cum Socrate inimicitias exercuit, quem in *Nubibus*, ut juventutis corruptorem egregium acerrimè inſectatur. Vide *Suidam*, & Diog. Laërt. *l.* 2. Per excellentiam *Comœdiæ Poëta*, ab ipſo etiam magno Perſarum Rege, cognominatus. In eo ſunt omnia linguæ Atticæ ornamenta, quem ſub pulvinari ſuo, cùm dormitum iret, ſervare ſolitum ferunt B. Chryſoſtomum. Comœdias ſcripſit 54. ex quibus 11. adhuc extant. Hic veteris Comœdiæ, quæ magnâ libertate inſectata vitia eſt, princeps longè, ſicut Menander novæ fuit: Ita tamen, ut illi adjungendi Eupolis & Cratinus ſint, huic verò Philemon ac Diphilus comites addendi. Vellejus *l.* 1. *c.* 16. *Una, neque multorum annorum ſpatio diviſa ætas, per divini ſpiritus viros, Æſchylum, Sophoclem, Euripidem illuſtravit Tragœdias: una priſcam illam ac veterem ſub Cratino, Ariſtophane, & Eupolide, Comœdiam; ac novam Comicam Menandrus, æqualeſque ejus ætatis magis quam operis, Philemon ac Diphilus, & invenêre intra pauciſſimos annos, neque imitanda reliquêre.* Quinctilian. *l.* 10 *c.* 1. *Plures ejus* (antiquæ Comœdiæ ſcil.) *auctores: Ariſtophanes tamen, & Eupolis, Cratinuſque præcipui.* Horat. *l.* 1. *Sat.* 4. *v.* 1.

Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſque, Poëtæ,
Atque alii, quorum Comœdia priſca virorum eſt,
Si quis erat dignus deſcribi, quod malus, aut fur,
Quod mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabant.

Perſius *Sat.* 1. *v.* 124.

Iratum Eupolidem prægrandi cum ſene palles.

I. e. cum *Ariſtophane*, inquiunt interpretes, quem ſenem vocat ob monendi, increpandique partes, quas ſuſtinet in fabulis. Sic *ſenem* Horatius vocat *Lucilium*, non propter ætatem, ſed propter gravitatem argumenti, in quo ſe exercent. Nam Lucilium annum ætatis 46. non exceſſiſſe, ex Euſebii Chronico diſcimus. Plutarchus collatione Ariſtophanis, & Alexandri inſtitutâ, huic palmam tribuit, Lilius Giraldus *in vita Poet.* *Nic. Lloydius*.

ARISTOPHANES, Byzantinus Grammaticus, Callimachum ſenem puer audivit, adultus verò Zenodotum, Dionyſium item Jambum, & Euphronida Corinthium magiſtros habuit, teſte Suidâ, in Ἀριστοφάνης, ubi Olymp. 145. quâ (non in, uti vulgo legitur) vixiſſe dicitur. Anonymus ille auteâ ſuâ, & verè prænobiliſſimâ Olympiadum deſcriptione, quâ Hiſtoriam mille annorum compendiò nobis exhibet, ad Olymp. 145. an. 1. Ἀριστοφάνης Βυζάντιος γραμματικὸς, ὅς ἀκουστὴς, μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου ἐγνωρίζετο. Audivit quoque Eratoſthenem, Callimachi diſcipulum, teſte Suidâ in *Eratoſthenes*, poſt defunctum ſcil. ſub Evergete, Callimachum. Juvenis cum eſſet, Machone Sicyoniô Poëtâ familiariter uſus eſt, teſte Athenæô. *l.* 14. *c.* 13. ut ita hinc Machonis ætas cognoſcatur, neque ipſe inter incertæ ætatis Poëtas cum Voſſio habeatur. Obiit an. ætat. 80. poſtquam ſub Ptolemæo Evergete & Philopatore, diu floruiſſet, ſcriptis ejus laudata, Athen *l.* 9. 13. 14. Diog. Laert. *in Platone & Epicuro*. Laudat præter hunc, *Ariſtophanem Ægeum*, nummus quidam apud Goltzium in Theſaurum. *Ariſtophanes Bœotius* ἐν τῷ β΄ Κατὰ πόλεις ὑπομνημάτων, apud Plut. *l. de Herodot. malign.* narrat, non Leonidem, quod Herodot. *l.* 7. voluit, ſed Anaxandrum Thebanorum in Thermopylis Ducem fuiſſe. Unde hic Hiſtoricis Græcis Voſſianis addendus videtur. Jonſius *l.* 2. *Hiſtor. Philoſ. Script. c.* 10. *p.* 167.

ARISTOPHILI, Paropamiſi populi. *Ptol.*

ARISTOPHILIDES, Tarentinorum Rex, Darii Perſarum Regis tempore.

ARISTOPHON, Archon Athenis, Olympiadis centeſimæ duodecimæ annô tertiô.

ARISTOPHON, Comicus, qui Fabulâ Πυθαγοριστὴς Pythagoreos, eorumque inſtituta, & vivendi rationem vellicavit. Fragmenta

gmenta ex eo nobis ſervavit Athen. *l. 6. c. 9.* & *l. 13. c. 2.* & Laërtius *l. 8.* Ariſtophontem, Authorem comœdiæ, *Pitiaſtæ*, laudat *Plut.* Rhetorem cognominem laudat Demoſthenes *pro Cteſiphonte.* Alius pictor fuit, de quo Plin. *l. 35. c. 11.* Nec non Athenarum civis, qui ſæpe gloriabatur, quòd nonagies quinquies accuſatus, ſemper evaſiſſet. Vide de Prætore quodam Athenienſi hujus nominis, Diodor. Sic. *l. 17. c. 62.*

ARISTOPHON, à Polyæno *l. 3. in Iphicrate com. 29.* recenſetur inter accuſatores Iphicratis.

ARISTOR, Crotopi fil. pater Argi centoculi. Ovid. *Met. l. 1. v. 624.*

Done Ariſtoride ſervandam tradidit Argo.

ARISTOTELEIA, Græcè Ἀριστοτέλεια ἑορτή, Feſtum Stagiritarum, in *Ariſtotelis* honorem inſtitutum celebratumque. Hic enim cum ab Alexandro M. ut Stagira patria, quam Macedones ſolo æquaverant, reſtauraretur, obtinuiſſet, cives ob tanta merita id honoris ei habuêre, ut feſtos dies ludoſque quotannis adhuc viventi faciendos publicè dedicarent: qui *Ariſtoteleia* ab ejus nomine dicti ſunt, Oliverius *ad Val. Max. l. 5. c. 6. ex. extern. 5.* Vide quoque Ammonium in *Vita Ariſtotelis* & Gerh. Joh. Voſſium *de Orig. & progreſſu Idolol. l. 1. c. 13.* qui cultum hunc civilem ſolùm, non divinum, utpote conviviis ſolùm feſtis perſtrepentem fuiſſe monet.

ARISTOTELES, Stagirita, Philoſophus, Peripateticorum Princeps, natus eſt Olymp. 99. A. M. 3670. Urb. Cond. 370. Ante Chriſtum Natum 384. Septemdecim annos natus, poſt Nicomachi parentis mortem, Athenas profectus, Platonis auditor fuit, qui præclariſſimum teſtimonium ipſi perhibuit adhuc diſcipulo. Cùm enim fortè in auditorium veniſſet, & *Ariſtotelem* deſideraſſet, pronunus exclamavit: Ὁ νοῦς οὐ πάρεστι· rurſus, Ἄπεστιν ὁ ἀληθείας φιλόσοφος. Sanè Tullius, *neminem Ariſtotele doctiorem, neminem acutiorem, neminem in rebus inveniendis, vel judicandis acriorem* ſcribit. Idem judicium eſt Quinctiliani *l. 10. c. 1. Quid Ariſtotelem? quem dubito, ſcientia rerum, an ſcriptorum copiâ, an eloquendi ſuavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem?* Diſcipuli ejus *Peripatetici* dicti ſunt; de quorum nomine ſic Cicer. *l. 1. Acad. Quæſt. Qui erant cum Ariſtotele, Peripatetici dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Lyceo.* Idem tradit Laërtius, in *Ariſtotele*, qui & alias occaſiones addit. *Heſychius* quoque, Ἡ δὲ Περιπατητικὴ φιλοσοφία ἐκλήθη ἀπὸ τοῦ ἐν Περιπάτῳ, ἤτοι κήπῳ καθηγεῖσθαι αὐτῆς Ἀριστοτέλη. Sed Ammonius in *Categ.* autor eſt, Platonem ipſum docuiſſe ambulantem: atque ab hoc primo Peripatetico, poſt ejus exceſſum, Xenocratis auditores vocatos Peripateticos ex Academia: *Ariſtotelis* autem *Peripateticos* ex Lyceo. Tandem verò *Xenocrateos*, nomine *Peripatetici* omiſſo, à loco ſolùm dictos *Academicos*. & contra *Ariſtoteleos*, nomine loci prætermiſſo, ab actione ſolùm vocatos *Peripateticos*. Parentes ejus fuêre Nicomachus & Phæſtis, quæ *Laërtio* Phæſtiſtis & *Suidæ.* Phæſtis autem comprobatur hexametro Græco,

Φαιστίδος ἐκ μητρὸς καὶ Νικομάχου γενετῆρος.

Nicomachus autem genus ducebat à Machaone Heroë, Æſculapii filio, unde *Ariſtoteles* dicitur fuiſſe τῶν Ἀσκληπιαδῶν γένος. Nicomachus ille fuit Medicus Amyntæ Regis, qui pater Philippi, avus Alexandri Magni fuit. Olympiodorus *in Gorgiam Platonis*, & Ammonius, vel Damaſcius, vel alius in vita *Ariſtotelis*, à Nunneſio edita, & Beſſario *l. 1. Adverſus calumniatorem Platonis*, ajunt *Ariſtotelem* triennio audiviſſe Socratem; quæ eſt ἀναχρονία. Nam Socratem conſtat obiiſſe an. 1. Olymp. 95. *Ariſtotelem* natum an. 1. Olymp. 99. ut minimùm 15. anni interſint inter obitum Socratis, & nativitatem *Ariſtotelis*. *Ariſtotelis* autem ea laus eſt, quòd non Philoſophiâ uſus mythicâ, ut Poëtæ veteres; non ſymbolicâ, ut Pythagoras, & ſæpe etiam Plato; ſed apertâ, ut quæ proprietate gaudeat verborum. Tria hæc philoſophandi genera ſtrictim complectitur Simplicius, *in proœmio libri τῶν κατηγοριῶν*, ubi de Ariſtotele ſic ſcribit, οὐδὲ μύθοις, οὐδὲ συμβολικοῖς αἰνίγμασιν, ὡς τῶν πρὸ αὐτοῦ τινες ἐχρήσατο, ἀλλ' ἀντὶ παντὸς ἄλλου παραπετάσματος τὴν ἀσάφειαν προεβάλλετο. Altera *Ariſtotelis* laus eſt, quòd cæteris ſit μεθοδικώτερος, ut qui accuratius definiat, ac dividat, meliorique omnia ordine pertractet. Nec dubium, quin hoc artificium Logicæ debuerit, quæ verè eſt, quod dicitur, nempe ὄργανον omnium artium ac ſcientiarum. Tertia ejus laus eſt, quòd magis Platone excoluit ſcientiam naturalem; in qua quantum præſtiterit, monumenta ejus docent, præſertim ea, quæ de Animalibus perſcripſit. Quid multis? ſi non partem aliquam virtutum, ſed totum Philoſophum conſideremus, unus ille ingenii acie, ac varietate doctrinæ, eorum qui præceſſerant, lumina tantum præſtinxerit, quantum Sol Lunæ, & ſiderum minorum. Luculenta ejus laus apud Cicer. *l. 5. de Fin.* etiam Plin. *l. 8. c. 16.* appellat [illegible] *omni ſcientiâ virum.* Galenus *l. 2. de decretis Hippocr. & Platon.* docet, nullam Philoſophorum ſectam magis conſtantem, ac certam, ac magis ſuis principiis conſentaneam dicere. *Vir* [illegible] *præpotens ac doctrinâ præcipuus*, dicitur Arnobi[o] *l. 3.* Macrob. *l. 2. in Somn. Scip. c. 15.* quoque non veritus dicere, *nihil tantum virum ignorare potuiſſe.* Eundem quoque *finem humani intellectûs* appellat B. Hieronym. *l. 1. adverſus Jovinian.* Vide & alia ejus elogia apud Cicer. *Tuſc. l. 1. & l. 1. de* [illegible]. Plin. *l. 8. c. 16.* & *l. 18. c. 34.* Ælian. *Var. Hiſt. l. 12. c. 54.* Lactant. *de Ira c. 10.* Auguſtin. *de Civit. Dei, l. 8. c. 12.* Interim tamen *Ariſtoteles*, ut *Quiſque, ſuos patitur manes.* Vide Wendel. *Phyſ. l. 1. c. 2.* Platonis auditor fuit annos 20. à quo cùm viventi adhuc receſſiſſet, ludumque proprium inſtituiſſet, dicere in eum, ingratitudinem ejus notans, Plato conſuevit, Ἀριστοτέλης ἡμᾶς ἀπελάκτισε καθάπερ τὰ πωλάρια τὴν μητέρα. Meminerunt Laërtius & Ælian. *Var. Hiſt. l. 4. c. 9.* Staturâ fuit non magnus, deformis præterea, gibboſus & balbutiens, quod ejus vitium amici tamen, ſeu adulatores potius imitati ſunt, quemadmodum & humeros Platonis latos diſcipuli & amici ejus exprimere didicerunt. Narrat utrumque Plut. *de diſcrimine adulat. & amic.* Alexandri Magni à quo increpitus eſt, quòd libros Acroamaticos vulgaret, non familiaris tantùm, verùm etiam Præceptor per decennium fuit: ex quo magnas divitias conſecutus eſt, eamque nomine malè audiit, ut ex *Luciano* cognoſci poteſt. Videantur hac de re Epiſtolæ & patris Alexandri Philippi, & *Ariſtotelis* ipſius, denique & Alexandri de benevolentia & gratitudine in eum, ut Præceptorem, ſua, cùm apud alios, tum apud Gell. *l. 20. c. 4.* Nam & gratitudinis ejus ſignum hoc vel maximum fuit, quod Stagiram *Ariſtotelis* patriam, dirutam, ipſius causâ reſtituerit. Athenas, ex quibus à Philippo Macedone evocatus erat, ad officium Præceptoris, decennio exacto, rediit, cùm in Aſiam ad res gerendas Alexander ſeſe recepiſſet, ibidemque annis totis 13. in Lyceo Philoſophiam profeſſus eſt, de qua libri ejus multi, magni, eruditi, di[ſerti] & graves extant. Ad Animalium hiſtoriæ deſcriptionem contulerat ei Alexander octingenta talenta, teſte Athenæo *l. 9.* quæ ſumma eſt pecuniæ noſtræ quadringenta & octoginta millia coronatorum. Cui malam gratiam retulit, ſi verum eſt, cum veneni, quod Alexandro propinatum erat, conſcium fuiſſe. Bibliotheca illius, quam Theophraſto reliquerat, ab hoc Neleus acceptam Ptol. Philadelpho vendidit, ſcriptis ejus ſibi ſervatis, quæ in Apellicæ Teii manus poſtea pervenerunt, Athen. *l. 5.* Hæc ab imminenti interitu quomodo ſervata, ac tandem à Sylla victore Romam tranſlata, ubi à Tyrannione Grammatico & Andronico Rhodio, evulgata primùm ſunt. Strabo *l. 13.* & Plut. *in vita Syllæ*, exponunt. Vixit ann. 63. Morbi cujuſdam ejus Ælian. *l. 9. c. 23.* meminit; ſed de mortis genere incertæ circumferuntur quotundam narrationes, inter quas illud de ænigmate, à piſcatoribus ipſi propoſito, nugamentum eſt & ſomnium. Pudore & dolore, quòd naturam Euripi Chalcidenſis explorare haud poſſet, mortuum, Juſtinus Martyr, *Paræneſi ad gentes*, ſcribit: & profectum in Chalcidem, poſtquam ab Eurymedonte accuſatus impietatis eſſet, clam, ibique diem obiiſſe, *Diog. Laërt.* & *Dionyſ. Halicarnaſſ.* conſentiunt, quorum poſterior morbo mortuum eſſe diſertè ſcribit, nihil de dolore commemorans. Grotii τὸ πάνυ *de Ariſtotele* judicium habes, *Proleg. de Jure B. & P.* ut alios taceam. Primus omnium Bibliothecam inſtituiſſe dicitur, teſte Strab. *l. 13.* Syllogiſmorum, h. e. collectionum rationem invenit, nam antiqui interrogationibus quibuſdam tantùm utebantur. Septem alii fuêre *Ariſtoteles*. Primus qui Athenis Rempubl. adminiſtravit; Secundus, qui Iliadem Homeri deſcripſit; Tertius Siculus orator, qui ad Pane[gyr]icum Iſocratis reſcripſit; Quartus cognomento *Mythus*, Æſchinis Socratici neceſſarius; Quintus Cyrenaicus, qui de Poëtica ſcripſit; Sextus Pædotriba, cujus meminit Ariſtoxenus *in vita Platonis*; Septimus Grammaticus ignobilis, qui de pleonaſmo ſcripſit. Laërtius *l. 5.* Unum & viginti *Ariſtoteles* olim extitiſſe, oſtendit vir doctiſſimus Jo. Jonſius, *Diſſertationum ſuarum prima de Hiſtoria Peripatetica.* Idem poſtea undecim alios recenſet, *de Script. Hiſt. Philoſ. l. 1. c. 12.* quem ſis conſule. Addam ſolùm, Hiſtoricum Chalcidenſem, Eubœæ authorem, ex Voſſ. *Hiſt. Græc. l. 4.* *Nic. Lloydius.*

ARISTOTIMUS, Epirotum urbem per tyrannidem occupavit & Hellanici induſtriâ memorabili quinctô menſe poſtea, oppreſſus eſt. Juſtin. *l. 26. c. 1.* Pauſan *l. 5.*

ARISTOXENUS, Grammaticus, laudatur à Schol. *in Ariſtoph. Ran. Act. 1. Sc. 7.*

ARISTOXENUS, Muſicus illuſtris, tempore Tulli Hoſtilii, III. Romanorum Regis. Vide Voſſ. *de Scient. Mathem. p. 94.* Tarentinus fuit, Mantineæ tamen agens; Philoſophus etiam fuit. primùm verò audivit Lampium Philoſophum Erythræum, deinde Xenophilum Pythagoræum, poſtremò Ariſtotelem, cui morienti convitium dixit, quòd Theophraſtum ſibi in Scholæ ſucceſſione præponeret. Plurima ſcripſit in Muſica, Philoſophia & Hiſtoria, quorum operum 453. fuiſſe *Suidas* ait. Joh. Meurſius tractatum ejus de Elementis harmonicis edidit, notiſque eruditis illuſtravit, ſæpius laudatum priſcis. A. Gell. *l. 4. c. 11.* Val. Max. *l. 8. c. 13. ext. 3.* Jamblich. *in vita Pytag.* Hieron. *in præf. Catalog.* *Plut.* *Diogen. Laërt.* *Cicer.* *Lactantius*, &c. Vide plura de eo, apud Jonſium, *de Script. Hiſt. Philoſ. l. 1. c. 14.* Itemque Voſſ. *Hiſt. Græc. l. 1. c. 9.* Diſtinguendus eſt autem ab *Ariſtoxeno* Selinuntio, Poëta antiquo, ante Epicharmi tempora circa 29. Olymp. & *Ariſtoxeno* patriâ, & Philoſophiâ Cyrenæo, apud Athen. *l. 1. c. 7.* & Suidam, in Ἀριστόξ. & *Ariſtoxeno* Medico Herophileo, juxta Galenum *l. 4. de differ. pulſ. c. 7.* cujus librum 13. citat idem *ibidem c. 10.* ubi Alexandri Philalethis diſcipulus fuiſſe dicitur. Porro *Ariſtoxenus* Cyrenæus ita delectatus in hortorum cura fuit, ut veſperi lactucas mulſo, & melle, & vino irrigaret, ut luxurioſius creſcerent, & ſaporis eſſent præſtantioris. *Suidas Nic. Lloydius.*

ARISTOXENUS, Muſicus laudatur ab auctore Scholiorum *in Ariſtoph. Ranis Act. 5. Sc. 2. p. 171.*

ARIST[U]S, Salaminius, Hiſtoricus Græcus ſcripſit expeditiones Alexandri M. Arrian. *l. 7.* Strabo *l. 14.* *Athen.* & *Clem. Alexandr.*

ARISTYLLUS, Poëta obſcœnior. Præter animi vitia illi inerat & hoc corporis vitium; inter loquendum ore non ſatis apertò loquebatur, ſed ſubhiabat, adeò ut ferè tota vox ejus per nares prodiens ſtridula eſſet, qualis eſt grunnitus porcorum. Hunc taxat Ariſtophanes, *in Pluto.*

ARITHBERTUS, Clotarii Francorum Regis primogenitus, ex paterna hæreditate Pariſiorum, ut Guntramus Aurelianenſium, Chilpericus Sueſſionum, Sigebertus Metenſium regno ſucceſſit. Paul. Æmil. *l. 1.* Item Longobardorum Rex, qui Alpes Cottias uſque ad Galliarum Alpes Joanni Papæ D. Petri nomine, donavit. Blondus *l. 10.* Vide *Aripertus.*

ARITHEDANA, Judææ civitas maritima. Egeſippus *l. 1.*

ARITHEI, Palæſtinæ gens. Joſeph. *Jud. Ant. l. 5.*

ARITHMETICA, vide infrà *Calculator*, *Literarum primus informator*, nec non ubi de *Numeris.*

ARITHMI, apud Tertullian. *adv. Gnoſticos c. 3.* ſu Arithmis,

cum

cùm divertiſſet Iſraël apud Sethim, abeunt libidinatum apud filias Moab Vide in voce *Numeri*.

ARITHMOLOGIA, ſive de occultis numerorum myſteriis, quâ origo, antiquitas & fabrica Numerorum exponitur, eorumque abditæ proprietates demonſtrantur & fontes ſuperſtitionum hôc tempore currentium aperiuntur, & acriter conſutantur; nomen Libri, Auctore Athan. Kirchetô, editi Romæ A. C. 1665.

ARITIUM, Luſitaniæ urbs. *Ptol.* hodie *Benavente*.

ARIUS, ſextus, alius quartus, Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 18 *c.* 3. quintus, quia ille à Belo ordirur, non à Nino, hujus filio, ut alii, Aſſyriorum Rex, collectô exercitu, poſt patris Ninyæ obitum, Bactrianos & Caſpios ſubegit. *Euſeb. Caſſiodor.* Genebr. *Chron. l.* 2. regnavit ann. 30.

ARIUS, Hæreticus, vide *Arrius*.

ARIUS Tarſeoſis, commemoratur Sorano Epheſio, *in vita Hippocratis*, ubi ab eo γενεαλογίαν Hippocratis ſcriptam prodit.

ARIUS Antoninus, cum Mario Celſo Conſul. Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 77.

ARIUS, vulgò *Lac de Burgian*, Galliæ fluv. Aſiæ inter Indos & Parthos, quæ pars ab hujus fluv. nomine *Aria* ſive *Ariana* dicitur. Populi *Arii*. Lucan. *l.* 3. *v.* 281.

---- ---- Hinc ſortis Arim,
Longaque Sarmaticis ſolvens jejunia belli
Maſſagetes. ---- ---- ----

Recipit Arium fluv. & alios; eſtque in Provinc. Perſiæ *Chorasan*, verſus Oxum fluv. *Baudrand*.

ARIUS Pagus, apud Solin. *c.* 7. *Athenienſibus Judicii locus Arius pagus*, Græcè; Ἄρειος πάγος, Item Ἀρειοπαγίτης: junctim *Areopagus* eſt, de qua voce vide *ſuprà*.

ARIUSIUS, ager in Chio inſul. aſper & importuoſus, vinum omnium Græcanicorum optimum ferens, à Plinio *l.* 14. *c.* 7. & Virgilio *Ecl.* 5. *v.* 71. *Arviſium* per metatheſin dictum. *Strabo*. Vide *Arviſium*.

ARIZANTHI, Mediæ gens *Herodoto*. *Arkm* Bochartó *Geogr. p.* 345.

ARKIANUS, Babylonis Rex VI. Mardok Empado ſeu Merodach Baladani ſucceſſit, circa initia Aſathaddonis Aſſyriorum Regis, Manaſſe in Juda regnante. Præfuit ann. 5. ſecutô interregnô biennali: poſt quod Belibus Thronum conſcendit, quem vide. Tempore verò *Arkiani*, defeciſſe primos ab Aſſyriis Medos, & ſeſe in libertatem aſſeruiſſe dicemus voce *Dejoces*.

ARLA, Parthorum caſtrum, *Straboni*.

ARLAPE, vulgò ERLA, teſte *Lazió*, oppid. olim, nunc pagus Norici in Auſtria apud Danubium, ubi is fluv. cognominem *Erlaph* excipit apud Pechlarnum oppid. quod Arlapæ ſucceſſiſſe videtur; fluvius verò *Arlape*, ſive *Arlapa*, vulgo *Erlaph* dicitur.

ARLENIUS, vide *de Lens*.

ARLONUM, oppid. Ducatus Lutzenburgici, jugo collis impoſitum, Lunam Deam hîc olim gentilitiô more cultam, & inde nomen habere, quaſi *Ara Lunæ*, putatur. *Merel*.

ARLOTUS de Roynone Vicentinus, ingenioſus ſcriptor, Hiſtoriam rerum inter Vicentinos & Patavinos geſtarum compoſuit. Voſſ *de Hiſt. Lat. l.* 3. *p.* 696.

ARLUNUS Bernardinus, ſcripſit Hiſtoriam, à Mediolano condito, uſque ad ſua tempora. Geſnerus, *in Biblioth*.

ARMA, provinc. & oppid. Regni *Popayan*, in America Meridionali prope fluv. Caucam.

ARMA, quid ſint, notum: propriè nempe, quæ *armos* tegunt, ſcuta videlicet, quibus nos defendimus; ſicut tela, à Græco τῆλε, quæ *procul* hoſtem arcent. Inde latiùs vox extenſa. Ærea antiquitus fuiſſe, ex *Homero*, *Strabone*, *Pauſania*, aliis, liquet; quam in rem, vide Caſp. Barthium *Animadv. ad Stat. Achilleid. l.* 2. *v.* 423.

Æra domant Tremeſa.

Suſpendebant ea Veteres ſi præſcoti militiæ idonea non eſſent, eaque quæ eſſent uſui ſumebant è Templis; uti de Cimone legimus, quem, equi ſui *frenum* ſuſpendiſſe in Acropoli Athenarum Minervæque dedicâſſe; è Templo contrà ejus *clypeum* ibi pendentem refixiſſe, quòd non equeſtri, ſed navali militiâ jam opus eſſe cerneret, tradit Plut. in *Vita* ejus. Hinc idem Stat. *ibid. v.* 423. de armis,

Vibrantur poſtibus altis.

Eadem poſtea, peractâ militiâ, Diis ſuis dicabant. Idem *l.* 5. *Sylv.* 2. *Protreptico Criſpum v.* 148.

Belligeris hæc dona Deis, hæc arma dicavit,
Cernis adhuc titulos? Hunc ipſe, vocantibus armis,
Induit, hunc Regi rapuit thoraca Britanno.

In exequiis Virorum præclarorum concuti ſolita, diſcimus ex Livio, qui *motus armorum* vocat *l.* 25. *In veſtibulo primorum Caſtrorum rogum factum eſſe, armatum exercitum decurriſſe, cum tripudiis Hiſpanorum*, motibuſque armorum *& corporum ſuæ cuique gentis aſſuetis*. Vide funera Romanorum Principum, apud *Appianum*, *Dionem*, alios. Etiam cremata ad capiandas cædes dicemus infrà voce *Ignis*, item *Lux*. Pignori verò ob fœnus capere vetuiſſe veter. Græciæ Legislatores, qui tamen eos, qui illis uti debebant, necdendos permiſerint, uſque ad Solonem, habes apud Diodor. Sic. *l.* 1. *Alba* autem Heroibus præcipuis placuiſſe, ad oſtentandam animi puritatem, ſimiliter ex Scriptoribus conſtat. Hinc Æſchylus de Amphiarao,

---- ---- ἀσπίδ' ὅπλον ὀξύ νέμων
Πάγχαλκον ηὔδα, σῆμα δ' οὐκ ἐπῆν κύκλῳ.
Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
Ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

---- *clypeum rotundum vibrans*
Undique aureum, dixit, ſignum verò non inerat orbi.
Non enim videri optimus, ſed eſſe, volebat,
Profundo ſulco animum impreſſum,
Unde tam præclara oriuntur conſilia.

Aliud eſt illud Virg. *l.* 9. *Æn. v.* 548.

---- *Parmâque inglorius alba*,

de quo alibi &c. Atque hæc primitiva vocis notio: pro Inſignibus, ante annos demum circiter 400. *Arma* dici cœpêre; quamvis alii huc trahant varia apud Poëtas loca, ut *Æn. l.* 1. *v.* 187.

---- ---- *celſis in puppibus arma Caici.*

Item, *l.* 10. *v.* 80.

Pacem orare manu, & præfigere puppibus arma.

Et Horatii illud *l.* 1. *Ep.* 1. *v.* 4.

---- *Vejanius armis*
Herculis ad poſtem fixis.

Vide in voce *Inſignia* &c. Militaria *arma* alicui dare vel tradere; Item *Armis militaribus aliquem donare, cingere, honorare*, apud aliorum ſeculorum Scriptores paſſim occurrunt, pro eo quod hodie dicitur, *Equitem auratum creare*. Sermo vetus, à Germanorum ritu deductus videtur, qui traditione ſcuti & frameæ adoleſcentes ad militiam aptos, ſolenniter admisêre, teſte Tacitô *de Germ. mor. c.* 18. Ademtio verò eorum, graviſſima apud omnes gentes pœna eſt, ab initio militaris diſciplinæ: quâ Anglo Saxones etiam libertatem adimebant. Et Germani quidem non ſolum Ethnici, ſed & ad fidem converſi, eâ religione arma coluerunt, ut nihil facerent niſi armati. Epulabantur armati. Conſilia armati inibant, pactiones armorum contactu firmabant: Armati etiam jurabant, vel armatâ dexterâ vel ſuper armis interdum honoratioris alicujus, interdum ſuis propriis, velut Diis Penatibus, vide Aimoinum *l.* 41. *c.* 26. ubi agit de fœdere, inter Dagobertum Francum & Saxones. Imò *arma* ex more conſecrabant; & ſi conſecrata non eſſent, ea priùs ſacranda dare juraturus tenebatur, qui ſanctiùs jurandi ritus fuit. Quod obtinuit uſque ad Carolum M. qui tandem ſtatuit, ut omne Sacramentum *ſuper reliquias jureretur*. Vide quoque hic infrà, ut & in voce *Clypeus* &c. de more verò tegendi infrà *Tegere arma*. Nec omittendum, *Arma* olim ærea fuiſſe vulneraque iis inflicta, quia cauſticam & ſiccam inflammationem in vulnere relinquunt, faciliùs eſſe curata. Unde cuſpis haſtæ Achilleæ, ut & enſis Memnonis, cœteraque Heroum arma ærea fuiſſe dicuntur. Quò ſine æs temperaturâ quâdam indurari ſolitum; ſed eâ amiſsâ ad uſum ferri homines rediiſſe, referunt Proclus & Tzetzes *in Heſiodum*. Vide Delrium *ad Troades Senec. Actu.* 2. *v.* 218.

ARMA, Arma, clamor militaris concitantis ſe alioſque ad *arma* apud Stat. *Theb. l.* 7. *v.* 135.

Arma, arma *inſani, ſua quiſque, ignotaque nullo*
More rapit.

Et *l.* 11. *v.* 305.

---- ---- ---- *Arma,*
Arma prius famuli &c.

Sic Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 668.

Arma viri, ferte arma viri.

Alii. À cujus vocis frequentia, nota vox hodie uſitata, *Alarm*. Vide quæ de hac proclamatione militari eleganter adnotavit Juſtus Zinzerlingius, *in Promulſide c.* 51 & Caſp. Bart. *Animadv. ad Statium loc. cit*.

ARMA Plena, quæ Militem ſpectant, Gall. *Armes de Chevalier*, ſeu omnimoda arma, quænam dicta fuerint, docet Chion Aulæ Regiæ *c.* 13. *Dicunt, quod tunc in exercitu Regis Bohemiæ fuerunt* 7000. *virorum in equis pugnantium, in* plenis armis *& ſub galea*, & Hovedenus A.C. 1181. *Ut unuſquiſque homo habens centum libras Andegavenſis monetæ in catallo, haberet equum & arma militaria plenariè; omnis autem homo habens in catallo* 40. *vel* 30. *vel* 25. *libras Angedavenſis monetæ ad minus, haberet albergellum & capellum ferreum & lanceam & gladium: cæteri autem omnes haberent Wambaſiam, capellum ferreum, & lanceam & gladium, &c. Arma* verò *dandi*, *vel cingendi* ſeu *honorandi*, h. e. Militem ſeu Equitem creandi, armiſque Militaribus induendi ritus, jam Taciti ævô apud Germanos in uſu fuit, uti docet *de moribus Germ.* crebroque occurrit apud medii ævi Scriptores; ubi tamen per *Arma* non rarò intelligendus venit enſis ſolus, quô novus Miles accingebatur. Sed & interdum *omnibus armis* is inſtruebatur. Ordericus Vitalis *l.* 8. de Henrico poſtmodum Anglorum Rege hujus nominis primo: *Hunc Lanfrancus Dorobern. Epiſcopus -- ad arma pro defenſione Regni ſuſtulit, eumque loricâ induit & galeam capiti ejus impoſuit, eique ut Regis filio & in regali ſtemmate nato, Militiæ cingulum in nomine Domini cinxit.* Sic Johannes Monach. majoris Monaſter. de Gaufredo Andegavenſi Duce Normanniæ, Milite factô: *Induitur loricâ incomparabili ---- calceatus eſt caligis ferreis --- clypeus leunculos aureos imaginarios habens collo ejus ſuſpenditur* &c. Quò Senatoris etiam iſta ex *l.* 4. *Ep.* 2. ſpectant, ubi de *adoptione per arma*, ex qua Militaris dignitas & ordo profluxit: *Damus quidem tibi, equos, enſes, clypeos, & reliqua inſtrumenta bellorum* &c. Hæc *deponere* & *relinquere* jubebantur quibus ob crimen aliquod publica imponebatur pœnitentia: etiam *amittebant*, iiſque *carere* dicebantur illi, quorum clypei in hoſtium venerant poteſtatem, vel qui in prælio fuerant victi. Tunc enim ii, aut eorum liberi, ſi rurſum armis uti vellent, tenebantur de hoſtibus acceptum dedecus præliando eluere & vindicare; alioquin nec pro Militibus habebantur, nec ad menſam Militum ſedere fas iterat. Nam is mos invaluerat, teſte Salanovâ apud Hieron. Blancam, *ut nemo niſi Miles ad menſam Militis ſederet*: ſi qui contrà agerent, Fecialium partes erant, eorum mantile lacerare, uti factum Willhelmo Comiti Oſtrevandiæ, in menſa Regis Francorum, apud Guil. Hedam *in Frederico Epiſc. Ultraject. ſub A. C.* 1395. & Johannem à Leydis in *Chron. l.* 31. *c.* 50. Vide Car. du Freſne *Gloſſar*.

ARMA Reverſata, apud Thom. Walſinghamum p. 592. *Inter probra vero, quæ Duci intulerat, arma ejus in Foro ſunt publice reverſata*: nota fuit, in nobilibus, qui feloniæ damnati ac proin degradandi erant, inuſitata ſolita. Si quis enim proditionis reus damnatus eſſet, continuò ad majorem ignominiam, nobilitate non modò excidebat, ſed & ipſius liberi nobilium prærogativâ privabantur atque in hujuſce rei ſignum, arma proditoris publice *invertebantur*, ſeu *reverſabantur*. Sic habetur in *Chartophylacio* Regio, in Scrinio Navarræ apud Car. du Freſne *Chart.* Johannis *de Grailly* Capitalis *de Buch*, A. C. 1364. quæ eſt 6. quâ is captus in prælio Cocherellenſi & in libera Regis cuſtodia detentus, ab ea receſſurum ſe non eſſe profitetur: conſenſum ſuum præbens, ut, ſi ſecus ageret, pro falſo, malo, ac perfido Milite, haberetur, atque in perfidiæ ſignum arma ſua inverterentur: *ſes armes fuſſent miſes & tournes deſſus & deſſous*, &c. Vide Seldenum *de Titulis honorariis*, p. 789. 2. edit. Sed & in exequiis eorum Nobilium, qui lineam ſuam terminârunt, iſtiuſmodi arma præferri atque depingi, moris eſt, uti in Belgio & Germania ſuperiore in uſu eſſe, exemplis aliquot docet Seb. Feſch. *Tract. de Inſignibus.*

ARMA mutandi, in ſignum fœderis ſeu amicitiæ, ceremonia, jam Homeri ævô antiquior eſt, ut ex Hiſtoria Glauci & Diomedis patet, *Il.* ζ v. 235.

> Ὁ̔ς πρὸς Τυδεΐδην Διομήδεα τεύχε᾽ ἄμειβεν.
>
> *Qui* (Glaucus) *cum Tydei filio Diomede arma permutavit.*

Sic Ethelredus: *Quid plura? ambo Edmundus & Knutho de Regni diviſione conſenſit — depoſitis itaque armis in oſcula ruunt — deinde in ſignum fœderis, veſtem mutant & arma, reverſique ad ſuos, modum amicitiæ pacisque præſcribunt & ſic cum gaudio ad ſua quisque revertitur.* Flor. Wigornienſis hôcce ritu contractam fraternitatem innuit, dum rem eandem enarrans, *Ubi pace*, inquit, *amicitia, fraternitate, pacto & ſacramento firmata, Regnum dividitur.* Etiam adoptionem fraternam ſimiliter per arma contractam, ex Gaufrido Malaterra *l.* 2. *c.* 46 pluribus oſtendit Car. du Freſne *Diſſertat.* 21. *ad Joinvillam*, &c. Vide quoque eum in *Gloſſar.*

per ARMA jurandi ritus, vide infrà.

ARMACHA, urbs Archiepiſcopalis Hiberniæ, Ultoniæ Metropolis ad Kaſin fluv. à Dublino Lageniæ Metropoli 55. mill. paſſ. in Boream diſtans. Vulgò *Armagh*. Habet Comitatum cognominem, incendiis deformata, & penè diruta jacet à multis annis. Antiquitus loco *Drumſailech* nomen fuit. Cluver. *l.* 2. *Baudrand.* Hujus urbis Archiepiſcopus totius inſul. Primas eſt, inſtitutus autem hic Archiepiſcopatus eſt ab Eugenio III. A. C. 1152. cùm antea Epiſcopos haberet, è quibus ſeptem; uſque ad Bernhardi ætatem, uxoratos præſediſſe, qui ad vitandum voti Cœlibatus laqueum, ordinationem à Pontificibus Romanis noluerint petere, refert Baron. *Annal.* Vide Chemnitium *in exam. Cœlib.* Celeberrimum inter hujus Eccleſiæ Præſules nomen Jacobus Uſſerius fuit, vaſtæ lectionis & eruditionis Theologus, inque antiquitate Eccleſiaſtica verſatiſſimus, qui obiit A. C. 1655. Vide *Uſſerius.* longitud. 12. 19. latitud. 55. 46.

ARMACHANUS Richardus, vide *Richardus.*

ARMADABATUM, quæ & HARIMEDERRAT, urbs Aſiæ prædives & ampla, non procul à mari Indico, in regno Cambajæ in ditione M. Mogolis, & ex præcipuis illius tractûs. Aliis *Amadabath.* Eſt caput provinc. *Guzarata.*

ARMADILLUS, ſeu Ericius loricatus Americæ, animal eſt amphibium, durâ undiquaque teſtâ armatum, quæ velut undis aut ſquamulis contecta videtur, figuræ oblongæ, circa humeros, & dorſo paulo ampliori circa limbum corporis, quatuor, pedibus, unguibus acuminatis, ceu crocodilus, cui etiam in capite ſimilis eſt, propius tamen porco. Cauda ei rotunda eſt, in acumen decreſcens, ſquamoſâ itidem & teſtaceâ armaturâ veſtitum. A quo *Armadillus Mexicanus* ſolò colore differt, quod alter atrô magis nigreſcat exuviô, quàm hic, qui totus cataphractus mirâ apparet ſquamarum varietate ſpectabilis. Georg. de Sepibus *in Collegii Roman. Societ. Jeſu Muſæo* p. 27.

ARMAGARA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

ARMAGEDDON, nomen loci Apocalypſ. *c.* 16. *v.* 16. Vide ſis doctiſſimum Hammondum, *in locum. Nic. Lloydius.*

ARMAIS, frater Seſoſtris, hôc in Aſiam cum exercitu profectô, domi relictus, ut regnum interea adminiſtraret, aliquandiu fidem ſervavit. Poſtmodum, poteſtate Tyrannicè abuſus, contra fratris juſſa, omnia inſolenter patrare cœpit: tandem & diadema ſibi rapuit, ac in fratrem inſurrexit. Quòd cùm per ſummum Ægypti Sacerdotem Seſoſtri innotuiſſet, ille poſt 9. annorum abſentiam reverſus fratrem ſupplicis ſchemate obvium habuit, regnumque recuperavit. Verùm is Regem cum uxore & liberis conviviô exceptum inſidiis appetiit: illiſque à potu largiore conſopitis magnam ſiccæ arundinis vim, jam pridem ad hoc deſtinatam tabernaculo Regis noctu circumgeſſit atque incendit; Ubi ſatellites Regis vinô graves cùm ſegniter opem ferrent, Seſoſtris manibus porrectis vota pro filiorum & uxoris ſalute ſuſcipiens, per flammas evaſit; &, præter ſpem ſervatus, donariis tum alios Deos, tum Vulcanum maximè veneratus eſt, utpote cujus beneficiô ſalus ipſi contigiſſet. Diodor. Sic. *l.* 1. de fratre dein pro meritis ultionem ſumpſit, Herodot. *l.* 2. *c.* 107. ubi quod *de duobus Seſoſtris filiis per ignem ſeſe extendentibus, ut parentes ſuper illos tranſire poſſent*, addit, deceptum à Sacerdotibus Ægyptiis judicat *Marshamus.* Cæterum Manetho (certè non ex Ægyptiorum ſcriniis, verum ex Græcorum Mythologia) *Armaim* hunc Danaum illum fuiſſe tradit, qui quatuor antè ſeculis in Græciam navigavit apud Joſephum *contra Apionem*, unde quanta apud Græcos temporum, confuſio, liquet. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. XIV.*

ARMALAUSI, populi German. Ubi nunc Palatinatus ſuperior. Ibi antea Nariſci erant, *Brietio* teſte.

ARMALCHAR, Euphrates, fluv. ab Aſſyriis ita vocatus, & ſignificat *regium flumen*, Plin. *l.* 6. *c.* 26. Lege *Nahar malcha.*

ARMAMAXA, lecticæ genus apud Perſas, quô mulieres vehebantur. Maxim. Tyr. *Serm.* 14. [illegible] Xenoph. *l.* 3. [illegible] Qu. Curtius, *l.* 3. *c.* 3. *Quindecim inde, quas Armamaxas appellant, ſequebantur.* Cujuſmodi Harmamaxas mulis jungi ſolitas ex Cteſiæ *fragmentis* colligimus. Briſſon. *l.* 2. *de regn. Perſ.* Paulò aliter *Phavorinus*, cùm ait: [illegible] quibus verbis innuit vocis notationem, ex ἅρμα & ἄμαξα quiddam conflatum hoc vehiculi genus indigitans: ſimulque virorum potiùs vehiculum fuiſſe oſtendit. Uſus ejus in Cerealibus quoque ludis, in quibus ea, quæ pompam conſtituebant, ſic enarrantur à Tertulliano *de Spectacul. c.* 7. *Simulachrorum ſeries, imaginum agmen, currus, thenſæ, Armamaxæ, ſedes, coronæ, exuviæ.* Ubi *currus*, magnificentiæ majoris ergò, inanes ducebantur: *thenſæ* Deorum vehiculum erant: in *Armamaxis* autem viri inſignes vehebantur, vel *imaginum agmen*, vide Alex. ab Alex. *l.* 2. *c.* 32. Thom. Godwyn. *Anthologia Hiſt. Rom. l.* 2. *ſect.* 3. *c.* 2.

ARMAMERTES, vel ARMAMITRES, VII. Aſſyriæ Rex à Nino, vel VIII. à Belo, regnavit 38. ann. Ab A. M. 2229. uſque ad 2266. ſceleribus inſamis, Euſeb. *Chron.*

ARMAÑAS, fluv. Armeniæ. Vide *Arſamates.*

ARMANDUS Bironus, Galliæ Mareſchallus, ſub tribus Regibus militiæ ampliſſimis muneribus functus, obiit in obſidione Spernæi, globô ictus, A. C. 1592. ætat 67.

ARMANDUS Pleſſiacus Joh. Cardinalis Richelius, primus, ut vocant, Miniſter Ludov. XIII. Galliarum Regis à patre armis deſtinatus, Epiſcopus Lucionenſis primùm, magnus dein Reginæ Eleemoſynarius, Cardinalis tandem evaſit. Rupellâ expugnatâ, Atrebatibus captis, rebuſque plurimis in Germania, Italia alibique locorum, ſuô conſiliô geſtis, pace inprimis inter tot turbas domeſticas conſervatâ, inclytus. Cæterùm, non fautor ſolùm literatorum inſignis, verùm ipſe eruditione non leviter tinctus: Sed paulo ſeverior in eos, quos potentiæ ſuæ obeſſe ſuſpicabatur, obiit A. C. 1642. poſtquam *Evangelium Chriſti ſibi ſufficere*, paulò antè profeſſus eſſet. Vide *Spond.* Dupleix. Vulſon. *in elog. hiſtor. virorum in Gallia illuſtr.* Imò adiſis ipſum Armandi hujus celeberrimi, *Miniſterium.*

ARMANIACUS Tractus, vulgò *l'Armagnac*, Comitatus Galliæ, Vaſconiæ pars, inter Occitaniam, reſqua Burdigalenſia, Aginnenſem & Bigerrenſem regionem. Cæſar hujus incolas *Ameriacos* vocat, *Comm. l.* 4. Habuit olim Comites inclytos, poſtmodum Navarræ regno, cum Bearnenſi & Fuxenſi regione hic Comitatus unitus eſt. Hinc Cardinalis Armaniacus, Georgius, dictus, qui à Franciſco I. in Italiam miſſus, dein Poſſiaceno colloquio interfuit, tandemque Archiepiſcop. Tholoſanus & Avenionenſis factus eſt. Avunculus Henrici IV. Obiit A. C. 1585. Sanderus, *in Elog.* Hinc etiam *Armaniaci* Galli dicti, qui Duce Ludovicô Delphinô, poſtmodum hujus nominis XI. Galliæ Rege in Helvetiam irruperunt A. C. 1444. an ut Tigurum ab Helvetiis obſeſſum liberarent, an ut Concilium Baſilienſe diſſiparent, illud in gratiam Friderici III. Imperator & Alberti Auſtriaci, iſtud in gratiam Eugenii IV. Tum commiſſa celebris illa pugna Sanjacobæa, prope Baſileam, in qua ex parte Gallorum, quorum triginta millia erant, ſex millia, ex parte verò Helvetiorum, quorum erant mille ſexcenti, omnes, exceptis ſedecim, occiſi ſunt. Tum & Burcardus Monachus, qui Armaniacos exciverat, ab iis *Bourque le Moyne* dictus, cum poſt cruentum prælium, inter cæſa cadavera, apertâ galeâ obequitans, cæſis illuderet, à ſemianime Helvetio, qui in genua ſe erexerat, lapide in faciem contortô, tantâ vi percuſſus eſt, ut ſubitò ex equo prolapſus, poſtridie expiraret. Commiſſa pugna eſt die 26. Auguſti anni prædicti. Vide Stumpfium *l.* 12. *c.* 25. *Hiſt. Helv.* Urſtiſ. *Hiſt. Baſil.*

ARMANOTHIA, provinc. Scotiæ ſeptentrionalis, ubi aliàs Cantæ & Lugi populi. Altiſſimis montibus referta eſt. Pars provinc. Ruſſiæ, inter Loquabriam & Muraviam provinc.

ARMARIA, apud S. Sulpitium *de Martino. Erigit laquearia, conſtruit conclavia, ſculpit oſtia, pingit Armaria*: dicebantur, in quibus pretioſiora aſſervari ſolebant, quæ proin annulô ſignabantur. Non enim contenti Veteres clavibus & clauſtris, in aſſervandis ac condendis rebus iis, quas cariores habuêre, ſignacula etiam adhibebant, quibus noſci poſſet, an fraus facta eſſet clavi clauſtroque. Quô fine Lacones primùm uſi ſunt lignis θριποβρώτοις ſeu verme corroſis: In quorum locum poſteà ſucceſſêre annuli ſignatorii, ad ſignandum ea, quæ cuſtodienda eſſent & à fraudibus ſervorum ac ſuppilatione vindicanda. Præcipuè verò annulô obſignabant, quæ ſeras & clauſtra non patiebantur, *armariola*, lagenas vini & cætera ejuſmodi. Salmaſ. *ad Solin* p. 935. Vide hîc paſſim, inprimis ubi *de Annulis Signatoriis & Signandi ritu.*

ARMARIA Bibliothecæ, apud Flav. Vopiſc. in *Tacito Imp. c.* 8. *Habet Bibliotheca Ulpia in Armario ſexto librum elephantinum, in quo hoc SC.* &c. Vide quoque infrà *Foruli.* Hinc *Armarius*, Cuſtos Bibliothecæ, apud Recentiores: Item, qui in Eccleſiis & Monaſteriis *Cantor* vel *Præcentor* dictus, librorum, præſertim Eccleſiaſticorum, curam ſibi commiſſam habet. Udalricus *Conſuetud. Cluniac. l.* 3. *c.* 10. *Præcentor & Armarius*: Armarii *nomen obtinuit, eo quòd in ejus manu ſolet eſſe Bibliotheca, quæ & in alio nomine* Armarium *appellatur. Hæc eſt obedientia, quam ex more nullus meretur, niſi nutritus.* Vide ibi plurâ de ſpeciali ejus munere, ut & *l.* 2. *c.* 55. Meminit quoque *Armarii* vetus Martyrologium S. Martini de Campis: *Armarius cappâ pretioſâ indutus chorum tenebit.* E quibus Caed. Bona *Rerum Liturgic. l.* 2. *c.* 14 *num.* 5. apud Udalricum, hôc nomine *Cellarii curatorem* intelligentem, refellit Car. du Freſne *Gloſſar.*

AR-

ARMARIA Imagines Majorum continentia, apud Romanos, in *Atria* erant. Quo reſpexit Val. Max. *l.* 8. *c.* 15. *ex.* 1. cum ait: *Imaginem in cella Jovis Opt. Max. poſitam habet, quæ, quotieſcunque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum eſt, inde petitur, unique illi inſtar atrii Capitolium eſt.* In imaginum poſtea locum irrepſerunt exinde (ut conqueritur Plin. *l.* 35. *c.* 2.) ſigna externorum Artificum, æra & marmora, ut etiam notavit in atrio Trimalcionis *Petronius*. Unde *Officinator à ſtatuis*, item *ab Marmoribus Magiſter*, inter miniſterii domeſtici nomina, vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*.

ARMARIOLUM, in Eccleſia Romana tabernaculum dicitur, in quo hoſtia conſervatur; Dominic. Macer in *Hierolexico*, habet *corpus Chriſti*.

ARMARIUS, vide ſuprà *Armaria*, & infrà *Prætentor*.

ARMASANIÇÆ, incolis *Aymargues*, oppid. Volcarum Aremoricorum, in Diœceſi Nemauſenſi, cujus *veteres tabulæ* mentionem faciunt. Hadr. Valeſ. in *Notit Gall.*

ARMATA, Venus à Lacedæmoniis culta fuit, de qua Lactantius, *l.* 1. *de falſa relig. c.* 20. *Cùm Meſſenios obſiderent Lacedæmonii, & illi furtim, deceptis obſeſſoribus, egreſſi ad diripiendam Lacedæmonem cucurriſſent, à Spartanis mulieribus fuſi, fugatique ſunt. Cognitis autem hoſtium inſidiis, Lacedæmonii inſequebantur. His armatæ mulieres obviam longius exierunt, quæ, cùm maritos ſuos cernerent parare ſe ad pugnam, quia putabant Meſſenios eſſe, corpora ſua nudaverunt. At illi uxoribus cognitis, ex aſpectu in libidinem concitati, ut erant armati, permixti ſunt utrique. Propter cujus facti memoriam, ædem & ſimulacrum Veneri Armatæ poſuerunt.* Auſonius de hâc in *Epigr.* 13.

> *Armatam Venerem vidit Lacedæmone Pallas,*
> *Nunc certemus ait, judice vel Paride:*
> *Cui Venus, Armatam tu me temeraria temnis?*
> *Quæ quo te vici tempore nuda fui.*

ARMATI, vide infrà *Armatura*.

ARMATORIUM, locus ubi *arma* induebant Factiones, vel earum armamentarium: ἁρματωρίου τῶν πρασίνων meminit Cedrenus *p.* 448 Vide Car du Freſne in *Conſtantinop. Chriſtiana*.

ARMATRITES, *Euſebio Armamitres*, IX. Aſſyriorum Rex, regnavit ann. 38. ad voluptates ac delicias converſus, ex quæ ad libidinem ſpectant poſteaquam inveniſſet, multum ampliavit. *Beroſus. Caſſiodor* An idem cum *Armamertes*?

ARMATURA, Recentioribus armorum exercitatio dicitur ſeu exercitium militare, quò milites à Campidoctoribus inſtruebantur in campo. *Gloſſarium* Rigaltio laudatum, ἀρματούρα τέχνη, μάθησις πολέμου, Amm. Marcellin. *l.* 14. *Multiplex armaturæ ſcientia*: *Jul. Firmicus*; *Militares armaturas exercere* &c. Quæ cujuſmodi fuerint, docet Hen. Valeſius *ad eundem Amman.* p. 51. & 105. Vide quoque infrà in voce *Armorum exercitium*. Poſtmodum *Armatura* levis armatura, ut funditores & ferentarii, *Salmaſio*: at Car. du Freſne peculiares milites dicti ſunt, qui in principiis legionum erant a deoque eâ exercitatione probè imbuti, ut auctor eſt Vegetius *l.* 1. *c.* 13. quò ſpectat *Inſcr.* CANDIDIÆ URBANÆ MATERNINUS. PARDUS. ARMATURÆ. XXII. MARIT. F. C Imò & milites in Comitatu Imperatoris, quorum duæ Scholæ recenſentur in *Notitia Imp.* ſub diſpoſitione Magiſtri Officiorum, *Armaturæ* ſcil. *ſeniores* & *Armaturæ juniores*, quorum Dux *Tribunus Armaturarum* dicebatur, uti videre eſt apud Amm Marcellin. *l.* 14. 15. & 27. ubi de Mellobaude & Balcobaude. Nec omittenda *Pancirolli* ſententia, qui illos ſic appellatos cenſet, quòd graviſſimis armis ſeu potiùs omni armorum genere, *Armaturâ* quoque, Gall. *Armeure*, inſtructi eſſent, vel certè quòd eorum Schola conflata eſſet ex iis, qui ſub Campidoctore armis inſtituti erant &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi inſuper, varia armorum genera, quibus Franci olim utebantur, ex *Inventario* Ludovici M. Regis Franciæ A. C. 1316. Lectori harum rerum avido, exhibet ſpectanda De *Armatura* ſeu *Armatis* Alemannorum, quibus ſic dicebantur Milites cataphracti, omnibus armis inſtructi, Gall. *Gens d'armes*, ita Chron. Colmar. *part.* 2. *an.* 1298. *Habuit ſecum Auſtrales, qui armis ferreis utebantur. Igitur Rex Adolfus contra Ducem Auſtriæ, cum magna multitudine venientem, in occurſum currit cum hominum armata multitudine copioſa.* Armati reputabantur, *qui galeas ferreas in capitibus habebant & wambaſia, i. e. tunicam ſpiſſam ex lino & ſtuppa vel veteribus pannis conſutam, & deſuper camiſiam ferream, i. e. veſtem, ex circulis ferreis contextam, per quæ nulla ſagitta arcu poterat hominem vulnerare. Ex his armatis centum, inermes mille Lædi potuerunt: habebant & multos, qui habebant equos magnos, qui inter equos communes, quaſi Bucephalus Alexandri, emicabant. Hi equi cooperti fuerunt coopertoriis ferreis, i. e. veſte ex circulis ferreis contextâ. Aſſeſſores eorum habebant loricas ferreas & caligas, manipulos ferreos & in capitibus galeas ferreas ſplendidas & ornatas & alia multa, quæ me tædiet enarrare.* E quibus facilè percipitur, cur Auctor Anonymus *de Expeditione Aſiat. Friderici I* Alemannorum *gentem ferream in equis ferreis advenire*, & Theophylactus Bulgariæ Archiepiſcop. *Ep.* 16. ex Meurſianis, τὸ Φραγγικὸν τὸ τραχήλον τοῖς σιδήροις, *Francum collo tenus ferreum*. Anna item Comnena *Alexiados l.* 11. eoſdem Francos διὰ τὸ τῶν ὅπλων βάρος δυσχείρωτον, *propter armorum pondus, captu faciles fuiſſe*, ſcripſerint: apud eundem ſuprà laudatum *Gloſſarii* Auctorem.

ARMATUS, Conſul, collega Baſilii, tempore Leonis Imperatoris militiæ Baſiliſci Magiſter. Hujus defectione Baſiliſcum Zeno devicit. A C. 477.

ARMAVIARA, Armeniæ majoris oppid. *Ptol.* Aliàs *Armauria*, inter fontes Euphratis & Lichnitem paludem. *Baudrand.*

ARMAXA, Cappadociæ urbs. *Antonin.*

ARMEDON, Cretica inſul. ante Salmonium promontor. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

ARMENA, Paphlagoniæ vicus *Ptol. Steph.* Plinio *l.* 6. *c.* 2. urbs videtur. Incolæ eam, ob frigiditatem loci, muro cinxere, quaſi calidur futurus eſſet; Unde *Armenen muro cingere*, apud finitimos, in proverbium ſtoliditatis verſum eſt: qui locus *Carini* nunc dici videtur.

ARMENES, Cappadociæ Rex.

ARMENIA Major, Turci *Turcomaniam* & *Curdiſtan* vocant, vel potius hodie in 3. has provincias Turcomaniam, *Popul* & *Curdiſtan* dictas diviſa eſt. Perſis *Thoarra*, *Ermood* vel *Armenoo* dicitur, *Zelbecdibes* autem Neſtorianis, contra quos Concilium in Armenia, A. C. 435. (vide infrà) celebratum, quique adhuc plus ſatis ibi numeroſi. Regio Aſiæ noviſſima, & ingens, ultra Euphratem à Cappadocia & Armenia minore eam ſeparantem, uſque ad Mediæ limites in ortum extenſa, inter Iberiam ad Arctos, & Meſopotamiam ad Meridiem perſtricta. Nomen ab *Armeno*, vel *Armenio* Iaſonis comite habere fertur. Populi *Armenii*. Probabilius etymon vide, apud Bochartum in *Phaleg* p. 22. Nonnullis *Armenia* dicitur, quaſi *Aramia* ab *Aram* filio Sem. *Aram* autem ſignificat *elatus*, unde *Armenii* quaſi *ſublimes*. Vel à montibus, quibus hæc regio cingitur, nam *Ar* mons eſt; unde & *Ararat*, in cujus culmine area Noahi poſt diluvium quievit, vocatur. Tota fere ſubeſt Turcis. Regio olim percelebris, nunc paucioribus habitatur. Ejus Urbes alicujus momenti, *Revan*, *Erzerum* ad Euphraten, *Van*, quæ *Arthemita* quibuſdam, *Tiflis*, quæ dicta *Artaxata*, *Cars*, aliæ. *Nic. Lloydius.*

ARMENIA Minor, hodie *Anadule*, teſte *Nigrô*, & alicubi *Pegian*, teſte *Caſtaldô*, *Bozoc*, *Mererib*, & ubi Colchorum fines attingit, *Acoinla*, ut *Leunclavius* ſcribit, regio Aſiæ inter Cappadociam ad occidentem & ſeptentrionem, Euphratem fluv. ad ortum Syriam & Ciliciam ad auſtrum contenta. *Baudrand* Nunc *Aladuli*. Sub Turcis. Urbs princeps *Marax*, reliquæ ſunt, Sivas vel Sebaſte, Kemach, Suora, Erzinge, &c. Vide *Armenii*.

ARMENIACUS, cognomentum Marco & Vero Imperatorib, ob res in Armenia proſperè geſtas, Artaxatis, Armeniæ celebri urbe, per Statium Priſcum captis, delatum: *quod Marcus per verecundiam primum recuſavit, poſtea tamen recepit*, Jul. Capitolin. in *M. Antonino Philoſopho*, *c.* 9.

ARMENIÆ Cotes, poliendis limandiſque & ſcalpendis gemmis accommodatæ, vide infra *Cotes*.

ARMENIÆ Portæ, apud Solin. *c.* 38. *Ubi dehiſcit* (mons Taurus) *hiulcis jugis, facit portas, quarum prima ſunt*, Armeniæ, *tum Caſpiæ, poſt Ciliciæ*: quid ſibi velint, vide in voce *Porta*. Sed in ordine errat Solinus, cùm, ſi Tauri juga ab Occidente in Orientem deducas, primæ occurrant Portæ Ciliciæ, deinde *Armeniæ*, poſt Caſpiæ. Eædem & *Armeniæ Pylæ* dictæ. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 789. & 800.

ARMENIDAS, de rebus Thebanis egit; ſeu is Hiſtoricus fuit, ſeu Hiſtoricum argumentum Poëta ſumpſit; citatur ab Apollonii Scholiaſte *in l.* 1. ubi Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc.* p. 334. *Antimenidem* legi debere ſuſpicatur. Sanè Antimenidæ etiam meminit Laërtius, *in Socrate*: ubi multas celebrium virorum contentiones recenſens, inter alia, ait Pittacon fuiſſe contentionem cum Antimenide & Alcæo. Vide Lil. Gyraldum *Dialog.* 9. *Nic. Lloydius.*

ARMENII, populi Armeniam incolentes. Fuerunt olim ſub Perſis, dein Græcorum imperio ſubjecti, tandem in Romanorum poteſtatem conceſsêre. Poſt Chriſtum Natum An. 18. Germanicus Zenonem iis Regem impoſuit. Dein A. C. 58. miſſus Corbulo, qui parta à Lucullo Pompejoque reciperet, caſtellis aliquot exciſis Tigranocertam cepit, Artaxatis ſolo æquatis, Tigranemque Archelai Cappadocis nepotem Regem Armeniis impoſuit. Tacit. *Annal. l.* 13 & 15. Vide quoque Dion. *l.* 63. Dein Trajanus Parthamaſirium A. C. 107. à Partho Armeniæ Regem datum dejecit, Armeniâ in formam Provinciæ redactâ. Poſtea Reges habuit proprios, (unà cum Aſſyria, & Meſopotamia,) ab Adriano Imperatore deductis legionibus, deſerta, poſitó fine Imperii Euphrate, A. C 120. Dein iterum à Græcis Imperatorib. vindicata, illis ſubfuit, donec Bulgaris Saraceniſque ſub Juſtiniano Rhinotmeto, per Sabbatium dedita eſt. A. C. 692. Sic iterum ſub Principibus propriis fuit, uſque dum illi à Perſis primò, dein à Selimo Turcarum Imperatore A. C. 1517. penitus ſub jugum miſſi ſunt. Strab. *l.* 11. & 13. Juſtin. *l.* 10. & 13. Curt. *l.* 5. *Sanutus*, *Vincentius Bellovacenſis*, &c. ut alios omittam. Hos in vera fide S. Bartholomæus inſtruxit, à quo Chriſtianiſmus ibi hucuſque conſervatus, ſed minimè primævæ puritatis retinens. Hîc Euſtathius Monachatum & Cœlibatus legem primus invexit, certâ de cibo, veſtitu, aliiſque regulâ præſcriptâ, ut Socr. refert *l.* 3. *c.* 14. Cujus etiam diſcipuli vituperârunt conjugium, & Presbyteros uxoratos contempſerunt, ut ait Sozom. circa A. C. 380. paulo ante Concil. Conſtantinopolitanum: Suberant quondam Patriarchæ Conſtantinopolitano; ſed jam ante Photium à Græcis ſeceſſerunt. Duos habent hodie Patriarchas, Unum Armeniæ majoris cui ſedes in monaſterio quodam, prope urbem *Ervan* in Perſia, unde bellô Turcicô pulſus eſt: (olim Sebaſte ſedes.) Et huic parent quindecies centena millia familiarum. Alterum Armeniæ minoris cui 20000. familiæ tribuuntur, antehac Melitene, nunc in urbe *Sis*, prope Tarſum Ciliciæ, morantem. Credunt Spiritum S. à ſolo Patre procedere, infantes quoque ad ſacram ſynaxin admittunt, mortuos ante reſurrectionem viſione Dei frui negant, Jejunium rigorosè obſervant. Cæterum aquam vinô in calice non miſcent, Sacramenta ex opere operato gratiam conferre negant, Purgatorium rejiciunt, habentque Presbyteros conjugatos. Vide Georg. Hornium de *Armeniorum* ſecta, à Jac. Zanzalo orta, & ex Arianiſmo, Apollinariſmo, Marcioniſmo, aliiſque hæreſibus, Judaiſmo it. è quo *Agni Paſchalis immolationem* retinent conflata: peculiari item inter illos *Chazinzariorum*, i. e. Staurolatrarum, hæreſi, *Hiſtoriâ Eccl.* Hos ut ad Latinam Communionem perducerent Pontifices Romani, nullum non movêre lapidem, & Florentinum inprimis Concilium id tentavit, ſed fruſtrà; Nihilominus Romæ collegium habent, in quo quidam eorum ritus loci ſequuntur: Amſtelodami libri quidam illorum linguâ excuſi, ut Imitatio Jeſu Chriſti Thomæ à Kempis, aliique qui à Baſilio & Jo-

hanne, Armenius Presbyteris, haud pridem verſi ſunt. Neſtoriani cætera maximam partem. Concilium in Armenia celebratum A. C. 435. occaſione librorum Theodori Mopſveſtii & Diodori Tharſenſis, quos Neſtoriani Syriacè, Perſicè & Armenicè verſos, pro Orthodoxis obtrudebant. Ibi, ut Hæretici, condemnati miſſique Leontius & Aberim Presbyteri, ad Proclum Patriarcham Conſtantinopolit. cum tractatu Theodori alioque, qui opiniones illorum continebat. Liberatus *Brev. c.* 10 Plura vide apud Nicon. *in Bibl. PP* Baron. *A. C.* 435. 663. 685. 1080. Arcad. *l.* 2. *de Concord. Eccl. Orient. & Occid.* Niceph. *l.* 18. *c.* 53. Sander. *Hær.* 118. &c. De hodiernis imprimis, qui mercaturæ deditiſſimi, feſtis illorum, ritibus, conſuetudinibus, &c. P. de Valle *Itiner. tom.* 2. & 3. Item hic infrà, in & in voce *Crolſa*.

ARMENIUM Pigmentum, malè à nonnullis cum *Armenica* Terra confunditur: Nec cum *Armenio Lapide*, quô gemmæ poliebantur, ſcalpebantur & perforabantur, uti infrà dicemus, ubi *de Cotibus*; Sed potiùs cum Arſenico rubro, *Armeniaca Terra* eadem eſt. Pigmentum verò modò dictum, friabile erat, eoque Pictores utebantur ad cæruleum colorem, unde id Aëtio Α'ρμένιον τῆ Ζωγράφων dicitur, & à *bolo Armenio* diſtinguitur. Qua de re vide pluribus agentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1154. *& ſeqq.* ut & ſuprà, ubi de *Sandaracha*.

ARMENIUS, Eccleſiæ Gallicæ Scriba, Priſcilliano adhærere convictus, morte multatus eſt. Sulpicius Sever. *Hiſt. l.* 2.

ARMENIUS, inter Magos celebres, memoratus Arnobio *adv. Gentes l.* 2. *Age nunc veniat quaſo per igneam zonam magus interiore ab orbe Zoroaſtres —— & ille conveniat, cujus Cteſias res geſtas Hiſtoriarum exponit in primo*, Armenius *Zoſtriani nepos & familiaris Pamphilus Cyri, Apollonius, Damigero & Dardanus, Velus, Julianus & Bæbulus* &c.

ARMENIUS MONS, in Armenia majori juxta Iberûm fines, ex quo Phaſis Colchorum fluv. oritur, qui *Moſchicus* à *Ptolemæo* vocatur.

ARMENOCHALYBES, Cappadociæ populi circa Armeniam majorem Plin. *l.* 9. *c.* 4. & 9.

ARMENORUM Jejunia VIII. numerantur per annum, quæ *Quadrageſimas* appellant, quòd in iis veſcantur quadrageſimalibus cibis. Et quidem primum vocant *Adæ & Jonæ*, quod eſt quinque dierum, duabus hebdomadis, ante ſolennem Paſchatis Quadrageſimam; in memoriam jejunii Adæ, poſtquam è Paradiſo ejectus eſt, inſtitutum. Secundum, commune eſt cum aliis nonnullis Chriſtianis, ante Paſcha, quod auſpicantur feriâ ſecundâ, poſt Dominicam Quadrageſimæ. Tertium eſt novem dierum, ante Feſtum Pentecoſtes, h. e. ab Aſcenſione Domini. Quartum dicitur *Eliæ*, incipitque feriâ ſecundâ, poſt Pentecoſten, & protrahitur uſque ad 50. dies. Quintum eſt unius hebdomadæ, ante Aſſumtionem Deiparæ. Septimum eſt hebdomadis, poſt inventionem Crucis. Octavum eſt, 7. hebdomadum, ante Natalem Domini. Vide Fileſacum *de Quadrageſima c.* 9. & infrà *Artziburion*, hoc enim verum primi jejunii illorum nomen eſſe ibi videbimus; cum quo ne quid commune haberent Græci, caſeum ſe & ova iis diebus comedere, in *Triodio* dicunt c. 27.

ARMENTARIÆ, oppid. Flandriæ, ad Liſam fluv. elegans, ſub Francis ab A. C. 1668. *Armentiers* Gall.

ARMENTARIUM, vel ARMAMENTARIUM, vulgò *'T huys te Britten*. Locus Batavorum in Hollandia exciſus, apud Cattorum vicum, qui à Lugduno 2. leuc. in Boream verſus litus maris diſtat. Cluverio eſt *Roomburg*, prope Lugdunum Batavor.

ARMENTARIUS, Epiſcopus Ebrodunenſis, depoſitus & in Chorepiſcopum mutatus eſt. A. C. 439. Conciliorum *tom.* 1. Alios ejuſdem nominis, vide apud Sammarth. *in Francia Chriſtiana*, *tom.* 2. *p.* 272. 617. & 98.

ARMENTARIUS, Myrmillonis nomen apud Solin. *c.* 5. Armentarius *Myrmillo, & Caſſius Severus orator, ita ſe mutuò reddiderunt, ut, ſi quando pariter viderentur, dignoſci non poſſent, niſi diſcrepantiam habitus indicaret.* Quinam autem *Myrmillones* dicti fuerint, vide in hac voce.

ARMENTIA, Urbs Hiſpaniæ Tarraconenſ. in Cantabris, nunc vicus.

ARMENTIO, vulgò ARMANSON, fluv. Galliæ. in Burgundia, oritur ſupra Semurium oppid. quod alluit, in Alexienſi tractu, Tornodorumque rigat, & in Icaunam cadit, infra Antiſſiodorum.

ARMES, apud Val. Flaccum *l.* 6. *v.* 530.

> *—— —— pariterque inglorius* Armes
> *Fraude nova ſtabula & furtis aſſuetus inultis,*
> *Depopulare greges, frontem cum cornibus auxit*
> *Hiſpidus inque Dei latuit terrore Lycei.*

Nomen proprium viri eſt: quare malè alii legunt, *inglorius armis*: pojiis, *inglorius orbis vel ordo*, idque de ὑπασπισταῖς calonibus, calculis, intelligunt. Manifeſtè enim de uno & milite Flaccus loquitur, ideoque in verbis Aroetis, pugnam, illi indicentis, ait, *v.* 539.

> *Neve Deum mihi finge. Deus quoque conſere dextram:*

quæ ad manipulum dicta intelligi non poſſunt. Eſt autem *Armes* nomen barbaricum, & extat apud Livium quoque *l.* 26. *c.* 49. Armen *præfuiſſe Punico præſidio, deditumque Romanis; Antias Valerius, Magonem alii Scriptores tradunt.* Neque differt *Armeus* vel *Armais*, quod Danao prius fuiſſe, tradit Manethon, apud *Joſephum*, & compoſitum ex eo *Armamithres*, Aſſyrii Regis vocabulum. Vide Joh. Frid. Gronov. *Obſervat. l.* 4. *c.* 15.

ARMEUS, vel ARMEIS, qui & Danaus; Ægypti Rex, regnavit ann 5. *Euſeb.*

ARMIÆ, Libyæ interioris populi *Ptol.*

ARMIANA, Parthiæ oppid. *Ptol.*

ARMIDOCTORES, qui & *Campidoctores* Veter. quod ea docerent milites, quæ campo & bellis erant neceſſaria. Vide infrà.

ARMIFERA, ſeu ARMIGERA, ARMIPOTENS, & ARMISONA Pallas à Poëtis vocatur. Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 475.

> *Me tamen Armifera ſervatum cura Minervæ.*

Idem *l.* 3. *Faſt. v.* 681.

> *Armifer Armiferæ correptus amore Minervæ.*

Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 425.

> *Penelei dextrâ Divæ Armipotentis ad aram*
> *Procumbit.*

Idem *Æn. l.* 3. *v.* 544.

> *—— Tum numina ſancta precamur*
> *Palladis Armiſonæ.*

ARMIGER, ſervus ex Virgilio aliiſque ſatis notus:

> *—— —— Formâ tum vertitur oris*
> *Antiquum in Buten, hic Dardanio Anchiſæ*
> Armiger *antè fuit.*

Æn. l. 9. *v.* 648. iique pretioſus, ſi Plinio credimus, de luſciniis loquenti, *l.* 10. *c.* 29. *Ergo ſervorum illis pretia ſunt & quidem ampliora, quam quibus olim* Armigeri *parabantur.* Et ex Plauto, *Prolog.* in *Caſina*, *v.* 55. ubi *Armiger* idem cum *Scutigerulo*: ſcutum enim *Arma* peculiariter appellâſſe Latinos, Eruditis obſervatum. Hinc & Anaſtaſius in *Martino* Pontiſ. Rom. *Armigeri* & *Spatharii* voces promiſcuè uſurpat: & *Armigeri* in Aula Conſtantinopol. dicti ſunt Scholarii, qui pro Palatio excubabant, eò quòd inſtructi eſſent ſcutô; imprimis verò illi, qui Principum enſem & ſcutum deferebant, quibus ii uterentur, ſi neceſſitas ingrueret. Unde in *Gloſſis* ὀν λωραγχοφόρος eſt *inſignarius*, *Armiger*. Et hos Heroibus Poëtæ attribuunt, quos Reges & olim & hodie, in hac ſaltem parte, æmulati ſunt. Teſtis præter dicta antiqua ſcalptura pretioſæ illius ſapphiri, cujus typum *Marquardus Freherus* edidit ac illuſtravit. In ea Conſtantinus Imperator aprum venabulò excipit; *Armiger* autem telum geſtans, feræ impetum formidans, dat ſe in pedes. Prudentius, de *Armigero* Cæſariano in *Apoth. v.* 562. *ſ.*

> *Armiger è cuneo puerorum flavicomantum*
> *Purpureis cuſtos lateris, deprenditur unus.*
> *Nec negat, & gemmâ gemmata haſtilia ferrô*
> *Projicit, ac ſignum Chriſti ſe ferre fatetur.*

Vide quoque Martialem *l.* 9 *Epigr.* 57. *v.* 1. Sed & Sidonius notavit, Theodoricum Regem, arcum lateri innectere citra gravitatem regiam judicâſſe, & tradidiſſe geſtandum puero, *l.* 1. *Ep.* 2. Hinc & *Armiger*, in aula Conſtantinopolitana, uti viſum: qualis deſcribitur à Corippo Narſes *l.* 3.

> *Armiger interea, domini veſtigia luſtrans,*
> *Eminet excelſus, ſuper omnia vertice Narſes*
> *Agmina.*

Nec non *l.* 4. ubi enſem Regiam eum detuliſſe indicat,

> *Nec non enſipotens membrorum robore conſtans*
> *Aſtabat Narſes* &c.

& apud *Curopalatam Scutarius*, in eadem Aula: ac demum in Turcica, puer ephebus, qui Sultano gerit arcum ac ſagittas. A qua ratione notat Lamprid. *c.* 6. Commodò imperante, tres Præfectos Prætorio fuiſſe, inter quos Libertinum, qui *a Pugione* appellatus ſit. Fuit certè apud Cæſares miniſter, qui *arma* cuſtodiret, cujuſmodi A. quidam VIBIUS. HERMES. IMP. NERONI. A. CUSTODIA. ARMORUM. in *veteri monument.* legitur. Imò Duces & ipſos, Regibus licèt impares, aliôſque, *Armigeris* ſuis, ut infra latiùs dicemus, non caruiſſe diſcas, ex S. Ferrando *in Paræneſ.* Cujuſmodi *Armigeris* affines fuêre Calculæ & Calones, ita dicti, auctore *Feſtô*, quòd fuſtibus clavíſque ligneis armari ſolerent, ad tutelam dominorum. De quibus vide *alibi* Fuit verò horum ſumma olim æſtimatio, ut qui primas tenerent in Regum aulis & nonnunquam ad ipſum Regalem apicem eveherentur: uti de Thiodo, tutore Amalarici conſtituto, & de Witige, in Theodati Regis locum ſuffecto, legimus apud Jornandem *de Rebus Geticis c.* 58. & 60. Atque ii perpetuò Principis lateri hærebant, Sidonius *l.* 2. *Ep.* 2. *Circumſiſtit ſellam* (Theodorici Regis) *comes Armiger.* Ita effinguntur *Armigeri* Lotharii Imperatoris in ea tabella quam ex Codice Euangeliorum Bibliothecæ Regiæ, delineari curavit Steph. Baluzius *Notis ad Capitularia Regum Franciæ* p. 1280. & Caroli Calvi, in altera tabella, præfixa Codici Bibl. quem eidem Regi obtulerunt Canonici S. Martini Turonenſis, ab eodem deſcripta: ſed à *Carolo du Freſne* eruditè illuſtratâ. In hac enim, inter alia, proximè Caroli throno, in eadem ſerie ac linea, quâ duo ejus filii Ludovicus Balbus & Carolus, ſtant Regii duo *Armigeri*, uterque *virgatis ſagulis*, & quidem alter, qui ad dextram, *haſtam ferream in altum ſurrectam* dextrâ tenet, lævâ rotundo clypeo innixâ; alter ad ſiniſtram, Regium enſem in vaginam reconditum utrâque manu in tranſverſum gerit, quomodo in Galliæ Regum ſolemnioribus occaſionibus præferri ſolet à magno Scutifero, *en echarpe*, uti habet *Ceremoniale* Francicum. Similiter in tabella ab Ingoberto Scriba exarata, ad Caroli ſiniſtram, duo perinde ſtant *Armigeri*, quorum alter haſtam & clypeum, alter aliud quid geſtat. De utroque Ingobertus,

> *Ad dextram* Armigeri *prætendunt arma miniſtri,*
> *Eccleſiam Chriſti invictus defenſor in ævum,*
> *Armipotens magnus quibis ornet ſæpe triumphis.*

Caput *ferreâ galeâ criſtatus* uterque eſt, in Lotharii & Caroli iconibus, contra quàm in ea, quam idem Ingobertus delineavit, ubi nudis ac detonſis ſtant capitibus &c. Etiam in *Chartis* Regum Hiſpanicorum Armigeros Regum ſubſcripſiſſe crebro, obſervare eſt apud Antonium Yepezium in *Chron. Ordinis Benedictini*, paſſim. Poſterioribus autem ſeculis, *Armigeri* potiſſimùm appellati ſunt Nobiles infe-

inferioris ordinis, quòd in bellis Militum ſeu Equitum arma ferre-
rent, quoties in prælio uterentur. Nam quum graviora Militum ar-
ma eſſent, habebant illi *Armigeros* ſuos, qui ea deferebant, donec
haberent opus: Unde ὁπλοφόροι, & ὁπλοφόρος in veterib. *Gloſſ.
Græco-Latin.* Quod munus ſic bellè deſcribit Auctor *Vitæ S.* Gamel-
berti *num.* 5. *Pater autem, cum eum nutriret, ..., ut moris eſt, ad uſum
Militiæ inſtrueret, Armigerum ſibi aliquoties fecit, armaque Militar a
aut inſequens ovans aut præveniens.* Præſertim verò ſcuta Militum defe-
rebant & haſtas: unde *Scutarii* & *Scutiferi*, Gall. *Eſcuiers*, appel-
labantur. Gul. Brito *Philippid. l.* 2. de *Guilelmo des Barres*, egre-
gio Milite:

> *Is ſe clam medio furatus ab agmine Regis,*
> *Armigeri ſpoliat clypeo latus, & capit haſtam.*

Sed & equos dextrarios (de quibus vide ſuprà in *Armatura*) Militum
manu deducebant, donec in prælus iis indigerent, & tandem Mili-
bus deſerviebant eorumque mandatis omnino obſequebantur: unde
factum, ut *Armigeri* appellatio ad quoſvis ſervientes poſtea extende-
retur, uti & *Valletorum*, Gall. *Valéts*, quemadmodum iidem vocan-
tur, ... *Fab.* Meilius, apud eundem Car. du Freſne in *Gloſſar.* Ton-
ſos fuiſſe ordinario *Armigeros*, videtur colligi ex Orderico Vit. *l.*
12. *Guilelmus ... Lupellus a quodam ruſtico captus arma ſua illi pro re-
demtione ſua dedit & ab eo tonſus inſtar Armigeri, manu palam ... ſtans
ad Sequanam ... fugit.* Nempe ſolis Militibus, non verò Armigeris fas
fuiſſe cæſariem nutrire, hic innui videtur, Sed non id uſpiam legitur,
ſpectavitque Ordericus fortè famulos domeſticos, quos *Armigeros*
vocabant. *Armigerorum Honorariorum*, Gall. *Eſcuiers d'honneur*,
meminit Froiſſardus *Vol* 4. *c.* 62. quô nomine is hodie in Franciæ
Regum palatio appellatur, qui Reginæ à manibus eſt, &c. Vide ite-
rum Car. du Freſne ubi ſuprà, & hanc in rem plura, infrà in vocibus
Scutarius & *Spatharius*. Henr. Spelmanno *Armiger*, Gall. *Eſcuier*,
vel *militaris* eſt, vel *civilis*, & dicitur utrique multis modis. Milita-
ris enim nuncupatus eſt, 1. Qui domini ſui arma bajulat, ipſiſque
eum cingit: ita *Armigeri* Abimelec, Saul, Jonathæ, in ſacris; He-
ctoris, Achillis, Diomedis, apud Poëtas mentio fit. Talem à Lon-
gobardis *Scilpor* dici, i. e. *ſcutiferum*, indicat Paulus Diacon *Longob.*
l. 6. *c.* 15. Anglo-Saxonibus verò *Scild-cnave* vel *Scild-Knight*, *ſcuti
miniſter* nuncupatus eſt. 2. Qui inter arma Domini ſui latus ſtipat &
tuetur, quorum quatuor Proceres, duos Equites auratos, habuiſſe
dicuntur. Notiſſimi certè ſunt Audlei Baronis quatuor illi *Armige-
ri* in pugna Pictavienſi, A. C. 1356. apud *Froiſſardum.* 3. Vir no-
bilis, qui arma tractat militaria, ſed equeſtrem dignitatem nondum
eſt aſſecutus; qui mos obtinuit in Anglia imprimis & Hibernia.
4. Qui terras tenuêre per ſervitium ſcuti, h. e. *Scutagium.* Tales e-
nim non *Scutiferi* ſolum, ſed etiam *Armigeri*, & quòd loricas in-
duebant, *Loricati* dicti ſunt. Hi ad militiam pertinebant, pariter-
que omnes intercidêre. Orti verò ſunt eorum locô *Armigeri* quidam
civiles, quorum aliqui hanc dignitatem è natalibus aſſecuti ſunt, alii
Principis beneficiô: quorum illi apud Anglos, ſunt Procerum filii
omnes, qui Baronum æmuli *Lords* i. e. *Domini* appellantur, propriè
autem Equitum Auratorum filii primogeniti, & ex ipſis hæredes in
perpetuum maſculi: Iſti à Principe fiunt vel *Scriptô* vel *Symbolô*,
quum collum alicujus argenteô ſigmaticô (h. e. torque ex SS. con-
fecto) adornaverit eumque argenteis calcaribus donaverit, vel
Munere. Inter *Armigeros*, qui fiunt, *primarii* habentur qua-
tuor *Armigeri ad corpus Regis*, quorum munus hoc eſt. Pera-
ctô regiæ domus nocturnô miniſteriô, cùm Rex dormitum va-
dit, cubiculi ejus oſtiarius, omnibus circumquaque remotis, *Ar-
migero* (qui hâc vice fungitur) cubiculum tradit per oſtii annulum.
Is ... in ipſo oſtio cubili jacet, manipulum habens è ſatellitibus
Regis adjunctum, ſi quid tumultus, vel etiam ſuſurri inter noctis ſi-
lentium acciderit, delinquentes quantoſcunque in cuſtodiam tradit,
eôque tempore per abitum inſultum in domo Regia nil geritur. Die
Principem foras progredientem ſubſequitur, pallium ejus ferens in
caſum; Plura vide apud Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol* ut & Pi-
gnorium *de ...*, ac Popmam *de Operis Servorum*: de *Armigeris*
... veterum Macedoniæ Regum, in ... aliquid, voce *Somatophylax.*

ARMILAUSA ſeu ARMELAUSA, ſagum militare, quod ſu-
perinduitur thoraci, quaſi *Armiclauſa*, Iſidor. *Origin. l.* 19. *c.* 22.
quod ante & retro diviſa atque aperta eſt, in armos tantum clauſa. Vetus
Interpr. Ju... *Sat.* 5. *Viridem thoraca*, apud eundem Poëtam,
Armilauſam interpretatur. Curtas militum tunicas, ad
genua uſque pertingentes, ἀρμιλαύσια appellat etiam Mauritius in
Strateg. quod ... Fönλων, i. e. *armis ſuperinduantur*, dicta vult
... *Scaviniam* interpretatur *Ugutio* & ſcapulari Monachorum
ſimilem facit. *Scriverius* ab *Armilauſis* populis in *Tabulis* Peutinger.
memoratis, veſtem hanc dictam opinatur, &c. Atque hinc almucius
Canonicorum *Armilauſiorum* nomen à quibuſdam inditum eſt, quod
reliquæ veſti ſuperadderetur, &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Do-
minicus Macer, *Armilauſam* ait eſſe Monachorum Scapulare, quod
ab armis, ſcapulis & humeris pendet, ac vulgariter *Patientia* dicitur,
in *Hierolex.* ſed militarem propriè ſic dictam fuiſſe veſtem, etiam ex
Paulino *Ep* 3. Anaſtaſio Biblioth. in *Gregorio* II. Aliis, diſcimus.
Salmaſ. tamen cum Macro ſenſit, *Not. ad Trebellium Pollionem in
Claudio.* 14.

ARMILLA, ab *armis*: teſte *Feſto*, *Armillæ ex auro, quas viri
militares ab Imperatoribus donati gerunt, dictas eſſe exiſtimant, quod anti-
qui humeros cum brachiis armos vocabant. Unde Arma ab his dependentia
ſunt vocata.* Eſt autem *Armilla* propriè brachiorum decus: Græcè
ψέλλιον. Cùm verò laxior eſt fluentior, quales delicatioribus luxu-
rioſiſque tantùm in uſu, χλιδών dicitur. Ex auro ut plurimum for-
matæ erant, unde *Armillas aureas* ... *viginta*, inter alia bellicæ virtu-
tis præmia, ſe reportâſſe, ait L. Siccius Dentatus apud Dionyſ. Hali-
carn. *Antiq. Rom. l.* 10. Sabinos quoque *aureas Armillas* brachiô
lævô, valgò habuiſſe refert Liv. *l.* 1. *c.* 11. Hinc & Galli χρυσοφό-
ρίους Straboni *Geogr. l.* 4. Rolvoque Rex Danorum, à diſtributis
illiuſmodi ornamentis, dicitur in veteri cantilena, *Hreiter Hrilda*,
i. e. *Spargens aurum.* Nobiliores earum *Armillas* ex ſuccino mutua-
bantur, alii ex gemmis margaritiſque. De prioribus Juvenal. *Sat.* 9.
v. 50.

> *En cui tu viridem umbellam, cui ſuccina mittas*
> *Grandia, Natalis quoties redit.*

In quæ verba vetus Schol. *Succina grandia*, inquit, *gemmata ſunt Dextro-
cheria.* De poſterioribus Chryſoſtomus *in laud. Babylæ Martyris*,
ubi pompam Caii Imperatoris deſcribens, inter alia meminit τῶν ψελ-
λίων τῶν χρυσῶν ἀπὸ τῆς χειρὸς ..., *gemmatarum ubique fulgen-
tium ...*, per quas Dextrocherium ejus ſeu *Armillam* intel-
lexit Is. Caſaubon. Idem legitur de habitu Indorum, apud Curtium
l. 9. *c.* 1. Perſarum, apud Amm. Marcellin. *l.* 23. &c. Porro è
ſmaragdo factæ ſunt, quæ *Viriolarum* peculiare habuêre nomen.
Nec abſimilibus gemmis coralliſve *Armillæ* in ſigno marmoreo di-
ſtinguuntur, apud Pignorium in *Iſiaca menſa*, & in virgine Ameri-
cana, apud Joh. Lætium. In Maximino Jun. *Dextrocherium cum
coſtula de hyacinthis quatuor*, notavit Jul. Capitolin. *c.* 2. Ad annulo-
rum formam effictæ, id præſtant, quod digitis annuli: Unde Ma-
ximinus uxoris brachiali ſeu armillâ pro annulo uſus eſt, apud eun-
dem *in Maximino c.* 7. Iſidorus tamen *Orig. l.* 19. *c.* 31. id inter u-
trumque ponit diſcrimen, quod annulus rotunda formâ arctè ſe clau-
dat, *Armilla* ulterius levi flexu ſe extendat. Interim & armillæ ſuus
quandoque circulus eſt extremis ſe mordentibus, inſtar annuli: quæ
cauſa, quod ἅμματα quibuſdam, communi cum annulis nomencla-
tione, nuncupentur. Sed duplex *Armillarum* forma, arctior illa &
immobilis preſſè manum ambiens, & laxior: quarum hæc vel ſim-
plici orbe alligabat brachium, vel pluribus inter ſe connexis circulis,
doliorum inſtar: cujus ſpecimen ex Muſæo Antiquario Olai Wormii
exhibet *Bartholinus*, in brachialibus elegantiſſimô opere ita effictis,
ut non ſolum orbiculari formâ carpum ſtringant, verùm plurimos
continuatâ ſerie circulos ad medium ferè cubitum extendant. Laxior
hæc *Armillarum* ſtructura, nec noſtrô ſeculô infrequens, nec anti-
quorum fuit. Talis gemmata erat Paſchalini: nec abſimilis Rorici,
cujus Saxo meminit *Hiſt. Dan.* l. 3. Quò referri etiam poteſt Ungu-
lus Pacuvii apud *Feſtum*, ſingularis *Armillæ* artificio, quæ ſic dicta
eſt, quòd annulus ejus cornu in circulo imiteretur, vel quòd rudi ſecu-
lô ungulæ ſeu cornua, annulorum *Armillarumque* vices ſuſtinuerint
& forſan huc facit, quòd *Corniculis Armilliſque* milites *donati* legun-
tur, apud Liv. *l.* 10. *c.* 44. Vel etiam à tortuoſi flexus ſimilitudine
cum cornibus, *Armillam* Ungulum voces. Ponderis has magni ex
auro geſtâſſe Sabinos tradit Liv. *l.* 1. *c.* 11. Unciam auri in ſua exigit
a Menæchmo Erotium, apud Plautum *Act.* 3. *ſc.* 3. Rebecca ad
pondus aureorum decem aſcendit, Gen. *c.* 24. *v.* 22. *Armilla* argen-
tea vetus Iſlandorum in ara aſſervata uncias 20. pendebat, quam ſa-
cerdoti aliquô officio fungentes, juramentum præſtituri, contrecta-
bant, referente Arngrimô *de Rep. Iſland.* c. 6. Copula *Armillæ* vel
tænia fuit vel fibula: quæ ea ebore, apud *Petronium*, lunatâ fuit for-
mâ, fibularum veterum in morem, huic *Lunella*, ut videtur, dicta
Plauto *Epid. Act.* 5. *Sc.* 1. Hamus in ſmaragdina Paſchalini armil-
la, idem præſtitit: Clavi quandoque eâdem fine adhibiti ſunt, de
quibus vide Iſidor. *Origin. l.* 19. *c.* 31. Quædam & clauſulâ junge-
bantur ad hodiernum morem: Unde apud Capitolin. *loc. cit.* legit
Salmaſ. *Dextrocherium cum clauſula.* Hæc idem, quod Græcis καὶ ψέλλιον,
& βραχιόνιον. Namque & *Armillæ* βραχιόνιοι tribuit, Ariſtophanes *Ly-
ſiſtr.* Utrique verò ſexui familiaris hic ornatus fuit; Muliebri præci-
puè, Thom. Magiſter MS ψέλλιον γυναικεῖον κόσμος, *Brachiale,
muliebris mundus*: & *Feſtus*, *Spinter armillæ genus, quo mulieres utuntur.*
A matronis ad ſcorta tranſiiſſe earum uſum, conqueritur Tertullian.
de Pallio, ab his ad Cinædos pervenêre: dictæque ſunt propriè hæ ar-
millæ mulierum, *Viriæ* item *Spatala.* Inde mollitiei ſignum *Ar-
milla*, apud Senec. *l. de* in *Sapient. cadat injuria*, c. 18. Profluxerunt
nihilominus a Viris, unde *Viriolæ Iſidoro*; niſi *Viriolas* virorum, *Vi-
riolas* ſeu *Virias* fœminarum dixeris. Et primò quidem inter Regum
Principumque fuêre ornamenta: inde ad milites donaria tranſiêre,
Equites imprimis; ſervis tandem, Dominorum indultu, ceſſêre,
unde *Armillata turba* dicuntur ... uxores ſervi, apud Sueton. *in Nerone*
c. 30. iique qui in triumphis ludebant, vide Appian. Alexandrinum,
in Punicis, ubi agit de Scipionis triumpho. Caruerunt iis Virgines,
teſte Cypriano *de habitu Virg.* & non niſi à ſponſis, velut conjugii
teſſeras, primum illas ſunt nactæ, vide Gen. c. 24. *v.* 22. *&* *c.* 38.
v. 18. 25. ubi furtivi amoris indicium fuêre; Item apud Plautum
Menæch. Act. 3. *ſc.* 3. Jul. Capitolin. in *Maximino Jun. loc. cit.* &c.
Uxores factæ in armario ſponſalitias condebant *Armillas*, teſte Plau-
tô *locô ſuprà citatô.* Etiam ſepulchro inferri ſolitas auctor eſt *Scævo-
la.* Uſus illarum varius fuit: Inſerviebant ornamenti locô, confe-
rebant ad memoriam (unde ab iis metaphoram mutuâſſe Jehovam
legimus Exod. c. 13. v. 9. ac Deuter. c. 11. v. 18. & Natali die prora
offerri ſolebant, Plaut. *Epid. Act.* 5. *ſc.* 1. & eandem ob finem mi-
litibus donabantur.) Ad ſuaus deinde inſtrumenta migrârunt: ut ta-
ceam de illarum in ſacris uſu. Nam veſtibus Aaronicis illas Eruditi
tribuunt, & ad expiationem collatæ leguntur Numer. c. 31. v. 50.
Rupibus triviiſque ſuſpendit Frotho Magnus Danorum Rex apud Sa-
xonem *l.* 5. ad ſubditorum explorandam fidem: quod de Alfredo
quoque Anglorum Rege refert Matth. Weſtmonaſterienſis ad *A. C.*
892. Ad inſidias mercandas Toroni Canutus Rex donavit, apud
Snorronem Sturleſon *in Chron. Norvegiæ.* Superſtitioſæ quoque Me-
dicinæ inſervierunt &c. Vide Thomam Bartholinum *de Armillis ve-
terum.* Nec omittendum quòd ad *Armillas* jurare olim Dani ſoliti
ſoliti, apud Ethelwerdum *l.* 4. *Hiſtor. Anglic.* c. 9. *Eique ſtatuunt
juſjurandum in eorum armilla ſacra.* Niſi hôc locô *Armilla* genus ar-
morum fuerit: quod conjici poteſt ex *Capitul.* Caroli M. *l.* 6. *c.* 223.
Ut armillæ & brunæ non dentur negotiatoribus: hâc enim lege vetantur
arma mercatoribus diſtrahi, Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi de Armillis
veter. Francorum. Vide quoque infrà in voce *Bauga*, it. *Brachiale*,
Dextrocherium, *Pericarpium*, *Pſalin*, *Pſellia.*

ARMILLARIS Sphæra, meliùs *Armillaris*, vide infrà *Sphæra*.

ARMILLUS, quaſi Ἐρημόλαος, *vaſtator populi*, commentitius Judæorum Antichriſtus eſt, quem narrant Romæ è lapide marmoreo naſciturum, prodigioſæ ſtaturæ, & geminum Meſſiam ſe jactaturum, donec cum ipſo pugnaverit & inferior evaſerit Meſſias Ben Joſeph. Quô cæſô, ſurrecturum tandem Meſſiam Ben David, & *Armillum* fuſurum ac occiſurum eſſe. *Quæ fabula*, verba ſunt Fr. Burmanni *Synopſ. Theol. Chriſt. Parte poſter. l.* 8. *c.* 18. § 18. *iis demum temporibus contexta eſt, quando Papa Romanus Chriſtianis non ſolum, verum etiam Judæis gravis eſſe cœpit, ut per Armillum hunc Judæos Romanum Antichriſtum deſignaviſſe, ex omnibus indiciis liquidum ſit. Quamvis recentiores fabulam paulo aliter referunt, aliique refutant.*

ARMILUSTRIUM, feſtum apud Romanos, quô rei divinæ armati faciebant, & ſacrificantes canebant tubis. Item locus, in quo ejuſmodi ludi fiebant. *Varro* hoc nomen, ab *ambitu luſtri*, dictum putat, quod ibi circumferretur pompa, & equi currerent. Ita *Feſtum*, Feſti abbreviator, ad *quem locum* Jos. Scaliger annotat, exiſtimare Centuriatis Comitiis exercitum armatum luſtrari ſolitum, ſumptô more ex vetuſtiſſimo Athenienſium inſtituto, apud quos ἡ περιστοιχία Comitium luſtrârint. Addit etiam, non eſſe credibile, tubis in eo facto canere ſolitos, ſed claſſicô. Incidebat autem in diem 14. Kal. Nov.

ARMINA, vide *Armena*.

ARMINIA Pelus, vide infrà *Herminius*.

ARMINIACENSIS Tractus, Regio Gall. in Aquitania ſuperiori inter Benearnum & fluv. Garumnam. Ejus præcipuæ Urbes Auſci & Lactora. Aliàs Comites habuit percelebres. Gall. l'*Armagnac*. Vide *Armaniacus tractus*.

ARMINIANI, vide infrà *Arminius Jacobus*, *Dordracum*, *Remonſtrantes*.

ARMINIUS, Germanorum Cheruſcorum Dux fortiſſimus, qui Varum cum exercitu ſuo delevit. Dein à Germanico cruentiſſimò duplici prælio ſuperatus, aliô in Orientem avocatô, Maroboduum & Inguiomerum patruum ſibi adverſantes vicit. Tandem an. 12 principatus ſui, ætat. 37. dolô Adgandeſtrii, Chattorum Principis, fruſtrà à Tiberio venenum poſcentis, occubuit. Dio *l.* 56. Vellej. *l.* 2. *c.* 118. Plura de eo Tacitus *Annal. l.* 1. & 2. in cujus fine hoc ei elogium tribuit: *Liberator haud dubie Germaniæ, qui non primordia Pop. Rom. ſed florentiſſimum imperium laceſſierit: præliis ambiguus, bello non victus.*

ARMINIUS Jac. Batavus, Amſtelrodamenſis Eccleſiæ paſtor, novam ſectam meditatus, Calvinum, Martyrem, Zanchium, Bezam, aliosque Reform. Eccleſ. Doctores clanculum primum coram ſuis ſugillare; dein heterodoxas & ſemipelagianas opiniones, præcipuè cum Leidæ in Theol. Profeſſione Junio ſucceſſiſſet, ſuis propinare cœpit. Unde Eccleſia Belgica turbata. Nec morte Arminii, qui ann. 1609 obiit, extinctum malum. *Remonſtrantes* enim, ut ſe Arminii ſectatores nominabant, Conr. Vorſtium, de Socinismo jam pridem ſuſpectum, ejus in locum ſurrogare nitebantur. Sed Angliæ Rex Jacobus intercesſit. Poſtmodum collatio ſuper 5. Remonſtrantium articulis Hagæ inſtituta, ſed nullô ſucceſſu. Indies enim numeroſiores, pro lubitu paſtores promovebant, vel emovebant. Donec bellum civile Ordines veriti, ex Jacobi Regis & Mauritii Principis conſilio, nationali Synodô Dordraci convocatâ, malo mederi inſtituerunt. Cui etiamſi ſe opponere Arminiani conati, militibus, quos *Præſtolantes* vocavêre, conſcriptis, fruſtra fuêre. Synodus itaque inchoata die 13. menſ. 9bris. A. C. 1618. in qua poſt graviſſimam deliberationem deprehenſum, Articulos illorum *de Prædeſtinatione, Redemtione, Vocatione univerſali, Libero arbitrio, Gratiæ reſiſtibilitate*, & *Sanctorum apoſtaſibilitate*, à verbo Dei alienos eſſe. Theologi illorum citati, auditi, convicti, heterodoxiæ damnati, & ab Eccleſiis excluſi. Horum ingens numerus in Dania, veniâ à Rege impetratâ, egregiam urbem Fridericoſtadium, in ora ſinus Codani, condiderunt. Plurimi adhuc in Belgio ſuperſunt. Vide *Acta Synod. Dordr.* Remonſtrantium *Epiſtolas*, &c. ut & paulò ſuprà, *Arminiani*.

ARMIRUS, fluv. inſul. Cretæ, in agro Rithymnenſi. Cadit in mare Creticum, prope Caſtrum vetus.

ARMIS ludere, apud Vulcatium Gallican. in *Avidio Caſſio*, *c.* 6. *Exercitium ſeptimi diei fuit omnium militum, ita ut & ſagittas mitterent & armis luderent*: dicebantur Caſaubono, qui ſe armis exercerent, unde & diès ille, quô id fiebat, *armiludium*; ſicut *armiluſtrium*, quô arma luſtrabant. Notandum autem, *exercitium armorum* hic à *ſagittis* ſeparari, quemadmodum & apud Sueton. in *Domitiano*, *c.* 19. *Armorum nullo, ſagittarum præcipuo ſtudio*, tenebatur. Sic *Arma* & *pilum* diſtinguit Spartian. in *Hadriano*, *c.* 26. *Armiſque & pilô ſe ſemper exercuit*. *Pilum* autem & *ſagittas* conjungit Vopiſc. in *Aureliano*. Nempe, ſi *arma* generaliter accipiantur, certum eſt & ſagittas & pila & alia miſſilia eô nomine comprehendi: ſub *armorum* verò *exercitio*, ſcutum & gladius tantum comprehendebantur. Hinc Ovid. jaculandi peritiam ab armis diſtinguit, *l.* 3. *Art. amand.* v. 383.

> *Sunt illis celeriſque pila, jaculumque, trochique,*
> *Armaque & in gyros ire coactus equus.*

Cicero in *Catone maj.* ubi exercitationum militarium genera recenſet, *arma* quoque ab *haſtis* ſeparat: *Sibi habeant igitur arma, ſibi equos, ſibi haſtas, ſibi clavam, ſibi pilam, ſibi venationes* &c. *Armorum* igitur *exercitium*, tam apud Milites, quàm Gladiatores, in ſolo clypeo & gladio conſtabat. Qui peritus clypeum ſciebant vibrare & quatere & obliquis ictibus telorum jactum deflectere, qui gladiô dimicare noverat, is in armorum exercitio peritus cenſebatur. Vegetius *l.* 2. *c.* 14. Pro eodem *arma tractare* dixit Seneca; *Ep.* 88. *arma movere*, Manilius, *l.* 3.

> *Aut ſolo vectatus equo nunc arma movebat.*

Arma batalare, in Bojariorum *LL.* Vide infrà, ubi de *Batalibus*, &c. Olim autem non ſolum gladiatoribus, armorum Arte erudiendis, præficiebantur Laniſtæ, ſed & tironibus, ut habet Sueton. in *Julio*, *c.* 26. Poſtea *Armidoctores* in caſtris ad eam rem habiti & Campidoctores, qui ex veteranis eligebantur armorum periti. Armorum tamen ſcientia longè perfectior in gladiatore, quàm in milite. Hinc qui illam armorum ſcientiam exactè perdiſcere volebant, in ludo Laniſtæ dabant operam & gladiatoriis armis exercebant: quod multos quoque Imperatores feciſſe, patet ex Spartiano laudato, de *Hadriano*, *Vero* &c. *Armorum certamen* vocat Quintilianus & gladiatoria arma intelligit *l.* 9. *c.* 1. ubi quid ſit *arma avocare*, vide infrà in voce *Fictio*, item *Manus*. Cætera, tractandorum armorum penè ſimilis ratio: accedere, recedere, in clypeum aſſurgere, & mox ſubſidere & in arma ſua ſe colligere: impetum in aliam partem minari, in aliam facere & reliqua ejuſmodi in utriſque ſimilia. Quòd autem præcipua pars & ars exercitii armorum in ſcuto ſcitè tractando, quò & ſe protegerent, & ictus cautè exciperent, poſita eſſet, ideò *Armorum ſcientia* hæc appellata eſt, & *Armorum peritus*, qui illam teneret & *Armis exercere* dictus eſt, qui illi exercitationi ſtuderet. Naturâ enim prius eſt ſe ac ſua tegere & tueri, quàm alium petere ac ferire: unde *arma* propriè de ſcuto & clypeo dicta; quodque *arma tractare* Spartian. & Seneca *loco cit.* dixêre: Auctorque *Panegyrici* ad Piſonem, *arma rotare*:

> *Arma tua etiam ſi ſcitè rotare lacertis,*
> *Inque gradum clauſis libens conſiſtere membris,*
> *Et vitare ſimul, ſimul & captare petentem:*

Id Vegetius, *Scutum rotare* dixit, *l.* 2. *c.* 14 &c. Vide Salmaſ. ad *Spartian. in Adriano*, *c.* 26. & infra, ubi de *Armorum exercitio*.

ARMIS Religionum propagandi ratio Muhammedica, vide infrà *Muhammedes*.

ARMISTÆ, Dalmatica gens. Plin. *l.* 3. *c.* 22.

ARMITUS, Syracuſanus, potu nimiô in ebrietatem lapſus filias ſtuprô contaminavit. *Plut.*

ARMIYSES, inferioris Ægypti Rex XIII. poſt Achoreum; regnavit ann. 4. Suphide II. Memphitis imperante. Ei ſucceſſit Chamois, quem vide.

ARMLEDER, ruſticorum manu conflatâ, quoſcunque Judæorum obvios, in Germania, trucidavit; dein etiam in Chriſtianos furore versô, captus, & Ludov. Bavari juſſu ad mortem damnatus eſt. Boſquet. in *Bened.* 12. Spond. *A. C.* 1338. *n.* 11.

ARMONE, vulgo ARTON, ſive ARVON, oppid. Albionis in ora Walliæ, contra Monam inſul. à Bangorienſi urbe 7. mill. paſſ. in occidentem. Alii *Arvon* ſcribendum ajunt, quod magis placet, *Carnarvon* hodie forſan dicitur.

ARMONI, fil. Saulis ex Reſpha concubina. 2. *Sam. c.* 21. *v.* 8. Latin. *Aula*, ſive *palatium*, aut *Maledictio monstrationis*, vel *proportionis*, aut *lumen manus*.

ARMORACEA, fluv. de montibus Arabiæ deſcendens, in ſtagnum Aſphaltiten erumpit. Dividit Moabitidem & Ammonitidem. Joſeph. *l.* 4.

ARMORICÆ, vel AREMORICÆ, civitates Galliæ Celticæ apud Cæſarem, *l.* 5. *Bell. Gall. c.* 53. & *l.* 7. *c.* 75. & *l.* 8. *c.* 31. Regio hodiè *Bretagne*, & incolis *Lhydaw*, teſte *Rob. Canalo*. *Armore* autem Britannicè ſonat *ſuper mare*. Unde & *Armorica* regio. Ibi Cæſar feliciſſimè res geſſit, *Comm. loc. cit.* Oroſ. *l.* 6. *c.* 7. *Lelandus*. Ampliſſima eſt, fuitque ſub Ducibus olim propriis. A Carolo autem 8. Gallorum Rege adjuncta fuit regno A. C. 1488. cùm Annam Provincial. heredem matrimoniô ſibi copularet.

ARMORICI, Ἀρμόριχοι *Zoſimo*, Ἀρβόρυχοι *Procopio*, *Armoriciani Jordani*, populi Gall. de quorum regione vide ſuprà, & prolixiùs, apud Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.* Errico Monacho *in l.* 5. *de vita Germ.* inter Sequanam & Ligerim collocantur; *Transſequani* propter Belgii dicti, apud Gilbertum Belgam, *Hiſt. Hieroſol. l.* 4. De his præfatus Erricus: Gens

> *Torva, ferox, ventoſa, procax, incauta, rebellis,*
> *Inconſtans, diſparque ſibi novitatis amore:*
> *Prodiga verborum, ſed non & prodiga facti.*

Ab his Oceanus *Armoricus* nomen accepit, quem Auſonius, à Pictonico Santonicoque diſtinguit, *ep.* 15. Tractus horum populus, per annos amplius 800. Ligere & Sequanâ terminatus, totam oram Britanniæ minoris & Normanniæ, ſeu provincias Lugdunenſem 2. & 3. continebat. Poſtea pro ſola Britannia Ciſmarina ſumi cœpit. Unde patet, *Armoricas civitates*, apud Cæſarem pro ſola Britannia citeriore accipi non poſſe, licet hæc à recentioribus ſcriptoribus *Armorica* nomine deſignetur. Incolebant autem civitates has maritimas, Cæſaris tempore, Curioſolitæ, Redones, Oſiſmi, Unelli, Veneti, Lexovii, Namnetes, Ambiliates, &c. Vide *Valeſium*.

ARMORUM Benedictio, eorum nempe, qui in ſacras expeditiones proficiſcebantur, occurrit apud Honorium Auguſtodunenſem *l.* 1. *c.* 181. *Horum (Sacerdotum) officium eſt, Miſſas celebrare — populum ad Miſſam vel nuptias vel arma vel peras, vel baculos, vel judicia ferri & aquæ benedicere.* Car. du Freſne, *Gloſſar.* Vide quoque infra, ubi de *Veſtium benedictione*.

ARMORUM Cuſtos, in *veterib. Inſcriptionibus*, apud Gruterum 518. 5 546 9 569. 7. dictus videtur, non tam is, cui armamentarii, quod ὁπλοθήκην appellat Johannes Cananus *p.* 191. quàm is, cui armorum in caſtris ſervandorum incumbebat cura: cujuſmodi *armorum Cuſtodes* ſinguli Regiones habebant, 568. 11. apud eundem *Gloſſarii* Auctorem.

ARMORUM Exercitium, propriè Romanis dicebatur, quod enſe & clypeô fiebat, cujuſque ars in feriendo adverſario & ſe protegendo conſiſtebat, ut ad Spartian. in *Hadriano* c. 26. fusè docet Salmaſ. Vide ſuprà in phraſi *Armis ludere*: Sed & ad alia etiam armorum genera extendi poteſt, quibus olim milites exercebant. Nam ad omne genus *armorum* docuiſſe *exercere Vegetio*, dum

dum ſcil. baſſile [illegible], ſudem vibrant, jacula ſagittaſque mittant, ad palum battuant. Idem *Notis ad Æl. Lamprid. in Alexandro Sev. c.* 33. A quo *Armatura* ſeu Armaturæ exercitium, quod Vegetius vocat l. 1. c. 14. haud parum differebat; contrà quam Lipſius ſenſit. hâc enim voce indigitat Auctor hic proluſionem & meditationem campeſtrem, quæ in armis & ſub ſignis fiebat, non ſecus ac ſi cum hoſte confligendum eſſet, in qua proluſione diſcebat tiro & ordines ſervare & vexillum ſuum comitari, ad haſtam, ad clypeum declinare & reliquos armaturæ numeros & geſtus, *c.* 4. *l.* 3. *Neque enim parva aut levis ars videtur armorum, ſive equitem, ſive peditem ſagittarium, vero imbuere, ſive ſcutatum armaturæ numeros omnes, omnes ut geſtus docere, ne locum deſerat, ne ordines turbet, ut* [illegible] *& armata ictu & magnis viribus jaciat, ut foſſam ducere, ſudes ſcienter figere noverit. Ubi* [illegible] *armaturæ geſtus & numeros* ad ſolum ponitur, *ne locum deſeratmiles, ne ordinem turbet*: nam reliqua, quæ ſequuntur, *de impedibus jaciendis & ſudibus figendis & foſſis ducendis*, ad armaturam quidem generalem ſcientiam & artem pertinent, non ad armaturam. [illegible] *juſſionem* vocat illud armaturæ exercitium *c.* 13. *campeſtrem meditationem*, alibi; & utraque armorum exercitus apertè diſtinguit, *l.* 2. *c.* 14. & *l.* 3. *c.* 4. Idem *Artem armaturæ* appellat *militarem artem* & *artem bellandi*. quæ exhiberi ſolebat ſub Campidoctore, in proluſione campeſtri & decurſione *l.* 1. *c.* 13. ubi milites, qui parum in illa proluſione profecerant, pro frumento hordeum coactos fuiſſe accipere, legimus. Meminit ejus Liv. *l.* 44. *c.* 9. *Inter cætera*, inquiens, *ſexageni ferme juvenes, interdum plures, ob apparatoribus ludis armati inducebantur, horum inductio ex parte ſimulachrum decurrentis exercitus erat, ex parte elegantioris exercitii, quam militaris artis, propiorque gladiatorium armorum uſum*. Quos geſtus & motus & gyros, progreſſiones, receſſiones, curſus, ſecuriùs verſos, permixtioneſque, evolutiones in armis & ſub ſignis factas, *Armaturæ geſtus & numeros* vocat Vegetius, & *exercitium armaturæ*, uti jam proluſionem &c. Vide infrà ubi de iis, quos artem docuiſſe iſtam olim diximus, *Campidoctoribus* videl. ut & alibi paſſim.

ARMORUM Promontor. vulgò *Capo dell' arme*, in Calabria ulteriori, prope fretum Siculum in mare excurrit, quod aliàs Bruttium & Leucopetra dicebatur, vide ibi.

ARMOTIA, Inſul. Galliæ in ora Santonenſis provinc. *Briet* teſte, & aliis.

ARMOZUM, nunc *Cap. Jaquette*, promontor. Carmaniæ ad fauces ſinus Perſici è regione Arabiæ Felicis. *Ptol.* A multis *Capo Ormus* dicitur, in Perſide, è regione Armuſiæ Urbis. *Baudrand.*

ARMUTIA, vide ſuprà *Almutia*.

ARMUZIA, *Ptolemæo Armuza*, vulgò *Ormus*, inſul. cum urbe regia ejuſdem nominis, emporio celebri, in ore ſinus Perſici inter Armorum promontor. Carmaniæ (à quo nomen habet) & Aſaborum promontor. Arabiæ: Cujus Rex (qui in Arabia Felice Perſide, & Carmania dominatur) Luſitanorum ab A. C. 1507. (qui ibi arcem tenent munitiſſimam, & fruſtra armis Arabum, ac Turcarum tentatam) vectigalis eſt, ac ſub illorum tutelæ regnô potitur. Longitud. 93. 50. latitud. 23. 30. *Nic. Lloydius*. Antiquus Organa, *Arrian Harmoſia*, Tartaris *Necrokin*, celebris unionum copiâ. Nunc Perſis ſubeſt, qui ope Anglorum Luſitanos expulerunt. A. C. 1622. A quo tempore deficit indies, crevitque ex ejus ruinis Urbs *Gombron ſeu Bander Gambrun*, in vicinia, proxima continenti Perſiæ. Vide *Baudrand. P. de Valle, Alios*.

ARNA, civitas Lyciæ, *Xanthus* poſtea dicta. *Steph.* Alia Umbrorum in Italia. Silius Ital. *l.* 8. *v.* 457.

> *Hic urbes Arna, & latis Mevania campis,*
> *Hiſpellum*, &c.

Ptol. [illegible], [illegible], Τόδερ, Σπολήτιον, Μηουανία. Populi *Arnates*. Plin. *l.* 3. *c.* 14.

ARNÆUM Ducum, oppid. Franciæ, in Burg. in Alexienſi tractu. Ad fontes Arroſii fluv. peramœnum & cultum. *Arnay le Duc*.

ARNALDENSIS, ſpecies monetæ, Vicecomitum fortè Leomaniæ, quibus *Arnaldi* nomen familiare. *Charta Joh. de Greilly* Seneſcall. Vaſconiæ A. C. 1283. in *Regeſto* Conſtabulariæ Burdigal. *fol.* 21. *Habuiſſe & recepiſſe* — *a Johanne Epiſcopo Aginnenſi* 3000 *librarum bonorum Arnaldenſium*. *Regeſtum* Comitum Toloſæ *fol.* 30. *Mille libræ* Arnaldenſis *monetæ*, in *Litteris* Arnaldi Odonis Vicecomitis Leomaniæ A. C. 1248. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARNALDISTÆ, de quibus agunt Otho Friſingenſis *de Geſtis Frider.* *l.* 2. *c.* 20. Bernardus *ad Guidon. Legat.* & Gerhous Richerſperg. *de Inveſtigat. Antichriſti l.* 1. Vide *Arnoldiſtæ*.

ARNAN, fil. Raphajæ. 2. Paral. *c.* 3. *v.* 21. Latinè *Exultans*, *ſive arca eorum* aut *lux filii*, vel *lux eius maledictio permanens* vel *æterna*.

ARNDT Johannes, Ballenſtadiô Anhaltinus, patre Jacobô Wolfgangi Principis Anhalt. Concionatore aulicô genitus, juvenis adhuc in Academia Argentinenſi Studioſis privatim Rhetoricam, Phyſicam, Ethicam, & D. Pauli *ad Rom.* Epiſtolam expoſuit. Baſileæ dum Baroni cuidam Polono præceptor datus cùm in Rheno lavaret, gurgite abreptus, ejus ope, ſingulari Dei gratiâ, mortem præſentiſſimam evaſit. Paſtor exin ordinatus, Beinburgi, Ballenſtadii, Badebornæ, Brunſuici, Iſlebii, Cellæque in Ducatu Luneburgico, verbum Dei prædicavit: vocationibus aliis, Northuſam, in Comitatum Schwarzenburgicum, Weiſenfelſam, Magdeburgum & Hamburgum modeſtè recuſans. Scriptis interea Spiritum Dei redolentibus cum vitæ ſanctitate per totam ferè Germaniam clarus, à Magnatibus multis per literas ſalutatus eſt. Obiit die 11. Maj. A. C. 1621. ætat. 66. miniſterii 39. poſtquam octiduô antè concione habita ex *Pſalm.* 126. *v.* ult. *Cum lachrymis ſeminant cum gaudio metent*, divinum inverſus concionem ſe ſunebrem habuiſſe, velut inſtantis fati non ignarus, prædixiſſet. Scripta ejus enarrat P. Freherus *Theatro Virorum eruditione clarorum*, inter quæ, aureolum libellum, cui *Hortuli Paradiſi* nomen, à media flamma retentæ in Haſſia hoſpitæ ſuæ ereptum & in ignem conjectum, medus in flammis illæſum manſiſſe, certa conſtanſque fama eſt, die 7. Januar. A. C. 1624.

ARNE, puella, proditâ Minoi patriâ, in monedulam transformata fingitur, Ovid. *l.* 7. *Metam. f.* 24. *Moreriûs*. Sed *Anaphe* potius illa fuerit.

ARNE, Iaſonis mater, Diodor. Sic. *l.* 4. & civitas juxta ſinum Maliacum. *Plin. l.* 4. *c.* 7. *Arne*, urbs Bœotiæ eſt ארנה הר *Harnæ*, i. e. *mons amœnus*. *Strabo* enim, ſitam eſſe dicit ἐν ὑψηλῷ *in ſublimi loco*. Homer. *Il. β. v.* 507. appellat eam, πολυστάφυλον, h. e. *uvis abundantem*, & Nonnus *Baſſaricon l.* 13. Ἄρνην βοτρυόεσσαν Græcorum de ea nugas vide, apud *Suid.* in Ἄρνη, & in Scholiaſte *Lycophronis* p. 106. Bochart. *Chanaan l.* 1. *c.* 16. Item alia urbs ejuſdem nominis Theſſaliæ, à Bœotiis deducta; quæ *Cierium* vocatur, alia Meſopotamiæ, ultima Eraſinorum juxta Thraciam. *Steph. Heſych.* Ἄρνη, πόλις Βοιωτίας, ἔτι δὲ καὶ Θεσσαλίας. Item, Inſul. Angliæ. *Nic. Lloydius*.

ARNEÆ, civitas Lyciæ parva. *Steph.*

ARNEBURGUM, oppidul. German. ad Albim fluv. in veteri Marchia Brandeburgenſi. Paucis conſtat incolis, & ferè dirutum fuit ultimô bellô Germanicô.

ARNEDUM, oppid. Americæ meridional. in regno Peruviæ. Portu gaudet utcunque capaci, in ora maris Pacifici ſeu Auſtrini.

ARNEFRIDUS, Lupi fil. propter quem Slavi, qui Hiſtriam & Dalmatiam incolebant, cum volentes ei paternum reſtituere Ducatum, multis incommodis affecit, fugatique ſunt e Vectare Vincentiæ Comite. *Blondus*.

ARNEMUDA, oppidul. Belgii, in Zeelandiæ Comitatu & Inſul. Valachriæ, in ora, cum portu è fronte Zud-Bevelandiæ Inſul. Aliis *Ramua*.

ARNHEMII Regio, pars terræ Auſtralis noviter à Batavis detecta in ora Maris Auchidolii, ad Auſtrum novæ Guineæ, inter Carpentariam & terram Concordiæ.

ARNHEMIUM, Urbs Belgii, in Geldria. Ex qua Volfardus gladiorum politor, cùm temerè Hiſpanos contemnens ad certamen provocâſſet, adactus ab Albano pœnâ capitis ad pugnam, duos interfecit, tum tertium equis deturbavit. Imago Belgici belli imminentis, cujus exitus felix, ſed initium aſperum omnino fuit. A. C. 1568. Vide *Arnacum*.

ARNHUSIA, Urbecul. Germaniæ in Pomerania inferiore ſeu Brandeburgici juris, prope Regam fluv.

ARNI, populi quos Hercules Libycus, cùm eſſet Rex Latinorum, debellavit, & Italiâ expulit.

ARNIENSIS Tribus apud Romanos dicta ab Arno, Thuſciæ amne, ut volunt *Sigonius* & *Onuphrius*. Meminit ejus Livius *l.* 6. *c.* 5. & *l.* 29. *c.* 15. C. Claudius Nero, ex tribu *Arnienſi*, apud Valerium *l.* 2. *c.* 4. A Suburana uſque in *Arnienſem*, apud Cicer. *Orat. in Rullum*, interpretatur *Sigonius*, à prima tribu ad ultimam. Hanc enim tribum pro ultima habuerunt, non quod ultimô locô, vel noviſſimè fuerit addita (inter 35. enim Tribus viceſimô quintô recenſetur locô) ſed quod fuerit ab urbe Roma remotiſſima, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 19.

ARNINE, fluv. inter Pyrgos & portum Herculis. *Antoninus*.

ARNISIUM, caſtrum excelſum Hiberniæ in Ultonia provinc. & Comitatu Armachano, medium ferè inter Armacham & Lugum Urbes

ARNISSA, Græca urbs Taulantiorum regionis in Macedonia *Ptol.*

ARNOBA, & ARBONA, vide *Abnoba*.

ARNOBIUS, in Africa Rhetor, tempore Diocletiani converſus ad Chriſtianiſmum, libros contra Gentes conſcripſit, qui hodie exſtant. Floruit circa A. C. 330 auctore *Hieronymô*. Lactantii Præceptor fuit, teſte eôdem *Hieronymo*, in his, *Septem libros adverſus Gentes Arnobius edidit, ejuſdemque diſcipulus ejus Lactantius, quos ſi legere volueris, dialogorum Ciceronis in eis Epitomen reperies*. Quâ occaſione hæc ſcripſerit, ex appendice *Chronicorum* Euſebii Pamphili apparet: *Arnobius in Africa Rhetor clarus habetur, qui cùm in civitate Sicca, ad declamandum juvenes erudiret, & adhuc Ethnicus, ad credulitatem ſomniis compelleretur, ut ab Epiſcopis impetraret fidem, quam ſemper impugnaverat, elucubravit adverſus priſtinam religionem luculentiſſimos libros, & tandem velutis quibuſdam obſidibus impetravit*. Scripſit etiam, teſte *Trithemiô*, in Pſalterium *l.* 1. Item de Rhetorica Inſtitutione *l.* 1. Commentarii in omnes Pſalmos excuſi primum apud Frobenium. Item in aliquot Evangeliſtarum locos, excuſæ annotatiunculæ, Baſileæ. Extat liber adverſus Gentes, cum recenſione Viri Celeberrimi, & integris omnium commentariis Lugd. Bat. 1651. in 4to. Vide Hieron. *in Catal. & Chron. Moreriûm*. Cæterùm fuit is Preſbyter Africanus, cujus opere, cùm Deſiderii Haraldi Animadverſionibus, prodière in fol. Pariſiis A. C. 1605. Videtur tamen *Bellarmino*, ut & *Fr. Feuardentio* haud improbabile, Commentarios in Pſalmos, eſſe *Arnobii* cujuſdam junioris, qui vixerit circa A. C. 460. vel, ut *Tritemio* & *Gerardo* placet, 441. De priori Barthius, *ſi non exſtaret, denſa nox foret in ſuperſtitionibus veterum*. Idem dicitur fuiſſe *Reconditæ eruditionis, ſtyli aſperioris*, Dempſtero. *Poſt Tertullianum inter ſacros Scriptores doctiſſimus, adeoque lima Doctorum digniſſimus*, Lipſio. *Patrum Frajus optimus, ille Chriſtiana Varro Maximus eruditionis*, Henſio. *Ei Lucretii verba ab uſu remotiora mirificè placuiſſe & quaſi in deliciis habita eſſe*, docet Giphanius *Collect. in. in Lucret.*

ARNOBIUS, cognomine *Junior*, diſputationem cum Serapione circa Unitatem & Trinitatem divinam, ſcripſit. Quidam ei attribuunt quoque tractatum *de duabus ſubſtantiis*, i. e. naturis. Item Commentarium in *Pſalmos* qui ab aliis Arnobio Africano, vide ibi, vindicatur. Vixit *ſecul.* 5.

ARNODI, Græcè Ἀρνῳδοί, aliàs Rhapſodi, item Homeriſtæ, dicti ſunt, qui in conviviis apud Græcos, vel ludis publicis Homericos recitabant verſus, ramum lauri manibus geſtantes; His præmii locô agnus dabatur, unde ipſis nomen. Vide Fr. Roſinum *Archæol. Attic. l. 6. c. 6.*

ARNOLDI Henricus, Saxo, Carthuſianorum Baſilienſium, ante Reformationem, præſes, Patrum in Concilio ibi celebrato, notarium egit, ſcripſitque libris, ut ſunt *Harmonia Evangelica*, *SS. Hiſtoria*, &c. innotuit. Obiit A.C. 1487.

Comites Naſſoviæ.

ARNOLDUS, fil. primogenitus Everardi Comitis ex Helfenſtenii domina, Comitatui poſt patrem præfuit annos 37. Deceſſit ſine prole, ſucceſſore Friderico fratre. Sororem habuit Annam, *Arnoldo* Comiti Lucelſteino nuptam. Inter majores ejus Walravius itidem Naſſoviæ Comes, præter alios *Arnoldum* quoque filium habuit, qui ductâ in uxorem Demhildâ, Toparchæ Arenbergii filiâ, Ludovicum ex ea ſuſcepit, Arcis Hambergenſis & hinc dictorum Hambergenſium Weſterieiorum Comitum auctorem. Cyr. Lentulus in Genealog. *Naſſovia Comitum Principumque* MS.

ARNOLDUS, Abbas Ciſtercienſis, primùm, dein Archiepiſcop. Narbonenſ. A. C. 1106.

ARNOLDUS Buſchius, Hiſtoricus. Voſſ. *Hiſt. Lat. l. 3. c. 10.*

ARNOLDUS du Buis, Hiſtoricus, & alius, ſub Ottone IV. Idem *l. 2. c. 55.*

ARNOLDUS Bern. de Monte majore, Patriarcha Alexandrinus, *Onuphr.*

ARNOLDUS Brixienſis, Clericus, Sebuſianus, Abaillardi diſcipulus, ut habet Morerius, *in Arnoldo*. Clericis ingrata prædicavit. Bona illos non decere, ſed Principum eſſe, libertatem Reipubl. Roman. pulsô Papâ & Cardinalibus, reducendam, Sacerdotum jugum excutiendum, &c. dictitans. Quæ contentio tanti fuit momenti, ut omnes deinceps Pontifices, uſque ad Clementem III. exercuerit. Româ proin ad Fridericum I. Imperator. fugere coactus, ab hoc Adriano IV. traditus, & ſuſpendio flammiſque necatus eſt. A.C. 1155. *Platina, Sigonius Guntherus Tigur. Otto Friſing.* Vide & Georg. Hornium *Hiſtor. Eccleſ.*

ARNOLDUS de Lens, vide *Lens*.

ARNOLDUS Corbienſis, Cancellarius Galliæ, obiit A. C. 1415. Monſtrelet *Hiſt. Gall.*

ARNOLDUS Ferronius, Gallus, JCtus & Hiſtoricus celebris, Hiſtoriam P. Æmilii continuavit, uſque ad mortem Franciſci Regis. Latinè vertit quædam *opuſcula Plutarchi*, ut & *librum Ariſtotelis, contra Xenophanem, Zenonem & Gorgiam*. Scripſit porrò *obſidionem Rhodi*, & *Athenagora* quædam Gallicè vertit. Jul. Cæſ. Scaligero chariſſimus. Obiit A. C. 1563. ætat. 48. Sammarthan. *Elog.* Jul. C. Scaliger *Poem. p. 353.* Vigneriùs *Biblioth. Hiſtor. Tom. IV.* Antonius Teiſſier *Elogia Eruditorum*

ARNOLDUS à Melchthal, Underwaldius, fil. Henrici, duriter habiti à Peregrino Landenbergio Præfecto, tandemque hujus juſſu exoculati, indignitate injuriarum commotus, cum Wernhero Stauffachero Suitio, & Waltero Furſtio Urio, viris fortiſſimis, conſilium fœduſque iniit, ad patriam à tyrannide liberandam & veteri libertati reſtituendam: die 16. Kal. Nov. A. C. 1307. quô annô Wilhelmus Tellus, ex confœderatis unus, gratum Helvetiis ac celebre nomen, Griſleri injuriis exagitatus, hunc ſagittâ peremit: Kal. dein Jan. in tribus illis pagis arces everſæ, ſicque Helveticæ libertatis fundamenta feliciter, Heroum iſtorum ductu, jacta ſunt. Simlerus *de Rep. Helv.* Directorum Auctorum *Helvet. Reſpubl. edita Lugduni Bat.* A. C. 1627.

Injuſtè tandem patientia victa furore,
Ad libertatem pectora preſſa vocat.

Vide *Henricus*

ARNOLDUS Novellus, Cardinal. Gall. à Clemente V. in Angliam miſſus, A. C. 1312.

ARNOLDUS Oſſatus, obſcuriſſimis, in tractu Armeniacenſi, natalibus, ſub Cujacio Juri operam navavit. Secretarius dein Legationis Archiepiſcopi Tholoſani, ab Henrico III. Romam miſſi, ita munere functus eſt, ut, mortuô Legatô, ipſemet ſucceſſerit. Epiſcopus hinc Rhedonenſis, dein Bajocenſis, &c. tandem Cardinalis, obiit A. C. 1604 Bentivolius, *in memor.*

ARNOLDUS de Palagru, Cardinal. Gallus Venetos vicit, & Henrici V. Imperator. coronationi, ab eodem Papa miſſus interfuit, &c.

ARNOLDUS de Villa Nova, Medicus celebris, Catalaunus, floruit A. C. 1250. Scripſit *contra corruptiones Eccleſiæ Romanæ*, ideoque tanquam Hæreticus à Papa, ejuſque conclavi condemnatus eſt. [illegible] autem Germanis *Ernold* eſt, & ſignificat *Probum*, i. e. *Honeſtum*. *Camdenus*. Obiit A. C. 1309. Antonin. tit. 21. c. 2. §. 8. &c.

ARNOLPHUS, fil. Carolom. Rex Bavariæ. Imperat. Occidentis electus eſt. A. C. 888 quô tempore Guido Dux Spoletanus aliique eundem in Italia titulum affectabant. Slavos repreſſit, conceſsâ illis Moraviâ, mox inſolentius ſe efferentes, penitus concidit. Dein Normannos Lotharingiam, quam filio ſuo Zuentiboldo vel Zenebaldo dederat, vaſtan[illegible] pulſit. In Italiam tranſgreſſus, junctus Berengario, Forojulii Duci, Formoſum Papam, contra Guidonis fil. Lambertum juvit, atque ab eo coronatus eſt, Romæ, quam occaſione lepuſculi cepit A. C. 896. Poſtmodum, in Spoleti obſidione, ab Agiltrude, Guidonis uxore, ſopori[illegible] poculô ſummiſsô, ſanitas ejus labefactata eſt. Hinc in Germaniam redux, morbô pediculari obiit, A. C. 899. [illegible] 12.

ARNOLPHUS, Bavariæ Dux poſt Luitpaldum; item Carlomanni ex concubina fil. cui Carinthiam Comitatum Ludovicus ceſſit. Vide hic infrà.

ARNOLPHUS, cognomine *Malus*, fil. Arnolphi Imperatoris ſecundùm quoſdam, aliis Luitpoldi Bavariæ Ducis filium eum aſſerentibus, nonnullis quoque Bernardi, qui Bernardi Italiæ Regis nepos fuerit, prolem fuiſſe contendentibus, Dux Bavariæ fuit, Luitpoldi M. Bavariæ Pater, Arnolfi Ducis Bavariæ avus, Arnolfi Comitis Schirenſis proavus: e quo Sereniſſimæ famil. Palatino-Bavaricæ origo. Secundùm Blondellum verò, primus auctor familiæ, de quo conſtet, fuerit *Arnolphus* quidam à Normannis A. C. 891. cæſus, cujus fil. Luitpoldus Dux Bavariam rexit, ab Ungaris occiſus A. C. 908. Hujus fil. *Arnolphus* Dux, cum Conrado I. Imperat. vitrico & Henrico I. Aucupi aliquoties rebellis, gravia cum utroque geſſiſſet bella, liberi ejus Ducatu excluſi ſunt: e quibus Eberhardus Auſtriacos veteres Marchiones fecit, quorum ſtirps in Friderico Neapoli decollato ceſſavit: *Arnolphus* verò Comes Schirenſis fuit, pater Bertholdi, avus Werneri, quô natus Otto I. Comes Schirenſis & palatio Bavarico præfectus, filium habuit Ottonem II. nepotem Ottonem III. Witelſpachii conditorem (unde poſteà familiæ titulus, Schirenſi arce in Monaſterium converſâ) cujus fil. Otto IV. pater Ottonis V. fuit, qui Ducatum Bavariæ à Friderico I. Barbaroſſa nactus eſt, poſtliminio in hanc familiam reducem. Hôc genitus Ludovicus à Friderico II. Imperatore Palatinatum quoque conſecutus eſt, quô progenitus Otto cognomine *Illuſtris*, filium habuit Ludovicum cognomine *Severum*, communem Palatinorum & Bavarorum, quotquot hodiè ſuperſunt, Principum Parentem, Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal.*

ARNOLPHUS, vide *Arnulphus*.

ARNON, Archiepiſcopus Salisburgenſis tempore Caroli M. Hiſtorica quædam ſcripſit, à Caniſio edita, *tom. 2. lect. antiq.*

ARNON, fluv. Palæſtinæ, qui Joſepho *l. 4. Jud. Antiq. c. 4.* de montibus Arabiæ fluit, ac per totam ſolitudinem labens in Aſphaltiten lacum erumpit, ob ſyrtes trajectu difficilis, facilis Iſraëlitis redditus miraculosè videtur, ex Numer. c. 21. v. 14. Sejungit Moabitidem & Ammonitida: Hieronymo vero eſt rupes excelſa in limite Amorrhæorum & Moabitarum. Numer. *c. 21. v. 13.* Deuter. *c. 2. v. 36.* Joſ. *c. 12. v. 1.* Item civitas Moabitarum, ac deinceps Seon Amorrhæorum. Numer. *c. 21 v. 24.*

ARNOSTADIA, oppidul. tenue Germaniæ, in Thuringia provinc. ad Geram amnem. Vix 3. leuc. ab Erfordia in Auſtrum, & paulò ampliùs à Gotha.

ARNSPECKA, German. *Arnſpeck*, locus Germaniæ, in regione Holſatia, ſub proprio Principe, ex Ducum Holſatiæ familia. Auctor lineæ *Arnſpeckiæ* Joachimus Erneſtus eſt, fil. minimus natu Johannis junioris Chriſtiano III. Daniæ Rege geniti: Frater Alexandri, qui Sonderburgicam lineam continuavit: Friderici, qui Nordburgiam, & Philippi, qui Gluckſburgiam, orſi ſunt. Ex Dorothea Auguſta agnata numeroſæ prolis parens. Spener *in Fam. Oldenburgo Danica*.

ARNULPHINUS, Monetæ ſpecies, quæ currebat in Provinciæ Comitatu, in Gallia, ſub A. C. 1465. valebatque ducatum cum dimidio, Car. du Freſne *Gloſſar*.

ARNULPHORUM Terra, dicitur Spoleti Ducatus in Italia, ab *Arnulphis* Ducibus. *Extravag. de majorit. & obed. cap. un. Legitur gratia nocumenta, quæ nonnullis civitatibus, terris, caſtris, intra Patrimonium B. Petri in Tuſcia, Comitatum Sabinæ, & Terram Arnulphorum conſtitutis, eidem Eccleſiæ Roman. ſubjectis* &c. apud Macrum *Hierolex.*

ARNULPHUS I. Flandriæ Comes, poſt patrem Balduinum II. *Magni* nomen, ob res geſtas, meruit, ſed ob occiſum Guilhelmum Normanniæ Ducem in colloquio quodam, A. C. 941. reprehenſus. Obiit A. C. 965. Sigebert. & Flodoard. *in Chron.*

ARNULPHUS II. cognomine *Junior*, avo ſuo Arnulpho I. ſucceſſit, à Lothario, Franciæ Rege ditione exutus. Obiit A. C. 989. regiminis 24. relictô ſucceſſore Balduinô III. Barbatô, ex Roſela, Berengarii Italiæ Regis filia. Mayer. *in Chron. Flandriæ.*

ARNULPHUS III. fil. Balduini VI. qui Philippi I. Gall. Regis juventam moderatus eſt. Illô adhuc minorenni, mater Richildis Comitatum adminiſtravit, mox à Roberto cognomine Friſone, Balduini fratre pulſa. Cui imploratus Rex copias ſummiſit, cùm quibus Robertus acerrimè pugnans, Arnolphum occidit, A. C. 1071. Mayer *cit. loc* & *Sigebert.*

ARNULPHUS, fil. Theodor. I. Comes Hollandiæ, patri ſucceſſit, A. C. 988. Ductâ Lutgarde, Theophanis Imperatric. Græci generis, Friſones imperium detrectantes ſæpius vicit, in prælio ad pagum Winckel in Friſia tandem occiſus. A. C. 993. Scriverius, *Hiſtor. Comit. Hollandiæ.*

ARNULPHUS, Epiſcopus Metenſis, à Clotario II. Dagoberti fil. educationi præpoſitus. *Hiſt. Gall.* Item Epiſcop. Sueſſionenſis, qui obiit A. [illegible] 1087.

ARNUL[illegible], fil. nothus Clotarii, Archiepiſcopus Remenſis, favit Lothar[illegible]go, contra Hugonem Cap. Obiit A. C. 1023. Continuator Aimoini *l. 5. c. 46.* Albericus *in Chron. Baronius*, &c.

ARNU[illegible]PH[illegible]S, qui in ſedem Hieroſolymitanam cùm ſe intruſiſſet, cum ſcandalo præfuit. A. C. 1112. 1118.

ARNULPHUS, Magus Ægyptius, præſtigiis ſuis populum luſit. Romam dein venit, M. Aurelii Antonini perpetuus ſectator. Ob quam cauſam ipſi [illegible] 5. ſalutaris illa tempeſtas cœlitùs Imperatori contra Alemannos certanti miſſa aſcribitur, quam tamen *Xiphilinus*, [illegible] Chriſtiano[illegible], Melitinæ primum, poſteà Fulminatrici d[illegible] potiori jure vindicat. Tertullian. *Apol. c. 5.* & *ad Scapulam c. 4.* Euſeb. [illegible] *5. hiſt. c. 5.* & *in Chron.*

ARNULPHUS, contemporaneus & amicus quidam S. Bernardi S[illegible]. Circa A. C. 1077.

ARNULPHUS, Concionator, quòd errores & vitia Cleri acriter inſectaretur, Romæ ſecundùm quoſdam, combuſtus, A. C. 1130.

1110. quô tempore Florentiæ Synodus coacta fuit contra Florentinum Præſulem, qui Antichriſtum jam natum eſſe aſſerebat, & Berengarii ſententiam plurimi in Hibernia ingruentis tuebantur. Vide Bernh. *in vita Mal.* Platin. *in vit. Pontif.*

ARNULPHUS vel ARNOLDI Henricus, vide *Henricus*.

ARNULPHUS Ferrerius, cum Pibracio, ad Concilium Trident. à Carolo IX. miſſus.

ARNULPHUS Ferronus, Hiſtoricus Gallus. Meliùs *Arnoldus*, vide *ibi*.

ARNULPHUS de Lens, Mathematicus. Vide *Arnoldus*.

ARNULPHUS de Pontac, Chronologus.

ARNUPHIS, Ægyptius Philoſophus, arte magicâ & Dæmonum præſtigiis præſtantiſſimus.

ARNUS, fluv. Tuſciæ rapidiſſimus, ex Apennino oritur, & Florentiam alluens in Tyrrhenum mare defluit. Rutilius *Itin. l.* 1. *v.* 566.

Quam cingunt geminis Arnus & Auſer aquis.

Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 2. *p.* 461 Oritur in confinio Romandiolæ provinc. in territorio Florent. *Baudrand*.

AROA, Inſul. Daniæ parva admodum, in mari Baltico, inter Fioniam Inſul. & Ducatum Sleſvicenſem. Aliis *Arra*, quod vide.

AROANNA, Galliæ fluv. vicum Doromellum attingit, & per fines Senonum, in Lupam, ſupra Muritum oppid. influit: clade nobilis Clotharii junioris à Theodeberto, ac Theoderico Regib. acie hîc victi, A. C. 599. Aimoinio *Arvenna*, vulgò *Ouarne*: pagus autem hodie *Dormeille*. Hadr. Valeſius *Nott. Gall.*

AROCELUM, oppid. Hiſpan. Tarraconenſ. in Celtiberis, juxta Segontiam urbem. Populi *Arocelitani* Plinio *l.* 3. *c.* 3. Hodiè *Nodales* teſte *Jac. Delgado*. Aliis *Araquil*, ſeu *Huarte Araquil*, in Navarra; quod etiam quibuſdam *Aracilum*, vide *ibi*.

AROCHA, Locrorum in Italia fluv. Plin. *l.* 3. *c.* 10.

AROD, ארוד, fil. Gad filii Jacob. Numer. *c.* 26. *v.* 17. Latinè *imperans*, ſive *deſcendens*.

AROD, ערד, filius Beriæ. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 15. Latinè *onager*, aut Syriacè *draco*.

AROE, civitas Achajæ, à cultu terræ ſic dicta, aliàs *Patræ*, *Steph.* *Aroa* Pauſaniæ, *in Achaicis*, ſic enim ille: *Πατρέων δὲ οἱ τὰ ἀρχαιότατα μνημονεύοντες, Εὔμηλον αὐτόχθονα οἰκῆσαι πρῶτον ἐν τῇ χώρᾳ. Τριπτολέμου δὲ ἐκ τῆς Ἀττικῆς ἀφικομένου, λαβεῖν τε παρ' αὐτοῦ τὸν ἥμερον καρπὸν, καὶ οἰκίσαι διδαχθέντα πόλιν, Ἀρόην ὀνομάσαι, ἀπὸ τῆς ἐργασίας τῆς γῆς.* Ἀρῶν enim & *αὐλακ' ἐλαύνειν* Poëtis de tota *ἐργασίᾳ τῆς γῆς* ſumitur. Hujus mentio apud Tzetzem in *Ἔργα Heſiodi*. Ejus mentio eſt in numiſmate antiquo Caracallæ Imperatoris cujus hæc *Inſcr* COL A. A. PATR. h. e. *Colonia Auguſta Aroë Patrenſis*; cum imagine Dianæ cognomine Laphriæ, quæ ibi in veneratione fuit Vide Jac. Sponium *Itiner. Græciæ Part.* 3. ubi typum numiſmatis exhibet, ut & infrà in voce *Patræ*.

AROEI, apud Plin. *l.* 6. *c.* 27. ubi de Tigri amne, *Arabes Aroeos Adiabenoſque diſterminans*. L. *Oroti*, uti ex vetuſtiſſimo libro Rigaltiano, corrigit Salmaſ. *ad Solin. p.* 626.

AROER, Latin. *myrica*, ſive *ſuſcitatio vigiliæ*, aut *vigilia vigiliæ*, vel *denudatio pellis*, aut *denudatio amnis*; urbs Moabitarum ſita ſuper ripam torrentis Arnon, extructa à filiis Gad Joſ. c. 12. *v.* 2. Alia eſt in agro Damaſceno Eſaj *c.* 17. *v.* 1.

AROERNI, gens bellicoſa Gallorum. *Steph.*

AROGILUS, primus quadrigam in Græcia junxit, regnante Argis Phorbante.

AROLA, vulgò *Arr*, fluv. Helvetiorum, fontes habet prope ortum Rhodani & Ticini, ex monte D. Gotthardi; dein auctus fluviis Sanâ, Orbâ, Emmâ, Urſâ & Limagô, rigatiſque Thunô, Bernâ, Soloduro & Arolæ burgô, infrà Aquas Helveticas Rheno miſcetur, prope Waldshutum oppid. Hinc *Argoia* vel *Aragoria*, quaſi *Arola ager*, vulgò *Argovia*, nomen habet. Etiam *Ararim* aliquando hunc fluvium dictum eſſe, docet Hadr. Valeſ. ex Nothero Balbulo Monacho Sancto-Gallenſi, circa A. C 912. defuncto, qui *in Martyrologio* Saloduri meminit his verbis: *Kal. Septembris Natalis S. Virginis Verenæ, Thebææ genere: quæ juxta Ararim fluvium, non longè à caſtro Solodoro habitavit, in ſpecu artiſſimo*. Quæ fortè ratio, quod in Germania *Ararim* locaverit Virg. *Ecl.* 1. *v.* 63. Germanica appellatio hujus fluvii *Ar* eſt, ex veteri linguæ Celticæ vocabulo *Aar* contracta, quod hodieque *venam* ſignificat: Quid aliud enim fluvius, quàm *terræ vena*? vide Dan. Eremitam *deſcr. Helv.* Vide & *Arula*.

AROLA, vulgò *Arool*, Urbs Moſcoviæ Auſtralis juxta Occam fluv. 40. milliar. Germanic. à Moſcua Urbe.

AROLÆ Burgum, vulgò *Aarburg*, oppid. pagi Bernenſis, in Helvetiis, ad Arolam fluv. cum caſtro munitiſſimo, haud pridem extructo. Olim ſub Baronibus peculiaribus, dein Auſtriacis Archiducib. quibus, cum tota Argovia, ereptum eſt à Bernenſibus A. C. 1415. Stumpf *l.* 7.

AROLÆ Mons, vulgò *Arberg*, urbs cum arce, 2. milliar. German. infrà Bernam, Arolâ undique circumfunditur, olim ſub Comitibus Arbergenſibus, è quibus Petrus, tempore Ludovici IV. Imperatoris jus civitatis à Bernenſibus impetravit: contra quos cùm dein Auſtriacis adhæſiſſet, obſeſſa eſt ab illis, ſed nullô ſucceſſu. Tandem Comes ob lepram ad regimen ineptus redditus, totum Comitatum Bernenſibus vendidit. Poſteà A. C. 1382. nocturnô aſtu Archiducis Leopoldi tentata arx eſt, ſed vigilantia præfecti aſtum eluſit. Stumpf. *Hiſt. Helvet.*

AROLUS, Macedoniæ urbs. *Ptol.*

AROMA, urbs Æthiopum *Steph.* Cariæ pagus *Straboni*; item urbs Cappadociæ, cujus meminit *Capella* poſt Plin. *l.* 6.

AROMAJA, provinc. Americæ meridionalis in nova Andaluzia, non longè ab oſtiis fluv. *Orinoque*, verſus Caribanam regionem.

AROMATA, Africæ promontor. & Emporium Æthiopiæ ad ſinum Barbaricum. *Ptol. Capo de Gardafuni. Jo. Barroſo.*

AROMATICA, populo donata, apud Æl. Spartian. in *Adriano Cæſ. c.* 19. *Romæ poſt ceteras immenſiſſimas voluptates, in honorem ſocrûs ſuæ, aromatica, populo donavit*. Nempe Parentaliorum die fiebat in plebem diviſio ſpecierum variarum, ut vini, olei, aut pecuniæ, cujus moris teſtes extant infinitæ inſcriptiones. Sed *Aromatica donare*, meritò à Spartiano in Cæſare hoc notatum, ut rarum, & antè fortaſſe inauditum, *Caſaubon.* Aliàs *Aromata* in funeribus accenſa, imò theſauros aromatum aliarumque rerum pretioſarum flammis datos legimus. Hinc Statius *Sylv. l.* 2. *ſylv.* 1. *v.* 157.

--- Quid ego exequias, & prodiga flammis
Dona loquar, mæſtoque ardentia funera luxu?
Quòd tibi purpureo triſtis rogus aggere crevit;
Quòd Cilicum flores, quod munera graminis Indi,
Quodque Arabes, Phariique, Palæſtinique liquores
Arſuram lavere comam &c.

Quò pertinet inſignis in *Sulla* Plutarchi locus, *Λέγεται τοσοῦτο πλῆθος ἀρωμάτων ἐπενεγκεῖν τὰς γυναῖκας αὐτῷ, ὥστε ἄνευ τῶν ἐν φορείοις διακοσίων καὶ δέκα διαπομπευθέντων, πλασθῆναι μὲν εἴδωλον εὐμέγεθες τοῦ Σύλλα, πλασθῆναι δὲ καὶ ῥαβδοῦχον ἔκ τε λιβανωτοῦ πολυτελοῦς καὶ κινναμώμου.* Vide eos qui *Funera Romana* illuſtrârunt; & picturam in *Saturnalibus*, à J. Lipſio propoſitam: uti de *Aromatibus*, poſt balneum præſertim, veſtibus inſperſis, infrà ubi de palliis *de Oenanthino*. &c. Significat autem *Ἄρωμα* ſpeciem boni odoris ſpiritûs flagrantem, vide infrà *Odores*. In ſpecie vox de *myrrha*, ut & *μύῤῥα*, uſurpatur. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, ut & infrà in voce *Species*. Unde autem *Aromatum* ſpecies quælibet afferantur, dicemus ubi *de Commercio*. Plura verò de *Aromatibus*, vide in *Hiſtor. Aromatum* Garciæ ab Horto, Proregis Indiæ Medici, quam edidit & *Notis* illuſtravit Car. Cluſius *Exoticorum l.* 7. & Chriſtoph. à Coſta *Exotic. Cluſii l.* 9. Adde J. Bontium *de Medicina Indorum lib.* 2. quô itidem *Notæ in Garciam* continentur.

AROMATICUS Calamus, vide infrà *Calamus*.

AROMATICUS Unguis, vide infrà *Bdellium*, *Benjoin*, item *Unguis*.

AROMATITIS Gemma, Græcè *ἡ ἀρωματῖτις*; at *Aromatites lapis*, *ὁ ἀρωματίτης*, qui myrrhæ colore eſt, quam per excellentiam *ἄρωμα* appellatam eſſe modò diximus. Sic *Aromatites vinum*, quod myrrhâ condiebatur. Plin. *l.* 14. *c.* 13. *Lautiſſima apud priſcos vina erant myrrhæ odore condita, ut apparet in Plauti fabula, quæ Perſa inſcribitur, quanquam in ea & calamum addi jubet. Ideo quidam Aromatite delectatos maximè credunt*. Etc. 16. *Aromatitem quoque inveneo factitatum tantùm non unguentorum compoſitione, primò ex myrrha ---- mox ex nardo Celtico, calamo, aſpalatho, offis in muſtum aut dulce vinum dejectis*, Locus autem Plauti eſt *Perſæ Act.* 1. *Sc.* 3. *v.* 7.

Commiſce mulſum; ſtruthea coluthæaque appara,
Bene ut in ſcutris concaleat, & calamum inſice.

Sed nulla hîc myrrhæ mentio; nec de vino, ſed mulſo agitur, an *muſto* potiùs legendum? Hinc Plinium crebrâ *murrinæ* apud Veteres mentione deceptum, aromatitem è *myrrha* factitatum aſſeruiſſe, docet Salmaſ. cùm in *aromatiten* ſeu *myropolio*, nihil myrrhæ (quippe cujus amaror notus) additum fuerit, utpote quod ſemper dulce manſit, ſpeciebus aromaticis dulcedinem ei ſuam ſervantibus. Certè *murrinam* inter dulcia, non tantùm inter vina, annumerant Comici Latini, qui *Palliatas* ſcripſêre; quod non à *murra*, ſed *ἀπὸ τῆς μύρου*, i. e. *aromate*, nomen habuit. Vide eum *ad Solin. p.* 709. *& ſeqq.*

ARON, unus ex illis Ducibus, qui Aeetæ Colchorum Regi auxilium tulerunt, contra Perſen, quem Val. Flaccus ab luxurioſiore cultu & delibutis unguentô capillis deſcribit *l.* 5. *v.* 590. *l.* 6. *v.* 524.

ARONA, ſive RONA, Inſubriæ oppid. gentis Borromææ præclarum, ad Verbanum Lac. Quaſi *Alona*, à 2. alis, inſigni oppidi.

ARONA, vulgò ARONDE, fluv. eſt Galliæ, in Iſaram, è regione Compendii urbis, decurrens. Ei adjacet Roſſontum, vulgò *Reſſon* & aliquando *Reſſon ſur Aronde*, unus ex novem Archidiaconatibus Eccleſiæ Bellovacenſis. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. in voce Roſſontum*.

ARONCÆ, populi Africæ, in Libya interiori, forſan ubi *Benin*, regnum Guineæ, *Sanſone* teſte.

AROS, herbæ nomen, quam cervas à partu petere, Plin. tradit, *l.* 8. *c.* 32. *Feminæ autem ante partum purgantur, herbâ quâdam, quæ ſeſelis dicitur, faciliore ita utentes utero; à partu duas habent herbas, quæ aros & ſeſelis appellantur: poſteà redeunt ad fœtum*. Sed quod de ſeſeli habet, verum eſt appeti à cervis parturis, non verò ab enixis. De *aro*, non nimis ſuſpecta lectio; quod urſos poſt latitationem devorare Idem *alibi* tradit. Ubi tamen etiam libri *caram* legunt; è cujus herbæ radice milites Cæſaris panem confeciſſe, legimus *de Bell. civil. l.* 3. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 223.

AROSAPES, Arianæ regionis fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 23.

AROSIA, urbs Sueciæ Epiſcopalis, ſub Archiepiſcopo Upſalenſi, ubi argenti fodinæ; vulgò *Aroſen*. Parva admodum, prope lacum *Meler*, cum arce. Dicitur etiam *Weſteras*. A. C. 1521. validus Chriſtierni II. Daniæ Regis exercitus hic cæſus eſt, à Guſtavo, qui pòſt Sueciæ Rex evaſit; & A. C. 1544. regnum Sueciæ in hac civitate ex electivo, in hæreditarium mutatum eſt.

AROSIS ſeu AROSES, *Ἄροσις* vel *Ἀρόσης*, maximus Perſidis fluv. prope Perſepolin, apud Arrian. in *Indicis*, quem *Strabo Araxem Perſicum* vocat, alii *Oroatin* dictum eſſe, oſtendit Salmaſ. *ad Solin. p.* 1181.

AROTERES, populi gemini; Æthiopes ad ſinum Adulicum, & Scythæ in Thraciæ Myſiæque confinio circa Dionyſiopolim.

AROTRA, apud Syracoſanos dicuntur liberi quidem, ſed qui ob unum inopiæ nomen ſerviunt. Cæl. Rhodig. *l.* 25. *c.* 18.

AROTREBÆ, populi, qui prius *Artabri* dicti ſunt, *Strab.* de quibus vide eundem *Ibidem*, ubi de *Arotrebarum* promontor. *p.* 276. & *ſeqq.* nec non in voce *Artabri*.

AROTUS & MAROTUS, duo angeli, ut fabulatur Mahumetes Impoſtor, à Deo miſſi, ut homines docerent, ne occiderent, nec falsò judicarent, nec vinum biberent. Quos quædam mulier formoſiſſima in cœnam invitavit, eoſque, ut vinum biberent, ſollicitavit. Hi igitur vinò cùm incaluiſſent, eam ad amorem concitârunt; quibus illa tandem quidem aſſenſu, eâ tamen lege & conditione, ut verba, quibus in cœlum facilis eſſet aſcenſus, quemadmodum illi dictitabant, aperirent. Quæ cùm voti facta compos fuiſſet, pollicitis minimè ſtetit: ſtatimque in cœlum rapta, ibi cùm rem omnem, ut fuerat geſta, Deo narrâſſet, in ſtellam matutinam, quam *Luciferum* vulgò, ſeu *Auroram* vocant, mutata fuit; & angelus uterque à Deo graviſſimè punitus eſt; Unde Deus hominibus, ne, ut jam illis 2. angelis acciderat, in poſterum delinquerent, vini uſum prohibuit. Hæc *author Alcoran*.

AROVIUM, oppid. elegans & liberum, in ditione Bernenſi; in Pago Urbigeno, qui hodie Argovia dicitur: ad ſiniſtram Arolæ ripam, infra Arolæburgum 1. milliar. German. non uſque adeo antiquum. in loco, ubi arx antiqua Rora, Comitatus caput, quò ab Habsburgenſibus & Altenburgenſibus Comitibus vi occupatô, Arovium ab his conditum creditur: quibus etiam fidam fortemque operam plurimis occaſionibus, imprimis in prælio Sempacenſi, præſtitit. Occupatum A. C. 1415. à Bernenſibus cum tota Argovia, juſſu Sigiſmundi Imperat. ab hoc illis oppignoratâ. Peculiarem habet Senatum, qui in Curia, in quam prædicta arx converſa eſt, convenit. Poſt Diſputationem Bernæ habitam, A. C. 1528. Miſſâ imaginibuſque abrogatis, Reformatam religionem amplexum eſt, cui in hunc uſque diem conſtanter adhæret. Stumpf. *Helvet. Hiſt. l.* 7. Hic Evangelicorum Cantonum conſultationes, vulgò *Conferentiæ* dictæ, haberi ſolent, quemadmodum reliqui Lucernæ conveniunt: cùm iis ſeparatim de rebus ſuis deliberandi neceſſitas imminet.

AROYUS, fluv. Americæ meridional. Oritur ex lacu Caſſipa, & in fluv. Orenoque cadit in nova Andaluſia.

ARPANDES, Ægypti pro Cambyſe præfectus, à Dario interfectus. Herodot. *l.* 3.

ARPANI, in ſecunda Italiæ regione populi. Plin. *l.* 3. *c.* 11.

ARPESSUS, Thraciæ fluv. in Hebrum cadens. *Appian.*

ARPHAXAD, fil. Sem. Gen. *c.* 10. *v.* 21. i. e. *ſanans*, vel *laxans*, natus A. M. 1659. à quo Chaldæi, ut quidam volunt; contra quos eſt Bochart. *Geogr. Sacr. l.* 2. *c.* 4. Arphaxad, inquit, *Aſſyriæ parti Arphaxitidi, quæ Ptolemæo Arrapachitis, videtur indidiſſe nomen. Nam quod Joſephus & alii volunt*, Chaldæos *olim ab eo dictos* Arphaxadæos, *merum ſomnium eſt. In Scriptura* Chaldæi *perpetuò vocantur* Chaſdim, *à patre ſuo* Cheſed, *vel* Chaſed *filio Nachor fratris Abrahæ*, Gen. *c.* 22. *v.* 22. Unde Hieronymus *Traditionibus in Geneſin*, *Chaſed quoque quartus eſt, a quo Chaſdim, i. e. Chaldæi poſtea vocati ſunt.*

ARPI, urbs Apuliæ, quæ Servio *in l.* 7. *Æn.* primò *Argos Hippium*, poſt *Argyripa*, deinde *Arpi* dicta; à Diomede condita, cum poſt captam Trojam, uxoris conſpiratione, regnô pulſus eſſet. Quondam inter *Italicarum maximas, in planitie ſita eſt, non procul ab Ionio mari: ejus navale Salapia ſuit*, Strabo *l.* 6. In nummis legitur ΑΡΠΑΝΩΝ, apud Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec* XV. ubi de *Magna Græcia*. Martial *l.* 4. *Epigr.* 55. *v.* 3.

> *Arpis cedere non ſint diſertis.*

Horatium innuit, qui *Lucanus an Appulus anceps*, ut ipſe de ſe loquitur. *l.* 2. *Sermon. Sat.* 1. *v.* 34. Vide quoque *Argos Hippium*, it. *Argyripa* & *Salapia*.

ARPIAGES, Ovid. *in Ibin*, *v.* 545.

> *Ut puer Arpiage, referas exempla Thyeſtæ,*
> *Inque tui caſus viſcera patris eas.*

Lege *Harpagides*, i. e. *Harpagi filius*, quem Aſtyages Medorum Rex patri epulandum appoſuit, quod iisdem Tyeſtæ acciderat.

ARPIANUS, vide ſuprà in *Arabianus*, & *Arrianus*, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 259.

ARPINA, civitas Elidis. *Steph.* ab *Arpina* Aſopi filia, quæ ex Marte Oenomaum peperit.

ARPINIUS, prænomine Cajus, Eques Romanus, familiaris Q. Titurii ad Ambiorigem & Catuvulcum colloquendi causâ cum Q. Junio ex Hiſpania oriundo miſſus. Vulgo legebatur C. Carpinejus, Cæſar. *l.* 5. *Bell. Gall. c.* 27. Vitiosè *c.* 36. videtur appellari Cn. *Pompejus*.

ARPINUM, Volſcorum oppid. hodie *Abruzzo*, aliis *Arpino*, M. Tullii, & C. Marii patria, qui inde *Arpinates* dicuntur, Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 237. *de Cicerone*.

> *Hic novus Arpinas, ignobilis, & modò Romæ*
> *Municipalis eques, galeatum ponit ubique*
> *Præſidium attonitis* ——

Et paulò pòſt, *v.* 245. *de C. Mario*:

> *Arpinas alius Volſcorum in monte ſolebat*
> *Poſcere mercedes, alieno laſſus aratro.*

Hinc *Arpinæ chartæ*, pro Ciceronis libris, Martial. *l.* 10. *Epigr.* 19. *v.* 16.

> *Hæc, quod ſecula, poſterique poſſint,*
> *Arpinis quoque comparare chartis.*

Videtur Cluverius *Ital. Ant. l.* 4. *p.* 1045. Hodie caſtrum eſt provinc. Terræ Laboris, in Regno Neapolitano in confinio ditionis Pontific. Paucis conſtat incolis.

ARPONIUM, Italiæ oppid. in Magna Græcia *Diodor. Sic.*

ARPUS, Princeps Chattorum, cujus conjugem filiamque C. Silius ſuperioris exercitus Germanici legatus captivas abduxit, cùm a Germanico, ad caſtellum Lupiæ flumini adpoſitum, obſidione liberandum cum ſex legionibus miſſus eſſet. Tacit. *Annal. l.* 2. *c.* 7.

ARQUA, Caſtrum Italiæ, in dominio Veneto, & territorio Patavino, celebre longâ habitatione & ſepulturâ Petrarchæ, 9. mill. paſſ. à Patavio in meridiem, 4. ab Aeſte in Boream.

ARQUÆ, vicus Galliæ, juxta Moſam fluv. in Barenſi Ducatu, prope Valcuſeras, patria Joannæ Puellæ Aurelianenſis, notiſſimæ ſub Carolo VII.

ARQUATA, oppid. Italiæ, in Marchia Anconitana ad radices Apennini juxta Truentum fluv. & verſus limites Aprutii.

ARQUERIA, ſeu **ARCHERIA**, apud recentioris ævi Scriptores, feneſtricula oblongior & ſtrictior, in urbium & caſtrorum muris, per quam ſagittarii, vel baliſtarii ſagittas ſuas aut tela in obſidentes emittebant. Τοξικὰ Harmenopulo *l.* 2. *tit.* 4. §. 47. 48. 49. 87. Τοξικαὶ θυρίδες, apud *Hieronym.* ex Symmacho *Comm. in Ezech.* 40. ita enim hunc locum capiendum cenſet Fullerus *Miſcellan. ſacr. l.* 6. *c.* 13. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Wilhelmus Brito *Philippidos l.* 1.

> ———— *Muros*
> *Subtus ſulcos facit, aptatque feneſtras*
> *Strictas & longas, ut ſtrenuus arte latenti*
> *Immittat lethi prænuntia tela ſatelles.*

ARQUITENENS, Apollinis epitheton, apud Arnob. *adv. Gent. l.* 4. *Ex Latona & eodem* (Jove) *arquitenens Delius, & Sylvarum agitatrix Diana.* Imò *Arquitenentes Diana & Apollo*, eidem *l.* 1.

ARRA, Arabiæ Felicis oppid. & vicus *Ptol.* & Chalcitidis locus, *Antonin.* & civitas Illyriæ. *Steph.*

ARRABO, vel **ARRABONA**, *Narabo Ptolemæo*, vulgo *Rab*, urbs Epiſcopalis & fluv. qui Danubio prope urbem miſcetur, inter Viennam & Albam Regalem 16. leuc. plus minus. Scribitur & *Arabo*. longitud 30. 40. latitud. 47. 57.

ARRACHAMUM, Urbs Aſiæ, in India ulteriore prope ſinum Gangeticum. Primaria eſt regni cognominis ad fluv. *Martaban*.

ARRÆ Proxeneticæ, dicebantur, quæ à proxenetis dabantur Sponſæ deferendæ, & quas Proxenetæ ipſi Sponſarum nomine accipiebant. Proxenetæ autem ſunt pater, mater, tutor, aut alii amici, qui in re hac fidem ſuam interponebant. Connanus *l.* 8. *c.* 2. *num.* 1. apud Joh. Calvin. *Lexic. Juridic.*

ARRÆ Regiæ, apud Jul. Capitolin. in *Maximino Jun. c.* 1. *Deſponſata illi erat Junia Fadilla* —— *quam poſteà accepit Toxotius* —— *cujus etiam Poëmata extant. Manſerunt autem apud eam arræ regiæ, quæ tales erant, ut Junius Cordus loquitur* —— *monolinum de albis novem, reticulum de praſinis undecim, dextrocherium cum caſtula de hyacinthis quatuor, præter veſtes auratas & opes regias, cæteraque inſignia ſponſaliorum.* Fuêre *Sponſalitiæ arræ*, de quibus titulus eſt in *Codice* Juſtinianeo; de quibus etiam in *Novellis* multa, neque eſt ullius rei, quàm hujuſmodi arrhabonum, crebrior, apud Græcos Latinoſque mentio. *Sponſalia* dixerat Theodoſius; ex cujus Codice legem illam ſumpſit Juſtinianus. Ferè autem dabatur eorum aliquid, quæ ad mundum, aut potiùs ad ornatum fœmineum pertinent, quam ob cauſam *Heſychius* κατόρμια, ὅρμους, & περιδέραια, quæ ſunt diverſa monilium nomina, appellat ἀρραβώνια, quæ *arrarum* locô, præſertim ſponſaliorum, dari ſolerent. Idem alibi, ἀρραβὼν, ὁ τῆς γυναικὸς κόσμος. Inde *ſubarrare*, verbum in *Canonibus* frequens, quò intelligi genus quoddam coëmtionis ſeu donationis matrimonii causâ inductum, aſſerentem Virum doctum, carpit Salmaſ. docens, *ſubarrare* nihil aliud eſſe, quàm *Arras ſponſalitias dare*: quas *arras* quia Sponſus Sponſæ dabat, Sponſus *ſubarrare Sponſam* dicebatur. Johannes Pontifex in *ſec. Decreti parte*, *Si quis deſponſaverit uxorem vel ſubarraverit.* Innocentius III. *c.* 14. *de deſponſat. impub. Quidam filiam ſuam circiter* XII. *annos habentem cuidam nobili deſponſavit, qui ſubarravit eandem, conſenſu mutuò accedente.* Recentiores Græci ἀρραβωνίζειν id dixerunt; & quia arræ ejuſmodi in monilibus, ut dictum, plerumque conſiſtebant; ὁρμίζειν & ὁρμάζειν, quæ vox in *Jure* Orientali pro *deſponſare* ponitur, οἱ δὲ ὁρμάσαντες γυναῖκα, *ſi quis ſubarraverit mulierem*, &c. Salmaſ. *ad Capitolin. loc. cit.* Vide infrà *Sponſalitia Arra*.

ARRÆI, Thraciæ populi Iſtrum verſus. Plin. *l.* 4. *c.* 11.

ARRAGONIA, vide *Aragonia*.

ARRAGOVIA, tractus terræ, in agro Baſileenſi, ad fluv. Ærginam; ut *Joh. Stumpfius*, ex monaſterii Sangallenſis diplomate quodam colligit.

ARREBACI, Hiſpaniæ populi. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

ARREMARI Monaſterium, vulgò *Monſtier Ramey*, in Tricaſſium finibus ab Adremaro vel Arremaro, fundatore, dictum. Leo IV. Pontifex *Ep. ad Prudentium*. S. Victoris corpus hic quieſcere, refert. Bernardus *Ep.* 297. *ad Guidonem Abbatem Arremarenſem.*

ARREOMITHRES Perſa, 2000. Equitibus in prælio ad Granicum præfectus.

ARREPTI, in Concilio Arauſican. I. *can.* 16. & Arelatenſi II. *can.* 41. *Qui palam aliquando arrepti ſunt* —— *non aſſumendi ad ullum ordinem Clericatus*: idem qui *Arreptitii*, Italic. *Arrettizi*, Græcè Κακοχούμενοι, ὑπὸ δαίμονος, item Δαιμονιζόμενοι. Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARRETINUS Clemens, domui Veſpaſiani per affinitatem innexus, in locum Arrii Varii pulſi, à Muciano, prætorianis cohortibus

bus præpoſitus. Tacit. *Hiſt. l.* 4. c. 68. Fulv. Urſin. ſcribit *Arrecinus*, ex antiqua Inſcriptione, apud Ægium Spoletinum ſibi viſâ, ſicque Suetonium *Domitiano* c. 11. emendat.

ARRHABÆUS, Gentis cujuſdam vicinæ & conterminæ Macedonibus Rex, qui cum fratre *Sirrha* in magnas difficultates & anguſtias Archelaum conjecerunt. Ariſtot. *l.* 5. *Polit.* c. 10.

ARRHABON, Iberiæ fluv. *Steph.*

ARRHADE, Arabiæ deſertæ urbs, *Ptol.*

ARRHAPA, Aſſyriæ oppidum. *Ptol.*

ARRHAPACHITIS, Aſſyriæ regio. *Ptol.*

ARRHATA, lacus Africæ apud Rhizophagos. *Ælian.* qui nunc *Lacus Monachorum*, teſte *Livio Sanuto*, nominatur. Prope Eſtamenam eſt, aut Aſtaboram fluv. cujus accolas pepulit σκορπίων πλῆθος ἄμαχον, *ſcorpionum multitudo inexpugnabilis*, apud Ælian. *Hiſtor. l.* 17. c. 40. ubi tamen Ἀῤῥαβῶν perperam, pro Ἀκραβαῖον, vocari judicat Bochartus. *part.* 2. *Hieroz. l.* 4. c. 29. *Acrabatan* enim à *ſcorpionibus* dictum ait: quia עקרב *acrab* pro *ſcorpione*, non ſolùm Hebræis & Syris, ſed & Chaldæis, Arabibus ac Æthiopibus uſurpatur. Vide ſuprà.

ARRHEPHORIA, nomen feſti apud Athenienſes. *Etymolog. M. &c. Heſych. Suid.* Ἀῤῥηφορία, ἑορτὴ ἐπιτελουμένη τῇ Ἀθηνᾷ ἐν Σκιῤῥοφοριῶνι μηνὶ λέγεται δὲ διὰ τοῦ Α. ὅτι τὰ ἄῤῥητα καὶ μυστήρια ἔφερον· ἢ διὰ τοῦ Ε. ὅτι τῇ Ἕρσῃ, τῇ Κέκροπος θυγατρί, Ἐρσηφορία. Ταύτῃ γὰρ ἦγον τὴν ἑορτήν. *Arrhephoria feſtum quod celebratur Minervæ menſe Scirrhophorione. Profertur autem vel per A.* (quaſi Ἀῤῥητοφορία) *a ſecretorum & myſteriorum geſtatione; vel per E. Herſephoria, ab Herſe filia Cecropis, quòd illi feſtum agerent.* Ordinabantur autem IV. Ἀῤῥηφόροι virgines ex nobilitate, Harpocrationi *in* Ἀῤῥηφ. In *Etymologico* verò non virgines, ſed pueri, ab anno ætatis ſeptimo ad undecimum, Sacrorum fuêre adminiſtri. Feſtum Erichthonium ſpectabat, cujus fabulam narrat Apollodorus *l.* 3. & Ovid. *Met. l.* 2. v. 554. Nempe Erichthonium, *prolem ſine matre creatam*, Pallas vimineæ ciſtæ incluſum Aglauro, Herſi & Pandroſo, filiabus Cecropis, ſervandam dederat, eâ lege ne ciſtam ſecreta ſua continentem introſpicerent. Sed Aglauros & Herſe eam reſignant, *Infantemque vident exporrectumque draconem.* Pandroſus ſola fidem in depoſito ſervavit, Pauſan. *l.* 1. Hinc igitur ſerpens & ciſtula in his Sacris, ſed & in Bacchicis, Catullô teſte *in Epithal. Thetidis.* Meminit numiſmatum Cretenſium, in quibus *Serpens ciſtulam vimineam ſemi apertam, ingreditur* & numini Macedonici, in honorem Alexandri cuſi, in quo *Serpens eſt exporrectus in ciſta ſimul*, Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec.* IX. Vide quoque ubi de *Erichthonio* & *Panathenæis*: item voce *Herſephoria*.

ARRIA, Matrona Romana, vel Patavina, generis nobilitate, & pudicitiâ inſignis, uxor Pæti, quæ, damnatô virô, quòd particeps fuiſſet Scribonianæ conjurationis ſub Claudio, prior ſe gladiô confodit, eundemque denique extrahens, viro tradidit, ſuô eum exemplô exhortans, ut fortiter moreretur. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 14.

Caſta ſuo gladium cùm traderet Arria Pæto,
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides, vulnus quod feci, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Vide Tacit. *Annal. l.* 16. c. 34. Dionem *l.* 60. Plin. *l.* 3. *ep.* 16.

ARRIA Fadilla, mater Antonini Pii Imperatoris ex Aurelio Fulvio Conſule ſuffecto, filia Arrii Antonini bis Conſulis. Jul. Capitolin. in *Vita Antonini Pii. c.* 1.

ARRIA Galla, formoſa ſed impudica, Domitii Silii matrimoniô à C. Piſone abducta. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 59.

ARRIACA, vulgo GUADALAJARA, ad fluv. Tagonium; Olim caput Algarriæ tractus.

ARRIANI, Hæretici, ab Arrio ſic dicti, quem vide, negârunt tres perſonas SS. Trinitatis eſſe ejuſdem eſſentiæ. Verbum dixerunt eſſe creaturam, carnemque ſolam, ſine anima, aſſumpſiſſe, &c. Nicenô Conciliô A. C. 325. condemnati, non deſtiterunt deliria ſua docere, & pluximos in ſententiam ſuam parteſque pertrahere. Conſtantini Magni filios hyperaſpiſtas, Gothos & Longobardos, cum ingenti Epiſcoporum numero, ſectatores nacti, Athanaſium in Oriente, Hilarium in Occidente perſecuti ſunt, & non uno in loco conciliabula habuerunt. Antiochiæ inprimis, præſente Conſtantinô Imperatore, ibi novâ fidei formulâ compoſitâ, acta Nicena abrogata, Athanaſius depoſitus, ſubſtitutô hæreticô Georgiô Cappadoce, homine truci, & *qui crudelius, quam ulla fera beſtia in ovile Domini graſſabatur*, Sozom. *l.* 3. c. 6. quem tamen hodie à Chriſtianorum quibuſdam, ut Sanctum, coli certimus. Dein cùm Conſtante urgente, Synodô Sardicenſi, Nicena acta confirmata, Ariani damnati eſſent, hi Antiſynodum Philippopoli coëgerunt, Theodoret *l.* 2. c 8. & paulò poſt occiſô Conſtante, Athanaſius iterum pulſus. Mediolani porro Synodus acta, ad promovendum Arii dogma & Athanaſii damnationem, ſed neutrum ſucceſſit. Hilarius tamen & Liberius in exilium miſſi. Ut plura alia omittam, tam miſera tum fuit Eccleſiæ facies, ut *Hieronymus* diaerit. *Ingemuit Orbis totus, & ſe Arrianum miratus eſt.* Conſtantius, hujus impietatis clypeus, imperiô tandem exutus, cùm ipſe Chriſtum honore exuiſſet. *l.* 2. *c.* 32. Dicti etiam *Exoucontii* ſunt, quia Chriſtum dicebant factum ἐξ οὐκ ὄντων. In Doxologio ſuo gloriam dabant non Patri, & Filio, & Spiritui S. ſed Patri per Filium in Spiritu S. Orthodoxos etiam rebaptizabant, hominis ſuperiore parte uſque ad umbilicum tantum aquâ tinctâ, &c. Ipſimet inter ſe diviſi, tandem veritate prævalente, undique exagitati ſunt, Legibus inprimis Theodoſii: Sed utinam non hodieque blaſphemiæ hujus reliquiæ ſupereſſent! Vide Epiph. *hær.* 68. & 69. Auguſtin. *hær.* 49. Athanaſ. & Nazianz. *contra Arrianos.* Hilarium *de Trinitate.* Hieron. *contra Luciferianos*, *Sozom. Theodoret. Euſeb. Rufinum*, *Socratem*, &c.

ARRIANUS, Conſul cum Papo, memoratus Julio Capitolino, in *Gordiano tertio*, *c.* 29. *Qui mortuo Arrianô & Papô Conſulib. in eſus locum Præfectus Prætorii factus eſt Philippus Arabs.* Sic enim in *Lapidib.* & *veterib. Faſtis* hic Conſul appellatur; cum vulgò ſcribatur, *Apriano*, Salmaſ. *ad loc.* Sic *Arrianus* Hiſtoricus, apud ejuſdem *Hiſtoriæ Aug.* Scriptores, modò *Arpianus*, modò *Arabianus*, corruptè legitur.

ARRIANUS, Nicomedienſis, Philoſophus. Incubuit literis in patria, ibique Cereris & Proſerpinæ Sacerdos evaſit. Ut *Photius* confirmat ex Bithynicis ejus, in quibus patriæ Hiſtoriam à fabuloſo tempore orſus, uſque ad Nicomedem, qui Populum Romanum hæredem inſtituit, exequutus eſt. *Xenophon jun.* dictus, *Suid.* Epicteti diſcipulus fuit; Scripſit *de Epicteti diſſertationibus*, quæ extant, *libros* 4. Nam plures ſcripſiſſe, ex Gellio conſtat, qui *l.* 19. *c.* 1. quantum laudat. Scripſit & alia, præcipuè quæ ad Hiſtoriam pertinent, inter quæ *Hiſtoriam Alexandri M. deſcriptionem ſeu periplum duplicem*, *Ponti Euxini*, & *terrarum vicinarum*, ut & *Maris rubri*, à Ramuſio & Stuckio illuſtratum, *Oceani* item *Indici*, &c. *Hiſtoriam Alanorum*, *Photius.* 17. *libros Urbium*, *Steph.* de quibus vide *Suid.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. c. 11. La Mothe le Vayer, *in judicio de Hiſtoricis.* Ejus eſt, Σχολαστικοὶ ἐς ἀεὶ γελῶσι, τοῦ δὲ ζῆν, ὃ ἀεὶ ζῶσι καταγελῶσι. Emicuit Romæ ſub Adriano, & M. Antonino Principibus, à quibus ob literas præfecturâ Cappadociæ & honoribus Conſularibus ornatus eſt. Verùm de eo nos alibi, Deo volente, plura. *Nic. Lloydius.*

ARRIANUS, Poëta, cujus carminibus Tiberium Cæſarem delectatum fuiſſe, ſcribit Suetonius, *in Tib. c.* 69. Ejus autem opera *Suidas* commemorat, ſcil. *metraphraſin Georgicorum Virgilii*, & *Alexandriada*, poëma ſcil. de rebus geſtis Alex. Magni, libris 24.

ARRIBANTIUM, Dardaniæ urbs in Myſia ſuperiore *Ptol.* *Wiczitorne Lazio*, aliis *Novibazar.*

ARRICINUS, vide *Arretinus.*

ARRIVATEVUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

ARRIUS, Ciceronis familiaris, cujus epulum lautiſſimum commemorat in Vatinium Horat. *l.* 2. *Sermonum. Sat.* 3. v. 86.

--- *Atque epulum Arbitrio Arri.*

ARRIUS, Philoſophus Alexandrinus, qui Auguſto Alexandriam venienti, poſt victoriam Actiacam, ſe obtulit, tantoque in honore fuit apud eum, ut Auguſtus ipſe palam ſit faſſus, Alexandrinos tribus de cauſis à ſe conſervatos eſſe, ob Alexandri memoriam, ob urbis pulchritudinem & propter *Arrium* Philoſophum. *Plut.*

ARRIUS, Presbyter Alexandrinus, hæreſiarcha, Arrianæ ſectæ author, uti ſcribit Ruffin. *l.* 10. Hanc ſub Petro & Achilla fovit, ſub Alexandro verò excluſit, cui fortè hic nimis curioſâ *de S. Trinitate* diſſertatione, occaſionem aliquam præbuerat. Hæreſeos manifeſtus excommunicatur, ſed Epiſcoporum non paucos variis artificiis in partes ſuas pertraxit, inter quos Euſebius, Epiſcopus Nicomediæ, in gratiâ Conſtantini M. validus. Qui Arium fruſtra literis primò, dein per Epiſcopum Oſium, monitum tandem A. C. 325. Conciliô Nicenô, cujus Imperator ipſe Præſes fuit, damnavit, ejus deliriis rejectis, ipſô cum aſſeclis in exilium deportatô, ſcriptiſque combuſtis. Mox verò à Presbytero Ariano perſuaſus, Arium revocavit, confeſſione ejus, quam ſubdolè concinnaverat, admiſſâ. Hic verò, pulſô Athanaſiô, cùm jam recipiendus eſſet in Eccleſiam Conſtantinop. obiit eô mortis genere, de quo paulò pôſt. Contra hunc Auguſtinus & alii ſcripſerunt. Hic, dum ſuam hæreſin, quâ filium ab æterna Patris ſubſtantiâ conabatur abducere, paſſim diſſeminâſſet, actiuſque ſerperet, & eundo vires acquireret ipſa contagio, ſuæ tandem impietatis pœnas luit. Etenim dum Conſtantinopoli ſeceſſum peteret, ventris exonerandi cauſâ, fluentibus foras inteſtinis, miſeram evomuit animam, ejus poſtea judicium experturus, de quo perperam ſenſerat. A. C. 336. Vide Suidam, in Ἄρειος. Et Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcriptores, Epiphan. *hær.* 68. & 69. Athanaſ. *Orat.* 1. *ad Serap.* Socr. *l.* 1. Sozom. *l.* 1. & 2. Thodoret. *l.* 1. Ruffin. *l.* 1. &c. Vide *Arriani*, etiam. Aliis *Arius* dicitur, Ἄρειος, autem Græcè ſonat *Martialis.*

ARRIUS Antoninus, bis Conſul: avus maternus Antonini Pii Imperat. apud Jul. Capitolin. in Imp. hujus *Vita c.* 1. inter ſuffectos Conſules nominatur Caſſiodoro, in ultimo Domitiani anno. De eo ſic Victor, *in Epitome c.* 24. *Nerva, cum in Curiam à Senatu gratanter exceptus eſſet, ſolus ex omnibus* Arrius Antoninus, *vir acer eique amiciſſimus, conditionem imperantium prudenter exprimens, amplexus eum, gratulari ſe ait Senatui & populo provinciiſque: ipſi autem nequaquam: cui ſatius fuerat malos Principes eludere, quam tanti oneris vim ſuſtinentem non moleſtiis modò & periculis ſubjici, ſed famæ etiam inimicorum pariter & amicorum: qui cùm ſe mereri omnia præſumunt, ſi quicquam non extorſerint, atrociores ſunt ipſis quoque hoſtibus.* Ex hoc eſt quod Capitolinus *loc. cit.* ſubjungit, *Qui Nervam miſeratus eſſet, quòd imperare cœpiſſet.* Proconſul Aſiæ fuit, èque ea provincia ingentem integritatis & prudentiæ famam reportavit; Plin. *l.* 4. *Ep.* 3. ad ipſum, *Quod ſemel atque iterum Conſul fuiſti, ſimilis antiquis, quod Proconſul Aſiæ, qualis ante te, qualis poſt te vix unus aut alter (non ſinit enim me verecundia tua dicere, qualis nemo) quòd ſanctitate, quòd auctoritate, ætate quoque princeps civitatis, eſt quidem venerabile ac pulchrum; ego tamen te vel magis in remiſſionibus miror &c.* Nepotem adoptavit, eumque nomine ſuô appellavit, qui poſtmodum Imperator *Antonini Pii* nomine inclaruit: Hic itidem Aſiæ Proconſul, *ſolus in ſuo Conſulatu Avum viciſſe*, dicitur eidem Capitolino. c. 3. Sed & tertius fuit *Arrius Antoninus*, Aſiæ quoque Proconſul, vir longè clariſſimus, qui, Principe Commodô occiſus, ſcelere Cleandri, tantam invidiam Imperatori apud vulgus & omnes bonos concitavit, ut, cum ferre Commodus cùm non poſſet, Cleandrum plebi ad pœnam donaverit, apud Lamprid. *in Commod.* c. 7. Et hic videtur eſſe, de quo Tertullian. *ad Scapul.* *Arrius Antoninus in Aſia cum perſequeretur inſtanter, omnes civitatis illius Chriſtiani ante tribunalia ejus ſe manu facta obtulerunt: cùm ille,*

pauca duci juſſis, reliquos ait, Ὦ δειλοὶ οἱ θέλοντες ἀποθνήσκειν κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. O miſeri, ſi mori omnino ſedet, præcipitia & laqueos habetis, &c. Caſaubon. *ibid.*

ARRIUS Antoninus, Proconſul Aſiæ, ſub Adriano Imperatore ardore Chriſtianorum ad martyrium ſeſe offerentium obſtupefactus, juſſit eos, ſi vellent mori, ne amplius tribunal adirent, & præcipitia & reſtes iis in promtu eſſe. Euſeb. *l.* 4. *c.* 3. vide jamjam dicta.

ARRIUS Aper, ſocer Numeriani Imperat. qui, Imperio inhians, generum interemit, ipſe paulo poſt à Diocletiano occiſus, additis verbis: *Hic eſt auctor necis Numeriani.* Vopiſc. in *Numeriano. c.* 13.

ARRIUS Varus, præfectus equitum ſub Corbulone. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 9. in Armenia. Ferebatur ſecretis apud Neronem ſermonibus, virtutes Corbulonis criminatus: Unde infami gratiâ primum pilum adeptus. Bello contra Vitellium, partibus ſe Veſpaſiani ſtrenuum Ducem præbuit. *l.* 3. *Hiſt. c.* 6. & 18. *l.* 4. *c.* 2. & 4.

ARRO, fluv. Angliæ. Cadit in Lugum fluv. in Comitatu Herefordienſi.

ARROGANTES Lacernæ, de purpureis, apud Martialem, *l.* 5. *Epigr.* 8. *v. ult.*

Illas purpureas, & arrogantes
Juſſit ſurgere Leitus lacernas.

Improbus enim apud Senec. *Ep.* 114. & *ſuperbus*, apud alios, & *arrogans*, apud Poëtam hunc color purpureus, qui pro ſua majeſtate reliquos ſibi colores, tanquam minores, ut majori, digniori potentiorique cogat aſſurgere. Galli *altum colorem* vulgò appellant. Salmaſ. *ad Spartian. in Peſcennio Nigro c.* 6.

ARROIUM, vulgò ARROIS, caſtrum præcipuum Inſul. Mulæ, unius ex Hebridib. ad Scotiæ Occidentem in Boreali parte Inſulæ ex adverſo Abriæ provinciæ.

ARROSIUS, vulgò ARROUX, fluv. Galliæ in Burgundiæ Ducatu. Oritur prope Arnæum Ducium. Auguſtodunum rigat, & poſtea in Ligerim ſe exonerat, ſupra Borbonium Anſelmum.

ARRUNS, prænomen Tuſcum, in gente Tarquinia Romæ celebratum, quò Priſci & Superbi Tarquiniorum filii n... ſunt. Hôc nomine affectus fuit vates quidam Tuſcus divinandi ſcientiâ inſignis. Lucan. *l.* 1. *v.* 585. *ſ.* 608. *ſ.*

ARRUNTIUS, Conſul, An. Urb. Cond. 735. inter ſcriptores illuſtres. Scripſit *Geographica*. Divitias quoque magnas poſſedit. Accuſatus à Satrio Secundo Albucillæ impietatis in Tiberium conſcius ejuſdemque adulter, fruſtra moras ſuadentibus amicis, venas reſolvit, Cn. Acerronio & Pontio, Conſulib. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 47. 48.

ARS, ſeu ARTES, pro Grammatica. Q. Rhemnius Palæmo in *Arte Gramm. Abunde dictum ſit de præpoſitionibus: nam cætera habemus in Artibus plenißimè dicta.* Cledonius, *Quodam tempore dum Ars in Capitolio tractaretur.* Priſcianus in *Prologo*, *ad l.* 1. *Quid enim Herodiani Artibus certius?* &c. Hinc *Libri Artium*, ſeu de Grammatica, apud Marium Plotium *Præfat. l. de Metris.* Arnobius junior in *Conflictu cum Serapione*, *Dicitur autem creaſſe libenter. ... Rhetoricæ Orator & Grammaticus* Librum Artium *condidiſſe.* Habetur que Phocæ Grammatici *Ars*, *de nomine & verbo*, ubi ſic præloquitur,

Ars mea multorum eſt, quos ſecula priſca tulerunt,
Sed nova te brevitas aſſerit eſſe meam, &c.

Etiam pro Rhetorica, non ſemel *Ars* unde accipitur, apud Quintilian. *l.* 3. *c.* 1. alibique: de *Facultate Artium*, vide hîc paulo infrà, & plura hanc in rem apud Car. du Freſne *Gloſſar.* uti de *Arte* Dris accenſita infrà.

ARS Analogica, quâ de quovis propoſito themate, per rerum naturalium analogiſmos ſive ſymbolicos conceptus, tum expeditè ſcribendi, tum amplè dicendi materia ſubminiſtratur: brevi prodibit, Auctore *Athanaſio Kirchero.*

ARS Collybiſtica, vide infrà *Collybiſtica.*

ARS Combinatoria, ſive *Ars magna ſciendi*, quâ Ars Lulliana reſtituitur & ad omnes Artes & Scientias facili methodô addiſcendas, nec non de quocunque argumento propoſito diſcurrendi, porta aperitur: eôdem Auctore, in lucem edita eſt duobus Tom. *in fol.* Amſtelodami A. C. 1670.

ARS Magna Lucis & Umbræ, in duos Tomos diviſa, quâ lucis & umbræ, in univerſa Natura, vires effectuſque, novâ reconditorum ſpeciminum exhibitione, ad varios rerum uſus panduntur. Romæ A. C. 1646. *in fol.* Nunc verò, cum augmento multiplici novarum rerum, denuo prodiit, typis Jo. Janſonii à Waesberge Amſtelodami A. C. 1671. iidem *in fol.*

ARS Magnetica, quâ Magnetis natura, ejuſque in omnibus uſus explicatur, ac præterea è viribus Magneticarum motionum, in Elementis, Lapidibus, Plantis, Animalibuſque elucęſcentium, plurima nova hucuſque per varia experimenta recluduntur, nomen Libri, Auctore *Athan. Kirchero*, Romæ primum, in *quarto*, dein Coloniæ, ultimò iterum Romæ, cum magna acceſſione, A. C. 1654. *in fol.* editi.

ARS Sanctorum, in Concilio Ænhamenſi A. C. 1009. Can. 3. *Sagas, Incantatores*, Artem ſanctorum *exercentes*, *meretrices egregias mortem inducentes* &c. Ubi codex editus *artem ſan* præfert, Car. du Freſne legendum videtur *ſortem*, aut *ſortes ſanctorum*, quem vide in hac voce.

ARS Veterum Ægyptiorum Hieroglyphica, vide infrà *Hieroglyphica.*

ARSA, Præfectus civitatis Tirzæ. 1. Reg. *c.* 16. *v.* 9. Latinè *voluntas*, *curſus*, aut *maledictionis eorum.* Item civitas Hiſpaniæ. *Steph.* Longitud. 18. 40. latitud. 41. 58. Vide Suidam, *in* Α'ρσινόη.

ARSABES, Satrapes Armeniorum, ut videtur ex Polyæo. *l.* 4. *c.* 17.

ARSABES, Satrapes Perſicus, homo calidiſſimus, cujus fraudem in occupandis Barcæis & dexteritatem in declinandis inſidiis Magiſtri Equitum commemorat, Polyæn. *l.* 7. *c.* 28. Ubi interpres legit *Arſamen.*

ARSACE ſeu ARSACIA, ab Arſace Parthio nomen nacta, urbs celebris eſt Perſiæ, quæ aliàs Ῥαγαί quoque, item Εὔρωπος. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1197. ut & in voce *Arſacia.*

ARSACES, ex *ſemine Chaschairon*, h. e. Cyri, ut eſt in *Chron. Perſ.* Parthorum Rex primus, cujus memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt, propter quæſitum, conſtitutumque ab eo regnum, ut omnes deinde Reges ſuos *Arſaces* appellaverint. Juſtin. *l.* 41. *c.* 5. Strab. *l.* 14. Photius, *Bibl. c.* 68. Euſeb. *Chron. Suid.* &c. Quin & Parthi ipſi ab eo dicti *Arſacæ Straboni*, aliis *Arſacidæ*. Lucan. *l.* 1. *v.* 107.

Plus illa vobis acie, quam creditis, actum eſt,
Arſacidæ. — — —

Hinc *Arſacius*, pro *Parthicus*.
Martial. *l.* 9. *Epigr.* 36. *v.* 3.

Quicquid in Arſacia Parthorum delibera aula.

Claudian. *Panegyr. de* 4. *Conſul. Honorii*, *v.* 216.

Barbarus Arſacio conſurgeret ore tiaras.

Apud Tacitum *l.* 1. *Hiſt. c.* 40. *Arſacidarum ſolium*, pro regno Parthorum. Servius, *ad Æn. l.* 6. *v.* 760. *Albani omnes Reges dicti ſunt* SYLVII, *ab hujus* (Sylvii minorum Æneæ filii) *nomine: ſicut hodieque Romani Imperatores* AUGUSTI *vocantur*: *Ægyptii* PTOLEMÆI: *Perſæ* ARSACIDÆ: *Latini* MURRANI, &c. Solet enim plerumque fieri, ut primi Regis nomen reliqui poſſideant, ut idem obſervat, *ad Æn. l.* 12. *v.* 529. Notandum autem hîc, *Perſas Servium pro Parthis* dixiſſe, vel ſolenni quodam auctorum more confundentium populorum nomina, vel quia retinuit imperii nomen, quod invaſerant Parthi, ante quos Perſæ regnaverant. Ita Horat. cum *l.* 3. *Od.* 5. *v.* 4. initiò Auguſtum *graves Perſas*, ut ipſe appellitat, adjeciſſe imperio ſcribit, de Parthis intelligendus eſt. Nec aliter *Perſarum* capiendum vocabulum, in Aurelio Victore, eſt, cùm de Auguſto prodit, *Huic Perſæ obſides obtulerunt, ereandique Regis arbitrium permiſerunt.* Gloſſarum veterum auctor *Arſacidarum* vocem, de univerſa Parthorum gente, interpretatur: *Arſacidæ*, Πάρθοι. Regnare autem cœpit hic Arſaces, Seleucidarum jugô (*Callinicô* imperante) excuſſô, A. M. 3808. feliciterque rexit, ann. 38. Juſtin. *l.* 41. *c.* 4. Succeſſores ejus regnum tenuerunt, uſque ad Alexandrum Mammææ fil. quô imperante Artabanus ab Artaxerxe peremptus eſt. A. C. 227. Ex priſca tamen Arſacidarum nobilitate Baſilius Macedo Imperium Orient. tenuit, A. C. 866. *Cedrenus*, *Curopalates.* Illum excepit *Arſaces* II. fil.

ARSACES II. priore genitus, adverſus Antiochum Seleuci fil. 100. millia peditum & 20. millia equitum inſtructum, mirâ virtute pugnavit: ad poſtremum in ſocietatem ejus adſumptus. Eum excepit *Priapatius.* Juſtinus *d. l. c.* 5.

ARSACES, Pharnacis Ponti & Armeniæ Regis fil. Straboni memoratus, *l.* 12. Item Armenius civis, proditionis convictus à Juſtiniano Imperatore hoc ſupplicii genus tulit, ut Camelo inſidens, ac per urbem circumductus ſe omnibus viſendum præberet. Cæl. Rhodig. *l.* 7. *c.* 18.

ARSACES, Armeniæ Rex ad quem Julianus Apoſtata blaſphemas in Chriſtum literas miſit, illumque, qui Chriſtianus erat, contra Perſas proficiſci ſecum coëgit, Sozom. *l.* 6. *c.* 1. Quô defunctô, Perſas Arſaces inimicos habuit, quibus diu feliciter reſtitit. Socius & amicus fidus Romanorum, qui cum opem ſe non amplius laturum Jovinianus Imperator Sapori Perſarum Regi ad ignobilem ab hoc adactus pacem, juraſſet, tantum odium ſibi conflavit, ut in rebus etiam à mulierculis deridęretur. Tandem à Sapore in inſidias pertractus Arſaces, fœderis ſpe injectâ, oculis primo, mox vitâ privatus eſt. A. C. 369. Amm. Marcellin. *l.* 27. Oroſ. *l.* 7. *c.* 19. Eutrop. *l.* 10.

ARSACES, Artabani fil. natu maximus, à Patre Armeniæ, defunctô Rege Artaxia, præpoſitus. Tacit. *l.* 6. *Hiſt. c.* 31. 33. Item, Eunuchus, Servus Themiſtoclis ſecundò ad Xerxem miſſus. Vide, Polyæn. *l.* 1. *c.* 30. *n.* 3.

ARSACES, ab Alexandro M. miſſus in Mediam, ut illâ præfecturâ Oxidates diſcederet. Curt. *l.* 8. *c.* 3.

ARSACIA, πόλις Μηδίας ἐπίσημος. *Steph.* Hodie *Casbin* dici videtur. Longitud. 91. 00. latitud. 39. 35. Urbs Perſiæ pulcherrima & ampliſſima, in provinc. *Ayrach* Sedes regia ante Aſpahanum. *Baudrand.*

ARSACIDÆ, ſucceſſores Arſacis, de quo ſuprà, vide etiam *Aſſaſini.*

ARSACIUS, Galatiæ Pontifex, ad quem Julianus Apoſtata inter alia ſcripſit *Religio Græcanica nondum ex animi noſtri ſententia, incrementa cepit. In cauſa ſunt hi, qui res ſacras tractant.* Rufin. *l.* 1. *c.* 32. 34. Sozom. *l.* 5. *c.* 15. Vide infra

ARSACIUS, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, dum Chryſoſtomus in exilio eſſet. Obiit. an. ætat. 81. 1. Epiſcopatûs, piſcibus magis mutus, ut lepidè Palladius ait. Vide *Soc.* *l.* 6. *c.* 18.

ARSACIUS, Pontifex Ethnicus, cui Julianus Apoſtata prolixam ſcripſit epiſtolam, de antiphonis introducendis, & pœnitentia publica, Noſocomiis, item Prochotrophiis, Virginumque monaſteriis erigendis. Sozom. *l.* 5. *c.* 11.

ARSÆ, Arabiæ Felicis gens. *Ptol.*

ARSAGALITÆ, populi ad Indum fluv. Caucaſo monti conterminu. Plin. *l.* 6. *c.* 20.

ARSALUS, Solymis cultus. Vide infrà *Solymi.*

ARSAMENES, Satrapa, in prælio ad Granicum ſiniſtrum cornu cum Memnone tenuit. Diodor. Sic. *l.* 17.

ARSAMES, Nobilis Perſa, Ariamnis fil. ex Achæmenis ſtirpe, pater fuit Hyſtaſpis, quô genitus Darius, in Regno Perſarum Cambyſi ſucceſſit. Joh. Marſhamus *Canone Chron. ad Sec.* XVIII.

ARSAMES, Artaxerxis fil. qui fratris Ochi inſidiis periit. *Plut.* Item *Arſames*, vel *Arſes*, Ochi fil. XIII. Perſarum Rex, regnavit annos 4. *Euſeb.*

ARSAMES, Ciliciæ Satrapa, ſub Dario ultimo; qui adventante Alexandro igni ferróque Ciliciam vaſtavit, ut hoſti ſolitudinem faceret: quicquid uſui eſſe potuit, corrupit. Curt. *l.* 3. *c.* 4. Apparet poſtea in deditionem Alexandri veniſſe & præfecturam Cariæ accepiſſe. *l.* 8. *c.* 9.

ARSAMETES, Aſiæ fluv. juxta Parthiam, aut Armeniam. Tacit. *Annal. l.* 15. *c.* 15. Cadit in Euphratem fluv.

ARSAMIA, urbs Germaniæ. *Ptol.*

ARSAMIAS, lacus Armeniæ majoris. Vide *Arciſſa palus* & *Arſiſſa*.

ARSAMOSATA, urbs Armeniæ majoris verſus Meſopotamiam, 70. mill. paſſ. ab Euphrate fluv. *Arſamote* Plinio, *l.* 6. *c.* 9. prope montem Taurum. Nunc evanuit. *Baudrand.* Caſtellum item Armeniæ, Tacit. *Annal.* l. 15. c. 10.

ARSANES, fil. Ochi, pater Codomanni, qui Perſarum regnô potitus, Darius dici voluit. Hic ab Alexandro victus.

ARSANES, vide *Arſames*.

ARSANIAS, Armeniæ fluv. quem Tigridi miſceri volunt, ac demum, cùm leniter fluat, ſeparari & in Euphratem mergi. Item Zimaram. Ejus meminêre Plin. *l.* 5. *c.* 24. Plut. *in Lucullo* Tacit. *Annal. l.* 15. *c.* 15. ubi malè vulgo legitur *Flavio Arſamoſ.* Dio, *in fragmentis.* [illegible] Ἀρσανίαν [illegible] h. e. *Parthus dimiſit Pætum, prius cum eo pactus, ut ponte ſibi jungeret fluvium Arſaniam.* Tranſit per Arſamiam lacum. *Baudrand.*

ARSAPH, nomen quô, teſte *Plutarcho*, Oſiris vocabatur, levi commutatione ex *Joſeph* factum, ut placet iis, qui magnum illum Ægypti [illegible] & Ædilem, ſub nomine *Serapidis* ac *Oſiridis*, ab Ægyptiis cultum eſſe contendunt: motii tum Hieroglyphicis, quibus Oſirim deſignabant, ſcil. figurâ bovis ſeu vituli, notis Lunæ & Solis inſignita, item juvenis imberbis, cum modio & calatho in capite: quæ in Joſephum, ejuſque boves & ſpicas ætatem & Aſtrologiæ peritiam exſimiam cadunt, Vir Cl. *ad Juſtinum l.* 36. *c.* 2. Vide hic paſſim inprimis voce *Serapis*, ubi *Bochartum* aliud ſtatuentem videbimus.

ARSARATHA, urbs Armeniæ majoris, longitud. 79. 30. latitud 43. 30.

ARSATIANUM, Pannoniæ urbs. *Antonin.* Hodie Arſa.

ARSCOTIUM, oppid. Brabantiæ ad Demeram fluv. ſub Hiſpanis, eſtque Ducatus gentis *de Crouy*. 4. leuc. à Machlinia in ortum, & 3. à Lovanio, in *Boream*.

ARSEN, Arcadiæ fluv.

ARSENA, palus Armeniæ majoris, nitroſa, & unius generis piſces habens, per quam Tigris fluit. *Strabo.*

ARSENA, apud Sanutum *l.* 2. *part.* 4. *c.* 22. *Oportet ad illum* (navigii) *conſervationem unpoſiterum, in locum pertrahi coopertum --- qui locus, ubi dictum conſervatur navigium*, Arſena *vulgariter appellatur.* Armamentarium eſt, vulgò *Arſenal*. Origo vocis nonnullis Turcica eſt, ſeu Arabica, quibus *Darcenna* idem ſonat, primâ literâ ademtâ. Sed [illegible], *armamentarium*, jam Conſtantino dictum eſt longè ante captam a Turcis Conſtantinopolin. Theophilo Michaëlis fil. imperante, ut ex *inſcr.* quæ à Grutero aliiſque refertur, conſtat. Car. du Freſne ab *Ars* deduci, quæ ſequioribus Latinis perinde, ac *ingenium*, machinam denotavit, unde & Gallorum *Artillerie* Albertus Aquenſis *Hiſtor. Hieroſolym. l.* 2. *c.* 35. *Quidam Longobardus genere, Magiſter & inventor magnarum* artium *& operum*, apud eundem in voce *Ars*. Vide quoque in *Artificium* & *Artillator*: ubi, quid *Artillerie* vocabulô olim Franci voluerint intellectum, pluribus exponit, ex Guil. Guiardo A. C. 1304. de prælio ad Montem Puellarum agente, Froiſſardo *Volum.* 2. Monſtreleto *Volum. l. c.* 29. & *Gloſſ.* Meurſii in Ἀρσενάλης. Sic ergo *Arſena* locus fuerit, in quo *Artes*, i. e. machinæ bellicæ reponebantur. Vide & Jacobum Bourgoing *l. de orig. & uſu vulgarium vocum* p. 12. laudatum eidem du Freſne.

ARSENARIA, Mauritaniæ Cæſarienſis colonia. Pomp. Mela, *l.* 1. *c.* 6. Aliis *Arſenna*.

ARSENES, Epiſcopus Schiſmaticus Meletianſ. ſe interfectum ab Athanaſio mentitus eſt, ab ejus ſociis manu hominis occiſi monſtratâ, Poſtea, è latibulo Thebaidis prodiit, & Synodo, contra eundem Athanaſ. convocatæ ſubſcripſit. A. C. 331. &c. Item Comes, qui Juſtiniano uxorique ejus perſuaſit, Paleſtinæ incolas permoviſſe Samaritanos ad ſeditionem.

ARSENICUM, Græcè Ἀρσενικὸν, duplex eſt, alterum luteum & colore ochræ ſimile, τῇ χροᾷ χρυσίζον, unde & *Auripigmentum* dictum, quod in iiſdem fodinis, in quibus ſandaracha, reperitur: alterum rubrum, τῇ χροᾷ κινναβαρίζον, aliter *Sandyx*, item *Armenium rubrum*, quod in Ponto & Cappadocia invenitur, & cum Armeniaca terra idem eſt. Quorum prius tantùm Veteribus cognitum, inter colores picturæ utiles, ex Plinio docet Salmaſ. *ad Solin.* p. 1153.

ARSENIUM, Germaniæ oppidum. *Ptol.*

ARSENIUS, Romanus patricius, Arcadii juventæ admotus, qui cùm vocem hanc ab inceno authore audiviſſet, *Fuge, tace, quieſce*, relictâ paternâ hæreditate ad cœnobium properavit.

ARSENIUS, Monachus primò, poſteà Patriarcha Conſtantinopolitan. ſub Theodoro Laſcare Juniore *Synopſin Canonum*, ex Conciliis & Patribus in Concilio Trullano approbatis, collegit, circa A. C. 1255. in qua, accuratâ methodô, univerſam Canonicæ diſciplinæ ſcientiam, centum ſupra unum & quadraginta articulis complexus eſt, tum in fine cujuſque tituli νόμους quaſdam [illegible], *Capita legum* concordantium adjecit. Quam ob cauſam *Nomocanonis* quoque titulum, in fine Codicis Græci MS. in Bibl. Gall. Reg. hoc opus refert. Edidit illud Juſtellus fil. in *Bibliotheca Juris Can. vet. tom.* 2. ſub hoc tit. Ἀρσενίου Μοναχοῦ [illegible] [illegible]. Ἀμήν. *Arſenii Monachi ejus, quod eſt in Sancto Monte, Monaſterii, Divinorum Canonum Synopſis. Appoſitum unicuique Capiti congruentibus diverſorum Canonum numeris; ex quibus hæc deſumpta eſt. Quæ legendo, veluti tegulis invenies ea, quæ ad rem pertinent: primum quidem ex Capitibus omnem ſenſum ediſcendo, deinde verò numerorum ope, in Canonum libro inveſtigando: plenius etiam de ſingulis certior factus, ad gloriam ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis, Amen.* Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Jur. Eccleſ. num.* 365.

ARSENOTHELYAS, eos antiqui dixêre, qui utrumque ſexum participarent, quaſi *Maſculo fœminas* dicas; quô nomine quædam quoque animalia ab *Ariſtotele* nominantur ſemetipſa ineuntia. Cæl. Rhodig. *l* 19. *c.* 13.

ARSES, filiorum Ochi natu minimus, in ſolium Perſarum, occiſô Patre, à Bagoa Eunuchô evectus; ſed vix triennium regnô potitus, cum liberis ab eodem Bagoa è medio ſublatus eſt. Diodor. Sic. *l.* 17. *ſ.* 564. Idem cum ſequente.

ARSES, XIII. Perſarum Rex, fil. tertius Artaxerxis III. quem Bagoas Eunuchus, cum duobus ejus fratribus, ſuſtulerat, ei ſucceſſit; regnavit 4. vel ſecundum alios, 2. ſolum annos. Circa A. M. 3716. *Diodor. Sic. Juſtin.* Euſeb. *in Chron.* Idem cum priore. Ei ſucceſſit Darius III. cognomine Codomannus, quem vide.

ARSESA, Armeniæ majoris regio. *Ptol.*

ARSIA, Hetruſcorum ſilva, Romanorum cum Vejentibus & Hetruſcis pugnâ celebris, ab *Arſio* Heroe ſic dicta. Plut. Ὀρσίαν ἄλσος vocat *in Publicola*. Dionyſ. autem Halicarn. *l.* 5. δρυμὸν Ὀρσίαν. Vide Cluver. *Ital. Ant.* p. 860. Item Italiæ fluv. Campaniam præterfluens, cujus latitudinem ab uno latere diſterminat, Varò fluv. alterum occupante. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

ARSIANA, Suſianæ urbs. *Amm. Marcellin.*

ARSICA, privatus adhuc dictus eſt Artaxerxes Mnemon.

ARSICODANI, Arabiæ Felicis populi. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

ARSICORAS, Sardorum Rex, tempore Annibalis.

ARSICUA, urbs Germaniæ. *Ptol. Brin* hodie, teſte *Villanovano* urbs Moraviæ, non Sileſiæ, ut malè *Ortelius* ſcribit, ejus regio poſt Olomucium primaria. Alius eſt *Hradiſta*, oppid Moraviæ ad fluv. Moravum. *Baudrand.*

ARSICUA alia, urbs Germaniæ antiquæ, in limite Sarmatiæ, ad Viſtulam fluv. Nunc forſan *Warſau* in Polonia, *Baudrand.*

ARSIDÆUS, fil. Datamis, qui cùm adverſus Piſidas cum exercitu à Patre miſſus eſſet, cecidit in prælio. Nepos, *in Datame* c. 6.

ARSIETÆ, Sarmatiæ Europææ gens. Ptol.

ARSILLUS Franciſcus, vide *Franciſcus*.

ARSINARIUM, promontor. Libyæ interioris. *Ptol. Capo Verde Ponto.* Promontor. Nigritiæ, in Occaſum magis porrectum. Ab eo Gorgades ſeu Heſperides Inſul. dicuntur *les Iſles du Cap. Verd. Baudrand.*

ARSINOË, ſoror & uxor Ptolemæi Philadelphi, poſt mortem, nomine *Veneris Zephyritidis* culta. Templum habuit, quod ſub extrum Maris Dinochares Architectus conſtruxit ita, ut teſtudo tecti magnete concameratæ eſſet. Qui lapis cùm ingenitâ vi ferrum attrahat, ſimulachrum *Arſinoes* ferrò factum, in medio aëre ſuſpenſum tenuit. Plin. *l.* 34. *c.* 14. Ubi inchoatum quidem id Templum, non conſummatum refert. Meminit tamen Athenæus *l.* 11. vaſis cujuſdam, Ῥυτὸν dicti, quod Cteſibius, qui ejus auctor fuerat, in Templo Veneris Arſinoës collocaverit, ac ejus Numini dedicaverit. Ejuſdem porro *Arſinoës* ſtatuam cubitorum quatuor, ex topazio, (quam gemmam Berenicæ primùm oblatam fuiſſe, matri Ptolemæi II. dicunt) memorat *Plin. idem.* Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, p. 240. 638. 819. Idem nomen amicæ Apollinis, vide ſuprà *Æthuſa*.

ARSINOË, Ptolemæi Lagi filia, Ptolemæorum, Philadelphi & Cerauni ſoror, Lyſimachi, Macedonum Regis, uxor, mortuô maritô, à fratre Ceraunô, Macedoniæ regnum ambiente, & nuptias ejus ideo petente decepta, illum in urbem ſuam Caſſandream ultro invitat, filioſque ſuos Lyſimachum 16. ann. natum, Philippumque triennio minorem, utrumque formâ inſignem, coronatos occurrere jubet; quos Ptolemæus ad occultandam fraudem, cupidè, & ultra modum veræ affectionis amplexus, oſculis diu fatigat. Ubi verò ad portam ventum eſt, occupari arcem jubet, pueros autem interfici; qui cùm ad matrem confugiſſent, in gremio ejus inter ipſa oſcula trucidantur. *Arſinoe* verò ſpoliata filiis, ſciſſâ veſte & crinibus ſparſis, cum duobus Servulis ex urbe protracta, Samothraciam in exilium abiit, eo miſerior, quod mori cum filiis non potuit. Juſtin. *l.* 17. & 24.

ARSINOË, Ptolemæi Auletæ filia minor, Cleopatræ ſoror, dum Cæſar in regia Alexandriæ obſideretur, vacuam poſſeſſionem regni ſperans, ad Achillam ſe ex regia contulit, unaque cum illo bellum adminiſtrare cœpit. ſed mox controverſiâ de principatu inter eos ortâ, cum utrique utrique inſidiarentur, *Arſinoe* per Ganymedem nutricium ſuum Achillam interfici curat, atque hôc modô imperium obtinuit. Lucan. *l.* 10. *v.* 519.

--- Nec non ſubrepta paratis
A famulo Ganymede dolis pervenit ad hoſtes
Cæſaris Arſinoe. --- --- ---

Ipſa deinde ab Antonio, in gratiam Cleopatræ, interfecta eſt. Hirt. *de Bell. Alex.* c. 4. & 33. Appian. *de Bell. Alexandr. l.* 5.

ARSINOË, uxor Agæ, Regis Cyrenenſium, quæ filiam Beni-

renicen, filio fratris mariti adimere conata, ut illam Demetrio, quem parum pudicè amabat, traderet, ſcelere prodito, pulſa eſt, Demetrio interempto. Juſtin l. 26. c. ult.

ARSINOE (1) oppid. Cypri inſulæ in ora occidentali inter Paphum novam & veterem, *Arſinoe* nunc, teſte *Steph. Luſignani*. (2) in ora orientali inter Pedalium promontor. & Salaminam urbem quæ nunc, teſte eodem *Luſignano Famogoſta* nominatur, urbs hac tempeſtate primaria poſt Nicoſiam. (3) ad Caliniuſam promontor. in ora Boreali verſus occidentem Solis proxima, *Lef ſere Luſignano*, alius *Cyſoca*, & Italis *Aleſſandretta*. Additur & quarta in mediterraneis *Arazi* incolis, teſte eodem *Luſignano*, veteribus non memorata. Item urbs Ciliciæ maritima, inter Anemurium ad occidentem & Celenderim ad ortum, nunc pagus, vulgò *Dragante*. Item urbs Ægypti, quæ & *Cleopatris Ptol.* & *Strabo.* vulgò *Sorit*, & Saracenis *Bericaara*, teſte *Pet. Gyllio*, urbs Ægypti in intimo ſinu Arabici, à Peluſio 125. mill. paſſ. in ortum. Ejus meminit Val. Flacc. *l.* 5. v. 422.

—& Arſinoës illi tepidæque requirunt
Otia læta Phari, pinguemque ſine imbribus amnem.

Alia eſt *Arſinoe* oppidul. diſtans à *Suez* 15. mill. paſſ. in Auſtrum. Longitud. 63. 20. latitud. 29. 10. *Arſinoë* item, quæ & *Teuchira*, vulgò *Trochara* teſte *Marmolio*, urbs Cyrenes Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cyrenenſi, una ex 5. urbib. Pentapolitanæ regionis inter Berenicen ad occaſum 47. & Ptolemaidem in ortum 26. mill. paſſ. Longitud. 48. 40. latitud. 35. 36. Alia item in Æolia, in Syria, in Cilicia, & alibi ita ut 14. urbes hujus nominis extitiſſe ex veter. monumentis conſtet. Vide Plin. *l.* 5. *c.* 5. 9. 12. 27. & *l.* 6. *c.* 29. Strabo *l.* 10. 14 & 17. *Ptolem. Steph.*

ARSINOE, Urbecul. Ciliciæ aſperæ, inter Antiochiam ad Tragum & Seleuciam.

ARSINUM vel ARSINEUM, Feſto *ornamentum capitis muliebris eſt.* In *Gloſſario* Διάκρισμα exponitur; quo nomine Græci propriè vocant eum capitis ornatum, quo capillus in duas partes æqualiter diſcriminatus, duas ſertas facit. *Diſcrimen* Latini dixêre. Ovid. *l.* 3. *Artis* v. 137.

Longa probat facies capitis diſcrimina puri.

Ubi *purum caput* ſic comptum vocat, ut ab alio mulierum operoſiore ornatu diſtingueret, qui etiam diſcrimen acus admittit. Simpliciſſimus enim ornatus is erat, capillis in duas partes per medium caput tantùm diviſis, qui longas facies maximè decere credebatur. Poſſumus tamen & *diſcrimina puri capitis* de capillo accipere tantùm pexo ac dentibus pectinis diſcriminato, non verò calamiſtris intorto, aut in cumulum nodato, &c. Tribus enim modis capilli διάκρισιν fiebat, ſcil. *vittâ*, *pectine* & *acu*: Sed hanc in rem plura dicemus infrà, in voce *Diſcrimen*.

ARSINUS, Martyr ſub Decio, apud Alexandriam. Item, fluv. Lapponiæ, ſub Moſcis. Cadit in mare Glaciale, verſus mare Album.

ARSISACA. Mediæ urbs. *Ptol.*

ARSITES, Satrapa, Paphlagonibus Equitibus præfectus. Diodor. Sic. *l.* 17.

ARSITIS, Hyrcaniæ regio. *Ptol.*

ARSONIUM, urbs Germaniæ. *Ptol.*

ARSOPÆ, gens circa Pontum Euxinum. Orpheus *in Argonaut.*

ARSYSIA, regio Pſyrorum & Chii. *Steph.*

ARSYSSA, vel ARSISSA, vel ARSAMIAS, *Ptol.* in Latinis codicib. meliùs *Arceſa*, ut Græcè ſcriptum eſt. Armeniæ majoris palus, alius lacus *Giocho* ex tabulis recentioribus, aliis *Vaſtan*, cum urbe ejuſdem nominis, quæ in Media cenſetur, à Tabreſio 100. mill. paſſ. in occidentem. In ea palude graviſſima quæque natant. *Plin.* Aquas habet ſalſas, hinc *mare Armeniæ* quibuſdam dicitur. Ei adjacet *Arthemita*, ſeu *Van*, cum aliquot pagis, extenditur ad 60. mill. paſſ. ſed inæqualis eſt longitud. Sub Turcis, in limite Perſiæ. *Baudrand.*

ARTABA, frumenti menſura Perſica. Apud Vulgatum, Daniel. c. 14. v. 2. *Et impendebantur in eos, per dies ſingulos, ſimilæ artabæ duodecim.* Ab *Artabazo* Pharacidis fil. Parthorum Duce, vel ab *Artabano*, Hyſtaſpis filio & Xerxis patruo, dicta. Herodot. *l.* 1. *Illa hujus regionis potentia tertiam Aſiæ partem æquiparat, & ejus principatus* (quem Satrapiam Perſæ vocant) *omnium principatuum longè eſt optimus, adeò ut Tritæchmæ Artabazi filio, qui pro Rege tributum hoc exigebat* (legunt alii, *quem Rex huic tractui præfecerat*) *ſingulis diebus ſingula argenti plena artabæ penderentur. Eſt autem artaba menſura Perſica capacior, quàm Attica medimnus, tribus chœnicibus Atticis.* Vide Marcum utrumque in *Hebraica*.

ARTABANUS, fil. Hyſtaſpis, Darii frater, Xerxem bellum Græcis inferre parantem primo diſſuadere conatus eſt, ſed poſtea, bellô infelicitèr à Xerxe geſtô, deficiente Regis majeſtate, in ſpem regni adductus, adjuvante Mithridate Eunuchô, Xerxem obtruncat, ac Darium majorem natu filium, apud Artaxerxem minorem natu, parricidii accuſat, hortaturque, ut parentem ulciſcatur, & pœnas de fratre ſumat, & regnum occupet. Itaque Darius innocens, & non auditus trucidatus, atque *Artabanus*, in ſocietatem regni aſſumitur ab Artaxerxe, per 7. menſes. Inde quum *Artabanus* etiam Artaxerxi inſidias ſtrueret, trucidatur. Diodor. Sic. *l.* 11. Juſtin. autem *l.* 3. *c.* 1. *ſ.* hæc paulo aliter narrat, nempe *Artabanum*, cùm certamina Principum de regno metueret, aſſumpſiſſe in ſocietatem conſilii Bacabaſum, præſente ſtatu contentus, rem prodidit Artaxerxi, ut pater ejus occiſus eſſet, ut frater falsâ parricidii ſuſpicione oppreſſus, ut denique ipſi pararentur inſidiæ; quibus cognitis, Artaxerxem, veritum numerum filiorum *Artabani*, in poſterum diem paratum eſſe exercitum armatum juſſiſſe, ſe recogniturum & numerum militum, & in armis induſtriam ſingulorum. Itaque cùm inter cæteros ipſe *Artabanus* armatus aſſiſteret, Regem ſimulâſſe ſe breviorem loricam habere, juſſiſſeque *Artabanum* ſecum commutare, quem exuentem ſe, ac nudatum, gladiô trajeciſſe; tum & filios ejus corripi juſſiſſe. Ab Ariſtotele *l.* 5. *Polit.* *c.* 10. dicitur Ἀρταπάνης. À Cteſia, *Artapanus*. Item *Artabanus*, Parthorum Rex, ex Arſacidarum genere, inimicus Tiberii Cæſaris, Armeniam invaſit; quem Artaxerxes Perſa ejus miles interfecit, regnumque Perſis reſtituit an. ab ultimo Dario 538. Regeſque deinceps Perſarum, non Parthorum dicti ſunt. Vide infrà.

ARTABANUS I. poſt nepotem Phraatem II. Rex Parthorum. In bello contra Thogarienſes vulneratus, obiit. Juſtin. *l.* 42. *c.* 2. ſucceſſore Mithridate II. ſeu Magnô, quem vide.

ARTABANUS II. Medorum primò, vel Ducorum, *Tacit.* dein Parthorum Rex, Vonone, à quo bis victus, tandem ſuperatô, thronum occupavit, pluribus Arſacidarum, à quibus ipſemet oriundus erat, interfectis. Spretâ Tiberii ſenectute Armeniam rapuit, Arſace vel Orode filiô ſuô Rege illi impoſitô, petiitque à Romanis theſauros à Vonone in Cilicia & Syria relictos. Sed a Vitellio victus, Armeniâ ceſſit, æmulis Regni ſe oppoſiturus. Tandem regnô tantum non pulſus, & à ſubditis paulò poſt reſtitutus, obiit A. C. 48. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 18 *c.* 4. 6. & ſeqq. Tacit. *Annal. l.* 6. *c.* 31. & 36. In ejus locum Tiberii miſſu ſuffectus eſt Phraates IV. dein Tiridates; quô pulſô Gotarzes frater ſucceſſit.

ARTABANUS III. Vologeſis I. fil. Pſeudo Neroni contra Veſpaſianum favit. Genebrard. *Chron.* Eum excepit Pacorus II.

ARTABANUS IV. & ultimus Parthorum Rex poſt fratrem Vologeſem III. perpetuô cum Romanis, inprimis cum Ant. Caracalla, bellô implicitus, qui filiæ Artabani nuptias ſe ambire ſimulans, vitæ ejus inſidias ſtruxit. Ab Artaxerxe poſtea, qui gregarius primùm miles erat, tribus præliis victus, vitæ, regno, & Arſacidarum ſtirpi finem fecit, ſicque Parthorum regnum, quod ab Arſace, *A. M.* 3808. initium ſumſerat, ad Perſas tranſlatum eſt, A. C. 230. Dion. *l.* 77. & 78. Herodian. *l.* 3. *c.* 9. *l.* 4. *c.* 11. *l.* 6. *c.* 2. Agathias *l.* 2.

ARTABASSES, apud Flav. Vopiſc. in *Probo*, *c.* 4. *Credimus etiam auxiliaribus Gallis, cum ea Perſarum manu, quam nobis Artabaſſes Syrus mancipavit.* Ubi Palatin. habet *Artabaſſu Syrus*. Græc. Ἀρταβάσσης eſt, ſic enim ſcribebant. Ita *Lyriſtes* apud Sidonium Apollin.

Alcæi melior lyriſta ipſo.

h. e. λυριστής, perperam vulgò *lyriſtes*. Et in *Epigrammat.* vet.

Hunc ludum inventor nutrimen Palamedis amavit,

pro Παλαμήδης. Salmaſ. *ad d. l.*

ARTABASTES, Armenorum Rex, cujus ad Saporem Epiſtola, in *Fragmentis Vitæ Valerianorum*, quam in antiquo exemplari Palatino ſcriptam, *Notis ſuis ad Trebell. Poll. in Valeriano Patre & Filio*, *c.* 2. inſeruit Salmaſ. ita habet: *In partem gloriæ venio: ſed vereor, ne non tam viceris, quam bella ſeveris. Valerianum & filius repetit, & nepos, & Duces Romani, & omnis Gallia, & omnis Africa, & omnis Hiſpania, & omnis Italia, & omnes gentes, quæ ſunt in Illyrico; atque in Oriente, & in Ponto, quæ cum Romanis conſentiunt, aut Romanorum ſunt. Unum ergo ſenem cepiſti, & omnes gentes orbis terrarum infeſtiſſimas tibi feciſti: fortaſſis & nobis, qui auxilia miſimus, qui vicini ſumus, qui ſemper vobis inter vos pugnantibus laboramus.*

ARTABATITÆ, Æthiopes quadrupedum ferarum modô vagi. Plin. *l.* 6. *c.* 30.

ARTABAZANES, fil. Darii I. major natu, à Regno excluſus, quòd patre adhuc privatô, Xerxes verò, illô jam Rege, ex Atoſſa Cyri fil. natus eſſet. Herodot. *Muſâ* 7.

ARTABAZUS, fil. Pharnacis, unus ex Ducibus Xerxis, qui re à Mardonio infeliciter adverſus Græcos geſtâ, cum paucis ſuorum aufugit. Herodot. *l.* 9. Alii *Artabazum* vocant.

ARTABAZUS, Artaxerxis Prætor, adverſus Datamen, irrupit in Cappadociam; & quamvis ſocer Datamis Mithrobarzanes ad eum cum omni Equitatu transfugerit, victus tamen eſt. Diodor. Sic. *l.* 15. *ſ.* 505.

ARTABAZUS, Darii III. ſeu ultimi, amicus ſingularis. Qu. Curt. *l.* 5. *c.* 9. Se cum 9 filiis comitantibus Alexandro dedit, poſt interitum Darii. Idem *l.* 6. *c.* 5. Vide Diodor. Sic. *l.* 16.

ARTABIS, fluv. Græcè Ἀρταβις, apud Marcianum Heracleotam in *Periplo* Gedroſiæ, perperam pro *Arbis*, quod vide.

ARTABRI, Luſitaniæ populi qui & *Arotrebæ*, ab Artabro Hiſpan. in Gallæcia vicino promontorio, quod *Nerium Strab.* ac *Ptol.* hodiè *capo de ſinis Terre*, *Capo de Mongia Pedro Medina* dicitur. *Cap de Finiſterre* ſeu *Finiterre*, Gall. Artabrorum autem portus fuit, ubi nunc *Muros*, oppid. Gallæciæ, ad oſtium Tamaræ fluv. *Sanſon.* Sil. Ital. *l.* 3. *v.* 362.

Jamque Ebuſus Phariuſſa movet, movet Artabrus arma.

ARTACA, ſeu ARTACE, Cyzici inſul. mons arboribus plenus, ante quem jacet parva inſul. ejuſdem nominis, Strabo. *l.* 12. Item Mileſiorum colonia in Aſia, quam *Steph.* Phrygiæ civitatem facit: Plin. *l.* 5. *c.* 32. portum, *Ptol.* villam vocat. Item caſtellum Bithyniæ. *Ptol.*

ARTACÆNA, vetuſtius exemplar habet *Artacana*, apud Curtium *l.* 6. *c.* 6. Aſiæ urbs circa Ariæ regionem. *Artacoana* eſt apud Arrian. *l.* 3. *Chortacana* apud Diodor. Sic. *l.* 17. parte poſteriore. Hanc quoque Plin. *l.* 6. *c.* 23. agnoſcit. An *Artocoabis* Ptolemæi? *Nic. Lloydius.*

ARTACÆAS, Dux in exercitu Xerxis. Herodot. *l.* 7. Hic totius exercitûs, unô Rege exceptô, proceriſſimus fuit; quippe qui ad ſtaturam 5. cubitorum (quatuor tantùm digitorum deerat altitudo) pervenit.

AR-

ARTACÆOS, inſul. in Propontide, cum oppid. ejuſdem nominis. Plin. *l.* 5 *c.* 32.

ARTACANA, Bactrianæ regionis oppid. Qu. Curt. *l.* 6. *c.* 6. alii legunt *Artcana*. Vide *Artacaena*.

ARTACE, Græcè Ἀρτάκη, circa Cyzicum urbs, de qua vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 880. Hinc Ἀρτακηνὴ regio, *Artacene*, apud Strabonem, *l.* 16. Vide *Artacena*.

ARTACENA, Regio Aſſyriæ circa Arbelam, ubi Darium Alexander ſuperavit. Strab. *l.* 16.

ARTACI, Thraciæ populi. *Steph.*

ARTACIA, fons apud Læſtrygones. Tibullus, *ad Meſſalam l.* 4. *Epigr.* 1. *v.* 59. ubi de Ulyſſe:

> *Incultos adiit Læſtrygonas, Antiphatenque*
> *Nobilis Artacie gelidas quos irrigat unda.*

Homerus Od. 10. *v.* 107.

> Ἡ μὲν ἄρ' ἐς κρήνην κατεβήσετο καλλιρέεθρον
> Ἀρτακίην, ἔνθεν γὰρ ὕδωρ προτὶ ἄστυ φέρεσκον.

Nic. Lloydius.

ARTACINA, Cretæ urbs. *Ptol.*

ARTACOANA, oppid. Arianæ regionis, apud Plin. *l.* 6. *c.* 23. *Ptol.* in Aſia ponit, & illud ſexcentis ſtadiis ab Alexandria Ariorum diſtare refert. Nempe Plin. *Arios* hic cum *Arianis* eoſdem facit, cum alii diſtinguantur. Ariani enim Indis vicini ſunt, quod de *Ariis* propriè lumtis dici non poteſt, utpote qui habeant ab Oriente Paropamiſadas. Græcè Ἀρτακόανα, pro quo corruptè Ἀρτακάβανα legitur, apud *Ptol.* Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 796.

ARTÆA, regio Perſica. Populi *Artæi*, vel *Arteata*.

ARTÆI, vide *Artaxerxes*.

ARTÆI Murus, oppid. juxta Rhyndacum fluv. *Steph.*

ARTAGERAS, ſeu ARTAGERA, Armeniæ majoris urbs. *Strabo.*

ARTAGERSES, Dux Caduſiorum, quem Cyrus interfecit. *Plut.*

ARTAGIGARTA, Armeniæ majoris oppid. *Ptol.*

ARTAGIRA, Libyæ interioris urbs. *Ptol.*

ARTAMIS, Pentapoleos Africæ regionis urbs. *Ptol.*

ARTANE, apud Arrianum in *Periplo*, ubi Boſpori fauces ponit ad ſacrum Jovis Urii, dein Rhebam, dein Melænam ponit promontor. mox *Artanen*, dein Pſilin, poſteà Calpes portum, & inde Rhoën, & Chelas & Sangarium fluv. manſio eſt, à fluvio Ἀρτάνῃ nomen adepta; ut pleraque in illa ora oppida & portus nomen à fluviis Pontum intrantibus, accepêre. Vide eundem *ibid* p. 180.

ARTANES, Sophenus Rex à Zadriade, uno ex Ducibus Antiochi M. ortum trahens, Armeniæ auſtrales partes tenuit, & à Tigrane reliquarum partium Rege deletus eſt. Strabo *l.* 11. Item fluv. in Iſtrum fluens. Herodot. *l.* 4. & Colchidis fluv. *Arriano*.

ARTANISSA, Iberiæ Aſiaticæ oppid. *Ptol.*

ARTAPANUS, ſcrit librum de Judæis, in quo quædam de Moiſe prodidit, quæ refert Clemens, *l.* 1. *Strom.* In Chronico Alexandrino, *Artabanus* vocatur.

ARTAPHERNES, unus ex Ducibus Darii, primus Sardium Præfectus, apud Marathonem debellatus. Herodot. *l.* 7. *Æſchylus* dictum ait, quod Φρενὸς ἴχοι ἡγέτην, inepte.

ARTASYRAS, Perſicus aulicus miniſter, ſub Smerdi Mago, conſcius conjurationis ſeptem ſecundum *Cteſiam*.

ARTATUS, Illyriæ amnis. Liv. *l.* 43. *c.* 19. hodie *Fiume della ſpina*.

ARTAVASDES, ſeu ARTUASDES, Tigranis fil. Armeniæ majoris Rex eruditiſſimus fuit, qui non modò Tragœdias ſcripſit, verum etiam Orationes, atque hiſtorias commentatus eſt. Craſſum, in bello contra Parthos, juvit, floruitque quàm diu Romanorum amicitiam coluit. Quum autem Antonium Parthis prodidiſſet, in bello contra eos ſuſcepto, Antonius eum & legationibus & promiſſis eò deduxit, ut in caſtra ad ſe veniret, ubi ſtatim comprehenſus fuit, & Armeniâ, Rege abſente, ſubjugatâ, ipſe Rex Alexandriam in Ægypto abreptus, & in triampho per urbem deductus, catenis aureis vinctus, habituſque aliquandiu per in cuſtodia, bellô tandem Actiacô glíſcente, interfectus eſt. Strabo *l.* 11. Appian. *in Parth.* & Plut. *in Craſſo*. Tiberius Armeniæ regnum, alteri cuidam Artavaſdo dedit, qui paulò poſt pulſus. Et Auguſtus idem jam antea Artabano fil. Agrippæ, ſed ſimiliter inde mox pulſo tradiderat. Tacit. *Annal. l.* 2. *c.* 3.

ARTAVASDUS, Leonis Iſaurici gener, cùm Conſtantinus Copronymus, affinis illius, contra Saracenos in Aſiam moviſſet, imperium invaſit, imagines Conſtantinopoli reſtituit, ut populum ſibi reconciliaret. & liberos Conſtantini captos in vinculis habuit, tandem verò à Copronymo ex Aſia reduce, captâ Conſtantinopoli, A. C. 743. victus, ab urbe à plebe pulſus eſt, & unà cùm duobus filiis ſuis excæcatus, Pſeudopatriarchâ Anaſtaſiô, à quo coronatus erat, in aſino per urbem circumductô: Cedrenus, Theophanes, *Hiſt. miſc.* *Zonaras*.

ARTAUNUM, urbs Germaniæ *Ptol.* hodie Herbipolis, vulgò *Wirtzburg*, h. e. *Civitas herbarum*. Quibuſdam ſunt oppid. Mattiacorum, fortè ubi nunc *Ortenberg*, oppidul. Veteraviorum & Comitat. Iſenburgici, ferè inter Francofurtum ad Mœnum & Fuldam.

ARTAXA, vel ARTAXIAS, Dux militiæ Antiochi Magni, quô à Romanis devictô, Armeniæ regnum tenuit, à quo Tigranes originem traxit. Strabo *l.* 11.

ARTAXATA, plural. numer. *Artaxia*, Tacito, *l.* 2. *Annal. c.* 56. *Artaxiaſata Straboni*, urbs Armeniæ majoris munitiſſima, ad Araxem fluv. hodie *Teflis*, *Paulo Jovio Chars* poni videtur, ſed iſta in Armeniæ, at Mediæ urbs eſt. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 170.

> *Sic prætextatos referunt Artaxata mores.*

Longitud. 78. 00. latitud. 42. 40. Eſt nunc in Georgiæ regno, ſub Turcis, olim perampla, & Romanorum Hiſtoriis celebris, nunc paucos habet incolas. Item urbs Cappadociæ, inter Cæſaream 24. & Comanam 42. mill. paſſ. *Antonin.*

ARTAXERXES, I. *Longimani* cognomine, fil Xerxis: Artabanum occidit, vide *ibi*. Avunculum ſuum Achæmenem contra Ægyptum miſit, qui auxilium ab Athenienſibus petierunt, hinc bellum illud diuturnum inter Perſas & Græcos. Nehemias, pincerna ejus, veniam reædificandi Hieroſolymam impetravit; miſit quoque eò Eſdram Sacerdotem, qui populum inſtrueret. Obiit A M. 3629. Urb. Cond. 319. Regni 40. *Eſdr.* 11 Thucyd. *l.* 1. Diodor. Sic. *l.* 11. & 12. Juſtin *l.* 3. Scaliger. *de Emend. Tempor. l.* 5. Ei ſucceſſit fil. Xerxes II. de quo infrà.

ARTAXERXES, II. cognomine *Mnemon*, Darii II. ſeu Nothi fil. Longimani gener, Cyro fratri juniori coronæ ſuæ & vitæ inſidianti, in gratiam matris, pepercit. mox illum, impetratâ veniâ inſolentiorem, prælio vicit. Domeſticis inter matrem & Statyram uxorem, quæ ab illa venenô tandem ſublata, diſſidiis, rebellioni inſuper fil Darii, quem hæredem Imperii propterea necare coactus eſt, infelix. Cæterum Græcos per Duces bellô aggreſſus multa geſſit, &c. Celebre in Hiſtoriis nomen. Obiit A. M. 3689. Urb. Cond. 389. Regni 40. Diodor. *Sic. l.* 15. &c. Huic 15. filios ex pellicibus variis fuiſſe, Juſtinus auctor eſt *l.* 10. *c.* 1. Vide Plut. *in ejus Vita*. Cujuſmodi fuerit ingeniô, matris ejus, cui Paryſatis fuit nomen, oratio indicat, quam *Plut* ſcribit, allocuturos ipſum juſſiſſe byſſinis, ac mollibus verbis uti, Græcè βυσσίνοις χρῆσθαι ῥήμασι. Plut. *in Apophth. Imp.* qui & hoc de Artaxerxe retulit, *l. de valet. tuenda*, quod, cùm in fuga, rebus omnibus ſibi bellô infelici ereptis, ficubus ſiccis, & pane hordeaceô veſci coactus fuiſſet, exclamarit, οἵας ἡδονῆς ἄπειρος ἦν. Ei ſucceſſit fil. Artaxerxes III. ſeu Ochus, de quo mox.

ARTAXERXES, III. dictus *Ochus*, Mnemoni patri ſucceſſit. Fratres, quorum 80. Curt. *l.* 10. *c.* 5. cognatoſque occidit, Artabazi conſpirationem diſcuſſit, Ægyptum occiſô Nectenabanô recuperavit, & Sidone deletâ, Syriam horrendum in modum vaſtavit. Sub eo creditur templum Hieroſolym à Bagoa profanatum, & tributum 50. drachmarum, in quemlibet agnum, qui Deo offerretur, impoſitum. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 11. *c.* 7. A quo tandem & ipſe venenô necatur, obiit A. M. 3715. regni 26. *Euſeb. Beda*, *Ado*, Diodor. Sic. *l.* 16. & 17. Jornandes, *de reg. ſucc.* Eum excepit fil. Arſes, de quo ſuprà.

ARTAXERXES, vel ARTAXARES I. gregarius miles è Perſia, occiſô Parthorum ultimô Rege Artabanô IV. Vide *ibi*, regno Perſarum, quod in Dario ſinierat, denuo ortum dedit. A. C. 228. Ab Alexandro Severo, à quo Syriam aliaſque Aſiæ provincias repetebat, victus, in Perſiam ſe recepit. Lamprid. *c.* 55. 56 contrarium aſſerente Herodianô, *l.* 6. Obiit A. C. 242. regni 15. Oroſ. *l.* 3. *c.* 7 Niceph. *Hiſt. Eccl. l* 1. *c.* 6. Agathias, *de bello Perſ.* Spartian. *in Alexandro*. Ei ſucceſſit Sapores I. Etymon & ſignificationem quod attinet, Ἀρτα apud *Heſych.* μέγας καὶ λαμπρὸς dicitur. Idem Ἀρταῖοι, βασιλεῖς, καὶ ἥρωες. Herodot. *l.* 6. Ξέρξης ἀρήϊος, Ἀρταξέρξης, μέγας ἀρήϊος. Lamprid. *in Severo*, *loc. cit.* *Artaxerxem potentiſſimum Regem tam re, quam nomine*, vocat. Amm. Marcellin. *l.* 19 *Bellorum victor* interpretatur. *Heſychius*, Ἀρταῖοι, οἱ ἥρωες παρὰ Πέρσαις. Stephanus, in Ἀρταία: Ἀρταίους δὲ Πέρσας ὥσπερ οἱ Ἕλληνες τοὺς παλαιοὺς ἀνθρώπους καλοῦσι.

ARTAXERXES II. ſucceſſit fratri Sapori II. crudelis, regnavit an. 11. ſucceſſore filiô Sapore IV. Vide Agathiam *l.* 4. & infrà voce *Sapores*.

ARTAXIAS, Artavaſdis fil. Armeniorum Rex, memoriâ patris fallacibus Antonii literis ſubverſi, Romanis infenſus, Arſacidarum vi ſeque regnumque tutatus eſt. Poſteà per propinquorum dolum occiſus eſt; cenſente Tacitô. *l.* 6. *Annal. c.* 31. Sed Joſephus à Tiberio & Archelao pulſum fuiſſe autumat. Horatius *l.* 1. *Ep.* 12. *v.* 26. *ad Iccium*, Neroni gloriam tribuere videtur non pulſi ſolùm, ſed etiam occiſi:

> ---- ---- *Claudî virtute Neronis*
> *Armenius cecidit.* ---- ----

ARTAXIAS, Dux Antiochi Magni, unà cum Thariade ejuſdem Regis alio Duce, Armeniam Majorem quum antea brevioribus terminis circumſcriberetur, ampliavit, & Regnum ejus poſteà uſurpavit. Iidem ex regionibus vicinis ad ſuam ditionem multa adjunxêre, quæ finitimis populis ademerant, Medis, Iberis, Chalybibus, Cataonibus, Syris; uti videre eſt apud Strabonem *l.* 11.

ARTAXIAS, vide *Zeno*.

ARTAYCTES, Perſa, Seſti præfectus ſub Xerxe, qui, cùm multa nefariè perpetraſſet, tandem à Xantippo, Athenienſium Duce, captus vivus palo ſuffixus eſt. Herodot. *l.* 6.

ARTEATÆ, Perſica gens. Steph. *in* Ἀρταία.

ARTEMAS, nomen viri. Titum *c.* 3. *v.* 12.

ARTEMBARES, vir clarus apud Medos. *Herodot.*

ARTEMIDIS Ara, vide *Zela*.

ARTEMIDORUS, Epheſius, qui, ut Marcianus Heracleota *in Periplo* teſtatur, vixit, κατὰ τὴν ρξθʹ Ὀλυμπιάδα, h. e. Olymp. 169 quô tempore Ptolemæô Lathyrô ex Ægypto pulſô, mater ejus Cleopatra regnabat cum juniore filio Alexandro; qui totus erat in matris poteſtate. Terras deſcripſit *libris* 11. ut *ibidem* ait Marcianus. Ejus operis *l.* 8. meminit. Diodor. Sic. *l.* 3. Decimum τῶν γεωγραφουμένων citat Athen. *l.* 8. Steph. in Χαλδαῖοι laudat librum 11. ut alibi *l.* 1. 2. 3. Item ἐπιτομὴν τῶν ἕνδεκα. Nec alius eſt *Artemidorus*, cujus ſæpe meminit Strabo *l.* 3. etſi patriam non addit: uti *l.* 15. ubi *Artemidorum* in iis citat, quæ ad res Indicas pertinent Ac idem videtur, cujus de Bithynia volumen, laudat Steph. *in* Ἀπαμεία; ſæpeque à Plinio memoratur, *in Hiſt. Nat.* Præter γεωγραφούμενα etiam lucis mandavit Ἰωνικὰ ὑπομνήματα, quorum meminit Athen *l.* 1.

Fuit

Fuit & alter *Artemidorus*, itidem Epheſius, ſi paternum ſolum attendas, uti convenit; maternò enim genere Daldianus fuit. Is eſt, cujus Ὀνειροκριτικὰ extant, opus vaniſſimum, ſed eruditum, ut multa inde bona Philologi haurire poſſint. Vixit Antonini Pii temporibus, ut cognoſcere eſt, ex *l.* 1. *c.* 28. *&* 66. Fuit præterea *Artemidorus* Cnidius, Theopompi Cnidii fil. quos ſuâ ætate, h. e. Auguſti ac Tiberii temporibus, vixiſſe, Strabo ait *l.* 14. ubi illuſtres ejus inſulæ viros recenſet. Eſt & *Artemidorus* Ariſtophanius, ſic dictus, quia Ariſtophanis Byzantii diſcipulus fuerat. Hic præter gloſſas ὀψαρτυτικὰς, h. e. *rei culinariæ*, ſive *artis opſonia condiendi*, etiam volumen *de Doride* ſcripſit. Prioris operis meminit Athen. *l.* 10. *&* 14. Poſterioris *l.* 4. ubi ſecundum ejus operis citat. Hunc nonnulli cum Artemidoro Aſcalonita, Bithynicæ Hiſtoriæ conditore confundunt. *Artemidorus* quoque Grammaticus inter illuſtres viros, quos Tarſos dedit, repoſitus à Strabone, *l.* 14. Etiam *Artemidorus* Philoſophus, Trajani tempore, fuit; cujus elogium apud Plin. eſt *l.* 3. *Ep.* 11. *ad Julium Genitorem.* Sed omnes ejus nominis recenſere longum eſſet, Voſſ. *l.* 1. *de Hiſt. Græc. c.* 20. 22. Porrò *Artemidorus* Cnidius, Romæ Græcas literas docuit, Bruti familiaris, qui libellum *de Conjuratione* obtulit Cæſari, extremô die ingredienti in ſenatum, ut ſtatim legeret, quod ille minimè fecit. *Plut. Nic. Lloydius.*

ARTEMIS, Diana, ſive Luna ab eo quòd aërem ſecet, quaſi ἀεροτόμος, ſive (Strabo *l.* 14.) ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέας ποιεῖν, quod integros partus reddat, nam parturientibus præeſt.

ARTEMISIA, Lygdami filia, paternum genus ex Halicarnaſſo, maternum à Creta deducens, Halicarnaſſeorum, Coorum, Niſyriorum, & Calydniorum Regina, an Mauſoli uxor, cui mortuo Mauſoleum ſtruxit, inter 7. mundi miracula repoſitum, cujus deſcriptionem habes, apud Plin. *l.* 36. *c.* 5. & A. Gell. *l.* 10. *c.* 18. qui addit, illam cineres mariti poculis inſperſiſſe, præmiumque propoſuiſſe illis, qui, in eo laudando, viciſſet. Quod Theopompus, qui in Cariam, cum Theodecte, Naucrite & Iſocrate venerat, reportavit. Virilis audaciæ fœmina, in auxilium Xerxi contra Græcos venit, adeoque ſtrenuè ſe geſſit, ut Xerxes diceret, *Viri quidem extiterunt feminæ, feminæ autem viri.* Hanc Amineus Pallenæus Atticæ navis trierarchus inſecutus eſt, non prius deſiturus, quàm aut illam cepiſſet, aut ipſe captus eſſet; quippe trierarchis Athenienſium præceptum erat, ut eam caperent, propoſitumque præmium 10000. drachmarum ei qui vivam cepiſſet. Indignè enim ferebant, mulierem adversùs Athenas militare. At illa prudentiâ ſuâ evaſit. Herodot. *Musâ* 7. Juſtin. *l.* 2. *c.* 12. *Suidas.* Moret. *in Dict.*

ARTEMISIA, alia filia Hecatomni, Mauſoli, Cariæ Regis ſoror & uxor, inſigni pudicitiâ prædita; viri demortui cineres vino commiſtos ebibit, ad funus quoque ornandum primos Græciæ oratores accerſivit, eique ſplendidum erexit ſepulchrum, ut magnifica omnia monumenta *Mauſolea* deinceps ab illius nomine fuerint appellata. Vitruv. *l.* 2. *c.* 8. Gellius, *loc. cit. Suidas*, &c. Vide ſupra.

ARTEMISIA, ſive ARTEMITA, inſul. Tyrrhenica, Latinis *Dianium*, vulgò *Gianuti. Stephanus Brevianus.* Ἀρτεμισία, νῆσος Τυῤῥηνικὴ περὶ τῶν θαλάσσῃ οὔσα, ὡς Φίλων. Scribe πρὸς τῇ Αἰθαλίᾳ. Imperito exſcriptori ſiquidem notius erat nomen unius Muſarum. *Cluver.*

ARTEMISIA, Dianæ feſtum eſſe ait Pollux *l.* 1. *c.* 1. Præcipuè celebrârunt Cyrenæi. Athen. *l.* 12. Ἀρτεμίσια μεγάλα ἐν Κυρήνῃ ἱερά.

ARTEMISIA Herba, *Βουβάστιον καρδία*, *cor Bubaſtis*, Ægyptiis dicitur, apud Appulejum *Herbar. c.* 10. i. e. herba Dianæ chara, quod & Græcum nomen præ ſe fert. *Bubaſtin* autem eandem Dianam vocârunt, quia in Hiſtoria Gigantomachiæ, cùm Dii, Gigantum metu in Ægyptum fugâ arreptâ, in varias formas ſe mutaviſſent. Diana in felem, Ægyptiis *Bubaſtin* dictam, converſa, latuiſſe dicitur. Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 327.

> *Duxque gregis, dixit, fit Jupiter, unde recurvis*
> *Nunc quoque formatus Libys eſt cum cornibus Hammon:*
> *Delius in corvo, proles Semeleia capro,*
> *Fele ſoror Phœbi, niveâ Saturnia vaccâ,*
> *Piſce Venus latuit*, &c.

Vide Bochart. *Hierozoici Part. poſter. l.* 1. *c.* 20.

ARTEMISIUM, promontor. Eubœæ, cujus meminerunt Demoſth. *pro Cteſiphonte. Suidas.* Item lacus prope Ariciam, Dianæ ſacer, quaſi *Dianium* dictus Latini *Nemorenſe* dixerunt, unde & *Nemorenſis Rex* Suetonio in Calig. *c.* 35. i. e. Sacerdos ejus regionis. Eſt & urbs Oenotrorum in mediterraneis. Item Eubœæ civitas.

ARTEMISIUM, promontor. eſt Hiſpaniæ Tarraconenſis inter ſinus Illicitanum & Sucronenſem, quod Dianium Hemeroſcopium & Ferraria dictum fuit. Nunc *Capo Martin* Hollandis aliiſque, & ejus pars etiam *Punta del Emperador* dicitur. In regno Valentino. *Baudrand.*

ARTEMISIUS, mons Arcadiæ, in quo *Artemiſia.* Plin. *l.* 4. *c.* 6. Apud Macedones Majum menſem ſignificat. *Suidas.*

ARTEMITA, civitas 500. ſtad. à Seleucia diſtans, ad orientem expoſita. Strabo *l.* 15. Item inſul. contra Acheloi fluv. oſtium, *Artemita Straboni.* Fortè *Artemiſia* Plinii *l.* 3. *c.* 6. eſt. Item inſul. τῆς Ὠκεανοῦ νῆσος *Steph.* Aliis eſt *Van*, urbs permunita, ſub Turcis, non longè ab Arſiſſa lacu in Auſtrum. Cujus incolæ ex parte Chriſtiani ſunt. Etiam *Arthemita*, *Baudrand.*

ARTEMITIUM, urbs Oenotrorum, quæ & *Artemiſium.*

ARTEMIUS, Præfectus carceris Romæ, unà cum uxore Candida, & filia Paulina, Martyres ſub Adriano Imperatore.

ARTEMIUS, in Sicilia Imperator proclamatus, contra Leonem Iſauricum, à quo captus & ad vivicomburium condemnatus eſt. A. C. 718. Vide etiam, *Anaſtaſius* 2. *Imper.*

ARTEMON, Hiſtoricus, qui indigitatur à Schol. Pindari, *in Pyth. Od.* 1. Patriâ Pergamenum fuiſſe colligit Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 335. ex ejuſdem Scholiaſtæ verbis *in Olymp.* 2. Ἀρτέμων ὁ Περγαμηνός. Fuit alter *Artemo*, patriâ Clazomenius, cujus mentio apud Servium, *in illud Æn. l.* 9. *v.* 505.

> *Accelerant acta pariter teſtudine Volſci.*

Inventor, inquit, *teſtudinis Artemon Clazomenius fertur*, *idemque arietis reperter dicitur.* In Sami obſidione, Periclis comes. Hic de Homero librum ſcripſit, teſte Suidâ, *in* Ἀρτέμων. Ælianus ejuſdem librum citat, *de urbibus Clazomeniorum*, *de Anim. l.* 12. *c.* 38. At putatur diverſus ab utroque ille *Artemo*, qui, ut Plin. ſcribit. *l.* 28 *c.* 1. *Calvariâ interfecti, neque termans propinavit aquam è fonte noctiu comitialibus morbis.* Videtur is Medicus fuiſſe. Alius quoque forſan, qui Caſſandreus dicitur. Quid is literis mandârit, docet Athen. *l.* 12. ubi eum citat, ἐν τῷ περὶ ἀναγωγῆς βιβλίων, i. e. *in opere, quo ad auctores genuinos referantur libri.* Etiam Ἀρτέμων ἐν τῷ περὶ ζωγράφων Harpocrationi laudatur, *in* Πολύγνωτος. Item pictor nobilis, cujus opera enumerat, Plin. *l.* 35. *c.* 11. Item Syrus quidam, ex infima plebe Antiocho Regi adeo ſimilis, ut Laodice conjux regia, necatô Antiochô, mimum per eum commendationis; regnique ſucceſſionis peregerit; verba ſunt Plin. *l.* 7. *c.* 12. ubi nonnulli *Artemonem* legunt pro *mimum*; ſed nihil mutandum. Nam, ut ſcribit Val. Max. *l.* 9. *c.* 14. Laodice admiſſum univerſum populum, & ſermone ejus, & vultu conſimili ita feſellit, ut crediderint homines, ab Antiocho morientem, Laodicem, & natos ejus ſibi commendari. Item faber quidam apud Athenæum, qui è paupere dives, voluptuariam vitam agere cœpit, & *Circumductitius* dicebatur. Vide Schol. *in Ariſtoph. Acharnen.*

ARTEMON, Hæreticus, Jeſum Chriſtum, divinitate ejus negatâ, non multò ſuperiorem Prophetis eſſe dixit. Sectatores ejus, Theodoſiani ſe junxerunt. Euſeb. *Hiſt. l.* 5. *c.* 26. 27. Baron. *A. C.* 196

ARTEMONA, Platoni mulier quædam ab ἀρτέμων perſcito, quòd perficeret quæ vellet, quòd eſſet egregiè dotata. Malum ab ἀρτέμων velum nauticum. *Nic. Lloydius.*

ARTENA, urbs Italiæ à Romanis capta. Liv. *l.* 4. *c. ult.* Volſcorum oppidum vocat.

ARTES Liberales, vide infrà *Liberales.*

ARTES Manuariæ Sellulariæque, vide infrà vocibus *Manuaria*, *Opifices*, *Sellulari.*

ARTESIA, Comitatus Galliæ Belgicæ; ſedes eorum populorum, qui, *Cæſari*, *Atrebates* dicti ſunt: nomen *Arteſiæ* recens eſt à voce *Atras*, qua nunc Metropolis hujus regionis nuncupatur, quaſi *Artateſia*, per ſyncopen extritâ ſyllabâ formatum, vulgò *Artois.* Regio, olim à Cæſare cum reliquis Belgicæ Galliæque populis adjecta eſt. A temporibus Caroli M. ſubfuit regno Auſtraſiæ, conceſſaque eſt dotis locò, à Carolo Calvo, Juditha filiæ, quæ nupſit Balduino I. Flandriæ Comiti. Dein à Philippo Auguſto in Comitatum erecta, hujus filio Ludovico ceſſit, à quo pervenit ad Robertum, fratrem Ludovici IX. Ita à Flandria avulſa fuit, atque ad Ludovicum *de Male*, qui Margaretæ Franciæ, matri ſuæ, ſucceſſit. Poſt mortem Caroli Burgundiæ Ducis, illam Ludovicus XI. vindicavit. Dein beneficiò pacis inter Carolum V. Imperatorem ac Franciſcum primum Franciæ Regem, victum captumque A. C. 1529. initæ una cum Flandria & Tornaco, Hiſpanici juris facta eſt. Nunc iterum ferè tota ſub dominio Francorum, pace ad Pyrenæos, Anno 1660. initâ. Fines ejus nunc ſunt, verſus Orientem partim Flandria Gallica, partim Cameraci territorium: ab occaſu Picardia eſt, ut & à meridie: ex adverſa parte, Lizâ flumine, foſſâque, quam novam vocant, à Flandris ſeparatur. *Merl.* &c. Vide *Atrebates.*

ARTEVILLA Jacobus, vide *Jacobus.*

ARTHABATICÆ, populi ferarum inſtar vagantes. Plin. *l.* 6. *c.* 30 Solin. *c.* 31.

ARTHESIUM, regio inter Hannoniam, Flandriam & Picardiam, igne, ferròque ab Anglis vaſtata, A. C. 1346. Carolò ſeptimò apud Francos regnante. Vide *Arteſia.*

ARTHURUS, Britanniæ Dux. Cambdeno dici videtur ab *Arcturo* ſtella, quæ ſenſu *Urſinus* & *Urſinianus* dictus apud Romanos. Apud Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 29. *Artorius* eſt nomen viliſſimi hominis, qui ad magnas opes pervenerat.

> ------- *Vivant Artorius iſte*
> *Et Catulus.*

Idem *ibidem v.* 212.

> *Si magna Arturi cecidit domus, horrida mater,*
> *Pullati proceres, differt vadimonia Prætor.*

Nic. Lloydius.

ARTHUS, vide *Artus.*

ARTIACA, Galliæ urbs, *Antonino.* Secundùm alios *Artiaca.* Vulgò *Arcis ſur Aube*: Oppidul. ad Albam, in agro Tricaſſino, Æthicus *Itinerar.* Fregadarius *Chron. l.* 4. *c.* 71. *Arciaca Arcisacum*; in vita S. *Fidolis Arceja Bernardus Arciacenſe* territorium ad Albam commemorat, vicumque in eo Saturniacum ponit, *in Offic. S. Victoris* Alia eſt *Villa Arcia*, in Odorannì Chron. Hæc enim vulgò *Arcey*, Villænovæ Regii proxima eſt ad Icaunam fluv. &c. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ARTICACTUS ſeu ARTICOCTUS, Gallis *Artichaut*, *Scolymus* olim *Calius*, hodie *Carcioffo.* Latinis itidem *Cactus*, ut docet Salmaſ. *ad Tertull. de Pall.* & *Carduus*, κατ' ἐξοχὴν, Græcis κάκτος, ut videre eſt apud Athen. *l.* 2. Unde Columella in *Horto*, *l.* 10.

> *Horrida ponatur Cinara:*

hortenſis & ſativus carduus eſt, pomum habens ſive capitulum, ſquamatim compactum, aculeatum & pinea nuci ſimile, quod

natum ſemen [illegible] incluſum gerit; [illegible] hinc *Theophraſto* appellatum. Quâ lanugine detractâ, cum ſemine, quod reliquum eſt, ſimile eſſe dicit *Theophraſtus τῷ ἐγκεφάλῳ φοίνικος, cerebro palmæ*, quoad formam videl. non quoad guſtum, ut *Plinius* putavit, *Dalechamp*, ajens, *pappo tenellique ſeminibus edulis eſt, guſtu qualis eſt cerebrum palmarum*. Vide verba Theophraſti apud Athenæum *l.* 2. Lanuginem certè illam hodieque detrahimus & abjicimus, quam *foinum* vocant Galli, ſed non expectamus, donec in ſemen eat. Pomum itaque edule: ſed & caules detractâ cortice, de quibus idem *Theophraſtus*, [illegible] *Edules ſunt detracto cortice, ſuaviusculi, & muria condiri eodemque ſolent*. Quia nempe ſubamari erant, ſale macerabantur, neque mandebantur priùs quàm ætatem in ſale tuliſſent. Solus qui vocabatur *pternix* [illegible] comedebatur, ac recens, quia hic melior: de quo Plinius, *unum caulem rectum habent, quem vocant pternicam, ejuſdem ſuavitatis, ſed vetuſtatis impatientem*. Fuit autem non plebejus olim hic cibus, imò priſcis, ſicut hodieque noſtris ganeonibus, valde expetitus: Unde ſingulas areas eaſque parvas carduorum apud Carthaginem magnam & Cordubam reddidiſſe quotannis ſeſtertium ſena millia, notat idem *l.* 19. *c.* 8. Quam in rem vide plura, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 227. ut & infra in vocibus, *Cactus* & *Cardum*. Genevæ, paulo ante Reformationem, factionis nomen ab hac herba fuiſſe, narrat Jac. Sponius *Deſcr. Genevæ Part.* 1.

ARTICAUDNA, Ariæ urbs. *Ptol.*

ARTICOCTUS, vide *Articactus*.

ARTICULEJUS Pætus, Conſul tempore Trajani Imperator. Apud Æl. Spartian. in *Hadriano Caſ. c.* 3. *Arunculejus* vocatur: *Quæſturam geſſit* (Adrianus) *Trajano quater &* Arunculejo *Conſulib.* ſed perperam; unde ex Codice Auguſtano ſcribi jubet Salmaſ. *& Articulejo. Vetus lapis*,

M. ULPIO. TRAIANO. AUG. IIII.
SEX. ARTICULEIO. PÆTO.

De cujus nomine S. C. *Articulejanum* eſt appellatum, cujus meminit Marcianus *l.* 51. *ff. de Fideicommiſſariis libertatibus*. Vide quoque Iſaac. Caſaubon. *Not. ad loc. cit.*

ſuper ARTICULOS manus proſterni, leviorum culparum pœna eſt, apud Monachos *Uſus antiqui Ordinis Ciſterc. c.* 68. de Lectore, qui verſum dicit pro alio: *Feſtivis quidem diebus ſuper articulos manuum, privatis verò ſuper genua proſternatur, ponens cucullam ſub manibus, & ſic inclinans revertatur ad ſedem. Similiter ſuper articulos manuum ſatisfaciant omnes in loco, in quo ſunt, quoties fallaciam in Oratorio incurrerint, non divertentes dextrorſum aut ſiniſtrorſum. Pro nota cantus tantùm non ſolemus ſatisfacere*. Sic *Humiliare ſe ſuper genua, vel articulos*, 70. & paulò antè *c.* 75. Vide & *Inſtitutiones* Capituli ejuſdem Ordinis A. C. 1256. *c.* 6. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARTIGIS, Hiſpaniæ civitas. *Ptol.* Hodie *Alhama* dicitur. Longitud. 17.42. latitud. 37.10.

ARTIGRAPHUS, *Servio* qui τεχνογράφος: vox hybrida, ſicut *dextrocherium*, *chryſoclavum*, *pſeudoforum*, &c. ex Græcis Latiniſque nominibus compoſita. Grammaticum autem notat ſeu Artis Grammaticæ (quam ſuprà *Artis* vocabulo undè ſumptū ſæpiùs veteres diximus) Scriptorem; ut videre eſt in Caroli Magni *l.* 2. *de Cultu Imagin. c.* 30. Sic Donatus apud Anonymum in *Vita S. Hieronymi*; Phocas, Niſus & Gratus Grammatici, apud Senatorem *de Orthograph.* Methodius in *l.* 3. *Miraculor. S. Dionyſii in Prologo*, *Artigraphi* dicuntur: Quemadmodum Cledonius Grammaticus nobilis Conſtantinopolit. apud Soſipatrum *de Inſtitut. Grammat.* *Artis Scriptor*. Car. du Freſne in voce *Ars*. Vide quoque infrà *Technici*.

ARTIGULA, inſul. Æthiopiæ, in qua primò viſum eſt animal Sphingion. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

ARTILZARMIN, IV. Medorum Rex, regnavit ann. 50. Megaſthenes.

ARTIMIRIPES, Armeniæ Rex, quem Antonius vicit.

ARTIMPASA, Venus cœleſtis ſic Scythicis dicitur. Herodot. *in Melpomene*, quem locum etiam Origenes adducit, *ſexto contra Celſum*; ſed apud eum perperam aulgò Ἀργίμπασα legitur, pro Ἀρτίμπασα. Nam poſterius hoc comprobatur veter. *Inſcriptione*.

ΑΠΠΑΤΡΙΩΙ ΑΡΤΙΜΠΑΣΑ.

Unicâ nempe ſolùm literâ μ caeſâ. *Heſych.* Ἀτρίμπασα, Οὐρανία Ἀφροδίτη παρὰ Σκύθαις, ubi ι priori loco pro ι. poſteriori verò pro μ. irrepſit. Mr. *Lloydius*.

ARTINES, ſeptimus Medorum Rex, regnavit ann. 22.

ARTISA, apud Plin. *l.* 2. *c.* 103. in quibuſdam codicibus, fons eſt Parſiæ, & quidem in Armenia Majori, quem editiones *Arethuſam* vocant: *Ptolemæus Artiſam*. De quo Solin. *c.* 37. *Inſuetam Arethuſam lacum omnia pondera ſuſtinentem: cujus piſces nunquam ſe alveo Tigridis miſcent, ſicut nec amnici piſces in ſtagnum tranſeunt* Arethuſæ, *per quem diſſimilis colore volucri meat curſu*. Sic ejuſdem indolis cum Aſphaltite lacu & Agrigentino hic lacus fuerit. *Strabo* verò non *Artiſam*, ſed *Thoſpitin* vocat lacum, (*Amm. Marcellin. Soſingitem*, aliâ *Thoſpiten*) cujus alveo Tigris vocatur; prope eum bitumen naſci addens. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 695.

ARTOBRIGA, Vindeliciæ urbs in Germania *Ptol.* Hodie *Veltemburg*, aliis *Altzburg*, & *Regenſpurg*. Nunc vicus *Lebenau* Cluver. ad amnem Juravum intra *Lauffen*, in Salisburgenſi territorio.

ARTOCHMES, unus è Xerxis Ducibus, qui Darii filiam uxorem duxit. Herodot. *l.* 7.

ARTOLICA, quæ & *Arialica*, volgò *la Tuile*, oppid. alias Seguſinorum, nunc vicus ad radices Alpium & montis S. Bernardi minoris in Ducatu Auguſtano, & ſub dominio Ducis Sabaudiæ.

ARTOMICI populi Galliæ Narbonenſis, vide *Arecomici*.

ARTONA, ſeu ARTONENSIS VICUS in Arvernis vetuſtiſſimus, non ignotus olim Hiſtoricis memoratus. Vulgò *Artone*. Gregorio in *l. de gloria Confeſſ.* etiam *Arvernenſis vicus* dicitur.

ARTONTES, Mardonii Regis Thebarum fil. Pauſan. *in Bœoticis*.

ARTOPHORIUM, Græcè ἀρτοφόριον, quaſi *ferens panem*, in *Euchologio*, *Et reponit eum in Artophorio*: Græcis dicitur vas illud, in quo Euchariſticus panis reconditur; aliter iiſdem πυξίδιον, quaſi *pyxis vel formam pyxidis effictum*. Latinis *pyxis* nudè dicitur, vide infrà.

ARTORIUS, Medicus Auguſti, nocte, quæ pugnam, quâ Caſſius & Brutus victi, præceſſerat, in ſomno monitus eſt à Diana, ut Cæſarem ægrum viſeret, eique victoriam polliceretur. Periit paulo poſt naufragio. Val. Max *l.* 1. *c.* 7. *ex.* 1. Lactant. Firm. *l.* 2. *c.* 8. Euſeb. *Chron.* Neander, *in illuſtribus Medicis*, *p.* 77. 78.

ARTOS, Rex Meſſapiorum.

ARTOTYRITÆ, Hæretici, ex Secta Montani ſuppullulantes, quibus oblatio eorum hoc nomen dedit, offerebant enim panem, & caſeum, dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuiſſe celebratas, &c. In Galatia imprimis vigebant. Epiphanius, *hær.* 49. Auguſtin. *hær.* 27. Baron. *A. C.* 173.

ARTURUM expectare, proverbium apud Anglos, quorum credula adeò fuit olim fides, ut *Arturum* Regem denuo regnaturum perſuaſum haberent. Ita etiam Guil. Neubrigenſis *Proœmio ad Hiſtor.* *Sive etiam gratiâ placendi Britonibus, quorum plurimi tam bruti eſſe feruntur, ut adhuc* Arturum *tanquam venturum expectare dicantur, eumque mortuum nec audire patiantur*. Petrus Bleſenſis *Ep.* 57.

Quibus ſi credideris,
Expectare poteris
Arturum *cum Britonibus*.

Vide etiam Nicolaum de Braſaio *Ludovico VIII.* Joſ. Iſcanum *de Excidio Trojano*, Hermannumque Monachum de *Miraculis S. Mariæ Laudun. l.* 2. *c.* 16. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ARTUS vel ARTHUS, M. Britanniæ, poſt Utherum patrem Rex. Vicit Saxonas, ſubegit Scotiam, Hiberniam, omneſque Inſulas vicinas. *Hiſtor. Angl.* Quod addunt de Lucio Duce Rege ab illo victo, magnâ parte Galliæ vaſtatâ, & Ordine equeſtri menſæ rotundæ inſtituto, fabula eſt. Tandem, in prælio, contra Pictos, occiſus dicitur. Vide de illo Proverbium Anglicum, hic ſuprà.

ARTUS, Britanniæ Comes, legitimus hæres Angliæ & Normanniæ, patruô Richardô I. ſine prole mortuô. Sed à fratre juniore Johanne, cognomine *ſine terra*, poſt aliquot prælia, captus & Rotomagum abductus, ibique occiſus eſt. Quod ſcelus cùm mater apud Philippum Aug. eſſet conqueſta, ille Johannem citavit, non comparentem damnavit, illiuſque bonis fiſco adjudicatis, eum *ſine terra* fecit. *Hiſtor. Gall. in Philippo Auguſto*.

ARTYMNESUS, civitas Lyciæ, Xanthiorum Colonia. *Steph.*

ARTYNES, Mediæ Rex, Artei ſucceſſor, regnavit ann. 22. Diodor. Sic. *l.* 2. *c.* 34.

ARTYNIA, ſtagnum Aſiæ minoris circa Cyzicum, & Miletopolin, ex quo Rhyndacus fluv. anteà Lycus dictus, oritur, Aſiam, & Bithyniam diſterminans. *Steph.* Plin. *l.* 5. *c.* 32. *Aphnitis* quoque dicta.

ARTZIBURIUS, Græcè Ἀρτζιβούριος, apud Marcum Hieromonachum in *Reſponſis*, Anaſtaſium de illo, in *Tractatu c.* 27. nomen eſt hebdomadis, alias Προφωνήσιμος dictæ, quod in ea jejunarent Armenii. Et quidem nonnulli eorum, propter Ninevitas, alii autem propter Adami exilium, jejunare ſe dicebant: impietatem ſuam ſub ſpecie utraque ſic abſcondere conati: Τὸ δ᾽ ἀληθὲς ἐστι, verba ſunt Joannis Epiſc. Citri. *Reſp. ad Conſtantinum Cabaſilam*, [illegible] *Id autem verum eſt, propter interitum canis, qui nuntius erat magiſtri ipſorum Sergii. Cùm enim canis ille ab eo mitteretur, ſolâ ſuâ præſentia oppida & urbibus, in quas erat progreſſurus, magiſtri adventum prænuntiabat — Cumque cognovit Sergius eum, ab feris devoratum fuiſſe, & Armenii quoque cum illo luxerunt ideoque & luctûs jejunium adjecerunt*. Vocetenus Ἀρτζιβούριος nomen devotati Armeniis habes ibidem. Eſt autem hebdomas illa non alia, ut videtur, quàm tertia poſt Epiphaniam, eaque ipſa, quæ Septuageſimam præcedit. Vide Joh. Meurſium *Gloſſar.* & J. Caſp. Suicerum *Theſauro Eccl.* imprimis verò Leon. Allatium *de Dominicis & Hebdomadibus Græcorum ſeſt.* 8. aliquid etiam ſuprâ ubi de *Jejuniis Armeniorum*.

ARTZIBURTZUS canis Sergii, in veneratione, apud Chazinzarios, quos vide.

ARVA, vulgò ARU, Aſiæ inſul. inter Moluccas & novam Guineam ad Auſtrum. Ei adjacent aliæ aliquot Inſul. Batavis frequentatæ.

ARVA, oppid. Hungariæ ſuperioris unde Comitatus Arvenſis, verſus Carpathum montem & confinia Poloniæ. Aliter Orowa Germanis.

ARVA, fluv. Normanniam à Francia dividens: hanc enim metam Carolus Franciæ Rex Rolloni genero fixit. Vulgò *Avre*. Vernolium Perticenſium, Tegulatias, Nonancurtim, villam S. Remigii & Stratam attingens, paulo ſupra Anetum Autura recipitur. Hoc ſolô amne diviſum Muſeum *Muſſy*, à ſtrata Abbatia, vulgò *L'Eſtrée*, parvâ à Durocaſſis ſeu Drocis diſtantiâ. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ARVA, fluv. Sabaudiæ. Cadit in Rhodanum, infrà & prope Genevam. Oritur in Fociniaco agro, ad pedes Alpium, tamque

quæ ſæpe aquarum impetu fertur, ut Rhodani curſum impediat, & ad lacum regredi cogat; quò fit, ut Genevenſium piſtrina, inter lacum & Arvæ confluentem, contrario motu moveantur ac molant; quod ad A. C. 1572. laniena fidelium in Gallia infamem, obſervatum eſt à Caſaubono, *ad l. 4 Geogr. Strab.* & à Thuano *l. 47.*

ARVADÆI, vide *Arada.*

ARUÆ, Hyrcaniæ populi ubi clementer recepit Alexandri M. Darii Perſarum Regis mortui præcipuos Duces. Qu. Curt. *l. 6. c. 4.*

ARVALES, duodecim fratres ſacerdotes, quos Romulus primus inſtituit, ſeque inter illos nominavit, quorum officium erat Cererı & Baccho pro frugum & vini ubertate Ambarvales hoſtias mactare: quæ ideirco dicebantur, quod antequam mactarentur, ter circum arva ducerentur. Virg. *l. 1. Georg. v. 345.*

Terque novas circum felix eat hoſtia fruges.

Sacerdotis inſigne fuit ſpicea corona, vittâ albâ colligata, quam primam apud Romanos coronam fuiſſe, memorat Plin. *l. 18. c. 2.* Cognoverunt hi Fratres, de finibus & terminis motis, honorque hic non niſi vitâ finiebatur, imò & exules etiam captoſque non deſerebat. Adrianus tamen Turnebus non ipſos hos Fratres, de agris agrorumque terminis cognoviſſe, ſed Judices, qui de agrorum finibus cognoſcerent, mutuatitio nomine, de *Fratrum Arvalium* vocabulo, *Arvales Sodales* appellatos ſcribit, *Adverſar. l. 21. c. 1.*

ARVALTIS, Libyæ inferioris mons. *Ptol.*

ARVANGIA, vulgo ARVANGEN, oppid. agri Bernenſis, ad dextram Arolæ ripam, infra Vangiam 2. milliar. Sedes olim Baronum cognominum: è quibus Nicolai meminit Stumpfius, circa A. C. 1165. ovium Præfecti. Vide Authorem præfatum *l. 7. de Argovia.*

ARVARES Sodales, in veter. *Gloſſis*, οἱ ἀρεῖ τῶν ἀρουρῶν διαγινώσκοντες δικασαί. Vide hic ſuprà *Arvales.*

ARVARII, intra Gangem populi. *Ptol.*

ARUBAS, Rex Moloſſorum. Juſtin. *l. 7. c. 6.* Græcis promiſcuè Ἀρύβας, & Ἀρύμβας dicitur.

ARUBOTH, nomen urbis, 1. Reg. *c. 4. v. 10.* Latinè *cataractæ, feneſtræ, inſidiæ, ſive locuſtæ.*

ARUCCI, nunc *Moura*, oppidul. tenue Portugalliæ, cum caſtro inter Oliventiam, & Mirtilim.

ARUCCI Vetus, vulgò AROCHE, vicus Andaluſiæ, in confinio Portugallico & à novo diſtat 9. leucis in Orient. *Baudrand*

ARUCEUS & ARUDEUS, fil. Canaanis, quorum ille urbem Arcen, in Libano ſitam, alter inſul. Arudam tenuit. Joſeph. *Jud. Ant. l. 1. c. 6.*

ARUCIA, oppid. Illyrici *Ptol.*

ARVERNA, vel ARVERNÆ, civitas Galliæ Epiſcopalis in Aquitanica prima, hodie *Clermont.* Vide *Arverni.*

ARVERNI, populi Galliæ ad Ligerim ſiti. Ἀρουερνοὶ *Straboni* & *Ptol. Arverni liberi* Plin. *l. 4. c. 19.* in Aquitanica; ἀρβένοι Plut. *in Jul. Caſare.* Ἀρέρνοι *Steph. Gens Galliæ Celticæ maximè bellicoſa.* Lucano *l. 1. v. 427. fratres Latii*, quod Æduis tribuendum erat. Gall. *Auvergnats.* Horum olim clientes Cadurci, Gabali & Vellavi, quos ab Helviis mons Cebenna diſcludit, Cæſar *l. 7. c. 7. 8. 9. 10.* Hodieque ſub rectoris Arvenorum diſpoſitione, Gabali & Vellavi. Idem illis imperata à Vercingetorige millia hominum XXXV. refert. Arvernorum gentes memorat *l. 7. c. 7. 8.* meminitque Bituiti Regis illorum capti, qui, contra Romanorum ſocios Æduos, Allobroges adjutum iverat. Laborant gutturis tumore Cebennarum incolæ Arverni, ob invales aquas. Metropolis gentis *Straboni Nemoſſus*, *Ptol. Auguſtonemetum*: Provinc. *Arverna* eſt, ut mox dicemus *Arverni*, quoque caput gentis, Auguſtonemetum, vide ibi. Hinc *ſtatuam Arvernorum*, urbis hujus, Zenodorus feciſſe dicitur, apud Plin. *l. 34. c. 7.* Idemque Mercurium pedum 400. fecit, ibidem in foro collocandum. Eadem *civitas Arvernorum*, *Arvernum oppid.* &c. veteres inter provinc. Aquitanicæ primæ VIII. civitates olim ſecunda, eundem hodieque ſervat locum, Biturigis Metropoli ſuæ, proxima. Diſtat aliquot ſtadiis à Gergoviæ Arvernorum reliquiis. *Clarus mons*, quòd arte naturâque munita eſſet, ante annos fere mille dici cœpit: niſi fortè arx urbis ſic dicta eſt Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide *Auguſtonemetum* & *Clarus mons.* Gall. quoque *Les gens d'Auvergne.*

ARVERNIA, *Gregorio regio Arvernorum*, & *territorium Arvernum.* Scriptoribus rerum Pipini *pagus Arvernicus*, &c. Gall. *Auvergne.* Galliæ Aquitanicæ regio celeberrima, cum titulo Ducatus ac etiam ſeparatim Comitatus; ſita in locis partim planis, partim montoſis. Vicinos habet ad Orientem Forenſes & Lugdunenſes: ad Meridiem Languedokios: ad Occidentem Cadurcos, Petrocorios, & Lemovices: Septentrionem verſus Bituricenſes & Borbonios. Arvernorum nomen valde celebre, cùm apud alios, tum apud Cæſarem *in libris, de bello Gallico*: Hi quòd ſe à Trojanis oriundos putarent, Romanorum ſe fratres appellare non dubitârunt, Lucan. *l. 1. v. 427.*

Arvernique auſi Latio ſe fingere fratres,
Sanguine ab Iliaco populi.

Hadr. verò Valeſ. ut ſupra memoratum, errare Poëtam ait, dum quod Æduis tribuendum erat, Arvernis adſcribit. Cùm adverſus Cæſarem arma cepiſſent, Duce Vercingetorige, ingenti ſuorum clade ſunt ſuperati; Strabo *l. 14.* Dividitur in Superiorem & Inferiorem: ſuperior in Cebennis poſita, κατ᾽ ἐξοχὴν vocatur *Arvernia.* Gall. *Le hault pays d'Auvergne*, ſatis montuoſa, ejuſque primaria urbs eſt fanum S. Flori. recens Epiſcopalis ſedes. Inferior verò, admodum fertilis & rigua, dicitur *Limania*, à Lamona, aut Lymonna fluvio, qui ex montibus defluit: ejus longitudo à Ponte Veteris Brivatæ, Gannatum uſque extenditur, circiter leucarum viginti: latitudo eſt à monte vulgò *Poy de Dome* nuncupato, uſque ad oppidum *Tyers*, circiter octo milliarium: Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.* partem inferioris Arverniæ, ad ſiniſtram Elaveris ripam *Limaniam* dici: quæ & *Lemane* & *Lemmane*, Hiſtor. Franc. *l. 3. c. 4. & l. 5. c. 34.* Gregor. Turonenſ. Metropolis illi eſt Claromontium. Caput Gentis, & vetus Epiſcopalis ſedes. *Merci. Merula Baudrand.* Olim Imperium Arvernorum, à Ligeri Maſſiliam uſque porrigebatur, ſecundum Strab. *l. 4.* ubi Luerii Regis illorum magnificentiam multis extollit. Vide quoque Eutrop. *l. 4.* Oroſ. *l. 5. c. 15.* Florum, *l. 3. c. 2.* Hujus fil. Bitto ſeu Bituitus, cum Allobrogibus, vide ſuprà, ſuppetias iret, victus eſt: imperiumque ejus, Vercingetorige capto, ut dictum, penitus evanuit. Cæſar *Comm. l. 7.* Diodor. Sic. *l. 40.* Oroſ. *l. 6. c. 9.* Poſt hæc tempora proprios habuit Comites regio, dein in Familiam Bononienſem tranſiit: à Ludovico IX. fratri Alphonſo cum Pictonibus data; rediit poſtmodum ad Comites Bononienſes: exin Coronæ unita, nuptiis Johannis Regis cum hærede hujus familiæ, tertiâ vice Comitibus Bononienſibus ceſſis. Margarita tandem Regina, Comitatum, cujus dominium tenuerat, Carolo, fil. notho Caroli IX tradidit, A. C. 1606. De conciliis in Arvernia celebratis, A. C. 535. 549 586. Vide Gregor. Turonenſ. *l. 6. c. 38. & 39.* Tom. 5. *Concil. Gall.* inſuperque in voce, *Claromontium* & ſuprà in voce *Arverni.*

Urbes Arverniæ, cum oppidis & caſtellis, in Inferiori

Alſona, *Auzon.*	Iciodorum, *Iſſoire.*
S. Amantii caſtrum.	Lorolaorum, *Volore.*
Artona, *Artonne.*	Magnus locus, *Manlieu*, Abbatia.
Aqua ſparſa, *Aigueperſe.*	Manatenſe Mon. *Menat.*
Biliomagus, *Billom.*	Mons petroſus, *Montpeyroux.*
Brivas, *Brioude.*	Pons Caſtelli.
Cambidobrenſe monaſter. & oppidum, *Combronde.*	Pons Givoldi, *Pont Gibaud.*
Caſa Dei, *la Chaiſe-Dieu.*	Ricomagus, *Riom.*
Caſtellum novum.	Rupes fortis.
Caſtrum S. Amantii.	Scoralia, *Eſcurolle.*
Caſtrum Widonis, *Chaſteau Guion.*	Talamita, *Talegande.*
	Tigernum caſtr. *Tiern.*
Celſinaniæ, *Sancilanges.*	Ucio, *Uſſon.*
Clarus mons, caput gentis.	Vicus comitis.
Curva Petra, *Corpiere.*	Volovicus, *Volvic.*
Eborolacum vel Eurogilum Palatium, vulgo *Ebreule.*	Voluta, *la Voute.*

In ſuperiori Arvernia.

Alamia, *Alanche.*	Monſſalvius, *Montſalvi.*
Aquæ calidæ, *Chaudes Aigues.*	Muratum, *Murat ſur l'Allagnon.*
Aureliacum, *Aurillac.*	Oratorium, *Ouradour.*
Berulſi Rupes, *la Roque-Brou.*	Petra fortis, *Pierrefort.*
Carilatum, *Carlat.*	Ricomagus alter vicus, *Riom.*
S. Flori oppid. Epiſcopale *S. Flour.*	Severiacum, *Severac.*
Interaquas, *Entragues.*	Vicus ad Ceram fluv. *Vic.*
Mauriacum, *Mauriac.*	

Olim multò major Arvernia extitit, antequam Burbonenſi pago aliiſque finitimis non contemnenda ejus portio attribueretur. Vide præfatum Valeſ. *Notit. Gall.*

ARVERNUS Petrus, vide *Petrus.*

ARUGIA, apud Plin. *l. 33. c. 4.* ubi de aurifodinis Hiſpaniæ, *Aurum* arugiâ *quæſitum non coquitur, ſed ſtatim ſuum eſt.* Et, *tertiæ rationis opera vicerit gigantum, cuniculis per magna ſpatia actis cavantur montes ad lucernarum lumina, eadem menſura vigiliarum eſt, multiſque menſibus non cernitur dies, arrugias id genus vocant:* Vox è Græco petita, foſſione quæſitum aurum, quod à ramentitio diſtinguitur, notat Græcè enim ὀρυγίας dicitur: *Strabo* ὀρυκτὸν vocat, quod in Arabiæ cuniculis effodiebatur: ἀπύρινον *Agatharchides & Diodorus* appellant. Cujuſmodi aurum eruebatur quoque in Ægypti Æthiopiæ contermina. Græcis autem nominibus adeo concepta fuiſſe omnia aurariæ μεταλλείας in Hiſpania, ut foſſas etiam vocaverint ἀγωγάς, diximus ſuprà. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1076.

ARVINA Scrofas, apud Aldhelmum de lampade,

Jamque latex lucens flammas paſcebat edaces.
Papyrus in medio radiabat lumine centro,
Clarius & multo, quàm ſomes pinguis olivi,
Aut certè in vitro ſplendens arvina ſcrofas.

i. e. *Scrofæ*, præter oleum, & ſebum, alendis olim lucernis adhibebatur. Nunc ſuillus hic adeps precioſior, & in cibis eſt. Joh. Frid. Gronovius *Obſerv. in Eccleſ. c. 5.* Sed & *Arvinâ* liquente Martyrum corpora nonnunquam conſpergebantur, Prudentius Περὶ στεφ. *Hymn. 2. v. 219.*

Arvina poſthinc ignibus
Impreſſa cauterem levat,
Vis unde rorans fumida
In membra ſenſim leniter.

ARVIPENDIUM, in *Gloſſis*, σχοινίον γεωμετρικόν, *funiculus geometricus.* Vetuſtiores enim Romani non videntur perticâ ſive decempedâ communiter in menſurandis agris uſi; unde nec *Varro*, nec *Columella*, nec *Plinius* ullam rem perticæ decempedæque meminit: funiculo magis utebantur. Certè ab *arvis pendendis*, i. e. metiendis, dictum *arvipendium*; pro quo poſtea *Arvipennium* & *Arpennium* dici cœpit. Unde corrupta vox *Arpennis*, de certo agri modo: quâ ſemijugerum Gallos vocare, tradit *Columella*. Baticis hoc vocabolum tribuit incertus Auctor *de menſuris agrorum*, qui actum quadratum Bæticos ita appellare notat, aberrando ſcilicet. Atque hinc eſt Gallorum hodiernorum verbum *arpenter*, & nomen *Arpenteur*, quo illum appellant, quem Veteres *agrimenſorem* dixêre & *menſorem.* Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 683. Terrarum *Arpivendia* olim Deo cuique conſecrâſſe Gentiles, ut è locationibus eorum impenſæ provenirent, quæ poſtea in ſacrificiis publicè fierent dicemus infrà, voce *Vellius.*

ARVI-

ARVIRAGUS, Britanniæ Rex. Juvenal. *Sat.* 4. v. 127.

— — — Aut de temone Britanno
Excidet Arviragus.

Hic Joſepho Arimathæo, qui ſive caſu, ſive conſiliò, cum non parvo comitatu, in Britanniam, ſub Nerone venerat, circa A. C. 60. ad oppidum Vdelum parum terræ, ad inhabitandum, conceſſit: hodie templum & cœnobium Benedictinorum locuſque Glaſconia dicitur, teſte Polydor. Virgiliò *l.* 1. & 2. *Hiſt.* Sicque benignitate Regis hujus, Britannia prima provinciarum omnium publice Evangelium recepit. Idem.

Dignus commendet quem Roma nepotibus & qui
A grata laudes poſteritate ferat.

Et benedixit Deus huic Regi in poſteris quoque. Ei enim fil. Marius ſucceſſit, Pictorum victor A. C. 70. Hunc fil. Coylus excepit A. C. 93. per annos 45. Hujus fil. Lucius, impetratis ab Eleutherio Epiſcopo Romano Evangelii præconibus, cum tota familia regia populoque univerſo baptizatus eſt, A. C. 177. *Idem.*

ARVISIUM, promontorium Chii, generoſiſſimô vini genere nobilitatum. Virg. *Ecl.* 5. v. 71.

Vina novum fundam calathis Arviſia nectar.

Sil. Ital. *l.* 7. v. 210.

Tmolus, & ambroſiis Arviſia pocula ſuccis.

Plin. de vinis tranſmarinis *l.* 14. *c.* 7. *In ſumma gloria fuêre, Thaſium, Chiumque ex Chio, quod Arviſium vocant.* Ἀρούσιον vocant Plut. *in Epicurum* & Athenæus. Ille, Λυδῶν ϛεφάνιον, καὶ οἶνον Ἀρούσιον. Hic, *l.* 1. *c.* 25. χαρίεις δ' ἐστὶν ὁ Χῖος, καὶ τοῦ Χίου ὁ καλούμενος Ἀρούσιος. Sed & regio etiam Ἀρουσία. Strabo *l.* 13. ubi de Chio, Εἶθ' ἡ Ἀρουσία χώρα τραχεῖα, καὶ ἀλίμενος, οἶνον ἄριστον φέρουσα τῶν Ἑλληνικῶν. Phœnicibus (inquit Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 9.) erat הר רוש יין *har ros-jain*, h. e. *mons præcipui vini.* *Nic. Lloydius.*

ARULA, vulgò LE LOIR, fluv. qui civitatem Galliæ nomine Caſteldunenſem, Gallicè *Chaſteaudun* alluit. Melius *Ledus*. Oritur in Perticenſi provinc. alluitque etiam Vindocinum, Duceſtallumque, & per Cenomanenſem & Andegavenſem provinc. in Sartam fluv. cadit, paulò ſuprà Andegavum. *Baudrand.*

ARULA, fluv. Helvetiæ, oritur in monte *Grimſel*, à S. Gothardo non longè diſſito, ſupra locum *Spital* dictum, in ſumma valle Haſlendi, ubi poſt aliquod intervallum duo lacuſi in eum influunt: Alii tamen ejus fontem, ad radicem montis *Schreckhorn* quærunt. Recipit autem diverſos rivulos in valle Haſlenſi: poſtmodum lacubus, Brientzenſi & Thunenſi eluctatus alios fluvios iterum recipit; quorum præcipui *Kandel*, *Engſtlen*, & *Simmen*, qui infrà oppid. Thun Arulæ conjunctim miſcentur. Dein *Gerben* ſibi jungit, ſupra Bernam, poſtea Sanam ſupra Arbergum, in quem prius Senſa, infra Laupiam, influxit, Thelam quoque, per quem lacus Ebrodunenſis, Muratenſis & Nidovienſis in Arolam ſe exonerant, comitem ſumit apud *Meyenried*, ſupra oppid. Buren. Tandem in Rhenum ſe exonerat. Gaudard, apud Joh. Bap. Plantin. *in Helv. antiq. & nova.* Aliàs *Arola.* Vide ibi.

ARULA, apud Arnob. *adv. Gent. l.* 3. *Niſi pecorum Sanguine* (ipſi Gentilium) *de[illegible]as ſuas conſperſerint arulas*: pro *ara*, cujus diminutivum eſt. Aliàs *Arulæ* dictæ, quas ἐσχάρας περιφορητὰς, i. e. *focos portatiles*, Græci, teſte Scholiaſte Ariſtophanis *ad Acharnen.* Latini nomine quidem generali, ſed huic rei propriè aſſignatô, *Foculos* appellavêre. Vide Deſid. Heraldum *Animadverſ. ad Arnobii locum*, & infrà *Foculus*. Simile quid in Eccleſia Latina Altare portatile eſt, de quo actum.

ARULENUS, vide *Ruſticus*.

ARUM, Latinè *excelſum*, *ſublimem*, *ſeparans*, vel *projiciens*, pater Aharchel. 1. Paral. *c.* 4. v. 8.

ARUM, vocatum Ἄρον, in genere bulbaceo eſt & καυλοκάρπων dicitur, atque etiam ὑπομαλοχέρων exponitur. Radix ei craſſa & rotunda, quæque aliis ad latera adgnatis ſe propagat: quæ ſunt *capitula* ſeu ὀφθαλμοὶ, quas dracunculo ſuo ſive Aro tribuit Claudius Jolaus, eaſque ad inſtar hydræ capitum, ubi cæſæ fuerint, renaſci dicit. Caulis, varietate macularum, *ſerpentes imitatur*, & in vulgari *Aro* σπιθαμιαῖος eſt ſeu duodecim digitos altus, cùm Arum Ægyptiacum ſeu Cyrenaicum, quod mollius eſt, ternos pedes alto caule ſurgat. Cæterùm Arum commune radicem habet amaram, adeò ut niſi cocta mandi non poſſit. Ægyptium vero & crudum editur; cujus proin radices culinis Romanis ab Cyrenaica & Ægypto uſque inferri conſuevêre. Vide quæ de hac herba pluribus diſſerit, Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis *p.* 972. & *ſeqq.*

ARUN, vicus Samariæ. Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 2. *c.* 3.

ARUNARIUS, vulgò ARUNAR FIORD, ſinus Iſlandiæ Inſul. in mari Deucaledonio, verſus Occident. Inſulæ, & in eam per aliquot mil. paſſ. extenſus.

ARUNCI, nunc *Aronches*, oppid. Portugalliæ, aliàs municipium, in confinio Extremaduræ 3. leuc. ab Albuquerco, in Occaſum. Item, populi Italiæ, vide *Aurunci*.

ARUNCULEJUS, vide *Artuculejus*.

ARUNCULEJUS Coſta, (Lucius) à J. Cæſare in Gallias miſſus, & ab Ambiorigis militibus occiſus eſt, Cæſ. *Comm. l.* 5. Creditur Scrip[tor] *Reip. Romanæ*, cujus meminit Athen. *l.* 6.

ARUNDA, Hiſpaniæ Bæticæ urbs. *Ptolemæo.* *Ronda* hodie dicitur.

ARUNDELIUS, vide *Aruntina*.

ARUNDINEÆ Scaphæ, memorantur *Theophraſto*, ubi de Indicis arundinibus circa Aceſinem, quas adeò craſſas & magnas eſſe ait, ὥστε ἀκάτιον ποιεῖν, *ut vulgò lembarum usum præſtent.* Quod ex *Oneſicrito Strabo* confirmat. Hodieque ſcribunt, circa Gangem, harundines adeò craſſas & proceras gigni, ut vix ſit homini uni eas brachiis complecti, ex quibus ſcaphas exiguas (duorum triumve hominum capaces) conficiant, & in Gange navigando utantur indigenæ. Καλάμους hinc χελῶνας vocat *Iſidor.* ubi de urinatoribus concharum: ἀπαρτηθεῖσι καλάμινας σχεδίας οἷον ἐν νήσῳ; ἐξ ὧν καθαλλόμενοι εἰς τὴν θάλασσαν ἐπ' ὀργυιὰς εἴκοσι ἀναδύουσι διπλᾶς κόγχας. *Hinc arundineas ſcaphas circa Inſulam eſſe, e quibus in mare deſilientes ad ulnas viginti, reportant duplices conchas* margaritiferas. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1117. & 1132. Ab his diverſa *Inſtrumenta ſcirpea*, quibus *per ſuperficiem aquarum*, Æthiopes uſi leguntur Eſaj. *c.* 18. v. 2. &c. Vide quoque hic infrà.

ARUNDO, in Bucolicis adhibita, quam vocem vide, an Indicis eſſet, quæ ſacchari dulciſſimum fundunt liquorem, in dubio relinquitur. Has certè & Veteres quoque habuerunt, ſed artem inde conficiendi ſaccharum ignorârunt diu, uti videbimus infrà ubi de *Saccharo*. Nec hodieque illam callerent Sinenſes, ni Indus ſacrificulus, cujus aſinus arundinetum cujuſdam ingreſſus ſtragem magnam hujuſmodi cannarum fecerat, damnum illatum ſecreti hujus revelatione luere coactus fuiſſet. Sed præter has, quæ exiguæ ſunt, alias habent Indi ac Sinenſes *arundines*, craſſas uſque adeò, ut duabus tribuſque manibus ſtringi nequeant. Ut de iis, in quibus *manna* ſeu *ſaccharum Mambu* reperitur, jam nil dicam: in *Chechen* provinc. Sinenſi, iuxta eſt prope *Kingung*, magnis arundinum hujuſmodi ſylvis vireſcens, quarum quamplurimæ ſpecies ſunt. Earum omnium ferrea durities: hinc, licèt intus vacuæ ſint, ſuiſque nodis ac articulis diſtinctæ, firmiſſimæ ſunt tamen ac ſecuriſſimè impoſita onera ſuſtinent; altitudo ſæpè trium aut quatuor perticarum eſt Truncus aut lignum in quibuſdam viride, in aliis nigerrimum; quarum hæ plerunque ſolidæ. Amœniſſimum præbent aſpectum, tum folia oblonga, formâ gladioli, ſummitatibus nonnihil inflexis atque incurvis, tum quia toto Anni tempore virides ſunt. Licet autem adeo ſint duræ, ut diximus, facilè tamen in ſicia tenuiſſima, ac veluti membranulas, ab Artis peritis diſſecantur, ex quibus *thecas*, *capſulas*, *pyxides*, *pectines*, *aliaque ſimilia utenſilia* minutiſſima conficiunt ſubtiliſſimè. Ex iiſdem *domos* ſuas facilè conſtruunt, iiſque pro ædium minorum *poſtibus* utuntur; ex minoribus *haſtilia* fiunt, cuſpide præferrata, atque ad ſexcentos alios uſus adhibentur. Ad *aquarum* inprimis *canales*, ductuſque ſtruendos, cùm à natura perforatæ ſint, ſcaphas item, aptiſſimæ habentur: ac pro *tubis opticis* longioribus, ob lævitatem, rectitudinem ac firmitatem, excellentes prorſus, ac ſingulares. Cum recens deſecta talis canna comburitur, emittit aquam Medicis plurimùm expetitam: Epota namque putreſcentem ſanguinem locóque vel caſu vel percuſſione motum, è corpore expellit. Tenera ac primùm nata, antequam folia emittat, cum carne adhibetur pro cibo, veluti rapa aut cocti carduti quin & aceto macerata totô ſervatur annô, tanquam condimentum ſeu obſonium, ob delitias, non ſecus ac minores per Europam cucumeres aut fœniculum, &c. Vide Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ c.* 34. ut & *c.* 46. ubi de altero Moſe in canna repecto, celebrem habes Sinenſium fabulam. Item infrà in vocibus *Calamus*, *Harundo*, &c.

ARUNDO, Creſcens, aucupii genus Veneribus in uſu, vide infrà *Calamus Aucupatorius*.

ARUNS, vates Tuſcus. Lucan *l.* 1. v. 585.

Accitis vates, quorum qui maximus ævo.
Aruns incoluit deſerta mœnia Lunæ.

Item miles Trojanus, qui Camillam occidit. Virg. *Æn. l.* 11. v. 94. Item, frater Tarquinii Superbi maritus Tulliæ, à qua ſublatus eſt, ut Tarquinio, qui Sororem Tullii, uxorem ſuam, ſimiliter veneno peremit, nuberet. Item Tarquinii Superbi fil. natu maximus, qui in ea pugna, quæ ad Regillum lacum facta eſt, Junium Brutum interemit; & ab illo viciſſim haſtâ trajectus eſt. Liv. *l.* 2. *c.* 6.

ARUNTINA, vulgò ARUNDEL, oppid. Angliæ, in provinc. Suſſexia, Comitatus titulô clarum, ad fluvium Aronem. Paucos habet incolas. Sed aliunde ipſi, à dominis nempe, Famâ acceſſit: *Arundeliorum* enim Comitum illuſtre in regno nomen eſt. Horum unus, legatus ad Cæſarem, Viennâ redux, cum in Holbenium, ſeculi ſui Apellem, Baſileæ incideret, illum in Angliam ut veniret, perſuaſit, ſub Henrico VIII. Vide *Holbenius*. Ex ejus poſteris celebris inprimis Thomas eſt, Arundelliæ & Surriæ Comes, Angliæ Mareſcallus, cujus impenſis Gulielmus Petræus, in Orientem miſſus, plurima veneranda priſcæ Orientis gloriæ rudera, *Marmora Arundelliana* nunc dicta, in patriam attulit, quæ in ædibus Comitis hortiſque cognominibus, ad Thameſis ripam, diſpoſita, dexterè explicuit Johannes Seldenus, in libro, cui titulus, *Marmora Arundelliana*, Londini excuſo, A. C. 1629. qui propediem auctior prodíturus dicitur. Inter iſta, *Epochæ ſunt veterum Græcorum nobiliores ferè univerſæ, anni ante vulgarem J. C. Epocham* 263. *ſeu Periodi Jul.* 4451. *conſcriptæ. Fœdus item Smyrnæorum & Magnetum, ad Majeſtatem Seleuci Callinici invicem conſervandam, circa annum ante vulgarem Epocham J. C.* 244. *Periodi Jul.* 4470. *percuſſum.* C. porro *Ant. Septimii Publii Citharædi victoria.* *Donariorum quoque ad Gymnaſii Smyrnenſis ornatum recenſio*, Ut &, *Pſephiſmata aliquot Delior**um: Sacrarum tandem in Artemiſio erogationum Recenſio*, & *Inſcriptiones complures Græcæ ſepulchrales.* *Nic. Lloydius.* Veneranda hæc ſtela ab initio Cecropis ad Diognetum Archontem numerat annos MCCCXVII. qui anni expenſi conficiunt Æram Atticam, quæ produci poteſt uſque ad Olymp. 160. quô tempore Græciæ nomen cum libertate evanuit, & cum gloria Virtus; Marshamus *ap.* Ægyptiac*i Canonis Chron.* Exaravit eam Auctor Parium annô Æræ Atticæ 1318. Chronographus ſic omnium eorum antiquiſſimus, qui Chronologicum ſcribendi genus ab Hiſtorico diverſum inſtituerunt: celebrioreſque Græciæ epochas Regum Athenienſium annis & Archontibus annuis ſignavit, nullâ Olympiadum factâ mentione, ut quarum ſupputatio in Græcorum Chronologiam tum nondum fuerat recepta. Idem *ibid. Sec.* XII. & *Sec.* XVII. qui proin *adhuc amiſſum Panhellenicam rei Græcæ examinandæ*, tanquam ad

ad autographum longè antiquiſſimum, & in dirimendis litibus maximam habens auctoritatem, cenſet, ubi ſuprà.

ARUNTIUS, cum Bacchi ſacra deſpicaretur, ulciſcente numine, in ebrietatem lapſus, filiam Medullinam corrupit; quod ægrè ferens puella patrem ipſum interfecit. Plut. *in Paral.*

ARUNTIUS, ſub Auguſto ſcripſit ſtylô Salluſtianô bellum Punicum, Senec. *ep.* 114. & *præf.* in *l.* 7. *Controv.* Plin. *l.* 3. & 5. Tacit. *Annal. l.* 1. Diverſus ab eo, cujus meminit Senec. *l.* 6. *de benef. c.* 38. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 19. *c.* 1. Vide & *Lucius*.

ARUNTIUS Paterculus, Æmylio Cenſorino Tyranno Ægeſtæ equum æneum, ut ſontes eô includeret, ù ſe conflatum donavit, cui ipſe primùm à tyranno injectus eſt. Plut. *in Par. Minor.*

ARUNTIUS Stella, Poëta, natus ex familia Conſulari, floruit eô tempore, quô Flavii Cæſares Romæ imperârunt. Domitiani Victoriam contra Sarmatas verſu deſcripſit. Violantillam, puellam Neapolitanam in uxorem duxit, quorum nuptias celebrat Statius, *in Silvis*. Scripſit elegias, & opus de Aſteride, & poëma de interitu Columbæ. Prætor Romæ creatus eſt, & Duumvir.

ARUNUII, Galliæ Lugdunenſis populi. *Ptol.*

ARVONIA, vulgò ARVONE, *Caernarvan*, urbs Angliæ, in Valliæ Principatu. Inde *Arvonia* Comitatus. Sita eſt in littore maris & freti *Menay*, excitata è ruinis Segontii.

ARUPENUM, ſive ARUPINUS, Lazio *Autſperg*, oppid. Iapodum in Carniolæ & Corbaviæ confinio à Senia 28. mill. paſſ. in Boream Sciſciam verſus ex *Itinerari* Antonini. Populi *Arupeni* apud *Appianum*. Eſt & *Arupinum* Iſtriæ oppid. maritimum, vulgò *Rovigno*. *Arupinorum* meminit Tibullus *l.* 4. *Epigr.* 1. *v.* 110.

Teſtis Arupinus & pauper natus in armis.

ARUPNUM, Galliæ oppid. in Aquitania. Sidon. *Ep.* 7. *Sed alii Avernum legunt.*

ARURA, apud Evagrium in *Vita* Antonii *c.* 8. *Aruræ autem ei erant trecentæ uberes & valdè optimæ*: Græca vox eſt, & in genere quidem *agrum ſatum* ſegetemque ipſam notat: in ſpecie autem menſura Ægyptia eſt, & *μέτρον γῆς*, ſeu *modum agri*, ſignificat. Strabo enim *l.* 18 auctor eſt, Ægyptum olim diviſam in Præfecturas, quæ rurſum in Toparchias, eaſque in portiones alias, quarum minimæ, A *quarum* dictæ, diſtributas: Quod etiam attigit Horapollo *l.* 1. *c.* 5. Conſtitiſſe autem *Aruram* pedibus quinquaginta, ait *Suidas*. Inſtantem annum pingere volentes, quartam *Aruræ* partem pinxiſſe Ægyptios, habes apud Macrum in *Hierolex.* Propriè verò *ἄρουρα*, Latinè *arvum*, i. e. ager aratus, nondum ſatus, Salmaſ. *ad Solin.*

ARUS, vulgò ARU', oppid. Aſiæ, cum regno cognomine in India, & Inſul. Sumatra, ex adverſo urbis *Malaca*, in ora freti Sincapuræ.

ARUS, vulgò ARE, fluv. Angliæ, in Eboracenſi provinc. Oritur in confinio Lancaſtrenſis Comitatus, & rigatis aliquot oppidulis, in Album æſtuarium ſe exonerat.

ARUS, fluv. vide *Drys*.

ARUSÆUS, L. Aruntii accuſator & calumniæ damnatus. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 7.

ARUSEJUS, prænomine *Lucius*, ſub Tiberio Q. Plautiô, Sext. Papiniô Conſulib. morte adfectus. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 40.

ARUSPEX, aliô nomine *Julius* è primoribus Remorum, diſſuaſor belli contra Romanos. Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 69.

ARUSPICES dicti ſunt Romanis, qui ex victimarum *in aris inſpectione* futura hariolabantur. Vide *Haruſpices*, it. *Extiſpices*.

ARUVACCÆ, populi Americæ meridionalis in Caribana regione prope fluv. *Eſſekebe*. Potentes ſunt & cum Caribus inſulanis à multo tempore inimicitias exercent.

ARUVII, populi fuêre Galliæ ubi nunc Seſſer & Vagoritum urbs, quæ nunc *Seez* in Neuſtria, inter Lexovios & Cenomanos. *Baudrand.*

ARUZIS, Mediæ urbs. *Ptol.*

ARX, apud Plinium, *l.* 4 *c.* 11. *Bryçe quondam arx Thraciæ Regum*, ſedes eſt regia: unde *Steph.* Βασίλειον vocat. Adeoque idem, quod *Regum domus*, apud Melam *l.* 1. *c.* 6. *Regia*, apud Alios &c. Vide infrà in voce *Regia*. Alias *tutiſſimæ urbium* Arces *vocabantur*, Solin. *c.* 1. Cujus vocis etymon quod ab Arcadibus arceſſunt nonnulli, meritò ridentur. Sed nec illi meliùs, qui ab *arcendis* hoſtibus hoc nomen derivant. Ἄκρα Græcè locus eſt munitus ac tutus; inde *Arx*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 7.

ARX Batavorum, vulgò *Batenbourg*, arx Germaniæ inferioris in Geldriæ Ducatu ad Moſam fluv. inter Ravenſteinium & Megam oppida vicina, vix milliar. Belgic. diſtans à Noviomago. *Tabula Peutinger.*

Arces aliquot propriè dictæ.

ARX Alingarum, vulgò *le Fort des Alinges*, eſt in Sabaudiæ Ducatu & in tractu Caballiaco, in colle, non longè à Dranſia fluv. vixque 2. leucis diſtat à Tanonio & à Lemano lacu in Auſtrum. Sed deficit indies.

ARX Andreana, vulgò *le Fort de S. André*, in Belgio. Vide *Arx S. Andreæ*.

ARX Arauſicana, vulgò *'t Fort Van Orange* Belgis, *Fort d'Orange* Francis, arx nova Americæ ſeptentrionalis & novi Belgii, juxta fluv. Boreal. recens à Batavis extructa, & in gratiam Principis Arauſicani ſic dicta. Diſtat ab ora littorali circiter 50. mill. paſſ.

ARX Arauſicana, vulgò *le Fort d'Orange*, Belgis, *'t Fort Van Orange*, in America meridionali. Excitata fuit hiſce ultimis annis à Batavis prope littus inſulæ Tamaracæ in Braſilia; diſtatque ab Olinda urbe 5. leucis Germanicis in Boream. Sed capta poſtea à Luſitanis, ipſis etiamnum paret cum toto hoc tractu.

ARX Auſtrina, vulgò *Zuyd Schans* incolis, *Fort du Sud* Gallis, arx Belgii, in Brabantia, erecta ad tutelam portus Bergarum ad Zomam, cui adjacet ad Scaldim. Diſtat ab Antverpia 7. leucis in Boream; eſtque ſub dominio Batavorum.

ARX Barrana quibuſdam, vulgò *le Fort Barraux*, locus eſt permunitus Galliæ, in provinc. Delphinatus & valle Greſivodana, ad Iſaram fluv. duabus leucis à Montmeliano in occaſum. Aliàs excitata à Sabaudo; ſed paulò poſt capta à Gallis, A. C. circiter 1594. ipſis ſemper remanſit.

ARX Blokzylla, vulgò *Schans Blokzyll* incolis, *le Fort de Blockzyl* Gallis, arx eſt Belgii, in Tranſiſulania provinc. ad Sinum Auſtralem, ubi recipit Aam fluv. 2. leucis Germanicis diſtat à Steenwico in occaſum, paretque Hollandis. Capta ab Epiſcopo Monaſterienſi A. C 1672. ſed fortiter recepta.

ARX Bottangi, vulgò *le Fort Bourtang*, locus Belgii, in Tranſiſulania provincia, prope limites Weſtphaliæ, inter paludes, noviter munitus ab Hollandis arce pentagonali, in Drentia regione 5. leucis diſtat à Covordia, & 6 à Groninga in ortum. A quibuſdam Burtanga dicitur. Vaſtata à Gallis, A C. 1673.

ARX Belgica, vulgò *le Fort Belgique*, erecta fuit à Batavis in Aſia, in inſula Banda, una ex Moluccis; eſtque etiamnum ſub eorum poteſtate, & permunita.

ARX Brianconia, vulgò *le Fort de Briançonet*, arx Sabaudiæ, in Tarantaſia regione, una tantùm leuca infra Monaſterium urb. in rupe, ad Iſaram fluvium.

ARX Capitis Corſi, vulgò *le Fort de Capo Corſo*, ſita eſt in Africa & in ora littorali Guineæ, una leuca ab arce Mina ortum verſùs, cum portu. Antea paruit Suecis, deinde Danis, poſtea Hollandis, hiſce ultimis temporibus.

ARX Carolina, vulgò *Fort Charles*, extructa fuit ab Anglis ſub initium hujus ſeculi; eſtque in Ultonia provincia Hiberniæ, ad amnem *Blackwater*, in Comitatu Tironiæ, 4. milliar. Hibernicis ab Armacha in Septentrionem. Nunc ſenſim deficit.

ARX Carolina, vulgò *la Caroline*, arx Americæ ſeptentrionalis, aliàs à Gallis excitata in Florida A. C. 1562. aliquot leucis ab Oceano diſtans verſùs Virginiam; ſed poſtea capta & diruta fuit ab Hiſpanis.

ARX Coubella, vulgò *Fort Coubels*, quæ aliter Victoria dicitur, excitata fuit in inſula Amboina, unâ ex Moluccis in Aſia, hiſce ultimis annis, eſtque permunita & cum valido Hollandorum præſidio. 25. leucis diſtat ab inſula Banda in occaſum.

ARX Delfzilia, vulgo *Delfzül Schans* incolis, *le Fort de Delfzil* Gallis, arx Belgii, in Groningæ dominio, ad littus & prope Amaſi fluvii oſtia, unâ leucâ à Damma, & pari trium leucarum ſpatiô à Groninga ſimul & Embda ſemota. Pluries everſa & reſtaurata fuit. Nunc ſubeſt Batavis cum toto tractu.

ARX Delphina, vulgò *le Fort Dauphin*, arx Africæ, in inſula Madagaſcaria ſeu Delphina, in Carcanoſia regione, verſùs meridiem inſulæ, cum portu peramplo. Ab incolis *Tholangare* dicitur, & 3. leucis diſtat à fluvio *Fanshere* in ortum. A Gallis extructa fuit A. C. 1643. ipſiſque paret.

ARX Dunemunda, vulgò *Dunemund*, ſita eſt in Livonia, ubi fluv. Duina in ſinum Rigenſem ſe exonerat, una leuca infra Rigam; ſubeſtque dominio Suecorum à multis annis.

ARX Fontanenſis, vulgò *Fort de Fuentes*, arx Italiæ probè munita, in Ducatu Mediolanenſi, in colle, ubi Addua fluv. in Larium lacum cadit, in confinio Rhætiæ. Extructa fuit à Comite Fontano; & nunc etiam ab Hiſpanis ſervatur. Sedet ad Borealem lacus ripam, & 30. milliaribus à Como diſtat in Boream.

ARX Frederici Henrici, vulgò *Frederik Hendrik Schans*, munitio Belgii, in Brabantia, ad Scaldim fluvium, inter Lilloam & Sanflitum. Sic dicta fuit ab Hollandis, quibus ſubeſt, in gratiam Principis Arauſicani. 2. leucis Germanicis diſtat ab Antverpia in Boream.

ARX Gandulphi, vulgò *Caſtel Gandolfo* incolis, caſtrum Italiæ, in ditione Pontificia & Campania Romana. 12. milliaribus diſtat ab urbe in occaſum, Velitras verſùs in colle, ubi amœnus Summi Pontificis receſſus vernali tempore & autumnali. Egregiè reſtaurata fuit ab Urbano VIII. Pontifice Maximo; ornaturque in dies ſplendidis ædificiis. Ei adjacet lacus Albanus, qui inde *Lago di Caſtel Gandolfo* dicitur.

ARX Gueldria, vulgò *le Fort Gueldria*, arx probè munita Aſiæ, in India & ora ſinus Gangetici & Coromandelis, in regno Narſingæ, ab Hollandis A. C. 1659. excitata. Diſtat à Narſinga 10. leucis in occaſum, ad oſtia fluvii Aremegam.

ARX Hennuina, vulgò *le Fort Hennuin*, munitio Flandriæ in confinio Arteſiæ & in territorio Burburgenſi, capta à Gallis, quibus poſtea remanſit pace ad Pyrenæos. Diſtat à Gravelinga vix duabus leucis; eſtque media in Burburgum & Ardram.

ARX Hoſtenſis, vulgò *le Fort de Heuſt*, ſita eſt in Polonia & provincia Pruſſiæ, ubi Viſtula fluv. in duo brachia ſcinditur, tribus milliaribus Germanicis ſupra Gedanum, Elbingam verſùs, & totidem à Marienburgo. Paret Regi Poloniæ, & varias experta eſt vices ultimô bellô Suecicô.

ARX Hunnorum, German. *Huninger Schantz*, Gall. *le Fort d'Huninguen*, ab utraque Rheni ripa, paulò infra Baſileam, à Gallis haud pridem extructa. Vide infrà *Huninga*.

ARX Imperialis, vulgò *Rocca Imperiale*, caſtrum regni Neapolitani, in provincia Baſilicatæ, in ora ſinus Tarentini, verſùs limites Calabriæ citerioris. Paucis conſtat incolis, & malè habitum fuit à Turcis paucis abhinc annis.

ARX Iſabella, vulgò *le Fort Iſabelle*, munitio Belgii, in Flandria, prope portum Clauſularum, aliàs ab Hiſpanis excitata, & ſic dicta in honorem Archiduciſſæ Iſabellæ. Vix unâ leucâ diſtat ab ora maris Germanici, & 3. à Dama.

ARX Lierotia, vulgò *Lieroort Schans* Belgis, *le Fort de Lieroort* Gallis, arx Germaniæ, in Friſia orientali, ad Amaſim fluvium,

vium, tribus leucis Germanicis ſupra Embdam, in ditione Hollandorum.

A R X Ludovica, vulgò *le Fort Louis*, aliàs *S. Michael de Ceperoux*, munitio Americæ meridionalis, à Gallis excitata A. C. 1652. in inſula Cajana, ad oſtia fluvii cognominis, in Gujana regione. Subeſt dominio Gallorum, qui ibi quaſdam habent colonias. Alia ab iiſdem recèns extructa, ad Rhenum.

A R X Mardica, ſeu *Mardicum*, vulgò *le Fort Mardik*, fortalitium Belgii, ab Hiſpanis excitatum & permunitum in ora Flandriæ, ubi ſtatio navium prope Dunquercam, unâ leucâ à Fano S. Vinoci in Boream, & tribus à Gravelinga in ortum. Plures captum fuit à paucis annis. Nunc autem paret Francis; & ferè dirutum jacet.

A R X Mauritia, vulgò *le Fort Maurice*, à Batavis, quibus paret, excitata fuit à multis annis in Aſia, in inſula Machiam; unâ ex Moluccis. Quatuor circiter leucis diſtat ab ora occidentali inſulæ Gilolo, in Archipelago S. Lazari.

A R X Monaghana, vulgò *Fort of Monaghan* incolis, arx Hiberniæ, in Ultoniæ provincia & Comitatu cognomine, ad amnem Aquam Nigram. 15. milliaribus Anglicis diſtat ab Armacha in Auſtrum. Nunc ſemidiruta jacet.

A R X Mormontia, vulgò *Fort Moermont*, munitio Belgii, in Brabantia & loco paludoſo, prope Bergas ad Zomam, & ad ipſius tutelam extructa ab Hollandis A. C. 1628. in via Steenbergam verſùs.

A R X Naſſovia, vulgò *Fort Naſſow* ſeu *Mourée*, arx Africæ, in Guinea regione & ora littorali, 4. tantùm leucis ab arce S. Georgii de Mina in ortum. Eſt probè munita, & ab Hollandis excitata fuit A. C. 1612. Portu gaudet percommodô.

A R X Naſſovia, vulgò *Fort Naſſow*, fortalitium Belgii, in Brabantia, intra paludes, ad fluv. Scaldim orientalem, inter Bergas ad Zomam & Tolam. Subeſt dominio Hollandorum.

A R X Naſſovia altera, vulgò *Fort Naſſow*, arx munita Aſiæ, recèns erecta in inſula Motiris, unâ ex Moluccis. Quinque circiter leucis ab ora occidentali inſulæ Gilolo diſtat; paretque Hollandis à multis annis cum tota inſula.

A R X Niculana, vulgò *le Fort Niculet*, arx Galliæ, quæ ab aliis caſtrum Nulleti dicitur. Eſt in Picardia provincia, in tractu Oienſi, prope Caletum urbem, non longè ab ora maris, in ditione Francorum; eſtque munita.

A R X Patientia, vulgò *le Fort Patientia*, munitio Belgii, in Comitatu Flandriæ, aliàs ab Hiſpanis excitata in ora littorali ex adverſo Zeelandiæ, una leuca Germanica ab Iſendico, versùs Aggerem Gandavenſem. Capta fuit ab Hollandis, ipſiſque paret à multis annis.

A R X Philippina, vulgò *Philippine Schans* incolis, fortalitium Belgii, in Flandria, medium fermè inter Bieſletum & Aggerem Gandavenſem in ora. Aliàs excitatum fuit ab Hiſpanis; ſed poſtea expugnatum ab Hollandis, eorum ſubeſt dominio.

A R X Pinſis, vulgò, *Fort Pinſen*, arx Belgii, in Brabantia, in loco paludoſo, prope Bergas ad Zomam, in via Steenbergam verſùs, ab Hollandis extructa A. C. 1628. eorum etiam ſubeſt dominio.

A R X Regia, vulgò *le Fort Royal*, munitio Americæ ſeptentrionalis, à Gallis excitata hiſce ultimis temporibus, in Guadalupia inſula, unâ ex Antillis. Ipſis etiam paret, eſtque ad meridiem inſulæ.

A R X Reyda, vulgò *Reyde Schans*, arx Belgii, quæ ab aliis *Reydanum* dicitur, in Groningæ dominio, ab Amaſi fluvii & Dullarti ſinus angulum communem, ex adverſo Embdæ, à qua diſtat unô milliari Germanicô in occaſum; & quatuor à Groninga in ortum; eſtque munita, in ditione Hollandorum.

A R X Saeſtinga, vulgò *'t Fort van Saeſtinge*, arx Belgii & Comitatus Flandriæ, excitata hiſce ultimis temporibus, ad ripam Scaldis occidentalis, ſeu Foſſæ Ottonianæ, ex adverſo Bevelandiæ Auſtralis, & inter Hulſtum & Bergas ad Zomam. Subeſt dominio Hollandorum à multis annis.

A R X Sancti Andreæ, vulgò *S. Andries Schans* incolis, *le Fort de Saint André* Gallis, arx permunita Belgii, quæ aliter Sant-Andreana, in Ducatu Gueldriæ, inter fluvios Moſam & Vahalim, in Bommeliæ territorio, excitata ab Andrea Auſtrio Cardinale A. C. 1599. Sed annô ſequenti expugnata fuit ab Hollandis, quibus etiamnum paret. Vix una leuca diſtat à Bommelia, & ferè duabus à Buſcoduco in Boream. Vaſtata à Gallis, A. C. 1674.

A R X Sancti Chriſtophori, vulgò *Fuerte de S. Criſtoval*, munitio Hiſpaniæ, à paucis annis excitata, in colle, juxta Anam fluvium, in Extremadura provincia, ex adverſo Pacis Auguſtæ ad ipſius tutelam, à Luſitanis bis tentata. Paret Hiſpanis.

A R X S. Crucis, vulgò *Cruys Schans*, fortalitium Brabantiæ, ad Scaldim fluvium, excitatum ab Hiſpanis, vix una leuca à Lilloâ, & duabus ab Antverpia. Ipſis etiam paret.

A R X S. Donati, vulgò *'t Fort S. Donats*, arx parva, ſed munita Flandriæ, media inter Damam & Clauſulas, excitata aliàs ab Hiſpanis, ad coërcendos incurſus Hollandorum poſt Clauſulas captas.

A R X S. Elmi, vulgò *Caſtel S. Elme*, arx permunita olim Hiſpaniæ, nunc Franciæ, in Comitatu Ruſcinonenſi, prope Caucolibetim, in ora littorali maris Mediterranei, ad pedes montium, & media fermè inter Perpinianum & Rodam, in confinio Cataloniæ. Capta fuit à Francis A. C. 1641. poſteaque ipſis remanſit pace ad Pyrenæos.

A R X S. Georgii de Mina, vulgò *S. Georgio della Mina*, caſtrum Africæ, in ora littorali Guineæ regionis, cum portu capaci & oppidulo, aliàs excitatum à Gallis, munitum fuit à Luſitanis; poſtea expugnatum à Batavis. Varias expertum eſt vices hiſce temporibus. Quatuor leucis diſtat ab arce Naſſovia.

A R X S. Helenæ, vulgò *le Fort de S. Helene*, munitio parva, nuper ab Anglis extructa, in inſula S. Helenæ, longè ab ora Africæ, in Oceano Æthiopico occidentali, media fermè inter promontoria Viride & Bonæ Spei.

A R X S. Joannis de Ulva, vulgò *la Fuerça de S. Juan de Ulva*, arx Americæ ſeptentrionalis, in Nova Hiſpania, in parva inſula prope Portum veræ Crucis, & ad ejus tutelam munita ab Hiſpanis ultimô ſeculô. Ibi appellunt qui versùs Mexicum urbem tendunt, à qua diſtat 80. circiter leucis in ortum.

A R X S. Mariæ, vulgò *la Fortezza di S. Maria*, arx Italiæ benè firmata, in dominio Reipublicæ Genuenſis, in ſinu Speciæ & in ſcopulo, fermè à continenti ſeparata, ex adverſo Portus Ericis, in ora orientali Genuenſi, & 5. milliaribus diſtat à Sarſana in occaſum, 2. autem à Portu Veneris.

A R X S. Mariæ, vulgò *S. Maria Schans*, fortalitium Belgii, in Flandria & Vaſia regiuncula, ad Scaldim fluvium, prope Calloam, & unô milliari Germanicô infra Antverpiam. Ab Hiſpanis excitatum, ipſis etiamnum paret.

A R X S. Mariæ, vulgò *le Fort Sainte Marie*, munitio Americæ ſeptentrionalis, in inſula Guadalupia, unâ ex Antillis, versùs oram orientalem, nuper excitata à Francis, quibus tota inſula ſubeſt à multis annis.

A R X S. Martini, vulgò *le Fort de S. Martin de Ré*, arx permunita Franciæ, in Rea inſula, in ora Santonum, ex adverſo Rupellæ, à qua diſtat tribus leucis circiter in occaſum. Celebris facta eſt victoriâ Francorum & clade Anglorum A. C. 1627.

A R X S. Martini, vulgò *Fortezza di San Martino* incolis, arx eſt Italiæ, in dominio magni Ducis Hetruriæ & agro Florentino, in colle, à magno Coſmo munita, non longè ab Apennino monte, & prope Sievam amnem. 18. milliaribus diſtat à Florentia Bononiam verſùs in Boream.

A R X S. Michaëlis, vulgò *Fuerte de S. Miguel*, munitio Hiſpaniæ recèns extructa prope Pacem Auguſtam, in Extremadura, & ad ejus tutelam. Capta fuit à Luſitanis A. C. 1658. Sed poſtea ab ipſis derelicta, juris manet Hiſpanici.

A R X S. Nicolai, vulgò *Forte di S. Nicolo*, arx Dalmatiæ, prope Sibenicum urbem, & ad ejus tutelam excitata à Venetis, quibus paret, juxta oſtium portus. 300. circiter milliaribus Italicis diſtat à Venetiis in ortum.

A R X S. Petri, vulgò *le Fort S. Pierre*, fortalitium Americæ ſeptentrionalis, excitatum in inſula Martinica, una ex Antillis ad meridiem Guadalupæ inſul. Subeſt dominio Francorum à pluribus annis.

A R X S. Philippi, vulgò *Fuerte de S. Felipe* Luſitanis, *le Fort S. Philippe* Gallis, arx eſt permunita Terrariæ inſulæ, in Azoribus & in Oceano Atlantico, prope Angram civitatem, ſub dominio Luſitanorum.

A R X Schenkia, vulgò *Schenkenſchans* incolis, *le Fort de Schenk* Gallis, arx muniſſima Belgii, quæ à quibuſdam etiam *Sgravenweert* dicitur. Sita eſt in Ducatu Gueldriæ; ubi Rhenus in Vahalim & Rhenum ſcinditur, una leuca infra Emmericum ad occaſum, & tot à Clivia in Boream. Sic dicta fuit à Martino Schenkio ejus conditore; & dolô capta ab Hiſpanis A. C. 1635. fortiter recepta fuit annô ſequenti ab Hollandis, quibus nunc paret. Ei adjacet alia munitio, dicta nova arx Schenkia, à paucis annis extructa. Utraque vaſtata à Gallis, A. C. 1674.

A R X Steenberga, vulgò *'t Fort van Steenberge*, fortalitium Belgii, in Brabantia, prope Steenbergam, & ad ejus cuſtodiam, in littore, excitatum A. C. 1630. à Batavis, quibus paret, utque ab ea mille paſſibus diſtat, & una leuca à Bergis ad Zomam in Boream.

A R X Voornia, vulgò *Voorn Schans*, munitio Belgii, in Ducatu Gueldriæ, in Voornia inſula, ad Moſam fluvium, extructa à Mauritio Naſſovio A. C. 1599. paulo ſupra arcem S. Andreæ, ubi Moſæ Vahalis conjungitur, & ab ea ferè eôdem locô ſeparatur. Vix duabus leucis diſtat à Buſcoduco; ſubeſtque dominio Hollandorum.

A R X Urbana, vulgò *Forte Urbano*, arx Italiæ, in ditione Pontificia & in agro Bononienſi, hiſce temporibus extructa ab Urbano VIII. Summo Pontifice, & ab eo nomen ſortita. Ibi antea ruinæ Caſtri dicti *Caſtel Leone*. Sita eſt prope confinia Ducatus Mutinenſis, vix unô milliari Italicô à vico Caſtro Franco dicto, & tot à Panaro fluvio, 12. milliar. à Bononia Mutinam verſùs.

A R X Zeelandia, vulgò *Fort Zelandia*, arx Aſiæ, in Caloneſo inſula, ſeu Formoſa, in Oceano Chinenſi, inter Sinas & Luſoniam inſulam. Excitata fuit hiſce poſterioribus annis à Batavis in ora occidentali inſulæ, prope Taoyuum oppidum. Sed A. C. 1661. Sinenſes eam expugnârunt.

Arces alias propriis locis deſcriptas invenies.

A R X A M A, Meſopotamiæ urbs.

A R X A N A, Armeniæ regio. *Procopius.*

A R X A T A, urbs Armeniæ prope Araxem. Strabo *l.* 11.

A R X I L A I D A S, vide *Archilaidas*.

A R X I P P U S, vigeſimus primus Archon Athenienſium. Acaſti fil fuit. Jo. Tzetzes *in prolegom. in Heſiodum.* Ὁ δ' Ἄρξιππος υἱὸς, ὡς ἦν Ἀκάστου. Patri ſucceſſit, tenuitque principatum annis 19. ut *Euſeb. Marianus*, *Hieronymus* & *Vincentius* ſunt auctores. Verùm Tzetzes, quem dixi annorum 35. tribuit, ἄρξας Ἀθηναίων ἔτη τριακονταπέντε. Meminit illius quoque Tatianus, *Orat. contra Græcos* Vide Meurſium *de Rep. Athen. l.* 3. *c.* 16. *Nic. Lloydius.*

A R Y A N D E S, Ægypti Præfectus à Cambyſe conſtitutus, occiſus, quòd Darium in omnibus æmularetur, ut nomen ſuum immortale redderet. Herodot. *l.* 4. Ab hoc ἀργύριον Ἀρυανδικὸν dicitur, cu-

jus mentio apud *Pollucem*. An es, cujus ambiguum juramentum, Polyæn *l.* 7. *c.* 34.

ARYCA, Locrenſium, qui Epicnemidii vocantur, civitas. Diodor. Sic. *l.* 14. *f.* 440. habet *τὰ Ἄρυκας*: qui Ajacis patriam vulgò haberi inſeriſerit. Ejuſdem quoque meminit *l.* 16. *f.* 530. captæ & everſæ ab Phayllo.

ARYCANDA, Lyciæ civitas. *Steph.*

ARYENIS, filia Alyattis Lydorum Regis, quâ Aſtyagi Cyaxaris Medi filio elocatâ, bellum inter Lydos Medoſque quinquennale, ob Scythas, à Lydis receptos utrimque magnis animis & vanó eventu geſtum, finitum eſt. Herodot. *l.* 1. *c.* 74.

ARYMAGDUS, Ciliciæ fluv. *Ptol. Sequano Nigro*, ex Tauro, in mare exit.

ARYMBAS, Moloſſorum Rex, moritur Olympiad. 109. annó tertiô, regnô potitus annos decem, relictô filiô *Æacide*, Patre Pyrrhi: ſuccedente Alexandrô fratre Olympiados.

ARYMPHÆI, populi circa Mæotim. *Plin. l.* 6. *c.* 7.

ARYPE, civitas Ægypti. *Steph.*

ARYPTÆUS, Princeps Moloſſorum, qui primò clandeſtinam cum Græcis adverſus Macedones conjuratis ſocietatem coluit: poſtea Macedonum partes amplexus eſt.

ARYTUS, Græcè Ἄρυτος, Solymis cultus, vide Euſebium *Præpar. Evang. l.* 5. *c.* 5. Ἄρυτον vocat Theodoretus *Græc. affect. cur. l.* 3. Ἄρυος Plutarchus *de Def. Oracul.* Vide infrà *Solym.*

ARZAHEL Meſſallah, vide infrà *Zahel.*

ARZIA, apud Jul. Capitolin. in *Maximinis*, *c.* 2. *Nam quum eſſet Maximinus pedum — ocło & prope ſemis, calceamentum ejus, i. e. campagum regium, quidam in luco, qui eſt inter Aquilejam & Arciam, poſuerunt, &c.* Reg. & Palat, habent *Arciam*. videtur loci alicujus prope Aquilejam nomen eſſe; neque accipiendum de *Arſia* fluv. qui Italiam ab alia parte terminabat, abeſt enim ab Aquileja longiùs, Caſaubon. *ad loc.*

ARZILLA, urbs regni Fezzæ, in Africa in ora Oceani Atlantici. Munita & parva cum portu & arce, in Hasbatha provinc. Paret Regi Marochi.

ARZIRUS, *Ptol. Arzenum*, urbs Armeniæ, apud Euphratem fluv. Vide *Azire.*

ARZUS, *Ptol.* hodie *Chiaurlic*, *Bellonio* teſte, urbs Thraciæ, cum fluvio cognomine. An eadem cum Tzurulo? *Vide ibi.* Item, urbs Epiſcopalis Cypri in mediterraneis, *Arces* vulgò. Olim *Arſinoe*, ut *Steph. Luſignano* videtur.

AS, menſoribus olim pes: Arithmeticis unitas: in re nummaria cum unciis ſuis ad imitationem Græcorum λίτρας καὶ χαλκοῦ formatus eſt; qui partes ejus non niſi numeris exprimunt. Sic unciam ſeu duodecimam partem *δωδεκάδα*, ſextantem *ἑξάδα*, quadrantem *τριάδα*, trientem *τετράδα*, quincuncem *πεντάδα δωδεκάδα*, ſemiſſem *ἥμισυ*, ſeptuncem *ἑπτὰ δωδεκάδα*, beſſem *δίμοιρον*, dodrantem *δίμοιρον καὶ δωδεκάδα*, dextantem *δίμοιρον ἑξάδα*, deuncem *δίμοιρον τριάδα*, *Aſſem* ipſum *λίτραν* appellavêre. In re Teſtamentaria, tota hæreditas fuit appellata *As*, cujus duodecima pars *Uncia* dicta eſt: *Duæ unciæ dicebantur Sextans, tres Quadrans, quatuor Triens, quinque Quincunx, ſex Semiſſis, ſeptem Septunx, octo Beſſis, novem Dodrans, decem Decunx, undecim Deunx, totum As.* Iterum quælibet Uncia, in ſex partes *Sextulas* dictas, erat ſubdiviſa: *Duæ Sextulæ Duellam, tres Semunciam faciunt.* Qui ſolus conſtituebatur bonorum defuncti hæres, dicebatur *Heres in aſſem totum inſtitutus.* Ex Deunce hæres is dicebatur, cui undecim hæreditatis partes obvenêre: ex Quadrante, qui tres portiones nactus eſt: ex Semuncia illi hæredes vocabantur, quibus viceſima quarta portio ceſſit: *Sextulâ aſpergi* nuncupabantur, qui non niſi ſeptuageſimam ſecundam partem obtinuêre. Et hi omnes *Hæredes ex toto Aſſe* dicti ſunt, Legatariis oppoſiti; qui autem ſolus omnia obtinebat, diceretur *In totum Aſſem inſtitutus.* Originem vocis quod attinet, dicitur *As* & *as*, ex Dorico *ἄς*, pro *εἷς*, *unus*, docente Gronoviô *de Pecunia vet. l.* 4. *c.* 17. ſed ſignificationem ampliârunt aut contraxerunt Latini. Vide quoque Bart. Latomum in *Orat. pro Cretina*, Alex. ab Alex. *Genial. dier. l.* 2. *c.* 2. Thomam Godwyn *Anthologia Hiſtor. Rom. l.* 3. *ſect.* 4. *c.* 15. &c. uti de tribus *Aſſibus*, quos ad virum ferre ſolebat apud Romanos uxor, infrà ubi de *Nuptiis*.

AS, ſeu ASSIS, in teſſerarum ludo Gallis idem, quod Græcis olim *οἴνη*, i. e. *ὁ μονάς*, *unus*. Sed & *Aſſem* pro *uno* vel unitate veteres quoque Latini dixêre. *Adjectô aſſe*, apud Vitruvium, *l.* 3. *c.* 1. pro adjecta unitate: & apud *Hyginum*, *acceptô aſſe*, pro accepta unitate; *aſſem relinquo*, pro unitatem relinquo. In Gromatico, *omnis trigonus ductus, ubicunque acceptô aſſe facit quadratum, cujus latus demitto, aſſem relinquo ſumo partem dimidiam, facit trigonum*: *Gloſſæ*, *as*, *ἄσσαξ*, *aſſarium*, *μονομιχων*: quam vocem à Siculis vel Tarentinis Romani veteres ſumsêre. Εἷς, quod eſt *unus*, Siculi dicebant *αἷς*, ut *αἱ* pro pro *οἱ*: *αἶδε* pro *οἵδε*, & ſimilia. Tarentini pro *αἷς* ruſum dicebant *ἅς*, ut *ἄνυγμα*, pro *αἴνιγμα*. Inde *As* pro *uno* Latinis. *Teſſera* quoque vocabulum ab iiſdem accepêre Romani, quam *τετράγωνον* illi vel *τεσσάρα* vocabant. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo. c.* 13.

ASA, Hebr. אסא, Latinè *Medicans*, aut *Sanans*, fil. Abiam, pronepos Solomonis, Rex Judææ, A. M. 3079. zelô veræ pietatis, & virtute bellicâ præſtans, profligavit Zeræ Æthiopis exercitum numero 100000. 2. Chron. *c.* 14. *v.* 9. 10. Matrem Maacham à regni adminiſtratione removit, eò quòd idolum ſibi confeciſſet. 1. Reg. *c.* 15. *v.* 13. Ben hadadi Syri operâ, Baaſan Regem Iſraelis fugavit. Tandem podagrâ laborans, in Medicis magis, quam in Deo confiſus mortuus eſt, A. M. 3120. regni 41. Vide 1. Reg. *c.* 15. *v.* 13. 1. Paral. *c.* 13. *& ſeqq.* Joſeph. *l.* 8. *c.* 6. *Jud. Ant.* *Torniel. Salian. Capel.* &c. Item Levita, fil. Elcanæ. 1. Paral. *c.* 9. *v.* 16.

ASA, in condimentis ciborum, apud Indiæ quoſdam populos, & præcipuè Cambajæ provinc. incolas, ſicuti *Laſer* apud Veteres unde nonnulli cum *Laſere* veterum eandem faciunt. Certè & modus eam præparandi convenit ut inveteraſcere poſſit ac diu ſervari. In bubula namque coria illam conjiciunt ſanguine bubulô priùs illita & cum tritici farina permixto; quô modô Veteres ſuccum laſeris præparâſſe, ex *Plinio* diſcimus. Interim longè aliam ab illo *Aſam* eſſe, oſtendit Salmaſ. *ad Solin. p.* 1023.

ASABEL, fil. Benjamin. Gen. *c.* 46. *v.* 21. qui 1. Paral. *c.* 7. *v.* 11. *Jadiel* dicitur.

ASABO, Græcè Ἀσαβῶν, mons eſt, ſeu potius montes ingentes, & promontor. ad lævam ſinus Perſici, apud *Ptolemæum* & Auctorem *Peripli*: prope quos *τὴν Ἀσαβωφόρον*, *Thuriferam regionem* ille ponit. Vide Salmaſ. *Ibid. p.* 494.

ASABORUM, Arabiæ Felicis promontor. *Ptol. Mochandan Barrio.*

ASACHÆI, populi in montibus Æthiopiæ, Plin. *l.* 8. *c.* 13. qui & *Aſacha.*

ASACUS, fluv. Heracleam civitatem alluens, ſub radicibus montis Oetæ Liv. *l.* 5. *bell. Macedon.*

ASÆ, vicus Corinthiacus, & Thraciæ. *Steph.*

ASÆA, mont. *Sudæ.*

ASÆI, populi Sarmatiæ Aſiaticæ, versùs fontes fluv. Rha Septentrionaliores, inter Modocas & Suardenos, *Sanſone* teſte.

ASÆUS, Princeps Græcus ab Hectore interfectus. Homer. *Il.* 11.

ASAËL, Latinè *fecit Deus*, Zeruiæ fil. frater Joab, Davidis nepos. 2. Sam. *c.* 2. *v.* 18. ubi legimus: *Eratque Aſahel celer pedibus, ut capreolorum aliquis qui degit in agro.* De quo *Joſephus* perhibet, quod *ἵππον κατὰ τάχος εἰς ἅμιλλαν* præveniret. Audaciùs verò Poetæ Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 919. ubi de Niſo:

> *Emicat & ventis, & fulminis ocyor alis.*

Idem de Camilla, *l.* 7. *v.* 808.

> *Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret*
> *Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas:*
> *Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti*
> *Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.*

Habuit ex Homero ſuo, *Il.* 20. *v.* 226.

> Αἱ δ' ὅτε μὲν σκιρτῷεν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν,
> Ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον, οὐδὲ κατέκλων.
> Ἀλλ' ὅτε δὴ σκιρτῷεν ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης
> Ἄκρον ἐπὶ ῥηγμῖνος ἁλὸς πολιοῖο θέεσκον.

Apollonius *Argon. l.* 1. ubi de Polyphemo, quod mirêre:

> Κεῖνος ἀνὴρ καὶ πόντου ἐπὶ γλαυκοῖο θέεσκεν
> Οἴδματος, οὐδὲ θοοὺς βάπτεν πόδας, ἀλλ' ὅσον ἄκροις
> Ἴχνεσι τεγγόμενος διερῇ πεφόρητο κελεύθῳ.

Nic. Lloydius.

ASAEL, vide *Azael.*

ASAGRÆ Saraceni, in Hiſpania, quorum regno Petrus Aragoniæ Rex, Jacobi fil. finem, captô Abaracinô, impoſuit, A. C. 1284. Calvis. *in Chron.*

ASAIA, Latinè *fecit Dominus*, ſive *factura Domini*, ſervus Joſiæ Regis 2. Reg. *c.* 22. *v.* 14. Nomen item Principis 1. Paral. *c.* 4. *v.* 36.

ASALAMINIUS, Bacchus ab Ariſtophane dictus, quaſi dicas *imbellem*, à nave illa Athenienſium Salaminia, quâ in difficillimis rebus utebantur.

ASALELPHUNI, Latinè *umbra*, vel *ſubmerſio vultûs*, aut *ſomnus*, vel *umiditas vultus*, filia Etam. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 3.

ASALIA, Pater Saphan Scribæ. 2. Reg. *c.* 22. *v.* 3. Latinè *prope Dominum*, ſive *ablatio*, vel *ſeparatio Domini.*

ASAMA, Mauritaniæ Tingitanæ fluv. *Ptol. Omirabi Caſtaldo.*

ASAMPATÆ, populi circa Mæotim. Plin. *l.* 6. *c.* 7.

ASAN, Rex Bulgarorum, Romanâ communione relictâ, Græcam amplexus eſt. Quare Gregorius IX. Belam Hungariæ Regem contra illum excitavit, omnibus ad belli ſocietatem vocatis. Spond. *A. C.* 1238. *n.* 10. *&* 11.

ASAN, vel ASSAN, per ignaviam Michaëlis Imperatoris Turcis junctus in Syria Aſiaque magnos fecit progreſſus, circa A. C. 1072. *Zonar.* Idem nomen aliquot Barbariæ, poſt Barbaroſſam, Regibus fuit. Item, *Aſan* vel *Aſſan Cigale*, ſub Mahomete III. & Achmete I. celeberrimus. Nec non famoſus pirata, A. C. 1626. à Chriſtianis captus.

ASAN, Latinè *fumus*, aut *fumigans*. Nomen civitatis, Joſuæ *c.* 15. *v.* 42.

ASANA, Latinè *robur*, aut Syriacè *immotus*. Pater Odvia. 1 Paral. *c.* 9. *v.* 7.

ASANA, fluv. Africæ circa Atlantem montem, Solino *c.* 24. Sed Plin. *l.* 5. *c.* 1. illum inde ducentis millibus removet. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 304.

ASANCA, Germaniæ urbs. *Ptol.* ex qua *Villanovanus Cleppern* fecit, Poloniæ civitatem.

ASANDER, vir qui Tauricam Cherſoneſum à continente ſeparavit, ductô per ejus iſthmum murô, à ſinu Carcinitico, uſque ad Mæotim paludem. Strabo *l.* 7.

ASANIA, aut ASANA, fluv. Mauritaniæ circa montem Atlanticum. Solin. *c.* 27.

ASAPH, Latinè *congregans*, ſive *colligens*, aut *finiens*, fil. Barachiæ, 1. Paral. *c.* 6. *v.* 39. Pater Zachri, 1 Chron. *c.* 9. *v.* 15.

ASAPHOPOLIS, ſeu FANUM S. ASAPHI, Urbs Walliæ in Anglia. Vide *Elwa.*

ASAPPI, auxiliares copiæ Turcarum. Cùm enim Turcici exercitus robur in duplici hoc militum genere tantùm conſiſtat, in *Janizaris*, qui pedites, & *Spahis*, qui equites ſunt: Præter hos copias habent ex Chriſtianis conſcriptas, *Aſappos* is dictos, qui in bello præmittuntur, ut hoſtium primum impetum ſuâ cæde morentur, ſeque ſuccedentibus mox Janizaris ac Spahis faciliorem ac certiorem victo-

victoriam relinquant. Vide Joh. Georgium Hornium *Orb. Polit.* p. 32. & 33.

ASARAH, Syriacum nomen, pro luco & luci idolo. Unde leviter deflexum *Athare*, peculiare Numen Damaſcenorum, apud *Juſtinum*, de quo vide infrà in *Athare*. *Aſtaroth* quoque Numen Sidoniorum ſæpius ita indigitatur, ut notarunt Viris doctis. Græci Ἀστάρτην vocârunt, quam & confuderunt cum Atargati vel Derceto perperam: Ἀστάρτη enim Dea Sidoniorum. Atargatis verò vel Derceto Joppenſium Numen fuit. Salmaſ. *ad Solin.* p. 374.

ASARAMEL, Græci Σαραμὲλ habent, nomen loci. 1. Machab. c. 14. v. 28. Latinè *beatitas populi Dei*, aut *veſtigium circumciſionis*.

ASARELA, Latinè *beatitudo Dei*, aut *erigens ſurſum*, vel *quercum*, ſive *greſſus Dei*, Nomen viri, 1. Paral. c. 25. v. 2.

ASAR-HADDON, Latinè *ligans acumen*, aut *latitiam*, aut Syriacè *prohibens novitatem*, vel *mutatem*; fil. Sennacheribi, qui poſt eum regnavit. 2. Reg. c. 19. v. 37. ab A. M. 3325. uſque ad 3335. Novam coloniam Samariam miſit, ultimus Aſſyriorum Rex, Geneb. *Chron.* quod non de tota Monarchia, ſed de parte tantùm ejus capiendum. Torniel. A. M. 3333. n. 1. Joſeph *Jud. Ant.* l. 10. c. 2. &c. Aliàs *Aſſar-Adinus*, it. *Sar-chedon*, Tob. c. 1. v. 21. & *Sargon* Eſaiæ, opportunitate interregni 8. annorum apud Babylonios, poſt Meſeſſi-Mordacum Babylonis Regem bene uſus, urbem illam occupavit & utrumque Aſſyriorum regnum (quod à Nabonaſſari tempore geminum erat) conjunxit, annô Manaſſis Regis 34. à quo tempore Aſſyriaci, cujus Ninus hactenus ſive Ninive Metropolis erat, evanuit, increbuit Babylonici nominis gloria: adeò ut Rex hic Aſſyriorum ultimus ſit in S. Literis celebratus, ejuſque ſucceſſores *Babylonis* nuncupentur. Idem Syriam omnem ſub ditione tenuit, ad quam in obſequio confirmandam exercitu miſſô, Manaſſen hâc expeditione cepit Babylonemque abduxit, 2. *Chron.* c. 33. v. 11. Azotum, quæ Judaicæ ditionis fuerat, Ibid. c. 26. v. 6. expugnavit. Regnavit in Ninive ann. 37. Babylone 13. ſucceſſore Saoſduchinô, quem vide, & plura in hanc rem apud Joh. Marshamum *Canon Chron. Sec.* XVII. & XVIII.

ASAR-MAHAT, Dux Judæorum, regnavit ann. 9.

ASAROTA, fuerunt pavimenta, in quibus variis coloribus cœnarum reliquiæ depictæ erant, ita, ut facilè falli quis potuiſſet, exiſtimans veras eſſe reliquias, & totum pavimentum non fuiſſe verſum, cùm tamen reverà purgatiſſimum erat. Græcè ἀσάρωτα, ab α privat. & σαίρειν ſcopis purgare, Plin. l. 36. c. 25. *Celeberrimus fuit in pavimentorum genere Zenodorus, qui Pergami ſtravit, quem vocant aſaroton oecon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri ſolent, velut relicta fecerat, parvis è teſtulis tinctiſque in varios colores.* Stat. l. 1. *Silv.* 3. v. 53.

Monſtravêre ſolum, varias ubi picta per artes
Gaudet humus, ſuperatque novis aſarota figuris.

Hinc *Aſaroticum*. Sidon. Apol. *Carm.* 23.

——— *Aureaſque portas*
Exornat aſarotico lapillo.

Vide Voſſium, in *Aſarota*. Alias tamen in illius Oeci pavimento figuras pictas fuiſſe, ſtatim idem Plin. ſcribit; *Mirabilis columba bibens, & aquam umbrâ capitis infuſcans, apricantur aliæ ſcabentes ſe in canthari labro*. Fiebat iſtiuſmodi opus, lapillis in varios colores tinctis, uſque quadrans: cùm Lithoſtrota ſectis parvulis marmorum cruſtis ſtrata eſſent ex diverſi generis & coloris marmoribus, non tinctis. Quæ prioris, cum circa Sullæ tempora originem ſumſiſſent, brevi poſt pavimenta ſeu teſſellata opera expulerunt, quæ ex humo mota in cameras tranſiêre. Vide infrà paſſim, & de his plura apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1212.

ASBAMEA, Cappadociæ fons, de quo Philoſtratus *in vita Apollonii* l. 1. c. 4. *Eſt autem circa Tyana, aqua ſons (ut perhibent) ſacra, quam Aſbamæam vocant. Fons ejus frigidus ſanè ſcatet, ebullit autem non ſecus atque igne calefactus lebes. Hanc puris & juramenti fidem ſervantibus aſpectu placidam, & guſtu dulcem eſſe perhibent, perjuris vero & infidis palam adverſari*, &c. Rhamneſius, quem hic ſequor, pro *Aſbamæam* habet *inextinguibilem*, nullô ſenſu, quaſi ἄσβεστον, ὕδωρ legerit pro ἀσβαμαῖον, neque id mutavit Jacobus. Tamen rectum eſt Ἀσβαμαῖον. Inde enim *Suidas*, Ἀσβαμαῖον, ὕδωρ ἐστι καθάρσιον. Et Amm. Marcellin. l. 23. *Apud Aſbamas quoque Jovis templum in Cappadocia, apud oppidum Tyana ſtagnô effluens fons cernitur, qui magnitudine aquarum inflatus, ſeſeque reſorbens nunquam extra margines intumeſcit.* *Aſbamæum* autem Hebraicè eſſet מי שבע *Me-ſeba* vel מי השבע *Me-haſſeba*, h. e. *aqua juramenti*, ut *Beerſeba*, *puteus juramenti*. Sed Cappadoces, quorum Syriſmus erat impuriſſimus, mutatô vocum ordine dicebant *Aſbamas*, ut Armeni *Tigranocerta* pro civitate *Tigrani*, & *Cholobet*, pro Cholis domo. Bochart. l. 1. *Chanaan*, c. 28.

ASBEL, Latinè *ignis vetuſtatis*, aut *ignis deſtitus*, vel *decidens*, fil. Benjamin. Vide *Aſabel*.

ASBELITÆ, populi. Numer. c. 26. v. 38.

ASBESTÆ, vel ASBYSTÆ, populi Libyæ ſupra Cyrenem, apud quos vulgatiſſimum Ammonis templum, inter medias arenas conditum eſt. *Ptol.* Sunt & alii *Aſbyſtæ*, apud eundem *Ptol.* diverſi ab Hammoniis, *Hasbitæ Plinio*. Horum etiam meminit Sil. l. 2. v. 58.

ASBESTOS, lapis ferrei coloris, *qui accenſus ſemel extingui nequitur, cum Arcadia mittit*, Solin. c. 7. In montibus Arcadiæ naſci, Plin. l. 37. c. 10. habet. Qui idem *Aſbeſtinum* meminit quod in deſertis aduſtiſque Sole Indiæ naſci prodit, ſed rarum inventu, ex quo funebres Regum tunicæ fieri ſolitæ. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 998. & infrà, ubi de *Lino Aſbeſtino*, in voce *Carbaſa*.

ASBOLUS, unus ex canibus Actæonis, à fuliginoſo pilorum colore, nam ἄσβολος fuligo eſt ſive favilla. Ovid. *Met.* l. 3. v. 218.

Et niveis Leucon, & villis Aſbolus atris.

ASBOLUS, is Græcè, dicitur, qui Phœnicibus *Chus*, vel *Chum* erat, quia, ut חום *Chum* Ebræis *atrum* ſonat, ita Græcis ἄσβολος *fuliginem*. De cætero mihi nullus occurrit hujus nominis, præter Centaurorum Ducem *Aſbolum*, quem in Centaurorum pugna interfectum Hercules crucifixiſſe legitur, hoc adſcriptô Epigrammate:

Ἄσβολος οὔτε θεῶν ὀπιζόμενος ὄπα, οὔτ' ἀνθρώπων
Ὑψιλόφοιο κρεμαστὸς ἀπ' ἀγχίου ἐστὶ πίτυος
Συγγηθεῖς μέγα δεῖπνον ἀμετροβίοις κοράκεσσι.

An hic eſt ille *Centaurus Aſbolus*, quem Tatianus Aſſyrius *in Orat. contra Græcos*, & ex illo Euſebius *Præp. Evang.* l. 10. cenſent in catalogo ſcriptorum, qui Homeri ætatem præceſſerunt? Nempe inter Centauros nonnulli docti fuêre, ut Chiron, ille Heroum Pædagogus, & in Ovid. *Met.* l. 12. augur Aſtylus. Vide Bochart. *Phaleg.* l. 4. c. 2. *Nic. Lloydius*.

ASBOTUS, urbs Theſſaliæ, *Steph.*

ASBURTONIUM, oppid. Angliæ, in Devonia provinc. ad fluv. *Dart*. Ab Exonia 15. milliar. totidemque à Plimutho

ASBYLUS, Crotoniata, cujus meminit *Pauſan.* & Plato *in lib. de Republ.*

ASBYSTA, civitas Libyæ. *Steph.* Populi *Aſbyſtæ*, quorum meminit Dionyſius Perieg. v. 211.

Ἀσβύσται δ' ἐπὶ τοῖσι μεσηπείρῳ ἐνὶ ναίουσι,
Καὶ τέμενος Λιβυκοῖο θεοῦ, ψαμαθώδεος ἐν πολλῇ
Κυρήνη τ' ἀνίππος —— ——

Plinio & aliis *Aſbetæ*, vel *Aſbytæ*. Hos laſere vivere falsò dicit Solinus, c. 31. malè interpunctô Plinii codice in errorem ductus, ut contendit Salmaſ. *in Plinianis* p. 381. qui etiam *Aſbyſtarum* terræ partem fuiſſe eam ipſam, ubi Cyrenæi urbem condiderunt, ex *Callimacho* notat, qui ipſum Cyrenæum ſolum vocat.

—— —— Ἀσβυστίδα γαῖαν.

ASBYSTES, vocatur Triton fluv. qui in Cyrenaica. Græcè Ἀσβύστης, apud *Callimachum*. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 381.

ASCADUS, Rex Aſſyriorum, poſt Sparetum. Euſeb. *Chron.* Obiit A. M. 2575. regni 40.

ASCALABOTES, apud Ovid. *Met.* l. 5. v. 461.

—— *variis ſtellatus corpora guttis.*

Hinc ἀσκαλαβώτης Græcis, qui *ſtellionem tranſmarinum* ſic vocant. Item γαλεώτης, de quo vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 757. & infrà in voce *Stellio*.

ASCALAPHUS, & JALMENUS fratres, Martis filii ex Aſtyocha. Homer. *Il.* β. v. 511.

Οἳ δ' Ἀσπληδόνα ναῖον, ἰδ' Ὀρχομενὸν Μινύειον,
Τῶν ἦρχ' Ἀσκάλαφος, καὶ Ἰάλμενος, υἷες Ἄρηος
Οὓς τέκεν Ἀστυόχη. —— ——

ASCALAPHUS, Acherontis & Orphnes Avernalis Nymphæ fil. poſtea à Proſerpina in bubonem commutatus. Nam, poſt raptam à Plutone Proſerpinam, cùm Ceres filiæ ſuæ reditum à Jove eâ lege impetrâſſet, ſi nihil cibi apud inferos guſtâſſet, *Aſcalaphus* eam prodidit, quod 7. grana mali Punici ab arbore decerpta comediſſet. Indignata itaque Proſerpina convertit eum in bubonem, avem funeſtam & rerum triſtium ſemper prænunciam. Ovid. *Met.* l. 5. v. 543.

Ingemuit Regina Erebi, teſtemque profanum
Fecit avem, ſparſumque caput Phlegethontide lympha
In roſtrum & plumas & grandia lumina vertit.
Ille ſibi ablatus fulvis amicitur ab alis;
Inque caput creſcit longoſque reflectitur ungues,
Vixque movet natas per inertia brachia pennas,
Fœdaque fit volucris venturi nuncia luctus
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

ASCALINGIUM, urbs German. *Ptol.* *Hildesheim*, teſte *Irenic.* Alii tamen *Aſcalingium* putant fuiſſe oppid. Dulgibinorum, verſus oppid. *Hervord.* in Weſtphalis & Comitatu Ravenbergico, 9. circiter leucis German. ab Hildeſio in occaſum. *Baudrand.*

ASCALON, Latinè *appenſio*, vel *ſtatera*, ſive *ignis infamis*, civitas Palæſtinæ, ſive ut Joſephus habet l. 5. *Ant. Jud.* c. 3. ſuperioris Idumææ. In tribu Dan, maritima. Philiſtæorum munitiſſima. *Morer.* Conditorem habuiſſe legitur Lydium *Aſcalum*. Ita Xanthus refert in Lydiacis apud *Stephanum*, ὅτι Τάνταλος καὶ Ἄσκαλος παῖδες Ὑμεναίου. Τὸν δὲ Ἄσκαλον, ὑπὸ Ἀκιάμου τοῦ Λυδῶν βασιλέως, αἱρεθέντα στρατηγὸν, εἰς Συρίαν στρατεύσαντα, κἀκεῖ παρθένου ἐρασθέντα (lege ἐρασθέντα) πόλιν κτίσαι, ἣν ἀφ' ἑαυτοῦ ὄνομα. Addit, idem haberi in *Nicolao Damaſceno*. Quod mihi tamen ſuſpectum, quia *Aſcalon* urbs fuit vetuſtiſſima, una è Satrapiis Philiſtæorum in libris Joſuæ & Judicum memoratis. Bochart. l. 2. *Phaleg.* c. 12. Hujus incolæ, ob arcam detentam, graviter puniti leguntur, 1. Sam. c. 5. Joſeph. *Jud. Ant.* l. 6. c. 1. Hic Judæi 2500. occiſi, A. C. 66. Sacerdotes & devotæ virgines diſſectæ, hordeô impletæ & porcis objectæ, ſub Juliano Apoſtata A. C. 363. A Saracenis ſæpius capta, in Balduini Regis Hieroſolymitani manus pervenit, A. C. 1154. poſtquam Solimannus antea in ejus vicinia, prælio, in quo centum Millia cæſa, A. C. 1097. trienniöque poſt iidem Turcæ non minori clade victi ſunt. Guil. Tyr. l. 18. Hic Rex Saladinum quoque ad eandem urbem magnâ clade affecit, A. C. 1175. *Idem.* Sed poſt ejus mortem, civili ortô bellô, Saladinus, occaſioni imminens, cum

tota Galilæa, Berytho, Biblo, Aſcalonem quoque cepit, A. C. 1187. quæ poſtmodum tantum non penitus deſtructa eſt, ut vix 60. familiis Æthiopum, Turcarumque cohorti, qui Arabum Chriſtianorumque conatus ibi obſervant, ſedem hodie præbeat.

ASCANAXES, fil. Gomer, unde *Aſcanazis*, qui Græcis Rheginenſes & Euſebio Gothi. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 1. *c.* 6.

ASCANIA familia, in Germania, illuſtriſſima, an ab Aſcenazo, ex Japeti poſteris, Gen. c. 10. v. 3. an ab Aſcaniis, qui relicta Bithyniâ, & poſtea Aſcaniâ palude Boſphorum, cum Cimbris & Cattis, in has oras profecti, ad Herciniam conſederint ? dicta. è qua hodierni Principes Anhaltini prodierunt. Ex his Fridericus I. Imperator Albertum Urſum Marchionem & Electorem Brandeburg. A. C. 1141. hujuſque filium Bernhardum I. Ducem & Electorem Saxoniæ creavit, A. C. 1180. Utroque Electoratu, à Sigiſmundo Imperatore in familias, in quibus hodieque, translatâ, demum A. C. 1417 & 1424. Vide Wendelin *Polit. l.* 2. *c.* 32. Henricus autem Bernardi fil. Princeps Anhaltinus, à Friderico II. creatus eſt. Cujus fil. Otto, genuit filios Sigfridum & Bernhardum, Servestanæ & Bernburgianæ linearum auctores, quæ deinde in plures ramos ſubdiviſæ. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal.* inter *Aſcaniæ* Dominos jam vetuſtiſſimis temporibus Radbodus memoratur, ab eodem fortè conditæ, poſteà dirutæ à Pipino, ſed ab Alberto II. Comite *Aſcanio*, reſtauratæ. *Comitis* titulum primus geſſit Berengerus, qui cùm Chriſtianis ſacris initiaretur, *Caroli* nomen accepit. Eam poſt Albertus Epiſcop. Halberſtadienſis, frater Bernardi Anhaltini odiô, Epiſcopatui aſſeruit renitentique fruſtrà Principibus Anhaltinis refragantibus: pactione tandem Weſtphalicâ in Brandeburgicum Electorem, jure Halberſtadienſis Principatus, translatam, *Inſtrum. Pac. Artic.* 11. *princ.* Vide Tob. Pfannerum *l. de præcip. Germaniæ Principum gentibus*, ut & vocibus *Anhaltinum*, & *Aſcania*.

ASCANIA, inſul. maris Mediterranei, non procul ab Andro. Eſt & regio Aſiæ, & palus in Troade. *Euſtathius*. Item Trojæ civitas, quam condidit Aſcanius Æneæ fil. Bithyniæ lacus quoque *Ptolemæo*, *Iſnick Caſtaldo*; *Nigro Londar* vocatur. At *Pet. Gyllius* oculatus teſtis, eum *Lago de Nicea* appellat. *Sunonenſis lacus* videtur, ab Amm. Marcellino nominari, *l.* 26.

ASCANIA, caſtrum German. perantiquum, Comitatus caput in Principatu Anhaltino, ad Wipperam fluv. mediô itinere, inter Magdeburgum & Northuſiam. Nomen dedit aliàs Principibus Anhaltinis de quibus ſuprà; diſtatque mediâ leucâ, ab Aſcherſleba oppido.

ASCANIUS, Æneæ fil. ex Creuſa Priami filia. *Virgil.* Liv. *l.* 1. *c.* 3. tamen dubitat, Creuſæne an Laviniæ fil. fuerit. Dictus eſt ab *Aſcanio* Troadis fluv. deinde *Ilus*, ab *Ila* Trojanorum Rege, poſtea *Julus*, à prima barbæ lanugine. Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 271.

At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur, Ilus erat, dum res ſtetit Ilia regno.

Huic, cùm avus & pater, jam dirutâ Trojâ, de fuga diſceptarent, flammula quædam in capitis vertice apparuit, quæ tamen nihil læſionis intulit, neque etiam manibus extingui potuit, unde illi futuri Imperii omen ſumpſerunt. Cum patre, poſt multos errores, in Italiam venit, ubi Turnô occiſô, & patre mortuô, cùm circa A. M. 1877. apud Lavinium 30. ann. regnâſſet, Albam Longam condidit, reſtitutâ tamen prius in regnum novercâ, quæ antea ob timorem in ſilvas aufugerat. Tandem cum in univerſum 38 ann. imperii gubernacula tenuiſſet, jam moriens, cum videret filium Julum Sylvium, regno non ſatis aptum, Sylvium poſthumum fratrem, ſed ex diverſa matre, pietate & juſtitiâ præſtantem, regni hæredem reliquit. Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. Euſeb. *Chron.*

ASCANIUS, Abderites, vetuſtus author, cujus meminit Laërtius *in Pyrrhone*.

ASCANIUS, Bithyniæ fluv. per *Aſcanium paludem*, apud Nicæam, in ſinum Aſtacenum influens. *Aeſis* vulgo Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 269.

Illas ducit amor trans Gargara, transque ſonantem
Aſcanium.

Item portus Æolidis.

ASCANIUS, nomen lacus & fluvii in Aſia, diei itinere à mari diſſiti, quorum hic in Granicum ſe exonerat. Urbs Lopadium, quam *Apolloniam* veterem eſſe reatur *Ferrarius* in fluvii ulteriore ripa ſita eſt, parvi hodie nominis & malè habitata. Jac. Sponius *Itinerar. Græc. Part.* 2. *p.* 284.

ASCANIUS Sforza, Cardinal. frater Ludovici, cognomine *Æthiopis*, Ducis Mediolanenſis ſub Ludov. XII. Gallis, pro Mediolano bellum cientibus, à Venetis traditus & Bituriges deductus eſt. A. C. 1500. Unde poſtea Cardinalis Amboſiani, qui plurimum in regno valebat, ope iterum eſt dimiſſus. Hiſtor. Franc. *in Ludov.* XII.

ASCANTICI, Sarmatiæ Aſiaticæ populi. Plin. *l.* 6. *c.* 7.

ASCAPHUS, Ægæi maris inſula. *Antonin.*

ASCARICUS, Princeps Gallos, abſente Conſtantiô, Regaſio junctus, pactas indutias violavit; à filio ejus Conſtantino victus. Eutrop. *l.* 10. dicit, illum canibus objectos eſſe. Nazar. *in panegyr. Conſtantini.* Euſ. *in vita ejus.*

ASCATADES, ſive ASTADES, decimus ſeptimus Lacedæmoniorum Rex, regnavit ann. 14. qui penitus omnem Syriam ditionis ſuæ fecit.

ASCATANEAS, mons apud Sacas. *Ptol.*

ASCAUCALIS, oppid. German. ubi Burgundiones populi teſte *Sanſone*; Forſan *Furſtenow*, in Marchia Brandeburgica. *Baudrand.*

ASCAULES, apud Martialem *l.* 10. *Epigr.* 3. *v.* 6.

-- - *Credis hoc Priſce.*
Voce ut loquatur pſittacus coturnicis?
Et concupiſcat eſſe Canus Aſcaules.

Ex Græco Ἀσκαύλης, idem cum Utriculario tibicine. Eandem vocem pro *Campanile*, apud Vopisc. *in Carino*, *c.* 19. reponit Turnebus *Adverſar. l.* 11. *c.* 25. Vide infrà, vocibus *Muſa*, *Utricularius* &c. ut & voce *Campanile*.

ASCAULIS, urbs German. in tractu Septentrionali. *Ptol.*

ASCENAS, vide *Aſcene*.

ASCENE, vel ASCENAS. Latinè *ignis quaſi diſtillans*, vel *quaſi aſpergens*, fil. Gomer. Gen. *c.* 10. *v.* 3. Quid ſit autem, valdè incertum eſt. Chaldæi *Aſiam* hic explicant; in Jeremia [illegible] *Adiabenam*; *Joſephus Rheginos*, h. e. ignotum per ignotius. *Chronicon Alexandrinum Mauros*; æquè ignotos, niſi ſint *Mauri* Mauritaniæ, quô nihil poteſt fingi abſurdius. Arabs Interpres [illegible] h. e. *Sclavos*. Non pauci hodie *Bithyniam* in qua eſt *ſinus Aſcanius*, & *Aſcanius lacus*, & *amnis*; Et Troadem & Phrygiam minorem, in quibus *Aſcania* regio & urbs, & *Aſcaniæ* inſulæ. In horum ſententiam libens concedit Bochart. *l.* 3. *Phaleg. c.* 9. quia antequam Thyni & Myſi ex Europa in Aſiam trajeciſſent, omnia illa loca tenebant Phryges. Itaque hoc manent, è terra Gomer, i. e. *Phrygia majore*, colonos, Duce *Aſcenaz*, in minorem, Troademque deductos, ad Pontum uſque ſe diffudiſſe, qui, cùm ex accolarum nomine *Aſcenas* diceretur, à Græcis, paulum deflexâ voce nominatus eſt Ἄξενος, i. e. *inhoſpitalis*, & poſtmodum Εὔξενος, in contrarium verſâ ſignificatione ad vitandum δυσφημίαν. *In libro Juchaſin* legimus, *Aſcenaz in Hebræorum ſcriptis eſt Germania*. Ridiculè; nam, ut alia taceam, populos regni *Aſcenaz* in Babylonem convocat Deus, Jerem. *c.* 51. *v.* 27 quæ longè à Germania diſtat. *Nic. Lloydius.*

ASCENSA, ſeu ASCENSIO, feſtum Aſcenſionis Dominicæ: *Verſus* antiqui apud Sanſovinum & Stringam in *Venetia l.* 1 *c.* 151.

Si quis in Aſcenſa *Domini cum venerit illuc*, &c.

Vide infrà *Sponſalia Maris*.

ASCENSIO, Inſul. Americæ, in ora Braſiliæ, verſus præfecturam Spiritus S. olim ipſô Aſcenſionis die reperta, hinc nomen obtinuit; ad aſpectum primum, nonnihil S. Helenæ inſulâ major & diffuſior apparet, ad Auſtrum ab æquinoctiali grad. 8. & dimid. abeſt: à S. vero Helenæ inſula 190. mill. diſtat: In tota inſula nullam invenies aquam dulcem, nec virentem ullam frondem aut ramulum: valde montoſa eſt, terra rubida ſcopulis ſaxiſque quàm plurimis referta. Circa hanc & S. Helenæ inſulam, adeoque ad æquinoctialem uſque lineam, piſces volantes viſuntur quàm plurimi, magnitudine halecis, qui turmatim ad duos treſve cubitos extra aquam elevati quartam circiter & unius milliaris partem provolant, idque ut inſidiantium grandiorum piſcium voratu ſe eximant & tutos præſtent. *Natal. Avetel.* In ditione Luſitanorum, & parvi circuitus eſt. Diſtat à Braſilia 100 leucis Orientem verſus.

ASCERADA, oppidul. Livoniæ, ad Dunam fluv. in ditione Succorum, infra Kachenhuſium, 3. leuc. Polon. & 13. ſupra Rigam. Fœdè à Moſcis vaſtatum.

ASCETÆ, Tertulliano de *Præſcript. Exercitati*, *Baſilio M.* ἀσκηταὶ καὶ τῆς ἀρετῆς ζηλωταί, *Aſcetæ & virtutis unicè ſtudioſi*, &c. Inter Judæos olim Phariſæi Eſſenique fuêre, ſaltem quoad ſpeciem externam, de quorum diſciplina ſevera, vide Caſaubon *Exercitat. I. contra Baron. num.* 8 §. 9. Inter Græcorum Sapientes Cynici & Stoici: de quibus ſuô locô. Ad quorum imitationem, inter Chriſtianos illi, qui auſterius vitæ genus elegiſſent & puriore ac exactiore normâ Chriſti fidem ſibi colendam propoſuiſſent, *Aſcetæ* quoque dicti ſunt eorumque inſtitutum modò, ἄσκησις, modò *Philoſophia*, Tertullianus illos *pallium habitare* dixit; Nam, quemadmodum Græci generis, haud alii fermè, tribonium ſive pallium ſoliti erant uſurpare, quàm qui Philoſophos profiterentur; Sic inter Chriſtianos habitum illum Philoſophicum, h. e. pallium idque lacerum fuſcumque, nemo tunc temporis uſurpavit, niſi qui Chriſtianum verè Philoſophum agere vellet. Hinc idem *de Pallio ſub fin. Gaude pallium & exulta: melior jam te Philoſophia dignata eſt, ex quo Chriſtianum veſtire cœpiſti.* Et Ambroſ. *Ep.* 37. *Et quum ipſi (Ægyptii) capita & ſupercilia radant, ſi quando Iſidis ſuſceperint ſacra, ſi forte Chriſtianus vir attentior ſacroſanctæ religionis veſtem mutaverit, indignum facinus appellant.* Ubi non de quolibet Chriſtiano loquitur Ambroſ. ſed de eo, qui *ſacroſanctæ diſciplinæ attentior* eſſet; per quæ verba omnino *Aſcetam* deſignat, h. e. τὸν ἀσκητὴν Χριστιανόν, *l.* 7. *c.* 37. ſimulque indignat, omnes tales veſtem mutare olim conſueviſſe & pallium Philoſophi ſumere. Quam ob cauſam ab hoſtibus Chriſtiani nominis hôc ſcommate taxabantur, ὁ Γραικὸς ἐπιθέτης, digitôque oſtendebantur, non minùs ac Græci Philoſophi, malè quoque propter illos audiebant, quòd plerique ex eorum numero Philoſophos habitu ementirentur & fingerent, cum de cætero purâ puri mendicabula eſſent & impoſtores meri. Quintilian. *l.* 1. *c.* 1. Nec palliô porro tantùm, ſed etiam ſordibus & ſqualore inſignes utrique. Hinc illud Hieronymi, *Si tunica non canduerit, ſtatim illud è trivio, impoſtor & Græcus eſt.* Non enim tunicam ſemel ſumtam *Aſcetæ* priùs exuebant, quàm tota uſu detrita ac ſciſſa eſſet, & de altera habitanda foret cogitandum, vide Hieronym. in *Vita Hilarionis*. Quam illuviem & ſqualorem Rutilius Gallus in *Itinerar.* non ſemel exagitat: De Capraria ita ſcribens,

Squallet lucifugis Inſula plena viris.
Ipſi ſe Græco Monachos cognomine dicunt; &c.

Et alibi,

Infelix putat illuvie cœleſtia paſci,
Seque premit ſævus ſævior ipſe Deis.

Eunapius etiam, Chriſtiani nominis hoſtis infeſtiſſimus *l. de Vitis Philoſoph.* ubi de Monachis ſui temporis dixit χοιρώδη βίον, *porcinam vitam*, vivere &c. Vide hac de re plura, apud Salmaſ. *ad Tertullian. loc. cit. paſſim*, imprimis *ad c.* 1. Uti autem ſimplicitatem in veſtitu, ſic in victu miram abſtinentiam, ac in capiendo ſomno duritiem præ ſe ferebant, uti dicemus infrà. Cujuſmodi adſtrictiorem vitam Tertulliani ævô amplexi ſunt Epiſcopi Presbyterique & omnes Clerici, ac poſtea Monachi: penès quos ſolos inſtitutum hoc tandem remanſit. Namque ubi primum ex malis illis & in arctu poſitis temporibus, quibus adoleſcentiam laborioſam & exercitam habuerat, Eccleſia emergere cœpit, multum de priſtina ſeveritate remiſit: pro paupertate quippe divitiæ inierunt & divitiarum comes individuus luxus. Tum magnificè ac ſumtuosè templa ædificari cœperunt, auroque & argentô ornari: atque inde miniſtros quoque ſuſ munduſè ac nitidè veſtitos

ſtiaos talibus templis inſervire indecens viſum. Sic tribonas palliis poſuêre Presbyteri, ut elegantiorem civilemque habitum ſumerent, omneique ea eo tempore birris ac penulis amiſſi inoleſcere, relictis penès ſolos *Aſcetas* palliis. Dalmatica quoque in locum colobii ſucceſſit, & colobium cum pallio apud eoſdem Aſcetas remanſit. Non enim diu apud Chriſtianos duraſſe hanc tribonophoriam, inde apparet, quòd cùm aliqui, ſicut quidam Philoſophi ſapientiam in tribonio poſitam credebant, ſolos veros Chriſtianos exiſtimarent, qui hoc pallium circumferrent, ac præcipuè Conſtantini ætate Euſtathius Sebaſtenus Epiſcopus contenderet, Epiſcopos omnes ac Presbyteros ad vetus Tribonii geſtamen revocare eoſque qui non geſtarent, damnaret, in Synodo Gangrenſi Can. 12. ſancitum eſt: *Si quis virorum propter ἄσκησιν νομιζομένην pallio utitur, & deſpicit eos, qui cum reverentia byrris & aliis communibus veſtimentis utuntur, anathema ſit.* Quà re factum, ut, *qui ſacroſanctæ diſciplinæ attentiores eſſe vellent*, ut ſuprà ex *Ambroſio* diximus & converſationem Apoſtolicam imitari, ſeorſim πολιτείαν inſtituerint, & à Clero ſegregem ac ſeparatam vivendi formam, quæ *Monaſtica* & Ἀσκητικὴ πολιτεία vocata eſt. Poſtquam igitur ſic ἄσκησις ad certum hominum genus rediit, qui nec Clerici eſſent, nec Laici, ac certa hujus ſectæ πολιτεία eſt inſtituta, legibus quibuſdam ac regulis fundata, quas ſequerentur omnes, qui in cœtum illum aggregari vellent, illi hominum generi pallium, quaſi peculiare, relictum, atque *Aſcetæ* ac *Monachi* iidem dicti ſunt. Unde *Aſceſis*, γνώρισμα μοναχικὸν Iſidoro Peluſiotæ *l. 1. Ep.* 92. Chriſtophorus tamen Angelus *l. de ſtatu hodierno Græcorum*, Græcè edito *Londini A. C.* 1619. *c.* 16. *& ſeqq.* triplicem eſſe ait apud Græcos Monachorum ordinem, Μοναστικοὺς, Ἀναχωρητὰς vel Κελλιώτας & Ἀσκητικοὺς, additque *Aſcetas* cum Eremitis eſſe eoſdem, &c. Vide quoque infrà *Monachus*. Quid autem ſub *Aſceſi* ſeu exercitatione hac comprehenderint Veteres, docet Philo *Allegoriar. Leg. l.* 3. τὰς ἀσκητικὰς nempe, μελέτας, θεραπείας, τῶν καλῶν μνήμας, ἐγκρατείας, τῶν καθηκόντων ἐνεργείας, &c. *lectiones, meditationes, cultus, pulchrarum rerum ſtudium, continentiam officii vitæ faciendi curam*, &c. Uti verò viri *Aſcetæ*, ſic fœminæ eorum inſtitutum imitatæ, *Aſcetriæ* dictæ ſunt, de quibus vide infrà, ut & in voce *Monaſtria*. De *Aſcetarum χαμευνίᾳ* ſeu *humicubitione*, vide infrà, in voce *Cama* & *Humi*: de ratione victus, in *Arida Saginatio* alibique: de ἀνυποδησίᾳ, quâ plerique olim hodieque uſi, ubi de *Nudipedalibus*, &c. Plura autem hanc in rem, apud Joh. Caſparum Suicerum *Theſaur. Eccleſiaſt.* in *hac voce*, & Tob Pfannerum *de Ritibus Eccleſiæ Vet.* Quibus adde, de *Aſceſi* veter. Philoſophorum, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1170.

ASCETERIUM, Græcè, Ἀσκητήριον Monaſterium, locus exercitio & virtutum rigidiori diſciplinæ deſtinatus: ἀσκητῶν καταγωγή, Theodoreto *l.* 6. *&* 10. Metaphraſtes in *Vita S. Martini*, *Ad monaſteria & Aſceteria, i. e. loca, in quibus ſe exercent, prompto & alacri venerunt animo*. Vide *Novellam* Juſtiniani 59. Caſaubon. *Exercit. II. ad Baron. c.* 13. Alios. Vocem miſè depravârunt Scriptores inferioris ævi: Namque *Archiſterium*, *Aſiſterium*, *Aſcyſterium*, aliterque ſcripſiſſe deprehenduntur. In ſpecie *Aſceterium* dicebatur Collegium Funerariorum, in quibus octo Moniales & tres Acolythi, ad ſepeliendos mortuos deſtinati, ſeſe exercebant; inſtitutore Anaſtaſio Imperatore ut ex confirmatione ejus à Juſtiniano facta, liquet: *Reditum funeribus deſtinatum à diva memoria Anaſtaſio Imperatore confirmavit & funeribus deputavit, & dedit ſingulis cadaveribus, ſive ſingulis lecticis unum Aſceterium, i. e. octo Sanctimoniales & tres Acolythos*; Julianus Anteceſſ. *Novellâ* 23. apud Macrum in *Hierolex.* Vide quoque infrà in *Metanœa*.

ASCETICON, Græcè Ἀσκητικὸν, i. e. *Exercitium*, titulus fuit libri cujuſdam Meſſalianorum Hæreticorum, quem Concilium Epheſinum damnavit. Vide ubi de *Meſſalianis*, ut & infrà in voce *Precatores*.

ASCETRIA, Græcè Ἀσκήτρια, apud Balſamon. in *Can.* 63. Trul. *Omnibus autem, qui in ſecularibus verſantur, & iis maximè, qui ſervitiè tractant, viris ac mulieribus, atque etiam iis, qui præſunt, interdicimus, ne Monachi habitu vel* Aſcetriæ *utantur*: Carolo du Freſne Monialis eſt. Gregorius tamen M. à Moniali diſtinguere videtur *can. de perſona* 11. *qu.* 1 *Si quis contra aliquem Clericum, Monachum aut Diaconiſſam aut Monaſtriam aut* Aſcetriam *habet actionem*. Ubi Gloſſ. *Aſcetriam*, i. e. *incluſam*. Hinc eidem Car. du Freſne, *Aſcetriæ* ſunt fœminæ continentes, quæ à Monachabus differebant, ut *Aſceterium* à Monaſterio: à Monachabus ſcil. quæ in ſolitudinibus domicilia habebant. Has pſallere ſolitas in elationibus funerum, patet ex *LL.* 45. 48. *de Epiſcop. & Cleric.* &c. Ejuſmodi autem *Aſcetrias* olim idem pallii genus geſtâſſe, quod Cratetis uxor Hipparchia, apparet ex Can. 13. Synodi Gangrenſis, *Si qua mulier, propter ἄσκησιν, habitum mutat, & pro ſolito muliebri amictu virilem ſumit, anathema ſit.* Ubi per *virilem habitum*, pallium intelligi, contra ſententiam Balſamonis, rectè docti viri ſtatuerunt. Sed hac de re ſuprà plura diximus, in voce *Aſceta*. Vide quoque infrà, in voce *Monaſtria*.

ASCHAFFENBURGUM, urbs German. in Franconia, ad Mœnum fluv. cum caſtro, ubi perſæpe commoratur Elector Moguntinus. Dicitur etiam Aſciburgium, à Francofurto 4. circiter leuc. in Ortum Herbipolim verſus. Vide Cluver. *l.* 1. Hic Concilium, poſt mortem Nicolai IV. habitum. A. C. 1292.

ASCHALITÆ, populi circa Indicum ſinum. *Steph.*

ASCHEION, Achaiæ urbs. *Steph.*

ASCHERSLEBA, Urbecul. German. in Saxonia, & Principatu Anhaltino ad Wipperam fluv. Malè habita hiſce ultimis annis. 3. leuc. à Mansfeldia, & 4. ab Halberſtadia.

ASCHETOS, nomen equi celebris, in curru Amphiarai, apud Stat. *Theb. l.* 6. *v.* 463.

> *Nec jam ſufficiunt ſtimuli, non verbera, voce*
> *Nominibuſque ciens Pholoën Admetus & Irin,*
> *Pamaleneque Thoën, rapidum Danaeius augur*
> Aſchetum *increpitans* ——

Ἄσχετος Græcis, quod ἰσχυρὸς interpretatur *Heſychius*. Vide Barthium, *Animadverſion. ad Statium d. l.*

ASCHILACÆ, Troadis populi. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

ASCHOLAUS, vide *Iſcholaus*.

ASCIA, loca Indiæ, in quibus umbræ non ſunt, Septentrioque non conſpicitur, nec horæ dinumerantur. Plinius *l.* 2. *c.* 73. ex *Oneſicrito*. Vide & *Aſcii*.

ASCIA, in inteſtinis operibus locum habuit, de quibus vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1034. & infrà ubi *de inteſtino opere*.

ASCIBURGIUM, nunc urbs German. *Ptol.* vulgò *Emmerich*. Quidam libri Taciti habent Ἀσκιβούργιον, quidam Ἀσκιπύργιον, ex quo placet quibuſdam Ἀσκιπύργιον, à Nerito, ut volunt, Ithacæ monte. Locus quidem, quem indicat Tacitus, clivoſus eſt, haud procul *Veteribus* vicus, *Aſciberg* ſeu *Asberg*, nunc dictus. Lipſius *ad Taciti Germaniam. c.* 3. & Cluver. qui alterum ad Mœnum fluv. Aſciburgium in German. ponit, *Aſcheburg* dictum. Alius eſt *Duysburg*. Sed rudera illius, inter Duysburgum & Murſam, apud Rhenum, monſtrantur: 3. leuc. à Novelio, in Boream & 5. milliar. à Murſa.

ASCIBURGUS, Mons Poloniæ, cui initium in Hungariæ & Sileſiæ confinio; inde in Septentrionem excurrens, verſus Uvartam fluv. & Marchiam Brandeburgicam, ad mare Balthicum deponitur. Trajectus ejus hic accolis *Gulonberg* dicitur, *Cluverô* teſte.

ASCII, Græcè Ἄσκιοι, populi apud Indos ſic dicti, quòd apud eos, Sol merô meridie umbram non faciat, Plin. *l.* 2 *c.* 73. Quod de Taprobane prodit Diodor. Sic. ex *Jambuli* relatione. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 4. & ſuprà *Aſcia*.

ASCITÆ, Arabes ab *utribus* ſic dicti, quoniam bubulos, ut Plin. *l.* 6. *c.* 29. inquit, utres binos ſternentes ponte piraticam exercent. Hos *Steph.* juxta Indicum ſinum collocat: Macro Hæretici ſic dicti ſunt, ab ἀσκὸς itidem, i. e. *utre*, dicti; quem perhibentur inflatum & opertum circumire fuiſſe ſoliti, bacchantes, tanquam ipſi eſſent Evangelici utres novi, vinô novô repleti, ex Auguſtino *de Hæreſ. l.* 6. Vide *Aſcodrogitis*.

ASCHAMUS Rogerius, Anglus, Hieronymo Oſorio, Joh. Sturmio & Joh. Metello familiariter notus, à Secretis fuit Elizabethæ Reginæ. Scripſit *Epiſtolas familiares*, *Toxophilum*, *Commendatitiarum Epiſtolarum librum*, *Poëmata*. Anton. Teiſſier *Elogiis*. Obiit Londini A. C. 1568. ætat. 53. ab Eduardo Granta publicè laudatus.

ASCLEPAS, Epiſcopus Gazenſis, ab Arrianis pulſus, Conciliô Sardicô reſtitutus, Baron. *A. C.* 342. 347.

ASCLEPIA, Æſculapii feſtum ſic dictum. J. Pollux *l.* 1. *c.* 1. Ipſi etiam *Agones* Ἀσκλήπεια dicuntur, *in antiquis Inſcriptionibus Smetii*, *p.* 340. Et *p.* 415. fit mentio ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ ΑΓΩΝΩΝ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΑΣΚΛΗΠΙΩΝ.

ASCLEPIADES, Hiſtoricus Cyprius, tempore quô Pygmalion regnabat in Oriente, quô tempore ſcribit eſum carnium non fuiſſe. Hieron. *l.* 2. *adverſus Jovinianum*, *ex Porphyrio*. Vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 4. *p.* 506. 507.

ASCLEPIADES, Myrleanus, ortu tamen *Nicænus* erat, teſte *Suidâ*. Hinc *Nicæus* dicitur Stephano, *in* Νικαία & malè Meurſius hunc Myrleanum & Nicænum, tanquam duos diſtinctos, recenſet. Dionmi cujuſdam filius fuit, & Apollonii Grammatici diſcipulus, Grammaticus juxta *Suidam*. Minimè verò hîc reticendum eſt opus ejus Φιλοσόφων βιβλίων διορθωτικά, quod ei tribuit Suidas Ἀσκληπ. In illo librariorum errores, in Philoſophorum ſcriptis occurrentes, indicavit & correxit. *Nic. Lloydius*. Docuiſſe Rhetoricam, Eumenis tempore, & Hiſtorica quædam, inter alia, de rebus geſtis Alexandri M. ſcripſiſſe ex Arrian. *l.* 7. *Morerius* ait. Hunc *Aſclepiadem* cum *Aſclepiade* Pruſienſi Medico, & altero *Aſclepiade* Myrleano, de quo infrà, perperam confundit *Suidas*, vel potius librarius, qui lacunam non advertit. Vide etiam Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 18. *& de Philoſ. c.* 11. *§.* 58.

ASCLEPIADES, Myrleanus junior Grammaticus, περὶ γραμματικῆς ſcripſit, & in iſto opere Dionyſii Thracis, de partibus Grammaticæ, ſententiam refellit, teſte Sextô Empiricô. Eundem eſſe credit Jonſius, qui de Grammaticis ſcripſit, cujus operis librum ſextum citat Suidas, *in* Ὀρφεύς, ubi Orphea quendam Crotoniatem juniorem, Piſiſtrati tempore, vixiſſe ſcribit. Undecimum citat Anonymus, *in vita Arati*, & inde Aratum probat Tarſenſem fuiſſe, non Solenſem. Fortè ex hoc opere, Polemonis ætatem cognovit Suidas, *in* Πολέμων Vix aliunde eſt, quod ex *Aſclepiade* Myrleano citat Schol. Apollonii, *ad l.* 1. *Argon.* quod ſcilicet Apollonius Grammaticus omnia ſua ex Cleone tranſtulerit. De Cratino quoque Poëta *Aſclepiadem* ſcripſiſſe, author eſt Athenæus *l.* 10. *c.* 14. *Aſclepiades* quidam ὁ Ἀρείου, σύγγραμμα ſcripſit de Demetrio Phalereo Philoſopho Ariſtotelico: unde Athenæus *l.* 13. *c.* 3. refert, meretricem quandam *Clepſydram* propterea fuiſſe dictam, quod ſui copiam ad *clepſydram* facere conſueverit, donec aqua effluxiſſet, cùm ejus nomen fuerit *Metiche*. Plures autem hujus nominis fuêre. *Aſclepiades* Tragilenſis Iſocratis diſcipulus erat, teſte Plut. *l. de* 10. *Rhet.* & Photiô *Ecl.* 259. unde ætatem ejus cognoſcimus, & τραγῳδούμενα ſex libros reliquit, de quo *Meurſius*. *Aſclepiaden* quendam Phliaſium, Philoſophum Eretrium, Platonis Diſcipulum memorant Plut. *l. de diſcrim. amici & adul.* Athenæus *l.* 4. *c.* 19. Laërtius, *in Phædone*, Heſych. Mileſius, *in Menedemo*. Fortè hic eſt, quem oculis poſtea captum ſcribit Cicer. *l.* 5. *Tuſc. Qu. c.* 39. qui interrogatus, quid ei cæcitas attuliſſet, reſpondit. *Ut puerô uno eſſet comitatior.* *Aſclepiadem* Athenienſem ſignat nummus quidam *Goltzianus*. *Aſclepiades* quidam pater, vel præceptor fuit Alexandri Polyhiſtoris, teſte Stephanô, *in* Κοτύαιον. Ad hunc fortè *Aſclepiadem*, Didymus Grammaticus Epitomen Tabularum Solonis ſcripſit, teſte Plut. in *Solone*. *Aſclepiades* Medicus quidam, Pruſæus in Bithynia Philophyſicus cognomine, ſub Pompejo M. vixit, teſte Strabone *l.* 12.

Plin.

Plin. *l.* 26. *c.* 3. Cùm in arte Rhetorica facultates deceſſiſſet, Medicinam ſectatus eſt. Dicebat: *ſalutem conſtare cibo potuſque abſtinentia, præterea geſtatione, ambulatione, frictione.* Ipſe, conditâ novâ ſectâ, ſpretis legatis & pollicitationibus Mithridatis, repertâ ratione, quâ vinum ægris mederetur, relato è funere homine, & ſervatò, ingentem famam conſecutus eſt. Sed maximè, ſponſione factâ cùm Fortuna, ne Medicus crederetur, ſi unquam invalidus ullò modò fuiſſet ipſe, tandem ſupremâ ſenectute lapſu ſcalarum exanimatus eſt. Plin. *l.* 7. *c.* 37. De eo quoque multa refert Apul. *l.* 4. *Aſclepiades* Anazarbeus Grammaticus, ſcripſit de fluminibus. Vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 4. *p.* 507. Duo *Aſclepiades* Medici, poſt Auguſti tempora vixerunt, teſte Galenô. Ælium quendam *Aſclepiadem*, Auguſti libertum, memorat Inſcriptio apud Gruterum, *fol.* 335. hujus fortè eſt liber ille [illegible], quem citat Athenæus *l.* 15. *c.* 6. 7. *Aſclepiades* quidam Philoſophus, tempore Juliani Imperatoris vivebat, de quo Amm. Marcellin *l.* 22. Item *Aſclepiades* Poeta, à quo carmen *Aſclepiadeum* dicitur. Author tragœdiarum aliquot, diſcipulus Iſocratis, Plut. *de* 10. *Orator. Aſclepiades* Mendes, cujus Θεολογούμενα citat Sueton. *in Aug. c.* 94. Vide ſis *ibi* Caſaubon. Porro Voſſ. *de Hiſt. Græc. p.* 507 *Aſclepiadem* quendam Alexandrinum, τοὺς κατ' Ἀθήνας ἄρχοντας conſignaviſſe ſcribit, & autorem ſuæ ſententiæ Scholiaſten Ariſtophanis, *in Nubes*, laudat. Verùm Scholiaſtes nihil aliud ibi dicit, niſi quòd *Aſclepiades* ille τοὺς ἐπωνύμους appellaverit τοὺς κατ' Ἀθήνας ἄρχοντας, librum verò *Aſclepiadis* nullum citat. *Nic. Lloydius.* Vide plura apud Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 3. *c.* 18. 28. & 22. & *l.* 4. *p.* 506.

ASCLEPIADES, Patriarcha Antiochenus, ſucceſſit Serapioni tenuitque ſedem ab A. C. 214 uſque ad A. C. 220. ſecundùm *Euſebium.* Aliis, ab anno 212. uſque ad ann. 229. quô Philetum ſucceſſorem accepit.

ASCLEPIODORUS, pictor ætate Apellis, mirabilis in ſymmetria. Huic Mnaſon tyrannus pro 12. Diis dedit in ſingulos minas tricenas. Plin. *l.* 35. *c.* 10.

ASCLEPIODORUS, Alexandrinus, ſingulari ingeniô vir, ad omnia Mathematica, ac inquiſitionem cognitionemque herbarum & lapidum. *Suidas* In Syriam profectus, ut mores incolarum perdiſceret, non niſi tres illocum invenit, qui modeſte vixiſſent. Coel Rhodig. *l.* 14. *c.* 3. Item Conſul Roman. collega Afranii Annibaliani

ASCLEPIODORUS, è cohorte nobilium Puerorum, conjurationis, in Alexandrum Magnum, particeps Hermolao. Curt. *l.* 8. *c.* 6.

ASCLEPIODOTUS, Muſicus & Medicus juxta Simplicium, *ad l.* 4. *Φυσ. ἀκρ. comm.* 141. qui *Aſclepiodotus* Damaſcii magiſter, & *Aſclepiodotus* Magni gener fuit, teſte Photiô *Eclog.* 242. Vide *Suidam.*

ASCLEPIODOTUS, Præfectus prætorio, ſub Conſtantino Chloro, circa A. C. 296. vicit Allectum, qui Carauſiô è medio ſublatò, ſe in Britannia Imperatorem proclamari curaverat. *Eutrop.* & Euſeb. *Chron.* An hic idem Aſclepiodorus, qui vitam Diocletiani deſcripſit? ut Vopiſc *in Aureliano*, habet. Ita autem is *c.* 44. *Mirabile fortaſſe videtur, quod compertum Diocletiano* Aſclepiodotus *Celſino conſiliario ſuo dixiſſe perhibent ---- quodam tempore Aurelianum Gallicanas conſuluiſſe Druidas, ſciſcitantem*, &c. Et in *Probo, c.* 22. *Multa manu ſuâ fecit, Duces præclariſſimos inſtituit. Nam ex ejus diſciplina Carus, Diocletianus, Conſtantius*, Aſclepiodotus, *Annibalianus, Leonides*, &c. *inſtituti ſunt.*

ASCLEPIODOTUS, vide *Caſſius.*

ASCLEPION, Conſul. Roman. Joannis collega. An. Urb. Cond. 1250.

ASCLEPIUS, Machaonis fil. Æſculapii nepos. *Auguſtin.* Etiam ipſe Æſculapius *Aſclepius* dicitur, eidem Auguſtino *de Civ. Dei l.* 3. *c.* 17. in Græca fabula Græculum nomen Medico danti. Æſculapius enim Græcè Ἀσκληπιὸς eſt. Joh. Frid. Gronov. *in Obſervat. in Eccleſ. c.* 17.

ASCLEPIUS, Philoſophus Trallianus, diſcipulus Ammonii, commentariô illuſtravit Arithmeticam Nicomachi. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 10. §. 1.

ASCLEPIUS, Presbyter, vide *Adelphius.*

ASCLETARION. Mathematicus tempore Domitiani, qui aliquando dixerat ſe diſcerptum iri à canibus; quapropter à Domitiano juſſus eſt interfici, & accuratiſſimè ſepeliri, ut vanitas ejus artis argueretur: ſed repentinâ tempeſtate disjectô funere ſemiuſtum canes diſcerpſêre. Sueton *in Domit. c.* 15. A. C. 90.

ASCLUS, Italiæ civitas. *Steph.* Sil. Ital. *l.* 8. *v.* 459.

Adria & inclementi hirſuti ſignifer Aſcli.

Fortè *Aſculum*, de quo infrà

ASCODROGILI, vel ASCILI, Hæretici, qui Paracletô Montani ſe plenos jactitantes, Bacchanalia in Eccleſiam introducebant, & circa lagenam vinô repletam circumibant ſolenni pompâ. Auguſtin. *hær.* 62. Philaſtrius *de hæret.*

ASCOGEPHRI, quaſi ἀσκογέφυροι, pontes dicti ſunt, ex utribus facti, cujuſmodi in uſu fuiſſe Veteribus auctor eſt Plin. *l.* 6. *c.* 29. *Arabes Aſcitæ appellati, quoniam bubulos utres binos ſternentes ponte piraticam exercent ſagittis venenatis.* Et Solin. de iiſdem, *c.* 60. *Bubulis utribus contabulatis crates ſuperponunt.* Sed & Auctor Peripli quidam [illegible] ἐξ ἀσκῶν, *navigia coriacea ex utribus*, Aſcitas uſos eſſe ſcribit. Vide Lucan. *l* 4. ubi de ponte à Baſilo confecto, & Anonymum *de Rebus Bell.* ſubjectum *Notitiæ Imperii* ubi iſtiuſmodi pontem accuratè deſcribit. Car. du Freſne *Gloſſar* Sed quod de Baſilo ait, ex Lucano, non videtur huc pertinere, cùm pons ab eo factus non ex *utribus*, ſed ex *cupis*, conſtiterit: Sic enim is, *v.* 420.

Nunque ratem vacuæ ſuſtentant undique cuppæ,
Quarum porrectis ſeries conſtricta catenis,
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.

Fuêre autem *cupæ*, vaſa lignea, transportando vino, rotunda, magna, &c. ut infrà videbimus.

ASCOLIA, Græcè Ἀσκώλια, feſta, quæ Ruſtici Athenienſes in honorem Bacchi celebrabant, ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, i. e. ab utre nuncupata. Nam cùm victimas Numinibus aut per ſimilitudinem, ut inquit Servius, in *l.* 2. *Georg.* aut per contrarietatem immolarent, caper qui obeſt vitibus, ceu grata hoſtia Libero ſacrificabatur. *Phornutus*, Τὸν δὲ τράγον αὐτῷ θύουσι διὰ τὸ λυμαντικὸν δοκεῖν τῶν ἀμπέλων. Hinc verſus *Eveni*:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί, τράγε, θυομένῳ.

Quos in Domitianum fuiſſe detortos author eſt Sueton. *c.* 14. Ex quo inviſum Bacchò animal pejus tractarent, &c. ut *Servius* ait, ne quid ex eo eſſet, quod non ſentiret injuriam, pellem detrahebant, atque inflabant, in quam ſublimi ſaltu juvenes ſe librabant: ac ne ſpectaculum riſu careret, unguine lubricabant, ut præcipites magis lapſu in terram gliſcerent. *Suidas*, ἑορτὴ ἐν ᾗ Ἀθηναῖοι ἄγουσι τὰ Ἀσκώλια, ἐν ᾗ [illegible] ἐπὶ ἀσκοὺς [illegible], εἰς τιμὴν τοῦ Διονύσου. Scholiaſtes Ariſtophanis *in Pluto*: [illegible] ἐπὶ τοῦ ἀσκοῦ ἅλλεσθαι, [illegible]. [illegible] Εὐβοῦλος φησί. Unô tantùm pede in utrem ſaltabant. Pollux *l.* 2. Ἀσκωλιάζειν ἔλεγον τὸ τῷ ἑτέρῳ ποδὶ ἀφάλλεσθαι. *Heſych.* Ἀσκωλιάζοντες, ἐφ' ἑνὸς ποδὸς ἀλλόμενοι. Idem habent Euſtath. *ad Odyſſ.* ϖ. & Tzetzes *ad Heſiod. Ipyn.* Virgilius autem elegantiſſimè ſacrificii cauſam, & Feſti ritum deſcribit, *Georg. l.* 2. *v.* 380.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proſcenia ludi,
Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Theſidæ poſuêre: atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos ſaliêre per utres.

Quod per *compita*, & *pagos* Virgilius, hoc per κώμας, i. e. vicos fieri ſcribit *Phornutus*: Εἰς τοὺς ἀσκοὺς ἐνάλλονται, κατὰ τὰς Ἀττικὰς κώμας οἱ γεωργοὶ νεανίσκοι ex Caſtellano. *Nic. Lloydius.*

ASCOLIASMUS, ludi genus, de quo vide ſuprà, nec non voce *Utres.*

ASCOMANNI, apud Adamum Bremenſem *c.* 73. *Claſſis piratarum, quos noſtri* Aſcomannos *vocant.* Et *c.* 212. *Ipſi enim piratæ, quos illi Witingos appellant, noſtri* Aſcomannos, *Regi Danico tributum ſolvunt*: Piratæ ſunt, fortè dicti ad inſtar Arabum *Aſcitarum*, quibus id nominis inditum, quòd utribus ſeu naviculis ex utribus confectis, piraticam exercerent; voce hybridâ ab ἀσκός, i. e. *utris* & *mann*, i. e. *vir.* Nam & *aſcum*, pro navicula, Car. du Freſne *Gloſſar.* Aliter tamen cenſet Jac. Eyndius in *Chron. Zeland. l.* 2. Vide quoque Albertum Stadenſem *ad A.* C. 788. & *Hiſtor. Brem.* Archiepiſcoporum in *Bezelino.*

ASCONDÆ, Pancratiaſtæ, meminit Ariſtoph. *Crabr.*

ASCONIUS Labeo, Tutor Neronis, cui ad imperium provectus Conſularia inſignia petiit à Senatu. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 10.

ASCONIUS Pedianus, à *Pedia* gente, in quam quia adoptatus erat, primus ita vocabatur. Duo autem ejuſce nominis fuêre. *Prior* is, qui Virgilio familiaris fuit, quem, ut refert *Junius Philargyrius*, dicentem audiverat ſe Grammaticis crucem fixiſſe illô verſiculô:

Tres pateat cœli ſpatium non amplius, ulnas.

Hujus extant commentarii, in aliquot Ciceronis Orationes. Et in eam pro Cornelio, Livium ſe noviſſe profitetur his verbis: *Inter quos Tuditanus, & Pomponius Atticus, & Livius noſter.* Ejus quæ certa ætas hinc diſce. In pro M. Scauro: *Scauri domum poſſidet nunc Longus Cæcina, qui Conſul fuit cum Claudio.* Scribe *Largus Cæcina, qui Conſul fuit cum Claudio.* An. Urb. Cond. 759. *Alter* Hiſtoricus, Veſpaſiani ævô floruit, ut cognoſcimus ex S. Hieronymo *in Chron. Euſebiano*, *ad* A. C. 76. qui Veſpaſiani annus eſt ſeptimus. Q. *Aſconius Pedianus* ſcriptor Hiſtoricus, clarus habetur, qui 73. ætatis ſuæ annô captus luminibus, 12. poſtea annis in ſummo honore conſenuit. Vide Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 27. *Nic. Lloydius.*

ASCOTIA, oppidul. Hiſpan. in provinc. Ipuſcoa, ad Urolam fluv. 2. leuc. à Placentia in Ortum, & 5. à Fano D. Sebaſtiani. *Aſcoytia Hiſpan.*

ASCRA, vicus Bœotiæ, in aſpero, & ſterili loco, in dextra parte Heliconis, Heſiodi patria, teſte ipſò in his, Ἔργ. *v.* 537.

Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ,
Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέ ποτ' ἐσθλῇ.

Stephano πόλις vocatur. Bocharto *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 16. autem *Aſcra* eſt [illegible] *aſcera*, h. e. lucus ubi ſteriles ſunt arbores. Sanè *Heſychius* Ἄσκρη, δρῦς ἄκαρπος. Atqui verò in epitaphio Heſiodi lego,

Ἄσκρη μὲν πατρὶς πολυλήϊος. ----

Ἀσκρη autem Ionicè pro Ἄσκρα, ut innuit *Stephanus*, dicens hanc vocem eſſe Γενικῶς [illegible]. Nam Iones interdum η pro α ponebant, ut pro δέχομαι, δέκομαι. *Nic. Lloydius.*

ASCRIPTITII, Deorum genus, apud Athenienſes, quos præter duodecim principuos (quibus ara communis extructa erat, Βωμὸς τῶν δώδεκα Θεῶν, & per quos jurare ſolebant, Μὰ τοὺς δώδεκα Θεούς) venerati ſunt. Ita enim de illis *Strabo*: Ἀθηναῖοι δ' ὥσπερ περὶ τὰ ἄλλα φιλοξενοῦντες διατελοῦσιν, οὕτω καὶ περὶ τοὺς Θεούς. *Athenienſes, ut peregrina diligunt, ſic peregrinos Deos.* Hinc non priſca ſolùm coluêre Numina, ſed ſubinde nova ſibi adoptabant, qualia Orthane,

m, *Conſſalus* & *Tychon* Imò tam ad ſuperſtitionem proclives fuêre, ut Paulô Jeſum illis & Ἀνάστασιν, ſeu *Reſurrectionem* à mortuis annuntiante, Ἀνάστασιν Deam eſſe opinarentur. Vide Franciſcum Roſſæum *Archæol. Attic. l.* 2. *c.* 1.

ASCRIPTITII, apud Æl. Lamprid. *in Alexandro Severo*, *c.* 15. *Jurejurando deinde ſeſe adſtrinxit, ne quem adſcriptum, i. e. vacantem haberet, ne annonis Rempubl. gravaret*, &c. Ubi ſcribi jubet Salmaſ. *Adſcriptitium*, *i. e. vacantem*, haberet. Sic enim Trebellius Pollio de Baliſta Tyranno, *c.* 18. *Eſt Epiſtola Valeriani, qua gratias Baliſtæ agit; gaudens, quod ejus conſiliô nullum* aſcriptitium, *i. e. vacantem haberet, & Tribunum nullum ſtipatorum, qui non verè pugnaret.* Milites quidem erant ſupernumerarii, ad commoda ſolùm participanda in numeros relati: inventore Claudio Pr. de quo Sueton. *c.* 25. *Inſtituit & imaginariæ militiæ genus, quod vocatur* SUPRANUMERUM, *quô abſentes & titulotenus fungerentur.* Quibus non diſſimiles poſtea fuêre ſupernumerarii illi Palatini, quorum meminêre Imperatores in Cod. Theodoſ. *tit. de Palatinis ſacr. largit. & rerum priv.* Vide infrà in voce *Vacans miles*. Sed & *Aſcriptitii* vel *Aſcriptivi*, dicebantur apud Romanos milites, qui ſupplendis legionibus aſcribebantur. Varro *de L. L. l.* 6. *Dicti olim*, inquit, *qui aſcribebantur inermes, qui ſuccederent armatis militibus*, i. e. ſi quis eorum deperiſſet. Et *l.* 3. *de Vita Pop. Rom. De Aſcriptivis, cùm erant attributi Decurionibus & Centurionibus, qui eorum haberent numerum, Accenſi vocabantur: Eoſdem etiam quidam vocabant Ferentarios, qui depugnabant pugnis & lapidibus, iis armis, quæ ferrentur, non quæ tenerentur*, &c. Alia planè vocis notio eſt, in Codice & Novellis, ut & in Capitul. Caroli Magni, Conſtitutionibus Siculis, in *Speculo Saxon.* alibique: ibi enim hac voce denotantur coloni, agricolæ, villani, qui aliunde orti, in aliorum Dominorum villas & prædia pergunt, ibique eorundem licentiâ ſedes ſuas figunt, & ſub annuo cenſûs conditione in cæterorum ſubditorum tranſeunt ſtatum, ac in album aſcribuntur; ita ut perinde & ii diſtrahi & transferri queant unà cum ipſis prædiis, quæ excolunt. Unde & pro *ſervis glebæ* habentur. Vide Salmaſ. *ad Hiſt. Aug.* & *l. de Modo Uſurar.* ut & Spelmannum in *Gloſſario*; ſicut de *Aſcriptitiis* ſeu Deditiis Hebræorum infrà voce *Nethinæi*.

ASCRUVIUM, urbs Illyrici. *Ptol.* aliis *Aſcrivium*, vulgo *Cataro*, ſub Venetis, longitud. 41. 40. latitud. 42. 36. Alii credunt eſſe *Caſtel novo*, juxta ſinum Rhizonicum. Vide *Cattara*. *Baudrand.*

ASCULANUS Jacobus, vide *Jacobus*.

ASCULUM, oppid. Apuliæ, memorandum clade illatâ Pyrrho à Curio & Fabricio Conſulib. ut & internecione Romanorum, durantibus feriis Latinis, in bello Marſico. Dicebatur *Aſculum* Apulum, ad diſcrimen *Piceni Aſculi*. Florus *l.* 1. *c.* 18. ubi de Pyrrho Rege: *In Apul. a deinde apud Aſculum melius dimicatum eſt, Curiô, Fabricioque Conſulibus*, Plut. in *Pyrrho*, Ἀναλαβὼν ... *Zonaras Annal. Tom.* 2. Pyrrhus impreſſionem Apuliam factâ, multa vi, multa per deditionem accepit, ... Vide Liv. *epit. l.* 71. 72. & ſeqq. Appian. *bell. Civ.* longitud. 40. 00. latitud. 41. 20. Vulgò *Aſcoli de Satriano*; quibuſdam eſt in Capitanata provinc. regni Neapolitani non longè ab Apennino, & à confinio Principatus. Ultra 16. milliar. à Compſa, & totidem ferè à Venuſia. Gaudet Principatus titulô & deficit in dies. *Baudrand. Moretiq.* Epiſcopale eſt oppid

ASCULUM, cognomine Picenum, ad ſuperioris diſcrimen, vulgò *Aſcoli*. Lucan. *l.* 2. *v.* 468.

> ---- --- *Depellitur arce*
> *Lentulus Aſculeâ*

De ſitu ejus ita Strabo, *l.* 5. Ἐν τῇ μεσογαίᾳ ἐστὶ τὸ Ἄσκλον Πικηνὸν ἐρυμνότατον χωρίον ... Dignitatem ejus indicat Florus *l.* 1. *c.* 19. *Domiti Picentes, & caput gentis Aſculum.* *Ptol.* Ἄσκλον vocat. *Nic. Lloydius.* longitud. 36. 40. latitud. 42. 39. Eſt Pontificiæ ditionis, in colle. *Baudrandus.*

ASCURA, Armeniæ majoris urbs. *Ptol.*

ASCURUS, Colchidis fluv. Arrian. *in Periplo*.

ASCUS, Gigas, qui Dionyſium vinctum cum Lycurgo in fluvium conjecit. Steph. *in Damaſco*.

ASCUS, in ſuſpenſo, in *L. Sal.* quid ſit, hinc fortè patebit *Aſcus*, navicula ſeu ſcapha eſt, Anglo-Saxonibus *Aſc*: ſecundum quoſdam ex Græco ἀσκὸς, *uter*, unde χρῆσα ... ἀσκῶν, *navigium coriaceum ex utribus*, de quo ſuprà in voce *Aſcogephri*: vide quoque in *Aſcia*. Cujuſmodi ſunt ſcaphulæ, quibus in paludibus & ſtagnis piſcatores utuntur, quaſque etiamnum *Naſcon* & *Aſcon* vocari, auctor eſt *Bignonius*. Wendelinus inde vocem Flandricam *ſchuit* ſeu *ſcuit*, i. e. *ſcapha parvula*, ortam putat, quæ catenâ jactâ circum arborem in ripa ſtantem alligatur ſeráque clauditur, magnâ ejus parte interim, dum illic hæret, demerſâ, ita ut de arbore dependeat. Ita autem *L. Sal. tit.* 23. §. 4. *Si quis aſcum de intro clavem repoſitam & in ſuſpenſo pro ſtudio poſitum furaverit.* Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi loca aliquot in Hollandia & provinciis vicinis, *Aſcoloa*, *Aſcodelf*, *Aſcoburg*, &c. quaſi *Portus Aſcorum*, *Foſſa Aſcorum*, *Burgum Aſcorum*, &c. appellata fuiſſe putat, aliter ſentiente *Jacobô Eyndiô*. Vide ſuprà in voce *Aſcogephri* & *Aſcomanni*.

ASDARA, Cappadociæ oppid. *Antonin.*

ASDATÆ, Caucaſi incolæ, apud quos Topazius naſcitur.

ASDRUBAL, gener Amilcaris patris Annibalis, favente factione Barchinâ, Amilcari mortuo ſuffectus, 8. annis Hiſpaniam adminiſtravit, cum magna prudentiæ laude & gloria Carthaginis. Demum à ſervo barbaro, cujus dominum occiderat, interfectus eſt, in medio ſuorum. Comprehenſus deinde ſervus à circumſtantibus, haud ſecus petentens, inter cruciatus ac tormenta, ſpeciem ſemper ridentis præbens, occiſus eſt. Hiſtoriam capere ex Siliô *l.* 1. *v.* 165. ubi de Tago; ſervi domino cruci ſuffixo loquitur

> *Quem poſtquam diro ſuſpenſum robore vidit*
> *Deformem, laeto famulus clam corripit enſem*
> *Dilectum domino, pernixque irrumpit in aulam,*
> *Atque iterumque ferit geminato vulnere pectus.*
> *At Pœni ſuccenſi ira, turbataque tellus,*
> *Et ſævos gens læta ruunt, tormentaque portant.*
> *Non ignes, candenſque chalybs, non verbera paſſim*
> *Ictibus innumeris lacerum ſcindentia corpus,*
> *Carnificiſve manus, penituſque infuſa medullis*
> *Peſtis, & in medio ſævientes vulnere flammæ*
> *Ceſſavère; ferum viſu, dictuque per artem*
> *Sævitia, extenti, quantum tormenta jubebant,*
> *Creverunt artus, atque omni ſanguine rupto*
> *Oſſa liquefactis fumarunt fervida membris.*
> *Mens intacta manet, ſuperat, ridetque dolores;*
> *Spectanti ſimilis, feſſoſque labore miniſtros*
> *Increpitat, dominique crucem clamore repoſcit.*

Ita Silius: cæteros inter ſe ſcio diſcordare: Polybius *l.* 2. in diverſorio ſuo vult Aſdrubalem exceptum inſidiis, Ἐτελεύτησε δολοφονηθεὶς ἐν τοῖς ... Κελτοῦ τὸ γένος. Niſi fieri in diverſorii aula. Appianus *in Ibericis*, eum in venatione occiſum ſcribit: ... Idemque habet, *in Annibalem*. Livius *l.* 21. *c.* 2. palam vult interfectum. De Servi conſtantia, præter Silium, Livium locô prædictô, ubi de *Aſdrubalis* percuſſore: *Comprehenſus à circumſtantibus, haud aliò, quam ſi evaſiſſet vultu; tormentis quoque cum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut ſuperante lætitiâ dolores ridentis etiam ſpeciem præbuerit*, Val. Max. *l.* 3. *c.* 3. *ex. ult. Lætitiam tamen, quam ex vindicta ceperat, in ore conſtantiſſimè retinuit.* *Nic. Lloydius.* Vide etiam Diodor. Sic. *l.* 25. Plut. *in Annibale*. Cornel. Nepotem, *in Amilcare*.

ASDRUBAL, Hannibalis frater. Plut. *in Hannibale* Hiſpaniam deſerere a Scipione coactus, cum in Italiam fratri ſuppetias irei, illique per literas locum, quò veniſſet, ſignificaret, literis interceptis, ingenti ſtrage, à M. Livio Salinatore, & Nerone Claudio ad Metaurum victus eſt, caputque ejus lanceæ præfixum, & in conſpectu Pœnorum ad terrorem circumlatum eſt. Horat. *Carm. l.* 4. *Od.* 4. *v.* 37.

> *Quid debeas, ô Roma, Neronibus,*
> *Teſtis Metaurum flumen & Aſdrubal*
> *Devictus*, ---- ---- ----

Vide Liv. *l.* 27. *Polyb.* Plut. *in Annibale*, &c.

ASDRUBAL, fil. *Magonis* cognomentô *Calvus*, Dux claſſis Carthaginienſium in Sardiniam miſſus, tempeſtate ad inſolas Baleares rejectus, ibi tantiſper, quoad quaſſas reficeret naves, reſedit. Liv. *l.* 22. *c.* 20. *ſ*

ASDRUBAL, fil. prioris, contra Numidas bellum geſſit.

ASDRUBAL, Giſgonis fil. à Romanis Hiſpaniâ pulſus, in Africam rediit, Syphace, cui filiam Sophoniſben dederat, in partes ſuas pertractô. Dein Scipionem Uticæ obſidione depulit, ſed ab illo, unà cum genero paulo pòſt victus, in prælio cecidit. Dux bellô tertiô Punicô, à Scipione Æmiliano victus. Ejus uxor, factâ deditione, cùm paucis antè diebus à viro impetrare non potuiſſet, ut ad victorem transfugeret, in medias urbis flammas ſeſe cum filiis conjecit. Livius *l.* 27. 28. *& ſeqq.* Plut. *in Scipione*. Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 769.

> *Poſtera lux melior; ſuperat Maſiniſſa Syphacem,*
> *Et cecidit telis Aſdrubal ipſe ſuis.*

ASDRUBAL, à L. Cæcilio Metello Conſule, prope Palermum in Sicilia, victus, amiſit in acie 120. Elephantis, aliiſque 104. captis, qui dein per totam Italiam circumducti. Item duorum aliorum, Juſtin. *l.* 19. meminit. Vide pluribus *Liv. Polyb. Appian. Florum*; *Oroſium*, Diodor. Sic. *Fragm.*

ASDYNIS, inſulæ nomen, apud *Steph.*

Rabbi ASE, rector Scholæ Soranæ, exorſus fuit ſcribere univerſum *Thalmud* juxta ſeriem, ſeu juxta quodlibet Syntagma VI. Claſſium, docendoque illud abſolvit 30. annis, idque bis fecit. Rabbi Ganz. *ad ann.* 4127. Rexit enim Scholam annos 60. quô tempore novem Rectores Scholæ Pumbeditanæ diem ſuum obierunt. Idem *ibidem*. Vide & *Morſemar*

ASEA, vel ASEATIS, vicus Arcadiæ, ex quo Alpheus profluit. *Steph.*

ASEBAIM, Latinè *damulæ*, ſive *pulchritudines*, aut *militia*, nomen viri. Nehem. *c.* 2. *v.* 57.

ASECRETA, Latinus factum ex Græco Ἀσηκρῆτις, quod è Latino à *Secretis* ortum; unde etiam Ἀσηκρῆται Græci barbari dicuntur; quemadmodum & Latini poſtea voce indeclinabili *Aſecretis*, pro *à Secretis*: in *Ep.* S. Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Leonem III. Pontif. Καὶ γὰρ τῶν βασιλικῶν ὑπογραφέων ... Ἀσηκρῆτις ... *Namque Regiorum ſecretorum Notarius erat.* Aſecretis *autem tales vocare ſolita Latina Lingua novimus pronuntiationem.* Apud Agathonem Diaconum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ *in Epilogo*, Artemius ſeu Anaſtaſius Imperator, ... *Schola* Aſecretis *prius accenſitus*, fuiſſe dicitur. Carolus M. *de cultu Imaginum l.* 4. *c.* 9. *Mox ut Leontius* Aſecreta *conſpexit, magnum ſe ſui erroris emolumentum inveniſſe putavit.* Petrus Diac. *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 63. *Poſtquam* Aſecretis *efficitur, Logothetam illum Imperii ſtatuit*, &c. Secretarius eſt, quem *Notarium ſecretorum* Vopiſc. in *Aureliano*, *c.* 36. ... Procopius *de Bello Perſ. l.* 2. *c.* 7. ... *Imperatoris arcana ... tamen*, Idem in *Hiſtor. arc.* vocant. Zoſimus eundem ... appellat, quod propriè Secretariorum munus, vide ſuprà, ubi de *Apocriſiarius*. Corippus *l.* 1.

Hinc ſecreta ſacræ tractans Demetrius Aulæ, &c.

Interdum verò *Aſecretis* idem, quod *Conſiliarius*. Ælfrici *Gloſſar. Saxon. Aſecretis vel Principis Conſiliarius*, *gerune*. Saxonibus autem *gerune* myſterium eſt, myſtici enim ac ſecretis Principum conſiliis Conſiliarii interſunt. Michaël Pſellus in *Vita Simeonis Metaphr.* Καὶ αὐτῷ μὲν [illegible] *Et primò quidem ſecretioribus interfuit actionibus, arcanorumque conſiliorum particeps fuit.* Hinc in Charta Roberti Francorum Regis apud Duſchelmum in Probat. *Hiſtor. Montmorenciaca p. 26. Ad Majeſtatis noſtræ manſuetudinem ſupplex acceſſit noſter* Aſecretis *Manaſſes Comes poſtulans*, &c. Inde Πρωτοασηκρῆτις iiſdem Græcis, ſeu Πρωτοασηκρήτης dictus eſt, quem *Protoſecretum* vocat Anaſtaſius Bibliothecarius in *Vitis Pontificum*. Et Ἀσηκρητεῖον locus ubi Princeps [illegible] *quæ ab exteris Principibus adſerebantur reſponſa*, audiebat. *Cedrenus*, [illegible], &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. loc. cit.* & Car. du Freſne *Gloſſar.* ac *Not. ad Cinnamum p.* 492. 493.

ASEDOTH, Latinè *effuſiones*, ſive *declivia*, aut *campeſtria*, vel *deprædationes*, regio & civitas in tribu Ruben. Item urbs Amorrhæorum Joſ. c. 10. v. 40. c. 12. v. 3. & c. 13. v. 20.

ASEL, Latinè *propè* vel *juxta*, ſive *ablatio*, vel *ſeparatio*. fil. Elaſa, filii Rapha. 1. Paral. c. 8. v. 37. Item oppid. in Meroë, Nili inſula. Plin. *l.* 6. *c.* 30.

ASELGE, urbs quædam, à civium laſcivia ſic dicta. Eſt enim ἀσελγὴς idem quod ἀσελγὴς, & ἀσελγαίνειν, [illegible] *Phavorinus*, Ἀσέλγη, πόλις, [illegible].

ASELLA, Virgo Romana, Hieronymi diſcipula, S. literarum peritiâ, & pietate illuſtris. Hieronym. *ep. ad Marcellam*.

ASELLAS, Rex Cyrenarum. Juſtin. *l.* 22. *c.* 7. quanquam ibi *Ophellas* legit Bongarſius, de cujus lectione dubitandum non eſt, nam præter *Diodorum*, ita quoque habent Theophraſt. *de plantis l.* 4. *c.* 4. & Polyænus, *l.* 5. *c.* 3. n. 4. atque alii.

ASELLATA & HAMATA, factionum in Belgio nomina, quæ olera 200. annos ſæviére: excitatæ à Margareta, ſorore Guilielmi Hollandiæ Comit. Ludovici Bavari Imperatoris uxore, quæ cùm fratri ſucceſſiſſet, atque in domum Bavaricam Comitatum Hannoniæ, Zelandiæ Hollandiæque intuliſſet, A. C. 1324. filium Vilhelmum à Comitatu Hollandiæ amovendo, Ludovicò ſubſtitutò, turbarum cauſa extitit. *Aſellata* Vilhelmo favit, propugnante Ludovicum *Hamatâ*, A. C. 1350. ſed fruſtrà: Mater enim Vilhelmo cedere coacta, & Hannoniam ſibi habere juſſa eſt. Chron. *Belgii*. Douzæ *Annal.* Poſtea, cùm Vilhelmi VI. filia Jacoba, Johanni Brabantiæ Duci primò, dein fœmineâ levitate, eô repudiatô, Duci Glóceſtriæ nupſiſſet, *Aſellata* Philippum Burgundum tutorem ei conſtituit, A. C. 1425. renitente *Hamatâ*, unde novæ rerum turbæ: donec Gloceſtrii victor Burgundus, hæres Jacobæ declaratus eſt, A. C. 1428 *Idem*.

ASELLI, duæ ſtellæ in ſigno Cancri, exiguum inter illos ſpatium obtinente nubeculâ, quam *Præſepe* vocant. Plin. *l.* 18. *c.* 35. Item tres aliæ ſtellæ in Boote. Vide Cæſii *cœlum Aſtron*.

ASELLIO Sempronius, Hiſtoricus, ac Tribunus Milit. ſub Scipione Æmiliano, apud Numantiam res eas, quibus ipſe interfuit, aliaque quædam conſcripſit. Citatur à Cicerone, *l.* 1. *de Legib. c.* 2. Dionyſ. Halicarn. *Antiq. Rom. l.* 1. Chariſio, *l.* 1. Servio, A. Gellio, *l.* 2. *c.* 13. & *l.* 13. *c.* 20. &c.

ASELLIUS Claudius, Eques Roman. Tribunus Milit. ſub Claudio Nerone, apud Lucanos memorandâ fortitudine. *Volaterran.*

ASELLUS, piſcis marini genus, cujus juxta Bergam Norvegiæ captura celebris eſt; huic rei peculiari Societate inſtitutâ, in quam qui olim recipi volebant, eos moleſtiæ vexationis genus, *das Garben-ſpiel* dictum, ſubire neceſſe fuit. In eo quilibet aliquot horis corbi impoſitus in fumo ſuſpendebatur, dein in aquam præcipitatus infrà navem fune pertrahebatur. Quod cùm ſine maximo vitæ periculo, ſæpiùs quoque diſpendio ejus, non fieret, factum ut ritus antiquaretur. Auctor Anonymus *Hiſtor. Orbis Terr. Geograph. & Civ. C. de Commercio.* Atque hinc *Aſellum argenteum aurò coronatum*, urbs præfata, in ſiniſtra ſcuti ſui parte, gerit, apud Hæpingium: quemadmodum ſimile emblema in rubea areola ſcuti Danici Iſlandiam notat. Primum autem hâc teſſerâ uti cœpit Margareta Regina A. C. 1380. quòd ex illo piſcium genere optimi circa hanc inſul. & copioſiſſimi naſcantur, quæ coronæ ratio fortè.

Atque loco capitis ſalpam diadema gerentem
Portat Hyperborei dona beata maris.

apud Spenerum *Herald. Parte* 2. *l.* 3. *c.* 12. §. 13.

ASELLUS, apud *Petronium Arbitrum*. *Cæterùm in promulſidari aſellus erat Corinthius, cum biſaccio poſitus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera parte nigras, tegebant aſellum duæ lances, in quarum marginibus nomen Trimalcionis inſcriptum erat, & argenti pondus.* Idem quod *promulſis* eſt, vas nempe recipiendo mulſo paratum, Græcè ὄνος, quod vaſis vinarii erat genus. Unde apud Athenæum *l.* 4. in verbis Poſidonii, ὄνοι γέμοντες οἴνου, *aſelli vinò pleni* · quod non de animali, ut perperam viri docti cenſent, ſed de vaſe accipiendum. Ariſtophanes in *Veſpis*,

Κἂν οἶνον μοι ἐγχέῃ τὸν ὄνον, [illegible]
Οἶνον μετὸν, [illegible]
[illegible]

Ubi ὄνος, vas eſt vinarium: quod parum videntur animadvertiſſe Interpretes, qui *cantherium* vertetunt. Sic vas igitur mulſi *Aſellus* Latinis, &, quæ eum tegebat, lanx argentea, *promulſis*: propriè enim hæc non ipſum vas mulſarium, ſed mulſi, ſeu vaſis mulſarii, operculum erat. Salmaſ. *ad Tertull. de Pall.*

Item machina bellica, apud Henricum Roſſum in *Herlingsberga*:

Non hic ungrua fabricatur machina: nomen
Hac Loirila tenet, quaſi ſerrea pondera libram:
Obtinet illa ſuis. ſed hirundinis hac: ſtat Aſella
Illa vocata noto, &c.

apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ASEM, civitas in tribu Simeon. Joſ. c. 19. v. 3. Appellatur & *Azem*. 1. Paral. c. 4. v. 29. Latinè *os*, aut *fortitudo*, vel *clauſura ſcil. oculorum*, vel *lignum eorum*.

ASEMA tunica, Græcè ἄσημος, dicta apud Romanos quæ clavis carebat: σημεῖον enim clavus veſtis, ἐπίσημοι clavatæ veſtes vocabantur, monente *Caſaubono*; & χιτῶνας πλατυσήμους, *tunicas laticlavias*, apud Strab. *l.* 2. reddit Interpres. Lamprid. *in Alexandro*, *c.* 33. etiam vocat *Tunicas Aſemas*, quæ non omninò clavis carentes, exigua admodum purpuræ ſigna haberent. Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiar. l.* 5. *c.* 15. Sic ἄσημον argentum, dictum eſt veterib. Græcis argentum non ſignatum, quod in nummis non eſt, ſed in poculis. Ei opponitur argentum ἐπίσημον, quod *factum*, & eleganter Manilio *l.* 4. *per utrinque factum*, h. e. utrinque ſignatum, dicitur;

Et Mercator, erit ſolis per utrinque metalli.

i. e. erit [illegible], ἀργυραμοιβὸς, [illegible]. Poſtmodum verò ἄσημον abſolutè, pro argento ſumi cœpit, ut videre eſt apud Ptolemæum *Deſcript. Indiæ ulter.* Hinc ἄσημι hodieque Græci argentum vocant Salmaſ. *ad Solin. p.* 996. Apud Dionem verò Chryſoſtomum *Serm.* 2. ἄσημοι λίθοι, quos, pro Numinibus, Barbaris fuiſſe ait, ſunt, quos de iiſdem loquens, *informes* vocat Arnobius *adv. Gentes l.* 6. Vide infrà *Informis lapis* item ubi de *Betylis*.

ASEMONA, urbs tribûs Judæ. Joſ. c. 15. v. 4. Idem ſignificat quod *Aſſem*.

ASENA, cum ס, Latinè *periculum*, ſive *infortunium*, vel *rubor*. Nomen viri, Nehem. *c.* 2. *v.* 50.

ASENA, cum ש, Latinè *mutatio*, vel *duplicitas*, aut *dormitatio*, ſive *ignis anni*. Nomen urbis in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 33.

ASENA, vulgò ALMEDA fortè, *Brietiò* teſte oppidul. Hiſpaniæ in Carpetanis, ubi nunc pars Caſtellæ novæ. Aliis eſt *Adamuz* vicus nunc longè à Tago fluv.

ASENAPHAR, Latinè *periculum*, ſive *infortunium tauri*, aut *periculi incrementum*, nomen viri. Nehem *c.* 4: *v.* 10.

ASENATH, filia Potipharis, uxor Joſephi, è qua Manaſſen & Ephraimum ſuſcepit. Gen. *c.* 44. *v.* 44. Latinè *periculum*, ſive *infortunium*. Vide de ea Voſſium *de Idolol. l.* 1. *c.* 29.

ASER, Hebraicè *Aſir*, fil. Caath. 1. Paral. *c.* 6. *v.* 22. ſive filius Core, filii Iſaar, filii Caath Exod. *c.* 6. *v.* 24. Latinè *vinctus*, ſive *incarceratus*, aut Syriacè *prohibitus*.

ASER, Latinè *beatitudo*, ſive *felicitas*, octavus fil. Jacob ex Zelpha, Liæ uxoris ſuæ ancillâ. Vixit. ann. 126. Obiit A. M. 2413. Gen. *c.* 30. *v.* 13. Benedictionem ejus vide Gen. c. 49. v. 20. Nomen item loci. Joſ. *c.* 17. *v.* 11.

ASERIMUS, Menandro Epheſ. apud Joſephum *contra Apion.* Ἀσέρυμος ſeu Ἀθάρυμος. Tyri Rex fratri Aſtarto ſucceſſit, tempore Aſæ in Juda adhuc regnantis. Vixit annos 54. regnavit annos 9. peremptus à fratre Phelete, qui regnum occupavit, vide *Pheles*.

ASEROTH, Latinè *nemora*, *luci*, aut *beatitudines*, vel *inſidiæ*, ſive *greſſus*. Nomen Idoli. Judic. *c.* 3. *v.* 7.

ASERUS, Siciliæ urbs. *Ptol. Monreal Nigro*. Fortè Aſſorum, & Aſſorium *Stephani*.

ASETH, Georg. Syncello, qui aliis *Aſſis*, ſextus Tanitarum ſeu Paſtorum in Ægypto Rex, vide *Aſſis*.

ASFERUN, mons Tartariæ deſertæ, in Aſia, juxta Obium fluv.

ASGANDES, vel ASCANDES, Tabellarius Regius, apud veteres Perſas. *Heſych.* Ἀσγάνδης ἄγγελος, *Aſcandes nuntius*. Plut. in *Alexandro*, Δαρεῖος ἐξ ἀστάνδου βασιλεὺς γενόμενος, *Darius ex tabellario Rex factus*. Hinc Chaldæi nuntium Perſicâ voce appellant אזגד, *Azgad*, in plural. אזגדין, *Azgaddin*: quod vocabulum paſſim occurrit, in Chaldæis Paraphraſtis, Proverb. *c.* 13. *v.* 17. & *c.* 25. *v.* 13. pro *legato ac nuntio*. Equos horum curſorum nudos fuiſſe volunt, ut expeditius currerent: alii ſplenes eorum fuiſſe ablatos addunt & plantæ pedis particulas exciſas, qua de re vide Bochart. *Hieroz. Part.* 1. *p.* 137. & infrà *Celes*.

ASGANIDÆ, nomen tertiæ familiæ in Perſia regnatricis, ante Muhammedanos, vide infrà *Perſia*.

ASGARA, provincia Regni Fezzæ in Africa, à Septentrione Oceanô adluitur, ab occaſu ad fluvium uſque Buragragum prætenditur: Orientale Latus claudunt montes Gumaræ, Zaromi, & radices montis Zalagæ, meridie verò fluviò Buruzâ terminatur. Ejus caput eſt Lixa Urbs, cùm aliæ majori ex parte dirutæ fuerint ultimis civilibus bellis. *Baudrand.*

ASHFORDIA, oppidul. Angliæ in provinc. Cantii, ad fluv. Sturam. 9. mill. Anglicis à Cantuaria in Auſtrum, & 12. à Dubri in Occaſum.

ASHUR, fil. Eſrom, filii Phares, ex Abia uxore 1. Paral. *c.* 2. *v.* 24. Pater item Thecuæ. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 5. Latinè *denigratus*, ſive *ignis libertatis*, vel *albedinis*, aut *foraminis*.

ASIA Major, una ex tribus orbis partibus veteribus cognitis, reliquas duas ſimul acceptas magnitudine ſuperans, in ortum maximè extenſa, Indicô, Eoô, & Scythicô Oceanô, perfuſa; ab Europa ad occidentem Tanai fluv. mari Euxinô, & Ægæô ſeparata, ab Africa Nilô fluv. Plinio, *l.* 5. *c.* 9. ſed Arabicô ſinu *Ptolemæo* diviſa. Ab *Aſia* fœmina, teſte Iſidorò, *l.* 14. *etymol.* filia Oceani & Thetyos, uxore Japeti, vel ab Aſio quodam, filio Cotyos, nepote Manei Lydi, Herodot. *Melpom.* 4 nomen habet. Becmanno autem, *Aſia* dicitur ab אש *eſh*, i. e. *ignis*, quaſi אשיה *Eſhia*, h. e. *ignis Domini*, quem in Perſia, aliiſque Aſiæ oris ſacrum coluerunt. Herodot. modò laudatus in *Melpom.* etiam ad uxorem Promethei refert: Ἡ δὲ Ἀσίη λέγεται ἐπὶ Προμηθέος γυναικὸς τὴν ἐπωνυμίην ἔχειν. Verùm nos eòdem redit, ſi expendatur fabula de igniculo, quem

cœlo

cælo Prometheus ſurripuiſſe dicitur. Bochart. autem *l.* 4. *Phaleg. c.* 33. à Phœnicio חצי *aſi* deducit, quod non ſolum *dimidium*, ſed *medium* ſonat, ſic בחצי השמים eſt μεσουράνημα, Joſ. *c.* 10. *v.* 13. חצי הלילה μεσονύκτιον Judic. *c.* 16 *v.* 3. Itaque חציה *aſia*, i. e. *media* cæpit vocari Aſiæ pars illa, quæ media eſt inter Africam & Europam, quam *Aſiam minorem* vulgò dicunt. De qua Plin. *Præfat. l.* 3. *Hinc* (i. e. à Gadibus) *intranti dextra Africa eſt, lævâ Europa; inter has Aſia eſt.* Mela *l.* 1. *c.* 2. *Media noſtro æquoribus excipitur.* Sed & alio reſpectu *Aſiam* cum Europa & Libya conferens *Euſtath.* illam aſſerit μέσην ἀμφοῖν ἔχειν λῆξιν. Videſis locum in Dionyſ. *poſt. v.* 270. Continebat, ſecundùm Veteres Sarmatiam, Sericam & Scythicam, Aſiaticam Gedroſiam, Caramaniam, Drangianam, Arachoſiam, Sogdianam, Bactrianam, Hircaniam, Margianam, Parthiam, Perſiam, Suſianam, Mediam, Albaniam, Iberiam, Colchidem, Armeniam, Meſopotamiam, Aſſyriam, Arabiam, Syriam, Palæſtinam, Phœniciam, Cappadociam, Ciliciam, Galatiam, Pontum, Bithyniam, Lyciam, Pamphyliam, Cyprum. Dividitur hæc *Aſia* hodie in ſex partes. Prima paret Magno Duci Moſcoviæ. Secunda Magno Chamo Tartarorum Imperatori. Tertiam partem Turcæ occupant; Quartam Perſæ; Quintam Indi, Sextam Sinenſes. *Nic. Lloydius.*

Aſiæ Magnæ regiones:

Albania.	Margiana.
Arabia deſerta.	Media.
Arabia felix.	Meſopotamia.
Arabia petræa.	Nabathæa, regio Arabiæ.
Aria.	Oſrhoëne, regio Meſopotamiæ.
Armenia major.	Palæſtina.
Aſia minor.	Paropamiſus.
Aſſyria.	Parthia.
Babylonia.	Perſia.
Bactriana.	Phœnicia.
Carmania.	Sacæ.
Carmania deſerta.	Sarmatia.
Colchis.	Scythia intra Imaum.
Drangiana.	Scythia extra Imaum.
Elymais, reg. Perſidis.	Serica.
Gedroſia.	Sogdiana.
Hyrcania.	Sinæ.
Iberia.	Suſiana.
India citerior.	Syria.
India ulterior.	

Aſiæ Magnæ regiones ex ordine mare attingentes:

Aſia minor.	Carmania.
Syria.	Gedroſia.
Palæſtina.	India citerior.
Ægyptus.	India ulterior.
Arabia triplex.	Sinæ.
Babylonia.	Serica.
Suſiana.	Scythia borealis.
Perſis.	Sarmatia.

Ad mare Hyrcanum:

Colchis.	Hyrcania.
Albania.	Margiana.
Media	Sogdiana.

Interiores:

Iberia.	Drangiana.
Armenia major.	Arachoſia.
Meſopotamia.	Paropamiſus.
Aſſyria.	Bactriana.
Parthia.	Sacæ.
Aria.	Scythia inter Imaum.
Carmania deſerta.	Scythia extra Imaum.

Baudrando nobiliſſima mundi portio cenſetur multis de cauſis & à Gallis *Aſie*, ab Hiſpanis & Italis *Aſia* dicitur. Tribus partibus percingitur vaſtiſſimò Oceanò, qui ab Oriente vocatur Orientalis ſeu Eous, à Meridie Indicus, & à Septentrione Scythicus ſeu Tartaricus, ab Occidua autem parte habet ſinum Arabicum, ſeu mare Rubrum, Iſthmum inter Arabicum ſinum & mare Internum, atque inde maria Phœnicium & Ægæum, Propontidem, Pontum Euxinum, Mæotidem paludem, & fluvios Tanaim, Rham, & Obium. Non ſeparatur autem ab Africa Nilò fluviò, quia Ægyptus eſt in Africa. Aſiam ipſam Taurus mons mediam quodammodo cingit in motem dividit, ab Occidente in Orientem longiſſimò tractu excurrens. Duplicem olim Aſiam Veteres fecerunt, alteram ſcilicet Majorem, quæ trium orbis partium tunc cognitarum una fuit, alteram verò, quam Aſiam propriam ſeu Minorem dixêre; eſtque illius pars ſeo provincia. *Strabo* Aſiam in quinque portiones dividit. *Ptolemæus* in 47. regiones ac provincias diſtribuit. Hiſce temporibus dividitur à plurimis in ſeptem ampliſſimas partes, ſunt autem Turcica ditio in Aſia, Arabia, Perſia, Tartaria, Sinarum regio ſeu China, India, & Inſulæ, ſub quibus multæ aliæ regiones continentur.

Aſiæ partes nunc ſunt,

Arabia, *l'Arabie*, quæ triplex eſt.
Armenia, ſeu Turcomania, *la Turcomanie.*
Aſia minor, *l'Anatolie.*
Borneo inſula, *l'Iſle de Borneo.*
Cataia, *le Catay.*
Ceylam inſula, *l'Iſle de Ceylan*, quæ aliàs Taprobana.
Comania, *les Cacaſſiens.*
Cyprus inſula, *l'Iſle de Cypre.*
Diarbeca, *le Diarbeck*, aliàs Meſopotamia
Georgia, *la Georgie.*
Japonia inſulæ, *le Japon.*
Java inſula, *l'Iſle de Java.*
India, *l'Inde*, quæ in tres partes dividi poteſt, nempe in Indiam propriam, ſeu Imperium magni Mogulis, *l'Indoſtan*, Indiam extra Gangem, *la Preſqu'iſle de l'Inde delà le Gange*, & Indiam intra Gangem, *la Preſqu'iſle de l'Inde deça le Gange.*
Maldivæ inſulæ, *les Maldives.*
Moluccæ inſulæ, *les Iſles Moluques*, cum aliis in Oceano Indico ſparſis.
Perſia, *la Perſe.*
Philippinæ inſulæ, *les Iſles Philippines.*
Sinarum Regio, *la Chine.*
Syria, *la Sourie*, ſub qua Terra ſancta comprehenditur.
Sumatra inſula, *l'Iſle de Sumatra.*
Tartaria deſerta, *la Tartarie deſerte*, quæ pars eſt magnæ Tartariæ, aliàs Scythia intra Imaum.
Tartaria vera, quæ & vetus & magna, *la vraye ou la grande Tartarie.*
Turcheſtania, ſeu Thibeti regnum, *le Turqueſtan*, ſeu *le Tobbat*, & *le Thibet*, aliàs Scythia extra Imaum.
Zagathaia Mauralnaria, *le Zagathay*, ſeu *le Mauralnaher.*

Urbes Aſiæ nunc celebres:

Adenum, *Aden.*	Goa, *Goa.*
Agra, *Agra.*	Hieruſalem, *Hieruſalem.*
Aleppum, *Alep.*	Macaum, *Macao.*
Amedebatum, *Amedevvat.*	Malaca, *Malaca.*
Armuzia, *Ormus.*	Manilla, *Manilha.*
Aſpahanum, *Hiſpahan.*	Mataranum, *Mataran.*
Bagdatum, *Bagadet.*	Meacum, *Meaco.*
Balſera, *Balſora.*	Meca, *la Mecque.*
Bantamum, *Bantam.*	Nanquinum, *Nanquin.*
Batavia, *Batavia.*	Odiaa ſeu Siamum, *Odiaa & Siam.*
Bengala, *Bengala.*	Pequinum, *Pequin.*
Borneum, *Borneo.*	Pruſa, *Burſe.*
Calecutum, *Calecut.*	Samarcanda, *Samarcand.*
Cambaja, *Cambaye.*	Smirna, *Smirne.*
Candea, *Candy.*	Surata, *Surrate.*
Cantanum, *Cantaon.*	Tabriſium, *Tauris.*
Casbinum, *Casben.*	Trapezus, *Trebizonde.*
Damaſcus, *Damas.*	

ASIA Minor ſuperioris pars, in Cherroneſi formam coacta; cujus Iſthmus à ſinu Iſſico ad Pontum uſque Euxinum pertingit. In hac Theodorus Laſcares, Alexii gener imperium arripuit. A. C. 1288. Hodiè *Natolia* Turcis dicitur, à Græco ἀνατολὴ, quod *Orientem* ſignificat. Hujus partes ſunt Cilicia, Lycaonia, Paphlagonia, Pontus, Cappadocia, Bithynia, Phrygia, Myſia, Lydia, Pamphylia, Æolis, Ionia, Licya, & Caria. Cicero *pro Flacco: Namque ut opinor, Aſia veſtra conſtat ex Phrygia, Myſia, Caria, Lydia.* Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 1.

Poſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam viſum ſuperis. ---- ----

Ita *Nic. Lloydius Morerius* verò has ei tantùm partes tribuit, Phrygiam, Myſiam, Lydiam, Cariam, Æoliam, Ioniam & Doridem. Plurimas *Aſia* præ reliquis partibus Mundi prærogativas habet. Namque ibi primus homo formatus, colonus poſtmodum in univerſum orbem deductus; ſedes fuit Eccleſiæ veteris J. Chriſti natale ſolum; Imperiis inſuper Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Græcorum, Parthorum, iterumque Perſarum, Saracenorum, denuoque Perſarum, qui ſub Iſmaële Sopho circa A. C. 1502. tertiâ vice emerſerunt, inclyta, &c. In Minore ſeptem Eccleſiæ, ad quas ipſe FILIUS DEI, per S. Johannem Apoſtolum & Euangeliſtam totidem Epiſtolas ſcribi juſſit, de quibus Apocalypſ. *c.* 1. 2. 3. XII. quoque hîc inſignes urbes (XIII. *Euſebio*) terræ motu (*Oroſio*, ſub mortem Chriſti, quod *Lipſius* negat) collapſæ ſunt, quarum ruinas, Sardium imprimis, Tiberii liberalitas ſublevavit. Tacit *Annal. l.* 2. Oroſ *l.* 7. *c.* 3. Strabo *l.* 3. Quidam ad A. C. 17. referunt. Florentiſſimas hic Eccleſias fuiſſe, Irenæus narrat *l.* 1. *c.* 2. & 3. *l.* 3. *c.* 4. quibus iidem fidei articuli, cum iis, qui in Proteſtantium Eccleſiis hodieque vigent. circa A. C. 180. Aſiaticæ Epiſcopi oppoſuêre ſe ſtrenuè Victori Epiſcopo Romano, qui ob Paſcha 14. Lunâ celebratum, in Aſiæ Eccleſias Excommunicationis dirum fulmen ſtrinxit: Circa A. C. 196. 198. Euſeb. *l.* 5. *c.* 23. A latrociniis Aſiam purgavit Aurelius Probus, A. C. 279. Vopiſc. *in ejus vita.* In diviſione orbis, à Conſtantino facta, huic cum Oriente ceſſit, Licinio Occidente permiſsô A. C. 316. Tremuit, ſub Leo e Iſaurio, A. C. 740. qui motus etiam Conſtantinopolim concuſſit. Sub Michaele Duca, Nicephorus Botoniates, in Aſia imperium arripuit, A. C. 1075. Nicephorô Brienniô in Thracia rerum ſuarum ſatagente, Andronicus deia, à Turcis infeſtatus, illam reliquit, A. C. 1303. Niceph. Greg. *l.* 3. Ob hujus Duces à Bajazete Turcarum Imperatore ditionibus ſuis depulſos, Tamerlanes ingens illi bellum conflavit, eumque captum & caveæ ferreæ incluſum per totam Aſiam circumduxit. A. C. 1399. Tanta porrò *Aſiæ* ubertas rerum omnium atque fertilitas fuit, ut omnibus terris vel hoc ſolò antecellere videretur. Cicer. *pro Q. Ligario, Aſia tam opima eſt & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat.* Eadem Mithridates, apud Juſtinum, *l.* 38. *c.* 7. ad milites concionaturus affirmat. Ait enim, *Neque cælo Aſiæ eſſe temperatius aliud, nec ſolò fertilius, nec urbium multitudine amœnius, magnamque temporis partem, non ut militiam, ſed feſtum diem acturos.*

Inde Propertius, *l.* 2. *El.* 9. *v.* 14.

Atque Aſiæ veteres cernere divitias.

Horat. *l.* 1. *Sat.* 7. *v.* 18.

—— —- Bimè Prætore tenentem
Divitem Aſiam. —— ——

Atque de opulentia provinciæ hujus inde etiam conjectura fieri poteſt, quòd Sulla mulctæ nomine XXM. talentûm impoſuerit: Antonius totidem unô annô abſtulerit, teſte Plut. *in Lucullo & Antonio.* Hinc Tacitus, *in Agricola*, c. 6 *provinciam divitem, & paratam peccantibus vocat.* Plura ſi velis, conſule Strabonem, *l.* 1. & 2. Plin. *l.* 5. & 6. Pomp. Melam *l.* 1. *Ptol. Cluverium, Labbeum, Sanſonem*, inprimis Reverendiſſ. Jac. Uſſerium Archiepiſcopum Armachanum, *in tractatu de Aſia Minore.* Dividitur *Baudrando Aſia Minor* in 4. partes; quarum major versùs Occidentem, & mare Ægeum extenſa, propriè *Anatolia*; ubi fuerunt olim Bithynia, Paphlagonia, Myſia, Phrygia, Lydia, Æolis, Ionia, Caria & pars Galatiæ. Altera pars versùs Pontum Euxinum & Septentrionem *Amaſia* dicitur, ſeu *Rum*, ubi aliàs Pontus, Cappadocia & pars Galatiæ. Tertia *Caramania*, ad Meridiem & juxta mare Mediterraneum occupat totum terræ tractum, ubi aliàs Cilicia, Pamphylia, Lycaonia. Quarta in Orientem porrecta versùs Euphratem *Aladuli* dicitur, continetque Armeniam minorem antiquam. *Ferrario Aſia* propriè dicta, Myſiam, ſeu Phrygiam minorem cum Troade, Æolidem, Ioniam Cariamque cum Lydia & Phrygia magna complectitur, mari Ægeô, Icariô, Myrtoô, Rhodiôque circumfluâ. Urbes olim Alexandria, Cyzicus, Ilium, Pergamum, Smyrna, Epheſus, Miletus, Halicarnaſſus, Gnidus, Sardes, Magneſia, Apamea, Cibyra, claræ: Nunc Smyrna, Coticum, Magneſia. Octav. Ferrarius *Lexic. Geogr.*

Aſiæ Minoris regiones, quæ mare attingunt:

Ad Septentrionem.	Ionia.
Pontus.	*Ad Auſtrum.*
Paphlagonia.	Cariæ pars.
Cappadocia.	Lycia.
Ad Occidentem.	Pamphylia.
Bithynia.	Cilicia.
Myſia.	*Juxta Euphrat. fluv. ad ori.*
Phrygia minor.	Euphrateſia, pars Syriæ.
Troas.	Comagene, pars Syriæ.
Æolis.	Meliſene, pars Armen.
Caria.	Armenia minor.

Mediterraneæ.

Galatia.	Iſauria.
Lycaonia.	Phrygia magna.
Piſidia.	Lydia, ſeu Mæonia.

Aſiæ Minoris regionum Metropoles ſub Patriarcha Conſtantinopolitano, majoribus aſteriſmis notatæ:

Abydus, Myſiæ.	Miletus, Cariæ.
* Adana ſub Patriarcha Antiocheno, Ciliciæ.	* Mitylene, Lesbi inſulæ.
* Amaſea Cappadociæ.	Mocaſus, Cappadociæ.
Amaſtris, Paphlagoniæ.	Mopſueſtia ſub P. Antiocheno, Ciliciæ.
Amorium, Phrygiæ major.	Myra, Lyciæ
Anazarba, & Anazarbus, Ciliciæ.	Nacolia, Phrygiæ majoris
* Ancyra, Galatiæ.	* Neocæſarea, Cappadociæ.
* Antiochia gemina una Cariæ, altera Piſidiæ.	Nazianzus, Cappadociæ.
Apamia gemina una Bithyniæ, altera Phrygiæ magnæ.	Nicæa, Bithyniæ.
* Attalia, Pamphyliæ.	Nicomedia, Bithyniæ.
Cæſarea, quæ & Mazaca, Cappadociæ.	Pergamus, Troadis.
* Cæſarea altera Ciliciæ, nunc ſedes Satrapæ.	Perge, Pamphyliæ, ſedes nunc Sylæi.
Camachus, Ciliciæ.	Peſſenus, Galatiæ.
Celtzene in Armenia minore.	Philadelphia, Lydiæ.
Ceraſus, Cappadociæ.	Pompejopolis, gemina, una Paphlagoniæ everſa, altera Ciliciæ ſub Patriarcha Antiocheno.
Chalcedon, Bithyniæ.	* Peruſa.
* Chios, inſulæ cognominis.	Rhizus, & Rhizæum, Cappadociæ.
Chonæ, quæ & Coloſſæ, Phrygiæ magnæ.	* Rhodus, inſula cognominis.
Claudiopolis, Honoriadis in Ponto.	Samoſata ſub Patriarcha Antiocheno, Comagenes.
Colonia, Armeniæ minoris.	* Sardes, olim Lydiæ regia.
* Cotyæum, Phrygiæ majoris	Sabaſte, Ciliciæ.
Cybiſtra, Armeniæ minoris.	* Sebaſtopolis, Cappadociæ
Cyzicus, Myſiæ.	Seleucia, Ciliciæ.
Epheſus, Ioniæ	Sida, Pamphiliæ.
Euchaita, Paphlagoniæ.	Silæum ſeu Silvum, Pamphyliæ apud Pergen.
Gangra, Paphlagoniæ.	* Smyrna, Ioniæ.
Germa, Galatiæ.	Stratopolis, Cariæ.
Heraclea Ponti.	Synnada, Phrygiæ majoris
Hierapolis, Phrygiæ majoris	* Tarſus ſub Patriarcha Antiocheno, Ciliciæ.
* Iconium, Lycaoniæ.	Trapezus, Cappadociæ.
Laodicea, Lydiæ.	Tyana, Cappadociæ.
* Melitene, Armeniæ minoris	

Urbes Aſiæ Minoris nunc celebres:

Amaſia, *Amaſia.*	Cotyæum, *Cutaige*, ſeu *Cutaye.*
Ancira, *Angouri.*	Iconium, *Cogni.*
Attalia, *Sattalie.*	Iſſus, *Lajazzo.*
Chalcedon, *Scutaret*, & *Scutari.*	Smirna, *Smirne.*
Pruſa, *Burſe* & *Burſia.*	Trapezus, *Trebizonde*, aliis *Turabofan.*
Sinope, *Sinabe.*	

ASIA Proconſularis, erat *Aſiæ minoris* pars citerior, h. e. Aſia cis Halym & montem Taurum, in qua Lydia, Ionia, Caria, Myſia, Phrygia minor, & Helleſpontus. Hanc proin appellatione ꝗ ἰδίως Ἀσίαν, *Aſiæ propriè dictæ*, ſolam intellexit *Ptolemæus*, quia nimirum ſola hæc provincia Proconſularis, cujus Rector *Proconſul Aſiæ* dictus eſt. Et poſtmodum reſpondit Θεμάτιον Θέμα, ſicut Ἀνατολικὸν Θέμα ulteriori & magis Orientali, à qua tota Aſia minor Ἀνατολὴ dicta eſt, hodieque *Natolia.* Vide infrà, ubi de *Thracenſium Præfectura.* Ab ea diverſa fuit *Aſiana Diœceſis*, quippe Aſiam illam includebat omnem, quam Veteres ἰδίως ſic vocârunt, tum citeriorem, tum ulteriorem; exceptis illis provinciis, quæ in citeriori Proconſuli parebant. Aliquot enim provinciis hæc imminuta eſt ſequentibus temporibus, quæ Vicario Diœceſeos Aſianæ attributæ fuerunt. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 802. *& ſeqq.* Inde *Aſianus*, qui ex *Aſia* eſt. Quintilian. *Præfat. l.* 8. *Neque enim Aſianus, aut quocunque alio genere corrupti, res aut non viderunt, aut non collocaverunt, &c.* Ubi *Aſianos* vocat, qui genus Aſiaticum dicendi ſequuntur. Ἀσιανὸς χαρακτὴρ Straboni vocatur, *l.* 15. Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 14.

— - —— Faciant equites Aſiani;
Quanquam & Cappadoces faciant, equiteſque Bithyni.

Item *Aſiacus* aliud adjectivum, ut quidam volunt. Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 588.

Ecquid ubi Aſiacas caſuras aſpicis arces.

Qui verſus tamen in aliis codicibus ita legitur:

Ecquid ubi has jam jam caſuras aſpicis arces.

Quod probat *Cruſanus*, & *Farnabius* quoque in textum recepit, quòd alterum claudicare videretur, cùm prima in *Aſiacus* correpta ſit; atqui oblitus erat, *Aſidis* quoque voce primam Poëtam produxiſſe. Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 648.

Jam ſuper Europen ſublimis & Aſida terram.

Atqui poſterior lectio procul dubiò veriſſima eſt, & ſic legitur in editione Heinſiana. Hinc denique *Aſiaticus*, aliud adjectivum & uſitatiſſimum, ut *bellum Aſiaticum, genus dicendi Aſiaticum*, quod erat copioſum, tumidum & redundans, unde Petronius *ventoſam, & enormem loquacitatem* appellavit. Cauſa hujus ab ingenio, & natura gentis petenda videtur, quæ ex opibus ſuperba, & vana. Legatus Rhodiorum apud Liv. *l.* 45. *c.* 25. *Non negaverim & totam Aſiæ regionem inaniora parere ingenia, & noſtrorum tumidiorem ſermonem eſſe, quòd excellere inter finitimas civitates videamur.* Item *Aſiaticus*, nomen viri apud Tacit. *Annal. l.* 11. *c.* 1. & Dionem, *l.* 59. Alius Gallorum Dux. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 94. Item Conſul. Roman. Aquilini collega.

ASIA, palus cum oppido cognomine, apud Tmolum montem & Cayſtrum fluv. circa quam, inter alias aquaticas aves plures grues verſantur. Producit primam ſyllabam. Virg. *l.* 1 *Georg. v.* 383.

—— —— Et quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri.

Idem *l.* 7. *Æn. v.* 701.

—— —— Longa canoros
Dant per colla modos, ſonat amnis & Aſia longè
Pulſa palus. —— —— ——

Quod habent ex Homero, *Il.* β. *v.* 461. Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα. Aſii prati etiam meminit *Steph. Nic. Lloydius.*

ASIÆ Principes, vide in voce *Aſiarchæ.*

ASIAGENES, cognomen Græcum L. Scipionis, ſicut *Aſiaticus* Latinum, ex Aſia devicta ei datum, Liv. *l.* 39. *c.* 44. ubi de aſpera illa triſtique M. Porcii & L. Valerii Flacci cenſura: *In equitatu recognoſcendo L. Scipioni Aſiatico ademtus equus.* Hic ſcriptæ membranæ Cardin. Barberini & Alex. Petavii clarè: *L. Scipioni Aſiageni.* Sic & unus Florentinus vetuſtior. Nec dubium, quin Livius ſic ſcripſerit. Idem namque Græcis Ἀσιαγενὴς, qui Romanis *Aſiaticus*: eſtque ſatis probabile, utramque appellationem ſimul natam & pro affectu Lucii erga nationem perhumanam, hanc juxta gratam illi, itaque uſu vulgatam eſſe. Neque enim adjectio ꝗ γένους ſemper nativam patriam ſignificat: namque & Apollo Λυκηγενὴς, quaſi Λυκηγενὴς, non quod in Lycia genitus ſit, ſed quòd ibi potiſſimùm coleretur. Accedit teſtimonium Diodori Sic. in *Excerptis*, ubi de Naſica. Ἐξ ἐκείνου γὰρ διὰ ꝗ γένους, ἐξ ὧν τὸν Ἀφρικανὸν καὶ τὸν Ἀσιαγενῆ καὶ τὸν Ἱσπανὸν ὀνομάζεσθαι συνέβαινεν. ἀπὸ μὲν τὸν Λιβύην, ὁ δὲ τὴν Ἀσίαν, ὁ δὲ τὴν Ἱσπανίαν καταστρεψάμενος ἔσχε ꝗ διὰ τῶν πράξεων θεμένην προσηγορίαν. Unde facilè patet, quomodo nummi explicandi, in quibus ſcriptum L. SCIP. ASIAG. i. e. *L. Scipio Aſiagenes.* Et certè Græca natio tum peritior adulandi novoſque honores & titulos patronis ſuis comminiſcendi multò callidior & inſtructior erat Romanis. Itaque poſſis ſuſpicari, ab illis initium factum, Romanum nomine Ἀσιαγενοῦς, quod inter illos meruit erat, inſigniendi. Imitati Italici, ne minus Aſiâ domitâ decus Imperatori ſuo paráſſe viderentur illis, qui fratris auſpiciis in Africa res geſſerant. Ἀσιαγενῆ *Aſiaticum*, reddiderunt. Atque ita ambo, quoniam tum maximè urbs Græca fieri & in Tiberim Ægon ſe explicare cœpit, inter vulgus creverant. Joh. Frid. Gronov. *Obſervation. l.* 4. *c.* 25. Vide ubi de *Scipionibus.*

ASIANA, civitas Elidis. *Steph.*

ASIANUS, Sardienſis Epiſcopus. Vide & *Leo.*

ASIARCHÆ, viri erant communi Aſiaticarum civitatum con-

conſenſu delecti, qui communia negotia curarent. Strabo l. 14. In libris Juriſconſultorum uſurpatur hæc vox, ut & Syriarcha &c. Sic autem dicti ſunt Sacerdotes quidam, quorum munus erat ludos Theatrales in Deorum honorem edere, quos propterea Ruffinus apud Euſeb. Munerarios interpretatur, ut obſervat Cujacius, JCtus longè doctiſſimus. Eorum functio Aſiarchia, ſicut Bithyniarcharum Bithyniarchia, Lyciarcharum Lyciarchia &c. dicebatur. Præſides iidem dicti: Principes item, à ratione tum nominis, tum dignitatis, quæ eminentior erat, & honoris eximii, & notum, eadem vocabula tam Principes, quàm Sacerdotes ſæpius ſignificare. Hinc Athenis [illegible], Romæ Rex, ſacra curabat. Peragebantur autem hæc ſacra ſtatis temporibus, à ſingularium gentium aut Provinciarum Communibus: Et quidem Commune Aſiæ ſeu urbium id genus ſacra, in Aſianarum civitate eminentiſſima aliqua, putà Epheſi vel Smyrnæ, quò ex reliquis urbibus commigrabant homines, ſolebant haberi: Idque in Comitiis, &c. Horum fit mentio apud Divum Lucam Hiſtor. S. S. Apoſtol. c. 19. v. 38. Vide de his Seldenum, in marmoribus Arundelianis.

ASIARCHIA, quid muneris olim? Vide ſuprà.

ASIATICUS, Dux Gallorum, concitante Vitelliô, ad ſupplicium poſtulatus, quod pro Vindice bellâſſet. Tacit. Hiſtor. l. 2. c. 94.

ASIATICUS, Vitellii libertus, quem poſtulante exercitu, ut equeſtri dignitate donaret, inhoneſtam adulationem compeſcuit. Dein mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter ſecreta convivii largitur: honoravitque Aſiaticum annulis, fœdum mancipium & malis artibus ambitioſum, Tacit. Hiſt. l. 2. c. 57. Vide & Valerius.

ASIBE, civitas Meſopotamiæ, ab incolis aliô nomine dicta Antiochia. Steph. Oppid. Aſiæ minoris in Cappadocia, verſus Euphratem fluv. & Moſchicos montes, 30. milliar. ab ora Ponti Euxini. Baudrand.

ASIDO, oppid. Bæticæ mediterraneum. Plin. l. 3. c. 1.

ASIDIUS Sabinus, vide Sabinus.

ASIEL, Latinè factus Deus, fil. Saraiæ. 1. Paral. c. 4. v. 35.

ASILAS, augur, qui Æneæ in auxilium venit contra Turnum. Virg. Æn. l. 10. v. 175.

> *Tertius ille hominum, divumque interpres Aſilas,*
> *Cui pecudum fibræ, cæli cui ſidera parent,*
> *Et linguæ volucrum, & præſagi fulminis ignes.*

Item Dux Trojanus. Virg. Æn. l. 12. v. 127.

> *Et genus Aſſaraci Mneſtheus, & fortis Aſilas.*

ASILUM, locus veteri monaſteriô inſignis, in agro Toloſano, vulgò le Mas d'Asil. Meminit Aſilani caſtri, Guil. de Podio, Chr. c. 43. Quod fortè Caſillas, ad Atacem fluv. vicus Carcaſſonæ proximus. Hadr. Valeſ. Notit. Gall.

ASILUS, vide infrà Tabanus.

ASIMA, idolum virorum Hemath. 2. Reg. c. 17. v. 30. Latinè dictum, vel poſitio, aut ignis maris. Vide Seldenum, de Diis Syris l. 2. c. 9.

ASINA, cognomen Corneliorum, quod à Cn. Corn. Scipione ad poſteros propagabatur. Hic enim, cum ſponſores ab eo poſcerentur, aſinam produxit in forum cum pecuniæ onere, quaſi pro ſponſoribus præſens pignus, eamque ob cauſam Aſina poſtea dictus eſt. Macrob. l. 1. Saturn. c. 6. Vide & Cornelius.

ASINA Balaami, miraculô loquuta, & de ſævitia domini ſui queſta eſt, movente Deô linguam ejus per Angelum, & modò ad palatum, modò ad labia, modò ad dentes allidente & inflectente, prout erat neceſſe & aërem ad ſonos formandos requiſitum intra fauces comprimente, ne per belluinos rictus intempeſtivè effluerer. Vide Numer. c. 22. v. 28. Ut fruſtra ſint Talmudici, ut Aſinæ loquentis inter decem res, poſt perfectionem Mundi in aſcenſu Sabbathi, inter duas veſperas, creatas recenſentes, in Perke-Aboth fol. 30. &c. Simile quid tam Hiſtorici, quàm Mythologi, referunt paſſim. Atque in his quidem Bacchus aſino illi, quô fuerat vectus, vocem humanam dedit, apud Hyginum in Cancro. & apud Apollonium Argonautic. lib. 2. Phryxi aries, cùm Helle in Helleſponto ſubmerſa eſt.

> *— [illegible],*
> *vocem humanam emiſit.*

Sic, Æliano auctore Hiſtor. l. 4. c. 54. [illegible] Homerus equo vocem tribuit, Xantho ſcil. qui Il. τ. dominum Achillem alloquitur verſibus totis decem. Vide quoque Oppian. Cynegetic. l. 1. v. 226. & Propert. l. 2. Eleg. ult. ubi de Adraſti Arione. Apud Moſchum in Europa,

> *— [illegible],*
> *Hic illam alloquutus eſt bos latis cornibus, &c.*

Sed & in Hiſtoriis apud Euſebium, agnus Bocchore in Ægypto regnante loquutus eſt. Vide etiam Suidam in Τὸ Ἀ[illegible], & Ælianum Hiſtor. Animal. l. 12. c. 3. In Julio Obſequente, c. 103. C. Mariô & C. Flaccô Conſulib. Arimini canis loquutus: In Val. Max. l. 1. c. 6. Bellô etiam Punicô ſecundô, conſtitit, Cn. Domitio bovem dixiſſe, Cave tibi Roma. Vide quoque Liv. l. 35. & 41. Val. Max. ubi ſuprà, Plut. in Marcello, Plin. l. 8. c. 45. Anon. Virg. non minùs, ubi de prodigiis in morte Cæſaris, Georgic. l. 1. v. 478.

> *— — Pecudeſque loquutæ*
> *Infandum.*

Quæ cùm apud optimæ notæ Hiſtoricos tam frequentes occurrant, nemo omnia commentitia eſſe dixerit: etiam hac in parte Diabolô, ſimiam ſe Dei eſſe, planum faciente. Vide S. Bochart. Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 14.

ASINÆUS & ANILÆUS, fratres Judæi, textrinam exercentes, in Parthia, ſub Artabano, cùm verberibus à Magiſtro affecti eſſent, primò latrones, pòſt totius Meſopotamiæ dominatores ſunt effecti; exactô 15. annorum ſpatiô, Anilæus, Aſinæum veneno tollit, quòd ſe, ob Parthici Ducis uxorem, contra morem gentis, raptam ſibique ſociatam reprehendiſſet: Mithridatem dein Regis generum vincit primo, mox ab eo, uxoris verbis ſtimulato victus, ſub ſpecie pacis tractandæ, intercipitur. Inde impetu paſſim in Judæos, quorum L. Millia periêrunt. Joſeph. l. 18. c. 12. Caligulâ rerum potiente.

ASINÆUS, ſinus Peloponneſi apud Plin. l. 4. c. 5.

ASINARIA, vulgò ZANARA, Inſula ad littus Occidental. Sardiniæ, olim Herculis Inſul. dicta, 16. mill. pall. ambitum continet, diſtatque 15. milliar. ab Urbe Saſſari in Septentrionem.

ASINARIA, feſtus dies erat Syracuſis ab Aſinario fluv. dictus, apud quem Athenienſium Imperatores Nicias & Demoſthenes capti. Plut. Item nomen Comœdiæ Plautinæ.

ASINARIA Mola, μύλος ὀνικὸς, memoratur Matth. c. 18. v. 6. & Lucæ c. 17. v. 2. [illegible] ſcil. quia molarum erant duo genera, Aſinariæ & truſatiles, Cato de R. R. c. 10. quarum hæ minores erant, ut quæ manu truderentur: illæ verò majores, quas aſinus perpetuâ gyratione circumagebat. Ovid. Faſtor. l. 6. v. 318.

> *Et quæ pumiceas verſat aſella molas.*

Idque velatô capite, Appulej. l. 7. ſeu oculis linteô velatis, Lucian. Aſin. Unde Aſinus Antholog. l. 1. c. 33.

> *Οὐχ ἅλις, [illegible],*
> *[illegible].*
> *Nonne jam fuerat, quod cæcus & ælluo in orbem*
> *Nocte dieque molæ irrequietus ago? &c.*

Vide iterum Bochart. l. cit. c. 13. & infrà in voce Mola.

ASINARII, per convitium dicti olim Chriſtiani non minùs, ac Judæi. Baronius ad A. C. 42. n. 33. ad A. C. 201. num. 21. & 52. &c. qua de re vide ſuprà Aſcharius.

ASINARIUS, Siciliæ fluv. Diodor. Sic. l. 13. & Plut. in Nicia. Thucydidi l. 7. Aſſinarus. Punicè erat, [illegible] haſſinor. Propriè autem ea vox tubum ſignificat, per quem aqua in declive fertur, putà ex monte, vel tectô. Occurrit autem Pſalm. 42. v. 8. & 2. Samuel c. 5. v. 8. Aſſinarus igitur fluv. ita dictus eſt, qui à profundo & confragoſo alveo, tanquam tubo incluſus, devolvitur in præceps. Ita deſcribit Thucydides, cujus verba Latinè ſic ſe habent: Athenienſes ad Aſſinarum amnem feſtinabant, &c. Ut verò eò pervenêre, nullô jam ordine in eum ruunt, pro ſe quiſque primus omnium tranſire properantes. At ex utraque parte ſuperſtantes Syracuſani (erat autem amnis præceps) deſuper miſſilibus Athenienſes conficiebant in cavo fluminis alveo inter ſe perturbatos. Bochart. l. 1. Chanaan, c. 28.

ASINDUM, Turdetanorum in Hiſpan. urbs. Ptol. Medina Sidonia Cluſio dicta. Oppid. hodie Andaluziæ, clarum Ducatus titulô, è gente Guzmanorum, ſub dominio tamen Hiſpaniæ Regis in colle, inter Gades & Mundam. 17. leuc. ab Hiſpali in Meridiem. Baudrand.

ASINE, inſula Sporadum, eſt & alia in mari Adriatico. Mela l. 2. c. 3.

ASINE, Meſſeniæ oppid. Ptol. Ancbora Nigro. Phaneromeni Favolio, & Sophiano. Inter Methonen & Coronen. Populi Aſinæi, qui Parnaſſi olim accolæ Dryopes appellabantur, quod nomen in Peloponneſum reverſi diu retinuerunt, uti ſcribit Pauſan. l. 4. Pro Aſine autem, Pletho hôc locô (nam is quoque in deſcribenda Peloponneſo Ptolemæum ſequitur) Miſyne legit. Lucan. l. 8. v. 195.

> *Quas Aſine cautes, & quas Chios aſperat undas.*

Ubi alii Aſia. Hinc ſinus Aſinæus, Straboni l. 8. longitud. 48. 50. latitud. 35. 00. Idem pagus Argiæ regionis cognomentô Hermionica, apud Naupliam. Strabo Volcanos, teſte Nigrô.

ASINE, quæ pòſt Lacedæmoniorum vicus, erat in ora ſinus Argolici, 15. milliar. à Nauplia in ortum. Baudrand. Item urbs Cypri & Ciliciæ. Steph. Denique parva inſula Peloponneſi in ora occidentali apud Pylum oppid. Thucyd.

ASINES, Siciliæ fluv. Incolis fiume freddo, i. e. frigidus fluvius. Neque aliud ſonabat Aſines, vel Aſinus priſcum nomen Plinio l. 3. c. 8. Vibio Sequeſtri. Pro quo Thucydides l. 4. perperam habet, τὸ Ἀκεσίνην ποταμόν. Syris enim, [illegible] ſin eſt frigus. Indeque amnis [illegible] haſſin eſt amnis frigoris. Bochart. l. 1. Chanaan. c. 28.

ASINI Caput, vide infrà Aſinus, item Caput aſini.

ASINI Sepultura, apud Jeremiam c. 22. v. 18. & 19. Sic ait Jehova de Jehojakimo — non plangent eum, heu frater mi, aut heu ſoror: non plangent eum, heu domine aut heu decus ejus: Sepulturâ aſini ſepelietur, &c. Quid ſit, vide infrà, in voce Inſepulti, item Tractio Cadaveris.

ASINI Aratores, occurrunt apud Joſephum contra Apionem l. 2. Varronem de R. R. l. 2. c. 6. Plin. l. 8. c. 43. qui etiam l. 17. c. 5. In Byzacio Africæ, inquit, illum centena & quinquagena fruge fertilem campum, nullis, cùm ſiccus eſt, arabilem tauris; poſt imbres, vili aſello, & à parte alterâ jugi anu vomerem trahente, vidimus ſcindi: Columellam l. 7. c. 1. qui ſcribit, Hujus animalis tam exigui tutela plurima & neceſſaria opera — tum & facilem terram, qualis in Bætica, totaque Libya, ſic levibus aratris poſcindat, &c. Vide ſuprà, ubi de Aratro.

ASINI Bellatores ſeu πολεμιστοί, indigitantur, 2. Regum c. 7. v. 7. 10. ubi in Syrorum caſtris, ad Samariam, non equi ſolùm, ſed & Aſini, reperti leguntur. Quamvis enim ad impedimenta convehenda militia neceſſarios fuiſſe dicas, tamen & pugnaturos iis inſediſſe, legas 2. Sam. c. 16. v. 2. & fuiſſe populos, qui ex aſinis pugnarent, diſcas ex Æliano l. 12. c. 34. ubi de Saracoris, [illegible]

αὐτοῦ γὰρ τοὺς ἱππεύοντας ἀναβάτας ὑποστάσεως, ὄνοις χρῶνται ἐν ταῖς ἱπποις, *Aſinos nec bajulos, nec molitores, ſed bellatores habent: & in illis, ut Græci in equis, belli ſuſtinent pericula.* Etiam Carmanas apud Strabonem *l.* 15. equorum inopia ad bellum plerumque aſinis utebantur. *Aſinoſque Marti, quem Deorum ſolum colunt, immolabant.* Sic *laſcivientes Perſarum aſinos, Scytharum equos hinnitum eorum non ferentes, percuſſiſſe*, tradit Idem *ibid.* Quò referas id, quod in Gigantomachia de gigantibus, clamore aſinorum, in fugam converſis, apud Hyginum fabulatur Eratoſthenes *Aſtronomic. l.* 2. *in Cancro.* Sed & Pauſan. in *Phocicis* narrat, Ambracioras æneum aſinum (Marti) dedicâſſe, victis nocturnâ pugnâ Moloſſis, quos in inſidiis latentes rudens aſinus terruerat. Imò apud Arrianum *l.* 1. *c.* 18. Epictetus *Aſinum* ἀκτήνιον, *miſellum*, vocat: & Calipharum viceſimus primus *Merwan* dictus eſt *Aſinus Meſopotamiæ, eo quòd in bellis conſiſteret, quia bellicus aſinus nunquam fugere dicitur*, uti habet Elmacinus *Hiſt. Saracen. l.* 1. *c.* 21. Vide rurſus Bochart. *c.* 23 *ubi ſuprà.*

ASINI Curules, non muliſolim, ac ab omni ævo equi, fuêre: Columella de Aſino *l.* 7. *c.* 1. *Non minima pondere vehicula trahit.* Hinc Eſajæ *c.* 21. *v.* 7. Propheta meminit רכב חמור *currus aſinorum.* Ita Maſorethæ legunt, & Symmachus, qui ἅρμα reddit. Idem *ibid.*

ASININÆ Aures digitis formatæ, ſtupidum aliquem & aſinum denotabant. Salmaſ. in *Tertullian. de Pallio*, ubi de variis digitorum ad aliquem deridendum formationibus, p. 338. Sed & *Aſininæ aures* attentionis ac obedientiæ ſymbolum, ut celebri Apellis pictura, quâ officia ſervorum *Auribus* hujuſmodi, *naribus porcinis, manibus omni inſtrumentorum genere refertis, humeris patulis, ventre macilento, pedibus cervinis, labiiſque obſeratis*, repræſentavit &c. Certè nec Illuſtres Familiæ ab iis abhorrent. *Aſininæ* enim *Aures nigræ*, affixæ pileo lato ejuſdem coloris, ſcutum texêre Theodorici & Richardi fratrum, dictorum *Zolver*, è Famil. Dauniæ Comit. circa A. C. 1478. Inter ſimiles aures, rota purpurea 6. radiorum, ſupra galeam exauro coronatam, in Dominorum olim Heuldæ clypeo, comparet, vide Spenerum, ubi *de Duc. Juliac. Clivi. & Montium*, §. 4 Etiam inter apices Salmanſes *coccô* altera, altera *argentô* tincta viſitur. Porro inter apices Trautmanſdorfios, Gumpenbergios, Abenſpergios, Cronbergios &c. ejuſdem animalis aures conſpiciuntur, uti apud eundem videre eſt, *Artis Herald. Part.* 2.

ASININUM Lac, ad faciem nitidiorem reddendam olim adhibitum. Licet enim delicatos, vel ad candorem nitoremque cutis conciliandum, vel, ne citò barbati eſſent, certum. Sueton. de Othone *c.* 12 narrat, *faciem quotidie pane madido linere conſuetum* &c. Martial. *l.* 10. *Epigr.* 68. *de muliere*:

> *Deque coloratis nunquam lita mater Etruſcis*, &c.

Cujuſmodi medicamina, quæ præſtabant, ne facies Sole læderetur, Σιγαρα ἀντιφυλακτικὰ προσώπων, *aſſiduas maſcas faciarum*, vocabant cosmeticas Philoſophiæ auctores, eaque omnia inungendo peragebantur. Quæ verò faciebant, ut nitor & candor pararetur in facie, προσώπου ἐπιχρίσματα λαμπρυντικά, *unguenta faciem ſplendentem facientia*, dicebantur: quibus tandem cutis tendebatur, τέτανοθρα & τεταναύμε-να, *tentipellia*, veter. Latinis. Alia autem erant πανπλάσματα, alia σμήγματα, quibus ad cutem poliendam utebantur: ſublatis enim cataplaſmatis σμήγματα adhibebant. Uti etiam Juvenalis obſervavit, ubi *Sat.* 6. *v.* 467. in ſequiorem ſexum κατάπλασμα eleganter *tectorium* vocat:

> *Tandem aperit vultum & tectoria prima reponit,*
> *Incipit agnoſci.*

Ubi *tectoria* vocat panem illum, quô madidô faciem linebant, ac veluti tectoriô quodam inducebant, τέτανον κὶ ἐπίπλασμα τῆς χειρός: quod tectorium ſeu cataplaſma abſtergebant, ſmegmate *ex lacte aſinino*, cùm ad mœchos irent. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 461.

> — — *Ridendaque multô*
> *Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana*
> *Spirat, & hinc miſeri viſcantur labra mariti,*
> *Ad mœchum lotâ veniunt cute.* ——

i. e. lomentô expolitâ, vel ſmegmate, ſublatô ἐπιχρίσματι. *Lac aſininum* ad hanc rem idem memorat, *v.* 468.

> *Incipit agnoſci atque illo lacte fovetur,*
> *Propter quod ſecum comites educit aſellas.*

Ubi *vetus Interpres. Aſininô lacte faciem lavit, ut cutem tendat & candorem eliciat*, &c. Salmaſ. *ad Æl. Spartian. in Hadriano Caſ. c.* 4. Ea verò ſmegmata *Poppæana* vocat Juvenal. ſuprà à Poppæa, Neronis uxore, quæ vel prima lacte tali, vel inter primas, uſa eſt.

ASINIS, apud Veteres vehebantur tantum humiliores, ait Salmaſ. *ad Lamprid. in Antonino Heliogabalo, c.* 4. *Sed Semiamirica facta ſunt Senatuſconſulta ridicula, de legibus matronalibus; quæ quò veſtitu incederent* —— *quæ pilento, quæ equo ſagmario, quæ aſino veheretur.* Unde Chryſoſtomus *ad Philipp. Homil* 9. inter conditiones in Epiſcopo non ferendas, illam quoque ponit: καὶ ἐπὶ ἵππου ὀχεῖται, *& Equô vehitur.* Etiam moris fuiſſe, in aſino imponerent, quos vellent ignominiæ causâ traductos, exemplum Procopius ſuggerit *Perſicor. l.* 3. & alibi. Sed *Aſinis* vectos eſſe, non plebejos ſolum, verùm etiam nobiliſſimos, docent in Sacris, Abraham, Moſes, Balaam, Prophetæ duo, 1. Regum *c.* 13. *v.* 13. 23. Acſa Calebi, Principis tribûs Judæ, filia, Abigail, antea Nabalis, poſtea Davidis, uxor; Achitophel, Senator regius & Mephiboſcheth Saulis Regis nepos. E Judicibus quoque Iſraëlis Jair & Abdon. Unde in Cantico Deboræ, Judic. *c.* 5. *v.* 10. *O qui aſinas albas equitatis & judicio præſidetis!* Neque aliô vectore Chriſtus uti voluit, Jeroſolymam cum pompa ingreſſurus, ut qualecunque Regni ſui ſpecimen Judæis ederet. Quibus adde, quod Chryſoſtomus *in Titum, Homil.* 1. Conſtantinopolit. Epiſcopo, i. e. ſibi dicit objici, tanquam argumentum nimis faſtus, quòd ἐπὶ ὄνου ὀχεῖται, *aſinô vehitur.* Inter Magnates quòque Arabum Chaluſ Saphuani fil. & Alphadlus fil. Iſai Rukaſchienſis, *ſuper aſinos malebant equitare, quàm ſuper equos*: eò quòd nullum jumentum minori ſumtu alatur, & ad plura inſerviat, & incedat mollius, & conſcendatur facilius; ut habetur in *Damire.* Sed & Leo Africanus auctor eſt, Alcairi matronas *aſinis* libentiùs uti, quàm equis, eoſque imbo panis elegantiſſimis ſtratis, & molliter incedere edoctos, gradarios equos facilè antecedere, &c. Bochart. *ubi ſuprà.*

ASINIUS Agrippa, vide *Marcus.*

ASINIUS Balbus, vide *Cajus.*

ASINIUS Capito, Grammaticus doctiſſimus, librum reliquit Epiſtolarum, ac in prima ad Pacuvium Labeonem Titulus præſcriptus erat: *Plures & non plura ſcribi oportere* Gellius *l* 5. *c.* 21.

ASINIUS Gallus, Aſinio Pollioni oratori & Hiſtorico filius natus, quem captis Salonis Dalmaticâ urbe agnominè dixit *Saloninum*. Is duxit Vipſaniam, Agrippæ filiam, dimiſſam paulo antè à Tiberio, qui ex ea ſuſtulerat Druſum. Unde clandeſtinum in Aſinium Tiberii odium. Habuit ex ea liberos complures; Viſtilis ſex m iſtos. C. Aſinium Saloninum, Aſinium Gallum, Aſinium Pollionem, qui Conſul annô urbis DCCLVI. Aſinium Agrippam, Aſinium Celerem, quem Conſularem Plinius nominat, *l.* 9. *c.* 17. & ponit ſub Principe Cajo. Hunc eôdem die & convivam Tiberii fuiſſe & ob acerbius reſponſum eô ſubornante damnatum, narrat Tacitus *Annal. l.* 1. & 5. Dio *l.* 58 in actis anni DCCLXXXII. Ser. Galbâ, L. Sullâ Conſulibus ejus mors ſignatur, quem egeſtate cibi peremptum haud dubium, ſponte vel neceſſitate incertum habebatur: conſultuſque Tiberius, an ſepeliri ſineret, non erubuit permittere. Euſeb. *in Chronicis*, vocat Aſinium Gallum, diris ſuppliciis mactatum, annô ante Tit. Livii mortem. Libros edidit: de comparatione patris Pollionis & Ciceronis, in quibus patrem Ciceroni prætulit. Plin. *l.* 7. *ep.* 4. *ad Pont* Contra quos Claudius Cæſar, poſtea Ciceronis defenſionem edidit. *Tranquillus in Claudio.* Inter Latinos Poëtas illum recenſet, Crinitus, *l.* 3. *c.* 55. & Lil. Giraldus *dial.* 8. Vide & *Cajus.*

ASINIUS Johannes Baptiſta, vide *Johannes Baptiſta.*

ASINIUS Lucius, vide *Lucius.*

ASINIUS Marcellinus, vide *Marcus.*

ASINIUS Marcellus, Aſiniô Pollione proavô clarus ac morum non ſpernendus, ſignator ſubditi teſtamento cum aliis ſociatus: re patefactâ ob memoriam majorum & preces Neronis pœnæ exemptus eſt. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 40.

ASINIUS Pollio, inſignis orator, Aug. Cæſaris amicus, à quo laceſſitus, noluit ſcribere contra eum, qui poſſet proſcribere, docuit Romæ temporibus Pompeii M. ſucceſſitque ſcholæ Timagenis Scripſit bellum Cæſaris & Pompeii 17. libris Orationes & Tragœdias, *Suid.* Primus omnium Romæ advocatis hominibus ſcripta ſua recitavit. Quinctilian. *l.* 10. *c.* 1. ubi de eo: *Multa in Aſinio Pollione invenio ſumma diligentiâ: adeò ut quibuſdam etiam nimia videatur, & conſilii & animi ſatis: à nitore & jucunditate Ciceronis ita longè abeſt, ut videri poſſit ſeculô prior.* Omnium primus Romæ Bibliothecam feciſſe dicitur. Plin *l.* 35 *c.* 2. Plura de eo vide apud Voſſ. *Hiſtor. Lat. l.* 1. *c.* 17. Fovit Poëtas Horatium, qui ipſum de Dalmatis triumphâſſe ſcribit *l.* 2. Od. 1. atque Virgilium, & hunc imprimis, quorum carminibus etiam (ut *Ecl.* 4.) celebratus eſt. Obiit an. ætat. 80. Tibure. Vide porrò Plin. *l.* 7. *c.* 30. & *l.* 35. *c.* 4. Horat. *l.* 2. Od. 1. Fabium *l* 6. *c.* 4. *l.* 10. *c.* 1 & *l.* 12. *c.* 5 Macrob. *Saturn. l.* 2. *c.* 4. Dion. *l.* 68 *Euſeb.* &c. *Nic Lloydius.*

ASINIUS Pollio, alæ præfectus in Mauritania Cæſarienſi, è fidiſſimis Albini Procuratoris, per præmiſſos centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent, trucidatus. Tacit. *Hiſtor. l.* 2. *c.* 59

ASINIUS Pollio, Trallianus, Romæ docuit temporibus Pompeii, & Hiſtorica plurima ſcripſit. Malè hunc cum priore confundi, aſſerit *Meurſius*, cùm prior Latinè, poſterior Græcè ſcripſerit, ex *Suida*. Vide & *Cajus.*

C. ASINIUS Prætextatus, Conſul ſub Gordiano. Capitolin. in *Gordian c.* 26

ASINIUS Torquatus, Hiſtoricus, 3. ſeculô, ſub Philippis, Græcè hiſtoriam Romanam conſcripſit, cui *Millenarii* nomen tribuit, quia tum Urbs Cond millesimum annum attigerat, qui etiam ſolenni pompâ celebratus eſt. *Suidas.*

de ASINO, vel *Aſini capite aureo*, à Judæis culto, fabula unde orta, diximus in *Archarius.*

ASINORUM Caro, ſaltem in fame, pro cibo fuiſſe legitur, 2. Regum *c* 6. *v.* 25. ubi in Samaria à Syris obſeſſa, narratur aſini caput ſiclis 80. veniſſe. Sic Artaxerxes apud Caduſios in ſumma fame, ſola jumenta concidebat, cùm nihil aliud ſuppeteret, ὥστε ὄνου κεφαλὴν μόλις δραχμῶν ἑξήκοντα ὠνητὴν εἶναι, *ita ut aſini caput vix drachmis ſexaginta venale eſſet*, apud Plut. in *Artax.* Cùm alioqui vivus aſinus totus in Luciano in uno loco veneat 30. in altero 25. drachmis. Hodie inter Arabes de Aſinorum eſu acriter diſceptatur: & domeſticos quidem plerique prohibent, ferorum verò nemo eſt, qui non concedat. Quod jam ante Mahumetem apud eos obtinuiſſe, ex Theodoreto ſcimus, qui *Hiſtor. Religioſa c.* 26. Iſmaëlitas ad Chriſtum converſos deſcribit, τῆς τε ὄνων τῆς ἀγρίων, τῆς τε καμήλων τὴν ἐδωδὴν ἀπαγορεύοντας, *onagrorum & camelorum uſum abnegantes*, i. e. ab eorum deinceps carnibus abſtenturos ſe profitentes. Et quidem domeſticorum carnem Galenus ingrati eſſe ſaporis ait, *de Alim. Facult. l* 1. ejuſque eſu Alexandrinos elephantiam contrahere, *ad Glauc. l.* 2. Mæcenati tamen aſelli fuêre in deliciis. Plin. *l.* 8. *c.* 43. *Pullos aſinarum epulari Mæcenas inſtituit, multùm eô tempore prælatos onagris. Poſt eum interiit auctoritas ſaporis. Aſini moriente verò* (Corrige, *Labienum oriente uſu*) *celerrimè ad genus defecit.* Eſt autem *Laliſio*, onagri pullus. Idem *c. ſeq.* ubi de onagris, *Pullis eorum, ceu præſtantibus ſapore, Africa gloriatur, quos laliſiones appellant.* Et Martial. *l.* 13. *Epigr.* 97.

Cùm

Cum tener eſt ... , ſoloque labſa matre,
Paſcitur : hoc infans ſed breve nomen habet.

Sed & circa Beroeam Macedoniæ, Lucian. in *Aſino* quendam amico dicit dono dediſſe ὄνον ἄγριον μέγαν, *agreſtis agni ſemur*. Et apud Simocattam *l. 4. c. 7.* Coſroes Hormiſdæ patri captivo, inter regias delicias, mittebat, ὄνου ἀγρίου ... , *onagrorum membra præcipua*, &c. Bochart. *Hieroz. part. prior. l. 2. c. 13. ſub fin.*

ASINORUM Inſul. vulgò *Gaydaroniſi*, inſula eſt in Sinu Saronico, 4. milliar. cis promontor. *Cabo colonne*, olim *Patrocleja*, quam vide. Eadem *Ebanoniſi* Græcorum hodiernô idiomate dicitur, h. e. *Inſula Ebeni*, quod magna ibi arboris hujus copia fuerit. Sed à quo tempore Creta Inſul. ſeu Candia bellô Turcicô afflicta eſt, multum inde detrimenti ei acceſſit. Hanc ſolia quoque habere, contra Pauſaniæ effatum, docet αὐτόπτης Jac. Sponius *Itinerar. Græcia part. 2. p. 266.*

ASINORUM Ordo, in Eccleſia Romana dictus eſt S. Trinitatis ſeu Maturinorum, quòd, cùm iter agerent, *aſinis* tantùm vehi illis liceret, non equis, ut habet *Albericus*, & ex eo Magnum Chronicon Belgic. *A. C. 1199.* Vetus Chron. *Tom. 2. Spicilegii: Anno Domini 1198. Pontificatus Innocentii III. an. 1. cœpit & inſtitutus eſt Ordo S. Trinitatis, quem ſolebant appellare* Ordinem Aſinorum, *eo quòd aſinos equitabant, non equos.* Eorundem *Regula*, quæ habetur *Epiſtolarum* Innocentii III. *l. 1. Equos non aſcendant, nec etiam habeant: ſed aſinos tantùm liceat aſcendere datos vel accommodatos, vel de propriis nutrituris ſuſceptos.* Quod tamen poſtea immutatum in *Regula* iis tradita, à Clemente Papa A. C. 1267. *c. 2.* iiſque conceſſum, ut equis utantur, *dum uteri notabiles non exiſtant.* Computum Hoſpitii Regis A. C. 1330. appellat eos *les Freres des Aſnes, Fratres Aſinorum*, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.*

ASINORUM Sepultura, vide ubi de *Imblocandi ritu.*

ASINUS cognomen Gaufredi, apud Aimoinum *de Miraculis S. Benedicti l. 3. c. 4. Gaufredus, propter vires, non propter pigritiam, Aſinus cognominatus.* Item unus ex Saracenorum Caliphis. Vide ſuprà in *Aſini bellatores.*

ASINUS, prodeſt, ut Plin. ait *l. 8. c. 43. operâ ſine dubio geniti mirificâ, arando quoque, ſed mularum maximè generatione.* Vide ſuprà. At Scythis Marti olim mactatus, vide infrà *Sol*: quemadmodum eôdem Jove, Marti, Bellonæ & Plutoni litavêre Bohemi, teſte Coſmi Pragenſi *Chron. Bohem.* Ejus veneratio, Judæis à Gentilibus attributa eſt, non minùs ac ſuis, utrumque falsò. Ita autem de *Aſino* Petronius *Arbiter*,

Judæus licèt & porcinum Numen adoret,
Et cilli ſummas advocet auriculas.

Cillus verò aſinus eſt. *Heſych.* Κίλλος, ὄνος. De cultu illius ſic Democritus Hiſtor. apud Suidam in Ἰούδας: *[illegible]*, *Aſini caput aureum adorabant, tertiò quoque anno capiebant hoſpitem, eumque offerebant, carnes etiam diſſecabant minutatim atque ita interficiebant.* Sic ab Apione objectum Judæis eſt, ab Antiocho Epiphane repertum fuiſſe caput *Aſini* aureum, quod à gente coleretur: Sed eum abundè refellit Flavius Joſephus Op. *contra Apion.* Meminerunt ejuſdem rei Plut. *Sympoſ. quæſt. l. 4. quæſt. 5.* & Tacitus *Hiſtor. l. 5. c. 4.* qui ambo hunc *Aſini* cultum ex eo traxiſſe originem dicunt, quòd Judæi, aſinô monſtrante, aquas repererint: quod concinnè ſatis conjectabat Nic. Fullerus *Miſcell. ſacr. l. 3. c. 8.* inde hoc eſſe, quòd ut legere eſt Gen. *c. 36. v. 24.* Ana, cùm paſceret aſinos Sibeonis patris ſui in deſerto, invenerit [illegible] *Jemim* (quam vocem quidam *mulos* exponunt) nonnullis *aquas calidas*, aliis *maria*, i. e. *aquarum congregationes ſeu ſtagna.* Vide Hieronym. *Quæſt. Hebr. in Geneſin.* Judæorum exemplô Gnoſtici etiam utrumque animal coluiſſe dicuntur, ſaltem Deum Sebaoth utrâque expreſſerunt figurâ. *Epiphan.* Imò calumnia hæc de *Aſinini* capitis cultu in veros etiam derivata eſt Chriſtianos, ut judicat Minucius *Octav.* atque inde dicti ſunt *Aſinarii*, teſte Tertullianô *Apologet. c. 16.* etiam à quodam Orci mancipio imago facta legitur auribus aſininis, pedum alterô ungulatô, librum geſtans atque togata, cum hujuſmodi *inſcr.* DEUS CHRISTIANORUM ONONYCHITES, ut *ibid.* legas & *adv. Nat. l. 1. c. 14.* Sed de extrema voce non conſentiunt codices, MSS. enim habent variè eam ſcriptam; *Onocoetes*, propter Vaticanorum Codd. auctoritatem, comprobat *Franc. Junius*, ut ſit ἀπὸ τῆς ὄνου κάρας, *ab aſinino capite.* Jac. Godofredus JCtus *Onochoetes*, quaſi dicas, ὁ ὄνῳ χοεῖς, *Aſini ſacerdos*, voce ex eo fictâ, quod χοαὶ ſint ſacrificia: *Nic. Rigaltius* prætulit Ὀνοκοίτης, h. e. *Aſinina proſapia*, alii aliud excogitârunt. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l. 3. c. 75.* & in voce *Anchialus.* At ipſi *Aſinum* omninò coluêre Gentiles. Certè Aſinus, *delicium Gallorum* Cybeles, dicitur *Appulejo*, ac Phædro *l. 3. Fab. 21.* de iiſdem loquenti, qui aſinum ſuum mortuum excoriaverant ac de pelle tympanum fecerant, vide Appulejum *Met. l. 8.* Sed & Romanis pro Numine, ut quibus eandem cum Ægyptiis ſocordiam imputans Octavius, apud Minucium Felicem, *Vos*, ait, *& totos Aſinos in ſtabulis cum veſtra Hippona conſecratis: & eoſdem aſinos cum Iſide religioſè decoratis*, nempe nobiliori ſtraturâ, aut hordeô, quô religioſè donabantur, ut vult *Rigaltius*; ſeu *denotatis*, ut Deſid. Heraldus, de quo ritu infrà; vel *devotatis*, ut Ouzelius, *ad eund.* h. e. *devotas vos aſinis & Iſidi oſtenditis.* Vide quoque voce *Epona*: at de ritu *Aſinos pane coronandi*, voce *Panis* &c.

ASINUS Meſopotamiæ, cognom. Merwani Caliapharum XXI. Vide ſuprà ubi de *Aſinis bellatoribus*, & plura de hoc Principe, infrà voce *Merwan.*

ASINUS in Pilæ luſu, vide infrà *Pila*: in Teſtæ, voce *Teſta.*

ASINUS Unicornis, vide infrà *Monoceros.*

ASIO, avis, vide infrà *Morphaſmus.*

ASIONGABER, vel EZIONGEBER, locus in quo caſtrametati ſunt Iſraëlitæ egreſſi de Hebrona. Numer. *c. 33. v. 35.* Latinè *lignum viri*, vel *robuſti*, aut *conſilium viri*, vel *robuſti.* Item portus regni Idum, ad mare Rubrum, Deuter. *c. 2. v. 8.* Vide *Eſiongeber.*

ASIR, Latinè *vinctus*, ſive *incarceratus*, aut Syriacè *prohibitus*, fil. Jechoniæ. 1. Paral. *c. 3. v. 17.* Item fil. Core. 1. Paral. *c. 6. v. 22.*

ASIS, in nummis Conſtantini M. Licinii, Criſpi &c. *Sciſciæ*, Pannoniæ urbis, ubi moneta cuſa, nota eſt, interprete Car. du Freſne *de infer. ævi Numiſmatibus.*

ASISIA, Illyridis urbs. Hanc ſcribit *Niger* nunc ſolo æquatam eſſe, ibidemque multa antiquitatis monumenta extare, & locum *Bereber* dici addit. Niſi tabulæ fallant, videtur mihi etiam *Bergane* vocari.

ASISIUM, Italiæ oppid. non longè ab Arna, orientem verſus, vulgò *Aſiſi*, *Ptolemæo* Ἀσίσιον, unde Plinio & Inſcriptioni Antiquæ oppidani dicuntur *Aſiſinates.* Plin. *l. 3. c. 14.* *Amerini*, *Aſiſinates*, *Aſiſinates*, ubi vulgò corruptè *Aſirinates.* Procopio *Gothicor. l. 3.* ſunt obliqui caſus, Ἀσίσῃ & Ἀσίσιδα, oppidani autem Ἀσισῖνοι.

ASIUS, fil. Dymantis, & frater Hecubæ, ſed ex diverſis patribus, & Hectoris avunculus, qui Priamo adversùs Græcos auxilium tulit. *Homer.*

ASIUS, Jupiter ſic dictus, cujus vetuſtiſſimum fanum in Creta fuit teſte *Stephanô*, ſic dictus ab *Aſo* Cretæ oppido, quo in loco colebatur.

ASIUS, Philoſophus τελεστὴς *Suida*, Dardano Trojam condenti Palladium, ad urbis conſervationem & Regni, dono dedit. Ejus ſic meminit Johannes Antiochenus, Περὶ Ἀρχαιολ. *[illegible]*, *Palladium Trojæ animalculum exiguum fuit, ab Aſio Philoſopho quodam factum ad urbis conſervationem.* Vide infrà, ubi de *Conſecratione.*

ASIUS, Poëta Samius, ſcripſit opus Genealogicum; Cujus meminit ſæpe Pauſan. *l. 4. 7. 8. 9.* & Athen. *l. 3. & 12.*

ASIUS, Umbriæ fluv. ex monte *Aſio* (qui adhuc *Aſi* vulgò nominatur) oriens, *Chiagio* Leandro. Recentioribus Claſia ſeu Claſius, vulgò *Chiaſcio*, oritur ex monte Apennino, unde auctus aliquot rivis, agrum *Aſiſinum* rigat, 3. milliar. longè ab illa Urbe fluens; poſt in Tiberim cadit, ad Torſicianum caſtrum, 2. milliar. ſupra Diruttam. Multùm ab Aſio *Ptolemæi* fluv. differt, qui per Senones labitur. Vide *Claſius.*

ASIUS Campus, locus juxta Cayſtrum fluv. Homer. *Il. v. 461.*

Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα.

ASKAR, Arabibus beſtia eſt longa 60. cubitos, capite bovis, oculis porci, auribus elephanti, cornibus cervi, collô ſtruthionis, pectore leonis, colore pardi, ilîis felis, caudâ arietis, pedibus cameli, die judicii ex antro quodam emerſura, cum virga Moſis, quâ piorum facies dealbabit, & ſingulis inſcribet *mumin*, i. e. *fidelis*; ac ſigillo Salomonis, quô denigrabit vultum impiorum, & ſingulis inſcribet *Caphir*, i. e. *infidelis.* Eam belluam ex antro ſemel eduxiſſe Deum fabulantur, ad preces Moſis, qui illâ viſâ totus cohorruit & rogavit, ut reduceret. Cum apparebit ultimâ die, Sol conſuetum curſum intermittet, nec niſi ab Occaſu orietur, &c. Bochart. *Hieroz. part. poſter. l. 6. c. 15. ubi de fabuloſis Arabum animalibus.*

ASKARNA, urbecul. Hiberniæ in Momonia provinc. & Limericenſi Comitatu ad fluv. cognominem *Aſcheron.* Alius eſt *Aſketon*, 45. milliar. Hiberniæ, in Occaſum.

ASKELTE Guilelmus, vide *Guilelmus.*

ASKEM-KALESI, ſeu CASTRUM ASKEM, urbs eſt Aſiæ in ruinis, cum portu, Miletô dieì & dimidii itinere diſtans; quam Halicarnaſſum, priſcorum Cariæ Regum ſedem, eſſe, ſunt qui contendant, magnâ marmorum & monumentorum antiquorum, quæ illic hodieque reperire eſt, copiâ nixi: Jac. Sponius verò *Iaſi* vel *Jaſſi* reliquias has eſſe conjicit, ex Inſcriptionibus, quæ ibi offendit. Theatri ex marmore rudera ibidem ſuperſunt, à Zopatre quodam Epicratis filio in honorem Bacchi extructi, ut Inſcriptio Græca præ ſe fert. Vide eum *Itinerar. Græc. Part. 1. p. 362.* at & in voce *Jaſſus.*

ASLAN, Dux exercituum Sati, Tartarorum Domini, ſub initium ſeculi præcedentis, Ruſſiam & Poloniam ſæpius vaſtavit, A. C. 1525. Tartarorum Chamus, pulsô Satô, electus Moxque à Turca confirmatus, ditione aliquâ Sati conceſsâ, unde nihilominus etiam pulſus eſt; Bellum cum Moſcis geſſit, A. C. 1533. Neugebaur, *Hiſt. Pol. l. 7.*

ASLOIA, Civitas Epiſcopalis, in regno Norvegiæ, à qua denominatus eſt ſinus quidam maris Balthici. *Metel. & Bert.*

ASMERA, Urbs Aſiæ, in imperio Magni Mogolis, in India, & provinc. *Bando*, prope fontes fluv. *Padder.*

ASMIRÆI, montes Aſiæ, in Serica regione ubi etiam Aſmiræi populi verſus Iſſedonem Sericam, in eo tractu, ubi nunc Cataja, regio ampliſſima & pars Tartariæ latè ſumpta. *Nic. Sanſo.*

ASMODEUS, nomen dæmonis, de quo Tob. *c. 3. v. 8.* Vide Seldenum, *de Diis Syris. l. 2. c. 6.*

ASMUNDUS, Rex Suecorum, fil. Sibelageri, in prælio contra Haddingum, uſurpatoris cujuſdam fil. cecidit. Cujus morte auditâ, Gunilda uxor, ſibi ipſi necem conſcivit. Ericus Pomeran. *Chron. Suec.*

ASMURA, Hyrcaniæ urbs. *Ptol.* *Azmorna Ammiano.*

ASNAA, nomen viri, Nehem. *c. 3. v. 3.* Latinè *rubus*, Syriacè *inimicus.*

ASNATH, vide *Aſenath.*

AS-

ASNAUS, mons Macedoniæ, inter quem & Æropum alium montem Aous fluv. *Livio* teſte, decurrit.

ASOLA, oppid. Italiæ, & agri Brixiani, ad fluv. *Chieſe*, in ditione Veneta. Prope limites Ducatus Mantuani, à Brixia 15. mill. paſſ. & à Mantua 20 milliar. in Occaſum.

ASOM, Hebraicè חשם, ſextus fil. Iſai. 1. Paral. c. 2. v. 15. Fil. item Jerahmeel primogeniti Eſrom, Ibid. v. 26. Latinè *feſtinatio eorum*, aut *feſtinans*.

ASOM, Hebraicè עצם, nomen civitatis. 1. Paral. c. 4. v. 29. quæ & *Aſem*, Joſ. c. 19. v. 3. Latinè *os*, ſive *fortitudo*, aut *clauſura oculorum*, vel *lignum eorum*.

ASOMATOS, Græcè Ἀσώματος, h. e. *incorporeus*, cognomen S. Michaëlis, à quo Ædes ſacra & Monaſterium Caloerorum, inter urbem Athenarum & vicum *Angelokypon*, nomen habet. Sponius *Itiner. Græciæ Part.* 2. p. 1.

ASOPHIS, regiuncula Peloponneſi, circa Phliuntem, Homero Il. β. v. 575. *Aræthyrea* dicitur.

ASOPHOS, Palæſtinæ oppid. in Galilæa. *Joſephus*.

ASOPIA, regio, Aſopo fluv. finitima.

ASOPIADES, Æacus, Aſopi nepos, pater Ægiæ. Ovid. *Met. l.* 7. v. 484.

Hunc Aſopiades, petis irrita, dixit. — —

ASOPODORUS, Phliaſius Poëta, qui primus, poſt Antheam Lyndium, ex compoſitis nominibus poëſin excogitâſſe dicitur.

ASOPODORUS, Tharrelidæ fil. ob ſtaturæ exilitatem, Comicorum luſus. Vide Schol. *in Ariſtoph. Aves*.

ASOPUS, fluv. Aſiæ, unà cum Lyco fluv. Laodiceam urbem præterfluens. Alius Bœotiæ, *Aſopo*. Cephiſi fluv. ramus, qui ex Cithærone monte profluens, agrumque Thebanum irrigans, à Platæenſi dividit, ipſaſque Thebas præterfluens, Plateas, & Tanagram, inter Oropum oppid. & Cynoſuram promontor. mari excipitur. Ad hunc fluvium, ſacra Baccho celebrare ſolebant. Oppianus:

Οἱ ῥ' Ἰσθμῷ νεμέθοντο καὶ ἐν γαίῃ ὀρχομενῷ…
Οὐ γάρ ἀσσοὶ ποταμοῖο βαθυρρείταο Ἀσωποῖο.

Hunc Poëtæ dixêre filium Oceani, Inde enim fluviorum origo: inſuperque finxêre, à Jove exuſtum, quò nomine ingentem æſtum deſignare voluerunt, cujus violentiâ fluvius hic exſiccatus eſt. Strab. *l.* 8. Pauſan. *l.* 2. qui etiam Regis cognominis meminit, de quo plura hic dicere nil attinet. Tertius Theſſaliæ, qui in ſinum Octæum apud Thermopylas, acceptô Phœnice fluviô, à Thermopylis 15. ſtad. defertur, ac vulgò etiam *Aſopo* nominatur. Quartus Macedoniæ, qui, teſtibus Liviô *l.* 36. c. 22. & *Strabone*, Heracleam alluit; Quintus Peloponneſi, In Sicyoniæ tractu, nunc *Arbon*; oritur ex monte Carloſte, & in ſinum Corinthiacum ſe exonerat. *Nic. Lloydius*.

ASOPUS, oppid. Peloponneſi, haud procul à Maleo promontorio, hodie *Eſapo*, licèt *Nigro Rampano* dicatur.

ASOR, urbs, aut regio Arabiæ, Jerem. c. 49. v. 28. Vide *Haſor*.

ASORHADDON, Latinè *ligans acumen*, ſive *lætitiam*, aut Syriacè, *prohibens unitatem vel novitatem*, Rex Aſſur. Nehem. c. 4. v. 5. Vide *Aſarhaddon*.

ASORUS, fluv. affluens Heracleam, in radicibus montis Oetæ ſitam, Liv. *l.* 6. Dec. 4. De quo forſan, Plin. *l.* 4. c. 10. A Bocatio *Aſaſſus*, aliis *Aſurus* vocatus. Legitur hodiè in quibuſdam exemplaribus *Aſcordus*.

ASOTH, i. e. *faciens*, vel *factura*; aut *tinea* ſcil. *veſtimentorum*.

ASPACHAN, vulgò HISPAHAM, urbs Perſidis præclara, ad fluv. *Senderuth*, in provinc. *Yerach*, ubi Rex Perſarum commoratur à 72. circiter annis. Ampliſſima eſt, pulcherrima, & opibus numeróque incolarum pollens, cum 3. prægrandibus ſuburbiis *Tſulfa*, *Tabriſabath* & *Haſenabath*; ornaturque quotidie ſuperbiſſimis ædificiis. Habet in ambitu 16. milliar. & palatium Regis ſumtuoſiſſimum, principali rerum venalium foro imminens. Perſicè *Spahawn*. Vide hujus accuratam deſcriptionem, apud P. de Valle, *Itiner. tom.* 2.

ASPACHARATÆ, populi Aſiæ, in Serica regione ubi nunc provinc. *Tanſu*, in Cathaia, verſus Sinas. *Nic. Sanſon*.

ASPAGONES, Indiæ populi regionem fertiliſſimam incolentes. Plin. *l.* 6. c. 21.

ASPALATHIA, urbs Taphiorum. *Steph.*

ASPALATHIS, inſula Lyciæ. *Steph.*

ASPALATHUS, ad unguenta adhibita & odores. Plin. *l.* 24. c. 13. *Vulgaris hæc quoque ſpina, ex qua inte fullonia implentur, radicis uſus habet, præter ſpinas, quidem multi. Inter odores ad unguenta utuntur alia*, Aſpalathum, *vocantes. Eſt ſine dubio hôc nomine ſpina ſylveſtris in Oriente.* Cùm autem in unguentis duo conſideranda veniant, ἡδύσματα, ſcil. & στύμματα, ut infrà videbimus; ad hæc, quæ non aſpergebantur, ſed decoquebantur, & minùs pretioſa erant, inter alia *Aſpalathus* quoque pertinebat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 396. & 468.

ASPALLUCA, aliàs ASPALUCA, vulgò Gallis *Aſpe*, Hiſpanis *Aſpa*, locus eſt Galliæ, in agro Benebarnenſi, *Æthico* memoratus: unde nomen Valli Aſpalucenſi, *la Vallée d'Aſpe*, ſaltui Pyrenæo ſubjectæ, in regione prædicta, ad fluv. cognominem. Valeſ. *Notit. Gall.*

ASPAMITHRES, Eunuchus & cubicularius Xerxis, magnâ in aula gratiâ florens: qui cum Artabano tollendi Xerxem ejuſque filios conſilium iniit. *Cteſias*. Ideircò cum ſummo & acerbiſſimo cruciatu, re à Megabyzo patefactâ, necatus eſt.

ASPAR, Patritius, Dux Theodoſii Junioris patrem Ardaburium, è manibus Johannis tyranni Ravennat. liberavit, hôc ipsô capoſt, dein, in Africa, à Vandalis ſuperatus eſt. In aula poſtmodum eò potentiæ pervenit, ut formidoloſus ipſis Imperatoribus evaderet, Leoque Iſauricus filiam ſuam ejus filio deſponderet. Hinc inſolentior cum patre occiſus eſt, A. C. 471. Arianiſmi hyperaſpiſtes. Niceph. *l.* 15. Evagr. *l.* 2. Marcellin. *in Chron.* Procop. *l.* 1. *belli Vandal.* Vide etiam *Ardaburium*.

ASPAR, Garamas quidam, de quo Pontanus:

Hinc Aſpar Garamas, quô non præſtantior alter,
Aut torquere manu jaculum, aut dare vulnera fundâ.

ASPARAGIUM, locus circa Dyrrhachium, circa fluvium Genuſum. Cæſar *l.* 3. *Bell. Civ. c.* 30.

ASPARAGUS, inter herbas fruticeſve, an inter flores, recenſeatur, perinde fuerit, cum baccæ inſtar florum eſſe poſſint ornamento; neque flore ſuô ipſæ careant. Hortenſis eſt, ac pratenſis, adeoque ſylveſtris: ſed hortenſis radicem habet ſparſam circa truncum, quæ ineunte Majô in digitalem protuberat caulem, ſucci plenum, &, niſi ſubſeces, brevem in filamenta diffundendum. Lupuli ſpeciem majuſculam & eundem dixeris, quæ menſe Juliô in validos exſurgit calamos, foliis capillaribus ferè armatos, infra fœniculi modum: ex juncturis prodeunt flores flavi, quales ſunt olivæ, quos ſubſequitur globulus flavo rubicundus, inſtar corallii, infantibus adhiberi ſoliti. Ajunt ex raſura cornu arietis, niſi terrâ obruas, *aſparagum* ſuccreſcere, tanquam Cadmæos fratres, ex dentibus draconis. Condiuntur autem *Aſparagi* ſale in acetaria, per omnes annı partes guſtui acuendo, Recentiores non amant diutinum focum; unde Druſo ſolitum, quandocunque rem cito eſſe transactam notare vellent, dicere: *Citius quam aſparagi coquuntur.* Rubentes baccæ ad calamos filamentis munitos, vel ſtellas per expanſum cœli micantes retulerint. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ c.* 53. Vide quoque infrà *Nuptialis corona*, ubi & ex *aſparago plenus habes*.

ASPARLUCA, ſeu ASPALUCA, ASPE, oppid. olim Aquitaniæ, in Tarbellis, nunc vicus in Benearnia, ad pedes Montium Pyrenæorum, hinc oritur fluv. Gabarus, qui 5. leuc. infrà in Gaberum Oloronenſem ſe exonerat. *Baudrand*.

ASPASIA, Hermotimi filia, Phocenſis, omnium ſui temporis formoſiſſima habita; idque à Cyro primùm, deinde ab Artaxerxe impenſè amata. *Sapientem* vocatam & *elegantem* Xenophon, *l.* 1. *de Exped. Cyri*, ſub finem ſcribit; atque id nominis à Cyro ipſo accepiſſe, Plut. *in Artaxerxe* ſignificat; quem ejus conſiliis feliciter uſum in rebus arduis, Ælianus ſcribit, qui prolixè ejus Hiſtoriam exponit ποικίλ. *l.* 12. c. 1. Meminit & Juſtinus, *l.* 10. c. 2. Alia eſt, cujus Athen. *l.* 5. meminit, Axiochi filia Mileſia, quâ Socrates in eloquentiæ ſtudio magiſtrâ eſt uſus, ſapiens & Reipubl. etiam tractandæ callens, unde & à Pericle culta, qui ejus in gratiam Samiis bellum intulit, ob Prienem urbem, quam Mileſii ſibi vindicatum ibant, & tam habita à Cyro, ut chariſſimam pellicum ab ea vocârit *Aſpaſiam*, de qua ſuprà, quippe cui nomen antea *Milto* fuerit, ut Plut. *in Pericle* ſcribit. Alia hôc nomine fuit, Cleobuli conjux, de qua Xenophon, *l.* 5. *Hypomnem. Socrat. de re domeſtica adminiſtranda.* *Nic. Lloydius*.

ASPASIUS Byblius, Sophiſta, qui eôdem tempore fuit, quô Ariſtides. Conſcripſit artem Rhetoricam, & panegyricum in Adrianum, &c. *Suidas*.

ASPASIUS Paternus, Africæ Proconſul, Cyprianum in civitatem Curubitanam relegat, A. C. 259. Ei ſucceſſit Galerius: ſub quo ſanctus hic Martyr mortem obiit.

ASPASIUS, Sophiſta Ravennas, Demetriani fil. ſub Alexandro Romæ profitebatur, auditor Pauſaniæ & Hippodromi; ſcripſit contra Ariſtonem & maledicos. *Philoſtrat.*

ASPASIUS Tyrius, Sophiſta & Hiſtoricus, tum opere quôdam artem dicendi tradidit; tum de Epiro (ridiculè *de Continente* in prioribus editionibus) & rebus Epiroticis Hiſtoriam condidit libris 20. teſte *Suidâ*.

ASPASIUS, Ravennas, docuit Romæ, ſub Alexandro Severo, Imperatore. *Suidas*.

ASPASTES, Carmaniæ Satrapes, ſuſpectus res novare voluiſſe, dum in India Alexander eſſet. Quem occurrentem diſſimulatâ irâ comiter allocutus, dum exploraret, quæ delata erant, in eodem honore habuit. Poſtea convictum interfici juſſit. Q. Curtius *l.* 9. c. 10.

ASPATHARÆ, populi Sericæ, apud Amm. Marcellin. *l.* 23.

ASPATHINES, Perſa, cum Dario in Magum Smerdim conjuravit. *Herodot.*

ASPATHMUS, Perſa nobilis, ex illis ſeptem, qui contra Magum quendam, qui ſe Cyri filium mentiebatur, conjuravit.

ASPATICUM ſeu ASPASTICUM, Græcè Ἀσπαστικὸν, Latinè *Salutatorium*, manſio ſeu cubiculum ſuæ Ædi ſacræ contiguum, in quo Epiſcopus ſacris veſtibus indutus, à Clericis obſequiô ac manuum oſculô, antequam ad ſacrum peragendum egrederetur, ſalutabatur. Theodoret. *l.* 5. *Hiſtor. c.* 18. *Poſtquam Theodoſius venit ad Templi ambitum, non ingreſſus eſt in divinum templum, accedens autem ad Ambroſium Pontificem in* Aſpaſtico *eum rogavit.* Quia verò in eadem manſione Peregrini quoque hoſpitabantur, ideo & *Metatorium* fuit dictum. Item *Diaconicum* ſeu *Minſiratorium*: *Poſt dictam tertiam & ſextam, vadit ſanctiſſimus Patriarcha in metatorium ſive Diaconicum & exit ad ſanctum Altare*, *Eucholog.* Græc. Ad hoc ſacrarium Græci Sacerdotes, in fine Miſſæ, antequam Populo benedicant, deſcendentes de Altari, ſeniori orant: *Sit nomen Domini benedictum*, *Sacerdos orat in Diaconico*, *Liturgia* nomen S. Marci præferens. Vide utrumque Macrum in *Hierolex.* infrà quoque voce *Præparatorium*.

ASPAVIA, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ *Eſpejo*, teſte *Morali*.

ASPEBETUS, Tribunus Perſ. acceptô ab Iſdegerde mandatô, de Chriſtianis è regno abire prohibendis, non paruit. Quare à Magis rebellionis accuſatus, cum tota familia ſe in tutum recepit, & ab Anatolio Saracenorum ſeu Arabum, qui Romanis ſubjecti erant, Præfectus conſtitutus: poſtmodum Baptiſmô tinctus Petri nomen

acce

Iconiis; multoſque inter Saracenos fidem in Chriſtum promovit. Interfuit concilio Epheſino, A. C. 431.

ASPECTUS, apud Publium Syrum,

Grave eſt malum omne, quod ſub aſpectu latet.

Pro perſona eſt: quæ Græcis πρόσωπα, & προσωπεῖς, & προσωπεῖον & προσωπεῖα dicta; Recentiori ævo πρόσωπον. Vetuſtiſſimi enim Græci πρόσωπα non dixerunt aliud quid, quàm larvam, quæ ad ſimilitudinem vultus alicujus efficta eſt. Hodie Gallis *Maſque*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 645. ut & infrà in voce *Vultus*.

ASPELIA, Cypri inſul. nomen. Xenagoræ apud Plin. *l.* 5. *c.* 31.

ASPENDIUS, citharœdus, de quo ita Aſconius in Orat. Ciceř. *in Verrem*, de Prætura Urbana. *Difficile autem, quod Aſpendius Citharista faciebat, ut non uteretur utraque manu, ſed omnem, ut ita dicam, univerſam cantionem, intus & ſiniſtrâ tantum manu complecteretur. Unde omnes, quotquot fures erant, à Græcis Aſpendii Citharistæ, proverbio dicebantur, quod, ut ille carminum, ita iſti furtorum occultatores erant.* Proverbium valet in eos, qui rei ſuæ, quàm privati ſui compendii, rationem habent, tractum, ut dixi ab *Aſpendio*, qui tam leviter ſiniſtrâ manu citharæ ſuæ chordas movebat, ut ſonus ad ipſum tantum citharœdum, aut certè ad proximè aſtantes perveniret. Cicer. *Verr.* 3. *Not. Lloydius.*

ASPENDUS, Pamphyliæ urbs, Argivorum ædificium. Hic Veneri ſuibus ſacrificabant, eò quod author ejus generis Mopſus ex Argis huc proficiſcens, cùm primum ſacrificare voluiſſet, occurrebat illi ſus. *Steph.* ab *Aſpendo* conditam ſcribit. Ejus meminit Dionyſius, v. 851.

Κεῖθι δ' ἐν ἀλφειοῖο ὑπερφίαλον πτολίεθρον
Ἄσπενδον ποταμοῖο παρὰ ῥόον Εὐρυμέδοντος.

Ubi ὑπερφίαλον, *maritimum* ſignificare non poteſt, ut vocem explicat *Henr. Stephanus*, niſi manifeſta in Poëta ſit [illegible]. *Aſpendus* enim, inter mediterraneas Pamphyliæ civitates, Ptolemæo numeratur, *l.* 5. *c.* 5. & longius à mari ab eo ſtatuitur. Et Strabo quidem *l.* 14. à mari 60. ſtadiis diſtare affirmat: [illegible] Salmaſ. igitur ſtatuit, ὑπερφίαλον hic, prorſus è contrario *à mari remotum* ſignificare, ut [illegible] apud Strabonem, eſt *à mari diſtans*. Monendum tamen videtur, *Aſpendum* potius ὑπερφίαλον dici, quaſi oppidum *ſupra mare eminens* (quod cum altera *Henr. Stephani* interpretatione ſatis convenit) quia, licet à mari nonnihil diſtet, in excelſo tamen colle ſitum mare proſpectat, teſte Melâ *l.* 1. *c.* 14. *Mare quà pugnatum eſt* (inter Athenienſes ſcil. & Perſas) *ex edito admodum colle proſpectat Aſpendus.* Dixi ſuprà, *Hic Veneri ſuibus ſacrificabant*; Dionyſium habeo auctorem, ſic enim ille *ubi ſupra*.

Ἔνθα σύας ῥέζουσι Διώνῃ ἱλάσκοντες.

Idem.

ASPER, Conſul Roman. Arionidi collega.

ASPER, monetæ genus, inprimis Græcis recentioribus, qui *Aſpros* vel *Aſpra* eos appellant, non eô ſenſu, quô apud Suetonium *in Nerone, c.* 44. *Aurum obryzum & argentum aſperum ingenti faſtidio exegit.* Hic enim *aſperi nummi* ſunt, quos ærugo nondum eroſiſſet, adeoque in quibus character vetuſtate obſoletus & evanidus non eſſet, ſed integer & ſolide expreſſus appareret: Græci veteres [illegible] & [illegible] vocavêre, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano. c.* 38. Vide & ſuprà, verbô *Abradere*, ac infra, ubi de phraſi in *Probo & aſpri ſolvere*. It. *Serrati*. Sed monetam ſignificat minutiorem *albam* ſeu argenteam, cum qua Monetarii majorem, tàm argenteam quàm auream, commutare ſolent. Græcis enim ceterioribus ἄσπρον, *album* ſignificat, ut liquet ex *Chron. Alexandr. paſſim*, Theophane, Conſtantino Porphyrogen. *de Adminiſt. Imper. p.* 117. Alus. *Gloſſæ Græco-Latinæ* ἀσπράσον, λευκόν. *Aſprum.* In iiſdem *Aſpratura*, νόμισμα, *i. e. moneta minor*: ἀσπρότης, *aſpritudo*, *candor*, [illegible], *aſprum*. Vide Leunclavium in *Pandecte Turc. c.* 18. Meurſium in *Gloſſ.* Car. du Freſne itidem, & ſuprà in voce *Albus*, item infrà in *Aſpri*.

ASPER Sulpitius, vide *Sulpitius*.

ASPERA Signis vaſa, vide ſuprà *Argentea Pocula*; & infrà paſſim, inprimis ubi de *Calatura*.

ASPERGENDI abluendique aquâ ritus, in Sacris olim Iſraëlitarum frequens fuit: communique purificationum ratio & quaſi caput in balneis conſiſtit, ut infrà latius videbimus, ubi de *Lotionibus*, in veter. Teſtamento uſitatis. Sed & *Sanguinis aſperſio*, in conſecratione Tabernaculi omniumque vaſorum ſacrorum, ut & in purificatione Leproſi, domus leprâ infectæ, &c. ſolennis fuit. Imò leproſum *aquâ*, *ſanguine*, *oleo*, diverſis vicibus *aſperſum* fuiſſe, legimus. Levit. *c.* 14. Quæ omnia *ſanguinem aſperſionis, meliora loquentem pro Abelis ſanguine*, Hebr. *c.* 12. *v.* 24. & *aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti*, 1. Petr. *c.* 1. *v.* 2. *Aquam item puram*, & *oleum gaudii*, ſanctificationem vero à Spiritu Dei in cordibus noſtris peragendam, Hebr. *c.* 10. *v.* 22. Pſalmo 45. *v.* 8. & 1. Joh. *c.* 2. *v.* 27. indigitârunt. Ab Hebræis, ut multa alia, tranſiit mos (ſed in ſuperſtitionem planè verſus) ad Gentiles, in quorum ceremoniis hæc erat una ex vulgatiſſimis, ut aquâ conſecratâ à Sacerdote, reliqui homines ac ſacrificiorum inſtrumenta aſpergerentur. Unde hæ veterum Auctorum annotationes proficiſcuntur, ut in Dionyſio Halicarn. *l.* 7. Τὰ [illegible] καθαρῷ ὕδατι ἀπορραίνεται. *Res ſacra aquâ pura aſperguntur.* Et in Homero *Il. α. v.* 313.

— Λαοὺς δ' Ἀτρεΐδης ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγεν.
populus verò Atrides luſtrari præcepit.

Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 229.

Idem ter ſocios purâ circumtulit undâ
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.
Luſtravitque viros.

Inſtrumentum erat *aſpergillum*, de quo infrà; *vas marmoreum*, in quo aqua luſtralis ad templorum portas, ingredientibus proſtabat; locus ubi aqua circa Templum incluſa, *Favisſa* dicebatur. Qui ingredientes aſpergebat, *Æditum* erat: à quo, cum miles Chriſtianus, factus poſteà Imperat. Valentinianus, Julianum Fortunæ Templum intrantem ſequens, aſperſum ſe ſenſiſſet, pugno eum contudiſſe legimus apud Theodoretum *l.* 3. *c.* 16. Sed & Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 45. exclamat.

Ah nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Flumineâ tolli poſſe putatis aquâ, &c.

Hos poſtmodum imitati Hemerobaptiſtæ ſunt, qui quotidie, non tam purgandi corporis causâ, quam peccatis eluendis, ſe baptizabant: hos verbis refutati ab Epiphanio *contra Hemerob. Hær.* 4. *Judæ. Vanum & frivolum eſt eorum ſtudium. Neque enim Oceanus, neque omnia flumina & maria, fluviique perpetui ac fontes, univerſaque imbrifera natura, in unum congreſſa, peccata delere poteſt, quandoquidem non juxta rationem, nec ex præcepto* Dei, &c. Andreas Rivetus *Summ. Controverſ. Tractat.* 2. *Quæſt.* 17. De *aſperſione cinerum* infra voce *Cineres*.

ASPERGILLUM, ſeu ASPERSORIUM, vaſis erat genus, quô Sacerdotes apud Romanos aquam luſtralem aſpergebant: *Luſtrica* quoque, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 28. Vide infra voce *Spondaules*, item *Theſaurum Oreb.* Sic hodieque in Communione Romana *Aſpergillum* ſeu *Aſperſorium*, vas dicitur, quô aqua, ut vocant, benedicta, porrigitur vel aſpergitur. Agathias *Hiſtor. l.* 2. Aſpergilla *ex puro auro, quam plurimos etiam calices & crateras, & quæcunque myſticis ceremoniis erant conſecrata, ſpoliantes, propriis ſuis poſſeſſionibus adſcribebant.* Vide ſuprà in voce *Aqua aſperſionis*. Superiori verò ibidem aqua non porrigitur *aſpergillo*, nec etiam Eccleſiæ Titulus, ſed oſculandô illud in manus ejus traditur: Sic etiam indecens habetur, ubi in ingreſſu Ædis ſacræ Clericus adeſt aut Sacerdos, ut aliquis ſecularis *Aſpergillum* Magnatibus porrigat, quod rigidè admodum in Hiſpania obſervatur. Aliquando tamen *Aſpergilli* locô hyſſopô, aut ocymô utuntur, ut videre eſt ſuprà in *Aqua Benedicta*. Vide Macros Fratres *Hierolex.* & infrà *Faſciculus*.

APERGO, Ugutioni *veſtis ſummarum vel veſtium ſuperfluitas, quod & Firma dicitur, unde Aſpergmenta*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ASPERSORES aquæ, in *lege athletas*, *De iis qui not. infam. Accurſio*, ii dicti ſunt, qui in ſtadio, quò celerius acriuſque in equeſtri certamine refocillati equi currerent velociuſque attingerent metam, equis frigidam ſuffundebant & aſpergebant. Vide quoque Eraſmum in *Adag.* & ante eum Alexandr. Neapolitanum *Genial. dier. l.* 3. Ludovicus Vives eos hôc nomine indigitatos vult, qui in cavea, ubi feræ incluſæ erant, priuſquam in theatrum producerentur, feris aquam multis de cauſis aſpergebant, ut ne invicem pugnarent, ſeſe excuterent, politæ in ſpectaculum prodirent nitidæque emergerent. Sed interpretatio *dictæ legi* repugnat, quæ non feris, ſed equis, aquam in certaminibus ſacris veteres aſperſiſſe refert, Coraſius *Miſcell. l.* 4. *c.* 4. apud Calvinum *Lexic. Jurid.*

ASPERSUS, piſcis genus variis ſtellatuſque. *Gloſſæ*, *Aſperſus*, εἶδος ἰχθύος ποικίλου. Sic *parſio*, i. e. *ſparſum*, Græci pro ποικίλον, i. e. *varium*, uſurpant. *Pallium aurô ſparſum* habes apud Lamprid. in *Alexandro Severo*, *c.* 41. i. e. χρυσόπαστον, χρυσῷ πεπασμένον, & [illegible]. Seneca dixit, *aurô ſparſa laquearia* pro auratis vel auro pictis *l.* 4. *de Benef. c.* 6. *Albô ſparſas pelles*, Virg. *Ecl.* 2. *v.* 41. pro variegatis & albô diſtinctis, &c. Vide infrà in voce *Sparſus*.

ASPERUM Mare, qui & ſinus Barbaricus *Ptol.* Troglodyticus ſinus eſt *Plinio*. Eum maris tractum obtinet, qui hodie *Golfo de Melinde* dicitur, ab urbe littorali præcipua. Pars eſt Oceani Æthiopici & Auſtrini extenditurque inter Aromata promontor. & Inſulam S. Laurentii. *Baudrand.*

ASPHALTUS, & ASPHALTIS, & ASPHALTITES, lacus Judææ in Pentapoli, in quo nihil grave ſubmergi poteſt. In eo fuêre Sodoma & Gomorrha, Admah & Zeboim, quæ, propter nefandam populi luxuriem & libidinem, cœlitus exuſtæ ſunt. *Mare mortuum*, a Juſtino *l.* 36. *c.* 3. & Pauſania, *l.* 5. tum ob aquarum immobilitatem, tum quia nec piſces ibi, nec in ripa aves aquis gaudentes, vide infrà, vocatur. Incolis *Sorban*, teſte *Franciſco Junio*. Arabibus *Bahar Lout*, i. e. Mare Lothi. De Recoles *in addition.* *Davity in deſcr. Aſiæ p.* 174. A bitumine ſic dictus, quod in Judæa præſtantiſſimum: *Dioſcorides*, Ἄσφαλτος διαφέρει ἡ Ἰουδαϊκὴ τῆς λοιπῆς, ἔστι δὲ καλὴ ἡ πορφυροειδῶς στίλβουσα. Neque alia occurrit cauſa, cur Ἀσφαλτῖτις, i. e. *Aſphaltites* lacus ab *Heſychio* appelletur. [illegible] Θάλασσα, *Rubrum mare*, quàm bituminoſus in eo color. Bochart. *in Phaleg. l.* 1. *c.* 11. Plin. *l.* 5. *c.* 16. *Aſphaltites nihil præter bitumen gignit; unde & nomen: nullum corpus animalium recipit: tauri, cameliſque fluitant: inde fama, nihil in eo mergi. Longitudine excedit centum mill. paſſ. Latitudine vero viginti quinque implet & minimâ 25. implet, maxima ſex e proſpicit eum ab Oriente Arabia Nomadum, à Meridie Macherus, ſecunda quondam arx Judæa, ab Hieroſolymis.* Idem habet Solinus *c.* 38. Juſtinus *l.* 36. *c.* 3. *In ea regione lacus eſt, qui propter magnitudinem, & aquæ immobilitatem, mortuum mare dicitur. Nam neque ventis movetur, reſiſtente turbinibus bitumine, quô aqua omnis ſtagnatur: neque navigationis patiens eſt, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur, nec materiam ullam ſuſtinet, niſi quæ alumine illinatur.* Corn. Tacitus *Hiſt. l.* 5. *c.* 6. *Lacus immenſo ambitu, ſpecie maris, ſapore corruptior, gravitate odoris accolis peſtifer, neque vento impellitur, neque piſces, aut ſuetas aquis volucres patitur*, &c. Et paulo poſt *c.* 7. *Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magniſque urbibus habitatos fulminum jactu arſiſſe: & manere veſtigia, terramque ipſam ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſive herba tenus aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adoleverint, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt.* Joſeph. *de bello Jud. l.* 4. *c.* 5. Ἄξιον δὲ ἀφηγήσασθαι καὶ τὴν φύσιν Ἀσφαλτίτιδος λίμνης ἣ [illegible]

ἀυς

[illegible Greek passage, ca. 11 lines] ... Et paulò poſt: ... Subdit, ... Ubi ridiculè Interpres, *Terra quidem Sodomitica fabulæ cpuſmodi fidem habet ex facie*, cum Joſephus neque fabulam referat, ſed veram Hiſtoriam; nec [Greek] omnino innuat, ſed [Greek]. *Nic. Lloydius.* Habet hic lacus 20. leuc. longitud. 5. autem aut 6. latitud. Inque eum influunt Jordanis fluv. Arnon, Dibon & Zered torrentes, cum aliis aliquot. Adjacent ei altiſſimi montes undiquaque. *Baudrand.* Ter de die faciem mutare, pro Solis aſpectu, recentiores affirmant.

ASPHAR, nomen lacus in agro Thecue. 1. Machab. c. 9. v. 33.

ASPHENES, Præpoſitus Eunuchorum Regis Nebuchadonoſor. Daniel. c. 1. v. 3.

ASPHODELI Prata, apud Poëtas, quid denotâſſint, aperit Gregorius Nazianzenus *Orat. fun. in Baſilium M.* de Minoë & Rhadamantho loquens, *Quos*, ait, *Græci aſphodeli pratis & campo conſumere dignos Elyſio, quantum opinionem, quemadmodum & nos, Paradiſi devenirent, ex libris, ut arbitror, Moſaicis ac noſtris, licet nomenclaturâ aberrarunt, aliis nominibus Paradiſum oſtendentes.* Quod & Tertullian. confirmat *Apolog. c. ult.* ubi poſtquam Gentiles gehennam Tartaro, paradiſum campis Elyſiis imitatos obſervâſſet, verſùs ad Ethnicos ſermone, *Unde hæc, oro vos*, interrogat, *Philoſophis aut Poëtis tam conſimilia? non niſi de noſtris Sacramentis, ut de prioribus*, &c. Nempe, uti de aliis myſteriis, ita de Cœlo ac Inferno, quædam per traditionem Ethnici hauſerunt, vide Tobiam Pfannerum *Syſtem. Theolog. Gentil. purior. c. 21. §* 36. Cur autem [Greek] mortuis beatiſque tribuerint Poëtæ, interque eos Heſiodus E'ργ. κ, H'μέρ. v. 40.

> —— [Greek]
> [Greek]
> —.. *Neque ſciunt, quanto plus dimidium ſit toto,*
> *Neque quam magnum in malva & aſphodelo bonum.*

multum olim diſputârunt Veteres, quanquam fruſtrà. Nam quòd apud *Euſtathium* legitur hoc fieri, [Greek], & [Greek] dictam, quaſi [Greek], [Greek], *propter mortuorum crematorum cinerem*, ineptum eſt. Potiùs A'σφόδελος λειμὼν, illis attributus, quòd extra neceſſitatem vitæ hujus ſint, nec cura rei familiaris illis impendeat, ſed victu ſimpliciſſimo (in quo ſummam voluptatem Veteres poſuêre) vivant: qualis ὁ μαλάχη κ, ἀσφόδελ☉ eſt; quibus ante [Greek] ſeu *concupiſcentiæ tyrannidem*, homines vivebant, & ſanctiſſimi quique Philoſophorum poſtea, qui illam in vivendo ſimplicitatem, quam Poëtæ [Greek] vocant, ſequebantur. Quò Horatius his verbis reſpexit, *l. 1. Carm. Od. 31. v. 13.*

> *Premant Calenâ falce, quibus dedit*
> *Fortuna vitem: dives & aureis*
> *Mercator exſiccet culullis*
> *Vina Syra reparata merce*
> *Dis charus ipſis: quippe ter & quater*
> *Anno reviſens æquor Atlanticum*
> *Impunè: me paſcant olivæ,*
> *Me cichorea leveſque malvæ.*

Hinc itaque mortuis hominibus in tumulo malvam *aſphodelumque* ſerebant, ne deeſſet illis cibus. Et hoc voluit ſibi Porphyrius in quodam *Epigrammate*, ubi tumulum his verbis introducit: [Greek], i. e. *Foris quidem malvam aſphodelumque habeo: Intus verò mortuum claudo.* Hinc Homerus, Od. δ. v. 565. quoties campum eum deſcribit, quem *Aſphodelum* vocat, his plerumque verbis utitur:

> [Greek]
> *Ubi facillima vivendi ratio eſt hominibus.*

Opponunt autem Poëtæ τὸ ῥεῖον ζῆν, vitæ Regum & injuſtorum Principum plerumque, & [Greek]. Negatque Heſiodus, injuſtos Judices, quid illud ſit, ſcire, & per conſequens *malvam* & *aſphodelum* ignorare ait, ex quo tempore Dii vivendi genus, quod ſub [Greek] fuit, ſub [Greek] abſcondere cœperint, d. *l.* Atque hæc cauſa eſt, cur Lucanus vitæ hanc priſcam ſimplicitatem, *Divum munera* vocat *nondum intellecta*, *l.* 5. & Claudianus vivendi facultatem vulgo notam eſſe negat, *in Ruffin. l. 1.* ubi *Beatos* vocat, quos Homerus [Greek], & ῥεῖα ζώοντας; eorumque *ignotam eſſe* ait *vitam*, ſicut Heſiodus *l. cit.* [Greek], cui ſimilis omnino, ſed ſanctiori ſenſu, phraſis, occurrit Coloſſenſium *c.* 3. *v.* 3. &c. Vide Dan. Heinſium *Not. ad Heſiodum* & de *Aſphodelo* plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1098.

ASPIDES pictæ, in diadematibus Regum Ægypti, invictum imperii robur denotabant. Ælian. *l. 6. c.* 38. [Greek] ... Eorum, *qui ab aſpide morſi ſunt, nemo a malo (i. e. à morte) traditur fuiſſe liberatus. Unde eſt, quòd Ægyptiorum Reges in diadematibus pictas aſpides ferre, audio, ut invictum imperii robur ſic ſignificent.* Ubi rationem hieroglyphici hujus habes, quia nempe invictum *Aſpidis* venenum eſt. Phile. c. 59.

> [Greek]
> [Greek]
> *Repentè mortem morſus infert aſpidis.*
> *Ne, ne Galene, pharmacum ne infuderis.*

Ipſe Galenus de *Theriac. l. 2. c. 8. In magna Alexandriæ urbe ſæpe vidi, quam cito mortem (aſpides) inferant. Quoties enim aliquem hujus ſupplicii lege damnatum, humaniter citòque interimere volunt, animosam pectori beſtiam aliquantulum inambulare jubent & hominem hac ratione ſtatim enecant.* Et nota de Cleopatra, *aſpidis*, פתן *ephe*, Hebræis dictæ, morſu ſe ipſam interimente hiſtoria: *Hypnalem*, hoc genus aſpidis, quod ſomno necet, vocat Iſidor. *Origin. l. 12. c. 4.* &c. Vide Bochart. *Hieroz. part. poſter. l. 3. c. 1. & 4.*

ASPIS, Cataoniæ Satrapa, ab Artaxerxe deficiens, à Datame autem in ordinem coactus. Corn. Nepos, *l. 14. c. 4.*

ASPIS, oppid. & mons Africæ, *Afris* incolis, teſte Curione. Sil. Ital. *l. 3. v.* 244.

> *In clypei ſpeciem curvatis turribus Aſpis.*

Eſt etiam inſula prope Cycladas, & Macedoniæ civitas, à Philippo Perſeí patre condita. Item inſul. Lyciæ, & alia inter Lebedum & Teium, alia Pityæ vicina, alia quædam ſine arboribus, & alia ultra Pitilam. *Steph.*

ASPIS, vulgò ASPE VIEJO, oppid. Hiſpaniæ ad Eldam fluv. in regno Valentiæ, è cujus ruinis crevit oppidul. *Aſpe*. quod vide

ASPIS, vulgò ASPIDO, amnis Italiæ, in Marchia Anconitana. Cadit in Muſonem, prope Lauretum, & dein cum eo in mare Adriaticum ſe exonerat.

ASPIS, inter Ægyptiorum Numina; Athenagoras *Orat. pro Chriſtianis*, ſub init. *Ægyptii*, inquit, *feles etiam Crocodilos & ſerpentes & Aſpides & canes pro Diis habent.* Hinc apud Prudentium *Hymno* 14. περὶ ϛεφάν. Romanus Martyr, non Romanorum minùs, quàm Ægyptiorum hac in re vecordiam, Aſclepiadi Præfecto objiciens, inter alia ait, *v.* 253.

> *Promiſque adora, quidquid in terris ſacri eſt,*
> *Deos Latinos & Deos Ægyptios.*

Et paulò pòſt, *v.* 256.

> *Venerem precaris? comprecare & ſimiam,*
> *Placet ſacratus aſpis Æſculapii*, &c.

Vide Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentilis* c. 2. §. 1. *num.* 2. & infrà voce *Chelidonia*, it. *Serpens*: uti de ejus internecino hoſte, infrà ibidem *Ichneumon*. Hebræis modò פתן *pethen* dicitur, modò עכשוב *achſub*; quorum hoc poſterius ab Arab. *achaſa* tectum, *retorquere* denotat & *reflectere retro ad ſuum principium*, aſpidiſque naturæ eximiè convenit. Illa enim teſte Nicandrô *Theriac. v.* 259. [Greek], *in contrarium ſerpere*. Etiam [Greek]: i. e. *in plures circulos convolutam dormire*, ait Ælianus *l. 17. c.* 5. & Ariſtophanis Scholiaſtes in *Veſpis*. Cujuſmodi circulos [Greek] Græci dicunt, *Heſych.* Atque hinc factum, ut apud eos ἀσπὶς tam pro clypeo, quam pro ſerpente ſumatur. Rotundos autem fuiſſe Græcorum clypeos vel ex Poëta diſcimus, à quo Polyphemi oculus orbicularis deſcribitur, *Æn. l. 3. v.* 637.

> *Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis inſtar.*

Vide Turneb. *Adverſar. l. 2. c.* 27. Unde in Homero paſſim [Greek] & [Greek], ubi Scholion, [Greek]. Et Diodor. Sic. *l.* 20. [Greek], *clypei circulum imitatus.* Nempe quia ſerpens hic ſpiris ſuis clypei formam omnino exprimit; hinc nomen ad utrumque notandum adhibitum eſt. Bochartus ubi ſuprà c. 4.

ASPIS Surda, quæ aurem obturat, ne audiat vocem incantantium, Pſalmo 58. *v.* 5. 6. non ideo ſic dicitur, quòd hebetioris ſit auditus, quàm viſus, ut Buſtamantius ſtatuit *de Scriptura animant. l. 3. c.* 18. cùm conſulti Naturæ planè contrà aſſerant, aſpidem auditu multò plus quàm viſu pollere, Nicander in *Theriac. v.* 162. Plin. *l. 8. c.* 23. Sed quia incantatio non plus virium in illa exerat, quàm ſi ſurda eſſet & aurem obturaret. Et quidem integræ gentes hoc ſerpentum faſcinô fuêre infames, Marſi & Pſylli, ut omnibus notum: Ægyptii, apud Ælian. *Hiſtor. l. 6. c.* 33. Melindenſes, apud Geographum Nubienſ. *Clim.* 3. *part.* 1. Nigritæ, apud Cadamuſtum. Peruani, apud Spitilium in *Collectan.* Indi, apud Texeiram *Hiſtor. Perſ. l. 1. c.* 29. &c. Extantque jam in vetuſtiſſimis Scriptoribus ſuperſtitionis hujus veſtigia, Orpheo in *Op. de lapid.* Ovidio *Met. l.* 7. Platone *de Republ. l.* 2. Aliis. *Inprimis enim hominum carminibus hoc animantium genus moveri creditum; ut hoc eſſet argumento, primum hominem à Diabolo fuiſſe per ſerpentem in Paradiſo ſeductum*, uti loquitur Auguſtin. *l. 11. de Gen. ad lit. c.* 28. & *Quæſtionum l. 65. quæſt.* 44. Hujus verò faſcini multa fuêre genera; Aliis enim ſerpentes *manu* & *tactu* faſcinare moris erat; Alii *nebem* deſcribebant, & medicamina adhibebant; Alium faſcini ritum his verbis deſcribit Seneca *in Medea Act.* 4. *v.* 680.

> *Et triſte lævâ complicans ſacrum manu,*
> *Peſtes vocat, quaſcumque ferventis creat*
> *Arena Libyæ.*

Lamina etiam, *Lapides*, *Ligna*, *figuræ*, quas vocant, *Taliſmanica*, eum in uſum adhibitæ: Sed præcipua faſcini vis eſſe credita, in *cantibus* & *carminibus*, quæ Hebræi לחשים h. e. *ſuſurrus aut muſſitationes*, vocant, quia Magis ſolenne eſt, cantus ſuos inter labia demurmurare, de quibus Pſaltes agit d. *l.* Cantu nempe Magicô eliciebantur ſerpentes, *i. e. cavernis ſuis elici*, atque evoca-

evocant: i. *fugarit*, portaſ cantatiuncula *ſiſti, & delumari & ſuperſeribi* inſuper, *ob omni veneno expurgare*, ne noceant: Etiam virtus carminum *ſonare*, quaſ morſu aut tactu ſerpens *laſi* exiſtimabantur. Sed quod præcipuum, Mago cantante, *angues rumpi & medio crepare*, dicebantur. Virg. *Ecl.* 8. v. 71.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Interim quoſdam eſſe ſerpentes, qui incantari non poſſint, ex Scriptura videtur poſſe elici. Nam præter locum dictum, Jerem. c. 8. v. 17. minatur Deus, ſe in Iſraëlitas immiſſurum *ſerpentes regulos, contra quos nulla ſit incantatio*. Et Eccleſ. c. 10. v. 11. Salomon obtrectatorem tam perniciosum eſſe dicit, quàm *ſi mordeat ſerpens, qui incantari non poteſt*. Nempe duobus modis incantationi ſerpens poteſt obluctari, aut cùm *recanit*, ſeu [illegible], i. e. cùm contrariô ſibilô incantationem repellit, Plin. *l.* 28. *c.* 2. aut cùm *ad cantum obſurdeſcit*, ſeu aurem obturat; i. e. cùm cantu nihilo magis afficitur, quam ſi vel ſurdus eſſet, vel auribus obtuſis. Sive autem recanat ſerpens, ſive ad cantum obſurdeſcat, non obleſtatur ſolùm, ſed & Mago periculum creare creditur. Alcimus *de Peccato Origin. l.* 2.

Interdum periit incantans, ſi callida ſurdus
Adjuratoris contempſit murmura ſerpens.

Sive tota vis incantationis, juſtô Dei Judiciô, cedat in perniciem auctoris, ſive ſerpens incantatori inſerat vulnus lethale. At qui ſerpentes recanant, vel ad cantum obſurdeſcant, vel quorum ſerpentum virus quovis ſalernô cædanti eſſe potentius, Græcorum nullus explicat, niſi quod Ælian. *l.* 2. *c.* 54. ad *Aſpide*, velut proprium tribuit, quod in virus ejus incantationi nulla vis ſit. Avicenna verò, poſt Arabes Philoſophos, rem Græcis intactam, accuratè & dilucidè exponit *Tom. II. c. de ſpeciebus Serpentium*, quem vide. Dicam ſaltem, *ſurdos* ei dici, quorum virus in ſupremo gradu intenſum eſt, reguli putà, *aſpides*, ceraſtæ, hydri & cherſydri. Nempe Diabolô non minùs facilè hi compeſci poſſunt, quàm quivis alius, ſi modò permittat Deus: Sed Deus non vult, ut omnia Diabolo in mundo liceant. Adeoque ex præfatis locis non aliud elicias, quàm ſæpe Magos fruſtrà eſſe, ſive aſpides, ſive regulos, ſive aliud quodvis ſerpentis genus cantu ſuô delinire & demulcere conentur: non verò fingendæ ſerpentum ſpecies, in quas Magorum carmina nihil poſſint, ut alias valida. Quippe in eadem ſerpentis ſpecie diverſus poteſt eſſe ſucceſſus, prout variè Deus dæmoni paredro, à quo tota incantationis vis pendet, habenas aut adducit aut remittit. Vide Bochart. *Hieroz. parte poſter. l.* 3. *c.* 6 cui, ſi placet, adde Salmaſ. ad *Solin.* ubi plurima de hoc Serpentis genere, ut & quæ diximus ſuprà, voce *Aſpide*.

ASPISII, Scythiæ intra Imaum populi. *Ptol.* Ubi etiam *Aſpiſius* mons, *Sanſon* ubi nunc pars Tartariæ deſertæ. *Baudrand.*

ASPITHRA, Sinarum civitas. *Ptol.*

ASPITHRÆ, populi Sinarum in Aſia fuêre, ubi nunc provinc. *Junnan*, *Quanſi* & *Canton*, in parte Auſtrali Imperii Sinenſis. Urbs *Aſpithra* forte nunc *Quanchen* eſt, in provinc. Canton; ut videre eſt ex tabulis *Martini Martinii*.

ASPLEDON, Achajæ urbs, *Spledon* nonnullis dicta, & *Eudeilos*, i.e. *aprica*, quòd hybernationi locus commodus, ſit, Strabo *l.* 9. Bœotiæ eam tribuit Plin. *l.* 4. *c.* 7. & *Heſychius* Phocidi.

ASPONA, civitas Galatiæ. *Antonin.*

ASPORATIUS, Conſul Roman. Herculani collega.

ASPORENUS, mons Aſiæ Pergamo proximus; unde templum, quod ibi eſt matris Deorum, *Aſporenum* dictum, Dea quoque ipſa *Aſporena*. Strabo *l.* 13.

ASPRANDUS, Longobardorum Rex, poſt Aripertum II. victum, an. 712. regnavit ann. 27. *Nic. Lloydius.* Sed tres ſolùm menſes habet, P. Diac. *l.* 6. *c.* 36. Tutor fuerat Luitperti, Cuniberti filii, qui à Ragumberto Taurinatium Duce, patre Ariperti, regnô extrus ſunt. P. Diac *l.* 6. *c.* 18. Vide quoque *Anſprandus* ſuprà. Floruit tempore Anaſtaſii II. Imperator.

ASPRATURA, Græcè [illegible], in *Gloſſ.* Negotiatio Argentariorum ſeu ipſa permutatio, Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide Salmaſ. *de Uſuris p.* 454. 49.

ASPRENAS, ſub Tiberio Proconſul Africæ, gentis *Nonæ*. De *Aſprenatum* claritudine & familia Conſulari, Plin. *l.* 30. *c.* 7. Sueton. *Auguſt. c.* 43.

ASPRENAS, aliô nomine *Calpurnius*, cui à Galba Galatia ac Pamphylia permiſſa, oppreſſit in Cythno falſum Neronem, corpuſque interfecti Romam miſit. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 9.

ASPRENAS Torquatus, vide *Torquatus*.

ASPRENCIACUM, melius SPARNACUM, ESPERNAY oppid. Galliæ medium fermè, inter Catalaunum ad Ortum, & Caſtrum Theoderi, ad Occaſum, vide *Sparnacum*.

ASPRI, duo Conſules Romani tempore Aurelii Antonini Imperator.

ASPRI, ſeu ASPRA, Græcis recentioribus dicitur monetæ minutioris argenteæ ſpecies, cum qua Collybiſtæ ſeu Cambitores majorem, tam argenteam, quàm auream, commutare ſolent. *Denarium aſprum* reddunt *Gloſſæ Græco-Latinæ*, [illegible], [illegible], *aſprum*: ubi [illegible] idem valet, quod *album*, & quod *aſprum*; obſervatque *Favorinus*, [illegible] in nummis dici, quod aliàs [illegible], denarium eſſe, cui opponitur [illegible], quæ Achæis [illegible] ſonat. Sed & notum, Græcos pro [illegible] etiam in colore [illegible] uſurpare: Unde fortè minutiores ſuas monetas argenteas *blancs* Galli vocant. Meminit *Aſprorum*, præ cæteris, Vincentius Belvacenſis, *Eslam ſimum habet tributum* (ſuper *tributarios terra Anaph*) *ad minus quindecim drachmas ſeu aſperos, qui bene valent triginta ſterlingos*: ubi *aſperi* drachmis æquiparantur, uti apud *Heſychium* videre eſt. Alexius item Comnenus in *Rationali Peraequatorum*: [illegible] [illegible], ubi [illegible] ſunt *aſpri aſperi* recens cuſi, non uſu detriti; ut *aſperi* ſumuntur *nummi* apud Suetonium, *Neron. c.* 44. & Perſium, *Sat.* 3. v. 69. 70. aliosque; unde etiam ejuſmodi *Aſpris* datam nomenclaturam pleriique cenſent &c. De *Aſprorum* duplici apud Turcas ſpecie egit alicubi *Leunclavius*. Vide Car. du Freſne *Diſſertat. de inferioris ævi numiſm.* & ſuprà in *Aſper.*

ASPRIO, in *Inſcr.* *Charta plenariæ ſecuritatis* exarata Ravennæ, ſub Juſtiniano, apud Briſſonium *Formular. l.* 6. *Albiolo ligno valente nummos aureos quincunce valentes* aſprione *aureo uno*, *ſicammale cum aquam valente ſiliquas aureas duas*, &c. minutæ ſpecies eſt, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

ASPRUM, Græcè [illegible], i.e. *album* unde *aſprum veſtimentum*. Inprimis moneta ſic recentioribus Græcis dicta, quod nomen apud Turcas etiamnum in uſu eſt. Phranz. *l.* 3. *c.* 19. *Dedit eis vectigalibus frumenti aſprorum quinquaginta millia*. Æquivalere monetæ Etruſcæ, quæ *grazia* vocatur, i.e. ſex Roman. quadrantibus, legas apud Macrum *Hierolex.* Vide ſuprà *Aſpri.*

ASPURGITANI, populi circa Mæotidem paludem. *Steph.*

ASRAEL, fil. Jaleleël, 1. Paral. c. 4. v. 16. Latinè *beatitudo Dei*, vel *vinculum fortis*, aut *greſſus Dei*.

ASRIEL, (idem ſignificat quod *Aſrael*) fil. Galaad filii Machir, filii Manaſſis. Numer. c. 26. v. 31. qui Joſ. c. 17. v. 2. *Eſriel* dicitur.

ASSA, civitas juxta Athon. Item vicus Scythiæ. *Steph.*

ASSA omnia, ut plurimum in Veter. conviviis, vide infrà in *Aſſatio*.

ASSA Vox, i. e. *ſola & mera vox & ore ſolô prolata*. Uti enim [illegible] dixêre Græci, pro *re ſola & nuda*; ſic Latini ſimiliter vocem *ſiccam* uſurpârunt. Unde *vehicula ſicca* apud Jul. Capitolin. in *Maximinis*, c. 13. i.e. ſola, abſque comitatu: *panis ſiccus*, apud Eundem in *Antonino Pio*, c. 13. i.e. ſolus & qui abſque pulmento ſumitur &c. Ita ergo *aſſum* veteribus Latinis *ſolum* notat: ſignificat enim toſtum & aridum, ac in quo nihil uvidi relictum eſt, & quòd per conſequens eſt *ſiccum* & ſolum, Salmaſ. ad *Capitolin. loc. cit.* Bochart. itidem *aſſam vocem* dictam ait, ad imitationem *aſſæ carnis*; ſed hanc ideo ſic appellatam docet, quòd hic coquendi modus ſimpliciſſimus ſit, cùm neque ollâ, neque aquâ, neque ullô ſaporis alieni condimentô ad carnem aſſandam opus ſit, ſed *ſolo* igne, *Hieroz. Part. prior. l.* 2 *c.* 50. Vide quoque infrà *Siccus panis*.

ASSABINUS, Jupiter cognominatus, & multâ religione olim cultus apud Arabas. Plin. *l.* 12. *c.* 19.

ASSACANA, Indiæ regio in qua Magoſa Metropolis. Strabo *l.* 15. Apud *Steph.* *Aſſaceni* populi vocantur.

ASSACANUS, urbis Maſſagæ Rex Curt. *l.* 8. *c.* 10.

ASSÆ, populi Africæ, in Guinea mediterranea inter Aboraas & fluv. Mancum. *P. du Val.*

ASSALIO Gilbertus, M. Magiſter Rhodienſium Equit. Anglus, ſucceſſit Arnoldo Compſano, A. C. 1167. Strenuus, ſed prodigus. Quemadmodum enim aliquot urbes fortitudine ſuâ Ordini adjecit, ita viciſſim illum, prodigalitate ſuâ, debitis immenſis oneravit. Hinc abdicare ſe coactus, reverſurus in patriam, naufragiô periit. A. C. 1169. *Hiſt. Milit.*

ASSAMONÆI, vide infrà *Maccabæi*.

ASSAR, Syro Interpreti & Hebræis non rarò, idem quod *Aſſarium* eſt, hoc autem idem, quod *As*. *Gloſſæ Latino-Græcæ Aſſis*, [illegible]: Et alibi, *Seſquas*, [illegible]. Origo vocis exhibetur ſuprà in *As*: valor, ex Budæi ſuppuratione, eſt quaternorum denariolorum Gallicorum & paulo ultra: ſeu trium maravediorum, ſecundùm Cohen de Lara *de Convers. Rabbiniſmi cum Græco*. Arabs Interpres & Hieronymus, ille quidem *Aſſarium* follem, hic vero *duos aſſarios* dupondium, interpretatur. Sed Matthæi *c.* 5. v. 26. in eodem Arabe *follis* eſt pro *quadrante*. Et Marci c. 12. v. 42. *duo folles*, ſunt pro *duobus minutis*, ſeu *duabus perutoth*: quæ ſimul junctæ unum quadrantem efficiunt. Unde apparet eum, de vero nummorum pretio parum ſolicitum, ſat habuiſſe, ſi pro vili nummo vilem alium, quamvis diverſi pretii, poneret. Et verò *aſſario* vel *aſſe* vendi nihil aliud eſt, quàm vili pretiô diſtrahi. Catullus *Lesbiæ Epigr.* 5. v. 2.

Rumoreſque ſenum ſeveriorum
Omnes unius æſtimemus aſſis, &c.

Pro *aſſario* Græci vetuſtiores *obolum* dixiſſent. Sic in *Avibus* Ariſtophanis graviter queruntur aves de quodam Philocrate, qui,

— [illegible],
Fringillas connectens ſeptem vendit uno obolô,

i.e. *duobus aſſariis*. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 1. *c.* 13. *Heſychio Aſſarium* idem eſt, quod [illegible], quô nummi quadrantem intelligit, ſexmilleſimam ſolidi partem. *Veter. Gloſſæ* [illegible], [illegible], vertunt. Ita *Suidæ* [illegible], [illegible], [illegible] & [illegible], idem ſonant, vel certè pro [illegible] ſeu minutioribus monetis, confunduntur. Et in *Gloſſis Græco Latin.* A'[illegible], *as*, eſſe dicitur, minimus nempe æris nummus, cum de numerata in ære pecunia agitur, ut Cujacius obſervat *l.* 7. *c.* 33. Sed & de vocis notione ac monetæ valore non ſibi conſtant Græculi iſti: quippe in *Gloſſis Regiis MSS.* [illegible] exponitur [illegible], ita ut *aſſarium* confecerit quinque vel decem [illegible] ærea, vel certè appenderit: pro pondere enim vocem uſurpat Cleopatra *de Ponderibus*, ubi [illegible], [illegible] vocari, ait; apud Marcellum vero Empiric. *de Ponder. & Menſ. Tetraſſarius ſemuncia eſt*: unde colligas, aſſem unciæ habuiſſe quadrantem. Car. du Freſne *Diſſertat. de Numiſmatibus inferioris ævi.* Vide & infra ubi de *Monetæ uſu*.

ASSAR-ADINUS, vide *Aſarhaddon*.

ASSARA, Mauritaniæ Cæſarienſis fluv. *Ptol. Selſis Caſtaldo.*

ASSARACÆ, Libyæ interioris gens. *Ptol.* Forte ubi nunc regnum *Biafara*. *Nic. Sanſon.*

ASSARACUS, Trois Regis Trojanorum, ex Callirhoë, fil. frater Ili Regis, genuit Capyn, à quo Anchiſes Æneæ pater. Euſeb. *Chron.* Hinc *genus Aſſaraci* apud Virgil. *l.* 12. *Æn. v.* 127. & *Aſſaraci tellus* pro Troja apud Horat. *Epod. Od.* 13. *v.* 13.

ASSARHADDON, vide *Aſarhaddon.*

ASSARION, ſeu ASSARIUM, Romanis olim dictum eſt inſtrumentum quadratum, ex duobus laterculis æneis compactum, quod ferrei clauſtri inſtar habebat: Κλειδίον Græcis. Ut enim antiqui non diſſimiles noſtris claves habuêre, ita & ſimilia prorſus clauſtra è ferro duplici compacta & quadrata, cum ferreis intus verucu-lis vel peſſulis, qui modò adducerentur, modò reducerentur, ut in Laconicis clauſtris. Formam iſtiuſmodi κλειδίου, ſeu *Aſſarii*, his verbis exponit Hero, Τὸ δὲ σιγμάριον [illegible] χάλκεα τετράγωνα [illegible]. Nominis verò ratio in abdito eſt. Salmaſ. *ad Solin.* p. 934.

ASSARTI, apud Wallos ſeu Cambro-Britannos purgationis ſpecies, quâ 300. Sacramentalibus, i. e. Compurgatoribus, reus ſe liberare tenebatur: ſublata ab Henrico V. Henr. Spelmann. *Gloſſar.*

ASSASINII, populi qui decem pluteſque urbes prope Tyrum, in Phœnicia, inhabitabant. Hi Mahometi deliria ſecuti, in more habebant Regem eligere, quem *Senem Montis* appellitabant, juveneſque alebant, qui quemque, prout libebat, interficerent. Templariis annuum pendebant tributum, à quo ut liberarentur, Chriſtianiſmum ſe amplexuros polliciti ſunt. Quod cùm hi Equites non admitterent, tum ordini ſuo, tum regno Hieroſolymitano perniciem contraxerunt. Guil. Tyr. *l.* 20. *c.* 31. & 32. *Hiſt. Orient.* Concilio Lugdunenſi fautores eorum damnati, ſub Innocent. IV. Iidem à Tartaris victi, A. C. 1257. Vide inprimis de his Spondan. *A. C.* 1231. *n.* 4. 5. & 6. Uc & *A. C.* 1257. *n.* 5. & in voce *Laſſatini.*

ASSATIO, modus coquendi antiquiſſimus, ut ex Homero apparet, qui Diis ſuis nunquam elixas carnes, ſed *aſſas* ſolùm apponit. Vide quoque infrà *Elixa.* Imò jam longè ante ipſum, Deus Moſi præcepit, ut agnus Paſchalis *aſſaretur ad ignem*, Exod. *c.* 12. *v.* 9. Idem & ſimpliciſſimus eſt, cùm ſolo igne, ſine ullo ſaporis alieni condimento, aut olla, aquaque peragatur. Unde veteri voce *aſſam carnem*, i. e. *ſolam*, dictam fuiſſe, paulò ſuprà vidimus. Porro robuſtiora corpora efficit, & minus temporis requirit, quàm elixatio. Unde apud Homerum *Il.* ξ. *v.* 76. ſubulcus,

> Ὀπτήσας δ' ἄρα πάντα φέρων, παρέθηκ' Ὀδυσῆϊ,
> *Omnia aſſata afferens, appoſuit Ulyſſi;*

utpote re urgente, &c. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 50. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano*, *c.* 50. *Convivium de aſſaturis maximè fuit*, notat, apud Veteres poſtquam binis vicibus de die cibus capi cœptus, in convivio, h. e. cœna, *aſſa* omnia adponi conſueviſſe, quemadmodum hodieque apud nos moris eſt, qui elixas carnes ad prandium frequentiùs exhibemus. *Aſſatura* autem Vopiſci Græcè ὀπτανιδεῖς ſunt: unde *Aſſaturarum jura*, apud veter. Perſii interpretem, ratò enim aſſaturæ ſine jure, quod *tuccetum* vel *tuccam* appellabant Latini, ζωμὸν Græci, condimentum videl. & ex multis ſpeciebus gulam irritantibus compoſitum jus, quod aſſaturis ſuperinfundebant. &c.

ASSECOMA, Hiſpaniæ oppid. inter Bracaram & Aſturicam. *Antonin.*

ASSEDIM, civitas in tribu Nephthali. Joſ. *c.* 19. *v.* 35. Latinè *venationes*, aut *inſidiæ*, vel *latera*, aut Syriacè *deſtructiones.*

ASSEDONES, vide *Eſſedones.*

ASSEM, nomen viri. 1. Paral. *c.* 11. *v.* 34. h. e. *nomen*, ſeu *poſitio.*

ASSER Johannes, vide *Johannes.*

ASSERA, urbs Chalcidenſium. *Steph.*

ASSERE collum abſcindendi ſtupratoribus mos, vide *Planca.*

ASSERIATES, Alpini populi Plin. *l.* 3. *c.* 19. *Val de Serra Seralero.*

ASSERIMUM, caſtrum permunitum, in monte, in regno Cambaiæ, & imperio M. Mogolis. Paret Luſitanis, & dicitur etiam *La Roche d'Aſſerim*, Gall.

ASSERINI, vel ASSARINI, Siliciæ populi. Diodor. Sic. *l.* 14.

ASSERTORES Romani nominis, apud Trebellium Pollionem in XXX. *Tyr. c.* 5. *Ita Gallienò perdente Rempubl. in Gallia primùm Poſthumus, dein Lollianus, Victorinus deinceps, poſtremò Tetricus (nam de Mario nihil dicimus) aſſertores Romani nominis extiterunt.* Ubi vulgò *adfectatores* legitur. Vide Gruterum & Salmaſ. *ad loc.*

ASSESIATES, populi Illyriæ in conventu Scardonitano, inter eos, qui eò conventu jus habent Italicum, immuneſque dicuntur. Plin. *l.* 3. *c.* 21.

ASSESSORES, apud Æl. Lamprid. in *Alexandro Sev. c.* 46. *Aſſeſſoribus ſalaria inſtituit: quamvis ſæpe dixerit, eos eſſe promovendos, qui per ſe Rempubl. gerere poſſent, non per Aſſeſſores, addens, militares habere ſuas adminiſtrationes, habere litteratos, & ideo unumquemque hoc agere debere, quod noſſet:* Conſiliarii ſunt. Quibus tamen non ab Alexandro Severo primum ſalaria conſtituta eſſe, diſcimus ex Spartiano in *Peſcennio*, *c.* 7. *Addidit Conſiliariis ſalaria, ne eos gravarent, quibus aſſidebant.* Caſaubon. *ad Lamprid. loc. cit.* At in *Vita* S. Sulpitii Epiſcopi Biturie. *c.* 6. *num.* 27. *Aſſeſſores* peræquatores ſunt ſeu cenſuum deſcriptores, qui cenſum per capita aut pro modo facultatum, tributariis imponebant, Gall. *Aſſeeurs.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Aſſidere.* In libro Gall. de *Miniſtris Regis Angl.* *Aſſeſſor ferculorum* dicitur, qui fercula in menſa ponit, Gall. *qui aſſied les plats*, apud *Eund.* Inde *Aſſeſſoria* in Concilio Albienſi ſub Zœno Legato Pontificio *c.* 14. h. e. *Aſſeſſoris* ſeu Judicis munus, vide *ibid.*

ASSESUS, urbs Mileſiæ. *Steph.*

ASSIA Troadis, apud Plin. *l.* 36. *c.* 17. *In Aſſo Troadis ſarcophagus lapis fiſſili vena ſcinditur*; eſt regio circa *Aſſum* vel urbis *Aſſi* territorium. Unde *Aſſius* lapis hic dictus eſt, de quo vide infrà, in voce *Sarcophagus.* *Stephanus* tres *Aſſos* habet, quæ tamen una eademque. Nam *Aſſus Lydiæ*, quam vocat, eadem eſt cum *Aſſo Troadis*, eademque *Myſiæ* prope Atarnea, quæ inter Myſiam & Lydiam ab eodem ponitur. Hæc eadem tandem Κῶμος Æolidis, quæ Mitylenæorum fuit colonia &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1203. & 1204.

ASSIDÆI, Genus hominum inter Judæos, 2. Machab. *c.* 14. *v.* 6. ante captivitatem Babylonicam reperitur, apud Hebræos in uſu vox חסידים *Chaſidim*, (quæ *Aſidæi* redditur) voci צדיקים *Tſadikim* ſynonyma, i. e. *Juſti*: & opponebatur utraque vocabulo רשעים *Reſchagnim*, i. e. *maligni*: in quæ duo hominum genera univerſa tum gens diviſa fuit. Poſt captivitatem verò *Chaſidim* à *Tſadikim* diſtingui cœpêre: quorum hi Scripturæ inhærentes, juſtitiam ſectabantur lege requiſitam, illi Scripturæ varia additamenta aſſuere nunquam veriti, Sanctitatis eminentiorem, quam quæ Lege requireretur, gradum affectabant. Sic tria erant Judæorum genera, *Reſchagnim*, ἀσεβεῖς, impii & maligni: *Tſadikim* δίκαιοι ſeu juſti, ac *Chaſidim* ὅσιοι vel ἀγαθοὶ viri ſancti bonique, quorum hi poſtremi ſumma erant apud populum in veneratione. Huc fortè alludens Apoſtolus, cùm immenſum CHRISTI amorem, pro impiis morientis, pro merito extollere vellet, *Rom. c.* 5. *v.* 7. ait: Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τις ἀποθανεῖται· ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν, *Vix pro juſto quiſquam moritur. Nam pro bono fortaſſis audeat mori.* Ex Aſſidæis hi poſtmodum, poſtquam opera illa ſupererogatoria non amplius, ut adiaphora haberi, ſed ut neceſſaria urgeri cœperunt, ſuppullularunt Phariſæi, è quibus Eſſeni provenêre, qui ambo Traditiones non ſcriptas, veluti ſimpliciter neceſſarias & ipſâ S. Scripturâ magis perfectas, populo obtruſerunt. A quibus ut ſe remotiores teſtarentur *Tſadikim*, non Traditiones ſolùm, ſed ipſam quoque Scripturam, Pentateucho-tenus, ut quidam volunt, rejicere cœperunt, קראים *Karaim* i. e. *Textuales* ſeu *Scripturarii* dicti. Alii tamen eos totam Scripturam, Traditionibus tantùm rejectis, admiſiſſe ſtatuunt: Hi ab hæreſi hactenus alieni, proceſſu temporis à Sadoco & Baitho ſeducti, omnia poſt hanc vitam bonorum operum præmia fruſtrà expectari, nec ſceleri pœnam metuendam, imò nullam planè mortuorum reſurrectionem dari deliràrunt, ſicque in Sadducæos degenerârunt: de quibus, ut & reliquis Sectis ſuprà memoratis, vide plura, *in ſuis locis.*

ASSIDONA, Hiſpaniæ Bœticæ regio, vulgò *Xeres de la Frontera.* Vide *Aſta.*

ASSIDUITAS, apud Minucium Fel. *Octavio*, *Cùm jam & aviditatem deſiderii frequens aſſiduitatis uſus implêſſet*; non temporis longinquitatem ſed *congreſſum*, valet. Veteribus enim moris erat, ut colloquuturi inter ſe cinque cathedram ponerent, quà antè & à tergo poſſent quieſcere. Seneca *de Clem. l.* 1. *c.* 9. *Renuntiari autem extemplò amicis, quos in conſilium rogaverat, imperavit & Cinnam unum ad ſe arceſſit; dimiſſiſque omnibus è cubiculo, cum alteram Cinnæ poni cathedram juſſiſſet. Hoc, inquit, primum a te peto, ne me loquentem interpelles, ne medio ſermone meo proclames: dabitur tibi loquendi liberum tempus.* Sic igitur Minucius continuam illum conſeſſum voce hâc innuit, additque *Placuit Oſtiam petere amœniſſimam civitatem*: quaſi diceret, placuit continuum illum conſeſſum amœnâ qualiam alternatione recreare. Alioquin *aſſiduus* eſt, qui uni rei locoque incumbit & aſſidet. Ita *aſſiduus Cauſ* apud Columellam erroneo opponitur, Jac. Ouſelius ad *Minucium loc. cit.* Non procul à notione vocis Minucianæ, abit notio Scriptorum Eccleſ. Roman. Vide infra *Reſidentia.*

ASSINARIUS, amnis Siciliæ, *Falconara* dicitur; ab oppido cognomine & propè Neam urbem labitur. Athenienſium clade nobilis, Duce Niciâ.

ASSINARUS, vide *Aſinarus.*

ASSINUM, vulgò SKIRASSIN, urbs Scotiæ Septentrionalis in Comitatu *Aſſino* & ad lacum *Aſſin.* Paucis conſtat incolis, in limite Navernæ provinciæ.

ASSINUS, Comitatus provinc. Scotiæ Septentrionalis, quæ propemodum pars eſt Roſſiæ, inter Abriam & Naverniam provinc. juxta Caledonium mare, ubi aliàs Cetones ſeu Ceronés populi.

ASSIS, Paſtorum in Ægypto inferiori Rex ſextus, Janiæ ſucceſſit, paulò poſt introductionem Iſraelitarum in terram Canaan, Maride in Thebaide imperante. Regnavit annos 49. menſ. 2. ſucceſſorem nactus Senedem. Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec. IX.* ex *Manethone*, *Syncello*, *Africano*, &c. Sub eò Memphis, quam per annos 200. poſſederant Paſtores, à Thebanis Regibus recepta, & Vulcani ac Apidis cultus in illa reſtauratus eſt. Nempe & primis his VI. Paſtorum Regibus res Ægyptiacæ tantùm non radicitus exciſæ ſunt: poſteà verò Ægyptii longâ neceſſitate armorum uſum edocti, audaciores evaſerunt, Paſtoreſque initio prævalidos primùm cedere, tandem diſcedere, coëgerunt. Vide infrà, voce *Maris*, it. *Paſtores.*

ASSIS, inſul. quam efficit Tiberis, ad ejus oſtia, inter Portum & Oſtiam. Vulgò *Iſola ſacra*: 12. milliar. à Roma in meridiem in ora maris Tirrheni.

ASSIS, vide ſuprà *As.*

ASSIS Publicus, pro tributo paſſim occurrit, quòd *aſſibus*, i. e. ſolidis, exactio tributi celebraretur. Caſſiodor. *l.* 12. *Quapropter ut ſedes urbem annonis ſuis, aut res præſtantiùs per vos diſponis, paraverimus & annonarum præbitionem ſecundùm evectiones conceſſas, in aſſem publicum conſtitutum imputari.* Vide quoque Cod. Theodor. *de indulg. deb.* ubi *Aſſis*, & *tributum vel cenſus* idem. *Aſſem tributorum* vocat idem Caſſiodor. *ubi ſuprà*, at & *l.* 4. Quibus omnibus locis *Aſſis publicus*, pro tributo vel cenſu publico, dicitur quidem, ſed pro ſolido aureo accipiendus. Nam *Canonicos ſolidos*, & *Aſſes canonicos*, dicebant de tributo. Caſſiodor. *l.* 2. *Superbia deinde conductorum canonicos ſolidos non ordine tradunt, ſed ſub iniquo pondere* imm-

inumentibus fuiſſe projectos. Sic treſſis, quæ vox *tres aſſes* ſignificat, pro *tribus aureis* ponitur, in *Nov.* 58. & dupondius, qui duos aſſes valebat, pro *duobus aureis*, in vet. *Gloſſario* accipitur. *Dupondius*, διπλῆ χρύσινοϛ. *Aſſis* igitur ἁπλῆ χρύσινοϛ & *unus aureus*. *Aſſis* enim totum ſignificat & ſolidum, unde *ex aſſe* & *ex ſolido*, idem erat. *Gloſſ.* *ex aſſe*, ἐξ ὁλοκλήρου: hinc *ſolidus* & *aſſis* idem; recentiores itemque *ſolidum* dixerunt, pro nummo aureo. Cœpit autem *Aſſis* pro nummo uſurpari aureo, quia aſſis & aurei idem planè pondus erat, duarum ſcil. drachmarum, &c. Porro *Aſſem* Veter. etiam τὸ μονάδα dixerunt; unde apud Calculones, *adjectô aſſe*, i. e. *additâ unitate*, vide ſuprà in voce *As*. Et quia *Aſſis* & *aureus* idem, ac apud Recentiores aureus ſex millibus nummorum computaretur, μονάδα quoque, i. e. *aſſem*, iidem pro *ſex millium numero* uſurpârunt, ut conſtat ex Chryſoſtomo & Anaſtaſio Sinaita, laudatis Salmaſio *ad Lamprid. in Alexandro Sev.* c. 39. Vide quoque Senatorem *l.* 12. *Ep.* 15.

ASSISA, & ASSISIA, voces recentioribus Scriptoribus crebrò uſurpatæ. Dicuntur autem *Aſſiſa* Comitia publica, conventus & conceſſus proborum hominum, à Principe vel Domino feudi electorum, qui pro tribunali jus dicunt, lites dirimunt, de rebus ad Rempubl. ſpectantibus ſtatuta conficiunt; *Malla publica*, *Placita*, quomodo Ἐ͂δραι Βουλῆϛ dicuntur *Heſychio*, Car. du Freſne *Gloſſar.* Apud Anglos verò *Aſſiſa* definitur ſeſſio Juſtitiariorum duorum itinerantium cum Juſtitiariis Pacis, ut vocantur in Urbe capitali uniuſcujuſque Comitatus, bis in anno, ut audiant placita, lites componant & pro tribunali jus dicant. Peragebantur verò *Aſſiſæ* ejuſmodi, ut & alia olim Placita, in locis publicis ac patentibus, veluti ante januas Ædium ſacrarum, aut in Cœmeteriis: atque ad id deligebantur majores villæ & quæ populô abundarent, intra Regis aut Domini feudi juriſdictionem, ad majus commodum litigantium. Et quidem in Francia cogebantur, è duobus menſibus ad duos menſes; atque indicebantur à Ballivis & Seneſcallis, in fine cujuſlibet *Aſſiſiæ*; interdum per ſingulas quindenas fiebant. Formulam cogendorum in Francia à Ballivo proborum hominum ſeu vaſſallorum feudi, qui *Aſſiſiis* intereſſe tenebantur, ex veteri *Regeſto* exhibet idem Car. du Freſne *d. l.* è quibus ſi quis deeſſet, pecuniâ mulctabatur &c. Sed & *Aſſiſa* nomine veniebat, quidquid in Aſſiſiis definiebatur inter litigantes, quod pro ſupremo judicio erat: Maximè verò id, quod ſtatuebatur ad publicum Regni aut vaſſallorum omnium commodum. Item breve Regium, quô quis ob certa delicta vel crimina, liteſve alias, quarum probatio ex inſtrumentis incerta eſſet, in jus vocabatur: adeo, quia ab *Aſſiſa* præcipiebatur Vicecomiti, ut 12. juratores ſubmoneret, qui de rei veritate teſtimonium ferrent. Neque verò pro brevi ſolùm tali, ſed etiam pro ipſa *jurata*, ſeu pro ipſorum juratorum teſtimonio, vox uſurpata reperitur: quâ notione fuit *Aſſiſa* vel *Magna* ſeu *Grandis*, vel *Parva* ſeu *Ordinaria*: quarum illa conſtabat Militibus numerô XII. gladiô cinctis & XII. electis illis adjunctis; iſta XII. liberis ſolùm & legalibus hominibus patriæ, per Vicecomitem conſcriptis, &c. Vide plura hanc in rem apud Car. du Freſne, ubi ſuprà.

ASSISIA, apud Mileſios Pallas dicta, vel *Aſſeſia*, ab urbe *Aſſeſo*, in qua templum habuit.

ASSISIUM, urbs Epiſcopalis ditionis Pontificiæ 4. milliar. à Claſio ſeu Aſio fluv. in meridiem. In Umbria, S. Franciſci natalibus clara Leand. *deſcr. Ital.*

ASSISII, in Eccleſia Romana dicuntur in Eccleſiis Cathedralibus Beneficiati, minores tamen ordine Canonicis, in Eccleſiis Cypriis, qui videntur functi officiô Canonicorum, qui aliàs *Vicarii* appellantur: vel quibus aſſignata eſt *aſſiſia*, ſeu penſio annua (namque & hôc nonnunquam ſignificatu vox reperitur) quaſi *Penſionarii*. Cujuſmodi *Aſſiſiorum* mentio eſt paſſim in Conciliis Nicoſienſibus nuper editis, in *Conſtitution.* Nicos. c. 9. 30. 31. aliiſque. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* At Macro *Aſſiſii* dicuntur, qui aliàs *Manſionarii*, eò quòd *aſſidue* miniſtrent Eccleſiæ ex Anton. Nebriſſenſi in *Vocabular.* Quod officium, addit, Canonico Altariſtæ in Baſilica Vaticana, tranſlatum eſt, cùm inter alia ſingulis diebus, vel ſaltem qualibet hebdomade, viſitare quidem Baſilicæ altaria teneatur &c. Vide eum in *Hierolexico.*

ASSITORETH ſeu ASHTORETH, Numen Sidoniorum, quod Græci Ἀϛάρτην vocârunt; perperàm eam cum Atargati & Derceto confundentes. Atargatis enim vel Derceto, ſub piſcis forma colebatur à Joppenſibus. Aſtarte verò Dea Sidoniorum peculiaris, quam alii Lunam, alii Venerem, alii Deûm Matrem eſſe voluerunt, alii Cœleſtem Carthaginenſium, nihil de piſcis effigie habebat. Ab utraque porro diverſa Dea Syria, ſic κατ' ἐξοχὴν dicta, quæ peculiare Numen fuit Hierapolitanorum, totum fœmineum, quod idem cum Junone quidam, alii Venerem, alii Matrem Deûm fuiſſe tradunt. Vide Salmaſ. *ad Solin.* *d. l.* *p.* 174. ut & hîc *paſſim*.

ASSO, oppid. olim, nunc vicus Hiſpaniæ Tarraconenſ. *Oſſea Molerio*.

ASSOCIANS & ASSOCIATOR, in Alcorano, *Adulter minime ducat niſi adulteram, aut aſſociantem, ſeu participem facientem, nec ducat adultera niſi adulterum aut aſſociatorem. Hoc enim credentibus ſeu Muſulmanis eſt interdictum*: Mahometanis eſt idolatra qualiſcunque ſic dictus, *quia facit Deum æqualem Deo, ſeu Deo alium aſſociat*, Videſis Antonium Gigg *Theſaur.* *Volum* 2. *col.* 1089. Imprimis verò Chriſtianos hôc nomine notat, Joh. Seldenus *Uxor. Hebraic.* *l.* 3. *c.* 12. In Eccleſia Romana verò *Aſſociare*, Gall. *Faire parage*, dicebantur Monaſteria & Eccleſiaſticæ perſonæ, cùm, ut à potentum & vicinorum invaſione ſe tuerentur, potentiores in partem domini ſuorum prædiorum aſciſcebant, ſicque eorum protectioni ac tutelæ ſeſe committebant. Vide Senatorem *l.* 2. *Ep.* 16. ubi de Tertiis Gothicis, Vignerium in *Originibus Alſat.* alioſque Auctores, laudatos Carolo du Freſne *Gloſſar.* ut & infrà aliquid, verbo *Pariare*.

ASSORUM, mons Sami, à quo fluit *Amphilyſus*. *Steph.*

ASSORUS, Siciliæ, inter Ennam & Agyrium oppid. Græcis Ἄσσωρος, & Ἀσσώριον, oppidani inde Ἀσσωρῖνοι, & Latinè *Aſſorini*. Haud incelebrem fuiſſe civitatem, ex Diodor. Sic. *l.* 14. colligere licet. Poſterioribus tamen temporibus non perinde celebris fuiſſe videtur. Cicer. *Verrina* 4. *Hanc virtutem Agrigentinorum imitati ſunt Aſſorini poſteà, viri fortes & fideles, ſed nequaquam ex tam ampla, neque ex tam nobili civitate*: Vide Bochartum in *Chanaan* p. 586. Nunc vicus eſt, *Aſſaro*, & Comitatus titulô gaudet, alluitur Chryſô fluv. *Nic. Lloydius*.

ASSORUS, oppid. Macedoniæ, erat juxta fluv. Echedorum. Nunc vix rudera ſuperſunt. *Baudrand.*

ASSOS, Lyciæ civitas maritima in edito promontorio ſita, ad quam parum tutum eſt accedere. Unde proverb. *Aſſon eas, ut citius ad exitii terminos pervenias*; *Nicoſtratus* citharœdus:

Ἄσσον ἴθ' ὡς ἂν θᾶσσον ὀλέθρου πείρατ' ἵκηαι.

Ubi luſus in voce *Aſſon*. Altera eſt in Æolide, Tertia in Myſia, ubi Sarcophagus lapis naſcitur. Plin. *l.* 2. c. 96. & *l.* 36. *c.* 17. Vide Voſſ. *ad Melam.* *p.* 88. Ex hac fuit Cleanthes Stoicus Philoſophus, qui Zenoni Citienſi in ſchola ſucceſſit, & eam Chryſippo Solenſi reliquit. Strabo *l.* 13. *Plin.* Apolloniam vocare videtur, de qua Act. Apoſt. *c.* 20. *v.* 15. Quarta in Lydia; Quinta in Epiro. *Nic. Lloydius*.

ASSUERUS, pater Darii Regis Medorum Daniel. *c.* 9. *v.* 1. Eſdr. *c.* 4. *v.* 6. *Metaſtheni* Artaxerxes vocatur, *Joſepho* Cyrus, qui poſt Darium patruum Perſis imperavit; regnavit ann. 40. Aliis Xerxes. Vide *Aharverus* Hebr. *Aſchach veroſh*, i. e. *princeps & caput*.

ASSULA, propriè τὸ ἀποπελεκήματα, aliàs *aſtula*. *Paulinus*,

—— recis brevis aſtula ſtaminis.

Feſto fomites, ſunt aſſulæ ex arboribus, dum caeduntur, excuſſæ. Ita & apud *Servium* ex Claudio, *Aſſulæ ambuſtæ*. Unde *Aſſulatim dedolare viſcera*, Plauto *Menæch.* *Act.* 5. *ſc.* 2. *v.* 106. quod *minutatim* exponit *Nonius*. Sic *aſſulæ marmoreæ*, apud Vitruvium, *l.* 7. *c.* 6. quæ ex marmore, dum cæditur, excutiuntur &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 505 & infrà, in voce *Fomes*.

ASSUM, Troadis promontorium. *Ptol.* *Santiquaranti Sophianus*. Vide *Aſſos*.

ASSUMPTIO, urbs Epiſcopalis nova & parva Americæ meridionalis prope fluv. Argenteum, in regione Paraguaja. Aliis *Beata Maria Aſſumta*. Herrera *c.* 24. De origine nominis, hic infrà.

ASSUMPTIO, in Eccleſia Romana dies dicitur mortis Sancti alicujus, quô ſcil. ejus anima *aſſumitur* in cœlum. Propriè verò tranſitus B. Virginis, ut ait Durandus *Rational.* *l.* 7. *c.* 1. *n.* 15. Frodoardus in *Leone IV.*

Tandem clara dies Reginæ Aſſumtio cæli
Regiparentis adeſt, &c.

Quod Feſtum celebratur die 15. Auguſti, & omnium maximum eſt in Eccleſia Romana ac per excellentiam *Dies Dominæ* dicitur, ut habet Baronius *in Martyrologio ad h. d.* De ejus origine ac inſtitutione nihil certi adferunt. Græci non *Aſſumtionis* nomine, nec græcô, quod id ſignificaret, ſed Κοιμήσεωϛ, *Dormitionis*, utuntur: quia de *aſſumtione in corpore* nihil habuerunt certi. *Uſuardus & Ado*, inquit Baronius, *cum hac die celebrari dicant genitricis dormitionem, de Eccleſiæ judicio verba hæc ſubdunt. Plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quam aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere.* Sed quæ ſecuta eſt ætas, hujus ſobrietatis limites egreſſa, eas lectiones ex variis Auctoribus, in hujus Feſti officio, recitari curat, quæ rem in dubio minimè relinquunt. Et quamvis id apertè non definierit Eccleſia Romana quod fuerit B. Virgo in cœlum cum corpore aſſumta; vix tamen ullus in ea eſt, qui de eo dubitantem ſe fat. Vide A. Rivetum *Apolog. pro SS. Virgine Maria* *l.* 1. *c.* 21. & *l.* 2. *c.* 13.

ASSUR, Aliàs Ninus. Latinè *inſidians*, ſive *beatus*, *aſpiciens*, vel *gradiens*, fil. Nimrodi, Niniveſconditor. Gen. *c.* 10. *v.* 11. 12. Item fil. Semi *v.* 22. Vide Bochart. *Geogr. ſacr.* *l.* 2. *c.* 3. Item Judææ civitas, quam ædificavit Solomon.

ASSURGENDI, honoris ergo, mos Veter. cùm Senes occurrebant, indigitatur Juvenali *Sat.* 13. quem locum infrà videbimus, voce *Senes*. Sed & in Theatris idem frequens, Arnob. *adv. Gent.* *l.* 4. *Conclamant* & aſſurgunt *theatra*. Ut in quibus, quando Mimi & ceteri Hiſtriones placebant, acclamationibus, plauſu, exſultatione, voluptatem, quam inde percipiebant, teſtabantur ſpectatores. Quam ἐπισημασίαν vocabant Græci. Cicer. *ad Attic.* *l.* 14. *Ep.* 3. *Tu, ſi quid πραγματικὸν habes. Sin minus populi ἐπισημασίαν, & mimorum dicta, perſcribito.* Igitur *aſſurgebant* & exultabant, quod & in recitationibus indecenter factitatum, è Scena in Scholam ſerpente licentiâ. Quintilianus *Inſtitut. Orator.* *l.* 2. *Minimè verò permittenda pueris, ut fit apud pleroſque, aſſurgendi exultandique velut in theatra licentia.* Nec *aſſurgebant* ſolum ac exſultabant, ſed & conclamabant, imò manibus plaudebant, qua de re vide hîc paſſim, inprimis ubi de *Acclamandi ritu*, voce *Euge*, & *Sophos*, it. verbo *Plaudere*. Etiam excurrebant. Quintilianus ubi ſuprà, *At nunc proni atque ſuccincti, ad omnem clauſulam non exſurgunt modo, verum etiam excurrunt, & cum indecora exultatione conclamant.* Quod in Eccleſiam quoque invectum poſteà, diſcimus ex epiſtola Epiſcoporum, Euſebio *Hiſtor. Eccl.* *l.* 7. *c.* 30. laudata, ubi Paulum Samoſatenum redemiſſe plauſum in Eccleſia, tanquam in theatro, & malè ab eo acceptos eos μὴ σειόντας ὀθόνας καὶ ἀνακραυγάζοντας, memorant. Vide quoque infrà *Exſultatio*.

ASSURI, nomen loci. 2. Sam. *c.* 2. *v.* 8.

ASSURIM, fil. Dedan, filii Jekſan, Gen. *c.* 25. *v.* 3.

ASSURUS, urbs Africæ, aliis *Aſſures*, media inter Siccam Veneriam & Suffetulam erat. Quid nunc ſit, ignoratur. *Baudrand.*

ASSYRIA, regio majoris Aſiæ, quam *Ptol.* ab ortu Mediæ parte terminat, ab occaſu Meſopotamiâ, à Septentrione parte minoris Armeniæ, juxta Niphatem montem, à Meridie Suſianâ. Plin. *l.* 5. c. 12. ait, eam Syriæ partem eſſe, quæ poſteà vocata eſt *Adiabene*. *Strabo* autem longè latiores Aſſyriæ fines aſſignat, eô nomine comprehendens Babyloniam, & maximam circumjacentium regionum partem. Vide Bochart. *Geogr. Sacr. l.* 4. c. 19. Tibullus, *l.* 3. *El.* 2. *v.* 24.

Eoique Arabes, dives & Aſſyria.

Abſurdum autem videri poſſit, quòd Aſſyrios juxta Thermodontem fluv. ſtatuat *Dionyſius*. Sic enim ille.

Τὴν δὲ μετ' Ἀσσυρίης ἀπὸ χεῦμα χθονὸς ἀμφινέμονται.

Sed cùm Aſſyrii imperium ſuum longè latèque propagârint, hinc effectum, ut gentes plurimæ Aſſyrio imperio olim ſubditæ Ἀσσύριοι, & per aphæreſin Σύριοι & Σύροι, Græcis dictæ fuerint. Ita Herodotus & eum ſecutus Trogus Pompejus *l.* 1. *c.* 2. *Aſſyrii, qui poſteà Syri dicti*. Sic cùm Syria, ſeu Aſſyria latè ſumpta, Cappadociam comprehendat, & Græci *Syros* vocent, *quos Perſæ* Cappadoces, Herodoto teſte, (Καππαδόκας (inquit) οἱ ὑπὸ Συρίων καλέονται, atque *alibi*, Οἱ Σύριοι ὑπὸ Περσέων καλεῦνται Καππαδόκαι) *Dionyſius* generale Aſſyriæ nomen peculiariter uſurpat pro Cappadociæ parte, juxta Irim, & Thermodontem fluvios, quæ aliis ſtrictè *Leucoſyria* dicitur. Quin & Val. Flac. *l.* 5. *v.* 109. in Aſſyria Sinopen conſtituit in his:

Aſſyrios complexa ſinus ſtat opima Sinope;
Nympha prius, blandoſque Jovis quæ luſerat ignes
Cælicolis immota procis. ----

Apollonius etiam Cappadociam Ἀσσυρίην vocat, *l.* 3. *Argon.* *Heſychius*, Ἀσσυρίαν, Χαλδαίαν. Occupata à Trajano eſt, A. C. 115. Sed relicta ab Adriano A. C. 120. dicente, ſe imitari Catonem, qui Macedonas liberos pronuntiavit, quia teneri non poterant. Spartian. *in vita ejus*. Dion. *l.* 69. Hodie partim ſub Perſis, partim ſub Turcis eſt. Præcipuæ ejus urbes, Moſul, olim Ninive: Cteſiphon, olim regia Parthorum ſedes & Arbella clade Darii nobilis. Primæ Monarchiæ ſedes, quæ ſub Nimrodo ſeu Belo, incepit A. M. 1879. Babylone, & ab Aſſure, ſeu Nino, fil. hujus Beli, *Aſſyria* dicta eſt. Cujus ultimus Monarcha Sardanapalus fuit. Duravit an. 1300. Vide Juſtin. *l.* 1. Mercat. *l.* 1. & 3. Euſeb. & Genebr. *Chronol.* Cluver *l.* 5. &c. *Baudrando Aſſyria*, nunc *Arzerum*, ferè tota trans Tigrim fluv. ſub Turcis. Aliàs ampla, nunc arctior. Ejus pars olim fuit Adjabene provinc. urbeſque ibi celebres ſunt, *Moſul*, aliàs Ninive, & *Scharazur*, verſus Perſiam. Cœterum cùm neque in Hiſtoria Sacra, neque in Ægyptiorum monumentis reperiatur ulla Aſſyriorum memoria, antequam deſiiſſet in Aſia Ægyptiorum imperium; primuſque in Cis-Euphratenſibus regionibus inclaruerit *Phul Rex Aſſyriorum*, 2. Reg. *c.* 15. *v.* 19. poſt quem memorantur Teglat Phul-Aſar, *Ibid. v.* 19. Salmanaſar, 2. Reg. *c.* 17. *v.* 6. &c. longiſſimam illam *Aſſyriorum Regum* ſeriem, ab uno Cteſia excogitatam primumque editam, ab Euſebio verò & Syncello conſervatam & ad noſtra uſque tempora propagatam, non ſine ratione ſuſpectam judicat inſignis Chronologus Marshamus Eques Angl. quem vide *Canone Chron. Sec. XVII.* de memoratis verò Regibus, eorumque ſucceſſoribus, hic paſſim.

ASSYRIA Arbor, quæ & *Medica*, & Περσικὴ μηλέα, eadem cum Citrea pleriſque Veterum. Sed Virgilius in illa deſcribenda, ingentem arborem eam nobis tradit, quod Aurantiæ potiùs, quàm Citro, convenit. Nam citrum non altè attollitur,

Ipſa ingens arbor faciemque ſimillima lauro

ad quem locum *l.* 2. *Georg. v.* 131. Servius, *Sanè etiam hæc probant, citrum non eſſe. Nam citri arbor multum non poteſt creſcere.* Dicta autem *Aſſyria* eſt, quòd primitus in ſola Aſſyria proveniret: poſtea verò per univerſam Aſiam & Europam, ſemine inde allatô, crebreſcere cœpit. Vide de illa Salmaſ. *ad Solin.* p. 949. ut & infrà ubi de *Aurantiis & Citreis malis*.

ASSYRIA Bombyx, vide infrà *Bombyx*.

ASSYRIÆ Veſtes, ſericæ Veter. Vide infrà, *Sericum*.

ASSYRII, quô nomine Tyrios & Phœnicas deſignari ſæpe videas, qui ſimpliciter *Sorim*, vel *Surim*, hoc eſt, ipſiſſimi *Syri* vocabantur, & inde præfixô articulô הסורים *Haſſorim*, vel *Haſſurim*, i. e. *Aſſyrii*. Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 13. *Apud Aſſyrios ſive Phœnicas lugens inducitur Dea.* Et Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 465.

Alba nec Aſſyriô fucatur lana venenô.

Aſſyriô venenô, i. e. *purpurâ Tyriâ*. Claudian. *l.* 2. *de Raptu Proſerpinæ*, *v.* 96.

Dotibus Aſſyriis ſpumis fuſcantur ahenis.

Quod planius Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 16. *v.* 7.

Quicquid Agenoreô Tyros improba coxit ahenô.

Et in deſcriptione Beroës apud Nonnum *Dionyſ. v.* 41.

Ἀσσυρίην Λίβανον προϊδεῖν ... ---- ----

Ubi Aſſyrium Libanum pro Phœnicio appellat. Neque aliud ſonat *Aſſyria*, quàm *Syrium* apud Senecam Tragœdum, *in Hippolyto*, *Actu* 1. *v.* 85.

O magna vaſti Creta dominatrix freti,
Cujus per omne littus, innumeræ rates
Tenuêre pontum, quicquid Aſſyriâ tenus
Tellure Nereus pervium roſtris ſecat.

Mare mediterraneum intelligit, quod Syria tenus interſecat. Themiſtius etiam Aſſyrios vocat ipſos Judæos, Ἀλλ' ἐγὼ (inquit) ... Ἀσσυρίαν γεγονέναι ... Locus eſt, *Oratione nonâ*. Ab his autem Aſſyriis planè diverſi ſunt אשורים Aſſyrii, filii *Aſſur*, trans Euphratem ac Tigrim, atque ipſa etiam ſcriptura Ebræa multum diſcrepat. Cujus rei ignoratione Græci ſcriptores duos populos tantâ locorum intercapedine à ſe mutuò diſſitos in unam gentem ſæpe compingunt. Inter quos Herodot. *l.* 9. *c.* 63. *Nic. Lloydius*.

ASSYRII Succi, apud Statium *l.* 6. *Theb. v.* 209.

Nec non Aſſyrii pingueſcunt robora ſuccis:

omne genus aromatum eſt. Virg. *Ecl.* 4. *v.* 25.

---- *Aſſyrium vulgò naſcetur amomum.*

Martial. *l.* 8. *Epig.* 77. *v.* 3.

Si ſapis, Aſſyriô ſemper tibi crinis amomô
Splendeat.

Idem *Aſſyrios nidos phœnicis* dicit, omni genere aromatum farctos. Horat. *l.* 2. *od.* 11. *v.* 13.

Cur non ---- ----
---- ---- *& roſâ*
Canos odorati capillos
Dum licet, Aſſyriâque nardô
Potamus uncti?

Catullus, *Epigr.* 69. *v.* 144.

Fragrantem Aſſyriô venit odore domum &c.

Vide Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Statium d. l.*

ASSYRIORUM Gramen, vide ſuprà *Amomum*.

ASSYRIUM Malum, vide infrà *Citreum*, *Medicum*, *Perſicum*.

ASTA Servilius, vide *Servilius*.

ASTA, Turditanorum in Hiſpania civitas, inter Sacrum promontorium, & Herculeas columnas. *Regia* Plinio dicitur *l.* 3. *c.* 1. Rudera ingentem olim fuiſſe indicant. *Maſſa de Aſta Morali*. Aliquibus *Aſta regia*, nunc *Xeres de la Fontera*. Media inter Arcenſium urbem & Mneſthei portum, in Vandalitia. Deficitque indies. *Baudrand.* *Aſta* autem (ut putat Bochartus *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 34.) Pœnis fuit אשדה *Aſda*, vel *Eſda*, i. e. ἔκχυσις, vel ἀνάχυσις. Sic Joan. *c.* 5. *v.* 2. *Betheſda* eſt *domus effuſionis*, uti pridem docti obſervârunt. Cur indè dicta ſit *Aſta*, docebunt *Ptolemæus* & *Strabo*. Hic, Ἡ κατὰ Ἄσταν ἔκχυσις. *Quæ ad Aſtam eſt effuſio.* Ille, Ἡ κατὰ Ἄσταν ἀνάχυσις, καὶ ἀνάχυσις, *Quæ ad Aſtam eſt effuſio, & æſtuarium.* *Nic. Lloydius*. Eſt & *Aſta* in Liguria. Epiſcopalis non longè à Novaria diſtans. Claudian. *l. de* 6. *Conſul. Honor. v.* 203.

Nec plus Pollentia rebus
Contulit Auſoniis, aut mœnia vindicis Aſtæ.

Nunc Duci Sabaudiæ paret. Probè munita. Ejus ager vulgò Comitatus Aſtenſis inter Pedemontium & Montferratum. *Baudrand.* Drangianæ item urbs. *Ptolemæo* & Indiæ locus. Arrian. *in Periplo*.

ASTABENI, Hyrcaniæ populi. *Ptol.*

ASTABORAS, Æthiopiæ fluv. Heliod. *Æthiopic. l.* 10. & *Ptolemæo*. Nunc *Coror*: oritur prope Auxumum, in Abyſſinia. *Baudrandus*. Nili ramus veteribus creditus, ut probat Bochartus: qui oritur ex locis Avaliti ſinui proximis & Moſylo emporio, vide eum *Hieroz. Part. poſter. l.* 1. *c.* 11. Ut & infrà, in voce *Aſtaſobas*.

ASTACA, Amm. Marcellino inter Parthiæ urbes recenſetur, *l.* 23. *Et hæc potiora reſidua ſunt oppida Genonia, Charax, Apamia,* Aſtaca & *Hecatompylos*. Hinc *Aſtacene*, Ἀστακηνὴ, provinc. Parthiæ. Plin. *l.* 5. *c.* 105. *Similis eſt natura naphthæ. ita appellatur circa Babylonem & in* Aſtacene *Parthiæ profluens, bituminis liquidi modo* &c.

ASTACANA, Bactrianæ urbs. *Ptol.*

ASTACANI, apud Solin. *c.* 52. Indiæ populi Græcis Ἀστακηνοί, ab urbe *Aſtacana*: quam *Ptol.* in Bactriana regione recenſet. *Strabo* Ἀστακηνοὺς collocat inter Cophetem & Indum; quæ cauſa, quòd ab India illos excludant ii, quibus placuit Indiam Indô amne determinare. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1004.

ASTACAPRA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.* An *Jangur* hodie ſub M. Mogole.

ASTACARA, urbs Perſiæ, aliàs maxima, juxta fluv. *Bendimir* prope ruinas antiquæ Perſepolis, quam vide.

ASTACENUM, æſtuarium in Hiſpania Bætica. *Ptol.*

ASTACENUS SINUS, vulgò *la Mareſma*. Vide *Baudrand.* Propontidis pars, hodie *Golfo di Nicomedia*.

ASTACES, Prætor Darii. Memphis præſidio relictus, qui Alexandro Philippi filio, Nilô ſuperatô, octingenta talenta omnemque regiam ſupellectilem tradidit. Curt. *l.* 4. *c.* 7. Verùm Janus Gebhardus unicus Curtii adſtipulator cenſet, Ruſſum emendandum ex Arriani *l.* 3. heicque legendum *Mazaces*. Sic enim locô laudatô: Μαζάκης δὲ ὁ Πέρσης, inquit, ὃς ἦν σατράπης Αἰγύπτου ἐκ Δαρείου καθεστηκώς: iterumque corrigit Arrianum *l.* 3. ubi vulgatum eſt, Σατράπην δὲ ἀπέδειξε Παρθυαίων δὲ Ὑρκανίων Ἀμμινάπην Παρθυαῖον. ... τὴν Αἴγυπτον ... Ἀλεξάνδρῳ μετὰ Μαζάκου. lege *Mazæus*. Nam Mazæus Babyloniæ Satrapes vixit, in eaque præfectura exſpiravit. Vide Curtium *l.* 4. *c.* 13.

ASTACES, fluv. Ponti, de quo Plin. *l.* 2. *c.* 103. *In Ponto fluvius Aſtaces rigat campos, in quibus paſta nigrô lacte equæ gentem alunt.*

ASTACILICIS, Mauritaniæ Cæſarienſis urbs. *Ptol.*

ASTACOENI, Indiæ populi mediam regionem inter Cophenem, atque Indum habitantes. Strabo *l.* 15.

ASTACURES, Africæ Propriæ gens. *Ptol.*

ASTACURI, Libyæ interioris gens. *Ptol.*

ASTACUS, regio Byzantinorum, & Cephalleniæ Colonia, *Steph.*

ASTACUS, Aſiæ urbs, in Bithynia; in eodem Propontidis ſinu, eódemque loco aut prope eum, in quo poſtea Nicomedia condita fuit: ſinum à ſe cognominat *Aſtacenum*, ab *Aſtaco*, Neptuni & Olbiæ Nymphæ filio. Arrianus *in Bithynicis*. *Strabo* Megarenſium coloniam eſſe ait, *l.* 12. annô 3. Olymp. 17. deductam, Euſebius *num.* 1307. Eſt & civitas Acarnaniæ. Plin. *l.* 5. *c.* 32. Priorem, quæ in Bithynia, Lyſimachus evertit, contemporaneus Zypoetæ, Nicomedis patris, a quo Nicomedia fermè ſub idem tempus condita eſt incolis *Aſtaci* eò traductis, uti auctor eſt Strabo *l.* 12. Κατῴκισε (loquitur autem de *Aſtaco*) δ᾽ ὑπὸ Αὐτομάχου τῆς δ᾽ εἰσβολῆς μετήγαγεν εἰς Νικομήδειαν ὁ κτίσας αὐτήν. Atque hinc fortè factum, ut quidam Auctores ſcripſerint, Nicomediam prius *Aſtacum* fuiſſe dictam, quorum opinionem, & illud adjuviſſe videtur, quód non longè ab eo loco, ubi erat *Aſtacus* ſita, condendam curavit Nicomedes Nicomediam. *Strabo Aſtacum*, περὶ Νικομήδειαν, *circa Nicomediam*, collocat: *Memnon* Nicomediam ἀντὶ τῆς Ἀστάκου conditam fuiſſe ſcribit &c. Salmaſ. *ad Trebellium Pollionem in Gallienis*, *c.* 4. Vide eundem *ad Solin. p.* 879.

ASTÆ, Thraciæ gens. *Steph.*

ASTAGENI, Arabiæ Felicis gens. *Ptol.*

ASTAGOA, urbs Africæ in Æthiopia Inferiori, & imperio *Monomugi*, verſus limites Zanguebariæ & Mozambiæ.

ASTAGONES, apud Solinum. c. 52. perperam pro Aſtacanis, quos vide.

ASTALICIS, *Ptol.* vel *Aſtacilicis* ex alio codice *Teſezara*, *Marmol.* oppid. Mauritaniæ Cæſarienſis mediterraneum apud Timaci urbem regiam, quæ *Tremeſen* appellatur.

ASTANDA, Ariæ oppidum. *Ptol.*

ASTANDÆ, *Suidas*: Ἀστάνδαι, οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι, οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ Ἄγγαροι, ὧν δὲ ἐγένετο Πέρσης. Vide *Aſgandæ*.

ASTAPA, Hiſpaniæ Bæticæ urbs *Livio*, quam *Navagierus* putat *Steppa* dici, alius *Eſtepa*. In clivo, paucíſque conſtat incolis. *Baudrand.*

ASTAPÆI, ἔθνος Ἀρείων *Stephano*; ſed inſigniter errat, cùm ſit gens iſta in Hiſpania. Meminit *Aſtapæ* urbis Appianus, *in Ibericis*, itemque *Aſtapæorum*, atque eos Carthaginenſibus paruiſſe. Hinc error *Stephani*. *Nic. Lloydius.*

ASTAPUS, Æthiopiæ fluv. qui cum Nilo & Aſtaboră inſulam Meroen facit. *Abaubi Baudrand.* Vide Plin. *l.* 5. *c.* 9. Oritur prope montem Amaram, & in Nilum cadit.

ASTARACENSIS Tractus vel Comitatus, regiuncula Galliæ in Vaſconia, ſupra Auſcios, inter Comitatum Bigerrenſem & Convenarum. Ejus caput Miranda.

ASTARIMUS, frater Aſtarti, Tyri Rex. regnavit ann. 9.

ASTAROTH, Latinè *greges*, ſive *divitiæ*, aut *faciens explorationem*, ſeu *unca legis*, antiqua civitas Og Regis Baſan, in qua primùm habitavêre Gigantes; poſtea cecidit in ſortem tribûs Manaſſis. Sunt autem duo caſtella in Bethania hôc nomine 9. mill. paſſ. inter ſe ſeparata inter Adaram & Abilam urbes. Fuit & Philiſtæorum idolum, teſte Joſepho, *Jud.. Ant. l.* 6. *c.* 14. quem ſuſtulerunt Judæi Samuelis juſſu. Eſt & alius Deus Sidoniorum, quem adoravit Salomon. Vide de hiſce porro, Gen. c. 14. ℣. 5. Joſ. c. 9. v. 10. c. 12. v. 4. & *c.* 13. v. 12. Judic. *c.* 2. v. 15. 1. Sam. *c.* 7. v. 3. 2. Reg. *c.* 11. v. 5. Addam hoc ſolùm, quód ſicut Sol, ita & Luna, ſub variis nominibus culta fuit ab Ethnicis. Hæc enim aliquando *Urania*, reſpectu luminis ſui: nonnunquam Ἀστροάρχη, reſpectu minorum ſiderum, ſeu *Planetarum Regina*, aliquando *Ammonia* dicta eſt, & ſub ovis imagine adorata, ut alia taceam. Ita ergo ſub *Aſtaroth* nomine culta eſt à Sidoniis, in cujus templo Philiſtæi defuncti Saulis arma ſuſpendiſſe leguntur, 1. Sam. *c.* 31. v. 10. Hinc Lucian. *de Syria Dea*, Ἀστάρτην, inquit, ἐγὼ δοκέω Σεληναίην ἔμμεναι, *Aſtarten Lunam eſſe opinor.* Nec obſtat, quód quidam Aſtarten Junonem interpretentur, notum enim hæc Numina non raró confundi, & elogium, quod Junoni tribuitur à Virgilio, *l.* 1. *Æn.* v. 50.

—— —— Divum incedo Regina, ——

Cæli Reginæ, cujus meminit Jeremias c. 7. v. 18. c. 44. v. 17. apprimè quadrat: Ut omittam Kalendas ſeu menſis cujuſlibet primitias Junoni ſacras fuiſſe. Imò quemadmodum Jupiter Ammon Sol erat, ſub Arietis ſchemate: ita Juno Ammonia Luna, ſub ovis figura culta. Et certè *Aſtaroth* idolum hôc planè modô figurant Hebræi Scriptores, ipſaque vox gregem ovium denotat. Vide Thom. Godwyn *de ritibus Hebræor.* *l.* 4. *c.* 6. & ſuprà in voce *Ammonia*.

ASTARTE, Syrorum nomen & Sidoniorum Dea, cui Salomon, uni concubinarum ſuarum obſequi volens, altaria condidit. 1. Reg. *c.* 11. v. 5. Ἀστάρτην ἐγὼ δοκέω Σεληναίην ἔμμεναι, inquit Lucian. *de Dea Syria*. Falsò. Nam Ἀστάρτη ἡ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη, inquit *Suidas*, ἣν ἐλάτρευσεν ὁ Σολομών. Vide Maſium *in Joſ.* c. 12. & Capellum *ad A. M.* 3023. & Seldenum *de Diis Syris*, *Syntagm.* 2. *c.* 2. & Bochartum *Geogr. Sacr. p.* 781. *Nic. Lloydius.* Fuit & civitatis nomen, & inſula in Æthiopia. *Steph.*

ASTARTUS, Tyri Rex, Delæaſtarti fil. poſt Nutricis filium, de quo vide voce *Abdaſtartus*, vixit annos 54. regnavit ann. 12. ſucceſſore fratre Aſerymô, quem vide. Ejûs tempore Abiam & Aſa in Juda Reges fuêre. Vide Menandrum Epheſium apud Joſephum *contra Apionem l.* 1.

ASTASANA, Ariæ oppid. *Ptol.*

ASTASOBAS, Græcè Ἀστασόβας, brachium Nili eſt, ſicut & *Aſtaboras*. Plin. *l.* 5. *c.* 9. *Aſtaboras lævo alveo dictus, h. e. ramus aquæ venientis è tenebris*; dexterô verò Aſtaſobas, *quod lateris ſignificationem adjicit.* Alii utrumque amnem in Nilum influentem faciunt: Cingunt autem ambo Meroen urbem. Salmaſ. *ad Solin. p.* 418. & 419.

ASTATHYII, Hæretici, Sergii cujuſdam, qui ſub initium ſeculi 9. impoſturas Manichæorum inculcabat, ſectatores. A Michaele Curopalate, ſeveriſſimis edictis, coërciti, cum poſteà ſub Nicephoro immenſum creviſſent. *Theophanes & Petrus Siculus.*

ASTATUM, oppidul. inſul. Iſlandicæ, in parte ſeptentrionali in mari Deucaledonio, prope ſinum Skagam. Sub Rege Daniæ, cum tota Inſula.

ASTELEBE, civitas Lydiæ. *Steph.*

ASTELEPHOS, Colchidis fluv. *Arrian.* *Atelpos* Plinio, *l.* 6. *c.* 4. quem inter Terſon & Chryſorrhoan ponit.

ASTELFUS, fluv. Colchidis, in Aſia, incolis *Enguer.* In Pontum Euxinum ſe exonerat. Oriturque ex monte Caucaſo verſus Alanos populos & Ciparium Amarghiamque rigat. *Baudrand.*

ASTENAS, Hiſpaniæ Bæticæ oppid. *Strabo.*

ASTENIDUM, inter villas regias, ob ſylvarum propinquitatem, venatui aptas, memoratur in *Capitulis* Caroli Calvi. Vulgò *Stenai.* Gerberto *ep.* 103. dicitur *Satanaca*. Fiſcalis fuit, ad ripam Moſæ fluv. Moſomagum inter & villam Francam Hinc pagus *Stadunenſis*, inter Vongenſem & Pertenſem collocatus. in iiſdem *Capitulis*. *Stadonenſis* Frodoardo dictus *Hiſt. Rem. l.* 3. *c.* 18. inter Caſtricenſem & Catalaunenſem. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ASTER, puer quidam, Platonis carminibus celebratus, in quem extant Epigrammata, *l.* 3. *Antholog.*

ASTER, Græcè Ἀστὴρ, nomen ſtellis, floribus, gemmis, aliis commune. Ἀστὴρ enim Ἀττικὸς, flos eſt, cujus folia ſtellæ imaginem referunt; unde & ἀστέριον & ἀστερίσκος dictus. Et ἀστέρια, nec non ἄστρα, dicuntur gemmæ, ad ſpeciem ſideris aut ſtellæ relucentes; à quibus diverſæ *Aſteriæ*, quæ variis guttis ſtellatæ ſunt. Uti ἀστέριον, lapis inſtar plenæ Lunæ refulgens, quaſi *parvum aſtrum*. Sunt tamen qui ἀστέριον & ἄστριον confuderunt. Sed propriè Ἀστέριος, ἀστερίας, ἀστερωτὸς & ἀστερωτὸν, non *ſtellæ ſimiliter reſplendens*, ſed multis maculis, velut ſtellis ſparſum, *ſtelliſque compunctum* ac variatum, notant. Sic *Avienus* ἀστερόεντα λίθον interpretatus eſt, de Jaſpide,

—— —— hic & Jaſpis
Fulva micat ſtellis.

Et Sandaſtrum gemmam Plin. *l.* 37. *c.* 7. memorat, ſtellarum Hyadum numerô ac diſpoſitione ſtellatam, quæ intus habebat aureas guttas ſtellantes in tralucido &c. Phalangii quoque genus, ἀστέριον, de quo infrà in voce *Stellio*: plura verò hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin paſſim.*

ASTER Samius, genus terræ candidiſſimæ; quam quidam cum κιμωλίᾳ & ἀφροσελήνῳ confundunt: Avicenna putat eſſe *Talk* Arabicum, quod hodieque *Talch* dicitur. Vide præfatum Auctorem ubi ſuprà *p.* 1098.

ASTERABATIA, regio Perſidis, non longè à mari Caſpio, in provinc. *Taberestan.* oppid. habet cognomine verſus montes. *Olear.*

ASTERIA, filia Cœi Titanis filii, quæ, teſte *Fulgentiô*, poſt vitiatam Latonam, à Jove dilecta eſt, à quo in Aquilam verſo oppreſſa fuit, eique ex eo concubitu Herculem peperit. Hæc tandem Jovi adverſa, ejuſque iras fugiens, Deorum miſeratione in coturnicem verſa eſt, quæ ὄρτυξ Græcè dicitur, nomenque dedit inſulæ, in quam aufugerat, ubi à Jove in lapidem mutata eſt, undiſque demerſa, & ab iiſdem huc illuc agitata; ſed tandem, ob ſuſceptam Latonam, ſupernatavit, & Neptuno ac Doridi conſecrata; poſteà *Delos* dicta eſt.

ASTERIA, Hydei filia, ex Bellorophonte Hydim, ſeu Hydiſſum peperit, à quo Hydiſſus, urbs Cariæ. *Steph.*

ASTERIA, *Heſychius* Ἀστερίη, ἡ Κρήτη, καὶ ἡ Δῆλος οὕτως ἐκαλεῖτο.

ASTERIA, gemma candida & contra Solem radios regerens, unde ei nomen. Plin. *l.* 37. *c.* 9. *Proxima candicantium eſt* Aſteria, *principatum habens proprietate naturæ, quòd incluſam lucem pupillæ modô quandam continet, ac transfundit cum inclinatione, velut intus ambulantem ex alio atque alio loco reddens, eademque contraria Soli regerens candicantes radios, unde & nomen invenit, difficilis ad cælandum.* Subintelligere autem *gemma*; ſicut eadem Ἀστέριος, *Aſterius* dicitur, ſubintellige λίθος, *lapis*. Naſci eam prodit *Dionyſius* in montibus Pallenes,

Ἔνθα μελαινοβόθροιο κατ᾽ αὐλῶνας Παλλήνης
Φύεται ἀστέριος καλὸς λίθος, εἰσὶ δὲ ἄστρα
Μαργαρίτην.

Quod de *Aſtrio* ſcribit Plin. *loc. cit.* quam gemmam nonnulli Σεληνίτην etiam videntur vocâſſe, quód fulgore luceat Lunæ plenæ. Sed cùm iſta vocabula mirè confundant Auctores, docet Salmaſ. lapidis hujus nomen non eſſe ἀστέριος adjectivum ſed ὁ ἀστέριον diminutiv. quod parvum ἀστέρα ſignificat. Unde recentioribus Græcis, omnia ferè nomina per diminutiones enunciantibus, ἄστρον dicitur, h. e. *ſtella*. Hôc autem nomine indigitari gemmas, quæ *ſtellarum* inſtar reluceant; ſicut ἀστερίας dici, quæ guttis ſtellatæ ſunt, ſuprà vidimus. Vide eum *ad Solin. p.* 756. & *ſeqq.* ut & *p.* 1093. ubi *Aſteriam* & *Aſtrion*, inter candidas gemmas & cryſtallo cognatas, referri addit.

ASTERION, Cometæ fil. unus ex Argonautis. Orpheus *in Argonauticis*, v. 161.

Ἀστερίων δ᾽ ἐπὶ τοῖς πάις κλυτοῦ Κομήτου,
Πειρεσιὴν δ᾽ ἔναιεν ἐπ᾽ Ἀπιδανοῖο ῥεέθροις.

Apollonius, *in Argonauticis l.* 1. v. 35.

Ἦλυθε δ᾽ Ἀστερίων αὐτοσχεδόν, ὅν ῥα Κομήτης
Γείνατο δινήεντος ἐφ᾽ ὕδασιν Ἀπιδανοῖο
Πειρεσιάς, ὄρεος Φυλληίου ἀγχόθι ναίων.

Val. Flac. *Argonaut. l.* 1. *v.* 355.

> *--- Celer Aſterion, quem matre carentem*
> *Cretheus gemino ſoves pater amne Cometes.*

Lege *Criſtatus*.

ASTERION, Achajæ fluv. in Nemea inſula vel ſilva placidè fluens, fructuum juxta ripam abundantiſſimus. Stat. *l.* 4. *Theb. v.* 713.

> *--- Eraſinus & æquus*
> *Fluctibus Aſterion. --- ---*

Idem *ibidem*, *v.* 121.

> *--- --- Quo celer ambit*
> *Aſterion, Dryopumque trahens Eraſinus ariſtas.*

Eſt etiam mons in Argolico ſinu. Plin. *l.* 4. *c.* 5. Item Theſſaliæ civitas. Homer. *Il. β. v.* 735.

> Οἵ τ' ἔχον Ἀστέριον Τιτάνοιό τε λευκὰ κάρηνα.

Sic dicta, quòd in alto monte ſitum fulgeret:

> Ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα
> Λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος Ὠκεανοῖο.

Heſych. Ἀστέριον πόλις ἐν Θεσσαλίᾳ.

ASTERIS, inſul. quam ſic deſcribit Homer. Od. 4. v. 844.

> Ἔστι δέ τις νῆσος μέσσῃ ἁλὶ πετρήεσσα,
> Μεσσηγὺς Ἰθάκης τε Σάμοιό τε παιπαλοέσσης
> Ἀστερίς, οὐ μεγάλη, λιμένες δ' ἐν ναύλοχοι αὐτῇ
> Ἀμφίδυμοι. ---- ----

ASTERIA Straboni, *l.* 2. *Didaſcalio Sophiano*.

ASTERISCUS, Græcè ἀστερίσκος, ex auro vel ex alio metallo ſtellula, quæ in Eccleſia Græca ponitur ſuper patenam, ad ſacra dona tegenda, cum puſilla cruce in vertice; ut velum, quò patena cooperitur, ſuſtentetur, ne Euchariſticum panem in patena poſitum tangat. Denotari hâc ceremoniâ autem volunt ſtellam felicis ominis, quæ Magos ad Dominum noſtrum deduxit ſuperſtetitque, ubi ille erat; unde Sacerdos, hanc ſtellam patinæ imponens, ait: *Et veniens ſtella aſtitit ſuper, ubi erat puer poſitus* Dominus. Macer in *Hierolex.* ubi Iſacium Haubertum, qui *Obſervation. ad Eucholog. Aſteriſcum, quo ſacra cooperiuntur, velum fuiſſe ſtellâ ornatum*, aſſerit, refutat.

ASTERITES lapis, vide ſuprà *Aſteria*.

ASTERIUS, Patriarcha Alexandrinus, ab Imperatore Juſtino conſtitutus, contra Timotheum, Hæreticorum præſulem, cui hi Theodoſium ſurrogârunt, à Theodora Imperat. adjuti, & poſtea Gajanum, vivente adhuc Aſterio. Baron. *A. C.* 521.

ASTERIUS, Epiſcopus Amaſiæ, homiliarum auctor, è quibus excerpſit quædam *Photius*, Imaginum cultum improbâſſe videtur. Vixit ſeculò 5.

ASTERIUS, Epiſcopus Arianus, Sophiſta celeberrimus, hæreſeos poſt Concilium Nicenum defenſor acerrimus. Jeſum Chriſtum dixit eſſe Virtutem Patris, aliaque deliravit plurima. Obiit repentinâ morte. Hieron. *in Catal.* ait, illum compoſuiſſe *Commentarium in Pſalmos, Evangelia, Epiſtolas D. Pauli*, aliaque, quæ Sectatores ejus ſolicitè evolvebant. Socrat. *l.* 1. *c.* 24. Onophr. *A.* C. 339. Prateolus, in voce *Aſterius*. Baron *A.* C. 325. 336. 370.

ASTERIUS, à Leone Epiſcopo Romano Conſtantinopolim miſſus, ſub initium imperii Marciani, ut Orientalem Eccleſiam cum Occidentali uniret, & Epiſcopos in hæreſim prolapſos ad fidem reduceret. A. C. 450.

ASTERIUS, præfectus Oriéntis, qui Gregorium, Patriarcham Antiochenum, duriùs tractavit; cum uxore recèns ductâ, ruinâ domus oppreſſus, durante terræ motu, quò ſexaginta hominum millia Antiochiæ ſublata. A. C. 687. Euagr. *l.* 6. *c.* 8. & 9.

ASTERIUS, nomen patris Minois. Fuit is fil. Tectami (de quo ſuò locô) Cretæ Rex ex Crethei filia, & ex Europa, quam Jupiter ex Phœnicia tranſvexit, ſuſcepit Minoëm Regem Rhadamanthum Legiſlatorem & Sarpedonem, qui Lyciam occupavit, Diodor. *Sic. l.* 4. Item, locus in Tenedo *Plut. Heſych.* Ἀστέριον, οἱ πρῶτοι τῆς Τ... κατοικήσαντες. Vide Bochart. *Geogr. p.* 517.

ASTERODIA, Caucaſia nympha, prima Ætæ uxor, teſte *Apollonio*.

ASTEROPOEUS, Pelagonis fil. cum Pæoniis venit in auxilium Trojanis, Achilli, ob occiſum Patroclum, irato occurrere auſus, ab eo miſerè cæſus interiit. Item Spartanus nobilis, qui Lycurgum in formanda Republ. juvit.

ASTERUSIUS, mons Cretæ ad meridiem mare ſpectans, cujus coloni civitatem ejuſdem nominis ad Caucaſum ædificaverunt. *Steph.* Item urbs Arabiæ Felicis. Diodor. Sic. *l.* 5.

ASTESANUS Aſtenſis, vixit ſecul. 14. Scripſit *Summam conſcientiæ* 8. libris comprehenſam. Bellarm. *de Scriptorib. Eccleſ.*

ASTETLANIA, provinc. novi regni Mexicani in America Septentrionali eu Boream provinc. Cinaloæ, non longè à mari Purpureo. A paucis anno ab Hiſpanis luſtrata, quibus tamen nullæ Coloniæ ibi.

ASTEUS, Archon Athenis, Olymp. 101. an. 4.

ASTHÆA, Gedroſiæ inſula. *Ptol.*

ASTHAGURA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

ASTHARYMUS, vide *Aſtrimos*.

ASTIÆ, promontor. Thraciæ ad Boſporum, vulgò *Cerrium*, teſte Gyllio. *Aſti* populi *Straboni*.

ASTICA Regio, Ἀστικὴ στρατηγία, *Ptol.* cujus incolæ *Aſta*, populi Thraciæ. In ea Bizye erat, ſedes Regum. *Stephanus*, Βιζύη, πόλις Θρᾴκης, ἡ τῶν Ἀστῶν βασίλειον, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 166.

ASTIGI, urbs Hiſpaniæ Bæticæ Mela. *l.* 2. *c.* 6. quæ nunc vulgò *Ecija* dicitur. Tria hujus nominis oppida fuère. Præcipua eſt hæc, cujus plurimi mentionem faciunt. Vide *Aſtygi*. Altera erat in Celticis ad Luſitaniam, quam recenſet *Antonin.* in itinere a Corduba Emeritam. Sed & Plin. *l.* 3. *c.* 1. hujus meminiſſe videtur, cùm in Celticis urbibus *Laſtigin* enumerat, perperam, ut putat Voſſ. *in Mela loc. cit.* pro *Aſtigi*. Tertiæ ſitum oſtendit *Ptol.* cujus quoque mentio apud Plin. *loc. cit.* ſub nomine *Aſtigi* veteris. Viri docti has malè confundunt, utrôque enim modò ſcribitur *Aſtigi*, vel *Aſtigis*, vel *Aſtygi*.

ASTILE ſeu HASTILE, apud Leonem Oſtienſ. *l.* 2. *c. ult. Crucem auream ---- cum tripode argenteo deaurato &* aſtili *onychino argenteo & aureo ornato*: baculus eſt longior, cui crux, quæ in Communione Romana in proceſſionibus defertur, infigi ſolet. *Haſtile* dicitur, apud Adamnanum *de locis Sct. l.* 1. *c.* 8. *In Cruce lignea, cujus* haſtile *in duas interciſum eſt partes* &c. Car. du Freſne *Gloſſar*.

ASTINCKHUSA, oppid. in Comitatu Waldekenſi. *Mertel.*

ASTIPULATOR, in Ordine Romano, dicitur is, cujus licentiâ & conſenſu Virgo, religionis, ut vocant, habitum ſumit, apud *Eund. Car. du Freſne*.

ASTO, Prolopitus Nomi Ægypti civitas, & Metropolis, ubi Saturnus colebatur. *Epiphanius*.

ASTO Nicolaus, vide *Nicolaus*.

ASTOA, vicus Arabiæ Felicis. *Ptol.*

ASTOMI, Indiæ populi, *ore carentes*, Plin. *l.* 7. *c.* 2. quem ſis vide. Alii habent, in Africa Mediterran. Cujus fabulæ occaſio ab Africanis gentibus circa Senegam deſumta eſt, qui pudori ſibi ducunt os ſuum ab aliis videri, vide le Blanc *part.* 2. *p.* 2. Confer Voſſ. *in Pomp. Melam l.* 3. *c.* 9. Quibus adde Auctorem *Hiſtor. Orbis Terr.*

ASTOVIA, German. urbs *Ptol.* Alias *Aſtuua*, vulgò *Bedenhuſen*.

ASTRA, vide *Sidera*, it. voce *Stella*.

ASTRABACUS, δαίμων ἐπιχώριος παρὰ Λάκωσι. *Clem. Alexandr.*

ASTRABA, Iſidoro in *Gloſſ. tabella in qua pedes requieſcunt*: quò nomine Salmaſ. indigitatas vult tabellas vel ſcalas ferreas equis ſcandendis olim adhibitas, hodieque. Namque ſcanſoria illa inſcendendis equis & pedibus ſuſtinendis facta, jam Hieronymi tempore in uſu fuiſſe, dicemus infrà in voce *Stapedes*. Ἀναβολεῖς Græci, eâdem quâ Stratores olim appellatione, dixêre: σκάλας etiam vocat Mauritius Στρατηγικῶν. *l.* 1. Pendebant autem è ſella equi & ex ferro erant, *Ibid.* ut & apud Euſtathium *Odyſſ.* &c. Apud *Suidam* verò Ἀστράβη eſt ἡ ἐπὶ τῶν ἐφιππίων ξύλον ὃ κρατοῦσιν οἱ ἀναβαινόμενοι, *Lignum, quod eſt in ephippiis, quod ſeſſores tenent*. H. e. ſellæ arcus, quem *Arçon* vulgò Galli vocant, vel ſella ipſa. Hinc ἀπὸ τῆς ἀστράβης ἀποσφενδονίζειν, *ex equo deturbare*, apud Nicetam, Gall. *deſarçonner*. *Arciones* autem hi ab arcu vocant, quod in modum arcus incurvi ſint, &c. Salmaſ. *Notis ad Ælium Spartian. in Antonino Caracalla*, *c.* 7. ad verba, *Quum illum in equum ſtrator ejus levaret*.

ASTRABE, una Cycladum, *Caſos* poſteà dicta.

ASTRACHANUM, urbs ampla Tartariæ Aſiaticæ, prope oſtium Volgæ fluv. in ditione Moſcorum, ab A. C. 1554 cum arce permunita. Habuit olim Regem proprium. Ibique antiquitus erant Aſturcani populi. Leuc. a mari Caſpio 12. & 70. ab urbe Terkia in Septentrion. Pars Tartariæ, in qua ſita eſt, vulgo *Nagaja* ſeu *regnum Aſtracanum*, *Olear.* Capta haud pridem à rebellium Duce, ſed recepta. Cæterum, urbs hæc à primo conditore nomen accepit; Regnum verò unum ex illis eſt, quæ ex Zavolhenſi Imperio deſtructo originem duxère, ſuêreque Reges ſub tutela & tributo Crimenſium ſeu Præcopenſium Tartarorum. Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 437.

ASTRÆA, Aſtræi, Arcadiæ Regis (quidam ſcribunt Titanis fratris Saturni) & Auroræ, ſive, ut *Heſiodus*, & alii volunt, Jovis ac Themidis Cœlô & Terrâ prognatæ filia; ob æquitatem ſuam *Juſtitia* dicta. Quæ aureò ſeculò à cœlis in terram migrâſſe, & tandem in ſubſequenti æreo & ferreo, vitiis hominum creſcentibus offenſa, in cœlum iterum ſubvolâſſe, ibi Zodiaco inſerta, *Virginis* nomine, fingitur. Heſiodi *Theog.* Ovid. *Met. l.* 1. *fab.* 4. *v.* 149.

> *--- Et Virgo cæde madentes*
> *Ultima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.*

Seneca in *Octavia*, *Actu* 2. *v.* 428.

> *Neglecta terras fugit, & mores feros*
> *Hominum, & cruentâ cæde pollutas manus*
> *Aſtræa Virgo, ſiderum magnum decus.*

Aratus *in Phænomenis*.

> Ἀμφοτέροισι δὲ ποσσὶν ὑπὸ σκέψαιο Βοώτεω
> Παρθένον, ἥ ῥ' ἐν χερσὶ φέρει στάχυν αἰγλήεντα.
> Εἴτ' οὖν Ἀστραίου κείνη γένος (ὅν ῥά τέ φασιν
> Ἄστρων ἀρχαῖον πατέρ' ἔμμεναι) εἴτε τευ ἄλλου,
> Εὔκηλος φορέοιτο. Λόγος γε μὲν ἐντρέχει ἄλλος
> Ἀνθρώποις, ὡς δῆθεν ἐπιχθονίη πάρος ἦεν,
> Ἤρχετο δ' ἀνθρώπων κατεναντίη, οὐδέ ποτ' ἀνδρῶν,
> Οὐδέ ποτ' ἀρχαίων ἠνήνατο φῦλα γυναικῶν,
> Ἀλλ' ἀναμὶξ ἐκάθητο, καὶ ἀθανάτη περ ἐοῦσα.
> Καί ἑ Δίκην καλέεσκον.

Et poſteà,

> Ἀλλ' ὅτε δὴ κἀκεῖνοι ἐτέθνασαν, οἱ δ' ἐγένοντο,
> Χαλκείη γενεή, προτέρων ὀλοώτεροι ἄνδρες,
> Οἳ πρῶτοι κακόεργον ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν
> Εἰνοδίην, πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων,
> Καὶ τότε μισήσασα Δίκη κείνων γένος ἀνδρῶν
> Ἔπταθ' ὑπουρανίη, ταύτην δ' ἄρα νάσσατο χώρην,
> Ἧχί περ ἐννυχίη ἔτι φαίνεται ἀνθρώποισι.

Hæc

Hæc dum ſcribo, veniunt mihi in mentem verſus Catulli *Epigr.* 65. *v.* 764. quos proculdubiò cùm faceret, Arati locum prædictum ante oculos habuit. Sunt autem tales:

Præſentes namque antè domos inviſere caſtas
Sæpius, & ſeſe mortali oſtendere cœtu
Cœlicolæ, nondum ſpretâ pietate ſolebant.
Sæpe Pater Divûm templo in fulgente reviſens,
Annua dum feſtis veniſſent ſacra diebus,
Conſpexit terrâ centum procurrere currus.
Sæpe vagus Liber Parnaſſi è vertice ſummo
Thyadas effuſis evantes crinibus egit, &c.
Sæpè in letifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnuſia virgo
Armatas hominum eſt præſens hortata catervas.
Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando,
Juſtitiamque omnes cupida de mente fugârunt,
Perfudêre manus fraternô ſanguine fratres,
Deſtitit extinctos natus lugere parentes,
Optavit genitor primævi funera nati
Liber, ut innuptæ poteretur flore novercæ,
Ignaro mater ſubſternens ſe impia nato,
Impia non verita eſt Divos ſcelerare penates.
Omnia fanda, nefanda malò permiſta furore,
Juſtificam nobis mentem avertêre Deorum.
Quare nec tales dignantur viſere cœtus,
Nec ſe contingi patiuntur lumine clarô.

Nic. Lloydius.

ASTRÆA, civitas Illyriæ. *Steph.*

ASTRÆUM, oppid. Macedoniæ. *Ptol.*

ASTRÆUS, Titanum unus, qui contra Deos arma ſumpſit, Aſtrææ pater, quam ex Aurora genuit, nec non & ventos omnes, quos, cum fratres adverſus Jovem bellum moviſſent, omnes armavit, & in ſuperos emiſit. Item fluv. Macedoniæ. *Ælian.* Oritur in limite Albanorum, prope Aſtræum oppid. ubi Aſtræi, ſeu Æſtræi populi inter Almopes & Deſſaretios. *Baudrand.*

ASTRAGALIZONTES, Græcè Ἀστραγαλίζοντες, ex ære, Polycleti opus. Plin. *l.* 34. *c.* 8. *Polycletus — fecit & diſtringentem & nudum talo inceſſentem. Duoſque pueros, item talis nudos ludentes, qui* vocantur Aſtragalizontes: *& ſunt in Titi Imperatoris atrio, quô opere nullum abſolutius plerique judicant.* Vide infrà, ubi de *Talis*, item voce *Tropes.*

ASTRAMPSYCHUS, author antiquus, ſcripſit *de cura aſinorum*, & ὀνειροκριτικὰ, i. e. *de conjectatione ſomniorum. Suidas.*

ASTRANTIA, ſive OSTRITIUM Herbariorum, aliis *Magiſtrantia & Imperatoria*, verum eſt Veterum Smyrnium. Utriuſque enim caulis fœniculaceus; folia apii in auri colorem langueſcentia, radix craſſa & multa, foris nigricans, intus alba. Utraque in montibus naſcitur, & radice liquorem exſudat lentum ac modicè rufum, ſuaviſſimi odoris & myrrham optimam redolentis, linguamque vellicantis acrimoniâ ſuâ. Unde & *myrrham* ſuccum vocavêre Veteres, ſtacte myrrhâ nihilo deteriorem. Utraque porrò ſtomachum corroborat, menſes & urinam ciet, cum polenta trita & impoſita carbunculos ſanat, ex vino pota rigores diſcutit, contra rabioſi canis morſum & ſerpentis ictus efficax eſt; renumque ac lumborum doloribus opitulatur &c. Hodie quoque *Herbam Benzuini* nonnulli vocant, de qua vide plura apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1274. & 1275.

ASTRAPÆA, nomen gemmæ, apud Plin. *l.* 37. *c.* 11. *Aſtrapæa in nigro aut cyano diſcurrunt, e medio fulminis radii.* Græcè ἀστραπαία, ab ἀστραπὴ, *fulgur, fulgor, fulgetrum.* Idem Salmaſ. *ibid. p.* 770.

ASTRAPÆUS, Jupiter à *coruſcatione* ſic dictus.

ASTRASSUS, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

ASTRATA, Arabici ſinûs inſula. *Ptol. Caſſa* hodiè, ut ex tabulis apparet.

ASTREUS, unus fuit ex iis, qui in aula Cephei Regis Perſeo vim inferre conati, ab eodem ſunt interfecti. Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 144.

Occidit & Celadon Mendeſius, occidit Aſtreus.

ASTRICTUS color, vide ſuprà *Adſtrictus.*

ASTRION, Græcè Ἀστριον, quaſi *parvum ἄστρον*, vel *parvus ἀστήρ*, gemma eſt candida, in Carmania, Media, & Perſide naſcens; quam Σεληνίτην quoque nonnulli vocavêre: non quod cum Lunæ curſu ſympathiam habeat; Sed quia ex candido tranſlucens melleô colore Lunæ imaginem continet. Salmaſ. *ad Solin.* p. 756. *&* 768.

ASTRIOTES, Græcè Ἀστριώτης, lapis, cui multas virtutes, in Magicis rebus, tribuit Zoroaſtres, apud Plin. *l.* 37. *c.* 9. *Celebrant aſtriotem, mirasque laudes ejus in Magicis artibus Zoroaſtrem cecinisse.* Cardano, gemma eſt minimè perſpicua, cinerea, ſtellatis maculis diſtincta, quæ in aceto, aut vino, ſponte movetur, animalium inceſſu progrediens, nunc antrorſum, nunc retrorſum, nunc in latus, Dalechampius *ad loc.*

ASTRITES ſeu *Stella Marina*, piſcis eſt, quinos radios habens longitudine palmi, cui cortex durus, hiſpidus, aſper & ſæpenumerò colore variatus, flexuoſus tamen & radiis ex centro æquis ſpatiis in circumferentiam paulatim gracileſcentibus; cutis non glabra, ſed quaſi ex meris oſſiculis ac ſpinulis compaginata. Celerrimè natat iniſtarque polypi brachia diducit ac contrahit; os in medio, inſtar echini, ita ut alimentum ſingulis quinque radiis ſubminiſtrare poſſit. Dorſum supernè in ſphæra protuberat, & ipſum hiſpidum, durum ac aſperum: Magis tamen venter glaber eſt; maculis alternatim, cinericiô colore albicantibus & nigredine obfuſcatis, intermixtis. Degunt plerumque inter ſaxorum fiſſuras & hiatus, tanquam propriis pabuli ſui domiciliis, veſcuntur quippe maximè humore ſalſuginoſô rupium oſtreiſque marinis, uſque quæ *mollia* dicuntur, paſſim inſidias ſtruunt & apprehenſa inde exugunt ac deglubunt. Cujuſmodi plures videntur in *Muſæo* Kircheriano Romæ, ut refert Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. Societ. Jeſu Muſæo*, p. 26.

ASTROBI, Indica gens. *Arrian.*

ASTROBOLOS, gemma oculis piſcium ſimilis & *radians candido, ut Sol*, apud Plin. *l.* 37. *c.* 9. Fortè, *in Sole.*

ASTROBORIS, vide ubi de *Aſtubora.*

ASTROLABIA, recentioribus dicta ſunt, μετεωροσκόπια Veterum; quæ non ſolum de die valent, ut σκιόθηρα, ſed & diu ac nocte ad intervalla, magnitudines ac loca ſingularum ſtellarum ſignanda, ſunt excogitata. Μετέωρα enim *ſtellas* quoque vocârunt Veteres, & quæ in cœlo ipſo ſunt, non ea tantùm quæ infra cœlum. Hujuſmodi autem organa primus adinveniſſe Hipparchus dicitur, Plinio *l.* 2. *c.* 26. *Idemque auſus rem etiam Deo improbam, annumerare poſteris ſtellas, ac ſidera ad nomen expungere.* Sed & Σκιόθηρα quadantenus ſunt μετεωροσκοπικὰ, quatenus & Solis motus ex umbris & Meridiani &c. per ea deprehenduntur. Ὡροσκοπεῖα utraque dixit *Ptol.* ab *horoſcopo* indagando, de qua re vide infrà. In *Muſæo* Kircheriano *Aſtrolabia* ſeu Planiſphæria plura ex aurichalco aſſervantur; è quibus verò quinque eximia ſunt, omnibus ſuis partibus ad diverſas altitudines poli aptata, ſtellarumque fixarum ſedibus, lineâ fiduciæ, axe atque armillâ ſuſpenſoriâ inſtructiſſima. Maximum eorum, quod & Latinis characteribus & notis exſculptum eſt, trium palmorum magnitudinem adæquat. Duo alia, quorum unum Arabum notis & antiquitate viſendum; alterum iiſdem characteribus inſignitum, palmô cum dimidio in diametro conſtat &c. Vide Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. Societ. Jeſu Muſæo p.* 27.

ASTROLOGI ſeu Chaldæi Aſſyriis, quales Ægyptiis Sacerdotes Clemens, *l.* 1. *Strom.* ubi de Aſtrica Philoſophia ac Fatidica: Προέστησαν δὲ αὐτῆς Αἰγυπτίων δὲ οἱ ἀστρόλογοι, καὶ Ἀσσυρίων οἱ Χαλδαῖοι καὶ Γαλατῶν οἱ Δρυΐδαι. Quâ arte Beroſus imprimis clarus. Plin. *l.* 7. *c.* 37. *Variarum artium ſcientia innumerabiles enituêre — Aſtrologia Beroſus, cui ob divinas prædictiones, Athenienſes publicè in gymnaſio ſtatuam inauratâ linguâ ſtatuêre.* Hic eam à Babyloniis ſuis primus in Græciam attulit, & diſciplinæ hujus Scholam in Coa Inſul. aperuit, teſte Vitruviô *l.* 9. *c.* 1. circa tempora Alexandri M. ſi is idem eſt cum eo Beroſo, qui Βαβυλωνιακὰ ſcripſit. Ante eum Eudoxus *Aſtronomiam*, quam ab Ægyptiis didicerat, Græcos ſuos docuit, circa Olymp. 103. Certè τῆς Ἀστρονομίας apud Græcos, duos Auctores præcipuos ac primos agnoſcit Sextus, Eudoxum & Hipparchum. Vetuſtiora tamen Eudoxô hujus ſcientiæ principia ac ſtudia in Græcia fuiſſe, hinc colligitur, quòd Thales, qui obiit Olymp. 58. primus ἀστρολογῆσαι proditur. Scripſit is de Æquinoctiis & Solſtitiis, primuſque deliquia Solis prædixit: nullam verò partem τῆς Γενεθλιακῆς attigit, quæ Veteribus *Aſtrologia* nomine propriè veniebat, Aſtronomiam propriè vocantibus ἱστορίαν τὴν ἐπὶ φαινομένοις, *obſervationem ſiderum*, ad prædicendas anni tempeſtates: quæ obſervatio Nautis ac Agricolis inprimis utilis ac neceſſaria eſt. Alii tamen diſcrimen hoc neglexerunt. Unde Thales, ut modo viſum, ἀστρολογῆσαι primus dictus & Pherecydes Ἀστρολόγος eſt appellatus, qui tantùm Ἀστρονόμος fuit: Phoci Samii liber inſcriptus erat Ἀστρολογία Ναυτικὴ &c. Contrà Manilius *Aſtronomicôn* libros ſuos inſcripſit, qui merè Γενεθλιαλόγοι ſunt. Sed Recentiores, *Aſtrologos & Aſtronomos* iterum, ſed aliâ paulò ratione, ſeparavêre, ut videre eſt, apud Salmaſ. pluribus hac de re agentem, *ad Solinum p.* 641. *& ſeqq.* Vide quoque Gerh. Joh. Voſſium *de Artibus Mathematicis*, ut & hic paſſim, ubi de *Æquinoctiis, Decanis, Gnomonice* Arte, *Horoſcopis, Parapegmatis* &c.

ASTROLOGICI, Medicorum genus, de quibus infrà voce *Medici.*

ASTROLOGUS, Hercules dictus eſt, quòd eô die ſe flammis injecit, quô futura erat Solis obſcuratio. *Feſtus.*

ASTROMELA, urbs Narbonenſis provinciæ maritima, *Martiguez* hodiè *Pineto*. A Maritima oppidum ita dictum. Hinc periti nautæ, *les Martegaux. Baudrand.*

ASTRONOMI, quinam dicti olim hodieque, vide hic ſuprà.

ASTRUM, τὸ Ἄστρον, Græcis antiquis κατ᾽ ἐξοχὴν, *ſidus caniculæ* dictum eſt. Unde *Theophraſtus*, ὑπὸ τὸ ἄστρον fieri inciſionem balſami ſcribit. Et *Archilochus*, τὸ ἄστρον ... atque ita ſemper, apud *Theophraſtum*, ὑπὸ τὸ Ἄστρον, *circa Canis ortum.* Inde ἀστροβολία, *morbus aſtrorum, cujus cauſa ab ortu canis*: quam vocem *ſiderationem* quidem reddidêre Latini, ipſam tamen *Sideris* vocem abſolutè de canicula non uſurpârunt. Salmaſ. *ad Solin* p. 560.

ASTU, apud C. Nepotem *Themiſtocle c.* 4. *At Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus acceſſit* Aſtu: *idque — incendio delevit.* Et *Alcibiade, c.* 6. *Poſtquam* Aſtu *venit*: ex Græco eſt Ἄστυ, & κατ᾽ ἐξοχὴν de urbe Athenarum dictum eſt, uti de Alexandria Ægypti πόλις, de Roma *Urbs.* Steph. de *Alexandria*: λέγεται δὲ κατ᾽ ἐξοχὴν πόλις, καὶ πολῖται ἐξ αὐτῆς, ὡς Ἄστυ αἱ Ἀθῆναι καὶ Ἀστοὶ οἱ Ἀθηναῖοι, ὡς καὶ ἐπὶ Ῥώμης λέγεται Οὐρβ. Sic *Medina* Arabum & Iracenſium: מדינה item Phœnicibus urbs eſt. Occurrit vox apud Ciceronem quoque de *LL. ut veſtri Attici, priuſquam Theſeus eos demigrare ex agris & in* Aſtu, *quod appellatur, omnes ſe conferre juſſit.* Aſtum etiam Oenomao,

— — Ut omnes qui arcem Aſtumque accolunt.

Urbem quoque abſolutè vocat idem Nepos *Phocione, c.* 2. Scaliger *Athenas verat* &c. Vide Keuchenium aliosque *ad Nepotem d. l.* ut & *c.* 6. *Themiſtocl.*

ASTULA, vide ſuprà *Aſſula*, ut & infrà in voce *Picea.*

ASTULPHUS, vide *Aiſtulphus.*

ASTUR, qui ab *Aſturia* eſt. Martial. de *Aſturconibus, l.* 14. *Epigr.* 199.

Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab auriferis gentibus Aſtur equus.

Item Hetruſcus quidam, qui Æneæ ſuppetias tulit adverſus Turnum. Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 180.

ASTUR Aureolus, boni gladiatoris nomen, apud Salmaſ. *ad Pollionem in Claudio, c.* 5.

ASTURA, vulgò STURA, STORA & ASTORA, oppid. olim, nunc exiguum caſtrum, & fluv. Latii apud Circeios. *Feſtus* fluvium ait 6. mill. paſſ. ab urbe fluere. Sed hæc *Stura* in agro Laurenti, *Storas Straboni* vocatur, diverſus ab *Astura*, qui 5. mill. paſſ. abeſt ab Antio Circeios verſus, ubi Cicero à Marci Antonii militibus fugiens, interfectus eſt.

ASTURA, Vicus eſt ad mare, cum fluv. parvo cognomine alias ſub Volſcis, nunc in Campania Romana & ditione Pontificia, Dominos habuit Frangepanos. Ibique detectus & captus eſt Conradinus Suevus, nepos Friderici ſecundi. *Baudrand.*

ASTURA, ſeu ASTA, fluv. Hiſpaniæ Lucum Aſturum alluit, & poſtea in Cantabricum Oceanum cadit. Quibuſdam *Melſus*. Aliis autem eſt *Tera* fluv. qui Aſturicam alluit, & dein cum Urbico & Eſtolla in Durium cadit. *Idem.*

ASTURCO Equus, idem cum tolutario, ab *Aſturia* regione nomen habens, mollem & ad delicias compoſitam vecturam, magnâ ſedentium commoditate ac voluptate, exhibet: de quo molli delicatoque greſſu per excellentiam *βαδίζειν* dixêre Græci, ut Latini *ambulare*, unde Gallis *ambler* ortum. Καλπάζειν quoque aliquando *Aſturcones* ajunt Græci, ſed hoc propriè Tripedariorum equorum eſt: interim quia horum curſus proximè ad tolutariorum greſſum accedit, facilèque tripedarii tolutim docebantur & ad levitatem mollitiemque vecturæ, qualis eſt in aſturconibus, edomabantur, & his appellatio tributa. Porrò *ἐξιπποδρομεῖν* de *Aſturconibus* itidem dicebant, i. e. minutò citatòque gradu ire & quaſi pedibus argutari, quod tolutariorum proprium eſt. Σακκίζειν item, elegantiſſimâ tralatione; eorum gradus cum in ambulando perinde minutus ac creber eſt, quaſi ſaccò colatus eſſet & eliquatus. Liquores enim per ſaccum dum exprimuntur, crebris & minutis guttis eunt: haud abſimili, imò prorſus eâdem metaphorâ, de minutiſſimo ac ſpiſſiſſimo gradu dixit Plautus, *Pœnul. Actu* 3. *ſc.* 1. *v.* 9. *eum incretum eſſe cribro pollinario.* Unde & *colatorii* dicti hi equi, apud *Veget.* à quibus *guttonarios* diſtinguit, qui iidem ſunt cum trepidariis vel trepidantibus, &c. Vide Salmaſ. *ad Capitolin. in Maximum. c.* 3. Quales verò equi tricenarii ſint, *Traquenars* Gallis, & quomodo ab *Aſturconibus* differant, vide ſuò locò. Addam hic ſaltem, de nota eorum, quâ plerunque inſignes eſſe dicuntur. Indigitat eam Sil. Ital. *l.* 16. *v.* 346. ubi ludos à Scipione in Africa celebratos deſcribens, ſic inter alia,

Proximus à primo diſtans, quantum æquore currus
Occupat ipſe loci diſtans, ſed proximus ibat
Aſtur Panchates, patrio frons alba nitebat
Inſigni & patrio per omnia concolor albo.

Indicat nempe, *Aſturicos* equos vulgò maculâ albâ frontem habere inſignitam & pedes plurimos albos &c. Salmaſ. *ad Solin.* p. 897.

ASTURES, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi Gallæcis proximi, aurifodinis, & equis quondam tolutariis nobilitati, quibus non vulgaris in curſu, ſed mollis alternò crurum explicatu glomeratio, vide ſuprà. De auri foſſoribus Aſturibus res notiſſima eſt. Lucan. *l.* 4. *v.* 297.

Non ſe tam penitus, tam longe luce relictâ
Merſerat Aſturii ſcrutator pallidus auri.

Ubi perperam *Aſſyrii auri* nunc circumfertur. Sil. Ital. *l.* 1. *v.* 231.

---- ---- Aſtur avarus
Viſceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix effoſſo concolor auro.

Martial. *l.* 10. *epigr.* 16. *v.* 3.

Accipe Callaïcis quicquid fodit Aſtur in arvis.

Claudian. *in Prob. & Olybr. Conſul. v.* 49.

---- Quidquid tellure revulsâ
Callaïcis fodiens rimatur collibus Aſtur.

Ità locum iſtum feliciter emendavit doctiſſ. Nicol. Heinſius, cui hanc notam debeo. Horum regio *Aſturia*, vulgò *Las Eſturias.*

ASTURIA, regio & civitas Hiſpaniæ, prope Luſitaniam, ab Aſtura fluvio ſic dicta. Duæ autem Aſturiæ annumerantur, quarum una vernaculè *Aſturias de Oviedo* dicta, Galiciâ terminatur, altera *Santillana* nomine, Cantabris & Vaſconibus concluditur; utraque excelſis montibus attollitur. Ibi ſunt breves equi, ſed inceſſu veloces, qui *Aſturcones* vocantur: hodie Pyrenæos montes vulgus *Las Aſturias* vocat. *Merul.* Totius regionis primaria eſt Lucus Aſturum, *Oviedo*, urbs aliàs regiò titulò inſignis. Regio hæc montoſa admodum & ſterilis raros habet incolas. *Baudrand.* Rodericò Rege à Saracenis Mauriſque victò, cùm omnis nobilitas Gothorum cecidiſſet, ſola, cum Cantabria, ex Hiſpaniæ regnis, intacta remanſit, A. C. 713. Tum Pelagius, ex regio Gothorum ſanguine, ob illatam vim filiæ ſuæ à Præfecto Saraceno, ad Aſturiorum montes profugiens, reliquias Gothorum ad libertatem vocavit, hoſtiumque XXV M. proſtratis, novum in Aſturiis regnum condidit. A. C. 714. 717. Ex Aſturiis ſedem Legionem tranſtulit Ordonius, A. C. 910. Obſeſſa Aſtura ab Almanſore eſt A. C. 985. &c. Hodie ſub Hiſpaniæ Rege. Mariana, *l.* 7. Plin. *l.* 3. *c.* 3. & *l.* 4. *c.* 20. Strab. *l.* 3. Rodericus Sanctius *in Chron.*

ASTURICANI, Sarmatiæ Aſiaticæ gens. *Ptol.*

ASTURICA Auguſta, alias Aſturum urbs, nunc regni Legionenſis, ad fluv. *Tera* in continenti Vaccæorum, vulgò *Aſtorga.* Vide Boteri *Relationem Hiſp.* A paucis inhabitatur & indies deficit. *Baudrand.* Epiſcopalis eſt. Ibi Synodus, A. C. 947.

ASTURIS & CASTURIS, urbs Auſtriæ ad Amiſum fluv. *Steir.* Vide *Ferrar.*

ASTURUM lucus, Hiſpaniæ Tarraconenſis urbs. *Ptol.* hodiè *Oviedo.* Vide *Ovetum.*

ASTUSAPES, Nili nomen. Plin. *l.* 5. *c.* 9.

ASTY, vel ASTU, *Diodor. Sic.* nomen, quò olim Græciæ urbes vocabantur; Athenæ autem & Alexandria per excellentiam. *Steph.* Vide *Aſtu.*

ASTYAGES, qui *Apandas Diodor. Sic.* Cyaxaris fil. nepos Phraortæ, IX. & ultimus Medorum Rex, pater Mandanæ, quæ Cambyſi, mediocris dignitatis Perſæ, nupta, Cyrum, à quo Avus de throno deturbatus, peperit; de quo multa Herodot. *l.* 1 & Juſtin. *l.* 1. Vide *Cambyſes*, *Cyrus*, *Harpagus*, *Mandane.* In hoc finit Monarchia Medorum, An. 196. Urb. Cond. 5. Olymp. poſtquam duràſſet 317. ann. connumeratis annis 35. vel 38. ſecundum *Euſeb.* regni Aſtyagis. *Nic. Lloydius.* Illuſtri Chronologo Marshamo*, fuit hic *Aſtyages* quartus Rex Medorum, frater Darii Medi, (qui & ipſe *Aſtyages*) per Mandanem fil. avi Cyri, cui ſic *Aſtyages* hic I. avunculus magnus fuerit, contra hunc Cyrus, cohortante Harpagô Medò (cui Aſtyages filium dederat epulandum) expeditione ſuſceptâ, illum tandem vicit, cepit regnòque exuit, poſtquam regnâſſet annos 35. Herodot. *l.* 1. *c.* 130. *Ctesias* refert, illum poſt fugam, Ecbatanis delituiſſe: & Amytin ejus filiam Cyro nupſiſſe, in *Excerptis* Photii. Cyrus verò Paſargadis honorem habuit, quod ibi ultimò prœliò victor evaſiſſet, & Aſiæ Imperium in ſe tranſtuliſſet, urbe conditâ, & regiâ conſtructâ, in victoriæ memoriam, Strabo *l.* 15. Ad quem modum Medi, omni ſupra Halym fluv. Aſiæ dominati annos 128. ab anno ſcil. 22. Dejocis primi Regis, qui etiam Aſſyriam, præter Babylonis portionem, omnem ſubegerant, & exciſâ Ninô, Imperii iſtius gloriam haud pridem in ſe tranſtulerant, ipſi jam Perſis ſubjecti ſunt, anno 1. Olymp. 55. Nabonaſſari 189. Periodi Jul. 4155. & Septuagenariæ Judæorum ſervitutis annô 49. Vide præfatum Marshamum *Canone Chron. Sec.* XVIII. ubi de *Prima Cyri victoria.*

ASTYAGES alter, qui communiter *Darius Medus*, prioris frater, Rex *Medo-Perſicus* I. fuit. Credibile enim eſt, Cyaxarem I. utriuſque patrem, Scythicarum graſſationum jam ſatagentem, Perſas, a Phraorte ſubactos, ſed impatientiùs jugum ferentes, Dario fil. cum poteſtate tituloque regio, coërcendos tradidiſſe. *S. Hieronym.* certè, *Scythas ſub Dario Rege Medorum Orientem tenuiſſe captivum*, *in Epit. Fabiæ*, & Suidas, *Thaletem ſub Dario Solis eclipſim contigiſſe*, in Θαλ. ſcribunt: quæ ambo ſub Cyaxare Medo contigiſſe notum. Suſa expugnavit annò Nabonaſſ. 161. Hieroſolymitanæ deſolationis annô 21. qui proin *primus annus Darii filii Aſſueri, de ſemine Medorum, qui regnavit ſuper regnum Chaldæorum*, dicitur, Dan. *c.* 9. *v.* 1. urbe enim hâc expugnatâ, Chaldæi totâ Suſianâ exuti, & ditio Medo-Perſica, cujus terminus hactenus Elymais erat, ultra Eulæum amnem, qui Suſianen Babyloniæ ab ea dividebat, protenſa eſt. Vide ex profanis *Æſchylum in Perſis*, ex Sacris Scriptoribus Jeremiam *c.* 51. *v.* 31. Danielem *c.* 3. *v.* 28. & *c.* 8. *v.* 2. Eſdr. *c.* 4. *v.* 9. Sic captis Suſis, Darius Danielem Prophetam qui primùm præpoſitus fuerat Magis Chaldæis, deìn *Porta Regis*, i. e. *Porta Eulæi*, ſeu Telonio Suſiano, aſſumptum ſecum duxit in Mediam, eumque in maximo honore apud ſe habuit. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 10. *c.* 12. Poſt hæc cùm eſſet LXII. annos natus, regni ſui rationem iniit, & conſtituit ſuper Regnum Satrapas CXX. hiſque tres Eparchos, quorum unus Daniel præpoſitus: qui poſt mortem Darii Babylonem repetiit, vixitque ibi ſub Balthaſare Rege Dan. *c.* 5. *v.* 11. 12. 13. Pater ſuit hic *Aſtyages* II. ſeu Darius Medus Cyaxaris II. & Mandanes, quò genitus Cyrus, avunculi filiâ & hærede unicâ ductâ, Medo-Perſicam ditionem, cum reliquis Aſiæ regnis, Medico, Lydico, Babylonico, ſub unum caput redegit. Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec.* XVIII. *ubi de Regibus Medo-Perſicis* &c. Vide & infrà *Darius Medus.*

ASTYALUS, Trojanus, à Neoptolemo interemptus Homer. *Il.* 6.

ASTYANASSA, Helenæ uxoris Menelai, ancilla laſciviſſima; prima de variis concubitûs modis, librum conſcripſit; cujus exemplum poſteà imitati ſunt Philænis, & Elephantine. *Suidas. Heſych.* Ἀστυάνασσα, Ἑλένης θεράπαινα, ἥτις πρώτη ἐξεῦρε ἀφροδισίων κατακλίσεις. Vide Scalig. *ad Catalect. p.* 203.

ASTYANAX, unicus Hectoris ex Andromache fil. natus, poſt inchoatum bellum Trojanum, quem Ulyſſes, naves è Sigeo ſolvens, de turri dedit in præceps. Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 415.

Mittitur Aſtyanax illis de turribus, unde
Pugnantem pro ſe, proavitaque regna tuentem,
Sæpè videre patrem monſtratum à matre ſolebat.

Seneca Tragœdia, *in Troadib. Actu* 5. *v.* 1118.

Præceps ut altis cecidit à muris puer,
Flevit. Achivûm turba quod fecit nefas.

Hinc jocus Martial. *l.* 8. *Epigr.* 6. *v.* 9.

Meratus fueris cùm priſca toreumata multùm,
In Priami cyathis Aſtyanacta bibis.

h. e. *Vinum novum in veteribus poculis. Heſych.* Ἀστυάναξ, ἰχθὺς ἐν ἔτεσι [illegible], καὶ ὁ τοῦ Ἕκτορος παῖς. *Nic. Lloydius.*

ASTYANAX Mecænas, Hiſtoricus Latinus. Voſſ. *l.* 2. *c.* 4. *de Hiſt. Lat.*

ASTYCRATIA, Æoli filia. Homer. *Odyſſ.* 10.

ASTYDAMUS, Athenienſis, edidit Tragœdias 42. vicit 5, *Morerius* habet 240. Tragicas vicit 15. Olympionicas 95. Ex Diodor. Sic. *l.* 4. *Suid.* Primus ex auditoribus Socratis ſe ad poëticam convertit. Alius prioris fil. & ipſe Tragicus, Olymp. 102. Suidas,

das. Item hiſtrio, Morſimi fil. Huic cùm ſtatua in theatro ponenda decreta fuiſſet, quod in agendo Parthenæum ſeſe gnaviter ac ſcitè geſſiſſet, titulum ipſe conſcripſit, in quo ſuas laudes complectebatur. Unde Proverb. *Aſtydamas ſeipſum laudat.*

ASTYDAMAS, Tragœdiarum ſcriptor, docuit Olympiad. XCV. annô ſecundò primum: poſtea vixit annos ſexaginta.

ASTYDAMIA, Α'σεῖα γυνή. *Heſych.*

ASTYDAMIA, Ormeni filia, quam Hercules, patre prius occiſò, rapuit. Ovid. *Ep.* 9. *Heroid.* v. 50.

Nec referam partus Ormeni nympha tuos.

ASTYDAMUS, Mileſius, ab Ariobarzane Perſarum Satrapa invitatus, novem convivis paratas epulas ſolus abſumpſiſſe dicitur.

ASTYGI, ſeu ASTYGIS, *Ptol. Ecya*, urbs Hiſpaniæ Bæticæ, hodieque clara, ad Singulum fluv. Epiſcopalis olim ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi, unde 15. leuc. recedit Granatam verſus, inde iterum 21. leuc. diſtans, à Corduba 8. *Augusta firma*, quoque *Plinio.* Hæc à Ferdinando Rege unà cum Aſtapa, Obulcu, Ægabro, Lucena, Marcia, Urſone & Vacna, Mauris erepta eſt, A. C. 1231. Vide & *Astigi.*

ASTYLUS, unus ex Centauris futura prænoſcens, fratres monuit, ne bellum adversùs Lapithas moverent, exortôque in nuptiis bellô, ipſe ſibi timens, unà cum Neſſo fugam arripuit. Ovid. *Met.* l. 12. v. 307

Quoque ſuis fruſtra bellum diſſuaſerat augur
Aſtylus, ille etiam metuenti vulnera Neſſo,
Ne fuge, ad Herculeos, inquit, ſervaberis arcus.

ASTYLUS, vel ASTYLLUS, Crotoniata, curſor tribus Olympicis continuis vicit, ſtadiô, diaulô, & dolichô. Quòd autem in ultimo ſe Hieronis magiſtrum, ac Syracuſanum, in gratiam Dinomenis, fil. Hieronis, à præcone declarari fecerat, Crotoniatæ irati, ſtatuam ejus fregerunt, ejuſque bona publicârunt. Pauſan. *l.* 6. & Plato *in Legg.* qui eum non tam curſu, quàm perpetuâ virginitate clarum prædicat.

ASTYMEDUSA, Oedipi uxor, quam repudiatâ matre, priùs matrimonio ſibi conjunctâ, ſed incognitâ, duxit; quæ, ut liberis prioris conjugis infenſum parentem faceret, apud patrem eos accuſavit, tanquam qui ſe de ſtupro appellâſſent, quapropter Oedipus iratus, regnum cruentum reliquit.

ASTYNOME, Chryſæ, Apollinis ſacerdotis filia, quam Achilles, Lyrneſſô expugnatâ, ſecum abſtulit. *Heſych.* Α'ςυνόμη, ἡ Χρυσηὶς ὑπὸ τῶν νεωτέρων.

ASTYNOMI, Athenis erant X. viri, quibus cura pſaltriarum ac tibicinum (alii addunt & viarum) incumbebat, de quibus Plato *de Republ. l.* 6. *Heſych.* Α'ςυνόμος, ὁ διοικῶν τὰ ἐν τῷ ἄστει. Eorum decem fuiſſe, legitur apud Ariſtotelem *de Republ. Athen.* citante *Harpocratione*: Δέκα φησὶν εἶναι τοὺς Α'ςυνόμους Α'ριστοτέλης ἐν τῇ Α'θηναίων πολιτείᾳ, πέντε μὲν ἐν Πειραιεῖ, πέντε δ' ἐν ἄστει. Sed numerus eſt corruptus: Quindecim enim illorum fuêre, quos & Agoranomi, Metronomi, Sitophylaces; nempe decem in Urbe, at verò quinque in Piræeo: atque hunc numerum ſemper eſſe reponendum vult *Petitus.* Emendationis cauſam inde petit, quòd Piræeum tertiam Athenarum partem conſtituebat, ergò quinque tantùm erant in Piræeo, in reliqua verò Urbe juxta hanc analogiam, decem. Iterum verò munere hôc fungi non licebat, ex Lege: Α'ν τὶς ἀστυνομήσῃ δὶς, *Siquis ſemel atque iterum Aſtynomus fuerit.* Ut colligere eſt è Demoſthene *in Prœœm.* 64. Δοκοῦσι γάρ μοι ἀφελεῖς, ὅσα ὑμῖν ὑπάρχει καὶ νόμοις περὶ τούτων θέσθαι. AN TIΣ AΣTYNOMHΣH ΔIΣ. Vide Petitum *Comm. in LL. Attic.* l. 3. tit. 2.

ASTYNOMUS, de Cypro commentatus videtur. Plin. *l.* 5. c. 31. Vide Steph. *in* Κύπρος.

ASTYNOUS, Princeps Trojanus à Diomede interfectus. Homer. *l.* 5.

ASTYOCHE, Actoris filia, quam in cœnaculo paternæ domus Mars oppreſſit, ex qua genuit Aſcalaphum & Jalmenum. Homer. *Il.* 2. Item uxor Telephi, mater Eurypyli. Qu. Calaber. 6.

Τὸν γὰρ δὴ Τήλεφος ἀγακλυτὸς Περιάμοιο
Α'στυόχη ἀγάλλετο ἐν αὐλαῖς μεγάροισι
Τηλέφῳ. —— ——

Nic. Lloydius.

ASTIOCHIA, ab Hercule, ex Ephyre Laconiæ civitate rapta, ex qua Tlepolemum genuit. Homer. *Il.* 2. v. 658.

Ὃν τέκεν Α'στυόχεια βίῃ Ἡρακληείῃ
Τὴν ἄγετ' ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος.

ASTYPALÆA, una Cycladum. *Steph.* Α'στυπάλαια νῆσος, μία τῶν Κυκλάδων, &c. Ε'κλήθη δὲ ἀπὸ Α'στυπαλαίας τῆς Α'γηνορος μητρός. Hanc porrò *Aſtypalæam* Phœnicis fuiſſe filiam ſcribunt veteres Pauſan. *in Achaicis.* Α'γκαῖος δὲ ὁ Λυκούργου Σάμιος ἐποίησεν, ἐν δὴ ἔπεσι, ὡς Φοίνικι ἐκ Περιμήδης τῆς Οἰνέως γίνοιτο Α'στυπάλαια, καὶ Εὐρώπη. Ποσειδῶνος δὲ καὶ Α'στυπαλαίας εἶναι παῖδα Α'γκαῖον. Schol. Apollonii, *l.* 1. *Argon.* Ὁ μὲν Α'γκαῖος υἱὸς Α'στυπαλαίας τῆς Φοίνικος. Vox Græca quidem eſt *Aſtypalæa* notiſſimæ ſignificationis, atque, ut vult *Themiſtagoras*, ita dicta eſt Sami portio ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ ἄστεος ὅτι ... Sed cùm Sami regnaverit Ancæus, tam Sami portionem, quàm inſulam, de qua jam agimus, ab Ancæi matre putamus *Aſtypalæam* appellatam. Quô nomine ſi verè dicta eſt, aliam eſſe oportet vocis originem, quàm quæ primâ fronte videtur. Abſurdum enim eſt, ut Græcô nomine, eôque à vetuſtate oppidi ſumptô, vocetur Phœniſſa mulier. Itaque ſi divinare licet, *Aſtypalæa* verum nomen fuerit אשתפלא *aſtpella*, *ab humilitate* ductum. Syris enim אשתפל *eſtappel* ſignificat *ſeſe deprimere & humiliare.* Item *Aſtypalæa*, Coæ urbs. Strabo *l.* 14. Ἡ δὲ τῶν Κώων πόλις ἐκαλεῖτο τὸ παλαιὸν Α'στυπάλαια, nempe ab illa ipſa *Aſtypalæa* Phœnicis filia, de qua diximus. Hinc *Steph.* Α'στυπάλαια, νῆσος μία τῶν Κυκλάδων, &c. δεύτερα πόλις ἐν Κῷ. Tertia inſula, civitatem habens inter Rhodum & Cretam. Quarta urbs in Samo, *Aſtypalæam* ἀκρόπολιν ſive Arcem Samiorum, à Polycrate communitam habet Polyæn. *l.* 1. c. 23. *in Polycr.* Quinta promontorium juxta Atticam. Ovid. *l.* 2. *de Art. Am.* v. 72.

Cinctaque piſcoſis Aſtypalæa vadis.

Idem Ovid. *Met. l.* 7. v. 461.

Hinc Anaphen ſibi jungit & Aſtypaleïa regna.

ASTYPHILUS, Poſidoniates, vates, qui Junioni Athenienſi, cui erat familiaris, mortem prædixit, ex præcedentibus prodigiis. Plut. *in Cimone.*

ASTYR, Memnonis auriga, à quo *Aſtyres* populi Gallæcis proximi dicti ſunt.

ASTYRA, vel ASTYRUM, civitas Myſiæ juxta Troadem. Eſt & vicus prope Adramyttium; item civitas Phœniciæ, ubi Minerva *Aſtyris* colebatur; alia Bœotiæ juxta Pontias *Steph.*

ASTYRIUS, Senator Roman. ſub Gallieno Imperatore pietate inſignis, honeſtâ donavit ſepulturâ Marinum centurionem, martyriô Cæſareæ Palæſtinæ affectum, A. C. 269. Euſeb. *l.* 7. *c.* 14. precibuſque ſuis impetravit, ne dæmon gentiles evaneſcentiâ victimæ ad fontes urbis illius ſeduceret. Ibidem *c.* 22. & 23.

ASTYRON, urbs in receſſu Illyrici maris, ab Argonautis condita, à Colchis *Polas* dicta. Strabo *ex Callimacho.*

ASUADA, Palæſtinæ oppid. *Lib. Notit.*

ASUALDUS, aliàs CELUVOLDUS, Northumbriæ Rex à ſeditioſis occiſus. Polydor. *l.* 4.

ASUCIANDÆ, Sarmatiæ Aſiaticæ populi. Plin. *l.* 6. *c.* 7.

ASUGA, oppid. Abyſſiniæ, in provinc. *Ambian*, prope Æquatorem.

ASULA, oppid. in agro Brixiano. *Aſulani* populi. Plin. *l.* 3. c. 5.

ASULEGIAN, meliùs ALSULEGIAN, vide infrà *Gymnaſtica.*

ASULUM, vulgò ASOLO, oppid. Italiæ, in Marchia Tarviſina, prope fontes fluv. Muſſoni, ditionis Venetæ, in monte.

ASUNGA, lacus Sueciæ, in Weſtro-Gothia provinc. verſus Smalandiam.

ASURA, oppid. propè Phiſcum ad Euphratem. Plin. *l.* 5. c. 16.

ASURUS, vide *Aſorus.*

ASYBI, vide *Ibis.*

ASYCHIS, Ægypti Rex, poſt Mycerinum. Legem tulit, quâ oppignoranti cadaver patrium pecuniam mutuò dari volebat. Pyramidis eximiæ conditor. Herodot. *l.* 2. c. 135. *Nic. Lloydius.* Melius idem fortaſſe, qui Diodor. Sic. inter Legis latores Ægypti, *Saſyches* vocatur, *l.* 1. patriarius nempe Ægypti Regulus fuit, πολλαπλασιῶν poſt collapſam in Aſia Thebanorum Regum potentiam, in Ægypto exortâ. Et Legiſlatio novi regni auctori non diſconvenit. In qua tamen Ægypti parte is ſuum condiderit regnum, incertum. Eum Anyſis ſequutus eſt: quô tempore Necepſos inter Saitas Reges floruit. Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec.* XVI.

ASYLAS, vates quidam apud Virg. *Æn. l.* 10. v. 175. Vide *Aſilas.*

ASYLUM, templum à Romulo ædificatum. Græcè Α'συλον, habet affinitatem cum Ebræo אילן quod eſt *nemus.* Et ſilvas interdum fuiſſe *Aſylum*, vel fidem fecerit hoc Maronis Virg. *Æn. l.* 8. v. 342.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Aſylum
Rettulit —— —— ——

Sed ferè templa potius, quàm nemora *Aſylum* erant. Unde Liv. *l.* 35. c. 51. *Eâ religione, & eo jure ſanctô quô ſunt templa, quæ Aſyla Græci appellant.* Vide Voſſ. in *Aſylum.* Statuit autem hoc *Aſylum* Romulus, in monte Palatino: idque ad imitationem Cadmi, qui Thebas conditurus ſimilem perfugii locum conſtituit. Idem mos Crotone obtinuit, ubi ſi quis ad Deorum aras confugiſſet, ſacer habebatur ac inviolabilis, &c. Unde phraſes ortæ: *Ad te tanquam ad Aſylum, tanquam ad Aram, confugimus.* Vide Alex. ab Alex. *Genial dier. l.* 3. *c.* 20. Primi *Aſyla* erexiſſe Heraclidæ dicuntur: *Poſtquam enim Hercules migravit è terra, nepotes ejus timentes inſidias eorum, quos avus afflixerat Athenis, ſibi primi Aſylum, h. e. templum Miſericordiæ collocârunt, unde nullus poſſet abduci.* Servius ad *Æn. l.* 8. v. 342. Quod exemplum poſtea alii paſſim imitati ſunt, juxta illud: Ἔχει γὰρ καταφυγὴν μὲν θὴρ πέτραν, δοῦλος δὲ βωμοὺς θεῶν, *fera quidem petram perfugium habet, ſervi verò aras Deorum.* Erantque Athenis ſex aræ vel templa hôc immunitatis privilegiô nobilitata, videl. Miſericordiæ, Minervæ, Eumenidum, Munychiæ, & duo Theſei templa, alterum intra muros, foris alterum. Huc itaque qui confugiſſet, tutus erat, neque ab ullo mortalium, vi inde abſtrahi poterat: Sed ne ſcelerum licentia ſic in immenſum creſceret, ſi quis manifeſti criminis reus ad locum talem ſe recepiſſet, vel fame necabatur, vel admotô igne ſponte eum deſerere cogebatur. Plautus *in Rudente Actu* 3. *ſc.* 4. v. 61.

Iba hercle aliquò quæritatum ignem, ——
Ignem magnum hic faciam. ——

Hinc apud Euripidem Hermione, Andromachæ aram tenenti minatur, πῦρ σοι προσοίσω, *ignem tibi admovebo.* Nec quemque tamen ſupplicem ignis terrebat, imò ad ipſum ignis locum focum videl. interdum confugiebant ἐπὶ Ἑστίαν. Vide Fr. Rouſæum *Archæologiæ Atticæ l.* 6. *c.* 1. & *ſupra in voce Ara*, ut & infrà, voce *Miſericordia.* Alia ab hiſce *Aſylorum* ſeu Civitatum refugii, quas Deus O. M. Iſraëlitis in terra promiſſionis conceſſit olim, ratio fuit. Non enim ulli malefico ibi impunitas, ſed ſi quis fortuitam commiſiſſet cædem,

licebat reo confugere ad Altare, ut patet Exodi c. 21. v. 14. & 1. Regum c. 2. v. 28. 29. vel, ſi in loco juſto ab Altari remoto factum contigiſſet, certa à Deo conſtituta fuêre refugii loca ſeu civitates, in terra Canaan, pari à ſe invicem intervallô diſtantes, in quibus homo iſtiuſmodi tutas inveniret latebras. Earum fuêre ſex, *Bezer*, in tribu Ruben, *Ramoth in Gilead* in tribu Gad, & *Golan in Baſan*, in dimid. tribu Manaſſe trans Jordanem: cis eum, *Cades* in Galilæa, in montanis Naphthalim, *Sichem* in tribu Ephraim ac *Kiriatharba* ſeu Hebron in montibus Juda, Joſuæ c. 20. v. 7. è quibus tres priores à Moſe, reliquæ tres ab hujus ſucceſſore Joſua, huic uſui fuêre deſtinatæ. Ad has itaque civitates, ut cædis fortuitæ reus, facilè & commodè pervenire poſſet, Magiſtratuum officium erat, viam ad illas ducentem magnâ diligentiâ curare, quò illa apta, larga & plana, nulliſque obſtaculis impedita eſſet: quòd ſi fortè humilior alicubi terra, vel torrente aut fluentô aliquô eſſet intercepta, pontem ſterni curabant, qui fugientem nihil moraretur. Latitudo viæ non minor erat 32. cubitorum, & ubicunque illa in bivia findebatur, dirigebat properantis fugam vox *Refuge*, *Refuge*, conſpicuô charactere exarata, quò citra errorem ad *Aſylum* perveniret. Fiebat autem quotannis de 15. menſis *Adar*, qui Februario noſtro ex parte reſpondet, ut à Magiſtratu mitterentur qui viam ſarcirent, & aditum ad Civitates tales redderent faciliorem. Ne autem avidiùs reum inſequens vindex ſanguinis eum comprehenderet, priuſquam in locum deſtinatum perveniſſet, viri aliquot ſapientes obvii procedebant vindici, ut eum à perſecutione ulteriori dehortarentur, ſuaderentque à vi omni abſtinere, donec cauſa à Judicibus fuiſſet cognita: à quibus ſi deprehenſus eſſet medium criminis reus, neci dabatur; ſin præter intentionem homicidium commiſiſſe judicatus eſſet, rarò ipſi intra Civitatis iſtiuſmodi pomœria vivendi venia erat, uſque ad mortem Summi: qui tum officio fungebatur, Sacerdotis: qui cùm fatô eſſet functus, plenâ iterum libertate fruebatur talis, & è loco refugii, in quo hactenus exul vixerat, quaquaverſum eundi facultatem naniſcebatur. Aliquid divino huic inſtitutum ſimile, apud Areopagitas, reperire licet; qui eum qui cædem patrâſſet ἀπενιαυ-τισμῷ ſeu annuô exiliô puniviſſet leguntur. Vide Rabbi Solomon Jarchi in *Deuter.* 19. Maimonid. *in Rotſach. c.* 8. *ſect.* 5. Maſium *in Joſ. c.* 20. Thomam Godwyn. *in tr. Anglico, cui tit. Moſes and Aaron*, *l.* 2. *c.* 5. *&* voce *Abamatio* it. ubi de *Abjurandi patriam ritu*: Anglo-Saxonibus *Aſylum* appellatum *Frithſtoll*, dicemus infrà. Vide quoque *Salvitas. ſuprà.*

ASYNCRITUS, nomen viri. Roman. c. 16. v. 14. Latinè *Incomparabilis.*

ASYPHUS, Marmaricæ fons. *Ptol.*

ATABALA, tympana Mauris uſitata; quæ Τύμπανα dixêre olim Parthi: tympana nempe ænea ad formam clibani facta, quibus in bello utebantur. Hinc ἀταβάλιον vocavêre ſcyphos ligneos, quòd inſtar ἀταβάλων eſſent. Fortè ab Æolico θύβα vel τύβα, abſque aſpiratione, quod *cumulum terræ* vel *colliculum*, ad inſtar areæ eminentem, notat. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1120. Vide infrà in voce *Tabacca*, item *Tabala*.

ATABICIS, civitas in Propontide inſul. *Steph.*

ATABULI, Æthiopiæ ſub Ægypto gens. *Plin. l.* 6. *c.* 30.

ATABULUS, ventus in Apulia præcipuè ſpirans. Horat. *l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 77.

> *Incipit ex illo montes Appulia notos*
> *Oſtentare mihi: quos torret Atabulus.* ----

Porphyrio ſic dictum ait, quaſi ἀπὸ τῆς ἄτης βάλλειν, quòd nocumentum, peſtilentiamque inferat. Ventum hunc *Horatianum* vocat Gellius, *l.* 2. *c.* 22. *Nic. Lloydius.*

ATABYRIS, vel ATABYRIUM, Rhodi mons celeberrimus, in cujus vertice templum habuit Jupiter.

ATABYRIUS; Strab. *l.* 14. ubi de Rhodo: Εἶθ' ὁ Ἀταβύριος ὄρος τῶν ἐνταῦθα ὑψηλότατον, ἐν ᾧ ἱερὸν Διὸς Ἀταβυρίου. *Rhianus* apud *Steph.* Ἀτάβυρον ὄρος Ῥόδου, &c. ἐξ οὗ ὁ Ἀταβύριος Ζεύς. *Apollodorus*, de Althemene: Περιτυχὼν τῷ τόπῳ τῆς Ῥόδου, &c. ἀναβὰς δὲ ἐπὶ τὸ Ἀταβύριον καλούμενον ὄρος ἐθεάσατο τὰς πέριξ νήσους. Diodor. Sic. *l.* 5. Ἔστι δ' ὄρος Ἀτάβυρον (lege Ἀταβύριον) Διὸς ἱερὸν ἱδρύσατο τῷ προσαγορευομένῳ Ἀταβυρίῳ (lege Ἀταβυρίῳ) Pindar. *Olymp.* 7. Ὦ Ζεῦ πάτερ νώτοισιν Ἀταβυρίου μεδέων. Ubi *Scholiaſtes*, Ἐπώνυμον τοῦ ὄρους ἱδρύσατο ὁ Ζεὺς Jupiter, i. e. Jovis templum. Et paulò poſt, Εἰσὶ δὲ χαλκαῖ βόες ἐν αὐτῷ. ... Quod ipſum habet Tzetzes, *Chil.* 5. *Hiſt.* 138. Phœnicia hæc eſt fabula, cujus mens eſt: In eo templo fuiſſe augures, qui imminentia mala præmonebant. Phœnicibus ſcil. מלאך מנחש voces ambiguæ ſunt, quibus & *doctor augur* ſignificatur, & *bos ex ære*. Quod poſteriùs ideo amplexi ſunt fabularum architecti, quia φιλοθαύματοι. Ab hoc monte inſula dicta *Atabyria*, *Heſych.* Ἀταβυρία ἡ Ῥόδος πάλαι, reſcribe ἡ Ῥόδος. Plin *l.* 5. *c.* 31. *Vocata eſt antea Ophiuſa, Aſteria, &c. Atabyria* ab Rege. Imò à monte, quem diximus, qui Phœnicibus erat תבור *Thabor*; unde eſt, quòd in *Appiani Mithridaticis* ſine α. legitur Ταβυρίου Διὸς ἱερόν. Ejuſdem nominis montem, & oppidum in Phœnice, ex S. Scriptura notiſſimum, *Joſephus*, *Aquila*, *Symmachus Itabyrium* nominant, & Polybius Ἀταβύριον, *l.* 5. Fuit & in Sicilia, circa Agrigentum, Polybiô teſte, *l.* 9. ἱερὸν Διὸς Ἀταβυρίου, καθάπερ καὶ παρὰ Ῥοδίοις. Nempe ad montem cognominem, de quo *Pindari Scholiaſtes*, & *Steph.* ex *Timæo*. Ἔστι καὶ Σικελίας Ἀταβύριον. Sed eam Siciliæ partem Punicis nominibus ſcatere, nihil mirum eſt, cùm illam Pœni diu tenuerint. De cætero, quod vel *Tabor*, vel *Atabyrion* ſignificet non uſquequaque conſtat, niſi quòd *Heſych.* Ἀταβύριον interpretatur ὄρος, ... ; neque fortaſſe id malè, cùm *Thabor* ad בר, vel תבר alludat. Syri ſic vocant locum incultum feris paſcendis deſtinatum, Daniel. c. 2. v. 38. Bochart. *Chanaan. l.* 1. *c.* 7.

ATACAMA, deſertam Americæ meridionalis in regno Peruviæ, verſus confinia regni Chiles, in ora littorali maris Pacifici, in regione *de los Charcas*, inter Aricam & fluv. Copiapum.

ATACINI, populi Narbonenſes, ab *Atace* amne ejus provinciæ dicti, à quibus Romæ *Atacinorum* nomen.

ATACORÆ, vide *Atachora*.

ATAD, i. e. *rhamnus*, ſive *ſpinetum*, locus trans Jordanem: ubi exequias peregerunt filii Iſraël ſuper mortem Jacob, tertiô ab Hierichunte lapide, 2. mill. paſſ. à Jordane, qui locus poſteà dictus eſt *Abel Mitzraim*, *h. e. planctus Ægypti*. Gen. c. 50. v. 11. lege *Arad*.

ATÆA, urbs Laconiæ, & alia Phœniciæ. *Steph.*

ATALANTA, Arcadica virgo, & venatrix, Iaſii ſive Iaſionis, vel, ut alii malunt, Abantis Regis Argivorum, filia, quæ, conſervandæ virginitatis ſtudiô, Dianæ ſe dedit comitem, ſub qua meruit in ſilvis, adeò ut vaſtiſſimum aprum interfecerit in Arcadia, unà cum Meleagro, filio Regis Oenei, cui poſteà nupſit, & ex eo Parthenopæum ſuſcepit. Apri exuviis donata eſt, punitis qui ei id honoris invidebant. *Nonacria* dicitur Ovidio *Met. l.* 8. *v.* 426. à Nonacri Arcadiæ monte:

> —— *Sume mei ſpolium Nonacria juris.*

Item *Nonacrina* eidem *l.* 2. *de Art. Am. v.* 185.

> *Quid fuit aſperius Nonacrina Atalantâ!*

Iaſis Propertio à patre dicta, *l.* 1. *El.* 1. *v.* 9

> *Milanion, nullos fugiendo Tulle labores,*
> *Sævitiam duræ contudit Iaſidos.*

Ubi Milanion eſt Meleager. *Muſæus*,

> Παρθένος ἡ τὸ πάλαιον ἀπ' Ἀρκαδίης Ἀταλάντη
> Ἥ ποτε Μειλανίωνος ἐρωτοπαθεῖς φύγεν εὐνάς,
> Παρθενίης ἀλέγουσα, χολωσαμένης δ' Ἀφροδίτης,
> Τὸν πάρος οὐκ ἐπόθησεν ἐνὶ κραδίῃ θέτο πάντη.

Calydoniaca Manilio vocatur. Sic enim ille, *l.* 5.

> *Et Calydoniacam bellantem rupe puellam.*

Unde Hieronym. *contra Jovinian. l.* 1. *Referunt fabulæ, Atalantam Calydoniam virginem, ſemper in venatibus, ſemper in ſylvis, non tumentes uterum fœminarum, faſtidiaque conceptuum, ſed expeditam & caſtam amâſſe virtutem.* De hac plura Ælian. *Var. Hiſt. l.* 13. *c.* 1. *Nic. Lloydius.*

ATALANTA, Schœnei, Scyri Regis, filia, quæ, cùm pedum agilitate præſtaret, eâ lege in procos curſu certabat, ut nuberet ei, à quo vinceretur. Puellæ formâ captus adoleſcens Hippomenes, venit in certamen, acceptis à Venere tribus malis aureis, quæ currens ſenſim projecit in terram, ut his colligendis occupata virgo tardiùs ad metam perveniret. Itaque, cùm victa eſſet, pactâ conditione eidem nupſit. Ambo tamen mutati ſunt in leones, quòd in templo Cybeles, neglectâ religione coiviſſent. Ovid. *Met. l.* 10.

> *Hinc Atalantæ.*

Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 309.

> *Jamque Atalantæas implerat nuncius aures.*

ATALANTA, vulgò TALANDI, inſul. parva cum oppido Eubœæ adjacens è regione Opuntis urbis Bœotiæ. Vide *Steph.*

ATAMBOR, vide *Tamburlum*.

ATANACUM, vulgò *La place d'Aimay*; locus extra Lugdunum olim, inter Ararim & Rhodanum, jamjam confluxuros. Hic anno Urb. Cond. 744. ara Auguſto Cæſari cum templo, ad Confluentem Araris & Rhodani, dedicata eſt à 60. civitatibus Gall. quarum ſingularum ibi ſtatuæ viſebantur. Ibidem & ludos miſcellos, & certamen Græcæ Latinæque facundiæ edidit C. Caligula. Ibidem & Amphitheatrum, *Arena* Adoni. Hodie Monaſterium ibi, mœnibus Lugduni haud pridem incluſum, cujus horti à muris urbis viâ anguſtâ dividuntur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ATANAGILDUS, Viſi Gothorum in Hiſpania Rex XVI. Agilum excepit, A. C. 567. regnavit annos 5. ſucceſſore Liubâ ſeu Liwâ. Vide Iſidorum Hiſpal. *Chron.* & Hug. Grotium *Præfat. in Hiſtoriam Vandalo-Gothicam.*

ATANUS, villa in pago Lemovicino, ubi Aredius Monaſterium condidit: nunc *S. Irier de la Perche*: unde circumpoſito oppido nomen idem & origo. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ATAPHERNES, ſecundùm *Cteſiam* nobilis Perſa, unus è ſeptem illis, qui contra Magnum Smerdin Cyri filium ſe fingentem & regnum detinentem conjurârunt, eôque occiſô regnum Perſis reddiderunt.

ATAPHYNI, gens Arabiæ. *Steph.*

ATARA, Latinè *corona*, altera uxor Jerahmeel primogeniti Eſrom. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 26.

ATARANTA, Libyæ populi. *Arrianus.*

ATARANTES, ſeu ATRANTES, apud *Steph.* Φασὶ δὲ ἐν Ἀχαρναῖς ἀνθρώπους, Ἀτάραντας μετ' αὐτὰς εἶναι φασὶ καὶ Ἀτλαντας. *Rhianus autem Achæorum ſecundò*, *Atarantes poſt eos eſſe ait, & Atlantes.* Populi Africæ, Garamantibus vicini; qui nullum proprium inter ſe vocabulum habent & Solem orientem atque occidentem dirâ imprecatione laceſſunt. Ἀτάραντες perperam, apud *Stobæum*, ut & *Atlantes*, apud Solinum *c.* 31. ubi illos à reliquis Atlantibus, decem dierum intervallô, removet. Vide de illis Salmaſ. *ad Solin. p.* 410.

ATARGATIS, dicta à Græcis, quæ nomine Syriacô nonnullis Ἀθάρα; aliter *Derceto*, Δερκετώ: Numen fuit, non Hierapolitanorum, ut illi volunt, qui cum Syria Dea eam confundunt: Sed Joppenſium, quam illi coluerunt ſub piſcis forma, unde & nomen ab *Addirdaga* corruptum. Vide in voce *Atergatis* item *Derceto*.

ATARNA, urbs Myſiæ. *Steph.*

ATARNES, Datis Perſarum Regis frater. Herodot. *l.* 7. Item Scythiæ fluv. *Morava* hodiè, ut putat Peucerus, *in Chron.*

ATARNITÆ, vide *Rhizophagi.*

ATARNITES, Atarnæ Tyrannus, de quo Ovid. *in Ibin*, v. 319.

Aut, ut Atarnites, inſutus pelle juvenci,
Turpiter ad dominum præda ferare tuum.

Quidam *Acharnides* legunt, ſed ſic *Turnebus* emendat, ac de Hermia Atarnæ tyranno intelligit Ariſtotelis neceſſario, eidemque percharo.

ATAROTH, civitas in tribu Gad. Numer. *c.* 32. *v.* 3. & 34.

ATAROTH-ADAR, civitas in tribu Ephraim, Joſ. *c.* 16. *v.* 5.

ATAS vel ATHAS, puer miræ agilitatis, qui, Vipſaniò Conſule, à meridie ad veſperam 75. mill. paſſ. cucurrit, magnâ omnium admiratione. Martial. *l.* 4. *Epigr.* 19. *v.* 8.

Sive levem curſu vincere quæris Atham.

Vide Plin. *l.* 7. *c.* 20. & Alex. Neap. l. 2. *c.* 21.

ATAVANTIUS Paulus, vide *Paulus.*

ATAVILLI, populi Americæ meridionalis in Peruvia, prope fontes fluv. Xauxæ. 60. leuc. circiter à civitate Regum & 40. ab ora littorali maris Pacifici. *Baudrand.*

ATAULPHUS, Alarici affinis, quem ſecutus eſt in expugnatione Romæ, ejus poſteà ſucceſſor, Gothorum Rex III. A. C. 412. Ann. 5. in Italia rerum potitus, ſecundâ vice decreverat Romam vel diripere, vel expugnare, eamque Gothiam nuncupare, niſi Placidia Galla, Honorii ſoror, & uxor ipſius barbari, quam Alaricus, expugnatâ Româ, cum ſorore & matre captam, ei conjugem dederat, ferocientem animum & jam ſceleri paratum verbis emolliviſſet. *Paul. Diac.* Narbonam occupavit, A. C. 414. poſtquam à Comite Bonifacio Maſſiliæ obſidionem deſerere coactus eſſet. In Hiſpaniam tranſgreſſus, an. regni 5. à Vernulfo, populari ſuo, occiſus eſt. *Proſper*, Iſidor. Genebr. *in Chron.* Oroſ. *l.* 7. *c.* 43. *Nic. Lloydius.* Potius è Gallis in Hiſpaniam moturus, Vandalis in Africam transfretantibus vacuefactam, in itinere obiit, A. C. 416 ſucceſſore Sigerico. Iſidorus *Era.* 448. Certè poſtquam Carthaginenſes, Romani, Vandali, Suevi & Alani, Hiſpaniam poſſederant, Oſtro-Gothi, Duce *Ataulpho*, fundamenta regni in illa jecerunt, annô præfatô. Unde is Gothici in Hiſpania Regni primus communiter habetur.

ATAX, fluv. Galliæ Narbonenſ. ex Pyrenæo monte oriens, in ea parte Comitatus Ruſcinonenſis, quæ *Capſir* dicitur. Alluit Limoſium, Alethum, Carcaſſonem, & Narbonem Occitaniæ Urbes, niſi ubi Narbonem attingit, nuſquam navigabilis; dein auctus aliquot fluviolis, in mare Mediterraneum ſe exonerat. Eum accipit lacus Rubreſus, ſpatioſus admodum, ſed quà mare admittit, tenuis aditu, *l'Eſtang de la Rubine.* Utriuſque meminère Mela *l.* 2. *c.* 5. & Plin. *l.* 3. *c.* 4. Notus eſt etiam *Atax Straboni* & *Ptolemæo*, ut & Fortunato *Carm.* l. 6. ſed *Strabo* fallitur, cùm ait eum, ut Obrim & Arauraum amnes, è Cemmeno in mare delabi. Idem *Atacus Stephano*, *Atagus* & *Attagus Ruſo*, *Feſto Avieno.* Vide Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.* Vulgò *Aude.* Lucanus *l.* 1. *v.* 403.

Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas.

Tibullus *l.* 1. *El.* 7. *v.* 3.

Hunc fore Aquitanas poſſet qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atax.

Sidonius Apollinaris,

Atacem tonare cum ſuis aloribus.

ATE, Dea homines in lubs implicans, menteſque eorum ſeducens, cui repellendæ & placandæ Litæ Jovis filiæ oppoſitæ ſunt, quæ tantò ſunt tardiores, quantò noxa eſt gravior. Ἄτη enim Græcis noxa dicitur. Homer. *Il.* I. *v.* 91.

Ἄτη πρέσβα Διὸς θυγάτηρ, ἣ πάντας ἀᾶται.

ATEGUA, Hiſpaniæ Bæticæ urbs. *Dionyſ. Tebala Vesa*, ſeu *Teivela Morals.* Scribitur *Attegua.*

ATEIA, Palmyrenæ oppidum.

ATEJÆ, villa Regia vel Fiſcalis fuit regni Sueſſionici, in pago Viromanduenſi, ad Summam fluv. vulgò *Attes.* Hic Radegundis, Toringorum Regum filia ac neptis educata eſt, antequam Chlotario Regi jungeretur. Ab *Attejo* aliquo conditore. An quaſi *Attegiæ*, quô nomine Juvenal. uſus, *Sat.* 14. *v.* 196. *dirue Maurorum Attegias*, inquit. Dicuntur autem *Attegiæ*, *Iſidoro Capanna*, Gall. *Cabannes.* Valeſ. *Notit. Gall.*

ATELLA, Campaniæ oppid. à quo *ludi Atellani*, fuit enim in illo Amphitheatrum egregium. *Steph.* Juvenal. *Sat* 6. *v.* 71.

Urbicus exodio riſum movet Atellanæ
Geſtibus Autonoes, ---- ----

Ad cujus verſus explicationem mirè faciunt hæc Livii *l.* 7. *c.* 2. *Poſtquam lege hâc fabularum ab riſu ac ſoluto joco res avocabatur, & ludus in artem paulatim verterat, juventus, Hiſtrionibus fabularum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquô ridicula intexta verſibus jactitare cœpit, quæ inde exodia poſteà appellata, conſertaque fabellis potiſſimum Atellanis ſunt: quod genus ludorum ab Oſcis acceptum, tenuit juventus, nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt. Eo inſtitutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, & ſtipendia, tamquam expertes artis ludicræ, faciunt.* Cœtu Tacitus, *Annal. l.* 4. *c.* 14. *Oſcum quoddam ludicrum, leviſſimæ apud vulgus oblectationis, eo flagitiorum & virium veniſſe, ut auctoritate patrum coërcendum ſit. Pulſi tum hiſtriones Italiâ*, longitud. 38. 21. latitud. 40. 35 Vide infrà.

ATELLA Lucaniæ, oppid. eſt etiam regni Neapolitani in Baſilicata provinc. ad radices Apennini montis, & in confinio Principatus ulterioris, paucis conſtans incolis. *Baudrand.*

ATELLANI, olim propriè Exodiarii fuère, vide in voce *Exodium*: poſteà cum Mimis vel Mimicis ſcurris iiſdem eſſe cœpère. Unde & *Exodiarius*, pro Mimo, ſeu mimico ſcurra, apud Amm. Marcellin. *l.* 28. *Id enim nunc repertum eſt pro ſonitu laudum impenſiore, per applicatas homines ad loquendum, ut in omni ſpectaculo exodiario, venatori, aurigæ, & hiſtrionum generi omni & judicibus celſis, iiſdemque minoribus, nec non etiam matronis, clametur aſſidue, per te ille diſcat.* Juvenalis vetus Interpres, ad verſum eit.

Urbicus exodio riſum movet Atellanæ:

Exodiarius, inquit, *apud Veteres in fine ludorum intrabat, quòd ridiculus foret: ut quidquid lachrymarum atque triſtitiæ cogiſſent ex tragicis affectibus, hujus ſpectaculi riſus detergeret*, &c. Sed fallitur, cùm Exodiarios in fine Ludorum intrâſſe ſcripſit; exodia enim Atellanarum non introducebantur in fine Fabularum, & res erant ab illis prorſus ſeparata. Vide quæ hanc in rem ſuggerit Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano. c.* 42.

ATELOS, inſul. unguentô nobilis, *Callimacho.* Vide *Agathuſa.*

ATELPHOS, Colchidis amnis. Plin. *l.* 6. *c.* 4.

ATENA, ſeu ATENE, pars tribus Antiochidis. *Steph.* Vide infrà *Athenæ.*

ATEPOMARUS, Gallorum Regulus, Romanis belligerans, non antè ſe ceſſurum dixit, quam ipſi ſuas ad coitum uxores expoſuiſſent. Cæterùm, ancillarum conſiliò, hi ſervas mittentes, barbaros laſſos incredibili ſopore captos accipiunt, quæ erumpentes in Gallos victoriam reportârunt. Retana ſiquidem (hæc enim author extitit conſilii) per caprificum muros aſcendens, Conſulibus ſignum dederat. Ex eo autem factô feſtus dies inſtitutus *Ancillarum* appellatur. Plut. *in Paral.*

ATER, Deus malus veterum Saxonum. Vide *Niger.*

ATER, mons in regione Cyrenaica. Plin. *l.* 5 *c.* 5.

ATERGATIS, quam & *Atergatam* & *Derceto* Strabo *l.* 16 appellat, Dea Aſcalonitarum Syriæ, quam Plin. *l.* 5. *c.* 23. prodigioſam vocat, quòd ſimulacrum ejus ſuperiore parte mulierem, reliquâ piſcem referret. Diodor. Sic. l 2. Αὕτη δὲ τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικὸς, τὸ δ' ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος. Neque aliter Lucian. teſtis αὐτόπτης, *in Syria Dea*: Δερκετοῦς δὲ εἶδος ἐν Φοινίκῃ ἐθεησάμην, θέημα ξένον, ἡμισέη μὲν γυνή, τὸ δὲ ὁκόσον ἐκ μηρῶν ἐς ἄκρους πόδας ἰχθύος οὐρὴ ἀποτείνεται. Hanc referunt fuiſſe matrem Semiramidis, quæ, ob amiſſam pudicitiam, tantum animô dolorem concepit, ut ſeſe in lacum præcipitem dederit: cumque cadaver ejus ab urinatoribus inveniri non poſſet, creditum eſt eam in piſcem fuiſſe transformatam. Quò factum eſt, ut deinceps à piſcium eſu vicini populi religioſiſſimè abſtinerent. Undè & *Atergatim* dictam voluit, quaſi ἄτερ γάδου, quod Syris *ſine piſcibus* ſonat. Macrob. verò *Saturnal. l.* 1. *c.* 23. duo fuiſſe Aſſyriorum numina tradit, *Adad* & *Atergatim* ex quibus omnia gigni arbitrabantur, per *Adad*, *Solem*, per *Atergatim*, *terram* intelligentes. Athen. *l.* 8. verum Reginæ nomen *Gatis* fuiſſe refert, quæ, cùm obſoniorum eſſet avidiſſima, edictum promulgâſſe, ne quis piſces ederet, ἄτερ Γάτιδος, *præter Gatidem.* Tum imperitum vulgus, ex ἄτερ & Γάτις unam conflâſſe vocem Ἀτεργάτις. Sed antiqui in etymis eruendis mirificè nugari ſolent. Voſſ. itaque *l.* 1. *Idololatr.* c. 23. ab אדיר *addir*, *magnus*, *potens*, & דג *dag*, *piſcis* deducit. Culta verò non in Syria modo, ſed etiam apud Parthia, ut indicat Iſidorus Characenus, *in Parthiæ periegeſi*: Ἔνθεν Βελεσιβίβλαδα πόλις, ἐν ᾗ ἱερὸν Ἀταργάτης. *Nic. Lloydius*

ATERGUS, unicâ voce pro ἀπισθοϐίᾳ ſeu ἀπὸ νώτου, i. e. à tergo, in *Gloſſis Latino-Græc. Atergus*, ὀπισθοτονικὸς βοῦς ἐξ ὀπίσθων ἀπὸ νώτου. Salmaſ. ad *Capitolin. in Opilio Macrino. c.* 12. Macro *Atergo* Opiſtographum dictum eſt, in *Hierolex.*

ATERIA Lex, à Sp. Tarpejo Montano Capitolino, & Aul. Aterio Fontinali Conſulib. lata An. Urb. Cond. 299. fuit: *Ut omnibus Magiſtratibus mulcta dicendæ jus eſſet*, cum antea ſolis Conſulib. id liceret. Cumque antea ſuprema mulcta eſſet duarum ovium & triginta boum, pretiique varietas hactenus inæqualem faceret mulctæ portionem, hâc lege, quæ etiam *Tarpeja* dicta, conſtitutum ſunt in oves ſingulas æris deni, in boves æris centeni, vide Dionyſ. *l.* 10. A. Gellium *l.* 11. *c.* 1. & Feſtum in voce *Peculatus.*

ATERIANUS Julius, vide *Julius.*

ATERIUM, Siciliæ civitas. *Steph.*

ATERIUS, Conſul fuit, Collega Spurii Tarpeji, paulo poſt exactos Reges. ſub quibus L. Sicinius Dentatus, fortitudine celebris, Tribunatu Plebis functus eſt, Solin *c.* 1. ubi eum A. *Haterium* vocat. Antiquiſſimos tamen libros abſque aſpiratione nomen hoc ſcribere, & Græcis Ἀτέριον dici, obſervat *Exercitat.* ad eum Salmaſ. *p.* 47. Vide quoque ſuprà.

ATERIUS, vel ATHERIUS Quintus, Orator Romanus, promptus admodum & popularis. Obiit A. C. 25. ætat. 90. Euſeb. *Chron.* Annô 25. Vignier. an. 21.

ATERNUM, oppid. probè munitum regni Neapolitani in Aprutio citeriori, ſub dominio utili Avalorum. Gall. *Peſquarre.* 16. milliar. ab Anxano, & 12. à Pinna in Ortum. *Baudrand.*

ATERNUS, Pelignorum fluv. in Italia 9. milliar ſuprà Aquilam ortus, prope Theatæam labitur, dein auctus aliquot rivis, & diviſô Aprutiô citeriore ab ulteriori in mare Adriaticum illabitur, hodiè *Peſcara.* Vide Cluverium *Ital. Ant. l.* 2. *c.* 12.

ATESTE, civitas Venetæ regionis, prope Euganeos montes. Ejus meminit Plin. *l.* 17. *c.* 17. *Corellius eques Romanus, Ateſte genitus.* Ptolem. Τῶν δὲ Οὐενετίων μεσόγειοι πόλεις, Οὐικετία, Βελοῦνον, Ἄτεστε, Ὀπιτέργιον, Ἄττηα. Tacit. *Hiſt.* l. 3. *c.* 6. *Inde Patavium & Ateſte partibus adjunxêre.* Coloniam fuiſſe Romanorum, author eſt Plin. *l.* 3. *c.* 1. Capta eſt, ab Attila, poſt expugnatam Aquilejam, & direpta, unà cum Concordia, Opitergio, Altino, Patavio, & tota

tota maritima regione, A.C. 451 Inde coloni atque oppidani *Ateſtini* dicebantur. Martial. *l. 10. Epigr. 93.*

Perfer Ateſtinæ nondum vulgata Sabinæ
Carmina, purpureâ ſed modo ſuta togâ.

Hodie caſtellum, vulgò *Eſte* longitud. 33. 10 latitud. 44. 50. Sub proprio Principe, ea illuſtriſſima *Ateſtinorum* vel Eſtenſium Principum familia, cujus originem ſunt qui arceſſant à Cajo quodam Actio, qui ex Romanis civis fuerit *Ateſtinus*, circa A.C 390. Vide ſuprà in voce *Actius*. Alii, qui Actiam ſtirpem in Valeriano circa A.C. 500 prælio Longobardorum in Francos cæſô extinctam contendunt, aliam ei ſucceſſiſſe arbitrantur, argumentô nominum, quæ à Valeriano illo ad Azonem uſque deducuntur. Quidquid horum ſit, Azo, gentis hujus indubitatus auctor, à quibuſdam Hugonis M. Thuſciæ filius, è Caroli M. ſanguine oriundus, perhibetur: Ex eadem proſapia, Theobaldus & fil. Bonifacius Regii Lepidi, Parmæ, Lucæ, Ferrariæ & Mantuæ, extitêre *Marchiones*, quorum huic filia fuit Mathildis, à qua *Patrimonium S. Petri*. Ipſe Azo, ſecutus in Germaniam Conradum II. & Henricum III. Auguſtos, ibi Cunigundam Guelforum priorum hæredem, & poſt illam, Juditham Conradi filiam, duxit: Pater ex hac Azonis Eſtenſis ſeu *Ateſtini* Marchionis, à quo longâ ſerie reliqui Marchiones, qui præter prædicta, Genuam quoque, Mediolanum, Anconam, Veronam, Mutinam, & alia, diverſis temporibus tenuêre, deſcenderunt. Ex his Hercules I. *Dux Ferrariæ* creatus, novô titulô domum auxit, cujus fil. Hercules II. & nepos Alfonſus I. eundem Ducatum geſſêre, donec hic obiit A. C. 1597. ſine hærede. Tunc enim Ferrariam ſibi Pontifex aſſeruit, Cæſare Ateſtinô fruſtrà obnitente: qui a Pontifice eà excluſus, Imperialia tantùm feuda, Mutinæ, Regii Lepidi & Carporum, obtinuit, unde hodierni *Ateſtini* & *Mutinæ Duces* orti, vide Thuan. *Hiſt. l.* 119. & Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſtor.* Præfatus namque Alphonſus I ex Laura Euſtochia, Alfonſum Marchionem Montecchii genuit, qui ex Julia Roborea pater fuit Cæſaris modò dicti. Hic cùm patrueli extinctô ſucceſſionem obtinere non poſſet, Imperialia morùm feuda ut dictum, nactus, *Mutinæ Ducis* titulum geſſit, demortuos A.C. 1628. Quô & Virginiâ Mediceâ, natus Alfonſus I. obiit A.C. 1644. pater, ex Iſabella Sabauda, Franciſci, extincti A.C 1656. cujus, ex Maria Farneſia, liberi ſuperſunt, Alfonſus II. (maritus N. Martinozziæ, neptis Jul. Mazarini Cardinal.) Almericus, Iſabella (uxor Rainutii Ducis Parmenſ.) Juliaque Maria. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Europ. Tom. I.* & infrà, in voce *Azo*; ut & in vocibus, *Ferraria*, ac *Mutina*.

ATETRONA, Hiſpaniæ Bæticæ urbs. *Strabo*

ATHA, urbs Bithyniæ; ſub monte Olympo; eadem *Pruſa*, *Orof.* Item, amnis German. in Ducatu Bavariæ paulo ſuprà Ingolſtadium in Danubium fluv. ſe exonerans. *Baudrand.*

ATHAC, Eunuchus, Eſther. c. 4. v. 5. Latinè *percutiens*, *humilians*, vel *ſubjiciens*.

ATHACH, civitas. 1. Sam. c. 30. v. 30. Latinè *hora tua*, ſive *tempus tuum*.

ATHACI, populi apud Solin. pro *Athacoris*, qui Ptolemæo Ἡθαγόροι ſunt. Ita autem Solin. c. 51 *cui tit. gens Attacorum. Sequitur Attacenus ſinus & gens hominum Attacorum, quibus temperies prærogativa mira aëris clementiam ſubminiſtrat. Arcent ſanè afflatum noxium colles --- atque ideo --- par illis & Hyperboreis genus vitæ eſt. Inter hos & Indiam gnariſſimi Cicones locaverunt.* Ubi malè ab *Attacis* populis ſinum *Attacenum dictum* vult: cùm nulli tales. Sed Ataci vel *Athaci*, pro Ἀθαγόροι ſunt vel Ἀθανάγοι, qui in Serica. Salmaſ. *ad Solin. p.* 989. ubi Thiros & Tocharos eis facit vicinos &c.

ATHAJAS, vir Nehem. c. 11. v. 4. i.e. *hora* vel *tempus Domini*.

ATHALAI, vir, Eſdr. c. 10. v. 28. i. e. *hora mea*, vel *tempus meum*.

ATHALARICUS, nepos Theodorici, poſt illum A.C. 526. Oſtro-Gothorum Rex in Italia II. cum Amalaſuntha matre imperavit, annos 8 Legationem ad Juſtinianum Imperatorem recèns electum miſit. Quum autem à matre prudentiſſima fœmina in bonis artibus inſtitueretur, id indignè ferentes Gothi, matri illum eripiunt, & remotis præceptoribus, ipſi juvenes adjungunt, cum quibus ſimul bellicis artibus aſſuefieret, ſed ab illis corruptus paulò poſt morbô lethali contractô obiit. A.C. 534. Caſſiodor. *ep.* Procop. *l.* 1. *Gregor. Turonenſ.* &c. Vide ſuprà *Amalaſunta*.

ATHALIA, mater Ochoſiæ, filii Joram Regis Judæ, filia Amri Regis Iſrael. Impietate & ſævitiâ infamis. Occiſa tandem, juſſu Jojadæ Sacerdotis, *A. M.* 3157. tyrannidis 6. 2. Reg. c. 11 & 12. 2. Paral. c. 23. 24. Joſeph. *Ant. Jud. l.* 9. *c.* 11. Latinè *hora*, vel *tempus Domini*.

ATHAMANES, populi Ætoliæ. Plin. *l.* 4. *c.* 2. Epiri. Vide *Ferrar.* & *Baudrandum*.

ATHAMANIA, regio Illyriæ, vel Theſſaliæ. *Steph.*

ATHAMANTES, Epiri populi. Lucan. *l.* 3. *v.* 187.

Tum qui Dardaniam tenet Oricon, & vagus altis
Diſperſus ſilvis Athamas.

ATHAMAS, Æoli fil. Rex Thebarum, Nephelen uxorem duxit, ex qua Hellen & Phryxum genuit; ſed Nephele inſaniâ à Libero Patre concitata, cùm in ſilvas abiiſſet, *Athamas* liberis ſuis Ino, Cadmi filiam, ſuperinduxit novercam, quæ eos tot apud patrem accuſationibus, tot dolis eò compulit, ut, conſcenſô aureô Ariete, fugâ ſibi conſulerent. Quapropter Juno irata, furias in *Athamantem* immiſit, quæ in tantam rabiem eum duxerunt, ut cùm Ino ad ſe venire videret, hanc leænam, & filios ejus catulos arbitratus, raptô Learchô ex filiis alterô, ſaxo illiſerit, quod Ino videns, cum Melicerte alterâ prole fugiens, ſe ex rupe in mare præcipitem dedit. Ovid. *Met. l.* 4. *fab.* 13. *v.* 515

Deque ſinu matris ridentem, & parva Learchum
Brachia tendentem rapit, & bis terque per auras
More rotat fundæ, rigidoque infantia ſaxo
Diſcutit ora ferox.

Idem *Faſt. l.* 6. *v.* 489

Hic agitur furiis Athamas ſub imagine falſa
Tuque cadis patriâ, parve Learche, manu.

Nic. Lloydius.

ATHAMAS, *a*, Servus & Amanuenſis T. Pomponii Att. de quo Cicer. *l.* 12. *Attic. ep.* 10.

ATHAMAS, Phthiotidis in Theſſalia mons. Item fluv. certô tempore ligna vel tædam incendens. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 311.

Admotis Athamanis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cum Luna receſſit in orbes.

Sed tu lege *Athamanis*.

ATHANACUM, vulgò AISNAY vicus & Abbatia olim extra Lugdunum, nunc intra eſt, ad confluentes Araris in Rhodanum fluv.

ATHANADAS, de rebus Ambraciotarum volumen conſcripſit, teſte *Antonino Liberali.* Voſſ. *l.* 3. *Hiſt. Græc. p.* 335.

ATHANAGIA, urbs Hiſpaniæ citerioris in Ilergetibus. Liv. *l.* 21. *c.* 61 longitud. 13. 15. latitud. 42. 20. Quibuſdam eſt *Ilerda*, urbs Cataloniæ, ad Sicorim fluv. *Baudrand.*

ATHANAGILDUS, Wiſi-Gothorum Rex, regnavit. ann. 14. in Hiſpania, Agilâ occiſô, thronum conſcendit. Ejus filia Geleſuintha, Chilperico Sueſſionum, Brunichildis verò Sigeberto Auſtraſiæ Regi nupſit. Obiit A.C. 568. Iſidor. *Chron.* Gregor. Turonenſ. *l.* 9.

ATHANAI, fil. Zara. 1. Paral. c. 6 v. 41. Latinè *fortis* ſive *aſininus*, aut *ca aus*.

ATHANARICUS, Hiſpaniæ Rex, regnavit ann. 11. *Nic. Lloydius.* Melius Wiſi-Gothorum ſeu Weſt Gothorum, h. e. Gothorum Occidentalium Rex I Ethnicus, Valentem Imperatorem poſt triennale in Thracia bellum, pacem redimere coëgit. Dein Orthodoxos perſecutus; poſtmodum pace cum Theodoſio initâ, à ſuis pulſus eſt. Obiit ergo Conſtantinopoli exul, A C. 381. Oroſ. *l.* 7. Ammian. *l.* 27. Zoſimus *l.* 4. Hieronym. Sigebertus, Iſidorus *in Chron.* Ei ſucceſſit Alaricus, quem vide: ejus ſucceſſores in Hiſpaniam penetrârunt.

ATHANAS, Syracuſanus Hiſtoricus, qui res geſtas Dionis, 13. libellis complexus eſt, ortus ab Olymp. 104 anno 1.

ATHANAS, petra, locus Scythiæ, vel Thraciæ circa Iſtri fluv. oſtia, ad Sindi campum. Euripides *in Cyclope*.

ATHANASIUS, Præſul Alexandrinus, educatus ab Alexandro ejus civitatis Præſule, olim Diaconus, in Concilio Niceno A. C. 325 Arianorum hoſtis acerrimus. Epiſcopus Alexandrinus nolens electus eſt: quod cùm Ariani impedire nequirent, Meletiani & Euſebiani juncti, Conciliabulô Tyri inſtitutô, eum depoſuerunt, & per Conſtantinum, quem præoccupaverant, Treviris exulatum abire coëgerunt. Sic maximas perpeſſus inſidias, ad Conſtantem, Galliarum Regem, perfugit. *Volaterran.* A quo biennio poſt reſtitutus, Alexandriæ Symbolum Fidei concinnavit. Mox iterum ab Arrianis accuſatus, in Synodo ab illis Antiochiæ celebrata, denuo pulſus eſt. Sed Sardicô conciliô abſolutus, rediit ad functionem. Donec tertiâ vice hæreticorum furore pulſus, & 6 ann. integros in deſertis errare coactus, plurimis fidelium eum per ſolitudines comitantibus, obiit A C. 377. cùm Epiſcopatum Alexandrinum pare, belloque geſſiſſet annis 46 poſt multiplicia illa pro Eccleſiâ certamina, quorum ſimilia Epiſcoporum, aut Doctorum Eccleſiæ neminem ſuſtinuiſſe unquam legimus. Genebrad. *Chron. l.* 3. Plurima egregia ſcripſit. Vide Hieron. *de Script. Eccl.* & *ep.* 7. *ad Latam.* Nazianz. *Orat. de Athanaſio. Socr. Sozom. Theodoret. Sulpic. Severum*, &c. Opera ejus ſæpius impreſſa; Commelinianæ editio, A.C 1601. & Pariſ A.C 1627. optimæ notæ.

ATHANASIUS, cognomine *Heruleſus*, Patriarcha Alexandrinus, poſt Petrum Mongum, cum illo hæreſeos fautor. A.C. 491. 497. *Athanaſius Claramontanus*, ſimiliter Patriarcha Alexandrinus, A. C. 1219. Item, Patriarcha Conſtantinopolit. qui, poſtquam ſponte ſe abdicâſſet, A.C 1294. reſtitutus eſt, A. C. 1301. ſcripſit quædam, de quibus vide Biblioth. Patr. *Tom.* 3. *col.* 141. *ed.* 1624. Item Patriarcha Antiochenus, ſub initium hujus ſeculi. Patriarcha itidem Antiochenus, Hæreticus Jacobita, qui Heraclio Imperatori impoſuit. Aliàs etiam Anaſtaſius, vide ibi. Nepos item Cyrilli; interfuit Concilio Epheſino & Chalcedonenſi, ubi Dioſcori accuſator extitit. *Act. Concil. Act.* 3. Epiſcopus tandem & Princeps Neapolis. Sergium fratrem, qui tyrannidem exercebat, occidit; fœdere cum Saracenis ictô à Johanne IX. excommunicatus.

ATHANATI, apud Perſas dicebantur 10. millia virorum delectorum ex Perſis ad militiam; quorum ſi quis aut nece aut morbô numerum minuiſſet, confeſtim ſubſtituebatur alius. *Heſych.* Ἀθάνατοι, τάγμα ἱππικὸν παρὰ Πέρσαις μυρίων ἀνδρῶν. *Suidas*, Ἀθάνατοι μύριοι Περσῶν ἐπίλεκτοι. Idem, in *Xerxes*: Εἶχε δὲ ἐπιλέκτους μυρίους, οἳ Ἀθάνατοι ἐκαλοῦντο. Q. Curt. *l.* 3. *c.* 3. *Proximi ibant, quos Perſæ Immortales vocant, ad decem millia.* Quem numerum affirmat quoque Procopius, *de bello Perſico.* Vide Herodot. *l.* 7 *ſ.* 526.

ATHANATI, Græcè Ἀθάνατοι, i.e. *Immortales*, Recentioribus *Athanati*, militum genus, apud Imperat. Græcos. Quemadmodum enim apud Perſas olim Legio erat militaris, quam τῶν Ἀθανάτων appellabant, uti docent Auctores laudati Briſſonio *de Regno Perſar.* ita habent Byzantini Imperatores Perſicorum Regum æmuli, ſuos *Athanatos* ſeu *Immortales*, quos à Nicephoro Logotheta, qui ſub Michaele Duca rerum potitus eſt, tunc demum inſtitutos refert Bryennius *l.* 4. *num.* 4. Hinc autem illis inditum nomen; quòd pacis æquè ac belli tempore militarent, eſſetque eorum

cohors

cohors *Schola vacationis ſemper ignara*: uti de peculiari quadam Caroli M. caterva militari dixit Monachus Sangallenſis *l.* 2. *c.* 26. Unde Anna Comnena *Alexiados l.* 2. de *Athanatis* agens, ait fuiſſe στρατευμα τῆς Ῥωμαϊκῆς δυνάμεως ἰδιαίτατον, *manum Romanæ potentiæ maxime propriam*, quia videl. pacis perinde ac belli tempore inſerviebat, Car du Freſne *Gloſſar.* qui hanc in rem Rigaltii quoque ac Meurſii *Gloſſaria* laudat. Vide etiam infrà *Immortales*.

ATHANIS, res Siculas memoriæ prodidit, laudatus Plut. *in Timoleonte*. Athen. *l.* 3. Vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 336.

ATHAR, civitas in tribu Simeon. Joſ. *c.* 19. *v.* 7. Latinè *oratio*, ſive *deprecatio*.

ATHARA, Atergatis ſic dicta. Cæl. Rhodig. *l.* 23. *c.* 5. Vide ibi infrà.

ATHARE ſeu ATHARA, Damaſci Regis uxor, quam Syri poſt mortem ſanctiſſimè coluerunt, ſepulchrum ejus pro Templo habentes, uti legimus apud Juſtinum, *l.* 36. *c.* 2. Unde patet non idem hoc cum Atergati Numen fuiſſe, uti cenſet Strabo *l.* 16. Sic enim proprium Damaſcenorum fuerit *Athare*. Utrumque autem nomen è Syriaco leviter inflexum Ἀθάρα, quod pro *Aſarah* dictum eſt, quò nomine non tantum lucus, Hebræis, ſed etiam luci idolum paſſim ſignificatur in Sacris. *Aſhtoreth* quoque, Numen Sidoniorum, ſæpius ita indigitatur, quam Ἀστάρτην Græci dixêre & cum *Athara*, *Atergati* ac *Derceti* confuderunt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 574.

ATHARRABIS, urbs Ægypti. *Steph*

ATHARSATA, fil. Achelai. Nehem. *c.* 9. *v.* 1. de quo & Eſdr. *c.* 5. *v.* 61. & *c.* 8. *v.* 10.

ATHEAS, Scytha, primus Rex Ponti, cui Artebuzus ſucceſſit. Flor *l.* 3. *c.* 5. Juſtinus, de quodam Athea Scythiæ Rege loquitur, *l.* 9. *c.* 2.

ATHELREDUS, vide *Alredus*.

ATHEMAT-DOULET, nomen primi Status Miniſtri in hodierno Regno Perſico, de cujus officio multa Joh Bapt. Travernier *Itiner Perſ.* Vide quoque aliquid infrà, voce *Muſlimi*.

ATHENA, Cataldi (qui poſtea Epiſcopus fuit) mater erat, quæ in partu mortua, ab ipſo Cataldo primum nato ad vitam ſolô amplexu revocata eſt.

ATHENA, Græcis *Minerva* dicitur. Ἀθηνᾶς nomen (inquit *Phurnutus*) eſt δυσετυμόλογον, h. e. ejuſmodi, ut difficile ſit ejus cauſam adferre; atque hoc ſatis apparet ex ridiculis illis rationibus, quas non Grammatici modò, ſed Philoſophi quoque, & in his Plato, *in Cratylo*, adducunt. Mihi dubium non eſt, (inquit Voſſ. *l.* 2. *Idolol. c.* 42) quin ab Oriente vel Ægypto nomen hoc acceperit. Non abſurdè deducas ab איתן *ethan*, quod eſt *fortis*, *perennis*. Malim tamen à Chaldæo, ac Talmudicis etiam frequentatum תנא *tena*, quod idem valet ac שנה *Shana*, nempe ut Græcis, ita & Orienti mos etiam fuit S & T literas commutare. Valet autem utrumque, *meditari*, *commentari*, *ſtudere*, *docere*. Itaque hinc Doctores, qui excepêre Synagogam magnam, *Tanaim* dicti. Inde igitur Ἀθηνᾶ ſtudiorum ac doctrinæ præſes. Articulus Hebræo *Thana* præmittitur, ſed ſpiritu mutatô, quod in compluribus fieri ſat notum. Ἀθηνᾶ verò אדוני *Adoni*, i. e. *Domina* Capello dici videtur. *Nic. Lloydius*.

ATHENÆ, civitas Græciæ inter Macedoniam & Achajam, in ea litorali regione, quæ olim *Acta*, dein *Attica* vocata. Hanc Ogyges quidam, ſecundùm nonnullos, Acriſius aliis, Actæus Pauſaniæ *in Atticis*, vel ut communiter fertur, Cecrops primus condidit, unde *Cecropia* dicta. Poſteà à Mopſo *Mopſopia* & ab Ione, Xuthi filio, *Ionia*; poſtremò autem *Athenæ* vel ab Attea, Cranai filia, vel à Minerva, quam Græci Ἀθήνην vocant. Ferunt enim, Neptunum cum Minerva de urbis hujus nomine contendiſſe, tandemque inter eos ita convenisse, ut urbi nomen imponeret, qui utilius humano generi munus edidiſſet. Cumque Neptunus equum, Pallas oleam produxiſſet, victum ſuffragiô unô Neptunum Minervæ conceſſiſſe, quæ urbem recèns conditam de nomine ſuo *Athenas* appellavit. Vide Hyginum *Fab. Poët. c.* 164. Fuit hæc civitas omnium bonarum artium inventrix, Philoſophorum & Oratorum mater, & Poëtarum alumna. Cicer. *l.* 1. *de Orat. c.* 4. *Ut omittam Græciam, quæ ſemper eloquentiæ princeps eſſe voluit: atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus ſumma dicendi vis & inventa eſt & perfecta.* Horat. *l.* 2. *Ep.* 2. *v.* 43.

Adjecêre bonæ paulo plus artis Athenæ.

Propert. *l.* 3. *El.* 20. *v.* 1.

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas.

Hiſtoria ejus paucis ſic habet: Incepit regnum Athenienſium, A. M 2496. ante Chriſtum Natum 1558. Cujus primus Rex Cecrops, qui ex Ægypto prodierat, regnavit ann. 50. Ejuſque ſucceſſores, quorum ſedecim erant, per 487 annos uſque ad Codrum fil. Melanthi præfuerunt. Dein Archontes perpetui præeſſe cœperunt, à Medonte filio Codri, uſque ad decimum tertium, Alcmæona. Porrò Archontes decennales electi, à Charope uſque ad ſeptimum, Eryxiam. Ulterius annui erant, quorum primus Creon. Tandem Duces, donec urbs à Turcis capta eſt. Et quidem Democratia primùm ibi poſt Reges floruit, quæ, poſt Piſiſtrati filiorumque tyrannidem, reſtituta. Rebus in Sicilia malè geſtis, & urbe à Lacedæmoniis occupatâ, 30. Tyranni impoſiti, à quibus liberati, poſtmodum Macedonibus, Romanis, Græcis Imperatorib ſubeſſe cœperunt Exin peculiares Dominos ſeu Duces nacti, tandem urbe à Mahomete II. A C. 1455. occupatâ, in Turcarum poteſtatem devenerunt. Hic Eccleſia olim Metropolitana, ſub qua 8 Epiſcopi. Primus ejus Epiſcopus Publius fuit, cui Quadratus ſucceſſit, Apoſtolorum diſcipulus, circa A. C. 98. Vide Euſeb. *l.* 4. *c.* 8. Hyginus verò, ex hac urbe oriundus, Philoſophus Chriſtianus, Romanorum Epiſcopus evaſit, poſt Teleſphorum, A. C. 152. &c. Hodie non minùs Mahometica impietas, quàm profunda barbaries hîc regnat. Vicus autem nunc eſt, & ab Italis ac Turcis *Setines* appellatur, *Vithard* auctore: Incolaſque habet partim Chriſtianos, partim Mahometanos. *Moretus*. Inter fluvios Cephiſſum & Iliſſum ſita eſt, cum arce munita. Portus ejus Phalerus, nunc *Port Leon*, ſenſim oblimatur, ut vix minorum navium capax ſit. Ipſa Urbs nunc obſcura ſenſim deficit, & tantiſper diſtat, ab ora litorali. 120. milliar. autem à Sparta in Boream. *Baudrand*. Fruges primum ibi inventas, aut invectas Diodor. *Sic* author eſt; Inde *frugum parentem* Florus vocat, *l.* 3. *c.* 5. Vide & Lucretium, *initio l. ſexti*. *Antiquitate* non tantum, ſed *humanitate*, atque *doctrina* omnes alias urbes præſtitiſſe, Corn. Nepos, *in Vita Attici*, *c.* 3. tradit. Ac hinc *Athenas*, pro literis, Juvenalis poſuit: *Sat.* 15 *v.* 110.

Nunc totus Graias noſtraſque habet orbis Athenas.

i. e. *Romanas literas & Græcas*, ut rectè *Scholiaſtes vetus* interpretatur. De *Athenarum* urbe, apud Dicæarchum, Lyſippi Græci Comici verſus extant, qui Latinè ſic ſonant:

Si nunquam Athenas videris, es ſtipes es:
Si viſa te urbs haud traxerit, aſinus meras:
Si viſâ abire poteris, es cantherius.
Hæc namque vere urbs Græca.

Populi *Athenienſes*. Cicer. *pro Flacco c.* 26. *Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur.* Eoſdem *humanos natura & miſericordes*, Plut. *in Pelopida*, vocat. Idem *iracundos*, *ſuſpicaces*, *facetos*, *ſuarum laudum cupidos* eos fuiſſe tradit, *Præceptis Politicis*, non procul à principio. De iiſdem Ciceronis illud eſt, *Scire ea, quæ recta ſunt, ſed facere nolle.* Vide & Dicæarchum de moribus, atque ingenio Athenienſium. *Celeres, & ſupra vires ad conandum audaces* eoſdem, Legati Rhodiorum arguunt, apud Livium *l.* 45. *c.* 23. Varro *de L. L. l.* 7. *Cùm trina fuerunt Athenæ, ab una dicti Athenæi, ab altera Athenienſes, à tertia Athenopolitæ.* Vide *Steph.* D. Paulus, qui Evangelium hîc, Stoicis ridentibus, docuit, circa A. C. 50. occaſione altaris, *Deo ignoto*, conditi, vide infrà. *Athenas* κατείδωλον πόλιν vocat, h. e. *idolis refertam urbem*. Actor. *c.* 17. *v.* 16. Unde Philoſtrat de Apollonio *l.* 4. *c.* 6. φιλοθύτας τοὺς Ἀθηναίους εἶδεν: Ideoque cum Timaſione diſſerens ait, σωφρονέστερον αὐτὸ τὸ περὶ πάντων θεῶν λέγειν εὖ, καὶ ταῦτα Ἀθήνησι. Vide *Suidam*, *in Τιμασίων*. Quin & Pauſan. *l.* 1. de Athenienſibus loquens, ait eos εὐσεβείᾳ θεῶν ἄλλων πλέον. Et alibi, Ἀθηναίοις περισσότερόν τι, ἢ τοῖς ἄλλοις ἐς τὰ θεῖα ἐστὶ σπουδῆς. Strabo. Ἀθηναῖοι δ' ὥσπερ περὶ τὰ ἄλλα φιλοξενοῦντες διατελοῦσιν, οὕτω καὶ περὶ τοὺς θεούς. Himerius orat. *contra Epicurum*: *Cum Athenas dixis*, inquit, τὸ μέγιστον εἶπες τῆς εὐσεβείας κεφάλαιον. Maximus Tyrius Διαλ. 38. Ὁ Ἀθηναίων δῆμος ἔργῳ καινῷ δαιμονίων ἐπεστράφη. Joſeph. *l.* 2. *contra Apionem*, Ἀθηναίους τῶν Ἑλλήνων εὐσεβεστάτους πάντες λέγουσι, Sophocl. *in Oedip. Col.*

Εἴ τι γῆ τὰς θεοὺς ἐπίσταται
Τιμαῖς σεβάζειν, ἥδε τῷδ' ὑπερφέρει.

Plura de urbe hac celeberrima, vide apud Joh. Meurſium, *in antiqua. & fortuna Athenarum*. Petitum, *in Comment. Leg Att.* Franc. Roſſæum *in Archælogia Attica*, &c. Porrò *Athenis* omnibus Europæ, Aſiæ & Africæ Diis poſita eſt Ara, ex conſilio Epimenidis, ſic inſcripta:

ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ
ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ
ΘΕΩΙ ΑΓΝΩΣΤΩΙ
ΚΑΙ
ΞΕΝΩΙ.

Eandem volunt hanc ipſam nonnulli, de qua D. Paulus, ubi ſuprà. Vide ſis illic *Oecumenium* ac *Theophylactum*, & *Priceum*. Imo etiamnum extare, inter rudera Urbis olim ſplendidiſſimæ, *Maret.* *Athenienſes* autem viri propriè dicti, *Atticæ* mulieres. *Euſtathius*, Ξενοφῶντα Ἀθηναῖον ἄνδρα dici, ſed non καὶ γυναῖκα Ἀθηναίαν ſed Ἀττικήν, ἢ Ἀττίδα. *Steph.* tamen & Ἀθηναίαν dici tradit. Vide eum in Ἀθῆναι. Et infrà *Athenarum urbs*.

ATHENÆ Novæ, urbs Liguriæ quarta *Stephano*, in quibus cœptum ab Hadriano Imperatore aquæductum & ab Antonino Pio conſummatum, loquitur *Inſcriptio*, quæ Mediolani extat. Impingunt itaque, qui Athenarum Atticarum partem, quæ maximè ædificiis hujus Imperatoris exornata fuit, hôc nomine inſignitam cenſent: quis enim credat Inſcriptionem Latinam poſitam eſſe in Græca urbe. Sed nec quidquam ad rem facit, quod Scaliger obſervat *Animadverſion. in Euſebium*, *cum locum in Delo Inſul. ſumtibus Hadriani ædificio inſtauraſſent Athenienſes, Novas Athenas vocârunt*. Non enim ſimpliciter *Novas Athenas* illi loco nomen indiderunt, ſed *Novas Athenas Hadrianas*. *Steph.* Ὀλυμπιεῖον τόπος ἐν Δήλῳ, ὃν κτίσαντες Ἀθηναῖοι χρήμασιν Ἀδριανοῦ νέας Ἀθήνας Ἀδριανὰς ἐκάλεσαν. ὡς Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάδων ἑνδεκάτῃ. Quod verò *Athenarum* Atticar. partem ſplendidis inprimis ſubſtructionibus ab Adriano exornatam ſpectat, *Adrianopolim* illam vocatam hinc fuiſſe, tradit Spartian. in *Vita* hujus Cæſaris: *c* 20. *Multas civitates* Adrianopolis *appellavit, ut ipſam Carthaginem & Athenarum partem.* Quod hauſiſſe videtur ex verſiculis, qui in arce illius urbis inſcripti erant,

Αἵδ' εἰσ' Ἀθῆναι Θησέως ἡ πρὶν πόλις,
Αἱ δ' Ἀδριανοῦ κ' οὐχὶ Θησέως πόλις.
Hæ ſunt Athenæ, Theſei primùm Urbs,
Nunc Hadriani, non verò Theſei Urbs.

Salmaſ. *ad Spartian. cit. loc.*

ATHENÆA, Minervæ ſacra, quæ Erichthonius Athenis intulit, eaque ut 5. anno, imò & quotannis celebrarentur, inſtituit, Pauſan. *l.* 1: Vide & *Panathenæa*.

ATHENÆUM, locus Minervæ dicatus, ubi Profeſſores ſtudia

dia ſua profitebantur. Jul. Capitolin. *in Pertinace*, c. 11. & Lamprid. *in Alex. Sev. c.* 35. Hodieque tritum Academiis nomen. Athenæum inprimis Lugdunenſe, à Caligula inſtitutum, celebre. Ubi prope Auguſti aram præmia eloquentiæ Græcæ Latinæque propoſita; & illi qui victi, linguâ delere ſua ſcripta coacti ſunt, ut vel verbera pati, vel in Ararim præcipitari mallent. Hinc Juvenal. *Sat.* 1, v. 44.

Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.

Vide infrà *Athenæum Roman.*

ATHENÆUM, quòd melius Minervæ promontor. vulgò *Capo di Campanella*, & *Capo di Maſſa*, teſte *Scipione Mazzella*. Eſt autem promuntor. Picentinorum contra Capreas inſulas, Surrento proximum. *Athenæum* alterum apud *Dionyſ. Halicarn.* in ora Magnæ Græciæ; *Roſcia* vulgò dictum. Vide *Minervæ promontorium.*

ATHENÆUM Romanum, cujus mentio apud Jul. Capitolin. in *Pertinace*, c. 11. *Pertinax eò die proceſſionem, quam ad Athenæum paraverat, ut audiret Poëtam* &c. Lamprid. in *Alex. Sev.* c. 35. *Ad Athenæum audiendorum & Græcorum & Latinorum Rhetorum vel Poëtarum causâ frequenter proceſſit.* Capitolin. item in *Gordiano* c. 3. *Ubi adolevit, in Athenæo controverſias declamavit, audientibus cum Imperatorib.* & apud *Sidonium Apollinarem* ſæpius, locus fuit, quod nomen ipſum arguit, ſtudiis Minervæ ſacer: cujus honori dicatam inibi fuiſſe aliquam ædem aut cellam ex eo quis conjiciat, quòd etiam Senatum haberi in *Athenæo* mos fuit, uti refert Dio *extremò Juliano*; Senatus autem niſi in Templo & loco per Augures conſtituto, haberi non potuit. Mirum tamen, cauſam appellationis petere Dionem, non ἀπὸ τῆς Ἀθηνᾶς & Minervæ æde; ſed ab eo, quòd illuc convenirent homines docti & Minervæ ſacris initiati. Qui ita fieri poteſt, ut nulla ibi eſſet Minervæ ædes: ſunt enim res diverſæ, *Templum* & *Ædes*. Quam ſententiam firmat Aur. Victor, cujus, ſunt de *Hadriano* iſta: *Gymnaſia Doctoreſque curare occepit. adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum Artium, quod Athenæum vocant, conſtitueret.* Ubi videmus *ludum ingenuarum Artium*, non *ædem Minervæ*, dici: hoc amplius verò ex iſto Victoris unico loco diſcimus, Hadrianum *Athenæi Romani* conditorem fuiſſe & publicum illud opus ſtruxiſſe. Caſaubon. *Not. ad Hiſtoriam Auguſtam, Capitolin. ſupriùs.* Ab hoc porrò *Athenæo* omnia Auditoria poſtmodum nomen traxêre: in quibus, præter dicta, Ducum Imperatorumque monumenta varia, ut epiſtolæ, orationes, & ſimilia, quæ ad Hiſtoriam facerent, ſervari recondique conſueviſſe videntur Salmaſio *ad Pollionem in XXX. Tyrannis*. c. 10. Vide quoque infrà *Muſea*, *Panathenaicum.*

ATHENÆUS, Coſmographus Græcus. Item Peripateticus Philoſophus è Seleucia Ciliciæ, Auguſti temporibus, Princeps aliquandiu patriæ ſuæ, deinde contractâ amicitiâ cum Muræna, qui contra Auguſtum conſpiraverat, cum illo aufugit, captuſque cùm inſons reperiretur, reverſus Romam, multis eum ſalutantibus, illud Euripidis reſpondit.

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
Λιπών. Strabo *l.* 14.

ATHENÆUS, de *Machinis bellicis* librum conſcripſit, qui hodieque ſupereſt. Videtur Voſſ. *de Scient. Mathemat.* p. 290.

ATHENÆUS, unus ex iis Legatis, quos, octavô Peloponneſiaci belli annô, Lacedæmonii ad Athenienſes, reconciliandæ controverſiæ miſerunt. Scholia, *in Ariſtoph. Equites.*

ATHENÆUS, Naucratita Grammaticus, tempore M. Aurelii, librum *Deipnoſophiſtarum* compoſuit, varium opus, & eruditum, ut Plinius alter Græcus ferè dici poſſit: quod ad nos ſanè haud integrum pervenit, ejus epitome ab Hermolao Byzantino tantùm relicta. *Suidas*, Vignier. *A.* C. 168. Vide *Caſaubon.* & Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 15. Compoſuit etiam Hiſtoriam Regum Syriæ, aliaque, ut ex *l.* 4. & 5. colligitur. Item *Athenæus* Hiſtoricus, qui quid de Semiramide literis prodiderit, narrat eleganter Diodor. Sic. *l.* 2. Eamque Hiſtoriam inde, ſed, tacitô Diodori nomine, exſcripſit Muretus, *Var. lect. l.* 6. *c.* 19. Eſſe autem *Athenæum* hunc alium à Naucratita, ſatis ex temporum ratione liquet; ille enim floruit ſub Antonino, Diodorus autem ſub Auguſto Cæſare. Item Medicus, ſæpius laudatus *Galeno.*

ATHENAGORAS, Græcus, ſed bellô Perſicô Darii partes amplexus, cui cum Apollonide Chium tuendam tradidit Pharnabazus. Sed ortâ intra urbem ſeditione, oppidani olim proditionis conſiliô agitatô, aggregant ſe irrumpentibus per effractam portam Amphoterô & Egelochô, Perſarumque præſidiô cæſô Athenagoram vinctum Macedonibus tradiderunt. Curt. *l.* 4. *c.* 5. *l.* 8. *c.* 3.

ATHENAGORAS, Philoſophus Chriſtianus, Marco Aurelio Antonino, innocentiam Chriſtianorum, qui crudeliſſimam ſuſtinuêre perſecutionem, egregiâ apologiâ, probare conatus eſt. A. C. 181. Author inſuper libri de Reſurrectione mortuorum, Biblioth. Patr. *edit.* 2.

ATHENAIS, una ex duabus Erythræis Sibyllis: Strabo namque *l.* 13. duas Erythræas memorans, unam antiquiſſimam, cujus nomen non adſcripſit, alteram recentiorem refert, *Athenaidem* nomine, quæ Alexandri M. ætate vixerit: utramque ex civitate Aſiæ Ionica Erythris oriundam. Vide infrà in voce *Erythræa*, & Salmaſ. *ad Solin.* p. 79. Idem nomen fuit filiæ Leontii Philoſophi, pauperculæ, ſed erudiſſimæ, quam à Pulcheria ſorore ſibi commendatam uxorem duxit Theodoſius Minor & baptizatam *Eudoxiam* vocavit, ut videre eſt apud Socr. *Hiſtor. Eccl. l.* 7. *c.* 22. Vide quoque *Eudoxia.*

ATHENARUM Urbs, alter Græciæ ocellus. Et quidem Græciam in meditullio terræ, in Græciæ medio Atticam ſitam eſſe, hujus umbilicum obtinere *Athenas*, refert Ariſtides *in Panath.* p. 171. 172. Condita fuit urbs in excelſa rupe, à Cecrope, cujus nomen primò tulit, *Cecropia* dicta. Dein Ἄστυ per excellentiam appellari cœpit, in antiquitatis, de qua cum Argivis perpetuò Athenienſes contendebant, monumentum. Unde Terentius, *in Eunuch. Actu* 5. *ſc.* 4. *v.* 17. *Anin Aſtu venit* & cives Ἀστοὶ dicti ſunt. Proceſſu temporis Πόλις nuncupata eſt, Pauſan. *Attic.* item Ἀκρόπολις, (quamvis hoc nomine ſæpe arx veniat, Minervæ ſacra, in editiore urbis loco extructa. in quam neque canibus, διὰ τὸ ἀκόλαστον καὶ δυσώδες, Plut. *Helleniс.* neque capris, niſi in ſacrificii uſum, aditus patebat:) circuitûs 60. ſtadiorum. Auctâ poſtmodum ædificiis urbe, illa diſtingui cœpit εἰς τὴν ἄνω καὶ τὴν κάτω πόλιν, i. e. *in urbem ſuperiorem & inferiorem*, quæ propius ad mare accedebat: cui utrique Piræum à Themiſtocle junctum, omniaque incluſa ſunt uni muro, quem Liv. *l.* 32. *inter multa viſenda* refert; Propert. *l.* 3. *El.* 20. *v.* 24.

---- ---- Theſea brachia longa viæ

Appianus Alex. *de bello Mithrid.* μακρὰ σκέλη, i. e. *longa crura*. Portas urbis hujus enumerat decem Meurſius *Attic. Lect.* initiò, ſed plures ſine dubio fuêre: quarum pulcherrima fuit *Dipylon* ſeu Thriaſia, velut in ore urbis poſita, cæteris major aliquanto patentiorque, teſte Livio *Dec.* 4. *l.* 1. Reliquæ fuêre, *Piraica*, prope quas templum Chalcodontis: *Hippades*, ubi Hyperidis quievêre oſſa: *Sacra*, *Ægei porta*, *Melitides*, ubi Thucydides ſepultus: *Ceramica*, ubi plurimi Lacedæmoniorum, bello Thraſybuli contra 30. Tyrannos, perierunt: *Diochari porta*, *Acharnica*, *Diomea*, *Thracia* &c. Quibus idem Meurſius *Itoneas* & *Scæas* addit: plures ex *Pauſania* eruere licet. Sita fuit ad Cephiſſum fluv. qui olim quidem magnarum navium patiens, à Turcis dein, ne hoſti urbem invaſuro inſervire poſſet, in plurimos rivos deductus eſt. Hiſtoria Urbis ſic digeri poteſt: Poſt Reges, Archontes habuit perpetuos, per annos 315. his Archontes decennales ſucceſſêre, per annos 70. qui cum poteſtate ſuâ abuti cœpiſſent, inſtituti ſunt Magiſtratus annui, uſque ad tempora Piſiſtrati, qui dolô ſatellitum primò, dein tyrannidem invaſit, & Acropoli occupatâ, rerum eſt potitus, per annos 30. Piſiſtratum excepêre filii Hipparchus & Hippias, quorum priore ab Ariſtogitone cæſô, duravit nihilominus per quadriennium adhuc tyrannis, donec ope Lacedæmoniorum Urbi reddita libertas eſt, vide Herodot. *l.* 3. Democraticè itaque regi cœpit annô poſt Cecropem 868. Solone auctore, qui quintum plebis ordinem lege à muneribus publicis excluſit, quam ipſam tamen Ariſtides poſtea ſuſtulit. Oligarchiam dein, imminutâ Areopagitarum poteſtate, conſtituit Pericles, annô 21. belli Peloponneſiaci, traditâ quadringentis rerum ſummâ: qui tamen paulo pòſt ab Alcibiade faſces populo reſtituere ſunt coacti. A Lyſandro poſt hæc *Athenis* occupatis 30. tyranni imperare cœperunt: quorum nomina, *Polyarches*, *Critias*, *Melobius*, *Hippolochus*, *Euclides*, *Hiero*, *Mneſilochus*, *Chremo*, *Theramenes*, *Areſias*, *Diocles*, *Phædrias*, *Charileos*, *Anætius*, *Piſo*, *Sophocles*, *Eratoſthenes*, *Charicles Onomacles*, *Theognis*, *Æſchines*, *Theogenes*, *Cleomedes*, *Eraſiſtratus*, *Phido*, *Dracontides*, *Eumathes*, *Ariſtoteles*, *Hippomachus* & *Mneſithides*. Horum tanta in cives ſævitia fuit, ut magna horum pars Phylen, caſtellum in Attica, confugeret; quibus cum caput & Dux obtigiſſet Thraſybulus, ſuperatis Tyrannis libertatem recuperârunt, eamque obtinuerunt per annos 80. donec poſt mortem Alexandri M. Athenæ, poſt ingentem acceptam cladem, ſub Antipatri jugum redactæ ſunt, qui urbi Demetrium Phalereum præpoſuit, Munychiamque ſorti tenuit præſidiô. Quadrienniô pòſt defunctô Antipatrô, Caſſander hic rerum potitus eſt, qui urbi redditis omnibus, cùm ſubjectam habere poſſet, fœderatam ſibi eſſe maluit, illique ſibi ipſi, quem vellet, præficiendi facultatem dedit. Ita Demetrius Phalereus denuo *Athenis* præfuit, de iiſque tam bene meritus eſt, ut trecentæ ipſi ſtatuæ à populo erigerentur. Poſt quatuordecim verò annos illô expulsô à Demetrio, filio Antigoni cognomine Poliorcete, hic vetera inſtituta reſtauravit, tantamque venerationem ſibi conciliavit, ut nomen Archontis in Σωτῆρος ἱερεὺς mutaret populus, annuſque ab ejus nomine diceretur, duæ inſuper tribus decem prioribus adderentur, Senatu, qui antea 500. erat, è 600. tum conſtante. Poſt obitum Demetrii Antigonus Gonatas, annô regni ſui 19. præſidiarios urbi impoſuit, per decennium. Cui ſucceſſit fil. Demetrius, huic Antigonus Doſon, quem Aratus Sicyonius cùm pepuliſſet, urbem iterum liberam eſſe juſſit, quo in ſtatu permanſit, uſque ad Philippum, penultimum Macedonum Regem: qui urbe occupatâ, inde expulſus eſt à Romanis, qui, fœdere cum Athenienſibus initô, jure ſuo illos frui permiſerunt. Sed bellô Mithridaticô, receptô intra urbem Mithridatis Duce Archeſtratô, urbs à Sulla obſeſſa & expugnata eſt, nullo non crudelitatis genere in victos ſæviente; nihilominus manſit urbi priſtina ſtatus facies, etiam ſub Imperatorib. Romanis, Jul. Cæſare inprimis, Adriano, Antonino, Gallieno: donec imperante Claudiô II. à Gothis occupata eſt, qui cùm immenſam librorum vim in acervum congeſtam flammis jamjam tradituri eſſent, moniti *Græcos, dum his vacarent, belli ſtudia neglectum habituros*, abſtinuerunt. Sub Conſtantino M. Urbs magnopere æſtimata fuit ipſeque Imperator Ἀθηνῶν Στρατηγὸς appellari amavit; quod Niceph. Gregoras nomen fuiſſe dicit τὸν μέγαν Δοῦκα, *magni Ducis*, qui poſtea ſimpliciter *Athenarum Dux* vocari cœpit: Cum hiſce affinitate jungi ipſi Imperatores dignati ſunt, nec mirum, cum non exigua eſſet illorum potentia. Quomodo dein imperium urbis ad Acciajolos, Nerios, Turcas pervenerit, vide ſuprà in voce *Acciajolus*. Populi *Athenienſes*, qui primitus diviſi erant in duos ordines, quibus *inter gradus dignitatis ſortemque aliquid interlucebat*, Εὐπατρίδας & Ἀγροίκους, Dionyſ. Halicarn. *l.* 2. Pollux *l.* 8. *c.* 9. tria facit genera, *Eupatridas*, ſeu Nobiles, quales erant Praxiergidæ, Eteobutadæ, Alcmæonidæ, Ceryces, Cynidæ aliique ex priſcis Heroibus prognati: *Geomoros* & *Demiurgos*, quorum hi opificia exercebant & manuum operâ victum quærebant, illi mediæ inter utroſque conditionis, ex reditibus agrorum commodè vivebant. Aliam poſtea diviſionem inſtituit Solon,

cum enim *Diacrii* ſeu οἱ ἐξ ἄκρου, i.e. ii qui ſuperiorem Urbis partem incolebant, ad Democratiam; *Pediæi*, qui in plano habitabant, ad Oligarchiam inclinarent; *Parali* tandem, qui propius mari habitabant, mediam tenerent viam, Solon negotii arbiter conſtitutus, totum Populum in 4. diviſit ordines, nempe Pentacoſiomedimnos, Equites, Zeugitas & Thetas: qui omnes duodecim implebant Tribus, de quibus *ſuo loco*. Quales autem hodie urbis hujus olim tam celebris, vel potius ruderum ejus ſint incolæ, Fabrolus exponit *Hodœp. Byz. l. 3.*

> —— —— —— *Duràque coactis*
> *Pauperie aſſuêrunt vitam tolerare rapinâ.*
> *Aut paſſim infeſtant furtô, raptóque propinqua*
> *Æquora piratæ; ſed quæ pars æquior, hamo*
> *Fallit inêſcatos tereti ſub arundine piſces.*
> *Aut deſolatas exercet vomere terras.*
> *Semper inops miſera, infelix, rerum omnium egena.*

Vide Fr. Roſſæum *Archæol. Attica l. 1. c. 2. & ſeqq.* ut & ſuprà in voce *Acropolis*. Addam, Athenienſium olim cibum ficus fuiſſe, teſte Æliano *Var. Hiſt. l. 3. c. 39.* *Arcades glandes, Argivi pyra, Athenienſes ficus, Tirynthii ſylveſtria poma comedebant*: diei initium ſumſiſſe ab occidente Sole; annum ab Hecatombæone menſe, qui Junio noſtro reſpondet, auſpicatos eſſe; Clementiæ Deæ nullum ſimulachrum fieri voluiſſe; leges à Dracone & Solone accepiſſe, noctuam in inſignibus habuiſſe &c. Vide quoque Joh. Roſin. & Thom. Dempſter. *in Antiqq. Rom. paſſim*: quibus adjunge Petitum *Commentar. in Leges Atticas*, & Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part. 2. p. 103. & ſeqq.* uti de clementiæ & erga oppreſſos benignitatis fama, quâ ſupra alios olim floruêre, infrà voce *Clementia*, it. *Miſericordia*, dicemus. Hodieque ibidem Eccleſia Græcorum florentiſſima eſt, ſub Archiepiſcopo, cui *Anthimo* nomen. Sedes ei in domo ſuperſtructâ ruderibus ædium Dionyſii olim Areopagitæ, uti creditur, primi Athenienſium Chriſtiani ac Epiſcopi: Sed reditus exigui, & vix ad 4000. mill. Imperialium aſſurgentes. Subſunt illi Epiſcopatus quinque, *Salona & Livadia*, *Bodonitza* in via Lariſſam ducente, *Talanta* ad Euripum & *Inſul. Scyros* in Archipelago. Porrò in *Athenarum* urbe Chriſtianorum Templa ſunt 52. quorum quodlibet ſuum Papam habet, ſacella verò aliaque loca ſacra, tum in Urbe, tum extra eam, ad 200. Vide eundem *ibid.* ut & de territorio locisque etiamnum ad Urbem pertinentibus infrà aliquid, in voce *Meſogia*: plura ſuprà voce *Athenæ*.

ATHENE, meliùs ATENE, Græcè Ἀτήνη, locus fuit apud Athenienſes ad tribum Antiochidem pertinens; quibuſdam ſub *Acolide*, ait *Steph.* Sed cùm nulla hôc nomine tribus eſſet, *Antiochidem* legi jubet *Meurſius*. Ejus memoria ſervatur, in columna exigua, Athenis, hâc *Inſcript.* inſigni:

ΝΙΚΟΜΑΧΟΣ
ΜΗΝΟΦΙΛΟΥ
ΑΤΗΝΕΥΣ:

apud Jac. Sponium *Itinerar. Græc. Part. 3. p. 96.* Vide quoque *Athena*.

ATHENICA, apud Pollionem *d. l. c.* 10 ubi de epiſtola Claudii Imperator. adhuc privati, ad Regillianum Illyrici Ducem ſcriptâ, *quam ego repertam*, inquit, *in Athenicis* (ut reſtituit Salmaſ. cùm aliàs legatur, in *Archivo*) *inſerendam putavi, fuit enim publica*: Bibliothecæ ſunt, ſic dictæ, quaſi loca *Athenæ*, h. e. Minervæ, dicata. Vox illius ſeculi, quales non paucas apud Hiſtoriæ Aug. Scriptores reperias. In Bibliothecis autem reponi aut cuſtodiri moris erat ejuſmodi omnia literaria monumenta, ut epiſtolas & orationes Ducum ac Imperatorum, & quotidiana vel ephemerides Principum ac Senatuſconſulta de Principibus facta aliaque ad eandem rem pertinentia, quæ & publicè ibidem patebant omnibus legenda. Quam ob cauſam Trebellius hôc loco epiſtolam illam Claudii ſibi in *Athenicis* repertam, *publicam* dicit fuiſſe. Sic Vopiſc. in *Aureliano*, c. 1. libros lineos, quibus quotidiana illius Principis erant inſcripta, ex Ulpia Bibliotheca depromtos ſe vidiſſe & habuiſſe refert. Idem in *Tacito* c. 8. S. C. de Tacito Auguſto faciendo, in libro elephantino, fuiſſe perſcriptum narrat, qui liber in Ulpia Bibliotheca fuerit ſervatus, & in armario ejus ſexto repoſitus. Bibliothecæ igitur & *Athenica* illa ſtudioſis vulgò patebant & literatis hominibus &c. Salmaſ. *ad Trebell. Pollionem loc. cit.*

ATHENIENSIS Legio, quibuſdam eſt *Thenen* & *Tillemont*, ſed hoc rectius *Tena* dicitur, oppid. Brabantiæ, ad Getam amnem, deficiens indies. Vide *Tena*. *Baudrand.*

ATHENIO, Dux non obſcuræ famæ ſervorum fugitivorum, qui in Sicilia aliquando rebellaverant: memoratus Jul. Capitolino in *Maximino*, c. 9. *Nobilem circa ſe neminem paſſus eſt, prorſus ut Spartaci aut* Athenionis *exemplô imperaret.* Vide quoque Appian. de *Bell. Mithrid.*

ATHENION, Athenienſis Imperator cujus maxima fuit crudelitas bellô Mithridaticô. Cœl. Rhodig. *l. 22. c. 21.* Item pictor eximius. Plin. *l. 35. c. 11.*

ATHENOCLES, res Aſſyriacas prodidit, teſte Agathiâ *l. 2. Hiſt. ſuæ*, ubi ait, *Beroſum, Athenoclem, & Simacum* antiquiſſimas Aſſyriorum & Medorum res conſcripſiſſe.

ATHENOCLES, Dux machinarum, contra oppugnantes adhibendarum ſcientiſſimus. Polyæn. *l. 6. c. 3.*

ATHENOCLES, Mitylenæus, inter nobiles Toreutas, apud Plin. *l. 34. c. 8.*

ATHENODORUS. Philoſophus, de cujus ætate nemo ambigit, nam Auguſtus eum Tiberio præpoſuit, ut conſtat ex Suetonio *in Claud. c. 4.* imò & Auguſti ipſius Præceptor antea fuerat, teſte Lucianô, *in Macrobiis*; Cui hoc documentum dedit, Cùm, Cæſar ira Te ceperit, nihil priùs, neque dixeris, neque feceris, quàm ipſa 24. elementa Græcarum literarum recenſueris. De patria non convenit inter omnes. Theodorus Metochita, *in Hiſt. Rom. compendio*, Alexandrinum vocat. Verba ejus, *in Vita Auguſti*, hæc ſunt: Σοφὸς δὲ ἐκ Ἀλεξανδρείας, Ἀθηνόδωρος ὄνομα. Similiter *Cedrenus* & *Manaſſes*. Sed *Euſebio* Tarſenſis eſt, itemque *Straboni*, qui *Athenodori* ipſius ætate vixit, ex quo etiam cognoſcimus *Cananiten* vocatum fuiſſe. Sic enim ait *l. 14.* Ἀθηνόδωρος ὁ τοῦ Σάνδωνος, ὃν καὶ Κανανίτην φασὶν ἀπὸ κώμης τινός, Καίσαρος καθηγήσατο, καὶ τιμῆς ἔτυχε μεγάλης, ubi etiam refert, ut jam ſenex in melius mutârit ſtatum patriæ ſuæ, quem perverterat Boethus, & Poeta & civis malus. Quod etiam inuit Lucianus, *ubi ſupra*. Ἀθηνόδωρος Σάνδωνος Ταρσεὺς Στωικός, ὃς καὶ διδάσκαλος ἐγένετο Καίσαρος Σεβαστοῦ θεοῦ, ὑφ' οὗ ἡ Ταρσέων πόλις καὶ φόρων ἐκουφίσθη, δύο καὶ ὀγδοήκοντα ἔτη βιούς, ἐτελεύτησεν ἐν τῇ πατρίδι, καὶ τιμὰς ὁ Ταρσέων δῆμος αὐτῷ κατ' ἔτος ἑκάστου ἀπονέμει, ὡς ἥρωι. Plutarchus, *in Publicola*, eum citat: ἐν τῷ πρὸς Ὀκταβίαν τὴν Καίσαρος ἀδελφήν. Scripſit etiam, περὶ σπουδῆς καὶ παιδιᾶς, teſte *Athenæo*, item περιπάτων, ſive *diſſertationum* libros, quintum 8. citat *Laertius*. Quæſtionem etiam de Oceano, & æſtu ejus tractâſſe, ex Strab. *l. 1.* conſtat, ubi de hac re remittit nos ad Poſidonium & *Athenodorum*, niſi hic diverſus ſit à priori. Nam Strabo *l. 16.* præter eum, etiam alterum fuiſſe ejus nominis ait, itidem Tarſenſem, cognomentô *Cordylionem* qui cum M. Catone vixerit, atque apud eum diem ſuum obierit. Vide Steph. in Ἀγχιάλη. Voſſ. *l. 2. Hiſt. Græc. c. 5.* Videri poſſunt inſuper, Euſeb. *Chron. A. C. 10. Vignier. 5.*

ATHENODORUS, Eretrienſis, libros ὑπομνημάτων ſcripſit, ex quorum 8. quædam de Thetidis & Medeæ in Theſſalia ſuper pulchritudine certamine retulit Ptolemæus Hephæſtionis, cognomento *Chennus*, in novæ ad variam eruditionem Hiſtoriæ *l. 5.* & inde Photius *Cod.* 190. Item ſculptor marmorarius, Plinio memoratus. *l. 34. c. 8. & l. 36. c. 5.*

ATHENODORUS, Epiſcopus Neocæſarienſis in Ponto, celebris, frater Gregorii Thaumaturgi. Diſcipulus Origenis, interfuit concilio Antiocheno, contra Paulum Samoſatenum, A. C. 266. ſub Aureliano Martyriô coronatus. A. C. 275.

ATHENOGERON, apud Hieronym. *adv. Ruff. l. 3.* *Neque* Athenogeronta *meum ſcutica & plagis literas docere contendo*: ſenex eſt ſtudiis vacans. Vide Macrum *Hierolex.*

ATHENOPOLIS, oppid. Galliæ Narbonenſ. Plin. *l. 3. c. 4.* *Ras* quibuſdam, aliis *Tres*, *Yros Ponto*, *Yeres*, ſive *Eres Molrio*. Forſan meliùs Antipolis, *Antibe*: Urbs munita, in ora Provinciæ. 7. leuc. à Foro Julio in ortum æſtivum. Aliis eſt Sambracis, hodie *Grimaut*; in ora Provinc. & intimo receſſu ſinus Sambracitani. *Baudrand.*

ATHENUM, oppid. regni Neapolitani in Principatu citeriori prope fluv. Tanagrum ſeu Nigrum. Ad radices Apennini, parvi circuitus. Principatus tamen titulô gaudet. 9. milliar. à Marſico novo in Occaſ. 16. à Potentia.

ATHEOS, cognom. Diagoræ & Theodori, apud Ciceronem *de Nat. Deor. l. 1. c. 1.* *Quid Diagoras*, Atheos *qui dictus eſt, poſteaque Theodorus, nonne apertè Deorum naturam ſuſtulerunt?* De Diagora enim Athenagoras, apertè promulgatam ejus hanc ſententiam eſſe, *Nullum planè exſtare Deum*, memorat. Et Theodorum iſtum, πάσας τὰς περὶ θεῶν δόξας, *omnes de Diis opiniones*, ſuſtuliſſe, ejuſque auditorem Bionem, Deos nihil eſſe ſtatuiſſe, Laërtius refert *in Ariſtippo*. Utrumque jungit Cæcilius apud Minucium Felicem, *in Octavio*, *Uterque*, ajens, *nullos Deos aſſerendo, timorem omnem, quô humanitas regitur, venerationemque penitus ſuſtulerunt.* Ejuſdem impietatis notatus damnatuſque Anaxagoras Clazomenius, apud Laërtium; quò alludens Lucianus Jovem Mercurio narrantem introducit, ut in fulmine ſuo retuſâ cuſpide duos maximos radiorum ipſe fregerit, dum nuper avidiùs in Anaxagoram Sophiſtam jaculatus fuiſſet, qui ſuis familiaribus ſuaſerat, μηδὲ ὅλως εἶναί τινας ἡμᾶς τοὺς θεούς, *nullô pactô eſſe ullos Deos, qui ita vocarentur.* Eadem de Theodoro quoque Evemero, &, quem iſtis ſocium addit, Euripide, refert Plut. *de Placit. Philoſ. l. 1. c. 7.* Meminit ejuſdem Theodori Diagoræque Epiphanius *Epit. Oper. contra Hær.* qui Panætii quoque mentionem facit, cui ſermones de Deo pro nugis habebantur. Modeſtiùs aliquantum verbis ſaltem, Protagoras Abderites, cujus illud apud Laërtium, περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, οὔθ' ὡς εἰσίν, οὔθ' ὡς οὐκ εἰσίν, *De Diis, neque ut ſint, neque ut non ſint, habeo dicere.* Quem proinde exilium, & ut libri ejus in Foro urerentur, Athenienſium judiciô meruiſſe, teſtatur idem, ut & *Minucius Felix*. Alii. Inter recentiores, meminit famoſi inter Turcas Athei, cui Mahomeus Effendi nomen, Ricautius Anglus *de Statu Imperii Ottom. l. 2. c. 14.* Inter Italos Lucilii Varini, Gramondus *Hiſtor. Gall. l. 3. ad A. C. 1618.* Inter Germanos, qui priorum impietatem vicit, Matthia Knuzemi Holſati, Joann. Muſæus pecul. *Tract.* Quin non ſingulos tantùm homines hoc malum, ſed totas nationes provinciaſque, ſi Scriptoribus credimus, invaſit. Vide de Boruſſis veterib. Jac. Ouzelium *ad Minucium Fel.* de Chichimecis Novæ Hiſpan. aliiſque Americæ populis, *Acoſtam*, de Souldanis, Africæ extrema incolentibus, Herbertum Anglum; de mediæ Africæ gentibus, R. Scharrockium *de Offic. ſecundum jus Naturæ c. 16.* de Zeilanis & Novæ Terræ habitatoribus, eundem &c. Quæ utcunque ſe habeant, dari tamen verè ſeriòque Ἀθέους, meritò negant Eruditi: Veriſſimumque illud Ariſtotelis *de Cœlo l. 1. c. 3.* Πάντες ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν. *Omnes homines de Deo exiſtimationem habent.* Neque enim tales ilicò fuêre, quibus id nomen alii impoſuêre, cùm ſæpe eô notarent, non qui omnino Deitatem abnuerent, ſed qui eadem ſecum de divinis ſentire recuſarent. Sic Anaxagoras ἀσεβείας delatus eſt, quia Solem, Dei locô Athenienſibus habitum, μύδρον διάπυρον, *globum ignitum*, appellavit. Evemerus, quia eos, qui tum pro Diis colebantur, homines fuiſſe oſtendit, *eorum natales, patrias & ſepulchra dinumerando*, uti legimus apud Min. Felicem *d. l.* *Lucianus*, quia fictitios Gentilium Deos adeò ſalsè exagitavit, ut non minùs jocô, quàm alii ſeriâ oratione, eorum vanitatem demonſtrâſſe videri queat &c. Quin ipſos Chriſtianos

nos antiquæ Eccleſiæ eâ maximè criminis opinione, impietatis nempe ſeu ἀθεότητος, Gentilibus exoſos fuiſſe, ex iis apparet, quæ abluendæ iſti criminationi attulerunt, qui Chriſtianorum innocentiam contra Ethnicorum calumnias defendêre, *Juſtinus Martyr*, *Athenagoras*, *Tertullianus*, *Arnobius*, *Minutius Felix*, *Lactantius*. Alii; ut adeò non omnes pii *Athei* habendi ſint, quos eô nomine delatos audimus. Vide Chr. Kortholt *de Calumn. Pagan in Chriſtianos*, & infrà aliquid voce *Impietas*. Et utut ſint, qui oppreſsô rationis judiciô & obfirmatô in impietatem animô, Deum eſſe verbis inficientur, ii tamen innatarum naturâ notionum radices ita exſcindere neutiquam potuêre, ut iſtud, quod ore promunt, ſimulatque, pectore probent, aut ſaltem non formidine oppoſiti animi teneantur. Quam in rem vide multa præclara, præter alios, apud Tob. Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. pur. c. 2.*

ATHERA, Ægyptiorum Monachorum pulmentum fuit, deſcriptum Caſſiano *Collat.* 15. *c.* 10. *Heſychio* ἀθάρη ſeu ἀθάρα, edulium eſt ex tritico & lacte confectum Ægyptiis. Plin. *l.* 22. *c.* 25. & Dioſcorides *l.* 2. *c.* 114. medicamentum fuiſſe dicunt, pulticulam nempe liquidiorem & ſorbilem, ex tritico & Zea molitis, inque tenuiſſimum pollinem redactis, confectam, in infantium uſum, Car. du Freſne *Gloſſar. Carolo Macro* potio fuit hordeacea, quia ἀθὴρ hordei potius quàm frumenti ariſta eſt, teſte Galenô apud Ruellium *l.* 1. *c.* 2. atque in ſuas partes Plinium trahit, qui *d. l. Hæc decoctâ* (inquit) *fit medicamentum, quod Ægyptii* atharan *vocant, infantibus utiliſſimum, ſed & adultos illinunt eo. Farina ex hordeo* &c. Vide eum in *Hordeaceo*.

ATHERITA, vulgò ATHENRY, Urbs Hiberniæ, aliàs amplior, in Connactia provinc. & Gallivenſi Comitatu. *Baudrand.*

ATHESIS, fluv. Galliæ Ciſalpinæ, ex finibus Rhætorum, per fines Tridentinorum, urbem ipſam alluens, deinde Veronam dividens, ad latus Padi paludes ingrediens, non longè à Brundulo in Adriaticum mare influit. Germanis *Etſch* hodiè vocatur. *Niger* vult Straboni *Atagin* eſſe. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 679.

Quales aëriæ liquentia flumina circum
Sive Padi ripis, Athesin ſeu propter amœnum
Conſurgunt geminæ quercus, intonſaque cœlo
Attollunt capita, & ſublimi vertice nutant.

Ubi epitheton minimè otioſum addidit. Celebrata ſiquidem hujus fluv. amœnitas Caſſiodor. *ep.* 48. *l.* 3. *Hunc Atheſis interfluit honorus, amœni gurgitis puritate præterfluit, cauſam præſtans munimentis & decoris.* Claudian. in *Epithal. Hon.* fluvios numerans aptos voluptatibus, principe locô *Atheſin* adhibet, & cùm aliis alia aſſignet, ut Mincio ſuſurros apum, Pado electrum, Tago aurum, huic uni dat choreas verſu illô 52.

Atheſis ſtrepat choreis.

Contrà tamen ſcribit auctor ἄδηλος *Paneg. Conſt. Atheſis ille ſaxis aſper, & gurgitibus vorticoſus, & impetu ferox.* Sed hæc extrema ad celeritatem refer, quâ hic amnis celebris. Sidon. Apollinaris *ep.* 5. *l.* 1. *Velocem Atheſim, pigrum Mincium*, quod accepit à Claudiano; Sic enim ille:

--- *Et velox Atheſis, tardusque meatu*
Mincius. --- --- ---

Nic. Lloydius.

Oritur ex Brenna, monte maximo Alpium, in Comitatu Tirolenſi, Eiſocumque fluv. recipit, infra Bolzanum, & aliquot alios minores; quibus auctus, in Adriaticum mare recipitur, 16. circiter millier à Venetiis in Auſtrum.

ATHICUS, ſeu ETHICO, cognomine *Adelricus*, fil. Lendeſii ſeu Leudeſii Majoris domus, ab Ebroino cæſi, circa A. C. 680. Alſatiæ Ducatum à Theodorico Francorum Rege nactus, Ehenhemii habitavit; ex Berſvvinde ſorore Blidechildis, Chilperico II. Regi nuptæ, pater Ottiliæ ſanctis poſteà adſcriptæ & filiorum quatuor, Adelberti Ducis Alſatiæ, Ethonis ſeu Hettonis Lotharingicæ, Dagſburgicæ ac Habſpurgicæ familiarum auctoris, Hugonis & Batuconis, quorum poſteri in tertia generatione defecêre. Vide Philip. Jacobum Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſtor.*

ATHILLA, Rex Pannoniæ, ſuperbus inceſſu, huc atque illuc oculos circumferens, ut elata potentia in ipſo corporis motu appareret. E Gallia reverſus, Budam fratrem (qui regnum occupaverat) de medio ſuſtulit. *Paulus Jovius.*

ATHINIUS, Saracenorum Rex.

ATHIRCON, vel ATHICHON, XXIX. Rex Scotiæ, initiô regni laudabilius ſe, quàm Ethodius II. pater, cui ſucceſſerat, geſſit, ſubditorum amore mirificè ſibi conciliatô. Poſtmodùm in vitia præceps datus, ann. 12. regni ſibi ipſi manus intulit, cùm compeririſſet inſidias à Magnate quodam, cujus filiam polluerat, ſibi ſtrui. Leſl. & Buchananus *Hiſt. Scot.*

ATHIS, Syriæ urbs ad Euphratem. *Ptol.*

ATHISO, fluv. Inſubrum, Plin. *La Toſa*, vide *Atiſo*.

ATHLETICA, Hier. Mercuriali *vitioſa Gymnaſticæ ſpecies* appellata, hominibus robuſtis efficiendis (talis enim fuit Milo Crotoniata & *Athleta* ille, quem Olympiodorus τὰ βάλλα comminuere ſolitum ſcripſit) quò in certaminibus victoriam reportare ac coronas mereri poſſent, inſtituta eſt; Græcis modò Ἀγωνιστικὴ, modò Ἱεροὶ ἀγῶνες, modò Ἀθλητικὴ, modò Γυμναστικὴ vocitata. Et quidem, quatenus hujuſcemodi certamina, in honorem alicujus Deorum celebrabantur, Latinè *Sacra certamina*, Græcè Ἱεροὶ ἀγῶνες, dicebantur; eorumque exercitatores *ſacrorum certaminum Athletæ* vocati ſunt, τῶν Γυμνικῶν ἀγώνων Ἀθληταὶ nuncupati Xenoph. *de dictis & factis Socr.* Aliter verò appellabantur, quando aut in Amphitheatris aut Circis, ad oblectandum Populum, agones hi peragebantur, aut in Gymnaſiis, vel aliis locis publicis, exercitationis gratiâ duntaxat, fiebant. Nomen hoc tamen omnes, ſecundùm Jul. Pollucem *l.* 2. hujuſcemodi certatores commune habuiſſe reperiuntur, quòd *Athletæ* ut plurimùm vocari ſunt, vel à fine, qui ἆθλον, ſive *præmium* erat, vel ἀπὸ τοῦ ἄθλου, i. e. à *certamine*; niſi potiùs, quod maluit Galenus, dicamus nomen illud ἀπὸ τοῦ ἀθλεῖν ſive ἀπὸ τῆς ἀθλιότητος, derivari, ad ſignificandas hujuſce generis hominum incredibiles ærumnas: eoque comprehenduntur Palæſtritæ, Pugiles, Pancratiaſtæ, aliique qui cùm id ſolam propoſitum haberent, ut ad certamina ſeſe compararent, in quibus interdum totum diem, aut luctari, aut παγκρατιάζειν cogebantur, cibò indigebant corruptu & evaporatu difficili, cujuſmodi eſt cibus ex ſuillis carnibus, quibus ſoli veri *Athletæ* veſcebantur: in hoc à cæteris diverſi, quòd ſolùm vincere & coronam aſſequi ſtuderent, cùm alii vel bono habitui corporis acquirendo & ſanitati tuendæ, quod *Gymnaſtica legitima* ſeu *Medica*; vel militari fortitudini & peritiæ acquirendæ, quod *Gymnaſtica bellica* ſuit, animum vireſque attenderent. Uti autem Gymnaſtici ludi à Lycaone, ſic *Athleticam ab Hercule Olympia*, inventam fuiſſe, docet Plin. *l.* 7. *c.* 56. quæ ars cùm primitùs illuſtria fuerit & admiratione digniſſima, longô poſteà temporis intervallô ita corrupta, atque adulterata eſt, ut dum illius exercitatores ſpe victoriæ & præmii, corpori incraſſando roborique comparando animum incumbebant, mentem etiam craſſam, ſenſuſque omnes hebetes, torpidos ac ſegnes redderent. Unde *Plut.* Græcos ejus operâ torpentes atque langueſcentes ab armis delapſos, contentos fuiſſe pro ſtrenuis atque bonis militibus, peritos palæſtritas atque *Athletas* dici, conqueritur. Caſſiodor. *Variar. l.* 5. *c.* 42. loquens de ſolemnibus ludis, qui ab *Athletis* exercebantur, eos ab Athenienſibus, in honorem Dianæ, primùm introductos tradit, ubi etiam, ut fierent, & quâ arte quibuſque inſtrumentis adverſus immaniſſimas feras decertarent, morteque præmia conſequerentur, multis exequitur. Primus verò robori & magnitudini artem addidiſſe Theſeum, Pauſan. teſtatur *in Atticis*. Cùm autem plurimis certaminum generibus corporis magnitudinem, robur ac celeritatem ſibi conciliare quærerent *Athletæ*, quinque tamen præcipua erant, in quibus vel ſemper, vel plerumque, tam in ſacris certaminibus, quàm in Ludis, Amphitheatris & publicis Spectaculis, ſed præſertim in Stadio, quod ferè ſolis *Athletis* propriè deſtinatum erat, certabant: *Lucta*, *Pugilatu*, *Curſu*, *Saltu* & *Diſcu*. Unde *Luctatores*, *Pugiles*, *Curſores*, *Saltatores*, & *Diſcoboli* nuncupabantur, qui ſeparatim in ſingulis pollerent; ſicut *Pancratiaſtæ*, qui luctâ ſimul & pugilatu, *Pentathli* ſeu *Quinquertiones*, qui omnibus. *Periodon viciſſe* dicebantur ii, qui Pythia, Iſthmia, Nemea & Olympia viciſſent, nomine à circuitu eorum ſpectaculorum mutuatô, ut habet *Feſtus*. Erant poſtmodum *Halteres*, *Jacula* atque nonnulla alia, quorum quoque certamina *Athletæ* obibant, at in publicis illa Ludorum ſacrorumque Certaminum celebrationibus rarò peragebantur, unâ exceptâ *Monomachiâ*; quam Græcos Sacerdotes, æſtivô tempore, Pergami exercere conſuêviſſe, memoriæ prodidit Galenus *l.* 3. *de Art. c.* 13. Quanti Ars hæc habita fuerit Plinii ævô, docet is *l.* 56. *c.* 4 cùm Athletis *ludos ingredientibus omnes aſſurgere, etiam Senatum, eoſque Senatui proximè ſedere, nec non cum Patribus, Avis paternis, à quibuſvis muneribus vacare & victores in Patrias triumphantes invehi*, conſueviſſe, refert. Imò *Athletis* ingenuos cædere atque occidere, quòd aliis vetabant Leges, non modò licuiſſe, verùm etiam honorificum fuiſſe, auctor eſt Sextus Empiricus *Hypoth. Pyrrhon. l.* 3. Ne dicam quod Euſebius *de Præp. l.* 5. multô ſermone damnat veteres, eò ſuperſtitionis atque inſaniæ provectos, ut pugiles quoſdam atque *Athletas* in Deorum numerum referrent. Sapientioribus contra id hominum genus acriter inſectantibus, inter quos Euripides, apud Galen. *in ſua ad bo. art.*

Κακῶν γὰρ ὄντων μυρίων καθ' Ἑλλάδα,
Οὐδὲν κάκιόν ἐστιν Ἀθλητῶν γένους.
Οἳ πρῶτον οἰκεῖν οὔτε μανθάνουσιν εὖ,
Οὔτ' ἂν δύναιντο, πῶς γὰρ ὅστις ἔστ' ἀνὴρ
Γνάθου τε δοῦλος, νηδύος θ' ἡσσημένος,
Κτήσαιτ' ἂν ὄλβον εἰς ὑπερβολὴν πατρός;
Οὐδ' αὖ πένεσθαι, κἀξυπηρετεῖν τύχαις.
Ἔθη γὰρ οὐκ ἐθισθέντες ἐσθλὰ
Σκληρῶς μεταλλάσσουσιν εἰς ἀμήχανα.
Cum mala innumera per Græciam ſerpant,
Nullum deterius Athletarum genere eſt,
Qui primum bene incolere haud diſcunt,
Neque poſſunt etiam, quò etenim modò,
Quiſquis eſt gulæ deditus, ventrique indulget,
Divitias parabit, ut alat familiam?
Neque item egeni eſſe & fortunæ inſervire
Sciunt: Nam in malis diu verſati
Moribus, non facilè mutantur in melius.

Neque tamen defuêre, qui Artem hanc Commentariis celebrare niterentur, quales fuerunt Tryphon ac Theon Alexandrinus, qui ab *Athletica*, in qua excellebat cognitâ ejus pravitate, ad Gymnaſticam tandem tranſiit. Ne taceam Platonem qui, cùm *Athleta* priùs fuiſſet, inde ad Philoſophiam ſe contulit, Serv. *ad Æn. l.* 7. & Laërtius *in Vita ejus*. Non verò eadem quôcunque tempore præmiorum genera *Athletis* prępoſita fuêre. Verùm, ut Clemens Alexand. *Pæd. l.* 2. *c.* 8. memoriæ prodidit, primò fuit δόσις ſeu *donum*, ſecundò *plauſus*, tertiò *foliorum* conjectio, poſtremò *corona*, quam iterum, pro triplici eorum gradu, triplicem agnoſcit Imperator *l. Athletas ita Cod. de Athletis* à qua occaſione gradus præmiaque Academica non abſurdè deducit Anſelm. Solerius *de Pileo ſect.* 10. Vivendi porrò rationem *Athleticam* quod attinet, antiquioribus temporibus veſci caricis, illis præſcriptum fuiſſe, ſcribit Plinius *l.* 23. *c.* 7. ut nempe pingueſcerent: Idem Pythagoram primum carnem iis comedendam exhibuiſſe, notat, quod

Ori-

Oribaſius Gorœ tribuit, quem, caricarum uſu ſublatâ, Eurameni Samio primum carnes appoſuiſſe tradit. Quorum utrum ſit, ante Hippocratis certè ætatem carnibus *Athletæ* veſcebantur, & præſertim ſuillis, ut ipſe de Beante pugile refert *Epidem. l.* 5. §. 70. bubulis item, ut ex *Galeno* conſtat, qui ex illis & pane cum caſeo ſine fermento facto, quod *Coliphium* dictum, victitâſſe ſcribit. Thebanum tamen quendam caprinas carnes, alium Apri glandulas manducâſſe, viribuſque cæteros omnes ſuperâſſe, ſcribunt Clitomachus Carthaginienſis & Martial. *l.* 3. *Epigr.* 81. v. 19. 20. Porrò Plinius Valerianus *nullum Athletarum cibum abſque anetho extitiſſe*, docet *de Rem. l.* 4. c. 27. Quantum verò cibi aſſumſerint *Athletæ*, innuit Galenus *de dignot. pulſ. l.* 2. cùm iis *carnis minas duas pancum cibum fuiſſe*, narrat: Unde *Athleticus victus* in Proverb. abiit notumque quod de Milone Crotoniate ac Heraclide pugile literis eſt proditum. Tertullian. *de Pallio* c. 2. meminit ſiccæ ſaginationis *Athletarum*, quæ fortè fuit xerophagia *Cælio* & *Joh. Capiano* memorata, quâ ſcil. ficus aridas, nuces & mel coctum, nil humidum ſumebant; non placentas, ut ait Arrianus *in Epicteto*, non frigidum potum: & de qua Plautus *Moſtellar*, *Actu* 1. *ſc.* 2. v. 72. ubi Adoleſcens quidam ſic;

> *Quo neque induſtrior de juventute erat*
> *Arte Gymnaſticâ; diſco, haſtis, pilâ,*
> *Curſu, armis, equô, Victitabam volupe:*
> *Parſimoniâ & duritie.*

In cœna inprimis validiſſimos ſumebant cibos, quos *ambulatione magis quam ſomnô*, *perficiebant*. Plin. *l.* 21. c. 53. varietatem inſuper vitabant, Plut. *l.* 4. *Sympoſ. Problem.* 1. In ſomno verò, motu ac quiete, adeò nullam ſervabant menſuram, ut qui modo totâ die laborarent, quando ſcil. exercitium Τέλειον ſive *univerſale* vocatum inibant; modò noctè, modò à cibo, modò antè: quaſi propoſitum in omnibus temnerint Hippocratis præcepta (*labores, cibi, potiones, ſomni, Venus, omnia moderata*) negligere & id unicè operæ dare, ut ſine regula viverent. Nec major ipſis aëris cura, quamvis Antiqui curârint, ut, ad futura certamina ſe præparantes, in ſalubri aëre exercerentur: ſicut manifeſtum eſt è Xyſtis, quas ideo fabricatas in Gymnaſiis, ſcribit Vitruvius *l.* 5. c. 11. quò Athletæ in hyeme, ad vitandas aëris injurias, inibi in ſalubriori aëre commodius exercen valerent; quô tempore multas plagas perferebant à Pædotribis, nec non victum haud jucundum, ſed à Magiſtris exercitationum præſcriptum, ſequebantur, Baſilius M. *Hom.* 54. Ita *Strabo*, *veteres conſueviſſe Athletas Ravennam mittere, ut ibi in ſalubriori aëre commodiùs exercitarentur*, literis prodidit. Ab animi affectionibus ut ſibi temperarent, edocti ſunt & Pyrrhus quidem, maximus certaminis Gymnici præceptor, ſolitus eſt iis, quos exercebat, præcipere, *ne iraſcerentur*, Senec. *de Ira l.* 2. c. 14. A Venere prorſus abſtinuerunt, ut Plato docet *de LL. l.* 8. de Aſtylo, Diopompo Criſſone, Icco Tarentino verba faciens: & (præter Galenum *de loc. aff. l.* 6. ac Baſilium M. *Hom.* 52.) de Blatara, Martialis *l.* 11. *Epigr.* 48. v. 1. 2. ſcribit, quem gelidâ corpus perfundere conſueviſſe ait, ut libidinis ſtimulos minus ſentiret. Imo non ſolum hôc remediô contra Venerem utebantur Athletæ, verùm etiam laminas plumbeas renum & lumborum regionibus eô fine adlubebant, Plin. *l.* 34. c. 18. & Caſſian. *l.* 6. c. 7. quò reſpexiſſe D. Paulus videtur, cùm dicit: *Qui in ſtadio currunt, ab omnibus abſtinent*, vide quoque Chryſoſtomum 1. *ad Cor.* c. 9. v. 25. atque Ælianum & Clem. Alex. *l.* 3. *Strom.* Addam hoc unum, quod modo memoratus Clemens, *Pædag. l.* 3. c. 5. quaſi ludens memoriæ mandavit. *Athletas hanc unam honeſtatis imaginem habuiſſe, ut nunquam in publicum ad certandum ſine ſubligaculis prodirent.* Quem morem ab Hercule primùm invectum, ſicut a Palæſtra, Mercurii filia, pudendos locos obtegendi conſuetudinem inter mulieres, quæ curſu aliiſque exercebantur, introductam eſſe, memoriæ mandatum eſt. Quanquam Dionyſius Halicarn. *Antiqq. Rom. l.* 7. ſcribat, ex Homero colligi, *Apud priſcos illos turpe habitum eſſe nudos certare, primum autem omnium Olympiade quintadecimâ Acanthum Lacedæmonium, Olympiacô ſtadiô decurrentem, totum corpus denudaſſe, pudendis tantùm ſubligaribus campeſtribus obtectis.* Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. paſſim, inprimis vero l.* 1. c. 13. & *ſeqq.* hic paſſim, vocibus *Gymnaſium*, *Palæſtra*, *Sudore uno* &c. uti de nominibus Athletarum in unam cuipes ſolitis, infrà voce *Homogrammi*.

ATHLIBIS, urbs Ægypti; alia Arabiæ. *Steph.*

ATHLULA, Arabiæ urbs. *Dio. Epitoma Xiphilini*.

ATHMATHA, i. e. *Lacerta*, vel *ſtellio*, civitas in tribu Judæ. *Joſ.* c. 19. v. 35.

ATHMONUM, pagus Cecropis tribûs. *Steph.* Erat ibi Templum Veneris Uraniæ, extructum à Rege Porphyrione, qui ante Actæum his locis regnaverat, item Templum Dianæ Amaryſiæ, cujus in honorem feſtum cognomine celebrabatur Athenis. Hinc Ἀθμονεὺς, demô ſeu pagô hôc oriundus. *Inſcr.* Athenis in Æde *Panagia Gorgopiko*.

> . . . ΝΕΥΣ ΧΑΡΙΕΣΣΑ ΑΡΙΣΤΩ
> ΝΟΣ ΕΞ ΑΘΜΟΝΕΩΝ.

Indidem Nicias Archon erat &c. Vide Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *p.* 185. & *Part.* 3. *p.* 83.

ATHOCARÆ, apud *Plinium*, per tranſpoſitionem, pro *Athocaræ*, quos vide.

ATHOCI, Hæretici memorati *Hiſtor*. Concilior. *Tom.* IV. Seculô XIII. *Animas cum corporibus interire*, docuerunt. Vide Tobiam Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentilis pur.* c. 17. §. 12.

ATHOLIA, provinc. Scotiæ Septentrionalis intra montes, in mediterraneis ubi aliàs pars Caledoniorum popul. Ei adjacent provinciæ Perthia, Badenothia, Abria & Straterna. *Baudrand.*

ATHONA, Arabum urbs. Joſeph. *Ant. Jud. l.* 14. c. 2.

ATHOS, mons Macedoniæ, nunc in tractu *Jamboli* dicto, inſtar peninſulæ in mare Ægæum excurrens, inter ſinus Strymonicum, & Singiticum, cujus umbra in Lemnum inſul. inde in ortum 87. mill. paſſ. diſtantem uſque pertingit. Plin. *l.* 4. c. 10. & 12. Unde adagium, *Athos celat latera bovis Lemniæ*; de iis, qui gloriam aliorum obſcurant, in *Athos* ſimulacrum bovis Lemniæ ex candido lapide factum & excuſum. Thucydides *l.* 4. Ἄθων, ὄρος ὑψηλὸν, Virgil. *Æn. l.* 12. v. 401. *Quantus Athos, aut quantus Eryx.* Hic eſt mons ille qui perfoſſus à Xerxe. Æſchines, *contra Cteſiphontem*: Ὁ τὸν ... βαδίζων ὁ τὸν Ἄθω διορύξας. Lucan. *l.* 2. v. 672.

> *Talem fama canit tumidum ſuper æquora Xerxem*
> *Conſtruxiſſe vias, multum cum pontibus auſus,*
> *Europamque Aſiæ, Seſtonque admovit Abydo,*
> *Inceſſitque fretum rapidi ſuper Helleſponti,*
> *Non Eurum, Zephyrumque timens, cum vela, rateſque*
> *In medium deferret Athon.*

Juvenal. *Sat.* 10. v. 174.

> ——— ——. *Creditur olim*
> *Velificatus Athos.*

Claudian. *l.* 1. *in Rufin.* v. 337.

> *Seu te cana gelu Rhodope, ſeu remige Medo*
> *Sollicitatus Athos.*

Idem, *de Bello Getic.* v. 177.

> *Nil Rhodope, nil vaſtus Athos, nil profuit Æmus.*

Leporibus olim abundâſſe innuit Ovid. *l.* 2. *de Art. Am.* v. 517.

> *Quot lepores in Atho: quot apes paſcuntur in Hybla*

Jungitur Iſthmo 12. ſtadior, in quo 24. monaſteria Monachorum Græcorum, quorum celeberrima, *Gato pedos* & *Agia laura*. Vide *Baudrand.* Eſt & *Athos* urbs in monte. *Strab.* & locus in Ægypto, Euſeb. *Præp. Evang. l.* 9. Inde *Athous Jupiter* in vertice montis cultus. *Pauſan. Heſych.* Ἀθῷος, ὁ ἐπὶ Ἄθῳ τῷ ὄρει ἱδρυμένος ... ὁ Ζεύς. Mons hodiè *M. Santo* dicitur, Græcis Ἅγιον ὄρος. Turcis *Sedideg* vocatur. Cæterùm, *de Jove Athoo* nonnulli interpretantur imaginem, quæ in Athoitarum nummis comparet. Sed ea potiùs *de Atho Gigante* eſt accipienda, cujus meminit Nicander apud *Stephanum*:

> Καὶ ἐκ Ἄθω ὄρος ὑψηλόν,

In toto Stephano vix alter eſt corruptior locus, quem ſic reſtituit Is. Voſſ. *Obſerv. in Mela l.* 2. c. 2. p. 137.

> Καὶ ὡς Ἄθω ... ὑψηλὸν ... Θρηΐκιον αὐτ' ἀγρῶν
> Ἐλάοντα, ὑδατόεις ... λίμνη,
> Ἥν ἀνασπῶν χείρεσσι δύω ... ἐπὶ Λήμνῳ
> Ἠλάσατο ..., Καναστραίου παρὰ ἄκρης

h. e. quod vult, Athon quendam Gigantem bellô contra Deos, cùm tam vaſtam molem vidiſſet in ſolo Thracio, inde ſolviſſe eam, fundatam prius ſub immenſa palude. Unde evellens radicitus, ambabus manibus montem illum jactavit, propè Lemnum inſulam, ad pedem promontorii Canaſtræi. Hunc montem perforâſſe Xerxem ſuprà oſtendimus, quod inter celebriorum Sophiſtarum materias aſſumptum fuiſſe, ex *Luciano* & *Hermogene* licet colligere. Mela *loc. cit.* *ex emendatione Iſ. Voſſii*: *A Xerxe in Græcos tendente perfoſſus, tranſnavigatuſque eſt, ſulcus freto navigabili pervius.* Hanc Xerxis foſſam, quæ erat mille quingentorum paſſuum, ſive 12. ſtadiorum, fretum ſimiliter vocat Plin. *loc. cit.* Catullus verò *mare*, in coma Beronices v. 46. *Epigr.* 67.

> *Cùm Medi peperêre novum mare, cumque juventus*
> *Per medium claſſi barbara navit Athon.*

Meliores auctores paſſim *Atho* dicunt τὸν Ἄθω, non *Athon*. Sed & *Athonem* qui vocant, rectè faciunt, ſic *Cicero* & alii. Corruptiſſimus eſt Ammiani Marcellini locus, *l.* 31. de hac ipſa Athonis foſsâ, quem ab aliis jam depoſitum ſic emendat Is. Voſſius: *Reſipiſcant tandem memoria veteres Medicas acies ductantes ad Græciam: quæ dum Helleſponti occupantes, & diſcidio quodam ſabuli, mare ſub imo Athonis pede quæſitum, exponunt, & turmatim apud Doriſcum exercitus recenſitos, concordante omni poſteritate, ut fabuloſa ſunt lecta.* Bellonius, *l.* 1. c. 35. qui anguſtias peninſulæ, quam efficit *Athos*, luſtravit, & ipſe quoque hanc Xerxis foſſam fabuloſam eſſe exiſtimabat, nempe quia nulla inciſionum veſtigia invenit. Sed, qui fieri potuiſſet, ut per tot ſecula ductus aquæ, ad pedem tam vaſti montis ſitus, ſervari potuiſſet? Hoc illud ipſum eſt, quamobrem Græci laborem illum Xerxis ſtultum & inſanum adpellârunt, gnari foſſam iſtam à defluviis & impendentibus ruinis ſtatim eſſe obruendam. Æliani tamen ſeculô, veſtigia hujus perfoſſionis extitiſſe videntur; locus eſt *l.* 13. *de Animal.* c. 20. Vide de hoc monte etiam Herodot. *Muſâ* 7. *Nic. Lloydius.*

ATHOTIS I fil. Menis, II. Rex primæ dynaſtiæ Thinitarum, in Ægypto, medicinæ peritiſſimus, de Anatomia libros ſcripſit, & regale palatium Memphi ædificavit. Jul. Africanus, Scaliger, in *Can. Iſagog.* p. 221. Ægyptii vocârunt Θωὺθ, Græci Ἑρμῆν, h. e. *Mercurium*, poſt obitum enim & ii conſecrationis honore donatus eſt: Sicut frater ejus, Memphitici regni conditor, *Toſorthrus*, nomen & cultum *Æſculapii* obtinuit. Illi tribuuntur anni regni 57. Pater fuit, *Athotis* II. & *Cencenis*, ſub quibus Thebaidis regnum ſic diviſum, ut alter ad Nili Orientem imperaret, alter ad Occidentem. Unde Athotis II. Thebanorum Regum ſeriem continuavit, præfuitque annos 32. cui ſucceſſit Diabies fil. alter Thinitarum regum ortus eſt. Vide Marſhamum *Canone Chron.* & infrà voce *Thu*; item voce *Toſorthrus*.

ATHRA, oppidul. Hiberniæ, in Lagenia & Comitatu Kildarienſi, ad fluv. Burgum, medium fermè inter Caterlogum & Kildariam.

ATHRES, fluv. Scythiæ Europææ. *Herodot.* *Labus* hodiè.

ATHRIBIS, urbs Ægypti *Athribitæ* Nomi Metropolis præciſè in medio τῆς Δέλτα, quaſi dicas, *corpyri*, ut ex veteri Grammatico Ægyptio *Orione* docet *Etymologus*, Ἀθρίβιν … Nempe Ægyptiis *ath*, vel *at* eſt *cor*, ut ſcribit Horus *Hieroglyphicôn l.* 1. *c.* 7. & *ibi*, vel *ribi*, *pyrum*. Vide Bochart. *Phaleg l.* 1. *c.* 14. Huic *Athribiticus* amnis, alterum ex diverticulis Bubaſtiaci amnis, qui ad tertium Delta ſe in duos διαλλάξ findens, oſtium Pineptimi & oſtium Athribiticum efficit: quorum hic διαλλὰξ per ipſam urbem *Athribim* in mare effunditur, hinc nomen conſequitur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 477.

ATHRITÆ, Arabiæ Felicis gens. *Ptol.*

ATHRULLA, Arabiæ oppid. *Strabo.*

ATHUM, Oppid. permunitum Belgii, in Hannoniæ Comitatu ad fluv. Teneram. Captum eſt A. C. 1667 à Gallis, quibus manſit, pace ad Aquiſgranum confectâ: ſed Neomagenſi, redditum eſt.

ATHYMBRA, urbs Cariæ juxta Mæandrum, *Nyſſa* poſteà dicta, ab *Athymbro* condita. Strab. *l.* 14.

ATHYNA, oppid. Sclavoniæ, in monte, verſus Dravum fluv. prope fontes Orſavæ fluv. 6. milliar. German. à Sigetho in Auſtrum.

ATHYR, menſis anni Ægyptiaci, Junio Romanorum reſpondens, quò dicunt Oſiridem *aphaniſthênai periiſſe*. Itaque Sacerdotes hòc menſe … *Bovem auratum pullà veſte byſſinâ amictum oſtendunt in luctu Deæ* (Iſidis) *Nam Bovem putant eſſe Oſiridis imaginem*, Plut. *de Iſide*. Strabo eundem eſſe dicit, ὁ βοῦς Ἆπις, ὁ ἐστιν ὁ αὐτὸς Ὄσιρις, *Bos Apis, qui idem eſt Oſiris*, *l.* 17. Vide *Apis*, *Iſis*, *Oſiris* &c. At Græcis … Vide *ibi*.

ATHYRAS, Thraciæ fluv. *Ptolem.* in Propontidem ſe exonerat, prope Selymbriam. *Baudrand.* hodiè *Acqua dolce*, Plinio *l.* 4. *c.* 11. *Atyras*. Item *Athyra* plur. numer. urbs Epiſcopalis, & nunc Metropolis. ibidem.

ATHYRCE, fœmina ſolertiſſima, Seſoſtris Ægypti Regis inclyti, filia. Joh. Marſhamus *Canone Chron. Sec.* XV. ubi *de Seſoſtris Succeſſore.*

ATHYTA, ſacrificia, quæ ἄνευ θυσιῶν, i. e. *ſine victimis* offerebantur Diis. Cæl. Rhodig. *l.* 12. *c.* 2. Ἀκαπνόθυτα Luciano, quaſi *ſine fumo*, & proindè *exigua*, qualia ſunt inopum, quibus non eſſet victimarum copia. At apud Philonem Jud. *Vita Moſis*, ubi *de Vitulo aureo*, in Deſerto ab Iſraëlitis conflato, θυσίας illorum ἀθύτους καὶ χορεὰς ἀχορεύτους, ſunt *ſacra profana & chorea incondita*. Joh. Marſhamus *Canone Chron. Sec.* IV. ubi de *Apide & Mnevi.*

ATIA, Caji Julii Cæſaris ex ſorore Julia neptis, nupta L. Philippo, quorum filia Octavia C. Marcello elocata.

ATIA, mater Auguſti, vide *Accia.*

ATIA, Romanorum urbs in Campania, à Samnitibus expugnata. Diodor. Sic. *l.* 20.

ATIDIUS Cornelianus, cæſis Legionibus, à Vologeſe Parthorum Rege fugatus, A. C. 166. ſub Antonino Philoſopho Imperatore Dion. *l.* 71. Vide quoque Jul. Capitolin. in *Vita* hujus Imperatoris *c.* 8. ubi tamen *Attilius Cornelianus* potiùs legendum eſſe monet Caſaubon. ex antiqua *Inſcr.* in qua filius hujus ita dicitur.

ATII, ab Ati Trojano, de quo Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 569. 570. Quod Auguſti causâ ſcriptum Servius ait, qui ex *Atia* matre natus eſt. Neque enim ulla vetus *Atiorum* mentio eſt. *Atii* plebeii fuerunt, neque Præturæ gradum exceſſêre, cognominaque *Varri*, *Pauli* & *Balbi* tulerunt.

ATILAS, vide *Atyla*, item *Attila.*

ATILIA, gens Romanorum plebeja, ſed antiqua, ex qua nonnulli egregii viri prodierunt.

ATILIA Lex, lata, ut videtur Sigonio, ante annum Urb. Cond. 565. fuit. *Ut mulieribus & pupillis tutores non habentibus a Prætore & majore parte Tribunorum Plebis darentur*: Cui tutores hinc *Atiliani* dicti ſunt: Meminit legis Liv. *l.* 39. A Claudio Imperatore poſtmodum abrogata videtur, qui ſanxit, ut Conſules pupillis utriuſque ſexus Auctores darent, quod viciſſim ab Antonino Philoſ. ſublatum refert Capitolin. ab eoque Prætorem tutelarem inſtitutum. Alia, lata à L. *Atilio* Tribuno Plebis de *deditiis*, fuit an. 544. Urb. Cond. cujus mentio apud Liv. *l.* 26. Item *Atilia* Marcia Lex, quam tulêre L. Atilius, C. Marcius Tribun. Pleb. an. Urb. Cond. 442. voluit: *Ut Tribuni militum ſeni deni in quatuor legiones à populo crearentur, quæ antea, perquam paucis ſuffragio populi relictis locis, Dictatorum & Conſulum ferme fuerant beneficia*, Livius *l.* 9. *c.* 30.

ATILIA, pagus Vindeliciæ in Bavaria apud Danubium. *Altenburus Aventino*, *Azelburus Welſero.*

ATILIANA, Hiſpaniæ Tarraconenſ. oppid. inter Aſturicam & Tarraconem. *Antonin.* Nunc *Sadava*, oppid. Aragoniæ in confinio Navarræ, juxta fluv. Riguelum. *Baudrand.*

ATILIUS, Libertini generis, qui cœptô apud Fidenam amphitheatrô, quò ſpectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per ſolidum ſubdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem ſuperſtruxit. Unde convulſa moles, dum ruit intus aut in exteriora effunditur, immenſam vim mortalium ſpectaculo intentos, aut qui circum adſtabant, præceps trahit atque operit. Quinquaginta hominum millia eo caſu debilitata aut obtrita ſunt. Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 62. 63. Atilius in exſilium actus eſt, cautumque in poſterum Senatuſconſultô, nequis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res, neve amphitheatrum imponeretur, niſi ſolo firmitatis ſpectatæ. Contigit M. Licinio, L. Calpurnio Conſulib.

ATILIUS Rufus, Conſularis, Syriæ ſub Domitiano, Præſes, ibique mortuus. Tacit. *in Agric. c.* 40.

ATILIUS Severus, vide *Severus.*

ATILIUS Vergilio, vexillarius comitantis Galbam cohortis, viſo cominus armatorum agmine, direptam Galbæ imaginem ſolo afflixit. Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 41. Plutarcho *in Galba*, dicitur *Servilius* neſcio an rectè.

ATILIUS Verus, aquilam ſeptimæ legionis à Galba nuper conſcriptæ, in prœlio ad Cremonam, multa cum hoſtium ſtrage & ad extremum moriens ſervavit. Fuit centurio primipilaris. Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 22.

ATILLA, Mater Lucani Poëtæ, à fil. ſpe impunitatis, inter conſcios Piſonianæ conjurationis nominata. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 56.

ATINA, hodie ATINO, civitas vetus Campaniæ. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 630.

> —— *Atina potens, Tiburque ſuperbum.*

Martial. *l.* 10. *Epigr.* 92.

> *Marri, quietæ cultor & comes vitæ,*
> *Quò cive priſca gloriatur Atina.*

Sil. Ital. *l.* 8. *v.* 398.

> —— *Nec monte nivoſo*
> *Deſcendens Atina aberat.*

Populi *Atinates*. Servius *in Virg. locum prædictum*: *Civitas eſt juxta Pomptinas paludes dicta Atina, a morbis, qui Græce Ἄται dicuntur, quos paludis vicinitas creat.* Sanè curioſum Grammaticum, ut haud rarò aliàs, hic quoque ſe prodit Servius potius, quàm Geographum; à Pomponis enim paludibus longè abeſt *Atina*, apud ipſum Apenninum montem in edito, &, ut Silius ait, *nivoſo colle* ſita. Nunc vicus eſt Campaniæ Felicis prope Melum amnem, ad radices Apennini. *Baudrand.* Eſt etiam *Atina*, vicus regni Neapolitani in provinc. Principatus citerioris, penè ſemidirutus. *Idem.*

ATINETUS, libertus Cæſaris, ut ipſe teſtatur in marmore dicato cineribus uxoris Homonææ, cum epitaphio pulcherrimo, quod ſe legiſſe Romæ *Tortellius* teſtatur.

ATINIA Lex, ab Atinio Tribuno Plebis lata, ſanxit: *Ut, qui Tribunus Pleb. eſſet, decerrendæ in Senatu ſententiæ jus haberet*, A. Gellius *l.* 14. *c. ult.* Alia de uſucapionibus extat, quâ cautum fuit, *Ut, quod ſurreptum eſſet, ejus rei æterna eſſet auctoritas: niſi in ejus, cui ſurreptum erat, poteſtatem reveniſſet*, A. Gell. *l.* 17. *c.* 7. Vide & Cicer. *Verrinâ* 3.

ATINTANIA, pars Macedoniæ. *Steph.* Hinc *Atintanes* populi Macedoniæ in Oreſtide regione. *Polyb.* *Thucydides* eos Moloſſis annumerat.

ATINUM, Lucaniæ oppid. apud fluv. Tanagrum, inter Palam, & Salam. Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 1254.

ATISO, Inſubrum fluv. Verbanum lacum influens, *Toſa* hodiè vocatur, teſtibus Leandrô, & Caſtilionæô. Hujus Plut. meminit in *C. Mario*; Ubi Xylander & Cruſerius *Atheſin* interpretantur, quàm benè ipſi viderint. *Atiſis* habet *Liviana epitome*. Vide omnino Cluver. *Ital. Ant. l.* 1. *p.* 139.

ATIZIES, nomen Perſici purpurati, apud Curtium *l.* 3. *c.* 11. quem ſcribit in prœlio ad Iſſum cecidiſſe. Diodor. Sic. *l.* 17. vocatur *Atizyes*.

ATLANTA, vel ATALANTA, civitas Locrorum, terræ motu inſula facta ante Platonis nativitatem. *Euſeb.*

ATLANTES, Æthiopiæ populi *Herodoto*, Melæ, *l.* 1. *c.* 4. ac Plinio, *l.* 5. *c.* 8. inter quos nullam nominum appellationem eſſe ajunt. Hi fortè hodiè regnum *Borno* dictum habitant, cujus incolas nullum proprium nomen habere tradit *Joh. Leo*, omneſque à quodam accidente appellari; ut quem procerâ staturâ conſpiciunt *procerum*; quem pinguedine onuſtum, *pinguem*; ſic *cæcum*, *calvum*, *ſurdum*, &c. nominant. Alii duo ſunt populi eôdem nomine, decem dierum itinere inter ſe diſſiti, ut apud Herodotum videre eſt *l.* 4. ubi tradit, à Garamantibus decem dierum itinere ſalis tumulum reperiri, circa quem habitent homines, οἳ ἀνώνυμοί εἰσι μοῦνοι ἀνθρώπων; *qui ſoli mortalium nomine carent*: Et hos eſſe *Atlantes* dicit, qui Solis ortus diris proſequantur. Ab his, decem itidem dierum ſpatiô, alium ſalis tumulum undique ſecus habitari ab hominibus, quibus itidem nomen ſit *Atlantes*, à monte vicino, addit; qui nomen habeant proprium, ſed qui nulla cernant ſomnia, & ab animalium eſu abſtineant. Quæ omnia de unis iiſdemque *Atlantibus* produnt *Plin.* *Mela* & Solin. *c.* 34. In hac Auctorum diverſitate, quid ſentiendum, non adeo liquet. Apud Veteres quidem duplex mons *Atlas*, ponitur, Ἄτλας ἐλάττων, *Atlas minor* & Ἄτλας μείζων, *Atlas major*, *Ptolem.* & *Steph.* Sed non tantô hi intervallô à ſe invicem abſunt, quantum ab *Herodoto* inter utrumque populum ponitur. Præterea uterque Atlas ad Oceanum, à quo longè remoti priores *Herodoti Atlantes*. Ideò Ἄταραντες priori locô legendum eſſe, qui aliis Ἀτάραντες dicuntur, cenſet Salmaſ. quem vide *Exercit. Plin. ad Solin. p.* 410.

ATLANTIA, Æthiopica gens dicta olim Plinio *l.* 6. *c.* 30. de Æthiopum gente, *Univerſa vero gens Ætheria appellata eſt, deinde Atlantia, mox a Vulcani filio Æthiope, Æthiopia*. Unde & Oceanum Atlanticum, cum Æthiopico, ab Arabico Sinu incipiente, eundem facit. Sed cùm gemini ſint Æthiopes, Δυτικοί, *Occidentales* & Ἑῷοι, *Orientales*, de illis ſolùm verum id eſſe, docet *Salmaſ.* qui non Æthiopiam, vicinam Indiæ vel Arabiæ, ſed regionem Heſperiorum Æthiopum, quam Carthaginienſes olim & Hiſpani luſtraverunt, commercii gratiâ, quæque contra Sinum Atlanticum ſita eſt, *Atlantiam* quoque dictam eſſe, demonſtrat. Certè Occidentales Æthiopes iidem & *Atlantii* & Heſperii; quod cognominis Orientalibus non competit. Mela, *l.* 3. *c. ult.* de Mari Atlantico, *Primarjos Æthiopes, medios nulli, nam aut exuſta ſunt, aut arenis obducta* &c. Vide eum *Exercitat. Plinian. ad Solin. p.* 1248.

ATLAN-

ATLANTICA, nomen Inſularum duarum, beatas & *Fortunatas* vocant, quæ parvô inter ſe mari divilæ, decem millibus ſtadiorum à Libya diſtant. Imbres illic rari, modicreſque, venti plurimum ſuaves ac roriferi: Solum pingue, nullô humanô ſtudiô excultum perdulces fructus otioſæ multitudini præbet. Aër ſincerus & temperatus, ac mediocri mutatione per tempora contentus. Nam qui à terra perflant venti, Boreas & Aquilo, propter longinquitatem, vaſta & immania incedentes ſpatia, fatigantur, priuſquam ad eas perveniant; qui vero à mari perflant, Argeſtæ, & Zephyri refrigerantes, raros ac temperatos imbres ea pelago efferunt. Illic *campi Elyſii*, & *beatorum domicilia* ab *Homero*, *Horatio*, reliquiſque Poëtis eſſe dicuntur. Has Plin. *l.* 6. *c.* 31. Heſperidas vocare videtur; nam & duas etiam numerat in mari Atlantico, eaſque ultra Gorgonas, præternavigatione Atlantis dictum 40. diſtare ait. Erunt fortaſſe *Spagnola* & *Cuba*. *Ortelius*.

ATLANTICA Arbor, qualis deſcribitur Solino *c.* 25. ubi de monte Atlante, *Qua Africa contraverſus eſt, felix naſcentibus ſponte frugibus arboribus proceris opaciſſimus, quarum odor gravis, comæ cupreſſi ſimiles veſtiuntur lanugine, ſericis velleribus nihil viliore*: *Salmaſio* non peculiare genus montis hujus fuit, ut Plin *l.* 5. *c.* 1. vult; ſed citri arbor, tantopere Veteribus ad menſas expetita. Spectabilem enim his proceritatem & frondes cypreſſis ſimiles Suetonius Paulinus quoque tribuit; apud eundem *Plinium* qui primus Romanorum Ducum Atlantem montem tranſgreſſus, incognitum ſibi eſſe genus id arborum, quô repletæ ſunt imæ montis hujus radices, ſibi memorat. Certè, *Atlantica munera*, menſas citreas Martialis vocat, *l.* 14. *Epigr.* 89.

> *Accipe feliciter, Atlantica munera, ſylvas,*
> *Aurea qui dederit dona, minora dabit.*

Qui alibi, citream *Mauræ ſilvæ filiam* appellat: quòd non in Atlante ſolùm, ſed & in aliis multis Mauritaniæ montibus naſceretur. Magnam autem illam & proceram fuiſſe arborem oportet, è cujus radice menſæ fierent, quæque materiem ſuppeditaret contignationibus faciendis ſatis longam &c. Vide præfatum Salmaſ. *ad Solin. p.* 294. & 295. ut & infrà, ubi de *Citro*.

ATLANTICUM Mare, ſeu *Oceanus Atlanticus*, ſecundùm Solin. *c.* 56. incipit à Moſylico promontor. *Tempus eſt ad Oceani oras reverti, repoſitô in Æthiopiam ſtilô: namque ut Atlanticos æſtus incipere ab Occidente & Hiſpania dudum dixeramus; ab hic quoque partibus Mundi, unde primum Atlantici nomen induat, exprimi par eſt. Pelagus Azanium uſque Æthiopum littora promovetur, Æthiopicum ad Moſilicum promontorium: unde rurſus Oceanus Atlanticus* &c. Sed ab alio Æthiopiæ promontorio quod Occiduo Mari incumbit, initium habere Mare *Atlanticum* ſcribit Mela, *l.* 3. *c.* 9. & 10. Ἑσπέριον κέρας illud vocans, his verbis: *Ipſa terrâ promontoriô, cui Heſperu ceras nomen eſt, finiuntur. Inde incipit frons illa, quæ in Occidentem vergens Mari Atlantico abluitur.* Quod cùm totô orbe diverſum à Moſſylico; hoc enim ad Orientem, illud ad Occidentem, immani terrarum ſpatiô interjacente; *Atlanticus* porro *Oceanus* totus Occiduus ſit: pro *Azanio* vel *Azanico*, à Solino *Atlanticum* poſitum eſſe, ſuſpicatur Salmaſ. quem de hoc Oceano pluribus diſſerentem vide *Exercitat. Plin.* ad d. *l.*

ATLANTIDES, circa Atlantem habitantes, Africæ populi tum pietate & religione inſignes habiti, tum erga advenas & peregrinos hoſpitalitate clari. Hi ab ſe Deorum genus aſſerebant; Primum verò Deum Uranum, i. e. Cœlum apud ſe regnâſſe prædicabant, & plures duxiſſe uxores, ex quibus 45. liberos ſuſtulit, præcipueque ex *Titea* 17. qui à matre *Titanes* vocati ſunt. Diodor. Sic. *l.* 3. & 4. Euſeb. *l.* 2. *Præparat. Evang.*

ATLANTIDES, ſtellæ, aliàs *Vergiliæ*, *Hyades* vel *Pleiades*. Filiæ Atlantis dictæ, qui primò illas detexit. Vide infrà *Atlas*.

ATLANTIS, Inſul. maxima Oceani Occidentalis, quam maris hauſtam *Plato* tradidit. Hanc extitiſſe inter Azores & Canarias, haſque è reliquiis ejus remanſiſſe, autumat; imo prolixè demonſtrari poſſe credit Becmannus *Hiſtor. Inſ. c.* 5. Multis *Atlantis* illa Platonica America eſt. Vide *America*.

ATLAS, fil. Jovis, ex Clymene, Mauritaniæ Rex, Promethei frater, qui cum oraculô monitus eſſet, ut caveret à Jovis filio, nullum hoſpitiô ſuſcipiebat; quod Perſeus Jovis ex Danae filius indignè ferens, oſtendit ei caput Gorgonis, quô conſpectô *Atlas* in montem converſus eſt tam excelſum, ut ejus cacumen cerni nequeat. Lucan. *l.* 9. *v.* 654.

> *Illa ſub Heſperiis ſtantem Titana columnis*
> *In cautes Atlanta dedit.*

Fabulam refert Ovid. *Metamorph.* *l.* 4. *v.* 656.

> *Quantus erat, mons factus Atlas. nam barba, comæque*
> *In ſilvas abeunt: juga ſunt humerique manuſque*
> *Quod caput ante fuit, ſummo eſt in monte cacumen;*
> *Oſſa lapis fiunt, tum partes altus in omnes*
> *Crevit in immenſum (ſic Di ſtatuiſtis) & omne*
> *Cum tot ſideribus cœlum requievit in illo.*

Virgil. *Æn.* *l.* 4. *v.* 245.

> *Illâ fretus agit ventos, & turbida tranat*
> *Nubila, jamque volans apicem, & latera ardua cernit*
> *Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit;*
> *Atlantis, cinctum aſſiduè cui nubibus atris*
> *Piniferum caput, & ventô pulſatur & imbri:*
> *Nix humeros infuſa tegit, tum flumina mento*
> *Præcipitant ſenis, & glacie riget horrida barba.*

Quam *Atlantis* deſcriptionem ſic imitatus Silius, *l.* 1. *v.* 201.

> *Nec patitur nomen proferri longius Atlas,*
> *Atlas ſubductô tollentis vertice cœlum,*
> *Sidera nubiferum fulcit caput, æthereaſque*
> *Erigit æternum compages ardua cervix;*
> *Canet barba gelu, frontemque immanibus umbris*
> *Pinea ſilva premit, vaſtant cava tempora venti,*
> *Nimboſoque ruunt ſpumantia flumina rictu.*

Montem hunc *Africæ* fabuloſiſſimum vocat Plin. *l.* 5. *c.* 1. & meritò. Fabulis autem ab ipſa montis altitudine occaſio data, undè cœlum ab eo ſuſtineri fingitur: *Quò magis ſurgit, exilior eſt, & quod altius quam conſpici poteſt uſque ad nubila erigitur, cœlum & ſidera non tangere modò vertice, ſed ſuſtinere quoque dictus eſt*, uti loquitur Pomponius *l.* 3. *c.* 10. Hinc Proverb. Ἄτλας τὸν οὐρανόν, ſubaudi ὑποδέχεται, dici ſolitum de iis, qui ſeſe magnis & moleſtis involvunt negotiis, ipſique ſibi malum accerſunt. Nam hic *Atlas*, ut quidam ajunt, Cœlum hoſpitiô excepit; deprehenſus autem, quòd illi ſtruxiſſet inſidias, præceps datus eſt in *mare Atlanticum*. Ferunt autem, *Atlantem* Aſtrologiæ fuiſſe peritiſſimum, deque ſphæra primum inter homines, diſputâſſe quâ ex re viſus eſt cœlum ſuis humeris ſuſtinere. Vide Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 18 *c.* 8. & Diodor. Sic. *l.* 3. *c.* 6. Sphæram imo primus inveniſſe dicitur Plinio *l.* 2. *c.* 8. *Signiferi ---- obliquitatem intellexiſſe ---- Anaximander traditur primus, Olympiade quinquageſimâ octava. Signa deinde in eo Cleoſtratus & prima Arietis ac Sagittarii. Sphæram ipſam antè multo Atlas.* Quod tamen non de Sphæræ ſolidæ fabrica, ſed ſimpliciter de ſphærica ratione cœli, capiendum eſſe, monet Salmaſ. *ad Solin. p.* 823. Certè Diodor. Sic. de *Atlante* loquens, τὸν σφαιρικὸν λόγον vocat, *ſphæricam rationem*, *l.* 3. Nempe primus Atlas Mundum vel Cœlum *ſphæram* eſſe intellexit, adeoque ſphæricam cœli formam invenit, & τὸν σφαιρικὸν ejus λόγον deſcripſit. Solidæ verò ſphæræ inventionem Archimedi pleraque tribuunt, ut infrà videbimus, ubi de *Sphæra*. Scribunt autem duos eſſe montes in Mauritania *Atlantes* dictos. Primus major dicitur, incipit prope oram Oceani Atlantici, juxta promontor. *de Guer*; inde extendit ſe Orientem verſus, ad confinia deſerti Barcæ, & immanibus jugis, è media arenarum vaſtitate conſurgens extollitur, verticem nubibus tectum habens. Verſùs Oceanum *Aiduacal* ſeu *Idevacal* dicitur, & inter Segelmeſſam regionem & provincias Haſcoram & Tedleziam, *Tenſif*, & *Dedes* ab incolis vocatur, & *Ziz* prope confinia regni Fezzæ. *Baudrand*. Secundus minor vocatur, regnum Feſſanum à Marocchico dividens, *Errif* hodiè *Marmolio* teſte, pars eſt Atlantis majoris abeſtque ab urbe Lixa 130. mill. paſſ. circiter. *Atlantem* autem Romanorum Ducum primum tranſgreſſum eſſe Suetonium Paulinum, Plin. habet ubi *de Atlante*. *l.* 5. *c.* 1. Tres autem *Atlantes* fuiſſe teſtatur *Servius*. Unus Rex Italiæ, & pater Electræ uxoris Coryti. Alter Arcadiæ Rex, & pater Majæ, ex qua natus eſt Mercurius. Tertius Maurus, qui dictus eſt Maximus. Sumitur nonnunquam à Poëtis *Atlas*, pro humanis ſimulacro, columnas ædium ſuſtinente, aut ædificium ipſum, ad ſimilitudinem *Atlantis*, cœlum humerô torquentis, qui etiam *Telamones* dicuntur. Eſt & *Atlas*, teſte Herodotô *l.* 4. fluv. ex Æmo monte naſcens, & Aquilonem verſus in Iſtrum defluens. Hinc *Atlanticus* adjectivum, ut *Atlanticum mare*, i. e. ea pars Oceani, quæ Mauritaniam ab Occidente alluit. Cicer. *de Somn. Scip. c.* 7. *Omnis terra, quæ colitur à vobis, parva quædam inſula, circumfuſa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quod Oceanum appellatis in terra.* Horat. *Carm. l.* 1. Od. 31. *v.* 14.

> *---- ---- Quippe ter & quater*
> *Anno reviſens æquor Atlanticum*
> *Impunè. ---- ----*

Et *Atlanteus*. Idem Horatius, *Carm. l.* 1. Od. 34. *v.* 10.

> *Quo Styx, & inviſi horrida Tænari*
> *Sedes, Atlanteuſque finis*
> *Concutitur. ---- ----*

Et *Pleiades Atlantea*, apud Ovid. *l.* 3. *Faſt v* 105. Hinc *Atlantides*, & per epentheſin *Atlantiades*, Mercurius Majæ fil. & Atlantis nepos. Ovid. *Met. l.* 8. *v.* 627.

> *Venit Atlantiades poſitis caducifer alis.*

Porrò *Atlantides* 15. filiæ Atlantis fuêre, ex Pliones Oceani, vel Deucalionis filia, quæ etiam Vergiliæ dicuntur, quarum 5. Hyades, nominatæ à fratre Hya, ſororibus plurimum dilecto, reliquæ Pleiades à matre. Alii 7 tantùm numerant, quarum una, quod Siſypho nupſit, non videtur. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 221.

> *Antè tibi Eoæ Atlantides abſcondantur.*

Vitruvius *l.* 6. *c.* 10. *Atlantides, (quas nos Vergilias, Græci autem* πλειάδας *nominant) cum ſideribus in mundo ſunt dedicatæ.* Vide quoque *Atlantica*, *Atlanticum Mare*, *Atlantides*.

ATLAS, Agitator celebris in certamine curuli; apud Silium Italicum *l.* 16. ubi ludos à Scipione celebratos in Africa memorat: ejus currum, qui quartô locô exierat, ſolo Campaſo equo (utpote primario, funali nempe ſiniſtro) nominatim laudato exprimit idem:

> *Campaſos antiquo ſidebat Atlante Magiſtro,*
> *Ipſumque Ætolo Diomedis condita Tinde*
> *Miſerat.*

Vide præfatum Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 897.

ATLAS Polyglottus, vide infrà *Turris Babel*.

ATLONA, Urbs Hiberniæ munita, in Connacia provinc. & Roſcomanenſi Comitatu, ad Sineum fluv. ubi exit à lacu Rea.

ATMANISPHE, Arabiæ Felicis vicus. *Ptol.*

ATMAS, Scytha adeò otium deteſtabatur, ut diceret ſe, ſi quando

do ab omni negocio eſſet feriatus, nihil admodum ab equiſonibus differre. Cœl. Rhodig. *l.* 11. *c.* 1.

ATMEYDAN, dicitur hodie locus Conſtantinopoli, qui *Hippodromus* olim, 550. paſſuum longitudine, 120 latitud. in quo, tempore Græcorum Imperatorum Ludi Circenſes aliæque feſtivitates celebrabantur. Columnæ ibi quinque etiamnum viſuntur, inter quas pyramis inſignis, hieroglyphicis characteribus undique oppleta: in cujus baſi Theodoſius Imperator conſpicitur, cum filiis Honorio & Arcadio totaque Aulæ Imperatoriæ pompa. Ab uno latere loci Serrahium quoddam vetus viſitur, ab altero Meſquita nova Sultanis Achmēti, omnium, quotquot in illa urbe ſunt, magnificentiſſima, exceptâ illâ, quam Mahometis hodienum imperantis mater extruxit: qua de utraque, ut & plura de hodierna Hippodromi hujus facie, vide apud Petrum de Valle *Itiner. Tom. I.* & Jac. Sponium *Itiner. Part.* 2. *p.* 231. *& ſeqq.*

ATMONES, populi fuêre German. Sarmatiæ, pars Baſtarnarum, ubi nunc Volhinia ſuperioris provinc. Poloniæ.

ATOMUS, apud Plin. *l.* 12. *c.* 14. thuris genus eſt, quod & *ſtagonia*, *Græ i ſtagoniam & atomum tali modo appellant, minorem autem orobiam.* Nempe Indici thuris, de quo ibi loquitur, grana, quòd magna eſſent, nec rotunda, ea in cubos ac teſſeras diviſa tamdiu volvebant, in fictili aliquo, donec figuram rotundam recepiſſent, qualem habebant veri *ſtagoniæ* & *atomi*: Quibus nominibus propriè appellabant guttas Arabici thuris, quæ perfectæ rotunditatis erant, ſicut ſponte manayerant. Dioſcorides de Thure Arabico, Περὶ τοῦ δ' ὁ ἄῤῥην ϛαγονίας καλούμενος, ϛρογγύλος φύσει. ἔϛι δ' ὁ ἄτομος ἀ-θῆλυς. *Prima autem debentur maſculo, ſtagonia dicto, natura rotundo. Eſt autem hic atomus.* Idem dicebatur & ἄτμητος, uti docet Polemon apud Athenæum *l.* 11. Σταγονίας autem vocabatur thus, maſculum & Arabicum, ἀπὸ τῆς ϛαγόνος, *à gutta* ſcil. quod rotundum guttatim manans effluerer; idem & ἄτομος, quòd naturâ, non arte inciſionis talem formam acciperet: contrà Indicum, quod largiùs manabat, & manualibus plerumque glebis, ἀπόγυρος dicebatur & ἴτμητος: quod in quadras ſciſſum arte demum in eam figuram tranſiret, qualem veri atomi habebant. Salmaſ. *ad Solin.* p. 508. & 509. Vide quoque infrà, ubi de *Thure.*

ATORNATUS, vide infrà *Atturnatus.*

ATOSSA, filia Cyri, attulit Dario coronam, ejuſque ex hoc filius Xerxes, licèt minor natu, Patri ſucceſſit. Hanc Democedes Medicus Græcus, à carcinomate infeſtatam, liberavit, Herodot. *Muſâ* 3. & 4. *Atoſſa* olim Perſis imperavit, epiſtolarumque conſcriptionem invenit, Tatianus *ex Hellanico.* Fuit & alia hôc nomine, priori longè antiquior, Belochi filia, cui multa à quibuſdam aſcribuntur, quæ alii Semiramidi tribuunt. Vide Photium *cod.* 186. Vixit autem *Atoſſa* illa annis, poſt Nini uxorem, quingentis. Unde duplex Semiramis *Euſebio*, qui prioris mortem refert ad num. 52. poſterioris ad num. 581. qui decimus à morte Joſuæ, ubi hæc annotantur: *Aſſyriorum octavus decimus Belochus annis XXXV. cujus filia* Atoſſa, *quæ & Semiramis, regnavit cum Patre annis XV.* Imo & tertiam ejus nominis ſe repeiſſe, utraque recentiorem, ait Voſſ. *de Idolol l.* 1. *c.* 2.

ATQUANACHUCI, populi Americæ Septentrionalis in Virginia provinc. in Cæciam, verſus novum Belgium, ubi aliquot Anglorum coloniæ.

ATR. in nummo Criſpi, *Treverim* urbem, ubi moneta cuſa, *A*, verò Monetarium deſignat, interprete Carolô du Freſne *Diſſertatione de inferioris ævi Numiſmatibus.*

ATRABATICÆ Veſtes, *Atrabatica ſaga*, item *birri Atrabatici Suidæ* in *veteri Lexico* Regio & Codino in *Originib.* Conſtantinop. ab *atro* colore nomen habens, ita ἐκ βαρυτάτου χρώματος appellari cenſentibus: quem tamen colorem inter coccinum & muriceum fuiſſe, ſcribit *vetus Juvenalis Scholiaſtes.* Aliis ab *Atrebatibus* populis ſic dictæ ſunt. Carolo du Freſne eædem videntur, quas Itali *Arazze* vocant: Vide eum in *Gloſſar.* & infrà in voce *Sagum.*

ATRACES, Ætoliæ populi quibus nomen dedit *Atrax*, Ætoli fil. Regio eorum *Atracia*, unde *Atraca* Hippodamia dicta, civitas, apud Ovid. *Ep.* 17. *v.* 247.

> *An fera Centauris indicere bella coëgit*
> *Atracis Æmonios Hippodamia viros!*

Vide *Atrax.*

ATRÆ, civitas inter Euphratem & Tigrim. *Steph.* A Septimo Severo fruſtra oppugnata, A. C. 201. Dion. *l.* 75. Item Arabiæ civitas apud *Zonaram*

ATRAMENTALE vel ATRAMENTARIUM, Græcis μελανδοχεῖον, item ἐκδοχεῖον, quòd in eo atramentum reponatur, ad intingendum calamum; *calamarium* quoque dicebatur, in *Gloſſis* καλαμάριον: *Canicullum* recentioribus Latinis, voce diminutivâ à *Canna*, quod ex Græco κάνης ac κανοῦν, non tantùm caniſtrum textum vimine, ſed etiam τρυβλίον & μαγίδα denotavit. Unde *Caniclium*, dignitas Palatina in Aula Conſtantinopolitana, ὁ ἐπὶ κανικλείου Scriptoribus Byzantinis; cui videl. demandatum erat vas, in quo aſſervabatur ſacrum encauſtum; vel ſecundùm Anaſtaſium *Not. ad Synodum* VIII. atramentum, potiùs *rubramentum*, ex quo Imperatores literas phœniceas exarabant ſubſcribendo. Erat id aureum, gemmis lapilliſque diſtinctum, uti deſcribitur à Niceta *in Manuele l.* 7. *num.* 4. Vide infrà in voce *Caniclium*, item ubi de *Cornicularis.* In *Muſæo* Kircheriano Romæ, *Atramentarium*, inter alia, oſtenditur, quinque è ſpeciebus marmoris elaboratum, à viro illuſtri Raphaële Maffejo Volaterris Auctori muneri miſſum, Georg. de Sepibus *in Deſcriptione Muſæi hujus p.* 42

ATRAMENTUM, Græcè Μέλαν, excrementô ſuô ſepia præbat; idem loligo, in metu de ſe nigrum effundens ſuccum, German. proin *dintenfiſch* dicta. Nam licèt Romani & Græci, ea fornacium balnearumque fuligine *Atramentum* facerent, Plin. *l.* 35. *c.* 6. & Dioſcor. *l.* 5. *c. ult.* Afri tamen ex excremento ſive nigro & glutinoſo humore in veſica ſepiæ latente *atramentum ſcriptorium* conficiebant. uti vetus annotavit Interpres, *ad illud Perſii Sat.* 3. *v.* 10.

> *Inque manus chartæ, nodoſaque venit arundo,*
> *Tum querimur, craſſus calamo quòd pendeat humor,*
> *Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lympha &c.*

Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 4. *c.* 49. Sed *Atramentô* quidem libri ſcribebantur, tituli verò & capita librorum rubei erant coloris, quam ad rem minii uſus: Hinc *veter. Gloſſæ*; *Rubrica*, Διὰ μίλτου ἐπιγραφὴ. Idem in Legum titulis fiebat, Perſ. *Sat.* 5. *v.* 90. Et Leo Imperat. *l.* 6. *de divis. reſcr.* vetat, *ſacra Reſcripta aliô colore, quam purpurea inſcriptione luſtrari.* Quem Græcorum Imperatorum morem etiam confirmare eſt ex *Annalibus* Conſtantini Manaſſis: & Briſſonius *l. de verborum ſignif.* quò locô agit de Encauſto ſacro, quod ex muricis ſeu conchylii colore erat, refert ex *Epitome Chron.* Werveronis Monach. Leodienſis, Palæologum Imperatorem Eccleſiæ Romanæ obedientiam ſpopondiſſe ſyngraphâ, cui conchylii ſanguine ſubſcripſerit. Vide infrà, ubi de *Encauſto.* Sic itaque in ſcriptione duo hi obtinuêre colores, *ater* & ruber, interim non ſemper liquorem, ad utrumque, adhibebant; Sed inſtrumentô etiam utebantur, quod calami & liquoris vicem præſtabat. Sic rubricâ, ſic plumbô hodieque ſcribimus: maximè verò celebrata, creta & carbo, ut vulgatiſſima. De carbone Plautus *Mercat. Act.* 2. *ſc.* 3. *v.* 74.

> *Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus.*

De utroque Perſius *Sat.* 5. *v.* 107.

> *Quæque ſequenda forent, & quæ vitanda viciſſim,*
> *Illa prius cretâ, mox hæc carbone notâſti.*

Apud Sinas, gentem ingenioſiſſimam, in *Hucheu* Sinicum fit *Atramentum* præſtantiſſimum, quod non uti nobis, liquidum fit, ſed in maſſulas oblongas parallelogrammicas coactum, eaſque ſolidas, veluti rubrica eſt, pulchris florum, animalium larvarumque formis inſignitum, literis etiam ornatum, quibus in *Atramenti* laudem carmina quædam explicant, & Artificis nomen inſcribunt. Eſt enim ejus conficiendi in illa gente ſtudiorum amante Ars liberalis, uti & reliquæ omnes, quæ ad ſtudia pertinent. Utuntur verò *Atramentô* hôc eôdem ferè modô, quô noſtri Pictores coloribus; terunt enim in lapide lævigato, aquâque diluunt & penicillô intinctô characteres ſuos depingunt potiùs, quàm ſcribunt, magis ſcitè ac concinnè, quàm ſi calamô ſcriberent: cujuſmodi penicilli optimè fiunt, in urbe *Hucheu*, Adam. Preyelius *Sin. & Europ. c.* 45. Eôdem cotis inſtar ad acuendos cultros Sinenſes uti, docet Georg de Sepibus *d. l.* Et hæc de *Atramento*, quod *librarium* Vitruvius *l.* 7. *c.* 10. *ſcriptorium*, Corn. Celſus vocat *l.* 6. *c.* 4. Vide quoque Dioſcoridem *l.* 5 *c. ult.* Plin. *l.* 35. *c.* 6. Iſidorum *l.* 9. *c.* 17. ac Voſſium *de Arte Gramm. l* 1. *c.* 39. ut & infrà, ubi de *Scribendi ratione*; de *Atramento ſive chalcantho confecto*, cujus apud Hebræos, in judicio mulieris ſuſpectæ olim uſus fuit, voce *Zelotypia*; de *impreſſorio*, quod Typographis in uſu, in voce *Typographia.*

ATRAMITÆ, populi Arabiæ Felicis. *Steph.* Vide *Chatramotæ*, it. *Sabota*, quæ caput eorum fuit.

ATRANI, populi Hirpinorum in Italia. Plin. *l.* 3. *c.* 11.

ATRANTES ſeu ATARANTES, vide *Atlantes.*

ATRAPES, ex Amicis Alexandri, cui poſt ejus exceſſum, in diviſione Satrapiarum ceſſit Media. Diodor. Sic. *l.* 18 *p.* 628.

ATRAPUM, locus prope Thermopylas, per quem Xerxes Lacedæmonios aggreſſus eſt. *Appian.*

ATRATI, dicti ſunt apud Romanos, à toga pulla *atri* coloris, qui in luctu erant. Cicer. *in Vatinium*, *Quis in funere familiaris cœnavit atratus, cùm ipſe epuli dominus Q. Arrius albatus eſſet?* Atque hoc ſtante Republ. ita obſervatum. Sub Imperatoribus autem, cùm jam uſus togæ exoleviſſet, exolevit etiam ſimul albi coloris uſus, & tùm pullæ fuerunt plebejæ veſtes omnes. Hinc *pulla paupertas* Calpurnio dicta: & *pullati*, apud Sueton. *in Auguſto c.* 44. pro plebejis, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 32.

ATRATINUS, Conſul. Roman. Fulvii collega. Item Cœlii accuſator, *in Orat.* Ciceronis; *pro illo*, malè *Atracinus* dicitur. Vide & *Locum.*

ATRAX, Princeps fuit Theſſaliæ, pater Hippocratex, Luctatio *ad Statium l.* 1. *Theb.* 106. qui ſui nominis urbem conſtituit, penès Theſſaliam, unde ea tota *Atracia* vocata eſt, uti diximus in voce *Atrax* & *Atracia. Steph.* Ἄτραξ καὶ Ἀτρακία πόλις Θεσσαλίας τῆς Πελασγιώτιδος μοίρας. ἐκλήθη ἀπὸ Ἄτρακος τοῦ Πηνειοῦ καὶ Βούρας ἀνδρὸς κτισθείσης. *Atrax & Atracia: urbs Theſſaliæ Pelaſgiotidis: ſic autem dicta eſt ab Atrace, Penei & Buræ filio, qui eam condidit.* Inde *Atracium* quoque *venenum*, in Lunæ labore, Val. Flacco *l.* 6. *v.* 447.

> *Quamvis Atraciâ Lunam ſpumare veneno*
> *Sciret, & Æmonias agitari cantibus umbras.*

Apud Propertium *Atracia ora*, pro remotis, *l.* 1. *Eleg.* 8. *v.* 25. Apud Catullum item, in Smyrnam Cinnæ, *Epigr.* 96. *v.* 5. quorum uterque alludit ad Magicas præſtigias. De Lunæ labore & tinnitu, quô illa juvare credebatur, nos infrà. Vide Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Papinium Statium d. l*

ATRAX, & ATRACIA, Theſſaliæ civitas in Pelaſgiotide regione. Inde *Atracius.* Unde *Atraciam artem* Statius appellat *Magiam*, quæ apud Theſſalos plurimùm viguit. Sic enim ille. *l.* 1. *Theb. v.* 105.

> —— —— *Qualis per nubila Phœbes*
> *Atracia rubet arte labor.*

Claudian. *in Conſulat. Prob. & Olybr. v.* 22. ſecundùm quædam exemplaria,

> *Haud ſecus Atracjam Lunâ regnante per Arcton*
> *Siderea cedunt acies.*

Propert. *l.* 1. *El.* 8. *v.* 25.

Et dicam Atracis hæc conſedit in oris.

ATRAX, Æoliæ fluv. qui infunditur Ionio, & ab eo eſt initium Achajæ. Catullus, *Epigr.* 96. *v.* 5.

Smyrna cavas Atracis penitus mittetur ad undas.

Vide Strab. *l.* 9. & Plin. *l.* 4. *c.* 2.

ATREBATES, Plin. *l.* 4. *c.* 17. Galliæ populi, qui XV. Mill. armata ad bellum pollicita, trans Sabim unà cum Nerviis & Veromanduis, finitimis ſuis, adventum Romanorum expectârunt, Cæſar. *l.* 2. *comm.* *c.* 4. Sed ab hoc ſuperati, acceperunt Commium Regem, Cæſari in Britannia fidum ac utilem. Poſtea, ad Aleſiam obſidione liberandam, imperata ſunt illis IV. hominum millia, ſummaque imperii Commio tradita, qui cum reliquis Gallis contra populum Rom. Cæſaremque, conjuratione initâ, cùm omnia fruſtra expertus eſſet, *parente Romanis civitate*, legatos demum ad M. Antonium miſit, & ſe imperata facturum, obſidibus datis, firmavit. Sic Atrebates, quibus unà cum Nerviis & Veromanduis victis Cæſar libertatem & leges abſtulerat, pro meritis Commii Atrebatis idem *immunes* eſſe juſſit. Sed non diu libertas illis manſit. *Straboni* dicuntur *Atrebatii*; *Ptolem.* Ἀτρεβάτιοι, quos ille falsò ad Sequanam ponit. *Atrevates* quoque in *veter. Notit.* *Atrepates Oroſio*, &c. Hi in Britannia inſul. condidêre Callevam *Atrebatum*, 44. milliar. à Londinio, 22. à Venta Belgarum. Nunc *Arteſii*, Gall. *Arteſiens*. Ab his *veſtes Atrebaticæ*, i. e. xerampelinæ, & *birri Atrebatici*, Vopiſc. *in Carino*, *c.* 20. quanquam *Atribaticas* vocat *Suidas*, de coloris atri ratione. Sunt autem *Atrebates* teatrinò perceleb*r*es. Horum Metropolis munitiſſima urbs *Atrebatum*, *Ptolemæo Origiacum*, quod tamen *Cluverio* Orchiacum *Orchies*, hodie videtur, locus humilis & ignobilis, proximus Duagio: *Atrebatum* autem caput *Nemetacum* vult dictum olim. Quidquid hujus ſit, in *veterib. Galliæ Notitiis*, nunc *urbs Atrebatum*, nunc *civitas Atrebatum* & *Atrevatum*, appellatur: ibique ac in *Chronico* Roberti, inter XII. provinc. Belgicæ ſecundæ civitates quintò locò ſtatuitur, poſt Remos, Sueſſionas, Catalaunos & Veromanduos. Annò verò Chriſti 1200. in ſeptimum gradum ab Auctoribus rejicitur, & Camaraco quoque, Turnaco ac Morinis ſeu Tervannæ poſtponitur. Sita eſt ad Scarpam fluv. qui in Scaldim influit; German. *Atrecht*, Gallis *Arras*. Pagus *Atrebatenſis*, in Ludovici Pii diviſione regni inter filios *Adertenſis*, in Caroli Calvi *Capitulis Adertiſus*, apud *Uſuardum territorium Adartenſe*, dicitur; parum Latinè. Recentioribus *Arteſia*, vulgò *Artois* nominatur. Comitatus hodie titulò clara, aliàs ſub dominio Hiſpanico nunc autem ferè tota Francici eſt juris. Habet ab Aquilone Flandriam, eandem ad Ortum cum agro Cameracenſi, ad Meridiem & Occaſum Picardiam & Comitatum Bolonienſem; eſtque fertilis admodum. Notat *Sanſon*, diœceſin Atrebatenſem Comitatui cognomini non uſque quaque reſpondere, cùm diœceſis Audomaropolitana, quæ majori ex parte Comitatu continetur, portio ſit veterum Morinorum; Duagium autem ac Orchiacum, in diœceſi ſint Atrebatica, cùm tamen ad Flandriam Gall. pertineant, &c. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ*, nec non Cl. Ottonem *Not. ad B. Rhenani Rer. Germ.* *l.* 1. Cæterùm urbs, olim Comitatus Flandriæ caput erat, cùm illam Carolus Calvus Juditæ filiæ, Balduino Flandriæ Comiti nuptæ dotis locò ceſſiſſet. Dein, cum tota Arteſia, rediit ad coronam, nuptiis Philippi Auguſti & Iſabellæ Hannonicæ, filiæ Balduini VI. Epiſcopatum hic inſtituit Urbanus II. A. C. 1092. & Lambertum ipſemet infulâ cinxit. Inter cujus ſucceſſores ille fuit, qui Carolo V. Imperatori ſuggeſſit dolum; quò unius literulæ inversâ formâ (vox erat *einig* & *ewig*.) Philippus Landgrav. Haſſiæ ſeductus, in vincula incidit, non niſi quinque annis poſt, virtute generi ſui Mauritii Saxoniæ, liberatus. Franc. Guicciardin. *Comm.* *l.* 2. Hanc urbem, in duas partes diviſam, (quarum altera, *civitas* dicta, ad Epiſcopum pertinet,) ferrarius quidam faber Maximiliano Imperatori prodidit, A. C. 1493. Ludovicus verò XIII. recepit, A. C. 1640. poſt bimeſtre obſidium. longitud. 23. 55. latitud. 50. 15.

ATREBATII, populi Albionis. *Ptol.* quorum regio *Berkshire*, *Camdeno* ac *Lelando* teſtibus. Oppida *Okingham*, *Reading*, *Ilſly*, &c. inter Londinum & Sariſburiam in occidentem. Eorum primaria urbs Calleva, *Antonin.* & *Ptol.* nunc *Wallingford*.

ATRENE, civitas. *Steph.*

ATRENI, populi circa Armeniam, quorum urbem *Atras*, Septimius Severus fruſtra oppugnavit, A. C. 201. Dion. *l.* 75. Herodian. *l.* 3. *c.* 1.

ATREUS, Pelopis & Hippodamiæ fil. poſt avunculum Euryſtheum, qui ipſum contra Heraclidas moriturus Regno præfecerat, Rex, Mycenarum & Argivæ regnavit per ann. 5. Thyeſten fratrem qui ipſi χρυσόμαλλον ἄρνα, *agnum aurei velleris ſurripuit*, concubitu uxoris ejus Æropes uſus, exilio mulctavit, cui deinde revocato proprios filios, quos ex Ærope ſuſceperat, comedendos appoſuit: cujus facinoris horrore Sol retroceſſiſſe fertur, revocato ad auroram curſu. Unius Senecæ tragœdiarum argumentum. Unde Ovid. *Triſt.* *l.* 2. *v.* 391.

Si non Æropen frater ſceleratus amâſſet,
Averſos Solis non legeremus equos.

Quod ut Thyeſtes ulciſceretur, cum propria filia Pelopea concubuit, & ex ea Ægiſthum ſuſcepit, qui *Atrei* filium Agamemnonem interfecit. Horat. *de Arte ad Piſones*, *v.* 186.

Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.

Ovid. *Ponticor.* *l.* 1. *El.* 2. *v.* 121.

Non tibi Thermodon, crudusque rogabitur Atreus.

Vide Eraſmi *Adagia*. Sic itaque à Perſeidis regnum ad *Pelopidas* tranſtulit, qui ab illo tempore potiores eſſe cœpêre. Thucyd. *l.* 1. Ei ſucceſſit frater Thyeſtes, quem vide.

ATRI, populi apud quos ne minimum quidem furari licebat Euſeb. *l.* 6. *Præp. Evang.*

ATRIA, vulgò ADRI, urbs juxta Venetias. *Ptol.* poſteà *Adria* dicta, unde mare *Adriaticum* nominatum. In peninſul. Rhodigina ſemidirutam jacet, 30. milliar. à Ferraria in Boream 15. à Rhodigio in Ortum, & 25. à Venetiis in meridiem. *Baudrand.* *Steph.* aliam *Atriam* Bojorum, gentis Celticæ commemorat.

ATRIA, vulgò ATRI, Urbs eſt in regno Neapolitano, eſtque Ducatus gentis Aquavivæ. Paucorum incolarum.

ATRIANORUM Paludes, quæ *Septem maria* vocantur. Plin. *l.* 3. *c.* 16. Locus eſt circa Padi oſtia, *Ravennæ paludes*. Strabo *l.* 5.

ATRIANUS, Italiæ fluv. *Ptol.* *Tartaro Mercatori.*

ATRIBUNIA, fluv. Inſul. Hiſpaniolæ, in America Septentrionali verſus Occaſum Inſul. & ex adverſo Cubæ, ubi aliquot Francorum manſiones, à paucis annis in eo tractu.

ATRICANI, Italiæ populi. Dionyſ. Halicarn. *l.* 5.

ATRICI & ATRICÆ, vide ſuprà *Adites*.

ATRIDÆ, Atrei filii, Agamemnon & Menelaus.

ATRIENSIS, ſervus fuit apud Romanos, qui ſicut Oſtiarius, ſeu Janitor oſtium, ita is *atrium* tuebatur. Varro *de L. L.* *l.* 7. *Si ab æde & tuendo Æditimus eſt, cur ab Atrio & tuendo, non Atritumus ſit potius quam Atrienſis.* Servius *ad Æn.* *l.* 9. *v.* 648.

Armiger antè fuit fidusque ad limina cuſtos.

Æditimus, inquit, *fuit, quod in ingenti honore apud Majores fuit: illic enim & epulabantur & Deos colebant. Cenſus etiam omnes illic ſervabant, quod etiam Plautus in Aſinaria, qua inducit Sauream ſervum Atrienſem in tota familia plurimum poſſe.* Et tanè operæ pretium erit legiſſe ejuſdem Fabulæ *Act.* 2. *ſc. ult.* Idem Grammaticus, *Æn.* *l.* 1. *v.* 730.

— — Vocemque per ampla volutant
Atria.

Ubi, inquit, *& pecunias habebant. Unde qui honoratiores erant, liminum cuſtodes adhibebantur. Ibidem & culina erat, unde & Atrium dictum eſt, quaſi atrum ex fumo.* Ubi quòd *honoratiores* illos fuiſſe ait, confirmatur ex Cicer. *Parad.* 5. *Atque ut in magna familia ſunt alii lautiores, ut ſibi videntur, ſervi, ſed tamen ſervi, ut Atrienſes, alii inferiore loco, ut Mediaſtini &c.* Quòd ibi ignis ac fumi meminit, colligitur ex eodem Ciceron. *in Piſon. Extructa menſa non conchyliis aut piſcibus, ſed multâ carne ſubrancida. Servi ſordidati miniſtrant, nonnulli etiam ſenes, idem coquus, idem Atrienſis.* Quò facit & illud Evangelicum de Atrio Summi Sacerdotis, in quo ad ignem & prunas calefaciebat ſe Petrus, *Matth.* *c.* 26. *v.* 69. imò & quæ habentur apud eund. *c.* 12. *v.* 29. & Lucam *c.* 11. *v.* 21. An verò *Atrium* lacunatum eſſet, an ſub dio? implicita quæſtio eſt. Vitruvius *l.* 6. *c.* 4. lacunaria haud obſcurè in Atriis collocat: cui ſuffragatur Ovid. *Met.* *l.* 8. & *l.* 14. ubi, *Atria* habet *marmore, murice conchiſque tecta*. Appulejus quoque *Floridor.* *l.* 4. *Sed & Medici*, inquit, *cum intraverint ad ægrum, uti viſant, nemo eorum, quòd Tablina perpulcra in ædibus cernant & lacunaria aurò oblita* &c. At lacunaria & tablina non propriè in, ſed circa *Atrium*, viſebantur; in porticibus nimirum, quæ impluvium cingebant, *Atrium* verò ὕπαιθρον erat: Ovid. autem, ut & Auſonius an notante *ad Sueton.* *l.* 2. Caſaubonò, pro Aula uſurpârunt. De ſervo *Atrienſe* ita Phædrus *l.* 2. *Fab.* 5.

Ex alticinctis unus Atrienſibus,
Cui tunica ab humeris linteò Peluſio
Erat deſtricta, cirris dependentibus.

Ubi nos docet fuiſſe illos neque promiſsò capillò, neque detonsò, ſed cirratò & leviter diffusò, quem etiamnum tenorem ſervant omnes Antinoi (qui ex *Atrienſi* Imperatoris. Hadriani Deus factus eſt, dignus planè, quem Ganymedes confeſtim dignaretur & reciperet in contubernium Zamolxis; vide Tertullian. *Apologet.* *c.* 13.) imagines. Erat autem in *Atrio* vel circa, Tablinum, in quo ſervabantur codices rerum in Magiſtratu geſtarum, Plin. *l.* 35. *c.* 2. erant Armaria, quæ imagines Majorum continerent, Val. Max. *l.* 8. *c.* 15. in quarum locum poſtea irrepſerunt, ut Plin. conqueritur *l. c.* ſigna externorum Artificum, æra & marmora, ut & in Trimalcionis *Atrio* notavit *Petronius*. Neque porro alius, quàm *Atrienſis* fuiſſe videtur, qui *ab Atrio curanda* vel *Atrii curandi* appellatur, in antiquo elogio. Niſi dicatur, fuiſſe recenſitorem quempiam officioſorum hominum, quorum catervæ ibi loci diſponebantur: aut Nomenclatorem, qui domino ſalutantium inſuſurraret nomen. Bibliothecæ autem, quarum hic apta omnino ſtatio eſt, adeò inſederant omnes domos, ut in ipſas declamaverit Seneca *de Tranquill.* *c.* 9. Sed & Pinacothecæ etiam privatim, ad inſaniam receptæ ſunt, quarum nimium ſtudium improbavit Plin. *l.* 35. *c.* 2. Et quidem tabulas pictas videntur curâſſe Pictores. Jam verò *Officinator à ſtatuis*, cujuſmodi fuit Eutyches Libertus, & Hermeros Ti. Claudii ſervus Thoamidianus *ab Marmoribus Magiſter*, faciunt ut credam, apud Cæſares ſaltem, non Pinacothecas tantum, ſed & Agalmatothecas in delictis fuiſſe, privati cum illis *Atria* refercierant ſua. Hæc de *Atrienſi* urbano. *Atrienſi* verò ruſtico injungit Columella *l.* 12. *c.* 3. ut ſupellectilem exponat, ut curet ferramenta tergeri & liberari rubigine; idque apud parcos & attentos Patresfamilias, qui nollent ſupervacaneum Supellecticariorum miniſterium domi habere. Et hoc non ruri modò, ſed etiam in urbe aliquando placuit, cùm Cicero *Parad.* 5. Atrienſi comparet illum, qui Mareſſionem Corinthium cupidè tractabat. Cum *Atrienſibus* iidem *Atriarii* quibuſdam videntur, Petrus verò Faber *Semeſtr.* *l.* 2. *c.* 12. eos diſtinguens, illos honeſtioris conditionis, hos minus honoratos, & veluti priorum vicarios, qui ad *Atrium* tanquam ad oſtium, ejus obſervandi gratiâ ſtarent, illudque tergerent, verrerent,

rent, ſpargerent, fuiſſe tradit, vide Laur. Pignorium, & T. Popmam *de Serv.*

ATRIUM, prima pars Tabernaculi Moſaici, *Altare* continebat *æneum*, in quo holocauſta offerebantur, cum reliquo *inſtrumento* ejus, crateribus, lebetibus, forcipibus, fuſcinulis, palis &c. Exod. c. 27. v. 3. ac ponè illud, Tabernaculum versùs, *labrum æneum*, cujus locò *mare æneum* extruxit Salomo 1. Regum c. 7. v. 23. ex quo aquæ è 12. ſiphonibus ſeu mammis promanabat, ut duodecim Sacerdotes, ad ingreſſum Tabernaculi, ex eo lavare poſſent, juxta legem Exod. c. 30. v. 18 -- 21. Ibidem Populi erat ſtatio, ut in Sacris paſſim videre eſt. Cum verò unicum in Tabernaculo eſſet *Atrium*, in Templo poſteà Salomonico varia fuêre: Nimirum I. *Atrium Sacerdotum*, II. *Iſraelis*, 2. Paralipom. c. 4. v. 9. quod rurſus à Joſaphato diviſum, in *Atrium mulierum* & *Virorum*, 2. Paralipom. c. 20. v. 5. quibus Herodis tempore, acceſſit quartum, pro *Gentilibus ac immundis*. Et quidem *Atrium Gentium*, quod primò occurrit, ambiebat Templum inſtar cœmeterii & 500. cubitos in quadratura ſua continebat, ac quatuor egregiis porticibus inſtructum erat, quarum unaquæque triplici columnarum ordine ſuſtentabatur. Appellabatur illud הר הבית *mons Templi*, & חיל vel *Atrium commune*. Eoque intrabant Ethnici, excommunicati, lugentes & immundi. Poſt id locus erat, dictus חל *antemurale*, 10. cubitos latus, ab Atrio Gentium ſepto diſcretus: *Et fecit lugere antemurale & murum*, Thren. c. 2. v. 8. Quò gentili aut immundo accedere non licebat, Actor. c. 21. v. 29. Hinc 12. gradibus, dimidii cubiti altitudine, aſcendebatur in *Atrium mulierum*, in quo tripudium ſacrum & aquæ libatio, in feſto Scenopegiæ, peragebatur. Erat illud 135. cubitos longum ac latum, ac in quatuor ſuis angulis totidem conclavia habebat, videl. *Nazaræorum*, *leproſorum*, *lignorum & vini ac olei*: & tres portas, ad Ortum portam dictam *Speciosam*, Actor. c. 3. v. 2. ad Auſtrum & Boream ſingulas; quæ ſuis quoque conclavibus ac porticibus inſtructæ erant. Atque ad has poſita fuêre 13. Gazophylaria. Vide Lucæ c. 21. v. 1. & Marci c. 12. v. 41. 42. Inde iterum 15. gradibus aſcendebatur in עזרת, *Atrium Iſraelis*; in quibus conſiſtebant Levitæ, Pſalmos graduum pſallentes, ipſum verò longum erat cubitos 135. latum 11 diverſaſque portas, variaſque circum porticus habebat, & in illarum contignationibus exedras & conclavia permulta, variis uſibus inſervientia. Et in hoc *Atrium* conveniebat Populus ad cultum & ſacrificia, inque eo Prophetæ oracula ſua ex altiori ſuggeſtu pronuntiabant, 2. Chron. c. 24. v. 20. coll. cum Jerem. c. 36. v. 10. atque ibidem Chriſtus Dominus noſter Populum docuit perſæpe. Vide Matthæi c. 21. v. 12. &c. Ex eo in *Atrium Sacerdotum* aſcenſus erat, gradu uno cubitali: Cui impoſitum erat pulpitum, quod tribus gradibus dimidii cubiti adibatur, in quo Levitarum canentium chorus. Longum id iterum erat 135. latum 11. cubitos, ſoliſque Sacerdotibus in eo ordinariè verſari licebat: in eoque Altare fuit holocauſtorum, cum labro ſeu Mari æneo aliiſque minoribus lavacris; unde ad *πρόναον* ſeu Templi veſtibulum, ſpatium erat 22. cubitorum, ubi Sacerdotes miniſtrare & confiteri ſolebant. Adibatur verò id 12. gradibus dimidii cubiti: ſicque emenſis *Atriis*, in ipſum Sanctuarium ac palatium Domini היכל dictum, patebat ingreſſus, ſed de hoc infrà. Vide Fr. Burman. *Synopſ. Theol. Part.* I. l. 4. c. 15. §. 5. *& ſeqq.*

ATRIUM, apud Romanos quoque templis adjici ſolitum eſt, Corippus l. 3. num. 1.

— Apoſtolici ſubeuntes atria templi.

Hinc *Atrium Minervæ*, in region. 8. *Atrium Libertatis* in 13. region. apud *Victorem*: quod Gracchus ex multatitia pecunia erexit, Tit. Livius *Dec.* 3. *l.* 4. *in princip.* ubi publica acta ſignabantur, Idem *Dec.* 5. *l.* 3. Dedicatio illius incidit in Eidus April. Ibidem & Bibliothecam fuiſſe, colligitur ex Ovidio *Triſt. l.* 3. *eleg.* 1. v. 71.

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis,
Atria, Libertas tangere paſſa ſua eſt.

In monte Aventino extructum ait Feſtus Pompon. *l.* 10. auctorem ejus Aſinium facit Pollionem C Sueton. *in Aug. c.* 29. In eadem region. 8. *Veſtæ atrium* celebratur, apud Servium *in Æneid. l.* 7. quod à templo remotum erat, cùm reliquarum omnium Ædium ſacrarum *Atria* ipſis templis contigua eſſent. Sed & privatorum profanæ ædes iis inſtructæ erant, de quorum longitudine, latitudine & ſtruendi ratione, vide Vitruvium Pollion. *l.* 6. *c.* 5. Imò in una domo, plura aliquando fuêre, quibus vicina aut juncta cubicula erant. Spatia *Atrii* intercolumniis ſeu periſtyliis diſtinguebantur, Claudian. *in Ruffin. l.* 2. v. 136.

— — Purpureis effulta columnis
Atria.

Cereis inſuper, æreiſve aut marmoreis Majorum imaginibus decorabantur, ut patet ex Seneca *de Benef. l.* 3. *c.* 28. Plin. *l.* 35. *c.* 2. &c. Hinc Martialis *l.* 4. *epigr.* 40. v. 1.

Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto.

Imò & pretioſa quæque clarorum virorum monumenta, ibi habebantur: aſcendebatur autem in illa certis gradibus, Martial. idem *l.* 12. *epigr.* 3. v. 10.

Atria ſunt illic Conſulis alta mei:

Solebantque antè ſive aureis laminis & bracteis incruſtari, ac velis tegi ſeu ſuſpenſis tapetibus ornari: Unde Corippus *de Juſtino min. l.* 3. *num.* 7.

Clara ſuperpoſitis ornabant atria velis.

Vel certò Encauſtices genere pingi, de quo ſuò locò &c. Vide quoque aliquid infrà, voce *Pegma*. Pinacothecas illis ſeu tablinis, in quibus Majorum imagines Nobilibus conceſſum erat exponere, claudendis, conſervandis ac in funebrem comitatum efferendis, ſervi præerant, quos ab atrii cura *Atrienſes* vocabant: Horum officium, juxta Columellam *de R. R. l.* 12. *c.* 3. *ſupellectilem & ferramenta detersa nitidare, atque rubigine liberare, cæteraque ſi refectionem deſiderarent, fabris concinnanda tradere.* Meminit Phædrus *verſibus ſupra cit.* De iiſdem vetus Gloſſarium Latin. *Atriarii ſeu Atrienſes, ſunt cuſtodes atrii.* Fuit autem *Atrium* prima domûs pars, teſte A. Gelliô *l.* 16. *c.* 5. (unde malè cum Impluvio confunditur, loco ſubdiali, in medio ædium) inter veſtibulum & ædes, neque prominentes ſolùm pinnas, ſive ut *Vitruvius* appellat, alas, ſed etiam laquearia habebat &c. Vide Thom. Dempſter. *Paralipom ad Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 13. In iis mulieres Romanorum opera ſua perficere ſolitas, ex Arnobio *adv. Gentes l.* 2. diſcimus, *Matresfamilias veſtræ in Atriis, operantur domorum, induſtrias teſtificantes ſuas*; & C. Nepote *Præfat. Cujus* (Romanorum) *Materfamilias non primum locum tenet ædium?* h. e. non ſtat *ἐν αὐλῇ*, in atrio, ſeu aula, ut *Horat* vocat. Quem antiquum Romanorum morem tetigit *Commentario ad Vegetium l.* 1. *c.* 7. Stewechius, ubi & Græcis contrarium placuiſſe docet. Plura apud Feſtum voce *Andron*, Aſconium *in Milonianam*, Lipſium *Elector. l.* 1. *c.* 7. & aliquid infrà voce *Orcus*. Apud Græcos, Templorum, Chriſto dicatorum, *Atrium Νάρθηξ* dicebatur, oppoſita Sacrario, totâ Templi longitudine interjacente; eratque ad Occidentem, ſicut Sacrarium ad Orientem. Porticus nempe vel Atrium, ante Baſilicam ad deambulandum factum, tam longum, quàm ipſum Templum latum, continenti ædificiô cum Templo & eôdem ambitu clauſum, ab ipſo tamen Templo veluti ſeparatum Nam Narthecis fores aliæ à Templi foribus, & qui intra Narthecem ſtabant, extra Templum conſiſtere dicebantur, uti latiùs videbimus infrà, in voce *Narthex*. Ab hoc *Atrio*, *πρόναος* in Templis Græcorum Gentilium, diverſum quid erat, quamvis poſterior Latinitas paſſim ita vocet. Vide infrà *Pronaum*. Sed & *πρόδομος* ac *πρόναον* privata quoque ædificia Græcorum habuêre, apud quos tamen nulla *Atria*, uti apud Romanos &c. Vocatur autem *Νάρθηξ*. *Atrium*, apud Paulinum *Ep.* 33. ad Alethium: ubi de Baſilica loquens, *quave*, inquit, *prætento nitens* Atrio, *ipſa veſtibulo eſt.* Sed hac de re vide plura apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1216. *& ſeqq.* *Carolo du Freſne*, in Templis Latinorum, *Atria*; inprimis dicta ſunt veter. ea in plurima porticibus cincta, quæ Ædibus ſacris obverſabantur, in quorum meditullio erat fons perennis aquæ. Anaſtaſius in S. *Symmacho*, *Ante*, *fores Baſilicæ gradus fecit in Atrio & Cantharum.* Cujuſmodi *atrium* Romana conſuetudine *Paradiſum* fuiſſe dictum, docet Leo Oſtienſis *l.* 3. *c.* 26. Illud autem aſyli & immunitatis jure non minus, ac ipſa Ædes ſacra, donatum erat. *Decretio* Chlotarii Regis poſt *Legem* Sal. §. 13. *Nullus latronem vel quemlibet culpabilem — de Atrio Eccleſiæ trahere præſumat. Quòd ſi ſunt Eccleſiæ quibus atria clauſa non ſunt, ab utraque parte parietum terræ ſpatium arpennis pro Atrio obſervetur.* Vide quoque Capitula Caroli M. *ad L. Sal* §. 3. *LL.* Edwardi Confeſſor. c. 6. Longobard. *l.* 2. *tit.* 40. §. 5. &c. Porrò *Atrium* portis, iiſque conſecratis erat clauſum, *Capitular.* 1. ann. 819. c 1. *l.* Longob. *l.* 1. *tit.* 9. §. 30 36. & *Capitular.* Caroli M. *l.* 4. *c.* 13. Ibique fidelium erant ſepulturæ. Ebrardus in *Græciſmo c.* 11.

Atria dic aulas, eadem & cœmeteria dicas,
Et loca ſacrorum &c.

Vide præfatum Car du Freſne *Gloſſar.* ut & Macros Fratres in *Hierolex* nec non infrà, voce *Paradiſus*.

ATRIUS, prænomine *Quintus*. Inter legatos ſeu tribunos C. Julii Cæſaris, navibus in Britannico litore præſidio relictus. Magis tamen placet *Fulvio Urſino Q. Atrius*, quia *Atria* gens ipſi ignota eſt.

ATROGI, Mauris vocatur, pomum citrium ſeu Medicum, Salmaſ. *ad Solin.* p. 950. de quo vide infrà.

ATROPATIA. *Stephano* altera ex partibus Mediæ, ita dicta ab *Atropate* Duce, qui eam à Macedone vi tutatus eſt. Media enim diſtributa eſt in duas partes, quarum altera Major appellatur, cujus Metropolis eſt *Ecbatana*, altera Minor, quæ & *Atropatia* dicitur Straboni, *l.* 11. Populi *Atropateni*. Dionyſ. v. 1019.

Γηλοί τε Μάρδοι τε, καὶ ἀνέρες Ἀτροπατηνοί.

Gelos, & Mardos in Atropatena regione pleriſque ſtatuunt: eos tamen ab Atropatenis diſtinguit *Dionyſius*, non niſi cultiores regionis illius incolas Atropatenos vocans; cùm Geli, Mardi, aliique monticolæ *ληϛρικοὶ καὶ λεηλατικοὶ*, teſte Strabone, *l.* 11. & quidem Scythici generis fuerint. Cætera Atropatenes *εὐδαίμονα χώραν*, vocat *Strabo*, in *Dionyſiaca*, *ἐριβώλακα γαῖαν*. Nunc *Servan* ſeu *Xirvan* dicitur, ſub Perſarum Imperatore. Ejus præcipua Tabriſium, ſeu Taurisium, urbs ampla. *Nic. Lloydius.*

ATROPHI, apud Plin. *l.* 31. *c.* 10. *Proſunt* atrophis, *opiſthotonis*, *tetanis*; Græcè *ἄτροφοι*: propriè ſunt pueri macie confecti. Hinc *atrophum* piper, apud Plinium, *l.* 12. *c.* 7. quod intus inane & caſſum, aliis *braſma* quoque dictum eſt; quæ vox purè Græca propriè bullam notat & ampullam aquæ ſcaturientis vel etiam ferventis & bullientis. Hinc enim *βράσματα* iſtiuſmodi *atrophum piper*, quòd nihil plus intus haberet ſolidi, quàm illæ bullæ & ampullæ, Salmaſ. *ad Solin.* p. 1029.

ATROPOS, una ex Parcis, quaſi quæ ad nullius preces convertatur. Stat. *l.* 4. *Silv.* 8. v. 18.

Hic ſenium, longæque decus virtutis, & alba
Atropos, & patrias lauros promiſit Apollo.

Martial. *l.* 10. *Epigr.* 44. v. 5.

Gaudia tu differs, at non & ſtamina differt
Atropos atque omnis ſcribitur hora tibi.

ATTA, civitas Arabiæ Felicis. *Ptol.*

ATTA Titus Quinctius, circa 175. Olymp. Poëta Comicus. Horat. *ep.* 1. v. 78.

Rectè,

Reſtè, necne crocum, floreſque perambulat Atta
Fabula. ---- ----

Ejus quædam opera laudat Voſſ. *de Poet. Lat. c.* 8.

ATTABAS, & Numenius, latrones famoſiſſimi proverbio locum fecêre: *Convenerunt Attabas & Numenius.*

ATTACANA, Armeniæ majoris oppid. *Ptol.* Hinc Ἀττακανοὶ populi *Attacani*, quos tamen Indiæ adſcribunt omnes ferè Auctores, ut videre eſt, apud eundem ubi ſuprà. *p.* 1004.

ATTACENUS Sinus, apud Solinum *c.* 51. *Sequitur Attacenus Sinus, & gens hominum Attacorum, quibus temperies prærogativa micam aëris clementiam ſummovſtrat* &c. Sed nulli uſquam *Attaci*, ut vidimus ſuprà, in voce *Athaci.* Prois *Attacenum*, pro *Attiano*; & *Attacos*, pro *Attacoris*, Solinum ſumſiſſe, conjicit Salmaſ. Sunt autem *Attacoræ*, Græcè Ὀττοκόῤῥαι & Ἀττακόραι, quos Ὀττοροκόῤῥας, *Ptol.* vocat & in Serica ponit, ubi urbs eorum iisdem Ὀττοροκόῤῥα: Idem & montis cognominis meminit. Ammiano vocatur *Opurocarra l.* 23. &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 989.

ATTACI, Serica gens. Plin. *l.* 7. *c.* 17.

ATTACORÆ, populi Aſiæ, in Serica regione. Vide ſuprà in voce *Athaci*, & hic in *Attacenus Sinus.*

ATTACOTTI, *Marcellin.* Scotorum populi *H. Lhuyd, Buchanan.* putat eos inter Hadriani & Severi vallum habitâſſe. Ubi nunc Comitatus Buquamenſis, in Scotia Septentrionali. *Baudrand.*

ATTACUM, Hiſpaniæ Tarraconenſ. oppid. *Ptol. Alegon Molino, Atteca Cluſio.* Aliis eſt *Daroca*, oppid. parv. Aragoniæ, ad Xilocam fluv. qui poſtea in Salonem cadit; diſtat à Bilbilis 4. leuc. in meridiem.

ATTACUS, Græcè ἀττάκης vel ἀττακός, Levit. *c.* 11. *v.* 22. locuſtæ ſpecies, fortè ἀπὸ τοῦ ἄττειν, *a ſaliendo*, ut vulgari linguâ *ſaltarella.* Niſi idem ἀττακός, quod ἀστακός, Æolum dialectô; quibus ὄρπηξ eſt ὄρπαξ, unde *ſalix*, & ἀστερ ἀστερ φυτόν, unde *planta.* Quò facit, quod inter marinas locuſtas eſt ἀστακός, *aſtacus*, quodque in optimis *Gloſſis locuſta* ſeu *lucuſta* redditur ἀκρίς, ἀττακός; Neque aliud ſibi volunt *Iſidori* hæc, alioqui valde inepta: *Locuſta, quòd pedibus ſit longa, velut haſta: unde eam Græci tam maritimam, quam terreſtrem, haſtago appellant.* Ubi eum appareat frigidus captâſſe alluſiones inter *locuſtam, haſtam & aſtacum* vide infrà in voce *Locuſta*, & Bochart. *Hieroz. Part.* 2. *p.* 449.

ATTAGEN Græcis, Latinis *Ruſticula*, Gallis *Gelinotte*, Italis *Francolino*, avis eſt, ad menſarum delitias expetita. *Gloſſæ* Ἀτταγήν, *Gallina ruſtica.* Plinius, *Attagen maximè celeber Ionicus & vocalis alias, captus verò obmuteſcens quondam exiſtimatus inter raras aves. Jam & in Gallia Hiſpaniaque capitur, & per Alpes etiam, l.* 10. *c.* 48. Eum ſic deſcribit Athenæus, Ἀλέξανδρος δ' ὁ Μύνδιός φησιν, ὅτι μικρῷ μείζων ἐστὶ περδικος, ὅλος δ' κατάγραφος ὢν τὰ περὶ τὸ νῶτον, κεραμεοῦς τὴν χρόαν ὑποπυρριζων μᾶλλον, *Alexander verò Myndius ait, paulo majorem eſſe perdice, totum verò pictum tergo, colore ſubrufum.* Quæ forma colorque in Gallorum ruſticulis eſt. Nec obſtat, quòd *Plinius* & Martialis *l.* 13. *Epigr.* 61. *Attagenem* à ruſticula diſtinguunt: de Ionico enim potiſſimum loquuntur, quem ab aliarum regionum ejuſdem generis avibus guſtu differre, mirum non eſt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 150. & infrà in voce *Ruſtica gallina.*

ATTALABUS, iidem locuſtæ ſpecies, apud Bochart. *ubi ſuprà.*

ATTALI, latrones, Arabum gens. Plin. *l.* 6. *c.* 26.

ATTALIA, vulgo SATALIA, ANTALI Turcis, urbs Pamphiliæ Archiepiſcopalis maritima & primaria regionis, ubi Præfectus moratur, ab *Attalo* Rege condita, *Strabo. Stephano* urbs Lyciæ. Aliqui verò (ut idem ſcribit) Ciliciæ Corycum ſic nominârunt. Aulæa Attalica, olim in pretio fuêre Propert. *l.* 2. *El.* 32. *v.* 11.

Scilicet umbroſis ſordet Pompeja columnis
Porticus, aulæis nobilis Attalicis.

Sil. Ital. *l.* 14. *v.* 660.

Læta Tyros, quæque Attalicis variata per artem
Aulæis ſcribuntur acu. ---- ---- ----

ATTALIA, Urbs Aſiæ minoris ſita in ora littorali maris mediterranei ad oſtium Geſtri fluv. & fere media inter Aſpendum & Termeſſum; nunc ſub Turcis, probè munita. Sed malè habita fuit à Chriſtianis, principiò hujus ſeculi. Diſtat aliquantiſper à Veteri Attalia, quæ diruta jacet. *Baudrand.*

ATTALIATES Michaël, vide *Michaël.*

ATTALIS, tribus Atticæ. *Steph.* Sic dicta ab Attalo Rege, in memoriam auxilii ab eo adverſus Philippum impetrati; *Tum primum mentio illata de Tribu, quam Attalida appellarent*, Liv. *Dec.* 4. *l.* 1. Ad eam pertinebant οἱ Ἀπολλωνιεῖς, *Apolonienſes*, vide Franc. Roſſæum *Archæol. Attica l.* 1. *c.* 7.

ATTALUS I. Pergami Rex Eumeni I. fratri ſucceſſit, Gallos vicinos domuit, imperiumque ſuum in Aſiam Taurotenus extendit. Regnavit ann. 44. ingentibus divitiis ſapienter & magnificè uſus. Strab. *l.* 13. Liv. *l.* 33. *c.* 21. Polyb. *l.* 5. Ei ſucceſſit *Eumenes* II. fil. quem vide.

ATTALUS II. primùm à fratre Eumene II. Romam miſſus, Legationem feliciſſimè obiit. Redux à fratri filii Attali III. tutor conſtitutus eſt, cujus nomine Regnum ann. 20. magnâ prudentiæ laude adminiſtravit. Strab. *l.* 13. Polyb. *l.* 5. Eum excepit *Attalus* III.

ATTALUS III. Pergami Rex, cognomine *Philopator*, fil. Eumenis II. pecuniâ, & ſplendidâ abundantique ſupellectile ditiſſimus. Plin. *l.* 8. *c.* 48. Propert. *l.* 3. *El.* 17. *v.* 12.

Nec ſit in Attalico mors mea nixa toro.

Hic à Populo Romano donatus eſt eò regnô; cùm liberos autem non haberet, eundem Populum Romanum hæredem fecit, quæ ſeges Gracchanarum ſeditionum; ejuſque ſubſtantia ampliſſima Romam eſt allata. Nimirum in Teſtamento ſcriptum erat, POPUL. ROMANUS MEORUM HÆRES ESTO: quod largâ & liberali quâdam interpretatione Romani à privato inſtrumento Regis, ad regnum ipſum extenderunt: quod alias ſine conſenſu populi tranſire validè haud poſſit. Ideoque cùm ait Horat. *l.* 2. *od.* 18. *a* 5 6.

---- *Neque Attali*
Ignotus hæres regiam occupavi. a

Notâſſe Poëtam Romanos, non jure factos hæredes *Attali*, vetus Scholiaſtes obſervat. Vide Liv. *l.* 58. Appian *bell. civ. l.* 1. Plut. *in Gracchis.* Berneggerum, *ad Florum l.* 2. *c.* 20. *N.* 2. 6. Sed Grotius docet, regna quædam alienari poſſe, *l.* 1. *de Jure B. ac P.* & *l.* 3. *c.* 20. Unde *Attalica veſtes* pro ſplendidis, item *conditiones Attalicæ* pro ingentibus divitiis. Horat. *l.* 1. *Od.* 1. *v.* 12.

---- *Attalicis conditionibus*
Nunquam dimoveas.

Propert. *l.* 4. *El.* 5. *v.* 24.

Sectaque ab Attalicis putria ſigna toris.

Idem *l.* 3. *El.* 17 *v.* 19.

Attalicas ſupera veſtes. ---- ----

ATTALUS, Arianus, Præfectus Romæ, cùm eam ſecundâ vice Alaricus obſideret. Apud hunc tantum valuit, ut Imperatorem eum proclamare Senatus fuerit coactus. Hinc ingentes hominis ſpiritus, & Legatio Honorii, dimidium Imperii offerentis, inſolenter rejecta. Sed vertente annô ab ipſo Alarico depoſitus eſt, A. C. 410. Mox, hôc mortuô, reſumſit in Gallia vires, ſed in Hiſpaniam tranſiens, A. C. 415. captus & ad Honorium deductus eſt, qui manu ſolum ipſi abſciſsâ eum cœtera vivere permiſit, militibuſque ejus veniam dedit. *L.* 11. & 12. *de indulg. crim. Cod. Theodoſ.* Oroſius *l.* 7 *c.* 42. Zoſimus, *l.* 6. Sozom. *l.* 9.

ATTALUS, Agrianorum & Cretenſium ſagittariorum, in exercitu Alexandri Magni, Dux. Curt. *l.* 4. *c.* 13. Forte hic eſt, quem ſcribit *l.* 8. *c.* 13. Alexandro Magno fuiſſe æqualem & haud diſparem habitu oris & corporis.

ATTALUS, Macedo, infenſiſſimus hoſtis Alexandro. Quin. Curtius *l.* 6. *c.* 9. Fuit & *Attalus* quidam Philoſophus; Senecæ præceptor. *ep.* 108. Tempore Tiberii. Item Martyr nobilis, de quo vide ſis Euſeb. *l.* 5. *c.* 3.

ATTALUS, Presbyter, ſubſcripſit Niceno concilio, in errore tamen pertinaciter perſeverans, Conciliô Aquilejæ habitô damnatus eſt. A. C. 382.

ATTALUS, Martyr, ſub Antonino Philoſopho, toſtus in ferrea ignea cathedra, exclamavit: *Ecce hoc eſt homines vorare, quod vos facitis. nos verò nec homines voramus, nec aliud quiddam mali facimus*; Chriſtianis enim in Gallia tum Thyeſtea convivia & Oedipodei inceſtus per calumniam attribui, circa A. C. 70. Idem Alcibiadem martyrem, ob delectum ciborum, reprehendit. Vide Euſeb. *l.* 4. *c.* 25.

ATTALYDA, urbs Lydiæ. *Steph.*

ATTANULUM, in Iſidori *Gloſſis* & aliis ἀτταναδάριον, genus vaſis, pro quo *Attanuvium* legitur, apud abbreviatorem Feſti *Paulum*: qui poculi fictilis genus interpretatur, quò in ſacrificiis olim Sacerdotes uſi fuerint. Ex Græco ἀττάνιον, quod τήγανον ſignificat, *fartago.* Unde ἀττανῖται panes & placentæ Salmaſ. *ad Solin. p.* 830.

ATTARRAS, ex Prætoribus Alexandri Magni, qui participes conjurationis Dymno comprehendit. Curt. *l.* 6. *c.* 8.

ATTASINI, Maſſagetarum, & Sacarum gens. *Strab. Sogdianæ populi.* Plinio, *l.* 6. *c.* 16.

ATTEA, Aſiæ pagus ad ſinum Adramyttenum. *Strabo.*

ATTEGIA, Latinis idem quod Græcis ἡ σκηνὴ, item ἡ καλύβη de qua voce vide infrà in *Calybe*: ab *adtegendo* vel *attegendo.* Hinc Juvenalis *Attegias* vocavit mapalia Maurorum rotunda, *Sat.* 14. *v.* 196

Dirue Maurorum attegias:

De quibus vide infrà in voce *Cohors.*

ATTEIATIS, Italiæ oppid. in Piceno. *Lib. de limitibus.*

ATTEJUS Capito, ingenti rerum uſu, & Romani juris peritiâ, ad conſularem dignitatem ſub Auguſto, evectus eſt. Scripſit quædam ad Jus ſpectantia. Pomponius *l.* 1. *de orig. Juris.* Tacit. *Annal. l.* 3. *c.* 75

ATTEJUS Philologus, libertinus, Athenis natus, quem Capito *Attejus* J. C. ejus Patronus, inter Grammaticos Rhetorem, & inter Rhetores Grammaticum fuiſſe ait, quem juviſſe Salluſtium in ſcribendo author eſt Pollio, qui ab illo eloquentiam didicit. Scripſit quædam, ut, *An Æneas amaverit Didonem!* Chariſius *l.* 1. Sueton. *de Illuſtr. Grammat. c.* 22.

ATTEJUS Prætextatus, nobilis Grammaticus Latinus. Sueton. *Ibid. c.* 7.

ATTEJUS Sanctus, Commodi Imperatoris præceptor & orator. Lamprid. *in Commodo c.* 1. Melius *Attejus Sanctus.*

ATTELA, vide *Atella.*

ATTELEBUSSA, Lycii maris inſula. *Ptol.*

ATTENA, Æthiopiæ ſub Ægypto oppidum. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

ATTENE, Arabiæ Felicis regio circa Gerram oppidum. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

ATTENIUM, vulgò ATTENY, oppid. Aſiæ, in India citeriori & regno *Decans.* Aliis eſt *Atteny*, diſtatque ab urbe Viſiapor 12. leuc. circiter.

de ATTENCATIS Hieronymus, vide *Hieronymus.*

ATTENUATÆ Sortes, apud Livium *l.* 21. *c.* 62. inter prodigia recenſentur. Græcè ἰσχνωθεῖσαι, vel μειωθεῖσαι, h. e. *minores factæ.* Ovid. *l.* 1. *Artis am. v.* 735.

Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes.

Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 104.

Attenuare nives norunt & Cæcuba noſtra &c.

Nempe in oſtentis, ut & ſomnis, omnia majora & auctiora videre, lætum ac proſperum judicant Aruſpices & Ὀνειροκρίται. Contrà triſte oſtentum eſt, ſi qua res ſolitô minor & tenuatior defectiorque apparet. Sic quadrigæ fictiles præparatæ in faſtigium delubri Jovis Capitolini, quòd in fornace creviſſent, felix fortunatumque omen rebus Romanis portenderunt, apud Plin. *l.* 28. *c.* 2. Et Perdiccæ, uni ex Temenidis, panis, qui ejus nomine coquebatur, in furno duplò major factus, Regnum Macedoniæ attulit. Contrà *Præuſtina fortes eſt mata d. l.* exitum triſtem denuntiavêre. Quod idem de Somnis judicium, penès Interpretes eorum veteres. Membrum aliquod, aut aliud quodcunque per quietem ſolitô majus & auctius viſum læta ſignificat: *attenuatum*, contractum & emaciatum contrà. Quò pertinent ſeptem opimæ vaccæ & ſeptem macie defectæ, quas è flumine aſcendentes Rex Ægyptius vidit, in Sacris &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 693.

ATTER, vulgò ATTERSEE, lacus German. qui aliis *Schwarzſee*, in Archiepiſcopatu Salisburgenſi. Eum præterluit fluv. Æger, in confinio Auſtriæ.

ATTERI, de gemmis, idem quod *poliri*, Græcè σμήχεσϑαι eſt: à quo diverſum ſcalpi, γλύφεσϑαι, vide *infra*.

ATTES, Calai Phrygis fil. impotens generandi à matre genitus, qui, cum adoleviſſet, in Lydiam demigravit, & Matris Deûm orgia apud Lydos peregit. Quare cùm ob id in honore eſſet, Jupiter ei invidens, ſuem immiſit, qui Lydorum labores, & opera diſſipiebat: & cùm alios plures, tum ipſum *Attem* interemit. Pauſan. *in Achaicis.*

ATTHIS, Cranai filia, quæ & *Attica*, à qua regio ejuſdem nominis dicta, cùm prius *Actica* diceretur, ſive ab *Actæo* Rege, ut *Lycophroni* & *Phavorino* placet, ſive ab Ἀκτὴ litus, quod ea regio magna ex parte litoralis ſit. *Atthis* etiam inſul. ubi Telamon habitavit. Apollonius *Argonaut. l.* 1.

—— Τελαμὼν μὲν ἐν Ἀτϑίδι νάσσατο νήσῳ.

Quin & *Atthis* Poëtis *luſcinia* dicitur, in quo fit alluſio ad fabulam, quâ Philomela, Pandionis Athenienſium Regis filia, in hanc avem dicitur transformata. Martial. *l.* 1. *Epigr. v.* 9.

Sic ubi multiſona fervet ſacer Atthide lucus.

Item *Atthis*, Hiſtoria rerum Atticarum. Strab. *l.* 5. *Οἱ τὴν Ἀτϑίδα συγγράψαντες*. Eam autem multi ſcripſerunt, ut Philochorus, quem laudant *Dionyſ.* & *Athenæus*. Androtion, quem Pauſanias. *l.* 1. Hellenici etiam Ἀτϑίδα citari video a Grammaticis. Citatur & Ameleſagoræ *Atthis*. *Caſaubon.*

ATTIA, Arabiæ Felicis gens. *Ptol.*

ATTIANUS, prænomine *Cælius*, inter Tutores Adriani Cæſaris, memoratur Ælio Spartiano in *Vita* hujus: *c.* 1. *Ulpium Trajanum & Cælium* Attianum *Equitem Romanum, Tutores habuit*. Ita enim optimi libri, cùm vulgatæ Editiones *Tatianum* habeant. Sed & *Xiphilinus* Ἀτιανὸν vocat; Unde dubium non eſt, quin Τατιανὸς, apud *Zonaram*, ſit corruptum. Cum hoc perperam *Titianum*, qui collega Gallicani fuit in Conſulatu, eundem nonnulli faciunt: diſertè enim diſtinguit Spartianus infrà *c.* 15. *Atque adeò prope cunctos vel amiciſſimos, vel eos, quos ſummis honoribus evexit, poſtea ut hoſtium locô habuit, ut* Attianum *& Nepotem & Septicium Clarum. Nam Eudæmonem prius conſcium Imperii ad egeſtatem perduxit. Polycænum & Marcellum ad mortem voluntariam coëgit. Heliodorum famoſiſſimis literis laceſſivit. Titianum, ut conſcium tyrannidis, & argui paſſus eſt & proſcribi.* Vide Salmaſ. *ad Hiſtor. Aug. loc. cit.*

ATTIANUS Sinus, vide *Atianus.*

ATTICA, hodiè *Ducato di Setines*, regio Achajæ, ſive Helladis in angulo Orientali & Auſtrali, quæ & *Mopſopia* & *Cecropia* dicta eſt, in qua Athenæ, urbs olim totius Græciæ clariſſima. Hinc *Atticus* adject. Ovid. *Triſt. l.* 5. *El.* 4. *v.* 29.

—— O dulcior illo
Melle, quod in ceris Attica ponit apis.

Mel enim Atticum in pretio apud veteres. Diophanes *in Geoponicis, l.* 15. ἄριστον μέλι τὸ Ἀττικὸν, καὶ τοῦ Ἀττικοῦ τὸ Ὑμήττιον. Dio Chryſoſt. *Orat.* 32. de melle Attico, καθαρώτατον, i. e. *puriſſimi*. Sil. Ital. *l.* 14. ut mel Siculum hyperbolicè amplificaret, *v.* 200. dixit:

Tum quæ nectareis vocat ad certamen Hymetton
Audax Hybla favis. —— ——

Idem *l.* 2. *v.* 217. *ſ.* celebrat examina Cecropii Hymetti. Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 177.

Cecropias innatus apes amor urget habendi,

Ideò Val. Flac. *l.* 2. *Argonaut. v.* 597. vocat Hymetton *dulcem*, & Papinius *l.* 12. *Theb. v.* 622. *olentem*. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 104.

Hoc tibi Theſei populatrix miſit Hymetti
Palladis à ſilvis nobile nectar apis.

Philo (neſcio an Judæus) celebrat apes Cecropidas apud Galenum, *l.* 9. *de Compoſ. Pharm.* Queritur Syneſius, *ep.* 136. Athenas olim domicilium ſapientum, tantùm jam celebrari apiariis, & Hymetti ſerias frequentari, non theatri. Et Plat. *in Critia*, de hac parte orbis, *Τῶν γὰρ ὀρῶν ἔστιν ἃ νῦν μὲν ἔχει μελίτταις μόναις τροφήν.* Porrò *Attici* pluribus elogiis celebrantur. *Atticus teſtis*, pro incorruptiſſimo, & probatiſſimo, teſte *Diogeniano*. *Attica fides*, quoque apud Vellej. *l.* 2. *c.* 23. proverbialiter de fide integra & incorrupta dicitur. *Attica Muſa*, pro eleganti & venuſta. Contrà *Adverſa Atticæ*, in eos, qui ſunt violenti in vicinos, dicitur, quòd *Attici* quondam vicinos populos ſedibus ſuis pellerent. Sed & *Attici*, præſertim Athenienſes, lucri & munerum cupidiſſimi fuêre, adeò ut apud *Ariſtophanem*, teſte *Diogeniano*, proverbiô dicatur,

Atticus etiam moriens porrigit manum.

ATTICA Terra, apud Zoſimum Panopolitam, in confectione admirabilis illius tincturæ, quam ὕδωρ θεῖον vocabant: Τὸ δὲ ὕδωρ τὸ παναλόγως ἕξεται, καὶ γῆ Ποντικὴ, καὶ Ἀττικὴ καὶ Ἀρμενία καὶ ... ocbra videtur eſſe *Salmaſio*, an ſil *Atticum*, rubri coloris, quem *Plinius* limum eſſe ſcribit. Quæ duo perperam confundit Vitruvius *l.* 7. *c.* 7. cum ait *Ochra —— multis in locis, ut etiam in Italia, invenitur ſed quæ fuerat optima Attica, ideò nunc non habetur, quod Athenis argenti fodinæ cùm habuerunt familias, tunc ſpecus ſub terra fodiebantur, ad argentum inveniendum. Cum ibi vena forte inveniretur, nihilominus uti argentum perſequebantur. Itaque antiqui egregiâ copiâ ſilis ad politionem operum ſunt uſi.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1157. & infrà, in voce *Sil.*

d'ATTICHY Ludovicus, vide *Ludovicus Doni.*

ATTICIANUS Conſul Orphiti collega ſub initia Claudii II. Imperatoris apud Treb. Pollionem *in Divo Claudio, c.* 11.

ATTICUM, Cyrenaicæ regionis locus, *Antonin.*

ATTICUS Conſul cum Prætextato, cùm Gordianus, apertô Janô geminô, profectus eſt contra Perſas. Jul. Capitolin. in *Gordiano III. c.* 26

ATTICUS, Titi Pomponii Equitis Romani cognomen, ad quem 17. Epiſtolarum libros Cicero ſcripſit. Datum id ei, quòd & diu Athenis vixerit, & Græcè peritiſſimus fuerit, adeò ut Athenis natus videretur, quod & Corn. Nepos de eo, *in vita ipſius Attici*, *c.* 4. prodidit. Alium ſui temporis *Atticum* celebrat Martial *l.* 7. *Epigr.* 31. quem etiam Græcè doctiſſimum & ejuſdem gentis ſtudiis deditum fuiſſe carmen ipſum arguit. 3. Platonicus Philoſophus, qui Romæ floruit tempore Conſtantini Imperatoris; *Eutrop.* 4. Qui quædam hiſtorica ſcripſit. Vide Euſeb. *Chron.* A. C. 179. Conſul. Roman. Prætextati collega. 5. Alius Conſul, Collega Cæſaris ſub Theodoſio Imperatore. 6. Conſtantinopolitos Epiſcopus tempore Arcadii Imperatoris. 7. *Atticus* Veſtinus, Conſul Roman. collega Silii Nervæ tempore Claudii Neronis Imperatoris. Cujus odium, ex intima familiaritate, Nero concepit, dum Veſtinus ignaviam Principis penitus cognitam deſpicit, Nero ferociam amici metuit, ſæpe aſperis facetiis illuſus. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 48. 52. Idcirco innocens, ſub cauſa conjurationis Piſonianæ, juſſu Neronis, trucidatus eſt. Ibid. *c.* 68. Vide & *Pomponius.*

ATTICUS, aliô nomine *Julius*, Speculator Galbæ, qui Principi obvius in palatio cruentum gladium oſtentans, occiſum à ſe Othonem clamavit. Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 35.

ATTICUS, Patriarcha Conſtantinopol. Chryſoſtomô exulante. Innocentii I. Epiſcopi Romani legatos parum honorificè excepit. Obiit A. C. 421. Zelô Orthodoxiæ & charitate in pauperes illuſtris. Socr. *l.* 7. Ei ſucceſſit Siſinnius. Item, Epiſcopus Nicopolitanus, interfuit Concilio Chalcedonenſi.

ATTICUS Quinctius, vide *Quinctius.*

ATTIDIATES, populi in 6. regione Italiæ, Plin. *l.* 3. *c.* 14. Eorum urbs *Attidium*. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 2. *c.* 6

ATTIGOUVANTANI, populi novæ Franciæ, in America Septentrionali verſùs Occidentem, à quibus dictus Lacus ille magnus Attigouvantanorum ſeu Huronum.

ATTILA, Hungarorum Rex, Scytha natione, Ethnicus fide, primò Thraciam vaſtavit, & Oriente turbatô Theodoſii Imperatoris copias tributum ſibi pendere coëgit. Dein, occiſô fratre Bledâ, ut ejus imperium invaderet, tranſiit in Occidentem, *flagellum Dei* appellari gaudens. Pannoniâque & Germaniâ peragratâ, Galliam invaſit cum exercitu 500000. militum, quaſi Viſigothos in Aquitaniam uſque perſecuturus. Mediomatricibus igitur, Treviris, Tungris, Atrebatibus, &c. captis, Aurelianum obſedit, quæ urbe cùm jam ad deditionem deſcenſura eſſet, Aëtius Romanorum Dux, junctis cum Theodorico Viſigothorum Rege copiis, illum ſubitò aggreſſus, obſidionem ſolvere coëgit, pauloque poſt, in campis Catalaunicis, vel, ut *Morerius* vult, Secalaunicis, acie vicit, ducentis ejus millibus proſtratis. Hinc in Italiam tranſgreſſus, Aquilejam aliaſque urbes expugnavit, jam jam Romæ imminens, unde occurſu Senatus ac Leonis Epiſcopi reverſus, cùm Aëtius validis copiis inſtructus approperaret, pacem Valentiniano annuô tributô vendidit. Inde in Pannoniam reverſus, ipſâ nuptiarum nocte, inſigni ſanguinis effuſione, cui ſubjectus erat, debilitatus, animam cruentam exhalavit, A. C. 453. Proſper, Caſſiodorus, Iſidorus, *in Chron.* Jornandes, *de orig. Gothorum* Gregor. Turonenſ. *l.* 2. *c.* 7. P. Diaconus *l.* 5. Sidon. Apollinaris, *ep.* 15. *l.* 5. Vide etiam *Atylas* Addo hîc ſaltem titulos, quos Epiſtolis & diplomatibus ſuis ſuperbè præſcripſit: *Attila filius Bendecuci, nepos magni Nembroth, nutritus in Engaddi, Dei gratiâ Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, Dacorum, Metus Orbis, & flagellum Dei.* Adjecit, *Stellas præ ſe cadere, terram tremere, ſe malleum eſſe univerſi orbis*: apud Cl. Otrimem *Not.* in *B. Rhenanum Rer. Germanic. l.* 1. ubi & varios alios hanc in rem Autores laudat

ATTILIANUS, Conſul, Pompejani collega.

ATTILIUS Calatinus, Conſul, ann. 500. Urb. Cond. Cimber, unus ex percuſſoribus Cæſaris.

ATTILIUS Glabrio, vide *Marcus*

ATTILIUS Hiſter, prænomine *Publius*, ſub Claudio, Pannoniæ Præſes. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 29

ATTILIUS Longus, vide *Lucius.*

ATTILIUS Metilius Bradua, vide *Marcus.*

ATTILIUS Regulus. Conſul Roman. primò bellô Punicô, cùm Carthaginenſes ſæpè viciſſet, horribilem etiam ſerpentem, ad fluv. Bagrada, necâſſet, tandem per inſidias captus. Romam miſſus eſt, pro permutandis captivis, quam permutationem ipſemet diſſuaſit, & Carthaginem rediens, crudeliſſimè necatus eſt. Lege Horat. *Carm. l.* 3. *Od.* 5. Appianus *in Libycis*, Καὶ Ἀτίλιος Ῥήγουλος ἐν ἀπορίᾳ ... (lege ...) Ῥωμαίων ... (lege ...) ..., καὶ αὐτὸν οἱ Καρχηδόνιοι ... ἐχόντων

ἐχθρῶν διέφθειρε. h. e. *Et Atilius Regulus ſecretò magiſtratus monuit, ut bello potenter incumberent, & in portum reverſus eſt, ad omnia paratus, & eum Carthaginenſes in cavea undecumque aculeos habente includentes, necaverunt.* Hanc Hiſtoriam, vel potiùs fabulam, pleriquе Romanorum poſteris, ut veram, tradiderunt. Cicero *l. 3. de Offic.* eam habet, & *vigiliis necatum Atilium* ait: ut & in *Orat. in Piſonem*, ſectas ei palpebras dixit, & Horat. ubi ſuprà,

Atqui ſciebat quæ ſibi barbarus
Tortor pararet. —— ——

Silius Italicus verò in eo argumento tragicè debacchatur: eos auctores ſecutus Zonaras, eadem de morte *Attilii* narrat: ii omnes Appiani huic loco concinere videntur. Si dixero, me tantis & talibus auctoribus fidem non habere, riſum fortè tuum vel indignationem movebo. Sed audi quæſo, quæ me ab ea negatione credenda demoneant, & expande frontem, ſi corrugata eſt. *Polybius*, qui belli primi Punici Hiſtoriam fusè, ne dicam prolixè, ſatis exequitur, cum *Atilii* cladem & captivitatem narrat, de toto eo negotio ne verbum quidem facit, ut nec de situ ejus & reditu, nec de ejus morte loquitur. Si quis conjecturæ noſtræ locus eſt, puto eum auctorem de morte *Atilii* conſultò tacuiſſe, ne coactus foret, fallere fidem hiſtoricam eam fabulam narrando, ut Romæ obtinebat, vel odium Romanorum incurrere, ſi contrarium recepto apud eos rumori traderet. Ut id credam, ſuadent duo loci inſignes, unus Polybii *l. 1.* ubi de auctoribus, qui bellum Punicum primum ſcripſerunt, ait, Philinum, & Fabium, non, ut oportuit, veritatem recuſaſſe, ſed Philinum quidem omnia in Carthaginenſium favorem ſcripſiſſe, Fabium verò contrà, & utrumque falsò. Alter locus eſt Diodor. Siculi, cujus extat fragmentum, *l. 24.* quantivis pretii à Valeſio publicatum. Sic autem incipit: (de *Atilii* autem uxore, & ejus liberis loquitur, quibus data fuerat cuſtodia Boſtaris & Hamilcaris, Carthaginenſium Ducum captivorum.) Ὅτι ἡ μήτηρ τῶν νεανίσκων βαρέως φέρουσα τὴν τοῦ ἀνδρὸς τελευτήν, καὶ νομίσασα δι' ἀμέλειαν αὐτὸν ἐκλελοιπέναι τὸ ζῆν, ἐνέσειε (vel ἔπεισε) τοὺς υἱοὺς κακουχεῖν τοὺς αἰχμαλώτους. Narrat deinde, quomodo ob carceris nimium rigorem, alter eorum mortuus ſit, alter verò duraverit, donec res in vulgus prodita. Οἱ δὲ, μετενεχθέντες εἰς τι δωμάτιον στενὸν συνεκλείσθησαν. [illegible] καὶ παρ' ὀλίγον [illegible] εἰς μελαγχολίαν τὴν Ῥώμην. [illegible] οἱ μὲν πάντα [illegible] τῶν αἰχμαλώτων. Οἱ δὲ [illegible] καὶ τὸν Βοδόστωρα [illegible] Ἀτίλιον [illegible]. Ex hoc Diodori loco, & ex Polybii ſilentio licet conjicere, totam de M. *Atilii* ſupplicio tragœdiam ad pulpita amandari debere, & à veritate hiſtorica exulare: & mihi videor totam *Atilii* Hiſtoriam intelligere. Adverte animum lector. M. *Atilio* totam Carthaginenſium ditionem liberè depopulante, Aſdrubalem, Boſtarem & Hamilcarem Duces arceſſunt Carthaginenſes: pugnant cum *Atilio*, vincuntur, de pace agunt; ſed incaſſum, ob duriores conditiones ab *Atilio* propoſitas; Denuò pugnant, Xantippò Lacedæmoniò Duce, vincunt, & univerſum Romanorum exercitum delent, & ipſum Ducem *Atilium* captivum Carthaginem ducunt: curam adhibet Amilcar, & captivum fovet, ut fit in bello. Claſſem navium 350. parant Romani, & Conſulib. M. Æmiliò & Serviò Fulviò Ducibus, ad Hermæum promontorium claſſem Carthaginenſium profligant, captis navibus 114. & Ducibus Boſtare & Amilcare, quos Romam mittunt cum victoriæ nuncio: quod ex eo conjicio, quòd de iis non ſit amplius mentio in illo bello, ſed de ſolo Aſdrubale, & quòd ex eo Diodori loco citato pateat, eos captivos Romam ductos fuiſſe. Senatus, ut ſolaretur uxorem & filios *Atilii*, iis mandat cuſtodiam Ducum Carthaginenſium, ut haberent redemptionis *Atilii* pretium, factâ ſcilicet commutatione, ut fit in bello, quod *Diodorus* narrat. At accidit, ut morbò moreretur in captivitate *Atilius*: unde irata uxor, & non ampliùs ſperans, ſe per ſuorum captivorum tranſmutationem potituram maritò, eos crudeliter vexat, unde Senatus ira adverſus matrem & filios: Ea verò ut colorem juſtitiæ daret crudelitati ſuæ, fabulam hanc de necato per incuriam, & vigilias & tormenta *Atilio* in vulgus & alias mulieres, ejus affines loquaces tradidit, unde rumor ille increbuit, & in majus traditus eſt, & propter Carthaginenſium odium facilè creditus, vires eundo acquiſivit. Niſi ita res ſe habuerit, multum me fallit conjectura. Lege lector, veritatis ſectator, totum Diodori *fragmentum*, & Polybii *l. 1.* attentè, &, ut ſpero, dices, me non aberrare à veriſimili, & inter errata hiſtorica M. *Atilii* caveam, & aculeos, & palpebras ſectas annumerabis *Palmerius*. Vide plura de Attilio, apud *Liv. Flor. Eutrop. Oroſ. Zonaram*, & in voce *Regulus*, it. *Capua*, & *Marcus*.

ATTILIUS Serranus, Conſul. Item Poëta, &c.

ATTILIUS Severus Conſul, cum Æmilio Juncto, quorum meminit Lamprid. in *Commodo*, *c. 4. Interfecta & Vitraſia Fauſtina & Velius Rufus --- In exilium autem acti ſunt Æmilius Junctus & Attilius Severus Coſſ. & in multos alios variè ſævitum.*

ATTILIUS Tatianus, ſeu *Titianus*, ut aliqui codices habent, affectatæ tyrannidis reus, proſcriptus eſt, à Senatu, principatu Antonini Pii, apud Jul. Capitolin. in *Vita* hujus, *c. 7.*

ATTILIUS Volſo, vide *Marcus*.

ATTINAS, ſive, ut alii legunt, ATTINIAS, Bactrianæ regioni ab Alexandro Magno præpoſitus, ab exulibus Bactrianis & octingentis Maſſagetis in inſidias inductus & cum trecentis equitibus interemptus. Curt. *l. 8. c. 1.*

ATTINIACUM, oppidul. Gall. *Attigny*, vulgò, in Campania, & Ducatu Remenſi. Ubi Synodus A. C. 765. 822. 834. 870. Flodoard. *Hiſt. Gall. Concil. 8. tom. Baudrand. Merov.* Villa fuit publica, ſub Pipino, Carolo M. Ludovico Pio, ac Carolo Calvo, notiſſima: conventibus gentis, ac legibus ibi latis, (quæ *Capitula* vocantur) celebris ad ripam fluv. Axonæ. Hic mortuus Daniel, i. e. Chilpericus Rex A. C. 720. Pipinus natalem Domini celebravit: Ludovicus Pius pœnitentiam publicam ſuſcepit, &c. *Attiniacum palatium* quoque veter. dicitur, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ATTIPIACUM, villa ad Axonam fluv. Forſan *Attichi* hodie. P. enim Latinum non rarò Gallis in *ch* mutatur. Sic pro, Gamapium, *Gamache*, pro Clippiacum *Cliche*, dicunt. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ATTIQUAMECHI, populi novæ Franciæ, in America Septentrionali prope fontes fluv. Saguenay.

ATTIRI, Æthiopiæ ſub Ægypto gens. *Ptol.*

ATTIS Menotyrannus, h. e. *μηνοτύραννος* in *Inſcript.*

M. D. M. I.
ET ATTIDI SANCTO
MENOTYRANNO
Q. CLODIUS FLAVIANUS
V. CL. PONTIF. MAIOR
XV. VIR. S. F. SEPTEM
VIR. EPULONUM
TAUROBOLIO. CRIOBO
LIOQUE PERCEPTO.
MATRI DEUM MAGNÆ
IDÆÆ. SUMMÆ. PA
RENTI. HERMÆ. ET ATTIDI
MENOTYRANNO INVICTO
CLODIUS HERMOGENIANUS &c.

Cybeles amaſius, idem cum Sole creditur, qui verè *μηνοτύραννος*, *Rex menſium* & anni moderator eſt. Macrob. *Saturnal. l. 1. c. 21. Solem verò ſub nomine* Attinis *ornant fiſtulâ & virgâ.* (de Phrygibus loquitur) *Fiſtula ordinem ſpiritus inæqualis oſtendit: quia venti, in quibus nulla æqualitas eſt, propriam ſumunt de Sole ſubſtantiam. Virga poteſtatem Solis aſſerit, qui cuncta moderatur.* Quò facit vetus *Inſcr.* Græca.

Ἄττει δ' ὑψίστῳ καὶ συνέχοντι τὸ πᾶν,
Τῷ πάντα κοσμοῦντι δημιουργοῦντι πάντα φύσει.

Proprium enim Solis, *πάντα κοσμεῖν δημιουργοῦντι πάντα φύσει*. Auctor *Poematis* antiq.

Egregios proceres currum ſervare Cybelæ,
Quem traheret conducta manus Megalenſibus actis,
Arboris exciſæ truncum portare per urbem,
Attin caſtratum ſubitò prædicere Solem &c.

Huic crioboliò, ſicut Cybelæ tauroboliò litatum: quæ ambo juncta in *Inſcr.* prædicta aliiſque veterib. monumentis reperiuntur, vide infrà ſuò locò; Idem cum pileo acuminato & in frontem inclinato pingitur &c. Plura hanc in rem vide apud Salmaſ. *ad Solin. p. 51.* & 556. Item *Notis ad Æl. Lamprid. in Vita Antonini Heliogabali*, *c. 7.* ut & in voce *Atys*.

ATTIUM, inſul. Corſicæ promontorium. *Ptol.* Nunc *Punta de Laccivolo*.

ATTIUS Pelignus cum VII. cohortium præſidio Sulmonem tenuit, ab Antonio interceptus, à Cæſare dimiſſus fuit. *l. 1. Bell. Civil. c. 18.*

ATTIUS Tullus, quò Duce, Volſcos adversùs Romanos concitavit Coriolanus.

ATTIUS Varus, Auximum oppidum Pompeji nomine obtinuit, cedere inde ab oppidanis Cæſari faventibus pulſus, de quo Lucan. *l. 1.* & Cæſar *l. 1. Bell. Civil. c. 13.* Ab hac fuga in Africam venit, quam Provinc. Prætor antè poſſedit, atque illam à Cæſare avertit. *l. 2. de Bell. civil. c. 29* Periit verò hic in bello Hiſpanienſi ad Mundam. Vulgò perperam legitur *Actius*. Vetera tamen monumenta habent *Attius*.

ATTOGATIO. in *Gloſſis veter. παράλυσις*: Caſaubonus legit *παρενδυσις*: ſic Toga dicta, quòd tunicis ſuperinduеretur. Græci meliùs *ἐπενδύματα* & *ἐπενδύτας* extimarum veſtium omne genus appellârunt, *Attogatio* igitur i. *ἐπιτόγιον*, cui contrarium apud alios *Extogatus*. Apud Spartian. in *Hadriano*, *c. 3. Unde hodieque Imperatores ſine penulis attogati videntur*, legit Salmaſ. Non enim ſolùm ſalutatores togati erant, ſed & Principes, quoties videbantur: Interdum tamen, qui aulicum ſpernebant faſtigium Imperatores etiam in domeſticis veſtibus, ſe paſſos eſſe videri, diſcimus ex Capitolino in *Vita Pii*, *c. 6. Viſus eſt ſanè ab amicis & cum privatis veſtibus & domeſtica quædam gerens.* Caſaubon. *ad Spartian. cit. loc.*

ATTRACTUS, facultas, quam habet dominus feudi, retinendi homines alterius domini, ita ut à propriis dominis repeti non poſſint. *Charta* Hugonis Ducis Burgund. A. C. 1172. pro fundatione Capellæ Divionenſis, apud Perardum: *Conceſſi —— ut videl. Clerici ei deſervientes liberum habeant* attractum, *in villa Divionenſi, eòdem modo, quo habeo, i. e. libertatem retinendi homines, eandem quam habeo in villa Divionenſi*, &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

ATTUARII, German. populi Vellejus *l. 2. c. 105.* Forſan *Chattuarii*, vel *Caſuarii*, inter Chattos, Bructeros & Cheruſcos, ſecundùm Mich. Ant. Baudrand. *in Lexico Geogr.* Eorum regio, vetus patria eorum, qui in Galliam tranſlati trans Rhenum in Germania, *Attuaria* & corruptè *Atoaria*, adhuc ſub Ludovico Pio, dicta, ab illo inter Toringiam ac Saxoniam ponitur. Ex *Hatterch*, vulgo *Hattem*, oppid. hodieque ad Lupiam. In diviſione regni Lotharii A. C. 870. facta, in Germania II. inter Bataviam & Moſanum pagum *Attuaria* collocantur, &c. i. e. in Gelria hodie ad fluv. Nerſam, *Neritum Cluverio*, vulgò *Neers*. Sic duplices erunt *Attuarii*, Ciſrhenani ad Nerſam, prope Bataviam. & Tranſrhenani:

quorum urbs à Danis; Geſta Franc. c. 19. & Saxonibus, A. C. 715. devaſtata ſint, ut incerto. Aliæ ſunt in finibus Lingonum *Attuarie*, quæ, *Comitatus* nomine, in Burgundia, inter Comitatum Cabillonenſem ac Lingonicum ponuntur, in Annal. Bertinianis, A. C. 839. Unde Hugo, *Attoariorum* Comes, in Chronico S. Benigni, ante Ann. 600. compoſito, &c. Videtur jacuiſſe hic pagus ad Vincennam, Tilam ac Atarim flumina, proximus Oſcarenſi & Tornodorenſi ac Lingonico, in cujus finibus monaſterium Beſvenſe. Hi autem *Attuarii* Francica gens, Ammiano, *l.* 20. capti & translati à Conſtantino Chloro Cæſ. in partem pagi Lingonici, nomen ei pagi *Attuariorum* videntur dediſſe. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

ATTUBI, Hiſpaniæ Bæticæ urbs. Plin. *l.* 3. c. 1. *Eſpejo* hodiè.

ATTUBI, vel UCUBIS, oppid. fuit Turdulorum, ad Singilim fluv. ubi forſan hodiè caſtrum *Olivera*. *Baudrand.*

ATTURNATUS, in Jure Angl. & Normannico, Procurator, qui aliena negotia, ex ſpeciali mandato, in Foro agit & domini ſui jura tuetur; qua de re vide Eundem, præter Spelmannum, Raſtallum, Littletonem *Sect.* 551. quæ inſcribitur *de Atturnement*, alios.

ATUACUTUM, melius ADVATUCUM, Urbs fuit Eburonum, in Gallia Belgica & Tungrorum caput, hodie *Tongeren*, oppid. Leodienſis ditionis. Vide *Advatuca*.

ATUÆ, B. Rhenano ſunt, quos Cæſar *Atuaticos* appellat, *Rer. Germanic. Nov.-Antiq. l.* 2. ubi Cl. Otto: *Atuacum & Aduacum, Ptolemæo Tungrorum urbs. Eam Antverpiam putant --- Alii ſuperius ſeu Trajectum Moſæ ſic vocari arbitrantur --- in qua olim Sedes fuit Epiſcopalis --- poſt Attilæ devaſtationem à S. Servatio illuc, à S. deîn Huberto ad A. C 713. Leodium tranſlata. Viſitur adhuc in urbe templum Herculis, ejuſque ſtatua ante portas urbis.*

ATURENSIUM Civitatis, meminit *Lib. Provinciarum*, in Novempopulana Galliæ regione. Sub Gothis Regibus celebris. Ab *Aturo* fluv. dicti hi populi, forſitan quondam pars Tarbellorum. Horum Civitas inter Novempopulanæ civitates XII. octava, vel nona ponitur, *& Civitas Aturenſium vico Juli* dicitur. Hinc Epiſcopi de civitate Vico Julii Concilio Agathenſi, & Matiſconenſi II. interfuiſſe leguntur. Cùm Valiæ, Viſigothorum Regi unà cum Aquitania II. data fuit ab Honorio Novempopulana, urbs *Aturæ* præ cæteris Alarico juniori Viſigothorum Regi à Valia ſexto, paruit. Nomen retinere ſcribit *Scaliger*, ſed depravatione Vaſconicâ *Atrenſium* civitatem dici, vulgò incolarum *Aire*, ni fallor. *Oihenart. Marca*, &c. Clariſſimum *in Aturenſi* diœceſi oppid. S. Severi Monaſteriò & nomine illuſtre, *S. Sever de Gaſcogne*, quod Caput, ſeu initium Vaſconiæ interpretatur Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* qui Oihenartum ſemel atque iterum, circa *Aturiam*, corrigit. Vide infrà.

ATURIA, pars Aſſyriæ, in qua Ninus & Gaugamela civitates. Strab. *l.* 16.

ATURRUS, Tarbellorum in Gallia Aquitanica fluv. Auſonius in *Parentalib. Epigr.* 4. v. 11. *Aturius Ptolemæo*: *Atur*, Tibullo, *l.* 1. *eleg.* 7. v. 4. *Atyr Vibio Sequeſtri*. *Dour* fortè hodiè, ut conjicit *Victor Giſelinus*, *L'Adour* vocat *Joſ. Scaliger*. *Landam* interpretatur *Navagerius*. *Herodianus Aturrus* legit, & non parvô errore ſcribit Galliæ Belgicæ fluv. eſſe, & vulgo *Gelu* dici. Hinc pago ad ripam ejus jacenti, *Aturi ripenſis* nomen, *pays d'Auribat*, inter oppid. S. Severi & Aquas Tarbellicas. Attingit hic fluv. Aquas Tarbellicas & Lapurdum. Tres fluvios *Aturros* dictos, habet *Baudrand.* Ita autem ille: *Aturus*, ſeu *Aturrus*, fluv. eſt Aquitaniæ, *l'Adour* dictus. Apud Bigerros, in valle Campana, haud procul Bagneriis fluunt tres fluvii, Aturri dicti, quorum nomen commune, origo prorſus diverſa. Aturrus ille, qui reliquos excipit, quique ſat notus eſt Hiſtoricis & Geographis, oritur ex Pyrenæis montibus, in ſummo Baredgini montis jugo; hinc per Bigerros fluens, & per Auſcios, Eluſates, & Datios, rigat urbes Tarbam, Aturum, Fanum S. Severi, & Taſtam, & paulò infra Bajonam in Oceanum Aquitanicum ſe exonerat, receptis priùs Gabrô, Nevâ, aliiſque minoribus. Alter Aturrus oritur in finibus vallis Campanæ, diciturque Aturrus Silvenſis, *l'Adour de la Seube*; ac dein influit in Aturrum, quem diximus. Tertius Aturrus oritur in Parochia Bagneriarum, vocaturque Aturrus Baudeanicus, *l'Adour de Baudean*, eò quòd vallem Baudeanicam irrigat, infra quam excipitur undis majoris Aturri. Uterque autem horum fluviorum excurrit per duodecim milliaria, antequam influat in Aturrum majorem, teſte *Baluzio*.

ATURUM, ſeu ATURUS, aliàs Eluſatum, nunc *Ayre*, Vaſconiæ propriæ Caput eſt, in Gall. juxta Aturum fluv. in ipſo limite Comitatus Arminiaci 4 leuc. Aquitan. ſupra Fanum S. Severi in Eurum, 10. à Taſta in ortum, uti 16. à Bajona, Auſcios verſus 11. Epiſcopal. An *vicus Julienſis* Gregorii Turonenſ. *l.* 9. *c.* 7. Marca *Hiſt. Bearn.* vult eſſe civitatem veterum Sociatum. Vide ſuprà.

ATYADÆ, poſteri Atyis, filii Cotyos, nomen I. Dynaſtiæ Lydorum, ſeu primæ Stirpis in illa gente regnatricis, qui præfuerunt uſque ad Argonem, primum Heraclidarum, qui ab *Atyadis* educati ex oraculo regnum adepti ſunt. Illorum ſeries obſcura, unde plerique res Lydorum à Dynaſtiâ II. & Argone præfato ordiuntur. Vide *Argon*, *Atys*, *Lydia*, *Lydus*. Cæterum in *Atyadis* numerandus eſt *Hermon*, *Stephano* memoratus; it. *Cambles* ſeu *Camblitas*, *Athenæo* & *Nic. Damaſceno*, vide utrumque ſuô locô.

ATYLA, vel ATILAS, vir fortis, imperandique cupidiſſimus, cui ingenium acre erat, & circumſpectum, corpus validum & breve, ingens animi magnitudo, indefatigabilis tolerantia laborum, exacta rei bellicæ diſciplina, aſtûs, & conſilii altitudo ſumma; Egregia forma, torvus aſpectus, caput grandiuſculum, oculi minuti, rara barba, ſimus naſus, calvi ferè crines, color ſubniger, & magna libidinis impatientia. Inſcriptio, quâ in diplomatis utebatur, hæc erat, *Atila Mundizi filius, & magni Nemrod nepos, Engadis natus, divinâ benignitate Hunnorum, Medorum, Gothorum, ac Danorum Rex, metus Orbis, Deique flagellum.* Poſtquam autem regiam dignitatem ſortitus eſt, omnes gentes ſibi ſubditas ad obſequia redegit. Multis & variis ſubactis ac direptis regionibus, cum exercitu ditato in regnum ſuum rediit. Bellô Italicô & Illyricô triumphavit, & quamvis de invadenda Aſia, atque Africa cogitavit, ſummâ tamen libidine diffluens inter convivia, & ingentem concubinarum numerum, mentem remiſit, puellamque Bactrianorum Regis filiam, cujus amore ſuccenſus erat, primariæ uxoris locô habere conſtituit, unde Bacchô & Venere corpus eâ nocte ita confecit, ut inter dormiendum corpore ſupinô, ſanguinis profluviô ſuffocatus interierit. Munſter. *l.* 4. *Coſmogr.* Vide etiam *Attila*, ubi inter alia tituli ejus paulò aliter habent.

ATYMNIUS vel ATYMNUS, Ἀτύμνιος, Scholiaſtæ Apollonii, Ἄτυμνος aliis. Phœnicis creditus fil. verè autem Jovis erat, Europæ frater, quem Gortynii in veneratione fuiſſe refert Solin. c. 11. *Cretes Dianam religioſiſſime venerantur ---- Gortynam amnis Lethæus præterfluit, quo Europam tauri dorsò Gortynii ajunt vectitatam. Iidem Gortynii & Atymnium colunt, Europæ fratrem, ita enim memorant. Videtur hic & occurrit, ſed die jam veſperato anguſtiori ſe facie viſendum offerens.* Apollodorus verò Atymnium Jovis & Caſſiopeiæ filium recenſet, propter cujus amorem Europæ liberi certamen & inter ſe habuerint, & cum Sarpedone, qui illum amabat, in *Biblioth.* Ἔνιοι δὲ αὐτὸν ἐρασθῆναι λέγουσιν Ἀτύμνιου τοῦ Διὸς καὶ Κασσιεπείας, καὶ διὰ τοῦτον στασιάσαι. *Nonnulli verò illum* (Sarpedonem) *amaſſe dicunt, Atymnium Jovis & Caſſiopeiæ, atque propter hunc contentionem fuiſſe ortam* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 171.

ATYR: vide *Aturrus*.

ATYRAS, Collis in Illyrico, *Dioni*, incertæ poſitionis.

ATYS, cui avus Maſnes, vel Manes, Jovis & Terræ fil. pater Cotys, Lydiæ Rex Herodot. *l.* 1. *c.* 7. *Lydi, qui antea Maones dicti ſunt, nomen habuerunt a Lydo, Atyis filio, Cujus poſteri regnarunt.* Sic ei ſucceſſerit fil. *Lydus*, quem vide ut & ſuprà voce *Atyadæ*. Addo ſaltem locum Halicarnaſſei *l.* 1. *Atyi ex Caliithea Choræi filia ſuſtulit Lydum --- & Tyrrhenum*: unde liquet, confundi hunc *Atyn* (Cotys ex Halia Tulli indigenæ filia genitum) cum Atye quodam Herculis & Omphales filio, uti infra videre eſt.

ATYS, Herculis & Omphales fil. è duobus filiis ſorte jactâ alterum retinuit *Lydum* nomine, alterum, cum abundante multitudine in Italiam miſit coloniæ deducendæ. Cui nomen *Tyrrhenus* & ab eo *Tyrrhenia* terra, Tacit. *l.* 4. *Annal.* c. 55. Strab. *l.* 5. Macrob. *Saturn. l.* 1. c. 21. *Nic. Lloydius.* Vide ſuprà, ubi de *Atye* Cotyos filio.

ATYS, Crœſi, Lydiæ Regis, fil. qui, cùm anteà ſemper mutus fuiſſet, in eo tandem prælio, quod Lydiæ ſervitutem attulit, cùm Cyri militem videret ſublatô enſe patri ſuo cædem illaturum, nimiâ loquendi cupiditate, linguæ vinculum abrupit, claràque voce Patris interitum deprecatus eſt his verbis, Ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Periit in venatione, ab Adraſto, cujus curæ commiſſus erat, per negligentiam, lethaliter vulneratus. Herodot. *l.* 1. & 2.

ATYS, juvenis, cui Iſmene Oedipi filia fuit deſponſata, qui tamen ante nuptias à Tydeo interfectus eſt.

ATYS, puer Cybeli adamatus, ſacriſque ſuis præfectus eâ lege, ut perpetuò caſtitatem ſervaret. Sèd cùm poſtea voti ſui parùm memor, Sangaritidem nympham compreſſiſſet, ab irata Dea in furorem actus, teſtes ſibi exſecuit; cùmque etiam ſibi manus afferre conaretur, miſeratione Cybeles in pinum arborem mutatus eſt. Ovid. *Met. l.* 10. v. 104.

> *---- Cybeleius Atys*
> *Exuit hac hominem, truncòque induruit illò.*

Vide Catullum, *Carmine* 64. *cujus initium*:

> *Super alta vectus Atys celeri rate maria.*

Ubi titulus, in ſcripto Scaligeri, *De Attine furore percito.* Et ſanè ita legitur apud Macrob. qui hanc fabulam ad Terram & Solem applicat *Saturn. l.* 1. c. 21. & in veteri quadam *inſcriptione* Hiſpana. Græcis Ἄττις, Ἄττιος, & Ἄττης Ἄττου, ut Φόρμιος & Φόρμης. Nero enim dixit,

> *---- Berecynthium Attin,*

apud Perſ. *Sat.* 1. v. 93. *Dio de Nerone*, Ἐκιθαρῴδησεν Ἄττιν τινὰ ἢ Βάκχας, lege Ἄττιν. *Nic. Lloydius.* Malè hinc *Salmaſio* pro *Attis*, *Atys* enim nomen Lydum eſt, quô aliquot Lydiæ Reges vocati ſunt; Pater nempe Lydi, à quo Lydia denominata eſt: item Pater Manenis, ejuſdem Lydiæ Regis: fil. Crœſi &c. ut vidimus. *Attis* verò nomen Phrygii ephebi, quem dilexit Mater Deûm. *Attidem* namque, & *Attinem* & *Attin* in declinationibus tam Græci, quàm Latini, dixêre. Latinam *Inſcriptionem* vidimus ſuprà, Alii,

> *Qui colitis Cybelen & qui Phryga plangitis Attin.*

Perſius, *loc. cit.*

> *Claudere ſic didicit verſum, Berecynthius Attin.*

Macrob. *Solem verò, ſub nomine* Attinis *ornant fiſtulâ & virgâ* &c. *Saturnal. l.* 1. *c.* 21. quem locum vide ſuprà.
Græca *Inſcr.*

> Ἄττει δ' ὑψίστῳ καὶ συνέχοντι τὸ πᾶν.

Dio, Ἐκιθαρῴδησεν Ἄττιν, ἢ Βάκχας· *Citharâ cantavit Attinem & Bacchas.* Ἄττης *Nicandro*, pro Ἄττις: nam dixit in patrio caſu Ἄττεω

> —— καὶ ὀργειῶνα Ἄττεω.

Heſych. ita Lacones eum appellare notavit: Ἄττες, τὸν Ἄττην λέγουσιν οἱ Λάκωνες, &c. De nominis etymo Arnob. *l.* 5. *Repertum neſcio quis ſumit Phorbas, tale alii bircquini: & quoniam Lydia ſcandalas ſic vocat,*

cat, vel quia hircos Phryges ſub Attagoi eloquutionibus mancipant, inde Attis nomen ut ſortiretur, effluxit. Quod Auctori ſuo relinquimus, interim ἄττηγι *hircos* Ionibus ſignificare, ex *Euſtathio* notat Salmaſius, quem vide *ad Solin. p. 50. & 51.* ut & ſuprà in voce *Attis.*

ATYS, Indus quidam in Andromedæ nuptiis à Perſeo interfectus. Ovid. *Met. l. 5. v. 46.*

> --- *Erat Indus Atys, quem flumine Gange*
> *Edita Limnace vitreis peperiſſe ſub undis*
> *Creditur.* --- ---

ATYS Sylvius, Albæ Sylvii fil. quem *Euſebius* Ægyptium Sylvium vocat, regnavit ann. 29. Capy filiô relictô. Item pueri Trojani nomen Virgil. *Æn. l. 5. v. 569.*

> *Parvus Atys, genus unde Atii duxêre Latini.*

Hinc *Atiæ*, familia Romana, unde Auguſti mater.

ATYS, ſeu ACITHIS, *Carabi*, fluv. parvus Siciliæ, in valle Mazaræ; Hic in mare Africum ſe exonerat, inter Thermas ad Ortum & promontor. trium fontium ad Occaſum. Vide *Acis* ſeu *Acithis.*

ATYXYES, nobilis Perſa, in prælio ad Granicum, occubuit, Olympiad. CX. annô tertiô.

AVA, Regnum, urbs & fluv. in continenti Indiæ, inter regna Arracam & Siam. Jarric. *l. 6. Barboſa* &c.

AVA, Latinè *iniquitas*, nomen Idoli. 2 Reg. *c. 18. v. 34*

AVADIÆ, Bactrianæ gens.

AVALITÆ, populi in Troglodytica *Ptolemæo.* Hic enim Troglodyticam in univerſum appellari dicit, oram maritimam, quæ ſinui Arabico & *Avalitæ* eſt prætenta, uſque ad montem Elephantem. In qua continentia ſunt Adulitæ, *Avalitæ*, & Moſyli à promontor. ſic dicti cognominibus. Nempe in intimo receſſu ſinûs Arabici ſinus eſt Ælaniticus, uſque ad ejuſdem anguſtias & fauces, qui locus dicitur Δειρὴ, vel ἐπὶ τῆς Δειρῆς στόμα. Poſt eas anguſtias excipit ſinus *Avalites*, & apertum Mare, in quo Moſylum emporium & Moſylum promontor. &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 798.* & 1240.

AVALITES, qui & ABALITES, ſinus & emporium in dextra parte Rubri maris. *Steph.* Vide Bochart. *Phaleg. l. 5. c. 55.* Hodie *Zeila*, urbs munita regni Adelis, in Ajana regione.

AVALLIS, Villa Galliæ, non procul ab Urbe Remis, vulgò *Avaux*, Comitivæ titulô illuſtris. Hic Carolomannus, parte Normannorum, qui prædas agebant, interfectâ, parte Axonâ merſâ, reliquis qui ſuburbana Remorum depopulati erant, ad ſuos redeuntibus, prædam excuſſiſſe memoratur, in *Annal.* Bertinianis circa A.C 882.

AVALLOCIUM, vicus Carnotenſis dicitur, apud Gregor. Turonenſ. *Hiſt. Franc. l. 4. c. 24.* Hodie *Alluye*, vicum eſſe in Carnotibus, ad flumen Lidericum, quem poſtea truncatô nomine *Allocium* vel *Allogium* vocaverint, obſervat Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.* Villam *Allogiam* Fulbertus Carnutenſ. Epiſcopus vocat *ep. 53.*

AVALO; urbs Burgundiæ, cum caſtro munito. Hanc Robertus Rex Galliæ, poſt mortem patrui Henrici Burgundiæ Ducis improlis, Burgundiam aſſerturus, quam ille in gratiam Giſellæ uxoris, Othoni Guilielmo, cognomine *Peregrino*, quem hæc ex priore marito, Adelberto Italiæ Rege ſuſceperat, legavit; cepit poſt trimeſtrem obſidionem, muris, ut ajunt, ſponte corruentibus. Continuator Aimoini, *Mezeray*, Dupleix in *Roberto.* Vide *Aballo.*

AVALON, cognomine *Elvan*, ſub M. Antonino Philoſopho & Commodo: Radulphus Niger, *in Chron.* Fidem Chriſtianam in Anglia prædicâſſe, & *de origine Eccleſiæ Anglicanæ* opus edidiſſe legitur, apud *Baleum.* Qui Meltini *Avalonis* Angli quoque meminit, qui Hiſtoriam fabulis permixtam conſarcinavit. Balæus *centur.* 1. c. 57.

AVALON Guilielmus, è regia Anglorum domo oriundus, in Navarra ſedem, ſub Sanctio Abarca Rege fixiſſe perhibetur, auctor illuſtris familiæ *Avalos* ſeu *Davalos.* Ejus poſteri inde in Bæticam migrârunt, in qua Ubedæ habitavit Didacus Lopezius Davalus, pater Ruiſii Lopezii, qui cum Comes ſtabuli Caſtellæ ac primus Comes *de Ribadeo* eſſet, his titulis ac rebus geſtis familiam illuſtriorem reddidit, quamvis ad extremum A. C. 1425. quòd partes eſſet ſecutus Infantis Henrici Ducis Villenenſis, gratiâ, bonis & dignitate, exciderit. Fuit autem ter maritus eque ſingulis conjugiis ſobolem procreavit. Primû è Maria *de Fontecha* genuit Petrum, aliquot liberorum patrem & Didacum Lopezium, qui *Arenas*, *Colmenar* aliaque à patre obtinuit, ac Ruiſium Lopezium II. Petrum Lopezium *d'Avalos*, Fernandum Perezium *de Ayala* & Inicum Lopezium *de Ayala*, filios habuit. E quibus primogeniti linea cùm deficeret, ſucceſſit Laur. Suarezius *de Figueroa*: at alterius poſteritas cum nomine *Ayala & Davalos* ad nos durat dignitate Comitum *de Villalva* ornata. Tertius non minùs progeniem habuit, ut & quartus: è quorum poſteris nomen Davalos etiam familiis *de Roxas* & *Chacon* eſt illatum. Ex ſecundo Conneſtabilis matrimonio cum Elvira de Guevara, natus eſt Beltramus *d'Avalos de Guevara*, Comitum Potentiæ ſator, & Ferdinandus *d'Avalos & Guevara*, alius lineæ auctor. Demum ex tertio conjugio natus eſt inprimis ante reliquos Inicus; qui meritis in Alfonſum Aragonium Regem Neapolis illuſtris, Comes *de Monteodoriſio* & Camerarius Regni, ſedem fortunæ in Italia collocavit, ductâ Antoniâ Aquinate, March. *de Peſcara.* E quorum liberis Alfonſus I. March. Peſcarius, una cum filio Fernando Franc *d'Avalos & Aquino*, rebus bellicis geſtis inſignem gloriam ſibi acquiſivêre. Alter Martinus & poſt eum tertius Rodericus Comites *de Montedoriſio* & hic March. Vaſti fuêre, ſed improles. Quartus Inicus March. *del Baſto* ſeu Vaſti, reliquos Marchiones Vaſti & Peſcariæ, atque Principes *de Monteſarchio* genuit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Tom. 3.*

AVALONIA, urbs Albionis, *Inis Avalon*, teſte *Lelandô*, incolis *Glaſſenbury.*

AVALTERRÆ, apud Matthæum Paris. A.C. 1249. *Hic quoque Comes Hugo navem mirabilem paraverat in Regno Scotiæ — in qua transfretari cum Bononienſibus & Flandrenſibus & cum illis, qui vulgariter de Avalterris dicuntur, poſſet audacter.* Et in *Additam.* ad eund. Parit. *Orta eſt contentio lamentabilis, inter Flandrenſes, qui dicuntur de Avalterra & Francos, illis partibus conterminos.* Sunt ex provinciæ, quas continet Germania inferior, German. *Niderland*, Gall. *le Pays-Bas*, etiamnum dictæ. *Aval* enim idem valet, quod inferior, quaſi *ad vallem*, vel *in valle.* Unde *avalare*, in mari aut fluvio deorſum navigare, vel è montibus aut collibus deſcendere, in *Charta* Philippi Aug. Regis Franciæ A. C. 1207. apud Ducheſnium in *Normannicis p. 1063.* Uti nempe Colonia Agrippina, ut eſt in *Libello provinciarum civitatumque Gall. Germanicæ inferioris Metropolis*, & ab Amm. Marcellino *l. 15. ſecunda Germaniæ*, quod idem eſt, *urbs magni nominis* appellatur: ita poſterioribus ſeculis, quæ ei adjacent provinciæ, *Pagus inferior* dictæ ſunt, *Terre d'aval*, vel *Avalterre*, quod idem ſonat, populique ipſi *Avalenſes* ſeu *Avalois*, &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

AVANTICI, populi Helvetici ab oppid. *Avantico* in Alpibus ſito. Plin. *l. 3. c. 4.* Vide *Aventicum.*

AVARA, civitas Arabiæ. *Steph.*

AVARES, populi quorum Rex Caganus, à Mauritio Imperatore ad fœdus, prudenti oratione Theodori Medici pertractus eſt: poſtea, imprudenti venatione Priſci Ducis oſtenſus, Romanos ingenti affecit clade: à quo cum Mauritius captivos redimere nollet, in odium militum venit, quod diffiare, Caganô licèt per Priſcum non minori clade victô, filiiſque ejus in Iſtro ſubmerſis, non valuit. A. C. 593. 594. 595. Niceph. *l. 18. c. 58. 29.* Vide *Caganus*, &c.

AVARI, populi Italiæ, à Francis victi. An iidem cum prioribus?

AVARICUM, oppid. Celtarum maximum, munitiſſimumque in finibus Biturigum. Cæſar. *l. 7. Bell. Gall. c. 13.* vulgò *Chaſtraumenſ*, aliis *Bourges en Berri*, Academiâ gaudens celebri, aliis *Viarons.* Vide *Bituriges.*

AVARINI, populi ſub Peucinis, in Sarmatia Europæa, ubi nunc pars Palatinatûs Cracovienſis, in Polonia, inter Viſtulam fluv. & Carpathos montes.

AVARIO, quibuſdam *Averio*, vulgò *Aveiron* vel *Avayrou*, fluv. Galliæ, in Rutenis, oritur ex fonte cognomine, quem *Vayrou* accolæ appellant, alluitque Calliacum *Caylus*. Agennum *Agen*, vicum cognominem capiti Nitiobrigum; Segodunum Rutenorum *Rodes*, Lucum *Luc*, Bellum Caſtellum *Belcaſtel*, Villam Francam *Ville Franche en Rouergue*, Baſtitam *la Baſtide*, Monticulos *Monteils*, Maceriolas *Mazerolles*, Salvitatem *la Salvetat*, Caſtrum Sanctum Marcelli *S. Marjan*, Bellum Podium *Belpuech*, Caſtrum Gueſpiam *la Guepie*, Caſtrum S. Antonini *S. Antonin*, aliàs *S. Antonino*, Caſalia *Caſals*, Nigrum Palatium *Negre Pelice*, Comitivæ titulô illuſtre & Regalem Villam: ac demum Viauro vel Biauro amne *le Biaur*, qui Lauternam *Lezert*, recipit ac quatuor aliis fluviolis auctus, defluit in Tarnem. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. in vocibus Apamiæ & Rutenis.*

AVARUM, Hiſpaniæ Tarraconenſ. promontor. *Ptol. Cabo de Vaca Moleira.* Nunc in Portugallia, 5. leuc. à Bracara in ortum abeſt, ut habet *Baudrand.*

AVASES, Αὐάσεις Græcis; Ita Ægyptii vocant habitationes, quæ ſunt in medio deſerto, voce compoſitâ ex ציה *ſi*, i. e. *deſertum*, & נוה *havva*, quod eſt habitatio. Unde plural. חות Numer. *c. 32. v. 41.* Arabicè חוה eſt ambire, & חוה item multæ domus Arabum, tanquam in ordinem digeſtæ. Ergo ציה חוה Αὔασις, propriè eſt *ambitus domorum*, i. e. *villa*, ſeu *oppidum in loco ſiticuloſo*, aut potius *habitatio, quam ambiunt loca ſiticuloſa*: quomodo Græci definiverunt, quamvis vim vocis ignorarent. Strabo *de Africa l. 2.* Ἐοικυῖαν παρδαλῇ. πεποίκιλται γὰρ τοῖς οἰκήσεσι περιεχομένοις ἐρήμῳ καὶ ἀνύδρῳ γῇ. Καλοῦσι δὲ τὰς τοιαύτας οἰκήσεις, Αὐάσεις οἱ Αἰγύπτιοι. Et *l. 17.* Αὐάσεις δὲ οἱ Αἰγύπτιοι καλοῦσι τὰς οἰκουμένας χώρας περιεχομένας κύκλῳ μεγάλαις ἐρημίαις, ὡς ἂν νήσους πελάγους. In *Strabone* legunt Αὐάσεις, ſed Αὐάσεις reſcribit Caſaubon. ex Stephano, ex Αὔασις, quam lectionem veram eſſe docet, quòd pro *Avaſi* *Oaſin* ſcribunt Herodot. *l. 3.* & Ptol. *l. 4. c. 5.* & alii ad legem 7. *D. de interdictis & relegatis* §. 5. Incolas Plin. *l. 5. c. 9.* *Oaſitas* vocat *Athicus* autem & Oroſius *l. 1. c. 2.* *Avaſitas.* Bochart. *l. 4. Phaleg*, c. 29.

AVASTOMATHES, Mauritaniæ populi *Amm. Marcellino*

AVATHA, Arabiæ oppidum. *Steph.*

AVATICI, Galliæ Narbonenſis populi. *Plin.* & *Avaticorum Stagnum* ibidem Pomp. Melæ, *l. 2. c. 5.*

AVATILI, meliùs ANATILI, erant in Provincia, prope oram, ubi nunc Maritima, Rhodani oſtium Orientale & Campi lapidei. Vide *Anatilis.*

AVAUGOURUM, oppid. Britanniæ Gallicanæ, cujus Dynaſtæ ex Ducum Britanniæ familia originem habent. *Metel.*

AUBANEA, urbecula lepida Gall. in Provincia, 3. leuc. à Maſſilia in Ortum. Ibi perſæpe celebrantur Comitia provinciæ.

AUBIGNIUM, oppid. in Ducatu Bituricenſi, quondam ſedes regalis. *Metel.*

AUBRIOTUS Hugo, Pariſiorum Præfectus: arcem eam, quam vulgò *La Baſtille* vocant, juſſu Caroli V. A. C. 1369. ædificavit, ut contra Anglos urbi præſidium foret; itemque caſtellum illud, quod appellatur *Le petit pont*, adverſùs Scholaſticorum incurſiones caſtruxit, quibus odio ei erant infenſiſſimo. Quapropter poſtea impietatis & hæreſeos accuſatus, ad perpetuos carceres damnatus eſt. Sed à ſeditioſis, dictis *Maillotins*, ſub initium regni Caroli VI. A. C. 1381. carcere effractô liber, ne Dux illorum eſſe cogeretur, in Burgundiam patriam ſuam ſe recepit *Hiſtoria* Gall. in *Carolo V. & VI.*

AUBURIUM, Afriæ propriæ locus. *Ammian.*

AUBUSSON Petrus, Gallus, Magnus Magiſter Ordinis equitum Rhodienſium, Mohometi II. Rhodum obſidenti fortiſſimè reſtitit. Obiit A. C. 1503. ætat. 80. regiminis 27. Ad hunc ſe Zizimus, Bajazethi frater, recepit. Hiſtor. *Melitenſis*. Vide & *Petrus*.

AUCARUM Vicus, *la rue aux Ours*, pro vulgò dicitur *la rue aux Ours*, platea Pariſiis, memorata in veteri *Charta* S. Martini de Campis, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Ab *auca*, i. e. *anſer*. Occitanis *Auc*, *Auco*, *Auqueta*: Italis *Occa*; Gallis *Oye*: Occurrit in *Capitulari* de Villis c. 62. *Quid de pullis & ovis vel anſeribus*, i. e., *aucis*. Sic *L.* Alamannor. tit. 99. §. 20. *Accipiter*, *qui aucam mordet*. Wilhelmus Malmesbur. *Hiſtor. l.* 5. *p.* 159. *Similes ſenum aucarum* &c. Unde *Aucarius*, in *Gloſſar.* Ælfrici, *accipiter*, *falco*, *qui aucas venatur*; *Aucones*, divini, qui per *aucarum*, ſeu avium volatum divinabant & hariolabantur, in *Gloſſis* Iſidori: *Aucellus* diminutiv. pro qualibet ave (quemadmodum & *Auca* nonnunquam) in *Gloſſis Latino* Græc. unde Italorum *uccello*, quemadmodùm Græc. ὀρνίθιον quamvis aviculam notat; Apud. *Eund.*

AUCEPS, cognomen Henrici I. Imperatoris quem vide. Eſt autem *Heſychio Auceps* [illegible], *qui aves capit*; à Græco verbo [illegible], quod mediò ævò pro *capere* vel *carpere* uſurpatum eſt: ſeu potiùs [illegible], hoc enim eò ſenſu frequentius. Sic in *Orneoſophia* vel Accipitraria Græcorum, ἐξωπίνοι falcones vel accipitres appellantur, qui *foris capiuntur* & extra nidum; *Paſſagiarii* Gallis dicti: quibus opponuntur *Nidarii*, Græcis νεοσσοτρόφοι, qui in nido capiuntur & cæteris deteriores habentur. *Ibid.* Τὰ φαλκόνια ἐξωπίνια κρείττονα παρ' ὅ τὰ νεοσσοτρόφα, *Falcones extra nidum capti praſtantiores ſunt iis*, *qui in nido* &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 773. Vide quoque infrà *Aucupium*.

AUCHANITES, ſeu AURANITIS, tractus Babyloniæ, inter Babylonem & Seleuciam urbes, prope Euphratem fluv. *P. a Vico*.

AUCHATÆ, Scythica gens, ad os Boſpori apud quos Hypanis oritur. Val. Flac. *l.* 6. *v.* 132.

Doſſus & Auchates patulo vaga vincula gyro
Spargere, & extremas laqueis adducere turmas.

Ubi aliqui *Auchates*.

AUCHISÆ, Cyrenes regionis gens. Diodor. Sic. *l.* 3.

AUCHITÆ, Africæ populi, *Auchiſæ Ptolemæo* & *Auſchitæ Stephano*. Sic enim ille, Αὐσχῖται ἔθνος Λιβύης [illegible]. lege [illegible] ex *Herodoto*.

AUCHUS, Cimmeriorum Dux inter auxilia Perſæ contra Æetem, cui laſum caput in conflictu demeſſuit. Val. Flac *l.* 6. *v.* 620.

AUCTIONARIÆ Tabulæ, dicebantur, quibus ſignificabatur alicujus fortuna haſtâ poſitâ diſtrahi voceque ſubjici Præconis, *Auctionis* die conſtitutô, apud Ciceronem 2. *Catilin. c.* 8. & 2. de *L. Agr. c.* 25. item *ad Qu. Fratrem* & *ad Attic. l.* 13. *Ep.* 5. Earum proferendarum ratio non una fuit. Juſtinianus, *Novellâ* 120. *Ære alienò oppreſſæ venerabilis domus diſpenſatores per* 20. *dies ſcriptum aliquod in publico civitatis loco proponunto & eò modò rem immobilem emere volentes provocanto*, *ut*, *qui plus præbiturus ſit*, *cæteris præferatur*. Altera vis hujus programmatis Imperator. Diocletiani & Max. *lege* ſancita eſt, *l. ſi eo tempore. Cod. de remiſſ. pignor.* ex *Roberto Junio*. Dicta autem eſt *Auctio*, ab *augendo*. Varroni quoque *Sectio*: nempe antiquiſſimis temporibus in partes ſectum debitorem, qui ſolvendo non eſſet, novimus. Anno verò Urb. Cond. 429. L. Papyriò & C. Pœteliò Viſolò Conſulib. primùm ligari nexi deſierunt, Conſuleſque, ob inſignem cujuſdam fœneratoris crudelitatem, tulère ad Populum, *ne quis*, *niſi qui noxam meruiſſet*, *donec pœnam lueret*, *in compedibus aut in nervo teneretur*; *pecuniæ creditæ*, *bona debitoris*, *non corpus obnoxium eſſet* &c. Sic poſteà, ubi veteri illâ ſectione diverſi Creditores membra debitoris & nexi lacerabant & ſecabant: *ita hâc bonorum ejus venditione*, *bonorum emptores*, *ut carnifices*, *ad reliquias vitæ lacerandas & diſtrahendas conveniebant*, Cicer. *pro Quint.* Ea autem apud Veteres *Auctionis* fuit forma ut à minima quantitate ad majorem pluris licitantes idque digitô clarô, perveniretur, *l.* 35. *ff. de minor.* &c. Vide Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* & infrà *Sectior*. Secundum Galliæ conſuetudinem, ut annotat Budæus *in Forenſibus*, quartò trinundinò auctionem futuram inclamatam oportet, & in juſtos dies proſcriptam, antequam ultima licitatio committatur, quam proximus ſequitur addictio. Singulis verò *auctionum* diebus apparitor debiti quantitatem, ob quam pignora capta ſunt, palàm ſignificat & denuntiat: omnes commonet, ut ea licitentur, pretium ab unoquoque oblatum deſcribit: poſtremò, ubi jam nullum pluris licitari cernit, promulgat eam primam auctionem eſſe; ſecundam in octavum abhinc diem vel moram laxiorem rejicit, niſi divini cultus feriæ id prohibeant, atque tunc proximò profeſtò die ſequente *auctio* celebratur. Apud eundem varias *Auctionum* formulas vide: ut & plura in hanc rem, apud præfatum Calvinum *d. l.*

AUCTOR, primitus videtur dictus ab *auctionibus*, in quibus ei, qui plurimùm *auget*, res addicitur, iſque ex ea auctione atque adjectione ſita *auctoritatem* ſibi in rem emptam comparat. Ab *augendo* enim Vocabulum deductum Grammatici Veteres teſtantur, qui prom notâ hac AUC. *auctorem* ſignificâſſe leguntur, apud *Valer. Probum*. Poſteà tranſlata vox ad eos, unde rem quoquò modò abalienarent; ut, quum quæreretur ex eo, qui rem acceperat, unde ſibi jus in eam comparâſſet, *ſuum* illum quaſi *Auctorem nominaret*, qui ſibi ſuam auctoritatem tradidiſſet. Unde *Auctor Latinis eſt*, *qui aliquid vendit*, *& auctio venditio*: *hinc ſecundus auctor*, *qui ſponſor eſt pro venditore evictionis nomine*, *Gloſſa veter.* [illegible] *interpretantur*, *quaſi confirmatorem venditionis*. *Venditor itaque primus erat auctor*, Salmaſ. *ad Trebellium in Gallieno*, c. 12. Inde ſenſim in eos quoque vox ſe extendit, quorum ſententiam & conſilium ſequimur, quaſi jus quoddam ita ſentiendi certum, & conſtitutum haberent. Nam, quum e. g. inſtitutum eſt, ut Legum, quæ Comitiis centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium Patres *auctores* fierent, i. e. ut S. C. aliquid priùs decerneretur, poſteà illud idem à Populo juberetur, ea Lex hanc vim habebat, ut velut in evictionibus, poſſeſſionumque controverſiis, poſſeſſor ſuum Auctorem, à quo jus ſuum adeptus eſt, laudet: ita Populus conſilii ſui auctorem ac ſuaſorem Senatum laudare poſſet, Joh. Calvinus *Lexic. Jurid.* Sic legimus apud Livium *l.* 24. *c.* 43. *Comitia perfecta* Auctore *Q. Fabio*: ubi ſignificatur, Conſulem principem id conſilium dediſſe, quod deinde relatione factâ, dictiſque ſententiis in Senatuſconſultum tranſiit. Et *l.* 7. *Conſul Populum Auctor Patribus ſcribendi alterum exercitum*, dicitur: Cicero quoque *Familiar. l.* 15. *Ep.* 4. *Regem Ariobarzanem*, *cujus ſalutem à Senatu*, *te* Auctore, *commendatam habebam* &c. Non tamen *Auctor* ſemper idem, qui inventor, ſed ſæpe approbator, quique aliàs Livio *juſſor* dicitur. Apud quem *l.* 2. *c.* 56. *inventor Legis Volero*, ſed *Lætorius*, *collega ejus*, *Auctor* vocatur. i. e. *auctoritatem* ei præſtans. Sic ille ipſe Livius ſuprà, *l.* 2. *Et hoc annus Tribunum Auctorem legis agrariæ habuit.* At inventor ejus Spurius Caſſius fuit. Similiter Cicero *ad Attic. l.* 8. *Ep.* 3. *Ille legibus per vim & contra auſpicia ferendis Auctor*: de Pompejo loquitur & Julias intelligit. Alibi verò apud eundem Livium *Auctor* idem, qui nuntius eſt, *l.* 5. *c.* 2. *Non vani ſermonis Auctorem.* Et *l.* 10. *ab Sutrio legati*, Auctores, *concilia Hetruriæ populorum de petenda pace haberi* &c. Vide Gronov. ad *Liv. l.* 2. *c.* 56. *l.* 24. *c.* 43. Porro *Gemina Auctores* ſunt, qui ſe vendunt & *auctorant* ad Ludum: *nemo enim poterat libertatem amittere*, *niſi ipſe auctor eſſet factus*. Vide Cicer. *Orat. pro Dom.* atque inde *Auctorare* ſe dicebant, qui auctores ipſi fiebant, ut emerentur & ſponte ſuà in ludum ſe mittebant. Hi igitur & *Auctores* & *Auctorati* dicti: unde idem *Auctores* & *Audaces*, de quibus infrà, conjungit. Sed *Firmici* hæc ſententia prioribus neutiquam repugnat. Non tamen omittendum, quod Balduinus *ad tit. de Auctor. tutor.* à Budæo ſe audiviſſe ſcribit, proficiſci hanc vocem à Græco αὐτός, quò Veteres *ratam alicujus poteſtatem* ſignificaverint, *cui nemo poſſit refragari*, apud *eund. Calvinum*. Vide quoque infrà, in *Ipſe*.

AUCTOR Alveus, *Ammiano* eleganter dicitur, ex quo reliqui derivantur, Galli *Magiſtrum* vulgò vocant, vide infrà *Magiſter fluvius*. Ità autem is Auctor de Nilo, *Et præter amnes plurimos ex alveo derivatos auctore*, *cadenteſque in ſuppares ejus*, *ſeptem navigabiles ſunt & undoſi.* ---- *Heracleoticus*, *Bolbiticus*, *Sebennyticus*, *Pathmeticus*, *Mendeſius*, *Taniticus & Peluſiacus*. Ubi nominibus oſtiorum ipſos amnes appellat: quos *Ptol.* μεγάλους ποταμοὺς vocat; è quibus tamen unus per excellentiam dictus eſt μέγας ποταμὸς, ut cæteris major & principalis alveus, *Canopicus* videl. Ut autem *Magiſtra via*, apud Quintilian. *l.* 1. via regia eſt, à qua ſemitæ, quæ ſecantur aliorſum, [illegible] dictæ, ſic in fluviis [illegible], *brachia* ſunt, quæ ab *Auctore fluvio* [illegible]; contrà *canales*, qui à fluminibus ad viam traducti. *Diverticula* quoque de fluviis dixêre Latini, item *cornua*, ut Græci κέρατα, *crines* etiam & *ramos*, ut infrà videbimus. Porro principalis Nili ſeu *Auctor alveus*, uti circa oſtia *Canopicum* & *Heracleoticum*; ſic circa Naucratim oppidum, *Naucraticus* & circa Schediam, in eodem alveo inferiùs ſitam, *Schediæ fluvius* dictus eſt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 478. *&* 479.

AUCTORATI, vide infrà *Gladiatorii ludi*.

AUCTORITAS, in veterib. aliquot *Inſcript.* apud Gruterum, 355. 1. 387. 3. *Scaligero* eſt *S. C. nondum receptum*. In *Chartis* Regiis atque apud alios Scriptores recentiores paſſim, Diploma Regis, Imperatoris Pontificiſque Romani notat. Sed & *Auctoritates* Principum Reſcripta in Cod. Theodoſ. appellari conſtat, *l. un. de Centurion. l.* 31. *de Petition. l.* 3. *de Re mil.* alibique; Imò pro Edicto Judicis uſurpatam vocem, evincit *l. un. Cod. Si certum petatur de Chirogr.* &c. Etiam titulus honoratius Romanis Pontificibus olim tribui ſolitus fuit *Auctoritas*, uti legimus apud Hincmarum Remenſ. Flodoardo citatum *l.* 3. *c.* 12. &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà *Senatuſconſultum*.

AUCTUS, Florentinus, Abbas Vallis Umbriæ, belli inter Lotharium Saxonem, & Conradum Suevum ferventis tempore vixit. Aliquot operum Hiſtoricorum auctor. Poccianus, *de Scriptorib. Florentinis*.

AUCULA, urbs Tuſcorum. *Ptol.* aliis *Aquula*.

AUCUPIUM, venationis eſt genus, quod circa volatilia occupatur: eſtque vel vile vel nobile. Illud, cùm aves illectæ ſuperfuſis retibus includuntur, aut virgis viſcatis detinentur: quod prom, utpote ſordidum & illiberalis otii negotium, Platonis legibus prohibitum eſt. Et huic illicio Accipiter ſuo primitus famulabatur. Unde Martial. *l.* 14. *Epigr.* 216.

Prædo fuit volucrum, *famulus nunc Aucupis idem*
Decipit & captas non ſibi mœret aves.

Nempe oſi tum Accipitre ſunt, non ut prædatrice, quæ ars tum necdum obtinuit apud Romanos; ſed ut aves alliceret: quæ illectæ, vel virgis adhærebant viſcatis, vel, reti ſuperfuſò, avolare nequibant. Cujuſmodi *Aucupio* ſcitè Plautus quæſtum comparat meretricium, *Aſinar. Act.* 1. *ſc.* 3. *v.* 68.

Eſca eſt meretrix, *lectus illex*, *aſt amatores aves.*

Eodem refer, illud *Aucupii* genus, quod fit noctuâ emiſſâ, vel retibus appoſitâ: quippe eam de die circumvolant avium cæteræ, ut tum optima ſit occaſio vel viſcô vel laqueis vel aliter eas capiendi. Meminit Ariſtoteles *de Animal. l.* 9. *c.* 1. & Ælian *de Animal. l.* 1. *c.* 29. Vide quoque Chryſoſtomum *Orat. de prima Dei cognit.* & infrà voce *Noctua*: item ubi de *Columba allectatrice*, & *Perdice venatore*. Illud, nempe nobilius *Aucupii* genus, fit dimiſſò accipitre aliâve ave prædatrice, quæ deinde in altum alias involet & Aucupi deferat captas. Hæc ars ſeru cognita eſt a Græcis & Romanis, ſed iis, quos hi Barbaros vocabant, fuit pervetuſta. In Thracia enim hæc ars Accipitraria jam ævò obtinuit Ariſtotelis, ut liquet ex *l.* 9. *de Animal. c.* 36. & *l.* περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων. Ac de eodem ſic Plin. *l.* 10.

l. 10. c. 8. In Thraciæ parte, ſuper Amphipolim, homines atque accipitres, ſocietate quadam aucupantur. Hi ex ſylvis & arundinetis excitant aves; illi ſupervolantes deprimunt. Rurſus captas dividunt inter ſe. Ioio de Indis non abſimilia Creſias apud Ælian. *de Animal. l.* 4. *c.* 26. Etiam in excerptis Cteſiæ hæc apud Photium verba habes, *cod.* 72. Λαγωοὺς δὲ καὶ ἀλώπεκας θηρεύουσιν, οὐ τοῖς κυσὶν, ἀλλὰ κόραξι καὶ ἰκτῖσι καὶ κορώναις καὶ ἀετοῖς, *Lepores & vulpes, non canibus, ſed corvis, milvis, cornicibus & aquilis venantur.* Ex Romanis meminit primus Jul. Firmicus *l.* 5. *c.* 7. & 8. Unde tamen nihil colligas aliud, quam Romanis, ætate jam Conſtantini M. fuiſſe in uſu. Meminit quoque Sidonius Apollin. *Panegyr. ad Aug. Avit.* Nempe, imperantibus in Oriente Theodoſiô Juniore Marcianô ac deinceps. Sed diu poſteà vix in Occidente notus is mos fuit. Unde eſt, quòd in Italiam eum primus intuliſſe dicitur, ſive Fridericus Barbaroſſa, ut eſt apud Leandrum *in Italia, in Campan. deſcr.* ſive Henricus VI. ut traditum Collenutio *Hiſtor. Neapol. l.* 4. Antiquiſſimus verò omnium, qui Artem ſcriptò ſignârit, eſt Demetrius Conſtantinopoli quem de Græco Latinè reddidit *P. Gillius.* Eſt verò & corvorum in hoc *Aucupio* uſus: quos primus in venando adhibuiſſe dicitur Ludovicus Galliarum Rex teſte Ulyſſe Aldrovandô *Ornithol. l.* 11. *c.* 2. Sed nec hoc venationis genus fuiſſe Veteribus ignotum, præter ea, quæ è *Cteſia* attulimus, docet Plin. *l.* 10. *c.* 43. *Nec non & recens fama Crateri Monoceroti cognomine, in Erizena* (*al.* Trœzena) *regione Aſiæ, corvorum operâ venantis, eo quod devehebat in ſylvas eos conſidentes corniculis humeriſque: illi veſtigabant agebantque, eò perductâ conſuetudine, ut exeuntem ſic comitarentur & feri.* Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 97. & ſuprà in voce *Accipiter*, ac infrà in *Protoleracarius*, it. *Sacer.* & *Sabinus.* Addam ex eodem *de Philoſoph. c.* 7. §. 18. Leonem Philoſophum Imperator. Baſilii Macedonis fil. qui cœpit imperare A. C 886. librum de *Aucupio* reliquiſſe: qui MS. fuit in Bibliotheca Ant. Auguſtini *num.* 228. Ab Aucupio *Aucupes*, ſervi erant apud Romanos, qui, unà cum Venatoribus, inſtruendarum gratià quotidianarum epularum habebantur. Enumerat illos Paulus JC. *l.* 99. §. 1. *ff. de leg.* 3. & refert, *urbanos* fuiſſe & *ruſticos*, dominis arbitratu: *Fundorum enim reditus*, ut innuit Celſus, *aucupiô plerumque, venatione & piſcatu conſtabat*: Narratque Jul. Capitolin. *c.* 7. Antoninum Pium curâſſe, ut menſa ejus *per proprios ſervos*, Aucupes, *piſcatores & venatores inſtrueretur.* Qui tamen hîc urbani videntur fuiſſe ideo, quia inſtruendarum quotidianarum epularum gratià habebantur, uti dictum, ex Paulo *l.* 3. *Sent. tit.* 7. Teſſara *Aucupis*, apud Propert. *l.* 4. *El.* 2. *v.* 33. arundo eſt:

> *Caſſibus impoſitis venor, ſed arundine ſumtâ*
> *Faunus plumoſæ ſum Deus aucupii.*

Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, & T. Popmam *de Operis ſerv.* Meminit autem Fauni hîc Propertius, quia *Aucupii* præſes Pan ſive Faunus Veteribus habitus eſt, ut & venationis leporum: Quæ duo proin idem conjungit *l.* 3. *El.* 12. *v.* 45.

> *Et leporem, quicunque venis, venaberis, hoſpes,*
> *Et ſi forte meô tramite quæris avem,*
> *Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,*
> *Sive petas calamô præmia, ſive cane.*

Et Auctor Epigrammatis ἀναθέτου, apud Salmaſ.

> Εἴτε σύγ' ὀρνιθοθήρ ἰξῷ καλαμῖδα παλάμαις
> Ἦχθεις ἀγρεύσειν, εἴτε λαγωοφόνε,
> Πᾶνα κάλει, κεῖνος Πὰν λασίου ποδὸς ἴχνια φαίνει,
> Συνδέτας αὐλητὴν Πὰν ἀνάγει καλάμων.

Quod is ſic vertit:

> *Seu tu fortè jugis viſcatâ fallere virgâ*
> *Tenues aveas, lepores ſive agitare placet.*
> *Pana voca: pedis hic canibus veſtigia monſtrat*
> *Villoſi: ſtructos erigit hic calamos &c.*

Vide illum *ad Solin. p.* 1088. Ut & infrà in vocibus *Calamus*, *Figere* &c. Item ubi *de Avium collium laqueô conſtringendi ratione.*

AUDACES, apud Claudian. *de Bell. Gildon. v.* 220.

> *Audaces legat ipſa viros, qui colla ferarum*
> *Arte ligent, certòque premant venabula niſu:*

Juſtiniano Novellâ 105. ἀνδρομαχοῦντες τῇ πόλει, aliàs παράβολοι, homines dicti ſunt perditæ ac deſperatæ audaciæ, qui operam ſuam, ut cum beſtiis pugnarent, olim locabant. Meminit eorum *Firmicus* quoque, *Facit auctores, audaces, periculoſos.* Vide ſuprà in voce *Auctor.* Auctoratos verò & mercede conductos illud feciſſe, ex Caſſiano conſtat *collat.* 5. *c.* 14 & Caſſiodoro *l.* 5. *Ep.* 42. ubi Pancarpum (ita enim hoc ludi genus vocabatur) deſcribit, his inter alia verbis: *longum eſt per tot periculorum caſus ſermonibus evagari, ſed aptè jungendum eſt, quod ait de inferis Mantuanus, Quis ſcelerum comprendere formas: Quis omnia pugnarum percurrere nomina poſſit? Sed vobis, quibus eſt neceſſe talia populis exhibere, largitate manus fundite præmia: ut hæc miſeris faciatis eſſe votiva* &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Jul. Capitolin. in Gordianis, c.* 5. & infrà *Confectores*, *Pancarpum*, *Parabolani.* Propriè verò *Audaces* à *Temerariis* aliquâ differentiâ ſeparantur. T. Livius *l.* 25. *c.* 37. *Martius ad conſilium primâ ſpecie temerarium magis, quam audax, animum adjecit, ut ultro caſtra hoſtium oppugnaret.* Salluſtius de Bello Jugurth. *c.* 7. *Ac ſanè, quod difficillimum, & prœlio ſtrenuus erat, & bonus conſiliô: quorum alterum ex providentia timorem: alterum ex audacia temeritatem plerumque adferre ſolet.* Martial. *l.* 4. *Epigr.* 43. *v.* 2.

> *Non ſum jam temerarius, nec audax &c.*

Nempe *audacia* eſt fons caputque temeritatis: ex eo enim, quòd quis ad pericula paulo audacior eſt ac imperterritus, naſcitur temeritas, *i. e.* προπέτεια, ut rectè interpretantur *Gloſſæ Veter.* & præcipitatio, quæ cæcitatem etiam adjunctam habet: Unde *audaces, temerarios, præcipites*, caros jungit Arnob. *adv. Gent. l.* 2. Sed & *Audaces* ac *temerarios* dicimus homines, non profligatæ ſolùm, verùm etiam jam perditæ ſpei, quique non modo honeſtatis, ſed ſalutis quoque ipſius curam abjecerunt: etſi horum quàm illorum conditio melior. Quare & hôc nomine inter *Audaces* ac *Temerarios* diſcrimen. Cicer. *ad Attic. Aut nos temeritatem bonorum ſequamur; aut audaciam improborum inſectemur.* Ubi *Audacia* eſt peſtis illa, quam ἀπόνοιαν appellant Græci. Quandoque etiam τολμηρούς & τολμητάς homines vocant *Audaces*, & qui ingeniô præcipiti feruntur ad nefas quodcunque nec ullà conſideratione cohiberi poſſunt. Quare his opponuntur homines *conſiderati* & *cunctatores*, vide Demoſthenem *Orat. contra Ariſtogit.* 1. Quocirca *audaciam pudori* opponit Salluſt. *Præfat. in Catilin.* Hique ſunt iidem, quos θρασεῖς appellant Græci. Unde Plut. Clodium hominem verè ἀπονενοημένον & perditum deſcribens, θρασύτητα & βδελυρίαν conjungit, in *Cæſare.* Vide Deſid. Heraldum *Animadverſion. ad Arnob. d. l.* nec non ſuprà, ubi de *Audaciæ* notione, quâ idem, quod Confidentia ſeu Impudentia, ſignificat, & *l.* 7. ubi *Audaces*, religionis contemtores eſſe oſtendit, ac eum *tranſgreſſoribus*, παραβαίνουσι, optimè ac Philoſophicè *Arnobio* jungi animadvertit.

AUDACES, apud Martialem, *l.* 14. *Epigr.* 94. cujus lemma, *Calices audaces*,

> *Nos ſumus* audaces, *plebeja toreumata vitri,*
> *Noſtra nec ardenti gemma feritur aquâ:*

Calices dicti ſunt vitrei, vili admodum pretiô venales. Scribit enim Strabo *l.* 17. Romæ Vitriarios multa commentos eſſe & ad vitreorum colores & ad eorundem tornandorum facilitatem, tantamque inde vilitatem eorum fuiſſe, ut vulgò poculum vitreum aſſe venundaretur: atque his *audacium* nomen datum. Meminit idem Poëta eorundem alibi, *l.* 12. *Epigr.* 75. *v.* 1.

> *Cùm tibi Niliacus portet cryſtalla cataplus,*
> *Accipe de Circo pocula Flaminio.*
> *Hi magis* audaces, *an ſunt, qui talia mittunt*
> *Munera? ſed gemmis vilibus uſus ineſt.*
> *Nullum ſollicitant hæc Flacce toreumata furem &c.*

Quod Epigramma de fictilibus accipiebat *Turnebus*, cùm de vitreis omnino accipiendum ſit. Ab his verò diverſi longè erant, Ægyptiaci ex vitro calices verſicolores atque ἀλλάσσοντες, de quibus ſuprà in *Allaſſontes*: item calices illi, qui *diatreti* dicebantur. *Audaces* enim, qui plebeji erant & parvô, ut dictum, væibant, tornô formabantur, in quo nullum periculum; at in ſculpendis cælandiſque diatretis, arte manuque pretioſis, periculum non parvum: Ut ex Martialis iterum verbis patet, *l.* 14. *Epigr.* 115.

> *Adſpicis ingenium Nili, quibus addere plura*
> *Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus &c.*

Salmaſ *ad Voſpic. in Saturnino, c.* 8.

AUDACIA, pro Numine. Vide infrà *Dii.*

AUDAS, Epiſcopus, cùm Pyreum ſuſtuliſſet, unà cum aliis Epiſcopis interfectus eſt, juſſo Varanis Perſarum Regis, a cujus patre Iſdigerde, Theodoſius Minor liberum Chriſtianis exercitium obtinuerat, A. C. 421 Theodoret. *l.* 5. *c.* 38. ſubſecutaque eſt crudeliſſima perſecutio, in Perſia. Idem. *c.* 39.

AUDATHA, Arabiæ Deſertæ urbs. *Ptol.*

AUDEA, Caſiotidis regionis in Syria urbs. *Ptol.*

AUDEBERTUS Germanus, vide *Germanus.*

AUDEBERTUS Matthæus, vide *Matthæus.*

AUDEMARUS, vel ODOMARUS, nomen Principis Gall. ante monarchiam Gallicam. Regnavit ann. 14. Cujus tempore Vecthan, Pontifex, Philoſophus & Poëta vixit, Hiſtoriæ Gallicæ auctor. Trithemius, *in epit. Ann.*

AUDENA, Italiæ amnis. Liv. *l.* 41. In ſiniſtram Macræ ripam defluit, vulgò *Ula*, & *Aula*, & cum articulo *La Ula*, & *L'Aula.*

AUDENTIUS, Epiſcopus Hiſpanus, ſeculô 5. ſcripſit contra Manichæos, Sabellianos, Arianos & Photinianos. Gennad. & Trithem *in Catal.*

AUDETUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

AUDEUS, Caput Audianorum, è Meſopotamia oriundus, Scientià & Zelô inſtructus, vitam Eccleſiaſticorum acriter reprehendit. Hinc illis exoſus primò, dein pellitur. Ultione proin ardens, Annô 338. ſchiſma meditatur. Epiſcopus è ſectatoribus ſalutatus. Mox ab Imperatore Conſtantio in Scythiam relegatus, ibi Gentilium complures convertit, *Epiphanio* teſte. Paſcha celebravit cum Judæis, Deo figuram tribuit humanam, tenebras, aquam & ignem initium non habere docuit, ſuos inter libros Canonicos & Apocryphos tranſeuntes abſolvit. Athanaſ. *hær.* 70. Auguſtin. *hær.* 50. Baron. *A. C.* 341. Theodoret. *l.* 4. *hær. fab.* Melius *Audent.*

AUDIANI, Japygiæ, quam & Meſſapiam Græci vocant, populi. Strab. *l.* 6. Item ſectatores *Audei*, Vide *ibi.*

AUDIENDI eum, qui calicem tenebat, in Sympoſiis Græcorum mos indigitatur in acutiſſimo illo in Demoſthenem joco, apud Plut. *c.* 35. Cùm enim is calice inſignis cælaturæ, aliiſque donis ab Harpalo acceptis, malè audiret, ſeque purgare volentem non audiret populus, *exſurgens quidam ſalsè ait: Non audietis, Athenienſes, iſtum qui calicem habet?* Ubi, inter varias lectiones à Stephano ſubnexas, egregium eſt Scholium: Ἐν γὰρ τοῖς συμποσίοις τὴν κύλικα ἔχοντες ᾖδον τὰ λεγόμενα σκολιά. Ut nimirum eô quaſi inſigni totum Sodalitium agnoſceret, cujus eſſet cantilena atque ad eum ſe obverteret, quem morem in nonnullis Galliæ locis hodieque obſervari ferunt. An eodem reſpexerit Curtius, ubi de Beſſo poculum Cobari tradente, *l.* 7. *c.* 14. Docti Judicent. Fuerunt autem σκολιά, cantiunculæ potatoriæ, interdum & amatoriæ, quales inter vinum cantari ſolent, ut infrà videbimus, ubi de iis. Plura apud Caſaubon. *ad Athen. l.* 15. *c.* 14. Apud Veteres porrò Dii interdum *audiebantur* tantum, aut audiri ſimulabantur, in Scena geſtientibus.

Sic

Sic apud Euripidem Hippolytus Dianam jam locutam non videre ait, ſed αἰσθάνεσθαι τὸ θεῖον πνεῦμα ὀσμῆς, & inde affirmat, ἔστ' ἐν δόμοις ἡμῖν Ἀρτέμιδος θεᾶς. Et apud Sophoclem in *Ajace* Ulyſſes à Minerva compellatus reſpondet

> Ὦ φθέγμ' Ἀθάνας — — —
> Ὡς εὐμαθές σου, κἂν ἄποπτος ᾖς, ὅμως
> Φώνημ' ἀκούω — — —

Vide Joh. Frid. Gronovium *ad Senecam Hercule Oetæo Act.* 5.

AUDIENTES, apud Cyprian. *Ep.* 13. Audientibus, *etiamſi qui fuerint periculo prævenũ & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra non deſit.* Et *Ep.* 14. *Optatum inter Lectores doctorem* Audientium *conſtituimus*: Alios iidem Scriptores Eccleſiaſticos, dicti ſunt, qui κατηχούμενοι Græcis, item ἀκροώμενοι, vel, quòd, antequam ad Baptiſmum admitterentur, fidei Chriſtianæ erudirentur myſteriis: vel, quòd, priusquam ſacra fieret Liturgia, *Scripturas audirent*: ut eſt in Concilio Nic. *can.* 11. & *can.* 21. Conc. Nicæni Arab. Hinc Theodulfus Aurelian. *de Baptiſmo c.* 2. *Catechumenus, Audiens, ſive Inſtructus interpretatur*: in *Collat.* Carthagin. cum Donatiſtis *c.* 197. *Ipſe eſt Epiſcopus, qui rebaptizatus eſt & factus eſt Audiens.* in Concil. Wormacienſi *c.* 17. *Poſt expletum vero quinquennii tempus, ingrediatur Eccleſiam, ſed inter* Audientes *tantummodo ſit, vel, dum facultas conceditur, ſedeat*, &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Apud Macrum, cùm quinque olim eſſent in Eccleſia publicè pœnitentium gradus, primi *Flentes* ſeu *Lugentes* ſeu *Hyemantes* dicebantur; Secundi *Audientes* erant, qui in Narthecem cum Catechumenis admiſſi (enim priores extra Templum ſtare cogebantur) verbum Dei audiendi facultatem habebant, ſed ante Catechumenos egrediebantur. Ita enim Balſamon ex Gregorio Thaumaturgo: *Fletus ſeu luctus eſt extra portam Oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur.* Auditio *eſt juxta portam in porticu, ubi oportet eum, qui peccavit, ſtare uſque ad Catechumenos & illinc egredi.* Audiens *enim, inquit, Scripturas & doctrinam, ejiciatur & precatione indignus cenſeatur*, &c. in *Heraclex.* Vide quoque infrà, ubi de *Catechumenis*, *Excommunicatione*. Hinc *Audientium, Doctor*, apud Cyprianum *Ep.* 14. *cit.* qui Catechumenos inſtruebat: quod officium magnæ æſtimationis fuiſſe, inde patet, quod Origenes, Pantænus, Clemens, alii viri graviſſimi, illud Alexandriæ exercuiſſe leguntur. *Ibid.* Item *Auditio*, locus ille Templi, ubi Audientes conſtituebantur. Vide infrà in *Narthex*.

AUDIENTIA, licèt Latinum nomen ſit (Cicero namque *de Senect. c.* 9. *Audientiam ſibi facere* dixit) tamen Canoniſtæ, ut pleraque alia, non aptè loquuntur, *Audientia cauſarum*, *Audientia literarum*, Spiegelius apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* Ita enim *Extrav. comm. de dolo & contumac. Facta in* Audientia *literarum noſtrarum*, i. e. Cancellaria, ut hodie loquimur. Sed & apud Sulpicium Sev. *Hiſtor. l.* 2. *Epiſcopis audientiam* (i. e. judicium) *reſervare.* Unde *Audientialis Charta*, quâ quis ad Principis judicium evocatur ac citatur, apud Marculfum *l.* 1. *form.* 28. &c. Vide infrà. Etiam vero tributum vel tributi ſpeciem *Audientiæ* vox notat, in *Charta* Petri Epiſcopi Salernitani apud Ughellum *Tom. I. p.* 501. alibique paſſim. obtinuitque præſertim id nominis apud Aurelianenſes, ut docet Car. du Freſne ex *Charta* Ludovici VII. A. C. 1178. pro Aurelianenſibus ex *Regeſto* Philippi Aug. *fol.* 72. & ex Franc. le Maire in *Hiſtor. Aurelian.* ubi *Audientiam* hic reddit *Ouagce*, additque, id vocabuli bannitiones & proclamationes denotare, quæ fiebant pro *jure conſuetudinum* ſeu penſitationum, in *Hallis* publicis, ubi Miniſtri Audientiales, quos *Sergeans Audienciers* appellabant, quoslibet bannô publicô invitabant, ad ſolutionem ejuſmodi præſtationum, quod in hunc modum concipiebatur.

> *Entre vous Bourgeois Marchans,*
> *Qui voulez jouir des Ouances,*
> *Venez ſuivant les Ordonnances,*
> *Paier le droit des Ouances. Aux Halles.*

Quibus in Hallis, iis, qui ejuſmodi *conſuetudines* ſeu præſtationes quotannis exhibebant ac exſolvebant, à Domanii Exactore vel Receptore, dabatur cautii porcinæ fragmentum: erat autem jus *Audientiarum* unius trezeni, dicebaturque etiam *Ozance*. At quæ vis hujus vocabuli, non ſat liquet; ambigitque Car. du Freſne, an eò olim intellectæ ſint eæ præſtationes, quæ ab iis, qui ad placita venire tenebantur, fiebant, *Eulogiarum* nomenclaturâ donatæ in Polyptico Floriacenſi, *Sc ubi ſunt Cavaticarii, debent Kal. Octobr. den.* 4. *& unam diem in banno & ad* 3. *Audientias venire cum ſuis Eulogiis.* Jam verò Miniſtri iſti Audientiales, *Auſcultatores* videntur appellari in *Charta* Philippi Aug. A. C. 1287. pro iiſdem Aurelianenſibus ejus *Regeſto* Herouvalliano *fol.* 103. apud eundem Car. du Freſne *Gloſſar.*

AUDIENTIA Epiſcopalis, eſt Epiſcopi Forum & Judicium: *l.* 9. *C. tit. Cod. de Epiſc. Aud.* Accurſius *Cod. eodem* interpretatur juriſdictionem Epiſcopi, cujus ſententiam probat Azo in *Sum. Cod. eod.* Gothofredo *ad rubr. Cod. de Epiſc. Aud.* nec juriſdictio eſt, ut *Accurſius*, nec diœceſis, ut *Haloander* vult, quia, uti Forô, ita & apparitione ac executione carent Epiſcopi: ſed judicium atque notio, quæ Epiſcopo in Clericos ac Monachos competit, apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* Nempe primum, ex conſuetudine non mala, inter Chriſtianos, ſub Principibus Ethnicis, invaluit, (occaſionem dante Apoſtolô 1. ad Corinth. *c.* 6. *v.* 5. 7.) ut clanculum ad Epiſcopos irent, qui controverſias habebant; quod poſtea ſub Principibus Chriſtianis, Conſtantino inprimis, firmatum, & ex gratia probatum eſt, ut pacem inter Chriſtianos foverent & redintegrarent, ſic tamen ut juriſdictionem haberent nullam, ſed in eos, tanquam Arbitros compromitteretur. Quod enim *LL.* tres *de Judicio Epiſcopali*, Codici Theodoſiano aſſutas, ſpectat, earum fucum, ut & totius appendicis Codicis illius, à Sirmondo editæ, *velorum* eruditè demonſtravit Jac. Gothofredus *Notis & Commentar ad d. Cod. tom.* VI. *p.* 303. *& ſeqq.* In hac itaque per gratiam conceſſa *Audientia*, juxta Regulas Chriſtianæ pietatis & S. Scripturæ, item *LL.* Imperatorum, judicabant; non ipſi Leges ſcribebant, nec Forum habebant, aut cum ſtrepitu Judicii cauſas audiebant; ut totum hoc, quod habuerunt Epiſcopi, tantum indultum quoddam Imperatorum fuerit, ad reſecandas & cito componendas lites. Tandem verò, in exempla non ſubſiſtunt, ubi inceperunt, in jus id verſum eſt, ſenſim ſibi majora arrogantibus & ab Imperatoribus extorquentibus, Romano potiſſimum: ſicque *Audientia* in juriſdictionem, voluntaria aditio in neceſſitatem, arbitrium in legem tranſiit. Quod maxime in modum promoverunt *Dictatus* Gregorii VII. quô nomine appellavit is Axiomata & privilegia Sedis Roman. *à nemine Anteceſſorum attentata*, ut ait *Onuphrius*, quibus ille, ad Cæſaris exemplum, perpetuam Pontificiæ ſedi dictaturam vindicavit. A quo tempore in immenſum crevit jus Eccleſiaſticum. Nam cùm appellationes omnes ſibi Sedes Romana & cognitionem in cauſis Epiſcopalibus aliiſque majoribus, ſolus Pontifex adſereret; jam non tantùm Canones circa dogmata & perſonas reſque Eccleſiaſticos, ut priùs, occupari, ſed & de litibus ac diſceptationibus forenſibus ordinandis & dirigendis, ſolliciti eſſe cœperunt. Sic ut cùm tota Dionyſii Exigui & aliorum antiquorum Collectionibus, nil de litis conteſtatione & ſimilibus aliis ad proceſſum pertinentibus, legatur; nunc magna pars Juris Canonici abſolvatur titulis, *de officio & poteſtate Judicis ordinarii & delegati*, *de treuga & pace*, *de pactis*, *de tranſactionibus*, *de poſtulando*, *de Procuratoribus*, *de Syndicis*, *de his quæ vi metuque facta*, *de Arbitris*, ſimilibuſque rubricis, ad Jus Civile pertinentibus, hodieque modus litigandi in Jure Canonico præſcriptus concinnior perfectior & accuratior ſit, quam qui Jure Civili præſcribitur, adeoque in pleriſque Tribunalibus receptus. Quare, nec immeritò, ab eo tempore *Canones* perdidêre ſuum omen, atque *Juris* illud adſumſerunt; & ad differentiam *Civilis*, prius nomen proprium & ſubſtantivum, diſtinctionis gratiâ, in appellativum & adjectivum *Canonici* commutatum eſt. Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccleſ.* §. 259. & infrà, in voce *Dictatus*, ut & alibi paſſim.

AUDITOR, apud Recentiores, varia ſignificat. *Auditor* enim, *Judex*, Præfectus Urbi, Præſes dicitur, qui cognoſcit & judicat, in *l.* 6. §. 1. *D. de Dote leg. l.* 12. *D. de Inſtructo, vel Inſtrument. leg. Auditor vice ſacra, l.* 3. *C. ubi Sen.* Apud Baldricum *Chron. Camerac. l.* 3. *c.* 6. P. Diaconum *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 66. alibique, *Inquiſitorem* vox notat, cujuſmodi homines de rebus controverſis à Judicibus delegabantur, ad earum veritatem detegendam, adhibitis *auditiſque* teſtibus (unde iis nomen) & de illis ad ipſos Judices, quorum judiciis intererant, referebant. In *Chartis* quibuſdam apud Car. du Freſne, *Auditor* dicitur, qui inſtrumenti confectioni aut Chartæ lectioni teſtis adeſt. Alibi hôc nomine appellantur, qui poſtmodum *Notarii* dicti ſunt, qui ſcil. contrahentium voluntates audiunt eaſque ſcriptis mandant. Apud Breviloquum, *Auditor in Curia Papæ* vocatur, qui vice Judicis alicujus cauſas audit. Apud Manichæos, *Auditor* ſecundus horum Hæreticorum gradus fuit; cùm primus *Electorum* eſſet, vide Auguſtin. *de Moribus Manich. l.* 2. *c.* 18. *de Hæreſ. c.* 47. *librô contra Fortunat. l.* 20. *contra Fauſtum Manich. l. de Utilit. cred. c.* 5. &c. Ut & Car. du Freſne *Gloſſar.* & ſtatim hîc infrà.

Species quædam Auditorum, in Curia Romana.

Auditor Cameræ Papæ, *qui audit negotia ſuper theſauro Papæ, & ſuper his, quæ ad Cameram Papæ pertinent*, Breviloq.

Auditor Cauſarum S. Palatii. Vide infrà *Capellanus Pontif.*

Auditor Contradictoriarum in Curia Papæ, *qui audit impetrantes Reſcripta ad lites, vel aliter, ad jus commune pertinentes*, Idem. Inſigne officium, quod verſatur circa Reſcripta, conſtituendoſque Judices extra Romanam Curiam; Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* apud quem vide plura in hanc rem.

Auditor in Curia Romana. Vide ſuprà.

Auditor Rotæ, inſigne munus. Eſt autem Rota tribunal ex XII. doctiſſimis Prælatis, ad decidendas lites compoſitum, qui *Papæ Capellani* ac *Auditores Rotæ*, dicuntur. His Alexander VII. veſtes & crogulum in pileo coloris violacei conceſſit eoſque *Subdiaconos Apoſtolicos* declaravit, quô nomine Epiſtolam canunt Papâ ſolenniter celebrante, &c. vide infrà in voce *Rota*.

Auditor S. Palatii, vide *Auditor in Curia Roman.* & plura de his apud Octav. Veſtrinum *de Roman. Aula judicum*.

AUDITORES, in vetuſta quadam *γλωσσογραφίᾳ*, ex Græco verſa, quam adhuc in membranis jacentem Julius Salmaſio utendam dedit, iidem ſunt, qui aliàs *Acroamata*, Vide Salmaſ. *ad Æl. Lamprid. in Alexandro Sev. c.* 34. verba hæc, *Nanos & nanas & moriones, & vocales exoletos & omnia acroamata & pantomimos, populo donavit.* Apud Iſidorum verò, *Origin. l.* 7. *c.* 4. Tertullian. *de Pænit.* & Nicolaum Pontificem Roman. *Ep. ad Rivoladrum Epiſcop. in Append.* 18. *Auditores* iidem ſunt, qui *Audientes* ſeu Catechumeni; vide ſuprà.

AUDITORIUM, Græcè Κατηχούμενον, locus in Æde ſacra, in quo conſiſtebant *Audientes* ſeu Catechumeni; vel locus, ubi fideles verba Concionatorum excipiebant. Concil. Carthag. IV. *c.* 24. *Sacerdote verbum faciente in Eccleſia, qui egreſſus de* Auditorio *fuerit, excommunicetur.* Dicebatur is Νάρθηξ quoque olim, ut quidam cenſent, hodie *Navis*, ubi Homilias ſuas habuiſſe Epiſcopos conſtat: Et hanc ἀκρόασιν etiam Audientium ſtationem in Eccleſia, vocat Georgius Thaumaturgus. An eadem pars Templi intelligatur per ἀκροατήριον, in Concilio Chalced. *Act.* 14. [illegible] ἐν τῷ ἀκροατηρίῳ; an verò porticus ſuperiores, quas & *Catechumenia* Veteres appellârunt, ambigit *Car. du Freſne*. In Monaſteriis verò *Auditorium*, domus eſt vel cubiculum, ubi excipiebantur advenientes, hoſpites & ſalutatum, *Salutatorium* Ekkehardus junior *de Caſibus S. Galli c.* 16. *Abbas autem poſt Laudes egreſſus, in* Auditorio *eum ſalutat.* Idem *c.* 19. ad introitum Eccleſiæ

ſiæ *Auditorium* ſtatuit, Macro eſt *Monialium Loquutorium*, *ubi*, *quia ſæpe manu verba expendimus*, *ideo Auſcultatrices deputatæ ſunt*, in *Hervidez*. Cluniacenſes præterea & Ciſtercienſes Monachi aliique nonnulli, locum, in quo conveniebant Monachi, quod in eo eſſent Monachicæ Scholæ, ibique Præceptores ac Magiſtros docentes Diſcipuli audirent, ſimiliter *Auditorium* dixêre. *Statuta Dunſtani*, *A primo pulſu veſpertinalis ſynaxis ſilentium teneatur in Clauſtro*, *uſque quò Capitulum ſinatur alterius diei*, *excepto* Auditorii *loco*: *qui & ad hoc maxime conſtitit eò nomine quòd ibi audiendum ſit*, *quod à Præceptore jubeatur*, *non verò fabulis*, *aut otioſis ibi aut alicubi vacare loquelis oportet*. &c. Et certè, Scholas publicas *Auditorii* appellatione donâſſe Veteres notum, vide Auctores hanc in rem laudatos Car. du Freſne *Gloſſar*. E quo addam de *Auditoriis* Ædium ſacrarum, in iis mortuos quoque ſepelire conſueviſſe. Ita enim legitur in *Charta* Radulfi Delicati ex familia Comitum Vilcaſſini, in *Tabular*. S. Martini de Campis: *Eòdem die*, *quò uxor ſua Hazecha honore debitò ſepulta eſt*, *apud S. Martinum in* Auditorio, *ante Crucifixum*, &c.

AUDOFLEDA, Soror vel filia Clodovæi, cum illo baptizata, nupſit Theodorico, Italiæ Regi. Jornandes *Hiſt. Goth.*

S. AUDOMARI fanum, oppidum Arteſiæ permunitum, prius vocatum Sithiu, hodie *S. Omer*. Situm eſt ad Agnionem fluvium; Crevit ex Tarvannæ ruinis, & Epiſcopum habet ab A. C. 1559. Non procul lacus eſt memorabilis, in quo inſulæ aliquot fluitantes, quæ funiculò arboribus alligatæ, aut contis quò libeat impelluntur attrahunturque: & ne quis nugas putet, aut exiguas aliquot terræ particulas, ſcire debet etiam boves in eis paſci, aliaque pecora poſſe: ſub hiſce inſulis, brumali tempore & æſtivò, maxima latet piſcium copia, dum gelu devitant & calorem. *Meteł* longitud. 23. 22. latitud. 50. 47. A Ludovico XIII. per Longavillanum, fruſtra oppugnata, A. C. 1639. nuperò vero bellò à filio ejus Ludovico XIV. expugnata, hodieque ſub Gallis eſt. S. Omerus, Epiſcopus Terovannæ, urbem condidit, A. C 660. Fulco Abbas S. Bertini murò cingere incepit: quod Balduinus Flandriæ Comes, abſolvit, A. C. 902. & Abbatiam *Sithium* urbi junxit. An hæc rudera portus Itii? Ortelius, Guicciard. *deſcr. Belgii*, &c. Hîc conciliò habitò A. C. 1099. ſub Roberto juniore Comite Flandriæ, pax concluſa. Diſtat à Bononia 6. leucis in ortum, 4. ab Atia in Boream.

AUDON, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. *Ptol.*

AUDOVERA, Galliæ Regina, mater trium filiorum ex Chilperico. Fraude Fregedondis repudiata, in monaſterium detruſa ibique ſtrangulata, omnibus ejus filiis occiſis. Gregor. Turonenſ. *l.* 4. *c.* 28. Aimoin. *l.* 3. *c.* 5.

AUDUS, mons Africæ apud fines Mauritaniæ Cæſarienſis haud procul ab ora litorali, *Anou* incolis, *Capo Gibraniel Moletio*. Item fluv. apud *Audum* promontor. in ſinum Numidicum exiens, *Baloſſia*, teſte *Moletio*.

AVE, ſive HAVE ſive HABE (*b*, enim pro *v*. ſæpe poni *Fabum* auctor eſt) *A. N. B* i e. *Ave chariſſime nobis*, ſalutandi formula, quâ utebantur Imperatores ὁι τῶν ἐπιγραφῶν, & inſcriptionibus ſuarum Conſtitutionum, qualem videmus in Inſcript. *l. falſa*, S. C. *Th. de falſ. mon.* & alibi ſæpè, ut & in C. *Juſtinianeo* paſſim. Prætejus apud Joh. Calvinum *Lexic. Juridic.* Eadem vox in uno latere vituli candidi, ac purpurantibus maculis diſtincti, omen fecit Imperii Aureliano, apud Vopiſc. *in eo c.* 4.

AVE, in moneta aurea, ſub Carolo VI. Galliæ Rege cuſa, cui nomen *Salutes cum armis Franciæ*, Gallicè *Saluts aux Armes de France*; in quorum aureorum altera parte ſcutum cum tribus liliis viſitur, inter Angelum & Deiparam: in volumine ſcriptum AVE, ſuprà, radiis cœleſtibus emicantibus. In altera crux plana eſt inter duo lilia, cui ſubeſt litera *K*. Similiter Henricus VI. Rex Angliæ, *Salutes cum armis Franciæ & Angliæ*, Gallicè *Saluts aux Armes de France & d'Angleterre*, cudi curavit, in quibus iidem Angelus & Deipara ponè utrumque ſcutum, cum volumine continente AVE. ante utriuſque capita, & hac *Inſcr.* HENRICUS. DEI. GRATIA. FRANCORUM. ET. ANGLIÆ. REX. In averſa parte crux plana, inter lilium & leopardum. Sed & ſemiſſes iſtiuſmodi aureorum dicti *Demiſaluts*, ſub priore; duo treſſes quoque *Salutum*, dicti *Angeli*, vulgò *Angelots*, ſub poſteriore, prodiêre: de quorum omnium pondere ac pretio, vide Car. du Freſne in *Gloſſar*. ubi typos inſuper eorum exhibet, & infrà *Salus*.

AVE Maria, ſeu *Salutatio Angelica*, ut in principio concionis cujuſque recitetur in Eccleſia Romana, primus inſtituiſſe creditur. Vincentius Ferrerius, inter ſuos pro Sancto habitus, uti refert Rodericus Mendezius Sylva in ſuo *Catalog. Real. ad A. C.* 1423. Vide infra in vocibus *Chriſtiſſimus* & *Salutatio Angelica*: uti de *Sororibus de Ave Maria*, infrà in *Beghinæ*. Inter Inſignia Ducum Infantatus ſeu *del Infantadgo*, Domus Mendozæ, in Hiſpania, latera ſcuti pinguntur aurea, illiſque *voces Angelicæ*, *cæruleis literis*, inſcriptæ leguntur, hinc AVE MARIA, iſthinc GRATIA PLENA. Vegarum teſſera, cujus duplicem rationem reddit Vulſon de la Colomb. *Sc. Heroiq* c. 9. p. 67. & Paillot *la Vr. & parf. Scienc. des Arm.* ille quidem, quod ex hac Familia aliquis primum vexillum his verbis inſcriptum, mœnibus urbis Granatæ, cùm occuparetur, infixerit, & in virtutis memoriam illam teſſeram obtinuerit. Iſte verò, narrat quendam Garcilaſſum Equit. in Granadenſi, planitie, locò, qui *la Vega* appelletur, obtruncâſſe Maurum, qui ludibrii causâ equi ſui caudæ roſarium appendiſſet, ob quod voluntate Ferdinandi Regis hoc memoriale adſumptum ſit, ſic tamen, ut parmæ rubeæ baltheum impreſſum aureum, huic album viridem, inſcriptis argenteis literis AVE GRATIA PLENA, ducat, apud Cl. Spenerum *Arte Heraldic. Parte* 2. *l.* 1. *c.* 23. ubi de domo Mendozia. 4. 5.

AVE Maritimum, vide infrà *Officioſi*.

AVEDONACUM, vel AUVEDONACUM, inter Mediolanum Santon. & Rauranum oppid. Santonum. Hodie *Aunay*: Caput Pagi Aunedonacenſis, *le pays d'Aunis*. Plerique ignorantiâ antiquitatis caput Pagi *Alnetum*, quaſi ab alnis, ipſumque Pagum *Alnetenſem* vocant. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AVEINUM, vicus Belgii, in Ducatu Lucemburgico, celebris victoriâ Francorum contra Hiſpanos A. C. 1635. Vix 2. leuc. à Fano S. Huberti in Ortum.

AVELLA, vide *Abella*.

AVELLANA ſeu PONTICA NUX, Ἀυελλάνη Græcis, juxta Hermonactem & Timachidam, apud *Athenæum*: quò tamen nomine *Juglandem* alii, quaſi *Jovis glandem* dictam, intelligunt Plin. *l.* 15. *c.* 22. *Cæteris quidquid eſt*, *ſolidum eſt*, *ut in Avellanis & ipſo nucum genere*, *quas antea Abellinas patriæ nomine appellabant*. *In Aſiam Græciamque è Ponto venêre*, *& ideo quoque Ponticæ nuces vocantur*. Eadem porro *Heracleotica* quoque Ponti celeberrima appellata eſt, uti diſcimus ex Theophraſto *l.* 3. *c.* 15 &c. Ejus juli inutiles. Idem Plin. *l.* 16. *c.* 29. *Ferunt & Avellanæ julos compactilis callò ad nihil utiles*. Sunt autem *juli* tales nec flores, nec pro floribus in Avellana, ſed ἀκτινώδεις quædam & fimbriæ; præter quas flos parvulus in ſummitate nucis invenitur, crocei coloris acutioris & tripertiti, &c. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 608. & 1026. ut & infrà in voce *Calva*.

AVELLANEDA, nomen illuſtris in Caſtella veteri Familiæ, quod Aldencia, filia Johannis *de Avellaneda*, qui Johanni II. Caſtellæ Regi inſervivit, nupta Didaco I. Lopezio *de Zuniga* Comiti *de Miranda*, in hujus familiam intulit. Ex hoc enim matrimonio natus Petrus de *Zuniga & Avellaneda*, maritus Catharinæ *de Velaſco*, pater fuit Franciſci I, qui ex Maria Henricia de *Cardenas*, genuit Franciſcum II. quò & Mariâ de *Baſan* Vicecomite *de Valduerna* natus Johannes de *Zuniga*, *Avellaneda & Cardenas*, Dux de *Peneranda*, è Maria agnata, ſuſcepit Didacum II. *de Zuniga*, *Avellaneda*, *Baſan & Cardenas*, Ducem *de Penneranda*, Comitem *de Miranda*: patrem ex Franciſca de *Sandoval & Roxas*, Franciſci Marchionis *de Bannez*a, Catharinæ (quæ nupſit Philippo Johanni Balthaſari de Pacheco Duci *de Eſcalona*) Mariæ & Johannis Germanorum: Nominis de Zuniga, Avellaneda, & Cardenas; Ex Comitibus de Miranda *de Duero*, in Epiſc. *de Oſma*. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Europ.* *tom.* 2.

AVENA, præter tenuem ac levem folliculum, quò tegitur, bifidum & hiantem, quò ſemiſectum apparet ejus granum, glumam etiam bene ſpiſſam ſive tunicam craſſam & corpori ſtrictè adhærentem habet, quò involvitur: unde μάλιστα πολλάκοπον τῇ βρώμῳ, aſſerit Theophraſtus *Hiſtor l.* 8. *c.* 4. Quare Plinius, cum ait *l.* 18. *c.* 7. *Tunica ſummoto plures*. *Hordeum maximè nudum & arinca*, *ſed præcipue avena*: aut neſcivit, quid eſſet avena, ut valde veriſimile eſt *Salmaſio*; aut in grano ejus tunicam illam craſſam, quò operitur, quaſi cutem tantùm conſideravit grani. Quomodo inter γυμνόσπερμα avenam non malè numeravit. Etenim folliculi illi volantes, quibus ambitur ejus ſemen, non granum ipſum preſſulè operiunt, ſed nudum oſtendunt, &c. Quadrupedum pabulum eſſe, *Heſychius* ait, hodieque jumentis pro pabulo præbetur. Unde *Avena*, publicè in Magnatum ædibus, officialibus olim ac domeſticis diſtribui ſolita eſt, à Camerariis vel Seneſcallis, uti docet vetus Poema MS. Gall. de *Pariſe la Ducheſſe*:

Quand ils orent mangé el palais ſont entrez,
A une cheminée c'aſſirent lez a lez,
Li Chamberlans commence l'Avoine à eſcrire;
Qui or veut de l'avoine, *ſ'en vinge demander*:

apud Car. du Freſne, qui hanc in rem quoque Bertrandum Clericum in *Poëmate* iiſdem MS. de Gerardo Viennenſi laudat. *Abatis* id munus fuiſſe, docet Ebrardus Bethun.

Abatis ad cenam dat equis Abbatis avenam.

Cujus munus graphicè deſcribitur, in *Bulla* Aurea Caroli IV. Imperator. *c.* 27. ubi de Ducis Saxoniæ officio. in Inauguratione Imperatoris agitur, unde *Abatis* & Mareſcallorum munus idem fuiſſe, colligitur. Vide quæ ſuprà diximus, in voce *Abatis*. Apud veteres verò Romanos, qui avenam, utpote inter vitia frumenti illis habitam, non ſerebant, hordeum equis dabatur. Unde apud Plaut. *Aſin. Actu.* 3. *ſc.* 3. *v.* 116. *Demam tibi de hordeo*, *ſi tolutim badiſſas*. Et *Hordearium miſſum*, quòd quadrigis pro præmio hordeum dabatur. Idem & Græci faciebant, unde κριθῶσαι πῶλον dicebant. At Germaniæ populos avenam ſerere, neque aliâ pulte vivere, traditum Plinio *l.* 18. *c.* 17. quam pultem hodieque in deliciis habent. Idem ab Orientis parte intima gentem eſſe ſcribit, ore concretò & naribus carentem, quæ *unò tantum foramine ſpirat*, *potumque calamis avenæ trahit*, *& grana ejuſdem avenæ ſponte provenientis ad veſcendum*, *l.* 6. *c.* 30. quod ad Orones, Scythicam ſeu Germanicam gentem perperam trahit Solinus *c.* 19. &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 217. 218. 386. & *ſeqq.* & hîc infrà, ut & voce *Bromos*.

AVENÆUM, Urbecul. Gall. in provinc. Campaniæ, propè Matronam fluv. 4. leuc. a Remis in Auſtrum.

AVENARIUS Johannes, vulgò *Habermann*, Egrâ Bohemus, primùm Schönfeldæ apud Cygnæos, A. C. 1550. inde Falckenavæ in Variſcorum & Bohemorum confinio, A. C. 1567. Paſtor, hôc locô ac tempore aureum ſuum *Precationum libellum* Latinè edidit, Germanicè verſum & luci datum, à Chriſtoph. Zaderer Lipſiæ A. C. 1617. imò & Gallicâ & Græcâ poſthac cyclade indutum. Inde Freibergæ Concionatorem egit ſimulque Hebraicas literas docuit, ut & Jenæ A. C. 1573. ubi *Doctoris Theologi diploma* meruit. Wittebergam poſt hæc vocatus *Magiſtri* Phi-

Philoſophiæ titulum ibidem obtinuit, tandem Zizæ, ubi Ephoriam Eccleſ. geſſit, defunctus, A. C. 1590. ætat. 74. Pater Joſephi, avus ex hoc Johannis J. U. D. & Eloquentiæ Prof. Wittebergæ creati A. C. 1627: frater Jeremiæ, Paſtoris Oſtravienſis, in Ducatu Zigenſi &c. Præter dictas Preces, auctor *Lexici Hebraici*. Vide Paul. Freherum *Theatro Viror. claror.*

AVENARUM calamis paſtum hauriendi mos, apud gentes quaſdam ultimi Orientis, memoratur Solino c. 30. *Aliis concreta ora ſunt, modico tantum foramine calamis avenarum paſtus hauriunt.* Ubi potum reponit Salmaſius, ex *Mela*: *Aliis labra etiam cohærentibus, niſi quòd ſub naribus etiam fiſtula eſt, per quam bibere avenis, & cum libido inceſſit veſcendi, grana ſingula frugum paſſim naſcentium abſorbere dicuntur*, vocem *avena* pro calamo vel ſtipula frugis ponente. Ut apud Poëtam. *Ecl.* 1. v. 2.

—— carmen tenui meditaris avenâ.

i. e. calamô. Sic enim & Græci *avenam* αὐλὸν & καλάμιον vocant, unde καλαμίζειν τὸν οἶνον, *calamo vinum haurire*: & apud *Lucilium* Ciceronis laudatum, vivum, integrum, *ſipon cui nihil demſit*. Solus igitur potus calamis *avenarum* hauriebatur ab illis populis, qui ore concretô erant; grana verò frugum, quæ abſorbendo edebant, in foramen & fiſtulam oris ponere conſueverant, atque ita ſorbere. Vide Salmaſ. ubi ſuprà. *p.* 387.

AVENDONIS, Liburniæ urbs. *Antonin.* nunc vicus *Adelſperg*, ſub Auſtriacis.

AVENIO Cavarum, Galliæ Narbonenſ. urbs, pulcra & ampla, ſed non tantopere populoſa; inter urbium, quas illa habet, opulentiſſimas, tertiò locô memoratur à Mela, *l.* 2. *c.* 5. colonia Roman. A Plinio tamen *l.* 3. *c.* 4. inter oppida Latina refertur. *Stephano* Αὐενιὼν, πόλις Μασσαλίας πρὸς τῷ Ῥοδανῷ. Vocavêre autem Græci Maſſiliam totam ferè oram provinc. Narbonenſis 2. cum parte Narbonenſis 1. & Viennenſis. *Avenno*, in *tab. Theodoſ. Civ. Avennicos*, Gregor. Turonenſ. *l.* 3. *c.* 32. In *veterib. Notit. Civitas Avennicorum*, & inter provinc. Viennenſis Civitates modò 14. modò 11. modò 12. locô ponitur. Recentiores *Avinionem* vocant, non à vino, ut vult Gregor. Turonenſ. *l.* 6. *c.* 26. quamvis ager vineis & olivetis abundet, nomen enim Gallicum eſt urbis Galliæ Aveno. Sedet ad ſiniſtram Rhodani ripam, inter Sulgam & Druentiam, in Rhodanum effluentes. Vulgo *Avignon*. Condita creditur, eôdem tempore, quô Maſſilia, An. 147. Urb. Cond. Ptolem. *l.* 2. *c.* 10. Strab. *l.* 4. Mela, *l.* 2. *c.* 5. Primùm à partibus Romanorum, dein Burgundis Gothiſque ceſſit, donec à Carolo Martello Saracenis erepta eſt, circa A. C. 725. A' Ludovico VIII. contra Albigenſes, quibus referta erat, movente capta, (poſtquam Comitibus Provinciæ, Toloſæ, &c. & Conſulibus, ab Anno 225. ſubdita fuiſſet) ac ſeveriſſimè habita eſt; peſte mox infeſtato, quâ plus quàm XXII. Millia ex exercitu amiſit. Matth. Pariſ. *in Joh. & Henr.* P. Æmilius, *l.* 7. Tranſiit dein ad Fratres Ludovici IX. poſtmodumque diviſione factâ dominium ejus quoque diviſum, & Reges Galliæ, utpote heredes Alphonſi Pictavienſis, ejus dimidiam partem poſſederunt, uſque ad A. C. 1290. quô Philippus Pulcher, illam Carolo II. Siciliæ Regi Provinciæque Comiti conceſſit. Clemens VI. autem à Johanna I. Regina Neapol. jus ejus A. C. 1352. in hanc urbem 30000. aureis redemit, quos tamen nunquam ſolviſſe, ſunt qui tradant, creditur. Ita ſub Pontificibus eſſe cœpit, antea jam Clementis V. aliorumque per annos 74. ſedes, horribili ſchiſmate ſciſsâ eccleſiâ, donec A. C. 1367. præfatus Clemens VI. monitis S. Brigittæ, Catharinæ Senenſ. & reprehenſione cujuſdam Epiſcopi permotus, Romam denuo ſedem transtulit, mox facti pœnitens: cùm Florentinos fulmina ſua neutiquam curare ſic indignaretur, ut in morbum inde, dein in mortem incideret, monitis prius Cardinalibus, ne revelationibus amplius fidem adjungant. Vide Crantz. *l.* 9. *c.* 33. Sabell. *in Hiſt.* Mornæum *in Myſter. p.* 1074. Capta ante paucos annos à Ludov. XIV. contra Alexandr. VII. irruatio, ſed reddita. Ibi ſemper Vicelegatus Pontificius, Univerſitas, & Judæorum ſynagoga. Epiſcopalis olim, dein in Metropolin erecta eſt, cùm antea Arelato ſuffragaretur, eique Vaſio, Cabellio & Carpentoracte, ſubjectæ, quæ 4. urbes ad ſedem Roman. pertinent. Caput eſt Comitatus Avenionenſis, à Comitatu Vindaſcenſi diviſi. Concilia hic habita A. C. 1080. 1209. 1282. 1324. 1327. 1337. 1457. 1594. *Spondan.* Saxi, *Hiſt. Eccleſiæ Arelatenſis*, Concilia Gallic. &c. Item caſtrum ejuſdem nominis, in Septimania, vulgo *Vagnonet*, i. e. parvus Aveno, in diœceſi S. Papuli, non procul à caſtro S. Felicis, proximum Montiſerrando caſtro. Hujus meminit Petrus *Hiſt. Albig. c.* 62. ut vult Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Numeris ſeptenariis clara eſt prior civitas. Intra enim 7. ſunt Palatia, 7. Parochiæ, 7. Hoſpitia, 7. Sacrarum Virginum Monaſteria, 7. Collegia, 7. Monachorum Conventus, & 7. Portæ. *Petrarcha & Boccacius* eam ſub nomine Babylonis deſcribunt. Ibi aliàs Cavares populi, longitud. 25. 20. latitud. 43. 25. Ut & hoc addam e Legatus Apoſtolicus, qui ibi præeſt, quôvis triennio mutatur. Gallica juriſdictio urbi tam propinqua eſt, ut ipſius extra mœnia ſuburbia, nomine Villæ novæ *Ville neufe* nota, partem Galliæ faciant. Nec à Gallis neglectim haberi jam docuit Regis Ludovici XIII. in urbem ingreſſus, qui ſeſe in omnibus pro Rege gerebat, A. C. 1622. Præibat primò Conneſtabilis enſe nudô, circumſtabant præſidiarii vigiles Galli, Scoti & Helvetii: Stationes militares poſtmodum renovare, *quales in Gallis ſtatas ſunt, tympanis de more pulſatis & expanſis per urbem ſignis; Teſſera militaris, quâ diſtingui ſolent excubiæ, ab ipſo Rege diſtributa: Patuêre nocte & interdiu ſine cuſtodia urbis portæ, quæ mox in Gallicis urbibus, Rege intromiſſô; Noxæ pœnâ, captivis exemptis remiſſa, judicio Regis*, Gramondus *l.* 13. Idem gliſcente bellô inter Alexandrum VII. & hodiernum Regem, cujus in voce *Avenio* mentio, patebat, cùm Dux Mercurius militem Regium urbi induceret, Pontificiô præſidiô ejectô, ipſiſque operam ei commodantibus civibus, qui jam dudum animum ab Eccleſ. regimine alienum geſſerant. Et quamvis reddita fuit Sedi Romanæ A. C. 1664. perſtitêre tamen cives in alieno ſuo à Pontifice animo, quem A. C. 1665. ſtatim fuêre teſtati, cùm Caſtellô occupatô, & pulſis urbe militibus præſidiariis ipſum Vice Legatum in palatio ſuo obſiderent, Regiſque denuò imploraverint protectionem, vide Auctorem *Hiſtoriæ Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 3. *de Regno Galliæ*, § 13.

AVENNA, vulgò AVON, fluv. Angliæ, Sariſburiam alluit, & poſt in mare Britannicum ſe exonerat, ex adverſo Inſul. Vectis. *Speedo* eſt *Avons*.

AVENNACUM, locus Galliæ, in Remis, vulgò *Avenay*.

AVENNÆ, vulgò AVESNES LE COMTE, oppidul. Belgii, in Artelia & limite Picardiæ. Sub Francis. *Avenæ* autem, *Aveſnes*, oppid eſt Hannoniæ parvum, ſed præclarum & probè munitum, ad Hepram fluv. Comitatus multô nobile, in ditione Regis Francorum, ab A. C. 1659. pace ad Pyrenæos.

AVENS, fluv. in Sabinis *Varroni* memoratus, quis autem hodiè cenſendus ſit, incompertum eſt. Serv. *ad Æn. l.* 7. *v.* 657. *Varro dicit, De gente Pop. Rom. Sabinos à Romulo ſuſceptos accepiſſe montem, quem ab Avente fluvio provinciæ ſuæ appellaverunt Aventinum. Cureſe* vulgò: in Tiberim ſe exonerat. *Baudrand.*

AVENSONIUS Gulielmus, Vide *Gulielmum.*

AVENTICUM, Helvetiorum oppid. *Cæſar. Wiſelsburg Rhenano*, quaſi *Viviloms burgus*, à reſtauratore Vivilone Comite. *Avenche Mariano. Civitas Helvetiorum*, in *lib. provinc.* Diviſis ſub Auguſto in XVII provincias Galliis, ſub Provincia Lugdun. quinta fuit. A *Ptolemæo* in Sequanis, à *Marcellino* in Gallia ponitur. Ab Helvetico quartô annô regni conditam, A. M. 4071. fuiſſe, Vandi *Chronica* habent. Jam ſirenui tempore, cujus ſedes quibuſdam, fuiſſe docet Viterbienſis Chronica, *part* 9. & ab eodem expugnatam. Poſtmodum inter XII. civitates fuiſſe videtur, quæ ab Helvetiis incenſæ, tempore Julii Cæſaris, & ab his reducibus reparatæ ſunt: quô tempore princeps Helvetiorum civitas fuit, Tacit. *Annal.* l. 17. A' Cæcina dein, ſub Vitellio, cæſis pridis Helvetiis, occupata eſt. Idem *Hiſt. l.* 1. *c.* 68. ſed à Veſpaſiano, cujus pater Sabinus, civis hujus urbis quibuſdam creditus, apud Helvetios fœnus exercuerat, Romanâ coloniâ, cum Flaviæ nomen, aucta, & à Tito conſummata eſt. *Colonia fœderata* hinc elogiô inſignis, ut apparet ex veter. *inſcr.* in monumento muri, qui templum Aventicenſe cingit. Unde non improbabilis eſt eorum conjectura, qui Aventicenſes Veſpaſiano, in expeditione Judaica, comites fuiſſe volunt. Hadr. Valeſ. illam Coloniam vel à Tito, vel à Domitiano factam, & *Coloniam Juliam Aventicorum* dictam fuiſſe, ait: à Julia Titi filia, quam Domitianus pluſquam patruus amavit. Certè in nummo Domitiani legitur, *Colonia Julia Aventicorum*. Vide illum *in Notit. Gall.* Sequentibus temporibus, cùm Gothi primò Galliam pervaderent, Burgundiones dein hic ſedes fixiſſent, ab his quoque Aventicum, cum regione vicina, ſub jugum redactum eſt. Donec Martianô & Valentinianô Imperatorib. Vandalorum, Hunnorum, Saxonum, Teutonum, & Alemannorum incurſu Imperiô debilitatô, Gallia Belgica ab illis devaſtata, & plurimæ urbes arceſque, inter quas & ipſa hæc civitas, funditus everſa eſt. Sita fuit, juxta lacum Murtanum Helvetiorum, ut dictum, caput fuiſſe, teſtis eſt *Corn. Tacitus. Ammianus* autem ſcribit, ſuô tempore deſertam fuiſſe civitatem, ſed non ignobilem quondam ex ædificiis ſemirutis colligi: in quibus inſcriptiones plurimæ Roman. quarum præcipuæ Veſpaſiano, Helvetiorum Energetæ, poſitæ. Apollo hîc olim cultus: longè autem lateque tum ejus pomœria patuiſſe, ex murorum turriumque variis in locis ruderibus, videre eſt: de quibus vide Joh. Baptiſtæ Plantini *Helvetiam nov. antiq.* Caput fuit Pagi *Aventicenſis*, vulgo *der Wiſlisburger gow*, quem quidam à Pago Urbigeno diſtinguunt, alii Aventicenſem majorem ejus partem faciunt, cujus pars altera Vaudum, *die Waad* dicitur. Ejus, ut cæterorum, partes, nomina ſæpe mutârunt: antiquum & vetuſtum vocabulum ſolum circa Friburgum retinuit, ubi Aventica ruinæ. Regio *Uchtland*, ſeu *Nuchtland*: & lacus, quem hodie à vicino oppido Moratenſem vocant, *Uchter ſee*, & lacus Aventicus, appellitatur in antiquis inſtrumentis. Redeo ad *Aventicum*: poſtquam ſub Galliæ Burgundiæque Regibus ejus rudera fuerunt, pagus ſolum in priſtini loci veſtigiis erat, cui & ipſi *Aventici* nomen hæſit. Chlodovæorum tempore Epiſcopatus hîc ortus eſt, qui poſtmodum Lauſannam tranſlatus, dictique *Epiſcopi Aventicorum*. E' quibus A. C. 535. ſub Theodeberto Galliæ Rege Superius, interfuit Concilio Arvernenſi. Tandem ſub Henrico IV. Imperatore præſens oppidum Aventicum, à Burcardo Epiſcopo extructum eſt: in quo non pauci Lauſannenſium Epiſcopi commorari amaverunt. Hodie in ditione Bernenſi. Vide Stumpf *l.* 8. Clüver. *l.* 4. *Remp. Helv.* Lugd. Bat. editam, A. C. 1627. & Cl. Ottonem JCtum *Not. ad B. Rhenanum Rer. Germ. l.* 1. *p.* 192. *& ſeqq.*

Quæ caput Helvetiæ fuerunt, jam nominis umbra
Magni, reliquias vix trahit parva ſuas.

longitud. 28. 33. latitud. 46. 14.

AVENTINA, Diana ſic dicta, quòd in Aventino monte coleretur, quæ & *Aventinenſis Val. Maximo* dicitur. *Plut.* & *Sext. Pompejus* ædem Dianæ dicatam in Aventino, Serviô Tulliô regnante, volunt. *Dionyſ.* autem *Halicarn.* Ancum Martium hujus templi auctorem facere videtur.

AVENTINUS, cognomentô *Sylvius*, fil. major natu Alladii, 12. poſt *Æneam*, Latinorum Rex, ab A. M. 3199. uſque ad 3236. *Morer.* pater Procæ, Romuli Sylvii fil. cui fulmine occiſo ſucceſſit, *Nic. Lloydius*. In *Aventino* ſepultus, cui nomen dedit. Ovid. *Met. l.* 14. *v.* 617.

—— Remulus maturior annis
Fulmineô periit imitator fulminis ictu,

Pra-

Fratre ſuo ſceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Aventino. qui, quò regnârat, eodem
Monte jacet poſitus, tribuitque vocabula monti.

Idem *l.* 4. *Faſt. v.* 50.

---- In Remulum fulmina miſſa ferunt,
Venit Aventinus poſt hos: locus inde vocatur.
Mons quoque. ---- ----

Vide Dionyſ. Halicarn. *Antiquit. Rom.*

AVENTINUS, fil. Herculis ex Rhea Sacerdote, Turno adverſus Æneam ſuppetias tulit. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 657.

Victoreſque oſtentat equos ſatus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus. ---- ----

Sic dictus, quòd in colle *Aventini* ſilvâ mater eum peperiſſet.

AVENTINUS, inſignis Annalium Germaniæ conditor. Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10. Vide & *Johannes Aventinus.*

AVENTINUS, unus ex 7. urbis Romæ montibus, cujus radicem Tiberis præterlabitur: ita dictus *ab Avibus* (ut ex ſententia Nævii, refert *Varro*) quarum ob ſitûs opportunitatem, amniſque vicinitatem, maxima ibi copia erat; vel *ab Aventino*, Albanorum Rege, in eo extincto & ſepulto; vel *ab adventu* hominum, qui ad Dianæ templum, quod eo in monte à communi Latio conditum fuit, commeabant; Vel *ab advectu*, quod Varroni *l.* 4. *de LL.* magis probatur. Erat enim hic mons à reliquis urbis Romæ montibus paludibus diſcretus, unde ratibus, ad eum advehebantur, quadrantem pro naulo ſolventes.

AVENTURÆ, in *Mandato* ſuper Juratis ad Arma, in *Additam.* ad Matth. Paris. p. 149. Haſtiludia ſunt, ſeu Equeſtres decurſiones, vulgò *Tornamenta*, vide ibi & in voce *Fortunium.*

AVERA, olim AVARA, nonnullis *Evera* aut *Evra*, vulgò *Yevre* vel *Evre*, fluv. in Galliæ Biturigibus Cubis, Avaricum, horum caput, quod denominat, primò, dein caſtrum Mediolanenſe ſeu Magdunum ad Averam *Mehun ſur Yevre* attingit, inde apud Virſionem caſtrum in Carem effluit. Duplex eſt, *Avara major*, de quo hactenus, & *Avara minor*, rivulus *Avrette* dictus, qui cum Urione Oron, & Molone *Moulon*, ad Monaſterium Navenſe ſeu S. Sulpicii Pri, majore recipitur. Hadr. Valeſ. in voce *Bituriges Cubi.*

AVERIA, Urbs Syriæ fuit, in Palmyrene provinc. ad fluv. Palmyritem, non longè à confinio Arabiæ deſertæ. Quid nunc ſit, non ſatis conſtat.

AVERNUS, lacus Campaniæ, prope Bajas, quem Plutoni dicatum & inferorum limen eſſe rudis vetuſtas credidit. Dictus quaſi ἄορνος, h. e. *avibus carens.* Vide *Aornus.* Ita autem ab Ariſtotele *in Admirandis* deſcribitur: Περὶ τὴν Κύμην τὴν ἐν Ἰταλίᾳ λίμνη ἐστὶν ὁ προσαγορευόμενος Ἄορνος, ἀδιάβατον λέγουσι περὶ αὐτὴν δένδρα κύκλῳ, τὸ ὄρνεον εἰσελθὸν περὶ αὐτὴν οὐκ ἐκπέτεται, τὸ βάθος ἔχουσαν ἀπέραντον. Strabo *l.* 5. Ἐστι δὲ ὁ Ἄορνος κόλπος ἀγχιβαθής, &c. Vibius Sequeſter, *in catalogo fluminum: Avernus Campaniæ, immenſæ altitudinis, cujus una pars apprehendi non poteſt.* Diodor. Sic. *l.* 4. Κεῖται δ᾽ ἡ λίμνη μεταξὺ Μισηνοῦ, καὶ Δικαιαρχείας, πλησίον τῶν θερμῶν ὑδάτων, ἔχει δὲ τὴν περίμετρον ὡς πέντε σταδίων, τὸ βάθος ἄπιστον. Videtor Cluver. *Ital. Ant. l.* 4. *p.* 1157. *Nic. Lloydius.*

AVERROES, vel AVEN ROES, Arabs, in Africa educatus, naturali ſcientiâ vir præſtantiſſimus, omniumque bonarum diſciplinarum encyclopædiam adeptus, ſectâ Mahometanus, tempore Miramolini Regis apud Cordubam, Hiſpan. urbem vetuſtiſſimam floruit A.C. 1149. Multa ac varia compoſuit. Librum (*Colliget*) dictum, totam ferè Medicinam complectentem edidit. Avicennæ æmulus, & inimiciſſimus fuit, teſte Symphoriano Campegio, cum quo in Hiſpania Philoſophiæ & Medicinæ ſtudia illuſtrabat circa illud tempus, quò literæ unò quaſi impetu lacertos movebant, & Bononiæ utrumque Jus Irnerius Bulgarus, Mart. Hugo & Jacobus docebant, Canonicum Gratianus condebat: Theologiam Petrus Lombardus tradebat, Petrus Comeſtor Hiſtoriam curabat, &c. Alii Avicennam Averroë longè antiquiorem cenſentibus. Commentariis ſuis in Ariſtotelem Græcos maximè imitatus, hinc *Magni Commentatoris* nomen adeptus. A nonnullis, *Stimulus Medicorum* dicitur, nam & Galeno non paucis contradicit. Geſner. *in Bibliotheca.* Ægidius Roman. duos filios ejus, in Friderici Barbaroſſæ aula vidiſſe ſe ſcribit, & hominis deplorat cæcitatem, qui maluit *ſuam animam cum Philoſophis, quam cum Chriſtianis eſſe.* Blancanus *in Chron. Mathem.* Voſſ. *de Sect. Phil. c.* 17. §. 19. *De Mathem. c.* 35. §. 22.

AVERRUNCUS, Deus Romanorum, qui *mala averruncare*, h. e. *depellere*, atque *avertere* putabatur. Cujuſmodi apud Græcos habebantur Hercules, & Apollo, quos idcircò Ἀλεξικάκους, Ἀποτροπαίους, & Ἀποπομπαίους appellârunt. Paccuvius apud Varronem, *l.* 6 *de L. L. Deus, qui rebus præſt Averruncus. Nic. Lloydius.* Ἀποτροπὴ enim Græcis fere ἀποπομπή, i. e. malorum depulſio, quæ fiebat per ſacrificia & preces, cujuſmodi fieri ἀποτροπαίους dicit Iſocrates *Orat. ad Philipp.* ut avertantur mala, quæ nobis à noxiis Diis imminent. Quin feſta hujuſmodi ſacrificiis dicata ἀποπομπαῖα vocabantur, & ipſi Dii, ut dictum, ἀποπομπαῖοι, i. e. *Averrunci*, qui mala avertere credebantur. *Heſychius*, Ἀποπομπὰς ἡμέρας ἔλεγον, ἐν αἷς θυσίας ἐτέλουν τοῖς πομπαίοις θεοῖς. Lege, Ἀποπομπαίοις. Θεὸς ... Πομπαῖος unus erat Mercurius, quem in *Ajace* Sophoclis v. 844. Ajax ita invocat, gladiò ſub ſe confoſſurus:

---- ---- Καλῶ δ᾽ ἅμα
Πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον, εὖ με κοιμίσαι.
Rogo ſimul
Pompaum Mercurium ſubterraneum, ut me ſuaviter conſopiat.

Sed ἀποπομπαῖοι Dii vel Dæmones iidem, qui ἀποτρόπαιοι vel *Averrunci*, *Dii depellentes* Perſio, *Sat* 6. *v.* 167. ut videbimus infrà voce *Oſcines*, de quibus ſcripſiſſe Apollodorum *l.* 6. *de Diis*, qui hodie non habetur, ex his *Harpocrationis* ſcimus: Ἀποπομπαῖοι ἐκαλοῦντο Θεοί, περὶ ὧν Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ Θεῶν διείλεκται. *Averrunci quidam appellabantur Dii, de quibus Apollodorus librô ſextô de Diis diſſeruit.* Non verò Moſes, uti Julianus Apoſtata, ejus locô Levitici *c.* 16. *v.* 8. in quo de hirco *Azazel*, Græcis ἀποπομπαῖος, agitur, abuſus contendit, quem prolixè multis refellit Cyrillus *in Julian. l.* 9. Hic enim ἀποπομπαῖος longè aliâ notione ſumitur, & *emiſſarius* redditur Latinis Interpretibus, vide infrà in voce *Azazel.* Præter Herculem verò & Apollinem, Dioſcuros etiam, & Jovem omnium principem, in hoc *Averruncorum Deorum* cenſu reperimus: unde natum verbum elegans ἀποδιοπομπεῖσθαι, i. e. ἀποτρέπεσθαι διὰ τοῦ Ἀποπομπαίου Διός. Vide Sam. Bochart *Hieroz.* ſeu *de Animalibus S. Scripturæ part. prior. l.* 2. *c.* 54. Et quidem Jovi huic Ἀποτροπαίῳ ſeu Φυξίῳ Græcos, poſt victoriam reportatam, ſimulachrum olim ſtatuamque conſecraſſe habes infrà, ubi de *Victore in Ludis Olympicis*, it. voce *Victoria.*

AVERSA, Urbs Epiſcopalis Campaniæ, in regno Neapolitano & in Terra Laboris ſub Archiepiſcopo Neapolitan. Dicitur condita ex ruinis Atellæ: Media eſt inter Capuam & Neapolim; parva in planitie. Vide *Atella.*

AVERSUM Aſtrum, apud Virg. *Georgic. l.* 1. *v.* 217.

Candidus auratis aperit cùm cornibus annum
Taurus, & averſo cedens canis occidit aſtro;

de Argo dicitur, quæ inſtat & incumbit Cani occidenti, utpote extremæ ejus caudæ juncta. *Puppe enim trahitur, non rectô curſu*, ut canit Germanicus. *Aratus.*

Ἡ δὲ κυνὸς μεγάλοιο κατ᾽ οὐρὴν ἕλκετ᾽ Ἀργὼ
Πρυμνόθεν. οὐ γὰρ τῇ γε κατὰ χρέος εἰσὶ κέλευθοι,
Ἀλλ᾽ ὄπιθεν φέρεται, τετραμμένη.

Ubi ὄπιθεν τετραμμένη, eſt *Virgilio averſa.* Sic *Averſus Taurus* Manilio, *l.* 1. quia ſimiliter à poſterioribus oritur partibus & movetur:

Averſus venit in cœlum, diveſque puellis, &c.

De occaſu nempe Canis loquitur Poëta, qui fit ante diem 7. Kal. Mart. Sole decimam Tauri partem obtinente, quò tempore Robigalia à Romanis inſtituta, de quibus dicemus infrà. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 433.

AVERTARII Equi, vide infrà *Parhippus.*

AVES, varia apud Hebræos nomina ſortitæ ſunt. His namque à *volatu* Avis עוף, *oph*, dicitur & צפור, *tſippor*, quia *manè ſurgit*: Rapacis nomen proprium eſt עיט, *ait*, ab *involando* & *irruendo* ſumtum, ad quod alludit aquilæ Græcum vocabulum αἰετός. A Deo è terris, non minus ac beſtiæ agri, productæ ſunt Gen. *c.* 2. *v.* 19. *Et formavit Deus Dominus è terra omnem agri beſtiam & omnem avem cœli &c.* Quod enim multi volunt, *Aves* ex aquis emerſiſſe, ex loco Gen. *c.* 1. *v.* 20. fruſtra ſunt, ut patet legenti locum: *Et dixit Deus, producant aquæ reptile animatum, Et volucres volent ſuper terram in facie expanſi cœlorum.* Ad uſum multiplicem, humano generi præſtandum. Quædam enim eſt *Avis, quæ comeditur* Levit. *c.* 17. *v.* 13. nempe *licitè*: immundarum namque avium eſus in Lege prohibebatur, Deut. *c.* 14. *v.* 12. in quo numero computat Moſes. 1. *Rapaces & Carnivoras*, ut Aquilam, Oſſifragam, Melanæetum, Accipitrem, Milvum, Vulturem, Corvum. 2. *Nocturnas*, ut Bubonem, Noctuam, Veſpertilionem. 3. *Lacuſtres & Riparias*, ut Larum, Ardeam, Catarrhactem, Pelecanum, Onocrotalum. 4. *Struthiocamelos*, qui à terra non extolluntur. Et 5. *Upupam*, quæ in ſepulchris & ſtercore jugiter manet. At mundæ, putà Gallinæ, Columbæ, Turtures, Paſſeres, Coturnices, non in cibis modò, ſed & in ſacrificiis conceſſæ, Gen. *c.* 8. *v.* 20. ingluvie tamen & ventriculô priùs ablatis, ut oblatio eſſet purior, Levit. *c.* 1. *v.* 14. 16. &c. Sed & ad luſum & oblectationem exquiruntur *Aves*, pueris maximè & puellis, ut infrà dicemus. At non tam uſus, quàm abuſus eſt Avium turpiſſimus, ex ſuperſtitione invectus, tota Augurum diſciplina, qui belli, nuptiarum, itinerum ſimiliumque eventus præſagiebant, tum ex *Oſcinum* cantu, tum ex *Præpetum* volatu, tum ex *Pullorum* paſtu: ac *ſiniſtras* quidem putârunt proſperas, ut ſcævum omen, bonum, teſte Varrone *de L. L. l.* 6. Contrà aves, quæ impedimentum objicerent, *Feſtô* teſte, vocatæ *Arculæ*, *Remores*, *Inhibræ*, vel *Enebræ*, imò & *Volſgræ*, *Cliviæ* ac *Alteræ*: ab *arcendo*, *remorando* & *inhibendo*, Item à *vellendo* ſe, difficultàtem, ac quòd priori auſpicio, quod felix viſum, vitium facerent. Harum diſciplinam, tum *Auſpiciorum*, ab *avibus ſpeciendis*, tum *Auguriorum*, ab *avium garritu* dixêre, de quibus vide ſuô locô. Ac vulgò quidem exiſtimatum fuit, *Aves* mentem Deorum tantô nobis meliùs ſcire, quantò eſſent Superis propiores. Hinc Ovid. *Faſtor. l.* 1. *v.* 447.

---- ---- Nam Dîs, ut proxima quæque
Nunc pennâ veras, nunc datis ore ſonos.

Alii *Avibus* id à natura fuiſſe inditum, ut futura prænoſcant, credebant: quomodo Augur Amphiaraus apud Stat. *Theb. l.* 3. *v.* 482.

--- ---- Mirum unde, ſed olim
Hic honor alitibus: Superæ ſeu conditor aulæ
Sic dedit, effuſum chaos in nova ſemina texens:
Seu quia mutatæ noſtraque ab origine verſis
Corporibus ſubiêre Notos, ſeu purior axis
Amotumque nefas, & rarum inſiſtere terris
Vera docent.

Sed prudentiores aliter, vide Amm. Marcellin. *l.* 21. ubi non volucrum arbitriò, futura neſcientium, auguria auſpiciaque colligi, verum volatus earum à Deo dirigi docet: Quò faciunt hæc Ovidii *Faſtor. l.* 6. *v.* 765.

Stat tibi Flamininus, Thraſymenaque littora teſtes,
Per volucres æquum multa monere Deum.

Vide quoque Ciceronem apud Tollium *de Divin. l.* 2. & Ammianum *l.* 21. &c. Voſſius verò judicat veroſimilius, Spiritum malum iſtas alites direxiſſe, ut hominum animos in ſuperſtitione retineret. Vide Aug. Niphum de *Auguriis*, Alex. Neapol. *Genial. dier. l.* 5. *c.* 13. & ad eum Tiraquelli *Notas*, Peucerum *de Divinat.* Georg. Raguſejum itidem *de Divinat. l.* 2. *Ep.* 9. Alios. Interim utcunque de felici vel infelici eventu eorum, quæ in natura non habent fundamentum, *Auguralis ars* vana ſit: magnus tamen ex *Avibus*, in omni vita civili, præſagiorum uſus eſt, quando ea ratione intuitur naturali. Ut cùm Agricolæ, Nautæ, Medici, prævident imminentem tempeſtatem, & pro ea componunt, quæ animò agitabant; de quo vide Aratum *in Prognoſt.* Maronem *Georgic. l.* 1. eorumque Interpretes, Ælian. *de Animalib. l.* 7. *c.* 7. ubi ſerenitatis & tempeſtatis ſigna tradit ex gruibus, ardea, noctua, corvo, cornice, graculo, monedula, anate, mergo, rubecula, gallo gallinaceo, aliis. Utrum verò ex galli cantu cognoſcere ſit horas nocturnas, dicemus infrà. Nunc illud potiùs addemus, quatuor *Avium* inter alias adventu, quatuor anni horas ſive tempora cognoſci. Quam rem ſic Alciatus expreſſit *Emblem.* 100.

Adveniſſe Hyemem Fringilla renuntiat ales,
Ad nos vere novô garrula Hirundo redit.
Indicat Æſtatem ſeſe expectare Cuculus,
Autumnò eſt tantum cernere Ficedulas.

Porro non exiguum ab *Avibus* uſum ad viatores nocturnos redundare, modò quædam reperiantur, quarum plumæ in tenebris præluceant viam, indicat Plin. *l.* 10. *c.* 47. *In Hercynio Germaniæ ſaltu inuſitata genera alitum degere accepimus, quarum plumæ, ignium modò colluceant noctibus.* Sed fuſius rem deduxit Solin. *c.* 23. quem vide. Hercyniam hanc avem Albertus M. ab *luce* ea *Lucidiam* appellat. Norimbergenſes vocant *liebemle*, quaſi dicas *avem Bohemicam*, nempe quia è Bohemia quotannis finitimas in regiones volet. Sed & operam in Epiſtolis perferendis homini *Aves* præſtant. Hinc de tinnunculis Plin. *l.* 10. *c.* 37. *Quin & internunciæ in rebus magnis fuêre, epiſtolas annexas eorum pedibus, obſidione Mutinenſi, in caſtra Conſulum Decimô Brutô mittente. Quid vallum & vigil obſidio, atque etiam retia amne prætenta, profuêre Antonio, per cœlum eunte nunciô!* Eundem in uſum, cornicem adhibuit Ægyptius Rex Marres, apud Ælian. *de Animal. l.* 6. *c.* 7. columbam Barbari, Chriſtianis Tyrum obſidentibus, apud Paul. Æmilium *de Francor. Geſtis l.* 5. & Petr. Juſtinian. *Hiſtor. Ven. l.* 2. Etiam Veneres noſtræ ac Junones, verba ſunt *Voſſii*, aliquid *Avibus* debent, propter margaritas, quibus ſie colla brachiaque ornant: margaritæ enim poliuntur columbis præbitæ, ac brevi illis tempore relictæ, ut Cardanus refert *Rer. Var. l.* 7. *c.* 34. Adoleſcentuli quoque ſe oblectant aviculis, ut Regulus ille filius indulgentiſſimè à Parentibus habitus, de quo Plin. Jun. *l.* 4. *Ep.* 2. Imò & primam ætatem hiſce luſitare ſicque ſe oblectare conſueviſſe, oſtendit Plautus Capt. *Act.* 5. *ſc.* 4. *v.* 5.

—— Quaſi patricus pueris, aut monedula,
Aut anates, aut coturnices dantur, qui cum luſitent, &c.

Quò reſpiciens divinus Vates de crocodilo dicit, Jobi *c.* 40. *v.* 24. *An ludes eò tanquam paſſere, alligabis eum puellis tuis?* Nempe ut eò ſeſe oblectent, quando ſi paſſerculus eſſet ad manum. Quale illud Catullianum, *Epigr.* 2. *v.* 1.

Paſſer deliciæ meæ puellæ,
Quicum ludere, &c.

Vide quoque infrà *Galbea*. Sed & in aucupiis earum uſus, unde *πέρδιξ θηρευτὴς, perdix venator*, apud Sirachidem Eccleſiaſt. *c.* 11. *v.* 31. & Ariſtotelem *Hiſtor. l.* 9. *c.* 8. Ut de accipitre, aliiſque nil dicam. Vide ſuô locô. Adde, *Avium* plumas in veſtium uſum olim hodieque texi conſueviſſe, ut dicetur infrà, ubi de *Pluma* & *Plumandi arte*. Nec omittendum, quod de *Avium φιλανθρωπίᾳ* legimus. Amore enim complexi, olor puerum Argivum Olenum & Glaucen, Ptolemæi citharistriam, apud Plin. *l.* 10. *c.* 22. Anſer, Lacydem, novæ Academiæ Principem, Arceſilai ſucceſſorem, apud Athenæum *l.* 13. Gallus gallinaceus Secundum, Bithynici Regis pincernam, *Ibid.* Pavo, in Leucadia, Virginem, apud Cœl. Rhodiginum *Lect. Antiqu. l.* 13. *c.* 12. & *l.* 16. *c.* 23. &c. Imò, eorum io plurimis Magiſtræ fuêre, qua de re alibi &c. Plura *de Avibus* vide apud Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 1. *c.* 3. *& Part. poſter. totâ*, ut & apud Gerh. Joh. Voſſium *Idolol. l.* 3. *c.* 76. *& ſeqq. cap.* inprimis *ultimo*, ubi de earum apud varias Gentes cultu agens, ciconias à Theſſalis; ibin ab Ægyptiis, corvos à Copritis; aquilam à Thebanis; accipitrem à Tentyritis, alias ab aliis; imo veſpertilionem ab Indis Mexicanis, divinis ceremoniis mactatum eſſe oſtendit. Ut de *Avium* receptaculis aliquid addam: apud Romanos, cohorte coërcebantur gallinæ villaticæ, ruſticæ, Africanæ, galli & capi, quorum curatorem *Gallinarium* recenſunt Varro *de R. R. l.* 3. *c.* 9. unde Martialis pullos gallinaceos *cortis aves* appellat *l.* 13. *Epigr.* 45. *Aviaria* verò cohibebant turdos, pavones, columbas, turtures, luſcinias, merulas, anſeres, anates, phaſianos, quorum omnium cuſtos *Aviarius* dicebatur: ſingulorum *Curatores* ac *Cuſtodes*. Qui autem in marmore legimt *Aviarius. Altiliarius*: Ita enim habet Inſcr.

D. M. OLOPLUTIO.
SUCCESSO PRISCUS.
L. VARI. AMBIBOLI
AVIARIUS. ALTILI
ARIUS &c.

ab Horatio *l.* 2. *Satyr.* 3. *v.* 229. *Fartor* vocatur, cujus officium erat, aves opimare & obeſare in gratiam lautarum epularum. Romæ itidem,

ANTIGONUS. DRUSI. CÆS.
AVIUM. FARTOR.
PRIMILLA. FECIT.
CONJUGI. B. M.

Unde occaſionem arripuit, apud Prudentium, Romanus Martyr, deridendi Præfectum Aſclepiadem, *Periſteph.* 14. *v.* 146.

Quem Conſulatum iutis, ut vernæ ſolent,
Pudet fateri, farre pullus paſcitis, &c.

Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, & hic paſſim, infrà quoque ubi de derivatis & compoſitis ex Græco Ὄρνις.

AVESICA, intra montes, in limite Comitatus Goritienſis. German. *Seneſecz.* 12. milliar. à Tegeſte.

AVESNÆ, vulgò AVENNES. oppid. ſitum inter Sabim & Moſam, in Hainou. Eſt & *Avennenſe* monaſter. Virginum in Atrebatibus, circa Bapalmam, *Aveſne les Dames* dictum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque *Avenna*.

AUFEIA Aqua, olim dicta fuit, quæ poſtea *Marcia* dici cœpit, omnium aquarum totô orbe, Pliniô teſte, *l.* 31. *c.* 3. clariſſima, frigoris ſalubritatiſque laude cæteris præcellens. Oritur in ultimis montibus Pelignorum, tranſit Marſos & Fucinum lacum; mox ſpecu merſa in Tiburtina ſe aperit, 9 mill. paſſ. fornicibus deducta. Primus eam in urbem ducere auſpicatus eſt Ancus Martius, unus ex Regibus. Poſtea Qu. Marcius Rex in Prætura, à quibus *Marcia aqua* dicta. Hanc rurſus reſtituit M. Agrippa.

AUFIDENA, urbs Italiæ Caracenorum; vulgari nunc vocabulò *Alfidena*; meminit ejus Liv. *l.* 10. *c.* 12. *Bovianum inde adgreſſus, nec ita multò poſt Aufidenam vi cepit.* De Cn. Fulvio Conſule loquitor. Apud Ptolemæum, *Καρακηνῶν, οἱ εἰσιν ὑπὸ τοῖς Φρεντανοῖς, Αὐφίδηνα.* Nunc caſtrum eſt in colle, juxta fluv. Sarum, in Aprutio citeriore paucorum incolarum, ad radices Apennini. *Baudrand.*

AUFIDENATES, populi Italiæ, quorum inter Samnites meminit Plin. *l.* 3. *c.* 12.

AUFIDIANUS, Gubernator à Trajano io Cherſoneſum Tauricam miſſus, ubi Clementem Epiſcopum Roman. ſuſtulit. Euſeb. *l.* 3. *c.* 29.

AUFIDIENUS Pontius, vide *Pontius*.

AUFIDIENUS Ruffus, dio manipularis, dein centurio, mox caſtris in Pannonicis Legionibus præfectus, quia antiquam duramque militiam revocabat, ab iratis ſeditioſiſque legionibus ſarcinis gravatus ac variò ludibriò primo in agmine traductus; de quo Tacit. *Annal. l.* 1. *c.* 20.

AUFIDIUS, matronarum corruptor. Juvenalis, *Sat.* 9. *v.* 25.

Notior Aufidiò mœchus celebrare ſolebat.

Erat autem Chius natione. Martial. *l.* 5. *Epigr.* 63. *v.* 10.

Acrior hoc Chius non erat Aufidius.

AUFIDIUS Baſſus, nobilis Hiſtoricus, tempore Quintiliani, qui de rebus Germanicis Hiſtoriam conſcripſit. Etiam de bello Civili egit: unde iſta ſunt, quæ M. Seneca de Cicerone refert. Meminit ejus author de cauſis corruptæ eloquentiæ, *c.* 23. & fortaſſe idem eſt, quem Plin. ſignat, *l.* 6. *c.* 9. cum ait, *Univerſæ Armeniæ magnitudinem Aufidius quinquagies centena millia prodidit.* At non de hoc, puto, ſed de filio ejus loquitur L. Seneca *ep.* 30. Ea ſic incipit: *Baſſum Aufidium, virum optimum, vidi quaſſum, ætati obluctantem. Sed jam plus illum degravat, quam quod poſſit attolli. Magnò ſenectus & univerſò pondere incubuit. Scis illum ſemper infirmi corporis, & exhauſti, fuiſſe: diu illud continuit, & ut verius dicam, concinnavit, ſubitò defecit.* Fortaſſe idem eſt *P. Aufidius* memoratus Priſciano, *l.* 8. ubi cum docet *conteſtatur* paſſivè uſurpâſſe pro *συμμαρτυρεῖται*. At planè ab hoc diverſus eſt *Aufidius* Modeſtus, Grammaticus nobilis, qui Maronem interpretatus fuit, & quem celebrat Philargyrius in *l.* 2. *Georg. Nic. Lloydius.*

AUFIDIUS Cnejus, civis Roman. vixit Olymp. 170. ſub finem regni Ptolemæi Lathuri. Cæcus, nihilominus Senatum frequentavit, & egregia opera edidit. Plin. *l.* 6. *c.* 9. Alium cognomine adoptavit. Cicer. *Tuſc.* 5.

AUFIDIUS Fronto, vide *Marcus*.

AUFIDIUS, cognomentò *Lurco*, qui primus pavones saginare aggreſſus eſt, ex eo quæſtu reditum ſexagenorum millium Seſtertiorum percipiens. Plin. *l.* 10. *c.* 20. *Aufidii* meminit Horat. *l.* 2. *Sat.* 4. *v.* 24.

Aufidius forti miſcebat mella Falerno.

AUFIDIUS Luſcus, Fundorum Prætor. Horat. *l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 34.

Fundos, Aufidiò Luſcò Prætore, libenter
Linquimus, inſani ridentes præmia ſcribæ.

AUFIDIUS Oreſtes, vide *Cneus*.

AUFIDIUS Victorinus, bis Conſul & Præfectus Urbi, inter condiſcipulos & amicos M. Antonini Philoſophi, memoratur Jul. Capitolino in *Vita* hujus Imper. *c.* 3. *Amavit ex condiſcipulis præcipuos Senatorii ordinis Sejum Fuſcianum & Aufidium Victorinum.* Ubi membranæ habent, *Laufidium*: ſcribi vult Caſaubonus *L. Aufidium*, quamvis alii huic *Marci*, non *Lucii*, prænomen tribuant. Et paulo pòſt *c.* 8. *Imminebat etiam Britannicum bellum & Catti in Germaniam ac Rhætiam irruperant. Et adverſus Britannos quidem Calphurnius Agricola miſſus eſt contra Cattos Aufidius Victorinus.* Ad eundem, Marci extant Reſcripta nonnulla: Caſaubon. *ad Capitolin.* Vide & *Cajus*.

AUFIDUS, Apuliæ fluv. ex Hirpinis montibus oriens, & Canuſium urbem præterfluens, in Adriaticum mare ſe exonerat; Romanorum apud Cannas clade nobilis. Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 405.

Amnis & Adriacas retro fugit Aufidus undas.

Horat.

Horat. *l.* 3. *Carm. Od. ult.* v. 10.

> *Dicar quà violens obſtrepit Aufidus.*

Idem *l.* 4. *Od.* 14. v. 25.

> *Sic tauriformis volvitur Aufidus,*
> *Qui regna Dauni præfluit Apuli,*
> *Cùm ſævit, horrendamque cultis*
> *Diluviem meditatur agris.*

Et *Od.* 9. *ejuſdem libri*, v. 2.

> *Longè ſonantem natus ad Aufidum.*

Idem *Serm* 1. *Sat.* 1. v. 58.

> *Cùm ripâ ſimul avulſos ferat Aufidus acer.*

Lucan. *l.* 2. v. 407.

> —— *Et Adriacas qui verberat Aufidus undas.*

Sil. Ital. *l.* 8. v. 630.

> ---- *Pendoque imò mugivit anhelans*
> *Aufidus, & magnò latè diſtantia pontò*
> *Terruerant pavidos accenſa Ceraunia nautas.*

L'Ofanto Leandro dicitur. *Nic. Lloydius.* Oritur in Principatu ulteriore ſupra Compſam urbem, quam alluit. Solus Italiæ fluviorum ſecat Apenninum; ex eo tamen oritur. *Baudrand.*

AUFINATES, populi in 4. regione Italiæ. Plin. *l.* 3. *c.* 12.

AUFONA, vulgo NYNE, fluv. Angliæ, Northantoniam urbem & Provinc. alluit; poſteaque in mare Germanic. cadit, inter Nortfolciam & Lincolniam, provinc.

AUFUL, Gallæciæ Rex Toletum, multis annis obſeſſum, demum cepit, & Chriſtianæ religioni reſtituit. Blondus *Decad.* 3.

AUGA, ſeu AUGE, vel AUGEA, mater Telephi, quam *Euripides* dicit ab Aleo patre Arcadiæ Rege (cùm ab Hercule in monte Parthenio, corrupta deprehenderetur) in arca quadam cum Telepho filio impoſitam, mari demerſam, Palladis providentiâ, ad Caici oſtium delatam, & à Theuthrante exceptam fuiſſe, quam ille in uxorem duxit, Telephumque pro filio educavit, regnique ſucceſſorem inſtituit. Strabo *l.* 13. Diodor. Sic. *l.* 4. paulo aliter narrat hanc Hiſtoriam: *Auge* (inquit) mater Telephi fuit ex Hercule, quæ, à patre gravida deprehenſa, nauclero cuidam tradita eſt ſubmergenda. Sed, antequam ad mare perveniret, urgente tempore partûs, Telephum peperit, quem inter virgulta abdidit; qui poſtea inventus à paſtoribus, Corytho Regi datus eſt & *Telephi* nomine appellatus, quod à paſtoribus inventus eſſet pendens ab uberibus ἐλάφου. *Auge* verò à mercatoribus, qui illam à nauclero dono acceperant, in Cariam ad Teuthrantem Regem delata eſt, ubi poſteà à Telepho filio fuit agnita.

AUGÆ, ſeu AUGOM, & EUSIUM, Orderico *Aucum*, nonnullis *Alga caſtrum*, prius *Aucia* fortè à fluvio. Dein *Ou*, tandem *Eu*, urbs Franciæ, in Normannia, unde *præſidium Nortmannorum* dicitur, Frodoardo A. C. 925 quô Rolloni paruit, ad fluv. Breſlam, non longè à mari. Caput Comitatus ditiſſimi in confinio Picardiæ: cujus incolæ Gall. *Euſiens* dicuntur. Latin. *Aucenſes*. Media eſt inter Diepam & Fanum Ducatus Valeriaci. 7. leuc. ab Abbavilla in Occaſum.

AUGARARI, populi Americæ, in Braſilia, & Præfectura Portus ſecuri. *Laet.*

AUGARUS, Arabum præfectus, qui Pompejo aliquot officiis fidelem operam navaverat, atque ita tunc ſibi fidem in parvis præſtruxerat, ut poſteà, cùm operæ pretium eſſet, magna cum mercede eum falleret. *Dio. Acbarus* Appiano, *de Bell. Parth. Mazara Floro*, *Arianmes Plutarcho* dicitur. Conſtat apud omnes, hunc tranſfugam, quócunque nomine fuerit, ſubornatum à Perſis fuiſſe; ut Craſſi crudelitate in ipſius perniciem abuteretur. Alius quoque fuit *Augarus*, Oſroënorum Rex, qui, cùm ad Antoninum Caracallam, tanquam ad amicum veniſſet, ab illo contra fidem datam comprehenſus ac in vincula conjectus fuit, & Oſroëna Rege deſtituta capta an. 218 Sed mox à ſpectris exagitatus Imperator, multorum animas ex inferis, arte magicâ, evocavit; pauló pòſt inſidiis Macrini interfectus. Ao. 219. Vide Dion *l.* 78.

AUGASII, populi Maſſagetarum.

AUGE, ſeu AUGEA, filia Alei, quæ ex Hercule Telepho ſuſcepto, à parente, in mare conjecta eſt, ſed fluctibus in Myſiam delata; Teuthranti ejus Regi nupſit, cui Telephus in regno ſucceſſit. Strabo *l.* 13. Vide *Teuthras*. Mentio ejus apud Papinium Statium *l.* 3. *Sylv.* 1. v. 39. ubi de Hercule,

> *Pacatus mitiſque venis, nec turbidus irâ,*
> *Nec famulare timens, ſed quem te Mænalis Auge*
> *Confectum thyaſis & multò fratre madentem*
> *Detinuit.* —— ——

Fabulam latè refert Hyginus *c.* 99. vide quoque Apollodorum *l.* 2. Pauſan. *l.* 8. ut & in voce *Auga.*

AUGEA, urbs Locrenſium. *Homer.* Alia in Laconia. *Steph.*

AUGEAS, Rex Elidis, fil. Solis, aut, ut alii volunt, Neptuni; ut alii, Phorbantis & Hirmines, ut alii, Nyctei, ſeu, ut alii, Epochi; quem *Hyginus* inter Argonautas connumerat. Bubile habuit 3000. boum capax, nunquam ante Herculis adventum repurgatum, cui cum *Augeas* id purgandum locaviſſet, Hercules Alpheum fluvium eò immiſit, ejuſque aquis 30. annorum fimum, quem egerere longum fuiſſet, nullô propemodum negotiô eluit. Quô nomine cum pactam ſibi mercedem exigeret, tergiverſante *Augeâ*, Phyleum filium ejus arbitrum delegit, qui cùm ſecundùm Herculem pronunciâſſet, pulſus à patre, in Dulichium inſul. confugit, quam rem ægrè ferens Hercules, Elim diripuit, & *Augeam* interemit, revocatumque Phyleum patris locô regnare juſſit. Vide Pauſan. *in Eliacis*, Plin. *l.* 17. *c.* 9. Lucian. *in Pſeudom.* Eraſm: *Adag. Augeas* quoque meminit Homer. *Il. N.* Item *Augeas*, Athenienſis Comicus; teſte *Athenæ.* Item, Poëta Tegeates, ex Creta. *Steph.*

AUGELA, deſertum Africæ, ubi aliàs Augilæ populi in Marmarica regione ſeu Libya ſuperiori. *J. Leo.*

AUGERIUS Ferrerius, Toloſanus, Medicus celebris, & inſignis Mathematicus, Catharinæ Mediceæ Medicorum in numero. Obiit A. C. 1588 ætat. 65. poſt acre Scriptum in Bodinum editum. Sammarthan. *Elog.* Thuan. *Hiſtor.* Scaliger *in Primis*, vide quoque Anton. Teiſſier *in Elogiis*, ubi ſcripta illius enarrat, *Part. I.*

AUGERIUS Giſlenus de Boesbec ſeu Busbequius, Belga, natus A. C. 1522. ab Imperatore Maximiliano II. liberorum educationi admotus, ac variis Legationibus, duabus inprimis ad Turcarum Imperatorem jam à Ferdinando I. adhibitus, ſcripſit *Epiſtolas Turc. Legat. IV. Conſilium de re militari contra Turcas inſtituenda*, *Itinera duo Conſtantinopolitanum & Amaſianum*, *de vera Nobilitate*, *& Epiſtolas Legat. Gall.* Namque Elizabethæ Auſtriæ viduæ Caroli IX. in illa aula Legatus erat: unde, poſt obitum illius, reverſurus in patriam, à Liguſtis Dieppæ comprehenſus ac malè habitus, præ mærore obiit, A. C. 1592. Ejus inprimis Legationum Hiſtoria, velut nulli Scriptorum antiquorum poſtponenda, commendatur. *Thuan.* Val. Andreæ *Bibl. Belg.* Lipſius *Cent.* 2. *ep.* 94. Barthius *Adverſar. l.* 14. *c.* 6. & *l.* 15. *c.* 13. Colerus *de Studio Polit.* Anton. Teiſſier *Elogiis* &c.

AUGIA, regiuncula Galliæ, in Normann. Aliis *Algia*. Ejus limites periêre. *Le pais d'Auge.*

AUGIA Major, vulgò *Reichow*, vel *Reichenaw*, inſul. German. intra lacum Venetum, apud Conſtantiam urbem ubi Abbatia & Cœnobium præclarum; animalibus noxiis caret, ampla, 3. parœciis conſtans. Vide Munſt. *Coſmogr. l.* 3. Alia nunc eſt *Mehrraw*, vicus juxta lacum Conſtantienſem prope Brigantiam, in Comitatu cognomine 6. leuc. à Conſtantia in ortum. Hic Tiberius Cæſar caſtra habuit, bellô contra Vindelicos, Strabo *l.* 7. Vide Ottonem *Not ad B. Rhenanum Rer. Germ. l.* 3.

AUGIA Minor, *Meinow*, Inſula German. & Sueviæ, in inferiori parte lacus Conſtantienſis, media ferme inter Uberlingam & Conſtantiam.

AUGILA, urbs Libyæ. *Steph.* longitud. 38. 00. latitud. 14. 30.

AUGILÆ, Africæ populi qui nullos Deos putaverunt, præter defunctorum manes, à quibus reſponſa petere ſolebant, ſepulchris incubantes. Mela. *l.* 1. *c.* 8. *Augilæ Manes tantum Deos colunt.* Lapſum hic putant Pomponium viri eruditi, quòd *Augilis* attribuerit ea, quæ *Herodotus* Naſamonibus. Sed ipſi errant. *Augilæ* enim ſunt Naſamones; & *Augila* vel *Ægila* eſt oppid. Naſamonum. Satis hoc ex *Herodoto* ipſo colligitur. Jungit quoque eos *Ptol.* Ἐν ᾗ τε Αὐγιλαι καὶ Νασαμῶνες ἐν Αὐγίλοις. Libri aliquot Ptolemæi legunt hôc locô Αὔγιλα, uti *Herodotus*. Ab Αὔγιλα verò gentile non tantum Αὐγίλαι, ſed & Αὐγιλῖται, ſi *Stephano* credendum. Verùm ſæpè ex ingenio formas ἐθνικὰ ſua iſte ἐθνικογράφος. Vide Voſſ. *in Melam.* p. 43. & Plin. *l.* 5. *c.* 8.

AUGINUS, mons Liguriæ Liv. *l.* 39. *c.* 2. *Monte Codero* hodie dicitur

AUGMENTUM, in Veterum ſacrificiis, *Varroni* dicebatur, *quod ex immolata hoſtia deſectum cum jecore imponebatur augendi causâ:* Nempe poſtquam ritè exploratum fuiſſet jecur & probatum, in arâ ponebatur. Hyginus, *in Poët. Aſtron. c.* 15. *Ipſe Prometheus immolat tauros duos, prius verò eorum jecinora cùm in ara poſuiſſet, reliquam carnem ex utroque tauro in unum compoſitam corió bubulô texit.* Quod verò tum in jecore imponendo, quaſi auctarii vice, ſimul imponebatur, *augmentum* appellitabant. Superimponebantur autem Altaribus, in cauſam augmentorum, cum jecore immolatæ beſtiæ, *caro ſtrebula & rumæ & cauda & plaſea & ira & omentum*, uti docet Arnob. *l.* 7. quas omnes partes ex hoſtia præſectas, vocârunt *Proſicias* vel *Præſicias*, quam vocem vide. Si quid verò plus adjiceretur, *Magmentum* vocabant, quaſi *majus augmentum*. Unde *cana magmentaria*, h. e. caniſtra, vel lances, quibus magmenta imponebantur, ut in aram inferrentur, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 129. Uti verò *Augmentum*, ſic *augere* in Sacris Gentilium uſurpatum. Qui enim Deos religioſiùs venerari volebat, quæ alii faciebant in Divino cultu mediocriter, ea omnia ὑπερβολικῶς iſti & luxurioſè præſtabant, hecatombas mactando, altaria thure cumulando, vinum largiſſimè effundendo &c. In quam proinde rem verbis quoque uſi ſunt, quæ *augmen* ſignificarent κατ' ἀντονομασίαν, ut ſunt *mactare*, *adolere*, *augere*. Sic *augere aram* eleganter dixit Plautus *Mercatore*, *Act.* 4. *ſc.* 1. v. 9. 10.

> ---- *Aliquid cedo*
> *Qui hanc vicini noſtri aram, augeam Syra,*
> *Da ſanè hanc virgam lauri* ----

Vide Deſid. Heraldum *Animadverſionib. Arnobianis l.* 2. *ſub fin.*

AUGUR, Conſul Roman. Annii Veri collega.

AUGURES, Magiſtratus Romani, ex avium volatu, cantu & comeſtione futura prædicentes. Superſtitione à Tuſcis, qui à Chaldæis, acceptâ. Vide Val. Max. *l.* 1. *c.* 6. Tres primùm Romæ fuêre, propter tres ipſius tribûs, Luceres, Rhamnenſes, Tatienſes; mox unô additô, quatuor extiterunt. Sed cùm poſteà plebs admiſſa eſſet in honorem urbis, quinque plebei Augures creati ſunt, & Patricii quatuor; idque M. Valeriô & Q. Apuleiô Conſulib. Locum verò Augurii ita fuiſſe legimus: Templum Augur conſtituebat, verſus Orientem ſedebat, capite velatô lituum, i. e. incurvum baculum dextrâ geſtans, quô cœli regiones dividebat, & quæ Auguria veniebant,

bant, prædicebat. Si læva fuiſſent, quâ parte eſt Septentrio, felicia pronunciabat; illa enim pars propter altitudinem proſpera putabatur. A dextra parte meridies partim fauſta, & inferne credebatur, quia locus eſt depreſſus. Liv. *l.* 1. *c.* 18 Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* 2. Plut. *in Paral. & Problem.* Cicer. *de Divin.* & alii. Notum illud Catonis mirari ſe, ſi augur augurem aſpiciens ſibi temperaret à riſu: nempe, quia occultô Syncretiſmô colludebant inter ſe, ſibi conſcii fraudis & impoſturæ. Augurum autem illorum deliria inter recentiores egregiè confutavit G. Peucerus *Comment. de variis Divinationum generibus.* Addo, quòd nomen habent ab *avibus gerendoque*, quia per illos avium geſtus edicuntur, ſive ab *avium garritu*, unde & *Augurium*: hic tamen vox in genere ſumitur, prout & *Auſpices*, ſeu avium inſpectores, & *Aruſpices*, qui, aras inſpicientes, victimarum exta ſcrutabantur, ut ex iis futura prædicerent, complectitur. Eorum officium fuit, ex avibus vaticinia obſervare, ſignaque rerum futurarum & à Diis monita contemplari: ſi opportunè evolâſſent, aut ſedes idoneas accepiſſent, obnunciare: de prodigiis, ſomniis, auguriis atque oraculis & portentis reſponſa dare, tum obſervationes auſpiciorum, procurationes expiationeſque, vatum libros, portentorum explanationes & monita Deorum edicere. Si quid ingruente fatô caſurum foret, & quod ſalvis auſpiciis fieret: Quodve augurium lætum, quodve peculiare eſſet, quod minas cœleſtes ingruentesque calamitates aut fatale exitium afferret, præmonere & vaticinari: quæ omnia comprehenduntur *Lege Augurali*, quæ extat apud Ciceron. *l.* 2. *de Legib.* Novem *Auguribus* Quintô ac Cnæô Egulniô Tribunis Pleb. conſtitutis, licèt Senatus hunc numerum ſacrum eſſe juſſiſſet, addidit tamen poſtea Sulla Dictator alios 6. ſic ut Collegium eorum, cujus frequens apud Hiſtoricos mentio, ex quindecimviris conſtaret, quorum natu maximus *Magiſter Collegii* dicebatur. Dignitas eorum tanta, ut cùm cæteris ferè omnibus Sacerdotibus, ſimul ac in judicium ducti & damnati eſſent, alium ſubſtitui moris foret, *Augures* hâc lege eſſent immunes: qui ſacerdotiô, dum viverent, potiebantur, maximorum licèt criminum convicti; cujus rei rationes vide apud Plut. *in Problem. Rom.* 99. *probl.* Idem *Probl.* 73. notat, eos ſi ulcera haberent inaugurandi causâ ſedere prohibitos fuiſſe. Neceſſaria illorum præſentia fuit in publicis negotiis: Nec enim Magiſtratuum Comitia neque legum haberi poterant, niſi *Augures* adeſſent & probâſſent, teſte Cicer. *l* 3. *de Leg.* & *Ep. ad Attic. l.* 4. *ep. ult.* ubi ait: *Augures tres in ferenda lege Curiata eſſe oportere.* Creabantur antiquitus à Collegio, poſt legem verò Domitiam, quâ Sacerdotum ſubrogandorum jus à Collegiis ad populum translatum eſt, Tributis Comitiis eligi cœperunt, &c. Cæterùm antiquiſſimæ hujus artis primus auctor in abdito eſt; Apud Barbaras quoque gentes viguiſſe, notavit Ælian. *var. hiſt. l.* 2. *c.* 31. ad Græcos tradente Telegonô perveniſſe, prodidit *Suidas*. At Hetruſci ſe auctores prædicabant, repertoremque extitiſſe Tagem quendam, diffusè docet Cicero *de Divinat. l.* 2. Hinc Ovid. *l.* 15. *Met. fab.* 47. *v.* 558.

Indigenæ dixêre Tagem, qui primus Hetruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

Hujus præceptô aſini caput præſepibus affigi ruri ſolebat, ad incommoda arcenda, Columella *de R. R. l.* 10. Idem *Auguralem* hanc artem ſcriptis mandâſſe, dicitur Furio Fulgentio; qui addit, peculiari nomine *Hetruſcæ diſciplinæ* hanc artem veniſſe, eamque Labeonem 15. voluminibus, quæ *Pagetis & Bacchetidis* appellabat, complexum eſſe. Vide Jac. Ouzelium *Animadverſ. ad Minucium Fel. p.* 38. & *ſeqq.* præter Auctores ſuprà, ubi de *Avibus*, laudatos. Fuêre porrò *Augures* in duplici differentia, quidam enim *minores*, quidam *majores* dicebantur, nempe ex plebe aut Patriciis electi; ſive quod idem eſt, quidam *privati*, quidam *publici*: Quorum hi quidem appellabantur *publici Augures Popul. Romani Quiritium*, ad diſtinctionem *privatorum* ſeu *Imperatoriorum*. Nam & Auguſti domeſticos habuêre *Augures*, qui pro eorum ſalute excubarent & auſpicia captarent, & fortè eâdem libidine vivi habuêre *Augures*, quâ mortui Flamines. Sed & ipſi *Augures*. Vide ſuprà voce *Anim.* Species *Augurii*, in quinque ſigna, ex cælo, *volucribus*, *bipedibus*, *quadrupedibus & diris*, diſtribuunt, Blondus *l.* 2. *Romæ Triumph.* Andr. Tiraquellus *in Alex. Neapolit. l.* 5. *c.* 29. &c. Ex ventis quoque auguria captata eſſe, teſtatur Luctatius Grammat. *ad v.* 665. *l.* 3 *Thebaid.* Nomine *Dirarum* omina, offenſiones, voces incertô auctore emiſſas & auditas, occurſum denique hominum aliorumque animalium minus auſpicatorum, intelligunt eruditi; Præcipuè autem tria erant *Auſpiciorum* genera: *Avium inſpectio*, *de Cælo obſervatio*, & *Tripudii animadverſio*; quorum primum ad Comitia Curiata & Centuriata, ultimum ad res gerendas pertinuiſſe, medium ad omnia Comitia fuiſſe adhibitum, dicemus infra ubi de *Tributis comitiis*. Jam verò, tempore Ciceronis, ex avium volatu auſpicia in deſuetudinem abiiſſe, diſcas ex ejus libris *de Divin.* unde pullorum tripudium *ſolemniſſimum* dici Minucio *Fel.* tanquam cetera ſolemne & maximè uſitatum augurium, contendit Deſid. Heraldus *Caſtigat. & Not. ad eum*, aliis *ſoliſſimum* ibi legentibus, quod vide. Plura vide apud Joh Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3 *c.* 8. & Thom. Dempſter. *paralipom. ad illud* Hôc modô verò *Augurium* fiebat: Poſtquam *Augur*, lænâ indutus, in turre conſediſſet, vultu Orienti, dextrô latere Meridiei obversô, cœlumque in ſua *Templa* diviſiſſet; ſacrificiis & precibus, quas *Effata* vocârunt, defunctos, Numam Pompilium e. g. accedere juſſit, & ſiniſtrâ lituum tenens, dextram capiti ejus impoſuit, hâc verborum formulâ uſus: *Jupiter Pater, ſi fas ſit Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, Regem Romæ eſſe, fac uti nobis ſigna certa ac clara ſint inter eos ſinus, quos feci.* Tum obſervatis ſignis, ſi proſpera fuiſſent, Numa Rex renunciabatur: ſin minus, obnunciabat Augur, remque Diis non placere teſtabatur. Nec unicum ſufficiebat proſperum ſignum, ſed binâ vice ſi contigiſſet, ratum erat; Illa autem habebantur fauſta ac proſpera, quæ ad lævam apparuiſſent, cùm dantis beneficium manus dextra lævæ accipientis oppoſita ſit. Unde phraſes, *Avi ſiniſtra*, *Intonuit lævum*, i. e. lætum apparuit omen: & Tullius *de divin. l.* 1. *à ſiniſtra*, inquit, *cornice ratum & firmum ſit Augurium.* Similiter in legg. *XII. Tabb. Ave ſiniſtrâ populi Magiſter eſto.* Vide Lipſ. *Elect. l.* 2. *c.* 2. Thom. Godwyn *Antholog. Hiſt. Rom l.* 2. *Sect.* 2. *c.* 6. Salmaſ. *ad Solin. p.* 441. *&c* ut de *Auguriis imperativis*, *oblativis*, aliiſque huc ſpectantibus hic paſſim infrà in voce *Ornithomantia*, it. *Oſcines*, *Servare*, *Templum*, *Venia*.

AUGURINUS, Conſul, Sergiani Collega.

AUGURINUS Minutius, vide *Minutius*.

AUGUSTA, filia Friderici II. Daniæ Regis ex Sophia Megapolitana, matris longævitate multum datata, nupſit Johanni Adolpho Duci Holſatiæ. qui moriens A. C. 1616. filios reliquit duos. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſt.*

AUGUSTA, aliis *Sebaſte*, oppid. Cilic. inter Corycium & Pompejop. in ora. Vide ibi.

AUGUSTA, Tubinga dicitur ab omnibus, urbs Sueviæ, Academia præclara Ducatus Wirtembergenſis; Caſtrum habet in colle 2. leuc. à Reutlinga & 1. à Rotemburgo. Vide *Tubinga*.

AUGUSTA, oppid. Maritimum Siciliæ, ad Orientem, aliàs *Xiphonia*, permunitum. Situm eſt in Neetina valle, gaudens portu capaci & percommodô. 8. milliar. à Catana in Auſtrum & 15. à Syracuſis, in Boream. Captum à Gallis, A. C. 1675.

AUGUSTA, villa Ambianorum, in pago Vinmaco, Auctori *libri de vita S. Salvii Ambianenſis Epiſcopi.* Hodie *Auſt*, ad Oceanum, inter Augam & Leuconaum, ſive portum Summonenſem S. Walarici. Unde & *Aut ſur la mer* vocatur, aliis, *le bourg d'Augſt*. 11. leuc. à fluv. Aucia vel Auva, vulgò Ou, cujus mentionem facit *Vita S. Lupi Senonici M. S.* & Ordericus Vitalis *l.* 12. Attingit hic amnis & Audelaginam & Augam ſeu Aucum oppid. cui nomen ſuum dedit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AUGUSTA Acilia, vulgò *Aitelburg*, oppid. olim Vindelic. nunc pagus Straubingæ urbi Bavariæ propinquus. *Aventin.*

AUGUSTA Auſciorum, Galliæ Aquitanicæ oppid. vulgò *Aux en Gascogne*, *Auex Villanova*. Caput eſt Comitatus Armeniaci, ſitu munitum, ad Ægiretium fluv. in regione fertili. *Auguſta Auſciorum*, & *Auſcia* veteribus. Cæſar *l.* 3. *Comment. c.* 27. Plin. *l.* 4. *c.* 19. Mela *l.* 3. *c.* 2. Ptolem. *l.* 2 *&c.* Archiepiſcopalis eſt, & Præſidialis Curiæ ſedes. Longitud 21. 15. latitud. 43. 33.

AUGUSTA Badacum, *Cluverio* vicus *Paciſburg*, ad fluv. Achſam ſeu Alaſam, in ſuperiore Bavaria, paulo infra lacum Chiminum, in ditionis Salisburg. limite. Vide *Badacum*.

AUGUSTA Batienorum, *Baſſignano*, oppid. Liguriæ ad Padum in finibus Ticinenſium. *Merula.*

AUGUSTA Bracarum, melius *Braccara Auguſta*, urbs Archiepiſcopalis, aliàs Callaicorum Baccarum, nunc Portugalliæ, & provinc. inter Durum & Minium. Ad Cavarum, ſeu Celandum fluv. Vide *Braccara*.

AUGUSTA Cæſarea, urbs ſupra Iberum in Hiſpan. citeriore diſtat à Numantia 80. ſtadia.

AUGUSTA Emerita, Luſitaniæ civitas parva, ab *emeritis* Auguſti *militibus*, hujuſque conditoribus nomen ſortita. Hodie *Merida*. Subeſt dominio utili ordin. militaris S. Jacobi *de Spata*, vide *Emerita*.

AUGUSTA Gaditana, aliis *Julia Gaditana*, dicta eſt urbs Gaditana, ſeu Gades, Græcis Γάδειρα, quòd Julius Cæſar & Auguſtus Coloniam hanc diverſis temporibus deduxiſſent. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 184. & in voce *Gades*.

AUGUSTA Gemella. Vide *Tucci*.

AUGUSTA Nova, oppid. Veter. Caſtellæ ad Arevam fluv. forſan ubi nunc vicus *Cavarruvias*, medius ferè inter Burgos & Uxamam, verſus montes.

AUGUSTA Prætoria, urbs Italiæ, à Salaſſis inhabitata; præter *Strabonem*, *Plinium*, *Dionem*, *atque Ptolemæum*, qui omnes Coloniam eam vocant, meminerunt ejus etiam *Plinii* epitomatores duo, Mart. Capellam dico & Solinum, hic *l.* 6. ille *c.* 8. Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 96. Solino dicitur Italiæ limes. Eſtque Ducatus caput, qui in 7. dividitur valles, ad radices Alpium, in regione montoſa, ſed fertili, quæ German. *Augſthal*. Ei nomen an ab Auguſto, an quia colonia Roman. Sedes eſt Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Tarentaſiæ. Hic arcus triumphalis Auguſti adhuc ſupereſt, cum Coliſeo, aliiſque Romanæ magnificentiæ monumentis. Ducatui Sabaudiæ unitus, nuptiis Comitis Odonis, filii Humberti I. cum Adelheida Suzia, vidua Hermanni Ducis Sueviæ, & hærede Manfredi, cognomine Ulrici, Comitis Suzy. Guicheno *Hiſt. Sabaud.* Vide *Salaſſii*, longitud. 29. 20. latitud. 44. 30.

AUGUSTA Quintanorum, ab aliis Quintana ſeu Quintiana caſtra, *Kintzen*, vicus Bavariæ inferioris prope Oſterhoven oppid.

AUGUSTA Rauracorum, urbs olim florentiſſima, totius gentis caput: 4000. mill. paſſ. infra Rhinfeldam, ad ſiniſtram Rheni ripam. Vide Plin. *l.* 4. *c.* 17. in *veter. inſcr. Colonia Raurica* dicitur. Onuphrio Panv. *l.* 3. *Comm.* inter ſeptem Galliæ Belgicæ colonias numerata. Nomen ab Auguſto accepit, ſub quo colonia hæc deducta eſt, à L. Munatio Planco, an. Auguſti Imper. 2. ante *Chriſtum Natum* 40. de quo Cajetæ in regno Neapolit. hæc cernitur inſcriptio: *L. Munatius L. F. L. N. L. Pro N. Plancus. Coſ. Cenſ. Imp. iter. VII, vir. Epul. Triumph. ex Rhætis. Ædem Saturni f de manubiis. Agros diviſit in Italia Beneventi, in Galliam Colonias deduxit Lugdunum & Rauricam.* Prius enim *Raurica* dicta videtur, ab ipſiſmet incolis, qui Helvetiis, novas ſedes quæſituris, ſe junxerant, combuſta tempore Jul. Cæſaris: Cæſar *l.* 1. *c.* 5. donec ſub Auguſto refloruit. Poſtmodum everſa eſt, ab Alemannis, circa A C. 450. tempore Valentiniani III. & Martiani, cùm Gothi Hunnique in Italia Romanis negotium faceſſerent. Imò jam ſub Juliano deſtructam fuiſſe ex *Eunapio Sardiano* conſtat. Hanc à Valentiniano reparatam vult *Guillimannus*, ſed in caſtrum: unde *Caſtrum Rauracenſe*, in *libro Provinc.* dicitur. Tandem ab Attila funditus ſubverſa eſt, jacetque in ruinis:

nequa

neque quidquam ejus ſupereſt, niſi pagus propè Baſileam, plurimis Romanæ antiquitatis reliquiis nobilis: quas primus Amerbachius eruit, cujus MScr. de nobili hoc loco in Bibliotheca Academiæ Baſileenſ. Vulgò *Augſt* Itali *Oſta* vocant. Stumpf. l. 12. *de Raur*. Joh. Bapt. Plantinus *Helv. nov. & antiq.* B. Rhenanus *Rerum German*. Nov. *Antiq.* l. 3. cum *Notis* Ottonis JCti, Alii. Ex ejus ruinis Baſilea crevit.

> *Me dolor crudelem, utrum ſolatia præbet,*
> *Ex lapſu crevit quod Baſilea meo.*

longitud. 28 00. latitud. 47. 20

AUGUSTA Romanduorum oppid. vulgò *Luxemburg*. *Volaterran. Conſtance* vocat.

AUGUSTA Sueſſonum, vide *Sueſſiones*. Urbs Galliæ Belgicæ vulgò *Soiſſons*. longitud. 24. 20. latitud. 48. 50.

AUGUSTA Taurinorum, Italiæ Transpadanæ civitas, vulgò *Turin*, cujus populos, Plin. l. 3. c. 17. Taurinos vocat, alii Tauriſcos nominant, qui & *Tru Stephano* dicuntur, *Taurasia P. Appiano*. Urbs permunita, in planitie fertili admodum & rigua, indies creſcit. Vide *Taurinum*.

AUGUSTA Tiberii, aliis Reginum & Regina, *Regenſpurg*, urbs Vindelicorum Epiſcopalis & libera. Ubi Imperii Comitia haberi ſolent. Vide *Regina*.

AUGUSTA Trevirorum, urbs Galliæ Belgicæ vulgò *Trier*. Vide *Treveri*.

AUGUSTA Tricaſtinorum, an ea Senomagus ſeu Neomagus, nunc Fanum S. Pauli Tricaſtinorum. Urbs Galliæ in Delphinatu, in clivo ſita, parva ſed culta. Una leuc. à Rhodano fluv. vix 2. à Vivario. Vide *Tricaſtinorum Auguſta*.

AUGUSTA Vagienorum, Liguriæ oppid. *Ptol*. longitud. 30. 15. latitud. 43. 15. Quibuſdam eſt Salinæ, *Saluces*, Marchionatus caput, in Gallia Subalpina.

AUGUSTA Valeria, civitas regni Valentiæ in Hiſpan. *Ptol*.

AUGUSTA Veromanduorum, Galliæ Belgicæ civitas vulgò *S. Quentin Perrar*. longitud. 24. 50. latitud. 49. 20. Nunc vicus eſt Veromandui tractus, ad riv. *Ominjon*, medius inter Fanum S. Quintini & Peronam, cum aliàs primaria eſſet. *Baudrand*.

AUGUSTA Vindelicorum, celeberrima & pervetuſta German. ſuperioris urbs, ad confluentes Lecci & Vindæ, quam vulgò *Wertbon* vocant, ſita, poſt funeſtam Varianam cladem, ſubactis Vindelicis, ab Octaviano Auguſto expugnata, reſtaurata, aucta & 2 Romanorum millibus ad habitandum tradita eſt. Factum id an. Urb. Cond. 739. hinc *Auguſta* nomine inſignita. *Auguſtoburgi* item à Cl. Tiberio dein Cl. Druſi fratre, qui Vindeliciam in provinciæ formam redegit, *Auguſta Tiberia* vocitata. Hungari poſteà eam invaſerunt, quibus ab Othone primo gravi prælio fuſis, Romano imperio reſtituta eſt. Ex provinciali Imperialis reddita, à Friderico I. Imperat. A. C. 1161. Conradò poſtea ultimò Duce Sueviæ datâ ingenti argenti vi, in plenam libertatem aſſerta eſt, A. C. 1266. cùm priùs Fridericus II. advocatiam urbis & præfecturam regionis, filio ſuo Conrado Regi & hic Conradino reliquiſſet. Tum demum ipſa ſibi Senatum legit & Civitatis Curatores, urbiſque præfectos liberè creare cœpit. Sub Patriciis fuit, uſque ad A. C. 1368. poſtmodum, turbis obortis, Democraticè gubernata eſt, uſque ad A. C. 1548. quò priſtinum jus, Caroli V. auctoritate, ad Patricios rediit: qui immunitatis à vectigalibus privilegiò ſimul urbem ornavit, poſteaquam à Rodolfo I. Adolpho, Alberto, Ludovico, Carolo IV. Ruperto, Friderico I. Maximiliano I. Imperatorib. plura alia accepiſſet. De quibus vide Limnæum Enucl. l. 4. c. 4. In inſignibus ejus, Strobilus eſt viridis, in ſcuto rubro & candido, de quo vide Marc. Velſerum, *de inſignibus urbis Auguſtanæ*. Exigui territorii caput; unum tantum pagum, extra urbis mœnia poſſidere refert Oldenburgerus in *Limnæo Enucl.* l. 4. c. 5. Ceterùm ſumptuoſiſſimis ædificiis, plateis amplis ac nitidis, mœnibus, aggeribuſque munitiſſimis, celeberrimis negotiatorum commerciis, politiæ ideâ, incolis opulentiſſimis, & diligenti pauperum curâ nobilitatur. Vulgò *Augſpurg*. Sed inprimis celebre huic urbi nomen, à *Confeſſione Auguſtana*, de qua poſt. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Moguntino. Inter Epiſcopos inprimis clarus Hulderficus ille, qui Nicolao I. Pontifici Romano Cœlibatum per Galliam Germaniamque ſtrenuè promoventi, fortiter reſtitit, epiſtolâ ad eum doctiſſimâ ſcriptâ, obtinuitque A. C. 860. ut libertas conjugii ſacerdotum intemerata maneret, per annos fermè 100. Vide Chemnit. *de Cœlib*. Contra quam epiſtolam, cùm Bruno itidem Auguſtanus Epiſcopus ab Italis ſubornatus ſcripſiſſet, circa A. C. 998. miſerè à clericis cæſus eſt, *Idem*. Huc Lutherus, ad Cajetanum Cardinal. ire juſſus, comparuit, A. C. 1518. aſt cum non rationibus, ſed minis agi ſecum videret, ad Pontificem, & hinc ad Concilium provocavit. A' Principibus dein Evangelicis *Confeſſio*, à Philippo Melanchthone ſcripta, & ab eodem, cum Luthero, per Johannem Saxoniæ Ducem Carolo V. Imperatori die 25. Junii, A. C. 1530. oblata, ab urbe, *Auguſtanæ* nomen ſumſit: cui ipſa urbs A. C. 1535. ſeſe addixit; uſque ad A. C. 1547. quò Imperator in Comitiis armatis petiit, ut Principes omnes Tridentinæ ſynodo ſe ſubmitterent, templò primariò Auguſtæ, quòd fuiſſet Lutheraniſmò pollutum, expiatò. Sed A. C. 1555. ſub Ferdinando, vices abſentis fratris in Imperio agente, Pax religioſa conceſſa, tum ubi, tum reliquis in Imperio Evangelicis, fruſtra ob decretum hoc excandeſcente Paulò IV. Imò eodem loci confirmata eſt, A. C. 1558. à Ferdinando jam Imperatore qui ipſe S. Cœnam ſub utraque ſpecie Viennæ adminiſtrari curavit. Poſt hæc, Fridericus III. Elector Palatin. incaſſum renitente Commendonio, Legatò Pontific. ab Auguſto Saxoniæ Electore pro membro & ſocio Confeſſionis Auguſtanæ agnitus, atque ab Imperatore ad pacem Religionis admiſſus eſt, A. C. 1566. Conſenſus etiam Confeſſionis hujus, cum Bohemica & Helvetica Sendomiriæ initus, A. C. 1570. & Syncretiſmus hic confirmatus eſt, A. C. 1595. in ſynodo Thorunii celebratâ: Poſtquam Univerſalem pacem inter Eccleſias Auguſtanas & Helveticas ſuaſiſſet Henricus Navarræ Rex poſtmodum Rex Galliæ factus, & Magni elogiò inſignitus, ob ſinc amplisſimam legationem A. C. 1583. in Angliam, Belgium, Daniam & Germaniam miſiſſet, non eo ſucceſſu, quem quidem ſperaverat. Sic liberò Religionis exercitiò gaviſa urbs eſt, uſque ad A. C. 1629. in quod demum plenè, per Inſtrumentum Pacis A. C. 1649. reſtituta eſt, prout Religio A. C. 1624. ibi viguit. Vide *Sleidan*. l. 7. Cæleſtinum de *Comitiis Auguſt*. tom. 4. Thuan. *Hiſtor*. Monſtrelet. *Coſmogr*. l. 3. Hic quoque jam olim Concilium habitum, A. C. 740. & 952. cui Germaniæ, Galliæ, & Longobardiæ Proceres interfuerunt. Vide *Baronium*, *Spondan* &c. & de Confeſſione Auguſt. in ſpecie Wendelin. *Theol. & Polit.* longitud. 33. 00. latitud. 48. 25.

AUGUSTÆ, Conjuges Imperatorum dicebantur, dum viverent, *Divæ* autem poſt mortem. Hoc nomen adeptæ ſunt Livia Auguſti, Agrippina Agrippæ, Lepida Galbæ, Pompeja Sabina Othonis, Petronia Vitellii, & reliquæ, quas enumerat Volaterran. l. 23. In purpura paſtæ juſſæ ſunt (ἐν πορφύρᾳ), inſtituto Imperator. Conſtantinopolitanorum, quem morem Nicetas Choniates aperit l. 5. & Luitprandus l. 5. c. 2. Vide infrà, ubi de *Porphyrogenitis*: Quomodo verò conſecratæ olim ſint *Auguſtæ*, ſuprà in voce *Apotheoſis*. De earum veſtitu autem aliquid dicemus infrà, ubi de *Aurata veſte*.

AUGUSTÆ, urbs in Cilicia, & in Italia, *Steph*.

AUGUSTALES, Vegetio *Rei milit.* l. 2. c. 7. erant, qui primos ordines in bello ducebant, quòd ab *Auguſto* ad id munus eſſent adjuncti, *l. quæque ſummates Cod. de Decur*. Verius tamen hâc lege dignitas eſt, quæ inter Magiſtratus municipales erat, Alciat. C. *de Dec. l. præd*. Etiam omnes Cæſares miniſtri, ad Palatium Principis, hôc nomine veniunt, Spiegelius apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid*. Inprimis verò *Auguſtalis* dictus eſt Præfectus Ægypti, qui vicem Regis obtinebat, cuique præfectura & imperium, ad ſimilitudinem Proconſulis, conceſſum erat, *l. 1. D. de Offic. præfect. Aug*. Devictâ enim Cleopatrâ, Ægyptum in certam adminiſtrationem redactam & ad eam mitti ſolitos moderatione & prudentiâ inſignes viros, ſub *Præfecti* titulo, Strabo auctor eſt l. 12. quod factum ſub Auguſto, unde Præfecto poſt nomen *Auguſtalis*, ſeu etiam *Præfecti Auguſtalis*. Huic ad ſimilitudinem Proconſulis, uti dictum, imperium lege Auguſti datum eſt: Nec enim faſces Conſulares ingredi Alexandriam licuit, cujus rei Cicero *contra Gabinium* meminit. Namque apud Memphim in aurea columna, Ægyptiis literis ſcriptum fertur, tunc demum Ægyptum liberam fore, cùm in eam veniſſent Romani faſces, & prætexta Romanorum. Huic verò Alexandria ſedes fuit, ut colligitur ex ſubſcriptione *l. 1. Cod. Theodoſ. de Alexandr. Pl. Primat*. & *l. 1. D. de Offic. Præf. Aug*. unde non ſemel Auguſtalis Præfectus ὁ Ἀλεξανδρείας ὕπαρχος vel Αὐγουστάλιος, *Alexandriæ Proconſul* vel *Auguſtalis*, dicitur, Socrati l. 4. c. 56. l. 5. c. 16. l. 7. c. 13. Sozomeno l. 7. c. 15. Palladio in *Hiſtor. Lauſ*. c. 117. Joh. Moſcho c. 71. 107. Liberato Diacono c. 23. Aliis. Præfecturam hanc potentioribus non credere, inter arcana Imperii fuit &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar*. & hîc infrà: ut & Saturnini *Vitam*, apud *Hiſtor. Aug*. Scriptores

Auguſtalium Ægypti ſeries

Tatianus I. primus Magiſtratum hôc nomine iniit, Valentinianò & Valente Augg. III. Conſulib. cui ſucceſſere alii: Nempe,

Publius, Modeſtò & Arinthæò Conſulib.

Tatianus II. Gratianò Aug. IV. & Merobaudò Conſulib.

Palladius, Valentinianò V. & Merobaudò Conſulib.

Tatianus III. Valente VI. & Valentinianò Conſulib.

Adrianus, Euſebiò & Olybriò Conſulib.

Paulinus A. C. 385. & 386. l. 10. *Cod. Theodoſ. de Fide Teſt*. l. 12. *de Suſceptor*.

Hypatius, Gratianò V. & Theodoſiò I. Conſulib.

Florentius A. C. 384. 385. 388. l. 1. *Cod. Theodoſ. de his qui pleb. aud*. l. 9. *de Fide teſtium*. l. 112. *de Decurion*.

Erythrius, A. C. 388.

Alexander, A. C. 390.

Evagrius, A. C. 391.

Hypatius, A. C. 392.

Potamius, eôdem annô.

Remigius, A. C. 396. cujus meminit, apud Claudianum & Syneſium.

Archelaus, A. C. 397.

Calliſtus A. C. 422. memoratus Theophani p. 27.

Cleopater A. C. 435.

Theodorus, ſub Theodoſio Juniore cujus meminit apud Liberatum c. 14.

Anthemius, ſub Zenone memoratus eidem, c. 16.

Apollonius, ſub eodem Imperatore, apud eundem, c. 17. & 18.

Theodoſius, filius Calliopi, ſub Anaſtaſio, apud eundem c. 18. &c.

Dioſcorus, eidem dictus c. 20.

Rhodo, c. 23.

Liberius, *ibid*.

Calliopius, annò 25. Anaſtaſii Imperatoris apud *Theophanem*.

Manuel Armenus, annò 25. Heraclii, eidem memoratus. Vide Car. du Freſne, ubi ſuprà in voce *Auguſtales*.

AUGUSTALIA, dicebatur dies reditus Auguſti Romam, rebus in Sicilia, Græcia, Aſia, Syria ac Parthia compoſitis, de quo ſic Dio l. 54. ad annum 735. *Ob reditum Auguſti, ac propter ea, quæ abſens egiſſet, multa ac varia in honorem ejus decreta ſunt, quorum ille nihil accepit, niſi quod Fortunæ reduci aram conſecrari, diemque ſui reditus inter ferias referri.* & Auguſtalia dici paſſus eſt. His feriis ludi etiam peragebantur, dicti *Auguſtales*, de quibus ſic idem l. 56. *Decretum porro eſt, ne quis ejus imago ullo in funere ferretur, ut natalitiis ejus ludis Conſules, quemadmodum Martis fieri ſolitum, præmia certaminum proponerentur.* Auguſtalia *Tribuni Pleb. tanquam ſacri celebrarunt. Itaque omnia reliqua, ut qui conſueverant fieri, more peregerunt; veſte triumphali ludis Circenſibus uſi: currum tamen non conſcenderunt. Præter hæc in palatio Livia peculiares ludos in honorem Auguſti fecit, qui ipſi quoque ſecundùm local* ab

ab Imperatoribus perhibentur. De iiſdem Tacitus *Annal. l.* 1. *c.* 15. *Tribuni plebis petivêre, ut propriâ ſumtu ederent ludos, qui de nomine Auguſti faſtis additi, Auguſtales vocarentur; ſed decreta pecunia ex ærario,* &c. Incidebant autem hi ludi in 4. Idus Octobr. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 14.

AUGUSTALIS, Imperatorum Occidentis aureus nummus eſt, à Friderico II. primum cuſus, dictuſque quaſi *moneta Auguſti.* *Chron.* Richardi de S. Germano A. C. 1231. *Nummi aurei, qui Auguſtales vocantur, de mandato Imperatoris, in utraque Sicilia, Brundiſii & Meſſanæ cuduntur.* Et infrà, *Menſe Junii quidam Thomas de Pando novam monetam auri, quæ Auguſtalis dicitur, ad S. Germanum detulit diſtribuendam, per totam Abbatiam — ut ipsâ moneta utantur homines, in emptionibus & venditionibus ſuis, juxta valorem ei ab Imperiali providentia conſtitutum, ut quilibet nummus aureus recipiatur & expendatur pro quarta unciæ, — annotata figurâ* Auguſtalis erat, *habens ab uno latere caput hominis, cum media facie, & ex alio aquilam.* Mentio ejus fit in *Conſtitutionibus Siculis* paſſim, & apud Odoricum Rainaldum A. C. 1285. *num.* 33. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* & infra in voce *Auguſtarius.*

AUGUSTALIS Flamen, memoratur in *Inſcr. veter.* quæ hodieque Genevæ viſitur:

T. JUL. T. FIL. CORN VALERIANO
PATRONO COLON. IIVIR. AER. IIIVIR.
LOCORUM P. PERSEQUENDOR.
TRIB. MILIT. LEG. VI. VICTR.
PRÆF. FABRU. FLAM. AUG.
PONTIFICI
JULIA T. F. VERA PATRI OPTIMO.

Vide Jac. Sponium *Deſcript. Genevæ Tom.* 2. *p.* 297. Pro Deo enim *Auguſtum* cultum eſſe, imò ipſum adhuc vivum ſe pro tali haberi juſſiſſe, diximus ſuprà, in voce *Aram.* Quò pertinet etiam *Inſcr.* iſta, quæ Genevæ viſitur.

NUMINIBUS
AUG.
ET. DOM. DIV.
VICTOR. AUG.
LIB. P. P. S.

apud eundem *ibid. p.* 296.

AUGUSTANA Caſtra, oppid erat Vindeliciæ, quod nunc eſt *Gaſting*, vicus prope Danubium 11. mill. paſſ. infra Reginum, in Ducatu Bavariæ.

AUGUSTANICA, vide *Peluſium.*

AUGUSTARIUS, idem cum priore, *Agoſtaro* Johanni Villaneo *l.* 6. *c.* 22. de quo ſic Academici Cruſcani: *Agoſtaro, nome di moneta d'oro antica, di valuta d'un fiorino è un quarto d'oro; da una banda della quale era improntata la teſta dell' Imperador Frederigo: dall' altra un aquila, al modo degli antichi Ceſari Auguſti, dalquale ebbe forſe tal nome,* i. e. *Auguſtarius, nomen aurei nummi veteris, valens aureum unum & quadrantem auri, in cujus altera parte caput Imperatoris Friderici, in altera Aquila, cuſa eſt, ad inſtar veter. Cæſarum Auguſtorum, a quibus forſitan nomen accepit.* Vide quoque *Diarium* Computi Theſauri, incipiens à 1. Januar. 1297. 6. apud Car. du Freſne, qui effigiem iſtiuſmodi *Auguſtarii* aurei, aurei Hiſpanici magnitudine & ponderis, in cujus parte altera expreſſa ipſius Imperatoris imberbis ſuſca protome, laureata & paludamentô inſtructa (quomodo effinguntur vulgo in nummis priores Imperatores Conſtantinopol.) cum hac inſcript. CÆSAR AUGUSTUS: in altera conſpicitur aquila pedibus inſiſtens, obtortô collô, aliſque expanſis, cum hiſce characteribus, FRIDERICUS, curioſo lectori ſpectandam exhibet in *Gloſſar.*

AUGUSTATICUM, apud Marcellinum Comit. *Auguſtatico ſuo dudum Anaſtaſius militibus præſtito, donativum quoque hoc Fratre Conſule præbuit:* donativum eſt Auguſti, largitio publica ab Imperatore populo vel militibus facta. Αὐγουστ Καιρασ, congiarium, in *Gloſſ. Græc. Latin. Suidas.* [illegible] *apud Euſeb.*

AUGUSTAVIA, urbs Poloniæ verſus Lithuaniam, in Podlaſſia Provinc. ad fluv. Brebezam, parva & nova.

AUGUSTEA, apud Joh. de Janua, *Charta, quæ ab Auguſto mittitur, vel genus chartæ ſic dictum in honore illius:* corruptè pro *Auguſta*, ſicut & apud Iſidorum *Origin. l.* 6. *c.* 10. ubi inter ſex chartæ ſpecies, quas ordine recenſet, primum hoie; ſecundam *Libyana*, pro *Liviana*, locum attribuit. Fuit autem charta *Auguſta*, ex genere chartarum majoris formæ, quæ *Hieratica* dicebantur, quia his Annales, Rituales, aliique libri ſacri, ab Hierophantis ſcriberentur. Nomen ab Auguſto Cæſare videtur traxiſſe ſicut in honorem Liviæ Auguſtæ, altera *Livia* ſeu *Liviana* appellata eſt. Latitudo erat digitor XIII. ſicut Livia XII. &, quæ [illegible] Hieratica dicebatur XI. Verùm, cùm ob tenuitatem vix calami mucronem ferret, Claudius Cæſar chartam reperit teniorem Liviâ, nimis tenuem *Auguſtâ*, quæ ex eo *Claudia* dicebatur, &c. Voſſ. *de Arte Grammatic. l.* 1. *c.* 37.

AUGUSTEON, Græcè Αὐγουστεῖον, item Αὐγουστίων & [illegible], dictum erat olim Forum Conſtantinopolitanum, in quo ſparſiones Conſulum, quas [illegible] vocabant, fieri conſueverant, & in populum miſſilia jaciebantur e Fori gradibus, quos Αὐγουστεῶνος βαθμίδας vocat Codinus *de Offic. Aul. Conſtantinopolit.* [illegible] Ex his nempe *Auguſtei* gradibus miſſilia in plebem ſpargebantur, in ſuis arcubus (vide ſuprà *Arcus*) ac ſeptis ſtantem, & per gradus ordineſque diviſam, quotidie itidem annonæ civicæ eidem dividebantur, ut videre eſt ſuprà in *Annona Civica*, & infrà, ubi de *Gradili Pane*, ut & in voce *Panis.*

AUGUSTI & CÆSARIS diſtincta olim nomina; dictuſque *Cæſar*, cui Imperium ſuô tempore deſtinabatur: at *Auguſtus* appellatus eſt, qui jam particeps Imperii erat factus. Æl. Spartian. in *Severo Imperat. c.* 16. *Ob hoc etiam filium ejus Baſſianum Antoninum, qui Cæſar jam fuerat, annum decimum tertium agentem, participem Imperii appellarunt milites.* Quod paulò pòſt *c.* 18. explicat, *iidem cum pedibus æger bellum moraretur, idque milites anxiè ferrent, ejuſque filium Baſſianum, qui unà erat,* Auguſtum *feciſſent,* &c. Vide Salmaſ. *ad loc.*

AUGUSTI duo ſimul imperare cœperunt primi, Marcus Philoſophus & Verus Commodus. Æl. Spartian. in *Ælio Vero: c.* 5. *Verus certè cum Marco æquale geſſit Imperium. Nam ipſi ſunt qui primi duo* Auguſti *appellati ſunt: & quorum Faſtis Conſularibus ſic nomina præſcribuntur, ut dicantur non duo Antonini, ſed duo* Auguſti: *tantumque hujus rei & novitas & dignitas valuit, ut Faſti Conſulares nonnulli ab his ſumerent ordinem Conſulum.* Hoc vult, verum & Marcum primos unà æquale geſſiſſe Imperium & ſimul *Auguſtos* appellatos: adeò ut eorum nomina Faſtis ſic præſcriberentur, duo *Auguſti*, non duo *Antonini*; & per duos *Auguſtos* nemo non intelligi ſciret Verum Antoninum & Marcum Antoninum, etiamſi *Antoninorum* nomen appoſitum non eſſet, cùm de aliis Auguſtis accipi non poſſet, quàm de his duobus, qui primi duo *Auguſti* appellati ſunt. Cujus rei novitatem tantum valuiſſe ſcribit Spartianus, ut ordo Conſulum in quibuſdam Faſtis ſumeretur *a duobus Auguſtis* baſiſque ſupputationis poneretur Conſulatus Marci & Lucii Veri *duorum Auguſtorum*; ſic ut non ſolum dicerent, hoc vel illud accidiſſe *annô poſt Conſulatum duorum Auguſtorum tali*, ſed etiam priorum temporum res ad nobiliſſimam hanc Epocham referrent: e. g. Trajanum obiiſſe *anno, ante duos Auguſtos tertiô & quadrageſimô.* Aliud verò eſt, cùm in Cod. *Theodoſ.* & antiquis *Inſcript.* tempus interdum deſignari non appellationibus Conſulum anni currentis, ſed hôc modô, *poſt Conſulatum Honorii* VIII. *& Theodoſii V. A. A.* legimus. Vide Salmaſ. & Caſaubon. *Not. ad Spartian.* ut & Marcum ac Verum ſuô locô.

AUGUSTI tres ſimul fuêre primi, Severus, Antoninus & Geta. Idem Spartian. *in Severo Imperat. c.* 10. *Ob hoc etiam ejus Baſſianum Antoninum, qui Cæſar appellatus jam fuerat — participem Imperii* (h. e. Auguſtum) *dixerunt milites. Getam quoque minorem filium, &c.* Nempe quartô, vel, ut alii, ſextô Imperii Severi annô, Baſſianus Antoninus major natu ejus filius, *particeps Imperii* dictus eſt, à quo tempore duo numerari cœperunt Auguſti, Severus pater & Antoninus fil. Deinde acceſſit tertius, filius minor Geta: quem multò ante Cæſarem appellatum, Auguſtum nuncupavit Pater, octavum annum imperans, vel ad ſummum nonum. Atque hæc illa eſt *triplex Imperii virtus*, hi illi *tot Auguſti*, quos laudat Tertullian. in florida *de Pallio*, quem librum, multò poſt confecta bella civilia Severô & duobus filiis imperantibus, omnino ſcripſiſſe videtur. Etiam Galenus fortè de his tribus Auguſtis ſenſit, cùm ſcriberet *l. de Theriaca ad Piſon.* [illegible] (theriacæ) [illegible] Caſaubon. *ad loc.* Eoſdem *tres Auguſtos* vetus *Inſcr.* complectitur, quæ ſic habet:

IMP. CÆSAR. LUCIUS. SEPTIMIUS.
SEVERUS. PIUS. PERTINAX. AUG.
ARABIC. ADIABENICUS. PARTHICUS.
MAXIMUS. PONT MAX. TRIB.
POTEST. VIIII. IMP XI COS. II.
P P. PROCOSS. ET. IMP. CÆSAR.
MARCUS AURELIUS ANTONINUS.
PIUS. AUG. TRIB. POT. IIII.
PROCOS. ET. IMP. P. SEPTIMIUS
GETA. ANTONIN. VIAS. ET. PONTES.
REST. AB. AUG MIL.
PAS. XXXI.

AUGUSTIA, vulgò KUSTY, oppid. Tranſylvaniæ ad Aluthum fluv. verſus limites Walachiæ, aliquot milliar. à Cibinio.

AUGUSTINIANI, ordo Eccleſ. in Communione Romana, Auguſtinum Patrem ſuum & Magiſtrum vocantium. Ab Alexandro IV A. C. 1256. inſtitutus.

D. AUGUSTINUS, filius fuit Patricii & Monicæ, Tagaſte Numidiæ urbe natus, A. C. 354. Maturè ſtudiis admotus, abhorruit à Græca literatura, Poëtarum fabulis & theatricis ſpectaculis deditus. Madaurum hinc, dein Carthaginem miſſus, paulò ſolutioris vitæ fuit. Hortenſii Ciceron. lectio ipſi aliquem veritatis amorem ingeneravit, quam inveſtigans, in errorem Manis incidit. Cæterum ingeniô tam acri, ut an. ætat. 20. αὐτοδίδακτος Philoſophiam imbiberet. Rhetoricam primo Tagaſte, dein Carthagine, Romæ poſtmodum docuit, tandem Mediolanum à Symmacho vocatus. Ubi S. Ambroſiò auditô, purioris religionis initia hauſit: quod opus divinâ gratiâ mox perfecit, vide *Confeſſ. ejus l.* 9. Sic baptizatus A. C. 388. dum in Africam redire conſtituit, in tranſitu Romæ Manichæos ſcriptis confutavit, Oſtiæ dum navigandi expectat tempus, matrem amittit. Tagaſtem cum perveniſſet, trienniò pòſt Hipponenſis Præſul eligitur. Ubi in vitia, errores Manichæorum, & deliria Donatiſtarum acer, Imperatorum inſuper authoritatem imploravit, ad Zizania hæc funditus eradicanda. Hinc in ejus vitam Erronum inſidiæ: Cum S. Hieronymo aliquid litis ei intercceſſerat, ob hujus paulò acerbius reſponſum ad epiſtolam ejus, quâ de Petri & Pauli Apoſtoli [illegible], Antiochenâ agebat, ſed ſopitum. De Pelagio dein triumphavit, ejuſque reſponſa ab Epiſcopis aliiſque pro oraculis habita. Acceptis de Semipelagianiſmi in Gallia initiis, *de Prædeſtinatione SS.*

&

& Perſeverantiæ dono, ſcripta emiſit. A' Theodoſio Juniore tandem ad Epheſinum Concilium invitatus, obiit, Hipponâ à Vandalis jam obſeſsâ, A. C. 430. *ætat.* 76. *Epiſcopat.* 36. Urbe à Barbaris captâ & incendiô deletâ, cadaver ejus cum Bibliotheca & ſcriptis periculum eſt: quorum illud poſtea Luitprandus Italiæ Rex magnô pretiô à Saracenis redemptum, A. C. 725. è Sardinia Genuam primò adduxit, dein Papiam tranſtulit, templô ibi Auguſtino dedicatô. Sigon. *l.* 3. Opera ejus variis in locis edita: accuratiſſima impreſſio Frobenii eſt. Baſileenſis, A. C. 1529. Poſt hanc Antverpianæ, Plantini, A. C. 1577. Pariſienſi, A. C. 1586 ſua laus debetur. Prodiêre quoque Venetiis, Lugduni &c. Hieronymus Vignierius edidit eadem in urbe, A. C. 1654. ſupplementum operum volum. 2. Fuit hic Auguſtinus Eccleſiæ Catholicæ fulgor, de quo hunc in modum ſcripſit S. Victor *l.* 1. *De perſecutione Vandalorum: Eâ*, inquit, *tempeſtate Hippo civitas obſeſſa eſt, quam omni laude dignus B. Auguſtinus, librorum multorum confector, Pontifex gubernabat. Tunc illud eloquentiæ, quod uberrimum per omnes Eccleſiæ campos fluebat, ipsô metu ſiccatum eſt flumen; atque dulcedo ſuavitatis in amaritudinem abſinthii verſa eſt. Uſque ad illud tempus* 232. *confecerat libros, exceptis innumerabilibus epiſtolis, vel expoſitione totius Pſalterii, atque Evangeliorum, atque tractatibus popularibus, quas Græci Homilias vocant, quorum numerum comprehendere ſatis eſt impoſſibile.* Hæc Victor. Eraſmus eum vocat *Incomparabilem Eccleſiæ Doctorem.* Montacutius *Solidiſſimi judicii virum, & in fidei dogmatibus diſceptandis Principem.* Vide & *Aurelius Auguſtinus.*

AUGUSTINUS, Abbas, à Gregorio M. in Angliam miſſus, ut Eccleſiam illam ſedi Romanæ ſubjiceret: Vulgò *Anglorum Apoſtolus* propterea dictus. Ethelbertum convertit: Cantuarienſis Epiſcopus factus eſt, A. C. 596. 601. Hic in Wallia Archiepiſcopatu, & 7. Epiſcopatibus repertis, apud Abbatem ibi celeberrimum nomine Dinothum, ut ſibi, tanquam Romanæ ſedis legato, ſe ſubmitteret concionandique concederet libertatem, inſtitit, ſed is utrumque negavit. Quare Edelredô Northumbriæ Rege excitatô contra miſeros, Dinothus cum ingenti Clericorum numero neci datus eſt. Beda *Hiſt. Eccl. l.* 2. *c.* 2. Baron. *A. C.* 596. *& ſeqq.* Gilfridus *l.* 8.

AUGUSTINUS Antonius, Cæſarauguſtanus, Bononiæ ſub A. Alciato Juri & ſub Romulo Amaſæo ac Lazaro Bonamico elegantioribus literis operam dedit. Annô ætat. 25. ſcripſit *Emendationes Juris Civil.* Paulo III. gratus Auditor Rotæ, & à Julio III. Secretis omnibus adhibitus, interfuit Concilio Tridentino, inde Aliſæ primùm, pòſt Lerdæ, Epiſcopus factus, tandem Præſulatum Tarraconenſem nactus eſt. Unus ex eruditiſſimis ſui ſeculi, ſcripſit pluxima, enumerante Antonio Teiſſier *Eloges des. H. S. Notas in Feſtum* ejus imprimis laudat Voſſius *de Philoſ.* In Antiquitatibus tamen minus verſatus, uti paret ex ejus colloquio cum Legato Galliæ Regis Ferrerio, apud P. Paulum *Hiſtor. Concilii Trid. l.* 6. Obiit A. C. 1585. ætat. 69. Andr. Schottus Antverp. *Orat. Fun.*

AUGUSTINUS Curio, fil. Cælii Secundi, Curionis, Rhetorices in Acad. Baſil. Profeſſor, ſcripſit *de rebus Saracenicis.* Obiit A. C. 1568. ætat. 28. Ejus memoriam alabaſtro inſcriptam, à Parente, lege apud Urſtis. *Epit. Hiſt. Baſil. c.* 9. Cujus ultima:

Hujus ad exemplum Juvenes florentibus annis,
Vivere ritè Deo, diſcite ritè mori.

Vide *Cælius Sec. Curio.*

AUGUSTINUS Dathius, Hiſtoricus Senenſis.

AUGUSTINUS Ecgæus, Hiſtoricus Friſius.

AUGUSTINUS Juſtinianus, Genuenſis, Corſicæ Epiſcopus linguarum peritiâ clarus, in quarum complures S. Scripturam tranſtulit, &c. Obiit A. C. 1530. ignotus omnibus. Leander *deſcr. Ital.*

AUGUSTINUS Maſcardus, Ligur, plurimis ſcriptis editis inclytus. Obiit A. C. 1640. Mich. Juſtinianus, & Raphaël, *de Scr. Ligur.*

AUGUSTINUS Romanus, S. Scripturam commentariis illuſtrans, &c. Obiit A. C. 1445. Ejus tria opera prohibita docet Bellarm. *in Catal.*

AUGUSTINUS Triumphus, Anconitanus, auctor libri *de poteſtate Eccl.* &c. Obiit A. C. 1328. Vide quoque *Tornetius & Valeranus.*

S. AUGUSTINUS, Urbs & portus, Floridæ; ut & promontor. Orientaliſſimum Braſiliæ.

AUGUSTOBERGA, oppidul. German. in Miſnia provinc. juxta fluv. *Schop.* Bohemiam verſus.

AUGUSTOBONA, Galliæ Lugdunenſis urbs. *Antonin.* Nunc *Troyes*, urbs Campaniæ primæ ad Sequanam fluv. ampla & dives. Vide *Trecæ.*

AUGUSTOBRIGA, Pelendonum in Hiſpan. Tarraconenſi urbs *Ptolem.* Alia in Luſitania. *Ptol. Medina celi* nonnullis, aliis *Burgos*, aliis *Villar de Pedroſo* dicitur, aliis *Puente del Argobiſpo.* *Baudrand.*

AUGUSTODUNUM, urbs Epiſcopalis Ducatus Burgundiæ ſub Archiepiſcopo Lugdunenſi ab Auguſto (Octaviano, an alio?) qui dirutam bellô, quod Cæſar contra Gallias geſſit, reſtauravit: multi eam *Bibracte*, cujus frequens apud *Cæſarem* mentio, fuiſſe opinantur: ſed Eumenius Bibracte ab illa diſtinguit, *in Grat. act. Conſtantino Aug.* alii verò *Æduam* & *Eduam*, olim nominatam aſſerunt. *Aurelianum* quibuidam & *Roma Celtica*, quamvis hoc Lugduno potius convenire videtur. Adſitum eſt *Auguſtodunum* radicibus montium, qui vulgò *les monts de Cenis* vocantur, unde dicta, quaſi *Mons Auguſti*, nomine Latiô gallicô, ad fluvium Acrouſium vel Arotium. Hodiè vernaculè *Autun*, vel melius *Auſtun* nominatur. *Merula. Merel.* Primus omnium *Auguſtoduni* meminit Pomponius Mela *l.* 3. *c.* 2. ubi ait: *urbes opulentiſſima in Treveris Auguſta, in Æduis Auguſtodunum, in Auſtis Eluſa. Ptolem* in Gallia Lugd. I. Ἀ'ύγουστόδουνον dicitur, illorum quippe olim Caput. A' Flavio poſtea, Conſtantio & Flavio Conſtantino Maximo Augg. reſtitutoribus ſuis *Flavia* dicta eſt, poſtquam gravia a Bagaudis perpeſſa, Imperatorum horum munificentiâ priſtinum uitorem recepit. Juventus Galliarum hic ingenuis artibus erudita eſt, ſub Diocletiano & Maximiano, qui Eumenium, auditorio Auguſtodunenſi, morte Latini Rhetoris orbato, præfecerunt, circa A. C. 296. quô Britannia Inſul. à Flavio Conſtantio Cæſare recepta eſt. Erat tum ibi adhuc Apollinis templum, & Capitolium Jovi, Junoni ac Minervæ ſacrum, fons item aquis calidis nobilis. Poſt Conſtantini dein mortem *Flaviæ* ac *Flavienſium* nomine ſenſim obliteratô, urbs oppidanique veterem appellationem, quæ Auguſti tempore cœpit, reſumsêre. A Lugduno, capite Lugdunenſis provinc. I proxima fuit. In *Notit. Imper. Roman. Fabrica Auguſtodunenſis Loricaria, & Præfectus Sarmatarum Gentilium Auguſtoduni, & Procurator Gynæcii Auguſtodunum, tranſlati Mettis*, & in *veter. Inſcript. Cohors* XIIX. *Auguſtodunenſium* apud Gruterum memorantur. 18 leuc. diſtat à Divione in Occaſum hibern. longitud. 25 00. latitud. 46. 50. Caput eſt Pagi *Auguſtodunenſis*, qui Ligere & Arare olim terminabatur, vulgò *l'Auſtunois.* Regio eſt montana, ſylveſtris, nec frugum, fortium tamen virorum, ferax. Vide Eumenium *Panegyr. Conſtant. dicto*, Erricum Monachum *l.* 1. *de vita S. Germani*, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* A' Rollone Norvego I. Normannorum Duce, urbem everſam eſſe, refert Guil. Britto *l.* 1. *Philipp.* Et quia ſupra Arotis fluv. Auguſtodunenſia mentio facta, addam hoc unum: illum Gall. *Arrou*, vel *Arou*, rapidum quidem, ſed propter ſaxa minimè navigabilem, in *veter. tabulis* nunc *Iſrum* nunc *Heſrum*, nunc *Adrum* dici: in illum labitur Burbintia, vulgò *la Brebence*, qui Parrulam recipit, nec non Vuldincam (*Lendrac*) cui Patriciacus villa, *Percy*, in agro Auguſtodunenſi Monaſteriô veteri nobilis, eſt impoſita. Ea eodem. Vide inſuper Henr. Antiſſiodor. *l.* 1. Boter. *Relat.* Plin *l.* 4. *c.* 18. Mel. *l.* 3. *c.* 2. Amator primus ejus Epiſcopus fuiſſe dicitur. Hic concilium A. C. 670. 1055. 1094. contra Philippi I. Galliæ Regis nuptias, qui Berthâ uxore, filiâ Florentiæ Comitiſſæ Hollandiæ, repudiatâ, Bertradam, filiam Simonis Monfortii, marito ſuperſtiti ereptam ſibi junxerat, &c. Vide *Tom.* 10. Concil.

AUGUSTODUNUM, quoque oppid. Galliæ eſt, in Epiſcopatu Ebrodunenſi, vulgò *Auſtum* memoratum Gregorio Turonenſi inter loca, quorum Eccleſiæ ad Monaſterium Lugdunenſe apud Inſulam Barbaram pertinent, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Juvinacum.*

AUGUSTODURUS, locus Galliæ Lugdunenſ. ſecundæ, ad Olinam fluv. ſupra Bajocaſſes, ubi nunc forſan *Tury* oppid. in Normannia. *Sanſon.*

AUGUSTOMAGUS, Galliæ Belgicæ urbs, quam *Sinderus* vocat maximum oppid. Sylvanectarum. Lepida & culta civitas ad Nunnciam amnem. Vide *Sylvanectum.*

AUGUSTOMANA, Tricaſſiorum urbs in Gallia Lugdunenſi. *Ptol.*

·AUGUSTONEMETUM, *Ptol.* Nivernum *Antonino*, Nivernum *Turonenſi*, & poſterioribus Nivernæ, *Nevers* vulgò, urbs Galliæ Celticæ ad Ligerim. Aliâs *Gergobia*, urbs Arvernorum, in Aquitania, nunc vicus *Gergoie*, in monte. *Baudrand.* Quibuſdam eſt Claromontium. Vide ibi, & Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AUGUSTORITUM, Galliæ Aquitanicæ urbs, *Poictiers*, Populi *Pictones* Cæſ. *l.* 3. *Bell. Gall. c.* 11. & Plin. *l.* 4. *c.* 19. *Pictavi Marcellino.* Alius eſt *Lemovicum*, ad Vigennam fluv. quod vide. Alius eſt Inculiſma, vide *Baudrand.*

AUGUSTULUS, Roman. Imperator. ultimus, abdicare ſe coactus eſt ab Odoacro Rege Herulorum, & ſic Imperium Occidentale deſiit. *Sleidanus* ait eum animô fractum, Imperium ſponte depoſuiſſe. Vide *Auguſtus Romulus.*

AUGUSTUS Cæſar, Roman. Imperator ſecundus, patre Octaviô Senatore genitus, matre Acciâ, filiâ Juliæ, ſororis J. Cæſaris, ſicque hujus nepos. Natus eſt An. Urb. Cond. 691. Cicerone & Antonio Conſulib. Vix quadriennis Patrem amiſit, duodecennis Juliam aviam publicâ oratione laudavit. Viginti annos natus Conſul factus, J. Cæſaris hæres, illô mortuô, quinque bella civilia ſuperavit. Quorum ultimô M. Antonium ad Actium ſuperavit, An. Urb. Cond. 721. Brutô & Caſſiô priùs prope Philippos, An. Urb. Cond. 712. L. Antoniô Peruſiæ, An. Urb. Cond. 714. Pompeiô Juniore mari An. Urb. Cond. 718. victis. Externis bellis non minus felix. Ter Janum clauſit, bis Senatui ſummam rerum reddere propoſuit, juſtitiam ſeverè adminiſtravit, leges ſanxit egregias, viſitavit provincias, Sardiniâ & Africâ exceptis, 13. Conſul, Faſtos correxit, &c. Obiit Nolæ, A. C. 14. ætat. 76. imperii 57. Euſeb. *Chron. Sueton. Tacitus, Velleius*, &c. Annô ejus 42. imperii, poſteaquàm firmiſſimam, veriſſimamque pacem compoſuiſſet, JESUS CHRISTUS Dominus in Bethlehem natus eſt: cujus adventui pax iſta famulata eſt. D. Lucas Euangeliſta, *cap.* 2. *v.* 1. refert, ab hoc edictum exiiſſe, ut cenſeretur urbis univerſus. Eô die, quô SALVATOR noſter in hunc mundum natus fuit, edictô vetuit, ſe Dominum appellari, manifeſtô præſagiô majoris dominatûs, qui tum in terris ortus eſſet: Quod ipſum ab Oraculo Delphico (ſi auctoribus mox laudandis fides adhibenda) didicit, quod cùm ei de Succeſſore ſciſcitanti, etiam Hecatombe inviectum, primò non reſpondiſſet, iteratâ hoſtiâ, ex adyto cauſam ſilentii dedit:

Me puer Hebræus, divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet triſtemque redire ſub orcum;
Aris ergo dehinc tacitus diſcedito noſtris.

Unde Auguſtus, Romam reverſus, aram in Capitolio cæteris majorem erexit, cum epigraphe: *Ara primogeniti Dei* An. M. 3949. C. 1. Platina *in Auguſto*. P. Martyr. *in* 1. *Sam. c.* 5. Qua de re tamen quid ſentiendum, dicemus alibi. Interim quæ ejus Miniſtrorumque Domini, ut ſolet, exemplum imitantium, in colendo Judæorum Deo pietas fuerit, teſtatur Philo *l. de Legat. ad Cajum Cæſ.* Οὕτως ὁσίως ἐσέβετο τὰ ἡμέτερα, ὥστε μικροῦ πᾶσα ἡ οἰκία ἀναθημάτων πολυτελῶν τὸ ἱερὸν ἡμῶν ἐκόσμησε, προστάξας καὶ διαιωνίους ἀνάγεσθαι θυσίας ὁλοκαύτους καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων, ἀπαρχὴν τῷ ὑψίστῳ Θεῷ, αἳ καὶ μέχρι τοῦ δεῦρο ἐπιτελοῦνται καὶ εἰς ἀεὶ ἐπιτελεσθήσονται, δεῖγμα ἤθους ὄντως αὐτοκρατορικοῦ. *Tam ſanctè ſacra noſtra coluit, ut penè omnium domeſticorum ejus dona extent in Templo noſtro, in quo mandavit, quotidiana mactari holocauſta ſuis ſumtibus, Deo ſacrata altiſſimo; quæ ſacra in hodiernum uſque diem peraguntur, durabuntque perpetuò, monumentum virtutum verè Imperatoriarum.* Quod juge Auguſti ſacrificium taurô binisque agnis, ſingulis diebus peractum, idem perhibet. Nec impar Marci Agrippæ adversùs Numen, quod Judæi venerabantur, reverentia, &c. Tob. Pfannerus *Theol. Gentil. pur.* p. 513. Ab hoc *Auguſtus* menſis dictus eſt, qui anteà Sextilis appellabatur. Cæterum *Auguſtus*, non ab *avium geſtu*, *guſtuve* dictus, uti volunt Grammatici, ſed ab *auctu*. *Augere* autem verbum ſacrorum eſt, ut *immolare*, *mactare*, *adolere*. Quoniam itaque hoſtiæ, cùm reſpergerentur molâ ſalſâ, conſecrabantur, ſeu ſacræ fiebant, hinc *Auguſtum*, ſacer, ſanctuſque eſt, & quaſi conſecratus. *Veter. Gloſſ.* *Auguſtus*, Σεβαστὸς, ἱερὸς, ἔνδοξος. Unde Livio *Præfat. operis*: *Auguſtiora primordia urbis facere, & conſecrare origines*, idem eſt. Ovid. *l.* 1. *Faſt.* v. 609.

> *Sancta vocant, Auguſta, patres. Auguſta, vocantur*
> *Templa ſacerdotum ritè dicata manu.*

Suetop. *in Auguſto*, c. 7. *Loca quoque religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, Auguſta dicuntur ab auctu.* Octavianus itaque appellatus *Auguſtus* eſt, i. e. *ſanctus*, & ſupra communem naturam, Diis ipſis proximus æſtimandus. Dio Caſſius, *l.* 53. cùm de hac ipſa Cæſaris appellatione agit, αὐτὸς, inquit, Αὔγουστος, ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὢν, ἐπεκλήθη, πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα, καὶ τὰ ἱερώτατα, αὔγουστα προσαγορεύεται. Optimè totam rem explicat Florus *l.* 4. *c. ult. Tractatum etiam in Senatu, an quia condidiſſet imperium, Romulus vocaretur: ſed ſanctius ac venerabilius viſum eſt nomen Auguſti; ut ſcilicet jam tum, dum colit terras, ipſo nomine ac titulo conſecraretur.* Hinc *Auguſtum* adjectivum. Sueton. *in Claudio* c. 11. *Circenſi pompâ currum elephantorum, Auguſtino ſimilem decernendum curavit.* Pro quo tamen in Codd. quibuſdam, *Auguſteo* legi notat Beroaldus. Item *Auguſtianus*, Idem Sueton. *in Nerone* c. 25. *Sequentibus currum ovantium ritu plauſoribus*, Auguſtianos, *militeſque ſe triumphi ejus clamantibus.* Hos Tacitus. *l.* 14. *Annal*, c. 15. *Auguſtanos* appellat. Indidem *Auguſtales*, ludi in honorem *Auguſti* Cæſaris inſtituti. Item *Auguſtale* ſubſtantivè, tabernaculum Imperatoris dicebatur. Vide ſuprà.

AUGUSTUS Romulus, Caſſiodoro *in Chron.* dictus *Auguſtulus*, ob ætatem; aliis *Momyllus*, fil. erat Oreſtis, Patricii & militiæ Magiſtri, qui ipſum Imperatorem juſſit ſalutari Ravennæ, A. C. 475. Nepore pulsò, qui Herulorum Regem Odoacrum excivit. Hic Italiam ingreſſus cepit Romam, occidit Oreſtem, vicit ejus fratrem Paulum, Auguſtulum tandem in arcem quandam Campaniæ, cui *Lucullana* nomen, compegit. Caſſiodor. & Marcellin. *in Chron. Jornandes*, *Procopius*, *Agathias*, *Eutropius*, &c.

AUGUSTUS, Elector Saxoniæ. Fil. fuit minor natu Henrici, ex familia Albertina, & cum fratre Mauritio, in tutela agnati Electoris Joh. Friderici educatus eſt: tum in aula Bohemica, ubi cum Maximiliano poſtmodum Imperatore amicitiâ contractâ, adolevit. Cæſari quoque, ſub fratre, in bello Gallico meruit. Cum adminiſtrationem Epiſcopatus Merſburgici ſuſcepiſſet, per Georgium Principem Anhaltinum doctrinam Euangel. introduxit. A. C. 1544. Fratre A. C. 1553. mortuô, ipſe ex Dania advolans in fidem ſubditos recepit, & cum Joh. Friderico, qui ei ob Electoratum litem intentaverat, amicè tranſegit, A. C. 1554. Annô ſequente ſolenni conventu Naumburgicô, fœdus hæreditarium, Saxonicæ, Brandenburgicæ & Haſſiacæ domuum renovatum, & Auguſtanæ Confeſſionis conſervatio decreta eſt. In Comitiis dein Auguſtanis, pacem religioſam per legatos urſit & obtinuit. Naumburgenſis ipſi diœceſis collata A. C. 1564. & Gothana executio demandata eſt. A. C. 1567. ob cujus ſumtus quaſdam præfecturas detinuit. Inde rerum in Germania ferè arbiter: Opes maximas, cùm pace frueretur, congeſſit & jam ſenior linguæ Latinæ operam dedit. Fridericum Palatinum Auguſtanæ confeſſionis ſocium agnovit, colloquium Altenburgicum habuit A. C. 1568. poſt hæc, in Reformatæ religionis aſſertores acer, Dreſdam eos A. C. 1571. evocavit, ubi Conſenſus Dreſdenſis editus. Dein A. C. 1574. articulis Torgenſibus eos ſubſcribere compulit, quod cùm Witebergenſes Theologi facere recuſarent, illos carcere, exiliò, morte quoque Cracovium aulæ Saxonicæ Cancellarium multavit: In Bergenſi dein Cœnobio, poſt varios alios Conventus habitos, Formulâ Concordiæ cuſâ obiit A. C. 1586. Pater ex Anna Danica unici filii Chriſtiani I. quô nati Chriſtianus II. Elector, Joh. Georgius I. Elector, pater inter alios *Auguſti* Adminiſtratoris Magdeburgici. & *Auguſtus*. cui Rudolphus Imperat. feudum Juliaci, Cliviæ & Montium contulit A. C. 1610. ſed is ſequente annô, nullâ ex Hedvige Danica prole ſuſceptâ, obiit.

AUGUSTUS, fil. Johannis cognomine *junioris*, Ducis Holſatiæ, Sonderburgicæ lineæ auctoris, cum fratre Erneſto Cæſari adverſus Turcas militans, præliô ad Agriam, cecidit, A. C. 1596. ejus ex fratre Alexandro nepos *Auguſtus* Philippus, initiô duarum ſororum ex famil. Oldenburgica, dein Mariæ Sibyllæ Naſſoviæ maritus ſub Hollandis ſtipendia fecit, poſtea in Hungariæ prælio ad Leventiam ſtrenuè ſe geſſit, Pekæque commoratus. Ex ejuſdem familiæ linea Gottorpino-Holſatica memorandi hîc veniunt *Auguſtus* Fridericus, fil. minor natu Friderici Ducis, cujus fama itinere Perſicô increbuit: Item Johannes *Auguſtus*, fil. Johannis, cujus lineam Eutinenſem vocant, fratris minoris natu Friderici præfati.

AUGUSTUS, filius Wilhelmi Ducis Brunſuicenſis, qui Cellenſem ramum condidit, A. C. 1605. Hanſeaticarum copiarum Dux, Brunſuico ſuppetias venit: poſt fratres Erneſtum & Chriſtianum paternarum ditionum regimen ſuſcepit, Ratzeburgenſia ſimul adminiſtrator. Ei in utroque ſucceſſit frater Fridericus: quorum ex fratre Georgio nepos eſt Erneſtus *Auguſtus*, jure familiæ ex pace Monaſterienſi collato, Epiſcopus Oſnabrugenſis, ex Sophia Palatina egregiæ prolis parens. Sed ante hos dicendus *Auguſtus* Dux Brunſuic. ex Wolfenbutelana familia, filius minimus natu Henrici, hujus rami conditoris: Hic initiò Canonicus Argentinenſis in ea urbe vixit, unde Hitzgeram habitandam accepit. Fratribus dein ſine prole præmortuis, ut & agnatô Friderico Ulricô Brunſuicenſis lineæ ultimô extinctô, in Principatu ſucceſſit: in pace Monaſterienſi obtinuit, ut ſua linea, ſi Cellenſis deficiat, ad alternationem Epiſcopatus Oſnabrugenſis vocetur: Bibliothecam Guelferbytanam inſtituit. Obiit haud pridem, Princeps ætate, pietate, juſtitiâ, literis, ſupra reliquos ſui ævi. Eô nati ſunt, ex Dorothea Anhaltina Rudolfus *Auguſtus*, Sibylla Urſula, Clara *Auguſta*, Antonius Ulricus, Ferdinandus Albertus & Maria Eliſabetha.

AUGUSTUS, filius ſecundò-genitus Manfredi Ducis Wirtembergici, mortuus A. C. 1662. nepos Julii Friderici, Juliana ſeu Brentianæ lineæ conditoris. Item filius Franciſci II. Ducis Lawenburgici, extinctus A. C. 1656. nullum ex duplici matrimonio filium reliquit: præmiſſô ante decennium filiô Joh. Adolphô. Item Princeps Anhaltinus, rami Plœtzkauenſis auctor, fil. Joachimi Erneſti, ad ſummam ætatem vitâ productâ, obiit A. C. 1653. Item fil. Joh. Chriſtiani Ducis Lignicii, ex Hedvige Sitſchia, impari conditione natus, dignitatem Comitis Lignicii eſt nactus, Briegenſis Ducis ſub fratre Capitaneus: A Georgio Wilhelmo, ultimo è Piaſtis, A. C. 1676. paulo ante mortem per literas Leopoldo Imperatori enixè commendatus. Jungendus his quoque Chriſtianus *Auguſtus*, Princeps Sultzbacenſis ex familia Palatina, fil. *Auguſti*, Sultzbacenſis lineæ conditoris, nepos Philippi Ludovici, qui Neoburgicos Principes ſevit. Natus is A. C. 1622. ſtudiis operam navavit juvenis; dein, cum præeſſet ditionibus, in ædes religionis gratiâ munificentiſſimas extruxit: Tandem ab Helmontio ad Latinos ritus A. C. 1656. pellectus, à Patruelis Neoburgico obtinuit, ut jam ditiones ſuas propriô & ſummô jure teneat: Frater Philippi Lotharingorum primò, exin Suecorum, poſtea Venetorum, tandem A. C. 1664. Cæſaris adverſùs Turcam miles. Vide Philippum Jacobum Spenerum *Syllog. Geneal. Hiſtor.*

AUGUSTUS, cognomen Martis, in *Inſcr. veter.* quæ Genevæ extat:

> MARTI AUG.
> SACRUM
> SENNIUS SABINUS.

Apollinis item, in numiſmate Galieni Imperatoris, in quo centaurus cum lemmate, APOLLINI AUGUSTO. Sed & aliorum Deorum, quibus poſt exceſſum Auguſti Imperatoris epitheton hoc, velut honoris gratiâ, adjici cœpit. Similiter *Auguſta* dicta Juno eſt in veter. lapide Jaderæ etiamnum extante:

> JUNONI AUGUSTÆ
> APPULEIA M. F. QUINTA
> SUO ET L. TURPILII BROCCHI
> LICINIANI FILII NOMINE.

Vide Jac. Sponium *Deſcr. Genevæ Tom.* 2. *p.* 289. & *Itiner. Græciæ Tom.* 3. *p.* 77.

AUGUSTUS, nomen monetæ, Joachimo Vadiano memoratæ *de Monaſteriis Germ. l.* 1. p. 41. *Ergo & Franci Auguſtorum nomina non in nummis ſolùm, ſed etiam in ſigillis ſuis, oſtenderunt: ac nummi quidem per Alemanniam excuſi alterâ parte tantum monetam præferebant, alterâ vacui, id quod hodie in illis fit, quos vulgo denarios, Helvetii alicubi* Auguſtos, *literâ inverſâ cognominant*, &c. E quibus ſatis patet, hos *Auguſtos*, cum *Auguſtalibus* ſeu *Auguſtaris*, de quibus ſuprà, non eoſdem fuiſſe. Car. du Freſne *Gloſſar.*

AVIA, vel potius *Livia*, urbs Hiſpaniæ, *Ptol.*

AVIA, *Ptol.* poſtea Ferconium, Veſtinorum in Italia urbs, abeſt ab Aquila 8. mill. paſſ.

AVIARIA, Alexandri Severi Imperat. memorantur Æl. Lampridio in *Vita* ejus c. 41. *Habuit ſanè in Palatio unum genus voluptatis, quô maximè delectatus eſt, & quô ſollicitudines publicas ſublevabat. Nam Aviaria inſtituerat pavonum, faſianorum, gallinaceorum, anatum, perdicum etiam: hiſque vehementer oblectabatur, maximè palumborum, quos habuiſſe ad viginti millia dicitur: & ne eorum paſtus gravaret annonam, ſervos habuit vectigales, qui eos ex ovis ac pullicenis ac pipionibus alerent.* i. e. ex ea pecunia, quam cogebant vendentes ova & pullos ac pipiones palumborum. *Servi* hi *vectigales*, i. e. ii qui reditum hunc curabant, & hoc privatum quoddam vectigal domini regiæ exercebant. Caſaubon. *ibid.* Vide ſuprà in voce *Aves*.

AVIARIUM, urbs Galliæ in Belſia provinc. ad amnem *Ourſ*, ſatis culta. *Plumers Gall.*

AVJAROCUS, fluv. Sueciæ, in Finnonia, Aboam urbem alluit; caditque poſteà in ſinum Finnicum.

AVICEBRON, vel AVICEMBRON, Mauſorum Princeps.

AVICENNA, vel ABOLI ABISCENNE, Hiſpanienſis Medicus, ſub Conrado II. & Henr. III. natione, ut nonnullis placet, Arabs, quem vulgares Bithyniæ Regem fuiſſe dicunt; ſecundum alios verò Cordubæ Princeps fuit, eminentiſſimi ingenii vir. Natus eſt in pago Balech, A. C. 995. Primus Medicinam methodicè fecit, ſcriptis editis pluribus. Obiit A. C. 1050. ætat. 58. Leo African. *de Medicis Arab.* Scaliger, *in Theophr.* p. 25. Ab Averroë veneratum fuiſſe tradunt, verùm antequam ipſe periret, Averroëm viciſſim interfeciſſe. Geſnerus *in Bibliotheca*. Sed ex prædictis patet integri ſeculi parachroniſmus. Averroës enim non 11. ſed 12. ſeculò floruit, vide ibi. Cœterum *Avicennæ* ſeu *Abhenadi* Tomus II. qui & *Canon* dicitur, de Medicamentis ſimplicium, mineralium, plantarum, fructuum, gummium, animaliumque, ad Medicorum inſtantes preces, ex Hebraica lingua, ab *Ath. Kirchero* in Latinam tranſlatus, unà cum plantarum ſignis, prælum exſpectat, &c. Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo* p. 64.

AVIDIENUS, vir dives, ideoque *beatus* ab Horatio dictus, ſed ſordidus ac parcus. Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 2. *v.* 62.

> ---- ---- *Avidienus,*
> *Cui canis ex vero dictum cognomen adhæret.*

AVIDIUS Caſſius, devictis Parthis aliiſque rebus præclarè geſtis, poſt M. Aurelii Antonini mortem, Antiochiæ, ab Orientalibus *Imperator* dictus. Is *alter Catilina* vocabatur, quòd cruoris eſſet cupidus. Etenim inauditum, & nunquam viſum tormenti genus commentus eſt; Trabem ſiquidem longitudine 100. pedum infixam terræ erigebat, cui à ſummo ad imas partes illigatos homines flammâ & fumô ſuffocabat. Imperii menſe 3. à Decurione quodam occiſus. Dion & Capitolin. *in M. Aurelio*. Vulcatius, *in Caſſio*.

AVIDIUS Severus, avus Avidii Caſſii Imperatoris maternus, ſeu pater potiùs, ut Salmaſ. docet, de quo ſic Vulcatius Gallic. *c.* 1. *Ordines duxerat, & poſt ad ſummas dignitates pervenerat. Cujus Quadratus in Hiſtoriis meminit, & quidem graviter, quum illum ſummum virum & neceſſarium Reipubl. aſſerit, & apud ipſum Marcum Antoninum prævalidum. Nam jam eò imperante periiſſe fatali ſorte perhibetur.*

AVIENUS, Conſul, tempore Valentiniani Imperatoris.

AVIENUS Feſtus, Poëta, tempore Gratiani, ac Theodoſii vixit, qui *Aratum*, & *Dionyſii* περιήγησιν carmine Latinô tranſtulit, ut & *Livium*. Servius in *l.* 10. *Æn.* Item *Carmen Jambicum de Oris maritimis* ſcripſit, ad Probum Conſularem. Nec alium puto *Avienum*, quem loquentem inducit Macrob. *in Saturnalibus*. Idem etiam videtur, qui *fabulas Æſopicas carmine Elegiacô* ſignavit, quanquam in codicib. nonnullis is *Anianus*, atque etiam *Avienus*, imò & *Abidnus* vocetur. Vide Voſſ. *de Poët. Lat. p.* 56. *& de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 9 Ubi vult hunc eſſe celebrem illum Poëtam, R. Feſtum Avienum, cujus adhuc 5 libri extant.

AVIENUS Junior, Conſul, Probi collega.

d'AVILA Johannes, vide *Johannes*.

AVILA Ludovicus, vide *Ludovicus*.

AVILLA, urbecul. Epiſcopalis Hiſpaniæ in Aſturia Ovetana; juxta oſtia amnis *Nalon*, non longè ab ora littorali Oceani Cantabrici, Tereſiæ patria. Quibuſdam eſt *Flavionavia Paſicorum*. *Briet.*

AVIM, i. e. *iniqui*, civitas tribûs Benjamin. Joſ. c. 18. v. 23.

AVINENSE, oppid. liberum in Africa. Plin. *l.* 5. *c.* 4.

AVINUM, oppid. novum Hiſpan. in nova Biſcaja, ubi argentifodina, inter Durangum & Elleneram, prope vicum Nominis Dei, & verſus Zacatecas, in ditione Hiſpan.

AVINUS, fluv. Scotiæ meridionalis Avendalium caſtrum alluit; poſtea in Cludum ſe exonerat, in Cludeſdalia provinc. prope Hamiltonium oppid.

AVIOLA, vide *Acilius*.

AVIQUIRINA, Inſul. Americæ meridionalis in ora regni Chiles, contra civitatem Conceptionis, in Mari Pacifico, cum aliquot pagis.

AVIS, vide ſuprà *Aves*.

AVIS Auguralis, vide infrà *Upupa*.

AVIS S. Martini, cornix dicitur, quòd circa feſtum S. Martini hyemalis videri demum incipit. Petrus Bleſenſis *Ep.* 65. *Si à ſiniſtro in dexteram Avis S. Martini volaverit*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

AVIS Paradiſi, vide infrà, in voce *Manucodiata* &c.

AVISIUM, oppid Hiſpan in Portugallia ad fluv. cognominem parvum ſed munitum. Unde Ordo Equitum, inſtitutus ab Alphonſo I. A. C. 1181. Inſigne illorum, in campo aureo crux viridis, cum duabus infernè avibus.

AVITH, Latinè *iniqua*, *perverſa*, vel *temporalis*, civitas in qua regnavit Adad, quartus Rex in Edom Gen. c. 36. v. 35.

AVITIUS Gregorius, vide *Gregorius*.

AVITTA, Africæ propriæ oppid. *Ptol.*

AVITUS, Legatus in Britannia ſub Nerone. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 29.

AVITUS Flavius Eparchius, Arvernas, ſocer Sidonii Apollinaris ſuaſu Theodorici Wiſigothorum Regis aliorumque, Imperator, poſt mortem Maximi, appellatus eſt, Româ à Genſerico captâ, A. C. 455. Sed biennio pòſt, faciente Riciinerô, Duce Regis, depoſitus, Epiſcopus Placentinus eſt factus, pauloque poſt obiit, re contra Childericum Merovæi fil. qui primam Germaniam ſecundæ, ſecundam Belgicam primæ conjungere annitebatur, Gothiſque, quos ex Gallia in Hiſpaniam amoverat, præclarè geſtâ, inſignis. Aimoin. *l.* 1. *c.* 2. 3. Jornand. *de rebus Goth.* Proſper, Hydatius, Marcellin. Caſſiodorus, Theophanes *in Chron.* Gregor. Turonenſ. *Hiſt. l.* 2. *c.* 11. Sidonius *l.* 3. *ep.* 1.

AVITUS, nomen duorum Hiſpanorum, quorum unus Origenis errores diſſeminabat alter Victorini cujuſdam ſectator erat. Ob quos Oroſius ab Hiſpaniæ Epiſcopis, Auguſtinum conſulturus, in Africam miſſus eſt. Retractat. *l.* 1. *c.* 44.

AVITUS, Hiſpan. de quo vide Gennad. *catal. c.* 47. Vide *Alcimus Avitus*, & *Alphius Avitus*.

AVITUS Octavius, vide *Octavius*.

AVITUS Vibius, vide *Vibius*.

d'AVITY Petrus, Gallus è Vivarienſi provinc. opus compoſuit peramplum, *de Rebuſpublicis & Imperiis*, in quinque corpora extenſum. Hic multa habet exquiſita, ex recentioribus relationibus, navigationibus, hodæporiis, &c. eique Geographia recentior debet plurimum. Natus A. C. 1572. Obiit Pariſiis, A. C. 1635. ætat. 63. cum ſub prælo opera ipſius fervèrent, quæ poſtea, curante Franciſcô Ranchinô Occitanô, prodierunt, A. C. 1643.

AVIUM, civitas inter Tyrum & Sidonem. Strab. *l.* 16.

AVIUM collum laqueô conſtringendi aucupium Græcis olim notiſſimum. E quibus Archia Poëta laqueum hujuſmodi vocat *[illegible]*, *collo oberroſum multis laqueis avium rete*. Et Antipater Sidonius *[illegible]*, *infractum volucrium colli laqueum*. Item *[illegible]*, *clangentium gruum gulæ laqueum*. Et alius apud *Suidam*, *[illegible]*, *laqueos collum frangentes*. Proinde Homer. *Od.* χ. *v.* 472. procorum pellices, quarum

> *Δειρῇσιν βρόχοι ἦσαν ὅπως οἴκτιστα θάνοιεν;*
> *Colli laquei erant, ut miſerrimè morerentur:*

cum turdis & palumbis confert, qui laqueo implicati ſunt, collo nimirum adſtricti. Samuel Bochart. *Hieroz. l.* 2. *c.* 12. *Part. prior.*

AVIUM Inſul. una ex Caribarum Inſulis. Item, una ex Antillis. Utraque parva, in America meridionali.

AVIUM *[illegible]*, in Templo olim Hieroſolymitano, vide *Proboſcænium*.

AUKLANDIA, oppid. Angliæ, in Dunelmenſi Epiſcopatu ad fluv. *Were*. Parvum admodùm.

AULA, arx ad Æmum montem, *Cedrenus*, & Arcadiæ locus. *Ælian.*

AULADIS, Meſopotamiæ urbs. *Ptol.*

AULÆ, navale Ciliciæ inter Tarſum & Anchialum. *Steph.*

AULÆUM, apud Ulpianum *l. ſed & ſi quid* 12. §. 5. *ff. de uſufruct.* *velut Aulæa*, inquit, *vel alterius apparatus*, ut & Cicer. *pro Cœlio*, ſæpiùs & uſitatiùs in plur. *Aulæa* legitur: quô nomine intelliguntur tapetes, quibus parietes & aulæ ornatûs causâ tegebantur. Quamvis enim Veterib. noti non eſſent pſilotapetes, quibus hodie toti parietes obteguntur & intenduntur, in vulgus vidchar. Attalica tamen *Aulæa*, contegendis etiam parietibus, (cùm alii parietes aut picturis condecorarent & coloribus udô tectoriô inductis aut marmore operirent aut deaurarent, ut dicetur infrà, ubi de *Parietibus*) in domibus Magnatum, uſum præbuêre: inde dicta, quòd in *Attali* Regis aula primùm eſſent inventa. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Firmo* c. 3. & Calvin. *Lexic. Jurid.* Hinc *Aulæa*, pro Tragico ornatu, apud Auſonium.

> ---- ---- ---- *Aulæaque Regum.*

In Tragico enim theatro palatia Regum cùm erigerentur, tapetibus penſilibus ſolebant obduci, partim ut ſcena magnificentiùs ornaretur, partim ut regiarum ædium vera ſpecies exhiberetur, quæ etiam Heroicis temporibus tapetibus inſternebantur, ut ex *Homero* elucet. De iis Heliodorus *Æthiop. l.* 5. Ἐξεφόρουν, inquit, *τραπέζας, κρατῆρας, τάπητας, αὐλαίας, Σιδωνίων ἔργα καὶ Τυρίων χειρῶν*, *Efferebant menſas, pocula, tapetes*, Aulæa, *Sidoniarum opera & Tyriarum manuum*. Q. Curtius *l.* 8. *c.* 5. *quum poſt aulæum quæ lectos obduxerat, ſtaret Rex*. Hyperides apud Julium Pollucem *l.* 4. *c.* 19.

> *Οἱ δ' ἐννέα ἄρχοντες εἱστιῶντ' ἐν τῇ στοᾷ,*
> *Περιφραξάμενοι τι μέρος τῆς αὐλαίας.*
> *Novem Principes convivabantur in ſtoa,*
> *Circumſepti alterutram partem aulæis.*

Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 701.

> ---- ---- *Aulæis jam ſe regina ſuperbis,*
> *Aureâ compoſuit ſpondâ*, &c.

Plura vide infrà in voce *Tapetes*. Juvenalis Conſulum Prætorumque togam pictam & triumphalem, non ineleganter *Aulæum* quoque vocat, *Sat.* 10. *v.* 39.

> ---- ---- *Picta Sarrana ferentem*
> *Ex humeris* aulæa *togæ*. ---- ----

Ubi vetus Interpres: *Jo tunica Jovis*, inquit, *mappam mittentem in Circo Conſulem deſcribit Poëta. Nam tunicam Jovis, togam palmatam dixit, Tyriâ purpurâ confectam, h. e. Sarranâ.*

AULAGA, lacus Americæ meridionalis in Peruvia regione. Alii ret *Lago de Paria*, verſus Provinc. *de los Charcas*, & montes Andes.

AULANIUS Evander, ſculptor. Plin. *l.* 36. *c.* 5.

AULCESTRIA, oppid. Angliæ, in Varvicenſi provincia. Vide *Alceſtria*.

AULERCI, populi Galliæ Celticæ varii; nam reperiuntur *Aulerci* Eburaici (qui Cæſari *l.* 3. *Bell. Gall. c.* 17 Eburovices dicuntur) nunc *le dioceſe d'Evreux*, Cenomani, ubi nunc *Le Maine* provinc. & Diablintes, ubi nunc regio *le Perche*. Sunt qui *Aulercos* Rho-

Rhotogamenſes eſſe putant, alii *Aureliamenſes* à veteribus ſic dictos volunt; cùm utrumque apud *Caſ.* & *Plin.* aliosque antiquos legatur. Videntur Aulerci Gallicâ linguâ dici, *Owlerchen.* Cœnomani *Kurmanner.* Vide *Cenomani* & *Diablintes*, &c.

AULESTES, Rex Tyrrhenus à Meſſapo confoſſus. Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 290.

AULETES, Ægypti Rex, Cleopatræ pater, qui præter alia flagitia, etiam Choraulem exercuit, & adeo in ea gloriabatur, ut non cunctaretur certamina in regia celebrare. Strabo *l. ult.* Vide ubi *de Ptolemais.*

AULETICI Calami, vide infrà *Aulon.*

AULI ii dicti, qui Diis alentibus naſcerentur, alii ab *aula*, i. e. olla deducunt. Ab *Aulo* prænomine *Auliorum* gens deducta eſt, inter quos An. Urb. Cond. CDXXXII. Q. *Aulius* Q. F. Cerretanus cum C. Sulpicio Longo II. Conſul fuit.

AULI, Macedoniæ populi ad Ionium mare. *Ptol.*

AULICI, apud Jul. Capitolin. in *Pertinace*, c. 11. *Enimverò tantum odium in Pertinacem omnium* Aulicorum *fuit, ut ad facinus milites hortarentur*: Caſaubono ſunt οἱ Καισαριανοὶ, qui, teſte *Dione*, cùm in Pertinacem eòdem, quò milites Prætoriani, eſſent animô, tamen quod nudi eſſent & inermes, intra ſe continuerunt, &c. Huic hominum generi negabatur, Tertulliani ævo, pax, quæ oſculô, piè ante S. Euchariſtiam ſacrô, Chriſtianis dabatur, cum patena; utpote ambitioſo, ac invido & paci quieti que adverſanti: *Circumfertur patena pacis inter ſideles, præterquam tamen inter* Aulicos, *quos unanimes eſſe ac pacificos ambitio non ſinit, libro de Orat.*

AULIS, una ex tribus Ogygis Filiabus, quæ omnes πραξιδίκαι dictæ, Pauſan. *in Bœot.* Καὶ ὀλίγον ἀπωτέρω ἱερὸν Αὐλὶς ὀνομαζόμενον ἐστιν ... τῶν Ὠγύγου θυγατέρων φασὶν αὐτάς. *Et paulo ulterius progreſſo occurrit Aulis, quam ab Ogygis filia nomen accepiſſe ajunt.*

AULIS, regiuncula Bœotiæ, à *caſtrametatione* nomen ſortita, juxta Chalcidem Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 9. 10.

> *---- ---- Bœotaque tellus*
> *Aulide piſcosâ puppes tenuiſſet itutas.*

Servius ait, inſul. & oppid. eſſe cum portu 50. navium capaci; in quo Græci ſub Agamemnone in Trojæ excidium conjurârunt. Euſeb. *Chron.* Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 426.

> *Non ego cum Danais Trojanam exſcindere gentem*
> *Aulide juravi ---- ----*

Lucan. *l.* 5. *v.* 235.

> *Euripuſque trahit curſum mutantibus undis,*
> *Chalcidicas puppes ad iniquam claſſibus Aulim.*

Heſych. Αὐλίδες, λιμένες. Hodie omnino intercidit, *Brietio* teſte.

AULOCRENE, Aſiæ minoris regiuncula, in conventu Apameno, per quam ab Apamia in Phrygiam itur. Ibi platanus oſtenditur, ex qua pependit Marſyas ab Apolline victus. Plinio *convallis* eſt, *l.* 5. *c.* 29. & *mons, ibid.* & *regio l.* 16. *c.* 44. Solino inſuper *fons*, c. 40. quod poſtremum certè nomen indicat. *Aulocrene* enim propriè ſignificat, *tibiarum* vel *tibiæ fontem*, Αὐλῶν κρήνη. Sed Salmaſ. *apud Plin.* legendum eſſe cenſet, *Aulothrenes*, i. e. αὐλοθρηνής, ſubintell. χώρα, *regio* ſeu *convallis*; vel Αὐλοθρηνὸς ſubintell. ὄρος, *mons*. Cui loco vel monti nomen videtur inditum, à tibiarum fletu, ſive quòd Marſyan ibi devictum Satyri defleverunt, Nymphæque & Paſtores, quibus charus erat, quique cantum tibiarum ejus deſiderabant. Certè tibiæ, quarum inventor Marſyas fuit, θρηνητικαὶ ſunt & flebilibus modis aptæ: & de fletu Nympharum, cùm Marſyas in hoc monte victus eſſet ab Apolline & excoriatus, ſic Ovid. *Met. l.* 6. *v.* 392.

> *Illum ruricolæ ſylvarum Numina Fauni,*
> *Et Satyri fratres & tunc quoque clarus Olympus,*
> *Et Nymphæ flêrunt, & quiſquis montibus illis*
> *Lanigeroſque greges armentaque bucera pavit.*

Vide Salmaſ. præfatum *ad Solin. p.* 834.

AULOEDI, elegias olim modis temperatas canebant. Plut. *de Muſic.* ἐν ἀρχῇ ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα οἱ Αὐλῳδοὶ ᾖδον: quemadmodum & in Comœdiis cantica auctor ipſe vel Poëta componebat, modos autem adhibebat aliquis Muſicæ artis peritus &c. Dicebantur autem iſtiuſmodi cantica ſeu carmina Νόμοι, erantque in honorem Deorum alicujus compoſita & modis Muſicis inſtituta. Conſtabant porro verſibus, & Poëtas auctores habebant, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Capitolin. in Antonino Pio, c.* 7. Pro *Auloedis*, apud Capellam *Auludus* legitur: *Nec mora, & ecce quædam ſuavitas inventata aulidaque dulcedines cantus ac melodia ultra cuncta rerum oblectamina recrearet.* Et alibi, *Iſciadas quis neſcias expelli* aulidâ *ſuavitate?* de qua ſcribendi ratione conſule eundem, *ad Spartian. in Adriano Caſ. c.* 26.

AULON, vel AULONA, Corinthiorum colonia in Macedonia. Plin. *l.* 4. *c.* 5. *Valona* & *Caulonia Sophiano. Valona Ferrar.*

AULON, eſt in Albania ſuperiore ubi aliàs Pelaſgonia, pars Macedoniæ. Eſt portus ampliſſimus ſeu veriùs ſinus, quem duo caſtra muniunt. *Baudrand.* In venetorum poteſtatem venit, A. C. 1640

AULON, *Stephano* eſt urbs Laconica, una ex centum, & alia Arcadiæ, & alia, civitas vel locus Cretæ. Item Arabiæ locus; & alia ejuſdem nominis civitas à Crotoniatis condita, *Caulonia* etiam dicta.

AULON, mons Calabriæ contra Tarentinam regionem, vini ferax. Martial. *l.* 13. *Epigr.* 123.

> *Nobilis & lanis, & Bacchô fertilis Aulon*
> *Dat pretioſa tibi vellera, vina mihi.*

Horat. *l.* 2. *Od.* 6. *v.* 18.

> *---- Et amicus Aulon*
> *Fertilis Baccho. ---- ----*

Vide *Caulon.* Et etiam urbs Ciliciæ.

AULON, teſte *Theophraſto*, campus eſt ampliſſimus & pulcherrimus inter Libanum & Antilibanum. Vide plura apud Cæl. Rhodig. *l.* 12 *c* 5.

AULONIUS Æſculapius dictus eſt, teſte Pauſan. in *fine Meſſeniacorum*: *Ad Aulonem* (inquit) *delubrum eſt cum ſigno Æſculapii Aulonii.*

AULOPOTAMUS, urbs Cretæ Inſul. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cretenſi. *Miræus.*

AULOTUM, oppid. Hiſpan. in Catalonia, ad fluv. Fluvianum: paucis conſtans incolis. 6. leucis à Gerunda in Occaſum: 3. ab Auſa, in Boream.

AULUS, apud Appulejum de puero Critia monaulo.

> *Quòd ſi aulum inſpires, dona & jam carmina noſtra*
> *Cedent victa tuo dulciloquo calamo:*

pro tibia eſt, Græcâ voce. Ut *Auleticus Calamus*, h. e. tibialis, qualem inter varii generis arundineta, quibus abundabat, gignebat Orchomenius lacus. Erant ejus genera duo, Ζεύγιτες & Βομβύκιας: quorum is ſic dictus eſt, quòd ex uno ejus internodio binæ tibiæ, dextra & ſiniſtra, quod eſt tibiarum ζεῦγος, formabantur; hic verò, quòd ex eo Bombyces, tibiæ quoddam genus fierent. Eam verò, partem lacus, ubi *Auletici Calami* optimi naſcuntur, *Pelecanian* dictam eſſe, quâ parte etiam in Paludem Cephiſus influit, docet ex Theophraſto Salmaſ. *ad Solin. p.* 117. Sic *Auloedi*, vide *ſupra*, &c.

AULUS Aternius Frontinalis, Conſul collega Sp. Tarpeii Capitolini. An. Urb Cond. 300.

AULUS Caſcelius, T Quinti Martii Voluſii auditor, qui, Quæſtoriâ dignitate contentus, Conſulatum aſpernatus eſt, cùm ei ab Auguſto offerretur. Scripſit librum unum *Bene dictorum*, ut auctor eſt Pomponius *l.* 2. §. 45. *ff de Orig. Jur.* Briſſonius apud Calvin. *Lexic. Jurid.*

AULUS Cornelius, Magiſter equitum. An. Urb. Cond. 330.

AULUS Cornelius Arvina, Dictator. An. Urb. Cond. 430.

AULUS Cornelius Coſſus, Conſul, collega T. Quintii Cincinnati. An. Urb. Cond 328.

AULUS Corn. Coſſus, Conſul, collega Valerii Corvini. An. Urb. Cond 413.

AULUS Corn. Coſſus, Dictator. An. Urb. Cond. 381.

AULUS Corn. Coſſus, Tribunus Militum. An. Urb. Cond. 330.

AULUS Corn. Corvinus, Conſul, Vinitii Quartini collega. An. Urb. Cond. 797

AULUS Corn. Scipio Arvina, Conſul, collega Popilii Lænatis. An. Urb. Cond. 406.

AULUS Gabinius, Conſul, collega L. Piſonis Cæſoniani. An. Urb. Cond. 696.

AULUS Gellius, Auctor noctium Atticarum, vixit ſeculô 2. inchoante, Athenis. Opus ejus ſyntagma ingenioſum eſt variarum rerum, Criticam inprimis Authorum ſpectantium. Volaterran. *Anthrop. l.* 16. Vignier. A C. 128.

AULUS Hirtius, Conſul cum Vibio Panſa. An. Urb. Cond. 711. Hi ambo in pugna contra Antonium occubuêre. Horum Conſulatu natus eſt Ovidius, teſte ſeipſô. *Triſt. l.* 4. *El.* 10. *v.* 5.

> *Editus hic ego ſum: nec non ut tempora noris,*
> *Cùm cecidit fatô Conſul uterque pari.*

AULUS Licinius Archias, Antiochenus Poëta, Cimbrica bella metrô ſcripſit. Idem de Hiſtoria Conſulatus Ciceronis facturus, ab hoc inhibitus eſt Vide *Archias.*

AULUS Licinius Nerva, Conſul, collega Qu. Cæcilii Cretici. An. Urb. Cond. 759.

AULUS Manlius Atticus, Conſul, collega Qu Luctatii Catuli. An Urb. Cond. 512. Alius, collega C. Sempronii Blæſi An. Urb. Cond. 719.

AULUS Manlius Capitol. Tribunus Milit. An. Urb. Cond. 331. & 365.

AULUS Manlius Xvir. An. Urb Cond. 303.

AULUS Manlius Torquatus, Conſul, collega Qu. Caſſii Longini. An. Urb. Cond. 590.

AULUS Plautius, unus ex Ducibus Claudii Imperatoris cum Veſpaſiano collega, Britanniæ partem ſubegit, An. 143 Sueton. *in Claudio, c.* 24.

AULUS Poſthumius Albinus, Conſul, collega Qu. Luctatii Catuli Cæreonii. An. Urb. Cond. 511.

AULUS Poſthumius Albus, Conſul, collega Sp. Furii Medullini Fuſci. An Urb. Cond. 290.

AULUS Poſthumius, Tribunus Milit. An. Urb. Cond. 373.

AULUS Poſthumius Regillenſis, Conſul, Titi Virginii Tricoſti collega, ſe Conſulatu abdicavit, inde Dictator factus eſt. An. Urb. Cond. 258 Liv. *l.* 2. *c.* 19. 20. 21.

AULUS Poſthumius Regillenſis, Tribunus Milit. An. Urb. Cond 356.

AULUS Poſthumius Tubertus, Dictator An. Urb. Cond. 325. de Æquis & Volſcis triumphavit, proprium filium, quòd injuſſus contra hoſtes pugnâſſet, ſecuri percuti juſſit. Liv. *l.* 4. *c.* 23. 26. 27 29 A. Gell *l.* 17. *c.* 21. Val Max. *l.* 2 *c.* 7. *ex.* 6 & *l.* 5. *c* 8.

AULUS Sabinius, Poëta Latinus, plurima ſcripſit. Hujus meminit Ovid. *de Ponto, l* 4. *Ep.* 16 *v.* 16. & *l.* 2. *Amor. eleg.* 18. *v.* 27.

AULUS Sempronius Atratinus, Conſul, collega M. Minucii Augurini. An. Urb. Cond. 257.

AULUS Serenus, vetus Lyricus, Latinus. Voſſ. *de Poët. Lat.* c. 8. Quò tempore vixerit, incertum.

AULUS Virginius Cœlimontanus, Conſul, collega Sp. Servilii Priſci. An. Urb. Cond 278.

AULUS Vitellius, nonus Roman. Imperator, vide *Vitellius*.

AULUS Vitellius, Conſul, collega L. Vipſanii Publicolæ. An. Urb. Cond 800.

AULUS Voluſius Saturninus, Conſul. An. Urb. Cond. 839.

AULZIAGRI, populi Hunnici. *Agathias*.

AUMONIUS, vel AMMONIUS, Monachus Gallus, tempore Ottonis III. Circa A. C. 990. Scripſit opuſcula quædam hiſtorica. Trithem. *in Catal.* Sigebert. *in Chron.*

AUNA, vulgò EMELY & AWN, urbs Hiberniæ Epiſcopalis in Comitatu Tipperarienſi, nunc ferè deſerta. *Speedus*.

AUNEDONACUM, vulgò AUNAY, urbs Pictaviæ, circa Santones in Gallia. *Auſonius*.

AUNUS, vulgò AUNEAU, urbecul. Galliæ, in Belſia provinc. Nota Germanorum clade, ſub Carolo IX.

AVO, vel AVUS. *Ptol.* Hiſpaniæ citerioris fluv. vulgò *Rio d' Ave*. Eſt autem in finibus Bracarum. Item alius in Callaicis.

AVO, vulgo AVEN, fluv. Scotiæ meridionalis. Cadit in Forthæ æſtuarium, prope Lindum urbem, in Lothiana provinc. Aliis eſt Avenna.

AVO, vulgò AVON, fluv. Angliæ, in Wallia & Comitatu Monumethenſi. In Uſcam ſe exonerat, prope Iſcam urbem. Vide *Alaunus fluv.*

AVOCARE, apud *Arnobium*, *Pueros crepitacullis avocari*, idem eſt quod Græcis Διάγειν; & Virgilio *l.* 1. *Æn.* v. 468. *animum pictura paſcere*, i. e. *oblectare*, vide infrà in voce *Paſſetemps*.

AVOGASIA, provinc. Aſiæ, inter Georgiam, mare Nigrum & Comaniam, ubi aliàs pars Colchidis. Ibi locus præcipuus S Sophia.

AVONA, fluv. Angliæ meridionalis in Ultonia provinc. ortus. Briſtoliam urbem alluit; & poſtea in Sabrinæ æſtuarium cadit. Vide *Abonis*.

AVONA, fluv. Angliæ Warvvicenſem Comitatum præterfluit; Warvvicòque rigato, in Sabrinam ſe exonerat, in Gloceſtria provinc. juxta Teocicuriam.

AUPS, in nummo Victoris Imperat. denotat *Auguſta Vindelicorum pecunia ſignata*, interprete M. Velſerò *Rerum Vindelic.* l. 7. p. 159.

AURA, vulgò EURE, fluv. Gall. in Belſia oritur; Carnutòque & Drocò rigatò, in Sequanam cadit, ſupra Rothomagum. Aliàs *Ebura*.

AURA, in Tabulario Eccleſiæ Bajocaſſinæ, *Aurea*, nuncupatus, vulgò *Aure*, fluvius Galliæ eſt, qui Drumà *Drome* augetur. Hadr. Valeſ. in voce *Druma*.

AURA, flatus eſt matutinus, qui cum Sole oritur, ſed non ſemper à Sole fertur, i. e. ſecundò Sole, vel ea ex parte unde Sol oritur. Seneca *l.* 5. *Natural. Quæſt.* c. 9. *Et ideo quibuſdam videtur inde flatus eſſe, unde Sol. Hoc falſum eſſe, ex eo apparet, quod aura in omnem partem vehit & contra Ortum plenis velis navigatur.* Nec obſtat, quòd Eteſias cum Sole oriente incipere, cadente ponere ſcribit *Theophraſtus*; quod idem de Auſtris in genere refert. Hoc enim non ſatis eſt, ut dicantur *ſecundo Sole flare*, niſi etiam ex ea parte ſurgant, unde oritur Sol: quod Eteſiæ non faciunt; qui adverſò potiùs Sole flant, quàm ſecundò. Eò tempore quippe regnant, quò Sol ab eunte Solſtitiali procedit; ipſi verò prodeunt ex contraria parte, ab Occaſu nempe Solſtitiali, nam Argeſtæ ſunt. Nonnunquam verò *Aura*, pro aëre ſumitur; aliquando metaphoricè pro vulgi favore: ut in voce *Aurarii* dicemus. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1160. & 1335 ut & infrà in voce *Aurologium*.

AURACUM, oppid. German. in Suevia, in Ducatu Wirtembergico, vide *Artaunum*.

AURADIS, Mediæ urbs. *Ptol.*

AURAICUM, oppid. Galliæ, in Britannia provinc. ad æſtuarium *le Morbihan*: prælio, ubi de Britannia certabatur, notum.

AURANA, Arabiæ Deſertæ urbs. *Ptol.* Item, oppid. Dalmatiæ recentioris, *Wrana* Slave.

AURANITIS, Babyloniæ regionis tractus. *Ptol.*

AURANTIA, pro *Aurata*, & *Aurans*, pro *Aurato*, infimæ Latinitati; quòd verè *aurei* coloris ſint. Ut fruſtra ſint, qui ab *Arantia* urbe id nomen deducunt, in quam primùm voluit mala aurea ab Hercule inlata, quum ab Heſperidibus rediret. Nomen enim *Aurantiorum* malorum vel *Arantiorum*, ſerò admodum auditum eſt, cùm nulla ampliùs Arantia aut Phlius, uti poſtmodum urbs illa dicta, ſupereſſet. Pro *Auratis* ergo primùm *Aurantia*, dein *Arantia*, & *Inarantia* dicta ſunt; unde Italicum *Nerancio*, & recentiorum Græcorum Νεράντζιον. Quod *Scholiaſtes Nicandri* Μηδικὸν μῆλον, *Medicum Malum* interpretatur. Sed cùm *Aurantia* noſtra verè ſint aurei coloris, *citrea* verò vel *citrones*, flavi dilutioris; ſi ſequimur differentiam, quæ vulgari & hodiernà horum vocabulorum notione ſignatur, *Aurantia* hodierna fuerit Veterum Ἑσπερικά, *Heſperium malum*; *citro* verò noſter, *Medicum malum* antiquorum. Adde, quòd in citro longa facies, & ovata; in aurantio forma orbicularis: ſpinæ multæ & robuſtæ & acutæ in illo, quæ breves admodum tenueſque in iſto. Arbor quoque citri parva eſt, aurantii magna & cuilibet alii malo non cedens: unde *domos decorare* dicta Plinio *l.* 15. c. 16. Jam enim tum in Italia plantari intra domos conſuevit, umbræ & ornamenti gratiâ. Verùm ibi *citrum* vocat, diverſam tamen, ab Aſſyria ſeu Media. Nempe poſtquam Medica mala in Græciam importata fuerunt, & è Græcia in Italiam invecta, ob ſimilitudinem cum aureis & Heſperiis malis, *citrea* etiam dici cœperunt: quò nomine Heſperidum mala apud Romanos antè veniebant. Donec uſu invaleſcente factum, ut *citreorum* nomen Medicis & Aſſyriis pomis veluti proprium maneret, Heſperidum autem mala, *Aurea*, *Aurantia* & *Inaurantia* vocari inciperent. Priùs verò Heſperidum mala, (ex Africa, ubi Heſperidum horti, allata) nota fuiſſe & Græcis, quàm Medica vel Citrea, hinc patet, quòd inter ſymbola & initia Dionyſii myſteriorum Orpheo jam recenſentur, apud Clementem,

> Κῶνος καὶ ῥόμβος καὶ παίγνια καμπεσίγυια,
> Μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.

Et Ἑσπερίδας, h. e. *Heſperidum mala*, apud Lacones Diis apponi ſolita, Timachidas & Ariſtocrates *in Laconicis* ſcripſerunt. At Medicum malum è Perſide vel Media in Græciam ſerò admodum allatum eſt, nec niſi mediæ Comœdiæ Poëtarum ævò, ut ex Antiphanis *Bœotia* liquet. Interim non eſitatum Græcis pomum Aurantium, unde illi Ἑσπερίδας interpretantur εὔοσμα μῆλα καὶ ἄβρωτα, *non apta ad eſum, fragrantia tamen*. Quod & Plin. confirmat d. l. pomum in arcis condi & veſtibus interjici, ut odorem inde caperent, apud Romanos conſueviſſe, referens. Plura vide apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 954. & *ſeqq.* ut & infrà, ubi de Citreis & *Heſperidum malis*. Idem *Salmaſ.* Gallis *Aurantium paſtellum*, vulgo *Orangé paſtel*, eum colorem vocari, qui croceus eſt, in rubeum vel coccinum vergens, quique recentioribus Græcis φοινικοπάστελλον, quaſi *puniceum paſtellum dicitur*, p. 1331. De *Aurantiis* malis, ſic Auctor Anonymus *Aſiæ & Europæ* c. 36. *Maxime colorem auri fulvi referunt, cortice aromatica mirè redolent, ſubamaro ſapore linguam & palatum vellicante, unde colligimus, plus eo ineſſe caloris, quàm citrus. Dulciaris corticem exſiccatum ſaccharò obducunt, frigeſcenti ac languido ventriculo remedium optimum: ſuccoſa verò ejus pars, acidò, dulci, aut mixtò ſapore diſtinguitur, qui vires obtinent diverſas pro qualitate ſua ratione; ut dulciora cæteris magis calefaciant, alia magis minuſque refrigerent, prout magis ad dulcedinem accedunt. Quocirca febricitantibus, ad ſitim extinguendam, optime exhibentur acida, vel mixti ſaporis, quorum etiam ſuccus, pro intinctu ſuaviſſimo in deliciis paſſim.* Vide quoque infrà *Aurea poma*.

AURARII, in *Gloſſis MSS. Laudatores vel fautores vel adulatores*; qui *auram* captant, i. e. favorem; vox Latinis hàc notione ſatis frequens. Servius in *l.* 6. *Æn.* v. 816. *Virg.*

> *Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.*

Auris, ait, *favoribus: unde & Aurarii dicuntur fautores.* Item ad illud, *l.* 2. *Æn.* v. 385.

> —— —— *Aſpirat primo fortuna labori*,

Aſpirat, inquit, *favet. ut*, *Adſpirant auræ in noctem*, *unde & favor*, *aura dicitur.* Idem *auram ſplendorem* interpretatur, *ad id*, *l.* 6. *Æn.* v. 204.

> *Diſcolor unde auri per ramos aura refulſit.*

Auri aura. *ſplendor auri*, imò aurum ipſum, ab *aura*, h. e. ſplendore, deducit, quod ſplendeat hoc metallum; unde *Aurarii*, quòd favore ſuò ſplendidos homines reddant, Salmaſ. *ad d. l.* Caſaubonus verò *Aurarios* dictos vult quaſi *Orariarios*, ab *orariis*, quibus in theatris ad favorem ſignificandum utebantur. Cùm enim priùs jactatione togæ, nec ſine incommodo aliquo, favorem teſtarentur ſpectatores, juxta illud Ovid. *Amor.* l. 3. *El.* 2. v. 74.

> *Et date jactatæ undique ſigna togæ:*

Aurelianus Imperat. inſtituit illis vel faſcias, quas manu tenerent & ad favorem in Ludis moverent, dedit, quæ *Oraria* dicta, ut videbimus infrà in hac voce. Vopiſc. in *Aureliano*, c. 48. *Ipſe primùm donavit oraria populo Romano quibus uteretur populus ad favorem*, &c. Idem, quemadmodum *Aurarii* hi, in ludis favoris ſignum orariis dederunt, ſic alios jactatione ſudarii dare ſignum ſolitos, obſervavit, vide infrà, ubi de *Favore*, Circi voce & *Sudario*.

AURARIUM. *Vetus Inſcr. Kororbania* dein, vulgò *Kereswannya*, & *Abruckbanga*, oppid. Daciæ, in Tranſylvania, apud Stotnam, ab Alba Julia 5. leuc. in occaſum. *Wolf. Lazius.*

AURARIUS Canon, & *Auraria penſitatio*, ſive *præſtatio*, in *Conſtitut.* Imperator. idem cum *Auro negotiatorio*, fuiſſe videtur, de quo Æl. Lamprid. in *Alexandro Severo*, c. 32 *Aurum negotiatorium & coronarium Romæ remiſit.* Onus erat negotiationibus impoſitum, præter quod & aliæ exactiones ſub diverſis temporibus inventæ ſunt, cujuſmodi in Cod. *præſtatio monopolii*, *ſiliquatici*, Caſaubon. *ad loc.*

AURAS, Europæ fluv. ab Hæmo monte in Iſtrum fluens. Herodot. *l.* 4.

AURASIUS, Mauritaniæ mons. *Procopius.* Hodiè *Auras* dicatur, teſte *Leone Africano*.

AURATA, ſive ORATA, quæ Græcis Χρυσόφρυς, Athenæo *l.* 7. etiam Ἰώνισκος, mirè celebratur ibidem ab Hicèſio & Matrone parodo: utpote piſcis carnis candidæ, ſolidæ, denſæ, ſucci boni, digeſtu facilis, bene nutriens, nec excretu difficilis; ut eſt apud *Xenocratem*. Epheſiam oratam commendat, apud præfatum Athenæum, Archeſtratus: illam Lucrini lacus Martial. *l.* 13. *Epigr.* 90.

> *Non omnis laudem, pretiumque Aurata meretur,*
> *Sed cui ſolus erit concha Lucrina cibus.*

Contra venenatum mel, in cibis auxilio *Auratam* eſſe, ait Plin. *l.* 32. c. 3. Vide Gerh. Joh. Voſſium *de orig. & progreſſ. Idolol.* l. 4. c. 15. & 37. In Sinis magna *Aureolorum* piſcium fama eſt, quorum magna vis in lacu 200. jugerum, in *Chekiang* ſub Hangcheo (*Quinſai*) in monte Cienkingo, prope Changhoam. Fulvi ſunt coloris & per certa intervalla *aureis* quodammodo lineis interſecta micat cutis, totumque dorſum aureò veluti pulvere inſperſum cernitur. Magnitudo digitum non excedit, & tamen triſurcata, biſurcata, ſubinde etiam ſimplici ac latiori caudâ armati ſunt, unde jucundi amœnique aſpectu; magno apud Sinenſes in pretio, quos ſtudioſè domi aut in viridariis alunt, pulcherrimis ad id vaſis adornatis. Solent iis ſubinde ſuâ manu Magnates cibum porrigere, tum, quaſi noſſent,

ſent, cui domino ſerviant, quamque ſuô aſpectu voluptatem illi concilient, ſæpè cùm adeſt, colludunt. Cum ex omnibus partibus, quas incolæ expetunt, ſint perfecti, unius pretium ad duos treſve aureos non rarò aſcendit. Adam Preyelius *Sina & Europa* c. 42. Alii ab his ſunt piſces Sinenſibus *Xiyu*, Luſitanis *Savel* dicti, qui ineunte Aprili ac Majô, ad Nankingam, & fluviô Kiangô capiuntur & glacie ſepulti ad Imperatorem mittuntur, navibus, quibus nihil pulchrius invenire eſt: cùm ſint undiquaque deauratæ rubrôque colore depictæ, adeoque miram oſtendant elegantiam, ut iis omnes aliæ naves, ſi fortè occurrerint, cedant. Idem c. 25.

AURATA Domus, χρυσόροφος οἶκος Græcè, apud Lucianum in *Philopatride*, ubi Critias acceſſum ſuum ad Chriſtianorum (ſub Trajano) cœtum quendam enarrans, *Multis*, inquit, *ſuperatis ſcalis in* domum auratam *aſcendimus, qualem Homerus Menelai fingit eſſe*. cœnaculum eſt ſeu ſuperior pars domus, cultui Divino deſtinata. Antequam enim permiſſum eſſet, ſub Imperatorib. Gentilibus, Templa Ædeſque ſacras publicè extruere, non ceſſavêre tamen ad Sacra exercenda, convenire, in *cryptis*, *eremis*, *cœnaculis*, aliiſque locis idoneis. Ex quidem *cœnaculum* ſeu ὑπερῷον memoratur, Actor. c. 1. v. 13. in quod Apoſtoli Sacrorum gratiâ aſcendebant, &c. Cujuſmodi Cœnaculum hoc fuit, quod quia ob ſacrum uſum ſplendidius haberetur, *Aurata Domus* dicta eſt Critiæ. Quæ loca, cùm indies augeſcenti Chriſtianorum numero non ſufficerent, jam ante Diocletianum legimus εὐκτήρια, *Oratoria* & Ædes ſacras, magnô numerô extrui ab iis cœpiſſe, apud Euſebium *Hiſt. Eccl. l.* 8. c. 1, 2. Imò, jam ſub Alex. Sev. *Quum Chriſtiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent, contra Popinarii dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit, melius eſſe, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam Popinariis dedatur*, teſte Lamprid. in *Vita Alexandri*. c. 49. Vide Joh. Seldenum *de Synedriis veterum Ebræorum l.* 3. c. 15. § 2. Alii fuêre χρυσοκόλλητοι δόμοι, apud Æſchylum in *Perſis*, de quibus vide infrà aliquid voce *Perla*, Gentilium verò templa, non aureis ſolùm laquearibus renidebant, ſed & aurô utpluriinum undique ornata erant, ſic ut januas quoque *auratas* haberent. Unde θυρώματα templa χρυσαῖς θύραις, apud Ariſtophanem legimus in *Avibus*. Ob quem templorum ornatum, *aurea* illa Ovidio dicuntur, *l.* 1. *Faſt.* v. 221.

> *Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus,*
> Aurea, *majeſtas convenit ipſa Deo.*

Ipſique Gentiles, externa hæc magis, quàm interiores cordis receſſus, æſtimantes, occaſionem hinc inſultandi Chriſtianis ſumpſêre, quaſi irreligioſis atque ἀθέοις, quòd iſtiuſmodi magnifica delubra non haberent, humilibus plerumque οἴκοις ſeu conventiculis contenti. Vide Deſid. Heraldum *ad Arnob. l.* 6. & infrà voce *Conventicula*.

AURATA Statua, in Italia primùm poſita, ab Acilio Glabrione Duumviro, patri Glabrioni, cùm Pietatis ædem in Foro Olitorio dedicaret, legitur apud Livium *l.* 40. c. 34. Cùm *Aurea*, in Templo Anaitidis, primum poſita eſſet; hominum verò primus ſtatuam *Auream* ac ſolidam ſibi Delphis poſuiſſet, ex Oratoriæ Artis quæſtu, Gorgias Leontinus, ut videre eſt apud Plin. *l.* 33. c. 4. Vide quoque *de Auratis ſtatuis* infrà, & in *Auro*.

AURATA Veſtis, propria olim Auguſtæ, Salmaſ. *ad Capitolin. in Antonino*. c. 17. Lampridius quoque Miniſtris Aulicis tribuit in *Alexandro Sev.* c. 34. Auratam *veſtem miniſtrorum nullus vel in publico convivio habuit.* Sed veſtem ſic vocat qualem Regii Miniſtri gerebant, tunicam albam, aurô diſtinctam: quâ apud priores Imperatores illos indui ſolitos, Alexander *albatos* tantum, non etiam *auratos*, eſſe voluit. Tunicæ autem illæ non per totum undô ſparſæ & auratæ, ſed *paragaudis*, h. e. loris auratis, prætextæ erant. *Cod. de veſtibus holoveris l.* 11. *Nemo vir* auratas *in tunicis aut in lineis habeat paragaudas: niſi hi tantummodo, quibus hoc propter Imperiale miniſterium conceſſum eſt.* Salmaſ. *Notis ad Lamprid.* De *Auratis calceis* Conſulum ſub Imperatorib. vide infrà voce *Zancha*.

AURATÆ, ac *Auratiores Hoſtiæ*, vide infrà *Cornua victimarum*.

AURAVANNUS, vulgò RIAN, teſte *Camdeno*, fluv. Albionis in Scotiæ confinio apud Cokermouthum oppid. fluens. Ita *Ferrarius*. *Camdenus* verò habet in Gallividia Scotiæ regione ad ipſum ferè promontorium, addique poſitum eſſe prin *Aber Ruanus*. i. e. oſtium *Ruani*.

AUREA, vox Hymno de Apoſtolis, in Eccleſ. Roman. præponi ſolita, muſicum videtur denotare tonum, quibus hymnus is decantari deberet; Sic *Hypodiaconiſſa*, quæ Hymno, qui canitur in Natali S. Stephani; *Romana*, in Natali S. Johannis. Euang. *Fridgora*, quæ in Hymno S. diei Paſchatis, præponitur, &c. Vide Car. du Freſne in voce *Fridgora*.

AUREA, apud Æl. Lamprid. in *Antonino Heliogabalo*. c. 21. *Exhibuit & ſumma aprugna per dies decem tricena quotidie cum ſuis bulbis: piſam cum aureis, lentem cum ceraunis, fabam cum electris & orizam cum albis exhibens*: *Caſaubono* ſunt globuli aurei vel ſphærulæ aureæ, quæ piſis ſic aſſimilabantur & æquabantur, quò faciliùs inſaniſſimus juvenis fallere poſſet; unde vult ſubintelligi ſubſtantiv. *grana*. Nempe perſuaſit ſibi vir eruditiſſimus, perditum Heliogabali ingenium hôc factô aſſimilationem quandam excogitâſſe pretioſarum rerum, quas cum edulibus miſcebat, ut ſic quodammodo reſponderent piſa *aureis*, lentes ceraunis &c. At Salmaſio *Aurea* hîc ſunt χρύσινοι, i. e. *aurei*, vel ſolidi, ut poſterior ætas appellavit, vide eum *Not. ad Hiſtor. Auguſta h. l.*

AUREA Barba, apud Perſium *Sat.* 2. v. 58. videtur Turnebo *Adverſ. l.* 1. c. 16. denotare Jovis ac Neptuni inſignia & ornamenta: Apud Horatium, *l.* 2. Od. 10. v. 5. eidem *auream mediocritatem*. *l.* 9. c. 27. Vide infrà in voce *Barba Aurea*.

AUREA Cherſoneſus, *Sumatra*, teſte *Ortelio*, maxima Indiæ extra Gangem peninſula, in plura regna diviſa, ſub Æquatoris Circulo, hôc tempore ab India ulteriore avulſa, inſula effecta, Jabadio inſulæ etiam maximæ propinqua. *Mercatori* eſt *Japan* inſul. longè hinc in ortum diſtans, *Caſtaldo* & Aliis *peninſula Gangis*. Item, *regio Malaca*, ab urbe primaria. Ab inſul. Sumatra disjungitur freto Malacenſi ſeu Sincapurano, & longè Jabadiô diſtat: eſt autem *Malaca*, regio Indiæ prædictæ auſtralis, in qua Malaca urbs regia à Luſitanis olim poſſeſſa, nunc ſub Hollandis, ab A. C. 1641.

AUREA Felis, pro Deo culta olim Troglodytis, apud Plin. *l.* 6. c. 29.

AUREA Inſul. *Botero* Zacynthus olim dicta eſt, quod illa nomen hodie potiori jure meretur, poſtquam Corinthiacæ uvæ cultura inclareſcere cœpit, Jac. Sponius *Itiner. Græciæ Tom.* I. p. 124.

AUREA Mala, Græcè χρυσᾶ μῆλα, dicta ſunt Veteribus Mala Heſperia ſeu Heſperidum, quòd *aureô colore* eſſent. Auctor *Orphaicorum*, quem quidam Onomacritum eſſe volunt & floruiſſe circa Olymp. 50. ubi de ſymbolis Myſteriorum Dionyſiacorum, apud *Clement.*

> Μῆλά τε χρύσεια καλὰ παρ' Ἑσπερίδων, &c.

memorat, uti ſuprà vidimus in *Aurantia*. Juba τὰ ἴδια χρυσᾶ vocat: quomodo *aurata* potius dicenda eſſent, quàm *aurea*; unde infima Latinitas eadem *Aurantia* dixit. Cùm autem *Aureorum* cognomen etiam aliis quibuſdam pomorum generibus commune eſſet, ſicut & *citreorum*, ab illo tempore *Aurea Mala* peculiariter dici cœpêre poma Heſperidum, à quo *citrei mali* nomen Medico pomo proprium eſſe cœpit. Salmaſ. *ad Solin.* p. 957. & *ſeqq.* Iſtiuſmodi malis, ut & citreis, ac Punicis, Hollandi hodie in Hiſpania naves ſuas onerant, aliarum mercium defectu. Optimæ autem notæ *Aurea Mala*, juxta Cajetam in Regno Neapol. repeiiuntur, quæ *Mirangole* vocant: Auctor Anonymus *Hiſt. Orb. Terr. Geogr. ac Civ. c. de Commerciis*. In Sinis *Aurea Mala* nobiliſſima, in Kokien provinc. per territoria Chivencheu & Changcheu urbium, uberrimè proveniunt, mole ac magnitudine Europæis majoribus paria, odore verò, ſuavitate ac amœnitate longè ſuperiora. Arboris quoque figura ac modus à noſtratibus parum diſcrepat: fructus verò in eo differt, quod comeſtus uvam omnino referat, quam *moſchatam* vocant; adeo ut ſuavius quidquam in hoc genere nec Italia huctenus, nec Hiſpania viderit. Ita autem hic fructus à natura comparatus eſt, ut *aureum* ſuum denſioremque corticem facilè dimittat, pulpa quoque intra pelliculas, quibus veſtitur ac diſtinguitur, eâdem facilitate in particulas ſuas dividatur. Eundem fructum ſimul cum cortice, inter aſſeres preſſum, ſaccharô condiunt totôque annô aſſervant; neque indigenas ſolùm, ſed & exteros, his ſuis deliciis paſcunt ac recreant. Auctor Anonymus *Sina & Europa* c. 36. & ſuprà, ubi de Malis *Aurantiis*, infrà quoque voce *Vingu*.

AUREA Marcaſita, ex venis auri cum fruſtis auri rameſcentis, in *Muſæo* Kircheriano Romæ. Vide *Deſcript.* ejus p. 42.

AUREA Maſſa, vide infrà *Auri Maſſa*.

AUREA Pocula, *gemmis* ornabantur olim, ſicut pocula argentea *aureis cælaturis* decorari ſolebant. Quæ utraque *emblemata* vocabantur, ἐμβλήματα Græcis; Publio Syro *Inſerta*, ut infrà videbimus. De illis Silius Italicus *l.* 14 v. 662.

> —— *fulgentia pocula, mixtâ*
> *Quîs gemmâ quæſitus honos.*

De iſtis dictum ſuprà, ubi *de Argento*. Sed & argentea emblemata ac ſigilla *Aureis ſcyphis* nonnunquam includi conſueviſſe, docet Cicero de Verre *Actione in eum* VI. Cujuſmodi ſigna aut ſigilla unà vaſculis aureis argenteiſque includenda cælabant, *Cælatores* dicti ſunt. Item *Toreutæ*; ſicut qui vaſcula ex utroque puro faciebant, *Vaſcularii*. Vide Salmaſ *ad Solin.* p. 1046. & infrà paſſim.

AUREA Porta, vide infrà *Porta*.

AUREA Regio, an Inſula, Græcè χρυσῆ χώρα, memoratur *Avieno*,

> —— —— ——. *Inde fluenta*
> *Tenduntur Scythici longè maris in facie ortum*
> *Eoa, quà Cyaneis erepit ab undis*
> *Inſula, quæ priſci ſignatur nominis uſu*
> Aurea:

Dionyſio, cujus verba is vertit, χρυσῆ dicitur; eſtque regio in India extra Gangem, haud procul ab Ἀργυρᾶ, h. e. *Argentea regione*: quæ ambæ ſic appellatæ ſunt, non quòd aureum & argenteum illarum ſolum eſſet, ut quidam Veteres nugati ſunt; ſed quòd horum metallorum feraces. Ptolemæus in *Deſcript. ulter. India*, Τῆς δὲ Ἀργυρᾶς χώρας, ἐν ᾗ πλεῖστα εἶναι λέγεται μέταλλα ἀργύρου, ὑπέρκειται πλησιάζουσα τοῖς Βησυγγίταις ἡ χρυσῆ χώρα καὶ αὐτὴ πλεῖστα μέταλλα ἔχουσα χρυσίου, *Supra Argenteam regionem autem* —— *ſita eſt vicina Beſyngitis* Aurea Regio, *quæ & ipſa plurimô auri metallo abundat*. Ubi cùm χώρας utramque nominet *Ptolemæus*, & quidem metallorum horum feracem, patet, perperam inde aurei argenteique ſoli Inſulas condidiſſe *Pomponium* & *Plinium*, ubi de his regionibus. Sed & Auctor *Peripli* Rubri Maris, Χρυσῆν continentem etiam circa Gangem agnoſcit; à qua diverſa eſt *Aurea Peninſula*, ἡ Χρυσῆ χερσόνησος, apud eundem Auctorem & *Ptolemæum*: niſi dicamus, ſequutam ætatem peninſulam deprehendiſſe, quam Veteres pro inſula habuerint. In eodem certè ſinu Oceani Orientalis ſub ipſum Solis ortum, contra fluvium Gangem, ultimô Orbis ad Orientem locô, metatur Auream Cherſoneſum *Marcianus Heracleota*; quô *Auream Inſulam* cenſet Auctor *Peripli*. Hic enim ſtatim poſt inſul. *Chryſen*, h. e. *Auream*, ſequi facit, verſus Septentriones, mare illud cui prætenta eſt Sinarum regio, ubi & deſinit. Unde & *Auream* quidam dictam volunt, quod ſita ſit, ὑπ' αὐτὰς ἀνιόντος τοῦ ἡλίου, *ſub ipſum orientem Solem*. *Dionyſius*,

> —— —— ἔνθα δ' αὐτῆ
> Ἀντολίη καθαρὴ φαίνεται ἠελίοιο.

Ubi

Ubi etiam ipſius
Ortus parti conſpicitur Solis, &c.

Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 996. ut & in voce *Chryſe*.

AUREA Statua, vide ſuprà *Aurata*.

AUREA Teſtudo, apud Auctorem *Peripli*, Rubri maris occurrit, in hiſce ejus verbis: [illegible] *Juxta ipſum verò fluvium Inſula eſt Oceania, ultima Orientem verſus, ſub ipſum ortum Solis celebris admodum, auream habens teſtudinem.* Sed de illa teſtudine nugas eſſe, docet Salmaſ. qui locum iſtum ſic repurgat, [illegible] *ſub ipſum orientem Solem, dicta Aurea, teſtudinem habens omnium in Rubro Mari locorum optimam.* Nempe loquitur de Aurea Inſula, de qua ſuprà dictum, è qua teſtudo veniens dicebatur [illegible] *è Chryſe Inſula advecta teſtudo*, Salmaſ. *ibidem*.

AUREA Vetula, ad Obium fluvium ab accolis, divinis honoribus olim affecta eſt: ſed difficile dictu, num ea ſymbolum fuerit Evæ, omnium noſtrûm Matris, an Telluris, quæ & ipſa antiqua omnium Mater. De ea ſic Paulus Oderbornius in *Vita Johannis Baſilidis Magni Ducis Moſcov. Obdora ab Obbo amne nominatur, qui ex lacu Citaiſco ortus ab Oriente in Septentrionem labitur. His Vogulici & Hugim vicinique Moſchis ſubjecti ſunt, a quibus* Aureæ Aniis *idolum ſanctè colitur: quod, Oraculi Delphici inſtar, futura quærentibus reſpondere ſolet.* Item Adam Clemens *Angl. Navigat. ad Philippum Angliæ Regem & Hiſpaniæ Princ. Tartarorum confinia tenent Moſcovitæ Idololatræ. Percelebre eſt illis idolum* Aurea Vetula *dictum. Si qua gravior calamitas gentem premit, velut fames, bellum, vel peſtis: idolum ſuum ſtatim conſulunt, quod hôc faciunt modo. Coram ſimulachro proſtrati preces fundunt, mox tympanum in medio ſtatuunt. Hoc fortè lecti circumſtant, argenteum bufonem tympano imponunt, dein bacillo concutiunt tympanum. At cui circumjacentium circumſtat bufo, protinus interficitur. Statim, neſcio quibus idoli præſtigiis, vita reſtitutus maiorum cauſas exponit. Itaque placatô Idoli Numine, non ita multo poſt publicâ calamitate liberantur.* Vide & Gaguinum Veronenſem *Sarmat. Europ. c. de Obdoria*.

AUREATUM, Germaniæ oppid. hodie *Aichſtadt*. longitud. 33. 00. latitud. 48. 51. In Palatinatu ſuperiore ad Alemannum fluv. pareique proprio Epiſcopo. *Lazio* eſt vicus *Naſſavels*, ad Senatorum amnem, in vicinus.

AUREAX, vide *Singulator equus*.

AUREI Calcei, vide infrà *Calceus*: uti de *aureis corrigiis*, in calceis eorum, qui Curulem Magiſtratum cepiſſent, apud Roman. item de *equis aureis numiſque* iiſdem ab Imperatoribus Conſtantinopolit. aliiſque appingi ſolitis, *ibid.* nec non voce *Zancha*.

AUREI, & AUREOLI Homines; pro præſtantibus & auro contrà æſtimandis. Unde bonis propugnatoribus hoc ſæpius nomen appoſitum, tradit *Trebellius* in ludo gladiatorio. Sic Græcis [illegible]: & extat Græcum *Epigramma* Callias, in quendam Polycritum, qui, cum ſemper antea viſus eſſet *aureus* & optimus, repentè, vinô malitiam & improbitatem ejus detegente, peſſimus apparuit.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Ubi [illegible], h. e. *aureus* ipſum, homo dicitur, pro *aureo*, & utrumque pro homine quantivis pretii. Salmaſ. *ad Pollion. in Claudio*. c. 5. Vide quoque infra, in voce *Aureolus*.

AUREI Valeriani, vide infrà *Valeriani Aurei*: ut de *Antoninianis*, ſuprà.

AURELIA, familia Romanorum ex Sabinis oriunda, à Sole ([illegible] Græci vocant) dicta, quod ei publicè à Populo Romano datus ſit locus, in quo ſacra faceret Soli. *Feſtus*. Fuit & mater Cæſaris.

AURELIA Meſſalina, mater ex Cejonio Poſtumo Clodii Albini, Jul. Capitolin. in *Vita* hujus, c. 4.

AURELIA, Galliæ Celticæ nobiliſſima civitas & probè culta, in regione perferaci, A. C. 276. condita, ac denominata ab Aurelio Imperatore ad ripam Ligeris amnis. Hanc Cenomannorum urbem vetuſtam fuiſſe volunt, non minus opibus quàm munitione, populôque præſtantem. Eam Cæſar Carnutenſium emporium vocavit, ipſamque incendiô vaſtavit, ut ipſe *l.* 7. *c.* 3. 11. ſcripſit, & *Genabum* olim vocatam fuiſſe, quidam ab ipſo Cæſare volunt. Alii Genabum eſt *Gien*, oppid. vicin. ad Ligerim. Gallicè *Orleans*. longitud. 22. 00. latitud. 47. 30. Caput eſt regiunculæ, cum titulo Ducatus, Academiâ à Philippo Pulchro inſtitutâ, Curiâ Præſidiali, & Epiſcopali ſede ſub Archiepiſcopo Pariſienſi. Otto Friſingenſis *l.* 4. c. 41. ab Aurelio, prædictum, urbem vult denominatam: Glaber vero Rodolphus *l.* 2. *c.* 6. quaſi *ore Ligerinam* appellatam ſcribit. Portum habet inſignem. Ab Attila obſeſſa, A. C. 450. Lupum Epiſcopum habuit, qui ad Attilam: Salvum te advenisse gaudeo, quem judico, flagellum eſſe Domini & Dei mei, miſſum ad caſtigandos populos. Dein ab Anglis, A. C. 1417. à Johanna Darcia, hinc puella Aurelianenſi dicta, liberata eſt. Præteritô ſeculô capta, receptaque. Poſt Romanos olim, ſub Gallis fuit, & Clodomirum fil. Clodovei, Clotarium, Gontranum & Sigebertum, Reges proprios habuit: ſub prima ſtirpe Franciæ Regum. Sub tertia ſtirpe, data eſt fratri Philippo, à Johanne, & filio Ludovico à Carolo V. Regibus. Hodie apanagium eſt Philippi, fratris Ludov. XIV. Vices ejus, quas ſeculô præteritô ſubiit, flagrante bellô inteſtinô, quô capta à Principe Condæo, Reformatis aliquandiu aſylum præbuit, vide apud Thuan. *Hiſtor.* Primus ejus Epiſcopus S. Altinus dicitur Cæſar *in Comm. loc. cit.* Sidonius Apollin. *in Epiſt.* Gregor. Turonenſ. *Hiſt. Franc.* &c. Concilium hic celebratum, A. C. 511. à Clodovæo Rege A. C. 533. 538. 541. 549. contra Eutychem & Dioſcorum. A. C. 645. contra Monothelitas. A. C. 766. A. C. 1022. à Roberto Rege contra quoſdam, Manis errores incruſtatum euntes, &c.

AURELIA, cognomine *Cariſa*, Hiſpaniæ Bæticæ urbs. Plin. *l.* 3. *c.* 1. *Carona Tarapha*, *Carocha Molino*, videtur Cariſſa *Ptolemæi*, quam *Carria* vocat *Morales*: ſed locus eſt hodiè deſertus.

AURELIA, porta urbis Romæ *Procopio*. *Pancratiana* vocatur *Moriliano*. Nunc *Porta S. Petri*. Prope molem Adriani erat, & diruta jacet. *Baudrand*.

AURELIACUM, vulgò ORILLAC, urbs Galliæ in Alverna ſuperiori, ad amnem Jordanum, intra montes, ſatis culta. Aliis *Aureliacum*. & *Merriolacum*. *Baudrand*.

AURELIANI Argentei, apud Fl. Vopiſcum *in Probo*, c. 4. *aureos Antoninianos centum*, argenteos Aurelianos *mille*, *aereos Philippeos* &c. Caſaubonus maluit *Aurelianeos*, ſed nihil mutandum cenſet Salmaſ. ut qui obſervavit, his nominibus, quæ formam primitivam habent, etiam uſos eſſe Veteres pro derivativis. Sic *Sodales Antoninos* & *Menſem Antoninum*, ſic *Maximinos milites*, apud Hiſtoriæ Aug. Scriptores legimus.

AURELIANI Sodales, memorantur Jul. Capitolino *in M. Antonino Philos.* c. 7. ubi Marcus & Verus Imperator. dicuntur ambo Antoninum Pium Patrem *laudaviſſe pro Roſtris*, *Flaminemque ei ex affinibus & ſodales ex amiciſſimis* Aurelianos *creaviſſe*: Servatque memoriam vetus lapis, SODALI. MARCIANO. AURELIANO. Vide Caſaubon *ad Capitolin. cit. loc.*

AURELIANIS Urbs, ſicut *Puteolis colonia* &c. pro *Aurelia* urbs, vide ibi.

AURELIANUM, Auſtriæ ſuperioris oppid. *Lavio*, hodiè *Lintz* dictum, cum eximio caſtro Archiducum, prope ubi Traun fluv. in Danubium cadit.

AURELIANUS Luc. Domitius, Hungarus, aliis Dacus vel Mœſus, de plebe, Imperator ſalutatus eſt à Legionibus, poſtquam per omnes militiæ gradus cum laude emerſiſſet. Pepulit Pannoniâ Scythas, & acie victos, pacem petere coëgit. Prope Placentiam Marcomannos ſuperavit. Quibus victoriis partis Romam reverſus, ſeverior erga omnes eſſe cœpit, *bonus Medicus*, *niſi quòd nimium ſanguinis mitteret*. Contra Chriſtianos nonam, ut Auguſt. octavam, ut alii, perſecutionem excitavit: vel potius ſibi propoſuit, ut *Oroſius* & *Sulpic. Sev.* ſcribunt: Porro Zenobiam, quæ, mortuô maritô Odenatô, Orientem tenebat, prœliô ſuperatam in triumpho duxit. Hujus tandem libertus Mneſtheus aliique Principis iram timentes, catalogum proſcriptorum mentiti ſunt, ſicque in Imperatoris necem illos, quorum nomina in catalogo ſcripſerant, incitârunt. Ita occiſus eſt in loco, qui *Cœnophrurium* dictus, inter Heracleam & Byzantium, cum in eo eſſet, ut Perſas bellô adoriretur. A. C. 275. imperii 6. Vopiſcus *in Aureliano*, Eutrop. *l.* 9. Caſſiodor. & Euſeb. *in Chron.* qui addit, Paulum Samoſatenum, Epiſcopum ſede deturbatum fruſtra ab Imperatore auxilium petiiſſe. Vide etiam *Balſam*. *Zonaram*. Hujus tanta fuit liberalitas, ut tunicas virium per populum dederit, item frumentum & oleum cum vino; crudelis tamen, ut qui ſororis ſuæ filium interfecit. Sext. Aurel. c. 49. 50.

AURELIANUS, Proconſul Ciliciæ, nepos filiæ Aureliani Imperatoris memoratus Fl. Vopiſco in *Aureliano*, c. 42. *Aurelianus filiam ſolam reliquit, cujus poſteri etiamnunc Romæ ſunt.* Aurelianus *namque fuit Conſul Ciliciæ, Senator optimus, ſui verè juris vitaque venerabilis, qui nunc in Sicilia vitam agit, cujus eſt nepos.*

AURELIANUS, Archiepiſcopus Arelatenſis, vicarius Romanæ ſedis à Vigilio creatus, A. C. 546. ſubſcripſit Concilio 5. Aurelianenſi, A. C. 549 & ab eodem Epiſcopo anno poſt Childebertum rogare juſſus eſt, ut Totilam ad mitiora conſilia inflecteret. Tom. 5. *Concil. Uſuardus*, *Sirmondus*, San Marthani fratres, *in Gallia Chriſt. tom.* 1. *p.* 41.

AURELIANUS, Clericus Eccleſiæ Remenſis, Muſicus excellens, ſcripſit *Tonarium Regularem*, aliaque. Trithemius *in Catal.* Barthius, *Adverſ. l.* 43. *c.* 7.

AURELIANUS, cognomentô militari *Manu ad ferrum*, quòd gladii exerendi cupidus eſſet. Vide *Aurelianus* Imperat. Alius eôdem tempore in exercitu Tribunus fuit, cum Valeriano Imperatore à Perſis captus, apud Fl. Vopiſc. in *Aureliano*. c. 41.

AURELIANUS Feſtus, corruptè *Feſtivus*, ex Vopiſco: ubi & *Aurelius* Palatin. codex habet. *Gruterus*. Fuit autem libertus Aureliani Imperatoris & *Firmi Vitam* ſcripſit. Vopiſcus *in Firmo*. c. 6.

AURELIANUS Peſcennius, inter nobiles Romanos, ſine cauſæ dictione, juſſu Severi Imperatoris occiſos, apud Æl. Spartian. *in Severo Imper.* c. 13.

AURELIANUS Tacitus, primæ ſententiæ Senator, memoratur Fl. Vopiſco in *Aureliano*, c. 41.

AURELII, quanquam plebeii, à Sabinis Romam venerunt, de quibus *Feſtus*: Aureliam Familiam ex Sabinis oriundam à Sole dictam putant, quòd ei publicè à Populo Romano datus ſit locus, in quo ſacra faceret Soli. Hæc gens cognomina Cottæ, Oreſtis & Scauri tulit, quæ conſularia, cenſoria & triumphalia fuit. *Nic. Lloydius*. Idem nomen varii Imperatores ſibi aſcivêre. Plerique enim novi homines, qui ad Imperium conſcenderunt, nomina & prænomina nobilium Romanorum libenter & licenter aſſumpsêre; atque inter hos non pauci *Aurelii* imprimis nomen amplexi ſunt. Sic Claudius II. ſecundum quoſdam *Aurelius Claudius* dictus eſt: Sic *Aurelius* Carus, *Aurelius* Carinus, *Aurelius* Numerianus. *Aurelius* Diocletianus, *Aurelius* Maximianus. Imò in mediis illis Imperatoribus plures *Aurelios* & *Valerios* reperias appellatos, quàm aliô quôvis nomine: ſed & utrumque aliquando nomen junctum, *Aurelii Valerii*. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Probo*, c. 2.

AU-

AURELIOPOLIS, urbs Aſiæ minoris Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Epheſino, *Miræus*.

AURELIUS, Roman. Imperat. Vide *Marcus Aurelius*.

AURELIUS Carus, Roman. Imperat. cum biennio regnâſſet, in caſtris ſupra fluv. Tigridem exanimatus fulmine occubuit. *Flav. Vopiſcus*.

AURELIUS, V. Rex Oviedi, poſt Troilam fratrem, juſſu ſuô, Toleti occiſum. Pacem ab Abderamo tributô annuô & magnô virginum numerô redemit. Obiit A. C. 775. regni 7 Rodericus, Mariana. *l. 7. c. 6*.

AURELIUS, Epiſcopus Carthaginenſis. Circa A. C. 400.

AURELIUS, pictor nobilis tempore Auguſti Cæſaris, Plin. *l. 35. c. 10*.

AURELIUS Alexander, urbe Arcenâ genitus, Varii filius, Varii nepos, conſobrinus Heliogabali, hôc occiſô, accepit Imperium. Vide Æl. Lamprid. in *Vita Alexandri Severi*, c. 1. ut & in voce hac.

AURELIUS Alexander, optimus fuit aruſpex, augur excellens, muſicus inſignis, qui orationem eruditiſſimè ſcripſit. Quibus rebus tantam impendit operam, ut conſueverit in conviviis legentes audire, vel aliis veſcentibus legere.

AURELIUS Ambroſius, civis Roman. Britonum Dux, Saxones, Reginæ gratiâ ſuperbos, & aliquoties victores, fudit fugatque, uno in prælio Horsâ, in altero Hengiſtô interemtô, A. C. 456. Polydorus Virg. *Hiſt. l. 3*. Occubuit poſtmodum, in prælio cum Oſca & Othamo, Hengiſti filiis, Rege Vortimerô in turre quadam combuſtô, cui Utherius Pendracus ſucceſſit. Idem. Vide *Ambroſius*.

AURELIUS Apollinaris, vitam Cari Imperatoris ſcripſit.

AURELIUS Apollinaris, Jamborum Scriptor, Cari Imperatoris geſta in literas retulit, ab hujus filio Numeriano iisdem Imperat. victus. Vopiſc. in *Numeriano*, c. 11. *Verſu autem* (hic Imperator) *talis fuit, ut omnes Poëtas ſui temporis vicerit. Nam & cum Olympio Nemeſiano contendit* --- *&* Aurelium Apollinarem, *Jamborum Scriptorem, qui patris ejus geſta in literas retulit, iisdem, quæ recitaverat, editis, veluti radiô Solis obtexit*.

AURELIUS Auguſtinus, natione Afer, Tagaſte in Numidia natus, matre Monicâ, patre Patriciô, Epiſcopus Hipponenſis: *Latinorum Theologorum Coryphæus*, Illyrico, *Validiſſimus Hæreticorum malleus*, Bernardo; *Magnum illud Africæ decus*, Jac. Reihingio. De eodem Eraſmus in *Epiſt. præfixa operibus Auguſtini*: *In Athanaſio*, inquit, *ſuſpicimus ſeriam ac ſedulam docendi perſpicuitatem, in Baſilio, præter ſubtilitatem, exoſculamur piam ac mitem ſuaviloquentiam: in hujus ſodali Chryſoſtomo ſponte profluentem orationis copiam amplectimur, in Cypriano Spiritum veneramur martyrio dignum, in Hilario grandi materiæ parem grandiloquentiam, atque ut ita loquar cothurnum admiramur; in Ambroſio dulces quoſdam aculeos & Epiſcopô dignam amamus verecundiam, in Hieronymo divitem Scripturarum penum optimô jure laudamus, in Gregorio puram nulloque fucô contaminatam ſanctimoniam agnoſcimus &c. In Auguſtino hæc omnia, quaſi voluerit opulentus ille Spiritus juxta ac benignus, in una tabula vividum quoddam Epiſcopi exemplar repræſentare, omnibus virtutum numeris abſolutum*. Obiit A. C. 433. ætat. 76 ſecundùm alios A. C. 430. in obſidione civitatis Hipponæ. Ejus opera variis in locis, vicibuſque ſunt excuſa, tom. 10. vel 11. fol. Editiones præcipuæ ſunt Baſileenſis Frobeniana A. C. 1539. Antverpienſis Plantiniana A. C. 1577. & Pariſienſis ſub ſigno Magnæ navis A. C. 1586. & 11. tomis ibidem A. C. 1657. *Labbæus*. Vide plura in voce *Auguſtinus*.

AURELIUS Brandolinus, cognomine *Lippus Florentinus*, auctor Hiſtoriæ V. T. &c. obiit A. C. 1498.

AURELIUS Caſſiodorus, vide *Marcus*.

AURELIUS Conanus, Aurelii Ambroſii nepos & ſucceſſor, vitiis infamis.

AURELIUS, vide *Cornelius*.

AURELIUS Cotta, vide *Cotta*, it. *Cajus*, *Lucius* & *Marcus*.

AURELIUS Fulvius, fil. Titi *Aurelii* Fulvii bis Conſulis, & ipſe fuit Conſul, *homo caſtus & integer*, pater Antonini Pii Imperatoris ex Arria Fadilla, Jul. Capitolin. in *Antonino Pio*. c. 1. Regius codex ſemper habet *Fulvus*, quod Conſularibus Faſtis firmatur. Caſaubon *ad Capitolin*.

AURELIUS Fuſcus, Conſularis primæ ſententiæ, apud Pollionem in XXX. *Tyrann*. c. 21. Lege *Avellius* & vide *ibi*.

AURELIUS Gordianus, Conſul. Roman. apud Flav. Vopiſc. in *Aureliano* c. 41

AURELIUS Julianus, vide *Marcus*.

AURELIUS Olympicus Nemeſianus, Poëta, Afer genere, patriâ Carthaginenſis, floruit ſub Caro, ejuſque fil. Carino & Numeriano. Scripſit *Cynegetica*, *Nautica*, & *Halieutica*. *Nic. Lloydius*. *Eclogas quaſdam*, Lilius Girald. *de Poët*.

P. **AURELIUS** Opilius, Muſas ſcripſit, A. Gell. *l. 1. c. 25*. Videatur *Caſſiodorus*, *Prudentius*, &c.

AURELIUS Oreſtes, vide *Lucius*.

AURELIUS Philippus, ex præceptoribus Alex. Severi, cujus vitam ſcripſit. Lamprid. *in Severo*, c. 3.

AURELIUS Probus, baphiorum præpoſitus, inventor generis purpuræ longè clariſſimi, quæ ab eo nomen accepit. Æl. Lamprid. in *Alexandro Sev*. c. 40. *Purpura clariſſima* - - - *ad vendendum graviſſimum exactor fuit: -- ita ut Alexandrina purpura hodieque dicatur, quæ vulgò Probiana dicitur, ideircò quòd* Aurelius Probus *baphiis præpoſitus id genus muricis reperiſſet*. Senſus eſt, Clariſſimæ purpuræ genus, *Probianum* vulgò ſuâ ætate appellatum ab inventore quodam Probo, *Alexandrinum* etiam fuiſſe dictum de nomine Alexandri, quippe quô nomine clara omnis purpura in genere dicebatur, adeoque & ſpecies hæc muricis, vulgo *Probiani* dicti. Salmaſ. *ad Lamprid. loc. cit*.

AURELIUS Prudentius, Hiſpanus, primam ætatem poſuit in agendis cauſis, demum ad Præfecturam Theodoſii patrociniô conſcendit. Scripſit egregia opuſcula eleganti carmine, quæ extant.

AURELIUS Verus, Hiſtoricus Latin. Severi vitam ſcripſit. Vixit ſub Diocletiano. Lamprid. *in Alex. Severo*.

AURELIUS Victor, cognomine *Pinnius*, Hiſtoricus. Jul. Capitolin. *in Macrino*, c. 4.

AURELIUS Victor Sextus, ſub Juliano Apoſtata, ſcripſit Hiſtoriam virorum illuſtrium à Procante ad Cæſarem, Vitas Cæſarum, de origine gentis Roman. &c. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 2. c. 8*. Vide & *Sextus*.

L. **AURELIUS** Cejonius Commodus Verus Antoninus, ab Adriano Imperatore adoptatus, ante ipſum tamen mortem obiit, dictus etiam *Ælius Verus*; vide in hujus *Vita* Æl. Spartian. *c. 2*.

M. **AURELIUS** Antoninus, vide *Antoninus Philoſophus*.

M. **AURELIUS** Antoninus Baſſianus, fil. major natu Severi Imperatoris Patre contra Albinum eunte, *Cæſar*, appoſitô Aurelii Antonini nomine, appellatus, poſt obitum Patris ad Imperium pervenit, *Antonini Caracalla* nomine inſignis. Vide ibi.

M. **AURELIUS** Claudius, in *Inſcr*. quæ Benaci extat, ab Onuphrio obſervatâ, dictus eſt, qui in nummis paſſim *Fl. Claudius* nominatus, eôdem teſte, Imperator hujus nominis ſecundus, cujus vitam Treb. Pollio literis conſignavit. Vide in voce *Claudius II*.

T. **AURELIUS** Fulvius, per honores diverſos ad ſecundum Conſulatum & præfecturam Urbis pervenit, avus per Aurelium Fulvium fil. de quo ſuprà, *Titi Aurelii Fulvii Bojonii Antonini Pii* Imperatoris, cujus ſub nomine *Antonini Pii* vitam ſcripſit Jul. Capitolin. *Fulvum* alios habere, diximus ſuprà.

S. **AURELIUS** Victor, epitomen vitæ Imperatorum edidit, ſub Arcadio & Honorio. Voſſ. *Hiſt. Lat. l. 2. c. 15*.

AUREM perforandi ritus, in perpetuæ ſervitutis ſignum, occurrit Exodi c. 21. v. 5. & 6. *Quod ſi dixerit ſervus, Diligo dominum meum, & uxorem ac liberos, non egrediar liber: Offeret eum dominus Diis, & applicabitur ad oſtium & poſtes, perforabitque aurem ejus ſubulâ, & erit ei ſervus in ſeculum*. Hæc nempe forma erat apud Iſraëlitas mancipationis continuatæ, poſtquam ſervus publicè proteſtatus eſſet, ſe certô conſiliô ſibi libertatem ſuam abjudicare; quod herus adductum eum ad poſtem & januam, eidem januæ vel poſti eum applicaret, & ſubula aurem perforaret. Qualis autem janua hîc intelligenda ſit, an porta publica civitatis, quod ibi exercerentur judicia: an janua domus domini, ſub cujus poteſtate manebat ſervus, non adeo omnibus liquet. *Tremellius* & *Junius* de poſteriore verba hæc capiunt: ut & Vulgata, Deuteron. c. 15. v. 17. ubi *Perforabis*, inquit, *aurem ejus in janua domus tuæ*; quæ vera interpretatio eſt. Per hanc enim applicationem ſervi ad oſtium vel poſtem domus heri, ſignificabatur eum domui heri ſui quaſi fixo mancipari, ut nunquam domô exire poſſet, ſine heri venia. *Auris* verò perforabatur in hujus rei ſymbolum: cùm enim *Auris* obedientiæ ſit hieroglyphicum & ſervitutis, meliùs perpetua ſervitus ſignificari non potuit. Hinc eſt, quòd in Oniroeriticis, ſomniare plures aures, aut aſininas aures habere, ſervitutem diuturnam portendere dicitur. Admonebatur igitur hôc ritu ſervus perpetuæ obedientiæ, quâ heri ſui mandata, etſi aliquando dura & gravia, & velut aures terebrantia, excipere & exequi deberet. Ad quem morem, David Chriſti typum gerens, videtur alluſiſſe, Pſ. 40. v. 7. אזנים כרית לי *Aznajim Karitha li* h. e. *aures perfodiſti mihi*. Quaſi diceret, habebis me perpetuò addictum tibi ſervum, atque obſequentem, ut illi heris ſuis addicuntur, quibus auris perforatur &c. Vide Andr. Rivetum *Com. in Exodum dicto l.* & infrà aliquid, ubi de *Libertus*, it. voce *Subula*. *In India Bramidæ duodecim dies natis, aures eorum ſimiliter* perforantes, *tribuunt nomina. Tapuyarum etiam pueri octavo circiter anno, quoad auriculas & Labium inferius perforati, hôc ratione demum in hominum numerum dicuntur adſciſci*, verba ſunt Jo. Chriſtiani Sagittarii *Corpuſculo Hiſtorico-Heraldico p. 57*. Alia perforatio *Aurium* à luxu eſt: in utroque ſexu. De maſculo, vide ſuprà, ubi de *Achillis ſtatua*. De fœmineo ſic Plin. *l. 12. c. 37*. *Non in alia parte feminis majus impendium, margaritis dependentibus*: & *l. 9. c. 35*. *Et proceritatibus* (margaritis) *ſua gratia eſt, elenchos appellant faſtigatâ longitudine, alabaſtrorum figurâ in pleniorem orbem deſinentes. Hos digitis ſuſpendere ac binos & ternos* auribus, *feminarum gloria eſt*. Vide infrà ubi de *Inauribus*. Atque hinc *Aurium feneſtra* memorantur Juvenali *Sat. 1. v. 104*.

> *Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ*
> *Arguerint.*

Hic enim Dalechampius, ritum in Oriente viris uſitatum, aurum in auribus geſtandi, indigitari ait, *Annotat. ad Plinium*. Qua de re vide infrà, ubi de *Feneſtratis Auribus*. Sed & *Flores in auribus* videbimus ſuô locô.

per **AUREM** teſtes attrahendi ritus, occurrit *L. Bajuarior. tit. 15. c. 2. Ille teſtis per aurem debet eſſe tractus, quia ſic habet. Lex veſtra*. Item *tit. 16. c. 2. & 6*. In *Charta*, exarata ann. 35. Caroli M. in *Metropoli Salisburg. Tom. III. p. 322*. *Coram reſidentibus & adſtantibus multis & teſtes uſu Bajoariorum* per aures *ex utrinſque partibus tracti*, &c. Sic *aures torquendi & alapas dandi mos*, in *L.* Ripuariorum memoratur *tit. 60. §. 1*. *Ad locum traditionis cum eodem numero pueris accedat* --- *& ſic eis præſentibus pretium tradat, & poſſeſſionem accipiat, & unicuique de parvulis alapas donet & torqueat auriculas, ut ei poſtea teſtimonium præbeant*. Vide quoque *LL*. Alemann. *tit. 94*. E quibus diſcimus, olim teſtibus vellicatas & tractas aures & alapas inflictas, quò teſtimonii a ſe editi vel edendi memoriam ſervarent: quod apud priſcos Romanos in uſu fuiſſe legimus. Qui enim in jus vocabat, ei, cui litem intendebat, denunciabat, ut ad Prætorem veniret: qui ſi parebat, Prætor adibatur, ſin minùs, qui vocabat, teſtem adducebat, ejuſque *auriculam* vellebat, atque ita adverſario injiciebat manum. Alioqui niſi anteſtatus eſſet, manum

num injicere & ad Prætorem Judicemque eum rapere non licebat, eratque injuriarum actio adverſus eum, qui ſecus fecerat, comparata. Plautus in *Perſa*, *Act.* 4. *ſc.* 9. *v.* 10.

> *Do. Nonne anteſtaris? Sa. Tuan' ego cauſſa, carnufex*
> *Cuiquam Mortali libero aures atteram?*

Virg. *Eclogâ* 6. *v.* 3.

> —— —— *Cynthius aurem*
> *Vellit & admonuit*, &c.

vide quoque Horat. *l.* 1. *Sat.* 9. *v.* 76. Meminit ejuſdem ritus Clemens quoque Alex. *l.* 5. *Strom.* Extatque eo Lapillus antiquus Gudonis Laurini, cui inſculpta erat manus atterens auriculam, cum hac inſcript. MNHMONEYE i. e. *Memor eſto*, uti refert Rævardus *ad LL. XII. Tabb. c.* 5. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Plura vide ſuprà paſſim, inprimis ubi de *Anteſtandi ritu*, ut & infrà, in voce *Auris*.

AUREOLÆ, in Eccleſia Romana, dicuntur præmia alterius vitæ, quæ, præ reliquis beatis, iis collatum iri, qui *opera*, ut vocant, *ſupererogationis*, præſtiterint, ajunt. De his Joſephus Angles in 4. *ſent. diſt.* 49. *artic.* 6 *concluſ. ult.* *Quòd in corporibus Virginum*, inquit, *Martyrum atque Doctorum, erant inſignia quædam, quibus hujuſmodi* Aureolas *in Animâ habere pia ſe ſerent: quòdque Virgines in capite aliquam coronulam albam, Martyres rubeam, & Doctores viridem geſtabunt.* Qua de re cùm aliter ſentiret Claudius Sequenotus, dicens, *Aureolam illam eſſe novorum Scholaſticorum inventum, de quo Patres nunquam ſint locuti, nec etiam primi Scholæ Doctores; cujus in Scripturâ fundamentum nullum reperitur*, à Sorbona atro notatus eſt calculô, uti refert Rivet. *Summ. Controv. Tract.* 2. *quæſt.* 58. Rem decidit Auguſtin. *in Pſalm.* 102 *Ego coronat te*, ait, *qui dona ſua coronat, non merita tua. Plus omnibus illis laboravi, ait Apoſtolus, ſed vide quid adjungit, non ego, ſed gratia Dei mecum. Et poſt labores omnes expectat ipſam coronam, & dicit, Bonum agonem certavi, fidem ſervavi, curſum conſummavi. De cætero repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam mihi reddet Dominus in illa die juſtus Judex. Quare? quia agonem certavi. Quare? quia curſum conſummavi. Quare? quia fidem ſervavi. Unde certaſti? unde fidem ſervâſti? non autem ego, ſed gratia Dei mecum. Ergo quòd coronaris, illius miſericordiâ coronaris.* Vide quoque eum *Tom. VII. de gratia & libero arbitr. ad Valentinianum c.* 6.

AUREOLI Homines, apud Veteres pro præſtantibus, quemadmodum Græcis χρύσεοι i. e. *Aurei*. Imprimis verò id nominis viri inſignibus ergo bonis pugnatoribus ſeu propugnatoribus, in ludo gladiatorio, tributum; Unde Cecropi *Aureolus*, Vejento *Aureolus*, cognominati, ut indigitaretur, bonos illos pugnatores, & in Arte gladiatoria primos eſſe. Treb. Pollio in *Claudio c.* 5. *Gallus Antipater —— principium de Aureolo ſic habuit, venimus ad Imperatorem nominis ſui. Magna videlicet ejus virtus, ab auro nomen accipere. At ego ſcio, ſæpius inter gladiatores bonis pugnatoribus* (Pal. habet *Propugnatoribus*) *hoc nomen appoſitum.* Vide Salmaſ. *ad loc.* & ſuprà in *Aurei*.

AUREOLI Piſces, Sinenſium deliciæ. Iis celebris lacus eſt 200. jugerum in monte *Cienking*, prope *Changhoa*, in *Chekiang* provinc. ſub urbe *Hangcheu* ſeu *Quinſai*. Fulvi ſunt coloris & per certa intervalla aureis quodammodo lineis interſecta micat cutis, totumque dorſum aureo veluti pulvere inſperſum eſt. Magnitudo eorum digitum non excedit & tamen triſurcata, biſurcata, ſubinde etiam ſimplici & lactori caudâ armati ſunt; unde aſpectu jucundiſſimi, magnoque apud Sinenſes in pretio; quos proin ſtudioſè domi aut in viridariis alunt, pulcherrimis ad id adornatis vaſis. Certè os ſubinde Magnates ipſi manu ſuâ cibum porrigere ſolent; tum quaſi nôſſent, cui domino ſerviant, quantamque ſuô aſpectu voluptatem illi concilient, ſæpè cum adeſt colludunt. Cùm itaque omnibus ea partibus, quas Sinenſes expetunt perfecti ſint, ad duos treſque aureos unius quandoque pretium aſcendit. Auctor Anonymus *Sina & Europa c.* 42.

AUREOLUM, caſtrum agri Faventini, *Oriolo*, inter Faventiam & Mutilum, à Faventia 4. mill. paſſ. Antiqui tradunt.

AUREOLUS, Illyrici Tyrannus, ad Mediolanum victus, cæſuſque, à Claudio Dalmata, ſub Gallieno Imperatore circa A. C. 270 Eutrop. *l.* 9.

AUREOLUS Petrus, vide *Petrus*.

AUREOLUS Pons, apud quem, teſte *Trebelliô*, Aureolus Tyrannus à Claudio Imperatore interfectus fuit A. C. 270. *Bapt. Egnatius* ait, eum in agro Mediolanenſi extare, vulgoque *Pontirolo*, aliis *Pontirvolo*, vocari. Pagus Ducatus Mediolanenſis in Addua Glarea, regiuncula in confinio Bergomenſis agri. *Maginus*.

AUREUS, monetæ Romanæ nomen. Poſtquam enim argentô jam quoque ſordeſcebant digiti, *deciduâ*, ut Plin. *l.* 33. *c.* 3. ait, *materiâ* & in nummis munditiei auri placuit, percuſſus eſt nummus *Aureus*, annô, ut idem adnotat 15. poſt argenteum, & ſimpliciter *Aureus* appellatus eſt, quippe, cur nominibus hi omnino ſepararentur, cauſâ nullâ exiſtente, cùm omnes unius generis ac indicaturæ eſſent; & ſemiſſes ac tremiſſes aurei demum ab Alexandro Sev. introducti ſint, qui tempore *Solidus* dictus. Primus ſemper 25. denariorum fuit nummorum ſeſtertiorum centum. Unde quæ *dena ſeſtertia* effert Tacitus, ea dicuntur Ulpiano *centeni Aurei*, maximum patrocinii forenſis è legibus honorarium; *Licita autem quantitas intelligitur pro ſingulis cauſis, uſque ad centum aureos*, *l.* 1. *ff.* §. 12. *de extraord. cognit.* Hoc pretium ejus: pondus quod attinet, *Aureus* Romanus ex conſtituto pondere duorum denariorum & victoriati non multò minor, ſemper autem gravior ſtatere Atticô fuit, quidquid avaritia & malæ artes vel his vel illis detraxerint adeoque didrachmus malè à quibuſdam aſſeritur. Seu, ſeptem ſcripulorum & quintæ ſcripuli erat, ac 40. ferebantur è libra: Septies enim quadraginta ſunt 280. quadraginta quintæ partes, ſcripuli faciunt octo ſcripula integra: ita ſunt 288. ſcripula libræ. Pretium tamen *Aurei*, ut dictum, erat 25. denariorum, quaſi ſeptem ſcripulis & ſimpliô vel dimidiatô ſcripulô conſtaret, ut imputarentur in libram nummariam trecenta ſcripula: quæ reſpondent 3000. ſcripulorum argenti, h. e. mille denarii, 4000. ſeſtertium nummum. Ratio itaque ſub Imperatoribus inerat acceſſio illa ſuper ſeptimum ſcripulum: ut ſolent officinæ nummum lucrum non contemnendum putare. Itaque, caneſcente Imperiô, pondus illud paulatim receſſit, ita ut ſtaterem didrachmum veterem Atticum æquaret, quum tamen 25. denariorum ei pretium maneret, molliorem occaſionem dedit Conſtantino, ut pleraque alia, ſic & nummos & proportionem inter aurum, argentum, æs, conſuetudine jam latenter mutatam, decretô mutandi. Solidum itaque pro *Aureo* fecit, quaternorum ſcripulorum ſeu 24 ſiliquarum; quales 72. libræ, ſex unciæ auri attribuebantur; pretio nummi prioris ex proportione, quæ olim inter aurum & argentum fuerat, quaſi tredecim denariorum & duorum obolorum. Sed hos denarios etiam abolevit idem, & pro illis *Milliarenſes* introduxit, graviores denariô, 28. ſiliquarum & 4. quintarum ſiliquæ; quum denarius 18. tantùm ſiliquarum fuiſſet, &c. Sic aurum ex proportione ad argentum decupla, quæ ſub Conſulibus & prioribus Principibus obtinuerat, creverit eò, ut una pars auri quatuordecim & ampliùs commutaretur paribus partibus argenti; Libra argenti, continens Milliarenſes 60 æſtimaretur quinis ſolidis; & ita 14. argenti libræ reſpondèrent 70. ſolidis: h. e. minus duobus ſolidis, quam libræ: quum priùs 10. argenti libræ unam auri & quatuor *Aurei* tantô graviores libram argenti æquâſſent, &c. Vide de his proliæ diſputantem Joh. Fred. Gronovium *de Pecun. Vet. l.* 4. *c. inprimis* 13. Eandem monetam *Aureolum* quoque appellatam fuiſſe, docet Eryc. Puteanus *Pecun. vet. c.* 4 quam diminutionem Martialis innuit non uno in loco: unus hic ſufficerit, *l.* 21. *Epigr.* 28. *v.* 12.

> —— *Centum* Aureolos *ſic velis ære reges*, &c.

Idem Gronovius alibi ſic: *Aureus Romanus, quinque & viginti denariorum pretio, uniformis ſemper fuit, & proin, quia non niſi una ejus ſpecies fuit, non niſi* Aureus *vocatus eſt: Cum contra Argentei trium eſſent generum denarii, victoriati & ſeſtertii. Aliud autem fuit* Aureus Denarius, *qui non Romanæ, ſed peregrinæ monetæ fuit ſpecies, velut* ἡμίχρυσοι *Attici, ſeu dimidiati ſtateres Græcorum. Fuit autem Aureus Roman. ſtatere Atticô, qui ſicut & Crœſius ac Philippeus & Daricus, didrachmus erat, major ac gravior; noſtrô duplô & quaſi dimidiatô major.*

AUREUS Byzantius ſeu *Byzantinus*, nomen aureæ in Imperio Græco vigentis monetæ. apud Tudebodum, Lambertum Ardenſem aliosque Scriptores. A Græcis poſtea tranſiit ad Saracenos & Turcas nomen, ſic tamen, ut ad Græcanicorum nummorum diſcrimen, *Saracenatos Byzantios* plerique mediæ ætatis Scriptorum hanc monetam vocent. Sed & Maurorum quoque Hiſpaniæ Principum *Byzantii* reperiuntur: ut videre eſt infrà, ubi de *Byzantiis*.

AUREUS Mons, Corſicæ inſulæ. *Ptolem. Monte Gradachio Leandro.*

AUREUS Mons, Hungariæ, *Mathecgh Lazio*, cujus meminit *Liber Notit.* *In Mœſia* prima, item *Aurelius Victor*.

AUREUS Numerus, vide infrà *Meton*, it. *Numerus aureus*.

AURI Adamas, Α'δάμας Græcis, dictum eſt, quod cum reliquo auroſo lapide (quâ voce indigitatur lapis auri venâ micans; Græcis λίθος χρυσίτης) in farinam moli non poteſt, nec pilis ferreis comminui, ut apud *Pollucem* videre eſt. Aliàs *Flos auri*, quod optimum aurum ex eo fieret & puriſſimum. *Heſych.* ἀδάμας, τὸ ἀπάλαιστον χρυσίον. Item *Auri nodus*, Plin. *l.* 37. *c.* 4. *Adamas diu non niſi Regibus & iis admodum paucis cognitus, ita appellatus auri nodus in metallis repertus.* Nodoſa videl. illa auri durities, in marmore auroſo, quæ purum putum aurum exhibet. Nempe grana illa auri pura, quæ in metallico lapide inveniebantur, Græcis ἀδάμαντος nomine veniebant, item κέγχρος, ut videbimus infrà in voce *Centrum*. Cujuſmodi grana in Æthiopicis metallis non ampliora cucumeris ſemine reperiri ſolita, tradit Ariſtoteles, an Theophraſtus, *l.* περὶ μετάλλων. Agatharchides in Arabia, apud Aliläos, effoſſum ſcribit, minimâ magnitudine nuclei, mediâ meſpili, maximâ juglandis nucis, quod nullâ purgatione & coctione indigeret, Græcis hunc ἄπυρον & ἄπεφθον vocatum. *Strabo* in Hiſpania maſſas auri puri refert inveniri ſelibres, ſed in ramentis. Idem *iisdem* diſſectis lapidibus, inventas glebulas θηλαμωνικὰς, *inſtar papillarum*, addit. In eadem, Plinius in puteis maſſas inveniri prodit denas excedentes libras, *palacas*, an *palacranas*, quô nomine *maſſas* Græci dicunt) indigenis dictas. De Auri puri maſſis, quæ in Novo Orbe viſebantur, quum illuc pedem primò Hiſpani intulerant, videndi Auctores, mira de earum magnitudine narrantes &c. Uti autem in auro Α'δάμας puri auri granum dicebatur, quia cum reliquo lapide metallico in farinam moli non poſſet: ita in argenteis fodinis κέγχρος, vel ἄσκεχρος, i. e. *milium*, vocabantur parva grana meri argenti, quæ in vena ſcintillabant. Qua de re vide multis differentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1075. & *ſeqq.*

AURI elimandi ars Hebræis jam ab antiquo innotuit, ut quâ Moſen jam, in elimando vitulo aureo atque in tenuiſſimam ſcobem redigendo, uſum fuiſſe volunt, Syrus Interpres, Chaldæi item & Arabes *Exod. c.* 32. *v.* 20. Certè Joſephus Salomonis equites narrat ψῆγμα χρυσοῦ, i. e. *ſcobem auream*, quotidie capillis ſuis ſic inſperſiſſe, ut Solis repercuſſu illuminati ſplenderent, *Antiqq. l.* 8. *c.* 5. Quomodo Trebellius Gallienum *crinibus ſuis auri ſcobem aſperſiſſe*, & Lamprid. *c.* 17 *Commodum capillô ſemper fucatô auri ramentis & illuminatô fuiſſe*, tradit. Neque enim illa *auri* ramenta ex Tagi aut Pactoli arenis, ſed ex auri maſſis deſumpta, quas limâ eradebant, ut ſcobem decidentem capiti inſpergerent. Sic itaque & Moſem veriſimile eſt, vitulum pariatum attriviſſe, atque in ſcobem contudiſſe: unde & *molviſſe* dicitur, quia auri ramenta tam minuta fuêre, quàm quæ in piſtrino fuêre commolita. Idem ſcobem hanc ideo in aquas conjeciſſe, & eas aquas populo bibendas obtuliſſe, pleriſque Hebræis dicitur, ut idololatriæ reos cognoſceret. Hinc Jonathan in *Paraphr.* *Et potavit filios Iſraelis*, inquit, *&*

quisquis ibi dederat vas aliquod aureum (ad vituli confectionem) in ejus ore ſignum apparebat. Et in *Tanchuma fol.* 47. *b.* & in *Notis* Rabbi Salomonis, hæ aquæ conferuntur cum aquis adulteræ, tanquam eâdem vi pollentes, &c. Ad quorum ſententiam valde accedit, quod aliquot retro ſeculis multi docuerunt, omnes idololatriæ reos, poſtquam aquas hauſiſſent aureâ ſcobe aſperſas, barbâ aureâ fuiſſe inſignes. Vide Petrum Comeſtorem *Hiſtor. Exodi c.* 73. Nauclerum *Chron. Gener.* 27. Bibliorum Tranſlat. Gall. vet. inchoatam A.C. 1289. *in Notis ad d. l.* ut alios omittam. Unde Petrus de Riga in *Aurora ſua*,

> *Hebræi tradunt Moſen feciſſe, quod audis,*
> *Ut fieret ſolis hac ratione reis.*
> *Nam rutilans aurô monſtrabat barba nocentes,*
> *Dum potabô latices fluminis ore bibunt.*

Sed Moſen & Levitas, habuiſſe notam aliquam διαγνωςικὴν, quâ vituli cultores à reliquis dignoſcerent, ne pro his illi cæderentur, nullô fundamentô nititur: *Univerſus* enim *populus reus* fuit, ut diſertè habetur Exodi. 32. v. 5 &c. Plura hanc in rem vide apud Sam. Bochart *part. prior. Hieroz. l.* 2. *c.* 34 & infrà in *Aurea Barba.*

AURI Flos, nonnullis electrum dicitur, aurum videl. argento mixtum. *Heſych. & Suidas,* Ἄνθιμον, ἄκρατον χρυσίον. Unde Plin. *l.* 33. *c.* 4. 5. *argentum auri ſcoriam* appellat: alii *ſpumam.* Hinc *ramenta in aurum ſpumantia* apud Manilium, *l.* 5. de *Auricoctore* ſeu χρυσοψητῇ,

> *Parvaque ramentis faciet momenta minutis,*
> *Pro tali ut regerat cenſu ſpumantia in aurum.*

Et quia aurum mollioris naturæ ad fuſuram ac inde facili liquoris, contrà argentum difficilius & magis ignibus invictum: ac proin in auro fundendo & excoquendo extra ejicitur materia durior, multò argentô mixta; inde *Florem* hunc *auri* ſeu ſpumam ἀδάμαντα dictum quoque nonnulli volunt. Quemadmodum in ferro aciem induratam ἀδάμαντα etiam vocavêre Veteres. Sed verius *Auri Adamantem* ſeu *Nodum* vocatum eſſe auri τὸ ἀπυρον, i. e. partem ejus duriorem, velut nodum, ſeu micas auri puriſſimi, quæ cum reliquo auroſo lapide in farinam moli non poſſit, nec pilis ferreis comminui, ut diximus ſuprà, ubi de *Auri Adamante.* Ex hoc electro autem, ſeu auri purgamento, clavi olim fiebant, in pedibus lectorum, qui & ipſi ἀδάμαντα dicebantur. Ariſtophanes in *Equitibus,*

> Ἐκκεκόψεται τὸν ἀδάμαντα, κ̕ τὰ τῶν ἐν δ' ἰσάντϑ.

Aliud verò eſt electrum, quod idem cum ſuccino, de quo infrà: Plura verò de *Auri Flore* vide apud Salmaſ. *ad Solin: p.* 1081.

AURI Maſſa, vel AURI ILLATIO vel AUREA MASSA, quòd à tributariis penſitabatur, vel à vectigalium publicorum ſuſceptoribus in *maſſam* conflatum ad ſacras largitiones tranſmittebatur, ut eſt in *l.* 13. *Cod. Theodoſ. de Suſceptor.* quâ Valentinianus Aug. ſanxit, ut tributariis facultas eſſet, vel ſolidos ſolvere, vel materiam auri, quam exſolvere tenerentur ſuſceptoribus, in maſſam redigere: atque iidem ſuſceptores ſolidos ipſos ſi recepiſſent, in maſſam pariter redactos, ad ſacras largitiones tranſmitterent, ſub quarum Comite militavit *Primicerius aureæ maſſæ,* ut eſt in *Notit.* Imperii, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* vide quoque ſuprà *Auri Adamas.*

AURI Nodus, *Plinio* dicitur meri auri maſſula, in metallis repertus, quæ etiam *Auri Adamas,* uti vidimus ſuprà.

AURI Scobs, non crinibus ſolum olim, potuique inſperſa, ut paulo antè diximus, ſed & *ſcobe auri porticum ſtravit ac argenti* Heliogabalus, *dolens quod non poſſet & electri itique frequenter, quacunque fecit iter pedibus, uſque ad equum vel carpentum, ut fit hodie de auroſa harena,* Æl. Lamprid. in *Vita* Heliogabali. *c.* 31. vide quoque infrà in voce *Auroſa arena.*

AURI Vena, in metallis: unde aurum effodiebatur, dictum eſt id, quod in glarea ac reliquo lapide, marmoris inſtar, nitebat; μαρμαρυγὴν ἔχουσα πέτρα, & πέτρα ἀποςίλβουσα, & μαρμαρον, *Diodoro* poſt *Agatharchidem.* De qua Plin. *l.* 33. *c.* 4. ubi de Hiſpaniæ aurifodinis, *Quod puteis foditur, Canalicium vocant, alii Canaliense: marmor id glareæ inhærens, non illo modô, quo in Oriente Sapphiro atque Thebaico aliisque in gemmis ſcintillat, ſed micans amplexu marmoris.* Nempe in ſapphiro & Thebaico lapide & multis aliis gemmis auri guttæ ſcintillant. Non eô modô in glarea auroſa, vel lapide auri venis divite, aurum micat, ſed in modum marmoris nitidi fulget. Cujuſmodi lapis ſive marmor cædebatur; cæmenta in mortariis lapideis pilô ferreô pinſebantur, donec in fruſta comminuerentur, magnitudinem ervi æquantia. Ea dein fruſta in molam mittebantur, ibique molebantur, adeò ut farina videretur. Poſtmodum aurum ſecernebatur, lavabatur, coquebatur, ut videre eſt apud *Agatharchidem,* Diodorum Sic. *l.* 3. Plinium *loc. cit.* Alios. Quia verò in hujuſmodi lapide auroſo, quem ſic dicere liceat, uti *Auroſam arenam,* Lamprid. *Heliogab. c.* 31. vocat, ſæpe ἀπυρα occurrebant, vel micæ auri puriſſimi, quæ comminui frangique non poterant, eæ ſeligebantur, nec cum reliquo pulvere coquebantur, uti diximus ſuprà, in voce *Auri Adamas.* Plura vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1075. uti de *Auri coctoribus* infra aliquid, ubi de *Obryzo auro.*

AURIA, Callaicorum in Hiſpania oppid. ad Minium fluv. hodiè *Orens.* Quibuſdam ſunt *Aquæ calidæ.*

AURIA Joſephus, vide *Doria.*

AURICABEO, vide ſuprà in *Anclabeo.*

AURICHALCUM, ex *auro* & *ære,* quod Græcis χαλκὸς eſt, multis conflata vox videtur, *Feſto,* Servio in *Æn. l.* 12. *v.* 87. Iſidoro *Origin. l.* 16. *c.* 19., Ambroſio in *Apocal. c.* 1 Primaſio in *eandem, Heſychio,* aliis. Sed verum metalli hujus nomen ὀρείχαλκος eſt Græc. unde Latinis *Orichalcum,* Horatio *de Arte,* v. 202. Virgilio *loc. cit.* & Statio *Theb. l.* 10. *Orichalcum,* montanum æs: quod illi nomen Veteres ideò videntur indidiſſe, quia vetus erat fabula, è ſylvoſis montibus incendiô correptis præſtantiſſima metalla defluxiſſe, ut de Galliæ montibus, Athen. *l.* 6. de Hiſpaniæ ſaltibus Ariſtoteles in *Mirabil.* de Pyrenæis Diodor. Sic. *l.* 5. &c tradunt. Ut autem error errorem trahit, qui ab *aureo* colore dictum putârunt, hoc nomine deſignârunt vulgare illud æs, quod cum naturâ ſit rubrum, admixtâ cadmiâ, flaveſcit: proindeque aurichalcum auro oppoſuerunt paſſim, tanquam multò vilius, *Servius.* Cicer. *Offic. l.* 3. Sueton. in *Vitellio c.* 6 *Digeſta tit. de contrah. empt. L. Labeo* 45. &c. Unde Apollinaris *Pſ.* 31. *v.* 21.

> Γαμφηλὰς ξεύγνυε ὀρειχάλκοιοι χαλινοῖς,
> *Maxillas conſtringe frenis ex orichalco.*

i. e. æreis. Quin hodieque Gallis æs vulgare *archal* dicitur, i. e. *aurichalcum.* At apud Veteres *Orichalcum* aliud fuiſſe, ære longè pretioſius, nec multum infra auri pretium, res ipſa clamat. Nam in *Critia* Platonis, Atlantidem Inſul. inter cœtera metalla, produxiſſe legimus, τὸ νῦν ὀνομαζόμενον μόνον, τότε δὲ πλεῖον ὀνομαςὸν ---- ὀρείχαλκον ---- πλὴν χρυσοῦ τιμιώτατον, *nunc ſolô nomine notum, olim verò longe celebrius ---- orichalcum ---- omnium exceptô aurô pretioſiſſimum.* Inde apud veteres Poëtas, inter præcipua ornamenta, cum auro *aurichalcum* ſæpe nominatur. Apud Homerum *Hymnô* 3. Horæ Veneri ponunt;

> ------ ----- ἐν τρητοῖσι λοβοῖσιν
> Ἄνθεμ' ὀρειχάλκου χρυσοῖό τε τιμήεντος.
> *in auriculis perforatis*
> *Donum (i. e. inaures) ex orichalco & auro pretioſô.*

In Heſiodi *Scuto* v. 122. Hercules cum aureo thorace induit

> Κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ,
> *Ocreas orichalci incenti.*

Quem imitatus, apud Virgilium Turnus, *l.* 12. *Æn.* v. 87.

> ----- *Aurô ſqualentem alboque orichalcô*
> *Circumdat loricam humeris.*

Sic in Plauto non ſemel, *aurichalco contrà,* id ferè eſt, quod aliis *auro contrà.* vide ejus *Curcul. Act.* 1. *Sc.* 3. *v.* 46. *Militem Act.* 3. *Sc.* 1 *v.* 63. *Pſeudolum Act.* 2. *Sc.* 3. *v.* 22. Unde de Chryſolitis agens Plin. *l.* 37. *c.* 9. *Fundo,* inquit, *includuntur perſpicua, cæteris ſubjicitur* aurichalcum, *quondam etiam & per ſe gemmarum in uſu.* Quaſi velit, *aurichalcum* olim & per ſe in uſu gemmarum fuiſſe apud Veteres vel eô, auri vice, uſos illos ad gemmas includendas. Cæterùm tam rarum inventu nativum *aurichalcum* eſt, ut Plato illud deſcribat *loc. cit.* tanquam ὀνομαζόμενον μόνον, *ſolò nomine notum:* Imò, an verè extet, aut verò unquam extiterit, jam inde ab Ariſtotele controverſa res fuit inter Scriptores, uti videre eſt apud Scholiaſten Apollonii *l.* 4. *v.* 973. Ariſtotelem in *Myſter. Heſychium, Plinium,* Tzetzen in *Heſiod. Etymologum, Phavorinum, Pollucem, Alios.* Tamen æs Demoneſium, pro *orichalco* videtur eſſe habitum, ex Ariſtot. in *Mirabil.* ubi ex hoc ære factas ſtatuas, in urbe Pheneo, quibus *inſcript. Hercules Amphitryonis fil. Elide captâ dedicavit,* ὀρειχάλκους dictas eſſe refert. Idem de ære Moſſynœco ſuſpicatus eſt Bochartus, quod Philoſophus vocat λαμπρότατον καὶ λευκότατον, *maximè ſplendens & album;* quæ ſunt orichalci notæ characteriſticæ. Græci namque tam nativum, quàm factitium orichalcum, *album* deſcribunt: & fortaſſe Hebræis inde dictum eſt נחשת לבנה, *nechoſeth lebana i. e. æs album;* atque ex eo facta fuerit Græcè vox χαλκολίβανος, in Apocal. *c.* 1. *v.* 13. Sed de hoc vide infrà in voce *Chalcolibanus.* Deferebatur autem æs hoc album Tyrum, ex *Tubal & Meſech,* Ezech. *c.* 27. *v.* 13. De *aurichalco* factitio, habes apud *Etymologum,* χίμευσις ἐςὶ χαλκοῦ λευκοῦ τοῦ νῦν εὑρισκομένου, ἐπειδὴ γὰρ ἀνατροπῇ τινι γίνεται λευκὸς, φύσει, adde ex Tzetze; πυῤῥὸς ὤν. *Chymica eſt fuſio æris albi, quod nunc reperitur: illud enim præparatione quâdam fit album, cùm naturâ rubrum ſit.* Cujuſmodi præparatione fiebat orichalcum, in Phrygiæ urbe Andiris, ut his verbis teſtatur *Stephanus,* poſt Strabonem *l.* 13. Ἄνδειρα πόλις, ἐν ᾗ λίθος ὃς καιόμενος σίδηρος γίνεται, εἶτα κατὰ γῆς τινος καμινευθεὶς, ἀποςάζει ψευδάργυρον, εἶτα προςλαβὼν χαλκοῦ, ὀρείχαλκος γίνεται. *Andira urbs, in qua eſt lapis, qui exuſtus fit ferrum: Dein cum terra quadam in camino excoctus pſeudargyrum exſudat, atque æri mixtum poſtmodum fit orichalcum.* Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 6. *c. ult.* vide quoque infrà in voce *Crama.*

AURICOCTORES, apud Manilium, *l.* 5. *verſibus* quos Scaliger pro deſperatis rejectos ita correxit Salmaſ.

> *Ille etiam fulvas avidus numerabit arenas,*
> *Perfundetque novô ſtellantia littora pontô.*
> *Parvaque ramenta faciet momenta minutis,*
> *Pro tali ut regerat cenſu ſpumantia in aurum,*
> *Et perlucentes cupiens prenſare lapillos*
> *Verticibus mediis oculos immittet avaros.*

Sunt, χρυσοψηταὶ Græcis, & ſimpliciter ἑψητοὶ *Agatharchidi,* qui ramenta auri purgata, lota & in farinam tuſa vel molita ad pondus accipiebant & cocta reddebant pari fermè pondere, aut modicô ſaltem intertrimentô. Diodor. Sic. ubi ſuprà, *l.* 3. Τὸ τελευταῖον ἄλλοι τεχνῖται παραλαμβάνοντες μέτρῳ καὶ ςαθμῷ τὸ ἀντετυγμένον εἰς κεραμέους χύτρους ἐμβάλλουσι, *Tandem alii artifices accipientes appenſa (ramenta) in cacabos fictiles injiciebant,* ut videl. in fornace excoquerentur. Atque hoc eſt quod ait Manilius *v.* 3. (nam duo priores ad Aurilegulos ſpectant) *parva momenta,* i. e. parvas lances, *faciet,* ponderandis minutis momentis, ut pro tali cenſu reddat, ac *regerat ſpumantia in aurum,* i. e. excocta in purum putum aurum. Aurum enim, non minùs ac æs & argentum, dum excoquitur, ſpumam ejicit, quod ipſius purgamentum eſt. Inde & ὄβρυζον aurum Græcis, *quod ſatius deſpumavit & excoctum eſt;* ab ὀβρύζειν, quod idem ac βρύζειν & βρύειν, ſeu βλύζειν: unde *obrussam* dixêre Latini *experimentum auri, quod igne ſumitur,* Plin. *l.* 33. *c.* 3. &c. vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1080.

AU-

AURICORNU, promontorium Byzantii, quod & *Chryſoceras*. *Plin. l. 4. c. 11.*

AURICULÆ Ornatrix, in famulitio Matronarum fuit. Imm-undi enim muliebris, ut loquitur *Pignorius*, pars una coma fuit; pars altera cutis, facies, & hujuſmodi reliqua, immiſſis procurata ad infimam uſque. Unde, *uti cutem medicaminibus urgebant, genas rubore maculabant, oculos fuligine collinebant*. Tertullian. *de cultu fœm.* ſic *auricularum* peculiarem gerebant curam: in quam Cyprian. invehitur *de diſcip. & habitu Virg. An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia & mali ſecularis ignara crucietur, ut poſteà de aurium cicatricibus & cavernis pretioſa grana dependeant, gravia, etſi non ſuo pondere, mercium quantitate?* Meminit hujus miniſterii vetus *Inſcr.* Romæ: apud Pignor. *Comm. de Servis.*

JULIÆ ✝ LIVIÆ ✝ AUGU
AURICLAE
ORNATRIX.

De ſanguine arietis *extima auricula* Sacerdotis conſecrandi imponi ſolitus in Vet. Teſt. Vide infrà voce *Sacerdos*.

AURICULARIS, apud Ugutionem, Guil. Tyrium *l.* 19. *c.* 18. Ekkehardum Jun. *de Caſibus S. Galli c.* 5. Henr. de Knygton *Hiſtor. l.* 5. Petrum Diac. *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 68. Willh. Neubrigenſem *l.* 5. *c.* 27. Arnoldum Lubecenſem *l.* 3. *c.* 8. Alios, ſecretorum eſt conſcius, Conſiliarius, Gall. *Qui à l'oreille du Prince*. Idem *Auricularius*, Brunoni, Lamberto Schafnaburg. *ad A. C.* 1076. Lamberto Ardenſi, Orderico Vitali *l.* 10. &c. Interdum verò Secretarium ſeu Amanuenſem vox *Auricularis* notat, *Vita S. Audoeni* Epiſcopi Rotomagenſ. *c.* 5. *Sanctus Audoenus, cognomento Dado, Auricularii locum & nomen in aula Regis obtinuit; nempe ad obſignanda ſcripta vel edicta Regis, quæ ab ipſo conſcribebantur, ſigillum vel annulum Regis conſtituebat.* Ita Angilbertum Abbatem Centulenſem, Caroli M. Secretarium, ab Alcuino joculari nomine *Homerum* dictum, idem Alcuinus quoque vocat *Ep.* 83. & *Carm.* 116. & 177. quem *Ep.* 89. appellat *Manualem*, i. e. Amanuenſem, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà *Miſtico*. De *Auriculari* verò *confeſſione*, quæ in Eccleſia Romana obtinet, vide infrà in voce *Confeſſio*.

AURICUM, urbecul. Germaniæ in Friſia Orientali cum caſtro, ubi plerumque moratur Comes Embdanus. Sita eſt in loco inſertali, 3. vix milliar. ab Embda in Ortum. Hic Euangelium, Comitis Edſardi juſſu, prædicari cœptum, Circa A. C. 1540. Ubbo Emmius *in Hiſt. Friſ. l.* 50. 53.

AURIFEX Nicolaus, vide *Nicolaus*.

AURIFLAMBA, AURIFLAMMEUM, Gall. *l'Oriflambe*, ſacrum apud Francos vexillum. S. Dionyſii aliàs appellatum, quòd in ejus Eccleſia religioſè cuſtodiebatur. Hoc Francorum Reges, ex antiqua conſuetudine, ab altari B. Dionyſii ſolenni humilitate, jejuniis & lachrymis impetratum, tutelæ ſymbolum, deportabant in hoſtem, & in prima acie à præſtantiſſimo quopiam deferendum, collocabant: *Quod*, teſte Rigordô *in geſtis Phil. Aug. videntes adverſarii & cognoſcentes, territi multoties terga dedêre.* Formam ejus & nominis rationem ſic deſcripſit Brito Armoricanus, *l.* 2. *Philippidos*:

At Regi ſatis eſt, tenues criſpare per auras,
Vexillum ſimplex, cendato ſimplice textum,
Splendoris rubei; lethaniæ qualiter uti
Eccleſiana ſolet, certis ex more diebus.
Quod cum Flamma *habeat vulgariter* aurea *nomen,*
Omnibus in bellis habet omnia ſigna præire.
Quod Regi præſtare ſolet Dion... Abbas,
Ad bellum quoties ſumtis proficiſcitur armis.

Auriflambæ geſtatio, tanto (olim aliquando) in honore fuit, ut ad capeſſendam eam Arnoldus de Eudevehao, Mareſcallià Franciæ ſe exuerit, ſub Carolo V. Rege, qui obiit A. C. 1380. nec poſt ejus imperium ſemel hactenus in aciem prodierit, ut aſſerit Tillettus *en recueil des Roys de France*, *part.* 1. Hujus vexilli meminit quoque Curopalates *in Officiis Conſtantinop.* ut quod Imperatori tantùm præferri ſoleret, nec in caſtris viſum eò abſente. Quod verò φλαμμουλον vocat, *Gloſſarium* mallet φλάμμουρον legi, quaſi dictum pro flammeo aureo. Spelmannus *Gloſſar. Archæol.* Idem *Auriflamma*, *Oliflamma*, *Oloflamma*, *Car. du Freſne* vexillum fuit proprium Monaſterii S. Dionyſii, quod Monachi in bellis, quæ pro bonorum aut privilegiorum tuitione ſuſcipere cogebantur, ſuo deferendum Advocato porrigebant, qui illud ex Abbatis manibus, certis precibus ad id ab eo recitatis, ex Dionyſii monumento, cui appenſum erat, acceptum, in præliis tanquam Eccleſiæ ac Monaſterii Signifer, præferebat primus. Id enim muneris præſertim Advocatos Eccleſiarum ſpectâſſe, quarum proin *Defenſores* ac *Signiferi* dicebantur, vidimus ſuprà: ubi de *Advocatis*. Hoc proin nomine Vilcaſſini ſeu Pontefiæ Comites, qui Sandionyſiani Monaſterii protectores & Advocati erant, fortè quod plurima ex illius bonis intra eorum ditionem ſita eſſent, *Auriflammam*, illius Monaſterii peculiare ac præcipuum vexillum, in expeditionibus bellicis, quas ſuſcepêre pro ejus tuitione, detulerunt. Unde fortaſſis manavit, ut *Auriflamma* crebro & ferè ſemper *vexillum S. Dionyſii* vocitetur à Scriptoribus, non ſolum videl. quòd in Æda S. Dionyſii aſſervaretur, ſed quòd peculiare eſſet Monaſterii in militaribus expeditionibus ſignum. Nec proin veriſimile præfato Auctori videtur, Galliæ Reges *Auriflammam* prætuliſſe in bellis ſuis, ante Ludovicum VI. à quo Vilcaſſinenſis Comitatus comparatus eſt, &c. Hujus verò vexilli imitatione *Auriflammam* quoque interdum dictum eſſe præcipuum aciei vexillum, diſcimus ex Albertino Muſſato *de Henrici VII. geſtis*, *c.* 2. *Nec minus exemplo Aquilas auream que flammam explicans, in Florentiæ fines proceſſit.* Vocis etymon quod attinet, ex Britonis verſibus non obſcurè colligitur. Cùm enim labari ſeu gunfanonis formam præferret (cujuſmodi Ædes ſacræ non paucis in locis habere etiamnum ſolent, atque iis uti in publicis pro-

ceſſibus) ejus materiam fuiſſe aiunt ex rubeo ſerico igneì & coruſcantis coloris, atque ab igne auri & fulgore ſandaracæ, cui flammeus color tribuitur, à Plinio *l.* 35. *c.* 6. *Auriflammæ* nomen inditum. Sanè de hujus vexilli colore & materia conſentiunt Scriptores. Carolo verò du Freſne non videtur ex hiſce evinci, ab ipſo colore nomen *Auriflammæ* manâſſe, cum, etſi flammeum rubeus quôcunque modò repræſentet, nihil auri in ejus deſcriptione occurrat, præterquam in ipſa lancea, cui hærebat, quam Beſlius *auratam* fuiſſe ſcribit. Neque enim aureà fuit prætextum fimbrià, ut Chifletius finxit, ſed viridi; quod diſertè notat *Chron. Flandriæ*. Mavult igitur *Auriflammam* appellatam, à voce Scriptoribus medii ſeculi paſſim recepta, nempe à *Flammulum* vel *Flammula*, quæ quodvis vexillum denotat, cui adjuncta fuerit vox *Aurea*, quòd haſta, cui infixa erat, aurô fuerit obducta: quod præter Beſlium in *Hiſtor. S. Dionyſ.* teſtatur *Inventarium* vetus Theſauri S. Dionyſii apud Doubletum. Sed & Scriptor *Hiſtoriæ* Caroli VI. ex Thuana Bibl. enarcans, ut Domino d'*Aumont Auriflammæ* geſtandæ præfectura à Rege demandata ſit, hæc adjungit: *Sic vexillum ferre dignum duxit, donec ingruente belli neceſſitate, haſtæ aureæ applicaſſet* &c. Vide plura apud Andr. Ducheſnium *Hiſtor. Bethun. l.* 1. *c.* 3. Raym. Montanerium *Chronic. Regum Aragon. c.* 119. 123. 138. 139. Johann. Goulain Carmelitam in *Verſ.* Gall. Rationalis Durandi exaratâ A. C. 1372. juſſu Caroli V. Gall. Regis *fol.* 41. 42. & Car. du Freſne prædictum in *Gloſſar.* & *Diſſertat.* 18 *ad Joinvilium.*

AURIFRIGIA, ſeu AURIFRISIA, aut AURIFRISUM, apud medii ævi Scriptores, nonnullis eſt opus Phrygium auratis intertextum filis: *Carolo verò du Freſne* fimbria aurea, limbus aureus. Gall. *Frange d'or*: Quod probat ex *Chron* Lauriſhamenſi *p.* 95. *Cappæ tres cum aurifrigiis, palla altaris cum aurifrigio* &c. & *Chron.* Moguntino Conradi Epiſcopi *Caſula violacea latis & magnis aurifrigiis.* Sic Matthæus Paris A. C. 246. *In capis Choralibus & infulis aurifrigiâ conſpiciebatibus.* Charta A. C. 1213. apud Ughellum *Tom. VII. p.* 289 *Cappam unam de examito rubeo cum liſta cum aurifriſo* &c. Gallis Angliſque Aurifriſum dicere *Orfroy* ſeu *Orfrais*, quam vocem exprimens Ordericus Vitalis Latinè, *Aurifraſium* dixit *l.* 6. *p.* 603. *Adelina quoque uxor Rogerii de Bellomonte Albam* aurifraſio *Comite ornatam Uticenſibus contulit*, apud Eund.

AURIGANTIUM, qui ludis Circenſibus palmam olim quærebant, factiones erant variæ, de quibus ſic Tertullian. *de ſpect. c.* 9. *Aurigæ coloribus idololatriam veſtierunt, & ab initio duo ſoli fuêre, albus & ruſſeus. Albus hyemi, ob nives candidas, ruſſeus æſtati ob Solis ruborem voti erant: ſed poſtea tam voluptate, quam ſuperſtitione provecta ruſſeum alii Marti, alii album Zephyris conſecraverunt. Praſinum vero terræ matri, vel verno: Venetum cœlo & mari vel autumno.* Ita igitur cùm primùm duæ ſolùm eorum factiones eſſent, *Alba* & *Ruſſea*: poſtea à coloribus viridis, cœrulei, coccini albique panni, quô donabantur, nomina acceperunt *Praſina*, *Veneta*, *Ruſſea & Albata*. Domitianus duas alias adjecit, *Aurati purpureique panni*, teſte Suetonio, *c.* 7. Sed illæ ætatem non tulerunt. Harum prout uni vel alteri Imperatores populuſque adhærebant, ita dividebantur ſtudia, ſponſionibuſque acriter certabatur: Erantque Principes quidam harum factionum ad reprehenſionem uſque ſtudioſi: ut Caligula Praſinæ; Vitellius Venetæ: tum Agitatores ipſius in pretio habuerunt, Caligula Incitatum, Nero Praſinum, Domitianus Paſſerinum ac Tigrim, Nerva Scorpium, quorum victorias carmine extulit Martialis. Meminit Boculi cujuſdam Alconnius, M. Aurelii Dioclis & C. Apuleii Dioclis & P. Pompeii Euſcenî ac Fuſci veter. Epigrammata. Martialis tres factiones conjungit, *l.* 14. *Epigr.* 131.

Si Veneta, Praſinæve faves, qui coccina ſumis?
Ne fias iſta transfuga veſte, vide.

De Praſina ſeorſim Juvenalis *Sat.* 11. *v.* 195.

Totam hodie Romam Circus capit. & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.

Nec carminibus ſolùm Poëtarum celebrari conſuevêre victoriæ, ſed tumulorum quoque cippis aut ſtatuarum elogiis, unà cùm factionis mentione, æternitati tradebantur. Habebat porro quælibet factio ſuum Procuratorem, ut patet ex veter. lapide; *Q. Rapidio. Q. F. Lemjepuſbo. Procuratori. Drom. Factionis. Venetæ. Q. Rapidius. Xenodotus. Et Rapida. Juventina. Par. Becere.* Suum item Medicum, de quo ſic Marmor vetuſtum: *M. Vipſanio. Fulloni. Tentori. Aurigatori. M. Vipſanio. Migrani. Viatori. M. Vipſania. Quartin. Saccondatori. M. Vipſanius. Medicus. Factionis. Venetæ. Oll. 4. D. D.* &c. Sed poſtquam Juſtiniani Imperatoris temporibus, ex Praſinæ & Venetæ factionum contentione, ſeditione ortâ, horribilis hominum ſtrages edita & 40. fere eorum millia trucidata eſſent, quod ex Zonara tranſcripſit *Cuſpinianus*: nomina factionum abolita ſunt, & quadrigarum hæc ambitioſa vanitas ceſſavit. Magiſtratus, qui hiſce ludis præerat, Prætor videl. aut Dictator, ob hoc ipſum creatus, mappâ aurigis ſignum ſolebat dare curſus: tum ſonô tubæ equos è carceribus emiſſos, ut cuique ſponſio aut votum, hortamine ſublatiſque in altum vocibus proſequebantur: unde & Circus *clamoſus* appellari conſuevit. Sed plura de his vide apud Arnobium *adv. Gentes l. ult.* ubi Aurigarum in Circo Romano certamen, velut penicillô depingit, & Stewechium cæteroſque *ad eum*, it. Stewechium *ad Vegetium l.* 2. *c.* 24. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 5. Thom. Demſter. *Paralipom ad illud* &c. Addam ſaltem, de factionibus Circi, carmen Corippi *l.* 1. *num.* 17.

Aurigas totidem, totidem poſuêre colores,
Ut ſunt aſtiva Brumalia frigora flammis:
Nam viridis vernis campus ceu concolor herbis,
Pinguis oliva comis, lætis arvum omne vireſcit;

Aſtatis roſeus rubrâ ſic veſte refulgens
Ut nonnulla rubent ardenti poma colore
Autumni venens ferrugine dives & oſtro,
Maturat uvas, maturas ſignat olivas.
Æquiparans candore nives hyemiſque pruinas
Albicolor facies viridi conjungitur uno.

De ſponſionibus, quæ vel pecuniâ, vel annulis depoſitis, fiebant, ſic Ovid. *de arte amandi l.* 1. *v.* 167.

—— —— Tangitque manum, poſcitque libellum,
Et quærit poſito pignore, vincat uter, &c.

Nec locus hic eſt omittendus *Aurigarum*, qui in primo temone erat. Et quidem olim ad currum jungebantur quatuor equi, ut omnes conquaternati æquatâ fronte procederent, ſubſequentibus binis jugalibus, cum hodie bini funales juncti præcedant, ſubſequentibus jugalibus: atque tum quatuor illos equos ſic conjungebant, in duplici temone equis interjectô perpetuum jugum omnibus conjiceretur. Primus Cliſthenes Sicyonius, ratione hâc immutatâ unô temone currum fecit, ac medios tantùm duos jugo junxit, eiſque ſingulis ab utraque parte adjunxit lorô vinctos, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 897. Ab *Aurigis* phraſis orta, *verſis pannis agitare*, quod de illis propriè dicebatur, quum ab unius factionis panno ad alium tranſierant: ut putà, ſi Veneti panni agitator cum coccino panno agitâſſet. Vide *ibid. p. ſeqq.* ubi tota Veterum *Aurigandi* ratio accuratè exhibetur. Sed & addam hîc quædam, de *Aurigarum* aurum poſtulandi more, qui indigitatur Jul. Capitolino in *Vero* Imperat. *c.* 6. ubi de Volucri equo ejus, *In hujus equi gratiam primùm cœperunt equi (l. equis) aurei vel bravia (pro & bravia) poſtulari. In tanto autem equus ille honore fuit, ut ei à populo praſinianorum ſæpè modius aureorum poſtularetur.* Eundem & Dio aperit in *Caracallo*, ubi de ejus *aurigationibus* loquitur: [illegible Greek] In his enim verbis ſignificat Caracallum *auriga* habitu, manu flagellum tenentem ex inferiori parte adoraſſe agonothetas & poſtulâſſe aurum. Hoc enim eſt [illegible Greek], *flagello ori admotô ſic adorare*, quod alii ſolâ manu labris admotâ faciebant. At *Aurigæ* nunquam ſine flagello, quin potius, quum adorare vellent, illud ori admovebant. [illegible Greek] addit, i. e. *ex inferiori loco*, cùm agonothetæ in ſuperiori eſſent. Idem de Abito, [illegible Greek] *Videbanturque eum & aurigantem & aureos, velut unum ex viliſſimis poſtulantem, atque Agonothetas militeſque adorantem.* Vide Caſaubon. & Salmaſ. *ad Capitolin. loc. cit.*

AURIGIA, Hiſpaniæ Bæticæ oppid. hodie *Arſon*.

AURIGRAPHUS, dicitur Uguttoni & Johanni de Janua, *qui auream ſcripturam facit.* Χρυσογράφος Scylitzæ *p.* 450. & Joëli in *Chron. p.* 177. *Aureis enim literis* pretioſiores olim libri ſcribi ſolebant. Liber *Tranſlationis* S. Stephani, *Textum deinceps Sacrorum Evangeliorum* aureis *characteribus exaratum obtulit.* Ordericus Vitalis *l.* 5. *Luitprandus Longobardorum Rex, donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quam Aripertus*, aureis *ſcriptam literis Romam direxerat, confirmavit.* Ex qua verò materia conſtaret ejuſmodi *aurum*, ut & cæteri colores, in exarandis ornandiſque libris adhiberi ſoliti, docet Papias imprimis, in voce *Libri*, his verbis: *Scribebantur autem (libri) diverſis coloribus, quos facere poteris hujuſmodi ſalis confectionibus. Argenteas literas facies, ſi æris florem & alumen æquis ponderibus in argento contriveris.* Aureas *facies, ſi alumen & æris florem æquô pondere aceto infuſum de auro miſceris, uſque ad mellis Attici craſſitudinem prius perduxeris. Æreum colorem facies ſi ſal & alumen rotundum æquis ponderis in æreo vaſculo acetô infuſo in atramenta teras, uſque ad mellis Attici craſſitudinem. Hoc etiam ferreum facit:* apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà, ubi de *Auro liquato*.

AURILEGULUS, vide infrà *Aurum*, it. ubi de Obryzo *auro*.

AURINIA, fatidica mulier ſuperſtitioſè à Germanis olim culta, Tacitus *German. c.* 8. & ſic quoque legerat *Bartolinus*,

Evolat Hercinià ad Superos Aurinia luce.

Lipſius ex Jornande legit. *Aliorunia*. Ubi potius legendum *Alterunia* quaſi dicas vetula Runa ſive ſaga. Excellentiores autem Sagarum colebant velut Deas & conſulimus tales hodieque multis in locis, velut Sibyllas. Sic *Gutruna*, bona ſaga, apud Saxonem Grammaticum. Neſcio etiam ob quam cauſam majores noſtri *Mandragoram* Alrunam appellârint; credo quia veneficiis & incantationibus adhiberetur.

AURINIANA Ala, Tacit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 5. *Ried*, olim oppid. nunc pagus Norici, apud Oenum fluv. & Vaſſerburgum urbem, in Bavaria, teſte *Lazio* cui etiam *Hamluck* pagus vicinus eſſe videtur.

AURINX, Hiſpaniæ urbs. *Moron* in Andaluſia, teſte Baudrand.

AURIPIGMENTUM, Plinio *l.* 33. *c.* 4 *l.* 35. *c* 6. Arſenicum luteum dicitur, quod unum Vetuſtiſſimis hôc nomine cognitum, inter colores picturæ utiles habitum eſt. Cum eo ſandaraca in iiſdem fodinis reperitur, & quidem in Myſia & Helleſponto inveniri, tradit *Dioſcorides*: cùm rubrum Arſenicum, in aliis fodiatur metallis, & in Ponto ac Cappadocia eruatur, Armeniâ item, unde *Armenium* videtur abſolutè dictum. Inter auſteros autem colores *Auripigmentum* eidem *Plinio* recenſetur, h. e. minùs lucidos floridoſque nec tam vegeti nitentiſque luminis, adeoque obtuſius pinguiuſque relucentes. quales quoque ochra, ſandaracha, ſandyx, Scyricum, ſinopis, rubrica &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 199. & 1135. item infrà *Elechryſus*

AURIS, obedientiæ ſymbolum & ſervitutis, ut vidimus ſuprà, ubi de *Aurium perforandi ritu*. Eandem Memoriæ conſecratam, refert *Servius*: quod de ima ejus parte Plinius habet, unde *Aures tangendi* conſuetudo [illegible], de quo *ibid.* Sic autem is, *l.* 11. *c.* 45. *Eſt in aure ima memoriæ locus, quem tangentes anteſtamur.* Sed & ejuſdem partis contrectatio benevolentiam, quâ parentes nos proſequimur, auditiſque ſeniù animis noſtris inſeri monet, ſicut Clemens Alexandr. *l.* 5. *Strom.* expoſuit. Quamobrem olim mos fuit, ut pueri Patres oſcularentur, arreptis utrinque *auribus*, quod oſculi genus Polluci *l.* 10. χύτρα, i. e. *olla* dicitur: quia caput auribus veluti anſatum eſt Tibull. *l.* 2. *El.* 5 *v.* 91.

Et ſarias matrona dabit, natuſque parenti
Oſcula comprenſis auribus eripiet.

Plautus in *Aſinar. Act.* 3. *ſc.* 3. *v.* 77.

Prehende auriculis, compara labella cum labellis.

More inde ad alios tranſlatô. Namque & à ſenibus pueros eôdem Oſculi genere exceptos eſſe, videbimus infrà, ubi de *Oſculo* Et inter juvenes puellaſque idem viguiſſe, ex Theocrito Ὀαριστὺς diſcimus:

[illegible Greek]
[illegible Greek]
Non amo Alcippem, quoniam me non oſculata eſt
Auribus prehenſis, cùm ei palumbem donaſſem &c.

Vide Canterium *l.* 6. *c.* 23. Lil. Gregorium Giraldum *Syntagm.* 1. *Deorum Gentil.* Hadr. Junium *Animadverſorum l.* 4. *c.* 12. Jac. Dalechampium ad *Plinium d. l.* *Aurium* verò nota compendiaria, hæc fuit [illegible]. Non enim Aſtronomi ſolùm, ſed & Medici veteres ſuas habuêre notas, quibus corporis membra compendiosè ſignificabant, quarum pleræque in antiquis Græcorum libris, Hippocratis & aliorum, reperiuntur, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1238. De earum ornamentis, dictum aliquid ubi ſuprà, plura verò infrà reperies; voce *Inaures*, ubi & de *auris* partibus. Neque verò luxui ſolùm, ſed & pœnæ, illæ obnoxiæ. Namque *Aurium* abſciſſio & inciſio, olim inter pœnas fuit *LL.* receptas. Templorum namque & rerum ſacrarum direptoribus, *aures* findebantur *LL.* Saxonum. Additio ad eas *tit.* 12. *Qui Fanum effregerit —— finduntur* aures *ejus & caſtratur &c.* Eâdem pœnâ mulctabantur ſervi fugitivi. Gregorius Turonenſ. *Hiſtor. l.* 5. *c.* 48. de Leudaſte ſervo facto: *Cumque bis aut tertio redactus a fuga lapſu teneri non poſſet, auris inciſione mulctatur.* Vide eundem *l.* 9. *c.* 38. & Aimoinum *l.* 3. *c.* 43. Sed & fures omnes pœnâ hâc affici conſuevêre, ut patet ex *Stabilimentis* S. Ludovici *l.* 1. *c.* 29. Illi item, qui in vineis damna faciebant, uti ſtatuitur in *Charta Communiæ* Beluac. A. C. 1182. & in *Conſuetud.* Municip. Bellaci MS ab Adelberto III. Comite Marchiæ, apud Car. *du Freſne*. Idem fiebat *Edicto* Caſimiri Poloniæ Regis A. C. 1368. illis, qui in curia Militis minutas quaſcunque res abſtuliſſent. Neque in furtis modò, ſed etiam aliis delictis, eandem pœnam ſtatutam obſervare eſt, ex *Statutis* Henrici V. Regis Angliæ: *tempore guerræ*, quod extat apud Nic. Uptonum *de Militari officio l.* 4. *p.* 140. in *Edicto* Philippi Pulchri *de Duellis artic.* 6. apud Cowellum *l.* 4. *tit.* 18. § 47. 49. &c. Ad majores verò Juſtitiarios *Aurium abſciſſionem* pertinuiſſe, annotant *Conſuetudines* Silvanectenſes *Art.* 106. Andegav. *Art.* 148 & Juliodun. *c.* 39. *art.* 12. apud eundem *Gloſſar.* Nec omittendus Ægyptiorum mos ſacer, qui oculos & *Aures* ex pretioſa materia effictos in Templis dedicando, hôc hieroglyphicô omniſcientiam Dei adumbratam ivêre, ut infrà dicemus, ubi de *Oculis*. Nec omina captantium, qui Deô, quem conſultum volebant, *ad aurem* interrogatô, dein aures manibus obturantes exiêre extra fanum, ibique manibus *ab utraque aure* remotis, quam primam audivêre vocem, eam pro oraculo habuêre, ut videbimus voce *Omen*. Vide quoque *Otomegali*. Quô pactô verò *Aures* munierint Luctatores, dicemus voce *Pugil*.

AURISIUM, *tabul. Peuunger. Ros*, teſte *Lazio*, oppid. olim Vindeliciæ, nunc pagus Bavariæ, ad Oenum fluv. Vaſſerburgo proximum, inter illud, & Roſenheimium, in Auſtrum diſtans, ex adverſo *Ried*, de quo ſuprà.

AURITINA, Africæ urbs in Pentapoli. *Ptol.*

AURO Liquatô, deaurari olim pelles & vaſa conſueviſſe, diſcimus ex Flavio Vopiſco in *Aureliano*: *c.* 46. *Habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens plus auri eſſe in rerum natura, quàm argenti: ſed aurum, per varios bractearum, filorum & liquationum uſus perire, argentum autem in ſuo uſu manere.* Ubi ſingula ſingulis ordine ſuô reddit; *bracteas* cameris (quæ inter alios exornandi modos auro imbracteabantur) *fila* veſtibus, *liquationes* pellibus & argento. Ut enim cameræ inaurabantur per bracteas, ſic veſtes *aurô* intexebantur per fila, pelles & argentea vaſa deaurabantur per liquationes: ſicque bracteationibus, filationibus & liquationibus aurum peribat, non autem argentum, quod ad hujuſmodi uſus adhibitum nuſpiam legimus: Liquatione autem vel aurô liquatô deaurabantur pelles, ſicut & vaſa. Nam ita etiam in membranas *aurum* mittebatur, quum ſcil. literis aureis perſcribebantur. D. Hieronym. *ad Euſtochium de cuſtod. Virgin. Inficiuntur membranæ colore purpureô, aurum liqueſcit in literas.* Omiſit Aurelianus aliud genus inaurandi pocula argentea, quod non fiebat *aurô liquatô*, ſed *aureis clavis* immiſſis in argentum & infertis; quô genere deaurata *aurô vincta* & *aurô clauſa* dicebantur, de quibus infra: fortè ideo, quòd aurum ſic immiſſum in argentea pocula non pereat, ſed integrum & in ſua natura maneat: perit verò quod in bracteas extenditur, aut in fila deducitur aut liquatur, &c. Filis autem aureis & ſubtemine ſericô veſtes claras ac pretioſas texi conſueviſſe, Spartianus docet in *Pertinace*, *c.* 8. *Veſtis ſubtemine ſerico filis aureis.* Virg. item, *l.* 3. *Æn. v.* 483.

Fert picturatas auri ſubtemine veſtes

Ubi *ſubtemen* Poëta pro trama poſuit vel filis: non enim ſtamen ex auro poteſt eſſe &c. Sed & obiter hîc notandum, ætate Aureliani nondum inventum fuiſſe, argentum in fila deducere & filis ejuſmodi veſtimenta contexere; quod poſtea ſub ultimis Imperatorib.

Græcis multùm in uſu fuiſſe, docuimus infrà in voce *Syrmatina*. Vide plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Vopiſc. loc. cit.*

AURO Præpoſiti, memorantur inter ſervos Veter. Clementi Alex. *l.* 3. *Pæd.* αἱ δὲ χρυσοφορούμεναι ἐν χρυσῷ. Præpoſitorum *Auro eſcario* mentio extat in veter. lapide, Romæ, in hortis Julii III. Pontific. Romani apud Pignorium,

DIS MANIB.
GAMUS AUG. L. PRÆP. AURI
ESCARI FECIT SIBI ET
FLAVIÆ TYCHE CONIUGI
BENE MERENTI &c.

Legitur quoque in vetere marmore, *Præpoſitus auro gemmato*, de quo Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 39.

> —— *Tibi non committitur aurum,*
> *Vel, ſi quando datur, cuſtos affixus ibidem,*
> *Qui numeret gemmas ungueſque obſervet acutos.*

Vide Laur. Pignorium Comm. *de Servis.*

AURO Sparſum, apud Plin. *l.* 37. *c.* 10. ubi de Curaliachate, *Coralliachates guttis aureis ſapbiri modo ſparſa*: Solino dicitur *guttis aureis ſtellantibus*, *c.* 5. Græcis χρυσόστικτον. Ut de Sapphiro Theophraſtus, ἡ ὁ σάπφειρος, αὕτη δ᾽ ἐστὶν ὥσπερ χρυσόπαστος. Sic *Pallium auro ſparſum*, in Æl. Lamprid. *Alex. Sev. c.* 41. τὸ χρυσόπαστον &c. *Theophraſtus*, Sapphirum ejuſmodi etiam χρυσοστικτὸν vocat. Alius Auctor de gemmis, Σάπφειρος λίθος ἔχων στιγμάδας χρυσίου ὡς εἰ στίγματα. Ubi στίγματα, i. e. *puncta* appellat, quas alii *guttas*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 838. & infrà paſſim, inprimis in voce *Guttatus* & *Stellatus*.

AURO Vinctum Palladium, apud Æl. Lamprid. in *Vita Heliogabali*, *c.* 6. *Hoc quum ita eſſent, ſignum tamen, quod Palladium eſſe credebat, abſtulit: & auro vinctum in ſui Dei templo locavit*: eſt deauratum, quod Græci dicunt χρυσόδετον, unde vaſa chryſendeta, ad verbum, *auro vincta*. Ex ligno enim erat, ſed auro obductum. Sic *pocula auro vincta*, Pomponio Melæ, *l.* 2. *c.* 2. pro *deauratis*. Eodem ſenſu *cornua auro jugata*, reperimus apud Trebellium Pollionem in *Gallieno*, *c.* 8. *Proceſſerant altrinſecus centeni boves, cornibus auro jugatis, & dorſualibus ſericis diſcoloribus præfulgentes.* *Jugare* enim, & *jungere* & *vincire*, propè idem ſignificant: cùm ζυγοῦν & δεσμεῖν & ζυγόδετον de eadem re uſurpentur. Sic & ἐλεφαντόδετον, quod ebore tectum eſt & obductum, dixit *Euripides*. Sed &, quod ante Salmaſium nemini obſervatum eſt, *auro claudere* Latini dicebant, quod idem eſt, ac *auro jugare*: nam ζυγοῦν etiam Græcis *claudere* eſt. *Heſych.* ζυγώσω, κλείσω. *Auro claudere* igitur & *auro jugare* & *auro vincire*, ſynonyma. Anaſtaſius, *Patenam argenteam, chryſoclavem, auro clauſam.* Treb. Pollio in *D. Claudio*, *c.* 17. *Urceos duos auro incluſos argenteos librarum ſex.* i. e. exauratos & auro auctos. Ita enim Anaſtaſius Bibliothecar. argentea quædam opera vel vaſa, quæ deaurata ſunt, ſolet appellare, *auro fuſa*, vel *auri perfuſa*, *auro ſuperinducta*, vel *aureo colore ſuperinducta*; *auro item veſtita*. Græcus, χρυσένδυτα, χρυσίμβαφα, & χρυσένδετα. Idem *ſpatham auro ligatam* dixit, quam χρυσόδετον Græci vocarent, in *Benedicto III.* i. e. vel totam deauratam, vel cujus capulus aureus eſſet deauratus, &c. Quæ ut accuratius intelligantur, notandum eſt, phraſes has, *Auro claudere*, *auro includere*, *auro vincire* &c. apud Auctores nonnumquam adhiberi ad ſimpliciorem deaurationem ſignificandam, uti de *cornibus* ex Trebellio, *loc. cit.* & *Palladio* ex Lampridio, *loc. cit.* ſuprà diximus. Item cum Mela *loc. cit.* de Iſſedonibus ait, *Iſſedones funera parentum, læti votiſque et feſto contu familiarium celebrantes, corpora ipſa laniata & cæſis pecorum viſceribus immixta epulando conſumere: capita verò, ubi fabre expoliere, auro vincta pro poculis gerere.* Quæ cum hic *auro vincta* dicit, λιθοχρυσώμενα exprimit *Herodot.* Propriè verò denotare illud genus deaurandi, cùm aurum ſolidum in argentum deprimitur & quaſi illigatur; reſ. ſellæ enim aureæ aliè in argentum impreſſæ includebantur: cujuſmodi pocula e. g. Græci χρυσοκόλλητα & χρυσόδετα appellant. *Auro ferruminata* diceret *Petronius*; nam ferruminare eſt κολλᾶν. De annulis enim aureis, in quibus ſtellæ ferreæ erant incluſæ, *ferruminatos* eos dicit *ſtellis ferreis*, h. e. ad verbum σιδηροκολλήτους. Ita *Heſych.* χρυσοκόλλητον σφραγῖδα vocat, τὴν χρυσοκολλήτιδα. Similiter *gemmis ligatum* Latini dixêre, quod Græcis eſt λιθοκόλλητον, & *auro ligatum*, quod eſt χρυσοκόλλητον: uti ſuprà Anaſtaſius, *ſpatham cum auro puriſſimo ligatam* dixit. Sic *Epiſtola* Pontificum à Gretſero editæ: *Pro veræ benedictionis cauſa direximus vobis ſpatarium unum, ſpatham ligatam in gemmis cum balteo ſuo &c.* Sed & χρυσοδέτα hôc genere deaurata dicebantur, quod verbum de verbo *Auro cluſa* ſeu *incluſa*, notat; ad quam deaurandi rationem pertinent etiam Perſii illa, *Sat.* 2. *v.* 52.

> *Non tibi crateras argenti, incluſaque pingui*
> *Auro dona feram.*

Sic enim legit *Salmaſ.* potius quàm *incuſa*, quod vulgò habetur, etſi *incuſa* rectum eſſe poſſit, h. e. ἐμπαιστὰ: hæc namque omnia fiebant ſecundùm Artem ἐμπαιστικήν, &c. Hinc *Cluſores* & *Incluſores* dicti, qui aurum argento includebant & gemmas auro. Vide Salmaſ. *ad Hiſtoriam Auguſtam paſſim*, inprimis *ad Spartianum in Hadriano Cæſ. Trebellium in Gallieno & Claudio*, *loc. cit.*

in AURO, item *ſub Auro* ſtatua i. e. aurata. Multa *auratarum* ſtatuarum apud Veteres mentio, & in antiquis Inſcript. *Auro illuſtres*, pro aurata, dicitur in vetere ſaxo: AURO. INLUSTREM. STATUAM. QUAM. A. DOMINIS. AUGUSTISQ. NOSTRIS. SENATUS. AMPLISSIMUS. DECRETIS. FREQUENTIBUS. IMPETRABIT. In alio lapide, *auro ſuperfuſa* idem notat: STATUAM. SECUNDAM. AURO. SUPERFUSAM. LOCARI. SUMTU. PUBLICO. PLACUIT. Sic *perfuſa auro patena*, pro deaurata, ἡ χρυσίμβαφος. Etiam *ſub Auro* ſtatuas doratæ & conſtitui dicebant, quæ auratæ decernebantur. Vetus ſaxum: STATUAM. SUB. AURO. CONSTITUI. LOCARIQUE. JUSSERUNT. Item in alia Inſcript. STATUAM. SUB. AURO. IN FORO DIVI. TRAJANI. SUMPTU. PUBLICO. LOCO SUO. RESTITUENDAM CENSUERUNT. Cujuſmodi loquutiones genere, hominem *in armis* & *ſub armis*, i. e. *armatum*, vocabant. Ennius,

> *Ter me ſub armis malim vitam cernere.*

Virg. *l.* 5. *Æn. v.* 440.

> —— *Sedet circum caſtella ſub armis.*

Et, *v.* 585.

> —— *Ludunt belli ſimulachra ſub armis.*

Pro, *ut armatum*, *armatus circumſidet*, *ludunt armati*. Sic Manilio *l.* 1. *Centaurus ſub arcu* & *Centaurus in arcu*, qui arcum geſtat, arcu armatus:

> —— —— *geminumque ſub arcu*
> *Centaurum.*

Et,

> *Et qui contento fulget Centaurus in arcu.*

Ennio in *jaculis Aceſtes*: Phædro *l.* 5. *Fab.* 9. *Occaſio in novacula*; Pindaro ἵππος ἐν πτερύγεσσιν, *equus in alis* &c. Ut autem *in auro* & *ſub auro ſtatuæ*, ſunt auratæ, ſic pocula *in gemmis* & *ſub gemmis*, ſunt gemmata apud Anaſtaſium Bibliothecar. Idem *marmora in exemplis*, dixit, *exemplata*, h. e. exemplis & argumentis figuriſque picta. Eâdem tandem loquutione *ſub Auro* ſtatua dicebatur decreta, quâ opus aliquod *ſub aſcia dedicari*, quod aſciatum dedicabatur. Salmaſ. *ad Trebellium Pollionem in XXX. Tyrann. c.* 32.

AUROCLAVATUM ſeu AURICLAVUM, voce hybridâ *Chryſoclavum*, quâ Anaſtaſius Bibliothecar. utitur, vocabulum frequens eſt apud Recentiores, qui *Auroclavas* & *Auroclavatas veſtes* paſſim dixêre τὰς χρυσοσήμους, i. e. *aureis clavis inſignes*. Fuit autem *clavus* in veſte πορφυρᾶ ὑφάσματα, *purpura prætexta*, dictuſque Græces eſt σημεῖον, item παρυφὴ, Laconibus ζωστὴ, quò nomine ſignificari apud illos ait Grammaticus, τὰ ἐν τοῖς ὤμοις τῶν ἱματίων παρυφάσματα, h. e. *præclava* vel *prætexta*, *quæ ad oras veſtium adſui ſolebant*. Unde iidem Græci παρυφὴν ἀρχῆς & παρυφὴν βασιλείας, vocant; quæ liceat appellare, *Prætexta Imperii* & *Prætexta Regia*: ut Valerius, *prætextum triumphis*, h. e. παρυφασμένον τοῖς θριάμβοις, &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano*, *c.* 46. & infrà paſſim: de pileis inprimis χρυσοκλαβίοις Procerum Conſtantinopolit. ab Hypertebaſto uſque ad Stratopedarchon, infrà in *Umbella*.

AUROLOGIUM, apud *Varronem*, in *Aurologio*, *quod fecit Cyrreſtes*; Græcè αὐρολόγιον: dicta eſt machina, ventis tantùm explorandis noſcendiſque excogitata, ab *aura*, i. e. vento. Cujuſmodi fuit octogonum mechanicum Andronici, quô judicium fiebat, quibus ex locis venirent *auræ* ventorum. Sed & *orologium*, h. e. horologium, nonnulli hîc legunt; quod ipſum tolerari poteſt, ſi ὡρολόγιον, non ab *horis*, quarum ſingulæ duodecimam diei partem conſtituunt, ſed ἀπὸ τῶν ὡρῶν, quæ *tempora anni* ſignificant, deducant. Hinc enim ἡλιοτρόπιον Veterum exponitur ὡρολόγιον; quum certum ſit, in illis Heliotropiis, non horas diei, ſed ὥρας ἔτους, i. e. *Anni tempeſtates*, ſignatas fuiſſe, cum vario ſignorum ortu obituque. Virg. *Ecl.* 3. *v.* 42.

> *Tempora quæ meſſor, quæ curvus arator haberet* &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1247. infrà *Ventilogium*, & de *Aurologio* Cyrreſtis ac Andronici hîc ſuô locô.

AURORA, Titanis, & Terræ filia, Luciferi & Ventorum mater, Hyperionis ac Thiæ filiam facit Heſiodus, *v.* 371. *Θεογονίας*; *in hoc*:

> Θεία δ᾽ Ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπράν τε Σελήνην,
> Ἠῶ θ᾽, ἣ πάντεσσιν ἐπιχθονίοισι φαείνει,
> Γείναθ᾽ ὑποδμηθεῖσ᾽ Ὑπερίονος ἐν φιλότητι.

Tithonum Laomedontis fratrem rapuit, ex quo Memnonem ſuſcepit: Tithonum autem ita adamavit, ut ſenem jam factum herbarum virtute & ope medicâ juventuti reſtitueret. Dicitur & Cephalum rapuiſſe, cui, cùm illum videret unicam ſuam Procrin diligere, diſſimulatô habitu domum venienti uxoris perfidiam manifeſtam fecit. Ovid. *Metam. l.* 7. *fab.* 26. Sappho apud Naſonem, *Ep.* 15. *Heroid. v.* 87.

> *Hunc ne pro Cephalo raperes, Aurora, timebam,*
> *Et faceres, ſed Te prima rapina tenet.*

Rapuit quoque Orionem, ut ſcribit Homer. *Od.* 5. *v.* 121.

> Ὡς μὲν ὅτ᾽ Ὠρίων᾽ ἕλετο ῥοδοδάκτυλος Ἠώς.

Hæc ex Aſtræo præterea ventos & aſtra peperit; *Apollodorus*; Ἠοῦς δὲ καὶ Ἀστραίου ἄνεμοι καὶ ἄστρα. Heſiod. *in Theog. v.* 378.

> Ἀστραίῳ δ᾽ Ἠὼς ἀνέμους τέκε καρτεροθύμους,
> Ἀργέστην, Ζέφυρον, Βορέην τ᾽ αἰψηροκέλευθον,
> Καὶ Νότον, ἐν φιλότητι θεὰ θεῷ εὐνηθεῖσα.

Huic digitos roſeos tribuit Homerus, propter colorem rubicundum, aut ſubrubentem, quam in aurea ſede vehi dixit Hymnô *in Venerem* 4. *v.* 419.

> Ὣς δ᾽ αὖ Τιθωνὸν χρυσόθρονος ἥρπασεν Ἠὼς
> Ὑμετέρης γενεῆς ἐπιείκελον ἀθανάτοισι.

Fabulati ſunt enim Poëtæ, *Auroram in curru* à quadrigis rubentibus vehi ſolitam, uti teſtatur Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 535.

Hîc vice ſermonum roſeis Aurora quadrigis
Jam medium æthereo curru trajecerat axem

Cui tamen bigas attribuit alibi, ut eſt in his *l. 7. Æn. v. 26.*

Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.

Theocritus autem non *roſeos*, ſed *albos equos* Auroræ appellavit, *in Hyla*, hôc pactô:

Οὐδ' ὅκχ' ἁ λεύκιππος ἀνατρέχοι ἐς Διὸς Ἀώς.

Scriptum tamen reliquit Lycophron *in Alexandra*, Auroram à Pegaſo equo vehi ſolitam:

Ἠὼς μὲν αἰπὺν ἄρτι Φηγίου πάγον
Κραιπνοῖς ὑπερπέτρωσε Πηγάσου πτεροῖς,
Τιθωνὸν ἐν κοίτῃσι τῇ Κίρνης πέλας.

Hanc ex Oceano, tanquam Solem, & reliqua aſtra ſurgere, ſcripſit Homerus *Hymnô in Mercurium* 3. *v.* 185.

Ἠὼς δ' ἠριγένεια φόως θνητοῖσι φέρουσα
Ὤρνυτ' ἀπ' Ὠκεανοῖο βαθυρρόου ----

Notandum hîc, eos qui ab *Aurora* rapiuntur, non ampliùs comparere. Tales erant, qui ante tempus & diem moriebantur, quos ab *Aurora* raptos eſſe dicebant veteres. Hinc apud eos morem permanſiſſe, ut pueri, & qui immaturâ morte perirent, manè ante ortum Solis ſepelirentur, teſtis eſt Euſtathius *ad Homerum*. *Nic. Lloydius.*

AUROSA Harena, apud Æl. Lamprid. in *Heliogabalo*, c. 31. *Scobe auri porticum ſtravit & Argenti --- ut fit hodie de auroſa harena:* quid ſit, vide ſuprà in voce *Auri venæ*. Nempe quacunque pedibus iter faciebat Imperator, ſternebatur via *auroſa harenâ*. Quem morem & ſumtus eam in rem impenſos fieri ſolitos, aperit Synesius planiſſimè *Orat. de Dei Regno*: [illegible] *Vobis neque ſolum tolerabile eſt, neque inambularetis in nativo ſtatu conſtituta tellure. Sed Auroſam inſterni oportet, quam ex diſſitis regionibus currus vobis naveſque adferunt. Neque vila multitudo eſt eorum, qui arenam hanc ſpargunt.* Cujus locô ſcobe auri argentique porticum ſtravit, quotieſcunque iter pedibus faceret, Heliogabalus, uſque ad equum vel carpentum *l. cit.* Eidem tamen aliquando etiam *Auratâ* harenâ terram conſperſam eſſe, cum videl. Deo ſuo tenſam ducens retro ambularet, tradit Herodian. *l. 5. c. 6.* ubi inquit: [illegible] *Totam viam perficiebat retro currens, reſpiciensque Numinis ſui anteriora; ne verò caderet aut laberetur, viam quâ ibat, non errantem, terra auroſa quam plurima ſubſtrata eſt.* Caſaubon. *ad Lamprid. loc. cit.*

AURUM, poſt reliqua metalla demum repertum eſt, velut dubitante ſecum Naturâ, an id luci permittere vellet, quod hominibus tantopere eſſet nociturum. Certè juſtiſſimum Plinii votum, *l. 33. c. 1.* *Utinam poſſet e vita in totum abdicari aurum, ſacra fames, ut celeberrimi Auctores dixêre, proſciſſum conviciis ab optimis quibuſque & ad perniciem vitæ repertum: quantum feliciore ævô, cum res ipſæ permutabantur inter ſe &c.* Hebr. [illegible] *charutz* i. e. *è terra effoſſum*, unde Græcorum χρυσὸς, (cujus derivativa & compoſita vide infrà) quod quâ arte quantôque labore fieri conſueverit, infrà dicemus. Pallor verò ejus eſt [illegible], geminatis literis, ut ſignificatio ſit intenſior. A quo penitus ipſo verbo fit Æthiopum *Wark*, pro *auro*. Græci Interpretes *pallorem auri* rectè vocant χλωρότητα χρυσίου. Is enim vetus eſt auri color. Hinc Diogenes rogatus, Διὰ τί χρυσίον χλωρόν ἐστι; *Cur aurum palleat?* reſpondit, ὅτι πολλοὺς ἔχει τοὺς ἐπιβουλεύοντας, *Quia multos habet inſidiatores.* Uti eſt in *Laertio*: & Catullus *Epigr.* 65 *v.* 100.

O quam ſæpe magis fulgore expalluit auri!

Et rurſus *ad Juventium*, *Epigr.* 82 *v.* 3.

Hoſpes inaurata pallidior ſtatuâ.

Statius quoque *ad Maximum Junium l. 4. Sylva 7. v. 13.*

Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes? ubi Dite viſo
Pallidus foſſor redit, erutoque
Concolor auro &c.

Qui *auri pallor* cùm columbis tribuatur Pſalmo 68. *v.* 14. obſervant Talmudici, in juniorum columbarum alis, poſtquam è nido exceſſerunt, *plumam eſſe auri inſtar flavam*, in turturibus item: atque hinc diſci, quando ad ſacrificia aptæ vel ineptæ ſint, ajunt. Cùm enim è columbis non niſi pullos, & è turturibus, non niſi adultas, offerri Lex jubeat, illos ad ſacrificia ineptos, has verò aptas tum demum eſſe volunt, *cum plumæ in auri colorem incipiunt flaveſcere*, *in Tract. Cholin c. 1. fol. 22.* Sed & colla columbarum Soli oppoſita *aureô* colore ſplendere, docet Philoſophus *de Color.* [illegible] &c. Vide Bochart. *Hieroz. Part. Poſter. l. 1. c. 2.* Triplex habetur apud Veteres, de quo ſic Iſidor. *l. 15. c. 17.* *Tria ſunt genera argenti, & auri & æris, ſignatum, factum, infectum. Signatum eſt, quod in nummis eſt: factum eſt, quod in vaſis & ſignis: infectum, quod in maſſis eſt, quod & grave dicitur.* Et tale fuit *Aurum fiſcale*, quod collectores in maſſis obryzæ, non in nummis, inferre juſſi ſunt à Valentiniano ac Valente: ut ſic non niſi puriſſimum perveniret ad Fiſcum & decoctione deperirent, quæcunque in eo eſſent reliquæ ſequioris venæ. In quam rem tres conſtitutiones habet Codex Theodoſii, cujus poſtrema ſtatuit: *Si quid ex proſcriptionibus vel condemnationibus depoſcitur, ſi quid ex certis titulis, quæ annuâ atque ſolemni ſolet, vel veteres vel recentes, aut peculiaris in ſingulis aut certa in paucis aut uberiores incendios cogit indictio; non in materia conſtatur, ſed ſub conditionalium oculis ac periculis diu multumque flammâ obacti examine in ea obryza detineatur, quemadmodum pura videatur.* Naturaliter enim, in liquefactione nummorum aureorum evenit intertrimentum, quum omni *auro*, ut ait Plin. *l. 33. c. 3.* *inſit argentum vario pondere, alibi nonâ, alibi nona, alibi octavâ parte.* Non idem in *Auro Coronario* rigor adhibitus, ubi etiam quod offerebatur, pro immutione, quæ in æſtimatione ſolidorum aut materiæ fortè taxari poſſet, non decreſcere & ideo ſupplere cogi non conſueviſſe, diſcimus ex *l. 4. de Auro coron.* ubi inter alia, it, dicitur, *quod voluntate affertur, non debet conſequi neceſſitatis aſperitatem*, i. e. non debet ſubjectum eſſe illi acerbitati, quæ adhibetur in illo, quod neceſſario præſtatur: quæ acerbitas in collatione voluntaria pro injuria eſſet. Idque meritò: Nam *quæ dono contingunt, minus ſcrupuloſe probantur*, ut ait Columella, *l. 9. c. 8.* Qua proin in re peccavit Nero, quum parans expeditionem adverſus Vindicem, exegit ingenti faſtidio & rigore nummum aſperum argentum puſtulatum, *Aurum* ad obruſſam, ut plerique omnem collationem aperte recuſarent. Galba item, quum oblatâ ad conflandum à Tarraconenſibus è vetere templo Jovis coronâ aureâ librarum quindecim, tres uncias, quæ ponderi deerant, juſſit exigi, teſte Suetonio *Galba c. 12.* Vide Joh. Frid. Gronovium *de Pecunia vet. l. 4. c. 14.* Apud Caſandres verò (populos Sabæis vicinos, in Arabia Felice) quamdiu rara fuit navigatio, *aurum* tam vile fuiſſe & reliqua metalla tam pretioſa, ut ferrô duplum, æris triplum, argentô decuplum *auri* rependerent, idem Bochart. obſervat, ex Agatharchide *l. 5. c. 44.* & Artemidoro, apud Strabonem *l. 16.* uti is eum reſtituit, in ſuo *Phaleg. l. 2.* 27. &c. Imo, à Suſis Babytace oppidum, centum triginta quinque millibus paſſuum diſtans, memoratur Solino *c. 54.* in quo mortales univerſi odio auri coëmerint hoc genus metalli & abjecerint in terrarum profunda, ne polluti uſu ejus avaritiæ corrumperent æquitatem; Sicut de Satarchæis vel Satarchis narratur, uſu auri argentique abdicatô ab avaritia publicè mores vindicaſſe. At quouſque pluriorum gentium luxus provectus eſt, apud quos pedibus quoque, quæ extrema luxuriæ infamia, calcatum eſt, non hominum ſolum, ſed & equorum mulorumque, quos Nero calceari *aurô* juſſit &c. Qua de re, vide infrà voce *Vir*; de eodem, ut & de inventore hujus metalli, modo inveniendi & excoquendi; de more illud implectendi crinibus, intexendi veſtibus, eo ſignandi literas, aliiſque huc facientibus vide Plin. imprimis *l. 33. c. 1. & ſeqq.* Diodorum Sic. *l. 3.* & Salmaſ. *ad Solin. locis ſupra cit.* Addam quædam de *Auri* in Sacris, apud Hebræos, (unde quoque ad Gentiles tranſiit) uſu. (In Tabernaculo, præter vaſa ad oblationem neceſſaria, in Sanctuario *Altare* erat *aureum*, in quo bis de die ſuffitus adolebantur, vide *ſupra*: *Lychnuchus*, ex ſolido auro conſtans, ſeptemque lampadas totidem brachiis ſuſtinens, quæ oleô puriſſimô nutritæ totâ nocte in templo ardebant: Item *Menſa aurea*, cum ſacris panibus, facta ex cedro (ſicut Altare præfatum) & aurô obducta; inſtrata veſte hyacinthinâ; cum 12. lancibus totidemque acetris. Vide Exod. *c. 25. v. 31.* & Numer. *c. 4. v. 7.* In ipſo verò Adyto ſeu Sancto Sanctorum, Arca, quæ è ligno *Zittim* ſeu cedro conſtabat, intus & extrà *auro* erat obducta: ambiebaturque coronâ ſeu limbô aureô ac 4. annulos ex eodem metallo ad latera habebat. Illam vero tegens Propitiatorium ex ſolido *auro* confectum erat, ſuſtinebatque ex eodem conſtantes duos Cherubinos, Exod. *c. 25. v.* 18 --- 20. In Templo poſtea Salomonico, ubi *auri* argentique ſumma ultra fidem, in Propylæo ſuſpenſæ etiam *catenæ* erant *aureæ* & ſupra eas *coronæ aureæ* & argenteæ; imò & ſupra Templi oſtium *Vitis aurea*, ex qua botri inuſitatæ magnitudinis dependebant: cætera item vaſa omnia auguſtiora & majori numerô erant. Vide Franc. Burmannum *Synopſ. Theol. Part. 1. c. 14. & 15.* & infrà quoque, ubi de *Veſtitu Pontificis*. Argentô id metalli adulterari conſueviſſe, diſcimus ex Vopiſco in *Taciti Vita*: *c. 9.* unde *aurum* ad obruſſam exigebatur, in quo ignis excoxiſſet & purgâſſet, ſi quid erat ſequioris metalli, h. e. argenti admixtum, Salmaſ. *ad loc.* Et *Aurum argentô miſtum* legimus vetari in *Edicto* Piſtenſi Caroli Calvi *c. 35.* cui *Aurum merum* opponitur, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque hîc paſſim. Addam quædam, de ratione *Auri* inveniendi, ex Plinio *l. 33. c. 4.* *Aurum invenitur --- apud nos tribus modo, fluminum ramentis --- nec ullum abſolutius aurum eſt, curſu ipſo trituque perpolitum. Alio modo puteorum ſcrobibus effoditur, aut in ruina montium --- Et quidem aurum qui quærunt, ante omnia ſegullum tollunt; ita vocatur indicium. Alveus, ubi id eſt, arenæque lavantur, atque ex eo quod reſedit, conjectura capitur, ut invenitur aliquando in ſumma tellure --- Altum vocant, ſi & auroſa tellus ſubeſt --- Quod puteis foditur, canalicium vocant --- marmoris glareæ inhærens --- Hi venarum canales per marmor vagantur & latera puteorum, & huc illuc, inde nomine invento, telluſque ligneis columnis ſuſpenditur. Quod effoſſum eſt, tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam. Nam quod ad pilas cudunt, apitaſcudem vocant: argentum, quod exit à fornace ſudorem --- Catini fiunt ex taſconio. Hæc eſt terra alba ſimilis argillæ --- Tertia ratio opera vicerit Gigantum: Cuniculis per magna ſpatia actis cavantur montes ad lucernarum lumina. Eadem menſura vigiliarum eſt, multiſque menſibus non cernitur dies. Arrugias id genus vocant: ſiduntque rimæ ſubito & opprimunt operarios --- Relinquuntur itaque fornices crebri montibus ſuſtinendis. Occurſant in utroque genere ſilices. Hos igni & aceto rumpunt --- Si longior videtur ſilex, latus ſequuntur. Foſſam ambiunt quære. Tamen in ſilice facilior exiſtimatur opera. Eſt namque terra ex quodam argillæ genere --- prope inexpugnabilis. Cuneis eam ferreis aggrediuntur & iiſdem malleis: nihilque durius putant, niſi quod inter omnia Auri fames duriſſima eſt. Peracto opere, cervices fornicum ab ultimo cædunt, dantque ſignum ruinæ, eamque ſolus intelligit in cacumine montis pervigil. Hic voce ictuve repentè operarios revocari jubet, pariterque ipſe devolat. Mons fractus cadit --- longo fragore --- Nec tamen adhuc aurum eſt --- Alius par eſt labor --- flumina ad lavandam hanc ruinam jugis montium duxere a centeſimo plerumque lapide --- re-*

pleta

pleno ſtagno excuſſas obicibus, erumpit torrens tantâ vi, ut ſaxa provolvat. Alius etiamnum in plano labor. Foſſæ, in quas profluat, cavantur ... ea ſternuntur gradatim. Ulex eſt, frutex roriſmarino ſimilis, aſper aurumque retinens. Latera cluduntur tabulis ac per prærupta ſuſpenduntur, canalis ita profluente de terra in mare --- Aurum arrugiâ quæſitum --- ſtatim ſinum eſt: inveniuntur ita maſſæ. Nec non in puteis etiam denas excedentes libras. Palacras Hiſpani (Salmaſius legit palathas) idem quod minutum eſt, balucem vocant. Ulex ſiccatur uritur & cinis ejus lavatur ſubſtratâ ceſpite herboſo, ut ſidat aurum. Vicena millia pondo ad hunc modum annis ſingulis Aſturiam, atque Gallæciam & Luſitaniam præſtare quidam tradiderunt, ita ut plurimum Aſturia gignat. Neque in alia parte terrarum tot ſeculis hæc fertilitas. Italiæ parcitum eſt vetere interdicto Patrum &c. Vide quoque infrà *Hiſpania*. Hodie *Aurum*, in Africæ litore Auro dívite copiâ colligitur. At nullibi major ejus proventus, quàm in Regno *Peru* ejuſque provincia Montana celeberrima *Potoſi*, ſub 21. grad. latitud. Auſtr. de qua vide Athanaſium Kircherum *Mund. Subterr. l.* 11. *ſect.* 4. *c.* 8. quanquam aliàs omnis ille Americæ tractus à Tropico Cancri uſque ad Tropicum Capricorni, *Auri* cæterorumque metallorum feraciſſimus ſit. Auctor Anonymus *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. ac Civ. c.* 11. *de Commerciis*.

Auri appellationes variæ apud Scriptores.

AURUM ad Reſponſum, vide infrà.

AURUM ἄπυρον, apud Arrianum in *Indicis*, id dicitur, quod abſque coctione ſtatim perfectum & purum reperiebatur, magno Veteribus in pretio. De eo ſic Plin. *l.* 33. *c.* 3. *Hiſpania ſtrigiles vocat auri parvulas maſſas, quod ſuper omnia ſolum in maſſa aut ramento capitur. Cùm cætera in metallis reperta igni perficiantur, hoc ſtatim aurum eſt, conſummatamque materiam protinus habet, cum ita invenitur.* Ubi ſtrigiles vel ſtrengiles has maſſas vocat à ſtringendi vel ligandi notione, quòd aurum in has maſſulas ſtrictum ac per ſe coactum, nihil terreni admixtum habeat. Hujuſcemodi *auro*, caput Sponſi in Cantico *c.* 5. *v.* 11. comparari, placet quibuſdam, vide quoque ſuprà *Auri Adamas*, & infrà in *Baluca*.

AURUM Arabicum, apud Ottonem Friſing. *de Geſtis Friderici l.* 2. *c.* 22. Henricum Knyghton, & Thuroczium *Hiſtor. Hungar. part.* 2. *c.* 3.

AURUM Arugia, Hiſpanis dicebatur, Plinio teſte *l.* 33. *c.* 4. foſſione quæſitum aurum; quaſi ὀρυκτὸν: cujuſmodi in Arabia cuniculis effodi, in Ægypto item, tradit *Agatharchides*, uti diximus ſuprà in voce *Arugia*.

AURUM Callaicum, & *Callaicum metallum*, apud Martialem *l.* 14. *Epigr.* 96. à gente Luſitaniæ nomen habet. Nam Καλλαϊκοὶ Græcis, quos *Gallæcas* Latini vocant. Salmaſ. ad *Solin p.* 237.

AURUM Canalicium, vide ſuprà.

AURUM Cataclíſtum, Græcè κατάκλειστον, *Sexto*, quô nomine quidam intelligunt *ſplendens*. Salmaſ. vero quidquid concluſum ac conditum tutò locô ſervatur, ſic appellari tradit, *ad Tertullian. de Pallio*.

AURUM Coctum, quod aliàs *obryzum* in *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Procurat. Capitula* Caroli Calvi *tit.* 32. *c.* 24. *Ut in omni Regno noſtro non amplius vendatur libra auri puriſſimè cocti, niſi* 12. *libris argenti de novis & meris denariis*, &c. Ἄπεφθον χρυσὸν Carolo du Freſne, apud Themiſtium *Orat.* 13 & Scholiaſten Thucydidis *l.* 1. ἐξάπεφθον apud Simocattam *Hiſtor. Maur. l.* 5. *c.* 13. ubi fortè ἑξάπεφθον quis legerit, quaſi *aurum ſexies coctum*. Salmaſio verò χρυσὸς ἄπεφθος aliud eſt, uti vidimus.

AURUM Comicum lupini Plauto *Pan. Act.* 3. *ſc.* 2. *v.* 12.

AURUM Comparatitium, quod pro veſte militari & canonica comparanda à tributariis præſtabatur, in *l.* 3. *Cod. Theodoſ. de Re milit.*

AURUM Coronarium, hinc ortum. Victorum præmium antiquiſſimis temporibus laurus fuit, in cujus locum poſteà *corona ex auro* ſucceſſit Feſtus Pomp. *l.* 18. *Triumphales* coronæ ſunt, quæ Imperatori victori *aureæ præferuntur, quæ olim propter paupertatem laureæ fuerunt*. Neque verò una aut altera ſolùm præferri ſolebat, ſed & pœnè infinitæ, pro opulentia devictæ provinciæ. Unde in triumpho Æmylii Reguli, *quinquaginta coronas aureas tranſlatas fuiſſe*, docet Livius *Dec.* 4. *l.* 7. uno triumphante L. Manlio Acidino *centum viginti quatuor*, idem *ejuſdem Dec. l.* 11. Tandem, pro coronis certa pecuniæ ſumma iis dependa eſt, *Aurum coronarium* hinc dicta: Servius ad *Æn. l.* 8. *v.* 721. *Aurum*, inquit, *coronarium dicit, quod triumphantibus hodieque à victis gentibus datur: Imperatores autem hoc imponebant, propter conceſſam vitam; ideo ergo dicit dona, ſi hoc non eſſet, ſpolia diceret.* Meminit ejuſdem Auri Tacitus *Annal. l.* 15. *c.* 45. *Inque prædam etiam Dii ceſſêre, ſpoliatis in urbe templis, egeſtoque auro, quod triumphis, quod votis, omnis Populi Rom. ætas proſperè, aut in metu ſacraverat.* Poſteà autem non in victoriis tantùm, aut ſuperatis hoſtibus auri hujus conferendi conſuetudo invaluit, ſed in quacunque pompa, aut magnificentia: Hinc apud Æl. Spartian. *c.* 4. Antoninus Pius *Aurum coronarium, quod adoptionis ſuæ causâ oblatum fuerat, Italicis totum, Provincialibus medium*, reddidiſſe legitur. Apud Suetonium Neron *c.* 32. *revocavit & præmia coronarum, quæ unquam ſibi in certaminibus civitates detuliſſent.* Contra veterem morem, cùm *lex & decernere & accipi illud vetaret, niſi decreto triumpho*, Cicer *orat. in Piſonem* &c. Vide Thom. Dempſter. in *Roſini Antiqq. Rom. l.* 10. *paralipom. ad c.* 29. Lipſium *de Magnitud. Rom. l.* 2. *c.* 5. &c. De eodem *Auro*, ſic Car. du Freſne: *Aurum Coronarium Imperatoribus ultro conferebatur in auro, vel in coronis aureis, aliiſque ſignis ob partas victorias, aut lætitiam aliquam à Senatoribus aliiſque Magiſtratibus: interdum neceſſitate poſtulante indicebatur. A Satrapis etiam pro devotione; quum largi-tio debebant, ſolemniter offerebatur.* Dio vocat, τὸ χρυσίον τὸ ἐς τοὺς στεφάνους τεταγμένον, *aurum coronis conveniens*: Incertus Scriptor apud *Suidam* στεφανικὸν, i. λειτουργίαν, *coronarium vectigal*. Strabo φιλάνθρωπα λειτουργιῶν appellatione id complexus eſt, *l.* 8. Remiſit illud Italiæ, in provinciis, minuit Adrianus Cæſar apud Lamprid. *c.* 32. Vide & quæ de Pio dicta, & præterea *Monumentum* Ancyranum Auguſti cum *Notis* Caſauboni & tit. *Cod. Theodoſ. de Auro Coronar.* atque ibi Jac. Gothofredum, ut & Valeſ. *ad Ammianum l.* 25. *p.* 301.

AURUM Cuniculis effoſſum, vide ſuprà *Arugia*.

AURUM Elutum, apud Jul. Capitolin. *in Pertinace*, *c.* 8. eſt probè purgatum. Multis namque in auro purgando lavationibus opus eſſe, diſcimus ex *Strabone* & Plinio. *loc. cit.*

AURUM Fiſcale, vide ſuprà.

AURUM Gemmatum, dictus Veteribus aurum poculorum, καλλίλιθον, aureum totum, & gemmis intextum, de quo aliquid ſuprà. Virides autem gemmas auro decorando maximè convenire credebant: unde *Agatharchides* de topazio, quæ viridis eſt. *Ἡδίων*, inquit, *ἐν χρυσῷ διαυγάζον ἀποδίδωσι*. Et *Scythica flamma virentis auri*, apud Martialem, *l.* 12. *Epigr.* 15. *v.* 3. ubi aurum intelligit, Scythicis Smaragdis, quibus textum erat, virens; vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 240. & *paſſim ad Hiſtor. Aug.* ut & ſuprà in voce *Auro Præpoſiti*.

AURUM Glebale, quod pro poſſeſſionibus penditur, *l.* 2. *Cod. de Prætor. & hon. Prat. l.* 12.

AURUM Incluſum, Hebr. זהב סגור 1. Reg. *c.* 6. *v.* 20. 21. i.e. optimum, quod propter bonitatem ſuam *incluſum* erat & aſſervatum. Talmudici ſcribunt ſic dictum, quòd, cùm hoc venum exponeretur, reliquæ officinæ eſſent סגורות *clauſæ*, propter illius præſtantiam, *Joma fol.* 45.

AURUM Largitionale, vide infrà *Veredarium*.

AURUM Luſtrale, quod quartô quôque annô pendebatur, teſte *Zonarâ*: idque à Negotiatoribus, hinc *Aurum Negotiatorium* dictum Lampridio in *Alex. c.* 32. item *functio auraria*, *l. fin. Cod Theodoſ. de Collat. luſtral.* Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Aliter infrà, ubi de *Auro pœnoſo*. Vide quoque *Luſtrale aurum*.

AURUM Merum, idem cum Obryza.

AURUM Negotiatorium, vide *Aurum Luſtrale*.

AURUM Oblatitium, quod ultro, non ex neceſſitate vel ordinaria collatione, Senatores Principi offerebant veluti Principatûs initio, vel Quinquennalibus, aut Decennalibus, vel poſt victoriam à Principe partam; ſpeciem tamen neceſſitatis quandam habuit, ubi de conferendo Senatûs decretum interveniſſet. Vide Jac. Gothofredum *ad l.* 5. *Cod. Theodoſ. de Senator.*

AURUM Obryzum; Græcè ὄβρυζον, quod ſæpiùs deſpumatum & excoctum eſt: ab ὀβρύζειν, quod idem eſt ac ἑψεῖν. Ejus apud Veteres nulla mentio, ſed *Auri ad obruſſam*; obruſſa autem Græcè ὄβρυζα, à verbo prædicto: Salmaſ. *ad Solin. p.* 1031 Vide quoque hîc paſſim, etiam in *Splendoclaſtum*.

AURUM Ovatum, vide infrà *Ovatio*.

AURUM Pagenſe, tributum ex pagis, vide infrà *Inferenda*.

AURUM Pallidum, prout in venis eſt, oſtenditur in *Muſæo* Kircheriano, Romæ. Vide Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo p.* 41.

AURUM Pœnoſum, idem cum *Auro Luſtrali*, à cujus conlatione ne pauperes quidem immunes erant: Græci poſteriores χρυσάργυρον appellârunt, à quo ne σκυτοτόμον ſeu *Sutorem* quidem fuiſſe immunem, refert Libanius *Orat. contra Florentium p.* 427. Vide de Chryſargyro Meurſii *Gloſſarium*, Car du Freſne *Gloſſar.*

AURUM Præſtantiſſimum, Græcis χρυσοῦ ἄνθος, *flos auri*; ἀκήρατον, ἄπυρον, ἄπεφθον; eſt quod ſine ignis opera perfectum per ſe inveniebatur, de quo vide ſuprà in *Auri Nodus*.

AURUM Primum apud Math. Weſtmonaſter. i. e. obryzum. Vide Car. du Freſne *Diſſert.* 20. *ad Joinvill.*

AURUM Publicum, quod publico Ærario infertur, Honorius & Theodoſ. *l. un. de auro publ. proſecut. l.* 10. *Cod.* Vide Calvin. *Lexic. Jurid.* &c.

AURUM Purum, vide ſuprà *Aurum ἄπεφθον*, *Obryzum*, *Præſtantiſſimum*.

AURUM Ramentitium, Græcis ψῆγμα & ὁ ψηγματώδης, opponitur *Auro Arrugiæ*, apud Plinium, *l.* 33. *c.* 4. quod foſſione quæritur. *Strabo*, maſſas auri puri ſelibres in ramentis inveniri, in Hiſpania refert, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1075. & 1076.

AURUM ad Reſponſum, vide infrà.

AURUM Splendoclaſtum, vide infrà.

AURUM Tironum, vide infrà *Tiro*.

AURUM Viceſimarium, apud Livium *l.* 27. *c.* 10. *Cætera expedientibus quæ ad bellum erant, Conſulibus*; Aurum Viceſimarium, *quod in ſanctiore Ærario ad ultimos caſus ſervabatur, promi placuit. Prompta ad quatuor millia pondo auri*: quid ſit vide ſuprà, ubi de *Ærario*.

AURUNCA, Latii civitas, ab Auſone Ulyſſis, & Calypſûs filio condita: à qua *Aurunci* vetuſtiſſimi Latii populi. Ubi nunc pars terræ Laboris, à Tarracina ad Lirim fluv. extenſa in regno Neapolitan. *Brietius*. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 727.

--- Et quos de collibus altis
Aurunci miſêre patres. ---

Et ibid. *v.* 206.

Auruncos ita ferre ſenes.

Eoſdem hos eſſe cum Læſtrygonibus, probat Vis Magnus *de Phæn. Colon. p.* 652. Deducit autem ab Ebræo אור Or, h. e. *à luce*, quia in ea perpetuò verſabantur & breviſſima ibi fuêre noctis tempora. Sic enim de illis Poëta:

Ἔγγὺς

Ἔνθα γὰρ παιδός τε καὶ ἁρματός ἐστι κέλευθα

Atque ut in *Arato* habetur,

Μάργηλαν δῶκεν τε καὶ αἴθαλα ...

Vide & *Aulon*.

AURUNCULEIA Via, Leodii apud portam, quæ in publicum montem ducit, ſuper Moſam flumen; & à Petroſidio aquiliſero *Petroſum* vocatur: nomen traxit à caſu Aurunculeji Cottæ, de quo Cæſarem vide *Bell. Gall. c.* 32. *l.* 5.

AURUNCULEJUS Cornelianus, in catalogo Nobilium Romanorum, quos ſine cauſæ dictione, occidi juſſit Severus Imperator Æl. Spartian. in *Vita* ejus *c.* 13.

AURUNCUM, vulgò AURONZO, oppidul. Italiæ, in Cadorino agro, ditionis Venetæ verſus Alpes, ad amnem Anſiam, in limite Comitatûs Tirolenſis, 8. milliar. ab oppid. *Paracia Cadorini* dicto, in Boream.

AURUPINI, populi Iapodum. *Strab.* quorum oppid. *Aurupinum*, vulgò *Aurſperg*. Vide *Arupenum*.

AURUSPI, Æthiopiæ ſub Ægypto oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 30.

AUSA, civitas Hiſpan. *Ptol. Vich* hodiè dicitur. Non procul à Tera fluv. in plano. Deficit indies.

AUSANA Legio VIII. vicus Germaniæ inferioris vulgò *Palleſcheid*, *Cluver.* quibuſdam *Auſacia*.

AUSANCALI, Liburniæ oppid. *Ptol.*

AUSARA, urbes duæ hujus nominis in Arabia Felici. Ptol.

AUSCHITÆ, vel AUSCHISÆ, populi Libyæ. Herodot. *l.* 4. *Stephan.* Αὐχῖται ἔθνος Λιβύης ὑπὲρ Βάρκης, ubi ὑπὲρ Βαρκης legendum eſſe ſuprà diximus, idque ex *Herodoti* prædicto loco. Αὐχῖται ὑπὲρ Βάρκης οἰκοῦσι. *Nic. Lloydius.*

AUSCI, gens Aquitaniæ, Caeſar inter & Garumnos, Cæſ. *l.* 3. *Comm. bell. Gall. c.* 27. inter Couſorannos & Eluſates, Plin. *l.* 4. *c.* 19. Aquitanorum clariſſimi, Pomp. Melæ, qui urbem opulentiſſimam in Auſcis Eluſaberrim indigitat. Aquitaniam autem ille, exemplò J. Cæſaris, Garumnâ flum. & Pyrenæis terminat *l.* 3. *c.* 2. *Auſcii Ptolem.* quorum præcipua urbs *Auguſta*, cui ab Auguſto nomen: poſteà Gentis etiam, cujus caput erat, appellationem ſuſcepit, & *Auſci* nuncupata eſt. Poſtrema inter Novempopulanæ provinc. civitates XII. Vaſatica verò civitas nonô locô in *Notit. Provinc. ac Civit. Gall.* ſub Honorio concinnatâ, collocatur, ſed Ammianus Marcell. *l.* 15. *Novempopulos*, inquit, *Auſci commendant & Vaſata*. Poſtea, ut Eluſa ex Novempopulanæ civitatum Metropoli ultima facta eſt, ſic *Auguſta Auſcorum* vice verſâ ex ultima prima evaſit. Recentiores quoque Notitiæ Vaſconiæ Metropolitam ſeu Archiepiſcopum Auſcitanum faciunt, cui X. ſuffragantur, Eluſâ ex civitatum catalogo demum erasâ, cùm prius *Auſcorum* civitas ſub Eluſa Metropoli Epiſcopalis eſſet: quâ dirutâ ei Auguſta hæc ſucceſſit, circa A. C. 800. Sita eſt autem ad amnem Ægirtium, *Gers*, & vulgò *Auſch* dicitur. Eadem olim *Climberris* videtur dicta, quod pro *Eluſaberris*, apud Melam legi debere, Iſ. Voſſius contendit. Arnaldus Oihenartus, in Fidentiacenſi pago atque Comitatu, qui olim Armaniacenſem continebat, urbes primarias fuiſſe *Auguſtam Auſcorum* ait & Fidentiacum, *Vic Feſenſac*, bellis civilibus everſum. Et Fidentiaci Comitatus meminit Vita Ludovici Pii Imperat. A. C. 802. Territorii Fidentiaci mentio fit in tranſlatione Fauſtæ Virgin. & Martyr. A. C. 864. *Ptolem.* parum exactè ſub *Auſcis* Velaunos, ſub Vaſatibus Gabalos, ſub Gabalis Oſſidates collocat, magnis locorum intervallis diviſos. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AUSCULTARE, Monachi dicuntur, qui priuſquam in Eccleſia, quod ſibi injunctum eſt, legant, recitent vel cantent, coram eo, cui id curæ incumbit, Lectiones ſuas recitant & ab ipſo non ſolum modo Lectiones accipiunt, ſed etiam, quô illa vocis tonô recitanda ſit, docentur. Idem & *aſcultare*. Liber Ordinis S. Victoris Paris. MS. *c.* 34. *Fratres, qui in Eccleſia, ſive ad Miſſam, ſive ad Matutinas, aliquid legere habent, debent ab Armario aſcultare. Abbas autem & Prior aſcultare non coguntur — quod ad Miſſam legendum eſt auſcultetur in ſpatio, quod eſt inter Capitulum & Tertiam — Fratres, qui officiis deputati ſunt, ſi id, quod habent legere, hora conſtituta aſcultare non poſſunt; poſtmodum, cùm eis vacat, auſcultent — Frater verò, qui primam Lectionem habet legere, debet horâ* auſcultandi *Lectionem, librum, in quo legendum eſt, in Clauſtrum referre, & poſtquam omnes auſcultaverint, in locum ſuum referre*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* qui etiam hanc in rem ex Lanfranco in *Decretis pro Ordine S. Benedicti c.* 5. iſta adfert: *Quicunque lecturus, vel cantaturus eſt aliquid in Monaſterio ſi neceſſe habeat, ab eo* (Cantore) *priuſquam incipiat, debet auſcultare* &c. Alia notio *Auſcultatorum*, quos *Auriculares* vocat apud Eundem Chronicon Novalic. *l.* 5. *c.* 3. hi enim iidem cum Ὠτακουσταῖς, quos Galli *Eſpions* dicunt, de quibus hîc infrà.

AUSCULTATORES ſeu Delatores publici, inviſiſſimum hominum genus, primùm à Dario minore, Perſarum Rege adhibiti ſunt, cùm ipſe ſibi non credens, omnes haberet ſuſpectos ac metueret: Dionyſius dein Senior ſuos *Proſagogidas*, ita enim Græcis vocantur, Syracuſanis civibus miſcuit: ſed & jam ante utrumque Midas Phrygum Rex, cui primi aſininas aures affinxit Poëtarum licentia, iiſdem uſus videtur. Apud Romanos eorum jam antiqua mentio in rebus Tarquinii Superbi apud Dionyſium Halicarn. *l.* 4. verùm inprimis publica hæc graſſandi rabies ſub Cæſaribus deſævit. De quorum origine ſic loquitur Ammian. Marcellinus *l.* 14. *c.* 1. *Excogitatum eſt ſuper his, ut homines quidam ignoti, vilitate ipsâ parum cavendi, ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta deſtinarentur, relaturi quæ audirent. Hi peragranter & diſſimulanter honoratorum circulis aſſiſtendo, pervadendoque divitum domos egentium habitu, quidquid noſcere poterant vel audire, latenter intromiſſi per poſticas, in regiam, nuntiabant. Id obſervantes conſpiratione concordi, ut fingerent quædam & cognita duplicarent in peius, laudes verò ſupprimerent Cæſaris, quas invitis compluribus formido malorum impendentium exprimebat*, &c. Simile quiddam habet Æl. Lamprid. *in Alexandro Severo*, & ante iſtos de Tiberio Xiphilinus *p.* 255. Qua de re vide plura infra ubi de *Delatoribus*.

AUSELII, olim dicebantur, qui nunc *Aurelii*. *Feſtus.*

AUSEN, Duces, per quos victoriæ, ſpoliaque comparata eſſent, à Gothis dictos eſſe, Iornandes *l. de reb. Get. c.* 13. refert, i. e. Semideos & pluſquam homines, Sed *Aſes* legendum monet Spelmannus in *Gloſſario Archæol.* Vide *Hanſa*.

AUSENSES, populi apud *Herodotum*, qui de iis memorat, quod Mela de Garamantibus: *Nulli certa uxor, ex his qui tam confuſo Parentum coitu paſſim incertiſque naſcuntur, quos pro ſuis colant, formæ ſimilitudine agnoſcunt.* Et Solinus *c.* 30. *Garamantici Æthiopes matrimonia privatim neſciunt — Inde eſt, quod ſuos matres tantum recognoſcunt; patrum nomini nulla reverentia eſt.* Vide Salmaſ. ad *Solin. p.* 284.

AUSER, vel AUSERIS, quibuſdam ANSER. Italiæ fluv. propè Lucam, cujus olim pars rivus ille, qui juxta Piſas nunc labitur, fuit. *Straboni* dicitur *Æſarus*, hodiè *Oſari*, *Leandro* autem *Serchio*. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 2. *p.* 461. Oritur prope Minucianum oppidul. dein per Grafinianam decurrit; ubi auctus multis rivis, & rigatis Caſtrô novô Barcâ, aliiſque locis, in mare Tyrrhenum labitur, 12. milliar. infra Lucam.

AUSES, Africæ populi capronas è fronte demiſiſſe gaudent; Virgines quotannis in honorem Minervæ certamen edunt; Arma ſunt lapides & fuſtes. Si qua ex ictu deceſſerit, falſa cenſetur virgo. Quæ omnium præſtantiſſimè depræliata eſt, à cæteris, armis decorata, ſubvehitur curru per ambitum Tritonidis paludis. Miſcentur illis cum mulieribus congreſſus. *Herodot. Mela. Stephan.*

AUSETANI, populi non longè à Tarraconenſibus, Cæſar *l.* 1. *de bello Civili. c.* 60.

AUSIGDA, urbs Libyæ, Hecatæo inſula. *Steph.*

AUSINGA, Perſidis urbs. *Ptol.*

AUSITIS, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. *Ptol.* Item regio in qua natus Iob. Hebræis *Hus*.

AUSIUS Marcus, vide *Marcus*.

AUSOBA, *Ptol. The bay of Galway*, teſte *Camdenô*, fluv. Hiberniæ per Connaciam regionem in occidentem apud Galviam urbem fluens. Alius eſt *Gyll.* in Oceanum influens apud Sligum oppidum. A multis *Logh* nunc dictus, per Lacum *Corbile* labitur, dein rigatâ Gallivâ civitate pauló infrà in Oceanum Occidentalem ſe exonerat, ejuſque oſtium Sinus Gallivenſis, vulgo *Bay of Galway* dicitur. *Spondan.*

AUSON, vel AUSONIUS, Ulyſſis & Calypſûs fil. Inde, ut quidam volunt, *Auſones*, antiquiſſimi Italiæ populi, iidem qui & *Aurunci*. Servius in *l.* 7. *Æn. v.* 727. *Aurunci Græcis Auſones nominantur.* Dio Cocceianus apud Iſac. *in Lycophronem*: Αὐσονία ἐκαλεῖτο ἡ τῶν Αὐρούγκων γῆ ... λέγεται, μέχρι Καμπανῶν καὶ Οὐολούσκων, παρὰ θάλασσαν κειμένη. Tzetzes in *Chiliad.*

Τοὺς δ' Αὐρούγκους μόνους μοι Αὔσονας λέγε νῦν,

Nempe, ut in *Feſto* habetur, *R pro S* (imò & *S pro R*) *literâ ſæpe antiqui poſuerunt*, ut *majoſibus*, *melioſibus*, *Laſibus*, *feſiis*: pro *majoribus*, *melioribus*, *Laribus*, *feriis*. Et, eôdem auctore, *Aurum* Sabini *Auſum* dicebant. Sic variante dialectô, idem erat *Auſon* & *Auron*, ex quo *Auronci*, vel *Aurunci*, ſyllabicâ adjectione, quaſi in *Etruſcorum* nomine ex *Etruria*, & *Hernicorum* à ſaxis, quæ Marſi *herna* dicunt; & *Opicorum* ab Ope, i. e. *terra*. Opici enim ſunt Αὐτόχθονες. Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 33. Hi *Auſones* primùm extrema Italiæ litora coluiſſe dicuntur, quæ à Lacinio promontorio uſque ad Salentinos extenduntur; unde & ejus loci mare *Auſonium* dicitur. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Poëtæ tamen, ſuô more, Auſoniæ nomen univerſæ communicant Italiæ. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 3. *c.* 9. Dionyſ. Perieg. *v.* 77.

Ἔνθ' Ἑλλὰς ... ἐπ' ...,
Ἐκ Διὸς Αὐσονίης ... μεγα ...

Et poſtea, *v.* 339.

Μέσση δ' ... Αὐσονὶς αἶα
Πλάζεται. —— —— —— ——

Nic. Lloydius.

AUSONIUM Mare, pars eſt maris Ionii, à promontor. Japygio in meridiem porrecta, verſus Siciliam.

AUSONIUS, ſeu DECIMUS MAGNUS AUSONIUS, Gallus Burdigalenſis, patre natus Auſoniô Medicô, Rhetor, Poëta & Gratiani Imperatoris Præceptor fuit, à quo, cùm ipſi ſimul & patri Quæſtor fuiſſet, ad Præfecturam duplicem & Conſulatum evectus eſt, A.C. 379. cui in eo Magiſtratu eleganti oratione gratias egit, quæ oratio inter cætera ejus opuſcula etiamnum extat. Ex liberis Heſperium filium vidit Conſulem; Filiam Phaleſio Conſulari viro junxit, unde natum ſibi nepotem cognominem & Genethliacô celebravit, & Protrepticô ad ſtudia literarum hortatus eſt. Habuit & fratres duos, quorum major ad ſummum culmen pervenit honorum, ut ipſe ſcribit, Præfectus Galliis & Libyæ, & Latio. Epigrammata ejus doctis unicè probantur. *Moſellam* verò ipſius ita prædicat Symmachus orator, ut libris Maronis adjungendum putet. Chriſtianum fuiſſe quidam contendunt, alii carmina illa, quæ hoc probare videntur, pro ſuppoſititiis habent. Crinit. *l.* 5. Voſſ. *de Poet. Lat. c.* 4. Bellarmin. *de Script. Eccl.*

AUSONIUS, frater Juliani, ejus ad quem extant B. Hieronymi Epiſtolæ.

AUSONIUS, Sophiſta, ſcripſit epiſtolas & alia quædam ad Nonium. *Suidas.*

AUSONIUS Gallus, vide *Decius*.

AUSONIUS Julius, vide *Julius*.

AUSPICES, ab *Avium inſpectione* dicti, inde futura prædicebant: Sicut *Augures*, garritum earum attendebant; quæ tamen nomina ſæpè ſolent confundi. Fuêre autem *Auſpiciorum* apud Roman. genera tria, *Avium inſpectio*, *de cœlo obſervatio* & *tripudii animadverſio*. Quorum medium, ad omnia Comitia: primum, ad Curiata & Centuriata tantùm adhibebatur: ultimum rerum gerendarum proprium erat. Omnia enim *auſpicato* gerere domi militiæque, publicè & privatim Romani ſolebant, ut ex illuſtri hoc Livii loco apparet *l.* 6. *c.* 41. *Auſpiciis hanc urbem conditam eſſe, auſpiciis bello ac pace, domi militiæque omnia geri, quis eſt qui ignoret? Penes quos igitur ſunt* Auſpicia *more Majorum? nempe penes Patres. nam plebejus quidem Magiſtratus nullus auſpicato creatur. Nobis adeò propria ſunt Auſpicia, ut non ſolum quos populus creat patricios magiſtratus, non aliter quam auſpicato creet, ſed nos quoque ipſi ſine ſuffragio populi auſpicatò interregem prodamus, & privatim Auſpicia habeamus, quæ iſti ne in magiſtratibus quidem habent. Quid igitur aliud quam tollit ex civitate Auſpicia, qui plebejos Conſules creando, à Patribus, qui ſoli ea habere poſſunt, aufert? Eludant nunc licet religiones. Quid enim eſt ſi pulli non paſcentur? ſi ex cavea tardius exierint? ſi occinuerit avis? Parva ſunt hæc; ſed parva iſta non contemnendo, Majores noſtri, maximam hanc rem fecerunt.* E quibus, inter alia, patet, penès Patres *Auſpicia* tum fuiſſe, adeoque rerum ſummam, ut ſine quibus auctoribus nihil à populo geri poſſet. In Nuptiis, *Auſpices* noctu & ſub Auroram, auguriis operam dabant: Unde Servius *ad Æn. l.* 1. & 6. Item vetus Scholiaſtes Juvenalis *ad v.* 336. *Sat.* 10. *Auſpices*, inquiunt, *ſolebant nuptiis intereſſe.* Claudianus in *Ruffin. l.* 1. *v.* 84.

> ---- ---- *Hac* Auſpice *tæda*
> *Oedipodem matri, nata jungebre Thyeſtem.*

Optimum autem in his augurium ab accipitre cæco deſumebatur, Plin. *l.* 10. *c.* 8. In Caſtris quoque duo adhibebantur *Auſpicia*, unum coactum, nempe *tripudium*: alterum ex *acuminibus*, quod quale fuerit, incompertum eſt. Meminit tantùm ejus Cicer. *de Divin. l.* 2. *Ex acuminibus quod totum auſpicium militare eſt, M. Marcellus totum omiſit.* Fuêre verò *Auſpicia* hæc in exercitu ſolius Imperatoris, cæteri *auſpicio ejus pugnare* dicebantur. Vide Thom. Dempſterum in *Joh. Roſini Antiqq. Rom. paſſim*, & ſuprà in voce *Augures*.

AUSSONA, urbs Galliæ ad Ararim, in Ducatu Burgundico parva, ſed valde munita. In confinio Comitatus Burg. Gall. *Auxone*.

AUSTAGENA, Parthiæ tractus, ubi naphtha profluit. Plin. *l.* 2. *c.* 105.

AUSTANITIS, Armeniæ majoris regio. *Ptol.*

AUSTER, ventus meridionalis, calidus & humidus, exitialis & morboſus, unde Horat. *l.* 2. *Carm. Od.* 14. *v.* 15.

> *Fruſtra per Autumnos nocentem*
> *Corporibus metuemus Auſtrum*

Ab *hauriendis aquis* dictur, unde etiam Græcè eâdem ratione Νότος appellatur, quoniam νότις Latinè *humor* dicitur. Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 461.

> ---- ---- *Unde ſerenas*
> *Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auſter.*

Ovid. *Met. l.* 1. *v.* 66.

> ---- *Pluvioque madeſcit ab Auſtro.*

Inde Horatio *Epod. Od.* 10. *v.* 19. *udus* dicitur, Ovidio *l.* 2. *Met. v.* 853. *aquaticus*, *Claudiano madidus*. *Auguſtin.* quoque, ſcitè vocat *pincernam pluviarum*, quemadmodum idem Boream eleganter nominat *terræ ſcopam*. Fortaſſe tamen, *propter calorem* potiùs dici videatur, quaſi αὔστης ab αὔω *ſicco*, *uro*. Nam *Heſych.* αὔω interpretatur ἀναφλέγειν, idemque αὔσας exponit καύσας, φλέξας. Sanè ventus hic ob æſtum plantis plurimum incommodat. Unde Maro, *l.* 1. *Georg. v.* 444.

> ---- ---- *Namque urget ab alto,*
> *Arboribuſque ſatiſque Notus pecorique ſiniſter.*

Imprimis autem flores torret, atque interficit. Unde idem Virg. *Ecl.* 2. *v.* 58.

> *Eheu quid volui miſero mihi? floribus Auſtrum*
> *Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.*

Et Statius Papinius, *l.* 3. *Silv.* 3. *v.* 129.

> *Pubentéſque roſæ primos moriuntur ad Auſtros.*

Nic. Lloydius. Cæterùm ventus hic & Aquilo, quibuſdam Veterum ſoli duo venti appellati ſunt, reliqui vero velut acceſſionum vice habiti, & prout inclinatione ac receſſione ab hoc & illo axe deflecterent, *Septentrionales* & *Meridionales* dicti. Originem enim ducunt ab utraque Mundi meta; & quum ſemel occœperunt, diutiſſimè durant ac vehementiſſimè ſunt. Quam in ſententiam à Lucilio ſcriptum, ex perſona Cotys Thracum Regis,

> *Rex Cotus ille duos hos ventos,* Auſtrum *atque Aquilonem*
> *Noviſſe ajebat ſolos ſe demagis, iſtos*
> *Ex nimbo Auſtellos nec noſſe, nec eſſe putare,*

apud *Nonium*. Unde in antiquis Philoſophorum Medicorumque ſcriptis, & præcipuè apud Ariſtotelem & Theophraſtum, ad deſignandas tempeſtatum & aëris conſtitutiones, quas venti faciunt, τὰ βόρεια ſolùm & τὰ νότια nominantur: ἐν τοῖς βορείοις, ἐν τοῖς νοτίοις, i. e. *flantibus Aquilonibus*, *flantibus Auſtris*. At nuſquam τὰ ἀπαρκτία, aut τὰ εὖρα commemorantur, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1250. & *ſeqq.* De ſitu verò *ad Auſtrum* precandi, hîc infrà.

AUSTERBANTUM, in diviſione regni Ludovici Pii inter filios, ponitur Hainoum inter ac Atrebates. Ibi Rictrudim puellam nobilem, Adalbaldus Francus, Gereberti fil. B. Gertrudis Monaſterii Hamaticî auctoris nepos, in pago *Auſtrebatenſi* potens, uxorem duxit. Hugbaldus in *vita S. Rictrudis*. Hic pagus volgò *Oſtrevant*, cum Comitatus titulo olim ab Hainoi Comitis filiorum maximo poſſeſſus eſt. *Oſtervandia* recentioribus; cum Comitatu Atrebatenſi contineretur, jam Hainoo adſcribitur. Nunc pagi caput Buccinium eſt, ad Scaldim, *Bouchain*. Germanicam vocem eſſe, & *Orientalem limitem* deſignare, vult Wendelinus Belga; quia Neuſtriæ orientalis limes erat. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AUSTERLITIUM, oppid. German. in Moravia, ad Occidentem Brunæ Urbis; à quibuſdam *Slaukowia* dicitur.

AUSTERVICUM, oppid. German. in Saxonia inferiori & Principatu Halberſtadienſi, ad Olſam amnem, paulo infra ei Oacrem cadentem. Olim amplum, nunc defecit. Ferme medium inter Halberſtadium & Wolſembutelam Urbes. Aliis *Oſtrovicum*.

AUSTERUM in coloribus, Græcis [illegible]. Epiphanius *l. de* 12. *Lapidib.* de Smaragdo, qui ſaturatiùs viret, Τρίτος, inquit, λίθος σμάραγδος [illegible] *Tertius lapis ſmaragdus eſt, qui praſinus quoque appellatur. Eſt autem viridis ſpecie: ſic tamen ut non leve in illis deprehendatur diſcrimen. Quidam enim eos Neronianos appellant, nonnulli Domitianos: & Neronianus quidem Auſterus eſt colore, ſaturatè viridis, tranſlucidus & nitens.* Idem prorſus hic *auſterum*, quod, maximè ſaturum, Plin. *l.* 9. *c.* 36. *Sed unde conchylio pretia? quis virus grave in fuco, color* auſterus *in glauco.* [illegible] Idem *c.* 38. *Nimiaque ejus nigritia dat* auſteritatem *illam nitoremque, qui quæritur, cocci.* Ubi *auſteritatem* vocat ſaturitatem & ſuperbiam coloris. Et *l.* 37. *c.* 7. de carbunculis: *Et hîc mares,* auſteritas *diſtinguit, ſiquidem vigor appoſita tingens indicat: quidam etiam hebetare viſus dicuntur. Blandior feminis flamma, allucens magis, quàm accendens.* De Scythicis item ſmaragdis meracius improbiuſque virentibus, *c.* 5. *ejuſdem l. Nulla major* auſteritas, *nec minus vitii.* Et paulò pòſt, *Ergo Cyprii variè glauci magis ac minus in eodem ſmaragdo, aliis partibus tenorem illum Scythicæ* auſteritatis *non ſemper cuſtodiunt.* Eôdem ſenſu Latini uſurpârunt colorem *preſſum*, *ſaturum*, *plenum*, *adſtrictum*, *ſuperbum*, *improbum*; Græci quoque [illegible]: unde *ſuperbia candoris* Vitruvio, *l.* 7. *c.* 3. *auſteritas* eſt καὶ ἡ βαθύτης τοῦ λευκοῦ [illegible]. Opponitur color *dilutus*, item *excitatus*, h. e. clarus & acutus, Græcè ὀξύς: ita tamen, ut *auſterus & excitatus* in eodem ſimul poſſint eſſe, diverſô reſpectu; e. g. Tyria purpura nigrior & adſtrictior aſpicientibus apparebat, ſuſpicientibus autem excitatiſſimum colorem ac lumen affulgebat. At excitatus & dilutus ſimul eſſe & in uno morari nequeunt, &c. Et quidem Antiqui preſſiores & fuſciores purpuras magis probabant; at recentioribus claræ & excitatæ potiùs placuêre. Vide Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*, *p.* 183. & *ad Solin. p.* 199. ut & hîc paſſim ubi de *Coloribus* prædictis.

AUSTRA, rectiùs *Aſturra*, quod vide.

AUSTRALIS Terra, ſeu prout à *Ferdinando Mendez de Quiro* vocatur, *Auſtralia incognita*, quarta pars Geocoſmi ſecundùm *Bermannum*, maximè vicina eſt Orbi veteri, ad procurrentem tractum Novæ Guineæ, Americæ verò ad fretum Magellanicum: Hæc ſola conſtat mari undique cincta eſſe, & circumnavigari poſſe, cùm in veteri Orbe pariter, ac America, partes Septentrionales nondum ſatis exploratæ ſint. Hic, ut & in regione Polari Arctica oppoſita, nox dieſque ſex menſium eſt, ſub ipſis verò Polis lux perpetua, ſaltem crepera. Animadvertit quoque ſagaciſſimus Kircherus, eſſe in terris hiſce ſubpolaribus ingentes voragines, quibus mare ſub Polo Arctico abſorbeatur, ſub *Auſtrali* iterum emergat idque ex eo potiſſimum colligit, quia maria ſubpolaria ob rapiditatem ſuperari non poſſint. Hinc, ut de Polo Arctico nil dicam, conſtat ex le Maire *Relat. de invento freto*, Nautas poſt 60. gr. latitudinis *Auſtralis*, ob contrarietatem fluctuum ulterius progredi neutiquam potuiſſe: Et docet Herrera, in *Hiſtor. Americæ Auſtral.* claſſem Regiam Hiſpanorum, ad detegendas novas terras emiſſam, non potuiſſe ſuperare gradum 70. ob aquarum, etiam tranquillô aëre & ſilentibus ventis, obviam provenientium violentiam. Vide Athanaſ. Kircherum *Itinere Ecſtat.* 1. *Dial.* 1. & *M. S. l.* 3. *c.* 2.

AUSTRANIA, Plin. *l.* 4. *c.* 13. ſeu AUSTRAVIA, ut *l.* 37. *c.* 3. legitur, Inſul. Oceani Septentrionalis, à Romanis *Claſſaria* dicta, aliis *Gleſſaria*, à ſuccino, quod Germani *gleſſum* appellant.

AUSTRANIA, Inſul. maris Baltici, quæ *Ortelio Ameren* eſt. *Cluver.* autem *Strand* in ora Occidentali Jutiæ, in mari Germanico. *Baudrand.*

AUSTRASIA, Germ. *Weſtrick*, regio Germaniæ ſuperioris inter Moſam, Moſellam, & Hellum flumina comprehenſa; quo in ſpatio Lotharingia, cum parte Alſatiæ, & Palatinatus continetur. Unde Lotharingia paſſim Latinè *Auſtraſia* nominatur, fuitque olim regnum non exiguum, ut vox ipſa declarat, quam quidam *Vaſtum Regnum* interpretantur, ſicut vox *Weſtrick* ſonare videtur. Namque ſub *Auſtraſiæ* Regibus (qui Metis conſidebant) non ſolùm regiones prædictæ, ſed & finitimæ cum toto ferme Belgio parebant. Sic dicta vel ab *Auſtraſio* Præſide, quem Juſtinianus Imperator illi regioni præfecerat, vel ab *Auſtraſo* in ea terra Rege. *Nic. Lloydius.* Vel potiùs à ſitu. Olim latiſſimè extenſa, poſtea Scaldi, Moſâ & Rhenô fluv. & Vogeſô monte eſt coarctata, & tum diviſa in ſuperiorem & inferiorem, quarum hæc Lotaringiæ reſpondet. *Bertius.* Aliis portio erat filiorum Regum Galliæ ſub initium Monarchiæ, quidquid nempe inter Moſam & Rhenum, imò & ultra Moſam, Remos, Cabillonem, Cameracum & Laudunum comprehendens. Addebatur etiam vetus Francia & populi ultra Rhenum ſubjugati. In diviſione fil. Clodovæi, Theodorico natu maximo ceſſit. Cluver. *l.* 3. Mezeray, *in filiis Clodovæi. Moreriui.* Hadr. verò Valeſ. de

de *Auſtraſia*, iſta habet: Latè regnantibus Chlodovei filiis, in Gallia atque Germania, quidquid Galliarum Rhenô & Ligeri continetur, *Francia* appellari cœpit. Cujus pars inter Rhenum & Moſam, *Auſtria*, *Auſter*, *Auſtraſia*, pars à Moſa ad Ligerim *Neuſtria*, vel *Neptricum* dicta eſt; Burgundiæ & Aquitaniæ ſuis nominibus relictis. Et quidem huic regno *Auſtria* nomen Franci, quod ad Ortum ſpectaret, indiderunt, *Oſt* enim & *Eſt* German. Orientem ſignificat; Unde *Oſtrelingi*, *Oſt Friſia*, *Eſt Saxonia*, *Eſt Anglia*, *Oſtrogothi*, &c. Parebant autem *Auſtraſiorum* Regibus, præter *Auſtriam*, multa ac ingentia trans Rhenum regna, in Ducatuum formulam à Clodovei M. filiis redacta: nempe Alemannia aut Suevia, duos in Ducatus diviſa Alamannorum & Auſtraſiorum ſeu Francorum Oriental. Bajoaria, Toringia, Friſia, pars Saxoniæ, &c. Sub iiſdem intra Gallias Luteveneſes & Ucetici in Septimania, (è quibus priores ad Reges Veſigothorum poſtea tranſierunt:) Maſſilienſis provincia: Arverni, Ruteni, Albienſes & Cadurci, (quos Theodoricus Chlodovei patris auſpiciis, poſt prælium Vocladenſe, ſubegerat:) præterea Belgica prima, & ſecundæ urbes Remi, Catalauni, Camaracum, ac Lugdunum Clavatum; civitas Senonum in Lugdunenſi IV. & Germania prima, ac ſecund. provinciæ ad ſiniſtram Rheni ripam opulentæ. Sed mutati ſubinde fines: Chariberto enim, Pariſiorum Regi, Albienſes attributi fuêre, & Auſtriæ detracti, poſtea reſtituti: Civitas Senonum Agendicum, quæ Theodorico, Theodeberto atque Theodebaldo Auſtraſiorum Regibus paruerat; Guntchramno Chariberti & Sigiberti fratri, unà cum Burgundia, adſcripta eſt. Camaracum Chilperico horum quarto fratri, cum regno Sueſſionico obvenit, rerum Francic. *l.* 7. & 9. Regnantibus dein apud Francos Caroli M. poſteris *Auſtriæ* ſeu *Auſtraſiæ* nomen paulatim exolevit, præſertim, poſtquam Ludovici Pii filii paternum regnum inter ſe diviſêre. Lotharius enim Auguſtus, regionem hanc Rhenô, inde Scaldi, & Moſà atque Arari clauſam, præter cetera, nactus, *Auſtriæ* nomine abolitô, *Lotharii regnum* vel *Lotharingiam*, illam appellavit. *Rhegino*, *Annales Metenſes*, Chronicon S. Arnulphi, *Sigebertus*, &c. quanquam alii, à Lothario Rege Lotharii Aug. filiorum uno, cui hoc regnum obtigit, ſic dictum malunt. Hoc poſteà in multos Ducatus ac Comitatus diviſô, *Auſtriam*, pro ſola Lotharingia Ducali qualis ferè nunc eſt, accepiam eſſe & *Neuſtriam*, pro una Nortmannia, indicat Guibertus *præf. in Hiſt. Hieroſ.* Orientalem Franciam, quam Sigibertus Oſtro-Franciam appellat, *Auſtriam* quoque auctores nonnulli appellant. Item pars veteris Pannoniæ, inter Noricum & Hungariam, modò *Oriens*, modò *Marchia Orientalis*, modò *Auſtria Marchia*, modò ſimpliciter *Auſtria*, quaſi Orientalis limes regni Germaniæ, ſeu Francorum Orientalium, Hiſtoricis dicitur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & infrà de poſtrema hac, voce *Auſtria*. Sub Lothario II. Regnum hoc *Auſtraſiæ* appellari cœpiſſe *Lotharingiam*, hancque etiam diviſam fuiſſe in Burgundiam Conſtantienſem & Arelatenſem ditionem, refert Georgius Hornius *Orb. Imp.* p. 222.

Urbes Auſtraſiæ ſeu Lotharingiæ notiores.

Amantium, vel Amantia, *Amance.*	* Muſoponrum, *Pont à Mouſſon.*
Barrum, *Bar le Duc.*	* Nanceium, ſedes Ducis, *Nancy.*
Blancus mons, ſeu Albus mons, *Blammont.*	Raonum, ſeu Ravonum, *Raon.*
Caſtrum novum, *Neufchaſteau.*	Romaricus mons, *Remiremont.*
Charmæ, *Charmes.*	Spinallum, *Eſpinal.*
Deodatum, *Dieuze.*	* Tullum, *Toul.*
* Metæ, *Metz.*	Validus mons, *Vaudemont.*
Mira Curia, *Mirecourt.*	* Virodunum, *Verdun.*

Auſtraſiæ urbes iſtæ ſunt nunc in Lotharingia, exceptis Metis, Tulló & Virodunô, quæ, etiamſi in eo Ducatu infertæ ſint, parent tamen cum eorum territoriis Regi Franciæ a centum & amplius annis.

AUSTREBATENSIS, ſeu AUSTREBANTUM, regiuncula ſuit Belgii, inter Scaldim & Scarpam fluv. Cujus caput Bochanium. Nunc limites periêre, & ſub Hannonia continetur. Vide *Auſterbantum.*

AUSTREGILDA, cognomine *Bobilla*, ex ancilla Mercatrudis, quæ uxor erat Gontrani, Regis Aurelianenſ. hâc pulsâ Regina evaſit. Moritura petiit à Rege, ut duos Medicos, à quibus ſanari non poterat, ſtrangulari curaret, quod factum. Gregor. Turonenſ. *l.* 5. *c.* 7. 35.

AUSTRI Cornu, promontor. in Æthiopia. Strabo *l.* 16.

AUSTRIA, German. OESTERREICH, & OSTERICH, regio partem Norici cum particula Pannoniæ, partemque Germaniæ circa Danubium complectens, inter Bavariam ad occaſum & Hungariam ad ortum, inter Moraviam regionem Germ. ad Septentrionem & Stiriam ad meridiem contenta. Hujus regionis caput eſt Vienna. Habuit *Auſtria* olim Marchiones: Albertus enim Bavarus, Auſtriæ Marchiæ Marchio, ab Henrico III. Imperatore creatus eſt, A. C. 1049. E' cujus poſteris, Margaretâ ductâ Ottocarus Bohemiæ Rex Auſtriam acquiſivit, A. C. 1247. poſteà Duces, vide infrà, deinde Archiduces, quorum primus Fridericus III. fuit, quibus hodiè paret. *Lazius*, *Munſter*, Monſtrelet, *l.* 1. Cuſpin. Bonfin *l.* 4. *Dec.* 4. rerum *Hungaricarum*, Cluver. *l.* 3. Veterum eſt Pannonia ſuperior nomenque habet à mundi cardine Orientali, Germ. *Oſt*. Dividiturque in Superiorem ſeu Cisdanubianam, & inferiorem, ſeu Transdanubianam. *Brit.* Totam nunc Germania complectitur. *Baudrand.* Per matrimonium Alberti divitis, cum Itha, hærede Comitis de Pfullendorf, cui Rodolphus Senior, Albertus Sapiens, Rodolphus I. Imperatores ſucceſſerunt, in hodiernam Auſtriacam familiam tranſiit, è qua ſola ferè Imperatores ſumuntur. *Moreri.* Hiſtoria Auguſtæ hujus familiæ paulo altiùs repetita ſic habet: Erchenbaldus vel Erchinoaldus, Gerbertæ Rachomere Patritiô & Gertrude Hamaticenſi natæ, filius Clodovæi II. palatii magiſter fuit. Obiit A. C. 661. pater Leudeſii, qui eôdem munere functus, ab Ebroino cæſus eſt, circa A. C. 680. Huic ex uxore, Sigiſmundi Burg. regia ſtirpe, filius fuit Ethico, ſeu Æthicus, cognomine Adelricus, qui Alſatiæ ducatum a Theodorico nactus, inter alios liberos, Adalbertum habuit; Alſatiæ Ducem, & Ethonem ſeu Hettonem, cujus poſterorum fil. Albericus, circa A. C. 770. Eberhardum genuit, progenitorem Eberhardi junioris, qui Lutrenſe monaſterium ad mortem uſque, quæ circa A. C. 900. contigit, vexare non deſiit. Filius hinc Hugo, Lotharingicæ, Dagsburgicæ & Habſpurgicæ, familiarum caput. Cujus filiorum natu minimus Guntramus, cognomine Dives, obiit A. C. 946. ſatus Habſpurgiorum. Ei ſucceſſit Lancelinus, Hungarorum ad Seckingam, victor, A. C. 937. Pater Rathbodi & Landoli: quorum ille, ex Ita Lotharingica, Hugonis Capeti ex ſorore nepte, ſuſtulit Wernerum, è cujus filio Ottone, A. C. 1110. cæſo, natus eſt Wernerus II. ex hoc Wernerus III. pater Adelberti Divitis: de quo ſuprà. Is ductâ Itâ Brigantinâ de Pfullendorf, Landgravii Alſatiæ titulum primus geſſit: pater Rudolfi, è cujus majore natu filio Alberto Sapiente, qui lectus Dux expeditionis Chriſtianæ adverſus Saracenos, ad Accaron, extinctus eſt, prodiit Rudolphus, gentis præcipuum decus & novæ dignitatis auctor. Ex magiſtro enim aulæ Ottocari Bohemiæ Regis tandem Imperator Roman. A. C. 1273. priori hero Auſtriam, in quam ſibi jus aliquod vindicabat, ademit, A. C. 1278. quatuordecies collatis ſignis victor; Pater ex Anna Hohenbergia numeroſæ prolis inprimis Alberti, quem Auſtriæ ducatu donavit, A. C. 1283. Hic Imperator electus coronatusque A. C. 1299 gravis in Helvetios, fœderi eorum anſam dedit. Ex hujus filio Alberto natus eſt Albertus III. Auſtriacæ, & Leopoldus Tirolenſis lineæ auctor: è cujus poſteris eſt Philippus Archidux, qui Carolum & Ferdinandum genuit, quorum ille Burgundo-Hiſpanici, iſte Auſtrio-Germanici rami auctor extitit: à quorum ſingulis ſinguli ſuperſunt, ex hoc quidem Leopoldus I. Imperator, ex illo verò Carolus II. Hiſpaniæ Rex. Vide Spenerum in *Syllog. Geneal. Hiſtorica.* Cæterum vaſtata eſt Auſtria ab Andrea Hungariæ Rege A. C. 1291. Rodolphus II Imperat. illam Matthiæ fratri cedere coactus eſt, circa A. C. 1608. poſtquam vaſtata rurſus eſſet à Stephano Botſkai A. C. 1605. pax que religionis in Hungaria exorta. Bethlehem Gabor denuo illam invaſit, A. C 1619. A Valdenſibus olim lux purioris doctrinæ regioni illata fuit, tanto cum ſucceſſu, ut illis in locis ad LXXXM numerus fidelium excurreret. Sed cruce in illos, Clementis V. juſſu, aſſumtâ, circa A. C. 1308. plurimi eorum ibidem, Cremæ inprimis, uſtulati ſunt, reliquis in Bohemiam ſeſe diffundentibus. Rurſus Valdenſes, è Francia ejecti, circa A. C. 1467. ad Auſtriæ confinia conſederunt, cum quibus dum Fratres Bohemici conſenſum inituri erant, Stephanus Epiſcopus eorum Viennæ combuſtus eſt, & reliqui ex Auſtria & Marchia expulſi, in Bohemiam ac Moraviam conceſſerunt, Fratribus grata acceſſio. Maximil. dein II. præteritô ſeculô, Proceribus & Nobilitati Auſtriacæ, liberum uſum Auguſtanæ Confeſſionis, in ipſorum arcibus, oppidis ac pagis indulſit, circa A. C. 1568. Donec A. C. 1620. à Ferdinando II. victore, denuo ex omni Auſtria Paſtores hujus Confeſſionis in exilium acti ſunt, vide præter Auctores ſuprà laudatos, Joh. Lætum, in *Comp. Hiſt. Univ.* it. ubi de Fam. *Badenſ.* Pfannerus de *Auſtria* ſic: Ante Marchiones, *Comites* primùm habuit *Auſtria*, Cæſarum quidem, non propriô nomine, imperantes, quos Henricus I. cognomine *Auceps*, Imperator conſtituiſſe legitur eô fine, ut Hungaros crebris excurſionibus *Auſtriam*, Bavariam & tantum non totam Germaniam infeſtantes, compeſcerent. Obvenitque ea dignitas provinciaque primùm Leopoldo *Illuſtri*, ex Comitibus, ut volunt quidam, Babepergenſibus, originem ſuam referentibus ad Sueviæ Duces, oriundo, in præmium fortitudinis & defenſorum contra hoſtes Imperii finium. *Ducis* titulum, à patruo Friderico I. cognomine *Barbaroſſa*, Imperat. Henricus II. obtinuit A. C. 1156. abolitô quoque occaſione eorum, quæ contra Imperatorem Henricus Superbus Saxoniæ & Bavariæ Dux patraverat, clientelæ jure, quô Bavariæ Ducibus *Auſtria* hactenus fuerat obnoxia. Cujus ſtirps cum defeciſſet in Friderico, prælio contra Hungaros occiſo A. C. 1246. ejus ex fratre neptis Gertrudis, Hermanno Badenſi nupta, filium habuit Fridericum, qui unà cum Conradino Sueviæ Duce juſſu Caroli Andegavenſis, capite Neapoli plexus eſt, A. C. 1269. Ita orbatâ Principibus ſuis *Auſtria*, atque hinc Hungarorum, inde Bavarorum, injuriis expoſitâ, provinciæ Ordines Henricum Miſniæ Marchionem, Friderici præfati ſororium adiêre, ut imperium ejus ſuſciperet, rogitantes. Sed eripuit cupientis faucibus bolum Ottocarus Bohemus, ductâ Margaretâ Leopoldi VII. *Auſtrii*, ſeu juxta alios, Hermanni Badenſ. filiâ, quam Henrico Miſnenſi Ordines deſtinaverant, poſſeſſionem *Auſtriæ* Stiriæque adeptus. Neque huic tamen poſſeſſio diuturna: deturbatô poſteà à Rodolfo I. Imperatore qui victô Ottocarô *Auſtriam*, *Styriam*, *Carinthiamque*, tanquam belli jure captas, in Albertum fil. tranſtulit, aſſenſu Imperii ordinum impetratô A. C. 1282. E cujus poſteris, *Archiducis* titulum primùm Fridericus IV. Imperator aut, ut alii volunt, fil. ejus Maximilianus uſurpavêre: nonnullis Carolum IV, aliis Fridericum II. circa A. C. 1545. hujus honoris Auctores facientibus, &c. Tob. Pfannerus *l. de Præcipuis Germaniæ Principum Gentibus*, c. 1. *ubi de Gente Auſtriaca.* Pollens autem *Archiduces Auſtriæ* eximiis privilegiis, ut qui non teneantur inveſtituram extra Auſtriam petere, ſed tectô capite, inſidentes equo, eam intra territorium ſuum accipiant, primumque ab Electoribus obtinent locum, Cui præcedentiæ cùm acriter contradicerent Bavariæ Duces, factum eſt, ut tandem *Archiducibus*, inter Eccleſiaſticos Principes, locus primus fuerit conceſſus. Plura hanc in rem, *de incrementis inprimis Familiæ*, ac *prætenſionibus*, vide Georg. Hornium *Orb. Polit.* p. 272.

AU-

AUSTROGOTHI, memorati Trebellio in *Claudio*, c. 6. *Denique Scytharum diverſi populi, Peucini, Trutungi*, Auſtrogothi, *Virtingui, Sigipedes, Celtæ etiam & Heruli, prædæ cupiditate in Romanum ſolum & Rempubl. venerunt, atque illic pleraque vaſtârunt*: ſunt qui alii *Oſtrogothi* dicuntur, paſſim enim *au* & *o*. confundi notum, ex vocibus *Aurichalcum, Plaumus*, &c. Vide Caſaubon. *ad loc.*

ad **AUSTRUM** precandi adorandique ritus, velut præſcriptus à Prophetis, memoratur in *Libro S. Athanaſii* dicto, Quæſtionum nempe ad Antiochum Principem, *Quæſt.* 37. *Tom.* 2. *p.* 344. *Pariſiis* 1627. Quod verum quidem, ſi quis in Regione aliqua Hieroſolymis Boreali aut quæ Boream in plagis Mundi partier paret, oraverat: talis enim *Auſtrum* versùs conſiſtere neceſſe habuit. At non nomine *Auſtri* ſic precabatur: ſed quia in Auſtro ejuſmodi homini oranti collocabantur Hieroſolyma. In libro vero illo pro indubitato ſumitur, quòd quemadmodum Chriſtiani κατ' Ἀνατολὰς, versùs Orientem, ita Judæi κατὰ Νότον, versùs *Auſtrum*, adorare ſoliti ſint. Rationem inter alia hanc reddit Auctor, Διὰ τὸ ἀπὸ Νότου τὴν Ἱερουσαλὴμ ἔχειν ἐν Βηθλεὲμ μελλούσης ἀνατέλλειν Κύριον. Διὰ καὶ ἔλεγεν ὁ προφήτης, ὁ Θεὸς ἀπὸ Θαιμὰν ἥξει, τουτέστιν ἀπὸ Νότου. *Quod ex Auſtro, quoad Jeruſalem, ſcilicet ex Bethlem* (milliaribus ſex versùs Auſtrum ab Hieroſolymis diſtante) *naſciturus erat Dominus. Unde dixit Propheta* (Habacuc *c.* 3. *v.* 3.) *Deus à Theman veniet, i. e. ab Auſtro.* Sed locus hic de Legis datione in Sinai, quæ Judæis Auſtralis eſt, à pleriſque capitur, ad Deuteron. *c.* 33. *v.* 2. Prophetam reſpicere dicentibus. Et Chaldæus certè, *In Legis datione*, inquit, *Deus revelatus eſt ab Auſtro*, &c. Quam in rem vide plura, apud Joh. Seldenum *de Synedriis l.* 3. *p.* 429. ut & infrà lemmate *ad Occidentem*, *de Orantium ritibus ad Orientem* &c.

AUSUGANI, populi inter Feltriam & Tridentum ab *Auſugo* oppid. quod nunc *Val Sugana* dicitur, in qua magna lanarum copia.

AUSUM, Mauritaniæ Cæſarienſis urbs. *Ptol.*

AUTANDER, filiam habuit Tagiram. Stephan. in *Tauchera*, ubi pro Ταγύραν malim Ταυχείραν.

AUTARIATÆ, quibuſdam **AUTARTATÆ**, gens Theſprotica. *Stephan.* quorum Urbes Sicum, Salona, Tragurium, & Illyrica, *Strabo. Arrian. Diodor.* Vide *Ardiæi*.

AUTARICUS Gallus, tertius ex auctoribus, qui Mercenarios Africæ milites ad ſeditionem & bellum periculoſiſſimum, contra Carthaginem, concitârunt, finitô primô Punicô Bellô.

AUTARIS, Arabiæ Felicis locus. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

AUTENTUM, Byzacenæ regionis oppid. in Africa Propria. *Antonin.*

AUTEPSA, Græcè à Αὐτέψης, occurrit apud Æl. Lamprid. in *Heliogabalo*, *c.* 19. *Primus deinde autepſas argenteas habuit: primus etiam cacabos*, ſartaginemque aut aliud genus coquinarii vaſis & ad focum apti deſignat, ut & ταγηνιστής, quæ *ſartago* exponitur in veter. optimo *Gloſſario*. Fallitur autem Lampridius, niſi de Heliogabalo privato loquatur; imò nec ita quidem ei fides conſtabit. Nam cùm lectos, planè argenteos atque aureos, apud veteres Græcos Latinoſque etiam in Pandectis, inveniamus, probabile neutiquam eſt, inventum hoc eſſe Alagabali, menſas aut cacabos ex argento conficere. De menſis ſanè argenteis apud Romanos, Plinium vide *l.* 33. *c.* 11. qui & vaſa coquinaria jam inde à Calvo Oratore fieri ex argento cœpiſſe, ibidem obſervat: *autepſæ* autem & cacabi inter iſta, &c. Caſaubon. & Salmaſ. ad *Lamprid.* Vide quoque infrà in voce *Cacabus*.

AUTERI, populi Hiberniæ ubi nunc Comitatus Clarenſis, Letrimenſis & Gallivenſis, in Connachia provinc.

AUTESION, Thebanus, cujus fil. Theras, Lacedæmonios & Minyas, quos Pelaſgus è Lemno ejecit, duxit in Inſulam quæ ab eo nunc *Thera*, anteà *Calliſte* vocabatur, Pauſan. *l.* 7.

AUTESSIODORUM, vide *Autiſiodorum*.

AUTHARIS, vel **AUTHARIT**, Longobardorum Rex. Vide *Autharis*.

AUTHE, Alcyonis gigantis, qui Herculis telis confoſſus eſt, filia. Is enim filias habuit 7. quæ ob patris mortem in mare ſe præcipitantes, ab Amphitrite in Alcyones aves mutatæ ſunt. Harum nomina, *Phoſonia, Authe, Methone, Alcippe, Pallene, Aſterie*, & *Drimo*. Janus Parrhaſius in *Claudian.* ex Hegeſandro.

AUTHENTICA, vulgus Interpretum & Pragmaticorum vocat, quæ αἱ Νεαραὶ & *Novellas Conſtitutiones*, & ipſe Juſtinianus ejuſque Interpres Julianus Patritius & Interpretes Græci veteres appellant, Cur verò *Authentici* nomine, Conſtitutionum hoc volumen citetur, cùm tamen nuſquam appareat, hunc titulum ab ipſo Legiſlatore præfixum eſſe, declarare conatur Alciatus *Parergôn l.* 2. *c.* 46. Haloander, actis judicii vir, *Authenticas*, h. e. ut ait, breves illas ſententias, ex Novellis Juſtiniani conſtitutionibus exceptas, in recognoſcendo Codice locô movit. Idem Alciatus *Authentici* nomine *rem certa fidei* denotari, non ſolùm apud Julianum, Paulumque JCtos ſed etiam apud Ciceronem *ad Attic. Ep. l.* 9. & 10. contendit: quod negat Gaza *l. de Menſibus*, Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Carolo du Freſne *Authentica* appellari cœptæ ſunt Novellæ Conſtitutiones Juſtiniani, ex quo, rejectâ Juliani Anteceſſoris verſione ſeu editione, earundem barbara Bulgari tempore facta tranſlatio, quòd uberior videretur, ab Accurſio recepta eſt, qui *Authenticam* eam dixit, quaſi jam ex ipſo Græco originali ad literam eſſet traducta. Apud *Heſychium* enim, Κῦρον, ἴδιον, αὐθεντικὸν γραμματεῖον. Vide eum in *Gloſſar.* Alia vocis notio eſt, apud Dominic. Macrum in *Hierolex.* cùm ait, *in Hebdomade Majore dici quoque Authenticam*, conſueviſſe.

AUTHENTICI, Græcè Αὐθεντικοὶ, *Dionyſio Uticenſi* Venti dicuntur, qui *Cardinales* Latinis: Ἀπὸ τῶν τεσσάρων κλιμάτων τέσσαρας αὐθεντικοὺς πνέουσιν ἀνέμους, *A quatuor climatibus quatuor Authentici ſpirant venti.* Prima enim & antiquiſſima diviſio, quæ tantùm quatuor ventos cognoverat, è quatuor eos cœli plagis educebat, quas κλίματα hic *Dionyſius*, vocat, *cœli partes*, Plinius *l.* 2. *c.* 19. *limites & regiones cœli*, Favorinus apud A. Gellium *l.* 2. *c.* 22. inferior Latinitas, *Cardines*: unde *Cardinales Venti* iiſdem, quos Αὐθεντικοὺς appellat *Dionyſius*. Vegetius *principales l.* 4. *c.* 38. *Ita ut, ventis principalibus declaratis, eos, qui ipſis dextrâ lævaque juncti ſunt, intelligamus* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1239. & infrà, in voce *Cardinales Venti*.

AUTHEPSA, vide ſuprà *Autepſa*, uti vulgò ſcribitur.

AUTHETANI, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi. *Ptol.* Habitabant in ea parte Cataloniæ, ubi nunc, Gerunda, Auſa, & Aquæ calidæ urbes, inter Rubricatum fluv. & Palentum. *Baudrand.*

AUTHITES, Ægypti Nomus. *Steph.*

AUTINI, vel **AUTERI** *Ptolemæo*, Hiberniæ populi.

AUTISIODORUM, ſeu **AUTESSIODORUM**, primùm *Ammiano Marcellino* memoratum, urbs provinciæ Lugdunenſis Senoniæ tertia, in *Veterib. Notit. provinc. & civitat. Galliæ*. Antepenultima verò ponitur, & non modò Autrico Carnutum, ſed etiam Pariſiis, Aurelianis & Niverno, poſtponitur, à Gervaſio Tilleberienſi, *l. de Otiis Imper.* Florentibus Burgundionum Regibus, Clodoveo Francorum Regi paruit: attribuitur tamen regno Burgundiæ à Fredegario, *Chron. l. ultim. c.* 58. quia præter cæteras urbes Guntchramno ceſſit, cum toto regno Burgundiæ, Francicis armis ſubactæ; quidquid autem Guntchramno ſorte obtigerat, à majori parte Galliæ Hiſtoricis dictum eſt Burgundia; ut & ſucceſſores ejus Merovingi, quæcunque ipſe obtinuerat, ſub communi nomine Burgundiæ poſſiderunt. Gallis *Auxerre*. Ab aqua nomen habet, quæ *Dur* Gallis & Britonibus inſularibus, quos eadem linguâ uſos eſſe *Buchananus*, *Cluverius*, *Camdenus* docent. Alii ab oſtio, quod Gallis veter. *Dorum*, derivant, ut & German. *Thor* & *Thur* & *Iſan*, ſeu *Iſen*, ferrum, quaſi *Iſarnodorum*, ſeu ferreum oſtium. Poſt Agendicum, caput alterum Senonum eſt, ſoli fertilitate, bonitate & copiâ vini, ac Icaunâ flumine ſub navigabili, nobilitate Comitum, &c. multis claris & magnis Galliæ urbibus jure conferenda. Jam ante 800. annos, vina pagi Antiſſiodurenſis, laudantur Errico *l.* 2. hodieque in ſumma ſunt gloria, ut non ſine cauſâ *Servius* & *Iſidorus* Senones, quaſi Ξένους dictos voluerint. Ager *Autiſſiodurenſis*, olim totam diœceſim Antiſſiodurenſem amplexus, nunc inter Auguſtobonam & Autiſſiodorum, ſeu inter pagos Tricaſſinum & Antiſſiodorenſem Ternodorum Lingonum occurrit. Epiſcopalis eſt urbs, primúſque inter Epiſcop. locô S. Amator ponitur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AUTITES, apud Plin. *l.* 37. *c.* 7. ubi de Carbunculo: *Satyrus Indicos non eſſe claros dicit. Sed plerumque ſordidos, ac ſemper fulgoris horridi: Æthiopicos pingues, lucemque non emittentes — ſed convoluto igne flagrantes. Optimos verò, amethyſtizontas, h. e. quorum extremus igniculus in amethyſti violam exeat: proximos illis, quos vocant* Autitas, *innatô fulgore radiantes*, uti Salmaſ. legit. Græcè αὐτίτης eſt *qui ex ſeipſo*, ſeu, ut ait Plinius, *innatô fulgore radiat*, non acceſſitô. Quemadmodum αὐτίτης οἶνος, *qui per ſe fluit*. His idem opponit *ex alio lucidos & magis in Sole flagrantes*. Nempe *ex alio lucent*, qui, non innatô fulgore radiant, ſed in Sole poſiti magis flagrant, adeoque mutuatô à Sole fulgore utitur, non ex ſeſe datô. Item qui *inclinatione*, h. e. τῇ κατὰ τὸ φῶς ἐγκλίσει, *excitantur*. Idem paulò pòſt, *Archelaus Carchedonios nigriores aſpectu eſſe; ſed igne vel Sole, inclinatione acrius quàm cæteros, excitari*, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 380.

AUTOBA, Æthiopiæ vicus circa Nilum. *Ptol.*

AUTOBULUS, pictor quidam. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

AUTOCANES, mons, cujus meminit Homer. *Hymn. in Apollinem*, *v.* 35.

Σουνίου τε Φώκαια, καὶ Αὐτοκάνης ὄρος αἰπύ.

AUTOCEPHALI, Græcis Αὐτοκέφαλοι, dicti hi ſunt Epiſcopi ſeu Archiepiſcopi, qui, à Patriarchis non dependentes, ratione juriſdictionis, eodem ac illi αὐτοκεφάλῳ jure gaudebant, nulli alii ſubjecti: Cujuſmodi Cypri Archiepiſcopus eſt, ex Concilii Epheſini decreto, Metropoli ejus ab Antiochenæ Eccleſiæ juriſdictione exemptâ. Sic in Sexta Synodo *can.* 39. quæ etiam refertur à Conſtantino Porphyrogenito *l. de Admin. Imp. c.* 48. Nova Juſtinianopolis τὰ δίκαια ἔχειν τῆς Κωνσταντινουπόλεως, *jus Conſtantinopoleos habere*, dicitur. Idem juris in Eccleſia Orientali habuêre præterea Archiepiſcopus Bulgariæ & alii nonnulli Metropolitani, ἀπὸ φιλοτιμίας βασιλικῆς, ut ait Balſamon *de Privilegiis Patriarcharum*. Eandem prærogativam in Latina Eccleſia ſibi arrogâſſe Archiepiſcopos Ravennates, auctor eſt Anaſtaſius *in Dono P. Hujus temporibus Eccleſia Ravennatum, quæ ſe ab Eccleſia Romana ſegregaverat*, cauſâ Autocephaliæ, *denuo ſe priſtinæ Sedi Apoſtolicæ ſubjugavit.* Idem in Leone II. *Sed & typum* Autocephaliæ, *quem ſibi eluxerant* (Archiepiſcopi Ravennenſes) *ad amputanda ſcandala Sedi Apoſtolicæ reſtituerunt.* Unde colligit Car. du Freſne, id privilegii Archiepiſcopos illos fuiſſe conſecutos, vel à Romanis Pontificibus, vel ab Imperatorib. Conſtantinopolit. vel denique per uſurpationem, maximè cùm Româ ab eorum imperio avulsâ, ſolus ferè in Italia Græcis Auguſtis remanſerit Ravennenſis Exarchatus: ita ut nec Patriarchis Conſtantinopolit. parerent, nec Pontificibus Romanis, qui ab Imperatoribus Orientis defecerant. Donec pulſis totâ Italiâ Græcis, hanc Ravennatis Eccleſiæ *autocephaliam* abrogavêre Romani Præſules, & ſtatuêre, *ut Eccleſia Ravennas ſub ordinatione Sedis Apoſtolicæ eſſet, & ut juxta antiquam conſuetudinem in civitatem Romanam veniret Archiepiſcopus ordinandus*, ut ibidem Anaſtaſius narrat. Vide præfatum Car. du Freſne in *Gloſſar.*

AUTOCHEANI, Hæretici, Chriſtum eſſe Deum per ſe, non à Patre, procedentem dicentes, Car. Macro in *Hierolexico*.

AUTOCHIRES, Græcè Αὐτόχειρες, aliter Αὐτοφόνοι, i. e. *Suicidæ*, qui ipſi ſibi mortem conſciſcunt, apud Hebræos, ſolâ ſepulturæ honore caruerunt, uti Joſephus docet *de Bell. Jud. l.* 3. *c.* 25. Nec id mirum, cùm in hos aliud ſupplicium conſtitui non poſſit, qui mortem pro ſupplicio non habent. Sic Mileſiæ Virgines à voluntaria

morte abſterritæ, apud A. Gell. *l.* 15. *c.* 10. & plebs olim Romana, apud Servium *ad Æn. l.* 12. quanquam improbante Plinio *l.* 36. Sic & Cleomenis corpus, qui ſe interfecerat, Ptolemæus ſuſpendi juſſit. Et paſſim receptum, ait Ariſtoteles *Nicom. l.* 5. *c.* 5. ut ignominiâ aliquâ afficiantur, qui ſibi mortem intulêre: ubi Andronicus Rhodius id exponens ait, ſepulturâ eorum corpora prohiberi, quod inter alia Demonaſſæ Cypri Reginæ ſcita laudat *Dion Chryſoſtomus*. Neque hinc mori obſtat, quod *Homerus*, *Æſchylus*, *Sophocles*, alii monent, nihil ſentire mortuos: quare nec damnô nec pudore affici. Satis enim eſt id, quod mortuis accidit, à vivis metui, ut hôc pactô à peccato retrahantur. Optimè enim Platonici contra Stoicos, & ſi qui alii ſervitutis & morbi fugam, imò & ſpem gloriæ, pro juſta cauſa mortis voluntariæ, admittebant, ſentiunt, retinendum animum in cuſtodia corporis, nec injuſſu ejus, à quo ille nobis eſt datus, ex hac vita migrandum: quam in rem multa videre eſt apud *Plotinum*, *Olympiodorum* & Macrob. *ad Somnium Scipionis*. Hanc ſententiam ſecutus olim Brutus, Catonis factum, quod poſtea imitatus eſt, damnaverat. & Megaſthenes notabat, ab Indorum ſapientibus reprehenſum Calani factum, neque enim eorum placitis probari talem exitum hominum vitæ impatientium, Strabo *l.* 15. Nec aliena Perſarum, ut videtur, ſententia, quorum Rex Darius apud Curtium *l.* 5. *c.* 6. *alienô ſcelere, quàm ſuô, mori maluit*. Ideo Hebræis mori dictum ἀπολύεσθαι, i.e. *dimitti*, quod genus loquendi & Græcis fuiſſe uſitatum, diſcimus ex Themiſtio *de Anima* & Plutarcho in *Conſol*. Nonnulli tamen & Hebræorum, de Lege ſe non interficiendi, unam cauſam excipiunt, tanquam ἄλογον ἐξαγωγήν, ſi quis videat ſe deinceps victurum in probrum ipſius Dei. Quò referunt exemplum Sampſonis, Saulis, *in libris* Judicum & Samuelis; nec non Razis Senatoris Hieroſolym. in *Hiſtoria* Maccabaica. Sed & in Chriſtiana *Hiſtoria* exempla legimus ſimilia eorum, qui mortem ſibi intulerunt, ne tormentis adacti Chriſti religionem ejurarent, & Virginum, quæ, ne pudicitiam amitterent, in flumen ſe jecerunt, quas & in Martyrum cenſum Eccleſia retulit. De quibus quid Auguſtinus ſentiat, *de Civ. Dei l.* 1. *c.* 26. *Ep.* 61. *ad Dulc.* & *l.* 2. *c.* 13. *contra ſecund. Gaud. epiſt.* videre operæ pretium eſt. Cui addere placeat Chryſoſtomum *Galat. c.* 1. *v.* 4. Concilium Carthagin. I. & Aurelian. II. *Capitulum* item Francicum *l.* 6. *c.* 70. & *l.* 7 *c.* 445. Æſchines tempore ejus, qui ſe interfeciſſet, manum ſeorſim à corpore ſepeliri conſuêviſſe, tradit idem in *Cteſiphontem*. Cleomedis præfati νεκρὸν corpus κρεμάσαι κατακελεύσαντα Ptolemæum, h. e. non ſuſpendiſſe modò, ſed & *unguentatum cruci affixiſſe*, refert *Plut.* ut infrà videbimus, ubi de *Ungendi ritu*. Scribit quoque Artemidorus, memoriam ejus, qui laqueô finiſſet vitam ſibi, ita damnatam tantâque ignominiâ affectam eſſe, ut nec in parentationibus, inter cæteros propinquos, nomen illius cieretur, *Oneirocrit. l.* 1. *c.* 5. [illegible] quâ de re infrà aliquid, ubi de *Ferali cœna*. Vide quoque Hegeſippum *l.* 3. *c.* 17. & plura hanc in rem apud Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis l.* 2. *c.* 19. §. 5. nec non Tob Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. pur. cap. de Lege*. Iis, qui *Inteſtati* deceſſerunt, ſimiles habitos, inferiori ævô, dicemus infrà in hac voce. Vide quoque *Scrobiculus*.

AUTOCHTHONES, populi, qui non aliò referunt originem ſuam; verùm ex *ipſo ſolo* nati videri volunt. Latini *Indigenas* vocant. Ita quidem Scaliger, qui Αὐτόχθονας & Γηγενεῖς eandem vult eſſe. Unde Marcianum Heracleotem de Ephoro, Cretem αὐτόχθονα vocantem; in verſibus his,

> —— —— εἶναι φησί τε
> Ἐπώνυμον τὴν νῆσον ἀπὸ Κρητὸς ἐκεῖ
> Τοῦ δὴ γενομένου βασιλέως αὐτόχθονος.

> *Eſſe dicit*
> *Cognominatam inſulam à Crete quodam,*
> *Qui fuerat Rex autochthon:*

reprehendit; quòd ex Jove & Ida is natus eſſet, adeoque non ex terra produſſet. Sed aliud αὐτόχθων, aliud γηγενής. Certè αὐτόχθονας ſe eſſe Athenienſes olim jactabant, *indigenas* nempe, non aliunde advenas; qui tamen γηγενεῖς non erant. Indigenam ergo Regem illum fuiſſe, vult Marcianus, qui Cretæ nomen dedit, non extraneum, ſed ipſâ in Inſula natum: quod ſignificat αὐτόχθων. Poëta Comicus,

> —— λάχανα τῶν αὐτοχθόνων.

h. e. *Indigenum olus* & ex ipſo ſolo natum, non aliunde petitum. Sic αὐτόχθονα λίθοι, deſcribit Auctor *de limitibus*, *Eo quòd non invenimus lapides peregrinos, quos poneremus, ex ipſo metallo ſaxum à ferro aſſignavimus*. Cujuſmodi lapides *enchores* dicuntur Frontino *de Coloniis*, quaſi ἐγχώριοι.

AUTOCLES, Athenienſis, à civibus ſuis Dux ſive Prætor conſtitutus triginta navium & mille militum, Alexandro Pheræo miſſorum auxilio. Diodor Sic. *l.* 15.

AUTOCLES, Tolmæi filius, ex parte Athenienſium cum Nicia, Nicerati filio, componendæ diſcordiæ inter ſe & Lacedæmonios annô belli Peloponneſiaci octavô adhibitus. Vide Scholia in *Equites Ariſtoph.* 336. G.

AUTOCRATES, Hiſtoricus, cujus Ἀχαϊκὰ citat Athenæus *l.* 9. & 11. Item Athenienſis. *Suidas*.

AUTOLALA, civitas Æthiopiæ, & inſula Αὐτόλαλα *Ptolemæo*. Unde populi *Autololes*, Solino *c.* 24. ubi de Libya, Hortis Heſperidum & monte Atlante, *Sala oppidum imminet Salæ flumini. Ab hoc per Autololum gentem iter eſt in Atlanticas ſolitudines: Atlas mons è media arenarum conſurgit vaſtitate*, &c. Sed de his vide ſuô locô. Hinc τὸ Αὐτολάλων, Atlantem montem *Dioſcorides* vocat, minorem nempe; quòd populos hos vicinos haberet. Salmaſ. *ad Solin. p.* 301.

AUTOLEMUS, vir quidam, de quo Poëta:

> *Dixerat Autolemus flammas conſulere Aruſpex*
> *Die cavendas poſterô.*
> *Credidit, & rerum dubius de mane ſub antris*
> *Delituit Etruſci vadis:*
> *Sed neque ſic fatum effugit, nam dum natat Arno,*
> *Ictus crematur fulmine.*

AUTOLEON, Crotoniatarum Dux, Crotoniatibus adverſus Locros bellum gerentibus, quum Locri, propterea quòd Ajax Locrenſis fuerat, quotieſcunque bellô certabant, locum illi in acie quaſi præſenti ſemper aſſignarent, in locum illum, quem vacuum videbat, irrumpens ab Ajacis ſpectro in pectore vulneratus eſt, vulnere quotidie ingraveſcente, donec oraculô monitus, Achilleam Ponti Euxini inſulam, delatus atque ibi Heroum, ac præſertim Ajacis Locrenſis manibus placatis perfectè ſanatus eſt Photius, ex *Conone*. Pauſan. *l.* 3. hunc *Leonymum* vocat *Nic. Lloydius*.

AUTOLICUS, ſeu **ANTOLICUS**, vixit 110. Olymp. Præceptor Arceſilai, Diog. Laërt. *in hujus vita*. Scripſit de Sphæra opus, aliaque, à Joſ. Auria Neapolitano Latinè verſa. Voſſ. *de Scient. Mathemat. c.* 33. §. 14.

AUTOLOLÆ, ſeu potiùs **AUTOLOLES**, populi Mauritaniæ Tingitanæ à Gætulis oriundi ſinitimos omnes curſûs celeritate ſuperant. Lucan. *l.* 4. *v.* 677.

> *Autololes, Numidæque vagi, ſemperque paratus*
> *Inculto Gætulus equo.* —— ——

Sil. Ital. *l.* 3. *v.* 306.

> *Nec non Autololes levibus gens ignara plantis,*
> *Cui ſonipes curſu, cui ceſſerit incitus amnis,*
> *Tanta fuga eſt.* —— ——

Claudian. *in* 1. *Conſul. Stilich. v.* 355.

> —— *Repetunt deſerta fugaces*
> *Autololæ.*

Autolatæ Ptolemæo dicuntur. *Nic. Lloydius*.

AUTOLYCUS, Mercurii filius, qui proxima Parnaſſi loca furtis infeſtavit. Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 313.

> *Naſcitur Autolycus furtum ingenioſus ad omne.*

Martial. *l.* 8. *Epigr.* 59. *v.* 4.

> *Non fuit Autolyci tam piceata manus.*

Sunt qui Iaſonis comitem fuiſſe, & Sinopen condidiſſe volunt. Alius *Autolycus* fuit pancratiaſtes nobilis, cujus ſtatuam in Athenienſium Prytaneo fuiſſe author eſt Pauſan *in Atticis & Bœoticis*. Plin. *l.* 34. *c.* 8. Item alius, Areopagita, de quo Suidas, *in* Αὐτόλυκος.

AUTOLYCUS, avus Ulyſſis, furandi peritiâ apud Poëtas celebris. Eum divinis honoribus affeciſſe Sinopenſes ad Pontum Euxinum, in Paphlagonia, legimus apud Strabonem *l.* 12. [illegible] *Lucullus conſervatis reliquis Sinopes ornamentis, Billari tamen Sphæram abſtulit & Sthenidos opus, Autolyci ſtatuam, quem illi, urbis conditorem exiſtimantes, divinis colebant honoribus. Fuit etiam oraculum ejus. Videtur is unus eorum fuiſſe, qui cum Iaſone navigârunt & locum iſtum occupâſſe.* Ubi quòd ambigit *Strabo*, num is unus Argonautarum fuerit, id inde fortè eſt, quòd in itinere demum iis acceſſerit. Vide Apollon Rhodium *l.* 1. Val. Flaccum *Argonaut. l.* 5. & Voſſium *de Idolol. l.* 1. *c.* 11.

AUTOLYCUS puer, pancratiô victor, propter quem Xenophon *Sympoſium* ſcripſit, inter Leocratis opera, memoratur Plinio *l.* 34. *c.* 8.

AUTOMALAX, urbs Cyrenes. *Ptol. Automala Straboni. Altudia* hodiè, teſte *Marmolio*. *Stephano* urbs Libyæ dicitur.

AUTOMATE, inſul. una Cycladum; *Hiera* etiam dicta, Plin. *l.* 2. *c.* 87. Eſt autem inter Theram ac Diam in meridiem vergentem, Cretam verſùs.

AUTOMATON, quibuſdam idem cum pegmate, de quo ſuô locô: Sueton. tamen *in Claudio c* 34. diſtinguit: *Si aut automaton, aut pegma, vel tale quid aliud parum ceſſiſſet*: de *Automato* in Phyſicis, vide infrà, ubi de *Perpetuo motu*; ubi de Αὐτοματοποιητικῇ, ſeu Θαυματουργικῇ, in voce *Mechanice*. At Αὐτοματία, Deæ nomen, apud C Nepotem *Timoleonte c* 4. *Nihil rerum humanarum ſine Deorum Numine agi putabat. Itaque ſuæ domi Sacellum* ΑΥΤΟΜΑΤΙΑΣ *conſtituerat, idque ſanctiſſimè colebat*. Hanc cùm *Caſum* reddant nonnulli, *Caſum fortuitum Lambin*. *Xylander* meliùs *Fortem Fortunam* interpretatur. Quod numen haud dubiè cum Siculis coluit Timoleon, & ad illius auſpicia, quidquid habuit ſucceſſuum, retulit, eâdem ratione, quâ Fortuna omnium actionum laborumque humanorum domina & moderatrix credita eſt; ut ſit illa ipſa Ἀγαθὴ Τύχη, cui multa Græci Romanique monumenta conſecrârunt, cujuſque cultum ex veteri Aſtrologia deducit Jo. Seldenus *de Diis Syris Syntagm.* 1. *c.* 3. Vide quoque Lil. Gyraldum *Hiſtor. Deorum Syntagm.* 16.

AUTOMEDON, Dioræ fil. Achillis auriga, & Pyrrhi armiger. Virg. *Æn. l.* 2 *v.* 477

Una ingens Periphas & equorum agitator Achillis
Armiger Automedon.

Cicero pro S. Roſcio Amerino: *Non adeſt iſte Tullius Roſcius! non ſuis manibus in curru collocat Automedontem illum ſui ſceleris acerbiſſimi, nefariaque victoriæ nuncium!* Juvenal. *Sat.* 1. v. 61.

——— *Puer Automedon nam lora tenebat.*

AUTOMENES, fil. Teleſtis, XII. ex Heraclidis Rex Corinthiorum. Quo, annô pôſt, mortuô vel depoſitô, A. M. 3275. 3. annis ante Olymp. I. annuus magiſtratus Corinthi inſtitutus, *Prytanes.* Qui duràrunt per annos 90. uſque ad Cypſelum, filiumque ejus Periandrum, qui urbem hanc tyrannide diuturnâ tenuerunt. Pauſan. *l.* 2. Euſebius *Automenem Prytanim* ponit Olympiade quæ præceſſit Coræbi victoriam. *Chron. n.* 1238. Marſhamus *Can. Chron.*

AUTOMENES, habuit tres filios Ariguotum citharœdum, Atiphradem impurum ac ligurem, tertium hiſtrionem, cujus nomen non caſtat. Vide Ariſtoph. *Crabron.* 522.

AUTOMOLI, gens Æthiopica. *Steph.* Memorantur Herodoto *l.* 2. ubi à Meroë duodecim dierum navigatione in regionem *Automolorum Æthiopum* perveniri ſcribit. Rationem nominis pandit Mela, *l.* 3. *c.* 9. *Æthiopes ultra. Sed & Meroën habent eam, quam Nilus, primô ambitu amplexus, Inſulam facit. Pars, quia vitæ ſpatium dimidiô ferè, quàm nos, longius agunt, Macrobii: Pars, quæ ex Ægypto advenere, dicti Automolæ.* Idem *eos juſtitiam colere, æquitatem amare,* addit: quod de Macrobiis refert Solin. *c.* 30. ad quem vide Salmaſ. *p.* 385. & 386.

AUTOMOLUS, viri proprium, ut putavit Caſaubon. apud Polyb. *l.* 4. ſed ſcribendum Αὐτόμολ☉, & vertendum *transfuga.* At hoc vitii maximi *μνημονικὸν σφάλμα* à multis aliis notatum, & nimis acerbè exagitatum eſt. *Palmerius.*

AUTON, vulgo *Volcan de Auton* Hiſpanis, mons ignivomus Americæ Meridionalis, in regno Chiles & provinc. *Chucuito,* intra Andes montes, & prope fontes Biobir fluv.

d'AUTON Johannes, vide *Johannes.*

AUTONOE, Cadmi Thebarum Regis filia, ex Harmonia conjuge, & Ariſtæo conjux, ex quo peperit Actæonem. Heſiod. *in Theog.* v. 977. Unde venator ille *Autonoeius heros* Ovidio dictus, *Met.* *l.* 3. v. 198. Theocritus in *Lenis,* ſive *Bacchis.*

Ἰνὼ κ' Αὐτονόα χ' ἁ μαλοπάραυ☉ Ἀγαύα.
Τρεῖς θιάσως ἐς ὄρ☉ τρεῖς ἄγαγον αὐταὶ ἐοῖσαι.

AUTOPHORI, Græcè αὐτόφωροι, *l.* 3. *de furt. Inſtitut. de obl. quæ ex delicto naſc.* §. *Furtorum.* 3. non ſolùm ſunt fures manifeſti, ſed etiam omnes, qui in quocunque alio crimine deprehenduntur: non ἀπὸ τῶν φωρῶν, ut nonnulli cenſent, ſed à verbo φωρᾶν, *deprehendo.* ut *Phavorinus* & *Budæus* notant: quod etiam Cœlio Rhodigino *l.* 10. *c.* 6. videtur. Hinc Thucydides *l.* 7. etiam eos, qui ad Tyrannidem aſpirare deprehenderentur, Αὐτοφώρους vocat. Vide Fetrandum Adduenſem *Explicationum l.* 1. *c.* 41. laudatum Joh. Calvino *in Lexic. Jurid.*

AUTOPHRADATES, Lydiæ Satrapa, defecit ab Artaxerxe. Diodor. Sic. *l.* 15.

AUTOSTHENES, Athenienſium Archon. Olymp. 27.

AUTRICUM, urbs Carnutum. *Ptol.* Vulgò *Chartres.* Urbs perelegans & ampla, Caputque Belſiæ provinc. ad Eburam fluv. Ducatus titulô clara. Urbs eſt Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Pariſino. Alias *Carnutum,* quod vide.

AUTRIGONES, Hiſpaniæ populi Mela *l.* 3. *c.* 1. Ab Oceano ad Iberum fluv. protenſi, inter Cantabros & Cariſtos incolebant. ubi nunc Biſcajæ pars maxima. Primaria Flaviobriga erat.

per AUTUMNOS numerandi Annos ratio, Bajvvariis olim in uſu fuit (ut Anglo-Saxones per *Hiemes* numerabant, in *L. L.* Canuti Regis c. 19. & Dani apud Wormium in *Faſtis Danicis c.* 7.) *L. Bajvvar. tit.* 7. *c.* 19. §. 4. *Per ſingulos annos,* i. e. Autumnos ſingulos. Olim autem quid *Autumnus* eſſet, Germani non nôrant, teſte Tacitô *de Mor, Germanor,* c. 26. *Autumni quoque ipſum non ut totidem digerunt ſpecies. Hiems & Ver, & Æſtas intellectum ac vocabula habent.* Autumni *perinde nomen ac bona ignorantur.* Quando verò *Autumnus,* ut & cæteræ anni tempeſtates, initium ſumant, docent verſus hi apud Lindvvodum:

Dat Clemens Hiemem, dat Petrus Ver Cathedratus,
Æſtuat Urbanus, Autumnat Bartholomæus.

vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Erat autem *Autumni* Symbolum, calathus fructuum plenus, ut dicemus infra voce *Fructuarius.* Vide quoque *Felicia tempora.*

AUTUNNACUM, oppid. Trevirorum in German. *Andernach.* Vide *Antenacum.*

AUTURA, vel AUDURA, fluv. Carnutinus, vulgò *Eurre.* Oritur in Pertico, & alluit municipium Curvamvillam Novigentium, ad Auturam, Autricum Carnutum, cui fortè nomen dedit; Novigentum Regis, Vilemeldim, Anetum, Ibream, Paciacum, Luparias, ac demum in Sequanam effluit. Eum augent Bleſia, qui Durocaſſas attingit, Arva, qui Vernolium Perticenſium, Tegularias, Nonancurtim & Straeam monaſteriô inſignem alluit, & paulo ſupra Anetum effluit, Vegeria, qui Hoſdenum prætetlapſus, apud Ibreum Auturâ recipitur: Itro tandem, qui Beſtolium, Condate utbi ponte lapideô jungitur, & Ebroicas attingit. Etiam *Adura* in tabulis priſcis. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AVULNIUS Saturninus, memoratur Flav. Vopiſco in *Divo Aureliano,* c. 13. *Quum conſediſſet Valerianus Auguſtus in Thermis apud Byzantium —— aſſidentibus à parte læva, Avulnio Saturnino Scythici limitis Duce, Murentiô ad Ægyptum deſtinatô, Julio Tryphone,* &c. Regius *Amulio*: vulgata lectio veſtigia ſervat vocis *Avulnio,* inquit Caſaubon. *ad loc.*

AVUS, fluv. Theſprotiæ, ad quem *Paravæi* populi habitant. *Steph.* Item fluv. Hiſpaniæ Tarraconenſis. *Ptol.* qui nunc in Portugall. & *Rio d'Aves.* In Oceanum Occidental ſe exonerat, inter oſtia Celandi & Durii, prope Abobricam. *Baudrand.*

AVUS, vulgo AUVE, aliis *Loch Aury,* lacus Scotiæ Auſtralis, in Lorna provinc. Eum præterfluit fluv. *Arvon,* qui poſteà cadit in mare Deucaledonium, è regione Mulæ inſul. Eſtque à meridie in Septentrionem extenſus, ſed non æquè latus.

AUXACIUM, Nomen montis in Serica apud Ammianum *l.* 23. *Appellantur autem iidem montes Anna & Auxacium & Aſmira & Emodus & Ottorocorra;* uti lectionem reſtituit *Salmaſ.* cùm vulgo legatur, *Nazavicium* Αὐξάκια certè ὄρη, *Auxacia montes,* memorat *Ptol.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 989.

AUXANIUS, Archiepiſcopus Arelatenſis, poſt Cæſarium, A. C. 543. Vicarius Vigilii, in provinciis Wiſigothorum poteſtati ſubjectis. Obiit A. C. 546. Godeau *Annal.*

AUXENTIUS, Cappadox. Acer Arianiſmi defenſor, ope Conſtantii Imperatoris pulſô Dionyſiô, Mediolanenſis Epiſcopus maximam partem Illyrici Epiſcoporum fraudibus ſuis eò perduxit, ut reciperent Arianorum confeſſiones Nicææ & Arimini concinnatas. A Damaſo binis vicibus excommunicatus, nihilominus in ſede, favore Valentiniani ſubnixus, perſtitit. Obiit A. C. 374. Ambroſiô ſucceſſore.

AUXENTIUS, Scytha, à Juſtina Imperatr. Ambroſio oppoſitus, cùm nomen ſuum inviſum eſſe omnibus ſciret, ſub Mercurini nomine imponere voluit, fruſtra. Ambroſium ad diſputationem provocavit, qui propterea non paruit, quia alter Ethnicos, & Valentinianum Imperator. adhuc catechumenum judices nominavit. Ruffin. *l.* 2. *c.* 5. Paulin. *in Ambroſio.* Ambroſius, *contra Auxentium.*

AUXENTIUS, Mons Bithyniæ. *Metaphr.*

AUXESIA, & DAMIA, Puellæ Cretenſes, quæ, cùm in ſeditione obrutæ lapidibus fuiſſent apud Trœzenem civitatem, in earum gratiam & memoriam feſtum ſolenne inſtitutum fuit, quod *Lithobolia* vocitabatur. Herodot *l.* 5.

AUXILIA, tum ſociorum, tum alienigenarum gentium ferè ſemper in exercitu Romana adhibuit Reſpubl. Et primis quidem temporibus, priuſquam Italia ſubacta eſſet, aut in provinciam ſaltem redacta, Legiones ex civibus Roman. conſcribebantur. *Auxilia* verò ex Italicis ſociis petebantur: hæcque numerum Legionum ſemper aut æquabant, aut certè ſuperabant. Poſt Italiam civitate donatam, Legiones tam ex Italicis, quàm ex Romanis, utrique enim jam cives, conſcribi cœptæ ſunt: *auxilia* vero petita ex aliis gentibus, partim fœderatis, partim etiam mercede conductis. At poſtquam totus Orbis Roman. civitate donatus eſt, quod Antonini Pii lege factum, delectus paſſim habitus ex omnibus Orbis Romani provinciis, ad Legiones ſcribendas de novo, aut veteres ſupplendas, *Auxilia* verò ex barbaris ſumta, ut Germanis, Batavis, Mauris, Armeniis, Oſroënis, Palmyrenis, Getis, Dacis, aliiſque exteris gentibus, quæ extra Romanos limites ſubmovebantur & Imperii jugum nondum ſubierant. Hinc *miles provincialis,* apud *Hyginum,* pro legionario; provinciæ enim omnes Romanæ tirones ad ſupplementa legionum præbebant: auxiliares milites barbaris ſubminiſtrantibus. Atque hic mos ante Probum Imperatorem ſemper in exercitu Romano, tenuit: primus verò hic cùm diceret, *Sentiendum eſſe non videndum, quoties auxiliaribus barbaris Romanus juvatur,* apud Vopiſcum, *c.* 14. ſedecim tironum millia ex barbaris accepta, per diverſas Romani Imperii provincias ſparſit & Legionibus immiſcuit militibusque limitaneis. Quô factô & inſtitutô utriuſque militiæ ſacramenta confudit, *legionaria* & *auxiliaria,* quæ ante id tempus erant diſtincta ac diverſa, & illi fortaſſe confuſioni feneſtram aperuit, quæ poſt Conſtantinum invaſit, quâ paſſim & ſine ullo diſcrimine barbaris ad Romanam militiam ingreſſus datus eſt, ipſique non ad militares tantum dignitates, ſed etiam ad civiles admiſſi. Qua de re graviter conqueſtus eſt Syneſius pulcherrimâ illâ *de Regno* ad Arcadium oratione. Tanta namque erat illis temporibus quod ad militiam attinet, confuſio, ut non ſolum Barbari legionariæ militiæ nomen darent paſſim, ſed etiam vice verſâ Romani in *Auxilia,* quæ barbarorum olim tantum fuerant, ſacramenta dicerent, quod in his minor eſſet labor & majora maturioraque præmia. Vegetius *l.* 2. *c.* 3. *Eſt & alia cauſa, cur attenuatæ ſint legiones. Magnus in illis labor eſt militandi, graviora arma, plura munera, ſeverior diſciplina. Quod vitantes pleriſque in* Auxiliis *feſtinant militiæ ſacramenta percipere, ubi & minor ſudor & maturiora ſunt præmia,* &c. Fuerunt autem *Auxilia* in cohortes diviſa, cohortes in vexilla; unde cohortes ſemper de *auxiliis* & vexilla de cohortibus. Sic *Vexilla* ſunt auxilia, apud Livium *l.* 39. *Vexillares cohortes.* Tacito *Hiſt. l.* 2. *c.* 24. qui *Vexillarios è cohortibus* vocat *l.* 3. *c.* 6. ut eos à Vexillariis Legionum diſtinguat. Hinc *Dux Vexillorum* in *antiqua Inſcript.* eſt, qui aliô lapide *Præfectus auxiliorum* dicitur: LEG. AUGG. PROPR. PANNON. SUPER. DUCI. VEXILL. &c. Vide Salmaſ. *ad Capitolin. in Pertinace c.* 2. & *Vopiſc. in Probo,* *c.* 14. ut & infrà, ubi de *Vexillis* ac *Vexillationibus.*

AUXILIORUM Præfectus, aliàs *Dux Vexillorum,* vide hic ſuprà.

AUXILIUM, apud Recentiores, vox in Foro frequens, Gall. *Ayde, droit d'ayde.* Sic autem appellatur quædam tributi & vectigalis ſpecies, quam *tenens* ſeu vaſſallus domino capitali, pro ingruente aliqua neceſſitate, præſtat, & ob ſumtuum neceſſitatem unoneta. *Suidas,* Αὐξίλια, οἱ Ῥωμαῖοι τὰ ξενικὰ τέλη προσαγορεύουσι, *Auxilia Romani ejuſmodi tributa vocant.* Duplicis vero generis *Auxilium* occurrit, videl. *Legitimum,* quod à Lege vel Conſuetudine introductum eſt, cujuſmodi ſunt tria illa, quæ in omnibus penè Conſuetudinibus municipalibus Domino Feudi aſſeruntur cum ſcil. *Primogenitum filium Militem facit,* cùm *Filiam primogenitam primùm nuptui collocat;* ac tertio, *ſi ipſe è captivitate redimendus ſit.* Quæ etiam, quòd à conſuetudine manare videantur, *Auxilia conſuetudinaria,* Gall. *Aydes Couſtumieres;* item *Auxilia Capitalia, Rationabilia* item vocitantur; non quòd ipſa ratio dictet, ea præſtanda

 à

à vaſſallo, ſed quòd moderatiùs ſint exigenda & ſecundùm vaſſallorum facultates, ne nimiò onere prægraventur. Alterius generis fuêre *Auxilia*, quæ *libera & gratioſa* vocabant, quòd dominis pro ingruente aliqua neceſſitate improviſa, à vaſſallis & ſubditis penſitarentur gratuitò & ex mero illorum arbitrio, cum nulla Lex exiſteret aut Statutum municipale, quò ad id exſolvendum adigerentur. Gall. *Aydes gracieuſes*, Germ. *Freywillige Steuren*. Sic extat apud Car. du Freſne in *Regeſto* Memorabilium Cameræ Computorum Pariſienſi notam C. *fol.* 64. *Diploma* Philippi Regis Franc. 7. Febr. 1349. quò certum tributum, urbis Pariſienſis incolis ad annum impoſitum, ex mera eorum gratiâ conceſſum agnoſcit, Gall. *qu'il les vont a ſubſide gracieux*. Cujuſmodi tenoris ibidem extant *Chartæ* Johannis Regis A. C. 1350. Sed & Rex idem, alio *Diplomate*, ſubſidia à Nobilibus, Clero & Plebejis Comitatuum Andegavenſis & Cenomanenſis, propter ingruentia bella ſibi conceſſa, *Aydes gratieuſes* vocat. Verùm, quod ex mera gratia & libero ſubditorum ac Vaſſallorum arbitrio Dominis aut Principibus primùm penſitabatur, id poſtea in Legem & neceſſitatem tranſiit, cujuſmodi ſunt e. g. in Gallia, tributa varia & vectigalia, quæ nomine *Auxilii* vel *Subſidii* exiguntur. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* & hic infrà. De *Auxiliis* verò, in Imperio exigi ſolitis, Politicarum rerum Scriptores conſulendi Limnæus inprimis *de Jure Publ.* & Wendelinus in *Polit.* uti de *Auxilio Deo* infra ubi de *Dii*.

Auxiliorum varia apud Scriptores genera, ex eod.

AUXILIUM pro Militia primogeniti filii, quod primum vulgò ponitur inter *Auxilia legalia*, Gall. *Loaux Aydes*, occurrit in *Regeſto* præfato, ubi Philippus Pulcher A. C. 1313. Seneſcallo Santonenſi præcipit, ut exigat à ſubditis ſuis, *l'ayde accouſtumee devo pour la Chevallerie de ſon fils aiſne*, &c. Cùm verò ſtatim, ac natus eſſet Domino filius, à Vaſſallis ejuſmodi *Auxilium* depoſci primitùs mos eſſet, ab Eduardo I. Rege. Angl. *Statuto* Weſtmonaſt. *c.* 35. *can.* 3. cantum eſt, in beneficium Vaſſalli, ut *Auxilium non peteretur*, ad filium Militem faciendum ante ætatem 15. annorum. Aliter in Scotia, *Statuto* Roberti I. c. 18 ſancitum. Vide quoque *Conſtitutiones Sic. l.* 3. *tit.* 18.

AUXILIUM pro primogenita filia ſemel maritanda, alterum è tribus Auxiliis, à Lege & Conſuetudine introductis, jam inde a Guiſcardi temporibus, i. e. circa A. C. 1080 obtinuit: qui Mattildæ ſecundogenitâ Raimundo Berengario Comiti Barcinonenſi nuptum datâ, *Auxilium* à Vaſſallis ſuis exegiſſe legitur, cùm in Helenæ primogenitæ cum Conſtantino Duca nuptiis nihil ejuſmodi petiiſſet, apud Guil. Apulienſem *Rerum Normannic. l.* 3. Vide de Rege Henrico Angliæ, Seldenum *de Titulis Honorar. Part.* 2. *c.* 5. § 17. de aliis Petrum de Vineis *l.* 5. *Ep.* 16. & Chopinum *Monaſtic. l.* 2. *tit.* 2. §. 15. ubi ne Clerum quidem Normannicum ab iſtiuſmodi tributo immunem fuiſſe legimus. Sed hic notum *Statuto* Eduardi I. Weſtmonaſterienſi c. 35. cautum fuit, in beneficium vaſſalli, ut *Auxilium* ad maritandam filiam non peteretur, antequam ſeptimum illa ætatis annum attigiſſet, &c. Cùm autem idem ſubſidium, pro Beatricis, ex Carolo Martello Hungariæ Rege, filio ſuo primogenito, jam mortuo, neptis nuptiis à Provinciæ Comitatus incolis, extorquere decreviſſet Carolus II. Siciliæ Rex, Aptenſes contrà, tanquam rem novam tentaret, interceſſerunt. Vide Michaëlem *del Molino* in *Repertorio Fororum Aragon.* in voce *Dot*.

AUXILIUM, pro Redemptione corporis Domini, ſi ab hoſtibus capi contingat, tertium è legitimis *Auxiliis* omnium indubiè juſtiſſimum. Sic pro redemptione Richardi Angliæ Regis auxilium ab Anglis exactum, & *de unoquoque feodo Militis* 20. *ſolidos exſolutos*, tradit Rogerus Hovedenus. Quod etiam extentum videtur, ad liberationem uxoris domini aut primogeniti filii, apud Walſinghamum in *Eduardo II.* &c. Reliqua *Auxiliorum* genera ſequuntur, juxta ſeriem literarum Alphabeti.

AUXILIUM pro Ædificatione, aut munitione Caſtri, ſæpe occurrit, in *Charta* Gaufredi Comitis Andegavenſ. in Libertatibus conceſſis villæ Montisbruſonis, à Guigone Comite Forenſi A. C. 1223. in Tabulario Vindocinenſi Ch. 109. alibique paſſim, in *Chartis* Anglicis præſertim: à quo exactionis genere ne Monachi quidem ipſi liberi fuêre, ut eſt in *Epiſt.* Bonifacii Moguntini ad Cuthbertum Archiepiſcop. Cantu ſub fin. Sed & ad *neceſſarias* operas ſuas contribuiſſe Principum ſubditos, colligitur ex Leone in *Tacticis* c. 20. §. 71. quò *Novellæ* quoque Theodoſii & Valentiniani *de Poſtulando*, pertinere videtur.

AUXILIA Bugi, memorantur in *Chronologica* Auguſtinenſi Cantuarienſ. A. C. 1104.

AUXILIUM Conſuetudinarium Vaſſallorum & aliorum hominum tenentium de dominico & de feodis, in *Regeſta*, Philippi Aug.

AUXILIUM pro Defenſione Terræ, in *Statutis* Honorii IV. Pontific. Roman. pro Regno Neapol. 1285.

AUXILIUM pro Emptione terræ in vita Domini, ſemel faciendo, occurrit in *Pacto*, 'inito inter Carolum Valenſium & Andium Comitem & Barones Andegavenſes Cenomanenſes, A. C. 1310. in *Regeſta* Andegavenſ. Cameræ Comput. Pariſ. *fol* 56. alibique paſſim

AUXILIUM Epiſcopi: ſic appellabant *procurationes* & *procurationes*, quas Epiſcopi *à perſonis Eccleſiarum* ſubinde exigebant, quaſque etiam *conſuetudines*, *Epiſcopales*, *quandoque Synodales*, *quandoque denarios Paſchales vocabant*, ut eſt apud Alexandrum III. in *Appendice ad Concilium Lateran.* 5 part. 2. c. 9. Ita *Auxilium pro conſecratione ſua exigendi ab hominibus ſuis* Epiſcopo conceſſit Guilielmus Siciliæ Rex in *Conſtitut.* Siculis *l.* 3. *tit.* 18. Vide ſuprà in voce *Adventus*. Idem auxilium à ſubditis ſuis exigendi poteſtatem, *cùm à Papa ad Concilium evocantur*, Epiſcopis conceſſit. *Ibid.* Vide quoque Joffridum in *Hiſt. Epiſcoporum Nicienſium* p. 182. & Jac. Petitum *poſt Pœnitentiale Theodori* p. 666 717 Etiam, *cum ab Rege ad exercitus ſui ſervitium evocantur*, iiſdem idem juris indulſit Rex præfatus, *ubi ſupra*. Sed & *Auxilium* à Presbyteris ſui Archidiaconatus ex Epiſcopi licentia interdum Archidiaconos exegiſſe, docet Car. du Freſne ex *Charta* deſcripta Petito *lib. cit.* p. 482. De *ſecundis Auxiliis*, ab Epiſcopo Archidiaconis impoſitis, vide Joh. Saliſberienſem *Ep.* 49. Plura verò, de ejuſmodi *Auxiliis* ab Epiſcopis exactis, ab Eccleſiaſticis ſuæ diœceſeos, in caſibus ſupradictis, apud Bartholom. Bellencinum. *Tract. de Charitativis Subſidiis* & Auguſtin. Barboſam *de Officio & Poteſt. Epiſcopi Part.* 3. *allegat.* 87. &c.

AUXILIUM, pro Eundo ad Imperatorem, in *Charta* Caroli II. Siciliæ Regis A. C. 1290 aliaque deſcripta, apud Joffridum *Hiſt. Nicienſ.*

AUXILIUM pro filia poſtgenita maritanda in Scotia locum habuit & in Sicilia: ut patet ex *Statutis II.* Roberti I. Regis *c.* 18. §. 4. & ex *Conſtitutionibus Neapolit. l.* 3. *tit.* 19

AUXILIUM pro filio primogenito maritando, apud Cognatum *Hiſtor. Tornac. l.* 4. *c.* 15.

AUXILIUM ad Guerram Domini manutenendam, quod *pro expeditione* vocant veter. Angliæ Regum *Diplomata*. In Imper. Roman contra Turcas exigitur, & *Turckenſteur* dicitur

AUXILIUM pro Militia Domini, in *Charta* Thomæ Comitis Perticenſis A. C. 1214. in *Tabularia* Majoris Monaſt.

AUXILIUM pro Militia Fratris, occurrit in *Conſtitutionibus Friderici Imperatoris l.* 3. *Conſt. Sicul. tit.* 29.

AUXILIUM pro Militia Nobilis viri cujuſlibet, in *Conſuetudinibus* Andegavenſib. & Cenomanenſibus.

AUXILIUM Pallii, quod Archiepiſcopo à Presbyteris diœceſis penſitabatur, pro eundo Romam, ad *Pallium* Archiepiſcopale ſumendum: in *Charta* Scheffero deſcripta ad *Chron. Upſalienſe*. Vide quoque hic in *Lexica* ubi de *Pallia*.

AUXILIUM pro Racheto ſeu Relevia, ut legitimum agnoſcit *Reg. Majeſt. l.* 2. *c.* 73. §. 1. & Vetus *Conſuetudo* Normanniæ *c.* 34.

AUXILIUM pro Sorore maritanda, in regno Siciliæ obtinuit, ut colligitur ex *Conſt. Sic. l.* 2. *tit.* 18. & ex *Charta* A. C. 1211. apud Ughellum *Tom. I. p.* 784 In Angliæ etiam Regum, uti docet Matthæus Paris. in *Henrico III.* A. C. 1235. ut & in Gallia, vide *Chartam* permutationis Vicecomitatus de Lamtico, aliamque Hugonis Vicecom. Caſtriduni, apud Car. du Freſne, in *Gloſſar.*

AUXILIUM pro Subſidio Terræ Sanctæ, introductum videtur à Ludovico VII. Franciæ Rege cui cum à Papa Eugenio factis eſſet interdictum quòd Petrum Archiepiſcopum Bituricenſ. ſede ſuâ dejectum nunquam deinceps ſe admiſſurum juràſſet, *tandem S. Bernardi perſuadente ad hoc eſt cor Regis inclinatum, ut Archiepiſcopum ſuſciperet & pro tranſgreſſione perjurii, Hieraſolymam ſe promitteret profecturum. Tunc enim per totam Galliam facta eſt exactio generalis, nec ſexus, vel ordo, vel dignitas quempiam excuſavit, quia Auxilium Regi conferret. Unde factum eſt, ut ejus peregrinatio multis execrationibus perſequeretur*, Matth. Paris. ad A. C. 1146 Exemplò igitur Ludovici, Ricardus I. Rex Angliæ idem fecit in ſuo Regno, cùm ad iter Hieroſolymitan ſe accinxit A. C. 1190 ut teſtatur Hovedenus *p.* 665. Regem quoque imitati cæteri Franciæ Proceres, eandem legem ſuis indixêre vaſſallis ac ſubditis, ut, quoties in Terram S. irent contra hoſtes Fidei Chriſtianæ, in partem ſumtuum certum vectigal, *Auxilii* nomine ſibi penſitarent, &c.

AUXILIUM Triennarium ſeu *Comitis* · in Normanniæ Ducatu: apud eundem *Car. du Freſne*.

AUXILIUM contra Turcas, ab Imperatore indicitur, quoties belli gravioris periculum imminet.

AUXILIUM Vicecomitum, quod Vicecomitibus ſeu Ballivis præſtabatur, in Anglia præſertim. Vide Ingulfum p. 875. &c.

AUXIMUM, Piceni urbs in Italia, à qua *Auximates* populi dicti, vulgo *Oſimum*. Belli Civilis tempore in poteſtatem Cæſaris venit. Apud Liv. *l.* 41. & 42. vitiosè legitur *Oximum*, & in tabula *Auſimum*. Procopio, *Gothicor. l* 2. more ejus ſeculi formatur Αὔξιμος. Apud Strab. *l.* 5. neſcio an ſatis rectè Αὔξουμον. Siquidem omnes alii Græci authores Αὔξιμον, & Latini *Auximum* habent. Lucan. *l.* 2. v. 466. metri causâ:

—— Ut admota pulſarunt Auximon alæ.

Coloniam factam Romanorum auctor eſt Vellejus, *l.* 1. *c.* 15. *Auximum, inquit, in Picenum miſſi coloni.* &c. κατ᾽ ἐπικράτειαν τῆς ἐκεῖ πόλεων Procopius *locò prædicto* vocat. Vide Cluver. *Ital. Antiq. p.* 737. & Bochart. *Geogr. p.* 111. longitud. 37. 35. latitud. 43. 30. Vide infrà.

AUXO & Thallo, inter Athenienſium Deos, ab incremento frugum & flore dicti.

AUXUENNA, *Albiæ* oppid. fortè S. Manechildis, S. *Manehou*, poſitum ad Albæ vel Albæ (*Auve*) atque Axonæ confluentem, Durocortoro Verodunum tendentibus obvium, quod à capite Axonæ non procul abeſt. Hadr. Valeſ. *in Notit. Gall.*

AUXUME, regia civitas Æthiopiæ *Ptolem.* *Auxumite*, *Arrian*, Αὐξουμίτης *Steph. Chaxumo* fortè hodiè. longitud. 65. 10. latitud. 18. 00 Aliàs verſus Troglodyticam, nunc in regno *Tigre*, ex præcipuis Abaſſyniæ. Verſus Marabum due. 80. circiter leucis ab inſul. Meroë in Ortum. *Baudrand.*

AUXUMUM, vulgò *Oſimo*, in colle ſita. Urbs eſt Epiſcopalis Piceni, ad Muſonem fluv. paretque Pontifici. 12. milliar. ab Ancona in meridiem, diſtans totidemque inter Æſium & Lauretum. Deficit indies.

AUYAMA, vulgò *Rio de Auyamas*, fluv. Americæ meridionalis in provinc. S. Marthæ. Cadit in fluv. *Ceſar*, dein in mare Boreale.

AUZA, vel AUZATE, urbs Africæ incertæ poſitionis, vetuſtiſſima, quam condidit Ethbaal, vel Ithobalus, Achabi ſocer, de quo 2. Reg. c. 16 v. 31. Author *Menander*, cujus verba ſunt apud Joſeph. *l.* 1. *contra Apionem*: Οὗτος πόλιν Βότρυν ἔκτισε τὴν ἐν Φοινίκῃ, καὶ Αὔζαν τὴν ἐν Λιβύῃ, vel disjunctis vocibus καὶ Αὔζα τὴν ἐν Λιβύῃ. *Auza* autem in *Antonino* Mauritaniæ Cæſarienſis eſt oppid. & *Auzea* Numidicum caſtellum, de quo Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 25. & Uzan. *Ptolemæo* eſt urbs Africæ propriæ, non procul ab Utica. Vide Bochart. *Phan. Colon. l.* 1. *c.* 24.

AUZACIA, Scythiæ extra Imaum urbs. *Ptol.* Quibuſdam nunc *Aera*, in Turcheſtania regione. Unde Auzacitæ populi & Auzacius mons. *Saccio* hodie *Nigra*.

AUZARA, Urbs Arabiæ deſertæ ad Euphratem fluv. ſita, 50. milliar. infra Thapſacum Urbem, in limite Meſopotamiæ.

A. X. in Fuldenſis Monaſterii Martyrologio ſeu potius Necrologio, *Ancillam Christi* notat, apud Brovver. *Antiqq. Fuldenſ. l.* 2. *c.* 10.

AXA, vel ACHSA, filia Caleb, promiſſa à patre ei, qui Urbem Cariath Sepher occupâſſet. Hinc Othonieli nupta, conſiliô mariti, à Patre incrementum dotis impetravit. Joſ. *c.* 15. *v.* 16. Judic. *c.* 1. *v.* 12. Latinè *compoſita*, vel *adornata*, aut *laſciviens*, ſive *confractio*, vel *diruptio velaminis*.

AXA, vulgò AXMISTER, oppid. Angliæ, in Devonia provinc. ad Axam amnem, 4 milliar. Anglicis ab ora littorali maris Britannici; medium fermè inter Exoniam & Doreeſtriam.

AXAGUI, populi Americæ meridionalis in Venezuela provinc.

AXALITA, Hiſpaniæ Bæticæ oppid. *Lora Cluſia*.

AXAMENTA, carmina erant, quæ à Saliis componebantur, in honorem ſingulorum Deorum, ut Jovialis verſus, Junonii, Minervii; *Vetus Lexicon* interpretatur verſus in honorem Herculis, qui in ſacris ejus decantabantur; Turnebus *Adverſar. l.* 22. *c.* 25. Ab *axare*, quod Veteribus idem fuit ac *nominare*, teſte *Feſtô*. Apud Recentiores verò, *axatus* cervorum clamor eſt, vide Felicem Gyrwenſem Monach. in *Vita* S. Guthlaci *num.* 22. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà in voce *Magiſter* it. *Salii*.

AXANTHOS, inſul. infr. Hiberniam. Plin. *l.* 4. *c.* 16.

AXAPH, civitas in tribu Aſer. Joſ. *c.* 19. *v.* 25. quæ *c.* 12. *v.* 2. *Achſaph* ſcribitur.

AXATIARA, oppid. in conventu Hiſpalenſi. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

AXEDRE, Hiſpanis Latrunculorum ludus dicitur, ex Græco *Zatrikion*, quod Hiſpani à Mauritanis acceperunt, qui *Alxatret* cum articulo vocant. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1130. Vide infrà *Zatricium*.

AXEIUM, caſtellum, memoratum Orderico Vitali *Hiſtor. Eccl. Normannorum l.* 8. An *Aſſe le Boeſme*, ad Sartam fluv. an *Aſſe le Hiboulle*, an. *S. Jean l'Aſſe*, quæ loca in Pertico, incertum ſibi eſſe ſcribit, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

AXELLA, vulgo AXEL, Urbs Flandriæ probè munita, in regione Vaſia, Hollandici juris, ab A. C. 1586. quò dolô capta fuit. Ab Hulſto una leuca, cum dimidia, in Septentrionem à Gandavo autem 4. leucis in Septentrionem diſtat, & vix una à fortalitio, Aggere Gandavenſi, dicto.

AXELODUNUM. Angliæ oppid. in regione Northumbriæ, ad Tinam fluv. *Hexham Camdeno*.

AXENUS Pontus, qui & *Euxinus*, à truci accolarum barbarie ſic dictus. Ἄξενος enim inhoſpitalis eſt. Nam ut Strabo *l* 7. tradit, *ſolebant Scythæ, mari hujus accolæ hoſpites immolare, eorumque carnibus veſci, calviſque uti locô poculorum.* Ovid. *l.* 4. *Triſt. El.* 4. *v.* 56.

Frigida me cohibent Euxini litora Ponti.
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Cur mutatum in *Euxinum*, vide Bochart *Phaleg. p.* 397.

AXES rotarum, ex ilice, fraxino ac ulmo, Veteribus fuêre: ſicut materiam curribus faciendis idoneam, abietem probat Plin. *l.* 16. *c.* 42. Vide Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 10. In veter. *Epigr. gemini Axes*, dicuntur metæ in Circo, quòd Orientem & Occidentem oſtenderent, ut inquit *Caſſiodor.* Pro quo Græci dixêre, Circi circuitum (nam expreſſè *metarum* non meminerunt, qui ſub Imperio Conſtantinopolit. vixêre) à fine ad initium Orientem ſignificare; ab initio verò ad finem, Occaſum, τὸν ἐπὶ τὰς θύρας καμπτῆρα, καὶ τὸν ἐπὶ τὴν σφενδόνην Circi enim principium, θύραι illis, ſicut finis & exitus σφενδόνη &c. *Epigramma* præfatum de Circo ſic habet:

Namque Axes gemini ortum obitumque docent.
Atque hos Euripus quaſi, magnum interjacet æquor.
Et medius centri ſummum oblifcens abit.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 908. & infrà, in voce *Euripus*, item *Meta*.

AXIA, urbs Locrorum Ozolorum ab *Axo* Clymeni filio. Eſt & alia Italiæ *Steph.*

AXIACÆ, Populi Sarmatiæ Europææ inter Tyram & Boryſthenem amnes, Peucinis & Carpianis proximi, ab *Axiace* fluv. dicti, qui à Peucinis jugis naſcitur. Hos juſtiſſimos fuiſſe tradit Pompon. *l.* 2. *c.* 1. ut qui furti omnis ignari, ſua cuſtodirent, nec aliena contingerent. Meminit horum Plin. *l.* 4. *c.* 12.

AXIACE, Europæ oppid. ad Pontum Euxinum *Mercatori*, nunc *Orzakow* quibuſdam vocatur.

AXIACES, fluv. qui & Hypanis: Carpatho monti adhæret, à quo vicini populi *Amaca*. Qui fuêre in Sarmatia Europæa ſub Tiſangitis, inter oſtia Tiræ & Hippanis, ubi nunc Podolia inferior.

AXICA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

AXIEMUM, Caſtrum Africæ permunitum, in ora Guineæ, 5. leuc. à promontor. Apolloniæ diſtat, ad oſtia Manci fluv. in ditione Hollandorum. Vulgò *Axem* & *Achem*.

AXIEROS, Ceres. Apollonii Scholiaſtes *l.* 1. ex Mnaſea Ἀξίερος ἡ μὲν ἐστὶν ἡ Δημήτηρ. Phœnicibus erat ארץ אחוזי *Achazi eres*, h. e. *poſſeſſio mea terra*.

AXILLAS depilandi conſuetudo, apud Romanos olim uſitata, vide ſuprà *Alipili*. obeliſcis ſuffigendi ſupplicium, vide infrà voce *Obelus*.

ex AXILLIS vocem emiſiſſe, non ex ventre, ad ariolorum genus, quorum mentio Actor. *c.* 16. *v.* 16. crediti Hebræis, qui pro *Pythone*, פיתום *Pithom* ſcribunt voce leviter inflexâ. Talmudici *in Sanhedrin c.* 7 *Baal. Ob idem eſt, qui Pithom, ſeu qui loquitur ex* axillis *ſuis*. Ubi Gloſſa, *Mortuum ex terra educit, quem ſub* axillis *& brachiis ſuis conſtituit, ut loquatur.* Unde R. Selomo *in Deuteron. c.* 18. *v.* 11. explicans, quid ſit שואל אוב, *conſulens* Ob (ſeu Pythonem) *Hoc eſt*, inquit, *divinatio, quæ vocatur Pithom, qua loquitur quis ex axillis; mortuum ad axillarum locum evocans.* De quo ritu, qui plura volet, conſulat Maimonidem *in Tract. de Idololatria*. Vide quoque infrà, in voce *Python*.

AXIMA, inter Centronum olim urbes, *Ptolem.* Ἐν ταῖς Γραίαις Ἄλπεσι Κέντρωνες: ὧν πόλεις Φόρος Κλαυδίου καὶ Ἄξιμα, *In Grajis Alpibus Centrones, quorum urbes Forum Claudii & Axima.* Nunc ex urbe vicus magnus, nihil præter priſcum nomen, idque corruptum ac truncum, retinens: vulgò *Eſma* vel *Aime*, 4. leuc. à Foro Claudii, capite quondam gentis. In *tab. Theodoſiana Axuma* dicitur depravatè. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Centrones*.

AXIMA, Urbs Perſidis. *Ptol.* ad fluv. Orontem. Quid nunc ſit, ignoratur. *Nic. Lloydius*. Diem maximam horarum quatuordecim computat & triginta horæ; quemadmodum Hiſpalis Bæticæ Hiſpaniæ civitas eandem habet horarum 14. & 20. ſcrupulorum. Sed cum Hiſpani, quamvis ſub eodem cum Perſis habitantes Parallelo (illi ad Occaſum hi ad Orientem) quatuor horis ſerius Solem renaſcentem excipiant, fit ut Meridianus, ſub quo Hiſpalis ſita, à Meridiano, cui ſubjecta eſt *Axima*, horis totidem & ſcrupulis 53. diſtet. Salmaſ. *ad Solin. p.* 661.

AXINIA, Arcadiæ mons.

AXINIUM, Celtiberorum urbs. *Appian.*

AXINOMANTIA, Magiæ ſpecies, quæ gagate ſecuri candenti impoſitô fiebat, memoratur Plinio *l.* 30. *c.* 2. & *l.* 36. *c* 19. *Hoc* (ſcil. gagate lapide) *utuntur Magi, in ea, quam vocant axinomantiam & periri negant, ſi eventurum ſit quod aliquis optet.* Sed falli Plinium, videbimus infrà. ubi de *Gagate*.

AXIOCHUS, Philoſophus, cui Plato librum de morte conſcripſit, eique dedicavit.

AXIOKERSOS, & AXIOKERSA, Pluto & Proſerpina ſic dicti, apud Samothraces, qui Cabiri dicuntur in illis ſacris, teſte Apollonii Scholiaſte *l.* 1. ab אחזי *Acazi portio mea* & כרת *keres*, quod pro *excidio & morte* ſumitur, ſcilicet qui habet imperium in mortuos. Unde Diabolus Hebr. *c.* 2. *v.* 14. dicitur τὸ κράτος ἔχων τοῦ θανάτου.

AXIOMATICI, apud Guil. Bibliothecarium *in Hadriano II. Eum cum Pontificali pallio impoſitum præcedentibus* Axiomaticis, *& ſubſequentibus reliquis turbis in urbem redire — conſpexerant*; Anaſtaſium item Bibliothecar. *in Hiſtor. Eccl. Cum aliis quinque, tribus quidem Comitibus, duobus verò Axiomaticis*: Magnates ſunt, Proceres, Magiſtratus. *Gloſſarium Græco-Latin.* Ἀξιωματικός, *Honorarius, qui honorem gerit*, &c. Unde Ἀξιωματικὸν, *Salarium*, quod *Axiomaticis* à Rege penſitatur, in *Gloſſis* Baſilic. & apud Photium *in Nomocanone tit.* 8, *c.* 7. Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macer in *Hierolex.*

AXION, frater Alpheſibœæ, quæ Alcmæoni nupſit, à quo Alcmæon ipſe interfectus creditur, vel, ut *Ovidius*, à filiis Callirrhoes.

AXIOPOLIS, aliter AXIUM, Myſiæ inferioris urbs Triballorum. *Ptolem.* cui Danubius ab hac ad Pontum uſque Iſter nominatur; Hodie *Colamanick* dici ſcribit Olivarius *in Atlante* longitud. 54. 00 latitud. 45. 40. Aliis eſt *Axiopoli*, nunc in regno Bulgariæ, ſub Turcis.

AXIOTÆ, Troadis gens. *Heſychius* Ἀξιῶται, ἔθνος Τρωϊκόν.

AXIOTHEA, Nicoclis Regis Cypri uxor, de qua Polyæn. *l.* 8. *c.* 48.

AXIOTEA, Phliaſia, nobilis mulier, quæ unà cum Laſthenia Platone præceptore uſa, ornatuque interim virili auditorium ejus ingreſſa eſt. *Plut.* & Laërt. *l.* 3. *c.* 46.

AXIRIS, Herodoto *l.* 4. ubi de Laſerpicifera in Cyrenaica regionis ſitu, urbs eſt Cyrenenſium, unde σιλφιοφόρος ſeu *Laſerpicifera* inceperit. Ἄξυλιν vocat *Ptol.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 369.

AXIS, urbs Umbriæ. Propert. *l.* 4. *El.* 1. *v.* 125.

Scandentiſque Axis conſurgit vertice murus.

AXITES Mulieres, & Dii, apud *Feſtum*, unà agentes. *Gloſſæ*, *Axites*, συνεργαζόμεναι. *Axitioſæ* item, ſeu potius *axioſæ*, quaſi *actioſæ*, ab *agendo*. *Plautus* apud Varronem,

Axioſæ amoenam curam è vili concinnant viris.

Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino. c.* 16.

AXITHEUS quidam, Reſurrectionis poſſibilitatem probat egregiè, apud Æn. Gazæum *de Immortal. Anim.*

AXIUS, fluv. Paphlagonum per Mygdoniam fluens. Plin. *l.* 4. *c.* 10. Herodot. *l.* 6. Labitur in ſinum Thermaicum, efficit pecudem nigram, quæ ex eo potavit, diverſâ ab Haliacmone, vicino amne, naturâ, qui velleris nitorem potæ ea ſe pecudi affert. *Heſych* Ἄξιος, ποταμὸς Παιονίας. Strabo. *l* 7. ὁ μὲν Ἄξιος θολερός ἐστι. Quærit ibi Geographus, uti ſolet, de Homeri loco, ubi eſt hujuſce fluv. mentio: erat enim ille locus lectionis ancipitis, varieque à veteribus Criticis lectus, expoſituſque. Homer. *Il.* β. *v.* 848.

Avidè

> Αὐτὰρ Πυραίχμης ἄγε Παίονας ἀγκυλοτόξους
> Τηλόθεν ἐξ Ἀμυδῶνος, ἀπ' Ἀξίου εὐρὺ ῥέοντος,
> Ἀξίου, οὗ κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται αἶαν.

Quorum verſuum, quum hæc ſit ſententia, ut dicatur *Axi* aqua limpidiſſima, ac pulcherrima, veteres Critici, qui ſcirent aquam ejus eſſe turbidam, voce Αἶα intelligi voluerunt, non *terram*, ſed *fontem quendam ſic nuncupatum*, qui *Axium* ingreditur, cujus fontis etiam Antimachus, *in Thebaide*, fecerat mentionem teſte *Stephano*, ut ſit hæc ſententia. Amydonem urbem eſſe ad *Axium* ſitam, ubi eſt fons *Æa*: atque ita *Scholiaſtæ* Homeri locum illum interpretantur. *Strabo* verò non tantùm interpretationem vulgatam reprehendit, ſed & lectionem. Nam cùm vulgo legeretur,

> Ἀξίου ὃ κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται αἶαν,

Vel —— ἐπικίδναται αἶα. ipſe emendabat,

> Ἀξίῳ, ᾧ κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται Αἴης.

Vide Euſtath. *ad locum*. *Nic. Lloydius* hic fluv. ex Scardo monte ortus, per Pelagoniam & Mygdoniam labitur, dein auctus Erigonô, aliiſque fluviis in ſinum Thermaicum cadit, inter Theſſalonicam & Pellam *Baudrand.*

AXIUS Paulus, vide *Paulus*.

AXLA, vulgò, AXEL, oppid Flandriæ, in terra Waſa vel Waſia. Vide *Axella*.

AXOMITÆ, memorati Fl. Vopiſco in *Divo Aureliano*, c. 33. *Præter captivos gentium barbararum Blemyes*, Axomitæ, *Arabes*, *Eudemones* &c. *Axumitæ Stephano*, qui urbem eorum Ἀξωμίτην vocat, ſeu Ἀξώμην potiùs, Ægyptiacæ namque urbes ſeu Æthiopicæ plerumque in IS. & earum ἐθνικά in ίτης deſinunt, ut Ἄβυδος, Ἀβυδίτης, Θῆβαι, Τεντυρίτης &c. *Auxomitas* gentem hanc vocat Theodoretus, *Quæſtion. in V. Teſtam.* ubi de Regina Sabæ verba faciens, ΣΑΒΑ, inquit, ποῖόν ἐστι ἔθνος; Αἰθιοπικὸν, ... τῆς θαλάσσης Ἰνδικῆς, ὀνομάζονται δὲ αὐτοὶ ΟΜΗΡΙΤΑΙ. ... ΑΥΞΩΜΙΤΩΝ. μέσον δὲ τούτων κεῖνται ἡ θάλασσα. ... *SABA, qualiſnam gens eſt? Æthiopica —— vocant autem ipſos Homeritas: è regione verò eſt AUXOMITARUM, medio interluente mari. His imperavit mulier illa admiranda* Plerunque tamen oppidum *Axuma* & populum *Axumitas* nominant Auctores. Vide Joſ. Scaligerum *Notis ad Computum Æthiopicum*, & Salmaſ. Caſaubonumque *Notis ad Hiſtoriam Auguſtam*.

AXON, Ionum fluv. in Aſia minori. Plin. *l.* 5. c. 7. Alius item in Caria.

AXONA, fluv. in extremis Rhemorum. Hinc *Axones*, ejus accolæ, Lucan. *l.* 1. v 423.

> *Et Biturix, longiſque leves Axones in Armis.*

Auſonius *in Moſella*, v. 461.

> *Non tibi ſe Liger anteferet, non Axona præceps.*

Vulgò *le Diſne*. *Ferrar*. Ortus in confinio Ducatus Barrenſis, alluitque Urbes S. Menechildis, Retelium & Sueſſones; & receptis Vidulâ fluv. aliquotque aliis, in Æliam ſe exonerat, paulo ſupra Compendium. Vulgò *Ayne* dicitur. *Baudrand*. *Valeſio* vulgò *Aiſne*, vel *Eſne*. Recipit modicos amnes Turbam, Valliamque, ad Caſtrum Portianum effluentem ſed præcipuos Rotumnam (*Retourne*,) Supiam & Vidulam (*Vele*.) Alluit oppidum S. Manechildis, ubi Albam recipit. Novam villam ad Pontem, Viennam villam, ubi Bionnam accipit: inde infra Cervonem Turbâ augetur: attingit Altriacum, Grandem Hammum, Sindunum, Valles, Briodorum, Sabiniacum, Valeſiam, Vongum Remorum (*Vonz*) Attiniacum Remenſe, Reiteſte Remenſ. celebre Comitatus quondam, nunc Ducatus caput, *Retel*; Aſciacum, Nantoilum, Caſtrum Porcianum Remenſe, Novum Caſtellum Sueſſionum, ad Rotumnæ & Axonæ confluentes, Condate, ad Supiæ oſtium, Pontem Varenſem Sueſſionum, Velliacum, Condate ad Vidulæ exitum: Auguſtam Sueſſionum, Vicum, Attipiacum, Vernoilum, Troſlejum, Ritundam; Cauciacum præterlabitur, atque apud Compendium Iſaræ miſcetur *Axonum* dicitur *Dioni*: *Auxuenna Æthico*, ſicut & locus, non procul à capite ejus, *Auſona Hugoni Floriacenſi*. Galliæ fluviis famoſis annumeratur à *Johanne Pariſienſi*. Adverſo Sequanâ, Iſarâ & Axonâ, ad Pontem Varenſem, uſque ab Oceano mercantium naves progredi conſuevêre. *In Notit Gall. edita.* A. C. 1675.

AXONES, & CYRBES, i. e. leges Solonis, quomodo ſcriptæ, vide Bochart. *Geogr.* p. 494. Quemadmodum Lycurgi leges *Rhetra* dicebantur: ex utriſque leges ſumptuarias Romanos olim mutuâſſe, quas ſeneſcentes paulatim reparaverit Sulla Dictator, memorat Amm. Marcellin. *l.* 16. Vocârunt autem leges Solonis *Axones* cives Athenarum, διὰ τὸ ἐγγεγράφθαι αὐτοὺς ἐν ξυλίνοις ἄξοσι, *quod inſcriptæ eſſent ligneis tabulis*: erant autem illæ triangulares. Quidam Cyrbes continuiſſe ajunt, quæ ad Deorum cultum pertinebant, reliquas leges *Axonibus* fuiſſe comprehenſas, atque hôc diſcrimine illas ab his diſtinguunt. Aſſervabantur autem hi Solonis *Axones* legeſque primitus in Acropoli: Poſteà ab Ephialte in Curiam & Forum translati ſunt, ſic tamen ut legum Autographa in Acropoli manerent: cum quibus, motâ in legis verbis controverſiâ, Antigrapha illa conferebantur. Pro Curia habet Prytaneum *Pollux*, item Pauſanias *Atticis*, eratque Prytaneum in Foro. An verò per Curiam Matris Deûm ædes intelligenda venit? nam hæc etiam Βουλευτήριον appellabatur, Legeſque reponebantur, in hac æde, juxta *Harpocrationem*, τοὺς νόμους ... ἀναγεγράφθαι ἐν τῷ Μητρῴῳ. In Regia quoque Porticu adſervatas fuiſſe leges, habes diſertè apud Ariſtotelem *in Athen. Republ.* &c. Fuêre autem leges in ſuis *Axonibus* βουστροφηδὸν ſcriptæ: ſic ut primus verſus ſcriberetur ad dextram à ſiniſtra, ſecundus à dextra ad ſiniſtram, Hebræorum more, & ita deinceps alternis, quomodo boves actus ſuos peragunt cùm arant. Qualiter ſcriptum inter Siculos nummos unum, apud Peireſcium ſe vidiſſe dicit *Petitus*. Porrò diſtincti numerô *Axones* Solonis erant, ut videre eſt apud Plut. *in Solone*; ex quo item, ut & *Harpocratione*, conſtat in Axonibus ſingulas leges numerò notatas fuiſſe: ac quæ in parte inferiori ſcriptæ eſſent: οἱ κάτω ſive κάτωθεν νόμοι dicebantur. In primo *Axone* e. g. cautum erat de non importandis aliò terræ Atticæ fructibus. In viceſimo primo, de liberis, &c. Reliquias harum tabularum ſuô adhuc tempore ſuperfuiſſe, memorat Plut. *in Solone* inquiens: Ὧν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἐν Πρυτανείῳ λείψανα μικρὰ διεσῴζετο. Vide Sam. Petitum *Commentar. in LL. Atticas l.* 2. *tit.* 1. Franciſc. Roſſæum *Archaeologiæ Atticæ l.* 3 *c.* 1. &c.

AXOS, urbs Cherroneſi Thraciæ.

AXUMIS, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

AXUMITES, Metropolis Æthiopum. *Steph.*

AXUNGIA, Oleô aut adipe lupinô poſtes mariti inungendi mos à nova Nupta apud Romanos, religiosè obſervatus, vide infra paſſim inter alia voce *Uxxia*.

AXUR, in quodam Panſarum familiæ denario, apud Fulv. Urſinum *de Famil. Roman.* ubi *inſcr.* hæc, JOVIS AXUR. C. VIBIUS. C. F. C. idem eſt cum eo, qui vulgò Virgilio *Æneid. l.* 7. v. 799. Servioque *ibid. Jupiter Anxurus*, incorruptè *Axurus*, ab α privativo & ξυρὸν, ſeu ξυρὸν, *novacula*, ut voce hâc ſignificetur Ζεὺς ἀνὴρ ἔχων πώγωνα, ut Pauſan. in *Eliacis*, h. e. *Jupiter imberbis*, ut eum Minucius vocat *Octavio*. Hinc & *Axur* probat *ad Feſtum* Scaliger, pro antiquiſſimi Volſcorum oppidi nomine: quod & apud Horatium *l.* 1. *Sat.* 5. v. 26. reponendum. Ubi interpres, qui vulgo Acron audit, *Anxur* (*l. Axur*) *autem dicimus quia ibi imberbis Jupiter colitur.* Eadem vox & Martiali reddenda *l.* 5. *Epigr.* 1. v. 6.

> *Sive ſalutiferis candidus Axur aquis.*

Jac. Ouzelius *ad Minucium* p. 124. Sed quoque *Anxyrus* retineri poſſe vidimus in hac voce.

AXUS, Macedonum fluv. Item urbs Cretæ *Steph.*

AXUS, vulgò AXE, fluv. Angliæ meridional. in Somerſetenſi Comitatu. Cadit in Sabrinæ æſtuarium. Habetque prope *Axbridge* oppid. in eodem Comitatu.

AXYLIS, Marmaricæ villa, in Africa. *Ptol. Forzeli* hodiè *Mercatori*.

AXYLUS, Phryx, è civitate Ariſbe, inſigni erat humanitate, & benevolentiâ in hoſpites. Homer *Il.* 6.

AYAYA, Inſul. Americæ Septentrional. & una ex Antillis, aliter *S. Crux*. Vide ibi. Pater Francis.

AYDUNUM, oppid. Siciliæ, in valle Neetina, in edito colle. Diſtat à Catana 20. milliar. in occaſum, deficitque indies. Vulgò *Aidone* ſeu *Aidone*.

AYEC, AYEC, vox Aragonibus in uſu. Michaël *del Molino* in *Repertorio* Fororum Aragon. Beſtiam extraneam ſi aliquis portaverit, *debet dicere*, Ayec, Ayec, *quod eſt vulgare antiquum Aragonum alias ſi hoc non dixerit, tenetur emendare damnum datum per beſtiam.*

AYMAR Hannequinus, eruditione inclytus, ſeculô ultimô, Genebrard. in *Chron.*

AYMAR Rivallius, JCtus Delphinas, aliis Sabaudus, Hiſtoriam Juris Civilis 5. libris, cum libro de Jure Canonico, edidit. Ætatis annô 25. &c. Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 3. c. 22.

AYMONTIA, oppid. Hiſpan. in Andaluſia provinc. ad Anæ fluv. oſtia, in colle, ex adverſo caſtri Marini, in Algarbia. leuc. 18. à Gadibus, & 22. ab Hiſpali in Occaſum. Eſtque munitum contra Luſitanos.

AYNADECHIUM, oppidul. Hungariæ ſuperioris inter Agriam & Fillechium, ſub Auſtriacis. Malè acceptum à Turcis.

AYNSA, urbs Hiſpaniæ, quâ Saracenis erepta, A. C. 727. Garſias Gothus, initia regni Suprarbienſis jecit. Vaſæus *Chron. Hiſp.*

AYOTECI, Montes excelſi Americæ, in nova Hiſpania & provinc. Tlaſcala, verſus mare Auſtrale.

AYTIA, Inſul. Americæ Septentrional. aliter *Hiſpaniola*, ſeu *S. Dominici Inſula*. Vide *Hiſpaniola*.

AYUTLA, fluv. Americæ Septentrional. in nova Hiſpania & provinc. Guatimala. Cadit in mare Pacificum.

AZA, Latinè *fortitudo*, aut *capra*, viri nomen. *Eſdr. c.* 2. v. 47.

AZA, Armeniæ minoris oppid Plin. *l.* 6. *c.* 9. Aliud Cappadociæ prope montes, non longè à Confinio Armeniæ minoris media fermè inter Trapezuntem & Neocæſaream. *Ptol.* Item Palæſtinæ mons. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 12. Item urbs Palæſtinæ, quæ & *Gaza*.

AZAAMURUM, Urbs Africæ, in ora Oceani Atlantici, in regno Marochi, ad oſtia fluv. Ommirabihi; capta A. C. 1513. à Luſitanis, ſed poſt à Mauris recepta: Gaudet portu capaci, in Ducala provinc.

AZABETIS Tænia, Sarmatiæ Aſiaticæ urbs. *Ptol.*

AZAEL, frater Joabi, pernicitate pedum clarus, ab Abnero occiſus eſt. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 7. c. 1. Vide *Aſael*.

AZAEL, Rex Syriæ, Adadum ſeu Benadadum tertium Syriæ Damaſcenæ Regem humectatô pannô necat, eique ſuccedit, juxta vaticinium Eliſæi Prophetæ. Jehu Iſraelitarum Regem bellô aggreſſus, totam regionem horrendum in modum vaſtavit. 2. Regum *c.* 8. & 10. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 9. *c.* 2. & 8. Vide *Hazael*.

AZAFIA, vulgò ZAFI, Urbs Africæ, in regno Marochi, in littore, ad oſtia Tenſiſti fluv. in Ducala provinc. cum portu & Emporio.

AZAGA, provinc. Mediæ in Aſia, verſus Armeniam majorem & Caldaramæ planitiem. *P. a Vico.*

AZAGARIUM, Sarmatiæ Europææ oppid. *Ptol.* In Amodocis. *N. Sanſon*. fortè *Czernobel*, nunc in Poloniæ regno & Volhinia inferiori ad Uskam fluv. qui paulo poſt in Boryſthenem cadit. 12. leuc. à Kiovia, in Septentrionem.

AZAHAD, deſertum Africæ, in Nigritia regione forſan *Azza* Arabibus. *Marmolio* teſte.

AZAMORA, Armeniæ minoris circa Cataoniam caſtellum *Strabo*.

AZAN,

AZAN, mons Arcadiæ, Cybelæ, Deorum matri, ſacer, à quo nonnulli totam regionem *Azaniam* vocatam volunt, quam tamen *Stephanus* ab Arcadica muliere nuncupatam mavult, quæ *Azan* dicebatur. Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 292.

—— *Idæo altiſſimus Azan.*

Alias *Azon* dicitur.

AZANES, Arcadiæ populi inter Græcos vetuſtate præſtantes, ut & Parrhaſii. Strab. *l.* 8.

AZANI, Scythiæ intra Imaum populi. *Ptol.*

AZANI, *Steph.* Ἀζανοὶ πόλις Φρυγίας.

AZANIA, Æthiopiæ regio in ora maris Azanii, ubi Azanium promontor. in ora occidentali *Noa*, teſte *Nigello*. Alias *Adel* regnum. Item urbs Maſſilienſium. *Steph.*

AZANIAS, viri nomen. Nehem. *c.* 10. *v.* 9. Latinè *aures*: vel *arma Domini.*

AZANIUM, mare quod inter Æthiopiam & Indiam citeriorem ſitum eſt, *Archipelago de Maldivar* hodiè, teſte *Barro*. Pars eſt Oceani Æthiopici in ora Orientali Africæ, inter Aromata promontorium, & Magadoxum urbem, in littore Azaniæ regionis. Gall. *la coſte d'Ajan*. longè ab Archipelago Maldivarum, multis *Mer de Zanguebar*, dictum. *Baudrand.*

AZANIUS fons, cujus aquam guſtantibus tantum vini tædium ſupervenit, ut odor quidem ejus perferatur. *Eudoxus.*

AZANOTH Thabor, civitas, terminus tribûs Nephthalim. Joſ. *c.* 19. *v.* 34. Latinè *aures conſtrictionis*, vel *conſtrictionis.*

AZAR, Dux Aragonum, cujus auſpiciis, jugum Saracenicum hi excuſſêre. Circa A. C. 785. P. Æmyl. *l.* 3. &c.

AZAR, Ægypti mons. *Ptol.*

AZARA, Armeniæ majoris urbs, juxta Araxem fluv. & templum Dianæ dicatum in Perſia. *Strab.* Item urbs Sarmatiæ Aſiaticæ. *Ptol.*

AZARABA, Sarmatiæ Aſiaticæ urbs. *Ptol.*

AZAREEL, nomen viri, 1 Chron. c. 12. *v.* 6. Latinè *adjutorium*, vel *atrium Dei.*

AZARIA, Propheta, Aſæ, poſt devictos Æthiopas, reduci obviam proceſſit, ut Deo pro victoria tam inſigni gratias ageret, hortatus. 2 Paral. *c.* 15. *v.* 1. 2. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 8. *c.* 6. Torniel. A. M. 3094. *n.* 1.

AZARIA, qui & Uzia XII. Judæorum Rex, regnavit ann. 52. Item filius Amaziæ Regis Judæ. 2 Reg. c. 14. *v.* 21. Latinè *auxilium* vel *atrium Domini.*

AZARIAS, Sacerdos Summus ſub Roboamo. Alter dictus *Iſsus*, ſub Joramo. Tertius, cognomine *Joel*, ſub Ozia. Alius ſub Jehojakimo & fratribus ejus.

AZARIAS, nomen ſuum immortale reddere volens, victus eſt cum Joſepho. *l.* 2. *c.* 5. Nomen quoque fuit unius ex tribus pueris Hebræis, juſſu Nebucadnezaris, in fornacem ardentem conjectis. Dan. *c.* 1. *v.* 6. & *c.* 3. *v.* 12.

AZARICAM, vel AZRICAM, nomen viri. Nehem. *c.* 11. *v.* 14. Latinè *auxilium reſurgentis*, vel *vindicantis*, vel *fortitudo vacua.*

AZARITHIA, fons Phrygiæ, qui *Epictetus* dicitur. Strab. *l.* 12. *Steph.* *Zarethram* vocat.

AZATHA, Armeniæ majoris oppid. *Ptol.*

AZATINES, Iconienſium Sultanorum ultimus, à Scythis pulſus, ad Michaëlem Palæologum profugit; ſed nec ipſe, nec frater ejus Melecus, recuperare potuit regnum, Nicephorus Gregoras *l.* 4. & 5. Diviſum igitur illud inter ſe Principes, è quibus Otman ſeu Osman, fundator fuit Portæ Ottomannicæ, *Idem* *ib.* *l.* 7. & Ducas *Hiſtor. Byzantinæ* c. 1. Vide infra *Oſman.*

AZAU, Hebraicè חזו i. e. *videns* vel *prophetans*, fil. Nachor ex Melcha. Gen. *c.* 22. *v.* 22.

AZAZ, pater Bala. 1 Paral. *c.* 5. *v.* 8. Latinè *fortis.*

AZAZEL, cujus mentio Levit. c. 16. *v.* 8. Juliano Apoſtatæ, Hebræis, Valentinianis & Magis, dæmon eſt. Unde Julianus ex hoc loco Moſis conatus probare eſt, ſcripſiſſe hunc virùm Ἀποπομπαῖον, i. e. *de Diis Averruncis*, à Cyrillo doctè refutatus *in Julian.* *l.* 9. Hebræi unum ex quatuor Dæmonum antesignanis *Azazelem* facientes, hôc die (quò nempe Feſtum Propitiationis, de quo ſermo Levit. agebatur) Satanam nihil poſſe atque inde eſſe, ajunt, quòd literæ numericæ nominis השטן, i. e. *Satanæ*, valent CCCLXIV. quia per anni dies totidem imperium ſuum in homines exerceat, nec ullus excipiatur, niſi dies modò dictus. De Valentinianis vetus Poëtæ Chriſtiani carmina, in Marcum, Valentini diſcipulum, qui diſcipulos ſuos videbatur per præſtigias illudere, apud Irenæum, citatum Epiphanio *Hær.* 34. ſic habent:

Εἰδωλοποιὲ Μάρκε ϗ τερατοσκόπε,
Ἀστρολογικῆς ἔμπειρε ϗ μαγικῆς τέχνης,
Δι' ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ δόγματα,
Σημεῖα δεικνὺς τοῖς ὑπὸ σοῦ πλανωμένοις,
Ἀποστατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα.
Ἃ σοι χορηγεῖ σὸς πατὴρ Σατὰν ἀεὶ,
Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως Ἀζαζὴλ ποιεῖν.

Idola fingens Marce, monſtrorum artifex,
Fraudiſque gnare Magicæ & aſtrorum ſciens,
Erroris unde dogma peſtiferum ſtruis,
Portenta cæca ficta dum turbæ exhibes,
Per te rebellis qualia exequitur manus,
Hæc tu illa Satana fretus auxilio patris
Azazelique mirà deſignas ope.

Quin hodieque in Mago um libris *Azazel*, inter Dæmones, qui elementis præſunt. Sed hæc commenta, præter Cyrillum prædictum, *Theodoretus*, *Iſychius* & *Procopius* meritò rejiciunt. Arabibus *Azazel* montis nomen eſt, & *Aben-Ezra*, qui eum monti Sinai admovet. Sed non video vetus male, per tot interjectas ſolitudines, quotannis hircum ab urbe Hieroſolymitana deduxiſſe. Adde, quòd in regione toties peragrata & tam accuratè deſcripta, nemo eſt, qui montis hujus meminerit. Non pauci *Azazelem* volunt fuiſſe hircum ipſum emiſſarium, adeoque verba Moſis ſic reddunt: *Aaron ſortes jaciet ſuper duos hircos, ſortem unam Domino*, i. e. in hircum Domino mactandum; *& alteram ad Azazelem*, h. e. in hircum in deſertum abiturum & dimittendum. Sed tum falsâ vocis originatione nititur hæc interpretatio, tum verba Moſis nimium implicata reddit. Prout Bocharto, eſt *hircus* ſervatus εἰς τὸν ἀποπομπαῖον, quod ſignificat voce לעזאזל ex Arabica lingua prolata. Nempe hircorum unus Deo ſervandus erat, ut ſuper Altare mactatus *illi eſſet in cibum*, quod de victimis legitur Levit. *c.* 21. *v.* 6. alter *ad azazel*, i. e. ut in locum deſerti remotum & ſeparatum deduceretur. Uterque horum Deo conſecratus erat, unde eſt, quòd uterque coram illo ſtatuebatur, tamen in Dei ſortem cedere videbatur magis ſpeciali jure, qui ſuper Altari mactabatur. quia victimæ in illius honorem immolatæ Hebræâ phraſi *Dei cibus* vocantur, ut vidimus. Huic opponebatur alter hircus לעזאזל, i. e. εἰς χωρισμὸν, vel εἰς ἀποπομπὴν, *i. e. hircus ad id deſtinatus, ut ad loca remota deductus, a grege ſepararetur.* Porro, ut hirci, ita & ſortes oportuit eſſe pares, ne ab extrinſecus intuentibus dignoſcerentur: quas ligneas olim, ſed ſecundò Templò aureas fuiſſe, ſcribit *Maimonides*; qui etiam addit urnam, in qua ſortes hæ repoſitæ, ad Orientem Atrii & Aquilonem Altaris fuiſſe ſitam, eâque motâ, ſortes in Sacerdotis manus incidiſſe, juxta nomen duorum hircorum: Et ſi Dei ſors in manum dexteram incidiſſet, dixiſſe Saganem, qui à dextris adſtabat, *Domine mi, magne Sacerdos, tolle dexteram tuam*; ſin in ſiniſtram, dixiſſe Principem Domûs Patrum, *Domine mi, magne Sacerdos, tolle ſiniſtram tuam*, ſicque Sacerdotem dexteram ſortem hirco dextero & ſiniſtram ſiniſtro impoſuiſſe. Poſtmodum hircus, in quem ecciderat ſors *ad azazel*, ſiſtebatur vivus coram Domino, *v.* 10. ut per eum fieret propitiatio & dimitteretur *ad azazel*, h. e. *ad loca remota*, in deſertum. Apud Rambam *Sacerdos ligabat linguam coccineam* (h. e. panni fruſtum in linguæ formam coccò tinctum) *ponderis duorum ſiclorum in capite hirci emiſſarii, & eum dirigebat verſùs locum, in quem erat dimittendus.* Quam linguam olim alligabant ad oſtium porticus exterioris aut etiam interioris: & ſi cùm exalbeſcebat, quod paſſim contigiſſe referunt, id pro fauſto omine habebant; inde ſcil. conjectabant, remiſſa ſibi eſſe peccata, juxta *Eſaj.* *c.* 1. *v.* 18. Vide Gemaram in *Joma* 5. 6. Deſiiſſe verò id obſervata 40. annis ante Templi excidium, iidem Talmudiſtæ ſcribunt in *Joma* 5. 4. Nempe cum Chriſtus paſſus eſt, morteque illius legalibus ſacrificiis omnis vis adempta, lumen cognitionis eo in genere extinctum, nec Templum ſolùm, ſed & cœlum hactenus clauſum, gentibus tum demum patere cœpit, &c. Deducebatur autem hircus emiſſarius, poſtquam ei *Sacerdos manum impoſuiſſet, & confeſſus ſuper eum eſſet omnes iniquitates filiorum Iſraelis*, *v.* 20. 21. 22. *per manum viri* ad id parati in locum, quem Moſes מדבר *deſertum*, & עזאזל *azazel*, i. e. *ſeceſſum* vocat; ubi non deturbabatur in præceps, aut ventorum turbine abripiebatur, ut Hebræi nugantur, ſed ſimpliciter *dimittebatur*, *v.* 26. quomodo ſcil. ſacra quædam animalia, quæ Græci ἄφετα vocabant, quòd in Dei alicujus honorem libera dimitterentur. Cœl. Rhodig. *l.* 7. *in fin.* ejuſdem ritûs veſtigia trans Euphratem obſervat, *ubi paſcebantur*, inquit, *boves Dianæ Perſicæ ſacræ, nulli cuſtode, & ἄφετοι, Deæ charagmate inſignes.* Et Sueton. *in Julio c.* 81. memorat, equorum greges, quos in *trajiciendo Rubicone flumini conſecraverat* (Cæſar) *ac vagos & ſine cuſtode dimiſerat.* Sic Arabes in Ethniciſmo, i. e. antequam impoſito Mahumeti nomen dediſſent, quædam jumenta & pecora, puta camelos fœminas, oves & capras Diis ſuis ſimili ratione devoviſſe leguntur: Dicebant autem iſtiuſmodi pecudem *Saibah*, i. e. ἄφετον & aurem ejus findebant, ut hâc notâ dignoſceretur, unde & *bahirah* eam vocabant: quemadmodum & *ſarba*, quod libera erat à mulctura & lac in mammis retinebat. Nec omittendum, videri Græcos ad hunc Hebræorum ritum alluſiſſe, cum ad capras ſylveſtres imminentia mala amandabant. Vide *Heſychium*, *Suidam*, & ex utroque Eraſmum in *Prov.* Κατ' αἶγας ἀγρίας, *In capras feras*; & plura hanc in rem, imprimis de collatione duorum hircorum, quorum unus mactandus erat, in Feſto Propitiationis, alter in deſertum emittendus; cum duobus paſſeribus, Levit. *c.* 14. *v.* 4. 49. quorum uno jugulatò, alter liber in agro volatus permittebatur: ac utriuſque hujus Typi, cum *Servatoris* noſtri *morte ac reſurrectione*, analogia, apud Sam. Bochart. *Hieroz. Part.* 1. *l.* 2. *c.* 54. *totò*, ut & infrà, ubi de *Expiationis Feſto*, it. ubi de *Hirco Emiſſario.*

AZAZENI, populi, à quibus deletis *Azazenici* cognomen retulit Alex. Severus Imperator.

AZAZIAS, Latinè *fortitudo Domini*, nomen viri. 2. Paral. *c.* 31. *v.* 13.

AZBAI, nomen viri. 1. Paral. *c.* 11. *v.* 37. Latinè *Hyſſopus mea.*

AZBOC, viri proprium. Nehem. *c.* 3. *v.* 16. Latinè *hircus*, vel *fortitudo vacuitatis*, aut *diſſipatio.*

AZECA, civitas Amorrhæorum, quæ ſorte ceſſit tribui Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 35. Inter Eleutheropolim & Æliam ſita, teſte B. Hieronymò. Hic Deus grandine & lapidibus Gentes perdidit. Joſ. *c.* 10. *v.* 11. Ibi Peliſchtæi caſtra contra Iſraëlem poſuerunt. 1. Sam *c.* 17. *v.* 1. Hanc reparavit Roboam Rex Judæ. 2. Paral. *c.* 11. *v.* 9. & Rex Babylonis eam debellavit, Jerem. *c.* 34. *v.* 7. Latinè *fortitudo* ſive *ſepta.*

AZEI, & AZEOTÆ, populi Troadis. Ἀζεῶται. *Steph.*

AZELMICUS, Tyri Rex, ſub quo Tyrus continenti adjecta eſt. Arrian. *l.* 2. *p.* 48. 49.

AZEMBLARIUS, vel AZEMULARIUS, vide infrà *Superazemulatius.*

AZENIA, pars tribûs Hippothoontidis, in Attica. *Steph.* Hinc oriundus erat Olus Pontius Nymphodorus, Coſmetes Ephebornum, de qua dignitate vide *Marmora Oxonienſia*, p. 84. & 85. Floruit autem is Cajo Juliò Caſſiò Archonte, ut apparet ex pulcherrima *Inſcriptione* marmoris haud pridem Athenis in Angliam allati, quod baſis erat ſtatuæ, à Pollino quodam in Nymphodori hujus honorem extructæ erectæque. Illutum ſic habet,

ΕΙΚΟΝΑ ΤΗΝ ΔΕ ΠΟΘΕΙΝΟΣ ΕΝ ΕΦΗΒΟΙΣΙ ΠΑΛΑΙΣΤΡΑ
ΤΕΥΞΑΣ ΚΟΣΜΗΤΟΥ ΘΗΚΑΤΟ ΝΥΜΦΟΔΟΤΟΥ
ΚΑΙ ΤΗΣ ΓΑΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ ΚΑΣΙΟΥ ΣΤΕΙΡΙΕΩΣ ΑΡΧΗΣ
ΚΟΣΜΗΤΗΣ ΕΦΗΒΩΝ
ΩΛΟΣ ΠΟΝΤΙΟΣ ΝΥΜΦΟΔΟΤΟΣ ΑΖΗΝΙΕΥΣ
ΚΑΙ ΥΠΟΚΟΣΜΗΤΑΙ.

Cætera vide apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ p. 76.* qui ex eadem *Inſcr.* docet, Coſmetas hos ſeu Gymnaſiarchas menſtruos ſolùm fuiſſe, & à Boëdromione menſe auſpicia regiminis Scholaſtici duci conſueviſſe *p. ſeqq.*

AZER, nomen viri. Nehem. *c.* 3. *v.* 19. i. e. *atrium*, vel *auxilium*, *ſons excecitus*, vel *fortitudo ſolemitatis*.

AZER, una ex 12. Tribubus Iſraël, verſus Syriam & mare Syriacum. Cui ab Oriente tribus Nephthalim, & à Meridie tribus Zabulon. Alii Aſer.

AZERA, urbs Armeniæ majoris prope Arſaniam fluv. ab Arthemita 40. mill. paſſ. in Occaſum.

AZETENE, Armeniæ majoris regio. *Ptol.*

AZEVEDO, nomen familiæ illuſtris, quæ, è Luſitania orta, in Caſtellam tranſiit. In ea Didacus, Franciſcam *de Zuniga*, *Ulloa & Viedma* Comitem de *Monterey* duxit, ſicque Comites reliquos de *Monterey*, nominis de *Azevedo & Zuniga*, progenuit. Fuit autem is Didacus fil. Alfonſi *de Fonſeca & Azebedo*; Pater verò Alfonſi *de Azebedo & Zuniga*, *Comit. de Monterrey* qui ex Maria Pimentella genuit Hieronymum, maritum Agnetis *de Velaſco & Tobar*, quibus natus eſt Caſparus Prorex Mexici, cui ex Agnete *de Velaſco & Aragon*, ſunt geniti, Hieronymus, Emanuel Comes de *Futures* (cui uxor obtigit Leonora Maria filia Henrici Guſmanni Comitis Olivarii) Agnes (uxor Caſpari Guſmanni Ducis & Comitis Olivarii) Maria & Catharina Moniales, qui hôc ſeculô floruêre. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Europ. Part.* 2.

AZGAD, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 1.

AZICIS, Marmaricæ vicus. *Ptol.*

AZIEL, nomen viri. 1 Paral. *c.* 4. *v.* 35.

AZIJA, nomen viri. Nehem. *c.* 11. *v.* 13. Latinè *fortitudo*, ſive *heroes Domini*.

AZILIA, oppid. Epiri, in Acarnania regione *Natabeo* hodie. *Brietius*.

AZILIS, vel AZIRIS, vel AZIRUS locus, urbs, vel fluv. Lybiæ. *Steph.* Callimachus *Hymn. in Apollinem*:

—— —— Ηυκνάδι ꝺ ναπαις Ἄζιλιν ἔναιον.

Ubi *Scholiaſt.* Ἄζιλις τόπος ἢ πολίχνιον Λιβύης. *Herodot.* urbem in Continente fuiſſe refert, quam Cyrenæi tenuerunt.

AZILIUM Manium, oppid. Galliæ in Occitania, & Faxenſi Comitatu ad Riſum amnem, inter Fuxium & Cives.

AZIMA, Hamathitarum olim Deus. Georg. Hornius *Hiſtor. Eccl. Vet. Teſtam. Period.* III. *Artic.* I. de Samaritanis, ubi initium Geneſeos apud illos ſic habere, *In principio creavit Deus Azima*, à Judæis odiô illorum confictum eſſe docet.

AZIRIS, Armeniæ majoris oppid. *Ptol.* *Arzeban Nigro* dicitur. longitud. 72. 00. latitud. 42. 50. Quibuſdam Theodoſiopolis, nunc *Arſingan*, ab Amaſia diſtat 190. mill. paſſ. in Ortum, ab Amida 250. mill. paſſ. in Boream ſub dominio Turcico in Anatolia, & confinio Turcomanniæ. *Baudrand*. Vide & hic infià.

AZIRISTUS, Græcè Ἀζίριστος, (vel Ἄζιρις) apud Herodot. *l.* 4. *c.* 156. locus Libyæ, amœniſſimis collibus incluſus, quem Battus I. poſt urbem in Platea inſul. Libyæ adjacente ſtructam, ſex annis incoluit, antequam Cyrenas conderet. Ηυκνάδι νάπαις vocat Callimachus *Hymno in Apollinem*, h. e. *umbroſam*, interprete Marſhamô *Canone Chron. Sec.* XVII. Vide & Cyr & *Iraſa*.

AZIZA, nomen viri. Eſdr. *c.* 10. *v.* 27. Latinè *fortitudo*, vel *fortis*.

AZIZUS, Mars. Julianus *orat. de Sole.* Ἄρης Ἄζιζος ἀγρόμενος ὑπὸ τῶν οἰκούντων Ἔδεσσαν Σύρων ... Nomen ex à robore. Syris enim & Arabibus עזיז *aziz*, unde Ἄζιζος, *fortem & robuſtum* ſonat. Vide & *Hazaël*.

AZMAVETH, nomen viri. 2 Sam. *c.* 23. *v.* 31. qui 1 Paral. *c.* 11. *v.* 33. *Azmot* vocatur, i. e. *fortis mors*, ſive *hircus*, aut *fortitudo mortis*.

AZMORA, Armeniæ minoris circa Cataoniam caſtellum. *Strab.*

AZMOTH, fil. Joada. 1 Paral. *c.* 8. *v.* 36. Fil. item Jore. 1 Paral. *c.* 9. *v.* 42.

AZNAR, vel AZNER, nepos Odonis, Comitis Aquitaniæ, ſervit Inigo Garziæ, Navarræ Regi contra Mauros, tantumque apud ipſum valuit, ut, quidquid terrarum inter duos fluvios interjacebat, obtineret; ſub Aragoniæ nomine, Comitis titulô. Præfuit, ann. 15. Galindâ fil. ſucceſſore relictô. Garibay, *l.* 9. *c.* 1 & 5.

AZO, Ateſtinus ſeu Eſtenſis, Ferrariæ Ducum, & hodiernorum Principum Mutinenſium, conditor. Secundùm quoſdam Hugonis M. Tuſciæ fil. Sigfridi vel Alberti aut Otfridi M. Tuſciæ nepos, Hugonis Regis Italiæ pronepos, Lotharii III. Comitis Provinciæ abnepos, Lotharii II. Regis Auſtraſiæ atnepos, Lotharii I. Imperatoris trinepos, & ita è Caroli M. ſanguine, fuit: Aliis à Cajo Actio, vide ſuprà in *Actius* Cajus, ejus originem, aliis aliunde arceſſentibus: ut infrà dicetur. Is ductâ Cunigunde, ſorore Welfi III. aliis IV. in quo prior familia Welſica deſiit, Welficum nomen & jus in ſuam generem intulit. Familiam ejus nonnulli à quodam Cajo Actio derivant, ut dictum, qui ex Romanis cives Ateſtinus fuerit, circa A. C. 390. è cujus poſteris Foreſtum, Aquilejæ adverſus Attilam defenſorem: Acharium vel Fl. Actium, Severem adverſus Alanos Equitum Magiſtrum, Ferrariæ conditorem: Marcellum, Valentiniani III. contra Vandalos Ducem, Sabinianum, Illyrici Præfectum aliosque enumerant. Alii, quamvis Actiam ſtirpem, è Romanorum reliquiis, Ateſte egiſſe non negent, eam tamen in Cajo tempore Bonifacio ac ejus filio Valeriano, qui prælio Langobardorum in Francos occiderit, A. C. 590. defeciſſe, aliamque ſucceſſiſſe arbitrantur, argumentô nominum, quæ à Valeriano illo ad *Azonem* uſque Germanicæ originis, uſi. Sunt & qui hunc, Hugonis Marchionis Tuſciæ filium, Sigfridi vel Alberti aut Otfridi M. Tuſciæ nepotem, Hugonis Italiæ Regis pronepotem, Lotharii III. Comitis Provinciæ abnepotem atque ulteriùs ex Caroli M. ſanguine oriundum, aſſerunt. Quorum quidquid ſit, *Azonis* conſanguineos in Italia, obſcuræ conditionis nequaquam fuêre; Gonzagas, à quibus, præter Mantuæ Duces, multi alii illuſtres in Italia, ejuſdem fuiſſe originis, adſeverant aliqui: Certiùs ex eadem proſapia deducuntur Theobaldus, & filius Bonifacius, Regii Lepidi, Parmæ, Lucæ, Ferrariæ & Mantuæ Marchiones: quorum hic filiam Mathildem habuit, quæ ter nupta, ſed ſterilis, inſigni munere ſedem Pontificiam locupletavit, quod *Patrimonium Petri* appellatur, vide de hac donatione Conringium *de fin. Imp. Germ. c.* 10. Ipſe *Azo* I. ſecutus in Germaniam Conradum II. & Henricum III. Augg. ibi Cunigundam, Guelforum principum, uti diximus, hæredem, & poſt illam, ſecundum aliquos, Iſabellam Montisferratenſem, ſed ſterilem, ac demum Judicharo Conradi II. Imperatoris filiam duxit, extinctus A. C. 1081. Ex hac (ſunt qui etiam Cunigundam matrem fuiſſe volunt) genitus *Azo* II. Eſtenſis ſeu Ateſtinus Marchio, à quo longâ ſerie reliqui Marchiones, qui, præter Ateſten, Genuam, Mediolanum, Anconam, Veronam, Ferrariam, Mantuam, Mutinam, Regium & alia diverſis temporibus tenuerunt, deſcendunt. E quibus Hercules I. Dux Ferrariæ creatus, novô titulô domum auxit, quæ duravit uſque ad pronepotem ejus Alfonſum II. quô A. C. 1597. ſine maſculis hæredibus extinctô, ſucceſſionem prætendit ſibi deberi, ejuſdem Alfonſi patruelis Cæſar Ateſtinus. Sed quòd hujus pater ex fœminæ vilis contubernio, ab Alfonſo I. ſuſceptus diceretur, à Pontifice eâ excluſus, Imperialia tantùm feuda, Mutinæ, Regii Lepidi & Carporum, obtinuit, vide Thuan. *l.* 119. & ab hoc moderni Ateſtini ac Mutinæ Duces derivantur, vide quoque ſuprà in voce *Ateſtina*, & alibi paſſim. Alter ex primo matrimonio *Azonis* filius natus eſt Welfus cognomine *Robuſtus*, avunculi hæres, Altorfii Comes & ex eo Henrici IV. Imperatoris beneficiô, Dux Bavariæ, A. C. 1071. A quo poſteriores Welfi, & hodierni Duces Brunſuicenſes orti ſunt. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Fam. Guelfica*, & hic in *Ateſte* & *Mutina*.

AZO, JCtus nobilis, Bononiâ oriundus, Seculô 12. Obiit An. 1200. Baldus ejus elogium ſcripſit. Genebr. *Chron.* In patria primùm interpretari Jus cœpit; unde cùm propter æmulorum invidiam ad Montiſpeſſulanam ſcholam profectus eſſet, ibique aliquamdiu magna cum laude docuiſſet, tandem domum revocatus, magnam & docendo & ſcribendo nomini ſuo famam memoriamque conciliavit. Scripſit *Codicis Summam*, quâ totius Juris Civilis epitomen complexus eſt; Item, *Magnum apparatum ſuper Digeſto veteri*: Hodieque ejus in Scholis Foroque ingens auctoritas eſt. Hotomannus in *Prætermiſſis*, laudatus Johanni Calvino in *Lexico Jurid.*

AZOCHIS, urbs circa Meſopotamiam. Plin. *l.* 6. *c.* 26.

AZON, vide *Azo*.

AZONAX, vir, à quo in magicis inſtructus eſt Zoroaſter. Plin. *l.* 30. *c.* 1.

AZONES, populi Aſſyriæ, ubi Thannuris mons, prope Licum fluv.

AZOR, fil. Eliacim, inter progenitores Jeſu Chriſti, Matth. *c.* 1. *v.* 14. Latinè *adjutor*, vel *atrialium*.

AZORES, ſeu FLANDRICÆ, olim *Caſſiterides*. *Ptol.* vel *Caſſiterides* inſulæ, Plin. *l.* 4. *c.* 22. dictæ, ſeptem ſunt, S. Mariæ, S. Michaëlis, Tertiaria ſeu Tercera, Gratioſa, S. Gregorii, Pico, Fajal, quibus accedunt aliæ geminæ Florum & Corvi: quæ quidem à cæteris remotiores, & ob id piratis expoſitæ, olim inter Azores non numeratæ, hodie tamen eidem dominio Luſitanorum ſubſunt: ita & univerſæ jam novem ſtatuuntur, ſitæ in mari Atlantico. Solum ſaxoſum, at fertile, inprimis fructus *Batatas*, incolis in deliciis ſectæ. Boveshatum Inſulatum, magni in Europa nominis ſunt. Glaſti quoque hic vis ingens. *Azores* ab accipitribus ſeu niſis, qui primô inventionis tempore magnô ibi numerô videbantur, dicuntur. *Flandricæ* quoque nuncupantur à Flandris Belgis, qui primi inſulam Fajal incoluerunt, A. C. 1449. *Boter.* quorum adhuc certæ familiæ inibi illuſtres ſunt, Belgarum ingenium, mores & conſuetudinem apprimè repræſentantes, torrentique loco, quem incolunt, manet nomen Flandrorum, vulgò *Ribera de Flamencos* dicitur. Ejus caput eſt Tercera, in qua Angra, urbs præcipua & Epiſcopalis. *Merul.* Hollandis *de Vlaemſche Eylanden*, medio inter Europam & Americam ſitæ, à regione Portugalliæ. Deſcriptæ ſunt peculiariter à Lud. Terſera, cui adde Linſchotum *part.* 2. *c.* 6. *p.* 39. & Auctorem Anonymum *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* cui Veter. Caſſiterides ſunt Sullingæ, *the Sorlinges*, è regione Cornubiæ promontor. Liſſæi, inter inſulas minores Hiberniæ & M. Britanniæ adjacentes, vide in voce *Caſſiterides* vel *Cattiterides*.

AZORUS, urbs Pelagoniæ Tripolitidis. *Steph.*

AZOTUS, fuit Rex Emeſianorum, maritus Druſillæ, quæ filia Agrippæ ſenioris, Junioris verò ſoror Judæa religione. A Felice Procuratore Marito erepta Quam ob cauſam de caſtitate & judicio ultimo coram iis verba fecit, è vinculis, Apoſt. Paulus, Actor. *c.* 24. *v.* 25.

AZOTUS, *Stephano* Ἄζωτος, πόλις Παλαιστίνης, ... ἐκ τῶν ἐπανελθόντων ἀπ' Ἐρυθρᾶς θαλάσσης φυγάδων, ... Ἄζωτ (Ἄζον) ὀνομασθεῖσα, ὃ ἐστι χίμαιρα ... ubi *Φυγάδας* Phœnices intelligit, quos è mari Rubro veniſſe volunt. Sed hæc merè ſunt fabuloſa. Neque enim Phœniciæ fuit, ſed Philiſtæorum urbs Azotus. Capra quidem Phœnicibus עזא *aza* dici potuit, ut עז ex Hebræis. Sed in Hebraïca ſcriptura, עז ex *capra*, & אשדוד *Aſdod*, i. e. *Azotus* nihil quicquam habent ſimile. *Aſdod* autem propriè *robur* ſonat: vox eſt apud Arabas frequens; Inde Dei nomen שדי *ſaddai* Græci reddunt ... lon-

longitud. 65. 15. latitud. 32. 50. Primum à Joſua ſubjugata eſt, dein una quinque Satrapiarum Philiſtæarum fuit. Poſt Chriſtum Natum ibi Epiſcopalis ſedes. A Balduino Hieroſolymor. Rege A. C. 1101. capta; ſeqq. temporibus, cum Oriente Chriſtiani pellerentur, deſtructa eſt. Joſ. c. 11. v. 22. & c. 15. v. 46. 1. Sam. c. 6 v. 17 Actor. c. 8 v. 40. Gvil Tyr. *bell. Sacr. l.* 18. *Nic Lloydus* &c.

AZPILCUETA Martinus, vide *Martinum Azpilcueta.*

AZRIEL, nomen viri. 1. Paral. c. 12. v. 6. Latinè *atrium* ſive *adjutorium Dei.*

AZUA, oppid. Americæ Septentrional. in parte meridionali Inſulæ Hiſpaniolæ, ſeu S. Dominici, 24. leucis ab Urbe Dominicopoli, in Oceanum. Portu gaudet utcunque capaci.

AZUAGA, oppid. Hiſpaniæ in Extremadura provinc. 5. leucis à Regiana.

AZUBAH, mater Joſaphat. 1. Reg. c. 22. v. 43. Item uxor Caleb. 1. Paral. c. 2. v. 18.

AZUR, pater Ananiæ Prophetæ. Jerem c. 28. v. 1. Item pater Jechoniæ. Ezech. c. 11. v. 1.

AZURA, inſula maris Adriatici, in littore Dalmatiæ, è fronte Sibenici, in ditione Venetorum.

AZURITANUM, Africæ oppidum. Plin. *l.* 5. *c.* 4.

AZYLIA, Epiri oppidum. *Ptol.*

AZYMA, Hebr. מצות, cujus vocis origo non liquet. Docet tamen ea Arabiſmo, Bochartus, מצות propriè eſſe *puros & ſinceros panes & ab omni fermento expurgatos*, quod corruptionis eſſe genus voluerunt multi Veteres. Hinc Hieronym. 1. *Corinth.* c. 5. v 6. & rurſus *Galat.* c. 5. v. 9. *Modicum fermentum*, inquit, *totam maſſam corrumpit*: ubi Græcè eſt ζυμοῖ, *fermentat.* Et Plut. in *Queſtion. Rom.* vult fermenti uſum Flamini Diali fuiſſe prohibitum; quia ἡ ζύμη καὶ γέγονεν ἐκ φθορᾶς αὐτὴ καὶ φθείρει τὸ φύραμα μιγνυμένη, *fermentum, cùm ipſum ſit ex corruptione natum, maſſa admixtum illam corrumpit.* Et paulo pòſt, καὶ ὅλως ἔοικεν ἡ ζύμωσις σῆψις εἶναι, *atque omnino fermentatio videtur eſſe putrefactio. Sincerus* igitur jure vocatur *panis*, cui nihil eſt fermenti admixtum. Quo alludere videtur Paulus 1 Corinth. c. 5. v. 8. ubi feſtum nos celebrare jubet ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας, *in azymis ſinceritatis.* Fuiſſe hunc panem Judæis perpetuum, putavit Tacitus, *l.* 5. *Hiſtor.* c. 4. Sed Lex illius uſum non præſcribit ultra ſeptiduum, cujus initium veſperâ diei decimi quarti, finis veſperâ diei vigeſimi primi menſis Niſan. Quo, ſi Judæis credimus, ſeptem quidem illis diebus veſci fermentatò pane fuit nefas, ſed azymum edere, non niſi primò neceſſarium, ſed reliquis liberum. Itaque pro *Azymis* per ſex alios dies *oryzam* edere licuit, aut *panicum*, aut *fruges toſtas*, aut *fructum*, ut ex *Maimonide & Selomone* probat Petavius in *Epiphan.* ad *Audianorum Hær.* p. 295. Semel verò *Azymos* panes per totum menſem comederunt Iſraëlitæ, nempe in exitu ex Ægypto, à die 15. primi menſis uſque ad 15. & 16. menſis ſeq. quibus Deus illis largitus eſt mannam & coturnices, Exod. c. 16. v. 1. 13. &c. Sed neceſſitate id factum, quia in deſerto nihil illis fuit, unde ſe totô illô menſe ſuſtentarent, præter φύραμα, quod ex Ægypto infermentatum attulerant, Exod. c. 12. v. 39. Quod autem illô annò neceſſitate factum, id ſequentibus repetierunt, ut Legi obſequerentur, in qua Deus ſeptem dies *azymos* indixiſſe contentus, illis hôc ſignô quotannis refricare voluit memoriam præſtitæ ex Ægypto liberationis. Et quidem è ſeptem his diebus cùm medii quinque fuerint ἐργάσιμοι, primum & ultimum pro feſtis haberi voluit Deus; quia, ut primò ex tam dura libertate in ſervitutem fuerant aſſerti, ita ſeptimò Pharaonem cum omnibus copiis ſuis mare Erythræum abſorpſerat. Proinde, maximi momenti illa Lex & ad ejus obſervationem omnes præciſè adſtricti fuerunt; vetitumque per illos dies non ſolùm fermentum comedere, ſed & domi habere, idque ſub pœna exciſionis ex Iſraële: quâ etiam tenebatur, qui Circumciſionem neglexiſſet; par namque Sacramenti utriuſque, Paſchatis ac Circumciſionis ratio. Ab hac tamen pœna Maimonides excipit hominum duo genera. 1. eos, qui *per errorem*; 2. eos, qui *minus quàm quantum olivam*, ex fermentato pane comederant: quorum illis imponit ſacrificium offerri ſolitum, pro delicto per errorem commiſſo; hos autem cædi vult *plagâ rebellionis*, vide eum de *Ferm. & Azym.* c. 1. *ſect.* 1. & 7. Suidas in voce Ζύμη, ab hora 6. decimi quarti diei menſis, σύνθημα τοῦ πολέμου, *ſigno tubâ datô*, omnem panem fermentatum, ſi quis apud Hebræos fuiſſet reliquus, igne cremari & penitus abſumi ſolitum fuiſſe, ſcribit, &c. Plura hanc in rem vide apud Sam Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 50. ut & infrà paſſim, inprimis ubi de *Fermento & Paſchate*, aliquid *etiam ubi* de *Protopaſchitis.*

AZYMITÆ, nomen quod Græci per ludibrium Romanis imponebant, undecimò ſeculò quaſi *Azymorum cultores*; quòd in cœna Domini azymis panibus utebantur, non fermentatis. Leo *ep. ad Mich. Patriarch.* c. 20. *Conc. tom.* 3. *Quapropter a tanta amentia jam reſipiſcite, & Latinos verè Catholicos, atque maximè Petri familiares diſcipulos, inſtitutionis ejus devotiores ſectatores, ceſſate ſubſannando* Azymitas *vocare.* Sigebertus in A. C. 1054. *Latinos* (Græci) *vocabant Azymitas, & eos minùs perſequentes, eorum Eccleſias claudebant, de fermentato ſacrificabant.* Hinc Ἀζυμῖται ἱερεῖς, Latini Sacerdotes, Johanni Epiſcopo Citri in *Reſponſis ad Cabaſilam.* Sed & *Azymitæ* dicti ſunt populi quidam, qui Sultanis ac Saracenis parebant, cùm Franci Syriam invaſerunt, quanquam, nomenne gentis an ſectæ, incertum. Publicanis enim vulgò adjunguntur, quos eoſdem fuiſſe cum Manichæis conſtat. Robertus Monach. *Hiſtor. Hieroſol. l.* 6. *Perſæ & Medi, Arabes & Turci*, Azymitæ & *Saraceni, Curdi & Publicani & diverſarum nationum alii multi.* Simeon Dunelm. *Hiſt. Angl. Turcos, Arabes, Saracenos, Publicanos*, Azymitas; *Perſas, Agulanos & alias multas gentes*, commemorat. Sic Baldricus *l.* 2. *p.* 109. Guibertus *l.* 5. *c.* 8. aliique *Rerum Hieroſolymitanarum* Scriptores. Imo & ſuâ ætate *Azimorum* ſeu *Azimitarum dominum* Soldanum inſcribit Sanutus p 8 *Soldano Araborum, Azimorum & Turcorum*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* &c.

AZYMORUM Feſtum, unum ex tribus anniverſariis ac præcipuis Judæorum Feſtis, unà cum Paſchate incipiebat, & per totam Judæam (non Hieroſolymis tantùm, ut Paſcha) celebrabatur. Conſiſtebat autem, præter agnum Paſchalem, tum in peculiaris ſacrificii, tum in manipuli frugum oblatione, qui XVI menſis, qui dies ſeptimanæ primus erat, in typum reſurrectionis Chriſti, offerri debebat. Hic enim, tanquam primitiæ noſtræ, hôc ipsô die à mortuis reſurrexit, factus ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, 1 Corinth. c. 15. v. 20. Vide Levit. c. 23. v. 6. 7 8. Numer. c. 28. v. 19. & Levit. c. 23 v 10. 11. Franc. Burmann. *de Tribus Judæorum Feſtis Anniverſar.* & ſuprà.

AZZI, nomen Viri, Nehem. c. 11. v. 22.

B.

B. Litera muta eſt, diverſimodè pronuntiatur, pro gentium linguarumque varietate. Ab Hiſpanis & Vaſconibus ſic effertur, ut via labia tangantur, quod plurimæ gentes imitari ſolent: ita ut ſonos quidam inter B. & V. conſonantem medium audiatur. Ægyptii, quibus literas ſuas animalium figuris notare ſolemne, per Ovem; conſonantem hanc B. quam etiam balatu ſuô exprimit, expræſentant. Pierius in *Hieroglyph. l.* 47. *c.* 28. In notis antiquorum *Brutus*, vel *Balbus*, vel *bonus*, vel *bene*, &c. B. A. *bonam actionem*, vel *bona auſpicia*, vel *bonis avibus*, vel *bona amabilis*, &c. B. C. *bonorum conceſſum.* B. F. in præfationibus Senatusconſultorum *Bonum factum*, Sueton. *Jul. Caſ.* c. 80. ſicut nos in nomine Dei noſtra negotia auſpicamus, denotat. Vide quoque infrà voce *Mancipia.* In Achate ingenti in carcheſium exciſô, quô Imperatoris theſaurus ſuperbit, Inſcriptionem hanc B. XPICTOC. ſponte naturæ, conſpici, tradit Car. Patinus, αὐτόπτης, qui illud B. βασιλεὺς interpretatur, *Relation. Hiſtor.* 1. Conſtantinopolitani Imperii vel, ut alii, urbis Conſtantinopoleos, inſigne olim Crux fuit igniariis quatuor (ut Heraldiſtæ vocant) vel literâ B. quater repetitâ, omni ex parte ſtipata, quos denotare titulum olim Imperatorum Græcorum, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΒΑΣΙΛΕΥΩΝ ΒΑΣΙΛΕΥΣΙ. docet Brianvill. *Jeu d'armes p.* 90. Vide quoque Hœping. *de Jure Inſignium c.* 6. *num.* 1195. Atque hanc appellationem, unà cum Imperio ad Turcarum Imperatores, qui ſe omnium *ter Maximos* hinc vocitare conſueverunt, propagatam eſſe, ait Keuchenius *ad Miltiadem Nepotis c.* 7. Ne tamen id vanitati Imperatorum Græcorum attribuas, credit præfatus Brianville hôc elogiô illos Jeſum Chriſtum, cui ſoli hic titulus jure debetur, 1. Timoth. c. 6. v. 15. & Apocalypſ. c. 17. v. 14. ac c. 19. v. 16. venerari voluiſſe. Interim non minora vaniſſimæ ambitionis indicia in Imperatorib. ejus ævi deprehendas, infrà voce *Numen it. Sanctiſſimus.* Occurrit hodieque crux illa Conſtantinopolitana & B. repetitum, ut diximus, in Scuto Mantuæ Ducis, ex Montisferratenſium Marchionum qui ex Palæologis oriundi, inſignibus, illuc tranſlatum, qua de re vide Phil. Jac. Spenerum *Artis Herald. Parte ſpeciali p.* 135. & 136.

BAAL, Aſſyriis Jovis nomen, *Nic. Lloydus* renitente Genebr. in *Chron.* qui Orientalibus populis ante Alexandrum Magnum Jovis Saturnique nomina ignota fuiſſe notat, *l.* 1. *Meter.* quod quàm vero conſonum, ex ſequentib. liquebit. Punicè *Dominum* ſignificat, inquit *Auguſtin.* Unde *Baal ſemen*, quaſi *Dominum cæli*, dicunt. Fuit autem idolum Samaritanorum & Moabitarum: Græci Martem putant Numer. c. 22. v. 41. quod Gideon deſtruxit. Judic. c. 6. v. 25. Eſt & nomen loci. 1. Paral. c. 5. v. 23. Filius item Joël, ut & Jahiel. 1. Paral. c. 9. v. 35. Sæpe occurrunt (inquit Seldenus *Syntagm.* 2. *de Diis Syris. c.* 1.) in ſacris literis *Baal* & *Belus*, variis Diis nomina communia, & numerò ſecundò *Baalim.* Cæterùm Chaldæis ſeu Babyloniis propria erat vox *Bel*, Phœniciis, & adjacentibus *Baal.* Utrumque ab Ebræo בעל *Baal*, i. e. *Dominus*, à quo excidente literâ ע juxta morem Chaldaicum fit בל *Bel*, cujus mentio eiſdem elementis, apud Eſaj. c. 46. v. 1. & Hierem. c. 50. v. 2. & c. 51. v. 44. Phœniciis autem, Ebraicè locutis *Baal* cum *Ain* retinebatur. Diſcrimen iſtud à Græcis & Latinis minùs obſervatum. Utrique enim indiſtinctè tam Phœnicium ſeu Tyrium numen, quàm *Babylonicum*, plerumque *Belum* vocant, orientalium dialectorum haud curioſi. Ei qui Flavio Joſepho nunc Βὴλ, mox Βαὰλ dicitur: Conſulas eum *Orig. Judaic. l.* 8 *c.* 7. & *l.* 9. *c.* 6. De Phœniciorum Deo verba facit: Sed mirum eſt, quod de *Baalis* ſignificatione, ſive Aſſyriacâ ſive Perſicâ, legitur tum apud Chronici Alexandrini autorem, tum apud Cedrenum. Hic de Thuro Nini Regis ſucceſſore loquens: Τοῦτον τῷ Ἄρει (nam *Martem* eum etiam nuncupatum ſcribit) στήλην ἀνέστησαν οἱ Ἀσσύριοι καὶ ὡς Θεὸν προσκυνοῦσι, Βαὰλ ὀνομάζοντες, ὃ ἑρμηνεύεται Ἄρης, πολέμων Θεός. Tantundem eiſdem pæne ſyllabis tradit alter ille p. 88. ſed vocem Perſicam eſſe dicit: Numen autem idem eſſe ipſum, quod in Daniele memoratur, & in trium Puerorum Hiſtoria. Sed nominis interpretatio Græculorum commentum eſt. Eô primùm fuiſſe ſummum & ineffabilem omnium rerum creatorem deſignatum meritò ſentias. Et quàm convenire potuerit τὸ *Baal* nomen Deo Vero, caput ſecundum Hoſeæ ſatis demonſtrat, *com.* 16. *Et erit in die illa, dicit Dominus, vocabis me Iſhi* (i. e. *maritus meus*) *& non vocabis me, ultra Baali* (nimirum *Baal meus*) *Ego enim auferam nomina Baalim ex ore ejus, & non erunt illi amplius in memoria cum nomine illorum.* Populi Dei *Baalum ſuum* ſæpè ſatis eum vocabant priuſquam ob vocem illam ad profana Numina frequenter nimis traductam, id ipſum ipſe Deus vetaret. Quin & dicta eſt, quòd Chaldæi 15. myriadum annorum commentarios apud ſe latere jactarent, in quibus Belum ſuum, uti rerum conditorem, in fabuloſiſſima illa Omoreæ diſſectione, celebrabant: Autor eſt Alexander Polyhiſtor ex Beroſo Beli ſacerdote. Deinde, ut fit corruptis moribus & in ſuperſtitionem pronis, Solem fortè primò, quem μόνον Οὐρανοῦ Θεὸν putabant Phœnices (ita ſcribit *Philo Byblienſis*, Sanchoniathonis interpres,) ſub hoc nomine venerabantur. Poſtremò autem & in ſimulacra alia, ſive Aſtrorum, ſive Regum, quorum me-

memoria, poſteris longè chariſſima, à Βααλ ſive Βηλ ad augendum, quà fieri potuit, ſeu corporis Cœleſtis, ſeu demortui honorem eſt impiè derivatum. Quemadmodum Belum à Nino fil. ſub hoc nomine cultum multi credunt. De Phœnicio Belo capienda ſunt quæ habes 1. Reg. c. 16. v. 31. 32. & 2. Reg. c. 10. v. 18. 19. ubi Rex Achabus, in ſoceri gratiam, Ithobalis, inquam, Sidoniorum Regis, fanum in Samaria Baali ſacrâſſe memoratur. Sidon autem Phœniciæ urbs maritima, unde is ipſe fuerit hic Belus, qui Jupiter Thalaſſius, ſeu marinus Sidoniorum nuncupatur. Heſychius: Θαλάσσιος Ζεὺς ἐν Σιδῶνι τιμᾶται. Belus ergo, Ζεὺς & Jupiter Europæis nominabatur. Nugaces Græculi ex Ægypto Belum hunc petunt, & Neptuni, & Libyes filium faciunt: Fabuloſam Hiſtoriam vide, ſi vis, apud Apollodorum, περὶ θεῶν l. 2. & paſſim ferme admittitur. Sed ſutilis omnium eſt. De eo autem intelligendum illud Virg. Æn. l. 1. v. 733.

Implevitque mero pateram, quam Belus, & omnes
A Belo ſoliti. — — —

Nam Carthaginenſes è Phœnicia oriundi, ac de Didûs libatione loquitur Poëta. Ubi Servius, *Linguâ Punicâ Bal dicitur, apud Aſſyrios verò Bel dicitur, quâdam ſacrorum ratione & Saturnus & Sol.* Ubi Gyraldus & alii depravatis exemplaribus *Hal* & *Hel* legunt. Belo huic ſeu Bali Punico fanum erat in Bali, urbe Libyes. *Steph.* Βάλις, πόλις Λιβύης [illegible] Βάλιος, [illegible]. Belum Chaldæum quod attinet, de eo autor *Chronici Alexandrini* ita: *Jupiter ſuſcepit ex Junone filium*, ὃν ὠνόμασε Βῆλον [illegible] παιδία. Ridiculè. Nec omnino capio Græculi originationem, niſi [illegible] τὸ βέλος deducere voluerit, quod jaculum, ſeu telum, quod acutum eſt, plerumque denotat. Verùm pro [illegible] ſubſtituendum ibi videtur [illegible], quod velocem notat. Firmat hanc emendationem *Cedrenus*, Βῆλος [illegible] [illegible] ἐκαλεῖτο. Paulo melius is, qui apud Didymum ad illud Homer. *Il. α. v.* 591.

Ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο:

Unde Vulcanus ſe dejectum queritur, interpretantur Βηλὸς [illegible] *Sive, ut alii,* [illegible]. Dryopum linguâ alii Βῆλον Olympum ſignificare volunt, & ſecundùm Chaldæos *Cœlum*, uti ad eum locum refert *Euſtathius*. Sed rectè ille Βηλὸς ibi à Belo, quod eſt nomen proprium, diſtinguit: Βηλὸς enim limen eſt: cæterùm diverſò ſcribitur accentu τὸ Βῆλος, quod Regibus & Diis tribuitur. Βῆλος enim exaratur, idque apud vetuſtiſſimos authores. Heſiodus *in catalogo Heroinarum* — [illegible], quæ prima eſt apud ſcriptores Græcos Beli mentio. Citat Strabo *l.* 8. Tamen & *Suidas*. Βῆλος [illegible]: Ab homonymia, accentu neglectô, hallucinatus enim alius eſt. Neque enim Βῆλος malè pro *Cœlo* accipitur. Velut enim collectivum in Syria numen erat [illegible] *Colzeba haſchamaim*, *Omnis Exercitus Cœli*. Cui aram in Atrio Templi extruxit Manaſſes: Neque non eſt veriſimile, etiam *Belum* Exercitum aliquem, ſive *Cœlum* dictum eſſe; Generale enim Deorum nomen *Baal* fuiſſe ſcimus: & Chaldæis *Cœlum* ita vocatum jam ex *Euſtathio*, qui à veteribus hæc hauſit, monuimus. *Omnes Exercitus Cœli*, Seniores 70. πᾶσαν δύναμιν τοῦ Οὐρανοῦ reddunt. Belus autem & Οὐρανὸς & Ζεὺς Ποσειδῶνος [illegible] interpretatur apud *Heſychium*. Diſtabat autem Babylonius ab altero illo Phœniciorum, ut Jupiter Ammon à Jove Capitolino, Cretenſis ab utroque. Uti enim Europæis Jovis, ita Aſiaticis Beli ſeu Baalim, generale Divûm vocabulum fuit. Et Jovis ſtella Phariſæis *Cochab-Baal* dicebatur, uti eſt apud Epiphanium. Signantius autem de [illegible] *Baalim* Scriptura alibi non loquitur, quam in Jerem. c. 2. v. 28. *Nam juxta numerum civitatum tuarum fuerunt Dii Jehudah.* *Baalim tui* ſi dixeras, idem dixeras, & B. Paulus. 1. Corinth. c. 8. v. 5. *Sunt Dii multi, & Domini multi*, quod interpreteris *multi Beli*. vel, ſi ad Europæum morem reſpexeris *multi Joves*. Selden. *loc. cit.* Godwyno idem videtur cum *Moloch*, ob nominum ſimilitudinem, בעל *Baal* enim Dominum, & מלך *Molech* Regem Principemque deſignat. Cui accedit, quòd utrique eadem ſacrificia fuerint oblata, nam & *Baali* Jerem. c. 19. v. 5. filios combuſſerunt Iſraelitæ, & Molocho, extra ordinem. conſuetæ autem victimæ vituli erant, & arietes & agni, 1. Reg. c. 18. v. 26. Imo excelſa Baalis in valle Ben-hinnon, ubi filii filiæque Idololatrarum per ignem offerebantur, leguntur extructa Jerem c. 32. v. 35. è quo loco colligitur utrique eundem locum ſacrorum cultus fuiſſe, & per vocem *Moloch*, quæ ſequitur, videtur explicari vox *Baal*, quæ præcedit. Nec obſtat, quòd Jovem ſub *Baalis*, Saturnum verò ſub Molochi nomine cultum Eruditi dicunt. Nihil enim novi, ſic apud Auctores confundi planetas, ut Sol, quemadmodum modò *Baal*, modò Moloch; ita quoque modò Jupiter, modò Saturnus appelletur: *Aſſyrios Saturnum (quem & Solem dicunt) Junonemque coluiſſe conſtat*, Servius in *Æn. l.* 1. Et quidem de *Baale* res evidens. Jupiter enim Phœnicibus *Baal-ſamen*, quaſi Jupiter Olympius ſeu Dominus cœli dicitur: quod, ſecundùm Gentilium Theologiam, non niſi in Solem quadrat; qui eodem jure cœli Rex, quò Luna ejus Regina, dicatur. Quare & apud Euſebium Sanchoniathon Jovem, Solem & Baal-ſamen, pro uno eodemque accipit: Vide Thom. Godwyn de *Ritibus Hebræorum l.* 4. c. 2. Mos proprium autem incidendi ſanguinemque eliciendi, qui hujus Idoli ſacerdotibus conſuetus erat, ſimile aliquid habuit cum conſuetudine Sacerdotum Bellonæ, de qua vide Tertullian. *Apolog.* c. 9. *Lactantium* &c. è quibus poſterior tam clarè Bellonitas hoſce deſcribit, ut Baalitæ 1. Reg. c. 18. memorati iiſdem verbis repræſentari videantur, Idem *ibid.* Quò facit, quod alius Βααλ & Βηλ, *Baal & Beel*, Aſſyriorum linguâ Ἄρης eſt, *Mars*. Sic Joannes Antiochenſis, [illegible] Ἄρεα [illegible]. [illegible] καὶ [illegible] αὐτῷ Ἄρεα [illegible] αὐτὸν Βῆλον, [illegible] Ἄρεα, πολέμων θεόν. *Poſt Ninum imperavit Thurus, quem Martem vocaverunt. Erat enim valde ſtrenuus ac bellicoſus, invocaruntque eum Aſſyrii, velut Deum, nominantes eum Belum ſeu Martem, bellorum Deum.* Atqui alii ferè omnes Belum Nini patrem fuiſſe volunt, hic Nino ſucceſſiſſe Thurum, qui & *Belus* idemque *Mars*. Eadem fermè habet Suidas in voce Θοῦρας, ſed Βαὰλ vocat, quem Antiochenſis Βῆλον. Nempe non de primo Nino Semiramidis marito, ſed altero Nino id accipiendum, quem Zames, Ninyæ filius, genuit; is pater fuit Thuræ ſeu Ἄρεως, quem Ἄρεα Joannes vocat. Vide infrà in voce *Thuras* & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1035. adde dicenda, voce *Belus*.

BAAL Tyri Rex poſt Ithobalum II. regnavit annos 10. Eum excepêre *Judices*, Regum locô, ſub clientela Monarchæ Babylonii, quorum primus fuit Ecnibalus, de quo ſuô locô. Vide Dium, *Antiquum Phœnicum* Scriptorem, apud Joſephum *contra Apionem p.* 1046.

BAALA, civitas in tribu Judæ. Joſ. c. 15. v. 9.

BAALARDUS, Philoſophus Peripateticus, in Gallia, magni nominis, ſeculô 12. Gaultierus *in Chron.* Vide *Petrus Abælardus*.

BAALASOR, locus eſt juxta Ephraim, ubi Abſolon oves tondebantur, quò evocatos Regis filios fratres ſuos magnopere perturbavit, occiſô Ammon, ob ſtuprum Thamar ſororis ſuæ.

BAALATH, urbs firmiſſima in tribu Dan. Joſ. c. 19. v. 8 44. Et civitas à Solomone condita. 1. Reg. c. 9. v. 18.

BAAL-BERITH, Latinè *dominus fœderis*. Judic. c. 9. v. 4. Beryti urbis idolum facit Bochartus, quem ſis conſule Geogr. p. 859. Hîc filii Iſraël extruxerunt Fanum Baali, ibique juràrunt, & fœdus inierunt, cum Baal, ut eſſet ipſorum Deus. Eſt in Tribu Ephraim.

BAAL-GAD, nomen montis ſub monte Hermon. Joſ. c. 11. v. 17. Latinè *dominus exercitus*.

BAAL-HAZOR, locus juxta Ephraim urbem Benjamin. 2. Sam. c. 13. v. 23. Latinè *dominans atrium, aut fœnum*.

BAAL-HERMON, mons circa Libanum. Judic. c. 3. v. 3. Latinè *poſſeſſor deſtructionis*. Eſt in tribu Manaſſe, trans Jordanem ad Solis ortum, è regione Paneadis & Libani, in finibus Palæſtinæ, ſitus, ad quem uſque terra filiorum Iſraël, dimidiæque tribus Manaſſe extenditur.

BAALIA, nomen viri. 1. Paral. c. 12. v. 5. Latinè *Dominus*, i. e. *Deus idoli*, vel *ſubjiciens*, aut *poſſidens dominus*, ſive *in aſcenſu*, vel *in cœnaculo*.

BAAL-JADA, filius David. 1. Paral. c. 14. v. 9. Latinè *poſſeſſor ſcientiæ*.

BAAL-MEON, civitas Amorrhæorum, quæ ſorte obtigit filiis Ruben. Joſ. c. 13. v. 17. Latinè *idolum habitaculi*, vel *idolum ex peccato*, aut *ſubjiciens*, ſive *poſſidens habitaculum*, ſive *dominum ex peccato*.

BAAL-PEOR, ſive BELPHEGOR, cui initiatos Iſraëlitas ſcribit Moſes Numer. c. 25. v. 3. 5. Conſtat (inquit Seldenus de *Diis Syris Syntagm.* 1. c. 5.) Moabitarum & Medianitarum fuiſſe hoc nomen, atque idem quod c. eôdem v. 18. &c. c. 31. v. 16. *Peor* tantùm vocatur, uti & Joſ. c. 22. v. 17. Ebraicè autem פעור *Peor* & pro ſonorum varietate *Phegor* dictum. Nam & 70. Βεελφεγὼρ pronunciabant. Quid fuerit autem, præterquam idolum Turpitudinis, haud invenit narratum apud Hebræos Origenes. Ita enim, *in Numeros. Hom.* 20. *Beelphegor idoli nomen eſt, quod apud Madianitas præcipuè à mulieribus colebatur. In hujus ergo idoli myſteria conſecratus eſt Iſraël. Interpretationem nominis ipſius cum requireremus attentiùs, inter Hebræa nomina, hoc tantum invenimus ſcriptum, quòd Beelphegor ſit ſpecies Turpitudinis. Noluit tamen declarare, quæ vel qualis ſpecies, vel cujus eſſet turpitudinis, honeſtati credo conſulens, qui interpretatus eſt, uti ne auditum pollueret audientium. Igitur cùm multæ ſint turpitudinum ſpecies, una quædam ex pluribus Beelphegor.* Verùm nominis cauſam, & Numinis cultum videtur ſibi benè explicâſſe Salomon Jarchi, ad *Numer. c.* 25. *v.* 3. *Eo, inquit, quod diſtendebant coram illo foramen podicis, & ſtercus offerebant; & hoc erat cultus ejus.* Aperire enim ſive diſtendere פער interpretatur, unde *Peor*. Ad hanc mentem Moſes Ben Maimon in *More Nevochim*, *a celeberrimo Buxtorfio Latinè verſo, part.* 3. *c.* 46. *Tu verò ſcis, quòd ſervitium idoli, quod vocabatur Pahor (Peor) in temporibus illis erat, ut diſcooperiret ſe homo verſus eum. Et idcirco præceptum eſt ſacerdotibus, ut facerent Braccas, quibus cooperirent operienda in hora ſacrificii: & præterea non aſcendebant per gradus ad altare, ne diſcooperirentur.* Ab hiante idoli ore alii nomen deducunt. Philo autem Judæus, dum anagogicè ſacram interpretatur Hiſtoriam, *in l.* περὶ τῶν μετονομαζομένων, ad hunc modum: [illegible] Βεελφεγὼρ [illegible] (Ἑρμηνεύεται γὰρ Βεελφεγὼρ ἄνω ἐγὼ στόμα δέρματος) [illegible]. Belphegor vides per ἀνώτερον στόμα δέρματος explicatum. Forrè autem legendum ἀνώτερον. Voluit enim Philo procul dubio בעל פער quod Græcis elementis Βεελφεγὼρ exarat, deductum à בעל פי עור *Baal-Pheghor*, quæ tria vocabula *ſuperius os pellis*, ſeu ἀνώτερον στόμα δέρματος ſonare poſſunt. Satis conſentit Philoni D. Hieronym. ad *Oſea c.* 9. *Ipſi autem educti (ait Patrum ille doctiſſimus) de Ægypto fornicati ſunt cum Madianitis, & ingreſſi ſunt ad Beelphegor, idolum Moabitarum, quem nos Priapum poſſumus appellare. Denique interpretatur Belphegor idolum tentiginis habens in ore, i. e. in ſummitate pellem, ut turpitudinem membri virilis oſtenderet.* Idem Pater Magnus, ad *Oſea c.* 4. ubi de ſacris Deûm matris; *Hujuſmodi (inquit) idololatria erat in Iſraël, colentibus maximè fœminis, Beelphegor, ob Obſcœni magnitudinem, unde & Aſa Rex tulit Excelſa de populo, & hujuſmodi ſacerdotes; & Matrem de Auguſto poſuit imperio, ſicut Scriptura 3. Reg. c.* 15. *v.* 13.

v. 11. 2. Paral. c. 15. v. 16. *inſtatur docens: Et fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini, ſicut David pater ejus & abſtulit effeminatos de terra, purgavitque omnes ſordes idolorum, quæ fuerant patris ejus. Inſuper & Maachum matrem ſuam amovit, ne eſſet princeps in ſacris Priapi, & in luco ejus, quem conſecraverat, ſubvertitque ſpecum ejus, & confregit ſimulacrum turpiſſimum & combuſſit in torrente Cedron.* Item *l.* 1. *contra Jovin. c.* 12. *Phegor in lingua Hebræa Priapus appellatur.* Iſidor. *Originum l.* 8. *Beelphegor interpretatur ſimulacrum ignominiæ. Idolum enim fuit Moab cognomento Baal, ſuper montem Phegor, quem Latini Priapum vocant, Deum hortorum.* Verùm his ut aſtipuler, ego nequeo. Ruffio. *l.* 3. *in Hoſeam*, cautè & juxta aliorum ſententiam, *Beelphegor*, inquit, *figuram Priapi dicuntur tenere.* Sed qui utrumque idem faciunt, obſcœnos utrique Numini ritus placuiſſe, probare conantur ex Hiſtoria ſacra, ubi de ſtupris Moabitarum & Ebræorum, adſtruunt etiam c. 9 Oſeæ, v. 10 nec enim hôc, nec illô locô *Baal-Peor* ſine fœda colentium libidine memoratur. Verùm, tantorum virorum pace, ego Priapum haud magis eundem cum Phegorio fuiſſe, quàm cum alio quovis Divûm Aſiaticorum autumo. Fœdæ enim illæ libidines, quæ in Hiſtoria Moabitidarum recenſentur, non minus à Phegorii cultu alienæ, quam Solomonis ſtupra à ritu Sidoniarum: Ob amorem enim Sidoniarum, quas deperibat ille, Sidoniorum Deos venerabatur. *Et cœpit populus* (inquit *Moſes*) *fornicari cum filiabus Moab, quæ & vocaverunt populum ad ſacrificia Deorum ſuorum, comeditque populus & adoravit Deos illarum. Et junctus eſt Iſrael Baal-Peor.* Moabitides amaſios ſuos, ut Deos patrios colerent, libidine pellexerunt; ita Sidoniæ Solomonem, ita alii, uti fit, alios. Libidinem autem in ſacris Phegorii fuiſſe non omnino conſtat ex Oſeæ verbis, qui obſcœnos mores ad populum non ad idolum refert. Neque verò idolorum cultum in Veteri Inſtrumento ſub ſtupri & libidinis vocibus ſæpiſſimè intelligi quis neſcit. His itaque omiſſis, quod ad nomen attinet, à viro Principe inter Divos relato eum nominatum, ſive à cognomine monte ſatis probabiliter aſſeri poteſt. Mons enim in Moabitarum regione *Peor* dictus erat, ubi, ni fallor, *Baal* hic & delubrô & ſacris honorabatur. Moſes Numer. *c.* 23. *v.* 28. *Et aſſumpſit Balac Bilcam in ſummitatem* Peor, *ſive* Phegor, *qui reſpicit faciem deſerti Jeſimon.* Hunc etiam dictum *Beelphegor* vult Theodoretus, ad *Pſal.* 106. *v.* 28. *Suidas*, Βεελφεγὼρ, Βεὰλ ὁ Κρόνος. Φεγὼρ δὲ ὁ τόπος ἐν ᾧ τιμᾶται, ἐξ οὗ Βεελφεγώρ. Uti enim Jupiter Olympius, Mercurius Cyllenius, & Deus ille ſortium Carmelus, apud Sueton. *in Veſpaſ. c.* 5. à montibus appellati: ita *Baal* ſeu *Belus noſter*, quem *Jovem* ſeu *Belum Phegorium* licet vocam. In Deuter. *c.* 34. *v.* 6. mentio eſt domûs *Phegor*, ſive *Beth-Peor* in terra Moab, juxta quam vallis illa, in qua ſepultus Moſes. Sanè *Beth-Peor*, pro monte, ubi Templum Numinis, quod *Beth* Hebraicè dicitur, ibi ſumitur: ut *Beth-Dagon*, *Beth-Shemeſh*, &c. Sic Οἶκος τοῦ Βὴλ in Apocryphis, & Semiramidem Belo fanum in arce Babylonis condidiſſe teſtatur *Dionyſius*,

— Μέγαν δόμον ἄντυγι Βήλου

Sacrificia autem, quæ, Moſe teſte, in Phegorii ſacris comedebantur, inferiæ erant in memoriam defunctorum peractæ, quod docet Pſalmiſta, Pſal. 106. v. 28. Adjuncti ſunt *Baal-peor*, & comederunt ſacrificia Mortuorum. Locum ita pangit *Apollinarius*,

Οἱ δὲ Βεελφεγόρῳ μεμυημένοι ἰσθιέσκον
Νεκρῶν ἀψύχων ζαθέων ἑκατόμβας

Sacrificia Mortuorum, i. e. זבחי מתים *Zibche methim* in Νεκρῶν ἀψύχων ἑκατόμβας vertit. Victimas autem DIS Manibus ſeu Jovi Stygio (qui *Moth* Phœnicibus dictus, i. e. *Pluto*, ſive *Mortuorum Deus*) mactabant, & ritè epulantes juxta faciebant ac ſi novendiales ferias agerent. Hic cultus, hæc idoli ſacra. Seldenus. *loc. cit.* Vide Voſſ. *de Theol. Gent. l.* 2. *c.* 7. *Nic. Lloydius.*

BAAL-PHARAZIM, locus in terra Chanaan. 2. Sam. *c.* 5. *v.* 20. Latinè *idolum diviſionum*, aut *ſubjiciens*, ſive *poſſidens diviſiones*.

BAAL-THAMAR, vicus juxta Gabaa, in tribu Benjamin. Latinè *Idolum palmæ*, aut *ſubjiciens*, vel *poſſidens palmam*, aut *idolum commutationis*, ſive *ſubjiciens*, aut *poſſidens commutationem.* Hic filii Iſrael, cum tribu Benjamin, acriter certârunt. Judic. c. 20. v. 33.

BAALTIS, ſive BELTIS, Phœnicum Dea, eadem cum Dione ac Venere vel Luna. Vel ſi diverſa eſt, fuerit Lucifer. Diverſas facere videtur Sanchuniathon ſive ea eo Philo Byblius, apud Euſebium *Præp. Evangel. l.* 1 ubi memoratur Aſtartem & *Baaltidem* eſſe ſorores; ac illam eſſe Venerem, hanc Dionem. Utraque ibidem dicitur nupſiſſe Saturno, ſed Aſtarte quidem, præter ſeptem Titanidas ſive Dianas etiam mares peperiſſe narratur, Cupidinem Amoremque. ex Dione autem prognatæ ſolæ perhibentur puellæ. Verum aliter de iſto Græci ac Romani. Quippe Orpheo *Argonaut.* dicitur Διωναία Ἀφροδίτη, *Dionæa Venus*, & Maroni eſt *Æn. l.* 3. *v.* 19. *Sacra Dionææ Matri.* Ubi Venerem intelligi convenit: quam à Matre Dione ſic dici, ait *Servius.* Ac ſimiliter in illud *Eclog.* 9. *v.* 47.

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum

Longè, inquit, *repetitum eſt, à matre Veneris Dione*: At longè repetitum non ſit ſi Dione eſt Venus: inde autem Cæſar dicatur, *Dionæus*, quia genus duceret ab Ænea, Anchiſæ & Veneris filio. Et eſt pro hac ſententia, quòd nulli melius conveniat nomen *baaltis*, quam Junoni ſive Lunæ nam, ut Jupiter, h. e. Sol cum æthere, eſt *Baal*, ita *Baaltis*, Juno, h. e. Luna cum aëre, quaſi *Domina* dixeris. Quomodo & *Reginam cœli* appellat Jeremias *c.* 7. *v.* 18. & *c.* 44. *v.* 17. 18 19. 20. ubi Hebr. מלכת *Malchah*, quod muliebre. Licèt enim & Solem Hebræi eòdem modô nuncupent, etiam *Semes*, unde & David Kimchi, imò & Chaldæus Paraphraſtes intelligere hîc malunt Molochum, h. e. Saturnum, ſive Jovem, h. e. Solem ipſum: Tamen ſententia hæc eò minus probatur, quia Propheta loquitur de gentium idololatria; his autem, in ipſo Oriente, Sol non Dea, ſed Deus habebatur. Unde dubium non eſt, quin Sidoniis Baal & Aſtaroth diſtincta fuerint Numina, atque illô Solem, hôc Lunam, denotârint: Aſtarte autem cum *Baaltide* eadem, vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. ac Progreſſ. Idolol. l.* 2. *c.* 21.

BAAL-TSEPHON, creditur Scriptoribus Hebræis fuiſſe Idolum ab Ægyptiis Magis concinnatum, ac in deſerto collocatum, ut obſervaret & ſufflaminaret ex Ægypto exitum parantes Iſraëlitas; Unde ei nomen *Tſephon*, ab Hebræo צפה *Tſapha*, i. e. *excubare*, *ſpeculari*, *excubias agere*: ut dictus ſit, quaſi *Baal Speculator*: quemadmodum Romani Jovem, quòd fugam ſuorum ſtetiſſet, *Jovem Statorem* dixêre. Vide P. Fagium in Exod. *c.* 14. *v.* 1. Roſinum *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 5. Godwyn. *de Ritibus Hebræorum l.* 4. *c.* 3.

BAAL-ZEBUB, quaſi *Muſcarum dominus*, vel etiam *princeps Muſca*, in reliquas dominium habere, exiſtimatus eſt: Ζεβοὺλ μυῖαν θεὸν Ἀκκαρῶν, Gregorius Nazianzenus *Orat.* 2. *contra Julian.* quò ſenſu Dæmonum Princeps *Beel-ſebub* vocatur in *Hiſtor. Evangelica.* Apud Cyrenios in veneratione fuit, præcipuè verò apud Ekronitas, quorum regio ab immenſo muſcarum examine, quod illam infeſtaverat, liberata fuiſſe dicitur tum, cùm huic Deaſtro ſacra fecerunt. Sed & ad illum, velut Oraculum, in rebus dubiis commeare ſoliti ſunt, ut colligere eſt ex 2 Reg. *c.* 1. *v.* 2. Non ineptè dicatur *Jupiter Muſcarius*, vel *Hercules Muſcarius*: Nam & Elidis incolæ Jovem Ἀπόμυιον, ſeu Muſcarum averruncum; & ſub eodem nomine Romani Herculem coluerunt. Græcæ quædam verſiones habent Βεελζεβοὺλ, fortè in vilipendium Idoli; quaſi vocarent eum *Jovem ſtercoreum*, זבל *Zebel* enim *ſtercus* denotat, Thom. Godwyn. *de Ritibus Hebr. l.* 4. *c.* 3.

BAANA, fil. Remmon Berothitæ ex tribu Benjamin, Isboſethum Iſraëlis Regem cum ſocio in cubiculo obtruncavit, ejuſque capite Davidi allatô, præmii locô, ipſemet capite luit: 2. Sam. *c.* 4. *v.* 2. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 7. *c.* 2. Pater item Eled. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 29. Filius item Ahilud. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 12. Latinè *in reſponſione*, ſive *in afflictione*, aut *in cantico*: vel Syriacè, *deprecatio.*

BAANITÆ, Hæretici, Sectatores Baanis cujuſdam, qui Epaphroditi diſcipulum ſe eſſe dictitans, Manichæa deliria incruſtavit, ſeculô 9. Pet. Siculus, *Hiſt. Manich. renaſcentis.*

BAARAS, locus, & nomen plantæ mirabilis, cujus virtutes vide apud Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 7 *c.* 25.

BAARSATES, Babyloniæ regionis fluv. *Ptol.*

BAASA, tertius Rex Iſraëlis ſeu X. Tribuum, occiſô Nadab, regnavit ſuper Iſraëlem ann. 24. homicidiô regnum aſſecutus, homicidia iterum perpetravit: nam omnem familiam Jeroboam interfecit: Fuit huic bellum cum Aſa: Aſcenderat enim Baaſa in Judam & Rama murô cingebat, ut ne quis à regno Judæ in regnum Iſraël penetrare poſſet: quamobrem perterrefactus Aſa, miſſis muneribus opem Benadab, Regis Syriæ imploravit. Tandem Jehu prædixit ipſi Baaſæ ſui ipſius, ſuorumque ruinam ob idololatriam: ſicut familiæ Jeroboam. Succeſſit Baaſæ Ela filius. Incepit regnare Baaſa, A. M. 2992. ante Chriſtum natum 970. Vide 1. Reg. *c.* 15. & 16. Joſeph. *Jud. Antiq. c.* 12. Latinè *in factura*, ſive *in tineo*, aut *in compreſſione*, vel *ſcrutationem tollens.*

BABA, Prophetam ſe dicens, in Palæſtina, res mirè turbavit, poſtea à Rege Guniæ interemtus, A. C. 1219. Calviſ. *in Chronol.*

BABA, quæ BENITEUDA, urbecula eſt Habatæ, provinc. regni Fezzæ, ad Guarguam fluv. verſus limites Errifis provinc. *Baudrand.*

BABBA, Mauritaniæ oppid. Auguſti colonia, *Julia Campeſtris* appellata. Plin. *l.* 5. *c.* 1.

BABACTES, & BACTES, Bacchi cognomen, ἀπὸ τοῦ βαβάζειν, i. e. *vociferari* Bacchæ enim, in Liberi Patris Orgiis, inconditos ululatus edebant. *Heſych.* Βαβάκτης, ὀρχηστής, ὑμνῳδὸς μανιώδης, κραυγαστής, ὅθεν καὶ Βάκχος.

BABÆ, urbs Libyæ. *Steph.*

BABALATHUS ſeu BABALATUS, aut quod idem, *Vabalatus*, in nummis Aureliani Οὐαβάλλαθος, Zenobiæ filius, memoratur Vopiſco in *Vita* Aureliani, *c* 38. ubi vulgo *Balbatus* legitur: *Hoc quoque ad rem pertinere arbitror. Balbati filio nomine Zenobiam, non Timolao & Herenniani, Imperium tenuiſſe, quod tenuit.* Et quidem unicus ejus filius fuiſſe videtur, cùm *Zoſimus* hujus unius Zenobiæ filii meminerit: Τοὺς δὲ ἄλλους πλὴν τοῦ Ζηνοβίας παιδὸς, ἐν μέσῳ τοῦ πορθμοῦ Χαλκηδόνος καὶ Βυζαντίου ταφῆναι συνέβη, *Reliquos autem, excepto Zenobiæ filiô, inter Chalcedonem & Byzantium fuiſſe ſubmerſos.* Filium autem *Babalathum* potiùs, quam Zenobiam ipſam, in nummis effigiari voluit Aurelianus, quòd fœminæ mentionem minùs ſibi glorioſam putaret. Neque vero hunc Zenobiæ filium eſſe prohibet, quòd in quibuſdam nummis ejuſdem Imperatoris ſcriptum ſit, in altera parte Οὐαβάλλαθος Ἀρμενίας, *Vaballathus Armeniæ*, ſcil. Rex: Nam Armenii cum Palmyrenis faciebant & totius Orientis Imperium obtinebat Odenatus, ac poſt eum Zenobia, filii hujus nomine. Unde & *Orientis Reginam* ſe vocat epiſtolâ ad Aurelianum miſſâ, &c. Nomen ipſum quod attinet, videtur deductum formatumque fuiſſe à voce Hebr. & Syr. *Bahala* vel *Bahalat*, i. e. *Regina* ſeu *Domina*: unde *Bahalatus* & *Babalatus*: ut *Hel* & *Bel*, ſimiliaque ſexcenta. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *Notis ad Vopiſc. d. l.*

BABANENSES, populi Hiſpaniæ citerioris in Conventu Carthaginenſi, quos inter celeberrimos ſtipendiariorum collocat Plin. *l.* 3. *c.* 3.

BABAS, vir maximæ virtutis, cujus ſolius conſiliis Rex Herodes Aſcalonita utebatur, quod rerum publicarum non parum gnarus

eſſet; ac proinde Tyrannus cum ſuſpectum habens, crudeliter ipſi oculos erui juſſit. *Joſephus.*

BABEL, nomen civitatis. Gen. *c.* 11. *v.* 9. Ubi linguarum confuſione turrim ædificantium conatus impediti, & cùm una prius eſſet, plurimæ exortæ. 72 cum pro numero gentium hinc ortas communis opinio eſt, Gen. *c.* 10. *v.* 10. Hieronym. in *c.* 26. *Matth.* Auguſtin *de Civ. Dei. l.* 16. *c.* 3. & 12. Clemens *l.* 1. *Stromatum.* Epiphan. *hæreſ. l.* 1. *hæreſi* 39. Latinè *confuſio*, ſeu *commixtio.* Joſeph. *Jud. Ant. l.* 1. *c.* 5. Ἑβραῖοι γὰρ τὴν σύγχυσιν Βαβὲλ καλοῦσι. Vide *Babylon.*

BABELMANDEL, Inſul. & Iſthmus famoſus, in initio maris Erythræi ſeu Rubri, inter Africam & Aſiam.

BABEVVYNUS, in *Viſitat.* Theſaurariæ S. Pauli Londin. A. C. 1295. *Imago quædam pulchra B. Virginis —— cum pede quadrato ſtante ſuper* 4. *babevvynos.* ſimiæ ſpecies eſt, Gall. *Babouin*, Ital. *Babbuino.* Unde puerulos nebulones vulgo *Babouins* iidem Galli appellant, vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & infra *Thoes.*

BABILIUS, homo Romanus, quem Plin. *l.* 19. proœmio ſcribit, à freto Siciliæ ſextò die, adminiculis herbæ cujuſdam, Alexandriam perveniſſe, quod & quibuſdam aliis accidiſſe idem commemorat.

BABILUS, Aſtrologus, à quo, cùm Nero de conſpecta ſtella crinita, quæ ſummis poteſtatibus exitium portendere vulgò exiſtimatur, didiciſſet, ſolere Reges talia oſtenta cæde aliquâ illuſtri expiare, atque à ſemet in capita procerum depellere, nobiliſſimo cuique exitium deſtinavit. Sueton. *in Neron. c.* 36.

BABO, Dominus de *Abenſperg*, Ottonis Comitis de *Scheuren* (à quo Wittelſpacini & ex his Comites Palatini Rheni hodierni deſcendunt) frater, inter vetuſtiſſimos *Abenſperga* Dominos celebri famâ memoratur, quorum ſtirpem à Ducibus Bavariæ, ac per hos à Carolo Magno nonnulli derivant. Is cùm triginta duos filios genuiſſet (extinctus A. C. 1030.) ex illis Wolframus ſeu Wolfingus Dux *in Abenſperg & Traun*, hodiernam Comitum Abenſpergenſium familiam ſevit. Cujus linearum duarum præcipuarum communis Pater Wolfgangus; capita earum, filii illius Joannes & Michael fuêre. A quorum illo deſcendunt Joannes Wilhelmus, & Suſanna Catharina (uxor Chriſtophori Baronis Zinzendorffii, qui deceſſit A. C. 1657.) ab iſto reliqui, inter quos Ehrnrico, German. *Ehrenreich*, ex Regina Chriſtiana Zinzendorfia, nati ſunt, præter alios, Otto Ehrnricus A. C. 1644. & Erneſtus Julius A. C. 1646. omnes *Comites ab Abenſperg & Traun.* Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europæo Tom* 2. *p.* 92. ubi Joannis Wilhelmi & Suſannæ Catharinæ Majores recenſet; & *p.* 115. quæ Ehrnrici liberis deſtinata eſt. Series horum ſic habet, Michaël Dn. *de Abenſperg & Traun*, qui obiit A. C. 1315. ex Eliſabetha *de Aheim* genuit Sebaſtianum, defunctum A. C. 1530. Hôc & Magdalenâ *de Zelckking*, natus Adamus; pater fuit, ex Apollonia *Mennerin a Leonbach*, Joannis Bernardi, demortui A. C. 1583. Quô & Mariâ *ab Auerſperg* editus Sigiſmundus Adamus obiit A. C. 1621. relictô ex Eva Polhemia Ehrnricô *Comite ab Abenſperg & Traun*; qui ſibi junxit Reginam Chriſtinam Zinzendorffiam, & ex illa ſuſcepit Reginam Juſtinam (natam 1640) Sigiſmundum Adamum (natum & denatum 1641.) Evam Iſabellam (natam 1642.) Ottonem Ehrnricum (natum 1644) Erneſtum Julium (natum 1646) Polyxenam Maximilianam (natam 1647.) Sidoniam Eliſabetham (natam & denatam 1648.) & Mariam Eleonoram (natam 1649.) Uti autem in hac linea Ehrnricus, ſic in altera Joannes Cyriacus, qui obiit A. C. 1652. primus Comitivâ dignitate auctus eſt, Johannis Wilhelmi præfati pater, ex Suſanna Maria Liber. Baron. Zinzendorffia &c.

BABOTANA, Paropaniſi urbs. *Ptol.*

BABRANTIUM, vel BABRAS, oppid. Æolidis prope Chium, à quo Gentile *Brabrantius. Steph.*

BABRIUS, vel BABRIAS, duos libros Choliamborum, vel Mimiamborum ſcripſit, ex Æſopicis apologis. *Suidas*, Avienus, *in præfat. fabul.*

BABULIS, Urbs non procul à Delta, Nili inſula, Memphim verſus.

BABUR, Rex Mauralnahariæ, conditor Imperii M. Mogolis. Fuit is ex poſteris Tamerlanis & pulſus regnô A. C. 1500. à Schaibeko Rege Chorazanæ, Usbekani Regni fundatore, in Indiam profugit, ac ibi res novas moliri compertus in Perſiam ſe recepit tantaque ibi in paupertate aliquandiu vixit, ut ruſticô opere victum ſibi quærere cogeretur. Tandem à Scha-Tamaſo Perſarum Rege copiis quibuſdam adjutus, Indiam expugnavit, quæ ab illo tempore *Regnum Magni Mogolis* dicta fuit, à Tataris, qui propriô nomine *Mogoles* appellantur. Ei ſucceſſit filius Homajon A. C. 1530. pater *Acbaris*, qui Regum Indiæ potentiſſimus evaſit ac multis præclarâ geſtis obiit A. C. 1606. regni 50. Vide Hornium *Orb. Imper. p.* 442. ut & in voce *Mogoles.*

BABYLAS, Martyr præclariſſimus. Theodoret. *Hiſt. Eccleſ. l.* 3. *c.* 10. Præſul fuit Antiochenus, per 12. ann. poſt Zebinum, vitâ ac doctrinâ præſtantiſſimus. Obiit, durante perſecutione Decii, A. C. 253. ætat. 90. unà cum tribus filiis ſuppliciò affectus; Ad adſtantes inquiens, *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus.* Quò autem ſe & eos conſolaretur addidit, *Revertere anima mea in requiem, quoniam Jehova tui miſertus eſt.* Voluit cum ſuis catenis ſepeliri, ut *mihi*, dicens, *in poſtrema mundi die ornamentum meis catenarum ſit.* Subſtitutus ei Fabius. Stringelius ex Chryſoſtomo, Euſeb. *l.* 6. *c.* 38. & 40. Hujus Martyris oſſa prima fuêre, quæ reliquiis Sanctorum colendis occaſionem præbuerunt. Iterum Apollo Daphnæus excantatus, cum à Juliano Apoſtata ad loquendum induci non poſſet: tandem, denuo rogatus, cur adeo obmutuiſſet, à corpore Babylæ, prope templum Daphnæum, in ſuburbio Antiocheno ſepulti, ſibi loquendi poteſtatem ademtam eſſe, cauſatus eſt. Hinc poſt tertium primorum, à Nato Chriſto ſeculorum, ſilentium, miracula ſepulchralia increbreſcere cœperunt. Vide Joſ. Medum *de Ap. noviſſ. temp. Nic. Lloydius.*

BABYLE, civitas. *Steph.*

BABYLO, Nomen pueri delphino amati, apud Solin. *c.* 12. *Apud Jaſum urbem, Babylonem puerum delphinus adamavit, quem dum poſt adſueta conludia recedentem impatientiùs ſequitur, arenis invectus hæſit. Alexander Magnus amorem illum Numinis fuiſſe interpretatus, præfecit puerum Neptuni ſacerdotio.* Fuit autem Jaſus urbs Cariæ, ubi cùm Alexander eſſet, Hiſtoria hæc illi innotuit. Sic *Babylo* occurrit apud Terentium, *Adelph. Act.* 5. *ſc.* 7. *v.* 17.

Dinumerat illi Babylo triginta minas.

Ubi id nomen diſpenſatoris eſt aut arcarii &c. Græcè enim & *Babylon*, & Βαβυλὼν & Βαβυλᾶς dicitur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 185.

BABYLON, Beli filius, urbis cognominis conditor, ſecundùm Herennium Philonem. *Steph.* de Babylone, Κτίσμα Βαβυλῶνος, ἀνδρὸς σοφοῦ, παιδὸς Βήλου σεσοφισμένου, οὐχ ὡς Ἡρόδοτος ὑπὸ Σεμιράμιδος. Ταύτης γὰρ ἐν ἀρχαιοτέροις ἔτεσι χιλίοις δύο, ὡς Ἑρέννιος, Opus eſt Babylonis, *viri ſapientis, Belô ſapientiſſimô geniti, non verò, ut Herodotus ait Semiramidis. Hæc enim erat mille & duobus annis anterior, ut refert Herennius.* At Dorotheus Sidonius, antiquiſſimus Poëta, qui Ἀστρολογικὰ diſertiſſimis verſibus compoſuit, ab ipſo Belo conditam urbem vult,

> *Ἀρχαίη Βαβυλὼν Τυρίου Βήλοιο πόλισμα,*
> *Ὕστατα δ' Ἀρραβίη γείτων χθονὸς Αἰγυπτίης.*
> *Vetus Babylon Tyrii Beli opus,*
> *Tandem verò Arabia vicina terra Ægypti.*

Qua de re vide in voce *Babylon, urbs*: & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1227.

BABYLON, vulgò BAGDET, urbs Babyloniæ regni maxima ad Euphratem fluv. etiamnum regionis caput, & ſedes Præfecti. De qua præter Auctores ſparſim hic citatos, vide Gen. *c.* 11. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 1. *c.* 4. Epiphan. *in Panar. l.* 1. *n.* 7 Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 16. Plin. *l.* 6. *c.* 26. Salian. & Torniel. *A. M.* 1909. & 1931. Ambitus mœniorum ejus erant ſtad. 385 quæ tam lata erant, ut quadrigæ obviæ ſeſe non impedirent. Muros ejus latericios fuiſſe tradunt omnes ſummô conſenſu. Herodot. *l.* 1. Ἐλαύνοντες δὲ πλίνθους ἱκανὰς ὤπτησαν αὐτὰς ἐν καμίνοισι. Diodor. Sic. *l.* 2. Ὑψηλοῖς καὶ πολυτελέσι τείχεσιν ἀσφαλισαμένη ἐξ ὀπτῆς πλίνθου. Dio *in Trajano*, Ἔνθα μέν τοι τήν τε ἄσφαλτον εἶδε Τραϊανὸς ἐξ ἧς τὰ τείχη Βαβυλῶνος ᾠκοδόμηντο. *Joſephus*, Ὠκοδόμηντο δὲ ἐκ πλίνθων ὀπτῶν ἀσφάλτου συνδεδεμένων. Juſtin. *l.* 1. *c.* 2. *Hæc Babylonem condidit, murumque urbis coctili latere circumdedit, arena vice bitumine interſtratô.* Qu. Curt. *l.* 5. *c.* 1. *Murus inſtructus latere coctili bitumine interlitus.* Sed & præter Hiſtoricos, qui id ex profeſſo tractant, etiam apud Poëtas res eſt tralatitia. Ariſtophanes in *Avibus*:

> *Περιτείχιζε μεγάλαις πλίνθοις ὀπταῖς, ὥσπερ Βαβυλῶνα.*

Theocritus *Idyl* 16.

> —— *Ὅσσον πλατὺ τεῖχος*
> *Ἀσφάλτῳ δήσασα Σεμίραμις ἐμβασίλευσε.*

Ubi Scholiaſtes, Ἀσφάλτῳ ἔδησεν ἡ Σεμίραμις τὸ τεῖχος αὐτῆς πολλῷ. Tzetzes *Chil.* 9. *Hiſtor.* 175.

> *Τὸ Βαβυλῶνος κτίσμα γὰρ ὑπῆρχεν ἐκ βησάλων,*
> *Ἀντὶ δ' ἀσβέστου ἀσφαλτον εἶχεν ἐγκεχρισμένον.*

Ex *beſalo*, i. e. ex *latere coctô*, ut ipſe ibidem explicat. Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 58.

> —— *Ubi dicitur altam*
> *Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis urbem.*

Propert. *l.* 3. *el.* 10. *v.* 21:

> *Perſarum ſtatuit Babylona Semiramis urbem,*
> *Ut ſolidum cocto tolleret aggere opus.*

Lucan. *l.* 6. *v.* 50.

> —— *Fragili circumdata teſtâ*
> *Mœnia mirentur refugi Babylona Parthi.*

Martial. *l.* 9. *epigr.* 77. *v.* 2.

> *Nec latere coctô, quô Semiramis longam*
> *Babylona cinxit.* —— ——

Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 171.

> *Cùm tamen à figulis munitam intraverit urbem.*

Ex quo apparet, quare Dionyſius Periegetes muros ejus infractos vocet. *v.* 1005

> *Ἥν ῥά τε πᾶσαν*
> *Τείχεσιν ἀρρήκτοισι Σεμίραμις ἐστεφάνωσε.*

Conditorem autem Babylonis Belum plurimi gentiles vocant, inque his Dorotheus Sidonius Poeta vetuſtiſſimus:

> *Ἀρχαίη Βαβυλὼν, Τυρίου Βήλοιο πόλισμα.*

Et Abydenus, apud Euſeb. *Præp. Evang. l.* 9. *c.* 41. ubi retuliſſet, ut penitus omnia aquis fuerint obruta, addit, Belum ſiccâſſe loca, καὶ Βαβυλῶνα τείχει περιβαλεῖν. Poſtquam enim, hominum numerô poſt diluvium creſcente, an. circiter 253. pòſt, hi in planitie Sennaar fertiliſſima, turrim cœlo minantem extruxiſſent; vel ut contra novum diluvium tutum ſibi pararent locum, ut *Joſeph.* vult, vel potius, ut hôc facinore nomen ſuum immortale redderent, linguarum confuſione eſſent impediti, inchoata turris *Babel*, i. e. confuſio dicta eſt, & Belus in eadem planitie urbem hanc Babylo-

bylonem condidit. Alii tamen arbitrantur, non à Belo extructam hanc urbem, ſed à filio ejus Babylone. Verum facilè hæc conciliantur: Nimrod enim ſeu Belus condere eam aorſus eſt, filius perfecit, & nomen dedit. Alii Semiramidis opus putant, ut ſuprà vidimus. Nec iſti errant, inquit *Voſſius*, ſi ſic intelligas, quomodo Conſtantinus M. Conſtantinopolim dicitur condidiſſe, quæ tot antea ſeculis Byzantii nomine claruit. Hæc enim ſtupendis muris, & penſilibus illis hortis, qui inter 7. mundi miracula collocari meruerunt, urbem ornavit. Cujus etiam reliqua extima, ut centum portas æneas, templum Beli magnificentiſſimum aliaque Herodotus, *l.* 1. prolixè exſequitur. *Nic. Lloydius*. Sedes fuit Imperii Aſſyriorum (vide *Aſſyria*) quò ſubverſò Nabonaſſar novam ibi Monarchiam fundavit, ſub qua eò magnitudinis excrevit, (de qua paulo poſt prolixius) ut Nebucadnezar poſt Ninivem Aſſyriæ, Thebas Ægypti, Hieroſolymam Judææ, Gazam Paleſtinæ, Tyrum Phœniciæ, Damaſcum Syriæ, Suſas Perſiæ, Ecbatana Mediæ urbes viſas, hanc tamen reliquis omnibus longè prætulerit. Daniel. *c.* 4. Capta eſt à Cyro, *A. M.* 3516. ante *N. C.* 537. Heu devaſtata penitus, juxta vaticinia Prophetarum. Vide infrà. Nec omittendum, in S. Scriptura figuram eſſe Babylonem, Mundi, peccati, & ejus omnis potentiæ Deo adverſantis compendium eſt, Antichriſti: inprimis apud Eſajam, & in Apocalypſi. Hieron. *in Ezech.* Auguſtinus, *ſerm.* 122 &c. De magnitudine Babylonis jam paulo pluribus dicendum reſtat, quæ tametſi appelletur jure meritò *Magna urbs*, Daniel. *c.* 4. *v.* 30 & Nabuchodonoſori Regi Regum, ut dictum, dederit materiam ſuperbiendi: Non tamen eſt, quòd quis temerè Græculis fidem adhibeat, ex quorum relatione deceptus Ariſtoteles *Babylonem* ſibi fingit portentoſæ magnitudinis, & Peloponneſo penè parem: Id ſibi volunt hæc verba, *Politic. l.* 3. *c.* 3. quibus contendit civitatem mœnibus non definiri: Ἔχοι γὰρ ἂν Πελοπόννησος ἓν τεῖχος. Τοιαύτη δ' ἴσως ἐστὶ καὶ Βαβυλὼν, καὶ πᾶσα ἥτις ἔχει περιγραφὴν μᾶλλον ἔθνους ἢ πόλεως. Subdit, Ἧς γέ φασιν ἑαλωκυίας τρίτην ἡμέραν οὐκ αἰσθέσθαι τι μέρος τῆς πόλεως. Quod ſi ſemel conceſſeris, etiam id agnoſcendum, *Babylonem* non malè cum Peloponneſo conferri, è cujus uno extremo ad aliud triduanò curſu vix attingere poſſit expeditus eques. Fortè pro τρίτην ἡμέραν μέρος τι ἐν αἰσθέσθαι, ſcripſerat aliquis, τρίτον ἡμέρας μέρος τινας ἐν αἰσθέσθαι, vel voce μέρος bis repetitâ τρίτον ἡμέρας μέρος, μέρος τι τῆς πόλεως, &c. Hoc eſt, diei parte tertiâ aliquam partem urbis nondum ſenſiſſe, cùm aliquanto ante lucem capta fuiſſet. Neque enim in tanta urbe, quæ capta eſt in die feſto, pleriſque ſomnò, vinòque ſepultis, & pridianam crapulam adhuc evomentibus; unò momentò temporis res potuit ubique sciri. Verè igitur ſcribit Herodot. *l.* 1. *c.* 191. Ὑπὸ δὲ μεγάθεος τῆς πόλιος, ὡς λέγεται ὑπὸ τῶν ταύτῃ οἰκημένων, τῶν περὶ τὰ ἔσχατα τῆς πόλιος ἑαλωκότων, τοὺς τὸ μέσον οἰκέοντας Βαβυλωνίων οὐ μανθάνειν ἑαλωκότας, ἀλλὰ (τυχεῖν γάρ σφι ἐοῦσαν ὁρτήν) χορεύειν τε τοῦτον τὸν χρόνον, καὶ ἐν εὐπαθείῃσι εἶναι. Sed & Xenophon Cyropæd. *l.* 7. præſidiarios, qui tenebant arces, rem innotuiſſe, negat uſque ad plenam lucem. Verba ſunt, Ἐπεὶ δὲ ἡμέρα ἐγένετο, καὶ ᾔσθοντο οἱ τὰς ἄκρας ἔχοντες, ἑαλωκυῖάν τε τὴν πόλιν, καὶ τὸν βασιλέα τεθνηκότα, &c. Itaque potuit fieri, ut qui erant in extremis, parte demum diei tertiâ, urbem captam eſſe deprehenderint, parte tertiâ, i. e. horâ tertiâ poſt ortum ſolis. Sed horæ nomen eò ſenſu nondum in uſu erat apud Græcos. Tantùm diem per partes duodecim dividebant, idque à Babyloniis edocti, Herodot. *l.* 2. *c.* 109. Τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες. Hoc ipſum ſi fidem ſuperat apud eos, qui *Babylonem* æſtimant, pro modulo noſtrarum urbium, ſciant illi, Hyginò exceptò *Fab.* 223. in quo mendum eſſe ſuſpicor, veterem neminem eſſe, qui *Babylonis* mœnibus in ambitu minus aſſignet ſtadiis 360. quæ faciunt mill. paſſ. 45. Hæc eſt in Diodoro Cteſiæ definitio, quam puto ſecutum Hyginum, Ei pro ſtadiis 300. (ita hodie legitur) reſcribendum 360. Alii omnes quotquot videre contigit, ad hunc numerum aliquid addunt pro mantiſſa & auctario. Ita Clitarchus *Babylonem* ambitu ſuò continere ſcribit ſtadia 365. *Q. Curtius* 368. *Strabo* 385. *Dio Caſſius* 400. *Oroſius* 470. *Herodotus* & *Apollonius* 480. *Plinius*, & *Martianus Capella*, quod idem eſt mill. paſſ. 60. In hac veterum inconſtantia non facile eſt pedem uſpiam tutò figere. Niſi quod tutius credi puto Cteſiæ & Clitarcho, qui fuêre oculati teſtes, & *Babylone* diu egerunt. *Bochartus*. Porrò hæc urbs, ob veſtem variam, i. e. variegatam & diverſis picturæ coloribus intextam, & interſtinctam, plurimum apud veteres olim celebrata fuit. Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Colores diverſos picturæ intexere Babylon maximè celebravit, & nomen impoſuit.* Idem innuit Tertullian. *de Habitu fœminarum*, *c.* 1. *Ægeum*, inquit, *ſi ab initio rerum & Mileſii oves tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrii tingerent, & Phryges inſuerent, & Babylonii intexerent.* Martial. *l.* 8. *Epigr.* 28. *v.* 17.

Non ego prætulerim Babylonica picta ſuperbè,
Texta Semiramiâ quæ variantur acu.

Idem *l.* 14. *Epigr.* 150. Lemmate *Cubicularia polymita*:

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera, victa eſt
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

Et de pavone Pub. Syrus in Satyrico Petronii, inter alia ſic loquitur:

Plumatò amictus aureò Babylonicò,

Lucretius *l.* 4. *v.* 1023.

Tunc Babylonica magnificò ſplendore rigantur.

Plautus in Sticho. *Act.* 2 *ſc.* 3. *v.* 53.

Tum Babylonica periſtromata, conſutaque tapetia
Advexit nimium bona rei.

Vide Bochart *Phaleg. l.* 1. *c.* 6. & *infrà*, *Babylonica periſtromata*. Notandum etiam hic Babylonios magnâ curâ Aſtrologiam olim coluiſſe; unde *Babylonius* Tertulliano *Genethliacus* aut *Mathematicus* dicitur. Quin ibi *inventam ſideralem ſcientiam Plin.* tradit. Claudian, *de* 4. *Conſulatu Honorii v.* 145.

——— Te ſenſit Hetruſcus
Augur, & inſpectis Babylonius horruit aſtris.

Idem *in* 6. *Conſulatu ejuſdem Conſulis*, *v.* 28.

Namque velut ſtellas Babylonia cura ſalubres,
Optima tum ſpondet mortalibus edere fata, &c.

Ubi per *Babyloniam curam* intelligitur *Aſtrologorum curioſitas*, ſive *curioſa Genethliacorum ars*. Hinc Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 11. *v.* 1.

Tu ne quæſieris (ſcire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem Dii dederint Leuconoe, nec Babylonios
Tentaris numeros. ——— ———

i. e. *Aſtrologorum rationes*, & *ſupputationes*. Tullius *l.* 2. *de Divinat.* *Contemnamus etiam (inquit) Babylonios, qui ex Caucaſo cœli ſigna ſervantes, numeris & motibus ſtellarum curſus proſequuntur.* Huc pertinet illud Lucretii *l.* 5. *v.* 726.

Ut Babylonica Chaldæum doctrina refutans,
Aſtrologorum artem contra convincere tendit.

Denique, quia hæc ſententia etiam apud doctos diu obtinuit, *Bagdad* eſſe *Babylonem*, libet hic aperire fontes erroris iſtius ex Bocharti *Geogr. Sacr. l.* 1. *c.* 8. Hujus ſententiæ primi authores de vetere *Babylone* nequaquam cogitabant, ſed de Seleucia, cujus vicinitate *Babylonem* exhauſtam Plinius dicit in ſolitudinem rediiſſe, *l.* 6. *c.* 26. Nec multo aliter Strabo *l.* 16. *Babylonis partem Perſæ diruerunt, partem conſumpſit tempus, partem Macedonum negligentia, præſertim poſtquam Seleucus Nicanor Seleuciam ad Tigrim condidit ſtadiis tantum trecentis à Babylone diſſitam.* Itaque in *Babylonis* opes & nomen ſucceſſit Seleucia, quæ non ſolum *Babylonia* (ut apud Plinium διαφερόντως, quia non una fuit Seleucia) ſed & *Babylon* appellata eſt. *Steph.* Βαβυλὼν Περσικὴ πόλις μητρόπολις Σελεύκεια καλουμένη. Et *Babylonis* ipſum nomen Seleuciæ tributum. Quò referenda hæc Sidonii *carm.* 9.

Non cœlſam Babylona perſonabo,
Quæ largum fluviò patens alumno
Incluſum bibit hinc & inde Tigrim.

Porrò vel in eodem, quò Seleucia loco, vel certè in proximo *Bagdad* conditam fuiſſe oportet, cum utramque ad ripam Tigridis, & fere in eadem à veteri *Babylone* diſtantia deſcribunt Geographi. Nam 300. illa ſtadia, quibus à Babylonia Seleuciam diſtare ſcribit Strabo, ſunt milliaria prope 38. i. e. *diurnum illud iter inter Bagdadum & rudera Babylonis interpoſitum*, juxta *Texeiram*. Paulò aliter *Baudrand*. Bagdatum, inquit, *Bagdet*, urbs ampla & probè munita, ad Tigrim, quæ alias Seleucia magna. 50. milliaribus à Babylone antiqua in ortum diſtat. Sedes Amiræ olim, in Dynaſtia Saracenica, poſt Imminem, filium Aaronis, cui trucidatò ſucceſſit Maimon, A. C. 813. Alterò Amirà Damaſci, tertiò in Africa reſidente. Expugnata ab Halacho Tartaro, Turcis victis, captuſque Calipha fame enectus eſt, aurò liquefactò infuſò: Tum diruta Saracenorum Templa, & cultus religionis Chriſtianæ ibi cœpit. A. C. 1259. Poſteà Erides primum inter Perſas Turcaſque, inter alia, ab Habas M. Perſarum Rege circa A. C. 1625. capta, dein ab Amurathe, circa annum 1638. recepta eſt, à quo tempore ſub Turcarum dominio eſt. Vide *Seleucia*: Et de Babylonis priſcæ ruderibus, urbeque Bagdato hodierna, quæ ire inprimis apud P. de Valle, *Itinerariis tom.* 2. *Babylonicæ* Turris reliquiæ hodieque in ruderibus, quæ collem velutì referunt, conſpicuæ dicuntur eſſe. Perhibent namque viatores, eas in planitie quadam ſitas & 2. milliar. Bagdadedò ſeu Novâ Babylone diſtare: habere autem circumferentiam 3000. paſſuum & ex terra cæmentoque aliquo genere pice admiſtâ, in tantam duritiem conflatas eſſe, ut vix fruſtum aliquod inde auferre liceat. Vide Vinc. le Blanc *Itiner. l.* 1. *c.* 5. Ab oriente inſuper Sole diem incepêre Babylonii, ſicut à media nocte Romani, ab occaſu Athenienſes, à meridie Umbri, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 3. Iidem feſtum inter alia habebant, cui nomen *Sacææ*, Saturnalibus Romanorum non diſſimile, in quo per quinque integros dies ſervis in dominos imperium erat, illorumque unus regiam induebat ſtolam, referente Cteſiâ *Annal. Perſic. l.* 2. &c. Quod vero de vetuſtate urbis ex *Cteſia* Commentis ſuprà allatum, pluribus refellit Ill. Marshamus, ante ſeculum à diluvio XVII. nullam *Babylonis* urbis, nedum Regni, occurrere mentionem vel in ſacris vel in exteris Literis, obſervans. Itaque occaſione loci Eſai. c. 23. v. 13. Nabonaſſarem Aſſyrium homines ἐρημίτας eò deduxiſſe, urbem fundâſſe, muniviſſe, arces erexiſſe, palatia condidiſſe aſſerit. Vide eum *Canone Chron. Sec. præf.* ubi de *Babylone condita*, & *Aſſyriorum Regibus*.

BABYLON Nova, urbs Ægypti maxima, nunc *Alcairo*; Sultani ſedes. Sed *Baudrando* nunc ferè diruta jacet, & tantiſper diſtat à Cairo, urbe primaria totius Regionis. Vide *Cairus*, plura verò hanc in rem apud Marshamum modò laudatum *d. l. Sec.* 15. ubi Cambyſâ Ægyptum vaſtante, & exciſâ ab eo Heliopoli, urbem hanc eſſe conditam, ex Joſepho docet *Jud. Ant. l.* 2. *c.* 5. contra Diodorum ad Seſoſtris tempora originem ejus trahentem *l.* 1. *Babylon* poſitus pro *Roma*, ut quidam volunt. 1. Pet. *c.* 5. *v.* 13. Ἡ διὰ τὸ ἐκθειασμὸς, uti loquitur *Oecumenius*, vel ob confuſionem Idololatriæ, quam ibi S. Petrus invenit, ſi tamen ibi unquam fuerit. Vide Apocal. *c.* 18. *v.* 2.

BABYLONIA, Regio, quæ nunc *Yerach*, pars fuit Aſſyriæ veteris, ſub qua etiam Chaldæa comprehenſa erat. *Nic. Lloydius*. Latè tamen à Solino extenditur, *c.* 56. *Chaldææ gentis caput Babylonia Semiramidi*

neramidis condens, tum colubis, et propter eam & Aſſyrii & Meſopotamia in Babyloniæ nomen tranſierunt, Ubi prioribus locis *Babyloniam* urbem quoque vocat, contra Veterum morem, qui provinciam ſolam hoc nomine indigitârunt. Sed diverſis tempor ab diſtinctas fuiſſe tres has provincias, *Meſopotamiam*, *Babyloniam* & *Aſſyriam*, certum eſt, & ſic recenſentur apud *Ptolemæum*. *Iſidorus* in provinciis Imperii Parthici enumerandis, Aſſyriam non nominat, ſed eam ſub Meſopotamia comprehendit, *Μεσοποταμία ἡ Βαβυλωνία*. Sanè & *Babylonia* etiam pars Meſopotamiæ fuit Plin. *l. 6. c. 26. Meſopotamia tota Aſſyriorum fuit, vicatim diſperſa præter Babylonem & Ninum*. Propriè verò dicta eſt *Babylonia*, regio circa Babylonem, eratque pars Aſſyriæ. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1228.

BABYLONIA, Cognomen fuit Seleuciæ, cujus (in confluente Euphratis foſsâ perducti atque Tigris, conditæ à Seleuco, haud longè à Babylone) vicinitate exhauſta eſt Babylon & in ſolitudinem redacta. De ea Plin. *l. 6. c. 26. quæ tamen Babylonia cognominatur, libera hodie ac ſui juris Macedonumque moris*. Idem ubique *Babyloniam* eam vocat, inter alia quoque *l. 6. c.* 27. *Citra Seleuciam Babyloniam* CCXXV. *paſſuum*. Et paulo poſt, *Abeſt Seleucia Babylonia* CCCCL. *M. P.* Nempe ex regione, in qua condita fuit, hoc cognominis iſta Seleucia accepit, ad diſcrimen cæterarum Seleuciarum, ut *Seleuciæ Pieriæ* &c. Sic Καισάρεια Καππαδοκίας, *Cæſarea Cappadociæ*, quæ in Cappadocia, ut diſtingueretur ab aliis urbibus eôdem nomine, apud Stephanum in voce Καισάρεια. *Antiochia Syria* dicta eſt ea Antiochia, quæ in Syria ſita erat; *Antiochia Piſidia*, in *Tab. Peutingeriana*. &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1226.

BABYLONICA Περιστρώματα, inſternendis accubitis olim præcipuè adhibita, aurô & purpurâ picta aliiſque coloribus intexta fuêre. Plin. *l. 8. c.* 48. *Metellus Scipio triclinaria Babylonica ſeſtertium octingentis millibus veniſſe jam tunc poſuit, in Capitonis criminibus, quæ Neroni Principi quadragies ſeſtertio nuper ſtetêre*. Inde *Babylonicum* aureum *pinnatum* Publio Syro dictum. *Gloſſ. Babylonicum*, ψιλὴ πολύμιτος. vide Salmaſ. *Not. ad Tertullian. de Pallio c.* 3. & infrà, ubi de veſtibus *Cataclitis*. Propriè verò, quæ *Babylonica* vocabantur, non polymiti texturæ genere, ſed acu fieri ſolebant. Martial. *l.* 8. *Epigr.* 28. *v.* 17.

> ——— ——— *Babylonica picta ſuperbè*
> *Texta, Semiramiâ quæ variantur acu*.

Nempe, *diverſos colores picturæ intexere, Babylonem maximè celebraviſſe & nomen impoſuiſſe*, Plin. *ibid. loc. cit.* &c. Vide infrà, ubi de *Phrygionibus* veſtibus *Pictis* & *Plumandi* artificio.

BABYLONICA Spina, memoratur Plinio *l.* 13. *c.* 24. *Non omittendum eſt, & quod Babylone ſeritur in ſpinis, quoniam non alibi vivit ſicut & viſcum in arboribus. Sed illud in ſpina tantum quæ Regia vocatur. Mirumque, eôdem die germinat, quo injectum eſt. Injicitur autem ipſo Canis ortu & celerrimè arborem occupat. Condiunt id vinis, & ideò ſerunt*. Nempe inter ſtirpes, quæ in ſolo ſedem non habent, ſed in alienis arboribus & plantis creſcunt ſemen quoddam recenſet Theophraſtus, unde id *Plinius* hauſit, quod in ſpina ſatum, circa ortum Caniculæ, eôdem die ſurgit creſcitque ad tantam amplitudinem, ut ſpinam ipſam amplectatur totam. Vide eum *de Cauſis l.* 2. *c.* 22. Cujus ſubiti incrementi cauſa, quòd ſpina eô tempore turget & velut ἐν ὀργασμῷ eſt. Sed Theophraſtus *Spinam Regiam*, quam ἄκανθαν βασιλικὴν vocat, à *Babylonica* diſtinguit, quas eaſdem facit Plinius. Fortè eum in errorem adduxit, quòd Attici cæterique tum Græci, Βασιλεῖς de Regibus tantùm Perſidis dicerent. Quidnam verò propriè nominis illius in Babylonica ſpina naſcentis venire poſſit, an epithymum, an cuſcuta, aliudve quiddam, vide pluribus diſputantem Salmaſ. *p.* 1290.

BABYLONII, qui & *Chaldæi*, Aſtricæ ſcientiæ & τῆς Γενεθλιακῆς inventores, primi diem in XII. partes diviſerunt, & Zodiacum in XII. itidem ſigna, horumque quodlibet in 30. iterum partes partiti ſunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 635. *& ſeqq.* ut & infrà, in voce *Chaldæi*.

BABYLONII montes Aſiæ, in confinio, inter Chaldæam & Arabiam, in Babylonia regione; eratque admodum excelſi & extenſi.

BABYRSA, Caſtellum munitiſſimum Atropatiæ regionis in Aſia prope Artaxata urbem. Strabo. *l.* 11

BABYS, frater Marſyæ, qui non veritus eſt ipſum Apollinem ad canendi certamen vocare, à quo cum eſſet victus, ab eodem de pinu ſuſpenſus excuſsatus eſt. Deinde cùm Apollo quoque *Babyn* perdere pararet, Pallas intercèſſit, admonens hunc, uſque adeo infeliciter & indoctè tibiis canere, ut omninò negligendus videretur, Καίτοι, inquiens, Βάβυς αὐλεῖ. Quod & abiit in Proverbium, de iis quorum exercitatio ſemper vergit in pejus.

BABYSENGA, Indiæ extra Gangem emporium. *Ptol.*

BABYTACE, urbs Aſſyriæ, ad alveum Tigridis Septentrional. in Meſopotamiæ confinio, ſeu in ipſa Meſopotamia *Baybure Pineto*, aliis *Bayburt*. Item, urbs Armeniæ minoris inter Trapezuntem, urbem Cappadociæ & Euphratem fluv. eis propior. *Steph.* Hujus incolæ aurum ſpernunt. Plin. *l.* 6. *c.* 27. Vix diſtabat 30. mill. paſſ. à Cteſiphonte in Boream, & 60. fere a Babylone veteri, teſte *Phil. a Vico*.

BACA, in tribu Aſer, vicus, unde Galilæa ſuperior incipit, terramque Tyriorum dirimit. Joſeph. *l.* 3. *de bello Jud. c.* 2.

BACABASUS, in ſocietatem adſcitus ab Artabano Darii I. fratre, contra Artaxerxem I. conatus ejus Regi prodidit. Juſtin. *l.* 3. *c.* 1. Vide ſuprà *Artabanus*.

BACALAUS, Lacus Americæ Septentrionalis in Nova Hiſpania & Iucatanæ provinc. verſus unam ſinus Honduræ.

BACALARIUS, item BACULARIUS & BACHILARIUS, qui expletô tyrocinio, in aliqua facultate, proximum limen obtinet. In Academiis notiſſimum. A *baculo* Rhenano dictus, quod *primi ſtudii ambitionem, quæ per exhibitionem baculi concedebatur, jam conſe-*
quuti eſſent. Et priſci certè poſſeſſiones, libertatem, tutelam, dignitates, ipſumque aliquando Regnum, porrectâ haſtâ, vel locô ejus feſtucâ, virgâ, baculô, bacillô, &c. conferebant. Vide in *Feſtuca*. Hinc & apud Anglos, in Curiis Baronum, omnes penè inter dominum & vaſſallos (quos *Tenentes per virgam* ideo appellant) peraguntur traditione baculi. Veruntamen graviter non affirmabo, inquit Spelmannus, hanc eſſe genuinam vocis originem, nam in gradibus Scholaſticis exhibendis, nondum reperio baculi miniſterium: ut ad rem faciat, quod initiati in Artibus, ſub conductu argenteæ, vel deauratæ virgæ, à Præcone Academiæ exhibentur: *in Gloſſ. Archæol.* In caſtrenſi militia *Bacalarii* dicebantur, qui peractô fortiter tyrociniô cingulum militare, vel aurata calcaria accipiebant: Claſſes enim in militia erant Tyronum, Bacalariorum & Vexillariorum. Alii ſunt *Buccellarii*, celebre olim genus equitum ſub Magiſtro militum in Oriente, Pancirol. *in Comm. ad Notit. Imp. Or. c.* 47. Latius ſumitur vox *Bacalarii* in antiquis Conſtitut. Admiralitatis in Anglia, ubi de ipſo Admiralio uſurpatur, & omnes dignitates infra Baronis comprehendit. Plura de hac voce, vide apud Spelmannum præfatum, & infra vocibus *Baccalaurei*, item *Bacillarii*.

BACALES, populi Libyæ juxta mare. Herodot. *l.* 4.

BACALITIS, Æthiopiæ ſub Ægypto regio. *Ptol.*

BACAR, vallis ad Septentrionales montis Libani radices porrecta, in Orientem uſque Salmiram nobilem Syriæ urbem ſeſe extendit, optimô ſolô, uberrimiſque paſcuis, gregibus atque armentis abundat: in tribu Nephthalim.

BACARA, regio Aſiæ, in India, ſub Imperio Magni Mogolis, cis & juxta Gangem fluv. Ubi oppid. præcipuum *Bicaner*.

BACARACUM, oppid. Germaniæ, in Palatinatu inferiori ad Rhenum fluv. paulò infra Bingium, & medium ferè inter Moguntiam & Confluentiam. Vide *Bacchi Ara*.

BACARE, Indiæ extra Gangem urbs litoralis. *Ptol.*

BACARIO, i. e. Aquariolus. Quibus nominibus dicebantur apud Romanos, πορνοβοσκοί, *meretricum miniſtri*, ut habetur in *Gloſſ.* qui iis lavantibus aquam aggerebant & *bacarione*, quod vaſis aquarii genus erat, longiori manubriô, eam ſuper lavantes jactabant ac effundebant. *Trullam quidam appellabant*, inquit *Feſtus*. Ἀρυταίναν Græci dixêre, Theophraſtus in *Ethicis characteribus* περὶ ἀναισχυντίας, Καὶ βάψας ἀρύταιναν, βοῶντος τοῦ βαλανέως ἀντὸς αὐτοῦ καταχέασθαι καὶ εἰπεῖν ὅτι λέλουται, εἶπεν, vide quoque Zenobium in *explicatione Proverbii*, ὅμοιος βαλανεῖον. Hoc idem vas aut ſimile, ἀρυβάλλον etiam dicebant, ἀπὸ τοῦ ἀρύειν καὶ βάλλειν τὸ ὕδωρ, *ab hauriendo & jaciendo aqua*. Inde & *Balneones* ſeu *Balitores* dicti, de quibus infrà.

BACASCAMI, Arabiæ populi, quorum oppid. *Riphearma* vocatur, quô nomine *hordeum* appellant. Plin. *l.* 6. . 28.

BACASIS, Jaccetanorum in Hiſpania Tarraconenſi oppid. *Ptol.*

BACATÆ, Marmaricæ Nomi gens. *Ptol.*

BACAUDA, vel BAGAUDA, latro Gallus, à temporibus Diocletiani. Hinc *Bacauda* quoque, & *Bagaudia* latrocinium, tumultum popularem: motum agreſtium, ſeditionem, apud Proſperum *Chron.* & Salvian. *l.* 5. denotat. Conſtantinopolitani, teſte *Scaligero*, vocabant *Bagaudam* ipſam μάδαυν, i. e. tumultum. In *veteri Inſcr. Baquates* dicuntur.

> D. M.
> MEMORIS
> FILI
> ARRETI CHANARTÆ
> PRINCIPIS GENTIUM
> BAQUATIUM
> QUI VIXIT
> ANN XVI.

Vide quoque in voce *Bagauda*.

BACBACAR, viri nomen. 1 Paral. *c.* 9. *v.* 15. Latinè *inanis veſtatio*, *vapulatio*, aut *vacca*.

BACCÆ, propriè ſunt lauri, oleæ, myrti & id genus arborum fructus, ut apud Ovid. *Met. l.* 10. *v.* 98.

> *Et bicolor myrtus & baccis cærula ſcens.*

Salmaſio *Bacca*, quæ pomô minor, unde de minoribus pomis paſſim occurrit. Sic ceraſa & olivæ *baccæ* ſunt, & frequentiores baccæ in ſylveſtribus, à pomis ſolâ brevitate differentes, ἀκρόδρυα Græcis. Intus lignum, extra carnem habent &c. Vide eum *ad Solin. p.* 551. 598. 609. & *ſeqq.* Ad earum ſimilitudinem etiam *bacas* olim margaritas dixêre. Horatius *Epod.* 8. *v.* 12.

> *Nec ſit marita quæ rotundioribus*
> *Onuſta* bacis *ambulet.*

Ita enim quævis optima exemplaria legunt, unico c. cùm gemino c. *baccæ* efferantur, in propria ſignificatione ſumtæ. Quamvis negari non poſſit & *baccas* pro unionibus dixiſſe alios. Ovid. *Met. l.* 10. *fab.* 8. *v.* 264.

> *Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo,*
> *Aure leves baccæ, redimicula pectore pendent,*
> *Cuncta decent.*

Et Claudian. *de* 6. *Honor. Conſul. v.* 528.

> Baccis *onerat candentibus aur*.

Commendantur autem *bacæ*, ſeu margaritæ à rotunditate, unde ſuprà Flaccus; *Rotundioribus onuſta baccis*, &c. Vide Caſp. Bartholin. *de Inaur. Veter. c.* 3. Hinc *Tribaca*, apud Petronium Arbitrum,

> *Quo margarita cara, Tribaca, Indica*

Signa-

ſignificat margaritam, tribus baccis unionibusve in auro inſertis conſtantem: quam Homer. *Il.* ξ. v. 183. τρίγληνα, *Scholiaſt.* τριόκκον & τριόφθαλμον vocat, vide infrà in voce *Tribaca*, ut & ubi de *Unionibus*.

BACCÆI, Hiſpaniæ gens. *Steph.*

BACCANÆ, vicus Etruriæ 15. mill. paſſ. à Roma. *Antonin.* Hodie *Baccano.* Exiguum habet lacum, vulgò *Lago di Baccano*; eſtque in ditione Pontificis, & in provinc. Patrimonii.

BACCAR, Græcè Βάκκαρ, quod *nardi ſylveſtris* nomine quidam donavêre, veſtibus inſerebatur olim ad odorem conciliandum, teſte Plinio *l.* 21. *c.* 19. *Conditur cum diapaſmate, veſtibus odoris gratia inſeritur.* Ubi Salmaſ. legit, *Tunditur autem ad diapaſmata.* Sic Dioſcorides *de Baccare*, καὶ εἰς διαπάσματα χρῶνται [illegible]: tuſis nempe & in pulverem redactis ſiccis aromatibus faciebant diapaſmata. Certè unguenta ex *baccaris* radice fieri ſolita, antiquos Græcos, ex *Ariſtophane* diſcimus. Unde quidam ex Græcis unguenta appellârunt βακκάριδας. Magnes in *Lydis Comœdia*,

Λούσαντα χρὴ καὶ βακκαρίδι κεχρισμένον.

Scholiaſtes Æſchyli in *Perſis*, καὶ τὴν βακκάριδα ἔνιοι μύρον Λυδῶν ἔφασαν, *Et baccaridem nonnulli unguentum Lydorum vocavêre* &c. Sed aliud eſſe βάκκαρις, aliud μύρον, oſtendit Plin. *l.* 21. *c.* 19. Hinc *Æſchylus* ea ſic diſtinguit,

Κἀγώγε σοὶ τοῖς βακκάρεσί τε καὶ μύρῳ.

Et *Simonides*,

Κἀλειφόμην μύροισι, καὶ θυώμασι,
Καὶ βακκάρι.

Videlicet non omne ungoentum ſic appellandum erat, ſed certum genus tantum, quod ex *baccaris* radice fieri diximus. *Heſychius*, βάκκαρις, μύρον ποιὸν ἀπὸ βοτάνης ὁμωνύμου. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1062. ut & infrà aliquid voce *Pancharis*.

BACCARACUM, urbecula Galliæ, in Lotharingia, ad Murtam fluv. in ditione Epiſcopi Metenſis, 7. leuc. ſupra Nanceium, verſus Fanum S. Deſiderii. Vide *Bacchi Ara*.

BACCATUM Monile, apud veter. Scriptorem, margaritis conſertum intelligitur, has enim *baccas* quoque dictas Veteribus, ſuprà oſtendimus. Unde hodieque *Bagues* vocitant Galli, à *baccis*, ſeu margaritis, mundum muliebrem, qui in gemmis unionibuſque conſiſtit; atque inde *bagatellas*, nugas & jocularia. Salmaſ. *d. l. p.* 1124.

BACCHA, villa circa Mæotidem. Item Bacchi ſacerdos. Vide *Bacchus*.

BACCHA, apud Gualterum *Vitâ* S. Caroli Comit. Flandriæ *n.* 20. nomen ſpeculæ, ſignique, quod phari inſtar erigi ſolebat in littore maris, ad commodiorem nocturnô tempore navium appulſum, ut & ad populum, belli metu ingruente, ſubitò excitandum. An à furore bellantium, ex Latino, de quo mox, ut vult Auctor præfatus: an ex Gallico *Beccum*, quò hodieque promontoria ſeu terræ ligulas in mare aut fluvios procurrentes, ubi ut plurimum phari ſeu turres eriguntur tanquam *roſtra* (id enim vox ſonat) indigitari ſolent. an ex Belgico *Bake* ſpecula itidem ſeu pharus? in cujuſmodi phari ſeu maritimi luminis ſuſtentationem, quod conferri ſolet, *Beconagium* dictum illius ævi Scriptoribus, uti Henr. Spelmann docet & Car. du Freſne *Gloſſario.* vide & infra *Pharus*.

BACCADES, vulgò BACCHABEL, teſte *Gul. Tyrio*, peramœnus admodum locus eſt, in finibus Zabulon, in cujus eſt tribu in ſummis montium, aquis irriguus, & fructiferarum arborum frequentiâ conſitus. *Gul. Tyr.*

BACCHÆ, vide *Bacchus.* Earum proprium *bacchari* eſt, ſicut *gallare* Gallorum Cybeles. *Bacchantes* autem molientis inſaniam, ad exemplum Caſſandræ apud Virgilium Amatæque, Lucan. ſic deſcribit *l.* 1. *v.* 674.

—— —— Nam qualis vertice Pindi
Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo,
Talis & attonitam rapitur matrona per urbem,
Vocibus his prodens urgentem pectora Phœbum:
Quò ferar ô Pæan, quâ me ſuper æthera raptam,
Conſtituis terrâ? Video Pangæa nivoſis
Cana jugis, latoſque Æmi ſub rupe Philippos &c.

Vide quoque Papinium Statium *Thebaid. l.* 4. *v.* 377. Fiebat id noctè maximè. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 302.

Bacchatur, *qualis commotis excita ſacris*
Thyas ubi audito ſtimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cithæron.

Ad quæ verba *Servius*, *Noctè celebratur. Unde ipſa ſacra Nyctelia dicebantur, quæ Popul. Romanus excluſit turpitudinis cauſa.* Et ad aras, Papin. Statius iterum *l.* 1. *Sylv.* 2. *de ſe & Stella*, *v.* 258.

—— multumque pares bacchantur ad aras:

ubi tamen non in ſenſu proprio ſumitur phraſis, pro *inter ſacra Deorum afflatu oracula fundere*, ut apud eundem *Theb. l.* 10. *v.* 666. Sed verſus pangere, denotat. Vide Barthium *ad l.* plura verò de hoc verbo, apud Jac. Ouzelium *Animadverſion. ad Minucium Fel. p.* 157. G. Elmenhorſt. *Obſervat. ad Arnobium l.* 1. *p.* 1. ut & hîc infrà, ubi de *Bacchantium Indumentis*, in voce *Evu*, it. *Rotare*, *Smilax*, *Ululatus*, &c. Aliam notionem verbi, quâ idem notat, quod cum laſcivia quadam ac petulantia vagari & laſciviam ſuam ſpargere, protervè diſcurrere & quaſi vitulari perſequitur pluribus Deſid. Heraldus *Animadverſion. ad Arnobii iſta l.* 4. *ut bacchari adoleſcentes ſolent.* Cæterum *Baccha* Centauriique in ſcyphis cælati, inter Acragantis opera, olim magni habebantur, & in Templo Liberi Patris in Inſul. Rhodo, aſſervabantur, uti teſtatur Plin. *l.* 33. *c.* 12.

BACCHANAL, vel BACCHANALE, Διονύσιον, locus in quo Bacchi ſacra celebrabantur. Plautus in *Aulul. Act.* 3. *ſc.* 1. *v.* 3.

Ad Bacchas veni in Bacchanal.

BACCHANALIA, Bacchi feſta, in quibus viri per noctem fœminis, & teneræ ætati turpiter per dolum admiſcebantur. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 3.

Qui Curios ſimulant & Bacchanalia vivunt.

Eorum pompam, & feſtivitatem breviter deſcribit Plut. *περὶ φιλοπλουτίας.* De fœditate eorum, quæ tanta fuit, ut an. Urb. Cond. 568. publicô edictô fuerint inhibita, ſeveriſſimè punitis, qui obſequium recuſarent, Livius *l.* 39. Auguſtin. *de Civ. Dei. l.* 7. *c.* 21. Tertullian. *Apol. c.* 37. Vide & *Dionyſia*.

BACCHANTIA Indumenta, apud Tertullian. *de Pallio c.* 4. ubi de Empedocle, *Si Philoſophus in purpura, cur non & in baxea Tyria calceatur? uſi aurum minime Græcatos decet: at quin alius & ſericatus & crepidam aratus inceſſit: digne quidem, ut bacchantibus indumentis aliquid ſubtinniret cymbalo inceſſit:* Serica ſunt & purpurea veſtis, quâ Bacchus olim & omnes ejus θιασῶται uſi. Hinc notum, cùm Dionyſius Siciliæ Tyrannus Platonem invitâſſet, ad ſaltandum ἐν πορφυρῷ ἱματίῳ, recuſâſſe eum cum hoc dicto,

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι ſτολήν,
Non poſſem muliebrem induere ſtolam.

Ariſtippum autem eâ acceptâ ſaltaturum, appoſitè dixiſſe.

—— Καὶ γὰρ ἐν Βακχεύμαϲιν
Ἥ γ᾽ οὖσα σώφρων οὐ διαφθαρήσεται:
—— Namque in Bacchi feſto,
Quæ caſta eſt, nequaquam corrumpetur.

Purpurea itaque veſtis eſt & mulierum & *bacchantium* propria. Et certè *Bacchantes*, Gallantes & hujuſmodi cæteros μητραγυρτεῖν τε, in purpureis & ſericis aureiſque veſtibus & inceſſiſſe & ſaltâſſe, Clemens quoque obſervat *Pædagog. l.* 2. *c.* 10. Εἰ δὲ καὶ ἄλλου τινὸς χρώματος δέοι, τὸ αὐτοφυὲς τῆς ἀληθείας ἀπόχρη βάμμα· αἱ δὲ τοῖς ἄνθεσιν ἐοικυῖαι ἐσθῆτες, βακχικοῖς καὶ τελεσϲικοῖς καταλειπτέον χοροῖς. *Quod ſi & alium quendam colorem opus quærere, nativus Veritatis color ſufficit: quæ floribus vera ſimiles ſunt veſtes, Bacchicis & feſtivis relinquendæ ſunt choreis.* Sic *Bacchici* Chori & purpureis & coloratis veſtibus induti. Vetus *Epigr.* περὶ Μητραγυρτοῦ,

Χρυσοφόρος ῥήσσων καλὰ τύμπανα.
Auriger frangens pulchra tympana.

Bacchus ipſe apud Veteres ſemper in purpureo ſericeoque amictu muliebrem in modum producitur. Lucianus de Baccho: Ἐν πορφυρίδι καὶ χρυσῇ ἐμβάδι. Κροκωτὸν prorſus ipſi quaſi peculiarem attribuebant, quæ tenuis erat ea auro veſtis. Unde ille apud Comicum verſus,

Ὁρῶν λεοντῆν ἐπὶ κροκωτῷ κειμένην.
Videns Leoninam ſuper crocoto jacentem:

Ubi vetus *Scholiaſtes* κροκωτὸν interpretatur, λεπτὸν ϛίνος ἔνδυμα, *ſericum indumentum* Latini *crocotam* vocârunt. Vide infrà in hac voce, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *Notis ad Tertullian.* ubi eoſdem ὀργιάζοντας ſine cymbalo nunquam inceſſiſſe, addit.

BACCHEBACCHUS, Græcè Βακχέβακχος cognomentum Bacchi in ſacrificiis uſurpatum, vide *Lagena* infrà.

BACCHEMON, Perſei & Andromedæ fil. *Lactant.*

BACCHI, mons Thraciæ circa Philippos, *Appianus.*

BACCHI, & ANTIBACCHI, inſul. duæ in ſinu Arabico. *Ptol. Steph.*

BACCHI Ara, ex antiqua loci traditione *Baccharach*, ſuperioris Germaniæ oppid. ad Rhenum in Palatinatu, inter Biogium & Veſaliam ſup. 2. leuc. diſſitum, quod & *Bachrach* dicitur. Vinum ejus his carminibus olim celebravit *Henr. Steph.*

Hæc mihi pocula ſint, contemnam, Gallica quotquot,
Græcia quotquot habet, quæcunque dat Itala tellus.
Nec ſitiam varios mihi quos lautiſſima Roma
Sæpe miniſtravit latices, me judice, quamvis
Romanæ Bacchi ſint maxima gloria menſæ.
Nam varia ob varios paſſim celebrantur honores
Vina, ſibi propriam poſcentia ſingula laudem.
At tua cunctorum cumulata videmus honore,
Cunctorumque ſimul titulos, laudeſque mereri.
Bacchi igitur meritò tribuit tibi nomen ab ara
Bacchara, quicunque eſt primus tibi nominis author.

BACCHI Theatrum, cujus mentio in *L.* memorata Demoſthenis in *Midiana*, Ὅταν ἡ πομπὴ τῷ Διονύσῳ ἐν Πειραιεῖ καὶ οἱ Κωμῳδοὶ καὶ ἐπὶ Ληναίῳ πομπὴ καὶ οἱ Τραγῳδοὶ καὶ οἱ Κωμῳδοὶ καὶ τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ καὶ οἱ παῖδες καὶ ὁ Κῶμος καὶ οἱ Κωμῳδοὶ καὶ οἱ Τραγῳδοὶ καὶ Θαργηλίων τῇ πομπῇ καὶ τῷ ἀγῶνι, μὴ ἐξεῖναι [illegible] —— ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις. Ἐὰν δέ τις τούτων τι παραβαίνῃ, ὑπόδικος ἔστω τῷ παθόντι καὶ προβολαὶ αὐτοῦ ἔστωσαν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τῇ ἐν Διονύσου ὡς ἀδικοῦντος καθ᾽ ἃ περὶ τῶν ἄλλων ἀδικούντων γέγραπται. *Cùm Pompa Libero ducitur in Piræo, agunt Comœdi & Tragœdi; item Lenæa pompa, & agentibus Tragœdis atque Comœdis. Aſtycorum quoque Liberalium pompa, ſaltante puerorum Chorô dum fit Comus aguntque Comœdi & Tragœdi: Thargeliorum item pompâ & certamine: neque pignus capito —— iſtis diebus. Qui ſecus faxit, accuſator à læſo & parabola adverſus eum dantor apud populum pro concione in Bacchi, ſiremps ſe lege, quâ adverſus alios, qui Feſti religionem temerârint:* locus erat Athenis, Philone Architectô, Tragœdorum olim Comicorumque Poëtarum commiſſionibus deſtinatus, infra Acropolim, cui murô, ut Pauſan. *l.* 1. vocat, Auſtrali, junctus erat: Ibi hodieque ſpecus viſitur, ubi tripus olim Apollinis, cum hujus ſororiſque ejus Dianæ ſtatuis, qui Niobes familiæ internecionem ſtragem

inferentes repræſentabantur. Sed & conſpicuæ olim ibidem erant Tragicorum Poëtarum illuſtrium, Æſchyli imprimis, Euripidis, Sophoclisque; & inter Comicos, Menandri præcipuè imagines. Quæ tamen omnia edaci ævo deſtructa, exceptâ muri parte, in qua tres etiamnum feneſtrarum ordines videntur: ut & inſcriptiones quædam, inter quas una, quæ Artemidori meminit, filii Apollophanis Acarnanis, qui fortè inter Comicos illos locum quoque habuit. Certè Apollophanem Comicum quinque dramata compoſuiſſe, *Suida* auctor eſt. Prope erat porticus Eumenica, præparationi Actorum, & deambulationi ac confabulationi virorum Eruditorum quondam dedicata. Quam in rem vide plura apud Jac. Sponium *Itinerar. Græcia Tom.* 2. Quod de porticu modo dictum, meminit & porticuum Octaviæ Scholæque ut illis Plin. *l.* 35. *c.* 15. ubi *Dalechampius*, in porticibus hujuſmodi locum & ſtationem quandam Ludi Literarii, in quem Philoſophi & reliquis doctrinis exculti homines convenire ſoliti ſint, ut publicis diſputationibus ac colloquiis exercerentur, fuiſſe, notat. Vide quoque infra *Lenæon*, hic enim ante Theatrum extructum certamina Athenienſes celebraverant &c.

BACCHIA, Albaniæ urbs. *Ptol.*

BACCHIADÆ, Corinthii, à Bacchia Dionyſii filia oriundi, qui cùm Actæonem, Meliſſi filium, in nocturnis Orgiis diſcerpſiſſent, ejus necem tam impotenter tulit Meliſſus, ut, obſervatô Iſthmiorum tempore, ſtans ante aram, diras Corinthiis imprecatus ſit, niſi filii ſui necem ulciſcerentur; carmineque peractô protinus ſe præcipitem dedit. Corinthii itaque, ut ſe religione ſolverent, *Bacchiadas* ex urbe ejecerunt; qui conſcenſâ navi in Siciliam delati, inter Pachynum & Pelorum conſederunt. Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 407.

> *Et quà Bacchiadæ, bimari gens orta Corintho,*
> *Inter inæquales poſuerunt mœnia portus.*

Hinc *Bacchis* Corinthus dicta. Stat. *l.* 2. *Silv.* 2. *v.* 34.

> *Qualis, ſi ſubeas Ephyres Baccheidos altum*
> *Culmen, ab Inoo fert ſemita tecta Lechæo.*

Vide Strab. *l.* 8. *Nic. Lloydius.* Vide quoque infrà *Bacchis.*

BACCHIARIUS, vel BACCHINES, tempore D. Auguſtini, ſcripſit quædam, Bibliothecæ Patrum inſerta *Tom.* 3. *edit.* 1614.

BACCHIDES, Meſopotamiæ Præfectus, tempore Demetrii Soteris X. Syriæ Regis, miſſus eſt, ut Alcimum Sacerdotem Summum Judæorum conſtitueret. Dein rediit in Judæam cum 20000. peditum, & 2000. equitum, ſed fuſus eſt à Juda Maccabæo, 800. ſolum militibus ſtipato, qui tamen in hoc prælio, poſt incredibilis fortitudinis edita ſpecimina, lethale vulnus accepit. Cui mortuo ſuffectus Jonathan frater, non nimis fortiter Bacchidi reſtitit, hujus inſidiis fruſtra tentatus, eumque pacem inire, & Judæâ excedere coëgit. Hinc ergo Antiochiam rediit. 1. Maccab. *c.* 7. 8. 9. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 12. *c.* 18 19. & *l.* 13. *c.* 1. & 2. Item Dux, qui Sinopen urbem Lucullo prodidit. Strabo *l.* 12.

BACCHIMONES, populi Orientales Boccacio, qui poſteà ab Achæmene, Bacchemonis filio, *Achemenides* dicti. Hi Apollinis ritus ſe inveniſſe aſſerunt.

BACCHIS, Rex Corinthi Heraclidarum ab Alethe V. ſucceſſit Prumnidi patri, omnium eorum qui præceſſerunt, maximè illuſtris; quô factum, ut qui ſequuti ſunt, non amplius *Heraclidæ*, ſed *Bacchidæ*, nominari fuerint, ſeu *Bacchiadæ*: qui cùm progreſſu temporis ita multiplicarentur, ut plures ducentis evaderent, poſt Automenem, communi jure præſidere urbi, & ex numero ſuo *Prytanum* unum, qui locô Regis eſſet, eligere cœperunt, per annos XC. Donec à Cypſelo tyranno ejecti ſunt, Diodor. Sic. apud Syncellum *p.* 179. paulo aliter Pauſan. *l.* 2. de qua amborum diſcrepantia, adi ſi viſum eſt Illuſtr. Marshamum *Canone Chron. ad Sec.* XVII. ubi *de Corinthi Regibus* agens, inter alia ante *Bacchidem*, Regem, qui regnaverit annos 30. apud Diodorum deſiderari conjicit. Regnavit autem *Bacchis* ann. 35. cui Agelas ſucceſſit.

BACCHIUM, Plin. *l.* 5. *c.* 31. *Bacchina*, Inſul. parva maris Ægæi, ante Smyrnam, urbs Ioniæ.

BACCHIUS & BITHUS, gladiatores nobiliſſimi, qui pares ætate, & audaciâ fuêre. Hinc natum proverbium: *Bithus contra Bacchium.* Eraſm. *Adag.* Sueton. *in Auguſto.* Horat. *l.* 1. *Sat.* 7. *v.* 20.

> *—— Uti non*
> *Compoſitus melius cum Bitho Bacchius ——*

Hi cùm multos interfeciſſent, tandem congreſſi mutuis vulneribus ſe confoderunt.

BACCHUS, Jovis ex Semele filius. Orpheus *in Hymnis.*

> Κισσοκόμην Διόνυσον ἐρίβρομον ἄρχομ' ἀείδειν.
> Ζηνὸς καὶ Σεμέλης ἐρικυδέος ἀγλαὸν υἱόν.

Idem aliô *Hymnô* Jovis & Proſerpinæ filium putavit.

> Κυδάλ' ἀπολλύουσα Διὸς καὶ Περσεφονείας.

Hunc Deum *bimatrem* appellârunt, non quia duas habuerit matres, ſed quod, cùm Semele mater arſiſſet, ex igne ſurreptus Jovis femori aſſutus fuerit, qui matris munere functus fuit, teſte Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 310.

> *Imperfectus adhuc infans genetricis ab alvo*
> *Eripitur, patrioque tener, ſi credere dignum eſt,*
> *Inſuitur femori, maternaque tempora complet.*

Manilius *l.* 2.

> *Atque iterum patriô naſcentem corpore Bacchum.*

Orpheus, *Hymnô in Sabazium*, Dionyſium inquit, à Sabazio Jovis femori aſſutum fuiſſe: cùm tamen alii Sabazium fuiſſe filium Bacchi inquiant, alii Bacchum ipſum, alii alium dæmonem. Sic enim ille.

> Κλῦθι πάτερ, Κρόνου υἱὲ, Σαβάζιε, κύδιμε δαῖμον,
> Ὃς Βάκχον Διόνυσον, ἐρίβρομον, Εἰραφιώτην
> Μηρῷ ἐγκατέρραψας, ὅπως τετελεσμένος ἔλθῃ
> Τμῶλον ἐς ἠγάθεον. ——

Theocritus *Idyll.* 26.

> Χαίροι μὲν Διόνυσος, ὃν ἐν Δρακάνῳ νιφόεντι
> Ζεὺς ὕπατος μεγάλαν ἐπιγουνίδα θῆκε λύσας.

Nonnus, *Baſſaricôn initiô.*

> —— —— Εἰπὲ δὲ φώνῳ
> Βάκχου διαστόκοιο, τὸ ἐκ πυρὸς ὑγρὸν ἀείρας
> Ζεὺς βρέφος ἡμιτέλεστον ἀμαιεύτοιο τοκοῖο,
> Φειδομέναις παλάμαισι τομῇ μηροῖο χαράξας,
> Ἄρσενι γαστρὶ λόχευε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ.

Hunc primùm matertera ejus Ino clam nutrivit, poſtmodum Nymphis tradidit, quæ etiam ei alimenta dederunt. Ovid. ubi ſuprà, *v.* 313.

> *Furtim illum primis Ino matertera cunis*
> *Educat, inde datum Nymphæ Nyſeides antris*
> *Occuluêre ſuis, lactiſque alimenta dedêre.*

Et ſanè Meleager, non aſſutum fuiſſe femori Jovis arbitratus eſt, ſed ab ipſis Nymphis è cineribus maternis ſtatim ereptum & educatum, cum ita ſcribat,

> Αἱ Νύμφαι τὸν Βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλατ' ὁ κοῦρος
> Νίψαν ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
> Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος, ἢν δέ νιν εἴργῃς
> Μισγομένου, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

A' qua ſententia videntur non magnoperè diſſentire carmina illa, quæ ſunt in *l.* 9. *Dionyſiacorum*, apud Demarchum, qui ſcribit Dionyſum ab Horis fuiſſe educatum, ut eſt in his:

> Τὸν μὲν ὑπερκύψαντα θυώδεος ἐκ τοκετοῖο,
> Στέμμασι κοσμήσαντο λεχωίδες εἴρεφον Ὧραι.

Memoriæ prodidit Lucian. in *Dialogis*, Deorum Dionyſum ſtatim natum fuiſſe deportatum à Mercurio in Nyſam, Arabiæ urbem, Ægypto finitimam ad Nymphas educandum. At Orpheus in *Hymnis* illum educatum fuiſſe, in Ægypto, ſignificat in his.

> Αἰγύπτῳ παρὰ χεῦμα σὺν ἀμφιπόλοισι τιθήναις.

Alii Hyadas fuiſſe Bacchi nutrices putârunt, ut ait in *l.* 2. *de Diis* Apollodorus Cyrenaicus, & Ovid *l.* 5. *Faſt. v.* 165. *in his.*

> *Ora micant Tauri ſeptem radiantia flammis,*
> *Navita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.*
> *Pars Bacchum nutriſſe putat, pars credidit eſſe*
> *Tethyos has neptes Oceanique ſenis.*

Pauſan. ſcribit *in Achaicis*, fuiſſe ſermonem Patrenſium, quòd *Bacchus* fuerit apud ſe educatus intra Meſatim oppid. quódque Panum inſidiis propè fuerit circumventus. Alii in Naxo nutritum fuiſſe inquiunt. At Antipater Sidonius hunc, ſicut Herculem, Thebanum fuiſſe memorat in his carminibus,

> Ἀμφότεροι Θήβηθε, καὶ ἀμφότεροι πολεμισταί.
> Κἠκ Ζηνός. Σθένεϊ θύρσος, ὁ δὲ ῥοπάλῳ.

Lucianus addit, matrem ejus Syrophœnicem fuiſſe. Verùm hæc locorum, nutricumque differentia inde exorta eſt, quòd varii fuerunt *Bacchi*, de quibus ita ſcripſit Cicer. *l.* 3. *de Nat. Deor. Dionyſos multos habemus, primum è Jove & Proſerpinâ natum: Secundum Nilô, qui Nyſam dicitur interemiſſe: Tertium Capriô patre, eumque Regem Aſiæ præfuiſſe dicunt, cujus Abazia ſunt inſtituta. Quartum Jove & Lunâ, cui ſacra Orphica putantur confici. Quintum Niſô natum & Thione, à quo trieterides conſtituta putantur. At de nullo horum propè fit mentio à Poëtis, niſi de Jovis & Semeles filio.* Fuerunt qui dixêre, ſtatim natum Dionyſum fuiſſe à Mercurio Jovis mandatô in Eubœam ad Macrim Ariſtæi filiam portatum, quæ labra melle illi primùm perunxit, eumque educandum cepit. Id verò cùm ſenſiſſet Juno, Macrim Eubœâ relegavit, ne pellicis fil. etiam in inſula ſibi ſacrâ educaretur; quæ in Phæacum regionem profugit, atque in antro duas portas habente illum educavit. Apollonius *Argon.* 4.

> Αὐτοχὶ νύμφῃ θαλαμήϊον ἔντυνον εὐνὴν
> Ἄντρῳ ἐν ἠγαθέῳ, τόθι δή ποτε Μάκρις ἔναιεν
> Κούρη Ἀρισταίοιο μελίφρονος, ὅς ῥα μελισσέων
> Ἔργα, πολυκμήτοιό τ' ἀνεύρατο πῖαρ ἐλαίης.
> Κείνη δὴ πάμπρωτα Διὸς Νυσήϊον υἷα
> Εὐβοίης ἔντοσθεν Ἀβαντίδος, ᾧ ἐνὶ κόλπῳ
> Δέξατο, καὶ μέλιτι ξηρὸν περὶ χεῖλος ἔδευσεν.
> Εὖτέ μιν Ἑρμείας φέρεν ἐκ πυρὸς, ἔδρακε δ' Ἥρη
> Καί ἑ χολωσαμένη πάσης ἐξήλασε νήσου,
> Ἡ δ' ἄρα Φαιήκων ἱερῷ ἐνὶ τηλόθεν ἄντρῳ
> Ναῖε, καὶ πόρεν ὄλβον ἀθέσφατον ἐνναέτῃσιν.

Orpheus *in Hymnis*, Hippam *Bacchi* nutricem fuiſſe perhibet hôc verſu,

> Ἵππαν κικλήσκω Βάκχου τροφὸν, εὐάδα κούρην.

Idem tamen, *Hymnô in Nymphas*, illas *Bacchi* nutrices nominat, ut ſenſit etiam Homer. *Hymn. in Dionyſ.*

> Ὃν τρέφον ἠΰκομοι Νύμφαι, παρὰ πατρὸς ἄνακτος

Δεξά-

Δεξιάδρομον πόλευον, καὶ ἐνδοτάτας ἀνθέων.

Vide Oppian. Κυνηγ. *l.* 4 Porrò *Bacchum* Orpheus vocat,

Ἄῤῥητον καὶ θῆλυν, διφυῆ. ---- ----

Et Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 17. eum ſemper juvenem eſſe ſcribit,

Tibi enim inconſumpta juventa eſt,
Tu puer æternus, tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris cœlo. ---- ----

Olim ſimulachrum ejus rudis erat lapis: unde *Bacchi Thebani* ςύλον habeat ea veterib. Poëtis Clem. *l.* 1. *Strom.* Vide infrà voce *Betylus.* Poſtmodum fingebatur juvenili ſpecie, corpore teneró & delicató, ut Virginem referret. Unde Poëta Phallicus,

Trahitque Bacchus Virginis tener formam.

Quam ob cauſam inter Deos formoſos eidem connumeratur carmine alio,

Formoſus quoque pingitur Lyæus.

Quæ ad hodiernam *Bacchi* picturam malè reſpondent: Niſi abdomen & ventrem inter pulchritudinis partes cenſere velimus. Vide Diodor. Sic. *l.* 4. ubi totam *Bacchi* Hiſtoriam habes, & Nonnum *in Dionyſiacis*, ubi res geſtas ejus deſcribit. Peregrinationibus enim ad remotiſſima orbis loca confectis, Indias vicit, homines vineas plantare, ſegetes demetere, negotiationes exercere docuit. Sic dictum volunt à *Bacchis*, quæ illum Βακχεύοντες h. e. *inſanientes, & immodeſtè ſe gerentes in Indiam ſecutæ ſunt*, ſive ut *Euſtathio* placet, ἀπὸ τοῦ βάκχειν h. e. *à vociferando*, ac *ululando*, unde ipſe *Bacchus* (inquit D. Heinſius) *non eſt dubitandum, quin à* בכה *Baccha*, quod eſt, *ululare* aut *lamentari* dictus ſit. Alter Bochartus ὁ μέγας, cui *Bacchus* quaſi בר כוש *bar-chus*; i.e. *Chuſi filius*. Vide doctiſſimum Virum *Phaleg l.* 1. *c.* 2. Mythologiam ejus habes apud Nat. Com. *l.* 5. *c.* 13. Alex Roſſæum, *in myſtagogo Poëtico*, &c. quos ſis conſule. Ἐρέβινθος Διόνυσος, h. e. *Cicerinus Bacchus*, de re vehementer contempta; ſumptum adagium, à potu ex leguminibus confecto, qui vinum imitatur. Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, *Nihil ad Bacchum*, ubi quis ea nugatur, quæ ad rem præſentem nihil ſpectant, quæ eleganter dicimus ἀπροσδιόνυσα,

Πολλοὶ τοι ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι.
Multi thyrſigeri, pauci viri.

Proverbium, quò ſignificatur complurimia mortalium adeſſe virtutis inſignia, aut etiam famam, qui tamen verâ virtute vacent. Hinc *Bacchæ*, Bacchi ſacrificulæ, quæ & Mænades, Baſſarides & Thyades, &c. quæ noctu ei ſacrificabant alteris annis, in Parnaſſo monte Bœotiæ; item annò quòque tertiò ad Cithæronem montem catervatim cum thyrſis convenire ſolebant; ut ibi *Bacchi* orgia magno cum ululatu celebrarent. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 640.

Utque tuo motæ proles Semeleïa thyrſo,
Iſmariæ celebrant repetita triennia Bacchæ.

Dixi cum *thyrſis*, qui *Baccho*, & *Bacchis* paſſim ab authoribus tribuuntur. Suidas, Θύρσος Βακχικὸν ῥάβδος, ὃ ἀνεφέρετο ἐν ἱεροῖς εἰς τιμὴν τοῦ Διονύσου. Thyrſum itaque eſſe Bacchi certum eſt. Hinc à Sidonio Antipatro *Bacchus* dicitur θυρσοφόρος: Et Statius *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 115.

—— *Cui jus venerabile thyrſi*
Bacchus. ---- ----

Eandem rem firmat inſania Antigoni & Antonii. Prior apud *Herodotum Bacchum* repræſentaturus, tum hederam capiti circumponebat pro diademate, tum maximè ferebat θύρσον ἀντὶ τοῦ σκήπτρου. Poſterior apud Vellejum, *l.* 2. *c.* 82. cùm Liberum Patrem appellari ſe juſſiſſet, cùm redimitus hederâ, coronâque velatus aureâ, & thyrſum tenens, cothurniſque ſuccinctus, curru velut Liber Pater vectus eſſet Alexandriæ. Hinc *Bacchus thyrſiger* eſt, apud Senecam *in Medea, Act.* 1. *v.* 110.

Candida thyrſigeri proles generoſa Lyæi.

Fuit verò thyrſus non *Bacchi* ſolum, ſed & *Baccharum*, cujus virtute rixas illas, atque illudente Dæmone, mira quæpiam prodigia feciſſe antiqui prodidêre. Apud Euripidem Baccharum una, cùm petram thyrſò percuſſiſſet, δροσώδης ὕδατος ἐκπηδᾷ νοτίς, *fons exiliit aquæ roralentis*. Alia in ſolo terram jecit, remiſit *Bacchus κρήνην οἴνου*, vini fontem, & ferè ſtatim ἐκ δὲ κισσίνων θύρσων γλυκεῖαι μέλιτος ἔσταζον ῥοαί. Nonnus *Dionyſiacôn*, *l.* 48.

Θύρσῳ γαῖαν ἄραξε, διχαζομένης δὲ κολώνης,
Αὐτοπαγὴς οἶνος μέθυ ἀνέδυε μαζῷ
Χεύματι πορφύρεοντι.

Si quis verò deſcriptionem thyrſi petat, addam ex Virgilio, qui talem ejus adhibet periphraſin, *Eclog.* 5. *v.* 31.

Et foliis lentas intexere mollibus haſtas.

Nimirum nihil aliud thyrſus denotat, quam haſtam, ſive virgam frondibus veſtitam, aut etiam pampinis ac foliis hederæ obtectam, in cujus extremitate cuſpis erat, aut mucro formâ coni pinei. Plin. *l.* 16. *c.* 34. *Hedera Liberi Patris adornat thyrſos.* Indè Euripides, *in Bacchis*, Thyrſum vocat κίσσινον βέλος, & Ovidius *in Ep.* 13. *Heroid. v.* 33. *haſtam pampineam* eò verſu:

Ut quas pampineâ tetigiſſe bicorniger haſtâ
Creditur. ---- ----

Juſtinus M. ὥσπερ αἱ Βάκχαι διὰ χρώματος σιωπῶσι τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις ἀφεστίεσι. Addit Macrob. *l.* 1. *c.* 19. mucronem quoque ipſum tegi lambente hederâ. Seneca clarè, *in Hercule Inſano, Act.* 4. *v.* 33.

Teſtam virenti cuſpidem thyrſò gerens.

Nonnus *Dionyſ. l.* 9. hunc thyrſum dicit, ἀκιδόεντα πετάλοις, *aculeatum foliis*, & alibi σκιερόν *umbroſum*, vel *inumbratum.* De la Cerda. Hinc *Bacchanalia*, quæ, ea feſtis in Bacchi honorem celebrari ſolitis, præcipua erant. E quibus patuit, hominem vinò largius, quàm decet, hauſtò, mentem perdere & in vitia horrenda deſpumare. Vide ibi, & Ovid. *Met. l.* 3. *Euripid.* Diodorum *l.* 4. 5. &c. *Nic. Lloydius.* Addam, quod Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 19. *Liberi patris*, inquit, *ſimulachra, partim puerili ætate, partim juvenili fingebantur: præterea barbata ſpecie, ſenili quoque.* Coronabatur pampineis, hederâ, & ficulneis frondibus: pampinô quidem & ficu, ex memoria Nympharum Staphylæ & Sycæ, hederâ verò, in memoriam Ciſſi pueri, in hanc plantam converſi. Effictus eſt aliquando in curru pampineo; qui pantheris modò, modò tigribus ac lyncibus vehebatur triumphans. Silenus, à quo educatus dicitur, pando aſello propter aſtans Bacchis & Satyris thyrſos ac ferulas vibrantibus, cæteroque Bacchantium comitatu, tum præeunte, tum ſubſequente. Vide Andr. Alciatum *in Emblematis*, & Claud. Minoëm *Comm. in eum.* Ejus templum Romæ erat in region. 2. de quo ita Georg. Fabricius: *Bacchi templum nunc S. Conſtantiæ, extra portam Viminalem in via Numentana, circulare & vermiculatô opere uſque & avies villoſus.* Ædiculam quoque habuit in region. 6. Cum Proſerpina communis ei ara fuit. Apud Athenienſes quoque, & alios magno fuit in pretio, utpote unus ex Diis Conſentibus & celebris admodum, ſed Schytæ ſacra ejus non admiſerunt, *quod nefas ducerent Deum colere, qui ad inſaniam adigeret*, Herodot. *l.* 4. Principium cultus ab Indis fuiſſe, docet Fr. Laziardus *Hiſt. Univerſ. Epiſt. c.* 16. Primum ei ſimulachrum conſtituiſſe & quemadmodum coli deberet, oſtendiſſe Eleuther dicitur, apud Hyginum *Fabul. c.* 225. Trigridem ei ſacrârunt Poëtæ, quòd ferociſſima quæque pectora ejus inventô, vinô videl. domentur. *Silius Punicor. l.* 17. *v.* 652.

Qualis odorati deſcendens Liber ab Indis,
Egit pampineos frænatâ tigride currus, &c.

Nec omittendum, quòd *Bacchus* præcipuè ad imitandum placuerit multis. Quamvis enim alios quoque Deos æmulatus Alexander ſit Ammonem, Dianam, Mercurium, Herculem; imprimis tamen Bacchi fuit imitator, cujus prom triumphum pluribus exponit Curtius *l.* 9. *c. extr.* Vide quoque in *Vario* Xiphilinum, ubi Genium quendam, Alexandrum ſe ferentem, atque ex Iſtri locis profectum, Aſiam & Thraciam cum 400. hominibus, bacchantium more ſimiliter pertranſiiſſe, tandemque in regione Chalcedonenſi diſparuiſſe, refert. Idem de Mithridate Antigono, C. Mario, M. Antonio, docet Schottus *Obſervat. Hiſtor. l.* 3. *c.* 3. ubi ex Val. Maximo *l.* 3. *c.* 6. & Plinio *l.* 33. *c.* 11. notat, Marium, poſt Cimbricam victoriam, Cantharis potâſſe, quod in inclyto ſuo per Aſiam triumpho eô poculi genere fuerit uſus: apud Freinshemium *Not. ad Curtium d. l. Bacchum* racemis uviferis coronatum in jaſpide Viri Cl. videbimus infrà voce *Jaſpis*: plura vide apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 11. Dempſterum *Paralipom. ad illud*, Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium paſſim* & infrà in voce *Liber.*

Cognomina varia Bacchi.

Ædoneus dictus eſt, inter mortuos, apud Arabes.	Igorgena.
Bacchus, inter vivos.	Legiſlator.
Bicornis.	Lenæus.
Bromius.	Liber, apud Roman.
Bronteus.	Lyæus.
Corniger, vide infrà *Mitra.*	Nyctelius, quòd ſacra ejus noctu peragerentur.
Dionyſius, apud Indos.	Omphacita.
Eleus.	Oſiris, apud Ægyptios.
Eleutherius.	Pantheus, apud Lucanos.
Evan, Evius, Evoe, quod in ſacris ejus receptiſſimum. Vide infrà.	Phanaces, à Myſiis ſuis appellatus.
	Phleo.
Hians, Græcè Κεχηνώς, in Samo cultus eſt, vide Plin. *l.* 8. *c.* 17.	Staphylita.
	Thyoneus.
Jacchus.	Titanicida vitiſator. &c.

BACCHUS, Martyr, unà cum Sergio ſub Diocletiano ad Euphratem paſſus eſt. Uterque ordinem in exercitu Cæſaris ducebat. *Volaterranus.*

BACCHYLIDES, Ceus, Poëta Lyricus, Simonidis, à fratre nepos. Natus Julide, in Inſul. Cea. Circa Olymp 82. Auctor hymnorum, Odarum & Epigrammatum, quorum fragmenta ſuperſunt. Juliano Apoſtatæ in deliciis, unde plurima egregia, imprimis illud de Caſtitate, præcipuo hominis ornamento, decerpſit. *Amm. Marcellin.* Vide Voſſ. *Poët. Græc. c.* 5. *ad Olymp.* 82. Euſebium, *Chron. Nic. Lloydius.*

BACCHYLIDES, Tibicen Opuntius, cujus meminit Plato Comicus.

BACCI, ubi Longobardos à Francis victos acie cæſoſque eſſe tradit Marius, Epiſc. Aventicenſis *in Chron.* locus aut vicus eſt in valle Pennina, non multùm à Monaſterio Acauno, vulgò *Bex.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Veragri.*

BACELUS, vir quidam effeminatus, totuſque luxuriæ deditus. Unde Proverb. *Bacelo ſimilis. Heſych.* Βάκηλος, ὁ μέγας καὶ ἀνόητος, ἢ ὁ ἐκτομίας, ὁ ἀπ' ἐκείνων Γάλλος. Οἱ δὲ ἀνδρόγυνον, ἄλλοι τομίαν, γυναικώδης παρὰ Μενάνδρῳ Ὑμνίδι. *Nic. Lloydius.*

BACEMUM, vulgò BACAIM, urbs Aſiæ, in India, non procul ab ora Oceani & ſinus Cambejæ, in ditione Luſitanorum, cum arce munita; eſtque media ferè inter Goam & Amedebatum,

urbes celebres. 60. mill. paſſ. ab Emporio Surata in Auſtrum.

BACENIS, Silva eadem cum Hercynia Volaterranus *l. 7. Geograph.* diverſam putat: tamen ex ejus lectione (nam *Barcenis* legit) colligi poteſt, eandem geminò, ſed idem ſignificanti nomine appellari. Ut enim *Hercynia* ſive (ut *Eratoſthenes* habet) *Orcynia* in vernacula Germanorum, *Hartz*: ita & *Barcenis*, unicâ literâ immutatâ dicitur *bartz* pro *Hartz*. Nam ſicuti Taurus mons Aſiam, Atlas Mauritaniam & Apenninus Italiam mediam interſecant & dubio procul varia à variis accolis nomina ſortiuntur: ita & Hercynium nemus totam Germaniam ad Riphæos uſque montes & paludes Mæotidis permeat: ſed ab aliis confinibus aliter & Latinè & Germanicè vocatur. Latini namque partim & Græci eandem Silvam *Bacenim*, *Marcianam*, *Gabretam*, *Semanam* & *Hercyniam* nominant: Germani verò juxta Friburgum Briſgoiæ eam *Nigram Silvam* à pinorum haud dubiè opacitate: Heidelbergenſis tractus ab Othone *Othons ſilvam*. Prope Herbipolim autem & Papebergam *Ardua Silva*, Germanicè *Steigerwald* (unde nimirum vox *Gabreta* apud Strabonem *l. 7.* nata eſt) ab iiſdem vocatur. A Mœno etiam ad Lonam amnem, prope Confluentiam, *der Weſterwald*, h. e. Occidentalis ſilva. Non procul autem à Mœni ripa, ubi Francofurtum, Aſciburgium & Moguntium attingit, *Spiſſhartz*, h. e. picearia Silva. In Saxoniæ faucibus, ubi Comitis Mansfeldii ditionem pertingit, à pice rurſus nomen ſortitur, Germanicè *auf dem hartz*. A Thuringis adjacentibus *Thuringica* (de qua Cæſar, *l. 6. c. 9. Comment.* loqui videtur; & à Bohemis *Bohemica* appellatur ſilva.

BACHARIUS Maſlæus, Anglus, S. Patricii diſcipulus de Horoſcopo librum edidit, primis Juventæ annis. Circa annum 460. ſub regno Vortigeri. Voſſius, *de Scient. Mathem. c. 63. §. 1.*

BACHELARII vel BACCALARII, in *Uſaticis* Barcinonenſibus *c. 46.* ruſtici ſunt, qui manſum excolunt; ſeu potiùs, qui, ruſticis manſorum cultoribus longè honoratiores, ruſticis tamen accenſebantur, ad quorum imitationem, ſi non operis ſervilibus, aliis tamen, v. g. *cenſui*, erant obnoxii. A voce *Baccalaria*, prædii ruſtici ſpecie, quæ decem interdum manſos (manſus autem 12. erat jugerum) complectebatur. Unde *Baccalarii Eccleſiæ*, in Catalogo Abbatum Lerinenſium, apud Vinc. Barralium *Tom. II. p. 151.* ubi narratur, Gaucelinum Forojulienſem Epiſcopum ſub A. C. 1038. *una cum conſilio & conſenſu omnium Canonicorum ſuorum & Baccalariorum* (qui nempe iſtiuſmodi *Baccalarias* tenebant, poſſidebant & colebant) *& aliorum quamplurium utriuſque ſexus donationem quandam feciſſe Monaſterio Lerinenſi* &c. Alii verò ſunt recentioribus Scriptoribus *Baccalarii*, qui videl. Militarem ordinem conſecuti, non erant ſatis divites, vel quibus idoneus haud erat vaſſallorum numerus, ut vexillum in præliis educere poſſent: vel, ſi ejuſce eſſent ordinis, qui *Bannerettorum* dicitur, nondum tamen præ ætate illud eduxerant, &, ut Galli loquuntur, *qui n'avoient pas encore levé banniere*. Atque ii vulgò iiſdem *Bachelers* appellantur, quos, ut adoleſcentes, ideo repræſentant, Albertus Aquenſis *l. 3. c. 26* Glaber Rodulfus *l. 5. c. 1.* Froiſſardus *Volum. I. c. 29* &c. Unde etiamnum in Picardia adoleſcentes ac adoleſcentulas *Bachelers & Bachelettes* appellari, annotavit *Faucheus*. Eoſdem, ut minimè divites, paſſim Scriptores indigitant, interim ordinem eorum, licèt Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus & Caſtellanis hos poſtponant, ſatis commendanees. Inde appellatio ad *Baccalarios* ſeu *Baccalaureos* Academicos tranſiit, qui in eo gradu ſunt, ut ad Doctoratum adſpirare poſſint, quemadmodum Baccalarii Milites adoleſcentes, qui ad *Bannerettorum* gradum perinde adſpirabant. Hos à Juſtiniano *in Proœm. Lytas*, Hiſpanicè *Licentiados*, aliis *Subdoctores* dictos fuiſſe, legas apud Macrum in *Hierolex.* Pariſiis Theologiæ Facultas duplicis generis *Baccalarios* habet, *Formatos* & *Curſores*; in 4. nempe hos ordines, obſervante Fileſaeô diviſa, *Magiſtrorum*, *Licentiatorum*, *Baccalariorum Formatorum & Baccalariorum Curſorum*: E quibus ultimi hi ſunt Theologiæ Candidati primi generis, qui ad *Curſum* Theologicum explicandum admittuntur, Bibliorum videl. poſteà libri Sententiarum Petri Lumbardi. Unde nata illa diſtinctio *Baccalariorum*, ut alii *Biblici*, alii *Sententiarii*, nuncupentur. Vetus *Statutum* Academiæ Pariſ. *Quilibet Curſor* (Baccalarius) *in Theologia, inter primum Curſum & Sententias, tenebitur reſpondere in Theologia, ad minus ſemel de Diſputatione Tentativa, ſub Magiſtro*. Alibi, *Niſi talis volens admitti, tempus ſuum probaverit per ſchedulas Sententiariorum aut etiam Bibliorum* &c. Vide *Hiſtoriam* Academ. Pariſ. *Tom. IV. p. 391.* & Lambecium *Commentar. de Bibl. Cæſar. l. 2. p. 128. 129. 131. 134.* In Anglicis verò Academiis *Baccalariatus* vel *Doctoratus* gradus non obtinent, ut refert Joh. Forteſcutus *de Laudibus LL. Angl. c. 50.* &c. De origine vocis variant Eruditi: Cujacius *ad l. 2. de Feud. tit. 17.* à *Buccellariis* veterum dictos vult *Bacalarios*; Alciatus à *Bacca Laurea*, *ad l. 3. de verbor. ſignif.* Rhenanus à *Bacillis*. Vide infrà ubi de *Bacillariis*, Loiſeus *de Ordinib. c. 6. num. 49. & 50.* *Bacellarios*, à vocibus Gallicis, *bas eſchelon* dictos ſcripſit, quòd Militaris ejuſmodi ordo infimus eſſet. Quod etymon quamvis paucis arrideat: certum tamen, haſtenus ferè receptam fuiſſe Claudii Falceti, Viri in *Antiqq. Gall.* verſatiſſimi, ſententiam, *Baccellarios* nempe, ſeu *les Bachelers*, appellatos quaſi *bas Chevaliers*, quòd Militibus Bannerettis dignitate inferiores eſſent, iiſque ultro cederent, adeò ut in conſeſſibus publicis vel in conviviorum accubitu poſt eos ſederent. Nam *Baccalariis* cum Bannerettis ſedere fas erat, quod non licebat Scutiferis, quantumlibet natalium ſplendore conſpicuis, quod eximiè docet Continuator Nangii Gallicus MS. ad A. C. 1378. ubi narrat, ut Carolus V. Franciæ Rex Carolum IV. Imperatorem & Regem Rom. filium ejus, in aula ſua convivio exceperit, apud *Car. du Freſne*. Ita apud Longobardos conſuetudinem fuiſſe, ſcribit Paulus Warnefridus *l. 1. c. 23.* *ut Regis cum patre filius non pranderet, niſi prius a Rege gentis externæ arma ſumſiſſet*: quod etiam in more fuiſſe apud Aragonios, teſtatus Eximinius Petri Salanova Juſtitia Aragonum *l. de Privilegiis Baronum & Rhicorum hominum*. Accedit Falceti ſententiæ, præ aliis, Andr. Favinus: quam, ut reliquas quoque, pluribus expendit eruditus Seldenus *Tract. de Titulis Honorariis Part. 2. c. 3. §. 24.* quem vide, ut &, *de Baccalariis* inprimis *Academicis*, Cæſ. Egaſſium Bulæum *Tom. 2. de Acad. Pariſ. p. 670* de quo honoris gradu, Sigiſmundus Baro Herberſtenius quid ſenſerit, ex tabula liquet promotionem ejus in *Baccalaureum* repræſentante, cui hæc verba ſuâ inſcripſit manu: *Sunt qui abhorrent & verecundantur nomine Baccalaureatus appellari. Ego vero gaudeo & glorior. Promotus ſum Viennæ* 1502. apud Cl. Spenerum, qui addit: *Quam optandum eſſet, multis Illuſtribus eundem de ſtudiis & in Doctores ſuos ſenſum eſſe ac animum! forte meliùs cum publicis commodis ageretur*. *Artis Herald. Parte 2. l. 1. c. 37. §. 19.* Fuit autem Sigiſmundus is Legatione ad M. Muſcoviæ Ducem, quam ipſe in literas retulit, celeberrimus, & Maximiliano I. Carolo V. ac Ferdinando I. Imperatorib. magni habitus. Car. du Freſne *Baccellariorum* originem non abſque ratione, à priſcis illis *Baccellariis* deducit, de quibus primò locò egimus: qui, cùm *Baccellarias*, prædia ſic nuncupata, tenerent & excolerent, liberæ quidem ac ingenuæ conditionis homines, Baronibus tamen inferiores erant, vide ipſum in *Gloſſar.* hac de re eruditè diſſerentem; ut & de *Baccellariis Militaribus*, quos ad Academicorum diſcrimen *Bacheliers d'armes* vocat Joh. Villaneus *l. 6. c. 91.* & *l. 7. c. 85.* *Diſſertationem* ejus *ad Joinvillam*, ubi de *Bannerettis*. Adde, quæ diximus in voce *Bacalarius*, ut & infrà aliquid voce *Pennones*.

BACHELARIUS Sorbonæ, dicitur in Academia Pariſienſi, qui poſtquam Philoſophiæ partim, partim Theologiæ aliquandiu operam navavit, examini ſubjectus publicum profectuum ſuorum ſpecimen edidit, Richeletus in *Dictionar. Gall.* nuper edito. Vide *ſuprà*.

BACHETUS, vide *Claudius Gaſpar*.

BACHIANUM, Inſula Aſiæ, in mari Indico, & una ex Moluccis, parva ſed abundans & mirè fertilis, in ditione Hollandorum, 50 mill. paſſ. diſtans à Machiano in Auſtrum & paulo minus ab ora occidentali Giloli Inſul. ferè ſub linea æquinoctiali. Olim *Seke* dicta. Hic cœlum ut percoquendis aptum frugibus, ita corporibus humanis grave, ob vapores, quos Sol adeò imminens haurit; quippe poſitus ſub Æquatore terris, quarum & viſceribus incenſis flammant juga. Sinenſes circa A. C. 1013. has inſulas tenuêre. Poſt hos Perſæ, Arabes, Luſitani, Batavi. Vide Hug. Grotium *Hiſt. Belg.* & in voce *Molucca*.

BACHIENSIS Comitatus, provinc. regni Hungariæ juxta Danubium fluv. prope Coloczam urbem. Vide quoque in voce *Bathanatti*.

BACHILIO, fluv. Italiæ, olim Meduacus minor dictus, quod vide, Agros Vicentinum & Patavinum rigat, & in mare Adriaticum ſe exonerat *Bachilione* Ital.

BACHINA, vide *Bacchium*.

BACHOVIA, vulgò BACHOVV, urbs Walachiæ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Colocenſi, ad *Miſſovo* fluv. *Mirai* teſte, & aliis, 30. mill. paſſ. à Targoviſco in Septentrionem.

BACHOVIUS Reinerus, Colonienſis, Gallicè, Latinè, Græcè, & Hebraicè, ferè ſine Magiſtro, doctus, Lipſiæ ſub Chriſtiano I. Electore ad Scabinatum primò, inde & Conſulatum aſcendit. Illò defunctò, turbiſque ob religionem Lipſiæ exortis, A. C. 1593. Servestam primò, inde Heidelbergam conceſſit, ubi Fiſci Electoralis cura ei commiſſa eſt. Obiit A. C. 1614. ætat. 70. pater inter alios filii cognominis, Politices primò, dein Juris ibidem Profeſſoris. Edidit *Catecheſin Palatinam*, *teſtimoniis S. Scripturæ ac ſententiis Patrum illuſtratam*, it. *Locos Communes*, *ex Patribus*, *collectos*. P. Freherus *Theatro Viror. clarar.*

BACHYLLUS, Eccleſiæ Corinthi Moderator. Sub finem ſecul. 2. de celebratione Paſchatis, egregium opus edidit, controverſiâ ſub Victore Epiſcopo Romano exortâ, Hier. in *Catal.* Euſeb. *l. 5. c. 21. 22.* *A. C.* 198.

BACIDES tres extiterunt; unus ex Attica iſque Vates, alter Locris oriundus, tertius Bœotius. Vide Auctorem Schol. *in Ariſtoph. Equites p. 294. G.* Vide *Bacis*.

BACILLARII, apud Pancirollum *de clar. Legg. Interpr. l. 3. c. 2.* ubi de Gratiano, Voluminis Decretorum celebri Collectore, *Tanta poſtea auctoritatis fuit, ut vulgò Magiſter vocaretur* — *Itaque qui ejus opus ita edidiciſſet, ut aliis prælegere poſſe videretur, baculo, velut pro arrha doctrinæ, more Longobardorum, accepto, Doctoris titulo honeſtabatur & à bacillo* Bacillarius *vocabatur, qui mos tum demum Bononiæ inſtitutus à Pariſienſibus, ubi tum Decreta & ſummulæ docebantur, fluxiſſe fertur, in quorum vetuſtis Conſtitutionibus*, Bacillarii nominantur. Iidem ſunt, qui ſuprà *Bachelarii* vel *Baccalarii* dicti? quod nomeo etiam Rhenanum à *baculo* derivâſſe innuimus. Nec abludit Watſius, qui perinde *Baccalarios* militares à *baculo* vocatos opinatur, quòd, ut ait, juvenes Milites, poſtquam in equeſtribus decurſionibus haſtas fregiſſent, linea tantùm armati, non gladiis, ſed fudibus baculiſque ſeſe mutuò non ſurdis ictibus, in torneamentis, fortiſſimè batuerent. Verùm Nobiles viros vel adoleſcentes *baculis* in arena decertâſſe, nuſpiam reperimus, inquit *Car. du Freſne*: cui nec eorum opinio multum probabilis videtur, qui à *baculis*, quibus inveſtiebantur feudatarii; aut Gregorii Toloſani *in Syntagm.* & Antonii Guſſelini in *Hiſt. veterum Gallor. c. 61.* qui à *vaſſis* deducunt, ut *Baccellarii* dicti ſint, quaſi *Vaſſellarii* i. e. *minores vaſſi*. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl. num. 303.*

BACINUS, Italis *Bacino*, Gallis *Bacin*, pelvis, pollubrum, malluvium. Concilium Roman. A. C. 1099. *c. 18.* Pictavenſe A. C. 1109. *c. 13.* &c. *Ut nullus Primatum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, in ordinatione & conſecratione Epiſcoporum vel Abbatum, cappas, tapetia*, bacinos *& manutergia, qualibet exactione requirat vel ſuſcipiat*. Bernardus *de Vita & Morib. Religioſ. c. 10* *Gelati jubentur mappulæ, ſcyphi, bacini, candelabra* &c. Herbertus *de Mirac. l. 2. c. 29* *Vidit in ſpiritu ſe tranſpoſitum in Claravalle, idque gerentem officium, ut cum duobus* bacinis — *Fratrum manibus abluendis aquam infunderet*, &c. à *Bacca*, unde *Baccharium*, *Bacchonica*, *Baccale*, *Bacar*, quæ voces, apud

citerioris ætatis Scriptores, vas vel urceum denotant. Pro *bacino*, etiam *Baccinum*, *Baccile* & *Bacile*, occurrit, apud Auctores laudatos Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Iſtiuſmodi vero pelve ferreâ vel æreâ candente olim hodieque, uſos fuiſſe in hominibus excæcandis non paucos, diximus ſuprà, in verbo hinc orto, *Abacinare.* Vide quoque infrà, ubi de *Excæcatione.* Hinc *Bacinetum*, in *Statutis* ſecundis Roberti I. Scotiæ Regis. *c.* 27. caſſis, galea, in *bacini* modum confecta, *helmo* levior. Gallis *Bacinet.*

BACIS, Nomen variis divinandi ſcientiâ præditis Viris, apud Veter. commune, à *Bacide* quodam, qui eſt primùm inclaruiſſe legitur. Sicut *Sibylla*, nomen proprium primo fuit (diminutivæ formæ à principali Σιβὼ) primæ mulieris vaticinatricis: quod poſteà cæteris quoque mulieribus, vaticinandi arte iisdem claris, ob parilem ſcientiam attributum eſt. Plin. *l.* 7. *c.* 33. *Divinitas, & quædam Cælitum ſocietas nobiliſſima ex fœminis in Sibylla fuit: ex viris in Melampode, apud Græcos, apud Romanos, in Martio.* Occurrunt autem tres *Bacides*, in Veter. monumentis, uti videre eſt, apud Deſid. Heraldum *Animadverſionib. ad Arnob. adv. Gent. l.* 1. & Salmaſ. *ad Solin. p.* 80. Conjungit autem Arnobius *d. l. Bacidem*, Helenum Martium.

BACIS, quidam Bœotus, cujus meminit Cicer. *l.* 1. *de Divinat. c.* 18. Item luctatoris nomen apud Pauſan. *l.* 6. Item quintus Corinthiorum Rex, à quo Reges *Bacidæ* dicti. Tres autem hujus nominis enumerat Ælian. *Var. Hiſt. l.* 12. *c.* 35. Vide ſuprà; item voce *Bacchis.*

BACIUM villa, aliis *Abacivum*, nonnullis *Bacivum* Palatium, villa fuit regiâ aulâ inſignis, inter Novigentum, villam publicam pagi Laudunenſis, & Criſciacum villam quoque dominicam pagi Pontini. Hodie *Beri* ſeu *bac à Beri*, vel *le bac à Berry* quibuſdam, i. e. Tranſitus ad Berium, quod ad Berium vicum, inter Noviomagum & Compendium poſitum, Iſara nave ſtrata tranſiri poſſit: *Back* enim Germanis vas quodlibet, adeoque & navem deſignat. Hadr. verò Valeſ. Bacivum ſeu Bacium exiſtimat eſſe *Bau*, Monaſterium ad Suminam Peronæ adverſum, cum titul. Abbatiæ: vel vicum *Buiſſi*, ad rivulum in Suminam influentem, inter Corbejam & Ambianos: quæ loca utraque à villa Novigento Criſciacum petentibus occurrunt, *Notit. Gall.*

BACONUS Franciſcus, Anglus vix 16 adhuc annos natus, de nova Philoſophandi methodo, quòd Ariſtotelica non placeret, cogitare cepit: Juris dein Angliæ Municipalis ſtudio & profeſſioni ſe addixit: à Jacobo I. M. Britanniæ Rege ter honoribus, ſexies Officiis cumulatus. Primò enim Eques Auratus, dein Baro Verulamius, poſtremò, Vice-Comes S. Albani factus eſt: ac per varios Officiorum gradus ad Cancellariatum Angliæ emerſit. Quinque ante obitum annis, ſibi ſtudiiſque vixit, atque in hoc ſeceſſu, librorum ſuorum, tum vernaculò, tum Latinò ſermone conſcriptorum, maximam partem exaravit, quorum ſeriem exhibet Paul. Freherus mox laudandus. Obiit A. C. 1626. ætat. 66. Inter opera ejus, Tract. *de Dignitate & Augmentis Scientiarum*, it. *Sermones fideles*, præcipuè æſtimantur. Paul. Freherus *Theatro Viror. Erudit. Claror.* Pater ei fuerat Nicolaus, Cuſtos magni Angliæ ſigilli & Eliſabethæ Reginæ à conſiliis ſecretioribus, alterum ſecundum Cæcilium Senatus Regii columen. Auctor *Heroologiæ Anglic.*

BACONUS Johannes, vide *Johannes.*

BACONUS Nicolaus, vide *ſupra.*

BACONUS Robertus, vide *Robertus.*

BACONUS Rogerius, vide *Rogerius.*

BACTES, & Βαβάκτες, Bacchi nomina, ἀπὸ τοῦ βάζειν, *ab inclamando ſeu vociferando.* Solent enim Bacchô, h. e. vinô madidi, & mulieres Liberi Patris Orgia celebrantes, omnia tumultuariò quôdam & inconditô clamore replere.

BACTRA, *orum*, *Bactrum* etiam Plinio, *l.* 6. *c.* 16. *Bagdaſcan*, teſte *Caſtaldo*, urbs Bactrianæ regionis caput, ad Bactrum fluv. Horum Virg. meminit *Georg. l.* 2. *v.* 136.

Sed neque Medorum ſilvæ, ditiſſima terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus
Laudibus Italiæ certent, non Bactra, neque Indi
Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.

Ex quibus Poëtæ verbis apparet *Bactrorum* terram fuiſſe fœcundiſſimam. Hinc Dionyſ. *v.* 734.

——— Α'ρειάων πόμα Βάκτρων.

Ideoque Strab. *l.* 1. Πολύφορον eam vocat, & Plin. *l.* 18. *c.* 7. *Tradunt in Bactris grana tantæ magnitudinis fieri, ut ſingula ſpicas noſtras æquent.* Et Qu. Curtius *l.* 7. *c.* 4. *ſolum pingue* vocat. Hæc urbs, nunc à multis *Termend* dicitur, eſtque parvi momenti, prope montem Caucaſum, 360. mill. paſſ. ab Alexandria Ariæ, & 630. ab Antiochia Margianæ in Ortum, *Sanſon.* Urbs verò *Badaſcian* multis eſt Maracanda antiquorum, 300. mill. paſſ. à Bactris, in Occaſum diſtans. Eadem *Zariaſpa* aliàs, quas perperam duas facit urbes *Ptolemæus*, nempe vetus illud nomen, hoc recens. Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 1175. Sed de *Bactro* amne altum, apud Veteres ſilentium. Inter flumina certè, quæ Bactrianam interſecant vel adluunt, nullum hôc nomine eidem *Ptolemæo* recenſetur. *Zariaſpen* vocat fluvium illum. Ζαρίασπιν; aliis Ζαρίασπιν: à quo urbi poſtea nomen datum. Idem *ibid.* ubi, ex Plinio haud rectè interpunctô, errorem ortum oſtendit *p.* 985.

BACTRI, ſeu BACTRIANI *Straboni*, *Bactri* Melæ, *l.* 1. *c.* 2. Bactrianæ regionis populi qui, teſte Qu. Curtiô, ſeniô morbôve confectos canibus ad hoc nutritis devorandos objiciebant. Sponſas etiam eorum, quæ in publicum maximô ornatu prodeunt, etiam ſervis & advenis impunè commiſceri tradit. Ab Alexandro M. ſubacti, vide *Curt.* legatos miſerunt ad Antoninum Pium an. 142. Plin. *l.* 6. *c.* 23. *Sunt autem Bactriani inter illas gentes promptiſſimi, horridis ingeniis, multùmque à Perſarum luxu abhorrentibus: ſiti haud procul Scytharum bellicoſiſſima gente, & rapto vivere aſſueta: ſemperque in armis erant.* Verba ſunt Qu. Curtii *l.* 4. *c.* 6. Horum Rex fuit Zoroaſter. Vide in *Bactriana.*

BACTRIANA, regio Aſiæ majoris pars, olim Imperii Perſarum, inter Ariam ad occaſum, Paropamiſum, ac partem Sogdianæ ad ortum, *Caroſſan* hodiè *Caſtaldo*, *Coraſan* aliis, *Batter Ramuſio.* Cujus urbes quondam claræ Bactra, Charta, vel Charracharta, Zariſpa, & Maracanda. Hæc olim mille urbes continebat. *Joſephus.* Vide Bochart. *Phaleg. l.* 2. *c.* 10. Regio totam hodie illam regionem complectitur, quæ *Maurenahar* ſeu *Usbek* dicitur, cum minuta parte Choraſanæ Septentrionalis; *& ardbar* nunc, Oxô fluv. dividitur: eſtque inter Perſiam, Tartariam deſertam, Imperium M. Mogolis & regnum Thibeti. Sed tamen ſub Tartaria latè ſumta comprehenditur. Ibi urbs præcipua, Samaracanda. *Baudrand.* Ejus Rex antiquiſſimus Zoroaſter, ſeu ut alii malunt, Aſtrocheater, à Nino victus, qui Magicam artem & Aſtrologiam inveniſſe creditur. Diodor. Sic. *l.* 3. Juſtin. *l.* 1. *c.* 1.

BACTROPERATÆ, Per convicium Philoſophi olim dicti, quòd *baculum* βάκτρον & *peram* πήραν, deferrent. Hieronym. *in c.* 10. *Matthæi*, *Ex hoc præcepto arguit Philoſophos, qui vulgò appellantur Bactroperatæ, quòd contemtores ſeculi & omnia pro nihilo ducentes, cellarium ſecum vehebant.* Ubi Car. du Freſne legi vult *Bactroperta*, & per *peram* intelligi utres vinarios, quos ſecum peregrini deferebant. Hunc enim locum indubiè, inquit, reſpexit *Papias*, cùm ait, *Bactroperitas eſſe, qui portant vinum in utribus.* Ejuſdem habitus meminit Herodian. *l.* 1. Α'νὴρ φιλοσόφου φέρων σχῆμα, βάκτρον γὰρ ἐν μετὰ χεῖρας, ἐπηρτημένην δὲ ἐξηρτημένην πήραν, *Vir Philoſophi gerens habitum, baculus enim in manibus erat, & ſemonudus ſuſpenſam geſtabat peram.* Martial. *l.* 4. *Epigr.* 53. *v.* 1. *ſ.*

Hunc, quem ſæpe vides inter penetralia noſtræ
Palladis, & templi limina, Coſme, novi.
Cum baculo peraque ſenem, cui cana putriſque
Stat coma, & in pectus ſordida barba cadit.

Mox, *v.* 7.

Eſſe putas Cynicum, deceptus imagine falſâ &c.

Vide quæ de *baculo* vel clava Philoſophorum commentati ſunt Savaro & Sirmondus *ad Sidonium Ep.* 11. *l.* 4. & *Ep.* 9. *l.* 9. Adde in *Proœm.* Laërtium. Hos verò, ut in auſteritate victus, & pallii geſtatione, (vide ſuprà ubi de *Aſceſi* & *Aſcetis*) aliiſque, Chriſtiani Philoſphi, Monachi inprimis Ægyptii, & in hoc, imitati ſunt, ut videre eſt, apud Caſſiodorum *Inſtitution. l.* 1. *c.* 8. *&* 9. *Collat.* 11. *c.* 3. & Joh. Baptiſtam Cotelerium *Notis ad Hermæ Paſtorem p.* 50. *Canones* S. Patricii Hibern. ejuſdem tritus meminêre *c.* 17. *Monachi ſunt, qui ſolitarii ſine terrenis opibus habitant, ſub poteſtate Epiſcopi vel Abbatis: non ſunt autem Monachi ſed Vactroperitæ* (V. pro B. poſitô) *h. e. contemptores ſolicitè ad vitam perfectam in ætate perfecta.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* atque infrà, ubi de Philoſophorum *Pera*

BACTROS, fluv. in finibus Scythiæ Aſiaticæ, à quo *Bactra regio*, & urbs nomen ſumpſit. Herodot. *l.* 7. Ejus meminit Lucan. *l.* 3. *v.* 267.

Errantes Scythiæ populi, quos gurgite Bactros
Includit gelido. ——— ———

Hodie *Bachora Nigro* dicitur. *Nic. Lloydius.* Sed nullum, hôc nomine fluvium apud Veteres occurrere, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 985. Vide ſuprà in voce *Bactra.*

BACUCEI vel BACUCI, apud Caſſianum *Collat.* 7. *c.* 32. *Alios ita eorum corda, quæ ceperant, mani quôdam timore vidimus infeciſſe, quos etiam* bacuceos *vulgus appellat, ut ſe ipſos ultra ſui proceritatem corporis erigentes.* Dominico Macro Fanatici ſunt inſani, bacchantum more immoderatis geſtibus agentes, in *Hierolex.* Carolo verò du Freſne, homines certô quôdam dæmonum genere correpti, vel potiùs dæmones ipſi, in *Gloſſar.*

BACULARI, in Speculo Saxon. *l.* 1. *artic.* 68. §. 2. *& l.* 3. *artic.* 37. apud Matth. Paris. *ad A. C.* 1251. alibique dicebantur in genere, qui baculis fuſtibuſque cædebantur: quod Græcis recentioribus βακλίζειν eſt. In ſpecie verò tirones, qui in torneamentis aut haſtiludiis non probè ſe geſſerant Idem Matth. Paris. A. C. 1248. *Die verò Cinerum cœptum eſt torneamentum magnum apud Neubritiam ——— ibique profectò Wilhelmus, frater domini Regis uterinus, cognomento de Valentia, tyro novellus, ut titulos Militiæ ſibi famoſos acquireret ſe animoſâ præſumtione ——— ingeſſit ſed ætate tener & viribus imperfectus impetum Militum durorum & Martiorum ſuſtinere non prævalens ——— manſit proſtratus & egregiè, ut introductiones Militiæ inſolites addiſceret, baculatus.* Eundem morem memorat quoque ſub A. C. 1116. ut & Matthæus Weſtmonaſter. *p.* 351. *Ibi multi Nobiles, dum conarentur tandem Militiam promereri, proſtrati, verberati, & contritis contundebantur*; apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

BACULARIUS, in *Conſtitutionibus* Petri Epiſcopi Ruthenenſis Legati (ut vocant) Apoſtolici in Regno Cypri A. C. 1312. *c.* 42. *Item quòd* Bacularii *noſtri & etiam Eccleſiæ, omnes illos, qui contra dictas Conſtitutiones fecerint, vel aliquam prædictarum, extunc apertè poteſtatem habeant citandi eos perſonaliter coram nobis*, &c. Apparitorem Eccleſiaſticum ſeu Bedellum notat, qui *baculum*, in ſuæ functionis ſignum, manu geſtat, Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà *Virgarius.*

BACULI & Annuli controverſia, inter Regnum & Sacerdotium ſeu de inveſtituris Eccleſiarum, apud Wilh. Tyrium *l.* 12. *c.* 15. Vide in voce *Inveſtitura.*

BACULOS Abjiciendi ritus, olim ad Lectionem Euangelii uſitatus in Eccleſia, vide ſuprà in voce *Abjectio.*

BACULUM Conſulens, Hebr. מקלו שאל qui dictus in Sacris, vide infrà ubi de *Divinatione*, item voce *Rhabdomantia.*

BACULUS, nomen Primipili, apud Cæſarem, *Com. l.* 2. *c.* 25. qui in conflictu cum Nerviis, multis graviburque vulneribus erat confectus, ut jam ſe ſuſtinere non poſſet. Ubi Glandorpius & Fr.

Hotomannus legunt *Bibaculus*; quòd quarundam familiarum, ut Turiæ & Sextiæ, id cognomentum fuiſſe veterum monumenta teſtentur. Integrum ergo nomen *P. Sextius Bibaculus*. Ejus nerum facit mentionem *l. 6. Comm. c. 37. Nic. Lloydius.*

BACULUS. Græcè *βακτηρία*, non tam ſceptrum, quàm *Virga* Regum. Regiminis inſigne & *τῆς ἀρχῆς σύμβολον*, etiam extremâ Græciâ, fuit, teſte Pachymere, quam *Δικανίκιον* appellatione, in Magiſtratibus, non ſemel donat Codinus *de Officiis Aulæ Conſtantinopol.* Apud Francos verò nota præcipua Imperii fuit, adeo ut ejus traditione Regia dignitas unà traderetur. Ita enim Guntrannus Childebertum nepotem ſibi ſucceſſorem declaravit, apud Gregor. Turonenſ. *l. 7. c. 73.* Ludovicus item & Carolus in *Annalibus Bertin. A. C.* 849. *germana charitate convenientes tanto amoris vinculo devincti permanent, ut alter alteri baculos publicè tribuendo Regnum uxores & liberos ſuperſtiti commendarent.* Quâ *baculi* traditione mutuâ fœdus invicem ſancientes ac firmantes, uterque Regna ſua ſibi invicem commendabant: *baculi* quippè traditio ſymbolum inveſtituræ fuit, quod à priſco illo Regum Francicorum ritu profluxiſſe videtur. Fuit autem Regius iſte *baculus* ex auro, uti docet Theganus de *Geſtis* Ludovici Pii c. 19. & in iiſdem *Annalibus Bertin. A. C.* 876. Sic de eodem Ludovico *Annales* Metenſes *A. C.* 837. *Coronam auream in capite geſtans &* baculum *aureum in manu tenens.* Anonymus *baculum florentem auri* vocat *lib. de Translat.* S. Sebaſtiani *num.* 88. Neque fortè aliud fuit *ſceptrum Regale*, quod in *l. 2. de fundatione Monaſterii S. Clementis in Piſcaria*, dicitur datum ab eodem Imperatore eidem Monaſterio, *quod geſtabat in dextra, ut illud Abbas portaret in ſolemnibus feſtis, in loco baculi paſtoralis.* Fuit namque *baculi* Regii ejuſmodi forma, ut baculi paſtoralis formam quodammodo referret, atque adeo haſtæ cùm longior eſſet & ſtaturæ Principis par: quomodo ab Antoniis Cæſaribus & Ottone III. Imperatore geſtatos *baculos* obſervat Marquardus Freherus & à Regibus Francorum tertiæ ſtirpis teſtantur, præter Scriptores, nummi eorum aurei in quibus & *ſceptrum* & *virgam* geſtant. Monachus Sangall. *de Geſtis Caroli M. l. 1. c. 36. Tunc baculus de arbore mala, nodis paribus admirabilis, rigidus & terribilis, cuſpide manuali ex aurea vel argenta, cum celaturis inſignibus præfixa, portabatur in dextra*, &c. Aliud tamen fuiſſe *ſceptrum à baculo*, diſcimus ex *Ordine ad coronandum Regem*, edito à Menardo, ubi non modò *ſceptrum* Regi porrigitur, ſed & *virga* ſeu *baculus*: quamvis etiam hæc duo diſtinguat Codex MS Senonenſis Eccl. ubi *virga* cum *ſceptro* confunditur. Sic in *Ordine ad conſecrandum Regem*, edito à Renato Benedicto, *Virga* appellatur, quæ Gallis *main de Juſtice* dicitur: *virga virtutis atque æquitatis*, in oratione, quam dicit Archiepiſcopus, cùm Regi porrigitur ſiniſtrâ manu geſtanda, ut eſt apud Menardum *p.* 285. In eodem Cod. Senonenſis Eccleſ. *Benedictio ad coronandum Regem*, cùm ei *ſceptrum* porrigitur, ſic habet: *Accipe* ſceptrum, *inſigne regiæ poteſtatis, quod ſignificatur regula divinæ æquitatis qua bonos regis & malos coerces. In hac virga Regis diſce amare juſtitiam & odiſſe iniquitatem.* At verò cùm *baculus*. *Sub hoc* baculo *commendamus tibi gubernaculum Regni Francorum, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ut populos regas & Eccleſiam Sanctorum bene diſponas.* Deſcribitur *Baculi*, cujuſmodi à Regibus alterius ſtirpis delatus eſt, forma in iis Tabellis, quas delineari curavit Steph. Baluzius *Not. ad Capitularia Regum Franc. Tom. II. p.* 1579. ubi Lotharius Imperator & *p.* 1576. ubi Carolus Calvus Rex effinguntur: *Sceptri* verò *p.* 1578. in ejuſdem Caroli imagine, quod quidem deſinere in lilii figuram, uti repreſentari ſolet in Regiis Armorum inſignibus, obſervat Car. du *Freſne*. Sed & Imperatores ſceptrô ac virgâ ſimul donatos eſſe, in ſuis coronationibus, Witikindus refert *de Coronat. Othonis M. l.* 5. Anglicos item Reges, Bromptonus, ubi de coronatione Richardi I. Regis Angl. *Willelmus Mareſcallus portans* ſceptrum *Regale, in cujus ſummitate ſignum aureum* Crucis *erat: & alter, ſcil. Willelmus Comes Saresberienſis portans* virgam *Regalem habentem columbam in ſummitate.* Et mox: *Deinde tradidit ei Archiepiſcopus Cantuarienſis in manu dextra ſceptrum & virgam regalem in ſiniſtra*, &c. Virgam Alfonſi Regis Aragonum deſcribit Raim. Montanerius *c.* 297. ubi de ejus Coronatione diſſerens, *Virgam* ejus *auream* fuiſſe & in apice rubinum habuiſſe inuſitatæ magnitudinis, inter alia, narrat. Etiam verò Lotharingiæ Duces *manum Juſtitiæ*, perinde ac Reges Francorum geſtare, ſcribit Ruellius in *Pompa Fun.* Caroli III. Lotharingiæ Ducis *p.* 162. &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà *virga*. Claudian. *in Ruffin. l. 2. v.* 161. *haſtam* & *ſceptrum* confundit hiſce *verſibus*.

> *Deſerat Illyricos fines, Eoa remittat*
> *Agmina, fraternas ex æquo dividat haſtas.*
> *Nec ſceptri tantum fueris, ſed militis hæres.*

BACULUS Bombardicus, inventus à Georg. Hartmanno Mathematico A. C. 1540. G. Joh. Voſſius de *Scient. Mathem. c.* 71. § 19.

BACULUS Epiſcopalis ſeu *Paſtoralis*, pedum, cambuta, Epiſcoporum & Abbatum in Communione Romana geſtamen eſt. *Ferula* dicitur, apud Luithprandum *Hiſtor. l. 6. c.* 15. & Auctorem *Appendicis* Reginonis *ad A. C.* 964. *Virga Paſtoralis* atque *Crocea*, h. e. baculus ſubalaris, in quadam Bulla Martini V. in favorem Eccleſiæ Maceratenſis. Ital. *Crozzua* & *Stampella* &c. Cujus inſtitutum ab ipſis Eccleſiæ primordiis repetitum eunt, ajuntque Petrum miſiſſe *baculum* ſuum Euchario ſive Frontoni primo Trevirorum Epiſcopo, qui adhuc in Eccleſia hacce magna cum veneratione conſervetur. Idem *baculum* S. Saturnini, Apoſtolorum Diſcipuli, Toloſæ etiamnum aſſervari, cum hac *Inſcr.*

> *Curva trahit, quos virga regit, pars ultima pungit.*

S. Auguſtini eburneum *baculum*, an Valentiæ in Hiſpania, ut Gavantus vult; an in Sardinia, ut Baronius ad *A. C.* 504. S. Iſidori Bononiæ; S. Hermagoræ, in Patriarch. Aquilejenſi Eccl. &c. oſtendi, inter ſe ipſi parum conſentientes, contendunt, &c. Et quidem *Baculi* hujuſmodi è ligno primitus erant, unde in *Vita* S. Borchardi Epiſcopi Wirtzburg. *c.* 1. *virga* ejus *ſambucea* mentio fit. Poſtmodum ex auro. Monachus Sangall. *de Geſtis Caroli M. l. 1. c.* 19. de quodam Epiſcopo: *In tantam progreſſus eſt protervitam, ut virgam auream incomparabilis Caroli ---- feriatis diebus vice baculi ferendam pro Epiſcopali ferula, improvidus ambiret.* Quò loco Carolus *ſceptrum* eandem virgam vocans, *Quidam*, inquit, *ex Epiſcopis non contentus Epiſcopatu, ---- ſceptrum noſtrum, quod pro regiminis noſtri ſignificatione aureum ferre ſolemus, pro* paſtorali baculo *nobis ignorantibus vendicare voluit.* Inde apud Gallos vulgari verſus, qui à Coquillio in *Hiſt. Nivernenſi* habentur,

> *Au temps paſſé du ſiecle d'or,*
> *Croſſe de bois, Eveſque d'or,*
> *Maintenant changent les loix,*
> *Croſſe d'or, Eveſque de bois.*

Id eſt,

> *Cùm tempus eſſet aureum,*
> *Pedum gerebant ligneum*
> *Aurei Miniſtri: jam pedum*
> *Tenent ſuperbum lignei.*

Formam *Baculorum* paſtoralium, ſic deſcribit Hugo à S. Victore in *Speculo Eccl. c.* 6. Baculus Paſtoralis *rectitudine ſua rectum regimen ſignificat. Quod autem una pars curva eſt, & altera acuta, monſtrat præeſſe ſubjectis & debellare ſuperbos.* Et W. Malmesbur. de *Geſtis Pontif. l.* 1. *Liberque I. Miracul. S. Dionyſ. c.* 3. *Videns introire ſenem Clericum Pontificalibus veſtibus exornatum, ferentemque in manu baculum à capite arcuatum, in imo reflexum, qualibus antiquiores Pontifices uſos fuiſſe ad Memorias eorum ſuſpenſi declarant.* Sic Silveſter Giraldus *Topogr.* Hiberniæ *c.* 33. Baculos *Sanctorum in ſuperiore parte recurvos auro, argento vel ære contectos ---- in magna reverentia habere ---- ſolent Hiberni*, &c. Vide quoque infrà. At aliam Celaſii II. Gregorii item M. *baculum* formam habuiſſe, docent Macri Fratres in *Hierolex.* ubi utriuſque effigiem habes in vocibus, *Baculus* & *Mitra*. Græci verò Abbates *baculo* utentes ab Epiſcopali diverſo, illô T. figuram exprimunt. Maronitarum autem Epiſcopi, in ſummitate baculi, globum aliquando cryſtallinum & ſæpe gemmatum, cum cruce ferunt ſuperpoſita: quam formam Latinis olim non ignotam fuiſſe, iidem *Macri* tradunt. Certè *Iſidor. hic baculus*, inquit, *ex ligno & oſſe conficitur, chryſtallinâ vel deauratâ ſphærulâ conjungitur, in ſupremo capite inſignitur, in extremo ferrô acuitur.* Taliſque Gregorii M. fuiſſe legitur, apud Eoſd. &c. Finem ac uſum iſtiuſmodi *Baculi* multiplicem eſſe ajunt, qui hiſce verſiculis apud Hugonem præfatum comprehenduntur:

> *Curva trahit mites, pars pungit acuta rebelles.*

Et,

> *Curva trahit, quos curva regit pars ultima pungit.*

Et,

> *Attrahe per curvum, mediô rege, punge per imum*, &c.

Gerunt illum in Eccleſia Romana non Epiſcopi modò, ſed & Abbates, quos per *baculum* inveſtiri quoque ſolitos, docet Ordericus Vitalis *l.* 8. Niſi quod Abbates, ad diſtinctionem, *baculô cum velo* ſeu pendente velô, utuntur. Abbas tamen Monaſterii S. Victoris Pariſ. *baculô* caret: *unde nec ad eum pertinet Concilia ſive Curias Regum vel Principum frequentare*, ut habetur in libro Ord. hujus MS. apud Car. *du Freſne*. Porrò Eremitani Ordinis S. Auguſtini, ad exemplum Monachorum Ægyptiorum Eliſeum Prophetam imitari ſe dicentium, *baculum* etiam geſſerunt ad formam literæ T. qui juxta conſtitutionem Gregorii IX. palmorum eſſe quinque debebat, ſed Innocentius poſtea VII. & Alexander IV. eos ab hoc onere immunes eſſe juſſerunt. In Conventuali quoque Melitenſium Eccleſia 4. Cantores, in diebus ſolennibus, pluvialibus induti, aſſiſtunt in Choro cum *baculis* argenteis, quales peregrinantium eſſe ſolent, ſed craſſioribus. quod idem obtinet in Gallia. Sed & in Siciliæ ac Melitæ Cathedralibus dignitas Canonicalis eſt. *Cantor* dicta, à Latino *Cantor*, cujus eſt ferre *baculum* ſeu virgam argenteam. Quod à Stephano IV. inſtitutum, *Macri* tradunt. Solus Pontifex Roman. *baculum non geſtat, ferulam tamen ei tribuunt Scriptores*, ait Car. du Freſne in *Gloſſar.* ubi de *Baculo Paſtorali.* Vide quoque eum in voce *Degradatio.* In Oriente, antiquitùs Epiſcopis aliiſque Sacerdotibus *baculi* uſum, quin & mitram ac annulum communem fuiſſe, refert Philoſtratus *l.* 3. Sed & apud Maronitas, tam Eccleſiaſtici, quàm ſeculares, eo quòd ſtantes in Eccleſia orant, ſubaxillari *baculo* ſuſtentantur &c. Plura hanc in rem vide apud Macros Fratres *l. cit.* qui de Pontifice addunt, nullibi eum, *niſi in Trevirenſi diœceſi*, *baculô* uti, ob rationem quam videſis apud illos: adde quæ retro, voce *Bactroperatæ* &.

Baculorum alia quædam genera, quæ apud Scriptores occurrunt.

BACULUS Aduncus ſine nodo, *Lituus* dictus eſt, Augurum apud Romanos inſigne. Liv. *l. 1. c.* 18. *Augur ad lævam ejus* (Numæ) *capite velatô ſedem cepit, dextrâ manu baculum ſine nodo aduncum tenens, quem lituum appellaverunt.* Vide infrà *Lituus*.

BACULUS Augurum, vide modo dicta.

BACULI Campionum, vide in hac voce.

BACULI Cantorum, memorantur Honorio Auguſtodun. *l. 1. c.* 24. *Ex Legis præcepto baculos manibus tenebant, qui Paſchalem agnum edentes ad patriam tendebant. Secundum hunc morem Cantores in officio Miſſæ baculos tenere noſcuntur, dum verus Paſchalis agnus benedicitur.* Adde *c.* 74. Hinc tempore manaſſe videtur, ut *Cantores* & *Præceptores*, in Communione Romana in Templis, dum ſacrum peragitur officium, *baculos* argenteos teneant, Car. du Freſne *Gloſſar.* Fuiſſe autem Iſraelitas, cùm Agnum Paſchalem comederent; uti lumbis ſuccinctis & pedibus calceatis, ita *baculis* inſtructos, legimus Exod. *c.* 12. *v.* 11. qui viatorum habitus. Namque & Jacob cum

baculo tranſiit Jordanem, Gen. c. 32. v. 10. & Juda, Thamam ſe conferens, *baculum* habuit in manu, Gen. c. 38. v. 18. Neque aliud fuit virga Moſis tam decantata, quàm nec facientis *baculus*, Exod. c. 4. v. 2. Unde eſt, quòd Chriſtus profecturis Diſcipulis præcepit, ut nihil ad iter ſumerent, niſi *baculum* ſolum, Marc. c. 6. v. 8. Vide Bochart. *Hieroz. part. prior. l.* 2. *c.* 50. *ubi de Agno Paſchali.*

BACULUS Choralis, quem defert Abbas in Choro, ſeu cambuta, *in Vita* Abbatum S. Albani & *Tom.* II. Concil. Angl. de modo conſtituendi Abbatis exempti ſub A. C. 1255. *c. ult.* apud *Car. du Freſne.*

BACULI Cirocliatcharum, vide infrà

BACULI cum Crucibus, vide infrà *Crucifer.*

BACULUM Jacob, organum diopticum, ſicut & *Quadrans Geometricus* & ſimilia, quibus propugnaculorum turriumque altitudo, explorari ſolet. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.*672. Appellationis occaſio deſumta à *baculo*, cum quo *Jacob* Patriarcha Jordanem tranſiiſſe legitur, cùm peregrè abiret, Geneſ. c. 32. v. 10. Non enim haſtas vel enſes, ſed *baculos* tantùm geſtare tunc ſoliti erant viatores, uti ſuprà diximus Quod verò Auctor *Quaeſt. ad Antiochum* & Leontius *Dial.* 5. *contra Judaeos*, habent de adoratione *baculi*, à Jacobo facta, cum ei cum Joſepho res eſſet, Geneſ. c. 47. v. *ult.* ſuaviter hallucinantur, uti pluribus oſtendit Rivetus *Exercit.* 173.

BACULUS Jeſu, ſummæ apud Hibernos venerationis, per quem vulgari opinione S. Patricius venenatos ex Inſula vermes ejecit: Car du Freſne, ex Silv. Giraldo *Topogr. Hibern. diſt.* 3. c. 34. & *de Hibern. Expugn. l.* 2. *c.* 18.

BACULUS Paſtoralis, vide ſuprà *Baculus Epiſcopalis.*

BACULUS Peregrinatorius, in Philoſophorum olim ſupellectile, ut vidimus retro in voce *Bactroperata.* Vide quoque ubi de *Baculo Cantorum* & de *Baculo Jacob.* Hos inter Chriſtianos Monachi imitati ſunt, ſique qui Hieroſolymam, peregrinationis ſacræ, ut vocant, ergò proficiſci ſoliti, quorum *baculi* longiuſculi *burdones* dicti, à *burdonibus* ſeu aſinis aut ſemimulis, quos inequitabant & inſidebant; qui peregrè proficiſcebantur. His enim equitaturæ quodammodo locô hi baculi erant. Hubertus Sipontinus apud Vinc. Belvacenſem *l.* 26. c. 27. *Burdonem habebat pro lancea.* Vide infrà in voce *Burdo.*

BACULI Pœnitentium, occurrunt apud Honorium Auguſtodun. *l.* 3. c. 77. quibus *peregrinationem eorum innui ait; quia ſe à Regno Dei alienant:* Unde eos deponebant, cùm Eccleſiæ reconciliabantur, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

BACULI Rhapſodorum, cùm Iliadem profiterentur, rubri, cùm Odyſſeam, crocei coloris, vide infrà *Rhapſodi.*

BACULI Regii, in ſignum *ſalva guardia* appoſiti, memorantur in *Areſto* Parlam. Pariſ. A. C. 1321. apud eund

BACULUS ſeu FUSTIS ROTUNDUS, quô rei ad necem à Carnifice percuti ſolebant, vide infrà *Tympanum*, it. *Virga*: ut de alio *Baculi* excrucianeis genere, *Lemmate Unca manus.*

BACULI Sortilegorum, vide infrà in voce *Teu.*

BACULUS Subaxillaris, quô apud Maronitas in Eccleſia tam Eccleſiaſtici, quàm Seculares, utpote ſtandô orantes, ſuſtentantur, vide ſuprà.

BACULUS Viatorius, vide paulò ſuprà *Baculus peregrinatorius*, it. ubi de *Abjectione baculorum.*

BACUNTIUS, Pannoniæ fluv. in Savum fluens. Plin. *l.* 3. c. 25. *Bazuncha Lazio* vocatur

BACURIUS, vel BATURIUS, Rex Iberorum, prope Caucaſum, in ora maris Caſpii habitantium, fidem Chriſtianam, cum ſubditis ſuis, ſuſcepit, tempore Conſtantini, à quo Comes domeſticorum & Palæſtinæ præfectus conſtitutus eſt. Cum enim ſerva quædam Chriſtiana, quæ in aula hujus Regis degebat, uxorem filiumque ejus à gravi morbo ſanâſſet, neque munera oblata accepiſſet, virtutem ejus admirari cœpit. Mox in venatione ſubitâ tempeſtate ſpiſsâque caligine attonitus, eandem rogavit, ut Dei ſui opem imploraret, pollicitus ſe hinc libertatum ei ſoli adhæſurum. Quod utrumque mox factum eſt, ipſeque qui non niſi Catechumenus erat, erga populos ſibi ſubjectos Apoſtoli munere functus eſt. Ruffin. *l.* 1. c. 10. Socr. *l.* 2. *c.* 8. Amm. Marcellin. *l.* 13. *A* C. 327.

BADA, Urbecul. German. in Ducatu Sueviæ, caput Marchionatus Badenſis. Ab Argentina 5. leuc. in Orient. æſtiv. unâ à Rheno fluv. & 8. à Spira in Auſtrum; Aquis calidis celebris Vulgò *Marggraven Baden.* Sub Marchione cognomine. Origo illuſtriſſimæ hujus Familiæ, eſt à Zeringiis Ducibus. Bertholdus enim I. Dux Zeringiæ per fil. Bertholdum II. rami Zeringio-Teccii, per Hermannum autem, Hochbergio-Badenſis auctor fuit. Hujus ex poſteris Philippus, pater fuit Bernhardi & Erneſti, qui novarum linearum extitère ſatores. Ille quidem *Badenſis*, obiit A. C. 1537. relictô Philibertô ſucceſſore: quem fil. Philippus primò excepit, dein Chriſtophorus, pater Eduardi Fortunati, qui religionem Pontificiam in ſuam domum intulit: Iſte verò *Durlacenſis*, religionis Evangelicæ cultor, quam ad poſteros cum ditione tranſmiſit, è quibus Fridericus; A. C. 1616. natus, pater fuit ex Chriſtiana Magdalena Sueco-Palatina Friderici Magni, qui hodie imperat, & Caroli Guſtavi. Vide Philippum Jacobum Spenerum *Sylloġ. Geneal. Hiſtor* nec non infrà, ubi de Fam. *Badenſi.*

BADACANA, Urbecula fuit Aſiæ minoris in Bithynia, cujus vix nunc ſuperſunt rudera, 30 milliar. ab Heraclea, in Auſtrum, 60. autem à Nicæa, in Boream.

BADACE, oppidum Perſiæ, ad Eulæum amnem, quò Antigonus, ad hunc amnem victus ab Eumene, receſſit & perfugium habuit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 702.

BADACER, Dux exercitûs Jehu. 2. Reg. *c.* 9. v. 25. Hebr. *Bidkar.*

BADACUM, civitas Noricorum, ſive Bavarorum, hodiè *Salzburg*, à flumine quod Salezam vocant. *Volaterran. Bamburg*, ad Alezam fluv. qui in Ænum defluit, *Cluver.*

BADAD, pater Adad, Regis IV. in Edom. Gen. *c.* 36. v. 35. 1. Paral. c. 8. v. 46. Latin. *ſolitarius*, ſeu *in mamilla*, vel *in dilectione.*

BADÆVILLÆ, German. BADENWEILER, nomen dominii, in Marchionatu Badeno-Durlacenſi, quod Egon IV. Friburgi Comes viginti marcarum argenti millibus comparâſſe dicitur, quas poſt diuturna acerbaque & juſto bello non impariâ diſſidia, pacando Comiti Friburgenſes dependerant. Inde Johanne familiæ poſtremô vitâ defunctô A. C. 1438. ad Hochbergios devenit Annæ beneficiô, Johannis amitæ, quæ in Philippi Hochbergii manus convenerat. Donec morte Philippi, juxtà cum reliquis, Marchiones Badenſes illud obtinuêre; Urſtiſius *Chron. l.* 1. c. 20. & *l.* 2. *c.* 20. Stumpfius *l.* 8. *c.*15. Munſterus *c.* 270 &c. Speuerus in *Fam. Badenſi*, paulo aliter rem enarrat: unde, ut de re adhuc litigioſa, loquitur Gaſt. *c.* 23. *num.* 33. apud Tob. Pfannerum *de Præcip. Germaniæ Principum gentibus*, c. 9.

BADAI, populi Tartariæ deſertæ, Solem, vel lacinam panni in altum ſublatam adorantes. Cluver. *l.* 5.

BADAJAS, nomen viri. Eſdr. c. 10. v. 31. Latinè *ſolus Dominus*, vel *vectis Domini.*

BADAN, nomen viri. 1. Sam. *c.* 12. *v.* 11. Filius Ulam. 1. Paral. c. 7. v. 17. Latinè *Vectis ſolus*, vel *in judicio.*

BADARA, oppid. Indiæ, in peninſul. cis Gangem, in ora Malabarica, & regno Calecuti, 6. leuc. à Calecuto in Ortum diſtans.

BADAS, vel BADA, Syriæ fluv. juxta quem ſepultus eſt Memnon. Strabo *l.* 15.

BADENA, ſeu BADA, caput Comitatus cognominis, oppid. elegans Helvetiæ, cum duplici olim arce: nomen habet à ſaluberrimis ſuis thermis: hinc quibuſdam *Thermopolis*, aliis *Caſtellum Thermarum*: nonnullis *aqua Helvetica* dictum, unde & cives *Aquenſes.* Unum eſt ex Helvetiæ antiquiſſimis, & jam tempore Julii Cæſaris magni nominis vicus, qui poſtea in municipium excrevit. Othone victô, à Cæcina Vitellii Imperatoris Duce direptus thermarum vicus & aquarum caſtellum eſt, circa A. C. 71. Vide Tacit. *l.* 1. *Hiſt.* Poſteà tamen reſtitutum, ut patet ex marmorea columna, cum inſcriptione, Trajano dedicata, A. C. 100. quam Ægidius Tſchudus, tum præfectus hujus Comitatus ante arcis pontem collocavit, A. C. 1534. Vide Guilim. *p.* 159. & Stumpf. *Chron. l.* 4. *c.* 21. ut & alterâ, cujus inſcriptio Antonini Caracallæ Severi filii mentionem præfert: in templo oppidi. *Simler.* Sub Valentiniano dein, Alemannorum in Helvetiam irruptione, iterum malè habitum oppidum, tertiâ tamen vice, (nam inter oppida ab Helvetiis incenſa, tempore Julii Cæſaris quoque fuiſſe, vero eſt ſimile,) reſſoruit, ob commoditatem tum thermarum, tum tranſitus ex Germania & Helvetiis, per Verbigenum pagum, in Galliam & Italiam. Comites habuit ſui nominis, quorum familiâ extinctâ, ſecul. 12. pervenit ad Comites de Kyburg; è quibus Hartmannus Epiſcopo Argentinenſi illud donavit, ab eoque rurſus feudi locô accepit, A. C. 1244. Sed & hâc ſtirpe abolitâ, Habſpurgiis acceſſit, qui, cum multis aliis, hunc Comitatum Auſtriæ domui junxêre. Unde in bello, inter Archiducem Albertum & Tigurinos, præſidium hîc ingens Auſtriacorum, iſtis multum moleſtiæ creavit. Tandem proſcriptô à Sigiſmundo Imperatore & excommunicatô à Concilio Conſtantienſi Fridericô Auſtriô, Helvetii, mandatû Imperatoris, inter alia Badenam quoque. Auſtriacis ademêre. A. C. 1415. poſtquam Tigurinis oppidum obſidentibus, cæteri Pagi quoque ſeſe conjunxiſſent. Tum arx, quâ totâ Helvetiâ munitiorem Auſtrii non habebant, deleta: nomen ei *der Stein.* Oppidum verò paulò pòſt ab Imperatore cum Bremogarto, Mellinga, & Surſeio Tigurinis oppignoratum eſt: qui A. C. 1416. in hujus oppignorationis participationem quinque Helvetiorum Pagos Lucernam, Svitiam, Underwaldiam, Tuginum & Glaronam: exin Uriam, tandem quoque Bernates admiſêre, à quibus uſque ad hæc tempora, per Præfectos biennales, in altera arce, ad pontem ſitâ, habitantes, regitur. Publicus Pagorum Senatus in hujus oppidi curia, ſtatis temporibus, aliiſque neceſſitate urgente, haberi ſolet, quod & antiquiſſimis temporibus uſu veniſſe, Helvetiis ibi Archiva ſua habentibus, *Cluverius* refert, ob loci opportunitatem, amœnitatem & ſalubritatem. Diſputatio quoque hîc inter Oecolampadium & Eccium habita de Cœna Domini aliiſque articulis controverſis, 16. Maii. A. C. 1526. oppido famam conciliavit. Situm eſt illud in Pago Tiguro, ad Limagum fluv. qui

— Tigurinamque alluit urbem,
Thermopolimque adiens, ad olentis ſulphure terras,
Aretenſeſque locos, Epicureo murmura lambit.

Ut Henr. Glareanus canit, *deſcript. Helvet.* Vide *quoque in voce Aquæ*, & *Thermæ.*

BADENA, urbs Marchiæ; à Thermis apud Germanos nomen ſuum trahens. Vide *Bada.*

BADENACHA, Scotiæ Septentrionalis regiuncula, in Moravia provinc. verſus montes, prope Atholiam regionem, Speâ amne in duas partes ſcinditur. Vulgò *Badenoth.*

BADENSIS Familia, inter illuſtriores Germaniæ. Hi enim Principes, eâdem, quâ Habſpurgici ſeu Auſtriaca, ſtirpe prognati etiam *Zeringia* aliquandiu *Tecciaque* imperitaverunt. *Sueviam* etiam aliquandiu ſpe ac votô, *Burgundiam* magis titulô, quàm uſu, tenuerunt. *Carinthiam* quoque & *Auſtriam*, ad tempus, poſſedêre. *Sueviam* namque Bertoldo I. Zaringiæ Comiti ſuperſtite adhuc Othone Suinfurtenſi Suevorum Duce, Henricus III. Imperator ubi is fatô

funge-

ſuggeretur, promiſit; & oblata ſpes datò, quem tum fortè Cæſar manu geſtabat, annulò firmata. Irrita tamen, validiori poſt mortem Auguſti in animum Agnetis Henrici viduæ, in Rudolfum Rheinfeldiæ Comitem affectu, quàm datæ à marito fidei cura. Quò tamen repulſam mollius toleraret, *Carinthia* conceſſa, Conradi Carinthiorum Ducis ſive rebellione, ſive obitu, vacua: Reſtituiſſe damnum cum fœnore fortuna videri poterat, cùm Rudolfus, deſponſatâ filio Bertholdi ejuſdem nominis filiâ, Suevam doti diaſſet. Verùm brevi poſt Carinthia primò, mox Suevia, ſublatò Rudolfò, Cæſarei decoris æmulò, ab Henrico IV. Imperatore adempta: fruſtra res repetente Bertholdô, permiſſâ Briſgoiâ Alſatiæque parte utcunque mitigatò. *Burgundiam* Conrado Bertholdi II. filio Henricus IV. Imperator adſignârat, Reinaldi Burg. Com. odio: Iſque armis aliquandiu agitata, ſententiâ Friderici I. Barbaroſſæ, ita deciſa eſt, ut Bertholdus Conradi fil. *minoris*, quam vocant, *Burgundiâ*, contentus, reliquam Reinaldi filiæ, quam Cæſar in matrimonio habebat, concederet. *Auſtriam* Hermanni *Badenſis* cum Gertrude, extinctæ in Friderico Auſtriacæ ſtirpis virgine, conjugio Domui adjectam, infelix Friderici, Hermanni filii caſus eripuit, unà cum Conradino Neapoli capite plexi, A. C. 1279. *Zeringia* ditio, poſt Bertholdi V. lineæ poſtremi, obitum, in Kyburgi ac Friburgi & Furſtenbergæ Comites diviſa, A. C. 1218. cum priſtis Dominis ferè & appellationem perdidit, ejus memoriâ vix in Annalibus retentâ. Eadem Tecciæ fuet, cùm in terris titulisque ſuis Witembergici adſcripſiſſent &c. Cæterùm iſtis natalibus ortus Hermannus, ductâ in uxorem Judithâ (Hohenbergæ, an *Badena* Comite?) *Badenſem* ditionem nactus, primus ex Hochbergiis, *Principis Imperii & Marchionis Badenſis atque Hochbergenſis* dignitatem accepiſſe dicitur, ſeculò XII. cujus nepos Hermannus III. Veronæ ab Imperatore Friderico I. præfectus eâ re donatus, fabulæ de Veronenſi origine, locum dedit. Tituli Familiæ ſunt, *Marchio Badenſis & Hochbergenſis*, *Landgrav. Suſenbergenſis*, *Comes Sponheimii & Eberſteini*, *Dominus in Rotelo*, *Badenweiler*, *Lahr & Malberg*, de quibus omnibus ſuô locô. Pfannerus, ubi *ſupra*. Nec omittendum, quod Hornius adnotat, Marchionatum hunc obnoxium factum eſſe Electoribus Palatinis ita autem is. *Cum Fridericus I. cognomine Victorioſus, inter alios Principes victores, acri prælio victos, Carolum quoque Marchionem Badenſem captivum feciſſet, eâ conditione illi libertatem reddidit, ut impoſterum Marchiones Badenſes Electoribus Palatinis eſſent obnoxii.* Vide eum *Orb. Polit.* p. 251. Aliud docet Cl. Spenerus *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Familia Badenſi.* p. 623. Vide & 624. ut & infra *Carolus* ac *Chriſtophorus*. Genealogiam horum Principum exhibuimus, in voce *Bada*.

BADEOS, Arabiæ Felicis urbs, juxta mare Rubrum. *Steph.* Aliàs *Serrain*, oppidul. inter Meccam & Oreb montem.

BADERICUS, fil. Baſini, Thuringiæ Rex à fratre Hermenfrido, ut hic ditionem paternarum ſolus poutretur, occiſus. Gregor. Turonenſ. *l.* 4. Aimoin. *l.* 2. Vide *Amalaberga*.

BADEZORUS, Tyri Rex, poſt Ithobalum I. patrem, Joſaphatô in Juda regnante; vixit annos 45. regnavit annos 6. ſucceſſore fil. Margenô, quem vide.

BADICHORUM, pro BADI LOCO, perperam vir doctus vertit, apud Arrianum, *in Indic.* ubi de *Badi* loco maritimo Carmaniæ, à quo uſque ad Ananin vineæ & arva inculta: Ὁρμίζονται δὲ ἐν Βαδὶ χώρῳ (quæ duo vocabula malè junctim leguntur) τῆς Καρμανίας οἰκουμένῳ, δένδρεά τε πολλὰ ἔχοντι πεφυκότα, πλὴν ἐλαίης, καὶ ἀμπέλους ἀγαθὰς, καὶ σιτοφόρον. Nempe Βάδις, locus eſt, ubi verſus Occidentem culta incipit eſſe Carmania vineis & arvis. Fortè tamen Σαβὶν ſcripſerat *Arrianus*, ἐν Σαβὶν χώρῳ: nam urbs quoque Σαβὶς ibi, ad fluvium, ut videtur, cognominem, unde populi Sabæ, quorum *Dionyſius* meminit. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1189.

BADILE Italorum quid ſit, vide infrà in voce *Badium*.

BADILO, vir nobilis, virgis cæſus, juſſu Childerici Francor. Regis; hunc unà cum uxore prægnante, interfecit, A. C. 678. P. Æmyl. *in Hiſt. Fr.*

BADISSARE tolutim, apud Plautum, *in Aſin. Actu* 3. *ſc.* 3. v. 117. à Græco βαδίζειν, de equis tolutariis & aſturconibus dicitur, quorum mollis & ad delicias compoſita vectura, qualem exhibent cum magna ſedentium commoditate ac voluptate, nota. De his enim Græci βαδίζειν per excellentiam dicunt, ut Latini *ambulare*, & Galli hodieque *amblare*. Ejuſdem greſſum Græci ῥαιβάζειν vocavêre, ſed hanc vocem etiam ad tripedantes equos extenderunt, quòd proximè tripedariorum curſus accederet ad tolutariorum greſſum lenitate & facilè, ac de proximo tripedarii tolutim docerentur, & ad levitatem mollitiemque vecturæ, qualis eſt in aſturconibus, edomarentur, &c. Hinc βαδιστὴς, quaſi *badiſſator*, de equo tolutatiu, *Heſych.* Vide ſuprà, in voce *Ambla*, item ubi de *Aſturconibus*, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Capitolin. in Maximinis*, c. 3. Dictum autem eſt à βαδίζω, *badiſſo*, ſicut à πυτίζω, *pytiſſo*; à σαλίζω, *faliſſo*; &c. Idem *Notis ad Spartian. in Peſcennio Nigro.* c. 6.

BADIUS, equi nomen in Circenſibus; à colore, qui in equis commendatur. Dictus autem hic eſt quaſi βάϊδιος, à βαῒς, quæ *ramulum palmæ* ſignificat, unde & *ſpadix color*, & *ſpadix equus*. Philargyrus, *Spadix & Phœniceus eſt, quales ſunt fructus palmarum, neque diluti ſatis coloris, neque nimium preſſi.* Σπάδιξ enim, *avulſus eſt è palma termes, cum fructu*, A. Gellius *l.* 2. *c.* 26. ubi de coloribus equorum. Meminit *badii*, inter eoſdem, etiam Varro apud Nonium in *Badius*,

> *Equi colore diſpares ita dati,*
> *Hic badius iſte gilvus, ille murinus* &c.

Idem φοῖνιξ, *phœniceus*, dicitur, in curuli certamine, *Il.* ψ v. 454.

> Ὃς τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν, ἐν δὲ μετώπῳ
> Λευκὸν σῆμ' ἐτέτυκτο, περίτροχον ἠΰτε μήνη.

Corpore phœniceus reliquâ, ſed cui nota fronti
Alba impreſſa fuit, Lunæque imitata figuram.

Cujuſmodi colore, & quidem exuperantiſſimò inſignem fuiſſe equum Sejani, habes apud Gellium *d. l.* Sed & in una quadrigarum Zachariæ Prophetæ, quarta videl. c. 1. v. 8. idem color memoratur, ubi inter alios recenſentur equi שרקים, *amuſſim*, qui non quidem purpurei, quales nulli inveniuntur, ſed quorum rubor eſt ὀξύτερος, *excitatior*, & plus habet vigoris atque luminis: quò ipſò diſtinguuntur ab equis primæ quadrigæ, quos ſimpliciter אדמים, i. e. *rubros*, Propheta deſcripſerat. Varios enim rubedinis gradus eſſe, notum: in Arabum imprimis equis, uti ex Damire docet Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 7. quem vide. Sed & ipſe phœniceus hic equorum color tres gradus habet, aliuſque dilutior, alius ſaturatior eſt, quem vulgò *Badium obſcurum* vocant Galli, ut videre eſt apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1330. de voce Βαΐς, plura infrà in *Baïs*, it. *Bajus*.

BADIZORUS, Ithobali fil. Rex Tyri, pater Margeni, avus Pygmalionis, & Didûs. *Joſephus.* Vide *Badezorus*.

BADONICUS Mons, *Bannesdowne Camdeno*, juxta Bathoniam urbem. *Polydoro Vergilio Blaſcamore* prope Epiſcopatum Dunelmenſem, apud Atheſum fluv. à Dunelmo ad 20. mill. paſſ.

BADRESCHI, prænomine Jahakob, Rabbinus Hiſpanus, Poeta eximius ſcripſit *Badreſchi dictum Bachinat Olam*, ſuitque Barcinone, anno 58. Millen. VI. juxta *Rabbi. Ganz*.

BADRINUS, Æmiliæ fluv. idem cum Vatreno, Forum Cornelii præterfluens. Hodiè *Santerno* dicitur.

BADUHENNÆ lucus, in Friſiis Tacito, *l.* 4. *Annal.* c. 73. ubi nongentos Romanorum confectos fuiſſe ſcribit. *Seven Wolden* fortè, i. e. *ſeptem Silvæ*. Adhuc *Bacuren* dicitur pagus, apud Groningam. Aliis eſt *Coeworden* oppid. Tranſiſalanæ in confinio Friſiæ, ad Vydrum fluv.

BÆA, mons Cephalleniæ, à *Beo*, Ulyſſis gubernatore. *Steph.*

BÆACA, civitas Chaoniæ. *Steph.*

BÆAGIS, *Heſychius*: Βαιᾶγις, ἑορτὴ παρὰ Ἀργείοις, ὡς Ἀἰαντὶς Ἀθηναίοις ἐν Σαλαμῖνι.

BÆBÆ, oppidum Cariæ. *Steph.*

BÆBIUS Longus, Eques Roman. inter condiſcipulos Marci Antonini Imperatoris memoratur Julio Capitolino, in *Vita* hujus c. 3. *Frequentavit* — *amavitque ex condiſcipulis præcipuos Senatorii ordinis Sejum Fuſcianum* — *ex Equeſtri*, Bæbium *Longum* & *Calenum*, *in quos maxime liberalis fuit* &c.

BÆBIUS Macer, Præfectus Urbis, cujus apud Æl. Spartianum in *Hadriano*, c. 5. mentio eſt, *Tantum autem clementiæ ſtudium habuit, ut, quum ſub primis Imperii diebus, ab Tatiano per epiſtolas eſſet admonitus, ut & Bæbius Macer Præfectus Urbis, ſi reniteretur ejus imperiô, necaretur, & Laberius Maximus* — *& Frugi Craſſus, neminem læderet.* Is eſt, cujus nomen inter Conſules ſuffectos ejus anni, cui nomen dederunt Trajanus IV. & Articulejus Conſules; de eodem Conſule deſignato Plin. *l.* 4. *Ep.* 9. An idem eſt *Bæbius Macer* Hiſtoricus, quem aliquoties Servius aliique laudant? Scripſiſſe hunc *Faſtos dies*, auctor eſt Fulgentius *de priſco ſerm.* *Bæbii Macrini* mentio in *Alexandro Sev.* c. 3. Vide infrà: Item alius *Bæbii Macri* Præfecti prætorio, ſub Valeriano Principe, apud Vopiſc. in *Aureliano*, c. 13.

BÆBIUS Marcellinus, ſub Severo Imperatore occiſus, cujus triſtiſſimum caſum & necem commiſeratione digniſſimam cùm expoſuiſſet Dio, hoc adjicit: priùs illi caput fuiſſe amputatum, quàm de ejus condemnatione quidquam Severus reſciſſet. Quò pertinet, quod de Severo habet Spartian. c. 15. *Cum occiſi eſſent nonnulli, Severus ſe excuſabat & poſt eorum mortem, negabat fieri ſe juſſiſſe, quod factum eſt. quod de Læto præcipuè Marius Maximus dicit.* Sed de multis verè negâſſe, *Bæbius* hic eſt exemplo. Iſaac. Caſaubonus *ad l.*

BÆBIUS Macrinus, Rhetor celebris, inter Præceptores Alexandri Severi Imperatoris apud Lamprid. c. 3. *In prima pueritia Litteratores* — *Romæ Grammaticos, Scaurinum* — *Rhetores, Julium Frontinum & Bæbium Macrinum & Julium Granianum.* Ubi Palatinus codex *Bebium Macrianum* habet, teſte Salmaſiô, *Not. ad Lamprid.*

BÆBIUS Metianus, ſeu MÆCIANUS, ut in duobus Palatinis codicib. legit Gruterus, memoratus Julio Capitolino in *Clodio Albino*, c. 6. *Adoleſcens igitur ſtatim ſe ad militiam contulit, atque Antoninis per Lollium Serenum, & Bæbium Metianum & Cejonium Poſthumianum ſuos affines innotuit.*

BÆBIUS Pamphilus, vide *Cutus* & *Marcus*.

BÆBRO, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

BÆBULUS, Magus celebris, vide ſuprà *Armenius*.

BÆCOLICUS, mons Africæ, in Cyrenaica regione prope Clearis paludem, in mediterraneis.

BÆCULA, oppid. Auſetanorum, nunc multis *Rhoda*, ad fluv. *Ter*, vix 2. leuc. ab Auſa in Boream 7. à Gerunda in Occaſum, & 10. à Ficernie.

BÆCYLA, urbs Iberiæ juxta columnas Herculeas. *Steph.* Vide Caſaubon. ad Strab. *l.* 3. *Bæcula Ptolemæo*.

BÆMI, vide *Bojemum*.

BAEN vel BAHEN, in *Gloſſis* Iſidori, *lamina eſt auri ab aure ad aurem, quâ familiares Regum utebantur. Ornamentum colli ex auro & gemmis, quod aliô nomine Torques poteſt dici.* Johannes de Janua & Mammotrecto, *Ornamentum colli ex auro et annulis confectum.* Reperitur vox apud Vulgatum Interpretem. 1 Maccab. *c.* 13. *v.* 37. *Coronam auream & bahenem, quam miſiſtis, ſuſcepimus.* Aliæ Editiones habent, *Bahen*; Græcè βαΐνην. Car. Macro *corona* hic eſt *aurum coronarium*, ex A. Gellio *l.* 5. *c.* 6. *Bahen* verò *Xenia*, ſeu munera, quæ Demetrio Regi, de Hebræis triumphanti, Maccabæi miſerant, ex Joſepho *Ant. Jud. l.* 13. *c.* 8. ubi habetur exemplar *Epiſtolæ* Demetrii Nicanoris, de qua in Macchab. *loc. cit.* cujus verba ſunt ex Epiſtola ejuſdem Demetrii.

metri. Sic nempe Joſephus de Jonatha, Simonis fratre, per literas a Demetrio accito. *Ille non intermiſſa oppugnatione cum Senioribus Populi & Sacerdotibus, aurum & argentum, veſtem aliaque Xenia deferens, venit ad Demetrium, & hac munificentia animum Regis mitigavit* &c. Et inferius, Demetrii refert diploma, in quo inter alia hæc erant: *Remitto, quicquid ſolebant ante me Reges accipere, a ſacrificantibus Hieroſolymis, aliaque tributa, pro fructu terræ, atque arborum, præterea ſalinarum vectigal & aurum coronarium, neque quicquam eorum exigetur in poſterum.* Et mox, *Coronam auream & bahen, quam miſiſtis, ſuſcepimus, & parati ſumus vobiſcum facere pacem*, &c. Sed & Cedrenus *Bajon* vocat donum, Imperatori tribui ſolitum, de quo etiam Luitphrandus *l.* 3. *c.* 5. Vide quoque Joh. Meurſium in *Gloſſ. Græco-Barb.* & plura hanc in rem, apud Macros Fratres in *Hierolexico*, in *Bais*, ſeu *Bahen*, & voce *Fodrum*. Verùm vocem Interpretibus non intellectam pulchrè evolvit Salmaſ. namque ἡ Βαΐς, ſubintellige ῥάβδος, virga palmea eſt, ſignum olim victoriæ. Unde 1 Maccab. c. 14. v. 4. φοινιξ, *palmæ*, diſertè vocatur, ἀποστείλαντες αὐτῷ στέφανον χρυσοῦν καὶ φοίνικα, h. e. τὴν βαΐνην, vel τὸ βαΐον, vel τὴν βαΐδα. In *Hiſtoria Barlaam* integrè, de Theuda Mago, καὶ εἰσῆλθε ῥάβδον μὲν κατέχων βαΐνην, μᾶλλον δὲ πλεκτὴν ζωννύμενος, *Et ingreſſus eſt, virgam quidem tenens palmeam, cilicio verò cinctus*. Nempe Bai Ægyptiis *ramus palmæ*, unde Græci fecêre Βαΐς (à quo Βαΐν Græco adjectivum) & βαΐον, quod primò itidem ῥάβδον φοινικος, *ramum palmæ*; apud recentiores poſtmodum Græcos *donum erogationemque* ſignificare cœpit: cujuſmodi munera quotannis ab Imperatore & Patriarcha, hebdomade, quæ ante diem Palmarum eſt, populo diſtribuebantur, nomine βαΐων ab ipſa hebdomade accepto, vide infrà voce *Roga*. Quia verò poſt Lazari reſuſcitati feſtum Sabbathô hujus hebdomadis celebratum, magnô pompæ apparatu, ramis olivarum palmiſque, in varias formas confictis, inque taxis appenſis, diem Dominicam ſolenniter colebant, à *palmarum geſtatione*, Βαϊοφόρον eam appellârunt, de qua infrà dicemus. Plura apud Jo. Meurſium *d. l.* Leon. Allatium *de Dominicis & Hebdomadibus Græcor.* num. 10. Lud. de la Cerda *Adverſarior. Sacr. c.* 124. *n.* 19. J. C. Suicerum *Theſ. Eccl.* in voce Βαΐον, vide & ſuprà *Badius*.

BÆNIS, qui & MINIUS, Luſitaniæ maximus fluv. cujus fons eſt apud Cantabros. Strabo *l.* 3.

BÆOTIS, *Heſych.* Βαιῶτις, Ἀφροδίτη παρὰ Συρακουσίοις.

BÆSAMPSA, civitas Arabiæ circa Rubrum mare, quam *Stephanus domum Solis* interpretatur, quaſi eſſet בית-שמש vide Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 8.

BÆSIPPO, ſeu BESIPPO, Plinio, *l.* 3. *c.* 1. *Beier*, teſte Henr. Coquo, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ in ora litorali Vandaluſiæ.

* BÆTANA, urbs Aſiæ, in peninſul. Indiæ, citra Gangem, & nunc *Beder* à multis creditur, urbs regni Decani; aliis eſt *Viſapor* in eodem regno.

BÆTARRA, Galliæ Narbonenſis urbs, olim Septimanorum (à legione ſcil. Romanæ numero) colonia, vulgò *Beſiers*. Βαιτέρραι Ptolemæo. *Stephano* autem eſt Βαιταῤῥα. Ejus locum ſic emendabis: Βαιταῤῥαι πόλις Ἰβήρων Πυρηναίων, οἱ πολῖται Βαιταῤῥηνοί. Κατὰ δὲ πολλοὺς Κελτικὴ Βαίτερρα, ὡς ὁ πολίτης Βαιτερρήτης. τὸ δὲ ἐθνικὸν Βαιταῤῥηνός, ἀλλ' οὐ Βαιταῤῥίτης. Malè hæc vulgò ſeparantur, tanquam ſi & aliqua eſſet urbs in Gallia, quæ Βαιταῤῥαι vocaretur. *Nic. Lloydius*.

BÆTARRENI, populi in Cœleſyria, non longè ab Ituræorum gente, à quibus oriundi dicuntur. Plin. *l.* 5. *c.* 23.

BÆTHEN, *Heſychius*, Βαιθήν, ἄρτος θεοῦ, lege Βαιθήλ.

BÆTI, ſunt BATAVI, Voſſ. *ad Melam p.* 294.

BÆTICA, *Straboni Turdetana*. Ibi Baſtuli aliàs, Turdetani & Turduli populi. Nunc continet *Andaluziam*, ſub qua etiam major pars regni *Granatenſis* comprehenditur. Regio admodum fertilis & abundans: Urbes Hiſpalis, Corduba, &c. Hanc, quæ tertia pars Hiſpaniæ, Alphonſo Caſtellano eripuit A. C. 1195. Aben Joſephus, Maroci Rex quam prorſus ab eo tempore Mauri, uſque ad Caroli V. ævum tenuerunt. Mariana *de rebus Hiſp.*

BÆTICÆ Lanæ, ut & Tarentinæ, magno olim in pretio, quarum meminit Tertullian. *de Pallio*, c. 3. *Exinde materia, nec de ovibus dico Mileſiis & Selgicis & Altinis, aut quis Tarentum vel Bætica cluet naturâ colorante.* Nativa vocabant, quæ naturâ colorante tincta eſſent. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 97. v. 8.

> *Nativa ſemper habeat, & licèt laudet*
> *Fuſcos colores, galbinos habet mores.*

Hinc *nativus* color, pro fuſco vel nigro: *Nonio Spanus*, à lanis Hiſpanis, quæ nigræ erant. Præter nigrum tamen multi alii colores nativi. Nam & leucophæus & fulvus & rutilus, inter nativos colores numerantur: *Bætica* autem lana coloris rutili erant &c. Vide Salmaſ. *ad loc. cit. & ad Solin. p.* 316.

BÆTICUS Gregorius, vide *Gregorius*.

BÆTIS, fluv. Hiſpaniæ ulterioris à quo *Bætica* Hiſpaniæ regio dicta. In quo lanas pulchrò colore tingi oſtendit Martial. *l.* 12. *Epigr.* 100. *v.* 1. in his,

> *Bætis olivifera crinem redimite coronâ,*
> *Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.*

Item nomen oppidi Plinio, *l.* 3. *c.* 1. Βαῖτις autem Punica vox eſt, ni fallor, à בית *bet* pernoctare. Unde Sil. Italicus,

> —— *Soliſque cubilia Gades.*

Tribus in locis, inquit Bochart. *l.* 1. *Chanaan c.* 34. ſtagnat *Bætis*, primò ſtatim in ipſo fonte, ſecundo prope Cordubam, tertiò verſus oſtia, ubi æſtuaria, & lacus Avernus, ſeu Libyſtinus. Atque ob id ipſum Punicè בצי *Biſi*, i. e. paludoſus dictus eſt. Tsade Ebræum in T. mutârunt Græci & Romani ſcriptores, ut in *Tyro* & *Tanis* ex צור *Tſor*, & צען *Tzoan*. Neque alio pertinet, quod idem amnis ab accolis Πέρκης, i. e. *Perce* nominabatur. Stephanus, Βαῖτις, ποταμὸς ὃς Ἰβηρίαν διαιρεῖ, ὃν Πέρκην λέγεσθαι ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων. Nempe *Perce* factum ex ברכה *bercat*, i. e. à *Stagno*; ut in Sicilia *Percuſa* vel *Perguſa* dicebatur lacus Ennæ vicinus, ubi Proſerpina rapta eſt. *Percem* autem, ſive *Percem*, in *Certim*, aut *Certum* mutârunt ſcribæ imperiti in his Livii, *l.* 28. *c.* 22. *Marcius ſuperato Bæti amni, quem incolæ Certim appellant.* Vide Voſſ. *ad Melam p.* 224. 225. Recipit hic fluv. fluvios Singilium, paulò infra Aſtigim, Corbonem, Guadarizam, Guadarmenam, & Frigidum, cum aliquot aliis rivis, & Andaluſiam provinc. mediam ſecat. Oritur non longè à Baſti, in confinio regni Murciæ, 27. leuc. à fontibus Anæ, & 40. ab Ortu Tagi in Meridiem. *Salmaſio* Geminus oritur, ex monte Argentario, cujus meminit *Avienus*,

> *At mons paludem incumbit Argentarius,*
> *Sic à vetuſtis dictus à ſpecie ſui:*
> *Stanno iſte namque latera plurimò nitet:*

Et lacum haud procul à mari facit, è quo tanquam ex uno fonte geminus exoritur, *quantuſque ſimplici alveo venerat, tantus ſingulis effluit*, ut inquit Pomp. Mela *l.* 3. *c.* 1. Amplexus autem ſub inſulam facit Tarteſſum, & ipſe *Tarteſſus* dictus, cui ſtannum plurimum defert. Unde ἀργυροῤῥίζους πηγὰς Ταρτησσοῦ, *argenteos pedes habentes Tarteſſi fontes*, *Steſichorus* vocavit &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 186. ut & infrà in voce *Tarteſſus*.

BÆTIUM, urbs Macedoniæ. *Steph.*

BÆTIUS, Arabiæ Felicis fluv. *Ptol.*

* BÆTOGABRA, Judææ mediterranea urbs. *Ptol.* Becanus dicit, eandem eſſe cum *Caſtra Chabriæ Strabonis*, quam tamen hic ad mare mediterraneum deſcribit. In eodem loco *Ezrongeber* eſſe contendit, & *Joſephum* reprehendit, quòd hanc poſteà *Berenicem* appellatam ſcribit.

BÆTON, Hiſtoricus Græcus vixit temporibus Alex. Magni, cujus *σταθμοὺς* ſcripſit. Sæpe priſcis laudatus. Athen. *l.* 10. Ejus meminit Plin. *l.* 6. *c.* 17. & Solin. *c.* 53. 55. Idem nomen viri, cujus mentio in *Epigramm.* Juliani αἰγυπτίου, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 994.

> Ἑρμείῃ Βαίτων ἁλιπλόος ὄργανα τέχνης
> Ἄνθετο, δυσμαθέων γῆρας ἀθρησάμενος,
> *Mercurio Bæton ſua nautica ritè dicavit*
> *Vaſa, tamen ſenii triſtia damna ſui.*

BÆTULO, ſeu BETULLO, Melæ, *l.* 2. *c.* 6. oppid. olim, nunc pagus Hiſpaniæ citerioris in ora litorali Catalauniæ juxta Barcinonem, 1. leucâ à fluv. cognomine diſſitus, *Badelona*, teſte *Floriano*.

BÆTULO, vel BÆTULUM, *Ptol.* vulgò BESOS, fluv. parvus Catalauniæ, in Mare Mediterraneum ſe exonerans, inter Bætulonem & Barcinonem.

BÆTURIA, Hiſpaniæ tractus. *Eſtremadura Varreno*, Hirtio *de Bello Hiſpan. c.* 22. *Betburia*, *Beturia* Livio *l.* 39. *c.* 30. Quibuſdam erat in confinio Bæticæ, inter Anam fluv. & montes Marianos, in qua pars Vettonum fuit. Ibi nunc pars Eſtremaduræ provinc. verſus Andaluziam. *Baudrand.*

BÆTYLI, Græcis Βαίτυλοι, dicebantur vivi lapides, quorum non rara apud Veteres mentio & præcipuè Scriptores Græcos, qui ἐμψύχους λίθους, quaſi *animatos lapides*, quoque vocabant, multa mira fabuloſaque de iis narrantes. *Philo Byblienſis*, Ἐπενόησε θεὸς Οὐρανὸς Βαιτύλια λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος. *Ulterius etiam excogitavit Deus Uranus Bætylos, lapideſque animatos fabricatus eſt.* In *Vita* Iſidori à Damaſcio ſcripta apud *Photium*, Ἐγὼ μὲν ᾤμην θειότερον εἶναι τὸ χρῆμα τοῦ βαιτύλου. ὁ δὲ Ἰσίδωρος δαιμόνιον μᾶλλον ἔλεγεν. εἶναι γάρ τινα δαίμονα τὸν κινοῦντα αὐτὸν, οὐ τῶν βλαβερῶν, οὐδὲ τῶν ἄγαν ἐνύλων, οὐ μέντοι τῶν ἀναγομένων εἰς τὸ ἄϋλον εἶδος, οὐδὲ τῶν καθαρῶν παντάπασιν. τῶν δὲ βαιτύλων ἄλλον ἄλλῳ ἀνακεῖσθαι θεῷ, Κρόνῳ, Διΐ, Ἡλίῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις, *Ego quidem exiſtimabam, divinius quiddam eſſe Bætylum. Sed Iſidorus dæmonium potiùs vocavit. Eſſe enim quendam Dæmonem, qui ipſum moveat, non è numero noxiorum quidem, vel nimis materiæ immerſorum; neutiquam tamen planè in immaterialem ſpeciem evectorum, neque omni ex parte purorum. Bætylorum autem alium alii Deo ſacrum eſſe, Saturno, Jovi, Soli, aliis.* Vide plura de his Bætylis & vivis ſeque moventibus lapidibus, in *Vita* ead. Et de hoc genere videntur fuiſſe lapides iſti vivi, quos in adyto Templi Dianæ Laodicenæ collocatos, memorat Æl. Lamprid. in *Antonino Heliogab. c.* 7. *Lapides, qui divi dicuntur* (Salmaſius *vivi* legit) *ex proprio Templo Dianæ Laodicenæ, ex adyto ſuo, in quo id Oreſtes poſuerat, afferre voluit.* Uti enim Saturno, Jovi aliiſque lapides hujuſmodi conſecratos fuiſſe, ex *Photio* diximus, ſic etiam Diana ſuos habuit, ſibi dedicatos. Eôdem nomine Græci appellant lapidem, quem Saturno devorandum, pro Jove, tradidit Rhea, Latinis *Abadir* dictum &c. Vide Salmaſ. *Notis ad Lamprid.* & infrà in voce *Bætylus*, *Lapis*, it. *Neurospaſta*.

BÆTYLUS, Græcè Βαίτυλος. Priſcian. *l.* 5. *Abadir Deus eſt; Dicitur & hoc nomine lapis ille, quem Saturnus dicitur devorâſſe pro Jove, quem Græci Bætylum vocant.* *Heſych.* Βαίτυλος, ἔστιν ὄνομα ὁ δοθεὶς λίθος τῷ Κρόνῳ ἀντὶ Διός. *Etymologus*, Βαίτυλος ἐκλήθη ὁ λίθος ὃν ἀντὶ Διὸς ὁ Κρόνος κατέπιε. Idem multò ſenſu, Βαίτυλος, Αἰγαίων ὁ υἱὸς τῆς Ἴδας νύμφης: ſed ſupplendum ex *Phavorino*. Βαίτυλος, λίθος γεγονὼς ἐκ τῆς Αἰγαίωνος. Utrobique autem pro Ἴδας ſcribendum Ἡλίου. Vide Bochart. *de Phœn. Col. l.* 2. *c.* 2. Sed & aliorum Deorum *Bætyli* occurrunt. Apud Photium enim Damaſcius tradit, τῶν βαιτύλων ἄλλον ἄλλῳ ἀνακεῖσθαι θεῷ. Κρόνῳ, Διΐ, Ἡλίῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις, *Bætyliorum alium alii Deo conſecratum eſſe, Saturno, Jovi, Soli, aliiſque.* Nempe *Bætylia* Sanchuniathoni apud Euſeb. *Præpar. Evang. l.* 1. dicuntur λίθοι ἔμψυχοι, à Deo Urano. h. e. Cœlo fabricati: Bochartus præfatus vertit *lapides unctos*. Erant lapides informes & impoliti ſtatuæ (ante Statuariam artem excultam) quales *Euſebius*, vel potius ex hoc forſan *Cedrenus*, Serugi ætatem reſpiciens,

αὐ-

ἀνδριάντας κατ' αὐτὸν, *ſtatuas ſtelarias* appellat, iiſque defunctos virtute inſignes viros honorari antiquitùs conſueviſſe, docet. Sanè Jacob Patriarcha *lapidem, quem pro cervicali ſuppoſuerat capiti*, ἔστησεν αὐτὸν ςήλην, *erexit in ſtatuam, & effudit oleum in ſummitatem ejus; & vocavit nomen loci Bethel*, Οἶκος Θεοῦ, *Domus Dei*, Gen. c. 28. v. 18. Qui cippus, quanquam amatus fuit Deo tum, qui proin ſe *Deum Bethel* vocat, Gen. c. 31. v. 13. poſteà tamen *odit eum, quod Chananæi deduxerunt illum ungendi ſeu conſecrandi ritum in ritum idololatriæ*, Scaliger *in Euſeb.* ex traditione Judæorum. Ab eo lapide *Baetylorum* Gentilibus nomen: qui, licèt poſtmodum Ars ſtatuaria ad culmen evecta eſſet, manebant tamen, ob antiquitatis venerationem, in honore priſtino, Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec.* IV. ubi *de Idololatriæ vetuſtate*. Vide hîc paſſim, ubi plura *de Baetylis alibique*.

BÆUS, Ulyſſis gubernator. Aliis *Baius*, in Campania ſepultus.

BAFFINI Sinus, ſinus Oceani, ſupra Americam Septentrionalem in Boream & Terras Arcticas maximè extenſus & ab Anglis detectus, ſicque dictus à paucis annis. *Baffins Bay*.

BAFUMARIA, apud Raimund. *de Agiles. In Eccleſiis autem magis* Bafumarias *faciebant*. Alibi, *Habebat & monticulum — ubi duæ erant* Bafumariæ, *& quædam ſepulchrorum Caſalia* &c. Templum notat Mahumeti dicatum, quod aliis *Machumaria* dicitur. Qui enim aliàs Mahumet, eidem Raimundo *Bahumet* appellatur. Vide infrà *Machumaria*.

BAGA, aliàs BOGA, BUGA, urbs Piſidiæ primaria. *Cedren.* Item Africæ propriæ urbs, quam Juſtinus Imperator reſtauravit, & incolæ *Theodoriadem* appellârunt. Procopius *l.* 6. de ædificiis Juſtiniani. Videtur *Bagaſi* apud eundem *l.* 4. *Belli Vandalici*, ut monuit Swalemburgius. Vide *Bagaſa*.

BAGACUM, vetus & nobile olim oppidum Nerviorum *Baganum*, *Ptolem. Bacacum Nerviorum tab. Theodoſ. Bajacum* quoque nonnunquam in priſcis *Æthici* codicibus. *Magno* loci meminit his verbis, *Nervius Baſiacum*: ubi legi convenit *Bajacum*, vel *Bagacum*, i. e. Nervius, cujas caput eſt Bagacum. Recentioribus *Bagacum* dicitur accolis *Bavay*, locus in Hainoo ſolâ vetuſtate nunc illuſtris, nihilque antiquum, præter nomen, ſervans: quem à Ponte Scaldis *Eſcaupont*, vico ad Scaldim infra Condate ſito, & à Vodogoriaco, vel Vogodoriaco, *Vuandray* aut *Vaudré*, 12. mill. paſſ. diſtare, *Æthicus* docet. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BAGADAD, vel BAGDET, Aſiæ ad Tigrim urbs, in Perſiæ Turcicæque colliminio. Vulgo *Babylon*, cum qua tamen malè confunditur, cùm hujus rudera ab urbe Bagdet ſatis longè diſtent. Vide Cluver. *l.* 5. & in voce *Babylon*, & *Bagdatum*.

BAGADARIA, nomen loci apud *Strab.* ſed legendum *Bagadonia*. *Steph.* Βαγαδωνία μοῖρα Καππαδοκίας πεδιάς. apud *Suidam* Βαγδαωνία perperam ſcribitur.

BAGAIA, vulgò BAGAY, vel VAGAI, urbs Numidiæ, quam Juſtinianus Imperator ab uxoris nomine *Theodoricam* appellavit, poſtquam eam muris cinxiſſet, Procop. *l.* 1. *de bel. Vand.* Hîc à Primiano, Epiſcopo Donatiſta Carthaginenſi, A. C. 394. concilium habitum contra Diaconum Maximianum, quem excommunicaverat: In quo ille à 310. Epiſcopis abſolutus eſt, æmulô ejus condemnatô. Auguſtin. *Contra Creſconium l.* 3. & 4. Item *in Pſal.* 3. *v.* 16.

BAGAMIDRIÆ regnum, Æthiopiæ ſuperioris ſeu Abyſſiniæ juxta fluv. Nilum. Subdividitur in 17. provincias ſatis latas, versùs Nubiam.

BAGANSONIUS Pagus, à BAGANSONO vel BAGANSONE, loco ad ſiniſtram Vidulæ contra Durocortorum Remorum, vulgò *Beſance*, dictus: inter Virtudenſem & Tartanenſem pagos medius jacet. Pagus obſcurus, & uni Regi Carolo memoratus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BAGANUM, Nerviorum civitas. *Ptol.* Aliàs *Tornacum*. Aliis eſt *Bagenheim* pagus.

BAGARGARA, regio Aſiæ, in Turcheſtania, ubi aliàs pars Scythiæ extra Imaum montem.

BAGATELLÆ, Gallis nugæ & jocularia ſunt, de cujus vocis origine vide ſuprà in voce *Bacca*. Sunt autem *Nugæ* Latinis etiam res omnes muliebris mundi, unde *Nugivendi*, qui eas vendebant. Eadem *Jocula* vel *Jocalia*, quòd iis, gemmis maximè & margaritis, mulieres maximè delectentur. Item *Baga*, à *bacca*, h. e. margarita: quò nomine mundum muliebrem, qui in gemmis conſiſtit, hodie Galli appellant; quemadmodum Arabes contrà vocabulum omnibus gemmis commune, proprium fecerunt margaritarum, per excellentiam, quòd eæ inter omnes lapillos pretioſos præcipuo ſint in honore & pretio. Salmaſ. *ad Solin.* p. 1124. Vide etiam infrà in voce *Jocalia*: item in *Bauga*.

BAGAUDA, regio quam *Bagaudæ* inhabitabant. Proſper Aquit. in *Chron. Omnia penè Galliarum ſervitia in* Bagaudam *conſpiravere*. Et mox, *Eudoxius arte Medicus — in* Bagauda *id temporis mota delatus, ad Chunnos confugit*. Sed, ubinam gentium, haud liquet. *Caſtri Bagaudarum* quidem meminêre Auctores 4. milliar. Lutetiâ diſſiti; at cùm *Bagaudæ* nullibi certam ſedem fixerint, & ubique latrocinando prædas agerent, probabile eſt *Bagaudiam* ibi fuiſſe, ubi maxima eorum pars moraretur. Fuêre autem hi, quos Altaſerra dictos vult, quaſi *ſylvicolas*, à voce Celtica *gau*, i. e. *ager*, *ſilva*: Alii à *Bagat* vel *Bagad*, (quæ vox Armoricanis ac Wallis, proindeque Gallis veterib. *turmam* ſonat & hominum colluviem) factioſorum & rebellium hominum cohors, qui ſolitudines & caſtra inhabitabant loci ſitu munita, atque inde in obvios latrociniis & cædibus graſſabantur. Eorum nomen primum in Gallia auditum, Diocletianô & Maximianô Imperatorib. ut auctor eſt Paulus Oroſius *l.* 7. *c.* 25. & Eutropius *l.* 9. è quibus Hieronymus in *Chron. Euſeb.* Herculium Maximianum, à Diocletiano in Imperii conſortium aſcitum, factione hâc Ruſticorum repreſsâ, pacem Gallis reddidiſſe, refert. Quid verò *Bagaudarum* defectioni & rebellioni occaſionem dederit, aperit Salvianus, qui Honorii & Theodoſii Principatu floruit, *de Vero Jud. & Provid. l.* 5. Judicum ſcil. & Præfectorum avaritia, ac rapina: quâ factum, ut pernicioſa hæc factio, ſemel obſequii fractis repagulis, longè etiam poſt Diocletiani ſeculum, deſæviens, eque Gallis in Hiſpaniam quoque, vel ad minimum nomen eorum: tranſierit. Meminit enim non ſemel Idacius in *Chron. Bacaudarum Tarraconenſium & Araceitanorum*, ſub Rechila & Theodorico Gothorum in Hiſpania Regibus: Sed & Eumenius *Bagaudarum* meminit, in *Panegyr. de Scholis inſtaur.* ut & Auctor *Vitæ* S. Mauricii Martyris, ex qua Chriſtianos illos fuiſſe, conſtat. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & in voce *Bacaudæ*, nec non infrà *Tumultus*.

BAGAUDÆ, latrones in Gallia, Duce Amandô & Æliandô rebellantes, ab Aurelio Maximiniano, miſsô ab Imperatore Diocletianô, coërciti ſunt, A. C. 286. Vide ſuprà.

BAGAUDÆ, ruſtici, qui rebellione in Gallicis excitatâ, à Maximiano Hercule Imperatore victi ſunt, poſt obitum Carini. Eutrop *l.* 1. Oroſ. *l.* 7. *c.* 25. Iidem item in Tarraconenſi Hiſpan. regione, à Friderico compreſſi, A. C. 452. Iſidor. *in Chron.* Vide quoque *Bacauda*.

BAGAUDARUM Caſtrum, pagus Galliæ ſuperbô gaudens caſtrô & ponte ad Matronam; 2. leuc. à Lutetia in ortum. *S. Maur de Foſſez. Vigner*

BAGDATUM, urbs Aſiæ dives, ampla & valde munita, Provinciæ *Yerak* caput, ſub Turcis ab A. C. 1640. Vide *Babylon*.

BAGDEDIN Mahomet, Arabs, de Geometria ſcripſit, Blancanus, *in ſecul.* 10. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 16. § 4. Vide & *Mahometes*.

BAGISTAME, regio amœniſſima, arborumque feraciſſimarum frequentiſſima. Diodor. Sic. *l.* 17.

BAGISTANES Babylonius, captô & vinctô Dariô à Beſſo, à Macedonibus exceptus. Curt. *l.* 5. *c.* 13

BAGISTANUS, mons Mediæ, apud quem Semiramis in petra 17. ſtadiorum ſuam effigiem inſculpſit, quam viri centum donis venerarentur. Cæl. Rhodig. *l.* 26. *c.* 24.

BAGNAREA, urbs Epiſcopalis Italiæ, prope urbem veterem ſeu *Orvieto*. Item, Ducatus Calabriæ. Leander *deſcr. Italiæ*.

BAGNOLI, vel BAJOLI, Item *Concordes & Coroci*, Hæretici ſecul. 8. errores Manichæorum incruſtabant, ut & Albanorum, V. T. rejicientes, cum parte Novi, animas quotidie à Deo creari negabant, mundumque ab æterno eſſe, &c. aſſerebant. Antonin. *ſum. Hiſt. part.* 4. *tit.* 11. *c.* 7. Prateolus, *in hac voce*. Idem nomen aſperſum Waldenſibus, in *Tuſcia*, *ſive in Marchia vel in Provincia*, ut auctor eſt Reinerus *contra Wald. c.* 6. ubi illos à *Bagnolo*, oppid. Provinciæ, vulgo dictos ait *Bagnols*.

BAGOAS, linguâ Perſicâ *Spado* dicitur. Plin. *l.* 13. *c.* 4. *Clariſſimæ omnium*, (palmæ) *quas regias appellant ab honore; quoniam Regibus tantum Perſidis ſervabantur, Babylone natæ, uno in horto Bagoi, ita enim vocant ſpadones; qui apud eos etiam regnavêre*. Idem nomen datur *ſpadonibus regiis*, apud Curtium, *l.* 2. *c.* 1. Ælianum, *l.* 6. *Var. Hiſtor.* 1. 8. *Heliodorum*, *Achillem Statium*, & Sulp. Severum, *l.* 2. *Hiſt. Sacr. c.* 21. cùm de Judith loquitur, qui *Baguam* dixit. Suidas, Βαγώας, ὄνομα εὐνούχου, δι' ἧς ἀνὴρ. Ovid. *l.* 2. *Amor. El.* 2. *v.* 1.

Quem penès eſt dominam ſervandi cura Bagoe.

Ab hac voce, hodiernum vocabulum *Page*, quod aulicum miniſterium denotat, orta videtur Boxhornio in *Tacit.*

BAGOAS, vel BAGOSAS, Eunuchus, in aula Artaxerxis Ochi adeò potens, ut ſine eo nihil ageretur. Dux et Regis in Judæam copias, & templô profanatô, in quemlibet agnum, qui Deo offerebatur, 50. drachmas tributi locô impoſuit. Quod factum, poſtquam Sacerdos Summus Johannes fratrem ſuum Jeſum, Eunucho gratiſſimum, in templo occidiſſet. In Patriam redux Regi venenum propinavit, minimô ejus filiô Arſe ſubſtitutô, quem quadriennio pòſt ſimiliter ſuſtulit. A Dario Codomanno, qui huic ſucceſſit, tandem, poſtquam & illi inſidias ſtruxiſſet, interemtus. Diodor. Sic. *l.* 17. Freinshem. *ſupplem. in Curt. l.* 2. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 11. *c.* 7.

BAGOAS, Eunuchus Perſicus, ab Alex. M. turpiter amatus. Orſinem, Satrapam & Principem nobiliſſimum, ut qui inter progenitores Cyrum numeraret, quòd, aliis magnificè ab ipſo donatis, ille præteritus eſſet, calumniis apud Regem labefecit, tantumque evicit, ut innocens Satrapa cruciatibus diriſſimis enecaretur, quos tamen incredibili animi magnitudine ſuſtinuit. Curt. *l.* 10. *c.* 1.

BAGODARES, amicorum unus Beſſi, qui, quòd illum liberiùs admoneret, vitæ in diſcrimen venit. Diodor. Sic. *l.* 17. *parte poſteriore*. *Gebhardus* cenſet Curtii *Cobarem* eſſe.

BAGOE, nympha quædam, quæ Thuſcis artem fulguritorum ſcripſit, quam quidam *Sibyllam Erythræam* eſſe putant, cui nomen eſſet *Herophila* Alex. Neapol. *l.* 2. *c.* 16

BAGOPHANES, Arcis Babyloniæ & pecuniæ regiæ cuſtos, qui urbem ingredienti Alexandrô, totum iter floribus coronisque conſtravit, argenteis altaribus utròque latere diſpoſitis, quæ non thure modò, ſed omnibus odoribus cumulaverat. Eum dona ſequebantur greges pecorum equorumque, leones quoque & pardales caveis præferebantur, Curt. *l.* 5. *c.* 1. Hunc Alexander comitatu ſe ad reliqua bella juſſit. *ibid.*

BAGRADA, Carmaniæ fluv. *Ptol.* hodie *Buimer N. Nicolao* aliis *Budmir*, *Niger* dicit incolis *Biſarin* vocari. *Bigueimut* Arabicè vocari addit *Thevetus*.

BAGRADA, fluv. Perſiæ, nunc *Tiſindon*, teſte *Sanſone*. Oritur in confinio Carmaniæ deſertæ. Et rigatâ Paſagardâ, in Oceanum Perſicum ſe exonerat. *Baudrand*.

BAGRADA, Africæ fluv. qui juxta Uticam labitur, apud quem

quem ab Atilio Regulo, & exercitu ejus, balliſtis & catapultis ſerpens 120. pedes longus occiſus eſt. Plin. *l.* 8. *c.* 14. Gellius *l.* 6. *c.* 3. Ejus ſcriptura (inquit Bochartus ὁ μέγας *l.* 5. *Chanaan*, *c.* 24) eſt valdè inconſtans; nam pro *Bragada* Lucani, Statii, Plinii, Ptolemæi, Procopii, Eutropii, Sidonii, Oroſii, & Æthici, legitur in Strabone *Bagradas*; In Pomponio, Silio & Floro *Bagrada*; In Polybio *Macar*, & *Macra*, vel *Bucara*, ut legit Suidas voce Τουάγε. In Geographo Nubienſi נגרדה *Nagarda*, quæ omnia ſunt ex uno fonte deducta. Verum ſcil. nomen erat ברכה *Braca*, vel emphaticè ברכתא *bractha*, i. e. *ſtagnum*, cujus plurale ברכות *bracoth*, *ſtagna*, *piſcinæ*, Pſal. 84. *v.* 7. Unde Græcum Βραγὰς, pro palude. *Heſych.* Βραγὸς, ἑλ☉. Jam verò ratio hujus appellationis non eſt obſcura. Nam, præterquam quòd ſuâ naturâ lentus eſt, & ex Africæ arenis vix eluctatur, (Lucan. *l.* 4. *v.* 588.

— — — Quà ſe
Bagrada lentus agit, ſicca ſulcator arenæ.)

Ex alveo ſuo excedens circa oſtia, in paludis, aut ſtagni morem longè lateque diffunditur. Sil. *l.* 6. *v.* 140.

Turbidus arentes lentò pede ſulcat arenas
Bragada, non ullo Libycis in finibus amne
Victus limoſas extendere latius undas,
Et ſtagnante vado patulos involvere campos.

Id accidere potiſſimùm certâ anni tempeſtate, quâ oſtiô arenâ obſtructô aquæ reſtagnant in campos adjacentes, nos docent hæc Polybii, *l.* 1. *p.* 76. Τοῦ φραττομένου τοῦ ποταμοῦ κατὰ τὴν εἰς θάλατταν ἐκβολὴν ὑπὸ [illegible]. Porrò cùm *Bagrada* ſic ſe diffundens multas contrahat ſordes, & in limoſas paludes deſinat, meritò *pulvereus*, & *cœnô gravis* à Statio deſcribitur, *l.* 4. *Sylv.* 3. *v.* 86. ubi Vulturnum Campaniæ amnem inducit ſic loquentem:

Nec ſordere ſines, malumque latè
Deterges ſterilis ſoli putorem,
Ne me pulvereum, gravemque cœno
Tyrrheni ſinus obruat profundi.
Qualis Cinyphios, tacente ripâ,
Pœnos Bagrada ſerpit inter agros.

Nic. Lloydius.

BAGRAVENDENE, regio Armeniæ majoris inter Tygranocertam & Arthemitam.

BAHALIS, i. e. *in lætitia*, vel *arrogantia*. Rex filiorum Ammon. Jerem. *c.* 40. *v.* 14.

BAHAMA, Inſul. Americæ Septentrionalis una ea Lucajis, in mari Boreali, 5. leuc. ab ora Floridæ regionis diſtans, & ab ea *le Canal de Bahama* dicitur æſtus maris, vehemens admodum & formidabilis, inter eam, Floridam, & Cubam Inſulam excurrens.

BAHARAIN, i. e. Διθάλασσος, ſeu *bimaris*, inſula eſt, ſita in meditullio ſinus Perſici, centum ab Armuzia leucis, & totidem à Balſora, exiguô intervallô à continente Arabiæ, è regione portûs Catiphæ, ubi ſitum ejus deſcribit Auctor *Chronici Armuzia p.* 19. Andreæ Bellunenſi dicta *dos Marìa*; forſan ideo, quia portio ejus, quod nonnulli aſſerunt, olim in longam Cherſoneſum fuit exporrecta, quam mare poſteà demerſit: cujus rei indicio ſunt duo fontes hodieque in medio mari ebullientes. Itaque διθάλασσος hæc Cherſoneſus dici potuit, exque illo tota Inſula, eo quòd idem mare, tanquam iſthmum, divideret. Famoſa eſt, ob unionum copiam, qui in ambitu & vicino mari capi ſolent. Ordiuntur autem piſcationem in *Barhen*, ſeu potiùs *Baharain*, interdum menſe Juniô, ſed maximè Juliô, producuntque, ad finem Auguſti: Solentque tunc ut plurimùm convenire circiter ducentæ cymbæ, centum ex hac Inſul. quinquaginta, è *Sulſar* & totidem *de Nikhelu*. Capiuntur verò conchæ plerunque, in ea parte potiſque Arabiæ, quem *Katar* vocant, … leucis ab hac Inſula, verſùs meridiem: ubi oſtreum cùm evellitur, ſtatim ſe aperit & margarita eximitur. Longè autem præſtant uniones hujus ſinus reliquis totius Orbis, tam pulchritudine, quàm pondere. Namque ſi duæ margaritæ ejuſdem magnitudinis & figuræ, quarum una ex hoc loco, altera aliunde petita eſt, inter ſe conferuntur, *Baharenſis* ſemper plus habebit ponderis. Quò fit, ut quotannis hinc extrahantur uniones, quingentorum millium ducatorum valore; præter magnum numerum, qui celatur, Idem Auctor ſuprà laudatus. Vide quoque Alkazuinum Arabem *in c. de Inſulis maris Perſici*, Benjaminum Scriptorem Hebr. ubi de Catipha, cujus littori *Baharain* inſul. oppoſita eſt. Ab hac Inſula proin Æthiopes margaritam *baharin* vocant, quaſi *Baharienſem* dixeris. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 5. *c.* 5.

BAHEN, vide ſuprà *Baen*.

BAHURIM, civitas in tribu Benjamin, ſatis pulchra, & in monte excelſo ſita, 2 Sam. *c.* 3. *v.* 16. i. e. *electi*, ſive *juvenes*, aut *in foraminibus*, vel *in libertatibus*.

BAHUSIUM, Caſtrum permunitum regni Norvegiæ, in parva inſul. quam facit Trolhetta fluv. qui ex Venero lacu erumpit; Antea Daniæ Regis, ſed ab A. C. 1658. ſubeſt dominio Regis Sueciæ, cum tota præfectura, quæ ab ipſo Bahuſiana dicitur. Conditum fuit A. C. 1309 ab Haquino 4. Norvegiæ Rege Diſtat. 2. leuc. Danic. à Gottenburgo in Septentrionem, & 3. circiter ab ora Oceani in Ortum.

BAJÆ, civitas Campaniæ, ſecus mare ſita, à Bajo Ulyſſis ſocio illic ſepulto. Strab. *l.* 5. Τὰς δὲ Βαίας ἐπωνύμους εἶναι λέγουσι Βαίου, τοῦ Ὀδυσσέως ἑταίρου… Sil. Italicus *l.* 12. *v.* 113.

— — — Ille tepentes
Unde ferant nomen Bajæ, comitemque dediſſe
Dulichiæ puppis ſtagno ſua nomina monſtrat.

In hujus agro, aquæ calidæ ſunt ad voluptatem & varios morbos commodæ, & quia fertilitate ac rerum copiâ, ædificiis, litorumque amœnitate præſtabant, magna Romanorum multitudo ad eas confluere ſolebat. Fuit hæc urbs temperie aëris & Romanorum frequentiâ, atque ornamentis ædificiorum celeberrima. Martial. *ad Flaccum, l.* 11. *Epigr.* 81. *v.* 3.

Ut mille laudem Flacce verſibus Bajas,
Laudabo dignè non ſatis tamen Bajas.

Horat. *Ep. l.* 1. *ep.* 1. *v.* 84.

Nullus in orbe locus Bajis prælucet amœnis.

Idem *l.* 3. *Carm. Od.* 4. *v.* 23.

— — Seu Tybur ſupinum
Seu liquidæ placuêre Bajæ.

Propert. *l.* 1. 11. *Eleg. v.* 27.

Tu modò quam primùm corruptas deſere Bajas.

Idem ibidem, *v.* 30.

Ah pereant Bajæ crimen amoris aquæ.

Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 4.

Janua Bajarum eſt, & gratum litus amœni
Seceſſus. — —

Statius *l.* 3. *Sylv. ult. v.* 96.

Sive vaporiferas, blandiſſima litora, Bajas.

Idem *l.* 4. *Sylv.* 7. *v.* 17.

Ecce me natum propiore terrâ
Non tamen portu retinent amœna,
Deſides Bajæ. — — —

Strabo *ubi ſuprà*, Ἐν δὲ ταῖς Βαίαις, καὶ τὰ θερμὰ ὕδατα ἃ καὶ πρὸς τρυφὴν, καὶ πρὸς θεραπείαν νόσων ἐπιτήδεια.

BAJANUS Sinus, vulgò *Golfo di Pozzuolo*, extenditur inter Niſitam Inſul. & Miſenum Promontor. Vocatur etiam *Sinus Puteolanus*. Vide ibi.

BAJARDUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

BAJAZETH, I. Turcarum Rex quintus, poſt Amurathem I. Patrem, A. C. 1388. Dictus eſt *Gilderim*, i. e. fulgur, quòd brevi tempore tanta geſſiſſet. Thronum conſcendit, occiſô prius Jacup vel Jacob fratre ſeniore, ſic primus ἀδελφοκτόνος Ottomannicæ auctor. Mox Bulgariâ, Macedoniâ, Theſſaliâ Chriſtianis ereptis, Græcos Armeniòſque plurimis urbibus exuit, Principeſque Aſiaticos fermè omnes ſubvertit. Hinc terror, & fœdus contra illum à Sigiſmundo Hungariæ Rege procuratum. Sed infelix obſidio Nicopoleos, & paulò pòſt clades: captivorum 600. unco crudeliter affixis, præſente Comite Nivernienſi, qui Hungaris auxilio è Gallia ſubmiſſus erat. Tantis ſucceſſibus elatus Bajazeth obſidet Conſtantinopolim, ſed fruſtra. Tamerlanes enim vel Themirlanctus, Tartarorum Rex, ab Aſiaticis imploratus, poſt devictos Parthos advolat & prope Angoriam in Galatia Turcam vincit, captumque mulo imponi, & per exercitum in ignominiam duci, potiſſimum ob ſuperbiam, quâ turgidè intumeſcebat, curavit. Poſteà catenis aureis vinctum, & in cavea concluſum, ſecum quocunque iret, circumduxit, eòque in equum aſcendens, ſcabelli locô uſus eſt. Qui miſer ſubter menſam cùm ederet, inſtar canis, ad pedes ejus ſolas de reliquiis cadentes colligebat micas, quibus tenuiſſimè, ac turpiſſimè victitabat. Tandem cùm & conjugis contumeliam videre cogeretur, illiſô ferreis caveæ retinaculis capite, exſpiravit. A. C. 1403. regni 15. captivitatis menſe 8. Chalcond. *l.* 2. Leunclav. *l.* 6. Ab illo tempore Turcarum Imperatores legitimas uxores habere deſierunt. *Thuan.*

BAJAZETHES II. Mahometi II. Patri ſucceſſit. Huic controverſiam ſucceſſionis Zizimus, frater minor natu, movit, eò quòd Bajazeth Patri nondum Imperatori natus eſſet, ſed in Aſia victus, paulò pòſt miſerè periit, non ſine veneni ſuſpicione. Naupactum in Acarnania, Methonem in Morea, Dyrrachium in ora Sclavoniæ Venetis eripuit. In Ægypto non æquè felix, Janizerorum inſuper ſeditione exercitus, illos trucidare omnes conſtituit, ni duo Baſſæ ipſi id diſſuaſiſſent. Tandem imperii an. 32. à Magnatibus ſuis Selimo filio coronam cedere coactus, hujus impietate venenô ſublatus eſt, Didymothici in Thracia, quò ſe receperat. A. C. 1512. ætat. 74. Chalcondil. & Continuator ejus, *l.* 10. & 11. Baudier. *Invent.*

BAIDA, regio Aſiæ, in Tartaria deſerta, juxta Peſſidam fluv. & Oceanum Septentrionalem in confinio ditionis Moſcoviticæ. Paucis ab hinc annis luſtrata & detecta à Moſcis.

BAIENNI, oppid. Vindeliciæ in Bavaria. *Fainge* M. Velſero; ſeu *Faing*, aut *Vaing* oppid. Sueviæ in ducatu Wirtembergenſi.

BAIFIUS Janus, vide *Janus*. It. *Johannes Antonius*.

BAILIUS Ludovicus, Jacobo M. Britanniæ Regi à ſacris concionibus, ſcripſit librum illum celebrem, cui titulus *Praxis Pietatis*, ad Carolum Walliæ Principem: qui innumeris vicibus recuſus, & in pleraſque Europæ linguas, Rhæticam quoque haud pridem tranſlatus, omnium piorum manibus teritur.

BAILUS, vide *Balivus*.

BAIN, vide *Baen*.

BAJOARII, populi Germaniæ, à Franciſ olim ſubjugati, ductu Theodonis I. Regis, Chlodovæi M. filii, ab illo Leges acceperunt. In eos dein Carolus Martellus movit. Taſſilonem eorum Ducem Carolus M. compeſcuit &c. Vide B. Rhenanum *Rer. German. l.* 2. cum *Not.* Jac. Ottonis JCti, ut & infra ubi de *Bavaris*, nec non voce *Lex*.

BAJOCÆ, urbs antiqua Galliæ Celticæ Epiſcopalis in Normannia ipſis vulgo Bayeux, *Belocaſſes*, vel *Velocaſſes* Cæſari. *l.* 8. *Comm. c.* 7. Gregor. Turonenſ. *l.* 5. *c.* 27. Ibi Concilium A. C. 1300. *Velocaſſes* Plinio *l.* 4. *c.* 18. longitud. 19. 45. latitud. 49. 10. Circumjacens regio vulgò *le Beſſin* dicitur, ubi aliàs *Bajocaſſes* populi, qui & *Biducaſſes* ſunt dicti. Vide *Bajocaſſes*.

BAJOCASSES, populi Galliæ, videntur eſſe Plinii *Viducaſſes l.* 4. *c.* 18. in Gallia Lugdun. & *Bodiocaſſes Ptolemæi*, qui & *Bajocaſſini* Gregor. Turonenſ. *l.* 5. *c.* 27. & *Bagaſſini* truncô nomine, Fredegario *Chron.* 4. *c.* 80. Hos malè in *Veneocaſſes* aut *Velocaſſes* & *Bellocaſſes* Cæſaris *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 75. *Pithœus* & *Scaliger* convertunt. Horum civitas, in *Notit. Veterib.* ſecundas tenet, inter civitates provinciæ Lugdunenſ. II. & unà cum civitate Abrincatum præcedit civitates Ebroicorum ſeu Aulercorum Eburovicum atque Lexoviorum nobiliſſimarum gentium: ex quibus etiam civitas Lexoviorum civitati Sajorum olim ignotæ, certè ſemper humili infimæque ſubjicitur. Hodieque Epiſcopus Bajocaſſinus uni Metropolitano ſecundus reliquos provinciæ Antiſtites antecedit, ſeu primus eſt Suffraganeus Normanniæ. *Bajocæ* olim, vide ibi, nunc *Bayeux*. Hunc pagus *Bajocaſſinus*, ut in *Capitulis* Caroli Magni vel *Bagiſſinus* aut *Bagaſſinus*, in *Capitulis* Caroli Calvi, vulgò *le Beſſin*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Urbs Viducaſſium *apud Ptolem.* Argenus memoratur, 3. mill. paſſ. ab Oceano: in *tabul. Peuting. Aregenus*, forte ab amne ſuo Arra vel Aura, *Aure*, & Lexovios inter ac Oiſmios ponitur. *Idem.*

BAJONA, Urbs Galliæ, in Aquitania, ampla, dives & valde munita, ad Aturum fluv. ubi influit in Oceanum, poſt receptum Nivum. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Auxitano & portu gaudet ſat capaci. Quidam ibi Aquas Tarbellicas, alii Bojatum fuiſſe rentur. 6. leucis à confinio Hiſpan. 7. ab Aquis, & 30 à Burdegala in Meridiem. Oihenart. *deſcript. Vaſconiæ, l.* 3. *c.* 13. de Marca, *Hiſt. Bearn. l.* 1. Hic collocuti Carolus IX. Galliæ Rex & mater Medicæa, cum Eliſabetha, Caroli ſorore, Philippi II. Hiſpaniæ Regis uxore & Duce Albano, exſcindendis Evangelicis, mutuam operam arcanis pactionibus firmaviſſe leguntur, A. C. 1566. Hinc in Gallia Belgioque ſanguinis torrentes. Vide Thuan. & Grot. *Hiſtor.*

BAJONA, cognomento *de Galitia* à ſitu, Urbs Hiſpaniæ permunita, in ora littorali Gallæciæ. Ibi antiquitùs fuerunt Aquæ calidæ Cilinorum.

BAIRA, apud Altorferium Monaſter. in *Hiſtor. de Guelph. Princ. Tandem ingreſſus navem* Bairam, *civitatem Sancti Nicolai, pervenit*: *Barium* eſt, Apuliæ civitas. Mariti Fratres in *Herolex.*

BAIRAM, Feſtum Mahometanorum, de quo vide aliquid infrà, voce *Paſcha*.

BAISAMPSA, Arabiæ urbs, ubi Solem cultum, nomen teſtatur, quod *Solis domum* ſignat. Teſtis Steph. *in Urb. deſcr.* Βαισαμψὰ, πόλις ἐν τῷ Ἀραβικῷ κόλπῳ πρὸς τῇ Ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, ὅ ἐστιν οἶκος ἡλίου. ὁ πολίτης, Βαισαμψηνός, *Beſampſa, Urbs in ſinu Arabico, ad mare Rubrum, ac ſignificat Solis domum. Gentile ejus Baeampſenus.* Hinc ΒΑΙΣΑΜΨΗΝΩΝ, in nummo Trajani, apud Goltzium *Theſaur. c. de oppidis fluviiſque*. Eſt igitur compoſitum, ex Syriaco, ſeu Arabico ביתא, pro quo & per apocopen dicitur, בי *domus, templum*: ac Arabico שמש, quod Hebræis שמש, *Sol.* Imò Arabes non modò Σάμψ vel Σαμψὼν, ſed & Σαμψὰ, extulerint, ſi rectè Stephanus: Σάμψα, κώμη τῆς Ἀραβίας, οἱ ἔνοικοι, Σαμψηνοί. Σαμψὰ γὰρ ὁ ἥλιος Ἀράβων ὁ ἥλιος, *Sampſa, vicus Arabiæ: Gentile Sampſenus. Sampſa verò Arabibus Sol.* Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 9.

BAJULI, inter Eccleſiæ Romanæ Miniſtros occurrunt non ſemel, ubi ſic dicti ſunt, qui proceſſionibus publicis intererant, & cruces ac candelabra bajulabant. *Ordo Rom.* deſcribens proceſſionem Pontificis: *Poſt Epiſcopos Presbyteri, deinde Monachi, dein Schola, deinde Milites Draconarii, i. e. qui ſigna portant, poſt eos* Bajuli, *poſt eos Cereoſtatarii.* Petrus Diac. *Chronici Caſin. l.* 4. *c.* 37. ait *Bajulos cereoſtatarios, ſtauroferos* &c. obviam Romà proceſſiſſe Henrico Imperatori. Sic Dudo *de Mor. Normannorum l.* 1. *Bajulant*, inquit, *Scholaſtici candelabra & cruces*, &c. Apud Petrum Chryſologum *Serm.* 121. & apud Amm. Marcellin. *l.* 14. *Bajulorum præcentorem*, tibicinem, qui veſpillonibus præcinebat, interpretantur Viri docti. *Planctores* namque Veſpillones ait *bajulos* dictos, quòd mortuos efferrent: apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Apud Aimoinum de *Vita* S. Abbonis Floriac. *c.* 17. Ingulfum *p.* 856. & 906. Matth. Pariſ. *ad A. C.* 1157. *Abbatum Bajuli* memorantur, i. e. Officiales domeſtici. Quô ſenſu *Epiſcoporum* quoque *Bajulos* habes. in *Vitis* Abbatum S. Albani *p.* 41. Atque hinc fortè *bajulare officium*, munus aliquod exercere in Monaſteriis, dixit Marculfus *l.* 1. *Form.* 1. &c. In *Tabulario* Beivatenſi, variis in locis, mentio fit *Bajulorum Horarum Eccleſiæ.* Sic in *Vitis* Abbatum modò laudatis *p.* 70. *Legebantur autem* 12. *eâdem nocte de beata Virgine Lectiones, quas cordetenus, ſine candela*, Bajuli *tranſcurrere conſueverunt.* In eodem *Tabular.* Bajuli *obituum novorum*, ſub. A. C. 1244. & 1253. Officiales ſunt in Monaſteriis, quibus incumbebat recipere & diſtribuere legata & pecunias, deſtinatas ſervitio Horarum & Obituum, ſeu *ad opus Horarum*, ut eſt in *Chartis* &c. apud eund. Car. du Freſne *Gloſſar.* De aliis vocis ſignificationibus, vide in voce *Bajulus*.

BAJULUS, inter Magiſtratus olim Imperii: Hinc refert *Cedrenus*, Theodoſium juniorem Conſtantinopoli agentem, Antiochum quendam, Præpoſitum, Patricium, καὶ τὸν Βαΐουλον αὐτοῦ conſtituiſſe. Hic idem poſteà *Magnus Bajulus* dictus eſt, atque inde apud Italos, *Bajulus Regis*, quem Angli *Protectorem* appellant. *Magni Bajuli* meminit Curopalates *in Offic. aulæ Conſtantinop.* ubi *Junius* inquit, *Bajulos recentiores Græci vocant* παιδαγωγούς. *Bajulus itaque magnus eſt, qui Imperatorem infantem quaſi geſtavit ulnis, educavitque, & inde inſtituit à pueritia ipſius.* Sic Carolus M. filio ſuo Ludovico Regi quem in Aquitaniam regnaturum miſit, *Bajulum* Arnoldum præpoſuiſſe legitur *in vita Ludovici Pii.* Vide Flodoard. *Hiſt. Eccl. Rhem. l.* 3. *c.* 24. Hincmarum *Ep.* 2. *c.* 2. *& ſeqq.* ubi fusè docet, quales *Bajuli* præponendi ſint Regum filiis, &c. Transfertur *Bajulus*, ad plures Officiarios, apud Italos, ut *Ballivus*, apud Gallos. Plura Spelmann. *Gloſſar. Archaiol.* ſuppeditat.

BAJULUS vel **BAILLIVUS**, Italis *Balio*, Magiſtratus eſt, qui vice Legati ordinarii Venetorum Conſtantinopoli fungebatur, cum Imperatores Græci adhuc rerum potirentur: ſeu potiùs *Mercatorum Prætor*, ut Platinæ placet in *Gregorio XI.* Μπαΐουλος & Μπαΐλος, Pachymeri *l.* 2. *c.* 32. Gregoræ *l.* 4. Phranzæ *l.* 3. *c.* 1. & Codino *de Offic. c.* 14. *num.* 13. quomodo hæc vox ſcribitur, apud Ducam *c.* 17. ubi de *Ballivo* Ordinis Hieroſolymitanorum militum. At id non ſemper obtinuit: Nam primitus *Poteſtates* dicti ii Bajuli, ut colligitur ex *Statutis* Venetorum A. C. 1242. *l.* 1. *c.* 27. Sed & Catalannis, qui Conſtantinop morabantur, *Ballivum* præfuiſſe, teſtatur idem Phranzes *loco cit.* Vide quoque infra in voce *Ballivi*. Addam hic pauca alia *Bajulorum* nonnulla genera,

Nonnulla Bajulorum genera, quæ apud Scriptores paſſim occurrunt.

BAJULI Capitulares, in Ordine Hoſpitaliariorum S. Johannis Hieroſolym. dicuntur in *Statutis* Ordinis illius, qui Capitulis adſcripti ſunt, Conſilioque interſunt. Hi ſunt *Bajuli VIII. Linguarum*: Provinciæ, qui Magnus Commendatarius;
Alverniæ, qui Mareſcallus;
Franciæ, qui Hoſpitalarius;
Italiæ, qui Admiratus,
Aragoniæ, qui Draperius olim; nunc Magnus Conſervator;
Angliæ, qui Turcopolerius;
Alemanniæ, qui Magnus Bajulivus;
Caſtellæ, qui Cancellarius Ordinis, appellantur: *tit.* 10. §. 42.

BAJULIVI Conventuales, in eodem Ordine, dicuntur præcipui Ordinis Conſiliarii, Magnus videl. Commendatarius, Mareſcallus, Hoſpitalarius, Admiratus, Draperius & Turcopolerius: quòd ſuarum Linguarum Præſides exiſtunt, *Ibid.* § 1.

BAJULI Dominorum, in *Conſtitut. Neapolit. l.* 3. *tit.* 10. vocantur, quibus aliquid agendum à Dominis ſuis demandatum eſt. Quô etiam nomine in Gallia veniunt pedanei & fiſcales Judices prædiorum ac feudorum.

BAJULI Gabellarii, qui gabellas ſeu tributa publica exigunt ac recipiunt in *Conſtitutionibus* præfatis, *l.* 1. *tit.* 37. Inſuper *Bajulivorum* nomine inſigniuntur Priores & Caſtellanus Empoſtæ, *tit.* 19. §. 5. memintque *Magni Ballivi* Hoſpitalis S. Joh. Hieroſolymit. Ducas, *c.* 17. *p.* 40. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

BAJUS, qui & **BADAS**, à Græco βαΐον, ramus eſt palmæ arboris cum fructu avulſus; (à cujus colore *badios* equos dici, oſtendimus ſuprà) Franc. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.* Item *miſſus* Judicii Circenſis, quòd ad ſingulos miſſus Βαΐον, i. e. *palma* daretur. Unde *Cedrenus* Juſtinianum Rhinotmetum, quum Ludi Circenſes agerentur, Apſimarii & Leontii antartarum colla pedibus calcâſſe narrat, ἄχρις ἀπελύθη τὸ πρῶτον βαΐον, i. e. *uſque dum primus miſſus abſolveretur.* Sic *locus palmæ*, h. e. τὸ βαΐον, Solino creta eſt ſeu locus victoriæ, *c.* 45. Donatis enim palmâ victoribus ſolvebatur agon, totque palmæ, quot miſſus erant &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 933. Sed & *Baia*, pro *die Palmarum*, apud Græcos: Hinc ἡ Κυριακὴ τῶν Βαΐων, *Dominica Ramorum*, in *Euchologio fol.* 241, 1. & Βαιοφόρος, *dies in quo rami geſtantur*, *Edit.* Jac. Goar. *p.* 744. A ramis palmarum, quos Chriſto Hieroſolymam advenienti prælatos fuiſſe, docet Johannes Evang. *c.* 12. *v.* 13. ubi τὰ βαΐα τῶν φοινίκων expreſsè nominat: Matthæus generatim κλάδους τῶν δένδρων, *ramos arborum*, memorante *c.* 21. *v.* 8. Unde etiam in precatione ſolenni, ad hunc diem attinente, Græci populum, qui tunc Dominum exciperet deduceretque, τοὺς κλάδους τῶν δένδρων καὶ βαΐα τῶν φοινίκων, *Germina arborum ramoſque palmarum*, adhibuiſſe ajunt. Sed de τοῖς Βαΐοις, vide plura apud Angelum Caninium *in Loc. N. T. c.* 4. Iſaac. Caſaubon. *Exercitat.* 16. §. 1. ſuprà *Baia* & infrà in *Hoſanna*, ut & ubi de *Palmarum Feſto.* At de *badio* colore etiam voce *Phœniceus*.

BAJUS Michaël, vide *Michaël*.

BAJUVARII, vide *Bajoarii*, it. *Lex Bajuvariorum*.

BALA, ancilla Rachelis; ab hera Jacobo marito tradita, ex qua hic Danem & Nephthalimum ſuſcepit. Gen. *c.* 29. *v.* 29. Item. fil. Azazi, 1 Paral. *c.* 5. *v.* 8. Item Urbs, Gen. *c.* 14. *v.* 9. Joſ. *c.* 19. *v.* 3.

BALA, mons vel promontor. in tribu Dan. Joſ. *c.* 19. *v.* 3.

BALA Alexander, Rex Syriæ, de quo ſic Juſtin. *l.* 35. *c.* 1. *Itaque adprobantibus Ptolemæi Ægypti Rege, & Attalô Rege Aſiæ & Ariarathe Cappadociæ bellô à Demetrio laceſſitis, ſubornant* Balam *quendam ſortis extremæ juvenem, qui Syriæ Regnum velut paternum armis repeteret & ne quid contumeliæ deeſſet, nomen ei Alexandri inditur.* Ita reſtituit locum Gronovius, ubi Bongarſius legit, *propalam*; Vulgatique olim habuerunt *Prompalum*, quod, ceu verum nomen hominis edidit Petav. in *Rationario Tempor.* Nititur autem Gronovii conjectura Strabonis & Joſephi auctoritate, quorum uterque *Balam* hunc Alexandrum cognominatum fuiſſe ſcribunt; nec multùm nomen hoc, in illa gente frequens, à *Belo*, *Baalo*, *Balaco* & ſimilibus abludit. Vide Gronov. *Obſervation. l.* 4. *c.* 10. & plura de hoc ſuppoſititio Rege, apud Juſtinum *l. cit.*

BALAAM, Pſeudopropheta, à Balaco Moabitarum Rege, ut Iſraëli malediceret, adhibitus eſt: Sed ter id conatus, ſemper fruſtra fuit, à propria aſina, cui inſidebat, per miraculum increpitus; ditaſ-

diraſque in benedictionem vertit, ſic Deô linguam ejus reluctantis dirigente. Ne tamen muneribus promiſſis excideret, Balaco conſilium ſuggeſſit, de Iſraëlitis ad ſcortationem pelliciendis & cultum Beel-Phegoris. Unde horum clades. Poſtmodum Deô ſuis reconciliatô, cum Midianitæ à Joſua ingenti clade victi eſſent, Balaamus inter occiſos repertus eſt. Vide Numer. c. 21. 22. &c. 2 Petr. c. 2, v. 15. *Ep.* Jud. v. 11. Joſeph. *Jud. Antiqq. l.* 4. *c.* 6. Torniel. A. M. 2583. *num.* 18.

BALAAMI Aſina, vide *Aſina Balaam.*

BALAATH, quæ & BAAL, *Hieronymo Ballath*, Joſ. c. 19. v. 8. 44. civitas in tribu Simeon.

BALABITHENA, regio Armeniæ majoris inter Arſaniam & montem Antitaurum. *P. à Vico.* Vide *l. cum propoſita, ult. Cod. de officio Mag. milit.* & *Novellam* 31. c. 1. §. 3. ac utrobique Gothofredi *Notas*, quas laudat Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

BALAC, filius Tiezbor Rex Moabitarum, qui Balaamum conduxit, ut Iſraëlitis malediceret. Numer. c. 22. v. 1. Latinè *involvens, deſtruens*, vel *cum lambente*, aut *cum percutiente*.

BALACRI, gentes in exercitu Alexandri Magni, apud Curt. *l.* 4. c. 13. & Arrianum *l.* 3. an Mileſii?

BALACRUS, Prætor Alexandri Magni, qui, Idrieo Prætore Darii ſuperatô, Miletum cepit. Curt. *l.* 4. c. 13. Hunc adnotat Janus Gebhardus, filium fuiſſe Nicanoris, ac Piſidis Præfectum; & adhuc ſuperſtite Alexandrô Rege, à provincialibus occiſum; demum ejus mortem excidiô Larandæorum & Iſaurenſium à Perdicca vindicatam, è Diodor. Sic. *l.* 18 *f.* 639.

BALACRUS, Amyntæ fil. Præfectus auxiliaris copiis Alexandri Magni. Q. Curt. *l.* 4. c. 5. *Phrygas Balagrus regebat.* Sic enim legendus locus iſte, Freinshemiô notante; Raderus gentis nomen putavit, nempe quia legit apud Arrianum *l.* 3. Οἱ Βαλάκρυ ἀκοντισταὶ, cum verba illa ſic eſſent vertenda, *jaculatores, quos ducebat Balacrus. Nic. Lloydius.* Fuit alius Nicanoris filius, Ciliciæ Satrapa; Arrian. *l.* 2. Vide ſuprà.

BALADAN, Latinè *abſque imperio*, vel *abſque judicio*, aut *vetuſtas imperantis vel judicii.* Rex Babyloniæ, miſſis ad Ezechiam Regem Judæ legatis, fœdus cum illo ferit. Quibus cum omnia ſua cimelia Rex monſtraſſet, Deus iratus, per Eſaiam illi nuntiari juſſit, hæc omnia olim Babylonem tranſvehenda, 2. Reg. c. 20 v. 13. Eſajæ. c. 39. v. 2. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 10. *c.* 3. Nabonaſſar eſſe creditur, cujus æra A. M. 3306. incipit. Scaliger, *de Emend. Temp. l.* 5. Torniel. A. M. 3306. n 4. Aliique. Pater verò dicitur Mardok-Empadi, ſeu Merodak-Baladanis, 2 Reg. c. 20. v. 12. & Eſaj. c. 39. v. 1. Joſepho ὁ Βαλάδας, *Jud. Antiqq. l.* 10. c. 3. ut & Beroſo, qui illum quidem *Babyloniorum Regem* vocat: verum id nomen in Canone non legitur. Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec.* XVI. Vide infrà *Merodach*, ubi non Baladanem ſed filium Baladanis ad Ezechiam Legatos miſiſſe, dicemus.

BALÆNA, Græcè φάλαινα, è cetorum genere, (aliàs enim cum *Ceto*, ſpecies cum genere, confundi ſolet) omnium maxima, & velut cæterorum Rex ac Princeps, quam propriam Indico Oceano facit Plin. *l.* 9. c. 3. *Maximum animal in Indico mari Priſtis & Balæna eſt: in Gallico Oceano Phyſeter.* E quo Solin. c. 52. *Indica maria balænas habent ultra ſpatia quatuor jugerum.* Additur in *Excerptis, in longitudine*, quod neceſſariò ſubintelligendum, ait Salmaſ. Habet autem jugerum in longitudine cubita centum ac triginta tria cum ſemipede, h. e. pedes regios 200. Arrianus ex Nearcho Cete Indica magnitudinem plerumque habere uſque ad 23. orgyias extentam, narrat: quod fermè eodem redit; ſed hac de re dicemus infrà, in voce *Cete*. Uti autem prodigioſa magnitudo *Balænæ*, ſic & gula tribuitur, integris quoque navibus abſorbendis par. Dionyſius Periegetes v. 603.

> Πολλάκι δ' ἂν καὶ νῆα σὺν αὐτοῖς ἀνδράσι πόντῳ
> Κῆτος καταβρύξειε πελώριον.

Unde *Priſcianus*,

> *Quippe ſolent pariter navem ſorbere viroſque.*

Et *Feſtus Avienus*,

> *Protinus hæc ipſas abſorbent fauce carinas,*
> *Involvuntque ſimul mox monſtra natantia nautas.*

Quod tamen Homerus, fabularum pater, non auſus eſt de Scylla ſua pronuntiare, quæ ſolis nautis abſorptis naves intactas relinquebat. Nempe in cetaceis quidem piſcibus inveniuntur, qui hominem deglutire queant integrum, ut de Carcharia ſeu Ceto Jonæ, infrà videbimus: At cete propriè dicta, quales *Balæna*, priſtis, phyſeter, ut vaſtæ belluæ, tamen gulæ meatus ita habent anguſtos, *ut non niſi parvos piſciculos deglutiant*, Vincentius *Doctrinalis l.* 16. c. 128. Unde Scaliger, de *Balæna* profeſſus ſe non vulgaria dicturum, ſed comperta, inter cætera hæc habet: *Neque molem grandiorem vorare licet ei, propter gulæ anguſtias; aditum enim vix ſemipedem habet.* Ratio in promptu, quia, quotquot animalia pulmone ſpirant, iis gulæ meatus coarctari neceſſe, ut ex his anguſtiis ſpiritus per fauces majore niſu erumpat &c. Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 5. *c.* 12. Porrò vaſtam hanc molem *Leviathanis* nomine ſignificari ac deſcribi, Job *c.* 40. v. 20. & *ſeqq.* magnus hactenus doctorum conſenſus fuit. Sed obſtant quam plura: *Verſu* enim 26. negatur Leviathanis cutem telis penetrabilem eſſe; at qui balænæ capturam ſcripſere, teſtantur eam obtegi telorum nimbô à nautis circumſtantibus: utpote lævem glabramque cutem & ſquamis minimè tectam (quod de Leviathane dicitur) habentem. Quæ cauſa, quòd tam facilis ejus piſcatio ſit. c. 41. v. 5. Leviathani tribuitur rictus oris immenſus, quem magnô ac horrendô hiatu valvarum inſtar aperiat: Balænæ verò anguſtæ ſunt fauces, uti vidimus. v. 9. *Oculi ejus ut palpebra Auroræ.* At nihil Auroræ radiis ſimile habent balænarum oculi, quos magni Auctores ſcribunt prægravi ſuperciliorum pondere, aut arvinâ, ſtatim obrui, cùm ſcil. bubulorum magnitudinem parùm excedant. Unde eſt, quòd amiſſô Duce, piſciculô exiguô, fertur talpâ cæcior in vada ſcopuloſque impingere. Oppian. *Halieutic. l.* 5.

> Οὐ γάρ οἱ ὄσσε ἄλις ἐναλίγκια πολλὸν ἄπωθεν
> Ἀτρεκέως, ὃ πίων ἐπιβρύχει ἔμπεδος αἰεί.

Porrò Leviathanis *halitus carbones incendit & ex ore illius flamma prodit*, v. 12. Balænis autem non vomit ignes, ſed in ſublime nimbos efflat, Plin. *l.* 9. *c.* 6. Adde quod Leviathani *collum* tribuitur, v. 13. quô balæna caret. Scaliger *Hiſtor. Anim. l.* 2. *ſect.* 118. *Collum habent Triton & Crocodilus: balæna & delphin nullum* &c. Quæque alia ſunt, è quibus omnibus conficit Bochartus, Crocodilum potiùs, quàm Balænam, *Leviathanis* nomine, à Deo d. *l.* deſignari. Vide eum *Hieroz. Part. poſter. l.* 5. *c.* 16. & 17. Plura verò de *Balæna*, apud Plin. *l.* 9. *c.* 3. & *ſeqq.* ubi inter alia ex oſſibus ejus tecta contignari apud gentes quaſdam refert: Ælian. *Hiſtor. l.* 2. *c.* 13. Plutarchum *utra Animal.* Alios. Addam hic ſaltem, deſcriptionem ejus, ex Georg. de Sepibus, cui *Balæna, piſcis eſt facilè omnium, quos monſtrorum prægnans Oceanus producere ſolet maximus; nullas omnino branchias habet, ſed earum locô prægrandem in fronte hiatum, per quem receptum humorem magnâ vi evomit; cutem eſt globrum & in modum exaſperata pellis ſpiſſum, durum, tenax, firmum ac ſolidum; pinnas habet utrimque unam & tertiam in dorſo, in modum alæ ſeu falcis, quibus univerſam molem corporis vibrat. Cauda lunata coloris cyanei, oſſatura tanta eſt, ut eâ velut ſepe Iſlandi ad hortos cingendos habitationeſque utantur; in Collegii Romani Societat. Jeſu Muſæo.* Hodie *Balænarum* captura, juxta Groenlandiam (namque & alibi, quàm in Indico Oceano) frequens eſt; obſervatumque, Septentrionem re piſcariâ copioſiorem eſſe tractibus Meridionalibus. Cujus cauſa fortè, quòd vis vivifica meliùs ſe per vices habeat, quàm ſi unô eôdemque tempore conſtanter attineatur. Aquæ autem quò Auſtro propiores eo graviorem ac magis continuum Solis æſtum ſentiunt; unde generationi minus aptæ redduntur, quàm Septentrionales, quæ Solem non niſi per intervalla ſentiunt, Auctor Anonymus *Hiſtor. Orb. Terr. cap. de Commerciis.* Cæterùm variis uſibus *Balæna* inſervit. Sinenſes, qui in provinc. *Kuangchen*, ad Inſul. *Haman* balænas capiunt, eô planè modô, quô Batavi in mari Balthico, oleum ſicut illi inde ad varios uſus excoquunt. Pinguedo inſuper, quæ nonnunquam pedis altitudine corio ſubeſt; Europæis vernô præſertim jejuniô, ſale condita, edulis apta eſt, hincque *laridum quadrageſimale* vulgò appellant. Sed & lingua, quæ multarum eſt librarum pondo, in maximis habetur deliciis: reliquas ejus piſcis carnes bubularum inſtar quoque ſalitas audimus vel numeroſum exercitum, per integrum diem, poſſe alere. Setis porro ſeu barbæ ejus (ſunt ante oculos tenues quædam aſſulæ, quaternas ulnas longæ ac ſeſquipedem latæ longiſſimis villis ad latera præditæ, quibus ſibi iter prætentat) perpolitis ac bene exſiccatis fruſtulis, politiores mobierculæ ſua pectora communiunt, veſtiumque fibras rigidiores ac rotundiores continent: Apparitores etiam publici virgularum ac faſcium locô geſtant &c. Vide Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ c.* 12. ubi de hoc Ceti genere proliſè & eruditè diſſerit: uti de piſce mille vocum *Zamur*, cujus operâ *Balæna* in exitium aguntur, fabulam Arabum, infrà ubi de eo.

BALÆUS Robertus, vide *Robertus.*

BALÆUS Johannes, vide *Baleus.*

BALAGRUS, Hiſtoricus Græcus, ἐν Μακεδονικῶν advocatur à Stephano, in Ὄλβηλος, ac ἐν Μακεδονικῶν δευτέρῳ ab eodem in Ἄμολβος.

BALAGUATA, regio Aſiæ, intra montes, peninſul. Indiæ intra Gangem, ſub dominio Regis Decani, verſus confinia regni Golcondæ.

BALAMBUANUM, Urbs Aſiæ, in Inſul. Java, cum portu, in ora littorali, verſùs Orientem, ex adverſo Inſul. Baliæ. Hinc Fretum inter utramque *Fretum Balambuanum.*

BALAMIR, Hunnorum Rex Boſphorô Cimmeriô trajectô Oſtrogothos vicit; Unde tantus reliquis Gothis terror, ut à Valente Imperatore ſedes in Mœſia peterent. Procop. *bell. Goth. l.* 4. Sozom *l.* 6 *c.* 37. Jornandes. *c.* 14.

BALANAGRA, Græcè Βαλανάγρα, nomen clavis, cujus apud Veteres communis uſus fuit. Cujuſmodi claves unicô dente conſtabant, qui in *balanum* infigebatur, ad eam extrahendam. Tibullus, *l.* 1. *El.* 2. v. 18.

> *Seu reſerat fixô dente puella fores.*

Quam ob rem cùm fraudibus illæ obnoxiæ eſſent Laconicæ claves inventæ ſunt, quibus tres dentes erant. Unde queruntur apud Ariſtophanem mulieres in Θεσμοφοριαζ. cùm antea ſuleremt de facili aperire viris inſciis cellaria & apothecas, & inde quæ vellent depromere, jam per Laconicas claves, quas Viri tum geſtare cœperant, id non ampliùs licere, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* & infrà paſſim, imprimis in voce *Balanus*, & ubi de *Laconicis Clavibus.*

BALANAM, i. e. *idoli gratia*, vel *donum*, aut *poſſeſſor gratiæ* fil. Achobor, ſeptimus Rex Edom. Gen. c. 36. v. 39.

BALANEA, oppid. in confinio Syriæ, & Phœnices. Plin. *l.* 5. c. 20.

BALANDRANA, Gallis BALANDRAS vel BALANDRAN, pallii ſpecies, occurrit in *Statutis* Ordinis S. Benedicti in provinc. Narbonenſi. A. C. 1226. *Illas quidem veſtes, quæ vulgo* Balandrava *& ſupertoti vocantur & ſellas rubeas & fræna ---- penitùs amputamus*, ubi Car. du Freſne *Balandrana* legit. Cum his equitare Regularibus interdictum, in Concilio Albienſi A. C. 1254. *c.* 33. *Prohibemus quoque diſtinctiùs, ut nulli Regulares cum* balandranis *vel aliis veſtibus Laicorum equitent ac incedant, &c.* Vide Car. du Freſne præfatum in *Gloſſar.*

BALANEÆ, Syriæ exræ oppid. *Stephano* Phœniciæ, cui & *Leucas* vocatur, *Bagnas Poſtello*, *Valania Nigro.*

BALANTIPYRGON, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptolem. Capelampa Mercatori.*

BALANTIUM, Nævio dictus eſt mons Palatinus Romæ, quod ibi pecus paſcens *balare* conſueverit, apud Johan. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 8.

BALANUS, Græcè Βάλανος, *palmula*, à *glandis* ſimilitudine; qualis fructus ejus palmæ, quæ myrobalano, i. e. balano myrepſicæ pomum ſimile gignit. De qua vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1319. *& ſeqq.* Quod nomen Græciæ populare, de palmæ dactylis, Latini uſu ſuum fecêre: namque & glandes hæ palmæ exiliores ac proceriores, *dactyli*, à digitorum forma dicti ſunt. Plin. *l.* 13. *c.* 4. *In utroque genere plebeja videntur. Syri & Juba tragemata appellant. Nam in alia parte Phœnices, Græciaque populari etiam nomine a nobis appellantur Balani.* Et ſic quidem palmæ fructus *balanus* dictus eſt. Alia verò eſt *Balanus* arbor, quæ myricæ folia ſimilia habens myrobalanum fere, glandem ſic appellatam, quòd unguentis adderetur, ex qua etiam oleum fiebat, quò pretioſiſſima quæque unguenta conficiebantur, de qua vide eundem Salmaſ. *p.* 499. Idem porro nomen fuit ornamento aurium, à forma ſic dicto, de quo vide infrà ubi de *Inauribus.*

BALANUS, quoque ferrum fuit glandis facie & cavum, quod in foramen τοῦ μοχλοῦ, i. e. *lignei vectis ſeu ſeræ* immittebatur apud Veteres, ſicque ſeram committebat januæ, ut niſi extractô eô removeri ac revelli non poſſet ſera, nec janua aperiri. Ita autem in ſeræ foramen incidebat βάλανος, ut tota lateret, nec erui inde poſſet vel extrahi, niſi immiſſô aliô ferrô oblongô, quod in *balani* cavitatem ita inibat, ut eam evelleret ac ſurſum traheret, quod ferrum βαλανάγρα vocabatur: & hæc fuit clavis. Græci, Βαλανάγρα, κλεὶς τὸ ἀγρεύουσα τὸν βάλανον. Foramen verò ſeræ, in quod deſcendebat βάλανος, dicebatur βαλανοδόκη. Sed nec βάλανος, nec βαλανάγρα locum habuit, niſi in his foribus, quæ ſerâ vel vecte ligneô tranſverſò firmabantur, quem Græcis μοχλὸν, Latinis *ſeram*, appellari diximus. Quô modô primæ domus januæ, quæ in publicum aperiebantur, & urbium portæ, muniri ſolebant. Interiora vero conclavia & cœtorum fores, aliô munimine firmabantur, *peſſulis* videl. ſeu *ferreis obicibus*, cujuſmodi obices *verrouls* hodie Galli vocant, *Heſychius* κατόχια dixit. De quibus Appulejus *l.* 3. *Et cum dicto peſſulis injectis & uncino firmiter immiſſo ſit ad me reverſa.* Nempe uncus vel uncinus, Græcè κόραξ immittebatur, injiciebantur peſſuli & ſic intus fores oppeſſulabantur. Ab illis verò, qui foris erant, clave, ut hodie fit, immiſſâ, reducebatur peſſulum, quô oſtium intus vinctum retinebatur, ſicque fores aperiebantur: quod ad βαλανάγραν ſine ratione, Vir magnus refert. Hæ enim non adducendo aut reducendo peſſulum, ſed ſurſum trahendô, fores reſerabant. Nempe, ut dictum, cava erat βάλανος, quæ in foramen ſeræ deſcendebat, & intra id tota immerſa latebat. In idem foramen demittebatur clavis ſeu βαλανάγρα, quæ conveniebat in cavum balani & eam attrahebat. Cochleatim enim ſtriata intus videtur fuiſſe βάλανος & βαλανάγρα extra, quò ſtriis clavis in ſtrias ferreæ glandis inennibus faciliùs invicem poſſent copulari & unà extrahi. Hinc *Pollux* ex *Thucydide* clavem demiſſam in βάλανον ſeſe induiſſe eamque traxiſſe, ut haſtæ lignum ſeu haſtile immittitur τῷ στυρακίῳ, ait. Sic itaque non reducebatur βάλανος, ſed ab imo ſurſum trahebatur ac clavem immiſſam ſequebatur, quòcunque tandem modô eam exſculperet & expiſcaretur ἡ βαλανάγρα. Cæterùm, ut januæ hôc modô obſeratæ poſſent etiam reſerari ab his, qui foris erant, ſatis grande foramen ſupra locum ſeræ relinquebatur in oſtio, per quod manus immiſſa quæret, & *balanus* in balanodocen demitti, rurſuſque eidem aperiendæ βαλανάγρα in βάλανον immitti, de quo vide infrà in voce *Foramen*: plura vero hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 925. *& ſeqq.* ubi inter alia Recentioribus *balanos* cum *obicibus* ferreis paſſim confundi docet.

BALAO, caſtrum Galliæ, memoratum Orderico Vitali *l.* 10. *Paganus de monte Dublabelis caſtrum* Balaonem *tenebat.* Hodie *Baillon* vel *Baillou* fortè, inter Fractam Vallem *Freteval*, Montemque Dublelli *Montdoubleau*, in Perticо minori, Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ.*

BALARE, ovium vox ex Græco βῆ, βῆ, cujus mentio in illo Cratini.

Ὁ δ' ἠλίθιος, ὥσπερ πρόβατον, βῆ, βῆ λέγων, βαδίζει.

Hinc, uti ovis, animalis quippe ſimpliciſſimi hominibus parùm callidis, & paulo ſtolidioribus, appellatio attributa eſt; uti patet ex *Bacchidibus* Plauti, ubi ſenes ſimplices minimeque malos *oves* vocat, & Comico Græco, *in Nubibus*, λίθος, ἀριθμὸς, πρόβατον: ſic & *balare* dicti qui ſtolidè aliquid effutiunt, quàm loquuntur. Plautus ubi modò. Arnobius *adv. Gentes l.* 3. *Cornificius* balare *convincitur*, &c. Vide quoque ſupra *Agnus.*

BALARI, Cyrni exules dicuntur, teſte Pauſaniâ, *l.* 10. quod nomen Sardiniæ montana incolentibus adhæſit, cùm illuc receſſiſſent à Carthaginenſibus deficientes. Cœl. Rhodig. *l.* 19. *c.* 22. Eorum regio *Baromela* dicitur *Procto*, *Præter Ilienſes vel Jolaenſes*, inquit Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 31. *inter vetuſtiſſimos Sardiniæ populos memorantur Balari & Corſi.* Plin. *l.* 3. *c.* 7. *Celeberrimi in ea populorum Balari & Corſi.* Livius *l.* 41. *c.* 6. *Ilienſes adjunctis Balarorum auxiliis pacatam provinciam invaſerant.* Item *Balarorum magna auxilia Ilienſibus venerant.* Etiam *Balaros* recenſet *Strabo*, inter τῶν ὀρεινῶν ἐθνῶν. Et Pauſanias *loc. cit.* tam *Corſos*, quàm *Balaros* cum Ilienſibus in montes ſe contuliſſe ſcribit, & illos quidem acceſſit è vicina Corſica, hos ex Africa & Hiſpania: *Oriâ*, inquit, *ſuper præda diſſenſione. Afri & Hiſpani irâ accenſi, cùm a Carthaginenſibus defeciſſent, & ipſi montium juga occupatis, ſeorſim conſiderunt*, Βαλαροὶ δὲ ὄνομά ἐστιν αὐτοῖς κατὰ γλῶσσαν τὴν Κυρνίων Βαλαροὺς γὰρ τοὺς φυγάδας καλοῦσιν οἱ Κύρνιοι. At hi non erant exules, nec Corſicâ linguâ debuerunt, ſed Sardiniâ denominare. Bocharto itaque *Ilienſes*, *Corſi*, *Balari*, gens eadem, quia idem ſitus, & eadem victus ratio. Nempe ut *Ilienſes* ex Pœno עילי *Ilai* quaſi *altos* dixeris, à montibus ſcilicet, ita חורשי *Corſi* à ſylvis, & *Balari* à feritate dicta, quaſi ברורים *Balarim* Arabicè ſcil. ברארי *barari*, *ſolitudinem* ſonat. *Nic. Lloydius.*

BALATHA, Urbs Meſopotamiæ, ad Chaboram fluv. inter Niſibin & Tipiacum.

BALATIMORA, Sinus Hiberniæ Inſul. in Momonia provinc. & Deſmoniæ Comitatu, ſpatioſus atque Inſulis ſparſus, cum portu cognomine in ora Meridionali. *Balatimore Bay.*

BALATONI, Corſicæ mediterraneæ populi, quorum regio *Balagna* dicitur. Horum veſtigium manet in oppid. *Balagna* intra montes, ad fontes Oſtriconi, fluv. in parte Boreali Inſulæ. *Baudrand.*

BALATOR, in *Appendice ad Chron. Leodienſe* A. C. 1374. apud Labeum *Tom.* 1. *Bibl. p.* 408. vel, ut eſt in *Notis* Tyronis, *Ballator*, ſaltator eſt. Unde *Balatio*, ſaltatio in *Gloſſis* Iſidori, & *Ballematium* ſeu *Balliſteum*, chorea ſeu cantilena, ad quam ſaltatur: à verbo *balare*, i. e. ſaltare, choreas ducere. Item *Ballare*, Gall. *Baler.* *Ugutio*; *Ballare*, *huc & illuc inclinare, vacillare.* *Notæ* Tyronis, *Ballat*, *ballator*; *ballatrix*, Quæ voces à Græco deductæ, *Gloſſ. Græc. Lat.* Βαλλίζω, *pergo: gradior.* Βαλλίζει, *ambolat.* Βάλλισμα, *hic greſſus*, Βαλλίζω *ballo.* *Lexicon MS. Reg.* Βαλλίζειν, καὶ κύμβαλα κροτεῖν ἢ πρὸς τὸν ἦχον αὐτῶν ὀρχεῖσθαι; Βαλλίζειν, *eſt cymbalo percutere, & ad iſtiuſmodi ſonum ſaltare.* Vide Athen. *l.* 8. *p.* 362. Concilium Laodicen. *can.* 52. Auguſtinum *Serm.* 215. *de Temp.* Synodum Roman. ſub Eugenio II. A. C. 826. *can.* 35. alioſque Scriptores, Camlodu Freſne laudatos in *Gloſſar.* in & infrà, in voce *Baliſteum.* Hinc *Balet* Gallis hodieque genus ſaltationis, à plurimis diverſa ſchemata exprimentibus peragi ſolitum; item Dramatici poëmatis ſpecies, falſorum Deorum laudes ab illuſtribus perſonis recitari ſolitas, plerunque comprehendens, de qua utraque vocis notione vide P. Richeletum *Diction. Gall. haud pridem edito.*

BALATORUS I. Tyri Rex, vide *Balezarus.*

BALATORUS II. poſt exciſam à Nebucadnezare veter. Tyrum, cum Baali Regi ſucceſſiſſent *Judices*, (Regum locò, ſub clientela Babyloniorum) inter Mytgonum & Geraſtratum regnavit. Iterenim Auctor *Annalium Tyrior.* Μύτγονος καὶ Γεράστρατος ἐδίκασαν ἔτη ἕξ, ὧν μεταξὺ ἐβασίλευσε Βαλάτορος ἐνιαυτὸν ἕνα, *Mytgonus & Geraſtratus Judices annis ſex, inter quos* Balatorus *regnavit anno uno*, apud Joſeph. *contra Apion.* Eô mortuô, evocârunt Merbalum ex Babylone, qui regnavit ann. 4. Hunc excepit Iromus per annos 20. cujus tempore Cyrus Perſarum Imperator erat. Unde patet, nonnullos ſanguinis regii captivos à Nebucadnezare abductos & Babylone educatos fuiſſe, è quorum numero Reges ſubinde Tyrii petierint. Joh. Marshamus *Canone Chronico ad Sec.* XVIII. Ab *Iromo* iterum hiatus ingens eſt uſque ad Azelmicum Regem, quem vide.

BALATRONES, Horat. *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 2.

Mendici, mimæ, Balatrones.

Quem ad locum ſic *vetus Interpres*: *Balatrones luxurioſos ac perditos vocat, a Servilio Balatrone, cujus in* 2. *libro meminit. Ex hujus autem nomine, ſimilis vitæ homines balatrones ſunt appellati, à balatu fortè dicti, quæ vox inertia eſt, & ridicula; Legitur & Barathrones, qui bona ſua devorando, quaſi in Barathrum mittunt. Iidem & Blatrones propriè dicti ſunt, a blaterando, i. e. vaniloqui.* Hæc ille. Primum autem etymon probare non poſſumus, nec enim *balatrones* id nomen habent à Servilio, ſed Servilius id nomen accepit, quòd nihili homo foret, ac decoctor merus. Nec magis placet *a balatu* ſic dictos. Quod ſi foret, ita vocarentur propriè *loculeji & blaterones*, quod falſum eſt. Veriſimilius eſt tertium etymon, ut *bonorum gurgites* ita dicerentur, quia ſunt.

Ingluvies & tempeſtas barathrumque macelli.

Uti loquitur idem Horat. *l.* 1. *Ep.* 15. *v.* 31. Sane *barathrum* Athenis locus erat immenſæ profunditatis; Sed & μεταφορικῶς ſumitur à Plauto, *Curcul. Act.* 1. *ſc.* 2. *v.* 29. pro *Stomacho.* Inde igitur decoctores dicti *barathrones*, quia cuncta conderent in *barathrum* h. e. in *ſtomachum.* Hinc vetus Gloſſator ἄσωτον *Barathronem* interpretatur. Quòd autem addit Horatianus interpres, aliter dici *Blaterones*, id ſatis refellitur iis quæ diximus. Eſt & aliud etymon apud Feſtum, ex cujus verbis cognoſcitur *balatrones* ita dictos videri, à vocabulo *bulla*, ſive, ut MSS. habent, *Balla* ſignificante lutum, quod ex itinere adhæret, ſive quod de calceamentorum ſoleis iaditur. Sanè pro *flagitioſo* uſurpat Varro, *de R. R. l.* 2. *c.* 5. *Videbo jam vos*, inquit, *balatrones, & hinc auferam meum corium & flagra.* Cæterùm ab hac voce eſt, quòd Italis homines nequam *Balatrom*, & Gallis *Belatres* dicuntur. Vide Fungerum, in *Balatrones.* Henricus III. Imperator &c. Pictaviæ &c. ac Aquitaniæ Ducis, ſororem Guilielmi Agnetem in uxorem accepit. Cumque ex more regio, nuptias Ingelheimii celebraret, omne *Balatronum* & hiſtrionum collegium, quod eò confluxerat, vacuum abire permiſit. Spelman. *Gloſſar.* ex libro Gall. *Preuves de l'hiſtoire des Comtes de Poitou*, &c. Ubi à *Balando* ſeu ſaltando, dicti videntur.

BALATUS & BALBATUS, vide *Babalathus.*

BALBECA, vetuſta Phœniciæ Urbs, ad montis Libani radices ſita, nunc ferè omnino diruta, non longè à Damaſco, Aleppum verſus.

BALBIA, Auſoniæ urbs. Plin. *l.* 14. *c.* 6. ubi nonnulli *Babia* legunt. Oppid. Brutiorum in Calabria citeriore in colle, ubi manna & cryſtallus proveniunt. Hodiè illud *Altomonte* dici, ſcribit *Gabr. Barrius.* Hinc *Vina Balbina*, quæ in pretio olim.

BALBILLUS, Neronis ætate Ægypti Præfectus fuit, teſte Tacitô *Annal. l.* 13. *c.* 22. Fuit id an. Urb Cond. 809. Qu. Voluſiô Saturninô, & P. Corneliô Scipione Conſulib. De itinere ſuo, ac rebus Ægyptiacis, quædam conſignavit. Senec. *Nat. Qu. l.* 4. *c.* 2. *Balbillus virorum optimus, in omni literarum genere rariſſimus auctor eſt, cùm ipſe præfectus obtineret Ægyptum, Heracleotico oſtio Nili, quod eſt maximum, ſpectaculo ſibi fuiſſe delphinorum a mari occurrentium, & Crocodilorum a flumine adverſum agmen agentium, velut pro partibus prælium: crocodilos ab animalibus placidis, morſuque innocuis, victos.* Ex eodem

eodem opere eſt, quod refert Plin. *in proœm. l. 19. Galerius à freto Siciliæ Alexandriam ſeptimâ die pervenit, Balbillus ſextâ, ambo Præfecti.* In vulgatis Senecæ libris eſt *Babillus*, in Plinianis *Balbilius*. Sed *Balbillus* dicitur *Tacito*. atque ita legi oportere, probat Lipſius ex veteri inſcriptione: T. JULIUS BALBILLUS, SACERDOS SOLIS. Addere potuit & hanc: SOLI ALAGABALO JULIUS BALBILIUS AQUILA. Sanè ἀναλόγως à cognomento *Balbus* fit *Balbulus*, hinc *Balbillus*; tamen ecce *Babilla* in inſcriptione alia: PRO SALUTE SABINIANI ET JULIÆ BABILLÆ VINDONA MATER. Voſſ. *l.* 1. *Hiſt. Lat. c.* 23.

BALBINUS, poſt mortem Gordianorum, cum Pupieno, electus à Senatu Imperator Romanus bis antè Conſul & Præfectus urbis, & plurimarum provinciarum rector. Genus ſuum referebat ad Cornel. Balbum Theophanem, qui per Pompejum civitatem meruerat, quum eſſet patriæ ſuæ nobiliſſimus, idemque Hiſtoriæ ſcriptor. Hic cum Socio Imperii Maximinis reſtitit, qui in obſidione Aquilejæ perierunt. Mox uterque à militibus, dum ante Capitolinorum ludorum feſtivitate, interempti. Au. 137. Imperii 10. vel 12. Jul Capitolin *in Maximin.* & *Gordian.* Herodian. *l.* 7.

BALBIS, Græcè Βαλβὶς, in Stadio, nonnullis idem quod ὕσπληγξ: alii accuratiores verò diſtinguunt. Utraque enim quidem ad Stadii ingreſſum, unde curſores emittebantur; ſed Βαλβὶς propriè fuit linea, in ſolo depreſſa & modicè cavata, cui inſiſtebant Curſores: At Ὕσπληγξ repagulum vel regula altiùs è ſolo elata & oppoſita Curſoribus; quæ ſignô currendi datô, ruebat repentè & in Βαλβῖδα incidebat, ad cujus cavi modulum ita attemperata facta erat, ut decidens lineæ hujus cavitatem impleret & exæquaret. Quô factô & limite complanatô in curſum ſe dabant ac pedum certamen auſpicabantur οἱ πεζοὶ. Statius *l.* 6. *Theb. v.* 593.

> *Ut ruit, atque æquum ſummiſit regula limen,*
> *Corripuêre leves ſpatium*, &c.

Itaque Βαλβὶς linea erat, ad quam ſtabant Curſores: ὕσπληγξ tranſverſum repagulum, quod inter duo alia arrectaria & exſtantia ligna poſitum ſignô datô, à duobus Hermulis utrinque funibus laxabatur, vide infrà ubi de his *diſſeremus Hermulis*. Ovidius alicubi *carcerem* vocat βαλβῖδα, ſed abuſivè; Nulli quippe carceres in Stadio, uti infrà videbimus. Sed & Circi fores cancellatim ac reticulatô opere factæ, Βαλβῖδες quoque dictæ ſunt, ut dicemus in voce *Cancelli*. Plura vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 923.

BALBURRA, urbs Lyciæ. *Steph.* Vide *Bubo*, apud eundem. longitud. 60. 40. latitud. 37. 20.

BALBUS, cognomen Atiliorum, à *balbutie* primum uni ex iis impoſitum, & poſteà à poſteris retentum. Vide *Cornelius*

BALBUS Cornelius, cognomine *Garamanticus*, ob victoriam de Garamantibus reportatam, memoratur Solino *c.* 29. *Garamantas Cornelius Balbus ſubegit, & primus ex hac victoria triumphavit. Primus ſanè de externis, utpote Gadibus genitus, acceſſit ad gloriam nominis triumphalis.* Cui prius unà cum *Balbo* Patruo majore civitas Romana data eſt: qui poſterior ad Conſulatum quoque aſcendit. Plin. *l.* 7. *c.* 43. ubi de variis Fortunæ exemplis, *Fuit & Balbus Cornelius major Conſul, ſed accuſatus, atque de jure virgarum in eum Judicum in conſilium miſſus, primus externorum atque etiam in Oceano genitorum, uſus illo honore, quem majores Latio quoque negârunt.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 383.

BALBUS Cornelius, *Major* cognominatus, ad differentiam alterius *Balbi*, ex fratre nepotis, viri Triumphalis, primus externorum Romæ Conſul fuit: uti vidimus ſuprà.

BALBUS Hieronymus, vide *Hieronymus*.

BALBUS, mons Africæ inſignis latebra Maſiniſſæ Regis à Syphace ſuperati. Eſt enim fontibus abundans, & paſcuis, agroque Carthaginenſi vicinus.

BALBUTIES, infantum ſermo, ſeu *loquela, ipſo fragmine offenſantis linguæ dulcior*, uti habet Minucius Fel. *Octavio*: Græcè ψελλότης, item ψελλισμὸς Baſilius Seleuc. Orat. 7. in Abrah. ὡς τὸ ἐοικὸς τὸ βρέφος, καὶ ψελλιζομένω τὴν γονέων τὴν πόθον ἐκκαλούμενον. Cujuſmodi dimidiatæ loquelæ, & ob id dulcioris, ſpecimen extat apud Salvian. *Ep.* 4. ubi Palladia, à parentibus ipſius balbutiem imitantibus, Domnula vocata, *Advolvor veſtris, ô parentes chariſſimi, pedibus, illa ego veſtra Palladia, veſtra Gracula, veſtra Domnula, cum qua hic tot vocabulis quondam, indulgentiſſimâ pietate, luſiſtis. Quæ vobis per varia, nomina nunc ſui mater, nunc avicula, nunc domina.* Jac. Ouzelius *Animadverſ. ad Minucium d. l.* Vide infrà *Lallus*.

BALCANIFER, vide infrà *Baldakinus*.

BALCEA, urbs circa Propontidem, *Steph.*

BALCHUS, fluvius Colchorum.

BALCIA Inſula, vel BALTHIA, occurrit apud Solin. *c.* 39. *Auctor eſt Xenophon Lampſacenus, à littore Scytharum in Inſulam* Balciam *tridui navigari: ejus magnitudinem immenſam & penè ſimilem continenti; nec longe Oeones ſeparari: quas qui habitent, vivant ovis avium marinarum, & avenis vulgò naſcentibus*, &c. Ita enim *Excerpta* Plinii antiqua habent, & exemplaria *MSS.* At libri Soliniani *Abalciam* vulgò præferunt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 217.

BALCONES, in *Inſcr.* quæ legitur in Cœmeterio S. Proculi Veronæ, *Fecit balcones novos ſuper* balcones *veteres elevari.* Italis *Balconi*, Gallis *Balcons*, exedræ ſunt prominentes; vox, ut volunt nonnulli, propria Venetorum; ut alii, Genuenſium, Car. du Freſne *Gloſſar.* Sic Salmaſ. voce hâc indigitari ait, quæ foribus adjici & ſuper januas extrui ſolent, *grunda* Latinis dictas, Græcis recentioribus ταβάια, vide eum *Notis ad Spartian. in Peſcennio Nigro. c.* 15.

BALDACHINUM, vulgò In Eccleſia Latina vocatur umbella, quæ ſuper S. Eucharistiam, dum circumgeſtatur, deferri ſolet: imò & ſuper eam in Altari, ut vocant, aſſervatam & ſubinde ſuper Altaria, abſque aſſervata ibi Eucharistia ſuſpenditur. Operimentum eſt quadratum, memoratumque in *Actis* S. Theoctiſtæ Leſbiæ, ubi agitur de Altari in templo B. Mariæ, in Inſula Paro. Vide Anſ. Solerium *de Pileo ſect.* 4. Carolo du Freſne, *Baldakinus* ſeu *Baldekinus*, vox recentioris ævi pannum notat omnium ditiſſimum, utpote cujus ſtamen ex filo auri, ſubtemen ex ſerico texitur, plumario opere intertextoto: à *Baldacco* ſeu Babylone, Perſidis celebri urbe dictum, quod conficeret ibi & inde in Occidentem deferretur. Gallis & Anglis *Baudequin*: quâ appellatione donata etiam legitur moneta minutior, cujus in commerciis uſum prohibendum efflagitârunt in Gallia *Monetarii*. A. C. 1308. ut eſt in veteri *Scripto* Cameræ Comput. Pariſ. fortè quod Rex ſub *Baldekino* ſeu umbraculo in throno ſedens, in ea repræſentaretur. Crebro autem *Baldachinum* ſeu *Baldekinum*, pro umbraculo ſumi ſeu umbella, eò quòd utplurimum iſtiuſmodi umbella ex panno hoc pretioſo conficeretur, ex Auctoribus notum, imprimis pro conopeo ſeu umbella illa, uti dictum, quæ tegendo Tabernaculo & Altari, ac Sacramento, per viam, unà cum Sacrificulo illud deferente, inſervit: quod tamen album debere eſſe, notant Macri fratres, apud quos *Baldachinum*, à *Baldachino* Regulo Damaſci (unde ſericum Babylonem defertur) quem Balduinus, Gothofredi Bullionæi Frater in Regno ſucceſſor, vicerat, ut refert Blondus *Decad.* 2 *l.* 5. *ad A.* C. 1130. dictum videri, quoque legas, in *Hierolex.* Hinc *Balcanifer*, apud Math. Pariſ. *ad A.* C. 1237. & 1247 quô nomine inſignitus eſt Vexillifer, apud Templarios olim Milites &c.

BALDAD, i.e. *vetuſta dilectio*, vel *mamilla* ſive *inveterante motus*, aut *abſque motu*, ſive *abſque dilectione*, vel *mamilla*, nomen viri. Job. *c.* 8. *v.* 1.

BALDE Bernardinus, vide *Bernardinus*.

BALDE Jacobus, Enſiſheimio Alſata, Rector collegii Jeſuitici, Neoburgi ad Iſtrum, Lyricus excellens. Scripſit optimi cummatis poëmata, tom. 4. in duodec. Coloniæ excuſa: Præterea *Uraniam, Batrachomyomachiam, Encomium macrorum*, &c Obiit haud pridem.

de BALDENSEL Gulielmus, vide *Gulielmus*.

BALDEQUINUS, Damaſci Rex à Baldwino ſuperatus. *Blond*

BALDERICUS, Epiſcopus Noviodunenſis. Scripſit *Chronologiam* Eccleſiæ Atrebatenſis & Cameracenſis, cum aliquot operibus hiſtoricis. Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 2. *c* 47. Sanmarthani fratres, *in Francia Chriſt. tom.* 2. *p.* 816. Obiit A. C. 1112.

BALDOCUS Radulphus, vide *Radulphus*.

BALDRACA, puella generis obſcuri, peregrinæque conditionis, quamvis multarum rerum ob paupertatem indiga, noluit tamen corporis ſui facere copiam Othoni Imperatori. *Volaterran.*

BALDRICUS, Aurelianenſis, Epiſcopus Dolæ, in Britanniæ ducatu. Quatuor libros Belli S. ſcripſit, à tempore captæ per Godofredum Bullionæum Hieroſolymæ. Ut & alia plura, in proſa & verſu: quæ ultima 4. tomo Authorum *Hiſtor. Gall.* inſerta. Ordericus Vitalis, *l.* 9 *Hiſt. Eccl.* Gallia Chriſt. *tom.* 2. *p.* 566.

BALDUINUS I. Orientis Imperator, priùs Flandriæ & Hannoniæ Comes VIII. hujus nominis, fil. Balduini animoſi. Cum Gallis expeditione ſacrâ ſuſceptâ, A. C. 1200. Zaram, à Venetis adjutus, cepit: Alexin Juniorem cum Patre Iſacio Angelo in Imperium reſtituit, Conſtantinopoli, pulſô Murzuflô, qui Alexin IV. ſtrangulaverat, occupatâ. A. C. 1204. in Templo Apoſtolorum Imperator ſalutatus, A. C. 1205. Adrianopolim obſedit ſed coactus eſt obſidionem ſolvere à Joannizo, Bulgarorum Rege, à quo per inſidias captus, & in Metropoli Bulgariæ Trinobi vel Ernoë detentus, anno verò poſt occiſus eſt, A. C. 1207. Onuphr. *Chron.* Outreman. *Conſt. Belg.* Poſt hujus mortem Pſeudo-Balduinus Flandriam turbavit. Lipſ. *Monit Polit.*

BALDUINUS II. fil. ult. Petri *de Courtenay*, admodum puer fratri Roberto ſuffectus, cui nondum per ætatem idoneo, Johannem Brennum, Regem Acræ cognomine Hieroſolymitanum Italiâ evocatum, nomine ſolùm coadjutorem dedêre. Cujus filiâ Mariâ vel Marthâ ductâ, A. C. 1239. coronatus eſt. Hinc in Galliam appulit, à Ludovico IX. opem contra Græcos flagitans, cujus auxiliis ſubnixus in Græciam rediit, ſed ab Alexio Cæſare, cognomine Strategopolo, Michaëlis Palæologi Duce, qui per ſubterraneum meatum à proditoribus monſtratum Conſtantinopolin intravit, pulſus in Italiam cum Pantaleone Juſtiniano Patriarcha, ſe recipit. Poſtquam Latini 58. ann. Imperium tenuiſſent. Obiit A. C. 1273. Nangius in Ludovic. V. Onuphr. *Chron.* Gregoras *l.* 8 Blondus 7. *Decad.* 5. *Baldwin* Germanicè eſt *audax victor*. Anglicè *Abold winner*; idem quod *Winbald*, ut *Nicolaus* & *Laonicus*. *Bald* autem olim pro *Bold*, i. e. *Audax, confidens*. Authores Kilianus & Lipſ. *Epiſt.* 43. *Cent.* 3. Sic *Ethelbald, nobiliter audax*, & *Willibald, valdè audax*, Reſpondet ferè Græcis *Thraſeas Thraſymachus, Traſybulus*. *Win* autem idem eſt quod *victoria*, ut *Tacwin, doctus victor, Bert-win, clarus victor* & *Unwin* adhuc apud Danos, i. e. *Anicetus, Unconquer'd. Camden.*

BALDUINUS I. ex Principe Edeſſæ Rex Hieroſol. poſt Godofredum Bullionæum, fratrem, A. C. 1100. Acren, poſt 20. menſes cepit, ut & Tortoſam, ſed ipſe mox Ramæ obſeſſos, [illegible] occupatâ, vix evaſit. A. C. 1190. cepit Bernardus fil. Raimondi, Comes Tholoſanus, Tripolim, quam Comitis titulo ſub Rege tenuit. Tandem Baruthô & Saydâ annô poſt occupatis, agriſque prope Hieroſolymam Chriſtianis, qui inter Arabes vixerant, diſtributis, obiit Balduinus, A. C. 1118. regni 18. in monte Calvariæ ſepultus. Guil. Tyr. *l.* 11. & 12.

BALDUINUS II. de Burgo, fil. Comitis Rethelii, ex Gallia, A. C. 1180. poſtquam Euſtachius, Comes Bononienſis, frater Godofredi & Balduini I. jure in regnum ceſſiſſet, Rex tertius Hieroſolym. coronatus eſt. Saracenos, qui Rogerium Antiochenum A. C. 1120. vicerant, ingenti clade affecit. Ab his tamen annô poſt captus, Tyrô urbe illis ceſſit Obiit liberatus, A. C. 1131. regni 13. Guil. Tyr. *l.* 12. & 13. Sanut. *l.* 3. *part.* 6.

BALDUINUS III. fil. Folconis Andegavenſis quintus Hieroſolym. Rex. ei cum matre Meleſinda ſucceſſit Cepit Aſcalonem, cum aliquibus locis maritimis, Obiit A. C. 1165. regni 20. nullis ex Theodora,

Ema-

Emanuelis Imperatoris nepte liberis ſuſceptis. Guliel. Tyr. *l.* 17. & 18.

BALDUINUS IV. cognomine *Mezel*, i. e. leproſus, fil. Almerici, ex Agnete Courtenæa, regnum obtinuit, A. C. 1174. quod, eô adhuc minorenni, à Raimondo Comite Tripolit. eſt adminiſtratum. Sibyllam ſororem Guilielmo Comiti Montferratenſi cognomine *Longæ Enſis*, elocavit, e qua Balduinum V. ſuſceptum, cùm vix quinquennis eſſet, coronari juſſit. Guilielmô verò mortuô illam Guidoni Luſiniano uxorem dedit. Interim vicit Saladinum, Hieroſolymam occupare conatum, & obiit A. C. 1185. Nepos Balduinus V. annô poſt, à matre, veneno necatus creditur, quo maritum ſuum Guidonem ad regnum eveheret. Gul. Tyr. *l.* 20. & 21. Sanut. *l.* 3. *p.* 6.

BALDUINUS I. cognomine *Brachium ferreum*, Comes Flandriæ fil. Odoacri, qui Saltuum Flandriæ præfectus erat, (ſic enim gubernatores à Regibus Galliæ huc miſſi dicebantur.) Raptâ Judithâ, filiâ Caroli Calvi, & Eardulphi Angli viduâ, à Papa excommunicatus, Romam venit, & Nicolaô I. intercedente, Socero reconciliatus, Flandriæ comes primus hæreditarius factus eſt. Obiit A. C. 879. Guicciard. *Hiſtor. Belg.* Mezeray & Dupleix, *in Carolo Calvo.*

BALDUINUS II. cognomine *Calvus*, prioris fil. à Carolo Simplici Atrebatum urbe exutus, licet ei contra Danos Normannoſque ſtrenuam navâſſet operam. Quod ægerrimè ferens Wiromacus dominus Inſul. Vaſallus ejus, Fulconem Archiepiſcopum Remenſem, cujus conſiliô Carolum id feciſſe ſuſpicatus eſt, per inſidias occidit, A. C. 900. Obiit, A. C. 918. fil. Arnolphum Magnum ſucceſſorem relinquens. *Idem.*

BALDUINUS III. fil. Arnolphi Magni ante Patrem obiit, fil ô Arnolphô Juniore ſucceſſore relictô, A. C. 965. Mayer. *Chron. Flandr.*

BALDUINUS, IV. cognomine *Barbatus*, fil. Arnolphi II. ex Roſele, filia Berengarii, Italiæ Regis, ſucceſſit Patri, A. C. 989. Cepit Valentias, aliaque loca. Fortunatiſſimus ſui ſeculi Principum, qui Balduinum V. genuiſſet. *Idem.*

BALDUINUS V. cognomine *Friſo*, dein *Bonus*, gener Roberti, Galliæ Regis cujus fil. Adelaidem duxit, A. C. 1027. Cupidine dominandi in tranſverſum actus, armis Patrem pepulit, qui à Ricardo III. Normanniæ Duce reſtitutus eſt. Poſt ejus mortem, fil. *Boni* cognomen meruit, Hannoniam occupavit, Regnum Galliæ ſub Philippo I. adminiſtravit. Obiit, A. C. 1067. Balduinô & Robertô filiis relictis.

BALDUINUS VI. cognomine *de Monte*, quia Montibus Richildam Reinieri IV. Comitis Hannoniæ hæredem duxit, Friſiâ Robertum fratrem pulſurus, in prælio cecidit, A. C. 1070. Arnolphô III. & Balduinô filiis relictis. Quorum ille à Roberto, A. C. 1071. occiſus, hic Hannoniâ contentus eſſe coactus eſt.

BALDUINUS VII. cognomine *Securis*, quia ſemper aliquam manibus & in inſignibus geſtabat, fil. Roberti, ei ſucceſſit A. C. 1111. Ludovico Craſſo contra Henric. I. Angliæ Regem præſtò fuit, vulneratuſque in exigui caſtri obſidione, quod *Bures en Caux* dictum, paulò poſt, intemperantiâ dolorem augente, A. C. 1119. obiit. Succeſſit ei Carolus Bonus, ſororis fil. ex Canuto Daniæ Rege fruſtra Clementiâ Burgundâ matre, quæ ſecundis nuptiis Godofredo Comiti Lovanienſi nupſerat, in Guil. Yprenſem, Flandriæ ſpurium, qui ejus neptem habebat conjugem, regionem transferre conatâ. Guagninus, *l.* 6. Polydor. *l.* 11. Mayer. *in Chron.* Mezeray, *in Ludov. Craſſo.*

BALDUINUS VIII. Comes Hannoniæ, duxit A. C. 1169. Margaretam Flandricam, ſororem Philippi Comitis.

BALDUINUS IX. factus eſt Imperator Conſtantinopolitanus. Vide *Balduinus* I. *Imper.*

BALDUINUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

BALDUS, de Ubaldis Petrus, Peruſinus, JCtus celeberrimus ſui temporis, Bartholi diſcipulus, Bononiæ docuit, plurimos ſcripſit in Jus Utrumque commentarios. Obiit Ticini an Patavii, A. C. 1400. vel 1423. ut *Trithem. vult.* Fratrem habuit Angelum Baldum, ſtudiorum ſocium & ſcriptorum aliquot Juridicorum auctorem, qui eôdem annô obiit. Joh. Fichardus, *in vit. JCtor.* p. 247. Vide & Buchol, *Ind. Chronol.* ad A. C. 1344. & 1410. Juris diſciplinam tam avidè arripuit, ut annô ætatis 17. publicè de ea diſputare cœperit: Poſtea Bononiam, ubi Bartholus docebat, ad jus interpretandum vocatus, magnam ſibi gloriam docendoque ſcribendoque conciliavit. Inde Papiam invitatus à Johanne Galeacio Mediolan. Duce, Jus ibi Civile profeſſus eſt. Poſt magnos tandem in diſciplina hac illuſtrandâ labores exantlatos, Papiæ, relictis filiis duobus, Juris itidem apprimè peritis, deceſſit: admorſus in labio ſuperiori à rabioſa canicula, quam in deliciis habebat, ut quidam referunt. Lepidum eſt, quod de eodem, & Bartholo Præceptore ejus primum, poſtea collegâ, tradunt, tantam aliquando inter utrumque altercationem publicè fuiſſe exortam, propter variam lectionem §. *ult. l. ſi Creditor. ff. de diſtract. pignor.* ut Piſas communi conſiliô miſerint, qui exemplar librorum, qui tunc *Florentini* nominabantur, inſpicerent, viſum utrum *Nullam vendicationem*, ut Bartolus; an *Ullam*, ut Baldus contendebat, ſcriptum haberent. Pratejus apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

BALDUS, urbs Phœniciæ. *Steph.*

BALDUS, Ital. MONTE BALDO, mons Italiæ & Veronenſis agri, in ditione Veneta; etiam in principatum Tridentinum excurrit, inter Atheſim fluv. & lacum Benacum. *Magin.*

BALEARES, vulgò *Majorque*, & *Minorque*, duæ inſul. Maris Mediterran. ante Hiſpan. quarum major, quæ Orientem ſpectat, longa eſt 100. mill. paſſ. circuitu 380. Cujus præcipua oppida olim fuêre *Palma*, & *Pollentia.* Minor longa eſt 60. ambitu 150. Sic dictæ (ut quidam volunt) à Baleo quodam, Herculis comite ibi relicto. Aut ἀπὸ τοῦ βάλλειν, h. e. à *jaculando*, propterea quòd fundæ, & jaculationis *Baleares* peritiſſimi habiti ſunt. Tradit enim Lycophron, & poſt eum Florus, *l.* 3. *c.* 8. eam hiſce inſulis conſuetudinem fuiſſe obſervatam, ut eſurientibus filiis à matribus jentaculum in ſublimi trabe poneretur, quod illi contingere non poterant, niſi prius fundâ dejeciſſent. *Majorcam* autem Diodor. Sic. *l.* 5. maximam eſſe ſcribit, poſt 7. magnas, quod nonnulli perfunctoriè legentes ſibi finxerunt 7. eſſe *Gymneſias*, ſive *Baleares* (eædem enim ſunt. *Heſych.* Βαλιαρίδες, νῆσοι αἱ πρὸς Ἰβηρίαν, αἱ δὲ αὐταὶ καὶ Γυμνησίαι.) Hinc Euſtath. *in Dionyſ.* Εἰσὶ δὲ ἐπέκεινα ... Γυμνησίας νήσους, ὁ Γεωγράφος δύο αὐτὰς λέγει. *Balearium* autem originem Græci conantur ſibi aſſerere; aliis è Bœotia cum Lycophrone, aliis è Rhodo deducentibus. Sunt enim, qui à Rhodiis ... Ῥόδιοι ἐπὶ Γυμνησίας νήσους ἀποδῆσαι λέγωσι. Ita Strabo *l.* 14. Hinc Silius *l.* 3. *v.* 364

> *Jam cui Tlepolemus ſator, & cui Lindus origo*
> *Funda bella ferens Baleariu & alite plumbo.*

Nam in bello Trojano Rhodiorum Dux Tlepolemus fuit. Nempe tam Bœotos, quàm Rhodios ad has inſulas applicuiſſe credibile eſt. *Baleares* tamen à neutris deſcendiſſe, palam arguunt lingua & mores planè diſſoni. Gens enim fuit aliena proſſus ab omni cultu — *Domus illis antra ſubire; veſtes*, ut quidam aiunt, *æſtate nulla, hyeme autem ex pellibus.* Pro unguentis, quibus ſe ungerent, oleum lentiſcinum, cum adipe ſuillo: *Ignotum argenti pondus & auri.* Vini ultra modum avidi erant, quô tamen carebat regio, & ita mulieroſi, ut in nuptiarum ſolemnibus cognati & amici omnes cum ſponſâ concumberent, priuſquam ea viro permitteretur. Itaque in bello pro ſtipendio nihil exigebant, quàm vinum & mulieres; & pro muliere captivæ λύτρον dabantur viri quatuor. Cadavera fuſtibus minutatim concerpta, & in vaſis recondita lapidibus obruebant. Unicum in bello telum fundæ tres, è melancrania, ſeu melancranis junci genere, quarum diverſus uſus; aliæ enim propiùs, aliæ eminùs feriebant; Una circa caput aut collum, altera circa ventrem, aut lumbos, tertia in manu fuit. Huſus artis doctores Phœnices habuiſſe dicuntur. *Strabo*, Σφενδονῆται ἄριστοι λέγονται, καὶ τοῦτ᾽ ἠσκήκασιν, ὡς φασι, διαφερόντως, ἐξ ὅτου Φοίνικες κατέσχον τὰς νήσους. Quod vero non eſt abſimile. Nam ex Scriptura planum eſt, hanc artem inter Phœnices & Ebræos pridem fuiſſe in uſu. Jam verò ab hac arte Βαλιαρεῖς cur dicti ſint, non ſatis liquet. Conſtat quidem, unde appellatos. Nam palam nugatur Iſacius *in Lycophronem*, cùm Baleatidas inſulas dici vult, quaſi Βαλεαρὰς ... ὑγιεινὰς h. e. *Valentes*, ſive *ſanas.* Et jampridem exploſa eſt Livii fabula, *Epit. l.* 60. de Baleo Herculis comite. Proinde ipſe *Livius*: *Baleares a teli miſſu appellat.* Et Polyb. *l.* 3. Βαλιαρεῖς, ἐπὶ ... τὸ κράτιστον σφενδονᾶν. Ἀπὸ δὲ τῆς χρείας ταύτης ... καὶ τὸ ἔθνος αὐτῶν προσαγορεύουσι καὶ τὴν νῆσον. Idem habent *Strabo*, *Diodorus*, *Stephanus*, *Euſtathius*, & *Iſidorus*, qui in id omnes magnô conſenſu conveniunt, ut *Baleares* ab uſu fundæ velut eſſe nominatos. Quod tamen aliter atque aliter ediſſerunt. Nam alii ex Græca lingua *Balearum* nomen tanquam fidiculis extorquent, ut *Iſidorus* poſt *Diodorum*, qui Βαλλιαρεῖς ideò ſcribit per duplex λ. ut ἀπὸ τοῦ βάλλειν deducat. Alii tam undè eſſerunt, nullâ explicatione additâ, ut *Stephanus*, *Livius*, & *Polybius.* Alii denique, ut *Euſtathius* & *Strabo*, vocem eſſe volunt vernaculæ linguæ, vel Phœniciæ, quod veriſſimum. Omnino enim Βαλιαρεῖς eſt בעל ירה *Baal jara* i. e. *magiſter jaculi*, ſeu *projiciendi lapides.* Et ob hoc clari apud Poëtas perhibentur, qui earundem fundarum ſæpe meminerunt. Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 309.

> *Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ.*

Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 727.

> *Non ſecus exarſit, quàm cùm Balearica plumbum*
> *Funda jacit, volat illud, & incandeſcit eundo.*

Lucan. *l.* 1. *v.* 229.

> *Impiger & tortâ Balearis verbere fundæ*
> *Ocyor.* — — —

Silius *l.* 7. *v.* 297.

> — *Enſis & arcus*
> *Et telum Baleare.* — —

Eodem pertinet, quòd *Baleares* Græcè *Gymnetes* dicti ſunt, & inſulæ *Gymneſiæ*, ſive ad *exercitationem* cum *Strabone* referas, aut *ad ornatum* eorum, qui in bellum prodeunt, ſolis fundis inſtructi. Quò referenda hæc *Heſychius*, Γυμνῆτες, οἱ μὴ ἔχοντες ὅπλα, οἱ δὲ ... σφενδονῆται, οἱ δὲ ἐπὶ γυμνῶν μαχόμενοι. Sunt qui *Gymnetas* dici volunt, quia æſtatem nudi exigunt; Ita *Livius* ac *Diodorus.* Atqui à *Lycophrone* deſcribuntur non omnino nudi, ſed ... *Siſyrnâ induti*, i. e. *tunica villosâ*, *ex velleribus*, item ἄχλαινοι *ſine lana* & ἀπέδιλοι, *diſcalceati.* Itaque vereor, ne veteres ob id ipſum æſtatem exigere nudos finxerint, quia non ſatis conſtabat, quorſum *Gymnetes* dicerentur. Ejuſdem farinæ eſt fabula de Bœotis, naufragiô factô, ad Gymneſias nudis enatantibus. Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 35. In his inſulis tantus olim cuniculorum proventus fuit, teſte Pliniô *l.* 8. *c.* 55. ut in eos præſidium militare ab Auguſto petere ſint coacti. *Cherradas* ab Apollonio vocari, annotavit *Gerbelius.* Sanè Strabo eas χοιραδώδεις appellat, ... Vide Euſtath. *ad Dionyſ. v.* 457. *Antoninus* vocat Majorem *Columbam*, & Minorem *Nuram.* Alphonſus Aragonius, ejectô Balearium Rege, cognato ſuo Baleares Inſul. rapuit. A. C. 1344. Marriana *de reb. Hiſpan.* In prælio quoque Creſſiacenſi, quô Galli ab Anglis ingenti clade affecti ſunt, præter Johannem Bohemiæ Regem etiam Rex Balearium cecidit. Froiſſard. *l.* 1. circa A. C. 1346. Hodie ad Hiſpaniam pertinent, ab ea vix 70. milliar. diſtantes; Inter ſe autem 25. mill. paſſ. Major, quæ *Majorica*, Urbem habet cognominem amplam & munitam, & 34. vicos; in circuitu eſt 140. mill. paſſ. Minor, quæ

Mi-

Minorica, oppid. habet *Citadella* dictum, cum 4. vicis, eſtque ver. ſu. mill. paſſ. *Baudrand.* Vide *Majorca* & *Minorica*.

BALEAZARUS, Menandro Epheſio apud Joſephum contra *Apion. l.* 1. Βαλεάζαρος ſeu Βαλεάζαρος, alias *Balatorus*, Tyri Rex, patri Hiromo ſucceſſit, vixit annos 43. regnavit annos 7. Eum excepit Abdaſtartus fil. quem vide. Ejus tempore Regina Sabæ Hieroſolymam venit, Helvicus *Theatro Hiſtor. p.* 44. 45.

BALECH, urbs à Salomone ædificata. *Joſephus.*

BALENA, piſcis genus, quod, perinde ac *ſturgio* apud Anglos, ſolius eſt Regis, ut habent Bractonus de *Corona l.* 3. *c.* 2. §. 4. & Fleta *l.* 1. *c.* 46. *LL.* Scaniæ Andreæ Suenonis *l.* 8. *c.* 1. *Omnes piſces, ſive ſint mortui, ſive vivi, ſi caſu verſus terram appulſi, ut nusquam non poſſint effugere, occupantibus conceduntur, præter ſturgionem, qui jure Regio quicunque repertus fuerit, totus cedit. præter quoque cetum, de quo, quicunque primus advenerit, ſi pedes venerit, ſaltem ſuis ſufficientem humeris, ſi equo, onus equi: ſi auriga, quantum currus trahere poterit: ſi nauta cum navi venerit, quantum navis ſex remorum deportare poterit, deportabit, eventuque rei exactori Regis nunciabit, alias tres marcas nummorum perſolvet.* De decimis Balenarum, vide *Monaſticon* Anglic. *Tom. I. p.* 30 & *Tom.* 3. *p.* 4. Adde, quæ de Balenis obſervavit Cleytacus *ad Jul. mare Oceanenſes, Art.* 44. laudatus Carolo du Freſne *in Gloſſar.* Vide quoque ſuprà ubi de *Balenis*.

BALERUS, Rex Caduſiorum, cujus epiſtola ad Saporem Perſix Regem, de Valeriano Imperatore captivo libertati reſtituendo, legitur apud Trebellium Pollionem *in Valeriano Patre*, *c.* 3. cujus initium: *Remiſſa mihi auxilia integra & incolumia gratanter accepi, ſed captum Valerianum Principem non ſatis gratulor, magis gratularer, ſi redderetur. Romani enim*, &c. Ubi Palatinus *Velenus* habet, & editio prima, ſcripti quidam *Belenus*: quod magis probat Salmaſ. quam *Balerus*, *Not. ad loc.*

BALESIUM, maritimum Italiæ oppid. non procul à Brunduſio. Plin. *l.* 3. *c.* 11. Vide *Aletium*.

BALESTRA, hodiernis Græcis appellatur inſtrumentum Chirurgicum, baliſtæ exiguæ formam referens, quo ſanguinem illi demittere ſolent. Ejus uſus imprimis in monte Atho, ubi Calocerorum ultra viginti millia: deſcriptionem habes & figuram, apud Jac. Sponium *Itinerar. Græc. Part.* 3 *p.* 256. & *ſeqq.*

BALETUS, Hipponis fil. Corinthi civitatis primus auctor & fundator. Vellejus *l.* 1. *c.* 3.

BALEUS I. Rex Aſſyriorum, ab A. M 2199 uſque ad An. 2228. Alius, imperium tenuit, ab A. M. 2302. uſque ad an. 2353, Euſeb. *Chron.* Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 18. *c.* 3.

BALEUS Johannes, vide *Johannes*.

BALFRIDUS, vide infra *Belfridus*.

BALGENTIACUM, Urbs Galliæ Lugdunenſ. cum ponte ad Ligerim fluv. in Belſia provinc. & Aurelianenſi agro, media inter Aurelianum & Bleſas. Titulum Comitatus habet. Capta ab Anglis, A. C. 1428. ſed annò poſt à puella Aurelianenſi recepta. Ibi concilium A. C. 1102. quò Philippus I. & Bertrada divortium petierunt; & 1152. quò Ludovici Junioris & Eleonoræ divortium decretum. *Concilia Gall. Baugency* vulgò.

BALGIUM, vulgò BAUGE', oppid. Galliæ, in Andegavenſi provinc. 3. leuc. à Flexia in Meridiem & 5. à Salmurio in Boream.

BALIA, Inſul. Aſiæ, in Indiis: Vide *Balya*.

BALIÆ ſeu BALLIVÆ, dicuntur in Monaſteriis, officinarum in iis præfecturæ, Monachis demandatæ, apud Innocentium III. Pontific. Rom. *l.* 13. *Ep.* 35. Sic Matthæus Paris. *p.* 110. *Monachus*, inquit, *ballivam ſuam, ſi quam habet, amittat*. Idem alibi, *In qualibet* Balliva, *quas obedientias dicimus, conſtituat*. Vide Car du Freſne *in Gloſſar.* Nempe *Balia*, item *Baillia*, & *Balium* apud recentiores, Gallis *Bail* & *Baillie*, Italis *Balia*, adminiſtratio rerum & bonorum pupilli; à *Bajulus*, quæ vox inter alia *Tutorem* notat, in *Conſuetudinibus Municip. Galliæ* paſſim. *Tabularium* Privat apud Car du Freſne, *Et ſi ipſe infans talis fuerit, qui in ballias debeat intrare, ipſi poſſeſſores illius loci teneant & nutriant eum: &, quando infans ad perfectam venerit ætatem, & de ballia exire poterit, honorem recipiat*, &c. Item, in genere, quævis bonorum adminiſtratio, apud Falconem Benevent. in Chron. *Juriſjurando firmavit, quòd Conſtabiliam & Rectoraticum, aut aliquam* Baliam *publicam non acciperet*. In Charta A. C. 1139. apud Joſtredem *in Nicæa p.* 175. *Omnes adminiſtrationes ſive balias* &c. Quò ſenſu *Balium Regni*, occurrit apud Hugonem Falcandum *de Siciliæ calamit. p.* 671. *Reginam autem præcepit totius Regni curam & adminiſtrationem (quod vulgò* Balium *appellatur) tamdiu gerere, dum puer ejus, prudentia eſſet, quæ negotiis providè diſponendis ſufficere putaretur*, &c. Vide Car. du Freſne *in Gloſſar.* in voce *Bajulus*.

BALIARDUS, Philoſophus Peripateticus, Pariſiis floruit; ab Orthodoxis tamen in quibuſdam aberrans, à quibus nec per Synodum, juſſu Regis Ludovici, hujus gratiâ coactam, avelli potuit. *Volaterran.* Vide *Petrus Abelardus*, it. *Abaillardus*.

L. BALIENUS, Catilinæ avunculus, Lucretium Aſellam, conſulatum, contra voluntatem Syllæ, ad perturbandum civitatis ſtatum petentem occidit, juſſu Syllæ tunc Dictatoris; accuſatus poſteà, ac damnatus eſt. *Aſcon. Pedian.*

BALILOTH, in Tribu Benjamin. Hieronym. in *Locis Hebr.*

BALINGARIA ſeu BALINGARIUS, navis bellicæ ſpecies, cymbæ, quod *Balinga* ſeu *Balingia* olim Galli vocabant, formam referens. Thomas Walſinghamus in *Richardo II. Tandem penè ſolus fugiens in balingario, pervenit ad eundem Comitem.* Infrà, *Receptis ſunt autem ibi vaſa — 21. cum quibuſdam vaſis eorum, ſcilicet 4. Bargis & uno Balingario.* Alibi. *Hoſtes enim erant 3. vaſa bellica, qualia Balingarias appellamus.* Idem infrà *Bargia & 7. Balingariæ perſecutæ ſunt, ante villam de Caleſia* &c. in *LL.* Alfonſinis *part.* 2. *tit.* 25. *lege* 7. appellatur *Balener*, apud Eund.

BALINGUM, oppid. Ducatus Wirtembergenſis.

BALINIENSES, Latii populi alias *Tribulani*. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

BALIS, urbs Libyæ, juxta Cyrenem, ſic dicta, quòd *Balis* Deus in ea coleretur. *Steph.*

BALISA, vulgò BAISE, fluv. Galliæ; in agro Aginnenſi; alluens Condomium ad Baliſam, vulgò *Condom*, caput pagi Condomienſis, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BALISBIGA, oppid. fuit Armeniæ majoris ad Arſaniam fluv. 60. circiter milliar. à Malitene in Ortum, & vix 10. à Babylone.

BALISTA, decimus ſeptimus inter XXX. Rom. Tyrannos, Pollioni *c.* 18. memoratos, de quo tamen, utrum imperaverit, Scriptores inter ſe ambigunt. Fuit vir inſignis, eruditus ad gerendam Rempubl. in conſiliis vehemens, in expeditionibus clarus, in proviſione annonaria ſingularis Valeriano Imperat. ſic acceptus, ut eum quibuſdam literis hoc teſtimonio proſequutus ſit: *Valerianus Ragonio Claro, præfecto Illyrici & Galliarum. Si quid in te bonæ frugis eſt, quam eſſe ſcio, parens Clare, diſpoſitionem* Balliſtæ *proſequere. Hac in forma Rempubl. vides, ut nec ille Provinciales gravet, ut illic equos contineat, ubi ſunt pabula, illic annonas militum mandet, ubi ſunt frumenta: non provincialem, non poſſeſſorem cogat illic frumenta, ubi non habet, dare; illic equum, ubi non poteſt, paſcere: nec eſt ulla alia proviſio melior, quam ut in locis ſuis erogentur quæ naſcuntur, ne aut vehiculis aut ſumtibus Rempubl. gravent. Galatia frumentis abundat, referta eſt Thracia, plenum eſt Illyricum: illic pedites collocentur, quanquam etiam in Thracia equites, ſine noxa Provincialium, hibernare poſſint. Multum enim ex campis fœni colligitur. Jam ubi lardum, jam cætera ſpecies in his dandæ ſunt locis, in quibus affatim redundant. Quæ omnia ſunt* Baliſtæ *conſilia*, *qui ex quaque provincia unam tantum ſpeciem præberi juſſit, quod ea redundaret, atque ab ea milites ſubmoveri: id quod publicitus eſt decretum.* Idem Imper. aliâ Epiſtolâ *ibid.* eidem *Baliſta* gratias egit, ſibi præcepta gubernandæ Rempubl. data ab eo, docens gaudenſque quòd ejus conſiliò nullum aſcripticium. i. e. vacantem haberet, & Tribunum nullum ſtipatorum, qui non verè pugnaret, &c. Poſt Valerianum à Perſis victum & captum, una cum Macriano, exercitûs reliquias convocavit &, egregiâ oratione de ſurrogando Principe habitâ, effecit, ut Macrianus Imperator proclamaretur, contra Gallienum, indignum habitum qui imperaret. Sed Macriano cum filiis, cum quibus, *Baliſta* judiciò, Imperator factus erat, ab Aureolo victô: Odenatus, qui olim jam Orientem tenebat, quaſi Gallieni partes vindicaret, Quietum, minorem Macriani filium, *una cum Baliſta Præfecto, interemit*. Trebellius Pollio in *Trig. Tyr. c.* 13. ubi de Quieto. Idem verò, in *Gallieno*, *c.* 3. ſcribit, *auctore Præfecti Macriani Baliſta juvenem occiſum ab iis qui erant cum ipſo.* in *Balliſta* etiam *c.* 18. ſcriptum reliquit, *occiſo jam Quieto Balliſtam imperâſſe & poſteà eum interemtum à gregario milite, in gratiam Odenati.* Quam *contradictionem* ſic conciliat Salmaſ. ut dicat, brevitate loquendi eam facilè excuſari. Etſi enim aliquamdiu tempore poſt Quietum *Baliſta* interemptus ſit, utrumque tamen conſtare, ab Odenato vel in ejus gratiam fuiſſe interemtum. Idem proin lubenter in *Quieto* Pollionis legeret, *cum Baliſta Præfecto vel Imp.* h. e. *Præfecto vel Imperatore*, Vide Salmaſ. *Not. ad Pollionem*. Græci ferè Βαλλίσταν habent, numeral *Baliſtam*, ut vidimus. Sed liquidam in hoc nomine geminatam habent omnes verius *de Balliſta*, Virgilii Præceptore. Caſaubon. *ibid.*

BALISTA, vulgò MONTE BALESTRA, mons Thuſciæ, inter Regium Lepidi & Lucam intercedens. *Ferrar.* Vide *Balliſta*.

BALISTA, machina bellica, in oppugnandis urbibus, à Romanis, præcipuè uſurpata, ἀπὸ τοῦ βάλλειν, *a feriendo*. Quam his verbis deſcribit Amm. Marcellin. *l.* 23. *c.* 4. *Ferrum inter axiculos duos firmum compaginatur, & vaſtum in modum regulæ majoris extenditur: cujus ex volumine tereti, quod in medio ars polita componit, quadratus eminet ſtylus extenſius recto canali anguſti meatu cavatus, & hac multiplici chordis nervorum tortilium illigatus: eique cochleæ duæ ligneæ conjunguntur aptiſſime, quarum prope unam adſiſtit artifex contemplabilis & ſubtiliter adponit in temonis cavamine ſagittam ligneam, ſpiculo majore conglutinatam, hocque facto, hinc inde validi juvenes verſant agiliter rotabilem flexum. Quum ad extremitatem nervorum acumen venerit ſummum, percita interno pulſu à baliſta, ex oculis evolat, interdum nimio ardore ſcintillans: & evenit ſæpius, ut antequam telum cernatur, dolor lethale vulnus agnoſcat.* Apud Anglos ſimile quiddam eſt, inſtrumentum bellicum, quod vulgò *a Croſs bow* vocant, ſed *Baliſta* grandior fuit machina, & formæ planè diverſæ. Vide quoque Vegetium *Rei milit. l.* 4. *c.* 22. ubi *Baliſtam* funibus nervinis chordiſque tendi ſolitam eſſe refert. Nervi autem illi è crinibus equinis erant. Accius in *Philoctete*: cujus verſum imperfectum adducit Servius, *Æn. l.* 9. *v.* 622.

> *Reciproca tendens nervo equino concita*
> *Tela.*

Car. du Freſne *Baliſta*, ſeu *Balliſta*, machina eſt jaculatoria, ex Græco βάλλειν. *L.* Wiſigoth. *l.* 8. *tit.* 4. §. 23. *Si quis — laqueos vel arcus prætenderit, ſeu baliſtas.* Monachus Vallis Sarnenſis in *Hiſt. Albig. c.* 42. *Ecce ſagitta per* baliſtam *ab adverſariis emiſſa, ſervientem illum percuſſit.* Fortunatus *l.* 3. *Poem.* 10.

> *Illic eſt etiam gemino baliſta volatu,*
> *Quæ poſt ſe mortem linquit & ipſa fugit.*

Guilelm. Brito Philippidos *l.* 2.

> *Nec tamen intereà ceſſat baliſta, vel arcus,*
> *Quadrellos hæc multiplicat, plures ille ſagittas*, &c.

Gall. vulgò *Arbaleſte*. Apud eundem Britonem *Baliſtarius arcus* dicitur *l.* 2.

Francigenis noſtris illis ignota diebus
Res erat omnino, quid baleſtarum arcus,
Quid baliſta foret, &c.

Species ejus variæ recenſentur, apud Sanutum *l. 2. part. 4. c. 8. Baliſta groſſa à turno, baliſtæ à pectoribus*: apud Eundem, *Baliſtæ à pectoribus, capite 23. Recta baliſta, quibus ipſa machina proprie deputantur. ſunt baliſtæ, quæ baliſtæ à pectoribus nuncupantur*, apud Jacob. de Vitriaco *l. 3. p. 1143. Baliſta cum cornu fortiſſima*: Ibidem *magnalium baliſtarum & arcuum* mentio fit. Sæpe etiam *Baliſta* ſeu *Baliſtra* accipitur pro machina, quâ ſaxa emittuntur ad quatiendos muros, quarum variæ ſpecies, de quibus præ cæteris copiosè egit Angelus Bonoratius in *Hiſtor. Patavina l. 5. c. 5.* &c. Hinc dicti ſunt *Baliſtarii*, Gallis *Arbaleſtiers*, qui arcu baliſtâ impulſos jaciebant, id eſt baleâ ſeu baliſtâ. Monachus Vallis Sarnaji *c. 63. Habebant præterea Baliſtarios, qui* &c. Concilium Roman. A. C. 1139. c. 30. *Artem illam mortiferam & Deo odibilem Baliſtariorum & Sagittariorum adverſus Chriſtianos & Catholicos exerceri de cætero ſub anathemate prohibemus.* Concilium Lateran. IV. *can. 18. Nullus quoque Clericus Rotariis aut Baliſtariis aut hujuſmodi viris ſanguinum præponatur.* Ubi Interpres Græco Τζαγράτορας rectè dicuntur; at errat, cum Toxotas Ruptarios fuiſſe cenſuit, uti docet Car. du Freſne *Gloſſar.* & *Notis ad Alexiadem.* Idem obſervat, *Baliſtarios* Genuenſes multi olim habitos fuiſſe: quod ipſum de Catalanis prodit Raimundus Montanerius in *Chron. Aragon. c. 130.* &c. Vide quoque infrà *Milites*, it. *Baliſta*.

BALIUS, Achillis equus, apud Homerum *Il. 7. v. 400.*

Ξάνθον τε καὶ Βαλίον, τὼ ἅμα πνοιῇσι πετέσθην,
Xanthumque & Balium, celebres filii Bodanti,

quæ una ex Harpyiis, Zephyro juncta eos peperit. Caſpar. Barthius *Animadverſ. ad Thebaid. l. 6.* Nomen à colore. Sic etiam in Eumeli quadriga Euripides *Iphig. in Aulide*, deſcribit, Τοὺς μὲν μέσους ζυγίους λευκοστίκτῳ τριχὶ βαλιούς, τοὺς δ' ἔξω σειραφόρους — πυρσότριχας, *Medios quidem jugales equos pilis albis maculis diſtinctis varios, funales vero extra jugum — rufis pilis inſignes.* Ubi βαλιούς, varios, interpretatur Bochart. quem vide *Hieroz. Part. poſter. l. 2. c. 7.*

BALIUS, vide *Balivus*.

BALLA, urbs Macedoniæ, *Steph.*

BALLARE, à Græco βαλλίζειν, vide infrà *Balliſtea*, & ſuprà, in voce *Balator*.

BALLASTRUM, in *Gloſſis* Iſidori & *MSS.* *balneum*, vide infrà, in voce *Balliones*.

BALLATHA, Meſopotamiæ urbs. *Ptol. Bathia Antonin* videtur quibuſdam, inquit *Sanſon*.

BALLEGARIUM, ſeu **VALAGUARIA**, urbs celebris expugnatione ſuâ à Gallis, A. C. 1645. ſita ad Secorim fluv. 12. leuc. à Minoriſſa. Alias eſt Bergiſſa.

BALLEMATICA Organa, Græcè βαλλισματικά, apud Iſidorum, ſunt quæ percutiuntur, ut cymbala, tympana & reliqua hujuſmodi: *Originum l. 3. c. 22. Cymbala & acetabula quædam ſunt, quæ percuſſa invicem ſe tangunt & ſonum faciunt. Dicta autem cymbala, quod cum ballematiâ ſimul percutiuntur. Ita enim Græci dicunt cymbala ballematica.* Sed fallitur more ſuo bonus Iſidorus, ait Salmaſ. cui *Ballemata* ſunt ſaltationes, & *ballematica cymbala*, non quia percutiuntur, ſic dicta ſunt, ſed quia ad eorum ſonum ſaltarent; adeoque *ſaltatoria*. βαλλίζειν pro βάλλειν Græci dixerunt. *Ariſtophanes*, Καὶ λίθοις βαλλίζομεν, *& lapidibus petemus*: hinc βάλλισμα & βαλλισμός, idem omnino quod βαλλισμός. Nam βαλλεῖν idem quod βαλλίζειν & ab illo βαλλεῖν Latinum eſt *ballo*, i. e. *ſalto*, & *ballemata*, h. e. *ſaltationes*. Iſidor. in *Gloſſ. Ballematia, inhoneſtæ cantationes & carmina jocoſaque turpia.* Ubi *Ballematia* & *Balliſtia* idem omnino ſunt, choreæ ſcil. vel cantilenæ, ad quas ſaltatur: cujuſmodi *Ballematia* in Sanctorum Natalitiis interdicuntur, in *Concilio Toletano*. Sic in *Concilio Laodiceno*, βαλλίζειν ἢ ὀρχεῖσθαι ſic juncta ſunt, ut apud Vopiſc. in *Aureliano*, c. 6. *Balliſtia & Saltatiuncula*. Nempe, uti Vopiſcus hic *ſaltatiunculas* addidiſſe videtur, ut *Balliſtia* explicaret: ita Patres Concilii Laodiceni ὀρχεῖσθαι adjecerunt, quò vocem illam vulgarem βαλλίζειν exponerent, vide infrà.

BALLIO, lenonis nomen apud Plautum, *Pſeud. Act. 1. ſc. 3.* à quo lenones in Hiſtoriis *Balliones* vocantur. Vide infrà *Balliones*.

BALLIOLUM, nomen aliquot in Gallia locorum. Chronicon Fontanellenſe *c. 12.* in pago Tellau *Balliolum* memorat, inter Heldonam & Deppam fluv. vulgò *Balliœul*: & *c. 15.* aliud Vimemaco pago attribuit; vulgò *Ballieu en Vimeu*. Ex horum altero ortus eſt Rex Scotiæ *Johannes de Balliolo* cognominatus, Johannis de Balliolo domini Galuvidiæ fil. Eſt & *Balliolum* in pago Carnutino, de quo Joh. Pariſienſis in *Mem. Hiſtor.* Nec omittu convenit Balliolum in Hainoo, *Balliœul en Hainau*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BALLIONES, Græcis Βαλλίωνες dicti ſunt, qui Latinis *Aquarii*, Axionicus Com. apud Athenæum,

Ὁ Πυθόδωρος οὗτος ὁ Βαλλίων,
Pythodorus hic ſimulque Ballio,

h. e. *aquæ lator* & *ſceleſtus, atque aliquis Ballio*. Iidem Βαλλάδες quoque. Optimæ *Gloſſæ*, *Aquarioli* βαλλάδες. Utrumque autem, & βαλλάς & Βαλλίων, ab aqua jacienda & effundenda, ἀπὸ τοῦ βάλλειν ὕδωρ, quod lavantibus meretricibus (horum enim miniſtri erant, unde *lenones* hinc dicti) aquam aggererent, vide ſuprà ubi de *Aquariis*, & *Baccarionibus*, nam & hoc nomen habuêre, à *baccario* vaſe huic rei in balneis ſerviente: quod ἀγγεῖον Græci, item ἀγγοβάλλον, dicebant, ἀπὸ τοῦ ἀγγείου & βάλλειν Inde igitur & Βαλλίωνες & Βαλλάδες (ſicut *ſalsamentarii conſervi*, à ſalſamentis.) Hinc & Βαλανεῖον pro balneo. Nam ἀπὸ τοῦ βάλλειν derivantur, βαλλίζω & βαλλάζω, unde βαλανεῖον. Iſidori *Gloſſar. balleſtrum balneum*. Idemque ἐκβάλλειν ὕδωρ, in balneis, quod ἐκκενοῦν, quod opus faciebant balneatores. Unde οἱ ἐκβαλλόμενοι, qui lavantur, & quibus aqua ἐκκενοῦται: ut patet ex Græcis Baſilicῶν Interpretibus, qui *argentum balneare*, cujus mentio *l. 32. D. de auro & arg. legat.* reddiderunt, τὸ τῶν ἐκβαλλομένων ἀργύριον; ita enim veteres Libri ibi legunt, annotante doctiſſ. Labbæo &c. Salmaſ. *Notis ad Flavium Vopiſc. in Carino Imp. c. 21.*

BALLISTA, mons Galliæ Ciſalpinæ apud Ligures. Vide Cluver. *de Italia Ant. l. 1. c. 10.*

BALLISTA, machina militaris, cujus mentio, apud Aul. Gellium *l. 6. c. 3.* ubi de inuſitatæ magnitudinis ſerpente, ad Bagradam fluv. ab Attilio Regulo Conſ. oppugnato, verba facit: *Eum, inquit, magnâ totius exercitus conflictione, balliſtis atque catapultis diu oppugnatum.* Nempe *Balliſta* lapides & ſaxa jaciebat, aliquando ad trecenta pondo; catapulta tela: quanquam hæc non rarò confundantur. Intendebantur autem utrumque funibus ac nervis, ut videre eſt apud Amm. Marcellin. *l. 23. c. 4.* Vitruvium *l. ult. c. 13.* Hadr. Turnebum *Adverſar. l. 2. c. 5.* Juſt. Lipſium *Poliorcet. l. 3. c. 2. &* 3. ac Stewechium *Annotat. in Vegetium, l. 4. c. 22.* Vide ſuprà *Baliſta*.

BALLISTIA ſeu **BALLISTEA**, apud Flav. Vopiſc. in *Aureliano*, c. 6. *Refert Theoclius — Aurelianum manu ſuâ bello Sarmatico uno die quadraginta & octo interfeciſſe: plurimos autem & diverſis diebus ultra nongentos quinquaginta: adeò ut etiam Balliſtea pueri & ſaltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus feſtis militariter ſaltitarent, Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollavimus. Unus homo mille, mille, mille, mille, decollavimus. Mille, mille, mille, vivat, qui mille, mille occidit. Tantum vini habet nemo, quantum fudit ſanguinis. Hæc vidi eſſe, &c.* idem ſunt, quod *Ballets* Gallorum, nam inde deducta vox hæc. βαλλίζειν Græcis *ſaltare* eſt, à βάλλειν, *jacere*, *jactare*; quod ſaltantes faciunt, qui manus *jactando* ſaltant. Propert. *l. 4. El. 9. v. 13.*

Nunc & ipſe ſuos breviter contractus in artus,
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

i. e. ſaltabat ad tibiæ cantum. Ovid. *l. 3. Faſt. v. 536.*

Et ſeniles jactant ad ſua verba manus.

Sic Græci βάλλειν χεῖρας dicunt de ſaltantibus. *Epigramma*, cujus Salmaſ. meminit *ad loc. cit.* inſcriptum εἰς Ὀρχηστρίδα, in Saltatricem:

Αἰνῶ τὴν, οὐδὲ πάντα κινουμένην, ἀλλ' οὐκ εἰκῆ
Τὰς ἁπαλὰς ἁπαλῶς ὧδε καὶ ὧδε χέρας.

Laudo, non quòd per omnia movetur, non quòd jactat
Teneras temerè huc illuc manus.

Neque βαλλίζειν ſolùm χεῖρας & βάλλειν χεῖρας integrè, ſed & βαλλίζειν ac βάλλειν ſimpliciter: item βαλλίζειν, à quo vox Latina *ballare*; item *ballematia*. Ἀ βαλλίζω itaque Βαλλιστὺς, *Saltator* & βαλλιστεία *ſaltatio*; item Βαλλιστεῖον, *carmen ludicrum inter balliſſandum ſaltari ſolitum*: cujuſmodi carmina non rarò occurrunt. Et quidem *Balliſtium* ſeu ſaltatiunculam, cujus apud Vopiſc. mentio, ut eſt in membranis expreſſa, ſic exhibet Salmaſ.

Mille, mille, mille, decollavimus,
Unus homo mille decollavimus,
Mille vivat, qui mille occidit.
Tantum vini habet nemo
Quantum fudit ſanguinis.

Balliſtea namque, & ſaltatiunculæ & cantilenæ ejuſmodi vulgares, minoribus iſtis verſiculis ut plurimùm componi ſolitæ ſunt à trivialibus illius temporis Poëtis, quibus etiam moris erat, integros trochaicos tetrametros catalecticos, per medium ſcindere & dividuos ſic facere, ut alteros verſiculis efficerent: & prior quidem pedes haberet quatuor, poſterior tres cum ſyllaba, quo genere multos hymnos à Chriſtianis Poëtis compoſitos eſſe, novimus. Vide Bedam *de Metris*. Nec impedimento eſt, quòd una ſyllaba redundet in priore verſiculo. In modulanda enim cantilena & pedibus percutienda, ſic pronuntiatur illud alterum *mille*, quaſi monoſyllabon eſſet, ita:

Mil' vivat, qui mille occidit.

Nullum autem vulgares illi verſuum concinnatores legis metricæ habuêre reſpectum, ſed ſolius modulationis & numeroſæ compoſitionis verborum, quæ ita ad aures accidit, ut formam videatur habere veri legitimique metri; cùm propriè non *metrum*, ſed *rhythmus* eſſet, ut apud eundem Bedam videre eſt: aut potiùs medium quid inter utrumque. Vide infrà ubi de *Rhythmo*. Quamvis in hac ipſa cantilena verſus hic ad trochaici metri formam planè probeque factus ſit,

Tantum vini habet nemo, quantum fudit ſanguinis.

Menſuram enim trochaici, totidem ſyllabas, totidemque pedibus, juſtam & commodam ſervat, & proin rhythmicè ac metricè quodammodo concinnatus eſt. In alterâ verò ſaltatiunculâ, de eodem Aureliano compoſitâ, quam paulo pòſt Vopiſcus ſubjungit, verſus iſti rhythmici tantùm ſunt, non etiam metrici:

Mille Sarmatas, mille Francos
Semel & ſemel occidimus,
Mille Perſas quærimus.

Nam in his verborum modulatio quædam & numeroſa copulatio ad aures accidit, non metricâ ratione, ſed ſolo ſyllabarum ad imaginem rhythmi trochaici ſuccinctum decurſu ſubſiſtens & ad plebe-

jarum

larum autumno judicium examinata. Ad honeſtum faciem vulgus ſaltatiunculas & cantica ſua componebat, geſtuſque & motus corporis, qui tali modulationi cantus conveniunt, illis adjungebat, æquè ſal. incompoſitos & inconditos, ut erant rhythmi numerique, quos deſaltabat. In quibus componendis, cum nullam tenerent legem metricam, nec adeò propter imperitiam tenere quirent, interdum tamen ſonô ipsô & modulatione quaſi manu ducente, caſu potius, quàm ratione, ad metricum quandam ſimilitudinem delabebantur. Atque, ut trochaicum metrum ſaltationibus & cantionibus erat valde accommodum, unde & pes τροχαῖος & χορεῖος dicebatur; ſic vulgi quoque captui ob id maximè congruum & familiare, qui naturali animi motu ad ſaltandum tripudiandumque & varios geſtus corpore edendos ferri ſolet. Inde jocos militum, qui à tripudiantibus exultantibuſque in triumphantes Duces jactabantur, iſtô metrô ut plurimum concipi ſuit moris. Cujus rei exemplum ſuggerit Sueton. in *Julio*, c. 51. in illo:

Urbani ſervate uxores, mœchum calvum adducimus.

Vulgaria quoque dicteria, quæ populus ipſe in aliquem jocularitet jactitata canebat, modulis trochaicis decurrebant. Vetus Interpres Juvenalis de Sarmento: *Eo fiducia venit, ut pro Equite Rom. gereret, decuriam quoque quæſtoriam compararet, quare per Ludos, quibus primum in XIV. ordinibus ſedit, hæc à Populo in eum dicta ſunt*:

Aliud ſcriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat
Digna dignis. Sic Sarmentus habeat craſſas compedes.
Ruſtici, ne nil agatis, aliquis Sarmentum alliget, &c.

Sic cantilenæ & ſaltatiunculæ omnes vulgares, ſic *Balliſtia* præfata Aureliani. Hinc factum denique, ut Græca Poëſis vulgaris numeris trochaicis tota conſtaret & Latina etiam magna ex parte. Vide infrà, ubi de verſibus *Politicis*. Nec abludit hodierna Gallica, quæ tota rhythmica eſt, certô ſyllabarum ad rhythmum copulatarum, liberô ſcribentis arbitriô, currens, &c. Vide Salmaſ. *ubi ſuprà*. Simile *Balliſmum* in S. Literis habetur, 1 Sam. c. 18. v. 7. ubi, cùm reverteretur percuſſô Philiſtæô David, & ferret caput ejus Hieroſolymam, egreſſæ mulieres canebant, choroſque ducentes in occurſum Saulis Regis cum tympanis & ſiſtris, præcinebant ludentes atque dicentes, PERCUSSIT SAUL MILLE, ET DAVID DECEM MILLIA. Caſaubon. *ad eundem Vopiſci locum*.

BALLIVI, Gallis *Baillis*, voce à *Bajulus* deductâ, de quo ſuſupià, dicti ſunt, quibus juſtitiæ in provinciis & majoribus civitatibus adminiſtrandæ cura à Principe demandata erat, quâ notione in *Conſtitutionibus* Galliæ Regum hæc vocabula paſſim occurrunt. Comitum nempe ſubire vicem, qui primâ & ſecundâ Regum ſtirpe ſtante id muneris obibant. At cùm inclinatâ & frequentibus Normannorum irruptionibus attritâ ac pene profligatâ eorundem Principum auctoritate, Comitatus ſuos ſibi proprietariô jure aſſeruiſſent, iidem juris dicendi facultatem tradidère Vicariis, quos *Bajulos* ac *Ballivos*, vocabulô iſtius ævi, vocârunt, quiſi ita appellabantur, quibus rei alicujus cura demandata erat: ut qui *Juſtitiæ ſuæ Cuſtodes* eſſent, ac veluti Rectores & Præſides; quod etiam fecère Reges in iis oppidis ac civitatibus, quæ ſui ac proprii juris erant. Sacramentum, quod, antequam munus ſuum inirent, edere Ballivi hi tenebantur, ex quodam *Regeſto* Memorialium Cameræ Computorum Pariſ. deſcriptum exhibet in *Gloſſario* ſuo Car. du Freſne. Non modò autem in aſſiſiis ſuis jus dicebant majores iſti *Ballivi*, ſed etiam Regum domania, uti vocant, ſeu res, quæ fiſci ſunt, exigebant ac poſcebant: v. g. mulctas ac emendas pecuniarias, confiſcationes, forisfacturas, eſcaetas, laudimia, manus mortuas, & alia id genus, de quibus rationem accepti & expenſi coram Magiſtris Computorum Pariſienſium quotannis putabant, ut eſt in *Statuto* dato Vivariis A. C. 1319. pro eadem Camera Computorum: cujuſmodi *Ballivorum* Computa in Rotulis membraneis comprehenſa non pauca, ſe legiſſe idem refert Car. du Freſne. Seligebantur ex ordine Militum, ut auctor eſt Monſtreletus *Volum. I. c.* 155. atque interdum *Gubernatores Balliviarum* ſuarum ſeſe inſcribebant, ut ea Froiſſardo *Volum.* 2. *c.* 24. colligitur, quod poſtmodum iis interdictum, *Statuto* 8. April. A. C. 1342. Quòd ſi bellum ingrueret, vel à Rege ſubmonerentur, & citarentur Feudatarii, *Ballivi* communias Balliviarum ſuarum in exercitum educebant, iiſque præficiebantur. Vide *Homagium* Vicarii Salviæ in Occitania, apud Catellum in *Hiſtor.* Toloſ. *Comit.* apud Car. du Freſne. Neque verò, adminiſtratione ſuâ durante, quæ annua erat (quemadmodum & Vicarii eorum, quos ii eligebant, annui ſolum, hodie Gallis *Lieutenans Generaux* dicti) poſſeſſiones per ſe vel per alium emere in *Ballivia* ſua, abſque Regis licentia, poterant; aut ſibi vel liberis, fratribus aut ſororibus, & conſanguineis vel cuicunque de familia ſua, non impetratô prius Regis aſſenſu, procurare, ex *Statuto* Ludovici IX. Sed & , ut omnis odii ac favoris in judiciis abeſſet ſuſpicio, ſtatuit Philippus Pulcher, ut alunde aſſumerentur, quàm ex *Ballivius*, ad quas mittebantur, *Statuto* A. C. 1302. *c.* 17. cui conſona habet de Friderico I. Imperat. Guntherus *Ligurin.* l. 8.

— — — Cunctaſque per urbes
Electos in jure viros, veriqué ſequaces
Impoſuit medios qui cuncta negotia juris
Lance diſcuterent, nec eos ex urbibus iiſdem,
Ne favor aut odium ſenſus corrumpat eorum,
Sed magis ex aliis ad munera pulcra vocatos
Elegit, ſacra vel delegavit ab aula.

Porrò *Ballivi* finitô officiô, in ſua Ballivia remanere tenebantur per dies 40. vel ſaltem Procuratorem ſufficientem dimittere, ut de ſe conquerentibus coram illis reſponderent, quibus ad fuiſſet commiſſum, ex *Statuto* dicto Ludovic. IX. A. C. 1256. vel 58. & ex *Statuto* Philippi Pulchri A. C. 1303. Quod etiam in Scotia factitatum docent *LL.* Scoticæ: utrique autem hauſerunt id ex *l.* 1. *Cod. Ut omnes Judices tam civiles, quàm milit.* &c. & ex *Novella* Theodoſii ac Valentiniani *de Tributis Fiſcal.* Nec verò tantùm in *Ballivia* ſuis morari per id temporis, ſed etiam in Parlamento ſiſtere ſe tenebantur, ut de judicatis in aſſiſiis ſuis reſponderent. Hinc, uti Seneſcalli, ita & *Ballivi* ex Magiſtris Requeſtarum, aut ea Parlamento eſſe non poterant, ex *Statuto* pro Reform. Regni A. C. 1302. c. 8. Vide infrà *Inquiſitor Galliarum* &c. De *Ballivis* Anglorum, vide in voce *Ballivus*. De *Ballivorum* juriſdictione ac cognitione in Regno Siciliæ, agunt *Conſtitutiones* ejuſdem Regni *l.* 1. *tit.* 56. Inter Equites Melitenſes & S. Stephani Florentinos, *Ballivorum* etiam magna dignitas eſt, vide ſuprà, ubi de *Bajulis*. At quia in Italia, præſertim in Neapolitano Regno, pro Curſore & Mandatario vox uſurpatur, ideo in dicto Regno obtinuerunt à Concilio Conventus ipſi Melitenſes Equites, ut *Priores*, non *Balivi*, vocentur. S. Stephani verò Equites, ultimam literam vocis Italicæ *Balio* demendes, *Bali* cum accentu pronunciant, ſicque eum à *Balio*, Curſorem denotante, diſtinguunt, &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros Fratres in ſuo *Hierolex.* ut & infrà in voce *Ballivus*.

BALLIUM, apud Matthæum Weſtmonaſter. A. C. 1265. *Eam (civitatem) cum exteriori* ballio *caſtri bellatorum ſuorum inſultibus occupavit*: item in *Charta* Galcheri Ducis de Nantolio A. C. 1218. in *Tabular.* Campan. ut & in *Charta* Henrici I. Regis Angliæ apud Car. du Freſne, propugnaculi ſpecies eſt. In *Actis* Epiſcoporum Eboracenſ. locus Eboraci, reorum cuſtodiæ deſtinatus, *Vetus Ballium* nuncupatur, quòd eſſet, ubi olim *vetus ballium*, ſeu propugnaculum. Vide eundem Car. du Freſne *Gloſſar.*

BALLIVUS, alitet *Balivus*, *Bailus*, *Bajulus* & *Ballius*; Gallis *Baillif*, à *Baillier* committere, quaſi *Commiſſarius*: dicitur, qui rebus curandis deputatur, ſive in provincia, ſive in urbibus, ſive in caſtellis, villis, dominiis, re familiari &c. Niſi quod *Bailus* frequentiùs occurrit pro Venetorum Legato, in re Mercatoria, apud Imperat. Conſtantinop. & alibi. Vide Platinam *in Greg. XI.* Phranz. *Chron.* l. 3. c. 1. *apud Meurſ.* In Scotorum Regia Maj. occurrit plerumque vox *Ballivi*, pro Judice: apud Anglos aliquando, pro quocunque Miniſtro Regis de latrocinio cognoſcente. Gallis Juſtitiam tutelarem ſignificat, idemque eſt, quod Præpoſitus: ſplendidus apud illos Magiſtratus. Apud Anglos honeſtioris ſæpe notæ, ſed plerumque miniſter infimus. *Ballivus Provincialis* Gallis eſt, qui in Provincia Satrapia aut Comitatu, judicia exercet, de arduis cognoſcit, pacem curat, populi partes, velut Tribunus, tuetur. Militem etiam evocat, luſtrat, educit &c. Inſtituti tales à Ducibus & Comitibus, cùm olim ipſas provincias & dignitates, hæreditariè poſſidendas adepti eſſent, ſub exordiu Capetorum regni. Unde iidem fortè, cum Aldermannis Comitatuum apud Saxones, qui *Grevi*, ſeu *Gravii*, poſteà Vice Comites appellati ſunt. Et quoniam quatuor iſtæ provinciæ, *de Vermendoys*, *de Sens*, *de Maſcon*, *& de S. Pierre le Mouſtier*, antiquiſſimè coaluerunt in regnum Franciæ, ipſorum Præpoſiti, *Ballivi Franciæ* appellati; ad quos in cauſis regiis provocare licet, à Magnatum Ballivis: dicunturque ideo *Gardiens des droits du Roy & de la couronne*. Imò & *Ballivi Regii* nuncupantur, earum provinciarum præpoſiti, quas Reges poſteri fiſco adſcripſerunt: Cæteri omnes Ballivi minoris ſunt notæ. A Normannis ad Anglos vox hæc pervenit & in genere Vicecomitis vel Præpoſiti ſimiliter functionem deſignat, Juriſdictionemque Aldermannorum comprehendit, vide ſuprà. In ſpecie, *Ballivus Franchesiæ*, apud illos dicitur, qui in loco immuni ſeu portione Comitatus, à poteſtate Vice Comitis ſubducta, partes Vicecomitis exequitur: His ſimiles apud Gallos Baronum & Caſtellanorum Ballivi. *Ballivi Burgorum*, ſunt in Burgis ſuis, Prætoris inſtar: hi interdum bini, interdum quaterni ſingulis burgis aut civitatibus præficiebantur: cùm Aldermanni & Grevi tantùm ſinguli ſuis civitatibus præeſſent. *Ballivi Manerii*, *Domeſtici*, *Portuum*, *Itinerantes* &c. de quibus vide Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

BALLIVUS Imperii, apud Henricum Flandrenſem in *Epiſtola* ad Innocentium III. Pontif. Rom. in *Geſtis* ejuſdem p. 136. *Principes, Barones ac Milites exercitus me Imperii* Ballivum *elegerunt*: Regni vel Imperii Gubernator eſt. Hinc ipſe ſe in eadem *Epiſtola*, *Imperii moderatorem* inſcribit &c. Vide ſuprà ubi de *Bajulis* & *Ballivis*.

BALLODIUM, aliàs BALODIUM, vulgò BALLIEU EN MATOIX, locus Galliæ in pago Vabrenſi, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BALLOMER, apud Gregorium Turonenſ. *Hiſtor*, l. 7. c. 14. & 31. l. 9. c. 28. & Aimoinum l. 3. c. 62. falſum dominum ſeu Pſeudoprincipem denotat. Ita enim Aimoinus hic imprimis vocat Gundibaldum quendam è Græcia profectum, Chlotarii Regis filium ſe mentientem, ſicque à Gunthranno Rege per indignationem appellatum, refert. Certè *bal*, veterib. Francis, *falſum* dicitur: unde *balmond*, falſus tutor: *mundus* enim tutor eſt. Crebræ quoque occurrunt Francorum appellationes in *mer* deſinentes, ut *Marcomir*, *Chlodomir*, *Ingomir*, in quibus *Princeps* & vir eximiæ dignitatis denotatur. Alludit ad vim vocis Auctor *Vitæ Baldomeri* Subdiaconi, quem venerantur Lugdunenſes die 27. Febr. cùm exclamant: *O virum beatum Baldomerum, in quo nunquam dolus apparuit*. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide infrà ubi de *Pſeudoprincipibus*.

BALLONOTI, Scythiæ Europææ populi. Val. Flacc. *Argonauticon* l. 6. v. 160.

Ibant & gemino æquantes cornibus alas
Ballonoti. — — —

BALLUCA, eſt χρύσαμμος, ut Tribonianus expoſuit, i. e. *auroſa arena*, quæ recens è terra effoſſa eſt, ſeu ramenta auri minutiora, nondum excocta. Pollux illa χρυσίου ψήγματα vocat. Cujacius *l.* 1. *Cod. de Metallar. & metallis. l.* 11. Meminit ejus Cod. Theodoſianus *l.* 10. *tituł.* 19. ubi quantitatem ærario à metallorum foſſoribus ſolvendam limitans, *Quatuordecim*, ait, *uncias Ballucæ pro ſingulis libris*. Vide ad eundem Codicem *l.* 3. & 4. *de Metallis*, Jacobum Gothofredum, & quæ ſuprà adnotavimus de *Auroſa arena*. Aliâ notione vocem uſurpat Sebaſtianus Salmantic. Epiſcopus in Veremundo Rege, æra 817. Sed *Regalia palatia*, balluca, *vestimenta*, *prætoria*, *quæ ſatis pro ipſa pulchritudine valeat commendare*. Vide Car. du Freſne *Gloſſar*. Magnos Fratres *Herodes* & Calvinum *Lexic. Jurid.* *Salmaſio*, *Balluca*, & *Ballux*, vox Hiſpanica, ex Græco βαῖτιξ detorta, quod ψῆγμα ſignificat, vel *calculum*: unum fuit ex vocabulis auri aut ἀναλογίαις, quæ Græcis nominibus maximè concepta fuiſſe, diximus ſuprà in voce *Arrugia*. Explicat vocem Plin. *l.* 33. *c.* 4. ubi de ratione inveniendi auri: *Aurum arrugiâ* (h. e. ὀρυγῇ, *foſſione*) *quæſitum non coquitur*, *ſed ſtatim ſuum eſt*. *Inveniuntur ita maſſæ*. *Nec non in puteis etiam denas excedentes libras*. *Palacras Hiſpani*, *alii palacranas*: *idem*, *quod minutum eſt*, *Ballucem vocant*. Hinc Martial. *l.* 12. *Epigr.* 57. *v.* 7.

> *Hinc otioſus ſordidam quatit menſam*
> *Neroniana nummularius maſſâ:*
> *Illinc balucis malleator Hiſpanæ*
> *Tritum nitenti fuſte verberat ſaxum*, &c.

Ubi legendum eſſe jam Hadr. Turnebus monuit *Adverſar. l.* 30. *c.* 26. & poſt eum Salmaſ. Farnabiô *paludis* reponente. Intelligit enim Poëta in his verbis Hiſpani auri malleatorem, qui monetam feriebat ex hoc auro, & malleis formas incudebat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1075. ut infrà, in voce *Strigiles*.

BALMA, melius BAPALMA, oppid. Arteſiæ, ſub Gallis, ab A. C. 1641. Vide *Bapalma*.

BALMA, ſeu BALMENSE COENOBIUM, vulgò *Baumes les Nonains*, oppidul. eſt Comitat. Burgunſ. ad Dubim fluv. 4. leuc. à Veſuntione, cum veterrimo intra muros Monaſterio Virginum, Benedicti regulam ſequentium. Aliam iiſdem Sequanis eſt *Balma*, Monachorum Cluniacenſium Abbatia. Significat autem vox *Balma*, linguâ Gallicâ, antrum ſeu cavernam, præſertim in monte, aut alio aliquo loco eminente. Hinc & *S. Balma* in Provincia nomen accepit, *Sainte Baume*, vel *la Balme*. Italis quoque *Balma*, antrum eſt. Eſt etiam caſtrum *Balma*, in pago Viennenſi, vicinum Crimiaco Cremeu. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* De voce ſic habet. Lapis ſepulchralis ſeu tumba eſt *Balma*, Arvernis *Baume*: quam vocem Provinciales quibuſvis ſepulchris tribuunt, præſertim verò antris ſepulchralibus ſeu cryptis. Vide Vincentium Baralem *Tom.* 2. *c.* 37. laudatum Carolo du Freſne *Gloſſar*.

BALMIA, Gallicè *la Baume*, nomen illuſtris in Galliæ provinc. Breſſia Familiæ. Ejus antiquiſſima memoria eſt in Sigebaldo *de la Baume*, Equite A. C. 1240. quæ poſteà, in varias diviſa lineas, varia à dominiis variis accepit nomina. Primaria facilè eſt, de Montetrebello ſeu *Montrevel* dicta, cùm Comitis dignitate cùm hoc titulô mactaretur Johannes A. C. 1427 in cujus liberis duarum linearum principia ſunt: Nam ad Johannis primogeniti poſteros titulus propagatus, ejus autem frater Petrus *de Mont S. Sorlin* appellitatus eſt: cujus demum nepos Marcus, ductâ Johannis pronepte Bonâ, ad ſe tranſtulit ex altera linea decus ſemel ſtirpi collatum. Nihilominus progenies illius maſcula, poſtquam etiam Comitatus *de Chaſteau vilain* acceſſiſſet, in nepotibus defecit. Ita hæreditas Montrebellia ad Claudii (qui frater Marci erat) filium Franciſcum delapſa eſt atque adhuc in poſteris ejus hæret. Eô enim, & Franciſcâ agnatâ, genitus Antonius Comes *de Montrevel*, Marchio *de S. Martin le Chaſtel*, qui obiit A. C. 1595. ex Nicolaa de *Montmartin*, reliquit Claudium Franciſcum, extinctum A. C. 1621. Patrem, ex Johanna *d'Agoult*, *de Montauban*, *de Viſq. de Montlor*, Ferdinandi Comitis *de Montrevel* (cui uxor obtigit Maria *Olier de Nointel*) Caroli Marchionis S. Martini (uxor Albertina Maria *de la Baume de S. Martin*) Mariæ (quæ nupſit Spiritui Marti Domin. *d'Ebſlan*) Margarethæ (cujus maritus Franciſcus *de Galles*, Baro Mirabellius) Johannæ (Monialis) & Franciſcæ. E quibus Ferdinandus Marchionem de Monte S. Martini ſuſcepit, patrem March. *de Savigny* atque Comitis *de Brancion*. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Tom. I.*

BALNEA Mixta, ab Hadriano Cæſ. ſublata. Olim namque viri fœminæque mixtim lavabant, nullô pudore inductante: quem turpiſſimum morem Græcos accepiſſe à Romanis, in *M. Catone* queritur Plutarchus. Et quidem tum primum fœda hæc conſuetudo incepit, cùm Agrippa primus Romæ *balnea* publicè exhibuit, uti docet Dio *l.* 49. Τὰ βαλανεῖα αὐτοῖς δι᾽ ἔτους καὶ ἄνδρασι καὶ γυναιξὶ προῖκα ἐπαρέσχε. Quam ſuſtulit quidem utcumque Hadrianus, ſeu potius tollere conatus eſt: χωρὶς τὰ λουτρὰ τοῖς ἀνδράσι καὶ ταῖς γυναιξὶ ἀπένειμε, *lavare ſeorſim à ſe invicem ipſis præcepit*, apud eundem *Dionem*, & apud Spartian. *in Adrian. c.* 14. *Lavacra pro ſexibus ſeparavit*. Sed non obtinuit, aut non diu, lex iſta. nam alioquin opus novâ lege non fuiſſet, cujus auctor Marcus, qui apud Capitolin. *c.* 23. *lavacra mixta ſuſtulit*. Servata lex Marci ad Heliogabalum uſque, iſte eam tulit: relatam mox ab Alexandro Severo, quod in *ejus vita* Lamprid. narrat. Spreta deinde & lex Alexandri, aut certè parum diligenter obſervata: adeò quidem, ut & Chriſtiani veteres hunc morem obſervaverint; licet in διαταγαῖς, quæ Clementi tribuuntur, caveatur diſertè, ut viri balneis virilibus, mulierbibus mulieres utantur, *l.* 1. *c.* 6. & 9. Sed omnem medicinam, publicus morbus vicit, donec ſerò tandem Synodalibus Decretis mos tam obſcœnus de vita ſublatus eſt. *Decretis*, inquam, non *Decreto*: Nam & ſanctiſſimorum Patrum auctoritas diu neglecta. Hinc Laodiceni Concilii *can.* 30. quamvis συλλούεσθαι γυναιξὶ ἀνδράσι, *lavare cum mulieribus viri* vetarentur; adeò tamen mos ille per hunc canonem extinctus non eſt, ut etiam è Clero & Monachorum ordine multi, poſt Concilium illud, promiſcuè cum fœminis lavarent. Vide Synodi πενθέκτης ſive in Trullo *can.* 77. quô locô Balſamon, Ὁ παρὼν, ait, κανὼν ἐμποδίζει ἱερατικοὺς ἄνδρας καὶ μοναχοὺς ἢ λαϊκοὺς μετὰ γυναικῶν λούεσθαι. Hinc in Juſtiniani 117. *Nov.* inter legitimas divortii cauſas & iſta recenſetur, ſi mulier, non impetratâ à marito veniâ, cum viris laviſſet, &c. Vide Iſaac. Caſaubon. *Not. ad Spartian.* & plura hîc infrà.

ad BALNEÆ, ſeu ad BALNEUM, urbecula Provinciæ Comitat. in Gallia, quæ vulgò *Aubanea*, ex Provincialium dialecto *Aubagne*, Gallicè *Aux bains*. Cujus nominis ratio ex vet. *Marmore* liquet, in quo hæc ſcripta:

> PAGANI PAGI LUCRETI QUI SUNT
> FINIBUS ARELATENSIUM LOCO GARGARIO
> Q. COR. MARCELLI LIB. ZOSIMO IIIIII. VIR.
> AUG. COL. JUL. PATERNA ARELATO OB
> HONOREM EJUS QUI NOTUM FECIT
> INJURIAM NOSTRAM OMNIUM SÆCULORUM
> SACRATISSIMO PRINCIPI T ÆLIO ANTONINO
> - - - - R. ROMÆ MISIT. PER MULTOS ANNOS
> AD PRÆSIDES PROVINCIÆ PERSECUTUS EST
> INJURIAM NOSTRAM SUIS IMP. - - - - OB HOC
> DONAVIT NOBIS IMPENDIA QUÆ FECIT
> UT OMNIUM SÆCULORUM SACRATISSIMI
> PRINCIPIS IMP. CÆS. ANTONINI AUG.
> PII BENEFICIA DURARENT PERMANERENTQUE
> QUIBUS FRUEREMUR - - - -
> ET BALINEO GRATUITO QUOD ALBATUM ERAT
> PAGANIS - - - QUOD USI FUERANT
> AMPLIUS ANNIS XXXX.

apud Jac. Sponium *Itinerar. Græc. Part.* 3. *p.* 52. Vide quoque in voce *Aubanea*.

BALNEÆ, Romæ plurimæ fuerunt, cùm privatæ, in locis diverſis, tum publicæ in ſingulis regionibus, hæque vel æſtivales, vel hyemales: Sidonius Apoll. *Carm.* 22. *v.* 179.

> *Porticus ad gelidos patet hinc æſtiva triones,*
> *Hinc calor innocuus thermis hyemalibus exit,*
> *Atque locum tempus mollit.*

Item vel planæ, vel penſiles: quarum has ſuô ævô inventas tradit Seneca *Ep.* 90. cùm tamen Sergius Orata, qui ævô Mithridatis Regis & Cnei Pompeji vixit, primus illarum auctor fuerit, teſte Plinio *l.* 9. *c.* 54. Principium moris inde: Cùm apud hanc gentem ſim uſus eſſet rarior, ſudorem ſordeſque corporis ſæpius abluere neceſſe habebant; Unde quibus locis aut deeſſent balneæ, aut corruptæ eſſent, eas antiquitus Ædiles ſuis temporibus vel addiderunt vel reſtituerunt. Uſitatô autem more balneis utebantur poſt ambulationes, operas & exercitationes, ſæpe neceſſitatis, non rarò voluptatis cauſâ: quod idem Græcis factitatum, qui ſudorem aquâ abluere, poſteà quoque corpus inungere, ſalubre judicârunt. Ante cœnam inprimis recepta ablutio erat: definitque Vitruvius *Architect. l.* 5. *c.* 10. *tempus lavandi à meridiano ad veſperum*: octavam thermis dedicatam innuit Martial. *l.* 10. *Epigr.* 48.

> *Nuntiat octavam Phariæ ſua turba juvencæ,*
> *Et pilata redit jamque ſubitque cohors.*
> *Temperat hæc thermas, nimios prior hora vapores*
> *Halat, & immodicô ſexta Nerone calet.*

Plinius autem Jun. *l.* 3. *Ep.* 1. ſic habet. *Ubi hora balnei nuntiata eſt* (*eſt autem hyeme nona, æſtate octava*) *in Sole, ſi caret ventô, ambulat nudus, deinde movetur pilâ vehementer & diu*: (in confinio enim balnei ſphæriſterium fuit) *lotus accubat*, &c. Quô ſenſu intelligendum illud Martial. *l.* 4. *Epigr.* 8. *v.* 5.

> *Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris.*

Ut ab hora octava nempe pilâ luſerint, deinde balnea acceſſerint, abluendi, inungendi fricandique cauſâ. Ungebantur enim veſtibus depoſitis loti, Petron. *Arbiter in Satyr. Jam Trimalcio unguentô perfuſus tergebatur*, *non linteis*, *ſed palliis ex molliſſima lana factis*: unde & locus ille *Unctuarium* vocabatur, Plin. Jun. *l.* 2. *ep.* 17. quod inter balnei partes quibuſdam. Poſt *balneum* Sabanâ ſumebant vel veſtes, quibus ad ſudorem eliciendum ſe involvebant. Luxurioſiores amarathino à balneis perfundebantur, ut infrà dicemus ubi de illo. Quibus voluptatum illecebris uſque adeò quidam delectati ſunt, ut Commodus in die octies, Gordianus Jun. & Rhemnius Grammaticus ſepties laviſſe legantur: cùm Spartiani contra nudi aquâ ex Eurotæ fluento frigidiſſimâ abluti ſoliti ſint. Quò reſpiciens Martialis *l.* 6. *Epigr.* 42. *v.* 16. inquit,

> *Ritus ſi placeant tibi Laconum,*
> *Contentus potes aridô vapore,*
> *Crudâ virgine, Martiaque mergi.*

Erant autem in *Balneis* tres cellæ præcipuæ, quarum prima *Caldaria*, ubi ſudabatur: ſecunda *Media* ſeu *Tepidaria*, tertia *Frigidaria* vocabatur: de quibus vide infrà in voce *Balneum*. Et primò quidem tenebroſæ erant, deinde ſpecularia addita ſunt, ut clariſſimum undecunque admitterent lumen. Nec ſpecularia modò ſeu feneſtræ, ſed & pavimentum è vitro erat, ut Lipſius ex Flavio Vopiſco *in Firmo* notat, quæ omnia poliebantur quotidie tergebanturque à ſervis balneariis, idque non Romanâ ſolùm, ſed & Græcâ conſuetudine, *Æſchylô* teſte:

> Αὕτη γε μὲν λαβοῦσα πολλὰ δήλοτε,
> Ἀλλ᾽ οὐ μεγίστην ἀμφιβῶς λελουμένη·
> *Lotum eſt quidem lavacrum hoc ſecundò,*
> *Sed ut maximè ſordibus lavacrum.*

Loquea-

Laquearia quoque vitrô incruſtata, quod *pulchritudinem balnearum* vocat Aurelius Caſſiodorus, *l. 3. ep. 53.* Unde Papinius Statius *Sylv. 5. l. 1. v. 42.*

> *Effulgent cameræ, vario faſtigia vitro*
> *In ſpecies animoſque nitent*

Sola inſuper & parietes unguentis illinebantur, quod non in potentioribus ſolum, ſed in privato quoque homine, ut demum in tertio *Pinus* notavit: Et Seneca aquam argenteis epiſtomiis fundi in plebejis fiſtulis, ac in Libertinorum balneis gemmas calcari indignatur ibid. *ep.* Erant porro in balneis, quibus aqua commiſſa, quos Zeno Aug *Hydrophylacas* vocat *libr. 10. Cod. de Aquæductu.* Hanc aſſervabant certis calicibus: ut in *Balneis* miniſtrabantur vaſa argentea, quæ *Lavatoria* appellant Juriſconſulti. Concha privata lavatio fuit, Vetus Scholiaſtes Juvenalis *ad Sat. 5. v. 277.* *pelves*, inquit, *conchæ, in quibus pedes lavant.* Hæ primo fictiles, poſtea è margaritis, Horat. *l. 4. Od. 12.* ſive Onyche, Catull. *epigr. 63.* aut etiam ex ære, ac argento. Claudian. *epigr. de Concha*;

> *Transferat huc liquidos fontes Heliconia Nais,*
> *Et patulâ conchâ divitis orbe ſinat.*

Sed & unguentum hiſce conchis aſſervatum fuiſſe, diſcimus ex Horatio *l. 2. Ode 7. v. 7.*

> *--- --- --- Funde capacibus*
> *Unguenta de conchis.*

Omitto, quæ de linteis, oleo, unguentis & ſtrigilibus, quibus ad corpus fricandum, bacatione ſeu guttô, quô ad ſuperfundendum, utebantur, traduntur. *Balnei* pretium quadrans fuit, quare *res quadrantaria Senecæ* dicitur: Sed virorum tantùm. Nam fœminas gratis laviſſe, ex Juvenali patet: quod idem impuberibus quoque præſtabatur. Unde Juvenal. *Sat. 2. v. 152.*

> *Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.*

Vide infrà *Quadrans.* Veſtis *balnearis* lintea fuit, Lamprid. *in Alexandro, c. 42.* *Balneari veſte ad palatium revertens*: Niſi eam fuiſſe laternam ex ſequentib. colligamus, *Hoc ſolum Imperatorium habens, quod lacernam coccineam acceperit.* Non verò promiſcua fuêre balnea, ſed viri ſua à mulieribus diſcreta ſeparataque habuêre: Balneas promiſcuas, quas Commodus non vetuerat. Varius permiſerat, vetuit haberi Severus Imperator. apud Lamprid. *in eo, c. 24.* Separationis auctorem Hadrianum Aug. laudat Ælius Spartian. *in eo, c. 30.* & nimiâ invaleſcente luxuriâ ſuſtuliſſe Antoninum Phil. refert Jul. Capitolin. *in ejus vita*, &c Imò & *Simulachra Deorum balnea* inſtruxiſſe, dicemus infrà voce *Poſtem.* Vide plura de *Balneis*, apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 1. c. 14.* & Thom. Dempſterum *Paralip. in illud*: ut & infrà in voce *Lavandi ritus.* De *Balneis* ſupernis calidis, in voce *Thermæ.* *Balneas* Romæ P. Victor ultra octingentas computavit: Agrippa 170. gratuita balnea præbuit, quæ poſtea in infinitum, teſte *Plinio*, ſunt aucta. Solus certè Heliogabalus compluſes extruxit, ut qui *nova* ſemper habuiſſe legitur. Lamprid. *c. 30.* *Dicitur & Balneas feciſſe multis locis ac ſemel laviſſe atque ſtatim deſtruxiſſe, ne ex uſu balneas haberet.* Et poſt eum Alexander Severus, *Balnea omnibus regionibus addidit, quæ fortè non habebant. Nam hodieque multa dicuntur Alexandri*, apud Lamprid. *c. 39.* Plura vide hanc in rem infrà in voce *Balneum*

Balineæ ſeu Balneæ urbis Romæ, ſecundùm XIV ejus regiones.
In Regione Urbis I. earum ſex fuêre publicæ:

Vetti Bolani.	Abaſcantiani.
Torquati.	Mettiani Secundiani.
Mamertini	Antiochiani.

Privatæ 82.

In Regione Urbis II. Balnea privata 80.
In Regione III. Balnea privata 70.
In Regione IV. præter Balneum Daphnidis, Balinea privata 75.
In Regione V. præter Balineum Pauli, Balinea privata 75.
In Regione VI. totidem, præter Balineum Pauli.
In Regione VII. ſimiliter.
In Regione VIII. præter Balineum Polycleti, Balinea privata 76.
In Reg. IX. Balinea privata 64.
In Reg. X præter Balneas Palatinas, Balinea privata 25.
In Reg. XI. totidem.
In Reg. XII. Balinea privata, 68.
In Reg. XIII. Balinea privata 74.
In Reg. XIV. præter Balineum Ampelidis & Priſcilliani, Balinea privata 136.

Balinea ſeqq. in quanam Reg. fuerint, incertum:

Ti. Claudii Etruſci.	Severi.
Statilii.	Pæti.
Martialis.	Titi.
Annæi Senecæ.	Offonii Tigellini.
Tuccæ.	Alexandri Imperat.
Fauſti.	Vatii.
Fortunati.	Nymphæum Marci Imperat.
Grylli.	prope Septizonium.
Lupi.	Gordiani Imperat.
Pontici.	Lacus Servilius.

De Lacubus, Nymphæis, Thermis, quæ hic omiſſæ, vide ſuo loco. Nec omittenda *Inſcr.* vetus, quæ Bononiæ extat, in Palatio Albergatino, huc pertinens, Jacobo Sponio memorata *Itinerar.* *Part 3. p. 59.*

DIVUS AUG. PARENS
DEDIT
. . . . . AUGUSTUS
GERMANICUS
REFECIT
IN HUJUS BALINEI LAVATIO
NE HS cccc NOMIN. C. AVIASI
T. F. SENECÆ F. SUI T. AVIA
SIUS SERVANDUS PATER TE
STAMENT. LEGAVIT. UT EX
REDITU EJUS SUMMÆ IN
PERPETUUM VIRI ET IMPU
BERES UTRIUSQUE SEXUS
GRATIS LAVENTUR.

Vide quoque eum *Part. 1. p. 72.*

BALNEARIA, vide infrà ubi de *Lavandi ritu.*

BALNEATIO, in Ægypto dictus eſt dies Baptiſmi Domini, qui aſſignatur diei undecimo menſis *Tuba* Copticarum, qui eſt ipſe Januarii Juliani dies ſextus. Scilicet Chriſti in Jordane baptiſmum hôc die peractum eſſe, frequentius receptum eſt tam in Oriente, quàm in Occidente; etiam apud Ægyptios Æthiopaſque. Et quidem mos apud illos invaluit vetus, ut non ſolum die illô, velut in quo, præ cæteris anniverſaria fieret aquarum ſanctificatio ſingularis, Catechumenos baptizarent; verùm etiam tum cuncti ſe quotannis fluviis immergerent adeoque baptiſmum ea velut ſibi iterarent; tum aquas ex illis in annum ſequentem ſervandas domum afferrent, quas etiam incorruptas illic per biennium trienniumque ſæpius manſiſſe, Chryſoſtomus habet *Orat. 74.* Abulabſan Achmed Calcaſendius, Scriptor Mahumedanus perinſignis MS. dum Feſta Ægyptiorum enumerat, de hoc quoque, quod ex VII. eorum majoribus Feſtis unum eſt, *Chriſtiani*, inquit, *mos eſt immergere liberos ſuos in aqua, illo in die*: atque hinc dictus eſt in Ægypto *Balneatio.* Vide Joh. Seldenum *de Synedriis veter. Hebræorum Part. 3. c. 15.* ut & infrà, in voce *Immerſio.*

BALNEATOR, qui balneum ſuccendit ac calefacit, Lampridio in *Commodo, c. 1.* *Quum tepidius forte lotus eſſet, balneatorem in fornacem conjici juſſit: quando à pædagogo, cui hoc juſſum fuerat, vervecina pellis in fornace conſumta eſt, ut fidem pœnæ de fœtore nidoris impleret.* Sic in *Vita* Carini Flav. Vopiſc. *c. 17.* *Balneatores* dixit, qui balnea præparant. Græci quoque Βαλανέα vocant, cujus hoc erat munus atque miniſterium. *Gloſſæ, Balneator* Βαλανεύς. Sed id magis oſtenditur Græcô *Epigrammate*, in quo queritur Auctor, de balneo ſibi nimis calido à *balneatore* præparato:

> Εἰς βαλανεῖον ἔμπυρον.
> Τοῦτο πυρὸς καλέσαι μᾶλλον δεῖ κ' οὐ βαλανεῖον,
> Ἥν ποτ' ὁ Πηλείδης ἧψε Μενοιτιάδῃ.
> Ἢ τὴν Μηδείης εἴποιμ' ἂν τὴν δολόεσσαν
> Ἐν θαλάμοις Γλαύκης ἥνπερ ἀνῆψε πάλαι.
> Φεῖσαί μοι βαλανεῦ πρὸς τοῦ Διός, εἰμὶ γὰρ ἀνὴρ
> Πάντα γράφων θνητῶν ἔργα καὶ ἀθανάτων.
> Εἰ δὲ προκεῖταί σοι πολλοὺς ζώοντας καλέσαι,
> Ἅπτε πυρὰν ξυλίνην, δήμιε, μὴ λιθίνην.
> *Hoc pyram vocare potius oportet, quàm balneum,*
> *Qualem olim Pelides accendit Menœtii filio.*
> *Aut Medeæ ſertum, quod illa Erinnys*
> *In thalamis Glaucæ poſuit Auſonia.*
> *Parce mihi, Balneator, per Jovem, ſum enim vir,*
> *Omnia ſcriptis enarrans, mortalium geſta ac immortalium,*
> *Quod ſi propoſitum eſt tibi multos vivos hîc accendio necare,*
> *Accende pyram ligneam, carnifex, non lapideam, &c.*

Salmaſ. *ad Lamprid. loc. cit.* Neque verò ſolùm de viro, ſed & de fœmina *Balneator* dicitur, uti *Servius* docet, qui voces has, *auctor, ſenator, balneator, ſullo*, & ſimiles generis utriuſque eſſe, ait, Caſaubon. *ad Pollionem in Victorin. c. 31.* Nomina quædam *Balneatorum* apud Romanos vide infrà voce *Fortunatus.*

BALNEI Hora, apud Romanos, ex Spartiano colligitur, qui de Hadriano Cæſ. *c. 22.* *Ante octavam*, inquit, *horam in publico neminem, niſi ægrum, lavari paſſus eſt.* Nempe ad nonam ut plurimùm patebant Balnea, & ante Solis occaſum claudebantur. Lamprid. *in Alexandro Severo, c. 24.* *Addidit & oleum luminibus thermarum, cum ante & ad nonam paterent & ante Solis occaſum clauderentur.* Eâdem horâ & tabernæ vinariæ & lupanaria aperiebantur, unde *Nonariæ* meretrices dictæ, quia ad nonam proſtarent, vet. *Interpr. Perſii.* Atque ita quidem in Colonîis, ſed Romæ nunquam ante nonam tabernæ, balnea & lupanaria patebant. Hadriani tempore octava thermis aperiendis videtur conſtituta. Unde Martial. *l. 10. Epigr. 48. v. 1.*

> *Nunciat octavam &c.*

Ab octava igitur ad nonam hora lavandi, ut à nona ad decimam cœnandi: qui temporius aut lavarent, aut cœnarent, intemperantes habiti. Clemens in *Conſtitutionibus* Apoſtol. decimam horam ad lavandum mulieribus ſtatuit, *l. 1. c. 9.* [illegible] *&c.* Salmaſ. *ad Spartian. & Vopiſc. loc. cit.*

in **BALNEIS** edendi mos, apud delicatiores in uſu olim. Æl. Lamprid. *in Commodo, c. 11.* *Lavabat per diem ſeptiès atque octies & in ipſis balneis edebat.* Hinc in *Balneis* frequentes Libarii, Botularii, Cruſtularii & omnes popinarum Inſtitores, ut ſcribit Seneca *Ep. 56.* Poſteà verò cœpêre & viri graves in balneis cœnare. Spartian. in Anto-

Antonino Geta, *c.* 6. *Utrinſque ordinis viri & in balneo comantes & in publico, percutiebantur.* Ubi tamen forte Auctor ſcripſerat, *Et in balneo & cænantes.* Caſaubon. *ad loc.* Balneorum contrà uſus militibus interdictum penitus apud Romanos. Hinc Polyænus *l.* 8. *c.* 16. §. 2. de Scipione, corruptam diſciplinam in exercitu ſuo corrigente: Ἀ᾽ργυρῶν ξ, inquit, ἐκπωμα μη ἐχειν ἢ λούεσθαι μηδένα, *argenteum poculum non habere, nec quemquam lavare voluit.* De Antonino Caracalla, qui gregarii militis more modòque vitam agebat, Dionis Epitome, Καὶ γὰρ συνεβάδιζε τοῖς στρατιώταις ἢ συνέτρεχε, μὴ λουτρῷ χρώμενος, μὴ τὴν ἐσθῆτα ἀλλάσσων, ἀλλὰ ἐν πᾶσιν ἔργον συμπράττων, ἐν πᾶσιν ἐμφανῆ τὴν αὐτὴν δίαιτιν αἱρούμενος. *Namque & incedebat cum militibus, & cum iis curſitabat, non balneo uſus, non veſtes mutans, ſed omne opus cum ipſis exercens, & omnium cibum cum iiſdem communem habens.* Secus qui feciſſet, λειποτάκτης, i. e. *deſertor*, habebatur. Chryſoſtomus in 1. *ad Tim.* Quare Alexander Severus, in ſua Invectiva in milites ſeditioſos, apud Æl. Lamprid. *c.* 53. *Milites*, queritur, *Romani, veſtri ſocii, mei contubernales, & commilitones, amant, potant, lavant, Græcorum more, &c.* Nempe uti potitionem, ita & *Balnea*, inter delinimenta vitiorum, meritò cenſet gravis auctor Tacitus in *Vita Agricolæ*. *c.* 21. Vide Caſaubon. *ad Spartian. in Adriano*, & Salmaſ. *ad Lamprid. in Alexandro Sev. loc. cit.*

BALNEO Milites inaugurandi ritus, mediô ævô vigens, occurrit apud Joannem Monachum Majoris Monaſterii *Hiſtor.* Gaufredi Ducis Norm. *l.* 1. de ejuſdem Militia, *Illuceſcente die alterâ balneorum uſus, ubi tyrocinii ſuſcipiendi conſuetudo expoſtulat, paratus eſt.* Et in *Hiſtoria* Caroli VI. Franciæ Regis de Militia Ludovici II. Regis Siciliæ, & Caroli fratris: *In hoc ſtatu cùm matrem uſque ad ſanctum Dionyſium conduxiſſent, in ſecretioribus locis nudi in præparatis balneis ſe mundarunt.* Unde in *Vita* Clementis VI. *p.* 90. apud Boſquetum, die Pentecoſtes inchoatô, *ſtatim aqua lotus & Miles factus talem ſibi titulum aſſumpſit, Candidatus aquâ Spiritus Sancti Miles.* Atque hic *Balneorum* uſus potiſſimùm in Anglia obſervatus eſt, maximè, in Regum inauguratione, à quibus novi Milites tunc creari conſuevére, quos *Knights of the bath*, h. e. *Milites de Balneo*, appellatos legimus, eò quod, priuſquam cingulô donentur, *Balnea* ſubeant, de quibus videndi Nicolaus Uptonus *de Militari Officio l.* 1. *c.* 3. Thomas Smith *de Rep. Anglorum l.* 1. *c.* 17. Andreas Favynus *Theatri Honor. l.* 5. Alii laudati Carolo du Freſne in *Gloſſar.* voce *Miles*: ubi inſuper totam ejuſmodi inaugurandorum in Anglia alibique Militum *Ceremoniam*, ex vet. Codice Gallico ab Edw. Biſſæo editam, ſed variis in locis emendatam, exhibet. Sic autem à *Balneo* prodeuntes Tirones novis veſtibus donabantur, exutis ſcil. prioribus, quæ ſcutiferorum erant. Joannes Monachus præfatus *l. c. Poſt corporis ablutionem aſcendens de balneorum lavacro, biſſo retortâ ad carnem induitur, cyclade auro textâ ſupervestitur.* Vide quoque *Hiſtoriam* Caroli VI. Regis Franciæ. Alia quippe erant veſtimenta tironum, alia Militum, quæ & qualia fuerint in hiſce occaſionibus, docet idem Car. du Freſne ex *Computo* quodam veter. incipiente A. C. 28. Auguſt. 1350. Porrò ita loti Milites, in *Æde ſacra* pernoctabant, orationibus vacantes & poſtridie ſacræ intererant Liturgiæ. *Hiſtoria* Caroli VI. *Inſignes verò adoleſcentes prædicti habitu eodem, quô prius ante Martyres, reducuntur, ut ibidem, ſicut mos antiquitus inoleverat, in orationibus pernoctarent.* Poſt quæ omnia ritè peracta, cingulum Militare novo Militi, à Principe aliquo, aut Magnate, interdum & Feminâ, datâ alapâ militari, ſolemniter conferebatur, ſacra intereà faciente Epiſcopô, & enſem conſecrante, cujus ritus exempla paſſim obvia, apud eundem, vide quoque infrà, in voce *Miles*, it. *Stigmata*, &c. Ritus veſtigia etiam apud alias gentes: Scribit enim Joſephus Acoſta, *Hiſtor. Ind. l.* 7. *c.* 27. in Regno Mexicano, Procerum filios à Sacerdotibus lavari conſueviſſe, priuſquam cingulô militari donarentur. Et Polyænus *Strateg. l.* 4. *c.* 12. *n.* 3. auctor eſt, Pæones olim Principem ſuum, priuſquam diademate cingeretur, in fluvio Ariſtibo laviſſe. Sed & in Academia Athenienſi, non diſſimili ceremoniâ Studioſos fuiſſe initiatos, ex Nazianzeno diſcimus, uti videbimus infrà, ubi de *Depoſitionis ritu*.

BALNEOLUM, oppidul. Italiæ, in regno Neapolitano & provinc. Principatus Ulterioris ad fontes Caloris fluv. prope Apenninos montes, 9. milliar. à Compſa in Occaſum. Vulgò *Bagnola*.

BALNEOREGIUM, vulgò BAGNAREA. Urbs Epiſcopalis Hetruriæ Pontific. ditionis, S. Bonaventuræ patria, in agro Urbevetano. Item Ducatus Calabriæ. Leand. *deſcr. Italiæ*.

BALNEUM, decima pars Gymnaſiorum apud Veter. ob delicias ac ſanitatem omnium maximè æſtimata cunctiſque reliquis major ac pulchrior extitit: à tempore inprimis Aſclepiadis ac Pompeii, cùm antea raró lavaretur. Et quidem, quum in privatis *balneis* tanta fuerit adhibita magnificentia, ut Seneca dicat *Ep.* 86. *Quod quiſque pauper ſibi videbatur ac ſordidus: niſi parietes balneorum magnis ac pretioſis orbibus refulſiſſent, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta fuiſſent, niſi illis undique operoſa & in picturæ modum variata circumlitio prætexeretur, niſi vitrô conderetur camera, niſi aquam argentea epiſtomia fudiſſent.* Cùm & Libertinorum *Balnea* ſtatuis & columnis eſſent exornata, illiſque nil niſi gemmas calcare vellent; vide quæ de Etruſci inprimis Martial. *l.* 6. *Epigr.* 42. & Statius *l.* 1. *Sylv.* 5. habens: publica itaque non minùs ſplendida fuiſſe neceſſe eſt. Loca *Balnearum* iſtiuſmodi Gymnaſticum univerſum conſtituentia, à Cicerone *Balnearia* vocata, *l.* 3. *Ep. ad Q. Fr.* 2. plurima fuére, *Frigida lavatio* ſive λουτρόν, *Frigidarium*, *Tepidarium*, *Sudatio calida*: & *Lavatio calida*, quæ verò *Balneis* inſerviebant, fuerunt *Hypocauſtum*, *Aquarium* & *Vaſarium*: hæcque omnia concamerata & fornicum modô fabricata. Et quidem *Frigida lavatio* locus erat, in quo frigidæ aquæ lavacra & præſertim piſcinæ, poſita erant, in qualibus *ferè ſemper*, *variſſimè in calidarium*, Alexandrum Severum *laviſſe*, ſcribit Lamprid. *c.* 13. Idem verò *c.* 21. Heliogabalum tradit, *nunquam in piſcinis ſe lavari paſſum eſſe, niſi illæ croco aliiſque pretioſis unguentis fuiſſent infectæ.* Prope hanc erat *Frigidarium*, in eorum uſum, qui ſtatim, poſt egreſſum Tepidarii aut Caldarii, frigidô aere frui optabant: nulla enim ibi aquæ apud Auctores mentio. Fortè & hîc loturi exuebantur, namque & *Varro* & Plin. *l.* 5. *ep.* 6. *Apodyterium* quoque Balnei partem faciunt. Ibidem etiam gymnaſtarum ſudores detergebantur. Fuit autem hæc pars admodum vaſta & cuivis pervia, ita ut veſtimenta eorum, qui lavabantur, facilè ſurripi poſſent: E prima ſeverâ Lege cautum fuit, fures balneorum gravius plectendos, ut docet Ariſtoteles *ſect.* 29. *Problem.* 14 & Capſarii adhibiti, qui veſtim cuſtodirent. Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 117.

Quem ſequitur cuſtos, anguſtæ vernula capſæ.

Frigidario annexum *Tepidarium* inſerviebat tum iis, qui tepore aëris aut aquæ frui volebant, tum iis, qui aut frigidâ aut calidâ lavari quærebant, ut ad alterutrum modô tepore ſine noxa ſe conferrent. Quanquam etiam fieri poteſt, ut in privatis Balneariis Tepidarium & Apodyterium idem locus fuerit, ob ſpatii penuriam vel majorem commoditatem. Cicero enim *loc. cit.* cùm Arpinatem villam, quæ judiciô Quincti fratris ædificabatur, inviſiſſet, *ſe aſſa in alterum Apodyterii angulum in balnearia promoviſſe*, ſcribit apertè indigitans, Apodyterium & Laconicum ſive calidam, aſſamve, ut ipſe & *Celſus* vocant, ſudationem conjuncta fuiſſe, eô propè modo, quô Tepidarium & Laconicum, ſaltem poſt Vitruvii tempora. *Sudatio Calida ſeu Caldarium*, Vitruvio *l.* 5. *c.* 10. & *Celſo* quoque *Laconicum*, item *Aſſa*, cella fuit, nullam in ſe continens aquam, ad provocandum ſudorem potiſſimùm inſtituta: Ibi enim vapor calidus ſeu calor ſiccus incluſus ſudorem provocabat, haud aliter, ac ſuper Baias in vreteris, ubi tempore Celſi è terra profuſus calidus vapor ædificio incluſus maximos ſudores ciebat: cujus rei Horatius quoque meminit *l.* 1. *Ep.* 15. Fuit verò hoc Laconicum rotundum ac velut turricula ut hemiſphærium concamerata. Poſt illud ſequebatur cella calida, labris aquæ continendæ poſitis referta, in qua quod lavarentur, *Calida lavatio* à Vitruvio, *loc. cit.* & λουτρὸν à Galeno *l.* 10. *Meth.* dicta eſt: Ζεστὸν verò enim vocavit Archigenes apud eundem *de Compoſ. Medic. ſec. loc.* Fuitque hæc primaria *Balnei* pars, quam unà cum Laconico ſub concamerata ſudatione videtur complexus Vitruvius. Loca, quæ non inter *Balnea* eſſent, ſed ipſis tantùm inſervirent, quod attinet: *Hypocauſtum*, fornax erat ſeu caminata ſtructura, ſubterraneo Caldario, Calidæ lavationi, atque Vaſario ſuppoſita, in qua ad calefaciendum tum aquam, tum prædicta loca, ignes ſuccendebatur, & ne extinguerentur à ſervis, *Fornacatoribus* ob id Pandectis a Papiniano vocatis, frequenter cum pilis ac glomis pice illitis excitabatur: quarum meminit Statius ubi de Etruſci balneis, *l.* 1. *Sylv.* 5. *v.* 58.

—— —— —— Crepantes
Audirem pilæ, ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem volvunt hypocauſta vaporem.

Ante Hypocauſtum autem via quædam erat, *Propnigeum*, quaſi *Præfurnium* a Vitruvio, *l.* 5. *c.* 11. vocata. *Aquarium* dein, cella fuit, calidæ Lavationi atque Caldario adnexa, in qua alveus magnus ædificatus erat, ad conſtituendam aquam ex Aquæductibus aut aliunde invectam, atque in frigidam lavationem & calidam per fiſtulas corrivandam. Non longe ab eo *Vaſarium* diſtabat, ubi vaſa conſervabantur, balneorum ſervitiis neceſſaria, & ubi aqua pro ipſis calefiebat. De quo ita Vitruvius *l.* 5. *c.* 10. *Ahenea vaſa ſupra Hypocauſtum tria compoſita fuiſſe, unum Caldarium, alterum Tepidarium, tertium Frigidarium, & ita collocata, ut ex Tepidario in Caldarium, quantum aquæ calidæ exiſſet, influeret, de Frigidario in Tepidarium ad eundem modum.* De aëre *Balneorum*, qui extrinſecus admittebatur (ut innuit Vitruvius) ea in calidiſſimo loco averſo à Septentrione & Aquilone ſita erant, tum Caldaria atque Tepidaria ab Occidente hiberno lumen habebant. Si autem natura loci impediviſſet, utique a Meridie: lumen verò ita capiebatur, ut in medio cameræ foramen latum relinqueretur, ſub quo labrum extruebatur: Circa labrum ſpatioſi erant margines quidam aut porticus, a Vitruvio *Scola* vocatæ, in quibus occupatô à prioribus lavationis locô, reliqui circumſpectantes rectè ſtabant, nec ſuis umbris lucem, quæ ſuperiùs capiebatur, obſcurare poterant. Intra *balneum* verò exiſtentem aërem quod attinet, antiquiores mollibus ac moderatè calidis balneis fuiſſe uſos, ex Seneca *Ep.* 86. & Plut. *l.* 8. *Symp. Probl.* 9. diſcimus: at ipſorum tempore maximè calida in pretio fuére uſque ad tempora Galeni, quibus moderatiora denuo placere cœperunt. Vide Plin. *l.* 31. *c.* 9. Vaſa verò, quibus lavabantur, alia movebantur, alia moveri non poterant: Quorum hæc ex lapidibus & marmore fiebant: *Alveique* & *Labra* in calida lavatione; in frigida *Piſcinæ* atque *Baptiſteria* dicebantur: adeoque magna erant, ut etiam in ipſis aliquô pactô natare daretur, ut ex Thermarum ruinis Romæ hodieque conſpicitur. Quæ moveri poterant, tametſi in privatis balneis utplurimùm fierent, attamen in publicis quoque extitére; alia quadratam, alia oblongam, alia rotundiuſculam, alia ovalem habentia figuram, qua de re vide infrà in voce *Labrum*. Finis, cur lavarentur, non unus extitit. Prima *Balneorum* inſtitutio fuit, ut quotidianas ſordes eluerent poſſentque mundô corpore cœnare homines, quibus tum nondum linteorum erat uſus: unde ſemel tantùm in die cœnandi, & in ſtratis, dum cœnarent, accumbendi, conſuetudo orta. Poſtmodum, *Balnea*, ob delitias ac mollitiem adhiberi cœperunt, & præſertim tepidæ, quibus exiccatas ab exercitationibus vel Sole frigoreque ardentes corporis partes attemperabant. Nec ſolum dulcibus aquis, ſed & medicatis, ob valetudinem & luxuriem, uſos Veteres teſtatur Galenus *de Medicam. local. l.* 3. imò Neronem, his non contentum *marinas atque Albulas in ſuas Thermas deduci curaviſſe*, Lamprid. tradit & Sueton. *c.* 31. ut alia omittam. Qui autem *Balneas* ingrediebantur publicas, ante decimum quartum ætatis annum nihil ſolviſſe, teſtatur Juvenal. *Sat.* 2. Reliqui quadrantem ſolvebant,

Flaccus *l.* 1. *Serm.* & Juvenal. *Sat.* 6. donec Antoninus Pius balneum ſine mercede Populo conſtituit, apud Jul. Capitolin. *c.* 7. Athen. *l.* 8. apud Phaſelitas legem fuiſſe ſcribit, ne peregrini lavarent cavum, &c. Præ cæteris verò lavabant, Phonaſci, Citharœdi, Præcones, Tragœdi, Comœdi, quòd vocem oblæſam & aſſiduo exercitio aſperatam aquarum dulcium humectatione mulcebant. Apud Lacedæmonios, mulieres in Balneis Gymnaſiorum lavari conſueviſſe notum, & nedum in his, verùm & unà cum viris promiſcuè: quod tamen non in cunctis obtinuiſſe, ex Heſiodo diſcimus, qui *mulierum balnei* mentionem facit, *de op. & di. l.* 2. An apud Romanos primis temporibus eadem utriuſque ſexuum promiſcuè lavandi conſuetudo fuerit, incertum: Certum eſt, *nec pubescentes cum filiis, nec ſoceros cum genero, lavare ſoluiſſe*, Cicero *Offic. l.* 1. *c.* 35. & *Viriliam balneum* C. Gracchus meminit, apud A. Gellium *l.* 10. *c.* 3. è quo colliges, ſi non eâdem lavatione, ſaltem eodem loco, pariete interjecto, antiquitus Romanos laviſſe. Poſterioribus verò ſeculis, promiſcuis balneis locum fuiſſe, docet & reprehendit Juvenalis *Sat.* 6. *v.* 417. Unde quoque Martial. *l.* 12. *Epigr.* 48. *v.* 1.

> *Omnia femineis quare dilecta catervis*
> *Balnea devitat Lattara?* ---- ----

Vide inſuper Clem. Alexandrinum; qui ſub Antonino & Severo floruit, *Pædagog. l.* 3. *c.* 5. & Cyprianum *de Hab. Virgin.* Quamvis enim Hadrianus Imperator apud *Dionem Caſſ.* ea ſuſtulit, ut & M. Aur. Antoninus, Heliogabalus tamen renovavit, iterum Alexandro Severo prohibente, apud Capitolin. & Lamprid. *loc. cit.* Ob quod item Cenſoria aliquando lex lata traditur, ne commune lavacrum mulieres adirent, ſub repudii & dotis amiſſionis pœna, quod poſteà *l.* 11. §. 2. *Cod. de repud. & in authent.* 22. *c.* 16. §. 1. *de Nupt.* pro ſancito fuit receptum. Quâ ratione fieri potuit, ut balneæ aliquæ muliebres in fœminarum duntaxat uſum fuerint extructæ, quales Agrippinæ Auguſtæ, Olympiadis in Suburra, & quas Ampelidem ac Priſcillam trans Tyberim habuiſſe refert Victor. Tempus lavandi, ut Seneca *Ep.* 86. narrat, fuit, quod *quotidie brachia & crura abluebant* Veteres: *toti nundinis ſolum lavabantur*. Poſt M. Pompejii verò ætatem ſingulis diebus totò corpore lavari incepêre: idque paulo antequam ſumerent cibos. Ut plurimùm autem majorum liberorum hominum prius exercebantur, dein *Balnea* ingrediebantur; nonnulli tamen ſine exercitationibus lavabantur. Etiam poſt pilæ luſum calidis balneis lavari conſueviſſe antiquos, adnotavit Galenus, *l. de parv. pil.* quod ſimiliter ante illum innuiſſe videtur Martial. *l.* 14. *Epigr.* 163. Maximè autem conſuetum tempus pomeridianum fuit, idque circa octavam diei horam, paulo ante cœnam, ut patet ex more Cæſaris, apud Cicer. *l.* 13. *Ep. ult.* Vide quoque Martial. *l.* 4. *Epigr.* 8. & alibi. Alii tamen maturiùs lavabant: Nempe horâ unâ antè lavabant, quàm cœnam auſpicarentur. Sic, qui nonâ convivium incipiebant, octavâ *Balneum* capeſſebant: qui verò ad ſextam cœnabant, ad quintam lavare moris habebant. Quam proin horam Balnei πρὸ ἐξ ἀπεστάσει σκιῶν, h. e. *umbra ſex pedum*, reſpondere facit Lucianus, ut videre eſt apud Salmaſ. *p.* 648. quot pedes Palladius horæ quintæ tribuit, menſibus Martio & Octobri, haud longè ab Æquinoctio &c. Vide ſuprà *Balnei Hora*. Ante Auroram verò poſt Solis occaſum Thermæ apertæ non fuerunt, uſque ad ætatem Alexandri Sev. qui earum luminibus oleum addidit, quò & in nocte paterent: quod etiam feciſſe Lyconem Philoſophum Juvenem Græcæ ſcribit Laërtius *in eo.* Plura vide apud Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnaſt. l.* 1. *c.* 10. ubi inter alia & hoc addit, Balneorum uſum, cum antea rarior eſſet, Aſclepiadem Medicum, Pompejo M. σύγχρονον, reddidiſſe frequentiorem apud Romanos, ut Appulejo *Floridor. l.* 4. & Plinio *l.* 26. *c.* 3. Vide quoque infrà, ubi de *Lavandi ritu*, *Thermis*, &c. Hinc *Balneatorium*, apud veter. Interpretem Juvenalis *ad illud Sat.* 2. *v.* 152.

> ---- ---- *Niſi qui nondum ære lavantur:*

Infantes, inquit, *qui pueri quadrantem balneatorium non dant*. *Gloſſis Balaneum* exponitur. Auctor *Vitæ S. Severi* Epiſcopi Neapolitani apud Ughellum: *Quidam die juxta morem bono quidem conſuetudinis balneo lavandus ingreſſus eſt. Poſt ablutam aquâ, cum recederet, cuſtos balnei nummum ab eo pro balneatico petiit, quod unuſquiſque balneatorum pro pretio dare conſueverat.* Merces eſt, quæ pro uſu balnei exſolvebatur. Vitruvius *l.* 8. *c.* 7. innuere videtur *Balneaticum* fuiſſe vectigal impoſitum, propter aquam, quæ ex aquæductibus & caſtellis publicis in balnea derivabatur: *Reditum Balneorum*, in *Bulla* Paſchalis Pontif. A. C. 1102. apud eundem Ughellum *Tom.* 1. *p.* 996. citatam Carolo du Freſne *Gloſſar.* &c.

BALNEUM, Ordo militaris in Anglia à Richardo II inſtitutus, quem illorum 4. eſſe voluit Henricus IV. novum ad 46. numerum extendit. Illorum inſigne tres coronæ aureæ, in campo cæruleo, cum lemmate, *Tres in uno*. Quo tres virtutes Theolog. indigitatæ. Solebant hi equites ſe lavare prius, antequam crearentur. *Favin. Franſford. Machaut Parif.* Phil. Jac. Spenerus *de Arte Heraldica Parte Gen.*

BALNEUM, genus potûs minimè delicati, apud Luithprandum in *Legat.* *Soli menſæ aſſident nuda, ſpongiarum ſibi apponentes, balneaque tunc vitrô permodicò non bibentes, ſed ſorbillantes.* Et paulo antè, *Parcus, cupidus, allio, cepa & porris veſcens, balnea bibens.* Et ſub finem, *Non proderat ſibi balneum, quod te aſſidua potas, in amore B. Johannis Præcurſoris.* Car. du Freſne *Gloſſar.* Monachorum ac Pœnitentium hanc potionem eſſe, legas apud Macrum in *Hierolexico.*

BALNEUM Helenæ, vide infrà *Cythera*.

BALOEUM, Urbs Macedoniæ. *Steph.*

BALOTH, civitas tribus Judæ. *Joſ. c.* 15. *v.* 24. Latinè *ſubjectio, ſive poſſeſſa, aut maſcuſtione.*

BALSA, Luſitaniæ urbs. *Ptol. Tavila H. Cognos.* Item nomen factus inter Cyrenaicæ regionis oppida, *Baſerâ Nigro*: *Albuferre Sanſon*, oppidul. Algarbiæ, more prope Silvim, 18. leuc. à Pace Julia, inter S. promontor. & Pharum, *Baudrand.*

BALSALISA, Civitas ſita in tribu Ephraim, in planitie, in finibus Dioſpoleos, 15. ab ea milliar. diſtans contra Septentrionem in regione Thamnitica. 2. *Reg. c.* 4. *v.* 42. Latinè *idolum tertium*, aut *idolum ducis vel principis, ſive poſſeſſor trium*, aut *poſſeſſor ducatus vel principatus*.

BALSAMO, vide *Claudius*.

de **BALSAMO** Petrus, vide *Petrus*.

BALSAMON Theodorus, primum Diaconus Sanctiſſ. Dei Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolit. Nomophylax & Chartophylax, præterea πρῶτος Βλαχερνῶν, *primus Blachernarum*: poſteà Theopoleos ſive Magnæ Antiochiæ, totiuſque Orientis Patriarcha, floruit in fine ſeculi XII & principio ſeculi XIII. Juſſu Imperatoris Emanuelis Comneni & Patriarchæ Conſtantinop. Michaëlis Anchiali, compoſuit *Expoſitionem ſacrorum & divinorum Canonum, Sanctorum & celebratiſſimorum Apoſtolorum & ſanctarum Oecumenicarum Synodorum ac etiam localium & particularium & reliquorum ſanctorum Patrum, præterea earum legum, quæ ſitæ ſunt in quatuordecim titulis poſitis in principio Canonum, ut ſciatur, quæ inuſitatæ ſint*, ut habet operis inſcriptio. Vide *Præfationem*, quam Commentariis ſuis ſeu *Scholiis*, ut ipſe vocat, præmiſit. Prodiit opus Græcè & Latinè Pariſiis A. C. 1620. ex interpretatione Gentiani Herveti Galli; in qua tamen editione illa eſt interpolata. Præterea edidit *Meditata de Patriarcharum privilegiis & Reſponſiones ad Marcum* Patriarch. Alexandrinum μελετήματα καὶ ἀποκρίσεις, ut ipſe vocat, quæ extant in *Tomo I.* Juris Græco-Rom. Leunclavii à Frehero editi *l.* 7. ob quæ, ut & ob Scholia, Romanis minus fuit *acceptus*. Hinc in eum toties debacchari videas Baronium, *Tom. XII. Annal. A. C.* 1191. §. 49. & 63. cauſatum; odiô illum Romanam Eccleſiam proſequi, eò quòd poſt captam Latinis Conſtantinopol. *acceperat* illa Patriarcham Latinum. In quo tamen ſibi ipſi contradicit § 62. ubi Meditata illa ſeu Reſponſa de priv. Patriarch. ſcripta eſſe refert biennio antequam Conſtantinop. caperetur. Vide eum d. anno §. 49. unde diſces, cauſas averſi à Latina Eccleſia animi ejus fuiſſe, *cœlibatum Eccleſiæ Occid. in Clericis, Jejunium Sabbathinum, Monarchiam Papæ*, alias quam ob cauſam *Schiſmaticus* appellatur paſſim, vide quoque Allatium *de Conſ. perpet. Eccl. Orient. & Occid. l.* 2. *c.* 13. §. 4. *p.* 703. Sed & eidem reſtituerunt Viri docti opuſculum, quod, ſub *Paratitlorum* nomine, Auctore prætermiſſo Latinè ediderat Leunclavius, de quo vide infrà, in voce *Paratitla*, & plura hanc in rem apud Fabrotum *princip. Notarum ad hanc Collectionem, in Biblioth. Juris Canon. Voel. p.* 1377. Juſtellum fil. *Præfat. ejuſdem Biblioth. ſub fin.* & Gerhard. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccleſ. num.* 339. & *ſeqq.* Oxonii nova Editio *Collectionis*, ex MSS. Biblioth. Baſilienſis inſigni acceſſione aucta, adornatur, Carolus Pano. *Relation Hiſtoriq.* 2. Vide etiam *Theodorus*.

BALSAMUM, ἰσάργυρον *Heſychio*, quòd argentô rependebatur.* Nempe Alexandri Magni temporibus balſamum duplô argentô penſabatur, teſte Plinio, *l.* 12. *c.* 25. *Alexandro magno res ibi agente, toto die æſtivo, unam concham impleri juſtum erat. omni verò fœcunditate è majore horto congios ſenos, minore ſingulos tum duplo rependebatur argento; ſicque non* ἰσάργυρον *τοῦ ἀργύρου, ſed planè* διπλάσιον *αὐτοῦ τὸ ἀργύριον erant*, libræque *Balſami* duas libræ argenti fuêre. Poſteà ut videtur, annonâ quovilior facta, nec duplo argenti penſari, ſed contra argentum vendi perdique cœpit. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aurelianum, c.* 45. Fuêre autem *Balſameta* in terra Sancta, prope *Engadi*, (*Joſepho Engaddi*) uti docet Joseph. *Jud. Antiqq. l.* 9. *c.* 1. καταστρατοπεδεύονται ἐν πόλει Ἐγγαδδί κειμένῃ πρὸς τῇ Ἀσφαλτίτιδι λίμνῃ, τριακοσίους ἀπεχούσῃ σταδίους τῶν Ἱεροσολύμων. γεννᾶται δὲ ἐν αὐτῇ φοῖνιξ ὁ κάλλιστος καὶ ὀποβάλσαμον. Oppignant Engadde arbem ſitam ad lacum *Aſphaltidem* 300. *ſtadiis diſtantem Hieroſolymis. Naſcitur autem ibi palma pulcherrima & opobalſamum.* Et quia in vinearum modum conſita erant, uti docet Trogus *l.* 36. *c.* 3. *Arbores opobalſami, in vinearum modum excoluntur*, Et Plin. *l.* 12. *c.* 25. Balſami *arbuſcula eſt viti ſimilior* --- *Malleolo ſeri dicitur, nuper vincta, ut vites Et implet colles vinearum modò, quæ ſine adminiculis ſeipſa ſuſtinent, Tondetur ſimiliter fruticans, & raſtris nitteſcit* &c. Hinc per vineas Engaddi, *Cantic. c.* 1. *v.* 14. *balſameta* illa ſignificari volunt plerique Interpretes. Hieronym. *in Loc. Vocatur uſque hodie vicus prægrandis Judæorum Engaddi, juxta Mare Mortuum, unde & opobalſamum venit, quas vineas Engaddi Salomon nuncupat.* Aponius in *Cantic. l.* 3. *Vineæ Engaddi non vinum, ſed balſama, gignunt.* Et in eund. *Libr.* Robertus Foliotus Epiſc. Londin. ante annos prope 500. *Engaddi*, inquit, *planities eſt juxta Jericho, in qua conſiſtunt arbores, in modum vineæ conſitæ, ex quibus, dum vulnerantur, fluunt balſamum.* Ut per *Vinitores*, de quibus 2. *Regum c.* 25. *v.* 12. Magiſtri intelligunt, *qui balſama legebant*. Quo de loco vide pluribus agentem Sam. Bochart. *Hieroz. Part.* 2. *l.* 3. *c.* 9. Locus proprius Phœnicon erat Hierichuntis, ubi duobus hortis, utroque Regio, *altero jugerum viginti* ---- *altero pauciorum*, ut habet *Plinius*, *Balſamum* naſcebatur. Theophraſtus verò decem ſolùm jugera majori tribuit, minorem verò longè minorem facit, ut qui ſingulos tantùm balſami congios omnibus annis redderet, cum major ille ſenos impleret. Quâ proportione, ſi major hortus decem jugerum fuit, minor non plus habuerit, quàm unius jugeri ſpatium & trientis. Sed hac de re plura dicemus infrà, in voce *Phœnicon*. Atque id ſpatii fuit, antequam in Romanorum poteſtatem Judæa veniret. At poſteà, *ita loca illa propagata ſunt, ut jam nobis latiſſimi colles ſudent balſama*, verba ſunt Solini *c.* 35. Ubi ineptè *lucos*, de fruticetis & arbuſtis dicit, cum *Balſami* arbor frutex ſit & viti ſimilis, cujus proceritas intra bina cubita ſubſiſtit. Sed & nimis Poëticum, quod *balſamo colles ſudare* ſcribit. Hoc tantùm ait *Plinius*, quem is exſcribit, poſtquam Judæa in Romanorum poteſtatem venit, numeroſiorem eam arborem factam eſſe, quàm anteà fuerat. Quamvis enim a Judæis ipſis cæſa palmeta balſametaque

taque tradunt Scriptores, ne hoſtibus uſui eſſent, impedire tamen non potuerunt, quò minùs & hoc terræ Sanctæ eimeliò illi potirentur. Unde Statius *l. 5. Sylv. 2. v. 138*

An Solymum cinerem, palmetaque capta ſubibo,
Non ſibi felices ſylvas ponentis ïdumes?

Et quidem toto univerſi *Balſami* reditus ad Fiſcum ſpectabat, qui arborem ſerendam, colendam, incidendam curabat & balſamum ex ea collectum vendebat: Ac puri quidem putique balſami ſextarius, vendente Fiſco, trecentis denariis venibat; Sed, qui à Fiſco emebant Mercatores, in tantum liquorem illum augebant, admixtis aliis ſuccis, ut mille denarios facerent ex ea menſura, pro qua 300. ſolidos dediſſent. Quorum fraus quô modò deprehendi conſueverit, docet Plinius, ubi variis ſpeciebus, quibus adulteratur balſamum, enumeratis, ſubdit: *Nequiſsimè autem gummi, quoniam inareſcit in manu inverſo & in aquis ſidit: quæ probatio ejus gemina eſt. Debet ſincerum & inareſcere, ſed hoc è gummi accedere additâ fragili cruſta evenit, & guſtu deprehenditur*, *l. 12. c. 25.* Sic Dioſcorides inter notas, quibus probare ſincerum balſamum, poſtulat, ut ſuccus ejus ſit λιθώδης, pro ſολιδώδης, i. e. *facile liqueſcat*, λεῖος, & εὔοσμος &c. Fruticem ipſum & culturæ modum ſic deſcribit Solin. *c. 35.* *In hac terra (Judæa) balſamum naſcitur, quæ ſylva intra terminos viginti jugerum uſque ad victoriam noſtram fuit*: *&c.* Et paulo pòſt, *Similes vitibus ſtipes habet, malleolis digeruntur, raſtris viteſcunt, aquâ gaudent; amant amputari, tenacibus foliis ſempiternò inumbrantur. Lignum caudicis attrectatum ferrò, ſine mora emoritur: eapropter aut vitrò aut cultellis oſſeis, ſed in ſolo cortice artifici plagâ vulneratur, ex qua eximiæ ſuavitatis gutta manat. Poſt lachrymam, ſecundum in pretio locum poma (ſemen tantum fert hæc arbor) obtinent, cortex tertium, ultimum honos ligno*: ad quem locum vide *Exercitationes Plinian.* Salmaſ. *p. 579. & ſeqq.* ubi inter alia addit, inciſionem ſub ortu Canis fieri, *& uno die hominem colligere, quantum iniet concha*, ex Theophraſto; tribuunt autem conchæ, qui de Menſuris ſcribunt, tria cochlearia, quorum 96 ſextarium implebant. Non plus ſcil. unus homo colligere poterat, cui circa ſingulos ramos hærendum, tenuis & exigua lenteque manans lachrymula excipienda, & abſtergenda & in vas condenda erat. Plures igitur homines adhibendi erant in eadem arbore, cùm ex ſingulis arboribus, quæ tenui guttâ balſamum plorabant, ſuô tempore, intra unius æſtatis ſpatium, ſexaginta tria pondo balſami, h. e. ſeptem congios, fuiſſe collecta, tradat *Plinius*; qui olim utriuſque horti, circa Alexandri M. ævum; proventus erat. Nempe ſub Romanis ſpatium Balſameti Hierichuntini ampliatum eſt & arbores propagatæ & plures factæ, nec propagatione tantum numeroſiores, ſed etiam culturâ & curâ proceriores ſingulæ factæ ſunt. Unde duplici modò uberiùs balſamum colligi cœptum, quàm anteà: quia & plures arbores erant, & *longiores venæ*, h. e. rami (nam vena balſami ferè per totum ramum erat extenſa) quæ prona ter æſtate percutiebantur & poſteà deputabantur &c. *Ibid.* Porrò: cum arbuſculæ hæ olim uni Judææ conceſſæ eſſent, Juſtin. *l. 36. c. 3.* Plin. Solin. *loc. cit.* unde ſtirps in Ægyptum tranſiit, illicque creſcit. Claudian. *Epithalamio Palladii, v. 123.*

Gemmato alii per totum Balſama tectum
Effudêre cadis, durô quæ ſaucius igne
Niliacus pingui deſudat vulnere cortex.

Et quidem vineas balſami, tempore Herodis Magni, à Cleopatra Ægypti Regina, conceſſu Antonii, tantam felicitatem Herodi invidentia, tranſlatas in Ægyptum, ibique inter Heliopolim & Babylonem hortum conſitum, in latitudine unum, in longitudine duos jactus arcus habentem, irrigari hodieque à fonte parvo, uberrimo tamen, refert ex vet. Scriptore Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ c. 52.* Apud quem hæc de ſe ita Saleguiacus, *Nos*, inquit, *cum ibi eſſemus, menſe Septembri, balſami lignum humile erat, palmi ſcilicet duorum in altitudine, folia habent parva, ut ruta; albitura tamen. Aſſeſſio balſami talis eſt: Decerpitur folium ex ſtipite, contra Solem, moxque gutta lucida & mirè fragrans ſequitur ex ruptura: & ſic balſamum pretioſiſsimus liquor vitreis vaſis colligitur, mundè ſervatus, niſi ad Ortum Solis fiat ruptura. Puteolus autem (in quo fama eſt ſæpe lotum à B. Virgine puerum Jeſum) parvulus eſt, non ſufficiens irrigationem horti totius: quare Saraceni alium foderunt juxta illum puteum, ex quo quatuor boves aquam protrahunt per rotam, ſperantes ex vicinitate fontis aquam fore ſalubrem, at longè aliter res evenit, donec miſſis canalibus aquam putei diverint in fontem, quô ſalvâ largiter & ſalubriter ex aquis mixtis rigatur hortus. Mirum dictu: veruntamen à Meridie Sabbathi, uſque ad auroram diei Lunæ boves nullô verbere impelli poſſunt, ut in protrahenda aqua laborent, quod eſt fidei noſtræ teſtimonium celebre.* Hactenus ille. Vide quoque infrà *Oculus Solis*: & plura apud Lipſium *ad Tacit. Hiſtor. l. 5. Not. 15.* Sed & apud Sabæos oriri balſamum, Strabo *l. 16.* & in Arabia, Pauſanias *in Bœoticis*, ſcribunt. Etiam in Ægypto provenisse veter. monumenta teſtantur, Vir. Cl. *ad Juſtinum d. l.* Uſus illius in ſacris paſſim occurrit. Apud Spartian. *in Hadriano, c. 19.* *in honorem Trajani balſama & crocum per gradus theatri ſuffluere juſſiſſe* legimus: ubi Caſaubon. aquam intelligit balſamô & crocô infectam; quæ tamen ſparſiones utplurimùm è croco tantùm fiebant, quam ob cauſam ſcribit Auctor *Gloſſar. Sparſio*, κρόκου ῥάνσις. Hadrianus etiam *balſama* addidit, quod ideò relatum in Acta, ac inde in Hiſtorias, ceu non priùs factum, aut raró, Caſaubonus *ad loc.* At Heliogabalus quoque in lucernis *balſamum* exhibuit, apud Lampridium *c. 24.* i. e. *oleum balſaminum*, rem rariſſimam jam tum & chariſſimam, idem &c. Vide quoque ubi de Antiocho IV. &c. Adde quæ infrà de *Opobalſamo* & *Xylobalſamo* dicemus: necnon de *Terebintho*, cujus fructum balſami fructui adeò ſimilem eſſe ſemenque ſemini, ut terebinthi ſemine *Balſami* ſemen adulteratum fuerit videbimus. Statius *Palæſtinos liquores* balſamum vocat *l. 5. Sylv. 1. v. 211.*

Ver Arabum Cilicumque fluit, floreſque Sabæi,
Indorumque arſura ſeges, præreptaque Templis
Thura, Palæſtini ſimul Hebræique liquores:

ad quem locum vide Caſp. Barthium *Animadverſion. tom. 3. p. 287.*

BAL-SASAR, Latinè *Servator Theſauri*, fil. Nabuchodonoſoris, Dan. *c. 5. v. 2. 22.* Secundum verò Joſephum fil. Evilmerodachi: *Nerigliſſar*, auctorum gentilium, *Nabonadei* Babyloniorum. Ultimus Chaldæorum Rex Babylone à Cyro occupatâ, inter epulas, occiſus, poſtquam manu è pariete prodeunte & ſcribente *Mane*, *Mane*, *Thekel*, *Phares*, territus eſſet, A. M. 3516. regni 23. Vide Dan. *c. 5.* Joſeph. *Jud. Antiqq. l. 10. c. 12.* & hîc infrà *Baltaſſar*.

BALSERA, & BASSORA, alias Teredon, Urbs Aſiæ, & emporium celebre Perſidis, in provinc. *Jerack*, propè ſinum Perſicum, 150. milliar. à Bagdeto in Auſtrum. Vide *Teredon*. Hinc ſinus Perſicus nauſtis dicitur *ſinus Balſeræ*. Vide P. de Valle *Itin. tom. 4.*

BALTASSAR, nomen Danielis, Dan. *c. 1. v. 7.* qui & *Belteshazzar*, Latinè *abſcondite theſaurizans*, ſive *in maledictore theſaurizans*, vel *occultè portans anguſtiam*. Suidas, Βαλτασὰρ ὅπερ ἑρμηνεύεται ὁ Δανιὴλ ... Item VIII. Babylonius Rex. Regnavit ann. 5. *Nic. Lloydius.* Joh. Marſhamo idem cum Evilmerodacho eſt, quod pluribus probat *Canone Chron. Sec.* XVIII. ubi de Nabuchodonoſoris II. ſeu Magni ſucceſſoribus. Vide *Evilmerodach*.

BALTEFREDUS, vide infrà *Belfridus*.

BALTHASAR, fil. Philippi IV. Hiſpan. Regis, ex Eliſabetha Franciæ, mortuus eſt ſedecennis. Item Landgravius Thuringiæ, fil. Friderici cognomine *Severi* ſeu *Gravis* vel *Mordaci*, Ducis Saxoniæ, pater fuit Friderici cognomine *Pacifici*, A. C. 1440. mortui, & emtione Gerſtungam, ut & capus feudum, *Kevernburg*, ab uxore Margareta Norimbergenſi Hilperhauſam, Heldburgum & *Euſfeld* acquiſivit. Item fil. Henrici Ducis Megapolitani, A. C. 1477 extincti, Epiſcopus Suerinenſis, poſteà infulâ depoſitâ maritus. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſt.*

BALTHASAR, Comes Naſſoviæ, lineæ Wisbadenſis & Idſteniæ, filius Philippi (qui primus Wisbadenſium Comitum Lutheri reformationem eſt amplexus) ex Hadriana, Johannis Baronis Bergæ ad Scaldim genitâ, Commendator primò fuit Ordinis Teutonici Gaſſenburgi: Adolfô dein fratre majore natu, ſine prole defunctô, avitum regimen adiit; Pater, ex Margareta (Reinhardi Comitis Iſenburgici filia) Johannis Ludovici, qui Patris in ditione ſucceſſor, deceſſit A. C. 1596. præmortuâ omni ſobole & hæreditate ad Ludovicum agnatum, Comitem Weilburgenſem & Saræpontanum, delatâ Cyr. Lentulus *Geneal. Principum ac Comitum Naſſoviæ MS.*

BALTHASARUS Caſtilionæus, Poëta celebris.

BATHASARUS Gerardus, Burgenſ. ab Hiſpanis conductus, Delphis Hollandiæ, Gulielmum Principem Auraicenſem ſclopetô tribus glandibus explosô occidit. Ad ſupplicium ductus, dixiſſe legitur: *a Jeſuitis ſe Martyrum ſede illectum, decreviſſe interdere Principem, licet 50000. hominum ſtipatus fuiſſet.* A. C. 1584. Thuan. *l. 79.* Reidanus *Annal. l. 4.*

BALTHASARUS Pacimontanus, Anabaptiſta, Tiguri convictus, palinodiam cecinit. Mox in priſtina deliria relapſus, tranſiit in Moraviam, ubi captus & Viennam deductus, ultricibus flammis exuſtus eſt. A. C. 1525. *Pratcolus*, *Spond.*

BALTHASARUS Paëz Trinitarius, plurium commentariorum auctor.

BALTHASSAR, Rex Babylonii, ſub quo hæc civitas à Perſis capta fuit. Tot ac tantis deliciis affluebat, ut inter impudicas mulieres & obſcœnos, tanquam in cœno porcus volutaretur. Vide *Bal-Saſar*.

BALTHEUS, cingulum militare eſt, cui inſertus gladius geſtatur, ſine quo nemo militaribus ordinibus cenſebatur dignus. Sidonius Apollinaris *carm. 2.*

—— —— Bullis hoſtilibus aſper
Subligat a læva fulgentem Baltheum *enſem.*

Rectè *bullis*, nam ex auro appoſitæ illæ, quare à Treb. Pollione in *Gallienis c. 2.* dicuntur *Balthei* aurati & conſtellati. Virgil. *Æn. l. 12. v. 942.*

—— —— Humero cùm apparuit alto
Baltheus, *& notis fulſerunt cingula bullis.*

Talibus autem milites ac Duces uſi, vilioribus bullis ornatos enſium Gladiatores geſtârunt. Pſeudo-Cornut. *ad v. 44. Sat. 4. A. Perſii.* *de Gladiatoribus*, inquit; *tractum, quia accepta vulnera mutatò teguntur baltheô.* Porrò aurô gemmiſque, quò ſpecioſior eſſet apparatus, addebantur: Unde Corippo.

—— —— Pretioſaque cingula gemmis. &c.

Certè *Balthea* Militum, apud Romanos, argentea paſſim occurrunt. Plin. *l. 33. c. 12.* *Et quid hæc attinet colligere, cum capuli militum, etiam ebore faſtiditô, cælentur argentô, vaginæ catellis, balthei laminis crepent?* &c. Idque gregariorum: Unde non mirum, ſi Ducibus & Tribunis *Balthei* eſſent aurati ſtellatique, i. e. gemmati. Aurô enim vel aureis clavis configebantur, & gemmis ſtellabantur. Virg. *l. 9. Æn. v. 359.*

—— —— Et aurea bullis
Cingula.

i. e. clavis aureis, ut interpretatur *Servius*. Meminit horum Trebellius Pollio *loco cit.* *Nam quum cingula ſua plerique militarium, qui in convivium venerant, ponerent horâ convivii, Saloninus puer ſive Gallienus, his auratos conſtellatoſque baltheos rapuiſſe perhibetur: & quum eſſet difficile in Aulâ Palatina requirere, quod periiſſet ·· poſteà ſequuti ad convivium cincti accubuerunt —— atque hinc tractum morem, ut deinceps cum Imperatore cincti diſcumberent.* Ubi tamen Salmaſ. pro *conſtellatos* mavult legere *puſtulatos*, h. e. *puſtulis* vel bullis argenteis diſtinctos. *Puſtula* namque de argento optimo dicebatur: unde & *puſtulatum argentum.* Martial. *l. 8. Epigr. 51. v. 6.*

Et

Et niveum candens puſtula vincat ebur.

Puſtulatos igitur *baltheos* hîc interpretatur, puſtulis aut bullis ornatos, i. e. opimò argentò variegatos ac ornatos. Vel legi poſſe, *coſtulatos* ait, i. e. regulis quibuſdam & virgis argenteis, in modum coſtarum poſitis & ordinatis diſtinctos. Et ſic coſtulæ argenteæ dicerentur in baltheorum ornatura, ut laminas & bacillos eiſdem ornandis & gladiorum vaginis, apud Plinium, memorari vidimus. Vide Salmaſ. *Notis ad Æl. Spartian. in Hadriano Cæſ.* & *Trebellium Pollionem l. cit.* Sed & Venatoribus quoque in uſo fuiſſe, docet Levius Andronicus, apud Terentianum Maurum *l. de Metris* &c. Fuit autem *Baltheus* uſque adeò militi neceſſarius, ut Imperatores inaugurandi eò cingerentur, ac per eum ipſam ſignificarent militiam: ut geſtatus militem ſignaret, depoſitus exauctoratum ſeu ignominioſâ miſſione excedere caſtris juſſum eſſetque hæc militaris cinguli ademtio, graviſſima ſimul ac ignominioſiſſima nota. Vide Freculphum *Tom. 2. Chron. l. 3. c. 15.* Herodian. *l. 2.* & *7.* Hinc paſſim apud populos cingulum ſeu Baltheus pro militia, vide Treb. Pollionem *in Galieno*. & *accinctus* pro milite, *diſcinctus*, pro inhabili ad militiam, apud Auctores. Ovid. *Amor. l. 1. eleg. 9. v. 41.*

Ipſe ego ſegnis eram, diſcinctaque in otia natus.

Ad formam militaris diſciplinæ & civici Magiſtratus ſolebant cingi. Lucanus *Pharſal. l. 7. v. 430.*

Sarmaticumque premet ſuccinctus Conſul aratrum, &c.

Stringebatur autem *Baltheus* fibulâ communiter, ut infrà dicemus. Plura apud Thom. Dempſter. *in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l. 9. paralipom. in c. ult.* Aliter paulò ſumitur vox *Balthei*, apud Quintilian. *l. 11. c. 3.* ubi de Toga loquens ſic ait, *Sinus decentiſſimus, ſi aliquanto ſupra imam togam fuerit, nunquam certè ſit inferior. Ille qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum obliquè ducitur, velut Baltheus, nec ſtranguletur, nec fluat.* In quibus verbis, *Baltheus* Gronovio eſt collectio rugarum circa pectus, ſub dextro brachio incipiens, in medio latioribus & extantioribus rugis, ut ſpeciem tabularum ſibi invicem ſuperſtructarum, ſimul umbonis referrent, in latum infra deſinens in ſinum, in longum porrecta uſque ſub ſiniſtrum brachium, ibique velut nodò contracta, ſic tamen ut nullum poſt tergum emineat. Ab illa autem umbilici ſpecie & tubere, quod in medio apparebat, & totus baltheus dicebatur *Umbo*, quod probat ex collatis verbis Fabii & Curii, *Epiſt. ad Joan. Rhodium.* Unde *Umbo candidus*, pro Toga pura, apud Perſium, *Sat. 5. v. 33.* Octavius verò Ferrarius ipſum hîc ſinum *Balthei* nomine intelligit: Nam quemadmodum baltheus militaris cingebat pectus, ſic ſinus ille brachio ſubjectus ad inſtar cinguli hominem circumdabat, non quidem rectè, ut baltheus, ſed obliquò ductu, quia ad ſiniſtram altior, demiſſior in dextro erat. Imò Quintilianus, inquit, duplicem ſinum ſuperiorem videtur ſtatuere: alterum, qui cadebat in pectus, pars ſcil. togæ, quæ ſubjecta humero dextro è *Baltheo* evolvebatur & reflectebatur, ac deſcendebat ad inferiora: alterum, *Baltheum* ipſum, rugas ſcil. conſtrictas ac coactas, quæ de ſub ſiniſtro brachio ad ſiniſtrum humerum recurrebant; non tamen, ut duplex ſinus fuerit, ſed duas habuerit partes. Ita ergo, *Baltheum* Quintilianus, concedit umbonem dici poſſe, ſi per umbonem intelligatur ſinus rugis ac plicis fortuitis protuberans; non verò, ſi nodus ille & artifex contabulatio, quam in toga nunquam fuiſſe contendit, *de Re Veſtiar. l. 1. c. 19.*

BALTHEUS, quoque in Eccleſia Romana Zona dicitur, quâ Epiſcoporum, Sacerdotum & Miniſtrorum etiam inferioris gradus Eccleſiaſtici, veſtes conſtringuntur. *Annales* Anianenſes, *Unam vero partem ſibi reſervavit, quam dedit Benedicto Abbati S. Anianenſis Archiſterii, videlicet Crucem dominicam cum gemmis, bratheas aureas contextas cum gemmis,* baltheos *aureos ſimiliter gemmatos, calices aureos* &c. Vide quoque Honorium Auguſtodun. *l. 1. c. 226.* & *Librum Sacram.* apud Menardum *p. 260.* Ejus verò, quò Roman. Pontifex conſecrandus præcingitur, meminit Joh. Diaconus in *Vita* S. Gregorii M. *l. 4. c. 80. Porro in exiliitate* balthei, *qui unius pollicis menſuram nunquam excedit, ſpeciem propoſiti regularis olim à S. Benedicto ſtatuti —— nem ſervâſſe, luce clarius manifeſtat.* Et Anonymus in *Vita* Paſchalis II. Pontific. Roman. *Deinde in Patriarchale aſcendentes Palatium, ad duas curules devenit.* *Hic* baltheo *ſuccingitur cum ſeptem exinde pendentibus clavibus, ex quo ſciat ſeptem ſigillis (*Apocalypſ. *c. 5. 6.) ſeptiformem Spiritus S. gratiam cunctarum Eccleſiarum, quibus ſimul, Deo auctore, præeſt, regimine in claudendo aperiendoque, tantà ratione providere debere, quanto ſolertiam ad, quod intenditur, operatur.* Vide quoque Johannem Sariſber. *Ep. 42.* Alius ab hoc aſt *Baltheus mundialis ſeu ſecularis*, cujus mentio apud Ivonem Carnot. in *Chron.* apud Lambecium *Comment. de Biblioth. Cæſ. l. 2. c. 8.* in *Ludovico Pio*: *Ipſius denique tempore cœperunt deponi ab Epiſcopis & Clericis* balthei *gemmeis culturis honorati & cingula aurò compta & exquiſiti & alia ſecularia pariter ornamenta* &c. Vide ſuprà. Hinc *Baltheum auferre*, pro degradare, apud Aimoinum *Hiſtor. Francor. l. 3. c. 93.* Vide infrà, ubi de *Degradatione*, & plura hanc in rem, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Occaſio verò *Balthei* hujus ex Vet. Teſt. in quo אבנט ſeu *Baltheus*, erat inter octo indumenta ſive Veſtes Pontificis, quæ *Aureæ* dicebantur; non quòd totæ ex auro conſtarent vel omnes aurò illuſæ ac interſtinctæ forent, ſed quòd quibuſdam ex iis aurum variè intextum, reliquæ autem ceteris ejus veſtibus ornatiores & ſplendidiores erant. Omnes enim ex lino erant puriſſimo & pretioſiſſimo, vide de iis Exod. *c. 28.* Et quidem quatuor harum, inter quas & *Baltheus*, Pontifici cum reliquis Sacerdotibus communes erant, reliquæ Pontifici propriæ, ut infrà videbimus. In quo ſacro ornatu miniſtrabat Pontifex quotidie in Sanctuario, juxtaque eum Sacerdotes ſuò ordine. Sine his veſtibus enim operari ſacris non licebat: *Baltheusque* imprimis, ut qui reliquas veſtes contineret, ſaces habebatur; quem prorſus, ſolâ miniſterii horâ, adhibendum fuiſſe, cùm reliquus habitus totò Miniſterii die retineri poſſet, ajunt Magiſtri, ut videre eſt, apud Joh. Seldenum *de Synedriis veter. Ebræor. l. 3. c. 11.* Sed & præter veſtes aureas, inque iis *Baltheum*, habebat quoque Pontifex quatuor *Veſtes albas*, prioribus quatuor cognomines ex lino contextas, quibus is ſolus utebatur, ſemel in anno, cùm piaculare ſacrum adminiſtraturus interius adytum intraret: quò peractò eas deponebat, ſequenti annò novas rurſus accepturus. Inter quas iterum *Baltheus* ſeu *Cingulum* erat, ut videre eſt Levit. *c. 16. v. 4. 12.* Ad quod reſpexit Eſaj. *c. 11. v. 5.* ubi de DOMINO noſtro, cujus illuſtris typus erat Pontifex, *Erit enim juſtitia*, inquit, *cingulum lumborum ipſius, & fides ipſa cingulum fenum ejus.* Vide A. Rivetum *Exercitat. in Exodum cap. cit.* & Franc. Burmannum *ibid.*

BALTHEUS, vide infrà *Zodiacus*.

BALTIA, inſula in mari Germanico.

BALTICUM Mare, *Morimaruſa Philemoni*, & *Amalchium* Hecatæo apud Plinium *l. 4. c. 13.* dicitur. *Mercatori* eſt *ſinus maris Germanici*, quem hodiè Germani *Ooſt Zee* dicunt, Rutheni *Wareczkowe Morie* vocant. *Suevicum mare & Pigrum* Tacito *c. 45.* dicitur, ab effectu, ut creditur, quòd non, ut cætera maria moveatur. *Codanus ſinus* Melæ eſt, *l. 3. c. 3.* Ab Inſul. Codanonia. *Mare Venedicum Sigiſmundo Herberſteino.* Accolæ Germani illud *Belt* indigitant. Hoc quanquam in ejus aditu multæ ſint Inſulæ, tamen ex omni parte impervium eſt, niſi in Sundico freto. Mare autem illud terras ſubiens, iterum in duos ſinus dividitur, Bodnicum & Finnicum. *Baudrand.*

BALTRA, ſinus oblongus Hiberniæ Inſul. in Momonia provinc. & Deſmoniæ Comitatu. Ab aliis *Bautrebay*. Portus habet aliquos.

BALVE Joh. Cardinalis, molitoris Virodunenſis fil. Ludovici XI. Eleemoſynarius, Epiſcopus Andegavenſis factus eſt, accuſatò priùs Johanne de Beauveau Euergetâ ſuò, tandem ope Regis, purpuram adeptus. Tam proclivi ad militiam animò, ut ipſemet militibus contra Ligam *Boni publici* conductis, ſtipendia ſolveret. Unde jocus Comitis Dammartini ad Regem rogantis, ut committeret ſibi Eccleſiam regendam, ſiquidem Cardinalis militaris munere fungeretur. Poſt quæ perfidiæ ſuſpectus, 11. annos in carcere detentus eſt, Papâ nequicquam reclamante; donec tandem Pontificii legati operâ dimiſſus eſt. Romam cùm veniſſet, multum gratiæ nactus eſt, à Sixto IV. mox Legatus à latere in Galliam remiſſus. Inde reverſus, Epiſcopus Albanus, poſt Prænestinus, dein Protector Ordinis Melitenſis, tandem Legatus Anconæ evaſit, ubi mortuus eſt. A. C. 1491. *Phil. Comnæus*, *Continuator Monſtrelet. Rob. Gaguinus*, *P. Æmylius*, Mezeray *in Lud.* XI. & *Carolo* VIII. Aubertus, *in Hiſtor. Cardin.* Spondan. A. C. 1465. n. 4. 1480. n. 4. & 1485. n. 3.

BALVENTIUS, prænomine *Titus*, primipili centurio in exercitu Cæſaris, vir fortis & magnæ auctoritatis in Gallia ab Ambiorige cæſus. Cæſ. *l. 5. Com. c. 35.* codex Fulvii Urſini habet *T. Bentius*.

BALUS vel BALANEUS VIII. Babylon. Rex, regnavit Ann. 30.

BALYA, Inſula Indiæ Orientalis, ad ortum juxta magnæ Javæ inſulam ſita eſt: à qua dirimitur tantùm fretò Balambuanó: Ejus Borealis angulus ſub gradu nono cum dimidio poli Antarctici porrigitur, ambitum ferè milliar. 12. Germanicorum ſortita eſt. Ad oram aquilonarem valde montoſa, populis tamen abundantiſſima. Regionis hujus homines nigri ſunt, criſpis capillis ſpectandi. Regem habent acrem & imperioſum: cæteroquin Ethnici: quodvis primum manè obvium, eò die adorant. Veſtitum Javanis & finitimis aliis conſimilem gerunt. Uxores plures ducunt, ex quibus liberos adeò frequentes ſuſcipiunt, ut licèt indies & hominum magnus numerus venum eat, nihilominus inſulam ultra 600000. alere confirment. Opificium eorum principale eſt agricultio, & textoria; cùm goſſypii inſula feraciſſima ſit. Equos, ſed puſillos, Gallicanis ſimiles habent, qui cataphractum ſeſſorem vix ferant: Opulentiores & primarii ſellis, ſclavorum humeris impoſitis, geſtantur, aut curribus Bubalorum opera vehuntur. Oryzâ oppidò abundant; cùm, interdictò Regis, ejus nihil efferri queat. Omnis quoque generis eadem volucres promit. Fructus eorum primarius eſt Cocos, qui incolis pro cibo optatiſſimus venit, ex quo & oleum valde ſalubre exprimunt. Negotiationes maritimas nullas agunt, niſi fortè per parvas *Paraos*, quibus ad littus ſaltem Javanum ſuos ad divendendos pannos xilinos ablegant. Eadem inſula ſatis commoda illis navibus eſt, quæ ad Moluccanas inſulas, Bandam, Ambon, Maccarlo, Timor & Solor hac tranſeunt. Apud eos & hodie pernicioſus ille mos viget, ut cum defunctis viris multæ ſimul conjuges comburantur eòdem rogô, cui oleum ſuffundunt & ſantalum injiciunt. Si quæ mulier eò rogô cremari renuit, parum proba habetur. Cæteras ad pyram promptas & faciles honeſtiſſimas & viri amantiſſimas pronunciant, dignaſque quæ illi in futura quoque vita cohabitent. Ritus iſte primitus à Rege quodam ideò inſtitutus eſt, ut mulierum proterviæ hoc modo obviam iretur: ſolebant enim mulieres viri præſentis ſaturæ & alios ardentes, innumeris dolis aut variè commixtis venenis eum à medio frequenter tollere. Quò flagitiò cùm Rex ſibi viros quam plurimos perimi ire videret, hôc ritu inſtitutò, malitiam muliebrem nonnihil infrenari poſſe arbitratus eſt. *Nat. Mitel.*

BALYRAS, Peloponneſi fluv. Cœl. Rhodig. *l. 18. c. 7.*

BAMAAL, h. e. *in circumciſione*, aut *in miſtione*, fil. Joſaphat. 1. Paral. *c. 7. v. 34.*

BAMBA, vel WAMBA, ab aratro ad ſceptrum vocatus, & ſtimuli germinantis miraculò confirmatus, evaſit Rex Gothorum XXXI. in Hiſpan. invitus throno impoſitus eſt, poſt Recceſuinthum. Auditò Hildericum Comitem Nemauſenſem quædam in Aquitania turbâſſe

baſſe, miſit contra illum exercitum, ſub Paulo, prædeceſſoris ſui agnato. Qui pace cum Comite factâ, Narbonæ ſe Regem fecit, Provinciamque totam diripuit. Quam perfidiam ultus eſt Bamba, & redux claſſem 160. navium, quâ Arabes ex Africa in Hiſpaniam appulſi mare infeſtabant, oppreſſit. Interea Erugius, gener Receſſvinti, venenum Regi propinat, cujus vi in Monaſterio quodam obiit, A. C. 680. regni 8. ſed 1. Canon Concilii Toletani 8. an. 681. coacti, ad Erugium eligendum, notat Bambam ei throno ceſſiſſe. Roderic. *Hiſt. Hiſp. l.* 2. *c.* 1. *& ſeqq.* Mariana *l.* 6.

BAMBA, Provinc. regni Congiani, in Africa, cum oppid. cognomine inter Loandam & Zaire fluv. diffuſſima, & totius regni propugnaculum contra quoſcunque hoſtes. Habitatores omnium ejus regni bellicoſiſſimi ſunt, ſemper armati incedunt longis gladiis, qui è Luſitania adferuntur. Tantis ſunt viribus præditi, ut ſervum, quos pecudum ferè locô habent, medium dividant, imò tanto mediocri, unô ictu cervicem amputent. *Natal. Alegd.*

BAMBA, provinc. Americæ meridionalis in regno Popajani, & verſus urbem cognominem,

BAMBACORAX, Alexius olim Comnenus Imperator Conſtantinop. dictus eſt, uti legimus in *Epiſt.* Honorii III. 185. *l.* 9. quod *balbutiret* & inſtar *corvi* crocitando verba effunderet, quod τοῖς βαμβαλίζουσι ſolemne. Et quidem balbutiem hanc ejus obſervant etiam Anna filia *l.* 1. & Bryennius genet *l.* 4. *num.* 22. Origo vocis à vocabulo *Bambalio*, Græcè ψελλιστής: Sic enim M. Fundum, Antonii III. Viri ſocerum propter hæſitantiam linguæ ſtuporemque cordis, appellatum, ſcribit Cicero *Philipp.* 5. & Græco κόραξ, i. e. *corvus.* Vide præfatum *Gloſſarii* Auctorem.

BAMBALIO, In hujus nominis origine debetur laus Adriano Turnebo, qui *Adverſ. l.* 17. *c.* 19. ſcribit hôc modô: *Pater uxoris Antonii propter hæſitantiam linguæ, ſtuporemque cordis, ut à M. Tullio, Philip.* 3. *c.* 6. *ei objicitur, Bambalio vocatus fuiſſe dicitur.* Proinde quæratur, quis ſit *Bambalio* à Ciceris. *Fungerus* nomen per diminutionem ad illum factum arbitratur, ut quemadmodum dicitur à *ſceparnum Scepernio*, ſic à *βομβάλον, βαμβαλιον*. Eſt autem *βαμβαίνειν, tremere ac dentibus crepitare*, & *labiis balbutire*, quod & algentibus uſu venit, & ſtupentibus quoque, & balbutientibus, & ore tumultuantibus, & in loquendo collectantibus & hæſitantibus, maximè tamen commiſſione laborum balbum ſonum edentibus, quod & *βαμβαλίζειν*, & *παμφαλίζειν* dicitur. Quæ omnia per Onomatopœiam ſunt effecta, ut *βομβαλοβομβὰξ* apud Ariſtophanem, & *βόμβ@* & inde factum nomen bombardæ. Fit & apud Dionem, cùm in Oratione Ciceronis, tum in Oratione Caleni, mentio *Bambalionis. Nic. Lloydius.*

BAMBERGA, urbs Franconiæ Epiſcopalis ſub Epiſcopo proprio quæ & *Babenberga*, à *Baba* Othonis Imperatoris filia nominata, colli impoſita, à D. Henrico II. Imperatore qui magnificum hic templum, eluendis peccatis, condidit, A. C. 1007. ad hanc dignitatem evecta. Hic illam cum omnibus ſuis juribus Romanæ Sedi ſubjecit, à quo jugo per Henricum V. Beneventô ceſſô, liberata eſt. longitud. 32. 49. latitud. 49. 52. Prope confluentes Mœni & Regnitii fluv. 9. leuc. ab Herbipoli. Quibuſdam creditur *Bergium* antiquorum. Ditmar. *Chron l.* 6. Leo Hoſtienſis, *l.* 2. *c.* 47. Marianus, Abbas Urſperg. Autor Vitæ Henr. I *tomo* 6. *antiq. Lect. Caniſii.* Concilium ibi A. C. 1011. in quo Theodoricus Lucemburgicus, Cunegondis Imperatricis frater, accuſatus eſt, illegitimis mediis in ſedem Epiſcopalem Mediomatricum irrepſiſſe. Ditmar. *l.* 6.

BAMBERGA, oppidul. Bohemiæ, verſùs Montes, in confinio Moraviæ provinc. juxta amnem *Orlitz*, in colle, 1. leuc. ab Auſtria in ortum 6. à Glacio in Auſtrum.

BAMBOTUM, Mauritaniæ fluv. crocodilis refertum. Plin. *l.* 5. *c.* 1.

BAMBYCA, vel BAMBYCE, Meſopotamiæ urbs, quæ & *Edeſſa*, in qua Atergatim Deam colunt. Strabo, *l.* 16.

BAMBYCATII, populi juxta Tigrim, qui omnem auri & argenti materiam ita exectantur, ut omnia metalli genera coëmentes, illa in profundas terrarum, & abditas ſolitudines ſuffodiant, ne pecuniæ commerciô animi indoles enervetur. Alex. ab Alexandro *l.* 4. *c.* 15.

BAMMULUM, diminutiv. ex *bammum*, quod Latini ſuum fecêre ex Græco *βάμμα*, quod inter alia ὀξύβαφον, h. e. *acetabulum* notat; ſic vas oxygari *bammum*, apud *Caſſiodorum*, *Adamantius* vocat *Martyrius*. Unde *Bammulum*, parvum ὀξυβάφιον, quod recentioribus Græcis eſt *βαμμύλιον* & *βαμβύλιον*. Qui proin, quoniam candelabra olim fiebant, in modum lancis, uncinum in medio habentia, cui infigeretur candela, *μονοβαμβύλιον* dixêre candelabrum unicô tantùm acetabulô conſtans, *διβαμβύλιον*, quod duo haberet &c. ut videre eſt apud Malaxum in *Hiſtor. Patriarch.* Exodi *c.* 25. *v.* 31. *ſcyphi* iſtiuſmodi acetabula dicuntur, in candelabro Templi. Sed & in Veter. lucernis ἐμβάφια dicebantur, quæ oleum continebant, Herodot. *l.* 2. Τὰ δὲ λύχνα ἐστὶ ἐμβάφια ἔμπλεα ἁλὸς καὶ ἐλαίου, ἐπιπολῆς δὲ ἔπεστι αὐτὸ τὸ ἐλλύχνιον, καὶ τοῦτο καίεται πανύχιον. Item, quibus excipiebantur candelæ emunctiones & decidentes ſordes, quæ *βαμμύλια* quoque citerioribus Græcis dicta. Idem igitur *ἐμβάφιον* & *τρύβλιον* & *Bammum* ſive *bammulum*, pro quo *angulum* dixit Solinus *c.* 27. ad quem vide Salmaſ. *in Exercitationibus Plin. p.* 375.

BAMOTH, i. e. *altaria*, vel *excelſa*, aut *in monte*, nomen vallis. Quam Iſraëlitæ tranſiêrunt, in tribu Ruben. Numer. *c.* 21. *v.* 19.

BAMOTH-BAAL, civitas in tribu Ruben, & mons, in quo colebatur Baal. *Joſ. c.* 13. *v.* 17.

BAMURÆ, populi Libyæ. Silius Ital. *l* 3. *v.* 303.

Tum Chalybes pauper Bamura cruda juventus.

Ubi Dauſquerius ait, in excerptis MS. codicis eſſe *Banjura*. Sanè Banurri Ptolemæo populi ſunt in Mauritania Cæſarienſi, & *Bajuræ* Ammiano *l.* 29. *c.* 5. *Banurri* Plinio *l.* 5. *c.* 2. *Nic. Lloydius.*

BANAJA, i. e. *filius intelligentiæ*, aut *ædificatio Domini*, nomen viri. 2. Sam. *c.* 23. *v.* 20. Item *princeps*. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 36. Pater Phelchiæ, Ezech. *c.* 11. *v.* 1. Filius Jehojadæ. Unus ex fortibus Davidis, cui Salomonem inaugurandi & Joabum occidendi cura commiſſa; hôc ſublatô Dux exercitus factus. 2. Sam. *c.* 8. *v.* 22. 23. & 1 Reg. *c.* 2. *v.* 8. 10. 1. Paralip. *c.* 4. *v.* 36. &c. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 7. *c.* 10. *&* 11. *l.* 8. *c.* 1.

BANARA, urbs Aſiæ, in India, in regno Bengalæ, juxta Gangem fluv. ſub ditione M. Mogolis, 40. mill. paſſ. à *Gauro*, urbe, in Septentrionem, & 100. ferè ab Halobaſſa in meridiem.

BANASA, quæ BANASSA *Antonino*, & *Ptolemæo*, Plinio *Valentia*, *l.* 5. *c.* 1. urbs Mauritaniæ Tingitanæ à Lixo 40. mill. paſſ. *Fanfara Moleno.*

BANATIA, *Banſey*, teſte *Camdeno*, oppid. Britanniæ in Angliæ Scotiæque confinio, Tueſi finitimum, in Boream recedens. *Imperatum.* Atqui Camdenus ponit eam, ubi jam *Bran* Caſtrum, in Moravia regione Scotiæ longiſſimè à Tueſi fluv. diſtans.

BANATTIA, urbs erat Vacomagum, nunc caſtrum *Ban*, in Scotia Septentrionali ad amnem *Findorn*, in Moraviæ Comitatu verſus Badenacham. Vix 10. milliar. à Toeſi ſeu Spea fluv *Sanſon.*

BANAURIDES, inſulæ Thuſcæ, à Banauro Ajacis filio. *Stephanus.*

BANAUSI, ſervorum genus, manuum operâ utentium. Cœl. Rhodigin. *l.* 25. *c.* 18. Eſt autem *Βάναυσος* propriè *fornacarius*, h. e. *qui circa fornaces, & caminos exercetur.* *Heſychius.* *Βαναυσία*, πᾶσα τέχνη διὰ πυρός, κυρίως δὲ ἡ περὶ τὰς καμίνους. Καὶ πᾶς τεχνίτης χαλκεύς, ἢ χειρωνάξ, βάναυσος. Porrò *βαῦνος* Peloponneſii ignis locum vocant *caminum*, & *αὔειν* eſt *incendere*. Unde propriè dicitur de artificibus, qui igne opera ſua conficiunt. Sed tranſlata vox eſt poſteà ad omnes artes: quæ manuum officiô peraguntur, id quod & D. Hieronym. annotat, *l.* 1. *adverſùs Pelagium*, *Ut taceam*, inquit, *de iis, quos Græci Βαναύσους vocant, nos ad opera manuum pertinentes dicere poſſumus.* Inde *Βάναυσος τέχνη*, apud *Ariſtot. ars ſordida & illiberalis*, & *βάναυσος φιλότης*, apud *Platonem, amicitia trivialis. Nic. Lloydius.*

BANBURIA, oppid. Angliæ, in Comitatu Oxonienſi, ad Chervelum amnem, 15. milliar. ab Oxonio in Septentrionem, 12. à Varvico in Auſtrum.

BANCA, Inſul. Aſiæ in longum porrecta, in mari Indico prope Sumatram Inſul. in ora Orientali cum oppid. & ex adverſo Palimbani oppidul. Hinc fretum inter eam & Sumatram *Fretum Banca.*

BANCONA, Germaniæ ſuperioris oppid. vulgò *Oppenheim*, Georg. Fabricius. longitud. 27. 20. latitud. 49. 50. Vide *Oppenheimum.*

BANCUS, vox medii ævi, pro Tribunali: quô nomine duo apud Anglos notiſſima, teſte *Spelmanno*: *Bancus Regius*, qui poſt Parlamentum, ſupremum eſt totius Regni tribunal, utpote quod de cauſis cognoſcit capitalibus, criminalibus, aliiſque ad coronam & Regni Hoſpitium pertinentibus. In eo præſidebat olim Capitalis Angliæ Juſticiarius, & interdum ipſe Rex: hodie verò Capitalis Juſtitiarius *Banci Regii*, cum tribus vel quatuor aſſeſſoribus. Et *Bancus Communis*, ubi placita communia, i. e. lites civiles ex jure inter ſubditos emendæ tractantur: cui præeſt ſimiliter cum 3. vel 4. aſſeſſoribus, ſuus itemque Capitalis Juſticiarius. Pertinet autem jus *Banci*, propriè ad Regios Judices, & qui ſummam adminiſtrant juſtitiam. Infimarum etiam Curiarum, puta Baronum & Hundredorum *plano*, ut ajunt, *pede* cenſentur judicare, in Jure Civ. *pedanei Judices*; Græcis χαμαιδικασταί; Gallis *Juges deſſous l'orme*, quod prope ædes dominicas, ſub ulmo, vel alia arbore, ſolerent conſidere, dicti. Huc facit illud ex Querolo, antiqua comœdia, *De robore ſententias dicunt.* Majorum autem Judicum ſedes, Græcis *Βῆματα*, Romanis *ſellæ* vel *tribunalia*: Minorum, illis *Βάθρα*, his *ſubſellia* vocantur. Sed & antiquiſſimi moris fuit, è tribunalibus aggeſtô ceſpite conſtructis, jus dicere. *Gloſſar. Archæol.* Sed & in Italia, pro Foro aut Tribunali Judicum, vox obtinuit, Ital. *Banco*, *Seggia del Giudice*. Hinc plures extant ſententiæ, ſeu Judicata aliquot Judicum Cumarum & aliarum urbium Italiæ, quæ in hæc verba clauduntur: *Lecta, lata — & pronunciata fuit hæc ſententia —— per D. Poteſtatem ſedentem in Banco, pro Tribunali*, &c. Sic legitur in *Charta* Rogerii Siciliæ Comitis apud Ughellum *Italiæ Sacr. Tom.* 2. *p.* 1029. Καὶ δέδωκα αὐτῷ ἐξουσίαν τοῦ ἔχειν βάγκον τοῦ κρατεῖν Κρίσεις καὶ κρίνειν αὐτούς, οἱ Ἐπίσκοποι τὸ ... αὐτοῦ, *Et concedimus ei poteſtatem tenendi Bancum* &c. Academici Cruſcani *Bancum* propriè eſt menſa illa, cui aſſident Judices & Magiſtratus, cùm rationes reddunt, Mercatores, cum pecuniam numerant, cùm tabulas accepti & expenſi conficiunt. Vide Joh. Villaneum *l.* 11. *c.* 93. Sed & hæc legas in *Statutis* Communiæ Mechlinienſis *MSS. Villa Mechlinienſis de cætero habeat plenum* banchum, *ſive ſedem* 12. *Scabinorum.* Eſt etiam *Bancus*, ſtallum ubi Mercatores merces ſuas exponunt, in *Charta* A. C. 1152. apud Catellum *Hiſtor. Com. Toloſ. l.* 5. *p.* 218. &c. Origo vocis quibuſdam ex *Abacus*; aliis ex *Scamnum*; nonnullis ex German. *Banc* ſubſellium, ſedile ligneum longius, quod unà plures capit ſeſſores. Quô ſignificato legimus, apud Udalricum in *Conſuetudinibus* Cluniac. Monaſt. *l.* 1. *c.* 36. *Duo Sedilia, quæ vulgò bancos vocant.* Hinc *Bancale*, apud Durandum *Ration. l.* 2. *c.* 9. *num.* 25. aliìsque *banci* ſeu ſubſellii ſtragulum; tapes, quô ſcamnum ſeu *bancus* inſternitur &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

BAND, Perſis *faſcia* eſt, ex Græco *βάνδον* poſtremi Imperii, quod à Latino factum *Pandum*, ἢ *σημαῖον*. Unde *Bandum*, pro vexillo. *Gloſſa. Bandum, σίγνον*, vide *infra*. Et Franco-celtæ *Bandam* pro faſcia hodieque dicunt, ac *bander*, pro faſciare: quod à Græcis iidem hauſêre, unde & Perſæ, in quorum linguam infinita propè vocabula de Græco irrepſiſſe, docet Salmaſ. *ad Solin p.* 1110.

BANDA, inſula, fere nota in mari Indico, ſub Hollandorum dominio vicinæque aliquot inſulæ, totius orbis terrarum ſolæ ſponte ... in epulas & medicamenta mortalium, ex uno eodemque

denique arborem, macim & nuces myriſticam fundunt. Arbor ad pyri ſimilitudinem accedit, fructus mala perſica quadantenus imitatur: floret quò tempore ibidem aliæ quoque plantæ, & herbæ varii generis, è quibus univerſis mirificus odor, incomparabilis cujuſdam ſuavitatis exiſtit: ubi defloruit, matureſcens pomum paulatim è viridi, tum cæruleas luteaſque, tum purpureas & igneas tranſit in maculas, qualis in arcu cœleſti cum voluptate cernitur. Sita eſt ab Amboina, versùs Euronotum, in Archipelago S. Lazari, veniuntque eò nomine parvæ ſex inſulæ, ab interlabente Oceano à ſe invicem diſtinctæ, nempe *Lonor*, reliquarum maxima, eaque fortalitio munita: *Nera*, *Palevay*, *Pooleroon*, *Roſengin*, & *Goenongapy*, quæ omnes imperio Belgarum ſubſunt. Ex his *Pooleroon* una fuit è rebus inter eos & Anglos controverſis, quā Angli pace factâ A. C. 1667. demum ceſſerunt. Auctor Anonymus *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ.*

BANDA, Syriæ fluvius.

BANDA, Ordo militaris in Hiſpania A. C. 1332. ab Alphonſo Caſtellano inſtitutus, cujus ipſemet Rex ſemper caput. Faſciam gerebant rubeam ſub brachio ſiniſtro nodò conſtrictam. Honor non niſi juvenibus, & quidem iis, qui 10 annos in bello egregiè ſe geſſiſſent, aut in Aula ſerviſſent, conceſſus. Equites S. Jacobi his ſucceſſiſſe videntur. Mariana *l.* 16. *c.* 2.

BANDANÆ, parvæ inſulæ Indiæ Orientalis, numerò circiter ſeptem, à meridie Sindarum Inſularum ac Moluccarum ſitæ ſunt, gradu circiter ſeptimò latitudinis auſtralis, alii eas ultra gradus 6. cum dimidio ponunt. Harum nomina ſunt *Bandan* major cæteris, ac iiſdem nomen communicans, *Mera*, *Roſolargium*, *Ay*, *Ron*, *Nerra*, & *Gunnape* omnium minima, quæ continuò ardet, atque ob id deſerta eſt. Hæ inſulæ nuces myriſticas & maſtichem ex eadem arbore monſtrant.

BANDERA, aliis *Manora*, Caſtrum Indiæ, intra Gangem, in ditione Luſitanorum.

BANDERASIUS, ſeu BRANDERASIUS, vexillarius, ſignifer eſt: quo nomine inſigniti ſunt olim Romæ regionum Primates, qui hodie *Caporioni* appellantur. Blondus *Dec.* 2. *l.* 10. *in Gregorio IX. Nam Romæ datur ſingulò ſemeſtri à Pontifice, Senatorius dicebatur, & urbis cuſtodiæ totiuſque adminiſtrationis* Banderaſii *gerebant curam ---- dicti à Vexillis, Gallicò, vel potiùs Germanicò verbò.* Bandrs, *longè priùs in Italia appellatu ab Urbano III.* Platina in eod. *Gregor. Totiuſque Reipubl. adminiſtrationem & curam* Banderaſii *tunc gerebant.* In *Collect.* Anaſtaſ. *Biblioth.* per Sirmondum edita *p.* 188. *Miſit ad eum Primores Bandorum, Presbyteroſque ac Diacones & Reverendos ſignorum Cuſtodes*: quò nomine itidem Vexillarii indigitantur; hodieque in Melita Vexillarius Equeſtris *Bandoliero* dicitur. Vide Macros Fratres in *Hierolex.* Italis *Banderajo* & *Banderese*, vide Joh. Villaneum *l.* 7. *c.* 14. Βανδοφόρος Procopio *Vandalic. l.* 2. *c.* 10. *Τὸ σημεῖον τ̃ στρατηγοῦ ὅ δὴ βάνδον καλοῦσι Ῥωμαῖοι, ὁ δὲ βανδοφόρος καλοῦσι Ῥωμαῖοι, Signum Ducis in more ſolitus geſtare, quem* Bandophorum *vocant Romani.* Ita etiam Leo Imperator *in Tacticis.* Occurrunt etiam *Banderarii* Milites *in Hiſtoria* Cortuſiorum *l.* 5. *c.* 3. & *l.* 7. *c.* 4. & 15 ſed iu iidem cum *Bannerettis* ſunt, ut alii illos vocant. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà in voce *Banderenſes*, ut & *Bandum*.

BANDINELLIUS Matthæus, vide *Matthæus*.

BANDITI, vide infrà in verbo *Bannire*.

BANDOBENA, oppid. Indiæ, quod Cophes & Choaſpes fluv. præterfluunt. *Strabo*.

BANDONINIA, vel BLANDONIA, nutrix Radegondis, Reginæ Gall. uxoris Clotharii I. quæ dein Abbatiſſa S. Crucis Pictavii facta. Vitam ejus ſcripſit, jam priùs a Fortunato Pictavorum Epiſcopo literiſquoque conſignatam, Surius *tom.* 4. *d.* 13. *Aug.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 12. & *Philol. c.* 2. §. 3.

BANDORENSES, appellati Regionum Capitanei, Romæ, ut eſt in *Vita* Gregorii XI. *Pontif.* apud Boſquetum *p.* 225. *Romani, ſeu eorum Officiales & Rectores, ſuò vocabulò* Bandarenſes *& duodecim capita Regionum nuncupati, condunatu ſibi aliis quamplurimis tam in civibus, quam in forenſis nationis Italicis, adhuc vivente Gregorio, tamen infirmante, deliberaverunt.* Galli *Chefs de banneres* vulgò appellant: *Banderenſes* vocat Platina in *Gregorio II. Banderaſios* in *Gregorio IX.* à quo Romæ inſtitutos eſſe Blondus innuit *loco ſuprà cit.* in voce *Banderaſius*.

BANDULI, apud Vopiſcum in *Probo*, *Vanduli* ſeu *Vandali* ſunt.

BANDUM, vulgò BANDO, urbs Aſiæ, in India & Imperio M. Mogolis, cum regione cognomine 15. leuc. German. ab Aſmeera in Septentrionem, 70. ab Agra in ortum.

BANDUM, *Ugutioni parvum vexillum*; Paulo Varnefrido *de Geſtis Longob. l.* 1. *c.* 20. ſimpliciter *vexillum*, paſſim hâc notione occurrit, apud infimæ ætatis Scriptores. A' Perſico Germanicoque *band*, i. e. *faſcia*, ut Salmaſ. vult, quòd in faſciæ modum effictum. Aliis à Cambro-Britannico *Bannar*, quod itidem *vexillum* notat, quodque effictum volunt à *Ban* i. e. elevatione: eſt enim *ban*, altum, excelſum, apud *Boxhornium*. Car. du Freſne mavult à voce *bannum* vocis originem deducere, quod quis *bannum in rem aliquam mittebant*, ſeu in prædium aut domum, *velum* eidem appendebant, eòque ipſò rem ſuperioris Domini eſſe innuebant. Et certè *bandum* pro *bannum*, & viciſſim *bannum* pro *bandum*, promiſcuè uſurpatur haud rarò. A' Latinis, Βάνδον eòdem ſignificatu Græci ſunt mutuati, uti ſuprà ex Procopio vidimus. Hinc Scholiaſtes Gregorii Nazianzeni 1. *in Julian.* Τὰ καλούμενα, inquit, παρὰ Ῥωμαίοις σίγνα ἢ βάνδα, ταῦτα ὁ Ἀἰγυπτιαζων συνθήματα ἢ σημεῖα καλεῖ. Vide Rigaltium, Meurſium in *Gloſſar.* & Fabrotium *ad Cedrenum*. Atque hinc eſt, quòd Byzantini Scriptores, per tralationem Βάνδον ſæpe pro turma uſurpant, ut Galli hodieque, ut Ducas *c.* 5. Tactici Græci paſſim; *Gloſſ.* Baſilic. Κουστωδία, στρατιωτικον εἶδος, ὃ βάνδον Ῥωμαῖοι καλοῦσι, *Cuſtodia, militaris turma, quam Bandum Romani* appellant, &c. Vide Car. du Freſne præfatum in *Gloſſario*, & ſuprà, in voce *Band*.

BANGORIUM, urbs Albionis in Wallia in ora contra Monam inſulam, vulgò *Banger*. longitud. 15. 37. latitud. 55. 05. ad fretum, *Menay*, in nominatu Arvoniæ. *Baudrand*.

BANIALUCUM, urbs regni Boſniæ primaria aliis *Vannoc-lucha*, versùs montes & confinia Dalmatiæ, prope lacum cognominem & Cetinam fluv. ſub Turcis. Quibuſdam eſt Blanona.

BANISÆ, vel BASANISÆ, populi Thraciæ. *Steph.*

BANLEUCA, ſeu BANNI LEUCA, Gall. *Banlieuë*, vox in *Conſuetudinibus* Municipalib. Galliæ frequens, modus eſt agri, cujus finibus loci, ſeu Oppidi, ſeu Monaſterii alicujus immunitas vel juriſdictio terminatur; ſic dictus, quòd ut plurimum intra *leucæ* ſpatium plus minùs quaquaverſum porrigatur. *Bannum* enim, juriſdictio Recentioribus eſt, ſeu diſtrictus, intra quem jus *poenale bannum* protenditur, ut infrà videbimus. Latini iſtiuſmodi modum agri, intra quem Coloniæ vel Municipii juriſdictio coërcitioque eſſet, *Territorium* vocavêre. Nulla enim ferè Colonia olim in Italia fuit, aut Municipium, nulla item Præfectura, quæ non certum agri modum adſcriptum aſſignatumque haberet, cujus intra fines, ejus, ad quem pertineret Magiſtratui, jus dicendi, coërcendique libera poteſtas eſſet. Græcis ὁροθεσία, quod Galli *Finage* appellant. Sic *fines* pro regionibus apud Veteres *regiones* etiam pro territoriis. Siculus Flaccus *de Condition. agror. Compluribus locis certos dederunt fines, intra quos juriſdictionem habere deberent.* Mox, *Fines lege dati* &c. Πάγους τ̃ πόλεως, vocat Euſebius in *Epiſt. Sabini*: unde *Præpoſiti pagorum*, in *Cod. Theodoſ. de erog. mil. ann.* ſeu *Magiſtri Pagorum*, uti Sæculus vocat; ſinguli enim quique pagi ejus Urbis, intra cujus territorium erant poſiti, Juriſdictioni ſubjacebant, &c. Quibuſdam tamen Coloniis ac Municipiis nullam fuiſſe extra muros urbis juriſdictionem, docet nos Hyginus *de Limit. agr. Sunt nihilominus quædam municipia, quibus extra murum nulla ſit juriſdictio.* Quod igitur Urbibus hodie *Banleuca*, olim *Territorium* ſeu *Fines* ſeu οἱ ἀμφὶ πόλιν ἀγροὶ, id Urbi Romæ *Urbicariæ Regiones* fuêre vel *Suburbicariæ*, ſeu etiam ſingularitatis numerò, *Urbicaria Regio*, Græcè ἀμφὶ τὴν πόλιν χώρα ſeu ἡ περὶ πόλιν χώρα, aut etiam voce unicâ, ἡ περίχωρος: intra quam ſcil. Urbico Magiſtratui, h. e. Urbis Præfecto, jus dicendi coërcendique poteſtas eſſet. Non enim intra muros urbica juriſdictio fuit cohibita, ſed nec libera & indefinita juris paſſim exercendi licentia totam Italiam pervagata eſt, verùm certa habuit regionum ſpatia, vice territorii, quatenus procurreret & extenderetur, ad centeſimum ab urbe lapidem, ut inter Auctores convenit. *Romana regio* hîc agri modus dicitur, in antiquo lapid.

POLLIO JULIO. CLEMENTIANO
SUBVENTORI CIVIUM
NECESSITATIS. AURARIÆ
DEFENSORI. LIBERTATIS
REDONATORI. VIÆ. POPULI
OMNIUM. MUNERUM. RECREATORI.
UNIVERSA REGIO ROMANA
STATUAM. COLLOCAVIT, &c.

Vide Salmaſ. *ad Trebellium Pollionem in XXX. Tyrannis*, *c.* 24. ut & infrà *paſſim*.

BANNA, apud Italiotas *Rex* dicitur, aut *maximus magiſtratus*, Cœl. Rhodig. *l.* 15. *c.* 27. Apud Bœotos *mulier*. *Heſychius*. Item fluv. Hiberniæ in Borealem Oceanum decurrens.

BANNERETTUS, à BANNERIO, quod idem cum *Bando*, apud *Suidam*, ac Procop. *de bel. Vandal. l.* 2. *Sect. l.* & German. *Paner*: dictus, quaſi Vexillarius minor, medium tenens inter Baronem, cui propriè competit jus vexilli ſcil. quadrati, & equites reliquos. Apud Anglos prorn *Baronettus* quoque vocatur. Fuit hæc ſigni ſeu vexilli geſtatio inter homines militares adeo glorioſa olim, ut antiquos Supraibienſium Reges nihil aliud, quàm ſigniferos ductores fuiſſe contendat Hier. Blancas in *Hiſt. rer. Hiſp.* Oportet autem *Bannerettum* ad minimum, decem habere feodales milites: quò reſpexiſſe videtur Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 560.

Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores: pueri bis ſeni quemque ſecuti.

Creatos *Bannerettos* ferunt non niſi in exercitu Regio, erectò jam regni Labarò: tunc Regi, bellive Imperatori locò gramineò conſtituto, candidatum efferri volunt à duobus Equitibus, vexillum, præcinentibus buccinis, pennatum (i. e. caudatum, inſtar Draconis, unde & Draconarium dictum) geſtantem ſuis armis inſigne & complicatum: factâque ab ipſo proteſtatione ſatis ſibi eſſe in patrimonio, quò tantam tueatur dignitatem, Rex vel belli Imperator velum explicat, præciſóque ejuſdem conò ſeu acumine, candidato tradit, jubens, ut erectum ferat auſpicatè. Vide Froiſſard. *in obſidione Trecenſi*, Joh. Gregorium Tholoſ. *Syntagm. l.* 6, *c.* 9. §. 9. Percipit in militia *Bannerettus*, cui in dignitate eſt, ut ſuo ſe ſiſtat vexillo, dum Bachilarius alienum ſequitur, duplex ſtipendium, quod Bachilarius, &c. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* qui addit, de penitis illis ſeu draconariis vexillis aut flamulis, de quibus aliquid retro: Placuiſſe olim, belloque viſa eſſe aptiora, ob terrorem, utpote quòd dracones exprimerent, *caudatum volumina relinquentes in ventum*, *Ammian.* Dacis & Scythis in uſu, quæ, prioribus devictis, inter ſigna Imperii conſtituiſſe Trajanus, ſuſcipique inde videri in Eccleſiam; formâ plerunque bilingui. Et certè *Auriflamba*, Gallorum celebre ac antiquum vexillum, formam draconariam exhibuit: hodie quadrata vexilla majoris ſiunt, &c. *Milites vexilla ferentes*, & *Vexiliferi* dicuntur, apud Matth. Paris. p. 396. 403. 516. *Bannerarii* ſeu *Vexillarii*, in *Charta* A. C. 1274. *Tom. V. Hiſtor. Franc.* & in *Charta* Philippi Pulchri

Regis, alibique: *Rici homines de Senorra* appellantur apud Hiſpanos. Vide de quæ pluribus de *Bannerettis* congeſſit Joh. Seldenus *de Titulis Honorar. part.* 2. *c.* 1. §. 16. ut & Caroli du Freſne *Diſſertationem IX. ad Joinvillam*.

BANNI, vide *Albenim*.

BANNIRE, publicô *banno*, ſeu edictô, ſtatuere ac jubere. Decretio Childeberti Regis c. 8. *Similiter Kal. Mart. Colonia convenit, & ita bannivimus, ut unusquisque Judex* &c. *Capitulare* Caroli M. primum A. C. 802 c. 39. *Iterum bannimus firmiter, ut nemo amplius faciat*, &c. Hinc citare, ſubmonere, *banno* ſeu edictô publicô evocare: *locu congruus congregare*, in *Formula* Lindenbrog. 39. *In exercitum vel hoſtem bannire*, in L. Ripuar. *c.* 65. quod *populum in hoſtem convocare*, ait Flodoardus *Hiſtor. Rem. l.* 3. *c.* 18. *ſolemni more indictam expeditionem*, vocat Lamb. Schaffnaburgenſis A. C. 1074. Sic *bannire ad molendinum*, Domini dicuntur, cùm tenentes ſuos cogunt ad molendinum ſuum, frumenta ſua molenda deferre, apud Fulbertum Carnot. *Ep.* 14. Cujuſmodi molendina Dominica vocant, *bannalia*, paſſim Conſuetudines municipales. Atque inde *bannire*, in *bannum mittere*, h. e. edictô publicô proſcribere, relegare. Gall. *bannir*. Et *Banditi* ſeu *Banniti*, h. e. proſcripti, vox hodieque in Italia inprimis frequens. Alia verò notio vocis eſt, in *Speculo* Saxon. *l.* 1. *artic.* 2. §. 2. 3. 4. & *art.* 3. §. 2. ubi *Banniti* dicuntur liberi homines, qui jura ſua ac lites diſceptant, in Epiſcoporum Synodis & in Comitum Judiciis. *Libertas*, inquit illius Auctor, *eſt etiam tripertita, quorum primi Epiſcoporum Synodum quærere ſolent, & hi Banniti dicuntur*. Et mox, *Simili modo & ſecularia judicia quærere ſolent, ſcilicet Banniti Comitum*. Et quidem de horum criminibus Judex, non niſi in legitimo loco judiciali, ſub Imperii banno, cognoſcere poterat, *l.* 1. *artic.* 59. §. 1. Adde *artic.* 63. §. 1. *art.* 67. §. 3. *l.* 2. *artic.* 3. §. 2. *art.* 12. §. 1. 4. & *l.* 3. *art.* 45. §. 73. ubi de *Bannitorum* prærogativa. Ibidem *Banniti*, i. e. *digni Scabinatu*, *l.* 2. *artic.* 12. §. 1. *Bannus ſeu Scabini*. *l.* 3. *artic.* 26 §. 2. *Banniti ſeu loco Scabinali idonei*, *artic.* 45. §. 3. &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar*.

BANNITI, vide ſuprà, ut & voce *Utlagati*.

BANNOMANNA, Inſul. ante Scythiam. Plin. *l.* 4. *c.* 13.

BANNUM, neotericum & nuper inventum vocabulum, apud Scriptores, multiplici notione occurrit: potiſſimùm verò tria notat, I. *Edictum publicum*, proclamationem ſeu Statuti publicationem, quo de ſignificatu jam aliquid diximus, in voce *Bannier*. Sic *Bannum mittere* ſuper rem aut perſonam aliquam, dicebantur Principes, cùm eam publicatô *banni* ſeu edictô, in ſuam protectionem ſuſcipiebant. Quod quomodo fuerit peractum, docet vetus *Notitia* Judicati A. C. 981. in *Tabular.* Caſaur. apud Car. du Freſne, *In eadem hora ſic prendiderunt Miſſi ſacri Palatii unum fuſtem in manu ſua, &* bandum *miſerunt Præpoſito* &c. Alia item *Notitia* A. C. 1068. apud Franc. Mariam in *Mathilde Com. l.* 3. *p.* 140. *Pravit—ut pro Deo & anima domini Regis ſuorumque mercede mitteret bandum ſuper jam dictas res & prædictum Advocatum, in Byzantios bonos aureos duo millia, ut nullus quiſlibet homo magna parvaque perſona, prædictam Eccleſiam de jam dictis rebus, ſine legali judicio, diſveſtire præſumat. Cumque ipſe taliter quæſiſſet, tunc præfata D. Beatrix & Halbertus Judex D. Regis ambo ſimul per fuſtem, quem in ſuis detinebant manibus, miſerunt bannum ſuper eaſdem res & jamdictum Advocatum, ut nullus quilibet homo præfatam Eccleſiam de ſupradictis rebus diſveſtire præſumat, ſine legali judicio. Qui verò fecerit, duo millia bonos Byzantios aureos compoſiturum ſe agnoſcat, medietatem parti Cameræ D. Imperatoris & medietatem parti præfatæ Eccleſiæ*, &c. Eôdem ſenſu, *Bannum ponere ſuper caput alicujus*, uſurpatur in *Not.* Judicati A. C. 1028. in eod. *Tabular.* præf. At *in Bannum mittere*, confiſcare eſt, ſeu in fiſci poteſtatem edictô publicô redigere, apud Hincmarum Remenſem in *Quatern. ad Regem Carolum p.* 381 &c. Vide quoque infrà *Pennones*. II. *Diſtrictum*, juriſdictionem, juſtitiam: *ambitum*, intra quem poteſtas porrigitur, mulctam & proſcriptionem bonorum indicendi, vel bannum promulgandi. Auctor *Vitæ* S. Ludani peregrini *num.* 4. *Tandem ad quandam ulmum ſeu arborem pervenit, in diœceſi Argentinenſium, in* banno *villa Northuſ, ſecùs fluvium*, ut alios omittam. *Verſus* antiqui de Vicelino, Epiſcopo Bremenſi

> *Et dotes auxit & honores accumulavit,*
> *Villam cum decimis,* bannum *cum Parochianis,*
> *Paſtori primo condonavit Vicelino.*

Unde *Bannales*, qui intra *bannum*, ſeu diſtrictum alicujus juriſdictionis, juſtitiæ vel dominii habitat: *Homines banni*, in veteri *Stylo* Parlamenti Pariſ. *Cives qui ſub banno ſunt*, apud Ivonem Carnot. *Ep.* 133. & *Banleuca*, de qua voce retro actum, &c. III. *Pœnam & mulctam*, quâ quis *banni* ſeu legis infractor punitur. Unde *Bannum mittere*, i. e. mulctam imponere, in *Capitular.* Caroli M. de partibus Saxoniæ c. 30 & contrà, *Bannum componere*, item *ſolvere*, in *Capitular.* Caroli C. *tit.* 9. *c.* 9. & in *L. Saxon. tit.* 2. §. 9. i. e. mulctam exſolvere, pro neglectô vel violato banno, Gall. *Payer l'amende*. Item *Exilium & Proſcriptionem*, quæ fit, cùm quis extra *bannum* ſeu *banleucam* ejicitur. Quô ſenſu *Bannum* definitur, *quô omnia humanitatis jura, viciſſitudineſque officiorum & commercia negantur rebellibus*, à Cæſare: cui ſoli *Bannum indicere*, German. *in die Acht erklären* licet; cùm cœteri Magiſtratus relegationibus aliiſque pœnis utantur. Origo à Romanis, qui Draconis Athenienſium Legiſlatoris duram imitati legem, iſtiuſmodi hominibus *aquâ & igni interdicere* ſolebant. Sic C. *de Epiſc. & Cler.* in *Conſtitut.* Friderici II. Imperatoris *Banno ſubjaceant Imperiali*: intelligens proſcriptionem, quæ exilii ſpecies eſt & æquiparatur deportationi: uti rurſus excommunicatio habet ſimilitudinem cum banno, *gl. in* §. *relegati*, *Inſtit. quib. mod. jus patr. pot. ſolv.* Doctores in *l.* 1. *de her. inſtit.* Sublatâ autem deportatione, cùm provinciarum numerus ſub Imperio Romano in anguſtum redigeretur, perventum eſt ad proſcriptionem, quam *Bannum* dicimus ſeu excommunicationem Imperialem, cujus meminit idem Fridericus Imperator in *Conſtitut. de Statut. & Conſuetud.* §. *item nulla poteſtas*. Quamprimùm autem novíſſima hæc proſcriptionis pœna introduci cœpit, obſervata eſt ut Oldendorpius tradit, differentia inter *Cenſuram* & *Bannum*: quarum illa, German. *die Keyſerliche achte*, intra annum habebat hanc appellationem, *quia Imperium cenſet, utrum is eam declarandus ſit, an non?* adimebatque ſecuritatem & pacem publicatis perſonis & rebus: Illud verò, German. *der Bann*, id efficiebat, ut ſic bannitus apprehendi quidem poſſet in quolibet judicio, ſed non paſſim occidi. Poſt annum autem iſta cenſura & proſcriptio iterabatur; confirmata gravioribus pœnis, unde dicta *die Oberacht*, quaſi aggravatio excommunicationis & cenſuræ Imperialis &c. A *Bando* vocem derivant Eruditi, h. e. ſigno Ducis ſeu Imperatoris, de quo diximus ſuprà. *Banni* enim primitùs ferebantur, qui à *bando* deſciviſſent, militiamque Domini ſui ſequuti non eſſent &c. Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Car. du Freſne *Gloſſar.* Limnæum *de Jure Publ.* &c. ut & infrà, ubi de *Deportatione*, *Excommunicatione*, *Proſcriptione*.

Variæ Banni, ſecundùm triplicem ejus ſignificationem, ſpecies.

BANNUM Auguſti, occurrit in *Charta*, apud Paradinum, in *Hiſtor.* Lugdun. *l.* 2. *c.* 73. & apud Cognatum *Hiſtor. Tornac. l.* 4.

BANNUM Beſtiarum, in *Charta* Henrici I. Imperatoris A. C. 1008. apud Chapeavillum & Barth. Fiſenum in *Hiſt. Leod.*

BANNUM Capitis, mulcta quæ in pecoribus exſolvitur, in *Charta* Ottonis Imperatoris A. C. 937. in *Privileg.* Eccleſiæ Hamburg.

BANNUM Chriſtianitatis, in Concilio Agathenſi ubi *Gloſſa* Decr. *Sub pœna Fidei ſuæ*.

BANNUS Dei, in *Capitulis* Caroli C. 26. apud Sim. Dunelmenſem, de *Geſtis Reg. Angl.* A. C. 1074. & Flodoardum *Hiſt. Rem. l.* 3. *c.* 28.

BANNUM Dominicum: mulcta quæ Domino exſolvebatur, pro infracto ejus banno; erat autem illa ſolidorum 60. *Capitul.* Caroli M. *l.* 6. *c.* 96.

BANNUS Epiſcopi, excommunicatio, apud Ditmarum *l.* 2. &c.

BANNUS Francilis, franci ſeu liberi hominis multa, quæ *Francorum compoſitio* dicitur in *L.* Ripuar.

BANNUM Groſſa & Minuta, majores aut minores mulctæ pecuniariæ apud Guichenonem in *Epiſcopis Belic. p.* 57.

BANNUM *Longa*, vide ſuprà *Banuleuca*.

BANNUM Monetarum, in *Regeſto* Parlamenti Pariſ. apud *Car. du Freſne*.

BANNUM Pacis, quô pax indicta eſt publicô edictô, apud Ekkehardum Jun. *de Caſibus S. Galli c.* 1.

BANNUM Plenum, idem cum *Dominico*, in *Capitulis* Caroli C. *tit.* 32. *c.* 22. Vide quoque *Heribannum*.

BANNUM Regis, eâdem notione, in *Charta* Balduini Comitis Flandriæ A. C. 1066. apud Buzelinum. Aliud eſt *Bannum Domini Imperatoris vel Regis, quem per ſemetipſum conſuetum eſt bannire, i. e. de mundeburgio Eccleſiarum, Viduarum, Orphanorum* &c. in *Capitulari* 7. Caroli M. A. C. 803. *c.* 2. Aliud item *Bannum Regale* vel *Bannus Imperii*, in *Spec.* Saxon. paſſim: hic enim juriſdictionem Regiam, Imperialem, judicium, quod auctoritate Regiâ exercetur, notat.

BANNUS Reſciſſus, eſt armorum depoſitio, vide Car. du Freſne infrà in voce *Scaſlegi*.

BANNUM Scabinatus, in *Speculo* Saxon. *l.* 3. *artic.* 29. i. e. *locus ubi natus eſt, Scabini dignus*.

BANNUM Synodale, apud Walthramum Epiſcopum Naumburgenſ. *de Inveſtitura Epiſcopor.*

BANNUM Viæ regiæ, juriſdictio, quæ in viis majoribus, quas *regias* vocant, ad dominum ſuperiorem ſpectat, in *Charta* Adalberonis Epiſcopi Mettenſis apud Meuriſſium *p.* 307. & 308.

BANNUM Vindemiarum, edictum, quô interdicitur vindemias peragere, ante ſtatutum à domino loci tempus. in *Charta* Roberti Ducis Burgundiæ A. C. 1231. & paſſim in *Conſuetudinibus* Galliæ.

BANNUM Vini, jus quod domino Feudi competit, cui licet vinum ſuum particulatim vendere, certô dierum ſpatiô, v. g. 40. tenentibus ſeu hominibus ſuis à vini proprii venditione ceſſantibus. Gall. *Ban à vin*, & *ban-vin*, in *Conſuetudin.* Turon. Andegavens. Cenoman. Marchenſi &c. Juliodun. apud Car. du Freſne. Item in *Charta* Philippi Aug. A. C. 1185. apud Morinum *Hiſtor. Vaſtin. l.* 5. in *Charta* Ebonis Dom. Caſtrimeliandi de Immunitatibus dicti Caſtri, in *Charta* Henrici Ducis Solliaci pro Libertatibus d'*Arc en Berry* A. C. 1312, alibique paſſim. Vide hanc in rem Auctores magnô numerô laudatos, à Car. du Freſne *Gloſſar.* Interdum verò vox Gallica *Ban-vin*, latius extenditur, ſic ut non tantùm vini dominici vendendi exponendi jus ſpectet, ſed carnis quoque diſtrahendæ, uti docet Idem ex *Charta* Philippi II. Regis Rom. A. C. 1208. deſcripta in Magno *Record.* Leodienſi *p.* 11. & Thomaſſerio in *Conſuetudinibus* localib. Bituric. c. 31. 46. 59.

BANNUM Uſuale, interdictum conſuetum. *Charta* Caroli M. apud Crantzium in *Metrop. l.* 1. *c.* 2. *cum —— omni venatione, quæ ſub Banno uſuali ad Foreſtum deputatur*. Vide Car. du Freſne ubi ſupra.

BANNUM, ſeu DIFFIDATIO, in Eccleſia Romana inter Hæreticorum pœnas, eſt ſententia, quâ quis è Republ. ejicitur, ut gaudere non poſſit auxiliô publicô, nec fungi publicis officiis, nec aliquô juris beneficiô juvari. Itaque Diffidatione, Hæretici hoſtes patriæ & imperii declarantur, illoſque quivis propriâ auctoritate capere, ſpoliare imò & interficere poteſt, Innocentius IV. refert. *Ad extirpanda*. Etiam tota civitas ſeu Communitas hôc modô bannita ac diffidata hoſtis Imperii fit, omneſque cives ejus impunè à quolibet offendi, ac tota civitas vel aratri inductione, vel incendiô puniri poteſt, quod probare conantur ex Deuter. c. 13.

id autem non antè fieri poſſe, quàm per ſententiam declaratoriam eo hujus criminis reas eſſe fuerit declaratum, adjecerunt, vide Nic. Boërium in Directorio ſupra. Part. 3. Column. 36. & Conr. Brunum de Hæret. & Schiſmat. l. 5. c. 14.

BANNUS ſeu BANUS Turcis & Hungaris, præſes alicujus Regni. Propriè tamen hi, *Bani* ſunt peculiares gubernatores Regnorum, ad Ungaricam coronam, antiquitùs ſpectantium, ut Dalmatiæ, Croatiæ vel Slavoniæ. Proptereà ſolent Turci, Banos Hungaricos ſuis tum Beglerbegis tum comparare, tum exæquare, quoniam hi quoque integris Regnis præficiuntur. Leunclav. in *Onomaſtic. Turcico-Arab. &c.*

BANSALMORA, ſeu BANSULUSMORA, Hungaris martarinorum penſionem notat, vel ipſam martarinam pellem. *Decretum* Ludovici Regis Hungar. A. C. 1351. c. 12. *Nec ratione collectæ martarinarum*, banſuluſmora *vocatarum amodò & in poſterum inſo lvantur*, &c. Inſtituiſſe penſionem hanc Colomannus Rex legitur, in *Decreto* Andreæ Regis A. C. 1222. c. 22. *Martarinæ juxta compoſitionem à Colomanno Rege conſtitutam ſolvantur*; apud Car. du Freſne in *Gloſſar*.

BANTAMUM, urbs ampla & emporium celebre Aſiæ, in Inſul. Java, caput regni cognominis. Portu gaudet commodò, atque quotidie Europæi mercatores confluunt. 15. leuc. à Batavia urbe in Occaſum prope fretum Sundæ, ex adverſo Sumatræ. Rex Inſulæ dictus *Mataram*, in tota Java potentiſſimus eſt. Georg. Hornius Orb. *Imper*.

BANTHEIM, apud P. Diac. quaſi *Vandheim*, Vandilorum regio.

BANTIA, urbs Italiæ. *Steph.* meminit ejus Liv. *l.* 27. c. 25. ubi de Marcello Conſule; *inter Venuſiam, Bantiamque minus* 3. *mill. paſſ. intervallo Conſules bina caſtra conſederant.* Idem legas apud Plut. *in eodem Marcello*, Ἐξῆλθε μετὰ τοῦ συνάρχοντος ἐπὶ τὴν ὑπατείαν, καὶ πολλὰ μεταξὺ Βαντίας πόλεως καὶ Βενουσίας κατεστρατοπέδευσε καὶ Ἀννίβας. Hinc *ſaltus Bantini*, apud Horatium *Carm.* 3. *Od.* 4 *v.* 15. Ubi vulgò *Batinos*, ſed malè legitur. *Nic. Lloydius*.

BANTII, Thraciæ populi. *Steph.*

BANTISUS, fluv. Aſiæ, in Scythica regione quibuſdam *Paleſanga*, in Cathaya. Sed nihil certi.

L. BANTIUS, Nolanus, juvenis acer & ſociorum eâ tempeſtate prope nobiliſſimus eques, quod ſemineces eum ad Cannas in acervo cæſorum corporum inventum curatumque benignè, etiam cum donis Annibal domum remiſerat, in hujus gratiam meritis rem Nolanam in jus ditionemque dare propoſuit Pœno. Quod ſentiens Marcellus Romanorum Dux, quum aut pœnâ cohibendus eſſet, aut beneficiò conciliandus, ſibi aſſumſiſſe, quàm hoſti ademiſſe fortem ac ſtrenuum maluit ſocium, accitumque ad ſe ac benignè appellatum, ita mollivit, ut nemo inde ſociorum Romanum rem fortiùs ac fideliùs juverit, uti pluribus narrat Liv. *l.* 23. *c.* 15. & *ſeqq.*

BANURRI, populi Tingitanæ provinciæ. Plin. *l.* 3. *c.* 2.

BANUS, dignitas, in Dalmatia, Croatia & Hungaria, maximi nominis, quâ qui pollent, totius provinciæ adminiſtrationem humeris librant ſuis: hinc Regum plerumque fratribus, aut liberis committi ſolita. Ipſis Hungaris hodie *Iſpan*. Βοάνος Conſtantino de *Adminiſtr. Imper. c.* 30. & 31. Μεγάλος Cinnamo. Nec deſunt, qui ad hanc dignitatem putent referenda *Heſychii* illa, Βάνοι Βασιλεῖς παρὰ Ἰταλιώταις, οἱ δὲ, μέγιστοι ἄρχοντες, *Bani Rex apud Italos; alii verò, maximi Principes.* Certè à *ban* ſeu *bando* vel *banno*, quo vexillum denotari retro diximus, *Bani* appellati videntur, quòd ſub eorum vexillis ac ſignis provinciales militarent. Vide in voce *Hiſpanus* infrà, & plura hanc in rem, apud Johannem Seldenum de *Titulis Honorar. Part.* 2. *c.* 2. *num.* 5. Joh Lucium de *Regno Dalmatiæ l.* 6. *c.* 1 Raynaldum A. C. 1300. *num.* 46 in *Decreto* Andreæ Regis Hungar. A C. 1222. *c.* 25 & Car du Freſne in *Gloſſar* Item Notis ad *Alexiadem p.* 347. & *ad Cinnamum p.* 449. Ejus Vicarius *Vicebanus* dicitur, apud Macrum in *Hierolex.* Inde *Banatus*, dignitas & munus *Bani*, vel Comitatus ac Principatus, Hungaris *Banſag*. Thvroczius in *Catalo R. Hungariæ c.* 97. *Dionyſio tradidit omnia, cum dignitate Banatus.* Idem in Maria Rege c. 1. *Stephanum - - - ad altum Banatus Regni Dalmatiæ elevans apicem.* Adde dicta, in *Bannus*.

BANZA, oppid. Africæ & regni Congi, ad Bengum fluv. inter oram Oceani & lacum Aquilundam.

BAPALMA, oppid. permunitum Belgii, in Arteſiæ Comitatu ſub Francis, ab A C. 1641. medium ferè inter Peronam & Atrebatum, in limite Picardiæ & in regione ſicciori. Aliquibus *Balma*. Vulgò *Bapaume*.

BAPHIUM ſeu BAFIUM, locus in quo ſiebat vel tingebatur olim purpura. *Blatta*; *Baphium*, *genus purpuræ*, *unde Baphius vel Baphiarius*, *purpureus vel tinctor talis purpuræ*, *vel venditor vel mercator hujus purpuræ*, & *interdum ſimpliciter pro Mercatore*; & *hoc Baphium locus*, *ubi talis purpura efficitur*, *vel tinctor vel venditur*. Seu taberna tinctoria ac officina infectorum, qui veſtibus purpurâ & coccò tingendis operam dabant, *l.* 2. & *l. penult. Cod. de murileg. l.* 11. & *l. ult. Cod. de veſtibus olob. l.* 11. quæ excerpta eſt ex *l ult. Cod. Theodos. de murileg.* A' verbo βάπτω, *tingo*, *intingo*. Hujuſmodi *Baphia* complura habebant & in Orientis & in Occidentis partibus Imperatores, quæ ſub diſpoſitione Comitis Sacr. Largit. in *Notit.* Imper. collocantur. Præponebantur autem *Baphiis* Procuratores, ut eadem docet *Notitia*, meminitque eorum Æl. Lamprid. in *Alexandro Severo*, *c.* 40. *Purpuræ clariſſimæ ---- gravuſſimus exactor fuit: ita ut Alexandrina purpura hodieque dicatur, quæ vulgo Probiana dicitur, idcirco quod Aurelius Probus* Baphiis Præpoſitus, *id genus muricis repeririſſet.* Ex iiſdem Dorotheus fuit Eunuchus, qui in civitate Tyri iſtiuſmodi officinæ præſidebat, inde Antiochenus ſacerdos ordinatus, ac tandem, imperante Juliano Apoſtatâ, martyriò coronatus, ad diem 5. Julii, quò tempore ſericum purpurâ tingendum, non per aquam ferventem, quod modò fit, ſed pectinatim ſuis opificiò tantum conſuevisſe, ajunt Macri Fratres in *Hierolex.* Pretioſiſſima verò purpura apud Phœnices tingebatur, quorum tincturam ſeu βαφὴν Suidas *exon* appellavit, ὄξον παρὰ τῶν Φοινίκων. Vide ſuprà in voce *Acetum.* Hinc *Oxybapta* in *l.* 6. *quæ res alien. non poſſ.* &c. Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Origo nempe vocis à βαφὴ, i. e. *tinctura*, eſt, quod unum ex tribus quæ Chemici Græci in rebus tingendis requiri ſanxerunt. Sunt autem illa; ἡ Ἀραίωσις, quâ corpora *rarefaciendo*, ut colorem reciperent & imbiberent; Βαφὴ, *tinctura ipſa*; & Κατοχὴ, *coloris alligatio*, pro quo alii στύψιν ponunt, ſicut pro ἀραιώσει ἐπιφόρησιν. Quæ tria multi diverſis ζωμοῖς, h. e. *juribus* ſeu tinctoriis decoctis conficiebant, ut videl. unò jure præpararent ſpecies ad recipiendum colorem, quod προβάψιν etiam dixerunt & ὑποβαφὴν; alterò tingerent eos colore cupitò; tertiò colorem alligarent: Quidam verò unâ decoctione expediebant. Atque hoc non in lapidum ſolùm tinctura, ſed & in purpura tingenda obtinebat; quæ cùm non jure decocto, ſed frigidâ tantùm aquâ, intingeretur, ψυχροβαφὴς dicta eſt: Cui oppoſita vellera *Tyrios incocta rubores*, apud Poëtam &c. Vide Salmaſ. ad *Solin. p.* 1146. & hic paſſim.

BAPTÆ, Athenis ſacerdotes erant Cotyttis impudicitiæ Deæ, cui nocturna ſacra peragebant ſaltationibus & omni voluptatum genera indulgentes. Dicti ἀπὸ τοῦ βαπτίζειν, quòd, qui ſacris illis initiabantur, aquâ calidâ tingerentur, *Suidas*. Angelus Politian. *c.* 10. *Miſcell.* Juvenalis *Sat.* 2. *v.* 92.

Talia ſecretâ coluerunt Orgia tædâ,
Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotytto.

In horum impudentiam Eupolis fabulam *Baptas* inſcripſit, ob quam ab ipſis Baptizatus in mari immerſus fuit.

BAPTÆ, Græcè Βάπται, nomen fabulæ, à Cratino editæ, à qua illi interitus contigit. Cùm enim, in veter. Comœdia, Chori præcipuè hæ viderentur eſſe partes, ut potiſſimùm, quos liberet, læderent; poſtmodùm verò attritis Populi opibus & invaleſcente paucorum quorumdam tyrannide, Poëtas metus potentiorum in officio benedicendi contineret: ſublatus Chorus eſt, ejuſque locò παρεκβάσεις quædam fiebant, in quibus aliorum Poëtarum dicta ſcriptaque, ſine maleficii crimine aut pœnæ ſuſpicione, irridebantur. Sed Cratinus, ad priſtinam licentiam reverti auſus, Βάπτας, h. e. *immerſores*, fabulam edidit, eò eventu, ut ab illis, in quos fuerat invectus, captus ac vinctus & in mare projectus, eâ *merſione* fabulæ ſuæ nomen imitarentur. Jul. Scaliger Poëtices *l.* 1. *c.* 8. ubi de Comœdiæ ſpeciebus.

BAPTISMUS, Chriſtianis Initiationis Sacramentum eſt, Auctorem Chriſtum habet: Adminiſtros eos, quibus præcipua Eccleſiæ cura & ſacrorum myſteriorum cuſtodia commiſſa eſt: Materiam, *aquam* puram Matth. *c.* 3. *v.* 6. Actor. *c.* 8. *v.* 38. & *c.* 10. *v.* 47. Actio ſeu ritus circa hoc elementum, vel *merſio*, vel *aſperſio*, indeque conſequens *ablutio*. Et quidem *merſione* utebantur Judæi, Apoſtoli ac primitiva Eccleſia, præſertim in regionibus calidioribus. In Occidente autem, ac plaga Mundi frigidiore, *aſperſio* invaluit. Uti verò hic ritus, ita & *numerus* merſionum ac aſperſionum ferè indifferens, ut qui nullò præceptò deſinitus eſt. Unde variatum in Eccleſiis; aliis unicam, aliis trinam merſionem præferentibus; ſive unitati Eſſentiæ divinæ, ſive Trinitati Perſonarum, aut triduanæ Chriſti in ſepulchro moræ, ſignificandæ. Quanquam & Hæretici olim hunc illumque ritum erroribus ſuis obtentui ſumſerunt; atque iſtò velò ſententias ſuas, in dividenda Trinitate, vel eadem neganda, obtexêre. Conſtat autem, unicam merſionem antiquitus apud Judæos Chriſtianoſque primævos uſitatiſſimam fuiſſe. Merſionem comitabatur *Trinæ Nominis appellatio*, tanquam trium teſtium cœleſtium, 1. Johann. *c.* 5. *v.* 7. quemadmodum Judæorum baptiſmum tres teſtes terreſtres requiſiviſſe legimus: idque juxta mandatum Chriſti Matth. *c.* 28. *v.* 19. *Baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus S.* Non quod totidem verbis ac ſyllabis Eccleſia adſtringeretur: quæ Latinorum ſuperſtitio eſt, Græcorum formulam, *Baptizetur ſervus Chriſti* &c. damnantium. Sufficit enim rem ipſam tenere atque in Baptiſmo SS. Trinitatis invocationem ac publicam Fidei illius profeſſionem edere: cujus antiquiſſima formula, ac ſequentium Symbolorum rudimentum, hæc ipſa verba exſtiterunt. Unde nec Apoſtolos ullâ formulâ videmus uſos, qui plerumque *in nomen Jeſu* baptizâſſe leguntur, Actor. *c.* 2. *v.* 38. *c.* 10. *v.* 48. *c.* 19. *v.* 5. Quanquam verò unus foret Baptiſmus ac una fides, diverſa tamen erant inaugurationis verba, pro vario baptizandorum ſtatu ac reſpectu. Apoſtoli, ubi Judæos tingerent, *in fidem Domini Jeſu* eos adigebant Actor. *c.* 8. *v.* 16. 38. ubi Gentiles, *in Trinitatis Dei fidem* illos imbuebant. Atque hæc antiquiſſima & vera Baptiſmi adminiſtratio fuit, juxta Chriſti inſtitutum: quæ tamen non ultra alterum ſeculum in Eccleſia, in ſimplicitate ſua, perſeveravit; accedentibus ſenſim ritibus variis, ab inſtitutione primæva alienis. Quod hiſce gradibus factum: Prima quoad *Miniſtrum* facta mutatio & jam tertiò ſeculò Laicis quoque tingere eſt permiſſum: Dein *Tempus*, quod hactenus liberum erat, definiri & celebrioribus anni tempeſtatibus, uti infra videbimus, adſtringi cœpit. Quanquam iſte rigor non uſque tenuit ac paulatim de eo remiſſum, & ablatâ dierum ſuperſtitione, Baptiſmo libertas reddita eſt. Porrò, quoad *Locum*, cum primò ad obvium flumen deducerentur novi Fideles: Conſtantini ætate erectis in Templis Baptiſteria & ſacri fontes; cumque præterea privata in Fidelium ædibus eſſent Oratoria, ubi docebatur nonnunquam & baptiſabatur, id quoque eſt prohibitum. Denique variis ritibus Baptiſmus obrutus eſt, uti cuivis obvium. Præcipui autem Veter. ritus hi erant, *Sponſores*, *Nomen ab ſeis impoſitum*, *Abrenunciatio ſolemnis Satanæ*, *Fidei profeſſio*, *invocatio Spiritus S. Pompa feſta ac Pſalmorum cantus. Deſcenſus in aquam*, *Lactis melliſque prægustus*, *Veſtis candida* & S. quoque Cœnæ participatio. Quorum nonnullis poſteà omiſſis, vel mutatis, acceſſêre, *Conſecratio aquæ*, *Salis & Sputi* aliaque, quæ partim

oti ingeri, partim auribus naribuſque allini ſolet, uſu, cum vocabulo *Ephatah*; *Crucis ſignum*, *Exorciſmus*, aliæque ceremoniæ, quarum numerus ad viginti duas excrevit, pluſquam in ullo Vet. Teſtamenti ritu unquam contigit. Baptizandi autem *Fœderati omnes & ſoli*; nec probandi Veteres è Marcionis Schola, Hæretici, qui, vel ipſis mortuis, vel eorum locô, aliis viventibus vicarium Baptiſmum dicuntur largiti. Nedum, ut baptiſari debeant res inanimæ; quales beſtiæ, naves bellicæ, urbium propugnacula, vexilla ipſumque æs campanarum: quæ ſolennioribus ritibus in Communione Romana quàm ipſi Chriſtianorum infantes, inaugurantur, &c. Plura hanc in rem vide apud Theologos, Burmannum inprimis *Synopſi Theol. Part. 2. l. 7. c. 6, 7. 8.* De Launorum verò *Baptiſmo*, inter alios Macros Fratres conſule in *Herodes*. ut & vide infrà, ubi de *Campanarum & Crucis Baptiſmo*. De utroque verò conſule Jo. Caſp. Suicerum *Theſauro Eccleſiaſt.* Saltem de tempore ut aliquid addam. *Baptizandi tempora* ſolenniora olim, Paſcha erant & Pentecoſte. Hæc namque duo potiſſimùm Feſta ad *Baptiſmum* Catechumenorum delecta leguntur, apud Tertullian. *de Baptiſmo*, Siricium in *Epiſtola c. 2.* Gelaſium I. *Ep. 9.* Leonem *Ep. 4. & 8.* Gregorium M. Alios paſſim: præter Concilia ac Synodos, in quibus Baptiſmus celebrari vetatur aliis diebus, niſi mortis periculum immineat. Rationes vide apud Leonem Pontif. *Ep. 4. ad Sicilia Epiſcopos c. 3.* Tertullian. *loc. cit.* &c. Quam tamen conſuetudinem ſub ævô abrogatam eſſe, circa A. C. 1190. ſcilicet, fusè teſtatur Theophylactus *Comment. ad Luc. c. 10.* eò quod, cùm Chriſtianitas crevisſet, *periculoſum erat*, verba ſunt Ruperti *de Divin. Offic. l. 4. c. 18.* *tantam multitudinem differri, propter occaſiones mortis, ac maxime, propter turbam infantium è fidelibus parentibus naſcentium, quorum tenera adhuc vita perſæpe levi occaſione ſucciditur.* Verùm priſtinum celebrandi Baptiſmum modum, in Paſchate ſeu Die Reſurrectionis Domin. ac Pentecoſte, etiam longè poſt annum 1100. extremis ſeculis, obtinuiſſe, ex Synodis variis colligitur. Legimus tamen, in aliis etiam feſtivitatibus celebratum Initiationis hoc Sacramentum. Nam Siculi & Galli in Epiphania baptizabant, quod tandem prohibuit Leo M. *Ep. 80.* Concilium Matiſcon II. *can. 3.* & Rotomag. A. C. 1072. Idem in uſu fuiſſe, in Africa, Victor Uticenſis *de Perſecut. Vandal. l. 2.* in Hibernia, *Canones S. Patricii c. 19.* apud Græcos, Ratherius Veron. *Serm. I. de Quadrageſ. c. 5.* apud Æthiopes & Coptos, Joſephus Scaliger *de Emendat. Temp. l. 7.* teſtantur. Vide quoque ſuprà in voce *Balneatio*. Chlodovæum M. Galliæ Regem in Natali Domini baptiſatum, auctor eſt Avitus Viennenſis Epiſcopus *Ep. 41.* licèt Fredegarius, Hincmarus, alii, Paſchali id feſtivitate actum fuiſſe admoneant, ut plura omittam. De aliis præter ſuprà memoratos circa Sacramentum hoc erroribus variorum, hîc paſſim, inprimis voce *Catabaptiſta*, *it. Prateolo*, *Spondo*; uti de *Baptiſmo Unorum*, quæ Latinæ originis erant, ab Imperatorib. Conſtantinopolit. iteratu, vide aliquid infrà, voce *Nomen*, & de *Baptizatorum die anniverſario* in Eccleſia Romana ubi de *Paſchate Annotino*: de ſuperfundendi item ritu, voce *Superfuſi*, nec non ubi de *Clinicis*, aliquid etiam voce *Undulata*, it. ubi de *Ungendi ritu*.

BAPTISMUS Judæorum, duplex erat; alter *pollutorum* טבילת טמאים: qui antequam Sacrorum participes redderentur, lotionibus quibuſdam ac piamentis uti debebant; alter *Proſelytorum*, טבילת גרים, per quem alienigenæ in Judæorum Rempubl. ac Religionem initiabantur: Hi enim, præter Circumciſionem & Sacrificium, *Baptiſmô* præterea in Judæorum ſacra tranſibant. Cum hodie, ceſſantibus ſacrificiis, ſolà Circumciſione & Baptiſmô id fiat. Ortum *Baptiſmi* hujus quidam aſcribunt Jacobo familiam ſuam luſtranti, Geneſ. c. 35. v. 2. aliis veroſimilius ad Moſen in Deſerto, illius initium referentibus, Exodi *c. 13. v. 21. & c. 14. v. 22.* qui fuerit *Baptiſmus in nube & mari* memoratus, 1 Corinth. *c. 10. v. 1.* Hoc certum, ſive iſtâ occaſione cœperit, ſive poſtquam Samaritæ Circumciſionem acceperunt, ſive denique poſt Templi excidium, aut ſeriùs, Baptiſmum illum, ad ſacrarum lotionem, aut apud Veteres, aut in Templo deinceps uſitatarum, exemplum primùm uſurpatum fuiſſe. Peragebatur luſtratio hæc ſtatim à Circumciſione, mox ubi dolores ejus interquieverant. Præmittebatur autem examen ſolenne: dumque novus Fidei candidatus abluebatur, Religionis articuli prælegebantur: interimque ipſe mergebatur, adſtante Sapientum Triumviratu. Eòdem ritu & liberi ejus luſtrabantur, atque univerſa utriuſque ſexûs familia. Quòd ſi parentes præmortui forent, locum eorum tres iſti è Sapientum Collegio implebant, atque mutationis hujus teſtes erant. Qui verò ſic expiati erant, in Judaicæ gentis nomen ac decus veniebant; atque, externâ peregrinitate & priſtinâ conſanguinitate obliteratâ, novorum quaſi natalium jus accipiebant, ac deinceps pro Judæis ac Dei domeſticis habebantur. Unde poſteros eorum rurſum tingi & novô baptiſmô inaugurari fas non fuit, cùm pro veris Iſraëlitis cenſerentur &c. Atque hunc *Judæorum Baptiſmum*, qui humanus ac Eccleſiaſticus duntaxat ritus erat, Dominus noſter, ex eorum ſententia, qui jam tum illum obtinuiſſe volunt, conſecravit, & Circumciſione abolitâ, novæ Eccleſiæ Sacramentum eſſe juſſit; Imò, ſicut olim per Circumciſionem & Baptiſmum, ita nunc per Baptiſmum ſolum, Deo liberi naſcantur. Franc. Burmannus *Loc. 31. v. 6. de Baptiſmi inſtitutione*. Sed de *Baptiſmo Chriſtianorum* modò pluradiximus. De Lotionibus verò Aſperſionibuſque Judæorum vide quoque ſuprà, ubi de *Aſpergendi ritu*; ubi etiam aliquid de Gentilium lotionibus, quibus tum ad peccatorum labem expiandam, tum ad celebriora myſteria peragenda, leguntur uſi: ut & infrà, voce *Lotio*.

BAPTISMUS Saturni, vide infrà *Saturni Baptiſmus*, it voce *Myſterium*, ubi ad ſimilitudinem *Baptiſmi*, aquam in variis Gentilium Sacris adhiberi ſolitam, videbimus. Adde quæ dicentur ubi de *Taurobolio*.

BAPTISTA, prima Galeotti Peſaurienſis Principis filia, & Guidonis Comitis Urbinatis uxor, quæ cum doctiſſimis viris plerumque magnâ ſuâ laude diſputavit, libros quoque *de humanæ fragilitate* ſcripſit; ac *de vera religione*.

BAPTISTA Egnatius, Venetus, Humaniorum literarum Profeſſor, *Hiſtoriam Imperatorum Romanorum* à J. Cæſare exorſus uſque ad Maximilianum I. conſcripſit; Item *de origine Turcarum*, &c. Geſner. *in Biblioth.* qui huncce Virum decrepitum planè, Venetiis vidit, A. C. 1543.

BAPTISTA Ferrarienſis, Secretarius Herculis I. Ducis 2. Ferrariæ. Scripſit quædam in Theologia, Item *opus Hiſtoricum*, cui *Florida* titulus, ab incarnatione J. C. uſque ad ſua tempora, nempe A. C. 1494. *Chronologiam* item *Ferrar.* aliaque Trithemio & Voſſ. laudata *Hiſt. Lat. l. 3. c. 11.*

BAPTISTA Trovamala, Italus, Franciſcanus, vixit Lovanii A. C. 1483. Auctor *Summæ Caſuum Conſcientiæ*, cui titulus *Roſella*, vel *Baptiſtiana*. Bellarm. *de Scriptorib. Eccleſiaſt.*

BAPTISTA Fulgoſius, Dux Genuenſis, ab Avo Ducatu pulſus, A. C. 1483. Scripſit exul. 9. *libros exemplorum memorabilium*, ad imitationem Valer. M. quos Petro filio dedicavit. Ex Italico in Latin. tranſtulit Camillus Gilinus Mediolanenſis. Leand. *deſcript. Italiæ*, cui *Fregoſus*, ſicut Volaterrano *Fregoſius* dicitur. Mejer *l. 2.*

BAPTISTA Spagnolus, cognomine *Mantuanus*, quia ibi natus, A. C. 1448. Carmelitarum aliquot annis Generalis Prior. Poëmata plurima ſcripſit, quatuor nunc voluminibus comprehenſa. Vitiorum errorumque Romanæ communionis acer reprehenſor, cecinit *venalia Romæ Templa*, *Sacerdotes*, *altaria*, &c. Obiit A. C. 1516. ætat. 68.

BAPTISTERIUM, Græcè Βαπτιστήριον dictum eſt olim, quod aliàs *Piſcina*, quô nomine vas, quô Veter. Romani lavabantur, appellabatur, in frigida lavatione; quemadmodum in calida, *Labrum* ſeu *Alveus*. Vide ſuprà. Apud Scriptores verò Eccleſiaſticos *Baptiſterium*, ædes vel locus eſt, in Æde Sacra, vel ei adjunctus, in cujus medio erat fons antiquitus, ubi Catechumeni baptizabantur. *Baptiſterii Baſilica*, Ambroſio *Ep. 25.* *Aula Baptiſmatis*, apud Fortunatum *l. 3. Poem. 15.*

> *Inſtaurata etiam ſacri eſt Baptiſmatis aula,*
> *Quô maculas veteres ſons levat unus aquis* &c.

Primitùs enim ad obvium flumen baptizandi ducebantur novi Fideles, ut ſuprà vidimus, poſteà, Conſtantini M. tempore, erigi in templis Βαπτιστήρια & ſacri Fontes cœpêre. Et quidem *Baptiſteria* non niſi in majoribus Templis & Parochialibus conſtituta; Oratoriorum privatorum uſu prohibitô, ut eſt in *Epiſt.* Zachariæ Pontif. ad Pipinum *c. 15.* Sed ea ferè ſemper extructa erant ſeorſim à Templis, iiſque adjuncta, ut obſervare eſt ex Paulino *Ep. 12.* & *Natali 10.* Gregorio Turonenſ. *l. 10.* Aliiſque paſſim. In iiſdem Oratoria interdum & Altaria extitiſſe, tradit Anaſtaſius in *S. Hilaro*, ubi Pontificem hunc tria feciſſe Oratoria narrat, in *Baptiſterio* Baſilicæ Conſtantinianæ, S. Johannis Bapt. S. Johannis Evang. & S. Crucis pertractâ in *Baptiſterio* Lateranenſi Oratorium S. Stephani. Idem in *Symmacho*, *Ad Fontem*, inquit, *in Baſilica B. Petri*, *Apoſtoli oratorium S. Crucis ex argento*, *Confeſſionem & Crucem ex auro*, &c. Quem quidem morem indicat etiam Paulinus *Natali X.* ubi *Baptiſterium* ſic deſcribit:

> --- --- *Medeô pietatis*
> *Fonte nitet, mereque ſimul novat atque novatur.*
> *Namque hodie hic eam geminata novatio comit,*
> *Dum gemina Antiſtes gerit illic munera Chriſti,*
> *In geminos adytum venerabile dedicat uſus,*
> *Caſtifico faciant pia Sacramenta lavacrô* &c.

Idem variis adornata *Baptiſteria* hæc figuris teſtatur *Ep. 12.* quas ſic deſcribit Ægidius Mon. Aureæ Vallis in *Oberto Epiſcopo Leod. c. 18.*

> *Fontes fecit opere fabrili,*
> *Arte vix comparabili.*
> *Duodecim qui ſuſtinent*
> *Boves, typum gratiæ continent.*
> *Materia eſt de myſterio,*
> *Quod tractatur in* Baptiſterio.
> *Hic baptizat Johannes Dominum:*
> *Hic gentilem Petrus Cornelium*
> *Baptizatur Craton Philoſophus:*
> *Ad Johannem confluit Populus.*
> *Hoc quod Fontes deſuper operit,*
> *Apoſtolis & Prophetis extrit.*

Ubi per *Fontes* idem Baptiſterium intelligit. Unde, quum in qualibet Civitate majori Templo adjuncta eſſet cappella *Baptiſterii*, ea quæ Metropolitanæ Ravennati Eccleſiæ adnexa eſt, *S. Johannis in Fonte* appellata eſt. Quemadmodum contrà *Baptiſterium* pro Aqua baptiſmali ipſiſque Fontibus uſurpari videmus, in Libro *Sacramentorum* Gregorii M. *Hic mittantur duo cerei intus in Baptiſterio.* Ubi Ordo Rom. *Hic deponitur benedictus cereus in fontem*, &c. Vide Sanſovinum & Stringam, in *Venetia l. 2. c. 106* & Car. du Freſne in *Gloſſar.* item in *Deſcript. Ædis Sophianæ num. 82. 83.* ubi de *Baptiſterio* Sophiano: è quo etiam hoc addatur, in *Baptiſteriis* mortuos ſepeliri vetitum eſſe, Concil. Altiſiodor. *can. 14.* De *Baptiſterio S. Joannis*, uti vocatur, è marmore magnificè extructo, in quo ipſe baptizâſſe fertur, quodque etiamnum Epheſi viſitur, quod ſciendum, vide Jac. Sponium *Itinerar. Part. I. p. 328.*

BAPTISTERIUM, locus Romæ in Vaticano, prope cuſtodiam Mamertinam, hodie oſtenditur cum cochlea intra ædes Pontificias, cujus uſui aqua ſervit Sabatina, deducta ab Innocentio VIII. Olim enim, qui Gentiliſmô ejuratô fidem Chriſti ſequerentur, duobus in locis Romæ baptizari ſolebant, *in Vaticano*, ubi prom loco præfato nomen, & *in Eſquilino*, juxta ædem Lateranam, ubi adhuc labrum oſtenditur, quod *Lavacrum Conſtantini* nominant. Georg. Fabricius *Commentar. in Poëtas Chriſtianos*.

ma. Item nomen Ædis ſacræ, S. Johanni Baptiſtæ dicatæ, Florentiæ in Italia, è regione maximi Templi, quæ tota marmorea januas habet, quas æneæ valvæ egregii operis occludunt. In ejus medio *Baptiſterium* è marmore lucidiſſimo poſitum viſitur, in quo Florentini omnes Baptiſmi lavacrum percipiunt, neque alibi quiſquam incolarum ſalutaribus his aquis tingitur. Idem Car. du Freſne *Gloſſar*. Item nomen Feſti Epiphaniæ, apud Armenos, quô die memoria Baptiſmi Chriſti recolitur, ut auctor eſt Willebrandus ab Oldenborg in *Itinerario Terræ Sanctæ*, p. 137. Porro Liber, in quo ritus Baptiſmi & orationes deſcribuntur, vel certè Ordo ad baptizandum, in *Capitulis* Caroli M. de diverſis rebus A. C. 789. c. 7. apud Baronium l. 19. c. 8. alibique paſſim. Obventiones tandem & Reditus Sacerdotum, ex Baptiſmis, in *Charta* Theotolonis Archiepiſcopi Turon. A. C. 933. inque *Tabulario* Conchenſi in Ruthenis Ch. 25. apud eundem Car. du Freſne, qui plura ibidem vocis ſignificata enarrat.

BAPTIZATI, vide infrà *Converſi*.

BAPTUS, apud Damnios eſt fluvius.

BAR-JONA, unum ex tribus nominibus Petri Apoſtoli, quem *Trinomium* propterea vocat Petrus Bleſenſis *Serm*. 26. quæ ſunt, *Simon, Bar-Jona & Petrus*: occurrit Matthæi, c. 16. v. 17. Μακάριος εἶ Σίμων Βαρ ἰωνᾶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι &c. *Beatus es Simon bar-Jona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi*; Dominico Macro ex duabus vocibus Chaldaicis formatum eſt, ex *Bar*, nempe, h. e. *Filius* & *Jona*, i. e. *Columba*: ut ſit *Bar Jona*, h. e. *filius columbæ*, vide eum *in Hierolex*. Hieronymus verò corruptum videri locum annotat, & legendum monet, Βαρ ἰωαννᾶ, ſicut etiam legitur apud veterem Interpretem, in quibuſdam codicibus & vetuſtis aliquibus exemplaribus Græcis, Joan. c. 2. v. 43. & c. 21. v. 17. Vide Theod. Bezam *Annotat. ad loc. cit*.

BARA, בערא Latinè *mundum*, ſive *expurgatio*, aut *paſtus*, vel *jumentum*, ſive *inſipiens* vel *in vigilia*, altera uxor Saharaim. 1 Paral. c. 8. v. 8.

BARA, ברע, Latinè *in malo*, ſive *in ſocio*, aut *in clamore*, vel *in paſtu*, ſive *in conſtructione*, Rex Sodomæ. Gen. c. 14. v. 2.

BARA, inſul. non longè à Brundiſio. *Ferrar*. Hodiè *St. Andrea*, ni tabulæ fallant.

BARA, vide *Dumbarum*, ubi Scoti victi ab Anglis, A. C. 1651. magnâ clade.

BARA, oppid. Africæ, in Abyſſinia in provinc. Gorga, prope lacum Zaflanum. *Sanſon*.

BARAA, nomen viri. 1 Paral. c. 8. v. 13: Latinè *in ſocietate*, vel *malitia*, aut *in ululatione*, vel *paſtu*.

BARABANES, vel BARATANES, Perſarum Rex, regnavit ann. 10. Chriſtianos perſecutus eſt, hinc inter Romanos & Perſas bellum obortum. *Hiſt*. Tripart. l. 11. c. 15.

BARABBAS, Latinè *filius patris*, inſignis latro & homicida, Matth. c. 27. v. 16. Sedulius *de Judæis*:

Tunc coluêre Baal, tunc elegêre Barabbam.

BARAC, Latinè *fulgur*, ſive *in vanum*, vel *in vacuum*, fil. Abinoam de tribu Nephthalim, præfectus fuit exercitui Deboræ. Hic Dux fortiſſimus, decem hominum millibus tantum aſſumptis, exercitum Siſaræ, longè copioſiorem, imo bis decies ampliorem ad unum confecit, ac delevit. Quartus Judex Iſraëlis, præfuit cum Debora, 40. annos. Vide Judic. c. 4. & Joſephum *Jud. Ant*. l. 5. c. 9. Item civitas in tribu Dan. Joſ. c. 19. v. 45.

BARACE, inſul. Gedroſiæ. *Steph. Baraim Mercatori*. Auctori *Periplo* Βαράκη, *Ptolemæo* Βαραίγη. Plinio l. 6. c. 23. *Becare*, *Alius utilior portus gentis Nelcyndon, qui vocatur Becare*, Lege *Barace*. Accepit it autem *Nelcyndæ*, pro gentis nomine, in cujus regione ſitus erat ille portus *Becare* vel *Barace*. Atqui Nelcynda emporium etiam fuit eidem flumini adpoſitum, ſed longius à mari ſitum, quàm *Barace*, quæ in ipſo oſtio fluminis ad mare jacebat, utpote Emporium maritimum, cum portu; quo ex Nelcyndis naves deſcendebant, quæ piper vehebant ex Cottonara, pro quo corruptè *Cottara*, hodie *Calicutium*, dicitur. Statio autem navium ad Baracen hærebat, quæ piper Cottonaricum, ex Nelcyndis ſecundò flumine lintribus monoxylis delatum accipiebant. Nomen emporio à flumine *Baris*, in cujus oſtiis ſitum erat. Hinc ὁ κόλπος Βαράκης, *ſinus Baraces*, apud Auctorem *Peripli*, qui ab Indi fluv. oſtiis verſus Orientem procedebat &c. Vide Salmaſ. *ad Solin*. p. 1187.

BARACE, vel BURACE, eſt *Diu*, urbs permunita, in parva Inſul. prope ſinum Cambajæ, longè ab oſtio Indi fluvii. *Baudrand*.

BARACH, civitas in tribu Dan. Joſ. c. 19. v. 45. prope Azotum.

BARACHA, i. e. *benedictio*, aut *genuflexio*, nomen viri. 1 Paral. c. 12. v. 3.

BARACHEL, nomen viri. Job. c. 32. v. 2. Latinè *benedicens Deum*, aut *genuflectens Deo*.

BARACHIAS, Latinè idem ſignificat quod *Barachel*. Pater Zachariæ Prophetæ. Zachar. c. 1. v. 1. Fil. Moſollamoth. 2 Paral. c. 28. v. 12. Filius Zorobabel. 1 Paral. c. 3. v. 20. Item cognom. Jojadæ, de cujus filio vide Matth. c. 23. v. 35. Joſeph. *Bell. Jud*. l. 4. c. 10.

BARACUM, Cyrenes oppidum. Plin. l. 5. c. 5.

BARACURA, Indiæ extra Gangem emporium. *Ptol*. hodie *Bengala*, civitas fœcundiſſima, & regnum latiſſimum. *Caſtaldo Bacala*.

BARAD, Latinè *grando*, ſive *in deſcenſu*, aut *imperio*, nomen loci in deſerto Sur. Gen. c. 16. v. 14.

BARAGAZA, Æthiopiæ oppid. Plin. l. 6. c. 29.

BARAJA, i. e. *creatura Domini*, ſive *impinguatio*, vel *electio Domini*, ſive *in viſione*. Fil. Semei. 1 Paral. c. 8. v. 20.

BARAK, vide *Barac*.

BARALIO, apud Lucam Tudenſem æra 1065. calcei ſpecies, quâ ruſtici olim utebantur. Ita enim is, *Fecit ſibi & ſuis militibus de corio crudo & ligneis venatibus, ruſticorum more, calceamenta, quæ vulgariter Avarcas & Baraliones vocant*. Car. du Freſne. Vide quoque ſuprà in voce *Abarca*.

BARALOTTI, Bononiæ Hæretici quidam dicti ſunt, à *Barelotto*, ſectæ auctore: habebant communes uxores, filios, divitias; à turpiſſimarum rerum facili obſequio, *Obedientes* quoque dicti. Ferdin. Cordubenſis *Tract. de exig. quaeſt. c. de Obedientiis*.

BARAMALACUM, Nabathæorum oppid. Plin. l. 6. c. 28.

BARAMPURA, Urbs Aſiæ, in India, ſub dominio M. Mogolis, juxta *Tapte*, fluv. aliis *Brampore*. 200. milliar. ab urbe Agra, in meridiem.

BARANATHETA, regnum Aſiæ, cum urbe cognomine in Tartaria. *Baudrand*.

BARANGI, apud Cantacuzenum l. 2. c. 3. Officiales ſunt, qui claves portarum Civitatis, ubi Imperator morabatur, cuſtodiebant. Vocabulum Anglicum eſt illius ævi, teſte Curopalatâ; qui cuſtodes illos Anglos fuiſſe, ſecurim ferentes, refert. Anna Comnena eos, ex Inſul. Thule, arceſſi conſueviſſe, tradit. Præfectus eorum *Acoluthus* dicebatur, uti legimus apud Dominicum Macrum in *Hierolex*.

BARANTOLÆ Regis Navazmachel, effigies in *Muſæo* Kircheriano aſſervatur, ut videre eſt apud Georgium de Sepibus *in Deſcript. ejus* p. 7.

BARAS, ex Ducibus Hormiſdæ, Perſarum Regis, huic iratus, quòd cladem à Mauritio acceptam ſibi imputain, muliebrem veſtem ignominiæ ergo miſiſſet, per Perſas abalienatos Regem excæcatum in carcerem conjecit, Coſroë filiô ipſi ſurrogatô, A. C. 585. Zonar. *tom*. 3. &c.

BARASA, i. e. *in egeſtate*, ſive *in turſâ*, vel *in beneplacito*, civitas Galaad, munita & magna, 1 Machab. c. 5. v. 26. in tribu Gad.

BARATATOR, dicitur in *Vita* Clementis VI. Pontific Romani Pſeudowoldemarus ille, famoſus Brandenburgicæ Marchiæ ante ſecula aliquot turbo, de quo vide infrà ſuô locô. Sunt autem mediô ævô appellati *Baratatores*, Impoſtores & Deceptores. Unde apud Matthæum Paris. *A*. C. 1239. legimus, Fridericum Imperatorem accuſatum, quòd diceret, *Tres Baratores fuiſſe in Mundo, Moyſen* (alterum non nomino, ne vel ſolâ alienæ blaſphemiæ relatione innocentem chartam funeſtem) *& Mahumetem*. Iidem *Baratores* quoque appellantur Hortenſio Cavalcano *de Brachio Regio Part*. 3. *num*. 6. ubi ſic vocari ait, *qui prætorium nimis frequentant*, h. e. Velitigatores, Gall. *Chicaneurs*: à voce citimæ ætatis *Baratum* ſeu *Barateria*, cujus etymon Car. *du Freſne* arceſſit à *Barra*, i. e. litium judicialis inſtructionibus ac præparationibus, in quibus ut plurimum dolus & artificioſæ fraudes miſcentur. Hodieque Italis *Barattieri* dicuntur ii, qui ex ſordido lucro vitam agunt, vel qui Judices pecuniâ corrumpunt, atque adeò ipſi Judices corrupti &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar*.

BARATHIA, Africæ propriæ urbs. *Ptol*. *Brata Caſtaldo*, *Blata Mercatori*.

BARATHRA, locus prope Caſium.

BARATHRUM, locus profundus & tenebricoſus in Attica, in quod facinoroſos præcipitârunt. In hoc puteo multi erant uncini, alii ſurſum alii deorſum ſurrecti, in quem Phryga Deorum Matris tanquam furioſum demiſerunt, quòd indicâſſet Deam ad filiam inquirendam venire. Dea verò hôc facinore irritata ſterilitatem regioni immiſit. Quare Athenienſes causâ ex oraculo cognitâ hiatum ſive labem obruerunt ac Deam ſacrificiis placârunt. Alii nomen eſſe loci ajunt in Ægypto profundiſſimi. Eſt & generale nomen, apud Græcos *pro quovis loco cavo & profundo*. Hôc enim nomine appellantur terræ cavitates, quæ fluvios hauriunt alibi in locis emerſuros. Transfertur quoque ad alia. Martialis *Barathrum ſemmarum*, pro locis muliebribus dixit l. 3. *Epigr*. 81. v. 1. Idem Stomachi imum hiatum *Barathrum* appellavit, l. 1. *Epigr*. 88. v. 4.

Extremo ructus ſi venit à Barathro.

Horatius de lurcone & voraci l. 1. *Ep*. 15. v. 31.

Pernicies, & tempeſtas, barathrumque macelli,
Quicquid quæſierat, ventri donabat avaro.

Ponitur & pro *meretrice*. Plautus *in Bacchidibus*, *Actu* 1. *ſc*. 2. v. 44.

O barathrum ubi nunc es? ut ego Te uſurpem lubens!

Barathrum, inquit Feſtus, *Græci appellant locum præcipitem, unde emergi non poſſit*, additque venire à *βαθὺς profundus*, niſi *βαρὺς* ibi legendum. Ridiculè verò Iſidorus l. 14. c. 9. ubi *barathro* Latinum etymon aſſignat, ac dici putat, quaſi *voratrum*. Nec multò meliùs Cæl. Rhodig. l. 17. c. 9. à *βαίνειν* ſcil. *ab eundo*, nempe quia, ex ejus mente, propriè ita dicantur cataractæ ob aquarum ingreſſum. Quanto veriſimilius doctiſſ. Martinius à Chaldæis eſſe putat, quibus באר *ber puteus* eſt & תרא *athar locus*, quippe Ionibus dicitur *βέρεθρον* quod *Heſychius* exponit κοίλωμα καὶ χάσμα. *Nic. Lloydius*. Vide Suidam, in Βάραθρον, ut & infrà *Ceadas*.

BARBA, autore Euſtathiô *in* 2. *Odyſſ*. portus Trœzenius eſt, urbis Argivorum.

BARBA, ut olim Philoſophorum, Cynicorum inprimis, vide *ibi*: ſic hodieque Sacerdotum Græcorum, præcipuum geſtamen, & ipsâ nonnullis fide charius; quippe cùm non paucos illorum, quum ad radendam eam à Turcis condemnantur, ignominiam hanc, quâ non aliam majorem æſtimant, apoſtaſiâ à Chriſtiana religione & circumciſione prævertere, narrat Jac. Sponius *Itiner. Orient*. Sed & olim *Barbam* alere virile viſum, nec apud Græcos quiſquam, niſi Alexander

der demum Magnus, *Perſicâ leviter fractus enervatuſque aſperitatem patriam & frugalitatem exuens, barbam radere primus inſtituit*, Chryſippus *de Volupt. l.* 4. & ex illo Athenæus *Dipnoſophiſt. l.* 13. Meminit tamen & Lacedæmoniorum legis, quâ cautum erat, τὸ μύστακα μὴ τρέφειν, Keuchenius ex Plutarcho & Heſychio, *Not. ad C. Nepotis Datamen*, c. 3. Interim, ſicut frequentiſſimè capillos variis Diis, ita, quamvis rariùs, Apollini *barbam*, religionis ergò, in illa gente fuiſſe poſitam, legimus. Unde Statius *l.* 3. *Sylvarum*, *Coma Earini*; eum puerum, ſi exſectus non fuiſſet, Apollini etiam primum genarum florem conſecraturum fuiſſe, dicit, v. 78.

Tu quoque nunc juvenis, genitus ſi tardiùs eſſes,
Umbratuſque genas, & adultos fortior artus,
Non unum gaudens Phœbeja ad limina munus
Miſiſſes: patrias nunc vertex ſolus ad aras
Naviget ----

Et *Theb. l.* 8. v. 493.

Ille genas Phœbo, crinem hic paſcebat Iaccho.

Romani ſimiliter antiquioribus temporibus erant intonſi, donec anno Urb. Cond 454. Siculi primum Tonſores admiſſi ſunt, teſte Plinio *l.* 7. *c.* 59. A quo tempore *Barbam* quoque radere cœpêre, idque ſub annum ætatis ut plurimùm vigeſimum primum, uti ex Macrobio in *Somn. Scipionis l.* 1. *c.* 6. diſcimus, qui *ter ſeptenarium numerum requiri ad barbam radendam*, tradit: atque ita Neronem poſuiſſe, ex *Faſtis* liquet. Cæſarem tamen Octavianum vigeſimò demum quintò, & Caligulam jam vigeſimò, id feciſſe, narrant Dio & Sueton. *Calig. c.* 10. Erat autem dies hic poſitionis ſolemnis. Juvenal. *Sat.* 3. v. 186.

Ille metit Barbam, *crinem hic depoſuit amati:*

Primitiaſque ejus alicui è Penatibus ſuis Deo conſecrabant. Hinc Nero Juvenalia inſtituit, & *Barbæ* ſuæ raſæ τρίχας ἐς σφαῖραν χρυσῆν ἐμβαλὼν ἀνέθηκε τῷ Διὶ τῷ Καπιτωλίῳ, *pilos, in Sphæram auream conjectos, Jovi dedicavit Capitolino*, ut habet Dio *l.* 61. *in fin.* De eodem Sueton. *c.* 12. *Inter Buthyſia apparatum, Barbam primam poſuit, conditamque in auream pyxidem, & pretioſiſſimis margaritis adornatam, Jovi Capitolino conſecravit.* Cujuſmodi Pyxidis aureæ, in qua barba condita, meminit quoque Petronius ubi de Trimalcione, *Veneriſque ſignum marmoreum, & pyxis aurea non puſilla, in qua Barbam ipſius conditam eſſe dicebant.* Itaque viri imberbes erant, ſicuti ex numiſmatibus aliiſque monumentis liquet. Juvenes autem barbatulos fuiſſe, dicit Cicero: unde miratur A. Gellius *l.* 3. *c.* 4. barbam Scipioni jam quadragenario demum raſam fuiſſe. Hanc verò qui ponebant, vel radi ſolitos, vel pſilothrô aliiſque medicamentis, pilos extirpâſſe, docet Anton. Thyſius JC. *Notis in l. c.* Primus Hadrianus hunc morem mutavit, ut ex *Spartiano* & nummis liquet. Unde Ἀδριανὸς πρῶτος τὸ γένειον καθῆκε, *Hadrianus primus barbam nutrivit*, ait Joh. Xiphilinus *in Trajano*. A quo omnes fere Imperatores barbati: inter quos Verus prope barbaricè eam demittere ſolitus eſt, ut idem Capitolinus in *Vita* ejus habet, *c.* 10. ubi tamen ad vulgaris amicæ arbitrium eam poſuiſſe notatur. Sed qui molliores fuêre inter eos, ii in gratiam Antiochenſium (qui unà cum Syris eos, qui barbam alerent, averſabantur & ſubſannabant, ut docet vel Julian. Μισοπώγων) *barbam* poſuerunt; Sic Verus hic. Sic de Caracalla Dio, ὁ Ἀλεξάνδρειαν ἐτρύφα ὥστε καὶ τὸ γένειον πάνυ ψιλίζεσθαι. *Antiochia luxuriei ſe dabat in tantum ut & barbam tonnaret.* Similiter Heliogabalus, ut ſcribit idem, ἐψιλίζετο ὥστε καὶ ἐκ τούτου γυναικίζειν, *Barbam radebat, ut hinc planè effœminaretur*: Contrà Macrino, cùm ſeveritatis famam affectaret, ac velut alter Marcus haberi vellet, etiam in oculis Antiochenſium, barbam prolixè alente, uti legimus apud Herodianum. Sequenti tempore radendi mos iterum inoleviſſe inter Imperatores videtur, cùm nummi Imperatorum qui ante Heraclium fuêre, non ſolùm id, ſed & Auctor Chronici Alexandr. teſtetur, quò locô Juſtinianum deſcribit, quem mentum raſum, ὡς οἱ Ῥωμαῖοι, *ſicut Romani*, habuiſſe refert. Primus iterum Heraclius *barbam* latam promiſſamque nutrivit, ut ex nummis ejus apparet, contrarium fruſtra Cedrenô aſſerente, à quo tempore, *moris fuit* Orientalibus tam Græcis, quàm aliis *nationibus*, ut habet Antiſtes Tyrius, *barbas tantâ curâ & omni ſolicitudine nutrire, pro ſummoque probro & majori, quæ unquam irrogari poterit, ignominiâ, reputare, ſi vel unus pilus quicunque caſu ſibi de* barba *cum injuria detraheretur.* Subdit deinde, *Barbam eâ diligentiâ conſervâſſe* Græcos, tanquam *argumentum viri, vultus gloriam, hominis præcipuam auctoritatem*, *l.* 11. *c.* 11. Tranſiit mos ad Longobardos, apud quos *per barbam aut capillos trahere*, injuriæ majoris ſpecies fuit, *L. Longob. l.* 1. *tit.* 6. §. 4. & *l.* 2. *Feud. tit.* 17. Francos item, in qua genere *Barbæ raſionem* ſimiliter præcipuam fuiſſe injuriam habitam, diſcemus ex *Geſtis* Dagoberti Regis *c.* 6 & Regione *ad A.C.* 546. Vide Paulum Jovium in *Elogio* Fr. Philelphi & Gobelinum Perſonam in *Coſmodromio p.* 166. Neque vero ſeculares ſolùm, uti vocant, ſed & Sacerdotes ipſi ac Clerici, inter Græcos, uti dictum, *Barbam* aluêre, quod tamen Latini imitati non ſunt. Gregorius VII. *l.* 8. *Ep.* 10. *Scilicet ut, quemadmodum totius Occidentalis Eccleſiæ Clerus, ab ipſis fidei Chriſtianæ primordiis*, barbam *radendi morem tenuit, ita & ipſe frater veſter Archiepiſcopus raderet.* Vide Æneam Paris. *adv. Græcos quæſt.* 5. & quæ Car. du Freſne adnotavit *ad Alexiadem p.* 183. Atque hi *barbam Deo conſecrare* dicebantur. Monachi effecti, in *Vita* S. Willhelmi Ducis *c.* 21. *Edit. Mabillon.* Exceptis Fratribus Converſis, in Monaſteriis, qui inde ut plurimum *Fratres Barbati* dicuntur, uti infrà in voce *Barbati* videbimus. Ponunt autem *barbam* Monachi, non ſine prævia *Barbæ benedictione*, uti indigitat Ademarus Cabanenſis apud Beſlium p. 328 de Jordano Epiſcopo Lemovicenſi. *Inde ad tumulum S. Martialis Miſſam audivit & juxta Monaſterium eâ die regulariter hoſpitatus eſt. Craſtinâ* barbam *benedici jubet & detondi, & ſic ad Sedem S. Martialis in aula S. Stephani ſtor dantem deducerunt, & cum baculo Paſtorali ibi eum grato honore Pontificatu veſtivit.* Ubi Editio Labei habet, *Die craſtinâ barbam Electo benedici jubet* &c. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* & *Diſſertatione de Numnis Byzantinis*. In Anglia, quis *Barbam* poſuerit primus, docet Theodorus Claitus *Hiſtor. Britann. l.* 3. *Henricus cum in hac Inſula Princeps barbamque totondit, ejus exemplô ducti Angli, qui ſuâ memoriâ capillô promiſſô fuerant, omnes confeſtim tondebantur*; ut alia taceam. Vide Thom. Dempſter. *ad Roſin. l.* 10. *c.* 29. Addam ſaltem, Aſſyrios, cætera barbatos, *in luctu barbam raſiſſe, capitis verò crines demiſiſſe*, Strab. *l.* 16. quod de Ægyptiis quoque teſtatur Herodot. *l.* 2. Contrà, nullâ re magis indicâſſe luctum Romanos, quam *barbâ capilloque demiſſis*, docet Sueton. *Caligul. c.* 5. Vide eundem *Aug. c.* 23. Unde & Livius *Dec.* 3. *l.* 7. *Veſte obſoletâ, capillô & barbâ promiſſis, præferens vultu habituque inſignem ignominiæ acceptæ memoriam*; quô habitu fugit à Cannis Varro & in Urbem rediit, Jul. Frontinus *Strategem. l.* 4. *c.* 5. Idem Hebræis fuiſſe in more poſitum, è Sacris diſcimus, Hodieque Turcæ & Arabes *barbam* promittunt, quam quibus, ceremoniis ſuffumigare ſoleant; quoties ſe mutuò inviſunt, dicemus infra voce *Xylaloe* &c. Vide infrà, ubi de *Mortuos lugendi ritu*, item *de Supplicibus* &c. de phraſi verò *Adorare barbam*, ſuprà; uti de Semiviforum apud veteres Romanos circa *exornandam barbam* cura, aliquid infrà voce *Ornatrices*: adde, quæ dicemus, in *Plenuberbes*, it. ubi, de *Tondendi ritu*, & *Tonſura Petri*: etiam voce *Volſella*, quâ antiquitùs ſibi *barbam* vellebant οἱ θηλύνοντες.

B A R B A Aurea, idololatras Iſraëlitas produdiſſe, jam ab aliquot retro ſeculis inter Chriſtianos credita eſt. Hinc, cùm Hebræi doceant, Moſen ideo auream vituli ſcobem in aquas conjeciſſe & eas aquas populo bibendas obtuliſſe, ut idololatras inde cognoſceret: addunt Auctores non pauci, omnes tanti ſceleris contage infectos, poſtquam aquas hauſiſſent aureâ ſcobe aſperſas, *barbâ aureâ* factos eſſe inſignes. Ita Petrus Comeſtor *Exod. Hiſtor. c.* 73. *Videns Moyſes ſibi indicatos à Deo ſcelerum auctores per pulverem bibitum, qui in barbis eorum miraculosè apparuit.* Naucleius *Chron. Generat.* 27. *Dedit potum filiis Iſrael: remanſit autem color auri circa ora nocentium, ita ut diſcerni poſſent ab innocentibus.* Idem legas in *Traditionibus* Hebraicis perperam Hieronymo adſcriptis, *ad v.* 6. *c.* 7. *l.* 1. *Reg.* in Bibliorum *Tranſl.* veter. Gall. inchoata A. C. 1089. *Not. ad Exodi loc. cit.* Aliiſque, ſed fruſtrà hæc dicuntur. Nam nec certum eſt, Moſen & Levitas, cum in idololatras promiſcuâ cæde graſſati ſunt, ullam notam *Agnoſcendi* habuiſſe, quâ vituli cultores à Fidelibus dignoſcerent, ne pro illis hi caderentur. Neque enim tali notâ fuit opus, cùm כל העם *univerſus populus*, reus fuerit, ut diſertè habetur Exodi *c.* 32. v. 3. Fuit nempe tam generalis hæc defectio, ut inter tot idololatras, ſi qui in veri Dei cultu perſtiterint, ii conſpicui non fuerint, in tanto numero prævaricatorum. Itaque cùm v. 18. eos, qui Deo adhærebant, ad ſe convenire juſſit Moſes, præter Levitas nulli adfuerunt. Et ſi neceſſe fuiſſet, vituli cultores ſpeciali notâ dignoſci, *barba aurea* non ſuffeciſſet: cùm fuerint in magno Populo imberbes multi juvenes, neque dum veſtiripes, multæ mulieres, multi eunuchi, ad quos hæc nota non pertinuit &c. Plura hanc in rem vide apud Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 34. & ſuprà in voce *Aurea*.

B A R B A Falſa, memoratur in *Curia Gener.* Catalaniæ celebratâ A.C. 1351. ſub Petro Aragonum Rege. *Ne quis barbam falſam ſeu fictam audeat deferre*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

B A R B A Gemina, qua multi inſigniuntur inferiori labiô, in deliciis olim, uti infrà dicemus voce *Muſtus*.

B A R B A Honeſta, ſeu *Honeſta Barba* cognomen Balduini IV. Flandriæ Comitis uti habetur in *Charta* Roberti Regis Franciæ A.C. 1003. cui is ſubſcripſit, in *Probat. Hiſtor. Monmorenciacæ*, p. 13. apud *Eund.*

B A R B A Plena, apud Æl. Spartian. *in Hadriano*, *c.* 10. *Nec Tribunum niſi* plenâ barbâ *faceret*: i. e jam ad plenum perductâ, cujuſmodi *barbâ* inſtructum Græci ὀλογενείοντα vocant, ut *primâ barbâ* dicitur eſſe ὁ πρωτογενειάζων. *Lucilius.*

Jamque parectato chlamydes & barbula prima.

Requiſivit autem *plenam barbam* in Tribunis, ut non annorum tantùm, ſed & integritatis eorum certus eſſet, Nam luxuriâ infames adoleſcentes plerunque vellebant ſe & depilabant: Ita nonnulli. Salmaſ. verò ad ætatem ſolùm hanc *plenam barbam* refert illoſque tantùm feciſſe Tribunos Hadrianum vult, qui id ætatis eſſent, quæ plenâ barbâ mentum operire conſuevit: quod apertè indicat Valerianus in quadam ſua *Epiſtola* apud Vopiſcum. Neminem itaque Imperator hic Tribunum fecit juniorem pleniberbe, quales Græci πλεογενείους quoque & ὀλογενεῖς vocant: ut *ſemigeneios*, *mediobarbes*, ἡμιγενείους, &c. Vide eum *Notis ad Spartian.* & infrà in voce *Pleniberbes*.

B A R B A Ruffa, cognomen Friderici I. Imperatoris, vide ibi.

B A R B Æ Evulſio, inter ſummi dedecoris genera. Unde *contumelia oris levigati*, apud Arnob. *adv. Gentes l.* 6. ubi de Æſculapii ſtatua à Dionyſio aureâ barbâ ſpoliata: *Si ſuberat Numen in ſtatua naturâ ejus majeſtatique ſacrata, cur oris contumeliam levigati & dehoneſtati vultus non juſtâ & meritâ perſecutum eſt ultione?* Et inter juſtas belli contra Ammonitas ſuſcepti cauſas Davidi fuit, quod *Chanun Servis Davidis* (quos conſolatores ipſi miſerat, patris obitum lugenti) *abraſit dimidium barbæ*, 2 Sam. *c.* 10. v. 4. Vide quoque Philoſtratum *de Vita Apollonii l.* 7. *c.* 14. Procopium *in Eſajam* p. 120. Herodianum *in Maxim & Balbo*, Alios.

B A R B A C O Æ, populi Americæ meridionalis in regno Popajani, verſus montes, & inter fluv. Caucam & mare Pacificum. Sanſon, *Alii.*

B A R B A F L O T, portus in pago Conſtantino, vulgò *Barfleur*, aliàs *Barfleu en Cotantin*, olim Regum Anglorum, in tranſmarinas ſuas provincias venientium, appulſu nobiliſſimus. Ordericus Vitalis *Hiſt. l.* 11. & 12. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* An. 1675. *Pariſiis editâ.*

BAR-

BARBALISSUS, caſtellum in Oriente, muris cinctum *Steph.*

BARBANA, *fluv.* Dalmatiæ, in mare Adriaticum ſe exonerat, prope Dulcinium. Nunc *Bojana.*

BARBARA, filia Hermanni, Ciliæ Comitis, Sigiſmundi Imperatoris uxor, quæ ſtultas vocabat virgines pro Chriſti nomine paſſas, quod voluptatum gaudia non guſtâſſent. Dicebat animas cum corporibus interire, nec futuram aliam vitam poſt hanc quam vivimus. Mortuo marito, A. C. 1437. licet jam vetula, Poloniæ Regi, qui juvenis admodum erat, nubere ardenter ſtuduit, incontoſa filiæ noxæ, Albertı II. Uxoris; *Æneas Sylvius Hiſt. c.* 55. Bonfin. *l.* 3. *decad.* 3.

BARBARA, filia Ferdinandi I. Imperatoris, uxor Alfonſi II. Ateſtini Ferrariæ Ducis.

BARBARA, Virgo Nicomedienſis, Dioſcori viri nobilis filia, à quo in turrim eſt conjecta, quòd ſe Chriſtianam profiteretur, ac poſt omnibus probris nudatum converberatumque corpus, ab eodem ad Præſidem ducta, jugulataque in eadem urbe ſub Maximiano: demum Venetiis (quò tranſlata eſt) condita. *Volaterran.*

BARBARA Inſul. Vide *Inſula Barbara.*

BARBARATOR, vide infrà *Barbator.*

BARBARI, Aſiæ urbs circa Indi fluv. oſtia. *Ptol. Bernet Caſtaldo. Mercator Reſendia*, qui eam inſulam non urbem vocat, cùm Ptolemæo ſit urbs in inſula ſita. Nunc à *Sanſone* & aliis creditur Amedebatum, Urbs perampla regni Guzarati, ſub Imperio M. Mogolis. Vide *Amedabatum.*

BARBARI, ficto nomine, inquit Strabo *l.* 14. dicti ſunt ab initio, qui difficulter, aſperè, atque duriter loquebantur, quaſi *duriloqui & craſſilingues*, à *βαρβᾶν* abſonâ voce, in quam peregrini homines Athenas advenıantes identidem incidebant. Sic etiam dicuntur illiterati malis moribus, crudeles. Arabicè autem *Bar deſertum* ſignificat, unde forſan *Barbaria* nomen. B. Paulus, 1. Corinth. c. 14. v. 11. *Barbarus mortuo ubi*, & *ego illi.* Ovid. *l.* 5. *Triſt. El.* 10. v. 37.

Barbarus hîc ego ſum, quia non intelligor ulli.

Atque hoc ſenſu civili, Anagogicè autem ſeu Spiritualı, benè vetus Gloſſa in *Pſalmos*: *Barbara lingua eſt, quæ Dominum non laudat.* Hinc *Barbariſmus*, quem ſic definit *Suidas*. Ἔστι δὲ βαρβαρισμὸς ἡ ... ἀδιάφορος ... Ἑλληνισμὸν Ἐ... Veteribus autem omnes Barbari erant, qui non erant Græci, & Barbarum τὸ μὴ Ἑλληνικὸν. Unde *Sophocles*,

Τὴς βαρβάρου γλώσσης ...

Unde *Plautus*, teſte *Feſto*, Nævium Poëtam Latinum *barbarum* dixit. Et in *Aſinaria prologo*, v. 11. *Marcus vortit barbarè*, h. e. *Plautus reddidit Latinè.* In *Captivis Act.* 3. *ſc.* 1. v. 32. quoque legas, *Barbaricam legem* pro *Latina lege.* Et B. Paulus c. 1. ad Rom. v. 14. Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις. Eâdem ratione Latini auctores, non utentes linguâ Romanâ *barbaros* dixerunt omnes; ſicut & Cicero Afros, Gallos, Hiſpanos, in *Epp. ad Qu. Fratrem.* Imò Lacones hoſpites & peregrinos dixiſſe *barbaros* annotatum ab Euſtathio, ex Herodoto in 3. *Iliad.* Cl. Voſſ. *l.* 1. *de Vitiis ſermonis c.* 1. ex Chaldaico בר *bar*, quod *extra*, vel *foris* ſignificat deducit. Sic teſtatur Herodotus in *Euterpe*, antiquos quoque Ægyptios omnes, qui linguâ ſuâ non uterentur, *Barbaros* vocâſſe. Similiter Romanis erat in more poſitum, omnes extra Juriſdictionem ſuam poſitas gentes *Barbaros* vocare. Unde Concilium Chalcedonenſe Can. 28. Ἐπισκόπους τοὺς ἐν βαρβαρικοῖς appellat omnes extra terras Imperii Romani degentes. Et Canones Eccl. Afric. Can. 51. Mauritaniam, quæ Imperii pars erat, τοῖς βαρβαρικοῖς abdeum in Africa opponit. Unde haud dubiè *Barbaria* appellatio, in partem Africæ litoralem ad mare Mediterraneum, hodienum ſervata fluxit. Vocem ex Oriente allatam, ברברי enim *extraneum* denotare, Scaliger oſtendit ſub initium *Exercit.* 51. admodumque probabile, fuiſſe id commune gentibus dicterium. Sic enim de Scythis & Athenienſibus, Anacharſis apud Laërtium *l.* 1. de Ægyptiis, Herodotus *l.* 2. de Romanis, Herodianus; de Phrygibus Sophocles, Horatius, alii. Quemadmodum antiquiſſimis Hebræis *Gentes* dicebantur, quos poſterior ætas Ἕλληνας, Chriſtiani *Paganos*, dixêre. Keuchenius *ad Miltiadem Nepotis c.* 2. Vide & Alciatum Adnotat. *ad* 3. *poſter. libros Codicis* & Bernegger. *Quæſt.* 91. *in Tacit.* Sequentibus autem temporibus, cùm Romani à Wandalis, Longobardis, Gothis, Francis inprimis, aliiſque populis, in Imperium irruentibus eſſent oppreſſi, vox *Barbarorum* in honore eſſe & Victoribus tribui cœpit, *Romanorum* appellatione, in ſervitutis confeſſionem ac notam tranſeunte, vide in voce *Wallenſes.* Unde Valerius, *Cum Germani*, inquit, *populi provincias Imperii Rom. in Occidentis partibus, nimirum Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, Africam ac Italiam aliaſque armis occupaviſſent; provinciales quidem ſive veteres earum incolæ priſcum nomen ſuum retinuêre, ac modò ſuæ quiſque nationis propriâ vocabulo, modò itaque ſæpius in commune, Romani ſunt appellati: novi autem Romani provinciarum poſſeſſores ac domini Germani, honoris causâ dicuntur* Barbari. *Unde in priſcis Legibus ac Hiſtoriis alteros alteris oppoſi conſtat.* Quod autem illos attinet Barbaros, qui ſic dicti ſunt, quòd omni morum concinnitate careant, illorum in deſertis Aſiæ, Africæ & Americæ occurrunt plurimi, quos, quoniam meliorum converſatione genium deſtituuntur, in illud inhumanitatis feritatis barathrum prolabi neceſſe fuit. De Sylveſtribus regni Chinæ, in montanis, ad urbem Quecheum, & in monte Changuo ad Suningam, vide Neuhofium *deſcript. Imperii Sin.* c. 15. In Africa, partem incolarum regni Tombuti, adeò non barbaram, ſed brutam potius eſſe, ut vix humanam in iis vocem deprehendas, referunt Itinerariorum Auctores: quod ipſum de incolis Promontorii Bonæ Spei, quos vocat *Solthaunnas*, ſcribit Mandelſlovius *Itiner. part.* 3. *c.* 16. In Aſia & America, inprimis hôc vitiô famoſi ſunt Anthropophagi, quales ſunt incolæ Inſularum de *Andremaon*, in Oceano Indico & Caribani, de quibus vide Le Blanc. *l.* 2. *c.* 14. Joh. Mocquetum *Itiner. l.* 3. Benzonem *Hiſtor. Novi Orbis l.* 1. *c.* 25. Imò nec Europæ ſui *Barbari* deſunt: quales ferè ſunt Tartari Ceremiſſi; de quibus Olear. *Itiner Perſ.* & qui in Hibernia adhuc *Sylveſtres* vocantur, de quibus Camdenus *deſcr. Hiberniæ*, &c. Vide Auctorem Anonymum *Hiſtor. Orbis Terrar. Geogr. & Civil. c.* 9. *ſect.* 4. *de mor. Gentium.*

BARBARI ſeu BARBARICI, equorum genus pernicitate inſigne, de quo vide aliquid ſup. à ubi de *Arabicis*, & *infra voce Onager.*

BARBARI ſeu BARBARINI, nummi dicti ſunt à Vicecomitibus Lemovicenſibus, cuſi, quorum mentionem facit Auctor *Chronici* S. Martialis Lemovic. A. C. 1222. *Hugo le Brun Comes Marchiæ fecit novos Marchiones ſieri: eâdem anno Guido Vicecomes Lemovicenſis novos* Barbarinos *fecit apud Anzan.* Vide quoque *Chron.* S. Stephani. Lemovic. A. C. 1263. *Literas* Euſtorgii Epiſc Lemovic. *A. C.* 1107. in *Tabular.* S. Stephani præfari & Goffridum Abbatem Vindoc. *l.* 2. *Ep.* 21. laudatos Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Nominis rationem quod attinet, Sirmondus & Altaſerra *Barbarinos* hos interpretantur Arabicos & *Babaros*, ut qui, poſt ſtabilitum in Hiſpania Saracenorum imperium, rurſum potentibus Carolingis, ex commercio ad Francos defluxerint. Sed hâc appellatione à Vicecomitibus Lemovic. ut *Marchenſes* à Comitibus Marchiæ, nuncupatos eſſe, ſatis docemur ex *Chronicis* ſuprà citatis, tametſi nominis ratio adhucdum incomperta ſit, *Idem ibid.*

BARBARIA, Africæ, quam in quatuor partes Neoterici ſcriptores diſtinguunt, pars præcipua & prima eſt. Ab ortu habet Marmaricæ (quæ hodie *Barcha* dicitur) deſerta, ad montes uſque Atlantis partem *Meins* appellatam, quæ pars à *Strabone* fortè ſub nomine *Aſpa* deſcribitur. Hunc montem Atlantem habet à meridie, ab occaſu autem ipſum mare Atlanticum, Septentrionale verò latus mare mediterraneum lambit. In quatuor regna dividitur, Marocchum, Fezzam, Teleſinam, & Tunetem. *Nic. Lloydius, Baudrand.* ſic habet: *Barbaria* pars Africæ, juxta Mare Mediterraneum extenſa & oblonga. Protenditur ab Oceano in Ægyptum uſque; & verſus Meridiem, dividitur, à regione Biledulgerid monte Atlante. Ibi aliàs erant Mauritania, Africa propria & Libya exterior; nunc continet regna Marrocanum, Fezzanum, Algerianum, Tunetanum & Tripolitanum, cum Barcana regione. *Mercator* in 6. partes Barbariam dividit, regnum Tunetanum, Tremeſenum, Feſſanum, Marocanum, regionem Dara, & Barca, quæ prima dici debuiſſet. Ex Marmol. *l.* 1. Cluver. *l.* 6. Ab hominibus ſubfuſci coloris habitatur. Regionis pars, quæ mare mediterraneum ſpectat, montibus occupata eſt, à quibus uſque ad Atlantem planitie gaudet ſpatioſâ, quibuſdam etiam colliculis. Maxima hîc fontium copia, rivuliſque amœniſſimis regio irrigatur. Dactylorum, malorumque Punicorum feraciſſima, ſed frumenti non adeo fertilis, frugum autem, ſcil. ficuum & olearum ubertate felix. Frigus ibi nunquam adeò intenditur, ut quis ignem ob id accendere velit. Autumni finis, tota hyems, bonaque veris pars impetuoſis plena ventis, quin & grandinibus, fulguribus ac tonitruis horridis interdum diſcruciantur. Accuratam *Barbariæ*, ac totius Africæ, morumque gentis deſcriptionem habes apud Joannem Leonem Africanum, & Tho. Fazellum *c.* 1. *l.* 16 *Decadis rerum Sicularum.* Cæterùm nomen hoc haud ita pridem Numidiæ, aut, ut nonnullis placet, toti Africæ parti, quæ Mari Mediterraneo objacet, ab Ægypto ad Gades uſque, Arabes indidiſſe putantur: cujus appellationis cauſas reperias apud Scaligerum *Exercit.* 51. Leonem Afric. *l.* 1. *c.* 2. & Marmolium *Africa l.* 2. *c.* 6. Sed jam Juſtiniani ævô, diu antequam eò ſe Arabes conferrent, illud obtinuiſſe, docet Juſtiniano æqualis Anaſtaſius Sinaita in *Anagoges ſuper* 6. *dierum opus*, Ἐν τοῖς ... Αἰγύπτου τοῖς ἐν Πενταπόλει τῆς βαρβαρικῆς ... : quibus verbis Cyrenaica Pentapolis in *Africa Barbaria* conſtituitur. Et *Barbaricini* vocabantur, qui à Vandalis, circa illa tempora, ex Mauritaniæ monte Auraſio in Sardiniam tranſlati ſunt, Procopius *Vandalic. l.* 2. & Gregorius *Ep.* 25. Sed & aliam in Veter. Scriptis *Barbariam* reperimus, cujus nomen multò antiquius eſt, nempe *Barbariam Æthiopicam*: quæ rurſus duplex, una eſt *Barbaria* propriè dicta, altera *Troglodytica*, utraque mari prætenta, hæc Arabico & Adulico & Avalıti, illa *Barbarica* ſinui. Quarum illam ſolam *Barbariæ* nomine intelligunt *Ptolemæus* & *Marcianus Heracleota*: Sed alii *Barbaris* etiam Arabici Maris accolas ac Troglodytas accenſent. Sic Arrianus in *Periplo* locat *Barbaros* & *Barbariam* circa Berenicen & Orineu & Diodari inſulam, & Ptolemaida theron & Avalıte Emporium, quæ loca ſunt Troglodyticæ. Et Stephanus *de Urb. Barbariam* ſcribit eſſe χώραν τῆς Ἀραβίας κόλπου, *ad Arabicum ſinum*, ubi Troglodytica. Etiam Geographi recentiores in Avalite ſinu, Troglodyticæ parte, urbem *Barbaram* vel *Barbaram* deſcribunt ac ejuſdem nominis inſulam, urbi proximam, ad quam Zeilà ſolventem appuliſſe ſe, dicit Vartomanus *Navigat. l.* 2. *c.* 16. Atque de eadem multa habet Odoardus Barboſa in *India ſua s. de Barbora.* Unde facilis conciliatio *Galeni* cum *Dioſcoride*, quorum ille Zingiber adferri tradit, ἀπὸ τῆς Βαρβαρίας, ex *Barbaria* hic ex Troglodytica: nempe eadem utraque Regio eſt, quod cùm neſciret Plinius, perperam accepit, quod legerat, apud Græcos, myrrham Troglodyticam etiam dici *Barbaram*, ac ſi eam myrrhæ ſpeciem vellent eſſe *aſpectu ſordidam & barbaram*, *l.* 12. *c.* 16. Cùm contrà in Dioſcoride legatur eſſe διαυγῆ, *ſplendens aut pellucida*, &c. Neque alia ratio, cur Genes. *c.* 10. *v.* 3. *Thogarma* תוגרמה *Barbariam* Chaldæus Hieroſolymitanus Interpres, quàm fallax alluſio nominum inter *Thogarma* & Τρωγλῶν, unde *Troglas* vel *Troglodytis*, Ἐ quibus conſtat, *Barbariæ* nomine contineri totam oram maritimam Orientalis Æthiopiæ, ab Ægypti finibus, uſque ad Raptum promontor. cui videtur id nominis obtigiſſe, propter mores incultos, *Arrianus*, Ἀνημεροι ... οἱ κατοικοῦντες τὸν τόπον Βάρβαροι, *Rudiores ſunt, qui locum incolunt, Barbari.* Vel, propter ſermonem barbarum & inconditum, ſi ſermo dici queat, qui verius veſpertilionum eſt ſtridor. Herodot. *Melp.* 4. Οἱ Τρωγλοδύται Αἰθίοπες γλῶσσαν οὐδεμιῇ ἄλλῃ παρομοίην νενομίκασι, ἀλλὰ τετρίγασι κατάπερ αἱ νυκτερίδες. Unde Plin. *l.* 5. *c.* 8. iis non vocem, ſed *ſtridorem*, tribuit,

bent, & *Marcian. Capella*, *Stridunt potius, quam loquuntur*. Propriè autem τοὺς δυσεκφόρως καὶ σκληρῶς καὶ τραχέως λαλοῦντας, *Barbaros* appellari conſueviſſe, pluribus docet Strabo, ex eum *Homeri verſum Il.* β. in quo Cares nominat βαρβαροφώνους. Quò ipſo ſenſu Græci, Chaldæi, Arabes, Latini Interpretes Pſalm. 114. v. 1. populum *barbarum* eum vocant, quem Hebræi לעז עם i. e. *linguâ alienâ eaque abſurdâ & inconditâ loquentem*. Neque aliter *barbar* explicant Arabum Lexicographi. Unde videmus *Barbaria* nomen tam Chaldaicum & Arabicum, quam Græcum, adeoque Judæis & Syris notiſſimum fuiſſe, in quorum libris paſſim occurrit. Sed cùm duplex *Barbaria* in Africa fuerit, una *Occidentalis* uſque ad Gades; altera *Orientalis*, ad Arabicum ſinum, & Orientalem Oceanum, Rhaptam uſque protenſa: de hac, non de illa Hebræi egêre; ut cujus aliquot demum poſt Chriſtum ſeculis mentio fieri cœpit &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 5. *c.* 29. Salmaſ. ad Solin p. 798. & 99. ut & infrà in voce *Barbaricum*, item *Barbarini*. In *Karovvan* uno ex quatuor *Barbariæ* hodiernæ Regnis, Caliphæ olim, ſive Pontifices Africani, ſedem fuiſſe, notat Hornius *Orb. Polit.* p. 538.

BARBARIA etiam inſul Gangetis Indiæ fluvii *Ptol.* Item regio juxta Arabicum ſinum, unde *mare Barbaricum*. *Steph.* Item *Barbaria* Phrygia, & Trojanum regnum. Horat. *l.* 1. *ep.* 2. *v.* 7.

> *Græcia Barbariæ lento colliſa duello.*

Sciendum enim κατ' ἐξοχὴν & propriè veluti, *Barbaros* à Latinis vocari Phrygas, unde *tibia Barbara* pro *Phrygia* apud Catullum, *Carm.* 65. *v.* 264. *Aurum Barbaricum*, i. e. *Phrygium* apud Virgilium *l.* 2. *Æn. v.* 504. *Barbarica veſtes Phrygia*, vel *acu picta* apud Lucretium, *l.* 2. *v.* 449. Hinc *Barbaricarii*, *L.* 1. *l.* 10. Codic. *Phrygiones*, vel *acupictores*. Ovidius quoque *Barbariam* poſuit pro regione Getica, *l.* 3. *Triſt. El.* 10. *v.* 4.

> *Me ſciat in media vivere Barbaria.*

Apud eundem ſignificat *agreſtem ruſticitatem*, ſive *ruditatem*, *l.* 3. *Amor. El.* 8. *v.* 3.

> *Ingenium quondam fuerat pretioſius auro.*
> *At nunc Barbaria eſt grandis habere nihil.*

BARBARIANA, locus Hiſpaniæ in Andaluzia provinc. qui vulgo *Caſtel de la Lucena*, in ora prope Fretum Gaditanum & Carteiam.

BARBARICA Gallina, vide *Numidica Gallina*.

BARBARICARII, Donato *ad l.* 7. *Æneid.* dicti ſunt, *qui ex auro coloratis filis exprimebant hominum formas, animalium & aliarum ſpecierum imitabantur ſubtilitate veritatem*: ſeu ut eſt in l. Cod. *Theodoſ. de Fabricenſib. qui caſſides & bucculas tegebant argento ac deauratabant*. Meminit eorum quoque *L. eod. Cod. de Excuſat. Artif.* Novella Theodoſii Junior. *de Scholar. & Not. Imper.* in qua *Præpoſiti Brambaricariorum*, ſeu potius *Barbaricariorum*, ſub Comite Sacrar. Largit. interdum ſub Magiſtro Officiorum, conſtituuntur. Unde refellit Car. du Freſne Reſendium, qui *Antiqq. Luſitanic. l.* 1. *Barbaricarios* exiſtimat fuiſſe veſtium purpurâ, coccô, aut vermiculô, quæ à *Barbaris*, i. e. peregrinis terris, adlatæ erant, infectores, cujuſmodi ſunt *Barbarica veſtes*, apud Lucretium *l.* 2. *v.* 449. & in libro *Anniverſariorum* Baſilicæ Vaticanæ apud Johannem Rubeum in *Vita Bonifacii* VIII. Sed & eoſdem illos cum Phrygionibus Turnebus facit, quos *Barbaros* præ aliis dici novum non eſt. Namque & Horat. *loc. cit.*

> *Græcia Barbariæ lento colliſa duello:*

i. e. *Phrygia*, &c. Vide Hadr. Turnebum *Adverſar. l.* 5. *c.* 25. & Browerum in *Annalibus Trevirenſibus l.* 4. *p.* 251. *ult. Edit.*

BARBARICI Characteres, in Nummis Byzantinis, primùm conſpici cœperunt, tempore inclinantis Imperii, quò ex quadratis & uncialibus literis, quæ olim obtinuerant, abolitæ aliquot & viciſſim novæ ſubrogatæ *Barbarica* ſunt, quas incertum, an à Gothis barbariſque aliis nationibus acceperint cum Græci, tum Latini: an vero ſcalptorum & ſcriptorum vitiô, collabente priſtinâ ſolertiâ, ſenſim introductam exiſtimari debeat. Conſpici autem characteres hujuſmodi in nummis maximè Juſtiniano Imperatore incipiunt: ſub quo, & Imperatoribus qui eum excepêre, effuſi undique *Barbari* Roman. omne Imperium pervaſerunt. Tum itaque novi hi characteres in horum Auguſtorum obſervantur nummis, barbaricâ quidem effecti formâ & hactenus minimè viſâ, quod præſertim intueri licet, in characteribus Latinis B. D. E. M. N. T. V. qui ſemper novâ & inſolenti figurâ efformantur, adeò ut non immeritò Michaël *Methyſtes* Imperator, *Ep. ad Nicolaum I. Pontificem Romanum* Linguam Latinam *Barbaram* & *Scythicam* appellâſſe videri debeat, quam Græci ipſi, illius ferè penitùs ignari, perinde ac inſignis elegantiæ, omnino deturpârant. Neque vero apud Byzantinos duntaxat ſcribendi hæc ratio obtinuit, ſed & apud Gothicos in Italia Reges, atque adeò apud Gallos ſeu Francos, quod ex Regum horum monetis, veteribuſque monumentis facilè patet. Unde Claudius Beteolus ex variis, quos in iis obſervârat, characteribus, novum inde alphabetum ſibi conficiendum putârat &c. Vide Car. du Freſne *Diſſertat. de inferioris ævi Numiſmatibus*.

BARBARICINI, memorati Gregorio M. *l.* 3. *Ep.* 24 *ad Zabardam, Sardiniæ Duc. Scripſerimus enim, quòd cò pactò cum Barbaricinis ſumere pacem diſponeres, ut eoſdem ad Chriſti ſervitium adduceres.* Βαρβαρικῖνοι Procopio *de Bello Vandal. l.* 2. *c.* 13. à Sardiniæ incolis appellati ſunt Mauri quidam, ad Auraſium montem poſiti, quos Vandali, devictâ Africâ, ne eos paterentur infeſtos in Sardiniam cum uxoribus & liberis ablegârant, ubi eos claritos aliquamdiu tenuêre. Sed progreſſu temporis elapſi illi vicinos Caralis montes occupârunt; dein, cum ad tria millia excreviſſent, latebris renuntiârunt & aperte in locis omnibus graſſati ſunt. Gregorius præfatus miſſò Cyriaco Epiſcopò, ad fidem eos adducere conatus eſt, ut præter locum cit. teſtantur illius *Epiſtolæ*, 23. 25. 27. 29. 33. *ejuſd. libri* & *Epiſt.* 27.

ac 18. *libri* 9. ut & Baronius *ad A. C.* 594. *n.* 9. Meminit illorum quoque Juſtinianus in *l.* 2. *Cod. de Offic. Prætoris Afric.* Atque hinc fortè *Barbariam* Sardiniam appellavit Dantes *in Purgat. c.* 23. Marri Fratres inde etiam *Barbarinos* volunt dictos, monetam in Sicilia & Sardinia frequentem, cujus meminit Goffradus Vindocin. *l.* 2. *Ep.* 30. Antonius Florentiæ Archiepiſcopus in *Vita S. Gregorii M. Tom. II. tit.* 12. *c.* 5. §. 5. & ipſe Gregor. *Ep. l.* 9. paſſim, ut & *l.* 9. *c.* 67. Vide eos in *Hierolexico*, Car. du Freſne *Gloſſar.* & ſuprà, in *Barbari*.

BARBARICUM, Emporium Scythiæ Auſtralis, ad Indi fluminis oſtia ſitæ, ſeu Indoſcythiæ, nominatiſſimum. Auctori *Peripli* Βαρβαρικὸν ἐμπόριον, de oſtiis Indi loquenti, *Καὶ* ... ἄλλα ἀπλωτά ἐστιν ἔχει, μόνον δὲ τὸ μέσον, ἐφ' ᾧ καὶ τὸ παραθαλάσσιον Ἐμπόριον, ἐστὶ Βαρβαρικόν. Ptolemæo Βάρβαρα, Ἐν τούτοις δὲ τοῖς ὑπὸ τῶν ποταμῶν γινομένων νήσοις αὗται, Πάταλα, Βάρβαρα, *In inſulis autem quas hic fluvius efficit, urbes hæ, Patala, Barbari &c.* A quo Emporio multæ ſpecies Indicæ, *Barbarica* appellatæ ſunt. Ut apud Juriſconſultum, *Bdelium Barbaricum*, quod aliis *Indicum*, & *Rheum Barbaricum*, quod *Myrepſus* vocat Ῥῆον Ἰνδικὸν, in Antidoto Tryphera Saracenica: cùm potius ab hoc Emporio, quàm à Sinu Barbarico hæc appellatio obtigit, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1150. Sed & *Barbaricum*, ſeu *Barbaria*, apud *Hiſtoriæ Aug.* Scriptores, ut & in *Codice*, aliiſque dicitur, quidquid erat ultra limitem Romanum quaquaverſum; cui apud Græcos Scriptores quoſdam oppoſita eſt Ῥωμανία, i. e. *Romanus Orbis* vel *Imperium Romanum* ſive ut *Tertullianus* loquitur, *Romanitas*. Epiphanius de Manete, Καταλείψας τῆς Περσῶν χώρας τῷ Ῥωμανίᾳ ἐπεβούλευσεν &c. Vide Salmaſ. *ad Æl. Lamprid. in Alexandro Sev. c.* 59. Atque ita quidem vox Recentioribus ſumitur, Ruſo Feſto in *Breviar.* Æthico in *Coſmogr.* A. Gellio *l.* 19. *c.* 12. aliis. *Canones Eccl. Univerſ. can.* 106. Τῶν ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς Ἐπισκόπων, *Epiſcopos in Barbarico exiſtentes*. *Chron.* Alexandrinum, Τούτοις τοῖς ὑπάτοις, ἐσφάγη Σευῆρος ἐν τῷ βαρβαρικῷ, *His Coſſ. obiit Severus in Barbarico*. Similiter Theophylactus Simocatta *l.* 5 *c.* 13. vocem uſurpat, non pro *armamentario*, uti quidem cenſent Meurſius & Gothofredus, &c. Præterea, ita dicitur bellum, quod in *Barbaros* movetur, item expeditio quæcunque, bellum quodvis, in *Capitulari* Sicardi Principis Beneventani A. C. 836. § 16 in *Capitul.* Radelchiſi Princip. Benev. A. C. 851. in *Charta* Sergii IV Pontif. pro Monaſterio S. Vincentii de Vulturno, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* &c. Imò & ſic dicitur opus ex *auro pretioſo* confectum, in *Gloſſis* MSS. Reg. & Iſidori aliiſque. Unde Corippus *libro de Laudibus Juſtini*,

> *Ipſe triumphorum per ſingula vaſa ſuorum*
> Barbarico *Hiſtoriam fieri mandaverat auro &c.*

Fortè, quia *Barbari* hanc arma militaria exornandi artem inveniſſent. Nam inde *Barbaricarii* nuncupati ſunt, de quibus ſuprà. *Ipſo* eodem *Barbaricum* eſt *clamor exercitus*, *videlicet quòd eo genere barbari utuntur*, &c. Vide præter Car. du Freſne Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

BARBARICUS Sinus, pars Maris Indici, ad Praſum promontor. quod hodie *Mozambicum*, in cujus ora Æthiopes Barbari, ſic propriè nominati, quorum regio *Barbaria* dicta eſt, habitabant. In ejus medio Apocopa fuêre, quorum *Ptolemæus* meminit & *Stephanus*. Eaterque etiam eum locum Marcianus, in ejus *Peripli* fragmento, ubi de *Barbarico Sinu* loquitur: Καὶ πρῶτος μὲν ἐστὶ τῆς ἐπισήμων πόλεων ἐν αὐτῷ ὁ καλούμενος Ἀπόκοπα, *Et quidem primus celebrium portuum in ipſo Apocopa ſunt*; Ad quorum orientem æſtivum ſitum eſt Aromatum Emporium. In eodem Menuthias Inſul. eſt, quam vulgò indigenæ *Madagaſcar*, Luſitani *Inſulam S. Laurentii*, appellant. Marcianus idem *ibid.* Ἐν δὲ τῷ τέλει τοῦ κόλπου κεῖται τὸ μέγιστον ἀκρωτήριον, ὃ καλεῖται Πρασὸν ἄκρον, καὶ ἡ Μενουθιὰς νῆσος ὡς πρὸς τοῦ ἀκρωτηρίου τυγχάνουσα; *In fine autem Sinus ſitum eſt maximum promontorium, quod vocatur Praſum promontor. & Menuthias Inſul. à promontor. non procul* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 798, 799. & 1243.

BARBARINI, monetæ genus, vide ſuprà *Barbari*.

BARBARISMUS & Scythiſmus, nonnullis vocantur ſectæ veterum eorum, qui tacitè cum inſipiente dicunt, *Non eſt Deus*: & quidem ille putatur juxta *Epiphanium*, ante diluvium, hic poſteà obtinuiſſe, uſque ad Serugum, cujus tempore cœperit Helleniſmus. Sed nec Epiphanius dicit, *Barbaros* illos vel Scythas, nullum agnovisse Numen? nec ſatis convenienter Scythæ memorantur ante Serugum, cùm citra dubium Babylonica turris longè ſint poſteriores. Præterea & Βαρβαρισμοῦ & Σκυθισμοῦ nomina, parùm huic rei idonea ſunt, nec aliunde hauſta, quàm ex malè intellecto Apoſtoli loco, ad Coloſſ. *c.* 3. *v.* 11. *Ubi non eſt Græcus & Judæus. Barbarus & Scythes*. Neque enim ibi Apoſtolus variam de Deo ſententiam ſignat: ſed ſolùm ait, in renovatione Chriſtiana, non meliorem aut deteriorem eſſe conditionem Judæi, quàm Græci, nec Græci, quam Barbari, nec vulgaris Barbari, quàm Scythæ, etſi hic ceteros ſuperare barbarie exiſtimetur, vide Gerh. Joh. Voſſ *de Orig. & progr. Idololatriæ l.* 1. *c.* 3. Sed & *Barbariſmus*, nomen Libri, in *Charta* Reg. Cardin. titul. S. Stephani, in Monte Cœlio, A. C. 1215. pro Reform. Univerſitatis Pariſ. *Non legant in feſtivis diebus, niſi Philoſophos, & Rhetoricos & Quadrivialia & Barbariſmum & Ethicam, ſi placet, & quartum Rhetoricorum*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* qui etiam libri Donati, *de Barbariſmo*, & octo partibus orationis meminit.

BARBARITANI, memorantur in Charta Ottonis III. Imperatoris A. C. 936. in *Bullario* Caſin. *Tom. II p.* 57. & *Charta* Henrici Imperatoris A. C. 1012. *Ibid. p.* 74. ubi *Barbaritanorum & Maſturnenſium partes Regni noſtri pertinentium*, mentio fit apud *Eund.*

BARBARIUM, Hiſpaniæ promontor. ad Tagum fluv. Strabo *l.* 3.

BARBARUS, non gentis, ſed vocis nomen eſt. *Steph.* Abrahamo Echellenſi *Hiſtor. Arabum c.* 1. vox Syrorum, apud quos, qui *Serabani Scenitæ* dicuntur, *Barbrun*, i. e. *filii deſerti*, vocentur, jam antiquitus in uſu fuit. Ita autem Græci, & poſt eos Romani, ceteros omnes populos, præter ſe appellârunt, quemadmodum, hodie Germani, quidquid gentis ſuæ non eſt, *Walſchen*, h. e.

Welſch

Welſch appellant. Inclinatô Imperiô, ſic appellati ſunt Burgundiæ Flandriæque incolæ, qui Galliâ cladibus exhauſtâ, à Conſtantio è vicina Germania & Septentrione acciti, & *ab ultimis Barbariæ littoribus avulſi, arva jacentia*, verba ſunt Auctoris Panegyrici Diocletiano & Maximiano dicti, & deſtinatas ſibi terras coluêre. Quinetiam exinde Burgundiones, poſtquam in iiſdem Galliis ſedes fixêre Regnumque formavêre, *Barbaros* ſeſe appellâſſe conſtat, ex *L.* Gundobada, in qua paris conditionis habentur tam *Barbari* quam Romani, ut eſt *tit.* 10. §. 1. & *tit.* 15. §. 1. imò *Barbari* Romanis ſemper præponuntur, vide quoque *tit.* 44. §. 1. & *tit.* 47. §. 1. Unde Traſimundum Regem Vandalorum in Africa, haud invidioſô nomine *Barbarum* appellat, ad eum ſcribendo, Fulgentius *de Myſterio Mediatoris* *l.* 3. ſicut ſubditos ejus, *Barbaricam gentem*, cui *Romanos* opponit, veteres nempe Africæ incolas. Apud Francos *Barbari*, quos eoſdem cum Burgundionibus ſtatuit Car. du Freſne, eâdem prærogativâ, quâ Franci, gaudebant, cum *Romani* longè inferioris haberentur conditionis, vide *Pactum L. Salicæ tit.* 44. Paris denique conditionis *Barbari* & *Romani* cenſebantur, in Regno Gothorum Italico, ut ex *Edicto* Regis Theodorici colligitur, 10 *Præf.* & c. 32. 34. 44. 145. 154. ubi & *Barbari Reipubl. militantes*, interdum etiam *potentes* fuiſſe dicuntur. Vide quæ ſuprà diximus de *Auxiliis*. Nec omittendum, quemadmodum Græci veteres τὸ *βάρβαρον*, *ἐπὶ φωνῆς*, *de voce*, tantum; non *ἐπὶ ἔθνους*, *de gente*, uſurpârunt: unde Ovid. *Triſtium l.* 5. *Eleg.* 10. *v.* 37.

> Barbarus *hîc ego ſum, quia non intelligor* &c.

Atque hinc *Barbaros* dixêre, populos omnes, qui Latinâ ſeu Romanâ linguâ non loquebantur, ſeu, quorum linguam non noverant. Sic poſteriores, Franci præſertim Romani, ſeu qui Romanô idiomate utebantur, Tranſrhenanas gentes omnes, penès quas Teutonica lingua vigebat, eôdem modô appellârunt. Walafridus Strabo de *Vita* S. Galli *l.* 1. *in Prolog.* *Priores nomine nos appellant circumſcriptas gentes, quæ Latinum habent ſermonem, ſequentes uſus nos nuncupat Barbarorum.* Et c. 6. de B. Gallo: *Hanc a Domino gratiam meruit, ut non ſolùm Latinæ, ſed etiam Barbaricæ* (h. e. Alemannicæ) *locutionis cognitionem non parùm haberet.* Vide quoque eum c. 25. & de rebus *Eccleſ.* c. 33. Baldricum porro *Noviom. l.* 1. *c.* 79. Sic Fortunatus *l.* 4. *Poëm.* 26.

> *Sanguine Nobilium genito, Pariſius urbe,*
> *Romana ſtudiô*, Barbara *prole fuit.*

Et *l.* 6. *Poëm.* 4.

> *Hinc, cui* Barbaries, *illinc Romania plaudit,*
> *Diverſis linguis laus ſonat una viri.*

Et *l.* 9. *Poëm.* 2.

> *Chilperice potens, ſi interpres* Barbarus *adſit,*
> *Adjutor fortis, hoc quoque nomen habens.*

Germanicum enim nomen eſt, *Chilpericus*, quaſi *Hulff-reich.* Similiter Flodoardus *l.* 14. *Carm.* 18.

> *Inde fluenta legens Rheni, loca* barbara *viſit,*
> *Sarmaticâ ſævos adiens regione Suevos.* &c.

Hinc *Barbara lingua*, apud Eginhardum *in Carolo M.* Adelmannum Scholaſticum Poëtam Saxonicum *de Geſtis Caroli M. l.* 1. & 5. Teutonica eſt: Neque aliud videtur *Barbariſmus*, quàm lingua Germanica, apud Sidonium *l.* 4. *Ep.* 17. & *l.* 5. *Ep.* 5. &c. Addatur & hoc, non deeſſe, qui dicant, *Barbaros* etiam appellatos eſſe, quotquot Religionem Romanam non profiterentur, ex Salviano *de Provid. l.* 4. Vide quæ hanc in rem congeſſit Chiffletius in *Anaſtaſi Childerici*, laudatus Carolo du Freſne *Gloſſar.* Nec omittendus Magicam artem exercentium mos, quos *barbara* & horrenda Angelorum ac poteſtatum nomina proferre, horumque vi ac virtute res ſuas *ἐναργέστερον* fieri exiſtimare ſolitos, docet Origenes contra *Celſum l.* 1. plenius *l.* 4. Pronuntiabant autem iſta ſonô exili, linguâque adeò concitatâ, ut auditorum aures ſæpius ferirent tantum, nihil autem iis inſinuarent. Lucian. Mortuorum Dial. [illegible] --- [illegible] Unde ſcribit Clemens Alex. *l.* 1. *Strom.* preces eas efficaciores exiſtimatas, quæ *βαρβάρῳ φωνῇ*, *barbaris verbis* conciperentur, eò quòd primæ & communiſſimæ linguæ *barbaræ* fuiſſent, voceſque haberent naturâ ſignificantes &c. Vide Deſ. Heraldum ad *Arnob. l.* 1.

BARBARUS Daniel, Venetæ nobilitatis præclarum lumen, ex eadem familia, quæ Hermolaum, veræ Philoſophiæ & literarum meliorum in Italia inſtauratorem, olim dedit, Patriarcha Aquilejenſis deſignatus, edidit *Catenam Gr. Patr. in* 50. *Pſ. pr.* Philoſophiæ præterea ac Mathematicarum artium exquiſitâ ſcientiâ præditus: Obiit quadragenariô major A. C. 1569. Vide & *Daniel*.

BARBARUS Hermolaus, vide *Hermolaus*.

BARBARUS Joſephus, vide *Joſephus*.

BARBASTRUM, Urbs Hiſpan. Tarraconenſ. in Aragonia, juxta fines Catalon. erepta fuit Mauris, A. C. 1101. ſita ad Verum fluv. ubi in Cincam ſe exonerat, aliis Bergidum: quibuſdam Belgida.

BARBATA, ſeu BARBADA, Inſul. Americæ Septentrionalis in mari Boreali, una ex Antillis. Paret Anglis, ab A. C. 1627. Ejus ambitus eſt 25. leuc. circiter, valde fertilis at dives. 25. leuc. ab Inſul. S. Luciæ in Orientem.

BARBATI, apud Romanos, jocô proverbiali dicti ſunt, homines priſcis ac ſimplicibus moribus ruſticanæque ſeritatis: quod illis ſerò receptum eſſet, barbam radere, Juvenal. *Sat.* 4. *v.* 103.

> —— *Facile eſt* barbato *imponere Regi.*

In Communione Romana, Religioſi quidem, qui ex inſtituto barbam nutriunt, eôdem epithetô inſigniuntur: Auctor *Vitæ* S. Erminoldi, *Fratres quidam ex his, quos Barbatos dicimus.* Sicque appellatos Monachos Ordinis cujuſdam Monaſtici, refert Albericus ad *A.* C. 1213. *Scripſit quidam de ordine Fratrum Templi & Barbatorum.* Idem ad *A.* C. 1240. *Ordo Fratrum* Barbatorum, *qui etiam circa hoc tempus cœpit, habebat domos* 160. Nempe Sacerdotum & Monachorum aliàs communis mos eſt, barbam ponere, idque non ſine certis ceremoniis, ut diximus. Sed & Fratres *Barbati* appellantur plurimum *Fratres Converſi* in Monaſteriis, quòd, contra quàm Monachi voto adſtricti, *barbam* iidem alerent, uti etiamnum obſervare eſt, apud Carthuſienſes. Unde, quem apud Auctorem *Vitæ* S. Erminoldi *l.* 2. *c.* 2. *Barbatum* vidimus appellatum, Editio Caniſiana *Converſum* vocat. *Fratres Laici* iidem dicuntur, in *Chron.* Montis-Sereni *p.* 170. Meminit eorum *Exordium* Ordinis Ciſterc. *c.* 15. *Tuncque definierunt Converſos Laicos* Barbatos *cum licentia ſui Epiſcopi ſuſcepturos, eoſque in vita ſua & in morte, exceptô Monachatu, ut ſemet ipſos tractaturos.* Vide quoque Cæſarium Heiſterbac. *l.* 4. *c.* 61. & *l.* 6. *c.* 20. Mores illorum perſtringit Idem *loco poſt.* imprimis, ubi eos *in habitu & tonſura Religionis terras circumire & plurimos decipere*, tradit. Sic *Barbatos* Grandimontenſes exagitat Stephanus Tornacenſis *Ep.* 151. *Luctuoſum in Eccleſia Dei ſpectaculum fidelis ac flebili compaſſione proſequimur. Grandimontenſes Converſos miſerabiliter cœtum Clericorum* barbis *prolixis, tanquam cornibus ventilantes* &c. Sed accuratiùs de iis ſic *Chronicon* Laureshanı.

> *Nunc quoque* Barbati *qui ſint, attentiùs audi.*
> *Sunt ergo Laici Militenſibus* (Monachis) *aſſociati.*
> *Quos riſus populi dedit hoc agnomine fungi,*
> *Sunt quia prolixis barbis ad pectora pexis,*
> *Deformes, hirti, revera moribus hirci,*
> *Barbis hircorum ſimiles, larvis tragicorum.*
> *Quos quia vulgaris circumfert aura favoris;*
> *Auſterâ facie ſunt & tonſi capus alte,*
> *Contiis inciſis, cervoque tenore capillis,*
> *Et ſunt immenſis induti calceamentis,*
> *Amphibalis longis utentes & ſpatioſis.*
> *Quos quod habere putant, ſubmiſſa fronte ſalutant,*
> *Gratia, Pax vobis, Benedicite, Credite nobis,*
> *Mille Pater Noſter demandat grex tibi noſter:*
> *Pertentat cunctum verrens barbis pavimentum*
> *Ut Domini ſervos plebs mobilis aſtimet ipſos,*
> *Verum fallaces ſunt ſe produnt, & manes* &c.

apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque Macrum *Hierolex.*

BARBATIA, Arabiæ oppid. Idem nomen fluv. Indici Oceani. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

BARBATIUS Andreas, vide *Andreas*.

BARBATIUS, vel BARBIUS Philippicus, de quo Ulpianus *l.* 3. *ff. de officiis Prætor.* Homo comis, & blandis moribus evehitur ad ſummos magiſtratus. Antonii III. viri operâ. Hunc in foro jus dicentem herus, à quo olim aufugerat, agnovit. Ergo tacitè aggreſſus, & veſte à tergo prehenſâ, Salve, inquit, veteri & ſervili nomine adjectô. At ille perculſus veteri Dominô facilè agnitô, rogavit eum, ut taceret, domumque ſuam duxit, maximâque pecuniâ numeratâ ſe tandem redemit. Vide *Suidam*.

BARBATORES, memorati Petro Bleſenſi *Ep.* 14. *Regis Curiam ſequuntur aſſiduè hiſtriones, candidatrices, aleatores, dulcorarii, caupones, nebulatores, mimi* barbatores, *balatrones & hoc genus omne:* non tam *Barbitonſores* eſſe videntur, ut præter Ludov. de la Cerda & Goſſanvillam, Macro placet, quàm mimi ſcurræque, qui larvati in Theatris ludunt, quomodo in Bacchanalibus fieri potiſſimùm aſſolet. In his enim larvæ ipſæ horridis & impexis barbis ſqualent, uti docet *Hiſtoria* Turpini *c.* 18. *Habentes larvas* barbatas, *cornutas, dæmonibus conſimiles.* Et longè prius Tertullianus de *Idololatr. c.* 14. *Quibus nobis ſub barba extranea ſunt & Neomenia & ſeria aliquando adeò dilecta*, &c. Unde etiamnum *Barbores* vocantur Belgis Francicâ linguâ utentibus, *Barbadouires* Gabalitanis, *Barbants* Arvernis. Horum itaque ludicra feſtivitas, *Barbatoria* dicta eſt, uti hic infrà videbimus.

BARBATORIA, vox memorata Gregorio Turonenſi. *Hiſtor. l.* 10. *c.* 6. ubi accuſatam ait Abbatiſſam Pictavenſem, *quòd vittam de auro exornatam nepti ſuæ ſuperfluè dederit*, Barbatoriam *intus eo* (Monaſterio) *quod celebraverit*: Macro videtur velum denotare, Monialibus ſub mento ligari ſolitum, quòd vulgò *Subjugulum*, Belgis *Barbetta* dicitur. Aliis inſtrumentum fuit ad radendos pilos, quô fœminæ etiam uſæ. Et certè *πωγωνοκουρία* in *Gloſſar.* Græc. Lat. *Barbatoria* redditur, i. e. *barbæ tonſio*. Unde Viri docti cenſuêre, Abbatiſſæ præfatæ objectum fuiſſe, quòd in ſuo Monaſterio artem tonſoriam paſſa fuerit exerceri. Alii, quòd in eo primam lanuginem adoleſcentes ponerent. Hi enim, cùm primùm radendi eſſent, à Parentibus & amicis, ad Ædem Sacram adducebantur, & per Sacerdotis vel Epiſcopi miniſterium prima eorum lanugo ponebatur, ac velut *primitiæ juventutis*, ut habet Ordo Romanus, Deo offerebatur, recitatâ in eum finem oratione, quæ extat in Libro *Sacram.* Gregorii M. & in *Euchologio* Græcorum, de quo more multa eruditè congeſſit Car. du Freſne *Diſſertat.* 22. ad Joinvillam. Verùm an *Barbatoria* in *Gloſſar.* eadem ſit, quæ apud Antiſtitem Turon. non adeò liquet: imo potius locum hujus accuratiùs perpendenti *Barbatorum* prædictorum ludus hâc voce intelligendus videtur, quem *Maſcarade* Galli vocant. Vide quæ ſuprà diximus, & plura hanc in rem apud Macrum in *Hierolex.* & Car. du Freſne *Gloſſar.*

BARBATUS, Conſul, Reguli collega, annô Urb. Cond. 909.

BARBATUS, Religioſus, qui barbam nutrit, vide ſuprà in voce *Barbati*. Item miles, *Can. ſi quis* 6 *quaeſt.* 1. *Si quis cum militibus ſeu privatis barbatus etiam ſceleſtam inierit factionem.* Et quidem eques armatus, quâ notione vocem Coirum & Villanum uſurpare, legas apud Macrum in *Hierolex.* ubi eoſdem *Barbutos* quoque appellatos addit, vide ipſâ in voce *Barbuta*.

BARBELA, Africæ fluv. in regno Congi. In Zairum fluv. ſe exonerat; prope ejus oſtia, rigatque oppid. S. Salvatoris.

BARBENTIO, vulgò BARBENSON, locus in Tabulis A. C. 1597. datis, unà cum Binchio memoratus: è quibus Binchium locus eſt Hannoniæ, vulgò *Bins en Hainaut*, in diœceſi Cameracenſi, Barbentio autem titulo Principatus gaudet. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Sangia*. Familia hæc ramus eſt Ligneſiæ ſtirpis, quæ in Belgio jam olim illuſtris, inprimis crevit Johannis Dn. *de Barbentioor* meritis ac matrimonio cum Margareta Marcana, Ita enim Comitatus *Arenbergicus* illatus eſt familiæ. Ex ejus filiis Carolus Pr. Comes Arenbergæ ab uxore Anna Croviaca, Ducatum Areſchotanum, Principatum Cimacenſem ac Porcianum, aliaque nactus eſt. Alter Robertus *Barbanſonios* propagavit: Univerſis vero (namque prior ramus, iterum in duas lineas, *Areſchotanorum* Ducum & *Cimacenſium* Principum, abiit) *Ducatus Arenbergici* axioma ab Imperatore collatum eſt. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilitat. Europ. Tom. II. in Indic* ut & hic paſſim

BARBERINUM, oppidul. Italiæ in Tuſcia, & in agro Florentino, unde nobili Familiæ nomen; in colle ſedet, in Via Sena Florentiam verſus Ex illa Urbanus VIII. & aliquot Cardinales prodière.

BARBERINUS Obeliſcus, vide *Obeliſcus*.

BARBEROSSA, I. *Aruch*, Mitylenæus, piraticam diu exercuit, inque Barbariam tranſgreſſus, latrociniis & animi robore nomen aliquod obtinuit. A Selimo Eutemi, vel Beni Tumi, Algeriæ Rege imploratus, ut contra Hiſpanos, quibus hactenus tributum pendere coactus fuit, ſe tueretur, adeſt pirata, ſed urbe potitus Regem in balneo ſtrangulat, hinc thronò conſcenſò. Poſteà Amidalabdum Tunetanum Regem vicit, quaquaverſum finibus extenſis, donec cum Marchio de Comares, Oran præfectus pro Hiſpaniæ Rege in tranſitu fluv. Hocada, 8. milliar. à Tremeſino ſubitò deprehenſum cum 1500. quos ſecum habebat, Turcis occidit. A. C. 1518. Marmol. *l.* 3. Leon *l.* 41. P. Jov. *Hiſt. l.* 33.

BARBEROSSA II. *Cheredin*, fratris in Regno ſucceſſor. Cepit Conſtantiam, aliaque loca, & aliquibus Regulis vicinis devictis, Hiſpanos Inſulâ, quam è regione Algerii tenebant, pepulit. A Solimanno II. Claſſis ſupremus præfectus conſtitutus, Tunetem urbem occupat, A. C. 1535. vaſtat Siciliam: frequentibus in Italia excurſionibus terret Hiſpanos, & junctus copiis Franciſci I. Niceam capit, A. C. 1543. His rebus geſtis in Africam reverſus, moritur An. ætat. 80 A. C. 1547. cum novam expeditionem navalem meditaretur. P. Jovius, *in elog. l.* 6. *Hiſtor. l.* 33. *c.* 41. 44. Leuncl. *Hiſt. Turc. l.* 18. Vigenerius, *in Solimanno* II.

BARBESOLA, Hiſpan. Bæticæ oppid. in conventu Gaditano. *Marbella*, teſte *Floriano* Item fluv. *Rio Verde*, qui urbi nomen dedit. Alius eſt *Rio Guadajara*, verſus Calpen. longitud. 16. 00. latitud. 36. 54.

BARBIA, vulgò BARBY, nomen familiæ Comitum Saxoniæ, ab A. C. 1149. quò Burcardus Comes Barbienſis floruit, in Hiſtoriis celebratæ. In diverſas lineas aliquoties diviſa fuit, ſed, qui juxtim enati fuerant rami, omnes brevi tempore, ipſe verò ſtipes A. C. 1659. morte Auguſti Ludovici, exaruiſſe viſi ſunt. Cujus ſorores fuère, Chriſtiana Eliſabetha (nata A. C. 1634. uxor Rudolphi Auguſti Ducis Brunſuicenſis ac Lunæburgenſis, denata A. C. 1650.) Juſtina Sophia, (nata A. C. 1636. uxor Ennonis Ludovici Friſonum Principis, denata A. C. 1656.) Æmilia Juliana (nata A. C. 1637.) & Antonia Sibylla (nata A. C. 1641.) qui omnes nati ſunt, ex Sophia Urſula Oldenburgica, Alberto Friderico, defuncto A. C. 1641. filio Juſti, nepoti Wolfgangi, pronepoti Burcardi, abnepoti Guntheri, atnepoti Burcardi, qui, maritus Sophiæ filiæ Sigiſmundi Principis Anhaltini, obiit A. C. 1420. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Europ. tom.* 1.

BARBICALIS, machinæ λιθοβόλων ſpecies, apud Albertum Aquenſem *l.* 3. *c.* 41. *Sequenti die inſtrumento trium manganarum, Franci Barbicales vocant, opponunt ponti, quæ portam & turrim portæ ejuſque mœnia crebrò jactu & impetu ſaxorum quaterent & impeterent*, Car. du Freſne *Gloſſar.*

BARBITE, apud *Marcianum*, *Barbyte* Solion dicitur, *e.* 54 *A Suſis Carbile ſive* Barbyte *oppidum centum triginta quinque millibus paſſuum diſtat, in quo mortales odio auri condunt hoc metallum* &c. Quid verò ſit, haud liquet. Fortè *Babythace* eſt vel *Barbathace*, ut Plin. *l.* 6. *c.* 27. vocat, *Βαϐυτάκη Stephano*, urbs Perſiæ in Septentrionali latere Tigris, de qua voce diximus ſuprà.

BARBITOS, apud Horat *l.* 1. *Carm. od.* 1. *v.* 34.

Leſboum refugit tendere barbiton:

Inſtrumentum Lyricum, quod tribus tendebatur chordis, quô multùm uſa Sappho, & Alcæus. Sonus ei exstitit gravis & aptus Doriis: quocirca *Pollux* etiam *βαρύμιτον* dictum prodit, Jul. Cæſ. Scaliger *Poetices l.* 1. *c.* 48. Alii tamen ſeptichordum fuiſſe docent, non minùs ac citharam, quam *ἑπτάκτυπον φόρμιγγα Pindarus* vocat, Auctore Dionis *l.* 7 Imò *Barbitum Anacreonti οἷς λόγω*, idem eſt quod ipſa lyra, inſtrumentum Muſicum *κρούμενον*, *plectrò vel calamò pulſari ſolitum* Inventor ejus idem Anacreon &c Vide Chabotium *ad Horat A. l.*

BARBIUS Proculus, Teſſerarius ſpeculator, ab Onomaſto, corruptus, ad cæteros Prætorianos Othoni contra Galbam conciliandos Tacit. *Hiſt l.* 1. *c.* 25.

BARBOTA, apud Manhæum Paris. ad *A. C.* 1219. *Turgias multas & galeas cum* barbotis *& navibus aliis Chriſticolæ rapuerunt*; qui vocem hanc mutuatus eſt ex Oliverio Scholaſtico *de Captione Damiatæ*, *Accidit, ut una navis Templariorum, vi torrentis rapta, prope ripam civitatis præcipitaretur ad hoſtes, qui cum* barbotis *& uncis ferreis ipſam impugnaverunt diutius*: navis ſpecies eſt, ſic dicta à roſtro ferrato, ut Macer vult in *Hierolex.* Certè Schefferus eas eſſe naves has putat, quas Steuleſonius in *Chron. Ierrabarden*, quaſi dicas, *barbam ferream*, vocat. Supernè tectas fuiſſe probè coriò, ex *Hiſtoria* Belli Sacri vernacula MS. probat Car. du Freſne, & undique acutas admodum: Minitque tectarum ejuſmodi navium *Chron.* Petri IV Aragoniæ Regis *l.* 3. *c.* 10. Unde *Barbotata navigia*, quæ in modum *Barbotarum* tecta, apud Sanutum *l.* 2. *part.* 4 *c.* 7. laudatum Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Unde aliud etymon clicias, dictas nempe hujuſmodi naves à *barbuta*; eſt autem *Barbuta* propriè capitis tegmen, quò milites, Equites inprimis, in prælus, caput tegebant. Vide infrà.

BARBOSTHENES, mons Peloponneſi, in Laconica regione à Lacedæmone 10. mil. paſſ. diſtans. Liv. *l.* 35. *c.* 27.

BARBOUDA, Una ex Antillis Inſul. ſub Anglis, qui ibi colonias habent. 18 leuc. ab Inſul. S. Chriſtoph. in Orient. 10. ab Antiq. Inſul. in Boream.

BARBURI Saginati, in Menſa Salomonis, 1. Regum *c.* 4 *v.* 23. Junio & Mercero ſunt *lectiſſima quæque animalia*, quæ *Appulejus paſtu electiles* dixiſſet; Græcis *ὄρνεις ἐκλεκτὰ σιτιστά*, eæque gallinacei generis; Talmudicis *electi boves aut gallinæ peculiari modò ſaginatæ*; Rabbi Judæ, *ſpecies animalium, quæ aluntur in vivariis*; Aliis *aves quæ ex Barbaria afferebantur*, mundæ ac pingues; Et certè, cùm Salomon in Rubro Mari claſſem inſtrueret, Ælanis & Eſion-gabere in Orientales Barbaros ire potuit illa, atque inde meleagrides afferre, quæ *Barburim* inde denominari potuère. Quò enim tempore avium harum magna fuit raritas & penuria, erat illis ſummè fertilis Rubri maris Inſula quædam, ad Barbariam Troglodytarum pertinens, quod idonei Auctores ſcribunt, præter *Agatharchidem*, *Diodorum* & *Artemidorum* apud *Strabonem*, &c. Bocharto, utut ultima hæc interpretatio tolerabilis videatur, prima tamen maximè placet, in qua aſſerenda conſpirant Seniores cum Talmudicis, & analogia favet, ſecundùm quam, ut à חרר *charar*, i. e. *ardere*, חרחור *charchur*, eſt, h. e. *ſummus ardor*, Deuter. c. 28. v. 22. ſic à ברר *barar*, h. e. eligere, ברבור *barbur*, i. e. *res lectiſſima*. Unde ſenſus quoque commodiſſimus verborum Salomonis hic emergit; *Ciborio Salomonis erant in dies ſingulis triceni cori ſimilæ, ſexageni cori farinæ, deni boves pingues, viceni boves paſcuales, & centum oves, præter cervos, capreas, & bubalos, & barburim*, h. e. *lectiſſima quæque animalia*, ea ſcil. quæ inter cætera ſeligebantur, ut peculiari ratione ſaginata regiæ menſæ apponerentur. Quod de avibus potiſſimum Veteres intellexerunt, cùm, quia in cupedinario Foro aviculæ principem locum tenent, tum ut ab iis diſtinguerent, quorum jam facta mentio; bobus nimirum ovibus, cervis, capreis & bubalis, &c. Vide eum *Hieroz. Part. poſter. l.* 2. *c.* 19.

BARBUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

BARBUS Paulus, vide *Paulus*.

BARBUTA, apud Joh. Hocſemium in *Engelberto Epiſc. Leod. c.* 35 *Erant omnes armati cum* barbutis *in capite, & ultimò Rex cum multo pennæ, ſupra parvum concinnum, armatus ſicut alii, cum barbuta*; tegminis ſpecies eſt, quò caput olim Milites, Equites inprimis tegebant in præliis. Hinc pro ipſis militibus, *Acta* Confœderationis inter Galeacium Mediolani Domin. & Amedeum Comitem Sabaudiæ A. C. 1362. apud Guichenonum in *Hiſtor. Sabaud. p.* 206. *Habere & tenere teneatur ad offenſam prædictam barbutas mille, quibus per Dom. Comitem ſatisfiat.* Et mox, *Habere tenetur ſuis expenſis ſolùm* barbutas *trecentum*, h. e. milites *barbutis* armatos; quos poſtmodum Itali *Lances* ſeu *Lancearios* appellàrunt, uti legimus apud Matth. Villaneum *l.* 2. *c.* 81. & *l.* 6. *c.* 56. Vide quoque Thwroczium *in Ludovico Rege Hungar. c.* 16. 21 23. Corruſium *Hiſtor. l.* 7. *c.* 20. Alios, laudatos Carolo du Freſne in *Gloſſar.* In Macri *Hierolex.* malè *Barbotes* pro *Barbuta* legitur, ex Blondo *Dec.* 2. *l.* 10. *in Clemente VI. Quam ob rem Archiepiſcopus Johannem Aulegium Vicecomitem cum* barbutis *quinquemillibus in Hetruriam miſit.* Namque ablativus hic rectum habet *Barbuta*, uti vidimus.

BARBYSES, vel BARBYSSUS, fluv. agri Byzantini in ſinum Ceratinum influens. *Cataricon* incolis, & *Pectinacorion*, teſte *Gyllio*.

BARBYTHACE, ſeu BARBYTACE, Urbs Perſidis, cujus incolas aurum quantum poſſunt contrahere defodereque, ne cui ſit uſui, Plin. memorat *l.* 6. *c.* 27. Quod cùm alibi non legatur, ſuſpicatur Salmaſ. fuiſſe urbem, in qua Gazophylacium Perſiæ Regum fuerit, ſicque aurum ibi defoſſum ſervaretur. Vide eum *loco cit.* ut & in *Babytace* ſuprà.

BARCA, vide *Barcha*.

BARCA, apud Paulinum *Poëm.* 13.

Ut mea ſalubri barca *perfugio foret,*
Puppis ſuperſtes obruta.

Abbonem *de bello Paris. l.* 1.

Quamplures numero naves numerante carentes
Exiat, eas moris vulgò barcas *nominare.*

Et *l.* 2.

—— —— Barcas per flumina captant.

Aldhelmum *de B. Virit*; Alios; *Ugutionis*, *navis Mercatorum eſt & quæ merces exportat*: Iſidoro *Origin. l.* 19. *c.* 1. *quæ cuncta navis commercia ad littus portat* &c. à *Βάρις*, voce Græcâ, quæ genus ædificii rotundi, ut turris eſt, ſonat, ſecundum Salmaſ. in Cercoſtiam: Jul. Cæſ. Scaliger *Exercit.* 51. à *βάρος* i. e. *oneribus gerendis*, vocem deducit. Alii à *Barca*, urbe Africæ &c Rodericus Toletanus *de Rebus Hiſpan. l.* 1. *c.* 3. à *Barca* celebrem Hiſpaniæ urbem. *Barcinonem* nominatam, auctor eſt. Sed & *Βάρκαι* Scriptores aliquot Græci recentiores dixère; *Βάρκα* Nicetas habet in *Alexio l.* 2. *num.* 7. & Harmenopulus *l.* 2. *tit.* 11 § 9 apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Hinc *Barcella*, quæ aliàs *Navicula* dicitur, vas Eccleſiæ, in qua thus reponitur, ad incenſum, in *Charta* A. C. 1197. apud Ughellum *Italiæ ſacr. Tom. VII. p.* 1274 vide & *Barcha*.

BARÆI, populi apud Colchos & Iberos, qui ſolent ægrotos morbis extinctos, veluti ignavos igni tradere, in bello autem defunctos, tanquam ſtrenuos, objicere vulturibus. Ælian. *de Anim. l.* 10. *c.* 22. ubi tamen *γένος Βαραῖων* dicuntur.

BARCANII, populi. Hyrcanis vicini. *Steph.*

BAR-CAPPARA, Rabbinus, 3. ſeculi Auctor libri *Thoſaphta* dicti, ad explicandas ſignificationes *Miſnæ* 9. Genebrard. *notis in Chron.*

BARCE, nutrix Sichæi. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 632.

Tam breviter Barcen utrâque aſſata Sechal.

BARCE, vel BARCA, eadem quæ *Marmarica*, teſte Bochart, *l.* 1. *Chanaan, c.* 25. Ingens Africæ regio, inter *Ægyptum*, & regnum Tunetanum, in ora maris Mediterranei ſterilis admodum. *Moreris.* Et urbis nomen in Cyrenaica vetuſtiſſimæ, à Batto, filio Arceſilæ, Cyrenæorum Regis conditæ, poſtmodum ab Amaſi deſtructæ. De qua multa Herodot. *l.* 3. & 4. Strabo *l.* 17. Ptol. *l.* 4. *c.* 4. Pomp. Mela, *l.* 1. *c.* 8. Marmol. *l.* 6. Et Silius, *l.* 3. *v.* 251.

— Barce ſitientibus arida venis
Nec non Cyrene, — —

Claudian. *de Bello Gildonico*, *v.* 160.

Diſſidet occiduo quod Gadibus arida Barce.

Pleríque eandem eſſe volunt cum Ptolemaide. Strabo *l.* 17. Εἶθ' ἡ Βάρκη πρότερον, νῦν δ' Πτολεμαΐς. Plin. *l.* 5. *c.* 5. *Ptolemais antiquo nomine Barce.* Servius *in l.* 4. *Æn. Barce autem civitas eſt Pentapoleos, quæ hodiè Ptolemais dicitur. Steph.* Βάρκη πόλις Λιβύης, ἥτις καὶ Πτολεμαΐς. *Suidas*, & Sophoclis Schol. *in Electram*, Βάρκη γὰρ πόλις Λιβύης ἡ νῦν Πτολεμαΐς καλουμένη. Tamen in Ptolemæo, *l.* 4. *c.* 4. *Ptolemais & Barce* ſunt diverſæ urbes, quarum illa littorea eſt, hæc in mediterraneis. Sed & apud *Scylacem Caryandenſem*, ἡ πόλις ἡ Βαρκαίων ἀπὸ θαλάσσης ἀπέχει στάδια ρ, i. e. *Barcæorum urbs ſtadiis centum à mari diſtat*, cùm in littore Ptolemaidem etiam alii deſcribant. Itaque Ptolemaidem Ptolemæi condidêre, non quô locô erat urbs, ſed quô locô erat portus Barces, de quo *Scylax*, Ἐκ δὲ λιμένος τῆς Κυρήνης μέχρι λιμένος τοῦ κατὰ Βάρκην στάδια φ, *à portu Cyrenes ad portum Barces ſtadia* 500. Ut ut ſit, Barcæorum nomen à *Barce* factum ſumimus multo latius, quàm pro ſolis *Barces* civibus. Extenditur enim ad omnes barbaros undiquaque diffuſos, ut apud Virg. *Æn. l.* 4 *v.* 39. ubi ponuntur in cenſu populorum, qui terrori erant Pœnis,

Nec venit in mentem, quorum conſederis arvis?
Hinc Getulæ urbes, genus inſuperabile bello,
Et Numidæ infræni cingunt, & inhoſpita Syrtis;
Hinc deſerta ſiti regio, lateque furentes
Barcæi. D. Hieronymus *lateque vagantes* legit.

Mihi autem (inquit Bochartus *loc. cit.*) non ſit veriſimile, unicam gentem tam latè fuiſſe diffuſam; Tantùm, ut Marmarica hodiè dicitur deſertum *Barca*, ita Barcæos olim eoſdem fuiſſe probabile eſt cum Libybus & Marmaridis, qui erant circa Cyrenen. Huc facit, quod Βαρκαίους *Stephanus* Λίβυας exponit. Et *Heſych.* Βαρκαῖοι ὄχοι, Λιβυκοί. Οὗτοι γὰρ ἐπετήδευον περὶ ἱπποτροφίας, φασὶ δ' αὐτοὺς καὶ πρώτους ἅρμα ζεῦξαι, διδαχθέντας ὑπὸ Ποσειδῶνος· τὸ δ' ἡνιοχεῖν ὑπὸ Ἀθηνᾶς, ὡς Μνασέας ἐν τοῖς περὶ Λιβύης, h. e. *Barcæi currus*, i. e. *Libyci. Illi enim equis alendis ſtudebant, & primi dicuntur junxiſſe currum, & agitâſſe, illud à Neptuno, hoc à Minervâ edocti, ut refert Mnaſeas in libris de Libya.* Hæc ille, haud dubiè, ex Electra Sophoclis *v.* 728.

Μέσσων συναράσσει Βαρκαίοις ὄχοις.
Barcæis tecto frontibus feriunt juga.

Ubi Βαρκαῖοι ὄχοι, *Barcæi currus* iidem ſunt, de quibus paulo antè dixerat,

Λίβυες ζυγωτῶν ἁρμάτων ἐπιστάται,
Regunt habenas curruum auriga Libes.

Nic. Lloydius. Eſt quoque *Barce* mons & promontor. Libyæ. Vide etiam *Barcha.*

BARCELORUM, vel BARSELORUM, Urbs Aſiæ, in India, & ora Malabarica, ſub Hollandis à paucis annis, cùm priùs eſſet Luſitanorum. Sedet in ora littorali cum portu & media fermè inter Goam & Cananoram; aliàs regio titulô clara. Hujus territorium inter amœniſſima totius Orbis. Vide teſtem αὐτόπτην, Pet. de Valle, *Itinerarii tom.* 4.

BARCENNUM, Caton. *de Orig. Bracciano.* Vide *Arcennum*

BARCETUM, P. *Diac. Barcei & Bergeto*, oppid. Æmiliæ, in agro Parmenſi, intra montes Apennini, inter Parmam 28. & Apuam, 26. mill. paſſ. Ibi cœnobium olim celebre, à Regibus Longobardis, conditum.

BARCHA, ſeu BARCA, regio Africæ, in Barbaria, inter Ægyptum & Syrtim magnam, juxta mare Mediterraneum. Ejus primaria Barce. Habet cognomine deſertum, à Meſurata, ſe verſus Orientem extendens, ad confinia uſque Alexandriæ loca, ſic ut longitudine Italicâ 1300. ſeu Germanicâ 325. Latitudine autem Italicâ quidem 200. Germanicâ verò 50. capiat milliaria. Deſertum eſt aſperum atque frugibus infeliciſſimum: Leones gignit plurimos, ac venenatorum ingentem ſaburram, utpote ſerpentum, & peſtium peſtem Baſiliſcum ſerpentem, *Merll.* Ibi aliàs Libya externæ, Cyrenaica & Marmarica. Regio eſt ſterilis admodum & inculta, ſub Turcis. *Baudrand.* Vide *Barce.*

BARCHA, cognomen fuit nobiliſſimæ apud Carthaginienſes familiæ ex qua fuerunt Annibal & pater ejus Amilcar; Inde *Barchina factio* fuit, quæ Barcharum potentiæ favebat, & eorum in gerendo bello autoritatem ſequebatur Liv. *l.* 2. *bell. Punic.* Vide & *Barchina.*

BARCHOCHABAS, quaſi *fil. Aſtri*, ſe ſtellam eſſe Jacobi dixit, de qua Baalamus vaticinatus eſt. Nactus ſectatores contra Adrianum Imperator. inſurrexit. A. C. 139. ſub prætextu templi Jovis, quod Imperator ibi è regione Hieroſolymitani extruxerat. In Chriſtianos crudeliſſimus, exitum tandem, qualem merebatur, nactus eſt. Juſtin. *Orat. ad Antonin.* Judaicæ defectionis princeps, Chriſtianos, niſi negarent Chriſtum, ad ſupplicium, traxit. Euſeb *l.* 4. *c.* 8. Vide & *Bencochab.*

BARCHUSA, parva civitas Phœniciæ. *Steph.*

BARCINA, nomen factionis Carthagine olim potentis, cujus opibus, *quæ apud militem plerumque plus quàm modica erant*, contra Principum voluntatem, Aſdrubal, gener Amilcaris cognomine *Barca* (cujus facta leges apud Corn. Nepotem *l.* 22.) imperiô potitus eſt, Liv. *l.* 21. *c.* 2. Ad quoſdem factionis Principes miſſis literis nunciiſque, præparavit ſuorum animos Annibal, tum in Sagunti obſidione hærens, ne quid pars altera gratificari prô Romanis, qui Legationem Carthaginem miſſuri erant, poſſet, *c.* 9. &c. Peritia eorum gloriaque bellica, eidem indigitatur *l.* 28. *c.* 12. *Ibi tum Aſdrubal Giſgonis, maximus clariſſimusque eo bellô ſecundùm* Barcinos Dux; *regreſſus à Gadibus* &c. Nitebantur autem contra Hannonem maximè, qui unus adverſô Senatu cauſam fœderis cum Romanis egit, ſed nullô ſucceſſu, *c.* 10. *cit.* Hinc inter Himilconem *Virum factionis Barcinæ*, poſtquam nuncius ab Annibale læta omnia attuliſſet & Hannonem, qui bellum cum Romanis conſtanter diſſuaſerat, acris diſceptatio, legitur apud eundem *l.* 23. *c.* 12. Sed rejectô tandem in Africam Annibale, Romanorumque potentiâ indies reflorеſcente, factionis auctoritas pelluídata, ut videre eſt apud eundem.

BARCINO, Colonia Faventia, civitas Epiſcopalis Hiſpaniæ Tarraconenſ. celebratiſſima. Vide Plin. *l.* 3. *c.* 3. Fundata ab Amilcare, cui *Barcha* cognomen, quem Carthaginienſes cum juſto exercitu in Hiſpaniam miſerant, inde *Barchino Livio* dicitur. Hodiè caput & Metropolis eſt regni Catalauniæ, *Barcelona.* Auſon. *Ep.* 24. *v.* 89.

Tarraco, & oſtrifero ſuperaddita Barcino Ponto.

Ludovicus *Bonus*, vivô adhuc parente Carolô M. Saracenis illam eripuit: Cujus Comes Bera vel Bernardus factus. Huic Godofredus d'Arria ſucceſſit, à Salomone Sardiniæ Comite pulſus. Quô occiſô Godofredus *villoſus*, fil. Godofr. d'Arria, ob operam egregiam contra Normannos præſtitam, à Carolo Craſſo, Comes hæreditarius conſtituitur: Comitatu poſtmodum Arragoniæ, poſt Raimondi Berengarii mortem, unitô. Urbs expugnata ab Almanſore A. C. 985. Tantùm non mundata, A. C. 1617. Poſtea ſub Gallis aliquandiu fuit, ſed A. C. 1652. recepta eſt ab Hiſpanis poſt longam obſidionem eſtque probè munita, cum portu in ora maris Mediterranei prope oſtia Rubricati & Bætulonis fluv. ubi aliàs Laetani populi. Concilia ibi habita A. C. 540. 603. & A. C. 1064. quo leges Gothorum abrogatæ.

BARCINO, oppid. Provinciæ, verſus Alpes, Juris Sabaudici cum toto agro. Intra Alpes ſedet, ad *Hubaye* rivum *Barcelonette* Gall.

BARCLAJUS Johannes, fil. Guilielmi Scoti, & in Muſſipontana Lotharingiæ Academia Juris Antecеſſoris (qui de *Poteſtate Regum* inſignem tractatum edidit, *contra Monarchomachos libris* VII.) in aula Jacobi I. M Britanniæ Regis à publicis oneribus liber, titulô *Nobilis Cubiculi Regii*, aliquandiu vixit. Ibi dum Petronii Arbitri fragmenta legit, imitatione ejus *Euphormionem* ſcripſit. Inde ad Latinos ritus reverſus, Romæ Gregorio XV. & Urbano VIII. gratus, viridarii ſui culturâ tempus reliquum exegit, defunctus A. C. 1621. ætat. 36. ſtatuâ & inſcr. à filio honoratus, quam tamen Jeſuitæ, quod in fide ſuſpectus eſſet, ſublatam voluêre. Præter Satyricon, ſub *Euphormionis* titulo, quô jocosè diverſas aulas, Anglicam, Gallicam, Lotharingicam, quas præſens viderat; Hiſpanicam, Romanam; & Cæſaream, ut ab aliis audiverat, ſub nominum fictitiorum nube adumbravit; ſcripſit *Argenidem*, *Iconem animorum*, Romæ, & *Epigrammata* optimæ notæ. Joh. Imperialis *Muſæo Hiſtor.* Nic. Erythræus *Pinacoth.* Thomaſinus *Elogiis*, Freherus *Theatro* &c.

BARCONDORPIUS Johannes, vide *Johannes.*

BARDÆI, populi Illyrici, quorum mentio in *Gloſſis*, *Bardei*, Ἰλλυριοὶ δοῦλοι, οἱ δ' ἀγωνισάμενοι ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας κατὰ Κίννα καὶ Μαρίου προσελθόντες. *Illyrici ſervi, qui pro Italia pugnantes, contra Cinnam & Marium cum exercitu profecti ſunt*, ubi meliùs legeretur *Bardæi.* *Ptolemæo* namque Οὐαρδαῖοι dicuntur, in deſcriptione Illyrici: Εἰσὶ δ' Δαλματίας Δαίσιοι, ὑπὲρ δὲ μὲν Κόρνιοι καὶ Οὐαρδαῖοι, *Infra Dalmatiam Daſii, ſupra quos Cornui & Vardæi.* Ita vetus liber, quem in Biblioth. Pal. vidit Salmaſ. volgò Οὐάρδαιοι, &c. Inde *Bardaici cuculli*, de quibus Jul. Capitolin. in *Pertinace*, *c.* 8. *Chlamydes Gracanicas atque caſtrenſes & cucullos Bardaicos*, obi de rebus Commodi ſub haſta venditis: quos nonnulli à *Bardis* Galliæ infeliciter deducunt. Fuêre autem militare geſtamen, & iidem fortè cum *Liburnicis cucullis* Martialis, *l* 14 *Epigr.* 139. Pannoniorum etiam galerorum mentio, apud *Vegetium*, quos pro galeis geſtabant milites ipſius ætate. Sed & *calceos Bardaicos* militum reperimus appellatos. Juvenal. *Sat.* 16. *v.* 13.

Bardaicus *Judex datur hæc punire volenti*
Calceus *& grandes magna ad ſubſellia ſuræ.*

Ita namque hæc verba conſtruit Salmaſ. præfatus, *Hæc punire volenti datur Judex, calceus Bardaicus, & grandes ſuræ*: per quæ militarem Judicem intelligit, Centurionem aut Tribunum, cui grandes ſuræ & calceus Bardaicus. Incertum igitur, utrum de calceo intelligat, an de cucullo Martialis, cùm inter res malè olentes *bardaicum* militis ponit, *l.* 4. *Epigr.* 4. *v.* 5.

Laſſi bardaicus *quod evocati,*
Quod bis murice vellus inquinatum,
Quod jejunia Sabbatariorum &c.

Cœterùm cucullos etiam pedum invenimus appellatos, qui *cucullopedones* & *pedocuculli* dicebantur. Horum mentio in *Notis* Tironis & Senecæ. Sic πῖλος Græcis & pedum & capitis dicitur. Heſiodus, in ἔργ. *v.* 544.

— — πιλὸν δ' ἐφύπερθεν
Ἔχειν ἀσκητόν.

---- ---- in capite ſuperne
Pileum habere elaboratum

Κανκάνιον exponunt Grammatici. Apud eundem πῖλοι quoque pedules ſunt. Similiter Latinis *udo* utrumque ſignificabat, & galeum vel pileum & pedule &c. Salmaſ. *ad Capitolin.* Vide quoque infrà in voce *Bardocucullus*.

BARDANES, cognomine *Turca*, Imperator proclamatus eſt, ab exercitu, ſed honorem recuſavit, cùm ſciret Nicephorum Logothetam jam thronô potiri, & monaſterium ingreſſus eſt. Ubi juſſu Nicephori oculi ipſi eruti, ne recuſati diadematis pœnitentiâ duceretur. Theoph. *miſc. l.* 24. *c.* 25. Vide *Philippicus Bardanes*.

BARDARIOTÆ, Græcè Βαρδαριῶται, milites prætoriani, quorum præfectus *Primivirgius* dicebatur, eò quòd quoties Imperator Conſtantinopol. equitabat, milites hi virgas manibus ferebant, ad populi arcendum impetum. Vide Codinum *de Officiis Aulæ Conſtantinopol.* & Macros Fratres in *Hierolex.* è quibus Carolus *Bardariotas* hos cum *Barbatis* eoſdem facit. Vide ſuprà.

BARDAS, Patricius Conſtantinopol. Cæſar factus eſt, A. C. 854 per Michaëlem III. cognomine *Bibonem*, qui ejus ex Sorore Theodora nepos erat. Cui mox conſuluit, ut matrem pelleret, utereturque liberiùs. Ipſe legitimâ uxore repudiatâ aliam duxit, ſeque totum vitiis immerſit, ab Ignatio Patriarcha nec quicquam increpitus, quem exiliò multavit, Photiò, homine plebeiò ſubſtitutò. Unde ſchiſma. Tandem Michaël à Saracenis victus, à Ruſſis obſeſſus, hunc, per quem omnia hactenus adminiſtraverat, inſolentiùs ſe gerentem, perdidit. A. C. 866. *Curopalates*, *Zonaras*, *Nicetas & Glycas*.

BARDAS, Armenius, Iconomachus, Pater Leonis V. Imperat. A. C. 813.

BARDAS Sclerus, cognomine Phocas, inſignia imperii ſumſit, contra Baſilium II. & fratrem Conſtantinum Juniorem Porphyrogennetam. *Curopal. Zonaras*, &c.

BARDEATIS, oppid. Aſiæ, in India, intra Gangem, ubi nunc fortè *Bicaner*, in Bacaria regione 25. leuc. à Gange, ſub M. Mogole.

BARDERATE, vulgò BRA, oppid. ad Sturam fluv. in Principatu Pedemontano, ex adverſo Claraſci.

BARDESANES, Valentini diſcipulus Meſopotamiæ præſul, Syrorum linguæ doctiſſimus, & vehemens dialecticus, *adverſus Valentinum & Marcionem* patriâ linguâ ſcripſit; ſed & Græcè ad M. Aur. Antoninum, ſub quo fuit, *librum de fato*, aliaque complura. Tandem, velut *pretioſis mercibus onuſta navis*, ut Epiphan. de illo, ipſe *naufragium fecit*, & poſtquam Apollonio Chalcedonenſi, Imperatoris præceptori ad apoſtaſiam ſe ſolicitanti fortiter reſtitiſſet diu, tandem non Valentini modò, quem prius doctè refutaverat, deliria amplexus eſt, ſed & mortuorum inſuper reſurrectionem negavit. Reliquit ſectatores *Bardeſaniſtas*, novorum errorum architectos, & filium Harmonium, cujus ſcripta ab Ephremo Edeſſeno confutata. Epiphan. *Hær.* 56. Auguſtin. *de hær. c.* 35. Baron. *A. C.* 175. *Euſebius*.

BARDESANES, Hiſtoricus Babylonius, Alexandri Severi temporibus floruit, de quo Porphyrius, *de abſtinentia l.* 4. Ὡς Βαρδησάνης ἀνὴρ Βαβυλώνιος ἐπὶ τῶν πατέρων ἡμῶν γεγονὼς, ἀνέγραψεν. Egit autem de Brachmanibus, & Samanæis, Indorum Philoſophis, quos Græci *Gymnoſophiſtas* vocant. Idem opus ſignat B. Hieronym. *l.* 2. *contra Jovinianum*. *Bardeſanes, vir Babylonius, in duo dogmata apud Indos Gymnoſophiſtas dividit: quorum alterum appellat Brachmanas, alterum Samanæos; qui tanta continentiæ ſint, ut vel pomis arborum juxta Gangem fluvium, vel publicò oryzæ, aut farinæ alantur cibò: & cùm Rex ad eos venerit, adorare illos ſolitus ſit, pacemque ſuæ provinciæ in illorum precibus arbitrari ſitam.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 5. *p.* 483. & Jonſius *l.* 3. *Script. Hiſt. Phil.* c. 10.

BARDI, apud Celtas & Britannos Poëtæ erant, qui fortia clarorum virorum facta verſibus Heroicis celebrabant, dulcibuſque lyræ melodiis ad exhilarandos in convivtu virorum animos, decantabant. Unde Lucanus, *l.* 1. *v.* 447.

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

A Bardo Druydis, V. Celtarum Rege ita appellati fuerunt, qui inventione carminum inclytus fuit. Tales in Britannia apud Cambros, ſeu Wallos adhuc ſunt, qui & patriò eorum ſermone *Bardi* huc uſque appellantur. Ipſi Heroum nobilium illuſtria facta colligunt, in rythmos aptè & ingenioſè redigunt, ac paſſim in ſolennioribus epulis lyrâ & voce concinunt. Poſidonius apud Athen. *l.* 6. Τοὺς δὲ ἀκουσομένους αὐτῶν εἶναι οἱ καλούμενοι Βάρδοι, ποιηταὶ δὲ οὗτοι τυγχάνουσι μετ' ᾠδῆς ἐπαίνους λέγοντες. Strabo *l.* 4. Βάρδοι μὲν ὑμνηταὶ, καὶ ποιηταί. Diodor. Sic. *l.* 5. Εἰσὶ δὲ παρ' αὐτοῖς καὶ ποιηταὶ μελῶν, οὓς Βάρδους ὀνομάζουσι. Qui etiam tanta in veneratione illorum cantum fuiſſe memorat, ut militum quoque furorem ſiſteret. *Feſtus*, *Bardus Gallicè cantor appellatur, qui virorum fortium laudes canit.* Amm. Marcellin. *l.* 15. *c.* 9. *Bardi fortium virorum illuſtria facta heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.* *Heſychius*, Βάρδοι, οἱ ᾠδοὶ παρὰ Γαλάταις, ubi pro οἱ ᾠδοὶ rectè monuit vir doctiſſimus legendum eſſe ἀοιδοὶ, *cantores*, vel *Poëtæ*. Bardus autem eſt ab Ebræo פרט *parat*, i. e. *modulari*, mutatis homogeneis. Bochart. *l.* 1. *c.* 42. *Chanaan*. Porro *hi Bardi*, ut bonos laudabant, ita malos vituperabant. *Diodorus*, ubi ſuprà, οὗτοι δὲ μετ' ὀργάνων ταῖς λύραις ὁμοίων ᾄδοντες, οὓς μὲν ὑμνοῦσιν, οὓς δὲ βλασφημοῦσι. Habitâſſe illos Moreriu credit, in monte Burgundiæ, qui hodieque *Mont Bard*, vel *Mont Barry*, Latinè Mons Bardorum dicitur. Vide Beroſ. ſuppoſit. ab Annio Viterb. *l.* 6. Amm. Marcellin *l.* 15 *c.* 9. Chaſſanæum *de gloria mundi*, *part.* 12. Duplex. *Memor. Gall. l.* 6. *c.* 16. Perperam autem cum his *Bardis* Galliæ viri docti confundunt *Bardæos*, ſive *Bardæos* Dalmatiæ, de quibus ita *Gloſſæ Latino-Græcæ* ab H. Stephano primùm editæ *Bardæi* Ἰλλυριοὶ [illegible], οἱ καὶ [illegible] [illegible] Ἰταλίας [illegible] Κώμας, καὶ Μάγαν [illegible], καὶ [illegible] τῶν [illegible]. Τούτους Σκορδίσκος [illegible]. Ac paulò poſt in iiſdem legere eſt, *Bardæi*, [illegible] Ἰλλυρικὸν, ἔθνος; ubi ſcribendum conjunctim Ἰλλυρικὸν ἔθνος. Egregius quoque de iis locus eſt Plutarchi *in C. Mario*: Ubi narrat, ut is primus ante portas conſtiterit, cavillatus ſe exulem eſſe, ſibique patriâ interdictum: mox priuſquam tres aut quatuor tribus ſuffragia iniſſent, abjectâ ſimulatione, cauſatione exilii iniecit urbem circumſeptus ſervis, quos *Bardiæos* appellabat. Καὶ [illegible] δορυφόρους ἔχων λογάδας, ἐκ Βαρδιαίων ἀπονενοημένους. Item Vatinii Imperator. Ep. 9. ad Cicer. *l.* 5. *Dicitur mihi tuus ſervus anagnoſtes fugitivus cum Vardæis eſſe, de quo tu nihil mihi mandâſti. Ego tamen terrâ, marique ut conquireretur, præmandavi: & profectò tibi illum reperiam, niſi in Dalmatiam aufugerit, & tamen aliquando eruam.* Similiter Plin. *l.* 3. *c.* 23. ubi de Liburniæ populis, *populatoreſque quondam Italiæ Vardæi*. *Ptolemæo* ſunt Οὐαρδαῖοι. *Straboni* & Appiano *de Bello Illyric.* ſed corruptè Ἀρδιαῖοι, ut *Ortelius* obſervat. Ab hiſce Βαρδιαῖος ſive *Bardiæus*, ſive *Bardæus*, *bardaicus*, vel *bardiacus* dicitur. Juvenal. *Sat.* 16. *v.* 13.

Bardaicus judex datur hæc punire volenti.

Et Martial. *l.* 4. *epigr.* 4. *v.* 5.

Laſſi bardaici et quod evocati.

Ubi *evocati* ſunt veteranorum militum genus, de quo inter alios Lipſius multa, *in Electis*. *Nic. Lloydius*.

BARDI, ſeu meliùs *Longobardi*, fuerunt, ubi nunc Marchia Brandenburg. in Germania. Vide *Longobardi* & *Longobardi*.

BARDIA, vulgò BARTZ, fluviol. German. ad Bardum urbem fluens, marique exceptus. *Ferrar.*

BARDILLUS, Illyricorum Rex à Philippo victus.

BARDINES, fluv. juxta Damaſcum. *Steph.*

BARDO, mons Italiæ. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 1. *c.* 10. & 18.

BARDOCUCULLUS, utrum à BARDIS Galliæ, an BARDÆIS Dalmatiæ veniant, quæri poſſit? Sed prius malim. Nam vocatur Santonicus. Santones autem in Galliis, Martial. *l.* 14. *diſtich.* 128.

Gallia Santonicô veſtit te Bardocucullô.

Et Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 145.

---- Si nocturnus adulter
Tempora Santonicô velas adoperta cucullô.

Etiam *Lingones*, in Gallia, undè *Lingonicus* dicitur Martiali *l.* 1. *epigr.* 54. *v.* 4.

Sic interpoſitus villi contaminat uncto
Urbica Lingonicus Tyrianthina Bardocucullus.

Unde patet, viliſſimum tegumenti fuiſſe genus; Hinc per ludibrium idem *Cercopithecorum penulam l.* 14. *Epigr.* 128. illum vocat. A *Bardæis* Illyrici populis, de quibus ſuprà, ſi cum *Turnebo* & *Salmaſio* appellationem ejus trahere placeat, dici poterit, veſtem in Illyrico inventam, poſt apud Gallos texi, atque in uſu haberi cœptam eſſe. A *Bardis* enim Gallorum vatibus, aut à *bardis* i. e. fatuis, vocis derivationem agnoſcere ſe poſſe meritò negat Octav. Ferrarius *de re Veſtiaria l.* 1. *c.* 21. *Partis* 2. Hinc *Bardaicus judex*, apud Juvenal. ut dictum, i. e. *Bardocucullô* veſtitus, ſive ille ex craſſiore lana, ſive ex capraturm pilis & cilicio confectus: qualem Centurionem (hunc enim Poëta intelligit verbis his) *hirſutum capellam* audacter propterea alibi appellat. Meminit *Bardaici cuculli* & Capitolin. in *Pertinace*, c. 8. ut viſum nbi docet, Commodum Imperatorem *Chlamydes Græcanicas atque caſtrenſes*, & *cucullos Bardaicos*, & *togam & arma gladiatoria*, aurô, ſericô gemmiſque confecta geſtâſſe, præter morem Romanum. Vide quoque infrà, in voce *Cucullus*, & ſuprà in voce *Bardus*. Sed & Veſtalibus *bardocucullum* fuiſſe in uſu, dicemus infrà voce *Suffibulum*, vide etiam in *Tapebardum*.

BARDOMAGUM, pagus Inſubriæ Vide *Viriacomarora*.

BARDOVICUM, urbs antiqua Saxoniæ inferioris ab Henrico Leone everſa, A. C. 1189. è cujus ruinis crevit Luneburgum. Ad *Ilmenau* fluv. vix 2. milliar. German. ab Albi fluv.

BARDUCIUM, teli genus, apud Cedrenum.

BARDULI, Cantabrorum in Hiſpania populi, qui & *Turduli*, & *Tapori*, Plin. *l.* 4. *c.* 22. Nunc Caſtiliam veterem inhabitant, ut *Cluſius* vult, aliis *Guipuſcoa*. Meliùs *Varduli*, quod vide.

BARDUM, *Luithprando* Ticinenſis vicus eſt, in Alpibus, inter Eporediam & Auguſtam Salaſſiorum. *Baudrando* teſte dicitur vulgò *Bardo*, pagus Ducatus Auguſtani, ad Doriam Balteam fluv. 10. milliar. ſupra Eporediam, ad Alpium radices. Item, *Bardum*, vulgò *Bardi*, oppid. cum arce, ad Cenum fluv. à multis annis ſub dominio Parmæ Ducis cum toto ferè principatu Vallis Tari. *Bardum* item, *Bardt*, urbs Germaniæ in Pomerania cum portu ſat capaci, in ora maris Baltici, 3. milliar. German. à Sunda. Arce ſatis ſplendidâ exornatur: Subeſtque Suecorum dominio, pace ad Monaſterium confectâ.

BARDUS, I. Druydis fil. Celtarum Rex quintus, tempore Aralii, Aſſyriorum Regis. Hic carminum inventione celebris, immodicò Poëſeos & Muſicæ uſu animos vertit in delitias, molliciem & luxum. Ab hujus Regis nomine, & utraque canendi arte proceſſerunt illi, quos *Bardos* appellant authores. Obiiſſe fertur hic Rex A. M. 2138. & ante incarnatum Meſſiam 1832. quum regnâſſet 69. annis.

BARDUS II. Rex Celtarum. Duplex, *l.* 2. *memor. Gall.* Beroſus *l.* 5.

BARDUS Hieronymus, vide *Hieronymus*.

BARDYETÆ, Hiſpaniæ populi ad fluv. Iberum, *Bardyali Straboni*.

BARDYLIS, Rex Illyriorum, à Philippo Amyntæ, acie victus, Olymp. 105. annô 2.

BAREA, oppid. Hiſpaniæ Citerioris Bæticæ tamen adſcriptum, Plin. *l.* 3. *c.* 3.

BAREAS Soranus, qui cùm proconſulem Aſiæ offenſiones Principis auxiſſet juſtitiâ atque induſtriâ, & quia portui Epheſiorum aperiendo curam inſumpſiſſet; vimque civitatis Pergamenæ prohibentis Acratum Cæſaris libertum ſtatuas & picturas avehere multam omiſiſſet, accuſante Oſtoriô Sabinô reus factus eſt apud Neronem amicitiâ Plauti & ambitionis conciliandæ provinciæ ad ſpes novas. Tacit. *l.* 16. *Annal. c.* 23.

BARECCA viculus, Hieronym. *in Locis Hebr.*

BARED, i. e. *grando*, ſive *in deſcenſu*, vel *in imperio*, fil. Suthalæ. 1 Paral. *c.* 7. *v.* 21.

BARENE, urbs Mediæ, vicina Ecbatanis. *Steph. Gaud. Merula* putat eſſe oppid. in Gallia Ciſalpina, ad radices collium ſitum, quod Latini *Vareſium*, item *Vaſſium* nominant. *Vareſio* vulgò dicunt, uti prodit *Leander Albertus*.

BARENSIS Ducatus in Lotharingia, cujus caput *Barro-ducum*. Vide ibi. Ex hac familia Henricus & Philippus, fil. Ducis, Johannem Nivernenſem Ducem contra Bajazetem I. in Hungaria ſecuti ſunt: patre eorum A. C. 1415. in prælio ad *Azincour*, occiſô. Et ſub finem præcedentis ſeculi Dux Barenſis, fil. Ducis Lotharingiæ, Catharinam Henrici M. ſororem uxorem duxit, A. C. 1599. *Hiſt. Gall.* Vide *Barrum* & *Catharina*.

BARENSIS Ager, Ital. *Terra di Bari*, provinc. regni Neapolitani juxta mare Adriaticum inter Baſilicatam, & territorium Hydruntinum, olim aliàs major pars Apuliæ Peucetiæ. Nominatus ab urbe primaria Baro, cujus meminêre Mela, *l.* 2. *c.* 4. Plin, *l.* 3. *c.* 11. Tacit. *l.* 16. *Annal. c.* 9. Sigebert. A. C. 1087. Leand. *deſcr. Ital.* Ibi concilium A. C. 1097. de Græcis Latinæ Eccleſiæ conjungendis.

BARENTIUS Wilhelmus, rector navis, quâ tertiùm Septentrionis fretum Batavi tentare ſunt auſi, A. C. 1596. in expeditione illa admirabili, obiit, *non minus dignus, qui naſcatur, etiam fortunâ, quàm Veſputius & Columbus*. Hugo Grotius, *Hiſtor. l.* 5. Ex nautarum militumque numero duodecim fuêre, principe Jacobô Hemſkerkiô, quos ab ultima mundi ſolitudine Amſtelodamum reducto, tanti laboris miraculum illuſtravit.

BAREOCOLYMBIA, & **BAREODYSIA**, Partes Stationes, de qua infra.

BARETIUM, oppid. Inſubriæ in agro Mediolanenſi amplum, medium inter lacus Lucanum & Gavrattium. 20. milliar. à lacu Verbano, intra montes. Dicitur & *Varetium*.

BARGASA, urbs Cariæ, *Steph.* à *Bargaſo* filio Bargeæ & Herculis, quem Lamus Omphales & Herculis fil. perſecutus eſt. Aliis *Juſtinianopolis*, 40. milliar. ab Alabanda in Ortum, paulò amplius à Cabyra in Occaſum.

BARGATES, Perſa, in aula Smerdis Magi miniſter, ad ſeptem in ſocietatem conjurationis adſcitus: quia claves omnium ædium habebat. Hujus adjumentô intromiſſi ſunt in conclave, ubi Magus cum pellice Babylonia acquieſcebat; ejuſque operâ omnia arma, quibus ſe Magus defendere poſſet, antè remota atque ſubtracta. *Cteſias*.

BARGEMON, vel **BARJAMON**, urbecul. Provinciæ, 5. milliar. à mari, in diœceſi Forojulienſi, olim apanagium minorum natu filiorum Comitum Provinciæ. Sammarth. *Gallia Chriſt.* tom. 4. p. 9332. Joh. Noſtradamus, *in Hiſt. Poëtarum Provincialium*, meminit cujuſdam Guilhelmi hinc oriundi, Poëtæ elegantiſſimi, in aula Comitis Berengarii, qui obiit in regno Neapolitano, Carolo I. Principi ſuo militans. A. C. 1284.

de **BARGEMON** Guilhelmus, vide *Guilielmus*.

BARGENI, populi Africæ ex Troglodytis. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

BARGI, quinam ſint, vide Voſſ. *ad Melam. p.* 253.

BARGIORAS cognomen Joannis, qui medium urbem Hieroſolymis, ingruente Titô, tenebat. Significat verò filium *Giora*. Emendandus hinc Xiphilinus, *in Veſpaſiano*, ubi Βαρβόρας exſtat, cum Βαργιώρας ſcribi debuerit. Sed videtur legendum apud Tacitum *l.* 5. *Hiſt. c.* 12. *Bargioras*. Nam Joſephus Simonem filium Gioræ facit.

BARGUS, Thraciæ fluv. in Hebrum cadens. Plin. *l.* 4. *c.* 11. Item *Bargus*, quem nonnulli *Marium* nominant, teſte *Strabone*, Illyrici fluv. quem *Drinum Ptolemæi* eſſe putat *Niger*, alii potius *Dravum* ſentiunt.

BARGUS in *L. Sal. de bargo ſuſpendere*, ramum arboris vel ſcapum notat. Hinc de papyri faſciculo ſeu ſcapo, ſeu tacano. *Vetus Liber*, *Reſtium opus*, *papyrum faſces*, βάργοι. Nempe faſces papyri ſic colligatas, in baculi vel ſcapi figuram referrent, *bargos* vocarunt. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Firmo*, *c.* 3. A voce hac, *branche* Gallorum deducit Car. du Freſne, quod Salmaſ. mavult arceſſere à *Brachium*, *Ibid.*

BARGUSII, populi occidentales juxta Iberum fluv. *Steph.*

BARGYLA, Aſiæ minoris urbs. Plin. *l.* 5. *c.* 20. quæ *Bargyliæ*, ſive *Bargylos* ab aliis vocatur, à Bellerophontis comite Bargylo, quem Pegaſus occidit. *Steph.* Sita in ora maris *Ægæi*, media fermè inter Mindum & Miletum urbes.

BARGYLUS, mons Aſiæ. Plin. *l.* 5. *c.* 20.

BARI, civitas Phrygiæ. *Ptol.* aut eſſe oppid. in Piſidica Pamphyliæ præfectura.

BARIA, i. e. *in ſceptrum*, ſive *in malitia*, aut *in ululatione*, ſive *in paſtu*. fil. Aſer. 1 Paral. c. 8. v. 23. qui *Beria* Gen. c. 46. v. 17. dicitur.

BARJESU, nomen Pſeudoprophetæ. Actor. c. 13. v. 6.

BARIGENA, ſeu **BARGINNA**, in *Gloſſis Latino-Græcis* [illegible], Βάρβαρος, [illegible], *Veſpillo*, *barbarus*, *acclamatio barbari*. Quæ verba ſic accipit cum Cujacio *ad Nov.* 43. *Juſtinian.*, Car. du Freſne, ut exiſtimet, *Barginas* fuiſſe *barbaros funerum elatores*, vocemque *Barginna*, eſſe barbaram, non Latinam, quam à Germanis. *Baar* videtur deducere *Bigamus*, & in *veter. Gloſſario* Saxon. *feretrum* dici obſervat. Unde fortè, inquit, pro *funerum elatore*. Cæterùm *Bargenos*, Troglodytidis regionis populos memorat Plin. *l.* 6. *c.* 29. Et in *Gloſſis* Iſidori *Bargenes* ſunt *fortes in bello*. Recentioribus verò Grammaticis *Barginus*, peregrinus, alienigena eſt &c. Vide Ugutionem, Johannem de Janua, alios, ei laudatos *Gloſſar.*

BARIGILDI, in *Capitulis* Caroli C. *tit.* 31. *c.* 32. *Et ipſe* (Comes) *ſic mallum ſuum teneat, ut Barigildi ejus & Advocati, qui in aliis Comitatibus rationes habent, ad ſuum mallum occurrere poſſint*: Sirmondo, Apparitores ſunt. Unde hodieque apud Italos hâc voce principes apparitorum inſigniuntur. Academici Cruſcani, *Bargello*, *capitan de' birri*. *Circator*. Originem vocis à vocabulo *Baro* vel *Bara* arceſſit Innoc. Cironius, atque, *Barigildum* liberum eſſe hominem, qui nunquam ſervilis fuit conditionis. Addit, hinc Advocatos dici *Barigildos*, quod è nobilioribus & potentioribus aſſumerentur, in quorum fidem & patrocinium, quaſi conſpiratione quâdam & conſenſu mutuô, Eccleſiæ recurrebant, à *gildo* ſeu pretio, Advocatis exſolvi ſolito: ut ſic dicti fuerint, quaſi *Advocati Stipendiarii*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

BARILLARIUS, in *Ordinatione* Hoſpitii Ludovici IX. Franciæ Regis inter Sanctos relati, A. C. 1261. officium fuit in *Scancionaria Regis*, cui cadorum vinariorum cura incumbebat. A *Barili* ſeu *Barillo*, voce recentioris ævi, Ital. *Barile*, Gall. *Baril*, quæ vini cadum, vas vinarium è ligno, denotat. Matthæus Paris. *in Vita Abb. Miſit barillos lapidibus & ſabulo repletos* &c. Inde *Barillagium* quoque, apud Hemereum in *Auguſta Veromanduor.* A. C 1095. i. e. tributum, quod pro iſtiuſmodi vaſis vinariis præſtabatur. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros Fratres *Hierolex.*

BARINE, meretrix, quæ & perjurii rea. Horat. *Carm. l.* 2. *Od.* 8. *v.* 1.

> *Ulla ſi juris tibi pejerati*
> *Pœna, Barine, nocuiſſet unquam:*
> *Dente ſi nigrô fieres, vel uno*
> --- *Turpior ungue*
> *Crederem*, &c.

BARINIANUS Petrus, vide *Petrus*.

BAR-JONA vide *Bar*.

BARJOSIUS Elias, vide *Elias*.

BARIQUICIMETA, provinc. Americæ meridionalis in Venezuela regione vulgò *Bariquicimeto*. Hinc ortus fluv. cognominis qui multis aliis auctus, ſimul cum Paro fluv. in Orenocum fluv. labitur ex adverſo Cayamæ Inſul.

BARIS, è ſeptentrionibus peregrinatus eſt, in Græciam, ubi Apollini ſervit & oracula conſcripſit, quæ *Bacides* alibi vocata. Scholia *in Ariſtoph. Equites*.

BARIS, urbs Pamphyliæ, in Piſidia regione Aſiæ minoris juxta fontes fluv. Cataractes, verſus Taurum montem 30. milliar. ab Antiochia Piſidiæ in Occaſum. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Antiocheno.

BARIS, caſtellum Templo Hieroſolymitano adjacens, quod poſteà *Antonia* cognominatum eſt. Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 1. Apud *Stephanum* legimus, Βάρις, πόλις, [illegible] Navigii genus ita vocari, teſtes ſunt *Heſychius* & *Suidas*. Ionum autem id vocabulum eſſe, Corinthus auctor eſt. Videntur verò & alii à barbaris accepiſſe; ac propterea, puto, *Euripides* Βαρβάρους [illegible] dixit. Et à quibus potiùs, quàm Ægyptiis? Nam Herodotus *in Euterpe*, cùm locutus eſſet de genere navigii Ægyptiaci, atque id nominaſſet Βάριν, ſubjicit, [illegible]. Propertius quoque, qui unus Latinorum uſus videtur, ſic ſcribit de Ægypti Regina *l.* 3. *Eleg.* 10. *v.* 39.

> *Scilicet inceſti meretrix Regina Canopi*
> *Una Philippeo ſanguine inuſta notâ,*
> *Auſa Jovi noſtro latrantem opponere Anubim,*
> *Et Tiberim Nili cogere ferre minas;*
> *Romanamque tubam crepitanti pellere ſiſtro,*
> *Baridos & contis roſtra Liburna ſequi.*

Nic. Lloydius.

BARIS, Indiæ fluv. in cujus oſtiis *Barace* ſita fuit, Emporium nobile, de quo ſuprà. Eidem flumini adpoſitum eſt Nelcyndæ emporium, unde ſecundô amne lintres deſcendebant in Baracen, quæ piper ex Cottonare vehebant. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1187. Aliàs *Baris Vitruvio* teſte, idem Græcis, quod *fala* Latinis: Sunt autem falæ turres rotundæ, quarum faſtigium ovi refert imaginem. Cujuſmodi [illegible], in Circo erant, ab Agrippa primùm extrui juſſa, ad oſtendendum Curriculorum numerum. Servius *in l.* 9. *Æn. de Phalarica*, *Unde & in Circo falæ dicuntur diviſiones inter Euripum & metas, quòd ibi conſtructis ad tempus, turribus hic telis pugnari ſolebat.* Ad quem eundem uſum delphines quoque eôdem curante facti. Quæ cauſa eſt, quòd utroſque jungat Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 590.

> *Quæ nullis longè oſtentat cervicibus aurum,*
> *Conſulit ante Falas Delphinorumque columnas.*

Sed de his inferiùs dicendi locus erit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 911. uti de navis genere eôdem nomine indigitatô infrà, voce *Navis*.

BARISAS, è Ducibus auxiliaribus Perſæ contra Ædtem, qui operam ſuam omnibus bellis in illis locis mercede centum hominum & toti-

ſoridem Equorum locare ſemper ſolitus eſt; occiſus à Calai. Val. Flacc. *l.* 6. *Argonaut.* v. 557.

Dat Calais Bariſanta neci. —— ——

BARISSES, ſecundum *Cteſiam*, nobilis Perſes ex illis ſeptem, qui contra magum quendam Smerdin, Cyri filium ſe mentientem, & regnum obtinentem conjurârant, eôque occiſô regnum ad Perſas transtulerunt.

BARIUM, Apuliæ oppid. vulgò BARRI Barenſis agri caput, probè munitum, in ora ſinus Veneti, 8. milliar. à Bitonto. *Feſtus* ſic dictum ſcribit à conditoribus, qui expulſi ex inſul. *Bara* urbem hanc condiderunt. Hic Reges Neapolitani coronari ſolebant. Fruſtra tentatum eſt à Ludov. II. Imperat. A. C. 866. Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 5. v. 95.

Bari mœnia piſcoſi, dehinc Gnatia lymphis.

longitud 41. 12. latitud. 41. 05.

BARIUM, vulgò BAR, oppid. munitum Poloniæ, in provinc. Podoliæ. Arcem habet in colle, & tota paludibus vallatur, ad amnem *Kow*.

BARIUM ad Albulam, oppid. lepidum Galliæ in Campania provinc. ſic dictum, quia ad Albulam fluv. ſedet, in regione peramœna. Vinô ſuô celebratur. 10. leuc. à Trecis in ortum diſtat. *Bar ſur Aube* Gall.

BARIUM ad Sequanam, oppid. Gall. in Burgundiæ Ducatu & Montanenſi agro, prope confinia Campaniæ ad Sequanam fluv. 5. leuc. *ſupra Trecas*, in Meridiem. Vide *Barrum*.

BARLAAMUS, Monachus, dein Abbas S. Salvatoris Conſtantinopol. Hujus de Papæ principatu libellum, primus mundo exhibuit Joannes Luidus Novi Collegii Socius, & Academiæ Oxon. Procurator. Edidit eundem poſteà Heidelbergæ 1608. unà cum Nili Archiepiſcopi Theſſalonicenſis ejuſdem argumenti libris duobus Claudius Salmaſius. Ejus quoque *Λογιστικὴν* habemus hodiè & *Ἀριθμητικὴν*. Geometriam etiam compoſuiſſe, teſtis eſt *Geſnerus*. Item de ratione inveniendi tempus celebrandi Paſchæ ſcripſiſſe, ait Voſſ. *de Scient. Mathem.* p 393. Gregor. *l.* 1. Cantacuzenus, *l.* 2. Vixit A. C. 1350. ut ex æquali ejus Joanne Boccatio conſtat, *Præfat. operis de Genealogia Deorum*, Georgio Palamæ, Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, lumen in monte Taboris viſum increatum fuiſſe aſſerenti, fortiter reſtitit. Ab Andronico Avenionem miſſus eſt, ad Benedictum XII. ob negotium unionis Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali. Videque quæ de eo Pontanus *ad Cantacuzenum* annotavit, *l.* 2. c. 39. *Nic. Lloydius.*

BARLAAMUS Epiſcopus ſeculô 14. ſcripſit epiſtolas ad Græcos, pro unienda illorum cum Latina Eccleſia, & de Proceſſione Spir. S. Ethicam inſuper Stoicam, 2. partib. conſtantem. Bellarm. *Script. Eccl.* Caniſius, *antiq. lect.* n, 6. & *in Biblioth. PP.*

BARLÆUS Gaſpar, Orator & Poëta Batavus, cuivis antiquorum comparandus. Scripſit *Heroica*, *Elegias*, &c. Obiit ante luſtra aliquot.

BARLÆUS Melchior, vide *Melchior*.

BARLETUS Marinus, vide *Marinus*.

BARLOVIUS Guilhelmus, vide *Guilhelmus*.

BARMBRACUS, Lindenbrogio parvus canis eſt, in *L. Friſonum tit.* 4 §. 3. *Qui occiderit canem acceptoricium, vel braccenem parvum, quem* barmbracum *vocant*. *Bracco* enim canis hodieque Germanis eſt. Mavult tamen Spelmannus vocabulum deductum, à Saxon. *Barme*, quod *gremium* ſignificat: ut *Barmbraccus* ſit canis *gremialis*, quales cranium nobiles fœminæ, voluptatis gratiâ, gremiis fovent. Vide eum in *Gloſſar.* & Car. du Freſne ſimiliter, ut & infrà ubi de *Catellis* & *Canibus Melitæis*.

BARNA, ſeu VARNA, urbs Bulgariæ, nota clade Chriſtianorum, ſub Uladiſlao Hungariæ Rege A. C. 1444.

BARNABAS, nomen viri. Actor. c. 4. v. 36. Latinè *filius conſolationis*. Eccleſiam Mediolanenſem, ut & Romanam ſub Tiberio fundâſſe, & in Liguria prædicâſſe creditur. Orig. *l.* 3. *de prec.* Clemens *l.* 2. & 5. *Strom.* Hieronym. *in Catal.* In Cypro, ſub Nerone, Martyriô coronatus.

BARNABAS Briſſonius, Advocatus general. primùm, dein Præſes Parlamenti. Miſſus in Angliam ab Henr. III. ſtatuta in unum Codicem compegit, plurimaque ad Jus pertinentia ſcripſit. Tempore Ligæ, Pariſiis, à globo ſeditioſorum ſuſpendiô necatus. A. C. 1591.

BARNABAS Celſanus, Vicentinus, ſcripſit de Viris patriæ ſuæ illuſtribus. Voſſ. *Hiſt. Lat.* l. 3. p. 697.

BARNABITÆ, Congregatio Clericorum Regul. S. Pauli, quibus Paulinarum epiſtolarum aſſidua lectio incumbit: prima ſui ordinis exercitia obierunt, in templo S. Barnabæ, Mediolani. Spond. *A. C.* 1533 n. 14. veſtis illorum nigra eſt, cum pallio ad talos uſque demiſſo. *Richelet.*

BARNACES, Hibernis aves ſunt anatis ſylveſtribus ſimiles, quæ de lignis abietinis, ut hactenus creditum eſt, præter naturam productæ, religioſis viris, tempore jejuniorum in eſcam cedunt, eò quid de carne & commixtione minimè naſcantur. Vide infrà in *Bernacles*.

BARNAGASSIA, regnum peramplum, pars Abyſſiniæ verſus mare Rubrum, à quo uſque ad Nilum fluv. extenditur. Ibi urbs primaria Barva & portus Suachemum, & Ercocum.

BARNASTAPULA, oppid. Angl. in Comitatu Devonienſi, juxta fluv. Tavum, cum portu cognomine.

BARNEVELDI Inſul. detecta à Batavis A. C. 1616. in mari Auſtrino, prope Terram Ignium, & Fretum Mæreum. Dicta ſic eſt in honorem Johannis Barneveldii, vel Oldenbarneveldii, qui ab A. C. 1588 poſt Paulum Buſium, Hollandiæ fuit Advocatus. Fuit autem hic Principum temporibus vox publicæ libertatis, atque fune periculis, in mutatâ Republ. auctoritate principum in conventu Ordinum & delegatorum conſeſſu exquirit ſententias, præit ſuadendo, componit diſſidentes. Hanc dignitatem auxit virtutibus propriis Barneveldius, quarum inſigne documentum dedit, adverſus Liceſtrii arma arteſque, ut fidus conſiliis, ita animi invictus. Ad Henricum IV. Gall. Regem miſſus, pacem illi cum Hiſpanis, diſſuaſit, A. C. 1598. Cum dein magnis animis inter Fœderatos de pace cum his ageretur, A. C. 1608. invidiæ præcipue obnoxius, muneri ſuo renunciavit. Sed primorum rogatu ad id reverſus omnem Hollandiam aliaſque quinque nationes unius fecit ſententiæ: Maximus in extremam ætatem negotiis adhibitus. Tandem, velut ſeditionis, ab Arminianis excitatæ, & colluſionis cum hoſte ſuſpectus, cum Hug. Grotio, ex cujus *Hiſt. Belg.* prima hauſimus, A. C. 1618. in vincula conjectus & capite plexus eſt.

BARNICHIUS, fluv. Peloponneſi in Alpheum ingrediens, antè *Enipeus* dictus.

BARNIMUS, filius Raſtizi, nepos Mitiſlai, pronepos Lubiſlai, qui tempore Caroli M. Dux in Pomerania Orientali Wilzorum fuerit, genuit Viſilaum vel Wizlaſum, cujus filio Billungo ſeu Miſtevojo, natus eſt fil. Micislaus, per fil. minorem Grimmum Rugiorum Principum, per Miſtevonem verò majorem natu Herulorum Regum, conditor.

BARNIMUS I. cognomine *Bonus*, fil. Bogiſlai II. Pomeraniæ Citerioris Ducis, ſucceſſit fratri Bogiſlao III. condidit Garzum & Greiffenhagam, cum aliquot Monaſteriis: dein cum Patre Eccleſiæ Caminenſi conceſſit Colbergam, tum bellum ob Novam Marchiam cum Johanne I. Electore Brandeb. geſſit; quod compoſitum eſt, cum Ducis filia Hedvigis nupta Johanni Primiſlavam cum Marchia Uccaria adferret. Obiit A. C. 1287. Eô pater Ottonem Stetinenſis & Bogiſlaum IV. Wolgaſtenſis ramî auctores, natus eſt.

BARNIMUS II. cui Meſtovinus agnatus A. C. 1295. donaverat ditiones in ulteriore Pomerania, ſed Poloni à ſucceſſione Pomeranos prohibuêre. Idem A. C. 1285. in adulterio à Moccarinio confoſſus, filiam tantùm reliquit.

BARNIMUS III. cognomine *Magnus*, fil. Ottonis præfati, ſucceſſit Patri in regimine & bello, adverſus Ludovicum Brandenburgicum Electorem, cujus ſæpius victor, tandem tamen dicitur, in caſum deficientis prolis, Brandeburgicam ſucceſſionem addixiſſe. Idem agnato *Barnimo*, de quo proximè, in defenſione Rugiæ adverſus Megapolitanos adſtitit. Obiit A. C. 1368. pater Bogiſlai VII. Caſimiri IV. & Suantibori II.

BARNIMUS IV. fil. Wartiſlai IV. nepos Bogiſlai IV. de quo ſuprà, Pomeraniæ Occidentalis Dux, Wolgaſtanam lineam, conditor urbis Wolgaſtanæ, ut ſiet eſt: ſicut Bogiſlaus V. frater ejus, Pomeraniam Orientalem eſt nactus. Unà cum *Barnimo* III. à Carolo IV. Imperatore *Venatorum Imperii* dignitatem impetravit. Idem contra Megapolitanos ſuam defendit Rugiam, quam pater ejus, extinctô avunculô Wizlaô A. C. 1325. ſibi vendicaverat. Obiit A. C. 1365. pater Bogiſlai V. & Wartiſlai VI.

BARNIMUS V. fil. Bogiſlai V. prædicti, frater Caſimiri V. Wartiſlai VII. & Bogiſlai VIII.

BARNIMUS VI. fil. Wartiſlai VI. nepos Barnimi IV. temperantiæ ſingularis laude inclaruit. Obiit A. C. 1405. Eô ex Veronica Norimbergenſi, præter Wartiſlaum IX. Academiæ Gryphiſwaldenſis A. C. 1456. auctorem, genitus eſt.

BARNIMUS VII. cui Gutskoæ ſedes fuit. Obiit improlis.

BARNIMUS VIII. fil. Wartiſlai, Rugiæ, Stralſundæ & Barti Domini, nepos Wartiſlai VI. fratrem habuit Suantiborum III. quorum hic A. C. 1446. ille A. C. 1451. ſine liberis defecit.

BARNIMUS IX. cognomine *Pius*. Stetinenſis Princeps, fil. minor natu Bogiſlai X. frater Georgii, poſtquam hic è vitas exceſſit, qui anteà totô triennô Lutherum audiverat, habitô conventu Treptoæ, conſentientibus Ordinibus, cum nepote Philippo, quem Georgius ex Æmilia Palatina ſuſceperat, Latinos ritus abolevit, & per Johannem Bugenhagium, formulam adminiſtrationis conſcriptam A. C. 1535. publicavit. Monaſteriis dein reformatis, Smalcaldico fœderi nomen dedit A. C. 1536. Nec tamen bienniô poſt, in recuſationem Cameralis judicii, conſentire voluit. A. dein C. 1541. circa Principatus & bonorum Eccleſiaſticor. diviſionem cum nepote tranſegit: juſſitque Epiſcopum Caminenſem cum Canonicis ſuô munere uti, ſic tamen ut religionem Evangelicam ſequerentur. Locupletata quoque tum Academia Gryphiſwaldina & Pædagogium Stetinenſe fundatum eſt. Deceſſit A. C. 1573. tantùm filiabus relictis.

BARNIMUS X. fil. ſecundogenitus Philippi retrò memorati. Rugenwaldæ habitavit. Obiit A. C. 1603. nullâ ex Anna Maria Brandeburgica prole relictâ. Ejus frater maximus natu Joh. Fridericus, A. C. 1600. reliqui Caſimirus IX. A. C. 1605. uterque itidem ſine prole, Bogiſlaus XIII. A. C. 1606. pater plurium liberorum & Ern. Ludovicus pater Phil. Julii A. C. 1592. extincti ſunt. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Genealogico-Hiſtorica*, *in familia Wandalica*.

BARNUUS, oppid. Macedoniæ apud Heracleam. Strabo *l.* 7.

BARO, mulier quædam Philoſophiæ dedita, uti ſcribit *Suidas*, unde Philoſophos, qui ſtolidiores eſſent, *Barones* vocabant, ut quaſi mulierculæ per contemptum appellarentur. E contra autem poſterioribus ſeculis *baro* notavit virum. Unde *Gloſſa* Philoxeni, *Baro*, *ἀνήρ*. Vide Voſſ. *l.* 2. *de Vitiis Serm.* c. 3. in *Baro*, & infrà.

BARO, idem poſtea, qui Heros & ex Proceribus unus, antiquis. A *Bar* quibuſdam: *Bar* autem modò bardum & ſtupidum, modò elatum, generoſum, fortem notat. Alciatus *Barones*, quaſi *Varones* vult dictos, à populo Hiſpaniæ, nomen illud à fluvio quodam Celtiberiæ deducente. Melius de Anglo-Saxonibus vocis origo arceſſitur, quibus *Baro* idem, quod Latinis *Vir*. Alias *Var*, &

& *Varon* Hiſpanis, tam pro viro, quàm pro Magnate. Franciſ Antiquus *Ber*, unde *Hauber*, pro viro ſummo, vel majori domino. Alamannis *Bar*; hodieque apud Occidentales Anglos, pro domino ſumitur. Itaque conveniunt *Baro* & *Vir*, in multiplici ſignificatione: utpote, pro homine ſimpliciter, pro homine præſtantiori ſeu forti, pro marito, &c. Sub *Baronis* itaque nomine veniunt intelligendi, ſatellites Imperatorum, à robore & prægrandi corpore. Vaſſalli ſeu Clientes feudales in genere: Vaſſalli Capitales in genere: & Vaſſalli Capitalium majores, i.e. Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Magnates: Namque vel maximus horum Principis eſt Vaſallus, eique tenetur Homagii ſeu *Baronagii* vinculo. Vide Annon. *l.* 5. *c.* 49. *A.C.* 1095. Otto Friſingenſ. *de geſt. Frid. I. l.* 2. *c.* 13. *A.C.* 1154. Pro ſimplici Magnate *Baro*, hodie notiſſimum: ſed non pari ubique conſideratione. Germani, Galli, Itali, *Baronem* vocant, qui merum miſtumque imperium habet, in aliquo caſtro, ex conceſſione Principis: Sic & in Scotia *Baro* eſt, qui jus furcarum & foſſæ habet: ſed apud hodiernos Anglos ſummâ juſtitiâ nemo gaudet, *Baroniæ* titulô. Spelmann. *in Gloſſario Archaeol.* Olim verò *Barones* apud illos æſtimati ſunt, qui in ſuis dominiis de litibus cognoſcebant & latrociniis: an tamen hi omnes *majores Barones*? incertum: illud certiſſimum, *majores Barones* habitos eſſe, qui de Rege tenentes in capite, judiciis præfuêre Aulæ Regiæ: nuperius qui in Parlamentariis Comitiis Regi aſſident & ſuffragiâ ferunt, Parlamentarii *Barones*, Angl. *Lords of Parlament* nuncupati. Hodierni Anglorum *Barones* in triplici ſunt differentia: Quidam *Feodales* ſeu *præſcriptitii*, è priſcis Feodalibus Baronibus oriundi: quibus Wilhelmus Conqueſtor totam Angliam diſpertitus eſt, de ſe tenendam. Alteri *Reſcriptitii* ſeu *Evocati*, qui Brevi Regiô evocantur ad Parlamentum; hi caput extulerunt ab ævo Johannis & Henrici III. Reliqui tandem *Diplomatici*, qui Regiô diplomate ad faſtigii aſcendunt, quorum initium ad tempora Richardi II. refertur: Formulam creandi Barones tales, vide apud Eundem. Et quidem vox *Baro* vel cum ipſis Normannis, vel cùm Eduardus Confeſſor autas moreſque illorum imbibiſſet, in Angliam pervenit. Plura de hac note vide apud toties laudatum *Spelmannum*.

BAROCA, oppid. Aſiæ, in India & imperio M. Mogolis, ubi Narvorus fluv. in ſinum Cambajæ influit, in regno Guzarat.

BAROLUM, vide *Barulum*.

BARONCELLUS, vide infrà in voce *Catanans*.

BARONES, non modò Perſis & Medis ævô, ſed etiam longè poſteà, *miniſtri* appellati ſunt: Unde traducta vox ad *viros Magnates*, qui Principibus obſequia & miniſteria ſua præſtabant, ex officii ratione, ſeu ex beneficiis ac feudis, quæ ad ejuſmodi obſequia impendenda iis indidem conferri ſolebant. Quin etiam jam inde ab ipſo Auguſtini ævo, ſic dicti videntur Viri Nobiles, Principum obſequiis & ſervitio addicti, vel certè viri militares, & qui primas in aulis Regum tenebant. Vide eum *Serm.* 48. *ad Fratres in Eremo*, & 68. *ad eoſd.* Quemadmodum autem famulos, *Homines* vulgò etiam appellabant, ita Franci, ac cæteri Boreales populi, poſtquam Galliam Italiamque invaſêre, *Barones* quoſvis viros appellârunt, vide *LL.* Salicam, Ripuariam, Alemann. Longobard. paſſim: retinentque etiamnum Hiſpani vocem *Varones*, quoſvis viros honeſtoſque eâ deſignantes. Atque inde forſitan vox *Baro*, pro marito, apud Gallos, quem *Homme* vulgo vocant, &c. Cùm itaque *Barones* æquè dicerentur & famuli & mariti, quòd utroſque *Homines* olim appellarent: factum inde, ut & *vaſſalles*, qui nullô intermediò ſubmebnoxii erant, *Barones* vocarent Reges ipſi ac Principes; Nam & ipſi vaſſalli *Homines* perinde paſſim dicuntur, utpote peculiari Principum obſequio addicti, ex beneficiorum & feudorum ratione, quæ ad id ab iis conferebantur, ut ſervitia ſua impenderent, non modò in rebus militaribus, ſed etiam civilibus, Placitis omnium aliiſque. Inde igitur *Barones* dicti vaſſalli, qui tenent terras ſuas immediatè de Rege, per ſervitium Militare & alia feodorum conſueta ſervitia: quô ſignificatu vocem hanc uſurparam paſſim conſtat, vide *Statuta* Roberti III. Scotiæ Regis. *c.* § 4. Matth. Paris. *A.C.* 1110. Matth. Weſtmonaſterienſem *A.C.* 1244. *p.* 317. Beſlium *in Comitibus Pictav. Conſtitutiones* Siculas *l.* 1. *tit.* 44. Alios, Carolo du Freſne in *Gloſſar.* laudatos, ut & infrà *Lendi*. Cùm vero Nobiles, qui ſervitio Regum adſcripti ſunt, cæteris nobilibus præminerent: hinc *Barones* porro dici cœperunt Proceres ac Magnates, vide *Capitularia* Caroli C. *tit.* 25. & Hincmarum *Ep.* 1. *c.* 6. ubi *Barones* & *Primores* iidem ſunt. Quomodo *Farones Burgundiæ* non unô locô Fredegarius appellat, Regni iſtius Proceres, ſiquidem iidem cum *Baronibus* ſunt, quos Feudiſtæ cenſent. Galli *Bers* vulgo tales vocant; eos verò, qui & vaſſallorum numerô, & natalium prærogativa, & prædiis ac poſſeſſionibus, alios præcellebant, *Hauts Bers*, ut eſt apud Villhardumum *num.* 23. 51. i. e. *altos* & majoris dignitatis *Barones*. De cujuſmodi ſuperiùs *Baronibus*, ſed iis duntaxat, qui nullâ Ducis aut Comitis dignitate gaudebant, ita Chriſtina Piſana *lib. Gall.* cui tit. *Theſaurus Civitatis Feminarum Part.* 2. *c.* 9. *Primò*, inquit, *differemus de dictis Baroniſſis, quarum ſunt in Francia, Britannia aliiſque complures, quæ dignitate & potentia multum Comites anteeant quamvis* Barones *nomen aliquanto inferius ſit. Magna namque Baronum nonnullorum potentia eſt, ob terras & dominia, & ſtirpis ſplendorem: quô fit, ut uxores earum magni omnino æſtimentur.* Cujuſmodi Codiciacenſis in Gallia Dominus fuit, aliique aliquot *Barones* majores, quorum jura & privilegia fermè eadem erant, cum Parium Franciæ & Comitum. Vide infrà in voce *Barones Majores*. Alias acceptiones vocis hujus, ut & *Baronum* jura varia, Juberis præterea, ut de quibus quædam jam in voce *Baro* prædicta ſunt. Plura qui volet, adeat præ aliis Car. du Freſne *Gloſſar.* è quo varias *Baronum* ſpeciem hic paucis ſubnectere inſuper viſum eſt.

Variæ Baronum, apud Scriptores, ſpecies.

BARONES Alemanniæ vel ſimpliciter *Barones* vel *Semperbarones* dicuntur, ut *Barones Limpurgici*: qui à nullô horum feudum habent, ſed alii ab ipſis, adeoque liberi ſunt, ut nulli alii fidelitatis juramentô aſtringantur, vide Petrum de Andlo *de Imp. Germ. l.* 2. *c.* 12.

BARONES Angliæ, vide *Baro*.

BARONES Arragoniæ, iidem ſunt, qui *Ricos hombres*, *qui ſcil. pluralitate vaſſallorum decorantur*, ut ait Vitalis Epiſcopus Oſc. cum quibus in expeditionem pergunt, quoties à Rege evocantur. Extat *Charta* Caroli Pulchri Franciæ & Navarræ Regis, quâ Alfonſum de Hiſpania *Baronem & Ricum Hominem Navarræ* creavit, ut ſtatum hunc tueri poſſet. 60. Milites ei in Regno ſuo Navarræ concedit, tamen conſuetô tenendos. Vide Car. du Freſne *Diſſ. IX. ad Joinvillam p.* 190. 191.

BARONES Caſtellenſes, qui *caſtella* poſſident, apud Radulfum de Diceto, A. C. 1040.

BARONES Civitatis Londinenſ. primarii iſtius civitatis incolæ dicuntur, Matthæo Paris, & Matthæo Weſtmonaſt. *A.C.* 1253. Quorum hoc privilegium erat, ut extra civitatem de nulla re reſponderent, præterquam de tenuris & contractibus forinſecis, Bracton. Atque inde fortè *Baroniarum* nomen datum domibus, *Baronibus* hiſce inhabitatis, in *Placito* an. 14. Edw. I. Idem verò privilegium idemque titulus, Eboraci, Ceſtriæ, Werwici, Fevershami, aliarum urbium, in Anglia: quemadmodum & Biturigum ac Aureliani, in Gallia, civibus tributus legitur, apud *Car. du Freſne*.

BARONES Comitatus, apud Anglos, dicuntur majores Vaſſalli, in ſingulis Comitatibus degentes, qui terras ſuas nudè & liberè, de Rege tenent, & Comitum judiciis ac comitiis intereſſunt cumque iis jus dicunt. Unde non minùs ad eos, quàm ad Juſtitiarios ac Vicecomites, Brevia Regia diriguntur.

BARONES Eleemoſynarii, apud Stanfordium & in Jure Anglicano dicuntur Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates & Priores, qui prædia ſuæ Eccleſiæ à Rege tenent per *Baroniam*. Baronias enim ſuas ex *Eleemoſyna* Regum perhibentur accepiſſe, licèt ipſa prædia aliorum munificentiâ fuerint conſequuti.

BARONES Majores in Francia aliqui dicuntur, quorum jura & privilegia fermè eadem, quæ Parium Franciæ & Comitum: ut *Domini de Narbona, de Bellojoco & de Coucy*, item *Barones Soliacenſis & Credonenſis*, in *Statuto* Philippi Regis A.C. 1275. & in *Charta*, quæ deſcribitur in *Probat. Hiſtor. Guinenſis p.* 67. Habebant illi in Baroniis ſuis *amortizandi & eleemoſynandi* facultatem, ita tamen, quod tenura non *exmembretur ſeu etiam deformetur*.

BARONES Parlamentarii, in Anglia & Scotia, qui vulgò *Lords of Parlament* vocantur, ii ſunt, qui à Rege proximi & dignitate & vaſſallorum numerô reliquos antecedunt, atque hoc nomine ad Parlamentum ſive Conſilium publicum, diplomatibus Regiis evocantur.

BARONES Quinque Portuum ſeu de *Quinque Portubus*, in Anglia dicuntur, qui degunt in quinque præcipuis Angliæ portubus, vicinæ Galliæ objectis, *Haſting*, *Dover*, *Hith*, *Romeney* & *Sandwic*, villiſque aliis ad eoſdem pertinentibus, *Rye* præſertim & *Winchelſey*. Hi propter antiquam nobilitatem, gloriamque, quam in Regni defenſione, præliis maritimis, reportârunt, non ſolum (quod hodie nullis prætereà in omni Anglia contingit) *Baronum* appellatione honeſtantur, ſed ampliſſima inſuper privilegia, à priſcis Regibus obtinuêre. Vide infrà in voce *Quinque Portus*.

BARONES Regis, apud Henr. Huntingdonenſem *Hiſtor. l.* 5. Magnates ſunt de domo & familia Regis, vel certè majores Vaſſalli, qui de Rege prædia ſua undè tenent, &c.

BARONES Scaccarii vel *de Scaccario* apud Anglos, appellantur Magnates, qui in Scaccario Judicum vice funguntur, quorum præcipuus *Capitalis Baro Scaccarii* dicitur. *Mylords* vulgò dicuntur, Gall. *Meſſieurs*: ſuntque è majori nobilitate. Non verô diutiùs titulum hunc retinent, quàm in officio permanſerint. Vide infrà in voce *Scaccarium*.

BARONES, qui *ſocham & ſacham habent*, in *LI.* Henrici I. *c.* 10. i. e. *qui habent Curiam de ſuis hominibus*, ut eſt in *LL.* Eduardi Confeſſ. *c.* 36. ſeu omnimodam juſtitiam & juriſdictionem, altam, mediam & inferiorem ſuper vaſſallis ſuis. Vide infrà, ubi de *Curia Baronum*.

BARONES Terrarii, apud Wilhelmum de Podio Laurentii *c.* 43. dicuntur omnes ii, qui, terris & prædiis divites, complura poſſident prædia. *Terrarii* dominum in Synod. Colon. *A.C.* 1300. *c.* 11. Gallis *grands Terriers*. Vincentius Belvac. *l.* 30. *c.* 89. *Rex autem de conſilio Baronum ſuorum & Baronum ac Terrariorum Cypri*. *Annales* Waverleienſes *A.C.* 1086. *Rex tenuit Curiam ſuam apud Wintoniam, ibique venerunt contra eum omnes Barones ſui & omnes Terrarii hujus Regni, qui alicujus pretii erant, cujuſcumque feodi fuiſſent, & omnes homines Regis aff...ti ſunt.* Iidem *Barones Caſtellarii* appellantur, in *Veter. Notit.* apud Roccum Pirrum *in Epiſcop. Agrigentinis* &c. Vide quoque ſuprà.

BARONETTI, apud Anglos, *Baronetti* ſunt, de quibus actum, uti obſervat Spelmann. qui ſic dictos vult eos Barones ſeu Magnates, qui de aliis, quàm de Rege, terras ſuas tenent; quod Car. du Freſne non probat. Certè conſtat Jacobum M. Britanniæ Regem novum *Baronettorum* ordinem creâſſe, quem inter Barones Regni & Equeſtres claſſes medium conſtituit, Diplomate, quod deſcripſit Spelmannus in *Gloſſar.*

BARONIA, ordo Nobilium, *Baronum*, in *Epiſt.* Ludovici VII. Franciæ Regis *Hiſt. Franc. Tom. IV. p.* 583. Ἀρχοντίαι Annæ Comnenæ *Alexiad. l.* 1. Item prædium à Rege nudè pendens, vel majus prædium aut feudum: cujuſmodi *Baronia*, à caſtro, quod intra

illarum functio conſtituta eſt, nomen aſſumunt, ut eſt in *Conſtitutionibus Sic. l. 3. tit. 14 §. 1.* Et quidem *Baronia integra*, apud Anglos dicitur conſtare 13. *feodis & tertia parte unius feodi Militis*, *quolibet feodo computato ad 20. libratas*, quæ faciunt in toto 400. marcas in *Modo tenendi Parliam. cap. de Comitibus* 20. *feodis unius Militis* &c. Apud Normannos videtur conſtitiſſe ſervitio quinque Militum, ex *Regeſto* Philippi Aug. Herouvalliano fol. 169. Inſuper *Baronie* dictæ ſunt quatuor Principatus, in quos Regnum Hieroſolymitanum, poſtquam Saracenis ereptum eſſet, fuit diviſum: *Regnum* videl. *Hieroſalem*, *Comitatus Tripolitanus*, *Principatus Antiochiæ & Comitatus Rohes*, vide Guil. Tyrium *l. 16. c. 29.* Jac. de Vitriaco *l. 1. c. 30. 31.* Alios. Sed & *Baroniæ* vocitantur Regalia ſeu majora dominia Epiſcoporum ac Prælatorum, quæ à Regibus in ſeudum tenentur, apud Matthæum Weſtmonaſter. Matthæum Pariſ. in *Monaſtico* Anglic. alibi. Ea verò Regalia non unica, ſed pluribus *Baroniis* conſtabant, cùm tot Baronias, quot prædia majora, eſſent, Thom. Stubbs in *Epiſcopis Eborac.* Atque ratione harum Baroniarum, Epiſcopi nonnunquam *Barones* dicuntur. *Appendix* ad Gregorii Turonens. *Hiſtoriam*, *Burgundiæ Barones tam Epiſcopi, quam cæteri Laici* &c. Non enim modò propter Regalia, ut alii Barones, ſervitiis omnibus feudalibus erant obnoxii, ſed etiam in Comitiis publicis ſeu Parlamentis, ſedere iis jus erat, cujus apud Francos innumera exempla prſtant, ut *Tellus* aliique docent: In Anglia verò, Epiſcopos ad Parlamentum, ob nomen locum ſedemque habere, omnibus notum eſt &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà, voce *Bothena*.

BARONIUS Cæſar, Soræ Campaniæ Italiæ urbe, oriundus, vaſti operis Annalium uſque ad ſeculum 12. conditor, quos Caſaubonus *in Exercitat. contra Baron.* in plurimis correxit ingoteque *militia quidem vigilata Labore Papæ, ſed non ſub dominatu erat.* Anthoramentum haud leve purpura fuit, quam à Clemente VIII. A. C. 1596. accepit. Tripletam etiam coronam nacturus, poſtquam, ut 11. *Annalium tomo* ſcripſiſſet, *jus*, *quod Hiſpaniæ Reges in Sicilia ſibi vindicant, falſi ſuſpectis teſtimoniis niti.* Thuan. *Hiſt. l.* 134. Obiit A. C. 1607. Spond. *in ejus Elog.* Bellarm. Poſſevin. Galonius & Alby, *in Elogiis Cardinal.* P. Freherus *Theatro Viror. erudit. claror.* Alii.

BARRA, oppid. Orobiorum in Italia Tranſpadana, regione undecima. Plin. *l. 3. c.* 17. *Barram* caſtellum vocat *Leandr.*

BARRÆ, vox medii ævi, quâ præſertim *repagula* ac *ſepes* denotantur, quæ ad munimenta oppidorum & caſtrorum vel ad eorum introitus ac portas ponuntur, ne inconſultis cuſtodibus in eas aditus pateat quibuſvis. A *barra*, i. e. fuſtis, vectis, Gall. *Barre*, Hiſpan. *Barra*, de cujus origine quædam habet Ægid. Menagius in *Orig. Ital.* Guil. Brito *Philippidos l.* 3.

> *Stabat enim firmus, ut barra repagula firmans.*

Infrà,

> *Tum Comes exclamat: Barras, gaudete Quirites,*
> *Proximus in manibus barra ſunt denique noſtris,*
> *Nullo poteſt nobis jam barrula tollere barras, &c.*

Has qui ſervabant, *non habebant reſpondere ulli juſtitiæ de catallo, niſi coram Majore & Juratis*, in *Charta* Philippi Aug. Franciæ Regis A. C. 1195. pro Communia S. Quintini apud Hemeræum. Inde *ſeptum Curiæ*, cancelli, auditorium, ubi cauſæ coram Judicibus ab Advocatis perorantur, Gall. *Barreaux*: quaſi *Barrali*, imprimis in ſummis Regni tribunalibus. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino, c.* 16. quibus proin id nominis attributum, in *Charta A. C.* 1391. 26. Jan. apud Car. du Freſne. Etiam ſic incredibiter dictæ Exceptiones rei, vel generatim primæ litium inſtructiones, quæ ad *Barras* Fori ſimplici ac nudâ formulâ peraguntur, quod exceptionibus, contra Actorem, vice repaguli utatur Reus, apud Phil. *de Beaumanoir MS.* cujus Car. du Freſne meminit, paſſim. Sed & tributa quævis; præſertim, quæ ad urbium *barras* portaſque præſtantur, *Barra* appellata leguntur, aliter etiam *Barragium*, Gall. *Barrage* &c. Vide omnino Car. du Freſne *Gloſſar.* ut & infrà ubi de *Cancellis* & *Septis*. Ab eadem origine *Barriere* eſt, repagulum, *Barſas*, quô nomine quod olim in Stadio Græcorum ac Circo, item Amphitheatris Romanorum indigitatum fuerit, vide in vocibus *Balbis*, item *Repagula*.

BARRATI, dicti ſunt Religioſi in Communione Romana Carmelitæ, quorum cœnobium *Barratorum* Pariſiis, Gall. *le Convent des Barrés*, aliquando vocatum reperitur, nominis occaſione hinc ortâ. Cùm Saraceni, occupatâ jam Terrâ Sanctâ, Religioſis hiſce cappæ candidæ (qui color nobilior tunc inter illos habitus eſt) uſu interdixiſſent: coacti Carmelitæ pallia variegata, pro Orientalium more, geſtare; poſtquam in Occidentem cum tali habitu demigrârunt, *Barrati* appellati ſunt; donec proceſſu temporis indumentum album reſumpſerunt, ut auctor eſt Trithemius *de laudibus Carmelit. l. 6.* Factum autem id ſub Honorio IV. Pontifice, vide Dominicum Macrum *Hierolex.*

BARRERIUS Joh. fundator Ordinis Fulienſium, *des Feuillans*, ſub S. Bernardi patrocinio. A. C. 1580. *Spond.* Item Petrus, primò navicularius, dein miles, tandem ſicarius futurus Henrici IV. A. C. 1593. in inſidiis ſuſſiſſent detectus. *Hiſt. Gall.*

BARRIUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

BARRINI, Valdenſium ſectatores quidam dicti ſunt, in *Conſtitut.* Friderici Imperatoris, forſan à *Barro* monte, circa Larium lacum, aut à *Barriano* in agro Cremenſi, Gottfridus apud Car. du Freſne in *Gloſſar.*

BARRIUM, Arvernis Galliæ popul. *Barri*, ædium aliquot & domorum, extra urbem & ad ſuburbana, congeries. *Charta* Hiſpan. æræ 1140. apud Antonium de Yepez, in *Chron.* Ordinis S. Benedicti *Tom. VI.* *Et damus vobis illum barrium unde illa porta, quæ vocatur ad illum flumen in parte ſiniſtra, ut populetis illum poſt parte veſtra, & ſuis ſuccoſſoribus barrium illum ad domum S. Mariæ & veſtrum veſtriſque ſucceſſoribus.* Alias Philippi Pulchri Regis Franciæ pro Parogio villæ Saviacenſis A. C. 1299. *Omnibus habitatoribus dictæ villæ & barriorum & ipſius parochiæ & alios extra dictam villam & parochiam commorantibus* &c. Unde in urbe Claromontenſi Galliæ, domorum iſtiuſmodi ſeries, intra S. Alirici ſuburbium, *les Barri de S. Alirè* dicuntur. In Provincia verò Comitatu *Barrium* vocant etiam ædium munitarum, quæ muris includitur. Vide Auctores hanc in rem laudatos, Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Hinc *Barrani*, caſtri incolæ, qui in caſtro vel oppidi *barriis* manſionem habent, apud *Eund.*

BARRO-DUCUM, Gall. *Bar le Duc*, urbs Lotharingiæ, lepida & culta, Ducatus Barrenſis præcipua; in clivo, cum caſtro munito, ad fluv. Ornam, 15. leuc. à Nanceio. In Ducatu hoc 4. Conventus ſunt Juridici, Barrenſis, S. Michaelis, Claromontenſis & Baſſinacenſis.

Barrenſis Conventus loca.

Barrum, caput Ducatus.	Petra Fixa *Pierrefite.*
Luppejum *Louppi.*	Sollacum *Souilly*, vel *Seully.*

Conventus S. Michaelis loca.

Calciata *la Chaucée.*	Mandræ ad 4. turres *Mandres aux quatre tours.*
Confluens *Conflans*, aliàs *Conflans en Jarniſi.*	S. Michaelis municipium, *S. Michel*, vel *S. Mihiel.*
Dunum *Dun.*	Mouſia.
Fagum *Foug.*	Satanacum *Stenay.*
Longus Vicus *Longwy.*	

Claromontenſis Conventus loca.

Clarus Mons in ſaltu Argonna, *Clermont en Argonne.*	Vienna caſtellum, *Vienne le Chaſteau* &c.
Varennæ *Varennes.*	

Loca Conventus Baſſinacenſis.

Brunonis mons *Bourmont.*	ſiniaco, *Conflans en Baſſigni.*
Caſtellio *Chaſtillon.*	Marchia *la Marche.*
Confluentes in Baſſinelo, vel Baſ-	Mota *la Motte.*

Quibus adjungendæ Principes Barrenſes Harcurt noſtrum *Hatton Chaſtel*, Marcheum, Jarneſium *Jarnai*, Aſpremontum *Aſpremont*, aliaque loca. Vide etiam *Barrum*.

BARROSA, nomen Familiæ in Hiſpania illuſtris, vulgò *Barroſo*. Ex illa, in Toletana ſuperiore Urbe floruit, oriundus Garſias Barroſius Dn. *de Parla*, pater fuit Petri Gometii, qui ab uxore Aldoncia *de Ribera*, nomen & ſucceſſionem *de Malpica & Valdepuſa*, atque Marchionum Caſtellæ, ſuæ domus maxime: In poſteris, *Malpica Marchionum* axiomate quoque accedente. Itemque genitus Payus, pater Franciſci fuit, qui & March. *de Piparina* natus Petrus *March. de Malpica* creatus eſt: Cujus fil. Franciſcus, ex Johanna Henrica, ſuſcepit Balthaſarem Comitem *de Nevamoraz*, Catharinam (uxorem Henrici *Davila & Guzman Marchion. de Povar*) Mariam (uxorem Friderici *de Rojas & Guzman*, Dn. *de Layos*, *Comitis de Mora*) Mariam & Agnetem Moniales, qui hoc ſeculo floruêre, Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Eur. Tom. II.*

BARROSIUS Johannes, Olyſipone-Luſitanus, ſcripſit *Hiſtoriam Aſiæ*, & *Indiarum*, cujus quidem pars prima prodiit A. C. 1552. ſecunda & tertia, A. C. 1563. quarta demum, curâ Philippi IV. A. C. 1624. Connitum educatus eſt in Aula Emmanuelis & apud fil. quoque hujus Johannem Regem gratiâ floruit. Fuit porrò Præfectus S. Georgii de Mina, in ora Africæ, & tandem Theſaurarius Indiarum. Alphonſus Ulloa partem Hiſtoriæ ejus ex Portugallica lingua in Hiſpanicam transtulit. Non deſunt tamen, qui illam non magni æſtimant. Obiit A. C. 1569. ætat. 70. letatæ. Alius ejuſdem nominis floruit in eodem regno, ſub Johanne III. circa A. C. 1540. auctor *Deſcriptionis provinc. inter Durium & Minium*. Alius, *Barroſius* itidem ſeu *Barrius* dictus, Hiſpanus, auctor fuit *Hiſtoriæ Ferdinandi & Iſabellæ*. Vide Anton. Teiſſier *in Elogiis Volum. 1. & 2.*

BARRUM, nomen Gallicum vetus, quod portum valere ſignificavit. Certè locus vulgò *Barbebel* & *Barbeau* dictus, ad Sequanam, Monaſterio inſignis, Latinè *Sacerportus* nuncupatur: ut appareat *Bebel* Sacrum, *Barrum*, vel *Bar* portum antiquum Gallicè appellare conſueviſſe. Unde autem *Barrum* pro portu ſumtum ſit, haud facile dictu eſt. Niſi fortè à barris hanc appellationem acceptam, quibus barris ac repagulis portus non marini modò, ſed etiam amnici claudi conſueverunt. *Barra* apud Wilhelmum Britonem ſunt repagula: & Auctor *Hiſtor. S. Michaelis*, *ante annos DC. ſcripta*, de Barro-Duce ſic refert: Fridericus, Dux Lotharingorum, propter frequentes Campanenſium incurſiones, in confinio Lotharingiæ & Campaniæ caſtrum extruxit, quod *Barrum*, quaſi *barram* nominavit. *Barrum* autem *Ducis* dictum eſt, quod à Duce Lotharienſium Friderico conſtructum fuerit: Hoc amplificatum & in oppidum redactum, uſque hodie *Barrum Ducis* vocatur, Bruno Herculanus *in Chron. Monaſt. S. Deodati*. Hujus ager ſive Ducatus, qui anteà Comitatus fuit, tunc appellatus pagus Barrenſis, *le Barrois*. Aliud eſt *Barrum* ad Sequanam, in Lingonibus, non ignobile oppidum, *Bar ſur le Seine*, ita cognominatum, ut diſtinguatur à Barro ad Albam, *Bar ſur Aube*, & à Barro Ducis, de quo ſuprà. Ex duobus poſterioribus utrius pago Barrenſi nomen dedit, qui *Barreſis* vocatur, in Capitulis Caroli Calvi, apud Silvacum latis, A. C. 853. & inter Pertiſum & Camaſum pagos medius collocatur. In diviſione Regni Lotharii, A. C. 870. facta *Barrenſe*, inter Odornenſe & Pontenſe. Nithardus *l.* 1. duos pagos Barrenſes facit, quos inter Pertenſem ac Brionenſem ponit. Winemodus, revertens in

Galliam

Galliam Childerico, comitatus Proceribus Francorum, apud caſtrum *Barrum* occurrit, & Barrenſibus, quod primi Regem receperant, tributi remittendi auctor fuit, ut Fredegarius, ac Aimoinus ſcribunt: quod tam Barro ad Sequanam, quàm ad Albam convenire poteſt: quorum amborum pagi ſunt Nithardo *utrique Barrenſes*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BARSA, *Iſle de Bar* Gallis, *Baſepool* Anglis, inſul. maris Britannici Angliæ adjacens, alias *Bardſey* dicitur. Alia eſt inſul. Gall. in ora Britanniæ minoris propè Staliocanum portum ſeu Fanum S. Pauli Leonenſis.

BARSABAS, nomen viri, Actor. c. 1. v. 23. Latinè *filius converſionis*, aut *quietis*, aut *juramenti*.

BARSALIUM, quæ & *Sergiopolis* pòſt dicta, urbs fuit Armeniæ tertiæ, ad Euphratem fluv. inter Samoſatham & Claudiopolim. In *Tab. Peutinger.* videtur Salmaſio urbs ea, quæ Καρκαθιόκερτα *Ptolemæo* dicitur, & ab eo in Armenia minore, in Præfectura Lavinianſene, collocatur: Πρὸς μὲν τῷ Εὐφράτῃ Κόρνα, Μέτιτα, Κλαυδιὰς, εἶτα δὲ ταύταν Καρκαθιόκερτα. *Ad Euphratem quidem Corne, Metita, Claudia, Barſalium* ſeu *Barſalis*, quod fortè corruptum ex Βαρσαλίς. Certè alterutrum horum mendosè conceptum videtur. *Tabula* præfata, ubi de itinere à Melitene ad Samoſata, ſic habet: Melitenis *Corne XIIII. Metita XII. Claudia* XLVI. *Barſalium* VIII. *Heba* XXX. *Charmodara* XII. *Samoſata*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 627

BARSANII, ſeu *Semidalitæ*, Hæretici. Gadanaitarum ſectatores. Horum ſacrificium erat pauxillum pollinis digitô ori admotum. Joh. Damaſcenus, *de Hær.* A. C. 535.

BARSCALCI & PARSCHALCI, in variis *Chartis* Germanicis, in *Metropoli* Salisburg. videntur dicti homines mediæ conditionis inter liberos & ſervos; vel etiam Baronum ſervi: à *Bar* vel *Baro*, i. e. homo liber, & *Schalck* i. e. ſervus. Sic *Manſi Barſcalci*, videntur eſſe colonorum libertorum, diverſi à *manſis ſervorum*, ſeu qui à ſervis colebantur. Vide Car. du Freſne *d. l.*

BARSINE, Artabazi, vel juxta *Arrian.* Darii filia Alexandri M. uxor, quam cum Hercule filio Caſſander occidi juſſit, ſcil. quaſi regnum Macedoniæ, quod affectabat, aliter conſequi, quàm ſcelere, non poſſet. Juſtin. *l.* 15. *c.* 2.

BARSITA, quæ & BORSIPPA, urbs Aſiæ, in Babyloniæ regione ad Euphratem ex præcipuis totius tractus. *P. a Vico.*

BARTASSIUS Gul. Salluſtius, Poëta Gallus, totum fermè V. T. metrô, reddidit. Carmina ejus Latinè & Italicè poſtmodum verſa. Vide & *Guilelmus*, ac plura de illo *in Elogiis* Antonii Teiſſier *Volum. I.*

BARTHABACES, Cybeles ſacerdos, de qua Plut. *in Mario.*

BARTHENORA, prænomine Obadias, Rabbinus, auctor *Commentarii Miſnajoth*, floruit A. M. 5269. juxta *Rabbi Ganz.*

BARTHENOS, uxor Noachi apud Epiphanium. Βαρθένωs, inquit, τοῦ Νῶε γέγονε γυνή.

BARTHIUS Caſpar, fil. Caroli JCti & Cancellarii Brandeburg. Cuſtrinæ natus, poſt Academias quamplurimas perluſtratas, Lipſiæ ſedem fixit, Philologus magni nominis. Obiit A. C. 1658. ætat. 71. Scriptorum plurimorum auctor, inter quæ eminent, *Adverſaria, Volum. III. Animadverſiones in Papin. Statium, Commentarius magnus Superſtitiorum. De Fide ſalvifica libb.* 3. & *de Conſtantia totidem, Paraphraſis Poët. fabularum Æſopi, Epigrammata* &c. Frehero enumerata. Avus Johannes *a Barth* miles ſtrenuus ac Nobilis primus familiæ è Bavaria in Saxoniam conceſſit; patruus Chriſtianus Judicii Cameralis Aſſeſſor Ratisbonæ in Comitiis obiit A. C 1607. Paul. Freherus *Theatro Viror. erudit. clarorum.*

BARTHOLINUS Richardus, Peruſinus, Poëta. *Auſtriadem* 12. *libr.* edidit, *de bello Ducum Bavariæ & Princip. Palatinorum.* Dedicatum Maximil. I.

BARTHOLINUS Thomas cum filio, Medici celeberrimi, editis ſcriptis, *de novis inventionibus Chirurgicis, venis lacteis, circulatione ſanguinis, motu chyli,* &c. inclyti. Hafniæ floruerunt, his ultimis annis. De *Caſparo, Eraſmo, Petro,* &c. Vide Freherum *Theatro Viror. claror.*

BARTHOLOMÆUS, Apoſtolus, cujus nomen ſubinde in Evangelio legitur. Poſt reſurrectionem Chriſti in India ſparſit Evangelii ſemina, ut ſcribit Euſeb. *l.* 5. *c.* 1. & exstant ejus dictum hujuſmodi, *Evangelium eſſe breve & longum.* Etſi enim ſumma ejus brevibus Aphoriſmis comprehenſa tradi poteſt, tamen ſapientia illius inexhauſta eſt, & propugnatio dogmatum longiorem orationem deſiderat. In Armeniæ urbe Albana fertur, juſſu Aſtyagis Regis, cujus fratrem converterat, excoriatus eſſe. *Nic. Lloydius.* In Armenia majori Lycaonia, Albania, & Indiis citerioribus Evangelium eum prædicâſſe, habet *Morerius.* Latinè *filius* — *haurientis* — *aquas.* Ita *Heſychius.* Βαρθολομαῖος, υἱὸς κρεμῶντος ὕδατα. Atqui Voſſius ſcribit *Bar ptolemæus*, quaſi *filium Ptolemæi.* Evangelium ei Hæretici tribuerunt. De ipſo vide Matth. c. 10. v. 3. Marc. c. 3. v. 18. Luc. c. 6. v. 14. Chryſoſtom. *Homil. de* 12. *Apoſtol.* Baron. *A. C.* 31. 44. &c. Ejus habitum deſcribens Abdias Babylonicus, colobium ei album tribuit & pallium, quod per ſingulos angulos ſingulas habuerit gemmas. Verba ejus hæc ſunt *Hiſtor. Apoſtolor. l.* 8. *Veſtitur colobiô albô, clavatô purpurâ: induitur palliô albô, habente per ſingulos angulos ſingulas gemmas.* Qui planè Γερμανικὸν apud Judæos fuit habitus, niſi quòd ex ſingulis angulis non gemmæ, ſed *jolanes*, i. e. *globuli Punicorum malorum ſpecie*, pendebant. Nam Γερμανικὸν & colobium clavatum & ſuper colobium quadrangulum pallium accipiebant. A quatuor iſtiuſmodi angulis, quos Græci γωνίας item, πτέρυγας, dicebant, *quadrangulus habitus* Pallium Tertulliano appellatur, *de Pallio*, vide Salmaſ. ibi.

BARTHOLOMÆUS, Superintendens Valdenſium in Bohemia, Bulgaria, Croatia, Dalmatia, & Germania diſperſorum, circa A. C. 1223. Hunc Matthæus Paris. *in Henrico* III. vocat *Antipapam*, quòd Epiſcopos ſuis dederit, Eccleſiaſque ordinaverit. Additque, eum tali uſum fuiſſe ſubſcriptione, *Bartholomæus ſervus ſervorum ſanctæ fidei ſalutem.* Vide quoque Crantz. Metr. *l.* 8. *c.* 18. & Sax. *l.* 8. *c.* 16.

BARTHOLOMÆUS, nomen Campanæ magnæ, quam, juxta alias, Turketulus primus Croylandiæ Abbas, defunctus A. C. 875. Monaſterio à ſe fundato, donâſſe legitur apud Ingulfum. Reliquæ fuerunt *Bega*, *Bertramus*, *Betelinus*, *Pega*, *Turketulus*, & omnium maxima *Guthlacus*. Vide *Campana*.

BARTHOLOMÆUS Albicius, auctor libri Conformitatum. Obiit A. C. 1180.

BARTHOLOMÆUS Amantius, cum *P. Appiano* collector Inſcriptionum mundi.

BARTHOLOMÆUS Blanchinus, ſcripſit *vitas Virorum Illuſtrium.*

BARTHOLOMÆUS Breſſanus, juridica & hiſtorica plurima ſcripſit. Gregorio IX. charus, obiit an. ætat. 84. libertatem patriæ, contra Acciolinum tyronem glorioſè defendens.

BARTHOLOMÆUS Brixienſis, Vincentii Caſtellionei diſcipulus, circa A. C. 1256. ſub Alexandro IV. Pontifice, Johannis Semecæ Germani *Gloſſæ* ad Decretum Gratiani, quædam adjecit, errores ejus notavit, omiſſa ſupplevit. Vide eum in *Decreti initio.* Idem *Temporum rationem* ſcripſit, teſte Caccialupô *de Modo ſtud.* Vide quoque Raphaëlem Volaterran. *Anthrop. l.* 21. & Voſſ. *de Hiſtor. Latin. l.* 2. *c.* 57. Quæſtiones porrò diebus Dominicis & Veneris à ſe diſputatas collegit, eaſque *Dominicales* & *Veneriales* appellavit; imitatus Pileum, qui, quæ Sabbati die diſputaverat, *Sabbatinas* vocavit. Ab Alexandro præſum non contemnendis muneribus excultus, Patriarchæ Venetorum ſeu Gradenſi quandoque adſedit &c. Vide Joh. de Turrecremata in c. *Epiſcopus non flagitetur II. qu. I.* Pancirollum *de claris LL. Interpp. l.* 3. *c.* 3. & 4. Simlerum in *Biblioth.* & Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccleſ. p.* 364. 365.

BARTHOLOMÆUS Caranza, Dominicanus, Archiepiſcopus Toletanus, tanquam hæreſeos ſuſpectus, Inquiſitioni ſubjectus: A Martino Azpilcueta, JConſult. celeberrimo; qui an. ætat. 80. Romam, ubi Caranza 11. annos detentus erat, venit, acerrimè defenſus. Spond. *A. C.* 1559. *num.* 29. Scripſit *epitomen Conciliorum & Paparum, uſque ad Paulum* aliaque.

BARTHOLOMÆUS Cavalcantius, Florentin. Henrico II. Galliæ Regi æſtimatus, auctor Rhetoricæ *Ital.* &c. Vide *les Eloges* Antonii Teiſſier *Part.* 1.

BARTHOLOMÆUS de la Cueva, Hiſpan. Cardinalis, obiit A. C. 1562.

BARTHOLOMÆUS Facius, Genuenſis, Arrianum Latinè reddidit, ſcripſit Alphonſi I. Neapolitani Regis *Hiſtor.* & *de Felicitate vitæ.*

BARTHOLOMÆUS Fontius, à Matthia Corvino Bibliothecæ augendæ adhibitus.

BARTHOLOMÆUS Gaëtanus, Sebuſianus, egregius miles, & Hiſtoricus. Annalium patriæ ſuæ ſcriptor. Obiit A. C. 1404.

BARTHOLOMÆUS Georgius, vide *Georgius.*

BARTHOLOMÆUS Glanuyle, Anglus, plurima curioſa admodùm ſcripſit.

BARTHOLOMÆUS Janoveſius, Hiſpan. ſcripſit ſub Urbano V. *de Antichriſto*, quem A. C. 1360. debuiſſe venire, & quidem die Pentecoſtes; ab ipſo omnes fideles ſeductum, contra omnes Judæos, Ethnicos & Mahumetanos converſum iri, aſſeruit. Bzovius *A. C.* 1359. *num.* 9.

BARTHOLOMÆUS Keckermannus, Dantiſcanus inſignis Mathematicus, Philoſ. & Theologus.

BARTHOLOMÆUS d'Oſa, Bergomas, ſub Ludov. IV. A. C. 1340. Hiſtoriam Paparum & Imperator. 16. libris, edidit.

BARTHOLOMÆUS Piſanus, ſcripſit Summam Caſuum conſcientiæ, cui titulus *Piſanella ſeu Magiſtrutia.* Obiit A. C 1347.

BARTHOLOMÆUS Pitiſcus, Mathematicus ſeculô elapſô. Theologus item magni nominis Palatinus, obiit Heidelbergæ, A. C. 1613. ætat. 52.

BARTHOLOMÆUS Scala, Florentinus, Angeli Politiani æmulus.

BARTHOLOMÆUS Scultetus, Aſtrologus.

BARTHOLOMÆUS Tridentinus, ſcripſit *vitas Sanctorum.*

BARTHOLOMÆUS Veſpuccius, Aſtrologus.

BARTHOLOMÆUS Vicentinus, ab Innocentio IV. in Galliam, ad Ludovic. IX miſſus.

BARTHOLOMÆUS Zambertus, Mathematicus Venetus. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 16. §. 15. 16.

BARTHOLOMÆUS Zuchatus, Hiſtoricus. Poſſevin. *Bibl.* Trithem. *Catal.* Leander, *deſcr. Italiæ.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10.

BARTIETÆ, Græcè Βαρτιῆται, in Arachoſia recenſentur *Ptolemæo*; quorum regio *Bartieta*, apud Plin. *Amnis Erymandus præfluens* Bartiena *Arachoſiorum*, *l.* 6. *c.* 23. ita quidem legendum videtur Salmaſio, quum vulgò *Parabeſten* præferant editiones. Dicitur autem *urbem* vel regionem *præfluere* amnis, qui eam alluit. Vide eum *ad Solin. p.* 1175.

BARTOLUS de Saxoferrato, JConſ. egregiæ hujus Scientiæ Inſtaurator, natus eſt A. C. 1309. Puer præceptorem habuit Petrum de Aſſiſio, virum doctum & eximiè pium, à quo in Grammaticis eruditus fuit. Ad Juris Civilis diſciplinam ſe contulit, an. ætat. 14. in civitate Peruſina, quam totâ diligentiâ & induſtriâ didicit, ſub præceptoribus Cyno Piſtorienſi, Jacobo Burrigario, & Reynerio Forojulienſi, ut poſtea an. ætat. 20. Bononiæ de Jure publicè reſponderit, & annô ſequenti ſolennia Doctoratus inſignia receperit. Peruſiæ uxore ductâ, in vitæ portu conſtitutô, ætatem jus profitendo tranſegit, cui nec ingenium, nec memoria defuit, qui Hebraicas literas & mathemata didicit, & plurium diſciplinarum quàm Juris Civilis peritiam habuit. Mortuus eſt A. C. 1355. ibidem an. ætat. 46. Hæc Joh. Pichardus in JC. *vitis.* Vide

P. Jovium, Volaterran. Lancelotum *in ejus vita*. Turſelin. *l.* 9. Trithem. *de ſcript. Eccl.* Paul. Freherum *Theatrò viror. erudit. claror.* &c.

BARTONIA, provincia Pruſſiæ, Nattangiæ & Varmiæ finitima, agris & oppidis frequentibus ornatiſſima. *Merul.*

BARUCH, Latinè *benedictus*, vel *genu flexus*. *Heſych.* Βαρὺχ, εὐλογημένος. Fil. Neriæ, amanuenſis Jeremiæ, & fugæ in Ægyptum comes, Jerem. *c.* 32. *v.* 12. Alius videtur ab illo, quicunque tandem fuerit, cujus extat liber inter apocryphos.

R. BARUCH Germazienſis, auctor libri *Theruma*, annò 4996. juxta Rabbi Gans. Biennio pòſt Rabbi Eliezar Germazienſis itidem, ſcripſit librum *Arokeh*. *Ibid.*

BARULI, Hæretici, animas ante hunc mundum conditas, & quidem unà vice omnes, tumque peccâſſe, fabulati ſunt. Præterea Servatori noſtro corpus, cum hodiernis Anabaptiſtis, phantaſticum tribuerunt. Sander. *Hær.* 149.

BARULUM, vel BAROLUM, BARETUM *Straboni*, hodie *Barletta*, ut nonnullis videtur, nobile olim, frequens ac opulentum oppid. Apuliæ Peucetiæ, 4. milliar. ab oſtiis Aufidi fluv. à Bario, 30. mill. paſſ. in occidentem. Sipontum verſus totidem, Cannis urbi exciſæ proximum ad 6. mill. paſſ. In hujus medio foro ſtatua ex ære armati Regis 10. pedum altitud. conſpicitur, quam incolæ Imperatoris Heraclii eſſe dicunt. Aliquando à Gallis obſeſſum tantâ fame laboravit, ut milites detractas ſcutis pelles aquis emollitas ſibi ſumerent, herbiſque (quaſcunque repeſſirent) veſcerentur. longitud. 40. 55. latitud. 41. 20. Oppid. eſt agri Bariani, &c. nunc deficit in dies. *Baudrand.*

BARUSSÆ, 5. inſul. in Indico mari *Ptol.* *Mercatori* ſunt *Mindanao*, *Cailon*, & *Subut*, cum reliquis duabus Circium verſus. *Baudrando* *Macaſſar*, *Gilolo*, & *Ceram*, cum aliis in vicinia, quæ ſæpè etiam Moluccæ dicuntur.

BARVA, urbs Africæ in Abyſſinia & regno Barnagaſſi, inter Chaxumum & Ercocum urb. juxta Marabum fluv. vix, 70. milliar. à mari Rubro.

BARUTUM, oppid. à Soldano incenſum & ſolo adæquatum A. C. 1290.

BARYGASA, inſigne emporium Gedroſiæ. *Steph.* Item urbs Indiæ intra Gangem. *Ptol.* & *Arrian.* *Bacam* vocat *Caſtaldus*. *Ramuſius* autem *Goa* vel *Calecut* ex ea facere mallet. Nunc *Baçaim*, in regno Guzarati, permutita, cum portu in ora ad fauces ſinus Cambajæ. Sub Luſitanis. *Baudrand.*

BARYTON, vide infrà *Bramby*.

BARZAENTES Satrapes, qui Arachoſios ad defectionem impulit; poſteà vinctus ad Alexandrum adductus. Curt. *l.* 8. *c.* 13. Nabarnæ & Barzaëntis meminit quoque Diodor. Sic. *l.* 17.

BARZAITH, i. e. *filius*, aut *puritas*, ſive *frumentum anguli*, Nomen viri. 1. Paral. c. 7. *v.* 31.

BARZANES, Aſſyriorum Rex, in Armenia à Nino ſuperatus.

BASA, i. e. *in fulture*, Judæorum Rex, regnavit an. 24. Homo impius, ſed qui omnem familiam Hieroboam & Nadab interfecit. 1. Reg. *c.* 15. *v.* 27.

BASABOCATES, populi Aquitaniæ, Pictonibus juncti. Plin. *l.* 4. *c.* 19.

BASAJA, i. e. *in fultura Domini*. Filius Melchiæ. 1. Paral. *c.* 6. *v.* 40.

BASALTES, nomen lapidis, apud Plin. *l.* 36. *c.* 7. Græcè Βασαλίτης, *Ptolemæo*, ubi oram Ægypti Arabicam recenſent, variorum marmorum cautes, & lapicidinas ſimul enumerat. Salmaſ. *ad Solin.* p. 558. De eo ſic habet Plinii locus: *Invenit eadem Ægyptus in Æthiopia, quem vocant* Baſalten, *ferrei coloris atque duritia. Unde & nomen ei dedit. Nunquam hic major repertus eſt, quam in Templo Pacis ab Imperatore Veſpaſiano Auguſto dicatus argumento Nili XVI. liberis circa ludentibus, per quot totidem cubita ſummi incrementi augentis ſe amnis intelliguntur. Non abſimilis et narratur in Thebis delubro Serapis, ut putant, Memnonis ſtatuæ dicatus: quem, quotidianò Solis ortu contactum radiis, crepare dicunt.* Eundem ſic deſcribit Strabo *l.* 17. *Nos Philas ex Syene plauſtro venimus, per campum valde planum centum ſtadiorum. Per totam viam utrimque multis locis viſebantur, quaſi Hermaa, ſcopuli alti, rotundi, admodum politi, ferè teretes, nigri ac duri lapidis, è quo mortaria fiunt* &c. Cujuſmodi lapides, ſed minutulos, reperiri prope *Caillon*, arcem Archiepiſcop. Rothomagenſis in Gallia, foris aſperos, tuberoſos, veluti oblitos lutò & candicantes, intus gagate nigriores, refert Dalechampius *ad Plin. loc. cit.* Vide quoque infrà in voce *Marmor*.

BASAN, i. e. *in dente*, ſive *in ebore*, aut *in mutatione*, vel *in ſomno*, aut *confuſio*, vel *ignominia*. (*Heſychius*, Βασὰν, αἰσχύνη) Regia Og Regis, quæ paſcuis, ac nemoribus abundans cecidit in ſortem dimidiæ tribûs Manaſſis. Longitudine à torrente Jaboc, uſque ad terminos Selcha, Geſſuri & Machati; latitudine verò à montibus Galaad, Seir & Hermon, uſque ad mare Galilææ & Jordanem extenditur. Quæ & Havoth-jair Deuter. *c.* 3. *v.* 14. dicitur, ac terra *Rephaim*. Græcè *Joſephò*, *Ptolemæo*, & *Stephano* Βασανῖτις, vel Βασανῖτιν, cujus paſcua præter Moſen ac Davidem veteres ſcriptores mirè celebrant. Hieronymus in Amos *c.* 4. *v.* 1. *Vaccas pingues de armentis ſe eſſe noverint, ſive quæ nutriantur in paſcuis Baſan, quæ ſunt loca herbarum fertiliſſima.* Theodoretus ibidem [illegible]. Scilicet teſte Cyrillò *in eundem locum*, [illegible]. Apud Tzetzen *Chil.* 10. *Hiſt.* 306. legimus,

Βασαν ναίει τὰς Σκυθῶν λέγεται πόλις αὕτη.

Magnò errore: Aliud enim *Baſan* regio, aliud *Bethſan* oppidum, quod Græcè Σκυθόπολις dicitur; non tamen à *Scythis* uti volunt, ſed quia ſpinæ genus נטע *ſcitta*, ibi creſcebat affatim, uti docet Bochart. *l.* 3. *Phaleg.* *c.* 15. *Nic. Lloydius.*

BASANBURGUM, melius *Batavorum arx*, ad Moſam fluv. 2. leuc. à Noviomago in meridiem *Batenburg*. Vide *Arx Batavorum*.

BASANICÆ, aliàs BANISÆ, populi Thraciæ. *Steph.*

BASANUS, Sicambrorum Rex, regnavit ann. 36.

BASCAMA, oppid. in tribu Gad, regionis Galaad, in quo Jonathan occiſus eſt à Typhone. 1. Machab. *c.* 13. *v.* 23. Joſeph. *l.* 13. *Jud. Antiq.* *c.* 9.

BASCATH, civitas antiqua in tribu Juda, Joſ. *c.* 15. *v.* 39. Latinè *maſſa*, *inflatus*, aut *in anguſtia*, vel *effuſione*.

BASCATIS, Græcè Βάσκατις, unum ex tribus fluminibus, quæ in Sogdiana memorantur *Ptolemæo*: unà cum Dymo: quod alterum eorum eſt, in tertium ſcil. Jaxartem influit. Vide Salmaſ. ubi ſuprà, p. 791.

* BASCAUDA, vas Britannicum. Martial. *l.* 14. *Epigr.* 99.

Barbara de pictis veni Baſcauda Britannis,
Sed me jam mavult dicere Roma ſuam.

Juvenalis *Sat.* 12. *v.* 46.

Adde & Baſcaudas & mille eſcaria. ——

Sanè *Basket* etiam hodie Angli dicunt.

BASCHAMA, nomen loci. 1. Macchab. c. 13. *v.* 23. Vide *Baſcama*.

BASCLONIA, regio, cujus caput Bajona. Ita enim Giraldus Cambrenſis, qui circa A. C. 1200. floruit & ſecundam editionem Hiberniæ expugnatæ A. C. 1199. Regi Anglorum nuncupavit Johanni, *l. de topogr. Hiberniæ part.* 3. *c.* 9. *Urbs*, inquit, *Baonenſis Guaſconiæ terminus, & ſub eodem dominio continetur: eadem quoque Baſcloniæ caput eſt, unde Hibernienſes provenerant*: i. e. ex qua Baſclenſes vel Baſclones populi in Hiberniam migraverunt. At enim, *Baſclenſes de Hiſpaniarum partibus claſſe in Hiberniam inſul. veniſſe, ibique habitaviſſe*, & Baſclenſium Hibernienſium corpora, veſtes, armaturam moreſque deſcribit. Cum igitur hic Auctor Baonam ſeu Bajonam Vaſconiæ terminum vocat, & Vaſconiâ Gallicâ, Anglicæ tum ditionis, contineri aſſerit, ac nihilominus eandem *caput Baſcloniæ* appellat, indigitare videtur, Bajonam finem fuiſſe Vaſconiæ Gallicæ, & initium *Baſcloniæ* vel Viſcajæ Hiſpanicæ, ex qua Baſclenſes in Hiberniam migraverunt. Hugo, Chronici Viceliacenſis auctor, qui circa A. C. 1160. ſcripſit, *Baſcloniam* quoque vocat & Gaſconiæ ac Navarræ interponit mediam: ut & Rogerius Hovedenus; ita ut ambo videantur *Baſcloniam* & *Baſclos* ſuos, non minùs quàm Navarrenſes ac Navarram, Hiſpaniæ adſcribere. Guibertus Abbas Novigenti *in Hiſt. Hieroſolym.* à Gaſconia *Baſconiam* diſtinguit: eâdem ratione Geſta Dominorum Ambacenſium, circa A. C. 1160. *Vaſcos*, Vaſconum & Navarrorum medios faciunt, ac à Carolo M. domitos eſſe produnt. Valeſius *Baſcones*, fuêre pars Vaſconum Pyrenæo propiorum: Vaſcones enim linguâ ſuâ mutant in *Baſcones*, ſicut Valates in Baſates, vivere in bibere, Viſcaja in Biſcayam, Leuva in Leubam & Liebam, Veſontium in *Beſanſon*, mutata. Additâ dein, literâ *l.* vel potiùs insertâ, dixère etiam *Baſclones*, ut indicat nomen *Baſclonia*; & *Baſclenſes* & *Baſclos*, nec non *Vaſclos*. Eoſdem *Vaſculos*, *Vaſclos* item vel *Baſclos* ante A. C. 1200. dici cœpiſſe ait Oihenartus Vaſco, ut in Concilio Lateranenſi A. C. 1179. habito. Hiſpani eos *Vaſcos* vocant, Galli *Basques* & *Biſcains*. Longa eſt hæc Vaſconum regio vel *Baſconia*, vulgò *le pays des Basques*, 50. mill. paſſ. lata 24. dividiturque tripartitò, in pagum Lapurdenſem, vel Bajonenſem, inferiorem Navarram & Subolam vallem: è quibus pagus Lapurdenſis Epiſcopo Bajonenſi paret; Navarræ inferioris citerioriſve pars eidem, pars Aquenſi Antiſtiti: Subola verò Elloronenſi. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ* in voce *Lapurdum*. Cæterùm incolæ latrociniis infames, apud Robertum de Monte *A.* C. 1179. *Quidam* Baſcli *& Navarrenſes & Brebenzones venerunt ad urbem Burdegalenſem, & illam vaſtaverunt*, & in *Chronicò* S. Stephani Lemovic. *A. C.* 1204. *Johannes Epiſc. Lemovicenſis —— obſedit Nobiliacum, in quo ſe incluſerant quamplures* Baſcli *& ruptarii, qui populum & terram vaſtabant.* Ubi prædones ſic dicti ſunt, ex Vaſconia, cujus incolæ *Basques*, i. e. *Vaſcones* appellati, arbitramur. *Baſculi* apud Turpinum *c.* 7. Hinc *Baſclones*, qui iidem cum *Baſclis*, in Synodo Avenionenſi A. C. 1209. *c.* 7. perinde, ac Hæretici, cum Aragonibus, Brabantionibus, cæteriſque ruptariis & raptoribus excommunicantur: quod antè etiam ſtatuerat Alexander III. in Concilio Lateranenſi *c.* 27. ut apud Car. du Freſne videre eſt.

BASEMATH, i. e. *aromata*, vel *confuſio mortis*, aut *in deſolatione*, ſive *in poſitione*, aut *in communibus*; altera uxor Eſau, Gen. *c.* 26. *v.* 35. Filia item Solomonis. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 15.

BASENTELLUM, oppid. Calabriæ, prope quod Otto II. Imperat. Italorum proditione, à Græcis victus, captuſque eſt: unde ſe perſolutò lytrò & beneficiò Græcæ linguæ liberavit, A. C. 980. Sigon. *l.* 7.

BASERA, urbs Phœniciæ. *Steph.*

BASEXT, Philoſophus Brachmanus, in India, celebris, cujus *Apophthegmatum* opus, circa errorem illius Sectæ generalem, quò dicunt, *Materiam primam & omnia creata eſſe idem cum Deo*, inter alia hodiernæ Indorum Philoſophiæ monumenta *MSS.* aſſervatur in Bibliotheca Kircheriana Romæ, uti videre eſt, apud Georgium de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo* p. 65.

BASIA juvenum & puellarum, in *Charta* Communiæ S. Johannis Angeriac. *A. C.* 1204. *concedimus etiam hæredibuſque eorum, ut ad libitum ſuum puellas & viduas ſuas nuptui tradere, & juvenes uxorare, &* Baſia *juvenum & puellarum ſemper habere ſine aliqua contradictione liberè liceat*, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* inter Sponſalium

ſtum olim fuêre ratus. Unde *oſculum*, donatio propter nuptias, quam ſolebat Sponſus Sponſæ *interveniente oſculo* dare, in *l. 5. Cod. Theodoſ. de Sponſal. nam*, ut eſt in *Novella* Alexii Comneni *eod. tit.* & apud Matthæum Monachum *Juris Græco-Rom. l. 8. p. 80.* Sponſalia peragi conſuevêre, [illegible], *arrhabone & oſculo.* Vide infrà, in voce *Oſculum.*

BASIA jactare, apud Phædrum, *l. 5. Fab. 8. v. 29.*

> —— *Jactat baſia*
> *Tibicen*, —— ——

eſt *populum adorare.* Manum enim oſculantes, dein eam porrigebant ad eos, quorum honori ac venerationi dabatur illud oſculum: ſicque protenſione manus, quam prius erant oſculati, quodammodo oſculum ipſum porrigere & jactare ad eos videbantur, quibus id honoris deferebant. Quod Juvenalis oſtendit, cùm ait, *Sat. 3. v. 106.*

> *A facie jactare manus, laudare paratus,*
> *Si bene ructavit.* —— ——

Qui namque à facie jactat manus, is utique manu faciem priùs tangit, quàm eam jactet, h. e. manum ad os refert, deinde eam jactat & porrigit, poſtquam illam eſt oſculatus. Quod probè notandum contra Lipſium, qui in *Electis*, ubi fusè de hoc ritu, adorantes manum prius porrigere, deinde ſtatim ad os referre ſolitos, ſcribit. *Oſcula jacere* vocat Tacit. *Hiſtor. l. 1. c. 36. Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, jacere oſcula, & omnia ſerviliter pro dominatione.* Idem *manu venerari*, de Nerone canente: *Poſtremo genu flexus, & cœtum illum manu veneratus eſt.* Hiſtrionem nempe ille verum agebat, cujuſmodi hominum mos erat, ut populum ſcenam ingreſſi adorarent. Vetus Epigr.

> *Ingreſſus ſcenam populum ſaltator adorat.*

Sic Aurigæ flagellô populum venerabantur: cum enim dextram manum ut adorando ad os referrent, aurigæ, qui dextrâ flagellum tenebant, flagellum ipſum oſculabantur ſicque adorabant, quod [illegible] vocat *Dio*, ubi de aurigationibus Caracallæ Imperatoris &c. Vide infrà in voce *Labratum*, item ubi de *Oſculo.*

BASIANA, vulgò *Poſega*, urbs Hungariæ, in Sclavonia regione. Caput Comitatus Poſegienſis, ad Orlavam fluv. qui 2. leucis infra ſe in Savum exonerat. Subeſt Turcis cum toto tractu.

BASIANI, Hæretici, de quibus Facundus Hermianenſis *l. 8. c. 7.* ubi vide Sirmondum.

BASILEA, vel BASILIA, *in duabus vitis* Caroli M. truncatô nomine *Baſle*; in *diviſione regni Lotharii Baſula*, in *Annal. Metenſibus Baſala*: in *Notitiis veterib. provinciarum & civitat. Gall. Baſilienſium civitas*, Cluverio *Arialbinum*, quem Valeſ. *Notit. Galliæ*, A. C. 1675. editâ, ex Ammiano Marcell. qui Theodoſii M. ac tabulæ Theodoſianæ, in qua Arialbini mentio, æqualis, *Baſilia* præ cæteris meminit, ut & Arialbini haud paulo obſcuriore famâ, refellit: inter civitates provinc. Maximæ Sequanorum IV. locum obtinuit: Poſt dirutam dein Auguſtam Rauracorum, cujus rudera in pago *Augſt* territorii Baſilienſis ſuperſunt, ſede Epiſcopatus inde huc translatâ, circa A. C. 800. ſecundum Valeſium, Rauracorum caput. Vide infrà. Hodie Helvetiæ urbs eſt, *præclara & ampla, omnibus modis ita commendabilis, ut parem reperiri facilè haud credam*, Oſwaldus Molitor. Ejus primus omnium, aut ſaltem inter primos, meminit Ammian. Marcellinus prædictus, *l. 30.* Item *Notitiæ veteres provinc. & civitat. Galliæ*, de quibus ſimiliter ſupra, quæ Honorii principatu compoſitæ. Et quidem ille, qui A. C. 360. terras hasce perluſtravit, teſtatur, *Valentinianum II. Imperat. poſt vaſtatos aliquot Alemanniæ pagos, munimentum, nomine* Robur, *ædificaſſe prope Baſileam.* Nomen quidam à *Baſilina* Juliani Imperat. matre, Cluverius *l. 2. c. 5.* à Robore accolis *Baſil*, quercu videlicet annosâ Deo *Baſil* ibi conſecratâ: *Beatus Rhenanus* à Rheni tranſitu, quaſi *Paſilea*: Nonnulli à *Baſiliſco* ibi reperto: Heroldus à T. Minucio *Baſilo*: Quidam à Græco Βασιλεία, ſicut Latinos, Auguſta, vide *Baſileus*: Hadr. tandem Valeſ. ab amne proximo Birſa, quem prius *Baſilam* nuncupatum putat, deducit. In Boreo Rauracorum angulo ad Rhenum, ubi fluvios Birſam quidem ſupra, ex Monte Jura profluentem, & infrà Wieſam, è ſylva Nigra excipit: ponte juncta exiguô, Majore, ut vocant, urbe, in veter. Gallico, Minore, à regione in Alemannico ſolo poſitâ, ſitu ſedis jucundô, ædificiis magnificis, templis quamplurimis, fontibus dulciſſimis, cœlo ſalubèrrimô, incolarum victu, mirâ omnium rerum exuberantiâ, inclyta; *Franc. Guillimannus*, &c. Ea Auguſtæ Rauricæ reliquiis orta creditur, & Cluverius quidem conditorem ejus Valentinianum II. circa A. C. 374. facere non dubitat; Antiquiorem tamen eſſe, quanquàm non tantô nomine, adeoque creviſſe potius ex Auguſtæ ruderibus, probabilius: Cùm A. C. 260. Alemannorum in Galliam Italiamque irruptione, ſub Valeriano & Gallieno Imperator. pluribus urbibus vaſtatis, etiam hanc idem fatum ſubiiſſe 2. uno unà cum Auguſta Raurac. ab Hunnis quoque gravia paſſam eſſe, ſunt qui ſcribant. Diſtat Tiguro 9. Nanceio 24. leuc. Ejus Hiſtoria paucis hæc. De origine jam aliquid dictum: Munita à Valentiniano ante laudato: poſtmodùm, poſt Alemannorum, ſub Valentiniano III. in Galliam Celticam irruptionem, qui veteribus Rauracis Helvetiiſque exturbatis, eorum ſedes occupârunt, denuo eversa, & priſtino, imo ampliori ſplendori reddita creditur. Ab Imperatore Henrico dein I. & II. cui ob fortem fidamque operam, contra Francos, Bohemos, Sclavos & Saracenos, feliciter præſtitam, unicè dilecta erat, Stumpf. *de Germ. l. 2. c. 21.* poſtquam Burgundiæ regnô, cui ſubfuerat prius, deſtructô ad Imperium veniſſet, novum decus ei acceſſit. Ampliata, A. C. 1568. & minore quoque urbe, quam à Friderico Blanckenheimio Epiſcopo Argentorat. & Adminiſtratore Epiſcopat. Baſil. jure emptionis acquiſivit, A. C. 1392. auctior reddita, jamque olim à variis Imperatoribus, Friderico III. inprimis, ampliſſimis immunitatibus & privilegiis donata, inter liberas Imperii civitates fuit. Henricô hoc I. A. C. 1061. Rodolfô I. A. C. 1274. Carolô IV. A. C. 1347. Sigiſmundô, tempore Concilii, Fridericô III. Imperatorib. &c. hoſpitiô exceptis: Amicitiâ interim Helvetiorum, ut vicina ipſis erat, diu, antequam fœdere ipſis jungeretur, exculiâ, nobilis. Namque & Ludovicô Bavarô à Pontifice excommunicatô, cùm ingentes turbæ inde exortæ eſſent, *Baſilienſes*, qui ob fidem Imperatori ſervatam, à Pontifice ſimiliter excommunicati erant, Pontificium Legatum inſolentius agentem Rheno merſerunt, mox ut ſecuritati ſuæ conſulerent, fœdus cum tribus primis Helvetiæ pagis, ac Tiguro & Berna, multiſque aliis Germaniæ urbibus, A. C. 1327. fecerunt. Peculiari dein fœdere urbs cum Tigurinis coiit, A. C. 1345. Rurſus A. C. 1365. cum Leopoldi Auſtriaci auſpiciis Anglorum exercitus, Alſatiâ vaſtatâ, Argentinam obſideret, Urbi huic quoque minatus, à Tigurinis, Bernenſibus, Lucernenſibus & Solodurenſibus, miſsô præſidiô, confirmata eſt: quod iterum factum, A. C. 1409. à Bernenſibus & Solodurinis, bellô contra Catharinam Burgund. Leopoldi uxorem: & tempore Concilii Baſil. quod diſturbaturus ingentem exercitum in fines Helvetiorum adduxerat Ludovic XI. tum adhuc Delphinus, qui prælió San Jacobæô, in omne ævum memorabili, prope urbem, cum exigua Helvetiorum manu conflixit, A. C. 1444. Poſteà junctis cum Helvetiis copiis commune bellum adverſus Auſtrios geſſit. Carolô porrò Burgundô imminente, Argentinenſibus, Sigiſmundo Auſtrio, & Renato Duci atque Helvetiis tandem, novô fœdere ad decennium juncta eſt, ſtrenuâ fidelique operâ eô bellô ſæpe navatâ. Eam bellô inter Maximilianum Imperatorem & Helvetios, ad Dorneggum victores, fervente, mediam ſe geſſit, quod Nobilitas tam graviter tulit, ut magna ejus pars ex urbe in vicinos Sequanos, Alſatas & Briſigavos commigraret, unde injuriarum contentionumque inexhauſta ſeges, victrice tandem *Baſilea*, quæ annô proximô, qui finem belli illius conſecutus eſt, & fuit A. C. 1501. perpetuô fœdere ſeſe decem Pagis Helvetiæ conjunxit, nonô inter illos locô obtentô. Fuit olim ſumma hic penès Nobiles auctoritas, cujus ſocietates duæ frequentibus diſſidiis inter ſe colliſæ, turbas non ratò dederunt. Poſteà non tam amoti à gubernaculis ſunt, quàm ſponte ea deſeruerunt. Namque & molo, quòd ſe tempore Concilii hoſtibus junxiſſent, exiliô multati. Dein, ut retro jam monitum, bellô contra Catharinam: Præterea poſt fœdus Helveticum, maxima nobilitatis pars exceſſit. Quidquid tandem reſidui fuit, urbe Reformationem amplexâ, A. C. 1529. cùm illam impediri poſſe deſperaret, inde ſe in proximas arces recepit. A quo tempore Senatus è populo legitur, uſque ad noſtram ætatem. Bellis exterius, namque & obſeſſa à Rodolfo Comite Habſpurgico fuit, A. C. 1273. qui in ipſa hujus urbis obſidione, Imperator electus, ei pacem dedit: inteſtinis ſeditionibus A. C. 1308. inprimis, & 1376. Vide *Pſittoci & Stelliferi*, quæ partibus tum nomina, occultiſque inſidiis ſæpe tentata. Peſtem multoties ſenſit: A. C. 1314. inprimis, quô 14000. mortalium. A. C. 1349. quô totidem: A. C. 1439. quô innumeri. A. C. 1502. quô 5000. A. C. 1543. quô flos virorum. A. C. 1563. & 1564. quô 7000. atque inter illos iterum clariſſimi viri. A. C. 1610. quô ſurſum 4000. A. C. 1629. A. C. 1633. A. C. 1667. quô 2000. ſublata. Incenſa eſt A. C. 917. ab Hungaris. Iterum flammis conſumtæ ædes 600. A. C. 1294. Minor urbs arſit, A. C. 1327. iterumque A. C. 1354. Rurſus ferale incendium urbem funeſtavit, A. C. 1377. 1414. inprimis autem 3. Non. Jul. A. C. 1417. cujus calamitatis immenſæ Poggius Florentinus meminit, &c. poſt quam tamen velut Phœnix, è cineribus ſplendidior reſurrexit. Inundationibus Birſici fluv. & Rheni multa damna paſſa, A. C. 1378. 1424. 1446. 1480. 1512. 1519. 1529. 1530. &c. Terræ motibus, quibus obnoxia Urbs ripenſis, & ſubtus magna ex parte cavernoſa, concuſſa eſt ſæpiſſimè, inprimis 15. Kal. Nov. A. C. 1355. quô tantùm non tota concidit. Quæ damna affatim divina benignitas penſavit. Academiâ namque, quæ mox inter celebriores Europæ, inſtitutore Piô II. ornata eſt, A. C. 1459. Poſt quam erectam, & apertas veluti Muſarum januas, Chartacea quoque hic ars enata, ab Antonio & Michaele Galliciombus, A. C. 1470. tot tamque nobilibus Chalcographiis occaſionem dedit, quibus præ plurimis aliis hæc urbs effloruit, primum Typographum Bernardum Richelium nacta, A. C. 1478. In fœdus dein Helveticum, ut dictum, recepta eſt. A. C. 1501. Quibus omnibus divini favoris cumulis, Reformatio, acceſſit, de qua paulo pòſt. Olim Epiſcopalis fuit, primuſque Epiſcopus Juſtinianus habetur, qui Concilio Colonienſi ſubſcripſit, A. C. 346. Ejus ſucceſſores, cùm, per hominum credulitatem, opibus aucti eſſent, varia cum vicinis bella geſſerunt, ſenſim deiu, quicquid in civitatem habebant juris, huic diverſis temporibus venditô: donec tandem Reformationis impatientes Bruntrutum, ſeu Pontem Ragnetrudis, ut in antiquis Eccleſiæ Veſontienſis tabulis dicitur, ſedem tranſtulêre. Hanc Reformationem jam antè prædixit, circa A. C. 1400. Johannes Maulbergius, Dominicanus, qui concionibus in vitia & errores ſeculi acerrimè invectus, Sigiſmundi Imperatoris elogium meruit. Ei præluſit Concilium, non jam id, quod A. C. 1061. contra Alexandrum II. ab Henrico II. Imperatore celebratum, quô Chadelo Epiſcopus Parmenſis, Papa electus & Honorius II. appellatus eſt, quàm quod A. C. 1440. Generale habitum eſt, cujus libertate (nullo enim præſente Sigiſmundô, præſidente autem Julianô Cardin. liberius, quàm unquam in aliis, in auctoritatem & poteſtatem Pontificis inquiſitum, Joh. Baleô teſte, *in Eugenio* IV. Bulling. *l. 2. de Concil.*) offenſus Eugenius IV. aliud Ferrariæ indixit, verùm à Patribus Baſilienſibus citatus, accuſatus, condemnatus, & depoſitus eſt, ſuffectô ei Felice V. qui cum uxoratus eſſet, decretum: *Non ſolùm, qui habuit uxorem, ſed & qui habeat, eligi poſſe: Concilium ſupra Papam eſſe*; &c. Seſſionibus 45. ut & fulminis Tarpeji à Sixto IV. ob Andream

dream Archiepiſcopum Strigonienſem vibrati, more Majorum, vide ſuprà, neglectus, A. C. 1485 Wilhelmus Roblinus, Parochus S. Albani ortus eſt A. C. 1581. Clerô annitente mox urbe pulſus: abſolvit tandem Johannes Oecolampadius, qui A. C. 1522. Baſileam delatus, dein A. C. 1523 in Antonii Zangeri Eccleſiaſtis Martiniani, emeriti, locum ſurrogatus, tantum effecit, ut A. C. 1524. S. Baptiſma idiomate vernaculô, & Cœna Domini ſub Utraque Specie, ut vocant, adminiſtrari inciperet; quô annô Diſputatio de Cœlibatu publicè quoque habita. Poſt quæ A. C. 1526. Pſalmi Germanicâ linguâ, in templo Martiniano, cantari cœpti A. C. 1527. Miſſa eodem in templo, ut & apud Auguſtinianos abrogata. A. C. 1528. imagines maxima ex parte ſublatæ A. C. 1529. tandem hæ omnes, duodecim curruum onus, cùm ſuper dividunda in domeſticos uſus præda pauperes rixarentur, in novem compoſitæ ſtrues, ante primariam ædem, combuſtæ, totâque urbe Euangelium publicatum, & abſque graviore tumultu omnia peracta ſunt: dexteritate & prudentiâ imprimis Jacobi Meyeri Conſulis, inſignis negotii tam ſacri promotoris. A quo uſque ad noſtra tempora non exiguum decus Reformatæ Eccleſiæ urbs fuit. Gallis quibuſdam proceribus, interque eos Admiralis Colinii filiis, poſt Lanienam Pariſienſem, ob religionem, huc ſe A. C 1572. recipientibus, hoſpitium locumque ſacris Gallicâ linguâ privatim peragendis, dedit, unde hodieque non contemnendus ibi ex illa gente fidelium cœtus: quibus, creſcente indies numerô, A. C. 1616. templum quoque, & publicè ſacrorum causâ conveniendi poteſtas conceſſa. Ad Synodum Dordracenam, è Theologis ſuis, miſit Sebaſtianum Beckium & Wolphgangum Meyerum, Theol. Doctores celeberr. A. C. 1619. &c.

—— —— Hinc ô mitior æther
Et conjurati veniant ad claſſica venti!

Exhibet urbis hujus regiæ Hiſtoriam Stumpf *in Chron. l.* 12 *c.* 11. *& ſeqq.* Æneas Sylvius *in deſcr. Baſil.* Chriſtian. Urſtiſius *Chron. Baſil.* Munſter. Ramus, *in Encomio urbis.* Vide & Guilimannum, Simlerum, B. Rhenanum *Rer. Germ. Nov-Antiq. l.* 3. cum Not. Cl. Ottonis JCti, Joh. Baptiſtam Plantin. *in Helv. Nov. antiq.* Sleidan. Hadrian. Valeſ. *in Notit. Gal.* &c. De illa Glareanus *in Panegyrico Helv.*

Rauriacas arces, anguſtaque limina Rheni,
Helvetiæ muros & inexpugnabile vallum,
Qui pede dicendi, qui plectrô, quâve Camœnâ
Sat dignè extollam? Non ſi mihi Tullia verba
Delius inſpiret, Muſiſque ad tranſtra vocatis,
Tantillum laudis poſſem: Salve optima mater
Indigenis Baſilea tuis, urbs inclyta Famâ,
Urbs Trojâ, Thebiſque & multis notior aſtris:
Tota quidem ſplendes, & te tibi pulchrior ipſa es,
A planta uſque caput; tu noſtri portus, apexque
Imperii: tu totus honos, non indiga laudis
Fucatæ, ſemper ſtudiorum dulcis alumna,
Maſſiliam referens, doctaſque Academia Athenas.

Vulgò *Baſel*, caput Pagi cognominis. Vide infrà, longitud. 18. 25. latitud. 47. 25.

BASILEA Minor, urbs recens, in ſolo Germanico; à regione urbis majoris, de qua ſuprà, cui egregiô ponte jungitur. Villa antè ſeu vicus, *inferior Baſilea* dictus, ſupra quem exiguô intervallô magalia quædam & piſcatorum domus ſtetêre, quem viculum *ſuperiorem Baſileam* nominatum fuiſſe, à ſenioribus audivit *Urſtiſius.* Intermediô ſive ſupremô cultioris atque frequentioris pagi locô, communis parochia extitit, quæ hodie Theodori nomen ſuſtinet. Poſteà in unum locum utriſque commigrantibus, prioribuſque appellationibus abolitis, *inferior Baſilea* dici conſuevit, antiquô Germanorum idiomate, *Enren* vel *deren Baſel.* Villa adhuc fuit A. C. 1250. ſed annis dehinc 28. foſſâ muriſque in urbis formam redacta: & contra Rudolfum Habſpurgicum, nondum tum Cæſarem, ab Henrico Neoburgenſi Epiſcopo, munita eſt: à quo etiam, ob fidam operam, id immunitatis accepit, ut in poſterum quotannis non niſi 40. libras tributi locô pendere teneretur, A. C. 1270. Iis ſiquidem temporibus plenum illius temporale dominium Epiſcopus Baſil. habebat (ſpirituali ad Conſtantienſem Præſulem ſpectante) à quo Prætorem accepit, cui 20. Senatores aſſuêre. Ab Epiſcopo Joh. de Vienna poſtmodum, pignori data eſt Leopoldo Auſtrio, A. C. 1375. cui prom contra Helvetios A. C. 1386. militârunt, amiſſi clade Sempachianâ viris octo. Sed Succeſſor Johannes Himerius Ramſtenius, A. C. 1389 majori Urbi minoris redimendæ copiam fecit: qui cùm biennô poſt Principatu ſe abdicâſſet, Fridericus Blanckenheimius Epiſcopus Argentinenſis Baſilienſi Adminiſtrator datus, ut aliis ſe expediret debitis, urbem hanc, majoris Collegii adſenſu, Civitati Baſilienſi pro 22000. floren. ſumma, fiduciariâ venditione aſſignavit: ſequenti verò annô, 28800. florenis ſuper acceptis, perpetuô venditionis titulô omni in eam jure ceſſit, Bonifaciô IX. approbante. A' quo tempore utraque urbs in unam Rempubl. coaluit. Occupat planitiem æquabilem, ac bifidô rivô à Viesâ fluvio deducto irrigatur, aquis per omnes plateas, quod non parum commoditatis urbi affert, derivatis: figura tetragonum oblongum refert; Ptolemæus tractum eum ultra Rhenanum ad lacum uſque Acronium Alpeſque, *tab.* 4. *Eur.* vocat *Helvetiorum Eremum*, i. e. Hercyniæ ſylvæ caput, cum adjacentibus regionibus, Rhenique contra Rauricos tractu: cui Vadomarius, Alemannorum Rex, tempore Conſtantii & Juliani Imperatorum dominatus eſt. Vide Urſtiſ. *Hiſt. Baſil Epit. c.* 18. & ſuprà in voce *Baſilea.*

BASILEENSIS, vel potius BASILIENSIS PAGUS in diviſione regni Lotharii A. C. 870. inter Ludovicum & Carolum fratres, Francorum Reges, factâ, nomine Celticô vocatus *Baſalchowa*, ſeu *Baſalgowa*: *Gowe* enim ſeu *Gau*, Pagum denotare, ex appellationibus adhuc hodiernis *Argow*, *Turgow*, &c. patet. Conſtat hôc tempore, de Reipubl. ditione loquor. Epiſcopi enim ſat amplum territorium eſt, præter oppid. Lucifvallum, & Siſgoviam regionem, præfecturis quatuor Cirſhenanâ, Monchenſteinianâ, Farnſpurgenſi, Wallenburgicâ, cui Ramſteynia juncta eſt, & Homburgenſi: ac unâ trans Rhenanâ, Richanâ: de quibus alibi.

BASILEENSIS Johannes, vide *Johannes.*

BASILEI, ſive BASILII, Sarmatæ prope Jazygas, quorum pars maxima Nomades ſunt; pauci agrorum colendorum ſtudiô tenentur Utramque Iſtri ripam incolunt. Strab. *l.* 7.

BASILEUS, apud Ingulfum, *Totius occidui climatis orbis terræ Baſileus*: Rex eſt, ex Græco Βασιλεύς, ſicut ex Αὐτόγραφος, *Autographum* fecêre recentiores Latini, uti ſuprà vidimus. Et quidem veteres imprimis Angliæ Reges, ſic præ cæteris appellari amavêre. Hinc Edgarus, qui in *Charta*, quæ habetur *Monaſtici Anglic. Tom. I.* *p.* 65. initiô *ſe Magnæ Britanniæ præſidere* ait: eam hiſce verbis claudit, *Ego Edgar, totius Albionis* Baſileus — *confirmavi.* Sic paſſim & alii *Ibid.* ut & apud Florentium Wigorn. Wilhelmum Malmesbur. Rogerum Hovedenum, &c. Cummeneus Albus in *Vita* S. Columbæ Abb. Hyenſis c. 25. *totius Britanniæ Imperatorem* interpretatur. Non enim ſimpliciter Regem, ſed eum, qui cæteris potentiâ & dignitate anteſtaret, voce hâc intellectum voluêre. Quam ob cauſam *Baſilei* ſeu Βασιλέως titulum ſibi ſoli competere perſuaſum habuêre Imperatores Byzantini, cæteros Ῥῆγας ſolùm, h. e. *Reges* appellantes. *Geſta* Innocentii III. p. 117. de Joannicio Bulgariæ Rege: *Ipſe præterea coronam Regni legitimè receperat à Pontifice: Sed ipſe, qui ſe appellabat Conſtantinopolitanum* Baſilea, *coronam Imperii temerè uſurpaverat à ſe ipſo* &c. Hunc tamen Bulgarorum Regi detulêre, quem Βασιλέα dicebant, cujus etiam Legatos cæterarum gentium Legatis præponebant, ut eſt apud Luithprandum in *Legat.* ubi meminit *Petri Bulgarorum Vaſileus*, vide Scylitzen p. 623. Sed & Carolo M. eundem tribuerunt Legati Nicephori Imperator. A. C. 812. *Annales Franc.* *More ſuô laudes illi dixerunt, Imperatorem eum &* Baſileum *appellantes* Poſtmodum verò appellationem hanc Caroli ſucceſſoribus iidem Imperatores inviderunt: unde lepidam hac de re expoſtulationem, quam Ludovicus II Imperator adversùs Baſilium Macedonem inſtituit, legas in ejus *Epiſtola*, quam deſcripſit Baronius *A. C.* 871. *num.* 57. Vide quæ hanc in rem adnotavit Car. du Freſne in *Gloſſar.* *Notis ad Alexiadem p.* 256. *& ad Joinvillam p.* 316. Hinc *Baſiliſſa*, i. e Imperatrix, quô nomine Angliæ Reginam compellat Monachus quidam in *Epiſt.* præfixa *Gloſſario* Ælfrici, ob rationem ſuprà dictam, &c. Quod autem vox *Baſileus* recentiori ævô per excellentiam denotaverit Principem cæteris ſuperiorem, inde ortum videtur, quia Perſarum olim Rex, qui reliquos omnes ſui temporis auctoritate ac potentiâ anteibat, non niſi Βασιλεὺς, ſine alia adjectione, à Comicis & omnibus tum Scriptoribus Græcis, appellari conſuevit. *Ariſtophanes*,

Νυνὶ γὰρ ὁ σπέρμα τοῦτ' ἀφιγμένον
Εἰς τὰς Ἀθήνας ἐστὶ παρὰ τοῦ Βασιλέως.
Nuper enim ſemen hoc advectum
Athenas eſt, à Rege:

Subintellige Perſarum. Unde *Baſilica nuces*, Perſicæ dictæ, uti mox videbimus &c. Poſt everſam verò Perſarum Monarchiam, Ægypti Regibus idem titulus à Græcis eâdem ratione tributus eſt, unde Ægyptiam ſpinam, ἄκανθαν Βασιλικὴν, vocat Theophraſtus *de Cauſis l.* 1. c. 20. uti adnotavit Salmaſ. *ad Solin.* p. 1291. quem vide. Atque hinc Βασιλικὸς, pro *magno* ac *grandi* paſſim &c. Non tamen tacendum, quod, ex hac ſignificatione vocis Βασιλεύς, urbi *Baſileæ* nomen, quaſi *Imperatoriam* diceres, inde datum, quod à Juliano Imperatore tum in vicinia agente, cùm contra Alemannos bellum gereret (quos etiam prope Argentoratum ingenti præliô fudit) condita ſit, colligat, Acad. Baſilienſis ingens decus, Seb. Fechius, JCtus, Philologus & Antiquarius inſignis, in *Diſſertat.* hac de re publicè habita, quâ Inſcriptionem Juliano factam in Hiſpania, eruditè enarravit.

BASILEUS, fluv. Cypri in mare Syriacum prorumpens.

BASILIA, inſul. Ponti in Oceano Septentrionali. *Xenophon Lampſacenus* à litore Scytharum tridui navigatione inſulam eſſe immenſæ magnitudinis *Baltiam* tradit, quam Pytheas *Baſiliam* nominat. Plin. *l.* 4. *c.* 13. *Baltia* Timæo dicitur. Plin. *ibid.* *Bannomannam* vocat. *Scandia*, & *Scandinavia* eidem, ut & Solino c. 23. dicitur. *Procopius* ſub nomine *Thule* ſed falſo deſcribit. *Jornandes Scanziam* etiam perperam vocat. Ejus loci incolæ *Suiones* apud Tacitum *Germ. c.* 44. videntur, ſed non eſſe inſulam cognitum fuit, & ea eſſe creditur, quæ duo ampliſſima regna habet, nempe Norvegiam & Suediam, ubi partes præcipuæ ſunt Gothia, Suetia propria, Lapponia & Finlandia, comprehendens. Scandiam autem vel Scandinaviam, *Scanen*, quæ hujus eſt pars, facit *Zieglerus.* Idem pro *Bannomanna*, *Pannonia* apud Plinium legere mavult, & Finlandiam hujus peninſulæ partem pro ea accipit. *Suiones* Taciti *Wandalen Sueden* interpretantur, Hanc *Baſiliam* peninſulam *Mar. Niger Vergion* appellatam ſcribit. Vide *Scandinavia.*

BASILIÆ, Græcè Βασιλεῖαι, libri Regum. Tertullian. *adv. Marcionem*, *Habes*, inquit, *tertium Baſiliarum*, apud Dominic. Macrum in *Hierolex.*

BASILICA, Græca vox, ſed Latini Græcos ſequuti, prætoria & domos ad publicas conciones ſpatioſas, è magnifico opere, *Baſilicas* iidem dicunt. Veteres Scriptores Eccleſiæ à Conſtantini ævo, ad ædes ſacras transferunt, nec ſolùm ad majores, ſed & ad minores, ipſaſque privatorum capellas & ſacella. Spelman. *Gloſſar. Archaiol.* Græcè Βασιλικὴ, i. e. Regia: qui locus primitus juri dicendo apud Romanos inſervit. Seneca *de Ira l.* 3. *c.* 33. *Primum judiciorum* Baſilicæ *reſonant.* Et Plinius Junior. *l.* 6. *Ep.* 33. *Sedebant Judices centum & octoginta, ingens utrimque Advocatorum & aſtantium corona, latiſſimum judicium multiplici circulô ambiebat. Ad hoc ſtipatum tribunal, atque etiam ex ſuperiore* Baſilicæ *parte, quà fœminæ, quà viri, & audiendi,*

cendi, quod erat difficile, & veſtiendi ſtudiò, ſuccumbebant. Poſtea cùm è Senatoribus, qui ibi deliberantum ſedebant, vel à Judicibus, qui ibi omnis generis cauſas cognoſcere, vel ab hominibus peritis, qui clientibus ſuis de jure reſpondere ſolebant, locum vacaret, Mercatores ibidem ac Nummularii ſua tractare cœperunt negotia: Huc Baſilica Argentariorum in 8. urbis regione meminit P. Victor. Cinctæ autem erant Baſilicæ porticibus, contignationes et contectis contignationibus, innixiſq́ue in paraſtatas columnis aut pilis adjunctis; ſupra quam contignationem altera ſuit & ſuperior porticus, cujus tectum, teſtudinatum aliis poſtibus, paraſtatis & arcuatis ſuſtinebatur. Medium ſpatium & quaſi ſuperior porticus, Plateæ vocabatur, qui utrumque latus per intercolumnia periſtylium liberum habebat proſpectum. Paraſtatæ vero dupli erant ad latitudinem porticus, ſicut & columnæ perpetui ſcapos uno ductu ad Baſilicæ latitudinem. Utrimque duo ſic adhærentes ſolita eſſe memorat, ut in una parte judicia, in altera negotia exerceri poſſent. Earum 19. in urbe fuiſſe, ſcribit P. Victor l. de urbe Roma c. 21. verò, Onuphrius Panvinius. In his ergo Centum virorum quatuor tribunalia erant, quorum Plinius in Epiſt. ſæpe meminit. Præcipuæ vero olim tres fuêre, Pauli, Portia & Julia, præter quas Baſilicam Alexandrinam, quam Romæ, inter Campum Martium & ſepta Agrippiana, inchoaverat Alexander Severus Imperator, meminit Lamprid. c. 26. Baſilica Neptuni, ab Hadriano Cæſ. conſtructa Æl. Spartian. c. 19. Baſilica in Plotinæ honorem, apud Nemauſum, opere mirabili extructa, ab eodem Imperatore idem Auctor &c. quam poſtremam Templum vocat Dio; quemadmodum Baſilicam Juliam, Julia Templa vocat Papinius Statius l. 1. Sylv. 1. v. 29.

> *At laterum paſſis hinc Julia Templa tuentur,*
> *Hinc belligeri ſublime Regia Pauli.*

Ubi etiam omnium Dominum cenſet Ptolemæus Flavius Collectaneorum c. 63. apud Barthium Animadverſion. ad Statium &c. Vide quoque B. Marlianum Topograph. Urbis l. 3. c. 1. Juſtum Ryckium de Capitolio c. 7. Alexandrum Alexandrium l. 3. c. 6. Petrum Gillium Topogr. Conſtantinopolis l. 2. c. 18. Alios. Inde itaque Fana, quæ deinde in Templa Chriſtiani converterunt. Iſidorus Origin. l. 15. Baſilicæ prius vocabantur Regum habitacula, unde nomen; nunc autem ideo Baſilicæ divina Templa nominantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus & ſacrificia offeruntur. Auſonius in Gratiar. act. pro Conſul. Baſilica olim negotiis plena, nunc votis pro tua ſalute ſuſceptis &c. Quidam etiam nonnulli Baſilicas appellari ædes nondum conſecratas volunt, alii non admittunt. Romæ hodie Baſilica Lateranenſis ſeu Salvatoris, celebris eſt, quæ à conditore Conſtantiniana, præter excellentem ſtructuram, & ornamenta, Aurea baſilica dici conſuevit, vide Gregorium M. l. 2. Ep. in Præf. Anaſtaſium in Sylveſtro, Panvinium, alios. Præter quam tres aliæ ſunt in eadem Urbe præcipuæ, Vaticana, quæ Baſilica Major dicitur; S. Pauli & S. Mariæ Majoris. Vide Car. du Freſne in Gloſſar. & Meurſium in Hierolex. &c. Hinc Baſilicarius vel Baſilicarius, in Gloſſ. Lat. Græc. παλαιος, ἀγοραῖος, tenuli rigator, qui fora frequentat. Vide Caſaubon. ad Theophr. Characteres p. 176. Item Clericus, qui in Baſilica, ſeu æde Sacra, Papæ, Epiſcopo, aut Sacerdoti ſacra obeunti miniſtrat, apud Iſidorum Hiſpal. Epiſt. ad Ludefredum Epiſc. Cordub. in Ceremoniali Concil. Camer. apud Baronium A. C. 1398. &c. Item idem Subbaſilicam, qui ibi verſabantur, Plauto Capt. Act. 4. ſc. 2. v. 34. Plura de Baſilicis Romanis vide apud Joh. Roſin. Antiqq. Rom. Sigonium de Judiciis l. 1. c. 28. Alios. De Baſilicarum verò apud Veteres Chriſtianos ſtructura, accuratè agit Salmaſ. ad Solin. p. 1222. & ſeqq. ubi ad Pauli Silentiarii Ἔκφρασιν Templi S. Sophiæ pluribus commentatus, inter alia, non Sacrarium modò, ſed & reliquum Baſilicæ ſeu Templi ædificium cameratum ſive apſidatum fuiſſe prorſus docet. Hôc tamen addiderim, apud Sacraris culmen concham habebat, i. e. cameram eſſet conchæ formam referens: cætera Baſilica camerata & ipſa, ſed ſpecie ſemicylindria, fornice nempe oblongâ, quam ψαλίδα οὐρανίαν Plato vocat de Legg. l. 12. Præterea, cætera Baſilicæ camera laqueata erat, i. e. tabulis ſubacta. At concha Sacrarii ex lapide ſtructo fiebat. Denique concha Sacrarii fornicata, utpote tribus fornicibus, quaſi unidem cameris conſtans. Camera verò Baſilicæ recta & oblonga ad inſtar cylindri dimidiati, vel inverſæ ad inſtar alvei ſiſſi, vel carinæ navis aut hominis monoxyli, quales etiam ſiebant ex uno tantum ligno ſiſſa ex harundinum ſiſiſ: Unde hodieque Navem Galli appellant eam templi partem, à columnis figura. Poſtea verò, Apſis de Sacrario ſolo dici cœpit, ut ſuprà videre eſt. Ibidem habes de Baſilicarum partibus, Narthece, Propylæo, Templi Navi, Sacrario ſeu adyto, Concha, quæ aliud, reperiuntur, aliiſque, ut & de origine Baſilicarum ac dedicandi ritu, apud Joan. Seldenum de Synedriis Vett. Hebræorum l. 3. c. 15. §. 2. de quibus hic etiam paſſim diximus.

BASILICA, libri ſunt, quibus continentur LL. ab Imperatoribus promulgatæ, vel compoſitæ, quæque hodie extant Græcè ſcripta, unde Juris Caroli magni loco. De his vid. Vigel. Zuichemus Proſat. ad Theoph. Guid. ad verb. de verbor. ſignif. num. 58. Hi libri ad illuſtrandum & interpretandum valde conducunt: non ad emendandum & interpolandum jura noſtra: non ad decidendum, quia auctoritate publicâ, quæ ſola jus facit, in hoc Occidentali Imperio carent. Vide Joh. Calvin. Lexic. Jurid. Græcè Βασιλικὰ, vulgò ἑξηκοντάβιβλος, quod eorum ſint 60. in ſectiones ſex diviſi. Auctor eorum Leo Philoſophus eſt, ut Harmenopulus ſcribit & Theodorus Balſamon in verſibus Heroic. teſtantur: qui tamen adjungit Leonis Photium, quod eodem tempore hic Conſcribendo, alii Legibus diligenter operam impenderet. Occaſionem Leoni præbuit ejus Baſilius Macedo pater, qui cum filiis Conſtantino & Leone hoc jam antè conſtituerat ἀνακάθαρσιν tum in 60. diſtributam. Eum itaque conſequutus ſibus Leo Βασιλικὰ poſteà libros 60. promulgavit &c. Vide Cujacium Obſervat. l. 6. c. 9.

BASILICA Spina, Græcè Ἄκανθα Βασιλικὴ, ut eam Theophraſtus vocat, Regia dicitur Plinio, cuì illa etiam Spina Babylonica, de qua ſupra dictum, eadem eſt, l. 13. c. 24. Non omittendum eſt, & quod Babylone ſeritur in ſpinis, quibuſdam non alibi vivit, ſicut & viſcum in arboribus. Sed illud in Spina tantum, quæ Regia vocatur &c. Nempe Plinium movit, quòd Attici cæterique olim Græci Βασιλέα de Regibus tantùm Perſiæ dicerent. Sed cum longè ante Plinii ætatem Βασιλέας & Βασιλεῖς de Regibus Ægypti etiam Græci propriè uſurpârint, non minus Spina Ægyptia hôc nomine venire poſſet. Certè Theophraſtus, qui mentionem Baſilicæ Spinæ facit, de Cauſis l. 1. c. 10. Spinam Babylonicam ab ea diſtinguit, uti docet Salmaſ. ad Solin. p. 1290.

BASILICÆ, ædiculæ quædam, quas Franci veteres Magnatum tumulis imponebant, dictæ ſunt, quòd formam Baſilicarum ſeu Ædium ſacrarum, referrent. Aliorum enim inferioris conditionis hominum ſepulchris aut tumba tantum, aut porticulus ſuperextruebatur, ut colligit Car. du Freſne ex L. Salic. tit. 58. §. 3. 4. & 5. ubi, qui tumbam, aut porticulum ſuper hominem mortuum expoliaverit — ſolidis 15. Si quis vero Baſilicam ſuper hominem mortuum expoliaverit, 30. ſolidis culpabilis judicetur. Ligneas eas fuiſſe, adeoque incendio obnoxias, diſcas, Ibid. tit. 71. ubi agitur de mulcta illius, qui Baſilicam voluntario ordine aut fortaſſe per negligentiam incenderit. Car. du Freſne, Gloſſar.

BASILICÆ Martyrum & Angelorum, aliquoties memorantur Veteribus. Appellabant autem illi Baſilicas Martyrum, Ædes Deo extructas ejuſque cultui unice dicatas, in Martyrum locis, in quibus nempe paſſi ſunt, ut aliquod eorum extaret monimentum, ut in illis ſacris domibus Deum O. M. religioſè colerent & invocarent; atque de Martyrum victoria gratias agerent, ac divinum ejuſdem implorarent auxilium, quò & ipſi ſuffulti ad imitationem talium coronarum atque palmarum corroborarentur, ſeque invicem ad eam imitationem, ex Martyrum memoriæ renovatione adhortarentur. Vide Auguſtin. de Civ. Dei l. 8. c. 29. Angelorum verò Baſilicas ſolebant extrui, in locis, in quibus Angeli apparuerunt, aut aliquid egregium geſſerunt. Tum enim ibi, in honorem Dei Ædes ſacræ extruebantur, in quibus illi agebantur gratiæ, pro tam conſpicuo favoris ſui ſigno, iiſque unicè implorabantur, ut porro Angelis ſuis in miniſterium noſtri uti dignetur, ad quod eos conſtitutos eſſe Apoſtolus ait Hebr. c. 1. v. ult. Utriſque nomina quandoque Martyrum, Angelorumque propterea indita, uti docet Joann. Forbeſius Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l. 7. c. 2. §. 15. Poſteà verò in Baſilicis hujuſmodi aliò ſpectari cœpiſſe, diſcimus ex Rob. Bellarmino l. de Cultu SS. c. 4. ubi inter Baſilicam & Templum diſtinguens. Templum quidem Deo tribuit, reſpectu ſacrificii, eandem verò ædem, Angelo aut Sancto conſecratam, ait, ut Baſilicam, in honorem & cultum eorum: in quibus tum Deus, tum ipſi invocentur, iiſque vota nuncupentur & preces, laudeſque ac hymni offerantur. Qua de re vide Forbeſium ibid.

BASILICÆ Nuces, Græcis Βασιλικὰ κάρυα, & abſolutè Βασιλικὰ, optimæ juglandes Plinio dictæ ſunt, quas molluſcas nuces, à molliori putamine, quoque Veteres appellavêre. Rationem nominis aperit Servius apud Macrobium l. 3. c. 18. his verſibus,

> *Admiſce baccam è Baſilicis: hæ nunc partim,*
> *Partim Perſicæ: quod nomen ſit denique fertur,*
> *Propterea quòd qui quondam cum Rege potenti*
> *Nomine Alexandro Magno fera prælia bello*
> *In Perſas tetulêre, ſuo poſt inde reventu*
> *Hoc genus arboris in prælatis finibus Graiis*
> *Diſſeruêre, novos fructus mortalibus dantes*
> *Molluſca hæc nux, ne quis fortè inſcius erret.*

De Moretano loquitur, faciente Moretum, qui inter alia eò miſceri & admiſceri baccam, i. e. nucleum è Baſilicis nucibus. Nempè quod hæ nuces è Perſide primitus allatæ eſſent, Βασιλικῶν nomen habuêre, quoniam Perſarum Reges per excellentiam olim Βασιλεῖς dicti, ut ſuprà oſtendimus, in voce Baſileus. Unde de iiſdem Plin. l. 15. c. 22. Et has è Perſide Regibus translatas indicio ſunt Græca nomina: optimum quippe genus earum Perſicum atque Baſilicon vocant, & hæc fuêre prima nomina. Ubi Perſicum & Baſilicon ſynonyma facit. Quemadmodum & Dioſcorides, Κάρυα Βασιλικὰ ἃ ἔνιοι Περσικὰ καλοῦσι, Nuces Baſilicæ, quas alii Perſicas vocant &c. At Græci Scriptores omnes Perſicas nuces à juglandibus ſeparant, cùm eâ quam Latini juglandem appellant, Græcis eſt Διὸς βάλανος. Dixêre autem Διὸς βαλάνους Græci, è caſtanearum genere, quæ ſativæ eſſent, ut idem Plinius docet l. 15. c. 24. Qua de Latinorum Græcorumque diverſitate, vide Salmaſ. ad Solin. p. 598. & ſeqq. Adde, quæ infrà dicemus, in voce Juglans. Plinii locus de Baſilicis porrò ſic habet. Solum hoc pomum natura compactili operimento clauſit. Namque ſunt biſida putaminum carina, nucleorumque alia quadripartita diſtinctio, ligneo intercurſante membrano. Ita Theophraſtus Heracleoticarum ſeu Ponticarum nucum, h. e. avellanarum ſolidum ac denſum putamen eſſe, Conſer. l. 3. c. 4. &c. at Baſilicarum [illegible]. Et [illegible] illas habere, quod nec de minuta nuce, quam Λεπτοκάρυον Græci vocant, nec de caſtanea, dici poteſt, habes apud Pollucem. Quare auctorum Gloſſaru veter. [illegible] quæ è genere eſt τῶν Λεπτοκαρύων, interpretantem Κάρυα Βασιλικὰ, idem Salmaſ. refellit d. l. p. 603.

BASILICARIS, dicta olim una ex portis Urbis Remenſis, in Gallia; hodie la Porte Basée. Auctor Vitæ S. Gumberti Martyr. num. 5. Quæ (porta) Collectitia antea vocabatur, ſcilicet à conferendis mercibus, nunc autem Baſilicaris dicitur, ob quod circa ſe baſilicu dudum præ cæteris portis abundaſſe feratur; ſive quod euntibus ad Baſilicas in vico alias Remugii conſiſtentes pervia fuerit, apud Car. du Freſne d. l.

BASILICATA, provinc. Regni Neapolitani, ubi aliàs major & potior pars Lucaniæ, inter Principatum citeriorem, Calabriam,

labriam, Sinum Tarentinum & Terram Barenſem. Regio ſat ſteriles & inculta. Cui primaria urbs Acherontia, verſus Apenninum.

BASILICI, Græcis Βασιλικοὶ, iidem qui *Mandatores*, quorum erat Imperatorum mandata perferre. In Concilio VIII. Act. 1. ex verſione Anaſtaſii, *Ego ille Baſilicus --- ſubſcripſi.* Ubi Anaſtaſius, ſed ſinè ratione, *Baſilicus Græcè dicitur Imperialis natura aut Ex-ſpathariis Imperialis, aut alterius dignitatis. Imperiales homines fuerunt, qui rogatu teſtimonii ſui ſcripti & adſtipulatione chirographâ ſigillatum roboraverunt.* Euſdem enim cum *Mandatoribus* hos Βασιλικοὺς fuiſſe, diſcimus ex VII. Syn. *Act.* 1. ubi unus idemque, modò Βασιλικὸς ἄγγελος, modò Βασιλικὸς Μανδάτωρ, appellatur. In *Vita* S. Nili Junioris Βασιλικὸς idem eſt, qui *Regius* ſeu *Judex*, apud eundem Car. du Freſne *Gloſſar.*

BASILICUS Jactus, in ludo teſſerarum fortunatiſſimus, idem cum Venere ſecundùm Lipſium *Antiqq. Lect. l.* 3. *c.* 1. quod colligit ille, cum Plauto Horatium conferendo: Qui ambo cùm vetuſti meminerunt moris, quô per teſſerarum ludum Modimperator, ſeu convivii Dictator, eligi ſolebat; hic quidem *l.* 2. *Carm. Od.* 7. *v.* 25. inquit:

---- ---- Vinum arbitrum
Dicet bibendi.

Ille verò; *Curcul. Actu* 2. *Sc.* 3. *v.* 80.

Jacto Baſilicum, propino magnum poculum.

Adde quòd Modimperator hôc jactu creatus non ſolùm Συμποσίαρχος, verùm etiam Βασιλεὺς ſeu *Rex* convivii Græcis dictus eſt. Conſurgebat autem *Baſilicus* ſeu Venus, ex talis quatuor jactatis, ubi diverſam omnes oſtendiſſent faciem, Cœl. Rhodig. *l.* 20 *c.* 27 ſeu cùm nullus eôdem vultu ſtabat talus, uti loquitur Turnebus *Adverſar. l.* 5. *c.* 6.

BASILIDÆ, populi Sarmatiæ Europeæ, ſub Hamaxobiis, ab Hercule & Echidna originem ſumpſerunt. Mela *l.* 2. *c.* 1. ubi nunc Ducatus Moſcovienſis & Rezanenſis.

BASILIDES, familia Erythris, è regio ſanguine prodiens, qui Oligarchiam ibidem tenuerunt, de quibus Herodot. *l.* 8. Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 6 Strabo *l.* 14.

BASILIDES, Sacerdos in Carmelo monte Dei cognominis, qui ſacrificanti Veſpaſiano inſpectis extis magna per ambages prædixit, A. C. 72. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 87. & Suetonius in *Vita* hujus Imperat. *c.* 7.

BASILIDES Alexandrinus, Menandri diſcipulus, cum Saturnino, quorum hic Syriam, ille Ægyptum conſpurcavit, A. C. 130. Adriani Imperatoris temporibus vixit. Docuit unum eſſe Deum Patrem, ex hoc natum eſſe Νοῦν, ex hoc Λόγον, ex hoc Φρόνησιν, ex hoc Σοφίαν καὶ Δύναμιν. Ex his, virtutes Principes & Angelos primum condidiſſe cœlum. Ex hoc alios atque alios, ſubinde derivatos uſque dum 365. cœli fabricarentur. Docuit, Primogenitum Patris Νοῦν miſſum eſſe, ut credentes ſibi in libertatem aſſereret, nec tamen crucifixum eſſe, ſed ejus locò Simonem Cyrenenſem. Docuit animam ſolùm ſervari, non corpus. Inter cætera, contendit confeſſionem in perſecutione eſſe ἀδιάφορον, & negationem fidei non eſſe peccatum. Refutatus ab Agrippa Caſtore, viro illius ævi celeberrimo. Euſeb. *l.* 4. *c.* 8. Iren. *l.* 2. *c.* 23. *de Hæret.* Epiphan. *hær.* 23. Cæterùm obtegendæ dogmatum ſuorum pravitati, myſteriorum arcanè habendorum prætextu, ut & alii Hæretici, non incommodè abutebatur. Ita enim Epiphanius de illo *Hær.* 24. *Sed & idem Circulator; Nos, inquit, ſumus homines, alii verò omnes ſues & canes, & ob id dixit*: Ne projiciatis margaritas ante porcos, neque date ſanctum canibus. *Occultat namque ſuam impoſturam ab his, qui mente præditi ſunt, revelat autem ipſam Scholaſticis, qui ab ipſo decepti ſunt*, &c. Ex Epiphanio antiquior Irenæus *l.* 1. *c.* 23. *Baſilidianos* decreviſſe refert, *Non oportere omnino ipſorum myſteria effari, ſed in abſcondito continere per ſilentium.* Eoſdem *non eſſe alias peccatorum pœnas, niſi tranſcorporationes animarum poſt mortem*, ſtatuiſſe, auctor eſt Origenes contra *Celſum*, item in *Matthæum c.* 28.

BASILIDES, Epiſcopus Aſturiæ, in Hiſpania qui cùm Libellaticus eſſet, quod nomen iis erat, qui perſecutionis tempore Chriſtum abnegantes, literas à Judicibus impetrabant, ut in pace viverent, redire in Epiſcopatum volebat, pœnitentiâ prius non editâ. Cyprian *ep.* 68.

BASILIDES Patricius, auctor ſeculi 6.

BASILIDES Scythopolitanus, Philoſophus, vixit tempore M. Aurelii, Præceptor L. Veri.

BASILIDES, vide *Potamenæ*.

BASILIDES Calces, Regibus Athenienſib. familiaris. Vide infrà *Vit.*

BASILIDIANI Hæretici, à *Baſilide* præfato nomen adepti, Sacro-Sanctô Dei nomine tetragrammatô inter alia graviſſimè abuſi, multa in illo myſteria jactabant ſe repperiſſe, quæ tamen clam habebant & involucrô ſeptem vocalium Græcarum ΑΕΗΙΟΥΩ, variè inter ſe permutatarum & decies repetitarum, tenebant involuta; uti docet ex quinque *Inſcriptionibus* Græcis, quæ hodieque Mileti, vulgò *Palatcha* extant, Jac. Sponius. Earum omnium, exceptô nomine præfatô, quod quinquies in fronte totidem *Inſcr.* variatum extat, idem tenor:

ΑΓΙΕ
ΦΥΛΑCΟΝ
ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ
ΜΙΛΗCΙΩΝ
ΚΑΙ ΠΑΝΤΑC
ΤΟΥC ΚΑΤΟΙ
ΚΟΥΝΤΑC.

h. e. *Jehova ſancte conſerva urbem Miletum, & omnes habitantes eam.* Infrà ſcriptum eſt,

ΑΡΧΑΓΓΕΛΕ ΦΥΛΑCCΕΤΑΙ
Η ΠΟΛΙC ΜΙΛΗCΙΩΝ
ΚΑΙ ΠΑΝΤΕC ΟΙ ΚΑΤ.

i. e. *Archangele, ſit ſalva urbs Miletum & omnes incolæ ejus.* Quam Taliſmanis, ut vocant, ſpeciem eſſe, idem non ſine ratione ſuſpicatur, vide in hac voce, ut & infrà ubi de *Conſecratione*. Idem porro Hæretici Deum ſuum *Abraxas* vocabant, eumque modò ſub forma, modò ſub Anubis, modò ſub monſtri, cui gallinacei caput & ſerpentum pedes, effingebant, additô nomine ΑΒΡΑΞΑΣ, de quo vide ſuô locô, ut & eruditum Chifletii Tractatum. Sed & imaginem amethyſtum ex Oriente Thuanus attulit, cui ab iiſdem inſculpta Michaëlis Archangeli figura, ad eum ferè modum, quô Mercurium ſuum Gentiles effigiabant, cum Græcis characteribus quamplurimis; quos eruditè exponit, iconemque exhibet, prædictus Sponius *Itinerar. Part.* 3. *p.* 152. *& ſeqq.* Vide quoque infrà ubi de Archangelo *Michaële*.

BASILINA, mater Juliani Apoſtatæ pietate inclyta. Amm. Marcellin. *l.* 22.

BASILINDA, Jul. Polluci in *Onomaſtico l.* 9. luſus fuit Græcorum, quô per ſortem Rex & Miniſter electus, ille huic laborioſi quiddam injungebat, vide *l. fin. Cod. de alea*, *l.* 2. *Parerg. in verbo*, *Luſum aleæ.* Alciat. Prateſium apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.*

BASILIOPOTAMUS, i. e. *Rex fluviorum*, *Eurotas* olim ſic dictus, Strab *l.* 6. Sic apud Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 482. *Fluviorum Rex Eridanus.* Et Dionyſ. Perieg.

Θύμβριος ἐκ ῥοάων ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων.

BASILIPOLIS, vulgò **BASILOUGOROD**, urbs Tartariæ Moſcoviticæ, in regno Caſanenſi, ad confluentias Suræ fluv. in Volgam. Urbs nova eſt, à Duce Baſilio condita.

BASILIPPUM, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ ab Hiſpali urbe 21. mill. paſſ. *ex Itiner.* Antonini diſtans, niſi ſit Beſippo, cujus tamen diſtantia ab Hiſpali longè major eſt.

BASILIS, Hiſtoricus, Indica prodidit, quorum ſecundum Athenæus *l.* 9. citat. A Plinio *l.* 6. *c.* 29 inter eos numeratur, qui Æthiopiæ menſuram conſignârunt. Agatharchides autem *l. de Rubro mari* αὐτοῦ ejus meminit inter illos, qui Orientis loca deſcripſerunt. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 336.

BASILIS, Arcadiæ civitas. *Steph.* & Pauſan. *l.* 8.

BASILISCUS, frater Auguſtæ Verinæ, quæ uxor erat Leonis ſenioris, contra Vandalos Dux, à Genſerico pecuniâ corruptus, claſſem, cui præerat, exuri paſſus eſt. Dein Zenonem, in Iſauriam, ſe recipere coëgit, thronô occupatô: Eutychianorum fautor, hæreticos Epiſcopos revocavit, contra Concilii Chalcedonenſis deciſionem; M. Filium Cæſarem fecit. Sed rediens è Syria Zeno, juſque ſuum repetens, cum validô exercitu, Armato, qui Dux erat copiarum Baſiliſci, in ſuas partes pertractô, Verinæ ſocrui reconciliatus eſt, in cujus gratiam Baſiliſco, qui in ſummæ templum cum Zenonide uxore liberiſque confugerat, pepercit; nihilominus eô unà cum filiis relegatô, qui Lemni, alii, in Cappadocia, fame conſumpti ſunt. A. C. 477. Procop. *Vandal. l.* 1. *c.* 5. Evagr. *l.* 3. *c.* 4. Niceph. *l.* 15. *c.* 27.

BASILISCUS, fil. Armati, vel Harmati, de quo ſuprà, à Zenone in ſocietatem Imperii aſcitus, ſed mox patre, juſſu Imperatoris occiſô, in Lectorum Eccleſiæ D. Mariæ in Blachernis, numerum redactus: Dein verò Archiepiſcopus Cyzicenus factus eſt. *Lidem*

BASILISCUS, Græcè Βασιλίσκος, Latinè *Regulus*, Chaldæis חורמן, *horman*, Hebræis צפע *tſepha*, vel צפעוני *tſiphoni*, Proverb. c. 23. v. 32. & Eſaiæ c. 11. v. 8. ab ipſo horrendo ſono, ſibiloque, quô reliqua animalia vel fugat vel interficit, ſerpentis genus eſt nocentiſſimi, cui unam ſpithamam longitudinis Arabes tribuunt. Quibus conſona tradit Nicander *Theriac.* v. 398.

Ξανθὸς, ἐπὶ τρία δῶρα φέρων μῆκός τε καὶ ἰθύν.
Flavus eſt, ad tres palmos habens longitudinem & impetum:

minores nempe, palmos, qui majorem unum faciunt, i. e. σπιθαμήν; ſunt enim 4. digitorum ſinguli, &c. Sibilô idem fugare ſolitum, *ibid.* ut & Plin. *l.* 8. *c.* 21. ac Solin. *c.* 30. ſed qui ſequuntur etiam necare tradunt, Galenus *c.* 8. ad *Piſon.* Aëtius, Damis, Avicenna, Iſidorus. Flatu adurere ei proprium tribuit Horus, *Hieroglyph. l.* 1. *c.* 1. & *l.* 2. *c.* 57. præter Ælian. alioſque. In Ægypto, viciniſque Libya & Cyrenaica frequens, teſte Ammianô *l.* 22. Pliniô *l.* 8. *c.* 21. Soliniô, *loc. cit.* Æliano *l.* 3. *c.* 31. Ægyptiis Οὐραῖος dictus eſt (ut hodieque ὄφιν ſerpentem nuncupavit vocant) qui Deorum capitibus imaginem ejus ex auro circumponebant, utpote regium nomen habentis & diademate inſignis. Iidem in Symbolis *ſycophantam* per eum deſignabant, utpote afflatu perimentem ſolò, & *avum*, ejuſdem ſerpentis imagine, caudam ſub reliquo corpore abſcondentis, vide Horum ubi ſuprà & *l.* 2. *c.* 57. &c. Cum *Baſiliſco* Ezechiam Regem confert; ſorgus Eſaiæ, *c.* 14. *v.* 29. quem in rem apud Eccleſiaſticos Scriptores multa. Sed nil novi Regem potentem per ſerpentem adumbrare, vide Ælian. *Hiſt. l.* 6. *c.* 38. & Horum *l.* 1. *c.* 56. Ex in omni ſerpentum genere, *Baſiliſcus*, maximè Regis figurâ eſt. Idem Arabicô *Adelecha*, Græcô Βασιλίσκος & Latinô *Regulus* nomine ſignificatur. Nempe illum ἑρπετῶν βασιλῆα, *reptilium Regem*, vocat Nicander, *Theriacôn* v. 397 Auctoreſque varii ipſum *mitratum*, *criſtatum* vel *diadematum* eſſe ſcribunt. Adde, quòd *celſus & erectus in medio incedat*, Plin. quaſi hoc ſit inſigne Regum, ut Perſarum Regibus τιάρα ὀρθὴ ἔχειν. Sed & eidem, quamlibet parvo, cedit omne reptilium genus, tanquam pro Regem agnoſcens: illa enim ſibilô fugat, ut diximus, &, juxta Lucan. *l.* 9. *v.* 726.

--- --- Latè ſibi ſubmovet omne
Vulgus, et in vacua regnat Baſiliſcus arena.

Quin omnium ſui generis vivaciſſimum animal eſt, & quia quod-

vis aliud ſolò perimit flatu, videtur ζωῆς καὶ θανάτου κυριεύειν, *habere jus vitæ & necis*; Deorum proin apud Ægyptios capitibus inſertum, uti videmus, &c. Vide Sam. Bochart. *Hierоz. Parte poſter. l. 3. c. 9. & 10.* Ad fugandas aves araneaſque Veteres uſos eſſe, docet Solin. c. 27. *Baſiliſci reliquias amplò ſeſtertiò Pergameni comparaverant. Ut ædem Apellis manu inſignem, nec araneæ intexerent, nec alites involarent, cadaver ejus, reticulo aureò ſuſpenſum, ibidem locârunt.* Ubi *manum Apellis*, pro *pictura Apellis*, magnô impendiô Pergamenis emptâ, poſitum eſſe, notat Salmaſ. *Exercitat. Plinian. ad eum, p. 372.* Iterum inter Inſignia Familiarum illuſtrium *Baſiliſcus* quoque. Et quidem *niveus viridis inſiſtens*, in argenteo ſcuto hoderni Epiſcop. Argentinenſis, Abbatiæ Malmundarienſis nota eſt, vulgò *Malmedye*, quæ in diœceſi Leodenſi, in ditione Lucemburgica, â Sigeberto Rege fundata eſt, A. C. 657. *Aureus* verò *monti tricolli inſiſtens*, in nigro ſcuto Bar. Neideccrorum, in Auſtria, familiam *de Rems* extinctam, cujus illi hæredes, deſignat. *Niger autem aureis pedibus & expanſis alis, cum penni extremis præſinis* apex eſt Wurmbergicus in clypeo Baronum Seebenbergiorum in Stiria, quem Caſpar aſſumpſit, cum ejus loco Wurmbergiam caſſidem pater Johannes alter ornaret, &c. Vide Cl. Spenerum *Artis Herald. Parte 2. paſſim.*

BASILISENE, dein *Turcomanne*, teſte *Caſtaldô*, regio Armeniæ majoris in meridiem vergens. Alii ipſam Armeniam totam ſic vocari putant, cum pars ſeptentrionalis *Georgiana* vocetur. *Baudrando* eſt pars Turcomaniæ, inter Euphrat. fluv. & Moſchicos montes. Turcis ſubeſt. Vide & *Baſiliſſene.*

BASILISSA, titulus Angliæ Reginæ olim tributus. Vide ſuprà in voce *Baſileus.*

BASILISSENE, Græcis Βασιλισσηνὴ apud *Ptolemæum*, regio Armeniæ majoris Septentrionalior, incipientibus ab Occidente; eadem fortè cum Xerxene, de qua ſuô locô. Certè ſitus convenit, nec nomen abludit. Illa à *Rege* vel *Regina*, hæc à Xerxe. Et quidem *Ptolemæus* ad Paryadrem montem Armeniæ Majoris collocat regiones Sibacenen & Sacapenem: deinde ſub his, quæ maximè Septentrionales, *baſiliſſenen*, & Bolbenen. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 624.* & in voce *Baſiliſene.*

BASILIUS I. Imperator Orientalis cognomine *Macedo*, quia è Macedonia oriundus. Ex Scutario nobili in conſortium imperii à Michaële III. electus, hunc omni ope à turpi vita revocare conatus eſt, mox cum ab eo ſibi inſidias ſtrui animadverteret, illum necavit. A. C. 867. Photium Pſeudo-Patriarcham Conciliô Oecumenicô 9. Conſtantinopolit. depoſuit. Ignatiô reſtitutô, mox tamen illum revocavit, ejus non tepidus defenſor. Expeditione in Saracenos duplici felix, & Ruſſorum converſione, per captivos procuratâ, accedente miraculô non combuſti ſacri codicis. Aulico, qui illum è cervi cornibus liberârat, quòd ferrum ſtrinxiſſet, cingulum quò Imperator hærebat diſciſſurus, occidi juſſit. Obiit A. C. 886. regni poſt Michaëlem 18. præmiſſô filiô Conſtantinô, quem Imperatorem fecerat. A. C. 868. Habuit ſucceſſorem fil. Leonem fraude Theodori Santabareni Monachi, in ſeptennalem carcerem compactum, paulo ante mortem, ad interceſſionem Magnatum & vocem Pſittaci, *Heu domine Leo*, dimiſerat. *Curopalates, Nicetas, Cedrenus*, Zonar. *tom. 3. &c.*

BASILIUS II. cognomine *Junior*, fil. Rom. Junioris ex Theophana ſucceſſit: unà cum ſuo fratre Conſtantino Porphyrogenneta, Johanne Zimiſce, A. C. 975. Per Saracenos conductos Apuliam Calabriamque occupavit, Ottoni Imperatori à Zimiſce, locô dotis filiæ Theophaniæ, conceſſam. Bardam Sclerum, qui Imperatorem ſe dixerat, vicit, ut & Tripolitanos, Damaſcenos, Bulgaroſque, hinc *domitor Bulgarorum* nominatus. Obiit A. C. 1025. regni 50. vitæ 70. *Zonaras, Cedrenus.*

BASILIUS, M. Moſcorum Dux. A. C. 1505. poſt Johannem Baſilium, *Magni* nomen meruit. Obiit A. C. 1533. Item alius, à Stephano Poloniæ Rege magnâ clade affectus. Thuan. *l.* 69. 72. 73. Sal. Neugeb. *Hiſt. l.* 10. Chytr. *in Sax. l.* 25. 26. *Baſilius* Johannes, etiam vocari volunt Suiskius, qui Demetrio ſucceſſit, occiſo A. C. 1606. &c.

BASILIUS, Præſes Ciliciæ, ſub Anaſtaſio Principe floruit, abſtinentiâ, & vitæ inſtitutis clarus. Scripſit contra Archelaum quendam Presbyterum. *Suidas.*

BASILIUS, Opiterginorum Dux, qui ſuppetias Antonio tulit. Lucan. *l. 4. v. 416.*

Ut primùm adverſa ſocios in litore terra
Et Baſilum videre Ducem; tunc furta per æquor
Exquiſita fugæ. ——

BASILIUS Cæſarienſis, fil. Baſilo presbyteri & Emmeliæ, frater Petri Epiſcopi Sebaſt. & Gregorii Nyſſeni, Gregor. Nazianzeni & Io. Chryſoſtomi temporib. floruit. Is Cæſareæ Cappadocum Præſul factus, miſſus eſt à Valente, qui Arianis favebat, in exilium. Cui ille, antequam, inquit, in exilium proficiſcar, tu ab incepto deſiſtes. Itaque unâ nocte Uxore Valentis maximis doloribus correptâ, & filiâ inſuper parvulâ extinctâ, Valens miſit ad *Baſilium*, ut precibus ad Deum fuſis ipſe ſaltem ſervaretur. *Ruffinus.* Obiit A. C. 378. Epiſcopatus 8. Opera ejus 2. voluminibus impreſſa habemus, ubi homiliæ tantâ eruditione & eloquentiâ refertæ, ut eum optimis Græcorum Veter. facilè contendi poſſit. Hieron. *in Chron. & Cat. c.* 116. Nazianz. *ep.* 38. & *Oratione in Laudem ejus.* Sozom. *l. 6. c.* 14. Theodoret. *l. 4. c.* 19. &c. Ab hoc Baſilio, Ordo quidam in Communione Romana nomen habet. Nec omittendum, quòd is cognomentum *Magni* tulit, fuitque natus in Helleſponto, Ponti oppido, è nobilibus parentibus, *Baſilio* videl. qui deinceps electus eſt Epiſcopus, & Emmeliâ, quæ Græcè concinnitatem ſignificat, *Poſſevin.* Cappadox alii. *Oculus orbis* Caniſio: *Univerſi orbis lumen*, Damaſceno: *Os Eccleſiæ* Nyſſeno. Ad eum S. Ephrem, *Inſtar Petri*, inquit, *prædicaſti, inſtar Pauli docuiſti*, *inſtar Thomæ filium Dei confeſſus es, inſtar Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis de rebus divinis diſſeruiſti.* Opera ejus, cum notis Frontonis Ducæi & Andreæ Schotti prodierunt in fol. Coloniæ A. C. 1617. Latino-Græcè in fol. 3. Vol. Pariſiis A. C. 1618. 1638. &c.

BASILIUS, Ancyranus Præſul, arte Medicus, ſcripſit contra Marcellum *de Virginitate* librum, & nonnulla alia. Hic etiam imperante Conſtantino Macedonianæ religionis cum Euſtathio Sebaſtiano princeps fuit. *Hieronym.*

BASILIUS, Cilix Presbyter ſub Zenone, & Anaſtaſio floruit, ut ex Photio diſcimus *Cod.* 107. Hiſtoriam divulgavit, cujus & Nicephorus meminit *operis ſui initiô.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 22. *p.* 267.

BASILIUS Seleuciæ Epiſcopus, interfuit Synodo quartæ Oecumenicæ, A. C 448. eique ſubſcripſit. Ejus aliquot homiliæ extant. Apud Iſauros, Epiſcopus. A. C. 451. interfuit quoque Concilio General. Chalcedone habito: Ejus *in utrumque Teſt. Orationes* Græcè primò, dein Latinè ſeorſim èditæ, ſed nunc Græcè & Latinè cum aliis, ſcil. Gregorii Thaumaturgi & Johannis Zonaræ Monach. operibus, prodière in fol. Pariſiis A. C. 1621.

BASILIUS, Patriarcha Antiochenus ſucceſſit Maximo A. C. 456. Orthodoxiæ actis aſſertor. Obiit A. C. 458. Item Patriarcha Conſtantinop. A. C. 970. ob crimina depoſitus, A. C. 977. Item alius ſimiliter Patriarcha Conſtantinopol. cognomine *Camaterus*, A. C. 1183. trienniô poſt, ab Iſacio Angelo pulſus. Baronii *Annal. Sozom. Curopal.*

BASILIUS, Legatus Pontificis, interfuit Concilio Chalcedonenſi, à Marciano Imperatore convocato. Item, præfectus miſſus ad Alaricum Romam obſidentem, pacis causâ. Item Medicus, qui monachali veſte indutus, errores ſparſit per 52. ann. Conſtantinopoli juſſu Alexii Comneni, exuſtus. Vide *Bogomili.*

BASILIUS, Oratoris nomen apud Juvenalem *Sat. 7. v.* 146.

Quando licet ſirentem Baſilo producere matrem?
Quis bene dicentem, Baſilum ferat? —— —

Item Prætor ſpoliator provinciales apud eundem, *Sat. 10. v.* 222.

Quot Baſilus ſocios, quot circumſcripſerit Irus
Pupillos. —— ——

BASILIUS Amerbachius, fil. Johannis, Typographi Baſilienſis clariſſimi, eruditionem ſuam trilinguem per laborioſiſſimam Hieronymianorum operum, cum fratre Brunone, recognitionem toti orbi commendavit. Seculô præteritô. Item fil. Bonifacii, prioris ex fratre nepos, J Ctus apud Baſilienſes celebris. Vide *Bonifacium & Johannes Amerbachium.*

BASLIUS Johannes, vide *Johannes.*

BASILIUS Zanchius, Bergomas, ſub ditione Venetorum, Canonicus Lateranenſis. Ejus extant, *in utrumque Teſt. Notationes*, unà *cum Quæſtionibus in 4. libros Regum & 2. Paralipom.* Romæ A. C. 1553. in 4to.

BASILIUS, fluv. Meſopotamiæ, in Euphratem labens *Strab.*

BASILUS, vide *Minutius.*

BASINA, Uxor Baſini, Thuringiæ Regis Childerico IV. Galliæ Regi qui in mariti aulam ſe receperat, Baſinô relictô, adhæſit, mater ex illo Clodovæi I. Aimoin. *l. 4 c.* 8. Sigeb. & Adon. *Chron.* Gregor. Turonenſ. *l. 2. c.* 12.

BASINA, fil. Chilperici ex Audovera, Fredegondes novercæ juſſu ignominiam paſſa, & in monaſterium detruſa eſt. A. C. 589. Gregor. Turonenſ *l. 9. c.* 29. & *l.* 10. *c* 10.

BASINIACUM, ponitur in diviſione regni Lotharii, A. C. 870. facta, inter Solocenſe territorium & Eliſchouvam: quod Aub. Miræus putat eſſe Baſſiniacum, *le Baſsigny*: quod eſt unus è pagis Campaniæ Gallicæ, majore ex parte inter Matronam & Moſam orientes poſitus; & regnum Lotharii tum à Rheno ad Moſam & Scaldim uſque pertinebat, ſed Miræo non accedit Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Nomen dedit Baſſiniaco in Lingonibus *Baſſejum*, vel *Vaſſejum*, oppid. ejus pagi, vulgò *Vaſſy*; vel à ſitu inferiore nomen accepit. Sic in Ducatu Nivernenſi pagus eſt dictus *Bazois*, i. e. Baſſenſis, vel humilis & depreſſus, propterea quod eſt in vallibus Morvinni poſitus. *Idem.*

BASINNI, populi Arabiæ, *Steph.*

BASINUS Thomas, vide *Thomas.*

BASISTANI, & BASTALI, populi Hiſpaniæ. Strab. *l.* 3.

BASIUS Guido, vide *Guido.*

BASOLCÆ, fortè *la Boſoche*, Baronia Gall. in Pertico Goëti. Conjungitur cum Manſione Odonis, quæ fortè *Auton*, & Vilerus, ab Orderico Vitali *Hiſt. l.* 13.

S BASOLI Monaſterium, vide *Virſiacum.*

BASORPEDA, regio Modorum Armeniæ adjuncta. Strabo *l.* 11.

BASRA, oppid. Africæ, in regno Fezzæ, & provinc. Hasbata, juxta Lucum fluv. 30. milliar. à Sala verſus Ortum, & prope confinium Aſgaræ provinc.

BASSA, & BASSI, Turcis, teſte *Leunclavio*, caput: *Baſſileri*, capita ſive Duces: ut à Κεφαλὴ Græcis ſunt dicti Κεφαλάδες, noſtris à capite Capitanei. Aliàs *Baſſus*, idem quod *Vaſſus*. Sic L. Alaman. *Tit. 79. §. 3. Dominus ejus 12. Baſſos intra domum habet.* *Gloſſ.* autem vet. *Baſſus*, *Cuſtos populi.* *Vaſſi*, *fidejuſſores.* *Philoxeno* etiam *Baſſus*, Ἐγγυητής. Vide Spelmann. *Gloſſar. Archæol*: in Imperio Turcico Præfecti ſunt Regnorum & Provinciarum, opibus & dignitate pollentes, ſed quas ad hæredes non tranſmittunt; ut quibus, filiis eorum ab utroque excluſis, ſolus Imperator ſuccedit. Deſumuntur illi ex claſſe ſelectiore mancipiorum Aulicorum, de quibus vide infrà in voce Oda: ipſis enim Turcis ad hunc apicem aſpirare neutiquam licet. Nec altiùs illorum filii, quàm ad navis fortè præfecturam, evehuntur. Ipſi verò ad Veziriatus uſque culmen, prout merita & favor Principis aſpirant, poſſibus eniti &c. Vide Joh. Baptiſtam Tavernier *in deſcript. Gall. Serralii Turcici*, & infrà *Beglier-begi.*

BASSA, locus in Corylio monte prope Phigaleam in Arcadia, ubi celebratur Epicurii Apollinis templum, natò inde cognomine, quod

in peſtilenti morbo opera tuliſſet. Cœl. Rhodig. l. 19. c. 1. Vide Pauſan. l. 8.

BASSANIA, oppid. Macedoniæ in Illyrici confinio ad Liſſum urbem. Liv. l. 44. c. 30.

BASSANUM, oppid. Italiæ, inter Conſtantiam arcem & Patavium, in valle amœniſſima, ſub Venetis, ad Meduacum fluv. in Marchia Trevisina. Hinc tractus adjacens Baſſanenſe. 12. milliar. à Vicentia in Boream.

BASSAREUS, Bacchi cognomen, à veſtium ſpecie, quibus miniſtræ ejus utebantur in ſacris, quæ Baſſarides dicebantur. Alii vero Baſſareum à βάζειν vocant, quod clamare ſignificat. Horat. l. 1. Carm. Od. 18. v. 11.

—— *Non ego te candide Baſſareu*
Invitum quatiam. ——

Erat autem veſtis ad pedes fluebat. Stat. l. 1. Achill. v. 262.

Si decet auratâ Bacchum veſtigia pallâ
Verrere. —— ——

Et à Baſſaro Lydiæ loco cognominata eſt, ubi conficiebatur. Hinc Baſſaricus. Propert. l. 3 Eleg. 16. v. 29.

Candida laxatis onerato colla corymbis,
Cinget Baſſaricas Lydia mitra comas.

BASSARIS, eſt Baſſaris, h. e. Bacchi ſacrificula. Perſius Sat. 1. v. 101.

Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo
Baſſaris, & lyncem Mænas flexura corymbis.

Ubi vetus Schol. Baſſarides, Bacchæ. Quibuſdam videtur à genere veſtis, quâ Liber Pater utebatur, demiſſâ ad talos, quam Thraces Baſſaram vocant. Quidam a vulpibus, quarum pellibus Bacchæ ſuccingebantur. Quæ confirmari poſſunt è Græcis Grammaticis. Nam Heſychio Βασσάραι ſunt χιτῶνες, οὓς ἐφόρουν αἱ Θρᾷκιαι Βάκχαι. Sed & apud Suidam & Etymologum legas: Βασσάρα ἀλώπηξ κατὰ Ἡρόδοτον. Porro non Thracum ſolummodo hæc vox, ſed & Afrorum. Nam, ut idem Heſych. ſcribit, Βασσάρια, τὰ ἀλωπέκια αἱ Λίβυες λέγουσι. Quanquam Bacchæ non vulpium tantùm, ſed & hinnulorum pellibus utebantur, quas Stat. l. 2. Theb. v. 664. itemque l. 1. Achill. v. 609. Nebridas dixit, Græcorum more, qui pelles iſtas Νεβρίδας vocant, à νεβρὸς hinnulus, ſive cervi pullus. Altius verò rem repetit ὁ πάνυ Bochartus. Sic enim ille, Baſſarem, inquit, l. 1. Chanaan, c. 18. rectè explicatur per Æliani l. 3. Var. Hiſt. c. 41. Προτρύγην, cùm בצר baſſar Ebræis ſit idem, quod Græcis τρυγᾶν vindemiare ſcilicet, ubi Tſade per SS. effertur, ut fit ſæpiſſimè. Nic. Lloydius.

BASSENTINUS Jacobus, vide Jacobus.

BASSI, populi fuêre Belgii, ubi etiamnum oppid. Flandriæ aliàs munitum, la Baſſée, in confinio Arteſiæ, quod Francorum domino ſubeſt, ab A. C. 1668.

BASSIANA, Pannoniæ oppid. Ptol. Baſſova hodiè.

BASSIANUS, dictus eſt Marcus Aurelius Antoninus Caracalla, ex avi materni nomine. Vide Caracalla.

BASSIANUS, fil. Anaſtaſii Imperatoris, Libyam crudeliter tractavit. Item, maritus Anaſtaſiæ, ſororis Conſtantini M. Item Epiſcopus Epheſinus, cui cum Stephano, in locum ſuum ſuffecto, ingens contentio fuit, Chalcedonenſi Concilio ſopita.

BASSIANUS, Syracuſanus, Romam ſtudiorum causâ miſſus, ubi cùm Chriſtianus factus eſſet, Ravennam, intercedente Patre, fugit. Inde Laudenſis Præſul electus, ibidem nonagenarius deceſſit 14. Cal. Febr. Emicuit Ambroſii temporibus, quem ægrotantem adiit & ejus morti interfuit. Volaterran.

BASSIANUS Johannes, vide Johannes.

BASSILLARDUS, Gall. Baſelarde, pugio vel ſica eſt, Vide Turnebum Adverſar. l. 19 c. 32.

BASSINIACUS Ager, le Baſſigny, regio Galliæ in Campaniæ provinc. verſus fontes Moſæ & Matronæ fluv. ubi urbes Lingones, Calvomontium, Andelovium, aliæ. Limites ejus periêre. Sed magna ejus pars ſub Lotharingia etiam continetur.

BASSOLIUS Johannes, vide Johannes.

BASSUS, Conſul, Gentiani collega an. Urb. Cond. 963. Alius Æmiliani collega an. Urb. Cond. 1011. Alius Quintiliani collega an. Urb. Cond. 1041. Alius Ablabii collega ant Urb. Cond. 1083. Alius Philippi collega an. Urb. Urb. Cond. 1161. Alius Antiochi collega an. Urb. Cond. 1184. Denique Baſſus martyr ſub Decio clavis ferreis confixus. Volaterran. Item Fuſci Collega, imperante Gallieno, apud Trebell. Pollionem in XXX. Tyrannis, c. 9. Fuſcò & Baſſò Conſulib. quum Gallienus vino & popinis vacaret —— Ingenuus, qui Pannonias tunc regebat, a Mœſiacis legionibus Imperator dictus eſt. Sed Tuſco legendum eſſe, monet Salmaſ. Ita enim & Faſti Siculi, Tuſco & Baſſo, habent Iiſdem Conſulib. Cyprianum paſſum eſſe, in Actis paſſionis ejus ſcriptum eſt, quorum initium in vetuſtiſſimis membranis ſic legitur: Tuſcò & Baſſò Conſulibus, Carthagine, Secretario, Paternus Proconſul Cypriano Epiſcopo dixit, &c. Vide Salmaſ. ad Hiſtor. Aug.

BASSUS, Hæreticus, Cerinthi, Ebionis & Valentini diſcipulus vitam hominum, omniumque rerum perfectionem collocabat in 24. literis & 7. Aſtris: addens, veram ſalutem à Jeſu Chriſto minimè expectandam eſſe. Philaſtrius de Hæreſ.

BASSUS Aufidius, Hiſtoricus, Auguſti ac Tiberii tempore æqualis M. Senecæ Rhetoris, ut, ex ejus Suaſoria 6. cognoſcimus. Ibidem inter Hiſtoricos refertur, qui elogiis ſuis Ciceronem fuêre proſecuti. Reliquit autem belli Germanici libros, ut docet Quintilian. l. 10. c. 1. Etiam de Bello civili ſcripſit. Vide Voſſ. Hiſt. Lat. l. 1. c. 22.

BASSUS Cæſius, Poeta Lyricus, Neronis tempore ad quem Perſius ſcripſit Sat. 6. ubi inter alia, v. 2.

Jamne Lyra & tetrico vivunt tibi pectine chordæ?

Tunc eò, inquit, quia ad Sabinos ſe receperat, quorum erant Tetrica. Mox ad eundem ait, v. 4.

Atque marem ſtrepitum fidis intendiſſe Latinæ,
Mox juvenes agitare jocos & pollice honeſto
Egregius luſiſſe ſenex. —— ——

Unde argumentum eruere cognoſcimus, quæ canerct Cæſius. Vidit eum Fabius: ac quanti fecerit, arguit quod dicat l. 10. c. 1. Lyricorum Horatius ferè ſolus legi dignus; ſi quem adjicere velis, is erit Cæſius Baſſus, quem nuper vidimus.

BASSUS Ceſelius, vide Ceſellius.

BASSUS Gabius, è cujus commentariis Hiſtoriam, de equo Sejano, refert Gellius l. 3. c. 9. Libros is de origine verborum edidit, è quibus idem Gellius quædam adfert l. 2. & 4. l. 5. c. 7. Sed Gavius eſt apud Macrob. l. 1. Saturnal. c. 9. Floruit tempore Trajani. Vide Voſſ. Hiſt. Lat. l. 1. c. 22. Nic. Lloydius.

BASSUS Julius, Orator Auguſti tempore, ex cujus declamationibus plurima excerpta habemus apud M. Senecam, qui & in Præfat. l. 5. Controverſ. hominem diſertum vocat. Sed addit, Cui deeſſe nolim, quam confitebatur, amaritudinem, & ſimulationem actionis Oratoriæ. Nihil indecentius, quam ubi Scholaſticus forum, quod non novit, imitatur.

BASSUS Junius, floruit tempore Neronis, aut Veſpaſiani, homo dicaciſſimus, unde aſinus albus vocabatur, teſte Fabio l. 6. c. 3. de riſu. Nempe aſinus quidem, ob ineptias, ſed albus ob jucunditatem, uti Turnebus interpretatur l. 28. c. 35. Vide Voſſ. Hiſt. Lat. l. 2. c. 22.

BASSUS Lucilius, vide Lucilius.

BASSUS, & Sextius Niger, Romani de Medicina Græcè ſcripſerunt. Volaterran.

BASSUS Pomponius, vide Pomponius.

BASSUS Saleius, Veſpaſiani ævò floruit, non ſemel memoratus Tacito, ſive alteri in Dialogo de Cauſis corruptæ eloquentiæ, c. 5. ubi inter alia ſic audias Aprum loquentem: Quo enim uſquis nomine mihi conjunctiorem eſſe, & uſu amicitiæ, & aſſiduitate contubernii, quam Saleium Baſſum, cum optimum virum, tum abſolutiſſimum Poëtam? Et Fabius l. 10. c. 1. Vehemens & Poëticum ingenium Saleio Baſſo, nec ipſum ſenectute maturum.

BASSUS Ventidius, vide Ventidius.

BASTA, Italiæ oppid. non procul ab Acra Japygia. Plin. l. 3. c. 11.

BASTANABUS, portus Arabiæ. Steph.

BASTANÆI, Arabiæ Deſertæ gens. Ptol.

BASTANGARII in l. 3. & 11. Cod. Theodoſ. de Metallegalis, dicti ſunt, qui equis aut mulis res Principis aut publica ad deſtinata loca deducebant. A voce Baſtaga, quæ onus vel transvectionem notat, ex Græco βαστάζειν. Heſych. Βαστάζει, βαρεῖ. Publicola Ep. 145. inter Auguſtinianas: In Arzugibus, ut audivi, jurantes per dæmones ſuos, qui ad deducendas baſtagas pacti fuerunt, &c. Propriè autem, onus transferendi res publicas aut privatas Principis, in l. 11. Cod. præfato de Cohortal. Et quidem Baſtaga privata, h. e. onus transferendi res privatas Principis, erat ſub diſpoſitione Comitis rerum privatarum: Præpoſiti verò baſtagarum, ſub diſpoſitione Comitis ſacr. largit. in Notit. Imperii & apud Auctorem Vitæ S. Parthenii Epiſcopi Lampſaceni num. 11. &c. In Conſuetud. Aquenſi tit. 12. art. 5. & 6 8. βαστάγη ſeu baſtage penſitationem, pro equo clitellato, domino præſtari ſolitam, deſignat. Nam ut Baſta ſeu βάστα, Gallis Baſt, apud inferioris ævi Scriptores clitellas ſignificat: à Græco βαστὸς, ſeſſio, quò onera portantur, unde ipſum βαστάζειν, & hinc βαστάγη, deducit Salmaſ. Vide Car. du Freſne in Gloſſar. & Calvin. Lexic. Juridi.

BASTARDUS, Græcobarb. Βαστάρδος Spurius, nothus, An à bas art; i. e. degeneris ingenii, ut Cujacius: an a beſte aerd, i. e. optima indoles, per antiphraſin: an à baſſe, i. e. abjectus, & aerd, natura? An eandem à Græco Βασσάρα, i. e. meretrix? Sed Germanicum omnino videtur, & inde ad omnes Europæ gentes delatum, ac bas ubique penè infimum ſignificat, per tranſlationem, ſpurcum, impurum, abjectum: Start Saxonicè ortum vel editum: perinde Baſtart, impurè editum. Sic Anglis Upſtart, homo novus, & ſubitò enortus. Priſcos Septentrionales populos etiam ſpurios in ſucceſſionem admiſiſſe legimus: nec illius ſeculi glorioſum Angliæ ſubactorem Wilhelmum Normannum puduiſſe videtur, qui epiſtolam ad Alanum, Britanniæ minor. Comitem, ſic orditur: Ego Wilhelmus, cognomento Baſtardus. Vide Spelmann. in Gloſſar. Arthaud. Sed & Burgundiæ Ducum filii naturales olim ſibi gloriæ ducebant, Baſtardos Burgundicos dici, hancque inſcriptionem omnibus aliis titulis præferentes, gentilitiis quoque armorum ſcutis inſeri curabant, rati conditionem illam vacuam eſſe, quæ æque honorem ac qualitatem Anteceſſorum poſſet conſervare, Jo. Chriſt. Sagittarius Conſpectu Hiſtoricol. Herald.

BASTARIUS, in Aula Pontificis, dicebatur olim, cui candelas fabricandi & ellychnia pro lampadibus præparandi cura incumbebat, ex antiqq. Ceremonial. MSS. Idem Vaſtarius quoque dicebatur, teſte Torrigio de Cryptis Vatic. edit 2. p. 554. Macri Fratres Hierolex.

BASTARNA, BASTERNÆ. Plin. l. 4. c. 12. 14. Populi Sarmatiæ Europeæ in regno Polonico contenti apud oram maris Euxini, Peucinis qui in Podolia, & Alanis, qui in Lithuania cenſentur, finitimi Alter Peucini, Cluverio, alius, ubi nunc Ruſſia nigra, Podolia, Volhinia ſuperior, & Beſſarabia. Horum meminit Ovid. l. 2. de Triſt. v. 179.

Hactenus Euxini pars eſt Romana ſiniſtri,
Proxima Baſternæ Sauromataque tenent.

Meminit eorum Dionyſius,

—— Μαιώτιδος ἐς στόμα λίμνης
Γερμανοί, Σαρμάται τε, Γέται θ' ἅμα Βαστάρναι τε.

Vide Strab. l. 7. & Steph. Claudiano in 4. Conſulat. Honor. v. 450 Baſternæ dicuntur, & apud eundem, in 1. Conſulat. Stilich. l. 1. v. 95.

—— Cedit tumentes
Baſternas unâ potuit delere ruinâ.

Baternas pro Baſternas Poëticâ licentiâ videtur dixiſſe Val. Flaccus l. 6. v. 95.

Atque, ubi Sidonas interpedes agmina habenas,
Hinc juvenes ferrum trahit agmina Baternas:

Ita

Italiam Henr. Valeſius, *Notis ad excerpta ex Joh. Antiocheno*, ubi veteres editiones *An* habent. *Nic. Lloydius.*

BASTERANI, Ægypti populi, quibus permutatio in more eſt omnimodum locô. Ægyptiorum ritu ægrotos producunt, ut à prætereuntibus, quos ejuſmodi quidpiam infeſtârit, aliquid ſalutaris afferatur.

BASTERBINI, populi in 3. regione. Italiæ. *Plin. l. 3. c. 11.*

BASTERNA, genus vehiculi. Matronis olim Romanorum in uſu. Differebat à *Lectica* parum, cui quoque ſucceſſit, eidem ſuminus propria. Antiquitùs namque ſellæ lecticæque in hunc uſum adhibebantur, quibus matronæ in publico etiam ſecretè habebantur. Hæ cùm ſervorum imponerentur humeris, *Baſternæ* poſtea, quæ in earum ſucceſſêre locum, ab animalibus bajulabantur, Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio.* Caſaubon. verò *ad Lamprid. Heliogabalô*, c. 4. ſecundùm pileatum, honeſtiſſimum vehiculi genus carpentum eſſe docens, carpentis matronarum Baſternas ſucceſſiſſe ait. Hæ enim, cùm priùs carpentariò vehiculò vectarentur, quod à mulabus junctis trahebatur, ut ex nummis Agrippinæ ac Juliæ Augg. videre eſt, carpentorum poſteà ab Auguſtabus & Magiſtratibus uſu cœptô, ad *Baſternas* ſe contuliſſe leguntur. Hoc certum, *Baſternas*, non ab hominibus, ſed à burdonibus, vel mannis, vel mulabus, portare conſueviſſe, ut hodie in noſtris Lecticis videmus, quas baſternas eſſe nemo iverit inficias, qui formam & uſum ipſum & nomen etiam conſiderabit. Nam *Baſternæ* ſunt Lecticæ ex veterum Grammaticorum interpretatione. *Gloſſæ* Legales, *Aeamaxa*, *βαστέρνα*, *φορεῖον.* Meminit earum Hieronymus *ad Euſtoch. Præcedit caveas Baſternarum ordo ſemivirorum.* Antiquus item Epigrammatographus *Codicil. Pithœan. l. edit. Lugdun.*

Aurea matronas claudit Baſterna *pudicas,*
Quæ radiante patulum geſtat utrumque latus.
Hanc geminus portat duplici ſub robore burdo,
Provehit & modicè pendula ſepta gradu.

Ubi *duplex robur*, amites ſunt baſternarum, ut vocat *Palladius*, aſſeres videlicet, ſeu perticæ, aucupalibus ſimiles, quarum *Feſtus* & idem modo memoratus *Palladius* meminerunt. Eadem planè habet & Iſidor. *Orig. l. 20. c. 12.* Nec diverſa tradit Servius, *ad Virgil. Æn. l. 8. v. 666.*

Pilentis matres in mollibus ——

Pilenta, inquiens, ſunt vehicula, ſicuti nunc Baſternas videmus. Erant autem tunc Veneti coloris, nonnulla nunc ſunt ruſſata, quibus caſtæ Matronæ uti non poterant. Earundem mentionem facit Gregor. Turonens. *l. 3. c. 24. Deuterio verò, cernens filiam ſuam adultam valde eſſe, timens, ne eam concupiſcens Rex ſibi aſſumeret, in* baſternam *poſitam, indomitis bobus conjunctis, eam de ponte præcipitavit.* Vocis etymon quod attinet, *Baſterna* ad verbum *φορεῖον* eſt, i. e. *geſtamen*, quô nomine Græci tam lecticam, quàm ſellam, appellant, à *βαστάζω*, ſeu *βαίνω*, unde *βαστός*, *quidquid ferendo eſt.* Eadem porro non minùs ac lecticæ, matronas, in publico etiam ſecretè ac domeſticè habebant: unde Iſidor. in *Gloſſis Baſternam* exponit *tectam manualem*, *tectam* abſolutè, pro tecta lectica, quæ Græcè *κατασκεπὲς φορεῖον*, *manualem*, quòd à mannis duceretur. Et vetus *Epigramma* de Baſterna,

Proviſum eſt cautè, ne per loca publica pergens
Fuſcetur viſis caſta matrona viris.

In eo ergo ſolùm hoc vehiculi genus à lectica differebat, quòd non ab hominibus geſtaretur: ſed à burdonibus, ut in eodem *Epigrammate*, paulo antè habetur,

Quam geminus portat, duplici ſub robore, burdo.

Et mentionem facit burdonum, qui hinc *Baſternarii* dicti ſunt, Ulpianus *l. 48. ff. de Leg. 3. Item jumenta, vel lectica vel ſella vel Burdones*: quô nomine verò Pignorius ſervos intelligens, hôc ſive adhiberi ſolitos è Liburnia inprimis ſervos viribus valentes, quos ad onera & lecticam parari conſueviſſe legimus, ſcribit, Vide Laurentium Pignorium *Comm. de Servis*, & Joh. Laurentium JCtum *de Re vehiculari*. Iſidorus verò in *Gloſſis*, mannos dat baſternæ, ſicut burdones hi auctores. Sed *Porphyrio mannos & burrhos & buricos* appellari notat. Idem Iſidor. in *Originibus* à mulabus *Baſternam* portari indicat, cùm ait, *à duobus animalibus* · ſed & muli & burdones plerumque confunduntur: *Gloſſ.* ἡμίον@ ἐξ ἵππου θηλείας καὶ ὄνου: *mulus*, *burdo* &c. Cæterum interna *Baſternarum* undique tecta *caveas* appellârunt, *Acta S. Suſannæ*, *Eadem horâ Præpoſita aſcendit caveam baſternæ & venit ad domum Gabinii.* Et S. Hieronym. *Ep. 22. Præcedit caveas baſternarum ordo ſemivirorum.* Mollibus inſtratæ erant ſtramentis, ut auctor idem Iſidor. quæ *lectos* videtur appellare Metellus in *Quirin. Eclogâ decimâ*,

Baſternâ *vectus, quâ ſtratus erat ſibi lectus.*

Uti viri docti emendant. Latera ſpecularibus fuêre clauſa. Juvenal. *Sat. 4. v. 21.*

Quæ vehitur latè clauſo ſpecularibus antro.

Unde *radians latus*, in *Epigrammate* prædicto, *Baſterna*,

Quæ radians latum geſtat utrumque latus, &c.

Vide Juretum *ad Symmachum l. 6. Ep. 15.* Car. du Freſne *Gloſſar.* Salmaſ. *ad Lamprid. loc. cit.* & Roſſvveidum *ad Vitas Patrum*, ubi *de Baſternis* multa.

BASTEUM, caſtrum in Italia munitiſſimum prope Padum, ubi Julius II. Pontifex inſignem accepit cladem, inopinatò irrumpente Alphonſo Ferrariæ Duce Cœl. Rhodig. *l. 5. c. 1.*

BASTI, vulgò BAZA, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis in regno Granatenſi. *Ferrar.* aliàs Baſtitanorum caput, prope montem Oroſpedam. Nunc paucas conſtat incolis, juxta fluv. *Guadalentin*, verſus limites Regni Murciæ & Caſtellæ novæ, 7. leuc. ab Acci, & deficit indies. *Baudrand.*

BASTIA, urbs Corſicæ inſul. caput, ſita in parte inſul. Boreali, ubi alias Mantinum & Mantinorum oppid. Gaudet arce munitâ & portu capaci, in littore Thuſco, ibique degit Gubernator.

BASTITANI, Hiſpaniæ populi prope Turdulos, qui & *Baſtuli*. Strabo *l. 3.* Ἐνταῦθα δ' ὀρεινή ἐστι τῆς Γαδάρων τῆς καλουμένης Βαστητανῶν, οὓς καὶ Βαστούλους καλοῦσι, καὶ Κάλπης *Ptolemæus*, Βαστουλῶν, τῶν καλουμένων Ποινῶν, Μενραλία, Τραγοδίνια, Βαρβήσολα, Καρτηία, Κάλπη. Ex *Baſtitanis* autem ſive *Baſtis* facti corruptè *Baſtuli*, & corruptius *Blaſtiani*, apud Marcianum, *l. 2. Peripli*, ubi meminit circa Carteiam Βλαστοφοινίκων τῶν καλουμένων Ποινῶν, nempe reſpectu originis. Nam ad eos maximè pertinent hæc Plinii, ut docet lit. monumſeries, *Oram eam univerſam originis Pœnorum exiſtimabat M. Agrippa.* Vide Bochart. *de Phœn. Col. p. 685. Nic. Lloydius.*

BASTONACUM, Gall. *Baſtogne*, oppid. amplum Belgii, in Ducatu Lucemburg. propè Arduennam ſylv. Aliis Baſtonia; eſtque adeo lepidum & cultum, ut dicatur incolis *Paris en Ardenne*, 8. leuc. à Lutzemburgo.

BASTONERII; in *Charta* Petri II. Aragonum Regis MSS. prò confirmat. Libertatum & Conſuetudin. Catalaniæ, *Ordinamus quod Vicarii, Procuratores aut Officiales quicumque, Sagiones, aut* Baſtonerii *noſtri, nominent a modo crimates*, &c. Ῥαβδοῦχοι ſunt, Apparitores, Bedelli, Italicè *Baſtonieri*, Virgiferi. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* A' Gallico *Baſton*, unde quoque *Baſtonicum*, arctiſſima cuſtodia, in *Capitular.* Engilenheimenſi *c. 1.* in *Capitulis* Caroli M. *l. 6. c. 96* & Caroli C. *tit.* 20. 27. 29. alibique; fortè quod Carcerum cuſtodes baculis inſignes eſſent, tum ad muneris indicium, tum ad coërcendos incarceratos. Sic certè miniſtri Fletæ, antiqui apud Anglos carceris; *pilis* hodieque dignoſcuntur *baculis*, a quibus & ipſimet *Baſtoni* nuncupati ſunt. Vide Spelmann. & Car. du Freſne *Gloſſar.*

BASTONUS Philippus, vide *Philippus.*

BASTONUS Robertus, vide *Robertus.*

BASTULI, qui & Pœni, populi fuêre Hiſpaniæ Bæticæ propè fretum Gaditanum & oram maris Mediterranei, ubi pars Meridionalior Andaluziæ, & pars maritima regni Granatenſis Almeriam uſque.

BASTUM, Græcè *βαστὸς*, *baculus*; imò *quidquid ferendo eſt*, à *βάω*, *βῶ*, unde *βάζω* & *βαίνω*, *vado*: à quo *βαστὴρ*, *βαστερία*, & *βακτηρία*, quæ idem ſunt cum *βαστός* & *βακτός*. Hinc etiam *βάσα* pro calceis, vel ſandalus. *Heſych.* *βάσα*, *ὑποδήματα Ἰταλιῶται*, *Baſta*, *calceos Itali* ſcil. vocant. Nam *βάσος*, *calceus*, ut *ἀμβάδιον*, ab eadem origine. Porro, aſini clitellas & ſagmata vox notat; indeque Græcum verbum *βαστάζω*, & vox Latina *Baſterna* orta Vide quæ diximus ſuprà in vocibus *Baſtangarii* & *Baſterna*. Propriè verò *Baſtum* ſeu *Baſtus*, baculus fuit ſeu fuſtis, quô onera portabantur, unde Gallicum *Baſton*. A'ναφόρον pro eodem dicebant. Unde & ἀναφόροι, quorum uſus in puniendis adulteris: quos, pro mugilibus & raphanis, aliquando etiam manubriô ſecuris aut fuſte percuti conſueviſſe, diſcimus ex *Appendice* Proverbiorum, ex Vatic. *Phalangas* Latini dicêre iſtiuſmodi perticas; hincque *Phalangarios*, οὓς τοῖς ὤμοις ἀναφερομένοις βάρη καὶ πλάστρας ἅμα βαστάζοντας, &c. Iſtiuſmodi igitur fuſte Commodum orygem cornu tranſiiſſe, tradit Æl. Lamprid. in *Vita* ejus *c. 13. Virium ad conficiendas feras tantarum fuit, ut elephantum conto transfigeret & orygis cornu* baſtô *transmiſerit.* Ita enim in optimo libro ſe legiſſe, cùm vulgati codices *haſta* habeant, docet Salmaſ. *Notis ad h. l.*

BASULIENSES, vel BASYLIENSES, Libyæ gens, quæ cùm bellum gerit, noctu pugnat. Nicol. Damaſcen. apud Stobæum *de Legibus.*

BASULII, populi Libyæ.

BASURURA, fluv. Americæ meridionalis Caribanæ regionis. Cadit in Amazonum fluv. paulo infra Cutiguaram fluv. *P. Texeira.*

BATA, Aſiæ vicus & portus, ubi Sinope urbs Auſtrum verſus, huic oræ plurimum oppoſita videtur. Strabo *l. 6. c. 11.* Ptol. *l. 5. c. 9.*

BATÆ, Græcis Βάται, *Ptolem.* inter Sericæ populos, memorantur Ammiano *l. 23. Bata verò Auſtrali celſitudini montium acclinati*: de quibus vide Salmaſ. *ad Solin. p. 989.*

BATALA, antiquiſſimum Sidicinorum in Italia oppidum, *Liv.*

BATALARE *arma*, antiquis Bojariorum *LL. tit. 3. c. 1.* & *tit. 2. c. 10.* Latinis *arma tractare* eſt quod exercitium tam apud milites, quam gladiatores, in ſolo clypeo & gladio conſtabat, uti docet Vegetius *l. 2. c. 14.* & vidimus ſuprà, ubi de *Armorum exercitio.* Hinc *Batalatores*, Galli vulgò vocant, *Σκιαμάχους* & ludiones, qui in publico varios & mirificos armorum geſtus edunt, quod verbum etiam vulgus tranſtulit, ad omne genus hiſtrionum. Indidem *Batalia*, Italis *Bataglia*, Gallis *Bataille*, pugnam præliumque notat, apud Senatorem *de Orthographia c. 5.* Helmoldum *Chronic.* Sclavor. *l. 1. c. 93.* alibique paſſim, &c. Vocis origo à *Batalibus*, ſic etiam recentiores dixêre pro *Battualibus*, de qua voce dicemus infrà ſuô locô.

BATALUS, tibicen laſcivus, primùs omnium calceis fœmineis in ſcena uſus eſt, artemque tibiarum enim molliter depravavit, à quo diſſolutos & parvos viros *Batalos* vocant; tale fuit Demoſthenis cognomen, teſte Cæl. Rhodig *l. 5. c. 13.* *Libanius*, Ἐγένοντο γὰρ τινὲς Βάταλοι ἐπὶ βλακείᾳ ... *Unde Heſych.* Βάταλ@, κατάπυγον καὶ ἀνδρόγυν@, κίναιδ@, ἄναν@. Cæterum Βάταλ@ apud Atticos pudendorum pars. Sic etiam *Plut.* ſcribit, ... *Nic. Lloydius.*

BATANA, locus juxta Euphratem *Steph.* Vide *Agbatana* apud eundem. Hic Σωματοφυλάκιον Regum Mediæ & Perſiæ fuiſſe, teſtatur Iſidorus Characenus. *Ecbatana* vocant Qu. Curtius & Juſtinus. Hic *l. 4. c. 5.* *Se quoque, cùm tranſiſſet mare, non Ciliciam aut Lydiam (quippe tanti belli exiguam hanc eſſe mercedem) ſed Perſepolim, caput regni ejus, Bactra, deinde Batana, ultimique Orientis oram, imperio ſuo deſtinaſſe.* Sic lege. Nam MS. habebat *Batavo.* Ille (ſcil. Juſtin.) *l. 12. c. 1.* *Centum nonaginta millia talentum Ecbatanis congeſta.*

BATANAGRA, urbs Indiæ intra Gangem. Quibuſdam eſt *Naugrakut* urbs ampla, in dominio M. Mogolis, ad Hidaſpem fluv. cum regione cognomine.

BATANCÆSARA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol. Balcadui Caſtaldo.*

BATANE, vel BATANÆA, Syriæ vicus. *Steph*

BATANEA, nomen Tetrarchiæ ab Herode M. relictæ Philippo, unà cum Paneade, Trachonitide & Auranitide, quô pactô plures Tetrarchiæ in unum coaliſtæ ſunt. Vide Joſephum ubi de Teſtamento Herodis Magni, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. ad *Salin p* 576. Idem nomen, *Baānia*, poſtea Ecbatanis Syriæ fuit, uti idem docet *p.* 1202.

BATAVIA, ſeu PATAVIA, incendiô penè tota conflagravit A. C. 1662. Aliàs *Batava caſtra*. Urbs triplex eſt; una dicitur *Paſſaw*, inter Danubium & Ænum; alia *Inſtadt*, & tertia *Stat*, quæ verſus Bohemiam, & ubi Ilſa amnis in Danubium cadit. Vide *Patavia & Patavium.*

BATAVI, populi Germaniæ, de quibus Lucan. *l.* 1. *v.* 431.

Vangiones; Batavique truces, quos ære recurvo
Stridentes acuère tubæ. ——— ——— ———

Auricomos appellat Silius *l.* 3. *v.* 608.

Jam puer auricomô performidate Batavô.

Unde Martial. *l.* 8. *Epigr.* 33. *v.* 20.

Et mutat Latias ſpuma Batava comas.

Nic. Lloydius. Populi Belgii, in Veter monumentis celeberrimi, ubi nunc pars maxima Hollandiæ, & minuta portio Gueldriæ, cum parte provinc. Ultrajectinæ, Cluverius Geogr. *l.* 2. *c.* 12. Vide quoque infrà. Hi *Hollandi* vocantur. Sed Hollandia latiùs ſumitur, quàm Batavia, *Baudrand.* Tacitus *de morib. Germanor. c.* 29. *Omnium harum gentium virtute præcipui Batavi, non multum ex ripa, ſed inſulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & ſeditione domeſticâ in eas ſedes tranſgreſſus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos, & antiquæ ſocietatis inſigne; nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit: exempti oneribus, & collationibus, ac tantum in uſum præliorum ſepoſiti.* Plin. *l.* 4. *c.* 15. *In Rheno ipſo*, inquit, *prope centum mill. paſſ. in longitudinem nobiliſſima Batavorum inſula.* Plutarchus in Othone: Τοῖς δὲ μονομάχοις ἐπιτρέψαι καὶ Οὐάρῳ ἔχειν πρὸς τὰς συντάξεις δοκοῦσιν ἐπήγαγεν Οὐᾶρος Ἀλφῆνος τοὺς καλουμένους Βατάβους. Lege Βατάβους vel Βαταούς. Εἰσὶ δὲ Γερμανῶν ἱππεῖς ἄριστοι, νῆσον οἰκοῦντες ὑπὸ τοῦ Ῥήνου ἀφοριζομένην. Dio. *l.* 55. Ἐπεὶ δὲ ἱππεῖς Βατάβοι, οἷς τὸ τῶν Βαταύων, ἀπὸ τῆς Βαταυίας τῆς ἐν τῷ Ῥήνῳ νήσου ὄνομα. Zoſimus *l.* 3. Καὶ τῇ Βαταβίᾳ προσχόντες, ἣν δίχα σχιζόμενος ὁ Ῥῆνος νῆσον ποιεῖ, πάσης ποταμίας μείζονα νήσου. Hinc *Batava auris* apud veteres pro dura. Martial *l.* 6. *Epigr.* 82. *v.* 5.

Cujus nequitiam, jocoſque novit,
Aurem qui modo non habet Batavam.

Nam quod vulgò legitur *ſeveram*, è gloſſa videtur huc tranſmigrâſſe. *Nic. Lloydius.* Eorum regio *Batavia* vulgò, *Le pays de Holland.* Regio tota admodum rigua & fertilis, abundatque omnibus ad delitias neceſſariis. Excuſsô ante Sæculum Hiſpanicô Jugô Reſpubl. potentiſſima evaſit cum vicinis provinciis ſub nomine Belgii Confœderati. *Baudrand.* Nannius *Miſcell. l.* 10. ait in Hollandiâ multo infra terram ingentes arbores reperiri: unde quoſdam opinatos eſſe, illic olim fuiſſe ingentes ſilvas, & vel vi ventorum vel terræ motu conciſſe, atque adeò ipſam *Hollandiam* olim *Holtlandiam* eſſe dictam: ſic etiam antiquiſſimis libris eam appellari; author eſt *Mart. Dorpius*, irridens eos, qui *Hollandiam*, à *cavitate terræ*, nominari putent. Alios etiam ait, à *fœno* putare eam *Heylandiam*, quia *paſcuoſa eſt.* Aliis dicitur quaſi *Hol-land.* *Batavos* autem ab ex plaga, quæ etiamnum linguâ eorum *Der Betovve* dicitur, vocatos credit Adolph. Mekerchus *c.* 14 *de vet. pronunc. L. Græca* Imperito quidem Latinorum vulgo liceat omnem Hollandiam *Batavia* nomine appellare; eâdem ſcil. ratione, eôdemque jure, quô *Belgicum* nunc vocant id terrarum ſpatium, quod 17. Provinciis diſtinctum, dimidium ſui in Germaniæ ſolo obtinet; cùm antiquitùs omnis Belgica cis Rhenum conſtiterit; quôque jure Pannoniam dicunt Hungariam, quæ tamen via tertiam ſui partem in veteri Pannonia cenſeri poteſt. Vide quoque B. Rhenanum *Rer. Germ. Nov-Antiq. l.* 2. & ad eum *Notas* eruditas Ottonis Jeti haud pridem editas.

Urbes Batavorum, i.e. Hollandiæ, præcipuæ.

Alcmaria, *Alcmaer.*	Harlemum, *Haerlem.*
Amſterodamum, *Amſterdam.*	Horna.
Briela, *Briel.*	Lugdunum, *Leyden.*
Delphi, *Delft.*	Roterodamum.
Enchuſa.	Trajectum inferius & Ultrajectum, *Utrecht.* Verùm hæc propriè non eſt urbs Hollandiæ, ſed facit dominium disjunctum.
Gouda.	
Gertrudenberga.	
Gorleum, *Gorcum.*	
Haga, pagus maximus, ubi Comitia; Gall. *la Haye.*	

BATAVIA, ſeu *Inſula Batavorum*, *Moſa parte quâdam Rheni receptâ, quæ appellatur Vacalis, inſulam efficit Batavorum*, ut Cæſar *l.* 4. *Bell Gall. c.* 10. ſcribit. Vacalis vel Vahalis vulgò dicitur *Wale* vel *Wael*; Rhenus *Rhyn.* *In Rheno ipſo prope centum millium paſſuum in longitudinem nobiliſſima Batavorum inſula & Canenefatum*, ait Plin. *l.* 4. *c.* 15. Nimirum ea inſula à Batavis & Cannenefatibus incolebatur: ſed quia majorem inſulæ partem Batavi obtinebant, nomen ei ſuum dedêre, & dicta eſt *inſula Batavorum*, ac *Batavia.* Id nos Tacitus docet in *l.* 4. *Hiſt. c.* 12. hiſce verbis: *Batavi, donec trans Rhenum agebant pars Cattorum, ſeditione domeſticâ pulſi extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus ſimulque inſulam inter vada ſitam occupavêre: quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit.* *Ibid. c.* 15. *Canineſates parvem inſulæ colunt; Gente origine, linguâ, virtute par Batavis; numerô ſuperantur.* Eginhardus ſcribit, *in Vita Caroli Magni*, *Vahalem fluvium Batavorum inſulam à parte Meridiana præterfluere.* In tabula Theodoſiana vocatur *Patavia* pro Batavia, & *fluvius Patabus* pro Batavus, (uti Dio *Patavos* Παταούους pro Batavos nominaverat:) ac ibidem Batavia ſic deſcribitur. *Foro Hadriani* 12. *Fleno* 10. *Tablis* 12. *Caſpingio* 18. *Grinibus* 6. *Addeodecimum* 18. Ex quibus *Forum Hadriani Voorburg* nunc dicitur, quaſi *Foorburg*: *Flenum* vel Flevum caſtellum *Delft*, oppidum elegantiſſimum, impoſitum Foſſæ Fletenſi, *de Vliet* ſive *Flirt* dictæ, ante 500. annos factæ, ut ait Grotius adverſus *Cluverium*, qui Foſſam Corbulonis eam eſſe exiſtimabat. *Tabulas* vel *Tablias* vicum *Ablas* Cluverius exponit; *Caſpingium*, caſtellum *Gieſſenburg*; Grinnes *Rhenen* vicum; *Vadam* ſive *Addeodecimum Wagenungen* *Grinnes & Vadam*, *in l.* 5. *Hiſtoriar. c.* 20. memorat Tacitus cum *Batavoduro*, & inſulam Batavorum paluſtrem humilemque eſſet ait; & in ſua *Germania c.* 29. *Batavos non multùm ex ripa, ſed inſulam Rheni amnis colere, Cattorum quondam populum*, ait. Progreſſu temporis Inſula Batavorum ſeu Batavia, corruptô & mutilatô nomine dicta eſt *Batua.* In Diviſione Regni Lotharii A. C. 870. facta *Batua* ponitur inter *Comitatum Teſtrebant & Hattnariam.* Chronicon *de Normannorum geſtis*, in anno 859. & Annales Bertiniani *inſulam Rheni Patavum* nuncupant, ut ſuprà tabula Theodoſiana *Patavam.* *Batuam* in anno 885. Annales Mettenſes vocant. *Godefridus illis obviam procedit ad locum Herïſpich, in quo Rhenus fluenta & Vvalinuô ſe alveô reſolvunt, & ab invicem longius recedentes, Batuam provinciam ſuo gurgite cingunt. Hanc inſulam ingredientes, ſolatô colloquio inſulâ excedunt.* Quam *Batuam provinciam & inſulam* non ſemel appellant; appellant iidem Annales ibidem & *Friſiam.* A. C. 885. D. I. *Hugo rebellare diſponens contra Imperatorem, legatos ad Godefridum in Freſiam occultè dirigit.* Nimirum Friſii cùm à Francis deſciviſſent, Rhenum tranſgreſſi, in parte Bataviæ conſederant, & caſtrum Doreſtate vel Batavodurum, ac Trajectum ad Rhenum inferius cognominatum præter cætera loca occupaverant. Quare Beda *citeriorem Friſiam* vocat, ut diſtinguat ab ulteriore vel Tranſrhenana Freſia, regione magnæ Germaniæ. Bedæ, *in c.* 11. *l.* 5. *Hiſtoriæ*, verba hæc ſunt de Pippino Duce Francorum, avo Pippini Regis: *Et quia nuper citeriorem Freſiam pulſo inde Rathbedô Rege ceperat, illò eos ad prædicandum miſit.* (Wilbrordum Presbyterum cum 11. ſociis.) Quin & *Annales Bertiniani* Friſiam uſque ad Moſam proferunt. Sic enim in anno 839. ibi legimus de tota Friſia uls & cis Rhenum: *Ducatum Freſia uſque Moſam.* *Cluverio* Bataviæ inſulæ ſuperior pars vocatur vulgò *de Betavv* ſeu *Betovv*, aliàs *Betuvve.* Valeſio Inſula Batavorum eſt inter veterem alveum Rheni, ac Vacalem qui Moſâ recipitur: & Betuwam *la Betuve*, Ducatus Gelrenſis portionem, ac magnam partem Meridianæ Hollandiæ ſeu Sudhollandiæ continet. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BATAVIA, urbs Aſiæ in Java inſul. ſub Hollandis, ab A. C. 1619. antea *Jacatra.* Permunita eſt, in plano perferaci, & emporium celebre, cum caſtro & valido præſidio, Ibi reſidet Præfectus Generalis Societatis Holland. Indiæ. Oriental. 15. leucis à Bantamo in ortum, 60. à Materano, in occaſum. Creſcit indies ſplendidior.

BATAVIA, vulgò *River Batavia*, fluv. Aſiæ, in Carpentariæ regione parte Terræ Auſtralis recèns ab Hollandis luſtratus, ſed tantum verſus oſtia.

BATAVODURUM, oppid. German. inferioris in Batavis, *Doroſtadum* etiam Latinis dictum Vulgo *Wyck de Duerſteden.* De eo ſic Valeſ. *Batavodurum* vel *Doreſtate*, caſtrum vel (ut alii vocant) vicus *Doreſtate* erat cis & ad Rhenum in parte ea Bataviæ, quæ à Friſiis Gente Germanicâ occupata, ac *Friſia citerior* dicta eſt. In Appendice *Chronici* Fredegarii hæc de Doreſtate invenio: *Pippinus contra Ratbodum, Ducem gentilem Friſionum Gentis, adverſus alterutrum bellum intulerunt caſtro Doreſtate, illic belligerantes invicem annô* 697. in Annalibus Mettenſibus *caſtrum quod dicitur Doreſtadum*: in Annalibus Bertinianis, ad annum 834. *emporium quod vocatur Dorſtadus*: in Chronico *de geſtis Normannorum* nunc *Doraſtadum*, nunc *Doreſtatum villa Friſiorum* nuncupatur, in *Annalibus* Fuldenſibus annô 847. *Doreſtatum* quoque. Hic locus itaque olim *Batavodurum* appellabatur, h. e. Batavorum oſtium, ſeu introitus Bataviæ. Tacitus eô nomine utitur, quum *Batavodurum*, *Grinnes*, *Vadamque*, *l* 5. *Hiſtoriar. c.* 20. ceu loca vicina conjungit. Batavodurum ad Vacalim eſt, ut & Noviomagus. Vacalim autem vocant citeriorem vel Gallicum ramum Rheni, qui Moſâ recipitur. In uſu ſunt adhuc caſtri & emporii ambo nomina, vetus & recentius. Quippe nunc *Batenburg* dicitur, i. e. Batavoburgus vel Batavodurum; nunc *Wik te Duerſtede*, ſive *Wyck te Duerſtede*; aut abſolutè ac ſimpliciter *Duerſtede*, h. e. vicus Doreſtate, vel Duroſtate. Et quidem Teſtrabanto vel Teſtrabento videtur attributum eſſe caſtrum Doreſtate, & caput etiam ejus extitiſſe. Quippe Annales Bertiniani *in rebus anni* 839. prope *Comitatum Batavorum*, *Comitatum Teſtrabenticum Doreſtado* memorant: qui *Comitatus Teſtrebant* vocatur in Diviſione Regni Lotharii inter Reges fratres Ludovicum & Carolum. *Notit. Gall.* longitud. 27. 15. latitud. 52. 10.

BATAVORUM Inſul. vulgò *Betuwe*, pars Geldriæ, inter fluv. Rhenum & Vahalim comprehenſa, ſat longa, non æquè lata, ubi nullum magni momenti oppid. *Baudrand.* Vide *Batavia ſeu Inſul. Batavorum.*

BATAVUS, apud Martialem *Apophoret. Epigr.* 176.

Sum figuli luſus, ruſi perſona Batavi,
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Vultus ſeu perſona, pueris terrendis excogitata; cujuſmodi larvas *terriculas* vocat Lucilius, apud Lactantium *l.* 1. *c.* 22. ut infrà videbimus, voce *Terricula.* Vide quoque *Formido*, *Larvas*, *Maſque* &c.

BATE, pars tribus Ægeidis. *Steph.*

BATEA, Teucri filia, uxor Dardani. Diodor Sic. *l.* 5. Vide Steph. in *Dardano*

BATECOMBUS Guilielmus, vide *Gulielmus.*

BA-

BATENI, populi ad Caucaſi montis juga, non procul à Bactris. *Plin. l. 6. c. 16.*

BATENIS, arx **BATTENBOURG**, oppid Germaniæ inferioris in Geldria, *de Battenbourg*. Barones fratres duo, inter alios Belgii Proceres, juſſu Albani, *unum ſalmonis caput plus valere, quàm innumeros piſciculos*, dicentis, capite plexi ſunt, A. C. 1568. Vide *Arx Batavorum*.

BATENUS Henricus, vide *Henricus*.

BATERATA, πόλις Ἀργίων. *Steph.*

BATHA inſula, cum oppidulo ejuſdem nominis, non multum abeſt a continente Britannia minore, vulgo *Baez*, aut *l'Iſle de Bas*. Mentio ejus fit in *Vita S. Pauli*, ut & *Agnenſis Leonenſiſque pagorum*: i. e. *d'Ack & de Leon*. Ibi eſt, *Monaſterium Bathenſe*, ab inſula cognominatum in Diœceſi Leonenſi, quod originem ſuam S. Paulo debet. Quippe in *inſula Batha* minori Britanniæ adjacente, & à continente atque ab oppido Leonenſi parvò fretô diviſa, magnâ & viris infeſſâ, cum plurimo grege Monachorum ſibi ſubjectorum diu vixiſſe dicitur Paulus: quam inſolani multo poſt ejus mortem Normannis crebris irruptionibus vaſtavêre, diripuêre, & omnia ejus ædificia ad ſolum uſque incendiô peſſumdedêre. *Cambdenus Barſam* ab *Æthico* dicta exiſtimat, à Noſtris *Iſle de Bas*; ab Anglis ſuis *Baſepole*: cujus de Barſa conjecturæ via poſſum accedere. Valeſ. *Notit. Gall.*

BATHANATII, tractus Pannoniæ inferior. ad Servitiæ amnis confluentiam cum Danubio, non longè ab oſtio Dravi fluv. *Bathmonſter* ſeu *Bathaſech Lazio*.

BATHANEA & **BATANÆA**, regio eſt Thraconitidi confinis, ſita trans Jordanem, in tribu Manaſſe, cujus incolæ à *Joſepho* Batanæi dicuntur.

BATHEUS, Siciliæ fluv. *Ptol. Jati Fazello* dicitur. Lege *Bathys*.

BATHIS, *Ptol. Jati*, *Fazello* fluv. Siciliæ, apud Elymam, urbem exciſam, ad 5. mill. paſſ. non longè à Priniſo fluens. Dicitur ab Jeta oppid. juxta quod oriens decurrit.

BATHNE, in tribu Aſer. Hieronym. *de Loc. Hebr.*

BATHONIA, ea vita S. Elphegi, *Akemanceſtre*, locus Angliæ, ubi hic occiſus. *Matthæus Weſtmonaſterienſ.* Item, urbs Epiſcopalis Britanniæ, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi, vide *Aqua Solis*.

BATHONIUS Andreas, vide *Andreas*.

BATHORIA, Familia Tranſylvaniæ inclyta, unde plurimi regni hujus Principes. Stephanus *Bathorius*, poſt Joh. Sigiſmundi mortem, Princeps electus eſt A. C. 1571. Maximiliano pariter Imperatori & Selimo probatus. Dein decedente Henricô III. Poloniæ Rex, bellô contra Moſcos præclarè geſtô, inclytus, obiit A. C. 1586. Tria dixerat Deum ſibi reſervâſſe, *Aliquid ex nihilo producere, imperare conſcientiis, & noſſe futura*. Interea in Tranſylvaniæ regno ei ſucceſſerat Chriſtophorus frater, cui quia domus Auſtriaca non favebat, ob fratrem in Poloniæ regno prælatum, Conſtantinopoli opem quærere coactus eſt. Obiit A. C. 1581. Succeſſit ei Sigiſmundus fil. qui Auſtriacæ domui reconciliatus, Balthaſarum patruum occidit, Stephanum verò & Andream cognatos reos Majeſtatis pronuntiavit, ob turbas. Poſtea regnò ceſſit Andreæ Cardin. cognato, quod cum hic tueri non poſſet, in Rodolphum II. Imperator. illô translatô, obiit Pragæ, A. C. 1603. Dein Gabriel *Bathorius*, Princeps electus, A. C. 1608. poſtquam Botzkay & Rakozius præfuiſſent: Sed ob luxum & ſævitiam ſuis exoſus, interemtus eſt. A. C. 1613. Iſthuanffi, *Hiſt. Hung. l. 24. & ſeqq.* Vide & *Chriſtophorus*. It. *Gabriel*.

BATHRACUS, *Ptol.* Βάτραχος, manuſcr. Seldeni, oppid. Marmaricæ littorale, *Trabuco*, *Mercat.* inter Cherſoneſum magnam, & Antipyrgum ad Ortum.

BATHSHEBA, Uxor Uriæ, poſteà Davidis & mater Salomonis. Sulp. Severus, *l. 1. c. 66. Qui tempeſtate Berſaben quandam, miræ formœ pulchritudinis, ſtupro compertam habuit. Hæc viri cujuſdam uxor, qui tum in caſtris erat, fuiſſe traditur.* Ubi ſecutus errorem Græcorum vocat *Berſaben*, quæ in Ebræis & Latinis codicibus *Bathsheba*, vel *Bethſabe* dicitur: quem tamen errorem ſcribis libentius tribuit *Druſius*, quàm interpretibus, & videtur natus ex affinitate literarum ב & ש. Fuit autem *Bathsheba* filia Eliam, quem Hebræi apud *Hieronymum* tradunt fuiſſe filium Achitophel, qui ob eam cauſam poſteà conjuravit cum Abſalomo. Id etiam probabile eſſe cenſet ex Hugone *Salianus*. Potuit enim Achitophel avus eſſe 60. annorum: Eliam pater 40. *Bathsheba* filia 18. Idem cenſet *Abulenſis* & alii. Καλλίστην ἢ αἰδοῦς καὶ πασῶν διαφέρουσαν vocat *Joſephus*. *Nic. Lloydius*.

BATHUEL, i. e. *filiatio Dei*, aut *menſura*, vel *deſertum Dei*, fil. Nachor ex Melcha, pater Labani & Rebeccæ, *Gen. c. 22. v. 22.* Item civitas in tribu Simeon. *1 Paral. c. 4. v. 30.*

BATHYCLES, vir quidam dives ac ſordidus, unde Proverb. *Bathyclis calix*, in eos, qui divites cùm ſint, ſibi tamen vivunt.

BATHYCOLPUS, fluv. ad Thracium Boſporum. Turcis *Buiuktere*, quod *magnum nemus*, vel *magnum flumen* ſignificat, teſte *Petro Gyllio*.

BATHYLLUS, adoleſcens Samius ab Anacreonte dilectus. Horat. *Epod.* Od. 14. v. 9.

> *Non aliter Samio dicunt arſiſſe Bathyllo*
> *Anacreonta Teium.* ------

Item Pantomimus. Patriâ Alexandrinus, Mæcenatis delitium. Juvenal. *Sat. 6. v. 63.*

> ---- *Molli ſaltante Bathyllo.*

Perſius, *Sat. 5. v. 123.*

> ---- *Nec cùm ſis cætera foſſor,*
> *Tres tantùm ad numeros Satyri moveâre Bathylli.*

Juvenalis iterum *Sat. 13. v. 189.*

> ---- *Ut video, nullum diſcrimen habendum eſt,*
> *Effigies inter veſtras, ſtatuamque Bathylli.*

Tacit. *l. 1. Annal. c. 54. Indulſerat, ei ludicro Auguſtus, dum Mæcenati obtemperat, effuſo in amorem Bathylli.* Vide Scaligerum, *Animadverſion. Euſeb. p. 155.* Et quidem is Bathyllus Pantomimos, cum Pylade inventor ſuit ſaltationis, qualis Auguſti temporibus in ſcena verſabatur, & quæ poſt illa tempora viguit paſſim, quæque nihil amplius commune, aut conjunctum habebat, uti priùs, cum Comœdia & Tragœdia, ſed ſeorſim veniebat in Orcheſtram, ut dicemus pluribus infrà, ubi de *Pantomimis*. Neque vero ſolùm hi duo ὁμότεχνοι, ſed & ἀντίτεχνοι fuêre. Primas enim in Tragœdia & tragicis argumentis ſaltandis cùm Pylades obtineret, *Bathyllus* in Comœdia & comicorum argumentorum deſaltatione principatum ſibi vindicabat. Namque licèt Italica ſaltatio, cujus auctores hi memorantur, ex Tragica, Comica & Satyrica ſaltationibus eſſet compoſita, haud ita tamen ex omnibus mixta erat, ut confunderentur, & ex tribus una fieret ſaltationis ſpecies: ſed quum omnia Tragœdiarum Comœdiarumque & Satyrorum argumenta primi ſaltare inſtituiſſent, Tragœdias ſecundùm tragicæ ſaltationis leges; Comœdias verò, juxta comicæ ſaltationis inſtituta, deſaltabant. Hinc & inter ipſos Auctores ac inventores Artis facta diviſa eſt, & in diverſo ſaltationis genere contraria quæque factio inſtituta, quam ad diſcipulos ſuos & artifici per longam ſeriem ſucceſſores uterque tranſmiſerunt. Erat autem Pyladea ſaltatio, gravis, ſeria, faſtuoſa, ſuperciliosa, affectuum plena & tragica tota; cujus argumenta, antiquorum Poëtarum tragœdiæ, Deorum Heroumque facta; perſonæ, Dii, Duces, Heroes & Reges: *Bathyllea* contra hilaris, jocoſa, pedeſtris, quæque tota in rebus lætis verſabatur, per omnia Comicæ ſaltationi affinis; inducebat aut Satyrum ſaltantem & cum Amore comeſſatum euntem, aut Panem, aut Echo, aut Ledam à cygno compreſſam & cœtera ejuſdem argumenti. Juvenal. *loc. cit.*

> *Chironomon Ledam molli ſaltante Bathyllo.*

Ejuſdem ſaltationis ὑπορχήματα propria facere videtur *Plutarchus* & *Athenæus*: quo nomine dicebantur cantica, quæ in Comœdiis Latinis antiquis ad manum ab hiſtrionibus cantabantur. Unde *ſaltatio Bathyllea* revera fuit ὑπορχηματική: uniformis enim erat, & ſimplex & nihil aliud quàm ſaltabat. Nullam enim moram, nullam [illegible] admittebat, ſed concitatiſſimô ferebatur motu, cujuſmodi [illegible] Baccho & Veneri adſignat Lucian. in *l.* [illegible], i. e. *concitatas & celeres geſticulationes*. Atque proin ejuſmodi ferme tantùm hypotheſes & perſonas eligebat, quas ſaltare ſemper & moveri deceret, ut Panes, Satyros cum Amore comeſſabundos & laſcivientes, aliaſque ſimiles jocis & ſalibus adſuetas, quales ea Comœdia & Satyrica notæ ſunt multæ. Porrò in *Bathyllea* una tantùm ferè perſona ſaltabat, ut Pan, aut Echo, aut Satyrus: unde ὑπορχήματα *Bathyllon* ſaltare conſueviſſe tradit *Athenæus*, Panis aut Satyri nimirum. Pyladeæ verò ſaltationis hiſtriones, non nudum aliquod aut ſimplex ſiccumque hyporchema deſultârunt, ſed plura aliquando in uno argumento, &c. Uti verò Pyladeæ ac *Bathyllea* Artis factiones per longam ſeriem ad poſteros propagatæ ſunt, ita plurimi utriuſque ſucceſſorum nominibus Autorum ſuorum inſigniti leguntur, *Pyladæque* aut *Bathylli* dicti, licèt non pauci aliter nominati fuerint. Sic ætate Galeni, h. e. Marci Philoſophi Imperatoris cùm tres nobiliſſimi Pantomimi orcheſtram calefacerent, qui vicibus ſaltabant & in orbem, duo illorum *Pylades* & *Morphus* nominantur Galeno [illegible]: tertius, quem quidem non nominat, proculdubio *Bathyllus* fuit, &c. Nec omittendum, quamvis Pylades in Tragœdia, in Comœdia *Bathyllus*, excellerent, tragicas tamen [illegible] etiam Bathyllum aliquando ſaltâſſe, & comicas Pyladem. Sed in fabulis Tragici argumenti multum ſibi diſpar Bathyllus & in Comicis Pylades inventus eſt. Seneca *Controverſ. l. 3. Et ad morbum meum te vocem Pylades in Comœdia. Bathyllus in Tragœdia, multum à ſe aberrant.* Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino Imper. c. 19.*

BATHYNIAS, fluv. idem qui *Bathycolpus*.

BATIACA, Græcè Βατιάκη, item Βατιάκιον, inter pocula memoratus Diphilo & Philemoni apud Athen. *l. 11.* Ex ære Perſico vel Indico fuit, de quo ſic in *Mirabilibus* Philoſophus: [illegible] *Aiunt ea eſſe in India tam lucidum, & purum & rubiginis expers, ut colore ab auro non dignoſcatur. Sed & inter Darii pocula aliquot eſſe batiacas, de quibus aliter, quàm ex olfactu dijudicare non poſſit, utrum ærea vel aurea ſint.* Ita ergo *Batiaca* propriè fuerunt Perſica pocula ex iſtiuſmodi ære facta. Nomen à cucurbitæ forma & amplitudine ſumtum videtur, quæ Chaldaicè בטיחא *batiach* dicitur, ut Arabicè *batich*. Ampla autem hæc pocula fuiſſe etiam inde diſcas, quòd λαβρώνιον, poculi genus latiſſimum, [illegible] appellatum. *Didymus* apud eundem *Athenæum* ſimile eſſe ait [illegible], &c. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l. 6. c. ultimo.* De ære verò hoc aurei coloris, diximus ſuprà aliquid in voce *Æs*.

BATIÆ, civitas mediterranea Epiri. Strabo *l. 7.*

BATIANA, oppid. Galliæ Narbonenſis in Segalaunis, ubi nunc fortè *Lauriol*, in Delphinatu, 1. leuca à Rhodano.

BATICALA, urbs Aſiæ, in India & inſul. Ceylani, in ditione Holland. à paucis annis. Urbs eſt regni cognominis in ora Orientali Inſul. 40. circiter leucis à Columbo orbe.

BATICALA, urbs Aſiæ, in peninſul. Indiæ cis Gangem, in ora littorali maris Malabarici, caput regni cognominis ſub Rege

Onor, ſed in feudem Biſnagaræ Regis. Portu gaudet ſat capaci, inter urbes Onorum & Barcelucum, in Canara regione.

BATIEIA, Ili tumulus in Troade. Strab. *l.* 3. Vide *Steph.*

BATIENI, *Ptol.* oppid. Liguriæ, *Butieni Paterculo*, in agro Ticinenſi, quorum oppid. Auguſta Batienorum, Pado impoſita. Vide *ibi*.

BATILDE, vulgò BAUDOUR, à Piratis redemta, per Erchinoaldum, Magiſtrum Palatii, ſub Clodovæo II. qui illam, formâ illectus, uxorem duxit, circa A. C. 548. ex Saxonum, qui in Anglia regnabant, familia creditam, atque ex ea Clotarium III. ſuſcepit, quò minorenni, illa cum Erchinoaldo, regnum adminiſtravit, Childericum & Theodoricum. Mezeray *in Clodov.* II. Aliquot monaſteriorum fundatrix.

BATILLUM ſeu US, apud Trebellium Pollion *in Claudio*, *c.* 14. *cochlitium quondiana* batilla *quatuor*: hama eſt quæ igni admovetur. Gallicè *une pale à feu*, Græcè *πυρῄιον*. Scribit enim *Suidas*, non unô locô, *πυράγιον* vulgò ſuâ ætate dictum, quæ antiquitùs fuerit appellata *ἄμη*. Hamas autem, inter inſtrumenta, quibus veteres in reſtinguendis incendiis utebantur, fuiſſe diſcimus ex *l.* 3. *de Officio Præfecti Vigil.* & alibi *in Pandectis*, item ex Juvenali *Sat.* 14. *v.* 305. Sed iſtæ ſparteolorum hamæ magnitudine & fortaſſe etiam formâ nonnihil differebat à *batillis* focorum. Meminit horum Plin. quoque *l.* 33. *c.* 8. *Argenti duæ differentiæ*: batillis *ferreis candentibus ramento impoſitô, quod candidum permanent, probatur.* Et *l.* 34. *c.* 11. *Æruginis experimentum in batillo ferreo.* Marcellus item Empir. *c.* 27. *Spongiam ſupra batillum torrebis & diligenter teres.* Et Apicius *l.* 7. *c.* 9. *Præſo cum elixatus fuerit, decarnabis & armillam in illum candenti batillo mures*, &c. Sed & *Batillum* appellàrunt foculi geſtatilis ac anſati genus, quod prunâ plenum Principibus viris præferebant, ad odores incendendos. Quomodo accipiendus, Horatii locus, de Fundano ſcriba, qui immeritos honores ſibi arrogabat, *l.* 1. *Serm. Sat.* 5. *v.* 34.

Fundos Aufidio Luſco Prætore libenter
Linquimus, inſani ridentes præmia Scribæ,
Prætextam & latum clavum prunæque batillum.

Atque ab hac voce eâ notione acceptâ Veteres, ob ſimilitudinem, vocaverunt laminas argenteas, utrinque ad laterum margines curvatas, quibus pugionum & enſium vaginas operiebant, ut hodie à Germanis fit. Plin. *l.* 33. *c.* 12. ubi de argenti in luxum abuſu: *Et quid hæc attinet colligere, cùm capuli militum ebore etiam faſtidito, calentur argentô vaginæ* batillis, *balthei laminis crepitent.* Alii tamen *Catillos* legunt, clavoſque exponunt argenteos, quorum capita catillorum figurâ exuberant. Dalechampius *ad loc.* Apud Abdiam *Hiſtor. Apoſtol.* *l.* 9. *Erant autem virgines cum lyris cantantes, alii cum tibiis: alii cum tympanis, alii cum* batillis *& thuribulis* · vox Muſicum inſtrumentum notat, ex metallo, ad baculi formam, annulis undique refertum, qui percuſſi concinnè ſonuerint. Dominico Macro, qui in Templis Armeniorum iſtiuſmodi harmoniam ſæpius, inter ſacra, ſe audiviſſe refert; in *Hierolexico*. Atque hi omnes *Batilli* ferrei erant: è ligno illi, quorum meminit Varro de *R. R.* *l.* 1. *c.* 50. Vide Salmaſ. *Not. ad Pollionem loc. cit.* & infrà quoque *Vatillum*.

BATINA, vel BANTINA, oppid. Apuliæ, Horat *Carm.* *l.* 3. Od. 4. *v.* 15.

Saltuſque Batinos, & arvum
Pingue tenent humilis Ferenti.

BATIS, Eunuchus, Præſidiariorum militum Gazæ Dux, quem captâ urbe, egregiâ editâ pugnâ, multis vulneribus confectum, quia ſupplex Alexandro fieri noluerat, per talos ſpirantis loris trajectis religandum ad currum ac circa urbem equis trahendum Macedo curavit. Curt. *l.* 4. *c.* 6.

BATMANSONIUS Johannes, vide *Johannes*.

BATNÆ, civitas Oſthoenæ. *Steph.*

BATNÆ, oppid. Meſopotamiæ, apud Niſibim, amœnitate Tempe Theſſalicis comparandum. *Ammian. Steph. Zoſim.*

BATO, Dux Pannoniorum, qui conqueſti, *quod Romani ad greges cuſtodiendos non canes vel Paſtores, ſed lupos mitterent*, arma ſumſerunt, A. C. 8. Dio Caſſ. *l.* 55.

BATOCHINA, inſul. *Mauricam* appellant, magnam partem eorum, quæ ad victum neceſſaria ſunt & cultum, Moluccis inſulis ſuppeditat.

BATON Sinopenſis, *rerum Perſicarum commentarios* condidit: cujus rei auctor nobis Strabo *l.* 12. ubi de Sinope, *Ἄνδρες ἐξενήνοχεν ἀγαθούς. Τῶν μὲν φιλοσόφων Διογένη τὸν Κυνικὸν, καὶ Τιμόθεον τὸν Πατρίωνα. Τῶν δὲ ποιητῶν Δίφιλον τὸν Κωμικόν. Τῶν δὲ συγγραφέων Βάτωνα τὸν πραγματευθέντα τὰ Περσικά.* Plut *in Agide & Cleomene*. Idem *de Theſſalia & Æmonia* commentarius eſt. Athen. *l.* 14. *Βάτων ὁ Σινωπεὺς ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ περὶ Θεσσαλίας καὶ Αἱμονίας σαφῶς ἐμφανίζει τὴν τῶν Σατουρναλίων ἑορτὴν Ἑλληνικωτάτην.* Item librum edolavit, *περὶ Ἴωνος ποιητοῦ*, de quo vide Jonſium *p.* 181. Item, Poëta Græcus, *Suidas*.

BATON, Amphiarai auriga, *Polybius*.

BATORIUS Franciſcus, vide *Franciſcus*.

BATRACHOMYOMACHIA, nomen carminis, *ranarum muriumque pugnam continentis*, quod Homeri nomen præ ſe fert. Et pro Homerico ſcriptus agnoſcit illam Statius *Præfat. Sylvarum ad Stellam*: *Sed & culicem legimus &* Batrachomyomachiam *etiam agnoſcimus. Nec quiſquam eſt illuſtrium Poëtarum, qui non aliquid operibus ſuis ſtylô remiſſiore præluſerit.* Dubitàrunt tamen olim non pauci, neque injuriâ, ut multis argumentis demonſtrari poſſet. Inter quos Henricus Stephanus *Schediaſmatum l.* 6. *c.* 22. laudatô exemplari, cui *Tigretis Cari* titulus fuerit inſcriptus: Et Petrus Nunneſius *Commentar. ad Phrynichi Dictiones Atticas*. Vide Caſparum Barthium *Animadverſion. in Statium l.* 1. *p.* 5.

BATRACHUS, ſculptor. Plin. *l.* 36. *c.* 5. *Nec Sauron atque Batrachum obliterari convenit, qui fecêre templa Octaviæ porticibus incluſa, natione & ipſi Lacones.*

BATTA, provinc. mediterranea regni Congi in Africa, cum oppid. cognomine ad Barlam fluv. *P. du Val.*

BATTARUS, non quidem arboris ſive herbæ nomen eſt, ut voluit Domitius, ſed fluvii *Guattaru*, ut placet *Scaligero*, cujus meminit Valerius Cato *Dirarum* initiô;

Battare, cycneas repetamus carmine voces.

BATTI, Dux Tartarorum, magna cum manu ex Scythia in Ruſſiam irrupit, eâque univerſâ poteſtati ſuæ ſubjectâ, Ruſſiæ Duces omnes, è Waregis Imperii Ruſſici conditoribus ortos, in miſeram ſervitutem redegit, circa A. C. 1224. Sic Ruſſia Tartarico jugo ſubjecta, ſub eo gemuit, uſque ad tempora Baſilii, qui circa A. C. 1500. gentem in priſtinam libertatem aſſeruit. Intereà Tartarorum Zavolhenſium Imperatores Ruſſis pro arbitrio Duces dederunt, quorum quàm abſolutum in eos dominium fuerit, legere eſt, apud Herberſteinium, Petrum Petreium, aliiſque *Rerum Moſc.* Scriptores, Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 175.

BATTIADES, Callimachus à *Batto* patre. Ovid. *in Ibin*, *v.* 53.

Nunc quò Battiades inimicum devovet Ibin:
Hôc ego devoveo teque tuoſque modô.

Stat. *l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 157.

------ ------ *Tu pandere doctus*
Carmina Battiadæ.

Item *Battiadæ* dicti ſunt Cyrenenſes à Batto Cyrenes conditore. Sil. Ital. *l.* 3. *v.* 253.

Nec non Cyrene Pelope ſtirpes nepotis
Battiadas parva fides ſtimulavit in arma.

Idem *l.* 2. *v.* 61.

—— -—— *Et iniquô ſole calentes*
Battiadæ.

BATTIS, puella, quam Philetas Poëta elegiographus ſuis carminibus celebravit. Ovid. *Triſt. l.* 1. *El.* 5. *v.* 2.

Nec tantùm Coo Battis amata ſuo eſt.

BATTO, fil. Changii, Tartarorum Rex, frater Ochtai. Hic cùm patris ſucceſſor fratres cum copiis ad cæteras orbis partes ſubjugandas miſiſſet, Batto, cui Septentrio obvenit, Moſcoviam ſubjecit, Ruſſiâque, Poloniâ & Sileſiâ, devaſtatis, ad Lignitium Henricum Ducem, magnâ ope, cruentiſſimô prælio vicit, ipſô cùm Poppone Crucigerorum M. occiſo. In cujus victoriæ argumentum IX. ingentes ſaccos auriculis cæſorum impletos domum miſit. A. C. 1242. Bonfin *dec.* 2. *l.* 7. M. Cromer *l.* 8.

BATTOLOGIA in Sacris, Gentilium, Phariſæorum & Chriſtianorum quorundam, vide infrà in voce *Litania*.

BATTON, Comicus, cujus fabulæ apud Suidam ſunt *Ἀνδροφόνος*, & *Εὐεργέται*.

BATTUALIA, dicta ſunt, cum milites vel gladiatores ad palum exercebantur. *Gloſſæ*, *γυμνασίαι μονομάχων*, *exercitationes monomachorum*, Recentiores *battalia* dixêre: Adamantius Martyrius, *Battualia, quæ vulgò battalia dicuntur, exercitationes autem militum vel gladiatorum ſignificant.* Inde etiam *Battuatores τοὺς πολεμιστὰς* dici putat Salmaſ. Sic enim legendum, cùm vulgò *βαττουατόρες* legatur. *Battuere* namque & *battuare* dicebant locô *τοῦ κόπτειν* vel *πολεμίζειν*, *battuatorum*, *πολεμιστῶν*. Ut autem milites ad palum ſudibus, ſic gladiatores ad eundem rudibus quoque battuebant. Hinc *Battualia* & Palaria, de exercitationibus militum & gladiatorum, &c. Vide Salmaſ. ad *Æl. Spartian. in Hadriano*, *c.* 26. & infrà, ubi de *Monomachia* ac *Palo*.

BATTUS I. Lacedæmone oriundus, Cyrenes in Africa conditor, annô 2. 32. Olymp. Euſeb. *Chron.* quem Callimachus ait progenitorem ſuum fuiſſe. Strabo *l.* 17. *Battiades* Ovidius *in Ibin*, *v.* 53. hinc dictus. Juxta Cretam inſula eſt, nomine Thera, unde profectus *Battus* in Africam venit, ubi Cyrenes urbem condidit. Hujus beneficii memores Afri ſilphium illi ſacràrunt, quòd apud eos herba hæc gloriam inter herbas obtineat primam, ut cujus caulis, ſuccus, folia, fructus, omnia denique, quæ in ſilphio ſunt, pretioſa ſint & utilia. Amplius Batto numiſma percuſſerunt, in cujus altera parte regia facies ſculpta erat, in altera ſilphium, quò donatus à Cyrenæis Battus fuerat. Hinc factum eſt, ut *Batti ſilphium*, pro raro & novo quopiam honore vel dono acciperetur. Significat autem *Regem* in lingua Libyca. *Heſych.* *Βάττος*, *βασιλεύς*, *τύραννος*. *Λίβυες*. Hic linguæ uſque adeò impeditæ fuit, ut verbum *βατταρίζειν* ab eo originem traxerit. *Suidas*. Unde *Heſych.* *Βάττος*, *τραυλόφωνος*, *ἰσχνόφωνος*. *Nic. Lloydius*. Et *Battus* quidem primò *urbem condidit in Pharas inſula Libyæ adjacente, dein locum Libyæ Ἄζιριν (vel Ἄζιριν) vocatum amœniſſimis collibus incluſum 6. annis incoluit. Septimô autem in locum, cui ἄρουρα nomen, tranſiit, ubi Fons Apollinis*, Herodotus *l.* 4. *c.* 156. & *deinceps*. Fons iſte indigenis *Κυρή* vocabatur, cujus Callimachus Cyrenæus meminit *Hymno in Apollinem*. A fonte urbi nomen. Vide *Cyrene*: it. voce *Chronis*. *Succeſſit* illi in regno Arceſilaus fil. de quo ſuprà. Nummus, quem ejus in honorem Cyrenæi cuderunt, unâ parte caput Ammonis, alterâ caulem ſilphii habebat, cum inſcriptione, KYRA, h. e. KYPHNAIΩN, unde Proverbium *Βάττου σίλφιον*, de rariis honoribus. Ejus picturam nummi ex eo, qui fuerat Antonii Piſonis Medici, expreſſit Yvo Villiomarus, h. e. Joſephus Scaliger *adverſ. Titium l.* 2. *c.* 24. Nec contenti civili hôc honore Cyrenenſes, etiam præterea ei ſtatuêre, ut Herodotus *Melpom.* ait *τεμένεα καὶ ἱερωσύνας*, *fana ac ceremonias*: quorum auctor iis, ut ibidem

ſtidem legas, fuit Demonax ex Mantinea Arcas, qui occaſione oraculi Delphici, eò à Mantinenſibus miſſus erat. Vide Gerh. Joh. Voſſ. de Origin. ac Progreſſ. Idolol. l. 5. c. 32. Salmaſio verò, quamdiu Battiadarum nomen Cyrenis regnavit, nummos eâ formâ percuſſos habuiſſe videntur, qui, ab uno latere Batti imaginem, ab altera Cyrenas Reginam & ſilphium Batto offerentes præferebant. Eâ verò familiâ extinctâ, poſtmodum eadem ſilphii, & Hammonis effigiem demum inſculpſiſſe Cyrenenſes, docet, ad Solin. p. 358. Certè Ariſtotelis hæc traditio eſt, quam profert in τῇ Κυρηναίων πολιτείᾳ. Ex veteri Interpres Ariſtophanis, Βάττος, inquit, Κυρήνην ... Κρήτης νῆσος ... Λίβυες ... σίλφιον. ... Battus Cyrenen condidit, veniens è Thera, Creta Inſula quem magno honore excipientes Libyes, donarunt ei pulcherrimum ſilphium. Et in nummo ſculpſerunt eum in altera parte Regnum, in altera ſilphium ab urbe acceptarum. Unde Trezes,

Βάττος ... [illegible] τὸν τύπον,
Ἐν τῷ νομίσματι αὐτῶν ... [illegible]
Τῶν Κυρηναίων ... τὸ σίλφιον ... [illegible]

Veteri tamen alter *Ariſtophanis Scholiaſtes*, non in nummo, ſed in ſtatua, aut annulo, eam figuram repræſentâſſe Cyrenenſes dicit. Verùm de nummo faciliè credi poteſt. Namque & in aliis nummis quamplurimas urbes & provincias videmus ſpecie fœmineâ ſlores aut fructus ferentes & Ducibus Regibuſque benefactoribus ſuis eos offerentes. Unde nil mirum, ſi idem fecêre Cyrenenſes, quibus ſilphium, res tum novella erat, utpote ſeptem annis ante urbem à Batto conditam, imbre piceo madefactâ tellure, apud illos natum; quum antea non extaret, &c. Vide Salmaſ. ad Solin. p. 358. & 359.

BATTUS II. prioris ex Arceſilao filio nepos, patri ſucceſſit. Sub eo colonia magnum cepit incrementum, unde is Εὐδαίμων, Felix cognominatus eſt. Herodot. d. l. *Sub Rege tertio, qui Battus Felix nominatus eſt, Pythia oraculô ſuô Græcos cunctos ad navigandum in Libyam cum Cyrenæis habitatum induxit.* Hunc Solinus videtur intellexiſſe, cum c. 30. dixit: *Cyrenas Battus Olympiade XLI. condidit.*

BATTUS, paſtor Pylius, quem Mercurius in Indicem commutavit. Nam cùm Apollo Admeti Regis armenta paſceret, Mercurius boves quaſdam, quæ longiùs proceſſerant, furtò abactas in ſylvis occultavit, *Battoque* cuidam equarum cuſtodi, à quo uno viſus fuerat, mandavit, ne cuſpiam illud furtum indicaret; quod ut libentius faceret, vaccam pulcherrimam ei donò dedit. Mercurius verò abiens, ut hominis fidem experiretur, ſumptâ aliâ figurâ paulò poſt ad eum rediit, rogans, an vaccas quaſdam illac tranſeuntes vidiſſet, pollicenſque, ſi indicaret, vaccam ſe illi cum tauro daturum. *Battus* itaque ſpe correptus, ſub quo monte paſcerentur, indicavit: ob quam perfidiam Mercurius eum in lapidem, qui *Index* dicitur, commutavit. Ovid. *Met. l. 2. v. 702.*

At ſenior, poſtquam eſt merces geminata, ſub illis
Montibus, inquit, erunt: & erant ſub montibus illis.
Riſit Atlantiades: & me mihi, perfide, prodis?
Me mihi prodis? ait. Perjuraque pectora vertit
In durum ſilicem; qui nunc quoque dicitur Index.

BATTUS, ineptus Poëta, qui in carmine conficiendo eadem ſæpius repetebat; unde Βαττολογεῖν, inepta verborum redundantia, ſeu ejuſdem rei vitioſa repetitio. *Suidas*, Βαττολογία, ἡ πολυλογία, ... Βάττον τινὰ ποιητήν ... *Heſych.* Βαττολογία, ἀργολογία, ἀκαιρολογία. Theophylact. in *Matth. c. 6.* Βαττολογία ἐστὶν ἡ φλυαρία. ... Subdit, Βατταρισμὸς δέ ἐστιν ... τῶν παιδίων.

BATUECI, populi Hiſpan. vulgò *las Batuecas*, in regno Legionenſi, in montanis, inter Cauriam & Salamanticam. Sunt ſane reliquiæ Gothorum, & inventi fuerunt ultimò ſeculô, a Duce Albano. *Mariana.*

BATULUM, caſtellum Campaniæ; cujus incolæ Turno in auxilium venerunt adverſus Æneam. Virg. *Æn. l. 7. v. 739.*

Quique Ruſas Batulumque tenent, atque arva Celennæ.

BATUM, fluv. Italiæ in agro Bruttio prope Blandam urbem. Plin. l. 3. c. 5.

BATUS, inuſitatè inſanus, Schol. in *Ariſtoph. Plut.* Item Hiſtoricus Græcus, in 2 Hiſtor. Atticæ adducitur a Pindari Scholiaſte, in *Nem. Od. 4.*

BAVACUM, oppid. pervetuſtum Hannoniæ Comitatus, aliter Bagacum ſeu Begaqum, ad *Hoſnam* amnem. Deficit mdies. 3. leuc. à Valencenis. Vulgo *Bavay*.

BAVAI, i. e. *in luſu*, vel *miſeria*, nomen viri. Nehem. c. 3. v. 18.

BAVARA, in *Vita* B. Catharinæ Bonon. *Soba*, *quam ſacra virgines, bavaram vocant depoſcit*, velum eſt ad jugulum tegendum, quo Moniales mentum conſtringunt, apud Car. Macrum *Hierolex.*

BAVARIA, vulgò BEYERN, Ducatus Germaniæ, ſecundo Imperii circulus, ab *Avaribus* Hunnorum reliquiis nomen habens, qui Noricis expulſis ea in terra conſederunt, & B. littera adjectâ Bavariam dixerunt, ut quidam volunt. *Marcus* verò Baemvrick nomen ad nomen à *Bavarica* Tuſcorum Rege dictis dicunt *Boaria*, à Bojis Ciſalpinæ Galliæ populô, qui hoc locô aliquandiu ſedes habuiſſe leguntur. *Noricum* etiam dicebatur, à *Norico*, Duce quodam, qui ex Orientalibus partibus huc profectus Ratiſbonenſis urbis fundamenta jecit. Conterminos habet ad Boream Francos, ad Occaſum Suevos, ad Meridiem Alpes Italiæ, ad Ortum Auſtrios & Boëmos. Dividitur in Ciſ-Danubianam & Trans-Danubianam: Ciſ-Danubiana rurſum in Atheſinam juxta Atheſin fluvium, in Alpibus ac Rhætiæ primis finibus, cujus bona pars eſt: In Bavariam ſuperiorem verſus Occidentem, quæ magna ex parte ſterilis, ob Alpes, quibus ſubjecta, inter Anibeum Iſaramque fluvios; & in inferiorem verſus Ortum, quæ fertilior, frequentiuſque habitata, inter Iſaram, Virſum ſeu Lavarum, & Danubium flumina, procul etiam vitium ferax. Bavaria Trans-Danubiana, ea Nariſcorum ora eſt, & hodie *Nortgave* dicitur: hæc eadem jam Palatinatus ſuperior eſt. Dividunt quidam Bavariam in quatuor Epiſcopatus, Salzburgenſem, Pataviensem, Phriſingenſem & Ratisbonenſem. Noricorum fuit olim; & priuſquam in provinciam redigeretur, à proprio Rege uſque ad Arnulphi Imperatoris tempora adminiſtrata eſt, ut quidam ſcribunt. Hinc Ludovicus Pius Imperator Ludovicum fil. Bavariæ Regem declarâſſe legitur, A. C. 817. P. Æmil. l. 3. &c. Deinde Duces habere cœpit, hodieque retinet. Quorum Hiſtoria paucis hæc: Primus auctor familiæ Arnolphus quidam, à Normannis A. C. 891. cæſus, cujus fil. Luithpoldus Dux Bavariam rexit; ab Ungaris occiſus A. C. 908. Pater Arnolphi, qui gravibus cum Conrado I. & Henrico Aucupe Imperatorib. bellis geſtis, effecit, ut liberi ſui Ducatu excluderentur. Eberhardus nempe, Auſtriacorum veterum Marchionum ſator, & Arnolphus, Comes Schirenſis: è cujus poſteris Otto V. vexillifer Friderici Barbaroſſæ, proſcriptô Henricô Leone A. C. 1180. Ducatum Bavariæ denuo nactus eſt. Proavus Ludovici, qui communis Palatinorum & Bavarorum, quotquot hodie ſuperſunt, pater eſt. Ejus enim fil. minor Ludovicus Imperator, qui in ſummum culmen rem Bavaricam evexit, hodiernorum Bavariæ Ducum progenitor eſt: ſicut major hujus natu frater Rodolphus Palatinos ſevit. Præeſt hodie Bavariæ Ferdinandus Maria, natus A. C. 1636. ex Maximiliano, qui Electoralem dignitatem in familiam intulit, A. C. 1623. Regio ipſa, præterquam ubi Auſtralior eſt, non ſteritur, utpote nemoroſiſſimum & montoſa. Sues glandibus, ſilveſtribuſque pomis tantâ copiâ nutrit, ut veluti Hungaria boves; ita hæc ſues cæteris Europæ nationibus largè ſuppeditet. Gens ipſa veſtitu, ut plurimum, flavô colore amicitur: ocreis quàm caligis libentiùs calceatur. Non eſt hodie deſerta, ut *Strabonis* tempore fuit, ſed cultiſſima, magnas & ſuperbas civitates habens, quarum primaria & ſedes Principis Monachium, ad Iſaram, & oppida nobiliſſima, circa quæ magna frumenti copia, Ratisbonam, ubi Comitia Imperii habentur, & Landshutam in inferiori, Ingolſtadium ad Danubium fruſtra à Guſtavo Adolpho tentatum, ubi Academia: Friſingam ſedem Epiſcopalem &c. quæ in ſuperiori ſitæ. In hanc regionem Berengarius Italiæ Rex ab Ottone M. relegatus eſt, A. C. 952. Sigon. l. 6. & 7. Vindicavit eam ſibi Stephanus Rex Ungariæ, ſed victus à Conrado II. Imperatore. A. C. 1030. In Bavaricam familiam, Comitatum Hannoniæ, Zeelandiæ & Hollandiæ intulit Margareta, Ludovico Imperatori nupta, A. C. 1324. Controverſiam bavaricam prudenter decidit Maximilianus I. A. C. 1504. Quid bellô Germanicô, quô antè memoratus Maximilianus, ſuperiorem Palatinatum, pace Monaſterienſi, avitæ ditioni junxit, geſtum ſit, ex noſtri ſeculi Hiſtoricis petendum. In Bavaria diſſidentes Epiſcopos, circa A. C. 936. ad pacem datis literis hortatus eſt Leo VIII. Papa, qui Ottoni M. jure eligendi Pontifices ac inveſtiturâ Cleri reſtitutâ, inter alia, in epiſtola memorat. Sacerdotes tum publicè uxores habuiſſe, ſicut cæteros Chriſtianos. Addens, *Satius enim eſt caſtè connubiô frui, quam vagè Veneri operam dare.* Vide Aventinum *Annal. Bojorum l. 4.* Albertus quoque Dux, unà cum Ferdinando I. Imperatore & Carolo IX. Galliæ Rege tempore concilii Tridentini, Calicis uſum in cœna Domini, circa A. C. 1563. ardenter à Pio IV. ſed fruſtra, expetiit, &c. Hodie tota Romanæ ſedi addicta eſt. *Munſterus*, *Aventinus*, Alii. Vide etiam ſuprà *Bajoarii*. *Pſammerus* ſic de ea: Poſtquam Regibus antiquitus ſubfuiſſet, Ducatum Chlodovæus Francus inſtituit. Regia dignitas aliquoties reſumpta, adverſantibus Francis nonquam diu valuit. Neque etiam Francorum, non Saxonum perpetuo dominatio: & Guelphorum potentia citò in Auſtriorum iterum ad Guelphos, horum denique imperia in Schirenſes, qui hodieque præſunt, ceſſêre. Inter *Reges* antiquiſſima Adalogerionis, Bojorum ſponte delecti, memino eſt. At non diuturnum id decus permiſit Chlodovæus præfatus, eâ victis à ſe Bojis lege impoſitâ, ut, cætera quidem legibus ſuis moribuſque uſuri, majeſtatem Regis P. Q. Francorum comiter obſervarent, Principemque ex ſuis quidem, ubi opus eſſet, legerent, at qui *Ducis* nomine contentus regiô abſtineret, eam autem in rem Francorum Reges auctores fierent. Quod cùm per ſeculi ferè ſpatium manſiſſet, Cariovalda, Ducis Theodeberti filius, per Franciæ Regum ignaviam, Regium titulum reſumſit, ſed mox armis eorum, quos ſpreverat, modeſtiæ admonitus, patruo Thaſſiloni provinciam relinquere coactus eſt, Ducis iterum nomine regendam. Rediit Utiloni idem regii decoris amor, qui tamen & ipſe ſuperatus à Pipino atque in Ducum denuo ordinem reductus eſt: Eximoſius ſibi domuique Thaſſiloni III. certamen fuit, qui hoſtilia contra Carolum M. agitans, bis victus eſt, Bojariæque imperium Laureacenſi Monaſteriô commutavit: filiô Theodone inter Sacerdotes adlectô ſicque Ducatus ſpe itidem excluſô. Ita provinciæ tanquam ſuæ Carolus Geroldum rectorem dedit, fratrem Hildegardis uxoris, maternoque genere è Bojis oriundum: ſic regnum hoc Carolini ſtemmatis Cæſares Regeſque tenuêre, Ducibus in partem curarum adſcitis: è quibus Arnulphus Malus, Luitpoldi filius, poſt obitum Ludovici Imperatoris, Arnolfô Imperatore genito, à Bojariæ Proceribus, Hungarorum metu periculiſſa Rex ſalutatus.

tus, abdicatô hôc nomine veniam meruit: frater Berchtoldi, in quo Francorum Regum ſimul & qui hortam auſpicus præterant, Ducum in Bojaria imperium deſiit, quod ad 160. annos produxerant. Francis Saxones ſucceſſêre, è quibus primum *Bavariæ Ducem* Henricum fratrem, Otho I. Imperator creavit, quâ malô ſuô meritô excidit Otto, ab Henrico IV Cæſare ad Welphorum, Suevicæ gentis ea Altorfi Comitum proſapia Principem, tranſlatâ. Neque huic familiæ Ducatus poſſeſſio diuturna, crimine Henrici Superbi, Saxoniæ atque Bojariæ Ducis, qui ſpretô Conradô Imperatore obſequii impatientiam patrimonii jacturâ piavit. Inde Leopoldô, eâdem, quâ Cæſar, matre genitô, eôque ſine liberis defunctô, Henrico fratri, Bojaria obvenit, in cujus manus quoque Superbi vidua convenerat. Sed repetiit Superbi filius, *Leonis* poſtea cognomen indeptus, inter quem & Henricum lis ſic tandem, annitente Fredericô Imperatore deciſa eſt, ut redditâ Leoni Bojariâ Occidentali Henricus Orientalem, Auſtriam ſcil. *Marchionis* titulô hactenus habitam, *Ducis* retineret nomine, obſequii exolutam nexu, quô Bojariæ Principibus obnoxia hactenus fuerat. Verùm Leo poſteà, cum gratia Cæſaris, Ducatu etiam excidit, qui ad Schirenſium proſapiam reverſus eſt: poſt 109. annos, ex quo ad Guelficam ſtirpem primùm devenerat. Eâque occaſione etiam Stiria, Dalmatia, atque Merania ſive Moravia Bojorum legibus imperiôque liberata, ſui juris Duces, iſta Odagrium, hæc Berchtoldum accepêre: ipſa verò *Bavaria* cum Palatinatu Rheni coaluit, &c. Vide Tob. Pfannerum *Lib. de præcipuis Germaniæ Principum gentibus* c. 3.

Urbes Bavariæ præcipuæ:

Burchuſia, *Burchauſen.*	Novoburgum, *Neuburg.*
Friſinga,	Ratisbona, *Regenſpurg*, urbs Imperialis.
Ingolſtadium,	Straubinga.
Landshutum.	
Monachium, *Munchen*, caput Ducatus.	

BAVARIA Marcus Antonius, vide *Marcus Antonius.*

BAVARUM Latum, cujus mentio in *Bullario* Caſin. *Tom. II. Conſtit.* 572. *Quæ preces de mandato Sanctiſsimi Dom. N. Papæ in Sacr. Rit. Congregatione propoſita fuerunt, eadem Sacr. Rit. Congregatio cenſuit dicto Abbati Generali Congregationis Montis Virginis, poſſe concedi uſum della mozetta, ſeu* Bavari Lati *cum caputio, ſive birro & in terris & locis tantum ſuæ juriſdictioni ſubjectis.* dicitur Mozetta Prælatitia, Macro in *Hierolex.* Vide infrà in voce *Mozetta.*

BAUBELLA, apud Rogerum Hovedenum in *Ricardo I. Tres partes theſauri ſui & omnia* baubella *ſua diviſit Othoni nepoti ſuo, Regi Alamannorum:* ſunt res pretioſæ, veluti gemmæ, uniones & alia hujuſmodi, quæ Galli vulgò *Babioles*, aliàs *joyaux* appellant. Italis *Bambola* vitrum ſpeculi eſt, fortaſſis etiam ſpeculum ipſum: Specula verò eſſe in mundo muliebri notum, unde forte Galli ſuum *Babiole* hauſerunt *Bacibalum* eâdem notione occurrit in *Fragmento* Petronii de Cœna Trimalcionis, *Noveratis Meliſſam Tarentinam, pulcherrimum bacibalum.* Galli dicerent, *un beau bijoux.* Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque ſuprà *Bacca.*

BAUBO, mulier quædam, quæ cum Cererem hoſpitiô ſuſcepiſſet, ei neſcio quam obtulit potionem, quam ipſa tota colliquata lacrymis, ob filiæ mortem, bibere nolens, reſpuit. *Baubo* illud moleſtè ferens, & non tantæ authoritatis Deam eſſe putans, pudendum revelavit, & ei nudam oſtendit: quô ſpectaculô Dea delectata in gremium poculum accepit. Clem. Alex. *Orat. ad Gentes*, & Arnob. *contra Gentes. Heſych.* Βαυβώ, τιθηνὴ Δήμητρος, σημαίνει δὲ καὶ κοιλίαν, ὡς παρ' Ἐμπεδοκλεῖ. *Nic. Lloydius.* Cyceonem vocat potionem illam Orpheus in *verſibus* Clementis memoratis, ubi de Cerere, facto Bacchi, cum Baubone ludentis, ad riſum excitatâ:

Τὸν δ' ἐπεὶ οὖν ἐνόησε θεὰ, μείδησ' ἐνὶ θυμῷ,
Δέξατο δ' αἰόλον ἄγγος, ἐν ᾧ κυκεὼν ἐνέκειτο.
Hoc poſtquam vidit Dea, ſubriſit in animo,
Accepitque egregium vas, in quo cyceon erat.

Qua de potione diximus aliquid ſuprà, ubi de *Adonis potione.* Atque hinc *Baubo* inter Eluſiniorum ſymbola recepta, & ad Cereris imitationem, cyceonem quoque ſumebant, qui ſacris illis initiabantur. Unde de ſymbolis Initiorum rogati reſpondebant, *Jejunavi, ebibi cyceonem.* Clemens, [illegible], &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 750.

BAUCA, idem cum *Cauca*, vaſis nempe ſpecies viniferi. Anaſtaſius *in Leone IV. Cantharum exauratum unum, baucas exauratas tres, fibulatoria majora & minora quinque.* Et in *Benedicto III* Baucas *ex auro puriſſimo duas penſantes libras. Vauca* ſcribitur in *Hiſtoria* Ignoti Caſin. *de Rebus Langobard.* c. 10. ubi Sicoolfus Princeps Benedicti Cœnobio abſtuliſſe dicitur, inter alia, *vaucas per unum in gemmis & ſmaragdis.* Aliàs *Boca, Boccola, Boclarii, Boculare, Baculare* &c. A' *Bauca* autem, *Baucal*, vel *Baucale*, quod eſt vas vitreum, vinarium. Eſt & *Baca* & *Bacca*, nam ita ſcribitur apud *Iſidorum*, genus aliud vaſis, à quo *bacar*, ἀγγεῖον οἰνηρὸν in *Gloſſis* & *bacarium*, Salmaſ. *ad Trebellium Pollionem in Claudio*, c. 14. Vide quoque hîc infrà in *Baucalis*, item *Cauca*, & *Gillo*.

BAUCALIS, Græcè Βαυκάλις, cognomen Alexandri cujuſdam Presbyteri, apud Philoſtorgium *l.* 1. *c.* 4. ſic dicta [illegible]. *Propter tumis videlicet, qua ſupercreverat in dorſo ejus, molem collectam ad modum & imitationem vaſis teſtacei, quod Alexandrini vernaculâ voce* Baucalas *appellare ſolent.* Nempe *Baucalis*, Alexandrinorum & Ægyptiorum vox, à *Bauca*, orta, vas fuit fictile, aliàs *Gillo*, ut habetur in *Gloſſa* Camberon. Vide quæ eam in rem Nicephorus Calliſti *habet l.* 5. *c.* 5. & Caſſian. *de Cœnob. Inſtit.* l. 4. c. 16. ubi de Ægyptiis Monachis, & Pachomius *Inſtitut.* §. 5. Βαυκάλιον & βαυκάλιον eâdem notione uſurpat Achmes c. 177. ubi perperam καυκάλιον habere ait Car. du Freſne. Sed duarum harum litterarum invicem permutationem frequentem eſſe, docet Salmaſ. exemplô vocum, βαβαρίζειν, [illegible], & apud Latin. *Buſo, cuſo* &c. Βαυκάλιον vocat Joh. Moſchus c. 29. Βαυκάλιον quoque Nicarchus in *Epigrammat. l.* 2. *Antholog.* p. 161. *Edit. H. Steph.* Quòd verò *Baucas* etiam ſeu *Baucales*, etiam *Gillones*, olim appellaverint, ex vetuſtiſſimo libro *Epigram.* idem confirmat Salmaſ. qui ibi ſcriptum ſe legiſſe ait,

------ *Gillo, fabella, urceo.*

Notis ad Trebellium, ubi ſuprà. Vas fuiſſe, quo utebantur æſtam refrigerandis in aqua cyathis, Alciatus *Prætermiſſor. l.* 2. refert, ex modo laudati Nicarchi hoc *Epigrammate*.

Μὴ κάμνε, μὴ φύσα, μάτην τὸ καπνὸν ἐγείρεις,
Εἰς τὸ θέρος χαλκοῦ βαυκάλιον ἐγόρασα.
Ne fatigo te, ne exſuffla, fruſtra fumum excitas,
In Aeſtatem aeneam baucalem emiſſi.

Salmaſ. idem cum *Bauco* facit, vide ibi.

BAUCEANT, vexillum Templariorum, apud Jac. de Vitriaco. *Bipartitum ex albo & nigro --- eo quod Chriſti amicis candidi ſunt ac benigni, nigri autem & terribiles inimicis* Nempe *Baucent* vel *Bauceant* ſequioris ævi auctoribus eſt, albo & nigro interſtinctus vel bipertitus: Gallis præſertim de equis, quorum pellis his coloribus diſtinguuntur, in uſu, Nic. Gurtlerus *Hiſtoria Templarior.* § 75. ex Car du Freſne.

BAUCIDES, calcei genus, vide infrà *Femina.*

BAUCIS, anus paupercula, Philemonis ſeum conjux, quos Jupiter in arbores commutavit. Ferunt enim, cùm Jupiter & Mercurius Phrygiam peragrarent, ſolos hos invenios fuiſſe, qui Deos hoſpitiô dignarentur. Quare cùm Jupiter eam regionem ob inhoſpitalitatem terræ, hiatu perdere decreviſſet, Philemonem & Baucidem monuit, ſi ſalvi eſſe vellent, ſeſe ut ſequerentur, qui ſine mora Deorum veſtigia ſubſecuti ſunt. Cumque jam ad vicini montis culmen perveniſſent, fortè reſpicientes, ſubjectam oculis regionem palude hauſtam vident, ſolâ ſuâ caſâ exceptâ, quæ ipſis aſpicientibus in templum eſt transformata Juſſi deinde pro hoſpitiî munere petere quod vellent, nihil aliud ſe optare reſponderunt, quàm ut novi templi ſacerdotio præficerentur, nec alter alterum ad ſepulturam ferret, ſed eôdem temporis momentô ætternum finem vitæ ſimul ambo clauderent Quod cum illis Jupiter annuiſſet, ad ſua eos remiſit; ubi quod reliquum erat vitæ, in Deorum miniſterio peregerunt: cumque jam extremam ſenectutis metam attigiſſent, in arbores converſi ſunt, ut latiùs fabulam refert Ovid. *Met. l.* 8. Ponitur autem *Baucis* pro anus vetula in foro olitorio herbas odoratas vendente. Perſius *Sat.* 4. v. 21.

Dum ne deterius ſapiat pannucia Baucis,
Cum bene diſcincto cantaverit ocyma vernæ.

Vide ſis ibi Caſaubon.

BAUCISMUS, commeſſatorum ſaltatio, mollicula illa quidem & delicatos membrorum flexus habens cui nomen à ſaltatore *Bauco*, *Polluci* memorato, apud *Camerarium.* Scaligero, Græcè Βαυκισμὸς, *ſaltatio mollis valde & corporis inclinationibus admodum varia*, *Poetices l.* 1. *c.* 18.

BAUDICEA, Britanniæ Regina; ob avaritiam ſuperbiamque Romanorum, armis ſumtis, LXXM. civium aut ſociorum occidit. Victa tandem à Suetonio, venenô vitam finit A C. 61. 62.

BAUDIUS Dominicus, Hiſtoricus, Orator & Poëta inſignis. Docuit in Academia Lugduno-Batava: ſcriptis variis, *Epiſtolis*, *Orationibus*, *de Induciis belli Belg. Poematum* egregiô opere, &c. inclytus. Obiit ſub initium hujus ſeculi. P. Freherus *Theatrô Viror. eruditione clavor.*

BAUDOBRIGA, vulgò *Boppart*, oppid. Germaniæ ad Rhenum, 10. mill. paſſ. à Confluentiis, in ditione Trevirenſi Vide *Bodobrigo.*

BAUDOSA, ſpecies Muſici inſtrumenti, cujus meminit Americus de Peyrato Abbas Moiſiacenſis, in *Vita Caroli M.* in *Cod. MS.* 1343. Biblioth. Reg. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

Quidam baudoſam *concordabant*
Plurimas cordas cumulantes.
Quidam triplices tornos tonabant,
Quædam foramina inclaudentes,
Quidam choros conſonantes,
Duplicem chordam perſtrudentes,
Quidam taborellis ruſticabant,
Groſſum ſonum gramittentes.
Quidam cabreta waſconizabant,
Levis pedibus perſaltantes.
Quidam liram & tibiam properabant,
Alios tactu præcedentes.
Quidam harpam altè pulſabant,
Pruleas virgulas ſic gerentes.
Quidam rebecam arcuabant
Muliebrem vocem confingentes, &c.

BAUGA, item BAUCA & BOGA, armilla eſt *Papiæ*, ut & in *Gloſſario* Latino-Theotico, apud Lindenbrogium, in *Capitul.* variis & *Epiſtola* Synodali Concilii Duziacenſis I. apud Car. du Freſne, qui hinc acceſſit etymon vocabulorum, apud ſuos, in re militari receptorum, *Bagues*, *Bagage*, *Bagues ſauves*, *Armes & bagage.* Item vocem *Bagatelles*, quo nomine non tam nugas, quàm mundum muliebrem, cujuſmodi ſunt *Bauga*, monilia, dextralia & alia id generis, appellari docet. *Goldaſio Bauga*, tympanum eſt.

bauk.

bauck. Olaus Wormius in *Lexico Runico* ait, veteribus Danis *Bungor* & *Bangs*, annulum ſonare, apud Eundem &c. Vide ſuprà in voce *Bagatello.*

BAUHINUS Johannes ſenior, Ambianus, medicinæ & Chirurgiæ Doctor, in urbe Baſilea, clariſſimus & feliciſſimus. Hic utramque artem primò quidem in Gallia, dein in Anglia & Belgio aliquot annis, tandem verò Baſileæ. 40 ann. ſpatiô, magno cum ſucceſſu exercuit. Obiit Baſileæ A. C. 1582 ætat. 71. Pater Johannis, qui natus A. C. 1541. Principis Wirtembergici Medicus fuit, ſcripſitque *de Thermis in genere.* In ſpecie, *de Balneo Bollenſi*, Duc. Wirtemb. *de Herbis ab Abſinthio & Divis nomen trahentibus*; *Hiſtoriam plantarum, ſeu Herbarium Ebrodunenſe*, 3. vol. &c.

BAUHINUS Caſparus, Johannis ſenioris fil. Medic. D. Rei Anatomicæ & Herbariæ, in Acad. Baſil. Profeſſor, itidemque Principis Wirtemb. Archiater, obiit A. C. 1623. ætat. 63. Scripſit *Phytopinacem & Pinacem*: *inſtitutiones Anatom.* *De partibus ſimilaribus.* *Theatrum Anatom.* *De lapide Bezoar*: *Methodum medendi*; *de Hermaphroditis*: *Prodromum theatri Botanici*, &c. Hujus filius, *Bauhinus* Joh. Caſparus, Medicinæ ſimiliter Doctor celeberrimus, & ultra 47 ann. (cùm Lexicon primùm prodiiſſet,) in Academia Baſil. Profeſſor, Chriſtianiſſimi Galliæ Regis & variorum Germaniæ Principum Archiater, præter omnigenam eruditionem, morum gravitate, rerum uſu & prudentiâ inclytus. Edidit tomum I. Theatri Botanici à Patre affectum, aliaque Medicæ rei plurimum profutura. Ejus fil. Hieronymus, Botanicæ idem & Anatom. Profeſſor, haud pridem in flore ætatis, obiit, pater Joh. Caſpari Medic. D. qui jam Montisbelicardi Medicinam feliciter facit, & Joh. Ludovici JCti, alter Joh. Fridericus, itidem Medic. D. in patria idem cum ſucceſſu facit; tertius Chriſtoph. Diaconus Eccleſ. Micropolitanæ haud pridem defunctus eſt. Ipſe verò ſeptuagenario major poſtquam Academiam patriam annos ſuprà 50. illuſtraviſſet, filium Hieronymum aliquot annis in meliores ſedes ſecutus eſt, placidâ morte extinctus. Sed,

Quid numeras annos Scriptor vaniſſime? Credis
Poſſe mori, prohibet quem Medicina mori?

Omnes hi:

Γνησιοὶ ἄνδρες πατρῶν ἀνάξιοι αἰῶνι.

BAVIA Jacobus, vide *Jacobus.*

BAUJOVIUM, Gall. *Beaujeu*, oppid. Galliæ, in Lugdunenſ. provinc. caput regiunculæ ab eo dictæ *le Beaujolois*, quibuſdam *Bellojocum* dicitur. Sedet ad rivum *Ardiere*, 8. leuc. à Lugduno in Boream. 3. ab Araris fluv.

BAVIUS & Mævius, Poëtæ duo ineptiſſimi & malevoli, Olymp. 186 Auguſti & Virgilii ætate, nullâ aliâ re noti, quàm quòd clariſſimos ſuæ ætatis Poëtas oblatrare non dubitârint; qua de cauſa optimi cujuſque odium incurrebant. Virg. *Ecl.* 3. v. 90.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mævi.

Vide Lil. Giraldum, *de Poëtis.*

BAULI, vulgò BAGOLA, BAULI, villa quædam Latii, ponitur vulgò inter Miſenum promontor. Bajarumque lacum. Perperam Plinius *l.* 3. *c.* 5. inter Bajas atque Lucrinum lacum habet. Hoc enim ſi verum, mira Taciti graviſſimi ſcriptoris narratio falſa erit. Sic enim ille *Annal. l.* 14. *c.* 4. *de Baulis* loquens: *Id villæ nomen eſt, quæ promontorium Miſenum inter & Bajanum lacum flexô mari alluitur.* Cui tamen adſtipulatur Symmachus *l.* 1. *ep.* 1. *Baulos*, inquit, *Lucrinâ ſede mutavimus.* Propius autem Bajas, quàm Miſenum fuiſſe, hos *Baulos*, teſtatur haud obſcurè, Plin. *l.* 9. *c.* 55. *Apud Baulos in parte Bajana piſcinam habuit Hortenſius orator, in qua murænam adeò dilexit, ut exanimatam fleſſe credatur.* In ipſo fuiſſe litore, præter Tacitum, aſſerit Silius Italicus *l.* 12. *v.* 155.

Nec non Miſenum ſervantem Idæa ſepulchro
Nomina, & Herculeos videt ipſo in litore Baulos.

Villam hîc fuiſſe Hortenſii præter Plinium, teſtatur M. Varro *de R. R. l.* 3. *c.* 17. itemque M. Tullius *Acad. Qu. l.* 2. uti videre eſt in his: *Quibus de rebus & alias ſæpè nobis quæſita & diſputata ſunt, & quondam in Hortenſii villa, quæ eſt ad Baulos.* Denique Symmachus *Ep.* 1. *l.* 1.

Hic Deus Alcides ſtabulanda armenta coëgit,
Inde vetens ætas corrupta Boaulia, Baulos
Nuncupat. —— ——

BAULON, Athenienſis cujuſdam nomen, qui forte fortunâ ſecuri inſtructus bovem illum proſtravit, qui Jovialibus placentam ſacrificiô deſtinatam abſumpſerat. Vide Scholia *in Ariſtophanis Nubes*, *Act.* III. 3.

BAUMA, oppid. Æthiopici ſinûs ex Africæ latere, Plin. *l.* 6. *c.* 29.

S. BAUME, ſpelunca, ubi Magdalena dicitur pœnitentiam egiſſe Aquis provincia, prope S. Maximinum, an nullibi? Hoc enim poſterius Criticos aſſerere, ipſe *Morerius* refert.

BAVOTA, Salentinorum olim oppid. *Ptol.* Σαλαντίνων μεσόγαιοι πόλεις Βαυῶτα. Nunc vicus: ad radices Apennini montis, 6. milliar. à Gallipoli in ortum. *Pacavita Cluver.*

BAUSCI, vide *Arauſio.*

BAUSCUM, oppidul. Poloniæ, in Semigallia, ad Muſſam fluv. ex Samogitia excuntem, qua Suſſam fluviol. recipit. Ducis Curlandiæ; 4. leucis à Mitavia in ortum. Vulgò *Bauske* ſeu *Bautike.*

BAUTÆ, pagus Allobrogum, vulgò *La Bauneville*, ad Arvam fluv. 11. milliar. à lacu Lemano, Tarantaſiam verſus.

BAUTICA, fluv. Galliæ Ciſalpinæ in Padum influens.

BAUTIS, Sericæ regionis fluv. apud Ammian. *l.* 23. pro quo corruptè *Bautiſis* aliàs ſcriptum. Salmaſ. *ad Solin.*

BAUTISUS, Sericæ regionis in Aſia fluv. *Ptol.* *Quam* eum interpretatur *Mercator.* Græcè Βαύτισος.

BAXEA, calceus fuit vilis, imò Philoſophicus, qui cum pallio ſumebatur, idem ac crepida. Apulejus *l.* 11. *Nec decrat, qui pallio baculoque & baxeis, & hircinô barbitiô Philoſophum fingeret.* Idem alibi, de Sacerdote Ægyptio: *Inducit juvenem quendam palmeis baxeis indutum.* Hinc & Tertullian. *de Pallio*: *Niſi quod & Philoſophi*, inquit, *ipſi aliquid ejuſmodi adſectant. Audio enim & in purpura philoſophatum: ſi Philoſophus in purpura, cur non & in* Baxea *Tyria calciare? niſi aurum minime Græcatos decet: quin alius & ſericatus & crepidam auratas receſſit.* In quibus verbis de Ariſtippo loquitur, dicere volens; Si Ariſtippus purpuream ſumſiſ veſtem, cur non & calceamentum ſive baxeam Philoſophicam purpurâ inſecis, ut eſſet habitus æqualis. *Cur non &* baxeâ *Tyriâ calciare?* i. e. cur non Ariſtippe etiam baxeam purpuream induis? Oct. Ferrarius de *Re Veſtiaria part.* 2. *l.* 4. *c.* 10. Vide quoque Salmaſ. *Not. ad Tertullian. de Pallio.* nec non infrà *Femina.*

BAYANA, Urbecula Aſiæ, in India, ſub M. Mogole, versùs Agram, in Occaſum.

BAYARDUS Pet. Terralius, cognomine *Eques intperterritus*, nobilis Delphinas. Sub Carolo VIII. Neapolitanum regnum ſibi vindicante egregia fortitudinis ſpecimina edidit, inprimis in prælio ad Furnoam. Dein ſub Ludovico XII. in occupatione Ducat. Mediolanenſis præclarè rem geſſit; inde Neapolim remiſſus, contra 200. equites ſolus pontem tutus eſt. Etiam contra Genuenſes rem geſſit, Patavii obſidioni interfuit, Comitiſſam Mirandulæ, & Ducem Ferrarienſem juvit. Duci Nemoroſio, contra Andream Gritti, Venetarum copiarum Ducem, præſtò fuit, ſub cujus auſpiciis etiam Brixiam cepit: Ubi hoſpitis ſui filiabus, oblatos 2000. duplones, ne domus diriperetur, reddidit. Poſt Delphinatus præfectus, interfuit obſidioni Pompejopolis, & prælio *Calcarium*, quô captus. Hinc poſtmodum liberatus Franciſco I. contra Helvetios, ad Marignianem adſtitit, qui ab illo Eques creari voluit, ejus amplexu, *l'accolade*, ad veterum morem, initiatus. Tandem vulnere in Italia acceptô, pugnans obiit, A. C. 1524.

BAYRAS, Hæreticus, Jacobita profeſſione, unus ex præceptoribus Mahometis, ejuſque in Alcorano conſarcinando adjutor. Prateolus, *in Bayras.*

BAYTHOS, cum Tzadoko, diſcipulus Antigoni, qui ambo famoſiſſimi ſunt Duces Karræorum & Sadducæorum. De utroque Majemon *ad c.* 1. *Avot.* *Habuit hic Sapiens* (Antigonus) *duos diſcipulos. Qui ubi audiverunt dictum hoc diſceſſerunt ab illo, & dixit unus alteri. En Magiſter dilucide ait quod homo non habeat præmium neque pœnam, neque ullam omnino ſpem. Non enim intelligebant ſcopum ejus.* Tantô apud Judæos odiô, ut nulla humanitatis officia ſectatoribus illorum præſtari velint, ſeveréque ſuis interdicant, ne connubia cum iis contrahant. Voſſius *Obſervation. ad Chronologum Rabbi Dav. Ganz ad ann.* 460.

BAZACATA, Indici maris inſul. *Ptol. Baſſe Caſtaldo.*

BAZAENTES, Drangarum Satrapes, conjurationis & parricidii in Darium Regem particeps Beſſo; qui ſuppliciorum, quæ meruerat, metu profugit in Indiam. Curt. *l.* 6. *c.* 6.

BAZANIA, Familia Hiſpaniæ illuſtris. In ea floruit circa A. C. 1100 in regno Navarræ Alfonſus Gonſalus *de Bazan*, Dn. *de Bazan*: à quo deſcenderunt Domini *de la Valduerna*, nominis de *Bazan*; è quibus poſtea titulum Vicecomitis obtinuit Petrus Gonſalus, Pater Johannis & Alvari I. quorum ille Vicecomites *de Valduerna* & Dominos *de Banneza* propagavit, ſucceſſione dein, per ſeptem Mariam, ad Franciſcum *de Zuniga & Avellaneda* Comitem *de Miranda* tranſlatâ. Qui celebris belli in Mauros Dux filium cognominem, itidem bellis, imprimis maritimis, clarum genuit: patrem Alvari tertii, primi Marchionis S. Crucis *de Santacruz*: à quo filios & nepos *Alvari* nomen ac dignitatem patriam atque avitam accepêre. Eô enim & Mariâ Manueliâ Benavidiâ, nati ſunt: Alvarus IV. pater Alvari V. (ex uxore Guiomara Manricia *de Lara*) Franciſcus Eques Calatravæ, Petrus Eques Alcantarenſis (cui uxor obtigit Maria Mendozia) Anna Iſabella *de la Cueva* (uxor Alfonſi Portocarreri Marchionis Villænovæ) Maria Manuel Benavidia (uxor Franciſci Benavidii & *de la Cueva* Comes *de Santiſtevan*) qui hôc ſeculô floruerunt. Vide Phil. Jacobum Speneruṁ *Theatrô Nobilitatis Europ.* *tom.* 2. ex Alt. Lopezii de Haro opere *Geneal.*

BAZANIS, Armeniæ urbs, olim *Leontopolis.* *Euſtath.* Poſteà verò *Juſtinianopolim* dictam notat *Gul. Stuckius.*

BAZARIA, regio Aſiæ, Scythiatica, uti videtur apud Q. Curtium *l.* 8. *c.* 1. Urbem Baſiſtin habet in ea Diodorus, ut apparet ex *fragmento l.* 17.

BAZATA, i. e. *contemptus*, vel *deprædatio*, aut *in oliva.* Eunuchus. Eſth. *c.* 1. *v.* 10.

BAZIOTHIA, i. e. *contemptus*, vel *deſpectiones ejus*, ſive *prædæ ejus*, aut *in oliva Domini*, urbs in tribu Juda. Joſ. c. 15. v. 27.

BAZIRA, urbs Indiæ, memoratur Arriano *l.* 4. haud longè ab ora: fortè ea eſt, quam Πάζειρα alibi vocat & in Ichthyophagorum ora ſtatuit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1176.

BDELLIUM, Græcè Βδέλλιον, diminutiv. à Βδέλλα, quomodo aliquot locis Auctori *Peripli* vocatur; *Bdella*, *Marcello Empirico*,

—— —— *crocon atque bedellam*:

apud Plautum in antiquis libris *Bedellium*, Salmaſio eſt ex Hebræo *Bedolach*, quæ vox occurrit Numer. *c.* 11. *v.* 7. ubi dicitur

manna, ſicut coriandri ſemen eſſe & colorem ejus, ut בדלח Quippe, inquit, & *Bdellium* ſubalbidum & manna magis ad bdellii colorem accedit, quàm ad margariti aut alterius gemmæ, de qua alii vocem exponunt. Verùm quia terra Havila, ubi *bedolach* à Moſe deſcribitur, Gen. *c.* 2. v. 12. *bdellii* proventu celebris non eſt, ſed unionum; Bochartus quatuor Paraphraſtarum Arabum, aliorumque quorundam eruditorum ſententiam, *margaritam* hâc voce denotari aſſerentium, præfert, ut videre eſt apud eum *Hieroz. Parte poſter.* p. 675. & infrà. Græcis, teſte Plinio, dictum eſt *brochum*, à βρέχω, i. e. *humecto*, quod humectius eſſet & liquidius; item *Malacon*, quaſi μαλακὸν, quòd gummi *Bdellii* molle eſſet, inſtar malaxatæ ceræ; unde Arabes ſuum *Molochil* vel *Malachil* feciſſe videntur. Quæ nomina varia *Bdellia* Mercatores Græci impoſuerunt, qui & Indicum ἀδρόβωλον vocabant, quòd in offas convolutum erat, *craſſiore nempe glebâ*. Certè monet Monardus, *Anime* Orientale (quod idem eſt cum bdellio) tam magnis glebis & adeò tranſlucentibus afferri, ut plerique ſpeciem eſſe ſuccini liquidioris ſuſpicati ſint. Deſcribitur autem *Bdellium* antiquis, *gummi ſeu lacryma arboris tranſlucida, alba, pinguis, æqualiter cerea & quæ facilè molliatur*, verba ſunt *Iſidori*, quæ ex Græcis Dioſcoridis *l.* 1. *c.* 81. videntur expreſſa, Διαυγὴς, ἰσοχρωματώδης, λιπαρὸς ἀπὸ βάθους καὶ εὐμάλακτον. Qui idem de optimo Bdellio, ἀμιγὲς, inquit, ξύλων καὶ ῥυπαρίας, εὐῶδες ἐν τῷ θυμιᾶσθαι, λεῖον ὄνυχι, *ligno ſordibusque non miſcetur, odoratum cùm incenditur, ſimile ungui*: unde Βδέλλιον ὄνυξ; totum enim æqualiter ὀνυχῶδες eſt & læve ac ſplendidum *inſtar unguis*. Quibuſdam unum fuit ex quatuor aromatum generibus, ex quibus factum fuit ſacrum thymiama, Exodi *c.* 30. v. 34. ubi vocem שחלת *ſechelech*, nonnulli reddunt *ſpicam myrrhæ*, alii *ladanum*; quidam *unguem aromaticum*: atque hi in diverſa iterum abeuntes, pars *conchylii teſtam* interpretantur, pars *radicem aromaticam lævem & lucidam, ut unguis*, h. e. *bdellium*. Netope *bdellium*, Saracenicum videl. ſeu Arabicum, *ungui ſimile*, ut dictum, cui Dioſcorides alterum oppoſuit ῥυπαρὸν καὶ μέλαν καὶ ἁδρόβωλον, *ſordidum & nigrum & craſſioris glebæ*, quod ex India defertur. Sed & *Bactriano nidor ſiccus & multi candidi ungues*, Plin. *l.* 12. *c.* 9. Aroma verò eſt ungue odoratius, myrrhæ naturâ proximum, & Dioſcoridi dicitur δάκρυον δένδρου Σαρακηνικοῦ, *lachryma arboris Saracenicæ*, quòd in Arabiæ Saracenis ſeu ſcenitis, non procul à Judæa, magnus ejus proventus eſſet. Nec obſtat quòd שחר *nigrum* eſſe vel *nigreſcere* notat, unde *ſechelech* factum: non minus enim in bdellium hoc, quàm onychem, quadrat. Bdellium namque in India abſolutè nigrum eſt, & in Arabia Petræa ὑπόχλωρον, *ſubviridum*, de quo vide Dalechamp. *Append. ad Plin. p.* 25. Sed & ipſa bdellii arbor nigra eſt, ut idem Plin. ait *l.* 12. *c.* 9. *Vicina eſt Bactriana, in qua bdellium nominatiſſimum. Arbor nigra eſt magnitudine oleæ*, &c. Vide S. Bochart. præfatum *Hieroz. Parte poſter. l.* 5. *c.* 20. Porrò, cùm adulterari amygdalâ nuce *bdellium* Indicum, ſcribat idem Plinius, probationem addit optimi eſſe, *ſi ſit tranſlucidum, ſimile ceræ, odoratum*. Purum vero bdellium *Nateſ* quoque & *Alnateſ* Arabibus dicitur, quia hoc, dum guttatim ex arbore fluit, nunc rotundiore formâ, nunc cylindraceâ concreſcit, vide ſuprà in voce *Alnateſ*. Sic in offas convolutum erat, quod ἀδρόβωλον Mercatoribus vocatum eſſe diximus. Vide infrà *Hairabolam*. Hoc ex Binnagara Indoſcythiæ Metropoli plurimum venale extitiſſe, *Ptolemæus* refert. Ἀντιφορτίζεται δὲ ταύτῃ, Βδέλλα, λύκιον, νάρδος καὶ Καλλαϊνὸς λίθος: unde *Bdellium Scythicum* Galeno & Æginetæ, quod idem cum Indico, vide infrà *Minnagar*, &c. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solinum p.* 1140. *& ſeqq.* de *ungue* autem *odorato*, infrà voce Onyx.

BEANUS, Studioſus eſt novellus, qui ad Academiam nuper acceſſit, ſeu potiùs, qui è trivialis ſcholæ carceribus eluctatus, conſuetis ceremoniis Academicæ vitæ nondum initiatus eſt. *Statuta* Academiæ Viennenſis in Auſtria: *Item quod nullus præſumat ſupervenientes novos*, quos Beanos *vocant, indebitis quibuſcunque exactionibus gravare aut aliis injuriis aut contumeliis moleſtare*. Ubi Lambecius *Beani*, inquit, definitio in ipſa nominis ſui acroſtichide latitat, *Beanus Eſt Animal Neſciens Vitam Studioſorum*. Quod verò de exactionibus hic habetur, clarius, fiet ex iis, quæ Wendelinus hanc in rem habet *Doctr. Polit. l.* 2. *c.* 20. *theſ.* 15. *Hodie primus in Academias Germanicas ingreſſus fit per ritum Depoſitionis* ----- *qui altâ tegitur vetuſtate & ex Atheanienſi Academia ad nos manaſſe creditur* ----- *Præter hunc initiationis ritum, alia invaluit ſuperioribus annis in pleriſque Academiis Germaniæ barbaries, quæ à communibus Studioſorum juribus & ſacris repellere ſolitur Tyrones & Novitios, niſi annum integrum iniquiſſimis ſe ſubmiſerint exagitationibus, & ſubinde graviora damna largis poculis & ſumtuoſis dapibus redemerint*, &c. Addit, exarſiſſe in hanc peſtem zelum Academiæ Rintheleníis, publicò programmate teſtatum A. C 1621. Jenenſis item Academiæ, A. C. 1635. & 1638. &c. Sed obex nondum petulantiæ illi tum poni potuit; donec re ad ipſa Comitia Imperii delatâ, tandem ſucciſa eſt hæc hydra, ſubinde tamen, ut fertur, variis in locis, occultè adhuc capita laceroſiora movens. *Pennaliſmum* barbariem hanc vocari conſueviſſe notum.

BEAREFORDIA, oppidul. Groenlandiæ, ſeu regionis viridis, ad Septentrion. Americæ, cum Cœnobio ibi extructo, à 300. & amplius annis, ſub Daniæ Rege. Nunc vix rudera ſuperſunt, & totus hic tractus ægrè ab Europæis frequentatur.

BEARNIA, vide *Benearnia*.

BEATI, quinam dicti olim vide infrà *Dii*. Sed & Sophiſtarum nomen olim adeò venerabile fuiſſe apud omnes, ut eorum familiares vulgò *Beati* nominarentur, obſervat G. Elmenhorſt. *ad Arnob. adv. Gent. l.* 1. Græcè Μακάριος, aut Μακαρίτης, de cujus poſterioris vocis, in Sacris & apud Patres uſu, vide apud Cl. Suicerum *Theſaurus Eccleſ.*

BEATISSIMUS, titulus honorarius, quô Patriarchas & Epiſcopos in *Conſtitut.* ſubinde compellat Juſtinianus: nec ſine Veterum exemplis. *Beatitudinis* enim titulô affici Epiſcopos legimus, apud Hieronymum, Auguſtinum, alios paſſim. Ut recentiores, Senatorem *l.* 3. *Ep.* 37. Avitum Viennenſem *Ep.* 6. 8. 11. 37. Ludovicum Pium Imperator. *Ep.* ad Sicharium Archiepiſcop. Burdigal. Nicolaum I. Pontif. *Ep.* 28. alios, omittam. Neque verò Epiſcopis ſolum, ſed & Laicis, ut vocant, id nominis tributum non ſemel legimus in *Epiſtolis* Anſelmi. Hodie ſolus Pontifex Roman. hunc titulum ſibi vindicat, vide Briſſonium in *Formulis p.* 361. & infrà in voce *Papa*.

BEATITUDINES, Græcè Μακαριςμοὶ in gentis hujus *Liturgiis* hymni dicuntur ac troparia, in commemorationem beatitudinis Sanctorum. Sic in *Liturgia* Chryſoſtomi, Εἰ δὲ καὶ ἐστι κυριακή, ψάλλε τοὺς μακαρισμοὺς καὶ τῆς ἁγίου τῆς ἡμέρας, *Si vero etiam ſit Dominica, cane* Beatitudines *& Sancti illius diei*. Idem nomen tribuitur Pſalmis ſex Davidicis, qui à voce Μακάριος incipiunt, ſunt illi I. XXXI. XL. CXI. CXVIII. CXXVII. Theophylactus *ad Matthæum c.* 5. Ἄρχεται καὶ αὐτὸς τῶν Μακαρισμῶν, ὥσπερ καὶ ὁ Δαυὶδ ἀπὸ μακαρισμοῦ ἤρξατο. *Incipit etiam à* Beatitudinibus, *quemadmodum quoque David à beatitudine incepit*. Verſiculis tandem 9. *c.* 5. Matthæi, à tertio ad undecimum, ſimiliter incipientibus, ut ex *Horologio* & *Menologio* obſervare eſt: quorum Μακαρισμῶν ſingulis ſubjici conſuevêre iſta, Μνήσθητι ἡμῶν Κύριε, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. *Memento noſtri Domine, quum veneris in regnum tuum*. Quod enim in *Pentecoſtaria* occurrunt μακαρισμοὶ ἀναστάσιμοι, hi nihil aliud ſunt, quàm hymni ſuprà indigitati, commemorationem beatitudinis Sanctorum, quorum animæ jam in pace requieſcebant, continentes. Vide Cl. Meurſium in *Gloſſario*: uti de alia vocis *Beatitudo* ſignificatione ac uſu hic infrà; de iis verò, qui in *Beatitudines Matthæi* commentati ſunt, diximus ubi de S. *Matthæo*. Addo ſaltem in Rhetoricis Μακαρισμὸν, idem quod Εὐδαιμονισμὸν, orationem propriè dici, quâ aliquem felicem aut *beatum* prædicamus; comprehendentem tum ἔπαινον virtutis, tum ἐγκώμιον factorum, ex Ariſtotele *Rhetor. l.* 1. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *Inſtitut. Orat. l.* 1. *c.* 5. *num.* 2.

BEATRIX, virgo Romana, cujus comes fuit Lucina, ambæ inſigni erga ſanctorum Martyrum corpora, quæ in ſuis agris tumulârunt, pietate præditæ; quamobrem à Diocletiano ob Fauſtinum ac Simplicium reconditos, extremô ſuppliciô multatæ ſunt.

BEATRIX Sabaudica, uxor Raimondi Berengarii Comitis Provinciæ, quatuor filiarum, quæ omnes Regibus nupſerunt, mater. Virtutibus illuſtris. Item, uxor Ludovici IV. & Othonis V. Imperat.

BEATRIX de Forcalquier, uxor Delphini Viennenſis.

BEATRIX de Melgueil, Berengarii Raimondi, Comitis Provinc. primò, dein Bernardi Peleti, ex Narbonenſium Ducum familia, uxor.

BEATRIX Provincialis, hæres Provinciæ, uxor Caroli Andegav. fratris S. Ludovici, &c.

BEATUS Rhenanus, præteritô ſeculô Tertullianum, Plinium, Livium, Vellejum, Tacitum, &c. Commentariis illuſtravit. Scripſit de *rebus Germaniæ*. Obiit Argentinæ, A. C 1547. Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10. Gualter, *in Chron* Vide *Rhenanus*.

BEAUCAIRE, vide *Bellicadrum*.

BEAUCAIRE Franciſcus, Epiſcopus Metenſis, Concilio Tridentino interfuit cum Cardinali Lotharingo. Auctor tractatus *de infantibus in utero materno mortuis*, *Poëmatum diverſorum*, & *Hiſtoriæ Gallicæ*, 30. *libris comprehenſæ*. Obiit A. C. 1591. Sammarth. *Gall. Chriſt. Part.* 3 *p.* 724. Vide & *Franciſcus*.

de BEAUVOIR Jacobus, vide *Jacobus*.

BEBAI, i. e. *pupula*, ſive *concavus*, aut *vacuus*, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. v. 11.

BEBEECUS, *Heſych.* Βεβέηκος ὁ Ἡρακλῆς ὑπὸ τῶν Ἐτρούσκων. Sed legendum Βέβρυκος. *Palmerius*. Vide *Padus*.

BEBELIUS Henricus, vide *Henricus*.

BEBIANI, Ligures ſic dicti in 8. regione Italiæ. Plin. *l.* 3. *c.* 11.

BEBIUS, delator inſignis, cognomentô *Maſſa*, tempore Veſpaſiani. Juvenal. *Sat.* 1. v. 35.

----- *Quem Maſſa timet, quem munere palpat*
Carus. ----- -----

Damnatus poſteà eſt, accuſantibus Bæticis, apud Plin. *ep. ult. l.* 7.

BEBIUS Macer, Prætorio Præfectus, ſub Aureliano Imperatore apud Vopiſc. in *Vita* hujus *c.* 13. Vide ſuprà in *Bæbius*.

BEBIUS Pamphilus, Conſul Roman. cum P. Cornelio, eô annô, quô Numæ Pompilii libri in agro C. Petilii effoſſi ſunt. Val. Max. *l.* 1. *c.* 1. ex 12. Vide & *Capes*.

BEBIUS, mons Campaniæ ignem inſtar Ætnæ exhalans; corruptè ut puto, pro *Beſbius*, ſive *Veſujus*, ex *Veſuvius*.

BEBRA, miſſilis aut teli ſpecies apud Vegetium *l.* 1. *c.* 20.

BEBRIACUM, vicus inter Cremonam & Veronam, apud quem Vitellius Othonem ſuperavit. Juvenal. *Sat.* 2. v. 106.

Bebriaci in campo ſpolium affectare palati.

Hunc vicum Itali hodiè *Labinta* vocant. Freculphus *Tom.* 2. *l.* 1. *c.* 21. *Hedriacum* legit. Apud Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 5. *c.* 8. Φορυβδιακὸς eſt. Tacit. *l.* 3 *Hiſt. c.* 15. *Bredriacum* vocat. Plut. Βητριακὸν habet. Ita enim ſcribit *in Othone*: Ἐς δὲ πολίχνιον ἀφικόμενος Κρεμώνης τὸ Βητριακόν. Vide Cluver. *Ital. Ant. p.* 259. 260. Inde *Bebriacenſia bella*, de quibus Plin. *l.* 10. *c.* 49. *Nic. Lloydius*.

BEBRIACUM, ſeu BEDRIACUM aliis eſt *Canetta*, oppidul. Duc. Mantuani, ad Ollium fluv. ubi recipit Cluſium. Medium inter Cremonam & Mantuam, celebre pugnâ inter Othonem & Vitellium; mox aliâ inter Vitellium & Veſpaſianum. *Baudrand*.

BEBRYCE, una fuit ex Danai filiabus, quæ ſuo etiam ſponſo peper-

peperiſſe traditur, Euſtath. in Dionyſ. Ἡ Βεβρύκη [illegible] Ὑπερμνήστραν [illegible]. Ibidem dicit hanc unà cum ſponſo ſuo fugiſſe in regionem, quæ pòſt ab ea fuit *Bebrycia* dicta. Apollodorus quidem, in Catalogo Danaidum, *Bebrycem* fortaſſe nominavit, quæ in vulgatis codicib. perperam B. [illegible] appellatur. Idem auctor innuit, duas Danai filias maritus peperciſſe: *Danaus*, inquit, *Ægypti filiis præter unum aut alterum* (πλὴν ἑνὸς ἢ δυοῖν) *filiarum ſuarum operâ necavit*. Pleriquè tamen auctores Hypermneſtram ſolam, quæ à cæde ſponſi ſui abſtinuerit, commemorant. Ita Pind. *Nem.* 10. [illegible]. Ita etiam Horat. *Carm.* l. 3. *Od.* 12. v. 33.

Una de multis face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax & in omne Virgo
Nobilis ævum.

Nic. Lloydius.

BEBRYCES, vel BEBRYCII, populi à Thracibus oriundi, quos *Stephanus* ponit juxta Pontum, & Iberos, de quibus Strabo *l.* 7. & 12. Hos *Arrianus* originem à *Bebryce* Danai filia traxiſſe ſcribit. Eorum regio *Bebrycia*, quæ poſtea *Mygdonia*, deinde *Bithynia* dicebatur. Regio eſt, inquit Solin. c. 44. opulenta, fertilis atque fecunda. Unde *Apollonius* eam [illegible], uberem; *Dionyſius* [illegible], i. e. *pinguem terram* vocat. E Latinis duos eis adjungam Val. Flaccum, & Lucanum. Hic, ſcil. Flacc. *l.* 4. v. 99. 100.

Proxima Bebrycii panduntur litora regni,
Pingue ſolum. Ille:
Pingues Bebrycii diſceſſit vomere ſulcos.

BEBRYX, Rex fuit in montibus Pyrenæis, teſte *Silio*, quos etiam à Pyrene illius filia nomen traxiſſe idem author eſt.

BECA Johannes, vide *Johannes*.

BECACIA, Gallis ruſticula dicitur, *Becace*, à longitudine roſtri, quod *beccum* vocant. Quemadmodum eadem avis σκολόπαξ Græcis, quòd habeat roſtrum æquè longum, ac σκόλοψ, quâ voce *lignum* ſignificatur *in acumen aſſurgens ac longum*. Ariſtoteles, Ὁ σκολόπαξ ἐν τοῖς κήποις ἁλίσκεται, [illegible], *Scolopax in hortis capitur retibus, roſtro longo, magnitudine eſt galli gallinacei, colore ſimilis attagen.* Quod omninò *becacia* Gallorum convenit. Et certè Attagen Græcorum, *Ruſticula* eſt Latinorum; nec enim Græci aliud nomen habent, quò Ruſticulam Latinorum exprimant, nec Latini, quò Græcorum Ἀτταγῆνα, uti infrà dicemus, in voce *Ruſtica Gallina*, item *Ruſticula*.

BECANUS Martinus, vide *Martinus*.

BECARE, portus utiliſſimus in Aſia, quò piper monoxylis lintribus inprimis invehitur. Plin. *l.* 6. c. 23.

BECBUC, viri nomen. Eſdr. c. 2. v. 49. Latinè *lagunculæ*, vel *vacuatur*.

BECCUM Helvini, Abbatia Galliæ ditiſſima, in Normanniæ Ducatu & Rothomagenſi Diœceſi, prope Riblam fluv. Inter Ebroicum & Pontem Audomari, 6 leuc. à Rothomago in Occaſum. Gallicè *le Bec Helouin*.

BECCUS, dictus eſt Antonius primus, puer adhuc, Toloſæ natus.

Rabbi BECHAI Fil. Aſcher, ſcripſit librum *Bechai*, it. *Cad Kemach*, h. e. Cadus farinæ, annô 51. Millen. VI. juxta Rabbi Ganz. Alius, Rabbi *Bechai* Senior Arabicè ſcripſit *Chovot Levavot*, ann. 4921.

BECHER, filius Ephraim. Numer. c. 26. v. 35. Latinè *primitiæ*, aut *in ariete*.

BECHIRES, gens Scythica, quæ cùm ad Italiam veniſſet cum Attila, vinumque bibiſſet, omnium bibaciſſima facta eſt. *Steph.* Dionyſ. v. 765.

Βέχειρες δὲ σφῶϊν καὶ ἀγχόθι φῦλα Βιχείρων.

Vide Plin. *l.* 6. c. 4. *Suidas*, Βέχειρες, ἔθνος Σκυθικόν.

BECHOR, fil Benjamin Gen. c. 46. v. 21. Idem ſignificat quod *Becher*. Inde *Bechorath*, filius Aphia. 1. Sam. c. 9. v. 1.

de BECK Andreas, vide *Andreas*.

BECKIUS Sebaſtianus, vide *Sebaſtianus*.

BECLAS, nomen à Photio confictum, qui cùm à Baſilio Imperatore in Patriarchalem Conſtantinop. ſedem eſſet intruſus, deinde ejectus ac in exilium miſſus; ad recuperandam Imperatoris gratiam, antiquam Hiſtoriam characteribus Alexandrinis, de nobili Baſilii ſtirpe, commentus, inter alias narrationes fabuloſas, eidem Imperatori hoc nomen BEKAAC attribuit. Librum dein, Theophanis operâ in Bibliotheca Imperatoris reponi curavit, ubi poſt aliquod tempus, Theophanes, tenuè dextrè interviens, ſe in librum quendam myſticis characteribus plenum incidiſſe, ſignificavit Imperatori. Qui cùm avidus eſſet diſcendi, quæ iis continerentur, negaret autem Theophanes, vel ſe iſta explicare poſſe, vel ullum alium, præter Photium: hic mox revocatus ab exilio vocem *Beclas*, cuicunque literæ nomen aliquod proprium tribuendo, expoſuit hôc pactô, B. *Baſilius*, qui ipſe Imperator; E. *Eudoxia*, Auguſta ejus uxor; C. *Conſtantinus*, A. *Alexander*; S. *Stephanus*, omnes Imperatoris filii, quibus bonum omen augurabatur. Sicque tali arte, in Imperatoris gratiam, & poſt Ignatii Patriarchæ obitum, in priſtinam dignitatem rediit. Vide Macram *Hierolex.* & ubi de *Photio* Patriarcha.

BECMANNUS Chriſtianus, patre natus Andreâ, in Miſnia Steinbacenſis Eccleſiæ Paſtore, Poëta, Philologus & Theologus inſignis. Lauream Poëticam, à Frid. Taubmanno nactus, in Philoſophia J. C. Scaligeri & Jac. Zabarellæ auditor fuit, Rector dein Gymnaſiorum Naumburgi, A. C. 1608. Mulhuſii, 1612. Ambergæ A. C. 1615. Bernburgi, ann. 1624. tandem ad Cathedram Theologicam in Gymnaſio Anhaltino Serveſtæ una cum Eccleſiarum Anhaltinarum Ciſalpinarum Epiſcopatu & Parochiæ oppidanæ Paſtoratu, vocatus, A. C. 1627. obiit A. C. 1648. ætat. 28. Pater inter alios *Philippi* Deſſavienſis Medici, & *Friderici* in Academia Vitebrgina Logicæ Prof. Extant ejus magnô numerô *Scripta Philologica*, *Oratoria*, *Logica*, & *Poëtica*; *Theologica* it. tot numerô, ut plura exſpectari ab homine publicis functionibus occupato non potuiſſent. Paul. Freherus *Theatrô Viror. illuſtr.* ubi & *Lu a Becmanni* Hamburg. JCti Witteberg. & Saxoniæ Electori à Conſiliis vitam habes.

BEDA, Britannus. Natus A. C. 673. in caſtro exiguo propè fluv. *Tyne*, ob vitæ modeſtiam *Venerabilis* dictus, clarus ſub Joanne VI Pontifice, cùm Saraceni ex Africa ſolventes Hiſpaniam invaſêre. Græcè, Latinèque eruditus ſcripſit *in Vetus & Novum Teſtamentum*, de quo Poſſevin. *Appar. Sacr. Tom.* 2. Præterea *tractatus quoſdam Mathematicos*, *Hiſtoriam* 6. *ætatum*, *Martyrologium*, &c. In omni diſciplinarum genere, Græcæ Latinæque linguæ gnarus excellens, Poëta, Rhetor, Hiſtoricus, Aſtronomus, Arithmeticus, Coſmographus, Philoſophus, Theologus; ita eo tempore mirabilis, ut in proverbium apud ejus ſeculi Doctores abierit, *Hominem in extremo orbis angulo natum, univerſum orbem ſuô ingeniô perſtrinxiſſe.* Obiit A. C. 735. Vide Sigebert. Trithem. *in Catal.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.* l 2. c. 28. Anglo-Saxo fuit, oppidô Girvicenſis in Northumbria *Baleo*: Cantabrigienſis *Sexto Sen.* Benedictinus. Opera ejus prodiêre Tom. 8. Vol. 4. in fol. Baſileæ A. C 1524. in fol. 3. Vol. Pariſiis A. C. 1545 1558. Vol. 3. in fol. Coloniæ Agrippinæ A. C. 1612. Tom. 7. & 8. Tom. A. C 1545. *Nunquam Britanniæ fines exceſſiſſe legitur*, *Baleo*. Obiit Trithemio A. C. 732. ætat. 72. aliis 90. Sixto Senenſi A. C. 734. ætat. 61. Pateo A. C. 734. ætat. 72. Helvico A. C. 735. ſeptuagenarius vel alius 71. Non verò, ut Baronius & Spondanus quibus aſſentitur Gaultetius A. C. 776. ætat. 106. *Labbæus*. Vide quoque in voce *Venerabilis*.

BEDA, vulgò *Bidburg*, pagus Belgii, in Ducatu Lucemburgenſi prope confinia ditionis Trevirenſis. *Baudrand.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* de hoc loco: *Beda vicus*, in *Itinerario* Æthici memoratur, & inter *Treviros* ac *Auſanam vicum* medius ponitur, in itinere à Treviris Agrippinam ſic, *Beda vicus leucas* 12. *Auſana vicus leucas* 8. in *tabula Peutingeriana*, *Beda* inter *Auguſtam Treviorum* & *Auſanam*. Hunc vicum Bedam, vulgò *Bidburg*, in Lucilburgenſi Ducatu, locari, ait *Cluverius*: à quo *Beda* vel *Beta Betaſios*, vel *Betaſos*, aut *Vetaſios* dictos eſſe exiſtimo. *Betaſios* in *l.* 4. *Hiſt.* c. 56. memorat Tacitus & quidem in illo libro non ſemel, & cum Nerviis Tungriſque conjungit. *Betaſios* Plinius *l.* 4. c. 17. eos appellat, & in Belgica ponit prope Leucos & Treviros. *Notitia Imperii Vetaſios* eoſdem nuncupat, & *in litore Saxonico* inſulæ Britanniæ *Regulbium* ponit, *ubi cohors* 1. *Vetaſiorum*. Nomen dedit *Beda vicus pago Bedenſi*: quo in pago Epternacum villa quondam Regis, nunc Monaſterium fuit. *Pagum Bedenſem* Nithardus in *l.* 1. inter *Odornenſem* & *Bliſenſem* ponit. In Diviſione Regni Lotharii facta A. C. 870. inter Reges Ludovicum & Carolum fratres, pagus hic nunc *Bedenſis* vocatur Latinô nomine, nunc *Bedagowa* Germanicô; & flumen Ura quod defluit in Moſam, pagum Bedenſem irrigare dicitur. Aubertus Miræus duos vicos *Bedas* Latinè, vulgò *Bidburg* dictos diſtinguit: & *Bedam* quidem Æthici, ab Auguſta Trevirorum leucis 12. ab Auſana vico leucis 8. diſtantem, *Bidburgum* nuncupari ait, ac eſſe oppidum Ducatûs Lucilburgenſis, inter urbem Treviros & vicum Auſanam ſive *Palleſcheim*: alteram autem eſſe *Bedam*, *Bidburg* ſimiliter dictam vulgò, non procul ab Antunnaco & Megenenſibus, (*Meyen*) quæ pago *Bedenſi* ſeu *Bedagowæ* nomen ſuum dederit, inter *Megenenſium* & *Nitahgowam* jacens. Brouwerus *Bedenſis pagi* ſeu *Bedenſis* in Treviris, tribus fluviis Surâ (*Saur*) Geſbi aut Celbi (*Kyl*) & Leſurâ terminari, caput ait eſſe *Bedenſe caſtrum*, haud procul à Neuſeſa, (*Nims*) quod *Bedeburgum* dicimus.

BEDA Natalis, vide *Natalis*.

BEDACUM, oppid. Norici. Vide *Badacum*.

BEDAR, in tribu Aſer, municipium ſitum in territorio *Acon*, quod cum ſuis agris Balduinus I. Rex Jeruſalem Bethleemitico Epiſcopo cum hæreditario jure dono dedit.

BEDEGENE, locus ad radicem Libani ſitus in tribu Manaſſe, ubi limpidiſſimæ emanant aquæ, unde & domus voluptatis dicitur; quem occidentales Chriſtiani bellicâ manu occupaverunt & deprædati ſunt, ac poſteà cum viculis adjacentibus incendiô devaſtârunt. Tyr. *l.* 21 *bel. ſacr.* c. 10. & *l.* 22. *bel. ſacr.* c. 12.

BEDELLUS, vox medii ævi, Saxonibus *Bydel*, Præco, nuncius, apparitor, ſicialis, ballivus. Gall. *Sergent*. Ductum à verbo *Bydde*, i. e. peto, rogo, precor. Sic Epiſcopi dicuntur *Dei bedelli*, h. e. præcones, *MS. Sax.* Sic apud Ingulphum *Hiſt. Croyl.* Edgarus interdicit omnibus Miniſtris ſuis, i. e. Vicecomitibus, *Bedellis* & Ballivis, &c Luc. c. 12. v. 58. Exactor, *bydele* dicitur. Legg. Burgor. Scot. c. 112. Citatio facta in burgo, ſuper burgenſem, per ſervientem Domini Regis, ſine *Bedello* ejuſdem burgi, eſt invalida. Apud Scotos & Spieg. *quæſt.* 9. aliàs legitur *Pedellus*, unde errorem proculdubio contraxit Skenæus, inquiens: Dicitur autem *Pedellus*, à pedo, i. e. baculo, propterea quod hujuſmodi ſervientes virgâ aut baculô utêrentur. Vide Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Vide & *Bidellus*.

BEDESIS, fluv. vulgò *Ronco*, ſeu *Bedeſe*, ortus in agro Florentino. Fanum S. Sophiæ & Meldolam rigat, dein infra Ravennam Mari Adriatico miſcetur. Alius eſt fluv. Æmiliæ; *Montone* vulgò.

BEDEWINI, vide *Beduini*.

BEDFORDIA, urbs Angliæ in Comitatu cognomine ad Uſam fluv. Unde regio adjacens *Bedfordshire*.

BEDOLACH, vox Hebræa, quæ occurrit Numer. c. 11. v. 7. ubi manna ejus colorem habuiſſe dicitur, *Salmaſio bdellium* eſt; quam vocem inde natam contendit. Græcis Interpretib. *ſpecies cryſtalli*, [illegible]: Bocharto margarita. Terra enim Havila, ubi *Bedolach*,

Gen. *c.* 2. *v.* 12. ea pars Arabiæ eſt ad Catipham & Baharen, ex qua margaritæ eruuntur, quod in accurata Paradiſi terreſtris deſcriptione, plurimis argumentis Vir eruditus probat. Certè, cùm manna & album fuerit & rotundum, quæ duo ſunt in margarita maximè inſignia, optimè ſpeciem habuiſſe dicitur בְּדֹלַח *bedolach.* Unde Talmudici Doctores hunc ipſum locum explicantes in *Joma c.* 8. *fol.* 75. a. *Manna fuiſſe*, dicunt, *rotundum ut coriandrum, & album, ut margalith*: ut margaritam. Et Baal Hatturim, in *Geneſ. c.* 2. in hunc Numerorum locum excurrens, conjectat Mannæ tribui ſpeciem τῶ *bedolach, quia pretioſi lapides & margaritæ cum Manna deſcendebant.* Eâdem modò vocem ſumit Auctor *Hiſtoriæ Templi ſecundi*, à Munſtero editus, qui *p.* 4. Antiochum Pium bovem miſiſſe Deo Iſraëlis offerendum, *cujus cornua aurô ductili operuerit, quorumque cinxerit filo bedolach*, i. e. margaritis filô conſertis, &c. Et *p.* 146. ubi Herodis vitem auream habuiſſe refert *botros ex bedolach*, h. e. margaritis, &c. Origo vocis à בָּדַל, *badal*, quod *ſeparare* & *ſegregare* ſignificat: unde non margarita quævis, ſed egregia & eximia, quæque præſtantiæ nomine à reliquis eſt ſegregata, hâc voce indigitari videtur; *Unio* fortè, quod nomen *impoſitum maximè grandibus margaritis*, Plin. tradit *l.* 9. *c.* 35. Certè Latinè *unicum* dici, quidquid eximium eſt, diſcimus ex Plinio de Cleopatræ unionibus, *Gerebat auribus tunc maxime ſingulare illud & verè unicum naturæ opus.* Propertio *l.* 1. *El.* 2. *ad Cynthiam*, *v.* 29.

Unica nec deerit jucundis gratia verbis, &c.

Vide prædictum Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 5. *c.* 9. & infrà in vocibus *Bdellium*, *Margarita*, *Unio* &c.

BEDIRUM, Libyæ interioris urbs, *Ptol. Debris* Plinii eſt, *l.* 5. *c.* 5. *Hermolaô* teſte.

BEDRIACUM, vide *Bebriacum.*

BEDVINI, Arabes ac Saraceni, nullâ ratione, inermeſque in bellum ruebant, dicentes mortem vitari non poſſe, fatoque omnia referentes, hircinis amicti pellibus Solem orientem adorabant. *Volaterran.* Hi Halapiam & Crachum verſus, Arabiam incolunt, in tabernaculis degentes, unde etiam iis nomen. Auctor enim eſt Abrahamus Echellenſis in *Hiſtor. Arabum c.* 1. quos *Scenitas Strabo* appellat, hodie, *Badaovos* dici à *Badia*, deſerto. Frequens horum mentio, apud *Rerum Hieroſolym.* Scriptores *Sylveſtres Tani* dicuntur, apud Auctorem *Hiſtoriæ expeditionis* Friderici I. Imperatoris, laudatum Caniſio *Antiqq. Lection. Tom. V.* Cum Aſſaſſinis eos perperam confundit Joinvilla, ad quem vide *Notas* eruditas Car. du Freſne, ut & infrà aliquid voce *Odewini.*

BEEL vel BAAL, Syrius Belus dictus, qui Βῆλος Græcis; *Bel* enim ex *Beel* contractè. Unde ſententia eorum concidit, qui Syrium Belum *Beel* vel *Baal*, Aſſyrium verò *Bel* vocatum eſſe contendunt. Adde, quòd idem fuerit *Belus Syrus* & *Aſſyrius*, imò & *Tyrius* & *Ægyptius.* Hinc & Numen idem apud Syros Aſſyrioſque, hôc nomine appellatum, quem Græci Latinique Βῆλον appellârunt, qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1228. & ſuprà in voce *Baal.*

BEEL-PHEGOR, Idolum Moabitarum, propriè Bel adoratus in monte Phegor. Numer. *c.* 25. *v.* 3. Deuteron. *c.* 4. *v.* 3. Vide *Baal-Peor.*

BEEL-ZEBUB, Hebr. בַּעַל זְבוּב, Philiſtæorum Accaronitarum olim Deus, quaſi dicas, *Deus muſca.* Cujus nominis non alia fortè cauſa, quàm quod abigeret muſcas ab æde ſua, quod & Herculi tribuunt Plin. *l.* 10. *c.* 29. & Solin. *c.* 1. hinc Ἀπόμυιος dicto. Quanquam alios ipſum Jovem non puduit epithetô hôc inſignire, ut cui Elienſes hôc nomine ſacra feciſſe, apud Clementem *Protreptico* & Pauſaniam in *Eliacis prior.* legimus. Eum ipſum *Myoden* vocat Plin. *l.* 29. *c.* 6. ubi tamen Salmaſ. μυιῶν Θεὸν vult legi. Alibi, *l.* ſcil. 10 *c.* 28 cum Myiagro Deo eundem faciens, *Invocant Elei*, inquit, *Myiagron Deum, muſcarum multitudine peſtilentiam adferente: quæ protinus intereunt, poſtquam litatum eſt ei Deo.* At Myagrus Heros fuit, non Deus; nec in Elide cultus, ſed Aliphera Arcadiæ urbe, ut disertè docet Pauſanias in *Arcadicis.* Nempe videntur eò tranſlata fuiſſe hæc ſacra, ex Accarone Philiſtæorum: fuitque etiam hac in parte Diabolus Dei veri ſimia, in cujus templum muſcis nullus aditus, ſi Talmudicis credimus. LXX. Interpretes μυῖαν, *muſcam* hoc idolum interpretantur, quod ſequuntur Veteres multi: quia putabant, ſub muſcæ imagine Numen hoc cultum. Sed verior interpretatio prior. Cur autem Pharìſæi hunc Dæmoniorum principem eſſe voluerint, Matthæi *c.* 12. *v.* 24. & Lucæ *c.* 11. *v.* 15. qui Hebræorum aliis eſt Aſmodæus, non adeò liquet. Nec aliam Bochartus rationem adfert, niſi quòd Philiſtæorum urbs Accaron etiam ſcribitur *Acharon* ab Hieronymo & aliis: quò cùm *Acheron* proximè alludat, potuit ab ignaris Deus-Acharon, cum Acherontis Deo, i. e. cum Plutone confundi, quem Inferis præfeciſſe Gentilium Theologiam notum eſt. Hebræi vero poſteriores non pauca ſuæ linguæ vocabula è Græca deduxerunt, uti pluribus docet modò dictus Samuel Bochartus *Hieroz. Parte poſter. l.* 4. *c.* 9. ubi de Deaſtro hoc prolixè agit.

BEERA, fil. Joël. 1 Paral. *c.* 5. *v.* 6. *puteus*, vel *declaratio.*

BEERGIOS, vel BERGION, unus ex Neptuni filiis, quem Hercules devicit.

BEERI, Latinè *explanans*, vel *puteus*, vel *in luce*, vel *ex leone.* Pater Judith uxoris Eſau. Gen. *c.* 26. *v.* 13. Item pater Oſee Prophetæ, *c.* 1. *v.* 1

BEER-RAMATH, urbs in tribu Simeon. Joſ. *c.* 19. *v.* 8. Latinè *puteus*, vel *declaratio celſitudinis*, aut *in luce excelſa.*

BEER-SHEBA, nomen civitatis. Latinè *puteus juramenti.* 1 Reg. *c.* 19. *v.* 3. Ubi *Joſephus*, ἀφικόμενος δὲ ὁ Ἠλίας φυγὼν εἰς πόλιν Βερσουβεὲ λεγομένην, ἐν ἐσχάτοις δ' ἐστὶν αὕτη τῆς χώρας τῆς Ἰούδα φυλῆς ἐχόντων πρὸς τὴν Ἰδουμαίαν γῆν. *Berſabam vocat Ptolemæus.*

BEBRUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

BEFORTIUM, oppid. munitum Sequaniæ, in Alſatia, ſub Gallis. Comitatûs olim caput: Ad radices montium. Via 2. leuc. à Monte Bellicardi in Ortum, & 4. à Ferretra in Occaſum.

BEFULCI, epitheton Wenedorum Slavorum, quos ita vocatos à Chunis, ſcribit Fredegarius *c.* 48. *eo quòd duplices in congreſſione certaminis veſtita prælia facientes, ante Chunos, præcederent*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

BEGARDI, iidem cum *Beghardis* ſeu *Beguardis* Hæretici quorum fœminæ *Beguinæ*, è tertio Ordine Franciſci ſeſe eſſe aſſerebant, ſed falſò, ut probat Waddingus: *Fratres pauperes* ſeipſos vocabant, item *Fratres & Sorores de Pœnitentia*, *Bizochi* inſuper, *Fraticelli*, *Vacaſoti*, &c. dicti, ut videre eſt in *Extravag. Johannis XXII. de Religioſ. domib.* Eorum auctorem Petrum Colati de Corbario Antipapam facit Blondus in *Tractat. de Piceno*, ubi de Fabriano oppido; Dulcinum & Margaritam Scriptor *Vitæ* Clementis V. ut videre eſt apud Car. Macrum *Hierolex.* Maximè muliebrem ſexum hæreſin hanc invaſiſſe, docent Matthæus Pariſ. & Matth. Weſtmonaſterienſis *A. C.* 1243. *Beguinas* quoque vocatos eſſe (quamvis ex plurimum mulieres in hac ſecta ſic appellatæ ſunt, ut diximus) diſcas ex *Epiſtola* Yvonis Narbon. quos, ut viros fictæ Religionis ac pietatis, inter cætera, his verbis perſtringit M. Robertus de Sorbona *Serm. de Conſcient.* *Vidi quendam, qui cùm erat coram magnis Beguinus, habebat magnum ſupertunicale rotundum cum magnis & latis manicis de camelino & coram mundanis habebat de bruneta ſciſſum antè & retro, ſtrictum ſine manicis, de variis ſoderatum*, &c. Nomen à Saxonico *Beggen*, i. e. *mendicare*, arceſſunt Viri docti *ad Vitam S. Catharinæ Sen. num* 74. &c. Vide in voce *Beguardi.* Sed & ſic appellati leguntur Fratres Converſi in Ordinib. Prædicatorum & Minorum apud Auctorem *Annalium* Colmar. A. C. 1302. Etiam Valdenſes *Begginorum* appellatione non ſemel denigrat Godefridus Monachus S. Pantaleonis, A. C. 1239. & *ſeqq.* apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque hîc infrà, ubi de *Beguinis*, ut & in voce *Beguardi.*

BEGHINÆ, ejuſdem ſectæ ac inſtituti, cujus *Beguardi* & *Beguini*, de quibus retro, unà prorſum cum iis damnatæ in Concilio Vienneſi, quia in urbe magna horum hominum vis. Meminit earum Matthæus Pariſ. *ad A. C.* 1251. *In Alemannia mulierum continentium, quæ ſe Beguinas volunt appellari, multitudo ſurrexit innumerabilis, adeò ut ſolam Coloniam mille vel plures inhabitarent.* In Alemannia, *Kulrein*, i. e. *Pœnitentes* appellatas, tradit Chron. Senonienſe *l.* 5. *c.* 1. Eaſdem *Sorores de Pœnitentia de tertio Ordine S. Franciſci* dici voluiſſe, refert Guido Carmel. *Summ. de Hæreſ. fol.* 108. &c. Sed quia paſſim in Belgio præcipuè, ſub *Beguinarum* nomine, Virgines Deo verè & ſanctè famulari dicebantur, ne nocentium damnatione innocentes involverentur, Johannes præfatus *Extrav. Ratio recta* & *Bulla* aliâ providit. De quarum hodierno inſtituto ac vivendi ratione ſic Ludanus: *Hæ medium*, inquit, *vitæ genus agunt, inter Monaſticum & Seculare. Certis legibus omnes vivunt: de ſuo victitant, a votis libera ſunt. Si nubere viſum, migrant & nubunt, non tantilli vitæ inſtituto, cùm ſint in illo & in altero ſexu, qui neque libertatem ferre poſſunt, neque arctum imperium, quibus medium hoc vitæ genus ſaluti eſſe queat.* Quò & Rhythmi veteres, faciunt, *de Origine Monaſterii Pratenſis*, in Flandria.

Beginæ namque fuerunt à prima ſui ætate.

Mox,

Habebant enim famulam, quæ omnibus miniſtrabat,
Et de pravanibus vitam eis auxilium dabat.
Ibant enim illæ manè ad Album ſanctum templum,
Domum trabant, nec mane deforis dabant exemplum,
Tunc non habebant in loco, ubi manebant, capellam,
Nec quid ſacratum in illo, ſed habebant ſolùm cellam,
Inde caſam reperiebant, & accipiebant colum,
Otioſum tempus ſpernebant, nullum cogitantes dolum;
Sæpe veniebant probi, qui eos confortabant,
Et munimen conſilii illis pro ſeſe donabant, &c.

Vide Miræum in *Donationibus Belgic. c.* 112. & quæ de inſtituto Monachorum primævo dicemus ſuô locô, &c. At in Gallia *Beguinarum* inſtitutum cùm contemtui haberetur, ſenſim deſiit & in earum locum ſucceſsêre Sorores tertii Ordinis Franciſci, quibus indidem traditæ in Galliæ urbibus earum ædes. Sic in *Beguinarum* Pariſ. Monaſterium tranſlatæ ſunt Sorores præfati Ordinis, de *Ave Maria* cognominatæ, diplomatibus Ludovici XI. *A. C.* 1471. & 1479. Idem ab eodem Principe in urbe Bellovacenſi factitatum, refert Louvetus in *Hiſtoria Bellovacenſi Tom. I.* &c. Nomen quod ſpectat, à *Begga*, Pipini Landenſis filia, S. Gertrudis Nivellenſis ſorore, *Beghinas* ſeu *Beguinas* dictas eſſe, & ab ea inſtitutum ſuum accepiſſe, conſtans eſt inter Belgas opinio. Alii à velo capitis eas ſic appellatas volunt, quod tamen ab ipſis potiùs dictum videtur. Joachimus Hopperus, à *beginnen*, i. e. incipere, vocis originem arceſſit, quòd *tirocinium quoddam rei Monaſticæ ponant.* Alii denique à Bego quodam, iſtius inſtituti auctore, de quo ſic Ægidius Aur. vallis Monachus in *Radulfo Epiſcopo Leodicenſi ſub A. C.* 1180 *Suſcitavit Deus Spiritum Sanctum cujuſdam Sacerdotis viri religioſi, qui Lambertus le Begue, quia balbus erat, de S. Chriſtophoro dicebatur, à cujus nomine mulieres & puellæ, quæ caſtè vivere proponunt, Beguines Gallicè cognominantur, quia ipſe primus extitit, qui eis præmium caſtitatis verbô & exemplô prædicavit*, &c. Vide plura hanc in rem apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* & Macrum in *Hierolex.* nec non infrà voce *Pyrocara.*

BEGHIUS Lambertus, vide *Lambertus.*

BEGIALIS, Amorgi inſul. urbs, in mari Myrtoo.

BEGIS, urbs Trallianorum. *Steph.*

BEGUAI, nomen proprium Nehem. *c.* 7. *v.* 7. Latinè *in corpore*, ſive *in gente.* Item nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 2

BEGUARDI, aliàs BEGUINI & BEGUINÆ, Hæretici in Ger-

Germania exortis, A. C. 1341. Monaſticam vitam, ſed ſine cœlibatu, affectabant, in hac vita omnimodam perfectionem obtineri poſſe, gratiæ auxilio opus non eſſe, homines perfectos ab obedientia Magiſtratus debita, à jejunio, precibus, bonisque operibus eſſe immunes, divitias cum Evangelica perfectione conſiſtere non poſſe aſſerentes. Damnati in Concilio Viennenſi A. C. 1311. Petrus Coëns *Hiſt. de origine Beguardorum*. Alex. Roſſæus, *in verbo ſuo*. Pulſi ſunt Baſileâ, annitente inprimis Johanne Mulbergiô, inſigni Concionatore, Dominicanô, eorumque domicilia partim Noſocomio magno, partim Epiſcopo: ſupellex autem Franciſcanis ceſſit, A. C. 1411. Vide Chriſt. Urſtiſium *Hiſt. Baſil. Summpſum*, &c. Quibuſdam ex illis A. C. 1403. jam ibidem converſis, Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Paulo exactius ſic de illis Phil. à Limborch: *Beguini, inquit, fuerunt Monachi Ordin. B. Franciſci, dicuntur que paſſim, de tertia Regula D. Franciſci, qui, cùm Clemens V. ſaltem granaria habere vel cellaria, in quibus rerum mendicando collectarum conſervationem facerent, Prædicatoribus conceſſiſſet, diſſenſum ſuum teſtati, contenderint, nec hoc quidem licere, paupertatis Franciſcanæ perfectionem hôc modô labefactari, nec Papam habere auctoritatem in ea regulam Franciſci diſpenſandi; adeoque ſi faciat, illius decreta tuto poſſe contemni. Circa quæ tempora Petrus Johannis Olivus inter illos ſcripſit Poſtillam in Apocalypſin, quâ quæ de beſtia & meretrice Babylonica dicuntur, applicat Papæ & Eccleſiæ Romanæ. Poſt Clementem Johannes XXII. Franciſcanis concedentis, ut poſſent granum, panem & vinum, in granariis & cellariis recondere, non minus acriter obnixi, Papæ auctoritatem impugnare cœperunt, unde Hæretici judicati atque Inquiſitioni ſubjecti, Decretô cujus initium*, Glorioſam Eccleſiam, *datâ Avenione A. C. 1318. Cum autem ſic non ceſſaret contentio, & Berengarius in Concil. Narbonenſi illorum cauſam defenderet, ab inquiſitore Joh. Bemmo ipſi palinodia indicta eſt, is verò, ad ſedem Apoſtolicam appellatione interpoſitâ, Avenionem ivit ac Papæ ſummam rei expoſuit. Hic Berengarium honeſta in cuſtodia retinuit, ac omnibus Academiis utriſque doctis ubique virorum ad diſquirendum propoſuit*, Num pertinaciter affirmare, D. J. Chriſtum ejuſque Apoſtolos non habuiſſe aliqua in ſpeciali, nec etiam in communi, foret hæreticum cenſendum? *Convenêre itaque Peruſium undequaque Fratres Minores, aderatque Mich. Caſenas ordinis Generalis, qui Beguinorum ſententiam approbarunt, Papa verò edictum de uſu rerum à dominio diſtinctio promulgavit. Contra quem cùm proteſtaretur Fr. Bonagratia Bergom. Ordinis Procurator à Capitulo conſtitutus, & appellationem ad futurum Pontificem vel ad Concilium Oecumenicum interpoſuiſſet, Papa novô Decretô aſſertionem, quæ ſtatuebat*, Redemptori noſtro, ejuſque Apoſtolis, in his quæ ipſos habuiſſe S. Scriptura teſtatur, nequaquam jus ipſis utendi ſeu conſumendi competiiſſe, nec illa vendendi ſeu donandi jus habuiſſe, aut ex ipſis alia acquirendi, *hæreticam declaravit. Inſuper Caſenatem, cui aſſiſtebant Bonagratia præfat. Petr. Corbarius & Guil. Ockam Anglus, anathemate ferit, A. C. 1329 una cum ſociis ejus: è quibus Corbarius, datâ hâc ſententiâ atque inſuper Fratrum Minorum Pariſiis congregatorum judiciô de hac re errorum, opinionem ſuam revocavit & abſolutus eſt. Mich. Caſenas verò, ſub imperio Ludovici Bavari Imperatoris cum ſequacibus ſuis tutus vixit, ſcriptis variis cauſam ſuam tuitus. Quos prius ſententialiter condemnavit Gerardus Odonis, in Generalatu Ordinis ſuffectus, & Johannis Papæ 38. & 159. Sanctiones contra eos promulgatas, datæ ejus innovante poſtmodum & aggravante Benedictô XII.* A. C. 1335. Vide præfatum Auctorem, *Hiſtoria Inquiſit. l. 1. c. 19* apud quem etiam *libro Sententiarum Inquiſit. Tholoſanæ*, nunc primùm ab illo edito, varias in *Beguinos* latas ſententias legere eſt

BEGUI, nomen viri. Eſdr. c. 8. v. 14.

BEHEMA, Hebraicum nomen, quadrifariam in Sacris ſumitur: primò pro *bruto quovis*, Pſalmo 36. v. 7. Secundò pro *quovis terreſtri quadrupede*, aliquantæ molis & viviparo, Levit. *c.* 11. *v.* 2. Tertiò, pro *jumentis* & *gregibus*, omnique domeſtico pecore, Gen c. 1. v. 25. Quartò denique nomen plurale, בהמות *Behemoth*, terminatione plurale, ſed ſenſu ſingulare, certa eſt animalis ſpecies. Vulgus interpretum *elephantum* eſſe putat, quia terreſtrium belluarum eſt maxima. Pſeudo-Eſdras *l.* 4. *c.* 6. *v.* 49. & 51. & Talmudici Doctores in *Bava Bathra c.* 5. monſtrum horrendum, informe, ingens, intelligunt, quod depaſcatur mille montes, tanquam ex Pſalmo 50. v. 10. & in Meſſiæ convivio piis Judæis ſit apponendum. Bochartus hippopotamum exponit, quem omnino vide *Hieroz. Parte poſteriore l.* 5. *c.* 15. ut & infrà in hac voce.

BEIBAS, vel BEIBUS, lacus totius Livoniæ inſignior, qui in longitudinem ad 45. milliaria Italica porrigitur, atque variô piſcium genere abundat, *Mercat.*

BEILSTENIUM, Germanicè BEILSTEIN, oppid. Germaniæ cum arce, liberiô in Occaſum hibernum Herbornâ diſtans, caput territorii, in ſatis magnam Weſterwaldiæ lineam extenſi, olim ſub proprio Comite, è ſtirpe Naſſovia, Lineæ Dillenburgicæ. Henricus enim I. Henrici Comitis filius, Othonis, qui Dillenburgenſe ſtemma condidit, nepos: ab Othone fratre majore natu, hæreditate divisâ, diſcedens, *Beilſteniam* lineam ortus eſt: Pater Henrici II. cujus fil. Henricus III. Johannem I. genuit, quô natus Henricus IV. Johannem ſuſcepit II. patrem Johannis III. qui, uxore licèt Comitis Naſſoviæ Weilburgii ductâ, improlis obiit, ditione ad agnatos Dilleburgicos devolutâ. Atque ita ſurculus *Beilſtenius* exaruiſſe viſus, tranſlatione novô ſuccô recepto, hæreditate Georgii Comitis Naſſovii auſtus eique iterum exemtus, fratribus ejus natu minoribus ceſſit. Prior traductio annô 7. altera annô 21. ſeculi præſentis facta eſt, Cyriacus Lentulus *Genealogiâ Principum Naſſoviæ adhuc inedita.*

BEINWILENSE Monaſter. divi Vincentii, profeſſionis Benedictinæ, in valle eſt, ad decurrentis Birſæ dextrum latus ad Meridiem abeunte, in agro Rauraco. Initium ſumſit eâdem ætate, quâ Lucelenſe, auctoribus Nokerô, Oudelardô, Burchardô, atque Udalricô, viris nobilibus, in quorum proprietate nunc conſtructum fuit, ut diploma confirmationis Friderici Barbaroſſæ Imperatoris apud Ulmam, A. C. 1152. factæ, ſonat. Et primò quidem Oudelardus, è Comitibus Sogerenſibus, Cœnobii advocatum egit: quod munus dein ad Comites Thierſteinos devenit, A. C. 1240. ſub Imperii fide. Hodie Abbatia eſt, ad Lapidem, cœnobium nobile, viæ teſhoriô Baſileâ diſtans, tranſlata. Urſtiſ. *Hiſt. Baſil.*

de BEKA Sidertus, vide *Sidertus*.

BEL, nomen idoli Babyloniorum. Eſaj. *c.* 46. v. 1. Latinè *vetuſtus*, aut *mixtus*, ſive *deſluens*. Vide *Baal*, & *Belus*.

BEL, ſive BELES, Apollo ab Aquilejenſibus Italiæ populis ſic dictus. Herodian. *l.* 8. *c.* 3. Βέλιν δὲ καλοῦσι τοῦτον, σέβουσί τε ὑπερφυῶς, Ἀπόλλωνα εἶναι ἐθέλοντες. Ubi Βελην legendum monet Salmaſ.

BELA, I. Pannoniæ Rex, primò cum fratre Andrea regnum commune habuit, dein illô totô, per fratris cædem, ope Ducis Poloniæ Seceri, potitus, bonus alioqui Princeps; populos à multis vectigalibus immunes fecit. Primus Byzantios nummos, argenteam, quæ monetam percuſſit. Deceſſit tandem A. C. 1063. equô lapſus, fractuſque membra poſt annos regni tres, ſepultus in cœnobio S. Servatoris ab eo conſtituto. Volaterran. *Geogr. l.* 8.

BELA, II. Ungariæ Rex, Almi fil. quem Colomannus frater excæcaverat, & ipſe cæcus ſervatus à Pannoniis in regnum, quod Stephanus ſine prole deceſſiſſet; duxit uxorem Helenam, Regis Serviæ filiam, ex qua 4. filios habuit, Geyſam III. Ladiſlaum II. Stephanum, & Almum, qui in eos, quorum conſiliô pater excæcatus erat, crudeliter animadvertit. Borichum Colomanni nothum cum Polonorum & Ruthenorum manu regnum affectantem prælio vicit. Obiit A. C. 1141. regni 12. Bonfind. *Chron. Hung. Volaterran.*

BELA, III. Ungariæ Rex, Stephani tertii fil Duxit A. C. 1186. Margaretam, ſororem Philippi Auguſti Galliæ Regis viduam Henrici Junioris Angl. Obiit A. C. 1199. Relictis Emericô & Andreâ II. filiis, qui ambo Reges fuerunt. Bonfin. & Crantz. *metrop.* regnavit ann. 18

BELA, IV. Ungariæ Rex, Andreæ II. patris ſucceſſor, Princeps fortiſſimus, ſed non æquè felix Rebellione quippe filii & Tartarorum incurſione exercitus. Obiit A. C. 1270. vel, 75. Bonfin. *l.* 2. *dec.* 8 regnavit ann 35.

BELA, V. Ungariæ Rex, regnavit ann. 5:

BELAMIA, ex Gall. *Belle amie*, quaſi *Bella amica*, veſtis ſpecies eſt, memorata in *Regula*, datâ à Roberto de Arbreſſello Monialibus Fontis-Evraldi, *c.* 2. *Ut non habeant veſtimenta fimbriata, neque in lecto præter* belamiam. *Sed menſa conſuantur, ut tunicæ & chlamydes, & cætera omnia*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

BELATUCADRUS, nomen ficticii Numinis, in Anglia olim culti: cujus mentio in *veter. lapide* Wardaliæ in Cumbria, in ædibus nobilis Viri Th. Dykes, DEO SANCTO BELATUCADRO AURELIUS DIATOVA ARAM EX VOTO POSUIT L.L.M. M. Item in alio, BELATUCADRO JUL. CIVILIS OPT. V. S. L. M. Item in tertio, quem Gruteriana *Inſcriptionum Collectio* præterit, Camdenus verò earum editoribus tranſmiſit: DEO BELATUCADRO LIB. VOTUM FECIT JOLUS. Idem, fuiſſe Seldeno *de Diis Syris* videtur, cum Beleno & Abellione, quibus nominibus Solem à priſcis cultum eſſe, docet Gerh. Joh. Voſſ. *Orig. & Progreſſu Idol. l.* 2. *c.* 17.

BELBINA, oppid fuit Peloponneſi, prope Eurotam fluv. ſupra Spartam, in Laconia provinc. Item, Inſula in Saronico ſinu: Ubi templum Panos & Veneris: de utroque variant opiniones.

BELBINA, Græcè Βέλβινα, parva eſt Inſula, ſeu rupes ponti, quam Meurſius inter Atticæ domos recenſet Sed cum habitatam fuiſſe nullus referat idoneus Auctor, neque etiam ob parvitatem veriſimile ſit cultores habuiſſe, hic Vir doctus impegiſſe videtur, Jac. Sponio *Itinerar. Græc. Part.* 3. *p* 101.

BELCHAMUS Feus, vide *Feus*.

BELEASTARTUS, Hirami fil. Tyri Rex. Aliis *Deleaſtarno*.

BELEDONII, populi juxta Oceanum. *Steph.*

BELEGRA, oppid. Italiæ, in Piceno. *Ptol.* Hodie forte *Civitella*, oppid. munitum Aprum ulterioris ad Sabuelli amnis ripam. 6. milliar. ab Aſculo in ortum.

BELEGUANZA, provinc. Æthiopiæ ſuperioris ſeu Abyſſinæ in Africam cum urbe cognomine verſus Cubelam fluv inter montem Amatam & regnum Angotinum.

BELEJA, oppid. *Belca*, in Aragonia, *Ferrario. Brietio.* aliiſque eſt *Trevino*, oppid. provinc. Alavæ, in Caſtella, prope Zadorram amnem, 8. milliar. ab Ibero fluv. inter urbes Mirandam & Victoriam.

BELENATENSIS Mons, à BELENO Deo, i.e Apolline, quem cum Jove, Mercurio & Marte præ cæteris Galli coluêre, appellationem videtur traxiſſe. Hic mons erat inter Artonam & Ricomagum in Arvernis: ut docet Gregorius noſter, *in libro de Gloria Confeſſorum his verbis: Cùm ex Artonenſi vico veniſſet in cacumen montis Belenatenſis, de quo vici Ricomagenſis poſitio contemplatur.* At nunc mons iſte Belenatenſis, inter Artonam & Ricomagum medius, ignoratur etiam ab incolis. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BELENDI, inter minores Aquitaniæ populos recenſentur à Plinio, *l.* 4. *c.* 19. cum ait: *Eneobriſates*, Belendi, *ſaltus Pyrenæus, infraque Monesi, Oſcidates montani, Sibillates Camponi, Bercorates, Pinpedunni, vel Bipedimui, Saſſumini, Vellates, Tornates, Conſoranni, Oſcidates campeſtres, Succaſſes, Latuſates* &c. Ex quibus *Belendorum* nomen videtur retinere *Belin*, locus Galliæ, in Aquitania, ad flumen Leriam ſive Sigmana Bojorum, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. in voce Sibuſates.*

BELENOPOLA, Paraſitus Pamphili fœneratoris Athenienſis; qui in gratiam Pamphili ſic ſe inſinuaverat, ut Pamphili bona utriuſque viderentur communia. Perſtringitur ab *Ariſtophane.*

BELENUS, Deus idem ac Sol putandus, Aquilejenſium Deus tute-

tutelaris, item Armoricorum & Noricorum. Lege *Auſonium* Scaligeri, Voſſium *de Theolog. Gentili l. 2. c. 17.* & Seldenum *de Diis Syris, Synt. 1.* Non alium eum, quàm Apollinem ſeu Solem fuiſſe, docet Jul. Capitol. *in Maximino, c. 22. Cùm igitur fruſtra obſideret Aquilejam* (ubi is cultus) *Maximinus, Legatos in eam miſit, quibus Populus penè conſenſerat, niſi Menophilus cum collega reſtitiſſet, dicens etiam Deum Belenum per Aruſpices ſpopondiſſe, Maximinum eſſe vincendum. Unde etiam poſtea Maximini milites jactaſſe dicuntur, Apollinem contra ſe pugnaſſe: nec illam Maximi aut Senatus, ſed Deorum fuiſſe victoriam.* Vide quoque Herodian. *l. 8. c. 3* ubi eum Βέλιν vocat & Oraculum ejus Θεοῦ ἐπιχωρίου, *patrii Numinis*, appellat. De eodem ſonant *Inſcript.* plurimæ Aquilejæ repertæ. Uti illa in ara oblonga: APOLLINI BELENO AUG. IN. HONOREM C PETTI. Et alia, APOLLINI BELENO C. AQUILEIENS. FELIX. Alias, quæ ibidem viſantur, quinque, refert Gruterus *Inſcript. veter. p. 36.* Nec Ciſalpinæ is ſolùm, ſed Tranſalpinæ quoque Galliæ in veneratione fuit: unde Phœbicii, *Beleni* ædituí, meminit Auſonius *in Profeſſor. Burdigal.* Vide eundem *Carm. 4.* Noricorum etiam fuiſſe Numen, diſcimus ex Tertulliano *Apologet c. 24.* niſi pro *Noricis*, ibi *Armoricis* legendum. Nomen à בעל videtur ortum, (unde Βὴλ, Βῆλις, βήλινος & βέλενος) cùm omnis penè ſuperſtitio ex Oriente ſit. Nec *Abellio*, aliunde quàm à Belo dictus: ut & nec Belatucadrus, de quo ſuprà. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l. 2. c. 17.* ut & infrà, voce *Mithra.*

BELEPARES, Aſſyriorum Rex XIX. regnavit ann. 30. ab A. M. 2646. uſque ad 2675. Euſeb. *in Chron.*

BELEPHANTES Chaldæus, à ſociis delectus ad indicandum Alexandro periculum, quod ipſi Babylonem ingreſſuro ex aſtris portendebatur. Diodor. Sic. *l. 17. p. 622. in Olympiad.* CXIII. *anno quarti, Hiſtoria.*

BELERIDÆ, Inſul. 3 hodie *le Sanguinare*, in ora Occidentali Sardiniæ, 25. milliar à Calari in ortum. *Brietius, Alii.*

BELESES, Arbacis in bello contra Sardanapalum ſocius & commilito, Babylonicum Regnum obtinuit, Eſajæ *Baladan*, Ptolemæo & Cenſorio *Nabonaſſarus*, à quo celebris Chaldæorum epocha nomen habet, dictus. Pater, vel, ut aliis placet, avus Mardocempadi, quem *Merodach* vocat ſacra Hiſtoria. Vide de ſucceſſoribus ejus Georg. Hornium *Orb. Polit. p. 442.*

BELESMA, oppid. Galliæ in Belſia provinc. & agro Perticenſi.

BELEUS, fluv. in agro Tyriorum.

BELFORTIUM, aliàs BELCIFORTIUM, à ſua pulchritudine ſimul ac fortitudine, ut videtur, nomen habens, munitiſſimum eſt caſtrum militiæ templi, juxta Horma ad Eleutherum fluvium in montanis ſitum, in tribu Aſer.

BELFREDUS, ſeu BERFREDUS, Gall. BEFFROY, machina eſt bellica lignea, in modum excelſioris turris extructa, variis tabulatis, cœnaculis ſeu ſtationibus, conſtans, rotiſque quatuor vecta; tantæ proceritatis, ut ejus faſtigium oppidorum & caſtrorum obſeſſorum muros æquaret. Ejus parietes vel tabulis vel cratibus colligati, coriis taurinis equiniſque operti erant, ut ab ignium inextinguibilium jaculatione nullum paterentur damnum. In cœnaculis autem collocabantur milites, qui in hoſtes continuò tela vibrabant aut ſagittas emittebant: infrà verò viri robore præſtantes magnis impulſibus machinam muris admovebant; uti hæc machina deſcribitur à Leone Imperatore in *Tacticis c. 13. num. 30.* aliiſque paſſim. Modum conficiendorum *Berfredorum*, quos πυργοκαστέλλους vocat Auctor *Chronici* Alexandr. vel ſaltem ejuſmodi turrium, quas ad urbium & caſtrorum muniones admovere Veteres ſolebant, accuratè exponit Sanutus *l. 2. part. 4. c. 22.* Deſidem Wilhelm. Armoricus *Philipp. l. 2.* ſub *Belfragii* nomine,

> *Cratibus & lignis rudibus belfragia ſurgunt.*
> *Turribus alta magis & muribus, unde valerent*
> *Agmina miſſilibus, teliſque quibuſlibet uti*
> *Devenoſque hoſtes facili proſternere jactu* &c.

Hinc poſteà nomen tranſlatum ad altiores quaſcunque turres, quæ in urbibus aut caſtris eriguntur, in quarum faſtigio excubant vigiles, qui eminùs adventantes hoſtes, pulſatâ campanâ, cives monent, ut ad arma ſint parati: quamvis & extra belli metum, prout rei politicæ Curatoribus viſum fuerit, eâdem campanæ, ibi hîc ſini pendenos, pulſo, non rarò convocari ſoleant. Unde Campana hæc *bannalis* dicitur Hocſemio, quòd, cùm pulſatur, quicunque intra *bannum* ſeu diſtrictum urbis commorantur, ad conventus publicos teneantur promtè ſe conferre. *Statuta* Gildæ Scoticæ *c. 28. Nullus regratarius emat piſces, fænum, avenas — ante pulſationem campanæ in berfrido,* &c. Atque inde *Belfredus* inter privilegia *Communiæ* vulgò accenſetur, quod colligit Car. du Freſne ex *Statuto* Caroli Pulchri A. C. 1322. quò cives Laudunenſes, propter commiſſum aliquod in Laudunenſem Eccleſiam ſacrilegium, jure Communiæ privantur, nempe *jure Scabinatus, Collegii, Majoratus, Sigilli, Campanæ,* Berfredi, *& juriſdictionis.* Sed & ipſa *Belfredi* vox, à Saxon. *bell*, i. e. campana, & *frid*, i. e. pax, deducta videtur, quod in hiſce turribus appenderentur ad convocandos homines, in tumultibus bellicis vel aliis occaſionibus, maximè in urbibus, quarum communiæ *Pacis* nomine paſſim donatæ leguntur, &c. Vide Car du Freſne *Gloſſar.*

BELGA, nomen viri. 1 Paral. c. 24. v. 13. Latinè *refrigerium*, vel *ſolatium*, aut *vetuſtas voluit.*

BELGÆ, Galliæ populi maximè qui versùs Oceanum incolunt; quos Cæſar *l. 1. Comm. c. 1. fortiſſimos Gallorum* vocat. De quorum terminis, vide ibidem, & Authores infrà laudatos. Hinc *Belga*, unus ex Belgis. Lucan. *l. 1. v. 426.*

> *Et docilis rector roſtrati Belga Covini.*

Et adjectivum *Belgicus*, Virgil. *l. 3. Georg. v. 204.*

> *Belgica vel molli melius feret eſſeda collo.*

Ubi *Servius*, *Belgica eſſeda, Gallicana vehicula.* Horum appellatio refertur à quibuſdam ad innatam genti in dimicando ferociam. Nam *Balgen*, inquit *Junius*, eſt *manus conſerere.* Alii à *Wahlen*, ſeu *Walgen*, quo nomine Galli Italique Germanis veniunt, derivant. Vide Cluver. *l. 2. Orbilum*, & in *Bellovacis.*

BELGÆ, dicuntur hodie, populi Inferioris Germaniæ in XVII. provincias diviſi, & regio illorum, *Belgica*, quæ partim cis Rhenum, in veteri Gallia, partim trans Rhenum, in Germania. Vide quamque provinciam ſuis locis, inprimis in *Flandria, & Hollandia* vocibus, ut & in *Belgium.*

BELGÆ, etiam populi Albionis in Anglia, ad occidentem, quorum regio *Hamshire, Wiltshire & Somerſetshire*, teſte *Camdeno.*

BELGÆ, poſteà *Wella*, vulgò *Wells*, urbs Angliæ ultra Bathoniam urbem ad 24. mill paſſ. in occidentem, quarum urbium Epiſcopatus copulati ſunt ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi.

BELGÆ, ſeu WELLÆ urbecula eſt Comitatus Somerſetienſis, aliter *Fontanenſis*, olim *Theodorodunum*, à fontibus, qui paſſim in ipſa ſcaturiunt. Vide ibi. *Baudrand.*

BELGARTIA, oppid. German. in Pomerania, & regione Caſſubea, ad amnem *Perſante* Brandebergici juris,

BELGIANUM, deſertum Aſiæ, in Tartaria vera versùs confinia Cataiæ, cum regione cognomine.

BELGICÆ Provincia, una è 4. partibus Galliæ, primùm jam inde ab Auguſto ſimplex & unica tantùm fuit. Pars ejus ad Rhenum *Germania ſuperior*, & *Germania inferior* vocabatur. Poſteà ex provincia Belgica duæ ſunt factæ, uti arbitror, à Conſtantino Magno, *Belgica prima*, & *Belgica* 2. Addita eſt quatuor his provinciis & *Maxima Sequanorum.* Igitur intra vetus Belgica demum 5. provincias complecti cœpit, *provinciam Belgicam primam, provinc. Belgicam ſecundam, provinc. Germaniam primam* vel *ſuperiorem, provinciam Germaniam ſecundam* vel *inferiorem*, & *provinciam Maximam Sequanorum.* Notandum eſt, quod ait *Strabo*, 15. tantùm eſſe Belgarum Gentes, [illegible] Hæ 15. Belgarum Gentes vel civitates fuerunt Bellovaci, Sueſſiones, Nervii, Atrebates, Ambiani, Morini, Menapii, Caleti, Velocaſſes, ambo citra Sequanam quidem ſiti in Belgica, Celtis tamen paullò pòſt attributi, Veromandui, Aduatici, Condruſi, Eburones, Cereſi, Pemani: quos 15. populos J. Cæſar *in l. 2. Commentar. Belli Gall. c. 4* communi Belgarum Concilio interfuiſſe ſcribit, & armatam multitudinem pro ſe quemque ad bellum Romanum pollicitos eſſe. Cæſarem autem Strabo clauſis oculis ſequi ac tranſcribere conſuevit: qui non animadvertit, Remos Belgas quoque eſſe, ſed inter iſtos 15. Belgarum populos à Cæſare minimè numeratos, propterea quòd deditionem fecerant, & principum liberos ipſi obſides dederant. Hæc ſub Julio Cæſare. Poſteà ab Auguſto ejus ſucceſſore provinciarum Imperii Rom. forma mutata eſt, & Belgarum Gentes civitateſve præcipuæ ac primariæ caſtitére Treviri, Mediomatrici, Leuci, Verunt, Remi, Sueſſiones, Veromandui, Atrebates, Nervii, Bellovaci, Ambiani, Morini, Menapii, Sequani, Helvetii, Rauraci. Nam cæteri populi, qui eadem in Belgica Rhenum accolebant, Germanorum populi fuerunt: unde & provinciis duabus, nimirum Germaniæ ſuperiori vel primæ, ac Germaniæ inferiori vel 2. nomen ſuum dederunt, nec unquam niſi impropriè admodum Belgæ ſunt dicti, quoniam Belgicæ partem ad Rheni ripam occupaverant. Hos *Germanos Ciſrhenanos* in *l. 6. c. 2.* vocat Cæſar, & *Germanos qui ſunt citra Rhenum, Germanos qui ripas Rheni incolunt, in l. 2. c. 3.* Ut omittam quod idem ſcribit, *c. 4. pleroſque Belgas eſſe ortos à Germanis, Rhenumque antiquitus tranſductos, Gallis expulſis, propter ſoli fertilitatem ibi conſediſſe.* Cæterùm falſum eſt, quod adjicit *Strabo*, Belgas inter Rhenum & Ligerim uſque ad Oceanum habitare, [illegible]: in eoque Strabo à J. Cæſare præter morem ſuum recedit, qui *Belgas à Celtis* ſeu *Gallis Matrona & Sequana divid*ı ait. Omitto *Plinium*, qui à *Scalde ad Sequanam Belgicam* pertinere ſcribit: omitto & Melam, *l. 3. c. 2.* qui à *Garumna ad Sequanam Celticam, inde ad Rhenum pertinere Belgas* tradidit. Certè ſi trans Sequanam uſque ad Ligerim promoveremus cum Strabone Belgicam, non haberent Celtæ vel Galli propriè dicti ubi conſiſterent, cùm Aquitanos Auguſtus Cæſar Ligere fluviò terminaverit. Vide quoque in *Bellovacis.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall*

BELGICA Vicus. *Æthicus* in itinere à Treviris Agrippinam *Belgicam vicum* memorat, & inter Marcomagum vicum ac Tolbiacum ponit, à Marcomago ſeu Marcoduro leucis 13. à Tolbiaco 10. diſtantem. Hanc *Bulingen* exponit *Simlerus*, qui eſt vicus Prumiam inter celebre Monaſterium & Sleidanum, ſed non inter Marcomagum ac Tolbiacum. *Cluverius* meliùs *Belgicam* Æthici *Balchuſen* interpretatur, vicum Marcomago ac Tolbiaco medium interpoſitum. Abeſt autem ab Auguſta Trevirorum, capite & Metropoli provinciæ Belgicæ primæ, leucas 68. ab Agrippina civitate, Metropoli Germaniæ ſecundæ leucas 26. cui provinciæ attribuitur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BELGICA, locus apud *Antoninum* inter Agrippinam ac Treviros; *Bulingen Simlero. Balchuſen Cluverio*, 10. milliar. ab oppid. Duren. Vide ſuprà.

BELGICA, arx Aſiæ, in Inſul. Nera, una ex Bandis inſul. quæ ſub Moluccis continentur. Hollandis ſubeſt, ab ipſis extructa. Vide *arx Belgica.*

BELGIOSIUM, vicus Italiæ, in Ducatu Mediolanenſi & agro Papienſi, cum caſtro Comitum Barbianorum.

BELGIS, an oppid. Hannoniæ, *Bavay* ? ab *Virſick* pagus ? *Ortel.*

BELGITES, Pannoniæ populi. Plin. *l. 3. c. 25.*

BELGIUM, Belgarum oppid. Cæſar *l. 5. de Bell. Gallico*, Bouvais

vis dictum videtur, urbs Picardiæ. *Ferrario* eſt regio Galliæ Belgicæ Borealis, vide *Bellovaci*.

BELGIUM, pro Belgarum regione, ut apud *Livium* Samnium pro Samnitium regione. Vide Glareanum *in Annot. ad Cæſaris loc. & ad l. 6. Comment.* Sic autem dicitur pars antiqua Galliæ Belgicæ, quæ mari Oceano vicinior eſt, & versùs Septentrionem porrecta. Dicitur etiam Germania inferior ab aliquot ſeculis, tum quia tota regio humilior versùs Oceanum, ubi confuſi ſunt admodum Galliæ Germaniæque limites, tum etiam, quia harum gentium ſermo ab aliis Germanis non multùm differt. Nunc arctioribus quàm anteà reſtringitur limitibus, habens à Septentrione Oceanum, ab Occidente & à Meridie Franciam, ab Oriente autem Germaniam propriam. Totum Belgium ab incolis *Nederlandt*, à Gallis *le Pais bas*, & ab Italis *Parſi Baſſi* vulgò dicitur; complectiturque ſeptendecim provincias, quæ ſunt:

Quatuor Ducatus: Brabantiæ, Gall. *Brabant.* Limburgi, *Limbourg.* Luxemburgi, *Luxembourg.* Gueldriæ, *Gueldres.*

Septem Comitatus: Flandriæ, *Flandres.* Arteſiæ, *Artois.* Hannoniæ, *Hainaut.* Hollandiæ, *Hollande.* Zeelandiæ, *Zeelande.* Namurci, *Namur.* Zutphaniæ, *Zutphen.*

Marchionatus S. Imperii, ubi Antverpia, *Anvers.*

Quinque Dominia: Friſiæ Occidentalis, *West Friſe.* Mechliniæ, *Malines.* Ultrajecti, *Utrecht.* Tranſiſalaniæ, *Overiſſel.* Groningæ, *Groningue.*

Hæ omnes Belgii provinciæ aliàs Regi Hiſpaniæ paruerunt, eique ſubſunt etiamnum meridionaliores. Sed quæ ſunt versùs Septentrionem, Hiſpanicum jugum excuſſerunt, ſub Philippo II. A. C. 1581, fœduſque inter ſe inierunt, quod Fœderato Belgio nomen dedit. Hiſtoria paulo altiùs repetita hæc eſt. Quæ gentes Rheni inſulam & utrinque adſita, ad fretum uſque Morinorum & Amaſium flumen colunt, hinc ad Germaniam, inde ad Belgicam veter. pertinent. Sed Germanica pleraſque origo & lingua: unde una cura belli & libertatis; donec commercia & ſuas artes Romani invexêre, ſocii aut victores. Pòſt, ubi plurimæ nationes, velut ſignô datô, orbem Romanum irrupêre, omnis hic tractus in jus Francorum conceſſit, donec ſciſſâ potentiâ pars penes Galliæ dominos, pars penes Imperator. Germaniæ adhæreſceret. Horum Præfecti Comitum Ducumque titulô judiciis belloque præſidebant, obtentâ tandem perpetuâ ac hæreditariâ ditione: tempore, quô Dani Nortmannique omnia litora obſidebant. Non multo pòſt, metu aut gratiâ exemti clientelæ, aut fractâ vi majoris dominatus, ſummum, ſed legitimum imperium populi benevolentiâ conſtituêre: nec antè accepti in imperium ſucceſſores, quàm in certas leges ſanctè juraſſent. His moribus, atque hâc Republ. diu æquô jure agitatum eſt: donec in Burgundionum ditionem plurimæ gentes conceſsêre, qui orti domû regnatrice, ſenſim ad potentiam majorem graſſabantur: interim & inter horum artes jus populi tuiti ſunt Ordines. Transfuſus dein hic Fortunæ cumulus in Auſtriacam familiam eſt, cui cùm Hiſpanica conjunctio maximum incrementum attuliſſet, jam tum prudentiores mutationem Reipubl. formidine quâdam augurabantur. Nec vanè: mox enim Hiſpani, ſoliti Italiam regere, Americam perpopulari, in Belgas jus idem, aut cauſam belli quærebant: & Carolus V. quidem de vertendo ſtatu, componendiſque in regnum civitatibus ſeriò conſultavit: Sed diverſis moribus, inſtitutis, legibus deterritus eſt, nec tollere audebat. Filius verò ejus Philippus II. idem omnino exequi ſtatuit. Ergo Proceres amoliri, & per Inquiſitionem patientiam populorum tentare placuit, fruſtra diſſuadente conſilium Mariâ Hungariæ Reginâ, quæ fratris Caroli juſſu Belgicæ præſidebat. Diſcedens, contra leges, Hiſpanorum militum præſidium, reliquit, non auditô Ordinum conventu, contrarium petente: quibus hôc implacabilius ſuccenſuit, quòd ingruentem dominationem, & imperii artes intellexiſſe videbantur. Inſtituti poſteà novi per Belgicam Antiſtites, animos magis exulcerârunt: unde tandem motus orti, totô orbe notiſſimi; de quibus omnium exactiſſimè ſcripſit Hugo Grotius *Annal. & Hiſt. Belg.* Apud Belgas olim Mercurius inprimis cultus, cui humanô ſanguine litatum: quidam Iſidem venerati ſunt, alii Marti, &c. ſacra fecerunt, idque in ſylvis: Unde *Sacrum Nemus*, prope Noviomagum. Sub finem ſeculi 7. S. Willebrordus Ultrajectum venit, & Chriſtianam religionem populos docuit. Exin Romanæ hîc ſedis obſervantia, non tamen tanta, quanta apud alias gentes, unde Geldriæ Ordines Ducem ſuum Imperatorem & Papam in ſua ditione vocare ſoliti ſunt. Donec Zuinglii, Lutheri, Melanchthonis, &c. ope illata plurimis locis mundi lux Evangelii, in Belgicam quoque circa A. C. 1521. conventu incolarum, contactu externi militis, commerciis denique vulgata eſt: & Antverpiæ tum quidem Jacobus Præpoſitus, Lovanii Martinus Dorpius, Trajecti Johannes Rhodius, Delphis Cornelius Honius, Gnapheuſque Hagienſis docuerunt, poſt N. T. Biblis, in Idioma Belgicum tranſlatis, & libris ad ædificationem variis editis: nec ſeveritas Caroli naſcentem Eccleſiam extinguere potuit. Poſt excarnificata enim hominum non minus CM. ex quo tentarunt an poſſet incendium hoc ſanguine reſtingui, tanta multitudo per regionem inſurrexerat, ut publica interdum ſupplicia, quotiens inſignior reus, aut atrociores cruciatus, ſeditione impedirentur. Sub Philippo dein inquiſitio publicè introducta A. C. 1555. multum quidem cruoris fudit, ſed non eô ſucceſſu, quô ſperabatur. Poſteà A. C. 1559. novorum Præſulum inſtitutio non minus hos, quàm reliquos, offendit. Acceſſit decretum de Concilio Tridentino Belgis obtrudendo. A. C. 1563. &c. quæ omnia ſequentia motibus anſam præbuerunt, quibus adeò non exſtirpata Eccleſia eſt, ut potiùs propriô velut ſanguine lota ſplendidius effulſerit. Primus Fidei confeſſionem in Belgio publicam edidit Guido de Bres, poſteà Martyr, A. C. 1561. quæ A. C. 1565. à Confœderatis oblata eſt Margaretæ Gubernatrici. Nobiles dein 400. ex omnibus Belgii provinciis, libellô ſupplice eidem oblatô, A. C. 1566. pro libertate Religionis, quam petiêrunt, *Geuſiorum* tulêre dicterium, quod omnibus poſteà in Belgio Reformatis, aſperſum. Intereà libri ab his editi, à Monachis tam ineptè refutati ſunt, ut hinc indies numerus fidelium creſceret: cœtuſque variis in locis annô dictô publicè ad ſacra convenire inciperent. Quæ dein ſequuta vide apud *Thuan. Stradam, Meteranum, Hooftium, Grotium*, &c. Item in voce *Hollandia.* Hinc poſt graviſſima bella, quæ A. C. 1608. induciis annorum 12. interpellata, demum A. C. 1648. pace perpetuâ ſopita ſunt, orta diviſio Belgii in Belgium Hiſpanum, quod perſæpe ab exteris *la Flandre* dicitur, & in Belgium Hollandicum, ſeu Fœderatum, & Provinciarum unitarum, quod etiam ab aliis *les Eſtats de Hollande* dicitur: ſub quo ſunt Hollandia, Zeelandia, Gueldria pro majori parte, Zutphania, Tranſiſalania, Friſia occidentalis, Dominia Ultrajecti & Groningæ, & partes Septentrionales Flandriæ, Brabantiæ, ac Limburgi. Reliquæ Hiſpano parent, exceptis Arteſiâ ferè totâ, & partibus maximis Flandriæ, Hannoniæ, & Luxemburgi, quæ Francorum agnoſcunt imperium. Vide quoque ſuprà in voce *Belgica.*

Urbes Belgii & Germaniæ inferioris, majoribus aſteriſmô indicatæ.

Aldenardum, Flandriæ, *Oudenarde.*
* Amſterodamum, Hollandiæ, *Amſterdam.*
Ariſcotum, Brabantiæ, *Arſcot.*
* Atrebates. Vide Origiacum, *Arras.*
* Audomarum Arteſiæ, *S. Omer.*
Auguſta Eburonum. Vide Leodium.
* Antuerpia, & Andoverpum, Brabantiæ, *Anvers.*
* Aquægrani, & Aquiſgranum, Juliacenſis Ducat. *Aix la Chapelle.*
Arenacum, Geldriæ, *Arnheim.*
Baſtonia, & Baſtonacum, Lucemburg. Ducatus, *Baſtogne.*
Bonna, Colonienſis Epiſcopatus, *Bonne.*
* Boſcum Ducis. Vide Sylva Ducis, *Bois le Duc.*
* Brugæ, Flandriæ, *Bruges.*
* Bruxellæ, Brabantiæ, *Bruxelles.*
* Cameracum, Hannoniæ, *Cambray.*
Campi, Tranſiſalaniæ, *Campen.*
Clevia, & Clivenſis arx, Ducatus cognominis, *Cleves.*
* Colonia Agrippina, Archiepiſcopatus cognominis, *Cologne.*
Corteriacum, Flandriæ, *Courtray.*
* Daventria, & Davontria, Tranſiſalaniæ, *Deventer.*
Delphi, Hollandiæ, *Delft.*
Docum, Friſiæ occidentalis, *Dockum.*
* Dordracum, Hollandiæ, *Dordrecht.*
* Duacum, Flandriæ, *Douay.*
Duſſeldorpium, Comitatus Bergenſis, *Duſſeldorp.*
Embrica, Clivenſis Ducatus, *Emmerik.*
Excluſa, Flandriæ, *l'Eſcluſe.*
Flevn, & Flevum, Friſiæ occidental.
* Gandavum, Gandavantè, & olim Clarinea, Flandriæ, *Gand.*
Geldria, Ducatus cognominis, *Gueldres.*
* Groninga, & Gruninga, olim Philæum, provinciæ cognominis. *Groningue.*
Haga, Hollandiæ, *la Haye.*
* Harlemum, Hollandiæ, *Harlem.*
Herculis Caſtra, Geldriæ, *Erkelens.*
Huionum, & Huum, Leodienſis Epiſcopat. *Huy.*
Hypræ, Flandriæ, *Ipres.*
* Inſula, Flandriæ, *l'Iſle.*
Juliacum, Ducatus cognominis, *Juliers.*
* Legia, & Leodium, Epiſcopatus cognominis, *Liege.*
* Levardia, conventus jurid. Friſiæ occident. *Lewarden.*
* Lovanium, olim Grudii, Brabantiæ, *Louvain.*
* Lucemburgum, Latinè Aliſuntiopolis, Ducatus cognominis *Luxembourg.*
* Lugdunum Batavorum, Hollandiæ, *Leyden.*
Lymburgum, quaſi Lymeburgum, Ducatus cognominis, *Limbourg.*
* Machlinia, Brabantiæ, *Malines.*
Marcodurum, Ducatus Juliacenſis, *Duren.*
* Metelburgum, Zeelandiæ, *Midelbourg.*
* Montes, Hannoniæ, *Mons.*
* Namurcum, Comitatus cognominis, *Namur.*
* Navalia, Suolis nunc putatur, Tranſiſalaniæ, *Zwol.*
* Noviomagus, Geldriæ, *Nimegue.*
Nueſium, Colonienſis Epiſcopatus, *Nuis.*
Orchianum, Flandriæ, *Orchies.*
* Origiacum, quæ & Atrebates, Arteſiæ.
Orolaunum, Lucemburgi Ducat. *Arlon.*
Pons Scaldis, poſteà Valentianæ & Valencenæ. Vide ibi.
Roterodamum, Hollandiæ, *Roterdam.*
Ruremunda, Geldriæ, *Ruremonde.*
Stauria, anteà Sturii, Friſiæ occidental. *Staveren.*
Suolis. Vide Navalia. *Zwol.*
Teutoburgium, Cliviæ. *Duyſbourg.*
* Sylva Ducis, Brabantiæ, *Bois le Duc.*
Theodonis villa, Lucemburg. Duc. *Thionville.*
* Tornacum, Flandriæ, *Tournay.*
* Trajectum ſuperius, Brabantiæ, *Maeſtricht.*
* Trajectum inferius, quod & Ultrajectum, & Uttricenſium, olim Antonina, Ultrajectinæ provinciæ, *Utrecht.*
Trudonum, Brabantiæ, *S. Truyen.*
Vada Geldriæ.
Valentianæ, & Valencenæ, quaſi

Vallis cygnea, Hannoniæ, *Valenciennes.*
Venloa, Geldriæ, *Venlo.*
* Veſalia, Cliviæ, *Veſel.*
Veteres Marſi, Tranſiſalaniæ, *Otmarſen.*
Veteres Salii, Tranſiſalaniæ, *Oldenſel.*
Xanthus, poſteà Santæ, Cliviæ, *Santen.*
* Zutphenum, Comitatus cognominis, *Zutphen.*

Ex his urbibus notabis Aquiſgranum, Bonnam, Cliviam, Coloniam Agrippinam, Duſeldorpium, Herculis caſtra, Huionum, Juliacum, Leodium, Marcodurum, Nueſium, Teutoburgium, & Xantum urbes eſſe Germaniæ propriæ; non autem Belgii, & Embricam & Veſaliam tantùm Batavis oppigneratas.

BELGIUM Fœderatum, illa pars Belgii dicitur, quæ, cùm libertatis & religionis oppreſſæ injurias ulteriùs ferre non poſſet, utrâque tyrannide excuſſâ, in Rempubl. coiit, totô orbe inclytam, versùs finem ſeculi præcedentis. Hiſtoriam vide apud Hug. Grotium, *in Annal. & Hiſtor. Belg.* Thuan. *in Hiſtor. ab* A. C. 1566. *Stradam,* &c. Continet ſeptem Belgii provincias, quæ ſunt, præter Hollandiæ Comitatum, Zeelandia &c. vide ſuprà.

BELGIUM Novum, pars Americæ Septentrionalis inter Virginiam & novam Angliam, ſub Hollandis. Vide *Novum Belgium.*

BELGIUS, fil. Lugdi, XIII Rex veterum Gallorum, Beroſ. *l.* 5. Dupleix *mem. Gall. l.* 2. *c.* 14.

BELGIUS, Dux Gallorum. Juſtin. *l.* 24. *c.* 5. Malè Βόλγιος apud Pauſaniam, *in Phoc.* Polyb. *l.* 2. Ptolemæum Ceraunem vicit.

BELGIUS, Libyæ fluv. *Heſych.* Βέλγιος, ποταμὸς ἐν Ἀρβίῃ.

BELGRADUM, urbs Hungariæ permunita in Raſcia regione, anteà *Taurunum & Alba Græca,* ad ripam Danubii, ubi Savum recipit: in colle. Obſeſſa ab Amurathe, A. C. 1439. ſed fruſtra: Cujus fil. Mahometes ibidem ab Hunniade, maximâ clade affectus A. C. 1456. Tandem à Turcis A. C. 1521. eſt occupata: quibus iterum erepta hôc bellô receptaque. Vide *Bellogradum.*

BELIA, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſ. in Aragonia, nunc *Belchite,* ubi aliàs Editanum populi. Hinc Beli ſeu Belli, & forſan Bellitani. Antea *Segeda* dicta eſt. Vide *Belli.*

BELIAL, Nonnulli volentes hoc nomen *hominem inutilem* ſignificare, derivant à בלי *abſque* & יעל *profuit.* Alii contendentes eûdem Dæmonem intelligi, derivant à בלי *abſque* & על *altiſſimo.* *Aquila* vertit *Apoſtatam.* Sanè B. Paulus Satanam *Belial* vocat. 2 Corinth. c. 6. v. 15. *Suidas,* Βελίας (lege Βελιὰλ) τῇ Ἑβραίων φωνῇ ὁ ἀποστάτης δράκων. Ὁ Ἀπόστολος, ὡς ἡ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς Βελίαρ. Chaldæus interpretatur *malignitatem.* *Hieronym.* retinet nomen Hebræum, ut cuique pro arbitrio interpretari liceret. Quanquam aliàs filios *Belial* idem filios intelligat Diaboli, homines quippe malignos. Quapropter παράνομον reddiderunt LXX. Sed & idem Hieronym. alibi deducit à בלי & עול quòd ſit *abſque jugo.*

BELIBUS, Babylonis Rex VII. Arkianum poſt interregnum 2. annorum, excepit: regnavit annos 3. dum in Juda Manaſſes, in Aſſyria Aſarhaddino adhuc regnarent. Obiit ſucceſſore Apranadiô, vide *ibi.*

BELICA, urbs Galliæ in Breſſia provinc. & in Bengea tractu, Francici juris, ab A. C. 1600. Non longè à Rhodano. *Baudrand.* In *Notitia* quadam *provinciarum & civitatum,* quàm ex Bibliotheca Petaviana eruit publicavitque Andreas Cheſnius, memoratur *civitas Belicenſium, qua anteà* (ut falsò additur) *caſtrum Argentarienſe vocabatur,* & in provincia Maxima Sequanorum quartò locô ponitur. *Robertus Antiſiodorenſis Beliſmam,* aliàs *Beliſamam* corruptè vocat in provinc. Maxima Sequanorum; cæteri *Belicenſem civitatem;* nonnulli & *Bellicenſem:* quam in *Burgundia* vel in *Sapaudia* ſub Metropoli Biſuntina ſive Veſontione collocant ultimô locô poſt Baſiliam & Lauſanam. *Belica* Noſtris vocatur *Beley,* aliàs *Bellay,* non procul à Rhodano, inter flumen & montes in Brexia poſita civitas, cui & oppidum Seſſelium, *Seyſſel,* ad Rhodanum inter Belicam & Genevam medium contribuitur. Hanc urbem in A. C. 858. Annales Bertinianæ *Epiſcopatum Beliſium,* Maſſonius *Bellicium* nuncupat, & majorem ejus Eccleſiam à Rodulfo Ignavo, Rege Jurenſi conditam eſſe ait, ac Johannis Baptiſtæ titulô cenſeri. *Belligam* Magno quaſi *Bellicam* vocat. Belica ſedes Epiſcopatus fuit ante annos MC. Quippe *Vincentium Epiſcopum Eccleſiæ Belicenſis* Synodo Pariſienſi 2. regnante Childebertô Chlodovei Magni filiô, & Conciliô Lugdunenſi 2. Indictione 5. anni Gunthramni Principatus 6. Chriſti 567. interfuit atque ſubſcripſit: & *Florentius,* aliàs *Florentinus, Epiſcopus Eccleſiæ Bellicenſis* Conciliô Cabilloni habitô juſſu Chlodovei junioris Francorum Regis. Nomen dedit *Belica pago Belicenſi,* aut Bellicenſi, quem quidam corruptè *Bellovicenſem* appellant, vulgò *le Bugey,* aliàs *le Beaugey,* quæ pars eſt Brexiæ. Hæc inter urbes fuit non provinciæ modò, ſed etiam Gentis Sequanorum. Eſt quippe in Brexia ſaltuve Brexio, quem *in territorio Sequano* ponit Aimoinus *in l.* 3. *c.* 81. nimirum à flumine Arari ſuburbanoque Cabillonenſi uſque ad flumen Rhodanum. Quare rectè Amm. Marcellin. *in l.* 15. *c.* 11. de Rhodani curſu Lemanum egreſſi ſic ſcribit: *Unde ſine jactura rerum Sapaudiam fertur & Sequanos; longeque progreſſus Viennenſem latere ſiniſtrô perſtringit, dextrô Lugdunenſem.* Quippe conſtat Rhodanum, poſtquam lacum Lemanum egreſſus eſt; Sequanos inter & Sapaudos fluere, ſive Provinciam Maximam Sequanorum, à Sapaudia dividere, & ſiniſtrô quidem latere Sapaudiam alluere, dextrô partem provinciæ Sequanorum Brexiam dictam attingere, ubi eſt Seſſelium oppidum in inſulâ fluvii. Rhodani, & *Belica* urbs vetus, ac priſca Epiſcopatûs ſedes, à Geneva 10. leucis, à colonia Equeſtri Nojoduno circiter 14. diſtans. Valeſ. *Notit. Galliæ.*

BELICARIUM, civitas in regno Neapolitano & Calabria ſuperiore, vernaculè *Belicaſtro* dicta. Non longè ab ora littorali, Sinus Scyllacei. Vide *Choma.*

BELIDES, nomen patronymicum, quô ſignificatur *filius,* ſive *aliquis de genere Beli.* Unde pro Palamede accipitur Nauplii filio, & Beli abnepote. Virg. *Æn. l.* 2. *v.* 81.

Fando aliquid, ſi forte tuas pervenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta famâ
Gloria. — — —

BELINGENSE Caſtrum, Bononienſis agri, in Picardia Galliæ provinc. inter Ardram & Guinam, in paludibus.

BELINZONA, vide *Belitio.*

BELION, fluv. ex Celtiberis, ac Vaccæis labens, Callaicam regionem irrigat. *Strabo.*

BELIPPO, Hiſpaniæ Bæticæ oppid. in conventu Gaditano. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

BELIS, LIDIS, patronymicum fœmininum, quô ſignificatur *filia,* vel *neptis Beli,* unde *Belides* dictæ ſunt 50. filiæ Danai, Beli filii, quas cùm Ægiſthus Danai frater totidem filiis ſuis peteret uxores, Danaus reſpondere recuſavit. Didicerat enim, ex oraculo ſe à genero interfectum iri, ſed poſteà coactus à fratre promiſit, ſe ejus petitioni ſatisfacturum. In nuptiarum autem nocte filias ſubornavit, ut clam ſe cultris armarent, & viros jam vinô luxuriâque ſopitos jugularent. Virgines itaque patri morem gerentes, captatô tempore, viros necârunt unaquæque ſuum, exceptâ ſolum Hypermneſtrâ, quæ Lynceo viro ſuo pepercit, qui poſteà, occiſô Danaô, regnum apud Argos invaſit. Hæ *Danaides* à patre vocantur. Unde proverbium, *Danaidum dolium,* pro barathro quodam inexplebili, & inſatiabilis cupiditatis homine. Finguntur enim à Poëtis Danai filiæ apud Inferos eô ſupplicii genere perpetuò damnatæ eſſe, ut dolium quoddam pertuſum aquâ conentur implere, unde tantum effluat, quantum illæ poſſint infundere. Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 461.

Molirique ſuis lethum patruelibus auſæ
Aſſidue repetunt, quas perdant Belides undas.

Belides quidam annos eſſe dixerunt, qui aſſiduè fructibus videntur nos velle locupletare, cùm tamen tantundem abſumatur, quantum producitur. Sic autem Lucretius *l.* 3. *v.* 1017. id explicat,

Deinde animi ingratam naturam paſcere ſemper;
Atque explere bonis rebus, ſatiareque nunquam,
Quod faciunt nobis annorum tempora circum
Cum redeunt, fœtuſque ferunt, varioſque lepores,
Nec tamen explemur vitai fructibus unquam:
Hoc, ut opinor, id eſt, ævô florente puellas
Quod memorant, laticem pertuſum congerere in vas,
Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.

Nonnulli arbitrati ſunt, omnem mortalium vitam in hac fabula contineri, cùm omnia, quæ agimus, fruſtrà à nobis fiant in terris, cùm nulla humana roboris veſtigia diu permanere poſſint, ſed omnia rurſus confundantur. Alii beneficia, quæ in ingratos conferuntur, per hanc fabulam intelligunt. His urnis & huic dolio Plato *in Gorgia* aſſimilat animum incontinentem, qui effuſis in omni intemperantia libidinibus agitatur. Eiſdem etiam ſimiles ſunt homines futiles, qui, ut Parmeno Terentianus, *Eun. Actu* 1. *ſc.* 2. *v.* 25. *pleni ſunt rimarum, & hâc & illâc perfluunt.* Ebrios quoque perſtringit, in quos lepidô admodum epigrammate doctiſſimus Poëta alluſit. Is autem eſt Theodorus Beza *Emblem.* 14.

Belidas fingunt, pertuſa in dolia, vates
Mox effundendas fundere ſemper aquas.
Nomine mutatô, narratur fabula de te
Ebrie, qui merum qua ſine fine bibis.
Quin etiam hoc in te quadrat, turba ebria, quòd ſint
Corpora quæ fuerant dolia facta tibi.

Nic. Lloydius. Vide & ubi de *Danao.*

BELISAMA, vulgò *Ribel,* Cambden. æſtuarium Albionis, in ora Angliæ Occidentalis apud Preſtonium oppid. in Comitatu Lancaſtrenſi.

BELISARIUS, Juſtiniani Imperatoris Dux, Græcus; Perſas ſub Mithridate Rege in Oriente vicit, Vandalos in Africa, ductô in triumpho Giliſmere, ſicque Africam à 170. an. ab Imperio revulſam, ei iterum adjunxit. Gothos in Italia, captô Vitige Rege eôque cum uxore, & Magnatibus ſuis Conſtantinopolim miſsô, ſuperavit. Victor Romam reverſus, crucem auream, ubi res ejus geſtæ cælatæ fuerant, Petri Baſilicæ obtulit, Sylveriôque Papam Vigiliô ſubſtitutô, depoſuit. Poſtmodum rurſus contra Perſas miſſus, indeque denuo in Italiam reverſus, Totilam, qui captam à ſe Romam funditus deſtruere cogitabat, literis ad eum datis abſterruit, illamque receptam contra eundem fortiter defendit. Redux Conſtantinopolim, Hunnos pepulit, ſed vel ob conſpirationem A. C. 561. contra Juſtinianum, cui immixtus, initam, vel ob res feliciter geſtas, in affectati regni ſuſpicionem venit, apud Juſtinianum, à quo uterque ei oculus erutus fuit. Quare cùm Principis ingratitudinem aliter ulciſci non poſſet, exiguum extra urbem tuguriolum extruxit, ubi per vitam reliquam à prætereuntibus ſtipem emendicavit, illud identidem referens, *Da obolum Beliſario, Viator, quem invidia, non culpa excæcavit. Crinitus & Volaterranus.* Author tamen *Hiſtor. Miſcell.* eum ſequenti annô in dignitatem ſuam reſtitutum, *Cedrenus* in pace Conſtantinopoli obiiſſe, refert. Quam ſententiam Alciatus, in ſui Juſtiniani gratiam, acriter tuetur. Vide de hoc porrò Procop. *bell. Goth. l.* 3. *c.* 1. *&* 2. *de bello Vandal. & Perſ.* Agathiam; Glycam, Zonaram, &c. *Suidas,* Βελισάριος, ὁ στρατηγὸς [illegible] καὶ μέγας, καὶ δι-

[illegible] πάντων μάλιστα. Οὕτω δὲ πρᾶόν τε καὶ εὐπρόσοδον ἑαυτὸν παρεῖχε τοῖς ἐντυγχάνουσιν, ὥστε ἀνθρώπῳ πένητί τε λίαν καὶ ἀδόξῳ ἐμφερὴς εἶναι. Ἔρως δὲ αὐτῷ ἐξ ἀρχῆς στρατιώταις τε αἰεὶ καὶ ἀγροίκοις ἄμαχός τις ἐγένετο, ὅτι δὲ ἐς μὲν τοὺς στρατιώτας φιλοδωρότατος ἐγεγόνει ἀνθρώπων ἁπάντων. Τῶν τε γὰρ ἐν ξυμβολῇ ἀτυχησάντων, χρήμασι μεγάλοις παραμυθεῖτο τὰ τραύματα, καὶ τοῖς εὐδοκιμήσασι, ψέλιά τε καὶ στρεπτὰ ἆθλα παρεῖχεν. Ἵππον δὲ ἢ τόξον, ἢ ἄλλο ὁτιοῦν στρατιώτης ἐν τῇ μάχῃ ἀπολωλεκὼς, ἕτερος ἀντ' αὐτοῦ πρὸς Βελισαρίου αὐτίκα ὑπῆρχεν. Ἐς δὲ τοὺς ἀγροίκους: ὅτι δὴ τοσαύτῃ φειδοῖ τε καὶ προνοίᾳ ἐχρῆτο, ὥστε βιασθῆναι μὲν αὐτοὺς οὐδὲν πώποτε στρατηγοῦντος Βελισαρίου τετύχηκεν, [illegible] γὰρ αὐτοῖς [illegible] τὰ ὤνια πωλεῖν, καὶ [illegible] τὰ λήια ἐς τὸ ἀκριβὲς διεφύλασσε, μὴ τοῖς παριοῦσιν ἱππεῦσι λυμαίνεσθαι, τῶν δὲ ὡραίων ἐν τοῖς δένδροις ὄντων ἀψαῦσαι αὐτῶν οὐδενὶ τὸ παράπαν ἐξῆν. Ἦν δὲ καὶ σώφρων καὶ λίαν [illegible]. Primus legitur fuisse inventor molendinorum in Tiberi. Cùm enim illa in Janiculo prius essent, uti patet ex *Edicto* Claudii Julii Ædesii Dynamii Viri Clar. & Jul. Præf. Urb. apud Gruterum *p.* 426. *num.* 6. Belisarius dein in Tiberim illa transtulit, occasione Blondo pluribus indicatâ, *Decad.* 1. *l.* 4. Imago ejus in nummis quibusdam Justiniani, cujusmodi unum *Petrus Gyllius* sic describit: *In ejus uno latere sculptus erat Justinianus, Belisarium excipiens triumphantem: in altera Belisarii imago, cum hoc elogio,* GLORIA ROMANORUM BELISARIUS. Effictus scil. fuit in eo numismate Justinianus, quomodo ferè tessellatò seu musivô opere, in Chalces, quæ Palatii Constantinopolitani vestibulum fuit, camerâ ac fornice, ut auctor est *Procopius.* Ibi enim, ut hic Scriptor memorat, *Belisarius* ad Imperatorem redux, cum exercitu integro, exuvias ei offerebat, Reges ac Regna, & quidquid excellebat inter homines. In medio stabant Imperator & Theodora Augusta, eâ uterque specie, ut summam lætitiam præ se ferrent & festò victoriam celebrarent, captis supplicitérque accedentibus Vandalorum Gothorumque Regibus insignem, circumstantibus Senatoribus festumque agentibus. Ita autem *Belisarium* in Circo Justinianus excepit, ut idem Auctor refert. In istis porrò Justiniani numismatibus aureis perinde ac argenteis effictum *Belisarium* volunt *Cedrenus*, *Glycas* & *Constantinus Manasses*, *ὁπλίτην ῥομφαίαν ἐσπασμένον*, *armatum cum gladio stricto*, Car. du Fresne *Dissertatione de inferioris ævi numismat.*

BELISARIUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

BELISIA, oppid. Belgii, in Hasbania regione, Episcopo Leodiensi subjectum; quod vulgò *Bilsen* aut *Welsen* dicitur. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Hasbania.*

BELITÆ, sive **BELLITÆ**. Gentes Asiaticæ in exercitu, qui ad Arbela cæsus est, Darii contra Alexandrum Magnum. Curt. *l.* 4. *c.* 12.

BELITANI, iidem qui *Lusitani*, *Steph.*

BELITIO, aliter BELITIONIUM, oppid. Insubriæ ad Ticinum, caput præfecturæ cognominis, sub Helvetiis ab A.C. 1422. Geminâ arce præmunitum. *Bellentz* German. *Castrum Bilitionis Gregor. Turonens. Berinzona & Bellizona*, vel *Breunizona*, tanquam Breuni agri Zona, *Bonav.* Castilioneo, *l. de Gallor. Insubrum sedibus.* Vide *Bilitionum.*

BELITRA, oppid. Italiæ. *Steph.* Vide *Velitra.*

BELIUS, vide *Belus.*

BELKIS, Regina Sabæ, inter majores suos dæmonem numeravit, si impuro Mahometi credendum, Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 3.

BELLA, oppid. Campaniæ, vide *Abella.*

BELLA Pertica Petrus, vide *Petrus.*

BELLACUM, urbs Galliæ in provinc. Marchiæ ad Uniconium fluv. 7. leuc. à Lemovico in Boream.

BELLAGINES, pro BILAGINES: Jura municipalia Gothorum. Jornandes *de reb. Get. l.* 1. *c.* 11. *Diceneus, Gothis Physicam tradens, naturaliter propriis legibus vivere fecit, quas usque nunc conscriptas* Bellagines *nuncupavit.* Est autem *By* Saxonicè, habitatio: Inde pagus, & oppidum, Gothis antiquis *By* dictum: *Lagea* autem iisdem Lex est. Anglis *Bilaws* hodieque vocantur leges, quas villarum incolæ sibi constituerint observandas. Scotis *Birlaws* & *burlaws*. Et certè *Baur* Germanis rusticus est, *Law*, verò lex: Unde fortè *Bellagines*, pro *Birlagines* dictæ. Plura de hac voce vide apud Spelmann. *in Glossar. Archæol.*

BELLAJUS Joh. Cardinalis, Episcopus Paris. à Francisco I. in Angliam missus; Marcelli II. in Pontificatu æmulus. Obiit A.C. 1560. *P. Jovius*, *Sadoletus*, *Thuanus*, *San. Marthan.* aliique ejus scripsêre elogia. Ejus fratres Guilielmus & Martinus, armis literisque inclaruêre. Prior, à Francisco I. Taurini præfectus constitutus A.C. 1537. atque negotiis plurimis adhibitus, scripsit *Historiam de rebus Gall.* Posterior, Locum-tenens Regis in Normannia, *Francisci I. Historiæ* auctor. Ex eadem familia Renatus, Cardinalis frater, Episcopus Cenomanensis, obiit Parisiis, A.C. 1546. Johannes, Episcopus Forojuliensis, dein Pictaviensis, obiit A.C. 1479. Reinoldus, Archiepiscopus Remensis, obiit A.C. 1096. Eustachius in Archiepiscopat. Parisin. successit Cardinali A.C. 1551. & Concilio Tridentino interfuit, A.C. 1563. nepos Joachimi Canonici Parisin. & Poëtæ celebris, &c. Vide & *Guilielmus* & *Joachimus*: plura verò de *Bellajo* Cardinali, apud Scævolam Sammarthanum *Galliâ Christianâ*, *Continuat.* Sleidani per Michaël. Lunpord. *l.* 2. ubi Annam Burgium inter primos ad ignem condemnâsse, ac quadragesimò pòst die obiisse: Lilium Giraldum *de Poetis sui temp.* Mich. Hospitalium *Epist. l.* 2. ubi Ciceronem in prosa, Virgilium versu superâsse, dicitur. De illo Buchananus,

> *Esse credunt homines cœlo mortalia curæ,*
> *Quod cura videant credita sacra tua,*

apud Anton. Teissier *Elogiis vol.* 1.

BELLAQUA Remigius, Latinus & Gallus Poëta eximius, præceptor fuit Caroli Lotharingi Elbovii Marchion. secundus à Ronsardo, an tertius (post Joachimum Bellajum) habitus, cui utrique suavitate par erat. Scripsit complura de quibus vide *les Eloges* Anton. Teissier *Vol.* 1. Vide & hic infrà *Belleau.*

BELLARIA, vide infrà *Cœna*, *Convivia*, *Decem nummi*, *Epidipnides*, *Mensæ secundæ*, *Mora*, *Parenthetica*, *Quei*, *Sporta*, uti de talibus, quibus illa ferebantur *Tragemata.*

BELLARMINUS Robertus, Marcelli II. ex sorore nepos, è Thuscia, Jesuita primum, dein Cardinalis, scripsit librum *de Scriptoribus Eccl.* in quo de 400. illorum judicium fert: & vastum opus *Controversiarum*, quod antequam prodiisset; à Witakero, Theologo, Anglo, refutatum est; Obiit A.C. 1621. ætat. 80. eleemosynis in pauperes tantùm non prodigè erogatis inclytus. Guilielm. Barclajum, ex Communione Romana acerrimum lacessit, *circa potestatem Pontific. in secularibus*, antagonistam, imò ipsam supremam Galliæ Curiam, quæ librum ejus de hac materia scriptum, condemnavit Lutetiæ, A.C. 1610. die 26. Novembris. Bucholcer. *Ind. Chron.*

BELLATOR, cognomen Othonis Episcopi Monasteriens. ex Hoyensium Comitum stirpe, apud Hamelmannum *de Fam. Emort. l.* 1.

BELLEAU Remigius, Perchiensis, unus ex Pleiade Poëtarum in Gallia, Opera Anacreontis Gallicè vertit. Obiit A.C. 1577. Vide *Bellaqua.*

BELLEFORESTUS Franciscus, Convenanus, Auctor Historiæ Gall. commentarii de IX. Carolis Galliæ Regibus, pluriumque versionum. Obiit A.C. 1583. Spondan. *A.* C. 1574. Gualter. *Chron.*

BELLELAGIUM, vulgò BELLELAY, cœnobium Benedictinorum, ordinis Præmonstrantium, 12. seculò ortum, non procul à petrea porta, in agro Raurico. Hic Ortliebus Episcopus Basiliens. A.C. 1170. Abbatiam erexit, multisque juribus donavit. Nomen habet à speciosa sue: quâ occasione id factum, vide apud Urstis. *Epit. Hist. Basil. c.* 4.

BELLEROPHON, Glauci, Regis Ephyræ, fil. cujus formâ capta Sthenobœa, Prœti, Argivorum Regis uxor, de stupro eum interpellavit, cumque se præter opinionem repulsam videret, ægrè id ferens, innocentem hospitem apud virum detulit, tanquam sibi vim inferre voluisset. Cujus delationi fidem adhibens Prœtus, hospitii juris memor, domi illum suæ interficere non sustinuit, sed in Lyciam ad Jobatem socerum suum cum codicillis misit: qui cùm & ipse tam strenui adolescentis sanguine domum suam polluere nollet, eum adversus Solymos, quibuscum bellum gerebat, modico cum præsidio misit, sperans futurum, ut juvenis cupidissimus, à gente ferocissima, facilè interimeretur. Verùm cùm & Solymos facilè vicisset Bellerophontes, & aliis plerisque periculis objectus semper victor rediisset, postremò ad interimendam Chimæram missus est; quem etiam laborem, nactus, Neptuni beneficiô, Pegasum equum, summa cum laude superavit. Quapropter Jobates, juvenis virtutem admiratus, alteram illi ex filiabus, cum regni parte, uxorem dedit, ex qua Isandrum, Hippolochum, & Laodamiam suscepit, uti *l.* 6. *Il.* refert Homer. Quod cùm audivisset Sthenobœa, sibi mortem conscivit. *Bellerophon* autem felici rerum successu elatus, cùm in cœlum volare cum Pegaso conaretur, immissô à Jove œstrô, equô excussus est. Hic primum *Hipponomus* dictus est, posteà *Bellerophontes* à *Bellero* quodam Corinthiorum Principe, quem adhuc adolescentulus de medio sustulit. Hanc fabulam alii, ad Historiam, alii ad Physicam, alii ad Ethicam explicationem traduxerunt. Vide *Mythologos.* Primus omnium equô vehi docuisse fertur. Plin. *l.* 7. *c.* 56. Horat. *Carm. l.* 4. Od. 11. v. 26.

> —— *Et exemplum grave præbet ales*
> *Pegasus, terrenum equitem gravatus*
> *Bellerophontem.*

Idem *l.* 3. Od. 12. v. 11.

> *Eques ipso melior Bellerophonte.*

Idem *l.* 3. Od. 7. v. 13.

> *Ut Prœtum mulier perfida credulum*
> *Falsis impulerit criminibus, nimis*
> *Casto Bellerophonti.*

Dionys. v. 869.

> —— Ὅθι δὴ ποτε Πήγασος ἵππος
> Ταρσὸν ἀφεὶς χώρῳ λίπεν οὔνομα, ἦμος ἀφ' ἵππου
> Ἐς Διὸς ἱέμενος πέσεν ἥρως Βελλεροφόντης.

Hinc proverb. Βελλεροφόντης τὰ γράμματα, cùm quis literas velut commendatitias perfert, quæ contra ipsum sunt descriptæ; vulgò *Literas Uriæ* vocant, cujus non prorsus absimilis Historia extat in S. Scriptura, 2. Sam. *c.* 11. v. 14. Hinc *Bellerophontem.* Propert. *l.* 3. *El.* 2. v. 1.

> *Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,*
> *Bellerophontei quâ fluit humor equi.*

Vide Homer. *Il.* 6. Nat. Com. *l.* 9 *c.* 4. Erasm. *Adagia.* Item in voce *Pegasus. Nic. Lloydius.* Nomen ex Hebr. בעל הרובין *Baal-harovim*, h. e. *Magister*, vel *Præfectus jaculatorum.* Vide Bochart. *Hieroz. part. prior. l.* 2. *c.* 6.

BELLERUS, Corinthiorum Dux, à quo interfecto *Bellerophontes* dictus est, qui antea Hipponomus. Cœl. Rhodig. *l.* 15. *c.* 9.

BELLETHANI, populi Edetaniæ regionis citerioris Hispaniæ ad Iberum fluv. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

BELLEURÆUS Pomponius, fil. Claudii primarii Præsidis Parlamenti Gratianopolitani, Cancellarius Galliæ sub Henrico IV. & Custos Sigilli Regii creatus, gravissima negotia, nuptias imprimis Regis cum Maria Medicæa feliciter expedivit: defunctus A.C. 1607. ætat. 88. Scævola Sammarth. *Elog.*

BELLI indicendi ac gerendi ritus. Romani, ut inquit *Varro* bella & tardè, & nullâ licentiâ suscipiebant, & quod bellum nullum nisi pium putabant geri oportere, priusquam indicerent

bellum iri, à quibus injurias factas ſciebant, Feciales legatos res repetitum mittebant quatuor, qui, ſi poſtulata impetraſſent, fœdus cum iis feriebant: ſin minus, ſe deliberatâ bellum indicebant; qui ritus Clarigatio vocabatur, & à Dionyſio Halicarn. l. 2. ſic deſcribitur: *Fecialium, inquit, unus quiſpiam electus à Collegio, veſte auguſtiore, ſuiſque ornatus ſignis verendus, ad uſurpatorum hominum agrum proficiſcitur, cùm primum fines eorum attigit, Jovem cæteroſque Deos invocans, teſtatur à Romanis ſe venire, jusque ſuum petere. Deinde jurans ire ſe ad injuſtam civitatem, & ſi quid mentiretur, ſeque ſuoſque diris imprecatus, intra fines ingreditur, & quem primum obvium nactus eſt, eum teſtatur, & repetitis eiſdem precibus atque execrationibus, ad urbem pergit. Quam priuſquam ingrediatur, vel portæ cuſtodem, vel primum quemque in porta obvium ſimiliter teſtatur, ad forum procedit, ibique ſtans Magiſtratibus adventus ſui cauſam indicat, ſemper jusjurandum & imprecationes adjiciens. Tum ſi damnatos auctores injuriæ acceperit, abductos eos amicus, ipſe ab amicis diſcedit. Quod ſi tempus ad deliberandum peterent, poſt decem dies revertebatur, itque aliquando tertiò. Elapſis autem triginta diebus, ſi non impetraret jus ſuum, obteſtatus Superos atque Inferos diſcedebat, hoc tantùm præfatus, ſuper ea re populum Romanum per otium deliberaturum. Deinde aſſumtis cæteris Fecialibus Senatui renunciabat, omnia ſe ritè exequutum & ſi velint bellum decernere, licere id illis per Deos*, &c. Liv. l. 1. c. 32. hunc morem ab Æquicolis deſumtum, ab Anco Martio Romæ primum inſtitutum, atque à poſteris etiam religioſè obſervatum fuiſſe, refert. Additque *Legatum* (Fecialem intelligit) *ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato* (filo lanæ velamen eſt) *Audi Jupiter*, precatum eſſe, *audite fines, audiat fas. Ego ſum publicus nuncius populi Rom. juſtè pieque legatus venio, verbiſque meis fides ſit.* Deinde peragendo *Jovem teſtem feciſſe, ſi ego injuſtè, impieque illos homines illaſque res dedier Populo Romano mihi expoſco, tum Patriæ compotem me nunquam ſinas eſſe: ſic fines ſupra ſcandiſſe*, &c. Porro idem diebus tribus & triginta (tot enim ſolemnes) peractis, bellum ita à Feciali indictum eſſe, ibid. narrat; *Audi Jupiter, & tu Juno, Quirine, Diique omnes cæleſtes, voſque terreſtres, voſque inferni audite. Ego vos teſtor, Populum illum injuſtum eſſe, neque jus perſolvere, ſed de iſtis rebus in Patria majores natu conſulemus, quo pacto jus noſtrum adipiſcamur*: Quum dein bellum decretum, haſtam in fines hoſtium Fecialem immiſiſſe, apud eundem memoratur, ut & Aul. Gellium l. 16. c. 4. his ferè verbis: *Quod populus Hermundulus, hominesque populi Hermunduli adverſus Populum Romanum bellum fecêre, deliquêre, quodque populus Rom. cum populo Hermundulo, hominibuſque Hermundulis bellum juſſit: ob eam rem ego populuſque Rom. populo Hermundulo hominibuſque Hermundulis bellum indico facioque.* Alii à Feciali, bellum denuntiante, arietem in hoſticum emiſſum eſſe ſcribunt; quô indicare voluiſſe Romanos, hoſtilem agrum brevi gregibus Rom. populi in paſcua eſſe ceſſurum, unde Proverb. *Arietem emiſit*, &c. Idem ferè de Athenienſibus legimus, à quibus per Legatum vel telô, vel ariete in agrum hoſtilem, aut ipſam potius civitatem inimicam emiſſô, ſignificatum eſſe [illegible], *non agrum modò, ſed civitatem, ubi homines prius habitabant, in gregum ſuorum paſcua convertendam eſſe*, legimus apud *Drogitianum*. Bellô dein decretô ſuperſtitioſè admodum ſolicitudine, ad illud ſe præparârunt; ſacrificando Diis, quo de ritu vide Kerchenium *ad Annibalem Nepotis c. 2.* Vates conſulendo, & antiqua quoque Oracula, quæ civitati ſuæ, diverſis temporibus, contigêre evolvendo. Poſtea ad Judæorum, Latinorum, Perſarum, aliarumque gentium morem, Diis ſuis inſigne quiddam devoverunt, ſi victoriam eſſent conſecuti; hoſtium nempe decimas Apollini, vel aliud quiddam non minoris pretii, tantô aliquando exceſſu, ut Jovis Ammonii oraculô à ritu hoc deſiſtere, & Lacedæmoniorum frugalitatem imitari fuerint moniti. Propterea quemadmodum Lacones plenilunium expeditionibus ſuis pro infauſto habuerunt, ſimiliter Athenienſes ante diem 7. menſis quieſcere, neque ante novilunium belli Duces eligere, conſultum duxêre. In acie, dextrum ſemper cornu tuebatur Dux ipſe, novitii milites, [illegible], incedebant [illegible], *in partibus ubi minus periculi*, unde horum militia modò στρατεία ἐν τοῖς μέρεσι, modò [illegible] dicta eſt. Cùm ad flumen perventum, ſacrificiis demum oblatis, illud trajiciebant, quod [illegible] vocavêre: quod idem à Romanis factitatum cùm ad Petroniam, fluvium in Tiberim ſe exonerantem, acceſſerunt, tumque dicti ſunt *perenne auſpicari*. Prælium aggreſſuri, poſt cæſam victimam inſpectaque exta, milites quoſdam facibus inſtructos, dictos πυρφόρους præmiſerunt, qui in medio inter utramque aciem conſtituti, pugnæ ſignum dedêre. Statius *Theb. l. 4. v. 5.*

Prima manu rutilam de vertice Lariſſæ
Oſtendit Bellona facem.

Quò alludere quoque videtur *Lycophron*, cùm ἐχθρῶν πυρφόρον, & *Pindarus*, cùm ἄμφω πυρφόρον dicit. Defungebantur autem hôc munere tutò, & extra omnis periculi metum, Marti ſacri: Unde Scholiaſt. in *Euripid. Phœniſſ.* [illegible], inquit, οἱ πυρφόροι, [illegible]: & totalis exercitus internecio Proverbio, οὐδὲ ὁ πυρφόρος ἐσώθη, *Ne ſuperſes quidem incolumis evaſit*, indigitatur, &c. Et hæc ante tubarum uſum, quibus inventis, à Tyrrhenorum gente, ut quidam volunt, uſque eatum ab Archada quodam, qui Heraclidis auxilio venerant, in Græciam illato, τῶν πυρφόρων conſuetudo ceſſavit: quò reſpexit ſine dubio *Æſchylus*, cùm ait:

Σάλπιγξ δ' αὐτῇ πάντ' ἐκεῖν' ἐπέφλεγε.
Tuba ſonore cuncta illa incendit.

Tubarum locô *conchas* quoque *ſonantes*, adhibitas fuiſſe, ex *Theocrito* diſcas. Iſraëlitæ olim, his in bello ritibus uſi leguntur. Primo Sacerdos claſſicum cecinit tubâ, Numeror. c. 10. v. 9. quod nominabant תרועה *Teruguah*, i. e. clangor, vociferatio: Erat autem citus conciſuſque fragor ad accendendum militum animos apprimè faciens. Dein è Sacerdotum collegio electus eſt, qui maſculâ oratione animos faceret militibus eoſque ad rem ſtrenuè gerendam paratiores redderet, Deuteron. c. 20. v. 2. Dixêre hunc *Unctum belli*. Sic adverſus hoſtem bonâ ſpe plenî, atque quinis ac quinis, procedebant, Exod. c. 13. v. 18. &c. Vide Johannem Roſin. *Antiqq. Rom. l. 10. c. 1.* & Dempſteri *ad illud Paralipomena, in tertio libri*. Fr. Roſſini *Archæologiam Atticam l. 6.* Thom. Godwyn. *de Ritib. Hebræor. l. 6. c. 9.* &c.

BELLI, populi Hiſpaniæ in Celtiberis, quorum oppid. Segeda. Vide *Belia*.

BELLICA, nomen columellæ. Vide *Bellum*.

BELLICADRUM, Gallicè *Beaucaire*, urbs Langedociæ ad Rhodanum, nundinis S. Magdalenæ annuis celeberrima. Vide *Belloguarra*, & *Belloquadra*.

BELLICASTRUM, vide *Belicarium*.

BELLICIUS Torquatus, vide *Capua*.

BELLICUM, Gallicè *Belley*, urbs Galliæ in Beugeſia regione cujus caput, parva, in colle, 2 mill. paſſ. à Rhodano fluv. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Biſontino, Francici juris ab A. C. 1600 Sammarth. *Gall. Chr. tom. 2. p. 355.* Guichenon, *Hiſt. de Breſſe & de Bugey*. Vide *Bellica*.

BELLIENUS, Romanus quidam, cujus domus in funere C. Cæſaris deflagravit. Cicer. 2. *Philipp.*

BELLIEVRÆUS Pomponius, vide *Pomponius* & ſuprà *Bellevræus*.

BELLIFORTIUM, caſtrum pulchrum in tribu Hatchae.

BELLIJOCENSIS Tractus, Gallicè *Beaujolois*, regio Galliæ, in provinc. Lugdunenſi, cujus caput *Bellijocum*, vel *Bellus Jocus*, vide ibi Gallicè *Beaujeu*.

BELLINGUOLDIUM, fortalitium Belgii, in ditione Groningenſi, medium ferme inter Dullardi ſinum & Bortangam, in limite Friſiæ Orientalis ſub Batavis.

BELLINUS, Angliæ Regis frater Brenno illius, qui in Italia Græciaque tantum nomen adeptus eſt. Dicitur regnâſſe ann. 26. Sed fides penes auctores, *Moreriw*. Item, quem Suetonius, *in Calig. c. 44.* Cinobellinum vocat, Adminii à Caligula protecti patrem.

BELLINUS, Patavii Epiſcopus, qui cùm urbe ſuâ pulſus eſſet à Nobilibus pleriſque, quòd ſeverius, ſanctiuſque quàm ab illis probari poſſet, Epiſcopum ageret, in quoddam paluſtre ſolum, 15. mill. paſſ. Rhodigio diſtans divertit. Cæl. Rhodig. *l. 17. c. 28*

BELLIOLA, oppidul. Belgii, in Flandria, 5. leuc. ab Hipra, inter Armentarias & Caſſellum.

BELLIS, Gallicè *Marguerite*, flos eſt, in quo quid adredeat, non injuriâ quæras. Caret decore & colore penè caret, & placet tamen non parùm; nec vulgari habetur in pretio. Aut quod ea pretioſum Galli fecêre nomen & Latini bellulum: nam illi *Margaritam* dixêre, hi *Bellidem*. Utut ſit, eſt in honore bellis, puſilla licèt & repulla; nam fermè humi ſerpit, vix mole æquans violam. Subalbidis compacta eſt, ſubrubriſque flocculis, in ſphærulam conſertis & agglomeratis, ac tam venuſtè, tam concinnè, ut eam, quâ valet, commendationem & gratiam, inde potiſſimùm acceſſiſſe omnem. Sed & alia *Bellis* eſt, agreſtis ac inglaria, hortenſi tamen multò formoſior; nam ſuum utrinque radiis coronat argenteis, in ſtellulæ modum. Jacet nihilominus ſine honore, quòd paſſim obtrudat ſe non quærenti; quod ſponte, nullòque ſatu provocata, ſiſtat ſe cuilibet obvia; imo, ut veriùs dicam, quòd ingratum ſpirat odorem. Fr. Pomey *Div. Deſcript.*

BELLISAMA, æſtuarium Angl. *Beliſama*.

BELLISMUM, caſtellum, Orderico Vitali l. 8. *Hiſt.* memoratum. Vulgò *Belleſme*, in Pertico non ignobile, ad rivum in Idoneam vel Eguenam decurrentem, apud Firmitatem Bernardi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BELLIZONA, vide *Belinio*.

BELLO, urbs Hiſpaniæ citerioris ad Beſipponem portum, Vulgò *Tariffa*.

BELLOCASSI, populi inter Celtas, proximi Lexobiis, quos vulgus *Bajocenſes* vocat. Eorum civitas Epiſcopalis, in provincia Rothomagenſi, Ducatu Normanniæ. Gallicè *Bayeux*.

BELLOCASTRUM, vide *Chonia*.

BELLOGARDIA, urbecula Gall. in Ducatu Burgenſi ad Ararim fluv. Aliter *Seurre*, munita aliàs.

BELLOGRADUM, oppid. quod eſt Taurunum, nunc Albam dicunt ad confluentes Savum Danubiumque ſitum. Quo in loco Mahumetes II à paucis Chriſtianis fugatus, cæſus, caſtriſque exutus eſt, vulgò *Belgrade*, & Germanis *Griechiſch Weiſſenburg*. Ab Amurathe, & Mahomete præfato fruſtra tentatum, à Solymanno verò A. C. 1521. captum. *Leunclavius*. Vide *Belgradum*, it *Alba Græca*.

BELLOGUARRA, vulgò *Beaucayre*, urbs Languedoc. Vide *Bellicadrum*, *Belloquadrum* & *Bellum Quadrum*.

BELLOJOCENSIS Pagus, vide *Bellus Jocus*.

BELLOMARISCUS, oppid. Angl. in Walliæ Principatu in Mona inſul. cum portu ad fretum Menay, è regione Arvoniæ Comitat. *Beaumariſch* Angl.

BELLOMONTIUM, ſeu BELLUSMONS, oppid. Franciæ ad Oeſiam fluv. in provincia Inſulæ Franciæ. Item oppid. in Normanniæ Ducatu & Conſtantienſi agro, prope oram littoralem ex adverſo Angliæ. Item urbecula in Cenomanenſi provinc. Ducatus titulô inſignis, ad Sartam fluv.

BELLOMONTIUM, oppid. Calabriæ citerioris prope oram maris Tirrheni.

BELLOMONTIUM, oppid. Hannoniæ, Comitatus titulô clarum. Non longè à Sabi fluv. 7. leuc. à Montibus.

BELLOMONTIUM in Argonna, oppidul. Gall. in Campania provinc. 1. leuc. à Moſomio & Stenæo oppid.

BELLOMONTIUM Rogerii, oppid. Normanniæ, ad Rillam fluv. in colle ſitum.

BELLONA, Dea bellica ſoror Martis, anteà juxta *Varronem* Duel-

Duellona dicta. Illam Marti in bella eunti currum & equos parare, fabulatur Statius, qui & ejuſdem meminit *l.* 2. *Theb. v.* 718.

Nec magis ardentes Mavors, haſtataque pugna
Impulerit Bellona tubas. ----- ---

Hyginus *Fab.* 274. refert, ab ea inventam acum, quæ Græcis dicitur βελόνη: Imò ab hac ejus deductum nomen. Quidam etiam Martis uxorem faciunt. Sacerdotes ipſius ab Actione *Bellonarii* dicti; feriebant ſeipſos cultris, ut proprio ſanguine numen placarent. Lactant. *l.* 1. *c.* 21. adduque Tertullian. illos proprium cruorem in volam manus collectum, illis propinâſſe, qui myſteriis hiſce initiabantur, *c.* 4. & *c.* 9. *de Pallio*. Vaticinabantur autem furentes. Fingebatur etiam hæc Dea pugnas ciere flagellô. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 703.

Et ſciſſâ gaudens vadit diſcordia pallâ,
Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

Et Lucan. *l.* 7. *v.* 568.

Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum.

Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 223.

Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

Tibullus *l.* 1. *El.* 6. *v.* 45.

Hæc, ubi Bellonæ motu eſt agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.

De templo *Bellonæ* ab Appio Cæco ſtructo. Ovid. *Faſtor. l.* 6. *v.* 201.

Hâc ſacrata die Tuſco Bellona duello
Dicitur; & Latio proſpera ſemper adeſt.
Appius eſt auctor: Pyrrho qui pace negatâ,
Multum animo vidit, lumine captus erat.
Hinc ſolet haſta manu, belli prænuntia mitti,
In Regem & gentes, cùm placet arma capi.

Nic. Lloydius. Pingebatur comâ ſparſâ, armatâ face, Silius Punic. *l.* 5. *v.* 221.

Ipſa facem quatiens ac --- ſanguine multô
Sparſa comam, medias acies Bellona pererrat.

At falcem manu prætendebat. Claudian. *in Europ. l.* 2. *v.* 143.

--- --- *Quid dudum inſtare moraris,*
Tartaream, Bellona, tubam? quid ſtringere falcem,
Quâ populos a ſtirpe metis? --- ---

Alterâ manu clypeum gerebat. Idem *de* 4. *Honorii Conſulatu*, *v.* 12.

Jam trabeam Bellona gerit parmamque removit,
Et galeam. ----- -----

Ædem Romæ habuit in IX. urbis regione, verſus portam Carmentalem, in Circo Flaminio, intra quam Senatus dabatur exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere non judicabant conſultum. Item Ducibus è bello redeuntibus. Ante illam erecta ſtabat columella, *bellica* dicta, ſupra quam, cùm bellum indicebatur, haſtam jacere moris fuit: Collocatur à *Servio* inter communes Deos, habebatque parem cum Marte poteſtatem. Contrarium illi Numen Pauſus fuit, ut obſervat Turnebus *Adverſar. l.* 15. *c.* 21. quòd quies & otium, cui ille præeſt, bello adverſaretur. Placabatur autem pridie Nonas Junias, an. 9. Cal. April. à ſuis Sacerdotibus *Bellonariis* dictis, qui cùm antiquitùs *ſanguinem de femore proſciſſo in palmulam exceptum*, initiatis darent, teſte Tertullianô: poſtea ſimulatâ tantum membrorum ſectione uſi fuiſſe videntur. Hinc Æl. Lamprid. *in Commodo*, *c.* 9. *Bellonæ fervientes*, inquit, *verè exſecare brachium præcepit, ſtudiô crudelitatis.* Vaticinabantur autem hi ſtragem populorum aut everſiones urbium, ubi ſemel concepto furore diſcutere cœpiſſent, uſque maxima fides adhibebatur. Juvenal. *Sat.* 4. *v.* 124.

----- ----- *Sed ut fanatico œſtrô*
Percuſſus, Bellona, tuô divinat. ---

Plura vide apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 10. & *Paralipom. ad illud*, nec non Caſaubon. *ad Lamprid. loc. cit.*

BELLONARIA, herba dicta, quam ad hoc, ut entheatô ſpiritu pleni viderentur, ſumebant olim Galli Cybeles, de quorum ementito furore & ficta vaticinatione ac *gallandi*, ut Varro an apud Nonium, modo, videnda octava Apuleji *Mileſia*. *Vatanam* eandem appellatam eſſe, teſtis eſt Apulejus alter in *Herbario*. Pertinebat autem hoc ad confirmandam ſuperſtitionem, ut aſpicerentur furere & vaticinari hi Satanæ ὑποφῆται, quaſi ab alicujus Numinis inſpiratione immiſſô furore: etiam hac in parte veros Dei Prophetas, qui Numine pleni nonnunquam ſeipſos non capiebant, utcunque Dei ſimiâ hæc imitante. Radicem halicacabi ſolitos bibere, ut eam extaſin *Bellonarii* conciperent, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1087.

BELLONARII, vide ſuprà in *Baal.* & *Bellona.* Addo hîc ſaltem, locum veter. Scholiaſtæ Juvenalis, *ad illud Sat.* 6. *v.* 105.

--- *Nam Sergiolus jam radere guttur*
Cœperat, & ſectô requiem ſperare lacertô.

Ita autem is: *Sergiolum nomine ex gladiatore amavit, qui & Ludos dictus eſt. Qui, ut requiem gladiatura haberet*, Bellonarium *ſeſecerat*, *quibus mos eſt ut talibus lacertos ſuos ſecare.* Vide & Jac. Ouzelium ad *Minucium*, *p.* 196. ubi *Bellonarios* non ſolùm ſanguinis ſui hauſtu initiatos, ſed & in omnibus ſolemnitatibus lacertos & brachia cruentâſſe, aliaque hanc in rem adfert. Nic. Rigaltius *ad Apologeticum Tertulliani*, ut & nonnulla infrà, in voce *Sanguinis Dei*.

BELLONIUS Paulus, JCtus Ticinenſis magni nominis, in Senatum Mediolanenſ. cooptatus, obiit A. C. 1625. Scripſit varia, quæ videre eſt apud Hier. Ghilinum *Theatro Ital. viror. Literatorum.*

BELLONOTI, populi Sarmatiæ Europææ apud *Sidon.*

Chunus, Bellonotus, Neurus, Baſterna, Toringus.

BELLOQUADRA, vulgò BEAUCAIRE; Urbec ula Gall. in Occitania inferiori ad Rhodanum, è regione Taraſconis. Nundinis ſuis clara, 4. leuc. ab Avenione. *Urgernum* aliis.

BELLOVACENSIS Vincentius, vide *Vincentius.*

BELLOVACI, populi Gall. olim belli gloriâ eximii, quos Cæſar, eorum Duce interfectô, in poteſtatem accepit; eorum oppid. *Bellovacum* dicitur, ad Tharam amnem, in provinc. Inſulæ Franciæ. Regio circumjacens, quæ ſatis extenſa, vulgò *le Beauvaiſis*: Et Epiſcopus unus eſt ex 12. Franciæ Paribus. Civitas aliàs *Cæſaromagus*, ampla & probè munita eſt, *Baudrand. in Ferrar.* De *Bellovacis* ſic *Valeſ. Plurimum inter Belgas Bellovacos & virtute, & auctoritate, & hominum numerô valere* ait Cæſar, *l.* 2. *c.* 4. *hos poſſe conficere armata millia centum*: eoſdem *omni tempore in fide atque amicitia civitatis Æduæ fuiſſe*: quos petente Diviiacô Æduô in fidem recepit, ſexcentis obſidibus armiſque omnibus traditis, *quòd erat civitas magna, & inter Belgas auctoritate ac hominum multitudine præſtabat, & in Gallia maximam habebat opinionem virtutis.* Iidem *defectione Æduorum cognitâ, apertè bellum parare cœperunt*, propterea quòd clientes patronorum ſuorum auctoritatem atque fortunam ſequi conſueverant ac debebant. *Bellovacis*, ad Aleſiam obſidione liberandam, à Principibus Galliæ imperata ſunt millia armata decem: quos *Hirtius* ſcribit, *belli gloriâ Gallos omnes Belgaſque præſtare.* Strabo Cæſarem ſequitur, & inter Gallos Belgas eſſe fortiſſimos, inter Belgas *Bellovacos* tradit, quos Βελλοάκους *Belloacos* appellat. Plinio *l.* 4. *c.* 17. in Belgica *Bellovaci* proximi Ambianis memorantur; Ptolemæo in Belgica dicta Βελλόακοι, i. e. *Bellouaci* vel Belluaci. Florus *in epitome l.* 114. Livii *Bellouacos* rebellantes, à Bruto Legato Cæſaris victos eſſe ſcribit. Cœlius *in ep. ad M. T. Ciceronem* 1. *l.* 8. *Crebri & non belli de Cæſare rumores veniunt, ipſum ad Bellovacos circumſideri, interclusum ab reliquo exercitu.* Nullum ferè nomen pejùs acceptum à ſcriptoribus Latinis reperias. Pro Bellovacis nunc *Bellovacis* dicuntur, ut in Hiſtoriæ Miſcellæ MS. *l.* 6. aliàs *Bellouagus*; nunc *Belloaci*, ut apud *Strabonem*, interdum *Bellouagi*, atque *Belloagi*, c literâ in g ex more converſâ; ſæpiùs *Beluaci*, ac nonnunquam *Beluagi*, ſecundâ nominis ſyllabâ ſublatâ. Vulgò *Beauvaiſins* Noſtri appellitant, quaſi *Bellouacinos* aut *Bellouacenſes*. Bellouacorum ager *pagus Bellouacenſis* vocatur, *pagus Belloacenſis*, in Vita S. Amberti; *Beluacenſis*, in Capitulis Suuacenſibus Caroli Calvi, inter *Vilcaſinum* & *Vindoiliſum*: vulgò *le Beauvaiſis.* Eumenius *in Panegyrica Conſtantio Cæſari dicto*, *Bellouacam ſolum* appellat: quod Iſarâ, Sequanâ, Itâ & Aronâ fluviis terminatur, multis vallibus, inprimis Bellouacenſi & Claromontanâ inſigne, ſilviſque multis. Cæterum *Bellouacorum* partem fuiſſe Silvanectes putat *Sanſon*, quoniam Cæſari & Straboni ignoti ſunt Silvanectes, & à Plinio liberi cognominantur: ita ut alteri Genti vel civitati, puta Bellouacæ ſubjecti primùm fuiſſe, deinde ditioni ejus exemti, & Gens per ſe facti eſſe videantur. Sed has conjecturas alibi refellimus. Servius *in illum v. l.* 3. *Georg.* 204.

Belgica vel molli meliùs, ferret eſſeda collô.

Belgica eſſeda, (inquit) *Gallicana vehicula: nam Belga civitas eſt Galliæ, in qua hujuſcemodi vehiculi aut carpenti repertus eſt uſus.* Henricus Huntindunenſis Archidiaconus, *in Hiſtoriar. l.* 1. quas ad A. C. 1154. deduxit, *Galliam Belgicam à Belvaco nobiliſſima quondam urbe Galliæ dictam eſſe* ait. Johannes Pariſienſis in ſuo Memoriali, quod ante annos 360. compoſuit, *Belgica (inquit) eſt dicta ſecundum Iſidorum a Belgis, quæ nunc Belvacum dicitur. Bernardus Guido*, Johannis æqualis, ita etiam videtur ſenſiſſe, licèt (ut *Iſidorus*) omiſſô nomine civitatis: cujus hæc ſunt verba: *Belgis civitas eſt Galliæ, à qua Belgica provincia dicta eſt.* Hos ſecutus *Cluverius*, *Belgium* apud Cæſarem agrum Bellovacum interpretatur; *Belgas* propriè dictos, Bellovacos. *Sanſon Belgium* amplius quàm *Cluverius* facit, & Atrebates, Ambianos, Bellovacos, fortè etiam Veromanduos ac Silvanectes Belgio Cæſaris contineri ait: contrà Guillelmus Brito, *in Philippidos l.* 9. à *Belga* caſtro S. Winnochi Furnis proximo, *Bergue S. Vinnoch*, Belgarum & Belgicæ nomen ridiculè deducit, cum à monte *Berga* vocari debeat, non *Belga*; & multis ſeculis ſit Belgarum appellatione recentior. Robertus Monachus *in Chronica*, quod in A. C. 1210. deſinit, *Belgicam* (cujus pars eſt Belgium) *appellari* tradit *à civitate Belgis, quæ & Treveris dicitur*: Gervaſius Tilleberienſis *à civitate Belgis in confinio Burgundiæ ſita ſuper fluvium Saonam.* i. e. Ararim, vulgò *Bongey* dicta, Tinurtium inter & Matiſconem, ſed in adverſa ripa. Lucan. *l.* 1. Belgas propriè dictos, ſive ſoli Bellovaci, ſive qui alii ſint, deſignat haud dubiè hôc verſu 426. poſt Nervios, Sueſſones, Leucos, Treviros, Lingones, Remos, Sequanos, Vangiones, & Batavos Belgicæ populos commemoratos:

Et docilis rector monſtrati Belga covini.

legitur aliàs, *roſtrati.* De quo vehiculi genere, à Britannis Belgis monſtrati vel traditi Martialis eſt 24. epigramma, *l.* 12. *v.* 1.

O jucunda covine ſolitudo.

Ex quo intelligitur *Belgam* propriè dictum, apud Lucanum ſuprà, Bellovacum eſſe poſſe, Trevirum eſſe non poſſe; cùm Lucanus *Belgam* illum ſuum à *Trevira* ibidem apertè diſtinguat, *v.* 441.

Tu quoque lætatus converti prælia Trevir.

Unde rectè ait *Sanſon*, *Treviros* Belgii & Belgarum propriè dictorum finibus non contineri. Belgas iſtos propriè dictos in Britanniam inſulam tranſiiſſe facilè cum Cæſare crediderim, atque ibi coloniam condidiſſe, in primis urbem à Condiam 66. millibus paſſuum diſtantem, quæ ab ipſis *Venta Belgarum* cognominata eſt, & *Calleva Attrebatum* 22. millia paſſuum abeſt. Cæterùm Cæſar Remos, Morinos, Nervios & Eburones à Belgio apertè diſtinguit *in l. 5. c. 24.* cùm ait, *ſe ex legionibus unam in Morinos ducendam C. Fabio, legato dediſſe; alteram in Nervios Quinto Ciceroni, tertiam in Eſſuos (vel potiùs Æduos) L. Roſcio; quartam in Remis cum Tito Labieno, in confinio Treverorum hiemare juſſiſſe; tres in Belgio collocaviſſe: his M. Craſſum Quæſtorem, L. Munacium Plancum, & C. Trebonium legatos præfeciſſe; unam legionem & cohortes 5. in Eburones miſiſſe:* & Eburonibus ac Nerviis Q. Ciceronem oppugnantibus, *Cæſarem ſtatim nuntium in Bellovacos ad M. Craſſum Quæſt. miſiſſe.* Hirtius ſcribit, Cæſarem 4. *legiones in Belgio collocâſſe, cum M. Antonio & C. Trebonio & P. Vatinio & Q. Tullio legatis; duas in Æduos miſiſſe, & ad legiones in Belgium ſe recepiſſe, hibernaviſſeque Nemetocennæ: & cùm Antonius in hiberna veniſſet, crutaſque Atrebatum in officio maneret, Commium Atrebatem ex Rege privatum cum ſuis equitibus commeatus complures, qui comportabantur in hiberna Romanorum, intercepiſſe.* Ex quo intelligitur, Atrebates in Belgio fuiſſe, apud quos M. Antonius hiemabat: fuiſſe & Bellovacos haud dubiè, cùm Cæſar M. Craſſum Quæſtorem, quem uni è *tribus legionibus in Belgio ad hiemandum collocatis legatum præfecerat*, paulo pòſt eodem in libro indicet in Bellovacis cum ſua legione hiberna habuiſſe. Verba ejus ſunt: *Cæſar ſtatim nuntium in Bellovacos ad M. Craſſum Quæſtorem mittit, cujus hiberna aberant ab eo millia paſſuum 25. jubet media nocte legionem proficiſci, celeriterque ad ſe venire. Exiit cum nuntio Craſſus.* Cùm igitur & Bellovaci, & Atrebates in Belgio vel de Belgio fuerint; procul dubio utrique populi Belgis propriè dictis præter cæteros adnumerati ſunt, ſed Bellovaci tamen ſæpius ac magis, quàm Atrebates & quilibet alii Belgii populi. Habent Bellovaci ab Oriente, Veromanduos & Sueſſiones, à meridie Pariſios, ab Occidente Velliocaſſes & Caletos, à Septentrione Pontivenſes & Ambianos. Urbes eorum, oppida & municipia ſunt, Cæſaromagus Bellovacorum, caput Gentis; Bellimons ad Iſaram, Comitivæ titulò illuſtris; Rabulæ *Bulles*, vicus olim in literis anni 1075. memoratus, Camliacum *Chambly*, quod pago Camliacenſi nomen dedit; Clarusmons Comitatu nobilitatus; Credulium ad Iſaram *Creil*; caſtellum Gerboreddum, aliàs Gerboredum, *Gerberoy*; Inſula Adami *l'Iſle Adam*; Mellojum *Mello* aut *Merlou*; & Pons ad S. Maxentiam. Majores vici, quos Burgos vocant, ſunt præ cæteris, Brituilum *Breteüil*, olim Comitatus; Caſtinetum, aliàs Caſtinacum *Caſtenoy*; Flaviacum S. Geremari *S. Germer de Flay*; Miliacum vel Milleium *Milly*; Montiacum vel Monceium *Monchi le Chaſtel*; Conteium *Conty*; Coldonium *Coudun*. Continet pagus Bellovacus 370. Parœcias ruſticanas ſub Archidiaconatibus 9. Primus Archidiaconatus eſt pagi Braienſis, *du pays de Bray*, II. Archidiaconatus Montium, *des Montagnes*; III. Archidiaconatus Bellimontis; IV. Archidiaconatus Monciaci vel Monceii; V. Archidiaconatus Clarimontis; VI. Archidiaconatus Pontis ad S. Maxentiam; VII. Coldunii; VIII. Reſſonis vel Roſſonti; IX. & ultimus Britolienſis Archidiaconatus. Archidiaconatus Braienſis continet parœcias 45. Montanus 50. Bellomontenſis 44. Monciacenſis 49. Claromontanus 34. Maxentianus 46. Coldonenſis 35. Roſſontenſis vel Reſſonenſis 38. Britolienſis 44. ut Oiſellus Bellovacos teſtatur, qui tamen in numero parœciarum erravit, & à ſeipſo recedit. Sic enim in Bellovacis erunt 385. parœciæ ruſticanæ, non (uti ſuprà dixit) 370.

BELLOVACUM, urbs Epiſcopalis Picardiæ, caput tractus Bellovacenſis. *Cæſ. l. 2. & 6. Strabo l. 4. Gregor. Turonenſis; Odo Verumenſis*, &c. Hic concilium, A. C. 845. ſub Carolo Calvo, ubi Hincmarus, Ebone Archiepiſcopo Remenſi, ob injurias Ludovico Pio illatas, depoſito, ſurrogatus eſt. Item A. C. 1034. ubi quæſitum, an S. Martialis, Epiſcopus Lemovicenſis, Apoſtolus ſit dicendus? *Baudr.* Sed *Morerius* repugnat. A. C. 1114. contra Henricum V. Imperatorem A. C. 1120. 1124. 1161. ſub Ludovico Juniore contra Victorem Antipapam: A. C. 1554. & 1557. ſub Odero Caſtellionæo Cardinal. pravioris religionis poſtmodum aſſertore inſigni, &c. Vide quoque *Bellovaci*.

BELLOVESUS, Celtarum Rex: quod nomen corruptè dicitur *Beuvès*. *Beau* autem eſt *bellus*. Nuper autem *Bogo* uſurpari cœpit pro *Beuvès*. Hic Tarquinio regnante ab avunculo Ambigato Celtarum Rege delectus eſt, qui Italiam occuparet, Sigoveſo in Germaniam miſſo. Vide Liv. *l. 5.* Duplex memor. *Gall. l. 2. c. 26.* Camden.

BELLOVILLA, Gall. regio, Angliæ olim data. *Æmil. l. 7. Polyd. l. 20.*

BELLUA, in *Gloſſis* de hyæna, quam vocem vide.

BELLUATA Alexandrina, apud Plautum in *Pſeudolo*, *Act. 1. ſc. 2. v. 14.*

Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia,

polymita ſunt Alexandrina, quæ non minùs, ac ipſa Babylonica & Phrygionica opera, quæ acu plumabantur, varia olim ſerii variiſque coloribus & picturis, *belluarum*, hominum, avium aliarumque rerum, intexi conſuevêre. Vide ſuprà in voce *Alexandrina*, infrà *Sigilla*.

BELLUM Quadrum, vel *Belloquadrum*, vel *Bellicadrum*, caſtrum eſt vel oppid. Galliæ, ad Rhodanum, vulgò *Beaucaire*, ſede Seneſcalli & nundinis fit illuſtre: Nomen haud dubiè à forma quadrata accepit, ut idem ſit *Bellum quadrum*, ac *Bellum quadratum*, ſeu pulcher locus quadratus. Olim *Ugernum* caſtrum, vide ibi, ut & in voce *Belloquadra*.

BELLUM Sacrum, apud medii ævi Scriptores, dicitur expeditio Chriſtianorum ſuſcepta in Orientem, ad recuperandam à Saracenis Terram Sanctam, rogatu Simonis Patriarchæ Hieroſolymitani, hortatu Petri Ambianenſis, juſſu & decretò Concilii Claromonte in Gallia A. C. 1095. indicti. Duces ejus ſummi erant Hugo Magnus, Philippi I. Francor. Regis frater & Gothofredus, Euſtachii Bononiæ Belgicæ Comitis fil. Dux Bullionæus, idemque Dux Lotharingiæ: ejuſque duo fratres Euſtachius & Balduinus: item duo Roberti, alter Normanniæ Dux, Gulielmi ex alia gente primi Anglorum Regis fil. & Gulielmi Rufi Regis frater Flandriæ Comes: Porro Raymundus Tholoſatium & Stephanus Bleſenſium Carnutumque Comites, Rambaldus Comes Auraicenſis, Hugo Comes de S. Paulo, Bohemundus Princeps Tarentinus, & Ademarus Epiſcopus Podienſis, Urbani II. Papæ ad id bellum Legatus. Reliquos Viros illuſtres nominant Wilhelmus Tyrius *Hiſtor. l. 1. c. 17.* Alb. Aquenſis *Expedit. Hieroſolym. l. 2.* & Anton. Florentinus *Hiſtor. Part. 2. tit. 16. c. 13.* Hi tranſmiſſò Boſporò, prope Chalcedonem in Aſia recenſitis copiis, A. C. 1097. peditum ſexcenta, equitum loricatorum centum millia, præter impedimenta, in quibus Clerici & mulieres, deprehenderunt: cum quibus, Nicæam urbem (in cujus conſpectu alii dinumerationem hanc factam malunt) eôdem annô, totamque Ciliciam Solimanno Turcæ Cutlumuſis filio eripuerunt. Antiochiam ſequente annô, poſt octimeſtre obſidium, ceperunt; moxque in eadem obſeſſi à Turcis, è Perſia adjutis, Duce Corbagathô, poſt graviſſimam famem aliaſque obſidionis ærumnas, felici eruptione hoſtes depulerunt, die 28. Jun. 1098. Inde profecti Hieroſolymam, eam occupârunt die 16. Julii, feriâ 6. A. C. 1099. Godefridô Duce qui primus murum ſuperaverat, Rege electô, die 22. Jul. Hic de Saracenis Ægyptiis, quorum Dux Amiras Ægypti, inſignem reportavit victoriam die 12. Aug. fer. 6. quo in prælio Robertus Normanniæ Dux Ducem hoſtium occidiſſe perhibetur. Ditionis dein Ducibus diviſæ, Bohemundo datus Antiochiæ Principatus; Balduino Gotifredi fratri Edeſſa & Samoſatum trans Euphratem; Tancredo Comitatus Tiberiadis. Poſteà Chriſtiani Latini arma circumferentes, etiam maritimam Palæſtinæ oram, in poteſtatem redegerunt, mutatis poſſeſſione partâ, multiſque regionibus partim è Turcica, partim è Saracenica dominatione ereptis, longè lateque imperare cœperunt, à Mari Mediterraneo trans Euphratem porrectò Imperiò. Sed altera expeditio, ab Hugone, Magno, qui, in Galliam reverſus, novas copias in Aſiam duxit, proditione, ut fertur, Alexii Græcorum Imperatoris infauſta fuit, circumventis in Aſia minore Chriſtianorum copiis, & elapſò ægrè Hugone cum copiarum reliquiis. Nec felicior Conradus fuit III. Imperator, qui hortatu Eugenii III. A. C. 1147. & Ludovicus VII. Franc. Rex. qui ſuaſu Bernardi Abbatis Claravallenſ. eôdem annô, cum ingentibus copiis in Aſiam trajecerunt: *Forum enim ex occulto, juſto tamen judiciò, ſprevit famulatum Dominus; nec habuit acceptum munus, quod indignis fortaſſe offerebant manibus*, verba ſunt Wilh. Tyrii *l. 3. c. 30. §. 3.* Rurſus tamen eôdem ſigna movit Fridericus I. Imperator A. C. 1189. Moxque ad eandem ſacram militiam magnos exercitus adduxerunt Philippus cognomine *Auguſtus* & Richardus Angliæ Reges. Poſt quos iterum A. C. 1227 expeditio ingens ex univerſa Europa in Palæſtinam ſuſcepta eſt: Ipſoque annò ſequente Fridericus II. Imperator Ptolemaidem venit; & A. C. 1229. Hieroſolymam, à Saladino Chriſtianis ademtam A. C. 1189. recuperavit. Ludovicus quoque IX. Francor. Rex in Ægyptum cum copiis appulit A. C. 1249. & quinquennium in Oriente exegit. Verum omnia ſenſim in pejus ruere, & Helpis quidem Sultanus Ægyptius Tripolim, A. C. 1288. Meleſaites verò ſucceſſor ejus Ptolemaidem A. C. 1291. expugnârunt, totâ ſic Syriâ Chriſtianis ereptâ: *Qui finis ſacri Belli ſtatui poteſt. Nomen quadrimanſit, ferrum alibi bellicè ſtrictum*, Æmylius *de rebus geſtis Francor. l. 8.* Sexagies centena Chriſtianorum millia, in Palæſtinam tranſiiſſe, de hujus Belli initus agens, notat Calviſius ad A. C. 1096. Quibus ſi addas numeroſos illos exercitus, qui toto eò durante in Ægyptum Aſiamque trajecerunt, quantum Chriſtiani ſanguinis eò fuſum ſit, cogitare in proclivi erit: perpauci enim domum ſunt reverſi &c. Dum verò his in Oriente cum Turcis Saraceniſque res erat, aliud in Europa *Bellum*, *Sacrum* itidem dictum, in Valdenſes & Albigenſes juſſu Innocentii III. proclamatum eſt A. C. 1209. incentore Dominicò, Ordinis Prædicatorum auctore; Duce Simone Comit. Monfortiô: de quo alibi dictum. Vide plura hanc in rem apud Joann. Forbeſium *Inſtruct. Hiſtorico-Theologic. l. 3. c. 10* nec non in vocibus *Cruciata*, *Palæſtina*, *Terra Sancta* &c. item infrà phraſi *Crucem aſſumere* ac voce *Paſtorelli*.

BELLUS, Gentii Regis orator, memoratus Livio *l. 44. c. 32.* *Pulſi enim & fugâ conglobati, quum ducenti ampliùs in ipſis faucibus portæ cecidiſſent, tantum incuſſerunt terrorem, ut Oratores extemplò ad Prætorem mitteret Gentius Teuticum & Bellum, principes gentis, per quos induciæ peteret, ut deliberare de ſtatu rerum ſuarum poſſet.* Quis autem is Gentius fuerit, vide ſuò locò.

BELLUNUM, vide *Belunum*.

BELLUS Jocus, locus memoratus Petro Mauritio, Abbati Cluniacenſi *in ep. quadam*, in diœceſi Matiſconenſi, in Æduis, Eidem *l. de Mirac. c. 27.* caput olim pagi *Bellojocenſis*, Ararim inter & Ligerim: unde Domini Bellojocenſes, qui ex Sabaudiæ Comitibus orti videntur. Vulgò *Beaujeu*, eſtque oppidum à Caſtro ſuo, quod *Chaſteau de Beaujeu* dicitur, aliquantum diſtans, impoſitum Ardetiæ fluv. *Ardiere*, qui & Bellam villam alluit, ac in Ararim defluit, Matiſconem inter atque Lugdunum. Pagus hodie Villamfrancam pro capite habet: eſtque partim in Seguſianis, ſeu Epiſcopatu Lugdunenſi; partim in Æduis. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BELLUS Locus, incolis *Bellive*, Gallis *Beaulieu*, locus eſt Galliæ, veteri Monaſteriò illuſtris, in Arvernis, ad Duranium fluv. Hadr. Valeſ. in voce *Duranius*.

BELLUS Mons, caſtrum in Cenomanis, ad ripas Sartæ fluv. prope Axejum, vulgò *Beaumont le Vicomte*: hodie cum titulo Ducatus.

Alius

Alius eſt *Bellus Mons*, vulgò *Beaumont le Roger*: caſtrum munitiſſimum Guil. Brittoni Armorico, *in rebus* 1194. dictum, & à domino quondam ſuo cognominatum. Alius ad Iſaram, in finibus Bellovacorum, *Beaumont*, vulgò inter Credilium & Bovam Iſaræ poſitus: ſub Comitibus olim. Item in Britannia Gallicana pagoque Venetenſi, prope Rotonem, *Redon*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & ſupra in *Bellomontium*.

BELLUS Mons, vulgò *Bemont*, Monaſterium Virginum Galliæ, in agro Lingonenſi. Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ*, in voce *Lingones*.

BELMA, nomen loci. Judith. c. 7. v. 3.

BELMONTIUM, vide *Bellomontium*.

BELNA, oppid. Galliæ Celticæ in Burgundiæ Ducatu præclarum, 4. leuc. ab Arari. *Gregor. Turonenſis*. *Belna* vocatur in *Chronica Divionenſi*: Item *Caſtrum Belnum*. Rarius *Belna*: in diœceſi eſt Cabillonenſi, vinô ſuô nobiliſſimum, nec multùm diſtans à Vineriburgo *Vineybourg*. Unde *vinoſa Belna* dicitur *l.* 2. *Philippidos*: Caput Pagi *Belnenſis*, vulgò *le Beaunois*: in quo, inter Tornedrenſem & Duimenſem ſito, villæ: Senillacum vel Senicimacum, Mammiacum & Cuſſiniacum ponit *Chronicon ſupra laudatum*: item Bovoniſcurs. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Hic noſocomium, à Nic. Rolino, Philippi Boni Burgenſ. Ducis Cancellario extructum, inter ſplendidiſſima Galliæ ædificia. Sedes olim Parlamenti, hodieque Judicialis Baſilicæ Cancellarii. *Moret.* Vulgò *Beaulne*, 5. leuc. à Cabillone. & 8. à Divione.

BELNA, villa quondam grandis, in alto & firmo loco ſita, in tribu Zabulon.

BELNA, villa Galliæ, in pago Mauripenſi, Monaſterio S. Dionyſii ſubjecta, vulgò *Beaune en Gaſtinois*, quaſi *Belna in Vaſtinis*. Vide in voce *Mauripenſis*.

BELNENSIS Reginaldus, Turonibus natus A. C. 1527. per varios dignitatum Politicarum atque Eccleſiaſticarum gradus ad Archiepiſcopatum Bituricenſem evectus, eruditione ac eloquentiâ excelluit. Auctor variorum ſcriptorum; quæ in *Elogiis* Anton. Teiſſierius enarrat *Vol.* 2. Obiit A. C. 1606. Vide quoque *Scævolam Sammarth.*, *Thuanum*, *Alios*, & infrà in *Renaldus*.

BELNAJUS, vulgò *Beaune*, unus ex novem fluviis, quos cis Sequanam in Caletis, ſeu extrema Normanniæ, enumerat Ordericus Vitalis *l.* 12. Oritur in vico Belnajo, cui nomen dat: deindè alluit vicum S. Marei, Lambertivillam *Lambervilk*, Balcam villam *Baſqueville*, Hermannivillam *Hermanville*, tum Sedanâ recepitur Vicus *Belnajus*, alius *Beaune* alius *Beaunetus* nuncupatur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Caleti*.

BELO, quibuſdam *Tariſſa*, ſeu *Beger*, melius *Belona*, vicus cum portu in Andaluſia, inter *Tariffa* & *Barbate*, prope fretum Herculeum. *Baudrandus*.

BELOCHUS I. vel BELOTHUS IX. Aſſyriorum Rex, regnavit ann. 35. *Euſeb.* & *Africanus* ex Manethone Ægyptio. Genebr. *l.* 1. *Chron.*

BELOCHUS II. junior, XIX. Aſſyriorum Rex, regnavit ann. 25. Ab Ebræis *Chuſan Reſbathaim* dictus, à *Joſepho Chuſarthes*. Hujus filia Actoſa regnavit cum patre annis ſeptem. Euſeb. *Chron.*

BELOCHUS, vel BELOSUS, Rex Babylonius, quem ſectatores Annii Viterbienſis cum Phul confundunt, Tornicl. *A. M.* 3238. *n.* 1 *&* 2.

BELOMANTIA, Græcè Βελομαντεία, divinatio quæ *ſagittis* peragebant, non uno modò, apud Orientis inprimis populos, Arabes, alioſque ut *in Specimine ſuo Hiſtoriæ* Arabum docet Edu. Pocockius: in quo, ut nihil dicam de Sagittis notatis atque in ſacculum conjectis ſive undecim, ſive pluribus, atque inde demùm extractis, meminit ſortium generis, Arabibus *Alazlam* dicti, cujus hic modus: *Cùm eſſet alicui vel ſuſcipiendum iter vel ducenda uxor, vel aliud magni momenti negotium peragendum: Sagittas, quas tres vaſcula incluſas habebant, ſolebant conſulere. Earum prima inſcriptum erat*, Juſſit me Dominus meus: *ſecunda*, Prohibuit me Dominus meus: *tertia autem nullâ notâ inſignis erat. Harum unam manu extrahentes ſi occurreret illa, quæ juberet, alacri animô, tanquam jubente Deô, pergere; ſin illa, quæ vetaret, deſiſtere; quòd ſi ἀνεπίγραφος illa, reponere, donec prodiret, quæ vel juſſa præiret, vel interdicto occurreret*. Cui ſimile quid de Nebucadnezare habetur Ezech. *c.* 21. *v.* 21. ad quem loc. Hieronym. *Stabit*, inquit, *in ipſo compito & ritu gentis ſuæ oraculum conſulet, ut mittat ſagittas, in pharetram & commiſceat eas inſcriptas ſive ſignatas nominibus ſingulorum, ut videat cujus ſagitta exeat, & quam prius civitatem debeat expugnare.* Vide eundem *ad Hoſ. c.* 4. ubi, quod hîc *ſagittas*, vocat *virgas*. *In Ezechiele legimus, quòd virgas ſuas miſcuerit contra Ammon & Jeruſalem Nebuchodonoſor, & exierit virga contra Jeruſalem.* Quô pactô *ῥαβδομαντεία* potius fuiſſet. At apud Ezechielem *ſagittarum* diſerta mentio quas tamen alii non *commiſcendo* ſeu commovendo, verùm *terſo politaque* inſpiciendo id divinationis genus voluere peractum, ut dicemus infrà in *Thum*. Nempe vocem קלקל, quæ aliàs *terſit*, *polivit*, redditur, ab Hieronymo *commiſcendi* notione explicatur: quod ex Arabiſmo confirmari poſſe, docet Cl. Pocockius *d. l.* Vide quoque ubi dicemus de *Catoptromantia*.

BELON, inter Duces Alexandri Magni manu ſtrenuus, pacis artium & civilis habitus rudis, verus miles ab humili ordine ad eum gradum, in quo tunc erat, promotus eſt. Curt. *l.* 6. *c.* 11.

BELON, urbs & fluv. in Hiſpania Bætica. Strabo *l.* 3. Βαίλων; *Ptolemæo*. Sed Strabo ſcripſit Βέλων, ut ex *Stephano* cognoſcimus. Nonnulli tamen è Latinis *Bello* ſcribunt.

BELONIUS Petrus, vide *Petrus*.

BELPHEGOR, vide *Beelphegor*.

BELSA, recentioribus *Belſia*, inter Ligerim Aurelianoſve & Stampas jacens, 15. leucas patere dicitur. Vulgò *la Beauſſe*. Ejus meminit Fortunatus Presbyter *de vita B. Germani c.* 51. Regio eſt arida & ſqualida, utpote pauciſſimis fluviis irrigua. Unde Guil. Brito *Philippidos l.* 2.

Belſia graniparis non tot flaveſcit ariſtis.

Tribus autem cognominibus diſtincta, & alia *Belſa Carnotenſis*, alia *Dunenſis*, pagus enim Dunenſis poſt cæteras Belſiæ attributus, alia *Pituerenſis* dicta eſt, à præcipuis locis. Hinc in literis Ludovici Regis A. C. 1120. inter collata Mauriniacenſi Eccleſiæ recenſentur: Eccleſiæ æterum Stamparum, Eccleſia Striptiniaci (*Eſtrechie*) Eccleſia de Bonnas (*Bonnes*) apud Dordenum, Eccleſia S. Petri, in Belſia Carnotenſi villa *Meſures*, in Belſia Pituerienſi Bernvilla, Vernnac. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & infrà in voce *Belſia*.

BELSAN, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 2. Latinè *in lingua*, aut *in detractione*, ſive *veriſtas dentis*, aut *vetus ebur*.

BELSIA, regio Galliæ Celticæ, ſiccitate & aquarum penuriâ laborans, nihilominus tamen fertilis & frumenti valdè ferax; coluerunt olim, quicquid *Belſiæ* nunc nomine cenſetur, Carnutes, Aurelianenſes, Andegavi, Cenomani & Turones. Triplex eſt Belſia, ſuperior, media & inferior. Superior initium capit ab vico, qui vulgò *Ablys* indigitatur, petens porrò Carnutum agros & ulteriora. Mediæ tribui ſolitum eſt, quicquid eſt, inde quidem ad utramque Ligeris ripam ab Romorago, vulgò *Romorantin*, Vendominum uſque, hinc autem in dextra ejuſdem Ligeris ripa, quicquid Caſtellodunô porrigitur Bleſas & ad Turoventium uſque agros. Inferior campeſtris omnino & plana, frumenti valdè ferax, totius Galliæ horreum, porrecta inter Epiſcopatus, Aurelianenſem & Carnutenſem, ab oppido Stampenſi procurrit, verſus Orientem quidem Senones uſque, verſus meridiem ad pontem Aurelianenſem. *Merula*. Nunc anguſtior eſt, continetque tantùm agrum Carnutenſem, cum parte Bleſianenſis agris, uſ Ligerim, & aliquot aliis regiunculis. Ejus præcipuæ urbes Carnutum ad Eburam, Aurelianum, Stampæ, Cardunum, Balgenciacum, aliæ. Ejus pendêre limites, *Baudrand.* vide quoque *Belſa*.

BELSINUM, Celtiberorum urbs in Hiſpania Tarraconenſi *Borja Villanovano*, *Beliero Cogn.*

BELSONACUM, vide *Beſonacum*.

BELTE, *Heſychius*: Βέλτε χωρίον Θρᾳκικόν.

BELTIS, vox memorata in Synodo Celchytenſi A. C. 816. *c.* 10. de *Epiſcoporum* exequiis celebrandis, *Singuli ſervorum Dei diem jejunent & 30. diebus canonicis horis expleto Synaxeos & ſeptem beltidum Pater noſter, pro eo cantetur & hoc expleto iterum die trigeſimo obitus ſui &c.* Spelmanno roſarium notat, qui eam è Saxon. *belt* i. e. cingulum, deducit. Sed an Roſarii uſus jam eâ tempeſtate extiterit, jure addubitat Car. du Freſne. Dominicus Macro inſtrumentum fuit ad preces & orationes dominicales ſalutationeſque Angelicas dinumerandas; *ſicut*, inquit, *cum corona ſeu roſarium hodie calculamus*. Sed & hoc ſine ratione. Carolus itaque frater ejus, *ſeptem beltidum* totidem vices ſignificare cenſet, quodque ab Hiſpanis *ſiete bueltas*, Ital. *ſette volte*, à *volvendo*, dicitur, vide eos in *Heſpera*.

BELUEDERIUM, oppid. Biſiniani Principis, in Calabria inferiore.

BELUI & BELUÆ, terreſtres hyænæ dictæ ſunt; de quarum natura & captura apud Turcas, habes apud Busbequium in *Epiſtolis Legation.* ubi *Ziſef* à Turcis hodie vocari hyænam ſcribit, quomodo Aliis dici tradit Scaliger, Arabibus *Dabuh*. Salmaſ. *ad Solin.* p. 336. Vide quoque infrà in voce *Hyæna*.

BELUL, unum ex quatuor nominibus, quibus Æthiopes Imperatorem ſuum inſigniunt, vide infrà *Matth.* *n.* *Presbyter Joannes*.

BELUNUM, Venetorum oppid. Vide Claver. *Ital. Ant.* p. 238.

BELUS, Aſſyriorum Rex, Nini pater, à Sole ita dictus, qui Aſſyriorum linguâ *Bel* dicitur. Huic vitâ functo templum erexerunt Babylonii, diviniſque eum honoribus proſequuti ſunt. Vide infrà.

BELUS, Jupiter dictus eſt, Saturni, h. e. Nimrodi fil. *Nic. Lloydius*, vel Nimrodus ipſe, *Moret.* regnavit ann. 55. aut potiùs Cham; fil. Noæ, ſeu Menes, qui idem *Hammon*, *Belus*, *Oſiris*, *Adonis* & ut docet Joh. Marshamus *Canone Chronico Sec.* I. è quo reliqua de *Belo* emenda. Primus Rex, poſt diluvium, & confuſionem linguarum. Regnare autem cœpit Babylone; quam condidit in ora Euphratis, A. M. 1932. obiitque A. M. 1996 ætat. 65. Aſtronomiæ inventor fuiſſe dicitur. Eam ob rem ei lapillum dicârunt pretioſum, quem *Beli oculum* vocant, quemque D. *Cyrillus Arbelum* nominat. Ex hominibus primus pro Deo habitus fuit. Iſte namque *Belus*, primum Chaldæos inſtituit ſacerdotes. Diodor. *Sic. l.* 3. Fuit pater Nini, quem uxor ejus Semiramis, cum Zoroaſtrem Bactrianorum Regem viciſſet, gloriâ & ſuperbiâ nimis efferâ & elatâ, in Deorum numerum referri voluit, ut ait B. Hieronym. *in Oſeam*. Hinc Idololatriæ initium, ſaltem poſt diluvium, quamvis alii Sarug auctorem faciant. Euſeb. *in Chron.* & *l.* 9. *Præparat. Evang. c.* 4. Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 18. *c.* 2. 17. 21. Beda *de* 6. *ætat.* *Torniel.* & *Salianus*. Hunc autem Sidonii & Phœnices *Baal* vocârunt; vel *Beel-ſemen*, i. e. *cæli dominum*. Euſeb. *Præpar. Evang. l.* 1. *c.* 7. Quare Ninus ejus fil. in patris memoriam, ſtatuam erigi juſſit, quam tandem aliquando Babylonii divinis honoribus coluerunt, in eoque idolo Dæmon abſconditus reſponſa dabat. Iſidor. *l.* 8. & Theophylactus *in Oſeam*: Sunt qui à *Belo* Ægyptio, qui primum ei templum erexit, appellatum velint; in eo templo pulvinar erat, ad quod confugientes tuti erant. Euſtath. *ad Dionyſ. Perieg.* Βῆλος ὁ βασιλεὺς Βαβυλῶνος, ὁ καὶ ὁ Ζεὺς αὐτός. Diodor. *Sic. l.* 2. Διὸς, ὃν καλοῦσιν οἱ Βαβυλώνιοι Βῆλον. *Heſych.* Βῆλος, οὐρανὸς καὶ Ζεὺς Βαβυλώνιος. Vide *Baal*, & Seldenum *de Diis Syris Synt.* 2. *c.* 1. *Sacratiſſimus Aſſyriorum Deus* Plinio *l.* 37. *c.* 10. dicitur; quem pleríque Jovem eſſe volunt, unde Διὸς Βήλου ἱερὸν χαλκόπυλον, Jovis Beli templum æreas portas habens, apud *Herodotum*. Et ibi. 5

Διὸς ὃν καλοῦσιν οἱ Βαβυλώνιοι Βῆλον, *Etiam Jovis*, quem vocant Babylonii *Belum*, apud *Diodor.* Saturnum tamen alii eſſe ajunt; nonnulli & Martem, uti ſuprà vidimus in voce *Baal.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1235. ut & *p.* 1227. ubi *Belum Tyrium* ſeu *Phœnicium*, item *Aſſyrium*, & *Ægyptium* quoque, eundem fuiſſe docet. Eidem gemma dicata *Beli oculus* dicta eſt, quòd *oculi* ſpeciem haberet, utpote quæ *albicans pupillam cingeret nigram è medio aureo fulgore lucentem*, ut ait Plin. *loc. cit.* Sic aliæ occurrunt gemmæ, *ægophthalmi*, *lycophthalmi* &c. nomine, quòd caprinum, lupinum oculum exprimere videantur, ſcil. vel figurâ vel luce. Vide infrà in voce *Oculi*: ſed de *Belo* plura & accuratiora omnino, apud Marshamum præfatum *d. l.*

BELUS, fil. Epaphi ex Libya, pater Ægypti & Danai.

BELUS, Syriæ fluv. ſeu Phœniciæ, ubi primò compertum fuiſſe vitrum ſcribit Plin. *l.* 5. *c.* 19. Joſephus *l.* 2. *de bello Judaico*, ſtadiis ait 2. à Ptolemaide diſtare, juxta quem ſepulchrum Memnonis, & vitrea in-rotunda valle arena, quam venti ex circumdatis jugis convehunt, inexhauſtâ ſeculis vi, ſed ante omnia mirabili naturâ mutandi alia quoque in vitrum quæ attigerit metalla. E palude Cendavia profluit, & *Pagidam* quoque vocari *Plin.* tradit. Vide infra. Ad eundem, Chalcidem Seleuciam ſitam eſſe, monet Salmaſ. *ad Solin. p.* 619.

BELUS, fluv. exiguus ſed profundus, quem & *Pagidam* vocant, duobus è Ptolemaide ſtadiis diſtat. Qui è proximis montibus ſcaturiens, rotundam quandam centum cubitorum prætelabitur vallem admirationis digniſſimam: ubi primò compertum fuiſſe vitrum Plin. *loc. cit.* ſcribit: qui Locus mirabili quâdam naturâ tum ipſam arenam, tum alia quoque, quæ ſuſceperit, metalla, in vitrum mutat: mirabilius quoque illud videtur, quòd jam converſæ arenæ in vitrum, quæcunque pars ſuper margines loci ipſius fuerit jacta, in vulgarem arenam denuò convertitur. Eſt in tribu Aſer.

BELZA, urbs Poloniæ in Ruſſia nigra, tota ferè lignea, inter Leopolim & Zamoſciam. 5. leuc. Polonic. à *Bug.* fluv.

BELZOI vel BENJOIN, vide infrà.

BEMA, Græcè Βῆμα, *pulpitum*, ſeu gradus. Item Feſtum Manichæorum, dies nempe, quò Manes occiſus eſt: quem Manichæi quinque gradibus inſtructô tribunali & pretioſis linteis adornatô ac in promptu poſitô & objectô adorantibus, magnis honoribus proſequebantur. Auguſtin. *adverſus Epiſtolam Manichai c.* 8. *Cum ſæpe à vobis quærerem illô tempore, quô vos audiebam, quæ cauſa eſſet, quòd Paſcha Domini plerumque nullâ celebritate frequentaretur ---- cum veſtrum Bema, i. e. diem, quô Manichæus occiſus eſt —— magnis honoribus proſequamini.* Factum id quotannis Menſe Martiô fuiſſe, docet *Hegeſippus.* Vide iterum Auguſtin. *contra Fauſtum l.* 18 *c.* 4. & Anſelmum Epiſcop. Havelbergenſ. *Dialog. l.* 3. *c.* 12. Eckbertus Schonavienſis contra *Catharos ſerm.* 1. idem feſtum à Catharis ſui temporis, *Maliſola* appellatum tradit. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macrum *Hierolex.* In Eccleſia Græca quid propriè ſit Βῆμα, vide infrà in voce *Cancelli*, alibique paſſim, inprimis in voce *Presbyterium*, it. *Sacrarium*, *Tamaca.* Pars nempe Templi ſacratior, in qua ſolis Presbyteris conſiſtendi & Sacra obeundi jus eſt. Unde illi οἱ ἔσω τοῦ βήματος dicti *Gregorio Nazianzeno*, uti obſervavit Car. du Freſne *in Deſcr. Ædis Sophianæ num.* 49. in quam etiam ſententiam Euſtathius Presbyter in *Vita* Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani *num.* 99. ὅσοι τοῦ βήματος καὶ ὅσοι τοῦ ναοῦ, dixit, Presbyterorum & aliorum Clericorum duplicem ſtatuens ordinem, nempe eorum *qui in Bemate*, & eorum, qui *inferius* conſiſterent. In eo duas menſas ad uſum ſacrum collocari conſueviſſe, dicemus infrà voce *Protheſis.*

BEMARCHIUS, Cæſarienſis Cappadociæ Sophiſta, ſcripſit *res geſtas Conſtantini Principis libris* 10. præterea *declamationes quaſdam*, & *orationes. Suidas.* Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 17.

BEMARINA, provinc. Americæ Septentrionalis in Florida regione ſub Rege Apalatii, ubi urbs *Melilot* regni caput.

BEMBINA, vicus Nemeæ. *Steph.* Unde *Nemeæus Leo*; à Poëtis *Bembinates bellua* dicebatur. Panyaſis Ἡρακλείας *l.* 1.

Δέρμα τε Θηρὸς Βεμβινήταο λέοντος.

BEMBUS Petrus, Cardinalis, ſcriptis editis proſâ verſuque celebris. Venetus nobilis. Obiit A. C. 1547. Genebr. *in Chron.* & Joh. de la Caſa, *in ejus vita.* Vide quoque *les Eloges* Antonii Teiſſier, *Vol.* 1. & 2.

BEMOLLIS, è clavibus, ut vocant, Muſicæ una: vulgò *Bemol*, cui *Bedurum* ſeu B. quadratum opponitur. Ab hac ſemper incipere Hibernos, & in eandem redire, tradunt Joh. Bromptonus *in Henrico II.* &c. Sylveſter Giraldus *Topogr. Hiberniæ diſt.* 3. *c.* 11. & *Itinerar. Cambriæ c.* 13. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

BEN, viri nomen, 1. Paral. *c.* 15. *v.* 18. Latinè *filius ædificans*, vel *intelligens.*

BEN-ABINADAB, unus præfectorum annonæ Solomonis 1. Reg. *c.* 4. *v.* 11. Latinè *filius patris ſpontanei*, aut *filius patris voventis*, aut *principis.*

BEN-CUZIBA, vide *Bencochab.*

BEN-ELEBRI Gregorius, vide *Gregorius.*

BEN-SIRA Rabbinus celebris, quem cum Siracide malè confundit Rabbi David Ganz, uti docet Voſſius *ad Chronol. ejus p.* 254.

BENA, regnum Africæ cum oppido cognomine in Nigritarum regione prope Gunalam fluv. verſus Guineam & regnum Melli. *P. du Val.* Aliis *Beria.*

BENA, oppid. Pedemontii, aliàs municum, prope fluv. Tanarum. 5. milliar. à Claraſco.

BENACUS, Plinio, *l.* 2. *c.* 103. *Benacus*, *Ptolemæo* Italiæ lacus in Lombardia Transpadana; ab oppid. Garda, ei adjacente in agro Veronenſi, *Lago di Garda*, Italicè, *Gardſee* Germanicè nominatur, uti referunt *Leander* & *Tſchudus*, quorum prior quoque *Benacum* urbem (unde lacui nomen) hôc tractu olim fuiſſe refert: cujus hodie veſtigia cernuntur in pago *Tuſculano* vulgò dicto, qui vicus eſt agri Brixiani, in ora occidentali Benaci lacus inter Salodium & Garniacum. *Benacenſium* meminit quædam *antiqua Inſcriptio*, in *Orthographia* Aldi. Fuit autem lacus non procul à Brixia Venetorum oppid. aureas arenas volvens, & piſces nutriens, quos indigenæ *Carpiones* vocant, nuſquam alibi repertos. Ex hoc Mincius fluv. excurrit in Padum. Situs eſt autem in agro Veronenſi inter arctas montium fauces, adeò ut inter illos impetu coacti venti lacum more maris exagitent. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 159.

Anne lacus tantos, te Lari maxime, teque
Fluctibus & fremitu aſſurgens Benace marino.

Claudian. *Epigram.* 29. *de ſene Veronenſi*, *v.* 17.

Proxima cui nigri Verona remotior Indis,
Benacumque putat litora Rubra lacum.

Vide Cluver. *Ital. Ant.* p. 413. Ad 30. milliar. in longum extenditur. *Baudrand.*

BENADAD I. ſeu BEN-ADAD, Rex Syriæ Damaſcenæ III. filius Tabremo, Aſam Judæ Regem contra Baëſam, Regem Iſraëlis juvit, cum 32 Regulis vicinis obſedit Samariam, unde, poſtquam duras nimis conditiones Achabo propoſuiſſet, ab hoc depulſus; annò poſt iterum cæſis 100000. ſuorum amiſſis, veniam petiit. Quam cùm Achabus, contra Dei mandatum, indulſiſſet, ab eodem occiſus eſt in prælio. A. M. 3138. 1. Reg. *c.* 15. & 20. Latinè *filius ſonitus*, aut *clamoris*, vel *dilecti*, vel *patrui*, vel *mamillæ.* Idem Joſepho *Ader*, *Jud. Antiq. l.* 9. *c.* 2. Ruffino *Adezer*, Juſtino *Ador* ſeu *Adores*, *l.* 36. *c.* 2. juxta Hazaëlem ſucceſſorem ſuum (à quo panni humectati injectu, ſuffocatus eſt) divinis honoribus à Syris poſt obitum, excultus, ut dicemus infrà voce *Hazael.* Plura apud Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec.* XIII. ubi *de Regibus Damaſci*, nec non ſuprà vocibus *Adad*, *Adades*, *Ader.*

BENADAD II. fil. Hazaëlis, qui ſub Joachaſo Rege Iſraëlitas exercuit, 2. Reg. *c.* 13. Salian. & Torniel. *in Annal.*

BENAJA, ſub Davide, Dux prætorianæ cohortis; Imperator exercitus poſteà evaſit ſub Salomone, in locum Joabi ſuffectus. Nempe Cerethæis & Pelethæis, i. e. Regiis ſtipatoribus primò præerat, 2. Sam. *c.* 8. *v.* 8. Ejus fortitudo commendatur, 2. Sam. *c.* 23. *v.* 20. *Et Benaja, filius Jojadæ ---- percuſſit duos Ariel Moab*, i. e. de verbo, duos leones Moab, h. e. principes & viros fortes ex hac gente: quâ notione apud Orientales vocem *Ariel* ſummi & præclaros principeſque, viros eâ indigitari, ex Arabiſmo docet Bochart. uti ſuprà vidimus. Sequitur, *Et ille deſcendit, & leonem percuſſit in media fovea die nivis.* En aliud ejus facinus! Nempe Leo, nive ingruente, in antrum profundius deſcenderat, cujus umbrâ adverſus aëris inclementiam ſe tueretur: qua ipſa de cauſa in idem antrum aliquanto pòſt ingreſſus *Benaja*, in leonem ex improviſo incidit & obluctantem peremit. Ne virum eximium tam fuiſſe temerarium credamus & vitæ ſuæ prodigum, aut tam futilem virium ſuarum oſtentatorem, ut ultrò cum leone includi voluerit & aleam pugnæ ſubire, quod Rabbi Levi contendit &c. Cum quo *Benaja* facinore conferri queat facinus Alexandri M. qui leonem raræ magnitudinis in ſe incurrentem non excepit modò, ſed & unô vulnere occidit, apud Curtium *l.* 8. *ferè initiô.* Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 4.

BENAO, locus Galliæ, in Santonibus, prope Surgerias, vulgò *Benon*: inter titulos Tremolliæ Ducis, qui præter alia, Vallis Montis Fortis, Ciſmarum, *Benaonis*, Taliaburgi & Jonvellæ Comes, dicitur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Turris Talemundi.*

BENAVARIUM, oppid. Aragoniæ, in limite Catalauniæ, in Comitatu Ripagoniæ, 6. leuc. à Barbaſtro, in ortum.

BENAVIDII, quod nomen illuſtris in Hiſpania Familiæ eſt, originem ſuam referunt ad Joh. Alfonſum Dn. *de Benavides*, filium naturalem Alfonſi VII. Regis, Patrem Petri Alfonſi *de Benavides*: qui cum onere ſuſcipiendi nominis hæredem inſtituit conſobrinum Mendum Rodericum *de Viedma*, Diaſii Sancti filium, Roderici Inici Domini *de los Molinares* nepotem, familiâ *de Viedma* ex Gallæcia in Andaluziam tranſlatâ ſatum. Hic pater fuit Diaſii Sancti Benavidii Dn. *de Santiſtevan del Puerto*: cujus duo filii totidem lineas dedêre. Primus enim Mendus *Rodriguez*, genuit Diaſium Sanctium, primum Comitem *de Santiſtevan del Puerto* & reliquorum Auctorem, quibus, ob matrimonium Franciſci II. cum Iſabella *de la Cueva Dn. de Solera*, tituli *de la Cueva*, acceſſit ut & *de las Navas*, ex matrimonio Didaci, horum filii, cum Leonora Toletana, filiâ Petri Davila, Marchion. *de las Navas*, unde his genitus Franciſcus III. his uſus eſt titulis, *de Benavides & la Cueva C. Sancti Stephani del Puerto Dn. de las Navas Caſtellar & Solera.* Alter Manuel Dn. *de Jabalquinto*, exque hæreditate alterius fratris Gomeſii, *de Flomeſta*, exſtitit: Pater Gomeſii I. *de Flomeſta*, Johannis Dn. *de Jabalquinto*, cujus poſteri dignitate Marchionum exornati ſunt: & Sancii Dn. *de Calmena & Almuman* in provinc. Guadicenſi. E quibus Gomeſiô I. natus eſt Franciſcus, pater Gomeſii II. qui filium habuit Ludovicum I. à patre & avo Caſtellæ Mareſcallum: Quô genitus Hieronymus, Marchionis de *Flomeſta* axiomate exornatus A. C. 1559. ex Anna Maria *de Zuniga & Bazan*, ſuſcepit Ludovicum II. patrem, ex Angela Corteſia, Hieronymi M. *de Flomeſta*, Ludovici (uxor. Anna filia Ludovici *Camillo de Toledo March. de Caracena*) & Mariæ Monialis, qui hôc ſeculô floruerunt. Vide Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. tom.* 2.

BENA-

BENAVIDIUS, vide *Marcus Mantua*.

BENCIUS Franciſcus, Tuſcus, Mureti diſcipulus, proſâ & verſu clarus: Jeſuita unde factus *Franciſci* prænomen aſſumſit, ac Poeſeos gloriam hunc Ordinem intulit. Scripſit *Poema Heroicum*, *Orationum ac Poematum volumina duo*, *Ergaſtum*, *Philotimum*, *Martyres è Soc. Jeſu in India*, & *Annuarum Litterar. de rebus Societatis tomos IV. Biblioth. Jeſuit. Scaligeriana*, Anton. Teiſſier *les Eloges des H. S. Volum.* 2. Obiit A. C. 1594. ætat. circiter 50. Vide & *Stradam Burſatum, Baronium*.

BENCOCHAB, ſe Meſſiam jactans, ſedem Regiam in urbe Bitera locavit, magnâ ſectatorum turbâ, qui contra Adrianum Imperatorem circumciſionem prohibentem inſurrexêre, ſtipatus. Cui etiam adhæſit Rabbi Akibha præcellenter eruditus, 24000. diſcipulorum ſub ſe habens, qui palam vociferatus eſt, *Hic Rex eſt ille Meſſias*. Sed facto ab Imperatore oppreſſus, cæſis 50. hominum myriadibus, A. C. 135. ac mandatum, ne cui Judæo in Hieroſolymam introire porrò liceret. Oroſ. *l.* 7. *c.* 8. Dion. *l.* 96. Buxtorf. *in Synag.* Dictus is fuit [illegible] *Filius ſtellæ*, ob vaticinium Bilhami de Meſſia, Numer. *c.* 24. *v.* 17. *Procedit ſtella ex Jacob.* ubi verò Judæi obſervârunt, ipſum eſſe Pſeudo-Chriſtum, impoſuerunt illi nomen [illegible] *Filius mendacii*. Voſſius *Obſervation ad Chronol. Rabbi Davidis Ganz, ad ann.* 880. Vide & *Barchochebas*.

BENDA, urbs olim Macedoniæ, in Albania, nunc in ruinis. Tractus adjacens nomen retinet. Sub Turcis.

BENDARMASSINA, urbs Aſiæ, in parte Auſtrali Inſul. Borneo, in mari Indico, ad oſtia Paccadani fluv.

BENDECAR, præfectus annonæ domus Salomonis in Mahanaim. 1. Regum *c.* 4. *v.* 8.

BENEDIDIUM Templum, memoratur Livio *l.* 38 *c.* 41. *Romanorum primum agmen extra ſaltum, circa Templum Bendidium, caſtra loco aperto poſuit.* Ubi Turnebus, *Bendis*, inquit, ut ſcribit *Heſychius*, linguâ Thracum Diana appellatur; unde & *Bendidia* ejus feriæ Athenis dictæ. Vide *Bendis*.

BENDIS, linguâ Thracum *Diana* dicitur. Per Βένδιν autem intelligi terram, oſtendunt hæc verba *Heſychii*, Μεγάλην θεὰν, Ἀριστοφάνης [illegible] Βένδιν, Ὠγυγία [illegible] θεάς. Eandem verò Lunam eſſe auctor eſt Palæphatus, *c.* 32. ubi agit de filiabus Phorcynis, itemque *Suidas*, *Phavorinus*, & ante utrumque *Heſych.* [illegible] Πάρα δ' Ἀθηναίοις ἱερὰ Βενδίδεια. Hæc ſacra Bacchanalibus erant aſſimia. Strabo *l.* 9. [illegible] Celebrabantur autem *Bendidia* in Piræeo, vigeſimâ menſis Thargelionis, ideoque ante Panathenæa, Proclus *l.* 1. *in Timæum*: [illegible] *Nic. Lloydius*.

BENDOCDAR, Sultan Babylonius, legitimô poſſeſſore pulſo, thronum conſcendit. In Chriſtianos ſævus, obſedit Acron, A. C. 1263 vaſtavit Armeniam, obiit A. C. 1277. contra Tartaros pugnaturus. An veneno? Sanut. *l.* 3. *part.* 12. *c.* 6. Haython. *c.* 26.

BENE, urbs Cretæ ſub Gortyne. *Steph.*

BENE Merita, præmiis variis apud varias Gentes decorari conſuevêre, ab omni ævo. Ægyptiis moris erat, ut eorum memoriam ſacris ad poſteros ſymbolis propagarent: Unde beneficiis Joſephi exprimendis ſignum bove nullum magis idoneum judicantes, bovem voluerunt ab à Sacerdotibus ac Populo cum gratâ ejus beneficii commemoratione monſtrari: qui honor cùm civilis primùm eſſet, tandem in divinum, degeneravit, indeque Apis Serapiſque exſculptus eſt, Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 29. Apud Athenienſes, eorum qui de Republ. præclarè eſſent meriti, præmia fuêre, Προεδρία in Theatris, Σίτησις ſeu *Epulum* in Prytaneo; Statuæ, eæque ut plurimum in Foro poſitæ; Monumentum publicè extructum in Ceramico ſuburbano; Coronæ, à Populo aut Senatu collatæ; Excuſatio munerum, demortuorum pro concione Laudatio &c. de quibus vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. l.* 3. *tit.* 6. & *l.* 6. *tit.* 8. Apud Romanos etiam ſtatuis donabantur tales, particulariter verò, effigies eorum ferebatur in pompa Circenſi; nomen item referebatur in hymnos Saliares, quem honorem contigiſſe etiam Mamurio Veturio & Luciæ Volumniæ, legimus apud Varronem *de L. L. l.* 5. & 8. quemadmodum apud Athenienſes præſtantes, nomina Minervæ quoque intexebantur peplo: Unde Viri præſtantes dicti Proverbiô ἄξιοι πέπλου, *digni peplo*, ut videre eſt apud Ariſtoph. *Equit.* Et in honores civiles fuêre: qui, ſicut de Ægyptiis notavimus, apud Gentes prædictas aliaſque, non rarò in heroicos divinoſque abiêre; nec enim alii Heroës vel Dii animales eorum, quàm homines *bene de publico meriti*, fuêre, ut Baruchus jam annotavit, & eruditiſſimè oſtendit Voſſius *de orig. & progr. Idolol. toto librô primô*. Nec omittendæ cantiones, quibus apud Gentes pleraſque, fortium virorum geſta decantari conſuêviſſe legimus: unde, ut de aliis taceam, *Germani*, inquit Tacitus *de mor. Germ. c.* 2. §. 3. *celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt) Tuiſtonem Deum terrâ editum, & filium Mannum, originem gentis conditoreſque.* Idem de Arminio Cheruſcorum Principe *Annal. l.* 2. *c.* 83. *Canitur adhuc apud barbaras gentes*: & Eginhardus de Carolo M. *in ejus vita*, *Barbara & antiquiſſima carmina, quibus veterum Regum actus ac bella canebantur, ſcripſit, memoriæque mandavit.* Quod apud Gothos quoque factitatum eſſe, teſtatur *Jornandes*. E qua origine Magiſtros cantilenarum (*die Meiſterſänger*) qui quamlibet Hiſtoriam ſive ſacram ſive profanam, in rhythmos ac certas carminum leges componunt, illaſque ſuas cantilenas (*die Meiſtergeſänge*) propoſitis brabeis, in publica hominum coronâ, concinere ſolent, morem ſuum hauſiſſe, conjicit Matth. Berneggerus *Quæſt.* 5. *in Tacit. Germ.* & confirmat Joh. Trithemius *in Hiſtor. Francorum*. Vide infrà ubi de iis, inſuper quædam voce *Rhyma*.

BENEARNI, urbis primus meminit *Antonini*, quam Beneharnum vocat, & inter Novempopulaniæ civitates 12. ſeptimô loco ut veteribus Notitiis ponitur. *Benearnâ* urbis Gregorius *l.* 9. *c.* 7. Hujus Epiſcopus Galactorius interfuit Concilio Agathæ indicto A. C. 506. Subiens vero Mariſcanenſi a. In hujus ruinis à Ducibus Vaſconiæ citerioris extructa eſt urbs nova, ab aquarum & fontium vagis curſibus *Laſcurris* primùm, *Laſcurre*, poſt *Laſcar* aut *Leſcar* dicta, quæ in prioris locum, dignitatem, ac jura ſucceſſit. An potius nomen ſolum veteris urbis mutatum? Certè Merula quondam ante an. 850. civitate Benearnenſium everſa, ejus locô, in Vaſconia, ſub Auſcitana Metropoli Epiſcopatum Laſcurrenſem ultimum ponit. Caput eſt pagi cognominis, Gallic. *le Bearn*, aut *le Berne*, longus & latus itinere bidui: diviſus in Superiorem, qui ſaltui Pyrenæo appoſitus, & inferiorem, qui ei ſubjectus eſt. Hic totus Diœceſi Oloronenſi atque Benearnenſi, ſive Laſcurrenſi continetur, conſtans regionibus 6. quas *Parſans*, i. e. partes vocant, Palenſi, Vicenſi, Oloronenſi, Orthezenſi, Navarrenſi & Morlanenſi: *Bearnum* ante 500. annos dici cœpit. Olim Comitatus, cujus Vicecomites Comitatum etiam Bigerronum obtinuêre, & Regibus nunc Anglorum, nunc Francorum, Aquitaniæ Ducatum poſſidentibus, fidem promittere ac militare conſueverat. Gaſtonem de Berna memorat Nicolaus Trivetus A. C. 1274. qui cum reſte circa collum in Angliam veniens ab Eduardo delictorum veniam impetravit. Sed de pago hoc, vide infrà in *Benearnia*. Cujus gentis autem caput olim fuerit Benearnorum civitas, ignoratur; quod etiam J. Cæſaris Precianos vel Preciannos Sanſoni in Benearnos mutat, ſomnium eſt. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BENEARNIA, regio Galliæ fertilis & tignea, ſitaad radices Pyrenæorum montium, inter Bigerronum, Lapurdenſium, aliorumque conſinium populorum territoria & agros: cum titulo Principatus: dividiturque in duas partes, quarum una montibus obſita eſt, cujus *Oloronium* eſt Metropolis: altera ab vallibus locisque planioribus occupatur, cujuſque primaria urbs eſt *Bruchariam*, ad Gabarum fluv. alias *Leſcara*, *Merula*, *Morel*. Acceſſit Regno Franciæ, ſub Henrico IV. Hiſtoria ejus ſic habet. Dotis loco dum Galſuindæ, ſorori Reginæ Brunechildis, Gregor. Turonenſ. *l.* 9. *c.* 7. & 20. ſub Ludovico Pio, Vicecomites accepit, A. C. 819. Tranſiit dein in familiam Moncadiorum, Mariâ Vicecomitis Petri unicâ filiâ, fratre Gaſtone, abſque prole mortuo, Gulielmo Moncadio nuptâ, A. C. 1270. Hujus fil. Gaſto, ductâ hærede Eſquibari, Comitis Bigerrenſis, genuit Margaretam, nuptam Rogerio Bernado, Comiti Fuxenſi: Navarra dein ei juncta eſt, nupta Gaſtoni IV. cum Eleonora Navarrica: Hujus nepos Franciſcus Phœbus Rex fuit, cui ſoror Catharina ſucceſſit, ex Johanne Albretano, mater Henrici, cujus filia Johanna, mater Henrici IV. Galliæ Regis Evangelii lucem hiſce regionibus intulit, ubi per 50. annos, durante etiam Henrici regnô & paulo ultrà, inſigniter fulſit. Vide Thuan. *Hiſt.* Joh. de Serres, *Invent. Hiſt. Gall.* &c.

BENEDICITE, verbum in ſalutatione olim apud Albigenſes uſitatum, vide ubi de eorum *Salutandi ritu*.

BENEDICTÆ Memoriæ, vide infrà *Exequiæ*.

BENEDICTI Johannes, vide *Johannes*.

BENEDICTIO, in V. Teſtam. elevatis manibus fiebat, uti legimus Levit. *c.* 9. *v.* 22. *Tum attollens Aharon manus ſuas verſus populum benedixit eis.* Et quidem Pontifex ſolennem in modum in Templo, in anniverſario ſacro, expreſſa cum nuncupatione ſacratiſſimi nominis, juxta formulam Numer. *c.* 6. *v.* 23. 24. 25. 26. cùm extra Terram ſanctam in cognomine ſolùm Dei, *benedictiones* ac preces Eccleſiaſticas concipere fas eſſet, nec extra Templum ſacro Dei nomine facilè uterentur. Ordinariam verò *benedictionem* etiam gregarii Sacerdotes peragebant. Numer. *c. cit. v.* 23. *Alloquere Aaronem & filios ejus, dicendo: Sic benedicetote filiis Iſraëlis, dicendo eis: Benedicat tibi Jehova & cuſtodiat te: Faciat Jehova, ut lucere faciat faciem ſuam tibi & gratiam faciat tibi: Attollat Jehova faciem ſuam erga te & apponat tibi pacem. Et imponentes nomen filiis Iſraëlis, invocabunt nomen meum: & ego benedicam eis.* Uti namque Pontifici & reliquis Sacerdotibus commune erat ſacrificia offerre & odoramenta adolere; ſic & nomine Dei *Populo benedicere*: exceptô quotannis die Expiationum, quô ipſe Pontifex omnia ſacra, etiam quæ dies illius propria non erant, ſolus obibat &c. Significabatur autem *Benedictione* hâc divini auxilii imprecatio, uti diſcimus ex Exod. *c.* 8. *v.* 9. In N. Teſtam. Dominus noſter, aſcenſurus in cœlum, ſimiliter *elevatis manibus ſuis benedixit* Apoſtolis, Lucæ *c.* 24. *v.* 50. Neque aliter *Benedictionem* dedêre primi Chriſtiani, quàm elevatis, ſeu impoſitis manibus. Ambroſ. *de Pœnitentia l.* 1. *c.* 7. *Cum ergo manus imponitis & benedictionis opus creditis.* Et S. Hieronym. *Ep. ad Euſtachium*, *Extende manum, ut benedicere eos poteſt, ſi neſcias, pretio accipiunt ſalutandi &c.* Acceſſit ſequiori ævô crucis ſignum, quod eâdem, quam extendebant manu, deducere conſuevêre, &c. Itaque *benedictioni* occurrentium Epiſcoporum capita ſubmittere moris fuit, uti ex Theodoreti *Hiſtor. l.* 4. *c.* 5. & Evagrii *l.* 4. *c.* 34. probat Henr. Valeſ. laudatus Carolo du Freſne in *Gloſſar.* à quo varia *Benedictionum* genera, in Eccleſia maximè Romana uſitata, hic propter curioſitatem paucis ſubnectere viſum eſt: de quarum pleriſque quid ſentiendum, vide apud A. Rivetum, *Summæ controv. Tract.* 2. *Quæſt.* 17. In eadem Eccleſia, *Benedici* dicuntur Novitii in Monaſteriis, cùm expletô *Novitiatu*, ut ajunt, tempore, vota emittunt, in *Regula* Fructuoſi *c.* 21. apud Udalricum in *Conſuetud. Cluniac. l.* 2. *c.* 27. alibique paſſim, Car. du Freſne *Gloſſar.* Hinc *Benedictionalis* Liber, nomen in eadem Communione libri eſt Eccleſiaſtici, in quo *Benedictionum*, quæ ab Epiſcopis & Sacerdotibus fiunt, formulæ continentur: Cujuſmodi eſt *Benedictionalis Gregorii M.* quem ex Codice Cæſareo deſcripſit Petrus Lambecius *Commentar. de Bibl.*

Biblioth. Caſ. c. 5. Vide eundem Car. du Freſne & Macros, ubi ſuprà. Contrà *Benedictione* privari; apud Monachos ſpecies pœnæ fuit, minor tamen excommunicatione: quâ afficiebantur rei, dum tenebantur recedere, antequam Monachus illam ex more ſoluto Abbas impertiret. Vide Anonymum ... , apud Baſilium M. *min.* 5. 37. ubi, qui hâc pœnâ mulctabantur, ἀνευλογίαν dicitur, &c. de *Benedictione* verò Græcis uſitata ſuprà voce *Agiaſmus*.

Varia Benedictionum genera, in Eccleſia maximè Romana uſitata.

Benedictio Abbatum, quæ fit ab Epiſcopo, & unicâ oratione concluditur, memoratur, in *Pontificali* MS. Eccleſiæ Senonenſis.

Benedictio Aquæ, vide ſuprà.

Benedictio Beatica, quæ alias *Viaticum*, ægrotis pœnitentibus conferri ſolita, Concil. Barcin. c. 9.

Benedictio, quando ad Bellum contra hoſtes itur. Item, quando contra paganos eſt pugnandum.

Benedictio Calicis, in *Monaſtico* Anglic. *Tom. II.*

Benedictio Cereorum, apud Anaſtaſium Biblioth. in S. *Donuſo.*

Benedictio Ciborum, vide infrà *Benedictio Menſæ*, item ubi de ritu *Orandi ad Menſam*.

Benedictio Clericorum, in Concilio Aurelian. III. c. 7. Vide quoque infrà *Capillus*.

Benedictio Cœmeteriorum, apud Monachum Pegavienſem *A. C.* 1091.

Benedictio Coronæ, vide infrà *Corona*.

Benedictio Crucis.

Benedictio Diaconalis, ordinatio Diaconi, quam deſcripſit Jac. Petitus poſt *Pœnitent. Theodori* p. 284.

Benedictiones de ſingulis Dominicis & Feſtis.

Benedictio Do[illegible], *Sacram.* Gregor.

Benedictio Epiſcoporum ſeu Conſecratio, apud Gregorium Turonenſ. *Hiſtor. l.* 8. *c.* 20. Vide Petitum ubi ſuprà.

Benedictio Fabæ, apud Anaſtaſium in *Eutychiano*. Fabæ novæ, apud Bernardum Mon. in *Conſuetud. Cluniac. c.* 20.

Benedictio Florum.

Benedictio Fontis cujuſvis.

Benedictio ſuper Fruges novas, apud *Anaſtaſ.*

Benedictio pro Iter agentibus.

Benedictiones Judiciorum, inter obventiones Eccleſ. recenſentur, in *Charta* A. C. 1226. apud Roverium in *Reomao*, quod de *Judiciis divinis ſeu purgationibus vulgaribus* intelligendum, in quibus *Ferrum candens*, *Aquæ ferventes* &c. à Sacerdote priùs benedicebantur, antequam accuſati ad hujuſmodi judicia deſcenderent.

Benedictio Lactis & Mellis, pro Catechumenis, apud Cardin. Bonam *Rerum Liturgic. l.* 2. *c.* 14.

Benedictio Lecti nuptialis, vide infrà.

Benedictio Lectionum, apud Enalonem in *Vita* S. Hugonis Abbatis Cluniac. *n.* 12.

Benedictio Menſæ, apud omnes Chriſtianos, imò & apud Paganos, in uſu fuit. Extat apud Alcuinum *Poëm.* 146. formula. Vide infrà in voce *Menſa*.

Benedictio Nuptialis. Vide infrà, voce *Horologia*, item ubi de *Nuptiis*.

Benedictio Olei ad infirmum.

Benedictio in die Ordinationis Epiſcopi.

Benedictio Palmarum & Florum, in Dominica Paſſionis, apud Lanfrancum pro *Ord. S. Benedict. p.* 260.

Benedictio Panis, in *Sacram.* Gregorii M.

Benedictio Peræ peregrinorum, vide infrà *Pera*.

Benedictio ſuper Plebem, à ſolo dabatur Epiſcopo, in Miſſa, poſt Dominicam orationem & ante Communionem. Finitâ enim oratione Dominicâ poſtquàm Diaconus dixiſſet, *Humiliate vos ad benedictionem*; Populuſque reſpondiſſet, *Deo gratias*: Tum Epiſcopus dicebat, *Benedicat vos omnipotens Dominus* &c. Inde incipiens partem panis conſecrati addebat, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*. Vide Menardum *ad libr. Sacrament. Gregorii Magni p.* 27. Præter hanc aliæ fuit, quæ dabatur in fine Miſſæ, à quovis Sacerdote facta faciente, antequam Populus, è Miſſa, vetatur diſcedere, *can.* 47. Concil. Agath.

Benedictio Pœnitentiæ, in Concilio Barcinon. A. C. 599. *can.* 4.

Benedictio Presbyteratus, vide Jac. Petitum *poſt Pœnitentiale Theodori p.* 284.

Benedictio Putei novi.

Benedictio Regis, i. e. coronatio, Gall. *Sacre du Roy*, in *Ep.* Sylveſtri II. ad Arnulfum Archiepiſcopum Remenſ. Vide *Coronationes* Regias *Tom. II. Oper.* Hincmari, *p.* 741. *& ſeqq.* apud Steph. Baluzium *in nupera Capitular. Edit.*

Benedictio Regularis, quæ videl. ab Abbate ſumitur, in *Chron.* Abbatiæ S. Michaëlis Virdun.

Benedictio in Sabbato, quando Albas deponunt.

Benedictio Sacerdotalis, in *Capitul.* Caroli M. *l.* 2. *c.* 71.

Benedictio Salis.

Benedictio Solemnis, ſecundùm *Gloſſam in Clement. de privil. c.* 1. §. *Benedic.* eſt illa, cùm Epiſcopus dicit, *Sit nomen Domini benedictum*, apud Macrum in *Hierolex.*

Benedictio Sponſalium. Vide infrà.

Benedictio in Synodi expletione.

Benedictio pro Tribulatione quālibet.

Benedictio Velaminis capitis Monacharum, Anaſtas. Biblioth. in S. *Leone.*

Benedictio Virginum velatarum, ab Epiſcopo dicenda, in *Pontificali* MS. Senon. alibique.

Benedictio Uvæ ſive Fabæ. Anaſtaſius Bibliothec. *in S. Eutychiano*, *Hic conſtituit, ut fruges ſuper altare tantum, faba & uva benedicerentur* &c. Alias *Benedictiones* ex Codice Eccleſiæ Rotomag. deſcripſit Jac. Petitus *lib. cit.* ſcil. *in ordinatione Presbyteri, Epiſcopi, Diaconi poſt Confirmationem, Sponſi & Sponſa, pro Defunctis, Abbatis, Monacharum, Veſtium Virginis, Veſtis Viduæ & Viduæ*, Quibus omnibus addatur, quod de *Benedictionibus*, ab Epiſcopis fieri ſolitis, habet Gillebertus Lunicenſ. Epiſcop. *de Uſu Eccleſ. Benedicere autem dico Præſulem, ea quæ non ſunt utenſilia Eccleſiæ, conſervare verò ipſa utenſilia. Benedicit ergo Pontifex Reginam & Virginem cum velatur, & quemlibet fidelem benedici poſtulantem, & totum Populum ante Pacem. Benedicit etiam ſupra memorata, quæ non licet Sacerdoti, in ejus præſentia.* Quæ autem benedicantur à Sacerdote præſente Epiſcopô, ita paulo antè recenſet: *Benedicere poteſt, præſente Epiſcopô, aquam & ſal in Dominicis Sacerdos & prandium & Sponſum & aquam Judicii, vel panem, & cætera. In abſentia verò Epiſcopi poteſt benedicere coronam Clerici, & velum viduæ, novos fructus, candelas in Purificatione S. Mariæ, cineres in capite jejunii, ramos in Dominico Palmarum, & peregrinaturos, & lecturum Evangelium & populum, cùm dimittitur, aquam benedictam aſpergit ad benedicendas domos novas & cætera nova.* Nec omittenda.

Benedictio in Auro, cujus meminit Anaſtaſius ſæpius laudatus in *Canone Pontif. Hic dimiſit omni Clero ac Monaſteriis benedictionem in auro, ſicut prædeceſſor ejus Benedictus P. P.* Et in *Benedicto II. Hic dimiſit omni clero, Monaſteriis, Diaconiis & Manſionariis auri libras triginta*: munus eſt in pecunia numerata erogatum. Quâ notione εὐλογίας χρύσεας, *benedictiones aureæ*, occurrunt, apud Theophanem, anno 40. Theodoſ. Junioris. Item,

Benedictio Panis & Vini, de qua apud Auctorem *Vitæ* Ludovici Pii *A. C.* 816. *Et benedictione panis ac vini ſimul* (cum Stephano Pontifice Romano) *participatâ Imperator ad civitatem redit.* Item in *Hiſtoria* Tranſlat. S. Gregorii c. 21. *Mox enim, ut benedictio miſſa eſt, panis videlicet, caſei ac vini, confeſtim ſumsi cibô ...... in priſtinum robur convaluit.* Sic Adelelmus Sagienſ. *de Mirac.* S. Opportunæ c. 5. *Sumtoque benedictionis pane ad hoſpitium perrexit.* &c. Vide Car. du Freſne *l. c.* & Macros Fratres in *Hierolex.*

BENEDICTIONES, Eulogiæ, munera: maximè ea xenia, quæ à Sacerdotibus & Clericis mitti ſolebant, ab iis *benedictione* ſuâ conſecrata, apud Deſiderium Epiſc. Cadurc. *Hiſtor. Franc. Tom. I. p.* 875. aliosque paſſim. Item paſtus extraordinarii Monachis exhibiti, certis ac ſolennibus diebus, quos *Caritates* quoque appellabant, vide infrà *Caritas*. Etiam Canticum trium puerorum, ſic incipiens: *Benedicite omnia opera Domini*, quod ante *Laudes*, in Eccleſia Romana decantatur, die illuceſcente. Vide Gregor. Turonenſem *de Vitis Patrum c.* 6. Quô ſenſu Græci Εὐλογητάρια vocant certos modulos, quos decantant in exequiis mortuorum, quòd hæc verba, Εὐλογητὸς εἶ Κύριε, *Benedictus es Domine*, ſæpius repetant, ut auctor eſt Goarus *ad Euchologium*, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Vide quoque in *Hierolex.* Macros Fratres, & infrà in voce *Eulogia*.

BENEDICTUS, non proprium olim, ſed appellativum nomen, atque adeò ſynonymum nominis *Chriſtiani* fuit. Sidonius Apollin. *l.* 7. *c.* 9. Benedictus *Simplicius hactenus veſter, jamque ab hinc noſter (modo per vos Deus annuat) habendus ordinis comes.* Paulinus *Ep.* 9. *Alius libellus ex his eſt, quem ad* Benedictum, *id eſt, Chriſtianum virum, amicum meum Endelechium ſcripſiſſe videor* &c. apud Macrum *Hierolex.* in voce *Chriſtianus*.

PONTIFICES ROMANI.

BENEDICTUS I. Evagrio, *l.* 5. *c.* 16. Benoſus, ſucceſſit Johanni III. A. C. 573. Cujus tempore Roma fame & incurſionibus Longobardorum afflicta. Supereſt *epiſtola* ejus *ad Davidem Epiſcopum Hiſpaniæ*, de SS. Trinitate agens. Obiit A. C. 577. Succeſſit ei Pelagius II. *Anaſtaſius Biblioth.*

BENEDICTUS II. poſt Leonem II. Papa, A. C. 684. natione Romanus, fil. Johannis, in S. Scripturæ lectione egregiè ſubactus. Cujus ſanctitate permotus Conſtantinus Pogonatus, clero Romano pecuniam pro ordinatione Pontificis, Auguſtæ poteſtati debitam, remiſit, veniamque conceſſit Pontifices eligendi, non rogatô Imperatore vel Exarchô. Obiit 8. menſe Epiſcopatus. Beda, Ado, Onuphrius, Sigebert. & Genebr. *in Chron.*

BENEDICTUS III. Romanus, fil. Petri, A. C. 856. Johanni VIII. tactus prius prudenti cautelâ viribus, Morn. *in myſter. p.* 371. *Laon. Chalcond.* ſucceſſit. Antipapam Anaſtaſium patienter tulit. Obiit A. C. 858. Baron. Anaſtaſ. *in vita ejus. Duæ ejus epiſtolæ habentur, una ad Hincmarum, Archiepiſcopum Remenſem, altera ad Galliæ Epiſcopos.*

BENEDICTUS IV. Romanus fil. Mammoli, Papa, poſt Johannem IX. vel potiùs X. aliquot ſaltem menſibus ſedit, A. C. 905. vixit ſeculô depravatiſſimô. Charitate in pauperes clarus. Volaterran. *in Chron.* Platina *in vita ejus.*

BENEDICTUS V. poſt Johannem XIII. hominem ſceleratiſſimum, Papa, tempore ſchiſmatis, ab Ottone I. excitati, ſuffectô Leone VIII. qui etiam urbe fame captâ, Papam Hamburgum miſit, ubi obiit A. C. 965. annô poſt electionem, Ditmar. *l.* 3. *Chron.* Adam de Bremen. *l.* 2. *c.* 6.

BENEDICTUS VI. Romanus Hildebrandi fil. à Bonifacio Francone in carcerem conjectus, ibique ſtrangulatus, per Cinthium quendam, hominem admodum potentem, A. C. 974. Pontificatûs 1. cui ipſe hic Bonifacius VII. hujus nominis ſucceſſit. Leo Oſtienſ. *l.* 2. *c.* 4. *Platina*, Onuphr.

BENEDICTUS VII. ex Thuſciæ Epiſcopo Pontifex Romanus, ab A. C. 975. uſque ad A. C. 984. Platina, Ciacconius, *in vita ejus.*

BENEDICTUS VIII. poſt Sergium IV. Papa, à Gregorio Antipapa opem Henrici Imperatoris implorare coactus, ab eo reſtitutus eſt. Saracenos Italiam infeſtantes repreſſit, Græcos in Apulia vicit. Obiit Romæ A. C. 1024. Pontificatûs 12. Poſt mortem nigro caballo inſidens, apparuiſſe dicitur, °orans ut pecunia pauperibus

pro ſe diſtribueretur, Odiloque Abbas pro anima ſua oraret. Purgatorio ſublatum. Platina in vita ejus. Joh. Stella Venetus, Genebr. in Chron. Surius in Odilone, 1. Jan.

BENEDICTUS IX. prius Theophylactus, fil. Alberici, Comitis de Freſcati, poſt Johann. XIX. Papa A. C. 1033. vir probroſus & infamis, ſacris quippe dæmoniorum deditus, aliquoties ſede pulſus, non tamen in melius mutatus eſt. Obiit A. C. 1045. poſt mortem Anachoretæ horribili ſpecie, cui caput & cauda aſinina, corpus urſinum, apparens, Oberro, dixit, quia ſine Lege & ſine Deo, ut beſtia vixi. Platina in vita ejus. Onuphr. Sigebert. Trithem. Genebrardus in Chron. Sub eo Cardinalium nomen ex parvis initiis ſuboriri cœpit: errores & fœda vita paſſim per Clerum divagata.

BENEDICTUS X. Antipapa, nomine Johannes Mincius, ceſſit mox Nicolao II. A. C. 1059.

BENEDICTUS XI. alias Nicolaus Bocaſinus, fil. opilionis, ex Marca Treviſana, ſucceſſit Bonifacio VIII. A. C. 1303. cujus Bullas contra Philippum Gall. Regem Galloſque irritas reddidit, Columnatorum condemnationem reſcidit, Tartaris ad Syriam occupandam auxilia ſubmiſſurus 98. menſe poſt electionem Peruſii veneno ficu extinctus obiit. Matrem ſplendidis veſtibus ornatam agnoſcere noluit, in Eccleſiam Mediolanenſem & Petrum Veroneſem martyrem liberalis. Joh. Baleus in Bened. IX. Bzovius, Spondan. &c.

BENEDICTUS XII. alias Jac. du Four, molitoris fil. aſtantibus, ſcitè, dicebat, feciſtis, qui aſinum elegeritis. Johanni XXII. ſucceſſit, decreta Prædeceſſoris contra Ludovicum Bavarum confirmavit, Cameram pœnitentiariam excogitavit, in propinquos parum liberalis. Cardinales 6. tantùm creavit, rogatus cur non plures, reſpondit, Feciſſem, ſi novum mundum creare poſſem; qui enim eſt, iis qui jam ſunt, ſatis non eſt. Jac. Revius, in Hiſt. Pap. Obiit A. C. 1342. Pontificatûs 7. Boſquetus, in ejus vita. Genebr. in Chronicis. Henriquez, de Ciſtercienſibus.

BENEDICTUS XIII. Antipapa, Clementi VII. Avenione ſucceſſit, eâ lege, ut unionem quæreret. Creatus eluſit omnia: Edictò Rex Galliæ cavit vetuit, alterutrum pro Pontifice agnoſcere, quod triennium valuit, & ſactis Papæ eclipſin Gallia tulit. Papa hic Concilio Conſtantienſi depoſitus, cùm ſe fermè ab omnibus deſertum videret, Peniſcolam, urbeculam Valentiæ regni conceſſit, ubi cùm 90. ann. in ſchiſmate vixiſſet, & paucos illos Cardinales, quos adhuc totum habebat, coëgiſſet, Ægidium Arragonium, Papam creari, Clementem VIII. dictum, obiit A. C. 1424. Dictus Petrus de Luna, Arragon. Onuphr. Genebrardus, in Chron. Oderic. Reinaldus in Annal.

BENEDICTUS, patriâ Nurſinus, primò Sublacum ſeceſſit, ubi ordinem monachorum inſtituit in Italia, alii tamen in monte Caſſino, ubi priùs Apollinis Oraculum erat id feciſſe narrant, quem anteà Baſilius in Oriente conſtituerat. Deinde cùm à frequentibus adiretur, vitandæ gloriæ causâ Caſſinum venit, A. C. 529. ubi etiam ſepultus eſt cum Scholaſtica ſorore, imperante Juſtiniano ſeniore. Ejus familia procedente tempore crevit in immenſum, abiitque in plures familias, videl. Cluniacenſes, Camaldulenſes, Valliſumbrenſes, Montolivetenſes, Grandimontenſes, Sylveſtrenſes, qui Humiliatorum cognomen tenent, Cœleſtinos, S. Juſtinæ, & Eremitanos. D. Hieronym. Polyd. Verg. de Inv. Rer. l. 7. c. 7 Trithem. de hom. illuſtr. Azor. l. 12. inſt. mor. c. 11. Arnolph. Wion, ligni vitæ.

BENEDICTUS Accoltius, Aretinus, Cardinalis, A. C. 1511. ſcripſit Hiſtorica quædam. Alius ejuſdem regionis, Cardinalis, A. C. 1527. Poëta Lil. Girald. Voſſ. Hiſt. Lat. l. 3. c. 7.

BENEDICTUS Arias Montanus, Antiquitates Judæorum, & Mathem. quædam ſcripſit. Moret. Dictionar. Fuit Hiſpanus, ex urbe Hiſpali. Ejus extant Apparatus in S. Biblia, Commentar. in Joſuam, in Judices, in Eſajam, in Danielem, in 12. Prophetas minores, Elucidationes in Pſalm. 24. prior. in 4. Evangelia & Acta, ut & in omnes Epiſtolas, ac Apocalypſin: Hiſtoria generis humani, Hiſtoria Naturæ, &c. Obiit A. C. 198 ætat. 71. Hiſpali. Vir totô Orbe celeberrimus, qui Bibliis Regiis Antverpiæ præfuit, Gomaro, linguæ Sanctæ apprimè peritus, & ſummè pius, Mon. lit. ex Thuano. Sed de quo Poſſevinus, ita in Appar. Sacro, corrigenda in eo ſunt pleraque tam in Commentariis ſuis in Eſajam, & Commen. Prophet. Min. quam in Elucidationibus in quatuor Evangelia & Acta Apoſtolorum & in omnia Apoſtolorum ſcripta ac in Apoc. nec non in libro generationis ac regenerationis Adam, Poſſevinus in Appendice. Vide quoque Montanus Arias.

BENEDICTUS Bordonius, Patavinus, Geographus. Obiit A. C. 1531. Leand. deſcr. Ital.

BENEDICTUS Caietanus, Cardinalis Cœleſtino V. contra Carolum Neapolitanum Regem favit, A. C. 1293.

BENEDICTUS Carpzovius, ex Marchia Brandeburgica, fil. Simonis Conſulis, Juriſconſultus eximius, Wittenbergæ in Jureconſ. Collegium cooptatus A. C. 1591. ibi Inſtitutiones primo, A. C. 1599. dein Digeſtum Infortiatum & novum, A. C. 1601. docere cœpit. Poſt quæ Dreſdam evocatus à Sophia Chriſtiani I. Elect. vidua, Cancellarium ejus, inde Chriſtiani II. Electoris Conſiliarium in Cauſis appellationum egit, hujus tamen indulgentiâ Wittenbergam, liberioris quietis ergò, remigrandi veniâ impetratâ. Obiit A. C. 1624. ætat. 59. Pater inter alios Conradi, in Acad. Wittenbergenſi Profeſſ. Conſiſtoriique Sacri & Provincialis Dicaſterii Aſſeſſoris, & Benedicti, ac Joh. Benedicti, de quibus infrà. Vide Paul. Freherum Theatro Viror. Claror.

BENEDICTUS Carpzovius, fil. prioris, JCtus ibidem magni nominis, Scabinatus Lipſienſis Aſſeſſor primùm, tum Dicaſterii ſupremi Provincialis, poſteà Conſiliarius & Electoris in Judicio Appellationum, quod Dreſdæ eſt, Aſſeſſor, per 24. annos; Conſiliarius Electoralis Aulicus dein electus, ad Ordinariatûs Lipſienſis muneris, unàcum Profeſſione Decretalium, Lipſiam rediit. Conſiliarius poſt iſta ſecretus Joh. Georgii I. & Johannis Georgii II. Electorum creatus, iterum Dreſdæ aliquandiu ſubſiſtit, donec cum gratia Principis, ingraveſcente ætate, Lipſiam reverſus eſt, A. C. 1661. à quo tempore, Albo ut vocant Studioſorum, hæc verba, Extra Lipſiam vivere eſt miſerrimè vivere, inſcribere ſolitus eſt. Inde pietatis ſtudiis addictior, Sacrum Codicem, cum Commentariis, diligentiſſimè evolvit, ter & quinquagies Bibliorum lectione à capite ad calcem defunctus, in quæ & proprias meditationes ſcriptò conſignavit. Obiit 3. Kal. Sept. A. C. 1666. ætat. 72. Scripſit Practicam rerum Criminalium, Juriſprudentiam Forenſem Romano-Saxonicam ad Conſtitutiones Electoris Auguſti, Comm. ad L. Regiam Germanorum, Reſponſa Juris Electoralia, opus Definitionum Eccleſiaſt. & Conſiſtorialium, Deciſiones Saxonicas, Proceſſum Juris Saxon. &c. Freherus, ubi ſuprà.

Joh. BENEDICTUS Carpzovius, prioris frater, Theologus celebris, Archidiaconus priùs Lipſienſis in æde Thomana, inde Profeſſioni Theologicæ admotus: Scripſit Diſputationes ſuper examen Concilii Tridentini D. Mart. Chemnitii, Extract. Locorum & ſpecialium Theologiæ Communium, Syſtema Theolog. in uſum Collegiorum & exercitiorum Theologic. Collegium Anti-Papiſticum, Iſagogen in Libros Eccleſiae Lutheranarum Symbolicos &c. Obiit A. C. 1657. ætat. 51. Pater Davidis Benedicti, Johannis Benedicti, Auguſti Benedicti, Samuelis Benedicti & Frider. Benedicti, præter filiam Mart. Geyero S. Linguæ Prof. & Verbi Dei Miniſtro elocatam. Idem ibid.

BENEDICTUS Florentinus, Arithmeticam ſcripſit, Voſſ. de Scient. Mathemat. c. 52. §. 10.

BENEDICTUS Gentianus, Doctor Pariſinus interfuit Concilio Conſtantienſi. A. C. 1415.

BENEDICTUS Herbeſtus, Mathematica quædam edidit, Voſſ. de Scient. Mathem. c. 41. §. 9. & c. 51 §. 14.

BENEDICTUS Joh. Baptiſta, Venetus, Mathematicus celeberrimus, Emanueli Duci Sabaudiæ redditionem Pinaroli & Saviliani, ac filiæ ſuæ ſibique ipſi mortem diu antè prædixit. Scripſit Speculationes Mathematicas & Phyſicas, Reſolutiones Euclidis Problematum, aliaque plura. Obiit Taurini A. C. 1590. ætat. 60. Anton. Teiſſier Eloges Vol. 2.

BENEDICTUS Levita, ſcripſit Capitular. Caroli M. A. C. 819. De hoc ita incertus Scriptor in Elogio, quod præmiſit Pithœus editioni primæ Capitularis Caroli M. Benedictus Moguntiacenſis Eccleſiæ Levita, Capitula quædam Regalia, Synodalia & alia collegit ex iis, quæ in ſcriniis ejuſdem Metropolis reponi fecerat Riculfus Archiepiſcopus, qui Monaſterium S. Albani renovavit & Moguntina Synodo ſub D. Karolo præfuit, & Otgarius ejus conſanguineus & ſecundus poſt Haiſtulphum ſucceſſor, quorum uterque hujuſmodi Capitulorum percurioſus fuit, & erga S. Sedem Rom. valde devotus; adeò ut Otgario etiam Apoſtolicus Gregorius ſuas vices in Germania aliquando commiſerit. Hic Hludovici Imperatoris filiis contra Patrem favit, ſed poſtea reconciliatus eſt, & decedens A. C. DCCC. XLVII. Lotharii Imperatoris VII. ſucceſſorem habuit in Archiepiſcopatu D. Rhabanum Abbatem Fuldenſem. Poſt Anſegiſum nempe Abbatem, qui primus Collectionem Capitularis Caroli M. & Ludovici Pii edidit, ad opus ſe Benedictus accinxit, & quatuor libris ab Anſegiſo non ſatis plenè collectis, libros tres alios addidit, in quos non tantùm Imperatorum prædictorum Capitula, ſed alia inſuper inſeruit, ut videre eſt in Præfat. quam Collectioni ſuæ præmeſit. Eſt quidem continet quintus liber, inter additos ab eo primus, Capitula CCLI. Sextus, CCCXXX. ſeptimus CCCLXXII. Sequuntur Appendices, quarum prima continet Capitula LXXX. ſecunda XXV. tertia LXXIX. quarta CVIII, clauduntque volumen hoc Capitula XX. Caroli Imperator. Ludovici filii, de quibus vide Pithœum ubi ſuprà, & Gerh. von Maſtricht Hiſtor. Juris Eccleſ. num. 192. & ſeqq. Eundem Blondellus ſuſpicatur auctorem eſſe, qui ſub nomine Iſidori Mercatoris ſuppoſuit Decretales primis Pontificibus Rom. Vide ibid. num. 227.

BENEDICTUS Montanus, inter illuſtres Hiſtoricos Bononienſes. Leand. deſcr. Ital.

BENEDICTUS Pererius, Jeſuita, Philoſophicis Theologicisque ſcriptis celebris, &c. Fuit Valentiâ Hiſpanus. Opera ejus 2. Vol. in fol. prodierunt, Colon. Agrippinæ 1621. inter quæ Commentaria in Geneſin docta & laborioſa dicuntur, Montacutio.

BENEDICTUS Renatus, vide Renatus.

BENEDICTUS Tlumacenſis, Paſtor, in Moravia, ob religionem, uſtulatus eſt, circa A. C. 1460. Cujus mors tanto dolori fuit, ut ad 8. millia ſtatim frequentes commearent, ad uſtulandum locum, particulas oſſium conquirentes.

BENEDICTUS Zacharias, vide Zacharias.

BENEDICTUS qui venit &c. Verba ſunt, quæ in Communione Romana in Miſſa canuntur, poſt elevationem calicis juxta Expoſitionem Epiſcopalis Ceremon. l. 2. c. 8. quod etiam in Miſſa, ut vocant, defunctorum obſervatur, uti Piatti Papalis Cappellæ in qualibet Miſſa docet. Remigius Epiſc. in Expoſit. Miſſæ, verba hæc à S. Ignatio Martyre, in Miſſa, addita fuiſſe, ait, ſed nullò idoneò Auctore. Vide Macram in Hierolex. & infrà Canticum.

BENEDURUM, locus in Rhætia, à dextris habens campum S. Petri.

BENEFACTUM, in Tabulario Vindocin. Thuani Charta veteri. Venit itaque in Capitulum noſtrum acceptique à nobis ſocietatis noſtræ Benefactâ &c. Item in Charta alia in Hiſtor. Monaſterii S. Nicolai Andegav. Ob hoc ---- dederunt communionem orationis & Benefactorum ſuorum. Ut & in Peraldi Burgundicis p. 116. Canonici eos in Benefactis & fraternitate ſua ſuſceperunt &c. Societatem denotat Monaſticam, quæ Beneficium quoque appellatur, in Chron. Turonenſi, & Charta alia Tabularii memorati, apud Car. du Freſne Gloſſar.

BENEFICIARII, Feſto dicuntur, qui vacationem munerum habebant, beneficio, adeoque munificibus opponuntur. Hunc in

veterib. monumentis, *Beneficiarii Præſidum*, *Præfectorum*, *Conſulum*, *Proconſulum*, *& Legatorum Tribunorumque*, inter quos *Beneficiarii Tribunorum* occurrunt frequentiſſimè, quòd nomine Vegetius illos ait dictos, *qui beneficio Tribuni promovebantur*. Sueton. in Tiberio c. 12. *Venit etiam in ſuſpicionem per quendam beneficii ſui Centurionem* &c. Quia autem perſæpè improbi Magiſtratus per iſtos ſcelera ſua patrabant & concuſſiones exercebant, ideò à *Tertulliano Beneficiarios* Curioſis, Tabernariis, Laniis, furibus Balnearum, Aleonibus & Lenonibus accenſeri vult Caſaubon. à Juſtiniano quoque *Novella* 13. inter Præfecti Vigilum Miniſtros capitis ſuis novos, *Beneficiarios* nominari ait. Sed negat id à Tertulliano fieri Salmaſ. locus ſic habet *l. de Fuga in Perſecut. Neſcio dolendum, an erubeſcendum, ſit, cum in matricibus Beneficiariorum & Curioſorum, inter tabernarios & lanios & fures balnearum & aleones & lenones, Chriſtiani quoque vectigales continentur.* Ubi certè *Beneficiarii* & *Curioſi* ſimul nominantur, ſed reliquis non accenſentur. Imò dolendum, ait Scriptor Afer, quòd in matricibus *Beneficiariorum & Curioſorum*, unà cum tabernariis cæteriſque id genus Chriſtiani vectigales recenſeantur. Simul autem *Beneficiarios & Curioſos* ponit Tertullianus, quòd iis exigendorum vectigalium cura incumberet: ideo enim in eorum matricibus Chriſtiani vectigales continebantur. Neque hoc dolet, quod Chriſtiani vectigales in libris cenſualibus *Beneficiariorum* continerentur; ſed quòd, [illegible] impuræ vitæ homines, impuris connumerentur & improbitatis notæ hominibus, ut lenonibus, aleonibus &c. Fuiſſe vero *Beneficiarios* in officio Rationalis, quibus exhibitio curſus publici & primipili neceſſitas injungeretur, habemus Cod. Theodoſ. *de cohort. princip. cornic. & primip. Beneficiarii vel Officiales Rationalis* &c. ſed & in aliorum Præſidum Præfectorumque officiis *Beneficiarii* apparebant. Ex diverſis autem officiis mittebantur, qui curſum publicum exhiberent, qui vectigalia exigerent, & paſtum primipili curarent, ut Stationarii, Curioſi, *Beneficiarii*, Primipilarii, Cornicularii, Principes & id genus cæteri. Eorundem *Beneficiariorum* operâ & miniſteriò, in reis quoque conquirendis & exhibendis, utebantur Magiſtratus. Sic enim in *Edicto* Maximini apud Euſebium, de Chriſtianis: Ὅπως ἵνα μήτε ὑπὸ τῶν Βενεφικιαλίων, μήτε ὑπ' ἄλλων τῶν τοιούτων ὕβρεις, μήτε ὑπεροψίας ὑπομένωσιν, ἀπέλυσας ἐνόμιζον [illegible] — Ubi qui *Beneficiales* dicuntur, in altero ejuſdem Maximini Edicto *Officiales*, appellantur &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Spartian. in Hadriano*, c. 2. & infrà *Officialis*. Quia verò Centuriones, Tribuni, Duces emolumenta à militibus, quibus vacationem munerum vendere conſuevêre, accipiebant, prohibuêre id boni Principes & Centurionibus vacationes annuas è fiſco ſolvendas conſtituêre; quod ab Othone Imperatore primùm factum Tacitus memorat laudatque *Hiſtor. l.* 1. De Tribunis res variavit. Hadrianus, ne quid à militibus acciperent, cavit. Alii item poſt eum Principes in Tribunos ſeverè vindicârunt, qui aliquid per ſtellaturam à militibus accepiſſent. Non hoc tamen perpetuum, nec ſub omnibus Principibus obtinuit. Quis enim dubitat, quin & vacationes vendiderint militibus Tribuni & commeatus pecuniamque eò nomine aut annonam ab iis acceperint? Hinc paſſim, ut diximus, *Beneficiarii Tribunorum* in veterib. *Inſcr.* Ut enim aliquem commeatalem ex militibus facerent, h. e. commeatum illis darent, pecuniam ab eo auferebant: quod prohibuit Juſtinianus *Cod. de offic. P. P. Africæ l.* 2. Poſt quem Anaſtaſius quoque, ne Tribunis liceret commeatales milites facere, Lege cavit, quæ legitur Cod. *de erog. milit. ann.* unde planè conſtat, Tribunos ea commeatibus, quos militibus dabant, ſolitos fuiſſe quæſtum facere, &c. Vide eundem *ad eund. Spartian. ibid. paulò poſt*: qui *Beneficiarios* ejuſmodi Tribunorum, unà cum Draconariis, Imaginiferis, Vexillariis, Cornicularis, Ducenariis, inter principales milites fuiſſe, addit *ad Vopiſc. in Probo*, c. 6. Item *ad Solin. p.* 547. & 548. ubi *Beneficiarios* Tribunorum ac Centurionum, à galeæ paraſemo, in Militia antiqua Rom. *Cornicularios* quoque appellatos eſſe refert, utpote qui exempti gregariorum turbæ, inſignitas galeas corniculis vel corniculo, i. e. apice, geſtarent. Certè honoratos milites hâc maximè parte inſignes, Lucanus indigitat, *l.* 7. *v.* 585.

Illi plebejâ contectus caſſide vultus,
Ignotusque hoſti, quod ferrum Brute tenebas?

Ubi *plebeja caſſis*, quæ inſigni caret, ἄσημος Græci vocant. Et viſitur in lapide antiquo provinc. Narbonenſis, miles legionarius, galeam tenens, in qua cornua gemina recurva pro inſigni habentur &c. Quadere vide plura infrà ubi de *Cornicularis*.

BENEFICIORUM Liber, pars fuit Rationarii Imperii, quod ab Auguſto ſapientiſſimo & maximo Principum fuerat inſtitutum. In eo deſcriptum erat accuratiſſimâ diligentiâ, qui agri quibus colonis eſſent diviſi & quæ ſubceſiva agrorum ſupereſſent, quæ dividi alii poſſent. Meminit illius Hyginus *de limitibus conſtituend. Libros æris & typum totius perticæ lineis deſcriptum ſecundùm ſuas terminationes adſcriptis affinibus tabulario Cæſaris inferemus. & ſi qua beneficio conceſſa aut aſſignata coloniæ fuerint, ſive in proximo, ſive inter alias civitates, in* LIBRO BENEFICIORUM *aſcribemus.* Sed de agris ſolùm Hyginus loquitur. Alexander verò Severus, apud Æl. Lamprid. c. 46. non agros tantùm, verùm & alia, quæ largiri Principes ſolent, habuit deſcripta, *Cognabat ſecum*, ait Auctor, *& deſcriptum habebat, cui quid præſtitiſſet: & ſi quos ſciret vel nihil petiiſſe, vel non multum, unde ſumtus ſuos augerent, vocabat eos — Dabat autem hæc in beneficium, quæ famam ejus non læderent, bona punitorum, ſed nunquam cum auro argento vel gemmis (nam id omne in ærario reponebat) dabat præpoſituræ locorum civilium non militarium* &c. Erat verò Liber hic penès *Primiſcrinium Beneficiorum*, ſub diſpoſitione Comitis Rerum privatarum domus divinæ, de quo *Not. Imp.* vel penès eum, qui à *Commentariis Beneficiorum* appellatur in veter. *Inſcr.* Ad cujuſmodi *Beneficia* ſpectat illud Auguſtini in Vigil. Pentecoſt. *Serm.* I. *Morem eſſe, quod milites ſeculi beneficia temporalia a temporalibus dominis accepturi, prius militaribus ſacramentis obligantur & dominis ſuis fidem ſe ſervaturos pollicentur.* Alius ſub Reipublicæ temporibus *liber ille Beneficiorum*, in quem Rectores provinciarum, ſimul ac Romam redierant, Tribuno militum, Centuriones contubernaleſque ſuos & quoſcunque in provinciis promoviſſent, deferebant; quod dici ſolitum eſt, *ad ærarium in beneficiis deferre*, ut apud Tullium paſſim, vide Caſaubon. *ad Lamprid. d. l.*

BENEFICIUM, pro Numine Romanis: Plin. *l.* 2. *c.* 7. *Innumerabiles (Deos ſcil.) credere atque etiam ex virtutibus vitiiſque hominum, ut Pudicitiam, Concordiam, Mentem, Spem, Honorem, Clementiam, Fidem aut alius omnino, Pacem & Beneficium, majorem ad ſocordiam accedit*, Idque è Democriti ſententia, qui ſolùm duos hos Deos, *Beneficium* ac *Pœnam* agnovit. Vide Tob. Magnenum *Syſtem. Theol. Gentil. purior. c.* 1.

BENEFICIUM, apud citimæ ætatis Scriptores, prædium eſt fiſcale, quod à Rege vel Principe Viris nobilis ad vitam utendum conceditur: eò quod ſolis ex mero dantis beneficio ac liberalitate illud poſſideat, ſic dictum. Quò penè ſenſu Latini quoque vocem hanc uſurpârunt, de prædiis, quæ à Principibus milites aliique ad vitam utenda acceperunt, ſub fidelitatis ſacramento, uti vidimus. Certè ea fuit apud Francos *Beneficiorum* conditio, ut, qui ea impetrabant, aut quibus conferebantur, & fidem præſtarent, ſive, ut tunc loquebantur, *ſe in Vaſſaticum commendarent*, & ſervitium militare facerent iis, qui ea conferebant: quò utrôque fine à Principibus illa conferebantur. Unde *Beneficiarii honores*, *Beneficia publica*, ſeu *Regia*, *Beneficia Militaria* &c. ejuſmodi feuda dicebantur. Erant autem *ad vitam*, unde *proprietatibus* paſſim opponuntur: dicebanturque, qui hâc conditione ejuſmodi prædia tenebant, *Beneficiariò jure illa poſſidere*, ſeu *Beneficii jure tenere*. Aliquando tamen & pro lubitu auferebantur. Imò nonnunquam ad poſteros quoque tranſibant, ſed Principis interveniente conſenſu, ut de Bernardo Septimaniæ Duce, & Utone Comite, Nithardus *l.* 3. & Regino A. C. 940. referunt. Dabantur porro hâc conditione, ut ea ſarta tecta ſervarentur & integra, nec ea diſtrahi poſſent: ſecus iis privabantur poſſeſſores, ex *L.* Longobard *l.* 3 *tit.* 8. §. 1. & *Capitulis* Caroli *M. l.* 3. *c.* 19. Qui ea à Rege conſequebantur, *Vaſſi* dicebantur aut *Vaſſalli dominici*: ipſa verò *beneficia*, ſeu prædia, quod beneficii jure Nobilibus à Rege darentur, vel Principe, *Regalia* appellata ſunt. quô nomine deprehendimus inſignita non modò dicta fiſcalia Regum prædia, quæ ſic concedebantur, ſed & Eccleſiaſtica, quæ jure militaribus, ita invaleſcente eâ tempeſtate uſu, à Regibus in *Beneficium* dabantur, quorum ratione militare ſervitium ab iis viciſſim præſtandum erat. Quæ cùm poſtrà Epiſcopis & Abbatibus conceſſa & in proprietatem procedente tempore verſa fuiſſent, factum eſt, ut *Regalia* appellarentur quævis Eccleſiarum prædia ac dominia, utpote à Regibus primitùs beneficii jure conceſſa &c. Quod autem *Beneficium* primitus appellatum eſt, poſtmodum *Feudi* nomen accepit. poſtquàm videl. ea, quæ primitus ad vitam dabantur *Beneficia* & uſufructuariò jure poſſidenda, progreſſu temporis ad filios & ex filiis nepotes, atque adeò ex parte Patris ad Fratres, tranſire cœperunt, ex *Conſtitutione* Conradi Imperatoris quæ in *LL.* Longobardicis *l.* 3. *tit.* 8. §. 4. deſcripta legitur. Vide in voce *Feodum*, ut & infrà *Manuſirma*. In ſpecie *Beneficia Eccleſiaſtica* quod attinet, ſic dicebantur, univerſim, res Eccleſiæ in beneficium datæ, ſive à Principibus ſive ab ipſis Eccleſiis & earum Prælatis in beneficium datæ eſſent: quarum poſſeſſores hôc nomine tenebantur *nonas & decimas* iiſdem Eccleſiis quotannis perſolvere, & *reſtaurationem earum* facere, ut ex *Capitulis* Caroli M. & Caroli C. colligitur. Atque hic mos res Eccleſiæ Laicis ad beneficium dandi tantopere invaluit, ut poſtmodum in donationibus Eccleſiæ factis, quò eæ ab omni alienatione deinceps tutæ eſſent, ad potiſſimùm caveretur, ne in *beneficium* darentur. Neque verò Laicis tantùm, ſed & ipſis Clericis, prædia Eccleſiaſtica hucmodò ab Epiſcopis & Prælatis dabantur: ſed benemeritis tantùm, ut habet Symmachus in *Ep.* &c. Plura hanc in rem vide apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* & ſuprà, in voce *Abbacomites*. Macro, *Beneficium*, præbenda Eccleſiaſtica eſt, cum onere recitandi officium, vel alterius obligationis, ut ad Miſſas celebrandas &c. Antea enim Clerus ſuum menſtruum ſtipendium accipiebat; deinde verò eis Epiſcopi vitâ durante Eccleſiæ conceſſæ ſunt, *Beneficiorum* nomine, quia, ut in *Epiſtola* ad Cæſarium Arelat. Symmachus Papa ſcripſit, *benemeritis tantùm concedebantur*: uſu hôc à Pontifice iſtô introductô, inter Eccleſiaſticos, quos *Clericos poſtulantes* Veteres dixêre. Et quidem Nicolai III. imprimis in hujuſmodi *Beneficiorum* diſtributione conſuetudo laudabilis fuit, quem habuiſſe idoneorum virorum catalogum diligentiſſimâ inquiſitione notatum, & ſtatim ac *Beneficium* vacabat, illud ex iis uni contuliſſe, refert Odoricus Rinaldus, *Eccleſ. Annal.* 1280. *num.* 27. Requirebantur autem in *Beneficiandis*, præter vitæ probitatem, *notitia legendi, conſtruendi & canendi*, *Gloſſ. in Clement. de conceſſ. præbenda.* §. *Reputantes*. Plura verò in unum *Beneficia* conferri prohibuit Collegium, à Guilielmo Pariſ. habitum A. C. 1238. cui ſententiæ quod Philippus Cancellarius ſenolle ſubmittere, ad pœnas æternas illum damnatum eſſe & poſt mortem prælato Guilielmo comparuiſſe, refert in *Epitome* Annal. Eccleſ. Spondanus. Cæterùm teneri *Beneficiatum* in Officio commemorationem facere illius Sancti, ſub cujus titulo beneficium poſſidet, & ſimiliter de pluribus ſigillatim, ſi fortè plura poſſideat; Item, in die Feſti Eccleſiæ, ſi *beneficiati* titulus eſt, teneri eum recitare Officium [illegible] duplici primæ claſſis, cum octava; Sin propria Eccleſia diruta fuerit & ejus titulus ad aliquod alterius Templi altare tranſlatus, tunc *Beneficiatum*, ſi in Officio Sanctus ille non habet novem lectiones, recitare debere ſub ritu ſemiduplici, quæque alia ſunt huc facientia, legas apud eundem Macrum in *Hierolex.*

BENE-

BENEJAAKAN, i. e. *filii tribulationis*, nomen loci in quo caſtrametati ſunt filii Iſraël profecti de Moſeroth. Numer. *c.* 33. *v.* 31.

BENENATI, Græcè Εὐγενεῖς, i. e. *Ingenui*, *viri Nobiles*. Ital. *Bennati*: occurrunt apud veter. *Interpretem* Juvenalis *Sat.* 11. *Ingenui vultus*, *Modeſti*, *benenati*; & recentiores Scriptores paſſim. Quibus opponuntur *Male-nati*, apud Horatium Flaccum *l.* 2. *Ep.* 1. *v.* 232.

> *Gratus Alexandro Regi magno fuit ille,*
> *Chœrilus, inculeis qui verſibus & male natis*
> *Rettulit acceptos regale numiſma Philippos.*

Vide infrà in voce *Eupatridæ*.

BENEVALETE, formula aſcribi ſolita in monogrammatis ſpeciem Pontificum Epiſtolis, cujus effigiem habes in *Gloſſar.* Car. du Freſne. Papias in voce *Formata*, *Privilegia*, inquit, *ſummorum Epiſcoporum ſunt cujuſlibet Eccleſiæ conceſſiones Pontificum, quarum materia hæc eſt, ut dicat Pontifex, erogatum cujuſlibet digna perſonæ, vel alià qualicunque ratione Eccleſiæ illi, illa ſeu illa Pontificali concedere & roborare dignitate. Anathema ponatur in calce Epiſtolæ. Habent autem & Privilegia prologos, ſicut & cæteræ Epiſtolæ, & Monogrammata hujuſcemodi in fine BTE*, quod eſt, Benevalete. *Signum autem in Privilegii exordio vel criſmon, vel crux Dominica, cum criſmon erit. Criſmon autem ejuſmodi effigiabatur ſpecie*, ☧. *Ut autem pleniùs in hoc Monogrammate nomen Chriſti appareat, tali mea ſententia effigiabitur ſpecie, vel ſic*, ☧. *Conſueverunt præterea in extrema margine privilegii quoſdam inſignire orbiculos, Antiſtitis nomen, & qualibet paucula verba continentes in hunc modum* &c. In *Capitul.* Gregorii II. pro Bavaris in *Ep.* 21. Hadriani II. Pontificis &c. *Benevale* eſt. Aliquando formula hæc ſic concipitur. *Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto benevalere.* Cujus originem Car. du Freſne, ubi ſuprà, videtur arceſſere, ex illo Plauti in *Trucul. extr.*

> *Spectatores* benevalete, *plaudite atque exſurgite.*

BENEVENTANUM, in *Gloſſis* Latin. Græc. Βαβυλωνικῶ δέρματος εἶδος, *Babylonica pellis ſpecies*. In *Gloſſis* Iſidori, *Flammeum, Babylonicum*. Gall. *un drap de Benevent*. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* & *Differtat.* 1. *ad Joinvillam p.* 132.

BENEVENTANUS Petrus, Notarius Innocentii III. Pontificis Romani inter Decretalium collectores. Poſtquam enim Romani collectione tertiâ, quam adornavit Bernh. Compoſtellanus, offenſi eſſent, quòd uſu judiciorum minus recepta referret, ab Innocentio impetrârunt, ut Pontificiâ auctoritate aliqua Collectio ederetur. Quare Innocentius annô ſui Pontificatûs 12. qui fuit Chriſti 1210. Petrum operi præfecit, ſicque primus auctoritate publicâ juris Pontificii fecit Collectionem. Superiores namque omnes ſive Decretorum ſive Decretalium Collectores privatâ auctoritate ſolùm ſcripſerant, & relecta ab eis relata negari poterant, niſi à ſeriniis Romanæ Eccleſiæ probarentur. Fuêre hujus Collectionis Interpretes, ut refert Joh. Andr. F. Paulus Hungarus. Ant. Auguſtinus eadem nomina in aliis ſe Scholiis vidiſſe dicit, quæ in aliis Collectionibus. Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Eccleſ. num.* 330.

BENEVENTUM, oppid. Archiepiſcopale Hirpinorum, Diomedis opus, teſte Solinô *c.* 8. *Notum eſt Arpos, & Beneventum à Diomede conſtitutos.* Antea *Maleventum* appellabant, poſteà verò à Romanis coloniâ deductâ, boni ominis gratiâ *Beneventum* vocari cœpit. Plin. *l.* 3. *c.* 11. *Hirpinorum colonia, nunc Beneventum, auſpicatius mutatô nomine, quæ quondam adpellata Maleventum. Nic. Lloydius.* Cum Ducatus titulo, in regno Neapolitano. Fuit ex 18. Coloniis, quæ Romanis contra Annibalem præſtò fuerunt. Deſtructa urbs eſt à Totila, reparata à Longobardis, qui ibi unum ex Ducibus ſuis habuerunt. Saracenis à Ludovico II. Imperatore erepta, A. C. 866. ceſſaque Adelgiſo A. C. 871. Sigon. *l.* 3. & ab Henrico Juniore Imperatore, locô Bambergæ, Leoni IX. donata eſt A. C. 1053. Hic Manfredum vicit occiditque Carolus Andegavenſ. A. C. 1264. Hodieque ſub Pontifice. De ea Horatius, *l.* 1. *Serm. Sat.* 5. *v.* 71.

> *Tendimus hinc rectà Beneventum, ubi ſedulus hoſpes, &c.*

Concilium hic A. C. 1087. quô Antipapa Gilbertus excommunicatus eſt. Leo Oſtienſ. *l.* 3. *c.* 71. A. C. 1091. contra eundem. A. C. 1108. 1113. &c. Cæterum Dux Arechis, primus *Principis* nomenclaturam, in honorarium, ſeu potiùs feudalem titulum, in Italia, inveait, teſte Leone Oſtienſi *l.* 10. *c.* 10. cùm Anteceſſores ejus *Duces* fuerint appellati. Ex Principatu dein *Beneventano*, poſt annos 90. prodiêre duo alii, *Salernitanus* & *Capuanus*, circa A. C. nempe 851. qui uterque tandem ad Tancredi Normanni familiam Siculoſque ſic Reges devenit; captâ Capuâ à Rogerio Rege, qui Anſulfum primò filium, dein hôc mortuô filium alterum Gulielmum *Capuanum*; Tancredum verò filium *Barenſem*; imò & Simonem fil. nothum *Tarentinum*, Principes declaravit. Vide hic paſſim, in vocibus imprimis *Arechis*. *Salernum* &c.

BENEVOLUS, Valentiniano Imperatori à ſecretis, munere cedere, quàm edictum contra orthodoxos obſignare maluit. Ruffin. *l.* 2. *c.* 16. Sozom. *l.* 7. *c.* 33.

BENEZETUS, infans Burgundus, divinô inſtinctu Avenionem veniſſe, juſſiſſeque ut ibi Rhodanus ponte jungeretur, A. C. 1177. dicitur: idemque Lugduni factum, refert Paradinus *Hiſt. Lugd.* ſed non ab omnibus fidem impetrat. Theoph. Rainaldus, in *vita Benezeti*, qui obiit A. C. 1184.

BENGABER, præfectus annonæ Solomonis in Ramoth Galaad. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 13. Latinè *filius viri*, vel *robuſti*.

BENGALA, Urbs Aſiæ, cum regno cognomine in India extra Gangem, ſub Imperio M. Mogolis à multis annis. Ad oſtia Coſmini fluv. non longè ab oſtiis Gangis. Ampla & emporium percelebre, ab Europæis frequentatum, unde ab ea ſinus Gangeticus nunc *Golfo de Bengala*. Dividitur Regnum in 3. partes, nempe in *Purop*, quæ cis Gangem; *Patan*, quæ trans, & *Bengala*, verſùs oram littoralem. Regnum eſt amplum, cujus urbes præcipuæ, Halabaſſa, Gourum, Chatiganum, Ougela, Patana, Banara & Tanda. *Baudrand*. Longitudo ejus, 60. milliar. latitudo 180. inter regna Golconda & Pego. *Barboſa*, *Linſchot. Jarricus*, &c.

BENGUELA, regio Africæ in regno Angolæ in ora Oceani, cum urbe & portu cognomine ſub Hollandis, à paucis annis.

BENHADAD, vide *Benadad*, it. *Adad*.

BEN-HAIL, i. e. *filius fortitudinis*, nomen viri. 2. Paral. *c.* 17. *v.* 6.

BEN-HESED, præfectus annonæ Solomonis in Aruboth. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 10. Latinè *filius miſericordiæ*, vel *opprobrii*.

BEN HUR, præfectus annonæ Solomonis in monte Ephraim. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 8. i. e. *filius libertatis*, *foraminis*, aut *albedinis*.

BENJAMIN, fil. Jacobi duodecimus ea Rachel natore ab ipſa matre *Benoni*, i. e. *filius doloris mei* dictus, Gen. *c.* 35. *v.* 18. Latinè *filius dextræ*, ſive potius *filius dierum*.

BENJAMIN, Eremita ſenior, valdè clarus habebatur, donô Dei potitus, ut ſine medicamine, tactu manûs, aut olei, oratione factâ ſanaret ægrotos. Hunc ferunt in hydropem incidiſſe, ac tantum ejus corpus intumuiſſe, ut non poſſet per Cellæ ſuæ, in qua habitavit, januas efferri. Is igitur, ægrotationis ſuæ tempore, penè 8. menſibus ante mortem in ſella latiſſima ſedens, curabat ſolenniter ægrotantes, non graviter ferens, quòd ſuæ ægritudini non prodeſſet, ſed etiam ſe videntes conſolabatur, ac deprecabatur, ut rogarent Deum pro anima ejus, ac de corpore non curarent, quia etiam, cùm ſanum (inquit) eſſet, nihil profuit mihi. Hiſt. *Trip. l.* 8. *c.* 1.

BENJAMIN, Judæus Hiſpanus, *Itinerarium* Hebraicè deſcripſit, in quo res memorabiles per totum ferè terrarum orbem, quas vel ipſe vidit, vel à fide dignis ætatis ſuæ hominibus accepit, breviter ac dilucidè deſcripſit. Vide Neandri *Geograph.* Nomen ejus integrum *Rabbi Benjamin Fil. Jonæ Thudelenſis*, Architectonices peritus fuit, & obiit A. M. 4933. juxta Rabbi Dav. Ganz *ad h. ann.*

BENJAMIN Monachus, Martyr conſtantiſſimus, apud Theodoretum *Hiſtor. Eccleſ. l.* 5. *c.* 38. ubi horrendô tormenti genere, *arundine ſcil. virilibus inſertâ & ſæpius retractâ*, item *averſæ partis ramô hirto* impactô, eum excruciatum memorat. A quo perſonam ſumpſiſſe, qui Joſaphati Hiſtoriam cum Barlaamo ſcripſit, Joannes ſive Sinaita, ſive Damaſcenus, videtur Caſp. Barthio *Animadverſion. ad Stat. Theb. l.* 5. *v.* 596. *& ſeqq.*

> *——— Non ora loco, non pectora reſtant.*
> *Rapta cutis, tenuia oſſa patent nervique madentes*
> *Sanguinis imbre novi ——*

BENIBESSERA, regio Africæ in Segelmeſſa, parte Libyæ citerior. verſùs Atlantem, & confinia regni Telenſini, *L. Marmolius.*

BENIGNUS, primus Divionenſis Epiſcopus, Divione martyrium paſſus, & ſepultus. *Gregor. Turonenſis.* Vide & *Cornelius*, & *Georgius.*

BENIGOMIA, regio Africæ in Segelmeſſa regione Libyæ citerior. juxta Ghirum fluv. Hinc *Benegomates* populi. Vide *Marmol.*

BENIGUAZEVALUS, mons Africæ in regno Fezzæ, in Provinc. Errifis verſùs fontes Guargæ fluv. In eo ſunt aliquot oppida cum pagis. Ibi quoque mons ignivomus. *Marmol.*

BENINUM, Urbs celebris Africæ, in Guinea, regni cognominis caput, juxta *Benin* fluv. Regnum valde extenſum eſt, præſertim verſùs oram.

BENJOIN ſeu **BELZOI**, quibuſdam laſer eſt Indicum, ſeu laſer, ex India veniens; Inde enim venire tradit *Iſidorus*: Sed de eo nihil apud Veteres reperitur. Succus itaque magis eſt Salmaſio, ex arbore odorifera in India naſcente, cum ſilphium ſeu laſer herba ſit ferulaceô caule, ut infrà dicemus. Vide eum *ad Solin. p.* 362. Eidem *Benjuinum*, à genere bdellii, quod verò tritore ſiccô, multiſque conſtans candidis unguibus, minimè amarum eſt, parùm diſtat, niſi idem omnino ſit. Certè Veteres ſub hoc genere bdellii *Benjuinum* cognoviſſe autumat, quæque de Bactriano bdellio narrat *Plinius*, in hoc potiùs quadrare ſtatuit, quàm in bdellium aut animæ. Quemadmodum &, quòd nuce amygdalinâ bdellium adulterari idem ait. *Benui* enim amygdaloides eſt. Interim de colore myrrhæ ſimilius eſſe, quàm bdellium, addens, *p.* 1131. In Sinenſi provinc. *Junnan* id aromatis quoque reperiri, refert Auctor *Sinæ & Europ. c.* 34. *Junnan abundat Benjoinô, ſeu thure illô ex arboribus ſtillante ſuaviſſimô.* Vide quoque infrà *Murra.*

BENIS, vide *Nebus.*

BENITH, civitas in Ephraim, à Samaritanis exſtructa. Hieronym. *in Loc. Hebr.*

BENITIUS Philippus, vide *Philippus.*

BENIUS Paulus, vide *Paulus.*

BENLAUNI, Vindeliciæ populi. *Ptol.* Hodiè in hoc tractu eſt *Wailheim* oppidum.

BEN-MERODACH, VIII. Babyloniorum Rex, regnavit ann. 24. ante Nabuchodonoſorem I. Genebr. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 10. *c.* 11.

BEN-MUSA, Mathematicus Arabs, vixit ſeculô 10. Blancanus, *Chr. Math. p.* 37.

BENNA, ſeu **BENA**, vel **BÆNA**, urbs Thraciæ, unde *ſinus Bennicus Stephano*, apud quem *Benna* unus eſt ex Senatoriis ordinibus Epheſi, cujus ſenatores *Bennis* dicebantur.

BENNAVENTA, Britanniæ urbs, Catieuchlanorum. *Antonin.* quam *Lelandus Northavendune* vocari putat, Camdenus potiùs eſt *Widon* in agro Northamptonienſi.

BENNI, nomen viri. Nehem. *c.* 3. *v.* 17. Latinè *filius meus*, vel *intelligentia*, aut *ædificatio mea.*

BENNINGDONIA, urbs Angliæ, in regione Merciorum. Ibi concilium, ſub Bernulpho Rege A. C. 850.

BENNO, nomen viri, 1 Paral. c. 24. v. 26. Latinè *filius ejus*, aut *intelligentia*, vel *ædificatio ejus*.

BENNO, ab Antipapa Gilberto, Clemente III. dicto, Cardinalis creatus, ſatyricis ſcriptis inſectatus eſt Sylveſtrum II. Gregor. VI. & Gregor. VII. Baronius *A. C.* 999. 1044. 1073. 1079. Item, Epiſcopus Miſniæ; inter Sanctos relatus, A. C. 1523. Baron. *A. C.* 1017 Surius, 3. *Jun.*

BENNOI, nomen viri, Eſdr. c. 8. v. 33. Latinè *ædificatio*, aut *filiatio*, ſive *in habitaculo meo*, aut *in pulchritudine*.

BENNOPOLIS, vide *Hildeſia*.

BENNUI, nomen viri. Eſdr. c. 10. v. 30. idem ſignificat quod *Bennoi*.

BENOMOTAPA, præcipua urbs, & ſedes regia regni Monomotapani, ſita ad flumen Sancti Spiritus, diſtans à Ceſala, versùs Oceanum, viginti & uno milliaribus. *Bert. Merel.*

BENOTH, nomen idoli Babyloniorum. 2 Reg. c. 17. v. 30. Latinè *filiæ*, *intelligentia*, vel *ædificationes*. Vide Selden. *de Diis Syris*.

BEN-SIRACH, ſententiarum moralium Hebræus author vetuſtiſſimus, venuſtiſſimuſque, qui a Judæis Jeremiæ Prophetæ creditur nepos fuiſſe. Conr. Geſn. *in Biblioth.*

BENTHEMUM, German. *Bentheim*, vide hîc *Benthima*.

BENTHIMA, ſeu BENTHEMUM, oppidul. German. in Weſtphalia Comitatus caput. In colle, prope Aam amnem. 2. leuc. ab Oldenſila in Ortum. Sub proprio Comite. Familiæ origo ex Hollandiæ Comitibus, & quidem à Theodorico arceſſitur, qui ab uxore Sophia (Ottone Comite Palatino Reineccio & Gertrudi ex Cliviis Tubantia Comite nata) *Benthemium* Comitatum cujus titulô frater ejus Otto uſus etiam erat, acceperit. Eô nati, præter alios, Florentius Comes Hollandiæ, reliquorum Comitum ſator, atque Otto *Benthemius* Comes, A. C. 1180. cujus poſteri durârunt, uſque ad Hedvigen, quæ, Patris & fratrum hæres, Eberwino Dn. *de Gutterſwick* nupta, ei hæreditatem attulit: Unde per hujus filium Arnoldum, continuata Benthemiorum Comitum familia. Filius enim Arnoldi Bernardus vel Eberwinus I. qui ex uxore Steinfordia, Bernardum & Arnoldum II. genuit; quorum is præfatum Comitatum nactus eſt & ad filium ac nepotem tranſmiſit: cui ſine liberis extincto Maria ſoror ſucceſſit. Arnoldi, qui dominium *Gutterſwick* tenuit, filius Eberwinus II. Steinfordiæ Comes A. C. 1495. natus eſt, & filium Arnoldum III. habuit, cui præfata Maria agnata cùm nupſiſſet, utroſque is Comitatus univit. Hôc genitus Eberwinus III. cui uxor Tecklenburgicam ſucceſſionem attulit, pater fuit Arnoldi IV. cui, à conjuge Magdalena Neuenaria, Comitatus Limburgius & alia obtigêre. Hiſce nati ſunt liberi plures; ex filiis Arnoldus Juſtus ſeu Jodocus, *Benthemium* Comitatum nactus, genuit Erneſtum Wilhelmum, qui nunc etiam præeſt & Philippum Conradum, qui Steinfordiam tenuit, patrem ex Anna Eliſabetha Benthemio Tecklenburgica, Arnoldi Mauritii nati A. C. 1663. Adolphus Arnoldi Juſti frater Tecklenburgios novos orſus eſt, & filium habuit Mauritium, qui ex Johanna Dorothea Principe Anhaltina, Johannem Adolfum ſuſcepit; patrem ex Johanna Dorothea Lippienſi, duarum filiarum, de quibus omnibus vide Phil. Jac. Spenerum *Theatrô Nobilitatis Europææ tom. 3. in & in Indice*.

BENTITIANA, vulgò VENTOTIENE, Inſul. parva Italiæ & regni Neapolitani in mari Tyrrheno è regione Campaniæ Felicis, deſerta eſt.

BENTIVOLIUM, caſtrum Italiæ, in agro Bononienſi Ferrariam versùs, aliàs pulcherrimum, nunc ferè dirutum. Hinc nobili Familiæ nomen.

BENTIUS, vide *Balventius*.

BEN-ZOBETH, i. e. *filius ſeparationis*. Filius Jeſi. 1 Paral. c. 4. v. 20.

BENZUINUM, multis hodie Veterum myrrha eſt, & *Benzuini arbor*, quam *Aſtrantiam* dixêre priſci. Nempe ea altrantia ſeu ſmyrnio (hæc enim eadem eſſe docet *Salmaſius*) liquorem ajunt profluere lentum ac modicè rufum, ſuaviſſimi odoris & myrrham optimam redolentis, linguamque vellicantis acrimoniâ ſuâ, nihilô deteriorem ſtacte myrrhâ. Quare & *myrrha* eum nomine priſci donârunt ut *Theophraſtus*, qui myrrham diſtillare ex Smyrnio ſcribit, & quoſdam eâ re putâſſe, ſmyrnium è myrrhæ ſatu provenire. Quæ omnino myrrha eſt Troglitis recentiorum Græcorum, qui eam *πετροσέλινον* exponunt: unde & Aſtrantiam non pauci hodie *herbam Benzuini* vocant &c. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1474. & infrà *Murra*. Meminit hujus aromatis Barlæus quoque in *Medicea*, ubi de epulo, quô Amſtelodami Maria Franciæ Regina, excepta fuit hôc ſeculô: *Borax candore oculis, Benzoinum odore fragrantiáque naribus lenocinabatur. Muſcus, Styrax &c.*

BEON, Manethoni in *Excerptis* apud Joſephum *Contra Apion. l.* 1. *Byon Africano*, *Beon Euſebio*, *Bnon Syncello*, ſecundus Paſtorum in Ægypto inferiori Rex, Salati ſucceſſit, Levi in Ægypto mortuo, Semphucrate verò, in Thebaide rerum potiente, regnavitque annos 44. quô temporis ſpatiô, perſecutio Iſraëlitarum à deceſſore cœpta magis magiſque ingraveſcere cœpit, &, creſcente nihilominus populô, infantes maſculos, tolli placuit. Excepit illum in regno Apachnas. Vide Joh. Marſhamum *Canone Chron. Sec.* VIII.

BEON, civitas Amorrhæorum ultra Jordanem. Numer. c. 32. v. 3. Latinè *in afflictione*, vel *in reſponſione*, aut Syriacè *deprecatio*.

BEOR, pater Bela Regis Edom, Gen. c. 36. v. 32. Item pater Balaam arioli. Numer. c. 22. v. 4. Latinè *incendium*, vel *expugnatio*, aut *inſipiens*, ſive *jumentum*, aut *paſtus*.

BEORGOCUS, Alanorum Rex à Ricimero victus, A. C. 461. Procop. *l.* 3. *de bell. Vandal.*

BEORGOR, vel BIORGOR, Rex Alanorum, à Ricimero acie victus, prope Bergomam. A. C. 464. P. Diac. *l.* 16. Idem cum priore.

BEPYRUS, urbs *Mercatori* ad Orientalem fluv. Gangis poſitum; qui hodie *Bamprno* eam dici tradit.

BEQUIA, Inſul. Americæ Septentrionalis ex Antillis, à Caribis tantùm habitata, propter inopiam aquarum. Circuitus eſt 12. leuc. Portum habet ſecuriſſimum.

BERA, urbs in qua habitavit Joathan, cùm fugiſſet à facie Abimelech, in tribu Dan. Judic. c. 9. v. 21. Item fil. Supha. 1 Paral. c. 7. v. 38. Latinè *puteus*, ſive *explanatio*, aut *in luce ejus*.

BERABÆ. Indiæ extra Gangem oppid. *Ptol.*

BERABONNA, Indiæ extra Gangem emporium. *Ptol.*

BERAMBE, Babyloniæ urbs. *Ptol.*

BERAUNA, urbecula German. in Bohemia, ad Miſam fluv. 3. leuc. à Praga. Quibuſdam *Verona* dicitur. German. *Bern.*

BERBERI. Græcè *βέρβερι*, priſcum nomen conchæ margaritiferæ, quod ad Indorum linguam pertinere vult Androſthenes. Bochartus Phœnicum potiùs vocabulum eſſe credit ברר *barar* enim linguâ hâc *clarum*, *purum*, *nitidum eſſe* ſignificat: quod conchæ margaritiferæ maximè convenit, quæ nitore, claritate & puritate reliquas, in interna maximè parte, longè ſuperat. Sic quia *μαίρειν* & *μαρμαίρειν*, *ſplendere* eſt & *μαρμαρυγὴ ſplendor*, ut *μάργαρος* & *μαργαρίτης*, vel cum proſtheſi *σμάραγδος*, ita etiam *μαργαρίτης*, nonnulli dictum volunt. Certè Nonnus *l.* 34. margaritam *λίθον* appellat *ἄλλον μαρμαίροντα*, *lucidum mari lapidem*: & Arabicè *lala* & *darra*, *lucere* eſt, unde *lulu* & *dorra*; quorum illud *margaritam* in genere, hoc *unionem* notat. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 3. c. 6. & *infra ſuô loco*.

BERBICÆ, populi ſunt, qui certam ætatis metam tranſgreſſos perimunt, viroſque immolant præfocatis mulieribus. Ælian. *ποικιλ. l.* 4. c. 1.

BERBIS, lacus Theſſaliæ. Item Pannoniæ interioris oppid. *Ptol.* nunc *Berzenche*, 2. milliar. à Dravo fluv. ſub Turcis.

BERCERELIUS, mons Macedoniæ. *Ptol.*

BERCHENUS Gulielmus, vide *Gulielmus*.

BERCHERIA, provinc. ſeu Comitatus Angliæ juxta Tameſin fluv. inter Oxfordiam & Viltoniam provincias. Ibi alias pars Atrebatium, populi *Barckshire*. Angl.

BERCHORIUS Petrus, ex Pictonibus, Prior Ordin. Benedict. Lutetiæ, ſcripſit *Coſmographiam*, *epitomen Hiſtoriæ Biblicæ*, *Repertorium morale*, *Livium Gall.* &c. ſeculô 14. Poſſevin. *in appar.* Trithem. Voſſ. *de Hiſtor. Lat. l.* 3. c. 9. Spondan. A. C. 1350. n. 1.

BERCHTOLDUS I. Dux Zeringiæ, cujus familiæ origo à Lancellino eſt, filio Guntrami divitis, cujus pater Humfredus, Berchtoldum illum celebrem Auſtriacæ, aliarumque illuſtriſſimarum familiarum ſatorem, progenitorem habuit. Huic Berchtoldo cùm Imperator Suevicum promiſiſſet Ducatum, dein ejus locô Carinthiam conceſſit. Inter filios Gebhardus Epiſcopus Conſtantienſis fuit A. C. 1083. Reliqui duo Berchtoldus II. & Hermannus, ſtirpe Zeringio-Teccii, & Hochbergiâ-Badenſis auctores fuêre.

BERCHTOLDUS II. patri ſucceſſit, Rudolphi Ducis Sueviæ in Cæſarem electi, ut & poſteà Hermanni, partes amplexus, magnam partem Sueviæ Ducatus ſuæ ditioni adjecit. Obiit A. C. 1111. pater Berchtoldi III.

BERCHTOLDUS III. Friburgi Briſgojæ conditor, ad Molshemium, cæſus A. C. 1122. Conradum fratrem ſucceſſorem habuit. Qui moriens A. C. 1152. filios Bertholdum IV. & Adelbertum, novarum linearum, Zeringiæ & Teccenſis, auctores reliquit.

BERCHTOLDUS IV. Briſaci, ſecundùm nonnullos, conditor, continuatô cum Reinaldo Burgundo bellô, tandemque lite ab Imperatore A. C. 1167. compoſitâ, reliquâ Burgundiâ & Regnô Arelatenſi, quod Pater ſibi vindicaverat, abſtinere, & aliquibus in parva Burgundia, Allobrogum, Sedunenſium, ac Aventicorum ditione bonis acquieſcere juſſus eſt. Obiit A. C. 1186. Pater Berchtoldi V.

BERCHTOLDUS V. cœptam à Patre Bernam abſolvit, in Palæſtina Friderico Barbaro militavit, ut & poſteà Friderico II. Tum rebelles in Helvetia domuit. A Papa & Electore Colonienſi oblatum faſtigium Imperiale, Philippo Suevo, ſeu ultrò, ſeu acceptâ pecuniâ, ceſſit. Ex mœrore, ob extinctos, ſeu ſecundæ conjugis quam ob hoc decollari curavit, ſeu Burgundorum, ſcelere filios, mortuus eſt, A. C. 1218. Ejus in moneta Reipubl. Bernenſis effigies & nomen ſervatur. Vide Stumpf. *l.* 7. *de Argovia*, c. 28. 29. 30. Philip. Jac. Spener. *in ſyllog. Geneal. Hiſt.* & in voce *Zeringia*.

BERCHTOLDUS, vide *Bertholdus*.

BERCIOLUM, in *Vita S. Pandulfi*, *Et in aquario*, *quod vulgò berciolum vocant*, *pannus conſtrictum impoſuit*; cunas notat. Ita enim mox *ibid.* Berciolum, *quod honeſtô ſermone Philoſophi cunabulum vocant*. Ex Gallico *Berceau*, quaſi *Bercellum*, cui voci origo eſt à *Berſa*, quô nomine apud recentioris ævi Scriptores crates vimineæ denotantur, ſeu ſepes ex palis vel ramis grandioribus contextæ; quibus ſylvæ vel parci undique incinguntur, ut nullus cervis cæteriſque feris ad egreſſum pateat aditus: Item porticus viridis, arcuatæ & in cameratum modum factæ, quas *τρογχάλας* Græci dixêre. Ex viminibus enim invicem in modum arcus contextis confectæ olim cunæ ſunt. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano*, c. 10. & Car. du Freſne *in Gloſſar.* ut & infrà ubi de *Cunis* & *Puerperia*, nec non in voce *Infans*.

BERCORCATES, populi Galliæ Aquitanicæ. Plin. *l.* 4. c. 19. Ubi forſan nunc *Baulac* oppidul. *Baudrand*.

BERCOS, nomen viri. Eſdr. c. 2. v. 53. i. e. *filius conciſionis*, aut *ſeparationis*.

BERDES, è miniſtris Alexandri Magni, ab eo ad Scythas ſuper Boſphorum colentes miſſus. Curt. *l.* 8. c. 1.

BER-

BERDUA, regio & deſertum Africæ cum Urbe cognomine in Libya deſerta. Inter Gagoam & Lemptam regiones.

BERE, Arabiæ Deſertæ urbs, & alia Indiæ extra Gangem.

BEREAU Jacobus, vide *Jacobus*.

BERECUNTHES, natio inter Phrygas. Strab. *l.* 10.

BERECUNTHIA, mater Deorum, dicta a monte Phrygiæ *Berecyntho*: cognomin. Cybeles, de qua ſub loco. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 82.

> *Ipſa Deûm genetrix fertur Berecynthia magnum*
> *Vocibus his affata Jovem.* —— ——

Quo in loco *Servius* de aſpiratione diſceptat. Et ſanè *Heſychius* cum ſ legit, Βερεκύνθαι, Φρυγῶν τὶ γένος, καὶ ἀπὸ τούτου Βερεκυνθία ἡ Φρυγία, καὶ πόλεις Βερεκύνθιος. Pari ratione quoque legitur apud *Suidam*. Aliàs verò ut plurimum aſpiratur. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 785.

> —— *Qualis Berecynthia mater*
> *Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,*
> *Læta Deûm partu, centum complexa nepotes,*
> *Omnes cælicolas, omnes ſupera alta tenentes.*

Statius *l.* 4. *Theb. v.* 782.

> —— —— *Qualis Berecynthia mater,*
> *Dum circa parvum jubet exultare Tonantem*
> *Curetas trepidos; illi certantia plaudunt*
> *Orgia, ſed magnis reſonat vagitibus Ide.*

Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 18. *v.* 15.

> —— —— *Sæva tene cum Berecynthio*
> *Cornu tympana.* —— ——

Nic. Lloydius.

BEREFELLARII, quaſi *concacati*, Gall. *Breneux*, ex Angl. *Berdyrd*, h. e. *permerdatus*, appellatio obſcœna, certis quibuſdam hominibus impoſita, in *Charta* Thomæ Archiepiſc. Eboracenſis in *Monaſtico Angl. Tom. III. part* 2. *p.* 5. *Scilicet Præcentoris, Cancellarii & Sacriſtæ, ac* 7. *Perſonarum, qui olim Berefellarii fuerant nuncupati* —— *Memoria recolenda D. Johannes de Thoresby, dudum Eboracum Archiepiſcopus* (obiit ille A. C. 1373.) *ad honorem dictæ Eccleſiæ Beverlac & majorem decentiam monſtrantium in eadem provincia ordinabat, Perſonas in Eccleſia noſtra Cathedrali & Metropolitico Eboracum officiando Eccleſiæ in divinis in habitu conformari. Sed quia eorum turpe nomen* Berefellariorum *patens riſui remanebat, dictos* 7. *de cætero non Berefellarios, ſed Perſonas volumus nuncupari*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Ratio nominis non liquet.

BEREFRIDUS ſeu BERFREDUS, vide ſuprà *Belfredus*.

BEREGRA, Prætutiorum in Ital. oppid. *Ptolemæus* mendosè Βήρεγρα vocat, Oppidani Plinio *l.* 3. *c.* 13. *Beregrani*. Et in Frontino *l. de coloniis*, eſt *Beregranus ager*. Situs ejus incertus eſt, niſi quòd *Ptol.* inter Interamniam id habeat, & Aſculum, Hadriamque, & *Plinius* quoque in mediterraneis recenſeat.

BERENGARIA, Richardi Anglorum Regis uxor, filia Garſiæ, Navarræ Regis. Polyd. *l.* 14.

BERENGARIUS I. Forojulienſis Dux, fil. Eberardi, & Giſlæ, Ludov. Pii filiæ, regnum Italiæ ſibi vindicavit, contra Guidonem, Ducem Spolet. à quibuſdam electum. Sed huic impar, recepit ſe ad Arnolphum Imperator. Poſtmodum, æmulum Ludovicum Boſonem, Regem Arelatenſem & Comitem Provinc. ſibi ab Italis proditum excæcavit. Imperator hinc coronatus à Johanne IX. & X. Bulgaros, Hungaros, proprios tandem ſubditos infeſtos ſenſit, qui Rodolphum II. Burgundiæ Tranſjuranæ Regem ei oppoſuerunt. Contra quem Hungaros evocavit, à quibus Lombardia vaſtata, & Papia direpta, ipſe tandem Veronæ à ſuis occiſus obiit, A. C. 924. regni 22. Sigonius, *de regn. Ital. l.* 6. Flodoard. Blondus *l.* 2. *Dec.* 2. Luithprand. *l.* 2. *c.* 6. *&c.*

BERENGARIUS II. cognomine *Junior*, fil. Alberti Marchionis ex Giſla, Berengarii I. filia, contra Hugonem, Regem Italiæ & Arelatenſem inſurrexit, infeliciter. Hinc in Germaniam, ad Ottonem. Unde redux, Hugone ab Italis deſertô, parte Italiæ potitus Regem ſe dixit, poſt mortem Lotharii, fil. Hugonis. Luitprandum Hiſtoricum ad Conſtantinum VIII. Imperatorem miſit, in ſuos ſæviens, ab Ottone illorum precibus implorato captus A. C. 964. & in Germaniam abductus eſt. Obiit Bambergæ, Luithprand. *l.* 5. & 6. Leo Hoſtienſ. *l.* 1. Flodoard. *Chron.*

BERENGARIUS Raimondus, Comes Provinc. filius ſecundus Raimondi Berengarii I. maritus Beatricis, hæredis Comitatus Melgueil prope Monſpelium, cum vicinis bellum geſſit, occiſus in prælio, vel à piratis, ut alii volunt, A. C. 1145. Noſtradamus, & Bouche, *Hiſt. Prov.* Zurita *l.* 1. Vide *Raimondus Berengarius*.

BERENGARIUS, tempore Leonis IX. Pontificis A. C. 1049. vir pietate, & eruditione clarus, Andegavenſis Eccleſiæ Diaconus, qui cum videret Doctores quàm plurimos ſui temporis ingenti faſtu Tranſubſtantiationis fundamenta ſternere, quòd mentem Auguſtini, & aliorum veterum non intelligerent, ſed ſacramentales, & hyperbolicas nonnullas locutiones ad novum ſenſum inducendum detorquerent, veram ſententiam ea Orthodoxo conſenſu repetitam his corruptelis oppoſuit, & verbò Dei, teſtimoniiſque veterum Theolog. refellere conatus eſt, ſcriptis etiam, & evulgatis libris, ut pii in vera doctrina confirmarentur: Fuit Vir tantæ eruditionis, ut *nemo Romanus Pontifex aſſurrexerit, ingenii dona ſe veneraturi dictitans.* Scripſerunt contra eum Adelmannus Leodienſis, & Guido Aretinus. Iis tum, jam plurimæ Eccleſiæ ei acceſſiſſent, in Synodo Vercellis celebrata & alibi damnatus, humani quiddam paſſus eſt, & metu mortis doctrinam ſuam ejuravit. Sed hinc dimiſſus contra palinodiam ſuam ſcriptum edidit, docens eam ſibi per vim extortam, *Romanam Eccl. Eccleſiam malignantium, Concilium vanitatis, Satanæ ſedem, &c. eſſe.* Cui iterum ſe oppoſuit Lanfrancus Italus, Epiſcopus Cantuarienſis. Obiit A. C. 1091. ætat. 90. Hauſerat autem putiorem hanc doctrinam à Joh. Scoto, ſeu Erigene præceptore Caroli Calvi Regis, Sigon. *l.* 8. *ad A. C.* 1054. Hoſpinian. *in præf. in librum Concord.* Pantal. *in Chronol.* Ejus ſententiam plurimi tum initi ſunt, inprimis in Hibernia, Clericus quidam, Bernhardus *in vita Mal.* Quô tempore, & Fluentinus Præſul Florentinus Antichriſtum jam natum eſſe aſſerebat: & Romæ Arnulphus, quòd errores & vitia Cleri inſectaretur, combuſtus eſt. A. C. 1110. 1118. *Platina.*

BERENGOSIUS, Abbas, A. C. 1112. ſcripſit quædam, Bibliothecæ Patrum tomo 2. inſerta. *edit.* 2.

BERENICE, vel BERONICE, quô nomine mulieres plures fuêre. *Prima*, Ptolemæi Lagi uxor, & mater Philadelphi, rarâ mulier formâ, & viro dilectiſſima, cujus *Theocritus* meminit. Urbem cognomine condidit, Plin. *l.* 6. *c.* 29. Quomodo hæc maritum, inter aleæ luſum, ferentem ſententiam de capitibus hominum temerè, corripuerit, Ælian. *Var. Hiſt. l.* 14. *c.* 43. refert. Super quo loco ejus, corruptus enim ex parte eſt, videndus Janus Rutgerſius, *l.* 1. *Var. Lect. c.* 6. *Altera* Ptolemæi Philadelphi & Arſinoës Reginæ filia, uxor fratris Ptolemæi Euergetæ, cujus capillum inter ſiderà Conon Mathematicus figmentô, gratiam Regis Euergetæ aucupatus, retulit. De quo crine Callimachus *elegiam* compoſuit, conversam poſteà à Catullo, cujus hoc eſt, *Epigr.* 67. *v.* 8.

> *E Beroniceo vertice cæſariem.*

Tertia Herodis Aſcalonitæ filia, Agrippæ fratris uxor. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 156.

> —— *Deinde adamas notiſſimus, & Beronices*
> *In digito factus pretioſior, hunc dedit olim*
> *Barbarus inceſtæ, dedit hunc Agrippa ſorori;*
> *Obſervant ubi feſta merò pede Sabbata reges;*
> *Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.*

Berenice ſiquidem hæc nudipes, & capillos raſa venit Hieroſolymam, Deo vota pro ſalute ſolutura. Vide Actor. *c.* 25. 26. Strab. *l.* 16. Joſeph. *l.* 2. *Belli Judaici*, & *Egeſippum*. *Quarta* Herodis, Antipatri filii ex Salome ſorore, neptis, Ariſtobuli, Herodis ejuſdem filii, uxor. *Quinta* Græcorum fuit *Berenice*, *Callipatira*, quemadmodum Pauſanias ſcribit, *l.* 1. cognominata; ſpectatrix certaminum Gymnicorum præ reliquis omnibus mulieribus ſola, quòd & mater, & ſoror, & filia eſſet Olympionicarum, veluti Plin. retulit, *l.* 7. *c.* 41. Val. Max. *l.* 8. *c.* & ex. *ult.* *Berenice*, inquit, *contigit, quod nulli alii mulieri, ut Gymnico ſpectaculo intereſſe contigerit.* Item filia Ptolemæi Auletæ, uxor Archelai. *Nic. Lloydius.* Addo, quòd Mater Ptolemæi II. fuit, cui topazion primùm oblata eſt in cognomine Inſul. Topazio, apud *Epiphanium*: unde factam ſtatuam Arſinoæ Philadelphi uxori cubitorum quatuor, tradit Plinius, *ampliſſimam* hinc *gemmarum* eam dicens. Eodem nomine uxor fuit Ptolemæi III. quæ de ſuo nomine vocavit Urbem, cui *Heſperis* priùs nomen erat. Urbis meminit Solin. *c.* 27. *Circa extimum Syrtium cornu Beronicen civitatem alluit Lethon amnis* —— *Hanc Berenice munivit, quæ Ptolemæo tertio fuit nupta, & in majori Syrti locavit.* Antè verò *Heſperidem* dictam eſſe, refert *Stephanus*, Ἑσπερὶς πόλις Λιβύης, ἡ νῦν Βερενίκη. Vide infrà in voce *Heſperia*, item *Heſperis*.

BERENICE, Regina amata Tito Veſpaſiano, florens ætate formâque, & ſeni quoque Veſpaſiano, magnificentiâ munerum grata. Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 81.

BERENICE, alias BERONICE, civitas à Pyrrho juniore condita: altera, *Beruice Arriano*, *Chaſart Zieglero*. *Alchaſir Nigro*, eius *Celir*, urbs Ægypti ad ſinum Arabicum in Æthiopiæ confinio à Philadelpho Ptolemæo; tertia in Troglodytis; quarta quæ prius dicebatur *Chius*, quinta in Cilicia; ſexta, *Bernich*, quæ prius *Heſperia*, Urbs Cyrenaicæ maritima Archiepiſcopalis, ubi Heſperidum horti & lucus ſacer. Eſt & alia circa Syriam, quam *Pellam* vocant. *Steph.* Vide Plin. *l.* 5. *c.* 5 & *l.* 6. *c.* 29. Strab. *l.* 2. & 17.

BERENICIDÆ, pars tribûs Ptolemaidis. *Steph.* Nomen eſt à *Berenice*, uxore Ptolemæi I. ut habet Jac. Sponius *Itiner. Græc. part.* 3. *p.* 101. Vide quoque eum *Ibid. p.* 35. ubi veter. hanc *Inſcr.* alterius *Berenices*, Agrippâ Rege genitæ memoriam ſervantem, quam is Athenis obſervaverat, inſerunt:

> ΗΒΟΥΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΠΑΓΟΥ
> ΚΑΙ Η ΒΟΥΛΗ ΤΩΝ Ξ̄ ΚΑΙ
> Ο ΔΗΜΟΣ ΙΟΥΛΙΑΝ ΒΕΡΕΝΕΙ
> ΚΗΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ ΜΕΓΑ
> ΛΗΝ ΙΟΥΛΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΑ ΒΑ
> ΣΙΛΕΩΣ ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΚΑΙ ΜΕ
> ΓΑΛΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΕΥΕΡΓΕ
> ΤΩΝ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΕΚΓΟ
> ΝΟΝ ΔΙΑ ΤΗΣ ΠΡΟΝΟΙΑΣ
> ΤΟΥ ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥ ΤΗΣ ΠΟ
> ΛΕΩΣ ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΘΕΟ
> ΓΕΝΟΥΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ.
> SENATUS AREOPAGITICUS
> ET SENATUS MILLEVIRORUM ET
> POPULUS JULIAM BERENI
> CEN REGINAM MA
> GNAM JULII AGRIPPÆ RE
> GIS FILIAM ET MA
> GNORUM REGUM EVERGE
> TARUM HUJUS URBIS NE
> PTEM CURA PROVIDA
> CURATORIS UR
> BIS TIBERII CLAUDII THE
> OGENIS PÆANII.

Subintellige: *honorârunt hoc monumentô.* Pater ejus aliàs *Herodes Agrippa*, cujus miſerabilem exitum legimus Actor. *c.* 12. Ipſius verò hujus *Berenices* mentio eſt Actor. *c.* 25. *v.* 13. Vide ſuô locô.

BERENICIS, tractus Africæ Cyrenaicæ, qui eſt circa Berenicem urbem. Lucan. *l. 9. v. 323.*

---- ---- Nam quicquid pulvere ſiccô
Separat, ardentem tepidâ Berenicida Lepti,
Ignorat frondes. ---- ----

BERENTHEACES, Arcadiæ fluv. qui in Alpheum influndit: in ejuſdem ripa eſt Berenthe oppid. Pauſan. *l. 1.*

BERES, urbs Thraciæ *Steph.*

BERETHIS, Æthiopiæ vicus circa Nili plagam Orientalem. *Ptol.*

BERETRA, vide *Belegra*, & *Beregra*.

BEREX, gens inter Indiam, & Æthiopiam. *Steph.*

BERFREDUS, machina bellica, in obſidione urbium olim adhiberi ſolita, de qua ſuprà diximus, in voce *Belfredus*.

BERGA, urbs Scandinaviæ maritima, ſita in ſinu flexuoſo, vulgò *Carmeſund*, cum arce valida *Bergenhuſium*. Emporium totius Norvegiæ celeberrimum olim fuit, ſocietatis Teutonicæ, ob commodiſſimum ac tutiſſimum portum; Unumque ex quatuor in Europa præcipuis, quæ ſunt Brugæ Flandriæ, Londinum Angliæ, Nugardia Moſcoviæ, & quartum Berga Norvegiæ. *Merel.* Gaudet portu capaci & editis montibus cincto. Ab eo Regio adjacens dicitur *Bergenſis* Præfectura. Paretque Regi Daniæ, cum tota Norvegia.

BERGA, oppidul. German. & caput Rugenſis Inſul. in mari Baltico, prope Pomeraniam. Sub Suecis, ab A. C. 1630. In monaſterio *Bergenſi* formula Concordiæ concinnata, A. C. 1577. Vide Hoſpinian. *l. 26. & 35.* in voce *Concordia*.

BERGÆ ad Zomam, urbs permunita Belgii, in Brabantia, ad Scaldim fluv. Marchionatus titulò clara ab A. C 1533. vel potius ad Zomam, qui in partem Scaldis prope illabitur. Hinc portus oppidi longus & nonnihil flexuoſus. Floruit multum commercio, ſub ditione Marchionum cognominum, quibus origo fuit à Johanne, filio naturali Johannis III. Brabantiæ Ducis. Ex his Johannes, cum Montiniaco, ad Philippum II. Hiſpaniæ Regem Legatus ab Ordinibus iit, infelici eventu, A. C. 1566. Poſteà Antverpiæ vicinitate & belli malis attrita eſt, donec fœderi adjicerentur. Fruſtra tentata à Parmenſi, A. C. 1588. Mauritio donata eſt, ab Ordinibus, hodieque ſub Hollandis. Fruſtra iterum tentata à Spinola Duce A. C. 1622. 7. leuc. ab Antverpia.

BERGÆ S. Gertrudis, Urbs Hollandiæ permunita, Principis Arauſicani, ſub dominio tamen Batavorum, in ora littorali. Huic nomen à S. Gertrude Pipini Landeni filia, quæ mortua eſt A. C. 664.

BERGÆ S. Vinoci, urbs Flandriæ, ſub Francis. Vide *Vinociberga*, ſeu *Fanum S. Vinoci*.

BERGAMSTELDT, prope Cantuariam in Anglia, ubi Concilium, A. C. 698. ſub Rege Wittredo.

BERGE, urbs aut vicus Thraciæ, ex qua natus eſt Antiphanes Comicus; unde proverb. Βεργαΐζειν pro *nihil veri dicere*. *Steph.* Incola *Bergæus*, *Heſych.* Βεργαῖος, ὁ ἀπὸ πόλεως Βέργης.

BERGENÆ, vel BARGENÆ, veſpillones, foſſarii. Vide Gothofredum *ad l. 4. princ. Cod. de ſacra Eccl. Barbari funerum elatores. Gloſſ. veter. Bargenna*, Cujac. in *Nov.* 43. Vide ſuprà in *Bargenna*.

BERGENSIS Regio, tractus German. ad Rhenum. Vide *Montenſis* ditio.

BERGEPOLIS, urbs Abderitarum. *Steph.*

BERGERACUM, urbs Galliæ in Petrocoricenſi provinc. ad Duranium fluv. olim munita, adhuc elegans eſt & dives, 5. leuc. à Petrocorio in meridiem.

BERGIDUM, urbs Hiſpaniæ, *Ptol.* *Berdun* vulgò dicitur. Aliis eſt Urbs Ilergetum, ad Cincam fluv. quæ nunc *Balbaſtre*, in Aragonia. Vide *Barbaſtrum*

BERGINTRUM, vel BERGNITRUM, *Antonin.* hodiè Centron, eſt cœnobium D. Bernardo ſacrum, idque in ſummo vertice Grajarum Alpium, ut prodit *Simlerus*. Baudrando eſt oppid. Centronum, nunc *S. Maurice* caſtrum ad Iſaram, in Sabaudia, verſus montem minorem S. Bernhardi.

BERGION, & ALBION, fratres, Gigantes, & filii Neptuni, qui cum Herculi Rhodani oſtia trajicere paranti, vi obſiſterent, à Jove imbre lapideò ſunt interempti. Mela *l. 2. c. 5.*

BERGISTANI, Hiſpaniæ populi Livio, *l. 34. c. 16.*

BERGIUM, Germaniæ urbs. *Ptol.*

BERGIUM, Saxonica vox, urbem, oppidum, burgum notans. Propriè autem *Berg* mons eſt, unde montem Apenninum, quò Sibyllæ antrum fuiſſe perhibent, Germani *Venus-berg* appellant. At etiam *Civitas*, & *habitatio*: fortè quòd primi mortalium in montibus habitabant, juxta illud Orphei in *Argonaut.*

Οὗ Σύμης ὄρος ἐστὶ πόλις τ' εὐθαλὴς λειμών,
Mons Symes hic urbs eſt, viridantis gramine pratum.

Vel quòd habitacula & caſtra condituri, in egeſto monte, ſeu loco aggere munito ædificabant. Hinc veter. Francorum *Mallobergium*, &c. Vide Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

BERGOMAS Jacobus, vide *Jacobus*.

BERGOMENSIS Philippus, vide *Philippus*.

BERGOMUM, oppid. Epiſcopale Italiæ Tranſpadanæ. Plin. *l. 3. c. 17.* ex Cluverii recenſione. *Oroboorum ſtirpis eſſe Comum, atque Bergomum, & Licini forum, & aliquos circa populos, auctor eſt Cato, ſed originem gentis ignorare ſe fatetur, quam docet Cornel. Alexander ortam è Græca interpretatione nominis, vitam in montibus degentium, in hoc ſitu interiit oppidum Oroboorum Barra, unde Bergomates Cato dixit ortos, etiam nomine prodente, eſſe altiùs quàm fortunatiùs ſitos.* Hæc ille. Scilicet Bergomatium etiam nomen prodebat eos altè, i. e. *in monte eſſe ſitos*. *Berg* quippe etiamnum Germanis eſt *mons*. *Hunc* verò Anglis *domicilium*. Vide Cluverium *Ital. Ant. l. 1. c. 25.* & *Germ. Ant. l. 1. c. 7.* In agro cognomine cum Caſtro, ſub Venetis ab A. C. 1508. inter Brembum & Serium fluv. *Baudrand.* Caput eſt territorii cognominis ſeque ſponte Venetis ſubjecit, A. C. 1408 Moreriùs ex Leandr. *deſcr. Ital.* *Scenam Litterariam Scriptorum Bergomat.* in lucem edidit Donatus Calvus.

BERGOS, vide *Berga Norvegia*.

BERGULA, Thraciæ urbs. *Ptol.* Βεργύλιον Cedreno, qui illud quoque *Arcadiopolin* nominatum tradit. *Bergas* hodiè *Mercatori*. In Copſalica regione Thraciæ, prope montem Rhodope, inter fluvios Melam & Arzum.

BERGUSIA, Ilergetum urbs in Hiſpania Tarraconenſi in Pyrenæis. *Pertus* hodiè dicitur *Varretio*, & *Beuthero*, ad Sicorim fluv. ubi nunc *Balaguer*, urbs Cataloniæ, 5. leuc. ſupra Ilerdam. Vide *Ballegarium*. Livius *l. 21. c. 19. 23.* & *Stephanus Berguſios* populos habent. Eſt & oppid. in Gallia Narbonenſi. Anton. *in Itin. Burgom.* 5. leuc. à Vienna in Ortum.

BERIA, fil. Aſer. Gen. *c. 46. v. 17.* qui 1 Paral. *c. 7. v. 31.* *Barsa* dicitur. Filius item Ephraim. 1 Paral. *c. 7. v. 23.* Latinè *in malo*, ſive *in clamore*, aut *in ululatione*, vel *in paſtu*.

BERILLUS, Boſtrenæ urbis Arabiæ præſul, cùm plura rectè pro religione ſcripſiſſet, ad extremum omnia corrupit, peregrina quædam adducens, & Chriſti divinitatem negans, A. C. 240. Quare præſules non pauci convenêre diſceptationis gratiâ; inter quos Origenes ita errorem ejus confutavit, ut redire eum ad ſanitatem compulerit. Euſeb. *l. 6. c. 28. & c. 36. 37.* Vide & *Beryllus*.

BERIM, regio in tribu Nephtalim, cujus in libris Regum in Hebræo textu fit mentio, 2 Reg. *c. 20.*

BERINSONA, oppid. Inſubriæ ad Ticinum fluv. *Belinzona* hodie dicitur. Vide *Belitio*.

BERJOLIUM, oppidul. Franciæ, in Provincia. Vix. 3. leuc. à Brinolio in Septentrionem, & 3. à Regio in Auſtrum.

BERIPARA, Thraciæ oppid. *Procop.*

BERIS, ſive potius BARIS, Armeniæ Mons, in cujus vertice quidam falsò arbitrati ſunt veteres, multos tempore diluvii ſervatos, ibique Noe Arcam appulìſſe. Item Cappadociæ fluv. Arrian. *in Periplo.*

BERLANDUS Petrus paupertimis natus parentibus, Archiepiſcopus Burdegalenſis evaſit. Continuavit *Chronologiam*, Pragmaticam ſanctionem recipere noluit, Univerſitatis Burdegalenſis auctor, A. C. 1441. Obiit A. C. 1453. Sammarth. *Franc. Chriſt. tom.* 1. *p.* 22.

BERLINGERIUS Marſilius, Nicolai fil. Poëta idem ac Geographus, A. C. 1480. ut arguunt ſex libri, quos de Geographia Ptolemæi fecit, carmine Italicò, ad Fredericum Urbinatium Ducem, cum pluſimis æneis tabulis.

BERLINUM ſeu BEROLINUM, urbs permunita Germaniæ in media Marchia Brandeburgica ac Spreum fluv. Electoris ſedes. Urbs duplex eſt, cujus pars una propriè Berlinum, altera, quæ trans Spreum, Colonia dicitur. 10. leuc. à Witteberga in Boream. *Nic. Lloydius.* Acceſſit hactenus, *Dorotheopolis*, German *Dorotheen-Stadt*, ſub Friderico Wilhelmo Electore à nomine uxoris poſterioris & hodie *Friedericopolis*, ſeu *Friderichſtatt*, ſub hodierno Electore Friderico III.

BERMUDA, in tabulis dicitur, quæ aliàs *Barbados*, inſula Americæ ſyrtibus ac procellis famoſa, quam Angli hôc tempore colonis frequentant. Vide Meriani *tom. 13.* *Americ. ſect. 3. de Bermuda ſeu Summers inſula.*

BERNA, vulgò BERN, Helveticarum urbium potentiſſima, in Pago Aventicenſi, in longum porrecta, ad Arolam, quæ eam ferè totam concludit: eleganti & pervenuſtâ ædium omnium & viarum ſimilitudine, nulli urbium quàm ſibi ſimilis. Inter Solodurum, & Friburgum ſita, a Berchtoldo IV. Zeringiæ Duce inchoata, à filio verò ejus Berchtoldo V. conſummata eſt, & ab augurio primi occurrentis Urbi nomen accepit, A. C. 1191. *Myconio* prout *Arctopolis* dicta. Hic ultimus Zeringiæ Ducum offenſus nobilitati, cujus fraudibus filios ſuos amiſit, urbem à ſe conditam Imperio Romano attribuit, libertateque donavit: Jus civitatis nactam ab Henrico VI. & Philippo II. Imperatorib. Ratum id habuit Fridericus II. & ab obitu Zeringii, A. C. 1218. nomine Imperii urbi præfectum dedit: à cujus jure, ob fortem & fidelem operam navatam, paulò poſt exempta, majoribuſque immunitatibus donata eſt. Kyburgium Comitem primùm infeſtum ſenſit, cui ut pares eſſent Bernenſes, ſeſe in clientelam Sabaudiæ Comitis dederunt, cujus ſuaſu ampliata urbs eſt, A. C. 1228. quæ, bellô inter Burgundos & Sabaudos exortô, ob rem pro his ſtrenuè geſtam, præmium fortitudinis libertatem recuperavit: in fœdus amicitiamque perpetuam à Comite ſuſcepta. Bello implicita contra Gothofridum Habſpurgicum, A. C. 1241. non ex voto rem geſſit. Cum Friburgio fœdus pepigit A. C. 1243. ſimiliter cum Valeſianis, in 10. annos, A. C. 1251. A Rodolpho Habſpurgico, Imperatore, obſeſſa A. C. 1287. hoſtem etiam filium Albertum Imperatorem experta eſt, cum quo prope urbem conflixit, non ſine ſuorum ſtrage, A. C. 1291. Felicior contra Comitem Sabaudum, qui multorum Principum opibus adjutus, hoſtili turmô Bernenſes aggreſſus eſt, annô eôdem, hunc enim ab auxiliô Comitum Kyburgiorum & Arbergii, civitatiſque Salodorenſis uixi, ingenti prælio, in colle, qui à tonitru nomen habet, vicerunt, Duce Ulricô Erlachiô. Hinc fines ampliati, & Lupenſi prælio, Uriis, Suitiis & Underwaldiis adjuvantibus, Duce Rodolphô Erlachiô, hoſtes graviſſimâ clade affecti ſunt, A. C. 1339. Exin contra Friburgios, qui Auſtrio ſe in clientelam dederant, & vicinam nobilitatem, non minori ſucceſſu, pugnarunt, ad Schonenbergium, eôdem annô, ipſaque oppidi ſuburbia incenſa ſunt: pacem Agnete Ungaricâ conciliante; ut alia taceam. Rurſus auctior urbs reddita, A. C 1346. cum Friburgenſibus novô fœdere coiit. Litem dein illi cum Argentinenſibus ortam, arbitri ſopivêre. Cùm autem nobilitatem, utpote in Auſtriorum clientela, ſem-

ſemper experta eſſet infeſtam, cum tribus Pagis, Urio, Suitia & Underwaldio, perpetuò fœdere conjuncta eſt, A. C. 1353. cui poſtquam & reliqui acceſſerunt, ſecundum inter Cantones locum obtinuit. Poſt plurima ſequentibus temporibus egregiè geſta, A. C. 1336. Argoviam, Sigiſmundi Imperatoris juſſu, tempore Concilii Conſtantienſis, occupavit, pignorique accepit, A. C. 1415. Vide *Argovia*. Ducem quoque Sabaudiæ, ditionibus ſuis, in Aventicenſi pago & regione Vaudi, Genevam uſque Bernenſes exuerunt, eò quòd Urbem hanc ſibi confœderatam Dux infeſtâſſet, &c. Tragœdiæ 4. Dominicanorum, quibus cum Franciſcanis, de conceptione B. Virginis vetus contentio fuit, memoratu dignæ, A. C. 1507. ut & Urbis prob[a]ior Hiſtoria, videatur apud Stumpf. *Chron*. Diſputatione de variis articulis Chriſtianæ fidei, habitâ A. C. 1528. cùm Monachi malè cauſam tuerentur, communione Latinâ desertâ, Euangelium amplexa eſt Urbs, habuitque inter primos Reformatores Hallerum Theologum inſignem. Abrah. Scultetus in *Annalibus*: Militiam ſimul mercenariam abrogavit, &c. Inſignia Urbis urſus niger, in viridi ceſpite & campo albo, primitùs fuêre, quæ poſteà cur & quomodo immutata, apud præfatum Stumpfium legere eſt. Vide & Simlerum *de Republ. Helv.* &c. Hic etiam Valentinus Gentilis ob blaſphemias capite plexus eſt: quam Hiſtoriam Ben. Aretius literis conſignavit. Caput eſt Pagi cognominis, de quo infrà. Glareanus de hac urbe, *in Panegyr. Helv.*

Accede ô memoranda mea Urſina propago
Carminibus, gens Aonidû bene digna cothurnô,
Mæoniaque lyra, & Phœbi laudanda Camœnis.
Urbs aliis prudens, urbs tot regnata per annos,
Tot populis, tot caſtellis, tot & arcibus alta:
Uni quæ nobis pugnando reſtituunt rem,
Hanc Arola undoſus, Rhodanique fugacior amnis
In circum lambit, ſcopuloque immurmurat unda.
Aſpice Dædaleos circos, Rhodiaſque columnas,
Et Labyrinthæum coelis vicinum aſtris,
Templum horrendum, ingens: ſint illud Mauſoleum,
Sed neque Pyramides, Memphitica marmora, tacent.

BERNABON, Vice Comes Mediolanenſis in ſuos, in vicinos ſævus. Eccleſiaſticorum contemptor: Proin, à Carolo IV. ac Urbano V. damnatus, & victus eſt A. C. 1363. Ob apros aliquot, qui agros vaſtaverant, interemtos, ad centum homines crudeliter occidit, eorum qui fugâ ſibi conſuluerant, domos combuſſit, &c. 5000. canum ſubditorum impenſis, aluiſſe dicitur. Tandem à nepote ſuo Jo. Galeacio, in carcerem conjectus, ibi obiit. A. C. 1385. ætat. 66. Corius *Hiſt. Mediol.* part. 3. Antonin. *tit.* 22. *c.* 2. §. 16. & *ſeqq.*

BERNABURGUM, Urbecul. Germaniæ cum caſtro in Principatu Anhaltino, ad Salam fluv. ubi Vipperam recipit, 4 leuc. Germanic. à Magdeburgo in Meridiem, 4. à Deſſavia in Occidentem. vide *Bernburgum*.

BERNACLÆ, vulgò BERNACLES incolis, Belgis *Rotganſen*, ſingulare eſt anatum ſeu anſerum genus, in Scotia, quod ex conchis, arboribus & ſimilibus naſci communiter perhibetur. Et certum eſt, conchas hujuſmodi reperiri, quibus contentum animalculum figuram anatis ſatis accuratè referat; Imò non in Scoticis tantùm, ſed & Angliæ littoribus, ad Mare Hibernicum, in portu *Milfordthaven* ac alibi, tanta ſæpè hujus generis animalium ſeu concharum copia navibus adhærere deprehenditur, ut earum curſum haud leviter impediant. Nec minus hodie extra dubium ponitur, aves haſce in inſulis Borealiſſimis ova parere & excludere; quod primò obſervatum Argonautis Belgicis, cùm initiò ſeculi hujus navigationes Boreales novâ viâ in Indiam Orientalem deregendâ ſuſciperent. Vide Cluſ. *de Reb. Exot. App.* 8. *p.* 368. Kircherium *M. S. l.* 12. *ſect.* 12. & Gerbardum de Veer *Itinerar.* Unde autem prima his anſeribus origo, anceps quæſtio eſt. Vult Kircherus, ova, quæ in glacie paſſim reperiantur, eâ rupta ſimul frangi, & fluctibus maris involuta, ad obvias Inſulas, quà fert maris impetus, appellere, ſicque fieri, ut ubicunque ovorum ſpermaticus humor convenientem matricem invenerit, in rimoſis corticibus camporum foliorumque cavitatibus, conchis aut ſimilibus, ibi ea diſpoſitione aëris interni externique facta ea perfectæ volucris ſemine perfectam volucrem ſenſim formari. Sed an ſemen perfecti animalis extra alvum genitale ſuum tamdiu integrum & proliſicum conſervari poſſit, ambigitur meritò, nec experientiâ hactenus comprobatum eſt. Et inſecta quidem, præter ordinarium generandi modum, ex putri etiam materia fiunt, ſed nunquam tamen, ſine latenti aliquo ſui generis ſemine, & imperfectiorem eorum conditionem eſſe, quàm reliquorum animalium, omnes probè agnoſcunt. Nec deiu ſimilitudo animalculi argumentum præbet, ſed ludenti Naturæ tranſcribenda eſt. Sic enim & Satyriorum aliqua perfectas imagunculas apum, murium, homunculorum referunt, nemine interea in verorum animalium claſſes eas recenſente. Nec *Boramez*, Tartarorum planta ideo agnus eſt, quia aliqua inter eam veroſque agnos convenientia intercedit. Vide Auctorem Anonymum *Hiſt. Orbis Terr. Geograph. & Civ. c.* 5. *ubi de Inſulis.*

BERNACUM, vulgò BERNAY, oppidum Galliæ, in Lexoviorum finibus, Abbatiâ ſuâ nobile, ad Carentonem fluv. Vide Hadr. Valeſ. in *voce Riſeis flum.*

BERNAMA, Edetanorum in Hiſpania oppid. *Ptol.*

BERNARDI Urbs, Urbecul. Germaniæ in Sileſia & Ducatu Olſnenſi, ad Vendam amnem. *Bernſtad* vulgò. 3. leuc. ab Uratiſlavia in Ortum verſus Poloniam.

S. BERNARDI Congregatio, à Martino Verga fundata, Ciſtertienſium regulâ veteri renovatâ, in Hiſpania. A. C. 1425. Albert. Miræus, *l.* 1. 4

BERNARDINI, ordo Religioſorum in Eccleſia Romana fundatus à Roberto Abbate Moliſmenſi. Regulam ſequuntur Benedicti, ſed quod à Sanct. Bernardo reformati ſunt, inde nomen accepêre. Togam geſtant putam, cum ſcapulari nigro, & cùm ſacra obeunt, induti ſunt tunicâ (*Coule* iis Gallicè dictâ) albâ, amplâ & largâ, unimdeque manicatâ, cum caputio ejuſdem coloris. Vide *Odoardum Fialettum.*

BERNARDINUS Balde, Urbinas, Geographus & Hiſtoricus celebris.

BERNARDINUS de Beſſa, Franciſcan. Bonaventuræ ſocius. Scripſit *epitomen Legendarum ſui ordinis & Chron. Generalium.*

BERNARDINUS Corius, Mediolanenſis, auctor *vitæ Imperatorum, Chronicorum Mediolanenſ.* &c. Vide Geſnerum, *in Biblioth.* Voſſ. *l.* 3. *Hiſt. Lat. p.* 657.

BERNARDINUS Ochinus, Senenſis, Capucinorum Generalis exuit monachalem habitum, ut uxorem ducere poſſet. Polygamiam ſcriptò defendit; Obiit miſerrimè, in Anglia, omnibus exoſus, A. C. 1547.

BERNARDINUS Rutilius, ſcripſit *Vitas veterum Juriſconſultorum.*

BERNARDINUS Salinus, Mathematicus.

BERNARDINUS Senenſis, Franciſcanus obiit A. C. 1444. ſexennio pôſt, à Nicolao V. ſanctis inſertus. Scripſit plurima, 5. tomis, edita Parſ. A. C. 1636.

BERNARDUS, fil. Pepini, nepos Caroli M. Rex Italiæ factus, A. C. 813. quo Carolus jam miſerat filium alterius Bernardi, avunculi ſui, ſub cura Valæ ſeu Galonis. Ludovicum Pium thronô deturbaturus, tanquam majoris natu filius, ab Imperatore victus, captus, & excæcatus, triduô pôſt Aquis Sextiis obiit, A. C. 818. relictô filiô Pipinô, patre alterius Bernardi, Pipini & Heriberti. Hiſt. Gall. *in Ludov. Pio.*

BERNARDUS, Dux Saxoniæ, fil. Johannis, Vinarienſis lineæ auctoris, ex Dorothea Maria Anhaltina, fortiſſimi Ducis bellô Germanô-Sueciçô famam & *Magni* nomen obtinuit. Francofurti, nomine coronæ Sueciæ, Dux Franconiæ creatus. Poſt multas res præclariſſimè geſtas, Briſacum expugnavit A. C. 1638. ſicque

InVICto, fortIs CeCIDIT BrIſaCI aChILLI,
JungItVr & tantò DIgna pVeLLa VIrô.

Obiit A. C. 1639. Neoburgi. Naſſoviô, Erlachiô, Roſâ & Ehemiô exercitus curam habere juſſis. Ejus corpus aliquandiu cùm aſſervatum eſſet, demum magnificis exequiis à fratribus avito monumento eſt illatum: E quibus Wilhelmus Vinarienſem lineam continuavit, Erneſtus verò Gothanæ conditor fuit. Vide quoque *Bernardus Vinarienſis D.* Idem nomen uni ex Wilhelmi præfati filiis, cui Jena obtigit: ut & uni ex Erneſti iiſdem prædicti, fuit.

BERNARDUS, Dux Brunſuicenſis, filius Magni cognomine *Junioris* ſeu *Torquati*, fratre majore natu Friderico, qui in locum Wenceſlai Imperatoris depoſiti ad Imperiale faſtigium electus fuerat, extinctô, cum altero fratre Henrico, pari poteſtate rexit ditiones, & ultimô Comite Homburgicô Henricô A. C. 1409. defunctô Comitatum ſuis adjecit: Auctor rami Luneburgici. Eô genitus Otto cognomine *Magnus*, vel *Claudus* & Fridericus cognomine *Religioſus*, pater inter alios *Bernardi*, Adminiſtratoris Hildesheimii.

BERNARDUS, Marchio Badenſis, filius minor natu Rudolfi cognomine *Magni*, cum Ludovico Palatino bellum habuit. Pater *Bernardi*, qui Principatum Canonicatu Baſileæ commutavit, & Jacobi, in cujus elogiis recenſendis Æneas Sylvius totus eſt. Hôc genitus eſt, præter alios, *Bernardus*, cui Erlingæ habitanti deſponſata Magdalena filia Caroli VII. Francorum Regis, ſed vitam is Monaſticam amplexus, illam omiſit: poſt mortem ob id à Sixto IV. Pontifice Romano A. C. 1480. Sanctorum catalogo illatus. Obiit autem A. C. 1459. Frater Johannis Archiepiſcopi Trevirenſis, Georgii Epiſcopi Metenſis, Marci Canonici Argentinenſis, &c. qui ante reliquos dicendus erat, Caroli, cui Bernardus adminiſtrationem tradidit.

BERNARDUS, ex filio Chriſtophoro nepos Caroli prædicti, nactus Badenſem Marchionatum Badenſem ramum condidit; ſicuti ejus filius minor natu Erneſtus Durlacenſem orſus eſt. Primus in ſuas ditiones introduxit religionem Euangelicam, ac nomine Hiſpanicô Lucemburgenſem Ducatum gubernavit. Sexagenarius duxit Franciſcam Lucemburgicam Brienniam A. C. 1535. & poſt biennium moriens reliquit Philibertum ſucceſſorem, & Chriſtophorum, cui Rodemachera habitanda obtigit. E cujus filio Edoardo Fortunato, natus eſt Wilhelmus, pater inter alios *Bernardi* & Caroli *Bernardi*, quorum ille Romæ obiit A. C. 1649.

BERNARDUS, filius minor natu Alberti *Urſi* ſeu *Pulchri*, celeberrimi Principis, ex familia Aſcania, Saxonicæ ſtirpis conditor, ſicut frater ejus Otto I. Brandeburgicum ramum inchoavit. De Friderico I. Barbaroſſa Imperatore bene meritus, ab eo A. C. 1180. in Comitiis Herbipolitanis Ducatum Saxoniæ, exauctoratô Henricô Leone obtinuit; rutaceum ſertum inſignibus intulit; Witteburgæ, quam provinciam Conradi III. Imperatoris donô nactus fuerat, ſede fixâ. Idem Erdenoburgô deſtructô Lawenburgum condidit, & cùm Henricus VI. hæreditarium efficere imperium laboraret, ſe ſtrenuè oppoſuit. Deceſſit A. C. 1212. Juſtitiæ inprimis laude inſignis. Eô nati, ex Judita Danica & Sophia Thuringica, Albertus Saxonici & Henricus Anhaltini rami, fuêre conditores.

BERNARDUS, filius Erici IV. ex poſteris Alberti præfati, Dux Lawenburgicus, fratri Erico V. ſine prole A. C. 1435. demortuo, ſucceſſit. Ob aliquas lites cum Friderico I. Electore Brandeburgico, vaſtavit Prigniciam, ſed ipſe viciſſim à Friderico Erdenoburgum ſuum, de quo ſuprà, deſtrui vidit, & mortuus A. C. 1463. ditiones ſuas ac prætenſiones reliquit filio Johanni.

BERNARDUS I. fil. minor natu Henrici, Anhaltini rami conditoris, de quo ret. ô, Bernburgiam lineam orſus eſt; Sigfridô fratre Serveſtanæ auctore. Eô natus,

BERNARDUS II. patruo Ottoni Aſcanio ſucceſſit: ſed Albertus frater Epiſcopus Halberſtadius ab eo diſſidens, Aſcaniam capitulo Halberſtadio, ope viduæ Ottonis Eliſabethæ, quæ

cam

cam dotalem nomine adhuc poſſidebat, adſeruit. Ei ſucceſſit,

BERNARDUS III. filius, qui, quòd ab iiſdem Halberſtadenſibus ditione ſuâ vi dejectus eſſet, *Spoliati* cognomen adeptus eſt. Eum excepit filius

BERNARDUS IV. frater Henrici, (patris *Bernardi V.*) & Ottonis quos genuit.

BERNARDUS VI. & Otto lineam clausêre, ac ſeculô decimô quintô ſucceſſorem habuêre in Bernburgica ditione Georgium agnatum: cujus filius Erneſtus pater inter alios fuit Johannis, cujus fil. *Bernardus* cum Clara Brunſvicenſi in ſterili vixit conjugio: frater Joachimi Erneſti, qui unus totius Principatus fuit poſſeſſor. Hic, inter alios, genitus *Bernardus*, arma Henrici IV, Galliæ Regis auſpicia cum laude ſecutus, inde A. C. 1596. omnibus fortiſſimi Ducis muneris expletis, ad Agriam, à Turcis cæſus eſt.

BERNARDUS, cognomine *Acer*, vel *Celer*, vel *Saltator*, filius Boleſlai cognomine *Calvi* vel *Sævi*, Ducis Lignicii, frater Henrici, qui lineam Lignicianam continuavit, & Boleſlai, qui Suidnicenſem ortus eſt, obiit improlis, ſub finem ſeculi 13. Boleſlaô verò natus *Bernardus*, ſtrenuè ſe Bohemis oppoſuit, & cum reliqui A. C. 1357. Bohemis ſe addiſſent, ipſe ſolus è familia Poloniæ adhæſit. Et mortem A. C. 1347. ſucceſſêre ex Uladislai Loctici Poloniæ Regis ſorore nati Boleſlaus ſeu Bolco & Henricus. Frater verò Bernardi hujus Boleſlaus Monſterbergicæ lineæ fuit auctor. Idem nomen quoque fuit Ducis Falcobergii, rami Oppolienſis, Boleſlaô IV. nati & ſine maſcula prole extincti, A. C. 1455. Ut & filii Elimari I. Comitis Oldenburgici, qui Henrici Leonis miles fuit, &c. Vide Philippum Jacobum Spenerum *Sylloge* Genealogico Hiſtoricâ.

BERNARDUS, Patriarcha Antiochenus, per 36. ann. Ei cum Hieroſolymitano, ob limites, lis. Baron. *A. C.* 1099. 1136.

S. BERNARDUS, Burgundus, in loco *Fontanes* dicto, prope Divionem natus, A. C. 1091. circa 22. ætatis ſuæ annum, ſub Abbate Stephano, qui tertius fuit in Cœnobio Ciſtercienſi paulo antè inſtituto, unà cum 30. ſociis monaſticam vitam egit. Deinde verò Claravallenſi Cœnobio, tunc primum Roberti viri illuſtris impenſâ conſtructo, annos 36. præfuit. Ejus operâ, cujus tum voces *Oracula erant*, Innocentius II. Pontifex agnitus eſt, & Victor Antipapa ſponte renunciavit. Abailardum convicit, Monacho Rodolpho, omnes Judæos occidendos eſſe clamanti, ſe oppoſuit, Crucem in Turcas ſumi juſſit, ſub Ludov. Juniore lites Principum compoſuit. Templariis regulas præſcripſit, &c. Obiit A. C. 1153. Edidit *commentarios in Cantica*, *Conſiderationem divinæ contemplationis ad Eugenium Pontificem*, *varias inſuper epiſtolas*. *Sermones etiam in diebus ſolemnibus habitos*. *Volaterran*. Quæ opera omnia 6. tomis comprehenſa, cum ejus vita, edidit Meſſonius Horſtius, Parochus Colonienſis. Nullos habuit præceptores præter quercus & fagos. Hinc proverb. *Neque enim Bernardus vidit omnia*. Nec mirum, cùm medio in fatalia illa tempora, quibus literis omnibus ferè bonis ſpiſſa nox incubuit: *Vir digniſſimus meliori ævô, qui vel in tantis tenebris veritatis lucem ſalutarem aſpexit, vitiaque ſuæ ſæpe deploravit*, uti loquitur Mornæus in *Cauſa Regia*, c. 3. ſect. 7. Librum ejus de Gratia & libero Arbitrio pluri-mum laudat Voſſius; *Quæ præcavit noſtrô non indiget, cùm in delectu eſſe omnibus ſoleat, qui Catholicam ſententiam ſequuntur*. Ita ille *Hiſt. Pelag.* l. 1. c. 21. Certè eô *ſcelerum vadaſtum eſſe regnum Pontificium agnovit, ut vel ipſi Antichriſtus præſertim expectari queat*. Vide Sigon. l. 11. ad *A. C.* 45. 46. 47. Ejus tempore Hildegardis monialis prædixit, *futuram magnam religionis immutationem*. Petrus Bruis 20. *annis Tholoſæ pravorum dolorum docuit*, ob id etiam exuſtus. Thuan. *in Catal. teſt. ver.* & Henricus Monachus, *Miſſas pro mortuis*, *Sanctorum invocationem*, *cœlibatum*, *peregrinationes Chriſmatis & olei conſecrationes*, *ſuperſtitioſa feſta Tranſſubſtantiationem*, &c. acerrimè oppugnavit; in Galliam ferè totam doctrinâ ſuâ impleret, & *Baſilicæ ſine plebibus*, *plebes ſine ſacerdotibus eſſent*: ſub patrocinio imprimis Hildefonſi S. Ægidii Comitis & Tholoſæ: ſed in hos plebs excitata à Monachis, qualis & ipſe Bernardus, tam crudeliter ſævit, ut id huic vehementer diſpliceret, dicenti, *approbamus Zelum*, *ſed factum non ſuadem*, *quia fides ſuadenda eſt*, *non imponenda*. Morn. *in myſt.* p. 683. Bern. l. 3. c. 5. *Ep.* 240. 241. *Serm.* 66. *in Cantic.* & 80. Cæterùm de illo vide Trithem. & Bellarm. *de Scrip. Eccl.* Sammarthan. *Gall. Chriſt.* tom. 11 p. 553. &c. Hujus lectioni Carolus V. in ſeceſſu ſuo præcipuè deditus, ejus maximè de duplici hæreditate Chriſti diſcurſu, in agone mortis ſe ſolatus eſt. Thuan. l. 4. *Bernardum*, verò Monachi Cluniacenſes dictum volunt, quaſi *bonum nardum*, alii quaſi *Hard-child*. Germani ab *urſo* dici volunt, qui illis *Bere* dicitur, ut reſpondeat τῷ *Arthur*. Aliis dici videtur, quaſi *filiolus indoles*; Sic *Bernher*, *Lord of many children*. Camdenus, *Mr. Lloydius*. Addo, quod ex Caſtilione, nobili genere, ortum dicat, Poſſevin. *Doctoris melliflui* elogiô inſignitus eſt. *Eô quòd gravem ſcripſit, cujus opera dedicationes rivum Paradiſi*, *Ambroſiam animarum*, *Pabulum Angelorum*, *Medullam pietatis vocare ſoleo*. Hemſius. *Vir & Chriſtianè doctus*, *& ſanctè facundus*, *& pie feſtivus*, Eraſmo. *Pater patriæ* ſalutatus eſt à Populo Romano quòd litem inter Antipapas compoſuiſſet, *Sigonius*.

BERNARDUS A. C. 1210. Congregationem pauperum Catholicorum inſtituit, oppoſitam Valdenſibus, qui *pauperes de Lugduno* dicti.

BERNARDUS Comes Judithæ Imperatricis ſautor. Immixtus turbis filiorum Ludovici Pii. Mezeray, *in Ludov*.

BERNARDUS Bottonus, Parmenſis, floruit circa A. C. 1240. Bononiæ, ubi etiam Canonicus creatus eſt, diu Decretales profeſſus, poſteà Sacri Palatii Quæſtor eſt declaratus: Academiæ tandem Bononienſi præfectus, *Gemmarum Cancellarius* dictus eſt. Epitaphium ejus in majore Templo Bononiæ ſic habet:

BERNARDUS BOTTONUS CANCELLARIUS STUDII BONONIENSIS, QUI SCRIPSIT APPARATUM AD DECRETA, JACET HIC.

Vide infrà in *Bottonus*.

BERNARDUS Breitenbachius, *Itinerarii Terræ S. auctor*.

BERNARDUS Cardinalis, à Clemente VI. in Hiſpaniam miſſus, A. C. 1343. Alius, A. C. 1345.

BERNARDUS Circa, Papienſis, primus Collector Decretalium, poſt Gratianum. Vide infrà *Circa*.

BERNARDUS Comenſis, auctor *Lucernæ Inquiſitorum*, quæ cum *Adnotationibus* Fr. Pegnæ Romæ, prodiit A. C. 1584. Item liber de *Strigibus*, quem idem *Nota* illuſtravit.

BERNARDUS Compoſtellanus, auctor tertiæ compilationis Decretalium, vide Gerhard. von Maſtricht *Hiſtor. Eccleſ. Juris cum.* 348. 349. Item *de priſcis Hiſpaniæ Regibus* ſcripſit.

BERNARDUS Georgius, vide *Georgius*.

BERNARDUS Girardus, Hiſtoriographus Galliæ, ſub Carolo IX. Accuratiore methodô res Gallicas deſcribere aggreſſus, quàm anteceſſores fecerant, non ſulit omnium eruditorum punctum. Plagii certè & fidei non optimæ accuſatur, à Moreno, *ut addit*. Idem edidit librum, *De l'Etat & ſucces des affaires de France*. Obiit A. C. 1610.

BERNARDUS Gualterus, Mathematicus.

BERNARDUS Guidonis, Lemovicinus, Chronicon Paparum, Imperatorum, & Regum Galliæ edidit, &c. A. C. 1330. Voſſ. *de Hiſt. Latin.* l. 5. c. 62.

BERNARDUS Lucemburgenſis, hæreticorum Catalogi auctor.

BERNARDUS Martinus, vide *Martinus*.

BERNARDUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

BERNARDUS Noricus & *Rucellarius*, Hiſtorici, ille Bohemiæ, hic Florentiæ, Leand. *Deſcr. Ital.*

BERNARDUS Seiſſetus, Bonifacii mancipium, Epiſcopus Apamienſis, à Philippo pulchro, ob linguæ impudentiam, in vincula conjectus.

BERNARDUS Salniacus, Arithmeticam edidit.

BERNARDUS Vinarienſis Dux, rebus in bello Germanico præclarè geſtis, celeberrimus. Qui cùm victricia Hornio & Bannero junctus diu circumtuliſſet arma, poſt Guſtavi Adolphi mortem confœderatis exercitus Dux, inſigni clade ad Nordlingam, A. C. 1634. à Ferdinando, Ferdin. II. filio victus, non tamen fractus eſt. Copiis enim novis Gallicô ære comparatis, jam Archiſtrategus Gallo-Suecicus, in Alſatia & Lotharingia, fortis & felix, unicô annô hoſtibus ter acie victis, Rhinfeldiaque expugnatâ, & gloriæ cumulô, Briſacô, A. C. 1638. Obiit annô pòſt, ſatô an venenô? nam & hoc traditur, Neoburgi ad Rhenum.

BERNAVA, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſ. non procul à Cæſarea Auguſta, vulgò *Bruavar*.

BERNBURGUM, oppid. in Anhaltino Principatu: ſub Principe ex illuſtriſſima hac Familia: quæ primò in Serveſtanam & *Bernburgenſem* lineas diviſa eſt, ab Henrici Senioris, quem Fridericus II. Imperator Principem Anhaltinum creavit, filiis Sigfrido & Bernardo. Huic Bernardo ſucceſſit Bernardus II. fil. pater Bernardi III. qui Aſcaniâ ab Halberſtadienſibus ejectus, *Spoliati* nomen habuit. Hôc præter alios natus Otto eſt, qui Bernardum V. & Ottonem genuit, ſine prole extinctos: Succeſſit ſeculô 15. in Bernburgica ditione Georgius agnatus. Rurſus dein Joachimi Erneſti, qui ſolus, poſt plura ſecula, totius Principatus ſucceſſor fuerat, filius Chriſtianus, *Bernburgicum* ramum cepit: laude militari inclytus. Hic A. C. 1591. in Galliam auxiliarem exercitum adduxit. Inde 1592. in Argentinenſi bello operam ſuam Brandeburgicis navavit. Vide Thuan. l. 101. 104. 133. Ex eo in Unione ipſe unus è præcipuis & arcanorum omnium particeps, atque Vicarius generalis fuit: illiuſque auſpiciis A. C. 1610. Juliacum cum Mauritio Naſſovio cepit. Obiit A. C. 1630. relictis Chriſtianô Juniore (qui mortuus A. C. 1656. filiis ex Eleonora Holſata Victori Amedeo & Carolo Urſinô ſucceſſionem tranſmiſit.) atque Fridericô, Harzkerodæ dominô. Cui ex priori conjuge Johanna Eliſabetha Naſſovia Wilhelmus natus eſt. Vide Spenerum *Syllog. Geneal. Hiſt.* & ſuprà in voce *Bernburgum*. Urbem Albertus II. Aſcanius, qui etiam Aſcaniam arcem ab Radbodo extructam, à Pipino dirutam, reſtauravit, condidiſſe dicitur. Pfannerus *de præcip. Germaniæ Principum gentibus* c. 10.

BERNE, Gallorum antiquâ linguâ, ſagum eſt, obſervante Cujacio *Tract.* 8. *ad African.* unde vox *Berner* Gallis uſurpatur, pro ex laſcivia, quâ delectatum Othonem narrat Suetonius c. 2. quâ ſcil. diſtento ſago impoſitus in ſublime jactatur. cujus etiam meminit Martial. l. 1. *Epigr.* 4. v. 8.

Ibis ab excuſſo miſſus in aſtra ſago.

Ut & Ulpianus *tit.* 1. *collat. Leg. Moſaic.*, ubi Pithœus primus advertit, hoc ludi genus *ſagationem* appellari & παλμὸν reddi in *Gloſſar. Latino-Græc.* quo proinde locô *ſaliſſationem*, legi debere, fruſtra contendit Joſias Mercerus *ad Auguſtinum*. Caſaubon. verò *ad Sueton.* vocem *berner*, à Græcè *βέρνεσθαι* accerſit; ita enim Dores pro *παίεσθαι* dixiſſe, ex *Heſychio* docet. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà, voce *Sagum*.

BERNEGGERUS Matthias, Halis Auſtriacus, Scholæ Durlacenſis primò, tum Argentinenſis, Rectoratu defunctus, Hiſtoriarum in eadem Academia Profeſſor creatus eſt, A. C. 1613. Obiit A. C. 1640. ætat. 58. Auctor *Titi Imp. vita*, *cum Animadverſionibus & Notis*, *Tuba pacis*, *Quæſtionum in Taciti Germaniam & Agricolam*, aliorumque complurium ſcriptorum Hiſtorico-Politicorum. Idem *Galilæi Syſtema Copernicanum* ex Italico Latinè vertit, *de Fabula Idoli Lauretani*, librum edidit: *Epiſtolas tandem ad Grotium & Kepplerum*, Ora-

Orationes &c. luci dedit. P. Freherus *Theatrô Viror eruditione clarorum.*

BERNENSES, populi Rhætiæ, quorum urbs *Bern Ortelio* dicitur, qui valde fallitur, cum Berna urbs ſit Helvetiorum inter Salodoram & Friburgum urbes ſita, apud fines Equeſtrium, longiſſimè à finibus Rhætorum diſtans. Hæc urbs ad fœdus Helveticum admiſſa A. C. 1353. *Nic. Lloydius.* Hi populi ſunt forſan *Veronenſes*: quamquam communius in Gallia Tranſpadana in finibus Cenomanorum ponatur eorum primaria *Verona. Baudrand.*

BERNENSIS Pagus, à Berna, capite nomen habens, inter omnes Helvetiorum Pagos ampliſſimus, per 30. milliar. extenſus, & in Præfecturas complures diviſus eſt. Harum aliæ *Germanica*, aliæ *Gallica* dicuntur. *Illarum* quatuor ſuburbanæ ſunt, quibus totidem urbis ſigniferi præſunt; præter eas 27. aliæ: Nempe Haſelia vallis, quæ *Ammanum* quidem habet ex ſuo corpore; verùm hic à Senatu Bernenſi deligitur, & huic rationem reddit. Underſea oppid. cui præponunt *Schuldheſz*, ut vocant: Simmia vallis duplex, quarum præfectos Caſtellanos *Schachtlan* vocant: Frutinga, Sana, Aquilegi, vel, ut alii malunt, Salinæ, vulgò *Æelen*: Cujus præfectus *Gubernator* appellatur. Laupa, Thunum, cujus par, ac Underſeæ, ratio. Signovium, Trachſelvalda ac vallis Emmæ flov. Brandiſium, cujus præfectus à Domino de Brandis eligitur, ſed ex civium Bernenſium numero. Simiſulda, cujus præfectum conſtituunt Teutonici ordinis Magiſtri. Burgodorphum, Pyrenoſtica, quæ duæ præfecturæ eôdem modô, quô Underſea, adminiſtrantur. Landeſhutum, Arbergum, Nidovium, Erlacum, Bippium, Wanga, Arwanga, Arburgum, Biberſteinia, Schenkenbergum, Lenteburgum: Et tria libera oppida Zofinga, Arovium & Brugæ Helveticæ. *Iſtarum* octo ſunt: Aventicum, Minnodunum, Ebrodunum, Lauſanna, Morgiæ, Novidunum, Oranum, Zilia cum Viviaco vel Ubiſco. Præterea quatuor Præfecturæ, Moratum nempe, Schwartzenburgum, Granſonium & Chalantum, Bernenſibus cum Friburgenſibus communes ſunt. Cœnobiorum tandem Præfecturas in agro Germanico Bernates novem, in Gallico tres poſſident. Simler. *de Republ. Helv. &c.*

BERNICE, *Βερνίκη*, Græcis recentioribus electrum eſt, unde nomine factô juniperi gummi *Vernicem* hodie appellant Galli: nam & candidum eſt electrum & cereum & fulvum. Utuntur autem eô gummi pictores ad illuminandos colores. *Bernice* verò ex *Beronice*, quod recentiori ævô nomen ſuccino inditum eſt, gummi genus eſſe credito. *Neophytus*, ἤλεκτρον ... χρυσοειδής, ἄλλοι δὲ φασιν, ὅτι τὸ αἰγύπτιον ἐστι τὸ κομμίδιον, ἔστι δὲ ἡ βερονίκη. *Nicomedes* ἤλεκτρον χρυσοειδὲς, Βερνίκη. *Idem*, βερονίκη, ἤλεκτρον ... Quô ſenſu capienda vox, apud Myrepſum *de Antidotis* 317. Βερονίκη, *vernicis*, i. e. *Succini*. *Coralli* &c. Ubi pro herba *Veronica* vocem nonnulli malè acceperunt. Ab eo porro *Beronice* electro genus nitri inbri *Βερονίκειον* dictum eſt, quod *fulvo* eſſet *ſuccino* ſimile, apud eundem Neophytum & Nicomedem, laudatos Salmaſio *ad Solin.* p. 1106.

BERNINUS Eques, Architectus & Sculptor celeberrimus, cujus ſculptoriæ artis ſpecimina, in luſu pueri cicadam captantis elaborata, aſſervantur in *Muſæo* Kircheriano Romæ. Vide Georg de Sepibus in *Deſcript. hujus Muſæi* p. 1.

BERNO, Abbas primò San-Gallenſis, dein Augiæ majoris, prope Conſtantiam, A. C. 1008. Interfuit coronationi Henrici II. A. C. 1014. Scripſit multa. *Munſter.* Item, Abbas Gigniacenſis, ſub initium ſeculi IX. qui primus etiam fuit Cluniacenſis Abbas. Baron. *A. C.* 912. Sed non fuit Hincmari diſcipulus, ut contra Voſſ *de Hiſt. Lat. l.* 2. c. 44. notavit eruditiſſ. Morerius, hic enim obiit A. C. 881.

BERNOULLI Jacobus, Baſilienſis, Philoſophus, Poëta *ἐπιγλωττος* & Mathematicus inprimis excellens. Oriundus Majoribus, tempore Ducis Albani ob religionem patriâ Antverpiâ pulſis, Baſileæ, lucem vidit annô vergente 1654 die 17. Decembr. Excuſſô pulvere Scholaſticô, Linguarum, Poëſeos & Philoſophiæ tum uſitatæ, principia ex inſtitutione Auctoris hauſit. In Mathematicis *αὐτοδίδακτος*, jam peradoleſcens Problema non incelebre *de inveniendo anno Periodi* Julianæ, *ex datis tribus Cyclis, Solis, Lunæ & Indictionum, occaſione propoſ.* 2. *part.* 1. *Delic. Mathem. Schwenteri* propriô Marte ſolvit. Burdigalæ dein *Tabulas Gnomonicas univerſales* (nondum publicatas) *condidit.* E Gallia in Patriam reverſus occaſione illuceſcentis Cometæ, *ingenii quendam luſum de futura altera ejus apparitione* edidit. In Belgio ea*t*, *de Gravitate Ætheris* tractatum conſcripſit, inde in Angliam trajiciens, Societatis Regiorum congregationi hebdomadariæ interfuit, Boylii familiaritate uſus. Inde redux, *Collegium Experimentale Phyſicô-Mechanicum* aperuit, primuſque rerum harum pulcherrimarum in urbe noſtra Auctor & evulgator extitit. *Profeſſor* mox *Mathematum* conſtitutus, præcipuos Auctores & ſibi Legit, & Fratri aliiſque explicare cœpit, itaque docendo ac meditando ſic profecit ipſe, ut jam interioris Geometriæ adyta non tantùm brevi recluderet ac præſtantiſſima tam veterum quàm Recentiorum inventa ſibi plana perſpectaque redderet, verùm etiam propriis inventis ſcientiam quotidie magis magiſque locupletaret, ac perficeret. Ejus enim operâ incrementum illud brevi cepit Geometria, quod antehac nondum habuit, dum novas ſubinde Artis regulas novaque principia eruit, plurimaſque quæſtiones aut nulli Geometrarum tentatas aut tentatas quidem, ſed impervias, ſolvit, ut in *Ephemeridibus Gall.* & *Actis Erudit. Lipſienſibus* videre eſt, ex parte; reliqua enim etiamnum preſſa latent. Inter cætera, porro *novam rationem metiendi cubicam altitudines & ponderandi aëris ſub aqua adinvenit*, *paralogiſmum in illo ponderando per veſicam commiſſum ſimul oſtendens*, *Centrum Oſcillationis ex natura Vectis demonſtravit.* Problemata illuſtria, *de quadriſectione Trianguli Scaleni per duas normales rectas de minimo crepuſculo determinando*, *de aſſignanda portione ſuperficiei Sphæricæ æquali dato cuivis plano*, *de ſupputandis reſiſtentiis corporum motorum in fluido & fluidorum contrà actione in ſolida*, aliaque plura ſoluta dedit. *Radii viſualis per medium inæqualiter denſum tranſeuntis, velique ventô inflati curvaturas* primus exhibuit, indeque regulas *ad artem Nauticam* utiliſſimas confecit; *Curvam Elaſticam*, it. *Acceſſus & Receſſus æquabilis ad punctum dat um*, lineam magno Geometræ Leibnitio tantopere deſideratam) ſolus reperit. *Relationem illam adeo ſimplicem inter Evolutas & Cauſticas*, maximi momenti inventum indeque *Spiræ mirabilis mirandas proprietates* primus detexit: & *Methodi Tangentium inverſa*: nec non *Serierum infinitarum* artificium plurimùm promovit, novaſque quaſdam dedit. Nunc in adornanda *Editione Geometriæ Carteſianæ* & Notis ad illam, verſatur. *Artem* quoque *Conjecturandi* meditatur, ubi ratiocinia in ludis aleæ ad moralia, civilia & œconomica applicare docet, ſolutô cum in finem ſingulari quôdam Problemate, quod tum utilitatis amplitudine, tum inventionis difficultate ipſi Circuli Tetragoniſmo longè præponit.

BERNOULLI Johannes, Jacobi Frater natus initiô anni 1667. die 27. Julii, poſt ſtadium Philoſophicum feliciter decurſum ſtudium Medicum tanquam ſuum ἔργον complexus fuit: Interea temporis ad imitationem Fratris *univerſam Matheſin*, ceu ſtudium utiliſſimum ad Medicinam, diligenter & quem optâunt ſucceſſu excoluit, ubi *ſex priorum Elementorum Euclidæorum* Explicatorem: & poſteà Inſtigatorem habuit Fratrem. Propriô verò marte non ſolum omnes partes vulgaris Geometriæ per continuam lectionem librorum ſibi familiares reddidit, ſed brevi ultra illius pomœria provectus interioris Matheſeos myſteria detegere novaque Eruditorum inventa novis inventis ditare cœpit: quotidie ſermocinando cum Fratre alter alteri fuit incitamento & auxilio ſuaque inventa ſibi mutuo adaperuerunt, ita ut quaſi certatim problemata difficiliora proponere & viciſſim propoſita reſolvere nunquam acquieverint; Et hôc modô clavus clavum trudebat: ſub hoc tempus cùm ſpecimen novi calculi, *differentialium* dicti à Celeb. Leibnitio in *Actis Lipſienſ.* publicaretur, hoc ipſi anſam dedit penitùs rimandi *profundioris Geometriæ* latibula, quod adeo feliciter ceſſit, ut ejuſdem calculi Leibnitiani inverſum, detexerit, quem novô nomine nunc paſſim uſitatô *integralium* inſignivit, cujus egregium ſpecimen & primum quaſi juventutis fructum edidit in *Actis Erud. Lipſ.* per enodationem celeberrimi ſimul & difficillimi problematis *catenarii* vel *funicularis*, quod à longis retro annis Galilæo præſtantiſſimiſque Geometris tentatum quidem ſed irreſolutum manebat. Abſolutô ſtudiô Medicô quinquennali & conſcriptâ prius diſſertatione de *Efferveſcentia & fermentatione* cum adnexa inventione *Mobilis perpetui* purè artificialis quæ etiam benignos approbatores habuit inter ſubtiliſſimos Mathematicos, peregrinationem ſuam literariam aggreſſus iter fecit Genevam, ubi poſtquam aliquandiu commoratus & celebriorum qui ibi ſunt Virorum notitiam nactus, abhinc profectus eſt in Galliam, in qua ſtudii ſui Mathematici non paucos æſtimatores ſibi conciliavit, ſiquidem præcipui Galliæ Mathematici præſertim Academiæ ſcientiarum Regiæ Pariſienſis ejus amicitiam & neceſſitudinem ambire non dedignati fuerunt: Auctorem notiſſimum *ſcrutinii veritatis* Malebrancium ſibi amiciſſimum habuit, & congregationibus apud illum haberi ſolitis hebdomadariis interfuit; ubi primùm Illuſtris Marchionis Hoſpitalii à Majoribus totô Orbe clari amicitiam & ſummam benevolentiam impetravit, qui utut omnium totius Galliæ Mathematicorum ob multijugam quâ pollet in Matheſi notitiam facilè Princeps, eò tamen humilitatis progreſſit ut Cl. *Bernoullium* in Præceptorem ſuum adoptare illiuſque Informatione in interiori Geometriâ (de qua prius in Galliâ nihil cogitabat) uti non hæſitârit, qui propterea in Marchionis privatos uſus lectiones alternis diebus componebat, quæ cùm ibi principia calculi *differentialium* & *integralium* fuſiùs explicata dederit in juſtum volumen ad prælum omnino paratum excreverunt. Tum temporis nomen ſuum non incelebre reddidit per plurima inventa, quæ partim publicavit in *diario Pariſienſi* & *Actis Erud. Lipſienſ.* alibique, partim verò & quidem pleraque adhucdum ſuppreſſa aſſervat: durante peregrinatione invenit modum *calculandi curvas cauſticas* per vulgarem Geometriam Carteſianam, *ſeries Leibnitianas* quadraturis ſpatiorum & irrationalitatibus numerorum explicandis inſervientes penitus perſcrutatus eſt: *Determinationem minimi Crepuſculi* (cui anteà Frater diu inſudaverat) primus exhibuit. *Curvaturam radii ſolaris* vel *viſivi medium inæqualiter penetrantis* primus conſideravit, ejuſque generalem ſolutionem dedit; *Ænigma Florentinum* aliaque problemata celebria *de curvatura veli*, *de Evolutis*, *de Linchronis*, *de cycloidalibus*, *de curva æquabilis deſcenſûs aliiſque* vel inveniendis vel quadrandis vel rectificandis reſolvit; *Identitatem ſpiralis logarithmicæ cum ſua evolutâ* nunquam antehac cognitam, ex qua omnes cæteræ illius proprietates emergunt primus detexit: Hæc & alia non mediocrem ipſi in Gallia compararunt famam, ita ut niſi Religio & calamitas temporis obſtitiſſet facile in Academiam ſcientiarum Regiam cooptatus fuiſſet. Poſt reditum in Patriam non ceſſat commercium literarium fovere cum præſtantiſſimis Mathematicis, ac ſubinde nova inventa publicare, quæ à variis doctis cum applauſu recipiuntur, quippe qui benignas ſuas approbationes publicè proferre haud gravantur: Ex quo peregrinationem abſolvit, novam ſpeciem calculi, quem *percurrentem* vocat, adinvenit, cujus beneficiô problemata hactenus non conſiderata reſolvuntur, quæ aliàs per methodos vulgares nullas ſolutiones admitterent; Hujus calculi fundamenta & principia, ſi ipſi vitam Deus vires conceſſerit, publici juris faciet. Vocationem extraneam non ita pridem oblatam certis de cauſis recuſavit, & paulò pòſt à Magiſtratu Baſil. in *Geometram Publicum* unanimiter electus eſt. Nuperrimè diſſertationem conſcripſit inauguralem de *motu muſculorum*, ubi omnia mechanicè explicantur & dein gradum Doctoratus in arte Apollinea ſolemniter impetravit.

BEROA, oppid. Theſſaliæ, Cicer. *in Piſonem.*

BEROALDUS, Friſiorum Rex à Dagoberto Ultrajecti, conditore victus, A. C. 626.

BEROALDUS Matthæus, vide *Matthæus.*

BEROALDUS Philippus, vide *Philippus.*

BERODACH, Rex Babylon. 2 Reg. *c.* 20. *v.* 12. qui Eſai. *c.* 39. *v.* 1. dicitur *Merodach*.

BEROE, anus Epidauria, & nutrix Semeles, cui ſe Juno aſſimulavit, cum pellici perſuadere vellet, ut muneris locô à Jove peteret, ut talis tantuſque ſecum rem haberet, qualis quantuſque ſolebat cum uxore. Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 278.

Ipſaque erat Beroë Semeles Epidauria nutrix.

Item Dorycli uxor. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 620.

Fit Beroë Iſmarii conjux longæva Dorycli.

Item Nympha Peni, filia Oceani, ſoror Clius. Virg. *l.* 4. *Georg. v.* 341.

Clioque & Beroë ſoror Oceanitides ambæ,
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ.

Nic. Lloydius.

BEROEA, urbs Macedoniæ prope Ludiam fluv. à Pherone conditore dicta, mutato ph. in b. vel è Beroea filia Beretis, qui Macedonis filius fuit. Hujus meminit B. Lucas Actor. *c.* 17. *v.* 10. *Veria* hodie, teſte *Sophiano*. Sic enim Græculi hodierni pronunciant. *Boor* Turcis, uti author eſt *Leunclavius*. Lucian. *in Aſino*, Ἐρχόμεθα ἐς πόλιν Μακεδονίας Βέῤῥοιαν μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον. Item Syriæ urbs à Seleuco Nicanore Rege Syriæ & Babyloniæ condita. Aliàs *Beroë*, & *Berrhœa*. Steph. *Gyllius* & Choniates *Aleppo*, vel *Chalepolim* vocant. Ad Marſyam fluv. Emporium celebre, cum innumeris incolis, maximè Europæis, qui eò ob mercimonia conveniunt. Habet in circuitu 8 millias. Caſtrum munitum & 3. ſuburbia. Aliis autem *Alep* eſt Hierapolis. Populi *Beroeenſes*. *Idem.*

BEROLASIS, apud Car. du Freſne in *Epiſtola* Johannis VIII. cujus hic titulus; *Omnibus Epiſcopis Capuam, Neapolim, Capuam, Berolaſim, & Amalfim, Beneventum & Salernum incolentibus*: locus eſt in veter. Capua ad S. Stephanum, vulgari nuncupatione hodieque dictus *li Verlaſci*, Anonymo Caſinenſi *Berolas*, Heremperto *Berelaſis*, Latinè loquentibus *Amphitheatrum*. Neque mirum, ſi Epiſcopus in veter. Capua conſtitutus *Suricorum* vel *Berelaſis* nuncupabatur, cùm illis in vicis inſigniores Eccleſiæ eſſent. Vide eundem Johannem *Ep.* 265. & Ughellum in *Epiſcopis Capuanis*.

BEROMI, civitas. 2 Sam. *c.* 23. *v.* 31. quæ 1. Paral. *c.* 11. *v.* 33. dicitur *Baarumites*, Latinè *filius caloris*, vel *indignationis*, aut *puteus*, ſive *frumentum indignationis*, vel *fugiens aquam*.

BERONES, populi ſub Celtiberis, inter Autrigones, Cariſtos & Pelendones, juxta Iberum fluv. ubi nunc pars Rigoviæ provinc. Eorum primaria erat Tritium, nunc *Trejo* quibuſdam & eorum veſtigium in oppid. *Briones*, ad Iberum fluv. ubi recipit Tironem amnem. 6. leuc. à Dominicopoli in Boream.

BERONICE, vide *Berenice*. It. *Bernice*.

BERONICES Portus, *Tab. Peutingeriana*: *A Copto Beronicide portum Phœnice* XXII. *Affrodites*, XXIIII. *Didymos*, XX. *Compaſsi* XXV. *Dios* XXII. *Xeron* XXIIII. *Philacon* XXIIII. *Apollonos* XXIIII, *Cabau* XXVII. *Cenon nidroma* XXIIII. *Pernicide portum* XXII. Lege, *Beronice portum*. Sed ita forte eum appellârunt. *Beronice* dicitur in aliis Tabulis: prope quam manſio, ubi aquabantur, *novum Hydreum Plinio*, Græcè καινὸν ὕδρευμα, quod *Cenon Nidroma* corruptè in Tab. præfata. In *Itiner.* Antonini Auguſti, *Cenon Hydreuma M. P.* XXVII. *Beronicem M. P.* XVIII &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1184. ut & in voce *Berenice*.

BEROSUS, Græcè Βηρωσσός, Chaldæus, Beli Sacerdos, Hiſtoricus. De ætate ejus non convenit inter omnes. Moſi æqualem ſtatui à nonnullis ait Caſpar Barthius *Adv. l.* 51. *c.* 7. quam ſententiam jure, ut ineptiſſimam, damnat. Claudius Verderius *ſua in Annianum Beroſum cenſurâ*, vixiſſe ait paulo ante principatum Alex. Magni. Hoc unde aſtrui poſſit, non video, ſed tamen Alexandri ætate vixiſſe, lego apud Tatianum, *oratione adverſus Gentes*. Verùm addit idem Tatianus, eum Hiſtoriam ſuam dicâſſe Antiocho Soteri, qui tertius fuit ab Alexandro. Meminêre ejus plurimi veterum, eoſque inter Vitruvius *l.* 9. *c.* 9. Tertul. *in Apol. c.* 19. & Scriptor Chronici Alexandrini, *p.* 48. Vide Euſeb. *de Præparat. Evang. l.* 10. *p.* 289. edit. R. Stephani. Hieron *Eſaj. l.* 37. Genebr. *l.* 2. *Chron.* Condidit *Babylonica*, ſive *Chaldaica* tribus libris, promiſcuè enim his nominibus utuntur veteres. Nec res ſolùm Aſſyrias, ſeu Chaldæas, ſed etiam Medicas libris iſtis complexus fuit. Agathias *l.* 2. ubi numeratur cum Athenocle & Simacho τοῖς τὰ ἀρχαιότατα τῶν Ἀσσυρίων τε καὶ Μήδων ἀναγεγραφόσιν. Ex eo opere, præclara quædam fragmenta conſervavit nobis Flavius Joſephus *l.* 1. *contra Apionem*, quorum aliqua luculentis notis illuſtrat Joſ. Scal. *in Append. operis de Emend. Temp.* Habemus & aliud fragmentum apud eundem Joſephum *l.* 1. *Antiquit. c.* 3. Sed Annii Beroſus ejuſdem eſt farinæ, ac ſunt ejus *Megaſthenes* & *Archilochus*; ut inſanum ſit, velle ex quiſquiliis iſtis ac nugis mendacibus metiri magnum illum Beroſum, *cui ob divinas prædictiones, Athenienſes publicè in gymnaſio ſtatuam inauratâ linguâ poſuêre*, ut auctor eſt Plin. *l.* 7. *c.* 37. Et tamen, quod mirêre, Vir. Cl. Dionyſ. Gothofredus *præfatione ſuâ in Antiquæ Hiſt. auctores*, Hiſtoriarum ſtudioſos cognitionem earum haurire jubet, non ex decima, ut ait, lacuna, ſed ex illo Annii Beroſo, Manethone & Metaſthene. Vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 13. Ut & Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec.* XVII. Ubi in vetuſtatem Artis Aſtrologicæ inquirens, Epigenis *Beroſi* ac Critodemi meminit, ex *Plinio l.* 7. *c.* 56. ac *Beroſum* annô Nabonaſſari 480. annô 36. poſt mortem Alexandri M. floruiſſe, docet. Addo, quòd Horologium idem inveniſſe, traditur Vitruvio; nempe tale, cujuſmodi Aſtrologi veteres in ſuis ratiociniis putandis utebantur; quæ diebus tantùm æquinoctialibus duodecim partes oſtendebant. Ipſe enim Γενεθλιαλογίαν Græcos docuiſſe primus fertur. Alii tamen Horologium intelligunt, qualia, poſt horarum nomen & uſum vulgatum, in notitiam venêre. Sed hac de re plura dicemus infrà, ubi de Veterum *Gnomonice*, *Horologiis*, alibique paſſim.

Uti autem Beroſus Sacerdos fuit Beli & Propheta ſeu vates; ita filiam quoque habuit fatidicam, *Sabbam* nomine, quam in Sibyllarum numerum à quibuſdam relatam eſſe, meminit Pauſan. *in Phocicis*, παρὰ Ἑβραίοις τοῖς ὑπὲρ τῆς Παλαιστίνης γυνὴ χρησμολόγος, ὄνομα δὲ αὐτῇ Σάββη, Βηρωσοῦ δὲ εἶναι πατρὸς καὶ Ἐρυμάνθης μητρός φασι· Σάββην οἱ δὲ αὐτὴν Βαβυλωνίαν, ἕτεροι δὲ Σίβυλλαν καλοῦσιν Αἰγυπτίαν. *Apud Hebræos ſupra Palæſtinam mulier divinatrix memoratur*, nomine *Sabba*, *Beroſi & Erymanthes filia. Quam alii Babyloniam, alii Ægyptiam vocant Sibyllam.* Vide infrà in voce *Sabba* & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 647. & *ſeqq.*

BEROSUS, collis Taurorum tres habens fontes ſine remedio, & ſine dolore mortiferos. Plin. *l.* 2. *c.* 103.

BEROTH, una manſionum filiorum Iſraël, in deſerto. Item civitas Hevæorum, Joſ. *c.* 9. *v.* 17. non longè ab Hai. Item nomen urbis. 2 Sam. *c.* 8. *v.* 8. Latinè *putei*, ſive *explanationes*, aut *in luminibus*.

BEROTHEA, terminus terræ Iſraëliticæ. Ezech. *c.* 47. *v.* 16.

BEROTHI, civitas Galilææ ſuperioris, in tribu Nephthalim, ſita inter Cedes, Nephthalim, & Aquas Merom.

BERRAMOTH, aliàs **BERCAMETH** civitas, Joſ. *c.* 19. *v.* 27.

BERRESA, oppid. Æthiopiæ. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

BERRETUS Petrus, vide *Petrus*.

BERROERII, Italis *Berrovieri*, occurrunt non ſemel apud Rollandinum *l.* 8. *c.* 1. 2. 3. & *l.* 10. *c.* 6. Vulgò *Birri* ſeu *Sbirri*. Vide Joh. quoque Villaneum *l.* 7. *c.* 79. laudatum præfato *Gloſſarii* Auctori.

BERSA, Rex Gomorrhæ, Gen. *c.* 14. *v.* 2.

BERSA, in *Charta* Spelmanno laudata, *Intra berſas foreſtæ*, crates vimineæ ſunt, ſeu ſepes ex palis vel ramis grandioribus contextæ, quibus ſilvæ vel pali undique incinguntur, ut nullus cervis cæteriſque feris ad egreſſum pateat aditus. A cujuſmodi cratibus manſiſſe infantium cunis nomen apud Gallos, diximus ſuprà, in voce *Berceolum*. Hinc *berſare* ſeu *berſare*, pro venari ſeu intra *berſas* foreſtæ venationem exercere: quod Waſius à Germano *berſen* h. e. *telô configere*, deducit. Venatores enim in ſylvis iſtiuſmodi ſepibus cinctis damas cervoſque telis configere ac perimere ſolent. Neque certè aliunde accerſenda vocis Italicæ *Berſaglio* origo, quæ *album* ſeu *ſcopum*, ad quem ſagittatores ſuas emittunt ſagittas, ſignificat, apud Dantem in *Parad. Cant.* 26. & Matthæum Villaneum *l.* 6. *c.* 72. metaphorâ nempe à Venatoribus deductâ, qui *berſando* ſpicula ſua in feras contorquent ac dirigunt. Indidem *Berſarii*, de quibus ſuô locô diximus. Latini *Formidinem* dixêre, de qua voce vide ſuô locô.

BERSABE, aliàs **BERSABEE**, & **BERSABE**, civitas quæ terminus eſt ſuperioris Galilææ, & initium inferioris Galilææ, in tribu Zabulon.

BERSABEA, vide *Bathsheba*.

BERSABEE, vide *Beersheba*. *Heſych.* Βηρσαβεέ, μήτηρ Σολομῶντος, καὶ τόπος πρὸς τῷ ὄρει τῆς Παλαιστίνης.

BERSABEE, i. e. *puteus juramenti*, ſive *puteus ſaturitatis*, aut *puteus ſeptem aquarum*, urbs tribus Judæ, ſita tamen intra limites Simeonis, contigua deſerto magno, terminus regni Judaici verſus Meridiem viginti milliaribus ab Hebron, vergens ad Auſtrum, in regione Geraritica, à Gaza quatuor milliaribus diſtans. Hieronymi tempore fuit grandis vicus, eratque in ea poſitum Romanorum militum præſidium. Gen. *c.* 21. *v.* 14. Joſ. *c.* 19. *v.* 2. Amos. *c.* 5. *v.* 5. Vide Joſeph. *Jud. Ant. l.* 8. *c.* 13.

BERSABORA, urbs populoſa, ampla, & munitiſſima. *Zoſimus Pyriſaboram* vocat eam *Amm. Marcellin.* circa Naarmalcham amnem ſita eſt.

BERSANE, vidua ab Alex. Magno adamata. *Diodor. Sic.*

BERSARII, & **BEVERARII**, Miniſteriales inferiores, in Aula Caroli M. de quibus vide Hincmarum Archiepiſcop. *Ep.* 3. *c.* 17. Quidam *Berſarios* pro *Beſtiariis* accipiunt, qui in Amphitheatris cum beſtiis colluctari ſoliti. *Spelmannus* verò ſub Venatoribus illos reponit, & quidem propriè iis, qui lupos inſequuntur: per *Beverarios* autem illos intelligit, qui Caſtorem, ubique gentium *Bever* nuncupatum, inſequuntur. Sic & Scholiaſtes Juvenalis *Sat.* 12. Caſtorem *Bebrum* vocat.

BERSILIA, Sarmatiæ Europææ regio. *Hiſt. Miſcell. l.* 19.

BERSIMA, Meſopotamiæ urbs. *Ptol.*

BERSINUM, vel **BELSINUM**, Gall. urbs, 12. mill. paſſ. à Lugduno diſtans. *Anton.*

BERSIUS Marcus, Roſchachienſis de lacu Acronio, Paſtor ad D. Leonhardi, Baſileæ, renaſcenti ibi Euangelio interfuit, adoleſcentique annis 43. continuis præfuit, in ætate quoque decrepita, ob ſingulare docendi donum, omnibus gratus. Obiit A. C. 1566. ætat. 83. Vide Urſtiſ. *Epit. Hiſt. Baſil. c.* 12.

Suggeſſit cupidis divini pabula verbi,
Eloquiô extremam gratus adusque ſenem.

BERSMANNUS Gregorius, vide *Gregorius*.

BERTA, Beſantiæ region. in Macedonia urbs. *Ptol.*

BERTA, ſeu **BERTACCIOLA**, nomen carrocii, quod Cremonenſes inſtituerunt, quodque ſic appellârunt in honorem Berthæ Auguſtæ, Henrici Imperatoris uxoris, cujus interceſſione uſum ejus unà cum libertate, ſunt adepti, A. C. 1087. Quid autem *Carrocium* ſit, vide apud Anton. Campum *deſcr. Cremonæ* & infrà ſuô locô.

BERTALDUS Johannes, vide *Johannes*.

BERTARIDUS, vel **PERTARIDUS**, Langobardorum in Italia Rex X. Aripertum patrem excepit: quia verò ipſi cum fratribus non convenire poterat, Grimoaldus ipſum regnô expulit, bienniô poſt, & in regno mortuus eſt ſucceſſore fil. Garibaldô. Jam verò reverſus ab exilio *Bertaridus*, hôc ſummotô priſtinum culmen recuperavit, mortuus A. C. 691. regni ante Grimoaldum 2. poſt Garibaldum 18. Fuit autem in fide orthodoxus. Eum excepit fil. Cunibertus.

Pau-

Paulus Diac. *Longobard. l.* 4. *c.* 53. & *l.* 5. *c.* 33. Vide etiam *Pertharis.*

BERTHA, cognomine *magnipes*, filia Cariberti, Comitis Laudunenſis. Uxor Pipini brevis, Galliæ Regis, ex eo mater Carlomanni, Caroli M. Pipini, Ægidii, triumque filiarum, Mezeray, *in Pipino brevi.*

BERTHA, filia Pipini, uxor Milonis, Comitis Andegavenſis, qui pater Rolandi erat. Item filia Caroli M. uxor Comitis Angilberti. Item, filia Dieterici, Longobard. Regis uxor Carlomanni. Item ſoror Rodolphi ignavi, Burgundiæ Regis uxor Odonis I. Comitis Carnutenſis primò, dein Roberti Galliæ Regis A. C. 1003. quam à Gregorio V. coactus eſt dimittere, ob nimis propinquum cognationis gradum. Item, mater Hugonis III. Regis Arelati Lucæ ſepulta, ubi ejus monumentum hodieque viſitur.

BERTHA, uxor Adelberti Marchionis Lucæ, poſt mortem mariti turbas movens, à Berengario Italiæ Rege in ordinem redacta eſt, A. C. 917. Sigon. *l.* 6.

BERTHA, Baldwini Comitis Hollandiæ nata, quam Philippus Rex Francorum duxit, &c.

BERTHIERUS, Magiſter Palatii, in Neuſtria, ſub Theoderico I. ob ſævitiam à ſuis cæſus. *Mezeray.*

BERTHOLDUS, Princeps Hennebergicus: pater Margaretæ, quæ Johanni Comiti Hollerano, avo Friderici I. Electoris Brandeburgici, nupta, Heldburgum, Hilperhuſam & Eiſſeldam, dotis locô, ei attulit. Idem nomen Johannis quoque fratri fuit, Epiſcopo Aichſtattenſi & Cancellario Ludovici bavari Imperatoris, &c. Vide & *Bertholdus.*

BERTHOLDUS, vel BERNOLDUS, presbyter Conſtantienſis, continuavit *Chronicon Hermanni Contracti*, ab A. C. 1054. uſque ad 64. addiditque Hiſtoriam ſui temporis, uſque ad A. C. 1100. Baron. *in hoc anno.* Bellarmin. *de Scriptor. Eccl.* Gretſerus, *tomo* 2.

BERTHOLDUS, Livoniæ Epiſcopus, Menardi ſucceſſor, Barbaros non verbô & exemplis, ſed vi ac armis ad fidem compellere conatus, ab iis trucidatus eſt. Ei ſucceſſit Albertus, qui Templarios ad propagationem fidei advocavit, circa A. C. 1200.

BERTHOLDUS de Rorbach, Beguardorum deliria ſecutus, exuſtus eſt, A. C. 1359. Spiræ.

BERTHOLDUS Schwartz, Franciſcanus, Friburgô Briſgoiæ oriundus, pulveris pyrii & tuborum ignivomorum auctor. Vide *Anckluzen.*

BERTHOLDUS, vide *Berchtoldus.*

BERTINUM, urbs Marchiæ Brandenburgenſis. *Münſter.*

BERTINUS Georgius, vide *Georgius.*

BERTISCAS, Macedoniæ mons. *Ptol.*

BERTISUM, Thraciæ oppid. *Procopius.*

BERTIUS Petrus, Flander, divulgavit A. C. 1601. *tabulas Geographicas* contractas, atque auctiores & emendatiores, A. C. 1616. cum Germanicarum rerum libris A. C. 1625. emiſit Pariſiis *breviarium orbis terrarum.* A. C. 1630. *Ptolemæi Geographiam* Græcè Latinéque edidit emendatius, varioſque adjunxit Geographos veteres: à Ludovico XIII. regius Geographiæ Profeſſor factus. Vide & *Petrus.*

BERTOALDUS, Magiſter palatii, ſub Clotario II. fraude Brunechildis in Neuſtriam miſſus, ut ſibi dilectum Procadem in ejus locum ſurrogaret, ibi tributa exacturus occiditur. *Hiſt.* Gall. *in Clot.* 2.

BERTOLGADA, oppid. Bavariæ inferioris in ditione Salisburgenſi, ad amnem *Albam*, 3. leuc. à Salisburgo.

BERTRADA, filia Comitis Simonis Montfortii, Fulconis uxor, quam illô adhuc vivente thoro ſibi copulavit poſteà Philippus Francorum Rex: Mater 2. *filiorum & filiæ. Mezeray.*

BERTRAMUS Bonaventura Cornelius, Picto Thoarſenſis, nobiliſſimô Tremolliorum oppidô natus, Hebraicæ Linguæ, & Juris peritiſſimus, Angeli Caninii & Hadr. Turnebi diſcipulus, turbis inteſtinis pulſus Genevam venit, ibique S. Linguam publicè docuit; Auctor verſionis Bibliorum, quæ Genevæ prodiit A. C. 1588. Bezæ, Faii, Jacquemotii & Goulardi operâ adjutus. Inde Francothalium delatus: ibi edidit *Lucubrationes Francothalenſes.* Tandem Lauſannam vocatus, docuit ibidem, defunctus A. C. 1594. ætat. climactericô. Eôdem auctore prodiit *Gramm. Hebraico-Arabica.* Vide *Elogia* Anton. Teiſſier *vol.* 2. Fuit, ut hoc addam, *Vir Judaicarum antiquitatum calentiſſimus*, Riveto: *Limatiſſimus ſcriptor* Dilherro: Ejus extant *Lucubrationes in varios V. T. libros*, quas cum *Franckentalenſibus* ejus *Lucubrationibus*, Spiræ editis A. C. 1610. eaſdem quidem volunt: & *Commentaria de Politica Judaica*, Genevæ A. C. 1577. *Qui ſolus libellus, Auctoris dotes ſatis ſuperque exaggerat.* L'Empereur *de Republ. Judaica in Præf.*

BERTRANDUS de Gueſclin, Brito, Conneſtabilis Gall. ſub Johanne & Carolo V. Ducem Lancaſtriæ obſidionem Rhedonum ſolvere coëgit, Anglos plurimis locis cæcit, hinc Ducatu Longavillanô donatus. Dein ſuppetias profectus Comiti Bleſenſi contra Comitem Montfortium, in prælio Auraicenſi captus eſt. Inde liber, in Hiſpania Henrico præſtò fuit, contra Petrum Crudelem, qui Blancam Borboniam, uxorem ſuam, neci dederat. Iterum captus in pugna Navarretana, A. C. 1367. Liberatus, eundem Petrum 4. præliis vicit, redux in Galliam Coneſtabilis factus, rebus contra Anglos præclarè geſtis, in Arvernia, obiit, A. C. 1380. ætat. 66. In fano Dionyſii ſepultus, ubi lampas ejus inextinguibilis. Hiſtor. Gall. *in Carolo V.* Caſtelet. *in vita ejus.*

BERTRANDUS Johannes, vide *Johannes.*

BERTRANDUS Petrus, vide *Petrus.*

BERTRUTIUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

BERTULPHUS, Merciorum Rex, ab Egberto Anglorum Rege domitus.

BERVALDIA, urbecula novæ Marchiæ Brandeburgicæ nota fœdere inter Reges Franciæ & Sueciæ, Principeſque Germaniæ initô, A. C. 1631. Juxta ſtagnum, ſub Electore Brandeburgico.

BERUBIUM, vel BERUVIUM, promontor. Albionis. *Ptol. Dumo Bei*, uti tradit *Buchananus. Dume Hectori Boetio*, promontor. Scotiæ in ora orientali. *Baudrando* maximè in Boream extenſum contra Orcades. Nunc *Dungesbyhead*, in Cathaneſia regione.

BERVICHIS.O, vide *Vettius Chila.*

BERULFI villa, vulgo *Bruville*, memoratus in literis A. C. 769. in pago Vabsenſi, in Comitatu Virdunenſi, ſuper fluvium Senode. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BERULLUS Petrus, Congregationis *de l'Oratoire*, fundator A. C. 1611. Mariam de Medicis cum filio Ludovic. XIII. reconciliavit, Romam ab hoc miſſus, dein in Hiſpania purpuram ab Urbano VIII. accepit, A. C. 1627. Varia ſcripſit, obiit A. C. 1629. Habert. de Cerisy, Dons Datrichi & P. Bourgoin, *in ejus vita.* Sammarth. *in Gall. Chriſt. l.* 4. *p.* 900. *&c.*

BERUNA, Italiæ civitas. *Steph.* quæ poſteà *Verona.*

BERUS Oſwaldus, Medicus Baſileenſis ſeculô præteritô, vide *Oſwaldus.*

BERWICUM, urbs Angl. ad oſtium Tuedæ fluv. in Northumbria, olim fuit in Marchia provinc. Scotiæ. Sedes Regni propriâ quondam. Inter 7 enim Anglo-Saxonum regna, numerô quartum, Eaſt-Saxonum videlicet, quod fundatum eſt ab Ina A. C. 547. ſubdiviſum poſteà eſt, in Regnum *Deiræ* & *Berviciæ* ſeu *Berviciæ*: quorum illi nomen fuit ab urbe cognomine, hodie *Durham*, iſti ab urbe *Berwico.* Unde vitioſè Regnum hoc *Berniciam* appellari à nonnullis, notat *Hornius*, cùm omnino *Berwicia* dicendum ſit, quemadmodum illud perpetuò appellat Joh. Major in *Hiſtor. Scotorum.* Fuit autem ſub Rege proprio, uſque ad A. C. 800. quô ſub Rege Weſt-Saxonum Egberto, ſeptem Saxonum Regna in unum coaluerunt, quod *Angliam* impoſterum appellari primus hic Rex voluit. Vide Hornium *Orb. Imper. p.* 313. *&* 314.

BERYLLUS, vide *Berillus.*

BERYLLUS, Græcè Βήρυλλος, octavô locô numeratus inter 12. fundamenta Novæ Hieroſolymæ, quæ ſingula ſingulis gemmis conſtabant, Apocalypſ. *c.* 21. *v.* 20. Gemma eſt viriditate ſimilis ſmaragdo, unde ejuſdem naturæ cum ſmaragdo multis viſa: ſed pallidior ejus viror eſt. Glauci nempe ſunt berylli, ſicut mare parum virides: at ſmaragdi herbaceam præferunt viriditatem & auſteram. Hinc *Beryllus* Salmaſio gemma videtur, quam *Cati oculum*, Galli *oeil de chat*, hodie appellant; *glaucam* namque Beryllum omnes Veteres vocant eam, quæ probatiſſima ſit, qui color felinorum oculorum proprius. Alii verò *aquas marinas* appellari malunt Veterum beryllum: quamvis ſmaragdo etiam maris viriditatem Veteres vindicent. Sed de *Beryllo* Solinum audiamus. *c.* 52. *Beryllos in ſexangulas formas Indi atterunt, ut hebetem coloris lenitatem angulorum repercuſſu excitent ad vigorem: Beryllorum genus dividitur in ſpeciem multifariam: eximii intervirente glauci & cærulei temperamentô, quandam præferunt puri maris gratiam. Infra hos ſunt chryſoberylli, qui languidius micantes, nube aureâ circumfunduntur. Chryſopraſos quoque ex auro & porraceo mixtam lucem trahentes, æque beryllorum generi adjudicaverunt. Hyacinthizontas ſcilicet qui hyacinthos propriè referant & ipſos probant: eos verò qui cryſtallo ſimiles capillamentis intercurrentibus obſcurantur, hoc enim vitio illorum nomen eſt, ſcientiſſimi lapidum plebi dederunt. Indici Reges hoc genus gemmas in longiſſimos cylindros amant fingere, eoſque perforatos elephantorum ſetis ſuſpendunt, ac monilia habent, aut ex utroque capite inſerunt aureos umbilicos, ut marcentem ſitum ad nitelam incendant pinguiorem, quò per induſtriam metalli hinc inde additi fulgentiorem trahant lucem.* Plinius inter *beryllos hyacinthizontes* & eos, qui cryſtallo ſimiles ſunt, alia quædam genera Solino omiſſa recenſet, *aeroïdes, cerinos & oleaginos*, i. e oleicolore, *l.* 37. *c.* 5. At glauci optimi, ut dictum. Unde γλαυκὴν βήρυλλον Græci. *Dionyſ.* de Indis,

> Ἄλλοι δ' ἰχνεύουσιν, ἐπὶ προβολῇσιν ἀναύρων,
> Ἠὲ βηρύλλου γλαυκὴν λίθον, ἢ ἀδάμαντα.

Et de Aſſyria.

> Καὶ μὴν καὶ χρυσοῖο φλὲψ χαλεπώτερον ἄλλο
> Ὑγρῆς βηρύλλοιο γλαυκὴν λίθον, ἣ περὶ χῶρον
> Φύεται ἐν προβολῇς ὀφιήτιδος ἔνδοθι πέτρης.

Nempe invenitur apud Aſſyrios in cautibus, intra ophitem lapidem: at apud Indos in præruptis torrentium, quod voces illæ, προβολαὶ item ἐν προβολῇσι ἀναύρων, ſibi volunt, vide infrà, ubi de *Ophitide petra.* Quæ verò de Indis Solinus habet, ſic corrigit ea Plinio Salmaſius, ut dicat, Indos *beryllorum* longitudine ſummoperè delectatos, ſolos gemmarum eſſe prædicâſſe, qui aurô melius carerent; atque ob id perforatos ſetis elephantorum religâſſe. Alios verò, Europæos nempe, ſeu Romani Orbis homines judicâſſe, non oportere eos perforari, quorum perfecta bonitas eorum utrinque ex auro comprehendiſſe & cylindros ea his facere maluiſſe, quam gemmas, quia ſumma commendatio in longitudine &c. Quia portò virides *Berylli*, hinc ad pocula inſignienda tranſlatæ; gemmas enim viridantes in oculandis poculis ut plurimùm adhiberi conſueviſſe, dicemus infrà, ubi de *Smaragdo.* Hinc Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 39.

> ------- *& inæquales beryllo*
> *Virro tenet phialas.*

i. e. beryllo textas, & per hoc inæquales aſperitate & extuberantiâ

rarâ gemmarum. In annulo *Beryllum* geſtavit Porſena Rex, habuit Cæſar Auguſtus. Diadematis *Berylli* radiantis, meminit Fortunatus Poëta Chriſtian. *Carm.* 8. &c. Plura hac de gemma vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 567. & 1105. *et ſeqq.* ut de inveſtitura *per Beryllum* ſuô locô. Alia notio eſt vocis, cùm Βήρυλλος quoque dicitur apud *Neophytum*, ibi enim *beryllus* idem cum ſuccino ſeu electro eſt, quod mediô ævô his nominibus appellatum eſſe, tergo diximus.

BERYTIENSIS Colonia, Auguſti beneficiis gratioſa, & (ut divus Hadrianus in quadam oratione ait) *Auguſtiana Colonia* dicta. Ulpianus *l.* 1. §. 1 *ff. de cenſib.* apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

BERYTUS, quæ à Gergeſæo, quinto filio Chanaan, ejus conditore, olim Geris dicta creditur, antiqua, inſignis & robuſta Phœnicia urbs eſt, quinque contra Aquilonem à Sidone, versùs Auſtrum verò à Cane fluvio tribus milliaribus diſtans, alto rotundoque in loco ſita: ab Occidente mari magnô alluitur, ab Oriente autem campeſtris illi adjacet regio, multis fructiferis arboribus, ſatis, ſilvis & vineis fertilis & amœna: quam fluvius quidam irrigans juxta urbem in mare labitur. Archiepiſcopalis ſub Patriarcha Antiocheno, cùm adhuc ſub Chriſtianis eſſet. Hanc Dionyſ. v. 911. γαῖαν ἱερὴν vocat, & Geographus, ſub Conſtantio & Conſtante Imperatorib. πόλιν λίαν τρυφερὰν. Juſtiniani temporibus legum ſtudiis celeberrima fuit, unde Nonnus *Dionyſiacôn l.* 41.

Βηρυτὸς βιότοιο γαληναίοιο τιθήνη.

Capta, à Balduino I. Rege Hieroſolymitano A. C. 1104. Chronicon Hieroſolymit. *l.* 4. *c.* 5. Sed Chriſtianis rurſus erepta eſt, à Saladino, cum tota Galilæa, & Hieroſolyma tandem ipſa, A. C. 1187. Paul. Æmyl. *l.* 5. Blond. *dec.* 2. *l.* 6. Vide Gothofredum *ad Geographum prædictum*, & Caſp. Barthium *ad Zachariam Mitylenæum*, *p.* 144. Hodie vulgò *Barutum* vocant. Hic Concilium A. C. 448. contra Ibam Epiſcopum Edeſſanorum; *Acta Concilii Chalced. Actio* 9. *&* 10. Civis *Berytius. Suidas*, Βηρύτιος, ὁ ἀπὸ πόλεως Βηρυτοῦ. De nomine ſic *Steph.* Ἐκλήθη δὲ διὰ τὸ ὕδωρ. Βὴρ γὰρ τὸ φρέαρ ... Γειτονοῦσα δ' ἐν ἀρχῇ ... Βηρὴτ Φοίνικες ὀνομάζειν, ἀφ' οὗ καὶ τὴν πόλιν, ὡς Ἑλλάνικός φησι. En *Beryti* nominis duas origines; unam ex באר *Beer*, vel *Ber*, i. e. *puteus*, quod vocabulum commune habuêre Phœnices cum Ebræis; alteram ex בירות *Beryth*, i. e. *robur*. Nam *Beryth*, eſt pro *Aberyth* ex אביר *abir*, quod validum ſonat. Eſt etiam *Berytus*, urbs Arabiæ *Dioſpolis* prius dicta. *Steph. Nic. Lloydius.*

BERZELLAI, qui & BARZILLAI dicitur, nomen viri divitis, qui Davidem traduxit Jordanem vide 2 Sam. *c.* 17. *v.* 27. & *c.* 19. *v.* 31. Pater item Adrielis generi Saul. 2 Sam. *c.* 21. *v.* 9. Latinè *ferreus*, vel *filius deſpectus*.

BESA, nomen Dei, in Abydo Ægypti urbe culti, de cujus oraculo ſic Amm. Marcellin *l.* 19. *Quoniam quidam præſentes, pars per alios, deſideriorum indice miſſa* Scripturâ *ſupplicationibus expreſſe conceptis, conſulta Numinum ſcitabantur, chartulæ ſeu membranæ continentes quæ petebantur, poſt data quoque reſponſa interdum remanebant in Fano. Ex his aliqua ad Imperatorem malignè ſunt miſſa* (Conſtantium indigitat) *qui ut erat* &c. Nempe obſignatas tradebant Conſultores, vel qui ab ipſis miſſi conſultorum vice fungebantur, tabellas, quas Sacerdotes ad adyta ferebant, atque inde reſponſa referebant: ubi quibus fraudibus uti ſint ſoliti, habes apud Anton. van Dalen *de Oraculis Diſſertat. II. p.* 310. & *ſeqq.* Nec verò ſolùm nomen Idoli, ſed & urbis fuit in Ægypto, in regione Thebaide, quam *Antinoum* ſeu *Antinopolim* Hadrianus poſteà, in memoriam Antinoi appellavit, huicque novo ſcilicet Numini, pulsô veteri, conſecravit. Retinuerunt tamen vocem etiam poſteà, alterâ Græcâ relictû, urbis incolæ diu, unde fuêre, qui de duobus unum nomen componerent & oppidum iſtud *Beſſantinoum* appellarent. Photius Patriarcha de Helladio Scriptore Ægyptio, Οὗτος, inquit, ὁ συγγραφεὺς ὁ ταῦτα συνταξάμενος, γένος μὲν Αἰγύπτιος ἦν, πόλεως δὲ Ἀντινόου, ὡς αὐτὸς ἐπιγράφει, Βησαντινόου, *Iſte auctor, qui hæc compoſuit, genere quidem Ægyptius erat, oriundus verò ex urbe Antinoo, ſeu ut ipſe inſcribit, Beſantinoo*: duorum nempe Numinum appellationibus in unum conflatis, ut in *Hermeraclas*, *Hermathena Heraclammon*, *Hermammon*. *Beſam* autem nomen fuiſſe unius ex Ægyptiorum Diis, Ammianus docet *l. c. Oppidum eſt Abydum, in Thebaidis parte ſitum extrema. Hic* BESÆ *Dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat.* Hincque, ut in aliis Deorum nominibus, ſic in iſto accidit, ut viri etiam illud uſurparent Ægyptii. Inde erat *Beſa* ille, qui ſub Decio crucem Evangelium ſanguine ſuô obſignat. Etiam ille fortè, qui veteri proverbiô notatus eſt, Βησᾶς ἄτοπος: homo ob fatuitatem Alexandriæ celebris, ubi Machaon fabulas ſuas docuit, &c. Vide Salmaſium *Not. ad Æl. Spartian. in Hadriano c.* 14. & *ad Solin. p.* 71. ubi urbem illam *Abydum* primitùs dictam fuiſſe, in qua *Beſa* θεὸς ἐγχώριος καὶ ...νος colebatur, docet ex Ammiano Marcellino *l. cit.*

BESA, fons Theſſaliæ inter Oſſam & Olympum. Strabo *l.* 8. Sed in emendatis exemplaribus legitur *Biſa*, *Bira* eſt nomen tribus in agro Attico. Idem *l.* 9.

BESADÆ, Indiæ extra Gangem populi. *Ptol.* qui apud eundem *Plada* dicuntur; ſic enim ille: Μεθ' ἃς ὑπὲρ τοὺς Μαιάνδρου Πλάδας. Καλοῦνται δὲ οὗτοι τοὺς Βησάδας, οἱ εἰσὶ κολοβοὶ καὶ πλατεῖς, καὶ δασεῖς, καὶ πλατυπρόσωποι, λευκοὶ μὲν τὰς χρόας.

BESAI, nomen viri. Nehem. *c.* 7. *v.* 52. Eſdr. *c.* 2. *v.* 49. i. e. *conculcatio*, vel *deſpectus*.

BESANTINOUM, urbs Ægypti, in Thebaide, priùs *Beſa*. Vide hic *ſuprà*.

BESANTINOUS Ibidem.

BESAR, Jazidi fil. Poëta cæcus, rogatus, ſi Deus ei daret optionem, ut fieret quodvis animal, quod potius eligeret? Reſpondit *Alokab* (Arabs enim erat, i. e. *melanaetum*) quia degat in locis, quæ feris & beſtiis omnibus ſunt inacceſſa, atque etiam feræ oves ejus occurſum fugiant, apud Damirem laudatum Sam. Bocharto *Hieroz. Part. poſter. l.* 2. 1. 2.

BESARA, oppid. in Ptolemaidis confiniis ſitum, quod vigeſimò à Gaba ſtadiô abeſt. Joſeph. *in vita ſua.* Eſt in tribu Aſer.

BESARO, urbs Hiſpaniæ Bæticæ, quæ inter ſtipendiarios numeratur. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

BESBICUS, parva inſula circa Cyzicum. *Steph.*

BESBRIA, amnis Gall. in Bojis; qui ex Monmorillone ortus, caſtrum & oppid. *la Palice*, perluit, & dein ad Borbonium in Ligerim cadit: *la Beſbre*.

BESCA lingua, memoratur in *Itinerar.* Hieroſolym. Antonini Monachi: *Monaſterium, in quo tres ſunt Abbates ſcientes linguam Syram, Græcam, Ægyptiacam & Beſcam*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

BESCIA, urbs Auſonum. *Steph. Ambr. Leo* putat eam in Sannuro fuiſſe, ſed eâ deletâ, civium reliquias transmigrâſſe in locum propinquum, & oppidum condidiſſe, quod hodiè *Veſciano* vocetur. Eſt autem hoc oppidum in confiniis Hirpinorum, & Campanorum, prope Nolam.

BESECATH, civitas in tribu Judæ, 2. Reg. *c.* 22. *v.* 1. quæ & *Baſcath* dicitur. Latinè *maſſa*, ſive *inflatio*, aut *in anguſtia*, vel *in effuſione*.

BESELAM, nomen viri. Eſdr. *c.* 4. *v.* 7. Latinè *in pace* vel *in retributione*, ſive *decoctio eorum*.

BESELEEL, qui & BEZALEEL, filius Uri, divinitùs inſtructus donis ad fabricandam Arcam fœderis ejuſque requiſita neceſſariis. Exod. *c.* 31. *v.* 2. Joſeph. *Ant. Jud. l.* 2. *c.* 4. 5. Latinè *in umbra Dei*.

BESIDIÆ, Brutiorum oppid. Liv. *l.* 30. *c.* 19. *Gabr. Barrius* putat idem à *Stephano Beſcia* dici & hodiè *Biſciano*. Nunc *Biſinianum*, urbs eſt in colle, cum arce, ad Coriſum fluv. qui paulo infrà in Crathim cadit. Paucis conſtat incolis. 15. milliar. à mari Tyrrheno. Quibuſdam *Dediſia. Baudrand.*

BESINGITIS, Regio Indiæ, extra Gangem, ubi nunc regnum Peguanum. Ejus primaria erat Beſynga urbs, quæ nunc à multis *Pegu* creditur.

BESIPPO, vel BÆSSIPO, Hiſpaniæ Bæticæ portus, & oppid. non procul à Mellaria urbe, patria Pomponii Melæ, ut ipſe teſtatur *l.* 2. *c.* 6. Alius eſt *Vegel*, oppidul. Andaluſiæ, propè oram littoralem paucorum incolarum. Prope Conilium.

BESODIA, nomen viri. Nehem. *c.* 3. *v.* 6. Latinè *in ſecreto* vel *in conſilio Domini*.

BESOR, nomen torrentis in regione Palæſtinorum. 1 Sam. *c.* 30. *v.* 9. Latinè *Evangelizatio*, ſive *incarnatio*, aut *in bove*, vel *in muro*.

BESSA, civitas Phocidis. Item arx in Peloponneſo. *Strab.* Item urbs Locrorum, quæ & *Beſa. Steph.*

BESSALE ſeu BESSALIS later, Græcis recentioribus Βήσαλος, Plinio & Vitruvio *later* δίδωρος, quia menſuram habet *beſſis*, i. e. duos pedes trientes. Nempe lateres per palmos olim dimetiebantur, & lapidem δίδωρον, τρίδωρον, τετράδωρον ac πεντάδωρον, dicebant, à *duobus, tribus, quatuor & quinque palmis*. Pes autem trium palmorum eſt; unde Βήσαλος à Græcis recentioribus primò pro *beſſali latere*. Sed & deinde pro quovis latere eſt uſurpatum. Tzetzes Chiliad. 9. *Hiſtor.* 275.

Οὕτως δὲ πλίνθον γίνωσκε τὴν βήσαλον καλοῦμεν.
Τὸ Βαβυλῶνος τεῖχος γὰρ ὑπῆρχεν ἐν βησάλῳ.
Coctum autem laterem ſcito, quem beſalon *vocamus:*
Babylonis enim extructio fuit ex beſalo,

Sic טפח, apud Hebræos propriè *later ſeſquipalmi*: Habacuci *c.* 2. *v.* 11. & 12. pro quovis latere accipitur, uti diſcimus ex Bocharto *Hieroz. Part. poſter l.* 4. *c.* 26. Propriè verò Βήσαλος Græcis exterioribus *later coctus* eſt; ex his enim ſtructi Babylonis muri: cum lateres, quibus vulgò apud Græcos ac Romanos ædificia ſtruebantur, crudi eſſent, Vitruvius, *l.* 2. *c.* 3. Plin *l.* 35. *c.* 14. Achmes *Onirocrit. c.* 145. &c. Vide de hac voce plura, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1232.

BESSARA, civitas Aſſyriæ. *Ptol.*

BESSARABIA, provinc. magni regni Hungariæ inter Podoliam, Moldaviam, Danubium fluv. & mare Nigrum, ſub Turcis. Ibi urbs præcipua Moncaſtrum & Tartari populi aliquot.

BESSARION, Trapezuntius, Georgii Themiſtii Plethonis diſcipulus, Cardinalis doctiſſimus, quod *oratio* ejus in Concilio Ferrarienſi poſteà Florentiam tranſlato, *de Græca Eccleſia cum Romana unione*, & ſcripta, de quibus pòſt, ſatis ſuperque teſtantur, ſub Eugenio IV. illius Legatus, in Germania, apud Fridericum III. & Sigiſmundum, fratrem ejus. Legatus Bononiæ, ſub Nicolao II. A Calixto III. & Pio II. ad fœdus contra Turcas ineundum adhibitus. A Sixto IV. in Galliam miſſus, A. C. 1471. Obiit Ravennæ, ætat. an. 77. Scripſit varia opera Philoſ & Theologica. Platina, *in ejus elogio.* Ejuſdem tanta fuit liberalitas erga doctos viros, ut ejus domus artium liberalium officina diceretur; nec minus ipſe in literis verſabatur; Platonem imprimis obſervabat, in cujus defenſionem commentarios edidit, contra Trapezuntium Peripateticum. *Volaterran.*

BESSAS, ſive BESAS, idolum Abydi in extrema Thebaidos parte, quod oracula quondam dabat. Ammian. *l.* 19.

BESSI, populi Thraciæ non procul à Ponto, Strymonem lævô latere incolentes. Plin. *l.* 4. *c.* 11. A quibus Beſſica regio juxta Hebrum fluv. inter Hæmum & Pangæum montes. Eorum præcipua Urbs fuit Philoppopolis. *Baudrand.* raptô ac latrociniis victitant Ovid *Triſt. l.* 4. *El.* 1. *v.* 67.

Vivere quam miſerum eſt inter Beſſoſque Getaſque.

Idem *l.* 3. *Triſt. El.* 10. *v.* 5

Sauromatæ cingunt fera gens, Beſſique Getæque.

Val. Flac. *l.* 2. *Argonauticôn*, *v.* 231.

--- *Im-*

---- ---- *Immanes quos ſtleruere Beſſi,*
Nec Getica potuêre manus, aut æquora ira,

Claudian. de Conſul. *Mall.* v. 40.

Quicquid, lucè procul, venas rimata ſequaces
Abdita pallentes fodit ſolertia Beſſi.

Paulinus ad Nicetam Dacorum Epiſcopum, qui Beſſos ad Chriſtianam fidem converit,

Et ſuâ Beſſi nive duriores,
Nunc oves facti.

Idem ibidem:

Nunc magis dives pretiô laboris,
Beſſus exultat, quod humi manuque
Ante quærebat, modò mente cœlo,
Colligit aurum.

Nic. Lloydius.

BESSONUS Jacobus, vide *Jacobus.*

BESSUM, oppidum Arverniæ, vicinum monti, qui *Acrau* dicitur, qui quartâ hinc milliaris parte diſtat: in hujus ferè faſtigio lacus eſt, qui ſe latè extendit, ad cujus fundum pertingi non poteſt, cùm nulla in eum aqua influat, ſaltem quæ videri poſſit. Hoc viſu quidem eſt mirabile, horrendum verò, quòd ſi quis aliquid in eam projiciat, certus ille ſit, ſe mox auditurum tonitrua, ſubſecuturaque fulgetra, pluviam, grandinemque. *Merul.*

BESSUS, Bactrianæ regionis præfectus, Darium interfecit, *Diodor. Sic.* Regis titulô ſumtô. A Spitamene Alexandro traditus eſt, qui illum fratri Regis occiſi, Oxatri, in manus dedit. Quem hic manibus auribuſque truncatum cruci affigi, ſicque ſagittis peti juſſit. Curt. *l.* 6. & 7. Juſtin. *l.* 12. *c.* 5. Item parricida, apud Plut qui refixô hirundinum nidô, conqueſtus ſibi ab ipſis parricidium perpetuo exprobrari, ſeipſum prodidit, meritô ſuppliciô affectus: *de ſera Numinis vindicta.*

BESSYGA, emporium Indiæ. *Steph.* Unde *Beſſygica* populi, humanis carnibus veſcentes, & amnis *Beſſyga.*

BESTEDA, ara Iſlandiæ, ubi Prorex Inſul. pro Daniæ Rege commoratur, in parte meridionali Inſulæ. Alter *Kronungergard.*

L. BESTIA, in conjuratione Catilinæ memoratur à Salluſtio, *c.* 17. *Bell. Catil.* Præturam petens repulſam tulit, & paulo poſt ambitûs damnatus eſt. Cicer. *Philip.* 2.

BESTIÆ Carnivoræ, quô pabulô in arca à Noacho fuerint ſuſtentatæ, anxiè multi quærunt. Si fœnô dixeris & farragine, videbere rerum invertere naturam, & quod in adagio dicitur, *κυνὶ διδόναι ἄχυρα, ὄνῳ δὲ ὀστέα, cani dare paleas, oſſa vero aſino.* Si carnem illis ingeſſiſſe Noachum reſponderis, quoties fuit neceſſe, quæretur rurſus, unde potuerit illis tantum carnis ſuppetere, cùm animalium certus numerus in arcam ſit intromiſſus & pleraque bina tantùm, quæ occidere fuit nefas, ne ſpecies aboleretur. Ne dicam, parùm videri veriſimile, Noachum tamdiu tam aſſiduô & fœdô miniſteriô fuiſſe mancipatum. Proinde potius eſt ſtatuere, miraculô factum, ut leones, pantheræ, tigrides &c. feritate depoſitâ manſueſcerent, atque hominis ſe ſubjicerent; ſicque ad tempus, neglectâ carne, fœnum & fruges depaſcerentur, contenti ſcil. obviô cibô ac parabili. In qua fere ſententia ſunt Baſilius, & Auguſtin. & ex Hebræis Kimchius in *Eſajam*; quem alluſiſſe conſentaneum eſt, ad diluvii tempora, cùm futuram ſub Meſſia rerum omnium converſionem Propheticis verbis ſic deſcribit, *c.* 11. *v.* 6. 7. *Lupus habitabit cum agno & pardus cum hædo recubabit:* & *c.* 65. *v.* 25. *Et Leo, ſicut bos, comedet ſtramen.* Quale quid neſcio cui Prophetæ tribuit Damir, Scriptor Arabs, *c. de Leone.* Ut Sibylla Erythræa, ſi credimus, *Oracul. Sibyll. l.* 3.

Εἰ δὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ἐν οὔρεσιν ἄμμιγ' ἔδονται
Χόρτον, παρδάλιές τ' ἐρίφοις ἅμα βοσκήσονται,
Ἄρκτοι σὺν μόσχοις νομάδες αὐλισθήσονται,
Σαρκοβόρος τε λέων φάγεται ἄχυρον παρὰ φάτνῃ,
Ὡς βοῦς.
Cumque lupis agni per montes gramina carpent,
Permixtoque ſimul pardi paſcentur & hœdi,
Cum vitulis urſi degent armenta ſequentes,
Carnivoruſque Leo, plenis præſepibus adſtans,
Cum bove ſtramen edet, &c.

Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 2.

BESTIARII, apud Romanos dicti ſunt, qui ad beſtias damnati, cum illis pro vita decertare cogebantur. Dicuntur autem *Beſtiæ* propriè, quæ naturâ feræ ſunt, veluti urſi, leones, pantheræ, *l.* 1. § *in beſtiis ff. Si quadr. paup. fec. dic.* Mentionem ludi hujus *Beſtiarii* facit Seneca *Ep.* 70. Item Iſidor. *Etymolog. l.* 18. *c.* 51. *Ludus gladiatorius inde dictus, quòd in eo juvenes armorum uſum condiſcant, & modò inter ſe, aut gladiis aut pugnis certantes, modò contra beſtias incedentes, ſubeant ferale diſcrimen.* Sic Clem. Alexandrinus *de Conſtitut. Apoſtol. t.* 2. *Εἴ τις Χριστιανὸς κατακριθῇ ὑπὸ ἀσεβῶν, εἰς λοῦδον, ἢ θηρία ἢ μέταλλον, Si quis Chriſtianus condemnatus eſt ab impiis in ludum, vel beſtias, vel metallum;* &c. Ea autem ratio *Beſtiarii* ludi fuit, ut non ſufficeret, unam alteramve feram ſtraviſſe, ſed neceſſe eſſet cruentum hunc agonem toties ſubire, donec reus eſſet peremtus. Unde extra ordinem Androclo, cujus meminit A. Gellius *l.* 5. *c.* 14. vita conceſſa eſt, pateque hinc cum *Beſtiis* pugnam duplicis generis fuiſſe. Unam quam ſponte quidam mercede conducti, aut roboris experiendi gratiâ ſubibant, id quod hodieque in Imperio Mogolis M. frequentiſſimum, non aliâ compendioſiore ad ſummos honores ac dignitates viâ, uti habet Mandeſlovius *Itiner. Indic.*: Alteram ad quam ſcelerati homines ita condemnati ſunt, ut poſt unam licèt alteramve victoriam nihilominus in continua eſſent mortis expectatione, ut dictum. Et rarum admodum fuit, beſtiam ab homine vinci, contrà ab uno Leone Beſtiariorum ducentos interemptos legimus; *Præclara ædilitas, unus leo, ducenti Beſtiarii,* Cicer. *in Orat. pro Seſt.* è quibus verbis colligimus, eôdem ludô plures homines cum una beſtia, ſibi invicem ſuccedendo, pugnaviſſe; è quibus eos, qui priores excepêre, Græci *ἐφέδρους* vocârunt, teſte *Suida*: Quò alludens Apoſtolus *ἐσχάτους* ſe ſeu *ultimum*, h. e. in ultimum locum ſervatum, appellat, 1. Corinth. *c.* 4. *v.* 9. ubi notanter quoque de Deo uſurpat vocem *ἀπέδειξεν, oſtendit*, quæ vox propriè de ſpectaculorum talium cruentorum Editore uſurpari ſolita fuit. Unde *oſtendere munus*, Tullius: & *proponere munus*, Sueton. *in Tito*, *c.* 8. dixêre. Vide Lipſium *Saturn. l.* 2. *c.* 18. Hinc & *ἐπιθανατίους* ſe ibidem dicit, quia certa mors ultimis imminebat plerumque. Matutinis enim horis inchoatâ cum beſtiis pugnâ, *οἱ ἔσχατοι* ſeu *ultimi*, uſque ad meridiem ſervabantur, hinc *Meridiani* dicti, apud Sueton. *in Claudio c.* 34. tum cum beſtiis, ſine ullis armis defenſivis, ſolô enſe armati, committebantur, ſiniſtram manum vacuam habentes, quâ beſtias irritare & lacerare utcunque conabantur. Quæ cauſa eſt, quòd horum hominum pugnam, cum antemeridiana comparans, *Quidquid ante pugnatum eſt, miſericordiam*, vocet Seneca *Ep.* 7. Celebris Ignatii Martyris Hiſtoria eſt, qui beſtiis objectus dentibus eorum conteri gloriæ duxit, inquiens: *Frumentum ſum Chriſti, & per dentes beſtiarum molor, ut mundus panis Dei inveniar*, apud Irenæum *adv. Hær. l.* 5. *c.* 28. & Euſeb. *Hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 33. Vide Th. Godwyn. *Antholog. Hiſt. Rom. l.* 3. *ſect.* 3. *c.* 8. Quod de Chriſtianis & Ignatio in ſpecie dictum, confirmatur exemplô Attali, apud Euſeb. *Hiſtor. l.* 5. qui quamvis civis Romanus eſſet (quales aliàs *Beſtiis* non objiciebantur) ad Beſtias nihilominus damnatus eſt, quòd uſitatum hoc eſſet ſupplicium, quô in Chriſtianos animadvertebatur, idque, ut videtur, ex *L.* Corn. *de Sicariis.* Objiciebatur enim præcipuè Chriſtianis infanticidium, ejuſque deguſtatio. Pœna autem Legis Corn. erat, ut *humiliores ſolerent vel beſtiis objici, l.* 3. §. 5. *D. ad L. Corn. de Sicar.* Cenſebantur autem inter *humiliores* Chriſtiani; adde etiam *famoſos, quos ſeverius, quam integræ famæ homines puniri, l.* 28. § 16. *D. de Pœn.* Unde nil mirum, ſi Chriſtiani, quanquam cives Romani, *Beſtiis* objicerentur. Cæterùm, ſi qui, cùm eximii eſſent roboris, aut maximi in arte ſua nominis, ad beſtias damnati fuerant, ſuper iis conſulebatur Princeps, an vellet hujuſmodi *Beſtiarios* ex provincia in urbem tranſduci, qui Populo Rom. in ludis exhiberentur. Quò pertinet *lex* 31. *D. de Pœn. Ad beſtias damnatos favore Populi Præſes dimittere non debet. Sed ſi ejus roboris, vel artificii ſint, ut dignè populo Romano exhiberi poſſint, Principem conſulere debet.* Atque ſecundùm hæc factum putat Petitus, ut Ignatius in Urbem ſit traductus, vide eum *Commentar. in LL. Attic. l.* 11. *tit.* 4. Non verò objectabantur *Beſtiis*, niſi cùm venationes darentur: aliàs enim non licebat. Hinc quum Polycarpum ad leonem poſtularent, negavit Proconſul id fieri poſſe, quia venationes peractæ eſſent. *Ἐπειδὴ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια.* Itaque vivus concrematus eſt, apud Euſeb. *Hiſtor. Eccl. l.* 4. *c.* 15. Imò, ut Maturus, Sanctus, Blandina & Attalus beſtiis poſſent objici, ſtudiò venationes datas fuiſſe, ſcribunt Lugdunenſes & Viennenſes, apud eund. Sed non ſolum *Beſtiis* ad ſupplicium objecti Chriſtiani, verùm & ad terrorem; unde *ἐλκυσμοὺς τῶν θηρίων* inter ea legimus, quibus olim conſtantia eorum tentari ſolita eſt. Iidem de præfatis Martyribus: *ὑπέφερον πάλιν τὰς διεξόδους τῶν μαστίγων τὰς ἐκεῖσε εἰθισμένας, καὶ τοὺς ὑπὸ τῶν θηρίων ἑλκυσμούς.* Et paulò poſt, *καὶ μετὰ τὰς μάστιγας, μετὰ τὰ θηρία, μετὰ τὸ τήγανον, τὸ ἔσχατον εἰς γυργαθὸν βληθεῖσα ταύρῳ παρεβλήθη.* Ubi *μετὰ τὰ θηρία*, idem eſt quod *μετὰ τοὺς ὑπὸ θηρίων ἑλκυσμούς.* Nempe ſolebant ſanctos Dei martyres beſtiis quandoque admordendos diſtrahendoſque dare, ut vel hâc ratione illos territos ad fidem negandam compellerent. Quod ſi huic tentationi non cederent, tandem neci dabantur. Quare hôc ordine paſſiones illorum recenſet Arnobius *adv. Gent. l.* 1. *Vos ipſi cùm libido inceſſerit ſæva, exuitis nos bonis, exterminatis patriis finibus —— torquetis, dilaceratis, exuritis, & ad extremum nos feris & belluarum laniatibus objectatis.* Ubi voce *dilaceratis*, non tantum flagella & ungulas, ſed & *τῶν θηρίων ἑλκυσμοὺς* comprehendendos eſſe docet Deſid. Heraldus, quem vide, ut & infrà, voce *Feris*, it. *Pancarpium*, *Poſtica*, *Venatorius ludus.*

BESUA, fluviolus in finibus Lingionum, haud procul à Divione: ſeu potius fons, magnitudine ſuâ fluvii nomen meritus, vulgò *Baiſe*, à Maſlono in Tilam defluit, *Sonſons* ante Tilam in Ararim devolvitur. Hinc *Beſuenſe* monaſterium *Baize*, ab Amalgario Franco Duce, i. e. Rectore ampl. Burgundiæ, ſub Chlotario & Dagoberto prope fluvium poſitum, quod interfeciſſet Brunulfum Chariberti, avunculum. Is Legatus ad Siſenandum Gothorum Regem cum Venerando, dein adverſus rebelles Vaſcones Dux, cum aliis miſſus, ex uxore Aquilina Adalricum ſucceſſorem, & Waldalenum, primum Monaſterii hujus Abbatem reliquit, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BESYNGITIS, regio Indiæ extra Gangem. Vide *Beſingitis.*

BETA, Græcè *Βῆτα*, cognominatus eſt à Muſæo-præfectis Ptolemæi Euergetis I. Eratoſthenes, quòd ille, à Rege Athenis evocatus, Muſæi illius Bibliothecarius ſecundus eſſet, uti quidem refertur, ex Marcian. Heracl. *Periplo* Joh. Marſhamus *Canone Chron.* in *προοιμίῳ* p. 3. Vide infrà *Eratoſthenes.*

BETA, urbs in ſinu Æthiopico, Arabiæ latere, Plin. *l.* 6. *c.* 29. Item fluv. Americæ meridionalis regionis Pariæ. Cadit in Oranocum fluv.

BETA, ex argento, Apollini Delphis dicata, vide infrà, *Raphanus.*

BETA, in *Gloſſ.* Benedicti *c. de Veſtim. Pellis Linata*, *Βαίτη* Zacharias Calliergus in *Schol. ad Theocrit. Idyll.* 5. *Βαίταν λέγουσι*

ἐν αὐτῷ συνεσταμμένα ἀμφιβόλαια, *Betam ſeu Batam vocant conſarcinatas ex ovillis pellibus veſtes* : ubi *βαίτην*, *τὴν διφθέραν*, *τὴν σισύραν*, interpretatur. Hodieque *Betas* vocant Bellovacenſes cucullones nigri coloris, quibus caput in mortuorum obſequiis viri operiunt: de quo more agit Gregor. Turonenſis *de Vitis Patrum c.* 6. *Similiter & viri obtecto capite, ut in exequiis uxorum mos eſt.* Vide infrà *Nocturnales*. In *Gloſſis*, *Crypta*, Βίτος, legitur, quod Græci interpretantur ἀπόκρυφον μέρος τοῦ ἱεροῦ, h. e. *adytum*. Quâ notione etiam Βαίτος dicitur, & *Heſych.* Βαίτην σκηνήν exponit. Cur autem Βίτος aut Βαίτος adytum templi ſeu interiorem cellam ſignificaverit, neſcire ſe ait Salmaſ. *ad Solin. p.* 1212. Apud Hibernos certè *Betagios*, Laicos dici glebæ Eccleſiaſticæ aſcriptos, adnotat Car. du Freſne, in hac voce.

BETA-GAMMA, nænia puerorum Carthaginenſium, memorata Procopio *Hiſtor. Vandal. l.* 1. ubi de Gelimere à Beliſario victo: *Narrabatur & vetus puerorum Carthaginenſium nænia, futurum ut Gamma inſequatur literam Beta, rurſumque ut Beta inſequatur literam Gamma: quod tunc inter joca jactatum ac pro ſcirpo habitum explicavit eventus, ut cum Bonifacium ejecerat Gizerichus, ita Gelimerem Beliſarius. Hoc igitur ſeu fortè dictum, ſive oraculum, illum exitum habuit.*

BETAGON, Βετάγων ὁ Κρόνος παρὰ Φοίνιξι. Verba ſunt Etymologi, in quibus illum egregiè falli putat vir magnus *de Phænic. Colon. l.* 2. *c.* 14. Neque enim uſpiam ulla mentio Dei cujuſquam ſic nominati, præterquam in *Phavorino*, qui ſæpe hunc ſequitur κατὰ πόδα. Itaque corruptum videtur pro *Bethdagon*. Vide Virum doctiſſimum *loc. cit. Nic. Lloydius.*

BETAPHUA, civitas in tribu Juda, Joſ. *c.* 15. *v.* 53. eſt & vicus trans Raphaim, millibus quatuordecim euntibus Ægyptum, qui eſt terminus Palæſtinæ. Hieronym. *in loc. Hebr.*

BETARMONES, ab Homero Corybantes ſic dicti, *in Od.* θ. *v.* 250. 383. Βητάρμονες, ὀρχησταὶ οἱ διὰ τῶν ποδῶν ὀρχούμενοι διὰ τὸ ἁρμονίως βαίνειν.

BETASII, populi Belgii in Brabantia, teſte *B. Rhenano*, quorum tractus *Berlandt* appellatur, & vicus Beets, teſte *Pet. Divæo*; nomen antiquum referre videtur. Alii horum urbem Bethuniam in Arteſia eſſe volunt. *Baudrando* ſunt Aduatici, inter Scaldim & Moſam flav. ubi nunc Geminiacum & Perviciacum, majorque pars Comitatus Namurcenſis. Vide B. Rhenanum *Rerum Germ. Nov. Antiq. l.* 2. cum *Notis eruditis* Nobiliſſ. Ottonis JCti.

BETE, civitas. 2. Sam. *c.* 8. *v.* 8. Latinè *fiducia*, *aut in limitione*.

BETELINUS, nomen campanæ, vide infrà *Campana*.

BETEN, urbs in tribu Aſer. Joſuæ. *c.* 19. *v.* 25. Latinè *venter*, ſive *terebinthus*.

BETERONES, populi Hiſpaniæ Tarraconenſis inter Saguntum & Liriam: horum hodieque pagus *Beters* exiguus ſupereſt, ubi Hamilcar Carthaginenſis cæſus.

BETH, in tribu Simeonis. Hieronym. *in loc. Hebr.*

BETHABARA, locus trans Jordanem, Joh. *c.* 1. *v.* 55. *domus tranſitus*, aut *iræ*, vel Syriacè *frumenti*.

BETHACAD, vicus Samariæ, in tribu Manaſſe ſitus eſt, in latiſſimo campo, non amplius quindecim millibus à Legionis oppido ſeparatus.

BETHACARA, & BETHACAREM, urbs in monte poſita, in tribu Juda, Jerem. *c.* 6. *v.* 1. & Nehem. *c.* 3. *v.* 14. Hieronym. *in Jerem. c.* 6.

BETHACARMA, vicus inter Jeruſalem & Thecue in monte ſitus.

BETHACHARAM, nomen vici. Nehem. *c.* 3. *v.* 14. Latinè *domus vineæ*, ſive *domus cognitionis eorum*.

BETHAGAN, in tribu Menaſſe via, per quam Ochoſiam fugiſſe legimus. Hieronym. *in loc. Hebr.*

BETHAGHEA, locus eſt, trans Jordanem in tribu Benjamin.

BETHAGON, locus in quo duæ tribus Zabulon & Iſaſchar habent confinia. Hieronym. *in loc. Hebr.*

BETHAIM, eſt in tribu Benjamin juxta Gai & Bethel contra Machmas. Hieronym. *in loc. Hebr.*

BETHALON, pro qua *Symmachus* interpretabatur, *in campeſtribus*, locus in tribu Benjamin. Hieronym. *in loc. Hebr.*

BETHANATH, civitas in tribu Nepthali. Joſ. *c.* 19. *v.* 38. Latinè *domus cantici*, *reſponſionis* vel *afflictionis*.

BETHANIA, villa in latere montis Oliveti. Matth. *c.* 21. *v.* 17. ubi Jeſus Lazarum ſuſcitavit. Joan. *c.* 11. *v.* 18. diſtans ab Hieroſolymis ſtadiis quaſi 15. Latinè *domus obedientiæ*, vel *afflictionis*, aut *domus cantici*, ſive *domus gratiæ Domini*.

BETHANOTH, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 59.

BETHARA, quam in expeditione belli occupavit Gedeon, Judic. *c.* 7. *v.* 24. Hieronym. *in loc. Hebr.* eſt in tribu Gad. Vide *Bethbera*.

BETHARABA, i. e. *domus planitiei*, vel *ſuavitatis* aut *fidejuſſionis*, vel *veſpertina*, vel *ſalicis*, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 6. Alia in tribu Benjamin. Joſ. *c.* 18. *v.* 22.

BETHARAM, civitas in tribu Gad. Joſ. *c.* 13. *v.* 27. *domus celſitudinis*, *prægnantium*, vel *montium eorum*.

BETHARAMPHTHA, ab Herode tetracha Galilææ Julia dicta fuit. Eadem fortaſſe cum *Betharam*.

BETHASAN, in tribu Benjamin, vicus uſque hodie permanens. Hieronym. *in loc. Hebr.*

BETHAVEN, urbs in tribu Ephraim. Oſeæ *c.* 4. *v.* 15. i. e. *Domus vanitatis*, *doloris*, *fortitudinis*, vel *iniquitatis*.

BETHAULA, vicus in Aulone, in tribu Manaſſe. Hieronym. *in loc. Hebr.* decimô à Scythopoli milliariô contra Auſtrum.

BETHAZMOTH, civitas. Nehem. *c.* 7. *v.* 27. i. e. *domus fortitudinis mortis*.

BETHBERA, civitas à Gideone expugnata Judic. *c.* 7. *v.* 24. Latinè *domus filii ejus*, ſive *domus electa*, aut *domus portatus*, vel *frumenti ejus*.

BETHBERAI, civitas. 1. Paral. *c.* 4 *v.* 31. quam inhabitaverunt poſteri Simeonis, i. e. *domus creatoris mei*, *ſanitatis*, vel *pinguedinis*, vel *electionis meæ*.

BETH-BESSE, urbs in deſerto. 1. Maccbab *c.* 9. *v.* 47. Latinè *domus confuſionis*, vel *erubeſcentiæ*. In tribu Benjamin.

BETH-CHAR, urbs juxta quam filii Iſraël percuſſerunt Philiſthæos. 1. Sam. *c.* 7. *v.* 11. in Tribu Dan, in agro Bethſames.

BETHDAGON, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 41. Item alia in tribu Aſer. Joſ. *c.* 19. *v.* 27. i. e. *domus frumenti* vel *piſcis*

BETHEBEN, vicus in octavo milliario Ptolemaidis contra Orientem. Hieronym. *in loc. Hebr. lit. B.* eſt in tribu Aſer.

BETHEL, i. e. *Domus Dei*, urbs in tribu Benjamin, ſic primùm dicta à Jacobo, ob ſcalæ viſionem. Eadem & Luz dicta. Gen. *c.* 12. *v.* 8. & *c.* 28. *v.* 19. Poſtmodum *Bethaven*, ob Idololatriam ibi exercitam, Hieronym. *in Hos. c.* 4. & 5. Hic altare abominationis, quod Jeroboamus erexerat, deſtructum à Joſia, 1. Reg. *c.* 13. *v.* 1. Eſt & nomen montis. 1. Sam. *c.* 13. *v.* 1. Benjamin eam *Sargoreg* vocat. *Suidas*, Βαιθὴλ θεοῦ οἶκος. *Heſych.* Βαιθὴλ, οἶκος Θεοῦ.

BETHELEA, vicus Gazenſium, valde populoſus, habens templa antiqua, ædificiaque pulcherrima, & maximè Pantheon in civitatis arce locatum eminens ſuper omnem vicum, in tribu Simeonis

BETHEMEC, i. e. *domus vallis* vel *profunditatis*, civitas in tribu Aſer, Joſ. *c.* 19. *v.* 27.

BETHEN, civitas in tribu Aſer. Joſ. c. 19. *v.* 25.

BETHENABRIN, vicus in tribu Manaſſe, portis & muris immunis.

BETHENNIM, Villa in tribu Juda, circà Terebinthum. Hieronym. *in loc. Hebr.*

BETHER, i. e. *diviſio*, vel *in turture*, aut *in exploratione*, vel *in contemplatione*, nomen montis, Cantic. *c.* 2. *v.* 10.

BETHERA, urbs munitiſſima, non longè ab Hieroſolymis, in tribu Benjamin.

BETHESDA, i. e. *domus effuſionis*, locus, ad quem aquæ pluviales confluebant, nomen piſcinæ. Joan. *c.* 5. *v.* 2. Alii חסדא בית *Beth-cheſda*, h. e. *domus miſericordiæ*.

BETH-GADER, i. e. *domus muri*, vel *maceriæ*, locus 1. Paral. *c.* 2. *v.* 51.

BETH-GAMUL, civitas in terra Moab. i. e. *domus retributionis* ſive *ablationis*, aut *cameli*.

BETH-HAGLA, i. e. *domus feſtivitatis*, vel *revolutionis ejus*, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 6. & in tribu Benjamin, Joſ. *c.* 18. *v.* 19.

BETH-HANAN, i. e. *domus miſericordiæ*, *gratiæ*, vel *doni*, nomen civitatis. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 9.

BETH-HARA, Galilææ oppid. non longè à mari Tiberiadis. Julia ab Herode dicta, ut ſcribit Hieronym. Ἰουλίας. *Ptol.*

BETH-HARABA, civitas in deſerto, in tribu Juda, Joſ. *c.* 15. *v.* 6. eſt & civitatis nomen in tribu Benjamin. Joſ. *c.* 18. *v.* 22.

BETHARGA, Mediæ oppid. *Ptol.*

BETHIA, filia Pharaonis, uxor Mered. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 18. i. e. *domus*, *filia*, vel *menſura domus*.

BETH-JAAZEK, locus apud Hebræos dictus eſt, prope Templi atrium, in quo in fine Menſis cujuſlibet Curia convocari olim ſolebat, ut audirentur idonei teſtes, quotquot de Lunæ naſcentis φάσει certum aliquid referrent. Quibus auditis, vel per *πυρσοὺς* ſeu *faces in excelſis locis accenſas*, vel per nuntios undequaque miſſos, Curiæ decretum ſignificabatur uſque ad loca, quæ decem dierum itinere ab urbe diſtabant. Quamdiu enim Reſpubl. Judæorum ſtetit, illi non aliter Neomenias & feſta ſua conſtituerunt, quàm juxta Lunæ φάσεις; ut itaque certius conſtaret de præciſo Feſtorum tempore, magnâ curâ ad Lunæ φάσιν venandam uſi ſunt; uti pluribus docet, Judæorum doctiſſimus Maimonides *Tract. de Conſec. Novilun.*

BETH-JESIMOTH, i. e. *domus deſolationum*, *repoſitionum*, vel *nominationum*, urbs in campeſtribus Moabitarum, quæ ſorte cecidit filiis Ruben. Ezech. *c.* 25. *v.* 9 Joſ. *c.* 13. *v.* 20.

BETHLEBAOTH, i. e. *domus leænarum*, aut *domus cordis literæ*, vel *ſigni*, ſive *domus venientibus*: civitas in tribu Simeon. Joſ. *c.* 19. *v.* 6.

BETHLEHEM, i. e. *domus panis*, vel *belli*, Civitas in tribu Judæ, civitas David, è qua fuit Levita, cujus uxorem barbarè illicitô concubitu necârunt Gabaonitæ. Judic. *c.* 19 *v.* 1. Hæc fuit patria Jeſu Chriſti, Mich. *c.* 5. *v.* 1. Matth. *c.* 2. *v.* 6. olim *Ephrata* dicta. Vide Hieronym. *in locis Ebr.* Vocatur & *Civitas David*. Luc. *c.* 2. *v.* 4. Civitas eſt, ſita in monte mediocriter alto, ſitu ipſô arctô & oblongô: ingreſſus eſt ab Occidente in declivi loco. Eſt autem in plaga meridiana ſex milliariis ab Hieroſolymis diſtans, ut teſtatur *Severus Sulpitius*. Terra ſubjecta, rerum omnium copiâ multum præſtat, vini potiſſimum, ut comparandum non ſit, quod ex aliis Palæſtinæ locis adfertur, Iter verò quod Hieroſolymis euntibus Bethlehem eſt, uſque adeò ſui amœnitate, arboribus, hortis, odoratis herbis tranſeuntes delectat, ut ſi ad tam præclaram naturæ faciem, cœleſtis aliqua & digna Chriſtiano meditatio accedat, non jam in terris eſſe videantur ſibi, ſed in Paradiſo Chriſti nativitatem & incunabula præſentibus oculis contueri. Eſt & altera ejuſdem nominis *Bethlehem* in Galilæa, ut teſtatur Hieronym. in Commentar. *ſuper Matth. c.* 2 Ad cujus diſtinctionem hæc appellatur *Bethlehem Juda*. Ex illa erat Abeſſam Judex. Judic. *c.* 12. *v.* 8. eratque

ita

in tribu Zabulon. Priorem profanavit Hadrianus, Veneris templô ibi erectô. A. C. 135. Vide Guil. Tyr. *de bello S.* A. C. 135 & duravit hæc idololatria per annos 180. ad Conſtantini uſque imperium. Vide Hieronym. *l. 2. ep. ad Paulin.* 13.

BETHLEHEM, templum Pragæ in Bohemia, à Mulhemio extructum, in quo Johannes Huſſus magno cum zelo ac ſucceſſu concionatus A. C. 1392. & ſucceſſores ejus Evangelii præconiô defuncti ſunt. In hoc ad SS. Miniſterium ordinati ſunt, A. C. 1609. Johannes Roſa, Elias Aconcius, Petrus Cephas, Johannes Broſius. Vide Apolog. Fratrum *contra Sam. Martinum Bohemum.* Item Cœnobium Gall. in Senonib. quod poſtea *Ferrarienſe* dictum eſt. Vide *Ferraria*.

BETHLEHEEMITÆ, Monachi memorati Matthæo Paris. A. C. 1257. *Conceſſa eſt manſio Patribus* Bethleemitis *in Cantabrigia* —— *quorum habitus ſimilis eſt habitui Prædicatorum. Signatur autem capa eorum in pectore quadam ſtella rubrâ, 5. radiis crinitâ, cujus medio quadam rotunditas eſt aerei coloris, propter ſtellam, quæ apparuit in Bethleem, natô Dominô.*

BETHLEM Gabor, celebris Vaivoda Tranſylvaniæ, ſub initium hujus ſeculi, à Belgis in fœdus admiſſus eſt. A. C. 1618. fœderi Bohemorum nomen dedit, Hungariamque ingreſſus, cum exercitu 18000 Caſſoviam, Poſonium aliaque loca cepit, huic Principis Hungariæ, mox Regis titulô ſumtô. Dein Auſtriam invaſit, Tampirium & Buquojum cecidit. Ducatibus in Sileſia Oppoliæ & Ratiboriæ, item titulô Principis Germaniæ placatus, diadema Ferdinando II. reddidit. A. C. 1622. Mox armis reſumtis, Turcarum ſubnixus ope, Moraviam vaſtavit, exercitum Cæſaris ad Hodoninum obſedit, Valenſteinium fatigavit, ſed deſertus ab auxiliaribus ſuis A. C. 1624. pacem denuò iniit. Mortuus A. C. 1629. Maritus Catharinæ Joh. Sigiſmundi Electoris Brandenburgenſ. filiæ. Succeſſorem habuit Georg. Rakozium, Principem egregium & pacificum. Vaſſenb. *in Floro Germ.* Calviſius *in Chronol.* Joh. Cluverius *in Hiſt. Epit.*

BETH-LEPTOPHON, Toparchia quædam in Judæa. Joſeph. *Bell. Jud. l.* 5.

BETHMAACHA, civitas Cananitica, ad quam uſque proſecutus eſt Joab perduellem Scheba, 2. Sam. *c.* 20. *v.* 14. Latinè *domus compreſſa, contrita*, vel *fixa*.

BETHMAON, civitas in terra Moab. Jerem. *c.* 48. *v.* 23. Latinè *domus habitaculi*, vel *domus ex peccato*.

BETHMARCHABOTH, civitas in tribu Simeonis, Joſ. *c.* 19. *v.* 5. Latinè *domus quadrigarum*, ſive *amaritudinis extinctæ*.

BETHMAUS, vicus diſſitus quatuor ſtadiis à Tiberiade, verſus Sephoritarum urbem, in tribu in Zabulon.

BETHNEMRA, civitas, quam ædificârunt filii Gad. Numer. *c.* 32. *v.* 36. i. e. *domus pardi, rebellionis, amaritudinis*, aut *commutationis*.

BETHOANNABA, in tribu Ephraim, quæ quartô, ut alii, octavô milliari diſtat à Dioſpoli. Hieronym. *in Loc. Hebr.*

BETHOLENE, una ex 10. Judææ toparchiis. Plin. *l.* 5. *c.* 14.

BETHON David, vide *David*.

BETHONIM, & BETHANIM, civitas in tribu Gad. Joſ. *c.* 13. *v.* 26.

BETHORON, civitas Cananitica, quæ ductâ ſorte tribui Ephraim contigit. Joſ. *c.* 16 *v.* 3. Levitis conceſſa. Joſ. *c.* 21. *v.* 22. Eſt & ſuperioris ſimul & inferioris *Bethoron*, paſſim in ſcripturis, mentio. Vide Joſ. *c.* 16. *v.* 3 & 5. *c.* 18. *v.* 13. 14. Latinè *diviſio*, ſive *in exploratione ipſius*, vel *filia cantici*.

BETHPEOR, i. e. *domus hiatus*, ſive *apertura*, nomen civitatis. Joſ. *c.* 13. *v.* 20. Aliis *Bethphegor*.

BETHPHAGE, villula in monte Oliveti. Luc. *c.* 19 *v.* 29. Latinè *domus oris vallium*, ſive *domus ficuum præcocium.* Prope fuit ſub ipſis Hieroſolymæ mœnibus, ſi Hebræis credimus. Proinde ibi coquebantur oblationes veſpertinæ, ut probat doctiſſ. Buxtorfius ex Bartenora, & Bartenora ex Rambam *Tract.* Talmud. *Menachoth. c.* 11. Quin *Gloſſa* Talmudis vult, hôc nomine ſignificari, quidquid eſt extra Urbem in ambitu. Loco nomen à groſſis ſeu ficubus immaturis, ut Olyntho urbi Thraciæ. *Groſſi* enim Chaldæis & Syris פגי *pagge*, vel *phage* ὄλυνθοι. Vide Bochart. *Hieroz. part. prior. l.* 2. *c.* 17.

BETHPHALETH, ſive BETAPHELETH, civitas in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 26. i. e. *domus liberationis*, ſive *expulſionis*, aut *vomitus*.

BETHPHEREZ, civitas in tribu Iſſaſchar. Joſ. *c.* 19. *v.* 21. Latinè *domus diviſionis*.

BETHRAPHA, filius Eſthon. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 12. i. e. *domus ſanitatis, medicinæ*, aut *laxationis*.

BETHSABE, uxor primò Uriæ, inde è fontibus Davidis, dein huic nupſit, Salomonis ex eo mater. 2. Sam. *c.* 11. *v.* 3. *c.* 12. *v.* 24. Vide *Bathſheba*.

BETHSAIDA, clara Galilææ civitas, in tribu Zabulon, quæ inter decem principales Decapolis regionis civitates recenſetur. Sita eſt juxta viam, quæ è Syria in Ægyptum ducit, in angulo maris Galilææ, ubi ſe mare ab Aquilone flectit contra Auſtrum, ex qua Petrus, Andreas & Philippus Apoſtoli. Matth. *c.* 11. *v.* 21. Latinè *domus venatorum inſidiatorum, frugum*, vel *cibariorum*.

BETHSAN, urbs tribûs Manaſſe, Joſ. *c.* 17. *v.* 11. cujus ſitum habes 1. Reg. *c.* 4. *v.* 12. quæ Stephano & Joſeph. *Jud. Ant. l.* 5. *c.* 14. *Scythopolis* appellatur. Latinè *domus dentis, eboris, mutationis* vel *dormitionis*. In hac corpus Saulis ſuſpendebant Philiſtini. 1. Sam. *c. ult. v.* 12. Hieronym. *in Qu. Ebr.* duas urbes hujus nominis fuiſſe refert.

BETHSECA, civitas, aliis vicus, in tribu Manaſſe.

BETHSEMES, i. e. *domus Solis*, vel *miniſterii*, ante Abel dicta 2. Paral. *c.* 28. *v.* 18. Civitatis ſacerdotalis in tribu Judæ. Joſ. *c.* 15. *v.* 10. poſteà Levitis aſſignata. Joſ. *c.* 21. *v.* 16. In quam reducta eſt Arca à Philiſtinis capta. 1. Sam. *c.* 6. *v.* 9. In edit. Romana Βαιθσαμυς, Βεθσάμη vero Joſepho, *l.* 6. *Jud. Ant. c.* 2. cui κώμη ἦν ἐκ τῆς Ἰούδα φυλῆς. Hic clades fuit hominum plus quinquaginta millium, quia Arcam temerè apertam curioſius introſpexerant, quod Deus non ſolum plebejis, ſed & Levitis ſub pœnâ mortis interdixerat. Numer. *c.* 4. *v.* 20. Hæc ex vulgi ſententia, à qua tamen non diſſimulabo me eſſe remotiſſimum, ut qui cum Joſepho ſentiam, nonniſi ſeptuaginta Bethſemitas fuiſſe cæſos. In cujus ita habet *Jud. Ant. l.* 6. *c.* 2. Ὀργὴ δὲ καὶ χόλος τοῦ Θεοῦ μέτεισι, ὥστε ἑβδομήκοντα τῶν ἐκ τῆς Βεθσάμης κώμης οὓς οὐκ ὄντας ἀξίους ἅψασθαι τῆς κιβωτοῦ. ἱερεῖς γὰρ οὐκ ὄντες, καὶ προσήψαντο αὐτῆς βαλών ἀπέκτεινεν. Vide Bochartum ſententiam hanc fusè & ſolidè confirmantem, *de An. Bibl. Part.* 1. *l.* 2. *c.* 36. Joſephum quoque ſequuntur Hieronym. *in Quæſt. Ebr. Rupertus, Iſidorus, Lyra*, & *Abulenſis*, qui 70. tantum percuſſos fuiſſe ſtatuunt. Eſt & alia *Bethſemes*, in tribu Nephthalim, Joſ. *c.* 19. *v.* 38. à qua priſtinos habitatores non potuit expellere tribus prædicta. Judic. *c.* 1. *v.* 33. Numeratur alia præterea in ſorte filiorum Iſſaſchar, in pede extremo Carmeli. *Nic. Lloydius*.

BETHSETA, locus Palæſtinæ. Judic. *c.* 7. *v.* 22. i. e. *domus derivationis, extenſionis*, aut *ſpinæ*.

BETHSIMOTH, civitas, quæ & *Bethjeſimoth*, Joſ. *c.* 12. *v.* 3. i. e. *domus deſolationum, repoſitionum*, vel *nominationum*.

BETHSUA, vide *Bathſheba*.

BETHSUR, oppid. vel, ut alii, præſidium & caſtrum totius Judææ munitiſſimum, in tribu Judæ, & quoniam erat undique montibus circumvallatum, ab eo nomen accepit. Impoſitum erat clauſtris montium ad vallem Rapham, diſtans 1. milliar. à Jeruſalem, ſitum ſuper via publica, quæ à Jeruſalem ducit Gazam, ut quidam volunt. Firmavit locum hunc ædificiis Roboam, Rex Judæ, & iterum Macchabæus. Latinè *domus rupis fortitudinis, plasmationis, obſidionis* vel *vinculi*.

BETHTHAPHUA, civitas in tribu Judæ, Joſ. *c.* 15. *v.* 53. i. e. *domus pomi*, vel *inflationis*.

BETHUL, i. e. *virgo*, civitas in tribu Simeonis. Joſ. *c.* 19. *v.* 4.

BETHULIA, nomen civitatis. Judith. *c.* 6. *v.* 7. i. e. *virgo Domini*, aut *domus parturiens Dominum*. Galilææ inclyta urbs eſt, ſita inter montana in pulchro, munito, & alto monte, fontibus abundante, qui per totam ferè cernitur Galilæam, diſtat ab urbe Tiberiade, verſus Eurum duobus, à caſtro verò Magdala contra Africum, tribus milliaribus, in tribu Zabulon.

BETHULIA Gallorum, nomen arcis, à Chriſtianis prope Bethlehem extructæ.

BETHUNIA, urbs Arteſiæ Comitatus probè munita ad amnem *Biette*, 5. leuc. ab Atra. Sub Francis ab A. C. 1646. Hinc illuſtri familiæ nomen, quam à Roberto I. Duce *Bethune* circa A. C. 1000. Andreas Ducheſnius (qui integrum de ea volumen edidit) deducit. Et quidem illius nepos Robertus III. duos filios genuit, Robertum IV. ac Adamum, quorum hic in Palæſtina *Bethſan* ſive *Beiſan* nactus, illud dominium ad poſteros per plures gradus tranſmiſit. Ex illius deſcendentibus verò, dictum tamen finivit Mathildis, dominii hæres, Guidonis Comitis Flandriæ uxor; ſed ejus patruus Guilielmus novam orſus eſt ſtirpem dominorum *de Molenbeque* & *Locres*, atque qui ex his iterum prodiêre, dominorum *de Autrefche, Mareuil, Baye, Hoſtel, Congy*. Qui nunc ſuperant, communem habent Patrem Franciſcum Baronem de *Roſny*, cujus major filius Maximilianus Dux Sullius, ſub Henrico IV. Galliæ Rege magna in auctoritate fuit, utpote Regi gratiſſimus & *primus*, ut vocant, Regiu *Miniſter*, atque ex primo matrimonio Marchiones *de Roſny*, Duces *de Sully* ac Principes *de Enrichemont*, ex ſecundo, Comites *de Orval*, & Marchiones *de Courville* procreavit: Franciſci autem minor filius Philippus, Comitum *de Selles* & *Charrots* auctor eſt. De Orvaliis ut pauca addantur, Maximilianus præfatus, ex Rahela *de Cochefilet*, filia Jacobi *de Cochefilet* Dn. *de Vaucelas* & Mariæ *Arbaleſte*, genuit Alpinum Guidonem, Cæſarem (extinctum A. C. 1607.) Franciſcum Comitem *d'Orval* (cui uxor obtigit Jacoba Caumontia filia Jacobi *Nompar de Caumont* Ducis Forcæi, Franciæ Mareſcalli) Henricum, Catharinam, Margaretam (uxorem Henrici Ducis Rohanei, mortuam A. C. 1660.) & Luiſam uxorem Alexandri *de Levis* Dn. *de Mirepoix*. Vide Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nob. Europææ tom.* 2.

BETHZACHARA, i. e. *domus memoriæ*, nomen civitatis, 1. Macchab. *c.* 6. *v.* 33.

BETISIACUM, oppidul. Franciæ, non procul ab Oeſia fluv. in Provincia Inſ. Franc. & V[illegible] agro.

BETIUS, Arabiæ fel. fluv. quibuſdam *Chaibar*, prope Meccam labitur, poſt in mare Rubrum ſe exonerat.

BETON, vide *David*.

BETONIM, i. e. *ventres*, vel *terebinthi*, civitas in tribu Gad. Joſ. *c.* 13. *v.* 26.

BETOANEA, BETHANIA, in 15. à Cæſarea lapide, in qua dicuntur lavacra eſſe ſalubria, quam tamen in tribu Aſer ponit, dicitque in monte ſitam. Hieron. *in loc. Hebr.*

BETRE ſeu TEMBUL, folii aromatici ſpecies celeberrima, apud Indos, Salmaſio eſt *Folium* Romanorum & φύλλον μαλαβάθρου Græcorum, quamvis non pauci Folium Indicum (illud cum folio *Betre* confundentes) *malabathrum* Veter. eſſe cenſeant, eo quòd *Tamalabathra* hodieque ipſis Indis dicatur. Sed quidquid de nomine ſit, quæcunque de Malabathro Veteres ſcripsêre, *betre* folio potiùs, quàm Indo folio convenire videntur. Malabathri folia olim in pilulas convoluta venum ibant & hàc formâ in Europam adferebantur. Unde apud Didymum φύλλα μαλαβάθρου σφαιρία ποιεῖ; nempe non plura folia in unam pilulam ſolebant conglobari, ſed ex ſingulis foliis complicatis ſingulæ ſphæræ fiebant, unde pro magnitudine

nitudine foliorum ἁδρόσφαιρον, μεσόσφαιρον, μικρόσφαιρον, malabathrum dicebatur. Eôdem modô & *Betre* folium complicatur. Dein folia illa in pilulam convoluta ac complicata ipſis fibris calamorum ſeu virgarum malabathri trajiciebant, ut ſic in pilula hærerent, uti legimus apud Auctorem *Peripli*: quod ſimiliter fit in folio *Betre*. Sed & eôdem pæne modô ab Indis id præparatur, quô malabathrum olim. Quia enim id folium venas habet & fibras per longitudinem excurrentes, eas ungue acutô præſecant & eximunt (quod ἐξινίζειν Græci dixêre) deinde admixtô calcis modicô, quam è teſtis oſtreorum crematis confectam habent, & Arecâ confractâ, folium Betre complicant & involvunt, ſicque in os immiſſum mandunt: Quâ eâdem methodo præparata folia amicis abeuntibus dare ſolent, ut infrà videbimus. Quod idem de Malabathri folio apud Auctorem *Peripli* præfatum legimus. Adde quod calamos ſeu virgulas malabathri, quibus folia trajici diximus, πέτρας vocavêre Veteres, unde hodieque *Betre* hoc folium appellatur, vulgô *Betele*. Naſcitur autem *Betre* in omnibus maritimis Indiæ regionibus, nec facilè in remotis à Mari locis provenit: quam ob rem in continenti ac interioribus Indiæ venit rarò. Quòd verò non ſuiſmet ipſius viribus nititur ac ſurgit, ſed adſitis arboribus ſe applicat & circumvolvit, à quibus ſuſtentatur, inde Veterib. creditum, folia malabathri aquis ſine ulla radice innatare. Mandunt id Indi aſſiduè, ad oris ſuavitatem & bonum halitus odorem; quemadmodum malabathrum linguæ ſubjectum odorem oris commendare ait *Dioſcorides*: ὑποτίθεται δὲ τῇ γλώσσῃ πρὸς εὐωδίαν στόματος: Stomachum namque corroborandi vim magnam habet; δύναμιν εὐστομάχου ἔχον, ut idem addit, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1070. *& ſeqq.* & infrà in voce *Caryophyllum*. Omnino tamen & audiendus hîc, Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ*, qui de *Betre* folio, ſeu *Bettele*, iſta habet *c.* 32 *Folium hoc* (quod aëtem amat temperatiſſimum) *ad arboris auraicæ figuram proximè accedit, minus tamen acuminatum; ad palos ſuccreſcit ſrutex, inſtar piperis Indici, aut lupuli Europæi, adeoque vitis —— fructu caret, cultura pullulat, in caulem debiliorem, unde ambitioſius humi repere non amat, & niſi fulciatur pedamentis, proximam quamque ambit amplexaturque arborem. Lecta folia ſervantur incolumia, per quælibet compita venum habentur, numerô duodenariô faſciculata: neque hiſce deliciis fruſtrabit genium maſve femina ve ulla diecula, niſi per ſummum luctum, aut jejunium publicum quo & alterum duodenarium conficias: non in victum quotidianum, ſed per illa ſpatia, quæcunque à diluculo ad ſeram veſperam, licèt conſuetis prandiis & cænis intercepta, uſque extenduntur. Et noctes hôc modô tranſiguntur. Adhibetur folio Arecca fructus & placentula ex arbore Kaate; cujus granâ calcem illiniunt Bettela, ex oſtreis excoctam, & modico aſa inmixtam. Hæc maſticantur, quaſi in primam concoctionem; ſeparaturque craſſuma tenui, exteritur materia exſucca, ut ſubſtantia ſtomachum reficiat, halitum gutturis emendet, dentes firmet, gingivam roboret, ſcorbutum —— procul habeat. Comperuſſimum certè, neminem Indum graveolentiâ oris, dentium dolore, ſcorbutô, & id genus incommodis tentari, cum decrepitus ſeptimontium dentium conſtet; quod ita lunit, ut dentes atram ſanguinem ſemper referant, ſputumque ſanguinem imitetur —— Bettelâ & Arecca excipiuntur hoſpites utriuſque ſexus oppoſitâ quadrô, tales decati. Compita & via publica præbent & Bettela & Arecca, adeoque calcis juſtam proportionem entaris. Primùmque ſumitur pars Arecca & Kaate, iis per dentes ſubactis additur Bettela folium, ſed ex quo coſta ſubducantur pollicis ungue, quem in hunc uſum alunt acutum: illinitur calx, fit convolutio: poſt maſticationem ejicitur ſuccus ſanguineus, quem Arecâ facit, & creditur orificium ventriculi à vitioſis humoribus repurgare, ut ſubtilior ſuccus digeſtionem juvet. Omnes omnino Indi per plateas gratiſſimum hoc enchiridion ſecum ferunt —— Ea ſumma cura Magnates adeuntibus —— mulieres ſeſe viris inde gratiores & viris ſibi magis idoneos eſſe perſuaſum habent. Uſus maximè neceſſarius dicitur à cibo ſumto. Folia maturrima flaveſcunt & optima; quædam tamen mulieres immaturiora ob fragrem titillationem præhabent —— In Malacca fructus exeuntur ſrutices, inſtar caudæ ſerpentinæ, digitales, grato eſui. Deambulacra intruſa ſiunt, ubi Arecca, quod piperis ſpeciem licet nuncupare, applantatur & frequenter irrigatur. Reges nunquam non convolvulos illos* (nam hæc omnino ſpecies folii ſic præparati) *è vaſe aboreo à ſecretis repetunt: Legatos —— per interpretes audiunt & dimittunt, in lectum reſupini vel humi deſides in tapete, famulis ſubinde bettelam præbentibus; craſſiorem materiam in pelluvium argenteum rejiciunt, quod vel conjux vel ancilla attulit exhibet. Honoris verò extrema linea ducitur, quoties Legati ad eſum regia Bettelæ invitantur. Sunt qui addunt camphoram, ſed aut ex conſilio uxorum, alii aloen, denique florem nucis Indicæ & Ambram cineraceam, quæ compoſitio & palato & naribus eſt gratiſſima, ſed & cara. Vulgus etiam cardamomum adhibet. In mediterraneis, ubi nulla Bettela provenitur, maximum ejus deſiderium & pretium: feruntque Nicamozam Decani Regem, ſingulis annis ex hoc mercimonio tributum capere tricies mille aureorum. Sic ornantur convivia, ſic dimittuntur gratiſſimi ad peregrinationes, ſive hoſpites ſive domeſtici. Reges Magnatibus ſua manu, temeroribus alienâ tradunt: Eorum mandatarii ſoccum convolvulorum accipiunt, nec prius licet ire. Haud longè à Surda eſt Inſul. Pulo Seveſſi, cujus gemini montes ultra Bantam conſpecui, quæ bettelam ſine cultura producit, unde Javani cymbatim eam auferunt, tanto chariorem, quod orticis permixta nudis collectoribus vel viduarum ex puſtulis ardentibus dolorem vindicent. Duæ vicumores Inſulæ Bettelam alunt; ſed parciùs laudatam, ob ſulphureum arenoſum ſolum. Tyronibus ſubortitur vertigo ebrioſa è navigantibus in uſu ſunt paſtilli, ex convolvulis confiati* &c. De Folio verò Indico, vide infrà.

BETTONIS Cortis vel Curtis, vulgo *Bettancourt*, locus Galliæ memoratus, in literis A. C. 885. *in pago Virdunenſi, ſuper fluvium Speoni*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Vabrenſis pagus*. Item locus ejuſdem regni, cujus mentio, *in Chron. Fontanellenſi* c. 4. *duo patrimonia, Oſſiniacas & Bettonis Curtem, ſita in pago Tellau*. Ad fluvium Earam ſeu Jeram ſive: vulgò *Betencourt*. Idem in voce *Tellau*.

BETTONIUM, oppid. Umbriæ in Italia, vide *Vettonium*.

BETULA, arboris genus eſt, de qua ſic Plin. *l.* 16. *c.* 18. *Gaudet frigidis ſorbus & magis etiam* Betula. *Gallica hæc arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis Magiſtratuum virgis. Eadem circulis flexilis, item corbium ſportis. Bitumen ex ea Gallia excoquunt.* Ubi quod de *Magiſtratuum virgis* habet, vide B. Briſſonium *l.* 3. *c.* 14. Ejuſdem corticibus exquiſitâ induſtriâ domus olim tegere conſuevîſſe Gothos, ceſpiteſque virentes impoſuiſſe, dicemus infrà ubi de Veterum *Tectis*.

BETULEUS Xyſtus Auguſtanus, Latinæ ac Græcæ Linguæ, Poëſeos item peritiâ clarus. Docuit Baſileæ primùm, inde Auguſtæ, ubi obiit A. C. 1554. ætat. 54. Scripſit inſignem *Commentarium in Ciceronis Officia, it. de Amicitia & Senectute*: ut & alia complura de quibus vide *les Eloges* Anton. Teiſſier *Volum.* 1. adde Simlerum *Biblioth.* *Thuanum*, Pantaleonem *Proſopogr.* Bucholzerum *Indice Chronol.* Melch. Adami *vitis Philoſop.* Ramum *Baſileâ* &c.

BETULLO, Hiſpaniæ oppid. & fluv. cujus irrigatione ager Barcinonenſis lætiſſimus eſt. Pomp. Mela *l.* 2. *c.* 6 Oppid. hodie Badelona, fluv. *Beſos* dicitur. longitud. 17 50. latitud 41. 02.

BETUNICA, Hiſpaniæ urbs circa Aſturicam. *Antonin.*

BETURIA, regio Hiſpaniæ Plin. *l.* 3. *c.* 1.

BETUSA, Meſopotamiæ juxta Tigrim oppid. *Ptol.*

BETYS, vide *Bætis*.

BEUDUN ſeu **BEODUM**, in *L. Sal. tit.* 48. menſa eſt rotunda, inſtar fundi dolioris, quod apud tenuiores & in caſtris plerumque menſæ vicem fungitur, inquit Wendelinus; certè Flandris *bodem* hoc ipſum hodieque eſt An ab hac voce Hiſpanorum *Beodo*, pro ebrio? Vide Sebaſtianum Covarruviam, laudatum Carolo du Freſne in *Gloſſar.*

BEVELANDIA, Inſul. Zeelandiæ in Belgio quæ A. C. 1532. inundatione maris duplex effecta eſt. Unde Nort Bevelandia, & Zud-Bevelandia, ubi Goeſa oppid. lautum & munitum.

BEVERA, vel **BEVERIS**, vulgò *la riviere de Bievre*, Pariſiis *la Riviere des Gobelins*, à nomine celebrium infectorum, qui fluviô hôc olim feliciter ad tingenda coccina, in ſuburbanis S. Marcelli, uſi ſunt: Item *la riviere de Gentilly*, à vico noviſſimo, quem alluit, fluvius Galliæ eſt, inde Lutetiam decurrens, per cujus ſuburbana delatus, duobus alveis in Sequanam fertur. Oritur inter Guidonis curtem & Fontanetum Floridum: atque Cauciacum ad Boves, *Choiſy aux Bœufs*, Buc, Jojacum, *Jouy en Joſas*, Beveram vicum, Antoniacum Poutem, Pontem Antoniacenſem, Lajacum, (*Lay*) Caticantum *Cachant*, Arcolium *Arcueuil*, Gentilliacum attingit, ac demùm Sequanâ recipitur: Rivus ignobilis, ſed nonnunquam ſubitis incrementis ſævus. Item *Beveto*, in extremis Carnutum finibus, non longè ab Ambacia Turonum fluens, *le Beuveron*: accipit Beveram amniculum, *la Bieuve*, nec procul à caſtro Bleſenſium Calvo monte, in Ligerim influit. Hadr. Valeſ. *Notit Gall.*

BEVERLÆUS Philippus, vide *Philippus*.

BEUGESIA, regiuncula Gall. partim & Sabaudiæ, à Rhodano fluv. bifariam ſecta. Juris partim Francici, ab A. C. 1600. unà cum Breſſia, ei adjacente: Et ejus primar. eſt Bellicum, partim Sabaudici. *le Bugey* vulgò.

BEULANUS, Presbyter Anglus, ſcripſit *de origine Saxonum in Anglia, tempore Gregorii M.* Ejus nepos Samuel, *Iiwertati* auctor. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 61.

de **BEUSSON** Martinus, Gallus, civis Baſilienſ. cùm in itinere Lucernenſi: contra Mariæ invocationem, ex S Scripturæ tenore, ad ſocios diſſeruiſſet: Zurzeæ ad Magiſtratum eô nomine, à quodam verborum ejus ſubſeſſore, delatus, martyrium ibi ſubiit cantus, A. C. 1608. Bucholz. *Ind. Chron.*

BEUTELSPACUM, German. *Beutelſpach*, arx Germaniæ vetus, in Suevia, condita, ut quidam volunt, ab Emerico I. Conſtabili Clodovæi in pugna adverſus Suevorum Regem Baudocarium commiſſa A. C. 499. ac à Rege Sueviæ præfecto in his oris relicto, cui ſucceſſiſſe dicunt Emericum II. Dagoberti Aulæ Magiſtrum, Albertum Pippini Regis aulicum; hujus filium Eberhardum, Caroli M. Magiſtrum aulæ: cui duos aſſignant filios. Eberhardum *Beutelſpacenſem*, & Aſtulfum C. Calvenſem, Leonis III. Pontif. patrem. Ab Eberhardo, quem Caroli Simplicis Aulæ Magiſtrum faciunt, Emericus III. pater Ulrici *Beutelſpacenſis*, prognatus dicitur. Ulrici hujus ex filia Wernrude gener & hæres, Comes Wirtenbergicus Conradus fil. Alberti Wirtenbergici ac Lœwenſteini fuiſſe ſtatuitur: Et manſit diu dominii *Beutelſpacenſis* titulus Wirtenbergico conjunctus. Conrado filios aliqui Henricum ac Ulricum, Comites Wirtenbergicos ac Dominos *Beutelſpacenſes*, & Wernerum Comitem Græningenſem adſcribunt. Alii Ulricum, Eberhardum & Henricum aſſignant: è quibus primus hodiernos Principes Wirtenbergicos ſeverit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſt.*

BEUTHA, oppid. Sileſiæ ad fluv. Oderam, in Ducatu Glogavienſi.

BEUTHERUS Michaël, Caroloſtadiô oriundus, Hiſtoriam, Poëſin & Mathemata publicè docuit in Academia Gryphiswaldenſi, A. C. 1546. inde exteris Academiis peraluſtratis, Pictavis *Ephemerim Hiſtoricam* conſcripſit; ad Tractatum Paſſavienſem Ducis Wirtembergici Legatus, A. C. 1552. abhinc Patavium conceſſit, ibique Medicinæ, ex Melanchthonis conſilio, operam dedit, A. C. 1553. Ferrariæ poſteà Doctor Juris renunciatus: ut in Germaniam rediit, ab Ottone Henrico Electore Palatino Conſiliarius Eccleſiaſt. & Bibliothecarius creatus. in Argentinenſi tandem Academia Profeſſionem Hiſtoriarum ſuſcepit, obiit A. C. 1587. ætat. 63. Libros edidit plurimos, *Theologicos, Juridicos, Hiſtoricos, Genealogicos, Philoſophicos, Mathematicos & Poëticos, Tractatum de Appellationibus, Opus Faſtorum Antiquitatis Rom.* &c. Pater *Mich. Philippi* Theol. D. & Ducat. Bipontini Superintendentis Generalis, *Joh. Michaelis* J D. & Prof. Argentinæ &c. Freherus *Theatro Viror. clar.*

BEYERLINCK Laurentius, vide *Laurentius*.

BEZA, Theodorus, Vezelius Burg. cui patruus Senator Pariſiis. natus A. C. 1519. Primis juventæ annis, cùm adhuc in communione Romana verſaretur, carminum licentiâ ſeculum ſequutus, mox ſeriò Nummis, & potioris cultus amore tactus, ſtudio ſacro tanto cum ſucceſſu incubuit, ut Genevæ inter præcipuos Theologos emicaret. A. C. 1561 inter alios Colloquio, ſub Franciſco II interfuit. Ubi à Lotharingo Cardinali falſo ſibi attributa ante colloquium diluit, ad collationem acceſſurus, flexis genibus Fidei confeſſionem edidit, Eccleſiâ ab Anabaptiſtis & Libertinis vindicatâ. Transſubſtantiationem, cum Conſubſtantiatione, doctè refutavit; tum ſcriptò comprehenſam Confeſſionem Regi obtulit. Quæ de abſentia corporis Chriſti reali dixerat, Auguſtini & Vigilii, Epiſcop. Trident. authoritate apud Reginam, feliciter defendit. Poſt aliquot dies, de Eccleſia ejuſque notis, præclarè diſſeruit. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 28. Antonium Navarræum, qui ſtragem Vaſſiacenam cordi non habuit, monuit, *Eccleſiam eſſe incudem, quæ multorum malleos hactenus getundiſſet.* Idem *l.* 28 *&* 29 &c. A. C. 1600. ad Henricum IV. qui tum Luiſelli, in pago Genevæ vicino, degebat, notum à puero, ſed 30. annis non viſum, pervenit, Genevenſium cauſam Regi ſenili facundiâ commendaturus, eique navatæ Patri matrique ulim operæ memoriam renovaturus. A quo benignè auditus, cœnæ adhibitus & 500. aureorum honorariò donatus eſt. Thuan. *l.* 125. Abr. Golnitzius, *in Ulyſſe Belg.* Tandem cùm 60. annos in lucubrationibus exegiſſet, debilitatiſque viribus memoriam præſentium amiſiſſet, præteritorum, *ut totos Pſalmos Hebraicè, & quodcunque caput ex B. Pauli Epiſtolis Græcè recitare poſſet*, manente, A. C. 1605. ætat. 87. in concionem iturus, obiit. Varia ſcripſit, inter quæ: *Lex Moſaica, Job illuſtratum, in Pſal. & Eccleſ. Paraphraſis, in Cant. Cant. Homiliæ, Annotationes in N. Teſt. Epiſt. &c.* Vide Melchiorem Adami, *in vitis Theolog.* Helvicum *in Chronol. tabul.* Antonium Teiſſier *Elogia Virorum Eruditorum. Vol.* 1. & 2.

BEZABDE, Aſſyriæ urbs, quam veteres *Phœnicen* appellârunt, teſte *Ammian.*

BEZEDEL, vicus, juxta quem caſtellum inexpugnabile conditum, in tribu Benjamin, Joſeph. *l.* 3. *c.* 2. *Bell. Jud.*

BEZEK, *i. e. fulgur*, ſive *in compedibus*, Chananææ urbs regionis. Judic. 1. v. 2.

BEZENI, Galatiæ gens. *Ptol.*

BEZIRA, aliàs BEIRA, oppid. Indiæ. Curt. *l.* 8. *c.* 10. *Bazira Arriano.*

BEZOAR, nomen lapidis pretioſi, qui in ſtomacho Indici cujuſdam animalis naſcitur. Et quidem *Bezoar Orientale*, producitur in genere quodam capræ ſylveſtris in Indiis; *Bezoar* verò *Occidentale*, Peruviani cujuſdam hircorum generis fœtus eſt, *Richelet.* Similem ſtomacho rupicaprarum Alpinarum lapidem produci, ejuſdem ferme cum *Bezoar* facultatis, German. *Gems-Kugel* dictum, narrat Jac. Sponius *Itin. Part.* 2. *p.* 378. *ubi iter ſuum per Rhætos deſcribit.* Plura infrà, voce *Lapis.*

BIÆOTHANATI, Græcè Βιαιοθάνατοι, dicti ſunt Veteribus, qui aut propter crimina ſua ſuppliciô publicè afficiuntur, aut metu gravioris pœnæ, quam ſe meruiſſe conſcii ſunt, ſibi ipſis mortem conſciſcunt. Quod *ἀπὸ βιαίου θανάτου* vocabant Veteres, cùm Juvenes, immaturi à morte abrepti, *ἀπὸ ἀώρου* mortui dicerentur. Unde in Magicis ſacris differentia τῶν Βιαιοθανάτων & τῶν Ἀώρων, uti diximus ſuprà in voce *Abori.* Utrorumque enim Animæ exules ab Inferis & ſedibus quietis eſſe, adeoque in Necyomantia, tanquam è propinquo, faciliùs evocari poſſe credebantur. Tertullian. *de Anima*, *Itaque invocantur quidem Abori & Biæothanati, ſub illo fidei argumento, quòd credibile videatur eas potiſſimùm animas ad vim & injuriam facere, quas per vim & injuriam ſævus & immaturus finis extorſit, quaſi ad vicem offenſæ.* Firmico *Aliiſque Biothanati* dicuntur, qui aliquando cum *Aoris* coincidunt, cùm unus idemque homo & immatura & violentâ morte perit. Uti Dido, apud Virg. *l.* 4. *Æn.* v. 696.

Sed quia nec Fatò, meritâ nec morte peribat,
Sed miſera ante diem,

Illis, *probâ morte defunctos*, ſicut voce ἀώρων, *juſtâ ætate ſopitas*, opponit Tertullian. *d. l.* Qua de re vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1118. *&* 1119. ut & infrà in voce *Biothanatus.*

BIAFARA, urbs Africæ in Guinea regione regni cognominis caput, juxta fluv. *dos Camarones*, in mediterran. verſus regnum Benini in ortum.

BIAFORA, clamor publicus, bannum, quô editô Communiæ Burgenſes, aliique vicorum aut urbium incolæ cum armis domô egredi & Principem aut ejus Vicarium ſequi tenebantur, quæ eſt vis vocabuli Vaſconici: quod occurrit apud Scriptores *Rerum Aquitanicarum, Benehaarnenſium, Aragonicarum*, laudatos Carolo du Freſne *in Gloſſar.* Petro Gaſcoulino *Biaſfora* eſt, Raim. Montanerio *Via fora* & *Viafors* &c.

BIALACERIA, urbs Poloniæ in Volhinia inferiore ad fluv. *Ros.* Dicitur & *Bialacerkow.*

BIALOGRODENSES Tartari, populi Tartariæ Precopenſis, verſus oſtia Danubii. Dicti à Bialogroda, urbe Beſſarabiæ, prope mare Nigrum. Sub Turcis.

BIANA, Arabiæ Felicis oppid. *Ptol.*

BIANCANDUM, Parmenſium Carrocium, vide infrà

BIANDINA, Laconiæ oppid. *Ptol. Prigucta Mar. Nigro. Rampano* multis.

BIANOR, cognomentô *Ocnus*, Tiberis & Mantûs filius, qui Mantuam condidit. Virg. *Eclog.* 9. v. 60.

---- --- *Namque ſepulcrum*
Incipit apparere Bianoris. --- ---

Cato librô *de Originibus*: *Mantua ſub conditore Ocnô Bianore eſt, Thuſcorum Rege, illuſtris.* Fuit item unus ex Trojanis Principibus, qui cum Oileo auriga ab Agamemnone interemptus eſt. Homer. *l.* 11.

BIARCHI, in Leonis Imp. *Conſtitution. l.* 3. *C. de agent. in rebus* & *l. ult. Cod. de offic. Præf. Prætor. Afric.* Officiales ſunt, annonæ ſeu militum commeatûs præfecti: βίος enim Græcis *annona* inter alia ſignificatum eſt. Eorum meminit Hieronym. *Ep.* 61. *ad Pammach. Sed antè Primicerius, deinde Senator, Ducenarius, Biarchus, Circitor, Eques, deinde Tyro.* Erant autem ex Schola Agentium in rebus, in *LL.* prædictis. Munus *Biarchia*, *l.* 2. *C. de Offic. Magiſtr. offic.* Alciatus apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

BIARMENSES & Lappones, Deum verum ſummumque *Jumala* olim ac *Tor* nomine venerati ſunt, Joh. Schefferus in *Lappon. c.* 7. *p.* 61. apud Tob. Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. par. c.* 2. *§.* 16.

BIARTUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

BIAS, Amythaonis fil. Argivorum Rex. Pauſan. *l.* 2. Item fluvius juxta Coronem oppid. Pauſan. *in Meſſenica ſive l.* 4. *ubi de Corone*: Προελθόντι δὲ ἐς πολὺ, Βίας ἐκδίδωσιν ἐς θάλασσαν ποταμὸς, γενέσθαι δὲ αὐτῷ λέγουσι τὸ ὄνομα ἀπὸ Βίαντος τοῦ Ἀμυθάονος. *Progredientibus autem non multùm, Bias ſe exonerat in mare; nomen nactus, ut dicitur, à Biante Amythaonis filio.* Hic verò non integrum regnum poſſedit, ſed tertiam ſoltùm partem, ſicut Melampus frater ejus alteram tertiam à Præto aut Anaxagora, ut ejus filias inſanientes ſanaret, obtinuerat; pro ſe unam & fratre alteram Pauſan. *l.* 2. præfato *Bianti* verò ſucceſſit fil. Talaos, Talaoni Adraſtus, quem vide.

BIAS, Teutamidæ fil. Philoſophus Prienæus, unus ex 7. Græciæ ſapientibus, aureum tripodem, à piſcatoribus captum, cum hac inſcriptione, τῷ σοφωτάτῳ, & ad ſe allatum, Apollini Delphicô remiſit. Civium ſuorum Princeps, illos diu adverſus pericula tutatus eſt; ſed captâ tandem patriâ, cùm univerſi fugerent, rerum pretioſiſſimarum ſarcinulis onuſti, ipſeque interrogaretur, cur ex bonis ſuis ſolus nihil ſecum ferret, reſpondit, *Omnia bona mea mecum porto*, eruditionem & ſapientiam intelligens. Duo millia verſuum condidit, in amplexu ex filia nepotis, pro amico perorans, exſpiravit. Diogenes, *in ejus vita l.* 1. Plut. & Val. Max. *l.* 7. *c.* 2. *ext. ex.* 3. *Nic. Lloydius.*

BIASARI, Indiæ populi. Vide *Abiſari.*

BIATIA, Hiſpaniæ oppid. *Ptol.* Vulgò *Baeza.*

BIBACTA, inſula citra Indi oſtia. Arrianus *Indic.*

BIBACULUS, Cremonenſis, ab *Euſebio* cum Catullo inter Poëtas Jambicos ponitur, cujus meminit Quintilian. *l.* 10. *c.* 1. Eſt & alter, cujus Cæſar meminit *in Commentariis.*

BIBACULUS, de quo Val. Max. *l.* 1. *c.* 1. *ex.* 9. Vide *Baculus.*

BIBACUM, German. urbs. *Ptol. Bibrach*, Villanovano. Civitas eſt Imperii à caſtore animali nomen adepta. Sub Pipino Francorum Rege pagus adhuc, A. C. 751. à Friderico II. Imperatore muris cincta eſt. Maximiliano I. Brugis captivo milites ſuô ære conductos, atrôque pannô veſtitos miſit, quapropter Leonem aureum cum corona in inſignibus accepit, cùm antea caſtorem coronatum gereret, in campo cœruleo. Dein à Maximiliano II. jus ſignandi cerâ rubrâ quoque nactam, refert Limnæus *de Crv. Imp.* Patria fuit Johannis Brandmylleri, inſignis apud Baſilienſes Theologi. longitud. 31. 51. latitud. 48. 00.

BIBAGA, Indiæ Inſula oſtreis & conchyliis referta. Plin. *l.* 6. *c.* 21.

BIBALI, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi *Ptol.* quorum oppid. *Forum Bibalorum* dicitur. *Baudrando* erant ſub Callaicis Braccariis. Et Forum Bibalorum erat ad Letham fluv. ubi nunc pagus Celme, in Gallæcia.

BIBASIS, Indiæ fluv. in Indum ſe exonerans. *Ptol.*

BIBASTUS, urbs Thraciæ. *Steph.*

BIBAUCUS Gulielmus, vide *Gulielmus.*

BIBENDI ritus, apud Romanos hi fuit: In omni convivio, cùm paulo hilariùs ſe invitare vellent, hunc obſervavêre morem, ut à ſummo biberent ad imum. Item ut Divo alicui libarent, hoc eſt, ex patera leviter vini aliquid defunderent, vel in menſam, vel in terram vel in altum quoque pro re nata locum: utque in dominæ aut amicæ honorem cyathum ebiberent, eamque palam nominarent his verbis uſi, *Bene vos, bene nos, bene noſtram etiam Stephanium*, Plaut. in *Sticho*, *Act.* 5. *ſc.* 4. v. 27. Quin & illud uſurpabant, ut in honorem amici aut amicæ, tot biberent cyathos, quot in ejus nomine eſſent literæ. Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 72.

Nævia ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur.

Et *l.* 9. *Epigr.* 95. v. 3.

Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calatiſſe, Deorum,
Sex jubeo cyathos fundere? Cæſar erit.
Sutilis aptetur decies roſa crinibus, ut ſit,
Qui poſuit ſacræ nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da ſuavia, fiat ut illud,
Victor ab Odryſio quod Deus Orbe tulit.

Ubi cyathorum, roſarum, baſiorum numerus reſpondit his tribus nominibus, *Cæſar, Domitianus, Dalmaticus.* Bibebant autem ex poculis primùm fictilibus, dein faginis aut oleaginis, è cornibus item: Poſteà vitrum in uſu eſſe cœpit, & cryſtallus: Poſt quæ murrhina, electrina, argentea, aurea, gemmata tandem adhibita ſunt: Oſſa quoque humani capitis, ſed barbari tantum, huc ſibi inſervivêre. Vide infrà in voce *Pocula.* Nec deerat illis *bibendi* lex, quam Feſtus *l.* 16. *Tapulam appellat legem*: Catullus *Poſthumiam*, *Epigr.* 27. v. 3. Auſonius *Albutiam*; cui à Græcis origo. Unde illa cantio convivalis ſæpiſſimè his reperta. πῖνε πέντε, τρεῖς πῖνε, ἢ μὴ τέτταρα. *bibe quinque, bibe tres, bibe quatuor.* Fuit autem Græcô more bibere, *cum cyathis merò plenis ſaltare, & primo Deos, deinde amicos ſuos nominantes, toties merum bibere, quoties Deum & charos nominatim vocant*, Aſconius Pædian. *in* 3. *Verrinam.* Quo fiebat, ut ad vomitum ſæpe procederetur, indignante Senecâ *Ep.* 83. *&* 95. Plut. *Sympoſiac. l.* 8. *quæſt.* 9. *in fin.* &c. quæ conſuetudo invaluiſſe videtur, ſub ævo Pompeii M. imitantibus hanc Romanorum fœditatem imprimis è Septentrione gentibus. Vide Olaum M. *l.* 13. *c.* 24. Matthiam Michovium *Sarm. Europ. l.* 2. *c.* 9. &c.

&c. Græci primò meracum bibebant, cujus nimiò uſu cùm plurimi in inſaniam agerentur, aquâ illud temperare docuit Amphictyon, quò auctore Concilium Amphictyonicum exortum eſt: Unde duo altaria erexiſſe legitur, Baccho & Nymphis, ſibi invicem propinqua, in rei memoriam. Alii eundem aram ὀρθοῦ Διὸς ſtatuiſſe referunt, in Horarum templo: cùm enim meraci uſus homines prius incurvâſſet, ipſe poſteà aquâ adfuſâ vinô erectos conſervavit. Sunt tamen qui Melampo inventi hujus gloriam tribuant. Aliter Athenæus ex *Philonide Medico l.* 15. ubi narrat, Bacchum, poſtquam à mari Rubro vinum in Græciam detuliſſet, obvios quoſque ſine modo vinum ingurgitantes, partem in rabiem egiſſe, partem letho dediſſe: reliquos, qui tardiùs advenerant, imbre repentinò obrutos pocula ſemiplena in littore reliquiſſe, quibus admixtâ pluviâ, cùm dein poſt redditam aëris ſerenitatem reverſi liquorem guſtarent, deprehendiſſe illum jucundum ſimul ac innocuum: hancque cauſam eſſe, cur illatô in convivium vinô *temperatione* ſeu temperatiô, primum poculum libaverint Græci Διὶ Σωτῆρι, *Jovi Servatori*, ſecundum Διὶ Ὀλυμπίῳ, *Jovi Olympico*, ſi quidem triumphale eſſet epulum: cui addiderunt poculum *nuptiale*, in convivio nuptiali. Sophocles tamen tertium locum *Jovi Servatori* tribuit,

— — καὶ Διὸς Σωτῆρος
Σπονδὴ τρίτου κρατῆρος.
— — *Et Jovi Soſpitatoris*
Libamen tertii crateris.

Iidem meracum Baccho inventori libârunt, ſequutum dein *προπόμα*, *promulſis ſeu guſtatio*: Magnô poſt hæc cratere repletô, Sympoſiarchus propinavit illum bono Genio, eis ibant libatum, quod poculum τοῦ ἀγαθοῦ Δαίμονος dictum eſt: ſolebatque illud ſorbillando, velut ex religionis præſcripto, deplere; unde Ἀγαθοδαιμονιστὰς Heſychius interpretatur ὀλιγοποτάς, *pitiſſatores*. Addi ſolebat precatiuncula, exclamantium ὦ ἀγαθὲ Δαῖμον. Quod quidam ab initio ſtatim epuli fieri ſolitum eſſe malunt. Ultimum, quod bibebant, poculum, mox cubitum ituri, Mercurio, utpote ſomni ſomniorumque Præſidi, erat ſacrum: Unde Ariſtoph. in *Veſpis*.

— — Ἀργειφόντῃ
Οἱ τομαίῳ σπένδομεν
— — *Argicidæ*
Poſtremo libaverunt.

Sunt tamen qui Διὸς τελείου, *Jovis integri*, id fuiſſe contendant. Uter, è quo vinum depromebant, communiter ex apri confectus erat exuviis, proin Κάπρος in Ariſtophanis *Lyſiſtrata*, dictus eſt: quemadmodum vinum *ſanguis*, & effuſio ejus ex utre σφάγιον & *mactatio* Poëticâ licentiâ ſunt appellata. Cùm amicus amico propinabat, φιλοτήσιον κύλικα ſeu φιλοτησίαν, *poculum amoris* vocaverunt, & actum ipſum *δεξίωσιν*, juxta Homericum illud *Od.* γ. v. 472.

— — Χρυσείοις δεπάεσσι
Δειδέχατ' ἀλλήλους.
— — *Aureis poculis*
Exceperunt ſe in vicem.

Cùm in dignitate erat is, qui epulum dabat, porrigere ſolebat ſcyphum iis, quibus propinabat, niſi fortè in ſanitatem bibebat τοῦ ἐρωμένου ſeu φίλου, tum enim partem ipſe hauriebat, reliquô humi effuſô cum ſonitu, quem ritum κοτταβίζειν dixêre. Aliquando poſt cœnam ad pernoctem ſe obfirmabant compotationem, ſponſionibus certando, quis ad Auroram uſque pervigil duraturus eſſet, tum victori præmium dabantur πυραμοῦς, i. e. *placenta ex tritico & melle confecta*: quales in Theſmophoriis mulieres nanciſcebantur. Griphos quoque & ænigmata proponebant, quorum ſenſum qui non indagâſſet, ad cyathum exhauriendum damnari ſolebat. Quòd ſi quis diſceſſum inde pararet, Modimperatoris venîâ omninò erat opus. Ad ſaltationem cùm animos ac vinum impellebant, majora pocula crateresque novus poſcebatur, Euripid. in *Ione*.

Ἐπεὶ δ' ἐς αὐλοὺς ἧκε καὶ κρατῆρ' ἔσω
Κοινόν, γέρων ἔλεξεν, ἐκφορεῖν χρεὼν
Οἰνηρὰ τεύχη σμικρά, μεγάλα δ' εἰσφέρειν.
Poſtquam autem ad tibias ventum cratéremque
Novum, ſenex ait, auferri oportet
Vini vaſa exigua, magnaque introferre.

Hinc μεγάλη abſolutè, ſubintellige κύλιξ, apud Athenæum *l.* 6. Καθ' ὃν δὲ καιρὸν Δημοσθένης παρ' Ἁρπάλου τὴν κύλικα εἰληφὼς ἦν, ἔσπευ τοὺς ἄλλους ἀκρατοκώθωνας καλῶν, αὐτὸς τὴν μεγάλην. Et Alexin eodem laudatum *ibid.*

Ποῦ τὴν μεγάλην δὸς τοὐχίας
Φιάλας κυλίκων τῶν παρουσῶν σύνταγμα.

Vide Deſid. Heraldum *Animadverſion.* ad *Arnob. l.* 5. Cantus, quem communiter tum decantabant, *Harmodii* titulô inſignis erat, qui cum Ariſtogeitone, occiſò Hipparchô, Piſiſtratidarum tyrannidi finem olim impoſuerat Athenis; Ejus initium, Φίλτατ' Ἁρμόδιε, οὔ τί που τέθνηκας, &c. *Chariſſime Harmodie, non certè obiiſti* &c. Vide Ariſtoph. in *Acharn.* & *Veſpis*. Aliquando carmen, cui nomen *Admetus* erat, occinerunt, quod incipiebat: Ἀδμήτου λόγον ὦ ἑταῖρε μαθὼν, τοὺς ἀγαθοὺς φίλει, τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, *Admeti laudes ô ſodalis audiens, ſtrenuos amplectere, meticuloſos vero jube ſeceſſere* &c. Ita in cantibus ſuis, quemadmodum idem de Romanis legimus, fortium virorum facta prædicare eorumque ſibi inter bibendum memoriam reſuſcitare, voluptati duxêre. Prætereà frequentia erant in conviviis carmina, quæ Σκόλια dixêre, à Terpandro primùm inventa, de quibus vide infrà, in voce *Scolia*, & plura de *Bibendi* ritu apud antiquos, in Ioh. Roſini ac Thom. Demſteri *Antiqq. Rom.* ut & Fr. Roſſæi *Archæologia Attica l.* 10. Non omittendus tamen *Bibendi* in Honorem vel *in ſanitatem alicujus*, ritus qui occurrit, apud Paulum Warnefridum *de Geſtis Longobard. l.* 4. *c.* 2. &, qui diu ante eum fuit, Martialem *l.* 1. *Epigr.* 72. *l.* 9. *Epigr.* 95. &c. Vide ubi de *Poculis*. Sic Priſcus Rhetor. Ἕκαστος τὴν ἐνδιδομένην αὐτῷ φιάλην πλήρη ἐξέπινε, τὸν Ἀττήλαν ὑγιαίνειν ἐπευξάμενος, *Quilibet calicem ſibi exhibitum, vini plenum, exhauſit, ut ſalvus eſſet Attila, apprecatus.* Quod ab amantibus imprimis factitari conſueviſſe, innuit Scholiaſtes Theocriti *ad Idyll.* 2. Εἰώθασι οἱ ἐρῶντες ὑπὲρ τῶν ἀγαπωμένων πλείονας κυάθους ὑποπίνειν, *Soliti ſunt amatores in ſanitatem eorum, quos amabant, plures cyathos deplere.* Ritum accuratius idem exponit *ad Idyll.* 14. Οὕτω γὰρ εἰώθασι ποιεῖν ἐν τοῖς συμποσίοις ἄκρατον λαμβάνοντες καὶ ὀνομάζοντες τοὺς ἐρωμένους ἢ φίλους, ἐπιχέειν τῇ γῇ καὶ φθέγγεσθαι τῶν φιλτάτων τὰ ὀνόματα, *Sic enim conſueverant facere in conviviis, ſumebant merum & nominando amaſios ſeu amicos, fundebant in terram, & amiciſſimorum cribant nomina.* Vide ſuperiùs dicta ritum de Hunnis in Romanorum ſanitatem bibentibus. Cuſpinianum *l.* 6. *num.* 7. Ut autem hic mos, ſi abuſus abſit, in adiaphoris fortè locum habeat. Sic *Bibere ad amorem Sanctorum* vel *animæ defuncti*, vetitum eſt in Concilio Nannet. apud *Hincmarum Remenſ. Regino*nem, *Alios*. Meminit ritûs hujus Luithprandus in *Legatione*. *Non proderit tibi baleram, quâ te aſſiduè potas, in amore S. Johannis Baptiſtæ.* Tradatque Janus Dolmerus *ad Jus Aulicum Norvegicum vetus p.* 334. Danos olim ac Norvegos bibere ſolitos in Chriſti Natalitio, *in memoriam S. Olai*, qui Religionem Chriſtianam in Regnum induxerat. Addens, morem hunc apud eos, poſtquam fidem Chriſtianam amplexi ſunt, introductum eſſe, ut paganas ſuperſtitiones abolerent, cum ſolerent anteà litare honori vel memoriæ Odini, Thori, Niordi & Trejæ Deorum paganorum. Sed apud Eund. legat, etiamnum apud Iſlandos in more eſſe, non ſolùm in Feſto præfato, verum etiam in nuptiis & conviviis, in memoriam S. S. Triados perſonarum bibere hâcque fini multa illorum cornua reperiri argentò deauratò decora. Nec omittendum, quod Luitprandus, *l.* 6 *c.* 17. objectum Johanni Pontifici Romano in Concilio Romano ſcribit, quod *Diaboli in amorem vinum biberit*, &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* De more turpiſſimo veterum luxoniorum apud Romanos, *per obſcœnitates bibendi*, vide Caſaubon. & Salmaſ. ad *Capitolin. in Pertinace*, c. 8. plura hic paſſim inprimis, ubi de *Potandi ritu*, & voce *Poto*.

BIBER vel BIBERIS, maſculin. in Concilio Nannetenſi *c.* 15. apud Hincmarum Remenſ. in *Capitulis ad Presbyteros c.* 15. & 16. ut & in *Regulis* compluribus Monachorum, potio eſt, ſeu liquoris hauſtus ſive inebrio, Gall. *Bruvage* vel *Boiſſon*. Hinc *Biberes Nonales*, pocula quæ Monachis poſt Nonas exactas & decantatas propinantur in æſtate, quâ *æſtus provocat ſitim*, ut eſt in *Regula* Magiſtri *c.* 15. & 27. Ekkehardus junior de *Caſibus S. Galli c.* 11. *Sonatur ad Nonam quâ peractâ invitat tandem Abbas eorum* (Epiſcopos) *pariter ad Nonales Fratrum, quibus conſcripti eſſent, Biberes.* &c. *Refectio Nona* dicitur, in *Regula* Bened. c. 29. ubi duplicem ſtatuit Refectionem quotidianam, *Sexta* & *Nona*. In libro *Uſuum* Ciſtercienſium *c.* 83. inſcribitur, *de Bibere poſt Nonam.* Ebrardus Bethunienſis in *Græciſmo c.* 25.

— *Tertia prandere poſtulat, ut ſolitum eſt,*
Videtur ac nona merendâ noſter in horâ, &c.

Indidem *Biberagium*, ſeu *Beveragium*, Gallis *Vin du marché*, *Bruvage*, Ital. *Beveraggio*, quod præter pretium corollarii vice in emptionibus conceditur, in *Chronico* Senon. *l.* 3. *c.* 5. alibique paſſim, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

BIBERIACUM, vide *Bebriacum*.

BIBERIUS, Tiberii agnomen, ob nimiam vini aviditatem.

BIBESIA, una ex Deabus, quibus olim in convivio litabatur, altera Edeſia erat. Et quidem in *Bibeſiæ* tutela menſuræ erant, in Edeſiæ vero fide epulæ: ad quod utrumque reſpicit Ambroſ. *Serm.* 6. *Unum ſcio, quod ſi quis iſtâ duo honoratus & dives ob natalem filii ſui ad decimum uſque milliarium ad prandium rogaviſſet: propter accuratas epulas & inæquales menſuras abſque dubio vos ituros fuiſſe.* Nempe duo commemorat doctiſſimus Scriptor, propter quæ ad convivium libenter iretur, *accuratas epulas & inæquales menſuras*. Vocat autem *inæquales menſuras* immodicas & ſine menſura menſuras, ut feſtivè Severus Imperator apud Æl. Spartian. *in Peſcennio Nigro c.* 3. menſuras conviviorum non rectè dici autumat, cum ſine menſura potarent. Aliter *inæquales calices* poſuit Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 6. v. 68.

Siccat inæquales calices conviva ſolutus
Legibus inſanis.

Tunc enim inæquales ſiccantur calices, cùm, qui plus poteſt bibere, bibit plus: qui minùs poteſt, non cogitur, ſed animo ſuo obſequitur, nec ſupra vires bibit &c. Hæ itaque menſuræ conviviorum pocula & calices, triunces & ſeptunces ac ejuſmodi, in *Bibeſiæ* erant tutela. Vide Salmaſ. ad *Spartian. l. cit.*

BIBIANA, virgo Romana & martyr ſub Juliano. *Volaterran.*

BIBISCUM, oppid. Galliæ Narbonenſ. ad lacum Lemanum. *Vivo* hodie, teſte *Simlerô*. Caſtrum Helvetiorum, ad lacum Lemanum, in Romana regiunc. pagi Bernenſis. *Baudrand. Vevay*, vide *Viviacum*.

BIBIUM, Liburniæ urbs. *Antonin. Beligrax Simlero. Baudrando* oppid. Japodum ſuit, in Liburnia, prope Colapim fluv. 10. milliar. à Metulo in Ortum, prope cujus rudera erectum fuit ultimô ſeculô Caroloſtadium, oppid. probè munitum in Croatia, ſub Auſtriacis, ſed longè diſtat à Biligretis, urbecula Carnoliæ ſuperioris ad amnem *Bilit*, prope Labacum, vide *Caroloſtadium*.

BIBLE, quæ & DIGBA, urbs Aſiæ, in Babylonia regione ad Tigrim fluv. forſan nunc *Cormaba*, 15. milliar. infra Cteſiphontem.

BIBLIA, vel BILLIA, uxor Duilii, qui primus Romæ navali certamine triumphavit, tantæ pudicitiæ, ut illô ſeculô pro exemplo fuerit, quò impudicitia monſtrum erat, non vitium. Ad nullum enim virum tam prope acceſſit, ut ejus halitum perciperet. Vide *Duilium*. Idem de Hieronis uxore, *Plut.*

S. BIBLIA, ſic per excellentiam vocatur liber eloquiorum Dei, S. Scripturam V. & N. T. continens: Vide *Teſtamentum vet.* &

No-

Novum. Horum ex Hebræo & Græco, linguis authenticis, verſiones jam olim variæ fuerunt: Paraphraſis *Chaldaica* V. T. à Jonathane Uzielis fil. Onkelos, &c & editio *Syriaca* T. N. Eccleſiæ Antiochenæ naſcentis opus, ut videtur. Verſio *Græca* LXX. Interp. 300. ante Chriſtum annis juſſu Ptolemæi Philadelphi, ab Helleniſtis Alexandrinis adornata. Poſt Chriſtum, Aquilæ Pontici, Symmachi, Theodotionis, ἀνώνυμος, ſub Baſſiano Caracalla, in doliis propè Jericho: Item alia incerti auctoris reperta in doliis ad Nicopolim Septentrion. ſub Severo: Ex quibus inter ſe junctis, Origenes confecit ſua *Tetrapla*, LXX. nempe, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis: *Hexapla*, additâ prioribus editione Hebrææ original. ſcriptâ literis tum Hebræis, tum Græcis: & *Octapla*, in quibus prioribus adnexuit duas verſiones Græcas incertorum auctorum. Ad cujus imitationem, ſeculò ſuperiori, Franc. Vatablus *Tripla*, Hebraica, Græca, Latina. Franc. Ximenius Cardinal. Toletan. & Arias Montanus *Tetrapla*, Hebræa, Chaldæa, Græca & Latina: quorum prioris opus, *Opus Complutenſe*, poſterioris *Biblia regia*, dicitur; Elias Hutterus etiam Tetrapla, ſed Hebraica, Græca, Latina & Germanica: Auguſtin. Nebienſis *Octapla* edidit: Hebræa, Chaldæa, Græca, Arabica, & Latina tria de verbo ad verbum, Vulgata, & Paraphraſis Chald. verſionem, cum brevibus ſcholiis. Et nuper admodum *Biblia πολύγλωττα* Londini prodierunt. *Latinæ* variæ, Itala, Hieronymi duæ, Verſio Vulgata, ex recentioribus, Verſio Auguſtini Nebienſis, in Corſicæ Epiſcopi: Xantis Pagnini, caſtigata ab Aria Montano: Tigurinorum, à Leone Judæ, & Theodoro Bibliandro, V. T. Petro Cholino N. T. interpretibus facta: Seb. Munſteri: Seb. Caſtalionis, Em. Tremellii & Fr. Junii: Joh. Piſcatoris. *Germanica*, Lutheri, Tigurinorum & Piſcatoris. *Gallica*, Bezæ & Genevenſium. *Italica*, Joh. Deodati, *Anglica*, *Belgica*, facta à Joh. Rhodio, Corn. Honio, & Gnapheo Hagienſi, A. C. 1523. Item à Gomaro, Theologiſque aliis, A. C. 1619. *Hiſpanica*. *Suetica*, operâ Olai Petri, A. C. 1527. *Danica*, juſſu Friderici Regis A. C. 1536. *Sarmatica*, Nic. Radzivilii ſumtibus, ab Ortacio, Zacio, Trecelio, Jacobo Lubelſcio, & Statorio, accuratiſſimè, concinnata, & Breſtæ excuſa, A. C. 1563. *Bohemica*, impenſis Joh. Zerotini Bar. ab Alberto Nicolai, Luca Helicæo, Joh. Ænea, Georg. Vettero, Eſaja Cepolla, Joh. Ephraimo, Paulo Jeſſenio, & Joh. Capitone, ſummo cum ſtudio, neque ſine elogio Epiſcopi cujuſdam Lat. Communionis, facta, A. C. 1588. &c. Ut taceam Verſiones *Arabicam*, *Perſicam*, *Armenicam*, *Æthiopicam*, *Indicas* varias, &c. Vide Alting. *Theologiam Probl. Loc.* 2. *Probl.* 17. & in voce *Scriptura*. In univerſa Biblia proſtant Commentarii variorum: Brenii *Annot. in V. & N. T. in fol. Amſtel.* 1664. Joh. Calvinus, Criticus ſacer, *in* 10. *vol. Londini*, 1660. Criticorum Synopſis S. Scripturæ, 6. *vol. in fol. Londini*. 1673. Deodatus *Ital.* H. Grotius, Huetius, *de claris Interpretibus S. Scriptura, in quart.* Mareſius *Gall.* Conr. Pellicanus, Joh. Piſcator, *Herbornæ in fol.* A. C. 1646. Pruckneras; *Francof.* 1663. *in fol.* Quiſtorpii *Annot. Roſtochii in quart.* 1648. Lud. de Tena, *Iſagoge in S. Scripturam. A.* C. 1620. Jac. Tirinus 12. *vol. in fol.* Paulus Toſſanus *Germ.* &c. Plura ſuppeditabit Guil. Crovvæi *Elenchus Scriptorum, in S. Script.* Londini editus A. C. 1672. In quo præmiſſa ſunt S. Biblia parteſque Bibliorum, variis linguis, variis vicibus, *edita*.

BIBLIA, apud Car. du Freſne, machina eſt bellica jaculatoria: ex Alberico in *Chron. MS. ann.* 1138. *Adducens ſecum* Bibliam, *Petrariam, & cætera bellica inſtrumenta.* Ex Chron. Leodienſi, laudato ab Iſaaco Pontano *Origin. Francic. l.* 2. *ann.* 1313. *Epiſcopus miſit Leodium Mangonatia ſeu fundibula, ſive Tribuceta, vel Arietes aut Sues, Vineas*, Biblias, *Petrarias, ſive Cattos verſatiles.* Unde *Bibleta* diminutiv. iiſdem machinæ hujuſmodi nomen. *Hiſt. Ms. Excidii Acconis ann.* 1291. *Secum ducens machinarum multitudinem fundibulariurn, ſicut ſunt Petraria*, Biblietæ, *Perdiceta & Mangonelli*, apud Eund.

BIBLIANDER Theodorus, docuit Tiguri, à Conr. Pellicano & Petro Cholino adjutus ultimam manum admovit editioni Bibliorum, A. C. 1543. quæ Lugduni poſtmodum à Theologis Hiſpanis denuò vulgata, inter Gallos Hiſpanoſque magno in pretio, teſte Thuano. Ejus reliqua ſcripta habes in *Elogiis* Anton. Teiſſier: plura apud *Melch. Adamum, Simlerum, Alios.* Obiit A. C. 1564. in extrema ſenecta.

BIBLII, apud *Papiam, Artifices, qui faciunt tapetas*: h. e. *Biblea* aut *Biblia linea*, ut habet Audoënus in *Vita* Eligii *l.* 2. *c.* 34. Eſt autem *Byblinum linteum*, cannabinum, vel potius ex goſſypio, ſeu, ut tunc vocabant, *bombace* confectum. Infrà namque dicemus, ex *byblo* vela, tegetes, veſtes, ſtoreas & funes confici conſueviſſe, uti *Theophraſtus*, ait, Καὶ ἐκ τῆς βύβλου ἱστία τε πλέκουσι καὶ ψιάθους, καὶ ἐσθῆτά τινα καὶ στρωμνὰς καὶ σχοινία καὶ ἕτερα πλείω. Vide Salmaſ. *de Modo Uſurarum* p. 401. & 402.

BIBLICI, quinam dici ſoleant, in Academia Pariſina. Vide ſuprà in voce *Baccalarii*.

BIBLINA, regio Thraciæ, unde *Biblinum vinum*, quod alii à *Biblia vite* dictum volunt. *Demus* vero Delius Naxium interpretatur, quoniam Biblus Naxi fluv. ſit. *Suidas*, Βίβλινος οἶνος, ἀνθοσμίας, ἀπὸ Βιβλίνης ὄρους ἢ ἀμπελώνων Θρᾳκικῶν ἀμπέλου. Hujus vini meminit Heſiodus, Εργ. β. v. 587.

Εἴη πετραίη τε σκιὴ καὶ βίβλινος οἶνος.

Ubi *Moſchopulus*, Βίβλος (ὥς φησι) ποταμός, ἢ πόλις Θρᾴκης. *Heſych.* Βιβλινος οἶνος, ἢ γένος ἀμπέλου ἐν Θρᾴκῃ, ἢ ὁ ἀμπελός ... *Nic. Lloydius*.

BIBLIOLACHAS, Didymus appellatus, quòd ter mille quingentos libros conſcripſit. Cœl. Rhodig. *l.* 19. *c.* 9.

BIBLIOTHECA, propriè locus ubi *Libri* aſſervantur. Hæc enim Βιβλιοθήκη dicta, ἐκ τῆς βίβλου, *à libro*, quòd ea interis papyri corticis philyris conficerentur. Ex tota enim & ſolida papyro navigia; at ea cortice interiore, ſive libro, funes, veſtes, vela & cætera faciebant Ægyptii; chartæ item, ſeu Βιβλία iiſdem fiebant &c. Salmaſ. ad *Solin.* p. 1003. Illarum ſtatio apud Romanos, in Atrio ſtatim fuit, ubi quoque erant Tablina & Armaria, & Pinacothecæ & Agalmathecæ locum habuêre; adeò autem omnes inſederant domos, ut de ipſis Seneca his verbis declamaverit *de Tranquill. c.* 9. *Studiorum quoque, quæ liberaliſſima impenſa eſt, tamdiu rationem habebo, quamdiu modum. Quò mihi innumerabiles libros ac* Bibliothecas, *quarum dominus vix totâ vitâ ſua indices perlegerit.* Et: *ſicut pleriſque ignaris etiam ſervilium literarum, libri non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt.* Nec enim ſolum apud Principes viros, ſed & apud privatos ſtruebantur. Unde Idem iterum: *Quid habes, cur mihi ignoſcas nomen marmore atque ebore captanti, quam opera conquirenti aut ignotorum Auctorum aut improbatorum & inter tot millia librorum oſcitanti, cui voluminum ſuorum frontes maximè placent titulique. Apud deſidioſiſſimos ergo videbis, quidquid orationum Hiſtoriarumque eſt, & tecto tenus extructa loculamenta. Jam enim inter balnearia, & thermas*, Bibliotheca *quoque ut neceſſarium, domus ornamentum expolitur.* Curabantur illæ per ſervos eruditos ac literis probè imbutos: Cujuſmodi ſervum *Bibliotheca* præfectum, ut ſibi reſtituendum curet, petit à Sulpicio Cicero *l.* 13. *Fam. Ep.* 77. *Dionyſius ſervus meus, qui meam Bibliothecam multorum nummorum tractavit, cùm multos libros ſurripuiſſet, nec ſe impunè laturum putaret, aufugit.* Apud Imperatorem non pauci erant, quibus munus hoc incumberet: cùm hæc ordinandarum & publicandarum *Bibliothecarum* cura, non omnino videretur Imperii Majeſtatem dedecere. In veterib. certè elogiis legebantur olim C. JULIUS C. L. PHRONYMUS. A. BIBLIOTHECA. GRÆCA. C. JULIUS. FALYX. A. BIBLIOTHECA GRÆCA PALATI. CLAUDIUS AUG. LIBERTUS. HYMENÆUS. MEDICUS. A. BIBLIOTHECIS. L. VIBIUS AUG. SER. PAMPHILUS. SCRIBA. LIB. ET. A. BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS. Qui omnes videntur fuiſſe è domo Cæſarum, apud quos Libertos etiam *à Studiis* in pretio fuiſſe, legimus: Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* In his reponi Auctorum ſcripta, honorificum habebatur. Unde Euſebius, inter alios honores Joſepho Hiſtorico à Romanis habitos etiam hunc refert ὡς τὸν σπουδασθέντα αὐτῷ λόγον βιβλιοθήκης ἀξιωθῆναι, *quod libri ejus Bibliotheca traderentur, Eccl. Hiſtor. l.* 3. *c.* 9. Et queritur Arnobius, *Bibliothecarum reponi in arcana* Gentilium ſcripta, qui maledictis mordacibus publicos carperent mores, & malè de Patria mererentur, *adv. Gentes l.* 8. *ubi Obſervationes* vide G. Elmenhorſtii: aliquid & infrà *Hermathena, Imagines, Inveſtitura.*

BIBLIOTHECA, Græcè Βιβλιοθήκη, titulus libri, *Synopſin Epici Cycli* prosâ oratione conſcriptam continentis, *Apollodori* Auctore qui in eandem ferè ſignificationem cum *Cyclo* convenit. Ut enim in Cyclo, i. e. choro vel corona plures perſonæ vel plures flores conſerti: ita in *Bibliotheca* multi foruli in ſeriem ſiti vel etiam plures libri ordine diſpoſiti ſunt. Idem nomen Annalibus ſuis eſſe voluit Diodorus; ſed hujus Βιβλιοθήκη historica, Apollodori mythica eſt; mythicum namque tempus ſolùm comprehendit. Photii liber eundem titulum inſcriptum habet; idque meritò. Nam ex multis librorum, quos ipſe legit, velut indicibus, conſtat &c. Cyclus autem Epicus, compactus fuit plurium Poëmatum, in unum faſcem collectorum, ut infrà dicemus, in voce *Cyclus*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 860.

BIBLIOTHECARIUS, in Palatio Regum Franciæ dignitas fuit olim, quam ſub Carolo M. obtinuiſſe Gervardum, auctor eſt Einhardus Abbas *de Tranſlat. Marcellini & Petri Martyrum*, ubi eum fuiſſe ait *Palatii Bibliothecarum* & *Palatinorum operum ac ſtructurarum præfectum.* Sic Ebonem, Archiepiſcopum Remenſem à Ludovico Pio, dum adhuc Aquitanicum Regnum, Carolò M. ſuperſtite, *Bibliothecarium* fuiſſe conſtitutum, memorat Carolus C. in *Ep.* ad Nicolaum Pontif. Rom. in Synodo Tricenenſi A. C. 876. ſubſcripſit *Hilduinum Abbo* S. Dionyſii *& Bibliothecarius*, ſcil. Caroli Calvi. Dicitur autem Bibliotheca iſta Regia *Armarium Palatii*, in *Ep.* Ludovici Pii ad Magnum Archiepiſcopum Senonenſem &c. Apud Pontifices Romanos, qui Bibliothecæ, quam *Bibliothecam Cubiculi* vocat Gregorius M. in *Sacramentar.* vocatus *Bibliothecarius Eccleſiæ Romanæ.* Vide Anaſtaſium Biblioth. in *Gregorio* II. & *Annales* Bertinianos de eodem Anaſtaſio *ad A. C.* 868. Cujuſmodi munus non alius alium, quàm Vice-Cancellarius, obtin, uſque ad Papinianum Epiſcopum Parmenſem, qui poſtremus utramque dignitatem tenuit, ſub Bonifacio VIII. Benedicto II. & Clemente V. Poſt eum namque, Romanâ Curiâ trans Alpes à Clemente traductâ, novâque Bibliothecâ Avenione conſtitutâ, nullus ampliùs Vice-cancellarius Eccleſiæ Lateranenſi præfuit, muneréque hoc à Bibliothecariatu avulſo, factus eſt novus Vice-cancellarius, qui *Bibliothecarius* non eſſet. Quemadmodum tandem Sixtus IV. de novo extructâ in Vaticano Bibliothecâ, officium Bibliothecarii etiam à Sacriſtæ munere, cui hactenus adjunctum fuerat, diſtinxit. Vide Onuph. Panvinium *l. de Rebus Lateran.* laudatum Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Dominicus Macer Officium hoc in Eccleſia Romana, non niſi Cardinalibus conferri ſolere & antiquitus Archicancellario Imperii adnexum fuiſſe, ait, qui proin *Archicancellarius Imperii* pro Italia & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius fuerit dictus. Addit Frater, circa A. C. 1113. in Bulla Paſchalis II. pro Epiſcopatus Arauſicenſis erectione, ſubſcripſiſſe Paſchalem per manum Johannis S. R. E. Diaconi, Cardinalis ac Bibliothecarii. Vide utrumque in *Hierolexico.* In Eccleſiis porrò Cathedralibus, *Bibliothecarii* dicebantur, quibus librorum Eccleſiaſticorum cura erat commiſſa. Atque ii Literas & Diplomata Epiſcopi deſcribebant, quod poſtmodum, *Bibliothecarii* abolitâ appellatione, Cancellariorum fuit munus. Vide Mich. Monachum in *Sanctuario Capuano* p. 579. apud eundem Car. du Freſne, & infrà aliquid voce *Theotrapus*.

BIBLIOTHECARIUS Gulielmus, vide *Gulielmus*.

BIBLIS, fons Lyciæ, in quem Biblis, ſoror Cauni, converſa, apud Ovid. *Metam. l.* 9. *v.* 661.

Sic lachrymis conſumta ſuis Phœbeia Biblis.

BIBLOS, inſul. margaritifera, in Mari Rubro, ex Hebr. בדלח *bedolach*, Jonathani mutatis vocalibus בדלח *Bedelach*, & ברלחא *bid-*

bidlecha, i. e. margaritas quam vocem poſteà Græci emollientes, ad linguæ ſuæ genium accommodâſſe videntur, Βδέλλιον inde facientes. Vide de hac Inſul. Philoſtratum & Photium in *Excerpta*; de voce autem Hebr. *bedolach*, pluribus diſſerentem Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l. 5. c. 5.*

BIBLUS, ſive BYBLOS, Hebraicè *Gebal* & *Gebel*, inclyta Phœnices civitas eſt, Curt. *l. 4. c. 1.* cujus incolæ *Biblii* ſive *Giblii* in ſacris Scripturis nominantur. Hæc verſus Aquilonem à Canı fluv. tribus, contra Auſtrum verò à civitate Botro quatuor milliaribus, ſuper mare ſita, ab Euro ſexto filio Chanaan fundata ſcribitur. Chriſtianis à Saladino erepta, A. C. 1187 P. Æmil. *l. 5.* Blond. *dec. 2. l. 8.*

BIBLUS, Naxi fluv. *Steph.* Vide *Biblinus*.

BIBONENSIS Ager, apud Solin. *c. 2.* ubi de Italia: *Ad hæc Italia Padô clara eſt, quem mons Veſulus —— fundit, viſendo fonte in Ligurum finibus, unde ſe primum Padus provehit, ſub verſuſque cuniculô rurſus in agro* Bibonenſi *extollitur, nulli amnium inferior claritate &c.* Et Marcianum, qui Solinum exſcribit: apud alios Auctores non occurrit. Nam quod *Vibonenſem* eum editiones vocant, ſic à *Vibone* Valentia dici potuiſſet; ſed ille longè ab his locis. An reponendum, *in Agro Forovibonenſi*, cujus meminit Plinius & in quo iterum exoriri ac extolli Padum docet: aut curtatè, pro eodem *Vibonenſi*? Salmaſ. *ad Solin. p. 84.*

BIBONES, antiquitus culices dicti ſunt, qui tabernas & cauponas infeſtare ſolent, *cauponarum* hinc *animalia* Plinio *l. 9. c. 47.* Afranius in his verſibus,

Dum ad me ſpectas, fabularique incipis,
Ex ore in oculos tibi bibones involant.

Muſciones ſequens ætas vocavit, quaſi parvas muſcas: item *vappones*, à vappa, cujus, ut & vini, mirè amantes ac cupidi ſunt. *Tabernales aluctas* vocavit Petronius apud Fulgentium, quos ipſe *mbvones* interpretatur. Quô ſolô ſenſu *tabernas* Hadriani temporibus & Petronii etiam, pro *caupona* videl. appellâſſe videntur, &c. De iſtiuſmodi culicibus notus Hadriani Imperatoris in Florum Poëtam jocus, cujus meminit Æl. Spartian. in *Vita* hujus Imper. *c. 16.* Quia autem culices hi admodum infeſti, hinc *bibones* Petro Bleſenſi *Serm. 23.* ſuggeſtiones notant diabolicas, *Novit enim unuſquiſque noſtrum, & in libro experientiæ didicit, quam veneniferas potiones ferat in alveolo mentis noſtræ ſerpens antiquus; quàm varias & inutiles rerum imagines in thalamo cordis noſtri depingat, quæ tanquam importuniſſimi* bibones, *in oculos ipſius mentis involant, imò & Miniſtros Dei ad Altare Domini Virtutum perſequuntur, ut brevem ibi memoriam Chriſti in cruce pendentis abjiciant vel conturbent*, apud Macrum in *Hierolex.* De hominibus *Bibonibus* aliquid infrà voce *Phago.* it. *Sextarius*.

BIBONUM, oppid. ad Nicrum fluv. *Bebelingen*, ut aliquibus videtur. *Rhenano* autem *Bebenhauſen* eſt oppid. in Ducatu Wirtembergenſi. Populi *Bibenſes* in Inſcriptione antiqua. *Baudrando* quid ſit, non conſtat. *Beburg* oppidul. eſt Ducatus Wirtembergici 2. leuc. à villa Tubingam verſus, & 2. à Nicro fluv. *Bebenhauſen*, eſt vicus prope Tubingam.

BIBRACTE, Heduorum oppid. in Gall. longè maximum, & copioſiſſimum olim fuit, in quo totius Galliæ concilium Cæſar habuit, juſdixit, & ſæpè hyemavit, vulgò *Beuvrect*. Cæſari *l. 7. c. 55. 63.* dicitur *oppidum apud Æduos maximæ auctoritatis*; dictumque eſt ab illo *Julia*, ſicut Pola Iſtriæ & Florentiæ Tuſcorum, Eumenius *in Grat. act. Conſtantino M.* De eo Marlianus, qui Ludovicô XII. apud Francos regnante floruit, *Bibracte*, inquit, *in formam vici redactum, & in radicibus montis non longè ab Ædua civitate*, (ſeu Auguſtoduno, gentis capite) *poſitum nomen retinet*. Dicitur enim hodieque *Beuvray*, vel *Beway*, & locus eſt in pago Auguſtodunenſi, Hadr. Valeſ. in voce *Auguſtodunum Æduorum*

BIBRAX, oppid. Galliæ Belgicæ in finibus Sueſſionum, longitud. 23. 50. latitud. 48. 48. *Braus*, teſte *H. Leodii*, vel *Bray*, *H. Stephano*, oppid. Comitatûs Retelenſ. *Breſne Vigneron*. *Baudrando* eſt *Brayne*, oppidul. Campaniæ, ad Vidulam fluv. in Diœceſi Sueſſion. medium inter Fimas & Sueſſiones. Hic Synodô habitâ. A. C. 583. Gregorius Turonenſis, qui accuſatus erat, Archiepiſcopo Burdigal. improperaſſe cum Fregedonde adulterii, abſolutus eſt. Gregor. Turonenſ. *l. 5. c. 49.* Concil. Gallic. *T. V.*

BIBROCI, oppid. Angliæ in Bercheria regione apud Windeſoram. Camdeno *The Hundred of Bray*.

BIBULUS, fil. M. Calpurnii Bibuli, ex Porcia, filia Catonis Uticenſ. collega Julii Cæſaris in conſulatu, in quem extat hoc diſtichon à *Sueton.* relatum:

Non Bibulô quicquam nuper, ſed Cæſare factum eſt.
Nam Bibuli fieri conſule nil memini.

Idem Ciceroni proximam provinciam in Aſia tenebat. Scripſit *de rebus geſtis Catonis*. Plut. *in hujus vita*.

BIBULUS Conſul, Vetrocollega, annô 9. Hadriani Imperatoris, quô Pertinax Imperator natus eſt, *Ambiguum Bibulum* eum vocat Iſaacus Caſaub. *Notis ad Hiſtoriæ Aug. Scriptores, Capitolin.* imprimis.

BIBURGUM, Daniæ urbs, vulgo *Biborge* longitud. 36. 00. latitud. 57. 26.

BICERRES Veſtes, ſeu *Bicerres*, dictæ ſunt Veter. veſtes cirratæ, Græcis κροσσωταί. Sunt autem οἱ κροσσοί, ornamenta veſtium extremitatibus aſſui ſolita, quæ *cirris* ac filamentis tenuibus conſtabant: in eo à fimbriis diverſæ, quòd nihil aliud ſunt, quàm villi plures in nodum coacti & ab extremitate veſtis deſcendentes. *Houpes* vulgò Galli dicunt ſicut fimbrias *franges*. Salmaſ. *ad Solin. p. 763.* Vide quoque infrà *Bigerra*.

BICES, palus non procul à Mæotide palude. Val. Flaccus *l. 6 v. 68.* *Quique lacum circà ſe Bicem*, &c. Vulgò *le mer noir*; fortè *Byce* Ptolemæi.

BI-CHERES, Raſeſis Succeſſor, Memphitarum Rex XIV. præfuit ann. 22. dum Muthis in Thebaide, & Rameſſes in inferiore Ægypto regnarent. Illum excepit Seber--Cheres, quem vide.

BICHINI, Secta Fratricellorum ſeu Minoritarum: qui ſic appellati videntur, quod veſtes coloris *bigii* ſeu *griſei* deferrent, quod etiamnum omnes Minoritæ faciunt. Niſi fortè *Bichinos* eoſdem eſſe dicas cum *Beghinis*, ſicque per contemtum Fratricellos iſtos, qui hæreſios perinde inſimulabantur, appellatos. Vide infrà in voce *Bizochi*.

BICLARIUS Johannes, vide *Johannes*.

BICLINIUM, menſa erat apud Romanos ubi duo lecti: ſicut ubi tres, *Triclinium*. Poſterior ætas à Veſpaſianorum imperio *Sigma* vocare cœpit, quia in formam hemicycli aut lunatæ teſtudinis erat extructum: inde autem, ut ex marmoribus liquet, illa ætas lineam hanc, ut mediam Lunam ſcribebat C. Conſtitiſſe verò duobus tantùm lectis Sigma, colligitur ex numero convivarum, apud *Martialem*, *Lampridium*, *Alios*. Vide infrà in voce *Sigma*.

BICODULÆ inlices, in Appuleji *Apolog.* Lælio dicuntur ἴυγγες, i. e. *motacillæ*, quòd caudæ aſſiduâ vibratione quadantenus duplicem eam faciunt, & ſic duas videntur caudas habere. Bochart *Hieroz. part. prior. l. 1. c. 4.* Quemadmodum *bilingues Serpentes* nonnullæ dicuntur, quòd tam tremulô motu linguam criſpant, ut non una, ſed gemina eſſe videatur; & *lariſſam duplicare* apud Poëtam, eſt ſic eam vibrare ac criſpare, ut duplex quaſi quatiendo fiat. Occurrit vox in Erotopægnio Lælii è quo verſus aliquos citat in *Apolog.* ſuæ Appulejus,

Antipathes illud quærito,
Philtra omnia undique irruunt,
Trochus ——
—— —— ſurculi,
Sauri, illices bicodulæ, *hinnientium dulcedines.*

Ubi inter philtra, quorum pleraque genera ibi coacervat, *bicodulas* quoque recenſet *illices*, h. e. ἴυγγας. Quô nomine indigitant Græci omne id, in quo eſt aliquid ἑλκυστικόν, ab hac veneficarum avicula. Salmaſ. *ad Solin p. 942. & 943.*

BICOMIUS, Germaniæ fluvius.

BICON, Græcus, inter colonos, ab Alexandro M. circa Bactra, relictos, æmulum Athenodorum, qui revertendi cupidine in Patriam regium nomen aſſumpſit, invitatum ad epulas per Boxum Macedonium occidit. Quomodo ſupplicio ob id irrogando evaſerit, multis narrat Curt. *l. 9. c. 7.*

BICORNIS, Arabibus Alexander M. cognominatur, non tam ob partum Orientis & Occidentis Imperium, quàm à cornuta ejus effigie, nummis exhibita, ut Jovis Ammonis filius agnoſceretur. Muhamed Alferganus ex verſione Golii: *Romani & Syri æram deducunt ab initio annorum Alexandri, dicti* Bicornis, *qui quidem dies fuit feria ſecunda*: apud virum Cl. *ad Juſtinum l. 12. c. 16.* ubi Græcos ab obitu Alexandri æram ſuam duxiſſe, monet. Vide Voſſ. & Schikardum *ad eund. Juſtin. l. 11. c. 1.* & ſuprà *Arietina Cornua*.

BICULAM facere, vel cervulum, in Concil. Altiſſiodorenſi, genus erat ſolennis & tralatitii ludicri, apud Paganos, in multis urbibus Galliæ, quod & Chriſtiani uſurpârunt. Unde Proverb. manavit, *n'en faire que le cerf.* Galli enim, in idiomate ſuo, utrumque cervini generis ſexum diſtinguentes, fœminas *bicas*, mares autem *cervos* appellant. Idem Salmaſ. ubi ſuprà *p. 222.* Vide quoque infrà, in voce *Cervula*.

BICURGIUM, urbs German. *Ptol* hodie *Erford*. Urbs ad Jeram fluv. inter Vinariam & Gotham. 12. leuc. à Lipſia, Academiâ ſuâ celebris. Paret Electori Moguntino à paucis annis, cum toto tractu adjacente. Aliis eſt *Zurckau*. Vide *Erfordia*.

BIDA, urbs Mauritaniæ Cæſarienſis. *Ptol.*

BIDAJUM, Auſtriæ oppid. *Antonin.* *Dietmaning Lazio*, nonnulli *Birckhauſen* volunt, uti ſcribit *Simlerus*, qui illud *Bedacum Ptolemæi* putat. Cluverio aliiſque eſt *Bamburg*, vicus Bavariæ, prope oppid. *Troſberg*, in confinio tractus Salisburgenſis, qui paulò infrà cadit in Oenum. Vide *Badacum*.

BIDALDI, apud Continuatorem Nangii A. C. 1326. *Poſt aliqualem paleationem factam cum* Bidaldis *prope Caſſellum*: & Ægidium de Ruyn A. C 1328. *Commiſſum eſt prælium, incipientibus* Bidaldis —— *& Baliſtariis Regni*: militum, & quidem peditum, ſpecies extremis ſeculis in Gallia nota, Car. du Freſne *Gloſſar.* Ex Hiſpania originem eorum arceſſit Gulielmus Guiartus, apud Eund. ubi *dardis* ſeu ſpiculis illos fuiſſe ſolitos dimicare refert.

BIDASCHIA, caſtrum Galliæ in Benearnia, ad Bidaſſe fluv. Principatûs titulô clarum, in Vaſcitania. 5. leuc. à Bajona.

BIDASPIS, fluv. in Indum amnem ſe exonerans. *Ptol.* *Hydaſpes Straboni*, de quo vide Salmaſ. *ad Solin.*

BIDASSO, fluv. parvus, Galliam ab Hiſpania ſeparans. Oritur ex Pyrenæis montib. infrà Mayam caſtrum, & poſt curſum aliquot leucar. in Oceanum Cantabric. ſe exonerat, prope Fontarabiam.

BIDELLUS, Dominico Macro eſt officialis Univerſitatis Studiorum, qui curam habet exequendi commiſſiones ad ſtudia ſpectantes. Cujus vocis originem cùm aliunde alii derivent, Carolus frater ejus à voce *Bidellum* deducit: quam apud Langobardos primariò locum publicum, plateam putà vel atrium, denotâſſe ait. Hanc Corius in *Hiſtoria* Mediolan. *A.* C. 1311. *Il proximo Marte*, inquit, *nel bidello de Santo Salvatore à Pavia fù jurata la obſidione di Piacenza*, i. e. *Proximô Martis, in atrio Sancti Salvatoris Ticini, obſidio Placentiæ decreta fuit.* Sic ergo atrii ſeu *bidelli* Univerſitatis officialis *Bidellus* ei dictus eſt: quòd ibi tempore Studiorum excubare teneatur, ne rixæ aliaque interim oriantur: quemadmodum ab oſtio *Oſtiarius*; à janua *Janitor*. Vide utrumque in *Hierolex.* & ſuprà in voce *Bedellus*.

BIDENTAL, Romanis dictus eſt locus fulmine tactus & *bidentibus* ovibus expiatus conſecratuſque. *Gloſſæ*, *Bidental*, τόπος κεραυνόπληξ. Quem proin nec ingredi nec calcare fas erat. Horat. *de Arte Poët. extr.*

— — — utrum
Minxerit in patrios cineres, an triſte Bidental
Moverit inceſtus. — —

Omnes nempe locus Fulmine ictus ſtatim erat religioſus: ut ſacer fiebat, arâ ibidem extructâ & ſacrificiô ex bidentibus ovibus factô; quomodo *fulmina condi* dicebantur. Ut autem ingreſſus arceretur, ſepiebant locum murô. Unde *Pollux*, ἀπεριχώρητα [illegible], h. e. *murô conſepta.* Sic enim Græci ἀπεριχώρητα, quæ Latini *Bidentalia*, dicebant. Hinc Bidental, *Templum* exponit Paulus: *Bidental dicebant Templum quoddam, quod in eo bidentibus hoſtiis ſacrificarentur*, ex *Feſto*. Sed & *Bidental*, de homine, quem fulgur occiderat, uſurpavit Perſius, *Sat.* 2. *v.* 27.

Triſte jaces lucis, evitandumque bidental.

Imò & ipſum fulmen Columellæ *Bidental* dicitur &c. Quam in rem vide plura, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 2136. & infrà *Fulguritum*, it. *Puteal.*

BIDENTES raſtri, dicti ſunt & abſolutè *Bidentes*, qui duobus dentibus dentati, terræ fodiendæ adhibebantur, ſicut *raſtri quadridentes*, ſeu pluribus dentibus inſtructi, occandæ terræ magis erant idonei. Columella, *bidente vertitur ſolum.* Et, *prout cuique mos eſt, vineas colunt vel aratrô vel bidente*, *l.* 3. *c.* 13. *l.* 4. *c.* 14. Sed *raſtros, Bidentes, ligones*, paſſim Poetæ confundunt. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 515.

BIDERIS, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

BIDERIUS, Gallorum mercenariorum Dux, quos Antigonus conduxerat, pollicitus ſe unicuique aureum Macedonicum numeraturum. Polyæn *l.* 4. *c.* 6. *in Antigono com.* 17. Interpres Latinus habet *Bederium*, cum ſit *Polyæno* Βιδέριος.

BIDIL, municipium Mauritaniæ Cæſarienſis. *Antonin.*

BIDINE, urbs Scythiæ. *Suidas.* Item Bulgarorum. *Zonaras.*

BIDINI, populi Siciliæ, Centuris & Cacinitis proximi. Plin. *l.* 3. *c.* 8.

BIDIOS, caſtellum in agro Tauromenitano. *Steph.*

BIDIS, oppidul. Siciliæ, in mediterran. nunc *S. Giovanni di Bidini*, vicus 6. milliar. ab ora littorali, in valle Netina.

BIDISCUM, ſeu **BISCHIUM**, oppid. German. olim dition. Palatinæ, nunc ſubeſt Duci Lotharingiæ, à multis annis. Ad radices montium, cum caſtro ſat tuto. Medium ferme inter Bipontium & Hagenoam. Vulgò *Butſch.*

BIDLECHA, nomen Inſul. margaritiferæ, quæ poſteà *Biblos*. Vide ibi.

BIDOS, Φρούριον ἐν Σικελίᾳ. *Steph.*

BIDUANA, fœminarum bidui jejunium, in *Capitulis* Caroli M. *l.* 5. *c.* 136. & alibi paſſim. *Ordo* Rom. *l.* 3. *Biduanas omnes faciant, tam Epiſcopi, Monachi & Monachæ, quàm Canonici.* Cujus ritus originem ab Apoſtolis arceſſere, viſum eſt Rabano Mauro, quos *biduô* illô, quô Chriſtus in ſepulchro fuit detentus, jejunâſſe ſcribit, *Inſtitut. Cleric. l.* 2. *c.* 26. De *biduano* jejunio, h. e. Feriâ 4. & Paraſceve, nempe Feriâ 6 in *Canonibus Apoſtolic.* uti vocantur *can.* 68. ita ſancitur: *Si quis Epiſcopus & Presbyter aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor, ſacram quadrageſimam Paſchæ aut quartam Feriam aut Paraſceve non jejunaverit, deponitor; præterquam ſi imbecillitate impediatur corporis: ſi Laicus ſit, communione privetor*, apud Macros. Sed *biduanum* aut *triduanum* jejunium non dictum eſſe, quum bis aut ter jejunatur in hebdomade, ſed cùm biduò triduòque continuò ab omni cibo abſtinetur, colligere eſt ex Chryſoſtomo *de Provid. Dei l.* 2. Vide utrumque Macrum in *Hierolex.* & Car. du Freſne *Gloſſar.*

BIDUCASSES, populi Galliæ nunc in Normannia inferiore, ubi tractus *le Beſſin*, & urbs *Bajocum*. Dicuntur & *Bajocaſſes*. Vide ibi.

BIDUCESII, Galliæ Celticæ populi. *Ptol.* meliùs *Biducaſſes* & *Bajocaſſes*.

BIEL Gabriel, vide *Gabriel.*

BIELA, ſive **BIELSKI**, principatus Ruſſiæ, cum caſtro & civitate ejuſdem nominis ad fluvium *Opcha*, in vaſtis ſylvis 60. milliar. in Occidentem à Moſqua diſtat: Dux Moſcoviæ hujus titulô inſignitur. *Merel.*

BIELCA, **BIELSKO**, urbs Poloniæ in Podlaſſia provinc. cum arce munita. Ad Bialam amnem, inter Breſſiciam & Grodnam urbes. *Baudrand.*

BIELEIEZERO, ſive **BIOLOZERO**, Ducatus imperii Moſcovitici, & ejuſdem nominis civitas: denominatus à lacu albo, penes quem reperitur, qui 13 milliar. tam in longitudine quàm in latitudine extenditur, & 36. fluvios excipit. *Merel.*

BIENACHES, Thinitarum in Ægypto Rex VIII. Semempſi Patri ſucceſſit, præfuit annos 26. Tœgar-Amachô Momchiri Thebanis imperitante: ſucceſſorem habuit Bochum. Joh. Marshamus *Canone Chron.* ex Manethone.

BIENDIUM, exterioris Hiſpaniæ portus, Plin. *l.* 4. *c.* 20.

BIENNA, oppid. Helvetiæ, juxta exitum lacus cognominis medium inter Neocomum & Solodurum. Aliter *Bipennium* dicitur, à duplici bipenni, quam in inſignibus gerit. Αὐτονομίαν habet & propriis immunitatibus fruitur, licet aliquid hîc juris ſit Epiſcopo Baſileenſi: Primùm fœdere juncti Bernatibus Biennenſes ſunt, A. C. 1303. ſed commune id cum Argentoratenſibus, Baſileenſibus, Friburgenſibus ac Solodurìs, imò & Auſtriaca tum ac Habſpurgica domo, ob gaſſatorum multitudinem, fuit. Triennió poſt, ob controverſias cum vicinis graves, peculiare fœdus cum Bernenſibus inierunt. Quod repetitum A. C. 1332. Annis dein 13. poſt, cum Johannes de Viana, concinna cum vicinis bella gereret, ſecuritati ſuæ conſulturi, arctiùs ſe Bernatibus junxerunt, civitatis jure utrinque communicatô: quod cùm Epiſcopus ægrè ferens cives collectis aliquot ſubitò oppreſſiſſet, igni quoque oppido injectô, A. C. 1367. Bernenſes ut ſociorum auxilio advolantes, arce Epiſcopi, quam in oppido habebat, expugnatâ, juncti Solodurìs, ei bellum intulerunt, captis vaſtatiſque plurimis locis ei ſubjectis. Quam gratiam abunde Biennenſes retulerunt, forti fidelique, in Argoia occupanda, A C 1415. contra Burgundiæ Duces, bellô Sabaudicô, A. C. 1536 &c. operâ Bernenſibus præſtitâ. Poſt Diſputationem Bernæ habitam, A. C. 1528. hi quoque Evangelium ampleai, Miſſam abrogârunt, &c. Vide Stumpf. *in Chron.* Simler. *de Republ. Helv.* German. *Biel.*

BIENNENSIS lacus, ab oppido prædicto dictus, amœnus & piſcoſus, littora vitibus conſita habet: minor Neocomenſi Vocatur quoque *Nidovienſis*, à caſtro Nidoo ſito, ad Telæ, per quem fluv. Lacus Neocomenſis in Biennenſem influit, effluxum. Olim lacus *de Nurol*, *Neurol*, *Nerol*, *Nuerol*, à loco quodam ſupra Villam novam ſito, dictus eſt. In medio ferè lacu inſulæ aliquot, quarum major S. Petri amœna eſt, reliquæ ſæpe merguntur. Rigente frigore lacus concreſcit. Uber inprimis hîc piſciculorum *Hearling* captura. Vide Munſt. *l.* 3. German. *Bieler-ſee.*

BIENNIUS Jupiter, ſic cognominatus à Bienno, urbe Cretæ, quam aliqui denominatam putant à *Bienno*, uno ex Curetibus.

BIENNUS, urbs Cretæ. Vide *Steph.*

BIENOR, nobilis Cyzicenus, Pirni filius, ab Argonautis in conflictu nocturno occiſus. Val. Flaccus *l.* 3. *v.* 112.

BIENTINUS Lacus Hetruriæ, partim in agro Lucenſi, partim Piſano, ubi vicus *Bientina*, in ditione M. Ducis, aliter *Lago di Seſto*. 2. milliar. ab Arno fluv.

BIEPHI, Daciæ populi. *Ptol.*

BIERIA ſilva, in Senonibus, *Bierre* vulgò. In hac viri conditi; Unacum, *Vry en Bierre*, Menia Regia, Brolium, ſuperiores Logiæ, Inferiores item: Eremitorium S. Ludovici *la Chapelle S. Louis*: Fons Blaudi, *Fontainebleau*, Muritum oppid. *Moret*. Ab eadem ſilva Boicifia, *Boiſſiſe*, Boiſcerum Regis, *Boiſſy le Roy*, vici proximi: Nemus quoque oppid. ad Lupam fluv. *Nemours* Latinam appellationem traxit. Quippe *Bieria* ab oppido Senonum Meloduno ferè ad municipium nemus pertinet, & haud dubiè Nemus ipſum olim attingebat, antequam pars ejus excideretur. Valeſ. *Notit. Gall.*

BIES Nicolaus, vide *Nicolaum.*

BIESSI, iidem qui *Beſſi*, *Baudrando*, populi ſub Peucinis conſenti, ubi nunc Polkutia regio Poloniæ. Verſùs fontes Tiræ fluv.

BIFORA, apud Vitruvium *l.* 4. *c.* 6. de Foribus. *Ipſaque forium ornamenta non fiunt ceſtrota, neque bifora, ſed valvata*: Græcè ſunt Δίθυρα vel ἀναδιπλούμεναι θύραι; fores videl. ad imum diviſæ, in quibus duæ θύραι, in ſuis quæque cardinibus verſant in medio convenientes conniventeſque, ubi junguntur. Δίπτυχοι etiam dici queant, nam πτύχες & θύραι & σανίδες idem, tabulæ ſcil. quibus operitur hiatus januæ. Sed & valvata Janua *Bifora* dici poteſt, nam veluti duæ fores iidem ſunt, vel una plicatilis. Cujuſmodi fores, & *bifores*, & valvatæ; adde, & quadrifores, poſſunt commodè unicâ ſerâ per tranſverſum obductâ claudi. Diverſa ab his διкλὶς θύρα, cujus *Aratus* meminit, quam occludere non eſt niſi duabus ſeris, ut duo ſunt in illis oſtia, unum ſuperius, alterum inferius. Nec enim per longitudinem diviſa eſt ac ſeparata, ut δίθυρα & valvæ, ſed per latitudinem; & δικλὶς ideo appellata, quòd διττῇ κλειδὶ, *duplici clave*, obſerari debeat. Cujuſmodi fores duplici hiatu patulas ac duplici oſtiô velandas, Sellularii opifices hodieque ut plurimum in pergulis ac officinis ſuis habent. Unde apud *Hippocratem* & *Apollonium Citienſem* Περὶ ἄρθρων humeri reponendi modus dicitur διὰ τῆς δικλίδος θύρας: quod in aliam foris ſpeciem cadere non poteſt. Formam ſuis *Exercitationib. ad Solin.* inſeruit Salmaſ. è qua etiam quadriforem fieri poſſe, memoratam Vitruvio *d. l.* palam eſt. Vide eum *p.* 927 & 928. Altâ notione vox *bifora* occurrit, apud Virg *Æn. l.* 9. *v.* 617.

— — — ite per alta
Dindyma, ubi adſuetis biforem dat tibia cantum;
Tympana vos, buxuſque vocat Berecynthia matris
Idææ. — — — —

Ad quæ verba ita *Servius*, *Biforem dat tibia cantum.* *Biſonum*, inquit, *imparem.* *Et ſervavit eis tibiarum ſuarum, i. e. Phrygiarum, naturam. Tibiæ aut Serranæ dicuntur, quæ ſunt pares, & æquales habent cavernas: aut Phrygiæ, quæ & impares ſunt & inæquales habent cavernas. Ergo biforem, diſſonum diſſimilemque; Non ſunt pari modulatione compoſita. Ut enim ait M. Varro: Tibia Phrygia dextrâ unum foramen habet, ſiniſtrâ duo. Quorum unum acutum ſonum habet, alterum gravem* &c. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium Theb. l.* 3. & infrà paſſim, inprimis in voce *Tibia*.

BIFRONS, Jani fuit cognomen, ſic dicti: Vel quòd genere Græcus ex Perrhæbia fuerit, ac profectus in Italiam, ſedibus apud Barbaros poſitis, linguam vitæque rationem ibi mutaverit, vel quòd Italos feris utentes inculciſque moribus, ſuadendo ad aliud vitæ genus traduxerit, atque Agriculturâ civilique inſtitutione inſtruxerit. Alii, quia prudentiſſimus erat, videbatque procul futura & reſpiciebat præterita, quod Homer. *Il.* γ. *v.* 109. vocat ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω λεύσσειν, ſic appellatum volunt. Ovidius, ut & Auguſtinus ex Varrone, Janum mundum eſſe geminâ facie, hâc Ortum ſpectante, illâ Occaſum contendunt. C. Baſſus apud Macrob. *Saturn. l.* 1 *c.* 9. dicit, *Bifrontem* Janum, quaſi ſuperum ac inferum janitorem, fingi. Sed quis verius *Bifrons* Janus Noachô eſt, qui & veterem mundum diluviô occidentem, & novum benignitate Dei orientem vidit, utriuſque inſuper incolas ſalutaribus monitis imbuit, ipſe prudentiâ ſuprà omnes mortales inſignis. Fuit & Quadrifrons Janus: utriuſque in nummis veterib. ſimulachrum exhibet Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 3.

BIFURCATI Canonici, appellantur Wiclefo in *Trialogo artic.* 10. ex eorum pileis, quos *Bonnets carrez* Galli dicunt, Car. du Freſne *Gloſſar.*

BIGA, Lunæ ſacra, ſicut quadriga Soli. Seneca *Agamemn. Actu* 4. v. 817.

---- Et tuas lentè
Remeare bigas, *pallida Phœbe.*

Trahere eam fingebantur equi, tauri, muli vel cervi, quorum alter albus, alter ater: ſicut Solis quadrigam equi quatuor, de quibus ſuô locô. Vide Farnab. *ad Senec. d. l.* Utriuſque generis certamen in ludis Circenſibus apud Roman. uſitatum, cujus formam & ſchema videas apud Philandrum *Annotat. in Vitruvium.* Certè apud Homerum *Bigæ* ſunt, quibus Heroës curule certamen peragunt, ut ex iſtis liquet de Menelai curru, *Il.* ψ. v. 294.

--- Ὑπὸ δὲ ζυγὸν ἤγαγεν ὠκέας ἵππους,
Αἴθην τὴν Ἀγαμεμνονίην τ' ἑόν τε Πόδαργον.
--- *Sub jugum autem egit celeres equos,*
Æthamque Agamemnoniam, ſuumque Podargum.

Ibique Poëta duorum tantùm meminit equorum, dextri ſcil. & ſiniſtri jugalis. Et veriſimile eſt, in Nemea quoque ludos Archemoro ab Argivis Heroibus primùm factos, *Bigis*, non quadrigis, fuiſſe celebratos &c. Poſtmodum Trigæ adhibitæ & duobus ſubjugis equis alius extra currum adnectebatur, quem παρήορον dixêre. Tandem Quadrigæ in uſum receptæ ſunt, ut infrà dicemus &c. *Bigâ*, ſignati olim Romæ nummi, qui inde *Bigati* dicti, ut mox dicemus. Plura hanc in rem vide infrà in voce *Currus*. Hoc unum addo, quod Plinius habet, de primo *Bigæ* inventore, *l.* 7. c. 56. cui tit. *Quid quiſque invenerit in vita? Equo vehi Bellerophontem. Frenos & ſtrata equorum Pelethronium. Pugnare ex equis Theſſalos --- Bigas primum junxit Phrygum natio, quadrigas Erichthonius* &c.

BIGAMI ſeu **DIGAMI**, qui eôdem tempore plures habent uxores, in *Statutis* Guilielmi Scotiæ Regis, c. 51. §. 6. inter infames recenſentur. Sed & apud veteres Romanos adeò turpe habitum, pluribus unâ jungi, ut infamiâ Prætor notaverit, qui *binas* nuptias, imò vel Sponſalia bina eôdem tempore conſtituta haberent, *l.* 1. *in fin. l.* 13. §. 1. *ff. de his qui not. infam. l.* 18. *C. ad L. Jul. de adult.* Etiam, *Neminem*, Diocletianus & Maximianus Imperatores Sebaſtianæ reſcribunt, *qui ſub ditione ſit Romani nominis, binas uxores habere poſſe, vulgò patet.* Unde ſcripſit quidem, ut Sueton. teſtatur in *Julio c.* 52. Helvius Cinna, juſſu C. Julii Cæſaris, paratamque habuit Legem, quam abſente illô ferret, *ut uxores, quas & quot quiſque vellet, ducere liceret*: Sed ne promulgatâ quidem, nedum perlatâ, ex priſtino more nihil eſt immutatum; quem primùm Antonius perrumpere auſus, duas in matrimonio mulieres habuit, ut Plut. refert *de collat. Demetr. & Anton.* Vide Briſſonium *de Jure Connub. & ad L. Jul. de Adult.* An hunc, inter Chriſtianos Imperatores Valentinianus Aug. imitatus ſit, non convenit inter eruditos. Certè hunc legem tuliſſe, circa A. C. 373. ὅτι ἐξῆναι τῷ βουλομένῳ δύο νομίμους ἔχειν γυναῖκας, *Ut cuilibet pro lubitu duas uxores habere jus eſſet*, tradit Socr. *Hiſtor. Eccleſ. l.* 4. *c.* 26. Ipſe nempe Juſtinam Severæ ſuperinduxerat: quod ne contra legem facere videretur, eam ita novari voluit, tum Chriſtianiſmi de nuptiis ſcita, tum mores Majorum nimitùm impugnans. Socratemque ſequuntur Caſſiodor. in *Hiſtor. Tripart. l.* 8. *c.* 11. Paulus Diaconus *Hiſtor.* 12. Nicephorus Calliſtus *l.* 11. *c.* 33. Recentiorumque alii, Zonaras item aliique, qui tamen *binarum* tantùm ejus *uxorum*, non verò legis, meminêre. Sed verò ob egregiam rei inſolentiam, & quoniam non omnino reperiunt, in Auctoribus ætatis illius reliquis, Ammiano, Zoſimo, Oroſio, Patribus item Chriſtianis, qui de re matrimoniali toties diſputant; in fabulam ſeu figmentum planè id rejiciendum eſſe, pluribus contendit Baronius *Annal. Tom. IV. A. C.* 370. §. 125. Hodie verò apud Europæos Judæos, veluti qui in Italia ac Germania degunt, infœcundæ uxori aliam, prolis gratiâ, idque non ſine Pontificis Romani indultu, interdum ſuperinduci, Rabbi Leo Mutinenſis, Venetus Archiſynagogus, docet in *lib.* Ital. ſcripto, *Hiſtoria de gli Riti Hebraici*, & ex eo *MS. Seldenus*, quem vide *Uxor. Ebraic. l.* 1. *c.* 9. Præter hos verò, *Bigami* dicuntur, qui priore uxore mortuâ ad ſecunda vota tranſierunt: quos in Communione Romana ad Sacros Ordines Jus Canonicum promoveri vetat, vide Gratianum & Gregorium IX. Pontif. Rom. in *Decreto & Decretal.* Olim verò inter Chriſtianos id factum eſſe, diſcimus ex Tertulliano, qui in errorem lapſus id ſui temporis Catholicis objicit: *Quod enim*, inquit, *& bigami præſident apud vos*, *de Monogam.* c. 12. Et Hieronymo, qui Carterium Hiſpaniæ Epiſcopum, quòd quidam exiſtimarent eum contra regulam Apoſtolicam ordinatum fuiſſe, quia duas uxores ſucceſſivè, unam ante, alteram poſt Baptiſmum habuerat, multis & graviter defendit, *Ep. ad Oceanum* &c. Vide infrà *Secundæ Nuptiæ*, it. voce *Digami*. Græci *Bigamos* Epiſcopos vocant, qui de una Eccleſia ad aliam tranſeunt: cujuſmodi Epiſcopi, ſecundùm Canones eorum, ad Patriarchatum aſpirare non poſſunt Conſtantinopoli. Imò in Concilio Alexandrino *Adulter* dictus eſt Euſebius, quod ab Eccleſia Berytienſi, ad Nicomedienſem, ſine cauſa, tranſiiſſet. Baronius *ad A. C.* 381. apud Macrum *in Hierolex.*

BIGASTRUM, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis in eo tractu, qui *la Mancha* nominatur, *Begaſtra* Marianæ, qui illam Oriolæ urbi proximam facit, quòd una illius urbis porta adhuc *Magaſtra*, quaſi *Bagaſtrenſis* nominatur. Quod etiam *Morali* probatur. longitud. 21. 15. latitud. 42. 40.

BIGATI, Nummi apud Romanos olim, memorantur Plinio *l.* 33. *c.* 3. *Nota argenti fuêre bigæ atque quadrigæ: & inde bigati quadrigatique dicti. Mox Lege Papyriâ* &c. Fuit autem in ea gente argentum primùm ſignatum annô Urb. Cond. DLXXXV. Q. Fabiô Conſ. quinque annis ante primum Bellum Punicum, cùm priùs æreis tantùm nummis uſi eſſent, quorum nota fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera roſtrum navis, ut idem docet in præcedentibus. *Bigatos quingentos & equum eximium*, honoris ergò ſtrenuo juveni Nolano L. Bantio muneri datos, à Marcello Romanorum Duce, legimus apud Livium *l.* 23. *c.* 15. Vide Hotomannum *de Re Nummar.*

BIGENUM, oppid. in ea parte Japoniæ Inſul. quæ *Niphon* dicitur, aliquot milliaribus ab ora diſtans, & 60. mill. paſſ. circiter ab urbe Meaco in Occaſum hibernum. *Brietius.*

BIGERRA, Hiſpaniæ civitas in Valentiæ regno. *Ptol. Plin. Bejar* nonnullis: aliis eſt *Villena* urbs, & marchionatus in regno Caſtellæ. Aliis *Peſquera*, vicus Caſtellæ Novæ in confinio Valentiæ regni, prope *Cauriel* fluv. qui poſt in Sucronem cadit, inter Concham & Villenam.

BIGERRA, urbs priſca, in Hiſpania Tarraconenſi de qua hodie haud ſatis conſtat. Spelmannus *Gloſſar. Archæol.*

BIGERRA, veſtis Gallica: an à Bigerronibus, quorum in Aquitania Cæſar *de bell. Gall. l.* 3. *c.* 27. meminit? An à Gallico *bigarrer*, quod eſt, variegare, diverſiſque coloribus interſtinguere, quaſi bis variare. Iſidorus in *Gloſſis*, *veſtis guſa, vel villatæ*; ubi *guſam* appellat, quæ optimo *Gloſſario cuſa*: pallium nempe, & veſtimentum ſpiſſum ac villoſum, quod ſoloci filô & pingui Minervâ factum eſt. Vide infrà in voce *Cuſa*. Pro *guſa* Car. du Freſne legi vult *ruſa*, atque *Bigerram* fuiſſe veſtem ruſam, villoſam ac vilem: Ex Papia MS. *Bigerra, veſtis ruſa, i. e. valva*, (villoſa) *quæ & bilis dicitur*, h. e. vilis. *Gloſſ. Latin. Græca Bilis*, εὐτελής. Viliorìs enim *Bigerricam* pretii fuiſſe, innuit Paulinus *de Vita S. Martini l.* 5.

Tum veſtem octavâ ſolidi vix parte coëmtam
Nodoſis textam ſetoſo vellere filis
Ante pedes Sancti ſtomachatus projecit ille &c.

Nomen quod attinet, corruptum id eſſe contendit Salmaſ. ex *bicirra*, i. e. δίμαλλος, atque *Bigerras* veſtes fuiſſe, quæ ab utraque parte *cirros*, h. e. villos, haberent. Unde *hiſpidam* eam vocat Sulpitius Severus *de Vita S. Martini l.* 3. *Dial.* 2. & Fortunatus veſtem hujuſmodi *hirſutam*, de eodem Martino *l.* 5. *c.* 2.

Induitur Sancto hirſuta Bigerrica *palla*:

Roccum vocat Monachus Sangall. *in Carolo M. l.* 2. *c.* 27. palliolum videl. brevius, quô humeri conteguntur. Verùm à *Bigerris* ſeu *Bigerronibus*, Galliæ gente, potiùs etymon vocis arceſſit Car. du Freſne: cùm & ii etiamnum ejuſmodi *capas breves*, villoſas & hiſpidas, ex craſſiori lana confectas, adverſùs aëris intemperiem, deferant. Indigenæ *Marlotas*, quaſi *Melotas*, interdum *Capas Benebarnenſes*, appellant. Sed & Paulinus *ad Auſon. Carm.* 12. *Bigerros* pellibus ſeu villoſis veſtibus amiciri conſueviſſe, annotat:

Dignoque pellitos habitas deſerta Bigerris.

Nec deſunt, qui *pallia Aquitanica* dici, apud Gregorium M. cenſeos *l.* 6. *Ep.* 6. Nonnulli quoque ex eadem voce deducunt Gallicum *Harre*, cilicium, quaſi ex *Biherre*, in quibus eſt Iſaac. Pontanus & Ægidius Menagius. Vide Salmaſ. *ad Capitolin. in Pertinace c.* 8. ac *Vopiſc. in Aureliano*, *c.* 43. *ad Solin. item p.* 939. Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macrum in *Hierolex.* plura verò *de Bigerrica S. Martini*, infrà voce *Capella*.

BIGERRIONES, vel **BIGERRONES**, *Begerri* Plinio, *l.* 4. *c.* 19. *Begerritani*, *Auſonio*, populi Galliæ Aquitanicæ ad montem Pyrenæum, in Hiſpaniæ confinio, quorum regio *Bigorre*, teſtibus Orontiô, Vinetô, & Scaligerô nominatur. Comiti de Fluxo ſubditi, uti Comitatus eſt in Vaſconiâ conſiſtens. Hinc profectus vir fortis Evequius nomine, regnum Navarræ conſtituit, pulſiſque inde Mauris, ſucceſſoribus ſuis regnum per manus reliquit. *Nic. Lloydius. Pellitos Bigerros*, dicuntur Paulinus *ep.* 1. *ad Auſon.* pellibus enim ob inclementiam cœli utuntur, & ob *Bigerricum turbinem*, Sidonio *Ep.* 12. *l.* 8. memoratum. Hinc *Bigerrica*, *veſtis hiſpida* Sulpicio Severo, *in vita S. Martini*, & Fortunato *hirſuta Bigerrica palla*, qualis Bigerris & Benearnenſibus in uſu eſt hodieque, *marlota* dicta. Vide ſuprà. Urbs gentis caput primum vocata eſt *Turba*, deinde *Tarvia*, *Tarvia* ac *Tarbia*: Nunc *Tarba* dicitur. In *Notit.* provinciarum ac civitatum Galliæ veterrima nominatur, 10. inter Novempopulaniæ civitates locum obtinens. Vulgo *Tarbe*. vetus caſtrum aut arcem *Bigerram Bigorramve* habuit, ubi ſemper fuit ſedes Epiſcopatus: unde & nunc *la Sede* appellatur. Pagus *Bigerricus* quondam ſub Comitibus fuit: Vice-Comitatus duos veteres continens, Levitanenſem & Aſteſienſem: è quibus Levitania, vulgò *Lavedan*, equis generoſis olim nomen ſuum dedit, etiam inter currendum in gyrum verti ſolitis: caput habet Loidam, *Lourdes*, veteri arce munitiſſimâ inſignem. In Bigerris ſunt etiam Vicus Bigerronum, *Vic de Bigorre*: & Vicus Aquenſis, nunc *Bagneres*, à balneis aquiſque ſuis ſalubribus: à quo Vicani Aquenſes nomen habuêre, ut vetus marmor docet. Gregor. *de glor. Confeſſ.* agrum Bigerricum vocat *terminum Beorritanæ urbis*, ibique Vicum Sexciacenſem ponit. Lingua Bigerricarū dicitur *le Vigordan*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Hujus regionis Comes ultimus Eſquibatus, filiam Martham reliquit, Gaſtonis ultimi Comitis Benearnenſis uxorem. Marca, *Hiſtor. Benear.*

BIGIS, Drangianæ urbs. *Ptol.*

BIGLÆ Drungarius, officium in Civitate Conſtantinopol. idem cum Præfecto Vigilum, è qua voce Græci βίγλα fecerunt, i. e. *custodiam, vigil.* Vide Macrum *Hierolex.* & infrà *Vigil.*

BIGOTHI, dicti Normanni ſunt, qui Neuſtriam in Gallia incolendam accepêre. Vetus *Chronic. Hiſtoria Franc. Tom. III.* de Rollone primo Normannorum Duce, *Hic non eſt dignatus pedem Caroli oſculari, niſi ad os ſuum levaret. Cumque ſui Comites illum admonerent, ut pedem Regis in acceptione tanti muneris* (Neuſtriæ provinc.) *oſcularetur, linguâ Anglicâ reſpondit, Ne ſe bigot, quod interpretatur, Ne per Deum. Rex verò & ſui illum deridentes & ſermonem ejus corruptè referentes*, illum vocaverunt Bigoth, unde Normanni adhuc *Bigothi* vocantur. Vide Stephan. Paſchaſium *Diſquiſit. Franc. l.* 8. *c.* 2. & infrà, voce *Normanni*.

BIGRI-

BIGRINÆ, apud Matth. Weſtmonaſterienſem A. C. 1248. eædem cum *Begbinis*. Vide ſuprà.

BIGUBA, regnum Africæ in Nigritia regione juxta Nigrum fluv. ubi recipit *Bigubam* fluv. Ibi Cantorà regnum quibuſdam. *P. du Val.*

BII, Pannoniæ ſuperioris populi. *Ptol.*

BIKKORETH, Hebraicè בקרת, Levit. c. 19. v. 20. flagellatio eſt propriè, quæ fiebat corio bovino. *Taurea* Latinè dixeris, ut in Vulgato 1. Maccab. c. 7. v. 1. & Juvenalis *Sat.* 6. v. 492.

---- ---- taurea punit
Continuò flexi crimen facinuſque capilli.

Græcè etiam ταυρέα, *Heſychius*, Μάγγυνα, μάστιξ, ῥάβδος, ταυρία. Et continuò poſt, Μαγγύνα, τῷ ταυρέα. Hinc in *Aulularia*, *Act.* 4. *ſc.* 1. v. 13. Plautus, *Abſumitis corpore bubulâ*. Et in *Pœnulo*, *Actu* 1. *ſc.* 1. v. 10. 11.

---- ---- heri in tergo meo
Tres facilè corios contrivisti bubulos &c.

Cujuſmodi ſupplicii genere, ſeptem fratres cùm matre affectos fuiſſe legimus, μάστιξι καὶ νεύροις αἰκιζομένους. Origo vocis à בקר quod inter Boum nomina, à *quærendo* eſt. *Boum enim in ſocietate mira pietas. Nam alter alterum inquirit, cum quo ducere colli aratra conſuevit, & frequenti mugitu pium teſtatur affectum, ſi forte defuerit*, Iſidor. l. 2. c. 1. Niſi malis cum Arabibus bovem *bakir* dictum eſſe, quod *terram arandò profundat*. Quemadmodum idem *bos* Romanis, à *terendo*, dictus eſt. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 28. & 31.

BILANX, vide infrà *Statera*.

BILBAUM, urbs Hiſpaniæ, & Biſcayæ caput, ad Nervium fluv. 1. ab Ocean. milliar. Vide *Flaviobriga*.

BILBILIS, oppid. Celtiberorum in Hiſpania Tarraconenſi ad Salonem fluv. optimâ ferri temperaturâ nobile. Ex hoc oppido Martialis Poëta originem traxit, ut ipſe teſtatur *l.* 1. *epigr.* 50. v. 3.

Videbis altam Liciniane Bilbilim
Equis & armis nobilem.

Idem *l.* 10. *epigr.* 103. v. 1.

Municipes Auguſta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidus quem Salo cingit aquis.

Calataiud *Villanovano*. *Xiloca Varrerio*. longitud. 19. 20. latitud. 42. 05. Item fluvii nomen ferrum durantis. Trogus *l.* 44. Alius eſt *Rio Bambola*, fluv. qui juxta & infra Bilbilim in Salonem ſe exonerat. *Baudrand.*

BILBINA, urbs Perſidis. *Steph.*

BILBIUM, vulgò *Caſtillo Villovio*, teſte Morali, locus Hiſpaniæ Tarraconenſis apud Nagaram urbem, non procul à Cœnobio, quod *S. Mariæ Capella* appellatur.

BILEDULGERID, à dactylorum copia, regio Africæ perampla, ubi aliàs Getuli, *Cluver.* In longum porrigitur ab Oceano uſque in Ægyptum, ſed non æquè lata, habens, à Septentrione Barbariam, & à Meridie Zaharam ſeu Deſertum. *Baudrand.* Hic 4. deſerta, totidemque urbes, & tria regna. Vide Marmol. *l.* 7. c. 53.

BILIA, vel BILLIA. Vide *Bibilia*, & Cæl. Rhodig. *l.* 8. c. 17.

BILICON, German. *Billiken* locus Hercyniæ ſilvæ vicinus, B. Rhenano, *l.* 3.

BILINA, lacus & fluv. Sueciæ, in Sundheda regiuncula.

BILINGIUS Hermannus, vide *Billingius*, et *Hermannus*.

BILINGUES, Plauto non ſemel ſerpentes dicti, in *Perſa*, *Actu* 2. *ſc.* 4. v. 28. in *Aſinaria* &c. Nempe, ſi Salmaſio credimus, ſerpentes tam tremulo motu criſpant linguam, ut non una, ſed gemina, videatur eſſe. Quomodo *linguam duplicare* dicebantur, qui vibrabant eam & criſpabant, quaſi duplicem quatiendo facerent. Unde Iſidor. de ſerpente, *Origin. l.* 12. c. 4. *Nullum animal tanta celeritate linguam movet, adeò ut triplicem linguam habere videatur, cum una ſit.* Sed non propterea ſerpentem *bilinguem* dici, verùm ideo quòd eam verè biſulcam habeat, idem Plautus docet, in *Pœnulo*, *Actu* 5. *ſc.* 2. v. 74. *Biſulci linguâ, quaſi proſerpens beſtia.* Proinde Philoſophus aſſerit, διχόαν εἶναι αὐτῶν τὴν γλῶτταν ἄκραν, *Summam eorum linguam eſſe biſulcam.* Vide Arabem Scriptorem Damirem *c. de Serpente.* Imò & triſulcam alii ſtatuunt. Plin. *l.* 11. c. 37. *Lingua tenuiſſima ſerpentibus & triſulca eſt.* Quod Poëtæ ferè ſequuntur. Virg. *Georg. l.* 3. v. 439. & *Æn. l.* 2. v. 475.

Arduus ad Solem & linguis micat ore triſulcis.

Ovidius de dracone à Cadmo cæſo, *Met. l.* 3. v. 33.

---- ---- Corpus tumet omne veneno
Treſque micant linguæ. ----

Seneca in *Medea*, v. 686.

Hic ſera ſerpens corpus immenſum trahit,
Trifidamque linguam exertat. ---

Vide quoque Silium *l.* 6. v. 222. & 264. Statium de Pythone *Theb. l.* 1. v. 565. &c. Quo fortè etiam referendum, quod maledicos, qui linguam in quoſcunque exerit & vibrat more ſerpentis, *lingua triplex* tribuitur, in Chaldæa Paraphraſi, Jobi c. 36. v. 11. Pſalmo 101. v. 5. & 140. v. 12. Eccleſiaſt. 10. v. 11. &c. Neque aliter Bochart. interpretatur hæc Siracidis c. 28. v. 15. Γλῶσσα τρίτη πολλοὺς ἐσάλευσεν, *Lingua triplex multos concuſſit.* Et v. 17. Γλῶσσα τρίτη γυναῖκας ἀνδρείας ἐξέβαλε, *Lingua triplex fœminas fortitudine exuit.* Vide eum *Hieroz. Part. prior. l.* 1. c. 4. & Salmaſ. ad *Solin.* p. 943.

BILIS, Aſiæ fluv. non longè ab Heraclea. Plin. *l.* 6. c. 1.

BILITIONUM, oppid. Inſubriæ ad Ticinum, Ital. *Bellinzona*, olim magni nominis. Fuit ſub Comitibus propriis, primò, dein horum familiâ extinctâ, Comitibus Montaxiis ſubeſſe cœpit: quibus propterea cum Ducibus Mediolanenſibus contentio, ſed hi fortiores illos oppidò exuerunt. Proin cùm hoc demum per inſidias Comes cepiſſet, circa A. C. 1421. tribus Pagis, Uriis, Suitiis, & Undervaldis illud vendidit. Verùm & hi iiſdem artibus, quibus Comes uſus fuerat, à Duce eo privati gravia bella recuperandi ejus ergò geſſêre. Hinc enim cruento prælio, die ult. Jun. A. C. 1422. Helvetii victores, à Lucernatibus & Tugiis adjuti: cùm nihilominus oppidum capere non poſſent, Tigurinis quoque ac Glaronenſibus imploratis, denuò Alpes tranſierunt, Ducis ditione longè lateque vaſtatâ, A. C. 1423. Poſtea, acceſſione Bernenſium animoſiores, iterum fortunam experti, A. C. 1426. rurſus fruſtra fuêre. Donec inter Sfortias & Gallos fervente bellô, cives, ut ſibi conſulerent, Uriis ſeſe dedidêre, A. C. 1500. Gallis, qui Inſubriâ potiti, ſæpius oppidum, ſed incaſſum, repetentibus. Ab inundatione ingens illi periculum, A. C. 1515. Caput eſt ditionis, diviſæ in præfecturas tres, Bilitionum, vallem Palenſem & Rivieram, quibus à ſingulis trium præfatorum Pagorum præfecti per vices contingunt. Stumpf. *l.* 9. c. 6. 7. 8. Diverſorum Author *Reſpubl. Helvet.* Hic Valentinianus III. ſepultus, ut quidam volunt. Vide & *Brenni*.

BILIUS Andreas, vide *Andreas*.

BILLA, Anglis *Bill* vel *Bille*, Gallis *Billet*, ſchedula eſt, libellus, ſyngraphum, apud Knyghtonum *p.* 2721. Wilh. Thorn *c.* 41. Alios. Origo ejus, ſecundùm Spelmannum, à Saxonico *Bille*: ſecundùm Somnerum, ex *Libellus*, corruptè: ſecundùm alios, à Græco Βιβλίον. Gerh. von Maſtricht in voce hac agnoſcit *Bulla* veſtigia, addìtque, Belgis *Billet* vocari ſcripturam, in qua quid brevibus notatum, veluti in metatis ſeu militum inhoſpitationibus, cuique militi aſſignatus hoſpitium pittacio, quod vocant een *Billet*, &c. Vide eum *Hiſtor. Eccleſiaſtici Juris num.* 402.

BILLÆUS, fluv. cujus meminit Apollonius Rhodius *Argonaut. l.* 2.

Παφλαγόνας δ' ἐπὶ τοῖς Πελοπήιος ἄμβαλεν αὐτούς,
Ὅσσας Βιλλαίοιο μέλαν ἀποείργεται ὕδωρ.

Ubi *Scholiaſtes*, Ἔστι δὲ ποταμὸς Παφλαγονίας, οἱ δὲ Φρυγίας. Ejus meminit *Arrianus*. *Mit. Lloydius*.

BILLENA, amnis German. in Vagria ortus, Saxoniam inferiorem ab Holſatia dividit, poſt ad Hamburgum in Albim cadit.

BILLICHIUS Everardus, Colonienſis, Carmelita Monachus, interfuit Colloquio Ratisbonenſi A. C. 1546. Scripſit: *Judicium Cleri Colon.* It. *de ratione ſummovendi præſentis temporis diſſidia*, *librum* &c. Obiit Tridenti A. C. 1552. Antonius Teiſſier *in Elogiis Vol.* 1.

BILLINGIUS Hermannus, Vir nobilis, ſeu, ut alii volunt, illuſtri proſapiâ oriundus, poſt Dietgremum, à patruele Ottone Magno Imperatore Saxoniâ pulſum, hôc Ducatu in fortitudinis fideique præmium ab eodem donatus eſt. Duravitque familiæ honos, donec Magnus, Hermanni abnepos, in partes Rudolfi Suevi, adverſùs Henricum IV. Imperatorem tranſgreſſus, rebellione amitteret, quæ Abavus officiis & conſtanti in Cæſarem obſequiô meruerat. Huic itaque ſive iſti, quô diximus, crimine, patrimoniô mulctato, ſive, ut aliis placet, abſque maſcula prole extinctô, Lotharius Comes Supplinburgius, Comitum Querfordenſium ſtirpe oriundus, volente Henricô V. Imperatore ſucceſſit A. C. 1106. a quo illum gener accepit Henricus Superbus, cujus filiô Henricô Leone proſcriptô, Fridericus I. Imperator Bernardo Aſcanio Ducatum conceſſit, in cujus manſit poſteritate, donec Albertô ſine prole extinctô A. C. 1421. Fridericus cognomine *Bellicoſus* de eo inveſtitus eſt, reditque Electoratu auctus, ad Witikindeos. Neque verò Saxoniam ſolum *Billingi*, ſed & Holſatiam, tenuêre, poſt eoſdem Witikindeos, quibus etiam in Saxonia ſuffecti ſunt. Horum autem auſpiciis Comites plerumque, ejuſdem ſæpe cum iſtis proſapiæ, regioni moderabantur: è quibus Godefridus, à Magno præfato Holſatus Comes datus, Vandalorum, dum prædas in Stormaria agitantes incautiùs perſequitur, inſidiis circumventus, Adolfum, Adolfi I. Comitis Schauenburgici nepotem, pronepotemque incertum, ſucceſſorem habuit. Tob. Pfannerus, *de præcipuis Germ. Princip. gentibus* c. 2. & 11. & Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal, Hiſtor. in Fam. Saxon.*

BILLIO, Gall. *Billon*, Hiſpan. *Vellon*, nummus æreus eſt, vel ex ære & argento conflatus, interdum maſſa monetaria. *Statuta* Philippi Pulchri Regis Franciæ A. C. 1305. *Ne quis aurum, argentum, vel billionem extra Regnum noſtrum deferre præſumat.* Molinæo in *Tract. de Contract. Quæſt.* 100. *num.* 783. & Covarruviæ *de Vet. numiſm. collat.* c. 1. *num.* 1. moneta *de Vellon* ſeu *de Billon*, dicitur non tantùm ea, quæ ex ære penditur admiſtâ parte aliquâ argenti; ſed & illa, quæ cuditur ex argento, cui miſta ſit tertia vel quarta, vel ſanè quinta, *pars æris*. A voce *vilis* etymon *Billoni* arceſſit Nebriſſenſis, ita ut *vilior* moneta intelligatur. Car. verò du Freſne mavult ſic dictum aurum vel argentum in *billam*, i. e. baculum, ſeu maſſam, conflatum, necdum purgatum: *Billa* enim, Anglis *Billet*, Gallis *Billot*, baculus eſt ſeu clava oblonga; in *LL.* Henrici I. Regis Angliæ, vide eum in *Gloſſar.*

BILLIUS Jacobus, vide *Jacobus*.

BILLIUS Johannes, vide *Johannes*.

BILLOMUM, urbecula Galliæ in Alvernia, 5. leuc. à Claromonte.

BILLUNGUS, ſeu *Miſtevojus*, fil. Viſilai ſeu Wizlai II. Heſulorum Regis, à Viſtula ad Viſurgim imperitavit, & ductâ Vagonis Epiſcopi Oldenburgici Vagriæ ſorore, Chriſtianam ampleχus fidem eam poſtea deſeruit, ac perſequutus eſt. Pater Mieſlai, Sederici & Naconis, Ottonis I. Imperatoris hoſtis, qui paganam ſuperſtitionem partes tutati ſunt. Ex his Micislaus genuit Miſtevoiem Heſulorum Regem Mindrachum & Giunnium, Rugiorum Principum conditorem. Vide *ſubſeq.*

BIL-

BILSENUM, oppidulum Epiſcopi Leodienſis, ad Demeram fluv. *Merul.*

BILSTINUM, oppidul. Germaniæ in Wetteravia, Comitatus cognominis caput inter Confluentias & Marpurgum. Vulgò *Beilſtein.*

BILUMNUM, *Antonin. Beauvais*, *Sanſon.* oppid. Sabaudiæ, à Tarantaſia 13. mill. paſſ. verſus Viennam diſtans.

BIMA, ex Græco Βῆμα, chorus Templi, ſeu potiùs pars illa Altaris clauſa, ſecundùm Orientalem uſum, tribus portis, quo nemini penetrare permiſſum. Vide Macrum in *Hierolex.* in voce *Chorus*, & hic paſſim, in vocibus *Bema*, *Chorus* &c.

BIMATER, cognomen Bacchi, quòd duas matres habuerit, Semelem, & Jovem matris officiò fungentem. Hinc *Bis genitus* dicebatur. Et Nonnus *Dionyſ. l.* 1. Βάκχε διμήτορος. *Nic. Lloydius.*

BIMATRA, Meſopotamiæ urbs. *Ptol.*

BIMINA, Inſul. Americæ Septentrionalis una ex Lucajis.

BIMONIUM, Angliæ oppid. vulgò *Benceſter*, in Epiſcopatu Dunelmenſi. *Lhuidus* ex *Ptolemæo*. *Vinnovicam* legitur apud *Ptol.* Brigantum urbs.

BIMYXUS Lychnus, apud Anaſtaſium, in *Vitis*, ut & *Trimyxus*, à totidem *myxis*, dicti ſunt; à quarum forma oblonga, μύξα, item μοξάρια in Ægypto appellata ſunt olim pruna, quibus hodieque *Muſa* nomen eſt, ex antiquo illo mutuatum. Vide Salmaſ. *ad Solin.* De candelabris verò polymyxis, ſuprà in voce *Arbor.*

BINÆ, & **BACENAS**, *Gaudentio Merulæ Binaſco*, pagus Inſubriæ, in via, medio itinere inter Papiam & Mediolanum occurrens, ubi multæ cauponæ.

BINÆ uxores, vide *Bigamus*, & *Polygamia.*

BINAGARA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol.*

BINARIÆ Formæ, apud Æl. Lamprid. in *Alexandro Severo*, c. 39. *Formas binarias, ternarias & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius uſque ad bilibres quoque & centenarias — reſolvi præcepit:* Viris doctis ſunt nummi bini aureis valentes. Salmaſ. verò formas hic interpretatur τύπους aut χαραγμάτια vel τυπώματα, quibus nummi tali formâ ſignarentur, *binarii* ſcil. & quaternarii & ſimiles. Interim ſequitur, *Eas reſolvi præcepit, nec in uſu cujuſquam verſari:* unde manifeſto formas pro nummis ipſis dixit Lampridius. Quemadmodum & in *XXX. Tyrann*, apud Pollionem, c. 31. *Cuſi ſunt ejus nummi æreì, aurei & argentei, quorum hodieque forma extat apud Treviros*, h. e. qui etiam hodie extant, vel quales hodieque viſuntur apud Treviros. Sic itaque *Binarius* hic & Ternarius nummus aureus, qui *binos* & ternos aureos ſimplices pendebat. Uti *quinarius* olim, qui quinos aſſes, *denarius*, qui denos, pendebant. Græci, ut *binarium* æreum, vel dupondium, διχάλκιον vel διασσάριον; ita *binarium* aureum δίχρυσον dixère. Iidem *Biniones* quoque appellari poterant. *Gloſſæ*, *Biniones*, δίχρυσα; etiam *duplones*, ut Græcis διπλοῖ χρύσινοι. *Gloſſæ* iterum, *Duplones*, διπλοῖ. Ita Galli hodiè aureos binarios vocant, & quadruplos, quos *quaternarios* Latini vocabant &c. Salmaſ. *ad Lamprid. loc. cit.*

BINCHIUM, oppid. Belgii in Hannonia, ad fluv. Henium, qui in illo tractu oritur. Permunitum, Gallis ſubeſt, cum toto tractu, ab A. C. 1667. Aliter *Binium*, vulgò *Bins en Hainaut*; eſt in diœceſi Cameracenſi. Vide Hadr. Valeſ. voce *Sangia.*

BINGIUM, nunc **BINGEN**, German. oppid Belgis aſcribendum, inter Moguntiam & Confluentiam urbes, cis Rhenum ejus ripâ ſiniſtrâ, meminit Tacitus, *l.* 4. *Hiſt. c.* 70. ut & Navæ flum. omnium primò. Situm eſt ad Navæ & Rheni confluentes, 8. mill. paſſ. à Bodobrica, *Notitia Imp. Rom.* Præfectum militum Bingenſium, *Bingio* præſediſſe tradit ſub diſpoſitione V. Sp. Ducis Moguntiacenſis. *Bingia* Eginhardo *in Annal. A.* C. 819. Nithardo *l.* 3. *Binga.* Annal. Fuldenſ. *Urbs Pinguia*, &c. longitud. 31. 00. latitud. 49. 30.

BINGUM, oppidul. Aſiæ, in Japoniæ parte, quæ *Niphon* dicitur.

BINIONES, vide hic ſuprà.

BINIS Poculis, honoris ergò, bibendi ritus, Scythis olim in uſu, vide infrà voce *Poculum.*

BINNA, Aſſyriæ urbs, *Ptol.*

BINOCULUM, inſtrumentum oculare dioptricum, à Cherubino Capucino excogitatum, A. C. 1663. cujus ope idem objectum utrôque oculô conjunctim cerni poteſt. Vide librum Gallic. *de la Viſion parfaite.*

BINOMIUS, *Feſto*, *cui geminum nomen eſt.* Uſurpat vocem *Lamb. Ardenſis*, *Robertum qui, ut tunc temporis erat conſuetudo & adhuc plerumque tenetur*, binomius *erat*, *ſed ſuppreſſâ vocationis proprietate, inoleſcente uſûs aſſuetudine, dictus eſt Manaſſes, poſtea Ghiſnenſis Comes.* Ubi *Eucherius* notat, *Manaſſem* à Parentibus poſt nativitatem, *Robertum* verò à Roberto Flandriæ Comite in baptiſmate cognominatum. Mos quippe olim invaluit, ut naſcentibus à Parentibus nomina imponerentur, alia poſtmodum interdum adderentur in Baptiſmo, uti diſcimus ex Gregorio Turonenſ. *Hiſtor. l.* 8. *c.* 22. Florentio Tricaſtino Presbytero *de Vita S. Ruſticulæ*, *ad Celſum*, Ægidio Aureæ Vallis *c.* 97. Aliis: Unde factum, ut alterum horum nominum cognominis vice haberetur. Idem Gregor. *l.* 4. *c.* 26. *Auſtregildem, cognomento Bobolam.* Et *l.* 7. *c.* 3. *Vedaſtem, cognomento Avonem.* Et *l.* 8. *c.* 22. *Gundegiſilum, cognomento Dodonem*, &c. Sed & ab antiquo obtinuit, ut in Baptiſmo de novo nomen imponeretur, quod ex Theophane & aliis colligitur, qui Athenaidem, Theodoſii Junior. conjugem, in Baptiſmate *Eudociæ* nomen accepiſſe, ab Attico Patre narrant. Qua in re Hebræos Chriſtiani videntur imitati, qui ſtatim poſt circumciſionem peractam nomen imponebant infantibus: quamquam & peculiaris quædam ratio Chriſtianis fuit, cur id obſervarent. Nempe, ut ſignificarent, non avitos modò patrioſque ritus, per Baptiſmum exuere ſe, verùm & ipſius priſci nominis oblivisci, novâ inditâ nuncupatione, quæ ſingularis gratiæ indicium eſſet, &c. Neque mirum tamen Chriſtianos, adultos præſertim, *binomios* fuiſſe; cùm ante Baptiſmum, ſiquidem à Paganiſmo, ad Chriſtianiſmum, tranſirent, gentilitiis nominibus appellarentur. Unde baptizandorum, etiam infantium, nomina in matriculam relata, obſervat Car. du Freſne. Vide quoque infrà in voce *Nomen*, item *Paganus*, & plura hanc in rem apud modo dictum *Gloſſarii* Auctorem.

BINOTHRIS, Rex Thinitarum in Ægypto XI. Cæchi ſucceſſor, regnavit annos 47. Sub eo ſancitum, *Mulieres in regno ſucceſſionis jus habere*, *Euſeb.* cui *Biophis* vocatur. Nulla tamen in Thinitarum ſerie occurrit Regina: in Thebæorum verò & Memphitarum prima regno præfuit Nitocris. Eum excepit Tlas. Joh. Marſhamus *Canon. Chron. ad Sec. IV.* circa initia Abrahami Patriarchæ. Vide & *Manethonem* apud *Syncellum.*

BINSFELDIUS Petrus, vide *Petrus.*

BINSITTA, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. *Ptol.*

BINTAMUM, eſt inſula Indiæ Orientalis, Cincapuranis obdita faucibus, nobili ſecatur amne, qui ponte junctus, dein in mare ſe exonerans, portum navigantibus præbet. Huic amni impoſita urbs inſulæ cognominis, præclarè munita. *Nat. Merul.*

BINTHA, Libyæ interioris urbs. *Ptol.*

BIOBIUS, fluv. Americæ meridionalis in regno Chilee. Oritur ex Andibus montibus, & in mare Pacificum ſe exonerat, prope Civitatem Conceptionis, & Aquirinam Inſul. *Alf. Ovallius.*

BIOCOLYTI, Græcè βιοκωλύται, apud Juſtinianum *Nov.* 8. τὸ ϛʹ ἐν τοῖς, & *Nov.* 145. dicuntur Juliano Patricio in *Epitom.* Officiales quidam, qui vim ac deprædationes arcebant, & violentiam omnem prohibebant, *Briſſon.* Etiam ſpecialis quidam olim Dux fuit, Βιοκωλύτης, qui in Phrygia utraque, Piſidia, Lycaonia & Lydia, quæ Aſianæ diœceſeos provinciæ erant, imperium habuit, vide Cujacium in *Expoſit. Nov. Juſtiniani* 8. *ſub fin.*

BIOEU, Sardiniæ urbs. *Ptol. Bosa Antonino.*

BION, Boryſthenites Philoſophus, & Sophiſta callidus, Philoſophiam vario orationis flore veſtivit. Laërtius, *l.* 4. *c.* 46. Fertur hic dixiſſe ad eum, qui fundos ſuos ingluvie voraverat, *Terra Amphiaraum abſorbuit, ſed terram tu.* Auditor Cratetis fuit. Ad Cynicam ſectam prius tranſiit, ſumptô palliô & perâ, deinde ad Theodorea inſtituta ſe convertit, tandem Theophraſto Peripatetico ſe applicuit. Poëſeos Muſicæque inſignis cultor. Antigono, Macedoniæ Regi genealogiam facetè texuit, illum ſervi ex ſcorto filium dicens. Plut. Diog. Laërt. *in ejus vita. loc. cit.* Reliquit *commentarios* plures, qui non extant, *Apophthegmata* item plura. *Suidas.* Fuerunt & alii *Biones* novem, de quibus vide *Laërtium.* Ex horum numero quartus, è Democriti familia, Mathematicus Abderitanus, primus certas eſſe regiones docuit, in quibus ſemeſtri dies, æqualis nox ſuccederet. Sextus Rhetor, 9 *libros* ſcripſit, *Muſarum* nominibus inſignitos. Hinc *Bioneus*, Horat. *Ep. l.* 2. *ep.* 2. *v.* 60.

Ille Bioneis ſermonibus, & ſale nigrò.

Ubi *Bionis ſermones* Satyræ ſunt, explicante Turnebô *l.* 21. *c.* 8. Sed quæramus (inquit *Marcilius*) deinde, cur Satyræ hi ſermones dicerentur. Quia, inquiunt, *Bion* ille Boryſthenites inſigni dicacitate fuit. Sed quid obſecro Philoſopho cum Satyra? aut cur à *Bione*, homine dicace, magis Satyras indigitare *Bioneos ſermones* voluit Horatius, quàm aliô, cùm vel ſexcenti exſtiterint facilè Bione illô dicaciores, & Salibus nigris aſſuetiores. Hæc itaque non ſucceſſit, aliâ aggrediendum viâ. Satyræ autem Bionei ſermones à Bione Poëta Satyrico, de quo Laërtius *in Bione.* Quô pactô inquies? Nec enim Bion Satyricus ibi ullus, ſed Tarſicus quidam Poëta: Βίων, ποιητὴς τραγῳδίας τῶν Ταρσικῶν λεγομένων. Adverſaria, ubi ſuprà reſcripſère Θαρσικῶν Tragœdiarum videlicet genus fuiſſe unum, quod a conviciandi audacia tharſicum diceretur; At mihi tam liquet quàm meridie ipſô, hoc jam lucere, Diogenis manu ſcriptum fuiſſe τῶν Σατυρικῶν λεγομένων. Benè hoc inquies: ſed quô pactô eſſe Tragicus idem Poëta & Satyricus poteſt? Tragœdia eſt duplex una mera, altera, mixta ſive Tragœdia Satyrica, in qua partim Tragicæ, partim Satyricæ perſonæ fuerunt, cujuſmodi Sophoclis Tragœdia, quam laudat Interpres Apollonii *ad l.* 1. *Argon.* Nempe Sophoclem ἐν τῷ ἐπὶ Ταινάρῳ Σατύροις, *in Satyris ſurdis.* Hoc genus Tragœdiæ inventum eſt, quemadmodum Horat. tradit *Epiſtola ad Piſones*, ut Tragicarum perſonarum ſeveritas, Satyrorum riſu, procaciâ, & dicacitate dilueretur. Hinc ergo & apud Vitruvium *l.* 5. *c.* 8. ſcena triplex ponitur, Tragica, Comica, & Satyrica. Atque hæc illa quæ Σατυρικὰ δράματα Origenes vocavit, *l.* 7. *contra Celſum.* Τὰ Σατυρικὰ, inquit, δράματα ἱκανὰ ποιεῖ γελάσαι. Tzetzes *prolegomenis ad Lycophronem*, Ἡ μὲν τραγῳδία θρήνους μόνον ἔχει, ἡ δὲ σατυρικὴ, ἀναμεμιγμένον τῷ τραγικῷ ὑπόθεσιν ἱλαράν, ἡ δὲ κωμῳδία ... *Nic. Lloydius.*

BION, Solenſis, *Æthiopica* conſcripſit. Eſt hic quintus ejus nominis apud Laërtium *in Bione.* Teſtimoniô hujus quoque Plinius utitur, cùm aliàs, tum *l.* 6. *c.* 29. ubi inter illos refertur, qui menſuram Æthiopiæ tradiderunt. Idem videtur, ex quo Plut. *in Theſeo*, narrat, Antiopam Amazonem, à Theſeo fuiſſe captam. Item is, quem de Beletara, regnum Aſſyrium, cùm Semiramidis ſtirps deſiiſſet, occupante, literis conſignâſſe, Agathias narrat *l.* 2. *Hiſt. ſuæ.* At alius, puto, Bion eſt, qui εἰς Ἀριστίππον ſcripſit, ex quibus Laërtius refert, Ariſtippum, famulô geſtante magnam pecuniæ vim, ac de gravitate oneris querente, juſſiſſe, ut effunderet, quod portare non poſſet. Alius quoque à Solenſi illo videtur Cæcilius Bion, de quo Plinius *l.* 18. *c.* 13. Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 1. *p.* 316.

BION, ex exercitu Darii, cùm prælium ad Arbela committendum eſſet, ad Alexandrum transfuga, qui nunciavit, murices ferreos in terram defodiſſe Darium, quà Alexandrum equites emiſſurum eſſe credebat. Curt. *l.* 4. *c.* 13.

BION,

BION, corruptè pro *Bαν*, Dorudis urbs. *Ptol.* Βαῖαν habet Stephanus, quã ab *Homero* Βαῖαν dici tradit.

BIONSA, Italiæ urbs *Phlegon Trallianus*.

BIORNEBURGUM, urbs Sueciæ, in Finlandia Septentrionali ubi Cumo fluv. in ſinum Bothnicum ſe exonerat, ea adverſa Helſingæ. Paucorum incolarum an. leuc. ab Aboa in Boream.

BIOTA, alias BITIA, hodie Porto Bota, vicus Sardiniæ inſul. cum portu, in latere Auſtrali. *Brietius.*

BIOTHANATOS, ex Græco βίος & θάνατος, apud Æl. Lamprid. in *Heliogabalo*, c. 33. *Et prædictum eidem erat a Sacerdotibus Syris, biothanatum ſe futurum*; vox eſt Magicæ vanitatis, ut oſtendit Tertullian. *de Anima*, c. 57. vel curioſitatis Genethliacorum: Nam apud *Firmicum* legis, *mortem biothanatam*, nutó loquendi genere: Græcis non Βιοθάνατος ſolùm, ſed & Βιαιοθάνατος, & *Βιοθανής*, quod ultimum in Martyrologiis occurrit: Significat, qui mortem ſibi ipſi conſciſcit, aut qui violentâ perit morte. Quod utrumque cum infame haberetur, apud Gentiles, illi Chriſtianos, quod ultro & ſponte ſe morti exponerent, & violentâ Martyrii morte frequenter abriperentur, hoc nomine præſertim inſignibant, uti diſcimus ex *Actis* Genuli & Sociorum, *Actis* S. Babylæ num. 2. aliis. Sic nempe eos per contemptum vocavêrunt, cum voce hâc malefici, ut plurimum, intelligi ſoleant. Aldhelmus *de Virginit.* c. 26. *Extraneos ab Eccleſiæ ſocietate, inter Biothanatos reputatos*. his penitentes oppoſiti, qui nempe in communione Eccleſiæ & in Domino requieſcunt. Caſſianus de Monacho quodam ſuicida, *Collat.* 2. c. 2. *Vix a Presbytero & Abbate Paphnutio obtinuit, ut non inter Biothanatos reputatus, memoria & oblatione pauſantium judicaretur indignus.* Cum itaque iſtiuſmodi *Biothanati*, h. e. violenter extincti, etiam poſt mortem horrorem excitent, factum eſt, ut voa ad ſpectra & phantaſmata denotanda tandem extenſa fuerit. *Benedictio* pro benedict. Aquæ in vigil. Epiphaniæ, in *Rituali* MS. Abbatiæ Mulei. *Sed expellas omnem umbram, omnem machinationem Diaboli, ſive Spirituum immundorum, ſive Biothanatorum, ſive errantium*, apud Macroe Fratres in *Hagiologio*. Cum *Aboris*, qui Græc. ἄωροι, h. e. *immaturi*, conjunguntur Biothanati, apud Tertullian. ubi ſuprà: *itaque invocantur Aori & Biothanati.* Mors ipſa talis eidem *Apocarterεſis* eſt, l. 1. *contra Marcionem*, *Hypocrita, ut apocartereſi probas ſe Marcionitam*. ex Græco ἀποκαρτέρησις. Nempe inter hos Hæreticos iſtiuſmodi mors frequens erat, ut ſuo loco oſtendimus, &c. Addendum de iis, quod habet Concilium Budenſe *A. C.* 1279. *can.* 46. in quo narratur, moleſtiam Hungaria *conſuetudinem*, *ſecundum quam Archidiaconi pro occiſis gladio ſive fuſte, vel alio armorum genere, ſeu veneno, qui quocum que damnabili aut reprobato modo*, *conſueverant recipere unam marcam argenti, antequam ſic occiſi traderentur Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quæ quidem conſuetudo ad eos, qui fulmine percuſſi, fluminibus ſuffocati, caſu ſi arboribus oppreſſi, aut de equo cadentes vel aliis ſimilibus ſeu fortuitis caſibus diem clauſerunt extremum, ſeu interiſſe noſcuntur, extendi videtur. ſed ſic defuncti, dummodo pœnitentes deceſſerint, vel in morte pœnitentiæ ſigna apparuerint manifeſta, ſicut alii Chriſtiani, Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi jubentur*, ex Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque ſuprà, in voce *Abori*, item *Biothanati*, & infrà *Ineſſatim*.

BIOTTIA, oppid. Macedoniæ, ex quo *Bottica* regio Chalcidicæ finitima, haud procul ab Olyntho, de qua inter Athenienſes & Spartanos decertatum eſt. *Thucyd.*

BIPATENTES fores, Græcè δίθυρα, vide ſuprà *Biſora*, ſic *Bipennis* *pugillaria*, Græcè δίπτυχα. Vide infrà *Diptycha*.

BIPEDILE, in *Hiſtor.* MS. *de Excidio Acc...*, apud Car. du Freſne, machinæ jaculatoriæ ſpecies eſt, duobus pedibus innixa.

BIPEDIMNI, Galliæ Aquitan. populi, Plin. *l.* 4. *c.* 19. quorum urbs *Pamiers*, vide *Apamiet*.

BIPENNES, apud Papin. Statium *Theb.* *l.* 12. ubi de Theſeo Amazonum victore, *v.* 523.

> *Ante Ducem ſpolia & duri Mavortis imago*
> *Virginei currus, cumulataque fractis criſtis,*
> *Et triſtes ducuntur equi, truncæque bipennes,*
> *Quis nemora & ſolidam Meotida cædere ſuetæ* &c.

ſuêre præcipua Amazonum arma fuêre, aliàs *ſecures* quoque dictæ, apud eundem, *Theb.* *l.* 2. *v.* 609.

> —— *ſublatâ minitantem bella ſecuri.*

Iiſdem armis antiquiſſimi Heroës uſi. Unde in Calydonii apri oppugnatione habuit *geminas ſecures*, i. e. unam quidem, ſed utrinque valneratricem, Ancæus. Gratius *Cynegetico*, *v.* 67.

> —— *occiduque ſuis Ancæus in armis.*
> *Ut prædurum erat geminaque ſecuribus ingens.*

Hoc eſt enim *Bipennis*, quod *bis* —— *acuta ſecuris*. Nam de eodem Ancæo Ovid. *l.* 8. *Met.* *v.* 391.

> *Ecce ferens contra ſua fata bipenniſer Arcas.*

Et ſtatim eâdem Hiſtoriâ *v.* 396.

> *Talia magniloquo tumidus jactaverat ore,*
> *Ancipitemque manu tollens utrâque ſecurim,*
> *Inſtiterat digitis primos ſuſpenſus in artus.*

Homerus an ad prælia unum ejus retulerit non adeò compertum: Boum præcidendis collis adhibitam bipennem, legimus *Il.* ε. *v.* 540. & *Od.* γ. *v.* 442. At Virgilius etiam Virgini Camillæ tribuit planè atroci exemplò, *l.* 11. *Æn.* & Penſheſileæ Quintus Smyrnæus *l.* 1. *v.* 157.

> *Δοιὼ δ' ἄρ' ἄκοντας ἑλ' ἐν χερσὶν, ...*
> *Ἀμφίτομον βουπλῆγα, τόν οἱ Ἔρις ὤπασε δεινή.*
> *Duas ſumſit ſagittas ſub aſpidem, dextra verò*
> *Ancipitem ſecurim, quam ei Eris ſuppeditavit acris.*

Certè Amazonum peculiarem illam armaturam eſſe, Claudian. quoque innuit, *l.* 2. *Rapt. Proſerp.* *v.* 66.

> *Thermodontiacâ Tajam fregêre bipenni* &c.

Vide Caſp. Barthium *Animadverſion.* *l.* 2. *p.* 567. & infrà in voce *Securis*, *Smyrna*, item *Biſacutus*. Inter illuſtrium Familiarum inſignia, *Bipennes* 2. *cæruleæ*, ſuprà caſtrum rubeum, in area aurea Scuti Emanuelis Comit. *de Cuſſe* & *Ayeber* in Gallia, Apcheranæ gentis *propria*: uti *bipennes decuſſatæ*, Hoſpitiorum Deſignatoris, in eodem regno, ſymbolum ſunt. Leo verò aureus, *bipennem* ſeu ſecurim militarem argenteam, auro manubriatam tenens, Norvegiæ eſt teſſera. Cujuſmodi *bipenniferi Leones* in aliis quoque ſcutis, vel ſupra inter apices, conſpiciuntur, vide Cl. Spenerum *Arte Herald. Parte II. paſſim.*

BIPONTIUM, Ducatus Bipontini caput, in Palatinatu Rheni, parva ſed culta, ad amnem *Schwalbe*, cum arce: in Vaſgoja regione, 5. leuc. a Cæſaropoli, in Occaſum. Familiæ origo a Johanne I. ſecundo filio Wolfgangi, cujus pater Ludovicus, Carolo V contra Franciſcum I. militavit, & inter primos, per Schwebelium, ditionem reformavit, mortuus A. C. 1532. Hic Wolphgangus, Interimiſticam formulam A. C. 1548. pio ac generoſo reſponſo deprecatus, & Neoburgicó Principatu ab agnato donatus, ac gymnaſio Lauingæ, atque Hornbacenſi inſtitutó, inclytus, à Friderico III. Electore Ducatu copiarum, juvandæ Reformatorum cauſa, in Galliam, miſſus eſt, A. C. 1569. Hoc parte natus Johannes, Catechiſmum Heidelbergenſ. cui ſuâ manu Præfationem adſcripſit, in Ducatum introduxit. Unde mox colloquió inter Beutherum & Heilbrunnerum Neoburgi inſtitutó, ſcripta poſtea inter Bipontinos & Argentoratenſes Theologos cœpêre reciprocari. Obiit A. C. 1604. Et ſucceſſit fil. Johannes II. Unioni implicitus, Obiit A. C. 1635. Pater Friderici, qui in adempta reſtitutus eſt, pace Monaſterienſi A. C. 1648. Huic mortuo A. C. 1661. ſucceſſit ex patruo Friderico Caſimiro, Landſpergenſis lineæ ſatore, natus Fridericus Ludovicus, cujus maſcula proles cum pridem extincta ſit, Carolus Sueciæ Rex ex tertio filio Johannis I. ortum trahens, Gallicis armis ſub initium A. C. 1676. vivó adhuc vegetóque Principe ditionem occupavit. Vide Spener. *Syll. General. Hiſt.* *Bipontinum* Palatinatum à Stephano conditum ait Hornius, eumque primum *Palatinum Bipontinum* & Simmerenſem ſive in *Hundſruck* factum eſſe, ac ductâ Annâ Friderici ultimi, Comitis in *Feldentz* & *Sponheim* filiâ, utróque illó Comitatu potitum, refert. Idem obſervat, *Bipontinos* acres hoſtes fuiſſe Electorum Palatinorum, Ludovicum nepotum, cognomine *Nigrum*, & Alexandrum, qui gravia contra Fridericum & Philippum Electores bella geſſêre. Poſt mortem tamen Friderici IV. Electoris Johannes Bipontinus tutelam & adminiſtrationem Electoratus ſuſcepit, ex Teſtamento Friderici, fruſtra Neoburgicó ſeſe opponente. Vide Georg. Hornium *Orb. Polit.* cum *Notis* L. Ottonis Menkenii, p. 215. & *ſeqq.*

BIRACELUM, urbs Tuſcorum. *Ptol.* *Vicarello* *Leandro.*

BIRAGUS Renatus, Mediolanenſis, in Galliam, metu Lud. Sfortiæ ſe recepit. Franciſco I. à conſiliis, dein ſupplicum libellorum Magiſter ad Concilium Trident. miſſus, Cancellarius ſub Carolo IX. Cardinalis, ope Henrici III. Obiit A. C. 1583. ætat. 74. Dicere ſolitus eſt, *ſe Cardinalem eſſe abſque titulo, Sacerdotem abſque beneficio, Cancellarium abſque ſigillo.* Thuanus, *in ejus vita. Hiſtor. Gall.*

BIRCA, urbs aliàs præclara Sueciæ, & Oſtrogothiæ caput; nunc in ruinis, biduó ab Upſalia, *Zeilerus.*

BIRCHENFELDIA, vel BIRCOFELDIA, oppid. in Palatinatu Rheni, prope Nahum fluv. Principatus caput, gentis Palatinæ, in regione *Hundſruk*, 5. leuc. Germ. à Treviris. Familiæ origo a Carolo, filio minimo natu Wolphgangi Bipontini, mortuo A. C. 1600. magnâ pietatis & literarum famâ. Ei ſucceſſit fil. Georgius Wilhelmus, pater Caroli Ottonis, qui natus A. C. 1625. genuit Chriſtianum, natum A. C. 1637. & Johannem Carolum, natum 1638. rei bellicæ laude clariſſimos. Vide Spener. *Syll. General. Hiſt.*

BIRDAMA, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

BIRELLUS Johannes, vide *Johannes*

BIRETUM, Gall. *Birette*, capitis tegmen eſt apud Jeſuitas, in Communione Romana quô Novitii eorum, ut vocant, utuntur. Vide quoque infrà *Birretum*, item *Birrus*.

BIRFLETUM, fortalitium Belgii probè munitum, in Inſul. cognomine in Flandriæ ora, ex adverſo Fleſſingæ. Sub Holl. ordin. *Biervliet* vulgo.

BIRGERUS, Sueciæ, poſt Magnum II. Rex. Pelagiæ ſuperſtitió præfuit, devictâ Careliâ, & ad agnitionem Jeſu Chriſti perductâ. Poſtmodum verò, ab uxore Saxonica impulſus, ſævus in Eccleſiaſticos, ſævus in ſubditos eſſe cœpit, hinc captivus: Mox hâc conditione liber, ut parte regni contentus eſſet, ope Erici Dani priſtinam potentiam recuperaturus, à duobus fratribus ſuis, victus, in captivitate obiit. A. C. 1319 Magnus, *Hiſt. Suec.* *l.* 20. & 21 Item, gener Erici II. Sueciæ Regis pater Waldemari, qui avo ſucceſſit, A. C. 1250. Magnus *l.* 19. Crantz. *l.* 5. Item, Epiſcop. Lincopienſis in Suec. auctor Hiſtoriæ Eccleſ. Spondan A. C. 1323. *n.* 7.

BIRGINIUM, Hiſpaniæ Tarraconenſ. urbs, quæ *Berga* hodie dicitur. Epiſcopus Gerundenſis.

BIRGUS, Hiberniæ fluv. *Ptol.* *Barrow*, teſte Camdeno. Alius eſt *Neore*, fluv. ingens unà cum Suirio (qui præterlabitur Waterfordiam) in Barowm exceptus, ac in ortum fluens. Hi 3. fluv. juxta Camdenum ex montibus Bladinis (Hibernicè *Slew Bloemy*, vel *Slew Bloom*) fluunt, ac diviſis alveis decurrentes, priuſquam Oceanum adeant, concordibus ſe conſociant aquis, unde *Tres ſorores*, ab antiquis dicti. *Baudrando* ortus in Comitatu

mitatu Reginæ, in Lagenia, dein auctus aliquot rivis, alluit Rhebam, Caterlogum, Laghlinam urbes, recipitque Neorum fluv. qui per Kilkenniam labitur, paulo ſupra Roſſas, quas rigat, & poſt unà cum Suirio, Lageniam à Momonia dividit, & in Occanum Hibernicum ſe exonerat.

BIRIAS, Italiæ urbs, quam Narſes à Gothis recepit. *Cedrenus.*

BIRMANDUS, monetæ minutioris ſpecies, apud Leodienſes, Car. du Freſne *Gloſſar.*

BIRONIUM, Caſtrum Aquitan. in agro Petrocorienſi, intra montes ſitum, unde Mareſchalli duo celeberrimi; medium fermè inter Bergeracum & Cadurcum, olim *Birontium* dictum, unde Guilielmus *de Birontio*, qui floruit A. C. 1125. Hadr. Valeſ. voce *Mulcedonum.*

BIRONIUS Armandus, Galliæ Mareſchallus ſub Henrico II. filiuſque ejus, & Henrico IV. celebris. In obſidione Sperniaci, globò ictus, occubuit, A. C. 1592. Ejus fil. Carolus, Henrico IV. gratus, rebus geſtis, inclytus, Dux & Par Galliæ factus eſt. Poſtmodum ſiniſtri genii impulſu, cum Sabaudis & Hiſpanis, contra Regem ſuum, colluſit, tandem re detectâ, crimen negare pertinax, licèt 4. vicibus à Rege rogatus, capite plexus eſt. A. C. 1602. *Hiſtor. Gall.*

BIRRA, fluv. Galliæ, Narbonam inter ac Leucatem, Vallem Corbanam, cujus ex nomine mons, unde fluit, & Villam Salſam alluit: dein ſtagnum maritimum *l'Eſtang de l'Olivier* petit, ejuſque faucibus in mare abit Caroli Martelli de Saracenis victoriâ nobilis. Vulgò *Berre*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BIRRATI, dicti Monachi Carmelitæ, vide infrà *Birrophori*.

BIRRETUM, cujus mentio in *Bulla* Bonifacii VIII. Pontificis Romani, *Illudque eidem Thomæ contulimus* (ſermo eſt de beneficio Eccleſiaſtico) *ac eum de ipſo per noſtrum* birretum *præſentialiter inveſtivimus*: capetum eſt ſeu capitis tegmen lineum, tenue, ſtrictum formà ipſius capitis, Pontificum olim proprium. Unde, cùm Hugo Cadurcenſis degradaretur à Johanne XXII. inter alia Pontificalia inſignia, *annulum videl. mitram & cappam*, *Romanam* quoque *camiſiam ac birretum* ablatum eſſe, memoratur in *Chronico* S. Martialis A. C. 1317. Doctorum tamen etiam fuiſſe, Nicol. de Clemangiis docet *l. de Studio Theol.* *Non cappa quippe Doctorem facit, non* birreti *Magiſtralis impoſitio, non cathedra ſublimior* &c. At Italis omnibus capitis tegmen commune fuiſſe, diſcas ex Academicis Cruſcanis. Vox diminutiva eſt, ex *Birrus*, de quo ſuò locò: namque & *palliolum* Veteres non tantùm, quò humeros tegerent, ſed etiam, quò capita velarent, appellârunt. *Fulgentius*, *Numa vero Pompilius & ipſe de Pontificalibus ſcribens, tutulum dixit aut pallium, quò Sacerdotes caput tutabant.* Vide Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio* c. 4. & infrà *Corneta*.

BIRRHUS, fluv. Norici, per Carinthiam in Dravum fluens. German. *Pußler.*

BIRRIA, memoratus apud Car. du Freſne, Archithrenio *l.* 3. c. 4.

> *Nudus in anguſto tunica ſqualore miniſtrat*
> *Geta dapes, dum vile meri libamen in urbe*
> *Birria venatur, pretiò veſtitus eodem*
> *Mutuo ejuſdem* &c.

Et *l.* 4. c. 14.

> ——— ——— ——— *Nuſquam*
> Birria *ſuffeciſſet, ubi defeciſſet Homerus.*

BIRROPHORI, pars dicebatur Athenienſis populi, Græcè Βιῤῥοφόροι. Eum enim totum Palladius in *Lauſiaca* de Serapione in Τριβωνοφόρους dividit & Βιῤῥοφόρους, qui ad quiritationem Serapionis concurrerunt. Et quidem Τριβωνοφόροι Philoſophi ſunt, à pallio, quod geſtabant, dicti: reliquus verò Populus, tam plebs, quàm Magiſtratus, quos ὁ πολὺς ὄχλος vocat, Βιῤῥοφόροι, quod omnes hi communi veſte, *birrò* ſcil. eſſent induti. *Birrum* itaque commune geſtamen erat, quod à pallio ſive tribone diſtinguebatur, indumento omnium Aſcetarum, h. e. tam gentilium, quam Chriſtianorum poſteà Philoſophorum, idem cum *Lacerna*, & *Chlamyde* & *Mandya*, uti diſcimus ex Artemidoro *de Somnius conjectandis* *l.* 2. c. 4. A' Græcis uſus ejus tranſiit ad Romanos, quibus communis hæc veſtis ſub Imperatorib. fuit, jam inde ab Auguſti ævo, qui, cùm in concione lacernis indutum vidiſſet Populum Rom. *En*, exclamavit,

> *Romanos rerum dominos, gentemque togatam!*

Juſſitque deinceps omnes poſitis lacernis togatos conſiſtere, ut apud Suetonium legitur, c. 40. quod tamen vix poſt illum obtinuit. Rarus enim exinde, ac indies rarior togarum uſus, Senatoreſque ipſi, qui omnium ultimi togam retinuêre, eâ tandem ſimiliter in totum abdicatâ, Conſtantini Principatu chlamydes lacernaſque paſſim ſumſerunt: quod vetitum illis fecit lex Conſtantini Cod. *Theod. quò habitu uti oporteat intra urbem*, juſſitque terrore chlamydum depoſitò ad pænulas & colobia redire. Reliqui verò omnes *birris* amicti vel pænulati ibant. Nec ſervilem fuiſſe veſtem ex eo rectè conjicias, quòd ſervi *birris* etiam uſi leguntur intra urbem, ex l. 1. Cod. *Theod. tit. præf.* Ex quo enim Romæ togarum uſus deſuetus ac planè deſitus fuit, & *birri* ſive lacernæ in uſum paſſim venêre, nulla de habitu inter ſervos & liberos diſcretio amplius dignoſci quita eſt. Quod ſuà ætate diſcrimen fuiſſe ſublatum, queritur Appian. *Bellor. Civil. l.* 2. Sic *Birrus* illò tempore Romana veſtis, ac deinceps porrò ſub Imperatorib. in frequentiore uſu Romanis fuit, tàm in Urbe, quàm in provinciis: atque etiam ab Eccleſiaſticis progreſſu temporis ſumi cœpit. Poſtquam enim pro paupertate divitiæ magnò agmine in Eccleſiam intrârunt, non ſolùm magnificè ac ſumtuosè Templa extrui atque aurò argentòque ornari: Sed & Miniſtri quoque ſacrorum mundulè ac nitidè veſtiri, &, penès ſolos Aſcetas palliis relictis, *birris* ac pænulis incedere, cœperunt &c. Cæterùm pro conditione ac dignitate geſtantium cùm de colore, tum de materia, pretioſiores erant, aut minùs pretioſi *birri*. Pretioſioribus utebantur vulgò Epiſcopi, minus pretioſis Presbyteri, poſtquam pallia reliquerunt, & philoſophari deſierunt. In *Actis* Paſſionis Cypriani, *In agrum Sexti perductus eſt & ibi lacernò birro ſe expoliavit*: ubi *lacernum birrum* eſt lacerna rubra. (*Byrrus* enim coloris ut plurimum byrri, h. e. ruſſei fuit, unde illi nomen: ſed & cujuſlibet dein coloris lacernam, *byrros* etiam per catachreſin appellârunt) Theodoretus *Hiſt. Eccleſ. l.* 1. c. 30. ἱματιον vocat. *Birrum* pro *Birra* poſuit Auctor *Vitæ* Pelagiæ, ut in illo verſu Eucheriæ,

> *Nobilis horribili jungatur purpura birra* &c.

Neque verò Epiſcopi ſolùm, & Presbyteri, ſed & cæteri Clerici *birros* habuiſſe leguntur, apud Auguſtin. *Serm. diverſ. ad Clericos ſuos*: Monachi vero eos ſibi interdixerunt, quod ambitioſior eſſet veſtis, quàm ut humilitatem profeſſis conveniret, apud Caſſianum *de Habitu Mon.* c. 7. &c. Sub *Birro* autem Clerici colobia primùm, h. e. tunicas ſine manicis, poſteà Dalmaticas, h. e. χειριδωτὰς, aurò clavatas, cœperunt geſtare, uti teſtantur *Iſidorus*, *Anſelmus*, *Alii*: ſicque *Birrus* & Dalmatica Epiſcoporum ac Sacerdotum habitus, hæc interior, ille exterior; pro quibus στιχάριον paſſim & φελόνιον nominant recentiores Græciæ auctores, cùm de veſtimento Sacerdotali agunt, *Codinus*, *Maſcinopulus* &c. Quamvis verò aliud eſſet *Birrus*, aliud *Pænula*, interdum tamen à Scriptoribus confundi & indiſcretim pro eodem poni reperias, ὁ βίῤῥος ἤ τὸ φελόνιον. Unde & φελόνιον recentiores Græci pro birro Sacerdotali videntur uſurpâſſe; quò tempore nec *birrus*, nec pænula, de nomine vel uſu amplius agnoſcebantur. Aliæ enim veſtium ſpecies ac nomina tunc erant uſitata, ut μανδυομαγγα, ἀνάλαβα & alia: ſicque, mutatà ſeculi veſte, priſtinam retinuêre præcipuè in celebrandis ſacris Sacerdotes, quos olim certum eſt in eadem veſte & publicum frequentâſſe & ſacram liturgiam celebrâſſe, &c. Vide plura in hanc rem apud Salmaſ. *Not. ad Tertullian. de Pallio*, & ad *Hiſtor. Auguſtam* paſſim: de ſignificatione verò vocis hodierna, uſuque ejus in Communione Romanà conſule Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macros Fratres in *Hierolex.* ut & quæ jam prælibavimus, in voce *Birrus*: quoque dicemus infra de *Prolemno-habitu*. Addam ſaltem *Epigramma de Birro & Caſtorro*, ex eodem Car. du Freſne:

> *Nominis umbra manet veteris, nam dicere birrum,*
> *Si Caſtor nolit, Caſtoreum nequeo.*
> *Sex emptus ſolidis, quid ſit, jam ſcire potreſtis:*
> *Si mihi nulla fides, credite jam pretio* &c.

Hinc *Birratus*, birrò indutus, apud Joh. Villaneum *l.* 9. c. 30. In *Provinciali* Cantuar. Eccl. *l.* 3. *tit.* 1. *veſtes birratas* Lindwodus *ſciſſas ſive diviſas aut complicatas*, interpretatur: unde fortè Gallorum *birbaré*, pro *variegatus*. In ſpecie *Birrati*, dicti ſunt Monachi Carmelitæ, vulgò Gallis *les Freres Barrez*. Auctor *Tract. de Ordin. Relig. in Tom. I. Monaſt. Angl.* *Albertus Patr. fecit regulam fratribus, qui Stragulati, Radiati &* Barrati *vocabantur.* Walſinghamus p. 49. & Henr. Knyghton *l.* 3. c. 1. *Honorius IV.* — *mutavit cappas Fratrum de Carmelo in pannum album, quæ prius erant ſtragulatæ, radiatæ & barratæ.* Ordericus Vitalis *l.* 8. de ſimilibus ſuæ ætatis Monachis: *Inſulatâ quoque pannorum ſectione ſimiam ab aliis diſcrepare appetunt.* Carmelitarum verò horum *Barrata* vel *Barrata*, ſeu radiata pallia habes, apud Dan. Papebrochium, *ad* 8. *April.* laudatum Carolo du Freſne *Gloſſar.*

BIRRUS, & BIRRUM, lacerna, palliolum: Veſtis Romana, ut probat Martianus *l.* 4. referente Cœl. Rhodig. *l.* 16. c. 10. Vopiſcus, *in Carino*, c. 20. *ab Atrebaticis birri petiti: & donati birri Canuſini*: quæ cùm de veſte ſplendidiore dicta videantur, *Pithœus* *Beri* legit: *Beri*, inquiens, *honeſtiorum & Palatinorum veſtes erant, ſerica*. *Birrus* autem indumentum vile, ad excutiendam pluviam, humeros tantùm & brachia tegens. *Gloſſ.* Iſidori, *amfibulum, birrum villoſum*. Etiam lacernæ ſimile, hoc eſt, ſimbriatum, quò ſoli quondam milites utebantur. Sed hæc cum *burra* Auſonii, *præf. ad Latin. Pacat.* & *bera* Martialis, excutiant eruditi. Fuit etiam *Birrus*, palliolum ſacerdotale: ſic Paulus Monachus Cyprianum *Byrrò* indutum refert, cùm ad ſupplicium duceretur. Putat Spelmannus *Byrrum* idem eſſe, quod hodie breve mantillum Hibernicum, & ὑποκάμισον *Suidæ*: Servilis veſtis, *Meurſio*. Eſt etiam *Birrus*, *Biretta*, *Birretum*, &c. tegmen capitis, pileus: quod Servis tribuitur, *L.* 1. *ad finem Cod. Theodoſ.* non tamen militum ſervis, quorum domini militantes hòc induebantur, *Pithœus*. Poſterioribus tamen Magiſterii nota, ut pileus olim. Clemangius *Ep.* 74. Coccinea *Biretta*, Cardinalium petaſus, Platina *in Paulo* II. à quo id privilegii Cardinales acceperunt, ut ſoli illò uterentur: cùm prior Innocentius IV. jam id inſtituiſſet. Album *Birretum*, capitis tegmen lineum, tenue, ſtrictum: formà ipſius cranii vel caſſidis, quo Homer. *Il.* 6. Ulyſſem ornat exploraturum. Hôc inſigniuntur apud Anglos, qui ſupremam in Jure palmam ferunt, *Servientes ad Legem* dicti. Vide Spelmannum *Gloſſar. Archæol.* & ſuprà *Birrophori*.

BIRSA, vulgò *die Birs*, amnis in monte Jura ortus, qui multas valles præterlapſus, rates variique generis & uſus ligna ſecum Baſileam major. uſque trahit: ibidem foſſa eſt, ad molendinorum uſum, ducta. Merear. *in Atl. mm.* Munſt. *l.* 3. &c. Naſonum, quod piſcis marini genus eſt, ſtupendò circa Paſca proſperò & numeroſò hinc piſcatu, celebris. Haud procul Baſileâ, ponte jungitur,

Hic ubi multus olor vitreo carmine cælum
Mulcet, & egregiis murmura miſcet aquis.

BIRSECKA, arx ad Birſam fluv. ſub Epiſcopo Baſilienſi, cum territorio vicino.

BIRSEMSEM, putei nomen, de quo ſuprà, ubi de *Acervandis lapidibus in via more*.

BIRSICUS, fluviolus agri Baſilienſis, in ſupremitate vallis, quam à limi copia (totus enim tractus ejus argilloſus eſt) vulgò *das Leimthal* appellant, ex monte Blavio, Juraſſi brachio, ortus, Baſileam per medium ſecat, elotiſque ſordibus, prope pontem, in Rhenum exit: gravis urbi, cùm tumet: Ut, inter alia, factum die 18. Kal. Julii, A. C. 1529 & 4. Non. Jul. A. C. 1630. Urſtiſius, *epitom. Hiſt. Baſil. c.* 5. Vulgò *der Birſeck*.

BIRTHA, urbs parva regionis *Diarbech*, in confinio Syriæ, ad Euphratem inter Alepum & Orpham. Sub Turcis.

BIRUS, ſeu **BERUS**, vide *Berrus*.

BISA, urbs Thraciæ. *Steph.*

BISA, ſeu **BESA**. Græcè Βῆσα, apud Strabonem *l.* 8. ubi emendata exemplaria habent *Bisa*: locus fuit Atticæ, ad Tribum Antiochidem pertinens: è quo qui oriundus erat, dicebatur Βησαιεύς, ut apparet ex hac *Inſcr.* Eleuſine repertâ:

- - - - ΝΟΥ - - -
ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΗ
ΕΚ ΒΗΣΑΙΕΩΝ
ΤΟΙΝ ΘΕΟΙΝ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ

Item ex alia,

ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΛΑΥΔΙΟΣ
ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΤΙΒΕΡΙΟΥ
ΚΛΑΥΔΙΟΥ
ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣ ΒΗΣΑΙΕΩΣ.

apud Jac. Sponium *Itinerar. Græc. Tom.* 3. *p.* 102. Vide quoque *Tom.* 2. *p.* 205. Alia eſt *Biſſa* Locridis, de qua vide Strabonem *l.* 8. & 10

BISACIUM, Urbecula Principatus Ulterioris in regno Neapolitano juxta Apenninum. Paucorum incolatum.

BISACUTUS, cognomen Comitis Guidoni, à quo *Conti Guidi* Italici originem ducunt, inditum, propter crebra maleficia ab ipſo & ſuis perpetrata, apud Johannem Villaneum *l.* 5. *c.* 36. *Fu ſopranominato biſaguto per ſu maleficio e de ſuoi.* A' *Biſacuta*, quæ vox apud recentiores Scriptores ſecurim denotat duplicem habentem aciem, vel telum utrinque acutum. Sic enim *Gloſſarium* Cambronenſe, *Biſacuta, ferramentum quoddam utrinque incidens.* Guil. Brito *Philippidos l.* 2. *p.* 115.

Aſcia dum dextris, biſacuta, *ſecuris & enſis*
Fulminat.

Et infrà:

—— *Nunc clava caput, nunc verò bipennis*
Excerebrat, ſed nec biſacuta, ſudiſve vel haſta
Otia vel gladius ducit &c.

apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque ſuprà in voce *Bipennis*.

BISALTÆ, populi Scythiæ, *qui ſecundùm Serv. fugientes, equorum ſanguine aluntur*, lacte permixtò. Virg. *l.* 3. *Georg. v.* 461.

Biſaltæ quò more ſolent, acerque Gelonus,
Cùm fugit in Rhodopen, aut in deſerta Getarum
Et lac concretum cum ſanguine potat equino.

Plin. *l.* 4. *c.* 10. *Libera gens Biſaltæ*, à fluvio Biſalte, ſive à Biſalte Solis & terræ filio, ubi lepores duplici jecinore ſunt. *Suidas*, Βισαλτία, χώρα καὶ πόλις Μακεδονίας, ἀπὸ Βισάλτου τοῦ Ἡλίου καὶ γῆς. Περὶ ταύτην οἱ λαγωοὶ πάντες ἀλλ' ὁμοίως δύο ἥπατα ἔχοντες. Ὁ πολίτης Βισάλτης. Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 48.

Proxima Biſaltæ regio.

Horum meminit Athenæus *l.* 12. Vide Plin. *l* 4. *c.* 11. *Nic. Lloydius. Baudrando* populi Macedoniæ, verſùs Thraciam, juxta Strymonem fluv. ubi aliàs Enporia oppid.

BISALTIS, vel **BISALPIS**, puella quædam, quam Neptunus in arietem converſus compreſſit. Ovid. *Met. l* 6.

BISAMNIS, amnis Liguriæ. Ex Apennino oritur, & in mare Mediterran. ſe exonerat, prope Genuam. Vulgò *Biſagno*. Aliis *Feritor*.

BISANTHE, vel **BISATE**, urbs Macedoniæ, juxta Thraciam, à Samiis deducta, Græcanica *Steph. Rodoſtro*, vulgò dicitur.

BISANTINUS ſeu **BISANTIUS**, monetæ ſpecies aureæ, apud Dominic. Macrum in *Hierolex.* Vide infrà *Byzantius*.

BISARGIS, oppid. Ilercaonum, in Hiſpania Tarraconenſi nunc forte vicus *Robaroja*, in Catalaun. ad Iberum fluv. ſeu, *Flix* oppid. Paulò inferius, ut aliis placet.

BISCAJA, provinc. Caſtellæ veteris ampla, fertilis & portubus referta. Cui à Septentrione Oceanus Cantabricus, ab Occidente Aſturia, ab Ortu Ipuſcoa, à Meridie Caſtella vetus, & Alava provinc. Præcipuæ Urbes Bilbaum, Fanum S. Andreæ, Ordunia & Laredum. Fuit ſedes Cantabrorum veterum. Plin. *l.* 4. *c.* 20. Mela. *l.* 2.

BISCAJA Nova, regio Americæ Septentrionalis ſub nova Hiſpania. Vide *Nova Biſcaja*.

BISCHIUM, vide *Bideſcum*.

BISCOCTUS Panis, Gall. *Biſcuit*, panis nauticus, quem Latini *Buccellatum*, Græci ξηρὸν ἄρτον, dixêre. Sed & *Biſcoctum* Galli appellant genus panis melliti, qui inter bellaria adponitur, ſaccarô & aliis rebus conditi. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Tacito. c.* 11.

BISCONTIUS Paulus, vide *Paulus*.

BISELLII Honor, in *vet. Inſcr.* nuper in Italia reperta, quâ innuitur Q. Largennium Reip. Piſanæ certam pecuniæ ſummam contuliſſe, *ob honorem Biſellii*, item in alia, quæ Sueſſæ extat, deſcripta Ughello *Italiæ Sacr. Tom. VI.* quibuſdam idem eſſe videtur, qui olim *ſella Curulis*, apud Romanos. Alii exiſtimant, referri debere ad facultatem ſedendi in Theatris & Spectaculis, in ampliori ſella. Nam, ut eſt in *L.* una Cod. Theodoſ. *de uſu Sellar.* exceptis aliquot vilioribus hominibus, *uſus ſellarum & ſedendi ac conveniendi in publicum facultas* omnibus data erat: quarum quidem ſellarum in Theatris meminerunt Martial. *l.* 5. *Epigr.* 14. Tertullian. *de Spectaculis.* Alii. Atque hi *Biſelliarii* dicti videntur, in veter. Inſcript. apud Gruterum *p.* 1099 2. CN. PLÆTORIO VI. VIRO AUGUSTALI. BISSELLIARIO. HONORATO. ORNAMENTIS. DECURIONAL. &c. A *Biſellio* quâ voce notatus ſella amplior, quæ duabus ſellis conſtat, apud Varronem de *L. L. l.* 4. vel quæ tam ampla eſt, ut duos ſeſſores capere poſſit, in *Gloſſar. Latino-Græco.* δίεδρον ſeu δίεδραν, Euſtathio *Il.* λ. δίεδρος & δίοχα, quæ tamen voces poſteà pro quacunque ſella uſurpari cœperunt, *Gloſſar.* Car. du Freſne.

BISERTA, urbs Africæ in regno Tunetano, in ora littorali cum portu tuto, ſed piraticâ infamis. Marmol. *l.* 6. *c.* 7. Vide *Utica*.

BISEXTUS, vel **BISSEXTUS**, dies intercalaris, qui quarto quoque anno interſeritur, ut anni ratio cum curſu Solis conveniat. Inventa eſt autem hæc intercalandi ratio à Cæſare Dictatore. Is enim, ut refert *Plutarchus*, quum animadvertiſſet Solem curſum ſuum conficere diebus 365. & horis circiter ſex, quarto quoque anno diem unum adjiciendum curavit. Dictus eſt autem *Biſſextus*, quòd bis, hoc eſt, duobus diebus continuis numerarent: Sexto Calendas Martias, duos videl. dies pro uno computantes. Unde qui natus eſt biſſexto Calend. Martias, nihil refert, teſte Celſò *de Verborum ſignificatione*, utrum priore an poſteriore die natus ſit, quum illud biduum pro uno tantum die habeatur. Erat autem huic intercalationi conſtitutus dies certus, qui eſt poſt 23. Februarii diem, inter Terminalia jam peracta, & Regifugium. Februarius verò duabus de cauſis huic rei aptiſſimus viſus eſt, tum quòd pauciſſimos haberet dies, tum etiam quod inter menſes ultimum haberet locum. Nam cùm antea 10. tantum menſes eſſent, quorum primus erat Martius, poſtea in fine ſunt adjuncti, Januarius & Februarius. *Nic. Lloydius.* Vide & *Biſſextus*.

BISGARGITANI, populi Hiſpaniæ citerioris. Plin. *l.* 3. *c.* 3. Eorum oppid. *Biſcargis* legitur in nummo Germanic. Cæſaris, teſte Goltzió, ſic quoque legit *Ptol.*

BISNAGA, civitas eſt totius regni Narſingæ maxima: ambitus illius ſupra quatuor millia paſſuum continet, multiſque muris cingitur. *Nat. Mitel.*

BISNAGARA, regio Indiæ citra Gangem, inter Malabariam, ad Auſtrum, & regna Decani & Golgondæ ad Boream ſub ſe 7. regna continens. Ejus urbs præcipua etiam *Biſnagar*, ſeu aliàs *Chandegry*, in mediterran. in via Narſingæ, Goam verſùs, 30. leuc. ab ora littorali ſinus Gangetici.

BISOMUM, ſeu **BISOMATON**, ſepulchrum quod duo corpora, σώματα, capiebat: Antiquis enim, etſi plura ſimul eidem tumulo corpora inferendi mos eſſet, ita tamen ea diſponere conſueverunt, ut unum alteri non ſubſterneretur, ſed ſibi invicem ordine ſuccederent, reſponderentque locô diſcreta, ut obſervat Auctor *Romæ Subterr. l.* 1. *c.* 26. Unde *mortuum ſuper mortuum poni*, vetitum legimus in Concilio Autiſiod. *can.* 15. Matiſconenſi II. *can.* 17. in *Statutis* Bonifacii Archiepiſcopi Mogunt. *c.* 19. & in *Capitulis* Caroli M. *l.* 6. In veter. Inſcr. *duplex tumulus* videtur appellari, Lugduni: *Et memoriæ æternæ Laniæ Galatiæ N. Græc. fœmin. ſanctiſſimæ* —— *Q. Julius Hylas conjugi piiſſimæ, quem tumulum duplicem poſuit & ſibi vivus poſteriſque ſuis & ſub aſcia dedicavit.* Occurrit *Biſomi* vox paſſim in *Inſcriptionibus Sepulchr.* Sic *vet. inſcr.* Beneventi, PP. ÆLIUS VENERIANUS HOC VAS BISOMUM SIBI ET FELICITATI SUÆ POSUIT ET TRIBUNAL EX PERMISSU PONTIF. PERF. &c. Ita *Triſomum* & *Quadriſomum*, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1207. & Car. du Freſne in *Gloſſar.* quorum hic vocem σῶμα pro reliquiis corporis ac cineribus uſurpari, colligit ex titulo Chyndonactis: *Μόλις ἐν ὀργάδι τὸ σῶμα καλύπτει Χυνδόνακτος ἱερέων ἀρχηγοῦ*: Oſſa enim tantùm ac cineres in eo ſepulchro, in olla vitrea, reperti fuêre, &c.

BISONTES, apud Solin. *c.* 20. *Saltus Hercynius aves gignit* —— *In hoc tractu ſane & in omni Septentrionali plaga* biſontes *frequentiſſimi, qui bovis feri ſimiles, ſetoſi colla, jubas horridi, ultra tauros pernicitate, capti aſſueſcere manui neſciunt.* Nonnulli libri *Viſontes* ſcribunt perperam apud Oppian. Βόνασος, pro βίσωνες, multum indignante verſu, quod tamen tuentur & agnoſcunt docti: Βίσωνες Pauſaniæ, *l.* 10. Quid ſint patebit ex Martiali *de Spectac. Epigr.* 23, *v.* 4.

Illi tulit geminos facili cervice juvencos,
Illi ceſſit atrox bubalus atque biſon.

Ubi Scholiaſtes, *Biſon*, inquit, *eſt cervi figura, cujus à media fronte inter aures unum cornu exiſtit excelſius, cujus e ſummo rami tanquam palmi diffunduntur.* Eſſedis jungi conſueviſſe, idem innuit *l.* 1. *Epigr.* 105. *v.* 1.

Turpes eſſeda quod trahunt biſontes, &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 230. cui adde Wormium *l.* 6. *c.* 91.

BISONTIUM, Metropolis Sequanorum, Archiepiſcopal. in Comitatu Burgundiæ, vulgò *Beſanſon*, ubi plurima veterum ædificiorum veſtigia cernuntur; in hujus agro 2. erumpunt fontes, quorum alter eſt aquæ dulcis, alter ex quo ſalem igne denſatum conficiunt, candore præſtantem, unde maximum eſt illis vectigal. Sequano-

rum olim regio, totius Burgundiæ granarium, quemadmodum olim Italiæ Sicilia fuerat. Munſter. *Coſm. l.* 2. Aliàs libera, nunc in ditione Regis *Hiſpaniæ* pace Monaſterienſi. Ad Dubiin fluv. Habet Academiam ſuperiori ſeculò fundatam. 11. leuc. à Dola in Ortum. Alter *Veſuntio* & *Veſuntio*. Vide *Veſontio*.

BISPELLIO, apud Marcell. *l.* 72. § 5. ubi omnino, *Num ergo & ſi biſpellionem, aut alias turpem dederit heredem, idem ſit?* & Ulp. *l.* 5. *ff. de evict. Si ita quis ſtipulanti ſpondeat, ſanum eſſe, furem non eſſe, biſpellionem non eſſe & cætera, inutilis ſtipulatio quibuſdam videtur.* Idem videtur eſſe, qui *verſipellis*, i.e. veterator, planus, διαλλαγμένος, quaſi *homo* duarum pellium. Cujus vocabuli originem ex Arcadum fabula nonnulli accerſunt, quam Plinius exponit *l.* 8. *c.* 22. Iis enim certos homines, ſtagnò quòdam trajectò, in lupos transfiguari tradebant & poſt annos 9. eò in habitu confectos, idem ſtagnum remenſus, priſtinum habitum recipere, qui proin *Verſipelles* dicti ſunt, etiam apud Fabium *eandem recipere veſtem*. Quo alluſiſſe videtur Perſius *Sat.* 5. *v.* 115.

> *Sin tu, quum fueris noſtræ paulo antè farinæ,*
> *Pelliculam veterem retines, & fronte politus,*
> *Aſtutam vapido ſervas ſub pectore vulpem:*
> *Quæ dederam ſuprà repeto funemque reduco*, &c.

Hottomannus, apud Joh. Calvinum *Lex. Jurid.*

BISSEXTUS, Annus biſſextilis in quo unus dies in Februarii menſe intercalatur; ſic dictus, quod eô menſe tunc *Bis ſexto Kalendas* dicatur, quæ additio quôlibet fit quadriennió. Julianus enim annus 365. dierum & 6. horarum ſpatió conſtat, quæ horæ quôvis quadriennió integrum diem componunt; ſed quia illæ 6. horæ integræ non ſunt, deficiunt enim minuta undecim, conſequenter ſpatió 131. annorum integri diei ſummam conficiunt: adeò in Kal. Gregoriano ordinatur, ut in quatuor ſeculorum curſu ter *Biſſextum* relinquatur. Itaque cùm Anno MDC. occurrerit intercalatio *Biſſexti*, hunc tria ſequentia ſecula, nimirum MDCC. MDCCC. & MCM *Biſſextos* non habebunt, habebit autem ſeculum, MM. Vide de Biſſexti inſtitutione *Gloſſ. in Clement. de Reliq. & vener. Sanctor.* §. *Certam diem*, apud Macros Fratres in *Hierolexico*. Item infortunium, malum ſupervenienes, vulgò etiam Gallis hâc notione. Order. Vitalis *l.* 2. *Tunc Biſſextum erat annus, ac ſicut vulgo audivimus, revera ſupra proditores corruit biſſextum.* Et *l.* 23. *Hic tumultuoſus annus vere Biſſextilis fuit, & tunc ultimum in eo ante concurrentium Biſſextus cucurrit, ac, ut vulgò dicitur*, Biſſicatus *ſuper Regem & populum ejus in Normannia & Anglia cecidit.* Vulgaris etiamnum apud Gallos loquendi formula: *le Biſſexte eſt tombe ſur une telle affaire.* Sed & exactio quædam ab Epiſcopis fieri ſolita hâc voce notata reperitur. *Synodus* Pictavenſis *A. C.* 1280. *c.* 11. *Monemus in generali, quod de Biſſexto & aliis juribus Epiſcopalibus reddant nobis vel mandato noſtro, item de Synodo, parata, & aliis juribus Archidiaconorum, Capicerii & aliorum Prioratuum Eccleſiæ noſtræ ſibi* (ſic) *ab his qui ad ea tenentur ſatisfactum, antequam recedant* (è Synodo) apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Ad propriam vocis ſignificationem ut redeam, à die *biſſexto*, ut dictum, nomen habet Annus *Bis-ſextilis*. *Biſſextum* autem definitur Scaligero, *dies conſurgens ex quatuor quadrantum appendicibus & anno quarto Juliano abſolutè accreſcens*, *Iſagogic. Chronologiæ Canon. l.* 1. *c.* 2. Ei reſpondet in anno Arabico ſeu Muhammedano ἐμβολιμαῖος ſeu *Intercalaris*, dies excreſcens, qui conficitur ex horis & minutis redundantibus ſuprà dies 354. in anno Arabico communi: (tot enim iſtiuſmodi Annus diebus conſtat) adeò ut refectis ab anno communi & reſervatis anno intercalari horis octo, & minutis 48 remaneant in anno tenexm ſeu communi Hagareno tantummodo dies 354. & ſint in anno ἐμβολιμαίῳ dies 355. quemadmodum ea quadrante dies multiplicato, in annis Julianis, exurgit dies ulterior, ad finem luſtri Juliani, id eſt, quadriennii in anno *Bis-ſextili*; ſic ut in annis communibus Julianis ſint dies 365. annus autem ultimus cujuſque luſtri Juliani habeat dies 366. Crebrius verò annus hujuſmodi Arabicus ἐμβόλιμος recurrit quàm *Biſſextilis Julianus*, quia ex 8 horis & 48. minutis multiplicatis citius conſurgit dies, quàm ex quadrante diei ſive ſex horis. Unde cùm ſpatió annorum Julianorum 52. inveniantur anni biſſextiles tantummodo 8. ſeu totidem luſtris Julianis in una contra triacontaeteride Arabica inveniuntur anni ἐμβόλιμοι undecim. Vide Joh. Forbeſium *Inſtructionem Hiſtorico-Theolog. l.* 6. *c.* 2. § 3.

BISTAPIA, apud Hieronym. *in Epiſt.* Vide infrà *Scapes*.

BISTIROS, urbs Thraciæ. *Steph.*

BISTON, Martis & Callirhoës fil. qui *Biſtoniam*, Thraciæ urbem, condidit, unde omnes Thracas *Biſtonas* Poëtæ dixerunt. Hinc *Biſtones*, Gens Thraciæ & *Heſychio* Βιστοὶ, ἔθνος Θρᾳκῶν. Item *Biſtonis*, ſtagnum Thraciæ, Abderæ proximum. Plin. *l.* 4. *c.* 11. Ovid. *Met. l.* 13. *v.* 430.

> *Eſt ubi Troja fuit, Phrygiæ contermina tellus,*
> *Biſtoniis habitata viris.*

Stat. *l.* 3. *Theb. v.* 221.

> —— *Ille furentes*
> *Biſtonas, & Geticas populatus cædibus urbes.*

Val. Flaccus *l.* 1. *v.* 726.

> *Biſtonas ad meritos cùm cornua ſæva Thyoneus*
> *Torſit.* —— ——

ideo hoc dicit Poëta, quòd Lycurgum Thracum Rex Liberum contemnens, vites amputaturus, ſibi crura concidit, uti teſtatur Servius. Dionyſius Periegetes *v.* 575.

> Οὐχ ὅσαι Θρῄκηθεν ἐπ' ὄχθαις Ἀψινθοιο
> Βιστονίδες κελάδοντος ἐπ' ἀγλαὸν Εἰραφιώτην.

Poëtæ, ut dixi, Biſtones ut plurimum ponunt pro Thracibus. Lucan. *l.* 7. *v.* 568.

> *Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum*
> *Biſtonas, aut Mavors agitans.* —— ——

Hinc *Biſtonum tyrannus* pro Diomede Thraciæ Rege, apud eundem *l.* 2. *v.* 163. & *Biſtonius turbo*, pro ventum è Thracia ſpirante *l.* 4. *v.* 767. Jam verò Thracas inter Barbaras nationes recenſeri ſolitos eſſe nemo ignorat. Præcipuè verò,

> *Natis in uſum lætitiæ ſcyphis*
> *Pugnare Thracum eſt.*

Inquit Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 27. quem etiam poſteà *barbarum morem* ibidem vocat. Idem de Biſtonibus tradit Statius *Theb.* hac ſimilitudine:

> *Qualis per Rhodopen rapido convivia cantu*
> *Biſtones, aut media ponunt convallibus Oſſæ;*
> *Illis ſemianimum pecus, excuſſæque leonum*
> *Ore dapes, & lacte novo domuiſſe cruorem*
> *Luxus, at Ogygii ſi quando afflavit Iacchi*
> *Sævus odor, tunc ſaxa manu, tunc pocula pulchrum*
> *Spargere, & immeriti ſociorum ſanguine fuſo*
> *Inſtaurare diem, feſtaſque reponere menſas.*

Horum etiam meminit Seneca *in Herc. Oetæo, Act.* 5. *v.* 1041.

> *Deſeciſſe putent Geten,*
> *Hebrum Biſtones ultimi.*

i. e. ultimi Thraciæ populi. *Nic. Lloydius.*

BISTONIS lacus Thraciæ, in Droſica regione cis Rhodopen. Vulgò *Bouron*. In eum confluunt multi fluvioli, viſque aliquot milliar. à mari Ægæo diſtat. Hinc *Biſtonia* urbs prope mare, nunc etiam *Bouron*. Ab Abdera 15. milliar. in Ortum.

BISTRITIA, Latinis dicitur Ungariæ urbs, quæ Germanis *Norſue*, Hungaris *Beſtereze* nominatur. *Sambucus.*

BISULDUNUM, vulgò BESALU, oppidul. Catalauniæ, ad Fluvianum amnem, 5. leuc. ab ora maris Mediterranei.

BISURGIS, German. fluv. vide *Viſurgis*.

BITERINI, oppid. Gall. Narbonenſ. inter duo flum. Orbim & Veptam ſitum, vulgò *Bederrieux*.

BITERRÆ, vide *Biterra*.

BITETTUM, urbs regni Neapolitani in provinc. Bariana, paucorum incolarum Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Barenſi, 8. milliar. à Bario, 5. à Bitunto.

BITHALBE, vide *Heirnopolis*.

BITHIAS, Meſopotamiæ urbs. *Ptol.* incolis *Bir*, & nonnullis *Perazuch* nominatur, teſte *Nigrò*. *Batha Antonini* videtur *Simlero*.

BITHON, vir tantâ corporis fortitudine, ut taurum humeris geſtaret, unde ſtatuâ apud Argos dignus habitus eſt. Cæl. Rhodig. *l.* 11. *c.* 13.

BITHRA, oppidum *Zoſimo*, quod *Marcellinus Maiozamalcha* appellat. *Bithra Ptolemæi* eadem videtur juxta Euphratem in Arabia deſerta.

BITHUS, nobilis gladiator, vide *Bacchius*.

BITHUS, Scriptor Latinus, cujus meminit Plin. *l.* 15. *c.* 7. *Bithus Dyrrachinus hebetata aſpectu ſpeculo recipere nitorem tradit, iiſdem avertâ rurſus convertentibus.*

BITHYA, urbs Thraciæ, quæ & Βιθυνόπολις, memoratur Flav. Vopiſco in *Aureliano*, *c.* 22. *Atque inde per Byzantium in Bithyam tranſitum fecit, eamque nullo certamine obtinuit*, ut quidem legit Salmaſ. cùm aliàs habeatur *Bithyniam*: quæ tamen tunc Romanorum erat. Caput fuit regionis cognominis, de qua fortè meliùs, quàm de urbe, verba hæc capiantur. Licèt nec ex toto Bithyniam improbare poſſis, cum illâ tempeſtate Bithyni videantur Palmyrenorum & Zenobiæ partibus faviſſe, vide Salmaſ. *ad loc.*

BITHYÆ, populi Thraciæ, quorum author fuit *Bithys*, Marcus, & Setæ ſororis Rheſi fil. *Steph.*

BITHYÆ, fœminæ Scythicæ, quæ pupillas binas in oculis ſingulis habent. Ineſt autem illis ea vis naturalis, ut viſu effaſcinent, interimantque quos diutius intueantur. Plin. *l.* 7. *c.* 2. Earum meminit Solin. *c.* 1. *Apollonides perhibet, in Scythia fœminas naſci, quæ Bithyæ vocantur, eas in oculis pupillas geminas habere & perimere viſu, ſi forte quem irata aſpexerint.* Ubi ſcripta exemplaria, ut & Plinii, habent *Vitiæ*. Optimus Regius, *Bitiæ*. ex quo legendum conjicit Salmaſ. *Bitiæ* (à *bis tuendo* ſeu *contuendo*) hoc eſt, δικόραι. Proprium enim hujuſmodi fœminarum, binas in oculis pupulas habere, unde Græcis δικόραι, pupilla namque ἡ κόρη eſt. Ovid. de Saga, *l.* 1. *Amor. El.* 8. *v.* 15.

> *Hanc ego nocturnas verſam volitare per umbras*
> *Suſpicor, & plumâ corpus anile tegi;*
> *Suſpicor, & fama eſt, oculis quoque pupula duplex*
> *Fulminat, & geminum lumen ab orbe venit.*

Ubi verba hæc, *geminum lumen ab orbe venit*, planè deſignat *bitiam*, h. e. δικόρην, &c. De iſtiuſmodi fœminis, narrat Plin. *loc. cit.* omnes ubique viſu nocere, quæ duplices pupillas habeant. Apud eundem habetur de Thibiis in Ponto eâdem virtute ac notâ geminæ pupillæ præditis, qui Græcè Θίβιοι, à loco *Thiba*, ſic appellato, ab Amazone, quadam ibi ab Hercule occiſa, uti refert *Steph.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 46. & infrà ubi de *Thibiis*.

BITHYNIA, Aſiæ minoris regio ad Pontum ſita, Thraciæ adverſa, Troadi proxima. Solino, *c.* 44. *Servio*, & *Martiano Capellæ*. ubi duo Concilia Oecumenica, & Chalcedone, ubi ſimile Concil. celebris. Capellæ primum *Bebrycia*, poſteà *Mygdonia*, deìn à *Bithyno* Rege dicta eſt *Bithynia*. Sunt qui ſcribunt *Thynos* populos tranſ-

tranſiſſe ex Europa, & hanc regionem occupâſſe, à quibus *Bithyni* dicuntur. Claudian. *l.* 2. *in Eutrop. v.* 246.

Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Macedonicô jugô excuſſô, proprios olim Regulos habuit; è quibus in Hiſtoriis noti, Pruſias & duo Nicomedes, quos vide. Præſenti ſeculô vaſtata eſt mirum in modum à Coſacis, A. C. 1616. Bithyniæ incolas *Halizonas* vocat *Suidas*, itemque *Herodotus*, qui ait, eos primum Strymonios dictos. Hodiè *Becſangia* vocatur, teſte *Caſtaldo*; aliis *Burſia*. Turcis *Oſmanlic*, uti docet *Leunclavius*. A ſitu, non à conditore dicitur, teſte Bocharto, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 10. בטן *beten* Ebræis eſt *venter*, & Arabicè בטין *batin interius* ſonat: Bithynos enim interiora occupâſſe veteres docent. Plin. *l.* 6. *c.* 32. *Tenent oram omnem Thyni, interiora Bithyni.* Et ante illum Pomponius Mela *l.* 1. *c.* 19. *Interius Bithyni ſunt & Mariandyni.* Laudes ejus decantat *vetus Geographus* à Jac. Gothofredo editus, Μετ' Ἐλλήσποντον ἐστὶν ἡ ἑξῆς χώρα Βιθυνίας, ἡ μεγίστη, εὐθηνοῦσα, ὁ ἔχων πολλὰ μεγάλα πολλά. Libanius extremo *Baſilico*, Ἀνάπτων ἐπὶ Βιθυνῶν εὐδαιμονίας ὅπως [illegible]. Vide *Steph.* Manilio, *l.* 4. *Bithynia dives* vocatur. Hinc Horatius *l.* 1. *Ep.* 6. *v.* 33.

Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas.

Et *l.* 3. *Carm. Od.* 7. *v.* 3.

Thynâ merce beatum.

Idem *l.* 1. *Od.* 35. *v.* 7.

Quicumque Bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina.

Juvenalis primam ſyllabam corripuit, *Sat.* 7. *v.* 15.

Quamquam & Cappadoces faciant, equitesque Bithyni.

Dionyſ. poſt *Mariandynos* collocat. *v.* 793.

Ἄγχι δὲ Βιθυνοὶ λιπαρὴν χθόνα ναιετάουσι.

Nic. Lloydius. Nomen à *Bithyno*, fil. Jovis ex Thrace Titanis; erant namque *Bithyni* populi olim Thraciæ, qui inde in Aſiam commigrârunt. Vide Strabonem *l.* 7. & 10. Bithyniæ *Agrorum Regiorum*, qui nempe populo Romano Teſtamentô relicti ſunt, mentio eſt in *Agrariis* Tullianis. Eorum menſura exigebatur ad pedem Regium Philetærium; quemadmodum ad Ptolemaicum pedem agri Regii menſurabantur, quos in Cyrenenſi Ptolemæus Rex eidem Populo legaverat. Poſtquam itaque in Romanorum poteſtatem Bithynia ceſſit, Prætoria facta provincia eſt, ab Aſiæ ſpeciali appellatione ſeparata, cui Paphlagonia addita eſt, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 807. Vide quoque eum *p.* 185. & 684.

BITHYNIA, urbs Myſiæ. *Suidas.* Eadem fortè quæ Claudiopolis.

BITHYNIUM, vel BITHYNUM, civitas in Bithynia, à qua *Bithynate*, & *Bithynienſes* populi. *Steph.*

BITHYNOPOLIS, urbs à Bithya dicta. *Steph.*

BITHYNUS, Jovis & Thraces fil. qui fratrem habuit Doloncum, à quo Dolonci Thraciæ populi *Steph.*

BITHUS, Jovis & Theraces Titanidis filius, à quo Bithyni, vide ſuprà.

BITIAS & PANDARUS, fratres ex Alcanore Trojano geniti, quos Hiera in ſylvis nutrivit. Hi cum Ænea in Italiam venerunt, & cùm apertis etiam portis auſi eſſent Rutulos laceſſere, ab iiſdem trucidati ſunt. Virg. *Æn. l.* 9. *v.* 672.

Pandarus & Bitias Idæo Alcanore nati.

Alius fuit ejuſdem nominis inter Didonis proceres, cujus meminit Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 741.

Tum Bitiæ dedit increpitans.

BITOANA, Lydiæ urbs. *Ptol.*

BITON, Argiæ ſacerdotis fil. Plut. *in Solone.* Val. Max. *l.* 5. *c.* 4. *extern.* 4. Vide *Cleobis.*

BITON, Mathematicus, tempore Alexandri M. aut paulo vetuſtior, ſcripſit de machinis bellicis. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 48. §. 22.

BITON, Syracuſanus præſidii Dux in capta Motye, à Dionyſio ſuperiore conſtitutus.

BITONTUM, Marchionatus Apuliæ, cum Epiſcopatu. Ejus Epiſcopus, cùm in prima ſeſſione Concilii Tridentini monuiſſet, confluererent, ad Concilium, tanquam equum Trojanum; malè id Patres habuit, eò quòd fallax & pernicioſa machina is equus fuiſſet. P. Suavis *l.* 1. *p.* 147. Ibi Synodus, A. C. 1570.

BITRASIUS Pollio, *l.* 15. § 17. *Digeſt. de excuſationibus* memoratur, *Imperator Hadrianus* Bitraſio *Pollioni Legato Lugdunenſi.* Apud Jul. Capitolin. in *Marco Antonino*, *c.* 12. pro *Vitrraſino*, vel *Vitreraſino*, *Vitraſino* vel *Vitraſium*, reponunt quæ gens Romæ eâ tempeſtate nota fuit, uti ex veterib. lapidibus conſtat. B. autem & *V.* ſæpius commutari notum. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *Not. ad Capitolin.*

BITTIGO, Indiæ intra Gangem mons. *Ptol.*

BITUITUS, Arvernorum Rex, ſpecie colloqui comiter hoſpitiô invitatus, à Cn. Domitio vinctus eſt, & Romam deportatus. *Epitome* verò Livii *c.* 61. rem aliter narrat: *Bituitus* (inquit) Allobrogum Rex, quum ingentem exercitum contraxiſſet hominum centum & octaginta millium, pugnaturus cum Fabio Proconſule, qui paucos milites habebat, dixit, Exercitum Romanum vix ad eſcam canibus ſuis eſſe, ſed conſertâ pugnâ victus & 150000. homines amiſit, ipſe victus Romam proficiſcitur ad ſatisfaciendum Senatui, ſed in Galliam remiſſus non eſt, verùm decretum, ut & filius ejus Congentiatus comprehenderetur, qui cum patre Albam in cuſtodiam datus eſt. Conſul cùm febri laboraret, in ipſa pugna morbô liberatus eſt. Plin. *l.* 7. *c.* 50. Vide Oroſ. *l.* 5. *c.* 13. Flor. *l.* 3. *c.* 2. Eutrop. *l.* 4. Valer. Max. *l.* 9. *c.* 6. *ex.* 3. Pugna facta, circa medium Julii An. Urb. Cond. 633.

BITUM, regnum Africæ in Nigritarum regione inter Zanfaram & Beninum. *P. du Val.*

BITUMEN, ſulphuri naturâ vicinum, *alibi limus*, verba ſunt Plinii *l.* 35 *c.* 15. *alibi terra; limus è Judææ lacu emergens: terra in Syria, circa Sidonem oppidum maritimum. Spiſſantur hæc utraque & in denſitatem coeunt. Eſt vero liquidum bitumen, ſicut Zacynthium, & quod Babylone invehitur. Ibi quidem & candidum gignitur. Liquidum eſt & Apolloniaticum, quæ omnia Græci piſſaſphalton appellant ex argumento picis & bituminis. Gignitur & pingue liquorisque oleacei in Sicilia, Agragantino fonte inficiens rivum. Incolæ id harundinum paniculis colligunt, citiſſimè adhæreſcens.* Addit, *uſos eò fuiſſe ad lucernarum lumina, olei vice.* Et paulò poſt, *Diximus & tingi ſolitas ex eo ſtatuas & illini. Calcis quoque uſum præbuit, ita ferruminatis Babylonis muris. Placet & ferrariis fabrorum officinis tingendo ferro, clavorumque capitibus & multis aliis uſibus.* Patriam quod attinet, ita pergit: *Gignitur in Hiſpania, Ægypto, Armenia, Macedonia, Ponto, Africa: Inſulis, Sardinia, Melo, Lipara, Strongyle. Laudatiſſimum in Ægypto, proximum in Melo.* Species deinde illius ſubjungit & probationem: *Hujus quoque duæ ſpecies, liquidum ſpiſſumque. Liquidi probatio: ut ſit limpidum lubricumque, ſine offenſis fricantium, cum quodam igniculo caloris. Hoc phormion vocant, an ſit adulteratum, deprehenditur ſuccô Punici mali. Sincerum enim miſturâ ea ingreſcit. Alterum genus eſt pallida & ſcabra natura, & quod inficitur gallâ. Ideoque hoc vocant parapheron*, &c. Uſum Medicum multivarium, vide *ibidem.* Quod verò idem in unguentorum compoſitione, præcipuè in eorum vinorum, quæ condiebantur aromaticis ſpeciebus, *Bitumen* quoque additum fuiſſe, ſcribit, hallucinari eum ait Salmaſius, pice quidem & reſinâ etiam condiri muſta conſuevisse, non verò bitumine, contendens, *Exercitat. ad Solin. p.* 721. De illius πίξει & ἀσφαλτῷ ſic Solinus *c.* 1. *Bitumen in Judæa Aſphaltites gignit lacus adeo lentum mollitie glutinosâ, ut a ſe nequeat ſeparari ---- ſciniique non poteſt ---- ſed ubi admota fuerint cruore illo* (menſtruô mulierbri) *polluta fila, ſponte diſpergitur & applicata tabe dilacitur paulo ante corpus unum.* Quod idem *Excerpta* ejus verſibus reddita ſic exprimunt,

---- linquat ſi prædicta tabe cruenta
Admoveas, omne ſparſum diducitur ab ſe,
Quodque tenax fuerat nimiùm, ſe ſponte recidit.

Sic *bituminis* tenacitas filis menſtruô pollutis, aut etiam, ut alii addunt, lotiô diduceretur ac diſſolveretur. Atqui apud Strabonem *l.* 16 Poſidonius dicit, quaſi hoc ipſum narrantibus Judæis incantationibus quibuſdam & lotii menſtruorumque aſperſione, bitumen τὴν πῆξιν accipere & in duritiem cogi, ac ſic deinde incidi ac diduci, ſecuribus ſcil. aut dolabris. Tacitus verò *Hiſt. l.* 5. *c.* 6. ſcriptum reliquit, bitumen non lotiô, aut menſtruô, ſed ſparsô acetô ſpiſſari & in denſitatem coire, abſcindi autem cruore, quô fœminæ per menſes exſolvuntur. Sed hanc fuiſſe Veterum opinionem *ibidem* dicit: cæterùm gnaros locorum tradere, *undantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad littus: mox ubi vapore terræ vi Solis inaruerint, ſecuribus cuneiſque, ut trabes ac ſaxa, diſcindi.* Ubi, idem ſentiens cum Strabone, quoad πῆξιν καὶ τομήν, concretionis tamen aliam cauſam planeque pugnantem allegat. Vult namque Tacitus, vapore terræ & vi Solis, in duritiem lapidis bitumen cogi; Strabo id fieri frigore aquæ contendit. Qua de ſententiarum varietate vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 27. Unum reſtat diſcutiendum, cur Lacus Aſphaltites ſeu Mortuum mare, quod *bituminoſum* totum, *Mare Salis* dicatur in Sacris, cùm *Bitumen* ſalſum non ſit, nec ſalis naturam habeat? Reſpondet idem, *p.* 614 lacum illum *ſalſum* dici, non quòd ſalſus ſit, ſed eôdem planè ſenſu, quô *terram Salis* iidem Hebræi nuncupant, eam quæ deſerta eſt ac deſolata. Lacus enim hic nihil generat, non piſces, non aves habet aquis aſſuetas, nihil denique vivi ſuſtinet, uti vidimus ubi de *Aſphaltide lacu.* Sed nec omittendum, quòd antiquos ſtatuas Deorum hominumque *bitumine* finxiſſe, Plinius ſcribit *l.* 34. *c.* 4. *Antiqui pingebant* (an tingebant) *eas bitumine, quò magis mirum eſt placuiſſe aurò integi*, &c. Vide quoque infrà *Seculares ludi.*

BITUNTUM, *Calderinus* vult eſſe oppidum ſterile in Hiſpania. Martial. *l.* 4. *Epigr.* 55. *v. ult.*

Hæc tam ruſtica malo: quam Bituntos.

Ubi aliqui viliſſimum Apuliæ Peucetiæ oppidum volunt. *Mereambertus* legendum cenſet *Britannos*, ut ſit contentio inter provincias Hiſpanorum & Britannorum. Alii legunt *Bituntos*; quod vide. Alii *Bitundos.* Vide *Bituntum* etiam.

BITURGIA, urbs Tuſcorum *Ptol.* quam quidam per errorem *Borgo di San Sepolcro* indigitant. Alius potius eſt *Magiano.* Alius eſt *Crvatella*, oppidul. Hetruriæ, in dominio Florentino. Vide hic infrà *Bituriges Cubi.*

BITURIGES Cubi. *Flumine Ligeri Bituriges ab Æduis dividi, & apud eos magnas eſſe ferrarias* Cæſar tradit, *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 22. ut Rutilius *l.* 1. *Itinerarii*, cui *Biturix ſtrictura* laudatur. Idem Cæſar *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 1. ait, *Celtas* ſeu Gallos *ab Aquitanis Garumnâ fluviô dividi, & Galliam eſſe omnem diviſam in tres partes, Belgicam, Aquitanicam, Celticam vel Galliam*, omiſſâ provinciâ Narbonenſi, quæ pridem Romanæ ditionis erat. Quem ſecutus Livius *l.* 5. *c.* 34. *Celtas partem Galliæ tertiam* vocat, & Bituriges ponit in Celtis, quorum regionem *Celticum* nuncupat; ut *Sequanicum* pro Sequanica nonnunquam dixêre; *Belgium* Cæſar pro parte Belgicæ. *Celtarum* (inquit Livius) *quæ pars Galliæ tertia eſt, Tarquinio Priſcô Romæ regnante, penes Bituriges ſumma imperii fuit. Hi Regem Celticæ dabant. Ambigatus is fuit: qui prægravante multitudine Segoveſum*

in Hercynios ſaltus, Belloveſum in Italiam cum copiis miſit. Belloveſum ſecuti ſunt Bituriges, Arverni, Senones, Ædui, Ambarri, Carnutes, Aulerci, (i. e. Cenomani) *quod eis ex populis abundabat. Poſtea Boji* (finitimi Helvetiis) *Lingoneſque: tum Senones receptiſſimi venêre in Italiam.* Bituriges ergo tum Celtæ erant, Celtarumque potentiſſimi, & Regem toti Celticæ dabant, nec Aquitaniæ ante Cæſarem Auguſtum ſunt attributi. Certe multas urbes habuiſſe eos apparet, cum juſſu Vercingetorigis unô die *amplius* 20. *urbes Biturigum* ſint incenſæ. Attamen ætate Cæſaris Bituriges Æduorum erant in fide, diuturnitate ſcilicet temporis mutatis populorum imperiis ac viribus. Apud Plinium, *l.* 17. *c.* 8. Bituriges ac Ædui calce ubertimos feciſſe agros dicuntur: & argentum incoquere æreis operibus, gloria Biturigum fuit. *Biturix* Lucano non ignotus, *l.* 1. *v.* 423.

Et Biturix, longiſve leves Axones in armis.

In tabula Peutingeriana & apud *Magnonem Beturiges*: *Beturici* aliis, & *Baturices*, ac *Bituricæ* corruptè dicti, vulgò *Berruiers*. *Bituricas Gregorius Turonenſ.* vocat non Avaricenſes modò, ſed etiam totius pagi Biturici incolas; alii *Bituricenſes*. Et *Cæſar* quidem ac *Livius*, multique alii *Bituriges* abſolutè appellant: at *Strabo*, *Plinius*, & *Ptolemæus Cubos* cognominant, ut diſtinguant à Biturigibus Viviſcis, Biturigum Cuborum ut videtur prole. Plinio *l.* 4. *c.* 19. in Aquitania *Bituriges liberi, qui Cubi appellantur*, ut & Straboni, *Ptolemæo* in Aquitania quoque ad *Ligerim fluvium Bituriges Cubi, & urbs Avaricum*. μετὰ τὸν Λίγειρα ποταμὸν Βιτούριγες οἱ Κοῦβοι, καὶ πόλις Αὐάρικον. Bituriges autem non ſolùm pagum Bituricum, *le Berri* vulgò dictum, ſed etiam partem agri Burbonenſis atque Turoniæ, qualis nunc eſt, continent, quæ omnia diœceſis Biturigum civitatis complectitur. *Cataphractarii Biturigenſes* in *vetere inſcriptione* memorantur, alias *equites cataphractarii Biturigenſes*: quos *Notitia Imperii Romani Vexillationibus Comitatenſibus* 7. primos adnumerat. Caput Gentis *Avaricum*, ut Cæſar *l.* 7. & *Claudius Ptolemæus* docent. Florus l. 3. *c.* 10. poſtquam ſcripſit, *maximum omnium conjurationem fuiſſe Galliarum, quam omnes pariter Arvernos atque Biturigas, Carnutas ſimul Sequanoſque contraxit*: adjicit, Cæſarem *ipſa capita belli aggreſſum* eſſe, *urbes Avaricum* Biturigum, *Aleſiam, Gergoviam Arvernorum*. Ex quibus Cæſar ipſe *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 13. appellat *Avaricum oppidum maximum munitiſſimumque in finibus Biturigum atque agri fertiliſſima regione*, nec non *c.* 15. *pulcherrimam prope totius Galliæ urbem, quæ & præſidio & ornamento ſit civitati, quod prope ex omnibus partibus flumine & palude circumdata, unum habeat & perangustum aditum*. Dion Βιτούριγας, & urbem eorum Αὐάρικον, pro Οὐιτούριγας & Αὐάρικον nominat. *Tabula Peutingeriana Avaricum* Gabris & Alereæ locis nunc incognitis medium interponit. *Æthicus* in itinere à Burdigala Auguſtodunum, inter Argantomagum (*Argenton*) & Tinconcium (*Xancoins*, aliàs & melius *Sancoin*) *Avaricum* collocat: ita ut ſitus ipſe locorum indicet, Avaricum aliam urbem eſſe non poſſe, quam Bituricas Biturigum caput. Apud *Magnonem Biturix, Avaricum*. Quare *Joſ. Scaliger* irridet ſtultoſque appellat, qui Avaricum *Viarun* vel *Verzon* oppidum Biturigum eſſe arbitrantur, aliquâ ſimilitudine nominis ducti: inter quos *Marlianus* fuit. Scaligero præter cæteros *Samſon* accedit, & Avarici nomine caput Biturigum deſignari non dubitet. Avaricum autem dictum eſſe obſervo à fluvio *Avara*, quem poſteà *Averam* vocavêre. *Avara* portò vel *Avera*, qui & à nonnullis *Evvra* aut *Evra* nuncupatur, vulgò *Yevre* vel *Evre*, Avaricum Biturigum primò, deinde *caſtrum Mediolanenſe Gregorio* memoratum, *Mehun ſur Yevre*, quod *Aimonius* ſuâ ætate *Magdunum* dictum ait, attingit, deinde apud Virſionem caſtrum in Carem effluit. Urrio autem *Orron* vulgò nuncupatur; corruptè in tabulis *Aurron* & *Auron*. Nam litera *v.* in *au.* mutari non ſolet. Alluit Vernoſam *Vrenus*, Dunum Regis *Dun le Roy*, & apud Avaricum pontem habet lapideum 4. aut 5. arcuum, *Pont d'Orron*, portamque cognominem, ubi Avarâ recipitur. *Maſſonus Evram Auronemque* confundit, & pro uno eodemque flumine habet errore puerili, ut ex ſupradictis intelligitur. Liber vetus *de Miraculis S. Auſtregiſili*, utriuſque fluminis mentionem facit his verbis: *Eſt illic* (Avarici) *Eccleſia S. Sulpicii inter duas aquas, ſuper ripam Urrionis & Avera.* Item, *de lina Navavilla ſecus amnem Urrionis.* Amborum igitur fluminum alterum *Avera* vel Avara, alterum *Urrio* Latinè dicebatur. Ex Avara Noſtri Auram & Evram fecêre, *Evre* aut *Yevre*: ex Urrione *Orron*. Quatuor ſunt fluvii ad Avaricum, Avara major, *Evre* vel *Yevre*; Avara minor, *Aurette* rivulus, Urrio *Oron*; & Molo *Moulon*; qui duo fluvii cum Avara minore, ad Monaſterium Navenſe ſeu S. Sulpicii Pii Avarâ majore recipiuntur. In literis datis regnante Rotbertô Rege memoratur *burgus S. Ambroſii* Biturigis *inter Averam magnam & Averam minimam*. Avera magna eſt *Evra*, Avera minima eſt Aurette. Avaricum poſtea nomen Gentis, cujus caput erat, accepit, & *Biturigæ* vel *Biturica*, *Biturica urbs aut civitas*, nonnunquam & *Bituriges* appellari cœpit. Amm. Marcellin. *l.* 15. duas tantùm Lugdunenſes agnoſcit, & in Lugdunenſi prima cum Lugduno & Senonibus *Biturigas* ponit, in ſecunda Lugdunenſi Rotomagum & Turonos: cùm Biturigas Aquitaniæ primæ attribuere debuerit. *Biturigas civitatem* vocant & Sidonius *in Concione*, & Jordanes *de rebus Geticis*, & Gregorius Turonicus Epiſcopus *in l.* 2. *Hiſtoriæ*, cui & *Biturica*, & *Biturex* dicuntur vel *Biturix*. In *veteribus Notitiis* provinciarum & civitatum Galliæ, *provincia Aquitanica prima Metropolis civitas Biturigum*; aliàs *Bituricum*, *Betoricum*, & *Betoricorum*. A Noſtris truncatô veteri nomine urbs vocatur *Bourges*, *Biturigis* in *Burigas* vel *Burgas* converſis. Qui Conciliis Gallicanis interfuêre ejus urbis Antiſtites, nunc ſe *Epiſcopos de Biturica Metropoli*, nunc *Epiſcopos Eccleſiæ Bituricæ Metropolis*, modò ſe *Epiſcopos Bituricenſes* appellitant. Quoniam autem Avaricum caput erat & Metropolis provinciæ Aquitaniæ primæ, ideò Burdigalam Metropolim provinciæ Aquitaniæ 2. & Eluſam primò, deinde Auguſtam Auſcorum, Metropolim Novempopulaniæ, quæ eſt tertia provincia Aquitaniæ, ſibi ſubjectas habuit. Quam ob cauſam Deſiderius Cadurcorum Epiſcopus, Sulpicium Biturigum Epiſcopum *Sanctum Patriarcham Sulpicium* nuncupavit in literis: & in decreto Gratiani Bituricenſis Antiſtes vocatur *Patriarcha*. Nicolai Papæ exſtant litteræ, *Radulfo Aquitaniarum Primati* inſcriptæ, qui erat Bituricenſis Archiepiſcopus. Primates autem atque etiam Patriarchas nonnunquam appellabant Antiſtites, quibus alii Metropolitani vel Archiepiſcopi ſubjecti erant: ut de Lugdunenſi Epiſcopo aliiſque conſtat. Certè *Bituricas caput Aquitaniæ* vocant *Appendix Chronici* Fredegario vetertima, nimirum totius Aquitaniæ; ut ſuprà Radulfus *Aquitaniarum primas* dicitur. Adrevaldus *in libro de Miraculis S. Benedicti*, *Avaricum caput Regni Aquitanici* appellat, quia Bituricenſis Archiepiſcopus toti Aquitaniæ præſidebat. *Turrim Bituricenſem* memoravit Sugerius Abbas, ante annos 500. *in epiſtola ad Radulfum Comitem Viromandenſem*, & Carducus *in literis ad Rotrocum Comitem Perticenſem*: quæ turris noſtrâ ætate à Bituricis ipſis Regis permiſſu diruta eſt. Præter cæteras Avaricum habuit portam Gordanicam, *la porte Gordaine*, fortè à caſtro Gordonico ita dictam, in veteribus tabulis non omiſſam; & portam Turonicam, *la porte Tournoiſe*. Fuit ibi & Amphitheatrum, quod vulgo *Arenas* vocabant, à quo & vicus Arenarum hodieque dicitur, *la rue des Arenes*. Locus ubi Amphitheatrum fuit, *foſſa Arenarum* appellabatur, *la foſſe des Arenes*: quæ foſſa A. C. 1619. impleta eſt, & ex eo loco forum publicum factum, quod Plateam Burbonenſem nuncupant, *la Place Bourbon*. Ea urbs Palatium ſuum habuit Romani, ut exiſtimo, operis, quod à Pippino Francorum Rege reparatum eſſe indicat ſcriptor ejus æqualis hiſce verbis; *Anno* 767. *Rex Pippinus Ligere tranſacto ad Betoricas acceſſit, Palatium ibi ædificare jubet; iterum Campo Madio ſicut mos erat, ibidem tenere jubet: cuiſque conſiliô cum proceribus ſuis, Reginam Bertradanem cum reliquis Francis ac Comitibus, fidelibus ſuis, in prædicta Betorica dimiſit.* Et infrà: *Rex Pippinus in Betoricas per hiemem totam cum Regina ſua Bertradane in Palatio reſedit.* In Palatio igitur Avaricenſi, quod refecerat magis, quam ædificaverat, novô more, non jam Kalendis Martiis, ſed Kalendis Majis tum Conventum Francorum habuit, quem à re *Campum Majum* dicere cœperunt; ibi Bertradam uxorem ſuam unà cum Comitibus ſibi devotis reliquit, Waifarium inſecuturus, deinde quod hyems inſtabat, ibi cum conjuge annô iſtô 767. hiemavit. *In Epiſtola P.* Archiepiſcopi Bituricenſis ad Sugerium Abbatem S. Dionyſii, ejuſdem Palatii fit mentio. *Unde parati ſumus ſe in Palatio Domini Regis apud Bituricas ſecundum uſum & conſuetudines ejuſdem civitatis exhibere*: ubi & diſcimus Bituricenſes non alibi tum quàm Bituricis judicium ſubire conſuevisse, nec Lutetiam Pariſiorum aut quoquam aliò evocari potuiſſe. Agrum Biturigum totum Cæſar *civitatem Biturigum*, Gregorius nunc *terminum Bituricum*, nunc *territorium Bituricum* vocat, ſæpius abſolutè *Bituricum*, ſemel *Bituricam*, ſupple regionem; Hincmarus *de Vita Remigii*, *pagum Bituricum*; Annales Bertiniani *pagum Bituricum* & *Comitatum Bituricum*; vetus Appendix Chronici Fredegarii non ſemel *pagum Biturivum*: quem à pago Autiſſiodorenſi & Maſua ejus vicu Ligere fluviô dividi indicat, & trans Ligerim *caſtrum Burbonem*, h. e. Burbonem Archembaldi vel Erchenbaldi in eo pago ponit, *caſtrum* quoque *Argantomagum* vel *Argentomum* ad minorem Croſam: *Biturium* mutilatô nomine recentiores Hiſtorici Latini nuncupavêre: ex quo noſtri fecerunt *le Berri*, ſublatâ a. ſyllabâ. Willelmus Armoricus *Bituros* quidem vocat Bituriges, regionem autem *Biturium*, nec non *Bituricas oras*.

Urbes, oppida & caſtra pagi Bituricî.

Albiniacum, *Aubigni*.
Argantomagus, *Argenton*.
Boſentiacæ, aliàs Buſentiacum, *Buſançais*.
Carrocium, *Charrois*.
Caſtellio ad Angerim, *Chaſtillon ſur Indre*.
Caſtellum Radulfi, *Chaſteau-Roux*.
Caſtra, *La Chaſtre*.
Caſtrum Leproſum, *Leuroux*.
Caſtrum Melundi, *Chaſteau Meillant*.
Caſtrum novum ad Carem.
Concurcallum, *Concreſſaut*.
Cella S. Euſicii, *Celles en Berry*.
Crazzacuio, *Cracay*.
Cullencum, *Cullant*.
Doli, *Bourg de Deols*.
Dunum Regis, *Dun le Roy*.
Exoldunum, *Iſſoudun*.
Firmitas ad Averam, *la Ferté ſur Evre*.
Ignorandis, *Aigurande*.
Linariæ, *Lineres*.
Nagdunum vel Mediolanum, *Mehun ſur Yevre*.
Monaſteriolum ad Carem, *Meneſtou ſur Cher*.
Noviodunum, *Neuvi ſur Barangeon*.
Oblincum, *le Blanc en Berri*.
Ruſiniacum, *Rouſſic le Chaſteau*.
Sacrum Cæſaris vel Sincerrium, *Sancerre*.
Vaſtinnum, *Vatan*.
Virſio, *Vierzon*.

A Biturigibus Cubis forſitan *Biturgia* in mediterranea Tuſcia condita eſt, & nomen accepit, Βιτουργία *Ptolemæo* dicta, *Biturgia* in *Tabula Peutingeriana*, inter Florentiam Tuſcorum & Umbronem fluvium; vulgò *Betogi*. Ab eiſdem & Bituris, *Biturgis*, urbs Vaſconum in Hiſpania Tarraconenſi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BITURIGES Viviſci, *Strabo Bituriges*, cognomine *Joſcos* (Ἰόσκους) *Gallicam Gentem*, h. e. Celticam, nuncupat, & eos ſolos in Aquitania alienigenas ſive allophylos eſſe ſcribit, nec cum Aquitanis tributa conferre. ita ut eos ex Biturigibus Cubis ortos eſſe indicare videatur, qui ante Auguſti principatum Celtis ac Celticæ provinciæ attribuebantur. Plinio *l.* 4. *c.* 19. vocantur *Bituriges liberi cognomine Ubiſci*, aliàs *Vibiſci* inter Santones liberos & Aquitanos, & in Aquitania ponuntur: *Ptolemæo Bituriges Vibiſci*, Βιτούριγες οἱ Οὐιβίσκοι in Aquitania quoque ſub Santonibus. Corruptum cognomen

gnomen eſt *Joſci*, ac *Ubiſci*, ſincerum *Vibiſci* ac *Viviſci*, b. litterâ in u. conversâ. Certè vetus marmor Burdigalenſe *civitatem Biturigum Viviſcorum* Burdigalum caput Gentis appellat. *Auguſto ſacrum & Genio civitatis Bit. Viv.* & Auſonius *Burdigalenſis* e ſuopſo dicitur *in Moſella*, v. 438.

Viviſca ducens ab origine gentem.

A Biturigibus Viviſcis nomen accepit *vitis Biturica*, Columellæ *l.* 3. *c.* 2. & Plinio *l.* 14. *c.* 2. *uva Biturica* memorata, ac vulgò *Bubure* dicta, ut *Vinetis* placet, aut certè *Burdigalenſis*, *le Bourdelas*. Bituriges Viviſci à capite Gentis plerumque Burdigalenſes dicuntur, *les Bourdelois* aut *Bordelois*: ager vel pagus Burdigalenſis, *le Bourdelois*. Biturigum Viviſcorum *emporium Burdigala*, *adjacens ſtagno maritimo, quod oſtia Garumnæ fluminis efficiunt*, vocatur à *Strabone*. Sed hoc ſtagnum, vel hic lacus maritimus, hæc λιμνοθάλαττα nunc Burdigalæ nuſquam apparet: forſè *Divona*, apud Auſonium *Epigr.* 14. *v.* 32. *de Claris Urbib.* fons Burdigalæ ſacer. *Ptolemæo urbes Vibiſcorum Biturigum, Burdigala*, ἡ Βουρδίγαλα, & Noviomagus Νοιόμαγος: ex quibus Burdigala *in l.* 8. & in tertia Europæ tabula eadem dicitur *Aquitaniæ urbs inſignis*, ἡ Ἀκυιτανίας ἐπίσημος: Noviomagus intercidit, niſi ſi forſè eſt *Solacum*, locus oſtio Garumnæ proximus. Amm. Marcellin. *in l.* 15. ſcribit, in *Aquitanica provincia, amplitudine civitatum admodum culta, Burdigalam & Arvernos excellere, & Santones, & Pictavos.* Paulinus in *epiſtola ad Auſonium*, *nitentem Burdigalam* nuncupat; Auſonius ipſe *loc. cit.* v. 2. 3. *patriam ſuam & natale ſolum* nominat.

Burdigalam inſignem Baccho, fluviiſque, viriſque,
Moribus, ingeniiſque hominum, ProceruMque Senatu,

& eam inter claras nobis Romani urbes numerat. *Eutropius* ſcribit, Tetricum Senatorem, Aquitaniæ Præſidem, *apud Burdigalam purpuram ſumſiſſe*. *Æthicus Burdigalam* ab Aquis Tarbellicis 64. millia paſſuum abeſſe docet, à *Blavuto*, i. e. Blavia 19. à *Mediolano Santonum* 6. ab *Agenno* 74. millia: *Tabula Peutingeriana Burdegalam* appellat, & inter ſinum Aquitanicum ac *Blaviam* collocat *Burdegalam* & *Burdegalem* quidam vocaverat; recentiores Franci Angliique *Bordellum* mutilicè & corruptè nomine Burdigalæ. Incolæ *Bourdeaux*, Noſtri *Bordeaux* dicunt. In *Notitia veteribus provinciarum & civitatum Galliæ* dicitur provinciæ Aquitanicæ ſecundæ *Metropolis civitas Burdigalenſium*, alias *Burdegalenſium*, quinque civitatibus præſidens Aginnenſium, Ecoliſmenſium, Sontonum, Pictavorum & Petrocoriorum: quibus recentiores Noſtrum Sarlatum, Malliacum, Lucionem, & Condomium, novas civitates provinciæ Burdegalenſis addidère. Paulinus *in Euchariſtico Burdegala*, *Navigeram portam*, i. e. portam Navalem ita dictam, & *portum ſpatioſum* commemorat. Poſita eſt Burdigala ad ſiniſtram ſeu Novempopulanam Garumnæ fluminis ripam, quæ in occaſum Solis ac Pyrenæos montes ſpectat, & ibidem majorem agri ſui partem habet; nec tamen Novempopulaniæ provinciæ attribuitur, ſed Aquitaniæ ſecundæ, cujus caput ac Metropolis olim habita eſt, & nunc quoque habetur. Idem Rotomago Veliocaſſium & Cæſarodùno Turonum, aliiſque urbibus videmus accidiſſe: ex quibus Rotomagus, in ripa dextra Sequanæ ſive in Belgica cum maxima agri ſui portione ſita eſt: Cæſarodunum in læva ripa Ligeris, ſive intra fines Aquitaniæ cum magna agri ſui parte eſt poſitum. At nihilominus tamen Rotomagus Lugdunenſi ſecundæ Metropolis attributa, non Belgicæ provinciæ, Cæſarodunum ſeu civitas Turonorum provinciæ Lugdunenſi tertiæ pro Metropoli adſcribitur, non Aquitaniæ. Cæterum pagus Burdigalenſis, ut majore ex parte unà cum ipſa Burdigala trans Garumnam eſt poſitus, Bojos & Medulos ſimiliter Transgarumnicos continet: qui licèt ultra flumen Garumnam ſiti ſint, tamen Aquitaniæ ſecundæ cum Burdigala attribuuntur. Eòdem modò Veliocaſſes & Caleti citra Sequanam, quâ Celtæ à Belgis dividuntur, ſitè ſedes habent, ac nihilominus ſimul cum Rotomago urbe, quæ & ipſa cis Sequanam eſt, non Belgis ſeu provinciæ Belgicæ ſecundæ, ſed Celtis vel provinciæ Lugdunenſi adſcribuntur. Portio igitur Biturigum Viviſcorum fuère haud dubie Meduli & Boji, cùm Burdigalam caput Biturigum Viviſcorum pro capite & Metropoli habeant etiamnum, & Burdigalenſis diœceſeos finibus contineantur. Apud Gregorium *in l.* 7. *c.* 31. *Gundobaldus erat in urbe Burdigalenſi*, & idem nihilominùs *in c.* 34. *cum audiſſet ſibi exercitum propinquare* Guntchramni, *Garumnam tranſivit*, *Convenas petiit*: quaſi tum Burdigala fuerit in ripa Garumnæ citeriore vel dextra, non in ulteriore aut ſiniſtra, ubi nunc eſt. Id & videtur indicare Appendix Chronici Fredegarii, ab auctore æquali eorum temporum compoſita: *Carolus Princeps denuò Ligerem fluvium tranſit, & uſque Garumnam, vel urbem Burdegalenſem, vel caſtrum Blaviam veniens occupavit.* Tam Burdigalam quàm Blaviam cis Garumnam ponit hiſce *capite* 109. *verbis*, ut & in *c.* 108. *Egreſſi cum Rege ſuo Abdirama nomine, Garumnam tranſeunt, & Burdegalenſem urbem pervenerunt.* Egreſſi autem erant ex Hiſpania, quam paulo ante occupaverant Saraceni: quibus ſi antè Garumna tranſeunda fuit quàm Burdigalam pervenire poſſent, Burdigala utique tum ſalvem trans Garumnam erat, h. e. ad ripam fluminis dextram ſive Santonicam. Hæc ſunt diligenter conſideranda: niſi ſi Hiſtoricos noſtros omnia ſuſque deque miſcuiſſe, & ordinem rerum ac ſitum locorum confuſis verbis turbaviſſe volumus: quod leviter facere non debemus, nec credere ſine cauſa; præſertim cùm eadem eiſdem verbis in Annalibus Mettenſibus ſeu in Chronico S. Arnulfi reperiamus, quæ ſupra in Appendice Fredegarii. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BITURIGUM, vel BITURICENSIS Ducatus, cujus Duces quoque Galliæ Pares, Galliæ Celticæ provincia ampla & fertilis, ab Septentrione Soloniam inferioris Belſiæ partem, à qua Caris fluvius diſterminatur: ad Orientem Hurepenſes, Nivernenſes, & Borbonios reſpicit, conſtituente hîc limitem rivulò, cui nomen *la Faye*: quâ meridies eſt, Lemovices habitant, ubi *Creuſe* fluit: quâ occidens, Pictones & Turones, à quibus fluviolò *Clery* ſeparatur. Domicilium hic olim fuit Biturigibus, quos *Cubos* ſcribunt cognominatos Cæſar, Strabo, Ptolemæus, & alii. Bituriges enim Galliæ populi duplices erant, Ptolemæo cognomentis diſtincti, *Bituriges Cubi*, quorum Metropolis Avaricum, primæ Aquitaniæ: reliquæ urbes, Sancerra, Exoledunum, &c. *Bituriges Vibiſci* aut *Viviſci*, quorum primaria urbs Burdigala, ſecundæ Aquitaniæ. Hodie vulgò *Ceux de Berry*. *Merula*. In Ducatum erecta eſt hæc regio, à Johanne Rege, A. C. 1350. in gratiam Johannis filii tertiogeniti. Ducum cætera Biturìcenſium celebre in Hiſtoriis nomen, ſupremum flagrante Aurelianenſis & Burgundicæ domus diſſidiò, *Hiſt. Gall.* Vide *in Bituriges*.

BITURIGUM, vel BITURIGÆ, & BITURICA, nec non *Biturica*, Metropolis Ducatus Bituricenſis: olim *Avaricum Biturigum*, & *Avaricum Cuborum*, Plin *l.* 4. *c.* 19. Straboni *l.* 4. ab Eura ſeu Avarone flumine, quò adluitur, dicta. Inter magnifica ædificia, quæ in hac civitate ſunt, numeranda eſt magna illa Turris, formâ rotundâ, tantæ altitudinis, ut utrinque quatuor milliarium intervallum viſui exponat: muri ejus tres orgyas aut circiter ſpiſſi ſunt: exterior pars opere ruſticò extructa eſt, pyramidalis adamantis inſtar. Hodie *Bourges en Berry*. *Merula*. *Mel. l.* Fuit olim Celtarum regia, poſt caput regni Aquitanici. Vide & Ptol. *l.* 2. *c.* 7. *Cæſ. l.* 7. *Comm.* Dein ſedes fuit Ducum, Archiepiſcop. Primatu à Carolo M. inſtitutò, & Patriarchatu inſignis: Carolo VII. perfugium, reliquâ Galliâ ab Anglis occupatâ, à quibus priùm per ſarcaſmum, *Roy de Bourges* proptereà dictus eſt, Academia quoque urbs gaudet, à Ludov. IX. fundatâ, à Carolo verò Duce, fratre Ludovici XI. inſtauratâ, & amplis privilegiis à Paulo II. inſtructâ, A. C 1464. ubi Alciatus, Baro, Duarenus, Balduinus, Contius, Hotomannus, Cujacius, &c. floruère. Diœceſis Bituricenſis una ex Galliæ ampliſſimis, continet 35. Abbatias, 900. Parœcias, &c. Antiquitatum porro monumentis, palatiò Jacobi Cœur, templò S. Stephani, A. C. 254. ſub Decio, extructò, urbs hæc clara, primum præſulem S. Urſinum habuit. Sammart. *Gall. Chr. tom.* 1. *p.* 140. & *ſeqq.* Hic concilium habitum A. C. 1031. ubi de Apoſtolatu S. Martialis actum. A. C. 1215. à Cardinali Roberto Legato, cui ſe opponentes Galliæ Epiſcopi, provocârunt ad Concil. Lateranenſe. A. C. 1225. ubi actum de ditionibus Raimundi Comitis Toloſani, egregii purioris cultus hyperaſpiſtæ A. C. 1276. 1286. aliaque eodem ſeculò, ubi de primatu inter Narbonam, Burdigalam & hanc urbem, diſceptatum. In primis A. C. 1438 ubi Galliæ Præſules, ſub Carolo VII., Concilio Baſilienſi aſtipulati ſunt, *Pragmatica ſanctione* factâ, quæ à Concilio Fata habita viguit, uſque ad A. C. 1516. quò inter Franciſcum I. & Leonem X pactò *le Concordat*, initò, ex parte abrogata eſt. Idem Carolus bienniò pòſt, ibidem loca, denuo, Eccleſiaſticorum cœtum congregavit, &c. Vide *Concil. Gall.* & in voce *Bituriges*.

BITURIS, Vaſconum urbs in Hiſpania. *Ptol.*

BITYLA, Laconicæ mediterranea urbs. *Ptol.*

in BIVIIS Compitiſque, ſimulachra pedum ex ligno ſuſpendendi magicus medii ævi ritus, Conciliò Liptinenſi prohibitus eſt. A. C. 743. Vide infrà *Pes.*

BIVIUS, vide *Cutius.*

BIULA, Cariæ urbs. *Strabo.*

BIUMBRES, vide *Amphiſcii.*

BIVORDANUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

BIYRES, Rex in Ægypto Thebanorum XIII. Vide infrà *Chembes Gueneus.*

BIZALA, inſul. ante Taprobanem. *Ptol.*

BIZIA, arx Regum Thraciæ, cis Rhodopen, à Terei nefaſto crimine hirundinibus inviſa, non quod illic facinus patratum ſit, (in Daulide enim Phocidis oppid. contigit) ſed quòd ea Terei patria fuerit, teſtibus *Thucydide*, & Pauſaniâ. *l.* 9.

BIZIOMETÆ, Scythiæ Europææ populi *Jornandi*,

BIZOCHI, qui & *Fratricelli*, ſecta Minoritarum religioſorum, in Eccleſia Romana damnata à Bonifacio VIII. de quibus multa habent Odoricus Rainaldus A. C. 1297. *num.* 55. 1301. *num.* 18. 1311. *num.* 4. & Waddingus in *Annalib. Minor. A. C.* 1297. 1317. *num.* 24. & *ſeqq.* 1318. 1322. *num.* 66. *Bizocos* & *Pinzocheros* vel *Pinzacaros* vocat Bocacius *Nov.* 24. & 27. *Bichinos* etiam Johannes XXII *am.* 6. *Epiſtolar. commun.* 2189. *Nonnulli Viri peſtiferi, qui vulgariter Fratricelli ſeu Fratres de Paupere vita, aut Bizochi ſive Bichini vel aliis fucatis nominibus nuncupantur.* Dicti aliis quibuſdam à *biſacco*, Gallis *beſace*, quòd, oſtiatim panem & victum emendicantes, *biſacos* cum humeris deferrent: Carolo vero du Freſne eâdem ratione *Bizochi*, quâ *Bichini*, nuncupati videntur, à veſtibus ſcil. *bigiis* ſeu griſei coloris. Nam à *bigio* Italorum, Gallorum *Bis*, pro griſeo aut cinericio colore, nomen obſervatum in voce *Beccini*. Vide ſuprà. *Bizochos* verò etiamnum habet Burgum S. Sepulchri, in Italia, apud Eundem.

BIZON, urbs Thraciæ, terræ hiatu abſorpta. Plin. *l.* 4. *c.* 11. *Straboni Bizona* dicta.

BIZONA, urbs Pontica. *Steph.*

BIZYE, Thraciæ Regum arx, memoratur Solino *c.* 10. *In Cænenſi regione, non longe a Flaviopoli colonia, Bizye oppidum, quondam arx Terei Regis, inviſum hirundinibus, & deinceps aliitibus iſtis inacceſſum.* Sed quod in Cænica locat, hallucinatur. *Stephanus* ſ. τ. Ἀστῶν *Barbarorum*, *Aſtarum regiam* fuiſſe refert. *Aſtæ* autem itidem Thraciæ populi unde Ἀστική, *Aſtica* regio ſeu ſtrategia, à Cænica Strategia diſtincta. Vide Claud. Salmaſ. *ad Solin. p.* 166. ut & in voce *Bizia*.

BLAANDER, Phrygiæ majoris urbs. *Ptol.*

BLABIA, Galliæ Celticæ oppid. *Blavet* teſte *Ortelio*. Gaudet portu celebri, *Le Port Louis*. Juxta oſtium Blabii fluv. 3. leucis ab Hannebonto in Meridiem. Vide *Blavetum*.

BLACHERNÆ, locus in ſuburbiis Conſtantinopoleos. Vide omnino Pet. Gyllium *de Topogr. Conſtantinop. l.* 4. *c.* 5. Novum

pala-

palatium Conſtantinop. habet Joh. Calvin. *Lexic. Jurid. ad l. 18. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. Nov. 159 præfat. poſt pr.* Unde Blachernenſe ſuburbium, in quo ſumtuoſiſſimum fuit Templum Beatæ Mariæ Virginis à Leone Imperatore ædificatum, ἐν Βλαχέρναις, *in Blachernis* dictum, apud Dominic. Macrum in *Hierolex.* Indeque *πρῶτος τῶν Βλαχερνῶν*, *Primus Blachernarum*, fortè quem hodie *Præpoſitum* vocant, quâ dignitate Theodorus Balſamon celebris fuit, circa finem ſeculi à Chriſto nato XII. uti docet Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccleſ. num. 42.* ubi addit, extra urbem Conſtantinop. verſùs mare *templum Blachernarum* fuiſſe, à Pulcheria extructum teſte *Zonarâ*. Vide quæ de *Præfecto Blachernarum* affert Jul. Cæſ. Bulengerus *de Imp. Rom. l. 8. c.* 200.

BLACHIA, *Nicetæ*, & *Curopalata*, regio Daciæ, cum Myſiæ portione, vulgò *Valachia.*

BLACIA, regio prope Cumas, cujus meminit Auguſtinus. Aliis *Valachia* eſt.

BLÆDA, Hunnorum Rex

BLÆNA, Ponti regio ſatis ferax, per quam Amnias amnis labitur. Hoc in loco Mithridates cognomento *Eupator* Nicomedis Bithyni copias funditus delevit, haud quidem præſens, ſed per Imperatores. Unde ille, cum paucis domum fugiens, ſervatus eſt, & inde in Italiam navigavit. Strabo. *l.* 12.

BLÆSII duo, quoniam Tiberius ſacerdotia integrâ eorum domo deſtinata, convulſâ diſtulit, & Q. Plautio, Sext. Popinio ut vacua contulit in alios; ſignum mortis intellexêre & voluntariò exitu ceciderunt. Tacit. *Annal. l. 6. c.* 40.

BLÆSUS, nomen viri. Stat. *l. 2. Silv. 1. ad Melioren*, v. 191.

> *Noverat effigiem generoſique ardua Blæſi*
> *Ora puer.* ——

Et paulò pòſt, *v.* 201.

> —— *Et anxii patrum ſolatia Blæſi*
> *Tollit humo:* ——

intimus fuit Melioris, cujus obitum hic magno luctu atque impenſis proſequutus eſt. Unde Martialis *ad eund. l. 8. Epigr.* 38 *v.* 9

> *Qui ſolemnibus, ultior, ſepulti*
> *Nomen non ſinis interire Blæſi.*
> *Et de munifica profuſus arca*
> *Ad natalitium diem colendum*
> *Scribarum memori piæque turbæ,*
> *Quod donas, facis ipſe Blæſianum.*
> *Hoc longum, tibi vita dum manebit,*
> *Hoc & poſt cineres erit Tributum.*

Nempe reditum ejus tituli (cujuſmodi tributum *penſionem* vocant hodie) conſtituit Melior, in honorem *Blæſi* hujus, qui inter Scribas alicui Officio præfuiſſe videtur, Caſpar Barthius *Animadverſ. l. 2. p.* 191. & 194. Vide & *Bebium.*

BLÆSUS nomine *Junius*, Lugdunenſis Galliæ rector, cum Italica legione & ala Taurina Lugduni tendentibus ad partes Vitellii acceſſit. Tacit. *Hiſt. l. 1. c.* 59 genere illuſtri, largus animô & par opibus, qui Vitellio nullô principali paratu, ſed veteri egeſtate conſpicuo circumdedit miniſteria ac comitatus eſt liberaliter. *Hiſtor. l. 2. c.* 59. Paulò pòſt, quòd ægrò corpore convivium & lætos dies ageret, occiſus. Vide Tacit. *Hiſt. l. 3. c.* 38.

BLAEU Cornelius, vide *Cornelium.*

BLAEU Guilielmus, vide *Guilielmum.*

BLAGURA, mons Hiberniæ; in cujus radicibus tres nobiles fluvii ſcaturiunt, Berua videlicet, Corus, & Syurus, omnem ferè inſul. irrigantes.

BLAMONTIUM, oppid. Lotharingiæ, alias munium Comitatus titulô gaudet, ad Vologum fluvium, qui paulo infrà in Murtam cadit.

BLANCA, vide infrà *Blancus*, *n. Maltia.*

BLANCA Caſtellana, fil. Alphonſi IX. ex Ludov. VIII. Galliæ Rege Ludov. IX. mater. Mortuô maritô, ut & filiô in Oriente abſente, regnum adminiſtravit, fruſtra renitente veteri lege. Obiit A.C. 1252 ætat. 65. Meloduni ſepulta.

BLANCA Aquitana, uxor Ludov. ignavi.

BLANCA Gallica, filia Ludov. IX. ex Ferdinando de la Cerda, filio natu majore Alphonſi X. mater duorum filiorum, qui regnô privati, quòd pater vivô adhuc Alphonſô obiiſſet.

BLANCA Arteſia, uxor Henrici Craſſi, Navarræ Regis. Item, filia Philippi Audacis, uxor Roberti, Auſtriæ Ducis cum filio venenô necata, A.C. 1305. Viennæ. Item, filia Othelini, Comitis Burgundiæ, uxor Caroli pulchri, ſicut ſoror ejus Ludov. Hutini Regis quarum adulteri vivi excoriati: Item filia Philippi Ebroic. Navarræ Regis Philippi Valeſii ſecunda uxor; marito ſupervixit 50 ann. *Hiſt. Gall.*

BLANCA Borromæa, Patavina, eruditione famâ illuſtris. Obiit A. C. 1557. Moretus *in Addit.*

BLANCABERGA, oppid. Flandriæ, cum portu & fortalitio. 2. leuc. à Brugis in ora littorali. 2. autem ab Oſtenda in ortum.

BLANCAFORTIUM, oppidul. Aquitaniæ prope Garumnam, in tractu *le Medoc*, vix 2 leuc. à Burdegala.

BLANCAMANTELLI, Gallicè *Blancs manteaux*, nomen eſt, quô Pariſiis inſigniuntur Monachi Benedictini, in vico cognomine habitantes, *Richelet.*

BLANCANUS Joſephus, vide *Joſephum.*

BLANCHEFORTIUS Guido, M. Magiſter Rhod. Obiit A.C. 1513. *Hiſt. Melitenſis.*

BLANKENHEMIA Familia, vide *Manderſcheidia.*

BLANCHINUS Bartholomæus, vide *Bartholomæum.*

BLANCIACUM ſeu BLANZIACUM, vicus erat pagi Tarvennenſis, vulgò *Blangi en Ternois*: ubi Berta Rigoberti Comitis Palatini filia, cùm amiſſo illuſtri viro ſuo Sigifrido, capitis ſacrum velamen impoſuiſſet, Eccleſiam ac Monaſterium ædificavit, regnante Theodoricô Chlodovei junioris filiô, circa A.C. 680. Quidam *Blanziacum*, alii *Blangiacum* vocant, z in g tranſeunte, ut *Bruzzias* & *Brugias*, *Verziacum* & *Vergiacum* (*Vergy*) promiſcuè dixerunt, *Verzeyum* & *Vergeyum*. Cæterum veriſimilius exiſtimari poteſt, cum *i* inter duas vocales, aut ſequenti vocali Noſtri leniore ſonô mutarent in *z* atque etiamnum mutent, unde factum eſſe, ut nomina quemadmodum efferebantur, ſcripta legerentur, & litera *z* in locum *i* ubique à ſcriptoribus librorum apud nos ſubſtitueretur: *Blanziacum* itaque ſcriptum eſſe pro *Blangiacum*, *Verziacum* aut *Verzeyum* pro *Verjiacum* aut *Verjeyum*, *Bruzzias* pro *Brujias*, *Lavarzinum* pro *Lavarjinum*; *Liziniacum* aut *Lizinetum* pro *Liiniacum* & *Lijinetum*. Certè Z cum Græca ſit litera, tantummodo poni in Græcis dictionibus debet, ut Priſcianus *in l. 1. c. ultimô* tradit, qui & adjicit Z *pro ſ ſibilo* accipi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BLANCORUM Emporium, Βλάγκων Ἐμπόριον *Ptolemæi*, Cottaræ, quæ *Cottonara* olim dicta eſt, Metropolis: Βλάγκων ἐμπόριον, Κοττάρα μητρόπολις. *Peutingeri Tabula* habet, *Blanca*, *Cottara*. Apud *Ptolemæum* vulgò legitur Ἐλάγκων, verùm Βλάγκων legendum eſſe, judicat Salmaſ. *ad Solin. p.* 1187. Sed & in *Actis* Innocentii III. J annicius Bulgarorum Rex epiſtolam ſuam ſic orditur: *Ego Calojohannes Imperator Bulgarorum ſeu Blancorum* &c.

BLANCUS, moneta minutior argenteæ vel ære argentoque mixtæ ſpeciei, vulgò *Blanc*. Occurrit autem *Solidi blanci*, in *Charta* Johannis Regis Angliæ in *Monaſtico Angl. Tom. I. p.* 352. apud Car. du Freſne. Eâdem notione *Blanca* habetur alibi. Vide ſuprà in *Albus.*

BLANCUS Marcus Antonius, vide *Marcus Antonius.*

BLANCUS Guilielmus, vide *Guilielmum.*

BLANDA, Italiæ urbs in litore Brutio, non procul à Bato fluv. & Parthenio portu. Plin. *l. 3. c. 5.* *Blanda* Livio. *l. 24. c.* 20. hodie *Belvedere*, teſte *Barrio*. Meminit ejus Mela, *l. 2. c.* 4.

BLANDA, Hiſpaniæ Tarraconenſis urbs. *Ptol.* & Pomp. Mela, *l. 2. c. 6.* quæ hodiè *blanes* à Floriano, & Nangero dicitur, in agro Barcinonenſi ad Larnum fluv. Plin. *l. 3. c.* 3. Item fluv. ejuſdem nominis.

BLANDENONA, locus non longè à Placentia. Cujus meminit M. Tullius *l. 2. ep. 15. ad Quintum fratrem*, hodiè *Brom.*

BLANDRATA Georgius, vide *Georgius.*

BLANDUS & languidus color, vegeto & auſtero opponitur, apud Plinium, *l. 37. c.* 7. ubi de Sandareſis gemmis, in quibus ſerenitas *blandi oleum habere ſpammam* dicit, cum mares auſteri ſint vegetique. Metaphora à ſaporibus ducta; auſterus enim in guſtu *ſapor* blando & leni opponitur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 200. & 345.

BLANDUSIA, fons in finibus Sabinorum, apud Mandelam Horatii villam. De quo is *l. 3. Carm. Od.* 13. *v.* 1.

> *O fons Blanduſiæ ſplendidior vitro.*

BLANGIACUM, oppidul. Normanniæ, in tractu Caletenſi, in limite Picardiæ, ad amnem Breſle Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BLANII, Hiberniæ populi *Ptol.* Vide *Eblani.*

BLANNONII ſive BRANNONII, populi inter Celtas proximi Segufianis, Ambivaritis, ac Heduis, quorum clientes erant. Vulgo *Le pays à l'entour de Sainct Jean de Mauriene.*

BLASCO, vulgo BRISCOU, inſula Galliæ eſt, in ſinu, qui inter duo promontoria Leucatam & Setium intercipitur, Agathæ ſeu Agdæ urbi proxima atque adverſa: citra os Rhodani. Unde Plin. *l. 3. c. 5.* ejus ſitum malè aſſignat, inter oſtium Rhodani & Stœchadas tres Maſſiliæ adverſas, cum inquit. *In Rhodani quidem oſtio Metina, mox que Blaſcon, tres Stœchades à vicinis Maſſilienſibus dictæ propter ordinem.* At ex Gallia in Italiam tendentibus, quem Plinius ordinem ſervat, primò occurrit *Blaſco* ad urbem Agatham, mox oſtium Rhodani, & in eo Metina inſul. tum Stœchades. Martianus quoque Capella malè Plinium tranſcripſit *l. 6. c.* 14. *In Galliæ ora*, inquiens, *in Rhodani oſtio Metina, quæ Blaſco nunc vocatur.* Olim à Maſſilienſibus Græcô nomine *Agatina* dicta videtur Hadr. Valeſio *Notit. Gall*

BLASCON, vel Blaſconum, inſul. Galliæ in oſtio Rhodani, prius *Meſion* dicta. Plin. *l. 3. c.* 5. Strabo. *l.* 4. hodiè *Languillade.* Baudrando *Blaſcon*, vulgò *Breſcou*, arx permunita & inſul. maris Gallici parva in ſinu Leonino & ora littorali Occitano longè ab oſtiis Rhodani. Vide *Blaſco.*

BLASERUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

de S. BLASIO Otho, vide *Otho.*

BLASIUS Vigenerius, Borbonenſis, Ducis Nivernæ à ſecretis. Cæſarem, Livium, Chalcondylam, Philoſtrati icones, &c. Gallicè vertit, magni ſuô ævô nominis. Vixit ſeculô præteritô.

BLASO, una cum Monteſorelli & Brioleto memoratur ab Oderico Vitale, *in l. 10. Hiſtoriæ*, locus in Andicavis ad & trans flumen Ligerim, vulgo *Blaſon* dictur. Brioletum autem eſt *Brolay*, ad Lidum vel Lidericum flumen, Sartæ jamjam acceſſurum. In Vita S. Mauri Abbatis, mentio fit *fiſci Regis, qui Blaſon nuncupatur*, Monaſterio Glannafolio à Chlotario majore Francorum Rege conceſſi: ex quo apparet, *Blaſonem* villam quondam Regiam ſive fiſcalem extitiſſe. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BLASPHEMANDI Judicium ritus, occurrit in *Capitular.* 2. & 4 ann. 803. *c.* 8. & *l. 5. Capit. c.* 7. *De clamatoribus cauſidicis, qui nec judicium Scabinorum acquieſcere, nec* blaſphemare *volunt, antiqua conſuetudo ſervetur, id eſt, ut in cuſtodia recludantur, donec unum e duobus faciant*, &c. Eſt autem *blaſphemare judicium* idem quod *falſare ſententiam*, h. e. hanc tanquam falſam impugnare & appellare: formula etiamnum apud Galliæ Practicos recepta, *Blaſmer une ſentence.* Olim autem, qui ante Judices litigaverat, datô Judiciô ſtare, aut ab eo ſtatim appellare tenebatur, utrumque, dum alterum ex hiſduobus elegiſſet, cuſtodiæ mandabatur, qui ſi appellâſſet, ad palatium cum *apoſtolis* in libera cuſtodia deducebatur, donec ejus cauſa diſcuteretur Car. du Freſne *Gloſſar.* De *Blaſphemiæ* crimine ejuſque pœna, apud Hebræos, vide infrà *Excidio*, apud Catalaunos voce *Verge*, apud alios, in *Lingua.*

BLASSENBURGUM, German. *Blaſſenburg*, arx munitiſſima, in ditione Marchionum Calmbacenſis, è Brandenburgica Familia, imminens oppido Calmbaco: quam, Albertò II. Marchione juratò Norimbergenſium hoſte, acre his inferente bellum A.C. 1552. hi expugnatam funditus everterunt A.C. 1554. magna cum offenſione ac detrimento totius domus Brandenburgicæ, ut videre eſt apud Thuanum *Hiſt. l.* 13. Extinctò dein Albertò, illam ſuis ſumtibus inſtaurare coacti, ex ſententia à Ferdinando I. Imperatore lata. Vide Georg. Hornium *Orb. Politico cum Notis Menckenii* p. 252.

BLASTARES Matthæus, inter Canoniſtas Græcos, memoratur Anton. Auguſtino *Præfat. ad antiq. Decret. Collect. Johannes Scholaſticum & Photius ambo Antiſtites Conſtantinopol. & Matthæus* Blaſtares *Monachus & Conſtantinus Harmenopulus, & hi omnibus breviores Arſenius, ſub certis quibuſdam titulis ſententias Canonum comprehenduntur: adjectis etiam Legum de iiſdem rebus decretis. Ex quo factum eſt, ut id genus Nomocanones appellarent*, &c. Eundem inter Nomocanonum Scriptores citat Juſtellus Pater *Præfat. ad Cod. Canonum Eccleſiæ Univ. Synopſin* ejus *Conciliorum* laudat Meurſius in *Gloſſario Mixob.* voce ἄκβον. In *Catalogo* MSS. Codd. Bibliothecæ Patriarchæ Conſtantinopol. hic quoque inuius legitur: *De legibus Magnum Volumen, habens explicationem trium Doctorum, explicantium Canones & LL. Imperiales. Initium Johannis Monachi Zonaræ, deinde Theodori Balſamonis Patriarchæ Antiocheni, poſtremo Matthæi Blaſtaris: in charta bombacina*. Sed & Leo Allatius, in famoſo Tractatu *de Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis conſenſione*, in indiculo Auctorum & hunc Matthæum collocat inter Auctores nondum editos. Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Jur. Eccl. num.* 288. & 289.

BLASTOPHOENICES, Luſitaniæ populi. Appian. *de Bello Hiſpan.*

BLASTUS, nomen viri. Actor. c. 12. v. 20.

BLATTA, multis idem, quod tinea: Namque jungit utramque Horatius *l.* 2. *Sat.* 3. v. 119.

> *— — Cui ſtragula veſtis*
> *Blattarum ac tinearum epulæ, putrebat in arca.*

Martialis *l.* 6. *Epigr.* 60. v. 7.

> *Quàm multi tineas paſcunt, blattaſque diſertos.*

Et *l.* 14. *Epigr.* 37.

> *Conſtrictos niſi das mihi libellos,*
> *Admittam tineas truceſque blattas*, &c.

Sed *blattas*, inter ſcarabæorum genera, reponere videtur Plin. *l.* 11. c. 28. & eaſdem deſcribit *l.* 29. c. 6. quomodo & σίλφας Dioſcorides *l.* 2. Quid quòd apud ſequentis ævi ſcriptores *blatta* planè aliud eſt, purpura ſcil. aut purpuræ genus? Sic Eutropius *l.* 7. c. 9. in *Nerone* ſcribit, eum *piſcatum eſſe retibus aureis, quæ funibus* blatteis *extrahebat*: pro eo, quod Sueton. c. 30. *Piſcatus eſt reti aurato purpurâ coccoque funibus nexis*. Et Lamprid. *de Heliogabalo*, c. 33. *Paraverat funes blattâ & ſericò & coccò intortos, quibus, ſi neceſſe eſſet, laqueô vitam finiret*, &c. Sic Theodoricus Rex Theonis apud Caſſiodorum *l.* 1. *Ep.* 11. *Cum blatta* (i. e. cum purpura) *quam noſtro cubiculo dare annis ſingulis conſuetiſſis, venire feſtina*. Sidonius quoque *l.* 9. *Ep.* 13. *Tonantio*,

> *Rutilaque terræ blattas,*
> *Recoquente quas aheno*
> *Melibœa fucat unda.*

Et *Ep.* 16. *Firmino*,

> *Blattifer vel quam tribuit Senatus.*

h. e. Senatorum ordo purpuratus. Et *Carm.* 5.

> *Pontus Caſtorea, blattam Tyrus, æra Corinthus*, &c.

Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 4. c. 25. Carolo du Freſne vermiculus eſt, qui è *Ghermes*, ut Arabes vocant, & è cocco ſanguinei coloris erumpit: unde poſteà pro ipſa purpura purpureoque colore uſurpata vox. Et quidem *Blattam Tyrium* commendat Sidonius, ut vidimus; *Neapolitanam* Anaſtaſius in *Leone III. Byzantiam* idem alibi: ut & Serapion *libr. Aggregat.* Blattæ Byzantiæ *ſunt ex ungulis Oſtracorum & ſunt coopercula, quibus teguntur in foramine ſuo & meliores ſunt, quæ vergunt ad albedinem, & ſunt odoriferæ, quarum odor trahit aliquantum ad odorem Caſtorei*. Actuario βλαττίον Βυζάντιον, ὅτι τὸ ἄκρον τῆς πορφύρας, id nempe *anterius purpuræ*, cujus appellationis rationem exponit Leonh. Fuchſius *de Compoſit. Medicam. l.* 1. Adde eundem *ad Myrepſum ſect.* 1. c. 1. 21. & 451. Ruellium item *de Natura Stirpium l.* 1. c. 7. Βλάττιον quoque, pro *purpura* Nicetas, Cedrenus & Codinus, non uno in loco, uſurpant. Unde ὀξυβλάττιον, *ſericoblattum* & *blatto-ſericum*, pro ipſo ſerico *blattâ* tincto, vide *l.* 10. *Cod. de Murileg.* quò ſenſu Βλαττίον uſurpavit Anna Comnena *Alexiad. p.* 93. Vide ad eam *Notas* Car. du Freſne, & plura hanc in rem, apud Hadr. Turnebum *Adverſar. l.* 18. c. 17. *Cujacium, Savaronem, J. Gothofredum, alios*, ut & hic infrà.

BLATTEA, in Gl. Βλάττα ἀλιουργῶν πορφυρῶν, *grumus ſanguinis conchyliorum*: pro *Blatta*. Adjectivè ſumitur apud Flav. Vopiſc. in *Aureliano*, c. 46. *Idem conceſſit, ut* blatteas *matronæ tunicas haberent & cæteras veſtes, cum antea coloreas habuiſſent*. Nempe matronarum habitus ante Imperium Cæſarum purpureus & auratus fuit. Sub Imperatorib. verò jam inde à Jul. Cæſare purpuræ uſus privatis interdictus; quem in totum ſuſtulit Nero: quod tenuit uſque ad Aurelianum, quem permiſiſſe hic ſcribit Vopiſcus, ut matronæ tunicas *blatteas*, h. e. purpureas & cæteras veſtes haberent: namque quod *blatteas* hic, poſteà *purpureas* vocat. Ne cum Viro quodam doctiſſimo cenſeamus, *blattam* exquiſitiſſimum purpuræ genus fuiſſe, atque ideò minus mirum, ſi jus non fuit matronis blatteas tunicas & cæteras veſtes habendi. *Blattam* enim Recentiores dixêre, quam Vetuſtiores purpuram. *Blatta vel blattea propriè bullæ ſunt ex inneribus*, ut ex Feſto ſcribit Paulus: inde bullæ ſanguinis concreti. Hinc *Blatteum*, i. e *ſanguineum*, pro purpureo: namque & duos hos colores pro uno habet Servius *l.* 3. & 6. *Æneid.* & tamen purpuræ *ſanguinem* etiam, ac *cruorem* appellârunt. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. l.* c. ubi addit, à *blattis* vermiculis *blatteum* appellari malè quibuſdam Viris doctiſſimis, infrà etiam aliquid, ubi de *Purpura & Sanguineo colore*.

BLATTOSERICUM, apud eundem Vopiſcum in *Vita ejuſd.* Imperatoris c. 45. paulo ſupra, *Et quum ab eo uxor ſua peteret, ut unicô palliô blattoſericô uteretur, ille reſpondit, Abſit ut auro fila penſentur*: pallium eſt ex *blattoſerica* contextum. *Blattoſerica* autem vel *Sericoblatta*, eſt ſericum tema purpurâ ſeu blattâ tinctum: quod & *ſericum* abſolutè dicebatur. Unde *trecenæ libra blattaſerica* in *Cod. Theod.* Ubi *libra ſerici* & *libra blattoſerica* idem, vel *blatta ſerica*, uti legitur in vulgatis. Hinc βλάττιον recentioribus Græcis, non *blatta* vel *purpura*, ſed *ſericum tema blatteum* eſt. Nicetas, τὴν ἐξ ἀνθινῶν τεχνῶν τῶν βλαττίων, ubi βλαττία ſunt *veſtes purpureæ*. Alter enim codex habet, τὴν ὑφαντικὴν τεχνῶν ἰδεῖν, vel πέπλων ἐργάσιμον. Aliô locô apud eund. ubi habetur in Græco codice, πέπλοις χρυσοῦφέσι Græcobarbarus codex habet, βλαττίων χρυσῶν. Sic, ubi in Græco codice legitur, πέπλοις χρυσοῦς. Barbarogræcus legit, βλαττία ἀνθολινα καὶ τοξόβλατα, &c. Fila igitur ſerica, quæ auro erant intexta, purpurâ vel blattâ tincta fuêre, atque ſic à Sericibus uſque adferebantur, &c. Vide Salmaſ. *ad loc.* & infrà *Sericoblatta*.

BLATUM Bulgium, ſive *Ablatum Bulgium*, *Bulneſſe*, teſte Camdenô, oppid. Angliæ in Cumbria ad occidentem.

BLAUDUS, urbs Phrygiæ, *Steph.*

BLAVETUM, flumen eſt notiſſimum in Britannia, *Blavet* hodieque dictum: à quo & *Blavetum* oppid. ad ejus oſtium poſitum nomen accepit, *Blavet*. Ejus fluvii mentio fit in Vita Sancti Gildæ, his verbis, *Conſtruxit parvum oratorium ſuper ripam fluminis Blaveti ſub eminenti rupe*. Regino quoque, qui ante annos 760 Chronicorum libros duos ſcripſit, ejuſdem fluminis meminit, ac *Blavittam fluvium* ſincerô & incorruptô nomine appellat. A.C. 890. *Illi* (Britones) *graviter ab hoſte læduntur*. (à Nortmannis) *Cæduntur paſſim, & uſque Blavittam fluvium omnis eorum poſſeſſio diripitur*: quæ verba in annalibus Mettenſibus etiam reperiuntur. Flumen ergo, ut & caſtrum, primò dictum eſt *Blavitta*, deinde *Blavetum*. Oppid. iſtud *Portum Ludovici*, à Ludovico XIII. Francorum Rege dictum audivimus Principatu ejus, *le Port Louys*: ſed hoc nomen poſt ipſius obitum exolevit. *Blavitta* fluvius à *blava*, i. e. cæruleo colore aquarum dictus eſt. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BLAVIA, oppid. & arx munitiſſima Galliæ Aquitanicæ ad Garumnam fluv. in agro Burdigal. Auſonius *ep.* 10. v. 16.

> *Fert militarem ad Blaviam.*

Hic relinquere coguntur bellica tormenta, qui Burdigalam navigant. Auſonius autem *Blaviam militarem* cognominat, quod præſidium militum haberet, ut etiamnum habet. Eſt enim monti impoſita Garumnæ imminenti, paulo infrà confluentes ejus & Duranii, ita ut maximum flumen habeat in poteſtate. Æthicus in itinere à Burdigala Auguſtodunum *Blavatum* vocat, & inter Burdigalam ac Tamnum ponit, à Burdigala 19. à Tamno 16. millibus diſtans. In ejus codicibus nunc *Blavatum*, nunc *Blavium* reperiri ait *Surita*, *Blaviam Simlerus*, quod melius eſt. *Tabula Peutingeriana*, inter *Burdegalam* ſimiliter & *Tamnum* caſtrum hoc ponit, ſed *Blaviam* ſincerô nomine appellat. Gregorius, *in libro de Gloria Confeſſorum*, locutus de Severino urbis Burdegalenſis Epiſcopo & Patrono, ſtatim ſubjicit hæc verba: *Habetur in hoc territorio* (i. e. territorio Burdigalenſi) *& S. Romanus Presbyter, quem S. Martinus ſepulturæ locavit. Eſt autem ſepulcrum ejus contiguum Blavienſi caſtello ſuper litus amnis Garonnæ*. Quibus verbis *caſtellum Blavienſe* agro Burdigalenſi ſive Biturigibus Viviſcis adſcribit, non Santonibus. *Charibertum Regem in Blavia caſtello, in Baſilica S. Romani ſepultum eſſe*, Geſta veterum Francorum & *Aimoinus* tradidêre: ex quibus Aimoinus *caſtrum Blaviam* in Aquitania nuncupavit; *caſtrum Blavium* Appendix *Chronici* Fredegarii; *caſtra Blavia* Annales Mettenſes corruptè pro *caſtrum Blaviam*. Vulgò nunc dicitur *Blaye*. Blaviam autem ſeu Blaiam *promontorium Santonum à Ptolemæo* appellari exiſtimat Olivarius, qui Melam adnotationibus illuſtravit. In *notitia Imperii Rom.* ſub diſpoſitione V. S. Ducis tractus Armoricani & Nervicani reperitur *Præfectus militum Garronenſium* vel *Carronenſium Blabiæ*: & *Blabia* hæc nunc ab omnibus ferè pro *Blavia* noſtra habetur. Plin. quidem *l.* 4. c. 17. *Aquitaniam à Garumna ad Pyrenæi montis excurſum Armoricam antè dictum* ait: & Notitia ſuprà laudata, *extendi tamen tractum Armoricani & Nervicani limitis per provincias* 5. *per Aquitanicam* 1. & 2. *Senonicam*, 2. *Lugdunenſem* & 3. affirmat. Nihilominus Blaviam hîc caſtrum Aquitaniæ locum habere poſſe non puto: cùm conſtet Armoricanum tractum Ligere & Sequanâ fluviis, ſeu Lugdunenſis 2. & 3. finibus terminari; nec unquam (quidquid dicat *Plinius* & *Notitia*) ora Aquitanicæ ſecundæ & Novempopulaniæ, multò minùs provincia Aquitanica 1. quæ à mari remota & mediterranea eſt, *Armorica* aut *Armoricani tractus* nomine à quoquam fuerit deſignata. Certè in tractu Armoricano Venetos, Oſiſmios, Mamnetas, vel potius Namnetas, Aletum, Conſtantiam, Rotomagum, Abrincatas, Grannonam ponit Notitia ipſa Imperii: quæ omnia loca ſunt pars provinciæ Lugdunenſis 2. pars tertiæ inter Ligerim & Sequanam: à quibus plurimum abeſt Blavia, caſtrum Aquitaniæ Garumnæ adſitum. Itaque pro *Blabia* libenter in Notitia Imperii emendaverim *Blabita*, crediderimque *Blavittam* caſtrum Armoricæ maritimum, quod & *Blavetum* nomine fluvii ſui appellant, ibi deſignari. Pagus *Blavienſis* vulgò dicitur *le Blaguez*, ut ager Frontiacenſis *le Fronſaguez*, ager Cuſacenſis *le Cuſaguez*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BLAVIELUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

BLAVOTINI ſeu **BLOETINI**, militaris factio, in caſtris Flandriæ Comit. Philippô Auguſtô in Gallia regnante. Wilh. Armoricus *Philipp. l. 2. & 9.* hâc voce videtur innuere appellatam fuiſſe gentem, eam Flandriæ partem, quæ Furnas ſpectat, incolentem, ubi & *Yſangrinos* collocat:

Inde movens iterum claſſis legit æquoris undas,
Quas Bloetinorum candentia litora lambit,
Quæque mareſcoſos extendit Flandria campos,
Et qua bellipotens medias inter prælia terras
Sulcat Yſangrinus, gladiô munitus & haſtâ,
Quæ ſola Furnis erat finibus vicina marinis.

Et *l. 9.*

Jam ſua per ſpeculas Bloëtinus ſigna levavit,
Omnis Yſangrinus, Furnites, Belga ſub uno
Orsu, Ferrando Comiti ſe conſociarunt &c.

Bellicâ virtute & animi magnitudine præſtitiſſe, docet Lamb. Ardenſis, ubi de bello à Mathilde Luſitana Philippi Flandriæ Comitis vidua Furnenſibus illato. *Eo maximè*, inquit, *quod Blavotinos nunquam domare vel ſubjugare potuit.* Et aliô locô, *Aliique parentes ejus amici, utpote viri fortis auſim dicere* Blavotinorum *patres atque auctores.* Nomen à *Blavotorum* familia deducunt Mejerus *an.* 1206. & Malbrancus *l.* 11. *de Morinis c.* 7. Certè in *Charta* Philippi Alſatii Flandr. Comitis *ann.* 1181. apud Miræum in *Dipl. Belg. l.* 2. *c.* 44 *Reginardus Blavoet de Furno* ſubſcripſit, uti adnotavit Car. du Freſne *Gloſſar.*

BLAUTÆ ſeu **BLAUTIA**, ſandalii genus. *Heſychius*, βλαῦται, κρηπῖδες ἢ σανδάλια, *Blautia crepidæ vel ſandalia.* Et quidem Cyzicenorum proprium: vetus *Epigr.* Leonidæ

Ο᾽ γαῦρον καὶ ταῦτα ἐπὶ βλαύτια, τόνδε Κότυς,
Α᾽γυιάτας Κυζικοῦ σῶλα Πεισιχάρις
Ο᾽λνω τε ῥυπόεντα, πολυτρίβητό τε τέρας
Λαιψηρόν, ἀρχαίας πλινθίδος πρόσθεν.

Quorum ſimplicitatem cùm antiqui Chriſtiani in habitu & calceatu imitarentur, & ipſi βλαύτας, ſive phæcaſia, pedibus induxêre. Ita enim præcipit in ſuo *Pædagogo* Clemens Alexandr. Εἰ δὲ μὴ ἀνυποδητεῖν, ἀλλὰ μὴ Φέρειν ὑπὸ ἀποπεδίοισι, βλαύτας ἐπὶ φαικασίοις χρηστέον, κοσμοῦντας αὐτὸν ὡς οἱ Ἀθηναῖοι διὰ τὸ παλαιὸν ποι δοκοῦντες τῷ ποδί. Omnia enim hujuſmodi calceamenta humili ſolô erant, unde & μονόπελμα dicebantur. cùm contrà calcei, quos diaère ὑποδήματα, ut plurimùm ſolô eſſent altô, &c. Vide Salmaſ. *Notis ad Tertullian. de Pallio, c. 5. p.* 425. Sed & fœminis in uſû fuiſſe, videbimus infrà.

BLAVUS, Romanus, qui cùm audiviſſet filium à Triumviris interfectum, ab iiſdem impetravit, ut interficeretur & filio comes mitteretur.

BLAVUS, & **BLAVIUS** color, apud Joh. Monachum in *Vita S. Odonis l.* 3. Albertum Argentin. *p.* 121. Alios, cœruleus dicitur, German. *Blaw*, Gallic *Bleu*: cujus vocis etymon à Latino arceſſit Salmaſius. Cenſet enim, *blivum* ſeu *bleu*, dictum quaſi *ablutum* & dilutum, Græc. κυανοῦν, qui nihil aliud ſit, quàm purpura dilutior & pallidior, vide eum ad Tertullian. *de Pallio, c.* 3. & plura hanc in rem, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Hunc Chriſti veſtimento colorem fuiſſe ait, ſed ſine teſte idoneo, Dominicus Macer in *Hierolex.*

BLEGABRIDUS Sylliæ, Syllii ſeu Siſilli Regis fil. primus & ſexageſimus Britannicarum rerum moderator, Muſices peritiſſimus, ætate ſuâ ferebatur. Circa A. M. 3858. & ante natum Chriſtum 112. claruiſſe ſcribitur. *Nic. Lloydius.*

BLEKINGIA, provinc aliàs Daniæ, nunc Sueciæ, ab A. C. 1658 Ducatûs olim titulô clara. Juxta mare Balticum, quà Germaniam reſpicit. Ei à Septentrione Gothia, ab Occidente Scania. Præcipuæ urbes Ahuſium, Rotembya, Chriſtianopolis.

BLEMYES, ii. **BLEMIÆ**, **BLENÆ**, vel **BLEPTÆ**, Æthiopum populi à Marciano Imperatore per Florum repreſſi, A. C. 450. Claudian.

——— ——— ——— *Errat*
Per Meroën, Blemyasque feros, atramque Syenen.

Hi capite carent, oculoſque habent & os pectori affixos. Monſtra hominum. *Blemys* autem pro בלי *beli*, vel *Bli*, & מח *moach* h. e. *ſine cerebro*. Unde nata eſt fabula, *Blemyes eſſe ſine capite.* Bochart. *l.* 4. *Phaleg.* c. 29. Horum meminit Dionyſ. *in Perriegeſi v.* 220.

Τῶν πάρος αἰθαλόεν Βλεμύων ἀνέχουσι κολῶναι.

Dicti autem ab Æthiopum Rege *Blemy*, uti tradit Nonnus *in his*:

Καὶ Βλέμυς οἶνος ἵκανε ἐς ὀψιτέρην τόπον Νείλου
Ἐρυθρὸς ... ὁμόχροος Αἰθιοπήων,
Καί μιν ἀέθλεος Μερόης ὑπεδέξατο πεδίον
Ὑψιγένοις Βλεμύεσσι ἐπώνυμον ἡγεμονῆα.

Theocritus *in Thalyſiis*, *ſive Idyll.* 7.

Ἐν δὲ θέρει νεμοίνοιο παρ᾽ Αἰθιόπεσσι πυρώδεσι
Πέτρᾳ ὑπὸ Βλεμύων, ὅθεν οὐκέτι Νεῖλος ὁρατός.

Ubi *Scholiaſtes*, Ἔθνος Αἰθιοπικὸν οἱ Βλέμυες, ἐν τοῖς ἐσχάτοις τῆς Αἰθιοπίας οἰκοῦντες. Ἄλλως. Βλέμυες ἔθνος Αἰθιοπικὸν μελανόχροον, οἱ αὐτοὶ δὲ εἰσι Τρωγλοδύται. Vide Pauſan. *l.* 7 *Nic. Lloydius.* Eorum quoque meminit Auguſtin. *Serm.* 37. *ad Fratres in Eremo*, ut & Plin. *l.* 5. *c.* 8. Cùm illis rem ita ſe habere, ait Auctor Anonymus *Hiſt. Urbis terr. Geogr. & Civ.* eſſe nimirum, qui capita intra humeros, quos attollunt, recondere ſoleant, eoque cum magnum alant capillitium, caput cum pectore quaſi confundant, tanquam collô deſtituti, quod ex peregrinationibus cognitâ ſua tradit Borell. *Obſervat. Medico-Phyſic. centur.* 3. *obſerv.* 3. Vide quoque Aldrovandum *apud Schottum*.

BLENAVIUM, oppidul. Ducatus Burgundiæ in Puiſaxenſi agro, ſub dominio Cortenæorum, ad Lupam fluv. 4. leuc. à Breviodoro in ortum 11. ab Altiſſiodoro in Occaſum.

BLENINA, Arcadiæ oppid. Pauſan. *in Arcadic.*

BLEPSIDEMUS, nomen comicum viri pauperis, qui oculos convertit & jactat in populum, unde anathum ſperat

BLERA, Tuſcorum mediterranea urbs *Ptol.* hodiè *Bieda*, unde populi *Blerani*, Plin. *l.* 3. *c.* 5. Vide Cluver *Ital. Ant l.* 2 *p.* 522.

BLESA, fluv. Belg. vulgò *Bliess* alluit vicum Bleſam *Bleiſſ*, Orvillare *Orweiler*, Altoſtate *Altſtatt*, Limpachium *Limpach*, Bleſam caſtellum *Blieſ-caſtel*, & ad Gemundam *Gemund*, Saravô accipitur. Ab eo flumine eoque caſtello nomen accepit haud dubiè pagus *Bleſenſis*, Nithardo in *l.* 3. memoratus, qui pagos *Tullenſem*, Odornenſem, *Bedenſem*, *Bleſenſemque* conjunctim enumerat. *Pagus Bleſenſis*, *Bleſitchowa* appellatur Germanicô nomine, compoſitô ex *Bleſit*, i. e. Bleſenſis, & *chowa*, h. e. pagus: poniturque inter *Sarachowam* & *Albechowam*, i. e. Saravenſem & Albenſem pagos, in Diviſione Regni Lotharii A. C. 870. facta. Hic pagus per me primùm omnium illuſtratus, doctis innoteſcet: quem Aubertus Miræus à loco Treviris propinquo *Blir* dictum eſſe exiſtimat. Olim arbitratus ſum *Bleſenſem pagum*, quoniam à Nithardo ponitur prope Partenſem pagum & utroſque Barrenſes, nomen habere à flumine *Bleſa* in Matronam decurrente, aut à caſtello cognomine quod alluit. *Bleſa* autem vulgò dicitur *Blaiſe*, cùm flumen tum caſtellum, aliàs *Blaiſe*. Sed nunc non dubito, quin priori ſententiæ ſtare oporteat. Certè legi literas Caroli Magni, in quibus *cellam Salonam in pago Salnenſi, cum Blahario villa ſuper fluvium Saran* (i. e. Saram aut Saravum) *& Bleſa* memorati invenio. *Bleſa* autem hæc, eſt villa *Bleiſ* vulgò dicta, ad *Bleſam* flumen poſita. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BLESÆ, oppid. & Comitatus Galliæ Celticæ ad Ligerim elegans, *Bloys* ſeu *Blois*, à Regibus habitari ſolitum. Hic conventus ordinum Regni, A. C. 1576. quô bellum contra Reformatos concluſum: Et Guiſiæ Dux cum fratre Cardinali, Regis juſſu in illo ipſo cubiculo occiſus. A. C. 1588. *Hiſtor. Gall. Thuan.* inprimis. Huc à Ludovico XIII. Regina mater ſepoſita eſt, A. C. 1617.

BLESENSE Caſtrum & Pagus *Bleſenſis* in Celtica. *Bleſenſium* primus meminit ſemel atque iterum Gregorius Turonicus Epiſcopus in *l.* 7. *Hiſtoria Francica c.* 2. & 21. quum ait, *Aurelianenſes cum Bleſenſibus ponctos mortuo Chilpericô in Dunenſes irruiſſe*; & ut cuſtodiretur Eberulfus, qui in Baſilicam S. Martini confugerat. *Aurelianenſes atque Bleſenſes viciſſim ad has excubias veniſſe* A. C. 584. In Vita Ludovici Pii Imperat. A. C. 834. & in Vita Aigulfi Monachi Floriacenſis, cujus patria fuit, atque apud Aimoinum *in l.* 4. *c. ultimum &* 42. *caſtrum Bleſenſe* nuncupatur; *Bliſium caſtrum* in Annalibus Bertinianis A. C. 854. *Bleſum caſtrum* aliis. In quodam veteri nummo legitur *Bleſo caſtro*: quod nunc oppidum eſt celebre in Carnutibus, vulgò *Blois*. *Maſſonus* putat *Corbilonem* à *Strabone* appellari. Hic locus *pago Bleſenſi* nomen dedit, *le Blaiſois*, qui *pagus Bleſiſus* nuncupatur in Capitulis Caroli Calvi, & prope Aurelianenſem ponitur: dedit & nomen Comitibus Bleſenſibus, quorum illuſtris eſt memoria: quorum originem Johannes Pariſienſis, *in Memoriali Hiſtoriarum*, enarrat his verbis: *Rollonis fuit cognatus Gello, & ſocius itineris & bellorum, cui pro pace tradidit Carolus Simplex Montem qui Bleſum dicitur cum territorio circumſtante. Qui baptizatus ſicut cæteri, caſtrum bonum in prædicto loco conſtruxit*, (i. e. arcem) *fuitque primus Comes Bleſenſis.* At multo ante Caroli Simplicis Principatum locus iſte *Bleſenſis*, à monte ſuo dictus, caſtrum erat & vocabatur: ut ſuprà notavimus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BLESENSIS Petrus, vide *Petrus*.

BLESILLA, diſcipula Hieronymi, Græcè, Latinè, & Hebraicè docta. Hieronym. *ep.* 25.

BLESINON, Corſicæ inſul. caſtellum. Strabo *l.* 5

BLESTIUM, Angliæ oppid. *Antonin. Oldtown Camdeno*, haud procul ab Herefordia.

BLETISA, Hiſpaniæ urbs prope Salmanticam. *Ledeſma* Vaſæo, *in Chron.*

BLETONESI, populi barbari. Plut. *in Quæſt. Roman.* non addit autem quô loci ſint.

BLETERRUM, oppid. Comitatus Burgundiæ, ad amnem *Seille*, in confinio Ducatus Burgenſ Olim munitum, nunc ſine mœnibus. 9. leuc. à Dola. *Bleterrans.*

BLETHONA, alius **BLEDONA** vel **BLODUNA**, vulgò *Bleone*, fluv Galliæ, qui Dinam Bodiontiorum vel Sentiorum alluit, ac in Druentiam labitur poſtquam haud procul à civitate Mardaricum fluviolum, qui convallem, ubi Burgus pars civitatis Diniæ, præterlabitur, recepit. Ab hoc fluvio, apud Plinium *l.* 3. *c* 4. pro *Bodionticis*, quos ibi habet, *Blodontios* vel *Bledontios* legi vult *Gaſſendus*, refragante Hadr Valeſiô *Notit. Galliæ*, in voce *Dinia*.

BLEVA, caſtellum Galliæ, in Cenomanis, memoratum Orderico Vitali *Hiſtor. l.* 10. haud procul à Sarta fluvio, vulgo *Bleve*, Hadr. Valeſ. in voce *Majanum*.

BLIALDUS ſeu **BLIAUDUS**, in *Tabulario* Abbatiæ S. Amantii Inculiſm. veſtis ſpecies eſt, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

BLIARUS, vide *Membliarus*.

BLIDA, Rolandino in *Chron l.* 5 *c* 15. machina bellica eſt. Vide Andr. Felibianum *de Architectura l* 1. *p* 103. Cambro-Britannis certè hodieque *Blit* eſt catapulta: *Blie* Danis, ut eſt apud Pontanum in *Chronographia Danica*, *p.* 799.

BLIRIACUM, ad Carim fluv. vulgò *Bleré*, oppid. ſeu caſtellum Galliæ in Ducatu Turonico, qui à fluvio Toëdo *Tout*, aſque ad Hagas Blimartii ab Oriente in Occidentem promittitur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce, *Turones*.

BLITE-

BLITERÆ, quæ *Straboni Blitera*, Βαιτέρα πόλις ἀσφαλὴς ad Obrim ſita. Melæ *l.* 2. *c.* 5. inter urbium quas habet Gallia Narbonenſis opulentiſſimas, *Septimanorum Blitera*. Plinio *l.* 3. *c.* 4. *Blitera Septimanorum* vocatur, adnumeraturque coloniis provinciæ Narbonenſis hiſce verbis, *In mediterraneo Coloniæ*; *Arelate Sextanorum*, *Blitera Septimanorum*, *Arauſio Secundanorum in agro Cavarum*, *Valentia*, *Vienna Allobrogum*: *oppida Latina*, *Aquæ Sextiæ*, &c. Ita Plinius (ni fallor) eſt reſtituendus adjectione unius literæ, *Coloniæ* pro *Colonia*, quæ in editis libris menda reperitur. Arelatum autem & Arauſionem, & Valentiam, ac Viennam Colonias fuiſſe conſtat quas inter cum *Bliteras* ſuas numeret Plinius, dubitari jure non poteſt, quin eam urbem pro colonia ſimiliter habuerit. A' *Claudio Ptolemæo* Geographo *Beterra* aut *Bætira*, Βαιτίρρα, *Volcarum Tectoſagum urbs mediterranea* dicitur, corruptè ut putat Caſaubonus pro Bliteræ Βλιτέρα. Sed Caſaubono non accedo, & utrumque nomen ſincerum eſſe arbitror. Nam *Itinerarium Hieroſolymitanum* & *Idatius civitatem Beterras* vocant; *Biterras* & *Severus Sulpicius*; & Julianus Toletanus Archiepiſcopus; Gregorii Noſtri veterrimi codices nunc *Biterris urbem*, nunc *Biterrenſem civitatem*, ac *Biterrenſem* mundoè; *Appendix* Fredegarii, *regionis Gothicæ urbem famoſiſſimam Biterris*. *Tabula Peutingeriana*, *Beteras* nuncupat, & inter Ceſſeronem ac Narbonem collocat, à Ceſſerone 12. à Narbone 16. millibus paſſuum diſtantem; ac Æthicus *in Itinerario Beterras* non ſemel inter Araurim ſive Ceſſeronem & Narbonem; à quibus *Sep. Bæterr.* i. e. Septimani Bæterrenſes in antiqua inſcriptione Narbonenſi dicuntur. Surita non ſolum in omnibus Æthici codicibus, ſed etiam in Plinii veteribus exemplaribus *Beterras* ſcriptum reperiri affirmat. Lucas Holſtenius quædam ad Ortelii Theſaurum Geographicum adnotavit: quæ adnotationes ipſo mortuo Romæ annò 1666. ſunt publicatæ. Ibi Holſtenius ait, nummum ſe à Peireſcio accepiſſe, inſcriptum Βαιταιρηνῶν: ob idque *Bliteras* corruptum eſſe nomen exiſtimat, & Λ in locum Α malè ſubſtitutum, nec ΒΛΙΤΕΡΑ apud Strabonem, ſed ΒΑΙΤΕΡΑ, item apud Melam non *Blitera*, ſed *Baitera* ſeu *Batera* ſcribi oportere, & in Plinii priſcis codicibus non *Blitera*, ſed *Beterra* rectè legi. Verum cum fuiſſe olim civitatis nomen *Beterra* & *Beterræ*, Βαιτέρρα & Βαιτέρραι: pro quo Stephanus *Betarra* Βαιτάρρα habeat. Ita Holſtenius: cujus ſententiæ non accedo. Nummus quidem ab ipſo laudatus Βαιταρρηνῶν potius inſcribi debuit, quàm Βαιταιρηνῶν, ut lex analogiæ docet. In veteribus Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ nunc *civitas Beterrenſium* appellatur, in provincia Narbonenſi 1. tertium obtinens locum; nunc *civitas Betterrenſium*, atque etiam *Biterrenſium* vel *Beterrenſium*, quod corruptum eſt nomen. Gervaſius Tilleberienſis & recentior Notitia Epiſcopatuum Galliæ Epiſcopum *Biterrenſem*, aliàs *Biterrenſem*, ſecundum numerant inter Antiſtites Narbonenſi Valcoutæ Archiepiſcopo ſuffraganeos; alia Notitia tertium. Hæc urbs vulgò *Bezeirs* nuncupatur: elegans & culta, quam falsò Joſ. Scaliger in Volcis Arecomicis eſſe ſemel atque iterum aſſerit, cum à Ptolemæo Volcis Tectoſagibus attribuatur, longitud. 23. 50. latitud. 42. 41. ad Orobum fluv. in Occitan. inferior. viii 2. leuc. ab ora maris Mediterranei & 3. ab Agatha, in Occaſum. Epiſcopalis eſt, ſub Archiepiſcopo Narbonenſi, habuitque primum Præſulem, S. Aphrodiſium. Evangelii luce illuſtrata, ſeculò 13. mox Martyrum ſanguine inundata eſt; expugnata enim, & lamena L. Mill. ab hoſtibus patrata: præterito ſeculò eandem, per Dei gratiam, lucem denuò ſenſit. Hic Synodus habita, A. C. 356. à Saturnino Arelatenſi Ariano, quâ Hilarius Pictavenſ. in Phrygiam exul abire juſſus eſt. A. C. 1233. 1246. ubi actum de facilima Albigenſes ad Romanam Communionem reducendi via. Ager *Biterrenſis*, ſeu *pagus Biterrenſis*, à Juliano Toletanæ Sedis Archiepiſcopo *Beterrenſe territorium* vocatur, ab incolis *le Bezares*: uti pagus Carcaſſonenſis *le Carcaſſes*; ager Agathenſis *Agadez*. Diœceſi Biterrenſi continentur Biteræ, Salviarum *Sarvian*; Ripa alta vel Ripalta *Ribaute*; Capraria *Cabriere*, Villamagna *Villemagne*, Roccarotunda ſeu Rupeſrotunda *Roquerodonde*.

BLITIUS Catulinus, poſt conjurationem Piſonianam à Nerone in inſulam maris Ægæi ejectus. Tacit. *l.* 15. *Annal.* *c.* 71. Rhenanus, ut Codice Budenſi, legi adnotat *Blitium*.

BLIULÆI, Arabiæ Felicis populi. *Ptol.*

BLOCZILIA, arx Belgii, in Friſia Occidentali ad oſtium amnis *Aa*, in littore maris Auſtrini: ab Epiſcopo Monaſterienſi A. C. 1672. capta, pauloque pòſt fortiter recepta. Vide *Arx Bloczilia*.

BLOERINI, & **ISANGRINI** vocantur à quodam Poëta neoterico, qui res geſtas Philippi Aug. Regis Francorum deſcripſit, quidam Flandriæ populi Furnenſium, Bergenſiumque clientes. Hoc annotavit *Jac. Meyerus*.

BLOMBERGIUS ramus, ex Furſtenbergenſi familia ortus eſt. Comitum autem horum vetuſta & inter Suevos celebris familia, Principali axiomate ea parte nuper eſt ornata; ejuſque partem olim conſtituiſſe creduntur Comites Friburgenſes, qui in Johanne (à quo Hochbergii, & nunc Badenſibus Principibus præfectura *Badenweiler* obtigit) defecerunt A. C. 1458. Quantum nunc ex ſtirpe Fürſtenbergica ſupereſt, in ramum Heiligenbergo-Werdenbergium, à Joachimo Friderico A. C. 1559. extincti filio ortum, & *Blombergium*, quem Joachimi frater Chriſtophorus I. orſus eſt, dividitur: quorum hic iterum in *Mœſkirchium* & *Stulingenſem* diſpeſcitur. Ex Joachimo & Anna *de Simbern*, natus Ego, obiit A. C. 1635. Pater ex Anna Maria Zollerana, Ferdin. Friderici Egonis, extincti A. C. — Leopoldi Ludovici, qui obiit A. C. 1639. Franc. Egonis (nati A. C. 1626. Epiſcopi Argentinenſis) Hermanni Egonis (nati A. C. 1627.) Johannis Egonis, &c. Chriſtophorus verò, extinctus A. C. 1559. ex Barbara Montfortia, genuit Albertum, patrem Chriſtophori II. quò natus Frideric. Rudolphus Comes Furſtenbergenſ. *in Stulingen*, extinctus A. C. 1655. reliquit Franc. Maximilianum, maritum Mariæ Magdalenæ Bernhuſiæ, Spenerus *Theatr. Nobil. tom.* 2.

BLOMENVENNA Petrus, vide *Petrus*.

BLONDUS, ſeu **BLUNDUS**, color capillorum flavus, Gall. *Blond*, Græcè ξανθός, *luteus*, *dilutior*: à Saxon. *blonde*, i. e. mixtus, tinctus, fucatus. Rutilum enim colorem arte quadam & ſpecierum mixtione, v. g. lixivio & ſapone, fieri conſueviſſe, docet pluribus Cluverius *Germ. Antiq.* *l.* 1. *c.* 16. Vide Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 1155.

BLONDUS Flavius, Forojulienſis, Secretarius Eugenii IV. &c. Scripſit Romam *Triumphantem*, 10. libris. *Reparatam* 3. *Exornatam* 8. Porrò Hiſtoriam Romæ in tres Decades diviſam, & tractatum de origine Venetorum. Obiit A. C. 1463. ætat 75. Gobellio. *Comment. de Pio* II. *l.* 11. Merula *l.* 10. *Hiſt.* P. Jovius, *Volaterran.* *Trithemius*, &c. Quinque filios, eruditos omnes, reliquit: Leander *deſcr. Ital.*

BLONICUM, urbs Poloniæ inferioris in confinio provinc. Mazoviæ, lignea tota, ſpatioſa tamen. 7. leuc. Poloni̇cis à Warſovia in Occaſum, Lanciciam verſùs.

BLOSIUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

BLUCIUM, Toliſtobogiorum caſtellum, qui Bithynis finitimi ſunt, in quo Dejotarus theſauros habebat. Strabo *l.* 12.

BLUMARITH, apud Luxurium in *Epigrammate de eo*, *qui amicos ad prandium clamabat*, *ut plura expoſceret Xenia*,

Gaudeo, *quod me nemo et frequenter*
Ambitu paſcit Blumarit *ſuperbè*.
Unde ſed paſcor, *mea ſunt per omnes*
Sparſa convivas bona, &c.

nomen eſt proprium Viri Vandalicum vel Gothicum, qualia multa in illis Epigrammatis. Scripſit enim Luxurius ille Carthagine, ſub Thraſimundo Vandalorum Rege. Salmaſ. *Notis ad Æl. Spartian.* in *Hadriano Cæſ.* *c.* 17.

BOA, aquatilis ſerpens, Græcis ὕδρος, cujus meminit Solin. *c.* 2. *Calabria chelydris frequentiſſima & Boam gignit*, *quem anguem ad immenſam molem ferunt convaleſcere. Captat primò greges bubulos & quæ plurimò lacte rigua bos eſt*, *ejus ſe uberibus innectit*, *ſuctuque continuò ſaginata*, *longo in ſeculo*, *ita ſedibus ſaginatæ ultimò exuberatur*, *ut obſiſtere magnitudini ejus nulla vis queat*: *& poſtremò depopulatis animantibus regiones*, *quas obſederit*, *cogat ad vaſtitatem. Denique D. Claudio Principe*, *ubi Vaticanus ager eſt*, *in alvo inciſæ boæ ſpectatus eſt ſolidus infans*. Hinc, quòd *bubulis* lactis ſucco alatur, nomen ei datum eſſe, Plinius ait, *l.* 8. *c.* 14. Sed omnium ſerpentium id eſſe, ut lac avidè hauriant; colubrorum inprimis, qui in paſtu pedibus vaccarum circumvoluti poſterioribus, lac ex uberibus ad ſanguinem uſque ſugunt, notum eſt. Potiùs itaque ex Græco ὄφις vocis nego arceſſitur, quod idem eſt ac ὄφεις, pro quo Æoles Bœotii dicebant βόας, unde Latini ſuum *boa* ſumſere, ſicut ex φόινος fecerunt *popa*. Βόας autem vel ὄφεις, πολυκυμβητὴς eſt, *natator*; quod ſerpenti huic aquatili apprimè convenit. Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 87. Iſtiuſmodi *Boa* cœrulea, terius gyris in palum circumplicata, auròque coronata, erumpente ex faucibus infantulò coccineò, in ſolo argenteo, Mediolanenſis Ducatus ἐπίσημον eſt, inter Inſignia Hiſpaniæ Regis: cujus originem, fabuloſam ſine dubio, à quodam Ottone, qui Volucem gigantem cæciderit, hòc Symbolò ſuperbientem, ad denotandam, ab Alexandro M. originem, ut ita infans ex ore boæ naſci appareat, ſunt qui arceſſant. Vide Chiffletium *Inſign. Equit. Aurei Veller.* *n.* 374. Beauvillæum *fen d'Armes*, Phil. Jac. Spenerum *Arte Herald. Parte Spec.* *p.* 196. §. 63. qui idem digma in ſcuto Duc. de Mortemar, *p.* 309. §. 6 & Rohaneo, *p.* 323. §. 11. conſpici docet, per affinitates, ut illarum. Quemadmodum Chiffletius eandem teſſeram, cum columna ſcutaria, cui anguis hic circumvolutus, apicem facit clypei Franc. Columnæ Palæſtinæ Principes, *d. l.* *num.* 316. In Mediolanenſi verò apice praſinus alatuſque eſt, auròtenus umbratus & coronatus Spenerus *ubi ſupra* §. 63.

BOACEUS, Italiæ locus inter Piſas & Genuam. *Antonin.*

BOACHIERI, machinæ bellicæ ſpecies, apud Sanutum *l.* 3. *parte* 12. *c.* 21.

BOACTES, Liguriæ fluv. *Ptol.* Μακρίλλα ποταμοῦ ἐκβολαὶ, ἀνωτέρω Βοάκτου ποταμοῦ. Ubi ἀνωτέρω Ptolemæum intelligere id, quod alii auctores, i. e. *confluentem amnium*, patet ex Germaniæ deſcriptione, ubi trium amnium in Danubium confluentes memorat, quorum duo ſunt, Ænus ab læva ripa, Marus à ſiniſtra, in Moravia. Hic itaque *Boactes*, ea poſitione ejus meſt, qui oppidum *Brignolo* præterlapſus in dextram Macræ ripam defluit. *Cluverius*. Nunc *Verra*, quibuſdam etiam *Brignole*.

BOÆ, ſive **BOEA**, urbs Laconicæ, cujus meminit Pauſan. *l.* 3. it. Strabo *l.* 8. οἷον Βοιαὶ πόλις, οἷον Μαλέα, *Poſtea* Boæ *urbs*, *deinde Malea*: Item *Stephanus*, quem vide. Ab ea non longè ſuit Epidaurus, ἡ Λιμηρὰ Ἐπίδαυρος Straboni præfata dicta, Laconica urbs in Argolico ſinu. Vide Ptol. *l.* 3. *c.* 16. Plautus *Boæ Epidauri* vocat, *Epidic. Actu* 5. *Sc.* 2. *v.* 29.

E Philippa matre natam, *ac te* Boiis Epidauri *ſatam*,
Videon' ego Teleſtidem te, *Periphani filiam?*

Fortè quia in agro Epidaurenſi ſitæ erant. Vide præter Auctores laudatos Plin. *l.* 4. *c.* 5. & Sam. Petitum *Comment. in LL. Atticas l.* 6. *tit.* 1.

BOAGRIUS, Locrenſium amnis Thronion urbem præterfluens. Strabo *l.* 9.

BOALIA, ſeu **BUPETIA**, ludi fuiſſe apud Romanos, iidem cum Taureis. Vide *ibi*.

BOANE, lacus juxta Nicomediam. Euagr. *l.* 2. *c.* 14. Nicephorus *l.* 15. *c.* 10.

BOANDUS, fluv. Hiberniæ. Vide *Buvenda*.

BOANERGES, Latinè *filii tonitrui*; Sic à Chriſto cognominati, fuerunt Jacobus & Joannes, filii Zebedæi. Marc. *c.* 3. *v.* 17. *Banereem* ſeribi debere ait B. Hieronymus.

BOANOSA, inter inſignia victoriæ, apud Monachum Engoliſmenſ. in *Vita Caroli M.* ann. 798. *Adefonſus Rex Galliciæ & Aſturiæ prædatâ Ulyſſipone*, *ultimâ Hiſpaniæ civitate*, *inſignia victoriæ ſuæ*, boanoſas,

noſas, *multos capitivoſque Mauros Domino Regi Carolo per legatos ſuos miſit.* Ubi *σαναμίας* vel *σαναμίαν* legi vult *Meurſius*. Σαναμον, autem Moſchopulo *l. περὶ σχεδῶν*, Latinè idem ſonat, quod *lorica*. Σαναμιον habetur apud Johannem Diaconum ad *Scutum Heſiodi*. Σάνον pro veſtis ſpecie, occurrit apud Joh. Tzetzem *Chiliad.* 1. *c.* 29.

> Τοιοῦτο δ' ἱμάτιον ὑπῆρχεν Ἀντισθένους,
> Ἦν σάνον ἁλουργὲς πεντεκαιδεκάπηχυ ὄν,
> Ἔχον ζῶδα καὶ θεοὺς καὶ Πέρσικα καὶ Σοῦσα, &c.
> *Tale veſtimentum fuit Antiſthenis,*
> *Suſon purpureum quindecim cubitorum,*
> *Habens animalia & Deos, & Perſica, & Suſa, &c.*

Forteaſſe à Suſis Perſiæ Metropoli. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

BOARIUM, forum Romæ. Plin *l.* 28. *c* 3. & *l.* 34. *c.* 2.

BOARMIA, Pallas à Bœotiis ſic dicta eſt, à boum ad aratrum coaptatione. Cœl. Rhodig. *l.* 14. *c.* 18.

BOAS, Dalmatiæ inſul. *Amm. Marcellin.* Vide *Bubua.*

BOATIUM Civitas, *in veteri*. *Notitia provinciarum ac civitatum Galliæ*, nuncupatur, quæ aliàs Lapurdum dicitur, urbs Galliæ in Tarbellis, maritimâ Novempopulorum gente. Hos *Boates* ſolis illis Notitiis memorari, neque uſquam alibi, reperiri, tanquam eos bo œ ſolidæ hauſerint, miratur *Valeſius*. Quòd enim cum Boiis, Galliæ populo, quidam eos confundant, multùm à veritate abludunt, cùm hos Burdigalenſis pagi incolas, cum Burdigala, Aquitaniæ ſecundæ, non provinciæ Novempopulanæ attribui conſtet, & Buchium ſeu Boji vicus, Bojorum caput, à Bajona ſeu Lapurdo *Boatium* capite bidui amplius itinere abſit. Nec aſſenſum impetrat Scaliger, cùm per *Boates* Vocates Cæſaris *Comment.* *l.* 3. *c.* 27. intelligit, cùm hi potius Vaſates eſſe videantur. Fortè *Sediboniates*, quorum Plin. *l.* 4. *c.* 19. meminit, Aquitani, i. e. Aquenſibus proximi, quibus à *ſede bona* ſeu commodo ſitu nomen datum, poſteà truncatô nomine *Boates* ſunt dicti. Certè enim Lapurdenſes Boateſve aut Bajonenſes Aquenſibus confines ſunt, & fortunatè ſiti, commercio caeterorum parent. Valeſio *Boates* à *Boa* videntur nuncupati, & *Boa* primùm dicta eſſe, quæ poſt *Baona*, ac demum *Bajona*. Quòd autem per *Boatium civitatem* Bajona ſeu Lapurdum intelligendum veniat, hinc patet, quòd cùm cæteræ Novempopulorum civitates notæ ſint, quæ hodieque exceptâ Elusâ Epiſcopali dignitate fulgent, aut Boatium civitat. Bajonam eſſe, aut veterem urbem Novempopulanæ & priſcam ac nobilem Epiſcopatûs ſedem à Notitiis omiſſam eſſe oporteat, quod veriſimile non eſt, vide Hadr. Valeſ. in voce *Lapurdum.*

BOAULIA, urbs Scythiæ. *Steph.*

BOBA Mutius Antonius, Caſali oriundus, Epiſcopus Auguſtæ, à Sabaudiæ Duce ad Concilium Tridentinum miſſus, A. C. 1561. eandem ejuſdem commendatione purpuram nactus eſt, triennio poſt. Scripſit Carmina Latina, inter *Carmina illuſtrium Poëtarum Latinorum*, à Matth. Tuſco edita, & *Orationem*, quam in Concilio habuit. Defunctus A. C. 1575. Ei Levinus Torrentius dedicavit ſuum *de Bello Turcico* poëma. Sanderus *de clar. Anton.* *Thuanum*, Anton. Teiſſier *Elogior. Volum.* 1. & 2.

BOBACUM, haud procul à civitate Seculterone in provincia Narbonenſi 2. eſt vicus, vulgò *Beavons*, aut *Bevons*. Alii *Bobiacum*; quidam *Bodonum*; plures *Bodanum*; nonnulli *Babacum* aut *Baborum* appellant, locum vetuſtiſſimô ſub Gundobado Rege Burgundiæ Monaſteriô nobilem. In quibuſdam tabulis corruptum eſt loci ejus nomen. *Benom* enim nuncupatur, pro *Bevons*, tranſpoſitis litteris.

BOBADILLA, nomen illuſtris fuit in Hiſpania familiæ, in qua claruit Didacus Fernand. Dn *de Bobadilla*, Regis Alfonſi ultimi Camerarius; ſed nomen Beatrix Fernandina *de Bobadilla*, Andreæ *de Cabrera* March. *de Moya* nupta, huic familiæ intulit, unde à March. *de Moya* & Comit. *de Chinchon* uſurpatur. Fuit autem Beatrix præfata, filia Petri *Fernandez de Bobadilla*, ex Maria Maldonata; & ex marito mater Fernandi *de Cabrera* & *Bobadilla Comit. de Chinchon*, quô & Tereſiâ *de la Cueva*, natus Petrus Fernandinus, Pater fuit, ex Mencia *de la Cerda* & *Mendoza*, Didaci Fernandini *de Cabr.* & *Bob. Com. de Chinchon*: qui ex Agnete Pacheca ſuſcepit, Ludovicum Hieronymum Fernandinum *de Cabr.* & *Bob. Comitem de Chinchon* (cui uxor obtigit Anna, filia Petri Alvari Oſorii Marchionis *d'Aſtorgad* A. C. 1631.) Menciam *de Cabr.* & *Bob.* (uxorem Franciſci Fernandini *de Cabrera* & *Bobadilla* Marchion. *de Moya*) Mariam *de Cabrera* & *Pacheco* (nuptam Joh. Andreæ Hurtado *de Mendoza Marchioni de Canete*) Luiſamque *de Cabrera* (quam duxit Petrus Velaſcus Davila *Marchio de Loriana*) &c. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. part.* 2.

BOBÆ Ambianorum, Rigordus in anno 1214. *caſtrum quod Bovas* vocant, prope Ambianos commemorat; & Willelmus Britto Armoricus *in l.* 2. *Philippidos*, qui *Bobas* nuncupat, atque ita deſcribit,

> *Inter quæ caſtrum Bobarum nomen habebat*
> *Clarius & titulis, & gente, ſituque, decorum*
> *Turribus, & muris, foſſis, valloque ſuperbum.*

Nomen hodieque retinens *Boba* vel *Bova*. Dicuntur enim *Boves*, olim caſtrum, nunc vicus ignobilis in Ambianis, ad fluvium, qui apud Samarobrivam in Summam decurrit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BOBINÆ ſeu BOMBINÆ, Gallis *Bobines*, ligna puellis dicuntur, quibus involvunt tramam; à *Bombyce* ſeu *Bombylio*, quô nomine tum appellatur vermis hic, cùm teſtâ ſuâ ſive ſepulchrô textili incluſus eſt, nec movens ſeſe nec ſonans: non quidem à *bombo*, ſeu ſono, ſed à figura. Teſta enim illa ſive theca, quâ reconditur, oblongâ & ovatâ formâ, fuſum refert ſtamine plenum, qui in medio tumeſcens ſenſim tenuiſcit & in acumen utrimque deſinit; *Panum* & *panulum* & *paniculum* Latini vocant, Græci πηνίον. Cujuſmodi modius ſcaus & figura ampullæ eſt, quam Græci βομβυλιὸν appellant: nam ventrem extumidum habet, extrema exiliora &c. Vide Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio c.* 3.

BOBIUM, oppid. ad Apennini juga ſitum, ubi nobile cœnobium à Theodolinda Regina Longobardorum extructum: quo in loco reperti ſunt Rutilius, Numatianus, & permulti alii libri à Volaterrano enumerati. Geogr. *l.* 4. *fol.* 45. In confinio eſt ditionis Genuenſis & Ducatus Placentini, paucorum incolas. *Bobbio* hodie, 35. milliar. à Dertona in ortum.

BOBONIA, urbs Italiæ. *Steph.*

BOBURII, populi Americæ Meridionalis, prope Emeritam, oppidul. Venezuelæ regionis & Maracaibum lacum.

BOCALIAS, fluv. in Salamine inſul. prius *Bocarus* dictus. Strabo *l.* 9.

BOCALIUM, Arcadiæ oppid. Megalopoli vicinum, & Parrhaſiæ. Plin. *l.* 4. *c.* 6.

BOCANI, inſulæ Taprobanæ populi. *Ptol.*

BOCANUM Hemerum, urbs Mauritaniæ Tingitanæ. *Ptol.* Hæc aliàs totius Africæ urbs ampliſſima & ſuperbiſſima, vulgò *Marocco*. Nunc ſenſim deficit à multis annis. Juxta *Niffim* fluv 35. leuc. Hiſpanic. ab ora Maris Atlantici. 70. à Fezza in Auſtrum à Freto Gaditano 350. mill. paſſ Vide *Marocum.*

BOCCATIUS, Florentinus, diſcipulus Petrarchæ *Genealogiam Deorum* ſcripſit, item *de fluminibus & montibus*; præterea *fabulas*, & alia plura vernaculò ſermone. Obiit A. C. 1376. ætat. 62. Volaterran. Muſſæus *in Chron.*

la BOCCHA, aliàs la LOQUEA, locus in Tripolitanis partibus.

BOCCHOR, nomen Regis Balearium, apud Solin. *c.* 23. *Bocchoris regnum Baleares fuerunt, uſque ad everſionem frugum cuniculis animalibus quondam copioſa.* Quod cùm alibi noſpiam occurrat, *Bocchorum* oppidum fœderatum Romanis, cujus Plin. meminit *l.* 4. *c.* 10. cum genitivo *Bocchorum* Regum confudiſſe Salmaſius videtur. *Bocchor* enim & *Bocchus*, item *Bogus*, Mauritanorum Regum nomina fuêre, quibus in Baleares nullum imperium fuit. Jugurthæ temporibus *Bocchus* Mauris imperabat, de quo diximus. Bógu mentio, apud Strabonem locis aliquot, quod nomen à *Boccho* diverſum eſſe, habes ibi *l.* 17. *Bogud* Latini vocant, ut infrà videbimus. *Bocchor* verò, ex Græco Βόκχορ, apud Juvenalem, occurrit, *Sat.* 5. *v.* 90.

> *Propter quod Roma cum* Bocchore *nemo lavatur.*

Sed & *Bocchoris*, Ægyptiorum Regis nomen fuit, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 281. ut & in vocibus *Bocchus*, *Boccbyris*, *Bogud*

BOCCHORIS, inter partiarios Ægypti Regulos, poſt Thebanorum Regum collapſam in Aſia potentiam, non minùs ob prudentiam, quàm Neceptos, ob cœleſtem ſcientiam, memorandus: Thinephachtho ſucceſſit patri, *Thebano* Plutarcho, Africano *Saita*. Corpore quidem debilis, ſed animô præſtantiſſimus, Legiſlator erat pendens & ſolers, τῷ Σοφοῦ cognomen meritus. Fertur ſi περὶ τῆς Βασιλέως τιμῆς, *Conſtituta de regio munere*, τὰ ſi περὶ τῶν Συμβολαίων, & *de Contractuum modo*, præſcripſiſſe: cujuſmodi legum aliquot narrat Diodor. Sic. *l.* 1. Cæterùm Juſtitia ejus non minùs, ac Prudentia, tanquam divina honorabatur. Plut. περὶ δυσωπίας, *Bocchoridi Ægyptio, qui naturâ aſper erat, aſpidem ab Iſide miſſam ferunt, quæ capiti ſupernè circumvoluta obumbraret, ut judicaret juſtè*; Et Ælianus, *δικαιότατα τὸν νοῦν κρίνοντα ἰδοὺ καὶ αὐτὸς ὁ θεὸς τὴν ψυχὴν κατεπλήσθη*, *exiſtimabatur juſtus in judiciis, & parù in Deum animô*. Moribus tamen fuiſſe avariſſimum, Diodorus *d. l.* & Ægyptiis exoſum, quòd taurum ferum Mnevidi immiſiſſet, quem tamen Mnevis interemerit, idem Ælianus, tradunt, *Animal. l.* 11. *c.* 11. Ad eundem Manaſſes refert id, de puerorum tacito per capras lactatu, quod de Pſammeticho Herodotus *l.* 2. *c.* 32. narrat, *Hiſtor. p.* 187. Gr. Poſtquam verò optimus hic Rex præfuiſſet annos 6. juxta Africanum, à Sabacone Æthiope, qui irruptione in Ægyptum factâ, Nechum Saitam interemit, Anyſim in paluſtria pepulit, cæteroſque Ægypti Regulos oppreſſit, captus & vivus exuſtus eſt, ut idem, nec non *Euſebius* & *Syncellus* tradunt, meliori fatô digniſſimus. Vide de eo plura apud Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec. XVI.* nec non hic paſſim.

BOCCHUS, Gætuliæ Rex, amicus populi Romani, ligatum Jugurtham L. Syllæ tradidit, Salluſtius *in bello Jugurth. c.* 19. 81. &c. Plut. *in Mario*. Flor. *l.* 3. *c.* 1. Vellej. *l.* 2. *c.* 12. Huic ſucceſſit Juba. Claudian. *de* 4. *Conſ. Honor. v.* 35.

> *—— Rabies Maurusia ferro*
> *Cedat, & antiqui penetralia diruta Bocchi.*

Nic. Lloydius. Regia ejus fuit, quæ poſtmodum *Cæſarienſis colonia* dicta eſt, deducta à Claudio Imperatore. Salmaſ. *ad Solin. p.* 475. Græcè Βόκχος, quod nomen nonnulli malè cùm Βόγος, confundunt; ut ex Strabone conſtat *l. cit.* Μικρὸν δὲ πρὸ ἡμῶν οἱ περὶ Βόγον βασιλεῖς καὶ Βόκχον κατεῖχον αὐτὴν φίλοι Ῥωμαίων ὄντες. ἐκλιπόντων δὲ τούτων, Ἰούβας παρέλαβε τὴν ἀρχὴν δόντος τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος, καὶ ταύτην αὐτῷ τὴν ἀρχὴν πρὸς τῇ πατρῴᾳ. *Paulo igitur ante nos Bogus Rex & Bocchus, tenuerunt eam; amici Romanorum. Illis autem extinctis, Jubas Imperium nactus eſt, dante Auguſtô Cæſare, atque hoc inſuper præter patrium regnum.* Aliter *Bocchus* Latinis *Bocchor* dictus eſt, uti vidimus ſuprà. Idem nomen floris eſt, inter coronarios numerato. Virg.

> *Et* Bocchus *Libyæ Regis memor ——*

de quo vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 3. *c.* 16. ubi hunc florem refert inter eos, qui Virgilio eidem dicuntur, *Inſcripti nomina Regum*, &c. Vide & *Bogus.*

BOCCHUS Cornelius, vide *Cornelius.*

BOCCI, i. e. *vacui*, aut *diſſipatio ſive in vomitu*, fil. Jogli, prin-

Princeps tribûs filiorum Dan. Numer. c. 34. v. 22. Item fil. Abiſue, filii Hiuacei. 1. Paral. c. 6. v. 5.

BOCHELLUS Laurentius, *Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ*, ex Conciliis ejuſdem Oecumenicis, Statutis Synodalibus, Patriarchicis, Diœceſanis, Regiis conſtitutionibus, &c. *collectorum Libros VIII.* Lutetiæ evulgavit, anno hujus ſeculi 21. Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl. num.* 417.

BOCCIAU, i. e. *evacuatio*, vel *diſſipatio Domini*, nomen viri. 1. Paral. c. 25. v. 4.

BOCCORI, qui & Concordienſes, populi Luſitaniæ. Plin. *l.* 4. c. 22.

BOCCHYRIS, Ægypti Rex, regnavit ann. 44. Ægyptiis leges conſtituit. Diodor. Sic. *l.* 1. c. 62. & 95. Hujus ætate agnus locutus eſt. *Eutrop.* In litibus dijudicandis juſtiſſimus fuit, adeo ut in proverbium abierit *Bocchyris judicium.* Vide *Bocchoris.*

BOCENUM, urbs Comitatus Tirolenſis, in Germania ad Eiſacam fluv. Nundinis celebris. Media inter Tridentum & Brixinonem. Pertinet ad Juriſdictionem Œnipontanam.

BOCHANIUM, oppid. Belgii, in Hannonia, ad Scaldim fluv. parvum ſed munitum. 4. leuc. ſupra Valentianas, 3. à Duaco & Cameraco. *Bouchain.*

BOCHARA, urbs Aſiæ, in Zagathaya ſeu Mauralnaharia regione verſùs Oxum fluv. Aliis *Bacchara.* Avicennæ Phil. natalibus celebris. 60. leuc. à Sarmacanda.

BOCHNA, locus 5. à Cracovia milliar. ubi Salinæ inventæ, A. C. 1252. ſub Boleſlao Pudico Rege.

BOCHRI, vel BICHRI, i. e. *primogenitus*, vel *primitiæ*, ſive *maturæ*, pater Shebæ rebellis. 2. Sam. c. 20. v. 2.

BOCHRU, filius Aſel. 1. Paral. c. 8. v. 37.

BOCHUS, Thinitarum Rex IX. poſt Bienachem, præfuit annos 38. quo tempore ad Bubaſtum multi terræ hiatu perierunt. Regnavit tum in Thebaide Stœchus, apud Memphitas Soris, in inferiori Ægypto Serapis. Eum excepit *Caechos. Syncell.*

BOCKINGUS Radulphus, vide *Radulphus.*

BOCQUIUS, vide *Johannes.*

BOCTONERUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

BODECIA, urbs inter Piſam & Genuam. *Antonin.*

BODENI, Sarmatiæ Europææ populi. *Ptol. Podolia* nunc eorum regio dicitur, Regni Poloniæ ditio. *Willichius.* Aliis pars Baſtarnarum fuêre, inter Amadocos & Geunos populos ubi nunc pars Volhiniæ ſuperioris provinc. regni Poloniæ. *Sanſon.*

BODESTENIUS Adamus, Philippi Theophraſti Paracelſi, ut primus, ſic fidus interpres, haud paulò Magiſtrò annoſior; Obiit ætatis hebdomade ſeptimâ, A. C. 1577. Baſileæ. Vide *les Eloges* Antonii Teiſſier. *Vol.* 1.

BODERIA, æſtuarium Britannici maris. *Ptol. Bodotria* Tacito in *Agricolæ c.* 25. dictum. *Forth*, aut *Frith* in Scotia. Aliquot inſulis ſparſum, in quod plures ſe fluvii exonerant.

BODESIANUM, oppid. Lombardiæ Tranſpadanæ.

BODINCOMAGUM, oppid. juxta Padum, quod & *Induſtria* dictum. Plin. *l.* 3. *c.* 16. *Baudrando* eſt *Caſal*, urbs Italiæ Epiſcopalis permunita, & Montisferrati primaria, juxta Padum fluv. Cum arce hexagona abſolutiſſima. Sub Duce Mantuano. Vide *Caſale & Eraſis.*

BODINCUS, Padi cognomen, Ligurum linguâ, i. e. *fundo carens.* Plin. *ubi ſupra.*

BODINUS Johannes, vide *Johannes.*

BODIONTII, Plin. *l.* 3. *c.* 20. ſive *Ebrodontii*, populi Sabaudiæ, ad lacum Lemannum, quorum oppid. *Bonne*, ad eundem lacum, inter Genevam, 6. leuc. & Agaunum. Aliis horum regio *Val Fommey*, German. *Euſſeneer*, *Ægid. Tſchudus.*

BODIUS Mons, oppidul. Marchiæ Anconitanæ, in ditione Pontific. prope limites Ducatus Urbini. *Monte Alboeto.*

BODMINIA, ſeu BOSVENA, Urbecula Angl. olim Epiſcopalis & ampla, in Cornubia, 8. milliar. à littore, 15. à Plimuto in Occaſum, *Bodmon* Angl.

BODOBRIGA, German. oppid. ad Rhenum, hodiè *Boppart*, vel *Bobarten*, uti cenſet *Pirckeymerus.* Ditionis Trevirenſis, 2. leuc. à Confluentibus. De illo iſta habet Hadr. Valeſ. in *Notit. Galliæ*: *Bodobriga*, in provincia Germania prima præſidium militum Balliſtariorum cum Præfecto ſuo habuit, inter Bingium & Confluentes poſitum, ut docet *Notitia Imperii Rom.* in qua reperitur ſub V. Sp. Duce Mogontiacenſi *Præfectus militum Balliſtariorum Bodobriga.* In tabula Theodoſiana *Bontobrica* vocatur, & ponitur *Voſaviam* inter & *Confluentes*, à Confluentibus 9. à Voſavia, 8 mill. paſſ. diſtans. At in *Itinerario* Æthici *Bontobrica*, aliàs *Baudobrica* dicitur, & malè collocatur inter Antunnacum & Bonnam; cùm Antunnacum potiùs ſit ad flumen Rhenum poſitum Bodobrigam inter & Bonnam. In *libri rerum memorabilium à Bernardo geſtarum c.* 11. *Vicus magnus, qui ſuprà Rhenum ſitus eſt, & nominatur Bobardus.* Item, *Tranſeunte Sancto prope vicum in littore Rheni poſitum, quem Bobardum vocant.* Vulgò *Bopparten*, vel *Bopart* eum locum nuncupari *Simlerus & Cluverius* obſervavêre; *Bobardum* ex *Bodobriga* aut *Baudobrica* ante annos quingentos factum eſſe non obſervavêre.

BODONA, urbs Perrhæbiæ, vel Theſſaliæ. *Steph.*

BODONÆUS, vide Steph. in *Δωδώνη.*

BODONIS Monaſterium, à Bodone Epiſcopo Tullenſi conditum & cognominatum, eſt in Lotharingia, vulgo *Bondonville*, aliàs *Bonſonville*: Monaſterio Megeni ſeu Mediano, vulgò *Moyen Monſtier* ad Septentrionem obverſum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Megeni Monaſterium.*

BODORIA, vide *Boderia*, Scotiæ fluv. *Forthea Lhydo* dictus, *Levenum* vocat *Hector Boetius. Baudrando Bodotria* eſt, æſtuarium Scotiæ, inter Fifam & Lothianam provincias. Scotis *Forth* & *Frith.* Anglis *Edenberrow Frith*; Gallis *Golfe d'Edimbourg*, ab Edimburgo Metropoli. Aliquot Inſulis ſparſum, in quod plures ſe fluvii exonerant.

BODROGUS, fluv. Hungariæ ſuperioris, oritur ex monte Carpatho, & auctus aliquot fluminibus, in Tibiſcum ſe exonerat, prope Tokæum oppid.

BODUNI, Britanniæ populi à Claudio Cæſare in fidem accepti. Dio Caſſius *l.* 60. Vide *Dobuni.*

BODUOGNATUS, Dux Nerviorum, qui ſummam imperii tenebat, cùm illi adverſus Cæſarem pugnarent. Cæſar, *Comment. l.* 2. *c.* 23. Olim apud Germanos & Belgas hâc voce *Boden* corpus ſignificabatur, eſtque hodie ejus appellationis uſus apud pleroſque populos. Erit itaque *Boduognatus*, quaſi dicatur Germanicè *Leibsgenade.*

BOEA, oppid. Peloponneſi, in ſinu Argolico, non procul ab Epidauro. Plin. *l.* 4. *c.* 5. Item urbs Cretæ. *Steph.*

BOEBE, Theſſaliæ civitas, eſt & Cretæ palus. *Steph.* Strabo *l.* 9. Βοίβη δὲ χωρίον ἐστὶ τῇ λίμνῃ πλησίον. Vide ſis illic *Palmerium.*

BOEBEIS, lacus Theſſaliæ juxta Oſſam montem. Lucan. *l.* 7. v. 176.

> *Ire per Oſſæam rapidus Bœbeida ſanguis.*

Val. Flaccus, *l.* 1. v. 449.

> *Perderet & pingues miſeros Bœbeide crines.*

Βοιβιάς Heſiodo:

> Νίψατο Βοιβιάδος λίμνης πέδα παρθένος ἀδμής.

Homer. *Il.* 2. v. 711.

> Οἳ δὲ Φερὰς ἐνέμοντο παραὶ Βοιβηΐδα λίμνην.

Pindar. *Pythiorum* 3. Ἔναιε πρὸς Βοιβιάδος κρημνοῖσιν ἅμα παρθένος.
Propert. *l.* 2. *el.* 2. v. 11.

> *Mercurioque ſacris fertur Bœbeidos undis*
> *Virgineum Brimo compoſuiſſe latus.*

Nic. Lloydius.

BOEBIA ſeu BOEBIA Lex, *ut alternis annis quaterni Prætores crearentur*, apud Liv. *l.* 40. *c.* 44. Alia, à M. *Bæbio* Tribuno Pleb. eodemque Triumviro coloniæ deducendæ lata, voluit, *Ne agri amplius dividerentur: ſed poſſeſſores in iis relinquerentur, vectigal pro iis populo Rom. ſolventes, eaque pecunia plebi divideretur*, Appianus *Bell. Civil. l.* 1. Fuit quoque *Æmilia Bæbia lex*, à M. *Bæbio*, L. Æmilio Conſulib. *de ambitu* lata, cujus meminit Liv. *l.* 40. *c.* 19. anno Urb. Cond. 571. Vide Johan. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 5. 20. & 29. *Car. Sigonium*, &c.

BOEDAS, Philoſophus, in quem Diphilus comicus totum drama compoſuit: de quo vide Scholia, in *Ariſtophanis Nubes.*

BOEDROMIA, nomen habent ἀπὸ τοῦ Βοηδρομεῖν, quod, teſtibus *Heſychio* & *Suida*, eſt μετὰ κραυγῆς ἐπιβοηθεῖν, aut potiùs, ſublato clamore, ut in pugna fieri ſolet, ſuccurrere. Feſti cauſam Athenienſibus dedit Ion, qui illis auxilio venit, cùm ab Eumolpo invaderentur. *Harpocration*, Βοηδρόμια, ἑορτή τις Ἀθήνησιν οὕτω καλουμένη, ἥν φησι Φιλόχορος ἐν δευτέρῳ ἱστοριῶν ἐπειδὴ Ἴων ὁ Ξούθου ἐβοήθησε κατὰ τὸν πόλεμον Ἀθηναίοις ὑπὸ Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος, Ἐρεχθέως βασιλεύοντος. Βοηδρομεῖν γὰρ, ὁ Βοηθεῖν ἐκάλουν τὸ ἐπὶ μάχην δραμεῖν. *Suidas* autem, dum iſta exſcriberet, ſe indiligenter habuit, quòd Xuthum Athenienſibus auxilio veniſſe narrat. Ubi fortè legendum Ἴων ὁ Ξούθου. Neque enim Xuthum, ſed Ionem Athenienſibus ſuppetias tuliſſe ſcribit quoque Pauſan. in *Atticis.* Et Ariſtides in *Eleuſina*, Ἴων Ἀθηναίοις ἐβοήθησε. At Plutarchus in *Theſeo*, feſti cauſam à bello contra Amazonas geſto deducit, quòd eas Theſeus menſe Βοηδρομιῶνος, h. e. *Junio*, factâ Apollini re divinâ, profligâſſet. Sic enim ille, Ἡ μὲν οὖν μάχη Βοηδρομιῶνος ἐγένετο μηνὸς ἐφ' ᾗ τὰ Βοηδρόμια μέχρι νῦν Ἀθηναῖοι θύουσι. Callimachus *Hymno in Apol.*

> Ὦ πολλοὶ, πολλοί σε Βοηδρόμιον καλέουσι,
> *Phœbe Boëdromium multi te nomine dicunt.*

Vide & infrà.

BOEDROMION, qualis apud Athenienſes Anni menſis fuerit, vide in *Boedromia.* Eôdem magna Myſteria celebrari ſolebant, ſicut Antheſterione parva; quæ qui acceperat, magnis initiabatur, poſt annum epopta futurus: ſimul enim iſta fieri non poterant. Niſi quòd Demetrio indultum eſt ἅμα μυηθῆναι καὶ ἐποπτεῦσαι, apud Plutarchum in *Vita* ejus, aliiſque nonnullis. Sed illud in ejus gratiam vel ad ejus imperium potiùs, circa hæc ſacra, innovatum eſt, ut non ſtatutis temporibus celebrarentur & ei traderentur. Venit namque Athenas Demetrius menſe Munychione, cùm parva Myſteria, quæ πρὸς ἄγραν dicebantur, vel ἐν ἄγραις, Antheſterione menſe celebrari mos eſſet. Itaque, ut Munychion diceretur Antheſterion, decretò ſanxerunt Athenienſes. Rurſùs, ut eôdem tempore magna Myſteria ſuſcipere poſſet & in iis ἐποπτεῦσαι, quia menſe *Boedromione* agebantur, Munychion, qui Antheſterion jam factus erat, de Antheſterione etiam decretò factus eſt Boëdromion: atque ita ille ὀδιξαθ τὴν λοιπὴν τελετὴν ἅμα καὶ τὴν ἐποπτείαν, &c. Salmaſ. ad *Æl. Spartian. in Hadriano Cæſ. c.* 13.

BOEMIA, vel BOHEMIA, vel BOEHEMIA, Germaniæ regio, fertiliſſima, circa Sylvam Hercyniam. Quod nomen antiqui Bohemiæ annales interpretantur, *Vaticinium*, *fatum*, eò quod ea loca Libyſſa quædam mulier fatidica habitaret; Sclavi autem, qui tam has partes invadebant, eam occupatam Bohemiam vocàrunt, quod ſic vaticinium ipſi appellarent. Verùm ratio nominis faciliùs intelligitur, ſi priùs veteres hujus regionis colonos conſideraverimus: *Boji* enim, Galliæ populi fuêre, ii à Cæſare victi, Galliâ excedentes, Italiam tranſcenderunt, quos Romani finibus ejecerunt: inde trans Rhenum in Germaniam profecti, Hercyniæ ſylvæ incinctos incoluerunt campos, à quibus regio *Bohem* nomen accepit, quod vocabulum ſi interpreteris, ſignificat

Bojo-

Bojorum patriam ſeu domicilium; hos Bojos è Bojohemo potentiſſimos Suevorum populus Marcomanni depulit, paulò ante Julii Cæſaris adventum, qui non ſolum in locum, ſed etiam in appellationem Bojorum ſucceſſit, ut Boici, i. e. Bojeri fuerint appellati. Hodie Bavari ii corruptiùs vocantur. Ejectis tandem è Bojohemo etiam Marcomannis Quadiſque, Sclavini Scythica & Barbara gens Duce Czechô, intraverunt, A. C. 550. quos ab occupato Bojohemo vulgus *Bohemos* vocat. Ejus fines ab ortu Solis ad Marcomannos & Quados, ab occaſu ad Noricos protenduntur, meridionalem ejus plagam Pannonia ſuperior, nunc *Auſtria* dicta occupat, ſicut Saxonia & Miſnia Septentrionalem. Univerſam Hercynia ſylva perpetuò ambitu cingit, clauditque undique ad amphitheatri faciem, unde æqua ei ferè longitudo atque latitudo, ac etiam utraque paulò amplius ducentis millibus paſſuum extenditur, diciturque continere 780. tum arces tum oppida muris cincta, & 32. pagorum millia. Regimen hujus regionis primò ſub Duce fuit: Primus Dux fuit Zechus, ut dictum, qui è Croatia migrans, Bohemicæ gentis fundavit primordia, huic ſucceſſiſſe dicuntur Crocus, Lybuſſa filia, cum marito Primiſlao, Nuſſlaus, Mnata nepos, Utiſlaus filius, Mnatæ, Necla, Notteticus, Borſivous: ſub hoc Chriſtianiſmum ſuſcepit Bohemia A. C. 900. tempore Arnulfi Imperatoris. Annô verò Domini 1086. Bohemia in regnum evecta eſt, & in Concilio Moguntino Uratiſlaus I. *Rex* ab Henrico IV. Cæſare creatus, Gisbertuſque Trevirorum Epiſcopus Pragam miſſus, qui coram populo Regem inungeret, regalibuſve inſignibus convestiret. Eſt inter octo Electores Bohemiæ Rex, magnus Pincerna Imperii. Hujus regni titulo quoque ſubſunt Moravia, Sileſia, & Luſatia regiones, Egra etiam civitas A. C. 1315. Bohemorum hypotheca facta fuit. Regnum Bohemiæ à Carolo, qui A. C. 1346. factus eſt Rex Imperator, diviſum fuit in duodecim regiones, quibus ſingulis annuatim præſunt capitanei, Baro unus; & alter ex ordine equeſtri. *Merel. Merc.* Electivum cùm antea Regnum eſſet, nunc hæreditarium ſibi Auſtriaca familia vindicat, à quo Ferdinandus II. Imperat. Fridericum, ex Comitibus Palatinis, Bohemiæ Regem, A. C. 1620. prope Pragam acie vicit; Regni hæc olim Huſſi, Taboritarum Valdenſiumque operâ inſtructa, & à Ziſca ſæpius miraculosè defenſa, diu Euangelicæ Eccleſiæ, ab A. nempe C. 1404. ſedes fuit: Verſis etiam A. C. 1578. in linguam Bohemicam Bibliis, & initô Fratrum Bohemorum Euangelicorumque reliquorum conſenſu, A. C. 1609. nunc verò, poſt retro memoratam cladem inde exulat. Vide de hoc regno plura, apud Æneam Sylvium, Le Mire, *Hiſtor. Bohem.* Cluver. *l.* 3. *Geograph. c.* 32. Joh. Laſicium, *de geſtis fratrum Bohem.* Camerarium, *in Hiſtoria Fratr.* De quæſtione autem. *An Bohemiæ regnum finibus Imperii hodieque includatur, quæque Imperii in Bohemiam ſint jura?* tractatum Nobiliſſ. D. Conringii, *de Finibus Imperii c.* 29. &c. Item, in voce *Bohem.* & Dubravium *l.* 1. *Hiſtoria Bohemica.* Quæ Coſmas in Bojemorum Chronicis de neſcio quo *Bœmo* ſeniore, unde terræ nomen, refert, fabulæ ſunt, & meræ nugæ, *Faber.* Flumina quæ terram irrigant, univerſa exonerantur in Albim, qui mediam fermè provinciam perlabitur. Oppida, *Praga* regni caput, *Egra*, & alia non pauca. Plura habes præter ſuprà laudatos, apud *Munſterum*, *Sabellicum*, *Crantzium*, & Crometum, qui *l.* 1. *rerum Polonicarum* de Bohemiæ incolis, unde venerint, & de antiquis eorum ſedibus diſſerit. Vide etiam *Bojemum Reg.*

Urbes Bohemiæ majores hæ ſunt:

Auſtia, *Auſſy.*	Marobudum. Vide *Praga.*
Broda gemina Bohemica, *Bohmiſbroda*, & Teutonica, *Deutſchenbrod.*	Miſa.
	Pilſina, *Pilſen.*
	Praga, *Prague.*
Budoviſſa, *Budweiß.*	Salecium, *Saatz.*
Cutna, *Cuttemberg.*	Slania, *Slany.*
Egra, *Egra.*	Taboria, *ſeu* Taborium, *Tabor.*
Glacium, *Glatz.*	Tachavia, *Tachaw.*
Glatovia, *Klataw.*	Verona, *Egra.*
Hradecium geminum, unum Reginæ, *Konigingretz*, alterum Henrici, *Hradecz Henry*, ſeu *Newhaus.*	Sant & Commodu, *Commetaw.*
	Launa, *Launy.*
	Limburgum, *Lymburg.*
	Mutha, *Moſla.*
Jaromiria, *Jaromirz.*	Pardubitia, *Pardubitz.*
Littomeritium, *Littomeritz.*	Tenna, *Teyn.*
Littomeſcum, *Littomiſſel.*	Trebonia, & aliæ.

BOEMUNDUS I, Princeps Antiochiæ, ex Principe Tarentino, fil. Roberti Guichardi, Apuliæ Ducis. Contra Saracenos Græcoſque rebus geſtis clarus, duxit Conſtantiam Philippi I. ex Bertha filiam. Obiit A. C. 1111. Petr. Diaconus, *Chron. l.* 4. Guil. Tyrius *l.* 11.

BOEMUNDUS II. hujus fil. non æquè felix. Ex Adelaide, filia Balduini II. Hieroſol. Regis pater Conſtantiæ, quæ Raimundi Pictavienſ. uxor *Boëmundum* III. genuit. Hujus fil. ex Erine, nepte Emanuelis Imperatoris. *Boëmundus* IV. ſecundo genitus, nepotes ex fratre Antiocheno principatu exuit, oculumque in Libano amiſit. *Boëmundus* V. Patris ſucceſſor, obiit A. C. 1251. Ex Lucia, pater *Boëmundi* VI. qui ductâ Sibyllâ, filiâ Haytonis, Armeniæ Regis. Obiit A. C. 1275. filiô *Boëmundô* VII. admodum juvene relictô: Qui paulo pôſt improlis deceſſit. Guil. Tyr. *l.* 11. 15. 19. &c. Sanut. *l.* 3. *part.* 12. &c.

BOEN, i. e. *pollex*, ſive *manus*, lapis in tribu Judæ à filiis Ruben ſic appellatus. *Joſ. c.* 15. *v.* 6.

BOENIUM, oppid. Galliæ, in provinc. Forenſi, ad Limonem fluv. qui 3. leucis infrà cadit in Ligerim. 5. leuc à Rodumna in Auſtrum.

BOEODURUM, oppid. Norici exciſum, apud Pataviam urbem. Vide *Bojodurum.*

BOEON, Tauricæ Cherſoneſi oppid. mediterraneum, *Ptol.* *Czorgau Nigro* dicitur.

BOEOTARCHÆ, nomen ſummi apud *Bœotos* Magiſtratus, apud Livium *l.* 42. *c.* 43. *Legati Romani in Bœotiam comperati ſunt. Ibi jam motus cœptus eſſe, deſcedentibus à ſocietate communi Concilii Bœotorum quibuſdam populis — Thebis magna contentio erat — Comitiis prætoriis Bœoti cum victa pars injuriam perſequeris, conflatâ multitudine decretum fecit Thebis, ne Bœotarchæ mœnibus reciperentur*, &c. Vide quoque infrà *Brachyllas.*

BOEOTIA, regio in finib. Græciæ, in longum ad Atticam ſe protendens, tria reſpicit maria, Peloponneſiacum, Siculum & Adriaticum, ab Attica Cithærone monte diſcreta, ut nonnulli volunt, à bove, cujus ductu Cadmus pervenit ad eum locum, ubi poſtea Thebas Bœotias condidit. Ovid. *Met. l.* 3. *v.* 9.

> *Bos tibi Phœbus ait ſolis occurret in arvis*
> *Nullum paſſa jugum, curvique immunis aratri:*
> *Hac duce carpe vias, & qua requieverit herbâ,*
> *Mœnia fac condas, Bœotiaque illa vocato.*

Alii alias afferunt nominis rationes, quas habes apud *Stephanum.* Olim *Aonia* dicebatur. *Ogygia* & *Hyantis*, & *Meſſapia*, & *Cadmeis Thucydidis* Populi: *Bœoti*, qui ſtupiditatis & craſſi ingenii notatione male audiêrunt. His olim à Thracibus everſis pendisse Oraculum, ut ibi ſedem legerent, ubi viderent corvos albos. At hi in Theſſalia, circa Pagaſæicum ſinum, vidêre circumvolitantes Soli ſacros corvos, quos Pueri dimiſerant per ebrietatem gypſô incretatos. Quô viſô oraculi ſortem impletam eſſe exiſtimantes, ibidem conſederunt. Horat. *L.* 2. *Ep.* 1. *v.* 244.

> *Bœotum in craſſo jurares aëre natum.*

Hinc *Ænigmatica Bœotica*, i. e. *obliqua & obſcura.* Item *Bœotica cantio*; apud *Ariſtoph.* de endi & indocta, & apud *Sophoclem* de vita læta, & poſtea luctuoſa. *Arne Diodoro* dicitur *Bœotia*; incolæ *Leleges* apud Solin. c. 13. vocantur, ac *Temmices* apud *Lycophronem*, inquit *Scholiaſtes.* Nunc *Stramulipa* dicitur, ſubeſt cum tota Græcia Turcis, à 172 annis. Præcipuæ ejus urbes *Stives*, Thebæ, & *Badia*, & ſub Livadia regione videntur comprehenſa à recentioribus.

BOEOTUS, Itoni & Menalippæ nymphæ fil. Pauſan. *in Bœoticis* ſtatim ab initio. Item, fil. Neptuni. *Steph.*

BOEREBISTAS, vir natione Geta, quum imperium in ſuam gentem ſuſcepiſſet, homines frequentiâ bellorum, & cladibus afflictos eò magnitudinis extulit, nunc exercitatione corporum, nunc victûs ſobrietate, nunc edictorum obedientiâ, ut intra paucos annos latum adeptus ſit imperium, pluramoſque finitimorum Gentium ditioni ſubdiderit, trajectôque audacter Iſtrô Thraciam diripiens, uſque in Macedoniam & Illyricum magnum terrorem intulerit. Magnæ obedientiæ argumentum eſt, quòd ejus ſuaſione inducti vites excidere, & ſine iis vinum agere conſenſerint. Strabo *l.* 7.

BOESCUS, cum Philippus Amyntæ fil. Alevadas tollere cogitâſſet, & ob eam rem morbum ſimulâſſet, ut ad ſe viſendum ingreſſos comprehenderet; hoc ille Alevadis prodidit: itaque conſilium eventu caruit. Polyænus *l.* 4. *c.* 2. *in Philippo cum* 12.

BOETHI, in *L. Boethos*, 4. *Cod. de tab l.* 10. dicuntur adjutores, Julianô Patriciô Antece ſſore Interprete in *Nov.* 35. quam Latinam eſſe ajunt quidam. Dicuntur autem à Græco *βοηθεῖν*, ſuntque qui officialibus morbô vel nimiis occupationibus impeditis additi, labores eorum ſublevabant. Eorum varia genera: erant enim adjuvæ Logiſtarum, *d. leg. Boethos in princ.* & *in Baſilicis l.* 54. Alii Adjuvæ Quæſtoris, de quibus d. *Nov.* 54. Erant & Officiorum & Palatinorum *l.* 5. *Cod. de div. offic. lib.* 12. Quidam & Numerariorum fuêre adjutores in Zenonis *Conſt. L. aud.* 10. *Cod. de nu. l.* 11. Vide Gothofredum *ad* §. 1. *leg.* 15. *de tut*, laudatum Joh. Calvino *Lexic. Jurid.*

BOETHUS, nobilis Toreuta, apud Plin. *l.* 33. *c.* 12. Vide infrà in voce *Toreutice.*

BOETIANUS Stephanus, Senator Burdigalenſis, Thuano cum elogio memoratus, ſcripſit librum *contra Tyrannos*, à Michaële Montano amico illius, poſtmodum editum, quem vide *l.* 1. *des Eſſais*; præterea alia quædam proſâ & verſu, Pariſiis unô volumine edita, apud Fred. Morellum. Obiit A. C. 1563. *ætat.* 33. Vide Thuanum *l.* 5. & 37. Montagne *d. l. c.* 27. Anton. Teiſſier *in Elogiis vol.* 1.

BOETIUS, quem alii *Boethium* potiùs vocandum contendunt; Zenone Imperatore regnante, ob affectatæ libertatis ſuſpicionem, à Theodorico Rege exiliô damnatus, deinde cuſtodiæ traditus, plurima conſcripſit. Tandem ſimul cum Symmacho Senatore, ſocero ſuo, aliiſque præſtantibus viris interfectus eſt. Euſebius, A. C. 524. Vir fuit Latinè & Græcè doctiſſimus, in omni diſciplinarum genere excellens, quoque Roma à Varronis temporibus non habuerit undecunque doctiorem. Qui et Theodoric. *apud Caſſiodor.* Pythagoram Muſicum, Ptolemæum Aſtronomum, Nicomachum Arithmeticum, Euclidem Geometram, Platonem Theologum, Ariſtotelem Philoſophum, Archimedem Mathematicum, Latinè loquentes Latio ſtitit, & Athenarum exuviis patriam opulentam reddidit. Quantum idem carmine valuerit, oſtendunt *libri* 5. *de Conſolatione Philoſophiæ*, quos exul Ticini ſcripſit. Omnino nihil in poëſi venuſtius habuit, vel illud ævum, vel etiam quod proximè anteceſſit. Uxorem habuit, cui nomen Helpis, quæ & ipſa literis, ac imprimis poëſi excelluiſſe dicitur. Vir fuit Conſularis, & filios duos Patricium, & Hypatium Conſules vidit. *Voſſius.* Serius (inquit *Valleius*) nomen iſtud apud Romanos notum, atque, niſi me conjectura fallit, ex Oriente Latiô donatum eſt. Poſtquam enim apud Byzantium imperii ſedem conſtituêre Imperatores. Græcæ familiæ miſcuêre ſe Romanis; unde prout quæque illuſtres famâ viros tulit, ita nepotibus aut in eam aſcitis nomen dedit. Porro cum *Boëtii*

(hæc

hæc enim fuit veterum olim lapidum, vetuſtiorumque dehinc omnium codicum ſcriptura) ſeu *Boethi* plures fuerint, ut aliorum, qui penè omnes Græci fuerunt, memoriam omittamus, noſtros tantum; i. e. Romanos, hîc veluti ſtemmate recenſebimus, ut referatur fuiſſe I. BOETIUS V. C. ſub Valentiniano Præfectus Prætorii, in ejuſdem palatio, unà cum Ætio amico, A. C. 454. Trucidatus, ut meminére *Victor* Tunetî, Marcellinus Comes, & Caſſiodorus *in Chronico*. Paulus Diaconus *l.* 15. qui *ſenatorem nobiliſſimum* vocat. II. ANICIUS MANLIUS FLAVIUS BOETIUS, noſtri pater A. C. 487. Conſul, cujus Synodus Romæ eôdem annô coacta mentionem facit, eumque Onuphrius Panvinius in Faſtis noſtri patrem fuiſſe exiſtimat, licet illi non Flavii, ſed & Severini nomen adſcribat. Nos quoque in hoc inclinamus, quod nimirum ab Ennodio *Ep.* 1. *l.* 8. Boëtio noſtro fuiſſe dicatur *vena purpurarum*, quia nempe pater, ut & multi alii majores, Conſul fuerat. III. ANICIUS MANLIUS TORQUATUS SEVERINUS BOETIUS, Patricius primum, deinde Conſul, A. C. 510. poſtremò Magiſter Officiorum, ſummus utriuſque Philoſophiæ, ac Theologiæ, Mathematicarumque diſciplinarum intelles, quem plurimis elogiis, iiſque clariſſimis, idem ipſe Rex Theodoricus ornavit, qui occidit, cujus mortem miraculis illuſtrem is ipſe, qui imperavit, ſævit, ut Caſſiodorus *l.* 1. *Var.* & Procopius *l.* 1. *Hiſt. Gothica*, auctores certiſſimi teſtantur; quem celebrat Ennodius propinquus multis epiſtolis. Hujus filius fuit IV. ANICIUS MANLIUS SEVERINUS BOETIUS, qui puer cum Symmacho fratre, item puero natu majore Conſul fuit ordinarius, A. C. 522. quem ingeniô excelluiſſe teſtatum, *l.* 2. Conſol. modeſtiſſimus pater reliquit. Vide etiam Iſidor. *l.* 5. *orig.* c. 2. Anaſtaſ. *in Johanne* 2. *Adon.* Onuphr. &c.

BOETIUS Stephanus, vide *Boetianus*.

BOETUS, ineptus quidam Poëta Tarſenſis, qui Philippenſem Antonii victoriam carmine conſcripſit: quô nomine præter alios ſummos honores, quibus ab illo affectus eſt, Gymnaſii etiam Tarſenſis præfecturam adeptus eſt. Strabo *l.* 14.

BOETUS, Hiſpaniæ fluv. ex iiſdem naſcens locis, ex quibus Anas & Tagus. *Strabo*.

BOEUS, Græcè Βοῖ☉, nomen viri, unde Βοιωτὸς, ſtadiodromus, qui floruit Olymp. 164. in Stadio victor, è Sicyone. Item Herculis fil. de quo dictum, in voce *Beotus*. Sed & *Boeo*, urbs Dorica; & *Boeas*, urbs in Creta Inſul. pro *Beus*, Solinus *Byus* habet, c. 2. *Notum eſt a Philoctete Petiliam conſtitutam: — Aruncum a Siculis, Gabios a Galato & Byo Siculis fratribus*, &c. Ubi *Byus*, pro *Beus* eſt, ſicut idem *ibid. Trygenum*, pro *Trœzenum*, habet, vide Salmaſ. *ad eum p.* 65. Sed & *Beus* inter Heraclidas commemoratur Pauſaniæ *l.* 3. & alius Athenæo *l.* 9.

BOGADIUM, urbs Germaniæ. *Ptol. Friſlar* vel *Fritzlar* vulgò, in Haſſia. Libera, inter Caſſellam ad Boream 5. & Marisburgum ad Auſtrum 6. leuc. Francofurtum verſùs. *Ferrar*.

BOGARMITA Secta, auctorem habuit Baſilium quendam, qui principatu Alexii Comneni Anthropomorphitarum, Audæi, utorumque Deum corporeum eſſe delirantium, dogma poſtliminiò reducere conatus, Conſtantinopoli, ob alia quidem, quæ ſimul evulgabat, ultricibus flammis confectus eſt. Vide Tob. Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentil. pur.* c. 2. §. 9.

BOGDOMANTIS, Aſiæ minoris regio. *Ptol.* Aliis *Bogdomanis*: Regio Bithyniæ, inter ſinum Aſtacenum & Cianum; & inter Pruſam & Nicomediam urbem. *P. à Vico*.

BOGERUS, Bulgarorum Princeps, per ſororem in aula Theodoræ Imperatric. ſalvifica fide imbutam, ad Chriſtianiſmum perductus eſt, cum gente: poſtquam peſtilentiam & famem ipſis Deus immiſiſſet. A C 845.

BOGES, Perſa ab Athenienſibus obſeſſus, cùm nihil haberet commeatûs in urbe, liberos cum uxore primùm, demum ſeipſum interfecit. Herodot. *l.* 7. Plut. *in Cimone Butes* vocat. Pauſan. *l.* 8. Βόης, Polyænus *l.* 7. *c.* 24. Βόγης.

BOGESUNDA, oppidul. Sueciæ in Veſtrogothia provinc. famoſum præliô Danorum cum Suecis, A. C. 1520. commiſſô, in quo *Steno Sture* regni Sueciæ adminiſtrator vulneratus, paulo pòſt obiit. *D. Chytræus*.

Principes Viri.

BOGISLAUS, fil. natu minimus Miſtævonis Regis Vandalorum, frater Udonis Megapolitanorum Principum ſatoris, filium reliquit Suantiborum: qui à Bela Ungaro auſpiciis Micislai Poloniæ Regis victus & ad religionem Chriſtianam adductus, eô digreſſô, in libertatem iterum ſe vindicavit, & cum hoſtibus eundem Deum, *Chriſtum*, colere renuit. Hôc nati Wartiſlaus ac Ratiborus citeriorem, Suantopulcus verò & *Bogiſlaus* ulteriorem ſortiti ſunt Pomeraniam.

BOGISLAUS I. modò dictus, Suantopulcô fratre à Boleſlao Crivouſto Polono captô, ac ſine hærede mortuô, Ducum Pomeraniæ ulterioris, (quæ moribus & linguæ Henetorum pertinaciter ſemper adhæſit, & cum Citeriore ad Germanicos mores ac imperium tranſgreſſa, nihil commune habuit,) fuit auctor. Exagitata autem eſt hæc linea perpetuis adverſùs Polonos, Boruſſos ac Danos, bellis. Ipſe lineæ ſator Bogiſlaum filium reliquit Sabeſlaum, A. C. 1150. qui Olivenſis cœnobii A. C. 1180. & dein Dantiſci, expugnatâ quam Dani condiderant arce, conditor fuiſſe fertur. Extinctâ lineâ in Meſtovino A. C. 1295. ſucceſſionem ſibi Poloni vindicârunt: Viciſſim agnati Duces citerioris Pomeraniæ pro gentilium hæreditate pugnabant. Tandem Cruciferi magnam partem ſuæ Boruſſiæ adjunxêre reliqua cis Stolpam in poteſtate Pomeranorum relinquentes.

BOGISLAUS II. fil. minor natu Wartiſlai, Pomeraniæ citerioris Ducis, de quo ſuprà, cum fratre Caſimiro, pulſô Henricô Leone: in cujus fuerant clientela, præſente Woldemarô Daniæ Rege ſolenni ceremoniâ, porrectis aquilis à Friderico Barbaroſſa, in caſtris ad Lubecam. Dux creatus eſt, datâ in Imperio ſeſſione A. C. 1181. Inde tamen juſſus claſſe Daniam petere, & ab Archiepiſcopo Abſalone, regni adminiſtratore, victus in tutelam Daniæ conceſſit. Idem Juliniô A. C. 1175. à Danis deſtructô ſedem Epiſcopatus Caminum tranſtulit, multaque prædia aſſignavit, ſed eâ conditione, ut dicto pacis ac belli tempore Pomeraniæ maneret juncta. & non niſi de Principis conſenſu Epiſcopus legeretur. Eô natus eſt, præter Caſimirum II.

BOGISLAUS III. cui adverſùs Albertum Marchionem Brandeburgicum bellum fuit. Sub eodem per colonias Saxonicas, quæ Anclamum, Golnoam, Ukermundam, Freenwaldam, Damium condidêre aut reſtauravêre, oppreſſa Slavica gens ac jus Lubecenſe introductum eſt. Defunctô A. C. 1252 ſucceſſit frater Barnimus I. cujus filii, Otto Stettinenſis ac Bogiſlaus Wolgaſtenſis rami, auctores fuêre.

BOGISLAUS IV. modò memoratus, cognomine *Corpus & anima*, agnatorum in Pomerellia ſucceſſionem, ab Vladiſlao Locticо vindicare armis fruſtra conatus eſt. Bellô autem adverſùs Conradum, Johannem ac Woldemarum Brandeburgicos, his Stargardiam ademit, & ex Margareta Rugia filium reliquit Wartiſlaum IV. patrem Bogiſlai & Barnimi IV.

BOGISLAUS hic V. lineæ Pomeraniæ Orientalis conditor, gener Caſimiri Poloniæ Regis & ſocer Caroli IV. Imperatoris cum fratre Gutzkoënſem Comitatum, defunctô ultimô Comite Johanne acquiſivit, & Ludovicô Romanô victô, multa à Brandeburgicis recepit. Pater Caſimiri V. Barnimi V. Wartiſlai VII. & *Bogiſlai* VIII.

BOGISLAUS VI. Barnimi V. Occidentalis Pomeraniæ lineæ auctoris, de quo ſuprà, filius, ſine prole deceſſit, frater Wartiſlai VI A. C. 1394. defuncti.

BOGISLAUS VII.

BOGISLAUS VIII. fil. Bogiſlai V. cùm à Papa alius, alius ab Imperatore deſignatus eſſet Epiſcopus Caminenſis, ne electioni Capituli fraus fieret, bona Eccleſiaſtica ipſe adminiſtravit, ſed cùm fratri in Ducatu ſucceſſiſſet, reſignavit. Mox ob quædam bona, in quæ redimenda ſumtus fecerat, retenta, ab Epiſcopo excommunicatus, hunc ejuratô Epiſcopatu Ordini Boruſſiaco accedere coëgit. Tandem cum ſucceſſor eadem repeteret, à Concilio Conſtantienſi redditio imperata eſt. Obiit A. C. 1417. Eô genitus.

BOGISLAUS IX. quia Concilii decretum ſpreverat, cum Stralſundis, qui tres ſacrificos ob motam ſeditionem combuſſerant, à Papa ſimiliter excommunicatus: non deſiit ab Epiſcopo vexari, donec hic à Sigiſmundo Imperatore in Concilio Baſilienſi proſcriptus eſt. Demum Colbergæ tranſactum A. C. 1436 & Dux mortuus eſt A. C. 1448. filiâ tantùm Sophiâ, quæ Erico II. agnato nupſit, relictâ; ſic in Erico I. patruele ejus A. C. 1459. extinctô, linea Ducum Pomeraniæ Oriental. cujus Bogiſlaus V. auctor fuerat, deſiit.

BOGISLAUS X. fil. natu minimus Erici II. Pomeraniæ Occidental. Ducis præfati, cognomine *Magnus*, totius Pomeraniæ Princeps & familiæ ſolus hæres tandem factus, conſiliariô quôdam ruſticô Langiô non infeliciter uſus eſt. Alberto Electori Brandeburg. homagium negans, cum eo bellum habuit, ſed nuptiis Ducis cùm Margareta filiâ Friderici II. Electoris pax facta eſt; Idem Megapolitanis adverſùs civitates confœderatas pacem procuravit. Inde in Palæſtinam profectus, ac multas ibi paſſus moleſtias, in reditu Lutherum Wittebergæ audiit: à quo cum Stettinenſes paſtorem obtinuiſſent Paulum à Rhoda, eundem auditum commendavit. Verùm paulo pòſt A. C. 1521. Spirenſi decretô apud Pomeranos quoque publicatô Doctores hinc inde diffugêre, hâcque occaſione Euangelium Livoniæ illatum eſt. Obiit A. C. 1523, Pater, ex ſecunda conjuge Anna Polonica, Georgii Wolgaſtenſis, & Barnimi X. Stettinenſis Principum.

BOGISLAUS XI.

BOGISLAUS XII.

BOGISLAUS XIII. fil. Philippi, nepos Georgii prædicti, Barti ſedem habuit, & A. C. 1606. debitum naturæ ſolvit. Eô nati ex Clara Lunæburgica Philippus II. Patris ſucceſſor, Franciſcus, Georgius III. & Ulricus, Caminenſes Epiſcopi: ac, quo tertiò locô dicendus erat.

BOGISLAUS XIV. Hic ultimus familiæ, totam poſſedit Pomeraniam, ſed A. C. 1627. in Ducatum Cæſareas copias admittere coactus eſt, quæ ita eum expilavêre, ut unô trienniô 10. milliones extorquerentur, nullô militaris laſciviæ ac tyrannidis genere prætermiſſô. Demum A. C. 1630. cùm Sueciæ Rex in Pomeraniam appuliſſet, vim ante Stettinum oſtentans, ut reciperetur, obtinuit; quô factô brevi à Cæſareanis copiis ditio purgata eſt. Tandem, relictâ ſine prole viduâ Eliſabethâ Holſatâ, ultimus in familia maſculus, deceſſit A. C. 1637. ſorore ejus Annâ viduâ Erneſti Croji Arſchotani, ad annum uſque 1660. ſuperſtite. Cùm autem ex antiquo pacto ad Brandeburgicos deferenda fuiſſet ſucceſſio, pace Monaſterienſi, Marchionibus ulterior Pomerania, cum aliis quibuſdam æquivalentiæ nomine, conceſſa eſt, citerior verò cum Rugia, feudo Imperiali, Suecicæ coronæ, ſub fide tamen Imperii, ceſſit, Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Hiſtor.*

BOGUD, oppid. in Africa, & Regis nomen.

BOGUDIANA, pars Tingitanæ provinciæ in Africa. Plin. *l.* 5. c. 2.

BOGUS ſeu BOCCHUS, Græcè Βόγ☉ ſeu Βόκχ☉, nonnullis idem nomen eſt, ſed diverſa eſſe, ſuprà oſtendimus in voce *Bocchor*, ex *Strabone*, ubi *Bogos* & *Bocchus* ante Jubam Mauritaniæ imperitâſſe, ſcribit Eſt igitur Græcis Βόγ☉, qui Latinis *Bogud*: Romanis iſtiuſmodi barbara nomina *βαρβαρικώτερον* enuntiantibus, quàm Græcis. Hinc Βόγυα, Maurorum Regem, qui in partibus Antonii fuerat, ab Agrippa bellô Actiacô occiſus, Livius *Bogudem* vocat, *Caſſius geſſiſſet cum Trebonio bellum, ſi Bogudem habere in*

ſocie-

ſocietatem ſuroris potuiſſet. Porro à *Bogude* hoc Mauritania Cæſarienſis *Bogudiana* prius dicta eſt, teſte Plinio *l.* 5. *c.* 2. ſeu *Boguiana*, ut quidem libri habent, quaſi *Bogui* diceretur. Quemadmodum *Putpud* Veteres dicebant urbem Africæ, quæ recentioribus *Putput* dicitur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 319.

BOGUS, Rex Mauruſiorum, Antonii partes ſequebatur in Actiaca pugna. Strab. *l.* 8.

BOGUSLAUS, vide *Bogiſlaus*.

BOHAAM Johannes, vide *Johannes*.

BOHEMI, regni Bohemiæ, quod *Straboni Bojemum*, Tacito *de Morib. Germ. c.* 28. *Bojemum*, Velleio *l.* 2. *c.* 109. *Bojohæmum*, incolæ. Contra hos Dreſdam muniit Carolus M. A. C. 808. Crantz. *l.* 2. qui eos per Carolum fil. victos Imperio tributum pendere coëgit, quod uſque ad Fridericum II. manſit. Ad pacem compulſi ſunt, à Ludovico Roman. Rege A. C. 848. qui circa A. C. 869. cum iiſdem variò Marte rem geſſit, *Annal. Fuld.* Aventinus *l.* 2. Poſtquam duodecim illorum Duces ad Chriſtianiſmum permaſiſſet, A. C. 862. Sceptrum Moraviei regni ad Bohemos tranſtulit Dux Borzivos, cui totius gentis adſcribitur converſio, A. C. 894. Coſmas Bohemus: idque miniſteriò Methodii, vide Aventin. *l.* 4. Horum Princeps Wenceſlaus iterum ad pacem compulſus, ab Henrico Aucupe, circa A. C. 930. Boleſlaus ſimiliter ab Ottone M. domitus, vaſallus illius evaſit, A. C. 954. Otto Fiſing. *l.* 6 *c.* 19. Rurſus Bohemi ab Ottone II. territi ſunt, A. C. 976. Idem *c.* 25. ab Adalberto verò Epiſcop. Pragenſi, ob malam vitam, deſerti, A. C. 999. qui inde ad Ungaros profectus, horum plurimos convertit. Sequenti temporè, cùm à Clemente III. miſſus Petrus Capuanus Cardinal. ut cœlibatum in Polonia urgeret, idem deinde in Bohemia moliretur, parum abfuit, quin à Sacerdotibus occideretur, A. C. 2196. A' Valdenſibus, huc profugis, edocti, magnâ parte illis adſtipulati ſunt, circa A. C. 1250. ingens deinde Eccleſiæ acceſſio facta eſt, concionibus Joh. Huſſi, A. C. 1414. imò ipſe Rex Georgius Podiebracius illi nomen dedit, cujus hac de re memoratu digniſſima verba, lege apud Buchole. *Ind. Chron. p.* 415. *circa A. C.* 1454. Iterum ad eos ſe receperunt, ejecti ex Auſtria & Marchia Valdenſes, circa A. C. 1467. Fratrumque Eccleſiæ 200. in Bohemia & Moravia numeratæ ſunt, A. C. 1500. quæ gravia paſſæ, unionem cum Luthero iniêre, A. C. 1536. 1540. 1542. & templa à Ferdinando I. Imperatore clauſa, iterum obtinuêre, à Maximiliano Rege A. C. 1564. rurſus tamen infeſtatæ A. C. 1565. à Joachimo Neuhuſio regni Cancellario, Laſicius *l.* 7. qui brevi aquis merſus periit. Exin A. C. 1574. pulſi è Pruſſia Fratres, hoc enim fidelibus illis in locis nomen, in Bohemiam remeârunt, in qua ut & Moravia, 17. Barones, & 146. ex equeſtri ordine tum in partibus. Quorum hoſtes cùm non ceſſarent, conſcripta confeſſio è Fratrum libris Maximiliano Regi per Boguſlaum Lobkovicium, A. C. 1575 oblata, pacem Eccleſiæ denuo conciliavit. Tum & Pſalmi rythmis Davidicis, ad Gallicas melodias elegantiſſimè redditi, & Eccleſiæ uſui traditi ſunt à Georgiò Vettero, Theologo doctiſſimo. Verſa etiam A. C. 1588. S. Biblia, ſumptibus Joh. Baronis Zerotinii, à Theologis clariſſimis. Poſt hæc literæ Majeſtatis à Rodolfo II. Imperatore Bohemis, Moravis & Sileſiis confirmatæ ſunt, A. C. 1611. Sed brevi pòſt, injuriis Euangelicorum non maturè à Matthia Imperatore vindicatis, bellum Bohemicum excitatum eſt, A. C. 1618. poſtquam infelix controverſia, an ex literis Majeſtatis liceat Euangelicis templa in territorio Eccleſiaſtico erigere? animos diviſiſſet. Hôc Fridericus Palatinus, à Bohemis Rex electus, à Ferdinando II. victus eſt, A. C. 1620. ſequuta ea mala, quibus per 30. annos tota Germania conflagravit: Hinc Fratribus exilium indictum, & contra Bohemos A. C. 1639. Pragæ, novô edictô promulgatô, omnes ſervi religionis Proteſtantium à Dominis ſuis ſub pœnâ 11. e12. Imperialium dimitti juſſi ſunt: A' quo tempore, nulli borum publici cœtus: magnâ Fratrum parte in vicinas regiones, Sileſiam, Poloniamque diffuſâ. Vide in *Boemia*, *Fratres*, &c. Fontibus olim ſacrificâſſe, legitur apud Johannem Dubravium *Hiſtor. Bohem. l.* 1. Qui & huic rei firmandæ de Nympharum ab hac gente cultu, & id genus Numinum, verba adducit è Procopii *Hiſtoria Gothica l.* 3. *niſi quòd ad tumulum ſuperſtitioſi rurſus revertebantur.* *Lares & Lemures colentes, victimaſque tum ad fontes, tum ad lucos & compita, mactantes.* Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 82.

BOHEMIA, Germaniæ regio, cujus limites, ſecundùm Auctorem *Hiſt. Orbis Terr.* ab Ortu Sileſia & Moravia, ab Occaſu Bavaria, à Meridie Auſtria, à Borea Miſnia ac Luſatia, ſunt: Figuram ovalem habet, & montibus ac ſylvis undique cincta, Amphitheatri cujuſdam formam repræſentat. Diſtrictus habet 15. juxta partitionem Carolinam, Caroli nempe IV. quæ hodieque obtinet, vide *infrà*: eique unitæ ſunt Moravia, Sileſia ac Luſatia. Solum conſtat glebâ pingui ac frugum fertili, vinum quoque profert, ſed mediocre, lupoletis verò excellit. Fodinis porro metallicis abundat, gemmaſque, adamantes nempe, amethyſtum, ſapphirum, ſmaragdum, jaſpidem profert in montibus Kikonoſſis, granatos item in puteis Podſedicianis, ac Serzebivlicianis ſabuntæ glareæque permiſtos, ſed dignitate Orientalibus inferiores: A' venenatis aliiſque noxiis animalibus terra liberior eſſe creditur. Salis verò uſum ex Bavaria & Saxonia petit. Vide Stranskium *Deſcript. Bohem. l.* 2. Zachar. Theobaldi *Topogr. de montibus Bohemiæ*, Wenceſlai Hagecii *Bohmiſche Chronike*, &c. Finibus Imperii hodieque *Bohemiam* includi probat Conringius his rationibus: 1. Quia à Carolo M. per filium Carolum tributariæ domiti, more aliorum Sclavorum, tributum pependerunt, quamdiu potentia Carolina floruit: quâ deficiente ſub jugum redacti ſunt iterum ab Henrico Aucupe & filio ejus Ottone M. confeſſuſque eſt Bracuſlaus I. A. C. 1048. provinciam illam Imperatorium fiſcum eſſe. 2. Bohemorum Duces Cæſaribus militârunt, Sobieſlaus Conrado in Saxonia, Vladiſlaus & alter Sobieſlaus Friderico I. in Inſubria, Brzetiſlaus Henrico VI. in Luſatia, Wenceſlaus II. denique Friderico II. 3. Iidem Duces inprimis Boleſlaus Sævus, uterque Brzetiſlaus & Fridericus, Cæſares Germanicos, Dominorum ſemper titulò honoraverunt. 4. Vocati iidem ad Curiam Cæſaream comparuerunt, cauſas dicturi. Sic Ludovico Pio adfuit Francofurti, cum muneribus Neclanus, Ratiſbonæ Henrico Aucupi Wenceſlaus, quem Sanctum vocant, Bambergæ Lothario Saxoni Sobiſlaus I. & ante ipſum Henrico II. Jaromirus ac Uldricus, Roncaliis Friderico I. Vladiſlaus, eidem Normbergæ Fridericus, Moguntiæ Philippo Przemiſlaus, & Baſileæ Friderico II. Wenceſlaus II. 5. Multi Ducum Bohemis iuveſtiti à Cæſaribus dati ſunt, Uldricus I. ab Henrico II. Borzivojus II. Uldricus II. & Vladiſlaus ab Henrico V. Vladiſlaus poſteà Rex à Conrado: Sobieſlaus II. & Fridericus à Friderico Barbaroſſa: Henricus Brzetiſlaus ab Henrico VI. & Wenceſlaus I. à Friderico II. donec populo eligendi redditâ per Philippum facultate, confirmandi tamen inveſtiendique auctoritas Imperatoribus remanſit. Tandem ipſum hoc Regium nomen ſolò Germanicorum Cæſarum beneficiò Bohemis obtigit, & quidem primò ſic, ut perſonalis duntaxat illa, & à ſolò Cæſarum nutu pendula dignitas fuerit, quæ demum à Philippo Imperatore modò memorato perpetua reddita eſt, A. C. 1199. Et ſi ante hac nomen id illorum quidam geſſêre, ut Wenceſlaus Sanctus, Wratiſlaus Juſtus ac Wladiſlaus, factum id eſt, beneficiò Henrici I. Henrici IV. ac Friderici I. Imperatorum. Vide Conringium *tr. de finibus Imperii c.* 29. Melch. Goldaſtum *de Bohemiæ regno incorporatarumque provinciar. juribus*, &c. Hodie tamen, Rex Bohemiæ extra Electionis Cæſareæ negotium, ad nulla vocatur Comitia, nec Regni ſubditi aliter, quàm in Foro Bohemico, conveniri poſſunt. Imò jam A. C. 1545. cùm Ordines Imperii Comitiis Wormatienſibus, de Bohemis in partem ferendorum onerum publicorum pertrahendis, egiſſent, Carolus V. rem indignè tulit, proximiſque quæ poſt confectum bellum Smalcaldicum, A. C. 1548. habita ſunt, Comitiis, publicè ac ſolenniter priori Conſilio interceſſit, aſſerens *Bohemiam* non ſolùm eſſe Regnum ab oneribus id genus liberum, ſed & ab Imperio Germanico prorſus cùm gente, tum inſtitutis ſegregatum. Auctor *Hiſt. Orbis Terr.* Poſt Czechum, Reipubl. hujus conditorem, Crocum ſeniorem ac juniorem ſub Libuſſa ac Premiſlao, famoſâ mulierum rebellione Duce Valaſcâ comitatâ, maximam Bohemiæ partem ſuam illæ reddiderunt, tandemque Republ. aliquâ formatâ, id inter alia ſtatuerunt: *ut concubitu cum viris uti, ac genus ſuum uterent, maſculis ſi qui naſcerentur dextri oculus erueretur pollexque abſcinderentur.* Verùm poſt ſeptennium, victâ & in acie cæſâ Valaſcâ, imperium hoc concidit. Vide Æn. Sylvium *Bohem. c.* 3. 4. 5. &c. Poſt Vratiſlaum (viceſimum à Czecho) quem Henricus IV. Imperator Regem dixerat, poſteri ejus titulò non conſtanter uſi ſunt, donec Przemiſlaus cognomine *Victorioſus* & *Avreus*, Dux trigeſimus quartus à Philippo denuo illum emeruit, & ad poſteros tranſmiſit. Idem quòd Ottoni Philippi ſucceſſori conſtans adhæreret, Ottocarus quaſi *Gar Ottiſch*, dictus eſt. Ejus nepos Przemiſlaus ſeu Ottocarus II. à Rodolfo I. Imperatore bellô, ob Auſtriam, exortô cæſus eſt A. C. 1278. Poſt quem extinctâ in Wenceſlao II. & III. prole maſculâ A. C. 1306. Rudolfus Auſtriacus Alberti Imperatoris filius, & A. C. 1307. Henricus Carinthiæ Dux regnum tenuerunt: Poſt hunc A. C. 1310. abdicatum, è familia Lucemburgica, Johannes Henrici VII. Imperatoris filius, Carolus IV. Wenceſlaus Ignavus ac Sigiſmundus præfuêre. Tunc ſecuti Albertus Auſtriacus, Ladiſlaus fil. Georgius Podiebracius, Vladiſlaus Caſimiri Poloniæ Regis filius & Ludovicus. Quô prælio Mohacenſi interfectô, Regnum ad Auſtriacos rediit, Ferdinandò I. jure uxoris, quæ Ludovici ſoror erat, illud capeſſente atque ad poſteros tranſmittente. Vide quoque in voce *Boemia*, item in *Bohemi*.

Diſtrictus XV. regni Bohemiæ, ſecundùm diviſionem Carolinam.

Pragenſis.	Podbracenſis.
Kaurzimenſis.	Prachenſis.
Hradecenſis.	Pilſnenſis.
Chrudimenſis.	Racovnicenſis.
Czaſlavienſis.	Slanenſis.
Bechynſenſis.	Zatecenſis.
Vidiavienſis.	Litomerſicenſis &

Boleſlavienſis.

Quibus ſuperadditi, qui peculiaribus inſtitutis vivunt, Comitatus Gladſcenſis ſeu Glacenſis, qui Borealis & Orientalis Sileſiæ terminus, ab Auſtro angulo cuidam Moraviæ adhæret: Hebane ſeu Oegrana provinc. quæ Bavariæ ac Voitlandiæ adjacet: Loctenſis ſeu Cubitanus terræ tractus, Germanicè *Elnbogen*, ad Hebanum diſtrictum & Voitlandiam ſitus, vide P. Stranskium *Deſcript. Bohem. l.* 2. Lingua, quæ in hac regione uſitata, Slavonica eſt, &c. Vide *Boemia*, & *Bojemum*: plura verò apud Conringium *de Finibus Imperii c.* 29. Albertum Crantzium *Sax. l.* 4. *c.* 28. *Vandal. l.* 7. *c.* 19. Bertium *Rer. Germanic. l.* 2. *c.* 17. Hadrian. Barland. *Hiſtor. Comit. Holland. c.* 21. Lehmannum *l.* 7. Mich. Caſp. Londorpium *Act. Publ. Part.* 1. *c.* 108. atque iterum Crantzium *Saxon. l.* 9. *c.* 5. *Vandal. l.* 7. *c.* 11. & 13. nec non Tob. Plannerum. *De præcipuis Germ. Principum Gentibus c.* 1.

BOHEMIÆ Regnum, ab initio indigenas Principes habuit à Zecho, gentis conditore, & A. C. 550. uſque ad Wenceſlaum III. & A. C. 1307. Fuit autem Zechus, frater Lechi & Ruſſi, item Selſimiri, qui nepotes Oſtivoti, Slavorum Orientalium Regis, colonias Sclavorum in Bohemiam, Moraviam, Poloniam, Ruſſiam & Dalmatiam, deduxêre. Et quidem primò *Ducum* nomine Zechi poſteri genti præfuerunt, quorum decimus Borivojus, à Methodio Moravorum Apoſtolo baptizatus Religionem Chriſtianam primus in Bohemiam introduxit, uti *Hornius* refert, & ex eo Burgoldenſis. Theobaldus verò in *Geneal. Bohem.* primùm *Judices* per annos 78. dein *Duces*, per annos 363. Inde demum *Reges* per annos 517. ad ſuam videl. ætatem uſque, *Bohemiam* rexiſſe, ſcribit, neque à Methodio, ſed à Cy-

à Cyrillo Alexandrino, unà cum triginta Palatinis, baptizatum eſſe Boriſojum, A. C. 894. refert. Primum Regii Imperii initium fuit circa A. C. 1086. quò Vladiſlaus Ducum vigeſimus, ab Henrico IV. Imperatore Rex creatus eſt: ſed dignitas crebrò interrupta, Ducumque repetitum nomen, donec Fridericus Barbaroſſa denique Vladiſlaum, qui in expeditione Mediolanenſi Imperatorem egregiè juverat, Regem appellaret, leonemque album duabus, in altum porrectis caudis, inſignem, Regno, locô aquilæ, quô ſignô priùs uſum fuerat concederet. Sic ad poſteros tranſmiſſum Regale inſigne: inter quos *Ottogari* in primis, quorum primus Premiſlaus fuit, celebres fuerunt. Sed horum familià, atque adeo priſcà Zechi ſtirpe in Wenceſlao III. extinctà, circa A. C. 1300. Regnum à variis competitoribus miré dilaceratum, partim ad Henricum *Carinthia* Ducem partim ad Rudolfum, Alberti I. Imperatoris filium pervenit: durâruntque hæc diſſidia, uſque ad A. C. 312. quô Regnum *domus Lutzelburgicæ* illatum eſt: è qua Reges habuit Johannem, Wenceſlaum cognomine *Carolum*, qui etiam Imperator, Wenceſlaum cognomine *Ignavum* & Sigiſmundum. Inde *ad Auſtriacam* familiam devenit, quæ Albertum II. & Ladiſlaum poſthumum Reges ei dedit. Poſt quos iterum ex *indigenis* Georgius Podiebracius ſceptrum tenuit. Hunc excepêre ex *Polonis* Vladiſlaus & Ludovicus: Quibus iterum ex *Auſtriis* ſucceſſêre Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolfus II. Matthias, & Ferdinandus II. Ex *domo* hinc *Palatina* Fridericus V. Elector, rerum ſummæ admotus eſt: poſt quem iterum illa ad *Auſtriacam* ſtirpem revoluta eſt, è qua hactenus præfuêre Ferdinandus modò dictus. qui Friderico Palatinô acie victô Bohemiam in hæreditariæ provinciæ formam (cùm anteà electivum regnum fuiſſet) redegit, Ferdinandus III. IV. & Leopoldus I. qui hodiernus Imperator eſt. Incrementa Regni quod attinet, ultimô Moravorum Rege Suatopluco II. ab Arnolfo Imperatore circa A. C. 898. everſô, Moravia in provinciæ formam redacta Poloniæ primum ceſſit, exin à Pretiſlao ad Bohemos tranſlata eſt, circa A. C. 1048. Acceſſit Sileſia, ſub Johanne Lutzelburgico Rege A. C. 1312. Nunquam verò illud latius patuit quàm ſub Primiſlao Ottocaro III qui fines ejus à Mari Adriatico ad Balneum uſque propagavit, Regiomonte Pruſſiæ Ducalis Metropoli conditâ, &c. Vide Georg. Hornium *Orb. Imp. & Polit.* ubi de jure Bohemiæ Regis, in Collegio Electorali & Comitiis Imperii Univerſalibus inter alia, pluribus differit, cum *Notis L. Othonis Menckenii*.

BOHEMICA Avis, German. *Behemle*, dicitur Norimbergenſibus, avis illa, quam à luce *Lucidiam* vocat Albertus M. quòd è Bohemia quotannis in finitimas regiones avolare ſoleat. *Lucidiam* autem appellat Albertus, quòd plumæ illius colluceant noctu, & viatoribus eò tempore iter facientibus per tenebras non parum commodi afferant. Qua de re Plin. *l.* 10. *c.* 47. *In Hercynio*, inquit, *Germaniæ ſaltu invīſitata genera alitum degere accepimus, quarum plumæ ignium modò colluceant.* Et paulò fuſius Solin. *c.* 20. *Saltus Hercynius aves gignit, quarum pennæ per obſcurum emicant & interlucent, quamvis denſa nox denſet tenebras. Inde homines plerumque nocturnos excurſus ſic deſtinant, ut illis utantur ad præſidium itineris dirigendi, præjactiſque per opaca callium rationem viæ moderentur indicio plumarum refulgentium.* Vide ſuprà ubi de *Avibus*.

BOHILLA, oppid. Italiæ, ſic dictum, quòd bos inteſtina vulnere trabem advenerit. *Nonius.*

BOHORDICUM, Gallis *Bohourt* vel *Behourt*, haſtiludii ſpecies vel certè quodvis haſtiludii genus, in quo nobiles adoleſcentes vires ſuas experiebantur. Lamb. Ardenſis, *In robur adoleſcere cœpit virile, ut illic bohordicia frequentaret & torniamenta.* Sic in Tabulario Pinconienſi, apud Car. du Freſne *le jour de bouhordeis*, redditur dies haſtiludii. Ubi *bouhordeis*, idem eſt quod *Bohordicum*: quâ voce in eo Tabulario appellantur ludicra certamina paganorum & burgenſium, quæ illi cum baculis & fuſtibus in campo obire ſolebant certis ac ſtatis diebus, atque adeo 1. & 2. Dominicâ Quadrageſimæ, quæ inde etiamnum *bouhordis* appellantur, in quibuſdam Galliæ provinciis, uti habet Monetus in *Inventario utriuſque linguæ*, &c. Hinc *Bordiare*, & *Bordare*, in *Mandato* Regis Angl. ſuper juratis ad arma; pro quo hodieque Florentini *Bagordare* dicunt, nempe pro *Gioſtrare*, ut *Bagordo*, *l'atto del far feſta*. Qui etiam arma ipſa offenſiva ſic vocant, quibus in haſtiludiis propriè ſic dictis utuntur: quæ quidem videntur fuiſſe baculi ac virgæ innocuæ, uti probat Car. du Freſne *Differt.* 7. *ad Joinvill. p.* 182. ubi plura de hocce ludicro certamine reperies. Meminit certè ejus Letaldus Monachus *de Mirac. S. Maximini Abbatis Miciacenſis n.* 23. *Hinc paſtiones canum, hinc cum ſcuto & virgula ludebant juvenes.* Et vocis origo eſſe videtur à *bohordo* vel *boffordo*, uti vocabulum hoc effert Michaël *del Molino* in voce *Ludus*: quod Hiſpanis & Valentinis genus quoddam junci majoris, bullà ac capitellô inſtructi, ſignificat: eò quòd primitus ex juncis, virgularum vice, ceretur, ſeu quòd eædem virgulæ juncorum iſtorum formam referrent. Vel à *Borda*, quæ in *Gloſſis* Iſidori *clava* exponitur, quòd ejuſmodi baculi clavarum inſtar eſſent. Niſi eam malis arceſſere à *burdis*, i. e. *joci ludicris* ut *bohordare* fuerit ludere, ludicrum exercere. Vide Car. du Freſne in *Gloſſ. & Diſſ. cit.* in qua etiam *behorda*, pro imaginariis caſtrorum oppugnationibus, interdum ſumta eruditè oſtendit.

BOHUSSA Koſtca, Baro Bohemus, legatos per univerſum orbem dimiſiſſe, ut inquirerent, an alicubi puræ Eccleſiæ invenirentur: neque ullibi repertas eſſe, exceptis in Gallia & Italia Eccleſiis Valdenſium, quorum in ipſa quoque Roma occulti cœtus, dicitur, circa A. C. 1480. Vide librum, cui titulus, *Veritas triumphans*, *Bohemice ſcriptum f.* 86. apud Lætum *in comp. Hiſt. Univ. p.* 361. *edit.* 1653.

BOJA, urbs Bojorum, populorum Galliæ Celticæ, quæ nunc *Bourbon* dici putatur, unde Regiæ Familiæ nomen. Nunc oppid. à Molino 4. leuc. in Auſtrum, ubi thermæ variis morborum generibus ſalutares. *Ferrar.*

BOJA, apud citimæ ætatis Scriptores, compes eſt aut torques vinctorum. *Gloſſ. Latino-Græcæ*: Κλοιὸς, *Boja*, *Eculean*. *Gloſſar. Anglo-Saxon. Ælfrici*, *Nervus*, *Boja* &c. Sed & jam apud Plautum, invenies in *Aſinar. Act.* 3. *ſc.* 2. *v.* 5. *Carceres, numellas, pedicas, bojas, tortoreſque acerrimos*: è quibus *Bojas* ſerbis hiſce Goſcelinus *de Miracul. S. Auguſtini Cantuar. c.* 16. illuſtrari ait Car. du Freſne: *In arctiſſimum cippum omni compede durius conſtringebatur. Addunt ferreas manicas manibus & collaris ferreas in cervicibus, ita ut per medium maceriæ lapides cubiculi tranſducta vincula obducantur.* Et mox, *Juvenum — atrocioribus tormentis aggrediuntur. Stringuntur ſura & oſſa arctiori ligni maſſis ſudibus coactô*, &c. Vide de *Bernicula* dicta Joinvillæ & Car. du Freſne *Differt. ad eum*, ut & Wenceſlaum in carcere depictum, apud Petrum Lambecium *Comment. de Bibl. Cæſ. l.* 2. *p.* 751. Martyrum collum hôc vinculi genere conſtringi conſueviſſe, habes in Adonis *Martyrol* ubi de S. Alexandro Epiſcopo Romano. *Tolle bojam de collo meo & impone ei*; quam, veluti ſacrum λείψανον, Caroli M. juſſu in Æde S. Salvatoris, prope S. Petrum in Vaticano fuiſſe repoſitam, videas apud Macrum in *Hierolex.* Sic Prudentius, *Periſteph. Hymn.* 1. *v.* 48.

Carcer illigata duris Colla bojis *impedit*, &c.

Tralatitiè *ſtolam* denotat; item *faſciam*, quam in celebribus ac liberis civitatibus, in ſignum gubernandi jugi, Magiſtratus ſibi ipſi ſuper humeros imponit. In Sicilia, DD. Eccleſiaſtici ſuper cottam ſeu rochettum, ad modum ſtolæ, nigri coloris, deferunt, quæ Græcâ voce *ϛὼν*, i. e. *ſulum* nuncupatur. quæ tamen in luſul. Melita ſolis Theologis ſuper imponitur. Vide infrà in voce *Taragh.* Sed & in primordio Equites *de Alcantara* tuliſſe aliquas faſcias hujuſmodi latas ex panno, Caſtellanô idiomate *Chias* nominatas, in MSS. antiquis leguntur, apud Macrum *l. cit.*

BOJANUM, Samnium urbs. *Ptol.* urbs regni Neapolitani in Comitatu Moliſino. *Baudrand.* hodiè *Bovianum*, quod vide.

BOJATUM, vel BOJATIUM, Novempopulana civitas; ut habet *libellus provinciarum.* *Scaliger* pro *Bojana* intelligit. Plerique *Bojant*, urbs Galliæ in Vaſchana provinc. ad Aturum fluv. quà ibi Nivum haurit. Permunita, ampla, emporium celebre & Lapurdenſis agri caput. Diſtat III. mill. paſſ. ab Oceanô Cantabrico ſex leuc. ab Aquis, & Burdegala. Sunt qui ibi exiſtiment aliàs fuiſſe Aquas Tarbellicas. *Baudrand.*

BOJEMUM, regio Germaniæ perampla, ubi primùm Boji, tum Marcomanni, & tandem Bœmi *Ptol.* Habet ab Ortu Sileſiam & Moraviam, à Septentrione Luſatiam & Saxoniam ſuperiorem, ab Occidente Franconiam, à Meridie Bavariam. Paret Auſtriacis multis ab annis. Vide *Boemia*, alibique paſſim: & adde quæ hanc in rem B. Rhenanus habet *Rerum Germ. Nov. Antiq. l.* 3. cum *Notis* D. D. Ottonis JCti.

BOJI, populi Galliæ Celticæ quorum regio *Bourbonnois* dicitur; Ducatûs titulo inſignis, in qua Molinum, ſedes Ducum, dum fuerunt, ad Elaverem fluv. Hi ex Germania profecti in Gallia ſedem fixêre. Habet Borbonienſis provinc. ab Oriente Burgundiam, à Septentrione Nivernenſem provinc. ab Occidente Bituricenſem, cum Marchia Lemovicenſi, à Meridie Alverniam. Vide infrà. *Boji* hi, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum tranſierant, Noreiamque oppugnârant, Helvetiis domô emigrantibus ſocii, cum 32. capitum millibus adjuncti ſunt, ac unà cum eis à Romanis prœliô ſuperati. Quos cum Caius Cæſar victor omnes obſidibus armiſque traditis in deditionem accepiſſet, Helvetios quidem, Tulingos, Latobrigos ac Rauracos in ſuos fines redire juſſit. *Bojos verò petentibus Æduis, quod egregiâ virtute erant cogniti, ut in finibus ſuis collocarent, conceſſit: quibus illi agros dederunt, eoſque poſteà in parem juris libertatiſque conditionem, atque ipſi erant, receperunt.* Hæc Cæſar in *l.* 1. *c.* 28. ſcribit: qui & in *l.* 7. *c.* 17. *Bojos* iſtos *non magnis facultatibus* fuiſſe, *civitatemque fuiſſe exiguam*, *infirmam* ac tenuem tradit, utpote hominum millium circiter 12. aut 15. ac Æduis proximos facit conjungitque his verbis: Cæſar Avaricum obſidens *de re frumentaria Bojos atque Æduos adhortari non deſtitit: quorum alteri quod nullo ſtudio agebant, non multum adjuvabant; alteri, non magnis facultatibus, quod civitas erat exigua & infirma, celeriter quod habuerant, conſumſerunt. Summâ difficultate rei frumentariæ affectô exercitu, tenuitate Bojorum, indiligentiâ Æduorum*, &c. Idem eodem in *Commentario l.* 7. *c.* 37. 38. *Bojos ſtipendiarios Æduorum* appellat, & *Gergobiam*, *Bojorum oppidum*, *quos Helveticô prœliô victos ibi Cæſar collocaverat, Æduiſque attribuerat*, à Vercingetorige *oppugnatam* eſſe prodit: quam Gergobiam Bojorum, *Molinas* nunc eſſe quidam cum *Maſſono* putant, caput pagi Burbonenſis, *Moulins en Bourbonnois*. *Sampſon* eam cum Gergovia Arvernorum malè confundit, & ex duabus duarum Gentium civitatibus unam facit: Plinius *Bojos* in Gallia Lugdunenſi vel Celtica ponit inter Carnutes & Senones, rectè omnino. Cùm enim Ædui ſint Celtæ, ſeu Galliæ Celticæ gens, ut omnes unô ore conſentiunt: apparet, *Bojos* Celticæ quoque Lugdunenſive Galliæ attribui neceſſariò oportere, quandoquidem in finibus Æduorum ſunt collocati. Verba Plinii ſunt in *l.* 4. *c.* 18. de Lugdunenſi Gallia: *Intus autem Ædui Fœderati, Boji, Sexones, Carnutes* & Senones flumen Ligerim attingunt, à quo fluviô, & à Biturigum finibus Boji non multum videntur abfuiſſe: Cùm Cæſar ſe ex Lingonibus per Senonum agrum uſque Carnutum ad Bojos profectum eſſe ſcribat in *l.* 7. & Vercingetorigem *rurſus in Bituriges exercitum reduxiſſe, atque inde profectum, Gergobiam Bojorum oppidum oppugnare inſtituiſſe*, Tacitus in *l.* 11. *Hiſtor. c.* 61. eorundem Bojorum meminit, & rectè Æduis ſeu quibuſdam Æduorum pagis proximos facit, cùm in finibus Æduorum ſedes ipſi haberent: *Mariccus* (inquit) *quidam è plebe Bojorum, concitis* 8000. *hominum, proximos Æduorum pagos trahebat: tum graviſſima civitas (Æduorum) electâ juventute, adjectis à Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem diſjecit. Captus in eo prœlio Mariccus aſſertor Galliarum & Deus, (nomen id ſibi indiderat) ac mox feris objectus, quia non laniabatur, ſtolidum vulgus inviolabilem credebat; donec ſpectante Vitelliô interfectus eſt.* Omnino Auguſtoduni in media Amphitheatri arena feris objectus eſt Mariccus: *ſpectante Vitelliô. Auguſta ac ſtolidè vulgô*: objectus inquam eſt feris à graviſſima

civitate Æduorum, quorum caput Auguſtodunum, qui ipſum fuderant ac ceperant. *Maſſonus* Bojos *hodie Borbonios eſſe* aſſerit: quem Maſſonus *in deſcriptione Galliæ*, & *Samſon*, aliique recentiores Geographi ſequuntur. Ex quibus, Samſon *Bojos*, ita pro pago Burbonenſi, *le Bourbonnois*, accipit, ut partem pagi Burbonenſis Biturigum Cuborum, partem Seguſianorum eſſe, ſeu Eccleſiæ Bituricæ Lugdunenſique diœceſi attribui fateatur. *Bojos* Burbonenſes eſſe, eo faciliùs & patrum noſtrorum & noſtræ ætatis Geographi ſibi perſuaſêre, quòd Cæſar Gergobiæ Bojorum à Vercingetorige oppugnatæ ſubſidio venire feſtinans, per agrum Senonum & Carnutum tetendit in Bojos, & apud Genabum Carnutum *exercitum Ligerim traduxit, atque in Biturigum fines pervenit, oppidumque Biturigum poſitum in via Noviodunum* (*Nevvy*) *oppugnare inſtituit. At Vercingetorix, cognitô Cæſaris adventu, oppugnatione Gergobiæ deſiſtit, atque obviam Cæſari profectus eſt.* Quæ Julii Cæſaris narratio *loc. cit.* indicat, Bojos, ſi non in Biturigibus Cubis, certè ſaltem eorum finibus proximos fuiſſe, & in pago, qui Burbonenſis nunc dicitur, habitaviſſe. Falſum tamen eſt, quod ait *Samſon*, *Bojos inter Æduos, Arvernos ac Bituriges* à Cæſare, vel ab Æduis permiſſu Cæſaris *collocatos* eſſe, cùm non alibi quàm in ipſo Æduorum agro ſint poſiti. *Gergobiam Bojorum oppidum* ſive Gergoviam à Vergovia Arvernorum differre, in *Arvernis* docuimus, Samſonianique errores arguimus. Qui ſunt ergo Boji? dicet aliquis. Equidem in Æduorum finibus quærendos eos eſſe non procul à Biturigibus contendo, auctorem Cæſarem ſecutus: ſed cùm longè lateque pateant Æduorum fines, & 4. diœceſes contineant, ubi inveniri Boji poſſint, non facile dictu eſt: cùm civitas exigua fuerit ac tenuis, & unus tantùm oppidi, atque paucorum capitum ac agrorum. Haud difficulter acceſſerim *Coquillio*, aſſerenti partem pagi Burbonenſis, ſed eam tantummodo, quam Liger & Elaver claudunt, & ubi Molinæ ſunt, quæ hodieque Æduis ſeu Auguſtodunenſi diœceſi adſcribitur, *Bojos* veterum eſſe. Addit Coquillius Burbonenſis pagi primum fuiſſe Burbonem modò, Muratum atque Cantiliam: poſteà cum pagum ſenſim creviſſe, & de Biturigibus, de Arvernis, de Forenſibus ſeu Seguſianis, & de Nivernenſibus multa ſibi loca adjunxiſſe, ita ut 4. Epiſcopatibus nunc attribuatur, Auguſtodunenſi ac Nivernenſi Æduorum, diœceſi Bituricæ & Eccleſiæ, Claromontenſi Arvernorum. Hadr. Valeſius *Notit. Gall.*

BOJI, populi Vindeliciæ, in Germania quorum regio *Bavaria*, vulgò *Bayeren* & *Beyeren* eſſe videtur pleriſque. Hos Cæſar trans Rhenum habitâſſe, atque Noricnagro conſediſſe, *l. 1. de bell. Gall. c. 5.* refert. Poſteà *Bojoarii* dicti: inter Iſatam & Oenum fluv. Vide *Bavaria*, & plura de iis, apud B. Rhenanum. *Rer. Germ. l. 2.* cum *Notis* Cl. Ottonis.

BOJI, populi Galliæ Aquitanicæ, quorum tractus *Buche*, teſte *Vineto* dicitur, apud oſtia Garumnæ fluv. à Burdigala urbe 36. leuc. in Occidentem. Ibi oppid. præcipuum *Buxium*. *Valeſio* Populus eſt exiguus Aquitaniæ II. in pago Burdigalenſi, cui nulla unquam civitas, ſed vici ſolùm ignobiles ac obſcuri fuêre. Vulgò nunc *Buges* dicuntur, & ager Buicus *Buche*: Caput Buchium ſeu Boji vicus ad Leriam duorum Bajona dierum itinere abeſt. Dominum Bojorum Galli olim *Capitalem Bojorum*, vulgò *le Chaſtau de Buch*, & ejus dominium Capitaletum *le Captalat* vocârunt, qui nunc principatus eſt. Appendix tamen *Chronici* Guil. Nangiacenſis ab A. C. 1340. usque ad A. C. 1368. deducta, *Caſtal de Beuf* ſemper vocat. Eorum fluv. Leria *Laire* eſt, qui in Oceanum effluit, & *Sigmas Ptolemæo* dicitur. Ab iiſdem promontor. inter Sigmanis & Garumnæ fluminis oſtia, quod *Ptolem. Curianum* nuncupat, *Cap. de Buch*, i. e. *Caput Bojorum* incolis dici, contendit Scaliger, Vinetus tamen *Cordan* eſſe mavult, ſcopulum in Oceano Meduliîo. Vide Valeſ. *Notit. Gall.* in vocibus *Lapurdum* & *Meduli*. Eorum meminit Paullinus *Epiſt. ad Auſonium*,

— — *Placeat reticere nitentem*
Burdigalam, & piceos malis deſcribere Bojos

BOJI, Italiæ populi in Gallia Togata, inter Æmiliam viam, & Padum, apud eam incolentes, quorum regio magna ex parte Romandiola, vulgò *Romagna* nuncupatur. Meminit horum Silius *l. 4. v. 158.*

— *Spiſſaque tauri conferta per arma*
Unda Bojorum. — —

Polybius *l. 2.* Τὰ δὲ πέραν τοῦ Πάδου τὰ περὶ τὸν Ἀπέννινον, πρῶτοι μὲν Ἄναμαρες, μετὰ δὲ τούτους Βόϊοι κατῴκησαν. Vide Cluver. *Ital. Antiq. l. 1. c. 29.* Erant, ubi nunc Ducatus Parmenſis & Mutinenſis & ager Bononienſis. *Baudrand.*

BOJITÆ, Perſiæ Regnum inſtaurârunt, circa A. C. 932. Poſtquam enim Caliphæ Saracenorum Perſiæ Regnô diu fuiſſent potiti, tandem decreſcente indies eorum auctoritate, Sultani per provincias paſſim rebellantes propria ſibi regna condere cœperunt: Inter quos præcipui erant filii *Boja*, qui genus è priſcis Perſarum Regibus, ipſoque adeo Dario Hyſtaſpes, repetebat. Habebat autem *Bojas* ille tres filios, *Alim*, *Haſſen* & *Achmed*, à juventute militiæ aſſuetos; è quibus Alis, collectâ prædonum manu, cùm multa ſtrenuè gereret, Martawigo Aſſyriæ Imperatori ſe ſocium junxit, & paulò poſt confirmatis jam viribus, ab eo deficiens, Perſiam, aliaſque latè provincias occupavit, iiſque cum fratribus ſuis diviſis, in Regno novo à Calipha Muktaſiballa confirmatus eſt. Ita *Bojitæ* per univerſam Perſiam rerum potiti, veterum Regum proſapiam decuſque gentis tot jam ſeculis interruptum, mirificè illuſtrârunt: Caliphaque Mutius Lilla Alin cognomine *Amadudulam* appellari *Regem Regum* juſſit. Cujus poſteri Perſiam variâ fortunâ, per annos 127. obtinuerunt uſque ad A. C. 1055. quò è Turcis Selgucidæ *Bojitis* ſucceſſerunt, quorum ultimus Rex *Melecsam* fuit. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. p. 418.* ad quem commentarius L. Joach. Fellerus, *Bojitas* hoſce aliter *Pujanos* nominatos eſſe, adnotat. Vide quoque infrà ubi de *Perſarum Regno*.

BOJOCALUS, Anſibariorum Dux, rebellione Cheruſcâ vinctus, juſſu Arminii, mox Tiberiô & Germanicô Ducibus ſtipendia meruit: qui ſuis agros orans à Romanis repulſam tulit ac Cheruſcorum agros inſedens occiſus eſt cum pleraque juventute. Tacit. *l. 13. Annal. c. 55.*

BOJODURUM, Vindeliciæ urbs ad Danubium, *Ptol.* Eſt *Inſtat*, ad Confluentias Oeni & Danubii fluv. ex adverſo Paraviæ urbis, ſeu potius pars ipſius verſùs Auſtriam, in Bavaria inferiori. Quibuſdam *Ambiladium*.

BOJON, oppid. Cyrenes. Plin. *l. 5. c. 5.* Item oppid. Doridis in Græcia. Plin. *l. 4. c. 7.*

BOJONIA Anulla, in ſaxis Salmaſ. *ad Jul. Capitol. in Antonino Pio c. 1.*

BOJONIA Fadilla, aliàs *Bojonia Procilla*, avia materna Antonini Pii Imperatoris unde is *Bojonii* nomen habuit, memoratur Jul. Capitolino, ubi ſuprà.

BOJONIUS, inter nomina Antonini Pii, quæ erant: *Titus Aurelius Fulvius* Bojonius *Antoninus Pius*: Jub. Græcuſit περὶ Ἀρχιερατικῶν, perperam Βοΐωνος habet. Sic autem dictus eſt ab avia materna *Bojonia Procilla*, ut Capitolin. *c. 1.* vocat, vel *Procilla*, ut in ſaxis, cùm hæres ab illa fuiſſet ſcriptus. Caſaubon. *Bovinium* mavult legi & *Bovinum*, niſi quòd nomen, inquit, ἐξελληνισθὲν utcunque apud Latinos originem à bobus diſſimulat. Sed *Bojonium*, non *Bovinum*, in bonæ notæ libro Palatino, ſe legiſſe, nec dubitare, quin *Bojonius* ſcribi debeat, ait Salmaſ. Sunt verò, qui non hunc Imperatorem ſed Marcum *Bojonium* vocant, ut *Victor*, *Eutropius* & *Paanius* Βοϊώνιος &c.

BOJONIUS Olympus, in veterib. Inſcriptionib. *Bojonii* Antonini Pii libertus fuiſſe videtur, *Caſaubon.*

BOJORUM Deſerta, *Plinio* & *Straboni* memorata, hodie *Wienerwald*, auctore *Lazio*.

BOISCUS, Cyzicenus, Poëta Græcus peculiare Jamborum genus invenit. Voſſ. *de re Poët. l. 2. c. 25.*

BOISSARDUS Joh. Jacobus, ſcripſit *Vitas* 50. *Virorum illuſtr.*

BOISTOVIUS Petrus, vide *Petrus*.

BOJUM, oppid. Æmiliæ ſeu Galliæ Togatæ, nunc pagus *Boibe*: urbs etiam Liguriæ, ad Trebiam amnem, vulgo *Bobio*. *Ferrar.*

BOIZLAUS, Boëmorum Rex. Blondus *l. 2. c. 2.*

BOLA, vide *Bolæ*.

BOLACA, Triphyliæ urbs in Peloponneſo. *Polyb.*

BOLÆ, Æquorum in Italia oppid. cujus meminit Diodor. Sic. *l. 14.* & Dionyſ. Halicarnaſſ. *l. 1.* quibus Βῶλαι vocantur. *Stephano* autem *Bola* ſingulari numerô dicitur. Βῶλα ὡς Νῶλα, πόλις Ἰταλίας. Virg. *Æn. l. 6. v. 776.*

Pometios, Caſtrumque Inui, Bolamque Coramque.

Sed hoc etiam oppidum Plinius *l. 3. c. 5.* inter ea computat, quæ jam tum *interierant ſine veſtigiis*. *Nic. Lloydius.*

BOLÆNA, vide *Bolina*.

BOLANUS, vide *Ruſticus*, it. *Vettius*.

BOLBÆ, urbs Cariæ, fluv. aut palus *Bolbaotes*, quæ *Heraclea* dicta eſt.

BOLBENE, regio Aſiæ, in Armenia provinc. maximè Septentrionalis, unà cum Baſiliſene, de qua ſuprà dictum: Græcè Βολβηνή, apud *Ptolem.* qui ad Paryadrem montem Armeniæ majoris collocat regiones Sibacenen & Sacapenen, deinde ſub his, quæ ἀρκτικώταται ſunt in Occidentali latere, Βασιλισηνὴ καὶ Βολβηνή. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 621. & 624.*

BOLBITINA, urbs Ægypti.

BOLBITINUM, unum ex ſeptem Nili oſtiis. Ad hoc Naucratim conditam eſſe, è Strabone colligitur, qui Mileſios Ægyptum triginta navibus cùm perveniſſent, oſtium *Bolbitinum* tenuiſſe, atque exſcenſione factâ condidiſſe oppidum, cui nomen Μιλησίων τεῖχος; ab eodem dein oſtio navigantes adverſô flumine in Saiticam præfecturam, expugnatâ Inarô, condidiſſe Naucratim, refert. Sais certè Metropolis & Saiticus Nomus, inter *Bolbitinum* oſtium & Sebennyticum ſunt. Sed hac de re infrà dicetur. Erat autem hoc oſtium inter Sebennyticum & Canopicum, quibuſdam idem cum Naucratico, Pliniô teſte, *l. 5. c. 10.* eo ſe *Taly* fluvius in mare exonerabat, una nempe ex duabus eruptis Bubaſtiaci fluminis &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 476. & ſeqq.*

BOLBULÆ, oppid. & inſula maris mediterranei. Plin. *l. 5. c. 31.*

BOLENIA Anna, ſecunda uxor Henrici VIII. Angliæ Regis mater ex illo Eliſabethæ Reginæ. A Pontificiis, quibus tum facilem & credulum ſe Rex præbuerat (Reformationis enim opus aggreſſus non eſt, niſi poſt ductam Janam Semeriam) rea peracta, capiteque plexa eſt, A. C. 1536. poſtquam Anna de ſua innocentia fuiſſet proteſtata, nec adduci potuiſſet Norſius, ut crimen, cujus arguebatur, confiteretur, quamvis oblatâ Regis gratiâ, dicens: *non in animum inducere poſſe, ut innocenti falſum crimen impingat, etiamſi mille ſibi mortes ſubeundæ forent.* Franc. Godwinus *Annal. rerum Angliæ l. 1. ad A. C. 1536.* Hujus filiæ Eliſabethæ poſteà Rex morti vicinus teſtamentô regnum deſtinavit, ſi Eduardo, ex Semeria, & poſt hunc Mariæ, ex Catharina Aragonica prognatis, ſine hæredibus, mori contigiſſet. Moretus in *Dict. Hiſt.*

BOLENTIUM, urbs Pannoniæ ſuperioris. *Ptol.*

BOLERIUM, nunc *S. Bureena Pointe*, vicus extremus Cornubiæ provinc. Angliæ, prope Bolerium promontor. Nunc *the lands end*, ſeu *finis terra*. Item *the Cape of Cornwal* Angl. Vide *Antiveſtæum*.

BOLESLAVIA, urbs Bohemiæ duplex. Vetus ſeu *Alt Bunczel*, ad Gizeram fluv. & nova, quæ *Jung Bunczel*, ubi Gizera influit in Albim, è regione Brandiſii oppid. 2. milliar. German. à Praga, in ortum, condita à Boleſlao fratricida, A. C. 935. Hinc Boleſlavienſes ab hoſtibus contemptim dicti, qui aliàs *Jaunici* ſeu *Taboriba*, vide *ibi*.

Varii Principes Regeſque Poloniæ,

BOLESLAUS I. cognomine *Crobius*, Dux Poloniæ, poſt Micſlaum baptizatum; Regis titulum ab Ottone III. nactus, feliciter præfuit:

fuit: Pruſſis & Ruſſis tributum pendere coactis. Obiit A. C. 1025. Mieciſlaô filiô ſucceſſore deſignatô. Cromer. *Hiſt. Pol.* Genebr. *in Sylveſtro.* II.

BOLESLAUS II. cognomine *Audax*. Rex electus poſt Caſimirum I. Patrem, A. C. 1058. bellô contra Bohemos & Ruſſos felix, mox in otium & voluptates verſus, miſerè periit. *Cromer. Crantz.*

BOLESLAUS III. cognomine *Chrzivouſtus*, ſucceſſit Patri Ladiſlao. Vicit Bohemos, vaſtavit Moraviam, ter Pomeranos ſuperavit, Henricum V. Imperatorem ad pacem adegit; ductâque ſorore Adelaide, obiit A. C. 1139. regni 3.

BOLESLAUS IV. cognomine *Crispus*, fil. Boleſlai III. fratri Ladiſlao pulſo ſucceſſit. Pruſſos rebelles domuit, & ad Baptiſmi ſacra adduxit. Obiit A. C. 1163. regni 17.

BOLESLAUS V. cognomine *Caſtus*, maritus Conegundes virginis, multa ambitione procerum, & incurſionibus Tartarorum paſſus. Obiit A. C. 1279. regni 52. Eôdem ferè tempore Boleſlaus Pius, item Calvus, Poloni Principes, obierunt. Mechov. *l.* 3. Cromer. *l.* 9.

Principes alii, ex familia Piaſtea.

BOLESLAUS, Dux Plocenſis, (ex eadem cum Regibus Poloniæ hujus nominis familiâ Piaſteâ, ſed ramô Mazoviô, cujus Ziemovitus Conradi filius auctor fuit, oriundus) poſt mortem Leſci Albi, ad Principatum Poloniæ vocatus, ſed, ab Henricô Vratiſlavienſi dejectus eſt. Ex ejus poſteris *Boleſlaus*, Varſovianæ lineæ, Rex item Poloniæ à quibuſdam electus eſt, ſed, Caſimirô regnum capeſſente, fruſtra fuit: Pater Januſſii, regnum adverſus Joh. Albertum infeliciter affectantis, & Conradi, in cujus filiis Johanne & Stanislao lineâ, ac in Polonia ſimul omnis Piaſteus ſanguis defecit, A. C. 1526.

BOLESLAUS, cognomine *Altus* ſeu *Procerus*, filius Vladiſlai II. Polon. Regis qui regnô à fratribus pulſus, in Sileſia ſedem fixit, Sileſiæ inferioris Ducum auctor fuit, ſicut à fratre ejus minore natu ſuperioris Duces deſcenderunt. Ei Vratiſlavia primò data, & poſt fratris Conradi Laſconogi mortem Glogavia acceſſit, ob quam cum Micislao minore fratre bellum, interventu Caſimiri Poloniæ Regis ſopitum, A. C. 1179. Huic dein adverſus Boruſſos, Imperatori item Barbaroſſæ in Italia, operam militarem addixit. Obiit A. C. 1201. bene de Sileſia meritus: Pater ex Wenceſlaa Moſca Jaroſlai & ex Adelheide Sultzbacenſi Henrici cognomine *Barbati* ſeu *Sapientis*, è quibus hic inter alios filium quoque *Boleſlaum* habuit, qui majori ex parte ditionem ſuam Lebuſienſem Brandeburgicis vendidit: alterumque Henricum cognomine *Pium*, quô & Annâ Bohemâ genita ſunt, Henricus, qui Vratiſlavienſem,

BOLESLAUS, qui Lignicenſem & Conradus, qui Glogovienſem Principatus accepêre. Habuit Boleſlaus cognomen *Calvi* vel *Severi*, fuitque libidinoſiſſimus, turbulentiſſimus, prodigus, luxurioſus, temerarius, imprudens & tandem ferè delirus. Ei oblatus Poloniæ Principatus, ſed à Conrado Mazovio repreſſus eſt: in Sileſia verò parricidialia per ipſum bella excitata, multô ſanguine conſtitêre. Fratrem Henricum ad Vratiſlaviam cedendam cogere fruſtra conatus, A. C. 1256. Epiſcopum Vratiſlavienſem captum ad damnoſas conditiones adegit, ſed viciſſim captus à fratre Conrado tantundem ei ſolvere compulſus eſt. Iterum nepote Henricô Probô captô A. C. 1278. deceſſit, relictis ex prima uxore Hedvige Anhaltinâ filiis Henricô Lignicenſis, & Boleſlaô Suidnicenſis lineæ, conditoribus: medius enim Bernhardus prole caruit.

BOLESLAUS, fil. Henrici præfati primogenitus ex Eliſabetha Caliſienſi, initiô patruô *Boleſlao*, dein Epiſcopô Vratiſlavienſi tutore uſus, Briegam tenuit, & poſtea Lignicium, quod à fratre Vladiſlao extorſit, quemadmodum Glogovianis quoque aliqua ademit, viciſſim Grotkam vendidit Epiſcopo, & ſemel ipſos liberos Vratiſlavienſibus oppignoravit. Cum fratres dein ſe Bohemo Regi ſubmiſiſſent; ipſe etiam idem facere coactus eſt, A. C. 1331. In Eccleſiaſticorum poſt hæc bona, ob Regem à Nancero Epiſcopo Vratiſlavienſi injuſtè excommunicatum, involavit: Obiit A. C. 1343. cùm immoderatâ poſt jejunium oppletione ſtomachum ſabarrâſſet. Conjux ejus ſecunda multam attulit marito dotem, è qua redemta Olavia ac Briega. Ex priori Margareta Bohema filios reliquit Ludovicum ac Wenceſlaum, patrem *Boleſlai*, inter alios, qui certamine ludicrô in Bacchanalibus periit.

BOLESLAUS, ſeu BULCO, Boleſlai *Severi*, de quo ſuprà, filius minor natu, in diviſione Suidnicium Principatum nactus A. C. 1278. à fratre dein A. C. 1291. Javoram, Strigaviam, Franckenſteinum & alia, ut ſibi adverſus Glogovienſem præſtò eſſet, accepit: Nec tamen auxiliatus eſt, interim filiorum ipſius tutor relictus, Glogovianos, ut multa Patri ademta redderent, coëgit. Briegam & alia, in ſua etiam ditione, munivit, Wenceſlaum Bohemiæ Regem qui eum adoriri volebat, terruit &c. Obiit A. C. 1301. primus in Sileſia juris Feudalis Germanici & tributorum, unde opes magnæ, auctor. Eô genitus, Bernhardus Suidnicianam lineam continuavit, *Boleſlaus* verò Monſterbergicam ortus eſt.

BOLESLAUS, ſeu BULCO, fil. Bernhardi modò dicti, ex ſorore Vladiſlai Loctici, cum fratre Henrico, Patris imitatus exemplum, Bohemiæ obſequium detrectavit. Obiit ſine prole A. C. 1368. relictâ viduâ Agnete Auſtriacâ, quæ deceſſit A. C. 1392. Principatum ejus erexit. Carolus IV. Imperat. cui datâ ex fratre nepte Annâ A. C. 1348. Ducatuum eum ea ſucceſſionem pollicitus fuera A. C. 1353.

BOLESLAUS, fil. Boleſlai, quem Boleſlaus Sævus genuit, vide *ſuprà*: Monſterbergicæ lineæ ſator, Glacenſem Comitatum Johanni Bohemiæ Regi vendidit A. C. 1326. unde hunc poteſtatis in Sileſiam principium. Inde verò cum Carolus Johannis filius patris juſſu adortus, Franckenſteinum obſedit. Sed cùm in eruptione Boleſlaus multos nobiles captos, in convivio, ab uxoribus eorum exoratus, ſine lytro dimiſiſſet, magnanimitate e victoris delectatus Carolus, ad vitæ dies ipſi Comitatum Glacenſem reddidit; hâc lege, ut coronæ Bohemicæ ſubderetur. Obdormivit in hymno, *Tribulares, ſi neſcirem miſericordias tuas, Domine, tu dixiſti, nolo mortem peccatoris*, &c. A. C. 1342. Pater Nicolai, ex hoc avus *Boleſlai*, qui A. C. 1377. à moriore occiſus, filios reliquit Johannem ac Henricum, quibus ſine prole defunctis linea defecit, & Ducatus Monſterbergicus ad regnum Bohemicum devolutus eſt A. C. 1429.

BOLESLAUS, fil. minor natu Primiſlai Ducis Teſchinenſis, quem tanium uſus fuerat Caſimirus II. Wenceſlao Imperatori apprimè charus, quemadmodum & frater ejus Primiſlaus Sigiſmundô Imperatori adverſus Boruſſos tulit ſuppetias, A. C. 1417. Extinctô A. C. 1433. ſuperfuêre, ex Sophia Lithuana, filii quinque, quorum maximus natu patri cognominis, extinctus eſt, A. C. 1460. ex Anna Mazovia Pater Caſimiri IV.

BOLESLAUS I. fil. minimus natu Vladiſlai, ex Sileſiæ ſuperior. Ducum ſtirpe, Oppoliam nactus eſt, frater Caſimiri II. qui Teſchinenſes Principes ſevit. Cum Henrico Probo adverſus Locticum profectus, ſed ad Cracoviam cruentô ſuperatus prælió, A. C. 1390. deceſſit A. C. 1413. Ejus filii, duo *Boleſlai* & Albertus

BOLESLAUS II. fil. prioris, Vladiſlaum genuit, à Ludovico Hungariæ & Poloniæ Rege gubernatorem hujus regni ac Palatinum conſtitutum, & *Boleſlaum*.

BOLESLAUS III. frater *Boleſlai* II. Falcoburgum obtinuit, pater Henrici ac Bernhardi, qui liberis caruêre.

BOLESLAUS IV. fil. *Boleſlai* II. genuit ex Euphemia Vratiſlavienſi, Bernhardum Ducem Falcoburgicum, qui A. C. 1455. filias tantum reliquit, Johannem Epiſcopum Caminenſem ac Vratiſlavienſem, & *Boleſlaum*.

BOLESLAUS hic V. Huſſitis patrocinatus eſt, ob id à Nicolao Duce Ratiborio victus: Ex Margareta Gortia genuit *Boleſlaum*, Johannem, Henricum ac Nicolaum, qui extinctus A. C. 1463. ultimos familiæ reliquit Nicolaum, Johannem ac Henricum.

BOLESLAUS VI. fil. prioris, cognomine *Mirabilis*, cum Polonis bellum habuit, multaque illis intulit damna, ſuos etiam Georgio Bohemiæ Regi adverſus Vratiſlavienſes adhibuit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſtor.* Idem nomen fuit filio Miciſlai cognomine *Magni* Poloniæ Regis bellô Patris adverſus Leſcum extinctô A. C. 1194. Item, filio Vladiſlai Sputatoris, (Miciſlai ex alio filio Ottone nepotis) cognomine *Pio*, qui Caliſiam tenuit, ſed abſque hæredibus extinctus eſt, Apud *eund.*

BOLETAR Halieuticum, argenteum librarum XX. apud Trebellium Pollionem in *Claudio*, c. 17. quod ſit, animos habuit non paucos Eruditorum, cùm quædam exemplaria verba hæc planè omittant, alia modo *Voleta*, modò *Voletar*, præferant. Sed *Boletar* omnino ſcribendum eſſe, Salmaſ. docet. Eſt autem hoc genus vaſis, ex Martiali, *l.* 14. *Epigr.* 101. notum, & *Apicio*. Vetus item *Epigramma* ejus meminit:

Comtas nolo dapes, vacuum mihi pone boletar.
Quod placet aſpiciam remo quod ſaturat.

Scholiaſtes Juvenalis, ad illud. *Sat.* 11. v. 136.

——— ——— *Cui cedere debeat omnis*
Pergula.

Coquina, inquit, quâ *boletaria* ponuntur. *Boletar* nempe genus lancis aut diſci fuit; quod *halieuticum* Pollioni dictum eſt, forſè quod piſcatorem cælatura expreſſum haberet; Quemadmodum *hederaceam pateram* idem vocavit paulo ante, in qua hedera cælata oſtendebatur. Sic planè apud Theocritum in poculo piſcator expreſſus habetur & cælô effigiatur:

Τῷ δὲ μέτα, γριπεύς τε γέρων πέτρη τε τέτυκται
Λεπράς, ἐφ' ᾇ σπεύδων μέγα δίκτυον ἐς βόλον ἕλκει
Ὁ πρέσβυς, κάμνοντι τὸ καρτερὸν ἀνδρὶ ἐοικώς.

Sic vetus extat *Epigramma*, de Galatea in *boletari* picta, ex lectione Salmaſii:

Indere ſueta vadis privata Nympha natata
Exornat menſas, membra venuſta movens.
Comptas nolo dapes &c.

Uti ergo in hoc *boletari*, Nais erat picta, ſic in illo Gallieni, cujus Trebellius meminit, *piſcator*, unde ἁλιευτικὸν appellavit ab argumento cælaturæ. *Boletar* verò, uti nemo ignorat, cum ſic primùm diceretur, quòd in eo *boleti* tantùm apponerentur; poſteà cibi omne genus ſuſtinendis ſervit & pro quolibet vaſe eſcario ſumi cœptum eſt. Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 101.

Cùm mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis, pudet heu, ſervio cauliculis.

Quemadmodum de *apalari* ſuprà vidimus. Vide Salmaſ. *Not. ad Trebellium Poll. loc. cit.*

BOLETI, fungorum genus nobiliſſimum, noviſſimum apud Romanos gulæ irritamentum, &, ut jocatus eſt Nero, *cibus Deorum*. Venenatô namque *boletô* Agrippina Claudium Cæſarem extinxit, qui dein pro more conſecratus & in Deorum numerum relatus eſt. Juvenalis *Sat.* 5. v. 146.

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino: ſed quales Claudius edit &c.

Vide quoque Tacit. *Annal. l.* 12. c. 67. Sueton. in *Claudio* c. 44. Dionem *l.* 7. Senecam Ἀποκολοκύντωσιν hinc dictâ, *Alios*. Unde Martialis, ſub perſona Cæciliani, barbarum & inhumanum hoſpitem; qui non tam ad convivium amicos vocaverat, ut eſſent, quàm,

quàm ut optima quæque vorantem jejuni ſpectarent, ipſique viliſſimis intereà cibis paſcerentur, his verbis inſectatur, *l. 1. Epigr. 21.*

Dic mihi, quis furor eſt? turbâ ſpectante vocatâ,
Solus boletos, *Cæciliane, voras.*
Quid dignum tanto tibi ventre, guláque precabor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Tanti autem habebantur, ut aurô argentôque cariores judicarentur. Idem *l. 13. Epigr. 48.*

Argentum atque aurum facile eſt, lænamque, togamque
Mittere: boletos *mittere difficile eſt.*

Hinc idem iterum Ponticum carpit, quòd *boletos* ſibi ſolus ſumeret, convivis ad viliora fercula rejectis, *l. 3. Epigr. 60. v. 5.*

Sunt tibi boleti, fungos ego ſumo ſuillos.
Res tibi cum rhombo eſt; at mihi cum ſparulo.
Cereus immodicis turtur te clunibus implet &c.

Hinc *Boletar*, genus lancis aut diſci, quòd *boletis* primitus inſerviit, de qua voce vide ſuprà. Plura verò de *Boletis*, apud Plinium *l. 22. c. 22.*

BOLGIUS, Dux Gallorum in expeditione contra Ptolemæum Regem Macedonum. Pauſan. *l.* 10.

BOLGRADE, oppid. Pomeraniæ. *Merul.*

BOLI, Græcè βόλοι, non tantùm teſſerarum jactus, ſed & ipſæ teſſeræ Græcis dictæ ſunt. *Euſtathius*, κύβοι μὲν γὰρ οἱ κατηγορούμενοι ἑξάπλευροι βόλοι καὶ ὅσοι κατακυβεύοντες ἐν τῷ ἀβάκῳ: à *jactando* videl. vel *jaciendo*, quod Græcis βάλλειν. Ovid. *l. 2. Art. Am. v. 203.*

Seu ludet, numeroſque manu jactabit eburnos,
Tu malè jactato, tu malè jacta dato, &c.

Inde diminutivum βόλιον, *teſſera. Gloſſ. teſſera*, βόλιον, ψῆφος. *Heſych.* πεσσοί, βόλια οἷς τις παίζουσι: in veter. *Inſcr.* Tabulæ luſoriæ. εἰς τὰ βόλια παίζων, *teſſeris ludens.* Etiam verò βολίδας appellârunt. *Epigr.* Græcum εἰς πολίδαν.

Μὴ τι δ' ἐπί καὶ μεγαλίζευ, μηδ' ἀπαλεσφυδόνας
Αὔχευν, τοῖς ὀλίγοις μεμερισμένος βολίδας.

Jacula veterib. Latinis. *Iſidor. Olim autem teſſeræ jacula appellabantur à jaciendo*: ubi *jaculum* eſt βόλις vel βόλος &c. Galli hodieque *Jallos*, ex Græco, calculos vocant. Vide Salmaſ. *ad Fl. Vopiſc. in Proculo, c. 13.*

BOLINA, virgo, quam adamavit Apollo. Pauſan. *l. 7.*

BOLINA, ſeu BOLINE, oppid. Achajæ juxta Patras. *Steph.*

BOLINÆUS, fluv. à Bolina urbe dictus, cui erat vicinus. Pauſan. *l. 7.*

BOLINGÆ, populi Aſiæ. Plin. *l. 6. c. 20.* Indiam habitant. *Steph.*

BOLISSUS, urbs Æoliæ in edito loco ſita prope Chium. *Steph.*

BOLITES Lapis, genus aluminis à figura dictum, quòd haberet βῶλου, h. e. *glebæ* figuram, πλινθῖτις quoque *Galeno*, nam πλινθίς, i. e. *laterculi* & glebæ figura eadem. *Gloſſa, ceſpes*, χερσοπλινθός, χορτόβωλος, πλινθίς. Ejus florem *alumen ſchiſton* appellatum eſſe, vult *Dioſcorides*. Quemadmodum & Aſio lapidi ſuus flos, & nitro & ſali aliiſque generibus. Plinius de illo, *l. 35. c. 15. Concreti aluminis unum genus ſchiſton appellant Græci in capillamenta quædam caneſcentia dehiſcens, unde quidam trichitin potius appellavêre. Hoc fit e lapide globoſo, Bolites vocant, ut ſit ſudor quidam ejus lapidis in ſpumam coagulatus*; apud Salmaſ. *ad Solin. p. 1166. & 1167.*

BOLLIA, fluv. Pannoniæ ſuperioris. *Polan. Jornand.*

BOLOGESIA, urbs juxta Euphratem. *Steph.*

BOLOGESIPHORA, urbs Perſica. *Steph.*

BOLOGNIUS Ludovicus, ſeu *Bononienſis*, vide *Ludovicus*.

BOLONAS, apud Arnobium *adv. Gentes l. 2. Quid cybarias, ſalmatores*, Bolonas, *unguentarios* &c. in vet. *Lexico Græco-Lat.* exponuntur Μυτταρίτας, παλαμναῖοι. In *Gloſſis* Iſidori, *Cetarii, qui diverſa genera piſcium emunt.* Vide Frid. Lindenbrogium *ad Andriam Terentii p. 627.* & G. Elmenhorſt. *ad Arnobium d. l.*

BOLOS Armenia, recentioribus Græcis, dicta eſt terra Armenia, ſeu Arſenicum rubrum, quod βωλῶδες vel βολοειδὲς eſſe dicit *Dioſcorides*, quia in glebam excutitur è metallo. Apud *Myrepſum* inprimis βῶλος Ἀρμενὸς frequens mentio, quem luteum fuiſſe conſtat, non cœruleum, ut hactenus perſuaſum fuit doctiſſimis Medicorum. Quod autem hodie pro *Bolo Armeno* venditur, non eſt Βῶλος Ἀρμενία veterum, nec terra Armenia *Dioſcoridis*, ſed *Lemnia rubrica*, quam λημνίαν μίλτον appellat *Theophraſtus*, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p. 1156.*

BOLSECUS Hieronymus, vide *Hieronymus*.

BOLSUERDA, oppid. Belgii, in Friſia Occidental. 3. leuc. à Leovardia in Auſtrum & vix 2. ab ora Oceani Germanici ſub Batavis.

BOLTONIA, oppid. Angliæ in Comitatu Lancaſtrienſi, 20. milliar. à Lancaſtria urbe, in Auſtrum & totidem à Ceſtria in Boream.

BOLUM, urbs Perſarmeniorum, propinqua Theodoſiæ urbi, Procop. *l. 1. Perſ.* ubi aurum effoditur.

BOLUS, Cimbrorum Rex Aurelium Scaurum cepit, atque interfecit.

BOLUS, Βῶλος Democriteus Philoſophus præter *libr. de arte medica*, etiam *Hiſtoriam* emiſit, ut ait *Suidas*. Ex hoc Bolo recitat iſta verba Theophraſtus, *nonô de plantis*, & exinde Steph. in Ἀψυνθος, Τὰ κτήνεα τὰ ἐν Πόντῳ τὸ ἀψίνθιον νεμόμενα ἔχει χολήν.

Fuit præterea alter *Bolus* Mendeſius, de quo *Suidam* ſis adi.

BOLUS, locus non procul Caſſandrea. Polyænus *l. 4. c. 6. n. 18.*

BOLUS, vide *Bolos*.

BOLUTUS, urbs in Illyria, & alia in Theſprotia. *Steph.*

BOLZANUM, caſtrum Italiæ, in ditione Veneta, & agro Vincentino, ad Atheſim fluv. 3. milliar. à Vincentia.

BOMBARDA, à ſono & fremitu, Græcis Βόμβος, Latinis *Bombus* dicta. Machina an ad ſtabilienda Imperia an ad delendum genus humanum? enata. Auctorem habuit Chymiſtam quendam, nomine Bertholdum Schwartz Monachum. Vide *Anklitzen Bertholdus*. Primus ejus uſus apud mare Danicum fuit, A. C. 1350. celebris autem non evaſit, donec ad Clugiam pugnatum eſſet à Venetis & Genuenſibus, A. C. 1380. de quo vide Platinam *in Urbano* VI. Paulò poſt Anglis innotuit, & A. C. 1386. captis duabus Gallorum navibus, *diverſæ machinæ ad jaciendum lapides & muros conterendum, & gunnæ plures, cum magna quantitate pulveris*, teſte *Walſinghamo*, in Angliam delatæ ſunt: ubi tandem è ferro fuſili A. C. 1543. conflatas legimus bombardas. Harum genera *Munſteri* ævô multa, ſic ab ipſo enumerantur, *Amazonæ, Baſilici, Luſciniæ, Quartanæ vulgò Cartanæ, Dracones, Serpentes, Falcones, magni & parvi.* Addatur *Arcubuſta*, quaſi arcus cavus: *Buſa* enim Italis foramen. Vide Spelmannum *Gloſſar. Archæol.* Cæterùm propriè petrariæ ſeu Arbaliſtarum ſpecies, quatiendis Urbibus aut caſtrorum mœnibus adhiberi ſolitæ, à fremitu ſeu ſono, quem edit, qui Græcè βόμβος, Latinis *Bombus*. Ita enim deſcribuntur *bombardæ* à Gerbrando à Leydis *l. 31. c. 24. & 25.* & Froiſſardo *Volum. 2. c. 203.* quorum hic meminit *bombardæ*, quæ ex ære conſtans, longa 50. pedes, ingentis magnitudinis ſaxa ejaculata ſit, non quidem vi pulveris tormentarii, ſed nervis machiniſque certis librata. Idem *c. 213.* memorat *bombardas portativas*, h. e. quæ manu geri poſſent, quibus emiſſi fuerint *quadrelli* craſſiores pennati ac ferrei, cujuſmodi ſunt fortè *Arcobuſæ* hodiernæ. At poſtquam pulvis tormentarius, βοτάνη Græcis dictus, ut videre eſt apud Joh. Ducam *c. 30.* per Monachum quendam Germanum, de quo vide in voce *Bertholdus*, inventus eſſet, ille perinde machinis bellicis, quæ *bombardæ* appellârunt, adhibitus eſt. Sed & *bombardis* iſtis ferreos globulos in Gallos emiſſos eſſe ab Anglis, prælio Creſciacenſi, ſub A. C. 1346. auctor eſt Joh. Villaneus *l. 12. c. 65.* Ac Ducas præfatus *c. 35.* ſub A. C. 1452. celeberrimum æneorum tormentorum artificem memorat, natione Hungarum, cui *Urbani* nomen tribuit Laonicus *l. 8.* qui à Græcis ad Mahumetem factus transfuga, ingens tormentum fudit, cujuſlibet magnitudinis lapidis capax, quô muros Conſtantinopolitanos Suldanus evertit. Vide de *Bombardis* eundem Ducam, *c. 39.* Petrum IV. Aragoniæ Regem in *Chron. l. 6. c. 4.* Johannem Cananum, qui *βομβάρδαν* etiam dixit, *p. 189. Alios*; ut & infrà voce *Tormentum*, it. *Zarabatana*: de pulvere verò tormentario, cujus uſum ab A. C. 1338. in Gallia viguiſſe docet *Computum* Bartholomæi *du Drach* Theſaurarii guerrarum iſtius anni, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* infrà. Inſtituit tormentorum *Bombardarumque* hodiernarum comparationem cum Veterum telis, Juſtus Lipſius *de Militia Rom. l. 5. c. 20.* quem videre operæ pretium erit. Hoc certum, decem aliqua noſtrorum id genus muros, aggeres, acies, rumpere, diſjicere, quos machinæ Veter. centum non convulſerunt. Nec ille pulveris pyrii iſtos vim ſatis cognitam habuerit, qui clypeum Romanum objectare moſkettæ uni voluerit, quem jacula aliquot antiquorum non perforârunt. Vidit Barthius infra laudandus, uno ictu talis portatilis tormenti, equitem omnibus armis inſtructum non excuti, ſed cum toto equo ſimul proſterni. Et quamvis exempla extent, quibus maxima vis jaculabilibus illis Veter. haſtis aſcribatur: Nulla tamen comparatio teli, quod breviſſimô temporis ſpatiô ſemper novum, eâdemque vi nocet hoſti, cum eo, quod ſemel projectum non amplius utile eſt poſſeſſori, ſed ſimul manu evolârit; & procul tanta cum mole veniens, facilè vitari poteſt, ac ubi ceciderit, tam deinceps hoſti utile eſt, quàm priori domino fuerat. Nunc manu amplecti & unius libræ pondere tantum telorum geſtare poteſt miles, ut decem ampliùs hoſtes illô conficere queat, nec amittat tamen telum, quô uno in aliquot annos armatur. Qua de re vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Stat. Theb. l. 6. v. 354.*

Quale quater jaculò ſpatium, ter arundine vincas &c.

BOMBAX, Italis *Bombace*, Gallis *Coton*, goſſipium eſt, lana vel lanugo xyli; i. e. goſſipii fruticis, de quo Plin. *l. 19. c. 1. ἐριόξυλον*, Ulpiano *l. 70. Si cui lana legetur, §. 9. D. de legat. 3. ubi lignum lanam reddit*: Origo vocis à voce *Bombyx*, quâ mollior lanæ omnis laniſque lanugo venit Veterib. non ſolùm quæ ex vermibus bombycinis nebatur. Unde recentiores fecerunt *bombax* & *bambax*, quam vocem de goſſypio vel lana xylina propriè uſurpârunt. Itali etiam *bambagginem* vocant, citeriores Græci βαμβάκιον. Sed & *bombycem* de erioxylo dixit Plinius *d. l. Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui Goſſypion vocant, plures xylon & ideò lina inde facta Xylina: parvus eſt ſimiliſque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur, nec ulla ſunt eis candore mollitieque præferenda.* Veſtes inde Sacerdotibus Ægypti gratiſſimæ. Verùm de goſſipinis arboribus laniferiſque plura idem Plin. *l. 12. c. 10. & 11.* Theophraſtus *de Plantis l. 9. c. 4.* Pollux *l. 7. c. 17.* Willtomarus, ſeu Joſ. Scaliger in *Animadverſ. in Rob. Titium p. 48.* & Salmaſ. *ad Solinum p. 296.* laudati Car. du Freſne in *Gloſſar.* Vide Salmaſ. quoque *ad Tertullian. de Pall.* ut & infrà in voce *Goſſypium*.

BOMBONA, Peruviæ provinc. juxta lacum Chincaochamo, & fontes Xauxæ fluv. verſus Andes montes.

BOMBOS, Ciliciæ fluv. Plin. *l. 5. c. 27.*

BOMBYCINA Veſtis, *bombycum opus*, qui ſolus involuti fila deducunt ſericumque conficiunt: Oſtendit enim, contra Virgilium, Plinium et Marcellinum ex veterib. & hos ſequentem Lipſium

ad

ad Tertullianum, Salmaſius *ad paſſionem Tertulliani*, etiam ſericum, quod ex arborum lanugine ab Indis depecti ſolitum priores tradidêre, *Bombycum* fuiſſe opus, neque aliter à *Bombycino* diverſum, quàm quod *Bombycinum* ab Indis advectum præſtantiſſimum, per excellentiam *Sericum* diceretur; *Bombycinum* verò appellatum, quod in inſul. Coo conficeretur. Duplex autem *Bombycinum* ſtatuere videtur Plinius, *Coum* & *Aſſyrium*, & hoc quidem pretioſius: Sic enim ille, *l.* 11. *c.* 23. *Nec puduit, inquit, has veſtes uſurpare etiam viros, levitatem propter æſtivam. In tantum à lorica gerenda diſceſſere mores, ut oneri ſit etiam veſtis. Aſſyria tamen bombyce adhuc fœminis cedimus.* Hæc, cùm duplex fuerit Aſſyriorum bombycum ſpecies, non ab iis confecta eſt, qui ceram faciunt, ſed ab iis, de quibus idem Plinius Ariſtotelem ſequutus ſic: *l.* 11. *c.* 22. *Et alia horum origo, e grandiore vermiculo gemina ſui generis protendente cornua eruca fit, deinde quod vocatur bombylis, ex eo necydalus, ex hoc in ſex menſibus bombyx.* Prima, quæ *Bombycinum* texuerit, ab eodem traditur Pamphila, Plateæ filia, in inſul. Ceo, unde alterum *Bombycini* genus, nempe ex Coa bombyce, cujus diverſam à priori generationem apud eundem Plinium deprehendes. Cæterùm tam ſerica, quam utriuſque bombycinæ veſtis, hoc proprium fuit, ut corpora denudarent. De ſerico Plinius, *l.* 11. *c.* 23. *Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona tranſluceat.* De Coa, quæ etiam à viris geſtabatur; Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 2. *v.* 101.

— — Cois tibi penè videre eſt,
Ut nudam.

Multo magis de Aſſyria, quam nondum ſuos viros ſuâ ætate geſtare, dixit ſuprà Plinius. Unde colligitur, præſtantiorem bombycinam veſtem Aſſyriam fuiſſe, ſive majoris luxus, utpote quam ferre viros puderet, quibus ſerica erat in uſu, ſub Imperatoribus: tandè enim hæc veſtis Romanis cognita eſt. Ex India hanc artem in Græciam permanaſſe, refert Sigonius *Regn. Ital. l.* 11. Aït enim, Juſtiniano M. imperante, ex India Conſtantinopolim Monachos duos advenientes, ejus originem oſtendiſſe: opus nempe quorundam vermium eſſe, qui certâ ratione nutriti fila quædam exſpuerent. Imperatore autem mirante & rem certiùs diſcere cupiente, eorum ova poſt aliquot menſes illos attuliſſe & in fimo collocata in vermiculos commutâſſe: Eoſque mori foliis involutos, ac alios, quemadmodum folliculo facto ſericum texerent, docuiſſe, ex *Procopio*. Quod de alia conficiendi ratione, quàm prius erat: vel de redinventa, quæ amiſſa fuerat, fortè intelligendum. Poſteà, cùm A. C. 1148. Rogerius Siculus Emanuelis Imperatoris irâtus, Corcyram, Thebas, Corinthum & Chalcidem eripuiſſet, hujus expeditionis illud imprimis memorabile fuit, quòd eô tempore Artifices ſerici conficiendi in Siciliam Italiamque ex Græcia primùm traducti ſunt. Hodie ingens ejus in Murcia & Sicilia commercium, unde Genuam, Venetias, Florentiam aliaque in loca exportatur: Sed nobiliſſimum ſericum album in regno Chinæ provenit. Armenii è Perſia ingentem quoque ejus copiam adducunt: Sericum villoſum optimæ notæ Genuæ elaboratur. Auctor *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 30. *de Commerciis.* Cœterùm de vermine hoc inſigni naturæ miraculô, certiſſimôque Reſurrectionis ſymbolô, cujus ſive naturâ ſive induſtriâ, *Bombycina* veſtes conſiunt, vide Baſilium M. *in Hexaëmero, homil.* 8. Ambroſium *Hexaëm. l.* 5. *c.* 23. Simon. Majolum *in Diebus Canicul.* Tertul. *de Pallio c.* 3. Iſidor. *l.* 19. .22. &c. Salmaſ. imprimis *ad Solin. p.* 206. &c. Eoſdem inſigni carmine proſequutus eſt Hieron. Vida. Vide quoque infrà.

BOMBYLIA, *Heſych.* βομβυλία ἀγγεῖα τὰ βομβοῦντα, *ſunt Bombæ.*

BOMBYLIUS, ſeu BOMBYX quoque, Græcè βομβύλιος, è genere veſparum ſeu apum, ceram facere dicitur Plinio *l.* 11. *c.* 22. qui eam malè confundit cum *bombyce*, quæ ex erucarum genere eſt & bombycinum à ſe gignit. Bombyx enim, quæ ceram facit, telam non texit: ut è diverſo, illa, quæ ſtamen gignit, non facit ceram. Nec eadem nominis, quamvis idem utrique ſit, ratio eſt. *Bombyx* enim ſeu *Bombylius*, nomen accepit à *bombo* vel ſono, quem apes ſeu veſpæ edunt, quas *bombire* & bombitare dicunt Latini, ex Græco βομβεῖν. *Bombyx* verò altera, unde ſtamen bombycinum dicitur, eô tantùm tempore ſic dicitur, quô mortuæ ſimilis in ſuo ſibi nido textili, quô ſeſe involvit, prorſus immobilis quieſcit. Nam ex grandiore *vermiculo* fit eruca; ex *eruca*, poſtquam ſedes ſibi tendere incipit, & quaſi tumulum, ſeu ovulum potiùs condere filis multis hirſutum, *bombyx* ſeu *bombylius*: ex bombylio porrò, perforatâ teſtâ, quâ incluſa eſt, ſumtis pennis exit *papilio*, quem νεκύδαλον vocant Græci; ita dictum, vel quòd haud diu vivat, nam brevi pòſt moritur, vel quòd ex mortua bombyce quaſi renaſcatur. Non itaque à *bombo* vel ſono dicta videri poteſt, cùm ſic incluſa nec ſe moveat, nec ſonet, ſed à figura. Nam teſta illa ſeu theca, quâ reconditur, oblongâ & ovatâ formâ, fuſum refert ſtamine plenum, qui in medio tumeſcens ſenſim tenuatur, & in acumen utrinque deſinit; cujuſmodi fermè figura ampullæ eſt, quam Græci βομβύλιον appellant, &c. Vide Salmaſ. *ad Tertullian. c.* 3. ubi de utraque *Bombyce* accuratiſſimè agit. Veſtem hic vermis ſuppeditat ſericam, ut dictum, & quidem in æſtu *Taſetata*: remittente paulum æſtatis fervore, *Ormeſina*, hyeme *Felpa*, & *Velutum*: Vere ac autumnô, *Raſum*, quæ vulgò *Velute riccio*. Eſt autem vetus *Serica* veſtis appellatio à Seribus, populo Orientis: à quibus in Perſiam ſericum deportabatur, ubi eædem *Perſica* ac *Medica* veſtes dictæ ſunt. E Perſia verò, poſt illam ab Alexandro M. devictam, in Græciam delatæ: florentibus rebus Romanis, in Imperium Roman. migrârunt, ubi ſericum ἰσόχρυσον fuit. Obtinuitque ea conſuetudo uſque ad tempora Juſtiniani Imperator. cui cum permoleſtum eſſet, ab hoſtibus Perſis tam carè veſtem emi, commodè duo ex India venêre Monachi, qui indicium facerent Cæſari, de vermibus ſericum nentibus. Remiſſi igitur illi, ova illiuſmodi attulerunt, unde omne id vermium genus ſericum nentium, quod hodie eſt in Europa. At tum nulli ampliùs dubium fuit, quin ſericum *Bombycum* eſſet opus, cùm antea quæſtio admodum anceps ac incerta eſſet. Quamvis enim Pauſan. *Eliac. poſter. l.* Servius *ad Georg. l.* 2. *v.* 126. aliique Veteres id, quod res eſſet, traderent, Baſilius quoque ac Chryſoſtomus *bombycinam* veſtem τῶν σκωλήκων ὕφασμα, *vermium telam*, ſcriberent, vulgatior tamen erat opinio, eſſe arborum fœtum, ſive fieret è corticibus, ſive foliis depecteretur. Ac licèt Coas veſtes ex *bombyce* eſſe conſtaret, Ariſtot. *Hiſtor. Animal. l.* 5. *c.* 19. Plinius quoque Coam *bombycem* etiam viris in uſu, Aſſyriam ſolis tributis, notavit. *l.* 11. *c.* 23. hoc tamen de tela ſerica ex Aſſyria apportata potius per Metonymiam intelligendum: Illud verò quod attinet, non ignorabant quidem Veteres veſtem Coam neri à *Bombyce*: ſed ferè doctiſſimis quibuſque id erat perſuaſum, diſparem eſſe ſerici originem. Quem in errorem eô impellebantur, quòd longè præſtantius eſſet ſericum è Perſia apportatum, quàm bombycinum Coum, fortè quia Indici vermis ſubtilius filum. Præterea, ut è Plinio Salmaſius obſervat, Coi non antè ſtamen bombycinum eliquabant, quàm entroſâ metaxâ evolâſſet papilio; at Seres, integrô eô ſtamine, id agebant, intus adhuc morante bombyce, ac necdum in papilionem conversô. Quare nihil mirum, ſi Plinii ætate, viri etiam Cois uterentur, ſericis ſolæ fœminæ. Solini tamen ætate & viris hic luxus, primuſque ex Romanis Heliogabalus non ſubſericâ ſolum, cujus ſtamen erat lineum, trama ſericum, de qua Solinus capiendus: ſed veſte, cujus & ſtamen ſericum foret, eſt uſus, teſte Lampridiô *c.* 26. quæ tunc *holoſerica* dicta eſt. Ubi verò ſerica in Roman. Imper. magnâ copiâ advehi cœpit, Coa in uſu eſſe deſiit, nominaque *Bombycina* & *Serica* veſtis, quæ priùs diſtinguebantur ex ſerici origine ignorata, promiſcuè uſurpari cœperunt. Gerh. Joh. Voſſius *de Idolol. l.* 4. *c.* 90. Vide quoque Salmaſ. *Nota ad Tertullian. de Pallio* & infrà, *Papilio*, it. ubi de *Serico*, aliiſque. De *Bombycibus* Sinenſium ſeu Serum, ita Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ c.* 35. *In Chekiang, ſylvæ ſunt mororum, bombyces tot, & ſerici tanta copia, ut viliori pretio ibi decem veſtes, quàm alibi apud Europæos unica lanea comparari poſſit. Moros, ut Europæi vites, quotannis putare ſolent, nec in altas arbores eas excreſcere ſinunt, quod minorum folia præſtantiorem byſſum ac fila producere longiſſima ſoleant: tot annorum experimentô edocti. Unde primam texturam fili à ſecunda optimè diſtinguunt. Ea eſt, quæ à vermis illis mollioribuſque ac delicatioribus foliis, quibus bombyces aluntur, prodit, altera ab aſperis ac durioribus. Tantam mutationem affert vel ſola cibi varietas in ſubtiliſſimis illis animalibus.*

BOMBYX, genus tibiæ, quod fieri ſolebat ex illo auletici calami genere, in lacu Orchomenio, quod inde βομβύκιας vocabatur: illi ζευγίτης opponebatur, quo de infrà. Et quidem calamus, ut ante ζευγοτομίαν aptus eſſet, craſſior evadere debebat, inundatione per biennium manente, ut *Theophraſtus* ait: Sic enim in majorem adoleſcebat amplitudinem. Si verò aqua mundans lacum minori tempore manſiſſet, ex calamo inde minùs grandeſcente, quia paribus faciendis minus idoneus exiſtebat, fabricari conſuevêre tibiæ *bombyces*, h. e. tibiæ longiſſimæ, eoque ad inflandum difficiles. Nec enim duæ ex uno internodio, ut in zeugite, ſed una tantùm capiebatur, idoque æquè longa erat hæc tibia, ac duæ cœteræ, qualia erant ζεύγη. Ariſtoteles περὶ ἀκουστῶν, καὶ γὰρ χαλεπῶς [illegible] Adhibebantur autem *bombyces* in orgiis, ut docet *Pollux*, Τοῖς τῶν βομβύκων ἴδιον τὸ μανικὸν αὔλημα, ὄργιοι ὀργίοις. Uti verò aliarum partes dicebantur γλωττίδες, καὶ τρυπήματα, *lingulæ & foramina*; ſic præter hæc duo in bombycibus ulterius erant ὅλμοι καὶ ὑφόλμια, uti legimus apud *Pollucem*. Ubi ὅλμος Salmaſio idem videtur eſſe quod *σῶμα*, *cavitas* nempe utrinque *lingulæ*, ὑφόλμιον *pars ſub lingulis* &c. Vide eum *ad Solin. p.* 117. *& ſeqq.* plura verò hanc in rem infrà, in voce *Tibia*.

BOMI, colles Ætoliæ, quorum incolæ *Bomienſes*. *Steph.*

BOMILCAR, fil. Amilcaris, Pœnorum Dux, veniens in ſuſpicionem Carthaginienſibus, quòd cum Agathocle conſpiraret, in medio foro patibulô ſuffixus eſt. Juſtin. *l.* 22. *c.* 7.

BOMILCAR, à Jugurtha impulſus, Maſſivam ſuſtulit, mox contra ipſum met cum Nabdalſa, conſpirans, re detectâ, pœnas dedit. Salluſt. *in Jugurtha*, *c.* 35 36.

BOMITÆ, oppid. Amanæ montis Syriæ Antiochenæ. *Plin. l.* 5. *c.* 24.

BOMIUM, meliùs *Bovium Silurum*, vicus Angliæ in Wallia, Glamorganenſis Comitatus. *Cowbridge*, 3. milliar. ab ora littor. 8. à Cardiffa.

BOMMELIA, oppid. Belgii munitum probè, inter Moſam Vahalemque in Ducatu Geldriæ, ad tractum Batavienſ. ſub Batavis: In Inſul. vulgò *Bommelivert*. 2. leuc. à. Buſcn Ducis in Boream.

BOMO, vel BOHMO, olim *Eubœa* dicta, teſte *Heſychiô*, Βώμο ὄνομα ἡ Μάκρις ὠνομάζετο. *Macris* i. e. *Eubœa*, teſte eodem. Μάκρις. Εὔβοια ἡ νῆσος. [illegible] *bohmo* Arabibus *pecora*, vel *pecudes* ſignificat ut Ebræis [illegible] *behemoth*. Itaque inſula *bohmo* eſt inſula pecudum, quod Græco Eubœæ nomine à *bubus* ſumpto apprimè quadrat. Eôdem pertinet, quòd à Poëtis hæc eadem inſula Ἀργιβοιῶν dicitur, tanquam à *bubus albis* apud Ælian. *de Animal. l* 12. *c.* 36. Nempe jam ante Trojana tempora boum paſcuis celebrem fuiſſe hanc inſulam, vel ex tabulis colligere eſt de bobus ab Autolyco ex Eubœa abactis. Apollodorus *l* 2. Κλαπεισῶν ἐξ Εὐβοίας ὑπ' Αὐτολύκου βοῶν. Proinde initiô belli Peloponneſiaci, Athenienſes πρόβατα καὶ ὑποζύγια ἐς τὴν Εὔβοιαν διεπέμψαντο, ut habet Thucydides, *l.* 2. Nec mirum Arabicô nomine *Bohmo* appellatam eſſe Eubœam, cùm inter incolas illius vetuſtiſſimos à Strabone numerentur, Ἄραβες οἱ Κάδμῳ συνδιαβάντες. Bochart. *l.* 1. Chanaan, *c.* 13.

BOMONICÆ, erant adoleſcentuli, qui in Dianæ Orthiæ ſacrificiis apud Laconas aris ſuperpoſiti contendere ſolebant, quis plura verbera ſuſtineret. Quaſi *ad aram Victores*. De quibus Plut. *in Apophthegm. Laconicis, Lacedæmone pueri per integrum diem flagellis cæſi ſæpenumero ad mortem uſque ante Dianæ Orthiæ aram, læti alacreſque tolerant, atque inter ſe de victoria certant, quis diutius magiſque fortiter verbera perferat.* Quod fiebat in Matrum plerumque præ-

præſentia, quæ patientiam filiorum in ictibus fortiter ferendis lætô celeuſmate laudabant. Hinc Papin. Statius *Theb. l.* 8. *v.* 417.

> ------ *delecta genis morientis oberrant*
> *Taygeta & pugnæ laudataque verbera matri.*

Vide hanc in rem, Joann. Meurſium *Græcia Feriata l.* 2. & *Commentar. ad d. l.* ac infrà *Verbera.*

BON, Tuſcarum Rex, regnavit annis 27. à quo *Bononia* dicta eſt. Cato *in Originibus.*

BON, ſemen arboris, unde Cahaova conſit, vide ibi.

BONACINA Martinus, vide *Martinus.*

BONACIOLUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

BONACUS, vide *Bonaſus.*

BONA Dea, quam Veteres *Faunam*, ſive *Fatuam* dixêre, tantæ pudicitiæ fuit, ut nemo illam, dum vixit, præter virum mas viderit, nec nomen ejus audiêrit: propter quod illi ſolæ mulieres Romanæ noctu in operto ſacrificabant. Tibullus *l.* 1. *El.* 6. *v.* 22.

> *Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.*

Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 314.

> *Nota Bonæ ſecreta Deæ.* ---- ----

Quidam putant hanc Proſerpinam eſſe, & ideirco ei porcam ſacram fieri, quia ſegetem, quam Ceres mortalibus tribuit, porca depaſta eſt. Vide Lactant. Firm. *l.* 1. *c.* 22. Alex. ab Alex. *l.* 6 *c.* 8. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 86.

> *Atque Bonam tenera placant abdomine porca.*

Propert. *l.* 4. *El.* 10. *v.* 25.

> *Fœmineæ loca clauſa Deæ, fonteſque piandos*
> *Impunè & nullis ſacra retecta viris.*

Ovid. *l.* 3. *de Art. Am. v.* 637.

> *Cùm fuget à templis oculos Bona Diva virorum,*
> *Præterquam ſi quos illa venire jubet.*

Et *Faſtorum quintô, v.* 153.

> *Templa patres illic oculos exoſa viriles*
> *Leniter acclivi conſtituêre jugô.*

Plut. in *Caſare*, Ἔστι δὲ Ῥωμαίοις θεὸς ἣν Ἀγαθὴν ὀνομάζουσιν, ὥσπερ Ἕλληνες Γυναικείαν. καὶ Φρύγες μὲν οἰκειούμενοι, Μίδα μητέρα τοῦ βασιλέως γενέσθαι φασί. Ῥωμαῖοι δὲ νύμφην δρυάδα, Φαύνῳ συνοικήσασαν, Ἕλληνες δὲ τῶν Διονύσου μητέρων τὴν ἄρρητον, ὅθεν ἀμπελίνοις τε τὰς σκηνὰς κλήμασιν ἑορτάζουσαι κατερέφουσι, καὶ δράκων ἱερὸς παρακαθίδρυται τῇ θεῷ κατὰ τὸν μῦθον. Ἄνδρα δὲ προσελθεῖν οὐ θέμις, οὐδ᾽ ἐπὶ τῆς οἰκίας γενέσθαι, τῶν ἱερῶν ὀργιαζομένων, &c. *Nic. Lloydius.* Hujus Deæ orgiorum tempus & celebrandi munus, cùm ad Conſulem vel Prætorem devenit, ipſe & omne quod ſecum habebat maſculum, domô egredi ſolitum eſt. Tum uxor domum exornavit, & pleraque noctu facta ſunt, jocis intermixtis, multâque Muſicâ adhibitâ. Fiebant autem hæc ſacra pro ſalute Populi Romani in Pontificis M. ædibus, quæ quia Clodius, qui muliebri habitu irrepſerat, ob amorem Muciæ, Cæſaris uxoris, violâſſet, acerrimè in illum Cicero invectus eſt. Idque Kalendis Maji, quibus etiam ara à Curibus Sabinis Laribus Præſtitibus conſecrata eſt. Quia autem fiebant pro ſalute Populi Romani ceremoniâ ſanctiſſimâ, *Myſteria* κατ᾽ ἐξοχὴν, item *Myſteria Romana*, Auctoribus appellantur. Et quidem in *Ep. ad Atticum* ter nomine *Myſteriorum* illa inſignit Cicero *l.* 5. *Ep. ult. l.* 6. *Ep.* 1. & *l.* 15. *Ep.* 25. quod nomen apud Græcos proprium fuit Eleuſiniorum, venerabilis etiam maximè ſacri. De auctoritate illorum ſic Idem *Orat. de Haruſpic. Reſp. De ſacris publicis, de ludis maximis, de Deorum Penatium Veſtæque Matris ceremoniis, de illo ipſo ſacrificio, quod fit pro ſalute populi Rom. quod poſt Romam conditam hujus unius caſti tutoris religionum (Clodii) ſcelere violatum eſt.* Et rurſum, *Etenim quod ſacrificium tam vetus eſt, quàm hoc, quod à Regibus æquale huic urbi accepimus? quod autem tam occultum, quam id, quod non ſolùm curioſos oculos excludit, ſed etiam errantes —— quod fit per Virgines Veſtales, fit pro Pop. Rom. fit in ea domo, quæ eſt in Imperio, fit incredibili ceremonia, fit Deæ, cujus ne nomen quidem viro ſcire fas eſt.* Denique inferiùs de Clodio, *Deorum ignes, ſolenmes menſas, abditos ac penetrales focos, occulta & maribus non inviſa ſolum, ſed etiam inaudita ſacra, inexpiabili ſcelere pervertit.* Hæc tamen, ob incerta Feſtorum, locô ſuô mota interdum fuiſſe, argumentum Plutarchus præbet. Narrat enim, quô die Lentulus & Catilinæ cæteri populares in Senatu convicti erant, Conſ. Ciceronem deductum in ædes vicinas ſuis: has enim tenuiſſe mulieres, quæ ſacris *Bonæ Deæ* operabantur; confirmatumque Ciceronem anxium ac ſolicitum oſtento flammæ ſubitò ex cinere & deuſtis corticibus igne jam ſopitô emicantis. Is autem dies erat ante diem pridie Nonas Decembr. &c. Vide quæ hanc in rem pluribus eruditè Gronovius diſſerit *Obſervation. l.* 4 *c.* 9. ut & infrà, ubi de *Myſteria Roman.* Lactantius *l.* 1. *c.* 22. ex *Sexto Clodio* refert, hanc Deam Faunam uxorem Fauni fuiſſe, quæ quia contra morem decuſque regium clam vinum hauſiſſet, myrteis virgis à viro uſque ad mortem cæſa fuerit; poſteà cùm Regem facti pœniteret, & is uxoris deſiderium ferre non poſſet, divinos illi honores detuliſſe: hancque cauſam eſſe, quòd in ſacris ejus amphora vini obvoluta poneretur, neque vinum ſuô nomine, ſed lactis vel mellis veniret, & amphora *mellaria* diceretur: Eandem ob rationem myrtum è ſacris hiſce exulare. Alii tamen hoc ideo factum volunt, quod myrtus, utpote Veneri, ſacra non conveniret ſacris caſtiſſimæ Deæ, quæ à nemine virorum, maritô exceptô, unquam ſe conſpici paſſa dicitur. Mythologi per Deam hanc, terram vel tellurem indigitant benignam noſtrûm omnium nutricem, unde Macrobius *Saturn.* *l.* 1. *c.* 12. Cornelium Labeonem auctorem eſſe, Majæ, i. e. terræ ædem Kalendis Majis dedicatam ſub nomine *Bonæ Deæ*, ſcribit: hincque inter ſacerdotes ejus præcipuas fuiſſe legimus Virgines Veſtales. Eadem *Fauna* dicitur, quòd omni uſui animantium faveat: *Ops*, quòd ipſius auxiliô vita conſtet: *Fatua*, à fando, quòd infantes non priùs vocem edant, quàm terram attigerint &c. Addunt ad hæc ſacra omnibus florentibus ac germinantibus Sacerdotes uſas, ſuper caput ſimulachri vitem, quâ filiam Pater decipere tentaverit, extenſam, locum interiorem, ubi ſacra peragebantur, *Gynæceum* dictum, fuiſſe, Cicer. *Orat. de Aruſpicum reſp.* Eandem *Damiam*, ut & Deam *Damiam* quoque vocatam eſſe. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 19. *l.* 3. *c.* 26. & *l.* 4. *c.* 9. De ejus æde ſic Ovid. *l.* 5. *Faſt. v.* 148.

> ---- ---- *Interea Diva canenda Bona eſt.*
> *Eſt moles nativa loco, res nomina fecit,*
> *Appellant ſaxum, pars bona montis ea eſt.*
> *Huic Remus inſtiterat fruſtra: quo tempore fratri*
> *Regna Palatinæ prima dediſti aves.*
> *Templa Patres illic oculos exoſa viriles,*
> *Leniter acclivi conſtituêre jugo,*
> *Dedicat hæc veteris Clauſorum nominis hæres,*
> *Virgineo nullum corpore paſſa virum.*
> *Livia reſtituit, ne non imitata maritum*
> *Eſſet & ex omni parte ſecuta virum &c.*

BONA Fortuna, vide ſuprà *Agatha.* Ejus cellæ meminit in *Bœoticis* Pauſan. ubi Trophonii oraculum deſcribit Κατὰ δὲ τὸ μαντεῖον τοιάδε γίνεται. ἐπειδὰν ἀνδρὶ ἐς τοῦ Τροφωνίου κατιέναι δόξῃ, πρῶτα μὲν ἡμερῶν εἰρημένων διαιτᾶται ἐν οἰκήματι. τὸ δὲ οἴκημα Δαίμονός τε Ἀγαθοῦ καὶ Τύχης ἱερόν ἐστιν Ἀγαθῆς. διαιτώμενος δὲ τά τε ἄλλα καθαρεύει καὶ λουτρῶν εἴργεται θερμῶν. Ubi eum, qui in antrum Trophonii deſcenſurus erat, primùm certum dierum numerum in ædicula Genii Boni & *Fortunæ Bonæ* commorari, ibique certa expiationum genera ſuſcipere neceſſe habuiſſe, docet. Eodem dein, poſt Oraculum conſultum, hominem relatum, in *ſeqq.* addens: Τὸν δὲ ἀνιόντα --- παραλαβόντες αὖθις οἱ ἱερεῖς καθίζουσιν ἐπὶ θρόνον Μνημοσύνης --- καθίσαντα δὲ ἐν αὐτῷ, ἀνερωτῶσιν ὁπόσα εἶδέ τε καὶ ἐπύθετο. μαθόντες δὲ ἐπιτρέπουσιν αὐτὸν ἤδη τοῖς προσήκουσιν, οἱ δὲ ἐς τὸ οἴκημα, ἔνθα καὶ πρότερον διῃτᾶτο παρά τε Τύχῃ καὶ Δαίμονι ἀγαθοῖς, ἐς τοῦτο ἀράμενοι κομίζουσι, κάτοχόν τε ἔτι τῷ δείματι καὶ ἀγνῶτα ἑαυτοῦ τε καὶ τῶν πέλας. ὕστερον μέντοι τά τε ἄλλα οὐδὲν ἧσσον φρονήσει ἢ πρότερον, καὶ γελᾶν ἐπάνεισίν οἱ. *Reverſum —— ſacerdotes in ſolio ſtatim collocant Mnemoſynes —— Ab eo percontantur, quæcunque vel viſa vel audita reportârit. Ea ubi accepêre, iis hominem tradunt, quibus id demandatum eſt. Hi ſublatum hominem in cellam* Bonæ Fortunæ & *Boni Genii, in qua veniens primum commoratus fuerat, reducunt, multô illum quidem adhuc terrore attonitum, & ſuimet atque omnium adſiſtentium oblitum. Reſipiſcit tamen paulo poſt, & priſtina ei mens ac riſus poſtliminiò redit.*

BONA Gratia, formula uſitata in divortiis, quæ *ex mutuo conſenſu* inter conjuges invicem diffidentes intervenîebant, nullô *repudiô* factô: quæ quidem verba, ut formalia, Latinis verbis, non ſemel leguntur in *Novellis Græc.* Juſtiniani XXII. & Juſtini II. Adde Julianum Anteceſſ. *c.* 135. & *Conſtitutionem* Juſtiniani ad Julianum P. V. *Ut poſſit ex conſenſu diſſolvi matrimonium &c.* Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.*

BONÆFIDIUS Edmundus, Delphinas, Hebraicæ, Græcæ & Latinæ Linguæ peritiſſimus. Jus docuit Valentiæ, à Jac. Cujacio dignus æſtimatus, qui ſibi ſuccederet: poſt lanienam Pariſ. conſiliô Franc. Hotomanni, Genevam delatus, ibi Leges Imperatorum Byzantinorum enucleandas ſuſcepit. Obiit A. C 1574 ætat. 38. Scripſit *Notas in* 3. *libros Juris Orientalis*, & Medicinæ quoque fuit peritiſſimus. Vide Thuan. qui eô præceptore uſus eſt, & *Elogia* Teiſſierii *Vol.* 1.

BONÆ Fortunæ, maris Eoi Inſul. *Ptol.* nunc *Borneo*, *Mercat.* Vide ibi.

BONÆ Memoriæ, vel *Felicis recordationis*, defunctorum epitheton, quod Papæ, Epiſcopo, Presbytero & Diacono Cardinalitiorum, cùm vitâ functi ſunt, convenire: Regibus verò ac Principibus, *Clara* ſeu *Inclita memoria*, Imperatoribus olim *Divæ memoriæ* tribui conſueviſſe, ajunt Macri Fratres in *Hierolex.* Ibidem à Maximo Mart. Imperatorem Heraclium jam mortuum *Piæ Memoriæ* appellatum eſſe, quod etiamnum ſolenne eſt, legas. Vide quoque Baronium in *Annal. Eccleſiaſt. ad A. C.* 640. *num.* 10.

BONÆ Spei Caput, promontor. Africæ maximum & extremum, in Auſtrum valdè extenſum. Vide *Caput Bonæ Spei.*

BONAMICUS Lazarus, Baſſanenſis, Antiquitatis peritiâ, eloquentiâ, ac eruditione, inprimis Philoſophicâ, inter Italiæ præcipuos, Eraſmo laudatus, Bembo & Sadoleto Cardinalib. acceptus. Scripſit *Epiſtolas proſâ & verſu*, aliaque. Obiit A. C. 1552. Vide *les Eloges* Anton. Teiſſier.

BONANDRIA, Syriæ civitas, olim Apollonia.

BONANIS, Tuſcorum Rex, regnavit ann. 18.

BONAROTA, vide *Michael Angelus.*

BONASUS, ſive BONACUS, Βόνασος vel Βόνασσος Græcis, Pæonibus Μόναπος vel Μόνωπος; melius Βόνασος Salmaſio, quaſi *Bonaſus* vel *βοονασος*, quòd *corium bovis* habeat cum pilis, Animal Pæoniæ peculiare, his verbis deſcribitur Solino *c.* 40 *In his locis animal naſcitur, quod Bonacum dicunt, cui taurinum caput, ac deinde corpus omne: tantum juba equina: cornua autem ita multiplici flexu in ſe recurrentia, ut, ſi quis in ea offenderit, non vulneretur. Sed quodquid præſidii monſtro illi frons negat, alvus ſufficit: nam cùm in fugam vertit, proluvie citi ventris ſimum egerit per longitudinem trium jugerum, cujus ardor, quodquid attigerit, amburit: ita egeſtione noxiâ ſummovet inſequentes.* Mons verò, Pæoniam à Medica Thraciæ regione determinans, ubi *Bonacus* naſcitur, alibi apud *Ariſtotelem* Μεσσάπιον appellatur, alibi Ἡ ... *Apollonius* Μέρμνιον ſcribit, quod verius videtur. Cornua feræ hujus ſummò atrois eſſe & nigra ſcribit idem,

in Admir. [illegible]. Carnes non ſolùm edules, ſed & ſuaves habet; à venantibus propterea expetitas &c. At quod de fuga habet Solinus, Ariſtoteles non aſſentitur, qui non in fuga nec cùm in fugam vertit, veneria proluviem egerere Bonaſum dicit, ſed, cùm viribus defectus fugere amplius non valet, ut ſtare cogitur. Tum, inquit, [illegible] *ad defendendum ſe comparat, calces jactans & ſimum emburitatem ſpargens, ad quatuor orgyarum longitudinem* &c. ubi *quatuor* ὀργυιὰς habet, quæ faciunt pedes 24. non verò *tria jugera* (quæ ſunt pedum 600.) ut Plinius & ex eo Solinus vertunt &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 838. *& ſeqq.* quem vide.

BONATUS Guido, vide *Guido*.

BONAVALLIS, oppidul. Galliæ in Belſiâ provinc. & agro Carnotenſi, ad Ledam fluv. 3. leuc. à Caſtroduno in Boream.

BONAVENTURA, prius *Johannes Fidanza*, Franciſcanus Theologus, ex oppido Bagico regio, vulgò *Bagnarea*, in Tuſcia, ob *variorum commentarios* editos, in Cardinalium numerum ex Generali à Gregorio X. relatus eſt. Habitum, quô nunc utuntur Franciſcani Cardinales, inſtituit, cùm prius aliorum Cardinalium modô incederent. Sacros multos libros ſcripſit. Obiit A. C. 1274. à Xiſto IV. in Sanctorum catalogum relatus eſt. Hujus poſteà libros in epitomen redegit Guil. Fulginas ejuſdem ordinis. *Volaterran.* Addo, quod à Græcis, ut quidam volunt, *Eutychus*, ac dein *Bonaventura* dictus, in baptiſmo *Johannes Fidanza*, ſive *Fidantius* appellatus eſt; Diſcipulus fuit Alexandri Halenſis. Epiſcopus Albanenſis ac Cardinal. *Doctoris Seraphici* nomine inſignis. Opera ejus 8. Tom. in fol. prodierunt Romæ A. C. 1588. 1598. Venetiis 1575. 1611. in 9. Vol. in fol. Moguntiæ A. C. 1609. & alibi. De eo Halenſis dicere ſolitus legitur: *In fratre Bonaventura Adam peccaſſe non videtur.* Bellarminus, *Dei hominibusque amabilis*: Lutherus, *Bonaventura præſtantiſſimus eſt.* Item alius ejuſdem nominis & ordinis, Patavinus, Cardinalis tituli S. Cæciliæ ſub Innoc. XXII. A Carraraenſi Principe ſagittâ peremptus, dum Eccleſiæ libertatem contra tyrannos tueretur. *Volaterranus.*

BONAVENTURA Blancus, è Cotinnola Æmyliæ provinciæ ſeu Romandiolæ oppidô oriundus, Minorita. Ejus extat, *Tractatus de rebus illuſtribus N. & V. T.* Bononiæ A. C. 1554.

BONAVENTURA Calatagirone, Siculus, Franciſcanorum Generalis interfuit pacificationi Verbinenſi, A. C. 1598.

BONAVENTURA Cavalerius, Mediolanenſis Mathematicam Bononiæ, ſub initium hujus ſeculi, docuit, editis ſcriptis, *Directorio univerſali Uranometrico*, clarus.

BONAVENTURA Cornelius Bertramus, vide *Bertramus*.

BONAVENTURA Peraginus, Petrarcham funebri oratione laudavit, hinc Cardinalis, ſub Urbano VI. obiit, à Patavino quodam tyranno peremptus. Spond. *Annal.*

BONCHÆ, populi Carrenis vicini inter Euphratem & Cyrum fluv. *Steph.* Alii *Bonchas* legunt.

BONCHIS, civitas Æthiopiæ. *Steph.*

BONCOMPAGNUS Philippus, vide *Philippus*.

BONCONICA, *Tabula Theodoſiana* quæ & *Peutingeriana*, Bonconicam inter Mogontiacum & Borgetomagum collocat. *Moguntiacô* 9. *Bonconicâ* 11. *Borgetomagi* 13. *Noviomagi* 12. *Tabernis* 12. *Saletione* 18. *Brocomagi* 7. *Argentorati* 12. Itaque à Bonconica ad Brocomagum *ſilva Voſagus* pertinet, & millibus amplius 60. in longitudinem patet. *Æthicus in itinere* à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum *Bauconicam*, vel (ut in quibuſdam codicibus ſcriptum reperitur) *Bonconicam* appellat, & *Bormitomago*, i. e. Borbetomago, ac Mogontiaco mediam interponit, ut tabula ſuprà laudata, à Mogontiaco 11. à Bormitomago 13. millibus paſſuum diſtantem. Bonconica vel Bauconica nunc vocatur Oppenhemium, *Oppenheim*, locus ad Rhenum non ignobilis hodieque inter Mogontiacum & Borbetomagum vel Vormatiam. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BONDELIA, oppid. Etruriæ mediterraneum. *Βονδηλία Ptolemæo*, cui medio itinere inter Lucam & foſſas Papyrianas collocatur. *Baudrando Bagnone*, caſtrum ad radices Apennini, juxta amnem cognominem in valle Marrana, ſub dominio M. Ducis Hetruriæ.

BONDELMONTIUS Chriſtophorus, vide *Chriſtophorus*.

BONDENUM, oppidul. Italiæ, in Ducatu Ferrarienſi, ubi Panarus fluv. influit in Padum, 9. milliar. ſupra Ferrariam, in ditione Pontif.

BONETA, in Chron. Voſienſ. *part.* 2. *c.* 74. ubi de veſtibus virorum illius ævi, *Mitras geſtabant juvenes mirificque fextas, quas vocabant Bonetas, poſt capellos de lino vel coffias* &c. capitis tegumentum erat, Gallis *Bonet*, Italis *Berrettino*. Car. du Freſne *Gloſſar.* Richeleto, *Bonnet*, Gallis dicitur omne capitis tegumen, infirmale, virile, muliebre, militare, quod *pileus* non eſt. In ſpecie *Boneta quadrangula*, Gall. *Bonnet quarré*, dicitur capitis operimentum, quô Advocati, Profeſſores & Sacerdotes in Gallia utuntur, unde *Quitter le bonnet*, eſt renunciare Foro, & Advocati munus reſignare &c.

BONETONUS Iohannes, vide *Johannes*.

BONETUS Paulus, vide *Paulus*.

BONFADIUS Johannes, vide *Johannes*.

BONFINIUS, vide *Antonius Bonfinius*.

BONGEVILLANUS Guilielmus, vide *Guilielmus*.

BONGOMILII, ſectatores Baſilii Medici, ſecul. 11. Negârunt Trinitatem, 7. tantùm Scripturæ libros retinuerunt, Deo humanam figuram tribuerunt, ſicque Arrianorum, Anthropomorphitarum, Manichæorum &c. deliria ineruſtârunt: Reſurrectionē inſuper negarā, &c. Vide Alex. Roſſæum *παντοθεΐα Sect.* 8.

BONI, i. e. *filius meus*, aut *ædificans*, ſive *intelligens*, filius Somer. 1. Paral. *c.* 6. v. 46.

BONI cum Regina, Gall. *Bons a la Reine*, dicti ſunt nummi quidam veter. in Gallia, de quibus ita Car. du Freſne in voce *Moneta*: *In Conſilio Monetariorum ann.* 1308. *Denarii cum Regina dicuntur currere pro* 14. *ſol. &* 34. *conficere ad marcam, ut & Boni cum Regina* 58. *& ſemiſſem ad marcam, & currere ut Agni pro* 15. Hos quidam à Joanna Regina Navarræ, Philippi Regis uxore cuſos voluêre: ipſe verò à Blanca, *Ludovici Regis matre*, de qua ſuô locô diximus, publici juris factos eſſe contendit &c.

BONI Dii, ceterib. Græcis communiter dicti. Cicer. *de Nat. Deor. l.* 3. *Jam menſas argenteas de omnibus delubris juſſit auferri; in quibus quod more veteris Græciæ inſcriptum eſſet*, BONORUM DEORUM, *uti ſe eorum bonitate velle dicebat.*

BONI Homines, in *Notitiis* Judiciorum paſſim dicuntur, qui in placitis publicis cum Comitibus & Judicibus judicia exercebant, quibus juſtitiæ ſtudium curæ erat, *in qua*, ut ait Cicero *de Offic. l.* 2. *c.* 21. *virtutis eſt ſplendor maximus, ex qua Viri boni nominantur.* Nota hinc illorum formula, *Ibique reſidebant in placito N. Comes & ibi ſedebant de Judicibus N. N. ibique reſidebant cum eo de* Bonis Hominibus *N. N.* Sicut pronuntiationis formula fuit, *Et nos qui ſupernus N. Comes, cum memoratis Judicibus &* Bonis Hominibus *judicavimus.* In *Uſaticis* Regni Majoric. *Probi Homines*, Gall. *Prud-hommes*, dicuntur &c. Vide Marculfum *l.* 2. *form.* 9. *Formulas Regales*, apud Bignonium *c.* 8. Capit. Caroli M. *l.* 1. *c.* 140. Sammarthanos in *Archiep. Narbon. num.* 13. Alios, laudatos Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Eôdem nomine appellantur Auctoribus, quos aliàs *Albigenſes* vocant, uti refert Monachus Vallis Sarnenſis *in Hiſtor. Albig. c.* 4. *ſub fin.* Reinerus *contra Valdenſes c.* 6. illos, qui ex Albigenſibus *Conſolati* fuerant in Lombardia dicti, *Bonos Homines* in Teutonia appellari conſueviſſe, ait. Sed & ſic nominati ſunt in Communione Romana Fratres Ordinis Grandmontenſis, apud Stephanum Epiſc. Tornac. *Ep.* 1. *Boni Homines Grandimontis*, Johanni Bromptono ad *A. C.* 1170. de quorum Ordine conſulendi Joh. Sarisber. *Policrat. l.* 7. *c.* 23. Jac. Vitriacenſis *Hiſtor. Occid. c.* 19. & Joh. Bolandus *ad* 8. *Febr.* laudati eidem. Richeletus, *Bonos-Homines* in eadem Eccleſia, quoque dictos eſſe ait *Minimos*, à fundatore ſuo Franciſco de Paula, quem Ludovicus XI. Galliar. Rex communiter appellaverit *Bonum-Hominem*, Gall. *le Bon-Homme.* Vide Duplex *in Vita Ludovici XI.*

BONJAMA, inter genera *Ananas*. Eſt autem *Anas* ſive *Ananas* fructus adeò delectabilis & formoſus, ut Natura excellentiorem produxiſſe neutiquam videatur: humilis caelert, in herba acuta ſemper-vivo Hiſpaniæ non abſimili. Virorem maturitati proximum mutat in auream flavedinem, ad rubrum vergentem; flavet intus, cultri patiens; ſpargit odorem longè gratiſſimum, malum Perſicum imitatur ſapore; humidô abundat, ſed adeò acri, ut culter eô tinctus vel unâ nocte arrodatur. Conditur ſaccharô; ſuccreſcit illi pediunculus ducorum trium ve foliorum, qui vel poſt medium menſem aridior terræ inpactus germinat. Luſitani ex Nova Hiſpania & Braſilia cum Indis intulêre. Cæterùm Cydonium malum figurâ, odor nobiliſſimum prunorum ſpeciem, quam *abricotum* vocant, radices vulgarem carduum præ ſe ferunt. Diverſa ejus apud Braſilianos genera & nomenclatura: Eſt *Jayama*, longior, ſapidior, carnoſior; *Bonjama*, intus albet & dulcedinem præbet; *Jajagua*, vinum Rhenanum ſapore imitatur. Sed & ſylveſtres alicubi repeliuntur, quorum caules haſtas adæquant, rotundi ad porro ramici molem, ſpinis & ſpinoſis foliis armati, nullius ferè uſus, tametſi ſapiant. Univerſa ſubſtantia humore abundat, qui cum ſaccharo manè hauſtus, præſentiſſimum eſt remedium, ad refrigerandum jecur & renes &c. Vide Auctorem Anonymum *Sina & Europa c.* 56.

BONI Portus, civitas opinor Cretenſium, cui nomen Καλοὶ λιμένες, i. e. *pulcrum litus*. Καλοὺς λιμένας vocat B. Lucas Actor. *c.* 27. *v.* 8.

BONIANUM, oppid. in Samnio. Cicer. *pro Cluentio.*

BONICIUS, Præſul Avernenſis. *Volaterran.*

de BONIFACIS Petrus, vide *Petrus*.

BONIFACIUM, urbs Italiæ, in Corſica, ſatis culta & probè munita, ſub dominio Genuenſium, ad meridiem Inſulæ cum portu capaci. Ab ea fretum, inter Corſicam & Sardiniam, dicitur *Bocche di Bonifacio*, fretum Bonifacii, quod aliàs fretum Taphros dictum fuit; urbs autem Palla. Vide ibi.

Pontifices Romani.

BONIFACIUS I. Româ oriundus, poſt Zoſimum, Epiſcopus Roman. ſcripſit ad Honorium, *Eccleſiæ ſuæ Dei ſacerdotum, vobis rei humanum regna deputavit.* Socr. *l.* 7. *c.* 11. 25. 49. Obiit A. C. 423. Sedis 5. Vide etiam *Sigebertum*, *Onuphrium*, &c.

BONIFACIUS II. Romanus, patre Gothô, Sigivoltô, natus, poſt Felicem III. Papa. Homo elatus, æmulum Dioſcurum habuit, qui paulo poſt obiit. Vivens Diaconum Vigilium ſucceſſorem deſignavit, quod improbatum, & reſciſſum. Obiit, A. C. 532. ſedis 1. & 2. dieb. Onuphr. Platina, Genebr. *in Chron.* Baronius, *A. C.* 530. 532.

BONIFACIUS III. Romanus, poſt Sabinianum, qui Gregorio M. ſucceſſerat, Papa: prius apud Phocam Imperatorem Gregorii apocriſiarius. Huic Phocas, titulum Epiſcopi *Univerſalis* conceſſit, ſede Roman. capite omnium Eccleſiarum conſtitutâ: cùm *paulo ante Draco terribilis, comitante catervâ ſerpentum, in Tiberi viſus, aquas ita infeciſſet, ut peſte obortâ, quæcunque ſtrenuaſſet, illico animam exhalaret.* Aimoin. *l.* 4. *c.* 4. Platina *in ejus vita.* Sigebert. *in Chron.* Hoſpin. *de orig. temp.* Obiit A. C. 606. Sedis menſe 8. die 23. Præcurſor Antichriſti, Gregorii M. judiciô.

BONIFACIUS IV. Valeriâ, Marſicanæ provinc. urbe oriundus, patre Johanne Medicô, priori, poſt interregnum 6. menſ. ſucceſſit. Pantheon, ab Agrippa, Jovi Vindici & Diis omnibus conſecratum, Phocæ indultu, B. Virgini omnibusque SS. Martyribus, ſuperſtitione mutatâ, dedicavit: hodie *Maria Rotunda*. Obiit A. C. 614. Sedis ann. 6. menſe 6. die 13.

BONIFACIUS V. Neapolitanus, poſt Theodatum, Papa. Conſti-

Conſtituit, ut qui in ſacras ædes confugerent, inde non abſtraherentur. Obiit A. C. 625. ſedis an. 7. menſe 10. die 1. *Anaſtaſium*, *Beda*, &c.

BONIFACIUS VI. Formoſo, biduum pòſt, ſucceſſit, 15. diebus poſteà pulſus. Sceleratiſſimum illum Baronius *A. C.* 897. n. 1. fuiſſe dicit, negatque canonicè electum.

BONIFACIUS VII. cognomine *Franco*, Benedictô VI. in carcere ſtrangulatô, ſedit per vim an. 1. menſ. 1. Mox pulſus, ſpoliatâ baſilicâ Petri Conſtantinopolim profugit, divenditâ rapinâ Romam reverſus. Ubi Johanne Cardinali excæcatô, iterum thronô menſ. 4. potitus eſt. A. C. 985. Paulo pòſt apoplexiâ extinctus, cadavere ejus nudô per vicos raptatô & lanceis contiſque contuſô. Platina in ejus vita, Baron. *A. C.* 974. 985.

BONIFACIUS VIII. prius *Benedictus Cajetanus*, Catalaunis parentibus Anagniæ natus, Cæleſtino, cui impoſuerat, clanculum per canaliculum inclamans, *Celeſtine*, *Celeſtine*, *dimitte Papatum*, *ſi vis ſalvus fieri*, *negotium ſupra vires eſt*: ſucceſſit, & quo ſecurior eſſet, Celeſtinum in vinculis tenuit. Cardinales Jacobum & Petrum Columnam, bellô perſecutus eſt, in Gibellinos vehementer debacchatus, Prochetæ Spinolæ Archiepiſcopi Genuenſi, Cinerum die, cineribus vultum reſperſit, addens: *Memento quod Gibellinus e & cum Gibellinis in cinerem reverteris.* Philippum Pulchrum, Galliæ Regem ob Epiſcop. Apamenſem carceri incluſum, excommunicavit, *magnæ fatuitatis* titulô à magnanimo Rege notatus. Poſt quæ Synodô ab hoc convocatâ, Simoniæ, homicidii, uſuræ, Atheiſmi, ſcortationum, colluſionis cum Saracenis Papa convictus & condemnatus: mox à Sciarra Columna, & Vilhelmo Nogareto, Gibellinorum ope Anagniâ occupatâ, Regis juſſu captus eſt, cui cùm Nogaretus minaretur, ſe ipſum in Galliam protracturum, ut Lugduni indicto concilio, dignitate ſpoliaretur, reſpondit, *Paterinus minas nullum ſibi metum incutere.* Prout ille, ferreâ chirothecâ renitentis ori impactâ, collô abreptum, Romam deduxit, ubi paulo pòſt mœrore animi obiit, A. C. 1303. ſedis 8. menſ. 9. die 18. Si compendium malis, Lector, *Intravit*, *ut vulpes*, *regnavit*, *ut Leo*, *mortuus eſt*, *ut canis*, Jubilæi centenarii auctor. Crantzius *Sax.* *l.* 8. *c.* 36. 37. Platina *in ejus vita.* Petrarcha, Onuphrius, Villanius, Maſſon. *l.* 3. Cæterùm Pontifex hic, poſtquam ceſſarum aliquantiſper in colligendis Decretalibus eſſet, tertiò Pontificatûs ſui annô, tribus Cardinalibus, *Compilationem Decretalium* commiſit, quæ *liber ſextus Decretalium* nomen accepit, quia aliis quinque Gregorii IX. ſuperaddita eſt. Conſtat illa potiſſimùm ex *Conſtitutionibus* Innocentii IV. Gregorii X. Nicolai III. & ipſius *Bonifacii*: Item ex *Conſtitutionibus* duorum Conciliorum Lugdun. ſub Innocentio IV. A. C. 1245. & ſub Gregorio X. A. C. 1272. celebratorum. Libros habet itidem quinque ut Gregoriana, & titulos eoſdem, ſi quod interea, quod ad titulum faceret, Reſcriptum invenerant compilatores. In Gallia vero ob diſſidia *Bonifacii* cum Philippo Rege Liber hic VI. Decretalium receptus non eſt. Duarenus *Præfat. lib. de Sacr. Eccl. Miniſtris*, *Idem*, inquit, *in Francia receptum non eſſe accepimus*, *quòd quæ ibi extant conſtitutiones*, *pleræque in odium & æmulationem Philippi Regis Francorum edita & ad Romanæ aulæ quæſtum accommodata crèduntur.* Vide *Proœmium. l. VI.* Decretal. Albericum de Roſat. *ad l. ult. C. de Fer.* Alber. Gentilem *de jure Canon. c.* 1. Petrum de Marca *Concord. Sacerd. & Imper. l.* 4. *c.* 16. Alios Scripſit in hanc Compilationem *Gloſſar.* Joh. Andreæ, de quo videſis latè Guidonem Pancirollum *de Clar. LL. Interpp. l.* 3. *c.* 19. laudatum Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccleſ.* n. 370.

BONIFACIUS IX. prius *Petrus Thomacellus*, Urbano VI. ſucceſſit eô tempore, quô Cardinales, qui Avenione degebant, Clementem VII. & Benedictum IX. elegerunt. Homo imperitus, & rapax, Annatarum auctor, indulgentias pro anno Jubilæo uſque ad blaſphemiam liberales conceſſit, nimium inſuper in conſanguineos indulgens. Obiit A. C. 1404. Sedis an. 15. fermè. Platina, Crantzius, Antoninus, Spondus, Bzovius *in Annalibus.*

BONIFACIUS, Africæ Comes, Auguſtino amiciſſimus, cùm vitam monaſticam amplexurus eſſet, ab hoc abſterritus eſt, rebus jam in bello præclarè geſtis inclytus. Mox ductâ uxore Arianâ, aliquid humani paſſus, epiſt. 70. Auguſtini eſcunt, & ab illo excommunicatus, veniam petiit ac impetravit. Poſt quæ turbatum accuſatus, animoſè ſe defendit. Genſerici ope imploratâ, ſed pace cum Valentiniano initâ, à Wandalis pulſus eſt. Senſit etiam Aëtium infeſtum, à quo vulnere acceptô, tribus poſt menſibus obiit. A. C. 432. Proſper, *in Chron.* Procop. *de Bell. Vandal. l.* 1. P. Diaconus, *l.* 14. Et quidem *Vir bellicis actibus præclarus*, Proſpero Aquit. γενναιότατος Olympiodoro dicitur. Nummus ejus triumphum exhibens, memoratur Car. du Freſne, inter numiſmata non contemnendæ raritatis; Eſt autem is Placidii Valentiniani æreus medallion, in cujus antica facie idem conſpicitur Auguſtus, cum diademate lapillis ac margaritis contexto, inciſuſque ad vultus latus ramus palmeus. Averſa autem *Bonifacium* triumphantis ſpecie exhibet: quadrigæ enim inſidet ille, militari habitu, ἐστεμμένος τε δαφνίνῳ... καὶ κλάδον κρατῶν, non in dextera, ut triumphantem Zonaras deſcribit *Tom.* 2 *p.* 31. Sed in ſiniſtra, quâ præterea, ut eſt apud Val. Maximum *l.* 4. *c.* 4. *num.* 5. *triumphalis currus habenas retinet.* dexterâ verò unà cum corona laurea flagellum tenet. Currus ipſe, quô vehitur & quem 4. trahunt equi, juxta illud Naſonis *de Arte Am. l.* 1. *v.* 214.

Quatuor in niveis aureus ibis equis.

Is πύργω ἀξεστῷ ἐοικὼς περιφερεῖ, *inſtar turris rotundæ*, confectus cernitur, uti triumphantium currum repræſentat idem *Zonaras.* In inferiori nummi parte, quatuor deſcribuntur Monogrammata, quorum tum primum in nummis, ut videtur, uſum invaluit. Similem nummum, ſed aureum, deſcripſit *Octavius Strada*, in hoc ab æreo præfato diverſum, quòd in aureo *Bonifacii* caput radiis tinctum appareat, curruſque non ab equis, ſed à cervis, trahatur; quomodo Heliogabalum proceſſiſſe in publicum, ſcribit Lamprid. *c.* 28. & in Aureliani Aug. triumpho *currum extitiſſe quatuor cervis junctum*, *qui fuiſſe dicebatur Regis Gothorum*, Vopiſcus, *c.* 33. Niſi quod cornua eſſe exiſtimavit Strada, palmæ fuerint equorum capitibus affixæ, ut in aliis conſpiciuntur, maximè Neronis, qui Euthymium præfert in averſa facie, & in illo Honorii, qui PANNONI NIKA inſcriptum præfert. Severus *Ep. ad Salvium*, *Sebinus enim*, *palmigeras*, *bijuges*, *ubi è Circo receſſerunt*, *quinquagentos bulari.* *Illos non jugis formido*, *non ambigua palmæ ſolicitant*, *ſed demum paratus adſunt præſepibus*, *timere jam neſciunt hortatorem* &c. Cervos autem ejuſmodi παλμηφόρους, *palmatos* Capitolin. *in Gordianis tribus c.* 3. vocat. Sed nec monogrammata omnino eadem ſunt, quæ in æreo; forſan, quòd ob nummi exiguitatem ille haud ſatis expreſſit Monetarius; vel minùs percepit Strada. Vide plura hanc in rem, de rebus imprimis ab illuſtri hoc viro geſtis, Carolum du Freſne, ubi hunc nummum explicat, *Differtat. de inferioris ævi Numiſmatibus.*

BONIFACIUS, Corſicæ Comes, Uticam inter & Carthaginem factâ cæde, dum prædâ onuſtus redit, Saraceni Siciliam relinquentes, quam occupaverant, in patriam ſuam reverſi ſunt. *Æmil. l.* 3. Item Montisferrati Dux, qui cum Baldwino Sabaudiæ Comite, & Venetis Jadarum recepit, Alexium Iſaci filium unà cum patre regno reſtituit Conſtantinopolitano, quô necatô à Murtullo Conſtantinopolim cepit, & communi conſenſu in Imperatorem Græcorum Flandrenſem elègit Comitem, qui ſe ſubjecit Eccleſiæ Romanæ. *Blondus & Platina.*

BONIFACIUS, Hetruriæ Dux, pater Mathildis, quæ teſtamentô ditiones ſuas Sedi Romanæ legavit: unde Patrimonium Petri. A. C. 1115. Fuit is filius Theobaldi, ex eadem proſapia, cum Azone Ateſtino, vide ibi, oriundi: Habueruntque Pater ac filius titulum, *Regii Lepidi*, *Parmæ*, *Lucæ*, *Ferrariæ & Mantuæ Marchionum.* Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Gen. Hiſt. in Fam. Guelfica.*

BONIFACIUS, ad Concilium Chalcedonenſe, Româ miſſus. Item Ruſſorum Evangeliſta, Ottonis III. Imperatoris cognatus, martyrium ibi ſubiit, A. C. 1008.

BONIFACIUS, Anglus, religionem Chriſtianam in Germania propagavit, operâ ejus & Caroli Martelli labore ad Centum Millia ex tranſ-Rhenanis gentibus converſis. A. C. 739. Condidit Monaſter. Fuldenſe, A. C. 784.

BONIFACIUS, Præſul Carthaginenſis, Zenone imperante, Confeſſor. Item Præſul Ferentinas, itidem Confeſſor.

BONIFACIUS Romanus, martyrium, ſub Diocletiano ſubiit, relatus deinde à ſervis Romam, templum in Aventino ſibi dicatum habuit.

BONIFACIUS Amerbachius, Baſilienſis, fil. Johannis, Typographi celeberrimi. Jurium Doctor Avenione creatus, mox inter illuſtres ſui ævi Juriſconſultos emicuit. Baſilienſis Academiæ, in qua Jus Civile multorum annorum curriculô magnâ dignitate interpretatus eſt, præcipuum fulcrum, Reipubl. inſuper verum Papinianum ſe præſtitit. Ampliſſimis præmiis ab exteris Principibus evocatus, Patriæ tamen charitatem potiorem habuit: Hinc tam gratus Eraſmo, ut, inter tot amicos, hunc ſolum teſtamentô hæredem fecerit. Obiit annô ſupra Climactericum quartô, A. C. 1562. Profeſſorum humeris tumulo patrum illatus. Pater Baſilii Juriſconſulti itidem apud Baſilienſes celeberrimi. Ejus Bibliotheca inſtructiſſima, cum Eraſmianis cimeliis, nunc Academicæ ibidem Bibliothecæ juncta eſt.

Principibus, Patriæque ſuæ qui conſuluit, ille
Rauricus meritò Papinianus erat.

BONIFACIUS Ferrerius, Carthuſianus, Biblia Hiſpanicè vertit, &c. Obiit A. C. 1419. poſtquam Generalatu Ordinis ſe abdicâſſet.

BONIFACIUS Simoneta, Abbas Italus, auctor *de Perſecutionibus Eccleſiæ, & Pontificibus*, tractatuum, Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 8.

BONIFACIUS, prius *Winfridus*, Britannus, Præſul Moguntinus, apud Friſios & ipſe martyr, quod juſſu Stephani II. Pontificis Pipinum Caroli patrem oleô ſacrô perunxerit. A. C. 754. Ei ſcripta quædam attribuuntur. Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 29.

BONIFIDIUS Emmundus, vulgavit typis Henrici Stephani ſuam *Juris Orientalis Digeſtionem* Græcè, additâ *Latinâ* ſuâ *verſione ac Notis*: in quo multa ad Jus Eccleſiaſticum collecta ſunt, quæ aucta poſtmodum à Joh. Leunclavio, *Bonifidium* imitato, in *Jure ejus Græco -- Rom.*

BONITAS, in *LL.* Comitis de Monteforti *A. C.* 1212. pro Albienſibus: *Nullus Baro*, *Miles*, *aut quilibet alius Dominus*, *cui Comes dederit terram in partibus iſtis*, *poterit exigere*, *ultra menſuram taliæ ſtatutam & confirmatam*, *literis eorundem dominorum & Comitis*, *ſive nomine talliæ aut Queſtæ*, *ſive Bonitatis*, *vel cujuſcunque alterius cauſa*, alibique, exactionem notat, quæ ſub ſpecioſo *Bonitatis* nomine, tanquam gratuitò à ſubditis præſtanda, poſcebatur. Car. du Freſne *Gloſſar.* Sic & alias, *Doni*, *Honoris*, *Precis*, *Salutatici*, *Sportæ*, *Strenæ*, *Xenii* &c. blandis appellationibus tributorum acerbitas mitigata, ut apud eundem, & hic paſſim, videre eſt.

BONITIUM, Tuſciæ oppid. ad Elſam fluv. vulgò *Poggibonsi* dicitur. *Leandr.* longitud. 34. 08. latitud. 42. 42. Ejus arx diruta jacet à multis annis.

BONITUS, inter ſtipatores Gallieni Imperatoris memoratus Treb. Pollioni *in XXX. Tyrannis*, *c.* 10.

BONIUM, oppid. fuit Cornaviorum in Anglia nunc vicus *Bangor* dictus, ad Devam fluv. in Flintenſi Comitatu Valliæ. Fuit aliàs monaſterium celeberrimum nunc in ruinis jacet. 40. milliar. Angl. à Bangoria urbe Epiſcopali in ortum, 20. ab oſtiis Devæ fluv.

BON-

BONNA, oppid. ad citeriores Rheni ripas Coloniensi urbi, ac Confluentiæ oppido proximum. Sedes Electoris Colonienſ. *Julia Bonna* & *Verona* olim, item *Ara Ubiorum* dicta, vulgò *Bonne*. longitud. 28. 40. latitud. 50. 41. Hic Synodus, A. C. 942. Urbs hæc A. C. 1673. poſtquam annô præteritô à Gallis occupata eſſet, à Principe Arauſionenſi, Confœderatorum Exercituum ſummo Duce, capta, in Imperatoris manus conſignata eſt. Hic quoque Fridericus Auſtriacus, contra Ludovicum Bavarum electus, coronam accepit, A. C. 1314. Cranz. *l.* 9. *c.* 8. Vide Valeſ. *Notit. Gall.*

BONNA, oppidul. Sabaudiæ, aliàs *Bona*. *Simler.* In Foſſiniaco tractu, ad Menojam amnem, 5. leuc. à Geneva in ortum hibernum. Unde illuſtri familiæ *de Ledigueres* nomen.

BONNA, apud Glabrum Rodolphum *l.* 2. *c.* 10. *Multi ibi limites, quos alii Bonnas vocant, ſuorum recognoverunt agrorum*, &c. terminus, limes eſt. Aliter *Bonda*, Gall. *Bone*: quas voces *Regaltius* exiſtimat à Gromaticis, & Agrimenſoribus mutuo acceptas eſſe, effictaſque ex iis, quas uſurpant paſſim, *botones*, *botontini* & *botontones*, quæ tumores ſive monticellos & colliculos, qui quondam terminorum vicem fungebantur, ſignificant. Figuram eorum, repræſentat Hygenus *de Limit. conſtit. p.* 221. Hinc *Bonagium*, & *Abonagium*, voces medii ævi, jus, quod Majoribus villarum maximè competit, in deſigendis metis, in terris vaſſallorum denotantes, *Bornage* Gall. in *Conſuetud.* Peronenſi, ubi dicitur jus iſtud ſpectare ad Majorem & Scabinos ejuſdem oppidi. Vide plurima de hac voce ejuſque ſynonymis, & quæ inde deducta, apud Carolum du Freſne in *Gloſſar.* ut & infrà in voce *Botanis*.

BONNI, pater Omrai, 1. Paral. *c.* 9. *v.* 4. Latinè *ædificans me*, ſive *adoptans*, aut *intelligens me*.

BONNI, colles Ætoliæ, à quibus *Bonnenſes* dicuntur. Thucyd. *l.* 5.

BONNO vel BAVO, Abbas Corbienſis, ſub Arnolpho & Ludovico IV. Imperatore. Scripſit Hiſtoriam ſui temporis. Poſſevin. *in Appar.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 38.

BONNOPOLIS, oppid. Sabaudiæ, in agro Foſſiniaco, ad Arvam fluv. 1. leuc. infrà Cluſas, *Bonneville*.

BONONIA, civitas Italiæ Archiepiſcopalis ad Rhenum amnem, in ditione Pontific. Academiâ celebris prope Romandiolam. 25. milliar. à Ferraria in Auſtrum. Muris nudata à Ludovico Rege fil. Lotharii Imperat. A. C. 844. Henricus autem, filius nothus Friderici II. Imperatoris victus hic captuſque eſt, A. C. 1249. Benivolos ſibi præfecit, A. C. 1308. qui ſubjugati à Joh. Galeacio, A. C. 1380. Hic quoque Irnerius jus exponere cœpit, primuſque gloſſas in illud ſcripſit circa A. C. 1114. Sil. Italic. *l.* 8. *v.* 599.

Et quondam Teucris comes in Laurentia bella
Ocni priſca domus, parvique Bononia Rheni.

Martialis *l.* 3. *Epigr.* 59.

Sutor cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus,
Fullo dedit Mutinæ, nunc ubi caupo dabit?

Oppidani dicuntur inde Ciceroni *in Bruto*, Val. Max. *l.* 8. *c.* 1. ex. 21. Tacito *Annal. l.* 12. *c.* 58. ac Suetonio *in Octavio c.* 17. atque *Nerone*, *c.* 7. *Bononienſes* Livio, *l.* 37. *c.* 57. Melæ, *l.* 2. *c.* 4. Paterculo, *l.* 1. *c.* 15. Plinio, *l.* 3. *c.* 15. ac Tacito *loc. cit.* *Colonia* vocatur, vulgò nunc incolis *Bologna*, Græcis omnibus Βονωνία. Unde apud Stephan. pro Βονωνία lege Βονωνία. *Felſina* etiam à conditore Felſino, Tuſcorum Rege dicta fuit. Plin. *l.* 3. *c.* 15. *Colonia Bononia*, *Felſina vocitata, cùm princeps Etruriæ eſſet.* Speciem habet onerariæ navis, in longum, quàm ex tranſverſo patentior, unô capite proram, alterô puppim referens, medium, turre Aſinellorum celſiſſima, mali inſtar, & turre Gariſendæ inflexâ, ſcalæ modo, obtinente, cum multis præterea turribus, funes tanquam exprimentibus. Ædificiis multis atque ſumptuoſis nitet, inter quæ eſt in foro ampliſſima D. Petronii ædes, cujus ædificationi ſinem eundem fore qui & mundi erit, cenſetur. Hic Concilium A. C. 1310. Synodi, A. C. 1335. 1586. & 1634. Huc etiam Concilium Tridentinum translatum, A. C. 1547. Leander Bonon. *deſcr. Ital.* longitud. 11. 55. latitud. 73. 52.

BONONIA altera, urbs Epiſcopal. Galliæ Belgicæ in ora Picardiæ à Caleto orbe 7. leuc. diſtans in Auſtrum, quam Geſſoriacum Morinorum putant, Ammian. Marcellin *l.* 20. & 27. Europ. *l.* 9. à qua ad Doveriam, Angliæ portum, eſt breviſſimus trajectus. Occupata eſt ab Henrico VIII. Angliæ Rege A. C. 1544. Vulgò *Boulogne à la mer*. longitud. 22. 42. latitud. 51. 50. Duplex eſt, & valdè munita, ad oſtium ferè amnis Lianæ, cum portu & Pharo à Carolo M. inſtaurata. Caput provinc. Bononienſis. Cujus Comites in Gallicis Annalibus ſæpe memorantur.

BONONIA tertia, Hungarica orbs olim, nunc oppid. Pannoniæ interioris ad Danubium fluv. Hodie *Bannonſter* ob cœnobium nominatum. longitud. 45. 00. latitud. 45. 29.

BONONIA quarta, urbs Myſiæ ſuperioris ad Danubium, *Bodon Mercatori*. Sed quæ nunc *Boden* dicitur, *Bidinu*, ſeu *Budena* Græcis eſſe videtur, de qua ſuô locô.

BONONIA, urbecula Galliæ, in Aquitania & Comitatu Armeniaco, prope Geſſam amnem. 5. leuc. à civitate Lombarienſi, totidem à fano S. Bertrandi.

BONOSIANI, Bonoſi Epiſcopi Hæretici ſectatores, Chriſtum non verum, ſed *adoptivum* Dei *Filium* eſſe, delirârunt, 24 *quæſt.* 3. *can.* 23. cum Circumcellionibus ſeu Scotopitis in plurimis convenientes. Vide Cat. Macrum in *Hierolex.* ſed inprimis Iſidorum *Hiſpal. Orig. l.* 8. *c.* 5. & *de Scriptoribus Eccleſ. c.* 20. ubi refert, Juſtinianum Eccleſiæ Valenſis Epiſcopum, qui floruit temporibus Teudi Principis Gothorum, Juſtiniano Seniori Imperat. coævi, contra eos ſcripſiſſe. De *Bonoſo* verò Epiſcopo diximus ſuô locô.

BONOSUS, Roman. Imperator. filius literarii Pædagogi, authore Vopiſcô. *c.* 1. Omnium bibaciſſimus fuit, de quo Aurelianus dicebat, *Non ut vivat natus eſt, ſed ut bibat. ibid.* Si quando legati Barbari ad eum veniſſent, ipſis propinabat, ut eos inebriaret, quò ab iis per vinum omnia cognoſceret, ac extorqueret veritatem. Poſteà cum à Probo ſuperatus, laqueô vitam finiviſſet, emanavit jocus, *Amphoram pendere, non hominem.* Filiis autem ejus duobus, ut & matri eorum Hunilæ Gothi cujuſdam Regis filiæ, pepercit Imperator, A. C. 280. Vopiſc. *in Bonoſo. c.* 15.

BONOSUS, Epiſcopus Macedo in hæreſin abreptus, Photini inſtauravit errores, virginitatem Mariæ perpetuam inficiatus. A. C. 389.

BONOSUS, Scholaſticus quidam, cujus hæc acutè dicta in veter. exemplari Salmaſ. reperit. De inceſtu: *Inceſtum ſi promiſeris, perit —— ſi negaveris, tu periiſti.* De funambulo: *Vidi hominem pendere cum via, cui latior erat planta, quam ſemita.* &c. Multi alii ejuſdem nominis occurrunt in Veter. ſcriptis: Ejus verò origo à *Bonus* eſt, pro quo *Bonoſus* illa ætas loquebatur; ſicut *canoſus*, pro *canus*, legimus, apud Valerianum *Ep.* ad Probum. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Bonoſ. c.* 14.

BONTAS, anguſtia Alpium, per quas ex Hungaria ad Meridiem tranſitus eſt in Tranſylvaniam ad Septentrionem. *Rottenburn*, & *Proſſ*, *Lazn*.

BONUM S. Mariæ in *Capitulis* Carolomanni *an.* 743. *c.* 19. ſuperſtitionis & paganiæ ſpecies apud Car. du Freſne.

BONUS, cognomen Phocionis, apud C. Nepotem *in eo*, *c.* 1. *illius autem* (ſcil. integritatis vitæ) *magna fama*: *ex quo cognomine* BONUS *eſt appellatus.* Uti *Juſtus* Ariſtides, apud eund. *in illo c.* 1. utrumque à virtutibus impoſitum. Qui mos paſſim obvius apud Latinos Græcoſque, rarus primò honor & glorioſus, mox ridiculâ ſæpe ambitione vulgatus obſolevit. χρηστὸς Græcè, auctore *Suidâ* quod omnibus aliis magis quàm ſibi utilis eſſet: διὰ τὸ χρηστόν. Nam & in pecuniis erogandis fuit largus, & filias elocavit cum dote etiam pauperrimis, modò eſſent frugi. Vide quoque Plut. *in vita ejus*, & *l. de Muſic.*

BONUS, Presbyter Romanus ſimul cum Fauſto & Mauro Diaconis Romæ ſub Valerio Principe paſſi, ſepulti ſunt in via Latina *Volaterran.* Vide & *Laurentius*.

BONUS Aër, urbs Americæ meridionalis in Tucumania regione juxta Argenteum fluv. *Civitas Trinitatis* etiam dicitur, paretque Hiſpano multis ab annis.

BONUS Conventus, vulgò *Buonconvento*, urbecula ditionis Senenſis, in colle, juxta Umbronem amnem, 5. milliar. à Sena Romam verſus. His Henricus VII. Imperator à Bernardo Monacho venenô ſub Sacramenti ſpecie propinatô peremtus, obiit A. C. 1313.

BONUS Deus, apud Græcos ἀγαθὸς θεός, cujus templum Pauſan. in *Arcadicis* commemorat ad ſiniſtram viæ, quæ in Mænalum montem ducit.

BONUS Dies, additum olim diebus feſtis. Καλὰς enim ἡμέρας feſtos dies vocabant Græci, Latini *bonos*: unde nunquam Saturnalia, Liberalia, Hilaria, & ejuſmodi alios dies feſtos, nominabant Veter. quin adderetur, *Bonum diem*. Ut, *Saturnalibus bono die*, *Liberalibus bono die*, *Hilaribus bono die*. Plautus in *Pœnulo*, *Act.* 5. *ſc.* 5. *v.* 13.

—— Tam tu igitur die bono Aphrodiſiis
Addice tuam mihi meretricem minuſculam.

Idem alibi, *Aphrodiſiis die bono.* Catullus, *Epigr.* 13. *v.* 15.

Saturnalibus optimo dierum.

Inde καλήμερος Græcis, *bono feſto* & *feſti diei*, qui libenter genio indulget, & ſibi amiciſque mitem gerit, feſtivus & hilaris. Latinè *feſtus* & *feſti dies*, ut dictum, *bonus*. Sic namque Donatus *ad illud Terentii*, *Eun. Act.* 5. *ſc.* 5. *v.* 12. *ô feſtus dies hominis*; pro, *homo feſti diei. Sic dicitur etiam ſcelus homo. Eunuch. ô pictus animi.* Contrà μιτακαλήμεροι dicebantur homines moroſi, qui nec ſibi, nec aliis bene facerent, triſtes & ſeveri, genique ſui defraudatores, aliàs ἀποφράδες, à diebus malis ac infauſtis, quæ illis ſic dicuntur. Salmaſ. *ad Trebellium Pollionem in Claudio. c.* 1.

BONUS Eventus, ab antiquis cultus eſt. Plin. *l.* 34. *c.* 8. deſcribit Euphranoris ſimulacrum *Boni Eventus* dextrâ pateram, ſiniſtrâ ſpicam, ac papaver tenens. *Boni Eventus* etiam meminit Varro *de R. R. l.* 1. inter Conſentes Divos agricolarum.

BONUS Finis, ſeu *Receptio*, ut *Conſolamentum* & *Baptiſmus ſpiritualis*, dicebatur olim inter Albigenſes receptio in communionem eorum, quæ, ne receptus denuò ad priſtina vitæ inquinamenta poſſet relabi, differri ſolebat ad extremam uſque infirmitatem. Quare & quidam, licèt jam adveniſſet Albigenſis, recepti non ſunt, quoniam nondum mors inſtare credebatur. Sic legimus Petrus Sancii vocatus, *ad hæreticandam quandam infirmam: quæ tamen tunc non fuit hæreticata, quia non viſum ipſi fuit, quia dicta infirma adhuc erat fortis.* Poſteà ingraveſcente morbô iterum advocatus fuit Petrus Sancii, ſed nec tunc fuit hæreticata, quia convaluit, in *libro Sententiar. Inquiſitionis Toloſanæ*, nunc primum in lucem prolato, à Phil. à Limborch, *Hiſtoriæ Inquiſitionis l.* 1. *c.* 8. Vide quoque hic paſſim, vocibus *Abſtinentia*, *Conſolati*, *Endura*.

BONUS Genius, Græcè Ἀγαθὸς δαίμων, vide ſuprà *Agathodæmones* & *Agathus-Dæmon*, item voce *Genius*. Ejus, ut & Ἀγαθῆς Τύχης, *Bonæ Fortunæ* cellam prope antrum Trophonii, in Bœotia, conſultoribus adeundam priùs, antequam in antrum deſcenderent, & poſt acceptum reſponſum repetendam, memorat Pauſan. *in Bœoticis*, quem locum ſuprà attulimus, ubi de *de Bona Fortuna*. De poculo Ἀγαθοῦ Δαίμονος, it. *Boni Genii*, Græcis appellato, hincque voce compoſitâ Ἀγαθοδαιμονιστὴς, de pitiſſatore, apud *Heſychium* occurrente diximus ibidem ſuprà, ubi de *Bibendi ritu*.

BONUS Johannes, vide *Johannes*.

BONZII, h. e. *ſacrorum præfecti*, dicuntur apud Japonios, qui ſacra curant. E quibus unum, nomine Combadani, mirandum virum, & à quo Japonii literas ſuas edocti, jam ante annos 800. extremâ ætate juſſiſſe magnificum ſibi extrui delubrum, inque ſpecum iturum dixiſſe, ſe vitæ hujus ſatietate teneri: velle igitur quieſcere, non ad dierum terminum, uti Soſpitator noſter: ſed (ô circumſpectum Impoſtorem) ad decies millies millena annorum millia; quô ſpatiô exactô magnum Japoniæ obventurum Doctorem, ac ſe quoque tum rediturum in lucem. Quibus dictis obturari juſſiſſe oſtium ſpecus, eundem autem vivere adhuc, eûque die anniverſaria coli ac votis ſupplicibus invocari, ajunt. Vide de eo Epiſtolam Caſp. Vilelæ Soc. Jeſu, quæ extat *Epiſtolar. Japon. l.* 3. apud P. Matthæum, ut & Voſſium *de Idol. l.* 1. *c.* 25.

BOONÆ, *Βοῶναι*, Athenis dicti ſunt, qui boves ad dies feſtos coëmerent. Demoſth. *in Midiam*.

BOOSCOETE, Helleſponti urbs, *Germanicopolis* poſteà dicta, Plin. *l.* 5. *c. ult.*

BOOSURA, h. e. *bovis cauda*, urbs Cypri inſulæ, cui vicina eſt Tetera & Palæpaphus, quæ antiquum Veneris templum habet. *Strab.*

BOOTA, inſul. Scotiæ meridionalis in Glottæ æſtuario, inter Araniam inſul. & Argatheliam provinc. per 8. mill. paſſ. in longum ſe extendens, ſed non æquè lata.

BOOTES, à bove deductum nomen, Latinè *Bubulcus*, cœleſte ſydus, quod *Arctophylax* vocatur. Stellula enim eſt juxta Urſam majorem, quæ more bubulci plauſtrum ſequi videtur. Cicer. *de Nat. Deorum*, *l.* 2. *c.* 42.

Arctophylax vulgò qui dicitur eſſe Bootes.
Quod quaſi temone adjunctam præ ſe quatit Arctum.

Ovid. *l.* 2. *Faſt.* v. 190.

Arctophylax formam terga ſequentis habet.

Juvenal. *Sat.* 5. v. 23.

Frigida circumagunt pigri ſerraca Bootæ.

Habet 4. ſtellas dextrâ manu, quæ non occidunt. Manilius, *l.* 1.

A tergo venit Arctophylax, idemque Bootes.

Aratus,

Tardus in occaſum ſequitur ſua plauſtra Bootes.

Hunc nonnulli dixerunt Icarum fuiſſe Athenienſem, Erigones patrem, qui cùm à Baccho vinum accepiſſet, ſtatim utres plenos in plauſtrum impoſuiſſe dicitur atque ea hac re *Bootes* appellatus eſſe, & cùm Atticorum fines perambulans vinum paſtoribus oſtenderet, atque eorum nonnulli aviditate pleni, novô genere potus inducti ſomnô opprimerentur, membraque huc illuc fœdè & indecorè jactarent, verbaque loquerentur, haud ſanæ prorſus mentis, reliqui eorum venenum paſtoribus ab Icaro datum arbitrati eum interfecerunt, quem poſteà Jupiter ſimul cum Erigone filia, quæ necis paternæ dolore confecta ſuſpendiô vitam finierat, canem etiam nomine *Meram* inter aſtra collocavit, atque *Icarum Bootem*, Erigonem *Virginem*, Canem verò ſuâ appellatione, *Caniculam* nominârunt. Aliis creditur hic idem fuiſſe Arcas ex Calliſto Lycaonis filia natus; ab aliis Orion dicitur. Vide *Arctophylax*.

BOOZ, h. e. *in fortitudine*, vel *in robore*, filius Salmon. Ruth. *c.* 2. v. 1. & *c.* 4. v. 13. Inter progenitores Jeſu Chriſti Matth. *c.* 1. v. 5. Nomen item ſecundæ columnæ in porticu Solomonis 1. Reg. *c.* 7. v. 21.

BOPARDIA, vide *Bodobriga*.

BOQUERANA, inſul. maris Indici parva, vix 10. leuc. ab ora Orientali Inſulæ Bornei, verſus Mindanaum.

BORAMMA, latronum Libanum incolentium receptaculum. Strabo *l.* 16.

BORBETOMAGUS Vangionum, quæ & Wormatia. *Vangiones* à Cæſare, *l.* 1. *Bell. Gall. c.* 51. à Plinio, *l.* 4. *c.* 17. à Tacito, *l.* 12. *Annal. c.* 27. atque *Ptolemæo*, unà cum Nemetibus memorantur, populus Germaniæ, qui tranſitô Rhenô, in ſiniſtra fluminis ripa conſedêre: de quibus notiſſimus eſt Lucani *verſus* 431. *in l.* 1.

Et qui te laxis imitantur Sarmata bracis
Vangiones.

Οὐαγγίονες à *Ptolemæo* dicuntur, & eorum urbes duæ ad Rhenum, altera *Borbetomagus* vel *Borvetomagus*, *Βορβητόμαγος*, quæ & primaria, altera Argentoratum, ambæ in ſuperiore Germania, & provinc. German. prima nuncupantur. In *tabula Theodoſiana vel Peutingeriana Borgetomagus* vocatur, & inter Bonconicam ac Noviomagum ponitur: *Æthico in Itinerario provinciar. Borvitomagus* non ſemel, nunc inter Bonconicam & Noviomagum, nunc inter Moguntiacum & Noviomagum Nemetum. *Borvitiomagus* inquam corruptè pro *Borvetomagus*, i. e. Borbetomagus. Certè in aliis Æthici codicibus ſcriptum reperitur *Borbetomagus* rectè, in aliis *Bormitomagus*, ut *Simla* aſſerit. Ea urbs more multarum Galliæ urbium, nomen Gentis, cujus caput erat, poſteà, & *Vangiones* appellata eſt. In Codicis Theodoſiani *l.* 13. legimus reſcriptum Imperatorum Valentiniani & Valentis AA. ad Mitophilum Vicarium Africæ, *datum Vangionibus*: & in *Notitia imperii Romani*: *Præfectus militum ſecunda Flavia Vangiones* reperitur. Apud Ammianum quoque *l.* 15. *Vangiones* inter urbes *primæ Germaniæ*; & apud Hieronymum *in ep. ad Ageruchiam*, *Vangiones longâ obſidione deleti* ab Alanis & Vandalis. *Vangionem* etiam reperi in Annalibus Tilianis. *Vangionum civitas* vocatur à Sulpicio *in l.* 2. *de vita S. Martini*, aliiſque, nec non *urbs Vangionum*: in *Annalibus Bertinianis*, in rebus anni 845. *Vangium* corruptô & truncatô nomine pro Vangionum: in veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ hanc ſimpliciter & abſolutè *civitas Vangionum* inter provincias Germaniæ 1. civitates quarta & ultima; nunc *civitas Vangionum Warmatia*, nunc *civitas Vangionum*, i. e. *Warmatia* vel *Guarmatia*, aliàs *Garmatia*; nonnunquam & *civitas Vangionum*, i. e. *Wacmacia*. *Wacmatiam* & Fredegarius ac Aimoinus; quidam è noſtris ſcriptoribus & *Warmaciam* appellant. At Zacharias PP. *in epiſtola ad Bonifacium Moguntiacenſem Epiſcopum*, & Eginhardus, ac Theganus, atque Annales Naſariani, aliique *Wormaciam* civitatem aut *Wormaciam* nuncupant; Poëta Saxo *in libris de Geſtis Caroli Magni*, *Wormatiensem urbem*. Dicta eſt igitur *Wacmatia* vel *Guarmatia*, nec non *Warmacia*. Dicta eſt ſæpius & Wormacia, nonnunquam & *Wormatia*. Ego ſcribi oportere puto *Vormaciam*, & ita appellandam eſſe hanc urbem, potiùs quam *Warmaciam*, aut *Wacmatiam* vel *Warmaciam*. Nam ex *Borbetomagi* nomine mutilato Noſtri fecêre (ni fallor) *Bormagum*, ex Bormago *Wormacum*, *b* in *v*, *g*. in *c*, ex more converſis: ex Vormaco demum facta *Vormacia* eſt; ita ut duo *u* in prima nominis ſyllaba, & *i* in penultima ferre non poſſim. Certè hodieque Noſtri à Vormacia *Vormes*, ac Germani *Worms* nuncupant. Pagus Vangionum vocatus ab Eginhardo in *Annalibus*, in rebus anni 825. *pagus Wormacienſis*; in *Annalibus Bertinianis Wormaz felda* compoſitô nomine Germanicô, i. e. Wormacienſis campus ſive ager. *Feld* enim Germanis campus eſt. *In Ducatu Ribuariorum Wormazfelda*, *Spirahgowe*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BORBONIA, Inſul. Africæ in Oceano Æthiopico, ſub Francis, à paucis annis, à Luſitanis antea *Inſul. Maſcharenha* dicta; ad Ortum inſulæ Madagaſcaris ſeu S. Laurentii, Circuitus eſt 50. leuc. fertiliſſima ac bene irigua. Ibi Portus S. Pauli & Aſſumptionis, ubi colonia Francorum.

BORBONIA, it. BORBONIENSIS ager, vide *Boji*.

BORBONIA, villa Galliæ, aquis ſuis nobilis, in agro ac diœceſi Lingonica, vulgò *Bourbonne*: quam Aimoinus *Vervona caſtrum ædificari cœptum*, *incolis*, Theodebertô ac Theodoricô fratribus, apud Francos regnantibus, vocat, & inter urbem Lingonum ac Tullum ponit. Hadr. Valeſ. *Notitia Gall.* in voce *Lingones*.

BORBONIA Sidera, in honorem auguſtæ illius Domus, dicta ſunt à Johanne Tarde Gallo, maculæ illæ circa Solem, niſi Soli potius inſunt, moventi ſolitæ, quæ nuncalii alii aliiſque videntur, quaſi ſtellæ Solem circumeuntes. Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 34.

BORBONIUM, Galliæ pars, Ducatus dignitate, inter Burgundiam, Bituricenſem, Nivernenſem tractum & Arvarniam. Hujus veteres incolæ, pars Bojorum, coloni in Italiam & German. ſub Ambigaro deducti, belliſque contra Romanos, celebres. Liv. Polyb. Strab. Juſtin. Cæſar *in Comm.* Dein ſub Baronibus fuit, uſque ad Archambaldum & Anſeaumum, fratres, inter quos diviſa eſt. Poſtmodum Robertus, quartus fil. Ludovici IX. duxit Beatricem, filiam & hæredem Agnetis Borboniæ, Archambaldi junioris neptem. Hinc illuſtriſſima familia *Borbonia*, quæ 300. poſt ann. regnô in Henrico IV. potita eſt. Hujus Roberti fil. meruit Magni nomen, & Baronatus in Ducatum verſus eſt, à Philippo Valeſio, A. C. 1339. Cujus fil. Petrus obiit improlis, alter Jacobus, Conneſtabilis Galliæ, Johannis pater, (ex eo Jacobi Neapolitani Regis avus) & Ludov. II. fuit, à quo familia propagata uſque ad hodiernum Regem, Ludov. XIV. feliciter regnantem. *Hiſt. Gall.*

BORBONIUM Anſelmitum, oppid. Burgundici Ducatus in agro Auguſtodunenſi, ad Ligerim fluv. cum caſtro antiquo, 7. leuc. a Molinio, in Ortum. Vulgo *Bourbon Lancy*.

BORBONIUM Arcimbaldi, urbecula Galliæ in Borbonio Ducatu; Quibuſdam *Boja*, Cæſ. *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 14. 4. leuc. à Molino.

BORBONIUS Franciſcus, vide *Franciſcus*. it. *Ludovicus* & *Nicolaus*.

BORBORIANI ſeu BORBORITÆ, in *l. Arrianis* 3. & *l. cognovimus* 19. & *l. pen. Cod. de Hæreticis*, ſunt Hæretici, exorti temporibus Hadriani Imperatoris, circa A. C. 129. qui, ut ait Philaſtrius in *Catal. Hæretic. vitiis implicati ſeculi & malis concupiſcentiis ferventes, judicium non ſperârunt futurum, ſed potiùs carnalem ſeculi concupiſcentiam laudârunt.* Ex Græco *Βόρβορος*, cœnum. Sic enim aliam, *Hi itaque in cœnum euntes & inde oblini de cœno facies & membra ſua deformantes, eâdem re cunctis velut culpandam Dei creationem demonſtrabant.* Beiſſonius apud Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* E Gnoſticis fuiſſe, legas apud Mictium *Hæreſiolex.* Iidem *Stratiotici* h. e. *Militares*, dicti, quia de militantibus fuerunt, *Barbelitæ* item, & *Phibionitæ*, *Fibionitæ* porro, & *Levitici*, de quibus vocibus vide ſuis locis. Quam ſectam execrandam è Valentini ſemine pullulâſſe, tradit Theodoretus. Vide Jo. Forbeſium *Inſtruction. Hiſtorico-Theologic. l.* 8. *c.* 37. §. 4. & ex Veterib. quoque Epiphanium *in Panar. l.* 1. *Tom.* 2. *Hær.* 26. nec non Auguſtinum, *Hær.* 6. Atque ex hujuſmodi Hæreticorum nefariis conſuetudinibus commixtionibuſque, Diabolicas in Chriſtianos calumnias, de promiſcua & inceſta venere, deque infanticidio ac Thyeſteis epulis, occaſionem perperam Paganos accepiſſe, diſcimus ex Juſtino Mart. *Dial. cum Tryphone*, Athenagora *Apolog. pro Chriſt.* Minutio Felice *in Octavio*, Aliis. Nec omittendum, eadem hominum monſtra, aliorum Hæreticorum imitatione, quâ decipere per nominum terriculamenta & appellationes barbaras confictas imperitos conabantur, execrandis iſtis figmentis Hebraica nomina quoque aſſinxiſſe, quibus ſimpliciores ſimiliter terrerent, uti legimus apud Theodoretum *Hær. fab. l.* 1. *c. de Barbelitis ſeu Borborianis* vide iterum Forbeſium *l. XII. c.* 9. §. 1. & 1. &c.

BORBUSTA, Rex Gotthorum in Teutones irrupit, quem vicêre tres Reges coadunatis copiis.

BORCA, oppidul. Guineæ, in regno Biafræ, ad fluv. cognominem, qui infrà in Oceanum Æthiopicum cadit.

BOR-

BORCANI, populi Hirpinorum in Italia, non procul à Collatinis. Plin. *l.* 3. *c.* 11.

BORCEOS, vicus, qui etiam *Annaeh* appellatur, & eſt in confinio Sarmatiæ regionis.

BORCHEMIOS Martinus, vide *Martinum*.

BORCHLOON, oppid. in Epiſcopatu Leodienſi Comitatûs dignitate pollens. *Merel.*

BORGHOLMIA, oppidul. Sueciæ, in Oelandia Inſul. maris Baltici, verſus Oſtrogothiam provinc. & Calmariam urbem.

BORCHOLTUM, oppidul. Weſtphaliæ, in ditione Epiſcopatûs Monaſterienſis ad Aam fluv. in confinio Belgii, 3. leuc. à Veſalia.

BORCHWORM, oppid. Epiſcopatûs Leodienſis, Comitatûs dignitate clarum. *Merel.*

BORCOBE, Thraciæ urbs circa Mœſiam inferiorem, fuit quidam cum *Geranis* Scytharum Autorum, ſed Thraciæ finitima & à Plinio in deſcriptione Thraciæ commemorata, *l.* 4. *c.* 11.

BORCOVICUM, urbs Albionis in ora Angliæ orientali in Northumbriæ regione teſte Camdenô, probè munita, ad oſtium Tuedæ fluv. Vulgo *Barwick*, *Berwick*, vel *Berwick*. longitud. 20. 04. latitud. 56. 15.

BORDA, vox Arabica, ſtriatam veſtem notat, & hinc alam locuſtæ, in Poetis, apud Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior.* *l.* 2. *c.* 45. Apud Scriptores extimæ ætatis Latinos, domum ſignificat, ædem, tugurium. Unde *Bordellum*, ædicula, tuguriolum; & quia meretrices plerumque in iſtiuſmodi domunculis ac nullius momenti ædibus habitant, Gallis lupanar. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide & *Not. ad Joinvillam*.

BORDELONA, urbs Aſiæ, in India ultra Gangem in regno Siami cum emporio & portu ſatis commodo. Vulgò *Bordelong*.

BORDINATI, vide *Guidones*.

BORDINUS Franciſcus, vide *Franciſcum*.

BOREA, oppid. quod à Sext. Pompejo captum eſt, ut ſcribit Cicer. *l.* 16. *ad Attic. ep.* 4.

BOREAS, Aquilo dictus, (quod vide) ab Hyperboreis montibus flans, unde & frigidus, dictus ἀπὸ τῆς βοῆς ῥέειν, quoniam ut violentis flatûs eſt, ita etiam ſonoris. Virg *l.* 1. *Georg. v.* 93.

Boreæ penetrabile frigus adurat.

Ovid. *Met. l.* 6. *v.* 690. *Boreas de ſeipſo*,

Apta mihi vis eſt, quâ triſtia nubila pello,
Et freta concutio, nodoſaque robora verto,
Induroque nives, & terras grandine pulſo.

Poëtæ eum Aſtræi filium faciunt, Hyacinthumque puerum adamâſſe volunt, qui etiam ab Apolline diligebatur. Alii Strymonis filium fuiſſe dicunt. Amavit prætereà Orithyiam, Erechthonis, Athenienſium Regis filiam, quam & in conjugem poſtulavit; verùm, cùm non daretur, vi eam rapuit, ex qua poſteà Zeten, & Calaïm ſuſcepit. Euſeb *in Chron.* circa *A. M.* 2655. Fertur quoque pulcherrimas Dardani equas adamâſſe, & ex illis 12. velociſſimos equos ſuſcepiſſe. *Nic. Lloydius.* In turre ventorum octogona, ab Andronico Cyrrheſte, Athenis extructâ, quam Vitruvius prolixè deſcribit, *l.* 1. *c.* 6. quamque *Horologii* nomine *Varro* appellat, cùm omnes octo venti, tum noti, repræſentarentur ſub puerorum variis ſchematibus: *Boreas* ibi hodieque viſitur, ſub imagine pueri alati celerrimè volantis, cothurnati ac vultum palliô, velut contra frigus ſe muniret, obvolventis, nubibusque ſecum ferentis: (Ventus enim ſterilis eſt & frigus utrâque buccâ ſpirans) Uti obſervavit Jac. Sponius Lugdun. *Voyage de Grece part.* 2. Cum porro Ventis ſupplicare Athenienſes cœpiſſent, ſub adventantem Xerxis exercitum, ara in delubro Thujæ, Cephiſi filiæ, ventis in genere conſtituta eſt, Herodot. *l.* 7. Sed nec peculiaris *Boreæ* defuit, ubi is Orithyam rapuiſſe dicebatur, Plat. *in Phædro*. Quem tamen cultum fuiſſe mixtum, cenſet Voſſius, ut unà cum hoc vento cultus ſit Vir magni nominis è Boreali tractu adveniens, à quo rapta Orithya. Niſi malis, principem hanc puellam periiſſe tempeſtate, quam phreneticus ille Boreas concitarat; ac propterea placuiſſe, ut *Boreæ* ſupplicaretur, quò in poſterum magis propitius fieret navigantibus. Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 1. & plura de hoc vento, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1247. *& ſeqq.* ut de veſtibulis templi Priapi *verſus Boream* directis, infrà lemmate *ad Orientem*, & de *Borea*, jaſpidis ſpecie, infrà itidem voce *Jaſpis*, item *Terebeſſus*.

BOREAS, mons Epiri, alias Macedoniæ, Dyrrhachio proximus.

BOREON Stoma, apud Solin. *c.* 13. de Bum. Hiſtro, *Septem oſtiis Ponticum influit. quorum primum Peuce, ſecundum Naracuſtoma, tertium Caloſtoma, quartum Pſeudoſtoma: nam Boreon Stoma, deinde Stenoſtoma languidiora ſunt cæteris.* Ut correxit Salmaſ. è libris; cùm antè excuderetur, *Boreoſtoma*. Certè Ammianus ex hoc loco, *Nam Borean ſtoma, inquit, ac deinde Stenon ſtoma longè minora ſunt cæteris.* Græcè enim Βορεον ſtoma dicitur. *Ptolem.* ... Βορειον &c. Vide eum *Exercit. Plin. ad Solin. p.* 186. *Boreoſtoma*, Plin *l.* 4. *c.* 12. Vide ſuprà.

BOREUM, promontor. Hiberniæ in ora Boreali. *Ptolem. Tellinghead Ortelio.* Aliis *S. Hellens head.* Aliis *Capo de Ligra* dicitur. Ubi Venicnii populi nunc *Cap Eale*, in Lagenia provinc. & Comitatu Dungalenſi. *Baudrand.* Item Cyrenæ regionis promontor. *Capo de Teronei*, teſte *Magino*. Ejus meminit Mela, *l.* 1. *c.* 7. *Ptolem.* vocat Βόρειον ἄκρον. *Strabo* etiam ἄκραν ... Βόρειον refert, oppoſitum Cephalis. *Procopius* Βορειον. Attamen nec Melam, nec Plinium ita ſcripſiſſe exiſtimo. Antiquiſſimi codices apud Pomponium *Bor...* legunt. Apud Plinium ... *l* 5. *c.* 4. ita ſcribitur in pleriſque vetuſtis exemplaribus; *Promontorium*, quod *Majorem* (*Syrtim*) *includit*, *Byrion* vocatur. Utrobique ſcribendum *Bryon*. Litus quod à Berenice Syrtin verſus extenditur, Βρυων αἰγιαλὸς appellatur à *Ptolemæo*. In illo eſt Βόρειον ἄκρον. Idem et ... de Βρυων promontorium. In vulgatis *Ptolemæi* libris malè ſcribitur Βρυων αἰγιαλὸς. Veteres Grammatici, qui de differentiis accentuum ſcripſêre, hujus quoque litoris meminêre. Ajunt enim Βρυων, ... *cum pro litore Cyrenaico accipitur*, ... Sed etiam O. manno exiſtimo litus hoc à copiâ muſci marini Βρυων αἰγιαλὸν eſſe appellatum. Iſ. Voſſ. *in loc. cit. Melæ*. *B...um* quoque mons Arcadiæ Pauſaniæ, *in Arcadic.* & Tenedi portus *Arriano*. Dicitur etiam *Borion*.

BORGES, à Perſarum Rege Eioni impoſitus; qui à Græcis vehementiſſimè oppugnatus, ante quàm ſe dederet, maluit ſubjectô igni conflagrare. Polyæn. *l.* 7. *c.* 24.

BORGHA & BURGHA, apud Anglos, ea Comitatus ſeu provinciæ portio eſt, quam olim *Decaniam* ſeu *Decuriam* & *Friborgam* vocabant, inhabitata à Decemviris, qui in ſolidum fidejuſſores erant erga Regem de iis, quæ in *Decenna* perpetrarentur. Alvredus namque Rex, qui circa A.C. 880 floruit, Angliam totam in Comitatus, Comitatus in Centurias, atque has in Decennas ſeu Decurias diviſit &c. Quâ notione vox non ſemel occurrit, apud W. Thorn, vide in voce *Friborga*.

BORGI, Aſiæ populi *Ptol.*

BORGODI, Aſiæ populi Plin *l.* 6. *c.* 28 ubi de deſcriptione Arabiæ.

BORGUM Centenarium, *Lib. Notit. Zentmar*, oppid. olim, nunc pagus Pannoniæ ſuperioris ſeu Valeriæ Ripenſis. *Lazius.*

BORGUS, urbs Finlandiæ, in ora littorali ad Finnicum ſinum maris Baltici in tractu *Nyland.* 15. leuc. Germanic. à Revalia Livoniæ, in Ortum. Aliis *Burgo*.

BORICHENA, vel **BORICA**, hodie *Inſula S. Johannis*, à portu divite. Inſula eſt Oceani Occidentalis, ab Ortu habens inſulam S. Crucis, inſulaſque exiguas plures: Ab Occidente & Borea inſulam S. Dominici: A Meridie promontorium Pariæ, à quo centum triginta ſex milliar. abeſt. Inſula in longitudine porrigitur ad 50. pene milliaria, in latum patet duodecim aut ſexdecim, maxima latitudo octodecim pene milliaria Germanica complectitur. Dividitur in duas partes, nempe *Borealem* & *Auſtralem*. Borealis quidem aurô abundat plurimô Auſtralis frugum, fructuum, extumque feraciſſima. Urbs præcipua in ea eſt S. Johannis, optimô gaudet portu. *Mercat.*

BORICHUS, Colomanni nothus *Volaterran. Ruin.*

BORINGIA, vulgo **BORNHOLM**, inſul. maris Baltici, verſus Scaniam, ſub dominio Daniæ Regis. Ibi oppid Nexoa & arx Hammerhuſia. Hic triduanô prælio ſuperatus eſt, à Daniæ Rege Ericus Suecus, A. C. 1524.

BORIQUENA, inſul. Americæ Septentrional. una ex Antillis, inter Inſulas Portus divitis & S. Crucis, parva admodum. Vide *Borichena*.

BORIS Fedrovitius, venenô ſublatis Demetriô & Theodorô filiis Johannis Baſilidis, Moſcoviæ principatum in ſe aſtutè tranſtulit, A. C. 1598. contra Tartaros victor. Obiit A. C. 1605. Sub eo Pſeudodemetrius turbas edidit.

BORIVOJUS, decimus à Zecho, conditore gentis, Bohemorum Dux à Methodio. Moravorum Apoſtolo, baptizatus, religionem Chriſtianam in Bohemiam introduxit, A. C. 865. Aliter *Borivogius* Georg. Hornius *Orb. Imper.* A Cyrillo Alexandrino, una cum XXX. Palatinis ſacrô fonte tinctum eſſe, refert Theobaldus Bohemus. Vide ſuprà, in voce *Bohemia* & in *Borzivoius*.

BORMANICO, oppid. Narbonenſis provinciæ. Plin. *l.* 3. *c.* 4.

BORMANUM, urbecula Daciæ, in eo tractu, ubi Jazyges Metanaſtæ. Non longè à Tibiſco fluv. *Sanſon.*

BORMIA, Italiæ fluv. duplex, uterque oritur in Cevæ Marchionatu, in Pedemontio, & aquas ſuas miſcet paulo ſupra Seſſanum, deiu auctus aliquot rivis, Aquas Statiellorum rigat, & infrà Alexandriam in Tanarum influit.

BORMIÆ Aquæ, oppid. Rhætorum, ad extremum Vallis Tellinæ, inter fontes Adduæ & Ollii fluv. *Wormſer.*

BORMISCUS, regio Macedoniæ, ubi canes Euripidem lacerârunt. *Steph.*

BORMIUM, caſtrum Lombardiæ Tranſpadanæ, populô ac divitiis abundans, quod alluit Abdua. Item oppid. Vulturenæ, in ſuprema valle, ad Braulium montem Prima Præfectura eſt, & præ reliquis privilegia ac immunitates habet.

BORNANUS, Rex Perſarum, poſt Sarbaram, regnavit menſes 7. nullô factô clarus. Eum excepit ultimus ex Artaxerxis familia Perſiæ Regum Hormiſda II. vel Iſdigerdes III. quem vide.

BORNEUM, inſula Oceani Indici, quam *Mercator* putat eandem eſſe, quæ *Ptolemæo Inſula Bonæ Fortunæ* dicitur. Jacet inter Sumatram, Javam & Philippinas Inſul. Figuræ circiter rotundæ. Parte Auſtrali ſubeſt Æquinoctiali circulo, cætera Boream verſùs extenduntur. Eſt omnium illius Oceani maxima, ſiquidem ducentas centes & quinquaginta leucas ambitu colligit: ita ut trium menſium circumnavigationem habeat. Aliquot regna complectitur ſed præcipuâ nobilitate *Borneum* regia eſt urbs. Hæc nomen dedit inſulæ, latericiis mœnibus & ſumtuoſis ædificiis mirum in modum exculta. In hac Inſula reperiuntur aves Luſitanis *Paſſaros del Sol* dictæ, quæ habent adeo ſpecioſas plumas, ut quaſcunque alias pulchritudine ſuperent: vivas eas nemo vidit unquam, mortuæ in hac inſula delapſæ, ab inſulanis conquiruntur: volant, ut fama eſt, nonniſi in Solem, vivuntque aëre, nunquam in terram ſubſidentes, nec enim pedes nec alas habent, ex ſolo capite & ventre conſtant: corporis pars maxima in cauda conſiſtit: rariſſimæ & maximi pretii. Hæc inſula ab Europæis benè luſtrata eſt, præſertim verſùs oram Orientalem. *Baudrand.*

BORNEUM, urbs regia inſulæ Bornei, ſita in ora ſinus parvi, inter paludes aquæ marinæ, ad inſtar Venetiarum, in qua incolarum 15000 numerantur.

BORNHEMUM, caſtrum Flandriæ, unde ſequentulæ nomen, ad Scaldim fluv. inter Aloſtum & Antverpiam.

BORNHOLMIA, vulgo BORNHOLM, inſula Daniæ, à Friderico I. Rege Lubecenſibus, ob auxilia, ad annos 50. oppignorata, recepta eſt ut ſinitis à nepote ejus Friderico II. A.C. 1576. Poſteà à Suecis, Duce Hornió, occupata A. C. 1645 manſit illis pace Roſchildæ factâ A. C. 1658. una cum Scania, Blekingia, Hallandia, Nidroſienſi item & Babuſio tractu, in Norvegia. Alterâ dein pace A. C. 1660 inter eoſdem factâ, Nidroſienſis tractus à Suecis redditus & pro *Bornholmia* æquivalens promiſſum eſt. Haud pridem ſemel atque iterum naufragium ibi paſſi ſunt Sueci, partim ſævente nuperrimo inter illos Danoſque bellô, quô Inſula in poteſtatem horum redacta eſt; partim pace factâ, quâ illa ſub Suecos rediit, ut ex moderna Hiſtoria notum.

BORNUM, regnum & deſertum Africæ in Libya deſerta, ubi olim Garamantes, *Cluver.* Urbem habet cognominem & lacum Borni, per quem Niger fluv. labitur. Vulgò *Borno.*

BORON, Troglodytarum oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

BORRHAUS Martinus, aliàs Cellarius, Stutgardienſis, Joh. Reuchlini diſcipulus, Theologiæ apud Baſilienſes Profeſſor, linguæ Hebrææ Syr. Chald. peritiſſimus, judiciô præclarô inſignis, pluribuſque in omni literarum genere lucubrationibus celebris. Inter quæ eminent, Commentarii *in Pentateuchum*, Baſil. 1555. 1561. In *Joſ. Jud. Ruth. Sam Reg* fol. ibidem; 1577. In *Job* & *Eccleſ.* fol ibid. 1564. In *Eſajam* & *Apocalypſin*, fol. ibid. 1561. Obiit peſte A. C. 1564. ætat. 65 Baſileæ. Vide Melch. Adami, *in vitis Theolog.* & les *Eloges* Antonii Teiſſier *Volum.* 1.

BORROMÆUS Carolus, vide *Carolus.*

BORROMÆUS Fridericus, vide *Fridericus.*

BORSHOLDER, vide *Decuriæ Præfectus.*

BORSIPPA, urbs Babyloniæ, olim Dianæ & Apollini ſacra, in qua maximum lanificium eſt, & maxima veſpertilionum multitudo in eſum conditur, Strabo *l.* 16. *Steph.* *Borſippa* fœminin. gener. aut neutri pluralis ſcribit.

BORSIUS, primus Ferrariæ Dux, à Friderico III. Imperatore & Paulo II. creatus eſt Vide ubi de *Ateſtinis.*

BORUCTUARII, populi German. quorum villa *Velſcheberch* in Ducatu Bergenſi, an *Bronk*, oppid. ejuſdem ducatus, inter Duisburgum & Werdam *S. Suiberti vita*, *Ortelius.*

BORUSCI, ſive BORUSSI, Sarmatiæ Europææ populi. *Ptol.* Ob necem Adelberti à Boleſlao I. ad tributum adducti, A. C. 1018. Quos olim Deos coluerint, exponit Eraſmus Stella penè *initio de Antiqq. Boruſſ. l.* 1. *Nulla eis ſacra aliquandiu fuere: tandem in eam deducti inſaniam, ut ſerpentes feraſque & arbores, religioſè colerent.* Ubi quod de *ſerpentibus* habet, ſimile quid de Samogitiis narrat, Sigiſmund. Liber Baro Herberſteinius *Comm. Rer. Moſcov.* de Lithuanis, Idem *ibid.* & Alex. Guagninus *Sarmat. Europ.* de Calcoutenſibus, Jul. Cæſ. Scaliger *Hiſtor. Anim. l.* 2. *c.* 18. *fol.* 103. & jam de Ægyptiis veteribus, Phylarchus *Hiſtor. l.* 12. & ex eo Ælian. *de Animal. l.* 17. *c.* 5. Vide Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 4. *c.* 63. Horum regio *Pruſſia* in regno Polonico, continetur inter oſtia Viſtulæ, & Memelli ad Oceanum 37. leuc. patentia inter dicta oſtia; *Prutenia* etiam Latinè dicitur. *Preuſſen* & *Pruſſe* vulgò, in Regiam & Ducalem diviſa, vide infrà. Ovid. *Triſt. l.* 4. *El.* 8. *v.* 41.

Vita procul patriâ peragenda ſub axe Boreo eſt.

Ita *Ferrarius.* Tu verò lege, *ſub axe Boreo.* aliàs diviſa in 12. partes, dum Equitibus Teutonicis paruit: Nunc in duas *Regiam* nempe, quæ Poloniæ Regi ſubeſt, & *Ducalem*, quæ Electori Brandeburgico. Provincia eſt admodum fertilis & rigua, inter mare Balticum ad Boream, Poloniam inferiorem Mazoviamque ad Meridiem, Lithuaniam ad Ortum, & Pomeraniam ad Occidentem. Vide *Crucigeri* & *Pruſſia.* Addo hîc, quod in latitudinem 50. in longitudinem vero 60. milliar. extenditur: ab Occaſu Pomeraniâ, ab Auſtro Maſoviâ, Lithuaniâ cum Samogitia ab Ortu, mari Balthicô à Septentrione terminata. Claret ſupra modum illuſtrium urbium, oppidorum arciumque frequentiâ, opibus incolarum ac terræ ubertate, pecoris inſuper omnigeni inæſtimabili copiâ, ut & piſcationibus, venationibus, ac ſylvis fructuoſiſſimis, ſed metallorum minus ferax eſt. Merces, quas è Polonia, Ruſſia & Lithuania accipit maximô ſuô commodô, trans mare mittit, & viciſſim in Poloniam importat, quidquid Europa univerſa ac India gignit, omnia ferè, à tranſmarinis mercatoribus, accipiens. Succinum ſpeciale ejus donum eſt, quod nullum mare, præter Balthicum ferre dicitur. Tenuerunt hanc regionem diu, olim Equites Teutonici: quô nomine cùm lites alere cum Poloniæ Regibus cogerentur, tandem cladibus aliquot fracti Caſimiro Sigiſmundi I. parenti, fidem dedêre. Sed cùm Albertus Brandeburg. Sigiſmundi ex ſorore nepos ac Ordinis Magiſter Anteceſſorum jurejurandô ſtare nollet, novo bello implicitus, à Cæſare auxilia fruſtra expectavit: Hinc ſibi pace cum Avunculo contractâ conſulendi occaſionem ſumſit, quæ hâc lege inita eſt, ut ex Ordinis Magiſtro, à Poloniæ Rege, cujus clientelæ ſe ſubmiſerat, Boruſſiæ Dux crearetur, partemque illam, quæ *Ducalis* hinc dicta, in feudum ab eo acciperet: Quô jure Elector hodiernus Brandeburgicus tranſactione Welavienſi abſolutus eſt, ſupremô in *Boruſſiam Ducalem* jure obtentô, A. C. 1657. Regia tribus Satrapiis diſtincta eſt, Culmenſi, cujus caput Culma & in qua Thorunium: Marienburgenſi, cujus caput urbs eſt cognominis, & in qua Elbinga: ac Varmienſi, in qua Heilsberga & Braunsberga. Vide Auctorem Anonymum *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. ac Civ.*

Urbes illius clariores ſunt:

In Pruſſia Regia.	*In Pruſſia Ducali.*
Gedanum, *Dantzik.*	Regiomons, *Konigsberg.*
Mariæburgum, *Marienburg.*	Memelia, *Memel.*
Elbinga, *Elbing.*	Braunsberga, *Braunsberg.*
Torunia, *Thorn.*	Brandeburgum, *Brandeburg.*
Conitia, *Konitz.*	

BORYSTHENES, fluv. Scythiæ, ſecundùm Iſtrum omnium maximus ad 600. ſtadia navigabilis, in cujus oſtio ingens vis ſalis ſua ſponte naſcitur, & ingentis cetoſpinæ carentis reperiuntur. *Herodot.* Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Strabo*, Solin. *c.* 20. Pompon. *l.* 2. *c.* 1. & *Marcian.* *Heſych.* Βορυσθένης, ὁ Δάναπρις, καὶ ὁ ποταμός. *Danaſter Jornandi*, *Danaſtin Ammiano Marcellino.* *Dnieper Laeti Decio*, *Nieper Mercatori*, *Briſtus Leunclavio*, *Bereſina Pinerro*, *Dneſter* & *Neſter Martino Cromero.* Sed *Nieper Naparis* eſt *Herodoto*, *Neſter* eſt Tyras, qui inter Boryſthenem & Danubium fluit. *Bereſina* itaque per Lithuaniam fluens, & Naparim excipiens (in cujus nomen tranſit) *Boryſthenes* eſt, cum monte & urbe cognomine, annô 3. poſt captam Trojam condita, apud oſtia illius. Populi *Boryſthenitæ* Herodoto, *Boryſthenidæ* Propertio, *l.* 2. *El.* 7. *v.* 18.

Gloria ad hybernos lata Boryſthenidas.

Ovid. *Pont. l.* 4. *El.* 10. *v.* 53.

Cumque Boryſthenio liquidiſſimus amne Dyraſpes.

Dionyſ. *v.* 318.

Ἧχι Βορυσθένεος ποταμοῦ τελευτάφιον ὕδωρ
Μίσγεται Εὐξείνῳ, κατὰ Κριοῦ μετωπῶν,
Ὀρθὸς ἐπὶ γραμμῇ, κατάντικρυ Κυανεάων.

Ubi *Montanus: Si Dionyſium cum Ptolemæo & aliis Geographis conciliare velimus, non hoc ad Agathyrſos ſolos, qui verſu præcedenti ultimò nominantur, referendum, (ii enim ex Ptolemæo ſeorſum à Boryſthene ſatis remoti, & eos ipſe Dionyſius v. 319. juxta mare glaciale locat) ſed intelligendum eſt per genus modo confuſius Borystheneum ferri, (apud Neuros enim ortus Plinius & Mela reſtantur) unde in Meridiem delatus rectà adverſus Ponti fauces, ubi Cyaneæ petræ, ſinum miſcetur, ut verè Dionyſ. Eoſdem tamen Agathyrſos opinari potuit Dionyſ. & Boryſtheni & mari glaciali vicinos fuiſſe, ut mox indicabitur, quo quidem nomine veteres Balticum ſinum intelligunt, ſed ſinum fuiſſe ignorarunt.* Vide Stephan. in Βορυσθένης. Fluv. Poloniæ præcipuus, oritur in Moſcovia & Smolensko, Orſâ, Mohilovià, & Rahaczoviâ, Lithuaniæ urbib. rigans: auctus fluviis variis, per Volhiniam ſuperiorem labitur juxta Kioviam & Circaſſiam urb. & in mare Nigrum ſe exonerat, prope Oczacoviam, quæ aliàs etiam Olbia & Boryſtenes dicta. *Baudrand.*

BORYSTHENES, oppid. ab Olbiopolitis, qui Græci erant, aut certè Græcis mixti, vel potiùs à Tauroſcythis Barbaris vel Scythis, vel Gothis ſive Getis, habitatum, *Dio Chryſoſt.* *Ptolemæo* Olbia & *Boryſthenes* ſive Βορυσθενίς, duo ſunt unius oppidi nomina: aliter quàm tradit Plinius. Lege omnino Dionis *Sermonem* τῷ Βορυσθενιτικῷ. Salmaſ. *ad Capitolin.* in *Antonino Pio c.* 10. Strabo à Mileſiis conditum, & primò *Olbiam*, poſteà à fluvio cognomine, de quo mox, denominatum tradit. Vide eum *l.* 7. & infrà *Olbia.*

BORYSTHENES, nomen equi, quô Hadrianus Imperator ad venandum uſus eſt, cuique mortuo ſepulcrum extruxit. *Dio*, ἐπεὶ δὲ καὶ τὸν ἵππον αὐτοῦ τὸν Βορυσθένην ὀνομαζόμενον, ᾧ μάλιστα θηρῶν ἐχρῆτο, ἀποθανόντα ... *Ejus autem ad venandum propenſionis, & Boryſthenes equus, quô maximè in venatione utebatur, ſignum eſt. Huic enim mortuo & tumulum condidit, & columnam erexit, & epigrammata ei inſcripſit.* E quibus hoc hodieque extat,

Boryſthenes Alanus,
Cæſareus veredus,
Per æquor & paludes,
Et tumulos Etruſcos,
Volare qui ſolebat,
Pannonicos nec ullus
Aprum eum inſequentem
Dente aper albicanti
Auſus fuit nocere,
Vel extimam ſalivâ
Sparſit ab ore caudam,
Ut ſolet evenire:
Sed integer juventâ
Inviolatus artus,
Die ſuâ peremtus
Hoc ſitus eſt in agro.

ex recenſione Salmaſii, cujus verſionem Græcam vide *Not. ad Spartian in Hadriano, c.* 20.

BORYZA, urbs Ponti. *Steph.*

BORZIVOUS, Dux Bohemus, Suatobojô in ſylvas compulsô, ſceptrum Moravici regni ad Bohemos tranſtulit A. C. 894. *Coſmas Bohemus.* Baptizatus operâ Methodii, Aventin. *l.* 4.

BORZUS, Perſa, ex Polyæni *l.* 7. *c.* 40. ingenioſè perfidiam trium millium res novas agitantium ultus. Interpres legit *Aborzus.*

BOS, animal & ad agriculturam utile eſt, vide ſuprà, ubi de *Aratro*: & hominis in cibum cedit. Apud Athenienſes tamen *Bovem* veſci *aratore* nefas: ut conſtat ex Æliano, *Var. Hiſtor. l.* 5 *c.* 14 & Varrone *l.* 2. *R. R. c.* 5. ubi hic, *Bos*, inquit, *ſocius hominum in ruſtico opere & Cereris miniſter. Ab hoc antiqui manus ita abſtineri* volue-

voluerunt, ut capite ſanxerint, ſi quis occidiſſet. Plin. quoque *l. 8. c. 45.* *Socium*, ait, *laboris, agrique culturæ habemus hoc animal, tanta apud priores cura, ut ſit, inter exempla, damnatus à Pop. Romano, die dicta, qui concubino procaci rure omaſum edisse ſe negante, occiderat bovem: actuſque in exilium tanquam colono ſuo interempto.* Etiam Domitianus Cæſar, apud Suetonium *c. 9. inter initia uſque adeo ab omni cæde abhorrebat, ut, abſente adhuc Patre, recordatus Virgilii verſum* (537. *l. 2. Georg.*)

> Impia quàm cæſis gens eſt epulata juvencis,

edicere deſtinaverit, ne boves immolarentur. Aratus quoque *Phænom. v.* 325. ait, ferreô demum ſeculô edi cœpiſſe boves aratores. Sic enim de ejus ætatis hominibus ſcribit,

> Οἱ πρῶτοι κακόεργον ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν
> Εἰνοδίην, πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων.

Ubi Cicero βοῦν ἀροτῆρα, reddidit *domitum juvencum*: Germanicus verò *apertum taurum aratro adſuetum*. Imo nec ſacrificare Diis Bovem aratorem licuiſſe, diſcimus ex Homero *Il. 10. v. 292.* ubi Diomedes ait, velle ſe Minervæ ſacrificare,

> — Βοῦν ἦνιν, εὐρυμέτωπον,
> Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.
> Bovem *hornam, latifrontem*,
> *Indomitam, quam nondum ſub jugum duxit vir.*

Quod ſacrificium ſanè convenit legi Atticæ, Βοῦν ἀρότηρα μὴ θύειν. Etiam fuit, cùm non ſolum βοῦν ἀροτῆρα ſeu ἐργάτην, *bovem aratorem ſeu domitum*, ſacrificare Athenis eſſet interdictum: ſed ſimpliciter lege caveretur, βοῦς μὴ σφάττεσθαι, *Boves ne mactato*. Verùm hoc tantum erat, cùm ob ingentem boum raritatem metus eſſet, ne, ſi ſacrificiis porrò eorum numerus minueretur, ceſſaret tandem agricultura, ut *Philochorus* ait, apud Athenæum *l. 9.* Deus vero neutiquam populo ſuo bovis eſu interdixit; eòque non modò inſervit nobis ad agriculturam, (quò pertinet illud Moſaicum, Deuter. *c. 25. v. 4. Bovi trituranti os non obligabis*: quod etiam ad alendos Eccleſiæ Doctores accommodat Apoſtolus, 1. Corinth. *c. 9. v. 9.*) ſed ad hoc quoque, ut corpora noſtra carne ſuâ ſuffulciat ac reficiat; imo & in deliciis habeat locum. Vide Matth. *c. 22. v. 4.* &c. Ulterius ſuperſtitio progreſſa, etiam inter Numina referre Bovem non erubuit. Et primitus quidem, Ægyptiis *Bos* ſymbolum erat frumenti ac annonæ, quò memoriam ſervatæ tempore famis Ægypti, à Joſepho Patriarcha poſt obitum ejus conſervare atque ad poſteros propagare conati ſunt; nec ſapientiores ferè proceſſerunt ulteriùs: At vulgus paulatim eò eſt perductum, ut illis, quæ pro ſymbolis primò duntaxat habita forent, poſtmodo cultus divinus, tanquam veris Numinibus, præſtaretur. Vide Strabonem *l. 17.* Et quidem Ægyptiis *Bos* geminus cultus eſt, unus Heliopoli, *Mnevis*, alter Memphi, *Apis* dictus, teſte Eòd. *ibid.* præter quos tertium quoque habuiſſe, in Oſiridis luctu, pullâ veſte byſſinâ tectum & ab Hierophantis quatuor menſis *Athyr* ſeu Novembris diebus ſolenniter atque palàm oſtentari ſolitum, quem in deſerto poſteà Iſraëlitæ in animo habuerant atque imitati ſunt in ſua μοσχοποιΐα, tradit Seldenus *de Diis Syris Syntagm.* 1. *c.* 4. & ex eo Tob. Pfannerus *Syſtem. Theol. Gentilis purioris c. 21. §. 10.* Nempe, uti Romanum Græcumque vulgus, ſtatuas Numinum, propter cultum, qui iis præſtaretur, Deos credebat: ſic Ægyptium vulgus hos boves Deos exiſtimabat. Quod ſequitur quoque eſt Plinius, quem videre operæ erit pretium, *l. 8. c. 46.* Reliqui verò, Sacerdotum ſaltem & ſapientiores, *Bovem* Heliopolitanum non habuêre, niſi pro ſymbolo Dei Solis, & Memphiticum, pro ſymbolo Lunæ, ut Voſſ. oſtendit *de Idolol. l. 2. c. 29.* Ab Ægyptiis ad Indos, ut plurima alia ſacra, ſic *Bovis* quoque cultus demigravit: de quibus hunc in modum Scaliger *adv. Cardanum Exercit. 258. ſect. 2. Quemadmodum Bos olim ab Ægyptiis, ita nunc ab Indis, qui Cochin regnum incolunt, Bos peculiari cultu pro Deo habetur & nuncupatur Tamburan.* Cui veteri cultui tamen hic in reſpondet: *ita priſcum Græcorum ſuperſtitionis veteris memoriâ repræſentatur, in Colorro, quæ ab illis locis haud multum diſtat Orientem verſùs. Ibi namque oleô perunctî palæſtræ exercentur* &c. Numerô porrò *Boum* olim divites cenſitos, notum ex Veterum ſcriptis; ſed & in muneribus Militum eos fuiſſe, ex Livio diſcimus. Ita enim is *l. 7. c. 26.* de Valerio Corvo, poſt Gallum, magnitudine atque armis inſignem, monomachiâ ſuperatum, *Conſul, concione advocatâ laudatum Tribunum, decem bobus aureâque coronâ donat.* Et *l. 26. c. 48.* de Lælio, poſt Carthaginenſes navali bellô profligatos, *Tum reliquos, prout cuique meritum virtuſque erat, donavit* (Scipio) *ante omnes C. Lælium præfectum claſſis & omni genere laudis ſibimet ipſi æquavit & coronâ aureâ ac triginta bobus donavit.* Imò cæteris præmiis, antiquiſſimô more, acceſſiſſe *Boves*, docet apud Euripidem Hercules, ubi memorans nicetria, quibus donatus eſt, ait, illos, qui leviorum certaminum victores fuerunt, *equos* accepiſſe at qui graviorum, h. e. qui luctâ & pugilatu viciſſent, *boves*, cum præclara fœmina. *Alceſt. Act.* 5.

> Τοῖς μὲν γὰρ τὰ κοῦφα νικῶσιν ἦν
> Ἵππους ἄγεσθαι· τοῖσι δ' αὖ τὰ μείζονα
> Νικῶσι, πυγμὴν καὶ πάλην, βουφόρβια.
> Γυνὴ δ' ἐπ' αὐτοῖς εἵπετο.

Cyrus quoque iis, qui in certaminibus victores fuiſſent, boves dabat, quos ſacrificarent, ac inde epularentur: ipſe etiam *bovem Nicaſtam* accepit. Vide quoque Q. Calabrum *l.* 4. Sed & illis id præmii dabatur, qui Dithyrambô viciſſent. Quamvis enim vox non raro ſumatur pro Athenienſium drachma, quæ *bovem* inſculptum habebat; etiam aliqui in Deliis, id quod pronuntiabatur, cùm cuipiam donum daretur, *tot boves ei dantur iis*, de hujuſmodi nummo intelligant; tamen in præmiis memoratis, veros *boves* priſcô more datos eſſe, non nummos ſolùm, quibus bos inſculptus, firmat Caſ. Paſchalius *Coronar. l. 7. c. 7.* Ut nec hoc omittam, *Boum* fimô pro lignis uti, Axylæ terræ incolas, Liv. docet *l. 38. c. 18.* Unde Ulpianus *l. 55. §. 6. ff. de leg. 3. In quibuſdam provinciis & edita boum ad hanc rem utuntur* &c. Vide Voſſ. *de Idol. l. 3. c. 74. & 75.* Item *Epiſt. libr. c. 66.* cui adde Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, ubi de *Bobus Æthiopicis ac Indicis Unicornibus tricornibuſque, de Bobus Lemuris, cervinis & leoninis, frumentariis, coloris helvacei, vel melini, patulibus & patulis*, *verm. p.* 122. 257. 944. 1008 & 1009. & Sam. Bochart. *Hierozoici Part. prior. l. 2. c. 28. & ſeqq.* Hodie *Bobus* Hungariæ Italiæ & parti Germaniæ ſuperiori proſpicit, Marchiæ, Sileſiæ & Saxoniæ Polonia; Dani macilentos boves ſuos in Belgium impinguandos tranſmittunt: eſtque celebre in Germania Forum Boarium Buttſtadiæ in Thuringia, Auctor Anonymus *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. ac Civ. c. 10. de Commerciis.* A *Bove*, mediô ævô, dictum eſt *Bovagium* ſeu *Boagium* tributum, quod ratione boum pendebatur, ſeu pro pari boum aratorum aut pro aratro: *Bobatico* Hiſpanis. Cujus mentio non ſemel in aliquot *Edictis* & *Chartis* Aragoniæ Regum, quod erat 12. denar. pro unoquoque pari. Item in *Charta* Jacobi Majoricæ Regis in *Uſaticis* Regni Majoricæ *MSS.* Exigi id ſolitum fuiſſe, adveniente Rege ſeu Dominô, habetur in *Charta* Sancii Regis Majoric. quam conſuetudinem pater hujus Jacobus ſuſtulit, ejuſque loco ſalis gabellam impoſuit, ut in *Charta* hac habetur; quæ, pro exſolvendis debitis, quæ contraxerat in variis bellis, Nobilibus Catalanis & civibus Barcinonenſibus vendita, ſed potius remiſſa, pro pretio ducenties mille librarum bonæ monetæ Barcinon. *Bovagium, Terragium & Herbagium — in Catalonia, quotieſcumque novus Rex Dominus ſeu hæres in Catalonia noviter ſuccedebat, licet aſſereretur per Nobiles Milites, & cives & homines villarum & aliorum locorum Catalonia, eum vel ſucceſſores ejus non debere habere dictum* Bovagium, *Terragium & Herbagium, niſi tantùm de bobus & cæteris animalibus ac pecudibus minutis* &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Superaddendum *Bovis* elogium, ex Ovidio *Met. l. 15. fab. 2. v. 121.* ubi is eum vocat

> — *Animal ſine fraude doliſque*
> *Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores*, &c.

Vide quoque infrà, paſſim: uti de *Bovis* hoſte *aſilo*, voce *Tabanus*.

BOS Auratus, Apollini mactatus à Romanis, memoratur Livio, *l. 25. c. 12. Ad id carmen* (Marcii Vatis illuſtris) *explanandum, diem unum ſumpſerunt, poſterô die SC. factum eſt, ut Decemviri libros, de Ludis Apollini reque divina facienda, inſpicerent — Alterum Senatuſconſultum factum eſt, Ut Decemviri ſacra Græcô ritu facerent, hiſque hoſtiis. Apollini bove auratô & capris duabus albis auratis, Latonæ bove fœminâ auratâ.* Sed & *Bove aurato* donatum legitur L. Minucius Præfectus Annonæ, apud eundem *l. 4. c. 16. L. Minucius bove auratô extra portam trigeminam eſt donatus, ne plebe quidem invitâ* &c. Ut quidem Voſſianus Codex habet; ſed in margine antiquâ manu, *arvo* ſcriptum eſt. Unde colligit Gronovius, *bove & arvô* forſan legendum, *Not. ad l.*

BOS Cornupeta, memoratur Exodi *c. 21. v. 28. & ſeqq.* ubi de eo Lex: *Si bos cornupeta percuſſerit Virum — Lapidibus obruetur & non comedentur carnes ejus, dominuſque bovis erit innocens*, h. e. *ſi percuſſerit virum alio lethali.* Nam ſi quis à tali bove citra mortem fuiſſet læſus debebat compenſatio & tenebatur bovis poſſeſſor quoquô modò providere, ne in poſterum tale quid accideret. Romanis quidem ſatis fuit τὸ κεράτιον τῶν βοῶν ἐπὶ τῆς φυλακῆς τοῖς ἐντυγχάνουσι χόρτον ἐπιδέδεσθαι τὰ κέρατα, *bobus cornu-petentibus, ut obvii ſibi caverent, cornu fœnô circumligare*; Plut. in *Craſſo*; ad quem morem Horatius alludit *l. 1. Sermon. Sat. 4. v.* 34.

> *Fœnum habet in cornu, longe fuge.* —

Sed boves hujuſmodi, quamvis hôc notatos ſignô, ſemper vitare cujuſvis non eſt; quos prius juſtitiâ mactâſſent, quàm canes, quos quotannis crucifigebant in memoriam illorum, qui nocturnam Gallorum in Capitolium irruptionem latratu non indicaverant, apud Plin. *l. 29. c. 4.* Sed & Draco ſanxerat, etiam τὰ ἄψυχα, *ſive* ἐπιπεσόντα ἀποκτείνῃ, ὑπερορίζειν, *inanimata* (putà, lignum, lapides, ferrum) *quorum caſu cædes alicujus facta ſit, finibus ejici*, cujus Legis meminêre Demoſthenes *contra Ariſtocr.* Pauſan. in *Atticis*, Aln. Interim dominus ſolâ bovis jacturâ ex Lege divina mulctabatur, ſiquidem bos tum primùm incepiſſet cornu ferire. At ſi, monitus bovem ſuum huic vitio eſſe obnoxium, non proſpexiſſet, tum non bos ſolus, ſed & dominus, reus erat mortis, *Ibid.* Quia tamen in certis caſibus hæc mortis pœna gravior videri potuit; putà ſi bos feriat provocatus, aut, ruptis vinculis, quibus detinebatur, aut per ſervi negligentiam, cui à Domino fuerat commiſſus: Deus, Judicibus permittens capitalem pœnam quandoque in judiciariam commutare, *Si redemptionis pretium*, inquit, *ei fuerit impoſitum, tunc det pretium redemptionis ſuæ, plane ut ei fuerit impoſitum.* Cedet autem id occiſi heredibus. Et, *ſi uxor fuerit cæſa*, hæredibus ejus ex familia patris, non viro. — *Si filium aut filiam bos percuſſerit, idem de eo ſtatuitur. Sed ſi ſervum aut ancillam, triginta ſiclos argenteos domino dabit & bos lapidibus obruetur* &c. Vide hanc in rem Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 2. c.* 40.

BOS Fœmina, apud Ægyptios, Momemphi cultu colebatur, ut in Memphi, Apis. Strabo *l. 17.* Οἱ δὲ Μωμεμφῖται τιμῶσι τὴν Ἀφροδίτην καὶ τρέφεται θήλεια βοῦς ἱερὰ, καθάπερ ἐν Μέμφει ὁ Ἆπις, ἐν Ἡλιουπόλει δὲ ὁ Μνεῦις. οὗτοι μὲν οὖν οἱ βόες νομίζονται, *Momemphitæ autem Venerem colunt & alitur fœmina bos ſacra, ſicut in Memphi Apis, Heliopoli vero Mnevis. Hi igitur Dei cenſentur.* Eam ſemel in anno Apidi tauro oblatam, ſuis & ipſam inſignibus, quamquam aliis, ſemperque eôdem die inveniri ſolitam & necari, quô Apis, refert Plin. *loc. cit.* Vide quoque Solin. *c. 32.* & ad hunc Salmaſ. *Exercitat. Plin. p.* 441. De *Boum* Albarum Fœminarum ſacrificio Junoni, apud Romanos à XViris facto, vide Livium *l. 27. c. 49.* ut de *Bove pregnante*, infrà *Forda*.

BOS Integer, in Holocauſtis, offerendus, vide infrà *Integer*.

BOS Lucas ſeu Luca, Elephas olim Romanis dictus eſt. Solin. *Polyhiſtor c.* 25. *Elephantes Italia anno Urbis conditæ quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo in Lucanis primum bello Epirotico vidit, & boves Lucas inde dixit.* Nempe cùm eo tempore viderent elephantem, nec ſcirent, quod genus animantis eſſet, quia in Lucania primo viſus eſt, *Bos Lucanus* iis primò dictus eſt, h. e. Lucanus, deinde *Lucas* & *Luca*. Sic iidem Romani leones primùm viſos notiori nomine *Urſos Numidicos*, Camelopardalim, *ovem feram*, Struthiocamelum, *paſſerem marinum* &c. nominârunt. Hinc rides Salmaſius Baronium, qui *ad* A. C. 58 ſcribit, *bovem vocatum Lucam* ab Italis, alluſione factâ ad figuram bovis, Euangeliſtæ Lucæ tributam. Itali namque non appellârant bovem *Lucam*, ſed elephantem vocitârunt *bovem Lucam*, ut vidimus. Deinde Euangeliſtæ Lucæ ætate jam deſierat *bovis Lucæ* appellatio, Romanis tum proprio ſuo nomine elephantem appellantibus &c. Vide eum *ad Solin. p.* 308.

BOS Triturans, apud Græcos & fortaſſe etiam apud alios, capiſtrari ſolitus eſt: unde Proverb. *Βοῦς ἐπὶ σωρῷ, ἐπὶ τῶν ἀπολαυόντων, [illegible] ἀπὸ φιμοῦ [illegible]*, *Bos in acervo de bobus triturantibus & qui per camum ab eſu prohibebantur*, apud Suidam & reliquos Paræmiographos. Quod quia inhumanum, bovem, qui laborat, in mediis frugibus, ad eſuriales damnari ſenas, Deus hanc Legem ſanxit, Iſraelitis, Deuter. c. 25. v. 4. *Bovem triturantem non capiſtrabis*, ſeu, ut Paulus interpretatur, *οὐ φιμώσεις*, à voce *φιμὸς*, *capiſtrum*, quod non triturantes ſolum, ſed & arantes boves, capiſtrare mos erat. *Fiſcellas* à figura Romani Scriptores appellant, Cato *de R. R. c.* 54. Plinius *l.* 18. *c.* 19. Alii. Alii verò collis jumentorum ligneam indebant machinam, *παυσικάπην* Græcè, quâ ab eſu prohiberentur. Alii hac ipſa de cauſa boum ora fimò oblinebant. Ælian. *Hiſt. l.* 4. *c.* 25. Fuêre etiam, qui voce aut aliò metu, aut aculeo in ore infixo, bovem ab eſu abſterrebant, aut admoto matri vitulo, aut potu diu illi negato, ut ejus deſideriô totus à cibo abhorreret. Pellibus quoque nonnulli ſegetes obtegebant, ne bos poſſet illas morſu attingere. Itaque in eorum cenſu, qui præfatæ Legis violatæ rei ſunt, hi omnes à Maimonide reponuntur. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 40. & 41. nec non infrà *Triturat.*

BOS Unicornis, vide infrà *Monoceros*.

BOSA, Sardiniæ oppid. *Ptol. populi Boſenſes.* Plin. *l.* 3. *c.* 7. Hodiè *Buoſa* dicitur. longitud. 31. 6. latitud. 38. 30.

BOSARA, urbs Arabiæ Felicis. *Ptol.*

du BOSC Petrus, Miniſter Eccleſiæ Cadomenſis, in Normannia, facundiæ elogium tulit à Ludovico hodierno Galliæ Rege coram quo, pro cœtu Reformato, qui Carentonii colligebatur, haud pridem ſucceſſu inſigni peroravit. Ejus *Septem ſtellæ cæli Eccl. in Apoc. c.* 2. *v.* 16. *Lachrymæ Petri, in Luc. c.* 22. *v.* 26. *Doctrina gratiæ, in Epheſ. c.* 2 *v.* 8. *Cenſura & Condemnatio tepidorum*, ad Matth. de Ruvigny, prodierunt Genevæ, in octav. A. C. 1664.

BOSCI, Græcè *Βοσκοὶ*, Eremitarum genus, in Palæſtina, qui novum quoddam & planè diverſum ab aliis vivendi genus excogitârunt. Viri nempe & mulieres in ſolitudinem ardoribus efferveſcentem ſe abdunt, & ſolis illis membris, quæ naturæ ſervium neceſſitati, obtectis, reliquum corpus frigoribus immenſis & fervidis æſtis caloribus, nudum exponunt, æſtu itaque atque algore contemtô; alimenta, quibus homines veſci ſolent, penitus ſpreta, terram depaſcentes, unde illis nomen. Euagrius *l.* 1. *c.* 21. apud Macros Fratres *Hierolexic. in voce Laura.*

BOSCOBELLUM, oppidul. Galliæ in Bituricenſi Ducatu Principatus titulô clarum, cum caſtro. Aliter *Boiſcbommet*.

BOSCUM Ducis, urbs nova & ampla Belgiæ in Brabantia, vulgò *Boſleduc*. Ad Domelam amnem, qui mox cadit in Moſam fluv. Habet Territorium peramplum, *la Mairie de Boſleduc* vulgò, continens 102. Parochias. Sub Hollandis. Vide *Sylvaducis*.

BOSDENUS Lucas, vide *Lucas*.

BOSENTIACÆ, aliàs BUSENTIACUM, vulgò *Buſanpois*, caſtrum eſt Galliæ, in Biturigibus Cubis. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Bituriges Cubi*.

BOSES, nomen ſcopuli. 1. Sam. c. 14. v. 4. Lucidè emens, aut in ipſo flos, ſive *in ipſo reſpiciens*, in tribu Benjamin.

BOSITARA, urbs Ægypti. *Steph.*

BOSIUS Joh. Andreas, Lipſienſis, Argentinæ Boecleri in Hiſtoria & Prudentia Civ. auditor, uti Dieſhaueri, Schmidii, Dorſchæi in Theologia & Antiqq. Eccleſ. A. C. 1647. Jenæ Hiſtoriarum Profeſſor creatus A. C. 1656. *Chronographiam veterem* edere inſtituit, *Joſephum Antiqq. Judaic.* *Scriptorem* emendavit & *Notis* illuſtravit. Obiit A. C. 1674. ætat. 48. Idem Juvenis adhuc, *de Æſtu marino*, Wittenbergæ, & *de Maculis Solaribus*, Lipſiæ, diſſertationes habuit ededitque Paul. Freherus *Theatro Virorum eruditione clarorum*.

BOSLARUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

BOSNA, Boſniæ regionis fluv. ſub magno regno Hungariæ, oritur in Servia; dein rigatis Saralto aliiſque, & auctus aliquot fluviis ejuſdem regionis in Savum cadit, prope Arkiom.

BOSNA Sarajum, urbs Boſniæ, ad Boſnam fluv. in limite Serviæ regionis. Aliis dicitur *Saralium*, quod vide.

BOSNIA, ſeu BOSSENA, & BOSNA, regio Serviæ fuit, à flumine cognomine ſic dicta; adjacentibus dein regionibus, Ramâ, Uſorâ & Sale mediterraneis, & Chelmiâ maritimâ additis, in regnum erecta, proprios habuit Reges, cum anteà pars fuiſſet magni regni Hungariæ. Nunc tota ſub Turcis, poſtquam à Gothis occupata, dein ad Slavos perveniſſet, exin ad Hungaros ſub Carolo Rege, A. C. 1310. tandem a Mahomete II. A. C. 1463. excoriatô Stephanô, ultimô Rege, devicta. Cluver. *l.* 4. Chalcond. *l.* 10. Leunel. *Pand.* 142. 162. Ab Iſacio Comneno ad pacem Boſſini compulſi ſunt. A. C. 1057. *Zonar.* Ejus primaria urbs Jayeza olim, poſt Walboſium, hodie Sari, quæque quoque *Boſna* dicitur. Vide ſuprà. Et à Septentrione Sclavonia eſt, ab Occidente Croatia, ab Oriente Servia propria, & à Meridie Dalmatia. Hic olim fuit pars Illyrici Occidentalis.

BOSO, Rex Arelatenſis Provinciæ & Burgundiæ Cisjuranæ, filius Buvonis Comitis Arduennæ, ex ſorore Thietbergæ, uxoris Lotharii II. Hujus ſororem Richildam Carolus Calvus uxorem duxit, largus proin in Boſonem, ei Burgundiam commiſit, Aquitaniæque Ducem fecit. Mox eum Johannes IX. adoptat, i. e. præfectum in ſecularibus creat, *Baronio* explicante. Dein Hermengarde, filiâ unicâ Ludov. II. Italiæ & Provinciæ Regis ductâ, regni Gallici partem ſibi vindicaturus, fruſtra fuit. Nihilominus Regem ſe Burgundiæ & Arelati fecit, à Ludovico & Carolomanno bellô impetitus, & Viennâ exutus. Obiit A. C. 887. ætat 63. Ei ſucceſſit in provinciis quibuſdam Ludov. Boſi filius. Aimoin, Du Cheſne, Du Puy, Belleforeſtus, Dupleix, Mezeray, Bouchæus, *Hiſt. Provinc. l.* 6.

BOSO Gontranus, ſub regno liberorum Clotarii I. Exercitus Dux. Theodebertum Chilperici filium occidi juſſit alterumque, Meroveum, Fregedondes ſicariis prodidit. Similiter in Orientem profectus, Gondebaldum qui Clotarii filium ſe ferebat, neci dedit. Tandem à Childeberto Auſtraſiæ Rege punitus, A C. 587. Item, avus Boſonis, Regis Arelatenſis. Item Marchio Tuſciæ, fil. Hugonis Regis pater Berthæ, quæ Boſoni, Comiti Arelatenſi nupſit, &c. Sanmarth. *in Gallia Chriſt.* *Noſtradamus, Roſy*, præter ſupra laudatos.

BOSOR, i. e. *munitio*, vel *vindemia*, ſive *oblata*, vel *prohibitio*, aut *in anguſtia*, vel *in tribulatione*, filius Sopha. 1. Paral. c. 7. v. 38. Item civitas Moabitarum trans Jordanem Orientem verſus ad ſolitudinem nonnihil vergens. Joſ. c. 20. v. 8 de tribu Ruben Levitis data.

BOSPARA, Thraciæ urbs. *Procopius.*

BOSPHORANI, populi Sarmatiæ Europeæ, verſùs Boſphorum Cymmerium; ſub Roxolanis, ubi nunc pars Tartariæ Precopenſis. Horum alii Aſiani dicti fuêre, quia in Aſia erant trans Boſphorum; alii Europæi, quia in Europa degentes.

BOSPHORIUM, portus Byzantii. *Steph.*

BOSPHORUS, ſive potius *Boſporus*, cùm Græcè *Βόσπορος* dicatur, ἀπὸ τῆς βοὸς καὶ πόρου nomen acceſſit, quod vel bos trajicere poſſit natandô. Teſtis *interpres Apollonii*, *Βόσπορος*, inquit, [illegible] *Idem etymon tradit* Plin. *l.* 6. *c.* 1. nempe quòd *vel bubus meabilis ſit tranſitus*. Apollodorus *l.* 2. [illegible] Vide Palæphatum in *Ione*, Tzetzem *Chil.* 1. *Hiſt.* 31. Am. Marcellinum *l.* 22. Atque hæc, ut dixi, uſitata nominis ratio eſt. Nymphis tamen Græcus author antiquus, Acarionis uſus teſtimonio dicit, Phrygas, cùm fretum iſtud vellent trajicere, navem compaginâſſe, in qua tauri effigies erat ſculpta, ex cujus ſpecie *Boſporon* appellaverunt: Ephorus verò à Tauro, quem Inacho remiſit Rex pro Io filia, quæ à Phœnicibus rapta in ejus venerat poteſtatem. Sunt qui dicunt, eos qui circa fretum habitabant, cùm ad ulteriorem ejus partem vellent tranſire, naviculis compactis, bobuſque junctis mare ſolitos tranſfretare. Alii, quòd illac Phryxus, naviculâ, cui Aries inſigne, navigârit. Plures hujuſce *Boſpori* appellationes habes apud Petr. Gyllium *l.* 1. *de Thracio Boſporo c.* 1. Porro *Boſporus* ab autoribus duplex celebratur, unus *Thracicus*, qui vulgo Italis *Stretto di Conſtantinopoli* dicitur, Græcis *Laimon*, Turcis *Bogazin*, teſte Petrô Gylliô, qui libellum ſcripſit *de Thracio Boſporo*. Eſtque maris anguſtia inter Byzantium in Europa, & Chalcedonem in Aſia 4. ſtadiis patens, unde utrinque cantus gallorum, latratus canum, rumoreſque hominum exaudiuntur. *Baudrando*, inter Thraciam & Aſiam minorem ſeu inter Pontum Euxinum & Propontidem. Hic caſtellô erectô Mahometes Conſtantinopolim oppugnavit, A. C. 1451. Ejus meminit Dionyſ. v. 140.

> Τῷ δ᾽ ἐπὶ Θρηϊκίου στόμα Βοσπόρου, [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

Etymon *Boſpori* innuit, ut & Æſchylus ante illum, *in Prometheo*:

> Ἔσται δὲ θνητοῖς εἰσαεὶ λόγος μέγας
> Τῆς σῆς πορείας, Βόσπορος δ᾽ ἐπώνυμος.

Val. Flac. *l.* 4. *v.* 344.

> *Jamque deos, atraque vocant: rurſuſque capeſſunt*
> *Æquora, quà rigidus trullat Boſporus omnes*
> *Ibos, Nile, tuos undam Dea gentibus Io*
> *Transferat fluctus; unde hæc data nomina ponto.*

Nonnus Dionyſ. *l.* 1.

> ---- [illegible] Βόσπορος [illegible]
> [illegible]

Callimachus diviſim ſcribit *hoc verſu*,

> [illegible] Βοὸς πόρος Ἰναχιώνης.

Nic. Lloydius. Boſphori fauces, ubi tranſitus ille breviſſimus, ponit ad ſacrum Jovis Urii Arrianus *in Periplo*, [illegible] Dein Melænam promontorium mox Artanen, deinde Pſilin, poſteà Calpes portum, & inde Rhoën & Chelas & Sangarium fluvium. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 879. Alter Boſporus *Cimmerius* appellatur, qui *fretum Cimmerium* Herodoto

dato dicitur, ut *Maotidis Capella*, *Pavanes anguſtia Marcellino*, vulgò *Boſſera* (quod nomen eſt etiam urbis ibi ſitæ) *Stretto di Caffa* Italis, & *Bocca di S. Giovanni*, & *Stretto di Kerci*, ab oppido ei adjacente, in Taurica Cherſoneſo, eſtque anguſtia maris inter Tauricam Cherſoneſum in Europa & Sarmatiam in Aſia, inter Mæotidem paludem & Pontum Euxinum *Baudrand*. Ejus meminit Dionyſ. v. 167.

> Ἔνϑ' ἤτοι Πόντοιο ἐπὶ στόμα κεῖται ὕδωρ
> Ὀρϑὸν, Κιμμερίοιο διὰ Βοσπόρου, ᾧ ἐπὶ πολλοὶ
> Κιμμέριοι ναίουσι, ὑπὸ ψυχρῷ ποδὶ Ταύρου.

Hujus quoque meminit Propert. *l.* 3. *El.* 10. *v.* 67. ubi mutavit genus, vel alludit ad omnia maria pacata victis prædonibus:

> *Nunc, ubi Scipiadæ claſſes? ubi ſigna Camilli?*
> *Aut ubi Pompeiò Boſpora capta manu?*

Ubi Boſporum Cimmerium intelligit, qui ob vicinum Pontum, in ditione Mithridatis fuit. Sanè Tullius *orat. pro Murena*, Mithridatem Boſporum confugiſſe ait, & Rufus Feſtus in *Breviario*: *Mithridates cum uxore & duobus comitibus in Boſporos fugit.* *Fretum* eſſe à *fremendo* verè dictum innuit Horatius, Carm. *l.* 3. Od. 4. v. 30.

> *Inſanientem navita Boſporum*
> *Tentabo* —— ——

Et Carm. *l.* 2. Od. 20. v. 14.

> *Viſam gementis litora Boſpori.*

Ubi Porphyrius, *perſtrepentis & ſonantis.* Hinc *Boſporus*, Ovid. *l.* 2. *Triſt.* v. 298.

> *Egerit Ionio Boſporioque mari.*

Vide Voſſ. *ad Melam l.* 1. *c.* 1. *Heſych.* Βόσπορος, ὁ μὲν ὁ Χαλκηδόνιος, ἄλλος ὁ Θρᾴκιος ... *Suidas*, Βόσποροι δύο, ὁ μὲν ... ὁ δὲ Θρᾳκικὸς ... *Idem*: Βόσπορος, πόλις ... Atque hi duo Boſpori tantùm ferè apud antiquos memorantur. Auſonius tamen tertium addit *in Monoſyllabis, titul. de Hiſtoriis*, v. 6.

> *Threicium & Libycum freta, Cimmeriumque ſecat bos.*

BOSPHORUS, urbs Franconiæ in Germania. Vulgò *Ochſenfurt*. longitud. 31. 45. latitud. 49. 50.

BOSQUETIUS Philippus, vide *Philippus*.

BOSRA, urbs Idumææ vetuſtiſſima & munitiſſima, in qua natus eſt Jobab, Rex Edom. Gen. *c.* 36. *v.* 33. Idumææ diſertè adſcribunt Prophetæ tres, Eſajas *c.* 34. *v.* 6. Jerem. *c.* 49. *v.* 13. & Amos *c.* 1. *v.* 12. Tamen unus ex hoc numero Jeremias *c.* 48. *v.* 24. *Boſram* cenſet inter Moabitarum urbes. Itaque vel utrique adſcribitur, eò quod in utriuſque fuerit confiniis, vel, quod puto verius, gemina fuit *Boſra*, una Idumæorum, altera Moabitarum. Nec multùm refert, utrum intelligas in his Michææ: *Ponam illum ut oves Boſræ*, quia utraque regio fuit valde pecoroſa, quanquam hunc locum veteres multò aliter interpretantur, nam pro *Sicut oves in Boſra* Græci habent ὡς πρόβατα ἐν θλίψει, tanquam eſſet à בצר *coarctari*, vel *in anguſtiis eſſe*. Bochart. *part.* 1. *Hieroz. l.* 2. *c.* 48. Vide *Bozra*.

BOSSANAYA, monetæ Barcinonenſis ſpecies, in *Chron.* Barcinonenſi memorata, quæ duravit tribus annis, videl. ab A. C. 1209. uſque ad annum 1212. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

BOSSEME Matthias, vide *Matthias*.

BOSSERET, vel **BUSSERETH**, Archiepiſcopus ſub Patriarcha Antiocheno. Hic concilium contra Beryllum.

BOSSINA, Orientalis regio à Turcis vaſtata A. C. 1384. *Egnatius*. Vide *Boſna*.

BOSSINA ſeu **BOSSENA**, ubi olim Beſſi populi, vide *Boſna*.

BOSSIUS Matthæus, vide *Matthæus*: it. *Ægidius*.

BOSSONIS Villa, oppidul. Lotharingiæ. Ad Nidam fluv. cum Abbatia aliàs celebri, nunc bellis deformata, 2. leuc. à Valdelfinga in Occaſum, & 5. à Metis in ortum. Germau. *Buſendorf*.

BOSTANGIBASSA, Præfectus hortorum, in Aula Turcica. Joh. Baptiſta Tavernier in *Serraglio*.

BOSTITZA, vide *Ægyra*.

BOSTONUS, Monachus Anglus, circa A. C. 1410. ſub Henrico IV. Scripſit *Speculum Religioſi*, & *Catalogum ſcriptorum Eccleſiaſtic.* curioſum admodum. Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 4.

BOSTRA, Phœniciæ urbs ad mare ſita, Byblo vicina. Strab. *l.* 16. Item urbs Arabiæ. *Steph.* inſtaurata à M. Jul. Philippo, & ab eo denominata, A. C. 246. Epiſcopus in Beryllus, A. C. 216. Vide *Beryllus*.

BOSTRYX & **BOSTRYCHUS**, Græcè βόστρυχος, dictus eſt globus nodusve crinium calamiſtrò invicem implexus & intortus cincinnus, quem etiam πλόκαμον Græci Grammatici, item σφαιρώδη ... dixère. Propriè de crine muliebri, qui multos plerumque flexus & ſpiras habebat, ut ex veterib. nummis videre eſt. *Heſych.* βόστρυχοι, πλόκαμοι. Item, βοστρυχίδες, πλοκαμίδες. Qui verò in botryonem unum vel corymbum collectus eſſet, βότρυν appellavère. Unde Poëta.

> —— Χρυσέης ... βότρυν ἔθειρης.

Agathias in *Epigramm.*

> —— ... ...
> Πλέξει καὶ ... βότρυν ... κόμης &c.

Ex βότρυς, *botrum* & *botronem* fecère Latini, unde *botronatus* apud Tertullianum & Cyprianum, capitis ornatus, quò βοτρυδὸν, i. e. *in morem uvæ congeſtum eſt & accumulatum crinis.* Tertullian. *de cultu Femin. Nullam de conchylio veſtem Eſajas increpet, nullas lunulas reprobet, nullum* botronatum *retundat*. Pro quo *criſpantem capillum*, apud Eſajam *c.* 3. *v.* 19. legere eſt. Βότρυς certè & βόστρυχος, criſpans capillus eſt. Κάρπους cirrum & cincinni tortos crinium, granis uvæ aſſimilantur. Hinc tota compago comarum, in multis ejuſmodi granis conſtans & cincinnis, *Botrus* & *Botronatus*. Sed & ... hoc genus dixère, fortè quòd hîc modô in unum collectus crinis aureâ *ſpatale* vel ſpatalhô vinciretur. Item *corymbum* &c. Cujuſmodi tuſorum crinium globum graphice in Achate expreſſum ſe habuiſſe Salmaſ. refert, *ad Solin. p.* 763. & *ſeqq.* Vide quoque *infrà*.

BOSUS, mons Italiæ in Ducatu Mediolanenſi & agro Novarienſi.

BOTACHIDÆ, locus Arcadiæ in Tegea. *Steph.*

BOTANICI, vide *Herba*, it. *Medici*.

BOTERICHUS, præſes Theſſalonicæ, ibi occiſus eſt. Hi ... VII. Millia à Theodoſio necata. Sozom. *l.* 7. *c.* 4. A. C. 390.

BOTERUS Johannes, Pedemontanus Bevenſis Abbas S. Michaelis de Clauſula, floruit A. C. 1595. & *Relationem univerſalem*, Italicè ſcripſit, ad Carolum Emanuelem Ducem, cujus liberos erudiit. Additæ ſunt ſcriptis tabulæ, ſed accuratæ parum. *Baudrand.* Vide & *Johannes*.

BOTHECA, Gallica vox *Boutique*, pergulam notat ſeu tabernaculum, in publicum apertam, in cujuſmodi pergulis operarum ſellularii opifices & mercimonia ſua habent expoſita. Non ab *Apotheca*, ut quidam volunt; hôc enim vocabulô horreum vel cella interior & in penitò ædium repôſta ſignificatur; Sed ex voce ultimæ Latinitatis *Jotheca* & *Gotheca*, uti in omnibus Sidonii libris antiquitus ſcriptis habetur, Veter. *Zotheca*, Salmaſio *ad Solinum p.* 1274. Vide infrà in voce *Zotheca*.

BOTHENA, vulgò **BOTYN**, Baronia aut territorium vel diſtrictus dominii, apud Scotos: Nam, ut *Buchananus* auctor eſt, primi Scotiæ Reges, regnô in Baronias diviſô, cunctas opes agroſque Regios, meritorum ratione habitâ, Magnatibus ſuis diviſère, qui inde *Barones* dicti ſunt: *Idem.*

BOTHNIA, provinc. Sueciæ; ampla, inter Lapponiam regionem & extremam partem maris Baltici, quæ Bothnicus ſinus nunc dicitur. Dividitur in 3. partes, nempe Borealem, Orientalem & Occidentalem. Ejus primaria urbs eſt Torne, Civitas juxta ſinum Bothnicum.

BOTIÆI, Thraciæ populi Plin. *l.* 4 *c.* 11. *Stephanus* Nicæam Botiæorum coloniam eſſe ſcribit. *Bottiæi* verò fuère populi ex Creta, ab Athenienſibus genus ducentes. *Ariſtot.*

BOTIEUM, urbs Phrygiæ cum ſtagno *Attea* dicto, quod ſalem producit. *Steph.*

BOTONTINUS ager, idem cum *Butuntino*, in Apulia Peucetia.

BOTRODUS, vicus non longè à Segobriga, quondam oppidum à Tiberio Graccho dirutum. *Polyb.* Martial. *l.* 1. *epigr.* 50. *v.* 7.

> *Et delicati dulce Botrodi nemus*
> *Pomona quod felix amat.*

BOTRONATUS, qui aliàs *corymbion*, tutulus ſeu meta crinium dicta eſt, à corymbi vel racemi ſimilitudine. *Botrum* enim & *botronem* Latini racemum dixère, ex Græco βότρυς: quò vocabulô hi appellârunt cumulatas ejuſmodi crinium in altum compoſitiones. Unde βοτρυοδέτους, in *Epigramm. Græcis*. Vide Salmaſ. *ad Pollionem in Claudio*, *c.* 17. & hîc infrà.

BOTRUS, opulenta quondam Phœniciæ civitas; Heliæ Prophetæ tempore ab Ithobalo Tyriorum Rege, ad Aquilonem à civitate Byblo quatuor, ad Auſtrum verò, a Naphim caſtro tribus milliaribus in littore maris condita eſt, & nobiliſſimô vinô vicina loca excellit.

BOTRUS ſeu **BOTRYS**, ex Græco βότρυς, appellata eſt olim concumulatio comæ, quâ Virgines à mulieribus, quæ crinem à fronte dividebant, diſcernebantur. Cirratæ enim illæ erant, & crinem in vertice colligatum concumulatumque gerebant, abſque ulla διακρίσει. Tertullian. *de Virgin. vel. Utique hoc maximè Virginis inſigne eſt, quarum & ornatus ipſe propriè ſic eſt, ut cumulata in verticem ipſam capitis arcem ambitu crinium contegat.* Quod idem & in pueris cirratis, ut *corymbus* quoque dicebatur; Sed propriè in mulieribus κόρυμβος, in viris κρωβύλος, in pueris σκόρπιος. *Heſych.* Iſtiuſmodi verò tortis vel calamiſtratis ac in verticem concumulatis crinibus, opponit *Pollux*, in deſcribendo habitu Comicarum perſonarum, διακεκριμένων ... τριχῶν, *ornatum capillorum, qui pexi ſunt ac diviſi*, & *promiſſi ſeu ſummiſſi* dicuntur *Appulejo* &c. Vide quoque ſuprà in *Boſtryx* & *Botronatus*. Aliud eſt Βότρυς, genus inauris, quod βοτρύδιον etiam dictum, à *racemi* ſimilitudine. Ejus meminit Ariſtophanes Θεσμοφοριαζ.

> Λόβια, διάλιθα, ... βότρυς,
> Χλιδῶνα, ... &c.

Heſychius item, Βοτρύδια, ... οἱ δὲ βότρυς ... Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 763. & infrà *alibi de Inauribus*. Nec omittendum epitheton Bacchi, qui Βοτρυοχαίτης, h. e. *racemis redimitus*, inter alia dictus eſt, de quo vide infrà in voce *Hedera*.

BOTRYS, Syriæ urbs. *Ptol. Botrum Volaterrano.*

BOTSKAI Stephanus, à Rudolfi II. Imperatoris Ducibus infeſtatus, proteſtatione prius factâ, conceſſum eſſe ab Andrea II. Rege, jura patria tueri, Comitem Belliosi VI. Millib. cæſis vicit, Caſſaviamque occupavit. Proſcriptus, generoſè reſpondit, tuliſque Comitis Kiſkmatienſis & Siculorum, ut & ſuperioris Hungariæ Dynaſtæ aſſumſit, à Sultano coronâ Uladiſlai Regis donatus eſt. Poſt quæ Hungariâ, Auſtriâ Moraviâque vaſtatis, pacem & Religionis libertatem extorſit. Sigiſmundo Bathorio tandem ſurrogatus,

tus. Obiit an. 1606. ætat. 59. magnô ſui deſideriô relictô, vide Thuan. *Hiſt.*

BOTTA, vide infrà, ubi de *Tobrucu*

BOTTANTI, gentiles quidam populi, habitantes ex altera parte regni Laor, verſus fluvium Indum, finitimi quidem regno Mogor, ſed non ei ſubjecti. Proclives ſunt ad pia opera, maximè miſericordiæ in egenos. Sunt homines colore candidi, nulli inter eos vivunt Mauri. Tunicis more Turcicô utuntur, ita ad corpus eorum aſtrictis, ut ne minima plica notari poſſit: quodque magis mirum, nunquam illis ſe exuunt, neque dum dormiunt, nec deponunt, niſi attritæ vel putrefactæ ſponte dilacerentur & excidant. Manus nunquam lavant, cauſam hujus rei dant, quòd non conveniat elementum tam purum, ut eſt aqua, ſordibus aliiſque rebus fœdis inquinari. Nullum habent Regem, ſumma in libertate vivunt. Colore & faciei lineamentis perſimiles ſunt Europæis: ſunt enim candidi & magna ex parte facie rubicundâ, capillô item promiſſô & flavô, corpore robuſtô, ſtaturâ mediocri. Eorum patinæ & lances ſunt mortuorum calvæ vel crania, & dimidii calices.

BOTTHÆUS, inter eos fuit, qui *circumnavigationem orbis* deſcripſêre, quem cum Scylace Caryandenſi conjungit Marcianus Heracleota in *epitome Artemidori & Menippi*. Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 337.

BOTTIÆI, vide *Bottæi*.

BOTTINÆ, Gallis hodiè dicuntur, calcei ex corio toti, ad medium uſque crus aſcendentes, quales erant olim perones ſeu calcei Romanorum; quos *zancas* quoque & *tubulos* & *caligas* appellavêre. Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*, *c.* 5. *p.* 395.

BOTULI Pſychicorum, apud Tertullian. *adv. Pſychicos*, *Quomodo enim protegam caſtitatem & ſobrietatem ſine taxatione adverſariorum? Quinam iſti ſint, ſemel nominabo, exteriores & interiores botuli Pſychicorum: Interiores, ſunt ventres, qui ingluvie implentur & ſobrietati bellum indicunt; exteriores, qui extra ventrem prominent, & operantur caſtitati contraria.* Quibus verbis Pſychicos taxat, tanquam parùm ſobrios & parùm caſtos. Eſt autem *Botulus*, Græcè φύσκη, craſſum inteſtinum, quod farciebatur; & tralatitiè, partilla, quæ viri ſunt. Unde Ptolemæorum unus *Phyſcon* dictus eſt, uti vidimus, quòd propenſioris naturæ eſſet: Idem & *Λάθυρ*., ex particula intenſiva λα. & θύρος, h. e. αἰδοῖον, uti *Heſychius* exponit, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1241. Hinc *Botularii*, qui in balneis Veter. frequentes, uti ſuprà diximus, vide quoque infrà, *Catillamina*, *Farcimen* &c. Addo hîc ſaltem, non dulciaria ſolum opera, ſed & *botulos*, farciminaque diverſis figuris olim confici conſueviſſe, uti diſcimus ex Arnobio *l.* 2. quem locum vide infrà voce *Caſtellamentum*. Hinc apud Apicium *l.* 2. *Circelli iſiciati*, & *circelli rotundi*. Lucanicæ notæ ex *Martiali*, & eodem *Apicio*, ut alia omittam, Jo. à Wower *Notis ad Minucium Fel.* Chriſtianos verò à *Botulis ſpeciliſque* abſtinuiſſe, concilii Hieroſolym. decretô tamdiu obſervatô, ex Tertulliano, Euſebio, Aliis, notum eſt. Vide Deſid. Heraldum *Animadverſionibus ad Arnob. d. l.* Unde, inter tentamenta Chriſtianorum, Gentiles *ſolitos fuiſſe admovere ipſis botulos cruore diſtentos*, refert idem Tertullian. *Apologet. c* 9. Quam tamen abſtinentiam, non tam ad obſervantiam Legis de ſanguine, quàm temperantiæ ſtudium, retulerim.

BOVA, quaſi *multorum adjutria*, voce Francicâ vetere appellata eſt filia *Sigeberti Franc.* Regis, inter Sanctas relata. Vide *Vitam* ejus *num.* 4.

BOVA, Urbs Brutiorum 10. milliar. à Rhegio in Ortum, diſtans, deficit indies.

BOUCHETUS Johannes, vide *Johannes*.

BOUCICALDUS Johannes *le Meingre* Turonius, decimô jam ætatis annô arma tractavit, raptô in admirationem Carolô V. Comitatus Carolum VI. in Flandriam, prope ipſum pugnavit, in prælio *de Roſebec* dicto, bis terque in Orientem profectus, ſecutus eſt Comitem Nivernienſem, Conſtabilem Cliſſonium, & Joh. Viennenſem, Galliæ Admiralem, Mareſchallus Franciæ. Sed Hungarorum timiditate cæſis Gallorum copiis, captus, vitam à Bajazete impetravit, ſexcentis aliis uncô affixis. Redux Genuæ præfectus, Conſtantinopolim cum 1200. ſolum militibus, à Turcæ obſidione reddidit immunem, eaque edidit in Oriente & Italia inuſitatæ fortitudinis ſpecimina, ut hoſtibus admirationi, Venetis invidiæ eſſet. Tandem in pugna d'*Azincour* occiſus A. C. 1415. Poëſeos cultor eximius. Hiſtor. Gall. *in Carolo V.* &c.

BOUCONIA, urbs inter Borbitomagum, & Moguntiam. *Antonin.*

BOUDICEA, Praſutagi Icenorum Regis, qui Neronem hæredem ſcripſerat, uxor indignè à centurionibus habita & ad rebellionem compulſa. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 31. Victa à Suetonio Paullino vitam venenô (*Dio* morbô) finivit. c. 37. *Voadica* vocatur *in Agric. c.* 16.

de BOVE Matthæus, vide *Matthæus*.

BOVEM, & Leonem, foris in fronte ædium ſacratum depingendi conſuetudo, memoratur Durando *Ration. l.* 1. *c.* 3. *num.* 5.

BOVEM, vel Vitulum, in duas partes diſſecandi ritum, in percutiendis Fœderibus olim adhibitum, indigitatur Jeremiæ *c.* 34. *v.* 18. 19. *Tradam homines iſtos, qui transgreſſi ſunt fœdus meum --- quod coram me pepigerunt, cum tranſiverunt inter dimidias partes ejus vituli, quem in duo diſſecuerant. Nempe Principes Juda & Principes Jeruſalem, Eunuchos & Sacerdotes, totumque populum hujus terræ, qui inter dimidias vituli partes tranſiverunt.* Cujus veſtigia jam occurrunt Gen. *c.* 15. *v.* 9. & 10. ubi jubetur Abraham vitulam triennem, capram triennem & arietem triennem per medium diſſecare, & partes ſingulas ſingulis ex adverſo opponere. Et *v.* 17. lampas ignis inter ſegmenta illa tranſiit, i. e. Deus O. M. per typum illum ſignificatus, qui cum Abrahamo pepigit fœdus, ut habetur *v. ſeq.* Idem feciſſe *cane diſſecto* Bœotos & Macedonas, dicemus infrà; ſed luſtralis hic ritus fuit, non fœderalis, ſi ita loqui liceat. Græci verò antiquiſſimi, jam Trojanis temporibus, ſimili ritu fœdera confirmârunt, ut de Agamemnone & Achille, *l.* 2. deque Legatis Græcorum & Antenore Trojano *l.* 5. narrat Dictys Cretenſis. Sed hoſtia illa pro bove ſeu vitulo *porcus* fuit. *Suidas* ſimile quid de Moloſſis refert, quos, inter jurandum *bovem* in fruſtula diſcindentes fœdera ferire conſueviſſe, refert, Οἱ Μολοσσοὶ ἐν τοῖς ὁρκωμοσίαις κατακόπτοντες εἰς μικρὰ τὰς βοῦς τὰς συνθήκας ἐποιοῦντο. Quò pertinere videri poſſit, quòd in *Toxari* memorat Lucianus, apud Scythas, ſi quis ab alio potentiore læſus eſt, eum, *Bove* immolati tergori inſidentem, carnes fruſtulatim conciſas & igne toſtas prætereuntibus offerre. Ex quibus quotquot comedunt, & bovis tergus dextrô pede calcant, ſe illi pro viribus adfuturos pollicentur, qua de re vide quoque infrà in voce *Melota*. Sed & aliqua ex parte ſimile eſt, quod legitur 1. Sam. *c.* 11. *v.* 7. Saulem, auditô incolarum Jabes-Galaad periculô, Spiritu Dei correptum, *par boum* membratim laceraſſe & eorum particulas quaquaverſum ad Iſraëlitas miſiſſe, minis additis, fore ut ſic fieret illorum bobus, qui ſe ſequi abnuiſſent. Quæ boum diſcerpta membra eos tum non minùs affecerunt, quàm olim affecerant duodecim pellicis partes, quas Levita miſerat per omnes Iſraëlis tribus, Judic. *c.* 19. *v.* 29. &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c* 33.

BOVERA, ſeu, ut Galli efferunt, *le Bouvier*, dictus eſt Carolus Craſſus Imperator quod pinguedine ac ventris mole *bovis* inſtar eſſet. In brevi *Indice* Regum Francorum, qui præfixus eſt *Uſaticis* Barcinonenſibus, in Cod. *MS.* Thuanæo, apud Car. du Freſne, hôc ordine recenſentur Reges ſecundæ ſtirpis: *Carolus Magnus, Ludowicus filius ejus, Lotharius, Karolus frater ejus, Ludovicus ejus (Lotharii) filius, Karolus Magnus, Karolus de Bovera*, qui dicitur regnâſſe *annis* 40. Otho *Karolus* &c. Eôdem cognomine eum inſignit Abbo *de bellis Pariſiac. l.* 2.

> *Urbs mandata fuit Karolo nobis Baſileo,*
> *Imperiô cujus regitur totus penè coſmus.*

Ubi *Gloſſa* ipſius Abbonis. *Karolus de Baguerra ſive* de Bovera, *qui & Craſſus, Rex Franciæ.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

BOVES, etiam onera olim geſtabant, 1. Paralip. *c.* 12. *v.* 40. non obſtante Proverbiô, cujus meminêre Tullius *ad Atticum l.* 5. *Ep.* 15. Quintilian. *l.* 5 & Amm. Marcellin. *l.* 16. *Clitellæ bovi impoſitæ, planè non eſt noſtrum onus.* Certè & Ælian. tauros feretro ſeſe ſubmittere & puerum aut puellam cervice, dorſô mulierem geſtare, refert, *Hiſtor. l.* 7. *c.* 4. & Phile *c.* 40.

> *Παίζεται ὁ βοῦς καὶ κομίζει φορτία,*
> *Ad omnia aptus bos onera etiam gerit.*

Unde in Fabulis Ampelus, puer Baccho dilectus, taurum conſcendit,

> *Καὶ θρασὺς ἵζανε κοῦρος ὑπὲρ βοέοιο μετώπου,*
> *Et audax ſedebat puer ſuper bovina fronte:*

Apud Nonnum *Dionyſiac. l.* 11. *v.* 167. Atque, ut Poëtæ Europam, ita Romani hiſtriones Herculem taurô vexerunt. Liber *Spectaculorum*, *Epigr.* 16. *v.* 3.

> *Vexerat Europen fraterna per æquora taurus:*
> *At nunc Alciden taurus in aſtra tulit.*

Imò hôc ipſô, quòd Salomon æneo mari boves pro atlantibus ſuppoſuit, docuit, hoc animal ad geſtanda onera non omnino eſſe inhabile. Nec in India hodieque quidquam frequentius eſt, quàm boves gerulos videre, &c. Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 30. Ad baſternas matronarum, apud Romanos, non equos ſolùm aut mulas jungi conſueviſſe, ſed & *Boves*, diſcimus ex Lampridio, qui inter Semiamitica Senatuſconſulta, *in Heliogab. c.* 4. etiam hanc memorat legem, *quæ pilentô, quæ equô ſagmariô, quæ aſinô veheretur, quæ carpentô mulari, quæ boum* &c. Hinc Auguſtin. *de Civ. Dei l.* 22. *c.* 8. *Puerum quendam parvulum, cùm in area luderet* (i. e. in ſubdivali domûs) *exorbitantes boves, qui vehiculum trahebant, rotâ obtriverunt*. Et Eginhardus in *Vita* Caroli M. *Quocunque eundum erat, carpentô ibat: quod bubus junctis --- trahebatur. Sic ad palatium, ſic ad publicum Populi ſui conventum, qui annuatim, ob Regni utilitatem, celebrabatur, ire, ſic domum redire ſolebat.* Quod verò magis mirum, etiam inter animalia curſui publico deſtinata, *Boves* olim fuêre, *l.* 1. & 53. *Cod. Theod. De curſu publico*: quâ eos neceſſitate, unà cum aſinis ac mulis, Julianus exemit, apud Socratem *Hiſtor. Eccl. l.* 3. *c.* 1. Vide Iſaac. Caſaubon. *Notis ad Lamprid. loc. cit.*

BOUETI Fanum, oppid. Comitatus Foreſtii: Vulgò S. *Bonet le Chaſtel. Metel. Merula.*

BOVIANUM, Samnitum colonia vetus. Plin. *l.* 3. *c.* 12. vulgò nunc *Boiano* dictum, Epiſcopali dignitate, ſub Archiepiſcopo Beneventano clarum. Memoratur Livio, *l.* 9. *c.* 28. 31. *l.* 10. *c.* 12. 41. *Straboni*, *aliiſque*. *Βοΐανον Ptolemæo*, *Βοΐανον Straboni*; Apud Appianum *Ἐμφυλ. ά.* corruptè *Βόϊανον*. Sed ſcripſiſſe etiam Græcos *Βοβιανὸν* colligere datur ex *Frontino*, ubi *Bobians agri*: In Antonini *itinere* longè corruptiſſimè *Bononia*. Beneventô ad 30. mill. paſſ. diſtat, in Comitatu Moliſino. Silius *l.* 8. *v.* 565. ſic habet:

> *Qui Batulum Mucrasque colunt, Boviania quaque*
> *Exercent luſtra.*

BOVIASMUM, vide *Bubienum*.

BOVICIDIA, apud Solin. *c.* 1. *Suo quoque Numini idem Hercules inſtituit aram, quæ maxima apud Pontifices habetur, cùm ſe ex Nicoſtrata Evandri matre ---- immortalem comperiſſet fore: conſeptum etiam, intra quod ritus ſacrorum, factis bovicidiis, docuit Potitios*; *Βουθυσίαι* ſunt Græcis, h. e. *boum immolationes*, quæ *Ταυροβόλια* quoque dici potuêre, unde *taurobolium* Matris Deûm, quòd tauri

in ejus ſacro cædebantur. Sic *Fordicidia* Varroni *de L. L.* βοΐαι ſunt ἐγκύμονες βόες, *ſordæ* namque boves gravidæ. Sueton. verò *Bubulcus* vocabulô uti maluit, ubi de Nerone *c.* 12 barbam ponente, uti ſuprà vidimus, in voce *Barba.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 30.

BOVILLÆ, oppid. in Latio, haud procul ab urbe Roma. Inde ſuburbana dictæ. Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 667.

> *Orta ſuburbanis quædam fuit Anna Bovillis.*

Propert *l.* 4. *el.* 1. *v.* 33.

> *Quippe ſuburbanæ parva minùs urbe Bovillæ*

Videtur Cluverius *Ital. Ant. l.* 3. *p.* 917. *Nic. Lloydius.* Nunc Bauca, ditionis Pontific. caſtrum, in Campania Romana prope limites regni Neapolitani. *Baudrand.*

BOVILLIUM, ſeu BOGLIA, oppidum Comitatus Nicæenſis, intra montes, in Sabaudia & limite Francico. Olim proprios habuit Comites.

BOVILLUM Pecus, etiam Vere ſacro devotum, vide infrà *Ver ſacrum.*

BOVILLUS Carolus, vide *Carolus.*

BOVINÆ, ſeu BOVINIUM, Urbs Comitatus Namurcenſis in ripa Moſæ flum. læva. *Merul.*

BOVINUM, Inſul. Gall. in ora Oceani, prope Herum Inſulam parvi eſt circuitus, cum uno alterove caſtro. Item, Urbs regni Neapolitani in Provinc. Capitanatæ, ad fluv. Cervaro, ad radices Apennini, in limite Principatus Ulterioris. Paucos habet incolas. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Beneventano.

BOVIS Aula, Eubœæ inſulæ locus. *Strabo.*

BOVIUM, Urbecula Albionis, ubi aliàs Ordovices populi nunc Banger. Vide *Bovium.*

BOUM Caro, non minùs ac vitulorum, jam olim in convivia recepta eſt. Unde, ut alia ex Sacris loca præteream, Proverb. *c.* 15. *v.* 17. convivio ex oluſculis opponitur convivium, שור אבוס, *ex bove altili*, tanquam eximiè lautiſſimum. In Homericis Heroibus eandem frugalitatem Veteres pridem obſervârunt: notatque in his Socratis diſcipulus *Dioſcorides*, qui ſcripſit τὰς παρ' Ὁμήρῳ νόμους, Homerum neque in feſtis, neque in nuptiis, neque in ullo alio conventu quidquam præter bubulam apponere, &c. Interim multos Veter. ab eſu *bovis* per ſuperſtitionem abſtinuiſſe conſtat. Nam, præter Ægyptios & Phœnices, qui, auctore *Porphyrio*, humanis veſci carnibus, quàm vaccam morſu attingere, maluiſſent; Barcæi & Cyrenæi & paſtoritii Afri, inde ab Ægypto uſque ad Tritonidem Lacum, ab eſu vaccæ itidem abhorruiſſe leguntur. Imò morte multatus apud Phrygas, quiſquis bovem aratorem interfeciſſet, ut eſt in Æliano *Hiſtor. l.* 12. *c.* 34. Quod Athenis quoque & in Peloponneſo prohibitum Varro *R. Ruſt. l.* 2. *c.* 5. In quam rem Atticam legem citat Ælian. *Var. l.* 5. *c.* 14. & huc alludens Plato *l.* 6. *de LL.* Ὅτι οὐδὲ βοὸς, inquit, ἐτολμῶμεν γεύεσθαι, *Cum ne bovem quidem guſtare audebamus.* Meliore ſcilicet ſeculô lex illa antiquata eſt: cujus tamen veſtigia manebant in Dipoliorum & Buphoniorum feſtis, quibus, mactatô *bove*, eiſdem damnabant, tanquam cædis auctorem. Ita Ælian. *Variar. l.* 8. *c.* 3. Et aureæ vel argenteæ ætatis homines tale quid perpetrâſſe, Poëtæ negant. Sed æneâ, ut *Aratus.*

> — Πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων.
> *Boves aratores primi guſtârunt.*

Ad ferream deſcendit Cicero *de Nat. Deor. l.* 2. *c.* 63.

> *Ferrea tum verò proles exorta repentè eſt,*
> *Auſaque funeſtum prima eſt fabricarier enſem,*
> *Et guſtare manu vinctum domitumque juvencum*

Summuſ item Poëtarum *Georg. l.* 2. *v.* 536.

> *Ante etiam ſceptrum Dictæi Regis & antè*
> *Impia quam cæſis gens eſt epulata juvencis.*

Quorum verborum memor Domitianus, cùm inter initia Imperii à cæde maximè abhorreret, ne *boves* immolarentur, edicere deſtinavit, Sueton. *c.* 9. Et, ſi Plutarcho credimus *de Carn. eſu l.* 2. prtrica mortales in fera & malefica animalia graſſari cùm incepiſſent, ab illorum eſu paulatim creſcens licentia ἐπὶ βοῦν ἐργάτην ἦλθε καὶ τὸ κόσμιον πρόβατον, καὶ τὸν οἰκουρὸν ἀλεκτρυόνα, *ad bovem aratorem devenit & ad ovem, quæ nos ornat, & ad gallum, domûs cuſtodem.* Primuſque, ſi Plinio *Hiſt. Natur. l.* 7. *c.* 56. fides Prometheum *bovem* interemit. Quin apud *Aternum Ariſtoxenum* ſcribit, Pythagoram cætera omnia animalia in cibum permiſiſſe, *nec niſi à bove aratore & ariete abſtinuiſſe.* Neque veteres Romanos ab hac ſuperſtitione immunes proſſus fuiſſe, ex his Plinii colligas *l.* 8 *c.* 45. *Damnatum à Populo Rom. die dictâ, qui, concubino procaci rure omaſum ſe ediſſe neganti, occiderat bovem: actuſque in exilium, tanquam coloni ſuo interempto.* Unde Columella de Bove, in *Præfat. l.* 6. *Cujus tanta fuit olim veneratio, ut tam capitale eſſet bovem necâſſe, quàm civem &c.* Sed hic, præter exempla Sanctorum, Abrahami. Eliſæi. Joſiæ, Aliorum, qui boves in cibum appoſuerunt, Dei Legem opponit Bochartus, cùm generalem Gen *c.* 2. *v.* 3. *Omne, quod movetur & vivit, vobis erit in cibum*: tum ſpecialem Deuteron. *c.* 14. *v.* 4. *Hæ ſunt beſtiæ, quas comedetis, Boves, fœtus ovium &c.* Vide eum *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 33. & quæ ſuperius dicta

BOURGESIA Clementia, vide *Clementia*

BOURGOMUS Franciſcus, vide *Franciſcus*

BOUTA. Libyæ interioris oppid. *Ptol.*

BOUTEVILLA, oppid. Ducatus Inculiſmenſis. *Merul.*

BOUZIMELE, Ciliciæ fluv. haud procul à Lyco amne.

BOXHORNIUS, vide *Marcus Zuerius.*

BOXTUDA, oppid. German. in Ducatu Bremenſi, Suecis nuper ereptum, vide *Buxtehuda.*

BOXUS Macetianus, per quem Bicon Athenodorum in convivio interfecit, Curt. *l.* 9. *c.* 7.

BOYCUS Henricus, vide *Henricus.*

BOZOLUM, oppid. Ducatus Mantuani, Principatus titulô clarum, gentis Gonzagæ, in limite agri Cremonenſis. Medium ferè inter Mantuam & Cremonam.

BOZRA, Urbs Palæſtinæ, capta ab Abubechere, A. C. 635.

BRABANCIONES, apud Willh. Neubrigenſem *l.* 2. *c.* 27. Jac Vitriacenſem *Hiſtor. Occid. c.* 7. Columbum in *Epiſcopis Vaſion. l.* 2. *n.* 24. 38. in *Vita* Ludovici VII. Francor. Regis aliiſque prædones ſunt Brabantini, ſeu ex Brabantia, Carol. du Freſne *Gloſſar.* At *Brabantini*, moneta Ducum Brabantiæ, in aliquot *Tabb.* apud Freder. Sandium in *Conſuetud. Feud. p.* 35. 37. 48. laudatis *Eidem.* Vide hic infrà.

BRABANTIA, regio maxima Belgii inter Flandriam ad Occidentem & Geldriam ad Ortum, cujus populi *Ambivariti* veteribus dicti à nonnullis putantur. In ea Tungros & Grudios eſſe certum eſt. Urbes primariæ ſunt Bruxellæ, ſedes olim Ducis (eſt enim Ducatus titulô inſignis) hodie Gubernatoris Hiſpan. Machlinia Metropolis, & conventus Juridicus: Lovanium Academia celeberrima Antverpia emporium maximum, ante excuſſum à Batavis jugum, quarum deſcriptio extat apud Ludovicum Guicciardinum, Gallicè *Le Duché de Brabant.* Et à *Brenno* Britannorum Regis cujuſdam filio nomen, ut quidam volunt, vel ut alii, à *Bratuſpantio* oppido, cujus Cæſar meminit *in commentariis l.* 2. *c.* 13. alii à *Salvio Brabone* quodam, C. Cæſaris ex nepote cognato: ſunt qui à *Gotefrido, Barbato* Lovanienſi Comite appellatam regionem velint. Guicciard. *in Belg.* Secundùm Authores, Anchiſus, vel Anchiſiſus: pater Pepini Herſtatenſis, Dominus fuit Brabantiæ. Dein Carolus M. & liberi, uſque ad Ottonem, Caroli filium Inferior. Lotharingiæ Ducem quô defunctô A. C. 1004. Henricus Rex Ducatum ejus Godofrido Bullionæo dedit, unde Duces Brabantiæ. Poſtmodum Flandriæ & Burgundiæ ſub Phil. Bono unita. Alii ſic: Fuit olim ſub Ducibus, quorum origo à Giſelberto, Comite Mauſuariæ, qui ex Ermengarda, Lotharii Imperatoris filia, Raginerum I. Haſbaniæ & Hanniæ Ducem ſuſcepit. Pater hic Giſelberti, celebris Lotharingiæ Ducis, qui ab Ottone I. Imperatore affine prælio cæſus periit, A. C. 939. Frater fuit Raginen II. è quo genitus Raginerus III. pater Lamberti Barbati, qui genuit Lambertum II. patrem Henrici II. cujus fil. Henricus primus ſe Brachbantiæ patriæ Comitem vocavit: Hujus frater Godofredus I. pater Godofredi II. avus fuit Godofredi III. qui præliô adverſus Gritabergiam factionem commiſſô, in cunis prolatus, victor fuit: pater Henrici, mortui A. C. 1235. cujus fil. Henricus II. varia geſſit bella, ab Innocentio IV. ad regnum Romanum vocatus, contra Fredericum II. Imperatorem. Hic per filium Henricum III Brabantinis, per alium autem Henricum, Haſſiaci rami anctor fuit. Henricus prior Dux Brabantiæ, ab Alphonſo Imperatore univerſalis tutor & defenſor partium Imperii, à Brabantia ad Rhenum uſque conſtitutus, obiit A. C. 1260. pater Johannis I. qui Ducatum Limburgenſem avitæ ditioni adjecit, mortuus A. C. 1294. Ei Johannes II. fil. ſucceſſit, pater Johannis III. cui ſucceſſit ex filia Joanna, gener Wenceſlaus Lucemburgicus, quô defunctô A. C. 1383. Brabantiæ Ducatus jure, à filia altera Johannis III. Ludovici Flandri uxore, repetitô ad domum Burgundicam, ex ea in Auſtriacam, ſalvis tamen privilegiis & immunitatibus Brabantorum, quæ magna tum erant, eſt devolutus. Vide Philippi Jacobi Speneri *Syllog. Hiſtor. Geneal.* Vide quoque in voce *Brachbantum.* De Brabantia ita *Baudrand. Brabantia*, vulgò *le Brabant*, provincia eſt Belgii inter Hollandiam ad Boream, Gueldriam & Leodicenſem ditionem ad Ortum, Flandriam & Zelandiam ad occaſum, & Hannoniam Comitatumque Namurcenſem ad Meridiem. Ibi aliàs fuêre Menapii populi; & hodie pro majori parte ſubeſt dominio Regis Hiſpaniæ. Sed pars ejus ſeptentrionalis paret Hollandis, & ſub Brabantiæ Ducatu cenſentur etiam Marchionatus S. Romani Imperii, ubi Antverpia, & Mechliniæ dominium, ubi Mechlinia.

Brabantiæ urbes.

Antverpia, *Anvers*,	*Sub Hiſpanis.*
Bruxellæ, provinciæ caput, *Bruxelles.*	
Lovanium, *Louvain*,	
Mechliniæ, *Malines.*	
Tienæ, *Tillemont.*	
Bergæ ad Zomam, *Berg op Zoom.*	*Sub Hollandis.*
Breda, *Breda.*	
Buſcumducis, *Boſleduc.*	
Grauia, *Grave.*	
Guillelmoſtadia, *Willemſtadt.*	

BRABANTINI, populi ex Saxonibus trans Albiam habitantibus, in Franciam à Carolo M. A. C. 806. tranſlatis prognati, *Æmil. l.* 3.

BRABASTHENES, mons Peloponneſi, 10. mill. paſſ. à Lacedæmone diſtans. Liv. *l.* 4 *bell. Macedon.*

BRABEUTA, Græcè Βραβευτὴς, item Βραβευτὴς, Judex dicebatur apud Græcos, qui in Ludis publicis, *Sacris* imprimis *Agonibus* præſidebat: cujuſmodi munus olim maximi æſtimabatur. Unde apud Perſas, ipſos Reges præmia propoſuiſſe curſus eorumque omnium, quorum in quinquennalibus certaminibus exercitamenta exhibebantur: Corinthios quoque Ageſilaum, ut ordinaret Iſthmicum certamen, rogâſſe, docet Strabo *l.* 14. & Plutarchus in *Ageſilao.* Et quidem, apud Græcos, eligebantur hi Judices è Proceribus omnium Græciæ civitatum, ſaltem donec Græcia fuit libera: unde indignatur Demoſthenes *Philipp.* 3. Philippum Macedonem præſidere Pythiis, com-

munibus Græciæ ludis, & ſi ipſe non adſit, ei negotio imponere ſervos ſuos. Idque ut plurimum ex eorum numero, qui è talibus certaminibus ipſi victores rediiſſent. Hi dein intra quoddam ſeptimeſtrium ſeclusi jurejurando adigebantur, ad judicandum religioſè; quò peractô, coronati, &, ut videtur, purpurati, manuque virgam tenentes, ſedebant in loco, qui πλέθριον dicebatur, tutuſque erat aſyli inſtar. Quâ cauſâ, quod Vitelliani milites, cùm Othonianos irriderent, vocaverint eos Πυθίων καὶ Ὀλυμπίων θεωρούς, h. e. ignavos & imbelles, utpote *Pythia & Olympica Certamina, è loco tuto, ſpectantes*, apud Plut. *in Othone*. Poteſtas puniendi illis ampliſſima erat, ſi quis contra legem quid feciſſet, legibus Lycurgi: Proin flagris cædebant ineptos & ridiculos athletas, ſi quis magna illa Numina non ex dignitate mactatus eſſet. Contrà victoribus coronas, nullô gratiæ ac favoris intuitu, ſaltem antiquitùs, imponebant promeritas, quas propterea, quòd Judicarent juſtiſſimè, θεμιδείους, quaſi *ab ipſa Themide plexas*, *Pindarus* vocat. Numerum quod attinet, non ſemper unus idemque fuit. Tradit enim *l.* 5. Pauſan. Iphitum ſolum ludis ab ſe editis præfuiſſe. id quod ab Oxyli poſteris obſervatum eſt. Poſteà traduntur fuiſſe novem. Jarchas Indus, decem habet, apud Philoſtratum in *Vita* Apollon. *l.* 3. Aliquando ſeptem: nonnunquam duodecim fuêre. Denique Athenis per ſingulas Tribus electi ſunt decem, qui hôc munere per quadriennium fungerentur. Nimirum hi erant, ad quos pertinebat cura diſponendi, τὰ Παναθήναια, τόν τε Μουσικὸν καὶ τὸν Γυμνικὸν καὶ τὴν Ἱπποδρομίαν, *Panathenaicos Ludos & Muſicum & Gymnicum & equorum curſum.* Sedebant verò, in Muſicis certaminibus, ſeu in Theatro: at in Gymnicis, fortè quò longiùs proſpicerent, ſtabant plerunque: interdum tamen etiam in biſce ſediſſe, diſcimus ex Luciano *in Hermo*. Cæterùm vocabantur Ἀγωνοθέται, Ἀθλοθέται, Ἀγωνάρχαι, Ἐπιστάται, Ἐπόπται, & ut alia omittam, Βραβεῖς, item Βραβευταί: dicebanturque Βραβεύειν ἀγῶνα. Hinc παραβραβεύειν (quò verbô per tranſlationem elegantem alicubi Apoſtolus utitur) & παραβραβεύοντες dicebantur, quum præmia bene meritis dempta ſuis ſuffragiis in immeritos conferebant. Quod *Plut.* diſertim enuntiat his verbis, Χαριζόμενοι (nempe Judices præfati) ταῖς χειροτονίαις, ἐξ ὧν συντεινόντων ἀρχαῖς καὶ στεφάνοις ἄλλοις, καὶ δόξαν, ἀφαιροῦνται τὸ ἔνδοξον αὐτῶν καὶ τὸ καλόν, *Qui, cùm ventum eſt ad ſuffragia & aliis Magiſtratus largiuntur & coronas & gloriam è non convenientibus* (i. e. ex iis, in quibus nullum eſt meritum) *ipſi ſibi auferunt nobilitatem &* (ſi quid in ipſis eſt) *præclarum* &c. Nec hoc omittendum, non omnes Judices ſimul & promiſcuè de omnibus Certaminibus judicâſſe. Ex his namque tres, de Equorum curſu, totidem, de Quinquertio, de cæteris certaminibus reliquos judicâſſe; docet Pauſan. *l.* 2. Plura hanc in rem, vide apud Carol. Paſchalium *Coronar. l.* 6. *c.* 10. & 11. De *Brabeutis*, Jul. Pollux *Onomaſtic. l.* 3. *c.* 30. Τοὺς δὲ γυμνικοῖς ἐφεστῶτας Βραβευτάς, ὡς καὶ Βραβέας ὁ Πλάτων καλεῖ, *Gymnicis autem Ludis præſidentes Brabeutæ, quos etiam* Brabéos *Plato vocat.* Certaminis nempe hi præmium victoribus decreverunt, ut B. Rhenanus oſtendit *Admonit. ad Tertullian.* Ulpianus *l. ff. de ac qui not. infam.* Certaminum Deſignatores hôc nomine inſignitos fuiſſe ait, &c. Vide Moſchopulum quoque in *Sylloge Atticor. nomin.* & Briſſonium laudatum Calvino in *Lexico Jur.*

BRACA, non Gallica vox, uti nonnulli contendunt, ſed pura puta Græca, Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio p.* 123. aliter *Bracca*, veſtis ſpecies, quâ crura teguntur, ait Hieronymus *in Dan. c.* 3. Ἀναξυρίδας vocat Diodor. Sic. *Biblioth. l.* 5. & *Heſych.* &c. Sic Agathias *l.* 2. de Francis, Ἀναξυρίδας οἱ μὲν λινᾶς, οἱ δὲ σκυτίνας διαζωννύμενοι τοῖς σκέλεσι περιαρμόζοντες, *Braccas alii quidem lineas, alii coriaceas cruribus aptant.* Uſum earum, propter aëris inclementiam, introductum eſſe, innuere videtur Hyginus *Poëtic. Aſtronom. l.* 2. & Ovid. de Getis ac Sarmatis Pontum accolentibus, *l.* 5. *Triſt. El.* 7. v. 49.

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.

Idem de Beſſis, *l.* 3. *Triſt. El.* 10. v. 19.

Pellibus, & ſutis arcent malè frigora braccis.

Eidem *braccæ Perſicæ* memorantur, *Triſt. l.* 5. *El.* 10. v. 34. ſed præcipuè Gallis fuiſſe in uſu, argumento eſt, quòd pars quædam Galliæ ab illis nomen traxerit &c. Vide hîc infrà.

BRACANETUM, villa Galliæ, in Sueſſionibus, ſuper fluv. Rotumnam, vulgò *Bricquenay*, Hadr. Valeſ. in voce *Tardanenſis pagus.*

BRACARA, vide *Brachara.*

BRACCÆ, apud Æl. Lamprid. *in Alexandro Sever. c.* 46. *extr. Faſciis ſemper uſus eſt, braccas ſemper habuit;* ἀναξυρίδες Græcorum ſunt, quâ utrâque voce feminalia, tibialia & pedulia, h. e. feminales & crurales & pedules faſcias, non rarò comprehendunt Auctores. Certè vetus Interpres Juvenalis verſum illum Poëtæ, *Sat.* 1. v. 111.

Nuper in hanc Urbem pedibus qui veneras albis

de *brachis* vel de pedulibus accipit; & *bracas* ibi manifeſtò pro pedum quoque tegmine poſuit. Sic ὀθόνια, h. e. *udones*, à quibuſdam *bracas* appellari, adnotavit Epiphanius, *ubi de Catharis*, qui contrariè reliquo hominum generi agentes, annulos in pedibus, pedules & *brachas* in manibus geſtabant. Sic *Iſidorus*, *Tubruci*, inquiens, *quod à braccis uſque ad tibiam perveniant: bracas* iisdem pro pedulibus habuit; *Tubroci* enim dicebantur, quos ſuprà bolas accipiebant, teſte Paulô *de Geſtis Langobard.* &c. Quemadmodum contrà faſcias crurales & feminales, quales in uſu Perſis, *calceamenta* vocavit Juſtin. *l.* 1 *c.* 2. de Semiramide verba faciens. Latinis tamen propriè *Bracca* de feminalibus, *faſcia* vero de cruralibus pedulibuſque: quomodo & Lampridius diſtinguit. Secuti autem, quidquid pedibus tegendis eſſet accommodatum, πέδιλα & πέδιλα Græci appellârunt, & tam faſcias, quàm udones, vel calceos laneos aut ſoleas lanatas hôc nomine comprehenderunt: ſic *Feminalia* Latini & *bracas* id omne appellârunt, quô femora tegerentur; quamvis tantum inter hæc diſtaret, quantum inter pedules faſcias & udones. Feminalibus, i. e. faſciis, quibus femina involvebantur, uſi Romani etiam ſub Auguſto, & Auguſtus ipſe uſus, frigoris præcipuè cauſâ. *Bracarum* uſu tum penitus adhuc incognitô, quarum forma ea planè fuit, quæ nunc quoque eſt, θυλάκους & σαράβαρα Græci dixerunt, pro *braccis*. *Euripides.*

—— ὁ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους
Περὶ τοῖν σκελοῖν ἐσθήμενος.
Quæ braccas illas varias
Circa crura quum conſpexiſſet.

Poſteà tamen Romani & illas adhibuêre, *bracæque* in Lampridii *loc. cit.* quas albas geſtaviſſe Alexandrum ſcribit, cùm coccineas priùs Imperatores ſolerent, prorſus Gallicæ bracæ fuerunt. Et videntur per illa tempora Romæ etiam frequentes fuiſſe, in Italia verò frequentiſſimæ. Demum earum uſum intra urbem vetuerunt Honorius & Arcadius A. A. *Cod. Theodoſ. leg.* 2. & 3. Interim feminalia & braccas ubique confundunt Græci Romanique Scriptores. Φεμινάλια quoque paſſim Auctores Græci, præcipuè Grammatici, in expoſitione bracarum & ἀναξυρίδων uſurpant. *Heſych.* ἀναξυρίδες, φεμινάλια, & περισκελίδες, φαμινάλια, βράκαι. Idem; βράκαι, ἀναξυρίδες, quod notandum. Sic enim βράξ pro Latino *braca* Græci ulteriores dixerunt; ut κάλιξ, pro *caliga* &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Lamprid. in Alexandro Severo, loc. cit.* Inciſione porrò & ſuturâ diverſorum pannorum, *bracas* fieri conſueviſſe, ex Hieronymo diſcimus de *Veſte Sacerdot. Vocatur que linguâ Hebræâ veſtis hoc genus machenſe, Græcè* περισκελὲς, *à noſtris feminalia vel braccæ, uſque ad genua pertingentes. Refert Joſephus hæc feminalia de byſſo retorta ad fortitudinem ſolere contexi, &, poſtquam inciſa fuerint, acu conſui; non enim poſſe in tela hujuſcemodi fieri* &c. A *Braccis* vocem medii ævi *Rebrachiatorium* ortam vult Car. du Freſne, ut infrà videbimus in hac voce.

BRACCALEONE, Marchionatus Calabriæ ulterioris verſùs Meridiem.

BRACCATA Gallia, vulgò *La Provence*. Nomen habet à *braccis*, quæ *Iſidoro* ſic dictæ videntur, quòd ſint breves, & corporis verenda iis velentur, quaſi dicas βραχεῖς ἐσθῆτας. Imo *Braccæ* ſunt βράκαι, vel βράκαι, h. e. ῥάκη vel ῥάκια, inquit *Caſaubonus*, qui minimè aſſentitur *Diodoro Siculo*, exiſtimanti βράκας vocem eſſe Gallicam, uti nec *Heſychio*, qui ſcribit, Βράκκαι ἀνάξυρις διὰ Σάγων παρὰ Κελτοῖς. Ait enim, Diodorum *l.* 7. Galatas anaxyridas vocare braccas. Hieronymus, *ad Fabiolam de veſte ſacerdotali*, & Ambroſius, *l.* 1. *Offic.* appellant braccas feminalia, quibus velantur pudenda. Græci περισκελῆ vocant, quanquam Flaccus, *l.* 1. *Ep.* 17. v. 56 *periſcelida* acceperit pro ornatu fœminino, & *Porphyrio* apud eundem, eſſe velit ornamentum pedum circa crura, ex vi nominis ſumta interpretatione, cujuſmodi ornamenta Ovidius *genualia* vocat, *l.* 10 *Met.* v. 593. Ab his autem braccis, ut vulgò volunt, nominata eſt ea pars Galliæ, quæ aliàs Narbonenſis Provincia audit. Quanquam non ſoli Galli uſi ſunt braccis, ſed & Medi, & reliqui populi. Legitur enim, in Obſcœno carmine.

Medis laxior Indicisque braccis.

Hinc Perſius, *Sat.* 3. v. 53.
—— Braccatis illita Medis
Porticus. ——
Ovid. *Triſtium l.* 5. *El.* 7. v. 49 *de Getis:*
Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.
Idem *ibid. El.* 10. v. 33.
Hos quoque qui Grajâ geniti creduntur in urbe.
Pro patrio cultu Perſica bracca tegit.
Lucanus *l.* 1. v. 430.
Et qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis,
Vangiones. ——
Val. Flac. *l.* 5. *Argonaut.* v. 424.

Et jam Sarmaticis permutant carbaſa braccis.

BRACCIANUM, aliàs BRACENUM, oppid. Italiæ, in provinc. Patrimonii S. Petri, Ducatus titulô inſigne Urſinorum, ad lacum cognominem. Dicitur *Arcennum*, quod vide.

BRACCIOLINUS Jacobus, vide *Jacobus.*

BRACCUM Saccum, in veteribus tabulis appellari reperio caſtrum in pago Andecavino ad fluvium Albantiam, *Aubance*, quod vulgò *Briſſac* nuncupatur, Ducatûs titulô illuſtre, *Briſſacum* aliàs dictum. Fulco Richinus in rebus geſtis Andecavenſium Comitum, quas Lucas Acherius nuper edidit, *caſtrum Brochesac* appellat, nomine ad *Braccum ſaccum* proximè accedente, atque inde deductô: *Invaſit me iterum idem frater*, (Gauſfridus Barbatus) *ponens obſidionem circa quoddam caſtrum meum quod vocabatur Brachesac.* An à *bracco* vel braccone, (ita Germani, ac inprimis Franci canem venaticum & ſagacem appellabant) & à *ſacco* nomen compoſitum acceperit, incertum eſt. Ejuſmodi certè canem hodieque Germani *brachen*, Angli *brache*, Batavi *brack*, Noſtri *braque* nuncupant. Locum huncce veteres Hiſtorici, qui patriâ linguâ ſcripſêre, *Brochesac* etiam vocârunt. In priſcis monumentis Latinis *Brigidisaccum* dici, quidam aſſerunt: quod nomen me nuſquam reperire memini. Buchananus *in l.* 2. *Rerum Scoticarum* rupturam à Noſtris *breche* dici ait, & *briſer* rumpere vel frangere: & inde cùm Briſiacum in Alſatia, *Briſac*, tum Briſiacum in Andibus *Briſſac* deduci affirmat. Cujus ego conjecturæ nequaquam accedo, cùm *Braccum ſaccum*, & *Brachesac* ac *Brochesac* priſcæ appellationes caſtelli hujus in Andicavis, ab iſta ruptura,

breche

breche aut *brefere* vulgò dictâ, longiſſimè recedant. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRACELLUS Jacobus, vide *Jacobus*.

BRACHARA, apud *Ptol.* vulgo hodie *Braga*. Ad amnem Cavadum in provinc. inter Durium & Minium dicta: Cujus Præſul Metropoliticus ſimul, & Primas regni Luſitaniæ appellatur. Urbs antiqua, olim *Bracara Augusta*, & ſatis ampla, à qua Callaici Braccarii in Hiſpania Tarraconenſi. Ubi Concilium A. C. 408. Bernard. de Brito *tom.* 2. *Monarch. Luſit.* A. C. 563. cùm Theodomirus, Gothorum in Hiſpania Rex ad fidem Chriſti converſus eſſet, quô Priſcillianiſtæ confutati. *Tom.* 5. *Concil. Gall.* A. C. 572. ſub Ariamiro, & A. C. 675. Baron. *hic anno* n. 6. *Concil. Gall.*

BRACHARENSIS Martinus, natione Pannonius, primùm Dumienſis Monſterii Abbas, poſteà Epiſcopus *Bracharenſis*; ex patria in Orientem progreſſus, bonas literas & ſcientias ibidem hauſit, tantò quidem ſucceſſu, ut doctiſſimos ſui temporis æquaret aut ſuperaret. Ex Oriente in Gallæciam delatus, converſis ibi ab Ariana impietate Suevis, regulam fidei & ſanctæ Religionis conſtituit, Eccleſias confirmavit, conditis Monaſteriis, inter quæ Dumienſe ipſum, cujus is primus Abbas factus eſt. Inde in ſede Bracarenſi annis 30. circiter exactis, *plenus virtutibus ad Dominum migravit*, Gregorius Turon. *Hiſtor. Franc. l.* 5. *c.* 38. annò 7. Childeberti Regis Franc. qui fuit 21. Chilperici atque Guntranni, ut habet Aimoinus *de Geſtis Francor. l.* 3. *c.* 38. Teſtamenti ejus mentio eſt, in Concilii Tolet. X. *Decr.* 3. *Scripſit*, verba ſunt Miræi in *Hiſtor. Eccl. librum de quatuor virtutibus, falso Senecæ à nonnullis attributum, ſive Formulam honeſtæ vitæ, quæ Tomo VI. Bibliotheca Patrum extat* —— *Idem Collectionem Canonum ex Græcis Synodis adornavit, quæ in Tomis Conciliorum legitur. In appendice ad Vitas Patrum, typis Plantinianis editam A. C.* 1628. *extant ſententiæ Ægyptiorum Patrum ab homine Græco anonymo collectæ, & à Martino Dumienſi in Latinum tranſlatæ. Interrogationes*, quarum in fine meminit Miræus, tranſlatæ ſunt per manum Paſchaſii Diaconi, ut refert Sigebertus *de Scriptor. Eccleſ. c.* 117. &c. E quibus *Collectionem Canonum* quod attinet, facta eſt illa ab eo eodem ferè tempore, quô Dionyſius Exiguus Romæ ſuam *Collectionem* & *Verſionem*, & in Africa ſuam *Digeſtionem* adornaret Ferrandus, utròque tamen poſterior eſt; nam Ferrandus jam vità exceſſerat A. C. 551. & Dionyſius 530. jam annò, cùm Martinus hic annò demum 573. ſecundùm *Baronium*, vel 580 ſecundùm *Dalmon*, vità deceſſerit. Propiùs ad eam accedit *Συναγωγὴ Κανόνων* Johannis Scholaſtici, quæ facta eſt circa A. C. 564. &c. Vertit autem pleraque ex Græco, aliquibus tamen immiſtis, ex Conciliis Occidentalibus, Africanis, item Hiſpanicis, veluti Toloſano I. & Bracharenſibus; Diviſit Opus in 2. partes, quarum prior *Canones* continet, *de Perſonis, Rebus & Ritibus Eccleſ.* agentes; poſterior res ad Laicos pertinentes complectitur. Editiones ejus duæ ſunt; una vulgaris & vetus, quam omnes Conciliorum collectiones exhibent: Altera recens, quam ex antiquis MS. dicit ſeſe edidiſſe Garſias à Loayſa, in *collectione Conciliorum Hiſpaniæ*. Quartam illam exhibuêre Editores *Bibliotheca Juris Can. vet.* Voellus & Juſtellus filius in *Appendice Tom. I.* ita tamen, ut novum opus, ut illi præfantur, jure cenſeri ac dici mereatur, ut quæ ſingulari curâ à Joh. Doviatio, Sact. Canonum Interprete Regio, cum cæteris editionibus & libris manu exaratis, collata ſit, adnotatis ad marginem verſionis tum variis lectionibus, tum Conciliis, ex quibus, tanquam fontibus, ſuos Martinus Canones depromſit. In quo tamen Lectorem monet Maſtricht JC. ne credat Doviatio, aut ei, qui in editione Voelli ac Juſtelli fontes adjecit, quando in indicandis fontibus etiam memorat Canones Pſeudapoſtolicos: Hos enim nunquam in ſuam Collectionem Epiſcopus hic retulit, nec eorum meminit, ut qui tum, cùm in Oriente eſſet, nondum conſarcinati fuêre &c. Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccleſ. num.* 171. *& ſeqq.*

BRACHBANTUM, Pagi Bracbantenſis primò fit mentio in *Vita S. Gudilæ Virginis*, quæ in eo *pago Brabatenſi* corruptè dicto nata eſſe dicitur, regnantibus Dagoberti filiis Sigibertô atque Chlodovêô: Gudila autem hodieque Bruxellæ in Brabantia colitur. *Brachbants* vel *Bracbants* in *Vita S. Huberti Tungrenſis Epiſcopi* fieri quoque mentionem video: qui Anniſteà, adminiſtrante Regna Francorum Carolò Martellò per totam *Arduennam*, *Taxandriam* atque *Brachbantum* vel *Brachbante* templa diruiſſe, fregiſſe ſtatuas, Eccleſias ſtruxiſſe dicitur. In literis Domini Ludovici Imperatoris de diviſione Regni ſui inter filios, *Bragbentum* vocatur, poniturque inter *Arbaniam* & *Frandrres* ſeu Flandriam. In Diviſione Regni Lotharii à Ludovico & Carolo Regibus annô 870. facta, quæ Capitulis Caroli Calvi Francor. Regis, & Annalibus Bertinianis inſerta eſt, *Bracbantum* nuncupatur, & ponitur inter Toxandros & Camaracenſes, quatuorque habere Comitatus dicitur, his verbis: *Comitatum Texandrum: in Bracbanto Comitatus* 4. *Camaracenſem*. Ex quo intelligitur, Bracbantum vel Brogbentum ſatis amplum & ſpatioſum extitiſſe, cum in eo quatuor fuerint Comitatus vel minores pagi. Sigebertus *in Chronico Brachbantum* appellat in rebus anni 633. in anno 1005. ſemel ac iterum *provinciam Bracbatenſem* mendoſè pro *Bracbantenſem*, ut ſæpe aliàs; (quemadmodum & *Bracbantum* non rarò ſcriptum aut excuſum reperitur pro *Bracbantum*) in anno 2059. *pagum* item *Bracbatenſem* aut *Bracbatrenſem*. *In pago* (inquit) *Bracbatenſi juxta Tornacum, celebri prælio inter ſe concurrunt.* Turnacum igitur civitas Bracbanti tum erat, quæ nunc Flandriæ attribuitur, non Brabantiæ, quod & docet Anſelmus *in Chronico*, *hiſce in anno* 1113. verbis: *In pago Bracbatenſi circa Tornacum vix tanta cecidit, ut & ſilvas fregerit*. Ganda quoque Bracbanti olim fuit, quæ nunc eſt Flandriæ. Certè in literis Ludovici Aug. vocatur *Einhardus Abbas ex Monaſterio, quod dicitur Ganda, quod ſitum eſt in pago Bracbbatenſe, conſtructum in honore S. Petri, ubi etiam S. Bavo corpore requieſcit.* Sigebertus incolas Bracbanti ſive Bracbantenſes, *Bratuſpantes* nonnunquam vocat, nomine Bratuſpantii oppidi Bellovacorum, quod apud Cæſarem reperitur, ineptè genti à Bellovacis valdè remotæ attributo. Certè *Auſpridum* quendam memorat annô 997. *Comitem Bratuſpantium*, qui fuerit poſteà Trajectenſium Epiſcopus: & in anno 1012. *Henricum* (inquit) *Imperator Godefridum Ducem in fines Bratuſpantium mittit ad obſidendum caſtrum Lovanium*. Eſt autem Lovanium hodieque in Brabantia. Sic & Anſelmus in anno 1134. *congregationem Maliſnenſis Eccleſiæ, quæ eſt in Bracbanto*, commemorans, ſatis indicat tum Maliſnas vel Moſlinas Bracbanti ita fuiſſe, ut ſunt hodieque Brabantiæ. A *Bracbanto* ethnicon fit *Bracbantenſis*; à *Brabantia Brabantinus*, & plerumque *Brabantio* in recentioribus noſtris annalibus: unde hodieque Brabantiæ incolæ vocantur *Brabançons*. *Bracbantum*, quæ *Brabantia* Latinis ſcriptoribus recentioribus; Noſtris *le Brabant* ea parte nuncupatur, olim ab Aloſto & Ganda uſque ad Turnacum, aut etiam uſque ad Condate pertinebat, ſi quæ Miræo fides habetur. *Bracbantum* autem, ut & Auſterbantum vel Auſtrebantum; & Teſtrabentum vel Teſtrebantum nomina ſunt Germanica à Francis natione Germanâ pagis regionibusve olim impoſita. Limes enim Germanicè *bant* dicebatur. *Regionum* limites ac confinia linguâ ſuâ vocari *Bant* ait Wendelinus Belga: qui *Teſtrebantum* (*Teſterbant*) Taxandriæ limitem interpretatur; Auſtrebantum (*Oſterbant*) orrivum limitem diœceſeos Camaracenſis; Bracbantum (*Brackbant*) Arboricorum limitem quaſi *Arborikbant*. Ego Bracbantum ad quoſvis alios potius quam ad Arboricos retulerim, qui nulli uſquam ſunt, cùm apud Procopium Arborychorum nomine corruptò Armorici proculdubio deſignentur. Auſtrebantum autem ortivum Neuſtriæ limitem interpretari convenit. Erat enim hic pagus, ingentium olim Regnorum Auſtriæ Neuſtriæque ſub noſtris Regibus terminus, ab Auſtria Scaldi flumine diviſus, & in extremis Neuſtriæ finibus poſitus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRACHIA, *Steph.* Βραχεῖα, τόπος ἐν Αἰγυπτίᾳ θαλάσσῃ καλούμενος. Ἐκλήθη δὲ διὰ τὸ ἐν αὐτῷ βραχέα εἶναι ὕδατα. Verùm non Arabicum tantum, ſed & Æthiopicum mare Βραχεῖαν θάλασσαν dixêre. Inepti homines apud *Ptolemæum* τραχεῖαν ſubſtituêre θάλασσαν pro Βραχεῖαν. Vide Voſſ. *ad Melam l.* 1. *c.* 10. Item, Inſula Illyrici, *Joh. Lucio*. Italis, *Brazzo*.

BRACHIA, in *LL.* Aragonum, Ordines Regni ſunt, qui vulgò in Gallia *Status* dicuntur, apud Blancam p. 771. laudatum Car. du Freſne in *Gloſſar.* In fluviis *Brachia* dicuntur, quæ Græcis ἐκτροπαί, κέρατα, & πλόκαμοι, Latinis *Diverticula*, iidemque *Cornua* & *Crines*. Geographus Salmaſii ineditus *de Nilo*; *In brachium Nili incidit, quod cerac Nili vocitatur ſecat hoc brachium per magnam inundationem.* Et de eodem, *Exhinc per diverſa camporum ſpatia, per octo brachia exiens effluit, totâ Ægyptiorum terrâ irrigatâ.* Latini quoque *ramos* dicunt, ut Græci κλάδους &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 479.

BRACHIA ſeu lacertos, inſpectante Populò, ferrò cruentare, religionis ergò, ſoliti ſunt olim Cybeles ſacerdotes Galli; partim ad placandam Deam, quia ſanguine, ac præcipuè humanô, propitiari Numina Veteres credebant: partim ut, cùm Cybele terram denotaret, neque ſemina terræ mandentur in novæ ſegetis ſpem, niſi aratrô ſcindatur ager, aratione lacertorum illud repræſentaretur. De ritu fic Statius *Theb. l.* 10. *v.* 170.

> *Sic Phryga terrificis genetrix Idæa cruentum*
> *Elicit ex adytis, conſumtaque brachia ferro,*
> *Scire vetat.*

Quomodo id factum, exponit Appulejus *Metam. l* 8. *Dinque capite demiſſò, cervices lubricis intorquentes motibus, crineſque pendulos rotantes & nonnunquam ſuos incurſantes muſculos, ad poſtremum ancipiti ferrò, quod ferebant, brachia ſua quiſque diſſecant.* Quod *caſtrare lacertos* dixit Tertullian. *Apologet c.* 24. *Archigallus ille ſanctiſſimus ſanguinem impurum lacertos quoque caſtrando libabat.* Expiatorium autem id fuiſſe creditum, Prudentius quoque docet *Paſſion. S. Romani. v.* 1061.

> *Cultrum in lacertos exſerit fanaticus,*
> Sectiſque *Matrem* brachiis *placat Deam.*

Meminit ejuſdem ritûs Sidonius *Carm.* 9. *ſive Epithal. Ruricii & Iberiæ*:

> *Hic & Sigalis ſpectabas quæ Dindyma lædit,*
> *Jam ſectus recolet Corybas.*

Quem locum cùm *Savaro* capiat de tonſura ſyncipitis, Voſſius ad illud refert, quòd Corybantes in ſacris Cybeles brachia ferrò ſecarent. Niſi ſimpliciùs videatur, *ſectus* exponere *eviratus*, nam eoſdem Sacerdotes ſe caſtrâſſe quoque nemini ignotum. Hinc fuit, quòd inter alia inſtrumenta, cultros quoque geſtarent: ut diſcimus ex Lucretio *l.* 2. *v.* 621.

> *Telaque præportant violenti ſigna furoris.*

Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 53. & ſuprâ, ubi de *Bellonariis*, infrà quoque voce *Lacerna*, item ubi de Veter. *Planctu*. Contrà alterum *Brachium* luxurioſus olim peculiari unguenti genere, quod *Siſymbrinum* vocabant, illinere conſuevit, dicemus voce *Unguentum*: de ornatu paulo infrà in *Brachiale*.

ad BRACHIA, ad Brachia, clamor olim Gallicum militaris, de quo ſic Guil. Nangiacenſis in *Geſtis S. Ludovici Regis Franc* p. 381. *Et quia tantis armorum utenſilibus armati non conſueverant, idcirco minùs agiles & ruinæ propiores conceſſi cum impetu exierunt: quod ut*

Francis animadverſum eſt, communiter acclamantes ad Brachia, ad Brachia, per humeros eos cum manibus rapientes, ab equis ad terram præcipites impellebant. Et paulo antè. *Et cum denſitas armorum, quibus hoſtes erant munitiſſimi, ictus Francorum vibratos in aëre repelleret, Franci mucronibus gracilibus & acutis ſub humeris ipſorum, ubi mucroni patebat aditus, dum levarent* brachia, *transforantes, per latebras viſcerum gladios ſcapulo tenus immergebant.* Nempe, cùm Milites ſive Equites cataphracti, armis undique corpus tectum ac munitum haberent, telis, haſtis ac enſibus impervii erant, niſi quà caput humeris connectebatur, aut per ocularia caſſidum, aut etiam cùm *brachia* erigerent ad vibrandos ictus & in enſes aſſurgerent: tum enim, captatâ hujuſmodi occaſione, brevioribus enſibus ac verutis latera perfodiebantur. Vel denique in id potiſſimùm erant intenti, ut captatis brachiis hoſtes de equis dejicerent: cùm lapſi rurſum ſeſe erigere, ob armorum grave pondus, non valerent. Ob quam proin duplicem cauſam, in prælio, vulgò *ad Brachia* clamatum. Quò pertinet, quòd Carolus Siciliæ Rex. *Punctim inſigite, milites Chriſti, punctim transfigite*, in præliis milites hortatus legitur. Guil. Britto *Philippidos l.* 11.

> —— —— —— *Cultris ſubularibus alter*
> *Scrutatur thorace vias.*

Et,

> —— —— —— *Nunc corpora ferri*
> *Prenſa manu, quando ſpatium non invenit ictus,*
> *Humiſonis depellit equis, nunc pixia perempta*
> *Viva coacervans alienâ tabe volutat.*
> *Nunc molis lapſis & ferri pondere preſſis,*
> *Inque ipſo lapſu fractis quandoque cerebris,*
> *Aut collo aut coſtis, vitâ, ſine vulnere, privat,* &c.

apud Car. du Freſne in *Gloſſar.*

BRACHIALE, ſeu Brachialium, cujus meminit Paulus Diaconus *Hiſtor. Miſcell. l.* 19. *A brachialio Aurea porta, uſque ad Cyclobium*: propugnaculum eſt, Gall. vulgò *Braye*, unde *Fauſſe-braye*, Βραχιάλιον Theodoro Mon. in *Epiſt. de Excidio Syracus.* Rocho Pirro in *Epiſc. Syracus.* & aliis Scriptoribus Byzantinis, uti docet Car. du Freſne in *Gloſſar.* & pluribus in *Not. ad Alexiadem.* Item manica, h. e. pars illa veſtis vel tunicæ, quæ ab humero ad manum uſque brachia operit, vulgò *Manche* Gallis. Vide Ekkehardum Junior. *de Caſibus S. Galli c.* 14. Atque hinc dextrale, ſeu armilla, ornamentum ſcil. brachiorum, largioris ſegmenti inſtar, aurô gemmiſque diſtinctum, apud *Papiam. Joh. de Janua*, *Alres*: propriè, *circuli ex auro, quibus brachia arctantur*, ut ait Tertulliano. *de Mul. Hab.* Quô ſenſu Vopiſcus in *Aureliano, c.* 7. *Torquem*, inquit, *Brachialem, annulum apponat*: Trebellius Pollio in *Claudio, c.* 14. Brachialem *unum unciarum ſeptem* &c. Græcis βραχιάλια, aut βραχιόλια, uti docet Rubenius *Elect. l.* 1. *c.* 38. Vide de *Brachialibus* & armillis notata eid. Carolo du Freſne *ad Alexiadem*, Olaum inſuper Borrichium *de variis L. L. ætatibus* p. 51. Pachymerem *l.* 8. *c.* 12. ubi inter veſtes Imperatorias ſeu Imperii ſymbola recenſet, [illegible] [illegible], *brachialia coccinea margaritis aulique diſtincta*; Alios; & ſuprà in voce *Armilla*, ut & infrà *Dextrocherium*, it. *Pſellia*, & *Spatale*. De *Brachialibus* Zipangriporum incantatis, aliquid habes infrà, ubi de gente hac. At *Brachialia* in Eccleſia Romana dicuntur manicæ cerâ circumlitæ, quibus Pontifex olim, cùm in Sabbato, ut vocant, Sancto baptizaret, utebatur: ne ſacras contaminaret veſtes, quia tum immerſione adhuc Baptiſmus peragebatur. *Ceremoniale* MS. Cencii Camerar. *Hîc facto revertitur ad eandem Eccleſiam, abſque exuit ſe pallio & planetâ, mittit* brachialia *cerata, & revertitur ad fontes & baptizat tres pueros*, apud Dominic. Macrum in *Hierolex.* ubi etiamnum Græcos in qualibet functione ſacra, ſemibrachialibus non tamen ceratis, ſed ſericis & comptè ornatis uti, addit. Vide quoque infrà, voce *Manipulus*. it. *Rebrachiatorium*.

BRACHINONENSIS Ager à Saracenis vaſtatus. Blondus *Dec.* 2. *c.* 2.

BRACHITES, ſecta Hæreticorum, qui Manis & Gnoſticorum deliria amplexi ſunt. Phareolus in *Brachites.*

BRACHIUM Ferreum, vide infrà *Ferrea brachia.*

BRACHIUM S. Georgii, apud Guil. Tyrium *l.* 2. *c.* 8. & *l.* 20. *c.* 24. dictus reperitur Boſphorus ſeu Fretum Helleſpontiacum, à templo S. Georgii extra Urbem Conſtantinopol. quod ad litus iſtius freti extructum erat. Apud Villharduinum *num.* 65. & 162. pro ipſâ Propontide uſurpatur; ibi enim Abydenum caſtrum *Brachio S. Georgii* adjacuiſſe dicitur. Vide Leunclavium in *Pandectis Turc. num.* 128. præter alios Auctores, laudatos Carolo du Freſne in *Gloſſar.*

BRACHIUM in collum ponendi ritus, in ſignum ſervitutis ſuſceptæ, indigitatur in *Chartis* Parentalibus apud Eund. *p.* 16. *Sed dum ipſos ſolidos minimè habui, unde transſolvere debeam, ſic mihi aptificavit, ut* brachium in collum *poſui & per comam capitis mei coram præſentibus hominibus tradere feci, in ea ratione, ut interim, quòd ipſos ſolidos veſtros reddere potuero, & ſervitium veſtrum & operam, qualemcunque vos vel juniores veſtri injunxeritis, facere & adimplere debeam* &c. Vide & quæ infrà dicemus, de *Nodo brachiorum*, termino paleſtræ. *Brachium* Regis invocare, quid ſit, vide apud eundem Car. du Freſne, uti de *Brachium exſerendi more*, infrà verbô *Exſerere*, de ſtigmatis quæ in *Brachio* vel manu milites olim acceperunt, ubi de *Inſcriptis*; de ratione ſub *Brachio* convolvendi ſeu ſubducendi veſtem, voce *Latitabiter*. Vide ubi de *Collo*: it. voce *Phylactera*. Lacedæmonios milites ſchedam *brachio* adalligatam, in qua nomen, ætas, familia aliaque huc facientia erant anotata, ſecum circumtuliſſe, ut ſi peregrè vel in bello mors contigiſſet, ex his notis agnoſcerentur tumulo inferendi, qui eorum generi ac conditioni convenirer, dicemus infrà, voce *Tumulus*.

BRACHIUS Peruſinus, omnem Pontificis ditionem occupavit, apud Aquilam verò à Pontificis exercitu ſuperatus occiditur.

BRACHMANES, vel BRACHMANÆ. *Palladio Bragmanes*, Indorum Gymnoſophiſtæ, quorum Princeps Dandamis erat tempore Alexandri Magni, Jarchas verò, quando Apollonium Tyaneus, diſcendi viſendique ſtudiô ad illos ſe contulerat. Hi ſimulachra contemnebant, omnis prorſus carnis genere & vini abſtinentes. Clem. Alex. *Stromat. l.* 3. Βραχμᾶναι γ' ἂν οὔτε ἐμψυχον ἐσθίουσιν, οὔτε οἶνον πίνουσι. [illegible] Porphyrius *de Abſt. l.* 4. [illegible] De gebant partim in ſaltibus; Aſtrorum & Naturæ contemplationi intenti, partim in Urbibus, ubi Principibus à conſiliis, & populo morum Magiſtri erant. Μετεμψύχωσιν firmiter credentes, boves imprimis & vaccas venerabantur, felicitatem ſummam rati, ſpernere poſſe ſluxa Fortunæ bona. Tertullian. *Apol. c.* 42. Auguſtin. *de Civ. Dei.* Strabo *l.* 15. Diodor. Sic. *l.* 2. Curt. *l.* 8. Philoſtr. *in vita Apollon.* Ad hos ex Græcia quandoque Sapientes conſulum acceſſêre. Pantænus verò, à Demetrio Epiſcopo Alexandrino, miſſus, Chriſtum iis prædicavit, A. C. 183. Euſeb. *l.* 5. *c.* 9. Vide omnino Palladium *de Bragmanibus*, ab Edoardo Biſſæo, Londini editum. *Brachmas* vocat *Steph.* apud quem mira de veſtimentis eorum narrat Hierocl. [illegible] Nomen eorum quod attinet, quid ſoles Βραχμᾶν aliud ſonat, quàm [illegible] *Bar bachman* [illegible], h. e. Gymnoſophiſta? H. Jacobus. Vide *Gymnoſophiſtæ*, & Suidam in Βραχμᾶνες. Hodiè *Bramanes, Gioghi*, &c. De quibus inprimis conſuli meretur P. de Valle, *Itinerarii tom.* 4. Ut hoc addam, eorum ſedes hodie inprimis eſt, tractus Indiæ in litore Coromandelico ſeu *Cormandel*, à *Cap. Comory* uſque ad oſtium Gangis in Sinum Bengalæ ſe extendente, & litori Malabarico ad Ortum adjacente, *Ptolemæo Cangardama*. Ibidem & Chriſtianorum S. Thomæ, cujus ſepulchrum in vico *Meliapour* oſtenditur, ingens numerus, Auctor *Hiſtor. Orbis Terr.* *Brachmanica* Grammatica MS. aſſervatur in *Muſeo Kircheriano* Romæ, auctore Henricô *Roth*, Miſſionariô Mogoritanô, qui rudimenta Linguæ hujus Europæis primus tradidit; uti refert Georg. de Sepibus *in Collegii Roman. Societatis. Jeſu Muſæo p.* 65. Vide quoque ſuprà in voce *Baſcut.*

BRACHODES, extrema urbs Africæ in mari. *Ptol.*

BRACHYGRAPHIA, vide infrà *Compendia Scriptoris.*

BRACHYLE, urbs Ceretum, qui Iberis vicini ſunt. *Steph*

BRACHYLLAS, Bœotorum Prætor. Livio memoratur *l.* 33. *c.* 27. ubi *Beotarchen* illum gentis Comitiis factum eſſe, quòd præfectum Bœotorum apud Philippum Macedoniæ Regem militantium fuiſſet, prateritis Zeuxippô & Piſiſtratô, aliiſque qui Romanæ ſocietatis auctores fuerant, refert. Quæ etiam cauſa exitii ei fuit. Id enim hi ægrè paſſi, *dum arma Romana propinqua habebant, tollere* Brachyllam *principem Fautorum Regis ſtatuerunt. Et tempore ad eam rem capto, quum in publico epulatus reverteretur domum temulentus, proſequentibus mollibus viris, qui joci causâ convivio celebri interfuerant, ab ſex armatis, quorum tres Italici, tres Ætoli erant, circumventus occiditur.* Idem *ibid. c.* 28.

BRACILE, aliter *Redimiculum* & *Rebrachiatorium*, Græc. ἀναβολεύς, memoratum in *Vita* Germani Abbatis ſeu Martyris definitur Caſſiano *de veſte Monach. l.* 1. *c.* 6. *Redimiculum ſeu ſuccinctorium, quod devolvens (Iſidorus* habet, *deſcendens) per cervicem & à lateribus colli diviſum (demiſſum) utrarumque alarum ſinum ambit atque hinc inde ſuccingit, ut conſtringens latitudinem veſtimenti corpori atque conjungendo compenat. Hoc vulgo* Bracile, *quaſi braciale vocant, quamvis nunc non brachiorum, ſed renum ſit cingulum.* E quibus ultimis verbis colligere eſt, *Bracile* non tam nomen, ut quidam volunt, quàm *renum cingulum*, ſeu *cingulum in lumbis*, ut idem Iſidorus alibi vocat ac *ſuccinctorium* eſſe, adeoque a *braccis* potiùs, quàm à *brachiis*, nuncupatum, quaſi *bracca brevior & levior*, quales Monachi ſub tunica geſtam. Dependebant ab eo caligæ, uti habet Monachus Vallis Sarn. in *Hiſtoria Albig. c.* 72. *Sed cum flecteret genua ante altare*, Brachile *ejus, à quo dependebant caligæ ferreæ, ruptum eſt.* Pibuſſâ porro annectebatur, uti docet Brodœus *Formul. l.* 6. *p.* 647. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque Salmaſ. *Not. ad Tertullian. de Pallio* & Macrum in *Hierolex.*

BRACLAVIA, urbs Poloniæ in Podolia inferiore ad fluv. Hypanim, *Bog*, versùs confinia Moldaviæ.

BRACONARII, in *Charta* Henrici II. Regis Angliæ *Monaſtic. Angl. Tom.* 2. *p.* 283. dicti ſunt, quibus *braconum* cura erat, Gall. *Brachers*, item *Braconiers*. Eſt autem *bracco*, canis ſagax, indagator, vulgò *Brac* Gallis & Germanis, vide Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Bracco*, ut & ſuprà *Barmbracus.*

BRACTEA ſeu BRATTEA, ita enim ſæpius reperitur in libris ſcriptum, quamvis prius potiùs: non ἀπὸ τοῦ βραχέος, ſed ἀπὸ τοῦ βρέχειν, i. e. *ſonare, ſtrepere*, dicta eſt. Hinc enim βρονταί, qui ſunt & βρατάλια, *tinnitus*, vel *quod ſtrepitu*: Latinè *bractea*, tenua auri folium, quô linebantur olim pedes lectorum, cameræ, alia. Calpurnius,

> —— —— *Atque illita porticus aurô.*

Martialis *ſputum* vocat *l.* 8. *Epigr.* 33. *v.* 11.

> *Hîc linitur ſputô jam caryota calendis.*

Ubi *ſputum* eſt βρατάλιον. Eôdem modô autem Latini *bracteam* dixerunt, quô *embractum*, quod Græcis erat ἔμβρεχον. Apicius *embractum bajanum* vocat *l.* 9. ἐμβρεχτὸς *Heſychius*, vox pura puta Græca, quam

quam Galeæ uſurpârunt. Ε'μβρέχειν enim Græci dicebant. Optimæ *Gloſſæ*, *Intrimo*, ἐμβρέχει. Sic *Abſtrictus* Plauto, *Aulul. Actu.* 3. *ſc.* 5. v. 37. qui ἀνέβρεξεν, Græcis: ſimiliter *bractare* verbum, pro humectare & madefacere; unde *bractamentum*, pro humore vel aqua, apud Fulgentium *de Virgiliana Contin.* &c. Quia autem *bracteationibus* camerarum, ut & filationibus ac liquationibus aurum peribat, non enim *bractearum argentearum* quicquam meminit: Hinc Aurelianus Imperator in animo habuiſſe legitur, apud Fl. Vopiſcum, c. 46. *ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens plus auri eſſe in rerum natura, quàm argenti: ſed aurum per varias* bractearum, *filorum* (quibus veſtes intexebantur) & *liquationum* (aurô enim liquatô deaurabantur pelles & vaſa) *uſus perire*, &c. Inde *Bracteata* Eloquentia, apud Fulgentium quæ quid ſit, ex Solino diſcimus *Ep.* 2. ad Adventum, *Cui* (Libro cui Polyhiſtoris nomen impoſuit) *ſi animum propius intenderis, velut fermentum cognitionis magis ei ineſſe, quam bracteas eloquentiæ, deprehendes*, Ubi eleganter & propriè cognitionem, i. e. doctrinam, fermento comparat; eloquentiam *bracteis* opponit: ut doctrinam cognitionemque rerum, ornatui verborum & eloquentiæ. Ita doctrinam ab eloquentia ſeparat Suetonius in *Caligula*, c. 53. *Eloquentiæ multum attendit, doctrinæ parum.* Nempe fermentum maſſam, cui admiſcetur, auctiorem & ὀγκωδεστέραν reddit: *bractea* vero, quibus rebus illinitur, nihil ampliùs confert, quam tenue πέταλον & extimæ cutis fucum. Sic rerum cognitio animum alit & inſtruit, eloquentia ornatum tantùm præbet & leuem in verbis nitorem: unde *fermentum cognitionis*, & *bracteas eloquentiæ* ſibi invicem aptè omnino opponit Solinus. Vide Salmaſ. *ad illum p.* 4. Iidem *Bracteatores* ſeu *Bractearii*, Græcè πεταλουργοὶ vel χρυσοπλάσται, dicti ſunt Artifices, qui *bracteis* aureis ſtatuas aliaque inducebant: Liv. *Dec.* 4. *l.* 10. *Ædem* (Pietatis) *dedicavit M. Acilius Duumvir, ſtatuamque auratam, quæ prima omnium in Italia ſtatua aurata eſt, patri Glabrioni poſuit.* Eſt autem *Bractea*, in *Gloſſ.* πέταλον. Vide *l.* 1. *Cod. de excuſ. Artif. l.* 10. Jul. Firmicum Maternum *Aſtronomic. l.* 4. *c.* 13. & *l.* 8. *c.* 16. & 19. Plin. *l.* 33. *c.* 3. &c. Plura verò hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Vopiſc. c. cit.* Addam ſaltem, de *Bractearum* in coronis olim uſu. Cùm enim philyræ, quibus coronæ nectebantur, primùm ſimplices, h. e. nullâ arte fucatæ aut diſſimulatæ fuiſſent, *bisque vel ludicrô quæſitis ſemper auctorum eſſet, ut tamen P. Claudius Pulcher primus* bracteas *dedit*, i. e. bracteatas fecit; cùm ipſa folia coronarum Craſſus dives primus argenteâ, aeréque imitatas fit, ut videl. in corona nihil non eſſet aureum, aut deauratum. Vide Plin. *l.* 21. *c.* 3. Theophraſtum *Hiſtor. Plantar. l.* 3. aliosque, laudatos Car. Paſchalio *Coronar. l.* 2. *c.* 12. Apud quem vide quoque de *Bracteis*, quæ ambit ſuperiorem partem Diadematis Imperialis, *l.* 6 *c.* 21. ut & aliquid infrà, voce *Petaliſmus*. Nec omittenda bellaria *aurô bracteata*, in conviviis Alexandri M. de quibus Agatharchides Cnidius, apud Athenæum *l.* 4 *c.* 24. *octavô Aſiaticorum ſcribit, cum Alexandrum exciperent amici convivio, quæ bellaria menſis apponi debebant, inaurata* (auro bracteata) *fuiſſe, & convivas illis uti qui cuperent, aurum detrahere ſolitos, at cum ciborum purgamentis abjecere, ut ejus lautus eſſent ac imperſa ſpectatores amici, famuli verò domini.*

BRACTIA, inſula Illyrici. Plin. l. 3. *c. ult.*

BRADANUS, fluv. Lucaniæ, per Baſilicatam provinc. currit, & in ea prope Acherontiam, Oppidum, montem Peluſium, & Scalioſum urbes labitur; & verſus oſtia Baſilicatam ab agro Hydrantinum ſeparat.

BRADAS, Italiæ fluv. circa Apuliam. *Antonin.*

BRADEAS, præcipuæ nobilitatis vir, Regillæ uxoris Herodis Sophiſtæ frater, argumentum generis geſtabat in calceo; Id autem erat epiſphyrion menoides eburneum. Unde Proverb. *Nobilitatem in aſtragalis geſtare*, quod in eos rectè dicitur, qui generis præſtantiâ tumentes nullâ ipſi virtute nituntur. Cæl. Rhodig. *l.* 20. *c.* 27.

BRADSHAU Henricus, vide *Henricus*.

BRADUA, Conſul, collega Titiani Materni & Apromani. An Urb. Cond. 957. & 945.

BRÆCARA, vide *Bracbara*.

BRÆGITIUM, urbs Pannoniæ hodie *Comara*, ad Danubium fluv. aut locus non procul, *Bonimia*, ubi ejus rudera viſuntur. Breotiô teſte. Vide *Bregætium*.

BRAENNA, fluv. Galliæ, in Turonibus, vulgò *la Brande*: qui Siccrâ *la Ciſſe* receptus, in Ligerim defluit, ſupra Turones. Hadr. Valeſ. in voce *Turones*.

BRAERSIUS Henricus, vide *Henricus*.

BRAESI, populi Macedoniæ. *Steph.*

BRAGÆ, inſulæ quædam deſertæ. Plin. *l.* 4. *c.* 28.

BRAGANADAR, unum ex ſex Regnis, in quæ diviſus eſt totus ille tractus, qui inter Imperium M. Mogolis & Regna Malabarica ſitus, unô nomine *Kunkan* appellatur. Titulus Regis *Braganadar*, eſt *Cotteb. Maluco*, i. e. vertex Regni. Hornius *Orb. Imp.* p. 445. *edit.* 1677.

BRAGERIACUM, vulgò BERGERAC, oppid. in Petrocorus nobile, ad Duranum fluv.

BRAGIACUM, ſeu BRÆUM, vide *Brajum*.

BRAGODURUM, Rhætiæ oppid in Germania. *Ptol.* vulgò *Bibrach Lazio. Rockenburg Rhenano. Pfullendorf Moletio* in Suevia. *Bryern* caſtrum in Suevia, *Cluver.* Vide & Rhenanum *Rer. German. l.* 3. cum *Notis* Ortonis.

BRAHE Tycho, ſtirpe nobili natus, A. C. 1546. Daniâ, natali ſolô, relictâ, in Germaniam abiit, ibique Mathematicis Artibus, Aſtronomiæ præſertim, eô ſucceſſu ſe dedit totum, ut brevi Aſtronomorum princeps evaſerit. Reverſus in patriam ſibi ruſticam puellam junxit, cum familia ſua, poſt iter Italicum, Baſileæ ſedem fixurus. Sed à Friderico II. retentus, in Inſul. Huéna, quam ab illo muneri acceperat, Uranoburgum condidit. Poſt quæ in aula Rodolphi II. Imperatoris magni habitus, ibidem obiit, A. C. 1601. ætat. 55. excurrit. Plurium ſcriptorum & inſtrumentorum novorum Auctor, de quibus vide *les Eloges Antonii Teiſſier Vol. I.* ac Guilielmo Haſſiæ Landgravio Aſtronomicarum rerum peritiſſimo, præcipuè magni habitus. Plura apud Gaſſendum *Vita ejus*.

BRAHEA, nomen Stirpis, à pluribus ſeculis in Suecia florentiſſimæ: cujus origo ab Andrea Dn. *de Mohamner*, Regni Senatore, ſanguinem ad Suercherum Regem referente, arceſſi ſolet. Eam certè aſſimnat Birgeri *Jerl* (qui Sueciæ Gubernator & duorum Regum, Waldemari ac Magni pater, Ingeburgis, Birgeo Andreæ nepoti nuptæ, patruus fuit) & memoria illuſtris Birgeri, qui Rex Sueciæ deſignatus coronam recuſavit: atque conjugia cum præcipuis Regni familiis, ipsâ quoque Regiâ, inita, celebriorem reddidêre. Eâdem familiâ Brigitta (cujus revelationes jactæ & eam ſanctam Romæ adſcripſit) orta eſt. Nomen autem *Braheanum* intulit Johanna Braheana Norvega, Magno Laurentii Plate Regni Senatori nupta; quod à Matre poſtea retinuêre. Acceſſit poſtmodum, beneficiô Erici Regis Petro *Braheo* Comitis Wiſingsborgici dignitas, eaque hactenus ſervata eſt. Clarent adhuc ex ea Petrus, Regni *Droxelus* ſeu Archidapifer, atque illius ex fratre Nicolao nepos Nicolaus, qui matre editus Annâ Margaretâ Bielkiâ, natus eſt A. C. 1633. uxoremque duxit Julianam Wrangeliam; ſorores Eliſabethæ natæ A. C. 1632 quæ primis nuptiis maritum habuit, Ericum Oxenſtiernæ, Cancellarium; ſecundis, Adolphum Johannem Comitem Palatinum Rheni, Caroli Guſtavi Regis fratrem. Utriusque progenealogiam exhibet Spenerus *Theatrô Nobil. Eur. Tom. I.*

BRAHEA Sophia, ſoror Tychonis, cujus epiſtolam metricam, *Hafnienſibus Inſcriptionibus* inſeruit Joh. Reſenius.

BRAHEUS Tycho, vide *Brahe*.

BRAHMA, nomen idoli, apud hodiernos Zonæ torridæ incolas, ſummâ veneratione culti. Pythagoram hôc nomine ab illis adorari, ſunt qui credant. Vide P. de Valle, *Itiner. tom.* 4.

de BRAJESELVE Hugo, vide *Hugo*.

BRAJUM olim linguâ Gallicâ lutum ſignificabat. Hoc me docuit liber vetus *Miraculorum S. Bernardi Claravallenſis Abbatis*, qui eſt centô ex multorum ſcriptis conſutus, hiſce verbis, *Caſtrum Brajum, quod lutum interpretatur.* Sermo eſt de Brajo ad Sequanam in Senonibus; *Bray ſur Seine*, inter caſtrum Triangulum *Trainel* & Monaſteriolum *Monſtereau* poſito: quod & *Brajacum* nomine dicitur in Chronico Senonici Monaſterii Sancti Petri Vivi. *Erat Miles Burchardus nomine, & uxor illius Ildegardis, qui habebant monitiunculam in pago Senonico, ſuper Secanam fluvium, quæ Brajacus dicitur, in locis paluſtribus.* Idem *Braium* dicitur, in Chronico Eccleſiæ Senonicæ. Eſt & duplex Brajum ad Summam *Bray ſur Somme*: & Brajum ad dextram Ittæ fluminis ripam in Velocaſſibus Normanniæ poſitum, in Geſtis Ludovici VII. Francorum Regis memoratum, vulgò *Braye* dictum: & Brajum *Bray* ad Hormentionem flumen non longè à Sueciniure in pago Aleſienſi. Non procul à Gornaco Ittæ appoſito, eſt ſilva nomine Brajum, vel ſilva Brajenſis, *Bray* vel *la foreſt de Bray*, à qua Firmitas in Briſo cognominatur, *la Ferte en Bray*. Citra flumen Ittam in Bellovacis, locus eſt Brajum *Bray*, ad amniculum qui in Taram defluit; & pagus exiguus loco cognominis, Brajum nuncupatus *Bray*; planus, humilis, compaſcuus, in quo multa & magna ſunt ſtagna. Ibi ſunt Hoſdencum, *Hordenc en Bray*; Villa in Brajo *Ville en Bray*, Turris in Brajo *Tour de Bray*, Puteoli in Brajo *Piſeux en Bray*, Omnium in Brajo *Onſenbray*, multique alii vici. *Caſtrum quod Brajum vocant*, Rigordus & Wilelmus Brito *in anno* 1191. commemorant, quod à luto nomen invenit, & vulgò *Bray Comte Robert*, vel *Bray C. R.* i. e. Brajum Comitis Roberti dicitur. In pago Silvanectenſi, *Brajum* vicus etiam reperitur, & Brajum in Pictonibus, non longè à caſtro Campimaco, *Braye*. Braicum vel Brahicum etiam à luto ſeu brajo nomen accepit. In Vita S. Judoci hæc legimus: *Veniunt pariter* Haimo Dux & Judocus *ad locum qui dicitur Brahic, qui locus fluminis Alteiæ rivulis undique circumdatus, inſulanus habetur.* Idem & Florentinus Abbas ac Ordericus in *Hiſtoria l.* 3. ſcribunt: ex quibus Ordericus *eremum Braic* vocat. Hic locus *Brahic* vel *Braic* eremo nomen ſuum dans, nunc eſt vicus *la Broye* in Ambianorum pago Pontivo ad Alteiam fluvium. Guillelmus Nangiacenſis *caſtrum cui Breic vocabulum eſt*, inter caſtrum de Villaribus *Villers*, & caſtrum S. Gelaſii in Pictonibus ſitum, à Ludov. IX. Francorum Rege captum eſſe tradit. *Breicum* autem illud vel potiùs *Braicum* nunc dicitur *Brabry*. *Brajacum* in Carnotibus à luto ſeu brajo cognominatum reperio, quod & *Brajotum* & *Brajum* etiam dictum ſit, veteri Monaſteriô S. Romani illuſtre. In Vita S. Leobini Epiſcopi Carnotenſis, quam Fortunati eſſe puto, dicitur Leobinus Ætherio Epiſcopo *Brajaci occurriſſe* & ab eo Diaconus, moxque Presbyter factus, ac *fratribus Brajacenſis Monaſterii præpoſitus* eſſe. Legi & litteras Hugonis Decani Carnutinæ Eccleſiæ, datas *Menſe Majô*, *anni* 1226. *de jure, quod Hemericus Renart habet in Granchia de Brajoto.* Idem locus deſignatur nomine *Brajoti* in litteris *Gervaſii de Caſtronovo Canonici Carnotenſis*, quibus reditus ſuos *pedagii de Brajoto*, i. e. centum ſolidos dat Eccleſiæ Carnotenſi. In litteris Raginaldi Carnotenſis Epiſcopi an. 1192. Odo *Rufus*, *Miles Brajotenſis oppidi* memoratur, nec non *Garnerius Prior Sancti Johannis de Brajoto*: & *decimam piſcium in Brajoto caſtro Goëti* S. Aviti Monachabus Caſtrodunenſibus confirmat Alexander PP. 3. literis anni 1170. Brajetum *caſtrum Goëti* vocabatur, propterea, quod illud teneret præ cæteris Goëtus, qui Pertico minori, ubi Brajotum ſitum eſt, nomen ſuum dedit. Perticum enim Goëti nuncupant; *le Perche Gouet*. *Leproſorum de Brajoto* fit mentio in tabulis anni 1173. Nonnunquam nominabatur & *Brajum caſtrum*. Evolvi litteras de rebus datis, à *Willelmo quondam Præpoſito de Brajo caſtro Milite, dum Monachalem habitum ſuſcepit in Cœnobio S. Petri Carnotenſis*; item alias *de Eccleſia S. Romani de Brajo*, datas regnante Henricô Rege Franciæ: *Notum eſſe volumus, quòd ego Arardus de Buſſo* (*Buſſon*) &

Landricum de Tyriello Gaufridum commilitonem conventum, ut locellum in quo Eccleſia S. Romani Mart. habebatur, S. Petro Carnotenſi pro remedio ſuæ ſuorumque animarum concederet, qui non longe à caſtello Brajo diſtat, ſed tunc vilis & incultus apud nos æſtimabatur. Brajacum vel Brajotum, vulgò nuncupatur *Brou*, eſtque oppidulum Pertici Goeti, in diœceſi Carnutum, ac in confinio Pertici & Belſiæ poſitum ad amniculum Oſanam *Ozane*, qui in Lidericum decurrit apud Bonamvallem, poſtquàm Brajotum & Dangeolum vel Danjolium *Dangeau* alluit. Abeſt ab Autrico Carnutum leucas 7. à Caſtroduni 4. ab urbe Lutecia Pariſiorum 25. In burgo ſuo vel ſuburbio habet vetuſtiſſimum ſui nominis Monaſterium, nunc à Patrono loci prioratum S. Romani dictum. Situm eſt in loco paluſtri & lutoſo, & cùm intra muros tum maximè extra, præſertim ad amnem valde cœnoſum eſt. His addere poſſumus Brajum *Brai* in Pictonum pago & Vicecomitatu Toarcenſi; Wibrajum locum Faleſiæ proximum, *la Ginbray* dictum; Vallem Brau *Vaubray*, non longè ab urbe Lingonum; Follanebrajum in pago Laudunenſi poſitum inter Calniacum & Codiciacum, *Follenbray*, villam Regiam Franciſci primi ac Henrici II. cujus meminit Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus in epiſtola ad Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum: Tenerchebrajum, caſtrum ad Comitem Moritonii in Pertico olim pertinens, Willelmo Gemeticenſi in *l. 8. c. 25*, memoratum, quod vulgo *Tinchebray* nuncupatur. Omnia hæc Braja, & Brajaca, vel Braica, aut Brajota; & quæ nominibus compoſitis Follanebraium ac Tenerchebrajum appellantur; Breja quoque amniculus vel Braja, *Braye* aut *Bray*, qui Vibrejum *Vibraye*, & Sabiniacum *Savigny ſur Braye* præterlapſus, Lidericum infra Montem aureum auget; à brajo id eſt à luto nomen accepêre, quod in locis paluſtribus & lutoſis condita ſint. Monſtreletus in voluminis primi *capite* 221. à brajo *brajoſas aquas* pro lutoſis dixit hiſce verbis: Urbem intravit, in qua aquæ & ſcaturigines valde limoſæ erant, *Paſſa parmy la Ville, ou y avoit caves & ſources moult brayeuſes*. Germani lutum *brech* aut *broc* appellavêre nomine à brajo non multùm recedente. Hinc in Morinis caſtrum, quod Noſtris *Bourbourg*, Flandrenſibus *Borborch* vocatur, veteres tabulæ ann. 1230. *Broburgum*, aliæ ann. 1405. *Bruchborch*, quidam *Brocburgum* & *Brucburgum*, hoc eſt lutoſum oppidum nominant. *Bruxellam* quoque pro *Bruxella* quibuſdam dici *a ſitu paluſtri & lutoſo* aſſerit Strada, neſcius *Bruc,cellam* & *Bruceſellas*, vetus ac ſincerum oppidi nomen, a luto deductum, in tabulis ante annos 600. datis reperiri, quod poſteà in *Bruſſellam* atque *Bruxellam* recentiores mutaverint. Quin & Brajum ſive Brajotum in Pertico caſtrum, in litteris datis annò 1180, apud Chelinum de familia Drocenſium *Broc* appellari conſtat. Hodieque *brauches* Germanicà linguà lutum ſignificat. Eadem fuit *brod* vel *brud*, quæ *brac* ſive *broc* ſignificatio. Quippe Gilbertus *de Vita & morte Caroli Comitis Flandriæ*, *Brodburg* & *Bruiburg* vocat caſtrum, quod alii *Bruchburch* & *Brocburgum* dicere maluerunt; & quod quidam ajunt ab incolis *Broutbourg* nuncupari, id eſt lutoſum oppidum. *Brout* ergo lutum eſt, à quo & Broagium *Brouage* nomen invenit; caſtrum pene undique ſalinis circumfuſum, & in loco valde limoſo paluſtrique ſitum, proximum Turri Brau vel luti, *Tour de Brout*. *Brou* quoque vulgò dicitur à Noſtris, i. e. lutum, quod Latinè Brajum, & Brajotum in Pertico. Lutum certè vel aquam lutoſam *brouet* olim à Noſtris nuncupatam eſſe, reperio in rerum Francicarum Annalibus. Apud Monſtreletum Ludovici Aurelianenſium Ducis filii tres pupilli, in litteris ſuis ad Regem Carolum VI. datis 6. Idus Julias annò 1411. quæ & à Juvenale Urſino mutatis nonnuſquam aliquot verbis referuntur, de eade patris ſui ſic ſcribunt: *En mire luy coupperent & arrachèrent la teſte en divers lieux, tellement que la cervelle en cheut au brouet preſque toute. auquel brouet & boue ils le travaillerent & traînerent, juſques adonc qu'ils le verrent tout roide mort. Brouet* & *Boue* pro uno eodemque, limitum pro luto accepit Monſtreletus: ut vocabulum poſterius *boue* factum eſt ex *brout* & *brouet*. *Brouet* autem ut & *brod* & *brud*, deducitur à brodium, quò nomine jus, & liquida eſculenta, ac humor deſignantur. Hadr. Valeſ. *Not. Gall.*

BRAMÆ, populi Africæ, in Æthiopia inferiora & regno Loanghi, inter Anzicanos populos & Oceanum.

BRAMAGUM, vel BROMAGUM, *Antonin.* Sequanorum oppid. vulgò *Romont*. Simlero *l. 1. de Vall.* & Guillimanno *p.* 40. eſt *Bromaſus*, patercia oppid. *Ru.* Cluyerio eſt vicus *Bro*. Vide Joh. Bapt. Plantinum *Helv. deſcr.*

BRAMBARICARII, in *Notit. Imperii*, ubi Præpoſiti *Brambaricariorum* memorantur, ſub Comite ſacrarum Largitionum, interdum ſub Magiſtro Officiorum, corruptè pro *Barbaricarii*, dicti ſunt, qui *ex auro coloratis filis exprimebant hominum formas, animalium & aliorum ſpecierum imitabantur ſubtilitate veritatem*, ut ait Donatus ad *Æn. l.* 7. Seu, qui *caſſides & bucculas tegebant argento & deaurabant*, ut eſt in *l.* 2. *Cod. Theodoſ. de Fabric.* de quibus retro diximus.

BRAMMA, Sinarum regionis urbs. *Ptol. Brema Mercatori.*

BRANA, Turdulorum oppid. in Hiſpania & Conventus Cordubenſis. Plin. *l. 3. c. 1.*

BRANCA Urſina, Herbariis noſtris dicitur acanthus topiaria, à ſimilitudine, quam habent hujus herbæ folia, cum pedibus urſorum anterioribus: *branca* enim pedem ſignificat, apud extimæ ætatis Scriptores, ex Latina voce *brachium*. Unde brachia arborum hodieque *brancas* vocant Galli & *brancolare* inde Itali dicunt, manibus iter prætentare. An verò acanthus Veter. ſit *branca urſina* hodierna, dubitant eruditi. Ut enim multa congruunt, ita non omnia. Illud maximè contrarium, quod branca urſina aculeata eſt, acanthus prorſus ſine ſpinis erat, topiaris ſcil. illa & urbana. Nam ſylveſtris aculeis non carebat ut ea *Plinio* diſcimus, qui diſertè tradit genus alterum læve eſſe, alterum aculeatum, quorum illud abſolutè ἄκανθον nominat *Dioſcorides*, aliàs *melamphyllum* quoque & *pæderota* vocabant. Naſcitur autem hæc acanthus in ὑδρηλοῖς ſeu hortis, crepidines marginum pulvinorumque toros veſtiens: quam *mollem* dixit Poëta, quòd lenta eſſet & in opere topiario flecti facilis: Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 534. Cæterum *brancam* ſeu manum *urſinam* ἄρκτου χεῖρα, ut Neotericorum quidam appellat, eius optimam & in delitiis fuiſſe, idem docet. *p.* 218. Vide quoque Auctorem Anonym. *Sinæ & Europæ, c. de Animalibus*, & infra voce *Urſus*.

BRANCEDUNUM Caſtellum, in litteris Petri Albanenſis Epiſcopi & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis annò 1178. *proximo* Cluniacenſibus *caſtella*, *Brancedunum*, *Berzuacum*, *Buxeria*, *Sedunum*, & *Oſcella* memorantur. In aliis litteris *Joceranus dominus Branceduni*, idem in litteris Achardi de Maceio Militis, *Nobilis vir, dominus Jocerannus, dominus de Brancedano* appellatur: in litteris quoque Urbani PP. Anni 1095. *Brancedunum*. Brancodunum nunc vocatur *Brancion* ad Graonam fluvium. Buxeria eſt *Buſſeborg*, Sedunum *Sandon*; Oſcella *Uxelle*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRANCHIADES, Apollo dictus eſt à *Brancho* Theſſalo, vel à *Branchidis* populis apud quos reſponſa dabat. Strab. *l.* 14.

BRANCHIDÆ, Aſiæ populi bilingues, circa Oxum flumen uſpiam, quorum urbem adeo exciſam ſcribit Curtius *l. 7. c. 5.* ut ne hujus veſtigium extet. Evertit autem eam Alexander, ob templum Mileſium, à proavis eorum, proditum. Cœl. Rhodig. *Lection. Antiqq. l. 4. c.* 23. In Sogdiana ſunt Straboni *l.* 11.

BRANCHIDÆ, Apollinis Didymæi ſacerdotes. Plin. *l. 5. c.* 29.

BRANCHIDARUM Oraculum, locus Cariæ. Plin. *l. 5. c.* 29. Βραγχιδῶν. *Straboni*. Niger ſcribit *Petron* vocari.

BRANCHILLIDES, Bœotorum Princeps. Pauſan. *l.* 9.

BRANCHUS, Apollinis fil. Lactantius ad Statii *Theb.* 8. vult filium fuiſſe Smicri ex Patronis filia, qui cum Apollinis malas deoſculatus eſſet, ab eo captus, coronam & virgam accepit, unde cœpit vaticinari. Poſt hoc ingens templum eſt ei ædificatum, quod *Branchiadon* nominatur. Idem *ad l. 3. Theb.* Theſſalum fuiſſe dicit.

BRANCOTII, populi Aſiæ. Plin. *l. 6. c.* 20.

BRAND Sebaſtianus, Argentoratenſis, natus A. C. 1458. Philoſophiæ Magiſter Baſileæ renunciatus, totum ſe optimis Auctoribus ab interitu vindicandis mancipavit. Dein tum Baſileæ, tum Argentorati, publicè docuit, magnumque ſibi nomen comparavit. Poeta & JC. ſeculi ſui clarus, Com. Palatinus Cæſar. Patriæ Conſular. & Cancellarius digniſſimus, A. C. 1520. Scripſit tum metrò tum proſà non pauca: inter quæ *Chronica Germaniæ* (edita & adjuncta Chronicis Hedionis) *præſertim Alſatiæ & Urbis Argentorat.* it. *Satyræ*, ſeu *Stultorum Navicula*, vel, ut ipſe appellat, *Navis Narragonia*, non parvi Eruditis in pretio. Melch. Adami *Vitæ JCtor.* Vide & Freherum *Theatro*, ut & aliquid infrà voce *Sebaſtianus*.

BRAND Theodorus, Baſilienſis, fil. Senatoris, Latinè doctus Chirurgiæ primo ſe dedit, inde Helvetiorum caſtra ſequutus, A. C. 1513. prælio Novarienſi memorabili præclarum fortitudinis ſpecimen edidit. In Senatum poſt hæc cooptatus, prudentià & facundià ſuâ meruit, ut Reipubl. nomine ad Helvetiorum Comitia & Principes vicinos ſæpius Legatus mitteretur. Interea, cùm ſub Reformationis initia ſeditio timeretur, A. C. 1529. cives alloquiò ſuò quà privatò, quà publicò, in officio feliciter continuit. Exin Scholarcha conſtitutus, auctor gravis fuit, ut Academia inſtauraretur, & viris doctis exornaretur, Tribunus Pleb. A. C. 1534. Conſul, A. C. 1544. electus, deceſſit, A. C. 1558. ætat. 70. optimum exemplar poſteris ſuis, qui ad noſtra tempora ſummis muneribus cum laude defuncti. Melch. Adami *Vitæ JCtorum*, & P. Freherum *d. l.*

S. BRANDANI inſul. aliàs *Brandani*, *Borodani* &c. Hiſpanis *la Incantada* & *la Non-trovada* dicta, jacet, ex opinione nautarum Luſitanorum, centum milliaribus à Canariis inſulis, verſus Occidentem & aliquando conſpicua, ſæpius tamen inconſpicua, eſt: Campos ejus dicunt fertiles & incolas Chriſtianos eſſe, ſed ignorari, cujus originis ſint, quàve linguà utantur. Ad hanc viſendam ſæpius è Canariis, ſed fruſtra, navigârunt Hiſpani, unde quidam arbitrati ſunt, ſpectrorum illuſiones eſſe: Alii certis tantùm anni diebus videri poſſe, plerumque autem nubibus vel nebulà tectam eſſe exiſtimârunt. Varenius *in Geogr.* Brandanum quod attinet, Scotorum is Sanctus fuit, in cujus vita de Inſula quadam aliàs inacceſſa, quam ille ſolus adierit, multa mentio eſt. Inſula verò talis ut excogitata fuerit, Inſulam veterum ἀνεύρετον ſeu inacceſſam aut Nivariam, quæ hodierna Teneriffa eſt, in cauſa extitiſſe ſuſpicatur Voſſius. Sola enim hæc è Canariis nive abundat, ob ſummam ejus altitudinem, atque hinc 260. mill. paſſ. conſpicua, fit navigantibus, ſed auroræ tantùm tempore ac poſt Solis occaſum: his enim temporibus ſpecies rerum remotarum per condenſatos matutinos ac veſpertinos vapores altius efferuntur, quàm interdiu, Sole tum vapores diſſipante. Veriſimile igitur, hoc illis contigiſſe, qui primi ad hanc inſulam accedere conati fuerunt, vidiſſeque eam è tam vaſto intervallo tanquam propinquam, ſed quæ orto Sole evanuerit, Et ipſum hoc ſecundà ac tertià die eveniſſe: Nautas verò & vectores intervalli immenſitate deceptos, oculorumque judiciò ſe nihil aut parum admodum proficere arbitratos, ventis licèt ſecundis, aut curſum ſuum teneri, aut Inſulam perpetuò fugere exiſtimâſſe: ſicque tandem *Ptolemæi* Inacceſſam atque hanc *S. Brandani* inſulam emergere potuiſſe. Vide Auctorem Anonymum *Hiſt. Orbis Terr. c. 5. de Inſulis* §. 20.

BRANDENBURGENSIS Marchia, regio ampliſſima Germaniæ, nomen habet à Metropoli *Brandeburgo*: vel (ut vult *Metellus*) à veteribus incolis Suevis Marcomannis, hos enim orientalem Albis ripam antea tenuiſſe non obſcurè oſtendit Vellejus Paterculus, qui ipſe fuit in exercitu Romano, quem auſpiciis Auguſti Cæſaris Tiberius uſque ad Albim fluvium, domitis anteà intactis populis perduxit, & cum claſſe Romana flumine Albi ſub-

ſubvecta conjungit. Protenditur hic Marchionatus, cujus Henricus Auceps, Marchione conſtitutô, A. C. 928. auctor fuit, in longitudinem ad 60. milliar. Germanica: ad occaſum clauditur Saxoniæ, Miſniæ, & Megapolenſium regionum limitibus: quà Septentrio eſt, Stetinos, Pomeranos & Caſſubios reſpicit: verſus Orientem Poloniam & Sileſiam contingit: à meridie habet Bohemiam, Luſatiam & Moraviam. Marchio ejus eſt etiam *Elector Imperii*, & inter opulentiſſimos potentiſſimoſque Germaniæ Principes numeratur: quippe qui præter Marchiam utramque etiam in Luſatiæ Comitatu & Sileſia urbes multas poſſidebat. Dividunt quidam hanc Marchiam in duas tantùm partes, in *Veterem* ſcil. & *Novam*: alii vero in tres, nempe *Veterem*, *Mediam*, & *Novam*. Vetus Marchia incipit à ſolitudine, quam Luneburgenſem cognominant, & ad Albim fluvium uſque protenditur, ex altero verò latere uſque ad Magdeburgum: hujus incolæ olim fuerunt Senones Suevi, nec non alicubi Angrivarii cum Teutonibus: ejus longitudo eſt octo milliarium Germanicorum, & totidem latitudo. Media Marchia ab altera Albis parte initium ſumit, & extenditur ad Oderam & Suevum (vulgò *Spre*) fluvios: olim hanc habitârunt Suevi: in ea ſunt Brandeburgum Metropolis, & Francofurtum ad Oderam, urbes ampliſſimæ, & aliæ quam plurimæ: ejus longitudo eſt viginti milliarium Germanicorum, & totidem latitudo. Nova Marchia à media dividitur Oderâ fluviô, eô tractu, quô Warta fluvius prope Cuſtrinum aquas ſuas in illud exonerat: ejus ambitus eſt viginti milliariorum Germanicorum. Alii totam Principis Electoris Brandeburgenſis ditionem in ſeptem aut octo provincias diſtribuunt, quæ ſunt, *Alte Marck*, ſive, Vetus Marchia; *Middel Mark*, ſive Media, *Neu Mark*, ſive Nova; *Uker Marck*, *Pregnitz*, *Croſſen* Ducatus, *Sternberg* & *Cotbus* dominia; item pars *Luſatiæ*. In toto Marchionatu Brandeburgenſi cum eo quod eſt ſub ejus juriſdictione, continentur 55. ampliæ civitates: 64. oppida: 16. oppidula: 38. caſtella: 10. vivaria: & 17. cœnobia. Producit coralliorum: Æthitem, Schiſtum, aliaſque non ignobiles gemmas. *Munſter*. *Ortel*. *Mercat*. *Merul*. Hodie autem ingenti acceſſione hic Principatus auctus eſt, nempe Pomeraniâ ulteriore, *Epiſcopatu* Caminenſi, Halberſtadienſi, Mindenſi & Archiepiſcopatu Magdeburgenſi. Jubilæum in ditione Brandeburgica A. C. 1617. ſicut in Saxonica, Palatina, &c. celebratum eſt, Deoque pro accenſa Evangelii luce gratiæ actæ ſunt. Primum Marchionem Brandenburgi conſtituit, ut dictum, Henricus Auceps. Dein A. C 1376. Carolus IV Imperator Sigiſmundo Marchionatum emit, & Electoratum contulit, poſtquam uterque ſub Aſcaniis Principibus fuiſſet à tempore Friderici Barbaroſſæ, Imperatoris. Hodiernæ familiæ Electoralis origo eſt, à Friderico Comite Zollerio, quinto hujus nominis Burggravio Norimb. ſed inter Electores primo. Hic enim Sigiſmundo Imperatori operâ in bellis Ungaricis & Bohemicis ſtrenuè navatâ, ab ipſo, Conſtantiæ Elector & Marchio creatus, A. C. 1415. et inveſtitus eſt, A. C. 1417. Inde Dux Comitiis Norimbergens. contra Huſſitas declaratus, ab illis ditiones ſuas vaſtari, Francofurtô etiam obſeſſâ, vidit. Pater Friderici Ferrei, qui Poloniæ Bohemiæque regna ſibi oblata recuſans, Baſileenſis Concilii protector fuit, A. C. 1434. & Alberti, Electorum. Hic *Achilles Germanicus* alias *Ulyſſes*, dictus, vide infrà, vitâ functus eſt, A. C. 1486. Auctor legum fundamentalium domus & confraternitatis cum Saxonibus & Haſſis: ut & duarum linearum, per Johannem, & Fridericum filios: quorum ille *Magnus* & *Cicero* dictus genuit minorem natu Albertum, Archiepiſcopum ſimul Magdeburgenſem & Moguntinum: qui A. C. 1536. liberum religionis exercitium ſuis permiſit: Primogenitum autem Joachimum I. cognomine *Neſtora*, Academiæ Francofurtenſis auctorem, A. C. 1517. qui Eliſabetham Danicam uxorem, quòd Evangelium cognoviſſet, in Saxoniam fugere coëgit, mortuus A. C. 1535. Huic ſucceſſit fil. Joachimus II. qui religioni Evangelicæ nomen dedit, A. C. 1539. poſteà Spiræ A. C. 1542. Dux Imperialis exercitus contra Turcas declaratus. Hic genuit Joh. Georgium Electorem, qui auxilia Henrico IV. in Galliam, adverſus Ligiſtas, miſit decrevit, A. C. 1591. Obiit A. C. 1598. Communis pater omnium hodie ea gente Brandeburgica ſuperſtitum. Ejus enim fil. Joachimus Fridericus; qui A. C. 1566. Archiepiſcopus Magdeburgenſis creatus, licèt uxoratus, in poſſeſſione manſit, patrique in Electoratu ſucceſſit, A. C. 1598. cujus fil. Joh. Sigiſmundus Elector Reformatam religionem amplexus eſt, A. C. 1614. Quem excepit filius Georgius Wilhelmus, A. C. 1619. cujus fil. eſt Fridericus Wilhelmus, natus A. C. 1620. rebus geſtis olim hodieque, fervente contra Suecos bellô, quod A. C. 1675. exortum, toto orbe inclytus. Numeroſæ prolis è duplici conjugio parens. Chriſtianus vero ſecundus filius Joh. Georgii Culmbacenſis ſeu Baruthinæ, Joachimus & Erneſtus tertius fil. Onolſpacenſis ſeu Anſpacenſis lineæ ſatores fuêre. Vide & infrà.

BRANDEBURGICUS Albertus, fil. minor natu Johannis, cognomine Magni, Electoris, Canonicus Trevirenſis, dein Archiepiſcopus Magdeburgenſis, & Epiſcopatus Halberſtadienſis adminiſtrator, poſteà A. C. 1514. inauditô exemplô, etiam Archiepiſcopus Moguntinus, ac A. C. 1518. Cardinalis Franciſci I. Electionem impedivit. Cum Ludovico quoque Comite Palatino creditur unus obſtitiſſe, quò minus ob religionem in Germania priùs bella orirentur. Sub eo A. C. 1524. Magdeburgi reformatio inſtituta, excitô Lutherô. Tandem ipſe Cardinalis, A. C. 1556. ſubditis civitatibus & nobilitati, in diœceſi Magdeburg. & Halberſtad. liberum religionis exercitium permiſit. Obiit A. C. 1545. Serarius *Hiſt. Mogunt.* Bruſchius *de Præſul. Mog.* Trithemius, *Spenerus in Sylloge Geneal. Hiſtorica*.

BRANDEBURGUM, quaſi BRENNOBURGUM, celebre oppidum & Metropolis Mediæ Marchiæ Brandeburgenſis, extructum, ut quidam volunt, à Brenno, Duce Gallorum; vel, ut alii, à *Brandone*, Francorum Principe, Marcomiri *filio*: ſitum eſt ad fluvium Havelam, à quo etiam dividitur in Novum & Vetus: eſt hic totius regionis tribunal: multa habet privilegia & immunitates ab Imperatoribus, Regibus & Principibus ei conceſſa: cujus indicio eſt ſtatua pedeſtris in novæ urbis parte poſita, ſtrictum gladium dextrâ gerens, quam Rolandum cives vocant. *Ortel*. *Merc*. Capta urbs à Suecis A. C. 1675. & recepta eſt. longitud. 35. 00. latitud: 52. 39. Hinc Marchia Brandenburgenſis, cum Electoratus dignitate, inter Luxemburgenſem, Brunſvicenſem, Magdeburgenſem ditionem, Sileſiam, Pomeraniam & Pruſſiam Regiam. Dividitur in Veterem Marchiam, *die Alte Marck*. Mediam ſeu *Mittel-Marck*, ubi Brandeburgum urbs præcipua Berolinum, ſedes Electoris, Francofurtum ad Oderam, Univerſitate inclytum. &c. Novam ſeu *Neumark*. Vide ſuprà. Nomen Marchiæ ab eo, quòd Henricus Auceps ibi Marchiones ſeu præfectos conſtituit, qui poſtmodum hæreditarii facti. Electoralis familia hodierna, à Friderico I. deſcendit, quem Rudolphus I. Imperator ſororis ſuæ maritum, Burggravium Norimbergenſem creavit, A. C. 1273 Cujus nepotum uni Friderico IV. Marchiam Sigiſmundus Imperator vendidit, A. C. 1411. eumque Electorem declaravit, Conciliô Conſtantienſi ob res in Hungaria & Bohemia præclarè geſtas. Hujus fil. Fridericus V. Pomeraniam obtinuit, à Friderico III. Imperatore. Poſtmodum familia in varios ramos diviſa. De quibus vide Spener. *in Sylloge Geneal. Hiſt.* & ſuprà Elector Brandeb. etiam Archicamerarius Imperii eſt, hodieque inſuper Pruſſiam Ducalem, Ducatum Croſſen, in Sileſia. &c poſſidet, Reformatæ Religionis fortiſſimi vindices Friderici Wilhelmi filius, tantô Genitore digniſſimus, Fridericus III. Pfannero: Terras, quibus nunc Marchiæ Brandeburgicæ nomen, poſt alias nationes, Vandali Henetive quondam habitavêre; hiſque ab Henrico Aucupe debellatis, Sigefridus Ringelheimi Comes, Henrici proſector, *Marchionis* titulô iis impoſitus, A. C. 917. Huic ſubrogatus Gero, Comes Alteuburgi & Merſburgi; Geroni Bruno, Comes Wettini A. C. 956. cujus nepote Theodoricô totâ ditione exutô, Obotriti eam habuêre, pulſi rurſus ab Udone Comite Soltwedelenſi aut Stadenſi, Conradi II. Imperatoris opibus ſuffultos. Verum proſcriptô Undone II. ob Saxonum patres, adverſus Henricum IV. rebellantium, ſuſtentatas, Primiſlao Obotritorum Regi ejus invadendæ copia permiſſa eſt. Quò defunctô, Alberto Urſo Comiti Aſcaniæ, ex Primiſlai teſtamento, Friderici I. Imperatoris conſenſu firmato, obvenit: cujus progenies finem ſortita eſt in Johanne IV. A. C. 1323. unde terræ hæ, fruſtrà eas repetente Albertô Juniore Anhaltinô, à Ludovico Bavarô Imperatoris filio Ludovicô, cui itidem *Bavari* cognomen, datæ, & ab hoc fratri Ludovico Romano, à Romano rurſum fratri Ottoni ceſſæ, ab Ottone verò ſocero Carolo IV. Imperatori & Bohemiæ Regi pretiô 200000. aureorum Hungaricorum venditæ; eaſque poſteà Sigiſmundus Caroli fil. recuperandæ Hungariæ intentus, adeoque pecuniæ in eam rem indigus; 40000. aureis Bohemicis Jodoco Moravo venum dedit, ab hoc Guilhelmo Diviti Miſniæ Marchioni pignori oppoſitas; quas tamen eô ſolutas nexu, in Fridericum Burggravium Norimberg. ex Zollieriorum Comitum proſapia, tranſtulit A. C. 1417. ob fidelem ſtrenuamque operam in Hungaricis, Bohemicis aliiſque motibus navatam, itaque eam impenſos, dum Præſidem Sigiſmundi nomine egerat, ſumtus & firmandæ denique Marchiæ tranquillitati, variè hactenus turbatæ: ita tamen, ut ſi 40000. aureos pro ea exſolveret, ad Sigiſmundi filium, ſi quis ipſi naſceretur, reverſurâ; manſurâ vero Friderico, ſi nullus: quod & factum. Vide Tob. Pfannerum *de Præcipuis Germaniæ Principum gentibus* c. 4.

BRANDEBURGUM, urbs Pruſſiæ Ducalis ab Electore Brandeburgico noviter condita, ubi Pregela fluv. in ſinum *Friſch Haff* ſe exonerat, aliquot milliar. infra Regiomontem.

BRANDEVILLA, vulgò BRANVILLE, locus Galliæ, in finibus *Lexoviorum*, memoratus in literis Roberti Marchiſi vel Normannorum Ducis, circa A. C. 1030. datis, apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Exaltſurum*.

BRANDEUM, vox recentioris ævi, pro *Zona*, faſciâ, cingulo; Ἐγκόλπιον, Græcis, ad cujus ſimilitudinem *Prandeum* quoque occurrit, apud Iſidorum in *Gloſſis* & Petr. Damianum *l. 4. Ep. 14.* Propriè verò, velum ſeu palliam ſericam notat linteamque, quâ Sanctorum reliquiæ vel corpora in Eccleſia Roman. olim involvi ſolebant: cujuſmodi vela in particulas diſſecta, zonæ vel tæniæ ſpeciem referentia, iiſdem nomine appellabantur panni particulæ aut ſericæ, quæ iiſdem lipſanis applicatæ, ex ipſo contactu, tanquam Sanctorum ipſorum reliquiæ, Chriſtianis diſtribuebantur; cùm olim ſummis digitis eas attrectari, nedum quidpiam ex iis detrahi; aut abradi nefas haberetur. Admovebantur autem *Brandea* illa, ſive velamina, ſudaria, pallia & alia hujuſmodi, Sanctorum corporibus inter aras vel thecas occluſis, per certas feneſtellas, in aris aut thecis extructas, de quibus feneſtellis agunt Gregorius Turonenſ. *de Gloria Confeſſ.* c. 37. Beda *Hiſtor. Anglic. l.* 1. *c.* 3. Evodius *de Miraculis S. Stephani l.* 5. *c.* 12. Alii. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Matthæus Frattenſis *Hierolex.* Addam hoc ſaltem, *Brandeum* quoque ſeu *Brandonem*, velum, prædiis obſignatis apponi ſolitum, appellatum fuiſſe, uti docet idem Car. du Freſne ex *Chartis* variis, *Ibid.*

BRANDMYLLERUS Johannes, Biberacenſis, Theologus inſignis, Eccleſiæ Baſilienſis Miniſter. Edidit *Conciones funebres* 400. *ex. V. T.* 80. *ex Novo. Nuptiales itidem, ex prioris* 40. *ex poſterioris* 20. Baſil. A. C. 1572. Hanoviæ, A. C. 1608. &c. Obiit A. C. 1596. Pater Johannis Jacobi, cujus extant: *Analyſis typica Evangeliorum Dominical. & Feſtival. cum obſerv. Baſil.* A. C. 1610. *Analyſis ſive loci Comm. ex Symbolo Apoſt. & Decal. Ibidem. Analyſis omnium Epiſtol. & Apoc. Baſil.* A. C. 1621. *Analyſ. typic. librorum V. T. Poët. & Prophet. &c.* Catal. Oxon.

BRANDMYLLERUS Jacobus, J. Jac. ex filio nepos: Orator, Poëta, JCtus clariſſimus, in Academia Baſil. Jus docuit. Ejus extant, *Manuductio ad Jus Canonicum & Civile. Dubia Juridica ad Schneidewin*, &c. Extinctus haud pridem: filios reliquit, Emanuelem

J. U.

J. U. Doctorem & Jacobum, Verbi Dei Miniſtrum nominis paterni avitique æmulos.

BRANDOLINUS Jacobus, vide *Jacobus*.

BRANDONES, Gallis olim prima Quadrageſimalis Jejunii hebdomas dicta eſt, quòd hujus primâ die ſub veſperum pueri *brandonibus* ſeu facibus accenſis (à Germanica voce *brand*, i.e. *incendium*) februare ſolerent. Hinc *Dominica Brandonum*, quæ Quadrageſimam præcedit, *lo Dimane qui eſt appellet Dimane brandonner*, vocatur in *Libertatibus* Villæ de Peruſa A.C. 1260 apud Thomaſſerium, laudatum Carolo du Freſne præfato *d. l.*

BRANGONIA, quæ & *Vigornia*, Angliæ urbs, ad Sabrinam fluv. vulgò *Worceſter* dicitur & *Brannogenium*. *Ptol.* Aliquibus *Bangor* videtur.

BRANICUM, caſtrum Comitatus Tirolenſis in ditione Epiſcopi Brixinenſis, ad amnem *Rienz*.

BRANNESIA, Urbs Epiſcopalis Holſatiæ, in Vagria regiuncula fuit, nunc caſtrum, 2. leuc. ab ora maris Baltici. *Oldenborch.* Vide *Aldeburgum*.

BRANNOGENIUM, *Camdeno* oppid. Cornaviorum, nunc *Worceſter*. Vide *Brangonia*.

BRANNOVICES, popul. Gall. Narbonenſis in Allobrogum finibus, quorum regio *la Morienne*, vel *Maurienne* dicitur.

BRANODUNUM, limitis Saxonici in Britannia oppid. *Lib. Notit. Branceſter* Camdenô teſte in Norfolcia.

BRANOVIUM, nunc *Vigornia*, infelici pugnâ Scotorum adverſus Anglos nobilis, A.C. 1652. Vide *Vigornia*.

de BRANTHEGEN Guilielmus, vide *Guilielmus*.

BRANTOSMURII Monaſterium, vel *Brantoſmum*, vulgò *Brantôme*, Galliæ Monaſterium eſt, in Aquitania, memoratum in *Decreto* Ludovici Pii Aug. *de Monaſt. Regni ſui*, apud eundem, in voce *S. Maxentii*.

BRASIÆ, urbs Laconiæ. *Steph. Praſia. Ptol. Cipariſſi. Zardo.* Sed *Nigro Tiros*.

BRASIDAS, Dux Lacedæmonius celeberrimus, circa Amphipolim ab Athenienſium multitudine impar deprehenſus, claudendum ſe præſtitit, ut per longum Coronæ ambitum, hoſtium frequentiam extenuaret: quaque rariſſimi obſtabant, erupit. Frontinus *in Stratagem. l. 2. c. 5. n. 23.* Vide Suidam in *Βρασίδας*. Diodor. Sic. *l. 12.* Thucyd *l. 3. 4. 5.* Plut. in *Apophth.*

BRASILAS, Cous quidam, cujus mentio eſt apud Theocr. *Idyl. 7.* Vide ſis ibi Scholiaſten.

BRASILIA, aliàs Provincia *S. Crucis*, quia hâc die detecta, Americæ meridionalis pars admodum ampla & fertilis, duobus ab Æquatore gradibus partibuſve, ad quinque & quadraginta in Auſtrum excurrens, Trigoni oblongi ſpeciem refert, cujus baſis in Æquatore ad Septemtriones obverſa, ab Oriente in Occidentem rectâ protenditur. Angulus extremus ignotas ad Meridiem regiones attingit, latus in Orientem ſpectans interpoſito mari Heſperiis Æthiopibus adjacet: Alterum latus à Provincia Peruana diſterminant montium juga, adeo celſa, ut ipſarum avium volatus fatigare dicantur; Sita eſt inter duos fluvios Maragnon & Della Plata. Regio eſt amœna, cœli admodum jucunda ſalubriſque temperies, terra partim in planitiem ſoluta, partim in colles clementer aſſurgens; quadrupedia hîc plurima, ſed ferme ſylveſtria, partim nota nobis partim incognita, aves coloris eximii, multæ hîc Portugalenſium Coloniæ. Plura vide apud Maffejum. A Luſitanis detecta, & occupata etiamnum Regem Portugalliæ agnoſcit. Dividitur in 14. Præfecturas, ſeu Capitanias. Ejus Urbes præcipuæ Soteropolis Portus omnium SS. Olinda, Portus ſecurus, Siara, Spiritus S. Fanum S. Sebaſtiani. In Orbem maximè porrigitur *Baudrando*, usque Paraguajam provinc. & fluv. Amazonum. Alvarez Cabralius, tempeſtate huc ejectus, primus columnam ibi cum Luſitaniæ Regum inſignibus, erexit. Americus dein Veſputius regionem exactius luſtravit. Incolæ nudi, neque ſerunt, neque metunt, fœcunditate ſoli & ferarum abundantiâ, in otium verſi. Hoſtes captos devorant, ſine Lege, ſine Fide. Poſt Luſitanos Galli huc venerunt, Angli dein & Belgæ, qui poſtremi, Pernambuco urbe captâ, quatuorque regnis ſubactis aliquot annos hîc rerum potiti ſunt, Mauritiô Principe per XII. annos Vice Rege hîc conſtitutô, poſtquam Chriſtoph. Arciſzevius, præclaram ibi operam Ordinibus præſtitiſſet, poſtmodum à Luſitanis denuo tantum non excuſſi. Ligni hinc Braſiliani, in tinctorum uſum, ſacchari, &c. magna copia in Europam adfertur. Vide quoque Joh. de Laet, *Nov. Orb. Deſcr. l. 2.* Linſchotum, Jarricum *l. 3.* Herreram *c. 25.* Barlæum *in Braſil.* Abbævillanum *t. 3. &c.* Vide quoque infra *Mercatus Braſilicus*, it. *Semicanibus Anthropophagorum Braſilianorum.*

BRASMA, apud Plin. *l. 12. c. 7.* in hiſtoria piperis, *Pirum & in ſua inopia eſt, atque cœli intemperie carbunculantur, fiuntque ſemina caſſa & inania, vocantque* Braſma, *Indorum lingua id ſignificante atrophum*; non Indica, ut Plinius voluit, ſed pura puta vox Græca eſt, *βράσμα*. Ita enim bullas & ampullas aquarum fervescentium vel etiam aquæ ferventis ac bullientis, puſtulas item ab igne in pane inaedo factas, dixerunt. Hinc *βράσμα* piper atrophum & inane, quòd nihil plus intus haberet ſolidi, quàm bullæ illæ & ampullæ. Impoſuère autem iſtiuſmodi nomina exoticis mercibus Græci inſtitores vel etiam Alexandrini Ἐμπόροι: quemadmodum in Ammoniaca lacryma, unum genus iiſdem vocabatur *Θραῦσμα*, alterum *Φύραμα*; in thuris hiſtoria, *σταγόνας*, *ἄτομος* & reliqua cognomina occurrunt, Salmaſ. *Exercitat. ad Solin. p. 1029. &* 1031.

BRASSENUS Philippus. Vide *Philippus*, it. *Franciſcus*.

BRASSICA, in Amphidromiis olim, apud Athenienſes, adhibita legitur apud Athenæum *l. 9.* ubi verſus hac de re Ephippi *in Geryone* Latinè ſic habent:

> *Cùm Amphidromia celebrentur, quibus mos eſt*
> *Aſſare fruſta caſei Cherſoniti,*
> *Oleoque braſſicam in faſciculos collectam incoquere.*

Eandem gravidæ, ad fœtus incrementum, comedebant, quemadmodum & cochleas edules, & malicorium, ſed non ſine damno, potu diptami addito. Hinc iterum Athenæus, ubi ſuprà: *Ἀθήνησι* δὲ, inquit, καὶ ταῖς τετοκυίαις κράμβην παρεσκευάζετο, ὡς ἐν ἀντιφαρμάκου τινὸς τάξει, i. e. *Apud Athenienſes puerperis braſſica parabatur, velut idoneum medicamentum quoddam, & apta nutriendo corpori.* Vide Thom. Bartholinum *Exercit. Miſcell. & de Puerperio Veter.* Per *Braſſicam* jurare olim Teleclidem ſolitum, dicemus infrà voce *Caput*. Etiam in Inſignibus *Braſſica*. Et quidem *Braſſica* albo capite, cum capra, veterum Hungarorum fuit teſſera, apud Hæpingum *de Jure Inſign. Par. 3. c. 6.* quo de Spenerum vide *Artis Herald. Part. 2. l. 1. c. 9. §. 18.*

BRATHYS, apud Plin. *l. 24. c. 11.* Græcè Βραθὺ vel Βράθυς arbor pumila, adeo ut herba à quibuſdam dicatur, propriô nomine *Herba Sabina* Latinis, Virgil. in *Culice*,

> *Herbaque thuris opes priſcis imitata Sabina:*

Frutex fuit Græcis familiaris, & in ſacris, ante thuris notitiam, adoleri conſuetus, quemadmodum eundem in uſum Indorum maximè Arabes, Ammoniacum Libyes, adhibebant. *Heſych. Βράθυ, ποιὰ ἐν θυσίαις θυόμενον.* Et *Dioſcorides*, Χρῶνται δὲ τοῖς φύλλοις ἀντὶ θυμιάματος. Unde apud antiquos Græcos *θύον* nomen, h. e. *θυμίαμα*, proprium ſibi habere meruit: ut videre eſt apud Homerum, ubi cum cedro unà uri tradit, in foco & ſpecu Calypſus, *Od.* ε. *v.* 60.

> Κέδρου τ' εὐκεάτοιο θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

Certè odorem ejus incenſi proximum eſſe cedro, tradit idem *Plinius*: & cum cedro, juniperoque aliis Arabiæ arboribus odoratis, recenſet *Dioſcorides*. Nec ex alio magis frutice vetuſtiſſimos Græcos in ſacris convolutum nidorem odoremve noviſſe conſtat, qui proin *θύον*, κατ' ἐξοχὴν *θύον*, per excellentiam vocavêre &c. Hunc frutici ſimilia folia quod citrus haberet, Græci Theræi, qui coloniam in Africam deduxerunt & Cyrenas condiderunt, hoc genus arboris ibi repertæ, *Θύον* poſteà quoque vocaverunt: quæ cauſa, quod & *Plinius citrum* cum *brathy* confuderit. Sed longa differentia inter herbam Sabinam fuit & *Θύον* Cyrenaicum, h.e. citrum; utpote cum citrus arbor ſit magna ac inodora, ut infrà dicemus. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 953. & ſeqq.* ut & infrà in voce *Sabina arbor*.

BRATISLAVIA, Urbs Poloniæ in Lithuaniæ Ducatu cum arce in ſcopulo, ad Lacum *Braslaw*.

BRATIJA, vel BRACTIA, Mœſiæ provincia, cum Pannoniis conjuncta. Plin. *l. 4. c. ult.* Alia eſt inſul. maris Adriaci Liburniæ oræ adjacens, capreis, & bobus abundans. *Brazza* vulgò dicitur.

BRATTIA, Inſul. oblonga, in ora Dalmatiæ, inter Spalatum & Narentam, ſub Venetis, prope Tragurium & Leſinam Inſul. *Labrazza. Baudrand.* Vide *Bratina*.

BRATUSPANTIUM, vulgò *Gratepance*, teſte Car. Bovillô, vel *Gratmeller*, pagus & Abbatia. Aliis *Beaumont*, aliis *Clermont*, oppid. in finibus Bellovacorum in Gallia Belgica. Multis eſt *Bellovacum*, *Baudrand.*

BRAVA, urbs Africæ in Zanguebaria regione & Ajana ora, cum portu. Non procul ab Abyſſinia.

BRAUCOMAGUM, *Ptolemæo*, *Breucomagus*, German. *Brumat*, vicus Germaniæ hodie eſt 2. milliar. infra Argentoratum, verſus montana. Olim civitas Alemannorum, capta à Juliano apoſtata & deſtructa ab Attila: quorum ib inſignem de Alemannis victoriam ibidem reportavit. Eſt autem ad Sornum amnem, & quidem ſub Comite Hanovio-Leichtenbergico. Vide B. Rhenanum *Rerum Germ. l. 3.* & ad eum *Notas* Cl. Ottonis JCti, infrà item *Brocomagus*.

BRAULION, Epiſcopus Cæſaraugoſtanus, in Hiſpania ſcripſit quædam, ut & *ſyllogen Canonum*. Ildefonſus *de Vir. Ill. c. 12.* Baron. *A. C. 636. n. 18.* Idem edidit *Libros Etymologiarum* Iſidori, poſt hujus mortem, ut teſtatur Ildefonſus *ad finem Libri Iſidori de Viris Illuſtrib.* & ipſe Braulio in *Catalogo operum ipſius Iſidori*: qui ambo cum Iſidoro vixerunt. Vide Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl. n. 224.*

BRAUNODUNUM, oppid. Norici ad Œnum fluv. vulgò *Braunaw*. longitud. 35. 25. latitud. 48. 10.

BRAUNSFELDA, oppid. Franconiæ, in monte, in Comitatu Solmenſi, prope Lanum fluv. 3. leuc. German. à Gieſſa.

BRAURON, Atticæ oppid. Strabo *l. 9.* à *Braurone* heroë, unde etiam *Brauronia* Diana dicta. Marathone haud procul, & cum ea ad eandem fortè Tribum pertinens, Templô Dianæ, Feſtôque in ejus honorem celebrari ſolitô olim erat nobile. Nunc *Urana* appellatur, &, in tenuibus reliquiis, vix 10. Albanorum habitacula continet. Jac. Sponius *Itiner. Græcia part. 2. & 3.* Vide Meurſium *Græcia Feriatâ p. 67.*

de BRAWILER Conradus, vide *Conradus*.

BRAVUM, Murbogorum in Hiſpania Tarraconenſi urbs. *Burgos Tarapha.* Vide *Burgi*.

BRE, Thraciæ urbs. *Procopius.*

BREA, civitas Athenienſium, in quam poſteà coloniam miſerunt. *Steph. Heſych. Βρέα, πόλις Θρᾳκίας εἰς ἣν Ἀθηναῖοι ἀποικίαν ἐξέπεμψαν.*

BRECÆ, vulgò dictæ *Broyes*, locus eſt Galliæ, non longè ab urbe Tricaſſis vel Trecis (*Troyes*) Ejus Eccleſia S. Blitharii, *Brecenſium patroni*, nomine cenſetur: Fuit autem hic S. Blitharius *S. Biarr* Scotus Hibernus, Presbyter ac Eremita cujus *ſignorum gloriâ permotus dominus Brecarum, nomine Hugo, ſub cujus ditione trahebatur Sezannæ parochia,* (hinc) *ad caſtrum Brecarum fecisse Sanctum deferri*, legitur in *Vita ejus*; apud Hadr. Valeſ. in voce *Sezanna*

BRE-

BRECHINIA, provinc. Angl. in Wallia, oppidumque ad Oſcam fluv. cognomine, vulgò *Brecknock*.

BRECHINIUM, urbs Scotiæ in ora orientali Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Andreapolitano, inde ad 55. milliar. in Boream inter Aberdoniam & Caſtrum Chalcedonium urbes 20. ad Elcam fluv. in Anguſia regione, vulgò *Brechen* longitud. 17. 38. latitud. 58 12.

BRECHYNIA, Urbecula Bohemiæ cum arce bellô Taboritanô nota. Quibuſdam eſt Bechyna ad Lauczitz amnem, prope Taborum.

BREDA, urbs Brabantiæ permunita, ad fluv. Mervam, cum titulo Baroniæ, in ditione Principis Arauſicani, ſub Hollandis tamen. Ab amne et nomen, is *Aa* haſtenus, in latumque aditum mœnia perlabitur, mutatô in *Merſcam* vocabulô, & mox ad Septembelgas in maris ſinum ſe exonerat. Polana domus ex emto illam tenuit olim: inde Naſſavia Engelberti matrimoniô, cujus Henricus pronepos, munimenta foſſaſque addidit, & nobiliſſimam arcem, præſidio ſimul, & oſtentui. Ab Heraugerio, auſpiciis Mauritii Principis egregiô ſtratagemate capta eſt, A.C. 1590. Vide Grot. *Hiſtor.* *l.* 2. In Spinolæ manus, nonô obſidionis menſe, pervenit, A.C. 1624. Sed fortiter recuperata eſt, A. C. 1637. à Friderico Henrico Principe Arauſiaco poſt duorum menſium obſidium: Gymnaſiô illuſtri, ac pacis negotiis, A.C 1575. inter Belgas & Hiſpanos ac haud pridem inter Belgas & Anglos, inclyta. Septendecim vicis imperat, fertili circum agrô.

BREDENARDA, vulgò *terre de Brenarde*, à latitudine paſturæ dicitur eſt olim locus pafcuus, amplus admodum & latus, Belgii, inter flumina Vennam ac Reveram, teſte Lambertô. A' voce *Bred* vel *Breden*, quæ latum ſignificat, & *Arda*, incolis, paſcuum denotante: quarum prior urbi in Brabantia *Breda* dictæ; poſterius *Arda* vel *Ardea* Morinorum nomen indidiſſe videtur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Arda*.

BREDENBERGA, oppidul. cum arce permunita, in Holſatia & Stormaria region. ad Sturam amnem.

BREDERODA, caſtrum Hollandiæ Septentrionalis prope Harlemum. Hinc Familiæ illuſtri nomen.

BREDERODIUS, vide *Petrus Cornelius*.

BREDD, oppidum Galliæ in Brexia, 5. leuc. à Rhodano, ad amniculum, qui Indiam auget, ubi S. Ragnebertus martyriô affectus eſt. Dicitur *Vallis Vebronna* vel *Bebronna*, à torrente, quô alluitur, ſi *Adoni* credere licet: ubi Domitianum Abbatem, primum vitam Eremiticam exercuiſſe, refert: Et eſt locus hic cum Monaſterio, in eremo aut deſerto Lugdunenſis pagi, poſteàque à cæde Ragneberti ibi patrata S. Ragnebertum, vulgo *S. Rambert* dici occœpit; in ipſo agri Lugdunenſis monciſque Juræ confinio. Vide quoque S. *Ragnebertis* oppidum.

BREFURTIUM, oppidul. Zutphaniæ, ſub Hollandis, ab A.C. 1597. in loco paludoſo. 5. leuc. à Grolla.

BREGA, urbs Sileſiæ, Ducatus cognominis caput ad Oderam fluv. vulgò *Brieg*. 4. leuc. ab Uratiſlavia, totidemque ab Oppolio diſtans. Vide *Brieg*a.

BREGETIUM, Pannoniæ ſuperioris urbs. *Ptol. Cluverio* Strigonium, *Gran.* Aliis *Komora*, arx ad Danubium in Scutia inſul.

BREGI, & BREGES, Phryges populi. Strabo *l.* 12.

BREGMENTENI, Aſiæ populi in Troade. Plin. *l.* 5. *c.* 30. Sunt qui *Bregmen* legunt.

BREITENBACHIUS Bernardus, vide *Bernardus*.

BREMA, dicta à voce *Pramen*, i.e. navibus latiſſimis, quibus olim in tranſnavigando uſi, antequam ponte Viſurgis jungeretur: Civitas eſt Imperialis murô circumdata, circa A.C. 1309. & inter Inſigniores Germaniæ urbes locum tenet: in inferiore Saxonia cum Archiepiſcopatu, cujus ſedes olim ab Hamburgenſibus huc tranſlata eſt, ubi antè Archiepiſcopatus tunc omnium Aquilonarium provinciarum, & Ducali Friſiæ orientali vicina, Hanſeatica, mercimoniis florens eſt, ad Viſurgim fluv. poſita, ex quo admirandæ altitudinis rota aquam ad incolarum neceſſitates in hanc urbem per canales ſubterraneos artificioſè tranſfundit. Ligneum habet pontem, ſub quo molæ frumento frangendo, & tormentario pulveri tundendo deſtinatæ complures ordine hærent. Gubernatio ab antiquo penes Poteſtates & Judiciariam manum: poſtmodum Proconſules & Conſules, ſtetit, donec in Oligarchiam, tempore Greepelingii, interfecti A C. 1307. vergeret: quibus ejectis magis Democraticè regi cœpit, donec A.C. 1591. ſub Bonifacio Papa diſpoſitione hujus accidente, optimi quique de civitate in Senatum cooptarentur: quæ electionis ratio hodieque in uſu. Caput eſt regiunculæ adjacentis, in varias *Gohen* diviſæ. Libera ſemper fuit, neque in illa Archiepiſcopus jus terrendi aut merum mixtumque imperium, aliaque juris territorali adhærentia, habuit unquam. Joh. Wachmannus *Deſcr. Reip. Brem.* Zeileri *Itiner. Germ.* Sanctii *Theatr. urb.* Ob fidelitatem jam olim inſignibus privilegiis donata eſt, à Carolo M. Friderico I. Henrico V. Wilhelmo, Carolo V. Mathia, Ferdinando III. Imperatorib. De controverſia cum Archiepiſcopo A.C. 1639. ut & de ſtatu immediatatis ejus, motâ A.C. 1641. ab Archiepiſcopo & A. C. 1654. à Suecicis Legatis iiſque quæ hinc ſuborta, vide Burgoldenſem *p.* 3. *ad Inſtr. Pac. Diſc.* 13. *n.* 3. *& ibi cit.* *Franc. Irenici, in Colleg. ad Burgold.* Inſignium ei locô Claves ſunt, eò quòd, ob viciniam maris, non modò Imperio mercibus ſuis multum utilitatis afferat, ſed & mare præſertim ad Wiſeræ oſtium, & in Wiſera à prædonibus liberum, tutumque præſtat. Plura vide apud Limnæum *de Civ. Imp.* Reformatam religionem ſequitur, primò Evangelii præcone uſa Henricô Zutphanienſi: Lutheranis exercitiô liberò quoque conceſſô. Bremerforda, ſedes poſteà Archiepiſcopi, cujus ditio nunc ſub Suecis, ab A. C. 1649. Adam de Bremen *l.* 1. *c.* 17. Crantz. *hiſtor.* *Sax.* *l.* 1. *&* 2. Cluver. *l.* 3. longitud. 30. 17. latitud. 53. 25. Vide *Bremenſis Ducatus & Phabiranum*.

BREMA, urbs Aſiæ, in India extra Gangem, ad fluv. Menamum. Caput regni cognominis in regione *Pegu*.

BREMBUS, fluv. Italiæ & agri Bergomenſis. Hinc Brembana vallis. Oritur in lumine Vallis Tellinæ, & in Adduam ſe exonerat, 8. milliar. à Bergamo.

BREMEFURDA, oppid. Ducatus Bremenſis. Vide *Verda*.

BREMENIUM, Otadenorum urbs, in finibus Scotiæ & Angliæ. *Ptol. Berwick Villanovano bamburrow Talbota, Brampton Camdeno*, oppidul. Northumbriæ, ad amnem Till. Vide Burtonum *in Antoninum p.* 37 &c.

BREMENSIS Ducatus Germaniæ, trianguli iſoſcelis figurâ, cujus latera ferè æqualia ſunt, Viſurgis & Albis fluvii, in extremo anguli apice ad peninſulam, cui à novo opere ſeu Turri ad ſecuritatem navigantium ibi extructa, nomen dederunt, coëuntes: Baſis verò eſt linea ab Eſta fluv. per fines ditionis Luneburgenſis & Verdenſis, paulò infra Alleræ, in Viſurgim ſe exonerantis, oſtium deducta. Hujus diœceſis non eadem ubique qualitas: duæ enim oræ diœceſeos Bremenſis extrema ad Albis & Viſurgis aggeres, admodum opimæ & frugum ac fructuum feraces ſunt: medius verò tractus inter Stadam & Bremam, quem mercatores uſitatè tranſeunt, horridus ſanè & incultus eſt: Itaque *pallio expanſo* diœceſin Bremenſem vulgo comparant, cujus duæ anteriores oræ, à capite ſeu Albis & Viſurgis confluente, ad utriuſque fluminis ripas aſcendendo, fructuoſiſſimis agris & paſcuis, velut Holoſerico prætextæ: reliqua latitudo ex leviduli filo aut canabi contexta ſit. *Merul.* Nunc ſubeſt Suecis, pace Monaſterienſi, cum alias proprium haberet Archiepiſcopum. Ejus urbes ſunt Stada, Bremefurda, Buxtehuda. Sed Brema totius tractus caput, ferè ſui juris eſt. Terminatus à Septentrione Albi fluviô, à Meridie Viſurgi, ab Ortu Ducatu Luneburgenſi & Principatu Ferdenſi, ab Occaſu Comitatu Oldenburgicô & ditione Lavenburgicâ. *Baudrand.* A' Confœderatis miſerè captata diu eſt A.C. 1675. urbibus maximâ ex parte à Luneburgicis Principibus & Epiſcopo Monaſterienſi in poteſtatem redactis.

BREMETONACUM, Angliæ oppid. *Antonin. Ribchester Camdeno*, viculus Lancaſtrenſis ad amnem Ribbi, 10. milliar. Angl. ab ora litorali in Ortum.

BREMDGARTUM, vulgò *Bremgarten*, oppid. Helvetiorum, ad Urſum amnem, 15. mill paſſ. ab aquis Helveticis, Lucernam verſus. Fuit olim civitas Romani Imperii, poſteà Habſpurgicis, & qui ex his orti, Auſtriis Principibus paruit. A Sigiſmundo Imperatore, cum Mellinga, Helvetiis, qui loca hæc Imperii nomine, A. C. 1415. occupârunt, oppignorata eſt: à quo tempore octo veter. Pagorum imperium agnoſcit. Fortitudine inſignes incolæ. Miſſa hic imagineſque abolitæ, A.C. 1529. reſtitutæ ſunt A.C. 1531. Imperat vicis aliquot, quos vocant Cellæ præfecturam, *das Keller-amt*: in qua tamen ſummum imperium & animadverſio in capitis reos Tigurinis competit. Vide Stumpf. *Chron. Helv.* *Simlerum*, *Guillimannum*, &c.

BRENDA, à veterib. Poëtis brevitatis cauſâ appellabatur Brundiſium, teſte *Feſtô*.

BRENDULUM, oppidul. Italiæ, cum portu, in inſul. maris Adriatici & Ducatus Veneti, prope littus & foſſas Clodias, paucis milliar. à Venetiis in Auſtrum, *Brendolo*.

BRENLANDUS, cognomine *Brito*, ſub Eduardo III. A C. 1340. Aſtrologiam Judiciariam ſcriptis editis refutavit. Geſner. *in Bibliotb.*

BRENNACUM, oppidul. Galliæ ad *Clauſe* amnem, in Turonenſi provinc. & confinio Ducatus Bituricenſis, vulgò *Mezieres*, ſeu *S. Michel en Brenne*, *P. du Val.* Alius eſt *Brenne*, vicus Campaniæ, in agro Remenſi Valeſio *Brennacum*, ſeu *Brannacum* villa olim Regia fuit Regni pagique etiam Sueſſionici, poſita ad flumen Vidulam, in qua Chlotharius extruxerat Regiam, morarique conſueverat, ubi & ejus theſauri ſervabantur: à Gregorio Turonicu Epiſcopo, à Fortunato, Fredegario, cæteriſque memorata: quò Epiſcopi ex toto Chilperici Regno ad cognoſcendam Gregorii ipſius cauſam evocati convenerunt. Vulgò *Braine* appellatus. *Villam Brennacum*, vel ut *Fortunatus & Geſta Regum Francorum* vocant *Brinnacum*; *Frodoardus castrum ſuper Vidulam* ſitum, *nomine Brainam*, item *munitionem Remenſis* (aliàs *Rodomenſis*) *Eccleſiæ ſuper fluvium Vidulam ſitam, quam vocant Brainam*, nuncupat. Hic locus S. Euhodii Baſilicâ inſignis eſt, vulgò *S. Yved* dictus: quæ Abbatialis Baſilica duplici titulo ac patrociniô ab origine gaudens, olim *Eccleſia S. Mariæ & S. Euhodii* dicebatur; jam omiſſô B. Mariæ nomine, *Eccleſia S. Euhodii* pridem dicitur. *Brainam* pro Brennaco vel Braina ferè omnes recentiores ſcriptores appellitant. Eſt & in Hainoo Comitatu Braina Comitis cognominata, *Braine le Comte*: eſt & Brennacum vel Braina caſtellum, *Braine le Chaſteau*. Eſt quoque non procul ab Arciaca & à flumine Alba in Campania Gallica *Brenna*, *Brene*, Frodoardo *in rebus anni* 951. *munitio quædam nomine Brena* dicta. *Notit. Gall.*

BRENNARII, in *Charta* Hugonis Burgundiæ Ducis *A. C.* 1255. memorati, ſunt qui *brennatico* ſeu *furfuragio* (i. e. tributo, quod pro venaticorum canum ſtramine præſtabatur) cogendo præfecti erant, vel penes quos paſcendorum canum erat cura: Cujuſmodi exactiones pro canibus venaticis, atque adeò ipſis venatoribus, *Tenentium* impenſis paſcendis, ſæpe obſervare eſt, in *Chartis* veter. Iidem canes venaticos ad venationem ducebant &c. Car. du Freſne *Gloſſar.*

BRENNI, populi Norici, aliis *Breuni*. *Strabo* Βρεῦνοι καὶ Γεναῦνοι conjungit. Similiter Horat. *l.* 4. *Carm. Od.* 14. *v.* 9.

—— Milite nam tuo
Druſus Genaunos, implacidum genus,
Breunoſque veloces, & arces
Alpibus impoſitas tremendis
Dejecit. ——

Legendum etiam, ut rectè vidit Xylander, *in tropæo Alpium*, ISARCI. BREUNI. GENAUNI. *Perlachres hodiè Aven-*

tino; Item *Breuni*, populi Alpini in Lepontiorum confinio, quorum regio *La Val di Bregna* Italis, *Pallenſerthal* German. teſte Tſchudo nominatur; ubi *Breunus* fluv. *Bregno* vulgò, per vallem antè dictam, decurrens in Ticinum fluv. labitur.

BRENNIA, oppidul. Hannoniæ. Ab aliis *Braine*. Dicitur etiam *Bronium*, quod vide.

BRENNOBURGUM, vide *Brandeburgum*.

BRENNUS, Gallorum Senonum Dux, qui cum 300. armatorum millibus in Italiam irrumpens, Cluſium, hodie *Chiuſi*, in Tuſcia, obſedit, inde à Romanis, quorum opem obſeſſi imploraverant, depulſus: in hos protinus arma converſis, illos apud Alliam fluv. ingenti clade profligavit. Deinde ad urbem pergens eandem cepit, totamque exuſſit, præter Capitolium, quò nobilior juventus confugerat. Sed cùm & illud aggrederentur, Romani cum illo convênerunt, ut acceptis aliquot auri talentis, obſidionem ſolverent. Cùm igitur aurum penderetur, ipſe Dux gladium ſuum vaginâ eductum, & hunc penſari imperavit. Sed cùm hoc Romani, ut rem injuſtam recuſarent, atque ita invicem contenderent, Camillus exul, qui abſens Dictator creatus erat, collectis iis, qui Româ profugerant, Gallos ex improviſo adortus eſt, qui relicto aurô, cum maximo ſuorum detrimento fugâ ſibi conſulere coacti ſunt. Camillus verò eos continuò proſequens ex Italia expulit. Plutarchus in *Camillo*, [illegible Greek] Secutus eſt (inquit *Palmerius*) hôc locô Plut. T. Livium, ut ſin Camilli, cujus vitam ſcribere inſtituerat, gloriæ gratiâ Romanis mendaciô velificaretur. Rualdus doctus quidem & acri judiciô vir, & qui Plut. illuſtrandum & caſtigandum non ſine multis doctrinæ adminiculis aggreſſus eſt, ad hunc locum multa dixit, nec tamen ſatis multa. Nam cùm T. Livium aretalogum, & Romanorum mancipium mendacii ſategerit hôc locô arguere, id quidem fecit, ſed ut mihi videtur, nimis ſtrictè, & quaſi ad aliud properans. Poterat enim eum pluribus telis obruere, & hanc fabulam ex hominum memoriâ radicitus evellere. Et Polybium quidem cum citat, optimè facit: eſt enim rerum Romanarum fide digniſſimus author, qui duobus tantùm, aut circiter ſeculis aberat ab urbis captæ temporibus. Sed de illo auctore celeberrimo id, quod oblitus eſt dicere Rualdus, notabo, T. Livium ferè omnia à Polybio accepiſſe, ſæpe paginas integras illius auctoris ſuo operi inſeruiſſe, adeo ut interpretis Polybii ſæpiſſimè vice fungatur, ejus tamen ſuppreſſo nomine ferè ubique, & ſi quando accidit, ut ejus meminerit, cum citâſſe cum elogio jejunô & mehercules invido, *rerum Romanarum non contemnendus author*. Unde ſequitur, Livium malignitate quâdam cum aſſentatione erga Romanos, & odii erga Gallos aliter eam Hiſtoriam tradidiſſe, quam à Polybio veraci & libero auctore acceperat. Sed, ut poſt Rualdi meſſem aliquod ſpicilegium in ejus agro faciam, aliquid etiam de meo ad id argumentum afferam, & tanquam triarius è ſubſidiis in primam aciem contra Livium advolabo, & ex ipſius Polybii pharetra telum depromam acutiſſimum, nempe ex *l.* 2. ubi Gallos Bojos & Inſubres, ut auxilium à Gæſatis Transalpinis impetrarent, his rationibus uſos inducit: [illegible Greek] Ea ſic Latinè reddidit Caſaubonus: *Majorum res geſtas illis in memoriam revocantes, qui expeditione ſimili ſuſceptâ, non ſolùm prælio Romanos vicerant, ſed etiam à pugna Romam ipſam occupârant, bonis deinde illorum omnibus potiti, urbe etiam ipsâ per 7 menſes in ſuâ poteſtate detentâ, poſtquam ſuâ ſponte & beneficii locô eam urbis tradidiſſent, illæſi, atque incolumes in ſuam patriam reverſi fuerunt.* In quâ verſione oblitus eſt vir magnus interpretari hæc verba, [illegible Greek], quæ tamen linea deciderunt, *habentes emolumentum*, i.e. procul dubio aurum, quod ex pacto acceperant. At ſi vera fuiſſet Gallorum ad internecionem deletorum clades, quam Tragicè narrat Livius, certè Bojorum illos legatos, ab ejus negotii mentione maximè abſtinuiſſe decebat, quippe quòd contra eorum propoſitum Gæſatas à petita ſocietate plurimum deterrere valebat, & ridicula fuiſſet eorum exhortatio, & magis ridiculus Polybius, qui eos ita dicentes introducit, niſi Gallorum victoria omnibus nota, & conſtanter eô tempore credita fuiſſet. Itane credibile eſt, Polybium Africani & Lælii amicum, & contubernalem, virorum patriam amantium, & gloriæ gentis ſuæ cupidorum, qui procul dubio molliâ Romanorum acta ab eorum ſermone didicerat, & qui ſua ſcripta eorum cenſuræ ſubjeciſſe dicitur, auſum fuiſſe talem narrationem ſuis paginis inſerere, ſine maledicentiæ nota, & Romanorum odio, ſi contraria fama, vel dubia tantùm ad eorum virorum aures perveniſſet? Exul nempe Polybius ſolô Romanorum auxiliô fultus, ſine lare, ſine divitiis, Romanos ut aurô redemptos, ad poſteros traducere ſine auctoribus fide dignis impudentiſſimô mendaciô tentavit? Id certè putare foret abſurdiſſimum. Sed nunc Trogum Pompeium audiamus, virum Romanum, Is *l.* 28. c. 2. Ætolos Romanorum legatis ſic reſpondentes inducit: *Adverſus Gallos urbem eos ſuam tueri non potuiſſe, captamque non ferrô defendiſſe, ſed aurô redemiſſe.* Orationem etiam Mithridatis ad milites brevitate militari conſpicuam, idem Trogus Hiſtoriæ ſuæ inſeruerat, & eam in ſuo compendio Juſtinus integram intexuit, quâ veluti telô trabali transfigitur tradita à T. Livio fabula: Ea ſic ſe habet *l.* 38. c. 4. *Mithrid.* ait, *ſe audire populos Transalpinæ Galliæ Italiam ingreſſos, maximas eam pluribuſque urbibus poſſidere, & latius aliquanto ſolum finium, quam in Aſia, quæ dicitur imbellis, eoſdem Gallos occupâſſe, nec victam ſibi ſolùm dici Romam à Gallis, ſed etiam captam, ita ut unius illis montis cacumen tantùm relinqueretur, nec bellô hoſtem, ſed pretiô remotum.* Hæc ultima verba T. Livium jugulant à Trogo cive Romano ſatis antiquo prolata. Nunc verò prodeat Suetonius Liviô poſterior tempore, & videamus, quomodo illius mendacio aſtipuletur. Is in *Tiberio*, c. 3. ſic ait de Tiberii majoribus: *Druſus hoſtium, Duce Drauſo cominus trucidato, ſibi poſterisque ſuis cognomen invenit. Traditur etiam Proprætore, ex provincia Gallia retuliſſe aurum Senonibus olim in obſidione Capitolii datum, nec ut fama, extortum à Camillo.* Sic Suetonius pro fama & vulgo rumore Livii fabulam explodit. Nam quamvis in eo fortè fuerit vanus Druſus, dum talem honorem ſibi arrogavit, tamen nunquam eam gloriam affectâviſſet, niſi omnibus conſtitiſſet, aurum illud à Gallis in patriam ſuam aſportatum fuiſſe. Sed nunc Livium ſuô ipſius telô confodiamus. Ecce partem mendacii ſui memor. Samnites in Hetruſcorum advocato conſilio ita diſſerentes inducit: *Unam ipſis ſpem ab Hetruſcis reſtare, ſcire gentem Italiæ opulentiſſimam armis, viris, pecuniâ eſſe, habere accolas Gallos, inter ferrum & arma natos, feroces cùm ſuâpte ingeniô, tum adverſus Rom. popul. quem captum eſſe, auroque redemptum, haud vana jactantes memorent.* Certè nihil expreſſius dici poteſt, neque Paulus Oroſius, dum eam Hiſtoriam narrat, de Camillo non meminit. Quare certiſſimum eſt, nec de eo in eo negotio Trogum mentionem feciſſe: omnia enim ferè ex Trogo habet Oroſius, qui ſic habet, *in fine l.* 2. *de Roma capta*: *Univerſam reliquam juventutem, quam conſtat vix mille hominum fuiſſe tunc, in arce Capitolini montis latitantem, obſidione concludunt, ibique infelices reliquias, fame, peſte, deſperatione, formidine, terrent, ſubigunt, vendunt. Nam mille libras auri diſceſſionis pretium paciſcuntur*, & cætera quæ vide. Vapulet ergo fabricator talis mendacii, ſeu aſſertor T. Livius Romanorum adulator, & Galli nominis inimicus, utpote Patavinus domô, urbe ſemper Gallis vicinis infeſtâ, quod ipſe fatetur *l.* 10. inde ejus in Gallos odium, quod ubique teſtatur. Vapulet inquam & Rualdo, & mihi, & quicunque hiſtoricam veritatem amat. Elegantiæ quidem & oratoris laudem à me non invito accipiet, fidei vero & veracitatis nequaquam, & dum vapulabit, ſpectator adſit Plutarchus, qui hôc locô eum malè ſecutus eſt, & Polyænus, qui ejus mendacii teſtes manifeſtè fuêre, & qui inter ſe diſcordes, & & cum Livio, tali fabulæ fidem magis detrogant, quàm aſtruunt. *Palmerius*. Fuit alius quoque *Brennus*, priore junior, quanquam nonnulli eos perperam confundant, qui exercitu 152000. peditum, 20000 equitum ſtipatus, Macedoniam invaſit, Soſthene occiſô. Theſſaliam vaſtavit, per Thermopylas Græciam ingreſſus, Olymp. 125. Urb. Cond. 476 ante Chriſtum Natum 278. omnia depopulatus eſt, tandem in Phocidem pervenit, ubi Apollinis Delphici templum prædæ causâ ingreſſus, iram numinis in ſe concitavit. Polyb. *l.* 2. Pauſan. *in Phoc.* Juſtin. *l.* 24 Propert. *l.* 3. *El.* 12. v. 53.

> *Torrida ſacrilegum teſtantur limina Brennum,*
> *Dum petit intonſi Pythia regna Dei.*

De utroque *Brennô*, vide prætereà Diodor. Sic. *l.* 14. Plut. *in Camillo*, Juſtin. *l.* 24. Eutrop. *l.* 1. Florum, *l.* 1. c. 13. Zonaram, Callimachum *Hym. in Delum*, à v. 173 & Scholiaſten, qui Hiſtoriam explicat, ut & Val. Max. *l.* 1. c. 1. ex. 18. De mortis genere diſſentiunt authores. Juſtin. *l.* 24. c. 8. *Cùm dolorem vulnerum ferre non poſſet, pugione vitam finivit.* At vel Pauſan. *loc. cit.* inquit, illum vulneratum, venenô vitam finiiſſe, pudore ſcil. acceptæ in Græcia cladis. Sed conciliat hos Diodor. Sic. *loc. cit.* [illegible Greek] Iſ. Voſſ. *in Juſtin. loc. cit.* [illegible] appellatur apud *Suidam*. Sunt autem, qui tunc temporis Imperatorum putant commune nomen fuiſſe, quia Cambri hodie Regem *Brennin* appellant, teſte *Camdeno*. Sanè apud Briganticos Gallos *Barner* judicem ſonat, & *barn* eſt *judicare*. Accedit Syrum פרנס *parnas*, pro *Principe & Gubernatore*, Eſaiæ c. 3. v. 4. à radice פרנס *parnes*, quod *paſcere* ſignificat Bochart. *l.* 1 *Chanaan*, c. 42. *Nic. Lloydius.*

BRENNUS Gualterus, vide *Gualterus*.

BRENNUS, Mons Norici, *Brenner*, in Comitatu Tirolenſi apud Stiriacum oppid. Vide *Pyrenæus*. Item Brennus, *Bre*, pagus agri Brixienſis. *Ferrar.*

BRENTESIA, fluv. Venetiæ, ſu *Brenta*, vide *Meduacus*.

BRENTHA, urbs Arcadiæ. *Steph.*

BRENTHEATES, fluv. apud Pauſan. *l.* 5. & 8.

BRENTHUS, Herculis fil. à quo *Brentheſium*, Græcè [illegible Greek] *Steph.*

BRENTIUS Johannes, Suevus, Canonicus Wittembergenſis, Lutheri fidem amplexus, Ubiquitatis dogma, de quo viventis Melanchthone tantùm mutiſſatum, primus excudit, annô circiter 1540 Hoſpinian. *in præfat. ad libr. Concord.* Onuphr. Chron A.C. 1549. Doctor Wittenbergenſis, ſcripſit varia quorum catalogum habes, in *Elogiis* Anton Teiſſier *Volum.* 1. Pater fuit cognominis, Profeſſoris item Theologi in Academia Tubingenſi. Obiit A.C. 1570. ætat. 71. Plura apud Thuanum *Hiſtor. l.* 5. Melch. Adami *Vitæ Theol.* Hottingerum *Bibliothecar. quadripart. Alios.*

BRENTONICUM, P. *Dioc. Brentoni*, *Lazia pagus* Venetiæ, ad Atheſim, inter Veronam & Tridentum, *Brentonego* Italis; à Roboreto oppid. 6. mill. paſſ. in Auſtrum, Veronam verſus 30.

BREONA Villa vocatur, in *libello proclamationis Domini Caroli Regis adverſus Wenilonem*, aliàs Briona, quæ nunc Brienna, *Brienne*, Comitatûs titulô inſignis. A Breona vel Briona *pagus Brionenſis*, Nithardo *l.* 2. memoratus, inter Tricaſſinum & utroſque Barrenſes, nomen accepit. In *Capitulis* Caroli Calvi duo *Brionenſes* vel *Brionenſes* pagi commemorantur à duabus Brionis dicti, quarum altera nunc vocatur *Brienna*, altera Bremia, *Brenne*: ſuntque ambæ in Campania Gallica non procul ab Attiaca & Alba flumine. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BREONES, Fortun. *l.* 4. *de Vita S. Mart.* *Ptolemæo*, *Breuni*, vide *Breuni*, *Straboni Brenci*. Populi Vindeliciæ, inter Licum & Oenum.

BREPHOTROPHIUM, Græca vox, locum denotat, in quo infantes parvuſque recens expoſiti aut egenis parentibus nati, ali conſuevère, ut *l.* 16. & 18. *Cod. de Sacroſ. Eccl.* Vide *Capitularia* Caroli M. *l.* 2. *c.* 29. & plura hanc in rem apud Macros in *Hierolex.*

5 · de **BRES** Guido, Evangelii adminiſter Valentiis Hannoniæ, ſcripſit A. C. 1561. Confeſſionem fidei, nomine Reformatarum in Belgio Eccleſiarum, 37. articulis comprehenſam, quæ Gubernatrici primùm oblata, dein excuſa eſt A. C. 1566. ſcripta linguâ Valonicâ, paulò poſt in Belgicam tranſlata, dein Latinè reddita eſt, ut in Syntagmate Confeſſionum A. C. 1582. Genevæ impreſſo videre licet. Captus dein Valentiis, *de Bres* unà cum Peregrino de la Grange, ibidem verbi miniſtro, contra fidem datam, interemptus eſt, A. C. 1567. Confeſſio hæc, de qua ſuprà, ante annos circiter 27. in hodiernam Græco-barbaram linguam, per Archimandritam quendam, à Batavis eum in finem ſuſtentatum, tranſlata eſt, cum Catechiſmo Heidelbergenſi Liturgiaque ac Diſciplina Eccleſ. in uſum Eccleſiæ Oriental. Joh. Bruo, *de vera relig. Hollandorum.*

BRESIGELLA, oppidul. Romandiolæ, ſub Pontific. juxta Anemonem fluv. ad radices Apennini, 6. milliar. à Faventia, 2. à confinio domini Florentini. Vulgò *Briſighella.*

BRESINUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

BRESLIA, fluv. Galliæ, vulgò *Breſne*: unus ex illis eſt, qui Turonicum pagum à Septentrionibus alluunt; reliqui ſunt Ledus *le Loir*, Coſelia *Choiſille*, Braënna *la Branle*, Sicta vel Sicera *la Ciſſe*, & Liger. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Turones.*

BRESSANUS Bartholomæus, vide *Bartholomæus.*

BRESSERUS Martinus, vide *Martinum.*

BRESSIA, provinc. Galliæ inter Rhodanum, qui illam à Sabaudia & Delphinatu, ac Sequanam, qui eam à Lugdunenſi & Beljiocenſi agro, Burgundia item & Helvetia ſeparat. Comitatus titulò clara, aliàs ſub Sabaudiæ Duce ſed A. C. 1600. Francici juris effecta. Et ab Ortu Sabaudia eſt, à Septentrione Burgundiæ Comitatus, ab Occaſu Burgundiæ Ducatus cum Lugdunenſi Præfectura, à Meridie Delphinatus. In ſuperiorem & inferiorem dividitur. Primaria Urbs *Burgus*. Sub ipſa ſæpe continentur regiunculæ Beugeſia & Vetromæa. Guicheno, *Hiſtor. de Breſſe.*

BRESSICIA, urbs Poloniæ in Poleſia provinc. ad fluv. *Bug*, cum arce, Regionis caput.

BRESSURIA, urbecula Pictavienſis agri, ad amnem Argentonium, 5. leuc. à Parthenæo.

BRESSUS, Armeniæ majoris urbs. *Ptol.*

BRESTIA, Urbs Poloniæ in Cujavia provinc. ſatis munita, inter paludes. Aliis *Braeſtye*, vix 4. leuc. à Viſtula fluv. Hic S. Biblia, in Sarmaticum idioma verſa, ſumptibus Nicolai Razivilii Principis ub Orſacio, Zucio, Triceſio, Jac. Lubelſcio & Statorio, inſignibus Theologis, excuſa A. C. 1563. Poſteà Concilium A. C. 1595. & A. C. 1620. ad Græcæ religionis Lithuanos, cum Latinis unendos habitum. *Starovolſcius.*

BRESTUM, urbs Aremoricæ, cum portu. Item Colonia, in nova Armorica, in regione Canada.

BRETELLIUM, oppid. Normanniæ, juxta Itonem fluv. *Breteuil.* 6. leuc. ab Ebroico, 2. à Vernolio.

BRETENA, urbs Italiæ ſub Venetis, *Ptol. Brinthum Plinio*, hodiè *Brignono*, ut vulgò volunt.

BRETINA, oppid. Inſubriæ. *Ptol.* quod hodiè *Barlaſina* dici putatur.

BRETOLÆUM, Luſitaniæ oppid. *Ptol. Bretulla Moletio.*

BRETONIA, Urbs olim Hiſpaniæ Tarraconenſis in Gallæcia, nunc pagus *Bretagna*, Mindonenſi Urbi, quæ illi ſucceſſit, proximus.

BRETTA, oppidul. Sueciæ, in Veſtrogothia.

BRETTIA, regio Italiæ, vide *Brutia*, & hic *Brettii.*

BRETTII, populi Italiæ, memorati Straboni *l.* 6. *In Lucania Laus urbs, Sybaritarum colonia; à Lao, prima Brettia urbs eſt Temeſa (quam Tempſam nunc vocant) ab Auſonibus primùm condita, deinde ab Ætolis, qui Thoantem ſequuti ſunt.* Ejus meminit Homerus Od. α. Ἐς Τεμέσην μετὰ χαλκόν, *Ad Temeſen propter æs. Hos Brettii ejecerunt: Brettios Annibal preſſit & Romani attriverunt.* Et quidem ΒΡΕΤΤΙΩΝ numiſmata non rara ſunt; inclaruitque eorum Reſpublica ab Olympiade 106. Diodor. Sic. *l.* 16. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron. Sec.* XVII. ubi de *Magna Græcia*, ut & infrà ubi de *Brutiis*, it. voce *Brettus.*

BRETTOTIA, inſul. in Adriatico mari. *Steph.*

BRETTUS, urbs Tyrrhenorum à *Bretto* Herculis filio. Addit *Stephanus*, Καὶ ἡ χώρα Βρεττία, καὶ ἡ γλῶσσα, qui locus corruptus eſt, & pro γλῶσσα legendum νῆσος monet Bochart. *Geogr. Sacr.* *p.* 659.

BREUCI, Pannoniæ populi quos Savus amnis præterfluit. Plin. *l.* 4. *c.* 25.

BREUCOMAGUS, vide *Brocomagus.*

BREVE, Græco-barbar. Βρέβιον, ſcriptum quod ſummam rei continet, aliter *Pittacium*. Zonaras *in Concil. Carthag.* Βρέβιον, ὃ ἐκεῖνοι λέγεται, καὶ σύντομον γραφή. Claruit vocabuli uſus à tertio poſt Chriſtum ſeculo, in Imperio primùm, mox in Eccleſia. Hic *Breve Apoſtolicum*, quod à Pontifice Romano illic Imperatorium, quod emanat à Cæſare, nuncupatum. In Anglia *Brevia* dicuntur membranulæ ſigillô Regiô firmatæ, quibus Imperatoriâ brevitate Princeps aliquid mandat, vel prohibet. Hinc *Breviculus*, diminutivum, Hincmar. apud Flodoardum Eccl. Rem. *l.* 3. *c.* 21. *Brevigerulus*, tabellarius, Hiſt. Auſtral. *in exordio.* Vide Spelmannum *Gloſſar. Archæol.*

BREVIA, in *Gloſſis Græco Latinis* Magici Characteres, in *brevibus* deſcripti, quos ſecum deferre ſolent, qui iis utuntur. Vide in vocibus *Character, Ligatura, Ligula, Magia, Nodus, Phylacterium.* Quid autem apud recentioris Ævi Scriptores *Breve* vocetur, diximus in hac voce, plura verò vide apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* & Macros Fratres in *Hierolex.* nec non infrà, in voce *Brevis*. Hinc *Brevium conſcriptio*, divinationis ſpecies, quæ fiebat per duas pluresvè epiſtolas ſeu ſchedulas, ſub Altaris palla confusè poſitas, quarum una affirmationem, altera negationem rei, de qua dubitabatur, continebat. Quarum illa, quæ poſt ſolemnes preces ac jejunia indicta, capienti occurreret, pro judicio divino habebatur. Memorata Gregorio Turonenſ. *de Vitis Patrum c.* 9. *Tunc pro hoſpitalis quadam Brevibus conſcriptis poſuit ſuper Altare, vigilans & orans tribus noctibus, ut quid ei Dominus juberet, dignaretur manifeſtiſſimè declarare. Sed pietatis divinæ inclyta miſeratio, quæ eum præſciens eremitam eſſe decreverat,* &c. Cujuſmodi εὐχομαντείας exemplum, & Baldricus habet *Chronici Cameraci. l.* 1. *c.* 21. ubi de contentione pro corpore S. Leodigarii, quod ſibi tres Epiſcopi vindicabant, Pictavenſis, Auguſtodunenſis & Atrebatenſis, plura verò alia reperias, apud Annam Comnenam *l.* 10. & 15. Pachymerem *l.* 7. *c.* 13. & Durandum *Ration. l.* 5. *c.* 2. *n.* 5. laudatos Car. du Freſne, ubi *de Sortibus Sanctorum*. Vide quoque *Legem Friſionum tit.* 14. §. 1.

BREVIA Monachorum, dicebantur olim, quæ à Monachis in ea Monaſteria, cum quibus ſocietatem, ſeu, ut ajunt, *fraternitatem* inierant, mittebantur, quibus Monachorum ſuorum mortem & obitum nuntiabant, quò pro iis ſtatas ac ordinarias preces & miſſas exſolverent. *Literæ currentes* dicuntur in Concilio apud Saponarias A. C. 859. *c.* 13. quarum formula ita concipitur in libro *Uſuum* Ordinis Ciſtercienſis *c.* 98. extremò: *Primâ Auguſti obiit in Monaſterio N. Nonnus N. de N. Sacerdos & Sacriſta ejuſdem Monaſterii: pro cujus anima veſtras precamur orationes ex charitate & orationes pro veſtris.* Vide alias Formulas apud Hæftenum *Diſquiſit. Monaſtic. l.* 8. *tr.* 2. *Diſquiſ.* 4. §. 3. *Brevium* iſtiuſmodi cura penès Eleemoſynarios erat, uti ex *l. Ordinis* S. Victoris Pariſ. MS. *c.* 24. docet Car. du Freſne *Gloſſar.* qui plura hanc in rem ibi congeſſit.

BREVIANUM, caſtrum agri Tarviſini.

BREVIARIUM, in Eccleſia Romana dicitur Liber Eccleſiaſticum Officium compendiò continens. Quô titulô donatus *Breviarium* Chori ad uſum Monaſterii Caſinenſis, ſcriptum Alexiô Comnenô imperante, h. e. circa A. C. 1100. *Incipit Breviarium ſive ordo Officiorum per totam anni decurſionem.* In quo quidem Breviario totius Eccleſiaſtici Officii rubricæ, ritus etiam & ceremoniæ continentur, tam Officii recitandi, quàm Miſſæ celebrandæ, nec non peculiares præcipuarum ſolennitatum obſervantiæ. Ubi Vir doctiſſ. *Paſchaſius Queſnellus* hinc colligi poſſe cenſet, primitus *Breviarii* nomine ſolas rubricas ſeu ordinem Officiorum olim innotuiſſe, quod poſtmodum toti Officio, quod ſequebatur, adſcriptum eſt. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* Non ante Micrologum autem, qui vixit A. C. 1080. *Breviarii* vocem hâc notione occurrere, fitque dictum eſſe, quòd in Cappella Lateranenſis Palatii Officium compendioſiùs, quàm in aliis Templis, recitari conſueverit, ait *Macer*. Tum igitur, cùm ab Innocentio III. collectum eſſet, quod *Officium Cappellare* tunc dicebatur, & ad ejus recitationem ſe Franciſcani conformâſſent, *Breviarium* liber hic primùm appellari cœpit: poſteà verò Nicolaus III. exornatô mirè auctôque Vaticanô palatiô, ut omnes reliquæ Urbis Eccleſiæ Franciſcanorum hôc Officiô uterentur, ſanxit; Radulfô acriter conquerente, quòd in hoc *Breviario* multa 9. lectionum officia continerentur, ſicque diminuerentur feriæ. Tandem, poſt varias vices *Breviarium Romanum* decretô Tridentini Concilii reſtitutum & ſucceſſivè per alios Pontifices reformatum eſt & recognitum, &c. In *Breviario* Græcorum atque Ambroſianæ Eccleſiæ, ferias quadrageſimales ita eſſe privilegiô exceptas, ut nunquam pro ullo feſto relinquantur, reperias apud Eundem in *Hierolex.* Plura de *Breviariis* Latinorum (nam pro ratione variorum Epiſcopatuum varia ſunt) vide apud Claud. Eſpenſæum Doctorem Sorbonicum *in* 2. *ad Timoth. c.* 4. *digreſſ.* 21. eique ibidem laudatum Petrum Abbatem Cluniacenſem, qui ante quadringentos annos vixit; Petrum porrò Pictavienſem *Ep.* 31. ubi queritur de hymno, *in laudem S. Mauri ſuper aquas currentis effictô*, Raph. Volaterranum *Anthropol. l.* 16. ubi inter alia, *dolorem ſuum, de iis quæ in publicum cultum irrepſerant, Apocryphis, ſibi cum pleriſque pariis eſſe communem*, ſcribit, Guil. denique Lindanum Epiſcop. Lugdunenſ. *de optimo genere interpr. Scripturæ l.* 3. *c.* 3. ubi Agobardi Archiepiſcopi Lugdunenſis dictum inter alia citatur, *Bone Deus, ut, quid dixiſſet, ſi vidiſſet ac audiſſet, quæ hodie leguntur* &c. Vide quoque infrà *Oratorium*.

BREVIARIUM Canonum, ſeu *Breviatio*, dicebatur Veterib. iſta Canonum collectio, cùm Canones diverſorum Conciliorum unius tenoris & ſententiæ, ſeu de iiſdem rebus agentes, ſub uno titulo aut rubrica digeruntur & citantur tantùm, ut quivis ſciat inter ſe illos concordantes eſſe; non verba ipſa recitantur: cujuſmodi *Breviarium* Creſconius confecit, de quo vide ſub locô.

BREVIARIUM Extra ſeu *Extravagantium*, dicta eſt Bernhardi Papienſis, cognomine *Circa*, prima Collectio Decretalium. Hic enim Pontificum Decretales & Conſtitutiones, uſque ad Cœleſtinum III. collegit, & ſub iiſdem ferè titulis digeſſit, quibus Gregoriana Collectio, quæ in uſu hodie eſt, conſtat. Quam *primam Compilationem* cùm Henricus Oſtienſis, Johannes Andreæ filius & Ægidius Bellamera vocent, ipſe *Breviarium Extra*, ut dictum, appellavit. Vide infrà in voce *Circa*.

BREVIATORES, in *Nov.* περὶ τῶν ταξεώτων. §. τὰς μίκρας, dicuntur *Brevium Scriptores*. Sed & ſic dicuntur in Curia Romana Officiales, qui Reſcripta ejuſdem Curiæ & ſcribunt & dictant. Prateius apud Joh. Calvin *Lexic. Jurid.*

BREVIODURUM, *Antonin.* oppidum fuit Galliæ Celticæ in ora Normanniæ, inter Juliobonam, ad Ortum & Neomagum, ad Occidentem 17. mill. paſſ.

BREVIS, Hiſpaniæ locus inter Bracaram & Auguſtam. *Antonin.*

BREVIS, idem quod *Breve*, apud Flav. Vopiſc. in *Aureliano*

c. 36. *Maſthem* —— brevem *numinum conſcripſit, mixtum*, *quibus Aureliane verè uaſcebantur* &c. Ita enim Palatinus codex habet, teſte Salmaſiô. Sic juſtâ, *ac Brevem legit ſinguli*. atque ita ſemper in manu exaratis libris, *brevis* potius, quàm *breve*, integrum eſt, *brevis libellus*. Hodie *Breve* magis in uſu: Ut *Breve Apoſtolicum*, quod eſt diploma vel reſcriptum Papæ vel Pœnitentiarii Magni ſcriptura exigua in parvis conceſſa negotiis in papyro, cui bulla plumbea non appenditur: Sed in cera rubra imprimunt annulus Piſcatoris, ut refert Gregor. Tholoſanus *Syntagm. Juris Univ. l.* 15. *c.* 3. *num.* 24. & *ſeqq.* Vide in voce *Breve*. Addam ſaltem, apud recentiores Latinos *Breve*, pro *parvum*, frequenter reperiri. Sic Lamprid. in *Alex. Severo*, *c.* 39. *Unum tantum poculum amicis exhibebat, in honorem Alexandri M. idcirco* Brevius, *niſi ſi quis, quod licebat, majus habere poſtulaſſet* &c. Hinc *Breviculum*, libellus in quo Eccleſiaſtici Communionis Romanæ feſta mobilia adnotabant & Populo poſt Evangelium, in Miſſa ſolemni, publicabant, *can. placuit de Conſecr. diſt.* 3. apud Car. Macrum in *Hierolex*.

BREVIS-OCREA; cognomen Roberti Comitis Normanniæ Notho geniti, Gall. *Courte-heuſe*, quod eſſet corpore pingui breviſque ſtaturâ, ut ait Order. *l.* 4. & 8. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

BREUNI, populi Germaniæ ad Æimum fluv. vulgò *Brunawer*. *Aventino Brewn*. Eos *Leander Albertus* ad Bellinzonam, quam proin quaſi *Breunigonam* dictam vult, locat. quæ cum valle Brenitta tribus antiquiſſimis Helvetiorum pagis ſubeſt. Horatius inter Vindelicorum populos à Bruto devictos *Breunos* refert. *l.* 4. *Carmin. Od.* 14. *v.* 11. *Breuci* Suet. *in Tiber. c.* 9. *Strabo Breucos* nominat, illoſque vult *Porphyrio* Caſalpinos eſſe. An *Bernenſes* Plinii *l.* 3. *c.* 19. *Brunerum* oppid. in Alpibus, *Brunna* etiam Suitiorum vicus, nominis veſtigia ſervare videntur. Vallis Bruniæ incolas Breunos eſſe, probabilis conjectura eſt, Joh Bapt. Plantino *Helv. Nov. Antiq.*

BREXIA, (vulgò *la Breſſe*.) Hanc *Briſſiam* vocari animadverto in Vita S. Triverii Monachi his verbis: *Duo pueruli de pago Dobenſi (Dombes) ubi Briſſia dicitur, juxta fluvium Araris ſive Sagonna*, &c. Ibidem *Priſcriacus vicus* (*Perſieu*) & *rivulus Moncuna* (*Monran*) memorantur. Quibus ex verbis intelligitur, Brexiæ ſeu Briſſiæ portionem pagi Dombenſis partem cum habitam eſſe. Literæ Paſchalis Papæ II. datæ A. C. 1106. *in Epiſcopatu Lugdunenſi Eccleſiam S. Germani in Brexia* commemorant. Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus dedit Cluniaco *Eccleſiam S. Deſiderii ſitam in Brexia*, & *capellam de Roôrterco caſtro* (*Riotier*) A. C. 1094. ut literæ ejus docent. A' ſaltu Brexio nomen accepit, ut Briegium à ſaltu Briegio, Teoracia à ſilva ejus nominis, Perticus à ſilva Pertico, Aimoinus in *l.* 3. *ſaltus* pagique *Brexii* primus aut inter primos ante annos 650. meminit his verbis de Guntramno vel Gunchramno Francorum Rege, Cabillonenſis Eccleſiæ S. Marcelli Martyris conditore. *Hanc denique Baſilicam ipſe divinô ſuccenſus amore in ſuburbio quidem prædictæ civitatis, ſed in territorio Segonum ſaltuque Brexio ſtudioſiſſimè ædificavit: ubi Monachos aggregans, Monaſterium conſtruxit, quod pluribus prædiis facultatibuſque ditavit.* Vocat Aimoinus *territorium Segonum* corruptè agrum Sequanorum trans Ararim, ubi in ſuburbano Cabillonenſi & ſaltu pagoque Brexio Monaſterium Sancti Marcelli conditum eſt; cùm Cabillonum ſit citra Ararim in Æduis. Unde apud *Fredegarium* & in *Chronico Sancti Arnulſi* Eccleſia Sancti Marcelli in *ſuburbano Cabilonenſe, ſed tamen Sequanum eſt territorium*. Nimirum pars pagi Cabillonenſis unà cum Monaſterio iſto ſuburbioque civitatis Cabilloni trans Ararim eſt, quô fluviô Ædui à Sequanis dividuntur: quam agri Cabillonenſis portionem hodieque *Brexiam Cabillonenſem* Noſtri cognominant, *la Breſſe Chalonnoiſe*. Brexiam enim in duas dividunt partes, & alteram, ſed minorem, *Brexiam Cabillonenſem* nuncupant, quæ ad Reges noſtros pridem pertinet; alteram *Brexiam Sapaudicam*, *la Breſſe Savoyarde*, quam Carolus Emmanuel Dux Sapaudorum A. C. 1601. Henrico Magno, Regi Francorum pro Salutiis dedit, Comitatûs titulô inſignem inter Rhodanum & Ararim: cujus pars eſt in Seguſianis diœceſique Lugdunenſi, pars in Sequanis ac parœcia Belicenſi. Hæc Provincia *Breſſia* vocatur in catalogo vel polyptycho Monaſteriorum Cluniaco ſubjectorum; in quo *Prioratus de Monaſterio in Breſſia diœceſis Veſontionenſis* memoratur. In Brexia eſt unà cum Burgo (*Bourg en Breſſe*) Belica Epiſcopatus ſedes, Veſontioni Sequanorum ſubjecta, vulgò *Belcy* dicta. Brexiæ Cabillonenſis meminit compoſitio de Balma, facta inter Veſontionenſem Archiepiſcopum & Abbatem Cluniacenſem: in qua *Bartholomæus de Boſco Archidiaconus Briſſiæ in Eccleſia Cabilonenſi* vocatur. Ubi *Briſſia* eſt *Brexia Cabillonenſis* trans Ararim, dicta Aimoino ſuprà *ſaltus Brexius*. Hæc Brexia in Sequanorum quidem finibus jacet, ut ſuprà *Fredegarius* & *Aimoinus* volunt, ſed tamen in diœceſi Cabillonenſi conſiſtit, quæ una eſt ex 14 diœceſibus Æduorum in provincia Lugdunenſi 1. & nomen ſuum dedit uni ex Archidiaconis Eccleſiæ Cabillonenſis, qui *Archidiaconus Breſſiæ* vel *Brexiæ* nuncupatur. Quanquam malo dicere, Brexiam Cabillonenſem cum Monaſterio S. Marcelli in Æduis eſſe, cùm diœceſeos Cabillonenſis finibus contineatur, Cabillonum autem ſit oppidum Æduorum. Vix enim quiſquam ignorat, fines Gentium non adeo exactè fluminibus terminari ſolere, ut non ea ſæpe tranſgrediantur, ſicut alibi obſervare non ſemel memini. Cui rei indicio ſunt Andicavi, Turones, Veliocaſſes, Caleti, Bituriges Vviſci, aliique populi. Licèt igitur Arar terminus fuerit Æduorum; tamen quod ad Cabillonum pertinet, fines eorum ultra flumen aliqua ex parte patuerunt. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRIA, Regio Galliæ Celticæ, Campaniæ adjecta, antiquus Comitatus, cui nomen inditum creditur à Gallico *Abri*, quod ſignificat umbram vel opacitatem, locumque quò venti non perflant, cùm autem omnia ſint hic valde opaca frugiferiſque conſita arboribus, nuſquam non umbroſa ſeſe offerunt loca, quorum beneficiô vel inſolæ vel viatores gratam auram captare, ſeque inopacare conſueverunt: Initium illi ad Ceteliacum Pagum haud procul ponte Charantonió, ubi Matrona Sequanæ commiſcetur, quorum fluviorum ille Campanos ferè, hic Gaſtinenſes à Brienſibus ſeparat: nam quidquid ferme inter hæc duo flumina eſt, ad Burgundiæ uſque Ducatum, Brienſibus aſcribi ſolet. Anguſtioribus nunc coarctatur limitibus. Ibi Urbes præcipuæ Meldæ, Latiniacum, Provinum, Selana & Bria Comitis Roberti. *Baudrand.*

BRIA Comitis Roberti, Urbecula Galliæ in Bria provinc. ad amnem *Ierre*, 6. leuc. à Lutetia, in regione feraci.

BRIADA, vide *Brias*.

BRIANTICA, Thraciæ regio, quæ olim *Gallaica*. Herodot. *l.* 7.

BRIANZONIA, arx Sabaudiæ, in Tarentaſiæ Comitatu. Vide *Arx Brianzonia*.

BRIAREUS, Gigas, Ætheris, Titanis, vel Cœli & terræ filius. Hunc Homerus ait *Iliad.* α. *v.* 403. à ſuperis quidem *Briareum* dictum fuiſſe, ab hominibus verò *Ægæone*:

> Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες
> Αἰγαίωνα. —— ——

Hic cum cæteris Gigantibus Jovem à regno depellere conatus eſt, cui centum manus erant, capita quinquaginta, & magnitudine corporis reliquos omnes mortales antecellebat, ignemque ex ore eructabat, ut teſtatur Virg. *Æn. l.* 10. *v.* 565. *in his*.

> *Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt*
> *Centenaſque manus, quinquaginta oribus ignem*
> *Pectoribuſque arſiſſe: Jovis cum fulmina contra*
> *Tot paribus streperet clypeis, tot ſtringeret enſes.*

Quem idcirco ſub Ætnam montem fuiſſe à Jove fulmine detruſum, fabulantur, qui quoties latus moveret, Ætnam flammas ingentes eructaret, ut ait Callimachus *in Lavacrum Dianæ*:

> Ὡς δ' ὁπότ' Αἰτναίου ὄρεος πυρὶ τυφομένοιο,
> Σείονται μυχὰ πάντα, κατουδαίοιο Γίγαντος
> Εἰς ἑτέρην Βριαρῆος ἐπωμαδὸν κινυμένοιο.

Fuerat tamen antè diebus idem *Briareus* Jovi adverſus Palladem, & Junonem & Neptunum, reliquoſque Deos, qui in Jovis tyrannidem conjurârant, fuerat auxilio, teſte Homerô, *ubi ſuprà*:

> Ὁππότε μιν ξυνδῆσαι Ὀλύμπιοι ἤθελον ἄλλοι
> Ἥρη τ' ἠδὲ Ποσειδάων καὶ Παλλὰς Ἀθήνη,
> Ἀλλὰ σὺ τόν γ' ἐλθοῦσα θεὰ ὑπελύσαο δεσμῶν
> Ὦχ' ἑκατόγχειρον καλέσασ' ἐς μακρὸν Ὄλυμπον,
> Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί.

Hunc ideo unà cum Gyge & Cotto Jovis cuſtodes ac ſatellites Heſiodus *in Theog. v.* 735. nominavit, ut eſt in his,

> Ἔνθα Γύγης Κόττος τε καὶ ὁ Βριάρεως μεγάθυμος
> Ναίουσιν φύλακες πιστοὶ Διὸς αἰγιόχοιο.

Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 286.

> *Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæque biformes,*
> *Et centum geminus Briareus, & bellua Lernæ.*

Claudian. *l.* 3. *Rapt. Proſerp. v.* 188.

> —— *Centum Briareia turba lacertis.*

Statius *Theb. l.* 2. *v.* 595.

> *Non aliter (Getica ſi fas eſt credere Phlegra)*
> *Armatum immenſus Briareus ſtetit æthera contra,*
> *Hinc Phœbi pharetras, illinc torvæ Palladis angues,*
> *Inde Pelethroniam præfixâ cuſpide pinum*
> *Martis, at hinc laſſô mutata Pyracmone, temnens*
> *Fulmina, cùm toto nequicquam obſeſſus Olympo,*
> *Tot queritur ceſſare manus.*

Ita dictus eſt à corporis robore, Βριαρὸς enim Græci *fortem* dicunt, & *robuſtum*. Ventorum autem naturam, ſub ejuſmodi fabularum involucris, Poëtæ deſcribunt. *Heſych.* Βριάρεων ἀνδρεῖον ἰσχυρὸν χαρα. *Nic. Lloydius.* Cotteium ei item divinam facere ſolitos Caryſtios, tradit Solin. c. 11. *Briareo enim rem divinam faciunt Caryſtii, ſicut Ægæoni Chalcidenſes: nam omnis ferme Eubœa Titanum fuit Regnum.* Imò & Chalcidenſes; namque Ægæonem & *Briareum*, quos ille diſtinguit, pleriſque Auctores eundem faciunt, *Heſychius*, *Scholiaſtes Apollonii*, *Servius*. Alii. Adde quòd *Ægæ* Caryſtos ab ejus nomine ſit olim appellata. Stephanus in voce Κάρυστος. ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Αἰγαία ἀπὸ Αἰγαίωνος τοῦ ἀνατεθέντος. Αἰγαῖον autem & Αἰγαίωνα idem. Hincque ab Ægæa illa Caryſtia, nomen Ægæo mari, uti quidam Veterum prodiderunt. Vide Cononem apud Photium Narrat. *l.* 3. apud Scholiaſten Apollonii, laudatum Salmaſio *ad Solinum p.* 178. ut & ſuprà *Ægæon*.

BRIAS, *adis*, Piſidiæ urbs. *Strabo.*

BRIAXES, ſtatuarius, vide *Bryaxis*.

BRIBODURUM. *Æthicus* inter Condate & Belcam *Bribodurum* ponit, aliàs *Bridoborum* vel *Briodorum* in priſcis codicibus ſcriptum, à Condate (*Coſne ſur Loire*) 16. à Belca millibus paſſuum 15. diſtans. In *tabula Theodoſiana* vel *Peutingeriana Brivodurum* dicitur, & inter Belcam ac Maſſavam ponitur. Vulgò *Briare* nuncupant Noſtri: & à *briva* i. e. ponte quem habet ad Ligerim, *Brivodurum* vel *Bribodurum* dictum olim à Gallis videtur, ac *Bridoborum* nomen eſſe corruptum. *Briodorum* nuncupatur in *Hiſtoria Epiſcoporum Autiſiodorenſium*. *Belcam* quidem quædam *Æthici* exemplaria inter Nevernum & Condate, alia inter *Bribodurum* & Canabum ſeu Genabum collocant, ut *Simlerus* affirmat. Et *Brivodurum* quidem vel *Bribodurum*, aliàs *Briodorum* eſt in finibus Senonum, ſive in Autiſſiodorenſi diœceſi: At alterum *Briodorum*, in Biturigibus ponit Monachus Cinnacenſis

iii

in *l.* 1. Miraculorum S. Majoli c. 13. his verbis: *Briodetenſis dicitur vicus in pago Bitvrico.* Hunc locum Noſtri *Briders* appellant, Vicecomitatus titulô illuſtrem in Marchia.

BRICINNIA, urbs Siciliæ. *Steph.*

BRICIUM, Hiſpan urbs. *Antonin.*

BRICKINGTONUS Stephanus, vide *Stephanum.*

BRICOLA, Ital. *Briccole*, Gall. *Bricole*, vox citerioris ævi, machinæ λιθοβόλου ſeu *ſaxa ejaculantis* ſpecies, cujuſmodi machinas privatim in turribus habere vetantur cives, in *Jure Municipali* Florentinorum *l.* 3. Eam ſic deſcribit Blondus *Romæ triumph. l.* 9. *Baliſtam Majores dixêre priſci trabem validam, ita libratam, ut, cùm pars deſuper ponderibus attracta deſcenderet, elevata praecipitatum ſua funda, quos haberet alligatos, funda ſaxum maximi ponderis longè emitteret. Eique maxime nunc machinæ Bricholl æ eſt appellatio.* Vaſtos molares hujus machinæ ope in hoſtes evibrari conſueviſſe, refert Hieron. Magius *Miſcellan. l.* 1. *c.* 1. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

BRICONNETUS Gulielmus, vide *Gulielmum.*

BRIEGA, urbs Sileſiæ, cum titulo Ducatus è Principum Ligniciorum familia, quibus à Piaſto, celebri illo Polonorum Rege ſæculô 9. origo fuit. Scholâ & ædificiis exornata eſt, à Georgio Duce, filio Friderici II. Briegenſis lineæ ſatore: Hic obiit A. C. 1586. Pater Joachimi Friderici, ad quem, morte agnati, rediit Ligniciorum principatus. Ei ſucceſſit Joh. Chriſtianus, Reformatæ religioni addictus, mortuus A. C. 1639. relictis, Georgiô, qui Briegam obtinuit A. C. 1655. Ludovicô, cui Lignitium tum contigit, & Chriſtianô, qui, in diviſione illa paternæ hæreditatis, Olaviam nactus eſt filiis. Quorum duobus prioribus, A. C. 1664. & 1663. ſine maſcula prole mortuis, poſtremus ſucceſſit, haud pridem defunctus: ex Luiſa Anhaltina pater Georgii Wilhelmi, qui ultimus è familia Piaſtea, poſt reditum ex aula Imperatoria, & inſignia generoſæ indolis ſpecimina edita, obiit A. C. 1675. ætat. 15. Primus Evangelium hîc introduxit Fridericus II. de quo ſuprà, A. C. 1523. Vide Spener. *Syll. Geneal. Hiſt.*

BRIEGIUS Pagus, vel *Brigenſis* aut *Brigeiae* à ſaltu ejuſdem nominis appellationem traxit, *La Brie.* Jonas in *Vita Columbani & Euſtaſii Abbatum, Brigenſem ſaltum* ad fluviolum Resbacem, & *ſaltum pagumque Briegium* nuncupat. Beda in *l.* 3. *Hiſtoriæ c.* 8. *Brige* ſemel atque iterum appellat, commemorans Monaſterium, *quod in regione Francorum ab Abbatiſſa nobiliſſima nomine Fara conſtructum eſt in loco, qui dicitur in Brige.* Locus enim, in quo Monaſterium Fara condiderat, Evoriacus ſeu Eboriacum vocabatur; pagus in quo Eboriacum erat, *Brige*, *Brigenſis*, vel *Brigeius*, qui in Vita B. Audoëni *Brigenſis ſilva* nuncupatur. Multô minor autem & anguſtior olim fuit pagus Brigenſis, quàm nunc eſt: cùm diſtinguerentur ab eo pagus Meldicus, pagusque Pruvinenſis, quos ambos pagos cum urbe Meldis & caſtro Pruvino pago Brigenſi nunc attribuimus. Certè *Latiniacum villam ſitam in territorio Meldico*, à Dagoberto collatam Baſilicæ S. Dionyſii, & *Latiniacum villam quæ ſita eſt in Bricio*, annô poſt ejus mortem 4. à Nanthilde Regina Baſilicæ ejuſdem Martyris donatam eſſe commemorant *Geſta Dagoberti Francorum Regis.* Ex quo intelligimus, licèt ambo iſta Latiniaca nobis ignota ſint, pagum Meldicum tum à Brigenſi diſtingui conſueviſſe. Pagus Brigenſis, qualis nunc eſt, quatuor eſt ex parte populorum, Pariſiorum, Senonum, Tricaſſium, atque Meldorum. Pariſiorum ſunt Nucetum, Gornacum, Latiniacum, Torciacum, Cauda, Turnomium, Liciniacum, Villa nova S. Georgii, ac Braja Comitis Roberti. Senonum ſunt Pruvinum, Calma vulgò Chaume, veteri Monaſteriô inſignis. Ad Meldicam Diœceſin pertinent Creciacum, Columbaria, Firmitas Galcheri, Joerum, Firmitas ſub Jotro. Diœceſeos Tricaſſinæ eſt Caſtellio ad Mucram, *Chaſtillon ſur Morin*, vicus in Caſtellania Seſanniæ pagoque Brigenſi poſitus, & Seſannia ipſa. His adjungendi ſunt & Sueſſiones: quandoquidem omnes ſciunt, Caſtellum Theoderici, quod in Briegio Periculoſo aliqua ex parte eſſe conſtat, Sueſſionicæ diœceſeos finibus contineri. Conſtat quidem & *Montem Mirabilem* caſtrum in Briegii finibus poſitum, *Monmirail*, ad diœceſin Sueſſionicam pertinere, itemque Buſciaceum *Buſſon*, cellâ Cluniaco ſubjectâ illuſtrem, & Caſtellionem ad Matronam propinquum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRIELA, Urbs permunita Hollandiæ, prope oſtium Moſæ, ubi jacta Reipubl. Batavæ fundamenta, A. C. 1572. In quem annum, Grotius hæc memoratu digniſſima notavit: Viginti quatuor, inquit, modica navigia, initium belli in potentiam totô orbe præcipuam, nuper ejecta Anglicanis partibus, in Weſtfriſiam ferebantur, tentandæ fortunæ: ſed, ventô adverſante, rerum neceſſariarum penuria impulit in maximam inſularum, Vornas vocantur, quæ Moſæ oſtia continent: ibi oppid. Brilam claſſiarii repentinô terrore, inter trepidantes, haud volentes, invaſêre; neque tunc manſuram ſedem, ſed ad paucos dies ſtationem decreverant. Exoraverunt prudentiores & loci opportunitas, ut victoriam retinerent, &c. Addit que: *Ita ſupremæ providentiæ ferè placuit, Belgicis in rebus, humanam fiduciam & conſilia illudere, ut nunquam ſimul adfuerit ſpes magna & bonus eventus. Annal. l.* 2. Poſtmodum unà cum Fliſſinga & Zeburgo Walachriæ caſtello Anglorum præſidiis in pignus data eſt, A. C. 1585. ſub Eliſabetha Regina, ſed à Jacobo Rege aliquot centenis aureorum Millib. perſolutis reſtituta. A. C. 1616. In Voornia inſul. cum portu lat tutô. 4. leuc. à Delphis.

BRIELBUM, oppid. Geldriæ, cum caſtrô Archiepiſcopi Colonienſis, ubi Elector ſæpe moratur. 2. leuc. Germanic. à Colonia in Auſtrum.

BRIENNENSIS Scævola, vide *Scævola.*

BRIETIUS Philippus, Gallus Abbevillanus, Jeſuita. Edidit A. C. 1648. *Parallela Geographiæ veter. & novæ totius Europæ*, libris 3. Additæ ſunt trimmeæ tabulæ, accuratæ. Morte præventus, parallela Geogr. *Aſiæ, Africæ, & Americæ*, jam ſcripta, publici juris facere non potuit. Obiit Pariſiis A. C. 1669. ætat. 70.

BRIGÆCIUM, Hiſpaniæ Tarraconenſ. urbs. *Ptol.* Oviedo *Tarapiæ.* Aliis *Braganza*, Urbs Portugalliæ, intra montes. *Baudrand.*

BRIGANCII, ſeu BRIGANTINI, Gall. *Brigans*, memorati Alberto Argentin. in *Chron.* A. C. 1351. & Joh. Thwroctio in *Ludovico Hungar. Rege, c.* 20. & 37; editum fuêre in bello gentis, uti docet non unô locô *Froiſſardus*, & *Johannes Villaneus.* Poſtmodum prædones ſic appellari Gallis cœpêre: quorum nomenclaturam à *Brigantibus* Britanniæ populis vel à *Bagaudis*, vel à *Brigando* quodam ſeu *Burgando*, de quo Canon, *de iuro.* 14. q. accerſit Ludovicus Aurelian. *ad l.* 2. *Annal. Taciti*, & ex eo Innocentius Cironius, *in Paratit. ad Decret. l.* 5. Car. du Freſne verò mavult dictos à *briga*, quæ vox jurgium, rixam, pugnam, citimæ ætatis Scriptoribus denotat. Ejuſmodi enim prædatores ſibi invicem confœderati, vias obſidebant & quoſvis tranſeuntium deprædabantur itinera doque impetebant, poſteà in juſtorum militum numerum accenſiti. Cohors eorum *Brigata*, hodieque Gallis *Brigade.* Semiveſtitos & cum brevibus telis pugnâſſe, docet Thom. Walſinghamus in *Henrico V.* p. 588 *Reductus eſt ergo — Brigantiorum more ſemiveſtitus, geſtans jaqueas breves, qualiter utuntur Equites illarum partium, qui Malandrini dicuntur*, &c. Hinc *Brigandina*, armorum ſpecies. *Catholicon* Armoric. *Brigandinum, Gall. Brigandine: Latin. hæc Squamma. Inde Synathmatur, Orné de Brigandine.* Quas qui geſtabant, *Brigandiners* appellantur, Froiſſardo *Volum.* 4. *c.* 2. & Montrelleto *l.* 1. Vide Steph. Paſchaſium *in Diſquiſitionibus Francicis l.* 8. *c.* 43. laudatum Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Etiam navicula ſpecies, Gallis *Brigantin*, Italis *Brigantino*, ab iiſdem nomen traxiſſe videtur &c.

BRIGANCONIA, ora Galliæ, in litore Provinciæ, ſcopulô aſſinis inſtar Inſulæ parva ſed munita. Inter Telonem & Fanum S. Eutropii, contra Stœcades Inſulas.

BRIGANTES, populi Albionis, qui nunc *Eboracenſes*, vulgò *Yorkshire* ceu ſunt *Lelando.* Inde *Brigantium* urbs Archiepiſcopalis *York.* Camdeno autem ſunt *Eboracenſes, Lancaſtrienſes, Dunelmenſes, Weſtmarienſes*, & *Cumbri. Brigantes* quoque *Ptolemæo* populi Hiberniæ in ora orientali. Ubi nunc Comitatus *Waterford*, & *Tipperarii*, in Momonia provinc. inter Suiri oſtium Confluenteſque Neori & Barowi. *Baudrand. Brigantes* item in Scotia, quorum regio *Gallovidia* eſſe videtur. Juvenal. *Sat.* 14. v. 196.

Dirue Maurorum attegias, caſtella Brigantum.

BRIGANTIA, urbs Luſitaniæ Ducali titulô inſignis, vulgò *Braganza.* Intra montes, in confiniis Regni Legionenſis. Hujus Dux hodie eſt Rex Portugalliæ, ab A. C. 1640.

BRIGANTICUS, aliô nomine *Julius* Batavus, alæ præfectus tranſfugit ad Cæcinam, ob obſidione Placentiæ diſcedentem: Tacit. *Hiſt. l.* 2. *c.* 22. Sorore Civilis genitus, acerrimô odiô inviſus avunculo, infenſuſque, *l.* 4. *c.* 70. *ſ.* Ideò fidus Romanis, ad Grinnes prœlio cecidit. *l.* 5. *c.* 21.

BRIGANTINI Montes, in Ducatu Mediolanenſi ubi Addua fluv. exit è Lario lacu, *monti di Brianza.*

BRIGANTINUS Lacus, qui & *Acronius* Melæ, *l.* 3. *c.* 2. *Brigantia Ammiano*, *Bodenſee* Germanis, Rhætiæ lacus inter Alpes, qui moſtelas marinis æmulas gignit. Plin. *l.* 9. *c.* 17 Maximus eſt, inter Helvetios & Sueviam, ſupra Conſtantiam. Sed ab eo differt Acronius, aliter *Cellenſis lacus*, eſtque paulo infrà Conſtantiam, *Cluver.* Rigat Brigantinus lacus Conſtantiam, Brigantium, Lindavium, Uberlingam & Buchornium, Urbes. *Baudrand.* Longitudo hujus lacus 400. ſtad. latitud. dimidiô minor. Strab. *l.* 7. Vide omninò Joh. Baptiſt. Plantinum *Helvet. Antiq. Nova*, p. 103. *c.* 14. *de duobus majoribus Helvetiæ fluminibus.*

BRIGANTINUS Lacus, Cenomanorum lacus in finib. Belxienſium, *Idro Erythræo.* Aliis *Edrilus*, quod vide.

BRIGANTINUS Portus, Hiſpaniæ Tarraconenſis portus maximus, *Porto della Corunna*, teſte *Mariana*, ab urbe Brigantio, Corunna. Aliis tamen Flavium Brigantium eſt *Betanzos*, Urbecula in vicina.

BRIGANTIO. A' *Claudio Ptolemæo*, in Alpibus Cottiis; quæ cum cæteris Alpibus luſtrat verbis, ponuntur *Segusiani*, *quorum urbes Seguſium, & Brigantium*: Σεγουσιανοί, ἐν οἷς πόλεις Σεγούσιον καὶ Βριγάντιον. Ubi forſitan legendum eſt Σεγούσιον καὶ Βριγάντιον, *Seguſio*, & *Brigantium.* Certè Plinius Ptolemæô antiquior *Seguſionem* nuncupat *l.* 3. *c.* 17. Æthicus *in Itinerario* ſemel atque iterum *Brigantionem* vocat, in itinere à Mediolano Arelate per Alpes Cottias, item Viennam, & inter Seguſionem ac Eborodunum ponit ſic: *Poter* M. P. 18. *Seguſione* 24. *Ad Martis* 16. *Brigantione* 18. *Rame* (aliàs *Roame*) 19. *Eburoduno* M. P. 19. *Brigantionem in Alpe* Cottia vocat & *tabula Theodoſiana*, & prope *Ramam* atque *Eburodunum* collocat. Ammianus *lib.* 15. *caſtellum Virgantiam* corruptè nuncupat pro *Brigantium* vel *Brigantium*, & prope *ſtationem Martis*, propriis *Matronæ verticem*, i. e. montem Matronam ſeu montem Genebram collocat in Alpibus Cottiis. Juliano *in epiſt. ad Athenienſes* dicitur & *Brigantia*, ἡ Βριγαντία ... Itinerarium Hieroſolymitanum ſive à Burdigala Hieroſalem, inter mutationem, quæ Rame dicitur, & montem Matronam Brigantionem ponit his verbis, *Manſio Hebreduno, unde incipiunt Alpes Cottiæ, mutatio Rame* 1017. *Manſio Brigantio: inde aſcendis montem Matronam*, cui nomen cauſa ſemina nobilis dedit, ut ait Ammianus: quare 2. ſyllabam producit. Et loci & montis meminit Ennodius, ſive potius Euhodius Ticinenſis Epiſcopus, qui unus ex omnibus *Matronæ* montem vocat, verſumque ſic orditur,

Matronæ tacta.

Ex Matrona quidem vulgò dicitur *le Mont Genevre*, inter Brigantionem & Seguſionem poſitus, ſed Brigantioni proximus: Brigantio autem nuncupatur *Briançon*, olim tantùm manſio ſeu ſtativa militum, nunc oppidum montanum Delfinatûs in Alpe Cottia; unde incipere Alpes Cottiam vult *tabula Theodoſiana*, quarum initium facit Eborodunum *Itinerarium Burdigalenſe.* Brigantio nomen

ſuum dedit pago Brigantionenſi, *le Brianſonnois*, à quo Dalfini quidam, ſe *Principes agri Brigantionenſis* dixère, *Princes de Brianſonnois*. Hic autem ager pars erat Regni Cottii, qui nomen ſuum dedit Alpibus Cottiis inter Meridiem & Septentrionem à monte Veſulo ad montem Ciniſium, inter ortum & occaſum à Seguſione Ebrodunum uſque pratentiſis. Cæterùm Brigantio diœceſi Ebrodunenſi adſcribitur, ita ut non Seguſianorum illorum, ſed Caturigum oppidum eſſe videatur, cùm ſubjaceat capiti gentis ejus Ebroduno, à quo 38. millia paſſuum abeſt. Liv. *lib.* 21. *c.* 31. per Tricaſtinos & extremam oram Vocontiorum agri tetendiſſe in Tricorios Hannibalem ſcribit, mox tranſito Druentiâ flumine Alpino, ad Alpes campeſtri maximè itinere perveniſſe: *caſtellum inde quod caput regionis erat, vicoſque circumjectos cepiſſe*, c. 33. Illud *caſtellum caput regionis* fuit haud dubiè aut Ebrodunum, *vicus Straboni* dictum, aut caſtellum Brigantio, 34. ab Ebroduno millibus paſſuum diſtans: ex quibus Itinerarium à Burdigala Hieruſalem uſque, Ebrodunum initium Alpium Cottiarum facit; *tabula Peutingeriana* Brigantionem, *Brigantionem in Alpe Cottia* cognominans. Certè per Caturigas & Ebrodunum, & per Brigantionem ac Seguſionem Taurinos Italiamque penetraſſe Hannibalem, indicant veteres tabulæ atque itineraria. Si tamen per Deam Vocontiorum & Vapincum Tricoriorum petiit Hannibal Ebrodunum atque Brigantionem, opus ei non fuit tranſire Druentiam: cùm Ebrodunum ad citeriorem Druentiæ ripam obvium haberet. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRIGANTIUM, oppid. Rhætiæ in Suevia ad Brigantinum lacum, vulgò *Bregentz*, vel *Bregantz*. Ibi amnis cognominis influit in lacum Brigantinum, ſub Auſtriacis. Ejus populi *Brigantii*, Strab. *l.* 4. qui illos Vindelicis annumerat. Rhætis attribuente Ptol. *l.* 2. *c.* 12. *tab.* 5. Cæterum oppid. antiquum omnino, cum arce. Romanorum tempore, horum ibi præſidium fuit, contra Vindelicos & Suevos, excubans. Ab Alemannis poſteà vaſtatum, in priorem magnitudinem non iterum excrevit: reparatum tamen. Caput regiunculæ adjacentis, Carolovingorum tempore, proprios habuit Comites: quorum familiâ extinctâ, ad Montfortios, tempore Rodolfi I. Imperatoris pervenit. Obſeſſum eſt A. C. 1407. ab Abbatiſcellanis & Sangallenſibus, ſed liberatum A. C. 1408. Hinc *Brigantinus lacus*, vide ſuprà *Brigantina ſylva*, &c. Vide Stumpf. *l.* 10. *c.* 36. *de Rhætis*. Addam Bodini conjecturam, qui populis his à voce Gall. *Brigand*, nomen hæſiſſe conjicit, ex eo, quòd latrociniis illos deditos fuiſſe Strabo dicit.

BRIGANTIUM, quod *Brigantio Antonino*, *Virgantia Ammiano*, oppid Gall. Narbonenſis vulgò *Brianſon*. Caput regiunculæ cognominis in Delphinatu, vide *Brigantio*. Item civitas Angliæ. Vide *Eboracum*. Alia Hiſpaniæ in Gallæcia, *Compoſtella* nonnullis, aliis *Betanzos*.

BRIGE, oppid. Angliæ. *Antonin.* vulgò *Broughton* in Comitatu Hantoniæ inter Ventam Belgarum 11. & Sorbiodunum 9. mill. paſſ. *Brage* etiam legitur.

BRIGES, populi Thraciæ. Vide *Steph.*

BRIGEVATERA, oppidul. Comitatus Somerſetenſis in Anglia ad amnem *Parret*.

BRIGGIUS Henricus, vide *Henricus*.

BRIGIA, fluv. vel potiùs rivus eſt in Cenomanis, vulgò *Braye* dictus: cujus ad caput vel fontem in radice montis ſilvâ circumdatum eſt S. Petri Monaſterium, *S. Pierre ſur Braye*. Hunc *Breiam*, & *Braiam* quoque dici in priſcis tabulis reperio, & Vibraium *Vibraye*, ac Sabiniacum *Savigni ſur Braye* alluere, Lidericoque juſtà Montem Aureum recipi, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRIGIANA, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis haud obſcurum in ora regni Valentini, *Burriana*. *Brusheras*.

BRIGIANI, populi inter Alpinas gentes. Plin. *l.* 3. *c.* 20.

BRIGIOSUM, oppidul. Galliæ Aquitanicæ inter vicum *Brou*, in Pictavienſi provinc. ad Botanam fluv. Inter Pictavum & Mediolanum Santonum.

BRIGITTA, vel BIRGITTA, Sueca, ex Neritiæ Principe 8. liberorum mater; marito defuncto, in Italiam & Palæſtinam tranſiit. Gregorium IX. Avenione ut Romam rediret, adduxit, S. Salvatoris ordinem fundavit. Scripſit *Volumen Revelationum*, in quo *Papam animarum interfectorem*, *pejorem Judâ*, *Pilatô*, *Luciferô*: *Sedem ejus demergendam*, *ut lapidem ponderoſum*, *aſſeſſores ejus arſuros igne inextinguibili*, aſſerit. Et, ſe vidiſſe, cùm mater Chriſti ad filium dixiſſet, *Romam eſſe fructuoſum agrum*, reſpondiſſe verò Chriſtum, *eſt*, *ſed Zizania*, &c. Spond. A. C. 1370. 1371. 1415. Morn. *in myſt. p.* 1074. Inter Sanctas relata, à Bonifacio IX. A. C. 1391.

BRIGITTA, Virgo è Scotia, ſanctitate clara. A. C. 523.

BRIGOBANNA, *Cluver. Bejern*, oppid. Sueviæ, ad Danub. 22. mill. paſſ. à Ortlinga in Ortum.

BRIGOLIUM, oppidul. Galliæ in provinc. Marchiæ inferioris prope Vigennam fluv.

BRILESSUS, Ægialeus dictus, Atticæ mons. Plin. *l.* 4. *c.* 7.

BRILETUM, mons Atticæ regionis. Plin. *l.* 11. *c.* 37. In hoc monte ſunt leporibus bina jecinora, cervis renes quatuor, pennatis autem & ſquamoſis nulli.

BRILLENDUNUM, oppid. Albionis in ora orientali in Comitatu Eboracenſi, vulgò *Bridlington*, quod aliàs *Gambrato vicum* in ora, juxta Flamburgum, 15. milliar. Angl. ab Hullo in Boream *Baudrand*.

BRIMO, unum ex Hecates, ſive Proſerpinæ nominibus, ἀπὸ τοῦ βρεμεῖν, h. e. à *terrendo* impoſitum, eò quòd nocturna terriculamenta ab eâ immitti credebantur, ut ex Apollonii Scholiaſte annotat Cæl. Rhodig. *l.* 11. *c.* 16. Heſiodi Interpres *l.* 2. Βριμὼ δὲ ἡ Ὀβριμὼ ... ἡ Περσεφόνη, ... Ὀβριμὼ λέγεται. Fuit & ita appellata Rhea. Theodoretus Therapeut. *Serm.* 2. Ὅτι δὲ καὶ ... τὴν Ῥέαν, ... τὴν Κυβέλην, ... τὴν Βριμώ, ... Propert. *l.* 2. *eleg.* 2. v. 11.

Mercurioque Satis fertur Bœbeidos undis
Virgineam Brimo compoſuiſſe latus.

Interpres Apollonii, Βριμὼ, ἡ Περσεφόνη. Φασὶ δὲ Ἑρμῆν ἱερῶν ... ὃ δὲ ἀντιβριμήσατο ..., ὁ δὲ φοβηθεὶς ἀπέστη. Statius *l.* 2. *Sylv.* 3. *v.* 38. in arborem Atedii:

------ *Omnia queſtus*
Immitem Brimo, *ſtagna invida.*

Nic. Lloydius.

BRINCAS, Italiæ urbs à Gothis recepta per Narſetem. *Cedrenus.*

BRINCI, Thraciæ populi. *Suidas.*

BRINIO, Caninefas, claritate natalium inſignis, cujus Pater multa hoſtilia auſus Cajanarum expeditionum ludibrium impunè ſpreverat. Igitur ipſo rebellis familiæ nomine placuit impoſituſque ſcuto, more gentis & ſuſtinentium humeris vibratus, Dux Batavorum delectus eſt. Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 15. Rhenanus, quia in codice Matthiæ Corvini Regis *Brinio*, legendum cenſet *Brinno*, ut ſit qui hodie *Brino* dicitur. A Florentino quoque codice vocatur *Brinno*, à Veneto *Brinno*.

BRINIUM, Italiæ oppid. unde *Briniates* populi, non procul ab amne Boacte, hodiè *Brignolo*, ut putatur. *Boron* forte *Ptolemæo*.

BRINNICA, oppidul. Sileſiæ in Ducatu Oppolienſi, ad Brinnicium fluv. 5. leuc. ab Oppolia in Ortum, 1. à confinio Poloniæ, *Brinnicka* vulgò.

BRINNUM, Urbs Moraviæ Metropol in Germao ad Suartam fluv. qui ibi in Zuittam cadit. Munita, cum caſtro valido. 5 leuc. ab Olomutio, in Meridiem; hic Jodocus Imperator coronatus ſepultus eſt. A. C. 1410.

BRINOLIUM, Urbecula Galliæ in Provincia, prunis fuit celebris, ad amnem *Caramy*, intra montes. 2. leuc. à Fano D. Maximini.

BRINONIA, vulgò BRIGNIOLE, locus Galliæ, in Provincia, prunis ſuis celebris: haud procul à Luco *Luc*. Hadr. Valeſ. in voce *Lucus*. Vide quoque *Brinolium*.

BRINTA, ſeu BRENTA, fluv. Venet. apud Patavium, vide *Medoacus*.

BRINTUM, oppid. olim Æmiliæ, in territorio Bononienſi, *Caſtel Brito*, Aliis *Brento*, oppid. exeſum videtur, in monte, apud Iſidin fluv. à Bononia 12. mill. paſſ in meridiem diſtans.

BRIOCENSE Fanum, Monaſterium primò, dein à Nomenojo, qui ſub Carolo Calvo Britannorum Rex factus eſt, conſtitutum oppidum Epiſcopale Britanniæ Gallicanæ, inter Epiſcopatus provinc. Turonenſis 8. ſub Metropoli Turonis: ejus incolæ *Ptolemæo Biducenſes* dicti ſunt. *Merel.* vulgò *S. Brieu*, ab indigete ſuo, S. Brioco.

BRIODRUM, vulgò BRIERRE, locus Galliæ ad Axonam fluv. inter Valles *Vaux*, & Sabiniacum *Savigny*.

BRIOLETUM, vulgò BRIOLAY, locus Galliæ, memoratus in literis datis A. C. 1105. ubi Goffredi *de Brioleto* mentio: apud Valeſium in voce *Caſtrum Celſum*

BRIONIA, oppid. munitiſſimum & in corde terræ ſitum (Neuſtriæ) dicitur Orderico Vitali *Hiſt. l.* 8. vulgò *Brionne* vel *Brionne*; ad Riſclam flum. inter terram & Pontem Audomari. Caput Comitatus Normanniæ in pago Romenſi (*le Romois*) inter Sequanam & Riſclam jacente. *Brioſſium* in Pictonibus, vulgò *Brioux*, prædium Campaniacum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRIONIS Saltus, Galliæ, in confinio Turonum ac Biturigum Cuborum, quorum diœceſi attribuitur, aliàs *Briona* dicitur, vulgò *Brenne*, pagoque circumjacenti nomen ſuum dedit. Ibi præter cæteros locus, qui Millepedus dicitur *Maubec*, fluvius Claſia *la Claiſe*, & prædium Longoretum *Lonrey*, ubi Sigiramni Monaſterium extiterunt: à quo & loco nomen, qui pro Longoreto dici accepit *Monaſterium S. Sigirami in Brioni ſaltu*, vel in Brionia *S. Siran en Brenne*. Ibidem quoque Maceriæ, *Mezieres en Brene*, & S. Michaëlis Fanum *S. Michel en Brenne*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Longoretum*.

BRIONUM, P. *Diacono*, regio Norici, ubi *Brunek*, oppid. Tyrolis, *Lucio* à Brixinenſi urbe 4. leuc. in Ortum. Ibi ſanguinem pluiſſe, habet *Diaconus*. Aliis eſt *Pernetz*, oppid. in terra Salisburgenſi. *Briones* populi *Breuni* Ptol. *Breones* Venantio Fortunato.

BRIOSSIUM, locus in Pictonibus, *Brioux*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRIOVERA, Concilio Aurelianenſi primo *Leontianus Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinæ* ſubſcripſit, *Leontianus Epiſcopus de Conſtantia* in codice Corbeienſi dictus, in Remenſi & Bellovacenſi *ex civitate Briovere Leontius Epiſcopus*. In Concilio Aurelianenſi 5. quod juſſu Regis Childeberti coactum eſt 5. Kal. Nov. Indictione 11. A. C. 549. regni ejus 38. actis ſtatutiſque præter cæteros ſubſcripſit *Lauto Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinæ vel Brioverenſis*, non quod Conſtantia vetere nomine dicta ſit *Briovera*, ut *Sirmundus* putat, ſed quod Laudus Conſtantiæ Epiſcopus, vir ſanctitate vitæ inſignis, in caſtro diœceſeos ſuæ Briovera plerumque ſedem haberet, & loci amœnitate delectaretur. *Briovera* autem dicta eſt, quaſi *Bria* aut *Briva Vira*, h. e. Pons Viræ: uti *Briſerta*, *Bria* aut *Briva Sarta*, h. e. Pons Sartæ, Sertævè, vulgò *Briſſerte*, Brioledum, vel Brioletum, *Briolay*, *Bria* vel *Briva Ledi Lidere*, i. e. Pons Ledi. Salbria ex nocti nomine, vulgò *Salbris*, quaſi Saleræ Bria vel Briva, i. e. Pons Saleræ; Carobriæ, *Chabris*, Briæ vel Brivæ ad Carum in Biturigibus. Dicta itaque eſt *Briovera*, quia Pontem habebat Viræ fluminis impoſitum, quemadmodum *Briſerta* Sartæ, *Brioledum* Ledo. *Brioveram* exiſtimo eſſe locum diœceſeos Conſtantinæ, qui ab ipſomet Lautone vel Laudo Epiſcopo quondam ſuo poſteà novum nomen

acce-

accepit, & depoſitâ priore appellatione, vocari cœpit *caſtrum S. Laudo*, vel *caſtrum S. Lauſoni*, aut (*ut Regino loquitur*) *ad Sanctum Lau*, vulgò *S. Lo*. In Chronico de Geſtis Normannorum, *intervenerit Conſtantiæ civitatis caſtrum S. Laudi* impugnaviſſe ac tandem cepiſſe A. C. 890. & interfectis omnibus incolis ſolò æquaviſſe Normanni dicuntur. Eſt & *Vera* Veræ fluvium orienti appoſita atque cognominis, *Vire* vulgò nuncupata, et fluvius cui adjacet, *la riviere de Vire*: ſedes locus & caſtrû S. Laudi multis clarus eſt ac nobilis, & Bajocaſſinæ diœceſeos finibus continetur, nec ad Eccleſiam Conſtantienſem ulla ex parte, pertinet; ita ut ei Briovera nomen convenire non poſſit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRIQUERASCUM, oppid. Italiæ in Pedemontio, juxta amnem *Peles*, in colle, 4. milliar. à Pinarolo, in Auſtrum.

BRISA, promontor. Leſbi, ubi Bacchus *Briſæus* colitur. *Steph.*

BRISABRITÆ, Indiæ populi Plin. *l. 6. c. 20.*

BRISACUS Mons, ſeu melius *Briſacum*, inter Argentinam & Baſileam, vulgò *Briſach*. Conditum eſt à Berchtoldo IV. Duce Zeringiæ, ſeculò 12. ſecundùm quoſdam: in Briſgoja, quæ Zeringis olim ſubfuit. Sed Lancelinus, jam Briſiacæ dominus fuit, qui A. C. 1036. mortuus Berchtoldum I. Ducem Zeringienſem genuit. Niſi forte poſterius de oppido, prius de arce intelligendum. Extinctâ dein Zeringiorum familiâ, Epiſcopo Baſileenſi jus in illud fuit, vide Stumpf *l. 12. de Rætr. c. 25.* circa A. C. 1254. Ei ereptum è Rodolfo Comite Habſpurgico, A. C. 1268. ſed aliquâ pecuniæ ſummâ perſolutâ, poſtea redditum eſt. Sequentibus temporibus ad Auſtriacam familiam devolutum, munitiſſimumque effectum eſt. Donec à Bernardo Duce Wimarienſi, poſt diuturnam obſidionem, famemque Saguntinæ omnino parem, ſub Galliæ Regis poteſtatem eſt redactum A. C. 1638. cui cum Alſatia & Suntgoja, pace Monaſterienſi A. C. 1649. remanſit. Caſtelli *Briſaci*, ad Eberhardum Comitem Palatinum pertinentis, & obſeſſi ab Ottone M. ſeculò 10. meminit, Auctor præfatus, *l. 2. de Germ.* &c. Vide & *Briſiacus Mons*. *Briſagum* verò oppid. eſt Locarnenſis præfecturæ.

BRISEIS, Lyrneſſia puella, à patre *Briſe* ita appellata, cum verò nomine *Hippodamia* vocaretur. Hæc, captâ Lyrneſſô urbe, Achilli victori in ſortem ceſſit, cui poſteà ab Agamemnone erepta, implacabilis diſſidii cauſa fuit inter eum & Achillem. Vide Homer. *Il. 1. v. 184.* qui eam vocat Βρισηΐδα καλλιπάρηον. Horat. *Carm. l. 2. Od. 4. v. 2.*

—— Prius inſolentem
Serva Briſeis niveo colore
Movit Achillem.

Propert. *l. 2. el. 8. v. 35.*

Omnia formoſam propter Briſeida paſſus.

Ovid. *l. 2. de Art. Am. v. 713.*

Illa te maneat longè Briſes ſiebat.

Idem *de Remed. Am. v. 777.*

Hoc & in abducta Briſeide flebat Achilles.

BRISES, Chryſis ſacerdotis frater, Hippodamiæ pater, quæ ab eo *Briſeïs* dicta.

BRISEUS, Liber Pater. Cornutus in hoc Perſii, *Sat. 1. v. 76.*

Eſt nunc Briſæi quem venoſus liber Acci.

Briſæum appellatum eſſe ſcribit, vel à mellis uſu, quòd ipſe primus mel inveniſſe dicatur: vel ab uva, quòd eam expreſſerit, quam *briſare* hic exprimere, vel à nympha, quæ eum nutriviſſe dicitur. *Briſeus* etiam Poëtarum epithetum eſt, quòd in ſu Liberi patris tutela eſſe credantur. Vide Caſaubon. *ad locum Perſii allatum*. Addo, quòd *Heſychio* Βρισαῖος, à Chald. בריז *brez* vel *briz*, h. e. favum mellis, è favo egredientes. Cornutus *in Perſium Sat. 1.* *Eſt Briſæus Liber Pater cognominatus à mellis uſu, eo quòd ipſe primus dicitur inveniſſe mel, & ex favis expreſſiſſe.* Quo facit, quòd *Briſas* vocabant Nymphas, quæ Ariſtæum docuerunt mellis conficiendi rationem. Heraclides in *Cretum Rep.* Ἀγρεύειν δὲ φασι, ... Βρισαῖον τὸν μελιτουργόν, *Ariſtæum verò dicunt didiciſſe a Briſis mellis conficiendi modum* &c. Vide ſam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l. 4. c. 12.*

BRISGOJA, regio Germaniæ ſuperioris inter Rhenum, & Sylvam nigram, vulgò *Briſgow*, in qua Friburgum urbs & Academia, è Baſilea 7. leuc. in Orientem. A populis *Briſigavis*, prope Rhenum fluv. Hujus tractus primaria, alias Briſacum, nunc Friburgum, ubi Bavaris memorabilis clades illata à Gallis, A. C. 1644. Academiâ inſignem. Ferè tota Auſtriacorum eſt.

BRISIACUS Mons, *Antonini Itin.* oppidum, quod hodie *Briſacum*: vide ſuprà, & plura hanc in rem, apud B. Rhenanum *Rerum. Germ. Nova Antiqq. l. 3.* & Cl. Ottonem JCtum *Notis ad eum*.

BRISIGAVI, populi vicinum Monti Briſaco tractum, German. *Briſgow* incolentes. Hi in *Seniores* & *Juniores* diviſi, ſub Romanis quondam ſigna meruerunt, ut videre eſt in *libro Præfecturarum Rom.* Et quidem hi *militari* dignitate, ſub Viro Spectab. Comite Italiæ, illi ſub Comite Hiſpaniæ intra Hiſpanias, militabant, circulares lineas coloribus diſtinctas pro inſignibus habentes, ſicut Juniorum digma erat caput humanum hiſpida barbâ ac capillitiô, per floccos ſurſum verſo, præditum. Rhenanus *d. l.* ubi Cl. Otto, habitaſſe hæc loca antiquitus Sequanos, Mediomatricos, Tribocces, Alemannos. Vide eum, & Auctores illi laudatos.

BRISOANA, fluv. Perſidis, qui Perſepolim interluit. *Bind.* Mor. *tio & Callaido*.

BRISTOLIUM, urbs Albionis in Angliæ & Walliæ confinio apud oſtium Sabrinæ fluv. Emporium celebre, *Venta Belgarum* olim juxta nonnullos dicta, ſed malè. Vulgò *Briſtol*. Alr. *Lloydus*. partim in Somerſetenſi agro, partim Gloceſtrienſi ad Avonam fluv. ubi Trimum amnem recipit. Editiore ſitu gaudet. 5. milliar. a Bathonia in Occaſum 7 ab oſtio Avonæ in æſtuarium Sabrinum in Ortum. *Speedus*. longitud. 17. 30. latitud. 51. 43.

BRISTOLIUM, novum oppid. Americæ Septentrionalis in ora littorali novæ Angliæ ſub Anglis.

BRITANNI Primi, ſeu *Brittones*, ut ait Beda *in c. 1. l. 1.* *de tractu Armoricano, in Britanniam inſulam advecti, auſtralia ſibi partes ejus vindicarunt*, & ſuâ linguâ uſi ſunt. Multò ante Bedam tradidit Cæſar *in libro 5. c. 12.* *Britanniæ maritimam partem ab iis incoli, qui ex Belgio eò tranſierunt*, nimirum ab Atrebatibus, Belgis, Iceis aliiſque. Idem & Tacitus ſcripſit *Agric. c. 10. 11. 12.* Poſteà cum *ab Anglis & Saxonibus Britannia inſula fuiſſet invaſa, magna pars incolarum ejus mare trajiciens, in ultimis Galliæ finibus Venetorum & Coriofolitarum* (ſeu Curioſolitum; addo & Oſiſmiorum) *regiones occupavit*, Placidi Valentiniani Principatu, circa A. C. 441. uti ſcribit Eginhardus *in Annalibus, in rebus an. 786.* Regio à Britannis *Britannia* appellata, ante annos 1200. Hoc eſt, quod ait Beda *in c. 15. l. 1.* Britannorum alios fame confectos ſe in ſervitutem hoſtibus dediſſe; *alios tranſmarinas regiones dolentes petiiſſe*, videlicet tractum Armoricanum, primas Majorum ſuorum ſedes. Quorum Britannorum Epiſcopum nomine Manſuetum an. 461 Urb. Cond. Severinô Conſule Conciliô Turonico interfuiſſe ac ſubſcripſiſſe invenio. Sidonius *in l. 3. ep. 7.* Arvandi viri Præfectorii fortunam ac caſum deflet, qui A. C. 467. per Epiſtolam Theodorico Regi Gothorum ſuaſerat, ut Imperatorem Anthemium, & *Britannos ſuper Ligerim ſitos impugnaret*, ac cum Burgundionibus jure Gentium Gallias divideret. Horum Britannorum Regulus à Sidonio *in l. 3. Epiſtola 9.* Riothamus, à Jordane *Riothimus Rex Brittonum* dictus, ad reprimendum Euricum Gothorum Regem ab Anthemio Aug. eſt arceſſitus: qui priuſquam cum Romanis vires ſuas jungeret, ab Eurico in Biturigum finibus victus, magnam duodecim millium armatorum partem amiſit, & multis apud Dolenſem vicum interfectis, ad Burgundiones, gentem finitimam, ſociam tum Romanorum & amicam, trans Ligerim perfugit. An Britanni iſti poſteà Francis in Gallia latè dominantibus paruerint tributumque annuum pependerint, certoſque ab eis fines pactione cenſûs initô acceperint, diſquiſivimus *in libro. 6. Rerum Francicarum*. Nomenoius, Dux Britannorum, à Carolo Calvo defecit, nec ſolùm Venetos, quos Pippinus proavus Calvi ceperat, ditioni ſuæ adjunxit recuperavitque, ſed etiam *limitem antiquum tranſgreſſus* (ut ait *Abrevaldus*) Redones ac Namnetas urbes regni Francici occupavit. In *Annalibus Bertinianis* invenio, filium Nomenoji Regis Heriſpojum Regiâ veſte & *paternæ poteſtatis honore*, h. e. paternô Regnô à Carolo donatum eſſe, *additis Redonis, Namnetis, & Ratenſi*, i. e. Ratiatenſi pagô: ſeu veniâ earum urbium & pagi expugnationem, ac poſſeſſionem ab eo comprobatam. Ex eo tempore Redones atque Namnetes cum Venetis Britannicæ ditionis facti ſunt, & pagus Ratiatenſis vel Ratenſis in Pictonibus, Britanniæ, à qua flumine Ligere dividebatur, pars eſſe cœpit. Ex quo intelligitur, ante annos octingentos tantum ac tantam cœpiſſe eſſe ex anguſtiſſima Britanniam, qualis hodieque cernitur. Ab Britannis eam occupantibus Britannica nomine Britannicô vocata eſt *Letavia*, h. e. maritima ſeu littorea: ſi credimus auctori *libri de Vita S. Gildæ*, cujus hæc ſunt verba, *Cum perveniſſet in Armoricam quondam Galliæ regionem, quæ tunc a Britannis, à quibus poſſidebatur, Letavia, id eſt, litoralis dicebatur, ab eis honorifice ſuſceptus eſt.* Certè auctor eſt Camdenus, Cæſaream & Sarniam inſulas oræ Galliæ adjacentes, quæ Anglorum Regi parent, *Lettaw* Britannis ſeu Lettavas, h. e. litorales vocari. *Llydaw* alii ſcribunt, & linguâ Britannicâ littoreum ſignificare aſſerunt. Britannia, qualis nunc eſt, continet partem provinciæ Lugdunenſis tertiæ ſive provinciæ Turonenſis majorem, videlicet civitatem Redonum, civitatem Namnetum, civitatem Curioſolitum vel Corisopitum, civitatem Venetum, civitatem Oſiſmiorum, & quatuor alias recentiores in eadem provincia diœceſes. *Britanniam Ciſmarinam* vocat tum Eginhardus, *in rebus an. 786.* ut diſtinguat à Britannia inſula, quæ Galliæ eſt tranſmarina, & mari à Britannia noſtra Galliæ parte divisa; incolas, *Britones ad Occidentem in extrema parte Galliæ ſuper litus Oceani reſidentes*, in vita Caroli Magni. *Britanniam Gallicanam* appellat, vetus membrana Monaſterii Roconenſis in Britannia, quòd ſit portio Galliæ Celticæ non contemnenda. Gervaſius Tileberienſis ac quidam alii *Britanniam Armoricam* nominare malunt, propterea quòd una fuerit de regionibus, quas olim Armorici obtinuerunt. Unde & Guillelmus natus in Britannia Galliæ, *Willelmum Britonem Armoricum* ipſe ſe appellavit. Ab nonnullis *Britannia minor* dicitur, quòd Britanniâ inſul. multò ſit anguſtior. Marianus *Britanniam citeriorem* nuncupare conſuevit, uti ſuprà Eginhardus *Ciſmarinam*, quòd non Gallis modò, ſed etiam Italis, Germanis, Hiſpaniſque citra mare ſit poſita. *Britanniam novam* vocant tabulæ veteres Andegavenſis Monaſterii S. Sergii his verbis. *Anno 1903. menſe Junio Normannorum ſeva natio innumerosâ claſſe advecti, Ligerim fluvium, qui inter novam Britanniam & ultimos Aquitaniæ fines in Occiduum mergitur Oceanum, ingrediuntur: demum dato claſſibus zephyro, ad urbem Namneticam contendunt.* Gregorius Turonicus Epiſcopus *in l. 4. c. 20. & in l. 5. Hiſtoriæ Francicæ c. 26.* & alibi paſſim eam Galliæ Lugdunenſis provinciam, vel (ut Plinii verbis utar) *peninſulam ſpectatiorem, excurrentem in Oceanum à fine Oſiſmiorum, circuitu 625. millium paſſuum in longitudinem, in latitudinem 125. ultra quam Namnetes*: nunc *Britanniam* abſolutè, nunc & *Britannias* appellat; incolas regionis *Britannos*, atque etiam *in l. 5. c. 22.* *Britannos*. Eginhardus *in Annalibus* modò *Britanniam Ciſmarinam*, modò ſimpliciter *Britanniam in rebus anni 818.* ſimiliter vocat, & habitatores *Britones*: in anno 799. *Britonum Provinciam*. Ariſtus invenitur Frodoardus *in Chronico anno 919.* cui dicitur *Britannia in cornu Galliæ, in ora ſcilicet maritima ſita*: incolæ *Britones*. Geſta Francorum exemplo Gregorii *in c. 28.* modò *Britannias*, modò *Britanniam*; incolas ejus *Britannos* nuncupant, Fredegariusque quoque *Britannos*. Jordanes & plerique Hiſtorici noſtri *Britones*: ſicuti Britannia inſula Brittannorum noſtrorum patria, à Romanis ſcriptoribus *Britanniarum* appellatione non raro donata eſt, à Rufo Feſto,

ab

ab auctore *Notitia Imperii Romani*, ab Æthico *in Itinerario*, à Proſpero, aliiſque: & incolæ Britanniæ inſulæ à Juvenale *in Sat.* 15. *v.* 112. 124. nunc *Britanni*, nunc *Brittones* ſecundâ ſyllabâ brevi ac tertiâ dicuntur, *Brittones* à Martiale *l.* 11. *Epigr.* 22. *v.* 9. ſecundâ ſyllabâ longâ, *Brittones* & Auſonio, *Epigr.* 109. 110. ac in *Notitia* Imperii. Equidem obiter in priſcis codicibus Gregorii *Brittaniam* & *Brittanos*, ac *Brittanos* ſemper ſcribi. In codicibus quoque Fredegarii, in *Chronici l.* 4. *& l.* 5. *Brittanos* reperio: pro quo *Britannos* & apud *Fredegarium*, & apud pleroſque Hiſtoricos noſtros ſubſtituerunt mendoſè, cùm *Brittanos*, aut potiùs *Brittanos* retineri ediique oporteret. Quod ne quis miretur, eâdem planè ratione in Rufi Feſti Breviario codex Regius, qui eſt eximius ac venerandæ antiquitatis, ubique *Brittanos* & *Brittaniam* inſulam nobis exhibet, nuſquam *Britanniam* aut *Britannos*: ut appareat non aliter, quàm *Brittaniam* & *Brittanos* olim ſcribi plerumque conſueviſſe, ſive de inſula, ſive de parte Lugdunenſis 3. ſermo eſſet, & utramque tam *Brittaniam* quàm *Britanniam*, utriuſque incolas tam *Brittanos* & *Brittones* quàm *Britannos* vocari ſolitos eſſe. Latinum vocabulum, *Brittania*, factum ex Græco inſulæ nomine *Brettania*, Βρετ-τανία, ε, in *i*, converſo; & *Brittani* ex Βρεττανοὶ *Brettani*. Nos Britanniam noſtram nuncupamus *la Bretagne*, habitatores ejus Bretones, *les Bretons*. Britannia in ſuperiorem inferioremque dividitur. Inferior Britannia, *la baſſe Bretagne*, eſt circa Montem Relaxum, circa Leonenſem urbem, Briviatemque ac Curioſolitas: aut ut aliis placet, à Brivate portu ad urbem Venetos pertinet. Britannia ſuperior, *la haute Bretagne*, ad amnes Uldam & Vicinoniam, atque in finibus Redonum jacet. Argumentum originis, præter nomen, manet ſermonis commercium. Nam inferiores Britanni noſtri hodieque eâdem ferè linguâ utuntur, quâ Cambri ſive Wallenſes, & Cornubienſes, poſteri eorum Britannorum, qui poſt occupatam à Saxonibus atque Anglis majorem inſulæ Britanniæ partem, in Damnonia, Venedotia, Demetiaque conſederunt. Quoniam autem Britanni ſæpe Francis moleſti erant, & incurſiones in pagum Redonicum & in agrum Namneticum crebrò faciebant, ideò à Francorum finibus certo limite dividebantur, uti Saxones, & Avares, & Saraceni in Hiſpania dominantes. Quod Chlodovei Magni abnepotibus Theodeberto & Theodorico apud Francos regnantibus jam in uſu fuiſſe, docet Fredegarius *in l.* 5. *ac ultimi Chronici c.* 20. qui *Brittanorum limitem* eum vocat. Alii *Britannicum limitem*, *Marcam Britannicam*, & *Marcam Brittanniæ*, ac *Marcam contra Brittones* nuncupant. Eginhardus Rotlandum illum, priſcis ſcurrarum joculatorumque carminibus celebratum, *Britannici limitis Præfectum*; *Widonem* quoque *Comitem ac Præfectum Britannici limitis* appellat, in anno 822. *Comites Marcæ Britannicæ*, in anno 826. *illius limitis cuſtodes* commemorat, qui *fines Britannicos tuebantur*, ut ait auctor Vitæ Ludovici Pii Aug. *Marchiſos Britannici limitis* Lambertum & Rainoldum nominat Adrevaldus Floriacenſis Monachus, Caroli Calvi æqualis, *in libri de Miraculis S. Benedicti c.* 33. Rainaldus autem genere Aquitanus, *Namneticæ urbis Comes* erat, uti docet vetus tabula Andecavenſis Monaſterii S. Sergii, ab Argentræo Cheſnioque publicata. Ex quo judico, *limitem Britannicum* in civitate Namnetum pagoque vel Comitatu Namnetico ex parte conſtitiſſe. Quod & Fredegarius docere videtur his verbis, *Chlotharius oppreſſus per pactionis vinculum ſpondit, ut inter Sigonam & Ligerem uſque mare Oceanum & Brittanorum limitem pars Theuderici haberet.* Ibi enim *Brittanorum limitem* ponit Fredegarius circa *oſtium Ligeris* & *Oceanum*: quæ ſitus Namnetibus convenit, Genti Galliæ Lugdunenſis, poſitæ inter Ligerim & Vicinoniam amnes ad Oceanum properantes. Et hic quidem erat limes Britannicus à meridie; à Septemtrione verò (ſicut arbitror) pagus Abrincatinus ad Coëtnum fluvium pertinens. Et quoniam de Marca Britannica ſermo eſt, notare convenit, quæ veteres rerum Francicarum Annales de Britannis referunt in anno 799. *Wido Comes qui in Marca Britanniæ præſidebat, una cum ſociis Comitibus Brittaniam ingreſſus, totamque perluſtrans, in deditionem accepit, & Regi de Saxonia reverſo arma Ducum, qui ſe dediderant, inſcriptis ſingulorum nominibus præſentavit. Nam his ſe & terram ſuam & populum unuſquiſque illorum tradidit.* Ex quo apparet Britanniam tum inter multos Duces diviſam, & ſuam cuique regiunculam, ſuum cuique populum fuiſſe: quos *Duces* alii Capitaneos Brittonum, alii, in primis Eginhardus, *populi Primores* oppellare maluerunt; *Principes Brittonum* Regino, Annaleſque Metenſes. *Anno* 786. *Domnus Rex Karolus miſit exercitum ſuum in partes Britanniæ unà cum misso (aliàs Miſſo) ſuo Audulfo Siniſcalco: & ibi multos Brittones ſubjugaverunt, cum caſtellis & munitionibus eorum, locis paluſtribus & inciſis; & prævaluerunt Franci, & cum victoria reverſi ſunt, & Capitaneos eorum ad Synodum præſentaverunt Domno Regi apud Warmaciam* ſicut in Vita Caroli Magni reperio. *Munitiones* illas Britannorum alii *firmitates*, alii *loca firma*, i. e. munita nuncupant in rebus anni 786. quas *firmitates* cùm *caſtellis* cunctis poſtponant, apparet *firmitatem* aliquid minus fuiſſe *caſtello*. Paludibus *locisque paluſtribus* multum confidere conſueviſſe, eiſque & perfugio & pugnæ loco nonnunquam Britannos uſos eſſe, docet Beppolenus Dux Francorum, qui à Waroco Britanno anguſtiis viarum & paludibus incluſus, unà cum exercitu periit, & Franci in paludibus magis luto necati ſunt quàm gladio proſtrati; ut refert Gregorius *in l. Hiſtor.* 10. *c.* 9. *Inciſa* autem, aliàs *incæſa*, apud ſcriptores rerum geſtarum & Vitæ Caroli Magni ſunt celſi cæſarum arborum cumuli, pro vallo ad arcendos hoſtes per extrema ſilvarum extructi. Amm. Marcellin. *concædes* eas appellat; Sulpicius Alexander *in Hiſtoria l.* 3. & Gregorius *in l.* 3. *c.* 28. *concædes*, quidam *concæſa*; Geſta Regum Francorum in capitulo 25. *combros* nomine in ſtilo Gallico, ex quo aliqua apud Nos vocabula ſunt compoſita. Nam à combris offenſiones Noſtri & impedimenta *encombrance* nuncupant hodieque, *encombrement*, *encombrer*, *deſcombrer*, diſcombrare *deſcombrer*, ſeu combros auferre: ruinas etiam ædificiorum, ſive lignorum, trabium & lapidum confuſorum acervos, *incombros* & *incombramenta* nominant, *encombres* aut *encombrement*. Multæ autem ſunt in Britannia Cauſarina ſilvæ, multæ etiam paludes, vel ſtagna maritima: mirum ut mirum ſit, Britannos olim noſtros, ſi quando hoſtibus irruentibus in apertis campis reſiſtere non poterant, non *caſtella* modò & *munitiones* ſeu *firmitates* ſuas, ſed etiam *loca paluſtria*, & nemorum ſuorum ingentes concædes aut ſepta pro receptu habere conſueviſſe. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque B. Rhenanum *Rerum Germ. l.* 1. cum *Notis* Ottonis JCti ut & hic paſſim.

BRITANNI, populi quoque Belgii, Plin. *l.* 4. *c.* 17. apud oſtium Rheni *Thuys te Britten*, *Ortelius.*

BRITANNIA, inſula in Oceano Septentrionali omnium quæ Europæ adjacent maxima; unde & *Orbis alter* à Veteribus dicta. Claudian. *in Conſulat. Manlii v.* 51.

--- Et noſtro diducta Britannia mundo.

Virg. *Ecl.* 1. *v.* 67.

Et penitus totô diviſos orbe Britannos.

Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 35. *v.* 30.

Ultimos orbis Britannos vocat.

Et ante eum Catullus *Epigr.* 11. *v.* 11.

--- Terribileſque & ulti-
moſque Britannos.

Dionyſius Periéget.

--- Οὐδέ τις ἄλλη
Νήσοις ἐν πάσῃσι Βρεττανίδεσσιν ἰσοφαρίζει.

Quod capio duplici ſenſu; vel enim reſpectum dicit ad magnitudinem, quam ſuprà innuebat

Τάων γὰρ μέγεθος [illegible].

Vel ad bonitatem, utrôque enim modô reliquas omnes inſulas facilè ſuperat *Britannia*. Primò fertilitas ejus ex hoc non obſcurè patet, quòd & annonâ in proprios uſus ſufficiente abundet, & frumentarium auxilium populis etiam longiſſimè diſſitis ſuppeditet. Amm. Marcellin. *l.* 18. *Annona à Britannis ſueta transferri.* Zoſimus Comes *l.* 3. Ὀκτακόσια κατασκευάσας πλοῖα (Julianus Imperator) [illegible], [illegible] Βρεττανίαν [illegible]. Plura apud Camdenum, in ſua *Britannia* videat, ſi volet, ſtudioſus lector. Secundò magnitudinem quod attinet, ea quidem apud Dionyſium præcipuè intelligenda eſt. Audi Diodor Sic. *l.* 5. Νῆσος [illegible] μεγίστη Βρεττανικὴ καλουμένη. Author libelli *de Mundo*, Ariſtoteli falſò attributi, *c.* 3. Ἐν ταύτῃ γε μὴν νῆσοι μέγισταί τε τυγχάνουσιν οὖσαι δύο Βρεττανικαὶ λεγόμεναι, Ἀλβίον, καὶ Ἰέρνη. Hinc Ariſtides aliique Græci *Britanniam* κατ' ἐξοχὴν, ob magnitudinem, μεγάλην νῆσον appellârunt, quemadmodum & nos hodiè *Magnam Britanniam* vulgò dicimus. Tacitus *in libro Agricolæ*, *c.* 10. *Britannia inſularum, quas Romana complectitur Notitia, maxima.* Procopius *Vandalicorum*, *l.* 1. *Britanniam* vocat, Τῶν ἐκτὸς Ἡρακλείων στηλῶν νήσων [illegible] μεγίστην [illegible]. *Ptol.* unam quidem excipit Taprobanem, λέγων (inquit *Euſtathius*) [illegible] Ταπροβάνην μεγίστην [illegible] Βρεττανικῶν. Cæterum de magnitudine *Britanniæ* vide ſis Cl. Salmaſium, *in Plinianis*, latè diſſerentem, *p.* 250. Quidam deducunt, à *Bro*, dulcis, & *tania* regio, ut in *Luſitania*, *Mauritania*, &c. quaſi dicas *dulcis terra*. *Dinoius*. *Camdenus* à *Brith*, i. e. *pictus*, nam populi ſe pingebant glaſtô. Sin verò à *Britone* vel *Bruto* dicta fuit, certè Brutus ille Gallus fuit, non Trojanus, aut Italus. *Verſteganus.* Bocharto verò *l.* 1. *Chanaan c.* 39 Βρεττανικὴ nihil aliud videtur, quàm ברת אנך *barat anac*, i. e. *ager*, ſeu *terra ſtanni & plumbi*. ברה *bara* & in regimine ברת *barath*, Syris agrum eſſe ſciunt omnes, & ex Daniele abundè notum, & אנך *anac*, ſtannum aut plumbum Hebræi explicant Hamoſi, *c.* 7. *v.* 6. Primò, de ſtanno res notiſſima ex Diodor. Sic. *l.* 5. *p. m.* 209. Οὗτοι τὸν κασσίτερον [illegible] ἐργαζόμενοι τὴν φέρουσαν αὐτὸν γῆν. Vide quæ ſequuntur. Secundò, de plumbo Plinium audi, *l.* 34. *c.* 17. *Nigro plumbo ad fiſtulas, laminaſque utimur laborioſiùs in Hiſpania erutô, ſed in Britannia ſummo terræ coriô adeò large ut lex ultro dicatur, ne plus certô modô fiat.* Figuram ejus quod attinet, Strabo *l.* 4. Ἡ δὲ Βρεττανικὴ τρίγωνος μέν ἐστι. Cæſar, *l.* 5. *Bell. Gall. c.* 13. *Inſula univerſa triquetra.* Pomponius, *l.* 3. *c.* 6. *Britannia ſe in diverſos angulos cuneat triquetra, & Siciliæ maximè ſimilis.* Diodor. quoque Sic. *loc. cit.* Αὕτη γὰρ οὖσα σχήματι τρίγωνος [illegible] παραπλησίως τῇ Σικελίᾳ. Quàm ſit autem hoc verum, ex recentiorum deſcriptionibus diſcere quivis poteſt, & præterea ex Tacito *in vita Agricolæ c.* 10. Dicitur etiam *Britannia* plurali numerô uti & *Illyria* apud Propert. *l.* 2. *El.* 16. *v.* 10.

Dic alias iterum naviget Illyrias.

Solinus, *Græciæ cogitamus.* Homer. *Od.* ξ. *v.* 199.

Ἡ μὲν Κρητάων γένος εὔχομαι εὐρειάων.

Euripides,

Καὶ τὰς Ἀθήνας, καὶ μακρὰς Κορίνθους.

Catullus *Epigr.* 30. *v.* 21.

Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ.

Idem *Epigr.* 46. *v.* 22.

Mavult quàm Syrias, Britanniaſque.

Nic. Lloydius. Incolæ hujus inſul. *Britones*: qui primum Euangelii præconem habuerunt Joſephum Arimathæum, A.C. 60. baptizati, ſub Rege Lucio, A.C. 177. E Germania ſequentibus temporibus in Britanniam commigrârunt Angli, Saxones & Juti ſeu Jutæ, quos eoſdem cum Getis Gothiſque eſſe aſſerit Spelmanus *in Gloſſario Archæol.* Unde dictiones compluri mæ Anglis, Gallis, Hiſpanis, Italis, & Græcis Authoribus uſitatæ, fontem priſcum Saxonicum, Germanis ipſis hodiè non ſatis cognitum, agnoſcunt: quem ad Gothicam dialectum proximè accedere *Conr. Geſnerus* ait. Hinc & noſmetipſos, verba ſunt *Spelmanni*, à Gothis latè Europam opprimentibus, originem duxiſſe, moreſque & leges aliquot cum vocabulis multis nondum exoletis, imbibiſſe, certum eſt. Gravem ſenſerunt Britones Gregorium M. qui Britones Chriſtianos, quòd ſibi ſubjectionem denegâſſent, per Edelredum Northumbriæ Regem miſerè tractavit, Dinothô Abbate, virô inſigni, cum ingenti clericorum copia, perditô, A. C. 597. Quæ poſteà ſecuta, vide in *Anglia* & *Scotia*. Urbes & oppida præclariora Britanniæ primæ, i.e. Angliæ & Walliæ, quæ nunc extant, ſequuntur. Quæ aſteriſmis indigitantur, oppida ſunt vel munitiora vel munimenti capacia.

Urbes & oppida Angliæ.

Aballaba, *Appleby*, in Comitatu Weſtmariæ.
* Æglesburgus, *Aylesbury*, Buckingh.
Alnevicum, *Alnwick*, Northumb.
Antona Auſtralis, *Southampton*, region. cognominis portus.
Antona Borealis, *Northampton*, region. cognomin.
Axelodunum, *Hexham*, Northumbriæ.
* Banburia, *Banbury*, Oxonienſis.
Barnaſtapula, *Barnſtable*, Devoniæ.
Bathonia, *Bath*, olim Aquæ calidæ, & Aquæ Solis, Somerſett. Epiſcopalis urbs.
Bedfordia, *Bedford*, region. cognomin.
* Berwicus, *Berwick*, Northumb. portus.
Boltonia, *Bolton*, Lancaſtrienſis.
* Brigewatera, *Bridgewater*, Somerſettenſ.
* Briſtolium, *Briſtow*, Somerſettenſ. portus.
Buckingamia, *Buckingham*, region. cognomin.
Calcaria, *Tadcaſter*, Eboracenſ.
Camalodunum, *Maldon*, Eſſexiæ.
Cantabrigia, *Cambridge*, olim Camboritum, region. cognomin. Academia.
Cantuaria, *Canterbury*, olim Durovernum, Cantii, urbs Archiepiſcopalis.
* Carleolum, *Carlile*, Cumbriæ urbs Epiſcopalis.
* Ceſtria, *Cheſter* & *Weſtcheſter*, region. cognomin. urbs Epiſcopalis & portus.
Chardum, *Chard*, Somerſett.
Chelmerum, *Chelmsford*, Eſſex. olim Canonium.
Cheſterfeldia, *Cheſterfield*, Derbienſis.
Ciceſtria, *Chicheſter*, Suſſex. urbs Epiſcopalis.
* Colceſtria, *Colcheſter*, Eſſex. olim Colonia.
* Conventria, *Coventry*, Varvic. urbs Epiſcopalis.
Corinium, *Cirenceſter*, & *Circeceſter*, Glocestrenſ.
Dancaſtrum, *Doncaſter*, olim Danum, Eboracenſ.
Derbia, *Derby*, vel *Darby*, region. cognomin.
Dertmuta, *Darthmouth*, Devon. portus.
* Diviſæ, *the Vies*, ſeu *Divizes*, Wiltonienſis.
Dorceſtria, *Dorcheſter*, region. cognomin.
* Dubris, *Dover*, Cantii, portus.
Dunelmum, *Dureſme* & *Durham*, Epiſcopatus cognomin. urbs Epiſcopalis.
Duniſtabulum, *Dunſtable*, Bedfordienſis.
Durnovaria, *Dorcheſter*, region. cognomin.
* Eboracum, *York*; region. cognomin. urbs Archiepiſcopalis.
Elia, *Ely*, Cantabrigenſis urbs Epiſcopalis.
* Exonia, *Exceſter*, olim Iſca Damnoniorum, Devon. urbs Epiſcopalis.
Fanum S. Albani, *S. Albans*, ubi olim Verulamium, Hertfordienſis.
* Fanum S. Botolphi, *Boſton*, Lincolnienſis portus & emporium.
Fanum S. Edmondi, *S. Edmonds Bury*, Suffolcienſ.
Fons clarus, *Shirborn*, Dorceſtrenſ.
* Galleva, *Wallingford*, Berchiæ.
Garianorum, *Yarmouth*, Norfolc. portus & emporium.
* Geneſbotwia, *Gainsborough*, Lincolnienſ.
Gippevicum, *Ipſwich*, Suffolc.
Glaſconia, *Glaſſenbury*, Somerſetenſis.
* Glovernia, *Gloceſter*, olim Glevum, region. cognomin. urbs Epiſcopalis.
Harlepolis, *Hartlepool*, Dunelmenſ. Epiſcopal. portus.
* Harvicum, *Harwich*, Eſſex. portus.
* Herefordia, *Hereford*, region. cognomin. urbs Epiſcopalis.
Hertfordia, *Hartford*, region. cognomin.
* Hulla, *Hull*, vel *Kingſton upon Hull*, Eborac. portus & emporium.
Huntingdonia, *Huntington*, region. cognomin.
Lancaſtria, *Lancaſter*, region. cognomin.
Lanſtuphadonia, *Lanſton*, Cornubiæ.
Ledeſia, *Leeds*, Eboracenſis.
Leiceſtria, *Leiceſter*, region. cognomin.
Leonis monaſterium, *Lemſter*, Hereford.
* Lichfeldia, *Litchfield*, Stafford. urbs Epiſcopalis.
Lindum, *Lincoln*, region. cognomin. urbs Epiſcopalis.
* Linum Regis, *Linne*, Norfolc. portus & emporium.
* Liſerpalus, *Lirpool* & *Leverpool*, Lancaſt. portus.
* Londinum, *London*, Middleſexiæ, urbs regni primaria & Epiſcopalis.
* Ludloa, *Ludlow*, Salopiæ.
* Mancunium, *Mancheſter*, Lancaſtrenſ.
Margaberga, *Marleborow*, Wiltonienſis.
Morpitum, *Morpeth*, Northumbriæ.
* Morſiburgus, *Brug morſe* & *Bridgenorth*, Salop.
Neoportus, *Newport*, Vectis inſul.
* Nevarum, *Newark*, Nottingamienſis.
Northalvertonia, *Northalerton* Eboracenſis antehàc Comitatus.
Norvicum, *Norwich*, Norfolc. urbs Epiſcopalis.
Nottingamia, *Nottingham*, region. cognomin.
* Novum caſtrum, *Newcaſtle*, Northumbriæ portus & emporium.
Novus mercatus, *Newmarket*, Cantabrigienſis.
* Oxonium, *Oxford*, region. cognomin. urbs Epiſcopalis & Academia.
Petropolis, *Peterborough*, Northampt. urbs Epiſcopalis.
* Plimmouta, *Plimmouth*, Devon. portus.
* Pons fractus, *Pontfract* vel *Pontfret*, Eboracenſ.
* Portus oſtium, *Portſmouth*, Southampt. portus.
Preſtonium, *Preſton*, Lancaſtrienſ.
* Readingum, *Reading*, Berchiæ.
Richmondia, *Richmond*, Eboracenſ. antehàc Comitatus caput.
Rium, *Rye*, Suſſex. portus.
Roffa, *Rocheſter*, Cantii, urbs Epiſcopalis.
Sacri capilli, *Haliſax*, Eboracenſis.
* Salopia, *Shrewsbury*, region. cognomin.
Sandovicum, *Sandwich*, Cantii, portus.
Sarum & Sariſburia, *Sarisbury*, Wiltonienſis, urbs Epiſcopalis.
* Scarburgum, *Scarborough*, Eboracenſis portus.
Stanfordia, *Stamford*, Lincoln. antehàc Academia.
Staffordia, *Stafford*, region. cognomin.
* Tanodunum, *Taunton*, Somerſetenſ.
Theoci curia, *Tewksbury*, Glocestrenſ.
Thetfordia, *Thetford*, Norfolc. olim Sitomagus.
Tonbrigium, *Tunbridge*, Cantii.
Tripontium, *Toceſter*, Northampton.
Varingtonium, *Warington*, Lancaſt.
Varvicum, *Warwick*, region. cognomin.
Vicus Malbanus, *Nantwich*, Ceſtrienſ.
* Vigornia, *Worceſter*, olim Branogenium, region. cognomin. urbs Epiſcopalis.
* Vimutium, *Weymouth*, Dorceſtrenſ.
Viponium, *Rippon*, Eborac.
Vzella, *Leſtithiel*, Cornubiæ.
Wellæ & de Fontibus, *Welles*, Somerſetenſis urbs Epiſcopalis.
Weſtmonaſterium, *Weſtminſter*, Middleſexiæ.
Wibigginum, *Wiggin*, Lancaſt.
* Windleſora, *Windſor*, Berch.
Wintonia, *Wincheſter*, Southampton. urbs Epiſcopalis, olim Venta Belgarum.

Walliæ urbes & oppida quæ extant.

Albergennium, *Abergevenny* & *Abergenny*, olim Gobannium, region. Monumetenſis.
Arvonie, *Carnarvon*, region. cognomin.
Balla, *Bala*, Mervinniæ.
Bangoria, *Bangor* vel *Banchor*, Carnarv. urbs Epiſcopalis.
* Bellomariſcus, *Beau-marish*, & *Beaumoris*, Monæ inſul. portus.
Brechinia, *Brecknock*, region. cognomin.
Cardiffa, *Cardiff*, Glamorganenſis.
Cardigania, *Cardigan*, region. cognomin.
Chepſtovium, *Chepſtow*, Monumet.
Civitas legionum, *Caer-leon*, olim Iſca, Monumetenſis.
Conovii oſtium, *Aberconwey*, ubi olim Conovium, Carnarv.
Denbighia, *Denbigh*, region. cognomin.
Fanum S. Aſaphi, *S. Aſaph* Flintenſ. urbs Epiſcopalis.
Fanum ad Taffum, *Landaff*. Glamorganenſis urbs Epiſcopalis.
Harlecum, *Arlech* vel *Harlech*, Mervin. portus.
Haverfordia, *Haverfordweſt*, Penbroch.
Maridunum, *Carmarden*, region. cognomin.
Menevia, *S. Davids*, Penbroch. urbs Epiſcopalis.
* Mons Gomericus, *Montgomery*, region. cognomin.
* Monumethia, *Monmouth*, region. cognomin.
Nidum, *Neath*, Glamorganenſ.
* Penbrochia, *Penbrook*, region. cognominis portus.
Radnoria, *Radnor*, region. cognomin.
Ruthunia, *Ruthen*, Denbigh.
Trellinum, *Welspool*, Montgomer.

Britanniæ primæ populi juxta Camdenum.

Atrebatii.
Bercheria, *Barkshire.*
Belgæ.
Dorſetia, Dorceſtrenſis Comitatus, *Dorcetshire.*
Somerſettenſis Comitatus, *Somerſetshire.*
Southamptoniæ Comitatus, *Hamshire*, *Hantshire.*
Vecta inſula, *The Iſle of Wight.*
Wiltonienſis Comitatus, *Wiltshire.*
Brigantes.
Eboracenſis Comitatus, *Yorkshire.*
Dunelmenſis Epiſcopatus, *The Bishoprik of Dureſme* vel *Durham.*
Lancaſtrienſis Comitatus, *Lancashire.*
Weſtmaria Comitatus, *Weſtmorland.*
Cumbria Comitatus, *Cumberland.*
Cantium.
Kent.
Cattieuchlani.
Bedfordienſis Comitatus, *Bedfordshire.*
Buckingamienſis Comitatus, *Buckinghamshire.*
Hertfordienſis Comitatus, *Hartfordshire.*
Coritani.
Derbienſis Comitatus, *Darbyshire.*
Leiceſtrienſis Comitatus, *Leiceſtershire.*
Lincolnienſis Comitatus, *Lincolnshire.*
Northamptoniæ Comitatus, *Northamtonshire.*
Nottingamienſis Comitatus, *Nottinghamshire.*
Rotelandia, *Rutland.*
Cornavii.
Ceſtrienſis Comitatus, *Cheshire.*
Salopienſis Comitatus, *Shropeshire.*
Staffordiæ Comitatus, *Staffordshire.*

Warwicenſis Comitatus, *Warwickshire.*
Wigorniensis Comitatus, *Worceſtershire.*

Dannonii.

Cornubia, *Cornwall.*
Devonia, *Devonshire.*

Dimetæ.

Cardiganiæ Comitatus, *Cardiganshire.*
Carmardeniæ Comitatus, *Carmarthenshire.*
Penbrochienſis Comitatus, *Pembrookshire.*

Dobuni.

Glocestrienſis Comitatus, *Glocesterſhire.*
Oxonienſis Comitatus, *Oxfordshire.*

Iceni,

Cantabrigienſis Comitatus, *Cambridgeshire.*
Huntindonienſis Comitatus, *Huntingtonshire.*
Norfolcia, *Norfolk.*
Suffolcia, *Suffolk.*

Ordevices.

Arvoniæ Comitatus, *Caernarvanshire.*
Denbighienſis Comitatus, *Denbighshire.*
Flintenſis Comitatus, *Flintshire.*
Mervinia, *Merionethshire.*
Mongomerienſis Comitatus, *Montgomeryshire.*
Mona inſula, *The Iſle of Anglesey.*

Ottadini,

Northumbria, *Northumberland.*

Regni,

Suſſexia, *Suſſex.*
Suthreia, *Surrey.*

Silures,

Brechiniæ Comitatus, *Brecknockshire.*
Herefordenſis Comitatus, *Herefordshire*
Glamorganenſis Comitatus, *Glamorganshire.*
Monumetenſis Comitatus, *Monmouthshire.*
Radnorenſis Comitatus, *Radnorshire.*

Trinobantes,

Meddelſexia, *Middleſex.*
Eſſexia, *Eſſex.*

Urbes Britanniæ ſecundæ, hoc eſt, Scotiæ.

Aberdonia, olim Devana, *Aberdeen*, Academia.
Abrenethea, *Abernethy.*
Aerea, *Ayre.*
* Alata Caſtra, *Edenburg*, urbs regia & Academia.
* Andreapolis, *S. Andrews*, Academia.
Brechinum, *Brechin.*
* Candida caſa, *Whithern.*
Caſtrum Britonum, *Dumbritton.*
Caſtrum Caledonium, *Dunkelden.*
Chanrea, *Chanrey.*
Donum Dei, *Dundée.*
Dornocum, *Dornock.*
Dumblanum, *Dumblane.*
Dunfreſa, *Dunfreis.*
Edimburgus, vide Alata caſtra.
Elginum, *Elgin.*
Fordunum, *Fordon.*
*Glaſguum, *Glaſcow.* Academia.
Hamiltonum, *Hamilton.*
Innernum, *Innerneſſ.*
Inſula S. Columbæ, *Columb-kill*, juxta Mulam.
Kirchvallum, *Kyrkwale*, in Pomonia.
Liſmoria, *Liſmore.*
Muſſalburgum in Laudonia, *Muſſelborrow.*
* Perthum, *S. Johnſton.*
Stephanodunum, *Dunſtaffag.*
* Strivelingum, *Sterling.*
Suavicordium.
Victoria, *Wington*, alias *Inch-Keith.*

Vide plura in *Anglia* & *Scotia.*

BRITANNIA, Ducatus Galliæ, peramplus & fertilis, vulgò *Bretagne*, qui nomen juxta moreſque, imò & incolas à *Britannis* inſulanis accepit. Julius Scal. in *Urbibus*:

Vicit Aremoricas animoſa Britannia gentes,
Et dedit impoſitò nomina priſca jugò.

Putant autem id factum, imperante Vortigerò, cùm in Galliam Britannos expuliſſet, evocatus ad defenſionem adverſus Scotos, Saxo. Nec tamen abſimile vero eſt, etiam ante id temporis, ut ex *Plinio* & *Beda* patet, in iſta Galliæ parte Britannorum extitiſſe colonias, eaſque tunc auctas novâ acceſſione, quam vim domi fuerant paſſi, Aremoricis, iſtique maritimo tractui intuliſſe. Excreverunt hi poſtmodum in tantam potentiam, ut Gothis, quò minus Galliam univerſam occupârint, obſtaculo fuerint. Certè Riothimus eorum Rex, teſte *Jornande*, duodecim millia Brittannorum contra Gothos in auxilium adduxit. Prælio quoque adverſùs Attilam Britannos interfuiſſe autor eſt *Callimachus Experiens. Simſonius* ex *Pontano.* Ad Orientem Normannos habet, Cenomanos & Andegavenſes conterminales, ad meridiem Pictones: reliqua latera claudit mare Britannicum. Provinciarum Galliæ ad Oceanum eſt ultima, in altum ultra reliquas omnes procurrens, peninſulæ inſtar; unde non inconcinnè *Cornu Galliæ* vocatur: Soleæ ferreæ ſpeciem referre dicitur, cujus exterior pars ſubrotunda mare, interior verò, quæ concava, reſpicit mediterranea. Longitudo ejus ſex dierum eſt itineris, trium autem latitudo. Dividitur in *Superiorem & Inferiorem. Superior*, quæ eſt Orientalior, ab *Inferiore* ſeparatur lineâ ex vico, qui vulgò dicitur *Chaſteau Audron*, ducta, porrectaque inter Quintinum & Corlayum, verſus extremitatem ſinus Venetenſis, ad flumen uſque Vilanium, ſic tamen, ut fanum S. Johannis in Inferiore relinquatur Britannia. Ejus Metropolis eſt Rhedonum urbs Epiſcopalis cum Parlamento, reliquæ Nantes, S. Malo, S. Brieo, & Dolis Epiſcopales. *Inferior* verò Britannia, porrigit ſe ab communibus cum ſuperiore limitibus in Occidentem verſus Oceanum, qui tria ejus latera latè pulſat: ejus Metropolis eſt Venetia, vulgò *Vannes. Merula.* Per aliquot ſecula Duces habuit proprios, ſed ab A. C. 1491. Regno Franciæ innexa eſt, *Baudrandus.* Vide paulo infrà. Perampla eſt & fertiliſſima, maximè in Occidentem procurrens. Hiſtoria ejus compendiò ſic habet. A' J. Cæſare ſubacta Romanis paruit, donec, Maximus in Anglia Imperator proclamatus uni Ducum ſuorum, Conano nomine, permiſit regnum erigere in Gallia Aremorica. Quod duravit uſque ad Clodovæum & Chilpericum, à quibus coacti ſunt Reges hi titulò Comitum acquieſcere. Poſt, jugô excuſſò à Dagoberto II. tributarii ſunt redditi, uſque ad A. C. 707. quò Carolus M. illos ſibi ſubjecit. Nihilominus amore libertatis in Ludovicum Pium & Carolum Calvum iterum inſurrexerunt, multis inſuper præliis attriti, & occiſò ultimò ſuò Rege Salomone. Poſt quem Principes præfuerunt, uſque ad A. C. 1213. quò Adelais, Armoricæ hæres Petro Droceuſi nupſit, cujus ſucceſſerunt, 10. Duces, uſque ad A. C. 1491. cùm Anna, unica filia Franciſci II. ultimi Ducis, jam Maximiliano I. Romano Imperatori deſponſata, à Carolo VIII. primum, dein à Ludov. XII. ducta, ducatum hunc Galliæ regni acceſſionem fecit. In hac regione habitum Concilium A. C. 846. de pace inter Gallos & Neomedem Ducem, & 1079. Vide tom. 10. Concil. ut & B. Rhenanum ubi ſupra alioſque, nec non voce *Aremorica.*

Urbes Britanniæ Gallicæ, ſeu minoris.

Aletha. Vide Maclovium.
Briocum, *S. Brieu.*
Brivates, *Breſt.*
Cliſſonium, *Cliſſon.*
Coriſopitum, & Curioſolitæ, *Cornovaille.*
Dinantium, *Dinant.*
Dolis, *Dol.*
Filiceræ, *Fougeres.*
Guerandia, *Guerande.*
Hannebontum, *Hannebont.*
Kimperlæum, *Kemperlay.*
Leona, *S. Pol de Leon.*
Machicolium, *Machecou.*
Maclovium olim Aletha, *S. Malo.*
Mons Relaxus, *Morlaix.*
Nannetes, *Nantes.*
Rhedones, *Rennes.*
Sahocanus, *Roſcon.*
Trecorium, olim Oſiſmi, *Treguer.*
Venetiæ, *Vannes.*
Vitræum, *Vitré.* Vide quoque *Britanni.*

BRITANNIA Magna, inſula Europæ, in Oceano Occidentali, quod nomen à Veterib. duobus nobiliſſimis regnis Angliæ & Scotiæ tributum, interveniente dein diſtinctiò utriuſque regiminis ſenſim elanguit, donec ab hodiernis Regibus, quippe utriuſque regni Dominis, in privatis inſcriptionibus & ſalutationibus revocari cœpit; Actis Publicis interim eò plerunque abſtinentibus. Et Jacobus Rex quidem in unito hoc nomine ipſorum Regnorum unionem animo deſtinaverat, cuſis cum in finem jam tum nummis, cum elogio: *Quæ Deus conjunxit, nemo ſeparet*: Et, *Tueatur unita Deus*: Et, *Faciam eos in gentem unam* Item, *Henricus Roſas, Regna Jacobus* Sed reclamârunt utriuſque Regni ſtatus, cauſati, mutationes fieri non oportere, niſi aut urgente neceſſitate, aut manifeſtâ utilitate ſuadente; atqui nihil hîc eſſe, quod urgeat, vel ullius emolumenti ſpem faciat: Unionem Regnorum aut matrimonii aut victoriis fieri: Novi Regni inſtitutione, antiquioris memoriam aboleri, eâque re in negotiis, in Comitiis convocandis, in Sigillis, munerum publicorum diſtinctione, Legibus ac Conſtitutionibus ſanciendis, Actis publicis &c. multum incommodi ſequuturum: & ſi quidem contingat, ut Rex ſine liberis decedat, aut liberi ejus ſine prole deficiant, illâ unione & Regnorum confuſione futurum, ut paterni nominis hæredes in Anglia ſibi jus arrogaturi ſint, excluſis legitimis Anglici nominis hæredibus, quod eſſet iniquiſſimum; Idem ſummè diſpliciturum populis, qui antiquò nomine gaudeant, & ominoſum eſſent ducturi, aboliti priſci temporis memoriâ per nova agnomina præpoſterâ ambitione Majorum gloriam obſcurari. Vide Jac. Aug. Thuanum ad *A.* C. 1604. *l.* 131. Cæterùm, gens Gallicæ priſcæ propago videtur, Tacito in *vita Agricol. c.* 10. namque *ſermo haud multum diverſus, in depoſcendis periculis eadem audacia, & ubi advenère, in detrectandis eadem formido.* Præterea magna factorum olim ſimilitudo; Nam utrique genti erant Druidæ, qui è *Britannia* tamen ad Gallos pervenêre, teſte Cæſare *de bell. Gall. l.* 6. *c.* 12. utrique mos homines immolandi, & communes Dii. Præter quos Romani, ubi inſulam occupârunt, ſua & illuc induxerunt Numina: quæ omnia tam Celtica, quàm Romana, *Gildas*, de Britanniæ excidio agens, appellat *portenta Diabolica, penè numerò Ægyptiaca vincentia, quorum nonnulla lineamentis adhuc deformibus, intra vel extra deſerta mœnia, ſolitò more rigentia, torvis vultibus intuemur.* In quibus Numinibus fortaſſe & Hercules mereatur locum: nec enim leve haberi illi honoris argumentum videtur Herculis promontorium, in Damnoniis, *Ptolemæo* etiam memoratum: hodieque *Herty-point.* Unde tamen perperam colligunt nonnulli, Herculem veniſſe in Britanniam, quod diſertim negat Diodor. Sicul. *l.* 4. Quemadmodum & id, quod de Ulyſſis adventu, in Caledoniam, Solinus habet c. 25. ſubleſtæ eſt fidei. Hoc enim ſi fuiſſet, non ſiviſſet id nos ignorare Homerus; cùm tamen plurimis etiam poſt eum ſeculis Græcis juxta ac Romanis hæc inſula fuerit ignota. Quod aram verò Ulyſſis in Britannia attinet, cujus is meminit, forte Ulyſſi fuit dedicata, vel à recentiore quodam hujus nominis extructa; imò & fieri poteſt, in hoc nomen aræ adſcripſerant, quò ambiguitate nominis vel fucum facerent, vel dubium ſaltem relinquerent Lectorem. Cæterùm Geadam ſive Getam quendam, ex hominibus in Deorum numerum, ab hac gente relatum eſſe, teſtis eſt *Cæl. Sedulius*, qui ſub Theodoſio juniore, floruit, qua de re vide infrà in voce *Geada.*

BRITANNIA Nova, pars Americæ Septentionalis inter novam Franciam & Fretum Hudſonium, ſic dicta ab Anglis, qui eas oras tantùm perluſtrârunt. Aliis *Terra Laboradoris*, ſeu *Eſtotilandia.* Vide ibi.

BRITANNICA, inter Minervæ cognomina, vide *Minerva.*

BRITANNICUS, fil. Claudii Cæſaris ex Meſſalina, primò Germanicus dictus. Hic quamvis adhuc infans, à patre in caſtris ſæpe circumlatus fuiſſet, & militibus commendatus, Neronis tamen operâ venenò ſublatus eſt. Tacit. *Annal. l.* 11. 12. 13. Suet. *in Neron.* c. 33. Juvenal. *Sat.* 6. *de Meſſalina*, v. 124.

Oſtenditque tuum generoſe Britannice ventrem.

BRITANNICUS Oceanus; Gallis *la Manche*, extenditur à promontorio Gobæo, in Britannia minore & Belerio, ſeu Antiveſtæo, in Angliam ad Fretum Gallicum, *le Pas de Calais.*

Dictus

Dictus ab inſul. Britannia, quam inter & Galliam Belgicam Lugdunenſemque funditur, ac à *Plinio* inter oſtia Rheni & os Sequanæ ponitur. Melæ ulterius oſtiò Sequanæ promovet, uſque ad Oliſmios, *l. 3. c. 6. Senam in Britannico mari Oſiſmicis adverſam litoribus* eſſe ſcribens: quæ inſula, vulgo *l'Isle de Sain*, in ultima Britannia minore longè ultra Sequanæ oſtium poſita, eminus Ligeris oſtium proſpicit. Jonas quoque *de vita Columb.* tradit, *ad Nivernenſe oppidum veniſſe Columbanum, ut Ligeris ſcaphâ veheretur, Britannicoque ſinui redderetur.* Ex quibus apparet, Oceanum hunc prope ad os Ligeris uſque pertinuiſſe. Recentioribus *Mare Anglicum* dicitur, à Britannia Inſul. dictâ Angliâ, poſtquam maxima ex parte Angli eam occupâſſent. Gallis *Canale*, item atque ſæpius Manica *la Manche* vocitatur à figura. Eſt enim Oceanus Britannicus inter Gallias & Britanniam inſul. manicæ modò longus, rectus & anguſtus: Reſpicitque hinc Britanniam inſul. ſeu Angliam, inde Hollandiam, Zeelandiam, Flandriam, Picardiam, Normanniam, ac Britanniam minorem aut Caſinatinam allui. Ad eum ſiti ſunt veterum Gallorum populi Batavi, Menapii, Morini, apud quos *fretum Gallicum* ſeu *Morinorum* dicitur, Ambiani, Caleti, & trans Sequanam Lexovii, Bajocaſſes, Conſtantienſes, Abrincatui, Dolenſes, Aletenſes, ac Oſiſmii. Partes ejus Fretum Gallicum ſeu Morinum, & mare Rotomagenſe, quò Sequana Rotomagum, Butlam *la Bouille*, Gemeticum, Caldebeccum, Guellebotum *Quillebeuf*, Tancredi villam *Tancarville*, Rupemque Riſelæ *Roque-de-Riſle* prætérlapſus, recipitur; Ejuſdem portio, inter oſtia Sequanæ & Ligeris, *Armoricus Oceanus* dicta eſt, Auſonii ætate. cujus *Ep. 13. hic verſus eſt:*

Sunt & Armorici qui laudent oſtrea Ponti.

In eum influunt Rhenus, Moſa, Scaldis, Agrio Quantia, Alteja, Sumina, Aucum, Eara, Deppa, Sequana, Diva, Olina, Viria, Seva & Senuna, Arduos, Rintius *Rance*, aliaque flumina. Ibi quoque inſulæ Walacria *Walcheren*, Vectis *Wight* 20. mill. paſſ. patens, Cæſarea *Gerſey* & Sarnia aut Sarnia *Garnſey*, Ebodia *Alderney*, Arme, & cautes eminentes verius, quàm inſulæ, Caſcatæ vel Cacatæ numero circiter 12. vulgò *Caſquettes* aut *Quaquetes* dictæ. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Gallicus Oceanus.*

BRITANNICUS Portus, *Plin.* idem cum Iccio, vide ibi.

BRITANNICUS Ulyſſes, vide infrà *Ulyſſes.*

BRITHENDALIUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

BRITINIA, *Lib. Conc. Britonium*, *Britonia* ac *Bretonia*, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſ. in Callaicis, olim Epiſcopalis excisa, proxima Mindonienſi urbi, quæ illi ſucceſſit.

BRITINORIUM, ſeu BRETINORIUM, urbs Epiſcopalis Romandiolæ, in ditione Pontific. prope Bedeſim amnem in colle. Crevit ex ruinis Fori Popilii. 5. milliar. à Foro Livii in Ortum, 7. à Ceſena in Occaſum.

BRITIUM, Luſitaniæ oppid. Plin, *l. 4. c. 21.*

BRITIUS, Archiepiſcopus Turonenſis, Martino ſucceſſit. *Volaterran.*

BRITOLAGE, Myſiæ inferioris populi. *Ptol.*

BRITOLIUM, vulgò *Breteuil*, oppid. à Britonibus conditoribus, an colonis? dictum, in Gallia, ad Itonam fluv. non procul à Mediolano Aulercorum Eburovicorum.

BRITOMARTIS, Nympha Cretenſis, valdè formoſa, Jovis & Charmes filia, *Diodoro Britona* dicta. Retia ad venandum invenit, ex quo *Dictynna* dicta eſt, quod cauſam præbuit, ut quidam Dictynnam ac Dianam eandem eſſe putârint. *Heſych. Βριτόμαρτις, ἐν Κρήτῃ ἡ Ἄρτεμις.* Hæc, ut quibuſdam placet, à Minoë Rege Cretenſi adamata, cùm ejuſdem concubitum fugere non poſſet, de rupe ſe in mare præcipitavit. Ejus meminit Virgilius ſeu quiſquis fuit alius in *Ciri.* Callimachus *Hymni* 3. *qui eſt in Dianam:*

Ἔξοχα δ' ἀλλάων Γορτυνίδα φίλαο νύμφην, Βριτόμαρτιν ἐΰσκοπον —

Ubi *Scholiaſtes*: Βριτόμαρτις, ὄνομα κύριον τῆς νύμφης, ἀφ' ἧς καὶ ἡ Ἄρτεμις ἐν Κρήτῃ Βριτόμαρτις τιμᾶται, ὡς Διογενιανός. De hac ita Solin. c. 17. *Cretes Dianam religioſiſſimè venerantur, Βριτόμαρτιν gentiliter nominantes, quod ſermone noſtrô ſonat virginem dulcem.* Et Joſ. Scaliger ait, ſe in Gloſſariis Græcorum invenisse, Βριτὺ ἡ γλυκεῖα, ὡς Κρῆτες. A Græcorum Scholiorum auctore in *Ariſtophanis Ranas Act.* 5. *Sc.* 1 vocatur Βριτόμαρτις, additque eam forte fortunâ in retia quædam incidiſſe atque à Diana liberatam Dictynnæ Dianæ templum poſuiſſe, *p.* 275. *Nic. Lloydius.* Diluere quidem id de Minoë conatur *Diodor. Siculus*, utpote ab omnibus juſtitiæ nomine commendato; ſed confundere illum duos Minoas, contendit Voſſius, qui ſtatuit, adamatam Britomartim à ſeniore Minoë; at, quia tantæ fuiſſet pudicitiæ, ut omnem impudicum ſperneret amorem, eò poſt exceſſum in Deos eſſe relatam: quoniam autem Dianam venatricem coluiſſet, imò caſſes venatorios reperiſſet, eòdem Cretenſes illam & nomine & fanô & cultu, cum Diana (h. e. Luna, cujus lumine nocturnæ venationes egent) coluiſſe. Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 17. Eubuli verò filia fuit, *Eidem*: qui cùm illa, miſcellô cultu, oſdem, quibus Diana ſive Luna, gauderet altaribus, Numenque illud modò Ἄρτεμις, modò Βριτόμαρτις diceretur; priorem appellationem Numinis naturalis ſive Lunæ: poſteriorem Numinis animalis ſive filiæ Eubuli, propriam fuiſſe contendit *l.* 2. *c.* 25. *ſub fin.* Eorundem verò Cretenſium dialectô Μάρτις *virgo* erat. Μάρναν quidem Cretes virginem vocare, ſcribit Stephanus, in voce Γάζα. Ἐκλήθη δὲ καὶ τὸ τοῦ Κρηταγενοῦς Διὸς παρ' αὐτοῖς εἶναι ὃ καὶ καθ' ἡμᾶς ἐκάλουν Μάρναν, ἑρμηνευόμενον Κρηταγενῆ. τὰς γὰρ παρθένους οὕτω Κρῆτες προσαγορεύουσι μαρνάς. Sed falli eum docet Salmaſ. *Græcè*, inquiens, μάρτις ἄνθρωπος. *unde* μαρτίουσαν *vaſa*, *τὴν ἀνθρωποειδῆ exponit Heſychius.* μάρτις, *mulier. Cretes, quia. ν in α. & contrà mutare ſolebant*, μάρτις. *hinc* Βριτόμαρτις, *dulcis puella, ad Solin, p.* 578.

BRITOMARUS, Caput Gallorum Inſubrium, ab Æmilio victus, votóque ſic fruſtratus, de quo vide Flor. *l.* 2. *c.* 4.

BRITONES, populi tum majoris tum minoris Britanniæ, quæ poſterior eſt Galliæ Celticæ regio ad mare ſita Normannis ac Pictavis conterminа. Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 124.

Quod nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam.

Vide *Britannia.*

BRITONIA, vide *Bretonia.*

BRITONUM caſtrum, *Dunbritton*, oppid. Scotiæ & emporium in ora Occidentali apud oſtia Clude fluv. Vide *Alcluith.*

BRITWALDUS, Epiſcopus Cantuarienſis tempore Bedæ, *Hiſt. ejus l.* 5. *c.* 24. plurima ſcripſit. Obiit A. C. 731. *Voſſ. Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 5. *part.* 4. *p.* 752.

BRIVA-CURRETIA, vicus erat in finibus Lemovicum, regnantibus Chlodovei Magni nepotibus ac pronepotibus, nunc municipii inſtar ſe ferens, à ponte flumini Curretiæ impoſito *Briva Curretia* Gallicè, h. e. pons ad Curretiam cognominatus: cujus in Baſilica B. Martinum, Martini Turonici Epiſcopi diſcipulum ſepultum eſſe affirmant incolæ; & ob præſens auxilium ſæpe expertum ſummoperè venerantur. Vulgò *Brive la Gaillarde*, h. e. Briva hilaris nuncupatur, proximumque habet viculum, *Templum Amoris* dictum, *Temple d'Amour.* Poſita eſt Briva ferè ad ipſos Curretiæ & Viſeræ confluentes, quorum fluviorum alter *Correze*, alter *Vezere* appellatur. Curretia autem amnis proximum capiti ſuo vicum cognominem habet, nimirum Corretiam, *Correze*, deinde Tutelam attingit Epiſcopi ſedem, *Tulle*, ac Brivam: infra quam in Viſeram influit. Baſilicam B. Martini ſupradicti, in Briva vicu, ab exercitu Gundobaldi, qui ibi Rex A. C. 584. conſalutatus eſt à quibuſdam Optimatibus Francorum, incenſam eſſe auctor eſt Gregorius, ita ut eam altaria, quàm columnæ ex variis marmorum generibus igne diſſolverentur ac diſcuterentur: quam Baſilicam Ferreolus Lemovicarum Epiſcopus poſtmodum reparaverit: & *Brivam Curretiam vicum in Lemovicino* appellat, in *c.* 10. *l.* 7. *Hiſt.* Valeſ. *Notit. Gall.*

BRIVA-ISARÆ, in *Itinerario* Æthici appellatur, poniturque inter Petromantalum & Luteciam mediô ſpatiô: *Briviſara* corruptè pro Briva-Iſaræ aut Briviſara nuncupatur in *tabula Peutingeriana à briva*, ſeu ponte fluminis Iſaræ impoſito: (Pontem enim veteres Galli brivam ſuâ linguâ dixêre) quam recentiores *Pontem Iſaræ*, & *Pontiſaram*, *Pontem-Eſiæ*, & *Ponteſiam* vocârunt, *Pontoiſe.* Quippe *Iſara* aliô nomine dictus eſt & *Eſia*, ut *Vibius Sequeſter* docuit. Locus hic ſitus eſt in Velocaſſibus, quorum fines à finibus Pariſiorum Iſarâ fluviô dividuntur; Orderico Vitali *in l.* 5. *caſtellum Vilcaſſini, quod Pontiſera vocatur*, *in l.* 12. *Ponteſia.* Cæterum *Briviſara* vel *Brivaiſara* ſuprà non malè nuncupari videtur in *tabula Peutingeriana*, pro Briva Iſaræ: cùm *Briva Curretia* ſimiliter appelletur à Gregorio pro Briva Curretiæ. Nam ut heic pons Curretiæ fluvio eſt impoſitus, Ita illic Iſaræ. *Briva-Iſara* autem vel *Briviſa* eòdem olim modò dici potuit, quò poſteà *Pontiſera*, *Pontiſara*, & *Ponteſia*, pro *Pons Iſeræ*, *Pons-Iſaræ*, & *Pons Eſiæ.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRIVAS, quæ & *Briva Curretia*, Gallic. *Brive*, urbs lepida Galliæ in Lemovicenſi provinc. ad Curretiam amnem, in limite provinc. Cadurcenſis. *Brivas* autem, vulgò *Brioude*, oppid. eſt Alverniæ amplum, ad Elaverem fluv. 10. leuc. à Claromonte in Auſtrum & 4. à Fano S. Flori. Nobile Capitulô 25. Canonicorum, olim Equitum, à Guil. I. inſtitutô, & Conciliô A. C. 1092. *T.* 10. *Conc.* De hoc oppido ita *Valeſ. Brivas* vicus fuit Arvernorum, inſignis ac Baſilicâ Juliani Arverni Martyris nobilis, Conſtantio Pr. Sidonio, Gregorio, & Fredegario memoratus, vulgò *Brioude.* Eò delatus eſt Avitus Aug. & ad pedes B. Juliani ſepultus A. C. 456. *Brivatenſem vicum*, in libro *de Gloria Martyrum* vocat Gregorius, & *in c.* 11. *l.* 2. *Hiſtoriæ Francicæ*: ut omittam *Erricum Monachum*, & *Martyrologos.* Sidonius in *Propemptico ad libellum* Brivatis meminit his verſibus,

Hinc te ſuſcipiet benigna Brivas,
Sancti quæ fovet oſſa Juliani.

Nunc eſt oppidum non longè à flumine, quod dicitur Elaver: *Brioude Gliſe* ab Eccleſia S. Juliani ſæpè cognominatum: cui proximus vicus, impoſitus ei flumini, ubi pontem fert, nuncupatur vetus Brivas, *Vieille Brioude.* *Euricum Gothorum Regem 14. regni ſui annô Eccleſiam S. Juliani Brivate columnis ornatam mirificè conſtruxiſſe* ſcribit Fredegarius *in l.* 4. *Chronici c.* 13. deceptus, ut ſolet malè intellectis Gregorii verbis, quæ talia ſunt *in libri Hiſtoriæ* 2. *capite* 20. *Euricus Gothorum Rex Victorium Ducem ſuper 7. civitates præpoſuit annô 14. regni ſui: qui* (nimirum Victorios) *protinus Arvernis adveniens, civitatem addere voluit: unde & cryptæ illæ uſque hodie perſtant ad Baſilicam S. Juliani: & columnas quæ ſunt in æde poſitæ, exhiberi juſſit. Fuit autem Arvernis annis 9.* Ex quibus intelligitur, Victorium oratione Gallum, virum magis ſtrenuum quidem, ſed clarum genere atque Catholicum; ab Eurico Gothorum Rege Arvernis ac ſex finitimis Aquitaniæ civitatibus *Ducem* eſſe præpoſitum ſive rectorem: qui civitatem Arvernorum, ubi 9 annis cum imperio moratus eſt, ampliare voluerit, cryptis etiam ad Baſilicam S. Juliani ædificatis, & columnas advehendas, ac in æde ejus Martyris ponendas curaverit. At Fredegarius Eurico Regi Veſigothorum Ariano perperam tribuit, quod Victorio Duci ejus Catholico attribuendum fuit, & de Brivatenſi Baſilica S. Juliani Mart. accepit: quod de Baſilica vel æde ejuſdem S. Juliani in urbe Arvernis accipiendum erat: quam Baſilicam Victorius quidem *columnis ornavit*, ſed non (ut addit Fredegarius) *exſtruxit.* Sirmondus ſcribit, cùm

duæ Brivates ſint, vetus & nova; de veteri quidem Brivate loqui Apollinarem Sidonium & cæteros; novam verò nobili Canonicorum collegiô claram eſſe: ita ut veterem Brivatem tumulô ac Baſilicâ S. Juliani Martyris inſignem faciat: de quo alii judicent. Nam ut *vetus Rotomagus*, *vetus Maſſilia*, *veteres Pictavi*, cognominati ſunt incertam ob cauſſam, & nonnunquam per jocum vici, qui nunquam ſedes fuêre Rotomagi, Maſſiliæ & Pictavorum, nibium ſemper ſtabilium atque fixarum, atque ibi primùm conditarum ubi hodieque ſpectantur: ſic *vetus Brivas* caſu aliquô dici potuit, licèt altera eſſet recentior. Præterea altera quidem *vetus Brivas* cognominatur; altera *nova Brivas* nuſquam cognominatur, *ſed Brivas ad Eccleſiam*. A Brivate, ager Brivatenſis vocatur *le Brivadois*, & Præpoſitura Brivatenſis, *la Prevoſté de Brivadois*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRIVATES, Galliæ Lugdunenſis portus. *Ptol. Breſt Scaligero.*

BRIVENES, pagus Germanic. ad Danub. in Suevia, apud Langingam urbem: *Prenz*, ad Bremium fluv.

BRIVODURUM, oppidulum Aurelianenſis agri, ad Ligerim fluvium. Ibi Ligeris Lupiæ fluv. & dein Sequanæ jungitur per inciſe, à paucis annis. Vulgò *Briare*. Alius *Brevodurus* & *Bridoborum*.

BRIXABA, mons Tanai fluv. vicinus, poſteà *Arietis ſuis* dictus. Plut. *l. de Fluminibus.*

BRIXELLUM, oppid. Italiæ, inter Mantuam & Cremonam, vulgò *Breſſello*. Tacito *Hiſt. l.* 2. *c.* 32. Suetonio *in Othone*, *c.* 9. Phlegonti *l. de longævis*, prætereaque *Ptolemæo* atque *Antonino* ſcribitur *Brixellum*, at apud Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Brixillum*, apud Plut. *in Othone ἐν Βριξίλλῳ* legas, & poſteà, *ἐν Βριξίλλῳ*: ab Agilulpho ſubactum eſt A. C. 593. longitud. 32. 42. latitud. 44 08.

BRIXENTES, populi Norici. *Ptol.*

BRIXIA, urbs Longobardiæ Tranſpadanæ: Catullus *carm.* 68. *v.* 32.

> *Atque non ſolùm hone ſe dicit cognitam habere*
> *Brixia, Chinea ſuppoſita ſpeculæ;*
> *Flavus quam molli percurrit flumine Mela,*
> *Brixia, Veronæ mater amata meæ.*

Vide Cluver. *Ital. Antiq. l.* 1. *c.* 26. *Breſcia* & *Breſſa* hodie dicitur, à qua Comitatus Brixienſis nomen habet: in colle, ad rivum Gorzam, prope amnem Melam, cum arce pervalida condita, ut refert *Livius*, à Cenomannis, qui per Taurinos & Alpis Juliæ ſaltus favente Belloveſô, nam is priùs tranſcenderat ex Gallia in Italiam, Elitovio Duce, venerunt: dicit Capreolus meritò Brixiam urbem hanc dictam ab arboribus fructu gravidis & fœtu gaudentibus. Colonia deducta eſt cum reliquis Tranſpadanis ab Cn. Pompejo Strabone annô 665. & poſteà cum aliis ab C. Cæſare Dictatore Civitatis jure donata: fidem populi Rom. conſtantiſſimè coluit, præcipuè verò difficillimis belli Punici temporibus, poſt cladem ad Trebiam ab Annibale acceptam, quamobrem ſubſidia rei Romanæ præſtitit: dein in Imperatorum fuit poteſtate, quandiu ſalva ſtetit ſua Romano nomini majeſtas. Poſt à Radagiſo Gothorum Rege incendiô vaſtata, annô 412. hinc ab Attila Hunnorum Principe ſubverſa, ſed refecta annô 432. imperante Martianô, dein Longobardis, Carolo M. Regibus Italiæ ſubfuit, libera poſthæc. Sed ab Henric. VI. Imperat. occupata, tandem in Ducum Mediolanenſ. poteſtatem pervenit, donec ſe Venetis dedidit, quibus cùm à Ludovico XII. A. C. 1509. erepta eſſet, à Franciſc. I. A. C. 1517. reddita eſt, ſub quorum imperio maximè hodie floret. Venetæ urbis ſponſa vulgò cognominatur. Ager Brixienſis admodum longè lateque patet, etenim latitudine ſtadia ferè 800. ſeu Paſſ. Mill. C. continet, nimirum à Moſo, à Mantua millibus 15. abeſt, uſque ad Dialenghum extremo in vallis Camunæ capite ſitum: longitudine ſtadia 400. vel Paſſ. Mill. L. inter Limonem Benaci vicum & Orcios novos. Sunt hôc tractu lacus aliquot, nominatim Iſeus, Idrinus, & Benacus. In hujus urbis agro, perfidiâ Italorum, clade affectus eſt Rupertus Imperator, qui Italiam intraverat, ut Galeatium, dominatum invadentem, compeſceret, A. C. 1403. Vide Coſpin. *in Ruperto*. Anton. *part.* 3. *titul.* 22. *c.* 3. *&* 18. longitud. 32. 20. latitud. 44. 30.

BRIXIA, Suſianæ fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 27.

BRIXINO, urbs Germaniæ, ſub clientela Comitum Tirolis, cum toto territorio. Ad Eiſocum fluv. qui ibi recipit amnem *Rienez*, ad pedes montium, 2. leuc. German. à confinio ditionis Venetæ, 6. à Bolzano. Hic Henricus III. Imperator. A. C. 1080. contra Gregorium VII elegit Gilbertum Epiſcopum Ravennæ. Epiſcopalis eſt ſub Archiepiſcopo Salisburgenſi.

BRIXIUS Germanus, vide *Germanus Brixius*.

BRIZACA, Armeniæ majoris oppid. *Ptol.*

BRIZANA, vide *Briſoana*.

BRIZANI, populi Septentrionales Helmoldo.

BRIZICA, Thraciæ urbs. *Antonin.*

BRIZO, apud Delios vaticiniorum, quæ ex ſomniis ſumuntur, Dea habita eſt, à *βρίζειν*, *dormire*. Cæl. Rhodig. *l.* 27. *c.* 10.

BROBURGUS, Morinorum caſtrum. Veteres tabulæ ante annos 600. dixere nunc *Broburgum*, nunc *Bruchburch caſtrum*, i. e. Brocburgum ſive lutoſum oppidum vocant; quod nos *Bourbourg* appellamus; Flandrenſes *Borborch*, aut ſi quibuſdam credimus *Brouebourg*. Gilbertus *de Vita & Morte Caroli Comitis Flandriæ*, *Brodburg* nuncupat & *Brudburg*, i. e. Brodburgum. *Brod* autem & *bruid*, non minùs quàm *bruch* & *broc*, lutum ſignificat, & à brodio deductum videtur. Unde Brogium quoque à ſitu paluſtri nomen accepit, *Brouage*: & Monſtreletus de cæde Ludovici Aurelianenſium Ducis loquentes ejus filios inducens, *broues* pro luto uſurpat: iti Flandrenſes *brouc* lutum nominant; & Brajam vel Brajotum caſtrum in Pertico, vulgò Noſtris *Brou* dicitur. Idem Gilbertus *Brudgas* Flandriæ oppidum nominat, haud dubiè ſicut *Brudburgum* à luto. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BROCÆ, Gallis *Broches*, veruta ſunt, capreatum item cornua, cùm recta ac ſimplicia ſunt: ſicut idem in cervis *daguas* appellant, Latini *ſubulas & ferulas*, Græci *ὀβελοὺς* & *πασσάλους*. Unde *οἱ ὀβελίαι καὶ πασσαλίαι*, Gallis *Brocards*; Latinè *Subulones*, apud Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Sparſit hæc in ramos, ut cervorum: aliis ſimplicia tribuit, ut in eodem genere ſubulonibus, ex argumento dictis.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 223.

BROCALUM, regnum Africæ in Nigritia, inter oſtia Nigri fluv. non longè ab ora Oceani Atlantici, & ab Heſperio promontorio.

BROCARIACUM, Villa Regia, in Galliæ regno, ut memorant Jonas *in Vita Columbani Abbatis Luxovienſis*, & Fredegarius *in l.* 5. *ac ultimo Chronici*, quò Columbanus ad Reginam Brunehildem venerit: qui videtur eſſe vicus *Bourcheroſſe*, inter Cabillonum Regiam Theodorici ac Brunichildis & Auguſtodunum poſitus. Ibidem *Villa Regia Spinſia* vel *Speſſia*, in qua commorantes Theodoricum ac Brunichildem ejus aviam adiit Columbanus, videtur eſſe *Eſpoiſſe* locus inter Aballonem & Sinemurum. Valeſ. *ibid.*

BROCCHUS, prænomine *Julius*, è familia Juliorum, tribu Voltiniâ, maximis muneribus, in Allobrogibus defunctus, urbi Genevenſi Lacum Lemannum, cum minoribus quibuſdam aliis, muneri dedit: onde liquet, quanti à Romanis jam tum Urbs ea æſtimata fuerit. Fuit autem et Præfectus Fabrûm, bis Tribunus Militum Legionis Octavæ Auguſtæ, Duumvir Juri dicundo, Triumvir locorum publicorum perſequendorum, Augur, Pontifex, Duumvir, Flamen in Colonia Equeſtri &c. quæ omnia diſcere eſt, ex ſequente *Inſcriptione* quæ hodieque Genevæ extat, in angulo vici Canonicorum, atque ſic habet:

> L. JUL. P. F. VOL.
> BROCCHUS VAL.
> BASSUS PRÆF. FA
> BR. BIS TRIB
> MIL. LEG. VIII. AUG.
> IIVIR JUR. D.
> IIIVIR LOC. P. P. AU-
> GUR. PONTIF. II.
> VIR
> FLAMEN IN COL.
> EQUESTRE VIANIS
> GENAVENSIBUS
> LACUUS DAT.

Pater fuit Decimi Julii Ripani Capitonis Baſſiani, cujus memoriam Novioduni, ſeu in Colonia Equeſtri *Inſcr.* hæc ſervat:

> D. JUL. L. F. VOL. RIPANO
> CAPITONI BASSIANO
> EQUO PUBLICO HONO-
> RATO
> PRÆFECTO FABRUM
> TRIB. MIL. COH. I. GAL.
> L. JUL. BROCCHUS
> VALER. BASSUS
> FILIO

Avus Decimi Julii Capitonis, qui Augur itidem erat & Duumvir Ærarii, Flamen item Martis & Tribunus Militum, uti patet ex *Inſcr.* hac, quæ Genevæ viſitur.

> D. JUL. D. F. VOLT.
> CAPITON
> AUGURI II VIRO ÆRAR.
> FLAMINI MARTIS
> TR. MIL.

Ex eadem porrò familia erat Cajus Julius Capito, fil. Caji, Duumvir ſimiliter & Flamen Auguſti: ut & Lucius Julius Capito amicus ejus, de quibus vide itidem *Inſcriptiones* antiquas, in vicinia, apud Jac. Sponium *Deſcript. Urbis Genevæ Tom.* 1. *p.* 325. *&* 326. Sed & Lucii Turpilii *Brocchi* Liciniani meminit vetus Lapis, in urbe Liburniæ Jadera ſuperſtes, his verbis:

> JUNONI AUGUSTÆ
> APPULEIA M. F. QUINTA
> SUO ET L. TURPILII BROCCHI
> LICINIANI FILII NOMINE.

apud Eund. *Itiner. Græcia Tom.* 3. *p.* 77.

BROCCHUS, prænomine *Junius*, memoratur Trebellio Pollioni in Claudio, *c.* 8. *Ut docet ejuſdem* (Claudii) *epiſtola, quam ad Junium* Brocchum *ſcripſit Illyricum tuentem*: *Claudius* Broccho. *Delevimus* CCCXX. *millia Gothorum*, *II. millia navium merſimus* &c. Vocabant autem *Brocchos* vel *Broccos* Latini, quibus ſuperius labrum tumet. Varro *Rei Ruſt. l.* 2. *c.* 9. Plin. *l.* 11. *c.* 37. & *Gloſſæ*, *Brocchus*, *ὁ τὸ ἄνω χεῖλος προέχων*, *cujus ſuperius labrum tumet*, Caſaubon. *ad Pollion. loc. cit.*

BROCHMAND Eraſmus Johannes, Hafniâ Danus, fil. Joh. Eraſmi Theol. Profeſſoris, Lugduni Batavorum aliquot annos commoratus, Petro ibi Scriverio, M. Z. Boxhornio, Claud. Salmaſio & Jac. Maſtertio innotuit. Oxonii dein in Anglia in evolvendis Bibliothecæ Bodlejanæ aliorumque Collegiorum, inprimis Ædis Chriſti, libris, integrum annum inſumpſit. In patriam reverſus, in Regia Sorana Hiſtoriarum A. C. 1654. in Hafnienſi dein Theologiæ, A. C. 1660. Profeſſor conſtitutus: obiit A. C. 1664. ætat. 38. Auctor *Speciminis Ethices Hiſtoriæ*, *Diſquiſitionis de Hiſtoria legitima notis*, *Orationis funebr. in Exequiis Chriſtiani IV.* Paul. Freherus *Theatrô Viror. eruditione clarorum.*

BROCHUS, Phœniciæ oppid. Polyb. *l.* 5.

BROCOMAGUS, vel BROTOMAGUS & BREUCOMAGUS, *Ptolemæo*, German. vicus, non procul ab Argentorato. *Brucomat Rhenano*, *Brumat*, vel *Brommat*, vel *Brumt*, *Velſero*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & ſuprà *Braucomagum*. longitud. 28. 50. latitud. 48. 20.

BROCUBELUS, Mazæi fil. Syriæ quondam Prætor, vinctô à Beſſo Dariô transfugit ad Alexandrum. Curt. *l.* 5. *c.* 13.

BRODA, urbs Bohemiæ gemina Teutonica & Boema. *Ferrarius.*

BRODÆUS Johannes, Turonenſis, Juri operam Biturigibus ſub Alciato dedit, inde ſtudiô hôc relictô; Linguis, Philoſophiæ, ac Mathematicis artibus, tantô ſucceſſu ſe addixit, ut à Scaligero doctiſſimis Viris accenſeretur, ac Critici præclari elogio inſigniretur. Cardin. Bembo, Sadoleto, Egnatio, Flaminio, aliiſque magnis Viris, dum in Italia eſſet familiaris. Modeſtiæ tam commendatæ, ut varia ingenii ſui monumenta ſub aliorum nomine prodire paſſus ſit. Edidit ipſe *Annotationes in Oppiani Kynegeticôn l.* 4. *Q. Calabri Paralipomenon Homeri l.* 14. *Coluthum de Helenæ raptu*, *Notas in Euripidem*, *Annotat. in Dioſcoridem*, *Obſervationes ſeu Varias Lectiones*. Obiit A. C. 1563. ætat. 60. major. Sammarthanus, Lipſius *in Germ. Tur.* Scaligeriana, Thuanus, Teiſſier *Elogia* &c.

BRODENTIA, Germaniæ urbs. *Ptol.* Sub Hermanduris, ubi nunc fortè Rotenburgum in Franconia.

BRODIUM, apud veteres Latinos τὸ ζῶμα dictum eſt, quam vocem hodie Itali retinent, & Galli quoque habent modicè detortam. Uti autem ζωμὸν aſſaturarum jus eſt, ſic ζῶμα de elixis maximè uſurpatur, & ſimplicem liquorem denotat, in quo carnes decoctæ ſunt. Hinc *Zema* olla, in qua coquuntur & elixantur carnes. *Zemam* jus coquinæ eſſe, dicit *Iſidorus*. Sic itaque apud Gaudentium *tertio tract. de Paſchate*, reperitur Brodium poſitum, pro jure carnium: vox quidem vulgaris & è medio ſumta, vetus tamen & valde bona, ut ex Græco facta. Βλωδὸν namque Græci, τὸ ζῶμα dicunt, ἀπὸ τοῦ βλύζειν: unde brodium λ. in ρ. mutatô. Salmaſ. *ad Flav. Vopiſc. in Divo Aureliano*, *c.* 49. At hîc *Brodiatores curſorii* memorat Nicolaus de Clemangis *Ep.* 109. h. e. Antiquarii, qui in libris deſcribendis litteras ac elementa non accuratè, ſed leviter, effingebant, ut vitium ſeuè effugerent; Sed hos potiùs à *Brodeatoribus*, Gall. *Brodeurs*, h. e. Phrygionibus ſeu Acupictoribus appellatos cenſet, Car. du Freſne in *Gloſſar.*

BRODRA, oppidum Indiæ, ſub imperio M. Mogolis, non longè à ſinu Cambojæ in regno *Guzaratte*.

BROGNIER, ſeu *de Broniac* Johannes, Sabaudus, Archiepiſcopus Arelatenſis, Cardinalis Oſtienſis nomine, ſub Clemente VII. Antipapâ, Benedictô XIII. Alexandro V. Johanne XXIII. & Martino V. celebris. Obiit Romæ A. C. 1426. Ughel. *t.* 1. *Italia S. in Epiſc. Oſtienſ.* Sammarth. *Gall. Chr. t.* 1. *p.* 63. Saxi, *hiſtor. Arelat.* Ciaconius, *Federus*, &c. Collegium magnum Avenione fundavit, ædibuſque inſtruxit, quibus 24. pauperes ſtudioſi alerentur, &c.

BROILUM, vulgo *Breu*, vicus Galliæ in Cotia ſylva, à loco nomen habens: *Brolius* enim vel *Broilum*, lucum aut ſylvam cæduam ſeptamque ſignificat. De eo aut potiùs de tota ſylva Cotia, ſeu Compendienſi, loquitur Carolus *in Capitular.* cùm ait, *In Brodio Compendii Palatii.* Propinquus eſt Cotiæ villæ *Caiſe* vulgò dictæ, in qua veteris Palatii reliquiæ ac veſtigia ſuperſunt, Hadr. Valeſ. in voce *Cotia ſylva*. Item locus ejus ejuſdem Regni, in Meldenſi agro, clarus Monaſteriô & nomine S. Fefri; quem Galli Fiacrium vocant, 3. milliar. ab urbe Meldis diſtans, vulgò *S. Fiacre*. Idem in voce *Meldi*.

BROLIA, vox Barbara. Gall. *Breuils*, h. e vivaria, περιβόλαιοι, apud Luitprandum, Epiſcopum Cremonenſem *Legat.* ad Nicephorum Phocam Imperatorem Conſtantinopolitan. A. C. 968. *In Umbriam* (lege Selymbriam) *qui eſt locus* XVIIIM. *Conſtantinopoli diſtans*, *Nicephorus me accerſiri jubet* —— *Et me interrogavit, ſi vos perivolia, i. e.* Brolia, *vel ſi in perivoliis onagros vel cætera animalia haberetis* &c. Ubi à Græca voce Περιβόλαιον nomen hoc detortum eſſe innuit. Significat autem nemus, ſylvam ſeu ſaltum, in quo ferarum venatio exerceri conſuevit: maximè verò ſylvam muris ſepibuſque cinctam. Moſchopulus περὶ Σχεδῶν: Κῆπος καὶ ... *Hortus olerum arborumque*, vulgò *Peribolium*. Vide Bochart. *Hieroz. part. prior. l.* 3. *c.* 26. & Salmaſ. *ad Inſcript. Herodis Attici*. Hauſere vocem à Græcis Perſæ, quos *in parens* ſuos appellâſſe, legimus apud Zoſimum *de Perſis l.* 5. Παραδείσους ... [illegible] (Brolium) *quod Regis venationem appellabant. Erat autem murus ſpatium ſatis amplum includens, arboribus ornatum omnigenis: in quo ferarum omne genus, quibus pabulum affatim ſuppeditatum, Regi quoties collibuiſſet, venandi ſuppeditabat materiam.* Guilleterius, Athenienſes hodieque hortos ſuos *Perivolia* appellare, docet in *Athenis Hodiern. p.* 131. apud Car. du Freſne in *Gloſſar.*

BROMAGUS, vicus *Bro*, hodie, unde lacus Bromagenſis, *lac de Bro*, Lemanum ingrediens. In Helvetia. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Joh. Bapt. Plantinum *Helvet. nov. antiq.* &c.

BROMALIA, apud Theod. Balſamonem, *can.* 62. Concil. in Trullo; Τὰς οὕτω λεγομένας Καλάνδας καὶ τὰ λεγόμενα βοτὰ καὶ τὰ καλούμενα Βρουμάλια ... [illegible] *Quæ autem ſic dicuntur Calendæ & Vota & Bromalia* (ut ille exponit) &, *quæ prima Maji celebratur*, *panegyrim*, *ſimul & ſemel è Fidelium Rep. ſublata volumus.* A' *Bromio*, ſecundùm eum, h. e. Baccho, nomen habent. At quanto rectiùs doctiſſimus Tilius qui *Brumalia* Latio ſuo ſervari voluit; Caſp. Barthius *Animadverſion. ad Statium l.* 5. Vide infra in voce *Bruma*.

BROMIARDUS Johannes, vide *Johannes*.

BROMIARDUS Philippus, vide *Philippus*.

BROMIUS, Bacchi cognomen, ἀπὸ τοῦ βρέμειν, i. e. *à fremendo*; Alias verò ἀπὸ τοῦ βροντῆς, h. e. *à tonitru*, eo quòd natus ſit cum tonitru, ejus genitrice fulmine peremptâ. Ovidius *Met. l.* 4. *v.* 11.

Thura dabant, Bacchumque vocant, Bromiumque Lyæumque.

BROMOS, apud Plin. *l.* 18. *c.* 10. *Far ſine ariſta eſt. Item ſiligo adjiciuntur his genera, bromos, ſiligo exceptum & tragos, externa omnia ab Oriente invecta, oryzæ ſimilia:* avena eſt frugifera (qualis noſtra eſt) ex Græco βρόμος, ut videre eſt apud Dioſcoridem *l.* 2. *c.* 85. & *l.* 4. *c.* 135. Cujuſmodi fruges externæ fuerunt Italiæ, Græcis propriæ, quos pultem ex ea conficere ſolitos fuiſſe, idem *Plinius* tradit, qui eam *Græcam avenam* quoque alibi vocat. Pabulum fuiſſe quadrupedum βρόμον, *Heſychius* notat: Certè hodieque jumentis pro pabulo præbetur. Apud veteres verò Romanos, qui avenam non ſerebant, hordeum equis dabatur, ut diximus ſuprà, in voce *Avena*. Aliàs βρόμος, non ſolùm ad auditum refertur, & *fremitum clamoremque* ſignificat, ſed ad odoratum quoque & guſtum: unde βρομώδης & βαρύβρομος *odoris* ſignificat *gravitatem* & *vehementiam*, ſeu acriorem & viroſiorem fragrantiam, eamque, quæ guſtu ſentitur. Quemadmodum Medicum laſer odoratum erat & βρομωδέστερον in guſtu, quàm Cyrenaicum, quod prorſus erat ἄβρομον, quamvis utrumque odoratum eſſet. Non enim βρομώδης ſtatim *fœtidum*, ut quidam malè autumant; ſed quæ βρομώδη ſunt tantùm, ea talia: quæ vero habent τὸ βρομῶδες ἐν τῇ ὀσμῇ, ſolâ vehementiâ ac viroſitate boni odoris diſplicent &c. Qua de re vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 218. 360. & 386.

BROMPTONUS Johannes, vide *Johannes*.

BROMUS, Centaurorum unus, à Cæneo interfectus, Ovid. *Met. l.* 12.

BRONCHORSTIUS Everhardus, Daventrienſis, fil. Johannis, (primò in Academia Roſtochienſi Matheſeos Profeſſoris, dein Daventrienſis Scholæ Rectoris) Baſileæ à Sam. Grynæo J. U. Doctor renunciatus A. C. 1579. Wittenbergæ per annum docuit, enin in Academia Erfordiana, A. C. 1586. ut poſteà in Lugduno-Batava annô ſequenti Juris Profeſſor, creatus Obiit A. C. 1627 oratione funebri à P. Cunæo laudatus. Scripſit Ἐναντιοφανῶν *Centurias* IV. & *Conciliationes eorundem*, *Centurias II. Miſcellanear. Juris Controverſiarum*, Tract. *de Privilegiis Studioſor. Profeſſorum & Doctorum* &c. Fran. Sweertius *Athenis Belgicis*, & *Vit. Prof. Lud.*

BRONCHORSTUM, oppidulum Belgii uniti, in Comitatu Zutphanienſi ad dextram ripam Iſalæ fluv. 2. leuc. à Zutphania.

BRONGUS, fluvius, vide *Angrus*.

BRONIUM, oppidum Hannoniæ, in limite Brabantiæ, medium inter Bruxellas & Montes. Etiam *Bronna*. Vulgò *Braine le Comte*.

BRONIUM, vulgò *Brugne*, villa Belgii, in pago Lomacenſi ſeu Lomenſi, hodie *Los* dicto, in diœceſi Leodicenſi, caſtro Namurco propinqua, Monaſteriôque illuſtris, cujus conditor Gerardus Abbas ac loci dominus, memoratur in litteris Henrici Aucupis, quibus fundationem hujus cœnobii confirmat A. C. 932. Unde villa & Abbatia *Bronienſis*, nomen S. Gerardi accepit, ut *Brugne* etiam veteri vocabulô appellatur, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce, *Lomenſis pagus*.

BRONSBROA, pagus Oſtrogothiæ, in Suecia in limite Blekingiæ; hîc pax inter Suecos & Danos coiit, A. C. 1645. Aliis *Bromſebrom*.

BRONTÆUS, Jupiter dictus à βροντῇ, quod eſt *tonitru*, unde Latinè *Tonans* quoque vocatur. Quibuſdam etiam Bacchus ſic videtur dictus, ob turbas, quas fulminum inſtar obortas commovet. Blondus Flavius *Roma triumph. l.* 1. *Bacchus & Liber pater & Brontæus quoque dictus eſt*. Hinc quia Baccho cum Proſerpina communis ara, communemque cum Hecate ſacra, quæ *Sabazia* dicta legimus, in vetere marmore Hecate Deo Brontæon conjunguntur: *Jovi. Sancto. Brontonti. Ecataque. Aur. Poplius.* Et ſicut alia habet inſcriptio: *Deo. Soli. Invicto. Mithræ. Fl. Septimius. Zoximus V. P. Sacerdos. Dei. Brontonti. Et. Aram hoc ſolerum. conſtituit.* Vide Thom. Demſter. *in Roſini Antiquit. l.* 2. *paralipom. ad c.* 11.

BRONTES, unus ex Cyclopibus, Vulcani miniſtris, qui Jovi cudunt fulmina, ἀπὸ τῆς βροντῆς, i. e. à tonitru dictus. Tres autem præcipuè à Virgilio numerantur Vulcani miniſtri, *Brontes*, *Steropes* & *Pyracmon*, quos Heſiodus *in Theogonia* Cœli & Terræ filios facit, quanquam alii ex Neptuno & Amphitrite natos malunt. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 424.

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque & nudus membra Pyracmon.

Statius *l.* 1. *Sylv.* 1. *v.* 2.

Quæ ſuper impoſito moles geminata Coloſſo
Stat Latium complexa forum? Cœlone per auras
Fluxit opus? Siculis an conformata caminis
Effigies, laſſum Steropen Brontemque reliquit?

Claudian. *de* 3. *Conſul. Honor. v.* 191.

—— *Vobis jam Mulciber arma*
Præparat, & Siculâ Cyclops incude laborat:
Brontes innumero exaſperat Ægida ſigno:
Altum fulmineâ criſtare in caſſide conum
Feſtinat Steropes: neſtit thoraca Pyracmon,
Ignifluaque gemit Lipare fumoſa cavernis.

Nic. Lloydius.

BRONTEUM, machina fuit ſub ſcena, æneum vas habens, in quod calculi decidentes, & in eo circumacti tonitru ſonum imitabantur, quod genus *Claudiana tonitrua* vocat *Feſtus* à Claudio Pulchro inventore.

BRONTINUS, Philoſophus Pythagoricus maritus Theanûs Metapontinæ, quæ aliquot opera Philoſophica edidit, *Suidas*. Item pater Theanûs Crotenſis, quæ Pythagoræ uxor. Diog. Laërt. *in Pythagora*, *l.* 8.

BROTONA, Sylva Galliæ, quam Guatevillæ, locô ad ripam ſiniſtram fluminis Sequanæ contra Calidum beccum ſitô, proximam facit Ordericus Vitalis *Hiſtor*. *l.* 12. nunc *Rouvre*, dicitur: ab ea vicus Haga Brotonæ *la Haye du Routot* dictus, alius *Brevot* vocatur: & alius vicus Capella Brotonæ *la Chapelle de Brevot*. Hadr. Valeſ. in voce *Guatevilla*.

BRONTORAS, locus ab Urbe tribus millibus diſtans, quò Anthemius à Leone ab Italia miſſus imperium ſuſcepit. *Caſſiodorus*, *Diaconus*.

BROTEAS, & Ammon, cæſtibus inclaruerunt. Ovid. *Met*. *l.* 5. *v.* 107.

> *Hic gemini fratres, Broteaque & cæſtibus Ammon*
> *Invicti.* ——

BROTES, è Cyzicenis unus, à Polluce, in nocturno conflictu cæſus ac ſemianimis relictus. Val. Flacc. *l.* 3. *v.* 152.

BROTHEUS, fil. Vulcani & Minervæ, deformis facie, ob quam dum pleriſque eſſet riſui, animi dolore ſe in rogum conjecit. Ovidius *in Ibin*. *v.* 517.

> *Quodque ferunt Brotheum feciſſe cupidine mortis,*
> *Des tua ſuccenſo membra cremanda rogo.*

BROUVERHAVIA, ſeu **BROUVERII** portus, oppidul. Zeelandiæ, in Scaldia Inſul. cum portu ſat capaci, 1. leuc. à Zirizea.

BROUVERI Fretum, in America meridionali detectum à Batavis, A. C. 1643. Maximè in Auſtrum ſpectat, infra fretum Mazanum, & ab inventore nomen habet.

BROVERSAVIA, inſul. Zeelandiæ, quæ à *Scaldi* fluv. *Scaldia* cognominatur, oppidum nitidè & eleganter conſtructum, quod res maritimæ peritos & exercitos nancleros ſuppeditat, piſcatoreſque ſtrenuos; quorum induſtria ingentem piſcium copiam variis mundi partibus communicat. *Theatr. Urbium*.

BROVOVACIS, Angliæ urbs. *Antonin. Brougham Camdeno*, in regione Weſtmariæ.

BROWNISTÆ, à Rob. *Brown*, dicti ſunt uſque ad noſtra tempora illi, qui ſeceſſiones ab Eccleſiis Anglicanis, ut falſis & Antichriſtianis, collaudabant, aſſerentes: *Quamlibet Eccleſiam particularem, etiam paucarum perſonarum habere plenam & independentem à Claſſibus Synodiſque poteſtatem & juriſdictionem: neque Presbyteria, ſed totam Eccleſiam; omnia nimirum ejus & ſingula membra, viros pariter ac feminas, poteſtatem clavium pinque vocandi Miniſtros habere.* Cujuſmodi dogmata eò abeunt, ut unuſquiſque Independentiſſimum vivat, & ſibi ſapiat, ruptò omni fœdere Eccleſ. & violatâ communione Sanctorum. Vide Hoornbeeckium *Summa Controverſ. de Browniſtis*. & *Ep. de Independentiſmo*, nec non de dogmatibus eorum Honor. Regg. p. 36. ut & infrà aliquid, ubi de Auctore eorum, it. voce *Independentes*.

BROWNIUS Robertus, Northamtonius Anglus, Ludimagiſter primo Soutwrackæ, dein Paſtor Iſlingtonii, prope Londinum, Bolnono in Schiſmate Anglicano (occaſione nævorum quorundam illius Eccleſiæ, ſuperfluarum nonnullarum ceremoniarum, & faſtûs Epiſcoporum ortâ) ſucceſſit, ac vexillum *Separatiſmi* erexit A. C. 1580. Eccleſiâ quâdam Middelburgi Zeelandiæ conſtitutâ, quæ mox inteſtinis diſſidiis colliſa periit. Ipſe verò inde in Angliam reverſus, errores ſuos revocavit. De eo, inter alia ridicula referunt, quòd, cùm frequenter uxorem ſuam pulſaret, reprehenſus propterea, reſponderit: *Se non verberare eam, ut uxorem ſuam, verùm ut infauſtam & maledictam vetulam*. Quô pactô, uti ob cauſas non ſatis graves ab Eccleſia Anglicana ſeipſum ſeparavit, ſic in uxore ſua nimiùm ſubtiliter *uxorem* a *vetula* ſeparavit. Georg. Hornius *Hiſtor. Eccleſ.* ex editione M. Leydeckeri *p.* 592. Ab eo celebre hodieque *Browniſtarum* nomen, de quibus ſuprà.

BROXÆ, maleficæ ſunt & ſortilegæ mulierculæ, in montibus Pyrenæis, apud Martinum de *Arles* Canonicum Eccleſ. Pampilonenſ. *l. de Superſtitionibus*, laudatum Car. du Freſne.

BRUCÆUS Henricus, vide *Henricus*.

BRUCCA, ſic putat Cl. *Aretius* olim dictam urbem Siciliæ, hodiè *Longobaldam* vocatam.

BRUCCIA, caſtrum in Lemovicibus, hodie *Broſſe*: cum pago circumjacente, à ſylva vicina, nomen accepit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRUCHIUM, fuit locus ſive regio, urbis Alexandriæ in Ægypto, ubi Muſeum fuit, de quo ſic Spartian. in *Hadriano*, *c.* 20. *Apud Alexandriam in Muſio multas quæſtiones Profeſſoribus propoſuit* &c. Quin pro Muſio ipſo Ammianus accepit *l.* 22. ubi ait fuiſſe *diuturnum præſtantium hominum domicilium*: ex quo multi magnæ doctrinæ Viri prodierint. Βρουχίου meminit etiam Epiphanius, *de Ponder. & Menſur.* unde conſtat, ſatis remotam à reliqua Urbe regionem *Bruchii*; quam (πάλαι τὸ πάλαι eidem dictam) ſuâ ætate deſertam fuiſſe ſcribit. Unde ſunt, qui non in ipſa urbe, ſed prope eam Bruchium collocent. Martyrologium Græcum in *Hilar*. Εἰς τι χωρίον πλησίον Ἀλεξανδρείας μετέθετο. Βρούχιον ὄνομα αὐτῷ, *In quendam locum, prope Alexandriam, contendit, Bruchium ipſi nomen.* Fuit id olim Alexandrinorum Prytaneum, h. e. πυρὸς ταμεῖον: undè facili literarum β. π. φ. permutatione corruptè Βρύχειον factum eſt, pro Πυρουχεῖον, quam vocem ſervat integram Euſebius *Hiſtoriar*. *l.* 7. *c.* 32. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *ad Spartian*. & infrà in voce *Muſeum*.

BRUCTERI, populi Germaniæ in Friſia Orientali incolentes, quorum tractus *Brockmerlandt*, teſte Cornelio Kempio, dicitur. Putantur iidem cum Buſacteris, vide ibi. Sunt qui hos in Marchia, Comitatu in Weſtphalia collocant. Meminit illorum Claudian. *de 4. Conſul. Honorii*, *v.* 450.

> ——— *Venit accola ſilvæ*
> *Bructerus Hercyniæ.* ———

Hos Druſus navali prælio in Amaſio fluv. ſuperavit, teſte Tacitô, *l.* 1. *Annal*. *c.* 52. Legendum forſan *Bruteri*: nam ſe invicem *fratres* appellabant ſuô quodam more, &, niſi fallor, militari. Mos ille ab antiquiſſimis Scythis, ubi teſte *Nicolaô*, ſeniores patres, juniores filios, æquales fratres nominabant. Durant hodieque apud Germanos ἀδελφοὶ quædam ſuperſtitioſa, nec minus religiosè colitur, ac priſcis illis Romanis *Cara cognatio*.

BRUDATUS ſeu **BRODATUS**, apud Abbatem Gualterium *de Monyton*. *ad A. C.* 1345. ex Gallico *brodé*, idem eſt, quod *acupictus* phrygionicô opere elaboratus. Vide infrà ubi de *Phrygionibus*, quos Galli *Brodeurs* vocant; item in voce, *Pella*.

BRUGA, Germanicè *Bruck* ſeu *Brugg*, urbs Helvetiæ non adeò ampla, ſed elegans, in Argovia, ſub ditione Bernenſium, eodem jure cum Arovia & Zoſinga gaudens. Vindoniſſæ olim ſuburbium, ad Arolam, qui ibi ponte junctus, hunc nomen antiquitùs tenuit, *an der Brucken* dicta, poſtmodum urbe veteri deſtructâ, ob commoditatem loci, huc enim ii Rauraci ad Helvetios commodè per Voccetium montem tranſitur, ornari augerique cœpit. Et quidem diu ſub Comitibus Habſpurgicis (Imperatoriæ Familiæ conditoribus) caſtro illorum, unde Auguſtæ ſtirpi nomen, prope ſito, propugnaculi inſtar fuit. Bellò dein Rodolfi I. Imperatoris cum agnatis, à Gothefrido Comite capta & direpta eſt. Rurſus a Bernenſibus nomine Imperii occupata, durante Conciliô Conſtantienſi, A. C. 1415. uſque oppignorata eſt a Sigiſmundo Imperatore. Poſt quæ nocturnâ irruptione, bellô Tigurinô, à Thoma Falckenſteinio rapta A. C. 1444. exin, in poteſtatem Cantonis Bernenſis rediit, Evangelio manus fidemque dedit A. C. 1528. à quo tempore, tranquilla in pace quieſcit, civium virtute, pietate, opibuſque florens. Joh. Stumpfius *Chron. Helv*. *l.* 7. ubi de *Argovia*, *c.* 11.

BRUGÆ, vulgò *Bruges*, Flandriæ urbs, ad fluv. *Reye*, omnium pulcherrima, nitidiſſimaque. Publicarum ſiquidem & privatarum ædium in hac urbe ſplendor & magnificentia, omnem orationem, omnem dicendi facultatem ſuperat. Optimam urbium formam, h. e. orbicularem ſitu obtinet. Pulcherrimis mœnibus cingitur. Forum habet, ad quod ſex latæ deducunt plateæ, totidemque præcipuis portis reſpondentes. *A pontium multitudine* ſic dicitur. Præcelſis turribus Divorumque auguſtiſſimis templis ſexaginta numerô inſignitur. Epiſcopatus hic à Paulo IV. inſtitutus. Et quemadmodum à Balduino Flandriæ Comite urbs muris cincta, ita à Liderico templô S. Donatiani, quod præcipuum, ornata eſt. *Damhouder*. Ab hujus civibus, Galli omnes (in quorum poteſtatem venerat Flandria, Vidone captô) ob avaritiam præfecti, interempti ſunt A. C. 1300. quam injuriam ulturus Philippus Pulcher à Vidonis filiis magnâ clade victus eſt, aureaque calcaria 700. in trophæum ſuſpenſa. Beyerlinck *in Theatr*. Annales Flandriæ. Maximilianus I. Imperator à rebellibus ſubditis hic detentus eſt aliquandiu. Capta eſt urbs, à Duce Parmenſi, A. C. 1584. cum tota ferè Flandria. Vide Thuan. *Hiſt*. *l.* 80. & 83. Gronium *Annal. Belg.* &c. longitud. 24. 25. latitud. 51. 56.

BRUGÆ, urbs Stiriæ, ad Muram fluv. *Merel*. Oppid. in Norrgoja, *Ferrar*.

BRUGENSIS Rodolphus, vide *Rodolphus*. It. *Johannes*. Item *Gualterus*.

BRUGMANNUS Johannes, vide *Johannes*.

BRUISIUS Petrus, vide *Petrus*. Item *Bruys* Petrus.

BRULLITÆ, populi, quos Epheſo tribuit Plinius *l.* 5. *c.* 29.

BRUMA, dicitur dies Solſtitii hyemalis, qui eſt ad 15. Calend. Januar. Dicta quaſi βραχὺ ἦμαρ, ut quibuſdam placet; quam originationem quoque amplectitur Macrob. *Saturn*. *l.* 1. *c.* 21. Iſidor. *l.* 5. *c.* 35. Cæſar Scal. *c.* 19. *l.* 1. *de Cauſ. L. L.* Varro autem *l.* 5. *de L. L.* ut & *Feſtus*, eam à *brevitate dierum* appellari ajunt. Vide Voſſ. in *Etymolog*. *Voce Bruma*.

BRUMA ſeu **BROMA**, feſtus dies Romanorum, 8. Kal. Decembr. celebrari ſolitus, cujus originem cum nonnulli ad *Bromium*, i. e. Bacchum, referant; alii probabilius à *Bruma*, ſeu hyeme, quâ feſtum ejuſmodi celebrabatur, arceſſunt. Veteres enim Græci ut habet Scaliger *de Emendat. Temp.* *l.* 2. à *bruma* tempora ſua ordiebantur, eoſque ſecuti ſunt Romani, quòd facilius ex decrementis umbræ horas obſervarent, *bruma* confectô die, quàm ab incrementis, Solſtitiô. Synodus Trullana *Brumalia* vocat, illudque proſcribit, quòd paganorum eſſet feſtum: Τὰς οὕτω λεγομένας Καλάνδας, καὶ τὰ λεγόμενα Βοτὰ καὶ τὰ καλούμενα Βρουμάλια ἐκκόπτεσθαι βουλόμεθα, *Brumas* Tertullian. *de Idolol*. *c.* 14. *Saturnalia & Januaria & Bruma* & Matronales frequentamur. In Concilio Romano *Broma*, ſub Zacharia Epiſcopo Romano A. C. 743. *can*. 9. item in Capitulis Attonis Epiſcopi *c.* 78. *Ut nullus Kalendas Januarias &* Broma *colere præſumpſerit*, &c. Hinc *Brumatici*, qui damnantur in *Capitulari* Pipini Regis Italiæ, edito à Steph. Baluzio *c.* 32. & *Bramardiers*, vox Belgis Picardiſque etiamnum frequens, quâ, qui ſe merò vel cereviſiâ ingurgitant, indigitantur: quod hiſce feſtis crebra ſolerent agitari convivia. Aliâ verò notione vocem Βρουμάλια uſurpat Petrus Patricius *Epigrammat. ad Leonem Philoſ.* deſcripto à Lambecio *Comm. de Bibl. Cæſar*. *l.* 4. *p.* 180.

> Εἰς μῦθον ἦλθες Ἀστυχιτάναν χορῶν,
> Νίκας αὐτῶν σὺ ἀεὶ στέφου τι,
> Συγκαλέσαις ἄνακτι τοῖς Βρουμαλίοις
> Παννυχίζειν ᾠδίδὶς ἱερὸν.

In longitudinem veniat fortunatiſſimorum temporum,
Victorias cumulans ſubinde, erigensque tropæa,
Congregans cunctis tuis Brumalibus,
Mortuum tandem ſuggerens quotannis &c.

Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & hic infrà.

BRUMÆ confecta dies, apud Plin. *l.* 36. *c.* 10. ubi de obeliſco, qui Romæ in Campo Martio pro gnomone fuit: *Ei qui eſt in Campo Divus Auguſtus addidit mirabilem uſum, ad deprehendendas Solis umbras*, Brumæ confectæ die, *horâ ſextâ, dierumque ac noctium magnitudines, ſtrato lapide ad obeliſci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ, confectâ die horâ ſextâ, paulatimque per regulas quæ ſunt ex ære incluſæ, ſingulis diebus decreſceret, ac rurſus augeſceret*; uti emendavit Salmaſ. cùm alii legerent *Brumæ confectô die*: dies eſt, quô *Bruma* committitur. Nempe ſtatui juſſit lapidem Auguſtus, ad eam obeliſci magnitudinem, cui par eſſet umbra meridiana die Brumæ. Dicitur autem *Bruma confici* Plinio, ut Solſtitium, eôdem genere loquendi, quô *ſidus confectum*. Nam & hoc de Solſtitio confecto dixit Plinius *l.* 16. *c.* 23. *Circumagunt enim folia eorum poſt Solſtitium: nec aliô argumentô certiùs intelligitur ſidus confectum.* Similiter Manilius, *Brumæ ſidus* appellavit, *l.* 3.

Hîc vice deſcendunt noctes à ſidere Brumæ,
Tolluntúrque dies.

Non dies Solſtitiorum conficiuntur, ſed ipſa confici dicuntur in puncto λόγῳ θεωρ. &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 640. Cæterùm *Bruma*, tempus nuptiarum apud Athenienſes olim fuit, ut infrà videbimus, ubi de Veterum *Nuptiis*.

BRUMALIA, à Romanis dicebantur Bacchi ſacra, quæ & Liberalia, bis in anno celebrari ſolita; ſemel 12. Cal. Mart. atque iterum 18. Cal. Sept. Dicuntur autem à *Brumo*, quô nomine Romani veteres Bacchum appellabant. Cœl. Rhodig. *l.* 28. *c.* 25. Vide Suidam, in Βρυμάλια, nec non ſuprà.

BRUMIA, Abbatia Germaniæ, in ditione Archiepiſcopi Trevirenſis, qui perpetuus ejus adminiſtrator eſt. Hîc Lotarius Imperator rejectô imperiô, ſolitariam egit vitam, A. C. 855.

BRUMUS, Bacchi apud veteres Romanos cognomen, unde *Brumalia*, feſtum ei ſacrum, inſtitutum à Romulo, qui Senatum conviviô excipere ſolitus eſt. Ei apud Græcos feſtum *Ambroſia* reſpondiſſe & 8. Kal. Jan. à Romanis, quorum ſinguli attulerint, quod eſſent aut biberent, celebratum eſſe, docet Cœlius Rhodiginus *Antiq. Lect. l.* 27. *c.* 24. & *l.* 28. *c.* 15. Kalendarium tamen ruſticum, menſe Octobri ſacrum Libero patri factum eſſe tradit. Vide Joh. Roſin. *Antiq. Rom. l.* 4. *c.* 15. & in voce *Brumalia*.

BRUNA, ſeu BREINA, lacus Scotiæ Septentrionalis in Aſſino Comitatu, longè per terras excurrens, pòſt in mare Deucaledonium ſe exonerat. Ei adjacet *Breye* oppidul.

BRUNA, in *Chron* Barcinonenſi, moneta eſt, aliis *Nigra* dicta, ſeu ærea, quæ ab A. C. 1200. uſque ad ann. 1209. valuit. Car. du Freſne, ubi ſuprà.

BRUNDA, vide *Brundiſium*.

BRUNDULUM, portus quem Atheſis amnis ex Tridentinis Alpibus fluens facit. Plin. *l.* 3. *c.* 16.

BRUNDUNUM, urbs Bavariæ, vulgò *Brunow*. longitud. 35. 25. latitud. 40. 10.

BRUNDUSIA, Gall. *Porentru*, corruptè ex *Pons Ragnetrudis* oppid. Sequan. in limite Alſatiæ, 6. leucis à Baſilea. Sedes Epiſcopi Baſilienſis.

BRUNDUSIUM, quæ & *Brundiſium*, *Brendeſium* Ptolemæo, *Brenteſium* Stephano, urbs Calabriæ ad mare Adriaticum ſita viâ Appiâ, euſque productâ, & in primis Italiæ portu inſigni nobilis, ex quo Romanis triſtiſſimus olim fuit in Græciam Aſiamque tranſitus. *Urbs a Cretenſibus habitari dicta, qui cum Theſeo e Gnoſſo venerant; dein ab iis, qui cum Japyge e Sicilia acceſſerint*, Strabo *l.* 6. Poſteà *Brundiſium Regem habuit, cui multum agri ademptum eſt a Spartanis, qui cum Phalantho Tarentum venerant*, *Ibid.* Brundiſini nihilominus poſt hæc *cum eundem receperunt mortuumque ſplendidâ ſepulturâ dignati ſunt*, Juſtin. *l.* 3. *c.* 4. In nummis occurrit ΒΡΕΝΔΗΣΙΝΩΝ, apud Joh. Marshamum Canone Chron. Sec. XVII. ubi de *Magna Græcia*. A Brento quodam Herculis filio, ſi *Stephano* fides, aut certè à cervini capitis ſimilitudine, quod Meſſapii linguâ ſuâ Βρέντιον appellant. Lucan. *l.* 2. *v.* 609.

Brundiſii tutas Magnum conſerndit in arces.

De ſitu ejus hæc inquit idem, *Pharſal. l.* 5. *v.* 406.

— Curvoque tenens Minoia tecta
Brundiſii, clauſas ventis brumalibus undas
Invenit, & pavidas hyberni ſidere claſſes.

Ubi *curvum* dixit, quia ſemicirculi in formam jacet. Idem Poëta de eâdem urbe, *l.* 2. *v.* 623.

Hanc latus anguſtum jam ſe cogentis in arctum
Heſperiæ, tenuem producit in æquora linguam,
Adriacas flexis claudit quæ cornibus undas.

Meminit ejuſdem Horatius, *l.* 1. *Sat.* 5. *v. ult.* quâ iter ab Roma ad Brundiſium uſque deſcribitur:

Brundiſium longæ finis chartæque viæque.

Sed. *Appia*, quæ huc tandem perducta fuit, per Primam & Secundam Italiæ regiones. Unde Silius *l.* 8. *v.* 575.

Nec non Brundiſium, quô deſinit Itala tellus.

Denique Feſtus, *Brundiſium*, inquit, *quidam Poëtæ brevitatis cauſâ, Brundam* dixerunt. longitud. 41. 17. latitud. 40. 34. Hodiè *Brindiſi*. Addo quòd Joh. de Janua, à *Brunda*, h. e. capite vel cornu cervi, urbem hanc dictam vult: *Videntur enim*, inquit ex *Papia*, *cornua cervi & caput & figura, ex diſpoſitione ejuſdem loci.* Vide Stephanum de Urbibus & Iſidor. Origin. *l.* 15. *c.* 3. Certè *Brundam* hanc urbem vocat Arnob. *adv. Gentes* 1. 2. *Viderant enim* (Romani) *currum Simonis magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominatô Chriſtô evanuiſſe. Viderant — pondere præcipitatum ſuo cruribus jacuiſſe præfractis, poſt deinde perlatum Brundam cruciatibus & pudore defeſſum ex altiſſimi culminis ſe ruſſum præcipitaſſe faſtigio.* Poëta item. *Feſtus Brundiſium quidam Poëta brevitatis cauſâ Brundam dixerunt.*

BRUNEA ſeu BRUNIA, militare ornamentum, lorica; occurrit ſæpè in *LL. Salicis, Ripuar.* aliis: unde Gallorum *Bronze*, pro ære, ex quo *brunea* & ſtatuæ conficiuntur, à cujus colore ſubfuſco *Bronzer* dicunt, Itali *Abbronzare*, h. e. fuſcô colore allinere, depingere. Ex eadem origine Gallorum Regina *Brunechildis* nomen habuit, quæ ſic dicta eſt, quaſi *Bruyne hilt*, h. e. fuſca heroina. Vide Car. du Freſne in voce *Brunia*. Cl. Ottoni, præcipuum hoc veter. Germanorum armaturæ fuit genus, de quo *LL.* Franciæ *l.* 3. *c.* 5. §. *de armatura habenda*: *Omnis homo de* 12. *manſis* Bruniam habeat, *qui vero bruniam habens, eam ſecum non tulerit, omne beneficium cum brunia pariter perdat.* Aliter *Halsberga*, German. *eine Brünne*, in *Gloſſario* Latino-Theotiſco, *Thorax, militare munimentum, lorica, brunia.* Et in *LL. Norvegicis*, *Panſſar ada Brynia*, quod Loccenius Loricam vel *Bruniam* vertit. Sicut *Halsberga*, vox Saxonica à German. *hals*, i. e. collum, & *bergen*, i. e. tegere, indem thoracem ferreum notat, ut ex Goldaſto & Lindenbrogio idem Vir Cl. docet, *Notis ad B. Rhenanum Rer. Germ. l.* 2.

BRUNECHILDIS, filia Athanagili, Viſigothorum in Hiſpan. Regis, nupſit Sigeberto, Auſtraſiæ Regi, Furia familiæ regalis. Mortuô maritô, à Chilperico fratre ejus, Rotomagum relegata eſt, ubi filio Chilperici Merovæo nupſit, & reddita filio ſuo Childeberto, Auſtraſiam eô minorenni adminiſtravit. Pòſt, cupidine imperandi accenſâ, filium jam per ætatem regni capacem ſuſtulit venenô, ut in nepotum tenellâ ætate auctoritatem retineret. Avaritiâ & laſciviâ ſtimulata, nihil intentatum reliquit, nec ferro nec venenô parcens. Hinc omnibus exoſa, nuda Auſtraſiâ ejecta eſt. Mox apud nepotem ſuum Theodoricum authoritate iterum invaluit. Hic lenam nepotis egit, ne ille legitimâ uxore ductâ, aviam excuteret: & licet jam natu grandis, libidinis victima, Protadem, Bertoaldô aliiſque occiſis, Magiſtrum Palatii creavit. A Deſiderio Epiſcopo Viennenſi reprehenſa, illum primo ſynodô Cabillonenſi condemnari, dein biennio pòſt lapidari curavit. Theodoricum nepotem, contra fratrem ejus Theodebertum, à cujus magnatibus pulſa fuerat, incitavit, hôcque cum tota familia ſublatô, illi quoque venenum propinavit. Tandem decemplicis Regicidii accuſata, in Gallorum panegyri, præſente Clotariô II. & convicta, triduum primò torta eſt, dein in camelo publicè circumducta, tandem ab equa indomita, cujus caudæ alligata erat, miſerè huc illuc raptata & lacerata eſt, cadaveris reliquiis igne abſumtis. Alii à quatuor equis dilaceratam volunt. Sunt etiam, qui illam ſepultam Auguſtoduni dicant. Gregor. Turonenſ. *l.* 4. 5. 6. *& ſeqq.* Aimoin. *l.* 3. *&* 4. Ado, Sigebert. *in Chron.* Ab ea caſtrum in pago Cadarcino, *Brunechildis caſtrum*, cum Vicecomitatus titulô nominatum eſt. Nunc *Bernique*. Ibi & cella monaſterio Moiſſacenſi ſubjecta Priorem ſuum habet. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRUNETUM, ſeu BRUNIACUM, urbs Liguriæ, ad Vorrum fluv. ad radices Apennini, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo & Republ. Genuenſi, parvi circuitus, 9. milliar. ab Apua, in Occaſum, à Genua autem 50.

BRUNFELDIUS Otho, vide *Otho*.

BRUNICUS, vide infrà *Borichius*.

BRUNIQUELLUS Petrus, vide *Petrus*.

BRUNIUS Georgius, vide *Georgius*.

BRUNIUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

à BRUNN Joh. Jacobus, fil. Bonaventuræ Tribuni Pleb. nepos Bonaventuræ Conſ. Medicus Baſilienſis. Scripſit *Manuductionem ad conſultationem Medic. rectè inſtituendam.* Obiit A. C. 1660. ætat. 69.

BRUNNA, vide *Brinnum*, Moraviæ olim Marchionum ſedes. *Merul.*

BRUNNEMANNUS Johannes, Coloniæ ad Spream natus, patre avôque ibi loci Paſtoribus, *Magiſter noſter* Francofurti ad Viadrum, A. C. 1632. Profeſſor Logices ibidem A. C. 1636. Concionator dein per aliquod tempus, tandemque Juris Anteceſſor, A. C. 1646. creatus eſt, *Juriſconſultis Religioſi* elogiô inclytus. Obiit A. C. 1672. ætat. 64. Scripſit *Enchiridion bene diſſerendi Artis*, *Tractatum Pacis*, *Exercitationes Juſtinianeas*, *Epitomen Juris Eccleſ.* &c. Socer per filiam Annam Sabinam Sam. Stryckii Jur. D. Comitis Palatini ac in Viadrina primum, inde Wittebergenſi, jam Hallenſi Academia, Juris Profeſſoris celeberrimi. Paul. Freherus *Theatrô Viror. erudit. claror.*

BRUNO, frater Witkindi, Saxoniæ Regis circa A. C. 785 ad obſequium & fidem à Carolo M. adducti, ac hodiernorum Saxoniæ Principum conditoris, ſecundum quoſdam Guelfos Comites Altorfii & Duces Bavariæ, ex Guelfis autem Zollerio-Brandeburgicam ſtirpem: ſecundùm alios, Imperatores Saxonicos Ottones genuit. Pater nempe Ludolfi, avus Ottonis Ducis Saxoniæ & *Brunonis*, quorum hic Brunſuicum urbem, hinc *Brunopolim* dictam, condidit: Alter Henricum Aucupem Imperatorem filium habuit. Quô nati Otto I. Imperator, Henricus Rixoſus Dux Bavariæ, & *Bruno*, ut quidam adduñt, Archiepiſcopus Colonienſis. è quibus medius, præter Henricum II. Imperatorem Marchiones Saxoniæ & Thuringiæ; Comites Northemios, Brunſuici & aliquos Saxoniæ Duces (inter quos Henricus Craſſus Lotharii Imperatoris ſocer) progenuit. Primus pater Ottonis II. avus Ottonis III. Imperatorum fuit. Ex ejuſdem Ottonis I. filio primogenito Ludolfo per nepotes *Brunonem* arceſſunt, qui A. C. 994. ſub nomine Gregorii V. Papa fuit. Qui verò de Ottonum origine aliter ſentiunt, conſtituunt Witikindum

dum Wigberti & Witikindi junioris; Wigbertum autem Walperti & *Brunonis*, Ottonum prædictorum ſatoris, genitorem. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Fam. Witikindea.*

BRUNO, Colonienſis, Remis Theologiam docuit. Vocibus Raimondi Dioctis, Canonici Pariſienſis, qui opinione Sanctitatis relictâ obiit Lutetiæ, ſe poſt mortem in feretro erigentis, & horribili ſonô tribus diebus continuò ſe ſubſequentibus, *Accuſatus, Judicatus, Damnatus* ſum, exclamantis, territus, A. C. 1086. cum ſociis quibuſdam in eremum *la Chartreuſe* dictum, in Delphinatu, ſeceſſit, Carthuſianorum ordinis fundator. Obiit A. C. 1101. à Leone X. A. C. 1514. Sanctis inſertus. Scripſit *commentarios in Pſalmos & Epiſtolas Paulinas*, &c. Johan. Columbi, *diſſertatione de Chartuſianorum initiis*. Petræus *Bibl. Carth.* Vincentius de Beauvais, *l.* 26. *c.* 82. Petrus Cluniac. *Mir. l.* 2. *c.* 28. Miræus, *de origine Relig. l.* 2. *c.* 35. Onuphr. Genebr. Sigebert. *in Chron.* &c.

BRUNO, contra Berengarium Romæ diſputavit, A. C. 1079. Abbas dein MontCaſſini factus. Petr. Diacon. *Hiſtor. montis Caſſ. c.* 33. Auctor Hiſtoriæ Henrici IV. Imperatoris. Voſſ. *l.* 2. *Hiſt. Lat. c.* 47. Item, filius Henrici Aucupis, Archiepiſcopus Colonienſis & Lotharingiæ gubernator. Obiit A. C. 965. Item Epiſcopus Herbipolitanus, patruus Conradi Imperatoris obiit, A. C. 1045. Scripſit *commentarios in Pſalmos, in Cantica utriuſque Teſtam. in Symbolum Apoſtolic. & Athanaſii, in orationem Dominicam.* Trithem. de *Scriptorib. Eccl.* Item, Pruſſorum Apoſtolus.

BRUNO Amerbachius, vide *Baſilius Amerbachius.*

BRUNONIS Mons, *Bournont*, locus Lotharingiæ, in Ducatu Barrenſi, ejuſque conventu Claromontenſi, Hadr. Valeſ. in voce *S. Michaelis oppid.*

BRUNOPOLIS, vide *Brunſwicum.*

BRUNOVIA, oppid. Bohemiæ, in quo templum Fratribus, A. C. 1618. ademtum, belli Bohemici occaſio fuit.

BRUNSBERGA, urbs Pruſſiæ Regalis, ubi Epiſcopus Warmienſis ſedem habet, juxta ſinum *Friſch Haff*. Media inter Mariæburgum & Regiomontem. Capta à Guſtavo Adolpho, A. C. 1625. A' paucis annis oppignerata eſt Electori Brandeburgico.

BRUNSBUTTA, oppidul. munitum, in Dithmarſia regione Holſatiæ ad Albis oſtia, 3. leuc. infrà Glucſtadium; *Brunsbuttel.*

BRUNSWICUM, Tubiſurgium *Ptolemæo*, aliis *Brunopolis*, Saxoniæ Metropolis, cujus ferè centrum obtinet; civitas eſt permagna & populoſa 2. mill. paſſ. ſuô ambitu complectens, una ex 4. Hanſeaticarum præcipuis. Tota urbs in plano jacet, mœnibus ac foſſâ duplici profundiſſimâ, & aliquot in locis triplici, ac quâlibet aquis ſtagnantibus munitâ. Vallum etiam inter foſſas craſſiſſimum habet, ductum per circuitum, variis arborum generibus conſitum. Libera ferè urbs hactenus fuit, ſed A. C. 1671. ſub Ducum Brunſvicenſium jugum redacta eſt, poſtquam binis hôc ſeculo vicibus fruſtra tentata fuiſſet. Inter Erphordiam & Hamburgum, inde 24. hinc 20. leuc. à Magdeburgo in occid. 13. quot à Luneburgo recedens. Hanc *Ocker* fluv. interſecat, quô obſtructô Henricus Dux urbem capturus erat, A. C. 1605. niſi à tempeſtate agger ruptus diſjectuſque fuiſſet. In hac urbe Otto AntiCæſar à Philippo Suevo obſeſſus, & auxiliaribus ſuperatis, ad fugam in Angliam compulſus eſt, A. C. 1201. Bugenhagium doctorem habuit, circa A. C. 1522. ut & Martinum Chemnitium, per annos 30. mortuum A. C. 1586. Hinc Brunſvicenſis Ducatus inferioris Saxoniæ, inter Epiſcoparum Halberſtadenſem, Ducatum Luneburgicum, Weſtphaliam & Ducatum Grubenhagium. Cujus reliquæ urbes *Wolfenbuttel*, ſedes Ducum, *Helmſtadium*, ubi Academia, &c. Ducum origo ab Azone Eſtenſi, qui ex Cunegonde, è Welforum familia, ſuſcepit Welfum cognomine *Robuſtum*, qui Dux Bavariæ poſt patruum cognominem fuit, ejuſque filii Henricus Superbus & Henr. Leo, Duces Bavariæ & Saxoniæ, A. C. 1179. Otto cognomine *infans*, Dux Brunſvic. & Luneburgenſis, à Friderico II. Imperatore creatus eſt, A. C. 1240. In Brunſvicenſem & Luneburgenſem ramos familia diviſa, A. C. 1372. quorum hic iterum A. C. 1546. in lineam Dannebergicam, nunc Wolffembutelanam, & Cellenſem: Ille verò ex Henrico, filio juniore Magni, ortus, in Guelferbytanam & Gottingenſem ſeu Calebergicam, A. C. 1503. diviſus eſt: quâ poſteriore A. C. 1584. in Erico, extinctâ, hæreditatem hanc Guelferbytani creverunt, è quibus Fridericus Ulricus ſupereſt. In tota hac ditione Lutherana religio viget. Crantz. Cruſ. *Hiſt. Sax. Germ. l.* 1. Cluver. *l.* 3. Spener. *in Sylloge Geneal.* longitud. 32. 40. latitud. 52. 40.

BRUNUS Conradus, ſcripſit *de Hæreticis & Schiſmaticis libros* 6.

BRUNUS Leonardus, circa A. C. 1415. *Ariſtotelis Ethicam & Politicam* Latinè vertit. M. Palmerius Florentinus *in Chron.*

BRUNUS Martinus, vide *Martinus.*

BRUNUS Petrus, vide *Petrus.*

BRUSCHIUS Caſparus, Egranus, Poëta Laureatus, Viedoctiſſimus, & antiquitatis eruendæ ſtudioſiſſimus, C. S. E. interiit trajectus ſclopô, inſidiis quorundam, in ſylva Schlingenbacenſi, inter Rotenburgum & Winsheimium A. C. 1559. ætat. 41. Buchol. *Ind. Chronol.*

BRUSCUM & Molluſcum, aceris tubera: è quorum iſto ſolidi lectorum, & laminæ ſectiles, quibus ſuperinducebantur, ex illo etiam menſæ fiebant. Plin. *l.* 16. *c.* 16. *Pulcherrimum vero eſt bruſcum, multòque excellentius etiamnum molluſcum. Tuber utrumque aceris: bruſcum intortius criſpum: molluſcum ſimplicius ſparſum. Et ſi magnitudinem menſarum caperet, haud dubiè præferretur citro. Nunc intra pugillares lectorumque ſolidus aut laminas rarò uſu ſpectatur. E bruſco ſunt & menſæ nigreſcentes.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 416. & ſuprà in voce *Acer.*

BRUSIS, pars Macedoniæ à *Bruſo* Emathii filio. *Steph.*

BRUSTACIA, urbs Oenotrorum, in Italia, ſub Crotoniatis & Brutiis, nunc *Umbriatico*, *Brutio* & *Sanſoni*, in Calabria citeriore, 10. milliar. à ſinu Tarentino. Vide *Umbriaticum* & *Bryſtacia.*

BRUTA, adorationi expoſita, vide ſuprà *Abominatio*, & infrà *Dii*, item *Zoolatria* &c. Sed & Mahometes impurus, illa *ſalutari* juſſit, libertatem à pœnis gehennæ & felicitatem Paradiſiacam ad facientibus promittens, *Alcoran. c.* 35. Vide Joh. Forbeſium *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 4. *c.* 13. § 3.

BRUTHMARUS Chriſtianus, vide *Chriſtianus.*

BRUTHUS, vide *Brythus.*

BRUTIDIUS, vir quidam, qui tempore Juvenalis Poëtæ tractus eſt ad judicium, tanquam fautor & amicus Sejani, apud Imperatorem accuſari. Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 82.

> —— —— *Pallidulus mî*
> *Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.*
> *Quam timeo, victus ne pœnas exigat Ajax,*
> *Ut malè defenſus!* —— ——

Hunc *Brutidium* ait Tacitus, *Annal. l.* 3. *c.* 66. *artibus honeſtis copioſum fuiſſe*, qui etiam teſte Senecâ, *loc. jam citandô*, *Rhetor & Hiſtoricus fuit non ſine laude.* Vide Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 24. & *infrà.*

BRUTIDIUS Niger, Apollodori diſcipulus Ædilis, C. Sulpiciô, D. Hateriô Conſulib. honeſtis artibus copioſus. Nam non ſolum inter Oratores Rhetoraſque locum habuit; teſte Senecâ, *Suaſ.* 6. & *controv.* 9. ſed etiam Hiſtoriam ſcripſit, ut ex fragmentis apparet cum laude. Idem cum præcedente.

BRUTII, populi in extremis Italiæ finibus, ſupra Lucanos, peninſulam incolentes, cujus Iſthmus à Lao fluv. uſque ad Metapontium porrigitur. Hi Lucanorum olim paſtores fuère, qui, excuſſô ſervitutis jugô, trans Laum fluv. ſedes poſuerunt, unde & Βρέττιοι, vel Βρύττιοι à Lucanis dicti ſunt, quod illorum linguâ *fugitivos* ſonat. A' Romanis autem *Brutii* appellati ſunt, quaſi *Bruti*, h. e. *ſtupidi* & *vecordes*; quâ ignominiâ ideo notati ſunt, quòd, ſecundi belli Punici tempore, ad Annibalem deſciviſſent, ob quam perfidiam ſemper deinde ſine honore & dignitate habiti ſunt, ad ſervilia tantum opera, & viliora munia deſignati. *Dionyſius Periegetes*,

> Ἄγχι δ' Ἀλαμαῖοι καὶ Βρέττιοι ἄνδρες ἔασι,
> Τουτάτιοι ναίοντες ὅσου λιλάκι ἐπὶ πέτρην.

Græcis Βρέττιοι & Βρέττιοι dicti. *Euſtathius*, Βρέττιοι καλοῦνται ἀπὸ Βρεττίας τῆς Ἡρακλέος. Juſtinus *l.* 23. *c.* 1. à *Brutia* muliere; Diodor. Sic. *l.* 16. *c.* 15. *à ſervitute ſua* ſic dictos putat, καὶ γὰρ τῇ ἐγχωρίῳ διαλέκτῳ οἱ δραπέται Βρέττιοι προσαγορεύονται. Strabo *l.* 6. Ἀποστάτας vocat, h. e. *defectores*. Notandum autem hic, quod obſervat Bochartus, priſcam Italiam nihil fuiſſe quàm Brutiorum agrum cum parte Lucaniæ, quod ipſum voluit *Stephanus*, in quo legendum: Ἀίζοχος, ἡ τῶν Βρεττίων φησὶ πληθῦναι Ἰταλίαν. Eſt autem regio ſic dicta à picis abundantia ibi naſcente, Βρυτίαν enim Græci *picem* appellant. Vide doctiſſ. Authorem *de Phœnic. Colon. p.* 660. *Nic. Lloydius*. *Baudrando* Brutii fuerunt populi Italiæ, in magna Græcia, inter Lucaniam & fretum Siculum extenſi, & inter mare Tirrhenum, & ſinum Tarentinum. Diviſique fuère in Ciſmontanos & Tranſmontanos, ubi nunc Calabria citerior & ulterior in parte Auſtrali Regni Neapolitani.

Urbes Brutiorum quæ hodie extant:

Amantia, *l'Amanthea.*	Miletus & Melita, *Melito.*
Balbia, *Altamonte.*	* M. Altus, *Mont-alto.*
* Beſidianum, *Biſignano.*	M. Leonis, olim Hipponium, *Monte Leone.*
Bova, *Bova.*	Nicotera, *Nicotera.*
* Conſentia, *Coſenza.*	Oppidum, *Oppido.*
Marcupolis, *S. Marco.*	* Rhegium, *Reggio.*
Martoranum, olim Mamertium, *Martorano.*	* Tropea, *Tropea.*

BRUTINA, urbs Hiſpaniæ. *Ptol.* Vide *Brutobria.*

BRUTIUM, promontor. aliàs *Leucopetra*, in quo deſinit alterum Apennini cornu, teſtibus *Sanſone* & *Brietiô*, nunc *punta della Sertta*. Eſtque prope fretum Siculum, in Calabria ulteriore. 12. milliar. Italicis à Rhegio 15. in Occaſum à promontor. *Burſano*, quod olim Zephyrium dictum eſt.

BRUTIUS, Βρέττιος ὁ σοφώτατος ἱστορικὸς καὶ χρονογράφος vocatur à Scriptore *Chron. Alexandr. p.* 90. ubi ex eo quædam narrat de Danaë & Perſeo. Vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 337.

BRUTIUS Præſens, Conſul. Roman. Antonini Pii collega An. Urb Cond. 890. cujus filiam M. Imperator filio ſuo Commodo matrimoniô junxit.

BRUTOBRIA, urbs inter Tyritanos & Bætim fluv. *Steph.* Eadem nimirum eſt quæ aliàs *Brutina* vel *Brutopolis*. Verùm pro Τυριτανῶν apud *Steph.* lege Τυρδιτανῶν.

BRUTTIANI, dicti ſunt apud Romanos, qui Magiſtratibus in provinciis apparerent. A. Gellius *l.* 10. *c.* 3. *Quum Hannibal Pœnus cum exercitu in Italia eſſet, & aliquot pugnas populus Romanus adverſas pugnaviſſet; primi totius Italiæ Bruttii ad Hannibalem deſciverunt. Id Romani ægrè paſſi, poſtquam Hannibal Italiâ deceſſit ſuperatique Pœni ſunt, Bruttios ignominiæ causâ non milites ſcribebant, nec pro ſociis habebant, ſed Magiſtratibus in provincias euntibus parere & præminiſtrare, ſervorum vicem, juſſerant. Itaque hi ſequebantur Magiſtratus, tanquam in ſcenicis fabulis qui dicebantur lorarii; &, quos erant juſſi, vinciebant, aut verberabant: quòd autem ex Bruttiis erant, appellati ſunt* Bruttiani. Gellio adſtipulatur *Feſtus*: Strabo quoque *in fine l.* 5. eaſdem ob cauſam Picentes, Lucanos, Bruttios factos eſſe curſores publicos & tabularios affirmat. *Fulgentius* Gerones quoque *Bruttianos* dictos refert. Præter hanc rationem, Strabo *l.* 6. à Lucanis *Brutios*, ſive, ut ille loquitur, Βρεττίους, quod *deſertores* denotat, appellatos fuiſſe ſcribit: Erant enim paſtores Lucanorum, qui ab illis defecerant. Notabilis quoque locus apud Diodor. Siculum *l.* 16. *Olymp.* inquit, 106.

cum

cùm M. Popilius Lænas & Cn. Manlius Imperioſus Conſulatum gererent, in Italia multitudo quædam hominum miſcellaneorum (plerique enim erant ſervi fugitivi) ex variis undique locis circa Lucaniam confluxit. Hi primam vitam prædatoriam inſtituebant, mox excubiarum agreſtium & incurſionum conſuetudine, rerum bellicarum exercitationem uſumque ſibi compararunt. Et paulo pòſt, *Et quia plerique fuerant ſervi, Brettii dicti ſunt. Incolarum enim ſermone ita fugitivi appellantur.* Non mirum itaque Bruttianos pro ſervis ac miniſtris crudelitatis poni, cùm ipſa vox Bruttiorum ſervum notet. Juſtinus tamen à Bruttia muliere appellationem hanc deducit, *l.* 23. *c.* 1. Vide de Servis publicis Pignorium *de Servis p.* 50. *& ſeqq.* de *Brutianis* verò, quoque in voce *Brutii.* Similes iis apud & Hebræos Nethinæi fuêre, de quibus ſuô locô.

BRUTULUS Papius Samnis, induciarum ruptor; deditus Romanis mortem ſibi conſcivit. Livius *l.* 8. *c.* 39. *Vir nobilis potensque erat: de quo conſulti referre Prætores decretum fecerunt, Ut Brutulus Papius Romanis dederetur: & cum eo præda omnis Romana, captivique ut Romam mitterentur, quæque res per Feciales ex fœdere repetitæ eſſent, ſecundum jus fasque reſtituerentur. Feciales Romam, ut cenſuerunt, miſſi & corpus Brutuli exanime: ipſe, morte voluntariâ, ignominiæ ſe ac ſupplicio ſubtraxit. Placuit cum corpore bona quoque ejus dedi: nihil tamen earum rerum acceptum eſt.*

BRUTUS, Brutorum familia Romæ inprimis fuit illuſtris, ex qua clariſſimus fuit L. Junius Brutus, Filius M. Bruti. Huic Marco Tarquinii Regis filia Tarquinia data uxor, hunc Lucium Junium & filium majorem natu peperit, quos, patrem ſcilicet & filium majorem, Tarquinius Superbus ob divitiarum cupiditatem ſuſtulit. Lucius verò ulciſci impotens patris mortem, fatuitatem ſimulat, ut vitam tueatur, opes nihili faciens. Unde illud Poëtæ:

Brutus erat ſtulti ſapiens imitator.

Itaque in templo Delphico cum filiis Tarquinii oraculô acceptô eum regnaturum, qui prior ſcilicet matrem exoſcularetur: caſum fingens, terram communem omnium matrem deoſculatus: & poſt in enſem conjurans, quô ſe Lucretia confecerat, vindex fuit libertatis, primuſque Conſul, vir vehemens, & qui duos filios adoleſcentes, eodemque uxoris ſuæ fratres Vitellios juvenes, revocandorum in urbem Regum inſimulatos in concionem protraxit virgis cecidit, immotâque facie ſecuri percuſſit. Tandem multis rebus præclarè geſtis eo in prælio, quod ad Regillum lacum commiſſum eſt, occubuit, cumque matronæ ut fortiſſimum ſui ſexus vindicem annum integrum luxerunt. Quidam putant, Junium menſem ab hoc Junio Bruto appellatum, quòd hôc menſe Calendis Juniis, pulsô Tarquiniô, ſacrum *Carnæ Deæ* (quæ humanis vitalibus præeſſe creditur) in Cœlio monte voti reus fecerit. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 818.

Vis & Tarquinios Reges, animamque ſuperbam
Ultoris Bruti, faſceſque videre receptos?
Conſulis imperium hic primus, ſævaſque ſecures
Accipiet, &c.

Vide Flor. *l.* 1. *c.* 9. & 10. Liv. *l.* 1. *c.* 56. *ſ. Dionyſ. Eutrop. Ruffum, Oroſ.*

BRUTUS Julianus, vide *Decius.*

M. Junius BRUTUS, percuſſoris Cæſaris pater, quem tres de Jure Civili ſcripſiſſe libros, Cicer. *l.* 2. *de Oratore, c.* 55. autor eſt, Marianas partes ſecutus a Pompejo victus, profligatuſque eſt. Poſt mortem Syllæ, quum Lepidus Conſul bellum redintegrâſſet. Brutus, qui Galliam Ciſalpinam Lepidi nomine tenebat, à Pompejo Mutinæ obſidione clauditur, in quâ ſive ſponte, ſive animos militum mutatos cernens, ſuam militumque ſalutem Pompejo commiſit. Dimiſſus inde, quum ad Padum perveniſſet, poſtridiè per Geminium, Pompeji juſſu, interfectus eſt, non ſine ſugillatione Pompeji, ut qui perfidè & crudeliter illum occidiſſet. Cicero Brutum hunc non modo acutum oratorem, ſed etiam juris publici & privati peritum eſſe refert. Uxorem habuit Serviliam Catonis ſororem parum ſanè pudicam, ex qua filium M. Brutum, & 2. filias Junias ſuſcepit. Harum altera M. Lepidi Triumviri conjux, altera C. Caſſio nupta. Tacit. *l.* 3. *Annal. c.* 2. *l.* 4. *c.* 34.

M. Junius BRUTUS, vir ſummæ gravitatis; &, ſi unum ejus facinus excipias, quô ſe ſuoſque perdidit, cætera valdè bonus & laude dignus. Philoſophorum & Eruditorum aſſiduus ſectator, ipſemet *epitomen Annalium Fannii* compoſuit. Vide infrà. Contemptor divitiarum, Quæſturam in Galliis ſibi oblatam recuſavit. Exortô bellô civili Pompejum, quanquam patris interfectorem, quia partes illius juſtiores ſtatueret, ſequutus eſt. A' pugna Pharſalica non tantum conſervatus à Cæſare, verùm etiam inter amicos habitus, imo adoptatus ab ipſo, Galliam Ciſalpinam obtinuit, idque per tempus belli Africani. Poſt Cæſaris ex Hiſpania reditum, urbanâ præfecturâ ornatus, per Caſſium dolentem ſibi priorem locum denegatum, ſeductus, in Cæſaris necem conſpiravit, quâ patratâ, quum in urbe ſe tutò non fore videret, fugâ ſibi cum cæteris conjuratis conſuluit, nec multò pòſt comparatis exercitibus cum Caſſio in Philippis ab Antonio & Cæſare victus necem ſibi conſcivit, Stratonis amici ope ad id imploratâ, annos natus 40. Uxor illi fuit Porcia, Catonis avunculi filia, quæ morte mariti auditâ, ſimiliter mortem ſponte ſumſit. Amiciſſimus fuit Ciceroni, cujus nomine & *librum de claris Oratoribus* Tullius inſcripſit, qui eidem & alium *de perfecto Oratore* conſecravit; habenturque ejus ad Ciceronem, & hujus ad illum non paucæ *Epiſtolæ.* Vitam ejus conſcripſit *Plutarchus.* Hunc Cæſar inter conjuratores videns, à quibus interimeretur, filium nominavit, & fortaſſe verè, quando cum matre ejus Cæſar conſueverat. Scripſit hic Brutus *epitomas hiſtoriæ Fannii & Cœlii Antipatri.* Alia etiam ſcripſiſſe certum eſt. Nam librum ejus *de Officiis* Chariſius citat *l.* 1. & Priſcian. *l.* 6. Ac libri *de patientia* meminit Diomedes *l.* 1. Quô etiam librô teſtis adhibetur in laudatione Appii Claudii. *Suidas*, Βροῦτος, ἐγράψε Ῥωμαίων, ἐγγραφεν ἐπιτομὰς τῶν Πολυβίου ἱστοριῶν βιβλίων ἐκλογάς. Vide Liv. etiam *l.* 124. *brev.* Flor. *l.* 4. *c.* 1. & 7. Sueton. *in Cæſare & Aug. Dion. Appian. Velle. &c.*

D. Junius BRUTUS Albinus, & ipſe unus ex percuſſoribus Cæſaris, poſt pugnam Mutinenſem, quum perſequi vellet Antonium, deſertus a legionibus, Antonii juſſu cæſus eſt, quum eſſet Conſul deſignatus, & a Cæſare inter ſecundos hæredes adſcriptus.

BRUTUS, fil Sylvii, qui Aſcanii frater, Æneæque fil. occiſô patre in Græciam profugus, ibi plurimis Trojanorum in libertatem aſſertis, filiâque Regis Pandraſi ductâ, in Albionem venit, ibique regnum Britanniæ à ſe dictum fundavit. Si *Annalibus Angl.* fides. Certè Meſſala Corvinus, Dionyſius aliique de hoc Sylvii filio nihil ſciunt. Iidem *Annales* ſextum ab hoc Britanniæ Regem etiam Brutum nominant, eique 10. annor. regnum attribuunt. Polydor. Virg. *hiſt. Angl. l.* 1 Vide *Brythus.*

BRUTUS Petrus, vide *Petrus.*

BRUXELLA, urbecula Palatinatus Rheni, in ditione Epiſcopatus Spirenſis, ad amnem *Saltz.* Abeſt ea eſt uncale, Philippopolim uſque, à qua, ut & Rheno 2. leuc. diſtat. German. *Bruchſal.*

BRUXELLÆ, vulgò BRUSSELS, urbs Belgii, Brabantiæ præcipua; ſedes Principum olim, hodiè Gubernatoris Hiſpan. Sita eſt ad fluviolum *Sen* qui per canalem 5. leuc. in Scaldim ſe exonerat. Cluver. *l.* 2. Guicciardin. *in Belg.* ab Antverpia 8. leuc. in Auſtrum à Lovanio 4. in occidentem verſus Gandavum. longitud. 25. 46. latitud. 50. 50. *Baudrand.*

BRUXELLÆ, urbs ampla & culta, ad Senam amnem, partim in plano, partim in colle ſita, prope Sylvam *Soegne*, 2. leuc. à Vilevordia, 4. à Nivella; creſcit indies. Gall. *Bruxelles.*

BRUXELLANUS Henricus, vide *Henricus.*

BRUYS Petrus, in Provincia ex parte, Languedocia & Aquitania, Religionis à Latina diverſæ præco, Toloſæ minimis 20. ann docuit. Miſſam preceſque pro mortuis, aliaque verbo Dei contraria dogmata ſolidè è Scriptura refellens. Ob quæ, perſequutione ingruente, vivus exuſtus eſt, in S. Ægidii urbe. Ejus diſcipulus Henricus Monachus, majori fervore rem aggreſſus, Galliam ferè totam ſalutari doctrinâ implevit. Circa A. C. 1126. 1130. S. Bernard. *l.* 3. *c.* 5. *epiſt.* 240. 241. Serm. 66. *in Cantic.* Mornæus *in Myſter. Iniqu.*

BRUZZIÆ, pro Brugis, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BRYANIUM, urbs Theſprotiæ. *Steph.*

BRYAS, Argivorum contra Lacedæmonios dux. *Pauſan. l.* 2.

BRYAXIS, ſculptor marmorarius, Mauſolæum unà cùm aliis fecit. Plin. *l.* 36 *c.* 5. Pauſan. *in Attic.*, Τὰ δὲ Ἀσκληπιοῦ ἀγάλματα Βρυάξιος, καὶ τῆς Ὑγιείας ἐποίησε.

BRYAZON, amnis Aſiæ in Bithynia. Plin. *l.* 5. *c.* 32.

BRYCHUS, fluv. Peloponneſi, per Achajam, apud Pallenem oppid. in ſinum Corinthiac. influens.

BRYGES, Thraciæ populi *Steph.* qui poſteà *Phryges* dicti ſunt. Strabo *l.* 7.

BRYGI, Illyrici incolæ. Apollon. *Argon. l.* 4.

BRYGIANUM, vulgò BRACCIANO, oppid. Hetruriæ, vide *Arretium.*

BRYGIAS, vel BRYGION, urbs Macedoniæ. *Steph.* cujus etiam Plinius meminit, *l.* 4. *c.* 10.

—— Οἱ μὲν Ἰλύριοι,
Ἀγχοῦρίδα Βρυγοὶ ..... ἀλεγεινοί.

Ubi *Scholiaſtes*, Βρυγοί, ἔθνος Ἰλλυρίας.

BRYGIS, civitas quam Mardonius in ſuam poteſtatem redegit. Herodot. *l.* 6.

BRYGUS, Celtiberorum Rex.

BRYLLION, urbs in Propontide. *Steph.* quam Plin. *l.* 5. *c.* 32. ponit in Myſia non longè ab Aſcanio fluvio.

BRYON, Græcè Βρύον, item σπλάγχνον, & σφάγνον, Latinè *muſcus* ſeu lanuginis muſcoſæ flos, in avellanis vocatur ἴουλος in piceis κύτταρος, in lauru βοτρύδιον, in quercu propriè βρύον, ingenere βρύον vel κάχρυς, ut videre eſt, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 329. & *ſeqq.* Inprimis verò *Bryon odoratum* ſeu *myrepſicum* conſiderari meretur, quod inter aromata relatum, à D. Hieronymo *muſci nomine* indigitatur, Hermolaus *in Corollario ſuo* cenſet. Ita autem Hieronymus *adv. Jovinian. l.* 2. *Odores autem ſuavitas & diverſa thymiamata & amomum, & cyphi & œnanthe, & muſcus & peregrini muris pellicula.* Plinius *uvam populi albæ* vocat *l.* 12. *c.* 28. ubi ſpecies aromaticas, ex quibus unguenta conficiuntur, enumerans, *Eodem*, inquit, *& bryon pertinet, uva populi albæ, optima circa Cnidum aut Cariam in ſitientibus aut ſiccis aſperiſque, ſecunda in Lycia cedro. Eodem & œnanthe pertinet.* Non uſque adeo benè. In quibuſdam enim arboribus quidem βρύον vel τὸ βρυῶδες, inſtar habet uvæ, ut in lauro & alba fraxino, non tamen in omnibus. Adde, quòd intelligi non poſſit, quomodo uva populi albæ in cedro reperiatur. Ideoque de bryo cedrino locum hunc, ut & qui ejuſdem *libri c.* 23. occurrit, capit Salmaſius. Secundam palmam idem Plin. *c.* 28. dat bryo Cyprio, quod in piceis fortaſſe, quæ laudatiſſimæ in Cypro naſcebatur. Sed & quercinum bryon laudatum, ut apud *Dioſcoridem* videre eſt &c. Et quidem βρύον addi unguentis βαλανείοις traditum, ut & odoribus ad vaporandum, quæ θυμιάματα Græci appellant. Sed unguentis miſcebatur, non tam propter odorem (qui tantæ ſuavitatis non eſt) quàm propter στύψιν, nec per ſe unguentum faciebat, aut ſuffimentum, licèt ſuffimentis adderetur. Unde patet, apud Hieronymum *loc. cit. muſcum* non eſſe βρύον, ſed μόσχον, animal videl. gazellæ ſimile in regno Pegu & in Regno Anadiahæ ultra Gangem, è cujus ſanguine muſcus (odoramenti ſuaviſſimi genus) extrahitur, vide infrà; plura verò de *Bryo odorato*, apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 329.

p. 329. & 1028. ac ſeqq. Idem de Bryo Marino quod idem eſt cum fuco marino, agit p. 144 & ſeqq.

BRYORUM Litus. Cyrenaicæ regionis. Ptol. & Mela. l. 1. c. 7. Vide ſis illic Voſſium.

BRYSÆ, Thraciæ populi aliis Bryca.

BRYSANI, populi Scythiæ Septentrionalis contigui Indiæ Nomadibus, apud Plin. l. 6. c. 17. Ab Albanis gentes, Tyri & Tochari etiam Indorum Caſiri. Introrſus ad Scythas verſi humanis corporibus veſcuntur. Nomades quoque Indiæ vagantur. Sunt qui ab Aquilone contingi ab ipſis, & Cicones dixêre & Bryſanos. Ad quem locum vide Salmaſ. ad Solin. p. 990.

BRYSEA. vel BRYSEÆ, Laconiæ oppid. Pauſan. in Lacon.

BRYSEA, urbs Æoliæ, à qua Bacchus Bryſeus dictus eſt, ut quidam volunt, quod ibi coleretur. Alii tamen eum ſic dici volunt, ἀπὸ τοῦ βρύειν h. e. à ſcaturiendo, quoniam ex alvearibus mella, vel ex uvis muſta exprimere primus docuit. Nonnulli verò à byrſa, h. e. pelle, quam in bello induebat. Diodor. Sic. l. 5.

BRYSIÆ, urbs Elidis. Steph.

BRYSTACIA, urbs Oenotrorum. Steph. Epiſcopalis Calabriæ ſedes, hodie Bruttus, vel, Umbriatico. Urbs regni Neapolitani in Calabria citeriore ad Aretum amnem. Deficit index. Intra montes ſita eſt. Baudrand.

BRYTHUS Julius Dardanus (alii Brutum vocant) Æneæ Troj magni Latinorum Regis, ex Julio Sylvio, Aſcanii Regis filio, & Laviniæ nepos pronepos, utrumque parentem (quod Mathematici præſagierant) matrem in partu, ac in venatione patrem, invitus interemit. Ob id Italiâ per avum Aſcanium pulſus, in Leogræciam inſulam ſociis quibuſdam comitatus annô ætatis 26. abiit, ubi inter lacrymoſa ex tam infauſtis ſucceſſibus ſuſpiria, oraculum tandem à Diana Cynthia accepit, quòd eſſet nobiliſſimam extremi Occidui poſſeſſurus inſulam. His Brytus lætior factus cum 304. Trojanorum navibus fortiſſimoque duce Corineo, Albionem poſt novem annorum in terra marique labores feliciter intravit. Adeptus totius inſulæ regimen, obliteratô Albionis vocabulô, Brytannia nomen impoſuit annô à Mundi origine 2828. & ante Servatorem natum 1142. Obiit completô 24. ſui regiminis annô, ætatis verò 53. ſcilicet annô formati Adami 2852. & ante incarnatum Meſſiam 1118. Trenovanti, urbe à ſe conditâ, ſepultus. Vide Brutus.

BRYTTINA Byſſus, Græcè βρυττίνη ἀμοργὶς, in Cratini Malthacis, item Bryttinum ſtamen, βρυττίνην στύππην, à bryttio nomen habet, i. e. echino marino, qui villoſi erant & ob hanc rationem cum pinna conſtituuntur, à Juba & Plinio. Vide Salmaſ. apud Bochart. Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 45. & infrà, ubi de Pinna ac Pinnico.

BRYX, & BRYGÆ, gens Macedoniæ, Illyriis finitima. Steph.

BRZETISLAUS. Dux Bohemiæ, poſt patrem Micziſlaum, ab Imperatore Henrico III. tributarius redditus A.C. 1041. quotannis D. Marcas argenti, 120. boves pendere coactus eſt. Cosmas Bohem. Hiſtor.

BSIS, in nummo Vetranionis in aliis, PSIS. eſt, percuſſa Siſciæ. B Monetarii nota Car. du Freſne Diſſertatione de infer. ævi Numiſmatibus.

BTR, in nummo Criſpi, Treveris eſt, B. iisdem Monetariis index. Idem ibid.

BUAI, Libyæ populi apud quos vir exterius viris, mulier mulieribus imperat.

BUANA, Armeniæ majoris oppid. Ptol.

BUBA, Ptol. Buca Strab. Termole quibuſdam, urbe Frentanorum maritima in Aprutio, apud Apuliæ fines, apud oſtia Tiphernis fluv. Hiſtonio oppido proxima, ab eo 6. mill. paſſ. in Ortum diſtans.

BUBACENE, Aſiæ regio à Polyſperchonte in ditionem Alexandri M. redacta. Curt. l. 5. c. 12. l. 8. c. 5.

BUBACES, Spado Darii ultimi Perſarum Regis, inter proximos currum ejus ſequens, antequam vinciretur à Beſſo. Curt. l. 5. c. 12.

BUBAGANUS, Conſtantinopolitani Imperatores Dux ab Henrico II. Romano vexatus. Blondus. l. 3. c. 22

BUBALIA Pannonia, Sex. Aur. quæ & Sirmienſis, pars Pannoniæ inferior. in Hungaria, circa Sirmium, Lazio.

BUBALIDES, Græcè βουβαλίδες & βουβαλίδες, genus periſcelidis & ornamenti mulieb., apud eundem Salmaſ. ad Solin. p. 230.

in BUBALO victor, in veter. Inſcr. apud eundem, dicitur de celebri agitatore, qui quadrigâ ſuâ in ludis Circenſibus vicerat. Erat autem in ea Bubalus nomine, equus funalis ſiniſter, qui, quòd in eo præcipua victoriæ momentum eſſet, ſolus nominatur, veterum Scriptorum more. Sic in alia Inſcr. memoratur Fortunatus, in Tuſco victor: in alia, in Abigeio victor &c. Similiter Silius Italicus l. 16. ubi de ludis à Scipione in Africa celebratis, in quadriga Cycni ſolum Lampona, in Iberi ſolum Panchatem, in Atlantis Campaſium ſolum, nominat. Vide Salmaſ. ad Solin. p. 897. & infra in voce Funalis.

BUBALUS, vide Bupalus.

BUBALUS. Græcè βούβαλος, in Græca Verſione Deuteron. c. 14. v. 5. & 2. Regum c. 4. v. 23. non ſignificat, quod hodie, bovis ſylveſtris genus, ſed capræ potius; unde Heſychius δορκάδιον, i. e. capreolum, explicat. Alii tamen bubalum à caprea ſic diſtinguunt, ut appareat animal eſſe congener. Sic Herodot. l. 4. c. 192. Πύγαργοι καὶ δορκάδες καὶ βουβάλιες. Pygargi, dorcades & bubali. Et, ut alios omittam, Oppianus bubalum facit mediæ magnitudinis, inter dorcum ſeu capream & euryceroon, i. e. damam vulgarem latis cornibus: cùm ait,

> Βούβαλος αὖ ἐν τοῖσιν ...
> ... ἔρνεσι.

Unde videre eſt omnino bubalum olim fuiſſe in genere caprearum ſylveſtrium, mas. in commendatio eidem, Cynegetic. l. 2. ubi ait,

> Ὄμματα ...
> Oculis eſt ſplendidus, colore amabilis, aſpectu latus.

Poſteà, ad boves feros translatum nomen, errore vulgi, ſed pervuſitatô, quoque jam Plinii invaluerat ævo, vide eum l. 8. c. 15. & plura hanc in rem, apud Bochart. Hieroz. Part. prior. l. 3. c. 23. Poſteriore hâc notione vox occurrit, apud Philen, c. 29.

> Κτεινεῖ δὲ βουβάλους καὶ ταύρους λέων.
> Bubalum autem & taurum necabit leo.

Et Martialem l. ſpect. Epigr. 23. v. 4.

> Illi ceſſit atrox Bubalus, atque biſon &c.

Non tamen prorſus ratione caruiſſe videtur vulgus, cùm bobus, & inprimis uris Germanicis nomen hoc indidit. Βουβάλους enim Græci non tantum illud genus animalis, quod cervo vel capreæ ſimile in Africa gignitur, vocârunt, ſed etiam quidquid magnum & amplum eſſet, hoc eôdem nomine inſigniverunt. Heſych. βούβαλος, ... καὶ μέγα καὶ πολύ. Βούλιμον pro eodem dixere. Βούπαις, ὁ μέγας καὶ ... Sed & βούβαλον, pro magno poſuerunt. Hinc igitur genus illud bovis Germanici, ferocitate & formæ magnitudine præcipuum, βουβάλους ea Græci appellaverunt: qui Uri Germanicè nominabantur. Græcum Epigramma.

> ——— ——— καὶ βοὸς ἄγρ
> Ἀσκητὸν χρυσῷ ...
> ——— & bovis uri
> Elaboratum auro ſplendido cornu.

Cornua enim urorum, in regum olim menſis, poculorum vicem ſuſtinuiſſe, docet Solin. c. 20. Iſti porro, quos uros dicimus, in tantum cornua protenduntur, ut demta ob inſignem capacitatem, inter regias menſas potuum gerula fiant. Ad quem locum vide Salmaſ. ad Solin. p. 230. & 231.

BUBARES, civitas à Minucio capta An. Urb. Cond. 559.

BUBARIS, Amyntæ filiam uxorem duxit. Juſtin l. 7. c. 3.

BUBASSUS, regio Cariæ, Plin. l. 5. c. 28. in qua Bybaſſus urbs erat, Steph. ubi templum Dianæ ſpectabile. Inde Bubaſis patronym. Ovid. l. 9. Metam. v. 643.

> Bubaſides videre nurus.

BUBASTIACUM, Ægypti inferioris fluv. Ptol. Vide hic infrà.

BUBASTIACUS Amnis, ectrope eſt ab auctore flumine Nilo deducta, quæ poſteà alia atque alia ſubinde diverticula ſeu ramos generat, per diverſos exitus in mare ſe evolventia. Apud minus Delta enim, Bubaſtiacum fluvius dividitur in Buſiriticum, qui per Pathmiticum oſtium in mare exit, uti Ptol. habet, ... pro quo malè Phatniticum ſcribatur; apud Ammianum. Prope tertium deinde Delta, in alia duo ſe findit diverticula, quorum alterum per Athribin urbem effunditur in mare, alterum per oſtium Pineptimi dictum: quæ duo oſtia ψευδόστομα ſunt. Exit autem Bubaſtiacus amnis, ſeu diverticulum eſt fluv. Ἀγαθὸς Δαίμων, h. e. majoris fluvii ſeu majoris Nili partis, quæ per oſtium Heracleoticum ſeu Canopicum in mare exit. ipſe verò Bubaſtiacus, oſtio Peluſiaco evolvitur. Nempe Nilus, ceteram Ægyptum permeans, unicô alveô, ubi ad Delta venit, in duas partes ſcinditur ac duo flumina, quorum alterum Occidentem petit, alterum ad Orientem pergit. Pars quæ Occaſum petit, major eſt, ac veluti fluminis corpus, hinc μέγας ποταμός. ſed & Ἀγαθὸς Δαίμων Græcis, at in oſtio ipſo, quô in mare exit, Κανωβικὸς & Ἡρακλεωτικὸς dicta. Pars altera verò, quæ ad Orientem tendit, minor eſt, & ... cenſebatur, ac velut brachium ſeu ramus, è corpore fluminis majoris erumpens, ac ab oppido adjacente Βουβαστικὸς ποταμὸς dicebatur; cujus exitus in mare, Peluſiacum oſtium, ab urbe eodem cognomine, dictum eſt. Vide Salmaſ. ad Solin. p. 477. & ſeqq. Ex Bubaſtiaco porro flumine, canales ſeu foſſas tranſverſim ductas, junxiſſe inter ſe Thermutiacum, Athribiticum, Buſiriticum & Bubaſtiacum ipſum, & ... quadrantenus effeciſſe oræ maritimæ Ægypti, quæ baſin trigoni ſive Deltæ efficit, easque à Peluſiaco oſtio ad Canopicum, eiſque ex adverſo reſpondiſſe, tradit Ptol. quem vide, ut & Strabonem, ubi de Nilo agens ... Nili flumen. in Peluſiaco oſtio (ad quod Bubaſtiacus alveus currit) ponit, indeque ... illas fieri ait, uti in Canopico ...

BUBASTIS, quæ Græcè Ἄρτεμις, Diana, conſpicuum in urbe media cognomine, (de qua paulò pòſt) templum habebat, feſtumque frequentiſſimum, de quo utroque vide Herodot. l. 2. c. 137. Colebatur autem felis ſpecie, ſicut Jupiter arietis, Mercurius canis, Pan hirci, Unde Ægyptii ... Bubaſtim felem dicunt. Steph. & tantis felium cadavera in urbe Bubaſti ſepeliri conſueviſſe, tradit Herodot. l. 2. c. 67. Vide Diodor. Sic. l. 1. ubi de cauſis conſecrationis animalium, Ovid. Met. l. 5. fab. 5. Antonin. Liberalem in Typhone, 28. Lucianum ſtatim deinde de Sacrif. ad fin. & Marshamum, originem hujuſmodi commentorum accuratè indagantem Canone Chron. paſſim.

BUBASTIS, vel BUBASTUS, Ægypti inferioris civitas Epiſcopalis in plano poſita, ad Arabicum latus alvei,

> ——— Qua deviam pars maxima Nili
> Ad vada decurrit Pelusia Septimus amnis.

Lucan. l. 8. v. 465. In hac religioſiſſimè olim colebatur Iſis, quæ ab ea etiam Bubaſtis dicta Ovid. Met. l. 9. v. 689

—Cum

----- Cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubaſtis, variiſque coloribus Apis.

longitud. 63. 06. latitud. 30. 40. Hinc *Bubaſtia*, ſacra, quæ in honorem Iſidis quotannis celebrabantur, quorum, præterquam *Herodotum*, Gratius quoque meminit, *in Cynegetico*, v. 42.

Vix operata ſuo, ſacra ad Bubaſtia, lino
Veſtitur ſemper aſtivis turba Canopi

Pibeſeth Zieglero, *Azoth Joan. Leoni* dici videtur. Etiam *Hepheſtus* dicta olim, erat ad Nilum, extra Deltam, 30. mill. paſſ. à Peluſio in Auſtrum. *Baudrand.* Fuit olim hæc urbs, cùm, poſt Thebanorum Regum potentiam in Aſia collapſam, variæ in Ægypto tumultuæ Dominationes exortæ eſſent, peculiaris Regni caput & ſedis, quod primus excitaverat Seſonchis, quem vide. Sub Sabacone deìn Æthiope, in Ægypto per 50. annos dominante, qui Capitalium facinorum reos non addixerat morti, ſed aggeribus, eò modò *urbes, maximè Bubaſtis, ſublimiores factæ ſunt, quam pridem à Seſoſtre*, Herodot. *l.* 2. *c.* 137. Cæterùm Nomi, Calaſiriis adſignati, caput fuerat, unde regni occaſio, vide ubi de *Calaſiriis*, *Dodecarchia* Ægyptiorum, alibique paſſim, item paulo ſuprà: ut & voce *Bochus*.

BUBASUS, Cariæ regio, cujus mulieres Ovidio *l.* 9. *Met.* v. 643. *Bubaſides*:

Bubaſides videre nurus,

Vide *Bubaſſus*.

BUBEI, Africæ interioris populi à Corn. Balbo ſuperati. Plin. *l.* 5. *c.* 5.

BUBENTENI, Campaniæ populi Corſolanis vicini. Plin. *l.* 3. *c.* 5 lege *Bubetani*.

BUBESIAS Sinus, in Caria. Mela. *l.* 1. *c.* 16. Ita libri & rectè: oppid. enim, unde hic ſinus dictus eſt, Βυβασσὸς Iones vocabant, non Βυβασσός. Herodotus tamen Doricè id vocabulum extulit *l.* 1. Βυβασσίης enim ibi legendum, non Βυβλεσίης. Nequè enim ulla uſquam eſt Byblesia Cherſoneſus; Sed Βυβασσίη χερσόνησος eſt illa, quam Plin. *l.* 5. *c.* 28. vocat *Bubaſſium regionem*. Urbs enim eſt, & regio, & ſinus & peninſula. Is. Voſſ. *in Mela loc.*

BUBIDA, fluvius Hiberniæ. *Ptol.*

BUBIEMUM, ut *Rhenanus*, *Aventinus* & alii apud Strabonem *l.* 7. ubi vulgò Βουίαιμον habetur; at in veter. libr. teſte Caſaubono, Βουίαιμον. Hanc Strabo ponit, in Silva Hercynia & Marobodui regiam vocat. *Aventinus* ſcribit *Bubienum* à Maroboduo *Marobodum* appellatum. Et ſibi conſtare ex diligentiſſimâ ſegmentorum & partium obſervatione, *Bubienum* Strabonis & *Marobodum* Ptolemæi eam eſſe civitatem, quam hodie *Pragam* vocamus, regni Bohemiæ urbem primariam. *Chriſtoph. Pyramus* tamen, Pragam *Caſurgim* Ptolemæi vult. Et *Lazius* docet, *Marobodum* Ptolemæi eſſe oppidum in eadem Bohemia, quod noſtrâ ætate *Budweis* appellant. Vide *Marodunum*.

BUBLIO, vulgò BULIO, meliùs *Bullio*, Gall. *Bouillon*, caſtrum in ſilva Arduenna, nunc magna ex parte dirutum, caput Ducatus eſt, ad Eccleſiam Leodicenſem pertinentis. Hoc Godefridus, Dux Lotharienſium, qui poſteà Rex Hieroſolymorum fuit, in literis datis A. C. 1094. caſtrum *Bulonium* appellavit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & in voce *Bullio*.

BUBO, vel BUBON, Lydorum urbs in mediterraneis ſita. Plin. *l.* 5. *c.* 27. Strabo verò *l.* 13. Lyciæ urbem eſſe ait, in qua creta naſcitur. Hanc *Stephanus* Balbaræ conjungit, quas ait à *Bubone* & *Balburo* latronibus eſſe conditas.

BUBOICIUS, vide *Johannes Nicolaus*.

BUBONA, Dea boum ab antiquis culta. Cœl Rhodig. *l.* 21. *c.* 54.

BUBUA, Inſul. Dalmatiæ, *Ammiano*, & *Peuting.* Boas, nunc *Bua* dicta, Tragurio ponte juncta, *Joh. Luc.*

BUBULA, cum aliis Cyrenes urbibus Plinio commemoratur *l.* 5. *c.* 5.

BUBULA, vel BULBULA, vulgò *la Bouble*, fluv. Galliæ, qui Montem-Acutum in Combralia, *Montegu en Combraille*; Cantiliam Villam, *Chantelle la Ville*; Cantiliam Caſtellum, *Chantelle le Chaſtel*, pagi Epiſcopatuſque Bituricì caſtrum, in confinio Arvernorum ac Biturigum poſitum, præterlabitur, & apud Martilliacum *Martilly*, decurrit in Sicaulam, *Sioule*, Arvernorum fluvium. Hadr. Valeſ. in voce *Sicaula*.

BUBULA, vide ſuprà in voce *Bikkoreth*, item *Boum caro*, & infrà, *Caſtiphori*.

BUBULÆ, vulgò BULLES, vicus Galliæ, in Bellovacis, olim in literis A. C. 1075. memoratus. Hadr. Valeſ. in voce *Bellovaci*.

BUBULCI, jam Siracidis ætate contemtui habiti, vide Eccleſiaſtic. *c.* 38. *v.* 26. unde nihil mirum, quòd in Theocriti *Bucoliſco* Eunica puella bubulcum hôc ſermone repellat,

----- ----- Ἔρρ' ἀπ' ἐμεῖο.
Βουκόλος ὢν ἐθέλεις με κύσαι, τάλαν; οὐ μεμάθηκα
Ἀγροίκως φιλέειν.
----- ----- Abi à me in malam rem:
Bubulcus cùm ſis, vis me oſculari, miſer? Non didici
More ruſtico oſculari.

Et poſt multa hujuſmodi,

----- ----- τρὶς εἰς ἑὸν ἔπτυσε κόλπον,
ter in ſinum ſuum deſpuit,

ut *Idyll.* 27. pari faſtidiò puella, quam oſculatus fuerat Daphnis bubulcus.

Τὸ στόμα μευ πλύνω, καὶ ἀποπτύω τὸ φίλαμα,
Καλόν τοι δαμάλας φιλέειν, οὐκ ἄζυγα κούραν.
Os meum lavo & oſculum deſpuo
decet te vitulas oſculari, non innuptam puellam.

Sed apud priores mortales longè aliam ſortem habuit: tum enim boum curam non dedignabantur Principes Viri. Hinc apud Homer. *Il.* ζ. v. 424. Ciliciorum Regis filia, Andromache, Achillem ſeptem fratres ſuos interfeciſſe queritur,

Βουσὶν ἐπ' εἰλιπόδεσσι,
Apud boves curvis pedibus.

In quem locum *Euſtathius*, Βουκολοῦντες, inquit, παλαιῷ ἔθει καὶ ἐπὶ ποιμαίνοντες, ἔπεσον ὑπὸ τῷ Ἀχιλλεῖ, *Illi boves & oves veteri more paſcentes, ſub Achille ceciderunt*. Et *Il.* υ. v. 91. Æneas ſe jam anteà cum Achille congreſſum eſſe narrat,

Ἐξ Ἴδης ὅτε βουσὶν ἐπήλυθεν ἡμετέρῃσι.
Cum ex Ida boves invaſit noſtros;

quibus ſcil. ipſe cuſtos aderat. Sic *Il.* φ. Phœbus; & in Theocriti *carm. cit.* Bacchus, Adonis, Endymion, alii hanc artem exercuiſſe memorantur, &c. In Sacris, Judic. *c.* 3. *v.* 31 Samgar celebris eſt, qui ſtimulò boum ſexcentos Philiſtæos percuſſiſſe legitur. Quod an ſolus fecerit, an tumultuariâ ruſticorum turmâ coactâ, cujus ducem ſe præſtiterit, non definit Scriptura. Utut ſit, id notabile eſt, quòd non aliò telò, quàm quale *Bubulci* manibus verſant, viros egregiè armatos non ſolùm aggreſſus ſit, ſed & fregerit. Sic Lycurgum, non aliò telò armatum, circa Nyſam, Bacchi copias & ejus nutrices fugâſſe, legimus *Il.* ζ. v. 134.

Θύσθλα χαμαὶ κατέχευαν, ὑπ' ἀνδροφόνοιο Λυκούργου
Θεινόμεναι βουπλῆγι.
Thyrſos in terram projecerunt, ab homicida Lycurgo
Percuſſæ boum ſtimulò.

Quam pugnam cùm ἐγγὺς Καρμήλοιο, *prope Carmelum*, montem in Judæa notiſſimum, contigiſſe dicat Nonnus *Dionyſiac. l.* 20. non improbabilis eſt Bocharti conjectura, ex Samgaris Hiſtoriâ hauſiſſe Poëtas, quod fabulæ de Lycurgo inſarcient. Nec omittendum, Chriſtum è cœlis Hebraicè Saulum alloquentem, inter cætera dixiſſe, *Durum eſt tibi contra ſtimulos calcitrare*, Actor. *c.* 9. *v.* 5. Quod proverbium, à bobus refractariis ſtimuliſque *Bubulcorum* ſumtum, cùm Græci Romanique Scriptores paſſim uſurpent, Æſchylus in *Agamemn.* v. 1620. & in *Prometheo vincto*, v. 321. Euripides in *Bacchis* v. 793. Pindarus *Pythior.* Od. 2. Terentius in *Phormione*, *Actu.* 1. *ſc.* 2. v. 28. Plautus in *Truculento*, *Actu.* 4. *ſc.* 2. v. 55. Videri poſſet ab illis Chriſtus id depromſiſſe: ſed hoc eſſet fontem limpidiſſimum ex rivulis lacunoſis derivare. Certè jam in Moſe, qui Æſchylum & Pindarum mille circiter præceſſit annis, legimus Deuter. *c.* 32. *v.* 15. *Saginatus eſt rectus & recalcitravit*, nempe in Legis ſtimulos, quibus ad officium urgemur, &c. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 39. & infrà *Stimulus*.

BUBULCUS, vide *Bajus*.

BUBULUM Lorum, vide ſuprà *Bikkoreth*, & infrà *Marragina*, it. *Nervi* & *Taurea*.

BUBULUM Muſcarium, vide infrà *Muſcarium*.

BUCA, oppid. Ferentanorum, in quarta Italiæ regione quod Plin. perperam, inter Hiſtonium & Ortonam, ponit *l.* 3. *c.* 12. Rectiùs *Ptol.* Τιφέρνου ποταμοῦ ἐκβολαί, Βοῦκα, Ἱστόνιον. Vide Cluver. *Ital. Ant.* p. 1207. Dicitur aliàs *Buba*, quibuſdam eſt *Marozzo*, vicus in ora littorali Aprutii citerioris prope oſtia fluv. Trinii. Aliis eſt *Termole*, Civitas Capitanatæ provinc. in ora maris Adriatici prope oſtia Tipherni fluv. 25. milliar. ab Auxano in ortum. *Baudrand.*

BUCCÆ, apud Juvenalem, *Sat.* 3. v. 55.

----- ----- Notaque per oppida buccæ

Et, *Sat.* 11. v. 34.

Mævius & Matho buccæ!

in veterib. *Gloſſis Buccones*, ſunt ſcurræ vel paraſiti, qui alienâ buccâ, h. e. quadrâ, vivunt. Græci ψωμοκόλακας ab eadem voce appellant. Eſt autem *bucca* vel *buccea*, fruſtum panis vel panis: unde *Buccella* & *buccellatum*, panis ſex unciarum. Certè *bucceas panis* Sueton. in *Aug. c.* 76. vocat, quos Græci βλωμούς, unde βλωμιαῖοι ἄρτοι *quadrati panes* apud *Athenæum*. Vide Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Tacit. c.* 11. & infrà, ubi de *Buccellarus*.

BUCCAFERÆJUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

BUCCEA, vide infrà *Buccella*, it. *Quadra* & *Tridacria*.

BUCCEA VIA, in *Epiſt.* Comitis S. Pauli de prima expugn. Conſtantinop. apud Godefridum Monachum, Fretum Abydenum denotat, voce conflatâ ex *bucca* ſeu *os*, & *Avie* ſeu *Avidus*, vel *Abydus*, quaſi *Os*, h. e. oſtium *Abydi*. Vocem enim *Bucca* vel *Buccea*, pro oſtio fluminis, uſurpari recentioribus, Pergaminus docet in voce *Bocca*, Gallicè *Boche d'Avie* vocatur, uti videre eſt apud Vilharduinum *num.* 65. & in *Hiſtor.* Bucicaldi Mareſcalli Franciæ *Parte* 1. *c.* 4. Vide *Notas* Caroli du Freſne *ad Vilharduinum*, & eundem in *Gloſſar.*

BUCCELLA, Græcè ψωμίον, memoratur *l.* 5. *Cod. Theodoſ. de Annona civico*, *Civis Romanus, qui in viginti partibus ſordidis ----- 50. uncias comparabat, triginta & ſex uncias in* buccellis *ſex mundis ſine pretio conſequatur*: ubi *buccellæ* dicuntur panes parvuli rotundi, ſeu παξαμάτου ψωμία, uti βουκελλάτα interpretatur Conſtantinus Porphyrogenitus, *l.* 1. περὶ Στρατῶν. Vide quoque infrà *Paxamates*, it. *Buccellatum*. Atque hinc *Buccellarii*, de quibus mox. Sed & in Eccleſia vox uſurpata eſt, ut apparet ex *Capitulis* Caroli M. *l.* 6. *c.* 191. *Ut Sacerdotes admoneant viros ac mulieres, ut ad Baſilicas luminaria & incenſum, &* buccellas *& primitias offerant.* Quibus paria habent Capit. Herardi Archiepiſc. Turon: *c.* 114. ubi voce hâc denotantur *oblatæ* panis, quæ Eccleſiæ ejus ævi conſuetudine, ad uſum Eucharìſtiæ, à

populo fideli, ad M[illegible] Domini offerebantur: quas ad imaginem nummorum & ad tenuiſſimam leviſſimamque formam, à veri panis ſpecie alienam, fuiſſe jam ſuô ævô redactas, conqueritur. Bernoldus Presbyter Conſtantienſis *in Expoſit. Ordinis Rom.* In modum namque denarii iſtiuſmodi panem formari cæpiſſe, ipſe quoque docet Honorius Auguſtodunenſis *l.* 1. &c. Tertullian. *de Monogam.* ſic panes vocat, quos Eccleſiæ Miniſtri mulieribus domum dabant perferendas. Græci verò Conſtantinopolitani Βουκκέλλιον appellabant *buccellam vino intinctam*, ſeu ſacram Euchariſtiam, vel panem Euchariſticum intinctum, ut eſt apud Auctorem libri *Miraculor.* SS. Coſmæ & Damiani c. 10. &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà paſſim, inprimis ubi de *Pane, Pane Fracto*, item de *Eulogiis*, nec non in voce *Nebula.*

BUCCELLARIUS, recentioris ævi Scriptoribus dictus eſt, qui priori ætate *Scurra*, *corpore Cuſtos*, *Domeſticus*, *Protector Principis*, *Adſecula*, *Agaſo*; Græciſque ὁ παραμένων, qui ſemper ſtat ad Domini juſſa paratus nec ab ejus latere abſiſtit, appellatus eſt. Sic, cùm in veterib. *Chronicis* legimus, ab Aetii *buccellario* Valentinianum interfectum eſſe, ejuſdem ſatelles vel armiger intelligendus eſt; uti diſertè Marcellin. in *Chronico* vocat. Idacius in *Chron. familiarem* dicit. Sic autem ſatellites vel armigeri alicujus Principis vel Magnatis, & familiares ipſius vel domeſtici vel contubernales, appellati ſunt; quòd non magis ab latere dominorum ſuorum diſcederent, quàm paraſiti illi veri & adſeculæ, ab eorum, quorum menſas ſectabantur. Hinc illi paraſiti dominos vocabant & Reges, quos ventris gratiâ adſectabantur: unde & *ſcurræ* ac *Buccellarii* appellati ſunt cuſtodes corporis Imperatorum vel ſatellites & armigeri Magnatum, qui eos adſectabantur & eorum latera tuebantur, vide ſuprà in voce *Bucca.* Βουκελλάριοι dicuntur *l.* 60. *Baſilicon tit.* 18. [illegible Greek] Immediatè *Buccellarios* hoc unà cum Spathariis, ambulante exercitu, Imperatorem ſubſequi jubet Mauritius *Strateg. l.* 2. *c.* 9. Sed & ſic dictos vult Conſtantinus Porphyrogenitus, περὶ θεμάτων *c.* 6. qui militibus panes miniſtrabant: [illegible Greek] *Quòd ſequerentur milites & panes illis ſuppeditarent.* Buccellarius *enim Romanorum dialectô, cuſtos panis appellatur.* Certè Olympiodorus, apud Photium hoc modò ait, nomen *Buccellariorum* ſub Honorio Aug. primùm auditum, ſed & *Buccellarios*, à *buccellato*, de qua voce vide infrà, fuiſſe nuncupatos. Verùm licet *Buccella* panis eſt, *Cellarius* autem ὁ φύλαξ, non propterea θέμα Βουκελλαρίων inde dictum, quòd panarii illi cuſtodes & cellarii exercitum ſequerentur; ſed *Buccellarii* ipſi milites appellati ſunt, uti dictum, à quibus præfectura ſive provincia *Buccellariorum*, ut θέμα Θρακησίων, *præfectura Thraceſium*, à Thracibus vel Thraceſiſibus auxiliaris, qui eam provinciam prætenturis ſuis & præſidiis tuebantur, nomen habuit. Sicuti verò θέμα, tertium Imperii Conſtantinopolitani in Aſia minore Θρακησίων, ita θέμα ſextum Βουκελλαρίων fuit. Certè inter vexillationes Comitatenſes, quæ ſub diſpoſitione Magiſtri Militum Orientis militabant, *Buccellarios juniores*, nominat vetus *Notitia* Imperii: Qui equites omnino erant, de his enim propriè vexillationes dicebantur. *Buccellarii* igitur militum genus fuêre &c. Ab his Βουκελλαρίων θέμα vocatum, quod Maryandinem & Galatiæ partem complectebatur: unde ſub extrema Græcia voce hâc inſigniti ſunt Galatæ & Maryandini, quod milites *Buccellarii* olim in ea regione tuenda excubarent, in præſidiis locati. *Lexicon* Gr. *MS.* Reg. apud Carolum du Freſne in *Gloſſar.* [illegible Greek], *Gallo-Græcia* Buccellariorum *regio: Iidem & Græco-Galli ſcribuntur & nominantur.* Cedrenus eorum provinciam Βουκελλάριον vocat: occurritque paſſim *Thema Buccellariorum*, apud Suidam & Conſtantinum *loc. cit.* pro eadem, uti docent Rigaltius & Meurſius, vide quoque Salmaſ. *Notis ad Hiſtor. Aug. paſſim*, inprimis *ad Vitam Alexandri Severi*, *c.* 61. nec non *Exercitat. Plin. ad Solinum* p. 807. & 808. Nec omittendum, apud Papiam, in *LL.* Wiſigothorum *l.* 5. *tit.* 3. §. 1. & Anaſtaſium in *Zacharia Pontif. Buccellarios* vocari in genere, clientes, vernas, adſeclas, domeſticos, quòd patroni *Buccellam*, hoc eſt, panem edant, de quo jam tamen aliquid ſuprà prædictum. Adde Auctoribus laudatis Macros Fratres in *Hierolex.*

BUCCELLATUM & BUCCELLUM, idem cum *buccella*, de quo paulo antè, panis dictus eſt in modum circuli, ſeu, uti Vopiſcus ait in *Aureliano*, *c.* 35. in formam *coronæ* factus. Hic enim, cùm ad bellum Orientale profectus bilibres coronas populo, ſi victor rediret, promiſiſſet, aureaſque propterea populus ſperaret, *coronas fecit de panibus ſiligineis & ſingulis quibuſque donavit.* Cujuſmodi civiles panes *buccellas* vocatas eſſe, teſtimonio eſt *l. Valentiniani Cod. Theodoſ. de annonis civ. & pan. grad.* Græci recentiores ψωμία, appellant, ut videre eſt in *Chron.* Alexand. Et quidem *buccellæ*, quæ populo quotidie dividebantur, à temporibus Aureliani ferè intra ſex uncias ſtetêre, ſolebantque quotidie ſex iſtiuſmodi panes popularibus diſtribui. Ejuſdem ponderis panis militaris ſeu *buccellatum* erat, ut & panes paxamates, quos proin cum *buccellis* eoſdem facit Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. loc. cit.* Vide ſuprà, ubi de *Annona*, & infrà ubi de *Pane gradili.* Propriè igitur *Buccellatum* panis eſt militaris, *ad uſum diuturnitatem excoctus*, uti ait Marcellin. *l.* 17. atque ita vox paſſim uſurpatur, apud Spartian. in *Peſcennio*, Paulinum *Ep.* 36. Palladium *Hiſtor. Lauſiac. c.* 20. Alios. Sic dictus quibuſdam, quòd milites, cùm ciborum aut panis penuriâ laborarent, confractum & in minutiores partes diſſectum in lagenam, aquâ plenam, quam *buccellam* appellabant, mitterent, quò madeſieret, & faciliùs manducaretur; ita enim Heraclides *c.* 6. *Contractum atque in partes redactum modicas* Buccellatum *in lagenas miſit.* Niſi à *buccella* deductum vocabulum, magis arrideat. Tenuem fuiſſe panem, docet *Lexicon* Græc. MS. apud Car. du Freſne, [illegible Greek]. Quò modò uſurpatum ab Italis refert Ammiratus, in *Famillis Neapolit. Tom.* 1. p. 55. &c. Vide *l.* 1. *Cod. de Erog. milit. annon.* Mauricium, alioſque, Rigaltio, Meurſio, Jac. Gothofredo, Henrico Valeſio, præfato Car. du Freſne in *Gloſſar.* & Joh. Calvino *Lexic. Jurid.* laudatos; ut & infrà aliquid, voce *Piſtor.* it. *Siccus panis.*

BUCCIALDUS, vide *Boucicaldus.*

BUCCINA, Feſto *l.* 2. eſt cornu recurvum, quod more tubæ inflatur. Ovid. *l.* 1. *Met. v.* 335.

> ——— ——— Cava buccina *ſumitur illi,*
> *Tortilis in latum,* ——— ———

Unde Heraldus ad *Arnob. l.* 6. *Buccina tortuoſa eſt, ac in ſemet ipſam ærea circuli flectitur ac differt à directa tuba, ut docet Vegetius de re milit. l.* 3. *c.* 5. Στρογγύλη σάλπιγξ *Græcorum.* Hæ Veterib. non ex arietum, ut quidam volunt, ſed boum, cornibus erant. Varro de *L. L. l* 4. *Cornua dicta, quòd ea, quæ nunc ſunt ex ære, tunc ſiebant ex bubulo cornu.* Dionyſ. Halicarn. *l.* 2. [illegible Greek], *Plebejos miniſtri quidam bubulis cornibus buccinantes ad concionem convocabant*, &c. Solus Servius ex capræ cornu fieri conſueviſſe, aſſerere videtur, ad *Æn. l.* 7. *v.* 518. Sed de tuba vel *buccina* ex cornu arietino, apud veteres Græcos, & Romanos nulla eſt mentio. Itaque cum dicitur, Pſalmo 98. *v.* 6. *Tubis & ſonô cornu clangite coram Rege Domino*: cornu non aliud, quàm bubulum, intelligendum. Ut neque in his Joſuæ *c.* 6. *v.* 5. *Cum tractu ſonabitur ſono jobel*, ſeu *jubilationis*: & 1. Paralip. *c.* 25. *v.* 5. ubi filii Heman à Deo conſtituuntur *ad attollendum cornu*, i. e. ut ſtatis temporibus corneis tubis altâ voce buccinent, &c. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 32. Canebant autem *buccinâ* Romani in exercitu, in præconiis publicis & cùm in milites animadverteretur, ut ex Vegetio liquet *l.* 2. *c.* 22. De uſu ejus apud Hebræos alibi. Vide Briſſonium laudatum Johanni Calvino *Lexic. Jurid.* Deorum marinorum *Buccinatores* & Tubicines, Tritonas finxêre Poëtæ. Vide Barthium *Animadverſion. ad Statium Achilleid. l.* 1. *v* 34. & *Notis ad Claudian. Epithalam. Honorii.* Cujuſmodi *Buccinicinum* par viſendum ſecundùm Veterum monumenta, olim dedit Mariangelus Accurſius in *Diatribarum* ſuarum frontiſpicio. Vide quoque infrà in voce *Triton.*

BUCCINATOR Nominum, dictus eſt apud Romanos olim, ſervus publicus, qui præconem comitabatur. Ejus mentio Romæ viâ Salariâ: L. VOLUSIO. URBANO. NOMENCLATORI. PRÆTORI. PAPIAS. SERVOS. PUBLICUS. BUCCINATOR. NOMINUM. Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, & infrà, ubi de *Nomenclatore*, ut de *Præcone.*

BUCCINUM, conchylii genus, unum è tribus, è quibus purpura olim eliciebatur. Plin. *l.* 9. *c.* 40. *Pretia medicamenti ſunt quidem pro fertilitate littorum viliora: non tamen uſquam Pelagii centenas libras quinquagenos nummos excedere*, & buccini *centenos ſciant, qui iſta mercantur immenſô.* Sic libræ ſingulæ *pelagii* (à pelagiis purpuris, quæ in ſinibus longè à littoribus degunt) quinque nummis, *buccini* (quod à buccinis, petris tantùm adhæreſcentibus & circa ſcopulos legi ſoliti) nummo uno exponebantur. Hinc *Buccinum*, quod fucum remitteret, ſolum ac per ſe damnatum (longeque proin vilius *purpurâ* propriè dictâ) pelagio miſcebatur. Idem *c.* 38. *Buccinum per ſe damnatur* —— *pelagio admotum alligatur, nimiæque ejus nigritiæ dat auſteritatem illam, nitoremque qui quæritur cocci.* Ubi *nigritiam* tribuit pelagiis, ſicut Ariſtoteles *florem nigricantem*: cùm *buccina*, uti & purpuræ littorales, dilutiore flore cenſerentur. Quemadmodum *conchyliis* in ſpecie ſic dictis (quæ à purpuris paſſim diſtinguit Plinius) inter purpureum & cœruleum, medium tribuunt colorem Scriptores, qualis in purpuriſſo Indico cernitur. Unde Hebræorum *thecheleth* de conchylio, *argaman* autem de purpura propriè dicta exponit Bochart. Vide infrà. *Buccinorum* porro ſeu muricum, ut & pinnarum, capillitium μήκων dicebatur Græcis, unde & μήκωνες, veſtes byſſinæ. Sed & ſic dicebatur pars concharum media, ſicut anterior τράχηλος, quæ ambo in buccinis eſui fuiſſe, docet *Athenæus*: in eorumdem medio florem ſucci hærere Ariſtoteles vult, in mediis faucibus *Plinius.* [illegible Greek] autem dicta eſt pars alvi, quâ petris adhæreſcunt. Vide Salmaſ. *ad Solinum p.* 1126. *& ſeqq.* Nominis rationem idem exponit Plin. *c.* 36. d. *l. Buccinum minor concha, ad ſimilitudinem ejus buccini, quô ſonus editur: unde & cauſa nominis, rotunditate oris in margine inciſâ. Alterum genus purpura* —— *clavatum eſt ad turbinem uſque aculeis in orbem ſeptenis ferè, qui non ſunt buccino, ſed utriſque orbes totidem, quot habeant annos.* Georgius de Sepibus *Buccinas* ſeu *Pinnas*, ſeu *Papiliones*, quod oſtraceum genus, tenui, ſed duro exuviô, extrinſecùs aſperô, intrinſecùs terſum & aliquando rubeſcens rupibus marinis adhæret, ac lanugine quâdam, humiditatis attrahente maximâ vi, præditum eſt, magnô numerô aſſervari, in Muſæo Kircheriano Romæ, docet in *Deſcriptione ejus p.* 28.

BUCCULA, apud Livium, *galeas bucculaſque tegunt*, Hadriano Turnebo *Adverſar. l.* 9. *c.* 16. caſſidis pars eſt, quæ demiſſa buccam tegit: Carolo verò du Freſne umbo clypei, ſeu ſcuti pars eminentior & media. *Gloſſar. Græco-Lat.* [illegible Greek], ὀμφαλός. Item ὀμφαλὸς ἀσπίδος; per ſynecdoch. ipſe clypeus. Unde Juvenalis tropæi apparatum deſcribens *Sat.* 10. *v.* 133.

> *Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis,*
> *Lorica, & fracta de caſſide* buccula *pendens,*
> *Et curtum temone jugum, victæque triremis*
> *Aplustre, & ſummo triſtis captivus in arcu.*

Nam inter *ſpolia, quæ belli erepta clypeis ſolebant affigi*, ut ait Scholiaſtes, clypeus omnino recenſeri debuit, uti paſſim vetera monumenta & numiſmata ſatis evincunt, in quibus tropæa, ubi &

ſcuta

ſcuta ac clypei à caſſidibus dependent, vel certè iis ſubeſſe ſolent, efficta conſpiciuntur. Unde eſt, quòd *Buccula* à caſſidibus non ſemel diſtinguantur, ut diverſæ, inter alia *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Fabric. Occo apud Antiochiam caſſides, totidemque bucculas* &c. Ex Capitolin. in *Maximino Jun. c.* 3. *Fecit & ſpathas argenteas, fecit & aureas, fecit & galeas gemmatas, fecit & bucculas*, h.e. clypeos. Proinde *Bucculatum* ſtructores, apud Paternum in *l. ult. D. de Jure immun.* ſunt clypeorum confectores. Imò cùm parte averſâ clypeus brachio militis infereretur, inde quibuſvis fibulis, apud Gallos, etiamnum *Boucle*: & ab hac clypei parte, toti clypeo, *Bouclier* nomen manet, &c. Ratio nominis, quòd in umbone, uti paſſim veter. monumenta repræſentant, effingi conſuevêre ut plurimùm vultus aut facies viri vel animantis, cujus *bucula* ſeu os (ita enim apud *Suetonium* & *Appulejum* vox ſumitur) medium obtinebat. Vide præfatum Car. du Freſne in *Gloſſar.* Locus Livii ſic habet, *l.* 44. *c.* 34. *Neminem totis mox caſtris quietum videres, acuere alii gladios, alii galeas bucculaſque, ſcuta alii loricaſque tergere*, &c. Ubi *Godelev.* tamen, *Turnebo* aſſentitur, *bucculas* caſſidis partem, per quam mittitur ſpiritus, ita dictas, quòd *buccam* tegant, eſſe contendens, *Notis ad Livium.*

de BUCELLA Rodolphus, vide *Rodolphum.*

BUCELLARII, Græcè Βουκελλάριοι, in *Conſtit. Leonis & Anthemii Impp. l. fin. Cod ad l. Jul. de pub. Suida* ſunt Ἐπιλεγόμενοι, *Gallo-Græci*, *Alciato* Equites in exercitu Romano, quibus Magiſter Militum per Orientem præerat, in *Juniores* & *Seniores* diviſi, quos exiſtimari poſſe ſcribit, poſtquam miſſionem accepiſſent, latrocinari & raptô vivere conſuevisse. Niſi fortaſſe gentis id vitium fuit, quos prorſus *latrones* interpretatur Albericus. Turnebo *Adv. l.* 24. *c.* 16. armati zabis fuêre (h. e. loricis prope talaribus) & manicis ferreis, contati quidam & ſagittiferi: quos magno in honore fuiſſe, eo quòd in agmine ante Imperatorem equitarent, & pôſt ſequerentur; addit Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* Vide ſuprà in voce *Buccellarius*

BUCELLARIUS, Wiſigothis & Hiſpanis Vaſallum notat, qui in alterius patrocinio eſt. Propriè is olim, cui patronus *buccellas*, i.e. menſam præbuit. *Gloſſ. Nomicum*, Βουκελλάριος, ὁ ἐπιστάμενος, καὶ ... Βουκελλάριος ὁ ... Wiſigoth. *leg.* 1. *l.* 5. *tit.* 2. hâc voce depingitur miles feodalis antiquus, hodie in Anglia dictus *Tenens per ſervitium militare*: cui & bene convenit armaturæ genus, quod è Maurino, auctore Græcô, refert Turnebus *Adverſar. l.* 24. *c.* 16 Scilicet, *Buccellarios fuiſſe equites armatos Zabis, i.e. armatura loricarum prope talarium, manicis ferreis & contatos quoſdam.* Idem addit & *ſagittarios*: ubi loquitur de certo quodam *Buccellariorum* ordine, magnô tunc honore, quòd in agmine ante Imperatorem exercitus equitarent, & poſt ſequerentur: patriâ, ut *Suidas* indicat, Gallogræci. Gregor. Turon. *Hiſt. l.* 2. *c.* 8. *Dum Valentinianus Imperator concionaretur ad populum, Occylla buccellarius, Ætii, ex adverſo veniens, eum gladio perfodit.* Albericus *Buccellarios* interpretatur latrones, fortè, vel quòd acceptâ miſſione à Magiſtro militum in Oriente, latrocinari iis licuit, & ex rapto vivere: vel quòd gentis vitium hoc eſſet. *Gloſſæ* Iſidori pro *Scurra* ponunt. Gallicum *Bachelier*, & Latinum *Baccalarius* inde deduci, ſunt qui velint. Vide Spelmann. *Gloſſar. Archaeol.*

BUCELLUM, urbs parva admodum, regni Neapolitani in provinc. Aprutii citerioris ad Sarum fluv. in limite Comitatus Moliſini, 15. milliar. Italic. à Sulmone in Ortum. Vulgò *Civita Burella.*

BUCENTAURUS, Ital. *Bucintoro*, navis apud Venetos, non minori jure ſacris annumeranda, quàm illa apud Romanos olim, quâ Saturnus, & apud Athenienſes, quâ Theſeus, vecti dicuntur: ſeu quòd in urbem advenientes ſacri Principes externi eâ vectantur, ſeu quod ſingulis annis Dux & Senatores, factô Aſcenſionis die magnâ pompâ, eâ navi deſpondendo æquori prodeunt, uti dicemus ſuprà, ubi de *Sponſalibus Maris*, Illam ſic deſcribit Juſtinianus *l.* 14. *Eſt navigium maximum atque ornatiſſimum. Nam ſtructura ejus ſublimis, columellisque frequentioribus culta, auroque ad proram à puppi præfulgida, hoſpiteſque inſignes & alii eminentioris fortunæ viri, qui ad urbem veniunt, eâ navigii machinâ à Principe & Patribus officii gratiâ excipiuntur. Ducaleque ſolium in frontiſpicio, ſuperiori tabulatô collocatum, ubi Princeps inter Legatos Conſiliarioſque medius ſublimis reſidet, & circum per ſubſellia ſummus ille Patrum Ordo, Majeſtatis & ſilentii plenus. In inferiori autem tabulato remiges navigium remis agunt & remulco interdum dum aqua in contrarium fluunt, tanta moles trahitur publicumque erigitur vexillum & juxta illud Principis auratum ſcutum ſummitaſque* Bucentauri *holoſericum purpureumque habet operturum fimbriis alligatum, ne ventus rapiat. Ad proram poſitum eſt juſtitiæ ſimulachrum auri fulgens, cujus dextera nudum enſem, læva autem æquilibrium tenet reſtringque inſigne prominet, ut navigii forma conſpecliur ſit. Dicta navis eſt, a bu, quod magnum aliquid ſignificat & Centaurus, antiquum navium inſigne vel quaſi Bis Taurus, qua olim Æma navis. Alii Ducentaurum appellatum volunt, quaſi ducentorum hominum navigium capax. Inſtitutio hujus machinæ primum facta fertur annô reparatæ ſalutis MCCCXI. Alii altius exigunt indagant, nempe A. C. MCLXXVII. in adventu Imperatoris Friderici Ænobarbi ſeu Barbaruſſæ, cùm ille, pro componenda pace cum Pontifice Alexandro III. Senatuque Venetias acceſſit. Hic enim Imperator Pontificem ---- inſectatus, abire Româ Venetiaſque petere, tanquam Aſylum tutum coëgit. At Imperator in Venetos claſſem Duce Ottone filiô miſit, qui à Venetis debellatus, captus & ad patrem remiſſus, ab eo impetravit, ut Venetias concederet de pace acturus, quod feliciter factum, Pontifexque in integrum reſtitutus pietate & virtute Venetorum. Quibus ut Pontifex parem faceret, præter plurima alia privilegia, Veneto Senatui conceſſa, gratulabundus Principi annulum aureum porrexit*, &c. quô ſibi *Mare* deſponſaret. Quod cùm Aſcenſionis die factum fuerit, inde quotannis celebritas hæc eâdem die, magnò hominum concurſu peragitur, Princepſque cum Principum Legatis Senatuque purpurato vectus *Bucentauro*, annulum aureum à Patriarcha conſecratum è puppi in undas (aquâ luſtrali priùs ſolenni ritu in aquas profuſâ) projicit, uti latiùs infrà dicemus. Vide quoque Auctorem Anonym. *Orbis Geogr. & Civ. c.* 22. Auctorem *Sinæ & Eur. c. de Navibus*, Jac. Sponium *Itiner. Græciæ Part.* 1. *p.* 76 ut & in voce *Venetiæ.*

BUCEPHALA, ſeu BUCEPHALUM, Qu. Curtio & A. Gellio, *l.* 5. *c.* 2. urbs Indiæ citerioris ad Hydaſpen fluv. ab Alex. M. condita, ac de equi ſui nomine dicta. *Gelſeten*, teſte *Mercatore*. Meminit *Stephanus* 2. hujus nominis locorum. Vide Freinshemium ad *Qu. Curtium l.* 9. *c.* 3. *ad hæc verba: Oppida quoque duo condidit, quorum alterum Nicæam appellavit, alterum Bucephalon, equi, quem amiſerat, memoriæ ac nomini dedicans urbem. Sanſoni* & aliis eſt *Lahor*, urbs provinc. *Pengab*, ad fluv. Hydaſpen, nunc Raveyum & ex præcipuis imperii M. Mogolis; emporium celebre, & urbs amplissima, 60. leuc. Gall. ab urbe Agra, in Septentrionem.

BUCEPHALI, equi omnes olim dicti, ab inuſta capitis nota. Tralatitium enim apud Veteres uti hodie, equis notas inurere. *Anacreon*,

Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι
Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι.

Et quidem duas præcipuè literas Græci inurebant, *Sigma* & *Coppa*, unde Κοππατίας & Σαμφόρας equi dicti. ſed & equorum armis ac femoribus *taurini capitis* effigies non rarò ſolebat imprimi, quô factum, ut non ſolus Alexandri equus *Bucephalus* appellatus ſit, ſed omnes prætereà equi, qui eàdem inſignis origine notati fuerant. *Scholiaſtes Ariſtophanis*, Οὐ γὰρ βουκέφαλος ἵππους καλοῦμεν, διὰ τὸ μορφὴν ταύτην αὐτοὺς ἔχειν, ἀλλὰ διὰ τὸ ... ὡς ὁ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ἵππος ἦν. *Non enim bucephalos equos vocamus, quod formam ejuſmodi habeant, ſed quòd hic character ipſis inuſtus quemadmodum & Alexandri Macedonis equus erat.* Vide quoque Heſychium, voce Βουκέφαλος. Hinc, cùm omnibus equis, qui Circo committebantur, ſua eſſent nomina, quibus appellabantur, ut ex *veterib. Inſcr.* patet, ſicut illi, à colore, *Badius*, *Corax*, *Maurus*; à celeritate, *Incitatus*, *Tigris*, *Volucris*, à gente *Cappadox*, *Parthus*, &c. ita ab inſigni aliquo ſive genuino ſive inuſto, varia habebant nomina, ut *Bucephali*, *Coppatia*, *Samphora* dicerentur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 893. *& ſeqq.*

BUCEPHALOS, Melæ *l.* 2. *c.* 3. Peloponneſi promontor. à parte Orientali. *Bucephalum* portus *Ptolemæo* dicitur, qui eum ad ſinum Saronicum ponit, eòdemque locò deſcribitur à Plinio *l.* 4. *c.* 5. & Pauſania, *l.* 2. *Cavalla* Bellonica dicitur.

BUCEPHALUS, Alexandri M. equus, à latitudine frontis ſic dictus, vel ab aſpectu torvo, vel ab inſigni taurini capitis armo impreſſi, quô Alexander in certaminibus utebatur Vide Plin. *l.* 8. *c.* 42. & Gellium *l.* 5. *c.* 2. *Heſychius*, Βουκέφαλος, ἵππος ἐγκεχαραγμένος ἔχων βοὸς ἰχνίοις βούκρανον, καὶ ὁ Ἀλεξάνδρου ἵππος, διὰ τὸ πολλὰ ἐν ἰσχυροῖς ... Βουκεφάλαν. Portò *Bucephalum* Oneſicritus & Arrianus *l.* 3. *c.* 3. ſeniô confectum ſine vulnere defeciſſe memorant, quorum prior 30. annorum ætate ait eum deceſſiſſe. *Plut.* verò ex prælio cum Poro, non extemplò, ſed pôſt, ut & plerique tradunt, eum obiiſſe ſcribit. *Nic. Lloydius.*

BUCERUS Martinus, Seleſtadiô Alſata, magni inter Reformatores nominis, natus A. C. 1491. Ordinem Dominican. in quo vixerat annos 15. exuit, A. C. 1521. librô hac de re editô, A. C. 1523. Dialogum, *Arbogaſti* nomine, edidit contra Lutherum, A. C. 1527. conſenſum inter Theologos Euangelicos, quorum quidam Lutheri, quidam Caroloſtadii ſententiam circa doctrinam Cœnæ Dominicæ ſequebantur, initum A. C. 1529. ut qui pacis erat amantiſſimus, A. C. 1538. ruptum reſtituit. Colloquitur cum Petro Malvenda, Ratisbonæ, A. C. 1546. Ab Eduardo VI. Argentoratô, ubi docebat, in Angliam vocatus, A. C. 1549. moritur Cantabrigiæ, A. C. 1551. unà cum Paulo Fagio ... exhumatus, comburitur in foro, juſſu Mariæ, A C. 1555 honori ſuo reſtitutus, ſub Elizabetha, A. C. 1559. Scripſit in *Judices*, *Pſalmos*, *Eccleſiaſten*, *Sophoniam*, *Euangelia*, *ad Rom. Epheſ.* &c. Huic Civitas Argentinenſis, reſtitutam apud ſe Eccleſiam debet. Beza *in Icon.* Calvinus verò de ipſo, *in ep. ad Viretum*, ſcribit: *Quam multiplicem in Bucero jacturam fecerit Dei Eccleſia, quoties in memoriam venit, cor meum prope lacerari ſentio.* Plura apud Anton. Teiſſier *in Elogiis Volum.* 1.

BUCH, Regio in ſabuletis Burdigalenſibus, prope terram Medulam, ſeu *le Medoc*, creditur patria priſcorum Bojorum ſeu Boatium. Habuit dominos, dictos *Capeal de Buchs*, ex familia Fuxiana & Candala.

BUCHA, Miſniæ oppid. vulgò *Burch.*

BUCHÆUS Chriſtianus, vide *Chriſtianus.*

BUCHANANUS Georgius, Scotus, Franciſcanus primùm, dein purioris religionis aurâ afflatus, poſt varias jactationes vitæ hujus, Jacobi VI. Scotiæ, poſtmodum M. Britanniæ Reg. præceptor fuit. Scripſit *Hiſtoriam Scotiæ* 20. *libris*, *Pſalmos Davidis Latino carmine* feliciter reddidit, &c. Obiit grandævus, A C. 1582. Plura apud Teiſſier *d. l.*

BUCHAVIA, civitas parva Imperii in circulo Suevico, ad lacum Plumarium, (*Feder-ſee*)

BUCHETIUM, urbs parva non longè à Cichyro, ad ſinum Ambracium ſita, non longè à mari. *Strabo.*

BUCHHORNA, parva civitas Imperii à fagina ſylva, quæ olim uſque ad lacum Conſtantienſem ſe extendebat, ſub propriis primò Comitibus, dein ad Altorfinos & Raveuſpurgenſes pervenit, quibus extinctis Imperialis facta eſt. Degit ſub protectione urbis Uberlingæ: ditio *Bomgarten*, ſub Præfectura eſt Sueviæ. Merianus *Suevia topograph.*

BUCHIA, Ioniæ locus. *Steph.*

BUCHOLCERUS Abrahamus, Schonaviâ prope Wittenbergam oriundus, Theologus, & *Indicis Chronologici* auctor, *ab initio Mundi, uſque ad A. C.* 1580. Obiit Freiſtadii, in Sileſia. A. C. 1584. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 42. §. 13. plura apud Anton. Teiſſier *in Elogiis*,

BUCHONIA, vulgò *in der Buchen*, regiuncula Haſſiæ, oppidis, arcibus pagiſque mediocriter exculta, & undique nemoribus quernis ut plurimùm ſepta. *Merel.*

BUCIA, extrema Siciliæ urbs. *Ptol.* hodiè *Butera.*

BUCINNA, parva Siculi maris inſula. Plin. *l.* 3. *c.* 8. Item civitas Siciliæ. *Steph.* Vide Cluver. *Sic. Ant. p.* 415. & 490.

BUCINOBANTES, urbs Germaniæ è regione Moguntiæ. *Wisbaden Heroldo.*

BUCKINGAMIA, urbecula Angliæ, ad Uſam fluv. Comitatus ſeu provinc. cognominis caput, media ferè inter Oxonium & Bedfordiam urbes.

BUCLOPUS, Deus muſcarum. Cœl. Rhodig. *l.* 12. *c.* 3.

BUCOLICA Carmina, à *bobus* dicta, inter Paſtoralia præcipuâ olim laude ferebantur. Cujus poëſeos inventum Perſarum tempore inclaruit, cùm Græciam premerent. Tunc enim Dianæ Caryatidis ſacris, quæ à virginibus fieri conſueverant, intermiſſis, agreſtium aliquot in fanum officii cauſâ ſe contuliſſe, & peculiaribus cantiunculis Dianæ laudes dixiſſe fertur. Quos cantus cùm valde probari vel religio juſſiſſet, vel numerorum lepos perſuaſiſſet: ex caſu mos, deinde etiam Lex facta eſt. Patriam hujus carminis Siciliam pleríque faciunt, in quam delatus Oreſtes è Scythica Taurorum gente, afferens Dianæ ſignum, in pago Tyndaride illud ſtatuerit, Numiniſque laudes unà cum agreſtibus, à quibus exceptus fuerat, non ſine cantibus inſtituerit. Alii Dianâ hoc modò, Syracuſis agitatis ſeditione, placatâ, initium factum anniverſariæ feſtivitatis eamque propterea *Lyam* appellatam eſſe ajunt. Apud quoſdam non *Lua*, ſed *Phaſelides* nomen invenias, quod Antiphemus è Græcia in Siciliam importârit. Namque hujus frater Lacius Argivus coloniam miſit in montana Colophoniorum, Mopsô Duce: qui ibi terram emit à Cylabra paſtore indigena, in qua oppidum condidit, nomine Θαυμάσι. Unde *Mopſi* nomen paſtorali carmine tam frequens. Modus cantilenarum hujuſmodi Βουκολιασμὸς dictus eſt. Præmium panis antiquitus fuit, in quo eſſent ferarum expreſſæ imagines: ipſi aut ſtantes, aut ſedentes, aut ducentes gregem, cum pera erant omnium ſeminum genere refertâ, quod Græci πανσπερμίαν dixêre. Habebant etiam vinum in utre caprino, & pedum. Canebant autem coronati. Victi victor panem, peram, utrem auferebat, atque ex eo libabat Muſis: victus, urbem ingredi non auſus, ambibat per ſuburbia ac viculos & panem ad veſcendum rogabat. Victor verò urbem Syracuſarum ingreſſus, civium limina tum frugibus, tum vinô aſpergebat, porriciens libamenta cum cantu hoc,

> Δέξαι τὰν ἀγαθὰν τύχαν, δέξαι ὑγίειαν,
> Τὰν φέρομες παρὰ τᾶς θεῶ, τὰν ἐκαλέσατο τήνα.

E quibus colligas carminis luſuſque originem à peſtilentiæ ſedatione: quum in iis ſanitatem quaſi conceptis verbis profitebantur. Tranſiit deìn in Artem luſus ac in quæſtum abiit. Circumire igitur provincias & certare in Italia, qui ſe Βουκολιαστὰς prædicarent, atque aliô nomine Λυδιαστὰς, unde *Ludionum* Latinis nomen. Inter quos eô tempore cùm præſtitiſſet Daphnis, Heroum ritu, à Paſtoribus certatim obitus ejus celebratus eſt. Porrò utebantur inſtrumentô Muſicô, quam Græci à ſibilo σύριγγα, Latini ab hiatu *Fiſtulam* dixêre, cujus materia arundo aut cicuta. Carminum genera fuêre plura, namque aliter pro frugibus, pro vindemiis alia meditabantur. Cùm gregem aut in paſtum, aut ad ſtabula redeuntem proſequebantur, carmen προαύλιον dicebatur, ut videre eſt apud Theocritum Ὁδοιπόροις. Quum verò æſtiva in umbra otioſè agerent, aut hybernô Sole apricarentur, orabant anni tempeſtates & noxios eventus deprecabantur. Theocritus etiam pompas deſcripſit, etiam alia alii, hymnos, Herculiſcum & ſimilia. Virgilius, præter vulgaria argumenta, Silenum pinxit, univerſâ penè naturâ ac ſerie Fatorum, &c. Plura vide apud Scaligerum *Poët. l.* 1. *c.* 4. Uti verò Epici habuêre ſuum Κύκλον, & alia pleraque veterum Poëtarum opera, ob ſimilitudinem argumenti, in unum aliquod corpus ac ſyntagma redacta ſunt: ſic *Bucolica* omnia carmina, in unum corpuſculum collecta, jam olim fuêre, ex Theocrito, Bione & Moſcho, ut teſtatur vetus hoc *Epigramma*,

> Βουκολικαὶ μοῦσαι σποράδες ποκά, νῦν δ' ἅμα πᾶσαι
> Ἐντὶ μιᾶς μάνδρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλας.

Sed & *Bucolica* Virgilii à Rhapſodis cantata & agitata eſſe, Auctor *Vitæ* ejus docet: *Bucolica eò ſucceſſu edidit, ut in ſcena quoque per cantores crebrò pronuntiarentur.* Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 851 & 867. nec non infrà aliquid, voce *Lyra.*

BUCOLICI Milites, quorum mentio apud Jul. Capitolin. in *Marco Antonino Philoſoph. c.* 21. *Quum per Ægyptum* Bucolici *milites gravia multa feciſſent, per Avidium Caſſium retuſi ſunt, qui poſteà tyrannidem arripuit:* prædones erant Ægyptiaci, de quibus eorumque duce Iſidoro, multis agit *Xiphilinus.* Dicti ſunt Βουκόλοι & *Bucolici*, à vulgari appellatione ejus loci, quem inſidebant. Nam, ut *Heliodorus* ait, Βουκόλια τὰ πάντα καλεῖται) πρὸς Αἰγυπτίων ὁ χῶρος, *Bucolia totus ille ab Ægyptiis vocatur locus*, vide neceſſariò ſeqq. Hieronymus in *Vita* Hilarionis Eremitæ, *Qui cùm reverti ſſet, cupiens rurſum ad Ægyptum navigare, h. e. ad ea loca, quæ vocantur* Bucolia, *eo quòd nullus ibi Chriſtianorum eſſet, ſed barbara tantùm & ferox natio*, &c. Vide Salmaſ. & Caſaubon. *ad Capitolin.*

BUCOLION, Arcadum Rex poſt Lajam, Glauci Meſſeniorum, & Eurymontis Spartan. Regum σύγχρονος. Eum excepit Phialus. Pauſanias, *p.* 462.

BUCOLION, fil. Laomedontis, vide *Abarbarea.*

BUCOLIUM, locus juxta Conſtantinopolim. Item in Peloponneſo, Arcadia, & Ægypto.

BUCOLO, urbs Pharſaliæ, aut Thraciæ. *Varinus.*

BUCORIA, regio Indiæ, ſub M. Mogole, ab Indo fluv. in duas partes ſecta. Extenditur uſque ad Perſiæ confinia; habetque urbem cognominem ad ripam Indi fluv. 60. leuc. Gall. à Tatta, in Septentrionem.

BUCRA, Siciliæ promontor. *Ptol. Elcapo Longo.* Quibuſdam eſt *Longobardo*, 50. milliar. à Camarina in Ortum, verſus *Pachinum* promontor. Aliis eſt *Capo Scalambri*, promontor. 5. milliar. tantùm à Camarina.

BUCURES, ſeu **BOCORES** Maurus, pro Numine habitus, memoratur Arnobio *adv. Gentes l.* 1. *Quonam ſint hi Dii — Janus — Fauna — Titanes & Bocores Mauri, & avorum progenies Dii Syri* &c. Vide ſuprà *Bocchor.*

BUDA, vulgò *Offen*, an *Curta Ptolemæi*? Hungariæ Metropolis, ampla, dives, munita, quæ thermas habet ſubtus urbis mœnia haud longè à Danubii ripa, ex humili colle fonte duplici ſcaturientes, quorum alter frigidiſſimus, odore ſulfureô, alter ita calidus, ut digitum immerſum tenere nequeas, longitud. 42. 55. latitud. 47. 07. Aliàs ſedes Regum Hungariæ, dein Præfecti Turcarum, ab A. C. 1541. quô à Selimo capta eſt: jam verò recepta à Cæſareanis, ductu Caroli VII. Lotharingiæ Ducis A. C. 1686. die 2. Sept. iterum Leopoldo Imperatori ſubeſt. A Belgrado 49 milliar. Germań. à Vienna 54. in Auſtrum. Ibi concilium A. C. 1279. Olderic. Raynaldus, 14. *tom. Annal. Eccl.*

BUDA, apud Pelagium de *Vitis* Sanctorum, *Vides autem Ægyptium veſtitum mollibus rebus, & budam de papyro & pellem ſtratam ſub ipſo*: eſt ſtramentum vel ſtorea. *Gloſſæ* Iſidori, *Buda, ſtorea.* Idem alibi *Budas* ſtramenta camelorum, i. e. σάγματα vel στρώματα exponit. Sic enim vocandæ, non *bullæ*, ut editum eſt. Idem Pelagius paulo pòſt, *Et pro his dedit mihi Deus ſtramentum de papyro & hanc pellem.* Ubi *ſtramentum de papyro* vocat, quam paulo antè *budam de papyro.* Ex Græco βύδα, quod à verbo βύω factum eſt, ſignificatque farcio & impleo. Farciebant autem utres & ſtramenta pauperes papyrô, aut ſcirpô, uti infrà dicemus, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1004.

BUDÆA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

BUDÆUS Gulielmus, Pariſinus, doctiſſimus ſui ſeculi, in omni literarum genere. Libellorum ſupplicum Magiſter, perſuaſit cum Joh. Bellajo, Epiſcopo Pariſino, Franciſco I. ut Collegium Profeſſorum in omni literatura inſtitueret. Eraſmo, P. Jovio, *in elogiis*, laudatus. Obiit A. C. 1540. ætat. 73. Genebr. *in Chron.* Familiam hanc nobilem à Johanne Secretario Caroli V. Regis Franciæ derivant; quam meritis ſuis non Galliæ ſolùm, ſed ſeculi ſui phœnix ac literarum decus Gulielmus hic, Dn. *de Marly & Villeneuve*, imprimis illuſtravit. Eum ex Catharina *le Picart*, genuit Johannes Dn. *de Yerre*, defunctus A. C. 1501. cujus genitores fuêre Drogo *Budé*, Dn. *de Yerre, Villiers*, & Johanna *Peſchart.* Ipſe verò præfatus Gulielmus & frater ejus Drogo, duarum linearum Auctores extitêre. Drogo enim Dominos *de Yerre, Bagnaux, Villiers ſur Marne & Fleury* dedit. Gulielmus verò, ex Roberta *le Lieur*, pater fuit Johannis I. Dn. *de Verace* & Antonii, à quo Domini *de la Mothe S. Loup* deſcendunt. Et quidem Johannes modò dictus, ex Maria *de Jouan*, ſuſcepit Johannem II. qui extinctus A. C. 1610. ex Eſtera Alingia, reliquit Bernardum *Budé*, Dn. *de Verace* (cui uxor obtigit Maria Turretini) Johannem Antonium, defunctum A. C. 1629. Franciſcum, qui obiit A. C. 1632. Franciſcam (uxorem Iſaaci *de Martines* Dn. *de Bourrion*) & Jacobam (quæ nupſit Diodato Diodati.) Vide Philipp. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. tom. II.*

BUDARES, Imperator Hiſpanus, memoratus Livio *l.* 33. *c.* 30.

BUDDA, Gymnoſophiſtarum apud Indos Princeps extitit, quem illi ex Virginis latere natum fuiſſe credi voluerunt. Unde fuit ex præceptoribus hæreſiarchæ Manis. Clem. Alex. *l.* 1. *Stromatum.* Hieronym. *l.* 1. *contra Jovinianum.* Cœl. Rhodig. *l.* 4. *c.* 1. Ritus ſacros quoſdam exequuturus, à maligno ſpiritu è ſublimi in præceps dejectus, miſerè periit. Ejus poſteà fortunæ ſcriptaque Cubrico, qui poſteà Manen ſe dixit, contigerunt A. C. 275. Socr. *l.* 1. *c.* 17.

BUDEA, Civitas Magneſiæ, à *Budeo* conditore, unde *Budea* Minerva, in honore apud Theſſalos habita. Græcè Βούδεια. Item urbs Phrygiæ. *Steph.*

BUDESIA, Familia Galliæ illuſtris: quam illuſtravit Sylveſter *Budes*, Gueſclini Coneſtabilis, conſobrini ſui, in præcipuis expeditionibus, comes & adjutor ſeculô decimô quartô. Ejus frater Johannes, ex filiis Gulielmo & Triſtano, duas lineas produxit: Ex hoc namque Dominorum *de Tertrejouan*; ex illo dominorum *du Hirel*, quibus dein Baronatus *de Sacé* acceſſit. Iterum eam noſtrâ memoriâ illuſtravit Joh. Baptiſta *Budes* Com. *de Guebriant & de Perigord*, Mareſcallus Franciæ & Dux exercitus in Germania Regii, maritus Renatæ *du Bec-Creſpin*, extinctus A. C. 1643. Cujus frater major natu, Jacobus Baro *de Sacé*, ut & ipſe, improlis obiit; alter verò Yvo Baro *de Sacé* liberos quidem ſuſcepit, ſed, filiis extinctis, filia Renata ſucceſſionem domus Roſmadecciæ, cum onere, ut ſecundo-genitus *Budeſium* nomen aſſumeret, intulit. Primus autem ex hac familia Baronatûs dignitate auctus eſt Bertrandus, mortuus A. C. 1535. qui ex Franc. *le Voyer* Dn. *du Coëdic*, Jacobum genuit B. *de Sacé*, maritum Beatricis *de Romillé*, hæredis *de Sacé*: quibus natus Carolus, obiit A. C. 1619. Pater ex Anna *Budes* Dn. *de Quatrevaux*, præter præfatos, Joh. Baptiſtam, Jacobum & Yvonem, Franciſci extincti A. C. 1615. Renatæ (Guidoni *du Gourray* nuptæ) Annæ, quæ deceſſit A. C. 1657. & Margaretæ, quæ obiit A. C. 1623. Idem *ibid.*

BUDINGA, German. *Budingen*, nomen Comitatus Germaniæ, in Wetteravia, ſub proprio Comite, ex familia perilluſtri Iſenburgica. Cùm enim Henricus, Arnoldi Electoris Trevirenſ. frater, duos genuiſſet filios, Gerlacum & Ludovicum; illi Iſenburgum inferius obtigit, huic ob Eilvige conjuge, *Budingenſe* acceſſit dominium. Et quidem in *Budingenſibus*, præter ramum *Grenſauiam*, (quâ à Gerlaci nepote Salentino, marito Adelheidis agnatæ ea linea *Budingenſi*, inchoatus, defecit A. C. 1664.) duos ramos ex ſe emiſit Ludovicus Diethers Electoris Moguntini frater. Ex ejus namque liberis

liberis Philippus *Kelſterbacenſis* dedit, qui nunc eſſe deſiêre, Johannes in *Birſtein* reliquos: & quidem hujus nepos Wolffgangus Erneſtus pater communis eſt omnium nunc ſuperſtitum. Eò enim, & primâ ejus conjuge, Annâ Gleichenſi, mortuâ A. C. 1598. natus Wolffgangus Henricus, biennio poſt Patrem, extinctus A. C. 1635. ex Maria Magdalena Naſſovia, quæ obiit A. C. 1454. ſuſcepit, præter quinque filias, filios ſeptem: Wolffgangum Erneſtum (natum A. C. 1617. denatum A. C. 1642.) Fridericum Ludovicum (natum A. C. 1619. denatum 1626.) Johannem Ludovicum (natum A. C. 1622. qui primò Mariam Julianam Hanoicam, exin Luiſam Naſſoviam ſibi junxit, ex hac Pater, præter filias ſeptem, 4 filiorum, è quibus ſuperſunt, Carolus Ludovicus, natus A. C. 1653. Johannes Philippus A. C. 1655. & Wilhelmus Mauritius A. C. 1657. dicti *Comites Iſenburgi & Budingæ &c. in Offenbach*) Chriſtianum Mauritium (natum A. C. 1625. denatum A. C. 1664. cujus uxor Magdalena Naſſovica) Fridericum Adolphum (natum & denatum A. C. 1631.) & Carolum Ludovicum (natum A. C. 1633 denatum A. C. 1662.) Ex tertio verò matrimonio, Julianæ nempe Wittgenſteiniæ, genuit Wolffgangus Erneſtus præfatus Ludovicum Arnoldum (natum A. C. 1619. denatum A. C. 1662.) & Johannem Erneſtum Comitem Iſenburgi & Budingæ, *in Budingen*, natum A. C. 1625. cui uxor obtigit Maria Carola Erpachia. Vide Phil. Jac. Spenerum, *ubi ſuprà*. Plura vide de familia Iſenburgica *ſuo loco*. Uti verò primus Iſenburgi Comes Henricus perhibetur A. C. 1250. Sic *Budingæ* Dynaſtia, qui, ut Dynaſtia iſta Comitatûs augeretur honore, impetravit. Quam utramque noſtrò ſeculò Wolffgango Henrico Iſenburgi & Budingæ Comiti tanquam læſæ Cæſareæ atque Imperii Majeſtatis reo ademtam, Georgio Haſſiæ Landgravio (qui conſtanti in Imperatorem atque domum Auſtriacam obſequiô affectuque *Fidelis* nominari meruit) Ferdinandus II. largitus eſt A. C. 1635. Secuta tranſactio inter Haſſos & Iſenburgicos A. C. 1642. quâ inter alia certa Comitatuum iſtorum portio 20000. florenos annuos ferens, ſeptem feuda, ut appellantur nobilia, & cum titulo, quô Haſſi etiam ſuperſtitibus Iſenburgicis potirentur, ſucceſſionis jura, ſi quando iſtorum progenies deficeret, Cattis manſêre; reliqua Comitibus reſtitui debebant. Cautum quoque, ne generalis amneſtiæ, quæ tum ſperabatur, beneficiô ſe tuerentur Comites: qui tamen aliquot poſt annis, cùm de Pace Oſnabrugæ ageretur, pacta illa, nimiô Domus ſuæ damnô, vi metuque & quidem ab aliis unà cauſantes, ætatis quoque miſerationem meritæ jura invocando reſtitui in integrum petivêre. Et indulta iis dictâ pactione amneſtiæ gratia, ſalvis tamen juribus, quæ Haſſi ſibi competere obtenderent. Sed & Saxones cupiditati Cattorum refragabantur, datam ſibi ſuccedendi Comitibus, quibuſcunque modô terra ad Cæſares reverteretur, à Rudolfo II. A. C. 1596. & à Matthia, Ferdinando II. atque Leopoldo Imperatorib. confirmatam ſpem memorantes. Nec adverſaturos ſe, ſi ſucceſſionis caſus daretur, Catti aliquando præ ſe ferebant. Manſit tamen hactenus inter hos lis, neque Saxones Haſſiæ Landgravios *Iſenburgæ & Budingæ Comitum* nomine ſalutant, Tob. Pfannerus *de præcipuis Germ. Principum Gentibus*.

BUDINI, Scythiæ Europææ populi non procul à Boryſthene. Plin. *l. 4. c. 12.* [Greek text] Ita *Stephanus* ex Parmenione Byzantio. Scythica hæc plauſtra Ovid. paſſim commemorat *Triſt. l. 3. el. 10. v. 34.*

Ducunt Sarmatici barbara plauſtra boves.

Et *el. 12. v. 30.*

Stridula Sauromates plauſtra bubulcus agit.

Et *Ponticorum l. 4. Ep. 7. v. 9.*

Ipſe vides, onerata ferox ut ducat Iazyx
Per medias Iſtri plauſtra bubulcus aquas.

Nic. *Lloydius*. Eorum urbs Gelonis, unde Græci illos cum Gelonis eoſdem habebant. *Herodotus* illos dicit fuiſſe [Greek text] *gentem magnam & numeroſam*, habuiſſeque *totum corpus glaucô & cæruleô pictum vel raſô*. Unde picti Geloni Virgilio, *l. 2. Georg. v. 115.* ut Agathyrſi; & picti Scotobrigantes, apud *Senecam*, &c. Salmaſ. *ad Solin. p. 189.*

BUDINUM, Sarmatiæ Europææ mons. *Ptol.*

BUDISSINA, ſeu BUBESIA, urbs German. in Luſatia ſuperiori ad amnem Sprecham, in ditione Electoris Saxonici 4. leuc. à Gorlitio in Occaſum ferè 7. à Dreſda in Ortum, vulgò *Bautzen*.

BUDNOKUM, oppid. Hungariæ ſuperioris in præfectura Caſſoviæ, ad Geyum amnem. Sub Auſtriacis. Paucorum incolarum. *P. du Val.*

BUDORÆ, inſulæ duæ prope Cretam. Plin. *l. 4. c. 12.*

BUDORGIS, ſeu BUDORIGUM, urbs German. *Ptol.* hodiè *Vratiſlavia*, urbs ampla & elegans, 8. leuc. à limite regni Polon. vulgò *Breſlaw*. Multis eſt *Ratibor*, oppid. Sileſiæ ſuperioris ad Viadrum. Aliis duo ſunt, & Budorgis eſt *Ratibor*, Budorigum *Breſlaw*.

BUDORIGUM, urbs fuit Longobardorum, in German. Nunc quid ſit, non conſtat. *Sanſoni* eſt Vratiſlavia.

BUDORIS, German. urbs. *Ptol.* *Durlach* potiùs quàm *Heydelberg* eſſe credit *Rhenanus*. Sub ditione Marchionum Badenſium. Clüverio eſt *Bernach*, oppidul. Sueviæ, in Marchionatu Badenſi 1. milliar. German. à Rheno fluv. & à Durlaco oppido 2. à Philippopoli, in Boream. Vide *Durlacum*, & plura hanc in rem, apud Cl. Ottonem *Notis ad Rhenanum Rerum German. l. 3.*

BUDORUM, promontorium in Salamine, vel, ut *Ephorus*, caſtellum: quanquam pro caſtello *Budoron* per *o* apud *Stephanum* ſcribitur.

BUDORUS, Eubœæ fluv. *Ptol.*

de BUDOVA Wenceſlaus, Baro, cum Joachimo Andrea, Comite Schlickio, conſenſu tum Evangelicos & Fratres, in Bohemia Moraviaque, præcipuus proxeneta, A. C. 1609. Inſignis conſtantiâ ſupplicium ſubiit, A. C. 1621. Vide Lætum *Comp. Hiſt. Univ. p. 528.*

BUDUA, olim oppid. nunc pagus Luſitaniæ inter Ulyſſiponem, & Emeritam. *Antonin.*

BUDUISSA, urbs probè munita Bohemiæ, ad Vultavam fluv. 10 leuc. à Paſſavia in Ortum Æſtivum, 5. ab oppido *Tabor* in Auſtrum, vulgò *Budweiß*.

BUFFA, recentioribus alapa eſt: ex Ital. *buffa*, quod eſt ea pars caſſidis, per quam mittitur ſpiritus. Qui enim alapam alicui infligit, dicitur ironicè caput vel genas illius galeâ operire ac tegere, *Couvrir la joue*: quæ eſt vulgaris apud Gallos loquendi formula. Hinc *Buffetada* trina illa colli percuſſio, in militaribus inaugurationibus, vide ſuprà in *Alapa*. Indidem *Buffones*, Gallis *Bouffons*, fortè dicti ſunt, quod mimi ac ſcurræ, qui hâc voce denotantur, alapas ſibi invicem ac *buffas* infligentes, riſum ſpectantibus moverent, Car. du Freſne *Gloſſario*. Niſi potius videatur ſententia Salmaſii, qui ad Tertullian. de Pallio, *Scurras*, ait, *mimarios & ſecutores, placentarios vel Buffones hodie vocamus. Atque ita veteribus vocabantur, quod buccas inflarent in mimo, alapas accipiendo, ut validius ſonarent.* Vide Octavium Ferrarium in *Originib. linguæ Ital.* in voce *Buffone*, ut & infrà *Gelas*: Sed & aliam vide, voce *Bufones*.

BUFFO, vide hîc ſuprà *Buffa*.

BUFONES, olim Francorum Inſignia, juxta vulgi ſenſum, uti ex variis Scriptoribus Rob. Gaguino, Papyrio Maſſono, aliiſque patet, à ſtatu Limnæo *Not. Franc. l. 1. c. 10.* & Hoepingio *de Jure Inſign. Part. III. c. 6. el. 3. §. 2.* Unde illud dicterium Flandrorum in Francos: *Crapaux François*, i. e. Bufones vel Ranæ Gallicæ. Ratio ſymboli *Chaſſanæo* bonitas ſoli, quia *buſones* ſolum pinguiſſimum habitare ſolent: *Goropio Becano*, quia Franci [Greek text], cùm *buſones* terrigenæ ſint, vel quia prima gentis habitatio in locis paluſtribus fuit. Ita Favinus *Hiſtor. Nav.* Francos egreſſos ait ex Weſtphaliæ paludibus, qui quòd raucam vocem habuerint, notante Marcellinô & Sidoniô Apollin. ab exteris ea invidia *Bufones*, ſint dicti, ut alia omittam. Dicturque Clodoveus primum *Bufones* in leonem, deinde in lilia commutâſſe. At Pavinus ſculptorum imperitiâ, cùm lilia rudiùs effingerent, *Bufones* hos natos putat, vide Chiffletium *Anaſtaſi Childer Reg. c. 12.* & ibi Faucherum, nec non Joh. Fernand. *Epinic. pro lil.* Henr. Spelmannum, *Bufones*, *Leonem*, *Navem*, alia ſingulorum Principum geſtamina, non univerſæ gentis teſſeram, voluiſſe, *Aſpilog. p. 19.* plura apud Cl. Spenerum *Art. Heraldic. Part. 2. l. 1. c. 24. §. 3. ſeqq.*

BUGARI, vide infrà, *Bulgari*.

BUGARIDA, dicebatur factio, tempore Diocletiani, compreſſa, atque deleta An. Urb. Cond. 1038.

BUGEI, populi à Parthenis orti, qui expulſi, & ad Cretam appulſi, unà cum Minoë in Siciliam navigantes, inde in Macedoniam pervenêre. Strabo *l. 6.*

BUGELLA, urbs Italiæ in agro Vercellenſi, ſub Sabaudiæ Duce ſat ampla & dives. Vulgò *Biela*. Hinc tractus adjacens *le Bielleſe*, Hic obiit A. C. 1638. Franciſcus II. Mutinæ Dux Virtute militari clarus.

BUGENES, Bacchus dictus, ſub quo nomine ab Argivis colebatur. Inde Græci Tauriformem Bacchum, & Tauricipitem effingebant, & appellabant, natumque ex Perſephone, ut *Euſeb.* tradit. Quinimo etiam taurum dictus, & illi cornua attributa. Diodor. Sic. *l. 5.*

BUGENHAGIUS Johannes, Pomeranus, Paſtor Eccleſiæ Wittebergenſis. Eccleſias Pomeranicas, A. C. 1535. Daniciaſque A. C. 1537. ad normam Auguſtanæ Confeſſionis reformavit: editô ſcriptô, de ordinatione Ceremoniarum, in illis Eccleſiis, in quibus Papatus abolitus, A. C. 1532. Obiit A. C. 1558. ætat. 73. Paſtoratus, 36. Succeſſit Paulus Eberus. Vide *les Eloges des Sçavans* Antonii Teiſſier.

BUGENUM, urbecula Aſiæ, cum regione cognomine in parte Septentrionali Japoniæ Inſul. quæ *Ximo* dicitur, 60. milliar. paſſ. à Bungo in Septentrionem.

BUGES, ſeu BYCE, *Ptol.* Scythiæ Europææ amnis, in paludem Mæoticam influens. *Seſſehan* hodiè. *Sanſoni* autem *Suka Morti*, in Tartaria Præcopenſi palus, ex qua ducta fuit Foſſa in ſinum Carcinitem.

BUGIA, urbs Africæ in ora Barbariæ, ab Hiſpanis obtenta. A. C. 1508. Sed à Turcis iterum occupata. Portu gaudet capaci & arce ſatis tutâ. Vide *Saldà*.

BUGIA, inſtrumentum argenteum, in quo candela reponitur accenſa, ut Prælato in celebratione, quò commodè legere poſſit, lumen præbeat. In Communione Romana Gallicè tamen ipſam denotat candelam. In quodam antiquo *Gloſſario*, *Scutula* dicitur, an à Græco [Greek text], *tenebras abigo*? Papa verò ipſe candelâ quidem, ſed abſque *bugiâ*, utitur: *quia*, ut volunt Macri Fratres, *lumen cognitionis ejus terrenô fulcimentô non indiget*, vide eos in *Hierolex*.

BUGONIA, Græcè Βυγονία, nomen poëmatis, *Eumelo* tribuit ab *Hieronymo*, qui ejus duo poëmata recenſet, *Bugoniam* & *Europam*. Eô videtur fuiſſe deſcripta fabula Ariſtæi, qui amiſſas cum apibus opes reparavit, occiſô *bove*, eô modô quô Virgilius narrat. *Inde* certè apes ipſe [Greek text] Græcis dictæ & [Greek text] atque hinc Βυγονία, carmen illud Eumeli. Salmaſ. *ad Solin. p. 859.*

BUGUS, Ruſſiæ fluv. ubi Jaroſlaus Dux à Boleſlao, Polono, triplici præliô victus eſt, A. C. 1017.

de BUGY Jacobus, vide *Jacobus*.

du BUIS Arnulphus, vide *Arnulphus*.

BUKELDIUS Guil. Belga, muriâ condire halecem primus docuit, circa A. C. 1416. Vide ſuprà *Alec*.

BUL, nomen menſis 8. Ebræorum, noſtro Octobri reſpondens. 1. Reg. c. 6. v. 37. Latinè *germen*, *veteraſcens*, aut *deſluens*.

BULA-

BULAHUAN, oppid. regni Marocci in provinc. Ducella, ad Ommirabihiſſm fluv.

BULANÆ, Sarmatiæ Europææ populi. *Ptol.*

BULARCHUS, Pictor inſignis, cujus *picturam Magnetum exitii menſe actu ſpatiem pari rependit auro Candaules*, Plin. *l.* 7. *c.* 38. Qui de eodem fic *l.* 35. *c.* 8. *Quid? quod in confeſſo perinde eſt*, *Bularchi pictoris tabulam, in qua erat Magnetum prælium, a Candaule Rege Lydiæ, Heraclidarum noviſſimo — repenſam auro. Tanta jam dignatio picturæ erat. Id circa ætatem Romuli*, &c.

BULBI, cum nucleis pineis, eruca & pipere in nuptiis olim adhibiti ſunt; unde enim, in Nuptiali cœna, Sponſo ferculum parari conſueviſſe, ſcribit Alexander ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 2. *c.* 5. ut apud quoſdam idem fiebat ea papaveris ſemine cum lacte & melle. Ad amorem nempe aptiores *bulborum* eſu fieri, innuit Martialis *l.* 13. *Epigr.* 34. cujus lemma, *Bulbi*.

Cum ſit anus conjux, & ſint ſibi mortua membra,
Nil aliud bulbis, quam ſatur, eſſe potes.

Quò facit adagium Græcum, Athenæo citatum *l.* 2. *c.* 23. Οὐδέν σ' ὀνήσει βολβός, ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς. Unde *Bulbi ſalaces*, apud eundem *l.* 3. *Epigr.* 75. *v.* 3.

Sed nihil erucæ faciunt bulbique ſalaces.

Ubi *erucas* iis jungit, ſicut *cochleas*, *l.* 4. *Epigr.* 46. *v.* 10. ubi inter Xenia, Saturnalibus Sabello miſſa, numerantur,

Et ficus Libyca gelata teſta,
Cum bulbis, cochleiſque caſeoque.

Et Petronius, *Mox cibis validioribus paſtus, i. e. bulbis, cochlearumque ſine jure cervicibus hauſi parcim merum.* Vide quoque Plinium *l.* 1. *Ep.* 15. Rationem reddit Athenæus *loc. cit.* Βολβοὶ καὶ κοχλίαι καὶ ᾠὰ καὶ τὰ ὅμοια δοκεῖ σπέρματος εἶναι ποιητικά. De *Bulbis* verò ſic Plinius *l.* 19. *c.* 5. *Effodiuntur* bulbi *ante Ver, aut deteriores illicò ſiunt, ſignum maturitatis, folia inareſcentia ab imo. Vetuſtiores improbant, item parvos & longos*, &c. Genera eorum Theophraſtus *Hiſtor. l.* 7. *c.* 13. recitat, *leucojon, bulbinen, opitionem, cyicem* & *ſiſyrinchium*, alia quædam addit Plinius *d. l.* quem vide. Optimi qui fuerint habiti, ex illo Poëtæ metrum videre eſt,

Dentur an Libycis bulbus tibi miſſus ab oris,
An Megaris veniat, noxius omnis erit, &c.

De *bulborum tunicis complicatis ad ellychnia adhibitis*, infrà.

BULBOCASTANUM, quod poſſet vocari *terrea caſtanea*, radix eſt inæqualis, à cinereo in atrum declinans, medullæ candidæ, ſaporis ex dulcedine grati, qualem præberent caſtaneæ paſtinacâ mixtæ: folium ei minutum & conciſum, caulis ſeſquiſpithamalis, flos exilis & albus, in coronam collectus, plurimò filamentò. Amat agrum & vineam. Porci inde ſaginantur ſponte & ruſtici ſub cinere toſtum cum ſale deglutiunt; ſed ſapientioris palati homines excoriatum excoquunt in juſculo, quod carnes præſtant, non ſine pipere, ad conſiſtentiam ferè, habentque in deliciis fœminæ, tum ob ſaporem, tum ob maritorum virtutem, ſed crudius officit. Auctor Anonymus *Sina & Europa c.* 31.

BULCO, vide ſuprà *Boleſlaus*.

BULE, vide infrà *Ecdicі*.

BULEUTÆ, in civitatibus olim Græciæ Aſiæque, Senatores & Decuriones quibuſdam fuiſſe videntur, confuſâ utriuſque linguæ proprietate. Certè Decuriones fuiſſe hinc firmat Anton. Auguſtinus *l. ſing. ad Modeſtinum*, quòd Juſtinianus, cum duas Conſtitutiones de eadem re Græcè & Latinè ſcripſiſſet, alterâ *Decuriones*, alterâ Βουλευτὰς, appellet: *l.* 1. § *cetera Cod. de vet. jure enucl.* Sic Plin. *ad Trajanum*, *l.* 10. *Ep.* 115. *de Buleutis Bithyniæ* ſcribit, cui Trajanus *Ep.* 114. *de Decurionibus* reſcribit. Senatores verò à Modeſtino συγκλητικοὶ dicuntur *c.* 15. *de excuſ. leg. Spadonem de excuſ.* Subſcribit ſententiæ Auguſtini Cujacius *l.* 1. *ff. de excuſ.* differentiam inter Decuriones & Senatores eruens, ex *l.* 15 *ff. eod. tit.* & *l.* καὶ οἱ μὲν βουλευταὶ, *de Tutor. & Curator. datis*, conjuncto § 1. *d. l.* 15. Interim non inficiandum, Curiam & Senatorum & Decurionum fuiſſe. Cùm enim Decuriones, ut Pomponius ait, *l. pupillus* §. *decur. de verb. ſignif.* ex eo dicti ſint, quòd initiò, cùm coloniæ deducerentur, decima pars colonorum Concilii publici gratiâ conſcribi ſolita ſit & nihil Decuriones in coloniis aut municipiis à Senatoribus Romanis differrent, *Novell.* 38. mirum non eſt, ſi in re ſimili ſimilibus nominibus uterentur. Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* De *Jure Buleutarum*, Alexandrinis à Severo Imperatore conceſſo, diximus ſuprà, ubi de hac urbe.

BULEUTERION, Cyzici ædificium amplum, ſine ferreo clavo ita diſpoſitâ contignatione, ut eximantur trabes ſine fulturis ac reponantur, Plin. *l.* 36. *c.* 15.

BULEUTICON, locus erat in Theatro, ubi ſenes ſedebant, quemadmodum ex Ephebico ſpectabant juvenes. Cœl. Rhodig. *Antiq. Lect. l.* 8. *c.* 8. Jul. Pollux *l.* 4. *Onomaſt. c.* 19. Ἐκαλεῖτο δέ τι καὶ βουλευτικὸν μέρος τοῦ θεάτρου, καὶ ἐφηβικόν. *Dicebatur, etiam pars quædam theatri Buleuticum & Ephebicum.* Vide Thom. Dempſter. in *Joh. Roſini Antiq. Rom. l.* 5. *Paralipom. ad c.* 10.

BULGARI, Europæ populi in parte Mœſiæ inferioris ad Danubium, gens ferox, multas in Europa clades vicinis remotiſque intulit. Nonnullis placet, non indigenas, ſed advenas eſſe, è Scythia egreſſos. Hi ab Anaſtaſio Imperatore ad fœdus pertracti, A. C. 500. Conſtantinum Pogonatum ſæpius vicerunt. Myſiâ extortâ, A. C. 677. ut & Juſtinianum Rhinotmetum, ob violatum fœdus, A. C. 690. quem tamen ab Abſimaro pulſum, Rege Trebelliиò, reſtituerunt; A. C. 705. Rurſus, ſub Philippico Bardane Thraciam vaſtârunt, A. C. 711. Leoni Iſaurio contra Turcas, fortiter adſtiterunt, A. C. 718. à Conſtantino Copronymo contriti, ſub Rege Zeleme, A. C. 763. Eorum verò Rex Telerichus pulſus à Leone IV. ac in fidei communionem, affinitatemque aſſumtus eſt, A. C. 779. Similiter Bogerus illorum princeps, ad fidem converſus eſt, A. C. 845. At Simeon Leonem Phil. vicit, A. C. 899. qui ab obſidione Conſtantinopolis, per Zoën, amotus eſt, A. C. 913. Iterum Conſtantinus Imperator a Bulgaris victus eſt, A. C. 918. qui fidem Chriſtianam recepêre, Græcos ſecuti, A. C. 970. ſedati à Zimiſce, A. C. 971. cujus ſucceſſor Baſilius ab illis ſuperatus eſt, A. C. 981. Thraciâ & Macedoniâ vaſtatâ. Poſteà tamen in extremam Bulgariam Samuelem idem amovit, A. C. 1000. intoſ rurſus victis, XV. Mill. captivorum oculos eruit, ſingulis centuriis monoculô duce relictô, Samuele verò præ mœrore mortuô, A. C. 1013. potitus ſimul totâ Bulgariâ, Regumque theſauris. Exin rebelles, per Maniacem, à Michaële Paphlagone victi, A. C. 1041. cum Henrico Imperatore pacem fecerunt, A. C. 1210. Subacti à Carolo Ungaro A. C. 1310. per Michaëlem Ducem, Andronicum imperiò exuerunt, A. C. 1321. qui ipſe Imperator factus, cùm temerè Alexandro Bulgaro bellum moviſſet, ab eo ſuperatus, obſeſſuſque ſit cum exercitu periiſſet, niſi hoſtis ultrò obtuliſſet pacem, A. C. 1336. &c. Vide infrà, & *Volaterran.* qui illos à Volga fluv. dictos vult. Alii Getarum Gepidarumque prolem faciunt. Eorum regio *Bulgaria* dicitur. Sita inter Danubium fluv. Serviam, Thraciam & Pontum Euxinum, eſtque valde extenſa & ampla, aliàs titulò regiò inſignis. Ejus primaria Sophia, urbs ſatis culta. Patria Irnerii, JCti clariſſimi & ſedes non contemnendi Albigenſium cœtûs, circa A. C. 1230. urbe ab Amurathe II. captâ, regio ſub Turcis eſſe cœpit. *Cedren. Zonar.* Vide etiam *Itiner des Hayes*, & Suidam in Βούλγαροι.

BULGARI, ſeu BUGARI Hæretici, Manichæorum aſſeclæ, apud Monachum Altiſſiodor. *A. C.* 1201. ubi *Evraudus Miles*, [illegible], *hæreſis illius, quam Bulgarorum vocant, coram Legato arguitur.* Et *A. C.* 1206. *Hæreticos, quos Bulgaros vocant, vehementer ſtatuit inſectari, ejuſque inſtantiâ actum eſt, ut plerique rebus ſuis exinanirentur, exterminarentur alii, alii cremarentur.* Nomenclatione ad eos quoque poſteà extenſâ, quos *Albigenſes* in Francia, alibi Patarinos, Catharos &c. fictis nominibus criminibuſque appellare, inimicis eorum viſum eſt. Matthæus Paris. *A. C.* 1238 de quodam Roberto Dominicano ſcribens, qui in Flandriam miſſus eſt cum officio Inquiſitoris. *Ipſos autem nomine vulgari Bugaros appellavit, ſive eſſent Paterini, ſive Joviniani, vel Albigenſes, vel aliis hæreſibus maculati.* Et Monachus præfatus ad *A. C.* 1207. *Per idem tempus Bulgarorum hæreſis execranda, errorum omnium fex extrema, in multis ſerpebat locis tanto nocentiùs, quantò latentiùs: ſed invaluerat maximè in terra Comitis Tholoſani & Principum vicinorum*, &c. Horum hæreſin à Manete ortam eſſe, auctor eſt Albericus in *Chron. MS.* 1239. ubi Ludovicô IX. imperante, in Campania, ad ignis ſupplicium *Bulgaros* fuiſſe damnatos refert. Sic autem appellari conſueviſſe, quòd *Bulgari* eorum hæreſi maximè infecti eſſent, ab Orientalibus quippe & Græcis Manichæis hauſtâ: quodque ſummus eorum Pontifex in *Bulgaria* ſedem fixiſſet, tradit Petrus Siculus *in Hiſtor. Manichæorum.* De quo Pontifice, ſic Epiſcopus Portuenſis in *Epiſtola* apud Matth. Pariſium *A. C.* 1223. *Ille homo perditus, qui extollitur ſupra omne, quod colitur, aut dicitur Deus, jam habet perfidiæ ſuæ præambulum hæreſiarcham, quem Hæretici Albigenſes Papam ſuum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum, Croatiæ & Dalmatiæ, juxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt hæretici Albigenſes, ut ad eorum conſulta reſpondeat.* Eundem *Epiſcopum* & *Filium majorem Eccleſiæ Bulgariæ* appellatum eſſe Rainerus habet, *contra Valdenſes c.* 6. Vide quoque Marcam *Hiſtor. Beneharn. l.* 7 *num.* 2. & *ſeqq.* Gallis *Bougres* appellantur; quò nomine hodieque apud illos veniunt οἱ [illegible]. Sed iidem uſurarios ſic vocant omnes, quòd præfati hæretici uſurariis mercimoniis operam dederint, &c. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* & de *Albigenſibus*, *Catharis*, *Valdenſibus*, ſuis locis.

BULGARIÆ Regnum, pars Imperii Moſcorum, aliàs regio ſeu Horda Zavolhaniorum, juxta Volgam fluv. quæ anteà paruit Tartaris. *Baudrand.*

BULGAROCTONUS, Græcè Βουλγαροκτόνος, h. e. *Bulgarorum occiſor*, cognomen titulusque Baſilii Græcorum Imperatoris qui ſic dici amavit, ob ſtragem Bulgaris illatam. Sicut contrà Calo Johannes Bulgarorum Rex *Romæoctonus*, i. e. *Romanorum occiſor*, voluit cognominari, ſeu potiùs *Græcorum*, qui Ῥωμαῖοι dicti ſunt. Vide Car. Macrum in *Hierolex.*

BULGARUS Robertus, rigidus in Germania Inquiſitor fidei, cum Conrado Marpurgenſi, A. C. 1230. Examen Orthodoxiæ erat candens ferrum, quò innumeri periêre, creſcente interim fidelium copiâ, vide *Argentoratum*. Tandem multorum reus flagitiorum, in carcerem conjectus eſt, A. C. 1238. Conradô, ob ſævitiam, occiſô. Munſter. *Geogr. l.* 3. Trithem. *in Chron.*

BULGARUS, JCtus celebris, circa A. C. 1190. Fiſchardus, *in vita Juriſconſ. p.* 126.

BULIA, Phocidis urbs. *Ptol. Bulis Steph.* populi *Bulii*, & *Bulienſes*.

BULIASCUM, vicus Liguriæ.

BULINI, gens circa Illyriam, à Hieraſtamnis uſque ad fluv. Neſtum, nonc Cetinam extenſa. *Artemidorus non gentem, ſed Bulinum civitatem eſſe dicit. Steph.*

BULLA Græco-barbar. [illegible] & Βοῦλλα, à bullæ ſeu monilis ſimilitudine, inter inſignia erat Nobilitatis puerilis, ut & prætexta, inaures, aliaque. Et quidem, ex Plinio *l.* 33. *c.* 1. conſtat, à Priſco Tarquinio omnium primò, filium, cum in prætextæ annis occidiſſet hoſtem, *bullâ* aureâ donatum eſſe: unde mos *bullæ* duravit, ut eorum, qui equò meruiſſent, filii inſigne id haberent, cæteri lorum. Quò reſpiciens Juvenalis *Sat.* 5. *v.* 164.

—— *Etruſcum puero ſi contigit aurum,*
Vel nodus tantùm & ſignum de paupere loro.

De cujus origine plura Macrob. *l. 1. Saturn. c. 6.* Ad hujus itaque ſimilitudinem majus ſigillum, vel ceræ impreſſum, vel capſulæ cuidam ex auro aut argento aut plumbo incluſum, quod literis Principum appendi conſuevit, à ſequioris ævi Scriptoribus tam Græcis quam Latinis, *Bulla* dici cœpit. Principales enim literæ, præſertim eæ, quæ pragmaticas ſanctiones ad totum Imperium vel poſteritatem pertinentes, privilegia & conſtitutiones Principibus vel Præſulibus vel Collegiis, vel Civitatibus datas aliaſque res magnas continerent, non lino & cerâ, ut vulgò, obligari obſignarique ſolebant, ſed erant, uti hodiè loquimur, *patentes*: interim in una parte fidei causâ ſigillum apponebatur, ut legimus in Pragmatico Childeberti Regis apud Aimoinum *de Geſtis Francorum l. 2. c. 20.* aliiſque. Ubi obſervandum, quod Jac. de Breul notat *ad c. 10. ejuſdem libr.* ex Petro Caroli VI. Franciæ Regis Capellano, qui in *Chronicon* Damaſi Papæ commentatus: *Olim*, inquit, *non appendebantur ſigilla per corrigiam vel fila, ſicut hodie, ſed affigebantur literis, continentque chartam amplexam ab utraque parte, cum bona quantitate ceræ. Idque obſervatum eſt, uſque ad Ludovicum Craſſum, qui regnare cœpit A. C. 1110. Hic enim primus cœpit appendere ſigilla*, &c. Quia igitur hæc ſigilla *Bullæ* poſteà appellatæ ſunt, hinc & ipſas Principales literas Pontificumque decreta interdum ſic dici legimus: & *bullare*, apud Petr. Bleſenſem alioſque nihil aliud, quam *ſigillare* denotat. Eandem ob rationem Petrus de Vineis *Ep. 21. l. 1. Bullator* nuncupatur, uti que *Doctores Bullati* dicuntur, qui literis ejuſmodi ſuæ Doctoræ ſigillatis, abſque legitimo examine atque promotione, muniuntur. Vide Joh. Kirchmannum de *Annulis c. 8.* Ubi, poſtquam de *Bulla* quadruplici accuratè diſſeruiſſet, & hoc addit, aureas hic bullis Imperatorem ſubſcribere conſueviſſe, ſingulari quôdam genere encauſti, de quo vide infrà *ſub loco*; aliquando & cinnabari uſos; & præterea tres in fonte cruces ejuſdem coloris appoſuiſſe, per quas tacitè ſcil. juraverint, rata ſe ea velle, quæ ſcriberent. Tutorem verò Imperatoris viridi colore ſubſcripſiſſe, Patriarcham autem cæruleô, à tempore primorum Palæologorum: atque, uti Magno Logothetæ vel etiam Accubitori palâ, cura Annuli vel ſigilli Imperatoris commiſſa fuit, ita Chartophylacem Patriarchalis annuli fuiſſe cuſtodem eumque à Patriarcha ſolenniter acceptum in pectore geſtâſſe, ex Niceta *l. 1. & 6.* Gregorio Dialogo *Ep. 1.* apud Baronium *Annal. tom. 9.* Phranza *l. 3. c. 4.* Cantacuzeno *l. 3. c. 36.* Balſamone *de privileg. Patriarch. p. 455. Meurſio*, Aliis. Sub inclinato ſcil. Imperio quadruplex repetitur, quibus omnibus in literis obſignandis uſus eſt Imperator: Nempe.

BULLA Aurea, *χρυσόβουλλον*, quæ ante Carolum M. non fuit in uſu, Polyd. Virg. *de Invent. l. 8. c. 2.* apud Imperatores: Francorum tamen Reges jam an. 200. antè aurô obſignâſſe literas, refert Franc. Roſierus, *in apparatu ad ſtemmata Lotharing.* Sed fides penès auctorem. Uſi autem ſunt tali bullâ Imperatores, tantùm ad Reges, Sultanos, Toparchas; præſertim cùm ex communi ſententia publicè quid ſtatuerent, perpetuoque obſervandum, *Codinus. Bulla Argentea, ἀργυρόβουλλον*, poteſtatem habuit priori proximam. *Bulla Cerea, κηρόβουλλον*: quâ ad matrem, ad uxorem, ad filium literas mittit Imperator: eratque duplex, rubra & praſina, hinc *διπλοῦν*, & utrâque uſus eſt Imperator, innuendo, ad ſemet etiam pariter atque ad Patriarcham docendi munus pertinere. *Codinus, Meurſius*, &c. *Plumbea* tandem, *μολυβδόβουλλον*, ad Deſpotas, Patriarchas & reliquos Principes honoratiores mittebatur, *Codinus* ſuprà memoratus. *Cerea fuit*, inquit, *ſed bullâ plumbeâ incluſa*, quod etiam tum de argentea, tum de aurea dixeris. Interim plures è ſolido metallo viſæ. Hanc ſui juris demum fecerunt Pontifices, in tantum, ut Alexander III. inter alia privilegia Reipubl. Venetæ, vel hujus Duci, conceſſerit jus obſignandorum plumbô diplomatum. Interim & aurô interdum obſignârunt. Polydorus *de Invent. l. 8. c. 2.* Ejus ſpecimen exhibet Matthæus Pariſienſis, Annô 1237. Metallô autem ſigillare illuſtre privilegium, & ad Principes pertinens, ut ex præcedentib. patet. *Bullam auream* in Orientali Imperio curabat magnus Logothetes, & ut veriſimile eſt, *argenteam* quoque. *Ceream* verò & *plumbeam* Accubitor fundæ, i. e. Sigilli annularis præfectus. *Bullatas* hôc modô literas, tribus in fronte crucibus firmavit Imperator: in calce verò, non pro more Occidental Imperatorum à Carolo M. uſitata, complicatis ſcil. nominis ſui literis, ſed tituli ipſius conſcriptione: omnibus etiam è cubro, nam alioqui haud ratæ videbantur hæ literæ. Atramentum quô uſi, erat cinnabaris, minium, Conchylii ſanguis: ſed ultimo nemini licuit, ſi non Imperatoris literas firmare, ſub Majeſtatis reatu: ne pupilli quidem Imperatoris tutori, qui colore prôin viridi uſus eſt: ut de Alexio Seboſtocratore, Alexii Comneni tutore, refert Nicetas *l. de ejuſdem Imperio*. Vide Spelmannum, *Gloſſar. Archæol.*

BULLA Aurea, in ſpecie, appellatur, *Liber ſcriptus in Pergameno, in viginti quatuor foliis, cum coopertura groſſa, in quo erant ſcripta diverſa negotia ſacrum Imperium & Electores ejuſdem tangentia: qui quidem liber transfixus erat cum filis ſericis glauci & rubei coloris involutis, cum Bulla ſeu ſigillo aureo rotundo Imperiali appendente, in cujus uno latere apparebat figura Imperialis, in Majeſtate ſedens, cum corona Imperiali in capite, habens in manu dextra ſceptrum, & in ſiniſtra unum pomum cum cruce deſuper, modô Imperiali, & à latere dextro clypeum cum Aquila, & ſiniſtro clypeum cum forma Leonis. In circumferentia verò legebantur hæc verba:* Carolus IV. divinâ favente clementiâ, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex. *Ab alio verò latere, caſtrum magnum cum duabus turribus, habens portam inferius in medio, cum literis:* Aurea Roma. *In circumferentia verò legebantur hæc verba:* Roma caput mundi regit orbis frena rotundi. Pitus Cardinalis apud Marquardum Freherum, *in not. ad Petro de Andlo l. 2. c. 5. p. 173. 6.* Vocatur hæc *Carolina* quoque ab auctore: qui eam condidit partim Norimbergæ, partim Metis: A. C. 1356 Capita ejus quatuor 4. Idus Januarii, poſteriora verò Natalis Domini promulgata ſunt. Hæc *Lex nobiliſſima, nervus firmiſſimus pacis publicæ, firmamentum, propugnaculum & quarumque tranquillitatis & pacis in Imperio, firmiſſima Romani Imperii petra, compendioſa juris publici collectio, veriſſimum Imperii Palladium*, &c. paſſim Auctoribus dicitur. Vide ſis Limnæum *Enucl. l. 4. c. 9.*

BULLA Regia, liberum Numidiæ oppid. Plin. *l. 5. c. 3. Bullaria-Ptol. Antra* hodiè dici fertur. Urbs Africæ. *Sanſoni*, nunc *Reye.* Inter Conſtantinam & Tunetum, in regno Tunetano. Cognomen ei *Regia* inde, quòd ſedes aliquando Regum fuerit, *Regiæ* enim *Urbes* hâc notione paſſim occurrunt, apud Scriptores Sic Cæſarienſis Colonia, *Bocchi primùs Regia*, apud Plin. *l. 5. c. 2.* oppidum Jol, *Jubæ Regia*, apud *Eundem.* Et Græcis, Cirtha ἡ Σύφακος βασίλειον, apud *Strabonem*: quam *Regiam* & *Regis Domum* vocat Mela *l. 1. c. 6.* Iiſdem & *Hippo Regius* dictus eſt, vide Salmaſ. *ad Solin. p. 475.* & infrà, in voce *Regia.*

BULLÆ Pontificiæ, (quibus *Brevia* opponuntur, vide ſuprà;) quæ manu ipſiuſmet Papæ & à cunctis Cardinalibus, ſeu majori ſaltem parte, firmantur, præter plumbum, appictam habent crucem, circa quod præclarum aliquod dictum, ex S. Scriptura ſigni locô aut ſymboli Pontificis, legere eſt. Sic Lucii III. ſignum erat, *Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.* Urbani III. *Ad te, Domine, levavi animam meam.* Alexandri III. *Vias tuas Domine demonſtra mihi*: Clementis III. *Doce me, Domine, facere voluntatem tuam*: Cæleſtini III. & Honorii III. *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis.* Gelaſius II. ſignavit his verbis, *Deus in loco ſancto ſuo*: Gregorius IX. *Fac mecum Domine ſignum in bonum!* Paulus III. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*: Pius V. *Utinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas juſtificationes tuas*: Urbanus VIII. *In Domino ſperans, non infirmabor*: Innocentius X. *Da ſervo tuo cor docile, ut populum tuum judicare poſſim*: Alexander VII. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper q. a. d. e. m. n. c.* id eſt. *quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear.*: Clemens IX. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo*: Clemens X. *Jeſu tibi ſit gloria!* &c. Vide Macros Fratres in *Hierolex.* Nec omittendum, ſicut Imperatores olim Conſtantinopolitan. ita Pontifices duplici *Bullarum* genere uti ſolêre; *ſimplice Bullâ*; h. e. tali, quæ ab una tantùm parte ſignum habet, Apoſtolorum videl. Petri & Pauli imagines, ex altera verò omnino plana eſt, quam ante coronationem adhibent ſubſcribentes ſaltem, *Datum anno N. die N.* ſuſcepti à nobis officii Apoſtolatus: & duplici, cum prædictis imaginibus ab una & nomine Pontificis, ab altera parte: quâ utuntur poſt coronationem, ſcribentes, *Datum annô Pontificatus noſtri.* Collocatur autem in hoc plumbo, ut & in aliis quibuſdam picturis, à parte dextra D. Pauli, à ſiniſtra, D. Petri, imago: quemadmodum eorundem Apoſtolorum capita, in antiquis ex argento ſtatuis, ſupra Ciborium Lateranenſis Eccleſiæ hodieque viſuntur; *qua*, olim, *dignior is locus habebatur*, uti habet Leo Allatius *de Eccleſ. Or. & Occ. conſenſu l. 2. c. 6.* Certè ex antiquo hoc ritu Ottonem Cardinal. litem de præcedentia ortam, inter duos præcipuos Angliæ Præſules A. C. 1237. in Concilio Londinenſ. ita compoſuiſſe legimus, ut diceret, in Bulla Papali Petrum ad Pauli ſiniſtram collocari, in ſignum humilitatis, quod prius Eccleſiaſticis præcipuè viris imitandum ſit, apud Matth. Pariſium & Odoricum Rinaldum in *Annal. Eccleſ.* Porrò Papam *Bullas* expeditionum & collationum in plumbo ſignare, ſed hôc diſcrimine, quòd in expeditionibus in forma *dignum*, ut ajunt, ex funiculo rubro & flavo colore commixto pendeat, obſervant iidem Fratres; adduntque, antiquitùs duos fratres Ciſtercienſes Converſos ad cudendas *Bullas* adhiberi conſueviſſe, qui *Fratres plumbi* ſeu *de plumbo*, vocati fuerint; tranſlatôque poſteà ad ſeculares iſtô munere, hos in proceſſione cum aliis Cancellariæ Officialibus incedentes, habitum laicalem Ciſtercienſium retinuiſſe. De *Bulla in Cœna Domini*, de *Bulla motu propriô*, vide Eoſdem: nec non infrà, voce *Plumbatores.*

BULLÆUM, urbs inſul. Britanniæ. *Ptol. Villanovanus* ſcribit *Wellam* appellari, ſed *Camdeno* magis fidendum, cui eſt *Buelth*, oppid. in Wallia comitat. Brecknoc. ad Vejum fluv.

BULLÆUM, vulgò BULLES, oppid. Bellovacenſis agri in Gallia prope amnem *Breſche*, 4. leuc. à Bellovaco in Ortum.

BULLAMINSA, Africæ propriæ oppid. *Ptol.*

BULLARIA, dicuntur, in Eccleſia Romana quæ ex Regeſtis Pontificum confecta, *Conſtitutiones* Pontificum integras exhibent; Quale A. C. 1588. Romæ edidit *Laërtius Cherubinus de Nurſia* JCtus, quod *magnum* vocat. Continentur in eo *Conſtitutiones* Pontificum Romanorum à Gregorio VII. uſque ad Sixtum V. cum ſubtitulis, ſummariis & lucubrationibus. *Summam Bullarii*, in principio hujus ſeculi, dedit *Stephanus Quaranta*, in qua exhibet Pontificum Conſtitutiones editas, poſt libros Juris Canonici vulgatos, uſque ad Paulum V. Venetiis A. C. 1609. Eam continuavit *Proſper de Auguſtino* JCtus & *Additionibus* illuſtravit, Lugduni A. C. 1661. Gerh. von Maſtricht. *Hiſtor. Juris Eccleſ. num. 398. & ſeqq.* Vide quoque Macrum in *Hierolex.*

BULLENSES, vel BULENSES, populi Locrorum. Plin. *l. 4. c. 3.*

BULLIALDUS Iſmaël, vide *Iſmaël.*

BULLIDENSIS, Macedoniæ colonia. Plin. *l. 4. c. 20.*

BULLINGERUS Henricus, Bremogartiæ natus, Tiguri Zuinglio in Miniſterio ſacro ſucceſſit, A. C. 1531. Eruditione, pietate, ſcriptis editis, inter quæ *in Eſajam Homiliæ, Conciones in Jeremiam, Expoſitio Danielis, Commentarii in pleroſque N. T. libros*, aliaque, quæ omnia 10. Tomis prodierunt, inclytus. Nec omittendus libellus inſignis, A. C. 1527. vernaculâ linguâ ab eo editus, ſub titulo: *Anklag Gottes an die Eidgnoſchafft*, quô Deum Helvetios acriter increpantem, illiſque militiam tum mercenariam, fœdera cum Principibus alienæ religionis, penſiones annuas, &c. exprobrantem, introducit: Et in hoc quoque Zuinglii imitator. Obiit A. C. 1575. ætat. 71. Melch. Adami. *Nullum argumenti genus fuit*,

fiât, in quo probè et non fuerat verſibile, *Verbeill.* Vide & *Menticus*: plura verò apud Anton. Teiſſier *in Elogiis Vol.* 1

BULLIO, oppid. cum arce in monte firmiſſima, ſeu Ducatus à Gothofrido Lotharingiæ Duce, propter expeditionem in Turcas recuperandæ Terræ ſanctæ gratiâ Sperto Eburonum Epiſcopo magnâ vi auri venditus. A.C. 1096. Æmil. *l.* 4. A Leodio 16. milliar. in confinio Franciæ ditionis.

BULLIONES, barbari incolæ Macedoniæ. Plin. *l.* 3. *c.* 23. ubi *Buliones* dicuntur.

BULLIS, oppid. Pelaſgoniæ regionis Macedoniæ, ſub Elymiotis, ejus incolæ *Bylliones Straboni*. Vide infrà.

BULLIS, Macedoniæ urbs in ea parte, quâ mari Adriatico adjacet, non procul ab Apollonia. *Ptol.* Inde *Bullidenſis* Colonia, & *Bulliones* populi.

BULLONIUM, vide *Bullio*.

BULSINUS Lacus, *Procop.* & *Agathia Volſinienſis* Plinio, *l.* 3. *c.* 5. *Vulſinienſis Columellæ*, hodiè *Lago di Bolſena*.

BULUA, Liburniæ urbs. *Ptol.* nunc *Bedona*.

BULULA, Libyæ Cyrenaicæ oppid.

BUMASTUS Uva, quòd acinos haberet hederæ mammis, i. e. acinis ſimiles, dicta eſt, à particula intenſiva βȣ̃ & nomine μαζὸς, *mamma*. Plin. *l.* 14 *c.* 3. *In pergulis verò ſervantur, eſcariæ appellatæ. Edera acinis albæ nigræque bumaſti, totidem coloribus.* Acini namque hederæ Græcis μαζοὶ, i. e. *mammæ* propriè, à ſimilitudine mammarum. Hinc Plin. *l.* 16. *c.* 34. de Hederis, *Signa ejus folia maxima atque latiſſima: mammas erigentes, quæ ſunt cæteris inflexæ, racemi ſtantes ac ſubrecti.* Ubi dicit, eam hederam (ὀρθοῖς κορύμβοις) racemis ſtantibus ac ſubrectis eſſe, erigentibus mammas, quæ ſunt cæteris inflexæ. Et certè qui acinos iſtiuſmodi hederæ inſpexerit, deprehendet mammis ſimiles eſſe, cum parvo ἀκρομαστίῳ, quod papillam refert. Inde igitur *Bumaſtus*: cujus & Virg. meminit, *Georgic. l.* 2. *v.* 102.

—— Et tumidis bumaſte *racemis*.

Sed & herbæ hoc nomen eſt, apud eundem in *Culice*,

Bumaſtuſque virens & ſemper florida tinus.

Et *Heſychium*, Βȣμαστὸς, εἶδος ἀμπέλου, οἷον βοῦς ὄψου. Verùm tum alia ejus origo, παρὰ τὸ μάσθαι videlicet, quod eſt *quærere*, & βȣ̃ς, *bos*; avidè enim *à bobus expetitur*, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 366.

BUMATHANI, Taprobanæ populi. *Ptol.*

BUMELLUS ſive BUMELUS, Aſſyriæ fluvius apud Gaugamelam urbem, Arriano *l.* 6. & Q. Curtio *l.* 4. *c.* 9. Eundem vulgati codices apud Arrianum & Curtium vitioſè *Bumadum* vocant.

BUNA, fil. Jeramoel. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 25. i. e. *ædificans*, *intelligens*, vel *adoptans*.

BUNARTIS, urbs Libyæ. *Steph.*

BUNAS, Athenienſis, qui arbiter in controverſia inter Calydonios, & Eleos deſignatus, per fictas occaſiones rem in longum diſtulit, nec unquam de hac pronunciare voluit. Unde Proverb. *Bunas judex eſt.*

BUNEA, Juno dicta eſt, à *Bunone* Mercurii fil. *Pauſan.*

BUNDIUM, vel BURNUM. Hunc locum in Aquitania Normannorum latrocinia nobilitarunt. *De Nordmannia* 13. *piratica naves egreſſa, tandem in Aquitanico litore proſperis uſa ſucceſſibus, vicô quodam, qui vocatur Bundium* (aliàs *Buin*) *ad integrum depopulatô, cum ingenti præda ad propria reverſa ſunt*: ut ſcribit Eginhardus in rebus anni 820. Quem vicum *Bundium* in Aquitanico litore vocat, Eginhardus *in Annalibus*, eundem vicum *Buin* nuncupatum reperio in Vita Imperatoris Ludovici Pii. Annô 820. *Naves* 13. *piratica à Nortmannia in Aquitaniam ſeſe verterunt: & vaſtatô vicô, Cujus vocabulum Buin, multâque onerata prædâ, reverſa ſunt.* In Chronico de Geſtis Nortmannorum, quod Andreas Cheſnius *tomô* 2. *Hiſtoriæ Francicæ ſcriptorum* inſeruit, nuncupatur *vicus Burnod*. *Northmanni in Aquitanico litore proſperis uſi ſucceſſibus, vicô Burnod depopulatô, cum ingenti præda reverſi ſunt ad propria.* Ubi legendum videtur, *vicô Burn ad integrum depopulatô.* Hæc enim ex Eginhardi Annalibus ſunt deſumta, & ad verbum ferè tranſſcripta. Certè in Annalibus Bertinianis ita ſcriptum reperio: *De Nortmannia* 13. *piratica naves egreſſa, tandem in Aquit. litore proſperis uſa ſucceſſibus, vicô quodam, qui vocatur Burnod integrum depopulatô, cum ingenti præda ad propria reverſa ſunt.* Nemo non videt ibi eſſe emendandum, *vicô quodam, qui vocatur Burn, ad integrum depopulatô*: uti legitur ſcriptum in *Chronico S. Arnulfi*, quod *Annales Metenſes* appellant. Ac forſitan & apud Eginhardum & in Vita Ludovici Pii nomen vici emendari conveniet, & *Buin* in *Burn* mutari. Quippe vulgò etiamnum vocatur *Born*, vel *S. Paul de Born*, nomenque dedit Præpoſituræ Burnenſi, *la Prevoſté de Born*. Vetus iſte *vicus Burnenſis* poſitus eſt in Medulis trans Garumnam, inter duos fluviolos ſtagnum maritimum, Oceani æſtu augeri ſolitum, ingredientes. Valeſ. *Notit. Gall.*

BUNELLUS Petrus, vide *Petrus*.

BUNGÆUS Thomas, vide *Thomas*.

BUNGUM, urbs Japoniæ, in ora orientali Inſul. *Ximo*, cum regno cognomine 50. mill. paſſ. à Nangaſaco in ortum. Ibi Rex Chriſtianus aliàs cum maxima parte ſubditorum, nunc pauci admodum, reperiuntur ab A. C. 1620.

BUNIMA, urbs Epiri ab Ulyſſe condita. *Steph.*

BUNITIUM, Germaniæ urbs. *Ptol.* vulgò *Stral ſund*. Emporium celebre, & urbs Hanſeatica permunita, inſtar inſul. ſub Suecis ab A. C. 1630. Vide *Stralſunda*.

BUNIUS, fons in finibus Veſtinorum. *Columell.*

BUNNUS, Illyriæ urbs. *Steph.*

BUNOBORA, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. *Ptol.* Nunc *Beni Arax*, *Sanſon* teſte: urbs ampla Barbariæ, in regno Algerii, 60. mill. paſſ. ab Orano in Auſtrum.

BUNOMUS, Macedoniæ civitas, *Pella* poſteà dicta. *Steph.*

BUNTINGUS Henricus, vide *Henricus*.

BUPALUS, pictor fuit apud Clazomenas Aſiæ civitatem, qui cum Anthermo, circa Olymp. 6 . Hipponactem P. tam deformem pro riſu depinxit, quòd ille furore commotus, tali eum carmine perculit ut ſe laqueô ſuſpenderet. Horat. *Epod.* 6. *v.* 13.

Qualis Lycambæ ſpretus infido gener
Aut acer hoſtis Bupalo.

Alii ſic: *Bupalus & Anthermus, fini fuerunt* Anthermi Chii, qui in arte ſculpendi clariſſimi extitère: ii feruntur ſculpſiſſe Hipponactis deformis Poëtæ imaginem; rejicit tamen Plinius ut falſum, quòd ad laqueum adacti fuerint à Poëta: *compluria enim*, inquit, *in finitimis inſulis ſimulacra poſteà fecêre: ſicut in Delo, quibus ſubjecerunt carmen, non vitibus tantum cenſeri Chium, ſed & operibus Anthermi filiorum.* In ipſa Chio monſtratur operis ipſorum Dianæ facies, in ſublimi poſita, cujus vultum intrantes triſtem, exeuntes exhilaratum putant. Conſulito Plin. *l.* 36. *c.* 5.

BUPETII Ludi, vide *Bouba*.

BUPHAGUS, Arcadiæ fluv. à *Buphago* Japetiſilio, quem honeſta parum affectantem, in monte, in Pholoë, peremit Diana. Cœl. Rhodig. *l.* 26. *c.* 2. Item *Buphagus* Hercules cognominatus eſt, quòd multi cibi eſſet, & boves integros comederet.

BUPHIA, vicus Sicyoniæ. *Steph.*

BUPHONIA, *Etymologus*, Ἑορτὴ ἦν παρ' Ἀθηναίοις ἡ Βουφόνια, ἐν ᾗ πολλοὺς ἔθυον βόας. Vide Meurſium, in *Buphonia*.

BUPHONUS, Jovis Sacerdos. *Pauſan.*

BUPHTHALMOS, apud Plin. *l.* 25. *c.* 8. *Eſt & buphthalmos ſimilis boum oculis, folia fœniculi, circa oppida naſcens, fruticoſis caulibus, qui & manducantur decocti. Quidam Calchan vocant*: herba eſt, quam *Dioſcorides* καχλαν vocat, alii κάλχαν, ut Plin. habet, Siculi κάλθαν, unde Romani Caltham fecêre. Quamvis *caltha* Latinis propriè non ſit Græcis Βȣφθαλμος, quæ herba apud Latinos nomine caret. Unde Græcam appellationem retinuit Plin. & Virg. in *Culice*,

Buphthalmuſque virens. ——

Κύτινα μῆλα, *flores luteos*, ei tribuit idem *Dioſcorides*, unde χρυσάνθεμον quoque nonnulli appellârunt: alii καλχάνθεμον, ab *auro colore*, qui flavus eſt, dictum maluut, &c. Qua de re vide plura, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1261. De ejus verò in Coronis Veterum uſu, Car. Paſchalium *Coronar. l.* 3. *c.* 25. ut & infrà in voce *Helichryſum*.

BUPLANOSTICTUS, tumulus apud Julium, quòd ex Myſia bovem ſecutus Ilus, ibi demum urbem condiderit. Cœl. Rhodig. *l.* 26. *c.* 2.

BUPRASIUM, civitas, & fluv. & regio Elidis à *Buprasio* conditore. *Homer.* Plinio *l.* 4. *c.* 15. inter Achajæ loca recenſetur.

BURA, Jovis filia apud *Pauſan.* Inde *Buraicus* Hercules dictus. Vide Gyrald. *Synt. de Diis*.

BURA, oppid. Gueldriæ Batavicæ, prope Lingam amnem, Comitatus titulô clarum. 3. leuc. à Buſco Ducis in Septentrionem, totidem ab Ultrajecto in meridiem.

BURA, vel BURIS, urbs Achajæ propriè dictæ, ad ſinum Corinthium ſita, olim florentiſſima, nunc unà cum Helice vicinæ urbis maris impetu hauſta. Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 293.

Si quæras Helicen, & Buram Achaidas urbes,
Invenies ſub aquis: & adhuc oſtendere nautæ
Inclinata ſolent cum mœnibus oppida merſis.

Vide & *Buraicus*.

BURA, vel BURIS, pars eſt temonis ima & incurva, quæ Græcis γύης. Virg. *Georgic. l.* 2. *v.* 169.

Continuo in ſylvis magnâ vi flexa domatur
In burim & curvi formam accipit ulmus aratri.
Huic a ſtirpe pedes temo protentus in octo,
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorſo.

Nempe buris ab imo vel ab ima parte temonis, cui temo à ſtirpe in pedes octo protenditur. Aliter *urvum*; quam tamen vocem paulo ampliùs extendit *Feſtus*: *Urvat*, Ennius in *Andromeda ſignificat, circumdat, ab eo ſulco, qui fit in urbe condenda urvô aratri, quæ ſit forma ſimillima uncini curvatione buris & dentis, cui præfigitur vomer.* Ubi curvationem buris & dentis, cui vomer præfixus erat, totum id urvum appellatum dicit & figuram habuiſſe ſimillimam uncini, quò nomine etiam vomerem comprehendit, cùm Veteres *burim* pro ipſa curvatione vel urbo aratri (cui dentale aptatum, ut dentali præfixus vomer) ſolùm uſurpaverint. Ab *urvo* ſeu *urbo*, *urbare*, i. e. circumducere, circumſcribere. Unde *Urbs*, quòd eas aratro olim conderent: cujus circuli umbilicus in foro dicabatur, & viæ directæ in medium conſtruebant. Quò faciunt illa *Ariſtophanis*,

—— —— —— ναὶ μέτρω
Ἄγγωγε, θήσεται δ' ἄνω εἰς κύκλον ἀεί.
Ὀρθὸν αὐτὸς ἐν τῷ μέσῳ ——

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 810.

BURACE, urbs Indiæ, intra Gangem. Vide *Baracæ*.

BURÆA, urbs Italiæ, à Buræo condita. *Steph.*

BURAGRAGUS, fluv. Africæ in regno Fezzæ, Provinc. Temeſnam à Fezzana dividens, in Oceanum Atlanticum ſe exonerans, ad Salam oppid.

BURAT-

BURAICUS, epitheton Herculis, & nomen amnis. Pauſan. *Achaicis. Qui ad mare ex Bura deſcenditur, amnis eſt Buraicus nomine, & in (proxima) ſpelunca non ita magnum Herculis ſignum: Buraico & ipſi cognomen. Oraculi* (cujus) *ſortes capiuntur per talos. Qui conſultum venire, precatione ad ſignum peracta, votiſque nuncupatis, talos-quatuor ſumentes, eos jaciunt ſuper menſam. Inſcripti ſunt certis notis tali ſinguli, earum illi notarum interpretatione in tabula* (ſimilitudinem ſequuti) *requirunt*: quæ ultima verba Græcè habent Ἐπὶ δὲ τῷ ἀστραγάλῳ σχήματι γεγραμμένα ἐν πίνακι ἐπιτήδες ἐξήγησιν ἔχει τοῦ χρήματος. Cujuſmodi divinationis genus Κληρομαντεία vocatum, unum ex præcipuis fuit, & in Sortibus Prænestinis, Antiatinis ac Gerionis oraculo apud Patavium ad Aponi fontem aliiſque pluribus, locum habuit. Vide Anton. van Dalen *de Oraculis Diſſertat.* II. p. 342. & ſeqq. de vocis origine verò paulò ſuprà, in *Bura*.

BURBIDA, Hiſpaniæ urbs, inter Bracharam, & Aſturicam. *Antonin.*

BURBINCIA vel **BORBINSIA**, vulgò *Brebence* aut *la Brebance*, fluv. Galliæ in pago Auguſtodunenſi, Patrulam recipit, nec non fluvium Valdracum aut Valdragam, *Laudrac*, cui Patriciacus villa *Percy*, Monaſteriô veteri nobilis, eſt impoſita, & in Aronum ſe exonerat, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Auguſtodunum*.

BURBO, eſt vetus caſtrum in finibus Biturigum, *Burbo Archembaldi* vel *Erchenbaldi* à vetere Domino cognominatum, *Bourbon l'Archambaud*; aliàs *Burbo ad balnea*, *Bourbon les bains*, ab aquis calidis & ſalubribus, quæ ex duobus aut tribus puteis magis quàm fontibus ibi emanant. Ejus meminit Hiſtoricus Pippini Regis æqualis, qui rogatus à Nibelungo Comite VI. fratre ejus patrueli, res clariſſimi Principis ſcripſit ante annos nongentos: *Anno 761. Pippinus Rex ad Nivernum urbem veniens, Ligeris fluviô tranſmeatô, ad caſtrum, cujus nomen eſt Burbone, in pagum Bituricum pervenit; cumque in gyro caſtra poſuiſſet, ſubitò à Francis captus atque ſuccenſus eſt.* In anno 761. veteres Annales nunc *Borbonem caſtrum*; nunc ſed corruptè *caſtellum Burbonis* & *Burbonnes*; Eginhardus *caſtellum Burbonis*; *Burbonem* Annales Fuldenſes appellant; Annales Metenſes *caſtrum cui nomen eſt Burbone in pago Biturico*. Geſta Conſulum Andegavenſium, & Geſta Dominorum Ambaziacenſium *Borbonem*, & *Borbonium* etiam vocant; Petrus Eccleſiæ Bituricæ Archiepiſcopus, *in epiſtola ad Ludovicum Francorum Regem*, & auctor Geſtorum Ludovici VII. Francorum Regis *Borbonium*: ut pro *Rancone Ranconium*, pro *Alentione Alenconium* ſæpe dici reperias. Certè illis *Erchenbaldus de Borbone*, & *Archembaudus de Borbone*, ac *Archembaldus Fortis de Borbono*; his *Archembaudus de Borbono*, & *Archembaudus de Borbonio* nuncupatur. Inter Nobiles pagi Biturici *Archembaudus Princeps Borbonenſis* memoratur in litteris annô 1012. datis. Sugerius de Vita Ludovici Craſſi *Nobilem Baronem Haimonem, Vairam Vaccam cognomine, Burbonenſem dominum, in partibus Bituricenſium* commemorat: *Comiſſam Borbonum* Caduceus in litteris ad Rotrocum Comitem Perticenſem. Eſt & alter *Burbo* cognominatus *Anſelli*, ab Anſello ejus Domino, *Bourbon l'Anſi*, poſitus ad dextram Ligeris ripam in Æduis diœceſique Auguſtodunenſi, & Ducatu Burgundiæ, & ipſe aquis quoque ſuis calidis ac medicis notus, ſed priore minus. Hildebertus Cenomanorum Epiſcopus, *in Vita Hugonis Abbatis Cluniacenſis*, *Borbonium* vocat. *Borbonis* (inquit) *cùm per 6. menſes quartana ſuſtinuiſſet incendia.* R. Senonenſis Abbas B. Johannis Evangeliſtæ *Balbonem* vel *Balbonenſe oppidum* nuncupat in epiſtola ad *Priorem Cluniacenſis cellæ*, & ad *Principes* (id eſt, Primores) *ac Milites*, & *univerſos indigenas Balbonis oppidi*: in qua de Urſone, regulari Canonico, ordine Diacono, ægrotante ita refert, *Suggeſtum eſt ei a nonnullis, balnea quæ apud vos ſunt, illi ſummoperè profutura. Ea propter ad balnea ipſa feſtinare diſpoſuit, & ibidem quantum ſat erit immorari.* Quod ne quis de Burbone Anſelli, in Auguſtodunenſi Æduorum diœceſi poſito, dictum inficietur, ſcire convenit inter cellas Cluniacenſes ſive *Prioratus* ad Cluniacum pertinentes à Paſchale Papa anno 1109. S. *Nazarium Borbonenſem* numerari; à Ludovico Rege Francorum in litteris annô 1119. datis *Borbonium*. *Prioratus* autem *SS. Martii. Nazarii & Celſi prope caſtrum Borbonem in Æduenſi* (i. e. in Auguſtodunenſi) *diœceſi* eſſe docet Polypcychon Cluniacenſe, ſeu catalogus Monaſteriorum Cluniaco ſubjectorum: qui ſitus & diœceſis Burboni Anſelli conveniunt, non conveniunt Burboni Archembaldi, qui ſitus eſt in pago Biturico. Ex quo intelligitur Burbonem Anſelli ante annos amplius quingentos aquis & balneis ſuis clarum ac nobilem extitiſſe: qui *Bubo* ſuprà dicitur r in l converſô, ſicut ex peregrino pelerinum fecêre Noſtri. In tabula Theodoſiana ſive Peutingeriana utriuſque Burbonis fieri mentionem Buſſonius exiſtimabat, amicus quondam noſter, Geographiæ peritiſſimus ac itinerum Romanorum, in qua hæc leguntur: *Aquis Niſineii*, *Boxum*; *Aquis Bormonis*. Hic *Aquas Niſineii*, aliàs *Niſinéii* eſſe *Bourbon l'Ancy* arbitrabatur; *Aquas Bormonis*, aut *Aquas Bormonas*, eſſe *Bourbon les Bains*, ſive *bourbon l'Archambaud*: quæ probabilis eſt conjectura; quam ſi admittimus, *Aquis Borvonis* quàm *Bormonis* legi emendarive malim, & ex *Borvone Burbonem Borboniumve* poſteà factum eſſe exiſtimem. Quamquam non diſplicet mihi opinio, utriuſque *Burbonis* nomen à *burbis*, i. e. ab aquis lutoſis, quas *bourbes* vocitant Noſtri, deduci jubentium: ſicut *Burbincia* vel *Burbencia*, qui & *Barnonius* dicitur, vulgò *la Brebence*, aut *la Brebince*, à burba nomen accepit. Nam Olivarius de Marchia inſanit, qui *bourbon* non à veteri nomine, quod eſt *Burbo*, ſed à *Burgo bono* deducit, tanquam *Bourbon* dicatur pro *Bourgbon*. *Burbo Erchembaldi* nomen dedit pago Ducatuique Burbonenſi: qui pagus eſt non antiquus, & primò Burbonem ſolummodò, Muratum, (*Murat*) Cantiliamque continebat; ſed pòſt Biturigibus Cubis, Arvernis, Nivernenſibus, & Forenſibus Seguſianis, finitimis ſuis multa detraxit, auctuſque eſt detrimentô vicinorum: & nunc in 4. parœcis eſt poſitus, in Auguſtodunenſi & Nivernenſi Æduorum, in Biturica Biturigum Cuborum, & in Claromontenſi Arvernorum. Pars pagi Burbonenſis recentior, inter Ligerim & Elaver flumina jacens, quæ Molinas ipſas nunc caput pagi continet, ad Epiſcopatum Auguſtodunenſem pertinet, Æduiſve adſcribitur. Quare rectè Coquillius obſervavit, Bojos, quibus Ædui agros dederunt, hos unos & ſolos eſſe Burbonenſes, qui Ligerim inter & Elaver ſedes habent. Pars autem veterrima pagi Burbonenſis, cujus caput fuit caſtrum Burbo Erchembaldi, eique nomen dedit, erat (ut eſt hodieque) unà cum Burbone ipſo in pago Biturico, ſicuti ſuprà docuimus, & Eccleſiæ Bituricæ finibus continebatur. Ab eo Burbone nobiliſſima familia Burbonenſis appellationem traxit; ex qua familia tertium jam Principem habemus, Ludovicum Adeodatum, Francis feliciter imperantem, & cum victoriis tum eximiis virtutibus ſuis totô terrarum orbe illuſtrem, fautorem liberalium artium, litterarum reſtitutorem. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BURBURGUS, oppid. Belgii in Flandria, aliàs munitum. Subeſt Galliæ Regi cum toto agro ab A. C. 1657. 2. leuc. à Gravelinga in Auſtrum.

BURBURUS, apud Vopiſc. in *Firmo*, c. 4. *Fuit tamen ei contentio cum Aureliani Ducibus ad bibendum ---- Nam quidam Burburus nomine de numero vexillariorum notiſſimus potator, quum ad bibendum eundem provocâſſet, ſitulas duas plenas merô duxit & totô poſteà convivio ſobrius fuit. Et quum ei Burburus diceret, Quare non feces bibiſti? reſpondit ille, Stulte, terra non bibitur*: Caſaubono non eſt verum nomen, ſed ſtrenuo potatori nomen inditum per onomatopœiam, ceu ulicut amphoræ aut utri; ad imitationem ſoni illius, quem liquor edit, dum funditur, quodque *bilbere* veteres Latini, βομβυλεῖν Græci dixêre. Salmaſio verò, proprium fuit militis hujus nomen, ex Græco Βόρβορος factum. Vide utrumque *ad Vopiſc.*

BURCA, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. *Ptol.*

BURCHANA, inſul. maris German. occidentalis vide *Byrchanis* & *Fabaria*.

BURCHARD, ſeu *Brochard*, vel *Buchardus*, Dominicanus, terram *Sanctam* deſcripſit. Sixtus Senenſ. *Biblioth.* l. 4. Geſner. *Biblioth.* Item, Comes d'*Etable*, qui tempore Caroli M. Saracenos mari vicit, A. C. 806.

BURCHARDUS, monachus Lobienſis, Epiſcopus Wormatienſis. Collegit 20. libros Decretorum ſeu Canonum Conciliorum, Paparum & Patrum, non Photii methodum, ſed Trebonianum in Pandectis, imitatus; aliaque ſcripſit. Obiit A. C. 1026. Sigebert. A. C. 1008. & *de Viris Illuſtr.* c. 141. Hic verò ubi, & quibus auxiliaribus opus hoc ſeu *Decretorum libros* perfecerit, docet Auctor Anonymus, qui *Vitam* ejus ſcripſit, cum Decreta ipſius ediuus, *Foreſtus ſylva eſt*, inquit, *duobus milliaribus à Wormatia diſtans, abietibus abundans, & hanc palus limoſa ex una parte ambiens circumcingit, in cujus mediocritate collis pulcherrimus conſiſtit, ad quem Vir Dei ſe transferri præcepit, & quia mundanos tumultus devitare voluit, arboribus fruticibuſque ſucciſis collem explanavit. Ibi quoque primum fecit oratorium, dein aliis officinis peractis, cellam egregiam conſtruxit. Illuc ſe poſt Concilia Regiaque colloquia, & poſt curam ſynodalem diverſoſque mundi ſtrepitus receperat. Ibi quoque negotiis ſecularibus poſt tergum projectis, totis viribus in obſequio Dei ſtudebat. Eidem quippe tempore in Collectario Canonum in hac cella non modicum laboravit. Nam Dominô Walterô Spirenſi Epiſcopô adjuvante & Brunichone Præpoſitô exhortante, & ſuggerente, Canones in unum corpus collegit —— quia Canonum jura pœnitentiumque judicia in Epiſcopatu ſuo omninò erant neglecta ac deſtructa*, &c. Sigebertus in Chron. ad A. C. 1008. eum; *collaborante Magiſtrô ſuô Olbertô Abbate, Virô undiquaque doctiſſimô, magnum Canonum Volumen* edidiſſe; & in l. de Script. Eccl. c. 141. de eo hæc refert: *Burchardus magnum Canonum Volumen, quod a nomine ipſius* BURCHARDUS *denominatur, multô ſtudiô compoſuit, quod teſtimoniis omnium authenticorum Conciliorum & decretis Romanorum Pontificum & ſententiis omnium penè Catholicorum Patrum auctorizavit; ex quo adhuc omnium Conciliorum decreta authorizantur.* Editum autem Opus eſt primum Coloniæ Agrippinæ, A. C. 1548. & Pariſiis A. C. 1549. in quod quia ex Iſidoro Mercatore ſeu ejus ſuppoſititiis Epiſtolis plurima retulit, indiciô hoc eſt, non magnô illum judiciô uſum eſſe. Multa item alia congeſſit, dubium unde hauſta, quæ is variis Pontificibus tribuit. Citavit etiam Pſeudo-Iſidori præfationem, &c. Quæ cùm collegiſſet Blondellus in *Prolegom. Pſeudo-Iſidori & Turriani vapulant.* c. 18. addit de hoc Burchardo: *Scripſit A. D. 1026. A Baronio & Bellarmino ſanctus habetur; cui tot nugæ placuerunt.* Cæterùm, non minùs Burchardi ac Ivonis *Decretis ob magnitudinem neglectis, eorum tantùm compendia —— legebantur inuſitaque erant*, Pancirollus *de claris LL. Interpp.* l. 3. c. 1. apud Gerh. von Maſtricht. *Hiſt. Jur. Eccl. paſſim.*

BURCHARDUS, fil. Conradi, Burgundiæ Regis Archiepiſcopus Lugdunenſis. Item, Archiepiſcopus Viennenſis, cui Comitatum Viennæ, Rudolphus III. Burgundiæ Rex conceſſit, A. C. 1014. Item, Landgravius Thuringiæ, occiſus ab Hungaris, A. C. 909.

BURCHARDUS Dorceſtrius, Anglus; vitam Fremondi Principis ſcripſit, A. C. 870. Item, Secretarius Friderici Barbaroſſæ ſcripſit *triumphum Imperatoris*, captâ Mediolanô.

BURCHARDUS Mithobius, Mathematicus, &c.

BURCHOLMIA, arx Sueciæ, in Oelandia inſul. maris Baltici, ex adverſo Smalandiæ provinc.

BURCINACIUM, German. urbs in Ducatu Cliviæ, *Cranburg* hodie, ut *Simlera* placet, aliis *Burik*. Hadr. Valeſio, *Burvel*, aut *Burnet*, Noveſio ac Bercæ vicinus locus. *Notit. Gall.*

BURDA, vox Africana, apud Auguſtin. *Ep.* 68. *Presbyterum tuum quendam* —— burdâ *veſtitum*, &c amictum junceum deucta,

tæ, quem dehoneſtamenti loco alieni circumdari conſueviſſe. Idem docet contra *Creſconium l. 3. c. 48.* ubi de eodem Presbytero, *Ad furentium*, inquit, *arbitrium fuſtibus caſus, in lorema lutulenta volutatus, amictu junceo dehoneſtatus.* E quibus, an hæc vox ab Arabico *Bord*, *Borda*, orta ſit, quæ definitur à Giggejo, *veſtis variis lineis contexta & variegata: nigra veſtis flavi coloris mixta, quam induunt Arabes*, jure addubitat Car. du Freſne in *Gloſſar.* Sed & *Borda* ſeu *Borde* prædium ſignificat, unde *Burdatio*, apud Gregorium M. *l. 2. Ep. 42.* penſio nummaria, quæ a ruſticis, iſtiuſmodi prædii nomine, penſitabatur. Certè refert Rodericus de Cunha in *Hiſtor. Epiſc. Portenſium in Luſitan. Part. 1. c. 12.* Galliciæ & Legionis Reges Maurorum in Hiſpania Regibus, tributi vice, quotannis mittere ſolitos fuiſſe, 100. puellas, 50. nobili, totidem plebejo genere editas, idque tributum *Burdel* appellatum, apud eund. *Gloſſarii* Auctorem.

BURDEMONS, vulgò *Bourdemont*, caſtrum Galliæ in finibus Claravallis monaſterii, unde nobili *Bourdemontiorum* familiæ origo & nomen. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BURDIGALA, Gallic. *Bourdeaux*, urbs Archiepiſcopalis valde antiqua, potens & perampla, Aquitaniæ ad Garumnam fluv. Emporium celebre, & ſtatio navium non contemnenda, cum arce munita, vulgò *le Chaſteau Trompette.* Patria Auſonii, de qua idem *Catal. urb.*

Diligo Burdigalam, Romam colo, civis in hac ſum,
Conſul in ambabus, cuna hic, ibi ſella curulis.

12. leuc. ab oſtio Garumn. *Baudrand.* Plin. *l. 4. c. 9.* & Strab. *l. 4.* Burdigalenſes appellant *Bituriges Viviſcos*, ad differentiam *Biturecenſium Cuborum*, uti *Cæſar* vocat incolas urbis, hodiè *Bourges.* Univerſitas olim inter celeberrimas, à Carolo VII. Eugenio IV. Ludov. II. priſtinum nitorem & incrementum nacta: Unde clariſſimi viri prodiêre, de quibus Auſonius modò laudatus, & *Hieronym.* videri poſſunt. Burdigalæ viſenda 12. capitib. egregiè exſequutus eſt, Jodocus Sincerus, *in addit. Itiner. Gall.* Hiſtoria ejus paucis hæc eſt. Olim ſub Gallis, dein Gothis, quibus ibi regia ſedes, poſteà ſub Dominis peculiaribus. Gregor. Turonenſ. *l. 8. c. 6.* meminit Garacharii Comitis, ſub Clotario II. Sigiwinus Comes fuit ſub Carolo M. cui ſucceſſit Hugo fil. Porro Duces Gujennæ, poſt mortem Caroli Calvi rerum hic potiti, donec Alienora, hæres ultimi Ducis, Ludov. VII. cognomine *Juniori* nupta Galliæ regno Burdegalam adjunxit. Sed repudiata, Henrico Normanno, poſteà Angliæ Regi nupſit. Hinc Angli urbis Domini uſque ad Carol. VII. Qui ibi Parlamentum inſtituit, quod ſeditione excitatâ exceſſum, reſtitutum verò à Ludov. IX. Ab eo tempore ſub Galliæ Regibus. Sub Ludov. XIV. iterum turbare cœpit, ſed ad obſequium redacta, ante aliquot luſtra. S. Martialis Apoſtolus Burdigalenſium fertur. Sub hoc Archiepiſcopo novem Epiſcopi ſunt. Urbs à quatuor Juratis, Gall. *Eſchevins*, & Conſule ſeu Magiſtro populari, Gall. *Maire* adminiſtratur. Hic Concilium A. C. 385. quo Priſcillianus condemnatus. 1093. 1098. 1263. Concil. Provinciale 1582. & 1624. Pluresque Synodi hôc ſeculô. *Concil. Gall.* Cæterum de urbe hac, vide porro Auſon. *de ill. urb. 1. 13.* Paulin. Ep. 4. Merul. Coſmogr. *part. 2. l. 3.* Lurbæum, *Chron. Burdig.* Oihenart. *in Not. Vaſcon.* Vinet. *in Antiquit. & notis in Auſon.* Sanmarthan. *Gall. Chron. tom. 1. p. 195. &c.*

BURDIGALA, oppidul. Delphinatus, ad Robionem amnem, juxta montes. 7. leuc. à Valentia, 5. à Dia.

BURDINUS, Mauritius, Limoſinus, Antipapa, nomine Gregorii VIII. A. C. 1118. à Calixto II. Pontifice captus A. C. 1121.

BURDO, nomine *Julius*, Germanicæ claſſis præfectus, à Vitellio, dum à militibus ad ſupplicium expoſcitur, aſtu ſubtractus. Tacit. *Hiſt. l. 1. c. 58.* Nam in cuſtodia habitus & poſt victoriam demum ſtratis jam militum odiis dimiſſus eſt.

BURDO, in veter. *Epigramm. de Baſterna*,

Hanc geminus portat duplici ſub robore burdo,
Provehit & modicô pendula ſepta gradu.

Ubi Epigrammatis auctor *burdones* portandæ matronarum baſternæ aſſignat. cui *mannos* tribuit in *Gloſſis* Iſidorus. Nempe *mannos* & *burdos* & *buricos* appellari, notat *Porphyrio.* Idem Iſidorus in *Originib.* à mulabus baſternam portari innuit: Sed & *muli* & *burdones* plerumque confunduntur. *Gloſſa*, ἡμίονος· ἐξ ἵππου θηλείας ἐξ ὄνου: *mulus burdo, ex equa & aſino.* At *Gloſſa Bibl. MSS. Burdo, brevis equus, aſinâ & emiſſario conceptus* &c. Salmaſ. *ad Æl. Lamprid. in Heliogabalo, c. 21.* Ab his aſinis aut ſemimulis, quos inequitabant & quibus inſidebant, qui peregrè proficiſcebantur, nomen manſit longiuſculis baculis, quos geſtare ſolebant in Eccleſia Romana peregrini Hieroſolymitani pedites, quòd hi illis equitaturæ locô quodammodo eſſent. Hubertus Sipuntinus, apud Vincentium Belvacenſem *l. 26. c. 27.* Burdonem *habebat pro lancea, & clypeum pro parma.* Vide Octav. Ferrarium in *Origin. Ital. ling.* & Carolum du Freſne in *Gloſſar. et Diſſertat. 15. ad Joinvillam*, nec non infrà, voce *Giinnus.* Hinc *Burdonarii* vel *Bordonarii* in *Conſtitut. Siculis l. 3. tit. 38. §. 1.* aſinorum dicuntur curatores, agaſones: à *burdonibus* ſcil. qui illis junguntur, apud Joh. Moſcum *c. 25. Porrò* Burdonarii burdoneſque, *vidi leone, morbô correpti ſunt.* Hodieque in Sicilia muliones hâc voce inſigniri, reperias apud Macrum in *Hierolex.* Eâdem voce Peregrinos Eccleſiæ Romanæ à *burdonibus* ſeu baculis peregrinatoriis, per contemptum, notatos fuiſſe, ab Albigenſibus, refert Monachus Vallis Sarnai *c. 62.* apud eundem Car. du Freſne.

BURDONIUS Benedictus, vide *Benedictus.*

BUREA, fons in inſula Co, vide Theocr. *Idyll. 7.*

BUREAN Laurentius, vide *Laurentius.*

BUREVA, regiuncula Caſtellæ veteris *Burebo.*

BURGARACUM, oppid. Palatinatus, vinô ſuô nobile, Hodiè *Bacharach.* Vide *Bacchara.*

BURGENSES, apud Fridericum Langenium *in Saxonia*,

Urbes murata per Saxoniam nominata,
In queis Burgenſes *famoſi ſuntque potentes.*

Municipes ſunt, burgorum ſeu villarum clauſarum incolæ, vel qui tenementa in iis poſſident, & ratione eorum *Burgagium*; quâ voce indigitatur certum & annuum vectigal, quod *burgenſis* aut incola pro domiciliis ſuis ſeu tenementis, quæ in burgo poſſidet, Burgi domino præſtat) penſitant. Atque ii diverſi videntur ab *Hoſpitibus*, quos Galli *Hoſtes* vulgò dicunt. Unde hos diſtinguit Orderic. Vitalis, *l. 6. p. 605. Baldricus, filius Nicolai ad Deppam dedit unum Burgenſem, & Radulfus Anſeredi filius unum Hoſpitem.* Cum quibus tamen pari ratione in commercio erant; diverſi à *Ruſticis*: Idem *l. 12. p. 872. Milites autem & comprovinciales tam ruſtici, quàm Burgenſes.* Et *Conſtitut.* Sicul. *l. 1. tit. 9. Si Comes fuerit 5. uncias, ſi Baro 4. ſi Miles ſimplex 3. ſi Burgenſis 2. ſi Ruſticus fuerit, unam unciam fiſco noſtro componat* &c. Alii *Burgenſes*, alii propriè dicuntur, *quorum bona ſunt allodiata nemini ſubjecta.* Nonnulli hôc nomine potiùs denotari volunt armatorum genus quoddam, Militibus inferius, ut ex modò cit. *Conſtitut.* Sicul. videre eſt. Quomodo verò apud Gallos *Burgenſes* fierent, exponit Thomaſſerius in *Conſuetudin. Bituric. p. 249. & 274.* Plura hanc in rem vide apud Car. du Freſne *Gloſſar.* nec non in voce *Burgus.*

BURGENSIS, moneta ex argento minutior, in Gallia, Philippô Pulchrô regnante, primum cuſa. Nangius *Chron.* A. C. 1313. *Philippus Rex Franciæ, circa feſtum B. Virginis, monetam Burgenſium, quam fieri fecerat & per biennium Pariſiis curſum ſuum habebat, quod aliàs in Regno Franciæ fuerat inauditum, præſertim cùm juſto pretio & ponderis æquitate cæteris paribus æquipolleret* &c. Erant autem & *Burgenſes* ſimpliciter dicti, ſeu *Burgenſes ſimplices*, quorum 4. pro alba Mallia, & 12. pro 7. Groſſis Turon. Ludovici IX. Et *Burgenſes fortes duplices*, Gall. *Bourgeois doubles forts*, qui duplum valebant. In his efficta crux, quæ ipſam inſcriptionis limbum interiorem pertingit, PHILIPPUS REX. in averſa parte, ſub lilio, NOVUS, & in circulo BURGENSIS. Sed & Leodii *Burgenſes* cuſos, docet Radulfus de Rivo, in *Vita Engelberti à Marka Epiſcopi Leodienſis c. 2.* ubi duos primùm ſolidos, poſteà verò tres valuiſſe refert, apud eundem *Gloſſarii* Auctorem, in voce *Burgenſis*, item *Moneta*, ubi *Burgenſium fortium* typum exhibet.

BURGENSIS Paulus, vide *Paulus.*

BURGGRAVIATUS Norimbergenſis, Henricum IV. Imperatorem auctorem habuit A. C. 1160. cum extructô in honorem S. Ægidii templô Civitatis jure Norimbergam ornâſſet. Alii originem altiùs arceſſentes, Conrado II. acceptum illum ferunt, quô tempore Norimberga Imperii Romani pars facta ſit, A. C. 912. Auxit poſteà *Burggraviorum* opes poſtrema Voitlandiæ Ducis caſus, quô ſcelere ſuorum peremtô, cùm iſtinc Bamberga, inde Herbipolis Præſules, quiſque ſibi partem arriperent, ipſi quoque haud nequaquam ſegniores tertiam occupavêre. Cæterùm non ſupra Comites (ut plerumque tunc *Burggravii*) fuerunt, cùm ad Vohburgios Burggraviatus iſte ſpectaret; his in Eberhardo (de quo infrà) extinctis, Fridericus è Zolleriorum Comitum proſapia, cùm eum donum Rudolfi I. Imperatoris Sororis filii accepiſſet, A. C. 1363. mox *Principes* etiam honore adauctus eſt. Ex ejus poſteris Fridericus, qui primus Marchiam Brandeburgicam, cum dignitate Electorali, Domui ſuæ intulit, è *Burggraviatu* iſto, quantum ad Norimbergam pertinebat, plurima Urbi, aureis 24000. vendidit; reliqua ex eo, Feuda ſcil. Eccleſiaſtica ac Secularia, Judicium provinciale, vehendi conducendique extra urbem aliaque jura retinuit, unde quotidiana litium materies ac occaſio, quibus ſubinde Onoldsbacenſes Marchiones & Norimbergenſes exercentur. Tob Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Principum gentib. c. 4.*

BURGGRAVII, vox in Imperio Germanico uſitata, fuerunt olim Caſtellani limitanei, i. e. arcis præſidiique præfecti, in iis terris ferè, quæ donatione Imperatorum acceſſerunt Eccleſiæ: Eorum origo vix Saxonum Imperiô antiquior. Hi, quum olim civilia jura non haberent Epiſcopi, miſſi ſunt, qui in diœceſibus jus civile dicerent: poſtmodum, imminutâ Imperatorum potentiâ magnoperè crevêre. *Burggraviorum* præcipui numerantur, Norimbergenſis, qui titulus, ad Brandeburgicos; Magdeburgenſis, qui hodie ad Saxonicam lineam Electoralem pertinet: Stromburgenſis qui hodie ditionis Palatinæ eſt: & Reinecenſis, qui ad Archiepiſcopos Moguntinos & Comites Hanovienſes ſpectat. Minoris notæ ſunt *Burggravii* de Dona, quam arcem A. C. 1402. Miſnia Marchio evertit, rudetibus vix alterô à Dreſda lapide adhuc conſpicuis. Et *Burggravii* in arce ſeu burgo civitatis Geilnhuſanæ & civitat. Fridbergæ. Promiſcuè item *Burggravii* caſtrorum, in quibus Ganerbinatus, qui ſicut priores à Condominis ſeu Ganerbiis eliguntur. Vide Limnæum Enucl. *l. 2. c. 15.* De *Burggravio* ſic Spec. Sax. *Art. 52.* Sculteus eſt judex culpæ Judicis & Palatinus ſeu Palatiigravius Imperatoris judex eſt. *Burggravius*, i. e. perpetuus Caſtellanus, judex eſt Marchionis. Apud Spelmannum *Gloſſ. Archæol.*

BURGHDORFFIUM, vulgò *Burtolff*, oppid. Helvetiæ, in Argovia, Caput olim Burgundiæ minoris cum arce, conditum à Sintramo & Baltramo, fratribus, Comitibus Lentzburgenſibus. Sedes dein Ducum Zeringiæ, & Comitum Kyburgiorum, beneficiô matrimonii Annæ ſororis Berchtholdi V. cum Wernhero Comite pervenit ad Habſpurgios Comites ſeculô 13. Oppignoratur Baroni Signoviæ ab Hartmanno Comite, qui, contra Bernates, cum tribus Pagis fœdus init, A. C. 1320. Obſeſſum ab Helvetiis A. C. 1383. eò quòd Rodolphus Comes Solodurum intercipere ſtuduiſſet conatus. Dein à Comitibus, pro certa pecuniæ ſumma,

cum

cum arce, Bernenſibus venditur, A.C. 1584. Hinc bellô inter Argoviæ civitates & hoc oppidum exortô, cùm Auſtriaci, ſub his enim tum Argovia, prælió inferiores eſſent, per incendium incendiarium in cineres redigitur, A.C. 1389. Poſtmodum reparatum in ditione Bernenſi, à proprio Senatu regitur, &c. Vide Stumpf. *l.* 7. *de Argov. c.* 33.

BURGI, urbs Archiepiſcopalis Hiſpaniæ Tarraconenſis ad Arlanzam amnem. Veteris Caſtellæ regia & caput. Crevit ex ruinis Aucæ, vulgò *Burgos*. An *Bravum* vel *Bravum Ptolemæi* l lib. 4. Synodi, vide Boterum *Rel. Hiſp.*

BURGIUM, *Antonin. Mal Borgetto*, ex *Simler*. oppid. ſeu pagus Norici, in confinio Carnorum, ad Fellam fluv. in via, inter Aquilejam & Villacum: inter Clemonam oppid. Carnorum, & Villacum urbem Norici 24. mill. paſſ. intra Alpes Julias.

BURGOLIUM, oppidul. Galliæ cum Abbatia celebri Andegavenſis Ducatus non procul à Ligeri fluv. *Burgueil*, vide Valeſ. *Notit. Gall.*

BURGOVIA, oppid Sueviæ, Marchionatus cognominis caput ad Mindelum fluv. 1. milliar. German. à Danubio. Marchionatus hic, Algojæ in Suevia pars, inter Auguſtam Ulmamque 8. milliar. protenſus, à Philippo Suevo Imperatore emortuâ veteri Marchionum ſtirpe, Comitibus Roggenſtenus conceſſus eſt, A.C. 1205. è quibus poſtremò Henricô fatô defunctô A.C. 1283. *aperta Feuda*, ut conjecturâ eſt, jure Auſtriæ, in Sueviæ Ducibus, obvenit. Patrum ætate Carolus, Ferdinandi I. Imperatoris ex Ferdinando nepos, juſtis quidem nuptiis, impare tamen matre, Philippinâ nempe Welſeriâ Patriciâ Auguſtanâ, ſuſceptus, eum accepit, terrâ titulóque *Marchionis* acquieſcere juſſus. Quô annô hujus ſeculi decimô octavô extinctô, nullis relictis liberis (præter filiolam ex Sebylla Juliacenſi ſuſceptam, ac & ipſam intra infantiam extinctam) ditio hæc ad Agnatos plenô Domus jure gaudentes reverſa eſt. Tobias Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Princip. grand. c.* 1. Vide quoque Georgium Hornium *Orb. Polit. part.* 4.

BURGUM D. Martini, oppid. Lombardiæ Ciſpadanæ, in Marchionatu Montisferrati.

BURGUM Sancti Sepulcbri, lauta & permunita civitas Umbriæ, vel Ducatus Spoletani, Florentinis ab Eugenio quarto Pontifice Maximo oppignorata. Sub Magno Hetruriæ Duce. Eſt & *Burgum*, S. Dominici urbs Æmiliæ, vide *Julia* & *Fidentia*.

BURGUNDIA, Galliæ Celticæ regio, nomen habens à Burgundionibus, Germaniæ populis, ex Vandalorum ſanguine ortis, qui dicti à *Burgs*, i.e. præſidiariorum caſtris. Ab Almannis (in horum enim agris violenter in Capellatio, ubi hodie Palatini Comitis ditio, conſederant) exturbati, ſub Theodoſio Arcadii filio, Juniore, expulſis latè Sequanis Eduiſque, hanc veteris Galliæ partem cum Nuithonibus occupârunt. Sed nonnulli ajunt, Burgundiæ nomen dedêre à loco quodam, qui vulgo *Burg Ogne* dicitur in agro Langrenſi. Imperium Burgundis olim fuit vaſtum; partem enim Vallis Penninæ, Sedunos, Allobroges, Lugdunum, Viennam, & alias civitates Burgundia complectebatur. Diſſenſiones iis erant immortales ferè cum Gothis, qui latè tunc temporis per Gallias imperabant. Olim regnum fuit, cujus ſedes Arelate, nunc *Aurelia*, fuiſſe legitur: ſed circa annum 1034. bipartitum in Ducatum & Comitatum abiit, quorum ille, verſus Occidentem, *Burgundia Inferior & Regia*: hic, ad Orientem, *Superior & Imperatoria* dictus eſt. Burgundiæ Ducatum cingunt, quà Oriens eſt, Rhodanô interfluente, Sabaudia & Burgundiæ Comitatus: quà Meridies, Lugdunenſe territorium: quà Occidens, lautiſſimi Nivernenſium Borboniorumque occurrunt agri: ad Septentrionem Campania ſe offert. Hic olim floruerunt Edui, Auletes Brannovices, & Mandubii: Metropolis ejus eſt Divio, Parlamenti ſedes, ſub Rege Franciæ. Burgundiæ Comitatus ſive Burgundia ſuperior, Gallis *Franche Comté*, quòd planè ſit ſub ſuo Comite, ab omnibus tributis & exactionibus libera: feudum eſt Imperii, ſub protectione Bernenſium Helvetiorum. Conregionales illi ſunt ad Septentrionem Lotharingia, ſuperiorque Germania: ad Occidentem Burgundiæ Ducatus: quà Oriens eſt, occurrunt Helvetii: quà Meridies, Allobroges & Seguſiani. Longitudo 90. latitudo 60. eſt milliarium. Floruerunt longè latèque his locis olim Sequani. Comitatus hic in tres diœceſes ſeu præfecturas dividitur Dolanam, Superiorem & Inferiorem: primæ ſedes eſt Dolæ: ſecundæ Veſulli: tertiæ Polichnii. Totius Comitatus Metropolis eſt Veſontium. Dolæ Senatus ſedes eſt. Sub Hiſpanis: quibus nuper à Gallis denuò erepta eſt. Duos habet lacus mirabiles, quorum alter, cui ab Voraginibus nomen, mirum naturæ ludentis opus: ſuper enim aqua ſit fimus, qui adeò dureſcit, ut continens videatur: ſuper quo tamen equites currusque ſecurè non ambulant, ſed ſoli pedites: is cœlô pluvioſô & nebuloſô non emergit, niſi ſerenitas ſit futura: tunc per foramina brevi tempore auctus, totam Columbanam planitiem rigat. Inter Nozorethum porrò & Riparium olim eſt lacus in Bonvalli, variis piſcibus abundans, qui ſeptimô quôque annô in aliquot hebdomadas ſubfugiens & delitescens, iterum emergit. *Merula. Mercat.* Hiſtoriam Burgundiæ, ex *Morerio*, ſuccinctam hanc damus: Circa tempora Honorii, à populi ex Germania venere profecti, quorum 80000. in ipſis Francorum finibus, oppreſſit Valentinianus Imperator. A.C. 366. P. Oroſius *l.* 7. *c.* 19. regnum Burgundiæ erectum eſt, A.C. 430. & ſimul Chriſtianiſmus introductus, operâ S. Severi, Epiſcopi Trevirenſis, cùm preſſi ab Hunnis cernerent Chriſtianos ſingulariter à Deo defendi, quod quidam ad A.C. 450. referunt, ſed annis aliquot pòſt in Arianiſmum populi hi prolapſi ſunt. Primi hujus Burgundiæ regni finis, cùm prius, à Chlodovæo, Rex eorum Gundebaldus tributarius factus eſſet, A.C. 500. ſecutus in A.C. 534. Sigiſmundô Gundebaldi fil. & hujus fratre Gondemarô, à Childeberto & Clotario, captis; nomen nihilominus leges ſque ſervavit. Invaſit dein regnum Boſo, ſub finem Carolingorum, ducavitque uſque ad Rodolfum, Regem Burgundiæ Tranſjuranæ, & Arelati, qui obiit A.C. 1033. Conradô Imperatore hærede inſtitutô, qui ſororem ejus Giſelam duxerat, prætermiſſô Odone, Comite Campaniæ, majoris natu Berthæ maritô. Sic Imperio unita Burgundia eſt, periitque Regni titulus. Iterum à Rodolfo I. Imperatore occupata, A.C. 1282. Eôdem tempore Henricus I. Galliæ Rex Ducatum Burgundiæ Roberto fratri donavit, ex quo orta linea primorum Burgundiæ Ducum, regii ſanguinis. Erant hi XII. per ann. 330. uſque ad Philippum II. qui quindecennis obiit, A.C. 1361. Unitus dein regno, à Johanne Rege Philippo filio cognomine Audaci conceſſus eſt, A.C. 1363. eo mortuo, A.C. 1404. ſucceſſit fil. Johannes, occiſus, A.C. 1419. Hujus fil. Philippus Bonus obiit A.C. 1467. pater Caroli, ultimi Ducis, ab Helvetiis caſi, A.C. 1477. Hujus filia unica Maria, Comitatum Burgundiæ, cum Belgio, in domum intulit Auſtriacam, Maximiliano Imperatori nupta. Ducatus verò à Ludovico IX. regno Galliæ unitus denuo eſt. Monſtreletus, Tilletus, Puteanus, Chaſſanæus, *Hiſt. Franc. & Burg.* Vide quoque infrà in voce *Burgundiones*.

Burgundiæ Ducatus urbes primariæ.

Aballonium, *Avallon*.	Cabilonum, *Chalon ſur Saone*.
Antiſſiodorum, *Auxerre*.	Caſtellio ad Sequanam, *Chaſtillon ſur Seyne*.
Arnæum Ducum, *Arnay le Duc*.	Divio, *Dijon*.
Auguſtodunum, *Autun* vel *Auſtun*.	Lingonæ, *Langres*.
Auſſona, *Auſſone*.	Matiſcona, *Maſcon*.
Barrum ad Sequanam, *Bar ſur Seyne*.	Niverniæ, *Nevers*.
Belna, *Beaulne*.	Semuricum, *Semur en Auxois*.
Borbonium Anſelmium, *Bourbon Lancy*.	Tinurtium, *Tournus*.
	Tornodurum, *Tonnerre*.
	Viredunum, *Verdun*.

(Sed notabis Lingonas & Nivernas non eſſe urbes Burgundiæ.)

Burgundiæ Comitatus urbes.

Arboſium, olim Arboroſa, *Arbois*.	Orgelium, *Orgelet*.
Cromarum, *Cromery*.	Ornarum, *Ornans*.
* Dola, *Dole*.	Palma, *Baulme*.
Falconracum, *Falcongny*.	Polichnium, *Poligny*.
Grajacum, *Gray*.	Pons Araris, *Pont ſur Saone*.
Juſſium, *Juſſy*.	Pons Arlius, *Pont Arlier*.
Mombofium, *Montboſon*.	Quinginum, *Quingey*.
* M. Bellicardus, *Montbeliard*.	Rupes fortis, *Rochefort*.
M. Juſtinus, *Mont Juſtin*.	* Salinæ, *Salins*.
Nozerenum, *Nozereth*.	* Veſulium, *Veſoul*.
	* Veſuntio, *Beſançon*.

Ex his notabis, Montem Bellicardum non eſſe in Comitatu Burgundiæ; & exceptis Dolâ, Veſuntione, Graiô, & Veſuliô, cætera eſſe tantùm munita oppida & caſtra.

BURGUNDIONES, quaſi BURGWOHNER, Germani nomen occupârunt, ex operè, quia crebra per limitem habitacula conſtituta *Burgos* vulgò vocant. Hi quondam ſubactâ inferiore Germaniâ à Druſo & Tiberio per caſtra diſpoſiti in magnam coaluerunt gentem, ut ſub Valentiniano Imperatore 80. millia ripam Rheni fluminis inſederint. Vide Paul. Oroſium *l.* 7. *c.* 32. *Baudrando* fuerunt populi Germaniæ ſub Vindilis comprehenſi, qui agros Chattorum & Alamannorum occupavêre. Poſteà in Gallias tranſmigrârunt; Valeſio *Burgundiones*, qui & *Burgundi*, gens Germanica Alamannis olim confinis, in Galliis principatu Honorii ſedes cepêre, ac paulatim fines proferendô, tenuêre ſibi demum Lugdunenſem primam, Sequanos, partem maximam provinciæ Viennenſis, Alpes Penninas & Grajas, atque Metropolim Alpium Maritimarum Ebrodunum; Narbonenſis II. urbes Aptam, Vapincum, & Seguſteronem; in provincia Lugdunenſi quarta vel Senonia Nivernum; quæ pars Galliæ *Burgundia* ab Gente cognominata eſt, ut ita apud Senatorem *in libri* 1. *Variarum epiſtola ultima*, ita à Gregorio cæteriſque nuncupatur. Igitur ut ex Synodo Epaonenſi Agapetô Conſule, A.C. 517. habita, & ex Hiſtoria noſtra diſcimus, Regnum Burgundiæ continebat 28. circiter civitates, nimirum Metropolim Lugdunum, Auguſtodunum, civitatem Lingonum, Cabillonum & Matiſconem: Veſontionem Metropolim provinciæ Sequanorum, Aventicum, Vindoniſſam, Baſiliam & Belicam: Viennam Metropolim provinciæ Viennenſis, Genevam, Gratianopolim, Albam Helviorum vel Vivarium, Deam Vocontiorum, Valentiam, Auguſtam Tricaſtinorum, Vaſionem, Cabellionem, Carpentoracte; Metropolim provinciæ Alpium Grajarum & Penninarum, civitatem Centronum Darantaſiam, & Octodurum Vallenſium: Metropolim Alpium maritimarum Ebredunum; & quas ſuprà diximus, Narbonenſis ſecundæ urbes tres, Aptam, Vapincum, Seguſteronem; in Senonia Nivernum. Poſteà Burgundiam, ſed jam aliquot urbibus ſub Sigiſmundo & Godomaro à Francis Gothiſque truncatam, Childebertus & Chlotarius Francorum Reges ſubegêre. Mortuô Chlothariô, uni è 4. ejus filiis Guntchramno ſors non tota obvenit Chlodomeris patrui, cujus caput Aureliani erant, cum tota Burgundia; à qua *Rex Burgundiæ* ſæpe appellatur: & *Burgundionum* nomine ſæpe omnes ditioni ejus ſubjecti deſignantur; Franci cum Burgundionibus, & Galli. Quidquid Guntchramnus paruerat, totum ferè *Burgundia* dictum eſt à Noſtris, & uſque ad Theodoricum Chlodovei junioris filium Burgundiæ Regno in Regibus Merovingis eſt attributum. Tenuerat autem Guntchramnus, qui primus è Francis *Rex Burgundiæ* eſt vocitatus; non Burgundiam modò ſedem Burgundionum, ſed unà etiam Regni Aurelianenſis, atque adeò poſt Chariberti fratris obitum Regni Pariſiaci in Gallia Lugdunenſi & Aquitania non minimam partem cum Provincia Arelatenſi: quæ omnes regiones ſimul junctæ, exceptâ Aquitaniâ & Provinciâ, ex nomine majoris partis, unicum Burgundiæ, appellationem traxerunt: ut in

libris 16. *&* 20. *Rerum Francicarum* obſervavimus. Regnantibus apud Francos Merovei poſteris, Francia in tria Regna dividebatur, videlicet in Neuſtriam, Auſtriam, atque *Burgundiam*: uti docet brevis Appendix Chronici Marii, ab auctore Chlotharii junioris æquali ante annos 1045. compoſitus, Vita Leodegarii Auguſtodunenſis Epiſcopi, Geſta Francorum, atque ipſe Fredegarius. Sed poſtquàm Chlotharius minor filium ſuum Dagobertum Regem Auſtraſiorum fecit, Neuſtriam ſecuta *Burgundia* eſt, & ab uno Principe utrumque Regnum ſimul obtinebatur, propterea quod Neuſtriam atque Burgundiam junctas latitudine regionum & multitudine hominum Auſtria æquabat. Poſteà Carolus, Lotharii Auguſti filiorum minimus, Burgundiæ maximam partem ac Provinciam annò 855. obtinuit, ac Lugdunum pro Regia habuit. Boſo annò 879. faventibus Viennenſi, Lugdunenſi, Darantaſienſi, Aquenſi, Arelatenſi, & Veſontionenſi Archiepiſcopis, & 17. Epiſcopis, qui plerique de Burgundia erant, regnum in Burgundiæ partibus occupavit: & ejus filius Ludovicus annô 890. à 4. Archiepiſcopis, Lugdunenſi, Arelatenſi, Ebrodunenſi ac Viennenſi, multiſque Coëpiſcopis Rex electus atque unctus eſt. Paullo antè, nimirum annô 888. Rodulfus, Chuonradi filius, provinciam inter Juram montem & Alpes Penninas occupavit, & accitis nonnullis Sacerdotibus ac Primoribus, coronam ſibi apud Acaunum impoſuit, Regemque appellari ſe juſſit, ut Regino & Annales Metenſes tradunt. Hoc Regnum exiguum Annales Fuldenſes *ſuperiorem Burgundiam*; quidam *Tranſjuranſem Burgundiam*, *Ciſalpinam Galliam* magnificò nomine Frodoardus; Conſtantinus Porphyrogennetus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Sigebertus, aliique *Burgundiam* appellant impropriè admodum, cùm tantùm portio eſſet exigua Burgundiæ. In eo regno erant Winterturum, Acaunum, Novusburgus, *Nuenburg* Hermanno dictus, Muratena *Morat*, & urbes ac caſtella ad Lemanum lacum, item Octodurum, Salodurum, Aventicum, Seduni, Lauſana ad Lemanum, Geneva. Belica, atque etiam Lugdunum. Mathildis enim Ludovici Tranſmarini filia, Lotharii Regis Francorum ſoror, cùm Conrado Regi Jurenſi nuberet, pro dote Lugdunum cum pago Lugdunenſi habuit, à Lothario fratre ſibi in dotem datum, ut docet Chronicon Monaſterii S. Benigni. Caſtellum etiam, quod Mons Piligardæ Hermanno dicitur, vulgò *Mombelgart*, Noſtris *Montbeliart*, eſtque trans Juram in Sequanis, huic regno contribuebatur: quemadmodum ex Hiſtoricis noſtris veteribus diſcimus. Ex quo intelligitur Rodulforum Regnum, quod Jura & Alpibus Penninis claudit Regino, latiùs patuiſſe, & in Sequanis Juram inter ac Vogeſum, in Allobrogibus ac in Seguſianis oppida ac urbes habuiſſe. Rodulfus Rex Gloriosiſſimus in litteris datis Auſâ villâ Indictione 3. annò 997. *res ſitas in Comitatu Matiſcenſi*, in primis partem piſcinæ Oſæ, quas Cluniaco Monaſterio donatæ erant, confirmat. Idem aliis litteris datis annò J. D. 1019. regni 31. *Eccleſiam S. Blaſii in vicinis, in pago & in Comitatu Genevenſe ſitam*, *Cluniacenſibus Fratribus* confert. Amedeus Comes, filius Humberti, Comitis & Ancillæ, & uxor ejus Adelaidis Eccleſiam S. Mauricii ſitam in pago Multacena dedêre Cluniaco, permiſſu Malenii Epiſcopi Gratianopolitani: quorum in litteris hæc legimus, *Hanc donationem fecerunt, & chartam iſtam fieri juſſerunt, & in Curia Regis firmari rogaverunt. Signum Rodulfi Regis, regnante Rodulfò annò* 37. Ex his apparet, non Genevenſem modò pagum vel Comitatum, verùm etiam Comitatum Matiſconenſem ſaltem ex parte, & pagum Gratianopolitanum, ipſamque adeò cum ſua valle Maurienuam, cujus Comites Humbertus & Amedeus extiterunt, ad iſtud Regnum pertinuiſſe: quod *Regnum Auſtraſiorum* Glaber Rodulfus falsò appellat, cùm veteris Burgundiæ regni partem contineret, Auſtriæ nullam, quæ mihi ſit nota. Annò 1032. Rodulfus, qui eò nomine tertius in Burgundia ſuperiore regnavit, *Ignavus* à quibuſdam cognominatus, diadema ſuum ac Regni inſignia Imperatori Conrado moriens miſit: à quo tempore Reges Germaniæ Imperatoreſque ſibi Burgundiam iſtam vindicaverunt; ac pro Imperii membro habuerunt, ſub novo Regni Arelatenſis nomine, quod à Jura monte ad oſtia Rhodani & ad mare Gallicum uſque ad Alpes Maritimas longè lateque patere crediderunt, aut omnibus perſuadere voluerunt: cùm tale nunquam à Rodulfis Regibus poſſeſſum fuerit, ac ne à prioribus quidem Burgundiæ Regibus, Gundicarii poſteris. Nam nec Provinciæ Arelatenſis Comitatus, nec maxima ſaltem ex parte Comitatus Burgundiæ Tranſararicæ, quem liberum aut immunem Comitatum vocant, *la Franche-Comté*, ad Reges Rodulfos pertinuit. Certè Robertò in Francia, & Rodulfò Ignavò in ſuperiore Burgundia regnantibus, ſuus erat Provincialibus Comes & dominus, qui Arelati ſedem habebat: quem Glaber Rodulfus *in l. 3. c. 2. Willelmum Arelatenſem* appellat, h. e. Willelmum Comitem Arelatenſium ſive Provinciæ; quidam *Ducem Arelatenſem*. Alius fuit & Guillelmus Comes Burgundiæ Tranſararicæ, *Guillelmus cognomine Capitivus*, *Comes Tranſſagonnanus* dictus veteri ſcriptori: quem Robertus Rex Ducatu Burgundiæ, quem pene totum occupaverat, armis expulit, & ſuò Comitatu coëgit eſſe contentum. Mortuò Imperatore Ludovicô Piô, inter tres ejus filios Lotharium, Ludovicum & Carolum cognomine Calvum diviſa ſunt Regna Francorum. Lothario cum Imperio Romano & Regno Langobardorum obtigit *Auſtria* cum regione ad Lemanum & ad Alpes Grajas, quæ *Regnum Lotharii* paullo poſt vocari cœpit, & maxima pars Burgundiæ, atque Provincia; Ludovico tota Germania cum Norico ſeu Bajoaria Pannoniaque ceſſit; Carolus Franciam ſive Neuſtriam, & Aquitaniam, ac Burgundiæ reliquam minimamque portionem obtinuit, *in qua parte extant & modò nomen Franciæ remanſit*, ut loquitur *Sigebertus*. Ex Lotharii quidem A. filii tres nullis relictis hæredibus deceſſêre: Ludovici quoque ambobus pronepotibus, Ludovico & Zuentiboldo Regibus accidit, ut nihil legitimorum liberorum relinquerent. Carolus Caroli Calvi nepos, qui jure proximæ agnationis eorum Regnis ſuccedere, & totius Franciæ imperium ſolus obtinere debuerat, Carolus inquam, & ejus filius Ludovicus, nepoſque Lotharius, bellis civilibus & Optimatium ſuorum crebris defectionibus vexati, Auſtriam ſeu Regnum Lotharii (ut de cæteris Franciæ ditionis Regnis loquar) nunquam recuperare potuerunt. Auſtriâ igitur ſeu Lotharingiâ, quæ olim unum è tribus Francorum Regnis fuerat, ab exterius Germaniæ Regibus occupatâ, ejus in locum Aquitania eſt ſubſtituta, & tria Franciæ Regna inhabitantibus attributa, *Francia* Occidua ſeu *Neuſtria*, *Burgundia* quanquam admodum imminuta, & *Aquitania*: quæ diviſio jure ſub Carolo Calvo videtur cœpiſſe, & uſque ad Philippi ſaltem I. principatum duravit, ut in Notis in Adalberonis Carmen obſervavimus. Hæc pars Burgundiæ ad Reges noſtros pertinens, *Burgundia inferior* dicebatur: quam *Burgundiam Regiam* vocare poſſumus, ut ſuperiorem *Burgundiam Imperialem* nuncupat Trivetus in rebus anni 1250. Continebat autem Burgundia inferior Lugdunum, quod poſteà Conrado Regi ſuperioris Burgundiæ Mathildis dotis nomine detulit, Matiſconem, Cabillonum, Auguſtodunum, urbem Lingonum, Autiſſiodurum quoque (quam ob cauſſam incertum) Abalonem, Belnum, Divionem, Latonam, caſtrum S. Genguiſi, *S. Jangon*, & alia loca. Huic quoque Nivernum accenſeri poteſt ac debet, cum ad priores Reges Burgundiæ pertinuerit. Hanc Burgundiam *in l. 5. Chronici c. 58.* deſignat Fredegarius, quum *Burgundias*, vel *Regnum Burgundiæ* ingreſſum eſſe Dagobertum ſcribit, & *in civitate Lingonis*, *Divione*, *Latona*, *Cabilone*, *Auguſtoduno*, *Autiſſioduri* jus dixiſſe, ac per Senonas Pariſios veniſſe. Portio inferioris Burgundiæ *Ducatus Burgundiæ*, atque etiam nonnunquam *Ducatus Divionenſis* appellabatur: propterea quòd Duces, qui eam beneficiò Regum Francorum obtinebant, Divione ſedere conſueverant: uti Glaber Rodulfus Duces Normanniæ *Rotomagenſes Duces*; alii Comites Provinciæ *Arelatenſes Comites*; Comites Gothiæ vel Septimaniæ *Toloſæ Comites* à ſuæ cujuſque provinciæ capite dixêre. Comites Campaniæ Gallicæ & Briegii, *Comites Trecarum atque Meldorum*; Comites Hainoi *Comites Montenſes*. Qui ei Burgundiæ imperabat, *Ducem Allobrogum* Guillelmus Britto vocat, non ſemel, cùm Dux Æduorum potiùs vocandus fuerit. Nam Æduos, & Lingonas, ac partem Senonum tenebat; in Allobrogibus trans Rhodanum ſitis Dux Burgundiæ nihil omnino poſſidebat. Hancce Burgundiam Regibus Francorum parentem deſignat Provinciale MS ante annos 400. compoſitum, quod in Burgundia duos cum ſuis ſuffraganeis Archiepiſcopos collocat, Lugdunenſem & Senonenſem. Conſtat enim totam provinciam Lugdunenſem primam, h. e. Lugdunum Metropolim cum 4. ſedibus ei ſubjectis, Auguſtoduno, Matiſcone, Cabillono & Lingonis, & ex provincia Senonia ſedes duas Nivernum & Autiſſiodurum inferiori Burgundiæ olim attribui conſueviſſe. Contrà *Notitia Epiſcopatuum Galliæ*, paullo poſt annum 1322. ſcripta, cùm *in Burgundia Archiepiſcopos* duos *Darantaſienſem* & *Veſontienſem* ſeu *Biſuntinum* unà cum ſuis ambos ſuffraganeis ponit; *Burgundiæ* nomine partem Sapaudiæ & Sequanos cum Helvetia deſignavit, h. e. ſuperiorem Burgundiam, Regnum olim Rodulforum. Burgundiam inferiorem, Franciæ ditionis provinciam, quæ præter cætera Ducatum olim Pariatumque continuit, veteres tabulæ vulgari linguâ confectæ appellant nunc *Burgoine*, & *Bourgoine*: uti Conſtantinus Porphyrogennetus Burgundiam ſuperiorem, Regnum Rodulforum, *Bergonam* nuncupat pro Burgundiam. Ῥοδολφος ῥὴξ τῆς Βεργονίας. Noſtri nunc *la Bourgogne* vocitant, & ejus ac Comitatenſis Burgundiæ ſuperioris ſive incolas *les Bourguignons*, i. e. Burgundiones. Multi *Bourgongne* ſcribunt, & *Bourgongnons*: quos veteres modò *Burgundiones*, modò ſed rariùs *Burgundos* cum Ammiano nuncupant: recentiores ſcriptores Latini *Burgundos* appellare maluêre. *Burgundiones* ſive *Burgundios* noſtros, qui partem Galliæ occupârunt, Regnumque ibi conſtituerunt, Gentem fuiſſe Germanicam, trans Rhenum ſedes habentem; & differre à *Burgundionibus* vel *Burgundiis*, Scythica Gente Tranſdanubiana, apertè oſtendimus *in l. 1. rer. Francicar.* Burgundionum nomen à *Burgis*, i. e. parvis caſtellis, per limites conſtitutis cum Oroſio, Iſidoro, aliiſque deducere ridiculum eſt. Nam à burgis *Burgiones* dici lex analogiæ jubet. Ut redeam ad regnum Arelatenſe, Gervaſius Tilleberienſis, qui ſe *Regni Arelatenſis Mareſcallum* ipſe appellat, & ante annos 460. vixit, *civitatem Arelatum caput Regni Burgundiæ* bis nuncupat, & Viennenſem Archiepiſcopum *Regni Cancellarium*, *Burgundiæque* ſeu Regno Arelatenſi 6. Metropoles attribuit, Veſontionem, Viennam, Darantaſiam, Ebrodunum, Aquas Sextias, Arelatum, cum ſedibus cuique ſubjectis. Idem facit *Notit. Epiſcop. Gall.* Gervaſio ſuppar, & in Burgundia ſex Metropoles ponit: ita ut Burgundia 36. civitates, & Sequanos cum Helvetia, Sapaudiam & quem Delfinatum vocamus, ac Provinciam complexa ſit. Ubi miror Lugdunum prætermitti, quod poſteriores Burgundiæ Reges duo tenuerunt, & quod propterea Imperatores, tanquam membrum Regni ad ipſos pertinentis, ſibi diu vindicaverunt, uti literæ eorum aliquot docent. Suffragabantur autem Veſontioni Baſilea, Lauſanna, Belica; Viennæ Valentia, Vivaria, Dea, Gratianopolis, Maurienna, Geneva; Darantaſiæ Seduni & Auguſta; Ebroduno Dinia, Nicæa, Antipolis, pro qua nunc Graſſa, Glannateva, Sanitium, Vintium; Aquis Sextiis Apta, Reii, Forum Julii, Vapincum, Segeſtero; Arelatum pro Metropoli tum agnoſcebant Maſſilia, Avenio, Arauſio, Vaſio, Cabellio, Tricaſtini, Carpentoracte, Telo: Ex quibus Avenio poſteà in Metropolim evectus eſt, & civitates Vaſio, Cabellio, ac Carpentoracte ei attributæ. Hoc igitur Regnum, ſive *Burgundia*, ſive *Regnum Arelatenſe* dicatur, planè imaginarium fuit, cùm quale quantumque ſuprà deſcriptum eſt, à nemine unquam poſſeſſum ſit. Nam priores quidem Burgundiæ Reges, qui ab Chlodovei filiis ſunt debellati, Veſontionem, Viennam, Darantaſiam & Ebrodunum Metropoles, cum Lugduno totaque provincia Lugdunenſi prima obtinuerant: Arelatum & Aquas Sextias Metropolas, ex provincia Arelatenſi Maſſiliam, Avenionem & Telonem Martium, ex

Al-

Alpibus Maritimis Diniam, Nicæam, Antipolim, Glannatevam, Sanitium & Vintium; de provincia Aquenſi Reios & Forum Julii non obtinuerant. Regnum Rodulforum, poſteriorum Burgundiæ Regum, exiguum admodum fuit, & paucularum civitatum, ac unius aut alterius Metropoleos, ſicuti ſuprà oſtendimus. Jam Rex Carolus, Lotharii Auguſti filius Genevam, Lauſanam, & Seduuos non habuit, ac ne Belicam quidem & Darantaſiam, quas ambas civitates poſteà à Rege Lothario fratre ſuo accepit: ut Annales Bertiniani docent. At Boſoni Regi ſex quidem Metropoles paruêre, Vienna, Lugdunum; Darantaſia, Aquæ, Arelatum & Veſontio, ac 15 civitates eis ſuffraganes, & duæ civitates Septimaniæ ſeu provinciæ Narbonenſis primæ, Agatha ac Uceтia: at Ebrodunum cum 6. ſedibus ad ipſum pertinentibus ei non paruit: & cum Arelatenſis Regni 36. civitates numerantur, Boſonis Regni vix fuêre 23 quibus Matiſconem & Viennam paulo pòſt amiſit. Ludovico, Boſonis filio ac ſucceſſori Metropolitani adhæſêre non ampliùs quatuor, Lugdunenſis, Arelatenſis, Ebrodunenſis, & Viennenſis, cum compluribus Coëpiſcopis, ſed non omnibus: Veſontio & Darantaſia ei Principi non parebant, cùm ambarum civitatum Archiepiſcopi ejus electioni unctionique non interfuerint. Apparet igitur, quod jam non ſemel diximus, Regnum iſtud Arelatenſe 36. civitatum, falſum, imaginarium, chimæricum, atque à Germanis ſcriptoribus fictum, & nulli unquam Regi fuiſſe poſſeſſum. Certè Guntherus in l. 5. Burgundiam à Baſilea ad oſtia Rhodani patere ait, caputque & ſedem veteris Regni Arelatum fuiſſe, uſque ad Rodulfi mortem: ſed 5. tantùm ei Metropoles attribuit, *Chryſopolim*, i. e. Veſontionem, *Lugdunum*, *Viennam & Arelatum*. Ex quo intelligitur, ne ipſis quidem Germanis ſcriptoribus Regnum Arelatenſe bene notum fuiſſe. Vindicavêrunt quidem ſibi nullô jure Regnum Arelatenſe Imperatores Regeſque Germaniæ poſt Rodulfi ignavi obitum: ſed maxima ex parte illud obtinere non potuerunt, nec quidquam ibi præter inane nomen *Imperii* in Dalfinatu Provinciaque reliquerunt. Hactenus Valeſ. *Notit. Gall.* Aliter paulo Nobiliſſimus Conringius, *tractat. de Finibus Imperii*, quem vide de his accuratiſſimè differentem, vide quoque de hac gente B. Rhenanum *Rerum Germanic. Nov. Antiqq.* paſſim, inprimis *l. 1. p.* 171. ubi *de Burgundionum* expeditione *in Alemanniam, & in Regionem, quæ Capillatum ſive Palat dicitur*: & *p.* 192. ubi *de eorum in Sequanorum & Helvetiorum provinciam, ac tractum Aventicenſem adventu*. Item *l.* 2. *p.* 276. ubi *de Francorum cum illis bello & victoria*: p. 28 ubi *de illorum, relictis Gallis, cum Germanis conjunctione* p. 355. ubi *de eorum ſpecie ac moribus*: & p. 365. ubi *de populari illorum ſermone Germanico*: ac ad hæc omnia loca eruditas *Notas* Cl. Ottonis.

BURGUS, urbs Gall. in Breſſiæ Comitatu ad amnem *Reſouſſe* Sub Galliæ Rege cum tota regione ab A. C. 1600. vulgò *Bourg en Breſſe*, de quo vide Guichenon *Hiſt. de Breſſ* Item oppid. Aquitaniæ olim munitum, ad Duranium fluv. ubi Garumnæ miſcetur, vulgò *Bourg ſur mer*. Veteribus *Ebromagum*.

BURGUS, Saxonica vox, an à Græco πύργος, i.e. turris, an à πῦρ, i.e. ignis, quòd turres inſtar columnæ ignis cœlum appetunt. Sumitur pro monte, caſtro, oppido, urbe unde *Aſciburgium*, in qua voce *Aſci* apud Sileſios montem, apud exteriores Germanos urbem denotat. Pro caſtello parvulo, ſumitur à Romanis, Valentiniani ævò, Veget. *de re mil. l.* 4. *c.* 10. Imo pro habitaculo in limite, antiquitur apud Paul Oroſium *Hiſt. l.* 7. *c.* 32 Porrò pro loco munito, unde *Burgundiones* nomen nacti: ſed ſic à caſtello diſcernitur, quòd Caſtellum Burgum notat arcem habentem in area, Burgus autem ſine caſtello locum munitum. Græcis recentioribus φοσσάτον vocatur, accipiturque pro ſepimento caſtrenſi, i. e. ampla foſſa & vallo ex egeſto introrſum ceſpite munito. Anaſtaſio *in vita Stephani III. Cluſa*. Reperiuntur autem duplici formâ, interdum quadrangulâ, ſed frequentius rotundâ: Hæc opus Saxonicum, Normannicum & Gothicum: illa Romanum. Romanos enim veteres in quadrum ſemper caſtrametatos eſſe, docet *Polybius*, licèt inferiores edocuit *Vegetius* loci cedere neceſſitati. De *Burgo* verò *Gothico* vide Procop. *belli Goth. l.* 1. Ammian. *l.* 31. *in Valent & Gratian.* Simile de Francis ac Burgundis ſuggerit Frodoardus *Chron. ad A. C.* 925. qui Græcos proculdubio ſecuti & Lycurgum. Vide Xenoph. *Rep. Laced.* Ammian. *loc. cit. Burgum è plauſtris* exhibet, German. *Wagenburg*. Nec diſſimile videtur priſcum Brittannorum oppidum, de quo Cæſar *Bell. Gall. l.* 5. *c.* 21, *Oppidum vocant Britanni, cum ſylvas impeditas foſſâ & vallô munierunt.* Burgum etiam dici, quod Germanis aliis *Haga* & *Circulus*, certum. Hinc Hunnos & Avares, octennali bellô à Carolo M. edomitos, extructis novem *Haga* i. e. *Circulis*, ſeu *Burgis*, in Pannonia habitâſſe legimus: & pleraque habitationum vocabula apud Germanos Borealeſque populos videntur à cingendo ſepiendoque emanâſſe, ut patet ex vocibus *Haga*, *Ham*, *Hem*, &c. Apud Gallos tandem *Burgus* appellatur villa inſignior, quæ nec murô nec vallô clauditur. Apud Anglos Villa, quæ Prætorem habet & jure utitur municipali, ac in Parlamentariis Comitiis per Procuratores ſuos (*Burgenſes* dictos) ſuffragia fert, minimô licèt loco. Vide Henric. Spelmann. *Gloſſar. Archaiol.*

BURGUS, oppidulum Finlandiæ, prope ſinum Finnicum.

BURGUS Novus, oppid. Aquit. in Marchia Lemovicenſi ad Taurionem amnem. Cenſetur pars provinc. Pictavienſis.

BURGUS Pontii Paulini, caſtrum Galliæ, *Sidonio* memoratum ac deſcriptum, vulgò *Bourg*, ad Duranium fluvium, qui paulo infrà Garumnâ recipitur, jam antea ob æſtus Oceani, quibus augetur, *Maris* nomine honorato. Unde ager inter Garumnam & Duranium *le pays d'entre deux Mers*, i. e. pagus inter duo Maria: & *Burgus* ad Mare multis cognominatur, *Bourg ſur Mer*, cùm ſit poſitus ad Duranium, Hadr. Valeſ. in voce Duranius.

BURGUS Seſtier, oppidul. Italiæ, in agro Vercellenſi, ad Seſſitem fluv. ſub Sabaudiæ Duce in confinio Ducatus Mediolanenſ.

BURI, memorati Jul. Capitolino *in Marcô Antonino Philoſ. c.* 22. *Gentes omnes ab Illyrici limite, uſque Galliam conſpiraverant, ut Marcomanni, Nariſci, Hermunduri & Quadi, Suevi, Sarmatæ, Lattingea & Buri*: *hi aliique &c.* Βοῦῤῥοι dicuntur Dioni in *Trajano*, in veter. *Peutingerorum tabula Duri* ſeu *Dari*, uti docet Salmaſ. *ad loc. cit.* quem, ſi placet, vide.

BURIA, urbs, in frugifero ſolo ſita; juxta montem Tabor & torrentem Nun, in tribu Zabulon.

BURICHALIS, Græcè Βουριχάλλος, idem quod *Burichus* ſed *Burricus*, Gallic. *Bourique*, auctori *Gloſſarum antiqq. MSS. Mannus eſt, equus brevior, quem vulgò* brunicum *vocant*. Sic Porphyrio *in l. Epodon Horatii, Mannos equos, vulgò* burichos *appellant*. A Græco πυῤῥίχος, quod idem cum πυῤῥός, i. e. *rufus*; Sic enim omnes equos breviores à colore appellâſſe Latinos citerioris ævi, etſi alterius eſſent coloris, per catachreſin ait Salmaſ. *ad Vopiſc. c.* 20. *in Carin.*

BURICHUM, oppid. muratum Ducatus Clivenſis, è regione Veſaliæ ad Rhenum fluvium. Quibuſdam eſt *Burcinatium*.

BURICIANUM, oppid. Bavariæ, prope Lichi fluv. confluentes, *Burkhau Cluver.* non longè à Danubio.

BURIDENSII, populi Daciæ, quorum urbs Varadinum eſt, teſte *Lazio*, *Wardin*, & *Varadein*.

BURII, populi Germau. cognomine Luti, *Ptol.* qui teſtibus *Andr. Velleio & Rantzovio*, in inſul. maris Baltici, cui nomen eſt *Bornholm*, habitant. *Britto* erant, ubi nunc magna pars Poloniæ, verſùs Caliſiam urbem.

BURIS, vide *Bura*.

BURLÆUS Gualterus, vide *Gualterus*.

BURLARIA, in veteri *Charta* apud Columbum in *Manuſcrit. l.* 1. *num.* 43. locus eſt in urbe, vel extra urbem, in qua ludere ſoliti incolæ. Hiſpanis certè *burlar* eſt jocari, ludere; Vaſconibus *Burlaxe*, Occitanis *Bourlos*, ludus, jocus, illuſio. Vide ſuprà in voce *Bohordicum*.

BURNUM, ſeu BURNIUM *Livio*, *Grachova* teſte *Nigrô*, oppid. Illyrici mediterran. in Liburnia, Arauzonæ propinquum.

BURNUS, inter idola Romanorum, memoratur Arnobio *adv. Gent. l.* 4. *Quis Libentinam, quis* Burnum, *libidinum ſupereſſe* in*cluſam credat?* Uti quidem veterem Lectionem habere, monet Deſid. Heraldus. Alii tamen *Liburnum* maluut. Vide eum *Animadverſion. ad loc.*

BUROA, inſul. in mari Indico, inter Moluccam & Macaſſaras inſulas ſat culta & oblonga.

BURONIA Sylva, *Weſterwald*, apud Colin. Agrippinam, *Trithem.*

BURRA, prænomen muliebre, apud Romanos, à colore ſic dictum, Valerius in *Epit. de Nominib.* Dicebam autem *burram* antiqui, ut Feſtus ait, *quod nunc dicimus rufum. Unde ruſtici* burram *appellant buculam, quæ roſtrum habet rufum, pari modô rubens cibô & potione ex prandio* burrus *appellatur*. Sic genus equi brevioris, à colore Græci πυῤῥίχον, Latini *burrichum* appellârunt, uti videmus. Non ſolum autem *burrum*, ſed & *byrrum* dixêre Veteres pro eodem. Vide in hac voce, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino, loc. cit. & ad Solin. p.* 68. ubi à Græco πυῤῥός vocem ortam pluribus docet.

BURRANICA Potio, vide infrà *Camella*.

BURRHUS Afranius, prætoriis cohortibus, ab Agrippina; impoſitus, egregius militaris Famæ. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 42 Iſt ſe tumeſcentibus paulatim faucibus & impeditô meatu extinctus. P. Maviô L. Aſiniô Conſulib. *l.* 14. *Annal. c.* 51.

BURRIUM, *Antonin. Uske*, *Camdeno* oppid. olim Albionis nunc Walliæ, finitimum Iſcæ Monumetenſi; inde 9. mill. paſſ. Callevam verſùs. Aliis eſt *Ledbury*.

BURRIUS Richardus, vide *Richardus*.

BURRUS Petrus, vide *Petrus*.

BURSA, Metropolis Bithyniæ, ſedes Imperii Ottomannici ante Adrianopolim. A Pruſia conditore, Pruſa dicta creditur. Strabo, *l.* 12.

BURSA, nomen, quô olim Collegia deſignabantur, teſte Aventinô *Annal. l.* 6. Vide infrà. In celebrioribus Emporiis nomen hoc loco eſt, ubi Mercatores ſtatis per hebdomadem horis conveniunt, de rebus ſuis diſſertaturi cui ſimile quid Romanorum Baſilicæ fuêre. Quàm magnificè enim extructæ exornatæque *Burſæ* ſint, Londini, Amſtelodami, alibi, nemini ignotum. De Amſtelodamenſi ſic Barlæus *in Mediceæ, Mercatorum*, inquit, *anguſta porticus, quam* Burſam *vocant, elegantis & operoſâ ſtructurâ, fornicibus tota moles incumbit ſuperiora operis columnæ marmoreæ quadraginta validè portant, ut ne diſſolvere ſecula compagem videantur poſſe. Ambigas, ingeniô, an ſumtu, an utilitate major? Officinis inferioribus, quæ plateas & Amſtelam ſpectant, viginti ſex cingitur; at, quâ per gradus aſcenditur, ſtationes apertæ & vendentium capſulas plurimas, quæ centenarium ſaciliè excedunt, ubi merces commoda pulchriores, exotica, domeſtica, nata vel facta veneunt. Hic totius contractibus venditur Orbis, hic emitur, hic de pretio rerum, permutandis mercimoniis, onerandis exonerandiſque navibus, de pecunia in uſuram, remittenda aliunde pecunia, omnes ſermo* &c. Vide ſuprà in voce *Baſilica*. Nominis originem, ex Hebræo בורסא *Boerſa*, (unde & interior Carthaginis pars *Byrſa*) munitum locum denotante, arceſſit Keuchenius *ad C. Nepotis Fragm.*

BURSAONENSES, Hiſpaniæ citerioris populi Calagurritanis, & Complutenſibus vicini. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

BURSARIUS, in Eccleſia Romana officium Monaſticum eſt, penès quem *burſa* ſeu pecunia Monaſterii, in *Monaſtico Angl. Tom.* 1. *p.* 184

Johan Tattonus quintus, Burſarius officiatus.

Etiam ſic dicti ſunt, quibus ex *Burſis* ſtipendia præſtabantur, cujuſmodi *Burſarius*, i. e. arcarius, ... gazophylacium, meminit in Computo Baiſliviorum Franciæ A. C. 1288. *Expenſa: Pro Burſis*

fis *Scholarum Regis*, *quæ fuerunt de Curia* —— *pro Burſis baptizatorum* —— *pro Burſis Beghinarum.* Nempe in his *Burſis* ſive Arcis reponebantur, quæ ad Scholaſticorum, verbi gratia, ſeu Baptizatorum, alimoniam ſpectabant, quæque etiam in uſum à Viris piis legatæ erant. Vide quoque infrà *Nomenclator.* Unde etiamnum *Burſarii* in Academiis dicuntur, quibus, ob rei domeſticæ penuriam, certa quædam ſtipendia exſolvuntur, ex Arca ad id deſtinata, ad ſtudiorum curſum eò expeditiùs conficiendum, &c. De *Burſa Papali* purpurea, in qua ſunt 12. ſigilla pretioſorum lapidum & muſcus, in Inauguratione Pontificum adhiberi ſolitâ, vide Cencium Camerar. *de Inaugur. Cœleſtini III.* laudatum Car. du Freſne in *Gloſſar.* Vide quoque ſuprà, in voce *Burſa.*

BURSEELI Hieronymus, vide *Hieronymus.*

BURTANGA, vide *Arx Burtange.*

BURTINA, *Ptol.* *Borrino Antonino* *Almudernar*, teſte *Suritâ*, oppid. Aragoniæ, inter Cæſarauguſtam 10. & Oſcam in Caciem 4. leuc. Aliis *Balbaſtra* eſt, urbs à Cæſarauguſta 22. leuc. ab Ilerda 5. Oſcam verſùs.

BURVINUS, filius tertio-genitus Henrici junioris filii Henrici cognomine *Burvini* (cujus pater Pribiſlaus, ultimus Herulorum Rex, in ordinem ab Henrico Leone redactus, Ducíſque nomine acquieſcere juſſus eſt:) Roſtochium tenuit, à filiis Henrico & Erico excæcatus, quos tamen brevi divina nemeſis ſuſtulit. Ei igitur ſucceſſit alius filius Woldemarus, & hôc natus Nicolotus cognomine *Puer*, qui à Brandeburgicis, quòd Marchionis filiâ repudiatâ duxiſſet Pomeranam, bellò afflictus, ultimus ſuæ gentis fuit. Fratres verò *Burvini* natu majores, Johannes Megapolitanum & Nicolotus Vandalicum, ramos condidêre. Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Genealogico-Hiſtoricâ, in Fam. Wandalica.*

BURUNGUM, oppidul. ad Rhenum, *Borick Sunlero.* Aliis *Wiringen*, oppidul. ad Rhenum, inter Coloniam & Noveſium, ſub Electore Colonienſi.

BUSA, Apula fœmina, quæ 10000. Romanorum, qui Cannenſem cladem effugerant, liberaliter aluit. Val. Max. *l. 4. c. 8. ex. 2.*

BUSACTERI Majores & Minores, Germaniæ populi quos etiam Bructeros eſſe putant. Horum *Brokersberg* oppidum eſſe videtur ſub Goſlaria Saxoniæ urbe. Græci habent codices *Βουσάκτεροι*, fortè à malo & ſterili agro ſic dicti. Hinc Familia haud dubiè illuſtris *Buſekerorum*, cujus & Dithmarus meminit, *l. 6.*

BUSÆ, populi Medorum, quos Diores ſubegit. *Steph.*

BUSARDUM, Caſtellum Salentinorum.

BUSBEQUIUS, vide ſuprà *Augerius.*

BUSCHIUS Arnulphus, vide *Arnulphus.*

BUSCHIUS Hermannus, vide *Buſchius.*

BUSCUMDUCIS, à ſilvis & nemoribus, quæ hôc loci quondam Brabrantiæ Duci fuerunt, appellationem obtinet; una ex 4. præcipuis Brabantiæ civitatibus, ludô litterariô, magnâ civium & præſtantium ædificiorum frequentiâ, pugnacique populô, civili tamen ac blandô, nobilis. Ibi mercatura, lanificium, cæteræque artes mechanicæ florent. Vulgò *Boſleduc.* Vocatur etiam *Sylva Ducis.*

BUSEKERI, Familia nobilis Saxoniæ, vide *Buſackeri.*

BUSENTUS, amnis Calabriæ inferioris Conſentiam urbem uno latere includens, cujus aquæ natura eſt capillum efficere nigrum: accolæ etiam confirmant fila ſerica, ſi Buſentia aqua redordiantur, fuſcum accipere colorem.

BUSI, populi memorati, Adamo Bremenſi *c. 118.* ubi de Inſulis Balthici maris: *Ibi ſunt homines pallidi, virides & macrobii, i. e. longi, quos Buſos appellant*; à vultus nempe colore. *Buſius* enim color, in *Gloſſis* Ælfrici helvus eſt ſeu gilvus. *Idem.*

BUSIRIS, Neptuni filius ex Lybia Epaphi filiâ, crudeliſſimus Ægyptiorum tyrannus, quô tempore Danaus Argivis imperavit. Quibuſdam eſt Orus Pharao, qui Amenophi II. ſucceſſit. Hic cùm hoſpites omnes Iovi immolaret, ab Hercule in Ægyptum delato, cùm eaſdem illi inſidias pararet, unà cum Amphidamante filio, & præcone Chelbe & miniſtris aræ interfectus eſt. Ovid. *Met. l. 9. v. 181.*

Ergo ego fœdantem peregrinò templa cruore
Buſirim domui?

Idem *Triſt. l. 3. El. 11. v. 39.*

Sævior es triſti Buſiride, &c.

Statius *Theb. l. 12. v. 155.*

—— *Immites citius Buſiridos aras.*

Virg. *Georg. l. 3. v. 4.*

—— *Quis aut Euryſthea durum,*
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?

Encomium tamen ejus ſcripſit Iſocrates, & Strabo illum unquam regnâſſe negat, *l. 17.* Diodor. Sic. quoque qui eum Regem facit alicubi, & quidem Thebarum conditorem, alibi nomen hoc non Regi alicui, ſed Oſiridis tumulo competere ait. *l. 1.* Item alius cognomine *Crocbrer*, Euſeb. *Chron.* Apollodor. *l. 2.* Item urbs Ægypti ad Nilum fluv. à Buſiride condita, in qua fuit templum magnum Iſidis. Hinc Buſiritica præfectura. Strabo *l. 17.* Vide Joh. Marshamum *Canon Chron. Sec. III. & V.* ubi de *Παιδοθυσίᾳ* agens, occaſionem fabulæ de *Buſiride ξενοκτονίᾳ* ex Diodoro præfato aperit.

BUSIRIS alter, ob crudelitatem Maximinus dictus eſt. Vide Capitolin. in *Maximino c. 9.* Cœterum *Buſiridem* quidem, ut Strabo *ultimo*, ullum fuiſſe ſunt qui negent. Diodor. Sic. idem facit *l. 1.* ſed eum agnoſcit *l. 4.* Nonnulli *Buſiridem* fuiſſe volunt Phamonem illum, qui crudeli edictô maſculam omnem Iſraëlitarum ſpem aquis extinguendam ſtatuerat; atque hinc fabulam de mactatis ab eo hoſpitibus apud Græcos originem cepiſſe. Alii circa Moſis tempora illum collocant, de qua Sententiarum varietate, vide Jac. Ouzelium *Animadverſionibus Minucianis p. 192. & 193.* nec non ſuprà aliquid.

BUSIRITICUS fluvius, eſtropa eſt Bubaſtiaci fluvii, de quo ſuprà. Hic enim juxta minus Delta dividitur ſic in *Buſiriticum*, *ὃς εἰς θάλασσαν ἐκβάλλει*, *qui per Pathmeticum fluvium in mare exit.* *Ptol.* Nomen huic Nili diverticulo ab urbe *Buſiri*, de qua ſuô locô.

BUSIUM, oppid. Delphinatus, in limite Provinciæ *Bus.* 3. leuc. à Vaſione, ad *Laurveſe* amnem.

BUSMADIS, Iſaurica civitas. *Steph.*

BUSSÆ vel BUYSÆ, dicuntur à Belgis naves majores, quarum plurimæ 120. aliæ 100. 60. 50. Tonnarum ſeu dimidiò tanti *Laſtarum* ſunt, atque in Harengarum piſcatione adhibentur. Harum initiò Junii menſis mille & ampliùs emittunt, impoſitis ſingulis 24. 18. 16. hominibus, quibus naves bellicæ in tutelam adduntur plures paucioreſque pro temporum ratione. Quæ dein Hitlandiam verſùs pergunt, & uſque ad diem 14. menſis præfati ibi ſubſiſtunt: ſtatuti enim locô inter piſcatores eſt, ne ante diem iſtum retia projiciantur, quod harengas ad ſaliendum citiùs haud aptas credant. Hinc porrò piſcationem incipiunt; ac è regione Scotiæ & Angliæ, Yarmoutham uſque, h. e. totis 200. milliaribus progrediuntur, quò circa diem S. Bartholomæi perveniunt, & interjectô tempore bis vel ter harengis replentur, quas aliæ naves ipſis obviam venientes excipiunt ſtatimque in alias regiones exportant. Quas verò poſteà in regione Yarmuthenſi capiunt, eas non ampliùs ſaliri idoneas judicantes, vel domum avehunt, vel Anglis vendunt, unde & harengæ infumatæ fiunt. Lucrum, quod inde trahitur, ingens eſt, ſingulæque harum *Buſſarum* unâ vice repletæ 2500. Imperiales creduntur lucrari: unde & Tutores orphanis non melius proſpectum autumant, quàm ſi pecuniam eorum in iſtiuſmodi naves impendant. Præter iſtas autem naves, aliæ minorum generum, ut Pinkæ, Galiottæ & ſimiles, ultra 3000. & ampliùs, eidem negotio adhibentur, qua de re vide *Conſilium* Anonymi ad Angliæ Regem *de Incremento Regni per capturam harengarum*, in *Diar. Europ. continuat. Continuat. VI. p. 388.* ac Joh. Keymonſium *Obſervat. de Piſcatura Belgarum*, in *Append. ad Contin. XI. præfati Diarii*: ut & infrà, ubi de *Harengis.*

BUSSETUM, vide *Buxetum.*

BUSSOLIUM vel BUSSOGILUM, vulgò *Buſſeuil*, villa Galliæ eſt, in pago Cœnomanico, memorata in literis Caroli Calvi, datis Indictione VIII. annô Regni in Francia XXXV. & Regni Hlotharii III. B. *Filiberto Herenſi & Geiloni Abbati*, Monachiſque ejus metu Normannorum profugis, *Abbatiam S. Valeriani Martyris, quæ eſt in pago Cavillonenſi ſuper fluvium Sagonam & caſtrum Trenorchium, quod eſt ex eadem Abbatia & Tornutium uſum donavit*, aliquot prætereà villas, *in pago Lugdunenſi*, *Genivſo* (ſeu Genevenſi) *Matiſconenſi*; *in pago Andegavenſi Conoleum*, aliàs Conaldum & Conaltum (*Cunaut*) *in pago Cenomanico Buſſolium*, apud Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ*, in voce *Tinurtium caſtrum.*

BUSSULARIUS, qui ſuperſtitione devinctum populum Tribunitiis concionibus adeò tenuit, ut tyrannidem Ticinenſem ad ſe traxerit. Prænomen ei Jacocus.

BUSTA Gallica, locus in urbe Roma, memoratus Livio *l. 22. c. 14.* *Illi ipſô die media in urbe, quà nunc Buſta Gallica ſunt* &c.

BUSTA Salvatoris D. N. (uti vocant in Eccleſia Romana) & Beatæ Virg. Mariæ ex marmore & alabaſtro elaborata, quorum tria non tantùm ſculpturâ præſtant, ſed & duo, ex parte cava & convexa Orientali alabaſtrô, quæ luci expoſita, con cryſtallum tranſparent, aſſervantur in *Muſæo* Kircheriano Romæ. Vide *Collegii Romani Societat. Jeſu Muſæum Amſtelodami excuſum*, p. 7.

BUSTUARII, dicti ſunt à *buſtis*, (rogus autem, ubi uſtulatum cadaver erat, *buſtum* dicebatur.) Mos enim erat in ſepulchris fortium virorum captivos necari: quod poſtquam crudele viſum eſt, placuit gladiatores ante ſepulchra dimicare, hinc *Buſtuarios* dictos: quorum effuſus cruor Inferorum Diis ſacrificii locô inſerviebat, quod genus *Inferias* dixêre. De his Sueton. *in Tiberio c. 7.* *Munus gladiatorium in memoriam patris, & alterum in avi ſui Druſi dedit, diverſis temporibus ac locis, primùm in Foro, ſecundum in Amphiteatro*, &c. Primi Romanorum iſtiuſmodi ceremoniâ patris cineres proſequuti ſunt, Marcus & Decimus filii Bruti, in Foro Boario, Appio Claudiô, Quintô Fulviô Conſulib. apud Val. Maximum *l. 2. c. 4. ex. ult.* Imò nec ſolùm iis, qui in dignitatibus eminuerunt, ſed & privatis hominibus, hôc modô parentatum eſſe, teſtatur Tertullian. *de Spectac. c. 6.* *Inter quos etiam privatorum memoriis legataria hæreditates parentant*, id quoque ſecundum *inſtitutionis antiquitatem.* Hinc diſcimus, à ſepulchris, ſequentibus temporibus, in alia loca, Circum, Forum, Amphitheatra &c. cruentos iſtiuſmodi ludos tranſlatos, & à moritaris teſtamentô quandoque legatos eſſe, ceremoniamque tandem in artem, (hæc enim vera Gladiatoriæ artis origo) tranſiiſſe. Numerus eorum, qui hiſce ludis concertabant, nonnunquam ingens fuit; ipſa ceremonia *Munus*, qui que hoc exhibebant *Munerarii*: qui Buſtuarios hoſce alebant, *Laniſtæ*: grex tyronum ab his ad id ludi genus emtorum, *Familia*: ſi qui liberi homines eſſent, *Auctorati*: arma, quibus ſe præparabant, *Luſoria & Exercitoria tela*: reliqua, quibus pugnabant, *Decretoria*, quia hæc, *velut decretô Prætoris ſive Editoris dabantur* dicta ſunt. Unde Seneca *Ep. 117.* *Remove iſta luſoria arma, decretoriis opus eſt*: quò forſan alludit Apoſtolus 1. Corinth. *c. 9. v. 26. 27.* cùm ait: *Οὕτω πυκτεύω ὡς οὐκ ἀέρα δέρων, ἀλλ᾽ ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα*, *Sic pugilem ago, ut aërem non cædens: Sed contundo corpus meum*; quaſi dicat. Non velitatoriis ſed decretoriis, adverſùs hunc hoſtem, armis utur. Plura hanc in rem vide infrà in voce *Gladiatoria Ars.*

BUSTUM, vide infrà *Rogus.* Dico hîc ſaltem, morè olim luctuoſa

ctuoſa & buſta Gentiles averſatos Ammian. l. 31. *Ædificiis nuſquam potiti, ſed hæc velut ſepulchra declinant.* Unde Apulejus *Apolog.* petit à Metentio, ut Æmiliano objicit *omnia buſtorum formidamina, omnia ſepulchrorum terriculamenta.* An quod in iis oberrare exiſtimabant umbras mortuorum, & proin ea frequentata magis, ad animarum evocationes & incantationes; an quod pollui buſtis verebantur? Certè magnô apparatu ſacrificiorum, quæ fuſè deſcribit Heliodor. *l.* 6. & Horat. *l.* 1. *Sat.* 7. illic peractas evocationes Manium incantationeſque variì Auctores tradunt. Ammian. iterum *l.* 19. *Si quis per monumentum tranſiſſe veſpere argueretur, ut veneficus, ſepulchrorumque horrores & errantium ibidem animarum ludibria colligens vana, capitis interibat.* Sanè Dæmones circa ſepulchra obverſari, præter Platonem *Phædone*, & ex eo Nicephorum Gregoram in *Syneſ.* [illegible], Pauſan. tradit in *Atticis*, ubi de Miltiadis ſepulchro, it. Clem. Alex. *Protrept.* Lactantius *l.* 2. *c.* 2. Theophylactus *in Matthæum c.* 10. Alii. Sed & omnia luctuoſa, infauſta & impura, ſeriò Pythagoreæ. Lucianus *de Dea Syra*, [illegible]. More itaque gentili loquutus apud Minucium Felic. Cæcilius, quum Chriſtianos Gentilium Templa, *ut buſta deſpicere* ait, h. e. averſari quam maximè ac illa refugere. Quod illi eo fidentius faciebant, quia ex ſepulchris & *Buſtis* illa conſecrata noverant, ut lariſſimè probat Clemens Alex. *Protrept. mortuoſque & Deos ſicuti eſſe ſciebant*, ut ait Tertullian. *de Spectac. c.* 13. Vide Rigaltium ceteroſque Viros Cl. ad *Minucium d. l.* ut & aliquid infrà, ubi de *Cœna Ferali*.

BUSUS, vide *Ebuſus*.

BUTADÆ, pars tribus Ægeidis. *Steph.* Pars tribus Oenéidis *Spanio*, à *Bute* Heroe nomen adepta. Idem nomen illuſtris Atheniis familiæ erat, è qua Sacerdotes Minervæ, ſub cujus tutela Urbs erat, legebantur. Vide *Itiner. Græcia Part.* 3 & Joannem Meurſium *de Populis Atticæ*.

BUTALION, nomen cujuſdam ob inſignem ſtultitiam & ſtuporem à Comicis exagitati. Vide Scholia *in Ranas Ariſtophanis*, *Act.* 4. *ſc.* 1.

BUTAMA, Dalmatiæ oppidum. *Cedrenus.*

BUTAS, elegiacô carmine res Romanas tradidit, ex quo fabuloſas Lupercalium cauſas tradit Plut. *in Romulo.* Meminit ejuſdem Arnob. *l.* 3. *ubi de Bona Dea: Sicut ſua ſcribit in Cauſalibus Butas* perperam vulgò *putas*.

BUTEA, familia Romana, à *buteone*, i. e. accipitre ſic dicta: cui principatus in auguriis olim dabatur, proſperô auſpiciô à buteone ſumptô. Plin. *l.* 10. *c.* 8. Vide infrà.

BUTEO, cognomen M. Fabii apud Liv. *l.* 30. *c.* 26. & *Plut.* Item Romanus Orator, cujus meminit Seneca *l.* 2. *Controv.*

BUTEO, accipitris genus, quem [illegible] Græci dixêre. Hunc ſolum, cùm inter aves migratorias cenſeantur accipitrum pleræque ſpecies, ſemper apparere, tradit Philoſophus *Hiſtor. l.* 8. *c.* 3. quemadmodum ſolum æſalonem Plinius excipit, *l.* 10. *c.* 8. Vide Bochart. *Hieroz. Partis poſter. l.* 2. *c.* 19.

BUTEO Johannes, Delphinas, Canonicus Regular. Ordinis S. Antonii Vienn. Juriſconſultus & Mathematicus inſignis; Orontii Finæi, Mathematum in Gallia inſtauratoris, diſcipulus ac poſtmodum adverſarius, *de Fluviaticis Inſulis ſecundum jus Civ. dividendis*, *de figura & magnitudine Arcæ Noæ*, aliaque complura ſcripſit. Obiit A. C. 1560 ætat. 75. Allard. *Bibl. du Dauph.* Thuanus, Voſſ. *de Mathem. Scient.* c. 27. §. 11. c. 49. §. 14. c. 57. §. 13. Teiſſier *in Elogiis*, Alii.

BUTERÆ, vide *Bliteræ*.

BUTERIUM, oppid. Siciliæ, in valle Netina, Principatus titulô clarum, intra montes, 4. milliar. ab Himera flumine.

BUTES, fil. Amyci, Bebryciorum Regis, qui ob ſævitiam patris ab Argonautis cæſi, regnô pulſus, parvô navigiô in Siciliam confugit, ubi à Lycaſte nobili meretrice hoſpitiô ſuſceptus eſt, à qua cùm ob formæ morumque elegantiam diligeretur, ejus concubitu uſus, Erycem filium ea ex ſuſcepit, & quoniam Lycaſte ob eximiam pulchritudinem Venus vocaretur, datus eſt locus fabulæ, Buten ex Venere filium Erycem ſuſcepiſſe. Virg. *l.* 5. *Æn.* v. 372.

Idemque ad tumulum, quô maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui ſe
Bebryciâ veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, & fulvâ moribundum extendit arenâ.

BUTES, fil. Erechthei, Athenienſium Regis, uti diſcimus ex Apollodoro & Tzetze *Chil.* ζ. *Hiſtor.* 19. Ei, quemadmodum & Patri filiabuſque ejus, ſacra quoque eſſe facta, indicat Pauſan. in *Atticis*: [illegible Greek] *Ingredientibus verò (Erechtheum) tres ſe offerunt aræ: Neptuni una, in qua & ſacrafaciunt Erechtheo, ex oraculo; altera Heroïs Butæ; tertia autem Vulcani.* Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 13.

BUTES, nomen ſacerdotis. Cœl. Rhodig. *l.* 14. *c.* 13. Vide Niceph. *in Syneſium de Inſomniis*. Orpheus etiam quendam hujus nominis recenſet, inter Argonautas:

[illegible Greek]

BUTES, Trojanus à Camilla occiſus eſt. Virg. *Æn. l.* 11. v. 690.

Protinus Orſilochum & Buten duo maxima Teucrûm
Corpora. ——

Item Scytharum fluv. cui propinqui ſunt Agathyrſi & Sarmatæ. *Tortellius.*

BUTHIA, urbs vel regio Ioniæ. *Steph.*

BUTHOE, urbs Illyridis. *Butoia Sophocli*, *Buthôe Scylaci & Phaloni*, *Butua* Plinio *l.* 3. *c.* 22. *Ptolemæo* mendoſè *Bulva*, hodiè *Budua*, vel *Badavo*; quam apud *Stephanum* quidam ſic dictam volunt, [illegible Greek] Alii Cadmum eam nominâſſe volunt, [illegible Greek], ab *Ægyptio Buto.* Sed verum nomen Phœnicium eſt [illegible Hebrew] *botna*, i. e. *ſecura*, *tuta*, cujus incolæ habitabant [illegible Hebrew] h. e. *in tuto*, naturâ loci muniti, aut vallis & mœnibus, aut propriis viribus freti. Bochart. *l.* 1. *Chanaan c.* 23.

BUTHOS, oppid. Ægypti. *Ptol.* Plin. *l.* 5. *c.* 10. ubi Apollinis & Dianæ templum erat, docente Herodotô *l.* 2. *c.* 155. Apollinem autem Deum fuiſſe Ægyptium, oſtendit pluribus Joh. Marshamus *Canone Chron. Sec.* I. ubi de *Toſorthro*, primò poſt Menem Memphitarum Rege, ſeu *Æſculapio.* Ex hac urbe Oraculum venit Mycerino Regi Memphitæ, *fore ut ſex omnino annos viveret, ſeptimô defuncturus*: quo [illegible] apud Gentes nullus occurrit vetuſtior. Et quidem ex omnibus Ægypti oraculis præcipuum habitum Latonæ in urbe *Butis*, Herodotus tradit *l.* 2. *c.* 83. Vide & *c.* 133.

BUTHROTUM, ſive BUTHROTUS, *Ptol.* vulgò *Butrinto*, urbs Epiri in ora contra Corcyram inſulam, Virg. *Æn. l.* 3. v. 293.

—— *Portuque ſubimus*
Chaonio, & celſam Buthroti aſcendimus urbem

Ovid. *Met. l.* 13. v. 721.

—— *Regnataque vati*
Buthrotos Phrygio. ——

Baudrando urbs olim, nunc oppid. Albaniæ in Chimera regione ſub Turcis, à centum & amplius annis, ægrè habitatum. Eò multi piſcatores confluunt quotidie, hinc ſinus Buthroti dicitur, aliàs Pelodes, nunc multis *Botronto*, vix 6. mill. paſſ. à Corcyra in Ortum.

BUTHROTUS, fluv. Magnæ Græciæ apud Locros, *Nevitto*, teſte *Barrio*.

BUTHUE, fil. major natu Godeſcalci, Herulorum Regis, à ſubditis, quibus fidem annuntiabat, occiſi A. C. 1066. cùm Patris ſucceſſor, ejus mortem vindicare decrevîſſet, à Crutone, Rugiorum Principe agnato, pulſus & à Saxonibus reſtitutus, tandem tamen ejuſdem inſidiis periit. Pater Pribiſlai, & Nicoloti, quorum ille à Regiis captus & in cuſtodia mortuus eſt, hic totô penè regnô exutus, & in acie cæſus eſt ab Henrico Leone & Alberto Urſo: relictô filiô Pribiſlaô, ultimô gentis Rege. Fratrem habuit *Buthue* Henricum, è cujus poſteritate Suinico ultimus fuit A. C. 1135. Erdenoburgi occiſus. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Gen. Hiſtor. in Fam. Vandalica.*

BUTHUS, athleta nobilis, qui bovem integrum unô die devorare ſolebat; unde natum proverbium in edaces, *Buthus obambulat.* Vide Heſych. in [illegible Greek], & Zenob. p. 44.

BUTHYREUS, inſignis ſtatuarius, Myronis diſcipulus, qui fecit puerum ſufflantem languidos ignes & Argonautas. Plin. *l.* 34. *c.* 8.

BUTICA, vide infrà in voce *Buttis* & *Doga*.

BUTICULARIUS, ceu Buttarum & Buticularum præpoſitus. Gallis *Bouteiller*, Pincerna. In palatio Caroli M. præcipuæ dignitatis fuit & auctoritatis, ut Hincmarus *Ep.* 3. *c.* 16. docet, ubi poſt Apocriſiarium, & Cancellarium, ponuntur Camerarius, Comes Palatii, Seneſcalcus, *Buticularius*, Comes Stabuli, Manſionarius, &c. *c.* 23. *Ad tres autem Miniſteriales, Seneſcalcum, Buticularium, & Comitem ſtabuli, pertinebat, ut cum communi conſenſu de ſuo quoque miniſterio admonendi non eſſent ſegnes; ut quanto ejus eſſe potuiſſet, omnes actores Regis præſcirent, ubi vel ubi Rex illo vel illo tempore tantô vel tantô ſpatiô manere debuiſſet, propter adductionem vel præparationem, ne fortè tardè ſcientes, dum inopportunô tempore, vel cum nimia feſtinatione exigeretur, familia regalis per negligentiam ſive neceſſitate opprimeretur. quæ videlicet cura, quamvis ad Buticularium, vel ad Comitem ſtabuli pertineret, maximè tamen Seneſcallum reſpiciebat, eò quòd omnia cætera, præter potus & victum caballorum, ad eundem Seneſcallum reſpicerent.* In ſubſcriptione teſtam. Philippi Auguſti apud Rigordum: *Signum Tibaldi, Dapiferi noſtri. Signum Guidonis Buticularii. Sig. Anthei Camerarii.* Vide Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* & infrà *Buttis*.

BUTIS, Syriæ civitas, Pella poſteà dicta. *Steph.*

BUTISTA, *Bubeia*, officium in Eccleſia Conſtantinopolit. cujus erat, *baptizare* infantem, in *Catalog.* offic. MS. Eccl. Mediolano.

BUTIUS Adrianus, vide *Adrianus* & *Hadrianus*.

BUTOA, inſul. maris Mediterran. prope Cretam. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

BUTOMON, *Theophraſto* recenſetur inter eas herbas, quæ in aquis & in terrenis pariter proveniunt, ut phleos, cyperum &c. [illegible Greek] Et paulo pòſt, [illegible Greek], vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 999.

BUTONUS Johannes, vide *Johannes*.

BUTORIDES, Hiſtoricus, inter 12. illos, qui de Pyramidibus Ægypti ſcripſêre. Plin. *l.* 36. *c.* 12.

BUTOVIUM, oppid. Pomeraniæ, ad Stolpam amnem, prope *Valdow* deſertum Pruſſiæ, in ditione Electoris Brandeburg. 8. leuc. Germanic. à Gedano, in Occaſum.

BUTRINGARIUS Jacobus, vide *Jacobus*.

BUTRIUM, urbs Italiæ. *Steph.* *Butrio Leandro.* Vide Clever. *Ital. Ant. l.* 1. *c.* 27.

BUTTIS, Græcis inferioribus Βοῦτζι, Italis *Botte*, Hiſpanis *Bote*, ſicut cupa, vas vinarium eſt ingentis magnitudinis. *Gloſſæ Latino-Græc.* *Vegna ſeu cuppa* [illegible Greek]. Latini etiam *Buttiones* dixêre, unde *Buttiones argentei* apud Anaſtaſium non uno in loco: quorum formam, ex antiquo monumento,

mento, in Vaticana portica S. Petri, exhibet Dominicus Macer in *Hierolex.* Vide quoque infrà *Mantuna.* Hinc *Buticula*, Gall. *Bouteille*, de vaſe vinario; & *Buticle* de nave minore, ad *buticulæ* formam confectâ: à quo *Buticularius*, de quo ſuô locô, & apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* ubi *de Buticulario Franciæ*, uno ex IV. majoribus Palatii Officialibus, qui literas & diplomata Regia ſuâ ſubſcriptione firmabant; vel ſaltem expeditioni illorum intererant: deque *Buticulario*, i. e. tributo ei ab Archiepiſcopis aliiſque Præſulibus, 100. videl. ſolid. Pariſ. ſolvi ſolito, varia habes notatu digna: aliquid etiam ſuprà, ubi de *Abbatibus Regalibus.* De *Buticula* vitrea vimine circum textô munita ſolitis, vide infrà *Phleas.*

BUTTONI Sinus, in Oceano Septentrionali ab Anglo *Buttons*, qui eum luſtravit, dictus, in America Septentrionali.

BUTTOVIUM vel BUTOVIUM, unà cum Lawenburgo, inter titulos Electoris Brandenburgici, comparet: quas dynaſtias ad Caſſubiam alioqui ſpectantes, contra Equites Cruciferos, Wartiſlaus X. & Ericus II. Pomeraniæ Duces, ſeculô XV. armis aſſeruêre; poſſeſſione poſteà, à Georgio Pomeraniæ Duce (Luthero coævo) ictô cum Polonis fœdere & favore præſertim ſoceri Sigiſmundi Poloniæ Regis ſtabili redditâ. Quæ forſan cauſa eſt, quòd nominatim hæ duæ titulo Electoris præfati Sereniſſimi adnectuntur, cæteroqui jam *Caſſubiæ* appellatione comprehenſæ. Tob. Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus c.* 4.

BUTUA, urbs Dalmatiæ meridionalis parva, ſed munita ſub Venetis, A. C. 1667. terræ motu ferè diruta, Plin. *l.* 3. *c.* 22. Vulgò *Budoa.*

BUTUA, urbs Africæ in Æthiopia inferiore, & imperio Monomotapæ, cum regno cognomine verſus Zamberum fluv.

BUTUNTUM, ſive BUTUNTOS, vulgò *Bitonto*, urbs Apuliæ Peucetiæ mediterranea nobilis & frequens. Populi *Butuntinenſes* Plinio, *l.* 3. *c.* 11. dicuntur. *Butunti*, Martiali,

Hæc malo quoque, Flacce, quàm Butuntos.

Bitunti, in *Tabul.* Peutingeriana, &c. Unde *Butuntini* dicti ſunt terrarum tumores, qui in Agrimenſorum Auctoribus pro terminis; eò quòd apud populos hos tumuli iſtiuſmodi pro terminis haberentur, Salmaſ. *ad Solin p.* 88

BUTUS, Pandionis fil. unde *Butadæ*, pars tribûs Ægeidis. Eſt & Ægypti civitas; *Herodianus* verò vicum eſſe ſcribit, ubi oraculum fuit, unde & Latona *Buto* dicebatur; Eſt & alia Gedroſiæ.

BUTYRI cognitio ac uſus, quia ad Græcos ſerò pervenit, nec niſi per barbaras nationes, hinc in nomine ei aſſignando minùs accurati fuiſſe videntur; *bubulum caſeum* illud vocando, hæc enim propria vocis notio eſt. Certè, cùm caſei & lactis Homerus, Theocritus, Euripides & Poëtarum alii meminerint ſexcentis locis, *Butyri* ne ſemel quidem nominârunt. Ariſtoteles quoque de lacte & caſeo, multa habet inſignia, *Hiſtor. Animal.* l. 3. *c.* 20. & 21. de *butyro* ne γρῦ quidem: niſi quis ad ejus deſcriptionem putet hæc pertinere, *Ineſt lacti pinguedo quædam, quæ, cum concretum eſt, fit oleoſa.* Quomodo in Hecatæo *Butyrum* intelligunt, cùm Pæones ungi dicit, ἐλαίῳ ἀπὸ γάλακτος, *oleô & lacte*, apud Athenæum *l.* 10. *c.* 24. Utut ſit, vel hinc apparet, *Butyri* nomen tum temporis nondum fuiſſe in uſu, adeoque nec rem ipſam, niſi inter Barbaros. Hinc Plinius tradit *l.* 28. *c.* 9. *E lacte fit* Butyrum, *barbararum gentium laudatiſſimus cibus, & qui divites à plebe diſcernat.* Cùm rem & nomen Orientales uſurpaverint ab omni ævo. Ita utique Gen. *c.* 18. *v.* 8. Abraham Angelis ad cœnam invitatis obtulit *Chemea* (quam vocem decies de *Butyro* uſurpant Scriptores Sacri) h. e. *Butyrum & lac.* Vide quoque Deut. *c.* 32. *v.* 14. Judicum *c.* 5. *v.* 25. &c. inprimis Proverb. *c.* 30. *v.* 33. ubi obiter *Butyri* conficiendi ratio à Salomone ſic docetur, *Expreſſio lactis educit Butyrum.* Cur autem Hebraicè *Butyrum* vocetur חמאה, *Chemea*, ex Arabibus diſcere eſt, apud quos *chama*, de lacte, *ſpiſſum & concretum eſſe* ſignificat, ſcil. in butyri modum. Vide Bochart. *Hieroz. Part.* 1. *l.* 2. *c.* 45. Quanquam verò fiat, quoque è lacte ovillo aut caprino; imò equino etiam, vel aſinino, *plerumque tamen è bubulo: & inde nomen*, apud eundem legas. Vide quoque Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progreſſu Idolol. l.* 3. *c.* 64. uti de *Butyro*, apud Barbaras quaſdam gentes, in unctionibus, adhibito, infrà aliquid voce *Unctuarium.* Hodie, præter Helvetiam, *Butyrô* excellunt provinciæ Fœderati Belgii; & quidem à peculiari gratia commendari ſolet *Butyrum* Delphenſe, in Hollandia, & Dixmuydenſe in Flandria. Cui in Gallia ſimile *Butyrum* Vanvrenſe, cujus libra Pariſiis Quadrageſimali tempore ſæpe 30. pluribuſque venit ſolidis. In Caſtella *Butyrum* adeò rarum eſt, ut in Pharmacopoliis ferè tantùm vendi ſoleat, in uſum Medicum; quod in peregrinatione ſua expertus eſt Fridericus II. Elector Palatinus, uti refert Leod. *Vita Friderici l.* 6. Vide Auctorem Anonymum *Hiſtoria Orbis Terrar. Geogr. ac Civ. c.* 30. *de Commerciis.*

BUTYRI Turris, *la tour de beurre*, in Galliâ, Rothomagi dicitur turris altiſſima Templi D. Mariæ Chriſti Matri dicati, in qua campanam totius Galliæ maximam pendere ferunt, XL. millium nempe librarum, quod hi vernaculi verſus, quibus illa inſcripta eſt, indicant:

Je ſuis nommée George d'Amboiſe,
Qui plus que trente ſix mil poiſe:
Et ſi qui bien me poyſera,
Quarante mil y trouvera

Fuit verò hic Georgius urbis Archiepiſcopus, circa A. C. 1500. qui dum conſideraret, hanc ſuam diœceſin tantâ olei penuriâ laborare, ut vix ſufficeret, tempori Quadrageſimali, hujus locô *Butyri* eis uſum conceſſit; eâ tamen conditione, ut ſinguli penderent obolos 6. Turonenſes, è qua pecunia collata extrui curavit hanc turrim, quæ inde *Butyri turris* vulgò hodie nuncupatur. Franc. Swertius *Nob. in Hieron. Magnum de Tumulis, c.* 20.

BUVINDA, quæ BANNA Camdeno, ſive *Bann*, fluv. Hiberniæ per Laginiam in ortum apud Eblanam (hæc eſt Dublinum) fluens; *Slane* Villanovano, qui etiam Latinè *Boandus* dicitur, apud Dondalcam urbem fluens. Sanè P. Jovius Boandum cum Buvinda confundit, illumque per Ultoniam apud Armacum urbem in Boream contra Scotiam fluere ſcribit. *Camdenus* verò, Bannam ait eſſe fluvium Ultonienſis Provinciæ, in Comitatu Colranenſi

BUXENTUM, oppid. Lucaniæ, quod Græci *Pyxunta* vocant, vulgò *Piſciota*, nomen habet à *buxo*, cujus ibi copia reperitur. Aliis *Policaſtro*, urbs Epiſcopalis regni Neapolitani in Principatu citeriori. Ducatus titulô gaudet. Parva, in ora maris Tyrrheni, 15. milliar. à *Capo Piſciozza.*

BUXETUM, oppid. Italiæ in Ducatu Placentino, regiuncula cognominis caput, olim in ditione Palavicinorum, nunc Ducis Parmæ. Ubi urbe Burgi S. Domnini, oppida Buxetum, ad Longenam amnem, 2. milliar. à Pado fluv. Florentiola & Curia major.

BUXIDUM, vulgò *Buxey*, locus Galliæ, in pago Mauripenſi, Hadr. Valeſ. *in hac voce.* Item *Buxidum*, ſeu *Buſciacum*, vulgò *Buſſi*, villula eſt ejuſdem Regni, in pago Sagonenſi Cenomanorum. Hic manſiſſe dicitur S. Lenogiſilus, in *Vita* ipſius. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce, *Sagona.*

BUXIUM, ſeu BUSCHIUM, oppidul. Aquitaniæ propriæ, non longè ab ora littorali, Caput ditionis Buſianæ, quæ vulgò *le Captalat de Buſch*, ad ſinum Arcaſſonium, 7. circiter leuc. à Burdegala in Occaſum. Ibi aliàs Boii populi.

BUXTEHUDA, urbecula Ducatus Bremenſis, Eſtâ amne ſecatur. In limite Ducatus Luneburg. Sub Suecis, 1. milliar. ab Albi fluv. 5. ab Hamburgo. A Confœderatis hôc bellô, menſe Octob. A. C. 1675. capta eſt.

BUXTORFIUS Johannes, Senior, Hammonià Weſtphalus, ex familia inter ſuos illuſtri, cùm Baſileæ ſtudiorum causâ degeret, ob eximiam in Hebraica literatura peritiam, S. Linguæ hujus Cathedræ ibi tum vacanti admotus, ſpem de ſe conceptam tam magnificè implevit, ut brevi *Rabbinorum Magiſter*, meritò audiret. Scripſit, præter *Epitomen Gramm.* & *Manuale Hebr. Lexicon Hebraico-Chaldaicum*, *Theſaurum*, *Grammaticam Chaldæo-Syriacam*, *Synagogam Judaicam*, *Abbreviaturas*, *cum Bibliotheca Rabbinica*, *Epiſtolas Hebr.* Præfuit *Operi Biblico*, cui Tiberiadem adjunxit: Affecit *Concordantias*, & *Lexicon Chaldaico-Rabbinico-Thalmudicum*, &c. Reliquit *Babylonium*, adhuc ἀνέκδοτον. Pater, ex Margareta Curionia, fœmina nobiliſſima, Johannis Junioris. Obiit A. C. 1629. ætat. 65. Baſileæ.

Claram Weſtphaliis Baſileam venit ab oris,
Hebræi Hebraicè qui docet ore loqui.

BUXTORFIUS Johannes, Junior, Patri in Sparta Orientali ſucceſſit. Hebrææ linguæ in Academ. Baſileenſi itidem, ut & Theologiæ Profeſſor; gloriam Hebraicæ eruditionis à Patre acceptam in tantum auxit, ut ab omnium Religionum Sectarumque viris eruditis, Rabbinorum inprimis doctiſſimis, à Boſphoro uſque Thracico & Conſtantinopoli Imperii Turcici capite, conſuleretur, velut commune Europæ Oraculum. De quo Robertus Bailius *Operis Hiſtor. & Chronol. l.* 1. *p.* 7. *Procul omni*, inquit, *dubiò literarum Hebraicarum quibuſcumque mortalibus, ſeu ex Judæis ſeu Gentibus, callentior eſt.* Obiit A. C. 1664. ætat. 65. Scripſit *Lexicon Chaldaico-Syriacum in quart. Diſſertationes*, *Florilegium Hebr.* *Tractatum de Punctis*, *Anticriticam contra Capellum*, *de Sponſalibus & Divortiis*, *Exercitationes*, &c. Paraphraſi Latinâ illuſtravit *More-Nevochim*, & *Coſri*, *Concordantias & Lexicon*, aliaque à Parente affecta feliciter abſolvit, plurima tandem nondum edita ingenii ſublimis monumenta, inter quæ *Critica*, reliquit. Pater *Johannis*, Expræfecti Comit. Farnsbergiæ & Senatoris Reipubl. Baſil (quò genitus Johannes Verbi Dei Miniſter) ac *Jacobi*, Paternæ Avitæque gloriæ digniſſimi hæredis, S. Linguæ in Baſil. Acad. ſimiliter Profeſſoris, de quo hic infrà.

BUXTORFIUS J. Jacobus, Johannis Junioris fil. vix novemdecennis in Magni Parentis, ſperantis adhuc & ſucceſſurum hæredemque ſuum, in quo poſt ſua ſuperſtes manſurus eſſet, locô ſuô videre lætantis, vicem ab utriuſque Ordinis Proceribus ſurrogatus: Patre paulo pòſt inter Cœlites relatô, per Germaniam, Belgium, M Britanniam Galliamque peregrinatione inſtitutâ, ubique Viris dignitate ac eruditione Illuſtribus innotuit, in Angliâ præcipuè nominis ac virtutum ſuarum cultores nactus. Inde feliciter domum redux, Virginem Lectiſſimam, *Cleophen Brandmyllerum*, Ampliſſ. Viri Jac. Brandmylleri JCti ſuprà dicti filiam unicam, ſibi ſtabili connubiô junxit. Academiæ Rauricæ *Rectoratum* ſemel, Ordinis ſui *Decanatum* ſæpius, magna cum prudentiæ ac dexteritatis laude geſſit. Paterna quædam emendatiùs edidit, alia ipſe ad prælum parata habet, inter quæ *Abbreviatura Hebraica* & *Bibliotheca Rabbinica aucta & locupletata*, propediem lucem videbunt. Natus eſt die 24. Sept. 1645.

BUXUDIS, caſtrum amplum & elegans Hannoniæ, prope Fanum S. Ghiſleni, 2. leuc. à Montibus, ad Haynam fluv. qui & Haina dicitur. Ab Ottone Imperatore obſeſſum, captum ac dirutum, Segebert. ad A. C. 974. Nunc *Boſſut*, cum titulo Comitatus vel *Bouſſoi*, A. Miræo. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

BUXUS, Græcè πύξος, *in viri militaris horto*, verba ſunt Auctoris Anonymi *Siniæ & Europæ*, *quâ marginari ſolent lectiſſimis hortorum, cum eſt brevinſcula naturæ, attendens, ut exurgat pomum, ſed potius denſius multiplicet ramulos; non potens opprobrium ferre ignobilis plebeculæ & ab omnibus deſpici, tranſit in nobiliſſimum genus arborum, attollit verticem, & nullâ cultura, arbor eſt, ut Galliâ Meridionali eô*

gaudeat ſolâ, cacumen fert ſylvoſum, truncum erigit, quem vix ſinu comprehendant ſpithame, c. 35. Certè naturâ graciles eſſe, *buxum* & ebenum, Plin. tradit, *l.* 16. *c.* 40. quibus etiam ſimilis cortex eſt. At culturâ in ſylvas quoque excreſcit, unde *buxei luci*, apud *Solinum*. Eſt autem *buxus* graviſſima & ſpiſſiſſima ex omnibus arboribus, unde in aqua buxum totum peſſum it: ex earum quippe genere arborum, quibus cortice detractô nihil niſi mediale occurrit, adeoque quæ lignum aliud præter medullam non habent, uti quoque ſunt ebenus & taxus. Nec quidquam aliud quàm ſemen fert, interim virens ſemper; hinc hortorum ornatui, ſed & lignum ejus (quod ſolidiſſimum eſt) variis uſibus inſervit. Unde notum apud Poetam,

---- Et torno raſile buxum.

Inde enim pectines conſiunt, cochlearia & vaſa ferè perpetui vigoris, quæ propediem ſplendeſcant & flavedinem oculis reddant gratiſſimam. Vide quoque infrà ubi *de Latrunculis luſu*: uti & voce *Pſalterea*, ubi ingenuos Græcorum pueros *in buxo* Diagraphico didiciſſe videbimus. Inprimis vero ad fiſtulas olim adhibebatur. Propertius *l.* 4. *Eleg.* 9. *v.* 23.

Nam & ipſe ſuos breviter concretus in artus,
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

Vide quoque Statium *Theb. l.* 7. Ubi Lutatius, *Tibia vel ſcabellum*, inquit, *quod in ſacris tibicines pede ſonare conſueverunt.* Et ciò non notæ tibiæ Phrygiæ, omnibus feſtivitatibus, Matris optimæ Deûm, adhibitæ, quæ non niſi e *buxo* fuêre. Hinc *buxus Berecynthia*, apud Virg. *l.* 9. *Æn. v.* 617.

---- ---- Ite per alta
Dindyma, ubi aſſuetis biforem dat tibia cantum,
Tympana vos buxuſque vocat Berecynthia Matris
Idææ. ---- ---- ----

Quæ eadem *Idæa*, Statio *Theb. l.* 5. *v.* 93. pro tibia, in ſacriſicis uſurpari ſolitâ. Sunt tamen, qui *buxum* à tibia diſtinguant. & certè Virgiliana hæc id ſtatuere videntur: ac ſigillatim *buxum* Baccho adſcribit Ovidius *Met. l.* 4. *v.* 30. *longô foramine* notatam,

---- Clamor juvenilis & unà
Fœmineæ voces, impulſaque tympana palmis
Concavaque æra ſonant, longôque foramine buxus &c.

Sed & *eborie buxo incluſi* mentio Ezech. c. 27. v. 6. de quo dicemus infrà, voce *Ebur*. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium* d. l. Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, & hîc non uno in loco.

BUYERUS Guilielmus, vide *Guiulelmus*.

BUZA ſeu BUTTA, apud Guil. Tyrium *l.* 12. *c.* 25. *Modios & Buzas ad vinum, oleum vel mel menſurandum*: Ludovico de la Cerda *ſacculus* eſt, ſed perperam. *Bouz* enim & *Boutz* (vox Gallica unde Buza ortum) propriè utres ſunt ex pellibus confecti pice oblitæ, in quibus vinum aliuſque liquor aſſervatur deferturque, maximè per loca invia ac montoſa, quà curribus aditus non patet. Unde in vetere *Statuto* pro Scancionaria Regis A. C. 1261. *le Chartier des Bouts*, recenſetur inter alios ejuſdem Scancionariæ Officiales: & *Bouciers*, dicuntur in *Statuto* pro Hoſpitio Philippi Magni A. C. 1317. Officiales Scancionariæ, quibus *Buzarum* cura erat demandata, Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Butta*.

BUZ, i. e. *contemptus*, ſive *deprædatus*, nomen loci in terra Cedar. Jerem. c. 25. v. 23. Filius item Nachor ex Melcha. Gen. c. 22. v. 21. & pater Jeddo. 1. Paral. c. 5. v. 14.

BUZA, Indica gens. Plin. *l.* 6. *c.* 20.

BUZANCÆUM, oppid. Galliæ in Provinc. Bituricenſi, ad Ingerem fluv. in limite Turoniæ.

BUZARAS, mons Mauritaniæ Cæſarienſis. *Ptol.*

BUZERI, gens Themiſcyræ regionis in Aſia. Plin. *l.* 6. *c.* 3.

BUZES, Marmaricæ Nomi gens. *Ptol.*

BUZI, pater Ezechielis Prophetæ. Ezech. c. 1. v. 3.

BUZYGES, Heros quidam Atheniensis, qui omnium primus junctis bobus araſſe terram creditur. *Heſychius*, Βουζύγης, Ἥρως Ἀττικός, ὁ πρῶτος βοῦς ὑπὸ ἄροτρον ζεύξας [illegible]. Hinc Demophoon Palladium à Diomede ſibi creditum Athenas deportandum tradidit. Polyæn. *l.* 1. *c.* 5. Auſon. *Ep.* 22. *v.* 47.

Hoc ſi impetratum munus abs te accepero,
Prior colêre quam Ceres:
Triptolemum olim ſive Epimenidem vocant,
Aut Bulianum Buzygem.

Ita legendi hi verſus. Quis enim ſit *Medes*, neminem ſcire puto: neque etiam, quare *Buzyges* Tullianus dicatur. Omnino itaque ſcribendum *Bulianus*, vel *Bulianus* à Buliâ civitate Atticâ. *Is. Voſſius*.

BUZYGEUS, mons Theſſaliæ. Plin. *l.* 4. *c.* 8.

BUZYGIA, Athenis fuit familia, ſacerdotio prædita, à Buzyge quodam Heroë, de quo ſuprà.

BYBASSUS, vide *Bubaſſus*.

BYBE, urbs ſita juxta Peticetios Thraciæ populos, Populi *Bybe*. *Steph.*

BYBLESIA, Cariæ regio ab Iſthmo Cnidiorum initium ſumens. Herodot. *l.* 1.

BYBLIA, Venus ſic nuncupata, de qua Lucian. *in Dea Syria*.

BYBLII, gens Scythica. *Steph.* Apud Cyprios etiam ita dicebantur ſepulchrorum cuſtodes. *Heſych.* Βύβλιοι, οἱ τῶν τάφων φύλακες παρὰ Κυπρίοις, καὶ πόλις Φοινίκης Βύβλος.

BYBLIS, Mileti & Cyanes filia, quæ cùm fratrem Caunum miſerè deperiret ejuſque concubitum aſſequi non potuiſſet, laqueô gulam fregit. Ovid. *de Art. Am. l.* 1. *v.* 283.

Byblida quid referam, vetitô quæ fratris amore
Arſit, & eſt laqueô fortiter ulta nefas.

Idem verò *l.* 9. *Met. Fab.* 11. aliter hanc fabulam refert, inquiens, Quum Byblis fratrem ſuum Caunum perditè amaret, eique ardorem ſuæ libidinis detexiſſet; ipſe deteſtandam ſororis concupiſcentiam aſpernatus, fugam arripuit, quem illa, amoris impatiens, ſecuta eſt; & poſtquam omnem Cariam, Lyciamque, & Lelegas peragràſſet, labore & dolore victa conſedit, & multas lacrymas effudit, quapropter Naidum commiſeratione in fontem ſui nominis permutata eſt. Ita enim ait, *v.* 662.

Sic lacrymis conſumpta ſuis Phœbeia Byblis
Vertitur in fontem, qui nunc quoque vallibus illis
Nomen habet Dominæ, nigraque ſub ilice manat.

Suidas, Βύβλις, ὄνομα κύριον, ἀδελφὴ Καύνου, ἀμφότεροι ἐρωτικοί.

BYBLIS, parva maris mediterranei inſula, cum oppido ejuſdem nominis *Melos* dicta, quam *Ariſtoteles Zephyriam*, *Callimachus Mimallida*, *Heraclides Siphnum*, & *Acyton* vocant. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Stephanus* Βύβλον ſcribit. Nomen ei, quod à *Byblo* Phœnicibus primum fuerit condita, ut habet *Steph.* [illegible]. Ubi Salmaſ. legi vult, [illegible], *ad Solin. p.* 184.

BYBLUS, Syriæ Phœniciæ urbs, Beryto vicina, in qua Adonidis templa ſunt. Eam à tyranno oppreſſam Pompejus liberavit. Sita eſt in excelſo quodam loco, non procul à mari. Vide plura apud *Stephanum*. Ejus meminit *Dionyſius*, uti videre eſt in his:

Οἵ τ' Ἰόππην καὶ Γάζαν, Ἔλαΐδα τ' ἐνναίουσι,
Καὶ Τύρον ὠγυγίην, Βηρυτοῦ τ' αἶαν ἐραννήν,
Βύβλον τ' ἀγχίαλον, καὶ Σιδόνα ἀνθεμόεσσαν.

Hodie *Gibleh* ſeu *Gibelleto* vocant. Hîc præcipuô honore Venus culta, in cujus proin honorem mulieres, ſolennibus Adonidis exſequiis tonderi recuſantes, cum Deæ mulctam exſolverent, ut per integrum diem in Foro ad quæſtum proſtarent, pudoris proſtituti quæſtu Deæ ærario illato. Vide Lucianum *de Dea Syria*, *Tom* 3. *p.* 75. quod etiam apud Babylonios factum fuiſſe, docet Tob. Pfannerus *Syſtem. Theol. Gentil. pur. c.* 15. *§.* 24. Porrò βύβλος ſeu βίβλος, etiam floris coronarii nomen eſt, Latinè *papyrus*, quô Deos coronari conſueviſſe, tradit Plin. *l.* 13. *c.* 11. Ex eadem [illegible], βίβλῳ, *coronaria papyro* (ſic enim eam appellârunt, è qua coronæ factæ) quum coronas petiiſſet Ageſilaus ab Ægypti Rege, cùm poſt res egregiè ibi geſtas diſceſſurus eſſet, [illegible], *propter excellentiam coronarum*, contentum fuiſſe Ægyptus, notat. Sed & Iſidi Ægypti Reginæ ac Deæ inter ſuos, *Bybeinum diadema* fuiſſe, quod illa apud Byblum Urbem Phœniciæ, Oſirin ſuum lugens, poſuerit, legimus, apud Etymologum in voce Βύβλος. Vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 3. *c.* 17. & *l.* 10. *c.* 12. uti de more *bybli corollis alligati notandi magnam volumen*, infrà *Iulianus bus*, in *Villis*.

BYCE, nomen paludis. *Ptol.* *Byces Plinio*. Eſt autem in Sarmatia, & in Mæotidem influit, *Seſchan Adolato*. Palus nunc *Sucz More*. Vide *Byges*.

BYCHOVIA, oppid. Lithuaniæ, ad Boryſthenem fluv. inter Mohilovam & Rohaczoviam urbes. Malè habitum à Moſchis, paucis abhinc annis.

BYCUS, fluv. Sarmatiæ, vulgò *Buges* in *Theſauro linguæ Latinæ*.

BYDENA, *Nigro Vidin*, ſeu *Bidin* & *Bodon*, urbs Myſiæ ſuperioris apud Danubium, Archiepiſcopalis & ſedes Præfecti. Vide *Viminacium*.

BYGOIS, Nympha de *Arte fulgurali* librum edidit, apud Tuſcos: uti Servius habet, *in Virgil. Æn. l.* 6. *v.* 72.

Te quoque magna manent regnis penetralia noſtris.

Melius *Bygoe*. Græcè Βυγόη, item *Bygoem*, ſicut *Κασσάνδραν*, *Kaſſandram*. *Vegoja* dicitur in fragmentis Agrimenſorum, *item Vegoia Arruntii Veltymnio*; quæ ambo nomina Hetruſca ſunt, nam Vertumnus etiam Numen Hetruſcum. Unde & *de Terminis* ſcripſiſſe videtur. Sed ad prius. Liber ejus nominatur ac Sibyllarum & Martiorum fratrum libri, in Templo Apollinis ſervabatur, eôdem Servio auctore: qui, poſtquam recenſuit Hiſtoriam de Sibyllinis libris à Tarquinio emptis, addit, *Qui libri in Templo Apollinis ſervabantur, nec ipſi tantùm, ſed Martiorum*, & Bygoes *Nymphæ, quæ artem ſcripſerat fulguritarum arborum, apud Tuſcos.* Potius in Templo Jovis Capitolini, ubi omnes ii ſervati ſunt, uſque ad Capitolii conflagrationem, quæ Syllanis temporibus contigit, Salmaſ. *ad Solin. p.* 78. Artem vero quod attinet, illam Cicero *de Divin. l.* 1. auctor eſt, egiſſe de eadem *Etruſcorum & haruſpicinos & fulgurales & rituales libros Romanos etiam, augurales.* Fulmen enim fulgurque *præſagum*, ut vocat prædictus Servius, *Æn. l.* 1. ſeu *fatidicum*, quemadmodum appellat Plin. *l.* 2. *c.* 52. habuêre Veteres; *triaque genera fulguris ſtatuit.* Servius *ad Æn. l.* 8. *unum Conſiliarium, ubi quidcogitantibus nobis accidit, quod vetet aut hortetur: Auctoritatis, quod eventit re geſtâ, quod probet, tertium Status, ubi nec novi quidquam geſſimus, ſed quietis noſtris rebus ſtrumpit.* Vide de conſiliario fulmine Amm. Marcellin. *l.* 23. ubi de Joviano adhuc milite eô *percuſſo*: Obſervationes verò ejuſcemodi, apud Tullium *de Divin. l.* 2. etiam præter Plinium, Seneca conſuli poterit, *Natural. Quæſtion. l.* 2. *c.* 47. *ac ſeqq.* [illegible] & inprimis [illegible]. *Conſiderationem fulminum & tonitruum atque eorum ſignificationum per ſingulos anni dies, deſumtam ex libris Tagetis*, quam Romanæ Urbis propter eam Nigidius Figulus arbitrabatur, uti refert. Voſſ. qui plura hanc in rem *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 40. *l.* 3. *c.* 6. 7. Vide quoque infrà ſub *Tod.*

BYLÆUM amnem videtur Val. Facc. *l.* 5. *Cobylum* vocâſſe, initium Paphlagoniæ conſtituens. Hermol. Barb. in Plin. *l.* 6. *c.* 1.

BYLAZORA, locus Pæoniæ, apud Liv. *l.* 44. *c.* 26. *Eò miſit* (Perſeus) *Antigonum ex purpuratis unum, qui juberet multitudinem Gallorum ad Bylazora — caſtra movere, principes ad ſe venire frequentes.*

BYLLINUS Ager, memoratus Livio *l.* 38. *c.* 7.

BYLLIONES, populi Illyrici ſupra Epidamnum ſive Dyrrhachium & Apolloniam ſedes habentes. Strabo *l.* 7. Dicuntur & *Bulliones*, de quibus Plin. *l.* 3. *c.* 22. Βυλλιόνων αἶαν habet Dionyſius, v. 387. Cùm autem, teſte *Euſtathio*, nonnulla exemplaria Βυλλιόνων per ι ibi habeant, iſta lectio, ut quæ ad *Bulliones* nomen propius accedit, vulgatæ hic præferenda videtur.

BYLLIS, urbs Illyriæ maritima, à Myrmidonibus, qui cum Neoptolemo erant, condita. *Steph.*

BYRCHANIS *Straboni*, *Burchanis Stephano*, quorum priori inſula in mari Germanico, alteri in mari Celtico dicitur. *Burchana* Plinio, *l.* 4. *c.* 13. quæ dicit eam à Romanis *Fabariam* appellari. A Druſo ſubacta fuit.

BYRREUS, vide *Byrrus*.

BYRRHUS, latro, cujus meminit Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 4. *v.* 69.

Ut ſis tu ſimilis Cœli, Byrrhique latronum;
Non ego ſum Capri, neque Sulci. ----

BYRRIAS, Græcè Πυῤῥίας, nomen proprium Viri, apud veteres Latinos Comicos. Scaurus *de Orthograph. Burrum P etiam conſonans, quoniam origo eorum non ſine labore conjunctione verbalis quoquam poteſt. Græci* Πυῤῥίαν, *noſtri Byrriam, & quem illi* πυῤῥὸν, *antiqui burrum.* A colore nempe dictum. *Burrum* enim dicebant veteres, qui Græcis πυῤῥὸς, Achillis filius, uti ex Quintiliano docet clariſſimus Salmaſ. *Notis ad Vopiſc. in Carino*, *c.* 20.

BYRRUS vel BURRUS, veterib. Latinis, idem qui Græcis πυῤῥὸς, aliter *ruſſus* ſeu *rufus*, quo nomine Latini appellant id omne, quod vel rubrum eſt, vel flavum, vel coccinum aut luteum, coccineum & purpureum; ſicuti Græci ſub nomine πυῤῥὸς plerumque etiam comprehendunt, & ξανθὸν & φοινικοῦν & κόκκινον. Qui color cùm in lacernis frequens eſſet, factum inde, ut primò πυῤῥὸς χιτὼν, dein πυῤῥὸς, abſolutè, ſicque tandem Latinis *byrrus* diceretur; ſubintellectô vel *ſago* vel *mantô*, vel *cucullô*, vel *habitu*. Vulgarium videl. lacernæ hôc colore plerumque erant, idque in Gallia imprimis. Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 129.

---- *veſtitur Gallia ruſſo*
Et placet hic pueris militibusque color.

Lacernas quoque honeſtiorum & delicatiorum rubri coloris, ut plurimum, ſed coccineæ aut purpureæ. Vopiſcus in *Carino c.* 20. tres enumerat *byrrorum* ſpecies è diverſis locis venientium, quos & olim in fama fuiſſe & *byrrô* colore tinctos conſtat: *Canuſinum byrrum*, ex lana Canuſina factum, quæ nativi velleris erat, ſine dubio etiam & ipſum rutilum ſeu rufum; meminit tamen Martialis fuſcatum Canuſinatus & *fuſos* Romanos magis veſtiri, Galloſ ruſſos, notiſſimo Epigrammate teſtatur: *Byrrum Atrebaticum*, ejuſdem fermè coloris cum Canuſinis, h. e. *byrrei*; *xerampelinum* vocat *Suidas*, h. e. muſto turbato ſimilem, quem inter coccinum & muricem medium eſſe ſcribit vetus *Interpres* Juvenalis: *Byrrum* tandem *Africanum* ex lanis Africanis textum, quæ Beticis quoad colorem ſimiles &c. Vide quoque in voce *Burrum*. Sed & *burrus* quoque pro hiſpido & villoſo Latinis: quod ut diverſæ ſignificationis, ſic & originationis, à voce *burrus*, quæ *rufum* denotat. *Burrus* eſt ὁ βύρσος, quaſi ἀπὸ βύρσης, quæ *hiſpida*. Hanc *burra* veſtis villoſa & hiſpida. Vetus *Epigr.*

Nobilis horribili jungatur purpura burræ.

i. e. veſti villoſæ ac hirtæ &c. Vide Salmaſ. *ad Hiſtoriam Aug. paſſim.*

BYRSA, arx in media Carthagine, in cujus vertice Æſculapii templum, quod Aſdrubalis uxor, captâ urbe, concremavit. De cujus nominis origine hæc Servius, *Appulſa ad Libyam Dido, cùm ab Hiarba Gætulorum Rege pelleretur, petiit callidè, ut tantum terræ emeret, quantum poſſet corium bovis tergò circumdare, quod cùm obtinuiſſet, corium in tenuiſſima fruſta ſectum ita extendit, ut occuparet 22. ſtadia civitatem conſtituens, quam poſteà vocavit Carthaginem. Arcem verò a bovino corio, quod vocant Græci, Byrſam nuncupavit.* Virg. *l.* 1. *Æn.* v. 371.

Mercatique ſolum facti de nomine Byrſam,
Taurinò quantum poſſint circumdare tergò.

Sil. Ital. *l.* 1. v. 24.

Tum pretiò mercata ſolum nova mœnia ponit,
Cingere qua ſectò permiſſum litora tergò.

Commentum illud Didonis etiam attigit Herodian. *l.* 5. *c.* 6. loquens de quadam ſimulacro: Φασὶ δὲ αὐτὸ Διδὼ τὴν Φοίνισσαν ἱδρύσασθαι, ὅτε δὴ τὴν ἀρχαίαν Καρχηδόνα πόλιν ἔκτισε, βύρσαν κατατεμοῦσα. Rem eandem attigit quoque Dionyſ. Perieg.

Καρχηδὼν δὲ ἐπ᾽ αὐτῷ ἐϋκτεῖ βοὸς μετρηθεῖσα.

Sunt qui hoc Didonis commentum ad totam urbem referunt. Livius *l.* 34. *c.* 62. *Advenas, quantum ſecto bovis tergo amplecti loci potuerunt, tantum ad urbem communiendam precariò accepiſſe.* Sed hæc & ratio abnuit, & Appianus, qui clarè in *Libycis*: Οἱ δὲ τὸ ἀρχαῖον μετρησάμενοι ἐς ἱμάντας ὡς λεπτότατα διατεμόντες, [illegible] Καρχηδόνα ἀνέγειραν, καὶ νῦν ἔτι ἡ Βύρσα καλεῖται. Silius *l.* 9. v. 241. [illegible]

Proxima Sidoniis Utica eſt effuſa maniplis
Priſca ſitu, veterique ante arces condita Byrſæ.

Fabulam eſſe quæ ex eo natam putat, quòd veterrimis vice pecuniæ fuerint fruſta corii bubuli ſignati. Itaque ſecundùm antiquos, ut videmus, a *corio Byrſa* nomenclatio eſt. Interim tamen & hoc Græculorum inventum eſt, cui præbita eſt occaſio è voce Βύρσα illis corium ſignificante, neſque more ſuo nominum origines ex ſua lingua petunt. Quod ſi accuratius inquiſiviſſent in eos Pœnicos, vidiſſent verum arcis ejus nomen non Βύρσαν eſſe, ut ipſi pronunciabant, ſed *Botzra*, vel *Boſra*. Hebr. בצרה h. e. ὀχύρωμα, πύργος, ὀχυρὸν, quocirca Strabo *l.* 17. ἀκρόπολιν interpretatur. *Nic. Lloydius.* Vide etiam Marmol. *l.* 6. *c.* 25.

BYRSA, amnis è Jura ortus, prope Baſileam, cui plurimum affert commodi, in Rhenum influit. Vide *Birſa*.

BYSACIUM, Græcè Βυζάκιον, nomen regionis in Africa, quam Βυζακίδα vocat & per circuitum bis mille ſtadiis patere, ſcribit Polybius, *l.* 3. ſeu, quod idem eſt, 250. mill. paſſ. Plin. *l.* 5. *c.* 4. Libyphœnicibus illam adſcribit *Ptolemæus*, Τῶν δὲ Λιβυφοινίκων ἐπὶ τὰ μεσημβρινὰ ἐστὶν ἡ Βυζακῖτις χώρα. Vide in voce *Byzacium*.

BYSALAS, regio juxta Syrtim. *Steph.*

BYSIUS, Græcè Βύσιος, quaſi Φύσιος, unus menſium Delphis olim ſic dictus, quòd, cùm ver incepit, πάντα φύεται, *omnia naſcuntur*, Plut. in *Helleniſ.*

BYSNEI, gens Bebrycum. *Steph.*

BYSSUM Marinum, Eruditis muſcoſum lanoſumque capitium pinnæ, quod Græcis ἔριον, Latinis *vellus* & *lana* eſt, vulgò dicitur, ſed ſine ratione: *Byſſus* enim non lana, ſed linum eſt; & ne linum quidem, ſed certa lini ſpecies hôc nomine cenſebatur. De pinnico ſeu pinnæ lana, vide infrà, plura verò hanc in rem apud Tertullian. *de Pallio c.* 3.

BYSSUS, ſeu BYSUS, gens quædam. *Steph.*

BYSSUS, lini ſpecies pretioſiſſima, è qua veſtes molliſſimæ ac tenuiſſimæ conficiebantur. Unde dictum Paryſatidis Reginæ Perſarum, in Regum alloquio utendum eſſe verbis Βυσσίνοις, i. e. *molliſſimis, ac leniſſimis.* Ejus meminit Theocritus *Idyll.* 2. ubi Simætha inducitur Βύσσοιο καλὸν σύροισα χιτῶνα, *trahens pulchram ex byſſo tunicam.* Indorum opus, quorum quidam lineis veſtibus, nobiliores verò *Byſſo* uti, notavit Philoſtratus *l.* 2. *c.* 9. qui idem narrat, Apollonium, cùm *Byſſum* vidiſſet, gaviſum fuiſſe, quòd fuſcô amictu, quem geſtabat, non eſſet diſſimilis. Ex India in Ægyptum delata eſt, ubi hôc lini genere in pleriſque ſacris Ægyptii olim utebantur, hinc *turba linigera*, *grexque liniger* apud Poëtas, de Iſidis Sacerdotibus. Et Apulejus *l.* 11. in pompa Iſidis deſcribit viros fœminaſque *linteæ veſtis candore lumineſque*: Anubis quoque à *Luciano*, Deorum concilio inducitur *ſindone amictus.* Interim non tota Ægyptiorum veſtimenta linea fuerunt, ſed tunicæ tantùm: Galli vero Cybeles & vultum candidô *byſſô* velabant, ut infrà videbimus voce *Telchines*. Ex Ægypto deinde veſtes hæ Romam pervenêre. Sed & *Byſſi* frequens in ſacris Literis mentio, præcipuè ubi agitur de apparatu veſtis ſacrificalis, veliſque & aulæis tabernaculi. Hinc & *Byſſina Joſephi ſtola*, Gen. *c.* 41. v. 42. Dives etiam epulo *purpurâ & byſſo indutus* legitur in Evangelio Lucæ *c.* 16. v. 19. unde colligitur, à purpura veſtem byſſinam diſtinctam fuiſſe, quod notandum contra veteres Grammaticos, qui *Byſſinum*, colorem purpureum interpretati ſunt. Quoniam autem hæ veſtes pretioſiſſimæ erant, &, ut *Plinius* ait, *mulierum luxus deſtinata*, ideo fermè purpurâ tegebantur, quod fortè errori modò notato occaſionem præbuit. Talis forſitan Tyria ſindon Martialis *l.* 4. *Epigr.* 19. v. *ult.* quæ etiam in uſum virorum eâ ætate tranſiiſſe videtur: *de Endromide*,

Ridebis ventos hôc munere tectus & imbres,
Non ſic in Tyria ſindone tectus eris &c.

Origo *byſſi* ex Indicarum arborum lana, quam *linum* vocat Arrianus in *Indicis* & Plin. *l.* 12. *c.* 10. Hinc in *Indice* Plinii *MS. Linigeræ arbores* inſcribuntur, quas ἐριοφόρα δένδρα appellat *Theophraſtus*. Idemque Plinius *l.* 19. *c.* 1. ubi de lino, id Arabes Indique ex arboribus colligere tradit. Et *l.* 12. *c.* 10. de Tyli Inſul. arboribus: *Ferunt*, inquit, *cotonei mali amplitudine cucurbitas, quæ maturitate ruptæ oſtendunt lanugines pilas, ex quibus veſtes pretioſo linteo faciunt.* En linteas veſtes pretioſas, h. e. λινᾶς, ex arborum lana, factas! Nec certè aliud linum apud Indos naſcebatur, aut in uſu erat, quàm quod ex arboribus colligeretur &c. Unde falli Melam *l.* 3. *c.* 7. docet Salmaſ. cùm ſcripſit, *Indorum alios lini veſtire, alios lanâ, quam ſylvæ ferunt* &c. Vide eum *Exercitat. Plin. ad Solinum p.* 998. Adde Volaterranum Comm. *Urban. l.* 28. Petrum Fabrum *Semeſtr. l.* 1. *c.* 16. Delrium *ad Hippolytum Senecæ*, v. 389. ubi hodie etiam *Byſſum* apud Belgas naſci, nec aliud quàm tenuiſſimum illud & puriſſimum Cameracenſium eſſe linum, exiſtimare ſe ait, Alios. Aliquando tamen *Byſſi* nomine & Sericum venit, de quo dicemus infrà. Apud Plinium verò, *l.* 9. *c.* 41. ubi de *byſſinis* tingendis ratione, ſicut olim legebatur: *hyginum* reponit *Dalechampius*. Nec omittendum, quòd Scaliger *Poetices l.* 1. *c.* 13. ubi de *Comicis perſonis*, puellis veſtitum tribuit *coloris byſſini* vel *candidi*, uti meretricibus *lutei*: & *l. ibid. c.* 21. ubi de Theatro, *peripetaſmata byſſina* è Leonardo Spinthere poſita, obſervat &c. Vide quoque infrà, *Lanugo*, *Pinnicum*.

BYSUS, vide *Byſſus*, gens.

BYZACIUM, Africæ propriæ regio. Inde Byzacenus ager, cujus Adrumetum eſt Metropolis, feraciſſimus. Plin. *l.* 17. *c.* 5. eum ait eſſe *centenâ & quinquagenâ fruge fertilem.* Vide eundem *l.* 18. *c.* 10. Varro *de R. R. l.* 1. *c.* 44. *In Syria ad Gadaram, & in Africa ad Byzacium etiam (dicunt) ex modio naſci centum.* Silius Ital. *l.* 9. v. 204.

---- *Seu ſint Byzacia cordi*
Rura magis, centum Cereri fruticantia culmis.

Ubi malè vulgò legitur *Bizantia*. Vide Plin. *l.* 5. *c.* 4. itemque Solin. *c.* 27. Videtur itaque natum ex Phœnicio *bıza*, quæ vox, pro *mamma* vel *ubere*, frequens eſt in Chaldæa Paraphraſi, quâ figurâ Homerus *Il.* 9. v. 141. Οὖθαρ ἀρούρης dixit, & ex illo Virg. *l.* 2. *Georg.* v. 185.

—— Fertile ubere campus.

Porrò, ut gemina ſunt ubera, ita geminam fuiſſe notum eſt in Africa Byzacium. Sed & in Byzacio oppidum fuit *Mamma*, de quo Procopius, *Vandalicorum ſecundo*. Alio nomine *Byzantium*, apud nonnullos, dicitur. Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 25. Byzacena regio *Bardamdo* fuit, inter Adrumetum & Tacapem urbes, extremumque angulum Syrtis minoris, ubi nunc Regnum Tunetanum. *Marrlo* provincia regni Tunetani, prope urbem Hamamet, vel Mahamet, ex Marmol. *l.* 6. *c.* 12. Hic Concilium A. C. 522. poſt mortem Thraſimundi Regis Vandalorum. 541. 602. 646. eodem Monaſteria. *Baron.* Addo, quòd fuerit ſub diſpoſitione Vicarii Africæ, cui quinque provincias attribuit *Notitia* Imperii, Byzacium, Numidiam, Tripolitanam Sitifenſem, & Mauritaniam Cæſarienſem; è quibus *Byzacium* & *Numidia* Conſulares, cæteræ Præſidales erant. Illius frequens mentio in *Actis* Conciliorum Carthagin. &c. Vide Salmaſ. *ad Solin p.* 320 321. & 806. ut & ſuprà.

BYZANTII, ſeu **BYZANTEI**, nummi Græcoſtili Imperatorum à *Byzantio*, quò nomine primitus urbs Conſtantinopolis vocata fuerat, dicti, apud Baldricum Dolenſem *Hiſtor. Hieroſolym.* l.1. Guil. Malmesburienſem *de Geſtis Regum Angl.* l. 4. Guntherum *Hiſtor. Conſtantinopolit.* c. 15. alios. Primus vocem uſurpâſſe Carolo du Freſne videtur Johannes VIII. Pontif. *Ep.* 133. *Et noſtram*, inquiens, *itam habebit & mille Byzanteos palatio noſtro componet*. A quo inter Latinos appellatio iſta hiſce nummis manſit. Aurei illi erant, unde *Byzantei aurei* apud *Thietbodum* & *Viſanti aurei*, in *Capitulari* Radelchiſi Principis Beneventi. *auri libra Byzantea*, in Charta Athanaſii Archiepiſcopi Neapolitani citta A. C. 937. &c. *Solidi Conſtantinopolit.* interdum nuncupantur in veteribus *Tabb.* apud *Ughellum* paſſim. Imò eorum, quorum erant Imperatorum, vel quorum imagines præferebant, nominibus perſæpe à Scriptoribus inſigniti occurrunt dictiùue *Romanati*, *Conſtantinati*, *Michalati*, *Manuelati* & contractè voce *Manlat*, à *Romano Diogene*, *Conſtantino Duca*, *Michaele Duca*, *Manuele Comneno* &c. Ad Saracenicas dein & Turcicas monetas *Byzantiorum* nomen tranſiit, quos ad Græcanicorum nummorum diſcrimen, *Saracenatos Byzantios* appellant plerique Scriptorum mediæ ætatis, item *Saracenatos* nudè, & *Saracenos*: Cujuſmodi fuêre Saltanorum Iconienſium, apud *Guil.* Tyrium *l.* 12. *c.* 25. De *Byzantiis Maſſamuthinis*, vide infrà ubi de voce *Marabotinus*. Neque verò aureis tantùm nummis id vocabuli manſit, ſed & argenteis, præſertim in Cypro Luſignanorum Regno, attributum legitur: qui *Byzantii albi* dicuntur in *Conſtitutionibus* Odonis L. A in Cypro A. C. 1248 *c.* 4. *Byzantii de plata*, i. e. argentei & *Byzantii bone plate*, in Charta Bermundi de S. Martino Maioricenſi A. C. 1232. quâ *Nummi Sancti vendit aliquot alquerias pro mille & quingentis Byzantiis bone plata*. Unde Car. du Freſne colligit, ejuſmodi *Byzantios* monetam fuiſſe Maurorum in Hiſpania Principum. Idem hinc Heraldicæ Artis ſtudioſos docet, cur in armorum inſignibus globuli aurei & argentei *Byzantiorum* appellatione donentur, cùm, qui alterius coloris ſunt, *Tortelli* dicantur; quia videl. nummos aureos & argenteos exhibent, quos *Bezans* vulgò Galli ipſi appellant, vide eum in *Gloſſar.* item *Diſſertat.* 20. *ad Joinvillium* & *Diſſertat. de inferioris ævi Numiſmatibus p.* 56.

BYZANTINUS Leo, vide *Leo*.

BYZANTINUS Stephanus, vide *Stephanus*.

BYZANTINUS Theodorus, vide *Theodorus*.

BYZANTINUS Theodotus, vide *Theodotus*.

BYZANTIUM, urbs Thraciæ. Hanc pleraque Hiſtoria Spartanis adſcribit conditam. Juſtin. *l.* 9. *c.* 1. & Iſidorus à Pauſania rege; Claudianus à Byzante quodam non obſcurè extructam vel ſaltem reſtauratam vult: in Eutropium *l.* 2. v. 83. *Conditor: hos Byzas Conſtantinusque videbant?* Circa annum 97. *Urb. Cond.* In Johanne Sariſburienſi, de urbe Cariſtham legitur: *Chilon Lacedæmonius jungendæ ſocietatis cauſâ miſſus Corinthum, duces & ſeniores populi ludentes invenit in alea. Infectâ itaque negotiô reverſus eſt, dicens ſe nolle gloriam Spartanorum, quorum virtus conſtructo Byzantio clareſcebat, hac maculare infamiâ, ut dicerentur cum aleatoribus contraxiſſe ſocietatem.* Secundùm *Euſtathium* verò à *Byze*, Megarenſium claſſis præfecto, extructa eſt. Liberæ olim conditionis, & *Ligos* ante dicta. Plin. *l.* 4. *c.* 11. Moxtempore Severi mutilata, & filii ſui Antonini *Antonia* vocata. Expugnata à Mahomete Turca, A. C. 1453. magnâ prorſus Chriſtianæ religionis jacturâ. Nunc ſedes eſt Imperii Ottomannici. Ejus meminit Ovid. *Triſt.* *l.* 1. *El.* 9. v. 31.

Quoque tenent Ponti Byzantia littora fauces,
Hic locus eſt gemini janua vaſta maris.

Tacitus *Annal. l.* 12. *c.* 63. *Byzantium fertili ſolo, fœcundique mari.* *Stamboli* hodie Turcis dicitur. Vide Petrum Gyllium *de Topographia Conſtantinopoleos*. Hinc *Byzantiacus*, Statius *l.* 4. *Sylv.* 9. v. 13.

Aut Byzantiacos colunt lacertos.

Porrò Urbis deſcriptionem habes apud Dionem *in Severo*, (à quo duriter admodum habita fuit A. C. 198. Dion. *l.* 42.) quam Zonaras in ſuam Hiſtoriam de Conſtantino Magno deſcripſit; quamque *Theod* 3. *initio* dedit. Urbs eſt innumeris referta incolis, & omnium Europæorum maxima, (unâ tantum Lutetiâ exceptâ) cum portu commodiſſimo & percapaci. Juxta Boſphorum Thracium inter Pontum Euxinum & Propontidem, è regione Aſiæ minoris Eſtque triangularis, & perſæpe incendiis deformata. Sed ab aliquot annis multùm deſecit, licèt ſitu & aſpectu pulcherrima ſit totius Orbis. Vide *Conſtantinopolis*, à Conſtantino M. enim id nomen accepit, à quo & *Nova Roma* dicta eſt: unde truncatum *Stamboli* Turcarum. Eſt etiam Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

BYZEA, Scythiæ civitas. *Steph.*

BYZENUS, Neptuni fil. cui mos fuerat mirâ in dicendo libertate uti: unde Proverbium: *Byzeni libertas*, in eos, qui audacius, liberiuſque loquuntur.

BYZERES, Ponti populi inter Cappadoces & Colchos. Horum meminit Dionyſ. Perieg. v. 765.

Βύζηρές τε ἐπὶ τοῖσι καὶ αὐτόθι φῦλα Βεχείρων.

Val. Flacc. *l.* 5. v. 151.

Maſſyrchi, ros & ſtabulis Macrones ab altis
Byzeresque vagi, Philyreaque a nomine dicta
Litora. ——

Bexeri, Plinio *l.* 6 *c.* 4. Vide Montanum, *ad prædictum Dionyſii locum*. Inde patria *Byzericus Stephano* dicitur.

BYZIA, urbs Regum Thraciæ; à Tereo nefaſto crimine hirundinibus inviſa. Plin. *l.* 4. *c.* 11.

BZOVIUS Abrahamus, Polonus, Dominicanus, continuator Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Baronii. Vel potius auctor Annalium ſui ordinis.

C.

C. Nota condemnationis vetuſtior, proin fatalis litera dicta, ſicut contrà *A*. veniæ & abſolutionis erat character. Pierius in *Hierogl.* *l.* 7. *c.* 23. *Abundis* apud Indos, illos qui ex regia familia Chriſtianam fidem amplectuntur, in fronte & brachio hâc literâ inſigniri, refert. Eſt autem litera hæc inverſum Hebræorum *Caph*, Scaligero C. ex dimidio Græca eſt, ſubtractâ namque columnâ ipſius *K*. caput nuda remanſit, cui ad faciliorem ſcriptionem angulum ademêre. Fungitur ejus vice G. præcipuè ſequente *N*. ut *Cnejus*, *Gnejus*, *Cnus*, *Gnus* &c. Imò tam arcta utriuſque cognatio eſt, ut promiſcuè ſcriberetur: *Viceſimus*, *Vigeſimus*, & in compoſitis à Centum, C. in G. tranſeat. Abit porrò in conſonantem *V*. ut, *Quieſco*, *quievi*, *Paſco*, *pavi*: in *S*. ut *Parco*, *parſi* in *T*. ut *Traſcor*, *tractus*: vel illud aſſumit, ut *Naſcor*, *nactus* &c. In notis antiquorum C. pro *Cajo*, i. e. viro: Ↄ, inverſa *Cajam* ſeu mulierem ſignificat. C.A. AM. denotat, *Cauſa amabilis*: CCCT. P. deſignat, *Tercentum terræ pedes* &c. Κάππα Ῥωμαϊκὸν, h. e. *Kappa Romanum*, dicitur *Suidæ*: eâm ait, *Kappa Romanum in Senatorum calceis appoſitum ſolere*. Ubi planè intelligit Lunulam, cujus meminit Papinius *l.* 5. *Sylv.* 2. v. 28.

Primaque patriciâ clauſit veſtigia Lunâ.

Et Juvenalis *Sat.* 7. v. 192.

Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

Vide Joh. Gerh. Voſſ. *de Arte Grammat.* *l.* 1. *c.* 27. &c. Pronunciant hanc literam Itali, ut Francorum *ch*. notum; cui pronunciationi favere videtur *Inſcr.* veteris Romæ, in Ædibus Barberinis hodie exſtans, quæ ſic incipit;

CHEIONIO CONTUCIO V. C. OB
EGREGIA FACTA ET RARUM
VETERIS SANCTITATIS EXEM
PLAR &c.

apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 3. *p.* 40. Ubi *Cheionius*, eſt idem, quod *Ceionius* ex familia *Ceionia*, inter Romanas illuſtri, unde Commodum Imperatorem ortum novimus. Videtur autem vixiſſe *Cejonius* hic *Contucius* quartò ſeculò, ut idem Sponius aliquot rationibus probat, ut titulo videl. V. C. *Viro Clariſſimo* ſeu *Conſulari*, diphthongo *Æ*. per *E*. ſimplex ſcriptô &c. Inter Inſignia Electoris Brandeburgici C. litera, in pectore aquilæ Pruſſicæ occurrit, quâ Caſimirum Regem à quo inveſtituram Elector acceperit denotari vult Cl. Sponius: à quo tamen nexu hodie immunis eſt. *L. C.* in ſigillo Electoris, Colonienſ. ſui temporis idem notat, *Leodienſis* Epiſcopatus & Colonienſis Archiepiſcopatus ſymbola &c.

CAABA, Turcis dicitur lapis niger, in vetuſtiſſimo illorum templo Mechæ aſſervatus, quem illi ſummâ veneratione, colentes, peregrinationem eò factam, inter præcipua Superſtitionis ſuæ arcana habent, vide infrà *Alcibyama Tainati*, it. de *Saracenis*.

CAANUS, vide in voce *Caganus* infrà.

CAATH, filius Levi, *Gen. c.* 46 v. 11. aliàs *Kaath*. Latinè *congregatio*, ſive *ruga*, aut *obtuſio*. Pater Amrami, qui genuit Moſis patrem. Mendoſè autem leguntur verba Demetrii, ex Alex. Polyhiſtore citata, apud Euſebium *de Præp. Evang.* *l.* 9. Κλαθ δὲ ὄντα οἱ γενέσθαι Ἀβραάμ. Legendum Καὰθ δὲ ὄντι ξ΄ γενέσθαι Ἀμβράμ.

CABA, vide *Cava*.

CABADES, Rex Perſarum electus, Peroziâ extinctô cum omni ferè exercitu, fratrem hujus Valam excepit. Hic unius uxoris pertæſus, laſcivô impetu in vagum ruptus concubitum, omnibus ſubjectis ſuis communionem mulierum indulſit. Hinc regnô pulſus, uxoris ſuæ fidelitate à vinculis rerum liber, in thronum quem interim Lamaſes occupaverat, rediit. Sævus in Chriſtianos, donec, inventô theſaurô in arce prius dæmonibus infeſtâ, illis pacem dedit. Manichæos, qui illô deturbatô, filium ejus Regem creaturi ibant, crudeliter habuit. Cum Anaſtaſio Imperatore bellum geſſit, quod ſub Juſtino ad tempus compoſitum. A Juſtiniano I. tandem, per Beliſarium, ſæpius victus. Obiit A. C. 532. regni 42. Agathias *l.* 4. Procop. *de Bell. Perſ.* Niceph. *Hiſt. Miſcell. l.* 16. *c.* 15. Succeſſit ei Coſroës I.

CABALA, locus in Sicilia, ubi Dionyſius contra Carthaginen-

ſes dimicans, victoriâ potitus eſt. Diodor. *Sic. l.* 15. Item urbs Calcicæ, *Appianus*. Eſt etiam Thraciæ oppid. *Cedrenus & Zonaras*.

CABALA, ſeu CABBALA vel KABALA, eſt occultiſſima ſcientia, quam divinitus unà cum Lege Moyſi traditam fuiſſe, aſſerunt Hebræorum Rabbini: à voce קבל, *Kabal*, i. e. *accepit* vel *ſuſcepit*. Fuit enim doctrina, quæ ſolò percipiebatur auditu, idque non niſi ab iis, qui annum ætatis 40. jam exceſſiſſent, nec quidquam de ea literis mandare licebat. Qualia erant Ariſtotelis ἀκροαματικὰ, item μυστήρια Samothracum, in memoriam Cereris, legum & frugum, h. e. omnis humani cultus inventricis, celebrari ſolita, de quibus Cicero *l.* 2. *de Legg.* Hæc enim myſteria, nihil aliud, quàm ſecretiorem Philoſophiam, quæ per occultas traditiones, non niſi inter initiatos, propagabatur, continuiſſe inde patet. Hinc Seldenus *proleg.* 3. *de Diis Syris*. *Medio*, inquit, *itaut tempore Græcorum & Latinorum ſacri Antiſtites. Reconditam & verò proximiorem Philoſophiam neque evulgabant, neque omnino ſibi retinebant, ſed myſteria inſtituebant ſolemnia. Unde autem veritatis ennenda* [illegible] *difficile erat ſenioribus arripere*. Vide de Cabala plura, apud Joh. Picum Mirandulanum, & lepidam de Cruſium quendam, Cabalam pro Hæreticæ inſigni habentem, Hiltonium, in voce *Picus Johannes*.

CABALACA, Albanæ in Aſia oppid. *Plin.* *l.* 6. *c.* 10.

CABALAIS, Solymorum regio alio nomine ſic dicta. Καβαλὶς Straboni, i. e. *montana*: Arabicè id eſſet גבלה *gabala*. Sed Græci g & c permutârunt, ut in *Camelo* & aliis. Hinc & Solymi *Cabalenſes*. *Strab.* Σολυμοὺς δ' εἶναί φασι τοὺς Καβαλεῖς.

CABALIA, Aſiæ minoris regio, populi *Cabales*, vel *Cabali*. *Herodot.*

CABALIS, urbs prope Cibyram juxta Mæandrum. *Steph.*

CABALLARIA, apud Marcam *Hiſt. Benearn. l.* 6. *c.* 24. & 20. prædium eſt *ſervitio Militari obnoxium*: *Cavarerie* Vaſconibus, *Cavalharies* Carcaſſonenſibus; aliis *Chevalerie*: Latinis ſcriptoribus ævi *Militia*; Κλῆρος ἱππικὸς in veteri *Inſcr.* apud Seldenum ad *Marm. Arundel.* & de *Titulis Honorar.* Aſſignari illa emeritis militibus conſueviſſe, tradit Sabellicus *Hiſtor. Ven. l.* 4. *dec.* 2. *p.* 248. ubi de Creta inſul. *Prædia quædam in Inſula eſſe conſtat, quæ equeſtris Militiæ nomine emeritis traduntur: inſulani Caballarias vocant*. Apud Aragones, cùm Ricis hominibus jus antiquum eſſet, in omnibus civitatibus atque oppidis, maxima vectigalium Militibus aliiſdis aſſignari, ſtipendiariæ hæ portiones *Honores* & *Cavallerias* dictæ leguntur paſſim, in *Uſaticis* inprimis Barcinon. *MSS.* apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* Erantque harum 4. ſpecies: Nempe *Cavaleria de Honor*, quomodo appellabant ſtipendia illa, quibus Rici homines Milites, ſuos vel Militum filios, *Infancones* vocatos, afficiebant, vel in pecunia, vel in fructibus vel in vacuis poſſeſſionibus; *Cavalleria de Meſnada* dignitate inferiores, quâ voce denotabant ſingulas eas ſtipendiarias portiones, quas Reges, de Regalis patrimonii ſubſidiis, domeſticis ſuis ac palatinis hominibus impertiebant; *Cavallerias* tandem *acoſtumbradas dar como de Honor & como de Meſnada*, ita dictæ, quòd interdum quæ unius generis erant, ad alterum traducerentur: v. g. cùm *Cavalleria de Honor* fiebat *Cavalleria de Meſnada*, vel à diverſo, i. e. mutabiles aut immutabiles: Nam *Cavalleria de Honor* (ſic dictæ, quòd vectigalia Ricorum hominum, *Honores* vocarentur) perpetuæ erant, aliæ ad libitum, à Rege, à quo, nudè pendebant, conferebantur. Vide *Gloſſographum* præfatum & Auctores ei laudatos. Sed & *Caballarii*, Græcis recentioribus dicti ſunt *Milites*, ſeu Equeſtri dignitate donati, apud Annam Comnenam in *Alexiade*, Pachymerem *l.* 1. *c.* 30. 31. & *l.* 4. *c.* 31. Cantacuzenum *l.* 1. *c.* 42. & *l.* 3. *c.* 27. Germanis *Ritter*, Gallis *Chevaliers*, Græcè Καβαλλάριοι.

CABALLI Sylvatici, apud Paulum Diaconum *Hiſtor. Longobard. l.* 4. *c.* 4. iidem ſunt, quos *feros* vocat Jul. Capitolinus in *Gordianis*, *c.* 3. *Extat ſylva ejus memorabilis, quæ picta eſt in domo* — *in qua pictura etiam nunc continentur cervi palmati ducenti mixtis Britannis: equi feri XXX. oves feræ C. alces X. &c.* De quibus *Ariſtoteles*, *Strabo*, *Plinius*, *Oppianus*, alii videndi. Fuêre autem cùm in aliis provinciis multis, tum in Syria quoque & quidem peculiaris ingenii in vindicta de rivalibus capienda, ut ſcribit Philoſophus, *libro de Mirab. audit.* De iis accipienda verba Paraphraſtæ Chaldæi, *c.* 5. *Jerem.* ubi eos vocat Græcâ dictione, ut Ariſtoteles ἵππους ἀγρίους, Caſaubon. *ad Capitolin.* Et quidem apud recentiores ævi Scriptores *caballos* pro quovis equo uſurpatur. Latini verò non quoſvis equos ſic appellârunt, ſed viliores ſolùm, cujuſmodi ſunt, qui piſtrinis, agriculturæ & mercium vecturis inſerviunt. *Heſych.* *Caballus*, ἐργάτης ἵππος. Hieronymus *Ep. ad Heliodorum*, *Stabitque cetratus ſagittas pilis nova galea, caballos equos cedere &c.* Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque Caſaubon. præfatum *ad Perſium Sat.* 7.

CABALLIACUS Ager, regiunc. Sabaudiæ, juxta Lemannum lacum prope Foſſiniacum tractum. Ibi oppidum primarium Tunonium, ad Lacum. Nantuates hîc quidam locant, vulgò *le pays de Chablais*.

CABALLINUM, Æduorum in Gall. Lugdunenſ. oppid. *Ptol.* Cæſar. *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 42. & *ult.* *Cabilonum* vocat. *Caſtrum Cabillonenſium* Liber. Provinciarum. *Chalons ſur Saone* Gallicè. *Antonius* hîc Legionem 14. collocavit.

CABALLINUS, fons limpidiſſimus in Helicone Bœotiæ monte Muſis conſecratus, Græcis *Hippocrene*, i. e. *fons equi* dictus; quòd Pegaſus in eo loco ſaxum feriens, aperuit, unde & *Pegaſis* vocatur Straboni. Perſius *in Prolog.* v. 1.

Nec labra fonte prolui Caballino.

Propertius *l.* 3. *El.* 2. *v.* 1.

Viſus eram molli recubans Heliconis in umbrâ,
Bellerophontei quà fluit humor equi.

Stat. *l.* 2. *Silv.* 7. *in Genethliaco Lucani*, *v.* 4.

Prodeſtis bibit ungula liquorem.

CABALLINUS, cognomen inditum Conſtantino Copronymo Imperatori Conſtantinopol. quòd equini ſtercoris (*Caballinum* dicti, apud Marcellum Empiricum *c.* 8. & 20.) odore ac tactu delectaretur. Anaſtaſius *ad Synodum VII.* Conſtantinopol. *Stercoralis* [illegible] *appellat hoc, quia* [illegible]*, quia* [illegible] *eſſent Conſtantini imperatoris* [illegible] *dicebatur Caballinum, tempore Conſtantinopolitani Præſulis, hæreſis ejus fautorem, propter commodabant.* Idem in *Hiſt. Eccl. Magnus maleficus & veneficus* —— *& caballinis ſtercoribus atque lotio delectatus*. Theoſterictus in *S.* Nicetæ Hegumeni *num.* 29. de eod. [illegible] *Tantoperè delectatus eſt ſtercore impuriſſimus ſpurciſſimus ille, ut etiam ſordibus hominum ſe inungeret, idemque ut facerent, ſuis imperaret, à quibus aliter, quam* [illegible]*, quibuſcumque colunt.* Alii verò ſic dictum cenſent, quòd, dum baptizabatur, lavacrum ſtercore inquinaverat, quod Græci ejus ævi Καβαλλῖνον dixêre. Vide *Gloſſ.* Meurſii & Car. du Freſne. Omnia verò hæc ab hoſtibus ejus, per convitium illi afficta, cenſent alii, ut qui etiam dogmata blaſphema tribuerunt, à quibus eum conſtat fuiſſe alieniſſimum. Sic enim *Suidas*, aut potius Græculus is, qui Suidæ panno purpureo viliſſima ſua pictamina aſſuit, eum ſtatuiſſe ait, *Ne quiſquam prorſus ſervorum Domini ſanctus diceretur, & eorum reliquias conſpuerentur*. At verò tantum Imperator, ne Sanctorum nomina imaginibus adſcriberentur. Et Theoſterictus, illum venerandum B. Mariæ nomen multis modis ab Eccleſia expellere voluiſſe ſcribit: cùm tamen Patres Concilii, ejus juſſu, contra imagines convocati atque ab illo approbati, dixerint, ſe congregatos fuiſſe, *in Baſilica intemerata & ſanctæ ſemper Virginis Deiparæ*. Qui etiam, in ipſa definitione, eam appellant ὑπερένδοξον *& ſupergloriſoſam Deiparam Dominam*, ut alia omittam, de quibus videri poteſt A. Rivetus *Apolog. pro SS. Virgine Maria l.* 2. *c.* 2.

CABALLUS, nomen viri proprium. Nam *Seſtium Caballum* apud Martialem legimus, *l.* 1. *epigr.* 42. *v. ult.* Vide & *Sextus*.

CABALLUS, dictus eſt collis Quirinalis, unus ex Romæ quibus inſidet, montibus, à ſtatuis marmoreis duabus, Alexandri M. equum Bucephalum domantis, quas Alexandria Conſtantinus Imperatorem Romam tranſtuliſſe, atque in medio Thermarum à ſe in Quirinali extructarum collocaſſe, annotat *Onuphrius*: vide quoque Georg. Fabricium *in ſua Roma*, & in voce *Quirinalis* urb. de voce Καβάλλης, ſcriptoribus Græcis in uſu, infra in *Sagma*; ubi Sagmarium equum illâ indigitari videbimus, nec non quæ ſecuta dicta. Vulgò *Monte Cavallo*.

CABANA, Gallis *Cabane*, ex Græco καπάνη, quod à καπάνη, φάτνη, h. e. *præſepe*, ſignificante, ortum: Eſt tugurium, domuncula, caſa. Καπάνη autem *Capulus*, Latinis arcam ſunebrem denotat, ex ligno, quâ mortui olim ad rogum vel ſepulturam efferri ſolebant. Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 1205. Vide infra in voce hac.

CABANDENA, Suſianæ regio. *Ptol.*

CABANODORUM, oppid. Norici. *Ptolem.* Bruſchio, teſte Molecio. Melius *Gavanodurum* ſeu *Juvavia*, vulgò *Saltzburg*, juxta amnem *Saltz*. Vide *Gavanodurum*.

CABARETUM, caſtrum fortiſſimum in Carcaſſeſio, *Chron.* Simonis Montisfortis, ubi Rogerii domini hujus caſtri mentio fit. Vide & Petrum *Hiſtor. Albig. c.* 34. & 40. Vulgò *Cabaretz*: & ager Cabarenſis *le Cabardez*. Eſt & Gabarretum, *Gabaret*, caput agri cognominis *le Gabardan*, inter Eluſam & Vaſates poſitum, in Novempopulania. quod cum priori nihil commune habet. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CABARNI, Sacerdotes Cereris apud Parios. *Heſych.* Κάβαρνοι, οἱ τῆς Δήμητρος ἱερεῖς, ὑπὸ Παρίων. Hinc Suidas in Ὀργεῶνες, [illegible] Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ [illegible] (lege [illegible]) [illegible] Stephanus, in Πάρος, ſcribit, poſt Nicanorem, etiam ipſam inſulam dici Κάβαρνιν, ab Καβάρνου τοῦ μηνύσαντος τὴν ἁρπαγὴν τῇ Δήμητρι τῆς θυγατρός. Quod nihilo eſt verius, quàm quod ibi ſequitur, *Paros* dicta à *Paro* Arcade, Parrhaſii filio. Nam, ut *Paros* vocabulum Phœnicium eſt, ita etiam Cabarnorum, quamvis trajectis literis. Phœnicibus enim Cabarni eſſent כרבנין *Carbanin*, ut à כרב *carab* offerre, eſt קרבן *corban* oblatio, quam vocem apud Tyrios in uſu fuiſſe, docet ex Theophraſto, Joſeph. *l.* 1. *contra Appionem.* *Sic.* *Lloydius*.

CABASILAS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

CABASITES, Nomus Ægypti, & in ea *Cabaſa* oppid. *Ptol.*

CABASSOLIUS Philippus, vide *Philippus*.

CABASSUS, vel CABESSUS, urbs Cappadociæ, *Homer.* Ochryocos patria. Hecatæus hanc urbem ultra Æmum Thraciæ montem ſitam eſſe ait. *Helleſponto* Lyciæ urbs eſt. Eſt & vicus hujus nominis inter Tarſum & Mazacam, teſte *Apione*. *Steph.*

CABEDANA, Carmaniæ regio. *Ptol.*

CABELEES, Mæoniæ populi. *Herodot.*

CABELGENSES, vulgo *Cabeljaux*, nomen factionis in Hollandia ortæ, ſub A. C. 1350. cui oppoſita altera eorum, qui *Hoekenſes* appellari amârunt, de quibus ſic Joh. à Leydis *l.* 29. *c.* 26. *Anni D.* 1350. *ortæ ſunt prob dolor, in Hollandia, duæ factiones* —— *homines vero unius factionis aſſumpſerunt nomen à quodam piſce marino, qui dicitur Aſellus, i. e. Cabbeliau, ad denotandum, quod, ſicut piſcis ille in mari eſt devorator aliorum piſcium, ſic & iſti eſſent domitores ſuorum adverſariorum. Et iſti dicuntur* Cabelgenſes. *Alterius vero factionis homines nuncupati ſunt è contra* Hoeckenſes, *trahentes vocabulum ab hamo, quaſi dicerent. Hamus piſcem ſtrenue ſæpe ſolet. &c.* Vide ubi diximus de Aſellata ſalſique.

CABELLIO, Narbonenſis provinciæ oppid. *Caballio Cavarum*, Straboni *l.* 4. *Cabellicum*, vel *urbs Cavallicorum*, Ptol. *l.* 2. *c.* 10. vulgò *Cavaillon*. Inter oppida Latina ſeu jure Latii veteris donata, à Plinio, *l.* 3. *c.* 4. inter colonias à *Ptolemæo* & in marmoribus numeratur. Urbs Maſſiliæ *Stephano* & *Artemidoro* dicitur. Inter provinc. Viennenſis 14. civitates decimò locò ponitur, in *Notit.* prope Avenionem, in Comitatu Vindaſcino, ditionis Pontific. in planitie, prope Druentiam fluv. cùm aliàs fuerit in colle, ut etiamnum veſtigia docent. Parvi eſt circuitus. Epiſcopalis ſub Avenion. Vide *Valeſ.*

CABELLUM, organum Muſicum, pedibus ſolitum feriri, apud Auguſtin. *de Muſ. l.* 3. *c.* 1.

CABERA, Protei filia, ex Vulcano *Caberos* tres genuit, totidemque *Cabeŕidas*, quibus omnibus templa dicata ſunt. Strabo *l.* 10. Vide & *Cabira*.

CABERASA, Mediæ urbs. *Ptol.*

CABERI, Aſiæ populi. *Cedrenus.*

CABERON, Aſiæ fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 23.

CABES, Anthropophagorum gens Aſiatica. *Cedrenus.*

CABESCHOLA ſeu **CABISCHOLA**, Primicerius Scholæ Cantorum in Eccleſia Græca, alias *Scholaſticus*. Vide infrà *Caputſchola.*

CABESSUS, vide *Cabaſſus*.

CABESTANUS Guilielmus, vide *Guilielmus*.

CABILLONUM, ſeu **CABILONUM**. *Cabillo Æduorum*, *Cabillonum*, Strab. *l.* 4. Καβυλλῖνον, *Ptol.* Καβυλλῖνον, urbs Gall. Celticæ ampla & probè culta, cum duplici muro & ponte lapideo ad Ararim. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Lugdunenſi. Diſtat à Matiſcone 11. leucis, ut & ab Auguſtoduno, 8. a confinio Comitatus Burgundiæ. Vulgò *Chalon ſur Saone*, & tractus adjacens *Breſſe Chalonnoiſe*. Cum arce permunita. Urbis hujus ſæpe Cæſar meminit, *Comm. l.* 7. *c.* 42. & *ult.* Strabo *l.* 4. Amm. Marcellin. *l.* 15. *Itinerarium Antonini*. Hîc negotiandi causâ Romani conſiſtebant. Olim ſedes Regum Burgundiæ, & inprimis Sigiſmundi. A Regibus Galliæ primæ Familiæ regno adjuncta, tum Monetâ inſignis fuit, ut ex nummis antiquis Regum à Merovæo genus deducentium patet, à Chramno, filio Clotarii I. capta & deſtructa, reparata à Childeberto ex Hiſpania reduci. Guntramnus Rex ibi plerumque moratus, & ſepultus eſt. A Ludovico Pio, Comitatus titulò donata, nunc familiâ Comitum illuſtri extinctâ, Epiſcopi titulos auget. S. Marcellus ejus Apoſtolus, Donatianus vetuſtiſſimus Epiſcopus fertur, qui Concilio Colonienſi ſubſcripſit, A. C. 346. Julian. Ralleure, *Hiſtor. de Eveſcop. & antiq. urbis hujus*. Ibi Concilium A. C. 470. & 570. quô Guntramnus Rex, duos Epiſcopos depoſuit. Gregor. Turonenſ. *Hiſt. l.* 5. *c.* 27. A. C. 603. quô inſtigatu Brunehildis Epiſcop. Viennenſis pulſus eſt, &c. Vide *Concil. tom.* 4. 6. 7. 9. De illuſtri Principum *Cabillonenſium* familia, vide in *Arauſio*. De urbe vero plura apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CABIRA, uxor Vulcani, Camilli mater. Qui tres filios ſuſcepit, avitæ cognomines, unde Nymphæ, *Cabyrides* dictæ, quarum Acuſilaus Argivus meminit, apud Strab. *l.* 10.

CABIRA, Rhodi civitas, una ex iis quæ conventum apud Rhodiones efficiebant, cujus ſuffragiis omnia gerebantur.

CABIRA, urbs Paphlagoniæ, *Strab.* Alia urbs fuit Aſiæ minoris in confinio Lyciæ, media ferme inter Laodiceam & Termeſſum.

CABIRI, Dii quidam in Samothraciâ culti, quorum ſacra in vulgus efferre piaculum erat, quæ à Pelaſgis ſit, qui cum Athenienſibus unà habitârunt, mutuatos eſſe Samothraces ſcribit Herodot. *l.* 2. His ſacris ſi quis initiabatur, mirabile in iis Deis præſidium habere credebatur & in mari & in bello, multoque melior ac juſtior fieri prorſus exiſtimabatur, atque impetrare quicquid honeſtè optaret. De Deorum numero varia eſt inter ſcriptores opinio; Mnaſeas tres ponit, *Axierum*, *Axiocerſam*, *Axiocerſum*, i. e. *Cererem*, *Proſerpinam*, *Plutonem*, addit quartum Dionyſiodorus *Caſmilum*, h. e. *Mercurium*. Alii duos tantùm fuiſſe *Cabiros* autumant, Jovem natu grandiorem, minorem verò *Dionyſium*. Athenion verò ait, ex Jove & Electra natos eſſe *Jaſionem* & *Dardanum*, qui *Cabiri* ſunt appellati. Quibuſdam miniſtri Deorum habiti ſunt, alii Dæmonas illos exiſtimârunt. Horum in Ægypto quoque celebre templum, quod ingredi quempiam fas non erat, ſacerdote exceptô. Fuit & *Cabirorum* ædes in agro Thebano, item *Cabiriæ Cereris*, quorum ea religio fuit, ut qui illis manus intuliſſent, Deorum iram evadere non poſſent.

CABIRI, vel **CABERI**, Dii Phœnicum, qui Beryti maximè colebantur. Sanchoniathon apud Euſeb. *l.* 1. *Præp. Evang.* Καὶ ἐπὶ τούτοις ὁ Κρόνος Βύβλον μὲν τὴν πόλιν θεᾷ Βααλτίδι τῇ καὶ Διώνῃ δίδωσι. Βηρυτὸν δὲ Ποσειδῶνι, καὶ Καβείροις. Damaſcius apud *Phot.* Ὁ ἐν Βηρυτῷ Ἀσκληπιὸς οὔκ ἐστιν Ἕλλην, οὐδὲ Αἰγύπτιος, ἀλλά τις ἐπιχώριος Φοινιξ. Σαδύκῳ γὰρ ἐγένοντο παῖδες οὓς Διοσκούρους ἑρμηνεύουσι, καὶ Καβείρους. Sanè כביר *Cabir* Ebræis & Arabibus *magnum* & *potentem* ſonat. Hinc jam alii obſervârunt inde appellatos *Cabiros*, i. e. *Divos potens*, uti *Varro* & *Tertullianus* explicant; Θεοὺς μεγάλους ἢ δυνατούς, Orpheo *Adunatos*. Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 12. & ante eum *Caſaubonum*. *Suidas*, Καβειροὶ, θεοὶ καὶ Κάβειροι, ὄνομα ἔθνους, σημαίνει δὲ καὶ δαίμονες. *Heſych.* Κάβειροι, καρκίνοι, πάνυ δὲ τιμῶνται ἐν Λήμνῳ ὡς θεοί, λέγονται δὲ εἶναι Ἡφαίστου παῖδες. Orpheus *Argonauticῶn* initio;

——— Ἀγλαὰ δῶρα Καβείρων.

Vide Meurſ. *de Feſtis Græcorum* in Καβείρια. *Nic. Lloydius*. Addo, è ſchola Caini, qui illam inprimis Philoſophiæ partem, quæ in vita conſiſtit civili, corrupit, prodiiſſe, & ſacra ex Oriente, præcipuè autem ex Arabia, ubi *Caber* ſeu *Cubar* cultus, de quo Seldenus *Syntagm.* 2. *c.* 4. in Samothraciam poſtmodum tranſlata eſſe; teſtatur ex Nonno Hornius *Hiſtor. Philoſ. l.* 1. *c.* 9. Saracenorum *Chabar*, Venus ſeu Urania eſt, teſte prædictô Seldenô, quam vocem Euthymius Zygabenus μεγάλην, ex eadem origine, interpretatur. Sic apud Macedones *Cabyrus Deus*, quem Lactantius *Cabyrum* vocat, *l.* 1. *c.* 15. Apud Romanos *Caburorum familia* meminit Cæſar *l.* 1. *Comm. c.* 47. M. *Valerium Procillum C. Valerii Caburi filium*. Idem Hornius *Ibid.* Adde Auctoribus ſuprà laudatis Joh. Marſhamum Equ. *Canone Chronicô Sec.* I. & IX. ut & quæ dicemus infra voce *Sydek*.

CABIRIA, civitas inferioris Aſiæ. *Steph.*

CABIRII, Bœotiæ populi. *Steph.*

CABITARII, vide *Cavatores*.

CABLIACUM, oppid. Gall. in Senonenſi agro; vinô ſuô celebre, juxta Senonum fluv. inter Autiſſiodorum & Tornodorum. Hic contra Lotharium Imperat. olim a fratribus pugnatum eſt. Vulgò *Chably*.

CABOLUS, Parmenſis, a Longobardiæ Epiſcopis Papa electus, ex utraque parte conſcriptis copiis, inter ampis Neronianis, factâ cæde magnâ, fugâ elapſus eſt. *Blondus*, *Platina*.

CABOLYTÆ, Paropaniſi gens. *Ptol.*

CABOTIA, vulgo **CHABOT**, familia in Gallia illuſtris. Cujus, ut ad fabulas non recurramus, quibus quidam *Fabrum*, ſeu Fridericum, Friderici I. Imperatoris ex Adriana ſorore affinem, familiæ Auctor creditur; antiquiſſima memoria occurrit, cùm mentio invenitur, Guilielmi *Chaboti*, ad A. C. 1040. In Theobaldo verò filius, ſub principium ſeculi XIII. tres lineæ cœperunt, nempe in Theobaldo IV. Gerhardo & Sebrano: à quorum illo, domini de *Rochecervere*, ſed non niſi ad duos gradus, ab iſto, domini *de la Motte Achard & de Raiz*, exeunte ſeculò XIV. extincti; ab hoc, præter dominos *de Chantemerle*, orta eſt linea dominorum *de la Greve*: E quibus ductâ primogenitorum ſucceſſio defecit in Ludovico, poſt A. C. 1472. mortuo, & ſucceſſione per ſorores ad Caſtillonios, & Commineum devoluta. Patruus autem Ludovici Renaldus fuit *Dn. de Jarnac*, cujus fil. Jacobus, communis pater duarum linearum cenſetur. Ex minore enim filio Philippo Dn. *de Brion* & Comite *de Buſançois* ac dein *de Charny*, Admirali Franciæ, provenerunt reliqui illuſtres Comites hujus nominis atque Marchiones *de Mirebeau*. Ex majore verò Carolo, reliqui Barones & Comites *de Jarnac* deſcendunt, inter quos Henricus eminet, (fil. Caroli *Chaboti de S. Gelais* Dn. *de Moulieres* & *S. Aulaye*, ex Henrica *de Lur*) qui, hærede Ducali Rohanâ ductâ, illius ſucceſſionem ſuæ domui intulit, Ducatus *de Rohan* & Principatus *de Leon* axiomate hinc inſignis. Uxor ejus itaque Margareta fuit Rohana, (filia Henrici Ducis Rohanei & Principis Leonis extincti A. C. 1638. ex Margaretha Bethunia) quibus nati ſunt Ludovicus Rohanæo-Chabotius Dux *de Rohan*, Vicecomes *de Leon*, Anna (uxor Franciſci Rohanei Principis Soubiſii) Margaretha (uxor Marchionis *de Coëtquen*) & Johanna Pelagia. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. tom.* 1.

CABRERA, nomen illuſtris in Hiſpania Familiæ, cujus è Catalonia origo. Præcipua diviſio eſt, quod à duobus fratribus duæ lineæ cœperunt: cum alter Bernardus Vicecomes *de Cabrera*, Admiralis ac Capitaneus generalis Siciliæ, Comites *de Modica* ſeverit: alter Raimundus Marchiones *de Moya*; quem titulum primus nactus eſt Andreas, Raimundi pronepos, A. C. 1480. atque ab uxore Beatrice *Fernandez de Bobadilla* iſtud quoque cognomen poſteris indidit. Inter ejus filios Johannes Marchio poſt patrem fuit, & deinceps hujus filia Luiſa axioma illud domus ſuæ, marito Didaco Lopezio Pacheco Duci *de Eſcalona* attulit, extincti A. C. 1556. quo è matrimonio genitus eſt Franciſcus *Pacheco*, *de Cabrera & Bobadilla* Dux *de Eſcalona*. Alter Andreæ fil. Ferdinandus Comitatûs *de Chinchon* honorem obtinuit, A. C. 1517. atque ad poſteros tranſmiſit. Pater ex Tereſia *de la Cueva* Petri; quô & Mencia *de la Cerda* & *Mendoza*, genitus Didacus, pater fuit ex Agnete Pacheca, Ludovici Hieronymi Fernandez de Cabrera & Bobadilla, Comit. *de Chinchon*, cæterorumque; de quibus ſuprà in voce *Bobadilla*. Vide Phil. Jacobum Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. tom.* 1. & 11.

CABREUM, vide infrà *Capibrevium*.

CABRUS, Deus Phaſelitarum, quæ urbs Pamphyliæ fuit, *Suidas* etiam inſulam facit. Phaſelitæ huic Deo ſacrificabant de piſciculis ſale conditis. Unde proverbium, *Sacrificium Phaſelitarum* ut *Suidas* & *Zenobius* ſcribunt; Quamquam Suidas nomen Dei *Calabrum* pro *Cabro* legit, & *Eraſmus Caprum*.

CABSEEL, civitas in tribu Judæ. *Joſ. c.* 15. *v.* 21. Latinè *congregatio Dei*. Patria Benajæ, viri fortiſſimi, & magnorum operum.

CABUBATHARA, Arabiæ Felicis mons. *Ptol.*

CABUL, i. e. *compeditus*, vel *quaſi germinans*, aut *quaſi deficiens*, vel *vetuſtiſſimus*, regio Galilææ, quæ Joſepho *Judaic. Ant. l.* 8. *c.* 5 linguâ Phœnicum a diſplicendo, aliis à terra tenaci, ob copiam argillæ, quâ figuli utuntur, nomen accepit; Hanc Solomon Hiramo Tyri Regi dedit. 1. Reg. *c.* 9. *v.* 13. Eſt quoque civitas in tribu Aſer. Joſ. *c.* 19. *v.* 27.

CABULLINUM, urbs Galliæ. *Ptol. Chalon ſur Marne*.

CABULUM, oppid. Indiæ ſatis amplum, provinc. cognominis caput, ſub Magno Mogole, verſùs montes & confinia Zagataiæ regionis.

CABULUS, machina bellica, ad conterendos muros. Brito Armoric. *Philip. l.* 7.

——— *Sed non ingenua ſonâ,*
Emittit cabulus, neque enim (hæc) ferre decuſſit,
Per mediumque crepans, pars corruit altera muri.

Forte à gabuli ſimilitudine, veter. gabali. *Gloſſæ Philox.* *Gabalum*, Βάσανος. *Gloſſ. Græcol. vet.* Βάσανος, *Tormentum*.

CABURA, fons Meſopotamiæ, præter aquarum omnium naturam egregiè odoratus: cujus fabuloſam rationem reddunt, quod Juno in eo aliquando fuerit perfuſa. Plin. *l.* 32. *c.* 3.

CABURUS, Princeps civitatis Helviorum; cujus filius C. Valerius Donotaurus annô belli Gallici ſeptimô interfectus eſt. Cæſar l. 7. c. 65.

CABVLA, urbs & regiuncula Thraciæ. *Steph. Suidas*, Καβύλη, χώρα τῆς Θρᾴκης, ἵδρυμα ἐστι τῷ Τάξῳ πολισμάτων μόνον τῆς Θρᾴκης. Quid nunc ſit, non conſtat. *Baudrand.*

CABYRA, vide *Cabera*.

CACA, ſoror Caci, quam quidam volunt fratris furtum Herculi indicâſſe, & ob id ſacellum meruiſſe, in quo ei per Virgines Veſtales ſacra fiebant. Servius in *Æn. l.* 8. Quanquam Virgilius ibidem, & Ovid. *l.* 1. *Faſt.* furtum hoc longè aliter deſectum fuiſſe velint.

CACABUS, inter vaſa coquinaria, quæ primum ex argento habuiſſe Heliogabalum, memorat Æl. Lamprid. *c.* 19. nempe de illo privato adhuc loquitur. Aliàs, ſicut lectos plane argenteos atque aureos apud Veteres Græcos Latinoſque, etiam in Pandectis, reperimus, ita & menſas jam olim Romani argenteas habuêre, teſte Plinio *l.* 33. *c.* 11. qui & vaſa coquinaria jam inde à Calpo Oratore fieri ex argento cœpiſſe, ibidem obſervat: *Cacabi* autem inter iſta. Ulpianus *l.* 19. §. 12. *ff. de auro, argento, mundo &c. legat.* tractans de legato argento eſcario: *Si cacabos*, inquit, *argenteos habebat vel miliarium argenteum, vel sartaginem, vel aliud vas ad coquendum, dubitari poterit, an eſcario continetur, & hæc magis coquinatoris instrumenti ſunt.* Sed & Piſtorum vas erat: unde panes cacabaci dicti, qui ſaporem malum ex aqua in *cacabo* calefacta retinerent. Vide Zenonem Veronenſem *Serm. VI. ad Neophytos poſt Baptiſm.* laudatum Cauſaubono *ap. Lamprid. loc. cit.* Syntheſis *cacaborum*, occurrit apud Papinium Statium *l.* 4. *Sylv.* 9. cui titulus *Riſus Saturnalitius*: ubi dona ab amicis ſibi invicem eô tempore miſſitata: ſulta recenſens, ait inter alia, *v.* 44. 45.

Aut unam dare ſyntheſin (quid horres)
Alborum calicum atque caccaborum.

Eſt autem *Syntheſis*, plurium rerum in unum agmen conlatio. Unde ſenſus, *Quid metuis mihi mittere albos calices & cacabos, in unum faſcem conſtipatos?* Vide quæ notârunt ad hunc locum, Jacobus Gojacius *Obſervationum l.* 26. *c.* 29. Hadr. Turnebus *Adverſar. l.* 23. *c.* 19. Dionyſ. Gothofredus *ad Pandectas p.* 1025. & 1136. Caſp. Barthius *Animadverſionum ad Statium, l.* 1. *p.* 421 in & infra, in voce *Syntheſis*. Nec omittendum, quòd in *cacabis* quoque cineres mortuorum olim condi conſuevisse, monet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1204. Hinc *Cacabaceus panis*, Vide infrà *Panis*.

CACABUS, aquæ ferventis judicium, vide ſuprà ubi *de Aqua Fervente*.

CACALLA Auguſtinus, Hiſpanus, Theologus & Caroli V. concionator aulicus, ab Inquiſitione Hiſpanica propter veritatis agnitionem damnatus & combuſtus eſt, die 21. Maji A. C. 1558. Valledoleti in Hiſpania. Vide *Pintia*.

CACANUS, Hunnorum Rex, in Thuringiam incurſionem fecit, ſed à Brunichilde, acceptâ pecuniâ, prædam reſtituit, & domum rediit. *Blondus.* Vide & *Caganus*.

CACCABE, olim Carthago ſic dicta. Stephanus in Καρχηδών. Ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Κακκάβη. τοῦτο δέ ἐστι τῇ ἐκείνων φωνῇ ἵππου κεφαλή. Hic autem Græci videntur, peregrinæ linguæ vocem ad ſuam accommodâſſe, ſed ita ut facili negotiô poſſit reſtitui, nempe ſi legatur *Carcabe*. כר *Car* enim ut Hebraicè dicitur, ita Punicè *caput* videtur ſignificâſſe analogicâ ratione, & inde tranſiiſſe ad Græcos. Porro רכבה *recabe*, *equum* innuere poteſt, nam Ebræis רכב *racab* eſt *equitare*. Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 547.

Effodêre loci ſignum, quod regia Juno
Monſtrârat, caput acris equi. ——

Juſtinus *l.* 18. *c.* 5. *In primis fundamentis caput bubulum inventum eſt, quod auſpicium quidem fructuoſæ terræ, ſed laborioſæ, perpetuoque ſervæ urbis fuit: propter quod in alium locum urbs tranſlata, ibi quoque caput equi repertum, bellicoſum, potentemque populum futurum ſignificans, urbi auſpicatam ſedem dedit.* Addit Euſtath. *in Dionyſium*, unà cum equino capite repertam quoque palmam, quô omine firmati Punici ibi civitatem conſtruxerunt. Cui conſentit nota Urſini aſſerentis, extare apud ſe numiſma argenteum Punicis literis notatum, in cujus altera parte equi caput, & palma percuſſa ſit. *Nic. Lloydius.*

CACCIALUPUS Johannes Baptiſta, vide *ibi*.

CACERÆ, urbs Aſiæ, in parte Auſtrali Luzoniæ Inſul. Philippinar. præcipuæ, in mari Indico. Parvi circuitus in ora littorali, cum portu, ſub Hiſpanis, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Manillano. Aliàs *Caderenſis civitas*, Vulgò *Caceres* & *Caceres de Camonthe*.

CACHERELLUS, apud Willh. Thorn, & in veter. *Charta*, Spelmanno laudatâ, Judex eſt pedaneus, ſeu Ballivus inferioris ordinis, apud Anglos.

CACHRYS, Græcè κάχρυς, propriè granum hordei eſt; Hinc apud Comicum καχρύδιον πεφρυγμένον, *hordeû fricti*. Et καχρύδιας ἄρτος, *panis hordeaceus*: apud Ariſtophanem in *Nubibus*,

Ἀλλ᾽ ὦ τε πίνοις ἀντ᾽ ἐμοῦ κάχρυς γυναῖκ᾽ ἀλοῦσα.

Ubi κάχρυς ſunt κριθαί. Cùm enim cœtera ſemina levia ſint, hoc aſperum & ſcabitie horridum in rugis ſtriatum, inde κάχρυς, quod idem ac κάχρυς, & *aſperitatem* vel aſperum quid ſignificat. Unde poſteà & cæterarum arborum germinatio nomen hoc invenit: quod peculiariter ſemini libanotidis, rotundo, anguloſo, & inciſuris aſpero attributum, in robore δρύϊνος, in nuce Heracleotica ἴουλος, in pinu, vel picea κύτταρος dictum eſt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 599. & *ſeqq.*

CACIA, vide *Cacus*. Item CACIA, *Κακία* Græcis recentioribus dicitur, quæ *Acacia* veteribus; unde *Caſiam* fecit infimum Latinitatis ævum. Sed *Caſiam* errore nominavit non ipſam illam ſpinam, cui hoc nominis competebat, verùm aliam illam Acanthon, quæ ſiliquam quoque fert, iidem Ægyptiam. Occurrit vox apud *Hippiatrica* Auctores *c.* 110, ὁ Κασίας τῆς συρίγγος. Ut autem diſtingueretur à Caſia aromatica, de qua infra dicemus, quæque abſolutè *Caſia* dicebatur, cognominârunt illam *Caſiam fiſtulam*, à fiſtulacea ſiliqua, ut videre eſt apud Marinum Sanutum *de Bello ſacro*. Quô tamen cognomine etiam gaudet ſpecies Caſiæ aromaticæ. Galli *Caſſiam* vocant, Arabes *Chiarnambar*, vel *Chiarcambar*, Hiſpani *Canna fiſtulam*: de qua vide eruditè diſſerentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1308. & 1309.

CACIA, ſeu CHACIA, venatio. Gallis & Anglis *Chace*, paſſim in *Monaſtico* Anglic. alibique. Item ſaltus ipſe & ſtatio, quâ venationis gratiâ feræ aluntur, nullô cincta ſepimentô, ſed privilegiô tuta, vel à Principe conceſſô, vel præſcriptione acquiſitô: cujus hoc à parco & foreſta diſcrimen, quòd *parcus* anguſtior eſt & palis ac murô circumcluſus, *foreſta* extenſior multò & amplioribus privilegiis inſignis. Nominis originem à *capiendo* arceſſit Ægid. Menagius, à *caſſibus* Sylvius; quippe venatores in caſſes feras propellunt & clathratas feneſtras quas *Chaſſis* Galli vocant: Octav. verò Ferrarius, ab *agere* vel *agitare* deducit: Nec deſunt qui à *capſum* vel *caſſum*, quod *clauſum* quidpiam denotat &c. Vide Car. du Freſne in *Gloſſario*.

CACICIUS, in Iberia, à Michaële Calaphate, coërcitus ſcilicet A. C. 1543.

CACIZOTECHNOS, ob nimiam diligentiam, cognominatus Callimachus Statuarius; Plin. *l.* 34. *c.* 8. De eo infra aliquid, voce *Saltus*.

CACOFOGA, navis nomen. Vide *Navis*.

CACOGAMIA, vide infra *Opſigamia*.

CACTOS, apud Plin. *l.* 21. *c.* 16. *in Sicilia tantum naſcitur, ſuæ proprietatis & ipſa, cujus in terra ſerpunt caules, a radice emiſſi, latè ſolid & ſpinoſi. Caules vocant κάκτους, nec faſtidiunt in cibis, inveteratos quoque. Unum autem caulem rectum habent, quem vocant πτέρνικα, ejuſdem ſuavitatis, ſed vetuſtatis impatientem. Semen ei lanugino, quam pappum vocant, quo detracto & cortice, teneritas ſimilis cerebro palmæ eſt: vocant Aſcaliam.* Quæ vera eſt deſcriptio *Articoli*, ut Galli vocant. Sed fallitur, quòd ſui generis eſſe & in Sicilia tantùm naſci ſeribit: nam eadem res *Carduus Romanorum* & *Cactus Siculus*. Ejus pomum, ſquamatum compactum & pineæ nuci ſimile, quod intus ſemen πάππωδες gerit incluſum, ἀκανθίκωνον vocat *Theophraſtus*: ſemen enim propriè κάρπος; quod detrahi ſolebat, cum *cactus* manderetur. Uti hodieque lanuginem illam detrahunt, quam *foinum* vocant Galli. Sed nullus ibi cortex detrahendus, uti Plinius ait: quin ipſe caulis cortice detractô mandebatur &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 226. Vide quoque infra in voce *Carduus*.

CACUS, paſtor Aventini incola, qui inter cætera furta, quibus agrum Latinum quotidiè infeſtabat, Herculis quoque boves, quos ille, occiſô Geryone ex Hiſpania abduxerat, noctu è paſcuis abegit, & ne veſtigiis furtum deprehenderetur, caudâ in antrum ſuum pertraxit. Hercules autem ad primam Auroram evigilans, cùm gregem oculis perluſtrâſſet, & partem numerô abeſſe ſenſiſſet, ad proximam ſpeluncam pergit, ſi fortè eò veſtigia ferrent, quæ ubi omnia foras verſa videt, incertus animi abigere ſubinde armentum cœpit. Verum cum præter ſpeluncam actæ boves quædam ad deſiderium, ut fit, relictarum mugiſſent, reddita inkluſarum ex ſpelunca boum vox Herculem convertit: Quem ad ſpeluncam accedentem cum Cacus aditu prohibere conaretur, clavâ ictus occubuit, ut latius exſequitur Livius *l.* 1. *c.* 7. Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 193.

Hic ſpelunca fuit, vaſtô ſubmota receſſu
Semihominis Caci, facies quam dira tegebat
Solis inacceſſam radiis: ſemperque recenti
Cæde tepebat humus, foribuſque affixa ſuperbis
Ora virûm triſti pendebant pallida tabo
Huic monſtro Vulcanus erat pater, illius atros
Ore vomens ignes, magnâ ſe mole ferebat.

Propert. *l.* 4. *El.* 10. *v.* 7.

Sed non infidô manſerunt hoſpite Caci
Incolumes, furtô polluit ille Jovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora ſonos.
Hic ne certa forent manifeſta ſigna rapinæ,
Averſos caudâ traxit in antra boves.

Martial. *l.* 5. *Epigr.* 65. *v.* 5.

Sylvarumque tremor tacitâ qui fraude ſolebat,
Ducere non rectas Cacus in antra boves.

Ovid. *l.* 1. *Faſt. v.* 551.

Cacus Aventinæ timor, atque infamia ſilvæ.

Sunt qui adfirmant, hunc Cacum Evandri fuiſſe ſervum, qui in eo loco Italiæ omnia latrociniô, & incendiô vaſtaverit, & ob id Vulcani filium appellatum. Ovid. *ubi ſupra, v.* 553.

Dira viro facies, vires pro corpore, corpus
Grande: pater monſtri Mulciber hujus erat.

Liv. *loc. cit.* ait, Cacum ictum fuiſſe clavâ. Accepit credo ab Ovidio, qui *v.* 575.

Occupat Alcides, adductaque clava trinodis
Ter quater adverſi ſedit in ore viri.

Dionyſ. quoque,

Μεγέθει αὐτὸν τῷ ῥοπάλῳ κτείνει.

Sed Virg. *loc. cit.* eum conficit *telis, vaſtiſque molaribus, ac ramis.* Unde Propert. *loc. cit. v.* 15.

Mona-

Mænalio ſuccuſſi pulſat tria tempora ramo
Cacus ——

Juvenalis *Sat.* 5. *v.* 125.

Ducere plantâ, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere foras.

Habuit ex Virgilio, *l.* 8. *Æn. v.* 264.

—— *Pedibuſque informe Cadaver*
Protrahitur. ——

Nic. Lloydius. Caeterum, habitaviſſe locum, ubi poſteà Trigemina fuit porta, notat Solin. c. 1. *Quippe aram Hercules, quam vovera, ſi amiſſas boves reperiſſet, puniro Caco patri Inventori dicavit: qui Cacus habitavit locum cui Salinæ nomen eſt; ubi Trigemina nunc porta.* Vide ad eum Salmaſium *p.* 9.

CACUS, Mons Hiſpaniæ *Moncajo*, in Aragonia, prope confinia Caſtellæ, inter Turiaſſonem, Borjam & Agredam. Melius *Mons Caunus*, quod vide.

CACUTHIS, Indiæ amnis in Gangem fluens. Arrian. *in Indic.*

CACYPARIS, Siciliæ fluv. Thucyd. *l.* 7. Ita dictus, ut putat *Bochartus*, à ſinu magno, in quem ſe infundit, prope *Ptolemæi Magnum angeor*, *longum promontorium.* Punicè enim Cacyparis videtur eſſe חיק כביר *chec cabir*, i. e. *ſinum magnum.*

CACYRON, Siciliæ urbs mediterranea, *Ptol.* hodiè *Caſſaro.* Verſùs Auſtrum. In valle Netina. Principatus titulò clarum. 8 milliar. ab ora maris Ionii, totidem à Syracuſis in Occaſum.

CADALOUS, vel CADOLUS, Epiſcopus Parmenſis, homo impius, Antipapa Alexandro II. oppoſitus, ſub nomine Honorii II. Copiis contractis Romam properavit, ſed à Duce Godofredo pulſus, Parmam rediit. Mox à ſeditioſis quibuſdam revocatus templum Vaticanum occupavit. Sed denuò victus, inque arce S. Angeli obſeſſus, vitam pecuniâ redemit. Obiit, Conciliò Mantuanò prius condemnatus, A. C. 1064. Leo Oſtienſ. *l.* 3. *c.* 20. Platina *in Alex.* II.

CADARA, inſul. ingens rubri maris, cujus objectu vaſtus efficitur ſinus undecim dierum & noctium remigiò navigatus Ptolemæo Regi quando nullius auræ recepit afflatum. Plin. *l.* 9. *c.* 3.

CADAVER, à *cadendo*, Latinis Græciſque, quibus πτῶμα dicitur. Quod videre propinquis aliiſque olim nefas, attrectare, piaculum habitum. Vide infrà ubi de *Funebribus* ac *Morticinis.* Hinc *Cadavera* hoſtium ſepulturâ arcendi aut canibus laceranda objiciendi, conſuetudo, atrox, ac vetus eſt. Ita enim jam Homerus *Il.* α. *v.* 4.

—— αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι.
—— *Ipſos verò prædam objecit canibus*
Volucribuſque carnivoris omnibus.

Et *Il.* ψ. *v.* 174.

Δώδεκα μὲν Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς,
Τοὺς ἅμα σοὶ πάντας πῦρ ἐσθίει. Ἕκτορα δ' οὔτι
Δώσω Πριαμίδην πυρὶ δαπτέμεν, ἀλλὰ κύνεσσι.
Duodecim quidem Trojanorum magnanimorum filios egregios,
Quos tecum omnes ignis devorat. Hectora verò neutiquam
Dabo Priamidem igni depaſcendum, ſed canibus.

Quamvis Sapientibus idem ſepulchrum. Petronius. *At enim ſi fluctus obeunto non contingit ſepultura, Tanquam interſit perituro, corpus quæ ratio conſumat, ignis an fluctus, an mora. Quidquid feceris, omnia hæc eodem ventura ſunt. Feræ tamen corpus lacerabunt. Tanquam melius ignis accipiat.* Crudele enim, ultra mortem ſævire. At non vetuſtò ſolùm ævò, ſed & recentiori, per varias contumelias id factum ſæpius. In *Hiſtoria Saracenic.* Georgii Elmacini *l.* 2. *c.* 2. *Ibi Omnia effudit atque combuſſit* Abdalla. Et mox, *profectus Ruſapham, ſepulchrò eruit Hiſpanum* —— *& centum atque viginti plagas eum cecidit, donec caro ejus diſpergeretur, quam deinde collectam igne combuſſit.* Hiſtoriæ Principum apud Romanos, Pontificumque notiſſimæ. Inprimis memorabilis rigor in Phocæ Tyranni *cadaver*, licet ſine dubio pejora meriti; exercitus juſſu Heraclii Imperat. apud Nicephorum Gregor. qui ludibriis illud innumeris expoſitum prolixè refert: cujuſmodi exempla in Græca ejus Imperii Hiſtoria ubique occurrunt, ut pluribus dicemus infrà, in voce *Tractio cadaveris*, vide etiam *Caro humana.* Quantò humanius Athenienſes, qui hoſtium cadavera ſepulturâ neutiquam negârunt. Unde Statius *Theb. l.* 9. *v.* 518.

—— —— —— *ubi Cecropiæ poſt prælia flammæ?*
Theſeos ignis ubi eſt?

Ubi vetus Scholiaſtes, *Morem*, ait, *Athenienſium tangit, qui hoſtium cadavera non negabant ſepulturæ, inſtituente Theſeò?* Et Romam apud ipſos damnatorum quoque *Cadavera* non facilè negata fuiſſe petentibus, niſi in crimine Majeſtatis maximè, ut & iis qui relegati aut deportati fuiſſent in Inſulam, ex Reſcriptis Auguſti, Severi & Antonini Caracallæ, docent *Ulpianus* & *Martianus*: quod hâc tamen reſtrictione capit Barthius, ut iſti in loco obitus ſepeliri quiverint, alibi non, ſine Reſcripto &c. Imo & quibuſlibet petentibus danda cenſuit Paulus JCtus. Et Diocletianus ac Maximianus Imperatores ita reſponderunt, *Obnoxios criminum dignè ſupplicio affectos ſepulturæ tradi non vetamus.* Vide *L.* 2. *Cod. de Relig.* Quod legi divinæ Hebræis datæ, ut omnis virtutis, ita & humanitatis Magiſtræ conſonum, quæ illos ipſos, qui ſuſpenſi patibulo erant (quod maximopere ignominioſum cenſebatur, vide Numer. c. 25. v. 4. Deuteron. c. 21. v. 23. 2. Sam. c. 21. v. 26.) eodem die ſepeliri jubet, vide plura in hanc rem, apud Hug. Grotium *de Jure Pacis & Belli l.* 2. *c.* 19. ut & hic paſſim, inprimis ubi de *Aſini Sepultura* & in voce *Inſepulti.* De *Cadaverum* verò cura, hic infrà.

de CADAVERE cibum ſumere, prohibitum Chriſtianis, docet Auguſtin. contra *Fauſtum l.* 32. Vide infrà, ubi de *Morticinis.*

CADAVERUM Cura, apud Romanos Græcoſque. Corpus defuncti, poſtquam ſolenni ritu oculi ejus clauſi eſſent, per intervalla conclamabatur primò, quod apud Græcos fiebat magnò æneorum vaſorum fragore, an ad Lemures Furiaſque arcendas, an ad jacentem, ſi fortè lethargò tantum conſopitus eſſet, excitandum? Poſteà naulò Charontis & offâ Cerberi ori inditâ, oculis iiſdem faſciâ obvelatis, vultus mortui panno cooperiebatur, quod officium proximis incumbebat. Hinc Hippolytus apud Euripidem, *v.* 148. ſic patrem moriturus alloquitur.

Κρύψον δέ μου πρόσωπον ὡς τάχος πέπλοις,
Operi verò meam faciem quàm celerrimè peplis.

Imò tota cadaveris extendendi velandique cura ad proximos ſpectabat: quæ cauſa, quod Caſſandra apud Euripidem Græcorum, procul à patria morientium, conditionem, Trojanorum, qui in Patria occubuerunt, longè poſtponit, cùm ait:

Χερσὶ περισταλέντες ὧν ἐχρῆν ὕπο:
Manibus compoſiti, quorum id officii erat.

Cùm Pater moriebatur, aut mater vidua, liberorum id erat: Eurip. *Medeâ v.* 1036.

Καὶ κατθανοῦσαν χερσὶν εὖ περιστελεῖν,
Et fatò functam manibus ritè componere:

de liberis loquens. Marito demortuo id officii genus uxor exhibebat: fratri ſoror. Dein à propinquis ac affinibus calidâ aquâ abluebatur, & unguentis ungebatur. Virgil. *Æn. l.* 4. *v.* 683.

—— —— *Date vulnera lymphis*
Abluam.

Ad quæ verba Servius: *Lavare*, inquit, *cadavera proximis concedebatur.* Qui autem cadavera ungerent, *Pollinctores*, Græcis Κατα-γεῦται dicebantur. unde Nonius Marcellus, *Pollinctores ſunt, qui mortuos curant.* Apud Græcos, hi corpus eviſceratum calidâ abluebant aquâ, labrô ad id in loco ſacro aſſervari ſolitô uſi: qui ritus, λουτρὰ πανύστατα Electræ apud *Eurip.* i. e. *lavacra noviſſima* dictus; tam habebatur neceſſarius, ut Socrates cicutam hauſturus apud Platonem aquis prius corpus ablueret, ne poſt mortem id negotii faceſſeret pollinctoribus. Et Alceſtis apud Euripidem *v.* 158.

Ἐπεὶ γὰρ ᾔσθεθ' ἡμέραν τὴν κυρίαν
Ἥκουσαν, ὕδασι ποταμίοις λευκὸν χρόα
Ἐλούσατ'.
Poſtquam ſenſit diem deſtinatam
Advenientem, aquis fluvialibus candidam cutem
Abluit.

Fœminis autem id proprium apud Græcos, quæ ſi non in promtu erant, tum aliis munus hoc concedebatur. Sic apud Galen. *de Meth. medend. l.* 13. *c.* 15. à Cyniciis ablutum legimus Theagenis cadaver. Lotum ritè corpus unguentis inungi mos, ambroſiâque caput ac vultus perfundi. Homerus de Sarpedone *Il.* π. *v.* 670.

Χρῖσόν τ' ἀμβροσίῃ ——
Atque unge ambroſiâ.

Quò factô, ablutum unctumque candidâ vel albâ induebatur veſte, togâ nempe, ut Lipſius vult: *Nam*, inquit, *cadavera in honeſtiſſima veſte efferri mos erat: quæ in vulgo civium & in tacito funere toga vulgata fuit, in Magiſtratibus toga prætexta, in Cenſoribus purpurea tota.* Apud Græcos cadaver involvebatur mundò amiculò, diu ante, vel ab uxore, vel ab aliquo proximorum hunc in finem confectò; quod ſuas Κειρίαις *faſciis*, quibus manus pedeſque vinciebantur, habebat: ut de Lazaro quoque legimus Johannis *c.* 11. *v.* 44. Hinc Apuleius *l.* 10. *Feralibus*, inquit, *amiculis obſtrictus.* De colore tamen dubium, ſunt enim qui feralis hujus amictus colorem apud Græcos quidem album, nigrum verò apud Romanos fuiſſe contendant. Sic curatum cadaver porrò ſertis coronabatur, tanquam miſeriarum vitæ hujus Olympionices, eique placenta indebatur, quod non minus, ac ſerta, victoriæ præmium, apud Græcos fuit. Quò alludens apud Euſtathium *de Iſmen.* πῶς σε καταστεφανώσω τοῖς δάκρυσιν, *quomodo coronabo te lachrymis?* ad filium, Pater inquit. Ita ergo corpus ablutum, unctum, indutum ac coronatum hunc, in lecto, ad januam deponebant, qui ritus *Collocatio* à Romanis dictus à filiis vel hæredibus ſolebat peragi: idque hôc modô, ut corpus demortui foris ſpectaret & facie pedibuſque eſſet in publicum verſis; fortaſſe eô ſitu abitionem illam poſtremam ſignificantes. Hinc Perſius, *Sat.* 3. *v.* 103.

—— —— *Tandemque beatulus altò*
Compoſitus lectò, craſſiſque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit ——

Græci hanc ceremoniam verbô προτίθεσθαι expreſſerunt, & nomine πρόθεσις. Unde Empedocles.

—— Καὶ προὔθεντο νεκρὸν,
Et collocabant mortuum.

Vide quoque infrà, verbo *Collocare* it. *Poſitio.* Interim cupreſſus, teſte Sextô Pompeiò, quæ arbor exciſa renaſci non ſolet, apud Romanos, in veſtibulo demortui affigebatur, ne quis imprudens funeſtam domum, rem divinam facturus, introiret: quod tamen ſerò, & non niſi apud divites, invaluiſſe, notat Scaliger, & colligitur ex illo Lucani, *l.* 3. *v.* 442.

Et non plebejos luctus teſtata cupreſſus.

Statuebatur inſuper in domûs aditu ingens vas fictile, aquâ aliunde petitâ repletum, *Heſychio* γοργὼ, *Ariſtophani* ὄργανον, *Polluci* ἀρδάνιον, *Euripidi* πηγαῖον χέρνιψ. dictum, ut qui ingrederentur vel egrederentur, ſe abluendi commoditatem haberent: quem ritum λιπαρὸν ἀπὸ ἐσχάρας ſeu ῥαντίζεσθαι ἀπὸ ἐσχάρας vocârunt. Cujus locô ſuffitione Romani uſi ſunt; utrique enim contaminatam crediderunt domum, ubi cadaver hominis jaceret. Confer in ſacris Numer. c. 19. v. 11, 12, 13. Unde apud Euripidem Helena, v. 1446.

Καθαρὰ γὰρ ἡμῖν δώματ', ἐν γὰρ ἐκβαλεῖν
Ψυχὴν ἀφῆκε Μενέλεως ----
Pura enim nobis ædes. Namque non alibi
Animam reliquit Menelaus.

Simul apparabantur ea, quæ ad funus neceſſaria erant. Vendi illa apud Romanos ſolebant, in templo Libitinæ, quæ eadem cum Venere fuit: unde *Libitinarii* dicti, qui funera curabant, & pyram, ſi cremandum foret *cadaver*, lignis aliiſque rebus pro defuncti conditione inſtruebant, &c. Hactenus apparatus exequiarum, quem Græci Συγκομιδὴν dixêre. Ubi ita ſeptem dies in ædibus cadaver ſervatum fuiſſet, die octavô, per præconem populus ad exequias vocabatur, his verbis: EXEQUIAS L. TITIO L. FILIO QUIBUS EST COMMODUM IRE JAM TEMPUS EST, OLLUS EX ÆDIBUS EFFERTUR. Hinc *Funus indictivum* Feſto. ad quod poſtquam populus conveniſſet, lectô conſtratô aut linteis ſplendentibus & in eo defuncti corpore collocatô, poſt ultimam conclamationem, ad ſepulturam, Græcè Ἐκκομιδὴν, ſe accinxêre. De die autem id fiebat, unde Caſſandra in *Troadibus* v. 446. ad tanquam infauſtum præcipit Talthybio,

Κακὸς κακῶς ταφήσῃ νυκτὸς, οὐκ ἐν ἡμέρᾳ,
Malus malè ſepelieris nocte, neque interdiu.

Et quidem apud Græcos, poſtridie ſtatim collocationis, ante Solis ortum, *Il.* ζ. v. 175.

—— —— ὡς ἐφάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς,
—— —— Ut primùm aurora refulſit.

Apud Romanos autem efferebatur cadaver, tubicine ſeu tibicine præcedente, qui næniam funebrem, laudes ac res geſtas defuncti continentem, non ſaltabundus, ut olim, ſed ſtans Phrygiô modulô canebat. Præficæ quoque ante demortui domum ad numerum lamentabantur, reliquis lugendi modum præeuntes: ritu etiam aliis gentibus uſitatô, hinc מקוננות Iſraëlitarum, de quibus vide Jerem. c. 9. v. 16. Ἀοιδοὶ, θρήνων ἔξαρχοι & παραβαλλουσαι Græcorum, &c. Quare Macrob. *l.* 2. *in Somn. Scipion. c.* 3. *Mortuos*, inquit, *quoque ad ſepulturam proſequi oportere cum cantu, plurimarum gentium vel regionum inſtituta ſanxerunt, perſuaſione hâc, quia poſt corpus anima ad originem dulcedinis Muſicæ, i. e. ad cælum redire credatur.* Sed πρὸς αὐλὸν *ad tibiam*, unde Τυμβαῦλαι tales dicti, non verò πρὸς λύραν, *ad citharam*, canere tum licebat, quia hæc, utpote Apollini ſacra, Pæanibus ſolùm lætiſque hymnis inſerviebat. Sic pompa funebris procedebat, & cadaver efferebatur, (apud Athenienſes per portam Ἠρίαν, ſeu ἱερὰς πύλας dictam,) & quidem ditiores lectis efferebantur, tenuioris verò fortunæ homines capulis ſive feretris, ut *Servius* notat: utique pro dignitate quàm ſcitiſſimè compti ac exornati. Deferendi feretrum propinquioribus virilis ſexus dabatur munus. Itaque filii, interdum parentes, & fratres ſorores elatas funere deferebant: nonnunquam ſervi libertate donati, plerunque Senatorii, Prætorii, ac Conſulares, quique ampliſſimis functi erant honoribus, Imperatorum ac Conſularium virorum feretra detulerunt. Quare Pauli Æmilii, qui de Macedonia triumphavit, legati Macedonum, & Syllæ Dictatoris feretrum Senatores, ac ſacræ virgines extulerunt, & Metello filii tres Conſulares, duo triumphales, unus Cenſorius, & alter Prætor, lectum ſubiêre. Qui fortunæ erant tenuioris, à Veſpillonibus portabantur. Græci ſuos hic habuêre νεκροθάπτας, quorum meminit Euripides in *Alceſte*, v. 607. qui idem in *Rheſo*, hunc efferendi ritum θορύβου πομπὴν vocat. Dum efferebatur, inſignia honorum, quos defunctus geſſiſſet, faſces, lictores armaque & dona militaria, coronaſque omnis generis, quas in vita meruit, vexilla atque urbium dona & legionum, ſpoliaque hoſtium, ac munera quæ quis daturus erat, expreſſoſque cerâ vultus & decora Majorum totiuſque familiæ longô ordine ſimulachra in oblongis perticis ſive haſtis præferebant ab ultima origine, quanto cum poterant apparatu. Si quis violentâ periiſſet morte, in pugna imprimis, arma ejus ſimul efferebantur: Hinc de Arcadibus, Pallantem efferentibus, Virg. *l.* 11. *Æn.* v. 91.

—— Haſtam alii, galeamque ferunt.

Idque cuſpide deorſum ſpectante. Unde idem ibidem v. 93.

—— —— Et verſis Arcades armis.

Corpus elatum præcedebant ſervi à defuncto manumiſſi ac libertate donati, illi imprimis, qui fide præ reliquis in herum erant notæ. Hi pileati, aut albâ lanâ capita velati, lachrymis funus deflebant. Feretrum ſequebantur liberi, propinqui, affines, atque alii amici lugentium habitu, capillô demiſſô, in veſte pulla. Ac filii quidem velatis, filiæ nudis capitibus paſſiſque crinibus incedebant, albô veſtitu; Sequebantur reliqui, qui funeris deducendi causâ confluxêre: atque apud Græcos partim pedibus, partim vehiculis. Apud quos viri feretrum præcedere, fœminæ ſequi, illi candidâ veſte ſertiſque ornati, ſi illuſtre funus eſſet: hæ peplô quæque ſuô obvelatæ, ſolebant. Apud Romanos, ferebatur defunctus, ſi ſplendidi generis ac meritis in Rempubl. inſignis fuiſſet, primum in Forum, ubi Oratione funebri honorabatur: dein procedebat ſuum ad locum, ubi mortuus ſepeliendus vel cremandus erat. Et antiquitus quidem domum ſuam referebatur, ibi ſepeliendus. Unde Virg. *l.* 6. *Æn.* v. 152.

Sedibus hunc refer antè ſuis: & conde ſepulchro.

Poſteà verò, ex lege XII. Tabb extra urbem cum mauerer; ubi vel in agris ſuis tumulabantur, vel in viis extra portas ſepulchra habebant: quibus locum deſignabant vel Augures, vel Pontifices. Qui verò cremandus erat, quâ ceremoniâ fuerit compoſitus, vide infrà, in *Cremandi ritu*: Et de tota cadaveris funerandi cura Joh. Roſin. *Antiq. Rom. l.* 5. *c.* 39. P. Bellonium ac P. Victorium *Var. l.* 10. *c.* 6. Jo. Kirchmannum *l.* 1. *c.* 8. & *ſeqq.* Franc. Roſſæum *Archæologia Att. l.* 5. *c.* 16. *& ſeqq.* &c. nec non infrà, in voce *Sepultura*. Adde Demſterum, cadavera pauperiorum olim inſepulta in puteos abjecta; divitum in domibus ſuis condita: communiter poſteà in viis publicis; Principes autem demortuos in montibus aut ad montium radices ſepultos fuiſſe. Unde Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 850.

---- ---- Fuit ingens monte ſub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum.

Et Lucanus *l.* 8. *v.* 695.

Et Regum cineres extructô monte quieſcant.

Hinc quoque Aurelius Victor *in Orig. Gentis. Rom. c.* 18. de Aventino Sylvio loquens, ait: *Sepultus circa radices montis, cui ex ſe nomen dedit.* Idem apud Græcos obtinuit, ut in excelſis locis Principes conderentur, plebs verò depreſſioribus tumulis contenta eſſet, uſque ad tempora Cecropis, & quæ illum diu ſequuta ſunt: donec Cœmeteria duo Athenis conſtituta ſunt, dicta Κεραμεικοὶ, ὁ μὲν ἔσω, ὁ δὲ ἔξω τῆς πόλεως, *Ceramici duo, quorum unus intra, alter extra muros erat:* in quorum illo, quem *Thucydides* δημόσιον vocavit σῆμα, publicô ſumtu recondebantur, qui pro patria occubuiſſent: iſte in certas portiones ac ſepta diviſus plebem capiebat; & locus ſuperat erat, ubi ſcorta proſtabant. Quòd ſi aliquis peregrè abiiſſet, *cadaver* melle perungebatur, ne corrumperetur, antequam domum referri poſſet: quod de Ageſipoli Lacedæmoniorum Rege, narrat Xenophon *Hiſt. Græc. l.* 5. Etiam cerâ cadavera eâdem fini oblinebant, ut de Perſis refert Cicero *Tuſcul. quæſt l.* 1. *ad fin.* quod in melle ingeſta factum eſſe, colligitur ex Corn. Nepote in *Ageſilao, c. ult.* Cedriâ quoque conſervata fuiſſe cadavera, docet Plinius *l.* 16. *c.* 11. Hôc modô delibuta cadavera ornabantur, coronabanturque, ac ſi viverent, imò & menſis adhibebantur; quem morem in Principum Chriſtianorum aulis adhuc vigere videmus: apud Ægyptios iiſdem ornamentis, quibus vivens utebatur, ſimulachrum defuncti indutum tumuloque vitreo illatum, Herodotus *l.* 3. narrat; poſtquam videl. more patriô conditum cadaver eſſet, de quo vide aliquid ſuprà, ubi de *Ægyptiaca ταριχεία* & infrà, voce *Grammaticus*. Barbarus verò mos Magorum ac Hircanorum, quibus *cadavera* ſuorum, niſi priùs à canibus laniata eſſent, tumulari fuit nefas. Vide Auctores ſuprà memoratos, ut & in voce *Apotheoſis*. Apud Chriſtianos ſui ævi quid circa hæc moris fuerit, Auctor *Hierarchiæ Eccl.* Dionyſii nomine, *c. ult.* ſic enarrat, *Propinqui ejus qui mortuus eſt --- victoriæ auctori gratias cum cantu agunt & prætereà ſibi ſimilem requiem optant. Sumptum eum ad Antiſtitem portant, quaſi ad ſanctarum coronarum donationem Ille autem eum libenter accipit --- ſique erat ordinis Sacerdotum, quum ante ſanctum altare eum poſuit, Deum precari incipit, eique gratias agere. Sin autem ſacris monachis ſanctove populo annumeratus erat, eum ad --- ſacrorum ante Sacerdotum introitum collocat: dein perficit ſacram ſolenne precationem, quâ agit Deo gratias pontifex: deinceps Miniſtri promiſſa vera quæ feruntur in ſcriptis divinis de ſancta noſtra reſurrectione, recitant, ſanctè canunt cantus pſalmorum, qui ejuſdem rationis ſunt atque idem valent. Tum Miniſtrorum primus catechumenos dimittit, ſanctoſque qui jam dormierunt, ἀνακηρύττει prædicat, cum quibus pari laudatione dignum judicat eum, qui paulo antè exceſſit è vita hortaturque omnes, ut beatum in Chriſto finem petant. Tum accedens divinus Antiſtes et ſanctiſſimas preces adhibet; quibus ritè perfectis & ipſe eum, qui è vita migravit, ἀσπάζεται, ſalutat*, ſeu oſculatur; *& ſecundum eum omnes, qui adſunt*, ex verſione Perionii. Vide hunc Dionyſii locum eruditè illuſtrantem Deſid. Heraldum *Animadverſionibus Arnobianis l.* 4. ubi unctum poſt hæc demortuum, & ἐν θήκῃ repoſitum, ex eodem addit.

CADAVUS, amnis Luſitaniæ, *Cadavo*. Oritur verſùs confinium Gallæciæ, alluitque Bracaram urbem, & Borcalum oppid. in Oceanum ſe exonerat. *Sanſoni* & *Cluſio* eſt Celandus, quod vide.

CADEMOTH, i. e. *antiquitas*, vel *priores*, vel *orientales*, nomen ſolitudinis. Deuteron. *c.* 2. *v.* 26.

CADENA, regia in urbis modum inſtructa in montibus Lycaoniæ, Strabo *l.* 12.

CADENACUM, oppid. Galliæ, in Cadurcenſi provinc. in cujus viciniis ſitum Uxellodunum Cæſaris, *l.* 8. *Bell. Gall. c.* 32. quod nunc in ruinis. Ad Oldum ſeu Lotum fluv. in limite Ruthenenſis provinc. 2. leuc. à Figeaco. 9. à Cadurco in Ortum.

CADERE, maximum olim Aurigarum, in Circenſibus, dehoneſtamentum fuit; unde id maximè Antagoniſtas egiſſe, ut adverſarios præcipitarent è curru, diſcimus ex Statio *Theb. l.* 6. *v.* 474.

Hic anceps fortuna diu decernere primum
Auſa vices. ruit Hæmonium, dum ſtrvidus inſtat
Admetum ſuperare Thoas, nec pratulit ullam
Frater opem. vult ille quidem, ſed Martius antè
Obſtitit Hippodamus, medioſque immiſit habenas.

Atque hinc Dio Chryſoſtomus *Orat.* 32. ἤδη δὲ τῶν μὲν τῶν ἡνιόχων τινὰ ἐκπεσόντα ἐν τῷ δρόμῳ, ἄφωνον κείμενον, καὶ συντριβέντα πρὸς τὴν γῆν, αἰσχρὸν δὲ ἐκπίπτοντα ὑπὸ τῶν ἵππων τῶν ἀντιπάλων, καὶ τὸ ἆθλον τὸν ἐκπεσόντα φέρε-

ϑεωρίζειν. *Nunc quidem aurigam aliquem cadere de curru, grave judicatis, imò calamitatem omnium maximam; at cum ipſi excidatis decore ac dignitate veſtrâ, curam non habetis.* Quæ confer, ſi placet, cum doctis ingenioſiſque Hendecaſyllabis Sidonii in *Narbone*; qui ſtudium inſanum in Spectaculis vulgi, etiam, afflictis illis temporibus, indicat obiter, deditâ verò operâ *Salvianus*, qui, ſpoliatis exhauſtiſque à Barbaris civitatibus, cùm Imperatores aliqui ſuccurrere vellent, dementes homines ante omnia Circenſes poſtulâſſe ſcribit. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium l.* 3. *p.* 529. Sed & excuſſo Aurigâ, principatu Claudii Cæſaris, *quadrigas ejus currus æmulos non minus aſtu, quàm velocitate, prævertiſſe, & poſt decurſa legitima ſpatia, ad locum palmæ, ſponte conſtitiſſe, velut victoriæ præmium poſtulantes*, tradit Solinus c. 45. Vide quoque infrà in voce *Ratumena*.

CADERE ter, in Luctâ Veterum, victi erat. Omnis enim luctæ ratio ad victoriam in eo conſiſtebat, ut adverſarius ſtans & erectus dejiceretur, ac ſolo illideretur, quod πίπτειν propriè Græci dixêre. Unde ἀκαταβλήτους ἐδραστρόφους luctatores vocantur Theocrito in Ἡρακλίσκῳ, quòd illorum eſſet *ſupplantare ac ſubvertere*: qua in arte Argivi olim primi habiti. Non niſi autem ter dejectus ab adverſario, victus cenſebatur. Seneca *de Benef. l.* 5. *c.* 3. *Curſor metam prior contingit. velocitate alium, non animô antecesſit. luctator ter abjectus perdidit palmam; non tradidit.* Unde in *Epigramm.* veteri, Milo, qui, cùm in certamen luctæ deſcendiſſet, nec antagoniſtam repériſſet & vocaretur ad accipiendam palmam, fortè *cecidit*, & propterea indignus coronâ haud paucis viſus eſt,

> Αὐτὸς δ' ἐν σκάμματι ὀλισθήσας, ἔπεσε...
> [illegible]

Οὐχὶ τρὶς ἔπεσον, ſubintellige πτώματα, *ſemel cecidi, non ter*, exclamavit. Cæterùm, inquit, ſi quis eſt, qui me victum pronuntiare auſit, accedat & quod reliquum eſt ad victoriam de me reſerendam, peragat, & cùm jam ſemel ceciderim, bis me dejiciat, τρία ſint πτώματα, victuſque ſic videri poſſim. Atque hoc dicebatur τριάξαι & ἀποτριάξαι, *tribus dejectionibus aliquem ſuperare*. Gloſſ. Grammat. Τριαχθῆναι λέγονται οἱ παλαιστρικοί, ὅτι τὸ τρὶς πεσεῖν. Et Heſych. ἀποτριάξαι, τρεῖς πληγὰς δοῦναι, imò *ter dejicere aut tres ictus infligere, qui adverſarium proſternant*. Sed hac de re infrà dicemus plura, in voce *Sternere*. Πτώματα itaque & κυλίσεις magnoperè cavebantur Luctatoribus, at contrà affectabant illos Pancratiaſtæ, in qua arte, non qui *cadebat*, victus erat, ſed qui prior animum deſponderat. Unde Pindarus *Iſthm. ode* 4. pancratiaſteo, qui arte ſolâ majorem viribus adverſarium vicit, comparat vulpi, quæ aquilæ impetum ſuſtinet ac repellit, ἅτ' ἀναπιτναμένα, quaſi *ſupina cadens*. Nempe in pancratio *cecidiſſe* ac ſuccubuiſſe erat artis, humique volutati nexus ſuos expediebant impediebantque (Græcè συμπλοκάς, item τὰς χαμαὶ ἀγῶνας) & viribus ſuperiores adverſarios ſæpenumero, arte hâc κυλιστικῇ ſeu *volutatoriâ*, ſuperabant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 190. *& ſeqq.* nec non infrà paſſim, inprimis ubi de *Luctâ, Pancratiaſmo & Volutatoria pugna*. Uti verò in luctâ, ſic & in *Curſu* ter vincendum fuiſſe, dicemus ſuô locô.

CADES, i. e. *ſanctitas*, aliàs *Cedaſa*, urbs eſt Tyriorum agro, & regioni Galilææ propinqua, 1. Machab. c. 11. v. 61. Joſeph. *l.* 13. *Ant. Jud. c.* 8. *& l.* 2. *Bel. c.* 19. Eſt in tribu Aſer.

CADES, urbs in finib. Edom, ubi principes Amalec à Chodorlahomor cæſi ſunt, à qua & adjacens ſolitudo appellatur *deſertum Cades*.

CADES-BARNEA, i. e. *ſanctitas filii inſtabilis*, aut *frumenti vel puritatis commotæ*. civitas regionis Moabitarum, limes terræ ſanctæ. Deuteron. c. 1. v. 2. Alius locus in deſerto Pharan.

CADETES, populi Galliæ Celticæ inter civitates Armoricas in Britannia minore quorum oppid. *Chaſteau Briant*, inter Andegavos, & Rhedones. Lege *Caletes*, quod vide. *Baudrand*

CADI, apud Perſas & Turcas quinam? vide infrà *Muſlimi*; it. *Cadini*.

CADI, Phrygiæ urbs, quamvis nonnulli ad Myſiam dicant pertinere. Strabo *l.* 12.

CADI, urbs Lydiæ, memorata Propertio, *l.* 4. *El.* 6. *v.* 7.

> —— *carmenque recentibus aris,*
> *Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.*

CADI, tollenonibus ſuſpenſi, aut trochleis è puteo per funes tolli ſoliti. Vide infrà, ubi *de Tollenonibus* &c.

CADIANA, apud *Amm. Marcellin. Tabiana Ptolemæo* eſt, *Tibiana* aliis, Inſul. una ex tribus Inſulis, quas in Perſide memorat uterque, præter quam & Phara ibi & Alexandri Inſul. de quibus vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1182.

CADICIA, uxor Scevini, poſt eadem mariti ob conjurationem cum Piſone, à Nerone Italiâ prohibita. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 71.

CADILLACUM, oppid. Aquitaniæ in Burdegalenſi agro, cum caſtro cultiſſimo. Caput Comitatus Benalgii, juxta Garumnam fluv. 4. leuc. ſupra Burdegalam, totidem à Vaſato.

CADISCUS, mons Cretæ, Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Capo Buſca*.

CADISCUS, Græcè Καδίσκος, urna in quam immittebantur calculi per τὸν κημόν, cùm ſuffragia ferrent Judices. Non enim hi manu ſuâ calculos, quibus ſuffragia ferebant, in Judicialem urnam conjicere conſuevêre: Sed per vaſculum oblongum, vimine textum: eos demittebant in *Cadiſcum*, quaſi per colum vel infundibulum. Quod poſteà in ludum aleatorium migravit, ubi pyrgus, in quem teſſeræ mittebantur, urnæ vicem obtinebat & in parte alveoli reſidebat, crebris intus gradibus exſculptis, per quos teſſeræ ſaltantes in tabulam effunderentur &c. Vide Salmaſ. *ad Flav. Vopiſc. in Proculo. cap.* 3.

CADILESCI, quinam Turcis dicti. vide infrà *Muſlimi*.

CADISTUS, mons Cretæ, memoratus Solino c. 11. ubi de Creta Inſul. *Albet jugis montium, Dictynæo & Cadiſti, qui ita emicant diſtant, ut eminus navigantes magis putent nubila*; ubi vulgo *Cadiſcum* legitur, ſed libri omnes *Cadiſti* habent, teſte Salmaſiô *ad Solin. p.* 171. qui idem, Solinum, quod proprium Alborum fuerit in Creta montium, ad Dictynnæum & *Cadiſtum* perperam tranſtuliſſe, monet. Certè *Ptolemæo* inter famoſos Cretæ montes, τὰ Λευκὰ ὄρη καλούμενα, Ida & Dicte: quibus id nominis impoſitum, quòd juga illorum nix nunquam deſereret. Vide quoque Theophraſtum *Hiſtor. Plant. l.* 4. *c.* 1. & Plin. *l.* 16. *c.* 33.

CADIUS, vulgo CADI, Judex, Præfectus apud Turcas & Saracenos, Meurſius in Κάδιος, *Cadinus* corruptè habet Matthæus Pariſius in *Hiſtor.*

CADIUS Rufus, lege repetundarum, accuſantibus Bithynis, damnatus ſub Claudio. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 22. Reſtitutus Senatorio ordini ab Othone *Hiſt. l.* 1. *c.* 78.

CADME, vide *Priene*.

CADMEA, fuit arx Thebana, à Cadmo, Agenoris Phœnicum, & Tyriorum Regis filio conditore ſic dicta, quam pro Thebis ipſis antiqui uſurpare ſoliti ſunt. Strabo *l.* 9. *Stephanus* quoque Carthaginem olim *Cadmeam* dictam ſcribit.

CADMEI, ſeu CADMII, & CADMEIONES Thebani ſunt. *Steph.*

CADMEIA, ſive CADMEIS, olim vocabatur, quæ nunc *Bœotia*. *Steph.*

CADMELUS, Mercurii cognomen. Nonnus *Dionyſ.* 4. Οὐδὲ μάτην Καδμῖλος ἀείδεται. Fortè à *Chadama* quod Arabicè eſt *miniſtrare*.

CADMIA, quid ſit, lege apud Plin. *l.* 34. *c.* 10. Ibi paulo aliter, quàm Poſidonius refert, qui ſic habet apud Strab. *l.* 3. ἐν τοῖς ... Ποσειδώνιος, καὶ ὁ Κύπριος χαλκὸς ... φέρει τὴν Καδμείαν λίθον. Plin. autem, *Omnis, Cadmeia in Cypri fornacibus optima*. Et *Dioſcorides*. Καδμεία ἀρίστη μέν ἐστι ἡ Κυπρία. Deinde autem ejus Καδμείας mentionem facit, quæ ex Macedonia, Thracia, Hiſpania advehitur. *Nic. Lloydius*.

CADMUS, Agenoris fil. Phœnicum Rex. Alii eum è Tyro, alii autem è Sidone arceſſunt, quibus habenda potior fides, quia Cadmi ævô Tyrus nondum erat condita. Regis filium Græci faciunt, ut ſuo honori conſulant, quia regnâvit in Græcia; ſed hoc commentum refellunt Sidonii, apud Euhemerum Coum (Athen. *l.* 14.) Cadmum dicentes, cùm ſui Regis eſſet μάγειρος, i. e. *coquus*, cum Harmoniâ tibicinâ aufugiſſe. Id videtur veriſimilius; modò is cocus intelligatur qui Ebraicè dicitur, שר הטבחים, quales fuêre Potiphar & Arioch, & Nebuzaradan. Joſephus, & Græci reddunt ἀρχιμάγειρος. Familiam quod attinet, ex ipſo nomine colligimus, Κάδμον fuiſſe קדמוני *Cadmoni*: i. e. *Cadmonæum*, ex illis putà, de quibus agit Moſes, Gen. c. 15. v. 19. Hi porrò Cadmonæi cum Hevæis iidem erant. Neque obſcura ratio, cur Hevæi *Cadmonim*, i. e. *orientales* dicti ſunt, cùm Joſ. c. 11. v. 3. & 17. & Jud. c. 3. v. 3. legamus, eos occupaviſſe montem *Hermonem*, quæ pars erat Terræ Chanaan maximè Orientalis. Unde eſt, quòd pro Oriente *Hermon*, ut pro Occaſu *Thabor* habetur, Pſal. 89. v. 13. Cadmonæus igitur idem quâ Hermonæus. Atque hinc factum eſt, ut Cadmi uxor vocetur *Harmonia* vel *Hermione*. Nempe à monte *Hermone*, ex quo erant oriundi. Nec jam obſcurum, cur in ſerpentes fingantur eſſe mutati. Hevæi enim erant. Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 575.

> *Dixit: &, ut ſerpens, in longam tenditur alvum;*
> *Duratæque cuti ſquamas increſcere ſentit,*
> *Nigraque Cæruleis variari corpora guttis, &c.*

Dionyſius Periegetes, *v.* 390.

> Κεῖνον δ' ἂν περὶ κόλπον ἴδοις ἐρικυδέα τύμβον,
> Τύμβον, ἐν Ἁρμονίης Κάδμοιό τε φήμις ἐνισπεῖ,
> Κεῖθι γὰρ εἰς ὀφίων σκολιὸν γένος ἠλλάξαντο.

Nicander *in Theriacis*:

> Ἴσαι δ' ὡς Ἰλλυρίς ... Δρίλων καὶ Νάρονος ὄχθαι,
> Σιδονίου Κάδμοιο θεμείλιον, Ἁρμονίης τε,
> Ἔνθα δύω ... [illegible] δράκοντε.

Nonnus, *Dionyſiacôn quarto*, per modum prædictionis:

> Κάδμος ... [illegible]
> Ἁρμονίης ... [illegible]
> [illegible]

Libet hîc aliâs de Cadmo fabulæ priori non minus intricatæ rationem aperire. Ajunt ex ſerpentis dentibus à Cadmo diſſeminatis, ortos fuiſſe milites magnô numerô; quibus in mutuam perniciem ruentibus, ſolùm quinque ſuperſtites univerſam Bœotiam imperio ſuo ſubjeciſſe. Hâc fabulâ nihil ineptius. Hinc *Cadmea victoria*, Καδμεία νίκη, λέγεται ὑπὸ τῶν κακῶς νικώντων. Οἱ μὲν λέγουσιν ὅτι Θηβαῖοι νικήσαντες, ὕστερον ὑπὸ τῶν Ἐπιγόνων ἡττήθησαν. Οἱ δὲ ὅτι Οἰδίποδος ... [illegible] ... Τίθενται δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων, ὅτι Κάδμος ἀνελὼν τὸν τοῦ Ἄρεως ... [illegible] Suidas. Idem, Καδμείαν νίκην ... [illegible] Ἐτεοκλέους καὶ Πολυνείκους μονομαχησάντων, ἀμφοτέρους ἀπολέσθαι. Ἕτεροι δὲ φασιν ... [illegible] ... Sed bonò eſt, quod in illo, quicquid eſt reconditum, Phœnicius ſermo detegit. Rem paucis explicat Bochartus ὁ μέγας. Primò, inquit, Cadmus Hebræâ phraſi dicitur feciſſe milites, quos conſcripſerat. Sic 1. Sam. c. 14. v. 48. ויעש חיל *& fecit copias*, i. e. conſcripſit. At quorſum ex ſerpentis dentibus? Reſp. Phœniciâ linguâ quæ partim fuit Syra, partim Hebræa, שני נחש *dentes ſerpentis* erant *areæ Cuſpides*, quibus primus in Græcia Cadmus milites ſuos armavit. Is enim repertor æris. Hyginus c. 274. *Cadmus Agenoris filius æs Thebis primus invenium condidit*. Proinde lapis æroſus, ex quo fit æs, *Cadmia* dicitur, Plin. *l.* 34. *c.* 1. & 10. Jam, ut conſcripti milites ad numerum quinarium redigerentur, fecit ambiguitas vocis חמש, quæ

quæ pro ſoni varietate aut quinque ſignificat, aut eum, qui ad bellum expeditus, & accinctus eſt. Vide Exod. c. 13. v. 18. Utrem ut pauca conferam; De Cadmo veriſimile eſt ſuâ linguâ Phœnices in hunc modum ſcripſiſſe.

: עשה חיל חמש אנשים נשקים בשני נחש quæ verba ſic reddita ſunt. *Fecit exercitum quinque virorum, armatorum ex dentibus ſerpentis*, cum reddi debuiſſent, *Congregavit exercitum expeditum virorum armatorum cuſpidibus*, i. e. haſtis *æreis*. Tales enim olim haſtæ Græcorum. Ære ſcil. pro ferro priſci mortales utebantur. Porro idem Cadmus, aliud in Græcia ſui monumentum ære perennius reliquit, nempe literas, α. β. γ. δ. ε. ι. κ. λ. μ. ν. ο. π. ρ. σ. τ. υ. quas à Cadmo ſe accepiſſe Græci penè omnes agnoſcunt. Herodot. *l.* 5. *c.* 58. Οἱ δὲ Φοίνικες οὗτοι οἱ σὺν Κάδμῳ ἀπικόμενοι, &c. ἐσήγαγον διδασκάλια ἐς τοὺς Ἕλληνας καὶ δὴ καὶ γράμματα οὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι. Zenodotus de Zenone apud Laërtium.

> Εἰ δὲ πάτρα Φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος; ἦν καὶ ὁ Κάδμος
> Κεῖνος, ἀφ' οὗ γραπτὰν Ἑλλὰς ἔχει σελίδα.

Literas tamen in ipſâ Phœnice natas non crediderim, ſed à Syris, vel Aſſyriis ad Phœnices deveniſſe. Diodor. Sic. *l.* 5. Σύρους μὲν εὑρετὰς τῶν γραμμάτων εἶναι, παρὰ δὲ τούτων Φοίνικας μαθόντας τοῖς Ἕλλησι παραδεδωκέναι, τούτους δ' εἶναι τοὺς μετὰ Κάδμου πλεύσαντας εἰς τὴν Εὐρώπην. Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Literas ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe; ſed alii apud Ægyptios, alii apud Syros repertas volunt. Utrique* (*multum utrique*) *in Græciam intuliſſe è Phœnice Cadmum*. Joſephus *contra Apionem*, *l.* 1. contendit, literarum uſum apud Græcos Cadmô eſſe multò recentiorem: Οἱ γὰρ (inquit) ἀρχαιοτάτην αὐτῶν τὴν χρῆσιν εἶναι θέλοντες, παρὰ Φοινίκων καὶ Κάδμου σεμνύνονται μαθεῖν. Οὐ μὴν, οὐδ' ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου δύναιτό τις ἂν δεῖξαι σωζομένην ἀναγραφὴν οὔτ' ἐν ἱεροῖς, οὔτ' ἐν δημοσίοις ἀναθήμασιν. Additque poſt multam quæſtionem tandem conſtitiſſe, Græcos Trojani belli tempore adhuc ignoraſſe literas, atque id eſſe in confeſſo, nullum apud eos extare ſcriptorem Homerô antiquiorem. Nec deeſſe, qui Homerum ipſum aſſerant, poëmata ſua non ſcripſiſſe; ſed recitantium memoriæ commiſiſſe. Sed pleraque hæc planè falſa ſunt. Neque enim in Græcia deerant inſcriptiones, non Homerô ſolùm, ſed & Trojanô bellô vetuſtiores. Talis illa Amphitryonis, quam Thebis, in Iſmenii Apollinis templo, literis Cadmeis in tripode inciſam ſe legiſſe ſcribit Herodotus;

> Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν ἐὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.

Facta hæc ætate Laji, qui Cadmum habuit proavum. Ibidem legere eſt duas alias inſcriptiones penè ejuſdem ævi. Scriptores Græcos quod attinet, quamvis hodie nullus extet Homerô vetuſtior, tamen olim multi extiterunt, de quibus vide Bochartum *Geograph. l.* 1. *Chanaan. c.* 19. 20. Contrariô errore Tzetzes probare nititur Græcos habuiſſe literas, etiam ante Cadmum, duplici argumentô. Priore, quòd oraculo redditum fuit Cadmo.

> Φράζεο δή μοι μῦθον Ἀγήνορος ἔκγονε Κάδμε
> Ἠῶς ἐγρόμενος, &c.

Alterô argumento, quòd Bellerophon antiquior Cadmô ſcriptas tabellas de ſua cæde attulit. *Sed utrumque argumentum futiliſſimum eſt*, inquit illuſtris Scal. *ad Euſeb. Nam utrumque geſtum fictum eſt à Poëtis.* Potuit verò aliud regeri, nempe prius argumentum prorſus eſſe ἀναπόδεικτον. Oraculum ipſi Cadmo in Græcia redditum eſt, ergo literæ tunc temporis erant in uſu inter Græcos. Non ſequitur. Multi populi ante literarum uſum habuêre ſuos vates. In poſteriore argumento Tzetzes ſupponit rem falſiſſimam, nempe Bellerophontem antiquiorem eſſe Cadmô. Nam Bellerophontis avus Siſyphus, & Cadmus σύγχρονοι fuêre. Ab hoc Cadmo eruditi Academiam, quaſi Cadmiam deducunt, quô nomine indigitari, locum Muſis ſtudiisque conſecratum, notiſſimum eſt. *Nic. Lloydius*. Vide *Academia*, Item *Societas*: de Cadmo autem porrò Tacit. *Annal. l.* 11. *c.* 14. *Plin.* Voſſii *Ariſtarchum*, *l.* 1. *c.* 10. Pauſan. *l.* 9. Ovid. *l.* 3. *Met.* Hygin. *fabul.* Natal. Com. *l.* 9. *c.* 14. Alexandr. Roſſæum, *in Myſtagogo poëtico*. Addo, quòd Gortynæ, quæ mediterranea Inſul. Cretæ urbs, cultum eſſe, è Solino diſcimus, qui *c.* 17. *Ideam*, ait, *Gortynii & Cadmum colunt, Europæ fratrem, ita enim memorant*. Niſi hic, verba ſunt Voſſii, non *Cadmum* ſcripſerat, ſed *Atymnum* ex Jove & Caſſiopea natum, ut eſt legere apud Apollodorum *Biblioth. l.* 3. Vide Voſſium *de Idolol. l.* 1. *c.* 13. *ſub fin.* De tempore ejus in Græciam adventus, non idem ſentiunt Eruditi. Circa Joſuæ ætatem id factum eſſe, quidam contendunt: Alii ſub exitum Iſraëlitarum ex Ægypto, eum ex eadem regione in Græciam, coloniæ Ducem, migraſſe atque ibi urbem Thebas, ad imitationem Thebarum Ægyptiarum condidiſſe volunt. Secundùm eoſdem, Cadmus in inſul. Rhodum appellens, ἀνθρωποθυσίαν incolas docuit; neque alius, quàm Ægyptius literas Græciæ dedit, quæ *Phœnicia*, ſicut & ipſe dictus, tum quòd Phœnices Græciæ, quàm Ægyptus, viciniores eſſent: tùm quòd Cadmus ex Ægypto in Phœniciam priùs tranſiit, ob navigationis commoditatem, antequam in Græciam pervenirer. Eundem è patria ſua in Græciam Liberi Patris ſacra, in Samothraciam verò Cabirorum myſteria, attuliſſe dicunt; inter quos apud Græcos Cybele quoque habita eſt, Deorum mater & præcipuô honore apud Phrygas culta. Ante Cadmum autem, Cecrops Athenarum conditor, & poſt hunc Danaus, Argivorum Regni auctor, ex eadem Ægypto in Græciam colonias deduxêre, quâ de re vide Franc. Burmannum *ad Joſuæ c.* 24. *ſub fin* aliosque: ut & in voce *Harmonia*. Filiam Cadmi hujus Agaven duxit Echion, unus de quinque Dentigenis, plebi Thebanæ mutuis cædibus intereuntæ ſuperſtitibus, ut videre eſt apud Apollodor. *l.* 3. Quibus genitus Pentheus Cadmo in Regno ſucceſſit: Poſt Pentheum, Polydorus Cadmi filius Thebis Rex fuit. Huic filius Labdacus, qui Lajum procreavit, annuculô relictô, pari cum Pentheo morte ſublatus. Lajus pater fuit Oedipi, quô Eteocles natus eſt. Atque hæc fuit Cadmeidarum ſucceſſio, ex *tertio* Apollodori, in epitomen hodiernam redacta, plena Tragicis informatis ac facinoribus apud Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Papinium Statium l.* 3. *p.* 915.

CADMUS Mileſius Hiſtoricus, de quo vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 1. *l.* 3. *p.* 237 & *l.* 4. *c.* 1. *De Philol. c.* 10 §. 2. Porrò Cadmi Mileſii duo fuêre, quorum uterque Hiſtoriam reliquit. Prior Pandionis fil. qui *origines Mileti*, ac *totius Ioniæ quatuor libris* comprehendit. Ei ſive ratione Inventionem Hiſtoriæ tribuit Plin. *l.* 7. *c.* 56. Alter eô junior fuit, qui *ſedecim Atticæ Hiſtoriæ libros* condidit, ut auctor eſt Suidas. Joſeph. contra *App. l.* 1. Clemens *l.* 1. *Strom.*

CADMUS, nomen artificis apud Horat. *Serm. l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 58.

> *Tune Syri, Damæ, aut Dionyſi filius, audes*
> *Dejicere è ſaxo cives, & tradere Cadmo?*

CADMUS, mons Laodiceæ ſupereminens, è quo Lycus fluv. exoritur, apud Strabonem: vide Salmaſ. ad *Solin. p.* 828.

CADOCUM, vulgò CAYEU, locus Galliæ, in Ambianis. Hadr. Valeſ. in voce *Ambiani*.

CADOLES idem cum Camillo Cabirorum quarto, apud Dionyſ. Halicarn. Vide infra *Tellus*.

CADOMUM, Gall. urbs, quam hodie *Caen* vocant in Normandia. Hanc quaſi *Caji domum*, à Cajo Julio Cæſare ridiculè dictam *Bonus* aliique putant. Caput eſt Normanniæ inferioris cum caſtro permunito, ad Olinam fluv. à quo biſecatur, ponte juncta, in quo Curia. Hic 4. leuc. infrà ſe in mare Britannicum exonerat. 26. leuc. è Rothomago, 6. à Bajocis in ortum. De ea ſic Valeſ. urbs clara eſt Bajocaſſium, ad Olinæ & Uldonis Oldae confluentes: Archidiaconatu Eccleſiæ Bajocaſſinæ, ſtudiis literarum, ac duobus præcipuè Monaſteriis, alterô S. Stephani Protomartyris, alterô SS. Trinitatis, inſigne. Pons ibi Olinæ ex tribus fornicibus conſtat, qui fluv. 10. ab urbe lapide in Oceanum effunditur. Rigordius *Cadomum vicum opulentiſſimum* vocat, eumque cum Faleſia, caſtro validiſſimo & Domnofronte receptum eſſe à Philippo Aug. Cadomum vocat ſimiliter Guil. Britto Armoric. *villam opulentam*, & tot Eccleſiis, tot domibus ac civibus ornatam & effuſam,

> *Ut ſe Pariſiis vix annuat eſſe minorem.*

Idque tum ob ſitum, tum ob nundinas ſuas veteres, quæ *feriæ* vulgò, hodieque poſt Paſcha clauſum; ibi quotannis celebrantur, magnâ mercatorum immunitate & frequentiâ. Wilhelmus Conqueſtor *feriam trium dierum*, i. e. nundinas triduanas Cadomenſibus conceſſit, ante annos 600. Cadomenſes vulgò *Caenois*, in *Notit. Gall* longitud. 22. 20. latitud. 49. 04.

CADORINUS Ager, tractus Marchiæ Tarviſinæ, ſub Venetis. Ibi oppid præcipuum Parœcia Cadore, ad Plavim fluv. Ejus tractus, totius Italiæ maximè Septentrionalis, terminatur Comitatu Tirolenſi, verſus Alpes & Occaſum.

CADRA, Collis in Aſia minore circa Taurum montem. Tacit. *l.* 6 *Annal. c.* 2.

CADREMA, urbs Lyciæ, Olbiorum Colonia. *Steph.*

CADRUSI, oppid. ab Alexandro M. conditum ad Caucaſum. Plin. *l.* 6 *c.* 23.

CADUCEUS, Mercurii virga fuiſſe dicitur, quâ ille ad diſſidia, & diſcordias tollendas utebatur. (unde *Caduceifer* dictus eſt) à *cadendo* ſic vocata, quòd contentiones & bella *cadere* faceret, nam quemadmodum per Fæciales bella indicebantur, ita per Caduceatores finiebantur. Vide Voſſ. in *Caduceum*. Cæterùm Ægyptii veteres Caduceum in ſpeciem 2. draconum maris & fœminæ figuravêrunt, qui parte mediâ ſui voluminis, nodô quem Herculeum vocant; ſibi alligantur, primiſque partibus reflexi, in modum circuli oſcula jungunt. Hanc virgam Apollo dicitur inveniſſe, & Mercurio donaviſſe, lyrâ viciſſim ab illo acceptâ, De draconibus autem caduceo additis hanc afferunt rationem: Mercurium, hanc virgam manu tenentem cùm in Arcadiam proficiſceretur 2. ſerpentes pugnantes inveniſſe, virgâque interpoſitâ dictô citius prœlium diremiſſe: ad cujus rei memoriam poſteri Caduceum 2. draconum ſimilitudine figurârunt, illudque Mercurio, veluti peculiare inſigne, attribuerunt, qui illô & animas ab inferis revocare, & ſomnum, quibus volebat, immittere credebatur. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 242.

> *Tum virgam capit, hâc animas ille evocat orcô*
> *Pallentes; alias ſub triſtia tartara mittit,*
> *Dat ſomnos adimitque.* ——

Horat. *l.* 1. *Carm.* 10. *v.* 17.

> *Tu pias lætis animas reponis*
> *Sedibus, virgaque levem coërces*
> *Aureâ turbam.* ——

Nic. Lloydius. Vocem Salmaſius è Græco κηρύκειον deducere mavult; & inter ſymbola Eleuſiniorum Sacrorum *Caduceatores* quoque fuiſſe, [illegible] fortè *Polluci* notæ, ex *Clemente Alex.* ubi meam ſacrorum horum ſcenam facundè traducit. Vide in voce *Eleuſine*. Nec omittendum ſupplices olim *caduceum* quoque præferre conſuevisſe, quòd hanc geſtantes ab omni violentia tuti eſſent: cujus rei exemplum Livius exhibet *l.* 8. *c.* 20. Vide etiam Cœlium Rhodig. *Lect. Antiq. l.* 21. *c.* 16. Cæterum coronari nonnunquam Caduceos conſuevêre. Sic nuntius Theſei Athenas præmiſſus, apud Plutarchum *in Theſeo*, cùm plurimi inibi eſſent, qui ei alacriter imponerent coronam ſalutis (de qua infrà dicemus) ille acceptâ coronâ caduceum coronavit. Sed & κηρύκειον περιπεπλεγμένον ἐκ τῆς ἐλαίας, *Caduceus circumvolutus ramo oleagino*, occurrunt apud Dinarchum *in Demoſthenem*. Vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 3. *c.* 9. & *l.* 6. *c.* 16. & infrà *Felices arbores*.

CADUCUM Auſpicium, ſi quid inter ſacrificandum ceciderit, dictum eſt; quod peſſimi ſemper ominis loco habitum. Sic Hadriano Cæſ. paulo ante obitum, *prætexta ſponte delapſa caput operuit annuloſque*,

diſque, in quo imago ejus ſculpta erat, ſponte de digito elapſus eſt, apud Spartian. c. 26.

CADUENS, Sandianæ juriſdictionis, in Caria populi Plin. l. 5. c. 29.

CADUNIUM, vulgò CADOUIN, locus Galliæ, memoratus Hadr. Valeſio in voce *Mulcedonum*.

CADURBIUM, oppid. agri Tarviſini.

CADURCI, populi Galliæ Aquitanicæ de quibus J. Cæſar *in 7. Commentario c. 75.* ſcribit, Vercingetorigem Arvernum adoleſcentem cum Senonibus, Pariſiis, Pictonibus, Turonis, Aulercis, Lemovicibus, Andis adverſus Romanos ſibi *Cadurcos* adjunxiſſe, & Lucterium Cadurcum cum parte copiarum in Rutenos miſiſſe, qui eam civitatem Arvernis conciliaverit, & à Nitiobrigibus & Gabalis obſides acceperit: ac poſteà Vercingetorigem Rutenos Cadurcoſque ad fines Volcarum Arecomicorum depopulandos miſiſſe: Cadurcos unàcum Gabalis & Vellavis ſub imperio Arvernorum eſſe conſueviſſe. A Strabone Καδοῦρκοι *Cadurci* adnumerantur 14. Gentibus inter Garumnam & Ligerim ſedes habentibus, Aquitaniæ finitimis, eiſque ab Auguſto attributis; Plinio *l. 19. c. 1* inter Rutenos & Nitiobriges Aquitaniæ populos *Cadurci*; *Ptolemæo* quoque in Aquitania Καδοῦρκοι. *Caurci*, *Caturci* & *Cadorci* à recentioribus ſcriptoribus non rarò vocantur, d in *t*, & *u* in *o* converſis. *In culcitis præcipuam gloriam Cadurci obtinent. Gallicarum hæc, & tomenta pariter inventio:* uti ait Plin. *loc. cit.* Nimirum tomentum Lingonum, culcita Cadurcorum inventum fuit. Unde alterum *tomentum Lingonicum* & *Lingonicum ſtramen* dictum eſt; culcitam veteres nomine Gentis inventricis *Cadurcum* vocavère. Juvenalis *in Sat. 7. v. 221.*

Inſtitor hybernæ tegetis, niveique Cadurci.

In veteri Epigrammate Sulpicia Poëtria *Cadurcas faſcias*, lineas faſcias à lino Cadurcino vocat his verſibus de Solo,

Ne me Cadurcis deſtitutam faſciis,
Nudam Caleno concubantem proferat.

Adſpicit Plinius, *Gallias cenſeri vodita lino*. & *Cadurcos*, *Caletos*, *Rutenos*, *Bituriges*, *ultimoſque hominum exiſtimatos Morinos*, *immo verò Gallias univerſas vela texere.* Cadurcorum fines *Cadurcinum* abſolutè vocat Gregorius *in l. 4. c. 42.* ubi pagi vel termini aut territorii nomen ſubauditur. Vocant & *Cadurcinum* Geſta Francorum *in c. 32.* & Gallus *in litteris ad Deſiderium Cadurcorum Epiſcopum*, aliique: *Cadurcum* Palladius Epiſcopus *in Epiſtola ad eundem Deſiderium*: *Pagum Caturcinum* Fredegarius in *l. 5. ac ultimi Chronici c. 57.* Geſta Dagoberti, ac liber *de Vita Leodegarii Auguſtodunenſis Epiſcopi*, Ermenario ejus ſucceſſori nuncupatus. De pago *Cadurcino* vel *Cadorcino* Noſtri olim fecerunt *Caorcinum*, & agrum Cadurcinum appellaverunt *le Caorſin* vel *Caborſin*, aut *la terre & pays de Caborſin*, ut in pactione inter Ludovicum & Henricum Reges A.C. 1259. facta, in pactione Brittniacenſi & alibi non rarò appellari obſervavit *Petrus Pithœus*: Cadurcos ipſos ſeu incolas pagi Cadurcini *Caorcinos* nuncupaverunt, *Caborſins*, quaſi *Cadurcinos*. Nunc pagum quidem Cadurcinum vocitant *le Querci*, *t* in *qu*, *a* in *e* commutatis; Cadurcos verò *les Quercinois*, i. e. Cadurcinos vel Cadurcinenſes. Pagus Cadurcinus dividitur in ſuperiorem, & inferiorem. Superiorem, *le haud Querci*, occupant Cebennæ: inferior, *le bas Querci*, ſub Cebennis jacet. Hic olim fons, hæc patria fœneratorum fuit, qui per totam Galliam, & per Britannicam inſulam Italiamque diffuſi, Mercatores ſe ac Cambitores Papæ dicebant, & iniquis exactionibus debitores ſuos vexabant: adeò ut non ipſi modò, ſed etiam Senonenſes, & alii cujuſvis nationis feneratores, communi nomine *Caorſini* appellarentur. Eorum meminit præter cæteros Matthæus Pariſienſis, *in rebus A.C. 1253. his verbis. Uſurarii Tranſalpini, quos Caorſinos appellamus*: item, *Caorſini manifeſti uſurarii, quos Sancti Patres, quos vidimus & audivimus, à partibus Franciæ ejecerunt.* In A.C. 1240. *Rex* (Henricus III.) *Caorſinis, præcipuè Senonenſibus, terram ſuam interdixit.* Idem, *vero Caorſinos, quaſi cauſantes, vel capientes & urſinos nuncupari* ait. Nomen hoc feneratoribus cùm Cadurcis, tum etiam aliis eorum exemplô iniquum fenus exercentibus, Angli impoſuiſſe mihi videntur omnium primi, quòd eos primi experti eſſent nomine Papæ graſſantes, quòd Cadurci cum Aquitania jam inde ab anno 1154. Anglorum Regibus parere cœperant. Caput Cadurcorum ſeu urbs princeps Δουήονα à *Ptolemæo* dicitur, i. e. *Doueona*. Sed Διούονα vel Διουόνα legi apud *Ptolemæum* cum Scaligero ac recentioribus malim; h. e. *Diuona* aut *Diuona*. In *tabula Peutingeriana* majoribus litteris notantur *Cadurci*, & urbs eorum *Bibona* corruptè pro *Dibona* ſic. *Aginnum*, *Excisſum*, (Byſſe Abbatiâ illuſtre) *Diolindum*, *Bibona*, *Varadeto*, *Carantomagi*, *Segoduni*. Ubi *Bibonam* Dibonam eſſe vel Diuonam Cadurcorum, & ita reſtitui oportere, vel ex eo intelligitur, quòd Cadurci ſunt inter Nitiobriges & Rutenos, & Diuona Cadurcorum inter Aginnum Nitiobrigum ac Segodunum Rutenorum. Certè Magno qui notas Tironis & Senecæ multis de ſuo additis collegit, ac Notas etiam juris, quæ extant inter opera veterum Grammaticorum, Regi Karlo diſtichô dedicavit, *Divonam* vocat. *Cadurcum*, (inquit) *Divonna*, i. e. Cadurcus, cujus caput eſt Divonna vel Divona. Divonam autem fontem Deorum vel fonte divinum linguâ Gallicâ ſignificâſſe Auſonius docet, quod nomen non capiti modò Cadurcorum, ſed etiam fonti Burdigalenſi fuit. *Diu* Deus, *Vbnum* Gallis fons erat, ſi *Blondello* creditur: vel potiùs ut exiſtimo, *Diu* fons, *Ona* Celtis Dea extitit: inde Epona Gallis equorum Dea. Divona nuncupabatur caput Cadurcorum, à magno fonte ibi prorumpente, quem nunc fontem Cartuſienſium vocant, quô quatuor molæ vertuntur. Poſteà Divona Gentis cujus caput erat, appellationem ex more accepit, dictaque eſt *Cadurci*. Paulinus Presbyter apud Gregorium nuncupat *Alethium Cadurcis præter cæteros dignum Domino Sacerdotum, & totius fidei religionisque cuſtodem. Boethius Epiſcopus de Cadurcis* Concilio Agathenſi ſubſcripſit; & Aurelianenſi 1. ubi

Epiſcopum Eccleſiæ Cadurcinæ ſe vocat. In *veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ* nuncupatur *civitas Caturcorum*, & inter provinc. Aquitanicæ primæ civitates 8. quintum locum tenet; apud *Gervaſium Tilleberienſem* & in *recentioribus Notitiis* quartum: civitas *Caturcorum*, *Caturcorum* etiam ac *Cadorcorum* nonnunquam dicta; corruptè *Caturcam urbem*, aut abſolutè *Cadurcum* plerumque Gregorius appellat: *Cadurcam urbem* Deſiderius ejus Epiſcopus, Sulpicius Biturigum Epiſcopus in *Epiſtola* ad Deſiderium & ad Verum Rutenorum Antiſtitem, aliique; *Cadurciam oppidum Eginhardus*, ac *veteres rerum Francicarum Annales*. *Aimoino & Hugoni* Floriacenſibus Monachis inter Aquitaniæ urbes egregias 3. aut 4. locô numeratur Cadurx. Noſtri *Cahors*; *Cahours* Vaſcones vocitant. In ea urbe eſt locus *les Cadurcas* nuncupatus: quam urbem Olitis flexuoſô recurſu majore ex parte circumdat atque complectitur, fluvius *Lot* vulgò dictus, tribus ibi pontibus lapideis junctus. In ea urbe veſtigia aquæductuum, rudera Amphitheatri, & rupes perfoſſas hodieque cerni ajunt. Sanſon Geographus Regius multùm ſudat, ut nobis perſuadeat Uxellodunum oppidum in agri Cadurcorum, naturâ loci egregiè munitum, in monte poſitum ac præruptum undique, non eſſe *Puech d'Uſſelou*, vel *le Puech d'Uſſoldun*, nec Martellum ei proximum, nec Capdenacum; ſed caput eſſe ipſum Gentis, nimirum civitatem Cadurcorum. At caput Gentis vocabatur Divona, ut ſuprà docuimus, non autem Uxellodunum: quod oppidum quidem Cadurcorum fuit, ſeu caſtrum in finibus Cadurcorum; caput Gentis nunquam fuit. Certè oppidum Uxellodunum *in clientela fuiſſe Lucterii Cadurci* Hirtius *l. 8. Bell. Gall. c. 32.* ſcribit: quod in caput Gentis minimè convenire nemo non videt. An enim Lucterius Cadurcus, ſummæ quidem homo audaciæ, & apud cives quondam integris rebus multùm potens magnæque auctoritatis, ſed certè tamen privatus, patronus eſſe potuit ejus urbis, quæ caput Gentis ſuæ eſſet, ac ſic patriam ſuam ac Cadurcos omnes in clientela habere? Frontinus quidem Uxellodunum Cæſaris, *in l. 3. Strategematon, c. 7. ex. 1. Cadurcorum civitatem* vocavit, quô nomine veteres Notitiæ caput Gentis Cadurcorum deſignavère. Sed apparet Frontinum impropriè locutum eſſe, & nomine civitatis Cadurcorum non primam aut maximam totius Gentis urbem, verùm unum aliquod ex minoribus oppidis Cadurcorum deſignaviſſe: aut certè ei, ſicut Sanſoni, placuiſſe, Uxellodunum pro capite Cadurcorum habere; qui error pluribus refelli non meretur. In Vita S. Deſiderii Cadurcorum Epiſcopi invenio, Deſiderium *præter civitatis Caturcæ opera, caſtellum etiam Caturcum, quod anteà modicum pene ac exiguum videbatur, conſpicuâ quâdam munitione ampliaviſſe, erexiſſe ac firmaviſſe, Eccleſias, domos, portas, turres murorum ambitu ac quadratorum lapidum compactione muniviſſe.* Quod *caſtellum Caduræum* mihi videtur eſſe *Querci*, locus Divonæ Cadurcorum proximus, & ab ea Olite interfluente diviſus. In pago Cadurcino eſt & rupes Amatoris, *Roquemadour*, ad rivum, qui in Duranium defluit, peregrinationibus votivis locus olim celeberrimus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CADURCUM, Aquitaniæ urbs Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Bituricenſe *Cahors*, ad Lotium fluv. 12. leuc. ab Aginno, 9. à Montalbano in Boream; Urbs ampla, elegans, munita, inque modum peninſulæ à fluvio cincta. *Divona Cadurcorum* prius Ptolem. *l. 2.* Plin. *l. 4. c. 19.* Gregor. Turonenſ. *l. 2. c. 12. & l. 9. c. 20. Hiſt.* Hic Exuperus, celebris Rhetor Tholoſanus, ſepultus, Auſon. *in Profeſſorib. n. 17.* Johannes XXII. natus eſt: cujus operâ Academia hic erecta, A.C. 1332. Autexerr. *Hiſt. Aquit. l. 1. c. 8.* Gallia Chriſt. *tom. 1. p. 458. 2. & 459. 1.* Ibi Synodus A.C. 1639. Regio *Quercy* nominatur. Vide *in Cadurci*.

CADURCUM, apud Juvenalem *Sat. 7. v. 221.*

Inſtitor hybernæ tegetis, niveique cadurci.

Ubi vetus interpres: *Cadurcum quidam cucullum dicunt candidum, propter hyemes ac nives comparatum; alii tabernaculum, aut tentorium, quibus merces ſuas protegere conſueverunt.* Sed hìc pro viſi merce, tàm *Cadurcum*, quàm teges, ponitur. Sententia enim Poëtæ eſt, de mercede ſive minervali Grammatici præmordere aliquid poſſe cuſtodem, qui & diſpenſatorem eandem delibare. Hortatur porrò Grammaticum, ut patiatur detrahi potiùs aliquid, quàm totum perire: quemadmodum mercium viliſſimarum inſtitor pariter aliquid de ſolito pretio imminui potiùs, quàm nihil vendere. *Cadurcum* igitur veſtis fuit ſtragula, ſive lodix, ad frigus arcendum, denſa ſcil. ac villoſa, ex lino Cadurcenſi facta. Apud eundem Poëtam, pro lecto nonnullis ſumitur, cùm inquit, *v. 537.*

Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Ubi voce *Cadurci*, lodices & ſtragula ac culcitas, ex lino præfato factas intelligunt: Salmaſ. verò aliter exponit verſum hunc, ex hiſce duobus præcedentibus 535. 536.

Hic petit veniam, quoties non abſtinet uxor
Concubitu, ſacris obſervandiſque diebus.

Nempe Matronæ, quæ in caſto Iſidis aut Cereris erant, concubitu abſtinebant: & per eos dies, quibus caſtum obſervabant, ſecubabant à lectis ſuis ac toris genialibus & ſtramentis incubabant in Templo ipſo, in quo & pervigilia celebrari mos fuit. Erant autem ea ſtramenta ut plurimum ex herbis foliiſque facta, quæ caſtitati conducere æſtimabantur, ut videbimus infrà, ubi de more *in Stramentis cubandi*. Latini verò *Cadurcum*, cùm primitùs propriéque ſignificaret Cadurcicam culcitam, ex lino apud Cadurcos nato factam, poſteà pro quolibet *ſtramento* uſurpârunt, Plin. *l. 19. c. 1.* Hinc itaque *violatum cadurcum* ſive ſtramentum dicitur Poëtæ, ab illa muliere, quæ in caſto non fuerat, nec ſtramento incubuerat cum reliquis ἀγνευούσαις, ſed quæ ſacris obſervandiſque diebus non abſtinuerat concubitu: pro qua proin maritus veniam petere & magnâ mercede ac pœnâ violatum Cadurcum redimere cogebatur. Vide eum *ad Solin. p. 758.* In *carmine* Sulpitiæ,

Ne me cadurcis deſtituam faſciis &c.

eidem *Cadurca faſcia*, non inſtitæ ſunt, quibus lectus intenditur, uti quidem *Scholiaſtes Juvenalis* contendit, ſed faſciæ lineæ, quibus ipſa Sulpitia velabatur, ut videre eſt apud eundem Salmaſ. *ibid.* p. 938. & 1170. Vide quoque in voce Cadurci.

CADURCUS Johannes, Occitanus, Profeſſor juris Tholoſæ, veritatem, quam ſanguine ſuô ſanciebat, ſic aſſeruit, at non modo Tholoſæ, ſed propter celebrem illam Academiam, in univerſa Gallia, ſemen purum verbi Dei ſparſiſſe meritò videatur, A. C. 1532. Beza, *in Iconibus*.

CADUS, quô vinum Romani condiderunt. Ita enim Plautus *Aulul. Actu* 3. *ſc.* 6. v. 34.

—— —— At ego juſſero
Cadum unum vini veteris à me afferrier.

Solebat pice diligenter oblini, ac in loco, quò fumus poſſet pertingere, ſtatui. Marcellus *de Medicam. operculô ſuperpoſitô, & clausô vel gypſatô diligenter de argilla.* Junius Moderatus Columella *Rei Ruſt. l.* 1. *c.* 6. *vinum celerius fumô maureſcit.* Hinc Horat. *l.* 1. *ode* 20. v. 2.

— Græcâ quod ego ipſe teſtâ
Conditum levi.

Idem *l.* 3. *ode* 8. v. 9.

Hic dies anuô redeunte feſtus
Corticem aſtrictum pice dimovebit,
Amphoræ fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullô.

Statius *l.* 4. *ſylv.* 8. v. 39.

Albanoque cadum ſordentem promere fumô, &c.

Picandi ſic reponendique vini primus auctor L. Opimius Conſul fuit, ſub quo generoſiſſimum vinum collectum eſt, teſtante Plin. *l.* 14. *c.* 14. Martialis *l.* 1. *Epigr.* 27.

Teſta ſed antiquo felix ſiccatur Opimi.
Egerit & nigros Maſſica cella cados.

Notabantur autem *cadi*, inſcriptô nomine & auctoris & Conſulis elenchô ſeu pittaciô iis adfigi ſolito. Petronius *Satyr. Statim allatæ ſunt amphoræ vitreæ diligenter gypſatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa, cum hoc titulo: Falernum Opimianum annorum centum.* Horat. *l.* 1. *Sat.* 10. v. 22.

—— —— Rhodio quod Pitholeonti
Contigit, at ſermo linguâ concinnus utrâque
Suavior, ut Chio nota ſi commiſta Falerni eſt, &c.

Vide quoque infrà, ubi de *Signandi ritu*, it. voce *Vinum*.

CADUSII, populi circa Caſpium mare. *Steph.* De his quæri poſſit non immeritò, an Iſraëlitarum ſint reliquiæ? Quæ *Fulleri* eſt ſententia, qui Caduſios dici vult, quaſi קדושים *Kedoſim Sanctos*, ratione vocationis. Sed fallaci etymo non eſt oitendum. Caduſios & Tapyros non eſſe advenas, patet ex vetuſtiſſimo ſcriptore *Cteſia*, qui utroſque Nino ſubjicit, Ὑπηγάγετο (inquit) δὲ καὶ Καδουσίων χώραν, καὶ Ταπύρων. Narrat idem, Caduſiorum bellum ingens cum Artæo, vel Arſæo Rege Medorum, quem cum octingentis hominum millibus irruentem vicit Parſodes. Inde inter Medos & Caduſios odia, & bella perpetua uſque ad Cyrum. Quô imperante, cùm Perſarum jugum volentes ſubiiſſent, & denuò rebellâſſent ſub Artaxerxe Longimano, is expeditionem in illos ſuſcipiens, trecentorum millium peditum & decem mille equitum exercitu inſtructus, re tamen infectâ rediiſſet, niſi duos Caduſiorum Reges dolô circumveniſſet Tiribaſus. Vide Plut. *in Artax. Nic. Lloydius.*

CADWALLADER, ultimus Cambrorum in Anglia Rex: poſt quem Cambria diviſa eſt in *Meridionalem* & *Septentrionalem*, quarum utraque peculiares ſuos Reges habuit, uſque ad A. C. 1140. quô, extinctô *Regum* nomine, *Principes* ſucceſſêre, donec ſub Henrico III. Angliæ Rege Cambria, titulô *Principatus Walliæ*, in Angliæ Regum poteſtatem pervenit. Georg. Hornius *Orb. Imper.*

CADYTIS, urbs maxima. Herod. *l.* 2.

CÆA, inſul. maris Ægæi. *Zea*, vel *Zia*, inter Cycladas, Græcis Hydruſſa. *Ceos* Ciceroni, *l.* 5. *ad Attic. Ep.* 12. *Cea Ptol.* à Ceo Titanis filio dicta. Ovid. *Ep.* 20. *Heroid.* v. 221.

Cingitur Ægæô nomine Cea mari.

Virg. *l.* 1. *Georg.* v. 14.

—— Cui pinguia Cææ
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci.

Rectè *dumeta* dixit, quia Cæa inſula feraciſſima eſt. Athen. *l.* 3. Ἐν τῇ δὲ Κέῳ ... Ἐν τῇ δὲ νήσῳ ... [illegible] ... ὥσπερ ἐν Κέῳ.

CÆACHOS, Thinitarum in Ægypto Rex X. poſt Boëthum, præfuit annos 39. Ameneme in inferiore Ægypto regnante. Sub eo Apis in Memphi, Mnevis in Heliopoli & Mendeſius caper Dii ſunt habiti, de quibus vide Joh. Marshamum *Canone Chronico ad Sec.* IV. Illi ſucceſſit Biothris, quem vide.

CÆADA, locus apud Spartanos, in quem maleficiorum gentis hominum conjiciebant. Cœl. Rhodig. *l.* 17. *Antiq. Lection. c.* 8. Vide & *Ceadas*.

CÆADAS, Græcè Καιάδας, barathrum erat prope Lacedæmonem, in quod maleficos conjicere ſoliti erant; quemadmodum in *Meſſeniacis* Pauſan. memorat, Ariſtomenem εἰς τὸν Καιάδαν, in *Ceadam*, conjectum & ibi triduum commoratum, per ſubluſtres tenebras vidiſſe vulpem cadavera appetentem. Nempe καιάδας Lacedæmoniis id ipſum fuit, quod Græcorum aliis καιετα vel καιετοι, h. e. *locus effoſſus*, vel *terræ dehiſcentis ruptura, quam faciunt terræ motus*, ut ex *Heſychio* diſcimus. Cujuſmodi rupturæ cùm in agro Laconico fuerint frequentes, ſunt qui Spartam ab Homero dici ſtatuant, non, uti vulgo legitur,

—— Λακεδαίμονα κητώεσσαν,

Iliad. β. v. 581. & *Od.* δ. v. 1. ſed καιετάεσσαν, ... *quæ rupturæ, quæ fiunt ex terræ motibus, caietæ dicuntur, atque inde carcer* καιάδας, Strab. *l.* 8. quamvis *Ceadas* non tam carcer fuerit, quàm barathrum, in quod capite damnati præcipites ex alto demittebantur, ut poſt Thucydidem *l.* 1. aſſerunt Pauſan. *l.* 4. *Thucydidis Scholiaſtes*, *Suidas* & Grammaticorum alii. Quô ſæpius tam præcipiti cùm plerique contererentur, erat in eorum foſſa magna cadaverum vis & per meatus ſubterraneos vulpes eò ſe conferebant, ut pabulum inde carperent. Quarum unam caudâ arreptam ſequutus Ariſtomenes, per viarum opaca, tandem evaſit, Pauſan. *l.* 4. & Polyænus *Stratagem. l.* 2. *c.* 31. Ut Plinium omittam, qui hanc Hiſtoriam perſequens *l.* 11. *c.* 37. locum hunc *latomias* appellat. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 13. *quod eſt de Vulpibus*.

CÆCADES, Comes Æneæ, à quo quidam *Cæcilios* derivant. Vide & *Cæculus*.

CÆCI, vide infrà *Excæcare*: it. voce *Typhlocomium*.

CÆCIAS, ventus flans inter Aquilonem, & exortum æquinoctialem, nubes occultâ quâdam naturæ ratione ad ſe attrahens, non propellens, ut poſt Ariſtotelem docet Plin. *l.* 2. *c.* 47. Unde Proverb. *Mala ad ſe trahens, ut Cæcias nubes.* *Ariſtoteli* Boreas vel Aquilo, cui eidem Meſes inter Boream & Cæciam: Plinio additamus & ſparſus ventus eſt, inter Boream & Æquinoctialem exortum, de quo vide pluribus agentem Salmaſ. *ad Solin* p. 1247. & *ſeqq.* In turre ventorum octogona, quam Andronicus Cyrrheſtes Athenis extruxit, ſpecie barbati ſenis, patinam olivis plenam offerentis, expreſſus eſt. Athenienſibus ſine dubio gratiſſimus, ut quibus ex hac arbore maximus proventus. In Oceano *Nord-eſt*, in mari Mediterraneo *Grec*; in Adriatico, *Bureno* appellatur. Jac. Sponius *Itiner. Græciæ* T. 2. p. 177.

CÆCILIA, gens fuit, de cujus origine variæ fuerunt veterum opiniones. *Feſtus*. Vide *Metellus*.

CÆCILIA, prænomine Caja, Tarquinii Priſci uxor, maximi animi mulier & lanificii peritiſſima, quæ priùs *Tanaquil* dicebatur. Plin. *l.* 8. *c.* 48.

CÆCILIA Lex, de Fullonibus, data à Cæcilio Metello, C. Flam. Luciô Æmyliô Cenſoribus, ad populum ferenda, cùm illis non liceret; Sonuit de ratione poliendarum veſtium, Plin. *l.* 35. *c.* 17. Alia, de jure Italiæ & tributis tollendis, lata à Q. Cæcilio Metello Nepote, L. Afraniô, Q. Cæciliô Metellô Celere Conſulib. A. 693. Urb. Cond. *ut Italia à vectigalibus immunis eſſet*; Ejus meminêre Dio *l.* 37. Cicer. *l.* 2. *Ep.* 9. *ad Attic.* &c. Alia, cujus auctor Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio Conſul, cum Pompejo M. an. Urb. Cond. 701. fuit, *Ut Cenſoria poteſtas, quam P. Clodius Tribunus Pl. imminuerat, reſtitueretur*, Dio, *l.* 4. Alia de repetundis, apud Valer. M. *l.* 6. *c.* 9. ex. 10. quam vel eandem cum Calpurnia eſſe, vel pro *Cæcilia*, ibi legendum *Calpurnia*, cenſet *Sigonius*.

CÆCILIA Didia lex, vide infrà *Didia lex*.

CÆCILIA Gabinia lex, ab Aul. Gabinio Tribuno Plebis L. Metellô, Q. Marciô R. Conſulib. an. Urb. Cond. 685. lata, fuit; *Ne jus diceretur de iis pecuniis, quæ verſurâ facta eſſent ſumtæ*: Ne ſcil. provinciales homines à Romanis exhaurirentur: *Ne gravior uſura, quàm centeſima, exigeretur*: Etiam præter amiſſam ſortem certam pœnam ſtatuens. Vide Ciceronem *Ep.* 2. *ad Attic. l.* 6.

CÆCILIA Renata, filia Ferdinandi II. Imperatoris ex Maria Anna Bavarica, nupſit Uladiſlao VI. Poloniæ Regi, vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hiſtor.*

CÆCILIANA, lactucæ ſpecies, apud Plin. *l.* 19. *c.* 8. *Purpuream maximæ radicis Cæcilianam vocant*: à *Cæcilio* videl. Metello, quod docent hæc Columellæ in *Horto*, *l.* 10. ubi varia lactucarum genera deſcribit,

Altera crebra viret, fuſcô nitet altera crine,
Utraque Cæcilii de nomine dicta Metelli.

Fuit autem is primô bellô Punicô Romæ Conſul creatus an. Urb. Cond. 503. annis circiter 220. antequam imperaret Auguſtus, &c. Vide quoque infrà ubi de *Lactuca*. Sed & inter Ceraſorum genera, *Cæciliana* recenſentur Plinio eidem *l.* 15. *c.* 25. *Cæciliana rotunda ſunt*: cujuſmodi ceraſa propriè *ceraſa* Galli vocant. Salmaſ. *ad Solin.* p. 959.

CÆCILIANUS Senator, quòd plurima adverſum Cottam Meſſalinum in accuſatione promſerat, calumniæ damnatus. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 7.

CÆCILII, à Cæcade Æneæ Comite, alii à Cæculo Volcani Fil. Virg. *Æn. l.* 7. qui Præneſte condidit. Dictus autem hic Cæculus, quòd unam oculi pupillam alterâ minorem haberet. Plebeji fuerunt, nullis ante annum Urb. Cond. 470. honoribus geſtis, cognominibuſque Metelli, Macedonici, Calvi, Dentricis, Balearici, Dalmatici, Vittati, Caprarii, Nepotis, Celeris, Cretici, Pii, Numidici, Scipionis & Silani diſtincti. Nobilis admodum Romæ hæc gens fuit, Pontificatus maximos IV. Dictaturas duas, Magiſteria Equitum totidem, Conſulatus XX. Cenſuras VII. Triumphos novem, intra annos 250. adepta: quibus honoribus functi ſunt viri undeviginti. Hæc familia Præneſte oriunda & poſt exactos Reges in civitatem accepta. Vide *Cæculus*.

CÆCILIUS, Africanus, in diſciplina juris atque legibus populi Romani noſcendis tractandiſque ſcientiâ, uſu, authoritateque illuſtris fuit tempore Gellii, cujus etiam ipſe meminit, *l.* 16. *c.* 5.

dictaqua

dſcitque librum ſcripſiſſe, *de verborum ſignificatione, quæ ad jus civile pertinerent.*

CÆCILIUS, Argivus verſificator, ſcripſit de piſcibus. *Suidas.*

CÆCILIUS Caldus, vide *Cajus.*

CÆCILIUS Callantianus, Judæorum religionis ſectator, Romæ docuit Rhetoricam, ſub Auguſto, uſque ad Adrianum. Scripſit *librum contra Phryges, Dictionarium ex ordine literarum, comparationem Demoſthenis, & Ciceronis,* & alia multa. *Suidas.* Aliis parum id credibile, cùm ab Auguſto ad Adrianum anni effluxerint ad minimum 60. Credunt proin plures *Cæcilios* fuiſſe. Dalechamp. *in Athen. l.* 6. vocat *Cæcilium* Atticum. Alii Siculum faciunt. Vide Caſaubon. in Athen. *l.* 6. *c.* 21. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 4. Callantiano huic Athen. *l.* 6. *&* 21. *tractatum hiſtoricum* aſcribit, & *relationem eorum, quæ bellô ſervili geſta.*

CÆCILIUS Claudius Iſidorus, C. Aſiniô Gallô, & Martiô Cyrinô Conſulibus ad 6. Calend. Feb. Teſtamentô ſuô edixit; Quamvis multa civili bellô perdidiſſet, tamen relinquere ſe ſervorum 4116. juga boum 3600 reliqui pecoris 257. millia, in numero pondo 600. millia. Plin. *l.* 33. *c.* 10.

CÆCILIUS Cornutus Prætorius, à calumniatoribus delatus ad ſtruendas Principi inſidias & mittendos in Galliam concitores belli Q. Vibio Sereno miniſtraviſſe pecuniam. Sed innocens Cornutus & falſa exterritus ſuâ manu cecidit. Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 29. & 30.

CÆCILIUS, Epirota, libertus Attici Equitis Romani ludum Grammaticæ Romæ aperuit. Primus dicitur Virgilium & alios Poëtas novos prælegere cœpiſſe. Domit. Marſus:

> *Epirota tenellorum nutricula vatum.*

CÆCILIUS Metellus, Conſul Rom. C. Servilii Collega. An. Urb. Cond. 470.

CÆCILIUS Metellus, Balearicus cognominatus T. Q. Flaminii Collega. an. Urb. Cond. 631.

CÆCILIUS Metellus, Numidicus dictus. M. Junii Sylvani Collega. An. Urb. Cond. 656. Jugurtham vicit. Cenſor Quinctium quendam, qui ſe Tib. Gracchi fil. ferebat, admittere noluit. Iulegem Apulejam, utpote vi latam, jurare nolens, Smyrnam exul abiit, inde precibus filii, hinc *Pii*, revocatus. Aur. Victor *de Viris Ill. c.* 62. 63.

CÆCILIUS Metellus Calvus, Lucii Aurel. Cottæ Collega. An. Urb. Cond. 635.

CÆCILIUS Metellus Dalmaticus cognomine Q. Mutii Scævolæ Collega. An. Urb. Cond. 637.

CÆCILIUS Metellus, Princeps Senatûs Cn. Pompeio M. & M. Liciniô Craſſô Conſulib. An. Urb. Cond. 685. Vide & *Cajus*, & *Lucius*, & *Marcus.*

CÆCILIUS Metellus Pius, Scipio prænomine, Conſul, additô Cn. Pompejô Magnô, cùm plures menſes ſolus magiſtratum geſſiſſet. An. Urb. Cond. 702.

CÆCILIUS Metellus Quintus, Macedonicus, cognomine Prætor Macedoniam ſubegit, Andriſcô, qui Philippi nomine ſumtô regnum ſibi vindicabat, devictô. Superavit Achæos, feliciter rem in Hiſpania geſſit. Ob ſeveritatem exoſus ſuis, ægrè Conſulatum obtinuit. Quatuor filiorum humeris, quorum tres Conſulatem jam dignitatem obtinuerunt, quartus triumphavit, elatus. Liv. *l.* 49. & 50. Flor. *l.* 2. *c.* 14. Aur. Victor *de Viris Ill. c.* 61. Vide & *Quintus.*

CÆCILIUS, Poëta Comicus, Inſubriâ oriundus, circa annum 150. Olymp. 575. Urb. Cond. 875. M. Ennii commilito, ſcripſit *comœdias*, quarum fragmenta Stephanus collegit. Ejus Hieronym. *in Chron.* A. Gellius *l.* 4. *c.* 20. *& l.* 15. *c.* 15. meminerunt. Vide infrà *Cæcilius Statius.*

CÆCILIUS, Præceptor S. Cypriani, hujus nomine in Baptiſmo aſſumtô. An Minutii Felicis hic Cæcilius?

CÆCILIUS Ruffus, vide *Cajus.*

CÆCILIUS Siculus, vide *Titus.*

CÆCILIUS Simplex, qui arguebatur Conſulatûs honorem pecuniâ mercari non ſine exitio Martii Celſi voluiſſe. Tacit. *l.* 2. *Hiſt. c.* 60. cui ſibi aſſiſtenti Vitellius, Imperium ejurans, exſolutum à latere pugionem, velut jus necis vitæque civium reddidit. *Hiſt. l.* 3. *c.* 68.

CÆCILIUS Spado, memoratur in *Epiſt.* Fauſtinæ ad Marcum, apud Vulcatium Gallicanum, in *Avidio Caſſio*, c. 10.

CÆCILIUS Statius, Poëta Comicus, quem Tullius *l.* 7. *ad Attic. Ep.* 3. *malum Latinitatis authorem* vocat. Volcatius tamen Comicorum palmam ei concedit. Fuit natione Gallus & Ennii contubernalis. Deceſſit unô annô poſt Ennium, ſepultus in Janiculo. *Euſeb.* Horat. *l.* 2. *Ep. ad Aug.* 1. *v.* 59.

> *Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.*

Quintilian. *l.* 10. *c.* 1. *Licet Cæcilium veteres laudibus ferant.*

CÆCINA, vide *Alienus.*

CÆCINA (prænomen & nomen *A. Severus*) in initiis Principatûs Tiberiani inferioris Germaniæ exercitûs legatus; qui plures per provincias quadraginta ſtipendia parendi aut imperandi explevit: de quo Tacit. *l.* 1. *Annal. c.* 31. 56. 64. 65. 66. 68. 72. & *l.* 2. *c.* 6. *l.* 3. *c.* 18. & 33.

CÆCINA Licinius, vide *Licinius.*

CÆCINA Tuſcus, nutricis Neronis fil. Præfectus Ægypti, à Nerone relegatus, quod in procuratione ejus Provinciæ, balneis in adventum ſuum extructis, lavaſſet. Sueton. *Nerone c.* 35. Vide Tacit. *l.* 3. *Hiſt. c.* 38.

CÆCINOS, *Suidæ* amnis vocatus, qui Rheginum agrum à Locrenſi dividit. Plin. *l.* 3. *c.* 10. *Sagriano*, teſte *Barriô. Steph.* Cæcinon ait eſſe χώραν Ἰταλίας. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 4. *c.* 15. Vide *Cæcinus.*

CÆCINUS, Mons Pannoniæ. Vide *Cetius.*

CÆCUBUM, oppid. Campaniæ in Italia, quod licèt paludibus adjaceat, vinea tamen feraciſſima præcipuis enutrit arboribus. Strabo *l.* 5. Τὸ δὲ Καίκουβον, ἑλῶδες ὂν ἐν Καιάτῃ τὸν ἄριστον τρέφει. Plin. *l.* 14. *c.* 6. *Antea Cæcubo vino erat generoſitas celeberrima, in paluſtribus populetis, ſinu Amyclano.* Martial. *l.* 13. *Epigr.* 115.

> *Cæcuba Fundanis generoſa coquuntur Amyclis,*
> *Vitis & in media nata palude viret.*

Idem *l.* 2. *Epigr.* 40. *v.* 5.

> *Cæcuba ſiccentur, quæque annis coxit Opimi:*
> *Condantur parco fuſca Falerna vitro.*

Et *l.* 12. *Epigr.* 17. *v.* 5.

> *Ebria Setinô ſit ſæpè, & ſæpè Falernô,*
> *Nec niſi poſt nivean Cæcuba potat aquam.*

Horat. Carm. *l.* 1. Od. 20. *Ad Mecænat. v.* 9.

> *Cæcubum, & prælô domitam Calenô*
> *Tu bibes uvam. —— ——*

Idem *l.* 2. Carm. 14. *v.* 25.

> *Abſumet hæres Cæcuba dignior*
> *Servata centum clavibus. ——*

Idem *l.* 1. *Carm.* 37. *v.* 5.

> *Antehac nefas depromere Cæcubum*
> *Cellis avitis. ——*

Et *l.* 3. Od. 28. *v.* 2.

> *—— Prome reconditum*
> *Lyde ſtrenua Cæcubum.*

Et *Epod.* Od. 9. *v.* 1. 3. 4.

> *Quando repoſtum Cæcubum ad feſtas dapes*
> *Tecum Mæcenas bibam?*

Et paulò pôſt, *v. ult.*

> *Vel quòd fluentem nauſeam coërceat*
> *Metire nobis Cæcubum.*

Et *Serm. l.* 2. *Sat.* 8. *v.* 14.

> *—— Procedit fuſcus Hydaſpes*
> *Cæcuba vina ferens. —— ——*

Cæterùm laudatur idem Cæcubum vinum Dioſcoridi quoque & Columellæ, quorum hic *de R. R. l.* 3. *c.* 8. *extr. Neque dubium eſt, Maſſici, Surrentiniique, & Albani, atque Cæcubi agri vites omnium, quas terra ſuſtinet, in nobilitate vini principes eſſe.* Ille *l.* 5. *c.* 10. Ὁ δὲ Καικούβινος, γλυκύς ὤν, ἁδρομερέστερός ἐστι τοῦ Ἀλβανοῦ, ubi vulgò Καικούβινος vinosè legitur. *Nic. Lloydius.*

CÆCULUS, Vulcani fil. habitus fuit, cujus mater cùm igni aſſideret, ſcintilla in gremium ejus delata eſt, ex quâ illa ſe gravidam factam credi voluit, expletiſque legitimis menſibus puerum peperit, quem, quòd minores haberet oculorum orbes, *Cæculum* appellavit, à quo *Cæcilios* ortos putant, quorum familia Romæ nobiliſſima fuit. Hic poſteà adultus, cùm aliquot annos incertis ſedibus vagatus eſſet, raptô ſe alens, & latrociniis, tandem Præneſte condidit, cumque vicinos populos ad ludorum ſpectacula convocâſſet, monere eos cœpit, ut, relictis ſedibus ſuis novam urbem ſecum incolerent, neque ſuum, qui Vulcani filius eſſet, imperium aſpernarentur. Quod cùm illis perſuadere non poſſet, Vulcanum dicitur invocâſſe, ut, ſi reverà ipſius eſſet filius, id ſignô aliquô declararet. Quô factô flammam protinus illuxiſſe ajunt, quæ univerſum illum cœtum circumdedit, tantamque omnibus religionem incuſſit, ut non ægrè in Cæculi ſententiam tranſirent. Alii tradunt, Cæculum recèns natum à paſtoribus in igne inventum eſſe, nullâ ſui parte à flammis violatum, indeque factum eſſe, ut Vulcani filius crederetur. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 678.

> *Nec Præneſtinæ fundator defuit urbis:*
> *Vulcanô genitum, pecora inter agreſtia Regem*
> *Inventumque focis, omnis quem credidit ætas,*
> *Cæculus. —— ——*

Nic. Lloydius.

CÆDEM luſtrandi & expiandi ritus, apud Athenienſes, olim ſolennis memoratur Lege illâ apud Demoſthenem *contra Macart.* Τῶν δ' ἀπογιγνομένων ἐν τοῖς δήμοις οὓς ἂν μηδεὶς ἀναιρῆται, ἐπαγγελλέτω ὁ Δήμαρχος τοῖς προσήκουσιν ἀναιρεῖν καὶ θάπτειν καὶ καθαίρειν τὸν δῆμον τῇ ἡμέρᾳ ᾗ ἂν ἀπογίγνηται ἕκαστος αὐτῶν. Ἐπαγγέλλειν δὲ περὶ μὲν τῶν δούλων τῷ δεσπότῃ, περὶ δὲ τῶν ἐλευθέρων τοῖς τὰ χρήματ' ἔχουσιν. Ἐὰν δὲ τοῦ Δημάρχου ἐπαγγείλαντος μὴ ἀναιρῶνται οἱ προσήκοντες, ὁ μὲν Δήμαρχος ἀπομισθωσάτω ἀνελεῖν καὶ καταθάψαι καὶ καθᾶραι τὸν δῆμον αὐθημερόν, ὅπως ἂν δύνηται ὀλιγίστου. Ἐὰν δὲ μὴ ἀπομισθώσῃ, ὀφειλέτω χιλίας δραχμὰς τῷ δημοσίῳ. ὅ, τι δ' ἂν ἀναλώσῃ, διπλάσιον πραξάσθω παρὰ τῶν ὀφειλόντων. Ἐὰν δὲ μὴ πράξῃ, αὐτὸς ὀφειλέτω τοῖς δημόταις. *Si qui in Municipiis demortui fuerint, neque eos ſuſtulerit quiſquam, denuntiet Demarchus cognatis, ut tollant & ſepeliant. Et populus ille (ſeu tribus) luſtretur eô die, quô quis ita demortuus. Denuntietur autem de Servis domino, de Ingenuis, iis qui in eorum bona ſuccedunt —— Quòd ſi poſt Demarchi denuntiationem, cognati non ſuſtulerint, Demarchus ipſe tollendum cadaver locet, & ſepeliendum & luſtrandum eô die populum, quam minimô poterit. Sin non locârit, debeto mille drachmas ærario. Quidquid autem impenderit, duplum à debentibus exigito. Quod niſi fecerit, ipſe Tribulibus debeto.*

Imò nec apud Græcos veteres ullius ſceleris tam ſolennis frequenſque ac varia κάθαρσις occurrit, quam homicidii, etiam non illiciti. Unde ſolum mutantes ſæpius homicidæ ad Principes exteros, qui eos ritè luſtrarent, adeoque ſcelus expiarent, ſe conferebant, cujus rei obvia in Hiſtoriis teſtimonia. Vide quoque infra, ubi de *Homicidio*, item ubi de Veter. *Lotionibus*, nec non voce *Lux*, item *Luſtratio*. Inprimis obſervatur mos vetus & ſatis mirus luſtrationis, quam αἱ αὐθένται, *qui ſponte & dolo quempiam interfecerant*, adhibere ſolebant. Nempe ἐξάργματα ſeu ἀκρωτηριάσματα, μασχαλίσματα item dicta, h. e. *corporis occiſi extremitates*, (veluti naſi, aurium, digitorum, alias) abſcindentes, collo ſibi ea catenata, ſacratarum inſtar reliquiarum, ſuſpendebant, ut διὰ τῶν μασχαλῶν, *per axillas*, etiam trajicerentur, ſanguinem interim occiſi delingentes & in os ejus deſpuentes. Quale quid memoratur apud Apollonium Rhodium *Argonautic. l. 4. v. 478.* ubi de Iaſone, Abſyrti extremitates ſic abſcindente. Et Sophoclem, in *Electra*, de Agamemnone & Clytemneſtra,

> Ὑφ' ἧς θανὼν ἄτιμος ὥστε δυσμενὴς
> Ἐμασχαλίσθη.
> *A qua ipſe morte affectus indignâ, velut hoſtis*
> *Extremitatibus corporis mutilatus eſt.*

Vide Scholiaſtem ibi, præter Heſychium in Μασχαλίσματα, & Suidam in Μασχαλισθῆναι, item Ἐμμάσχαλον, ubi τὴν μασχάλην ὁρμαθὸν, *partium illarum catenam* memorat, ſub axillis trajectam, rationem vide infrà in *Manes*, it. voce *Spectra*. Cujuſmodi ritus uſus etiam bellô civili cæſis, velut & Numinis & occiſorum iram aut placans, aut minuens. Nempe cætera quidem ſcelera expiare ſe exiſtimabant Veteres ſacrificiis ſolennibus: at nihil adeo ſolicitè, publicè & frequenter curabant, atque homicidii qualiſcunque, extra pœnæ legitimæ rationem, commiſſi. Unde etiam Populus Romanus, qui P. Horatium à cæde ſororis abſolverat, admiratione magis virtutis, quàm jure cauſæ, imperâsunt Patri, filium expiaret pecuniâ publicâ, apud Livium *l. 1. c. 26.* quod ab eo præſtitum in gentis Horatianæ ſacris manſit. Atque ad toties iterata (ſcil. quôlibet luſtrô) Suovetaurilium, ex Tullii Hoſtilii inſtituto, ſacra, ut & alia aliquot inſigniora, ejuſmodi *cædis* quomodocunque patratæ expiatio attinet, pro exoptatiſſima ſemper habita. Vide Dionyſ. Halicarn. *l. 4.* Quæ omnia videntur ab Hebræis utcunque mutuata, de quorum ſolicitudine circa cadaver occiſi repertum, divinitus imperatâ, vide Legem Deuteronom. *c. 21. v. 1. ſ.* ut & infrà ubi de *Juvenca* ſeu *Junice rufa*. Quid verò olim apud Anglos in caſu hujuſmodi moris fuerit, dicemus in voce *Murdrum*: ut & de Cæde Animantium expiata, hic infrà. Vide quoque retro in voce *Abannatio*.

CÆDENDI veſtes, pro corporibus, mos aulicus, memoratur Plut. *Apophth.* vide infrà *veſtes*.

CÆDES, quæ apud Veteres pro occiſione & contrucidatione ſemper ſumi ſolet, recentis ævi Scriptoribus uſurpari cœpit, pro verberatione tantùm & pulſatione, quæ pugnis fit & manibus. Hinc Donatus *ad iſtud Terentii, Adelph. Actu 2. ſc. 1. v. 18. Iſtuc ergo volo ipſum experiri. Expreſsè oſtendit*, inquit, *pauperioris loquacem contumaciam, uſque ad pericula cædis*. Idem *ad illud ibid. v. 46.* --- *colaphos infregit mihi. Contumelioſa*, ait, *cædes & digna lenone*. Et *ad illud Adelphorum, Actu 4. ſc. 2. v. 19.*

> --- *Creſipho me pugnis miſerum & iſtam pſaltriam*
> *Uſque occidit.* ---

Mire, inquit, *interjecit miſerum, & neceſſario uſque addidit, ut oſtenderet mutuæ cædis verbum, non occiſionis, intelligi oportere*: Quibus verbis *cædem* ab *occiſione* apertè diſtinguit. Vide Salmaſ. *ad Jul. Capitolin. in Vero. c. 4.* Hinc Cædes *fuſtium*, apud Victorem Utic. *l. 3. Poſt cædes innumerabilium* fuſtium *trochleis frequentibus elevatur, dum immane ſibi ponderet, nunc in ſublime ſe tollente celeri* &c. Fulgentium *de Verit. Prædeſtin. l. 3. Judæi Apoſtolos, in cuſtodiam publicam miſſos & Angelô januas carceris aperiente dimiſſos, rurſus abducentes cæde macteraverunt, ceſiſque denuntiaverunt, ne loquerentur in nomine Jeſu*, Alios. Ut de veteri vocis notione aliquid addam: *Cædem* non tantùm hominum, uti dictum, ſed & beſtiarum expiandam eſſe, credidêre Veteres; perſuaſionem adhuc iſtam ſervantibus Mahometanis. Hinc ubi de Pythone ab Apolline cæſo Statius *Theb. l. 1. v. 569.*

> ---- *nova deinde piacula cædi*
> *Perquirens, noſtri tecta haud opulenta Crotopi*
> *Attigit.*

Nempe cædibus patratis, piacula ab Oraculis petere ſolebant, cujus moris exempla multa ſunt, apud *Apollodorum* & Tragicos. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium l. 1. p. 190.* & infrà ubi de *Tribunalibus Athenienſium*. Sed & Cædes inter Numina Gentilium, ut infrà videbimus, in *Vitia*.

CÆDICIUS Quintus, L. Manlii Vulſonis collega. An. Urb. Cond. 498. Alius collega M. Valerii Corvini An. Urb. Cond. 465. Item nomen viri cujuſdam ditiſſimi. Virg. *Æn. l. 9. v. 362.* Vide & *Quintus*.

CÆLANUM, oppid. regni Neapolitani in Aprutio ulteriore Comitatus titulô clarum, in ora lacus Fucini, qui ab eo nomen ſortitur, 12. milliar. ab Aquila civitate ad radices montis Apennini.

CÆLARE, Cardano *l. de Lapidibus*, & *ſculpere* ſic diſtinguuntur, ut *cælare* de gemmis dicatur, quæ cavatâ effigie inſigniuntur; *ſculpere* verò, quum imago prominens figuratur, velut in nummis, qui Principum vultibus ſignantur. Sed Salmaſio hoc ipſum *cælare* Latinis dicitur, quum imago prominet ac protuberat; qui proin *cælatas gemmas* non de ſcalptis vel cavatis, ſed de exprimentibus ectypam & extantem imaginem, accipit: *Scalpere* verò is pro cavare ſumit, vide infrà ubi de *Cavatoribus*. Quintilianus *l. 2. c. 22. Cælaturam* à Sculptura diſtinguit, ſolô materiæ nomine: Generale enim ei Sculptura eſt, ac ſpecialis cælatura, quæ in auro, argento, ære, ferro operatur, præter quæ lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas etiam Sculptura complectitur. Certè *Cælata* propriè vaſa dicuntur aurea vel argentea, in quibus ſigna vel ſigilla intus aut extra eminentia expreſſa ſunt, *cælo*, ſeu γλυφάνῳ: unde γλυφάνῳ Græcis, item ἀναγλυφα, de qua voce ſuprà. Virgilius tamen *lignum cælatum* dixit. *Ecl. 3. v. 37.* ſed impropriè ac Poëticè: at *gemmas cælatas* non legimus apud Auctores, ſed *ſculptas* vel *ſcalptas* &c. *Cælatura* autem interdum imas, interdum dimidiatas, figuras extantes oſtendebat, ac præcipuè in argenteis olim vaſis locum habuit. Græci Τορευτικὴν dixêre, & τόρευμα, opus hôc modô cælatum. Et quidem ſimulachra, quæ non toto extarent eminerentque, ἐκτύπωμα dixerunt iidem, Latini *cruſtas*, quæ verò tota extabant, *ἐκτυπα*, ἐμβλήματα & ἀνάγλυφα; utraque, *emblemata*, quæ de poculis & vaſis revelli poterant ac rurſus illigari, uti latiùs dicemus infrà ubi de vaſis *Ectypis* & *Proſtypis*, item in vocibus *Cruſta* & *Emblema*. Quibus omnibus quod carebat, dicebatur *Argentum purum*. Cujuſmodi vaſcula ex puro argento qui faciebant, *Vaſcularii* dicti ſunt, à Cælatoribus, qui ſigna ac ſigilla vaſculis includenda cælabant, ubique diſtincti. Hinc Cicero *Act. 6. in Verr. Inſtituit officinam Syracuſis*, inquit, *in Regiam maximam palam Artifices omnes, Cælatores & Vaſcularios convocari jubet*. Magni certè illi Artifices, quorum Artem in argento cælando tantopere celebrat Antiquitas, ſignis minoribus faciendis inclaruêre, non Vaſcularii fuêre, ut Phidias & Polycletus: quorum illum Toreuticem oſtendiſſe ſcribit Plinius, iſtum conſummâſſe. Quòd enim Phidias ſigilla & minora ſimulachra ex ære optimè faceret, aperuit hôc modô Toreuticen & viam oſtendit illi Arti, quæ iſtiuſmodi ſigilla in ſcyphis argenteis cælaret. Unde *Phidiaci toreuma cæli*, apud Martialem *l. 4. Epigr. 39. v. 4.* celebre. Antiquiorem tamen Toreuticen fuiſſe Phidiæ, qui Olymp. 83. vixit, ætate, docet Salmaſ. ex Anacreonte, apud A. Gellium, quem vide *ad Solinum. p. 1044. & ſeqq.* Plura verò in hanc rem, hic paſſim, inprimis ſuprà, in voce *Anaglypha*, ubi de duplici Artis hujus methodo; item hic infrà, ut & in voce *Labor*, & ubi de *Toreutice*. Non poſſum tamen, quin Plinii locum addam, *l. 33. c. 12.* quô præcipuos *Cælatores* eorumque opera memorat: *Mirum in auro cælando inclaruiſſe neminem, argentô multos. Maximè tamen laudatus eſt Mentor. Quatuor paria* (ſcyphorum) *ab eo omnino facta ſunt: ac jam nullum extare dicitur. Varro & æreum ſignum ejus habuiſſe ſcripſit. Proximi ab eo in admiratione Acragas & Boethus, & Mys fuêre. Extant hodie omnium opera in Inſula Rhodiorum, vide infrà. Poſt hos celebratus eſt Calamis & Antipater & Stratonicus. Mox Cyzicenus Tauriſcus. Item Ariſton, & Eunicus Mitylenæi laudantur, & Hecatæus, & circa Magni Pompeii ætatem Praxiteles, Poſidonius Epheſius, Ladus Stratiates --- Zopirus --- Fuit deinde Pytheas, cujus binæ unciæ viginti venierunt --- Habuit & Teucer Cruſtarius famam. Subitoque Ars hæc ita exolevit, ut ſola jam vetuſtate cenſeatur, uſque adeo attritis cælaturis, ne figura diſcerni poſſit, auctoritas conſtet.* Ad quem locum vide Salmaſ. ubi ſuprà. Opera verò Artificum hic memoratorum fuêre iſta.

Cælatorum Clariſſimorum opera.

Areopagitæ & Judicium Oreſtis in duobus ſcyphis, cælavit Zopirus H. S. XII. valoris.

Bacchæ Centaurique cælati in ſcyphis, Acraganthis opus, in Inſul. Rhodo, in Templo Liberi Patris aſſervatum.

Cocos, *magiriſcia* appellatos, parvulis potoriis, ſed è quibus ne quidem exempla liceret exprimere, fecit Pytheas.

Cupidines, Myos opus, in Æde præfata Inſul. Rhodi, aſſervati.

Diomedes & Ulyſſes Palladium ſurripientes, in phialæ erant emblemate, quam Pytheas cælavit, cujuſque binæ unciæ viginti libris væmierunt.

Prælia armatoſque cælavit Ladus Stratiates.

Satyrum in phiala, gravatum ſomnô, collocâſſe veriùs, quàm cælâſſe dictus eſt Stratonicus.

Scyphorum paria quatuor, fecit Mentor: quorum nullum amplius extare ævô ſuô, ſcripſit Plin. *loc. cit.*

Silenus, Myos opus, in Æde Liberi Patris, de qua ſuprà, aſſervatus.

Venatio in Scyphis, Acraganthis, magnam habuit famam; quam tamen alii Myi adſcribunt.

Ulyſſes & Diomedes Palladium ſurripientes, vide *Diomedes*. Sed & Boëthi, non minùs, ac Acragantis & Myos opera, clara fuêre: apud Lyndiam Minervam aſſervata.

CÆLATOR, ſervus olim apud Romanos: cujus meminit Juvenal. *Sat. 9. v. 145.*

> *Sit mihi præterea curvus* Cælator, *& alter*
> *Qui multas facies pingat citò.* ---

Ubi vetus Interpres *Cælatorem* explicat *ſervum argentarium, laborioſum, atque glyphatum*: quæ tamen diſparata videtur antiqua *Inſcr.* ſepulchralis, quæ Romæ legebatur,

ANTIGONUS. GERMANIC. CÆSAR.
ARGENTARIUS.
VIXIT AN. XLII.
AMIANTUS. GERMANIC. CÆSAR
CÆLATOR.
FECIT.

A cælo autem dictus: cujus meminit Ovid. *Faſtor. l. 3. v. 831.*

> *Quique moves cælum, tabulamque coloribus uris,*
> *Quique facis doctâ mollia ſaxa manu.*

Ubi quidam pro *cælum* legunt *ceſtrum*, & hæc verba ad Encauſticen referunt, ſubmonente Pliniô *l. 35. c. 11.* extr. *Encauſto pingendi duo fuiſſe antiquitùs genera, cerâ & in ebore ceſtrô*, i. e. viriculô: quô *imagines mulierum maximè pinxiſſe, Lalam Cyzicenam Virginem*,

ara, *M. Varrone juventâ*, Idem tradit, *Ibid.* Sed pro vulgata lectione ſtat Servius, ad Virgil. *Æn. l. 1. v. 644.*

—— —— Cælataque in auro
Fortia facta patrum.

Scribit namque: *Inſculpta, tamen hoc nomen in principali aliam habet naturam, in derivatione mutat. Nam calum eſt, unde operantur Argentarii: quod producitur naturaliter, &c.* Vide Laur. Pignor. *Comm.* de Servis, ubi varia hanc in rem eruditè congeſſit, ut alios mittam. *Cælatura* autem luxu Romanorum invaluit: prius nemque adhuc:

—— rudis &
Graias mirari neſcius artes
Urbibus everſis, prædarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Ut phaleris gauderet equus, cælataque caſſis
Romulea ſimulacra feræ manſueſcere juſſa
Imperii fato, geminos ſub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo venientis, & haſtâ,
Pendentiſque Dei perituro oſtenderet hoſti.
Argenti quod erat, ſolis fulgebat in armis,

ut ait Juvenalis *Sat. 11. v. 100. & ſeqq.* At temporis proceſſu, verſa rerum facies. Poſtquam enim argentea pocula in pretio eſſe cœpêre, commentitios Cives purum, ſimplex nullíſque emblematis cælatum argentum habere gaudebant, nepotes verò totos cenſus in mirabiles profudêre ſculpturas. Plin. *l. 33. c. 12. Et quid hæc attinet colligere, cum capuli militum contemnâ ebore, aut etiam faſtidiunt cælentur argento: vaginæ baullis, baltheis laminis crepitent: Jam vero pædagogia ad tranſitum virilitatis cuſtodiantur argento, fœminæ lavantur & niſi argentea ſolia faſtidiant, eademque materia & cibo & probro ſerviat.* Mentio in antiquis marmoribus, quorum unum ſic habet, apud Pignorium,

VIBIÆ. SUCCESSÆ LIVIÆ.
AUG. SER. AB. ARGENTO.
POTORIO.

Inde jocosè apud Athenæum magnum poculum *poterium argenteum* dicitur *l. 11. Deipnoſoph.* ut clarum ſit, inde etiam Græcis in uſu fuiſſe. Et quid ni, cùm notum apud illos poculum Solis Herculiſque, in quo Heros navigâſſe fertur; ingentiaque pocula ἀπὸ ποιῶ dici conſueverint, Euſtath. *in Od. ε.* Quid inſculpi ſolitum fuerit, docet Virg. *Æn. l. 1. v. 644.*

Ingens argentum menſis cælataque in auro
Fortia facta patrum.

Item Juvenalis *Sat. 1. v. 76.*

Argentum vetus, & ſtantem extra pocula caprum.

De *cælatura* hac poculorum inprimis argenteorum, quam *Emblematum opus* vocat vetus Scholiaſtes Juvenalis *ad v. 76. Sat. 1.* locus eſt egregius Pauli JCti *l. 13. ff. de condict. furtiva.* Neminem in auro *calando* inclaruiſſe miratur Plin. *loc. cit.* in argento maximè laudat Mentorem uti vidimus. Martialis *l. 8. Epigr. 51. de Phiala Ruſi, v. 1. ſ.*

Quis labor in Phiala? docti Myos, anne Myronis?
Mentoris hac manus eſt? an Polyclete tua?
Liveſcit nullâ caligine fuſca. —— ——

Dicebantur autem iſta nobilium Artificum emblemata, propriè nomine *forma.* Sext. Propertius *l. 4. eleg. 2. v. 61.*

At tibi Mamuri, formæ cælator ahenæ,
Tellus artifices ne terat Oſca manus.

Vide Thom. Demſter. in Joh. Roſini *Antiqq. Rom. l. 5. paralip. ad c. 30.* & ſuprà. Sed & *Cælatura*, inter miniſteria ſacra recenſetur, in Synodo Exonienſi A. C. 1287. *can. 12. Cereum Paſchalem, duos cereos proceſſionales, celatura ſuper Altare — Onera omnium ornamentorum prædictorum - ſupportabunt, libro matutinalibus, unicò ſcaleo ſalterio, feneſtris vitreis in cancello & celatura ſuper majus Altare dumtaxat exceptis, quæ Rectores vel Vicarii ſupportabunt.* Ubi Carolo du Freſne videtur id eſſe, quod in Eccleſia Roman. vulgo *Tabernaculum* vocant. Alia tamen videtur eadem eſſe vocis notio, apud Laur. Leodienſem in *Epiſcopis Virdun. p. 345. Tigna, laquearia, tecta & cælaturam Eccleſiæ*, & vide eundem Auctorem in *Gloſſario.*

CÆLESTINI, Umbriæ populi. Plin. *l. 3. c. 14.*

CÆLESTINUS, Valeriani & Gallieni Imperatorum temporibus vixit, atque in literas vitam eorum retulit, ut ex Pollione, *in Valeriano juniore, c. 1.* cognoſcimus.

CÆLESTINUS I. poſt Bonifacium I. Papa, A. C. 423. Cælestio Pelagiano reſtitit, Neſtorium fruſtrà reducere ad fidem conatus, excommunicavit, Novatianis conventus ademit. Auguſtini defuncti famam contra quoſdam Galliæ Italiæque Epiſcopos defendit, Palladium Scotis miſit, Obiit A. C. 432. Sub eo *Epiſcopatum Romanum non aliter atque Alexandrinum, quaſi extra ſacerdotium jure egreſſum, ad ſecularem principatum aſpirare cœpit.* Socr. *l. 7. c. 11. 12. 13. 14.* Vide plura apud Auguſtin. *ep. 261.* Proſper. Sigebert. Onuphr. Genebrard. *in Chron.* Euagr. *l. 1.* Gennad. *c. 54. Plat. Baron.* &c. Succeſſit ei Sixtus ſeu Xyſtus III.

CÆLESTINUS II. priùs Guido de Caſtello, Tifernas, ſucceſſit Anacleto II. A. C. 143 ſed menſe pòſt quintò obiit. *Baron.* Eum excepit Lucius II.

CÆLESTINUS III. Romanus, priùs Hyacinthus dictus, ſucceſſit Clementi III. A. C. 1191. cò faſtus devenit, ut Henrico V. Imperatori *pedibus coronam imponeret, poſt pede decuteret.* Richardo Anglo cùm illô in oriente abſente, Magnates quidam turbas darent, auxilio fuit. Imperatorem Ducemque Auſtriæ cenſuræ ſubjecit, prioreque mortuo, Friderico filio ejus Siciliam dedit, tributum pactus. Epiſcopi Belluacenſis capere loricam videns, reſpondit Richardo, *Non eſt filius meus vel Eccleſiæ, potius Martis quam Chriſti miles.* Obiit A. C. 1198. Sedis an. 6. menſ. circiter 9. *Baron.* Platina, Ciacconius *in ejus vita.* Onuphr. *Genebr. Roger. Antonin.* Matth. Paris. *Hiſt. Angl.* Succeſſit ei Innocentius III.

CÆLESTINUS IV. Godefredus, fil. Joh. Caſtillionei Mediolanenſ. & Caſſandræ Cribellæ, ſororis Urbani III. poſt Gregorium IX. Papa. A. C. 1241. à 10. ſolùm Cardinalibus electus, reliquis in captivitate detentis à Friderico Imperatore menſe pòſt 18. ante coronationem, obiit, Sede per 21. menſes vacante. Platina *in vita ejus.* Genebr. *in Chron.* Ei ſurrogatus eſt Innocentius IV.

CÆLESTINUS V. priùs *Petrus de Murrhon*, dictus *Eremita*, ſeu Iſernia in Aprutio ortundus, Ordinis Cæleſtinorum fundator, ſucceſſit Nicolao IV. poſt interregnum 2. ann. 3. menſ. Vitæ ſanctitate inclytus. Caroli II. Siciliæ Regis aliorumque ſuaſu tiaram ægrè admiſit; aſinò Aquilejam vectus, ubi coram 200000. hominum coronatus eſt. Sed à Cardinali Benedicto, fictâ per fraudem divinâ voce, Pontificatu quintò menſe exutus, & à deceptore hoc, qui Bonifacium VIII. ſe appellavit, vide ibi, in vinculis detentus, obiit A. C. 1295. Spondan. Bzovius Platina *in Cæleſtino.* Joh. Baleus *in Cæleſt. act. l. 6.* Cardin. d'Ailly *in vita ejus.* Beurrer. Cæleſtin. *de Relig.* Addo de Cæleſtinis, ab ipſo inſtitutis, quòd reformati ſunt hi Religioſi, ad regulam Benedicti, geruntque veſtem candidam, cum ſcapulari nigro, & amplis largiſque manicis. *Richolot.* Vide quoque infrà *Morronenſis ordo.*

CÆLESTIS, nomen Deæ cultæ ab Afris. Tertullian. *in Apologet. Unicuique provinciæ & civitati ſuus Deus eſt, ut Syriæ Aſtartes, ut Arabes Dyſares, ut Noricis* (Pithœus legit *Armonici*) *Belenus, ut Africa Cæleſtis*, &c. Philaſtrius Brixienſis *in Catalogo hæreſ. Alia*, inquit, *hæreſis in Judæis, quæ Reginam, quam & Fortunam cœli nuncupant, quam & Cæleſtem vocant in Africa.*

CÆLESTIUS, diſcipulus Pelagii, Hibernus. Cum Magiſtro Romam, dein in Africam profectus, ab Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi Africâ expulſus: Inde in Siciliam delatus, à S. Auguſtino ſcriptis editis refutatus eſt. Poſtmodùm ab Africæ Numidiæque Epiſcopis condemnatus, Zoſimo impoſuit. Româ dein ab Honorio pulſus, Conſtantinopolim abiit, unde à Patriarcha Attico exturbatus. Romam redux, denuò inde ejicitur. ſic in Brittanniam, cum Pelagio, reverſus, ibi uterque miſerè periit. Auguſtin. *in de perfect. Juſtit. de remiſſione pecc.* Sanderus *Hær.* 99. Baron. *A. C.* 411. 412.

CÆLIA Lex, à Cæcilio Tribuno Plebis lata, Q. Cæliò Metellò Balearicò, T. Quinctiò Flaminiò Conſulib. an. Urb. Cond. 635. *Ut etiam in perduellionis judicio, quod Caſſiâ lege Tabellariâ exceptum erat, populus non voce, ſed tabella, ſententiam ferret.* Ejus meminit Cicero *de Legibus l. 3.*

CÆLIANUM, oppid. Lucaniæ, *Cilento.*

CÆLICULUM, locus, cujus meminit Cicero *de Aruſp. Reſp. c. 15.*

CÆLINUM, oppid. & fluv. in Venetia. Vide Plin. *l. 3. c. 19. Celina, & Cilina* idem. *Cluver.*

CÆLIOMONS, & CÆLIUS mons, oppid. Sueviæ, ad Ilarum fluv. 3. leuc. infra Memmingam, 3. ab Auguſta in Occaſum, 5. ab Ulma in Auſtrum, exigui momenti.

CÆLIUM, Calabriæ oppid. non procul à à Brundiſio. Plin. *l. 3. c. 11.* ad radices Apennini, 10. milliar. à mari Adriatico. Vulgò *Cegiæ. Baudrand.*

CÆLIUM, aliàs *Zerra*, vicus Luſitaniæ in Extremadura provinc. 2. leuc. à Thomario in Occaſum. Multi ſcribunt *Scium*, vel *Selium*, putantque eſſe Leiriam, urbem Epiſcopalem ſub Archiepiſcopo Ulíſſiponenſi.

CÆLIUS, Hiſtoricus.

CÆLIUS, Hiſtoriographus, memoratus Ælio Spartiano in *Hadriano Cæſ. c. 16. Amavit præterea genus dicendi vetuſtum — Ciceroni Catonem, Vergilio Ennium, Saluſtio* Cælium *prætulit.* Ut membranæ habent, cum alias legeretur, *Cœlium.* Sed hic, vetus Poëta, tam ineptè Salluſtio compareretur, quàm convenienter Criſpus & *Cœlius* componuntur. Antiquus fuit Hiſtoricus, ex quo multa A. Gellius, Priſcianus, Soſipater, Chariſius, alii. Vide Iſaac. Caſaubonum *Notis ad Spartian.*

CÆLIUS, latro inſignis tempore Horatii. Vide *Byrrhus.*

CÆLIUS, Orator, acri turbulentóque ingeniò, Ciceronis diſcipulus, deceſſit admodum juvenis, quem Quintilian. *l. 10. c. 1. dignum longiore vitâ, & meliore mente* dixit. Ab Atratino quodam accuſatus, quòd cum Catilina conſpirâſſet in perniciem reipubl. quodque aurum à Clodia Clodii ſorore extorſiſſet, eique venenum propinâſſet, defenſus eſt à Cicerone. Vide *Orat. pro Marco Cælio.*

CÆLIUS, Prætor Urbanus. Vide *Ælius Pætus.*

CÆLIUS, Tarracinæ ſplendidò locò natus, cùm in cubiculo quieſcens, in lecticulo peremptus eſſet, ejus cædis, quoniam nulli eſſent alii, ad quos ſuſpicio pervenire poſſet, Cælii duo filii cauſam dixêre: poſtquam vero conſtitit, eos dormivíſſe, apertò oſtiò abſoluti ſunt, quoniam in tanto facinore veriſimile non fuiſſet, eos quietem capere potuiſſe. Val. Max. *l. 8. c. 1. ex. 13.* ubi in editionibus quibuſdam *Clœlius* vocatur.

CÆLIUS Antipater Lucius, ſcripſit Hiſtoriam Roman. cujus epitomen fecit M. Brutus, Cicer. *ep. ad Attic. l. 13. ep. 8.* Ejus meminit Valer. Max. *l. 1. c. 7. ex. 6.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 1. c. 8.*

CÆLIUS Apollinaris prænomine, Q. Soſii Priſci collega An. Urb. Cond. 941.

CÆLIUS Calcagninus, auctor inſignis ſeculo, ſed felium non amoris, quàm Lipſius canum, amore inſaniens, vide hunc Epiſtolic. Quæſt. l. 3. Ep. 9 Ferrariæ natus, patre non incelebri, ſed matre omnibus ignotâ, Canonicatu à Duce Ferrarienſe auctus, verſu magis quàm proſâ excelluit. Ciceronis Officia carpere aggreſſus, à Majoragio editò ſcriptò, tam acri, ut niſi morte præventus eſſet, ſuâ indignatione moriturus fuiſſe crederetur, confutatus eſt. Cæterùm totus in ſtudiis in Bibliotheca ſua velut ſepultus omne tempus degit unde portæ Conventus Jacobinorum, quibus illam legaverat, hæc inſcripta hodieque viſuntur, *Index tumuli Cælii Calcagnini, qui ibidem ſepeliri voluit, ubi ſemper vixit.* Edidit complura, quorum catalogum habet in *Elogiis* Anton. Teiſſieri Part. 1. ubi de M. Anton. Majoragio. In Bibliotheca ejus hæc adſcripta leguntur. *Cum Cælius Calcagninus nihil magis optaverit, quàm de omnibus pro fortuna cupiis optimè mereri, decedens Bibliothecam, in qua maximam ætatis partem egit, in ſuorum civium gratiam publicavit, & in ea ſe condi mandavit. Tu, quiſquis es, rogo, ut hominis B. M. manibus Deum propitium precere. Ex diuturno ſtudio imprimis hoc didicit, mortalia contemnere & ignorantiam ſuam non ignorare.* Vide Paul. Jovium *Elogiis*, Galois *des Biblioth.* Nath. Chytræum *in Var. Europa itin. deliciis* &c. Amicus fuit inter cæteros Lil. Gregor. Giraldi, de quo vide ſuo loco.

CÆLIUS Felix, Vir Conſularis, juſſu Commodi Imperatoris occiſus, apud Æl. Lamprid. c. 7.

CÆLIUS Probinus, Conſul, Marcellini collega, An. Urb. Cond. 1093.

CÆLIUS Sabinus, JCtus plurimum temporibus Veſpaſiani potens; ejus mentio in *Digeſtis*.

CÆLIUS Secundus Curio, vide *Curion*.

CÆLIUS Sedulius, Scotus Presbyter, ſub Theodoſio Juniore, Trithem. *in Chron.* A. C. 430. Reliquit *explicationum epiſtolarum S. Pauli*, *quinque libros verſuum*, cui titulus, *Admiranda Dei*, cum aliquot hymnis: quæ *tomo* 8. *Biblioth.* Patrum *edit.* 2. & *tomo* 9. *edit.* 1624. inſerta. Vide etiam *Cælius*.

CÆLIUS Tatianus, Eques Romanus Adriani Cæſaris tutor, apud Spartian. *in Adrian.* c. 1 *Attianum* alii habent.

CÆLIUS Tubero, vitâ functus & in rogum miſſus revixit, Plin. *l* 7 *c.* 52.

CÆLIUS Vibenus, Tuſcorum Rex, Romulum contra Cæninenſes & Antemnates, Cruſtumerosque juvit. Dionyſ. Halicarn. *l.* 2. Hinc *Cælius mons*, Vulgariter *monte Celio*, item *monte di S. Giovanni*, quia in eo extructa eſt Baſilica S. Johannis Lateranenſis totius Romæ prima ac præcipua. Hunc Tullus Hoſtilius urbi addidit, ibique ipſe habitavit, quò frequentius habitaretur. Liv. *l.* 1. *c.* 30.

CÆLIUS Mons, unus ex ſeptem montibus urbis Romæ, cum Quirinali, poſt Capitolium, à Romulo foſsâ ſive aggere ac murò firmatur; cum nihilominus extra urbis ipſius mœnia pomeriumque eſſent: Poſteà à Tullo, an Anco, an Tarquinio, variant enim Auctores, pomerio incluſus eſt. Fuit in Suburanæ regionis parte, nomenque accepit à Cælio Vibenno Tuſco Duce nobili, qui cum ſuâ manu Romulo auxilio contra Sabinum Regem veniſſe dicitur, *Varro*. *Feſtus* Cælium Etruſcum illum Ducem nuncupatum vult. Idem mons *Querquetulanus*, à ſylva ibi ingenti: & cùm poſt incendium, quò ædificia in eo ſita conflagrârunt, à Tiberio reparatus eſſet, *Auguſtus* legitur vocatus. Ita enim Tacitus *Annal. l.* 4. *c.* 65. *Haud fuerit abſurdum tradere montem eum* (de Cælio loquitur) *antiquitus Querquetulanum cognomento fuiſſe, quod talis ſylvæ frequens fœcundusque erat, mox Cælium appellatum, à Cæle Vibenna, qui dux gentis Etruſcæ; cùm auxilium appellatum ductavisſet, ſedem eam acceperat à Tarquinio Priſco, ſeu quis alius Regum dedit. Nam in eo Scriptores diſſentiunt.* Regia in eo fuit Tulli Hoſtilii; Tuſcique illum incoluerant, qui cùm munire ſe cœpiſſent, ſuſpecti redditi & ab illo in planum locum deducti ſunt, qui ab iis *Tuſcus vicus* dictus eſt. Hodiè inſignis is mons in urbe habetur, Baſilicâ Johannis Lateranenſis. Habet autem ab Ortu mœnia urbis, terminumque Eſquilinæ regionis, portam Eſquilinam & Amphitheatrum: ab Occaſu Suburam & montem Palatinum: à Septentrione Carinas, Cælium & Eſquilias: à Meridie Piſcinam publicam & Vallem, quæ eſt ante viam Appiam, quæ prope Septizonium Severi inchoans, verſus portam Capenam protenditur. Hic ſecundam Urbis regionem, *Calimontium* appellatam, poſuit Auguſtus Cæſar. Vide Onufrium *in urbe Roma*, *p.* 26 & *ſeqq* Bartholom. Marlianum *Topogr. urbis Romæ l.* 4. *c.* 18. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 2. & 7. &c. Ovid. *Faſtor. l.* 5. *v.* 522.

Cælius accipiet pulverulentus equos.

CÆLTES, vide infrà *Stylus*: ejuſdem originis nonnulli cum *cælo*, quod vide quoque hîc infrà, it. voce *Celtes*, ſic enim ſcribitur, in *veteri Inſcr.* apud *Gruterum*.

CÆLUM, à *cædo*, Græcè γλύφανον, apud Theocritum, qui poculum in certamine ruſtico depoſitum ita deſcribit,

Καὶ βαθὺ κισσύβιον κεκλυσμένον ἁδέϊ κηρῷ
Ἀμφῶες, νεοτευχές, ἔτι γλυφάνοιο ποτόσδον,
Τῶ ποτὶ μὲν χείλη μαρύεται ὑψόθι κισσὸς κτλ.

Latinè *ſcalprum* ad verbum, nam γλύφειν eſt *ſcalpere*. Sed *Scalprum* de cælo, quò operantur Argentarii, vix Latini dicunt, ac ne vix quidem: Horatiusque *ſcalpra* Sutorum propria facit, *l.* 2. *Serm. Sat.* 3. *v.* 106. quæ Græci σμίλη vocant ac σμίλαι. Sed & γλύφανον dixêre ſcalpellum Græci, quò calami ad ſcribendum olim aptabantur, atque attemperabantur, quem & σμίλην, & γλυφίδα & γλυπτῆρα & γλυφεῖα vocitârunt; *Canivet* hodie Galli appellant, quod canna ſeu harundine ſcriberent Veteres, non uti nos pennâ. Porrò quod *cælum* Vocab. erat, *cilium* quoque & *ciliumen* appellavêre Latini recentiores. Imò etiam *Sicilicum*, quod eſt σμίλιον: nam & *ſiciliare* lapides vulgò Galli dicunt, qui ſculpti ſunt: & *ſicilare*, pro ſculpere vel cælare, *tiere*. Paulus *Silentiarius* verò γλύφανον etiam vocat inſtrumentum, quò lapides ſcalpebantur, *in deſcr. Ambonis*;

—— αἰχμὴν δ' αὐτοῖς
Κοιλοῖσι γλυφάνοισι χάλυψ ἴσχυρος ἐτεύχει.

Sed & λαοξόους nuncupat, lapidum cæſores & ſculptores. *Burinum* autem vulgò dicunt Galli τὸ γλύφανον, quò cæſores utuntur gemmarum & argenti. Summus Poëta vocem hanc *tornum* reddidit, *Bucolic. l.* 3. *v.* 36.

—— —— *pocula ponam*
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis,
Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis &c.

Sed impropriè admodum. Licèt enim *terere* omnibus commune ſit, Tornatorum, Sculptorum, *Cælatorum* & Raſorum, & tam Tornatores, quàm Cælatores ταῦτα, aliud tamen propriè ξύειν vel ξέειν, aliud γλύφειν, aliud τορνεύειν. Tornatores enim et culpunt & inſculpunt ligna, ſtrataque in iis & talcos faciunt ..., at figuras & ſigilla tornô exprimere non poſſunt: id quod Cælatorum eſt ſeu Toreutarum, qui *cælo* utuntur &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1045. & infrà, ubi de *Puſtulato argento*.

CÆLUM Aureum, *Petr.* *ſancto* ſuburbium olim Ticini, ſeu Papiæ urbis, nunc intra mœnia, ubi templum D. Petro à Luitprando Rege ſacratum, *S. Petro Cielaurco* vulgo, in quo corpus Auguſtini dicitur aſſervari.

CÆMA, mons Alpium dirimentium Togatam Galliam à Comata, ex quo Varus fluv. emittitur.

CÆMARO, Καιμάρων, Auctor Græcus rei Indicæ tractatis, quarum ex decimo libro Plut. *de Fluv.* fabellam narrat

CÆMENTUM, propriè dicitur hodie genus ferruminis, ex arena & calce tegulisque tuſis compoſitum, olim verò *cæmentum* dicebatur, minutus lapis cæſus, politus & æquatus, ad ſtructuram ædium, à *cædendo* dictus. Hinc *Cæmenta* veteres Latini ſemper diſtinguunt à quadratis lapidibus, Vitruvius imprimis *l.* 1. *c.* 5. *l.* 2. *c.* 7. & *c.* 8. in quo poſtremo loco, Græcos non uſos eſſe è quadrato ſaxo ſtructurâ, nec è *cæmento molli* politâ, ſed è ſilice, vel è duro lapide ordinariâ, dicitur. Idem *ibid.* *cæmentitium ſaxum*, à quadrato ſecernit. Imò *Cæmentum* idem, quod *cæſura*: unde *Cæmenta marmorea*, pro aſſulis, quæ è marmore cæduntur, dum cæditur apud eundem, *l.* 9. *c* 7. Sic quilibet lapis è lapicidinis cæſus, *Cæmentum* dicebatur, unde idem Auctor *cæmentum*, à ſilice, qui naturaliter ita reperitur, nec pars fuit majoris ſaxi, diſtinguit. Veteris notionis etiam apud Plinium uſus, *l.* 36. *c.* 23. *Igne lapides in æs ſolvuntur, igne ferrum gignitur ac domatur, igne cremato lapide cæmenta in tectis ligantur.* i. e. lapides. Vide quoque eum *l.* 35. *c.* 13. Contrà ferrumen ex arena & calce, ad farciendos & conſolidandos parietes, *Materiam*, item *Intritam*, dixêre Vitruvius & Plinius, ut infrà videre eſt. Solinus verò *Cæmenti* vocem de ferrumine jam uſurpat, *c.* 28. *Inter Naſamonas & Troglodytas gens Amantum eſt, quæ ſalibus domos extruunt: quos in modum cautium è montibus excitatos, ad uſum ædium cæmenticiis nectunt ſtructibus.* Ubi *ſtructus cæmenticias* vocat cæmenta, quibus conſtruuntur & nectuntur inter ſe lapides. Hoc enim propriè *inſtruere* dicebatur & *ferruminare* Plin. dixit, *l.* 31. *c.* 7. Quamvis etiam hîc accipere poſſemus cæmenticias ſtructuras, h. e. ex ſaxo cæmenticio, ut intelligamus, ſic domos apud Hammantientes ſalibus caſtrui ſolitas, quaſi ſi cæmenticiis ſtructibus necterentur, h. e. ex ſtructura cæmenticia fierent. Quò ſenſu *Cæmentum* ac *cæmentatum ſaxum*, hodie *moilon* Galli vocant, quòd in ſtructura inter quadratos lapides medius inferciatur. Ratio verò, quòd Recentiores vocem pro intrita ipſa & ferrumine uſurpârunt, hæc eſt, quòd in intritam ſeu mortarium adderentur & fragmina cæmentorum, i. e. lapidum, vel parva cæmenta, ut ex aliquot præfatorum Auctorum locis conſtat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 378. & 379.

CÆNA, oppid. Thraciæ, unde *Cænica* regio & *Cæni* populi quæ poſtea *Hæmopolis* dicta Solin. c. 10. *In Cænenſi regione, non longè à Hæmopoli colonia, Bizye oppidum, quondam arx Terei Regis.* Sed Bizye in Aſtica ſtrategia, ut vocat *Ptolemæus*, ſeu regione, non Cænica fuit. Salmaſ. *ad loc.* Vide in voce *Cænica*.

CÆNE, parva inſul. in mari Siculo, cui vicina eſt Gaulos & Melite. Plin. *l.* 3. *c.* 8. Item *Cæne* Laconicæ oppid. non procul à Tænaro promontorio. hodiè *Camaros*, teſte *Nigro*. Hinc *Cænites* portus apud Plin. *l.* 4. *c.* 5. Jupiter *Cenæus*, Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 136.

Victor ab Oechaliâ Cenæo ſacra parabat
Vota Jovi. —— ——

CÆNEUS, vide *Cænis*.

CÆNICA, regio Thraciæ, circa Rhodopen, à Cænis populis dicta. Ibi urbes præcipuæ fuêre Bizya, Anchialus & Apollonia magna

CÆNINA, Latii oppid. *Steph.* Καινίνη πόλις Σαβίνων, ἡ τινὲς Καινιδίαν ἐκάλουν, τὸ ἐθνικὸν Καινίτης. Plutarcho *in Marcello*, ſunt Καινινῆται, & in Romulo Κενινῆται, itemque Livio *l.* 1. *c.* 9 & 10. *Cæninenſes.* Verùm non ab oppidi vocabulo, ſed ab auctoris ſui nomine ſic dictos fuiſſe incolas ejus, haud obſcurè ex *Feſto* colligas. *Cænina*, inquit, *urbs quæ fuit vicina Romæ, à Cænite conditore ſic dicta.* Ovid. *Faſt. l.* 2. *v.* 135.

Te Tatius, parvaque Cures, Cæninaque ſenſit.

Propert. *l.* 4. *El.* 11. *v.* 9.

Acron Herculeus Cæninâ ductor ab arce,
Roma tuis quondam finibus horror erat.

Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 2 *p.* 665. *Nic. Lloydius.*

CÆNIS, Theſſalica puella, quæ à Neptuno per vim compreſſa, ab eo muneris locô impetravit, ut in virum transformaretur, nulliſque unquam vulneribus poſſet fauciari. Mutatô itaque ſexu

etiam

etiam nomen mutavit, *Cæneus* dictus. Hic cum Lapithis pugnans, adverſus Centauros, cum nullo lethi genere poſſet violari, congeſtâ in eum magnâ arborum mole, vivus obrutus eſt, & in avem tranſmutatus. Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 531.

Maxime vir quondam, ſed avis nunc unica, Cæneu.

Quanquam Virgilius à morte non in avem transformatum velit, ſed in muliebrem rediiſſe ſexum. Sic enim habet, *Æn. l.* 6. *v.* 448.

It comes & juvenis quondam, nunc fœmina Cæneus,
Rurſus & in veterem fatò revoluta figuram.

CÆNIS, promontorium Brutiorum, in ora Calabriæ ulterioris contra Pelorum promontor. Siciliæ, apud Scyllæum oppid. *Coda di volpe*, teſte Fazellô, *Capo di paſſolo Barrio*. Item Cæni oppid. ejuſdem oræ præclarum, apud Cænidem promontor. Vulgo *Fiumara di moro*, à Rhegio 8. mill. paſſ. in occaſum, quod & Cænſium dicitur. *Baudrando* oppid. eſt regni Neapolitani in Calabria ulteriore freti Siculi, 8. à Rhegio in Boream, juxta amnem Cænidem.

CÆNITES, Achajæ portus non procul à Saronico. Plin. *l.* 4. *c.* 5.

CÆNOPHRURIUM, locus medio itinere, inter Conſtantinopolim & Heracleam, ubi interfectum Aurelianum ſcribunt *Eutropius* & *Beda*. quaſi dicas *novum caſtrum*. *Novum caſtellum* nominatur, in *Chronologia* Nicephori, edita cum *Hiſtoria Miſcella*. 20. milliar. à Selymbria, nunc *Drepalo*. *Sanſon*. Vide infrà. Adduquòd Καινὸν Φρούριον Plutarcho *in Lucullo*, in *veteri Tabula Cenoperio*, in *Itiner.* Antonini *Cenophruria*, καινὸν χωρίον perperam apud *Polybium*, qui munitiſſimum hoc caſtellum fuiſſe ſcribit & in eo gazam ſuam habuiſſe Mithridatem. De eo ſic habet *Itinerar.* iaadatum,

Heraclea M. P. XVIII.
Cenofrurio M. P. XVIII.
Melantiada M. P. XXVIII.
Byzantio, qui & Conſtantinopolis M. P. XVIII.

pro quibus *Tabula* Peutingerorum habet: *Heraclea*, *Cenoperio*, *Melantiana*, *Byzantium*, quæ non parum variant in paſſuum intervallo. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano. c.* 35.

CÆNOS Gallicanos, *Antonin.* *Gallica*, *Ptol.* *Callica* vulgò, pagus Bithyniæ, inter Byzantium 40. & Heracleam ad 32. mill. paſſ. diſtans, ubi Aurelianus Imperator interfectus eſt, teſte Eutropiò, *l.* 9. *c.* 9.

CÆNOTROPÆ, Anii & Dorippes filiæ, Oeno, Spermo & Elais, in novas formas omnia vertentes, eò quòd illis Dionyſius, ut quicquid tangerent, in triticum, vinum, aut oleum ſtatim verteretur, conceſſit. Vide *Anius*.

CÆNUS, fluv. Provinciæ. Quid ſit, non bene conſtat. *Baudrand.*

CÆPE, inter Ægyptiorum olim Numina. Plin. *l.* 19. *c.* 6. *Allium cæpaque inter Deos perjuranda habet Ægyptus*; Sicut Zeno Stoicus per *capparin*, Teleclides per *braſſicam*, juraſſe leguntur. Vide infrà *Cepe*. Averſabantur tamen illud Ægyptii Sacerdotes, quòd, lachrymas eliciendo, feſtos dies celebrantibus moleſta eſſet, & excitatâ ſiti incommoda iis, qui religionis causâ cibô potuque abſtinerent: Quod item Lunâ decreſcente viget ac augeſcit, Plut. *de Is. & Oſir.* Certè, Plin. *ibid.* de omnibus ejus generibus, *Odor*, inquit, *iis lachrymoſus*. Unde κρόμμυον Græcis, ὅτι κόρας μύειν ποιεῖ. *Ariſtophanes*.

Τί δακρύεις ; κρόμμυον ὠσφραινόμην,
Quid ita fles? Cæpam ſubolfeci.

Et Bias à Rege Alyatte accerſitus, Regiâ fortunâ ſpretâ, illum juſſit κρόμμυον ἐσθίειν, *cæpam edere*. Lucilius item *l.* 5. *Sat.*

Flebile cæpe ſimul, lachrymoſaque ordine talla.

Sic enim *Feſtus* vocat interiores cæparum tunicas. Veteribus tamen Romanis in pretio. Varro *in Ilimargo*, *Avi & atavi noſtri cum allium & cæpe verba eorum olerent, tamen optime animati erant*. Imò apud Homerum, Hecamede Neſtori Machaonique, pro obſonio, appoſuit *cæpam & mel flavum* &c. Vide Plin. ubi ſuprà, & ad eum Dalechampii *Notas*. Salmaſ. item *ad Solin. p.* 1167. *& ſeqq.* ut & infrà in voce *Unio*. Addam ſaltem de oleris hujus in coronis Veter. uſu. Quia enim *Cæpe*, eliciendò lachrymas, oculis prodeſt, ideò & ipſam inter coronamenta eſt receptum. Cujuſmodi coronæ meminit Artemidorus, eique locum aſſignat inter illas, quæ per quietem viſæ quidpiam ſignificat, *l.* 1. *c.* 79. Fortè & idem coronamenti genus ſignavit Callimachus hôc verſu,

—— —— —— ἀμφὶ τε κεῦθον
Ἐγκρύφιον γελγῖθων ὅλον ἔχε στέφανον.
circa caput
Vinctus, cæparum *integram habet coronam.*

Vide Schol. in *Alexiph.* Nicandri in κρόμμυον ἀγλιθώδης & Car. Paſchalium *Coronar. l.* 2. *c.* 15. Nec omittendus *Cæpam in pileo geſtandi* mos Cambris Angliæ populis uſitatus in feſto S. Davidis (*S. Davis*) qui avunculus Arthuri Regis fuiſſe & circa A. C. 519. vixiſſe creditur. Celebrant id Kal. Martiis, omneſque cæpam in pileis tum geſtant, ne Rege quidem exceptô, qui mos luna et Princeps Walliæ, litare ſolet, Auctor *Hiſtor. Orb. Terr. Geogr. & Civil.* ubi de *Anglia regno*.

CÆPIO, vide *Publius*.

CÆPIO Q. Servilius, Conſul Roman. tempore belli Cimbrici & Teutonici Galliæ præfuit. Avaritiâ ſtimulatus templis Toloſanis ſpoliatis, immenſam auri argentique vim confecit. Sed divinitus punitus, copias ſibi concreditas perdidit, dein Romam reverſus accuſatus & ſuſpendiò necatus eſt. Strabo *l.* 4. A. Gellius *l.* 3. *c.* 9. Juſtin. *l.* 32. *c.* 3. Oroſ. *l.* 5. *c.* 15. Hinc *Aurum Toloſanum*, Proverb. Eraſm. *adag. tit. Infortunii vel Exitus*. Vide & *Servilius*.

CÆPORI, citerioris Hiſpaniæ populi.

CÆRATUS, oppid. Cretæ: quod prius *Cnoſſus*, Græcè Καίρατος, ad fluvium cognominem, *Strab.* Meminit fluvii *Callimachus*:

Χαῖρε ὁ Καίρατος ποταμὸς μέγα.

Virgilius *in Ciri*, *Caratea flumina* habet.

Carpathium fugiens & flumina Caratea:

ἢ Καιράτειον ποταμόν. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 172.

CÆRE, urbs inſignis in Hetruria, quæ olim regionis totius caput fuit. Hanc olim *Agyllam* nominatam & à Pelaſgis è Theſſalia profectis conditam ferunt. Deinde vero Lydis, quos poſteà Tyrrhenos nominârunt, adverſus Agyllinos bellum gerentibus; cùm quidam muram ſubiens, urbis ejus nomen percontatus fuiſſet, eique à Theſſalo quodam de muro χαῖρε reſponſum eſſet, eò veluti omine a Tuſcis acceptò, captam poſteà urbem, mutatò priori nomine *Cære* vocavêre. Verùm tam ſplendidæ, tamque glorioſæ civitatis, Strabo *l.* 5. aſſerit, vix ulla ſuâ ætate extitiſſe veſtigia, & ſolò balneorum viciniorum nomine, quæ *Cæretana* dicebantur, fuiſſe celebratam. Ab hoc oppido, *Cærites tabulæ* appellatæ ſunt, in quas Cenſores referri jubebant, quos notæ causâ ſuffragiis privabant. Nam, urbe à Gallis captâ, cùm Cæretani eos, qui unà cum ſacris, æternoque Veſtæ igne ad ſe profugerant, comiter hoſpitiò ſuſcepiſſent, Romani deinde, reſtitutâ in meliorem ſtatum urbe, ſatis malignam illis gratiam retulerunt. Civitate enim quidem illos donârunt, ſuffragii autem jus iis non conceſſerunt: Πολίτας γὰρ ποιήσαντες οὐκ ἀνέγραψαν εἰς τοὺς πολίτας. Ita Strabo *ubi ſuprà*. A. Gellius verò pauló aliter, *l.* 16. *c.* 13. *Primos autem municipes*, inquit, *ſine ſuffragii jure*, *Cærites eſſe factos accepimus; conceſſumque illis, ut civitatis Romanæ honorem quidem caperent: ſed negotiis tamen, atque oneribus vacarent, pro ſacris bellô Gallicô receptis, cuſtoditiſque.* Hinc factum eſt, ut cùm aliquem ignominiâ & contumeliâ dignum volumus ſignificare, *Cærite cerâ* eum dignum eſſe dicamus. Horat. *l.* 1. *Ep.* 6. *v.* 62.

Quid deceat, quid non obliti, Cærite cerâ
Digni.

Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 2. *p.* 493. *Mr. Lloydius*. Nunc oppidul. eſt parvum Italiæ, in ditione Pontific. in provinc. Patrimonii D. Petri in colle, 3. milliar. à mari Mediterraneo & 8. à Bracciano, verſùs amnem Vacinam. Vulgò *Cervetere*. Dictum etiam fuit *Cærete* quibuſdam & regio adjacens *Sabatia* ab antiquis. *Baudrand.*

CÆREMONIA, ſeu CÆRIMONIA, à *caritate*, vel ab oppid. *Cære*, *Feſto* dicta eſt: *Cerus* autem vetere linguâ ſanctus, & inter myſtica Jani nomina fuit, *Cerus manus*, in *Carm.* Saliari, *ſanctus bonuſque*. Alii vocem à *Cerere* derivant, unde *Gloſſ.* *Ceremonia* ἡ Δημήτρια. Nonnulli à *Cæritibus*, Hetruriæ populis, quòd hi, captâ à Gallis Româ, ſacra Romanorum à Veſtalibus invecta benignè acceperint, atque adeo ſervârint, donec Camillus patriam recuperâſſet. Vide Scaligerum *in Feſtum* & Livium *l.* 7 *c.* 20. Nec deſunt, qui à *carendo* eam deducant, ut videre eſt, apud A. Gellium *l.* 4. *c.* 9. quòd Religio illis *carens* exerceri ritè nequeat. *Debita* hinc *cæremoniarum*, i. e. *officia religioſa*, *officia religionis*, *officium cultionis*, ex mente Gentilium, Arnobio paſſim *adv. Gentes* appellatæ, ad quem vide Animadverſorem Heraldum *l.* 6. &c. Et ſanè, ea eſt hominum infirmitas (uſque dum in civitatem, in qua Joannes nullum Templum præter Dominum Omnipotentem & Agnum videbat, Apocalyps. *c.* 21. *v.* 22. fuerint collecti) ut quibuſdam externis ſenſuque perceptibilibus adminiculis omnino indigeat, quibus ad primarium ac internum Dei cultum perducantur. Vide Auguſtin. *l.* 19. *contra Fauſtum c.* 11. Hinc, in *infantia Eccleſiæ*, jam olim ſub Promiſſione, variæ obtinebant cæremoniæ, ejus quaſi in illa ætate ſerperaſtra, quibus ad Meſſiæ Fidem contenderet, eoque adhuc abſente, ſaltem imagine ejus paſceretur. Nec alium reſpectum habuêre ſub Moſe, ante μοσχοποιΐαν, i. e. *Vituli conſpectionem*, quanquam ab eo adauctæ & non adeo liberæ, ut antè, relictæ ſint, inſtitutò Tabernaculò ac Sacerdotiò Aaronicò. At poſt peccatum Vituli, Eccleſiæ Fata mutata atque viliora facta ſunt. Quoſque Deus ut filios hactenus habuerat, ac ex Ægyptiaco ergaſtulo liberatos in domum ſuam cooptaverat, jam inſtar ſervorum, qui vernilitatem in Ægypto contractam nondum dedidicerant, duriùs habere conſtituit, Jerem. *c.* 31. *v.* 32. & Hebr. *c.* 8. *v.* 9. Magnam enim partem in longo illo per deſerta errore periêre; cæteri autem variis Cæremoniis onerati Deo adducti, ſervire inque ſervilibus miniſteriis ætatem agentes, eum colere juſſi ſunt; terrore poſt latam Legem accedente, ac verbis minantibus, *Quiſquis non manſerit in omnibus* &c. primogenitis quoque à Sacerdotio rejectis, ac Levitis in eorum aſcitis locum, Ezech. *c.* 20. *v.* 25. 26. Atque ſic Moſes, renovatò Dei fœdere, poſt acceptas ſecundas Tabulas, quæ gravioribus verbis acuatæ erant, tunc demum *Cæremoniarum* choragium ac jugum genti impoſuit, peccatumque non ſolum iſtud, ſed & ulla omnia, quotidie fateri & ſacrificiis ac pecudum cruore Altari inſcribere ac laborantis, nec unquam ſatis lætæ, conſcientiæ gemitus ac ſuſpiria Tabernaculo affundere juſſit. Quô pactô Deus Eccleſiam iſtô tempore, velut *adoleſcentem*, ſub Pædagogo ponere & difficili miniſteriò ejus proterviam delaſſare ac compeſcere, ſiſámque per terreſtres *figuras & umbras* ſenſim ad majora perducere, ſicque venturo olim Salvatori per Veterum deſideria, ac *ſitum*, viam ſternere, & gradibus quibuſdam ſalutis humanæ opus abſolvere voluit. Sed & typus erat Lex illa *in Cæremoniis* conſiſtens, Chriſti mortiſque ejus, & omnium beneficiorum Eccleſiæ olim præſtandorum imaginem gerebat; quæ victimarum morte & luſtrationibus

nibus expiationibusque typicis adumbrabat. Unde *Chriſtus finis legis* appellatur. Roman. c. 10. v. 4. Præterea inſerviebat ea diſcernendis ac diſterminandis Judæis ac Gentibus, erectâ *ſepe intermediâ*, Ephes. c. 2. v. 14. Imò diſcrimina inter ipſoſmet Judæos faciendo, quorum alios ab Altari & conſpectu Dei arcebat, ut totam Iſraëlem Numer. c. 1. v. 51. & c. 3. v. 10. alios accedere quidem ſinebat, ſed non ultra primum limen, ut Levitarum ac Sacerdotum turbam; ſolum autem Pontificem Max. admittebat adytum, ipſumque Dei ſacrarium: ut appareret, nondum veniſſe Sacerdotem, qui omnem Dei populum ex æquo ad Deum adduceret. Hôc verò ultimis temporibus exhibitô, *Chirographum* iſtud Rituum abolitum, ac corpore adveniente *umbra* ſublata & *Ceremoniis* V. T. finis impoſitus eſt, Coloſſ. c. 2. v. 14. & *ſeqq.* Qua de re vide imprimis Franc. Burmannum *Synopſi Theol. Chriſt. Part.* 1. l. 4. c. 7. & *ſeqq.* Ubi de *Ceremoniarum* inſtitutione ac cauſis: iiſque tum *publicis*, quæ quinque erant Claſſium, *Perſonarum ſacrarum*, *Actionum*, *Rerum*, *Locorum & Temporum*: tum *privatis*, circa *Veſtes*, *Cibos & Purificationes carnis*, accuratè agit. Nec tamen *adulta* Eccleſia omnibus planè ceremoniis caret. Namque & Chriſtiani ceremoniis, ut geſtibus ac actionibus utimur, quarum beneficiô non ſolùm ea, quæ ad Dei cultum pertinent, ordine ac decorè peraguntur, ſed etiam res aliter ſenſibus imperceptibiles, ad Eccleſiæ, inprimis infirmiorum in ea verſantium, ædificationem, oculis noſtris exponuntur, declarantur ac obſignantur. Quæ prout duûm generum ſunt, aliæ divinitus inſtitutæ; ut *Sacramenta*, aliæ ad ordinem pertinent, ut *particulares determinationes loci*, *temporis*, *formæ & ordinis Eccleſiaſticorum conventuum*, *exhortationum*, *catechizationum*, *adminiſtrationis Sacramentorum*, *precum*, *lectura*, *Pſalmorum*, *modi Miniſtros eligendi*, *Paſtoralium conventuum*, *erogationis eleemoſynarum*, *matrimoniorum celebrationis*, *fidelium ſepultura ſimiliumque*. In quibus poſterioribus quid ſequendum, cavendumque, monet Auguſtin. *ad Januar. Ep.* 118. c. 2. & *Ep.* 119. c. 18. & 19. Vide quoque Socr. *Hiſtor. Eccleſ.* l. 5. c. 22. Chryſoſtomum in *Matth. Homil.* 15. c. 51. Alios, inter quos Gerſon *Part.* 2. *de Nuptiis Chriſti & Eccl.* *Quid vult*, inquit, *conſtitutionum multiplicatio*, *Evangelio nec cognito nec obſervato? Sciatur imprimis & ſervetur Evangelium* &c. Ut verò in aliis, ita etiam in hiſce perversè æmulati Eccleſiam Gentiles, cultum ſuum qualemcunque *Ceremoniis* ſimiliter ſuffulcire dum conati ſunt, eum penitùs illis obruerunt, & principali acceſſorium præferentes, in hoc ſolo omnem Religionis rationem conſtare plerique opinati ſunt. *Ceremoniarum* certè cultu Romam creviſſe, creditum eſſe olim, Livius refert, l. 6. c. 41. *Eludant nunc licet Religiones. Quid enim eſt, ſi pulli non paſcerentur? ſi ex cavea tardiùs exierint? ſi occinuerit avis? Parva ſunt hæc: ſed parva iſta non contemnendo, Majores noſtri maximam hanc rem fecerunt.* Et in *negligentiam Cærimoniarum et auſpiciorum*, cladem à C. Flaminio Conſule acceptam, rejectam fuiſſe, idem narrat l. 22. c. 9. Sed, hac de re alibi.

CÆREMONIARUM Magiſter, in Aula Pontificia: olim Archidiaconus erat, *Extrav.* c. 2. & *ſeqq.* Vide *Admonitor*, *Deputatus*, *Deſignator*, *Hieromnemon*, *Hypomnimiſcon*, *Memorialis*, *Rememoratorum*, *Suggeſtor*, *Teletarcha*, *Terminator*, apud Macros in *Hierolex.* Car. du Freſne & hic paſſim.

CÆRESI, & *Pæmani*, unà cum Eburonibus & Condruſis inter Belgas numerantur Cæſari l. 2. c. 4. qui *communi nomine Germanos appellari* tradit. *Cereſos*, & *Pemanos* aliqui meliùs forſitan ſcribunt. *Marianus Cheruſcos* illos mendosè, hos *Pemanos* appellat, & utroſque conjicit fuiſſe inter populos Leodicenſis Diœceſeos. *Oroſius* alteros *Ceroſos*, alteros *Cemanos* pro Pemanis nuncupat, veterum codicum Cæſaris fidem ſecutus; *Cæſos* & *Cemannos* auctor *Hiſtoria Miſcella* in membranis, qui Oroſium tranſcribere conſuevit. Cæreſos *Samſon* putat fuiſſe prope Leodicum, ubi hodieque locus nomen eorum ſervet, *Siré* vulgò dictus, aliàs *Sere*, vicus ad Moſam Leodico proximus: aut certè accolas Charis fluminis (*Cher*) extitiſſe ad Bulbionem verſus, à quo flumine nomen acceperint. Pæmanos verò exiſtimat eſſe pagi Famenenſis incolas, ſeu Famenenſes, *ceux du pays de Famene*, aut *Famune*, in Diœceſi quidem Leodicenſi, ſed in Ducatu Lucilburgenſi poſitos: apud quos ſunt Marca in Famenna, *Marche en Famune*, & Horteum in Famenſis, *Hont en Famune*, loca non procul à ſilva Arduenna diſſita. Hæ ſunt Samſonis conjecturæ, ſolâ nominum ſimilitudine ductæ, quô vix ullum eſt argumentum levius, ullum fallacius. Quanquam quæ *Cemanos* inter vel *Camannos*, atque *Famenenſes* nominum ſimilitudo videri poteſt? *Cemanos* enim vel *Camannos* ab *Oroſio* & in *Hiſtoria Miſcella* vocari diximus, qui à Julio Cæſare *loc. cit. Pæmani* nuncupantur: & literam quidem *P* in *F* mutari conſtat: *c* in *f* converſa nuſquam obſervo. Quæ analogiæ regula à fluvio *Chare* vel *Charo Cæreſos* deduci permiſit? *Charem* autem *Forimagius* ante annos 1070. hunc fluvium veteri ac receptô pridem nomine appellavit; *Charam*, *Charum*, & *Carum Frodoardus* ante annos ſeptingentos, ac *Sigebertus*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque B. Rhenanum *Rerum Germ. Nov-Antiqq.* l. 2. cum *Notis* Ottonis JCti.

CÆRETANORUM Emporium, hodie *S. Severa* eſt, pagus in ora maris Tyrrheni, cum turri, 5. milliar. à Cære in Occaſum in provinc. patrimonii D. Petri. 28. milliar. ab urbe Roma.

CÆRETANUS, qui *Cæres* Virg. l. 8. *Æn.* v. 597. *Ero Leand.* fluv. Hetruriæ, in Tyrrhenum excurrens. *Ferrar.*

CÆRETI, Germaniæ populi apud Cæſarem *loc. cit.* nunc *Ro-ponſes* appellantur Leodio, ubi arx *Ceroy* nuncupata ad Moſam. *Nomine* eſt *Vigenerio*. Vide etiam *Cereſi*.

CÆRETIUM, Umbriæ oppid. inter Spoletum & Nurſiam, à quo *Cerretani* appellati, totum orbem vanâ quôdam ac turpi ſuperſtitionis genere ludificantes, ob quam cauſam ferè perpetuò peregrinantur, familiâ, atque uxoribus domi relictis.

CÆROBRYX, Luſitaniæ urbs. *Ptol.* aliô nomine *Conimbria*.

CÆRON, Video eſſe viros doctos (inquit Bochart. l. 1. *Phaleg.* c. 3.) qui ab his diſſentire Joſephum putant, cum arcæ reliquias oſtendi dicit l. 20. *Jud. Ant.* c. 2. in regione Καρρῶν *Caron*, quam Adiabenes Rex Monobazus dedit Izati filio; χώραν δίδωσι Καρρῶν λεγομένην. Φέρει δὲ ἡ γῆ πλεῖστον τὸ ἄμωμον ἀγαθόν. Ἔστι δ' αὐτῇ καὶ τὰ λείψανα τῆς λάρνακος, ἐν ᾗ Νῶχον ἐκ τῆς ἐπομβρίας διασεσῶσθαι λόγος ἔχει, καὶ μέχρι νῦν ταῦτα τοῖς ἰδεῖν βουλομένοις ἐπιδείκνυται. Sed mirum, ni Joſephi Καρρῶν corruptum ſit ex Chaldæo קרדו *Cardon*, quô utitur *Jonathan*, unde Dionis Κάρδουα ὄρος. Idem certè ſolum deſcribi docet Adiabenes vicinia, & amomi feracitas, cujus proventu Corduene potiſſimum inſignis eſt. Strabo l. 16. Ἔστι γὰρ εὔδενδρος ἡ χώρα. καὶ ἱππεῖς, ὥστε καὶ αὐτὰ τρέφει καὶ ἄμωμα τὸ ἄμωμον. *Salluſtius* apud Philargyrium in *Virgilii Georg.* l. 4. v. 49. *Apud Corduenos amomum, & alii leves odores gignuntur*. Inde eſt, quod amomum modò Armenium dicitur, ut in *Dioſcoride*, *Plinio*, *Avicenna*, &c. modò Aſſyrium, ut in Virgilio *Eclog.* 4. v. 25.

------ *Aſſyrium vulgò naſcetur amomum.*

Et in Statio, *in Epiced. Pileti Urſi* l. 2. *Sylv.* 6. v. 88.

------ *Aſſyrii manantes gramine ſucci.*

Itemque in Silio, l. 11. v. 404.

Nec crinem Aſſyrio perfundere pugnet amomo.

Nic. Lloydius.

CÆRPERIS, Angliæ oppid. in Comitatu Southamptonienſi, quod *Portcheſter* vocant.

CÆRULEUM, inter Veter. pigmenta memoratur Plinio l. 33. c. 13. *Cæruleum, harena eſt. Hujus genera tria fuêre antiquitus: Ægyptium, quod maximè probatur. Scythicum, hoc diluitur facilè, cumque teritur, in quatuor colores mutatur, candidiorem, nigrioremve, craſſiorem tenuioremve. Præfertur huic etiamnum Cyprium. Acceſſit his Puteolanum & Hiſpanienſe ---- Tingitur autem omne & in ſua coquitur herba* (glaſto ſcil.) *bibitque ſuccum. Reliqua confectura eadem, quæ chryſocollæ. Ex cæruleo fit, quod vocatur lomentum, perficitur id lavando terendoque, & hoc eſt cæruleo candidius. Pretium ejus* XXIII. *in libras, cærulei* XVIII. *Uſus in creta, calcis impatiens. Nuper acceſſit & Neſtorianum, ab auctore appellatum. Fit ex Ægyptii leviſſima parte: pretium ejus* XL. *in libras. Idem & Puteolani uſus, præterquam ad feneſtras: vocant cælon. Non pridem apportari & Indicum eſt cœptum, cujus pretium* XVII. *in libras. Ratio in pictura ad inciſuras, h. e. umbras dividendas à lumine* &c. Et paulo pòſt, *Cærulei ſinceri experimentum in carbone, ut flagret: fraus viola arida decocta in aqua ſuccoque per linteum expreſſo in cretam Eretriam.*

CÆRULEUS Color, in purpura dilutiore, apud *eundem* occurrit, ubi in tribus purpuræ gradibus, conchylium ultimô locô ponens, illud in tres alios ſubdividit, quorum qui dilutiſſimi coloris eſt, in heliotropii flore conſiderari ait, quem florem alibi *cæruleum* appellat, *Dioſcorides* ὑποπόρφυρον, *Appuleius velut purpureum*. Secundam cum malva confert, tertium cum viola ſerotina: & hic ſubſtitit conchylium. Nam in purpura laus fuit ſumma, ut nigricans eſſet aſpectu. At in conchylio laudabatur pallor ſaturitate fraudatus, tantoque dilucidior, quantô magis vellera eſurirent, quæ in laudato Auctore reperias l. 9. c. 38. & 39. E quibus colligere eſt, conchylium medii fuiſſe coloris inter purpureum & cæruleum, atque ex utroque mixtum, cujuſmodi Indicum purpuriſſum, idem eſſe ſcribit, l. 35. c. 6. Et de panthærarum oculis Oppianus *Cynegetic.* l. 3.

* Γλαυκιόωντα ὄπα τε καὶ ἰνδαλμα φοινίσσοντα,
Glauci ſunt ſimul atque intus punicei.

Itaque de purpuriſſo ſcribens Plinius d. l. *Pingentes*, inquit, *ſandyce ſublita, mox ovo inducentes purpuriſſum, fulgorem minii faciunt. Si purpuram facere malunt, cæruleum ſublinunt, mox purpuriſſum ex ovo inducunt.* Ubi videtur *purpuræ* nomine conchylium intelligere, quod cùm fuerit ex parte cæruleum, non potuit aliter pingi, quàm cæruleô tabulæ ſublitô. Quò facit, quod Salmaſ. chalcanthum, non ab ære, ut volunt, ſed à purpura, dici ait, non à χαλκοῦ, ſed à χάλκης, ſeu κάλχης, per metathesin: ut χάλκανθος ſit à purpuræ flore dictum, ſcil. *cæruleo*. Is enim eſt chalcanthi color, ut idem Plin. docet l. 34. c. 12. Atque hoc purpuræ genus Hebræi תכלת, *thecheleth*, Chaldæi *thichla*, appellârunt, quem colorem eſſe *cæruleum* ab ipſis habemus. Itaque Græci veteres *hyacinthinum* reddiderunt, non à materia, ſed à colore, ut infrà videbimus. Rubra verò purpura, non ex conchylio facta, ſed ex illius cochleæ ſanie, quæ propriè *purpura* dicitur, iiſdem Hebræis ארגמן *Argaman* dicta eſt. Quod utrumque purpuræ genus, *ex Inſulis Eliſæ*, i. e. Græciæ in mari Ægeo, olim allatum eſſe, diſcimus ex Ezech. c. 27. v. 7. Et utrumque in ſummo pretio fuit. Quin *Argaman* fuiſſe colligas aliquantô pretioſius, ex eo, quod Danielis c. 5. v. 7. 16. 29. is, quem Aſſyriorum Rex ad ſummos honores vult evehere, non veſtiatur *thichla* ſed *argevanâ*. Certè non à *cæruleo*, ſed à *rubro* colore, purpuram commendari, Tyriam inprimis, ex Auctoribus novimus. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poſter.* l. 5. c. 10. & 12. ut & infrà paſſim: Plura verò de *Cæruleo* colore, apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 131. 201. 255. 1154 &c. nec non infrà in voce *Cyaneus*.

CÆRULEUS Fons; qui & aquæ Claudiæ, apud urbem Romam.

CÆSÆNA, urbs fuit Senonum, in Gall. Ciſalpina, nunc ditionis Pontificiæ, in Romandiola provinc. ad pedes montis, in cujus ſummo arcem habet ſatis munitam. Vix 10. milliar. à Sarſina, in Boream, & totidem à confinio M. Ducis Hetruriæ. Deficit indies.

CÆSAL-

CÆSALPINUS Andreas, Aretinus, docuit Piſis Philoſophiam, Romæ poſtea Clementis VIII. Medicus primarius, floruit. Scripſit compluta, de quibus vide *les Eloges* Antonii Teiſſier, vide & *Bibliogr. Curioſam German. ann.* 1667.

CÆSAR De hujus nominis origine ſunt opiniones eruditorum variæ. Nonnulli enim à *caſo* elephanto deducunt, quem Pœni, quorum lingua ex Syriacâ fluxit, nominant *caſam*, hoc eſt, ΑΓΡΙΟΣ. *Spartianus* quoque & *Servius* dicunt, vocatum primum hoc nomine C. Julii Cæſaris avum, qui in Africa elephantem interfecerit, *Cæſarem* linguâ Punicâ appellatum. Quibus aſſentitur Conſtantinus Manaſſes *p.* 71. Καίσαρα γὰρ ἐλέφαντα τοῖς Φοίνιξι καλοῦσιν. Nonnulli à *cæſarie*, cum qua primus in Juliorum familiâ in lucem prodiit Jul. Cæſar. Veriſimilior eorum ſententia, qui id nominis primum illi inditum exiſtimant, quia matris utero erat exciſus, etiamſi *Feſtus Pompejus* tales potiùs *Cæſones* appellandos exiſtimet. Multi hanc in ſententiam eunt. Suidas inprimis, qui inquit *in Julio*, Καῖσαρ, ὅτιν ὀνομάζονται οἱ Ῥωμαίων βασιλεῖς ἀπὸ τούτου τοῦ γεννηθέντος. Vide Faugerium in *Cæſar*, & Voſſium, in *Cæſones*. *Nic. Lloydius*. Addo, quòd Imperatores poſteà, creatum unum ex filiis vel nepotibus, vel ſanguine junctis, ad quem imperium transferre meditabantur, primitùs *Principem juventutis*; poſt, extinctâ ferè Cæſarum familiâ, *Cæſarem*: tandem *Nobiliſſimum Cæſarem* appellavêre. Cujus inſtituti primus Auctor fuit Octavius Augustus, apud Tacitum *Annal. l.* 1. *c.* 3. Exemplum in Nerone habemus; qui à Claudio *Princeps juventutis* dictus eſt. Et extant in Huberti Goltzii Auguſto numiſmata aliquot cum his inſcriptionibus: *C. L. Cæſares: Auguſti. F. Coſſ. deſig. princ. juvent.* In Ælio Vero, *c.* 2. qui ab Adriano adoptatus & *Cæſar* appellatus eſt &c. Joh. Roſinus infrà laudandus. Salmaſio *Cæſar* tantum primus appellatus eſt Cejonius Commodus, qui & *Ælius Verus*: Imperatoribus anteà nomine hôc exiſtente propriô. Tunc itaque primùm novum genus honoris in Rempubl. introductum, inquit, ut eſſent CÆSARES, velut candidati quidam Imperii, & deſignati ejus hæredes; Quæ eadem quoque jam Auguſto mens, cùm Cajum & Lucium ſuos *Principes juventutis* voluit appellari; ſed more ſuô in re nova uſitatum etiam in liberâ Republ. titulum uſurpavit: Pari civilitatis judiciô, atque titulum *Principis Senatus* ipſe ſibi vendicavit. Porro huic Vero ſimul cum appellatione *Cæſaris* tributa eſt facultas utendi coccinei pallii, præſente Hadrianô: & purpurâ etiam, ſed ſine auro, cujus antiquitatis auctor Commodus Imp. in *Epiſt.* ad Albinum. Hinc Spartian. *in Severo*, *c.* 14. *Cæſarem*, inquit. *Baſſianum filium ſuum Antoninum à Senatu appellari juſſit, decretis Imperatoriis inſignibus.* Cujus ritus primus auctor Hadrianus fuit, cùm Verum Cæſarem deſignaret. vide Caſaubon. & Salmaſ. *Not. ad loca cit.* & infrà in voce *Nobiliſſimus* Hodie ſimile quid habemus in *Rege Romanorum*, qui vivô Imperatore ſubinde eligitur, in ſpem indubitatam ſucceſſionis. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 23. Ex *Cæſar*, correptum eſt vel potius conciſum, *Czar*, quô titulô Moſcorum utitur Imperator, ut in hac voce videre eſt &c.

C JULIUS Cæſar, *Dictator perpetuus* fil. L. Cæſaris, ex Aurelia Cottæ filia, originem ab Julo Æneæ filio per Patrem, ab Anco verò Martio, quarto Romanorum Rege per aviam Marciam trahens, natus eſt die 12. Julii, A.C. 654. Urb Cond. 98. ante Chriſtum Natum primus Romanorum Imperator, vel ſecundùm egregios quoſdam Authores, primi, Auguſti nempe, anteceſſor: Hic omnem Galliam, quæ ſaltu Pyrenæo, Alpibuſque & monte Gebennâ, fluminibuſque Rhodanô & Rhenô continetur, novem annis in provinciæ formam redegit. Germanos, qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricatô aggreſſus, maximis cladibus affecit. Aggreſſus eſt & Britannos, ignotos anteà, ſuperatiſque pecunias & obſides imperavit. Deinde cùm obtinere non potuiſſet, ut ſui abſentis in Conſularibus comitiis ratio haberetur, arma in patriam convertit, neminéque repugnante Galliam Ciſalpinam, Picenum, Umbriam, & Hetruriam occupavit, Pompejumque Italiâ expulit. Poſt hæc in Hiſpaniam progreſſus, validiſſimas Pompeji copias, quæ ſub tribus legatis, Petreio, Afranio, & Varrone erant, ſuperavit. Pompejum funeſtiſſimô in campis Pharſalicis prælio vicit. Ptolemæum in Ægypto ſubegit. In Africa devicit Scipionem & Jubam, in Hiſpania Pompeji liberos. Triumphavit quinquies, primùm de Gallia, poſteà de Alexandria, deinde de Ponto, de Africa & de Hiſpania. Liberaliſſimus fuit omnium, & quidem poſt hos triumphos. Eum ſcribere, & legere ſimul, dictare & audire ſolitum accepimus, inquit Plin. *l.* 7. *c.* 25. Periit in Senatu à Bruto, Caſſio, & reliquis conjuratis 23. vulneribus die 15. Martii, An. 709. Urb. Cond. ætat. 56. ante Chriſtum Natum 43. Dictaturæ perpetuæ Annô 3. menſe 4. die 6. Olymp. 184. confoſſus; infinitis propemodum portentis mortem ejus antè denunciantibus, quorum bonam partem enumerant Virgilius & Ovidius: quorum primus Georg. *l.* 1. *v.* 465. hæc habet:

Ille etiam extinctô miſeratus Cæſare Romam,
Cum caput obſcurâ nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem.
Tempore quanquam illô tellus quoque & æquora ponti,
Obſcœnique canes, importunæque volucres
Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumque globos liquefactaque volvere ſaxa!
Armorum ſonitum toto Germania cœlô
Audiit: inſolitis tremuerunt motibus Alpes,
Vox quoque per lucos vulgo exaudita ſilentes
Ingens, & ſimulacra modis pallentia miris
Viſa ſub obſcurum noctis, pecudeſque locutæ,
Infandum! ſiſtunt amnes, terræque dehiſcunt,
Et mœſtum illacrymat templis ebur, æraque ſudant.
Proluit inſanô contorquens vortice ſylvas
Fluviorum Rex Eridanus, campoſque per omnes
Cum ſtabulis armenta tulit: nec tempore eodem
Triſtibus aut extis fibræ apparêre minaces,
Aut puteis manare cruor ceſſavit, & altè
Per noctem reſonare, lupis ululantibus urbes,
Non aliàs cœlô ceciderunt plura ſerenô
Fulgura, nec diri toties arſêre Cometæ.

Ovid. *Met. l. ultimô*, *v.* 782.

Signa tamen luctûs dant haud incerta futuri.
Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribileſque tubas, auditaque cornua cœlo
Præmonuiſſe nefas. Phœbi quoque triſtis imago
Lurida ſollicitis præbebat lumina terris.
Sæpe faces viſæ mediis ardere ſub aſtris:
Sæpe inter nimbos guttæ cecidêre cruentæ.
Cærulus & vultum ferrugine Lucifer atrâ
Sparſus erat: ſparſi Lunares ſanguine currus:
Triſtia mille locis Stygius dedit omina bubo,
Mille locis lacrymavit ebur: cantuſque feruntur
Auditi, ſanctis & verba minacia lucis.
Victima nulla litat: magnoſque inſtare tumultus
Fibra monet; cæſumque caput reperitur in extis.
Inque foro, circumque domos, ac templa Deorum
Nocturnos ululaſſe canes; umbraſque ſilentum
Erraviſſe ferunt: motamque tremoribus urbem.

Percuſſorum autem ferè neque triennio quiſquam ampliùs ſupervixit, neque ſuâ morte defunctus eſt. Damnati omnes alius alio caſu periêrunt, pars naufragiô, pars præliô; nonnulli ſemet ipſos eôdem pugione, quô percuſſerant Cæſarem, interemerunt. Sueton. *in Julio*, *c. ult.* Id verò mortis genus, inexpectatum ſcil. optimum ſemper Cæſar habuerat: & amicis quidem inter cœnandum rogantibus, quænam optima eſſet mors, reſponderat, ἀπροσδόκητος. Vitam ejus & res geſtas pete ex *Tranquillo* & *Plutarcho*. Quibus adde *Dionem*, *Appianum*, *Diodorum*, *Florum*, *Oroſium*, *Ammianum*, &c. De ſcriptis ejus alibi ſe *Lloydius* actutum pollicetur. Poſt eum Triumviri Reipubl. conſtituendæ creati, Lepidus, Antonius, & Auguſtus: quibus inter ſe paulò poſt colliſis Lepidus primùm ſummotus, dein Antonius ad Actium victus eſt, ſicque ſumma rerum ad ſuperſtitem Auguſtum tranſlata, de quo ſuprà.

L. CÆSAR, Dictatoris pater, Piſis dum calcearetur repentè interiit.

CÆSAR Octavianus, Roman. Imperator, vide *Auguſtus*.

C. CÆSAR, Poëta Tragicus & Orator, de quo ſic Tullius *in Bruto*: *C. Cæſar. L. F. & ſuperioribus & æqualibus omnibus præſtitit, oratorque fuit mininè ille quidem vehemens, ſed nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo ſuavitate conditior. Sunt ejus aliquot orationes, in quibus ſicut ex ejuſdem Tragœdiis lenitas ejus ſine nervis perſpici poteſt.*

L. CÆSAR, Caji Oratoris frater, & Conſul & Prætor fuit, ambo Syllam ſecuti, juſſu Marii interfecti ſunt.

L. CÆSAR, M. Antonii Triumviri avunculus, Pompejanarum partium, miſſus ab utraque parte quandoque orator de pace; poſtremò, inter proſcriptos ab Octavio interfectus fuit, cujus locô obtinuit M. Antonius, ut Cicero Octavii amicus proſcriberetur. Ejus filius L. Cæſar adoleſcens, à Julio Cæſare victore occiſus eſt.

CÆSAR, Vaſtaliæ Dux, æmulus Ducis Niveraiæ, Mantuani aſſerentis. *Cæſar Vindocinus*, fil. nothus Henrici IV. ex Gabrielide. Franciſcâ Lotharingâ, Mercurii Duciſſâ, A.C. 1609. ductâ, numeroſæ prolis parens, fortitudine & prudentiâ muneribuſque inclytus, obiit A.C. 1665. ætat. 71.

CÆSAR Aeſtinus, fil. Alphonſi, qui ex vilis fœminæ contubernio ab Alphonſo I. Ferrariæ Duce ſuſceptus dicebatur, patruele Alphonſo II. ſine maſculis hæredibus extinctô A. C. 1597. à Pontificio ſucceſſione excluſus. Imperialia tantùm feuda Mutinæ, Regii Lepidi, & Carporum obtinuit, Modernorum Aeſtinorum ac Ducum Mutinæ conditor. Vide Thuanum *l.* 119. & in voce *Cæſar* Eſtenſis.

CÆSAR Baronius, vide *Baronius*.

CÆSAR Borgia, Alexandri VI. ſpurciſſimi Patris nequiſſimus fil. Primò Cardinalis & Archiepiſcopus Valentiæ in Hiſpania, dein Purpurâ abjectâ, miles, cum Ludovico XII. Galliæ Rege expeditionem Mediolanenſ. meditante, fœdus iniit, ab hoc Dux Valentinus creatus, inde maritus Carlotæ, filiæ Albæ, Domini d'*Albret*. Hujus itaque armis ſubnixus, ſuos conatus perficere contendit, Regi non ubique fidus. Romandiolæ potiſſimâ parte occupatâ, aliiſque locis, in Italos Principes crudeliſſimus: Ad eas deinde ſubdolè coëmptorum Cardinalis Adriani Cornetti, cum Patre, cum convivio adhibitum venenô tollere, conſtituit. Sed uterque per miniſtri errorem, lethali liquore, quem merebantur, hauſtô, Pater mox extinctus eſt, Cæſar juventæ robore, poſtquam mulæ vivæ corpore diſſectô, ei ſe immerſiſſet, evaſit. Sub Pio III. Alexandri ſucceſſore, ab hoſtibus tandem non oppreſſus, apud Galliæ Regem perfugium habuit, quem tamen paulò poſt deſeruit, traditis Julio Pontifici quatuor locis, quæ ex tanto numero ipſi reſtabant. Hinc in Hiſpaniam miſſus & in vincula perpetua conjectus eſt. Quæ inſidioſè tamen effugit, ingenti librô intus plumbô repletô, quod Bibliorum ſpeciem repræſentabat, cuſtodi carceris impactô. Inde ad Johannem Albretanum, fratrem uxoris, Navarræ Regem ſe cùm contuliſſet, A. C. 1507. in quodam conflictu, occiſus eſt. Dicere ſolitus eſt, quoties per munificas indulgentias pecuniam à patre corraſam prodigè dilapidabat, *Germanorum peccata eſſe*. Guicc. *Hiſt. Italic. l.* 5. & 6. Marian. *l.* 27. & 28. P. Jovius, *in elog.*

CÆSAR Buſius, fundator Congregationis doctrinæ Chriſtianæ, natus eſt Cavallione, A. C. 1544. Cæcitatem ſibi immiſſam cœlitus tantâ animi æquitate tulit, ut illi amoliendæ nullum collyrium voluerit adhibere. Obiit A. C. 1607. Jacob. de Beauvais & Jac. Marcellus, *in ejus vita*. Gautier. 17. *ſec. Chron. p.* 848.

CÆSAR Eſtenſis, ab Alphonſo II. hæres inſtitutus, A. C. 1597. Ferrarienſi Ducatu Clementi VIII. cedere coactus eſt, Mutinô & Regiô ſolùm retentò. Ex Anna Virginia de Mediceis, pater Alphonſi, Ludovici, Hippolyti, aliorumque, & trium filiarum.

CÆSAR Sextius Paconianus Prætorius, audax, maleficus, omnium ſecreta rimans, delectuſque à Sejano, cujus ope dolus C. Cæſari pararetur. Quia indicium profeſſus fuit, ſummo ſupplicio eſt exemptus, Tacitus *l.* 6. *Annal. c.* 3. Poſtea tamen in carcere, ob carmina illic in Principem factitata, ſtrangulatus eſt. *Ibid. c.* 39.

CÆSAR Vopiſcus, cùm cauſam apud Cenſores ageret, campos Roſeæ Italiæ dixit eſſe ſumen, in quo relicta pertica poſtridie non appareret propter herbam. Varro *de R. R. l.* 1. *c.* 7. Idem totidem verbis habet Plinius *l.* 17. *c.* 4. Virg. *Georg. l.* 2. *v.* 201.

Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.

CÆSARAUGUSTA, Hiſpaniæ Tarraconenſis civitas, *Auguſta Cæſarea Ptolemæo* ac *Straboni*, ab Auguſto ad Iberi amnis ripam eô locô fundata, quo *Salduba* oppid. antea ſitum erat. Hæc Prudentii Poëtæ patria fuit, hodie autem *Saragoza* dicitur. longitud. 20. 20. latitud. 42. 30. Aragoniæ primaria eſt, Archiepiſcopalis cum ponte ad Iberum fluv. Academiâ inſignis. Deficit in dies. Regum Aragoniæ olim ſedes, & juxta illam Iberus fluv. recipit Guervam & Gallæcum amnes, 48. leuc. Hiſpan. à Valentia, 46. à Barcinone, à Burgis 42. Toleto 54. ab Herda in Circium 20. 10. ab Hueſca in Occaſum, 12. à Bilbili in ortum 14. à Turiaſone in Eurum. *Baudrand.* In planitie ſedet amœniſſima. Templum ibi celebre, *Noſtra Sennora del Pilar*, ſuprema Curia, &c. Hic Concilium A. C. 381. quô Priſcillianus condemnatus eſt, cum ſectatoribus ſuis, quorum tum ingens in Hiſpania numerus. Porrò A. C. 516. 592. 691. Prudentius *in periſt. Hymn.* 7. *v.* 3.

Cæſaraugustam vocitamus urbem,
Res cui tanta eſt.

CÆSAREA, inſul. maris Britannici, *Antonin.* Normanniæ olim pars, quæ *Jerſey* dicitur *Camdeno*. Nunc Suthamptoniæ provinc. Angliæ annexa, cum Angliæ Regi ſola ſuperſit una cum Garniſeia ex avita hæreditate Ducatus Normanniæ, à cujus ora vix 5. leuc. diſtat. 12. habet Parochias, & caſtrum *Montorgueil* in ejus ora Orientali.

CÆSAREA, & AUGUSTA, Ciliciæ urbes. *Ptol.*

CÆSAREA, cognomentô Magna, quæ & *Mazaca* prius, *Tiberia* & *Cæſar* à Tiberio nominata, urbs Archiepiſcopalis Cappadociæ ad Melam fluv. & montis Argæi radices, cui D. Baſilius Magnus præfuit Epiſcopus. Straboni *l.* 12. & Stephano olim etiam *Eudeſſa Parthemana*. Poulem *p.* 2. *c.* 8. etiam Apamia, hodie *Keſeron*: *Cæſarea* item *Ptolemæo* prius Anazarbum, alius Anazarbus, urbs Ciliciæ eſt. Item urbs Bithyniæ. *Ptol.*

CÆSAREA, pagus Germaniæ apud Ingolſtadium in Bavaria, vulgò *Re burg*.

CÆSAREA, Mauritaniæ urbs. Plin. *l.* 5. *c.* 3. *Cabo Figalo Pineto*. In Africa. Celebris in Hiſtor. Rom. Afris dicta *Tegudent*, ſeu vetus urbs, à Califis deſtructa, A. C. 959. Rudera magnitudinem loquuntur. Sub Arabibus, divitiis Academiiſque, unde Poëtæ & Philoſophi excellentes prodierunt, inclyta. Strabo *l.* 17. Marmol. *l.* 5. *c.* 54. Eam Bocchi Regiam facit Solinus *c.* 25. *Cæſarienſi coloniæ Cæſarea ineſt, à D. Claudio deducta Bocchi prius Regia, poſtmodum Jubæ indulgentiâ populi Romani dono data.* Sed Jubæ Regiam fuiſſe, tradunt *Plinius*, *Strabo*, *Pomponius*, alii. Nec etiam Cæſarea data eſt Jubæ, verùm tota Mauritania, quæ prius Bocchi fuerat, idque non à Populo Roman. ſed ab Auguſto Cæſare. Plin. *l.* 5. *c.* 2. *Namque duo Regum nomina obtinuêre, ut Bogudiana appellaretur, itemque Bocchi; quæ nunc Cæſarienſis.* A *Cæſarea* videl. quæ toti provinciæ nomen dedit; poſtquam à Juba inſtaurata, *Cæſareaque* nomine acceptô, ſede ejus Regiâ nobilitata eſſet: cùm antea ignobile fuiſſet oppidum, *Jol* nomine, uti ex Mela diſcimus, *l.* 2. *c.* 6. Vide quoque Strabonem *l.* 17. Coloniæ poſteà jure donata eſt à Claudio Cæſare deductis in eam veteranis: Salmaſ. *ad Solin. p.* 309.

CÆSAREA, inter Ravennam & Claſſem oppidum, aut potius ſuburbium, ut eſt apud *Jornandem*. *Blondus* & *Rubeus* tradunt Monaſterium *S. Mariæ in portico* hodie ibi extare; idem ſcribit *Leander*.

CÆSAREA, Pannoniæ ſuperioris oppidul. *Thata*, teſte Laziô, in Hungaria.

CÆSAREA, nomen templi Alexandrini, in Ægypto, de quo multa habet Eutychius Patric. ut infrà videbimus, ubi de *Michaële Archangelo*.

CÆSAREA Julia, vide *Julia*.

CÆSAREA Palæſtinæ, quæ & *Turris Stratonis*, & *Apollonias*, urbs Archiepiſcopalis ac, poſt Hieroſolyma, primaria, inter Ptolemaidem ad Boream 40. & Joppen in Auſtrum 30. mill. paſſ. ab Hieroſolymis 50. in Occaſum, & Cicenum, prorſus jacens in litore maris. Ab Herode, in honorem Cæſaris, ædificata, in qua idem in ejuſdem honorem magnificam domum è marmore conſtruxit, ubi nepos ejus ab angelo percuſſus, eò quod non dediſſet honorem Deo, conſumptus à vermibus expiravit. Actor. *c.* 12. *v.* 23. In hac Cornelius Centurio à Petro baptizatus eſt. Magnificentiam hujus urbis proliſè deſcribit Joſephus, *Jud. Ant. l.* 15. *c.* 13. *l.* 4. *c.* 9. Poſtmodùm Metropolis Palæſtinæ, nomine *Coloniæ Romanæ* honorata, quòd Veſpaſiani copias humaniter tractâſſet. Creditur Agabi Prophetæ patria; ab Euſebio, Theophilo, &c. illuſtrata. Euſeb. *l.* 5. *c.* 22. Beda *de æquin. verno*. Hic à Gentibus Judæi omnes, ad XXM. occiſi, quam cladem ulturi, dum vicos Syrorum vaſtabant, gentes in ſe exaſperârunt, A. C. 66. Origenes hic docuit, A. C. 222. Ibi Synodus, propter Paſchatis celebrationem, ab hoc Theophilo, & A. C. 334. ob Athanaſium, Tyrum tranſlata. Tom. 2. Conc. Expugnata eſt à Mahavia, poſt 7. annor. obſidionem, A. C. 651. longitud. 66. 55. latitud. 32. 20.

CÆSAREA Paneas, oppid. Phœniciæ, alias Πανεὰς ſimpliciter. *Stephanus*, Πανεὰς, πολίχνιον Φοινίκης: *à l'aurade*, Jordanis fonte ex gemmis alieno, qui in hac urbe oriebatur. Plin. *l.* 5. *c.* 18. de urbibus Decapolitanæ Syriæ, *Intercurſant cinguntque has urbes Tetrarchiæ, regionum inſtar ſingulæ & in Regna contribuuntur, Trachonitis, Paneas in qua Cæſarea cum ſupradicto fonte, Abila, Arca, Ampeloeſſa, Gerbe.* Nomen *Cæſareæ*, ei Philippus Tetrarcha, in honorem Cæſaris, impoſuit, poſtquam eam reſtauraſſet: hanc enim illi Herodes Magnus reliquerat cum Trachonitide, Batanea & Auranitide, ut illas nomine *Tetrarchiæ* haberet. Unde & *Cæſarea Philippi* dicta eſt &c. Vide Joſeph. *Jud. Ant. l.* 15. *c.* 13. Salmaſ. *ad Solin. p.* 575. *& ſeqq.* ut & in voce *Cæſarea Philippi*.

CÆSAREA Philippi, à Philippo filiô Herodis, in honorem Caligulæ, reſtaurata, prius *Paneas*, urbs Palæſtinæ apud ortum Jordanis fluv. in finibus Cœleſyriæ. *Belina G. Tyrio*, *Poſtello & Brocardo*, *Balbec Bellonio*. Occupata eſt, à Fulcone Baldoini ſucceſſore, Saracenis ad Antiochiam victis, A. C. 1135. Guil. Tyr. *l* 14. P. Æmil. *l.* 5. Recepta à Noradino, poſt victum Raimundum, cùm Almericus in Palæſtina rerum potiretur. A. C. 1169. Tyr. *l.* 19. &c. longitud. 67. 40. latitud. 33. 00.

CÆSAREA Ponti, urbs Aſiæ minoris Epiſcopalis. Vide *Neocæſarea*.

CÆSAREA Inſignia, ab Imperatoriis diſtincta, qualia fuerint, ex parte vidimus ſuprà. Ut alia quædam addam, *Cæſares* diademate uſos fuiſſe, negat Vir doctiſſimus, & nummi ſunt, in quibus nudâ faſciâ aut tæniâ caput cinguntur, ut Conſtantinus Junior in eo, qui inſcriptionem præfert, PRINCIPI JUVENTUTIS. At in aliis coronâ radiatâ cincti & ii viſuntur, ut Conſtantinus Chlorus in compluribus, prætereà Licinius Junior in altero, cui inſcriptum, VIRTUS EXERCIT. & Conſtantius Conſtantini M. filius in aureo, cujus averſa pars typô caret. Denique Juliani *Cæſaris* caput, eôdem, quô is poſtmodum Imperator uſus eſt, diademate, duplici ſcil. margaritatum lineâ, cum lapillo ad frontem grandiori, exornatum exhibet ejuſdem votorum Quinquennalium nummus. Idem evincit nummus Conſtantini M. à *Triſtano* & *Gretſero* deſcriptus, in quo Criſpus & Conſtantinus Junior filii, cum gemmato diademate repræſentantur. Sed & diadema *Cæſaribus* tribuunt *Zonaras*, *Theophanes*, *Manaſſes*, *Glycas*, alii, ut obſervatum Carolo du Freſne *ad Joinvill.* ubi de Imperatorum ac Regum coronis, accuratè multa congeſſit. Idem firmat prætereà Euſebius *de Vita Conſtantini l.* 1. *c.* 18. Nam quod ex Scriptoribus aliis diadema ſoli Auguſto faſtigio vindicatur, id verum omnino: cùm in Auguſtis Imperatoriæ, in *Cæſaribus* Cæſareæ dignitatis Symbolum haberetur. Vide eundem Car. du Freſne *Diſſertat. de inferior. ævi Numiſm.* ubi *Cæſareæ* dignitatis, ab Imperatorio apice diviſæ primordia arceſſit, à principatu Trajani, à quo cùm Hadrianus adſcitus eſſet ad imperium, *diviſa nomina Cæſarum* atque *Auguſti* ex *Aur. Victore*, quod & Salmaſ. facit *ad Hiſtor. Aug.* Ibidem de *Cæſareis* inſignibus plura.

CÆSAREANUM Nomen, apud Jul. Capitolin. in *Clodio Albino*, *c.* 3. quid ſit, vide ſuprà in *Cæſar*.

CÆSAREENSIS, vide *Theodorus*.

CÆSAREOPOLIS, Urbs Hungariæ ſuperioris in Comitatu Zepuſienſi, juxta Carpathum montem, in finibus Hungariæ & Poloniæ, cum arce 2. milliar. à Leutſcha, 8. ab Epperia in Occaſum; vulgò *Kermarckt* ſeu *Keyſermarckt*.

CÆSARIANI & CÆSARIENSES, dicuntur Officiales Procuratoris Cæſaris, qui & *Catholiciani*, *l. prohibitum & l. defens. C. de jure Fiſc. lib.* 10. *& l. penult. fin. C. de bonis proſcr.* Rationes illi fiſcales tractabant & bona ad Principem devoluta, velut vacantia, occupabant. Vide titulum *de Cæſarianis Cod. Theodoſ. l.* 7. & Arrianum *in Epictetum l.* 3. *c.* 24. Cujacius hinc deductam vocem Gallicam *Sergens* & Germ. *Scharpanther* deducit *ad l.* 7. *Cod. de Jure Fiſci*. Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* & Car. du Freſne in *Gloſſar.* uti de titulo eorum honorario, infrà voce *Egregiatus*.

CÆSARIATI equis Numidæ, memorantur Tertulliano *de Pallio c.* 4. *Unde apud aliquos Numidas, etiam equis cæſariatos, juxta cutem tonſor & cultro vertex ſolus immunis*; Ubi Carthaginenſes alloquens, dicere vult; Unde apud nos, qui vicini Numidis, & pæne Numidæ eſtis, juxta cutem tondendi mos inolevit, cùm Numidæ vicini veſtri, non tantùm naturalem Cæſariem alant, ſed etiam alienâ *Cæſarie*, equinis nimirum jubis, caput ornare ſoleant. Non itaque hæc verba ſic accipienda, ut Numidæ non ſuam tantùm, ſed etiam equorum cæſariem aluiſſe dicantur: Nam neque *Cæſaries* de equis dicitur; nec ſi diceretur, ſoli Numidæ illam nutriiſſent, ſed & illi Græci quoque, quorum tonſuram hic Carthaginenſibus exprobrat Tertullianus. Nempe, cùm Græci elegantiores ſtrictim tonderentur: Numidæ contraria omnia ſequuti, non ſolum capita ſua non tondebant, nec ſtrictim, nec per pectinem, ſed etiam præter naturalem cæſariem, equinas caudas, quaſi alteram cæſariem, in capite geſtabant. Hoc eſt, quod Scriptor hic ait, *Numidas equis cæſariatos eſſe*, equinis ſcil. jubis aut caudis criſtatos. Poëta,

— criſtaque hirſutus equinâ.

Γαυσάπης Græci hujuſmodi criſtam vocant. Fecerunt autem id Numidæ, utpote militares: militare enim Cæſariem alere. Unde, cùm ingenui & palæſtrici adoleſcentes *comâ circumtonſâ*, ſeu *cum capil-*

capillatura in orbem tonſâ, ad inſtar coronæ, quam ... , item ... Græci vocabant, introducerentur in Comœdia: Milites *cæſariati* erant, ut colligere eſt ex Plauti *Milite glorioſo*, *Act.* 3. *ſc.* 1 v. 172. Hinc ... appellati, quòd longam comam quaterent. *Pollux*. Vide Salmaſ. *Not. ad loc.*

CÆSARIENSIS Colonia, Jubæ olim Regia fuit, uti ſuprà vidimus. Hinc toti provinciæ, ſeu Mauritaniæ interiori, quæ olim ſub Boccho fuerat, nomen: quæ *Cæſarienſis* abſolutè vocatur Solino *c.* 32. *Deinde in Cæſarienſis pede* (Nilus) *prorumpens amplior, eadem indicia præfert* &c. ubi *pedem* pro tractu vel limite poſuit. Vide in voce *Mauritania*.

CÆSARIES, Græcè ..., à *cædendo*, hinc de viris tantùm; & quidem de capite præcipuè. Hanc Deo devovendi ritus, occurrit inter Nazaræatus Leges, Numer. *c.* 6. *v.* 5. *Omnibus diebus voti Nazaræatus ſui novacula ne tranſito ſuper caput ejus* (Nazaræi) *uſque dum compleantur dies illi* —— *ſanctus eſto, ſinendo creſcere comam, capilli capitis ſui*: Quod tantâ religione obſervatum, ut nec unicum quidem pilum abradere vel evellere fas foret, niſi tempore voti peractô. Quô factô attondebantur oblatóque ſacrificio, votivam *Cæſariem*, tanquam rem ſacram, in peculiari Templi conclavi concremabant. Durabat autem votum ferè ad certum tempus: quod ſi expreſſum non foret, menſtruum erat, uti Judæi colligunt, ex Numer. *c.* 6. *c.* 5. Alia ratio nativorum fuit Nazaræorum, inter quales Simſon primus erat, unus ex ultimis Iſraelitarum Judicibus, Judic. *c.* 13. *v.* 7. cui proin *Cæſaries* in immenſum crevit, ut in ſeptem criſtes ſeu ſertas diſtingui neceſſe habuerit; ... dicuntur Judic. *c.* 16. *v.* 13. *Qui dixit ei, ſi attexueris ſeptem cincinnos capitis mei ad jugum textoris* & *v.* 19. *accerſivit quendam* (Delila) *ut abraderet ſeptem cincinnos capitis ejus*. Sed *ſertas* propriè fuiſſe crinéſque plexos, docet *Burmannus*: cujuſmodi ... Nazaræorum cæſaries habuiſſe videtur, ut & coma Abſolonis, de qua videre eſt 2. Sam. *c.* 18. *v.* 9. Quemadmodum *ſeras crinibus ornatas olim matronas*, apud *Feſtum* legimus, h. e. ſepis comarum ordinibus in funes vel ſeitas nexis: qui vetuſtiſſimus earum ornatus fuit. Nempe cùm mulieri ornamento ſit coma promiſſa, viro dedecori, muliebri modò capillos promittere jubebantur Naziræi, ad majorem ſui humiliationem & abnegationem, uti docet Franc. Burmannus *ad locum Numerorum cit.* Quod verò modò de *Cæſarie* Simſonis dictum, in qua ſymbolicè inexpugnabile ejus robur conſiſtebat, id, ut plura è Sacris alia, Fabula ad Niſum tranſtulit Megarenſium Regem, de quo Ovid. *Met.* l. 8. v. 9

> —— —— *cui ſplendidus oſtro*
> *Crinis inhærebat magni fiducia Regni.*

Et paulo pòſt, v. 85.

> —— —— *fatale nata Parentem*
> *Crine ſuum ſpoliat.*

Ubi *fatalem* vocat, quòd urbis regnique fata in eo conſiſtere crederentur &c. Sed & de barba vox occurrit apud Stat. *Theb.* l. 2. v. 96.

> *Tireſiæ vultus vocemque & vellera nota*
> *Induitur, manſêre comæ propexaque mento*
> *Cæſaries.*

Et Ovid. de Æſculapio, *Met.* l. 15. v. 653.

> *Cùm Deus in ſomnis Opifer conſiſtere viſus*
> *Cæſariem longa dextrâ deducere barbæ,*
> *Et placidò tales emittere pectore voces.*

Utrumque junxit idem Statius *Theb.* l. 6. v. 193.

> *At genitor* —— ——
> *Injicit ipſe rogis tergóque & pectore fuſam*
> *Cæſariem ferrò minuit, ſectáque jacentis*
> *Obnubit tenuia ora comâ.* ——

Ubi ritum indigitat cædendi & funeri imponendi capillos, iiſque os ſepulti obnubendi, de quo ubertim ſcripſère, Kirchmannus *l.* 2. *c.* 15. J. Gevartius *ad Silvas p.* 235. Jo. Wowerius *ad Petronium p.* 456. Delrius *ad Senecæ Hippolytum v.* 1177. Paſſeratius *ad Propertium l.* 2. *El.* 27. Alii. Vide quoque hîc paſſim in vocibus *Cæſariati*, *Capilli*, *Coma*, *Crines*, *Funus* &c. Addo hoc unum, quòd Indis omnibus *promiſſam* cæſariem, *non ſine fuco cærulei aut crocei coloris*, ſcribit Solin. *c.* 65. de qua eorum, aliarumque gentium circa comam barbamque cura, vide præter modò laudatos Auctores, Tiraquellum *ad Alex. ab Alexandro Genial. Dier. l.* 5. *c.* 18.

CÆSARINUS Julianus, vide *Julianus*.

de S. CÆSARIO Hugo, vide *Hugo*.

CÆSARION, J. Cæſaris ex Cleopatra filius, juſſu Auguſti occiſus. Sueton. *in Cæſare c.* 52. & *Auguſto c.* 17.

CÆSARIS Arx, ..., ad Tanaim Sarmaticum locus, memoratus *Ptolemæo*, de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 790.

CÆSARISBURGUM, quod aliàs *Cæſaris Burgus*, hodie *Cherbourg* oppidum, vel potiùs munimentum maritimum, in pago Conſtantino, ad rivulum in Oceanum influentem. Non tam à Cajo Julio Cæſare, cui per novem annos bellum in Gallia gerenti non vacavit ullas ibi colonias condere, ulla loca ædificare, quàm ab Auguſto Cæſare, in prioris vel ab incolis aut militibus Romanis præſidiariis, in Auguſti ipſius, qui poſt adoptionem Julius Cæſar dictus eſt, honorem appellatum. Sæpe etiam obſervatum, ex caſtris exercituum Romanorum poſteà ab incolis facta eſſe caſtella, ut etiam de Juliobona Caletorum, de Sacro Cæſaris in Biturigibus, & de Juliaco Ubiorum dici fortaſſe convenit. *Caſtellum Caruſburc*, i. e. Caruſburgus vocatur à Richardo III. D. N. A. C. 1026. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CÆSARISTA, Græcis recentioribus dicta eſt Cæſaris uxor: ſicut *Sebaſtocratiſſa*, uxor Sebaſtocratoris & *Panhyperſebaſta*, uxor Panhyperſebaſti. Vide Macrum in voce *Sebaſtocrator*.

CÆSARIUM, Ægypti emporium. Strabo *l.* 17.

CÆSARIUS, Conſul, Attici collega. an. Urb. Cond. 1150.

CÆSARIUS, frater Nazianzeni, poſt Mammertinum, theſauri præfectus, à Juliano Apoſtata creatus, abdicavit ſe munere, à fratre monitus: ſed antequam ad Patrem reverteretur, Julianum publicâ diſputatione, ſolidè Idolorum vanitate demonſtratâ, confudit, exclamante Juliano, *ô felix Pater, ô infelices liberi*. Quæſturam porrò à Valente Imperatore ſibi oblatam, exercuit Niceæ, tempore horrendi illius terræ motus, A. C. 368. quô urbs ſubverſa, unde ille miraculô liber evaſit. Tribuuntur ei ſcripta quædam, quæ fratris S. Gregorii eſſe videntur, Niceph. Calixtus, *l.* 12. *c.* 24. Phot. *Bibl. Cat.* 210. Suidas, Gregor. Nazianz. *in oratione*, quâ Cæſarium laudat, & Jacob. Byllius, *præfat. in decim. Orat. Gregorii.*

> *Præſule Patre ſatus clarô, non Cæſaris ara*
> *Perdomuit, certas ſollere nolle fidem.*
> *Non ſceptrum, ſævaque minas expaluit, orbis*
> *Ipſe quibus totus ſubdita colla tulit.*
> *Sed Patris Fratrisque ardens imitator, Olympo*
> *Poſthabuit terra munera, ſceptra, minas.*

CÆSARIUS, Epiſcopus Arelatenſis A. C. 560. Coram Alarico Rege accuſatus colluſionis cum Burgundis, innocentiam clarè probavit. Scripta ejus ſacra, tomo 9 Bibliothecæ Patrum inſerta reperiuntur. Obiit A. C. 544. Gennad. *in Catal. c.* 86. Sigeb. *c.* 119. Trithem. & Bellarm. *de Script. Eccl.* *Gregor. Turon.* *Florianus*, *Ventius*, *Barius*.

CÆSARIUS, Ciſtercienſis, ſeculò 13. ſcripſit 12. *libros miraculorum illuſtrium, & Hiſtoriarum memorabilium, cum vita S. Engelberti, Archiepiſcopi Colonienſis*, Trithem. *in Catal.* Innocentius *Cæſarius*, Præpoſitus Eccleſ. Brixienſis, ſcripſit *miſeriam hujus urbis, à Gaſtone Fuxio A. C.* 1512. *paſſis Venetis occupatæ*. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10.

CÆSAROBRICENSES, Luſitaniæ populi Plin. *l.* 4 *c.* 22.

CÆSARODUNUM. Apud *Claudium Ptolemæum*, Turonum, qui ... pro ... mendosè dicuntur, urbs eſt Cæſarodunum, ... in Galliâ Lugdunenſi: in tabula *Theodoſiana*, quæ vulgò *Peutingeriana* nuncupatur: ſimiliter *Cæſarodunum*, h. e. Cæſaris mons, nomine Latinogallicô parum conveniente urbi in planitie poſitæ. Dunum enim Gallis collem locumve eminentem ſignificâſſe docet *Clitophon*. Apud *Magnentium Turonum*, *Cæſarodunum*, i. e. Turoni aut Turonum, cujus caput Cæſarodunum. *Ammiano Marcellino*, cujus ætate duæ tantùm Lugdunenſes provinciæ erant, urbs nomine Gentis appellatur *Turoni* corruptè pro *Turoni*, & in Lugdunenſi ſecunda ponitur: Severo Sulpicio *de Vita S. Martini*, *Turoni*; *Turoni Galliæ civitas*, & Proſpero *in Chronico*, & Gregorio *in Hiſtoria Francica*, aliiſque paſſim noſtris ſcriptoribus, vulgò *Tours*. In Notitiis veteribus provinciarum civitatumque Galliæ nuncupatur *provincia Lugdunenſis tertia Metropolis civitas Turonorum*, nonnunquam *civitas Turonorum*. (Nam interdum Turoni pro Turonis ſcribebant pronunciabantque) Paulino *in l.* 3. *de Vita Martini*, *Turonorum urbs*, *civitas Turonum* Sulpicio *in l.* 3. *de Vita S. Martini*: Gregorio noſtro nunc *civitas Turonica*, nunc *urbs Turonica*, qui & urbis totiuſque adeò pagi Turonici incolas & habitatores *Turonicos* ſemper appellat: & Turonos *in l.* 5. *Hiſt. c.* 14. vocat *montem civitatum*, *quæ ſuper Ligeris alveum ſita eſt in dextra ejus parte*, in dextra utique Ligeris ripa adverſô flumine navigantibus, non autem ſecundò amne defluentibus, ut fieri ſolet, ut mare petentibus. Aimoinus *in l.* 1. *Hiſtoriæ Franc.* de urbe Turonis ſic ſcribit: *Urbs Biturica atque Turonica ſecundùm Oroſii diſſinitionem, qui Aquitaniam à flumine Ligeri uſque ad Pyrenæos determinat montes, quamque moderni ſequuntur, non in Celtica Gallia, ſed magis in Aquitanica ſunt provincia.* Et de civitate quidem Biturigum nemo unquam dubitavit, in Aquitania eam cum Gente ſua eſſe: ſed de Turonis alibi obſervavi, & Gentem majori ex parte ſitam trans lævum Ligerim, & caput Gentis ſiniſtræ ripæ Ligeris appoſitum, Aquitaniæ magis quàm Celticæ vel Galliæ Lugdunenſi attribui oportuiſſe, ſi à Romanis Gallias dividentibus exacta cujuſque provinciæ finium ratio habita eſſet. Paulinus *in l.* 11. *de Vita S. Martini*, multum laudat Turonos paucis, ita tamen ut ſuâ ætate defeciſſe indicet. Nam qui urbem aliquam *valde quondam floruiſſe & populo refertam fuiſſe* ait, apertè docet fortunam ejus eſſe mutatam, nec jam eam opibus ut quondam incolarumque multitudine florere. Verba Paulini ſunt,

> *Gallorum quondam valde florebat in ora*
> *Urbs Turonum, diſtenta agris populoque referta.*

Hæc urbs Comites quondam ſuos habuit, deinde etiam Duces. Willelmus Brito *in l.* 3. *Philippidos*, ſitum civitatis Turonum exponit his verſibus,

> *Inde iter accelerat Turonis feſtinus ad urbem,*
> *Quam geminum amnis flumen circumfluit undâ*
> *Hinc Liger, hinc Carus. Medio ſedet inter utrumque*
> *Clara ſitu, ſpecioſa ſolo, jucunda fluentis,*
> *Fertilis arboribus, uberrima fruge, ſuperba*
> *Cive, potens Clero, populo numeroſa, referta*
> *Divitiis, lucis & vitibus undique lucens.*
> *Quæ cùm ſit Britonum caput & metropolis, omnes*
> *Biſtinas ſub ſe cathedras latitare habere.*

Sanè eſt inter Ligerim & Carum fluvios poſita urbs Turonum & pars Cari foſsâ deducitur Turonos. ac Carus non minùs 15. paſſuum millibus infra Turonos in Ligerim effluit. Guillelmus Fo-

ſtellus

ſtellus nullâ veterum auctoritate fretus Cæſarodunum Turonum *Auguſtam Turonum* appellavit, non magis ſequendus, aut non minùs ridendus, quàm qui Genevam oppidum Allobrogum noviſſictiſque nominibus nunc *Aureliam*, nunc *Coloniam Allobrogum* nuncupant. Ætate Gregorii aberat à civitate paſſus 550. Baſilica S. Martini nomine & tumulô illuſtris: Quæ ne Normannorum incurſionibus diſperiretur, muris & turribus eum locum totum cingi munirique placuit. Munitionem hancce *Caſtrum Novum*, nonnulli & *Martinopolim* ſeu Martini urbem nuncupavêre, eò confluentibus & ibi ſedem capientibus plurimis ob virtutem ſancti Martini. *Caſtri novi* meminit ſæpe præter cæteros Monachus Majoris Monaſterii in Geſtis Conſulum Andegavenſium ante annos 500. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Hic Joh. Turrtus Evangelii Miniſter jam ſeptuagenarius, in flumen præcipitatus eſt, A. C. 1562. Thuan. *Hiſt.* Vide quoque *Turo*.

CÆSAROMAGUS Bellovacorum. *Bratuſpantium oppidum* Bellovacorum, cujus Cæſar meminit, *l.* 2 *Bell. Gall. c.* 13. caput ipſum Gentis fuiſſe, quod poſteà *Cæſaromagum*, ac demum *Bellovacos* nomine Gentis appellaverint incolæ, exiſtimant *Joſephus Scaliger*, *Anton. Oiſelius J. C.* & *Nicolaus Samſon* aliique; quibus libens acceſſerim. Nam Cæſar *in l.* 2. *c.* 13. ſcribit, ipſo cum exercitu appropinquante, *Bellovacos ſe ſuaque omnia in oppidum Bratuſpantium contuliſſe*, tanquam nimirum in maximum munitiſſimumque oppidum Gentis. Oiſelius & Samſon eos irrident, qui ſolâ ſimilitudine nominis ducti, *Gratepanche* eſſe putant *Bratuſpantium* Cæſaris in Bellovacis: inter quos eſt *Maſſonus*. Certè Gratepance, vel ut Picardi pronuntiant *Gratepanche*, vicus eſt parvus & ignobilis, qualis ſemper fuit, in Ambianis ſeu in Ambianenſi Diœceſi, atque ab urbe Samarobriva Ambianorum 3. leucas abeſt; ita ut Ambianis, non Bellovacis attribui debeat quem vicum ſi Latinô nomine appellare quis voluerit, non aliter quàm *Crato-panticum* appellare poteſt ac debet. Qui Bratuſpantium putant eſſe Britolium, refelli non merentur. Nomen autem eſt Gallicum urbis Gallicæ Bratuſpantium: quô depoſitô, ea urbs à Julio Cæſare, cui traditis ſexcentis obſidibus armiſque omnibus ſeſe dediderat; aut certè ab Auguſto Cæſare, nominis ejus fortunæque ſucceſſore dicta eſt *Cæſaromagus* nomine ſemilatinô ac ſemiceltıcô. Itaapud *Ptolemæum Bellovaci, quorum urbs Cæſaromagus*, Καισαρόμαγος: in *tabula Theodoſiana*, quæ & *Peutingeriana* nuncupatur, *Cæſaromagus* prope Auguſtomagum; in *Itinerario* Æthici inter Samarabrivam & Auguſtomagum *Cæſaromagus* mediò ferè ſpatiô ponitur. *Item à Cæſaromago Luticiam uſque* M. P. 46. *ſic*: *Petromantalum*. (*Mante*) M. P. 17. *Briva Iſara* (*Pontoiſe*) M. P. 14. *Luticiam* M. P. 15. Eſt & in inſula Britannia *Cæſaromagus*, ab urbe Londinio millibus paſſuum 28. aut 31. diſtans: ſicut ibidem *Condate*, *Medrolanum*, *Noviomagus*, quæ ſunt nomina Galliæ oppidorum ac locorum. In *veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ* vocatur *civitas Bellovacorum*, nunc *civitas Belloacorum*, nunc *civitas Belvagorum* aut *Belvacenſium*; nonnunquam & *civitas Bellovagorum*: atque inter provinciæ Belgicæ ſecundæ urbes nonum obtinet locum; cùm ætate Julii Cæſaris Bellovaci virtute, & auctoritate ac hominum numerô Belgis omnibus præſtiterint. Ex quo apparet, tum eorum potentiam valde fuiſſe imminutam, qui Catalaunis, Camaracenſibus, Turnacenſibus, Silvanectibus etiam poſtponerentur, & ſolis Ambianis, Morinis, Bononienſibuſque præferrentur. Quanquàm ne in nona quidem ſede permanſêre, ſed poſteà in penultimum locum rejecti ſunt poſt Morinos & Ambianos, & ſoli Lauduno prælati, ut Gervaſius Tilleberienſis & recentiores Notitiæ Epiſcopatuum Galliæ docent. Legimus *in l.* 7. *Codicis Theodoſiani* legem Imper. Conſtantini, latam & *datam in civitate Velovacorum*, corruptè pro *Vellovacorum* aut *Bellovacorum*. Eadem urbs nomen proprium nomine Gentis, cujus caput erat, mutavit, & dici cœpit *Bellovaci*; ut Lutecia *Pariſii*, Durocortorum *Remi*, Juliomagus *Andicavi*, Auguſta Trevirorum *Treveri*, &c. *Civitas Belovagus* in veteri nummo Regio nuncupatur; *Belvagus* Aimonio inter urbes Belgicæ inclytas; *civitas Belvacus* Roberto in *Chronico Belvacum* Ivoni Epiſcopo Carnutenſi, qui *in Ep.* 264. *ad Ludovicum Regem Francorum*, Bellovacos vocat *populum, a quo poteſt Regia majeſtas præ cæteris urbibus Galliarum honeſtum habere ſervitium*. Vulgò *Beauvais* vocitant Noſtri, quæ urbs Epiſcopum ſuum, Comitem & Parem unum è 12. priſcis Franciæ Paribus habet, & ad flumen Taram eſt poſita, & Eccleſias continet ampliùs 30. Legimus cùm apud alios, tùm apud Johannem Pariſienſem *in Memoriali Hiſtoriarum*, regnante apud Francos Rotbertô *Comitatum Belvacenſem datum eſſe Rogerio Epiſcopo*. Addit Johannes, *Tempore eodem deceſſit in urbe Belvacenſi inclytus Epiſcopus Rogerius: qui dedit Eccleſiæ S. Petri cui præſidebat, Albacum in Normannia & Montiacum in Viromandenſi patria. Comitatum quoque Belvacenſem ab Odone Campanienſi Comite impetravit*, *datô ei pro commercio* (i. e. pro excambio vel commutatione) *caſtrô Sincerio*, (Sancerre) *in territorio Biturcenſi ſitô, quod ſibi jure patrimonii competebat*. Sic igitur ante annos circiter ſexcentos quinquaginta Epiſcopatui Bellovacenſi Comitatus acceſſit. Hæc eſt origo Comitatûs & Pariatûs Bellovacenſis, quô Epiſcopi Eccleſiæ Bellovacæ gloriantur. Comites autem ante annos 900. *Pares* abſolutè, aliàs *Pares Comitum* dictos eſſe obſervo, quod ipſi inter ſe pares eſſent, ac dignitate potentiâque æquales. Hoc nos docet Hiſtoricus, qui auctore V. I. Nibelungô Comite Childebrandi Comitis filiô, *de rebus geſtis Pippini Francorum Regis*, ſcripſit: cujus hæc verba ſunt, *Waifarius Princeps Mantionem Comitem partibus Narbonæ cum reliquis Comitibus tranſmiſit. Factum eſt autem ut Auſtraldus Comes & Galemanius itemque Comes cum Paribus eorum ad propria revertentur: hoc Mantio ſuper eos irruit. Galemanus & Auſtraldus ibidem Mantionem & univerſos Pares ſuos interfecerunt.* Item, *Chilpingus Comes Arvernorum in pago Lugdunenſi ad præliandum ambulare nitebatur, contra quem Adalardus Comes Cavalonenſis, & Auſtraldus Comes cum paribus eorum venientes*, &c. Hic ſcriptor Mantionem Comitem, quem *cum reliquis Comitibus miſſum* à Waifario dixerat, paulo pòſt eum *univerſis Paribus ſuis interfectum* eſſe tradit, i. e. cum *univerſis Comitibus*, collegis ſuis, quibuſcum miſſus fuerat. Auſtraldum idem & Galemanium Comites *cum Paribus eorum reverti* ait, h. e. cum aliis Comitibus, qui amborum *Comitum Pares* erant & expeditionis ſocii: ſicuti infrà quum Adalardum & Auſtraldum Comites *cum Paribus eorum* ad Chilpingum oppugnandum veniſſe dicit, *Pares utriuſque* Comitis haud dubiè alios Comites appellat, qui cum ipſis adverſus Chilpingum miſſi erant. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CÆSAROMAGUS, oppid. Angliæ in Eſſexia, *Chelmsford* Talboto. *Cambdenus* verò ſolum juxta *Brown ood* oppid. ejuſdem regionis eſſe autumat.

CÆSAROPOLIS, urbs Macedoniæ. Item, urbs in Palatinatu Rheni Imperial. ad amnem *Lauter*, prope Ducatum Bipontinum, arce & Præfecturâ gaudens. 6. leuc. à Spira in Occaſum, paulo minus à Wormatia, 2. autem ab oppido *Landſtul*. Gallis *Caſelautre*.

CÆSAROTIUM, vide *Cæſortium*.

CÆSENA, Galliæ Togatæ oppid. *Ptol. Ceſena* Plinio, *l.* 3. *c.* 15. nunc *Ceſenbrego* vocari ſcribit *Fabricius*; hinc *Ceſenates* populi & *Ceſenatia vina*. *Plin. l.* 14. *c.* 6. A *cædendo* dicta, uti volunt Grammatici, quòd exiguô amne cæſa, i. e. diviſa ſit, vel quod ager ejus duobus fluminibus Sapi & Rubicone ſit diviſus. Strabo *l.* 5. [illegible Greek] A *Procopio* Φρούριον tantùm, h. e. *caſtellum* dicitur: *Agathias* autem πόλιν, *urbem* vocat. Imo 270. annis fermè ante Procopium Antoninus bis, in 2. *diverſis Itinerariis*, *Civitatem* appellat, quod ille non niſi præcipuis urbibus tribuit. *Moretio* Cæſena urbs eſt ad fluv. *Savio*, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Ravennæ, in Romandiola. Hic Synodus, A. C. 1633. Vide Leandr. *deſcr. Ital.* de hac urbe, *p.* 303.

CÆSENNIUS Pætus, propetius Dux, in locum Corbulonis, à Nerone, in Armeniam miſſus. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 6. Sed rebus ibi flagitioſiſſimè geſtis turpique pace factâ Romam redux ſcommate à Nerone exceptus eſt, his fermè verbis *Ignoſcere ſe ſtatim, ne tam promptus in pavorem longiore ſolicitudine ægreſceret*. *c.* 25.

CÆSERVERUS, antiquitus *Caradoc* dictum. Angliæ urbs, quod vulgò *Sariſbury* dicunt. *Ubaldus*. Apud priſcos authores Latinos non videtur extare vocabulum.

CÆSIA Sylva, Tacit. *l.* 1. *Annal. c.* 50. *Heſerwald*, Germaniæ inferioris in Ducatu Clivenſi, apud Dinſlakam oppid. Chryſanthus.

CÆSIANUS Lucius, vide *Lucius*.

CÆSIM, quæ fit pugna, ἡ ἐκ καταφορᾶς μάχη, Polybio dicitur *l.* 17. de Romanis, [illegible Greek]: ſicut quæ punctim fit, ἡ ἐκ διαρσέως, *Ibid.* Eo quòd ex alto deferatur enſis, cùm cæſim ferire adverſarium cupimus. Eadem διαρσις, quòd brachium in diverſum pandatur & attollatur, ad ictum hôc modô infligendum &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1071. Vide quoque infrà *Punctim*, *it. Scramo*, & *Spathe*: etiam ubi de *Torneamentis*.

CÆSIUS, coloris genus, de quo vide infrà voce *Glaucopis*.

CÆSIUS, Poëta Latinus de quo Catull. *Epigr.* 14. v. 18. ubi inter malæ notæ Poëtas numeratur, cùm ait:

—— —— Cæſios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena. &c.

CÆSIUS Baſſus, Poëta Lyricus, Heroicus, ſub Galba & Nerone. Huic Perſius dedicavit *Satyr.* 6. Fabius ejus meminit *l.* 10. *c.* 1. Quibuſdam videtur Arati commentator. Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 22. & de *Poet. Lat. c.* 3. Hic in ſuis prædiis, ardente Veſuviô, cum villa conflagravit.

CÆSIUS Naſica, legioni in Britannia præfectus. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 40.

CÆSO Duillius Hetus, collega L. Papyrii Craſſi. An. Urb. Cond. 420.

CÆSO Fabius Ambuſtus, Trib. Mil. an. Urb. Cond. 361.

CÆSO Fabius Vibulanus Conſ. collega L. Æmilii Mamerci, an. Urb. Cond. 270. Item collega Spurii Furii Medullini, an. Urb. Cond. 273. Item collega T. Virginii Rutili, an Urb. Cond. 275.

CÆSO L. Quintii Cincinnati Fil. petulantiſſimus à Patre abdicatus, qui & à Cenſoribus notatus ad Volſcos & Sabinos confugit, qui Duce Clœliô Gracchô bellum adverſus Romanos gerebant.

CÆSONIA, Caligulæ Imperatoris uxor, cujus collum quoties exoſcularetur maritus; addebat; *Tam bona cervix ſimul ac juſſero, demetur*. Quin ſubinde jactabat; *exquiſiturum ſe ſemel fidiculis, cur eam tantopere diligeret*. Mox datô hippomane, eum in furorem vertit. Juvenal. *Sat.* 6. v. 614.

—— Tamen hoc tolerabile, ſi non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæſonia pulli
Infudit. —— ——

Perſius *Sat.* 6. v. 47.

Eſſedaque ingentesque locat Cæſonia Rhenos.

Erat neque facie inſigni, neque ætate integrâ, matérque jam ex alio viro trium filiarum, ſed luxuriæ ac laſciviæ perditæ, & ardentiùs & conſtantiùs amata eſt à C. Cæſare Caligula: quam ſæpe chlamyde peltâque & galeâ armatam, & juxta adequitantem militibus oſtendit, amicis verò etiam nudam, quam certam uxoriô nomine dignatus eſt, unô atque eôdem die profeſſus & maritum ſe ejus, & patrem infantis ex ea natæ: nec ullô firmiore indiciô ſui ſeminis eſſe credebat infantem hanc, quàm feritatis,

quæ

quæ illi quoque tunc jam nata erat, ut infeſtis digitis ora & oculos ſimul ludentium infantium inceſſeret. Periit cum viro Cæſonia, gladio à Centurione Julio Lupo confoſſa, inſigni conſtantiâ, mortem paſſa, capite etiam filiæ parieti elliſo. Sueton. in Caligula. c. ult. Joſeph. Jud. Antiq. l. 19. c. ult.

CÆSONIUS Commodus Verus, prænomine Lucius, Conſ. collega C. Cornelii Priſci an. Urb. Cond. 850.

CÆSONIUS Maximus, Conſularis, ob amicitiam Senecæ, patefactâ conjuratione Piſonianâ, ab Nerone Italiâ prohibitus. Tacit. lib. 15. Annal. c. 71.

CÆSONIUS, vide Suilius.

CÆSORTIUM, vel CÆSAROTIUM, urbs Galliæ in Norman. ad Eptam fluv. 14. leuc. à Lutetia & Rothomago. Cum titulo Comitatus. Dicitur etiam Giſortium. Gall. Giſors.

CÆSTIPHORI, ſpecies Pugilum: ſic enim vel pugnis, vel ceſtibus pugnare erant ſoliti. Fuit autem Ceſtus (à cædendo dictus) clava plumbeas pilas loris bubulis appenſas habens; ſed & laminæ nonnunquam ferreæ aut annuli connexi erant, quibus utrumque vel alterutrum brachium armabatur. Propert. l. 3. El. 13. v. 9.

Nunc ligat ad Cæſtum *gaudentia brachia loris.*

Vide Anton. Thyſium JCtum, Not. ad Gell. l. 3. c. 15. Mercurialis, laminæ erant æneæ manibus alligatæ; quibus verò alligabantur, erant lora quædam punctis interſtincta, quæ manibus & brachiis circumcirca alligabantur, ut non modo pondere aliquô & craſſitie, verùm etiam ſoliditate ceſtibus certantes ſeipſos ferirent. Unde colligitur duûm fuiſſe generum, aut ut vel clavam referrent, quæ plumbeas pilas loris appenſas habebat; vel laminæ ferreæ inſutæ loris eſſent. Virg. Æn. l. 5. v. 405.

Terga boum plumbô inſutô ferrôque rigebant.

Grave admodum pugnæ genus: unde Servius, Erat, inquit, *durum certamen ceſtuum, raroque ſine cæde committebatur. Nam ex ferro erant, & ut habilius facilinſque manibus gererentur, pendebant ab illo lora, quibus non ſolum manus, ſed brachia humerique alligabantur, ut etiam remiſſis digitis palma tamen hærerent.* Imò ſæviſſimum aliquando erat ſpectaculum, cùm cerebrum & guttur ex facili eliderent. Interim non parùm eo delectatos Athletas, hinc conjicimus: tum quia maximè Populo hujuſmodi pugna placebat; tum, quia gloriam & præmia ex ea Populi voluptate in Amphitheatris & Sacrificiis ſibi comparabant. Ut verò eo tutiores eſſent ad ictus, ἀμφωτίδας, ſeu aurium munimenta inducebant: namque aures non rarò decuſſas, ex Anthologia liquet. Utrôque autem nonnunquam brachiô armabantur. Virg. de Entello, l. 5. Æn. v. 457.

Nunc dextrâ ingeminans ictus: nunc ille ſiniſtrâ.

Nec Viri ſolum, quos in Gymnaſiis quoque exerceri ſolitos, teſtatum facit Propertius, ſed & in palæſtris Spartanorum, puellæ quoque hôc genere pugnæ exercebantur, ut videre eſt apud eum l. c. Clarum fuiſſe ceſtibus Amycum Bebryciorum Regis Neptuni filium, à Polluce occiſum, legimus apud Poëtam Argonaut. l. 4.

Sparta Terapnæ pugilem cum Gymnade pinguem
Stratum Bebrycus Amycum ſuſpexit arenæ.

Virgilius Daretem & Entellum, ceſtis pugnantes graphicè depingit, loc. cit. Ovidius Brotheæ ac Ammonis peritiam laudibus extollit, Met. l. 5. &c. Plutarchus autem narrat Lycurgum ea certaminum genera ſuſtuliſſe, in quibus χεὶρ ἀνατείνεται, manus ad feriendum attollitur: quod hujuſmodi exercitia frangant potiùs ac debilitent, quàm foveant corpora. Pugilum verò iſtiuſmodi, nec non ceſtuum ipſorum, varias icones exhibet Hieronym. Mercurialis, uti ipſas vel ex ſepulchrorum vel ex gemmarum antiquarum ſculpturis deſumtas ipſi dederat Pyrrhus Ligorius, de Arte Gymnaſt. l. 2. c. 9. Vide quoque Onuphrium de Ludis Circenſ. l. 2. c. 2. Ald. Manutium de Quæſit. per Epiſt. l. 2. c. 8. & Hadr. Turnebum l. 14. c. 4.

CÆSTIUS, homo erat naſutiſſimus, ſed nullius ingenii, & Ciceroni etiam infeſtus, quod illi non impunè ceſſit. Nam cùm M. Tullius Ciceronis filius Aſiam obtineret, homo, qui nihil ex paterno ingenio habuit, præter urbanitatem, cœnabat apud eum Cæſtius. M. Tullio & natura memoriam dempſerat, & ebrietas, ſi quid ex ea ſupererat, ſubducebat, hinc ſubinde interrogabat, quis ille vocaretur, qui in imo recumberet: & cùm ſæpius ſubjectum nomen Cæſtii excidiſſet, noviſſimè ſervus, ut aliquâ notâ memoriam ejus faceret certiorem, interroganti domino, quis ille eſſet, qui in imo recumberet, ait, *Hic eſt Cæſtius ille, qui patrem tuum negabat ſcire literas*: Afferri protinus flagra juſſit Marcus, cui, ut oportuit, de corio Cæſtii ſatisfactum fuit. Cæl. Rhodig. l. 14. c. 7.

CÆTHEUS, Conſul ſine collega an. Urb. Cond. 1257.

CÆTOBRIX, vide Cetobrica.

CÆTULUM, urbs præſtantiſſima regionis Oretanæ, quam in ulteriore Hiſpan. aliquâ ex parte intra columnas Herculis & ad meridiem maximè vergentem collocat Strabo l. 2. Caſtulo Ptolemæo.

CAFA, ſecundùm Mahumetum, mons eſt, qui cœlum, ne concidat, ſuſtinet. Alcoranus.

CAFAGO, fons in Laconica, Pauſan. in Laconic. Lege Carago.

CAFANES, Mauritaniæ populi. Ammianus.

CAFATES, vide Montes Lunæ.

CAFERONIANA, regio Italiæ intra Apenninum montem, cujus major pars eſt ditionis Mutinenſis, minor Reſpubl. Lucenſis; ibi oppid. præcipuum Caſtrum novum. Vide Carfagnana & Graſſinana.

CAFFA, urbs Tauricæ Cherſoneſi, ſub Turcis, cum portu & emporio celeberrimo in ora Ponti Euxini; quanquam in Tartaria minore.

CAFRI, populi Æthiopiæ inſul. juxta oram litoralem Oceani inter regnum Angolæ & Zanguebariam regionem. Abſque civitatibus vagi in ora præſertim, verſùs promontor. Bonæ Spei & majori ex parte Anthropophagi. Hic loca alicujus notæ, Caput Nigrum verſùs Benguelam; Caput Currentium, verſùs Zanguebariam & Caput Bonæ Spei in extrema parte Africæ, verſùs Auſtrum. Eis etiam tribuitur Soffala, arx Luſitaniæ in ora Oceani, & Arx Holland. Caput Tabulæ, in ora prope promontor. Bonæ Spei.

CAGAN, vel GAGAN, nomen Hunnorum Regibus commune. Horum unus Sigeberti Auſtraſiæ Regis ditiones, ſub finem ſeculi 6. invaſit, ab hoc victus, ſed biennio poſt, A. C. 571. reverſus, magicis artibus tantum effecit, ut Sigebertus pecuniâ & frumentô ſe redimere cogeretur, Gregor. Turonenſ. l. 4. c. 23. & 27. Aimoin. l. 3. c. 6. & 11. Idem Turonenſis Hiſtor. l. 4. c. 28. *Sed & Rex Chunnorum, vocabatur autem Gaganus: omnes enim Reges gentis illius hoc appellantur nomine*: Occurrit vox paſſim, apud Sigebertum A. C. 520. Paulum Diaconum, Theophanem, Zonaram, Cedrenum, aliosque Scriptores Byzantinos. Cacanum vocat Paulus Warnefridus de Geſtis Longobard. l. 4. c. 39. Quâ dignitate Ruſſorum ſeu Moſcorum Principes quoque donatos eſſe, teſtantur Annales Francorum. Neque alterius originis eſt vox Chan vel Can, quâ Tartari Principes ſuos indigitant, Imperatorem ac Regem ſonante, ut auctor eſt Vincentius Bellovac. l. 32. c. 10. & 32. Vide infrà in voce Can, item in Canis. Facit huc etiam Serviæ olim Principis appellatio ac nomenclatura, qui Knes appellabatur ſeu μέγας Κνέζης vel Κνέζης πάσης Σερβίας, magnus Cnezis univerſæ Serviæ, uti docet Goarus, poſt Codinum, de Officiis Aulæ Conſtantinop. Ubi Knes idem valet, ac Dominus, quæ vocis apud Slavos notio fuit. Ditmarus l. 7. *Uxor autem ejus Beleknegini, i. e. pulchra domina vocabatur.* Apud Cantacuzenum, l. 2. c. 5. occurrit Ταμπαχάνης Phrygiæ Princeps. Vide Car. du Freſne in Gloſſar.

CAGANUS, Rex Avarum, ſuperbus admodum, Mauritio Imperatori bellum illaturus, prudenti oratione Theodori Medici, ad fœdus pertractus eſt A. C. 592. Mox imprudenti venatione Priſci Ducis offenſus, A. C. 594. Romanos ingenti clade affecit. A quâ ſuperſtites captivos, cùm Imperator redimere nollet, odium militum ſibi conciliavit, quod diſſlare non valuit, licèt Caganum, per Priſcum, rurſus non minori clade, filiis etiam in Iſtro ſubmerſis, affeciſſet, A. C. 595. Huic poſtmodum cum Phoca Imperatore quoque res fuit, à quo, majori tributô conceſſô, repreſſus eſt, A. C. 609. Niceph. l. 18. c. 18. 29. & c. 36. 37.

CAGNOLIUS Hieronymus, vide Hieronymus.

CAHAOVA, nomen apud Ægyptios potionis uſu celebratiſſimæ, quam Perſæ Cahue, Europæi Coffe ſeu Caffe vocant: de qua ſic Proſper Alpinus de Medicin. Ægyptior. l. 4. c. 3. *Apud Ægyptios, in frequentiſſimo uſu eſt decoctum Chaova appellatum. Hoc ex ſeminibus nigris, fabas imitantibus, conſueverunt duobus modo parare: Alii decoctum faciunt ex ſeminum tunicis ſive folliculis, alii ex ſeminum ſubſtantia, quod ex folliculis paratur, efficacius prædicant. Semen hoc Bon vocant, arborem illud ferentem vidi in quodam Turca Bei viridario, ex Arabia delatam, quæ evonymo maximè ſimilis erat. Cùm ergo animadvertiſſem, mulieres, quibus menſes fluere cœperint, ad ſe juvandas de eo calidiori ſemper paulatim multum ſorbillare — experientiâ edoctus — didici, hoc genus remedii pro evocandis menſtruis ab uteri obſtructis venis, præſtantiſſimum eſſe &c.* Pòſt, *Ægyptii parant hoc decoctum tali modo: Sumunt nucleorum ſeminum à folliculis mundatorum libram unam & dimidiam, parùm igne torrefaciunt & in aquæ libris 20. ad mediatatis conſumtionem coquunt, colatumque decoctum in fictilibus vaſis undique clauſis aſſervant. Eôdem modô, ſed in minore quantitate, parant decoctum ex ſeminum folliculis — quod ſtomacho ſummopere conducit, quod Ægyptii valdè calidum jejuni paulatim ſorbent: Uti noſtrum multi in œnopoliis vino indulgent, ſic illi hoc decocto delectantur.* Ab Ægyptiis tranſtulit ejus uſus luxuria ad alias gentes, vicinas primò, inde remotiores, hodieque vix ulla in Europa celebrior regio eſt, in quo uſus ejus ignoretur Belgis imprimis, Danis, Suecis, Anglisque familiaris. In Gallia ſimiliter Pariſiis tabernæ ſunt ejus confectioni potationique deſtinatæ, cum elogio eximio publicè affixo, quod vide apud Bernhard. Verzaſcham Senatorem ac Archiatrum Baſil. Herbar. l. 4. c. 156. ubi & modum decocti hujus faciendi, in Germania uſitatum, cum icone arboris Bon (cujus patriam Arabiam Deſertam faciunt) & inſtrumenti ferrei, quo illud paratur ad ignem, exhibet: Ibidem de uſu abuſuque ejus varia. Vide quoque Olaum Wormium in Muſæo p. 189. Val. Andr. Mollenbroccium de Arthrit. vaga ſcorbut. c. 3. Simonem Pauli Commentar. de abuſu Tabaci & herbæ Thee, Laur. Straußium, Alios: de conſimili verò Sinenſium potu infrà, in voce Cha.

CAJA, vetus verbum, quod fuſtem aut baculum ſignificat: unde cajare pro verberare. Fulgentius de Virgil. contin. *In ſeptimo verò Cajeta ſepulta nutrice, i. e. Magiſtrium tumoris projectâ gravedine: unde Cajeta dicta eſt, quaſi coactrix ætatis: Nam & apud antiquos cajatio erat puerilis cædes.* Unde Plautus in Comœdia Ciſtellaria ait;

Quod tu amicam times, ne te manulea cajet, &c.

Vide Salmaſ. Not. ad Pollionem in Claudio. c. 14.

CAJAMII, nomen ſecundæ in Perſia familiæ regnatricis, ante Muhammedanos Hormio, vide infrà Perſia.

CAJANA, Inſul. Americæ meridionalis. Vide Cayana.

CAJANEBURGUM, oppid. Finlandiæ, in Cajania provinc. cum arce, in mediterraneis verſùs Lapponiam, prope Ulam lacum.

CAJANI, Hæretici inter alia Reſurrectionem negantes. Vide Epiphanium, Hær. 18.

CAJANIA, provinc. Regni Sueciæ, in Finlandia. Aliàs Bothnia Orientalis, inter ſinum Bothnicum & Lapponiam extenſa.

CAJANUM, caſtellum Latii circa lacum Fucinum.

CAJANUS Aſſis, apud Stat. L. 4. Sylv. 9. cujus lemma, Riſus Saturnalitius, ad Plotium, v. 20.

Sed Bruti ſeni oſcitationes
De capſa miſeri libellione
Emtum plus minus aſſe Cajanô
Donas!

eſt *minutiſſ*o Turnebo, quales intervenire ſolebant nuptialibus coëmptionibus; unô ex tribus à muliere Sponſo traditô: quam rem docet Nonius in voce *Nubentes*. *Cajanus* autem, quia *Cajus* & *Caja* boni ominis gratiâ, nupti novi dicebantur. Vide eum *Adverſar.* *l.* 20. *c.* 32. Joann. item Bernartium *ad hoc verſum*, ut & Theod. Marcilium ad *LL. XII. Tabb.* *c.* 14. Barthius verò, *Cajanum* interpretatur viliſſimum, ab avaro & deſperato penè Principe utique etiam aſſibus demtô pondere, ut viliores eſſent ceteris, cum perditâ ſuâ prodigalitate tantam pecuniam Caligula peſſum dediſſet. A' qua ſententia non abhorrebit, qui *Vitam* hujus portenti apud Sueton. *c.* 37. legerit. Viliſſimus certè *aſſis* omnium *Cajanus* hic dicitur: neque facilè ab alio Cajo ortum tam exiguæ monetæ detrimentum compertes. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Stat. l.* 1. *p.* 418.

CAICANDROS Inſul. apud Arrianum in Nearchi navigatione, contra Perſidem, [Greek], in ſinu Perſico, Perſidi adjacet; deſerta, 50. mill. paſſ. è qua Occidentem verſus perveniri, in Inſul. nomine *Tyrdin*, quæſtuoſam margaritarum piſcatione, tradit Plinius. Sed Tyrdin nomen fuiſſe emporii Limyticæ Indorum regionis, docet Salmaſius; at claſſis Alexandri, Nearcho, & Oneſicrito præfectis ejus auctoribus, *Caicandron* inſulam in curſu ſuo offendit, quum è Carmaniæ ora in Perſidem tranſiiſſet. Vide eum *ad Solin. p.* 1190.

CAICUS, è ducibus Æetæ, quem Lexanor ſagittæ in Iaſonem directæ aberratione occidit. Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 69.

CAICUS, Myſiæ fluvius, cujus meminit Virg. *Georg. l.* 4. *v.* 370.

Saxoſumque ſonans Hypanis, Myſuſque Caicus.

Lucan. *l.* 3. *v.* 203.

Myſiaque & gelidô tellus perfuſa Caicô
Idalis. —— ——

Plin. *l.* 35. *c.* 30. *Ex Myſiâ veniens Caicus amnis.* Ovid. *l.* 3. *de Art. Am. v.* 196

Quaque bibant undas, Myſe Caice, tuas.

Sed quæ pars Myſiæ? Plinius adductô locô Teuthraniam nominat. Inde Ovid. *Met. l.* 2. *v.* 243.

—— *Teuthranteuſque Caicus.*

Eſt autem fortaſſis alia catio, cur *Caicus* attributô iſtô ornetur; eam capias ex Strabone, *l.* 13. [Greek], Ovid. *Met. l.* 15. *v.* 277.

Et Myſum capitiſque ſui ripæque prioris
Pœnituiſſe ferunt, aliâ nunc ire Caicum.

Ergo ab hac amnium commiſtione retro epitheti. Certè Æſchylus in *Myrmidonibus*, utraſque aquas conjungit, citante ibidem *Strabone*:

Ἰὼ Κάϊκε, Μύσιαί τ' ἐπιῤῥοαί,
Io Caice Myſiaque lymphæ.

De la Cerda Nic. Lloydius.

CAJETA, promontor. & oppid. & portus Campaniæ in Italia. Nomen unde habuerit, Poëta *Æn. l.* 7. *v.* 1. indicat his verſibus:

Tu quoque litoribus noſtris, Æneia nutrix,
Æternam moriens famam Cajeta dediſti.

Silius Italicus, *l.* 8. *v.* 530.

Fundique, & regnata Lamo Cajeta domuſque
Antiphatæ.

Statius, *l.* 1. *Silv.* 3. *v.* 85.

Cedant Telegoni: cedant Laurentia Turni
Jugera, Lucrinæque domus, litusque cruenti
Antiphatæ, cedant vitreæ juga perfida Circes
Dulichiis ululata lupis, arceſque ſuperbæ
Anxuris, & ſedes Phrygio quas mitis alumno
Debet anus. ——

Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 1. *v.* 5.

Seu placet Æneæ nutrix, ſeu filia Solis,
Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis.

Idem *l.* 10. *Epigr.* 30. *v.* 8.

Non blanda Circe, Dardaniſve Cajeta
Deſideratur. ——

Aliam etymologiam affert Servius. *Cajeta*, inquit, *dicta*, [Greek], *quod claſſis Trojana ibi incenderetur*. Diodor. Sic. *l.* 4. ab Æetâ Colchorum Regis nomine dictam tradit. Strabo autem *l.* 5. à ſinûs cavitate ſic appellatam exiſtimat Laconum idiomate: [Greek] *Baudrando* Urbs eſt provinc. Terræ Laboris, ad radices collis, in peninſul. cum duplici arce & portu percapaci, in ora maris Tyrrheni. Aliâs varias experta vices, nunc validum habet Hiſpanorum præſidium. Vulgò Gaeta. *Nic. Lloydius.*

CAJETANUS Benedictus, vide *Benedictus.*
CAJETANUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*
CAJETANUS Thomas, vide *Thomas.*

CAIMANA, inſul. in ſinu Mexicano, ad Auſtrum Cubæ inſul. piſcatione teſtudinum percelebris. Sub Anglis, à paucis annis.

CAIN, *i. e. poſſeſſio*, vel *poſſeſſus*, Adæ filius; Gen. *c.* 4. *v.* 1. *Heſychius*, Κάιν, ζῆλος. Natus A. M. 2. terræ colendæ intentus, Fratrem Abelem, qui per fidem ſacrificaverat, proin acceptus Deo, invidiæ furiis agitatus occidit, A. M. 130. Hinc de venia deſperans, continuis terroribus divinitus jactatus, in loco *Nod* ſedem fixit; interim nihilò melior, vitam ſectatus, ſceleratorum hominum caput, ponderis & menſuræ auctor dicitur. Fraudum architectus, primuſque urbis conditor, quam Enos ſeu Enochiam à filio majore natu appellavit. A Lamecho, in veprem latitans, ſagittâ confixus dicitur. A. M. 888. Vide Joſeph. *Jud. Ant. l.* 1. *c.* 2. & Suidam in voce *Cain*. Hic, ut de Idololatria taceam, illam optimam Philoſophiæ partem, quæ in civili vita conſiſtit corruptam reit, ſicque Philoſophia in duas ſeiſſa eſt ſectas, filiorum Dei & hominum, ut Gen. *c.* 6. *v.* 2. vocantur, ſive familiam Sethi & Caini: in quarum hac errores brevi in immenſum creverunt. Qualis autem *Cainæorum* Philoſophia fuerit, nemo melius expreſſit, Judâ *Epiſt. v.* 10. & 11. audaciſſimæ inſcitiæ & bruti ſtuporis inter illos peragens. Rationem igitur corruptam principii habuêre locô, cum qua quod minus conſentire videbatur, audaciſſimè exploſerunt: Cetera [Greek] cognoſcentes, ad curam & voluptatem, velut bruta ventri obedientia, retulerunt. Quæ brevi tempore tanta incrementa ſumſit, pertractis per vetitos hymenæos in ſectam ſuam etiam illis, qui filiorum Dei elogiô inſignes erant, ut, pauciſſimis exceptis, totus mundus in errore illo jaceret, quem diu poſt Epicurus in lucem denuo produxit: *Deum nempe mortalia non curare, nec irâ tangi, nec peccatis aut gratiâ affici.* Unde admonitionum de diluvio ſprevêre, Gen. *c.* 6. *v.* 16. 17. 1. Pet. *c.* 3. *v.* 20. [Hebrew] enim ſunt qui ex Adami & Sethi ſchola profecti, veram Philoſophiam habebant. Sic dicti, quòd potentes & excellentes viri propter Sapientiam haberentur: Quales divinitatis alicujus opinionem ſemper affectârunt. Talium è *Caini* ſchola, tanquam ex equo Trojano, innumeri prodiêre, quos [Hebrew] Moſes *c.* 6. *v.* 4. vocat, & ab his: ut videtur, omnis Deorum ſuppellilavit turba. Inde dicti Semones, inde Kabiri, Magi, Incantatores, Necromantici &c. Vide Georg. Hornium *Philoſ. Hiſtor. l.* 2. *c.* 9.

CAIN Mons, fons & caſtrum, in pede extremo Carmeli montis, in tribu Iſſachar.

CAINAN, *i. e. poſſeſſor*, vel *emptor*, aut *lamentator*, vel *nidus*, filius Enos, natus A. M. 326. Obiit A. M. 1235. Gen. *c.* 5. *v.* 9.

CAINAN [Greek], à B. Luca inter Arphacad & Sala inſertus *c.* 3. *v.* 37. ac ſi Sala non fuerat Arphaxadi filius, ſed nepos ex Cainan. Sunt qui Euangeliſtam hic ſequi volunt 70. Interpret. apud quos idem legas. Putant igitur, cum in re non magni momenti, quæque ad fidem nihil pertinet, [Greek] maluiſſe errantes ſequi, quàm intempeſtivô diſſenſu ſcrupulum injicere, aut etiam Euangelii ſui [Greek] in diſcrimen adducere, apud infirmos vel pertinaces, quibus perſuaſum erat, hos Interpretes fuiſſe [Greek]. Ceterùm de hac re vide Bochart. *Phaleg. l.* 2. *c.* 13. & Iſ. Voſſium *Caſtig. in Geo. Horn. p.* 318. Alii librariorum *hallucinatione* eſſe volunt; nec quoque in omnibus N. T. editionibus ille *Cainan* apparet, Auguſt. Eugub. *in Gen. c.* 11. Janſen. *Concord. Euang. c.* 12. Alii retinentes etiam hunc *Cainan*, cum Græcis Latiniſque plurimis patribus, malunt conſiteri, ſe ignorare, cur in Hebræo omiſſus ſit, quàm appoſitè, vel incuriam librariorum, vel [Greek] aliquam Euangeliſtâ minus dignam. *Nic. Lloydius, Moreriut*, &c.

CAINANI, vide hic *Cainitæ.*

CAINITÆ, vel CAJANI, Gnoſticorum ſecta, Cainum formatum dicêre virtute cœleſti & omnipotenti, Abelem tantùm infirmâ & debili. Luxuriam ad ſalutem prodeſſe delirantes, innumeros finxerunt Angelos, barbaris nominibus, & quemque inſigni quodam flagitiô conſpicuum, ut facinus aliquod enorme commiſſum haberent, quos adorarent. Librum, cui titulus, *Aſcenſio S. Pauli in cœlum*, compoſuerunt, execrabilem penitus, Peculiari cultu Cainum, Core, Dathan & Abiram, Sodomitas imo, & præ his omnibus Judam proditorem venerati: hujus Euangelium jactantes. Tertullian. *de Præſcr. c.* 55. 47. Hieron. *l.* 2. *c.* 35. Epiphan. *Hær.* 33. Auguſtin. *de Hær. c.* 18. Baron. *A. C.* 145.

CAINO, oppid. ſeptidum Galliæ ad Viguennam fluv. in provinc. Turonenſi, verſus Pictavienſem tractum. 7. leuc. à Salmurio in Ortum, 5. à Loduno. Etiam *Chinonum*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAJOLUM, vicus Lombardiæ Tranſpadanæ.

CAIPHAS, princeps quidam Sacerdotum inter Judæos tempore Chriſti. Latinè *circuitor*, vel *inveſtigator*. Hic Chriſtô reſpondente, ſe eſſe filium Dei, veſtem diſcidit, contra Legem, *Levit. c.* 21. *v.* 10. Condemnavit eum poſtmodùm ad mortem, Matth. *c.* 26. *v.* 65. 66. Marc. *c.* 14. *v.* 63. 64. à Vitellio depoſitus, contumeliam tam impatienter tulit, ut poſt 25. ann. Sacerdotii S. ſibi ipſi necem conſciverit. Conſtitut. 3. Clementis, *l.* 8. *c.* 1. Nicephorus idem de Anna refert, *Hiſt. l.* 2. *c.* 10. Vide Joſephum *Jud. Ant. l.* 18. *c.* 3. & ſuprà & in *Anano I.*

CAIPHAS, à Tyrio *Porſina* dicitur, & *Porphyria*, urbs maritima ad Carmeli montis radices, parte Aquilonari ſita, conſtructa à Capha Pontifice, & nominata, in tribu Iſſachar.

CAIRGUENTIUS Gregorius, vide *Gregorius.*
CAIRLIONIUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*
CAIROANUM, vide *Cyrene.*

CAIROANUM, urbs Africæ in regno Tunetano, non longè ab ora maris Africi & Syrti minore. Crevit, ut multi volunt, ex ruinis antiquæ Thiſdri, ſuntque nunc in majoris momenti. Vide *Thiſdrum.*

CAIRUS, vel ALCAIRUS, & MEMPHIS, Ægypti imò Africæ totius maxima civitas, & præcipua opportunò locô ſita, ubi Nilus primum ſecatur ac Δ formam facit. Lautitiam Pariſiorum, ut quidam ajunt, quinquies aliàs ſuperavit. Suburbana multa-

tu continet, quorum quædam 5. alia 12. millia domorum habent; urbem autem ipſam 30 millia ædium habere tradunt. Hic, in ædibus Aphrodiſii, Chriſtum infantem, per biennium latuiſſe. A C. 1. 2. ſunt qui dicant. Reſtaurata eſt ab Elmendinalla, Abdallæ Africæ Caliphæ nepote; qui, Ægypto potitus, regnum hic Babylonico æmulum condidit, A. C. 908 Poſteà illam Selymus Turca expugnavit A. C. 1517. ac Tomumbejum tunc temporis Ægyptium Sultanum in palude latitantem captum, ac per totam urbem vectum ad portam laqueo ſtrangulari juſſit. Ejus vectigalibus, quæ locat. aureorum ſuperabant, muneravit Mahumetes III. Turcarum Imper. matrem 12. unnis ſibi non vitam. Cairum deſcripſerunt J. Leo Africanus, P. Bellonius, aliique. Crevit in immenſum, cùm Sultanos ſeu Reges haberet proprios. Nunc ſenſim deficit, cum tantùm habeat Proreges, ſub dominio Turcarum. Eſtque nunc Lutetià multo minor, ut quidam volunt. Ab ora maris Mediterranei 80. milliar. in Auſtrum, & 110 ab Alexandria diſtat. Baudrand. Marmolius urbem hanc à Slavo quodam, Turcicam religionem amplexo, conditam putat, ibique 6000. egregiarum ædium, cum ſuperbis quibuſdam palatiis, & Moſchea (ſeu Turcico fano) admiranda, eſſe refert: additque Memphim, veterum Pharaonum ſedem, hodie deſtructam, ad Nilum fuiſſe ſitam, aliquot à Cairo milliaribus. Quibuſdam hoc Cairum Babylon Ægypti eſt. Vide Marmol. l. 11. c. 24. 25. Teteiram l. 1. Sanut l. 9. Petrum de Valle, Itiner. Tom. 1 A. C. 1582. Jeſuitæ quidam, juſſu Gregorii IX. Cophtas hujus loci à Neſtorii & Dioſcuri erroribus abducturi fruſtra fuêre, Moreriùs.

CAIS Mais, in Malajo dicitur deterior caſiæ ſpecies, teſte Garciâ, qui vocem lignum dulce ſignificare ait. In Malabaria Cameaa appellatur: à quibus vocabulis non longè abludit Hebr. קנמ Chanam, unde cinnamum. Hinc ſunt, qui vocem Hebræam, modo cinnamomum, modò canellam ſive caſiam interpretantur: Cum tamen canella caſia, fiſtula ſit in totum diverſa à Veterum cinnamomo, quippe cortex exiſtens merus, cùm cinnamomum ſurculus eſſet. Qua de re vide Salmaſ. ad Solin. p. 1303. & infrà ubi de Caſia ac Cinnamo.

CAISCANDROS, Inſul deſerta, in ſinu Perſico, apud Plin. Vide ſuprà Carcandros.

CAJUS, prænomen fuit apud Romanos; ſed veteres Gajus dicebant, qui multum delectati fuerunt literâ G. ut auctor libelli de Nominibus, qui Val. Maximo tribuitur, & qui eum coaditum conſtituit, obſervat, & nomen Gaji, ſeu Caji, à gaudio parentum factum ſcribit, nimirum ἀπὸ τοῦ χαίρειν à gaudendo. At Jul. Scaliger, Cajum, ab antiquitate dictum cenſet ἀπὸ τῆς γῆς à terra ſcil. Utrumque autem dicebant Cajus, & Caja: Ita ut C. rectum Cajum, C. inverſum Cajam fœminam notaret. Quintilian. l. 1. c. 7. Cajus C. literâ notatur, quæ inverſa Ↄ. mulierem declarat; quia tam Cajas eſſe vocitatas, quam Cajos etiam ex nuptialibus ſacris apparet. Quod de nuptialibus ſacris dicit, Plut. explicat in Qu. Romanis: Cur ſponſam, inquit, introducentes dicere jubent, UBI TU CAJUS, EGO CAJA? An quia hâc conditione pacta intrat, ut particeps rerum omnium, & gubernandæ familiæ ſit? Itaque hæc verba id ſignificant, UBI TU DOMINUS ERIS ET PATER FAMILIAS, EGO DOMINA ERO ET MATER FAMILIAS. Dicitur autem & Cajus & Caius. Martial. l. 9 Epigr. 94. v. 5.

Caius à primâ tremebundus luce ſalutat.

Idem l. 2. Epigr. 30. v. ult. Vocativum extulit,

Quod peto, da Cai, non peto conſilium.

Auſonius, Epigr. 75. v. 3.

Quis tu? Cajus ait. ——

Hinc adjectivum Cajanus. Stat. l. 4. Sylv. 9. v. 22.

Emptum plus minùs aſſe Cajano.

De quo vide ſis Turneb. Adverſ. l. 20. c. 52.

CAJUS, nomen viri Macedonis, cum Ariſtarcho, à ſeditioſis Epheſiis ad tribunal rapti, Actor. c. 19. v. 29. & c. 20. v. 4. & Hoſpes Pauli. Roman. c. 16. v. 23. Græcè Γαΐος. Vide Gajus.

CAJUS, Patriarcha Hieroſolymit. è Gente C. Rufi, à quo familia Auguſti. Sueton. in Aug. c. 2. Item filius Agrippæ, ex Julia, maritus Liviæ, Sororis Germanici. Obiit in itinere Hiſpanico, Tacit. l. 1. Annal. c. 3.

CAJUS, mons Hiſpaniæ ex quo Durius fluv. profluit. Julius Orat. Fluvius Durius naſcitur in Carpetania, exiens de monte Cajo juxta Pyrenæum. Ubi malè montem hunc juxta Pyrenæum collocat, à quo abeſt quàm longiſſimè. Apud Livium Caunus vocatur, l. 40. c. 50. cùm Cajus ſit verum nomen. Vide Voſſ. ad Melam p. 228. 229.

CAJUS Acerronius Conſul, Collega C. Pontii Nigrini. an Urb. Cond. 789.

CAJUS Acilius, Julii Cæſaris miles navali ad Maſſiliam prælio, injectâ in puppim hoſtium dextrâ, & abſciſſâ, memorabile illud Cynægiri apud Græcos exemplum imitatus, tranſiit in navem, umbone obvios agens. Sueton. in Jul. c. 68.

CAJUS Ælius Pætus, Conſul, Collega Valerii Maximi an. Urb. Cond. 447.

CAJUS Æmilius Mamercus, tribunus militum an. Urb. Cond. 362. 363.

CAJUS Æmilius Paulus, Conſul, Collega M. Livii Dentetis an. Urb. Cond. 452.

CAJUS Antiſtius Vetus, Conſul, Collega D. Lælii Balbi an. Urb. Cond. 748.

CAJUS Antiſtius Vetus, Conſul, Collega C. Aſinii Pollionis an. Urb Cond. 775.

CAJUS Antiſtius Vetus, Conſul, Collega M. Suilli Serviliani an. Urb Cond. 802.

CAJUS Antonius, Conſul, Collega M. Tullii Ciceronis an. Urb. Cond. 691.

CAJUS Aquilius Florus, Conſul, Collega L. Cornelii Scipionis an. Urb. Cond. 494.

CAJUS Aſinius Gallus, Conſul, Collega C. Marcii Cenſorini an. Urb. Cond. 746.

CAJUS Aſinius Pollio, Conſul, Collega Antiſtii Veteris an. Urb. Cond. 775.

CAJUS Aſinius Pollio, Conſul, Collega Cn. Domitii Calvini an. Urb Cond 714.

CAJUS Atilius Balbus, Conſul, Collega M. Fabri Buteonis, an. Urb. Cond. 508. 2. Conſul, Collega T. Manlii Torquati an. Urb. Cond. 517.

CAJUS Atilius Regulus, Conſul, Collega L. Æmilii Pauli an. Urb. Cond. 529.

CAJUS Atilius Regulus Seranus, Conſul, Collega L. Manlii Vulſonis an. Urb. Cond. 503.

CAJUS Atilius Seranus, Conſul, Collega Q. Servilii Cæpionis an Urb. Cond. 648.

CAJUS Atilius Seranus, Conſul, Collega C. Hoſtilii Mancini an. Urb. Cond. 583.

CAJUS Aufidius Victorinus, Conſul, Collega L. Septimii Severi Auguſti an. Urb. Cond. 952.

CAJUS Aurelius Cotta, Conſul, Collega P. Servilii Gemini an. Urb. Cond. 501.

CAJUS Aurelius Cotta, Conſul, Collega Servilii Sulpitii Galbæ, an. Urb. Cond. 514

CAJUS Bebius Pamphilius, Inſubrium agrum ingreſſus, cum toto ferme exercitu circumventus eſt. Liv. l. 2.

CAJUS Bellicius Torquatus, Conſul, Collega M. Atilii Glabrionis an. Urb. Cond. 876.

CAJUS Cæcilius Metellus, Conſul, Collega C. Junii Placidii, an. Urb Cond. 502.

CAJUS Cæcilius Metellus, Conſul, Collega T. Didii Vimi, an. Urb. Cond. 656.

CAJUS Cæcilius Metellus Caprarius, Quinti Cæcilii Metelli Macedonici fil. Quinti, Lucii & Marci frater. Conſul fuit, Collega C. Papyrii Carbone an. Urb. Cond. 631. Vide Cicer. l. 2. de Orat. & Plut. de fortuna Romanor.

CAJUS Cæcilius Caldus, Conſul, Collega L. Domitii Ænobarbi, an. Urb. Cond. 660.

CAJUS Cæcilius Ruffus, Conſul, Collega L. Pomponii Flacci, an. Urb. Cond 769.

CAJUS Calphurnius Piſo, Conſul, Collega A. Poſthumii Albini an. Urb. Cond. 574

CAJUS Calviſius Sabinus Conſul, Collega L. Portii Cenſorini, an. Urb. Cond. 714. 2. Conſul, Collega L. Paſſieni Ruffi an. Urb. Cond. 749.

CAJUS Calviſius Sabinus, Conſul, Collega Cn. Gætulici an. Urb. Cond 778.

CAJUS Caninius Gallus, Conſul, Collega M. Vipſanii Agrippæ, an. Urb. Cond. 717.

CAJUS Caſſius Varus Conſul, Collega M. Licinii Luculli an. Urb. Cond 681.

CAJUS Caſſius, Syriæ Prætor. anno Salutis 49.

CAJUS Caſſius Longinus Juriſconſultus, Conſul, Collega M. Venitii Quartini an. Urb. Cond. 781.

CAJUS Caſſius Longinus, Conſul, Collega P. Licinii Craſſi, an. Urb. Cond. 583.

CAJUS Caſſius Longinus, Conſul, Collega Sex. Domitii Calvini, an. Urb. Cond 630

CAJUS Caſſius Longinus, Conſul, Collega Cn. Domitii Ænobarbi an. Urb. Cond 258.

CAJUS Cicereius, Præfectus Corſos vicit, pax inde data an. Urb. Cond. 581. Liv. l. 2. Decad. 5.

CAJUS Civilius, Albanorum Imperator an. ab. Urb. Cond. 82.

CAJUS Claudius Canunus, Conſul, Collega M. Æmilii Lepidi, an. Urb. Cond. 468.

CAJUS Claudius Cento, Conſul, Collega M. Sempronii Tuditani, an. Urb. Cond. 513.

CAJUS Claudius Cinna, Conſul, Collega C. Fabricii Luſcini, an. Urb. Cond. 480.

CAJUS Claudius Marcellus, Conſul, Collega L. Æmilii Pauli an. Urb. Cond. 702. 2. Conſul. Collega C. Claudii an. Urb. Cond. 705.

CAJUS Claudius Marcellus, Conſul, Collega L. Aruntii an. Urb. Cond. 732.

CAJUS Claudius Nero, Conſul, Collega M. Livii Salinatoris an. Urb. Cond. 547.

CAJUS Claudius Pulcher, Conſul, Collega T. Sempronii Gracchi an. Urb. Cond. 577.

CAJUS Claudius Sabinus, Conſul, Collega P. Valerii Publicolæ, an. Urb. Cond. 294

CAJUS Cornelius Coſſus; Tribun. Militum, an. Urb. Cond. 353.

CAJUS Cornelius Dolabella, Conſul, Collega M. Fulvii Nobilioris, an. Urb. Cond. 595.

CAJUS Cornelius Scipio, Conſul, Collega A. Atilii Calatini, an. Urb. Cond. 499

CAJUS Fabius Ambuſtus, Tribun. Militum an. Urb. Cond. 349 2. Tribun. Militum an. Urb. Cond. 350, 3. Tribun. Militum an. Urb. Cond. 355.

CAJUS Fabius Ambuſtus, Conſul, Collega C. Plautii Proculi, an. Urb. Cond. 398.

CAJUS Fabius Interrex, an. ab Urb. Cond. 401.

CAJUS Fabius Vibulanus Ambuſtus, Conſul, Collega C. Furii Pacili, an. Urb. Cond. 344.

CAJUS Fabricius Luſcinus, Conſul, Collega Q. Æmilii Pappi an. Urb. Cond. 471. 2. Conſul, Collega ejuſdem an. Urb. Cond. 475. De Samnitibus & Lucanis triumphavit. Hujus integritatem notat Eutropius l. 2. c. 7. 3. Conſul, Collega Claudii Cinnæ, an. Urb. Cond. 480.

CAJUS Fannius Domitius, Conſul, Collega C. Domitii Ænobarbi, Allobroges vicit, an. Urb. Cond. 531.

CAJUS Fannius Strabo, Conſul, Collega M. Valerii Meſſalæ an. Urb. Cond. 591.

CAJUS Fulvius Fimbria, Conſul, Collega C. M. Nepotis an. Urb. Cond. 650

CAJUS Fontejus Capito, Conſul, Collega Germanici Cæſaris an. Urb. Cond. 764.

CAJUS Fulvius Flaccus, Conſul, Collega P. Scipionis Africani an. Urb. Cond. 620.

CAJUS Fundanius, Conſul, Collega Sulpitii Galli an. Urb. Cond. 520.

CAJUS Furius, Tribun. militum an. Urb. Cond. 330.

CAJUS Furius Petilius, Conſul, Collega M. Papyrii Craſſi an. Urb. Cond. 314.

CAJUS Furius Placidus, Conſul, Collega C. Cæcilii Metelli an. Urb. Cond. 502.

CAJUS Fuſius Geminus, Conſul, Collega C. Rubelli Gemini an. Urb. Cond 781.

CAJUS Gallus, Conſul, Collega T. Saturnini an. Urb. Cond. 910.

CAJUS Genutius Adventitius, Conſul, Collega Æmilii Mamerci an. Urb. Cond. 393.

CAJUS Genutius Clepſina, Conſul, Collega Q. Fabii Gurgitis an. Urb. Cond. 477.

CAJUS Genutius Clepſina, Conſul, Collega Cn. Cornelii Blaſionis an. Urb. Cond. 483.

CAJUS Genutius Panſa, Tribunus militum an. Urb. Cond. 360.

CAJUS Gracchus, quietis publicæ turbator.

CAJUS Hoſtilius Mancinus, Conſul, Collega C. Attilii Serani an. Urb. Cond. 584.

CAJUS Hoſtilius Mancinus, Conſul, Collega M. Æmilii Lepidi Porcinæ an. Urb. Cond. 617. Hic à Numantinis victus, caſtris exutus, ignominioſam cum eis pacem fecit. Florus, *l.* 2. *c.* 18. Eutropius, *l.* 4. *c.* 8.

CAJUS Horatius Pulvillus, Conſul, Collega T. Menenii Lanati an. Urb. Cond. 277.

CAJUS Horatius Pulvillus, Conſul, Collega Q. Nautii Augurini an. Urb. Cond. 297.

CAJUS Johannes, vide *Johannes*.

CAJUS Julius Tullus, Conſul, Collega P. Pinarii Ruffi an. Urb. Cond 265.

CAJUS Julius Tullus, Conſul, Collega M. Geganii Macerini an. Urb. Cond. 308. 2. Conſul., Collega L. Virginii Tricoſti an. Urb. Cond. 320.

CAJUS Julius Tullus, Tribunus Militum an. Urb. Cond 351.

CAJUS Julius Decemvir, an. Urb. Cond. 503.

CAJO Juliô Brutô, dictatore deſignatô, actum fuit nihil an. ab Urb. Cond. 443.

CAJUS Junius Brutus, Conſul, Collega L. Poſthumii Metelli an. Urb. Cond. 462. 2. Conſul, Collega P. Cornelii Ruffini an. Urb. Cond. 476.

CAJUS Junius Brutus Bubulcus, Conſul, Collega Æmilii Barbulæ, an. Urb. Cond. 439. 2. Conſul, Collega P. Papyrii Curſoris an. Urb. Cond. 442. 3. Conſul, Collega Qu. Æmilii Barbulæ an. Urb. Cond. 452.

CAJUS Junius Syllanus, Conſul, Collega T. Furnii an. Urb. Cond. 737.

CAJUS Junius Syllanus, Conſul, Collega P. Cornelii Dolabellæ an. Urb. Cond. 761.

CAJUS Lælius, Conſul, Collega Q. Servilii Cæpionis an. Urb. Cond. 614.

CAJUS Lælius Africanus, Conſul, Collega L. Cornelii Scipionis Aſiatici, an. Urb. Cond. 564.

CAJUS Licinius Craſſus, Conſul, Collega L. Æmilii Pauli an. Urb. Cond. 586.

CAJUS Licinius Geta, Conſul, Collega Q. Maximi Eburni an. Urb. Cond. 638.

CAJUS Licinius Stolo Calvius magiſter Equitum an. Urb. Cond. 357. Tribun. militum an. Urb. Cond. 388. Conſul, collega C. Sulpicii Petici an. Urb. Cond. 392. quô tempore peſtis horrenda graſſata eſt. Eutrop. *l.* 2. 2. Conſul, collega ejuſdem Sulpicii an. Urb. Cond 395.

CAJUS Licinius Varus, Conſul, Collega P. Cornelii Lentuli Caudini an. Urb. Cond. 517.

CAJUS Livius Druſus, Conſul, Collega P. Scipionis Africani Æmiliani an. Urb. Cond. 607.

CAJUS Livius Salinator, Conſul, Collega M. Valerii Meſſalæ, an. Urb. Cond. 566.

CAJUS Luctatius Catulus Cæreonius, Conſul, Collega A. Poſthumii Albini, an. Urb. Cond. 511.

CAJUS Luctatius Scævola, Conſul, Collega L. Veturii Lerini an. Urb. Cond. 534.

CAJUS Manlius Capitolinus, magiſter Equitum, cujus tempore Sora capta fuit, ædes Junonis Monetæ ædificata an. Urb. Cond. 411.

CAJUS Manlius Maximus, Conſul, Collega P. Rutilii Ruffi an. Urb. Cond. 649. Hic cum Q. Servilio Cæpione à Cimbris victus, atque caſtris exutus fuit: quô tempore Marius triumphavit de Jugurtha.

CAJUS Manlius, Conſul, Collega L. Furii Medulline, an. Urb. Cond 280. Hujus tempore induciæ Vejentibus in annos undecim datæ fuere.

CAJUS Marius Nepos, Conſul, Collega L. Caſſii Longini, an. Urb. Cond. 647. Bocchum Maurorum Regem, & Jugurtham fudit.

CAJUS Marius, Marii filius, Conſul, Collega Cn. Papyrii Carbonis, an. Urb. Cond. 672.

CAJUS Marius Cenſorinus, Conſul, Collega C. Aſinii Galli, an. Urb. Cond 746.

CAJUS Marcius Coriolanus, à Tribunis Plebis exiliô damnatus, an. Urb. Cond. 263. Hic multas Latinorum civitates cepit, Romam obſedit, Veturiæ matris, & Volumniæ uxoris cùm impetrò tum precibus obſidionem ſolvit an. Urb. Cond. 266. Eô tempore templum muliebri Fortunæ conditum, & dedicatum fuit.

CAJUS Martius Figulus, Conſul, Collega P. Scipionis Naſicæ, an. Urb. Cond. 591. 2. Conſul, Collega L. Cornelii Lentuli, an. Urb. Cond. 598. Parum proſperè primùm, hinc feliciter adverſus Dalmatas pugnavit.

CAJUS Martius Rutilius, Conſul, Collega Cn. Manlii Capitolini, an. Urb. Cond. 399. Ex plebe Dictator, an. Urb. Cond. 400. 2. Conſul, Collega P. Valerii Publicolæ, an. Urb. Cond. 404. 3. Conſul, Collega T. Manlii Torquati, an. Urb. Cond. 412. 4. Conſul, Collega Q. Servilii Halæ, an. Urb. Cond. 414.

CAJUS Martius Rutilius, Conſul, Collega Q. Fabii Rutiliani, an. Urb. Cond. 445.

CAJUS Metianus Dictator, an. Urb. Cond. 441.

CAJUS Memius Nepos, Conſul, Collega L. Furii Camilli, an. Urb. Cond. 418. *Cajo Mæcenati triennio ſupremò nullò horæ momentò intermiſſus contigit ſomnus. Plin. l. 7. c. 51.*

CAJUS Mutius, civitatem ab hoſtibus liberavit, an. Urb. Cond. 247.

CAJUS Mutius Scævola, Conſul, Collega L. Calphurnii Piſonis, an. Urb. Cond. 621.

CAJUS Nautius Rutilius, Conſul, Collega P. Valerii Publicolæ, an. Urb. Cond. 279. 2. Conſul, Collega L. Minutii Augurini, an. Urb. Cond. 296.

CAJUS Nautius Rutilius, Conſul, Collega M. Papyrii Mugillani, an. Urb. Cond. 515.

CAJUS Norbanus Balbus, Conſul, Collega L. Scipionis Aſiatici an. Urb. Cond. 671. Hic à Sylla Italiam ingreſſo victus eſt. Eutrop. *l.* 5. *c.* 5.

CAJUS Norbanus Flaccus, Conſul, Collega Appii Claudii Pulchri, an. Urb. Cond. 716.

CAJUS Norbanus Flaccus, Conſul, Collega C. Cæſaris Octaviani, an. Urb. Cond. 730.

CAJUS Norbanus Flaccus, Conſul, Collega Druſi Cæſaris, an. Urb. Cond. 767.

CAJUS Octavius, Pater Auguſti, Prætor Macedoniæ, fugitivos, reliquam Spartaci & Catilinæ manum in itinere delevit: Beſſos ac Thraces magnô prælió fudit. Decedens Macedoniâ, priuſquam profiteri ſe candidatum Conſulatus poſſet, morte obiit repentinâ, ſuperſtitibus liberis, Octaviâ majore, quam ex Ancharia, & Octaviâ minore, item Octaviô, nondum Auguſtô, quos ex Accia ſuſceperat. Conſulito Sueton. *in Auguſti vita.*

CAJUS Oppius, Hiſtoricus, cui quidam Commentarios Cæſaris *de bello Alexandrino, Africano & Hiſpan.* adſcriptum eunt. Sueton *in Cæſ. c.* 55. etiam vitas illuſtrium virorum ſcripſiſſe creditur. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 60. illum ex primis fuiſſe refert, quibus à Cæſare de bello & pace tractandi ſumma commiſſa.

CAJUS Papyrius Balbus, Conſul, Collega P. Manlii, an. Urb. Cond. 634.

CAJUS Papyrius Carbo, Conſul, Collega C. Cæcilii Metelli Capratii, an. Urb. Cond. 641. A' Cimbris, qui in Illyricum venerunt, victus atque fuſus eſt.

CAJUS Papyrius Craſſus, Tribun. militum an. Urb. Cond. 578.

CAJUS Papyrius Maſſus, Conſul, Collega M. Pomp. Mathonis, an. Urb. Cond 523.

CAJUS Petilius Balbus, Conſul, Collega M. Fabii Ambuſti an. Urb. Cond. 396. 2. Conſul, Collega M. Val. Corvini, an. Urb. Cond. 410. 3. Conſul, Collega L. Papyrii Mugillani an. Urb. Cond. 429. Conſulibus ære alienò gravatis, ne quis in compedibus teneretur, legem tulerunt.

CAJUS Petronius, Neronis juſſu occiſus, Tacit. *l.* 16. *Annal. c.* 19.

CAJUS Piſo Vopiſcus, Conſul, Collega Servii Aſtæ, an. Urb. Cond. 866.

CAJUS Plautius Decianus, Conſul, Collega L. Æmilii Mamerci, an. Urb. Cond. 426. De Privernatibus triumphavit.

CAJUS Plautius Proculus, Conſul, Collega C. Fabii Ambuſti, an. Urb. Cond. 398. Magiſter equitum an. Urb. Cond. 400. Ad Salinas, Hetruſcos, Faliſcos, & Tarquinienſes vicit, fudit, occidit, ac triumphum egit.

CAJUS Plautius Venox, Conſul, Collega T. Manlii Torquati, an. Urb. Cond. 409. 2. Conſul, Collega L. Æmilii Mamerci an. Urb. Cond. 415.

CAJUS Pompejus Gallus, Conſul, Collega Q. Veranii, an. Urb. Cond 801.

CAJUS Pontius Nigrinus, Conſul, Collega C. Aranni, an. Urb. Cond. 789. Agrippam in vincula conjecit. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 18. *c.* 15.

CAJUS Pompejus, Samnitum Imperator, à Q. Fabio Max. filio Gurgitis ſecuri percuſſus eſt, an. Urb. Cond. 461.

CAJUS Poppæus Sabinus, Conſul. Collega Q. Sulpitii Camerini, an. Urb. Cond. 761.

CAJUS Popilius Lænas, Conſul, Collega P. Ælii Ligonis, an. Urb. Cond. 582. 2. Conſul, Collega M. Æmilii Lepidi, an. Urb. Cond. 596.

CAJUS Quintius Claudius, Conſul, Collega L. Genutii Clepſinæ, an Urb. Cond. 482.

CAJUS Quintius Flaminius, Conſul. Collega P. Furii Philonis, an. Urb. Cond. 531. 2. Conſul, Collega Cn. Servilio Gemino,

mini, an. Urb. Cond. 537. In pugna ad Thraſimenum lacum occiſus eſt.

CAJUS Quintius Flaminius, Conſul, Collega M. Æmilii Lepidi, an. Urb. Cond. 567.

CAJUS Quintilius, Dictator an. Urb. Cond. 427. Eô tempore 170. mulieres veneficæ, Romæ deprehenſæ, damnatæ fuerunt.

CAJUS Rubellius Geminus, Conſul, Collega C. Fulvii Gemini, an. Urb. Cond. 781.

CAJUS Scribonius Curio, Conſul, Collega Cn. Octavii, an. Urb. Cond. 678.

CAJUS Sempronius Blæſus, Conſul, Collega C. Servilii Cæpionis, an. Urb. Cond. 500. 2. Conſul, Collega Au. Manlii Attici an. Urb. Cond. 509.

CAJUS Sempronius Tuditanus, Conſul, Collega M. Aquilii an. Urb. Cond. 626. Contra Iapygas primò malè rem geſſit, mox victoriâ cladem acceptam emendavit.

CAJUS Sentius Saturninus, Conſul, Collega Sp. Lucretii Cinnæ an. Urb. Cond. 375.

CAJUS Servilius Hala, Conſul, Collega L. Papyrii Mugillani an. Urb. Cond. 329. Tribun. Militum, magiſter equitum an. Urb. Cond. 348. 2. Tribun. Militum an. Urb. Cond. 543.

CAJUS Servilius Portius, Tribun. militum an. Urb. Cond. 339.

CAJUS Servilius Priſcus, Conſul, Collega L. Æmilii Mamerci, an. Urb. Cond. 276.

CAJUS Servilius Structus, Tribun. Militum an. Urb. Cond. 338. 2. Tribun. militum 339.

CAJUS Servilius Tucca, Conſul Collega L. Cœlii Metelli. an. Urb. Cond. 461.

CAJUS Sextilius, Tribun. militum An. Urb. Cond. 557.

CAJUS Silius, Conſul, Collega L. Munatii Planci, an. Urb. Cond. 765.

CAJUS Suetonius Paulinus, Conſul, Collega L. Teleſſini, an. Urb. Cond. 818.

CAJUS Sulpitius Galba, Conſul, Collega P. Popilii Lænatis, an. Urb. Cond. 622.

CAJUS Sulpitius Galba, Conſul, Collega D. Haterii Agrippæ, an. Urb. Cond. 774.

CAJUS Sulpitius Gallus, Conſul, Collega C. Fundani Funduli, an. Urb. Cond. 510.

CAJUS Sulpitius Gallus, Conſul, Collega M. Claudii Marcelli, an. Urb. Cond. 588. Ligures ſubegit.

CAJUS Sulpitius Longus, Conſul, Collega P. Ælii Pæti, an. Urb. Cond. 419. quò tempore Minutia Veſtalis Virgo, ob inceſtum, viva defoſſa eſt, Oroſ. *l.* 3. *c.* 9. Eutrop. *l.* 1. *c.* 1.

CAJUS Sulpitius Longus, Conſul, Collega M. Petilii Libonis, an. Urb. Cond. 441.

CAJUS Sulpitius Pæticus, Conſul, Collega C. Licinii Stolonis Calvii, an. Urb. Cond. 392. 2. Conſul, Collega cum eodem Licinio, an. Urb. Cond. 393. 3. Conſul, Collega M. Valerii Publicolæ, an. Urb. Cond. 401. Ambo Patricii, contentione de conſulatu, vicerunt patres. 4. Conſul cum eodem Publicola an. Urb. Cond. 403. 5. Conſul, Collega T. Quintii Pœni, an. Urb. Cond. 405 Tribun. Militum an. Urb. Cond. 374. Dictator an. Urb. Cond. 598. Interrex, an. 400. Urb. Cond.

CAJUS Sulpitius Paterculus, Conſul, Collega A. Atilii Calatini, an Urb. Cond. 490.

CAJUS Terentius Varro, Conſul, Collega L. Æmilii Pauli an. Urb. Cond. 538.

CAJUS Valer. Cotta, Conſul, Collega P. Servilii Gemini, an. Urb. Cond. 505.

CAJUS Valer. Flaccus, Conſul, Collega Marci Herennii an. Urb. Cond. 661.

CAJUS Valer. Potitius, Conſul, Collega M. Æmilii Mamerci, an. Urb. Cond. 346. Tribun. Militum an. Urb. Cond. 341. 2. Tribun. Militum an. Urb. Cond. 350. 3. Tribun. militum an. Urb. Cond. 353.

CAJUS Veturius, Tribun. Militum an. Urb. Cond. 380. 2. Tribun. Militum an. Urb. Cond. 386.

CAJUS Vibius Panſa, Conſul, Collega A. Hirtii, an. Urb. Cond. 711.

CAJUS Vipſanius Apronianus, Conſul, Collega L. Fonteji Capitonis, an. Urb. Cond. 811. alius C. Vipſanius Publicola.

CAJUS vel GAJUS, Dalmata, Diocletiani Imperatoris propinquus, creatus eſt A. C. 283. Epiſcopus Roman. poſt Eutychianum martyriô ſublatum. Martyres ſanctos, inprimis ex fratre Gabinio Presbytero neptem Suſannam, quam Diocletianus genero ſuo Maximino Galerio conciliare uxorem volebat, ad mortem pro fide ſtrenuè ſubeundam hortatus, eâdem coronâ dignus habitus eſt, A.C. 296. Euſeb. *in Chronic.* & *Hiſtor.* *l.* 7. *c.* 26. Nicephorus *l.* 6. *c.* 34. Platina, Genebrardus, Onuphr. *Tom.* 1. *Concil.* Baron. *A.* C. 281. 296. Balæus, *in vita Caji.*

CAJUS, vel GAJUS, eruditione inſignis, diſputavit publicè, contra Proclum, Montani celebrem diſcipulum, illumque ad ἀχρημάτιον redegit. Vide Euſeb. *l.* 6. *c.* 14. Hieron. *de Script.* Accidit hoc A. C. 215.

CALABASTORES, Africæ oppid. *Procop.*

CALABER, Jovis fil. frater Tænari & Cæreſti. *Steph.*

Q. CALABER, libros 14. ſcripſit, οὓς μεθ' Ὅμηρον, ſive Παραλειπόμενα quomodo inſcripſit, quia Homerus Hiſtoriam de Ilio non abſolvit. Vulgò ſolent *Calabrum* vocare, quia eum Beſſarion, Nicææ Cardinalis, extra Hydruntem, maritim. Calabriæ oppid. in pervetuſta æde B. Nicolai reperit. Atque hoc etiam in Græca Conſtantini Laſcaris Grammatica legere eſt. Nunc veriſimilius *Smyrnæum* nominant, quia ipſe *l. ult.* dicat ſe ἀγλαόδωρον, ſive illuſtribus Muſarum ovibus Smyrnæ paſcendis operam dediſſe. Ex quo ſi de patria haud certò colligitur, ſaltem videmus, Scholam non infrequentem habuiſſe Smyrnæ. At nullô nititur fundamentô, quòd eum *Ptolemæus Flavius* Romanum putavit. *Voſſius.* Elegans admodum author eſt, Coluthi, Tryphiodori, & Muſæi non multum abſimilis, dignus certè, qui omnium manibus teratur; Et ut Homerum in argumento ſequitur, ita in Lectione eundem comitari debent. *Nic, Lloydius.*

CALABER Nicolaus, vide *Nicolaus.*

CALABRIA, vulgo *Terre de Labeur*, olim Magna Græcia, Pythagorâ Philoſophorum primô inſignis inſula; quam veteres *Meſapiam* à Duce Meſapo, *Peucetiam* à Peucetio Oenotri fratre dixêre. Ea ἀπὸ τοῦ καλὸς, & βρίθω, quoniam ſit regio oneroſa, & plena omni genere bonorum, dicitur. Aliam verò Etymologiam exhibet nobis vir Maximus, *l.* 1. *de Phœn. Colon. c.* 33. *his verbis*: Hebræis Doctoribus, inquit, pix aliô nomine כלב *calab*, aut כלבא *Calba* dicitur. An hinc vicinæ Bruttiis nomen Calabriæ? quæ & ipſa picea eſt, aliiſque arboribus piciferis abundè ferax. Huc facit, quòd *Calabria* Græcè Πευκετία *Peucetia* dicitur, ἀπὸ τῶν πευκῶν, *à piceis arboribus.* Apibus etiam & ovibus abundavit olim hæc regio. De utriſque Horat. *l.* 3. *Carm.* Od. 16. *v.* 33.

Quanquam nec Calabræ mella ferunt apes.

Et, *Epod.* Od. 1. *v.* 27.

Pecuſve Calabris ante ſidus fervidum
Lucana mutet paſcua.

Et, *l.* 1. *Carm.* Od. 31. *v.* 9.

Non æſtuoſæ grata Calabriæ
Armenta. ——

Ubi *æſtuoſæ*, ob canem Cœleſtem. Val. Flacc. *l.* 1. *v.* 682.

—— Sic cùm ſtabulis, & meſſibus ingens
Ira Deûm, & Calabri populator Sirius arva
Incubuit, &c.

Armenta quod attinet, idem Val. Flacc. *l.* 3. *v.* 580.

Continuò, volucri ceu pectora tactus aſilô,
Emicuit Calabris taurus per confraga ſeptis
Obvia quæque ruens. —— ——

Idem *ibidem*, *v.* 729
—— Calabris redit armentarius arvis.

Hinc *Calabræ* aves pro eximiis accipiuntur. Colum. *l.* 7. *c.* 2. Et Perſius *Sat.* 2. *v.* 65.
Et Calabrum coxit vitiatò murice vellus.

Ubi vulgò exponunt *Lanam Tarentinam.* Tarentum autem civitas Calabriæ eſt, ubi lana optima, teſte Plin. *l.* 8. *c.* 48. Unde Horat. *l.* 2. *Ep.* 1. *v.* 207.

Lana Tarentinò violas imitata venenò.

Oleis etiam nobilem fuiſſe regionem hanc innuit Columella. Sic enim ille, *l.* 12. *c.* 49. *Veruntamen habetur præcipua in hos uſus olea Calabrica, quam quidam, propter ſimilitudinem, oleaſtellum vocant.* Hujus regionis incolæ *Calabri* dicuntur, fructibus imprimis abundantes, quos quoniam hoſpitibus obtrudebant, ſibi alioqui nulli uſui futuros, factum eſt, ut *Dona Calabri hoſpitis* in proverb. ceſſerint, pro nullius pretii muneribus, quæ donanti oneri magis ſunt, quàm uſui, Horat. *l.* 1. *Ep.* 7. *v.* 14.

Non, quô more pyris veſci Calaber jubet hoſpes,
Tu me feciſti locupletem. —— ——

Cherſydris ſerpentibus olim hæc regio abundabat, teſte Solinô, *c.* 8. *Calabria Cherſydris frequentiſſima*, quorum meminit Virg. *Georg.* *l.* 3. *v.* 425.

Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus anguis.

In Calabris natus eſt Ennius Poëta Rudiis ignobili oppidô, ubi & hortos amœniſſimos poſſedit. Ovid. *l.* 3. *Matæotechniæ*, *v.* 409.

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

Nic. Lloydius. Olim Meſſapiam, teſte *Brietiô*, complectebatur, ſub qua Salentini & Calabri populi, eratque in modum peninſulæ extenſa, inter mare Adriaticum & ſinum Tarentinum. Ibique urbes præcipuæ Hydruntum, Brundiſium, Tarentum, Gallipolis & Aletium, ubi nunc provinc. *Terra Hydruntina.* Hodierna Calabria verò ampla eſt provinc. regni Neapolitani maximè in Auſtrum extenſa, verſùs Siciliam, ubi aliás Brutii & magna Græcia. Eſtque duplex, *Citerior*, quæ magis in Boream, & *Ulterior*, quæ magis in Meridiem tendit. Utraque eſt inter mare Tirrhenum & Ionium, à Borea in Auſtrum extenſa. Citerioris caput Conſentia, Ulterioris ſeu Inferioris S. Severina eſt. *Baudrand.* Vide Plin. *l.* 3. *c.* 11. Ptol. *l.* 3. Strab. *l.* 6. Cluver. *l.* 3. Merul. *Coſmogr. part.* 2. *l.* 4. *c.* 27. Leand. *deſcript. Italiæ.* Hâc Saraceni pulſi, à Pipino A. C. 809. Sigon. *l.* 4. illam iterum vaſtârunt Duce Achapſô. A. C. 828. Cedren. *in Hiſt.* iterumque A. C. 910. Sigon. *l.* 6. Græcis adempta eſt, ob Legatos contumelioſè habitos, ab Ottone M. A. C. 968. Idem *l.* 7. Ottoni II. viciſſim erepta eſt à Baſilio, A. C. 978. Sed Græci denuo pulſi ab Henrico II. Imperatore A. C. 1022. Sigon. *l.* 8. A Nicolao II. unà cum Sicilia & Apulia, Normannis in feudum conceſſa eſt, A. C. 1058. Recepta ab Henrico VI. mortuô Tancredô, A. C. 1192. P. Æmil *l.* 6. Carolus poſteà Claudius Apuliæ Rex, ex captivitate iſtis legibus dimiſſus eſt, ut Calabriâ, cum Apulia, Neapoli & Tarento contentus, Siciliam & Sardiniam Arragoniis relinqueret, A. C. 1288. Idem *l.* 7. recuperata tamen eſt à Friderico Siciliæ Rege, A. C. 1312. &c. Hodie cum toto regno Neapolitano ſub Hiſpaniis eſt.

Urbes Calabriæ, quæ extant.

Biſinianum, *Biſignano.*	Nicotera, *Nicotera.*
Catanzara, *Catanzaro.*	Rhegium, *Regio.*
Cariatis, *Cariati.*	Roſſanum, *Roſſano.*
Conſentia, *Coſenza.*	S. Severina.
Nicaſtrum, *Nicaſtro.*	Umbriaticum, *Umbriatico.*

CALABRITES, Achajæ urbs in Peloponneſo. Laonicus *l.* 9.

CALABRUS, Calabriæ fluv. Pauſan. *l.* 6.

CALABRYA, Aſiæ minoris locus, à bonæ aquæ ſcaturiginibus ſic dictus *Zonar. Curopalates.*

CALACANTHA, Græcè *χαλκάνθη*, inter herbas Chymicis, quæ luteò inficiunt: *Ζωμὸς βαθεινὸς ἰὸς, χαλκάνθη ἀλουργοβαφεῖ-ον, Calacantha præparata pro tinctorum efficit.* Lanas enim glauci olim colore tinctas, luteas fuiſſe certum. Unde *glaucina pallia* Martiali *l.* 9. *Epigr.* 27. *v.* 2. &c. Eſt autem *Calacantha* idem cum *glauco* Latinorum, quod vide, plura verò hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1164.

CALACHANA, Armeniæ minoris regio, *Strabo.*

CALACHENA, Aſſyriæ regio, Strab. *l.* 16. *Calacina. Ptol.*

CALACTA, Siciliæ lateris Septentrionalis urbs maritima *Ptol. Acque dolci Leandro. Calora Nigra. S. Marca Fazello.* Athenæo *l.* 6. memoratur, *Καλὴ ἀκτὴ ἀπὸ τοῦ ὀνομαζομένου καλοῦ αἰγιαλοῦ.* Nunc ad amnem *Fitaliam*, 3. milliar. ab ora maris Tirrheni. *Baudrand.* Ciceroni *Verrinâ quartâ* memoratur Eupolemus *Calactinus*, ubi perperam vulgò *Calatinus.* Antiquiſſima loci Calactæ mentio eſt apud Herodot. *l.* 6. Vide Diodor. Sic. *l.* 12.

CALACTICUS, ſinus circa Hiſpaniam Bæticam, *Sex. Avienus.*

CALADUNUM, Callaicorum Bracariorum urbs inter Aſturicam & Bracaram. *Ptol. Antonin.* Ubi nunc Mirandela, caſtrum Portugall. ad Tuelum amnem, in provinc. Transmontana, inter Lamegam & Bragantiam.

CALÆ, civitas in India, item inſula inter Taprobanam. *Ptol.*

CALÆGIA, German. oppid. *Ptol.* quod *Pet. Appianus Wittenberg* interpretatur. In Saxonia ſitum eſt ad Albim fluv. *Sanſonio*, Jena urbs eſt. Aliis *Kalbe*, caſtrum ad confluentes Salæ in Albim, pauló ſupra Darbicum, infra Serveſtam & Bernaburgum.

CALÆI, Inſulæ ſunt in oſtio ſinus Perſici. Arrian. *in Periplo.*

CALÆNUS, fons Lyciæ, aliàs *Calbium. Steph.*

CALAGNA, Colonia eſt apud Onuphrium ex *Frontino.*

CALAGORGIS, Galliæ Aquitanicæ urbs, *Antonin.* nonnulli putant *Bigerriones* eſſe Cæſaris, *l.* 3. *Bell. Gall. c.* 27.

CALAGORINA, Vaſconum in Hiſpania Tarraconenſi urbs. *Ptol. Calaguris Straboni* eſt. *Calagurris Naſcica*, Plin. *l.* 3. *c.* 3. *Calaborra* eam appellat *Varrerius. Calagurris* dicitur Livio, *l.* 39. *c.* 21. Itemque Prudentio *in Periſteph. Hymn.* 7. *v.* 31.

Noſtra geſtabit Calagurris ambos
Quos veneramur.

Hujus, ut & Quintiliani, Patria. Surita, *ad Itiner. Anton.* De Marca, *Hiſtor. Bearn.* Vide *Calaguris.* Populi *Calagurritani*, *Naſcici.* Plinio *l.* 3. *c.* 3.

CALAGURIS, urbs Epiſcopalis Hiſpaniæ Tarraconenſis ad Iberum fluv. ubi recipit amnem *Cidacos de Caſtiglia.* 13. leuc. à Calciata in Ortum; prope confinia Navarræ. Vulgò *Calahorra.* Plinio *l.* 3. *c.* 3. *Calagurris Fibularia*, qui etiam alterius urbis, *Calagurris Naſcicæ* meminit. Fortiſſimos olim milites tulit, in Principum excubias, ut hodie Helvetii, expetitos. Vide Suritam, *ad Itin. Anton.* Marcam *Hiſt. Bearn.* & ſuprà, in *Calagorina.*

CALAICA, apud Recentiores cum unico *l.* Veterib. *Callaica*, quod vide.

CALAIS, Boreæ ex Orithyia filius alatus, qui unà cum Zethe fratre ſimiliter alato cum Argonautis Colchos profectus eſt. Qua in expeditione cùm à Phineo Rege humaniter eſſent accepti, Harpyias, quæ epulas ejus fœdabant, perſequi conſtituerunt: quas cùm & alarum auxiliô & ſagittandi peritiâ in Plotas uſque inſulas fugâſſent, ab Iſide admoniti ſunt, ne Jovis canes ulteriùs proſequerentur. Inde itaque retrorſum reverſi, duas illas inſulas, in quibus Harpyias reliquerunt, à converſione ſuâ *Strophadas* appellârunt, cùm antea *Plotæ* dicerentur. Poſtremò ab Hercule occiſi dicuntur, & in ventos commutati, qui caniculæ exortum dies ferè octo præveniunt, unde & *πρόδρομοι*, i. e. *Præcurſores* appellantur. De his Apollon. *l.* 1 Natalis Com. *Myth. l.* 8. *c.* 11. Alex. Roſſæus, *in Myſtagogo Poet.* Ovid. *Met. l.* 6. *fab.* 8. *v.* 715.

Barbaque dum rutilis aberat ſubnexa capillis,
Implumes Calaisque puer, Zethesque fuerunt.

Vide eundem *l.* 7. *fab.* 1. Propert. *l.* 1. *El.* 20. *v.* 25. *De Hyla puero:*

Hunc duo ſectati fratres Aquilonia proles,
Hunc ſuper & Zethes, hunc ſuper & Calais.

Item nomen pueri, Horat. *l.* 3. *Carm.* 9. *v.* 13.

Me torret face mutuâ
Thurini Calais filius Ornithi.

Nic. Lloydius.

CALAMA, Africæ urbs inter Conſtantinam & Hipponem. *Oroſius.* Hujus ſæpe meminit D. Auguſtin. *Calameſa*, ut videtur.

CALAMA, Carmaniæ vicus litori vicinus. *Arrian.*

CALAMÆ, urbs Meſſeniæ in Peloponneſo. *Steph. ex Polyb.*

CALAMANCI, apud mediæ Latinitatis Auctores, ſunt pilea rotunda, ſine acumine ſeu apice (quô bardocucalli inſignes erant) ad inſtar hæmiſphærii ſeu ovi diviſi: cujuſmodi formâ fuiſſe pileum Sacerdotale Judæorum, tradit *Iſidorus*, *Pileum ex byſſo rotundum, quaſi ſphæra media & in occipitio vittâ conſtrictum, hoc Græci tiaram vocant, nonnulli galerum. Non habet acumen in ſummo, ſed galeam.* Ad quod inſtar & Caſtorum pilea erant: quæ *ovatas caſſides* vocat Appulejus, *l.* 10. *Met.* quod *ὠοειδεῖς* ovi repræſentarent &c. Græci recentiores *Καμηλαύκιον* dixêre, quaſi ἀπὸ τοῦ *ἐλαύνειν* τὸ *καῦμα*, quod *æſtum arceret.* Vide infra in voce *Camelaucum.*

CALAMARIUM, in quo atramentum reponitur, ad calamum intingendum, Græcis *μελανδοχεῖον* quoque, item *καλαμοδόχιον.* h. e. *atramentale* ſeu *atramentarium*, recentioribus Latinis *Canutium* dictum eſt, diminutivâ formâ, à *Canna*, quod ex Græco *κάννα* & *κάνη*: quæ vox non caniſtrum tantùm textum vimine notat, ſed etiam *τὸ ὅλον* & *μαγίδα.* Unde *Caniclinus*, nomen officii in Aula Conſtantinopolitana, de quo infrà. Vide quoque ſuprà in voce *Atramentarium.*

CALAMAULES, Græcè *Καλαμαύλης*, *μόναυλος*, qui unicam tibiam inflabat. Tibiarum enim materia antiquitùs, harundines, an prima fuerit, incertum: ex oſſibus enim hinnuleorum primam omnium à Minerva factam eſſe, ſunt qui tradant. Cæterùm apud Veteres tibia plerumque ex harundine. *Pollux* certè, velut antiquiſſimam materiam tibiarum, *κάλαμον* primô locô recenſet, *ἡ δὲ ὕλη τῶν αὐλῶν κάλαμος, ὁ χαλκὸς, ἡ πύξος, ὁ λωτὸς, ὁ κέρας.* Unde *κάλαμος*, apud antiquos Scriptores Græcos, pro *tibiâ.* *Pindarus*, *ἐν καλάμοισι δὲ βοᾷ ἀρχόντων*, *cum tibiæ cantu excipiunt.* Ubi perperam interpretantur nonnulli, *fiſtula*: hæc enim *calamus* non fuit, ſed ex pluribus calamis compingebatur. *Epigramma*,

Οὐδὲ σὺ τὸς ἱερὸς μόνος καλάμοισι χορεύσεις.

Et *Scholiaſtes Pindari* miraculum cujuſdam tibicinis refert, qui in agone, cum excidiſſent tibiales lingulæ, *μόνοις ἤχοις ὡς καλάμοις*, *ſolis harundinibus cantum peregit.* Eſt autem *μόναυλος*, ſingularis tibia, ad differentiam τοῦ *ζεύγους*, cùm binæ ſimul inflantur: cujus inventionem *Plinius* Pani, *Pollux* Ægyptiis, & quidem Oſiridi *Athenæus*, tribuunt. Eadem & *πλάγιαυλος* quoque dicebatur. *Appulejus* de puero Cerina Monaulo,

Quòd ſi aulum inſpires, dona & jam carmina noſtra
Cedent victa tuo dulciloquo calamo.

Unde *καλαμαύλης* Marſyas poſteà geminas tibias primus inflavit & fiſtulam invenit ex pluribus *calamis* compactam, hinc prudentiſſimus & ſolertiſſimus, ſuô ſeculô & apud ſuos habitus, in Diodorus refert. Euphorion apud Athenæum, *τὴν πολυκάλαμον σύριγγα Μαρσύαν, τὴν συρίγγα, εὗρε*, *ex multis calamis compactam certè fiſtulam invenit Marſyas.* *Αὐλήτρίδα* vocat *Pollux* fiſtulam hanc, quæ ex multis calamis ſive cannis compacta, imò ligata erat & cerâ juncta, inventum Marſyæ, ut dicunt, vel, ut aliis placet, Panis: At quæ operoſiore curâ facta fuit, ea ex multis tibiis conjunctis ac diſparibus conſtabat. Errant porro, qui fiſtulam hanc *πολυκάλαμον*, ex cicutis & avenis ſtipulíſque compactam exiſtimant, *Κάλαμοι* enim in fiſtula arundines ſunt & cannæ, unde *δόνακες* Græcis non rarò, *Theocrito* inprimis, *Plutarcho* & *Theophraſto.* Nec Græci Poëtæ *κάλαμον* de avena vel frumenti calamo dixêre, ſed *καλάμην.* Unde de indoctis bubulcis, qui, fiſtulâ ex arundinibus compactâ canere neſcientes, ſtipulâ ludebant, *Theocritus καλάμαν* uſurpat:

—— *ἀλλὰ τὺ Κορύδων*
Ἀρκεῖ τοι καλάμας αὐλὸν ποππύσδεν ἔχοντι:

quod Virgilius, ſtridenti ſtipulâ diſperdere carmen vertit. *Γιγγραῦλαι* vulgò dicebantur, nam *γίγγρας* eſt *κάλαμος Heſych.* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 117. & 832. Maximè verò τὸ *γυνμαύλων* cecinîſſe *Calamaulas* ſeu Monaulos, refert *Pollux.* Vide quoque infrà paſſim, inprimis in voce *Calamella.*

CALAMBAC, Indis dicitur optima Aloë, an à Latina voce *Calamus*? Indicæ enim ferè omnes ſpecies nomina habuêre ab Alexandrinis Romaniſque Mercatoribus, illáque ab antiquo retinuêre, parùm ad noſtram uſque ætatem immutata. Certè Aloën *calamum aromaticum* interpretatus eſt *Nonnus*,

Ἰνδώης Ἀλόης ἀρωματοεντος ἔχων ὁρμῆς.

Sed aliud *Aloën* eſſe, aliud *calamum aromaticum* ſeu *odoratum*, conſtat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1057. & hic ubi de *Aloë* ac *Calamo aromatico.*

CALAMELLA, vel *us*, fiſtulatorius calamus, quô in bellis etiamnum utuntur Helvetii. Jacobus Vitriacenſis *Hiſtor. Orient. l.* 3. & Oliver. Schol. *Volebant enim ſibi facere nomen, cum tubis, calamellis, & ſignis multis progreſſi.* A *calamus*, Gall. *chalumeau* hodie, olim *chalemelle.* Hinc *Calamellarius*, qui iſtiuſmodi tibiâ canit, apud Ugutionem, qui *Calamaules*, in *Notis Tyronis p.* 173. *καλαμαύλης Euſtathio.* Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & hic ſuprà.

CALAMENTHÆ, urbs Libyæ, vel Phœnicum. *Steph.*

CALAMIANA, Inſula oblonga Aſiæ in mare Indic. inter Borneum & Philippinas extenſa, ſub proprio Rege. Aliter *Paragoja.*

CALAMINA, vulgò *Malipur*, & Luſitanis *Citta di S. Thoma*, urbs parva Indiæ citerioris, verſùs oram littoralem ſinus Gangetici, in regione Coromandelis, quæ pars eſt Narſingæ, ſatis culta, & à Chriſtianis S. Thomæ dictis, inhabitata, 25. milliar. a Paliacata in Auſtrum, ubi corpus D. Thomæ Apoſtoli ſuperioribus annis inventum ſcribit *Maphæus* cum aliis.

CALAMINÆ, Inſulæ ſitæ ſunt in Torrhebia palude, ſeu lacu, quem Nymphæum vocant, appellanturque *Nymphæorum inſulæ*, itemque *Saliares*, quoniam in Symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur, ut Plin. *l.* 2. *c.* 95 ſcribit: Calaminas à *Calaminis* diſtinguere videtur Cæl. Rhodig. *Antiq. Lect. l.* 9. *c.* 3. Vide infrà *Saliares.*

CALAMINÆ, Inſulæ in Lydia, quæ non ventis ſolùm, ſed etiam contis, quò libeat pulſæ, multorum civium Mithridatico bello ſalutis fuêre. Plin. *l.* 2. *c.* 95.

CALAMINTA, ſeu Pulegium, Veteribus [illegible] ad redimienda vaſorum colla, in uſu, memoratus Conſtantino Cæſ. *l.* 8. *c.* 14. Vide autem in voce *Crater*, it. *Pulegium*.

CALAMINUM Mel, apud veterem Auctorem, qui *deſcriptionem* Orbis ſcripſit, ſub Conſtantino, ubi de Seribus & vicinis aliis gentibus: *Prædicta autem gentes vivunt panis, & piper &* mella calamina: *panem enim cœleſtem cottidianum accipiunt*: Græcis [illegible], & [illegible], dentibus friabile, ac idem eſt enim ſaccharo *Mambu*, ſeu ſaccharo Veter. de cujus origine diverſum ſenſere Auctores. Pro mannæ enim genere illud accepiſſe videtur præfatus Auctor cum Veterum plerisque, unde dicit populos illos, apud quos hæc mella reperiuntur, *panem quotidianum cœleſtem accipere*, quod de manna intelligendum cœli deciduo. At Salmaſius pro comperto ac certo hodie habere ait, ex ipſa harundine Mambu, generari hoc mel & aliud eſſe à manna. Certè Græci quoque recentiores hoc ſaccharum [illegible] vocantes, mannam vulgarem diſtinguunt à manna Indicæ arundinis. Et Theophraſtus in *Fragm. de Melle*, quod apud Photium extat, tria genera mellis facit & triplicem generationem: *quam apes conficiunt, quæ ex aëre cadit*, (& manna eſt liquida recentiorum) [illegible], pergit, [illegible], *aliud autem, quæ in harundinibus concreſcit*; quæ tertia generatio mellis de *Calamino melle* ſeu ſaccharo Antiquorum accipienda. A' *calamo* itaque nomen habet, qui in tantam creſcunt amplitudinem, ut ſingula internodia fiſſa lembunculum trium hominum capacem facilè efficiant &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1299 & infrà paſſim, inprimis ubi de *Saccharo*.

CALAMIS, cælator egregius. Propert. *l.* 3. *El.* 8. *v.* 9.

> *Gloria Lyſippo eſt, animoſa effingere ſigna,*
> *Exactis Calamis ſe mihi jactat equis.*

Ovidius *Calam* vocat, ut vulgò legitur: *l.* 4. *Ep.* 1. *Pont. v.* 33.

> *Vindicat ut Calas laudem, quos fecit, equorum.*

Sed legendum *Calamis*. Vide Plin. *l.* 34. *c.* 7. Et Quintil. *l.* 12. *c.* 10.

CALAMISSUS, Locrorum oppid. Plin. *l.* 4. *c.* 3.

CALAMISTRUM, ex Græco [illegible], quaſi *parva fiſtula*, ferrum erat fiſtulæ inſtar cavum, cui manubrium ligneum immittebatur, ut teneri poſſet, dum calidum eſſet, torquendis vibrandiſque capillis olim adhibitum. Virg. *Æn. l.* 12. *v.* 100.

> *Vibratos calido ferro.*

Quod proin cum acu crinali malè confundunt Grammatici, ut quæ aurea fuit & diſtinguendis continendiſque capillis inſerviit. Martialis, in *Epigr.* cujus lemma, *Acus aurea*,

> *Tenua ne madidos violent bombycina crines,*
> *Figat acus ſparſos, ſuſtineatque comas.*

Sed & à *diſcerniculo* illud *Varro* ſeparat, *Calamiſtri*, inquiens, *quòd his calefactis in cinere capillus ornatur. Diſcerniculum, quo diſcernuntur capilli.* Nec io *calamiſtra* acumen ullius uſus, at acus reverà acus, h. e. *acuta* erat. Vocat quidem calamiſtrum *acum majorem* Servius, *quæ calefacta & adhibita intorquet capillos.* Sed propterea, quia calamiſtrum non mimis, ac acum crinalem, comendi capillis mulieres adhibebant, & crinalem interdum vice calamiſtri uſurpabant. Græcè [illegible], item [illegible]. *Heſychius* tamen [illegible], *genus ornamenti circa crines*, & [illegible], *collare aureum*, eſſe dicens, à calamiſtro diſtinguit. Phrygum autem proprium & effœminatarum gentium, quibus proin hoc probrum paſſim objectum, crines gerere implexos & calamiſtrò intortos. Celtæ, Scythæ, Germani aliter, quos ex ſatiem, ſimpliciſſimâ ratione, in nodum ſubſtrinxiſſe, ex Martiali diſcimus. Vide infrà in voce *Nodi Rhen*, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 761.

CALAMITES Styrax ſeu Storax, dictus eſt Græcis, non quòd arundinibus reconditus haberetur, ne capiraret, ut quidam volunt, ſtorax enim diutiſſimè odorem ſervat, nec ſecus ac myrrha & alia gummium odoratorum genera, in maſſa afferebatur, & in pellibus hircinis ac ſaccis: ſed quòd lignum arboris ejus omne à vermibus intus eroderetur, ſicque illa caeſa ad inſtar arundinis redderetur, ſolâ ſuperficie exteriore relictâ, ut diſertè de ſtyracis arbore tradit Strabo *l.* 12. Eroſo itaque lignô, prima pars ſucci, quæ inde manabat, ſcobe mixtâ circa arboris radicem accumulabatur, quam quod abundanter effluerer, & [illegible] emanarer, *chymatiam ſtyracem* vocârunt. Exinanitâ verò jam arbore, & omni exhauſtâ ſcobe cum plurimo ſucco, lacryma, quæ deinde manabat, purior & defæcatior, more gummi concreſcens, [illegible], vocabatur, ob cauſam prædictam, quòd videl. ex arbore in modum harundinis cavatâ profluxiſſet. Atque hic, ut præſtantiſſimus, ita rariſſimus. Quò facit, quòd *Iſidorus* optimum ſtoracem haberi dicit, qui *calamis* & virgis adhæſerit, eumque ideo *calamitem* appellari: Nempe virgæ ſtyracis non ſaltem naturâ calami inſtar habent, ſed per accidens, ut & in caſia fiſtulæ. Quippe eroſo intus lignô & ſcobe egeſtâ cum ipſo liquore, virgæ exenteratæ harundini ſimiles ſiunt: gutta verò, quæ poſteà egeritur, calamis illis adhæreſcit, & puriſſimus mundiſſimuſque ſtyrax eſt. Unde Galenus, optimum ſtoracem è Pamphylia in *calamis* afferri ſolitum, docet. Albidus autem is, & inſtar gummi pellucidus &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 542. Vide quoque infrà in voce *Styrax*.

CALAMOBOAS, Antipater cognominatus eſt: nam cùm nec vellet, nec poſſet congredi cominus cum Carneade, qui magnâ vehementiâ invehebatur in Stoicos, ſemet ad ſcribendum vertit, multoſque libros edidit maledicos, in quibus paſſim contradicebat Carneadi. Ergo non linguâ ſed *calamo vociferabatur*, Eraſmus.

CALAMONA, Ægypti & Arabiæ oppid. *Lib. Notit.*

CALAMOS, Aſiæ oppidum, in ora ſubjecta Libano monti. Plin. *l.* 5. *c.* 20. Urbs item Phœniciæ. *Polyb.* Et civitas Babyloniæ. *Strabo.*

CALAMUS, ex Græco [illegible], & *arundinem* ſignificat & *ſtipulam* ſive avenam, h. e. [illegible]. In fiſtula tamen pro avena aut ſtipula non accipitur optimis & antiquiſſimis Scriptoribus ac Poëtis, ſed *arundinem* aut calamum ſignificat. Unde & [illegible] Græci vocant. *Theocritus*,

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible] —

ubi intelligit fiſtulam ex pertuſis arundinibus compactam. Græcus Poëta apud *Plutarchum*, [illegible] &c. Et *Theophraſtus* hanc [illegible] genus arundinis dictum tradit, quòd fiſtulis faciendis utilis eſſet. At ſtipulam, quâ indocti bubulci, fiſtulâ canere neſcientes, ludebant, [illegible] idem *Theocritus* vocat, ut ſuprà vidimus in voce *Calamaules*: aliis [illegible] vocatam, unde [illegible] vulgò dicebantur. Sed & aliàs [illegible] ferè ſemper, pro arundine. Sic [illegible], ſunt arundines vel calami: [illegible] ad ſcribendum, ex arundine: [illegible] quoque de tibiis dixêre, quæ ex arundine utique olim fiebant. Hinc [illegible] *Pindaro*, *tibiæ cantus*, & [illegible], in *Epigramm. multiforatiles tibiæ*, & [illegible], de qua voce ſuprà diximus, &c. Sed & [illegible], *lyræ crepitaculum* eſt, cui chordæ adnectuntur, quodque ſonum edit, [illegible] vocatum quoque Græcis: *Heſych.* [illegible]. Unde lapillus, qui in alveo æſtuoſis movetur ac ſonat, Latinis *calamus*, Græcis [illegible] etiam, appellatus eſt, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 714. Porrò & [illegible], virgæ dictæ ſunt ac ſurculi, quibus hærebant mabaſtri folia, [illegible] etiam dicti item quibus ſtorax adhæreſcens adferebatur, uti vidimus ſuprà in vocibus, *Botri* & *Calamites ſtyrax*. Menſuræ tandem genus, [illegible] dictum, Regiorum X. pedum ſive Philetæriorum, Italicorum verò XII. cujus mentio apud Ezechielem Proph. *c.* 42. *v.* 16. 17. Græci certè, ut *Hero*, & alii, qui Latina etiam nomina in ejuſmodi menſuris recenſendis explicant, nullum menſuræ genus habent X. pedum, præter [illegible]: & Hero quidem dicit, Ægyptios [illegible], arva ſua metiri ſolitos &c. apud Eund. *p.* 683. Plura vide apud Plin. *l.* 16. *c.* 36. & 37.

CALAMUS Aromaticus, cujus mentio Jerem. *c.* 6. *v.* 20. Salmaſio non niſi Indicus eſt, quem ideo *Arabicum* ac *Syriacum* nonnullis dici vult, quia ex India in Arabiam & Syriam advehebatur. Sed ſolum in India creviſſe falſum, cùm Moſis ævô Judæis jam fuerit notus, ejuſque adeò mentio fiat Exod. *c.* 30. *v.* 23. Neque veriſimile eſt, Indiam Judæis aut vicinis gentibus jam fuiſſe tum apertam. Unde non ſine ratione in Arabiæ parte aromatifera illum quoque provenire cenſet Bochartus: quam Dionyſius Periegetes *v.* 937. odorem exhalare ſcribit,

> [illegible]
> *Aut thuris aut myrrha aut odorati calami.*

De quo proin *Feſtus Avienus*,

> — — — *Hic ladani vim*
> *Vellera deſundunt, calami coma pullulat alni.*

Et *Priſcianus*,

> *Namque thyô myrrhâque viget, cum thuris odore,*
> *Et caſiâ, nec non & calami dulcis odore.*

Ac proptereà *calamum* odoratum *Arabicum* vocat Plut. *in l. Quod bruta ratione utantur*, &c. Vide eundem Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 5. *c.* 6. Latinis *Odoratus calamus* dictus eſt. Solinus c. 52. *Mittit India calamos odoratos; & multa alia mirifici ſpiritus ſuavitate grata.* Reverà enim grati ac flagrantis odoris fuit, unde [illegible], *ſuffimentis ſuaveolentiæ ergò*, miſceri conſueviſſe, ait *Dioſcorides*. At recens talis, quemadmodum juncus; inveteraſque verò odorem citò expirare ac evaneſcere, cum alia pleraque aromata inveterata ac ſervata flagrantiùs ac ſuaviùs oleant, tradit *Theophraſtus*. Odoratiſſimum in Syria naſci, in modica convalle, quæ inter Libanum patet & alium monticulum, habes apud eundem. Porrò *Alexandrinus* idem appellatus eſt *Celſo*, quia ab Alexandria Romam adferebatur, cum cæteris Orientis aromatibus. Nonnulli & [illegible], quòd *ruber eſſet*, dictum volunt Dionyſio *Rebus Indicis*; ſed [illegible] is longè alius ab odorato. Inter res enim edules ille Erythræus eſt,

> [illegible]
> [illegible]
> *Aliis enim (in India) nuleum provenit, alibi verò*
> *Sylvæ ſurgunt Erythræi calami.*

Radix ſcil. eſui apta, propter eximiam ac melleam ſuavitatem; ipſe verò in proceritatem non modicam ſurgebat: quod cum odorato calamo non convenit, qui minutus fuit, & parvæ harundini ſimilis, [illegible] hinc vocitatus Anonymo de *Vita* Alexandri. Calamum ergo Indicum *Dionyſius* intelligit ab odorato diverſum; quem *Erythræum* vocat, quòd ad ripas Indici vel rubri maris naſceretur. Probationem porro optimi *Calami Aromatici Dioſcorides* his verbis complectitur, [illegible], *qui in multas aſſulas frangitur, quique intus fiſtulam habet, velut araneorum telis refertam.* Concavus namque eſt, & fiſtulam habet tenuibus membranulis intus conſeptam, ſicut reliquæ arundines: quas membranas is [illegible] vocat, ob ſimilitudinem. Præſtantiſſimum ergo videri ait, qui non frondis protſus intus ſit, ſed membranulas [illegible] habeat, &c. Quam in rem, vide plura apud præfatum Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis *p.* 1049. *& ſeqq.* ubi, inter alia, *Calamum aromaticum*, non eſſe legitimum antiquorum [illegible], ſed Acorum potiùs, docet.

CALAMUS Aucupatorius, Græcè κάλαμ☉ ἰξευτὴς, memoratur Propertio l. 2. *Eleg.* 19. v. 23.

Hæc igitur mihi ſit leporis audacia molles
Excipere & ſtructo figere avem calamo.

Ubi *ſtructum calamum*, vocat *creſcentem arundinem*, uti aliàs hæc venatio appellabatur. In aucupiis enim, quod calamis peragebatur, harundo ad harundinem ſic aptata jungique conſueverat, ut ſenſim creſceret, donec alitis ejus, quæ captabatur, alas viſcum tangeret. Martialis ſub lemmate, *Calamus aucupatorius*, *l.* 14. *Epigr.* 218.

Non tantum calamis, ſed cantu fallitur ales,
Callida dum tacita creſcit arundo manu.

Σύνθετα καλάμων vocat vetus *Epigramma*, h. e. *ſtructuram calamorum*, apud Salmaſ. item καλαμίδα ἀγρεύτειραν,

Εἴ τε σὺ γ' ἀγρεύτειραν [illegible] καλαμῖδα παλύνας
[illegible]
Πᾶνα καλεῖ, καὶ Πὰν [illegible] ἴχνια φαίνει,
Σύνθετα [illegible] Πᾶν [illegible] καλάμων.

Ubi σύνθετα καλάμων eſt creſcens harundo, quæ tacitâ manu [illegible] & creſcit, donec avem attingat. Δονακόεις hinc δόλ☉ in alio *Epigramm.* itidem *MS.* dicitur:

Δονακόεντα [illegible] δόλον [illegible],
[illegible]

Petronius, *texta arundinibus aves captabamus* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 218. & 1087. & infrà, *Calamus ſtructus*.

CALAMUS Auleticus, vide ſuprà *Auleticus*.

CALAMUS Dulcis, Græcis recentioribus γλυκυκάλαμ☉, quæ vox apud *Myrepſum* frequens; quibuſdam eſt caſia purgans, ſed ſine ratione. Hæc enim propriè arundo non eſt, nec adeò dulcis, ut nomen ea dulcedine compoſitum vindicare ſibi velut proprium debeat. Potiùs ſic dici poſſet arundo Indica ſeu Saccharina, de qua hodie ſaccharum conficitur & elicitur; ſed nec hanc nomine illô denotari, conſtat. Quidam de Indica mannæ arundine vocem accipiunt, quam κάλαμον Ἰνδικὸν, apud Charitonem vocari, notum: & certè γλυκυκάλαμ☉ & κάλαμ☉ Ἰνδικὸς infimi ævi Græcis idem. At cæteri ferme omnes Græci in ſuis Lexicis γλυκυκάλαμον exponunt λωτὸν, & intelligunt fruticem Ægyptium, cui caulis inſtar calami geniculis carentis, ut & Fabæ Ægyptiæ, cui ſimilis eſt, quam & ipſam *loton* quoque dictam, teſtatur *Athenæus*. Lotus certè ille dulcis eſt, hodieque tradunt, ejus caules ab *Ægyptiis* crudos mandi & dulces eſſe ac humidos, & propter æſtus ſumtos valde refrigerando eſſe & humectando. Sed & *calami* quidam Ægyptii dulces eduleſque, apud *Theophraſtum* occurrunt &c. Quam in rem vide plura apud Salmaſium præfatum d. *l. p.* 1301. & *ſeqq.*

CALAMUS Erythræus, apud Dionyſium in rebus Indiæ, quibuſdam eſt *Calamus Aromaticus* Veter. quem ἐρυθραῖον dici rentur, h. e. *rubrum*, quia optimum πυῤῥὸν eſſe debere tradat *Dioſcorides*, i. e. *rufum*. Sed ἐρυθραῖ☉ non eſt *ruber*, verùm *Erythræus*: Græci enim nuſquam ἐρυθραῖον hâc notione acceperunt, ſed gentile nomen eſt ab Ἐρυθρῇ θαλάσσῃ. Adde, quòd *Calamum* hunc inter res edules nominat *Dionyſius*, & in proceritatem non modicam ſurgere innuit, verbis ὕλαις πηλιθόωσαν. Non itaque aromatica ſpecies ille calamus eſt, ſed Calami Indici genus, ad ripas Indici ſeu Erythræi maris naſcens, cujus radices eſui erant Indis, propter eximiam & melleam ſuavitatem. Idem *ibid. p.* 1033. Vide quoque ſuprà, ubi de *Calamo Aromatico*, & hîc infrà.

CALAMUS Eunuchiæ, vide infrà ubi de *Calamo Tibiali*.

CALAMUS Indicus, ſeu *Arundo Indica*, in verſibus Varronis, qui apud *Iſidorum* citantur,

Indica non magnâ nimis arbore creſcit harundo:
Illius e lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant ſucco contendere mella.

Dionyſio Afro dicitur κάλαμ☉ Ἐρυθραῖ☉, in verſibus, quos ſuprà adduximus, ubi ſuccum ejus potui jucundum dulcemque ſumere conſueviſſe Indos ait; idemque eſt cum canna ſaccharina hodierna, è qua expreſſione ſuccus elicitur, dein coctione denſatur, quem *Sacchari* nomine hodie novimus. Certè Ἐρυθραῖον pro *Indico*, apud Poëtam illum ſæpius occurrit. Et *Indicos calamos* de genere certo harundinis dixère Veteres, quæ intus inanis & vacua non eſſet, ſed plena ac ſolida; ut patet ex Democrito ſubditivo in Geopon. cujuſmodi omnino eſſe cannas, quæ ſaccharum hodiernum gignunt, certum eſt. Sed & *Strabo*, in quodam Æthiopiæ loco καλάμους Ἰνδικοὺς plures naſci prodit. Unde fides fit, certo huic arundinum generi nomen inditum, etiamſi apud Indos non naſcerentur. Sic narrat Plinius, poſt Jubam, in quadam ex Inſulis Fortunatis ferulas ſurgere ad arboris magnitudinem, candidas, quæ expreſſæ liquorem reddant potui jucundum: quas ſacchari cannas eſſe, nemo dubitet, cùm hodieque in illis Inſulis eas naſci certum ſit. Et quidem ſuccum ex his exprimi ſolitum ab Indis videmus, ſed potui tantùm accommodatum: Ars verò excoquendi hujuſmodi ſucci mellei, qui ex cannis eliciebatur & coagulandi & inde in panes cogendi, prorſus veteribus incomperta. Vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 1018. & hîc paſſim ubi de *Calamo Dulci*, *Calamo Militari* & *Saccharo*.

CALAMUS Militaris, apud Plin. occurrit *l.* 16. *c.* 36. *Calamis Orientis populi bella conficiunt. Calamis ſpicula addunt irrevocabili noxia! Mortem accelerant pinna additâ calamis. Fitque & ex ipſo telum aliud fractum, in vulneribus. His armis Solem ipſum adumbrant. Propter hoc maximè ſerenos dies optant ‒ ‒ Ac ſi quis Æthiopas, Ægyptum, Arabas, Indos, Scythas, Bactros, Sarmatarum tot gentes, & Orientis, omniaque Parthorum Regna diligenter computet aequa ſere pars hominum in toto Mundo calamis ſuperata degit. Præcipuus hic uſus in Creta bellatores ſuos præcipitavit. Sed in hoc quoque, ut in cæteris rebus, vicit Italia: quando nullus ſagittis aptior calamus, quam in Rheno Bononienſi amne, cui plurima ineſt medulla, ponduſque volucre — non eadem gratia Belgicis — quamquam præferantur Indici, quorum alia quibuſdam videtur natura, quando & haſtarum vicem præbent additis cuſpidibus. Harundinem quippe Indicæ arbores amplitudine — navigiorumque etiam vicem præſtant ſingula internodia* &c. Quibus ultimis verbis harundinem *Mambu* intelligit, è qua ſaccharum Veteres ſeu mannas. Sed quomodo tantâ amplitudine ſagittarum, imò & haſtarum, uſum præbere potuerint hi calami, meritò quærit Salmaſ. qui proin Plinium ex pravâ lectione Theophraſti errorem hauſiſſe docet, ubi ſuprà *p.* 1299.

CALAMUS Odoratus, Dionyſio εὐώδης,

Ἠδὲ ῥόα, ἢ σχοῖνος, εὐώδης ὁ καλάμοιο,

inter res odoratas, quæ in Syria naſcuntur, unà cum junco; recenſetur Plinio, *l.* 12. *c.* 22. ubi *in convalle modica, juxta lacum, cujus paluſtria æſtate ſiccantur, tricenis ſpatiis ſtadiis*, illos naſci tradit. Unde *Syriacus* dictus eſt; Idem Græcis *Arabicus*, Romanis *Alexandrinus*, aliàs *Aromaticus*, de quo vide ſuprà.

CALAMUS Scriptorius, in uſum venit, poſtquam literæ, quæ priùs incidebantur, pingi cœpêre. Tum enim ſcribendi inſtrumentum primò fuêre arundinei calami, poſteà verò avium pennæ; tranſiitque vox à Græcis, quamvis *calamum* illi nunquam ſumpſerint, ad Romanos, Chaldæos, Arabes, Ægyptios & Perſas, uti docet Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 50. Et quidem calamorum optimi habebantur, qui creſcerent juxta Memphim, Nilum & Gnidum. Plin. *l.* 16. *c.* 36. *Calami Ægyptii chartis ſerviunt maximè cognatione papyri. Probatiores tamen Cnidii, & qui in Aſia circa Anaiticum lacum naſcuntur.* Hinc *Cnidiæ arundinis* pro calamo ſcriptorio paſſim mentio, apud Poëtas Græcos Latinoſque. Auſon. *Cnidiæ ſulcus arundinis.* Epigramma vetus in ſuppellectile Librarii,

Καὶ σπόγγον καλάμων ψαιστὴν ἀπὸ Κνιδίων.

Et ſpongiam quâ calami Cnidii abſterguntur.

Memphiticorum meminit Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 38.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.

Niloticum calamum Appulejus celebrat, *Met. l.* 1. Auſonius ſimiliter *Melonis paginam*, vel potiùs *filiam*, dixit. Nam Nilus olim *Melo* &c. Gerh. Joh. Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 36. Habebant hi calami multum cartilaginis & carnis, unde σαρκώδεις, καλαμώδεις dicti *Dioſcoridi*, ubi de σαρκίῳ, *calamo*, & ſcalpello temperabantur, quod γλυφανον, [illegible], γλυφίδα, [illegible] & γλυφεῖα Græci vocitàrunt. Vetus *Epigramm.* de ſuppellectile Notarii,

Καὶ γλυφάνοις καλάμων [illegible] γλωχῖνα [illegible].

Item [illegible], *Ibid.* Unde ipſi calami [illegible], *temperati* Plinio, h. e. *acuti*, &c. Vide infrà, ubi de *Scalpello Scriptorio*. Findebantur autem illi in medio, & duos apices oſtendebant, uti pennæ, quibus ſcribimus, unde κάλαμοι μεσοσχιδεῖς *calami in medio fiſſi*, in *Epigramm.* veteri dicuntur, & in alio, κάλαμοι [illegible], *calami in duos apices fiſſi*, &c. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1044. & 1045.

CALAMUS Structus, apud Propert. *l.* 2. *Eleg.* 19. *v.* 23.

Hæc igitur mihi ſit leporis audacia molles
Excipere, & ſtructo figere avem calamo.

In veter. *Epigramm.* σύνθεσις καλάμων, *ſtructura calamorum*; aliter *creſcens harundo*, idem eſt cum *Calamo* ἰξευτῇ, *viſcato* ſeu aucupatorio, de quo diximus.

CALAMUS Συριγγίας, apud *Theophraſtum*, *Syringias*, apud Plinium ubi ſuprà, *Calamus verò totus concavus, quem vocant Syringiam, utiliſſimus fiſtulis: ni Indice eidem fiſtulatorius dicitur, De ſagittarius & ſcriptorius & fiſtulatoriis calamis.* Sed & in eo falſus eſt, Salmaſiô judice. Nam diſertè ita dictum teſtatur Philoſophus, quòd totus eſſet concavus ad fiſtulæ inſtar, minimumque haberet carnis & ligni, adeoque diſtinctus ἀπὸ τοῦ μεστοκαλάμου, h. e. *pleni intus ac ſolidi*, è quibus fiebant ſagittæ. Certum tamen, fiſtulas ex calamis compingi ſolitas, unde & καλαμίνη σύριγξ: Sed idem calamus, qui tibiis erat idoneus, idem & fiſtulis utilis, uti videre eſt ſuprà, & hîc paulo poſt, plura verò apud Salmaſ. præfatum d. *l. p.* 1299. & ſuprà ubi de *Calamo Scriptorio*.

CALAMUS Tibialis, ſeu *Auleticus*, dictus eſt, qui tibiis idoneus. Et quidem inter varii generis harundineta, quibus abundabat Orchomenius lacus, harundinem tibialis calami etiam gignebat, cujus duo genera *Zeugita*, & *Bombycia*; ille, quòd ex uno ejus internodio binæ tibiæ dextra & ſiniſtra, quod & tibiarum ζεῦγ☉, formabantur: iſte, quòd ex eo Bombyces, genus quoddam tibiæ, fierent, dictus. Pars verò illa lacus, ubi optimi naſcebantur calami hujuſmodi, *Pelecania* appellata eſt, quâ parte in paludem Cephiſus etiam influit. Ut autem calamus auleticus utilis eſſet, in undans aqua bienniô minimum reſidere debebat: ſi plus permanſiſſet, eò melior erat; Ubi verò maturiùs receſſiſſet, harundo non bona fiebat εἰς ζεύγη, *paribus tibiarum*, ſed tantùm *Bombyci*. Porro, cùm *Theophraſtus* arundinem in genere, ut cætera, in mares dividat ac fœminas; ubi ad ſpecies & differentias venit, tibialem diſtare facit à cæteris, τῷ [illegible] τῆς φύσεως, *quod tenuior & gracilior ſit*, [illegible] *& totus fœmininis aſpectu*. Nam & latius folium habere & candidius, minus etiam lanuginis quàm cæteras; imò & reperiri, quæ nihil habeant, εὐνουχίας hinc vocitatas, i. e. *ſpadones*, è quibus optima fieri tibiarum paria. Fiebant autem duæ ex uno internodio, [illegible], unde

ut ad ζαλέσιον calamus hic aperit eſſet, craſſior evadere debebat, & in majorem adoleſcere amplitudinem, inundatione per biennium manente, uti dictum: at in bombyce una tantum capiebatur, quæ prout æquè longa erat, ac duæ cæteræ &c. Vide Salmaſium ubi ſuprà p. 517. & ſeqq. ut & hic paſſim.

CALANI, Indiæ populi ex quibus ortum duxiſſe Judæos tradit Clearchus apud Euſeb. *Præp. Evang. l. 9.*

CALANTICA, pagus Luſitan. Eboræ urbi proximus, *Alcaçolas.* Iac. Vaſconc.

CALANTICA, teſte *Nonio*, tegmen eſt muliebre, quod capiti innectitur. M. Tullius *in Clodium*: *Tunc cùm vincirentur pedes faſciis, cum calanticam capiti accommodares.* Cæl Rhodig. *Antiq. lection. l. 16. c.* 10. ex Euripide ac Herodoto docet, mitram eſſe, genus faſciæ, ſive tæniæ, quâ caput obligetur: quam eandem cum *Calantica* fuiſſe, docet Servius *ad Æneid. l. 9 v. 616.* Similiter Lyrano *ad Iudith. c.* 10. muliebre id capitis tegmen eſt, quod aliàs *Mitra* dicitur, ipſe *Cuffiam* vocat, Galli *Coiffe*. Et ſuffragatur idem Servius *ad Æn. l.* 10. ubi ridentur Troës obſeſſi, habentes redimicula mitræ: quemadmodum idem *l. 4.* in Paride, *cum ſemiviro comitatu*, ridet Iarbas. Servius enim pileum contraponit mitræ; & hanc muliebri capiti tegendo, illum virili, attribuit. Vide Solerium *de Pileo ſect. 6* & infrà ubi de *Mitra*. Salmaſio melius Calautica dicitur. Ita enim *Gloſſa*, *Calautica*, εἶδος ζωνης; ex Græco καλυπτικόν. Vide eum *ad Solinum p. 556.* ut & infrà ubi de *Mitra* ac *Phrygia tiara*.

CALANUS, Philoſophus ex Gymnoſophiſtis Indis, qui ſecutus Alexandrum Magnum extra Indiæ fines, cum apud Paſagardas an. ætat 85. ægrotare cœpiſſet, factâ pyrâ, & aureâ lecticâ ſuperimpoſitâ, in ea cubans ſpectante toto exercitu, in aciem diſpoſito, & certis hominibus fragrantiſſimos odores pyræ affundentibus, combuſtus eſt, ſine ullo doloris indicio, ſtramentis opertus. Fertur, cùm Alexander M. rogaret eum, ſi quid vellet, dixiſſe: *Propediem Te videbo.* Quod etiam contigit, nam in Babylone paucis pòſt diebus Alexander mortuus eſt. *Arrian. Indic*, inquit *Suidas*, *quemque ſapientem Calanon vocant.* Cæterùm de hujus diſputatione & interitu plura vide apud Diodor Sic. *l. 17.* Q. Curt *l* 10. Arrian. *l. 7.* Valer. Max. *l. 1. c. 8. ex. ext.* 10. Strab. *l* 15. Caſaub. *p.* 106. Hinc dicta *Calani*, Philoſophorum, ut quidam volunt, ſecta: Nominis origo in obſcuro eſt; à Chalne, civitate à Nimrodo ædificata, quæ Senioribus Χαλάνη, *Euſtathio* χαλάνη, cujus & in ſacris mentio, ſunt qui illam arceſſant: ut *Calani* appellati ſint, ſicut à loco Babylonii, Peripatetici &c. Georg. Hornius *Hiſt. Philoſ. l. 2. c. 9.*

CALANUS Proſper, vide *Proſper*.

CALAON, Aſiæ fluv. circa Colophonem. Pauſan. *l. 7.*

CALAPIS, Pannoniæ memorandus amnis in Saum influens, juxta Sciſſiam, geminô alveô inſulam ibi efficiens, quæ *Segeſtica* appellatur.

CALARIS, Sardiniæ primaria civitas, in 4. partes dividitur; media fortiſſimô murô ſepta propriè *Calaris* eſt, ea quæ Orientem ſpectat *novum oppidum*; ea quæ Meridiem reſpicit, *La Gliapola*, & quarta, quæ ad Occaſum vergit, *Stampax* nominatur. Suntque hæ 3 partes ſuburbia quædam, & appendices urbis Calaritanæ. *Calaris* Hirtio, & *Caralis* Ptolemæo. Florus, *l. 2 c. 6.* eam *urbem urbium* vocat populi *Calaritani*. Vide *Caralis*, & infrà.

CALARIS, urbs triplex, cum portu capaciſſimo, in mari Africo. Sub Hiſpanis cum tota Inſul. ab A. C 1330. quò capta fuit à Jahanne II. Arragonum Rege; ab ea pars Auſtralis Inſul. dicitur pro montor. Calaritanum. Ab Arborea 50. milliar. in Ortum. *Baudrand.*

CALARNA, urbs Macedoniæ. *Steph.*

CALARO, fluv. vel amniculus Galliæ, inter Lugdunum & Viennam in Rhodanum decurrit, contra caſtrum S Symphoriani S. *Saforin*, & priſcum nomen unâ ſyllabâ truncatum retinet: *Garon* enim dicitur. Alluit Priſciniacum vulgò *Brignais*, aliàs *Brignetz*: quædam tamen tabulæ refragantur, quæ Priſciniacum non ad fluv. Calaronem, ſed ad amniculum Briocum *Bieu*, qui in Calaronem labitur jamjam Rhodano acceſſurum, collocant. Hadr Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Priſciniacum*.

CALAROGA, oppidul. Diœceſis Oxomenſis, in Hiſpania & in Caſtella vetere, patria Inſtitutoris Ordinis Prædicatorum Dominici.

CALARONA, locus Antonino quidem non memoratus, antiquus tamen. In illo tribunum & cohortem locat *Lib. Notit.* ita enim ille: In *provinc. maxima Sequanorum*, *Tribunus cohortis primæ Flaviæ Calarona.* Manet hodieque nominis veſtigium in arce, *Glerolles*, vel *Glerolle*, ad lacus ripam, prope vicum S Symphorianum, in præfectura Lauſonenſi. Vicus ne fuerit olim, an oppidum, an caſtrum potius? in incerto eſt. Joh. ſlapt Plantinus *Helv. Nova Antiq.*

CALARONA, quoque *Glarona*, oppid. Helvet. ad *Sernaff*. amnem, fœdus init cum reliquis pagis, A.C. 1551. Vide *Glarona*.

CALARUS, inſula, aliàs *Alopecia*, vel *Alopeconneſus*, aliàs *Caleron* civitas eſt dicta. *Steph.*

CALAS, ab Alexandro Magno Paphlagoniæ ac Enetis præpoſitus. Videtur is eſſe, qui Diodor. Sic. *l. 17.* vocatur *Callas*, in Troade à Perſis ſuperatus, confugit deinde Rhœtium. Filius fuit Harpali, præfuit mille & octingentis Theſſalis Regem in Aſiam ſecutis. Ibid. *p.* 571.

CALASARNA, Lucanorum urbs, nunc *Capana* in Calabria. Aliis eſt *Campana*, oppidul. Calabriæ citerioris juxta amnem Lacanetum 4. milliar. ab Umbriatico.

CALASIRIS, pars Ægypti, unde incolæ *Calaſirii*. *Steph.* Herodotus alterum genus militum (cùm alterum *Hermotybios* appellet) hôs nomine vocat: quos duos militiæ ordines magnus ille Seſoſtris inſtituit, illiſque poſt reditum ex Aſia, in operæ fortiter navatæ præmium, *Feuda* conceſſit, ac Nomos certos hanc in rem aſſignavit. Οἳ Ἑρμοτύβιες καὶ οἱ Καλασίριες καλεόμενοι Μαχιμοφόροι, οἱ ἐν Αἰγύπτῳ μοῦνοι μάχιμοι. *Hermotybies & Calaſiries, qui vocantur Enſiferi, ſoli ſunt Milites ex Ægyptiis*, *Ibid. l. 6. c.* 31. Et quidem *Calaſiriorum* Nomi erant, Thebæus, Bubaſtites, Aphthites, Tanites, Mendeſius, Sebennites, Athribites, Pharbœthites, Thmuites, Onuphites, Anytius, & Myecphorites. Numerus fuit 250000. neque illis fas erat artificio ulli operam dare, ſed ſolum rei militari vacare, filiò à patre diſcente, Idem *l. 2. c.* 166. Ex illis mille, uti tandem Hermotybiorum, annuò *ſatellitum* munere circa Regem fungebantur; quibus præter arvias XII. à vectigalibus immunes ſingulis conceſſas, dabantur virium quondam panis miſti quinæ minæ, bubulæ carnis binæ, vini ἀρυστῆρες quatuor Idem *ibid c.* 168. Vide Joh. Marſhamum *Canone Chron. ad Sec. XV.* ubi de *Ægyptiorum Militia*, & infrà ubi de *Feudo Militari*.

CALATA, ſeu GALEATA, *Antonin.* oppid. Siciliæ medium inter Pactas ad Occidentem & Troynum ad Ortum, 25. mill. paſſ. populi *Calatini*. *Calatia*, altera, urbs Siciliæ mediterranea, Ennæ urbi finitima. *Calatagirone Cluſio. Ferrar.* Intra montes, crevit ex ruinis Zoticæ, habetque vicinum Achatem fluv. in Africum mare ſe exonerantem.

CALATA, primò omnia Comitia apud Romanos dicta ſunt, à Græco καλεῖν, id eſt, voco: unde ruſtis vetuſtas *calare* dixit. Poſteà verò cùm in uſu vox eſſe deſiiſſet, retentum eſt nomen *Calatorum Comitiorum* in his tantùm, quæ pro Collegio Pontificum habebantur, vel teſtamentorum cauſâ fiebant: idque religionis cujuſdam & antiquitatis ratione. Vide A. Gellium *l. 15. c. 27.* Theophilum *Inſtitut. l 2.* Johannem Roſinum *Antiqq. Rom. libro 6. capite 1.* &c.

CALATAGIRONE Bonaventura, Franciſcanorum Generalis, à Clemente VIII. Patriarcha Conſtantinopolit. deſignatus, Galliæ Regem cum Hiſpanis, reconciliando operam navavit. Vide *Bonaventura*.

CALATARÆ, Bactriani populi, *Ptol.*

CALATHANA, Macedoniæ vicus, Liv. *l. 32. c.* 13.

CALATHE, vulgo GALATA, inſul maris Africi Numidico ſinui adjacens. Aliis iſſe videtur *la Goletta* inſul. cum arce in ora ſinus Tunetani, ab Hiſpanis diu poſſeſſa, & ſuperioribus annis ob nimiam diſtantiam amiſſa.

CALATHE, vulgò CALATHUSAM vocant, nomen urbis ad Herculis columnas ſitæ. *Steph.*

CALATHI, apud Martialem *l. 14. Epigr.* 107. cui hoc lemma eſt,

> *Nos Satyrus, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,*
> *Perfuſos domini lambere docta pedes:*

Calices vinarii ſunt, quos in Bacchi ſacris adhiberi conſueviſſe, didicimus, ex Virgilii *Eclogâ 5. v. 69.*

> *Et multo inprimis hilarans convivia Baccho,*
> *Ante focum, ſi frigus erit; ſi meſſis in umbra,*
> *Vina novum fundam* calathis *Arviſia nectar.*

Aliàs idem cum quaſillo *calathus*; quem de floribus idem uſurpat, *Ecl. 2. v. 46.*

> —— —— —— *tibi lilia plenis*
> *Ecce ferunt Nymphæ calathis.*

De caſeis *Georgic. l. 3. v. 402*

> *Quod ſurgente die mulſere horiſque diurnis,*
> *Nocte premunt; quod jam tenebris & ſole cadente,*
> *Sub lucem exportant calathis.*

De lana, *Æneid. l. 7. v. 805.*

> ----- *Non illa colo calathiſque Minervæ*
> *Fœmineas aſſueta manus*, &c.

In nuptiis apud Athenienſes, puerum egregiâ formâ & inſigniter ornatum, cum *calatho* omnis generis dilitioſis fructibus pleno, triclinium ingredi & exclamare ſolitum coram Neogamis, Ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον, *Effugi malum, inveni melius*, legimus: qua de re infrà aliquid ubi de *Nuptialibus ritibus*. Myſteriorum verò die, in eadem civitate à jugo boum quaſillum ſeu *calathum* vehi conſueviſſe, dicemus ubi de menſe *Septembri*. Apud Catullum, *Epigr. 65. v.* 319. virgati dicuntur Calathi, quòd virgis viminibuſque conficerentur &c Apud Ovidium deſcriptione roſæ, *calathi* idem, quod *calices* aliis,

> ------ *prima dies oſtendit ſpecula florum,*
> *Altera pyramidas nodo majore tumentes,*
> *Tertia jam calathos.*

Sic Plin. *l. 21. c. 5.* de lilio, *Caulor ejus eximius, foliis foris ſtriatis; & ab anguſtiis in latitudinem paulatim ſeſe laxantibus effigie calathi, reſupinis per* ambitum labris. Nempe à ſimilitudine *calicum*, τῶν καλάθων, vaſorum, quibus bibitur, qui & *calathi*, utrumque vocabulum ad flores translatum eſt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 102. Hinc Καλαθίνη, nomen Melitææ catellæ, apud *Adæum*, quòd in *calatho* ſeu quaſillo circumferretur, vide infrà *Melitæi catelli*: & Καλαθίσκος, ſaltationis ſpecies cum *calatho* ſeu caniſtro, apud Jul. Cæſ. Scaligerum, *Poetic l. 1. c.* 18. Vide quoque infrà *Quaſillaria*.

CALATHION, Laconiæ mons, Pauſan. *l. 3. extr.*

CALATHIS, nomen civitatis, Καλαθὶς *Straboni*, in Illyride.

CALATHUS, fil. Iovis, & Antiopes, *Homer.*

CALATHUSA, Inſul. inter Cherioneſum, & Samothracem deſerta Plin. *l. 4 c.* 12. Item inſul. in Ponto. *Steph.* Et Arabiæ Deſertæ oppid. *Ptol.*

CALATIA, urbs Campaniæ, *Gajazzo Leandro.* Silius *l. 8. v.* 543.

—— Nec parvis aberat Calatia muris.

Oppidani *Calatini*, Liv. *l.* 22. *c.* 61. & *l.* 26. *c.* 33. Coloniam huc deduxiſſe C. Julium Cæſarem author eſt *Appian. Alex.* Unde Cicer. *ad Att. l.* 16. *Ep.* 8. *Octavianus veteranos, qui Caſilini, & Calatiæ ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam.* Ipſe Appianus *Civil. l.* 3. Ὁ δὲ Καῖσαρ Ὀκτάβιος ἐς Καμπανίαν ... Καλατίαν ... Καπύην. *Nic. Lloydius.* Baudrando urbs eſt Regni Neapolitani in provinc. Terræ Laboris, prope Vulturnum fluv. & ſenſim deficit.

CALATIBILIOTTA, pagus Siciliæ, memoratus Anonymo Monacho Caſinenſi in *Chr.* A. C. 1194.

CALATIBUS, urbs Libyæ. *Steph.*

CALATIÆ, oppid. Indiæ. *Steph.*

CALATINA Viola, apud Plin. *l.* 21. *c.* 6. *E ſativis maxima auctoritas luteis ---- genera in Tuſculana & quæ marina appellatur, foliô aliquanto latiore; ſed minus odoratô. In totum vero ſine odore minutoque foliô. Calatina, munus autumni, cætera veris. Proxima ei caltha eſt & concolor. Amplitudine vincit & numerô foliorum Marinam quinque non excedentem.* Nomen habet à *Calatia* oppid. Italiæ, de quo dictum. Quô pactô demit laborem Herbariis quærendi, unde dicta ſit, & quare *Calathiana*, quam proin à *calatho* deducunt & eandem cum thylacitide faciunt, Salmaſ. *ad Solin p.* 1160.

CALATIS, oppid. in maritima regione Ponti. *Steph.* Item Thraciæ civitas. Plin. *l.* 4. *c.* 11. quæ antea *Acervetis* vocabatur.

CALATRAVA, urbecula Caſtellæ novæ, ad Anam fluv. aliàs munita. Hinc tractus adjacens campus Calatravæ, & Ordo militaris Equitum Calatravæ. 3. leuc. à Civitate Regia, 4. ab Almagro.

CALATRAVA, Ordo militaris in Hiſpania inſtitutus à Sanctio III. Caſtellæ Rege. Hic enim cùm arcem validam *Calatrava* Mauris Andaluziæ eripuiſſet, ejus defenſionem Templariis obtulit, qui eam tueri deſperantes Regi reſtituêre. Abbas autem Raimundus, Ciſterſienſis, pluribus egregiis viris ſtipatus, munus hoc in ſe ſuſcepit, unde Ordinis initium, A. C. 1185. Sub Alphonſo Nobili dein plurimùm auctus, magnos Magiſtros habere cœpit. Uſque ad annum 1489. quô Magiſterium hoc à Ferdinando & Iſabella coronæ innexum eſt. Hodieque 24. beneficiaria prædia hujus ordinis equitum in Hiſpania reperire eſt. Paulus III. illis conjugium permiſit. In pectore rubeam geſtant crucem. *Rodericus de Toledo, Mariana, Favyn. Baronius*, & Phil. Jac. Speuerus *Arte Herald. Parte General.*

CALATUM, meliùs *Calacum*, Albionis inſul. oppid. *Tadcaſter & Helcaſter Lluydo.* Aliis *Overburrow*, lacus agri Lancaſtrenſis, inter Lonum & Laceum, amnes Camdeno videtur *Wheabep caſtle* in regione Weſtmariæ.

CALAVII, Campanis gens. Liv. *l.* 23. *c.* 2. 3. *l.* 26. *c.* 27.

CALAVIUS Sabinus, duodecimam legionem in Armenia, ſub Cæſennio Pæto, rexit. Apud Tacitum *l.* 15. *Annal. c.* 7. Ubi tamen magis placet Fulvio Urſino *Flavius Sabinus.*

CALAURIA, vulgo *Sidra*, teſte Sophianô, inſul. ſinûs Argolici contra Troezenem, ubi Demoſthenes Antipatri perſecutionem fugiens acceptô venenô obiit. Ibi Diana colebatur Ovid. *Met. l.* 7. *v.* 384.

Inde Calaureæ Latoidos aſpicit arva.

De qua Proverbio datus locus, *Pro Delo Calauria*: In mutui beneficii memoriam. Fertur enim Neptunus cum Latona permutationem feciſſe, & datâ Delô Calauriam habitâſſe. Ejus meminit Dionyſius *v.* 944.

Ἄγχιαλόν τ' ἠδὲ Κύθηρα, Καλαύρειά τε πτολίεθρα.

Vide Schol. *ad locum.* Item Inſula parva, juxta Cretam, à *Calauro* Neptuni filio dicta. Vocabatur etiam *Irene. Steph.*

CALAZOPHYLACES, Græcorum Sacerdotes, qui grandines cùm inſtarent, ſpecularentur. Hi enim agni, vel pulli ſacrificiô avertere credebantur: Sed ſi agnus vel pullus defuiſſet, digitum graphiô, ſtylôve feriebant, atque inde fuſô ſanguine litabant. Hos Cleon inſtituit, ut videre licet in Gyraldo *l. de Diis Gentium.* Lege *Chalazophylaces* à χάλαζα *grando. Nic. Lloydius.*

CALBEUM, vel CALPEUM, item GALBEUM, apud Veteres ornamentum fuit vel armilla, quâ ob virtutem donabantur milites: à voce Græca κάρπιον; unde καρπῖναι ὄφεις & ἰσοκαρπίνας Græci dixêre armillas in modum ſerpentis contextas. Καρπὸν enim vocabant id omne, quod χειρὸς καρπὸν vinciebat: id quod armillæ propriè faciunt. Vocem uſurpat Feſtus, *Calbeos, armillas dicebant quibus triumphantes utebantur, & quibus ob virtutem nobiles donabantur.* Optimæ *Gloſſæ*, *Calbea*, κόσμια. Inde *galbeum* vocavit Sueton. *c.* 3. remedia lanâ involuta: cujuſmodi remediis quòd aſſiduè uteretur Galba, ea in brachio vicem armillæ geſtans, more illius temporis, nomen hoc inde eſt adeptus. Salmaſ. *ad Lamprid. in Alexandro Sev. c.* 41. Poſteà ad quævis ornamenta, etiam equorum vox tranſlata. Gloſſ. Latino-Græcæ: *Calbe*, κόσμια ἵππων, ubi Rigaltius *ad Onoſandrum*, *Calbeis* reſtituendum cenſet vel *Calbea*, &c.

CALBIS, Cariæ amnis. Pompon. *l.* 1. *c.* 16. Ubi libri veteres vocant *Galbium*, non *Calbin*. Græcis eſt Κάλβις, & Κάλβιος, ac forſan etiam Καλβίνος. *Stephanus* & Καλαμοὶ fuiſſe dictum prodit. Κάλβιος, inquit, ποταμὸς Ἀσίας, ὃν οἱ Καλαμοὶ φασι. Nihil in his verbis eſt mutandum. Nam Καλαμοὶ erater Tragaſiæ fuit, ea qua natus Caunus & Byblis. Colligere id eſt, ex verſibus iſtis, qui apud Parthenium extant, quos emendatos adſcribit IC. Voſſ. Notis *ad Melam locô dictô.*

Αὐτὰρ ἐγὼ ... Ὀικίστην ἄστυ
Καύνου. Τραγασίη δὲ Καλαμοῖς ... ,
Ἣ οἱ Καύνου ... Φιλαιω... ,
Γείναθ' ... ἀπειλ... ...
Βυβλίδα, ... Καύνου.
Βιδ' ... ... Κλαρου
Καὶ Κερη... , καὶ Κλάρου ... .
Ἔνθ' ... ... Γαίου.

Deæ hujus, quæ ad Miletum ſita eſt, meminit *Steph.* Ut autem ad Galbin fluv. revertamur, is & aliud habet cognomen, Indum quippe vocat Plin. *l.* 5. *c.* 28. additque eum ortum in Cybiratis, 60. alios recipere fluvios, & plus quam 100 torrentes. Nomen huic amni dedit Indus quidam ab Elephanto excuſſus, ut ex Livio, *l.* 38. *c.* 14. conſtat. Verùm & aliô olim nomine notum fuiſſe fluvium exiſtimo, *Mauſoli* nempe. Hoc non aliunde conjicio, quàm ex nugatore illo, qui, ſub nomine Plutarchi, libellum de fluminibus compoſuit; qui Indum fluv. alium nempe, qui eſt in India, prius Mauſolum dictum fuiſſe tradit. Legerat procul dubio iſtud de hoc Cariæ Indo. Nulli autem mirum videri debet, Mauſolum flumen eſſe in Caria, cum etiam univerſi olim Cares Mauſoli dicti fuerint. *Nic. Lloydius.*

CALCAGNINUS Cælius, Ferrarienſis, eruditione inclytus, vide ſuprà *Cælius.*

CALCANDI hoſtium vel corpora vel cadavera ritus, in ſignum plenæ de illis victoriæ reportatæ, uſitatus olim. Spartian. *in Severo, c.* 11. *Equum præterea, ipſe reſidens ſuper Albini cadaver egit, expaveſcentemque admonuit, ut effrenatum audacter proveret.* Quo alludens Propert. *l.* 1. *El.* 1. *v.* 1.

Cynthia prima ſuis miſerum me cepit ocellis,
Et caput impoſitis preſſit amor pedibus:

à puella ſe captum, ab amore triumphatum, indigitat. Statius *in Equo max. Domitiani, l.* 1. *Sylv.* 1. *v.* 51.

Ærea captivi crinem terit ungula Rheni.

Claudianus item, *de* 6. *Conſulat. Honor. v.* 648.

Colla triumphati conculcat Honorius Iſtri.

Nempe *corpora calcandi* mos plerumque in hoc compendium cogebatur, ut in collum tantum pes poneretur. Mich. Glycas *Annal. Tom.* 4. de Diogene, *Diogenes Imperator in hoſtium denique poteſtatem venit, vinctuſque ad Sultanum ducitur. Ille ſolio ſub deſiliens, pro more calcatâ Diogenis cervice, eum de terra erigit, amanterque complectitur.* Unde videmus, neceſſariam habitam ad plenæ victoriæ uſurpationem hanc calcationem, etiamſi animô crudeli non fieret. Et Eutropius de Valeriano *l.* 9. *c.* 6. *Valerianus Imperator captus apud Perſas ignobili ſervitute conſenuit. Nam quamdiu vixit Rex ejuſdem provinciæ, incurvatô eô, pedem cervicibus imponens ſolitus erat equum conſcendere.* Quæ tamen poſteriora verba aſſuta aliunde ſunt, cùm melioribus Eutropii codicibus non inſint, neque à Græco tranſlatore Pæanio agnoſcantur. Victorini, ſeu Victoris Junioris iſta potiùs fuerint, apud quem eadem leguntur. Sed & Oroſius de conculcatione aſſentitur, *l.* 7. *c.* 22. Gotfridus item Viterbienſis *in Chron.* & Joh. Tzetza *Chiliad.* 5. cùm ait,

Τοῦ Ῥωμαίων ἄνακτα ὑπέστρωσεν οἱ Πέρσαι,
Τραχήλῳ δὲ πατοῦντες, ...

Vide quoque Gerbertum *Ep.* 18. Sibyllam apud Lactant. *l.* 7. *c.* 18. Ælian. *Variar. l.* 10. *c.* 22. Virgilium *contra Eutychem l.* 1. Alios. Imo & in Sacris, veſtigia moris hujus. Ita enim legimus Joſuæ *c.* 10. *v.* 24. *Cumque Reges ad eum captivi perducti forent, omnes vocavit Iſraelitas, atque exercitus principibus: ite, pedibus calcate colla iſtorum Regum.* Vide quoque Pſalm 110. *v.* 1. & 1. Cor. 15. *v.* 27. Cujus ignominiæ memoria ut ad poſteros quoque perduraret, ſtatuas ita effictas, legimus apud *Pauſaniam.* Quam in rem pulchrè Prudentius *in Symmachum l.* 2. *v.* 555.

Fruſtrà igitur currus ſumma miramur in arce
Quadrijuges, ſtanteſque duces in curribus altis,
Fabricios, Curios, hinc Druſos, inde Camillos,
Sub pedibuſque ducum captivos, poplite flexô,
Ad juga depreſſos, manibuſque in terga revinctis,
Et ſuſpenſa gravi telorum fragmina trunco.
Si Brennum, Antiochum, Perſen, Pyrrhum, Mithridatem,
Flora, Ceres, Matuta & Laurentina ſubegit.

Etiam picturis idem repræſentatum, exemplum docet penè Auctoribus perniciofum, apud Scriptorem *Expeditionis in Aſiam Friderici* I. ipſi coævum: *Dum hæc agerentur apud Adrianopolim, qui erant in urbe Philippopoli, jam circa remotiores partes terris & urbibus ſubjugatis, regionem Gradietz ingreſſi ſunt. Ubi, quoniam in picturis Templorum atque ædium viderunt Græcorum imagines equitando peregrinorum cervicibus inſidere, totam terram prædâ & incendio vaſtaverunt.* Cujuſmodi conculcationis nomine, vorebantur hoſtium cervices ſive regna ſub pedibus ſuorum videre Principum. Ut Corippus *l.* 1. *v.* 60.

Barbara Romanos augebunt bella triumfos,
Regnaque ſub veſtris venient fortiſſima plantis.

Et de pictura. Idem *ibid. v.* 248.

Ipſum autem in media victorem pinxerat aula
Effera Wandalico calcantem colla Tyranni &c.

Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium Thebaid. l.* 5.

CALCANEA Camelorum, in deliciis Veter. Æl. Lamprid. *in Heliogab. c.* 19. *Comedit ſæpius, ad imitationem Apicii, calcanea camelorum & criſtas vivis gallinaceis demptas* &c. Nempe hæc cupediarum fuiſſe experita non multo magis mirandum, quàm de criſtis gallorum gallinaceorum: quas hodieque ab iis, qui palatum eruditum habent, cupidiſſimè conſtat expeti. Tenera illa eſſe naturâ ſuâ Herodian.

doret

docet *l.* 4. *c.* 15. Ai [illegible] Berthaldi, Quibus *[illegible] habent calceum.* Camerarum-cannabis veſti, non communiter alium omnium populorum, ſed pastorum proprium fuit, in Arabum & Saracenorum & omnis barbariæ erentu, ut ait Hieronym. *adv. Jovinian. l.* 2. populi Septentrionales abhorrebant. Heliogabalum vero multa de Saracenis & Arabibus traxiſſe ceſſuram, propter locorum, ubi natus eſt & educatus, vicinam, non rationis. Caſaubon. *ad loc.*

CALCANEUS Laurentius, vide *Laurentius.*

CALCARIA, urbs Ducatus Clivenſis parva, ſed lepida, 1. leuc. à Rheno, 2. a Clivia urbe. Sub dominio Electoris Brandeburgici, ad amnem Men.

CALCARIA, locus inter Maſſiliam, & Foſſam Marianam. Item Angliæ oppid. *Antonin. Kaleaceſter* Bedæ, urbe *Otterbi*, *Aberford* Camdeno, eſt autem in agro Eboracenſi vel *Tadcaſter* oppid. ejuſd. regionis ad *Wherfum* fluv.

CALCARIA, ex argento, Scutiferorum, ex auro, Militum propria erant quorum pedibus, cum armis accingerentur, ſolebant aptari. Hinc de Ludovici II. Regis Siciliæ & Caroli fratris ejus militia agens, Auctor *Hiſtoriæ* Caroli VI. Galliæ Regis: *Eos accinget*, inquit, *balteo militari*, & *per Dominum de Chauvignaco calcaribus deauratis juſſit Rex Carolus inſigniri.* Atque ita ſuiſſe vetere. Francicum calcaria, auctor eſt Johannes Puricellus in *Monum.* Ambroſianæ Mediol. Baſilicæ *p.* 71. quò loco tumulum detectum & apertum Bernardi Regis Italiæ, Pipini filii deſcribit: *Sed & Bernardus pedibus ea calceata aurata induerunt* calcaria, ex ære, quod nos vulgo Rame nominamus. *Figura tamen illa erant penitus admodum ab hodiernis & noſtratibus diverſa: in extremam eorum extremitate parvum erat & rotundum foramen, è quo ſuperne fibula, inferne autem anſula eodem ex ære pendebat. Anſula cooſuta clavicula erat corrigia e corio, rubri penitus coloris, quæ ſub pede per alterum inferioris corum foramen modicè longum deducta & illi fibula inſerta, calcar pedi adſtringebat. Rotula vero ex calcaris dorſo modicè prominens ſinu & per brevibus circum radiis acuminata vergit deorſum.* Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* & *Not.* ad *Stabilim. S. Ludovici l.* 1. *c.* 118. Hujuſmodi deauratis itaque calcaribus ornatus Eques *auratus* dictus eſt, quæ dignitas in M. imperiis Britannia hodieque viget. Cùm autem Milites degradabantur, *calcaria amputari* iis ſolebant, uti habet Thom. Walſinghamus de Andrea Harclao Comite Carlileuſi exauctorato & propter Majeſtatis crimen ſuſpenſo: *Nempe*, inquit, *primò degradatus eſt amputatis primò ad talos ſuos calcaribus & ſic virgiam diſcinctus de baltheo militari*, apud eund. Car. du Freſne.

CALCE, civitas Campaniæ, Strabo *l.* 5.

CALCE occiput feriendi, in ſaltatione, ritus, apud Veteres recentioreſque in uſu, memoratus Jul. Cæſ. Scaligero *Poetices l.* 1. *c.* 18. ubi de variis Saltationis ſpeciebus: *Omnium corruptiſſima Gaditana, — Ejus modos produnt tres, Chironomiam, a manuum agitatione: Halma, à ſaltu: Lactiſma, a calcitratione. Nunc quoque Hiſpani calce occiput alterque contingunt partes, item veſtigiò terram feriunt: id quod appellant* Calceationem. *manus complodunt: earum alterutra, aut utraque in ſoni numerum pectus, femora frontem, calcem, &c. terram pulſant: digitorum crepitu, tabarum aut tympanorum numeros aſſequuntur* &c. Vide quoque infrà *Lactiſma*; item Pila, ubi de eo luſus genere, quod à Calce Itali vocant, porrò voce *Pugil.*

CALCEAMENTA, deferendi ſeu præbendi ritus, indigitatur Auctori *Chronici* Regum Manniæ, ubi de Olao Magoo Rege Norwagiæ, *Murecardo*, inquit, *Regi Hiberniæ, miſit calceamenta ſua, præcipiens ei, ut ea ſuper humeros ſuos in die Natalis Domini per medium domus ſuæ portaret, in conſpectu nunciorum ejus, ut inde intelligeret, ſe ſubjectum eſſe Magno Regi.* Signum videl. ſubjectionis & obſequii hoc erat. Quemadmodum & Sponſum Sponſæ olim, in obſequii pignus, *calceamenta afferre & præbere* conſuevaſſe, legitur apud Gregor. Turonenſ. *de Vitis Patrum c.* 16. laudatum eidem Car. du Freſne. Certè *calceum* domini *ſolvendi* ſeu extendi, ſingulare ſervorum apud Hebræos munus fuit: à quo more manaſſe videtur loquendi illa, ad ſummam diſcipuli loquentis humilitatem Magiſtrique dignitatem exprimendam, formula, *cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti*, quâ Marci *c.* 1. *v.* 7. aliiſque Johannes uſus eſt. Id quod ex eo item firmatur, quod ajunt Magiſtri, *Omne genus operis, quod a ſervo domino ſuo præſtandum eſt, id etiam à Diſcipulo Magiſtro ſuo eſt præſtandum, præter ſolutionem calcei ejus*, Gem. Babyl. *ad tit. Cethuboth c.* 11. *fol.* 96. *a.* Quod ipſidem *de calceo extendo ac induendo*, intelligendum eſſe, monet Mamonides, apud Joh. Seldenum *de Jure Natur. & Septimum primo Diſcipl. Hebr.* [illegible] *l.* 6. *c.* 8. &c. *Vide quoque infrà ubi de Levirò*: & de Gentilium Chriſtianorumque veterib. ceremoniis *inter calceandum* adhibitis, infrà ind. voce *Sputum.*

CALCEDONIA, urbs Aſiæ minoris *Scutaret.* Vide *Chalcedonia.*

CALCEGIUM, locus Galliæ, in Velocaſſibus, ad Ittam fluv. vulgo *Chary*, patria S. Amberti Rotomagenſis Epiſcopi Hadr. Valeſ. in voce *Velocaſſes.*

CALCEI. Initio naſcentis Reipubl. Romanæ, non modò ſervi, ſed & Senatores ipſi nudis incedebant pedibus: & licet hæc *[illegible]* paupertatis videretur indicium, nihilominus clari quoque Imperatores, magnique Duces, in patientiæ animi toleranticque bellicæ argumentum, idem feciſſe leguntur: Phocion apud Plutarchum, P. Scipio & Germanicus, apud *Corn. Tacitum* &c. Quo quadrat inſtitutum Lacedæmoniorum, apud quos Juvenes calceis omnes carebant, quò *expeditiores eſſent.* Plut. *in vita Lycurgi.* Idem de Socrate legimus, de Catone Uticenſi, de [illegible] apud Judæos, qui ſuppliciter recitabant: Imò & *Nudipedalia* feſtum apud Græcos, Romanos & Barbaros fuit, in quo diſcalceati omnes incedere ſunt coacti. Poſteà, Ca[illegible] facti erant, quibus ſoli Sacerdotes rem divinam facturi utebantur, de quibus vide Servium *ad Æneid. l.* 4. *v.* 516. Alluſit ad hunc ritum Mart. Capella *l.* 2. *Calceos [illegible]*, inquiens, *ex papyro textili ſubligaverat, ne quid ejus membra polluerent mor-*[illegible] *libus.* Unde in ceremoniis Flaminum & Flaminicarum relatum & illud eſt, apud A. Gellium *l.* 10. *c.* 15. *Mortuum nunquam attingit.* Principum Imperatorumque Romanorum Calceamenta erant cultu, pretiò coloreque ab aliorum diſtincta: *Campagi* appellatos conſtat, item *Zancas* ſeu *Tzancas*, gemmeis aquilis ingentes, tranſlato Byzantium imperiò. At vero varia calceorum ornamenta, pro diverſa Principum libidine, aut moderatione. Carinus Aug. non *gemmatis calceis*, ſed *fibulis gemmatis* utebatur. Heliogabalus *habuit in calceamentis gemmas, & quidem ſculptas*, Flav. Vopiſcus in *Carino*, *c.* 17. Æl. Lampridi *c.* 4. &c. *Soccos muliebribus ornatos* geſtavit Caligula, Plin. *l.* 37. *c.* 2. Demetrius Antigoni fil. *aureos calceos*, Plin. *ib.* Diſtinguebantur autem calceamenta Principum aquilis, Senatorii lunæ dimidiatæ effigie: quod ſummæ apud Roman. nobilitatis fuit argumentum, vide ſuprà in C. item in K, nec non voce *Fibula.* Juvenalis *Sat.* 7. *v.* 191.

— Et nobilis & generoſus
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

A' jam dictis Matronarum calceamenta differebant: Unde *Heſych.* [illegible] *Sicyonia, calceamenta muliebria* à moſtliteſ tante inventoribus Sicyoniis. Illos [illegible] *[illegible], calceum varium & convolubilem*, facit Jul. Pollux *l.* 7. *c.* 22. Flav. Vopiſc. *in Aureliano*, *c.* 49. *Calceos mulleos & cereos & albos & hederaceos, viris omnibus tulit, mulieribus reliquit.* Cum unguentis hoc genus calceamenti conjungit Lucretius *l.* 4. *v.* 1118.

Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

Græci enim, quibus inventum iſtud debetur, pedes frequenter inungebant. Color in Imperatorum calceis purpureus, viridium, nobilium ſupinis, niger: matronarum albus: proſtibulorum, ruber: ſervorum gypſatus, ſeu cenatus fuit. Et altiores quidem muliebres, non minus ac viriles, ſunt auſi ſe, quæ a pede per tibiam protendebantur atque crus obligabant, auſtore Tibull. *l.* 1. *Eleg.* 8. *v.* 14.

Anſaque compreſſos alligat arcta pedes.

Quæ & Græcorum conſuetudo, ligatorum calceamentorum jam ab Homero mentione injectâ, *Odyſſ. l.* 2. Ad crura autem five ad ſuras has anſas protenſas fuiſſe, docet Virg. *Ecl.* 7. *v.* 32.

Purpureò ſtabis ſuras evincta cothurnò.

Ut de militaribus quod addam, habebant illi clavos, quibus in terram defixis, in eodem veſtigio ſtaret miles, ad fugam minùs idoneus, vide Joſeph. *de bello Judaic. l.* 7. *c.* 3. Unde *Clavarium* pro donativo, quod militibus in emendos calceamentorum clavos conferebatur, apud Juriſconſult. *Clavarium* fuiſſe dictum, obſervat *Levinus Torrentius.* Nec omittendi penitùs calcei *Venatorii*, altiores reliquis, quò à luti injuria eſſent tutiores: Comicorum ac Tragicorum, vide *ſuis locis.* Conficiebantur primùm è corio crudo bubali, apud Xenoph. *Anabas. l.* 3. & *Carbatinæ* dicebantur. Deinde fiebant ex aluta coccinea ſeu verſicolore, aut coccò infecta. Tertiò ex pelle hædina, *udones* vocitati. Pterò ex ſubere, quod tamen ad ſublevandos potiùs calceos altioreſque reddendos fortè inſerviit. qualibus calceamentis Auguſtus, & Perſæ in univerſum uſi leguntur, fœmineus imprimis ſexus. Ex ferro quandoque conſtabant, qualem calceum Empedocli Agrigentino tribuit Alexander ab Alex. *Genialium dier. l.* 5. *c.* 18. Item ex ære, qualis eidem Philoſopho tribuitur, apud Philoſtratum *in Heliodor.* Ex ligno item, apud Petronium *Satyric.* Ex corticibus arborum, quod Indis omnibus fuit ſolenne, Philoſtr. *de vita Apollonii l.* 2. *c.* 9. Ex papyro, qualibus Ægyptii, ac præſertim Sacerdotes uſi. Vide Herodot. *l.* 1. Ex argento, apud Paulum Venetum *de Region. Oriental. l.* 2. *c.* 14. Tandem ex auro, gemmis & quidquid pretioſum erat, conſtabantur, ut videre eſt apud *Martianum Capellam* paſſim. Species autem notiſſimæ ſunt, Sicyonii, ſocci, ſoleæ, cothurni, crepidæ, ſandalia, de quibus ultimis conſuli poſſunt Lucianus *de ſcrib. Hiſtoria*, *Donatus*, *Engrophius* &c. Alii ad has quinque ſpecies omne calceorum genus reducunt, *Mulleos*, *[illegible]*, *Perones*, *Caligas & [illegible]*, quæ univerſæ Turcarum hodiernorum æmulabantur calceamenta. Mullei, à colore dicti. Lunati quoque à fibula crescentem Lunam referente vocati ſunt: quò reſpexiſſe quidam volunt Eſajam *c.* 3. *v.* 18. cùm ait: *In die illo auferet Dominus ornamentum calceorum & Lunulas.* Uncinati militum erant, iidem cum caligis? Certè id ſuggerere videtur Aur. Victor *de vita Imper.* ubi de C. Cæſare Caligula eſt, *Quia natus in exercitu fuerat, cognomentum calcei militaris, i. e. Caligula, ſortitus eſt.* Perones, ad ſuras uſque pertingebant, cùm priores ad dimidium ſolùm crus protenderentur, neque fibulas lunatas habebant, proin *Calceos puri*, quoniam *ex puro toto facti*, dici conſueverunt: Hos magiſtratus ac in dignitate conſtituti gemmis ex more ſolebant. De Cothurno & Socco vide *ſuo loco.* Totum pedem autem calceus texit: omnia verò id genus calceamenta, quibus plantæ tantum infimæ teguntur, cætera propè nuda & teretibus habent [illegible] cta. *Soleas* dixerunt non nunquam Græcâ voce *Crepidas.* Vide Joh. Roſin *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 36. & *in illud* Th. Demſteri *Paralipomena.* De utriuſque verò ſexus variis calceorum generibus, infrà in vocibus *Pero*, *Soccus*, *Vir* & plura hanc in rem, ap. Bene. Balduinum, *l. de Calceo antiquo*, ut & Jul. Nigronium *de caliga Veterum.* Addam ſaltem aliquid de Francorum Regum veteri calceatura, de qua ſic Monachus Sangallenſis *l.* 1. *c.* 36. *Erat antiquorum ornatus, vel paratura Francorum, calceamenta forinſecùs aurata corrigiis [illegible] ligata: faſciola cruralia vermiculata & ſubter [illegible] vel cruralia linea, quamvis ex eodem colore, tamen opere pretioſo variata, ſuper quæ & faſciolas in cruce [illegible] & retrò longiſſimæ illæ corrigiæ tendebantur.* Quâ calceamenti ſpecie Caroli M. apud

[illegible] Al-

Alamannum, & Lotharii Imperatoris, effigies conſpiciuntur, apud B[aluzium] *Not. ad Capitularia Regum Franciæ p.* 1280. Exteſiusque eum ſic deſcribit Joan. Puricellus in *Monumentis Baſilicæ Ambroſ. p.* 70. ubi de Bernardi Regis Italiæ Pipini filii tumulo effoſſo, *Superſtiti*, inquit, *adhuc e corio rubeo calcei utrumque pedem contegebant, eademque ligneam quiſque ſoleam, haud inde corrugata injectam, habebant. Tam verò aptè proſſeque, ad ſuum quiſque pedem, juxta ordinem digitorum congruebant in acutum versus primorem digitum deſinentes, ut calceus dexter non niſi dextro pedi, quamdiu integer ille erat, ſiniſterque ſiniſtro adaptari potuiſſet. Caeterum quiſque calceus duabus tantum corii partibus invicem conſutis pedem ita contegebat, ut anterior corii pars in ſupremam versus crura extremitatem aliquantulum ſciſſa in longum eſſet, illeque pedi ligamine adſtringeretur, ad eum prorſus modum, quo ruſticana hodie calceamenta facitari ſolent*, apud Car. du Freſne in voce *Armiger*, item *Faſciola*.

CALCEUS capitis, apud Martialem, *l.* 12. *Epigr.* 45. *ad Phœbum*,

> *Hædinâ tibi pelle contegentis*
> *Nuda tempora, verticemque calvæ;*
> *Feſtivè tibi, Phœbe, dixit ille,*
> *Qui dixit caput eſſe calceatum:*

Eſt galericulus ex hirſuta hædi pelle, ad calvitiem diſſimulandam, Phœbo hinc adhibitus. Quod eâdem materiâ, quâ calcei fierent, nomen adeptus. Meminit idem pellicei hujuſmodi galeri *l.* 14. *Epigr.* 50.

> *Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,*
> *Hâc poteris madidas condere pelle comas.*

Ubi & alium Galeri talis uſum innuit. Vide infrà ubi de *Galericulo* & *Galero*.

CALCHA, apud Plin. *l.* 25. *c.* 8. *Eſt & buphthalmos ſimilis boum oculis foliis fœniculi circa oppida naſcens fruticoſo caulibus, qui & manduntur decocti. Quidam* Calchan vocant. Ita veteres libri: *Dioſcorides* habet κάλχαν, Siculi καλθαν dixêre, unde Romani facto nomine alium florem, ſed ſimilem, appellârunt *caltham*. Habet autem *caltha* hæc, quæ Græcis κάλχα vel κάλχαν, croceos flores in rubrum vergentes, unde buphthalmo id nominis hæſit, quòd florem habeat colore χάλκεον, quæ *caltha* Latinis. Aliàs κάλχη vel χάλκη Græcis *purpura*; & κάλχη quidem frequentius. Ut in Nicandri *Alexipharmacis*, inter remedia, contra dorycnion,

> [illegible] πολὺ πλέον, ἢ ἔτι κάλχης,
> *Buccinorum autem multo magis, aut etiam purpuræ*,

(dapes [illegible]) & in Lycophrone v. 864 legas, [illegible] κάλχῃ φοινίοις, *veſtes purpurâ infectas*. Proinde Nicandri Scholiaſtes, κάλχη, inquit, [illegible] ὁ πορφύρα, *Purpura flos aut animal eſt, quo tingitur purpura*. Et Polluci καλχαίνειν eſt tingere; *Heſychio* quoque, tranſpoſitis literis χάλκη, eſt *purpura*. Quia verò conchylium marinum, ex quo purpura inficiebatur, non unius erat coloris; ſed pro diverſitate littorum, in quibus colligebatur, ita varii generis colores faciebat, ea eo κάλχη non unum ſignificavit purpuræ genus, nec unius coloris. Erat atra purpura, erat livida, violacea, cærulea, rubra, lutea, unde & κάλχη de his omnibus coloribus dicitur. Apud *Strabonem*, ſandycis Armeniæ pigmentum ſimile κάλχῃ dicitur, i. e. *violeæ purpuræ*. Quo ſenſu accipitur, in Ara Doſiadæ,

> [illegible]
> [illegible] κάλχης
> [illegible]

Ubi ſanguinem victimarum, in ara effuſum, comparat puniceo κάλχης ſucco. In herba chryſanthemo vel buphthalmo, luteum colorem deſignat. Propriè verò cæruleam purpuram notat, unde χαλκηδών inde dictum, de cujus colore ſic Plin. *l.* 34. *c.* 12. *Color eſt cæruleus perquam ſpectabili nitore*: idemque proin, quod Hebr. [illegible] *techla*, unde κάχλα deflexam, τ. & κ. quæ cognatæ literæ ſunt, invicem permutatis. Vide quæ ſuprà diximus, de *Cærulea purpura*. Uti autem κάχλα ex Hebræa hac voce originem trahit; ſic ex illo κάλχη vel κάχλη Græci infimæ ætatis tranſpoſitâ ſyllabâ, fecerunt λάκχαν, & pro colore rubro poſuerunt, eoque etiam nomine inſigniêrunt Veterum anchuſam, cujus radicem mulieres olim ad genas purpuriſſandas, ſeplaſiarios ad unguenta coloranda, infectores ad lanam præparandam, uſos fuiſſe retro diximus. Vide infrà in voce *Lacca*, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1159. *& ſeqq.* & Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 5. *c.* 14. quorum hic ab eadem origine κόχλον quoque & κογχύλιον voces deducit. Quæ ambo certè ſpeciatim concham purpuram ſonant, uti videbimus infrà in voce *Cochlea*.

CALCHANTHUM, vide infrà *Chalcanthum*.

CALCHAS, antis, Græcus augur, Theſtoris fil. (à quo Theſtorides à Poëtis vocatur) qui cum Græcis ad expeditionem Trojæ profectus eſt: & quoniam divinandi arte plurimum præſtabat, ejus conſiliô multa geſta ſunt. Nam, cùm in Aulide Græcorum claſſis adverſis ventis detineretur, Agamemnonem docuit, quâ ratione Dianæ ira placari poſſet, & ex ſerpentis augurio, qui in arborem ſurrepens, decem paſſeris pullos unà cum matre devorârat, decimo demum annô Ilium captum iri oſtendit. Eorumque deinde ad Trojam peſtilentiâ, viam monſtravit, quâ Apollinis ira poſſet mitigari. Quapropter, inter cæteros Achilli acceptiſſimus erat, adeò ut ejus præſidiô plerumque defenderetur, præcipuè verò, cùm conſuluit Chryſeidem patri reddendam eſſe. Tam enim Agamemnon non ſolum in vatem, ſed etiam in ipſum Achillem infenſus ferebatur. Dirutâ autem Trojâ reverſus cum Amphilocho Amphiarai filio, terreſtri itinere Colophonem (urbem Ioniæ) veniens, cùm in luco Apollinis Clarii extra urbem apud Samum in Mopſum præſtantiſſimum augurem incidiſſet, artis peritiâ ab illo ſuperatus, dolore conſumtus, quod propoſitâ ſibi à Mopſo caprificô (ut refert *Heſiodus*) aut (ut *Pherecydes* memorat) ſue gravidâ, computare non potuiſſet, quot in illa ficus eſſent; quotve hæc ventre porcelos gereret: quos tamen Mopſus ſine ullo errore divinavit. Hom. *Il.* Virgil. *Æneid.* Plinius aliquis Calchantis meminit, *l.* 3. *c.* 11.

CALCHUT, oppid. Angliæ, conciliô A. C. 787. tempore Adriani I. habitô, notum. *Concil. tom.* 7.

CALCIACI, populi Germaniæ inferioris, quorum urbs teſte Junio in *Batavia* dicitur *Calcaria*, vulgò *Calker*, in Ducatu Clivenſi. Ortel. negat *Calciacos* à Tacito memorari, ſed *Tubantes*.

CALCIARIUM, vide *Corrigia*.

CALCIATA, urbs Caſtellæ Veteris in Rivogia regiunculâ; Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Burgenſi. Parva inter montes, 12. leuc. à Calaguri in Occaſum & 3. à Nagera. *La Calzada*, ſeu *S. Domingo de la Calzada* vulgò.

CALCULATOR, vide *Rogerius Suiſſet*.

CALCULATOR, ſervus apud Romanos, à *calculis*, i. e. lapillis numeriis, quos antiqui manu tenentes numeros computabant, dictus eſt. Ulpianus *leg.* 7. *ff. de oper. Libert. Nam ſi peritus qui eſt miniſterium, ſi forte vel Librarius vel Nomenclator vel Calculator ſit*: quam ſanè Artem nec ingenuos dedecuit, Modeſtinô teſte *leg.* 15. *ff. de excuſ. Tutor.* [illegible] Edilocebant autem hunc pueri cum primis literarum elementis. Iſidor. *Origin. l.* 1. *c.* 3. *Primordia Grammaticæ Artis literæ communes exiſtunt, quas Librarii & Calculatores ſequuntur, quorum diſciplinæ velut quoddam Grammaticæ Artis infantia eſt.* Hinc Jul. Capitolin. de Helvio Pertinace Imp. *c.* 1. *puer literis elementariis & calculô imbutus*: & Horatius lepidè *l.* de *Ep.* 3. *ad Piſones*, *v.* 325.

> *Romani pueri longis rationibus aſſem*
> *Diſcunt in partes centum diducere, dicat*
> *Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt*
> *Uncia, quid ſuperat? poteras dixiſſe Trientem. Heu*
> *Rem poteris ſervare tuam, redit uncia: quid fit?*
> *Semis.*

Hujuſque loci ſunt, quæ D. Auguſtinus *Confeſſ.* [illegible] *c.* 13. recenſet: *Jam verò unum & unum duo, duo & duo quatuor, odioſa cantio mihi erat*: quæ cantio hodieque auditur apud hoſce Magiſtellos, qui antiquitus *Calculones* ſeu *Calculatores* vocabantur. Vide quoque infrà, ubi de *Literarum primo reformatore*, it. voce *Tabella*. Cæterùm priſcam illam *calculandi* rationem, ex Voluſio Mæciano, quem edidit Elias Vinetus & ex tabella numeraria, cujus formam ac uſum primus omnium in lucem produxit Marc. Velſerus, perdiſcere poſſumus. Vide quoque ſuprà in voce *Abacus*, & infrà in voce *Numerandi ars*. Et quidem *Calculatores* præ[illegible], Ratiocinatori ſuberant, ut videbimus infrà, voce *Ratio*, cui muneri in domo Cæſarum Libertus plerumque præponi ſolebat. Sed & Tabularios, qui rationes publicas tractabant, quoſque memorant Arcadius & Honorius *l.* 5. *Cod. Theodoſ. de Tabul. Logogr.* [illegible] quòd aliquando computarent, *Numerarios* & *Calculatores* vocatos legimus, &c. A *calculo*, ut dictum, huic miniſterio nomen, quorum multiplici uſu motus Pignorius, antiquos aliquot candidos lapillos Romæ erutos, tum minutos, tum granduſculos, in ſuo *Comm. de Servis*, apponi curavit, literis & quibuſdam aliis cælaturis inſignes: quos is quidem arbitratur, non longè abeſſe ab Athletarum illis *calculis*, quibus ex Apocal. *c.* 2. *v.* 17. & ejuſdem Enarratore Aretâ, lucem attulit Faber, *Agoniſt. l.* 2. *c.* 33. Meminit *Calculatoris Inſcr. Veronæ*: V. F. P. CÆCILIUS. EMPIRODIUS. VI. VIR. AUG. CALCULATOR. JUSTINÆ. SALENÆ. UXORI. ET. SIBI apud Tit. Popmam *de operis Serv.* Vide quoque infrà *Numerarius*.

CALCULENSE, genus purpuræ pelagiæ, apud Plin. *l.* 9. *c.* 37. ubi pelagiam purpuram in varia genera dividit, pabulô & ſolô diſcreta: *Lutenſe è putri limo & Algenſe enutritum algâ, vitioſum utrumque, Melius Tæniſe, in tæniis maris collectum. Hoc quoque tamen etiamnum levius atque dilutius Calculenſe. Id appellatur à calculo maris, mirè aptum conchyliis. At longè optimum purpuris Dialutenſe, id eſt, vario ſoli genere paſtum.* E quibus *Calculenſe*, quod in calculo maris ſemper verſatur, optimum ait eſſe conchyliis tingendis, h. e. conchyliatæ veſti, quæ dilutior ac pallidior erat purpurâ: ſicut Dialutenſe, ad purpuras inficiendas præſtantiſſimum erat. *Calculoſum* idem vocant deinde, *Calculoſæ* (conchæ) appellantur à *calculo maris*, *mirè aptæ conchyliis*, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1133.

CALCULI, parvi *calces*, Feſto, *ex quo genere ſunt calces, qui per diminutionem dicuntur calculi*. Vide quoque *Lucilium* & *Plautum*, quibus *calces* ſunt, quod ψῆφοι Græcis. Hinc V[illegible] alter, *c.* 3. ubi de Caligula, qui in Oceani litore conchas & lapillos tereties à militibus legi juſſit armatis, armatus & ipſe, ſpolia Oceani eſſe dictitans. *Neque fecit*, inquit, *contractis ad unum legionibus, ſpecie in Germaniam trajiciendi, conchas umbilicoſque* [illegible] *maris Oceani legi juſſit, cum ipſe unus ſanè calcis Veneriique* [illegible] *ſit*, *tunc armatus ſpolia a ſe non ex hominibus, ſed exiſtimo* [illegible] *dictitaret, ſcilicet quod hujuſmodi calcem Græcorum dictô, quâ augendi omnia ſtudium eſt, Nympharum lacunas accepiſſet.* Vide infrà, *Nympharum oculi*, it. *Ocellati*, ac ubi de libiorum *Umbilicis*. Lapilli itaque *calculi*, quorum varius uſus. Iis dies notâſſe Thraces, Plinius refert [illegible] 7. *c.* 40. *Vana mortalitas & ad circumſcribendam ſeipſam ingenioſa, computat more* [illegible] *cie genus, qua calculos colore diſtinctos, pro* [illegible] *in urnam condit, ac ſupremô die ſeparatos dinumerat* [illegible] *que pronuntiat.* In ludis adhibitos, diceremus paulò poſt. Ad [illegible] ſunt, vide ſuprà in voce *Calculator*: tritum [illegible] Vide modò dictô loco de aliquot [illegible] Veronam per

per ſacros uſi, videbimus infrà ubi de *Sortibus*. In primis calculorum in ſuffragiis uſus fuit, unde *calculus* Latinis & ψῆφος Græcis, pro ſuffragio. Quam in rem inſignis locus eſt Apocal. c. 2. v. 17. [illegible] *Qui vicerit, — dabo ipſi calculum album, & calculo nomen novum inſcriptum*. Et quidem apud Athenienſes Populus, qui in concionem convenerat, primum fabis uſus eſt, poſteà teſtulis calculorum vicem, *Suidas*, [illegible] Unde ψήφισμα, plebiſcitum, *pſephiſma* quoque Latinis. Senatus verò, *calculorum* loco ſolis adhibuit, non tantum cùm Senatorum aliqui eſſent loco movendi (unde verbum [illegible]) ſed & in ſententiis ferendis. Mittebantur *calculi* in urnam, cum nomine, vel ſententiâ iis inſcriptâ: idque per ψηφοβόλον, non minùs, quàm in calorum luſu. Nec enim manu ſuâ Judices calculos, quibus ſuffragia ferebant, in urnam conjicere conſueverant, ſed per vaſculum oblongum, intus tertum eos dimittebant in calicem, quaſi per colum vel infundibulum, quod hinc ψηφοβόλον dictum eſt, aliter κημὸς. *Heſych.* [illegible] Quemadmodum urna [illegible]. Pollux, [illegible] Unde in rem teſſerariam mox tranſlatus, ut infrà dicemus. Plura vide ubi de *Suffragandi* ritu, nec non aliquid infrà voce Concha. Nec omittendus *calculorum* lapillorumque hujuſmodi uſus in pavimentis, quæ hinc ψηφόλογα & ψηφοθετητὰ dicebantur, quod ex parvis variiſque calculis tinctis aut lapidum ſectuiis, quibus diverſæ formæ ac figuræ exprimebantur, teſſellari ſolerent. *Gloſſa*, *teſſellatum*, ψηφοθέτημα, *teſſelat*, ψηφοθετῶ. Lithoſtrota item, quæ ſtrata erant ſectis parvulis marmorum cruſtis ex diverſi generis & coloris marmoribus non tinctis. In Scena porrò, ubi utres *calculis* pleni, cum æneis vaſis, fulgura tonitruaque repræſentabant, uti dicemus infrà, ubi de *Tonitru*. In Cameris tandem, ad quas pavimenta ex humo mota, [illegible] nomine *opera* tranſierunt &c. Qua de re vide Salmaſ. ad *Æl. Spartian in Peſcennio Nigro c. 6.* & *Exercitat. Plin. ad Solinum p.* 1214. ut & hic paſſim.

CALCULI Candefacti, vide infrà *Lapides*.

CALCULI Luſorii, qui nonnullis *Palamediaci*, ab inventore Palamede Nauplii filio dicti, qui in obſidione Trojana, ut milites in officio contineret, illud ludicræ exercitationis genus excogitaſſe dicitur, *Latrunculorum tabula* dicuntur Senecæ *Epiſt.* 117 *in fin.* & Plin. *l.* 8. *c.* 54. quorum hic: *Mutianus*, inquit, *& latrunculis luſiſſe eorum ſcitus ſimios prodidit.* Ovid. *de Arte l.* 2. *v.* 207.

> *Sive latronum ſub imagine calculus ibit,*
> *Fac pereat vitreo miles ab hoſte tuus.*

Unde non creteos tantùm, ſed & vitreos fuiſſe patet: Imò & gemmei fuêre. M. Martialis *l.* 14. *Epigr.* 20.

> *Inſidiiſorum ſi ludis bella latronum,*
> *Gemmeus iſte tibi miles ac hoſtis erit.*

Palamedis autem illam tabulam, donarii locô Deorum fanis dedicatam, ſummâ apud poſteros dignatione fuiſſe, docet Servius ad *Æn. illud*, *l.* 2. *v.* 82.

> *Belidæ nomen Palamedis.*

Fuit luſus hujus ingens apud priſcos frequentia. imo & apud viros in Republ. eminentes, qui in hoc ludi genere ſuperari probroſum ac ignominiæ proximum duxêre. Vide Senec. *Ep. ſuperiùs laudatâ*, *de Tranquill. animi*, *c.* 14. *de brevitate vitæ*, *c.* 13. Flav. Vopiſc. in *Proculo*, *c.* 13. Thom. Demſter. *in Joh. Roſini Antiqq. Rom. Paralipom. ad l.* 5. *c.* 2. &c. Cum Scacchiæ ludo hodierno idem videtur. Vide ibi. Certè Salmaſio totus hic ludus *Calculorum ludus* Veteri dictus eſt. Licèt enim ludus ille, quem πεσσοὺς dicebant Græci, nunquam ſine *calculis* luderetur, tamen, quia latrunculorum luſus, cùm apud Græcos, tum apud Romanos, illis ſolis peragebatur, nullis teſſeris, adeòque aleam non habebat, ſed ſolam artem, hinc factum, ut *Calculorum* nomine ſimpliciter & abſolutè latrunculos ſemper intellexerint Romani: πεσσοὶ verò Græcorum teſſeris calculiſque conſtabat, artique pariter ac fortunæ in eo locus erat; Latini aleam, *teſſeras*, *tabulam*, *duodecim ſcripta*, appellârunt, &c. Ovid. *de Arte l.* 3. *v.* 357.

> *Cautaque non ſtultè latronum prælia ludat,*
> *Unus cum gemino calculus hoſte perit.*

Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 17.

> Calculus *hic gemini diſcolor hoſte perit.* &c.

Aliàs hi Calculi, *Latrones* quoque dicti, item *Milites*, ut viſum. Hinc Auctor *Panegyrici ad Piſonem*,

> —— *Plenâ tamen ipſe phalange,*
> *Aut etiam paucâ ſpoliatum milite vinces,*
> *Et tibi captivâ reſonat manus utraque turbâ.*

Græcè κύνες; qui quomodo ligarentur & caperentur, quomodo item ſedes eorum fuerint appellatæ, vide infrà. Hinc *Calculus incitus*, in ludo latronum ſeu ſcaccorum dictus, qui eò redactus eſt, ut cieri moverique nequeat hodie *ſcaccus mattus* appellatus Germanis Galliſque, i. e. *contritus*, ſubactus, eoque anguſtiarum adactus ut moveri ampliùs non poſſit. Unde Proverb. *ad incitas*, vel *ad incita redigere*, pro ad extremas metas compellere, & in ſummam deſperationem aliquem adducere &c. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo c.* 13. & infrà, voce *Incitâ*, nec non ubi de *Latrunculis* ac *Zat... io*, de Palamedis verò ludo, ſuo locô. Sed & *Calculi* paulò generaliùs, de aliis quoque ludorum generibus, accipiuntur, uti videbimus infrà voce *Jacti*, item ubi de *Ludo Teſſerario*.

CALCULO, vide ſuprà *Calcidarius*.

CALCULUS Guilielmus, vide *Guilielmus*.

CALDARIIS decoquere, apud Luc. Tudenſem in *Chron.* p. 110. *Latrones ſuſpendebat, alios igne cremabat, alios caldariis decoquebat, alios vivos comburebat*: ſupplicii genus fuit, quod ita deſcribit, de quodam milite, qui pauperculæ fœminæ vaccam abſtulerat, loquens Heremannus de *Reſtauraª. S. Martini Tornac. c.* 11. *Proceres verò* (Comes Flandriæ) *vas æneum maximum, quod vulgus lebetem ſeu caldariam vocat, publicè in foro videntibus cunctis in ſublime appendi & aquâ impleri præcepit, igneque magnô ſuppoſitô, dum undis ferveret aqua, Militem illum cum omnibus indumentis ſuis, etiam gladio accinctum, in caldariam projici fecit, ſicque eum in aqua fervente necavit.* Potiſſimum in falſarios & monetarum adulteratores, id pœnæ genus decerni conſuevitſe, diſcimus ex *Chron.* Colmarienſi *Part.* 2 *A. C.* 1279. *Falſarius monetæ coctus in Caldario Colmbariæ.* Et *ann. ſeq. In Sulz prope Rubeacum decoctus fuit monetarius* &c. Vide Car du Freſne in *Gloſſar.* & ſuprà ubi de judicio *Aquæ ferventis*.

CALDERINUS Johannes, auctor libri, cui titulus *Forma procedendi contra Hæreticum; ſeu inquiſitio de Hæreſi & in confeſſa hæreſi*, nonnullis creditur. Vide & *Johannes Calderinus*.

CALDIUS, militari jocô ſic dictus eſt Claudius Cæſar, quemadmodum *Biberius* pro *Tiberius*, & *Mero* pro *Nero*. *Sueton.*

CALDONE, promontor. Indiæ, propinquum flumini ſalſo.

CALDONATIUM, oppid. agri Treviſini.

CALDUBA, Turdetanorum in Bætica urbs.

CALE, urbs *Luſitaniæ*, hodiè *Porto*. *Baudrando*, oppidul. olim Callaicorum Bracarenſium, ad oſtia Durii fluminis, cum portu admodum frequenti, propter piſcationem, unde dictum *Portus Cale*; crevit in Civitatem opulentam, unde poſteà *Portugalliæ* nomen. Emporium eſt celebre & maximè à Belgis frequentatum. Eſt & in Gallia hôc nomine urbs, quam Salluſtius *in fragm.* captam à Perpenna commemorat. Servius *in Æn. l.* 7.

CALE, *lis*, vel CALES, *lium*, ſive CALENUM, oppid. Campaniæ non procul à Caſilino, in cujus agro vinum generoſum naſcebatur. Horat. *l.* 4. *Carm.* Od 12. *v* 14.

> —— *Preſſum Calibus ducere Liberum.*

Et aliàs, *l.* 1. *Carm.* Od. 20. *v.* 9.

> *Cæcubum & prælo domitam Caleno*
> *Tu bibes uvam* —— ——

Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 69.

> *Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum*
> *Porrectura viro miſcet ſitiente rubetam.*

Ibi ridiculè quidam *Calenum*, quaſi [illegible], cùm ſit à Cale Campaniæ oppido Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 725.

> —— *Vertunt felicia Baccho*
> *Maſſica, qui raſtris, & quos de collibus altis*
> *Aurunci miſêre patres, Sidicinaque juxta*
> *Æquora, quique Cales linquunt.* ——

Sil. *l.* 8. *v.* 512.

> *Nec cedit ſtudio vicinus ſanguine miles,*
> *Quem genuêre Cales, non parva conditor urbis,*
> *Ut fama eſt Calais, Boreæ quem rapta per auras*
> *Orithyia vago Geticis nutrivit in antro.*

Idem neſcio cur *l.* 12. *v.* 525. eam ſingulari numerô adpellârit:

> *Threiciamque Calen, veſtræ à nomine natæ*
> *Orithyia domus.*

Fuiſſe haud poſtremæ notæ urbem, auctor eſt Strabo *l.* 5. [illegible] *Nic. Lloydius.*

CALE, urbs Italiæ ad Cantianum amnem, ubi recipit Boaſium, ad radices montis Apennini, in ditione Pontificis. Nunc Caumirii Italicè *Cagli*. Vide *Calle*.

CALE, ſeu CALA, oppidul. Galliæ cum celebri monaſterio Monialium, in provinc. Inſul. Franciæ, prope Matronam fluv. 4. leuc. à Pariſiis. Vulgo *Chelles*.

CALE, Græcè Καλὴ, locus Atticæ, memoratus Stephano, in voce Α'γϰάλη, idem fortè cum illo, qui vocatur *Athenæo* [illegible], *pulchrum littus*, unde Cæcilius Orator oriundus. Sed & Harpocrationi *Acte*, locus Atticæ maritimus fuit, olim quoque ſic dictus. Jacob. Sponius *Itinerar. Græc. Part.* 5. *p.* 139.

CALEACTE, quaſi, *pulchrum littus*. Vide *Calacta*, & *Cale*.

CALEARIUS, locus Atticæ. *Orteſius*.

CALEB, i. e. *quaſi cor*, aut *canis*, vel *conſilium*, fil. Jephunne. Natus A. M. 2506. inter exploratores terræ Canaan, cum Joſua, ſe reliquis, populum abſterrere volentibus ſtrenuè oppoſuit, unde etiam ſolus cum illo ſolo terram promiſſam ingreſſus eſt, in cujus diviſione Hebron ei ceſſit. Othnielem generum nactus, captâ poſt urbe Cariath-Sepher, obiit A. M. 2613. ætat. 113. Numer. *c.* 13. 14. & *ſequentibus*. Joſ. *c.* 14. & 15. Judic. *c.* 1. Joſeph. *Antiq. l.* ... 13. & *l.* 5. *c.* 2. Torniel Salian. *Annal.*

CALECAS Emanuel, vide *Emanuel*.

CALECUT, urbs Indiæ Orientalis cis Gangem præcipua Emporium celebre, caput regni peramplî, in ora Malabarica, cum portu ſatis capaci. A' Cochino 20. leuc. Hiſpanic. circiter, vix decem à Cadanora. Ejus Rex *Zamorinus* dicitur, i. e. Supremus Imperator; & Deus in terris. Pelagô alluitur; vaſta eſt admodum abſque mœnibus, ibique pluribus in locis vacat, domus non ſunt contiguæ, invicem diſtantes plurimùm, lapidibus & calce extructæ; interiores

res partes ſculptæ, pro ſimbriis palmis ornatis: ubique ſignis Æde tegunt. Fores prægrandes habent, cuſpique artificio fabrefactas, quam murô cingunt inſtar pomœrii. Ibi viſuntur arbores innumeræ, ſtagna, & fontes complusculi, ubi ſæpius, & quater ferè quotidiè lavantur. Rex Idolorum cultui mirè eſt addictus, cui à ſubditis ſuis ſervitus incredibilis exhibetur. Cùm egreditur, carpentô, ſeu curru vehitur, quem bini viri ferunt, omni lapidum genere condecoratum. Carpentum ſtipant choraulæ, præcones, buccinatores, & id genus quamplurimi. Patricii verò & eminentiores ſuæ dignitatis ornatu ſequuntur, enſes denudatos, & clypeos rotundos gerentes. Sagittarii etiam ac velites præcedunt, itinera explorantes, tertiò Rex incedens ſequitur, ad quem propiùs quis non accedit, quam ad 3. & 4. paſſus. Extra ſolennes autem pompæ tempus habitu non multùm à cæteris differente utitur. Cum ei aliquid porrigunt, ac ſi ſtipem darent elephanto, ab ipſis tremebundis in ramo porrigitur, quoniam Regem apud eos tangere nefas ſit. Ditiſſimi & innumeri ſunt in hac civitate mercatores, quorum commercio ſunt lapides pretioſi, aromata omnis generis undequaque importata: panni ex ſerico omnium generum, & auri intertexti plurifariam, ærea autem fabrefacta & ſtannea vaſa plurima: denique nihil ferè ibi deſideratur, quod ad humanum cultum pertinent. Cadamuſtus in Navigat. & Ludovicus Patricius Romanus. Rex autem Calecutianorum, qui è ſtirpe Braminis eſſe debet, urbis hujus conditoris, (inquit Munſterus, in Coſmographia) latriæ Dæmonum eſt addictiſſimus. Habet enim Dæmonis imaginem, in ſacello ſuo ſedentem, diademate ad ſummô ejus capite, quod quaterna fulciunt cornua: Naſô eſt deformi, torvis, trucibusque oculis, vultu minaci, aduncas manus harpagines inſtar habet, pedes verò gallo haud abſimiles, quod quidem monſtrum ingens, & horrendum, qui conſpicantur, pavent continuò. Res eſt ſanè viſu indigniſſima, eademque admodum horrifica. Sacellum ambiunt picti dæmones, & in ſingulo angulo ſedens ex ære viſitur Satanas, ita affabrè factus, ut undique ignea flammeſcere videatur. Singulis diebus manè eorum ſacerdotes, qui Bramini dicuntur, memoratum idolum roſaceâ, & hujuſmodi odoriferâ lance emaculant, ſuffiuntque variis odoramentis, procumbentesque adorant. Sanguinem galli gallinacei per hebdomadem vaſi argenteo, carbunculis ignitis oppletô, infundunt, additis ſuffimentis odorum innumeris, thuribulôque acceptô, adolent largiſſimè thura, tinniente crebriùs intereà argenteô tintinnabulô. Porrò Rex pranſurus, quod ſobriè admodum & frugaliter fieri ſolet, humi recubat abſque ſtragulis, ac diſcumbentem ſacerdotes ipſum circumſtant, nuſquam propiùs quàm ad quaternos paſſus accedentes, Regis verba ſumma cum reverentia obſervantes. Ubi verò edere deſierit, ſacerdotes regias reliquias efferunt corniculis avibus depaſcendas, quas nefas eſt lædere, & ob eam cauſam tutò volitant, quocunque libuerit. Ducturus Rex uxorem, prius thorum inire non conſuevit, quàm à digniore ſacerdote nova nupta deflorata fuerit: iſtiuſque ſtupri à Rege pretium 500. aureorum conſtituitur. Primum inſuper locum poſt Regem tenent Sacerdotes idolorum cuſtodes: his ſuccedunt Naëri, qui non minoris dignitatis ſunt apud eos, quam olim apud Romanos fuêre Patricii. Horum etenim intereſt, enſem, clypeum, arcum, lanceamque cùm prodeunt ferre. Qui deinceps tertiæ claſſis habentur, hi ejus loci ſunt apud eos, cujus apud nos ii, qui cerdonicam artem exercent; quartô locô ſuccedunt, qui piſcatu victum quæritant, quintô ii, ad quos ſpectat piper, vinum, juglandeſque colligere, poſtremò qui ſerunt & colligunt oryzam, contempti à Sacerdotibus, & Patriciis. Adorantes ante exortum Solem ſtagno lotionis gratiâ immerguntur: Sicque loti nihil prius contrectant, quàm domi ſuæ preces ad idola fuderint. Profecturo ad bellum Regi, in expeditione ſunt centena peditum millia, nam equitum ibi nullus eſt uſus, præter Elephantorum. Qui Regem ſequuntur vittâ ſericâ, eâdemque coccineâ caput vinciunt. Prælium inituri enſe obrotundô, clypeô, lanceis, & arcubus utuntur. Hæc Munſterus. Luſitani, licèt ſub præcedentis ſeculi finem, aliquoties Samorinum prælio viciſſent, nunquam tamen in regno ejus firmum figere pedem hactenus potuêre. Præter Ethnicos, quorum ſuperſtitio hîc regnum habet, reperiuntur quoque in hiſce oris, Mahometani, Arabes, Chriſtiani S. Thomæ, & quidam à Chriſtianis Europæis converſi. Plura de Rege, & Regno hocce vide apud P. de Valle, teſtem αὐτόπτην, Itiner, Tom. 4. Arcem Calecutti condidit Johannes, filius & ſucceſſor Emanuelis Luſitaniæ Regis circa A. C. 1505.

CALEDONIA, pars Septentrionalis Scotiæ, & Caledonii populi ubi nunc provinc. Roſſia, Loquabria & Atholia. Regio Incolis Albania, Latin. Albania, Camdeno; vaſtiſſimam olim habens ſilvam, quæ & ipſa Caledonia dicebatur; maximos urſos alens. Martial. Spectacul. Epigr. 7. v. 3.

Nuda Caledonio ſic pectora præbuit urſo

Silius l. 3. v. 598.

Itque Caledonios primus trahet agmina lucos.

Hodie Caldar Calendar Hect. Boëtio. Cujus tamen vix reliquiæ ſuperſunt. Ibi & caſtrum Caledoniorum urbes. Dunkelden ad Tamam fluvium. Martial. l. 10. Epigr. 44. v. 1.

Quinte Caledonios Ovidi viſure Britannos.

Val. Flaccus, l. 1. v. 3.

— Caledonius poſtquam tua carbaſa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos.

Oceanus Deu caledonius Ptolemæo dictus, i. e. mare Scoticum, maximè verſùs Boream. Saltem à Caucio longè diſtare innuit hæc Lucani Comparatio. l. 6. v. 64.

Prima quidem ſurgens operum ſtructura fefellit
Pompejum, vicina medii quis rura ſub arvis
Siccula rapidum arctis latrare Pelorum.
Aut vaga cùm Tethys, Rutupinaque litora fervent,
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.

CALEDONIOS, Camdenus rectè deducit à Britannico kaled quod durum ſonat. Duri enim & aſperi erant incolæ. Et terra etiam tota horridis & confragoſis montibus attollitur. Ita Hebræorum magiſtris, גלד galad, eſt dureſcere. Syris etiam & Arabibus. Unde גליד gelid pro glacie, & cryſtallo ſæpe occurrit. Quaſi durâmen dixeris cum Lucretio l. 6. v. 529

Et vis magna geli, magnum duramen aquarum.

Sed & pro firmamento ſumitur גלד in Arabica Paraphraſi. Gen. c. 1. v. 6. Nic. Lloydius.

CALEFACTORIUM, Gallic. Chauffoir, item Paſle, locus, ubi Monachi calefiunt, in Chronico Trudonenſi l. 1. Item in numero miniſteriorum ſactorum, in Inventario Eccleſiæ Eboracenſis in Monaſtico Anglic. Tom. III. p. 173. Item unum calefactorium argenteum deauratum, cum nodo curioſè inſculpto, ponderans unciæ. Item unum calefactorium de cupro deaurato cum nodo inſculpto, ponderans 10. uncias.

CALEGIA, vide Colegia.

CALEM, urbs inter Ulyſſipolim, & Bracarum. Antonin. Hodie Gaja. Item urbs Italiæ prope Anconam. Antonin. Caglio dicitur.

CALEMBERGA, tractus Germaniæ, in Ducatu Brunſuicenſi, prope Viſurgim fluv. extenſus, & inter Hanoveram, Hameliam, Eimbecam & Gottingam urbes, hodie ſub dominio Ducis Luneburgici Hannoveræ. Baudrand. Hinc linea olim Calembergica, alias Gottingenſis, ſtirpis Brunſuicenſium Principum, cujus Ericus ſenior, Wilhelmi junioris ſecundus filius Sator fuit. Hic in aula Maximiliani I. Imperatoris, cui in bello Bavarico, prælio adverſus Bohemos vitam, aureâ ſtellâ inſignibus adjectâ ob id donatus, ſervaverat, vixit. Dein grave ei A. C. 1518 cum Johanne Lawenburgico, Epiſcopo Hildeshemenſi bellum ortum. Obiit A. C. 1540. pater Erici junioris qui a matre Eliſabetha Brandeburgica in Evangelica religione educatus, eam poſteà deſeruit, matre ob id mœrore exſtinctâ, impatiens otii, faſtu ac ſtolidâ taciturnitate vanis conſiliis plerunque abreptus, in bello Smalcaldico Cæſari militavit, dein Bremam A. C. 1546 fruſtra obſedit. Contra patruelem Henricum A. C. 1552 bellum ſuſcepit: Alberti Brandeburgici partes tutatus eſt: Hiſpano adverſus Gallos meruit, prælio ad Quintini fanum pace magna: Monaſterienſi Epiſcopo & Dantiſcanis pecuniam extorſit, mox Boruſſiam invaſurus, &c. Tandem Papiæ A. C. 1584 obiit ſine legitima prole. Hæreditatem ejus Guelferbytanus crevit. Vide Spener. Syll. Genealog. Hiſtor.

CALENA, vide Calevit.

CALENDÆ, primus dies menſis, de quibus Macrob. l. 1. c. 15. *Priſcis temporibus, inquit, antequam Faſti a Cn. Flavio ſcriba, invitis patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum aſpectum obſervaret, viſamque Regi ſacrificulo nuntiaret. Itaque ſacrificiô a Rege & minore Pontifice celebratô, idem Pontifex, Kalatâ, h. e. vocatâ in Capitolium plebe, juxta curiam Kalabram, quæ caſa Romuli proxima eſt, quot numerò dies a Kalendis ad Nonas ſupereſſent, pronuntiabat. Et quintanas quidem dictò quinquies verbô καλῶ, ſeptimanas repetitô ſepties prædicabat. Verbum autem καλῶ Græcum eſt, i. e. voco. Et hunc diem, qui ex his diebus, qui Kalarentur, primus eſſet, placuit Kalendas vocari.* Hæc Macrobius. Eam autem ob cauſam populo, quotieſcunque dies Calendarum eſſent, prædici neceſſe erat, ut ſciret, quinam Nonarum dies eſſet futurus, quô confluere in urbem populus ſolebat, ut addiſcerent, quid eô menſe in divinis, humaniſque rebus factô opus eſſet. Calendaris Juno dicta eſt, quòd Calendarum dies ei ſacer eſſet. Ovid. Faſt. l. 1. v. 55.

Vindicat Auſonias Junonis cura Calendas,
Idibus albâ Jovi grandior agna cadit.
Nonarum tutela Deo caret. —

Vide Voſſ. in Calendæ.

à CALENDARIO, nomen ſervi apud Romanos, qui Calendario præponebatur ab Actore, ut pecunias domini exigeret, crederetque. Erat autem Calendarium, ſeu pagina Calendarum, ut vocat Martialis l. 8. Epigr. 44. v. 11. codex nominum, in quem nomen debitoris Sejani Cajì cum ſumma pecuniæ ſingulis Calendis exigendæ referebantur, Scævola l. 40. ff. de ſtatu lib. *Item quæro, an ea quæ exacta ſunt per adjutores ejus (Actoris,) neque Calendario illata ſunt aut fraudulenter acta, huic adſcribi poſſint, uti eſſet hic propoſitum.* Seneca de Benefic. l. 1. c. 2. *Nemo beneficia in Calendario ſcribit, nec avarus exactor ad horam & diem debitorem appellat* &c. Poſteà verò, cùm oſtentationis ergo greges Amicorum, conduci inciperent à viris opulentia & ſplendorem profeſſis, uti videre eſt ſupra, ubi de Amicis: quò ipſa jactantia ſe proderet magis, Calendaria quoque amicorum excogitata ſunt, in quæ nomina illorum inferrentur. Unde Seneca de Benefic. l. 6. c. 33. *Neſcis quantum ... pretium amicitia* &c. Et paulo pòſt, *Qui ... iſtis in libros, quos vix Nomenclatorum complectitur aut memoria aut manus ... amicorum eſſe exiſtimas eſſe,* Vide Pignorium de Servis & infrà in voce Calendarium.

CALENTUM, Hiſpaniæ ulterioris oppid. ubi lateres fiunt qui projecti in aquam natant. Plin. l. 35. c. 14.

CALENUM, ſeu CARINULA, urbs regni Neapolitani in provinc. Terræ Laboris, 4 millia ab ora maris Tirrheni, totidem à Sueſſa, Patria ... Aquâ ... temulentos fac... Plin. l. ... c. 103. urbs hic olim celebris, paucumque diſſita à veteris Caleni ruinis. Vide Cale, & Cales.

CALENUS, Vates quondam in Hetruria celeberrimus. De quo hunc in modum ſcripſit Plin. *l.* 28. *c.* 2. *Cum in Tarpejo*, inquit, *fodientes* (videlicet Romani) *delubra fundamenta, caput humanum inveniſſent, miſſis ob id a ſenatu legatis, Hetruria celeberrimus vates Olenus Calenus, præclarum id fortunatumque cernens, interrogatione in ſuam gentem transferre tentavit, ſcipione prius determinatâ templi imagine, in ſolo ante ſe, Hoc ergo dicitis Romani? Hic templum Jovis Optim. Max. futurum eſt: hic caput invenimus, conſtantiſſimâ Annalium affirmatione, tranſiturum fuiſſe fatum in Hetruriam, ni præmoniti a filio vatis legati Romani reſpondiſſent: Non plane hic, ſed Romæ inventum caput dicimus.*

CALENUS, Legatus Cæſaris in Gallia. Cæſ. *l.* 5. *c.* 24 *Bell. Civ.* Integrum nomen *Quintus Fuſius Calenus*: geſſit Conſulatum ſub Cæſare, Pompejo acie Pharſalicâ devictô. Hujus ſubinde meminit Cicero in *Orationibus Philippicis*.

CALENUS, aliâs nomine *Julius*, Æduus Tribun. in Exercitu Vitelliano, nuntius victoriæ à Veſpaſianæa factione in Galliam miſſus. Tacit. *Hiſtor. l.* 3. *c.* 35.

CALENUS, Eques Roman. inter condiſcipulos Marci Imperator. apud Jul. Capitolin. *c.* 3.

CALEPINUS Ambroſius, vide *Ambroſius*,

CALEPIUM, oppidum Cenomanorum in Italia, 24. mill. paſſ. à Bergamo, patria Ambroſii Calepini. Ad Ollium fluvium, in ditione Veneta & agro Bergamenſi. Hinc *Vallis Calepia*, prope Sebinum lacum.

CALERE, apud Statium *Theb. l.* 2. *v.* 226.

Interior ſacris calet, & ſonat aula tumultu
Femineo, caſta matres pulchre coronâ
Argolides: pars virginibus circum undique fuſa
Fœdera conciliant nova ---- ----

Ad ignium feſtivorum amplitudinem pertinet. Quia enim auſpiciô bonô & per ſacrificia omnia, Fœdera inprimis, fiebant, magnus erat Sacerdotum numerus, magnus Sacrorum apparatus, magna victimarum copia, unde poſtea ingentes epulæ inſtruebantur. Sic Claudianus *calida ſerta thalami* vocat, *l.* 1. *Stilicon. v.* 3.

Conjugis nec dum feſſi vos Regia cantus
Sopierat, cecinit fuſô Gildone triumfos,
Et calidis thalami ſucceſſit laurea ſertis.

Et craſſius Sidonius, cujus tempore contortiloquentia illa de familiari & communi Sermone, qualiter, miſtâ jam barbarie, placere non poterat, in ſtylum transiverat:

----- ----- *Feſtorum afflata calore*
Jam minus alget hyems &c.

Caſp. Barthius *Animadverſion. ad Statium l.* 3. *p.* 385

CALES, Italica civitas Epiſcopalis, quæ ab initio Auſonum, dein Romana colonia, tandemque municipium fuit finitimum Sidicinis. Livius *l.* 8. *c.* 16. Idem *l.* 29. *c.* 15. inter colonias Romanas *Cales* connumerat. Hanc quoque Ptol. *l.* 12. *Geograph.* inter Campaniæ urbes ſtatuit. Et de ea Horatius *l.* 3. *Carm. Od.* 9. Hanc urbem à Calai, Boreæ filio, extructam, poſt Argonautarum reditum, teſtatur Silius *l.* 8. Hanc hodie *Calvi* vocant, alii *Carinulam* eſſe contendunt. Municipium effectum *Cales* ac lege Juliâ civitate donatum. Virgil. *l.* 7. *Æn. v.* 728.

Quique Cales colunt.

Ubi vide *Servium*. Item urbs Corſicæ, antiquitate inclyta & portu, *S. Maria di Calvi.*

CALES, Bithyniæ emporium ad pontum Euxinum, *Arrian.* Item fluv. Euſtath. & Val. Flacc. *l.* 4. *v.* 719.

Quæ Tanais, flavuſque Cales, Hypaniſque Melaſque
Addat opes. ------ ------

Κάλαξ eſt Thucydidi *c.* 4. Λάμαχος, ἐν τῇ Ἡρακλεώτιδι ὁρμίσας ἐς τὸν Κάλητα ποταμόν. Vide Nicol. Heinſ. *ad Pontica Naſonis l.* 4. *El.* 10.

CALES, vide *Cale*.

CALESIUM, de quo Guil. Britto *Philipp. l.* 3.

Claſſis prima quies Caleſi fuit: altera portu
Fit Gravelinga tuo.

Aliis *Caleſium*, melius; circa A. C. 1228. à Philippo Bononiæ Comite ex Burgo caſtrum vel oppidum factum, muriſque cinctum eſt. *Caſtrum de Calais* Guilielmo Abbati Andrenſi, *in Chronic. Monaſt. Andrenſis* haud ſemel dictum. Johannes Olivarius, qui Melam adnotationibus illuſtravit, falsò Geſoriacum *portum Caletenſem*, vel *Cales* interpretatur. Fretum Gallicum, quod aliis Fretum Oceani, aliis Fretum Morinûm dicitur, unde eſt breviſſimus ex Gallia in Britanniam trajectus, à Caleſio Dubrim, Angli *The Strait of Callais*, aliàs *Straight of Calais*, i. e. anguſtias Caleſienſes nuncupant. Gall. *Pas de Calais*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CALETÆ, melius *Caleti*, & Velocaſſes populi inter Belgas numerantur Cæſari, *l.* 2. *Bell. Gall. c.* 4. qui Caletos decem millia armata pollicitos eſſe ait, Velocaſſes & Veromanduos totidem. Nimirum Gallos à Belgis Matronâ & Sequanâ dividi ſcripſerat. Cùm igitur utrique ſint cis Sequanam dextram, neceſſario Belgis adſcribendi fuerunt. Hirtius ſimiliter *Caletos* & *Velocaſſes* conjungit, *l.* 8 *Bell. Gall. c.* 7. Ambo tamen ab Auguſto Celticæ ſeu Galliæ Lugdunenſi adſcripti ſunt, ac etiamnum eidem attribuuntur, cum Rotomagus caput Velocaſſium & Caletorum, ſit Metropolis provinciæ Lugdunenſis 2. *Strabo* Julium Cæſarem ſequitur, & quamquam Celtas Belgaſque confusè deſcripſit atque permiſcuit, tamen Caletos Καλέτους Belgicæ videtur adſcripſiſſe; Morinis, Bellovacis, Ambianis, & Sueſſionibus, Belgicæ circa controverſiam Gentibus, *Caletos uſque ad Sequanæ oſtia* adjungendo. Cæteri omnes Geographi Lugdunenſi Galliæ Caletos adſcribunt: in his Plin. *in c.* 18. *l.* 4. qui poſt *Lexovios* & *Velocaſſes Caletos* memorat: Idem *in l.* 19. *c.* 1. de lini ſatione: *Etiam* (inquit) *& Galliæ cenſentur hoc reditu, monteſque maris oppoſiti eſſe non eſt ſatis, & à latere Oceani obſtare ipſum quod vocant mare? Cadurci, Caleti, Ruteni, Bituriges, ultimique hominum exiſtimati Morini, imò verò Galliæ univerſæ vela texunt.* Illi *Montes* harenacei *maris oppoſiti* ſunt haut dubiè, quos Noſtri *Dunas* appellitant: quid Galli *inane* vocaverint, planè neſcio: de quo & Plinius *initiò l.* 30. ſic mentionem facit: *Quid ipſe ego hanc memorem artem* [Magicen] *Oceanum quoque tranſgreſſam, & ad naturæ inane pervectam in Britanniam?* Ptolemæus in Gallia Lugdunenſi vel Celtica ponit & Caletos & eorum urbem Juliobonam. Hanc Ἰουλιόβοναν; illos Καλήτας nominat *Caletas* pro Caletos, ut *Meldas*, *Carnutas*, *Andicavas*, appellat, quos Meldos, Carnutes & Carnutos, ac Andicavos, pleri que nuncupavêre. De Juliobona Caletorum alibi ſcribemus, Deppam eam eſſe. Caleti vulgò dicuntur *Cauchois*, *Cauchois* & *Cauceis*, nec non *Calcenſes* in priſcis tabulis pro Caletenſes: & ab his Rotomagus unum è forenſibus burgis ſuis habet dictum *Cauchoiſe*, hoc eſt, Caleticum. Apud Magnonem inter *Veliocaſſium* & *Lexovium* ponitur *Calidis*: ubi legendum *Caletus* vel *Caletus*. Caleti à Portu Gratiæ ad Augam caſtrum, à Sequana ad Aucum vel Auciam fluvium pertinent, & oppida ac caſtella complectuntur, Portum Gratiæ, Harefloctum *Harfleur*, Tancredi villam *Tancarville*, Caldebeccum, vel Calidumbeccum, Fontanellum & Gemeticum Monaſteria, Monaſterium Villare *Montivilliers*. Fiſcamnum *Feſcam*, Caletanivillam *Cauville*, portum S. Walarici in Planis, vel in Caletis, *S. Valery en Caux*. Longanivillam *Longueville*, in Ducale faſtigium evectam, Deppam ſeu Juliobonam Caletorum *Dieppe*, Augam *Eu*. Ulteriorem portum *Treſport*, Gamapium *Gamache*, Blangiacum, Albammalnam, vel Albammaſlam *Aumalle*, Novum caſtellum *Neuf chaſtel*. Ex his Auga ſuum Archidiaconatum habet, à primo ſeu Rotomagenſi proximum, cui Albamalenſis pridem adnexus eſt. Promontorium Caletorum vocatur *Chef de Caux* ad os Sequanæ. Pars agri Caletorum vocatus pagus Caletenſis, *le pays de Caux*, literâ *l* in *u* mutatâ: dividiturque in majorem & minorem. Nam inter Eccleſiæ Rotomagenſis ſex Archidiaconatus, tertius Archidiaconatus vocatur majorum Caletorum, *du Grand Caux*, ſextus & ultimus minorum Caletorum, *du petit Caux*. *Caltivum territorium* corruptô nomine appellat Vita S. Filiberti Abbatis Gemeticenſis, *pagum Caltinſem*, h. e. Caletenſem Chronicon Fontanellenſe *in c.* 7. Ordericus Vitalis *in l.* 12. *Caletenſem pagum*, *in l.* 9. *Caletenſem regionem*, literæ Caroli Magni & Caroli Calvi de rebus datis Eccleſiæ Rotomagenſi *Calciacum pagum* nuncupant mendosè; *pagum Caleticum* alii, & *Caletum* abſolutè, *Calceyum* & *Caletiam* recentiſſimi ſcriptores. Sunt & alii in Caletis minores pagi, videlicet pagus Augenſis, *le pays d'Eu*, pagus Brajenſis à ſilva Brajo cognominatus, *le Pays du Bray*; & pagus Tellau vel Tallogius, olim quàm nunc illuſtrior. Pagum Caleticum *inſulam de Caux*, i. e. inſulam Caletorum Walſinghamus vocat, quoniam à Caldebecco uſque ad Deppam Caletenſis ager Oceanô ferè cingitur inſtar peninſulæ, Caldebeccô & Deppâ iſthmum claudentibus. Cæterùm *Cadetes*, quos Cæſar *in l* 7. *c.* 75. inter Armoricas civitates, Curioſolites, Redones, Oſiſmios, & Unellos memorat, mutandi planè viderentur in *Caletes* vel Caletos, niſi *in l.* 2. *c.* 4. Belgis adnumeraret Caletos Cæſar, ceu trans Sequanam Celticæ ac Belgicæ terminum ſitos: cùm Armoricas civitates, quæ Ligeri & Sequanâ clauduntur, Celtis attribui oporteat. *Strabo* quidem quum ſcribit, merces ſecundô flumine Sequanâ deferri in Oceanum, & ad *Lexovios & Yadetos*, haut dubiè emendandus eſt, & legendum Caletos, Καλέτους. Marlianus *Caletes inter Belgas Morinis, Ambianis, Oceanoque proximos*, à quibus breviſſimus in Britanniam trajectus ſit, *nomen retinere* ait, *& eſſe Normanniæ diœceſeos*, (i. e. Rotomagenſis) *in Regno Francorum ſitos, Anglorum Regi ſubjectos*: & in ſeio portu ſcribit, frequens *oppidum Caletas* vel *Caletium Normanniæ eſſe diœceſeos, in Regno Francorum & poteſtate Anglorum Regis ſitum.* Ex quibus intelligitur Caletos & Caleſium à Marliano confundi magnô errore: cùm Caleſium quod Caletium vocat, *Calais* ad Caletos nullâ ratione pertineat. Quippe Caleti quidem ſunt in Normannia & in diœceſi Rotomagenſi, Caleſium verò in Picardia, & in Morinis ac Bononienſi diœceſi, atque ætate Marliani ab Anglis adhuc occupabatur. Inter Caletos autem & Morinos quorum oppidum eſt Caletium, medii Ambiani intercedunt. Ordericus Vitalis *in l.* 12. cis Sequanam in Caletis ſeu in extrema parte Normanniæ novem fluvios enumerat, *Guteſledam*, *Talam quæ Dun modo dicitur*, *Sedanam*, *Belnaium*, *Sedam*, *Guarennam*, *Deppam*, *Eaum*, *Aucum flumen*, *quod vulgò dicitur Ou.* Guteſleda vel Viteſleda eſt *Viteſlen* vel *Viteſleur*, qui oritur apud Hericurtem, ſeu vicum S. Mallonii: alluit Canueium *Cani*, Witeſledam ſui nominis vicum *Viteſlen*, aliàs *Videſleur*, Paludellum *Paluel*, Wellas *Veules*, & apud Clicadentes *Cliquedent* in Oceanum effluit: currit leucas plus minùs 4. Vocatur *Riparia de Witeſlou* in veteribus tabulis Fiſcannenſibus, item *Pons des Witeſlou* in literis datis A. C. 1219. vicus autem ipſe ibidem dicitur *Witeſlo ſuper mare*, *Witeſleium*, *Witeſlou villa*. Tala, alterô nomine *Dun* & *Dunus* etiam nuncupatus, vulgò *Dun*, naſcitur apud vicum quem à re fontem Duni appellitant, *Fontaine-le-Dun*: attingit vicum S. Petri veteris, *S. Pierre le Vieux*; Dunum, fluvii nomine clarum, *le Bourg Dun*; Vallem Duni *Val Dun*; & ad vicum S. Albini decurrit in mare. *Villriacum ſuper fluvio Duno*, & *Dunum* locum memorat Chronicon Fontanellenſe. In literis Caroli Calvi *Dunus tam ſuperior quàm inferior* memoratur: ubi *Dunus ſuperior* eſt, ni fallor, *Bourg Dun*, *inferior Val Dun*. Richardus II. Normannorum Dux *in Duno terram* commemorans; & Geroldus Miles II. molas *in villa dicta Dun*,

Dun, & *mercatum quem habebat apud Dun* referens, ambo nomine *Dun* & *Villa Dun*, Burgum haud dubiè deſignant. Sedana, vulgò *Seane* & *Saane* dictus, fontem habet apud Veruanam *Varuanc*, inde alluit Anglicam villam *Englesqueville*, Vibodium *Viboeuf*, vicos S. Juſti, & S. Audoëni, Braciacum *Brachi*: demum acceptò Belnajò *Beaune*, Sedanam *Sane* vel *Saane*, cui nomen ſuum dedit, & Sottamvillam præterfluit, atque apud S. Margaritam, aut ſi alios ſequimur apud Longamvallem *Longueval* mari infertur. Chronicon Fontanellenſe *Braciacum ſuper fluvio Sedanna* rectè memorat, *Sedannam* noſtrum Sedanam vocans; ſed *Gammapium villam pulcherrimam ſuper fluvio Sedanna* malè & mendoſè ſine dubio memorat, cùm ſit ad Breſellam vel Breſlam fluvium; quem inter & Sedanam amnem quinque flumina intercedunt. Willelmus Rex Anglorum & Dux Normannorum annò 1070. donavit S. Amando *unum mercatum in Sedana*. Sedana hæc vulgò dicitur *Saane*, vel *le Bourg de Saane*, vicus in Ducatu Longævillæ, & in Decanatu Braciacenſi, ubi eſt Cella Virginum, Rotomagenſi Monaſterio S. Amandi ſubjecta, quem Prioratum B. Mariæ de Sedana veteres tabulæ vocant. *Molendinas apud S. Audoenum in riparia de Saane* meminit Reginaldus de Petravilla *in literis datis anni* 1204. Belnajum *Beaune* oritur in vico Belnajo, cui nomen dat: alluit vicum S. Marci, Lambertivillam *Lamberville*, Baſcamvillam *Baſqueville*, Hermannivillam *Hermanville*, tum Sedanâ recipitur. Vicus Belnajus *Beaune* aliis, aliis *Beaunetot* nuncupatur. Seda *la Sie* accolis nuncupatus, fontem habet ad vicum S. Maclovii *S. Maclou*: attingit Altamfagum vel Alofagum, in veteribus literis memoratum, vulgò *Auſay* vel *Auſey*; & poſt acceptum quemdam amniculum Longamvillam Giffardi, oppidum Ducale, *Longueville la Guiffart*, Caroli manſionile *Charle Meſnil* vel *Challemeſnil*; Novemmolas *Neufmeules*: deinde apud Provillam *Pourville* Oceano immergitur. Literæ Goſcelini circa annum 1030. ejus fluvii meminêre. *Concedimus* (inquit) *Monaſterio S. Mariæ & S. Amandi Epiſcopi infrà muros urbis Rotomagenſis ſito ſilvam, quæ habetur inter aquas Garennam & Sedam.* Seda igitur Garennæ proximus erat, unde Ordericus *Sedam & Guarennam* uti ſitu proximos conjungit. In veteribus tabulis fit & Sedæ loci mentio amni Sedæ impoſiti his verbis. *Poſſeſſiones quas in Lambertivilla & Seda habuit.* Ubi fortè legendum eſt *Sedana*. Nam Lambertivilla eſt ad Belnajum, Sedana ad Sedanam fluv. qui Belnajò augetur. Guarenna, Garenna, aliàs & Varenna, oritur apud caſtrum, S. Sidonii nomine & Monaſteriò illuſtre, *S. Sens*, aliàs *S. Saens*: quod *caſtrum S. Sidonii* 4. ab urbe Rotomago leucis diſtans commemorat *Ordericus Vitalis*. Attingit Bellum Combrum vel Bellam concædem *Bellencombre*, Fraxinetum *le Freſnay*, Muchedentum, Torciacum majus, & Torciacum minus, *Torcy le grand*, & *le petit*, Martiniacum *Martigny*, Varennam nunc viculum, olim Comitatûs Varennæ caput *Varennes*, & circa Arcas *Arques* fluviò Deppâ recipitur. Hic fluvius S. Sidonii à quibuſdam dicitur, *La riviere de S. Sens*; ab aliis fluvius Torciacenſis, *la riviere de Torcy*: quòd non longè à caſtro S. Sidonii caput ſuum habeat apud Montivollerium *Montivollier*, & quòd Torciacum utrumque præterfluat. *In c. 7. libri, de vita S. Leufredi Abbatis, Monaſteriolum quod vulgò vocatur Varenna, feminarum habitaculum*, videtur eſſe Varenna ad flumen Varennam ſita. In Chronico Fontanellenſi reperio *Ulmitum & Warinnam fiſcos duos, qui ſunt in pago Tellau juxta fluvios Tellas & Warenna*: qui fluvius *Warinna*, & *Warinna villa* fiſcalis à Varenna vel Guarenna flum. & oppido Comitibus olim ſuis nobili nullâ ratione differunt. Warinnam certè caſtrum & Monaſterium, S. Sidonii alluere, unde & fluvius S. Sidonii dicitur, docet Chronicon Fontanellenſe in c. 9. *Cellam S. Sidonii, quæ eſt in Warinna*, h. e. ad Varionam, memorans. Deppa oritur apud Goſlenfontem vel Goſcelenfontem, i. e. Goſcelinifontem *Galeſontaine*, oppidulum à ſitu ita cognominatum. Alluit Novum caſtellum *Neufchaſtel*, Buras, Alnetum *Aunay*, vicum S. Walarici *S. Valeri*, Ricardi villam *Ricarville*, ad S. Vedaſtum *S. Vaſt*, Fragilem villam *Freulleville*, Dampetram *Damperre*, vicum S. Albini in Caletis, *S. Aubin le Cauf*, aliàs S. Albini ſuper Arcas *S. Aubin ſur Arques*, & viculum Arcellas *Archelles*, Guarennamque fluvium accipit: demum infrà Arcas Heldonam amnem admittit, atque ad Deppam in Oceanum effluit. Deppa autem & Guarenna vetus nomen amiſerunt: & Deppa quidem fluvius Novocaſtrenſis dicitur, *la riviere de Neufchaſtel*, à Novocaſtro, quod alluit, Guarenna verò, fluvius S. Sidonii vel Torciacenſis, uti ſuprà diximus. Ordericus Vitalis in enumeratione fluviorum Normanniæ cis Sequanam non meminit (quod miror) Heldonæ: meminit Stephanus Albamarlenſis Comes, *in litteris datis A. C.* 1115. *Hoſpitem unum ad flumen Heldona.* Hic fluvius dictus eſt & *Elna*, atque *Alna*, à quo *Novavilla ſuper Alnam* cognominatur, prope Albammarlam. Accolæ *Eaune* vocitant, & nonnunquam *Yaune*. Alluit Mortuum mare *Mortemer ſur Eaune*; Heldonam vel Elnam *Eaune*, à fluvio cognominatam, in quibuſdam tabulis *Seaume* mendoſè ſcriptam; vicum S. Germani *S. Germain*, Profundamvallem *Parfondeval*, Longumdenarium *Longdenier* in pleriſque tabulis *Londinieres* ſcriptum i. e. Londinarias; Albertivillam *Auberville*, Ebrardi manſionile *Euvermeſnil*, in litteris A. C. 1050. datis memoratum; quod in tabulis *Auvermenil* plerumque ſcriptum reperitur. Attingit & Martini Eccleſiam, *Martinleglise*, truncò nomine *Martenglise* vulgò nuncupatam. Demum infrà Arcas ad vicum Butilam *Bouteille* Deppâ flumine accipitur, una apud Deppam portum & oppidum clarum in Oceanum infertur. *Eara* Orderico Vitali incorruptò nomine notus, *Iera amnis Ferrario* Geographo noſtræ ætatis dicitur, Noſtris *Iere*, aut *la riviere d'Iere*, nonnullis *Iers* mendoſè. Erratum à plurimis circa amne. Saoſon Geographus Regius in tabula fluviorum Galliæ *le Sart* peſſimè nuncupat inter Heldonam (*Eaune*) & Breſlam. Vita S. Wandregiſili & Chronicon Fontanellenſe *Euram* pro Eara appellant: ex quibus Vita Wandregiſili *prædium Vitlaicum ſitum in pago Tellau ſuper amne Eura*, ab Erimberto viro illuſtri Wandregiſilo donatum eſſe prodit. Chronicon Fontanellenſe in c. 8. *Vitrlaicum, aliàs Witrlaicum villam, quæ ſita eſt in pago Tellau ſuper fluvio Eora*, commemorat: & *in c. 9. De Bettonecurte ſuper fluvio Eura* mentionem facit, quam *in c. 4. Bettoniſcurtem* meliùs appellat, & *ſitam in pago Tellau* eſſe tradit. Utrobique pro *Eora* & *Eura* ſcribendum emendandumque eſt Eara: ad quem Earam Bettoniſcortem & Petreumpontem ac Vitrlaicum eſſe conſtat. Ex quo etiam cognoſcitur ſitus pagi Tellau. Nam cùm hæc tria loca in pago *Tellau* ad flumen Earam poſita eſſe dicantur, ut reverà ſunt poſita, apparet pagum iſtum Tellau ad fluvium Earam jacuiſſe: quem amnem etiam aliò nomine *Tellam* vocatum eſſe puto in Chronico Fontanellenſi & in actis Synodi Sueſſionicæ, unde pagus Tellau nomen acceperit. Earam autem à veteribus dictum eſſe, & ita dici ſcribique oportere, ac nomen *Eura* & *Eora* pro corrupto & mendoſo haberi debere, docet non ſolùm Ordericus *Earam* vocans, ſed etiam nomen fluminis nunc uſitatum *Iere*, e Latino io, & a in e commutatis, ut ſæpiſſimè aliàs. Ex *Eora* porro Noſtri facturi fuerunt *Ieure* aut *Iowre*, ex *Eura Eure*: quemadmodum ſolent o Latinum in ou & in eu convertere, in e vertere non ſolent. Fluvius Eara naſcitur non procul ab Alberti manſionili *Aubermeſnil*, quod alluit: attingit & Fulcardi montem *Foucarmont*, locum in litteris ante annos 500. datis memoratum, hodieque Abbatiâ ſuâ celebrem; Alnetum *Aunoy*, vicos SS. Richarii & Remigii; Bettoniſchortem in pago Tellau, *Briencourt*, auctori Chronici Fontanellenſis ſemel atque iterum dictam; Petreum Pontem ab eodem memoratum, *Pierre pont*; Grandemchortem *Grancourt*; Petram *la Pierre*, Vallem Regis *Val le Roy*, aliàs *Val du Roy*; Septem molas *Septmeules*, vicum ingentem, à numero molarum ſuarum ſeu ventò ſeu aquâ agi ſolitarum cognominatum; Telleium *Tilley*, pagi Tellau nomen ſervans; Albertivillam *Auberville*; vicum S. Sulpicii *S. Souplis*, aliàs *S. Supplis*: demum apud Criolium *Criel*, caſtrum in Chartario Fiſcamnenſi celebratum, devolvitur in Oceanum, 2. à caſtro milliario. Ultimum eſt *Aucum* flumen, *quod vulgo dici Ou* aſſerit Ordericus Vitalis: ſicuti Aucum oppidum, in Annalibus rerum Anglicarum *Ou* ſæpiſſimè dictum reperio. In Vita veteri S. Lupi Epiſcopi Senonici hic fluvius vocatur Aucia haud dubiè: quum *in pago Neuſtriæ Vinemaco villa Audeſagina ſuper fluvium Auciam* commemoratur. Eſt enim Audeſagina *Anſene* ad Aucum flumen. Auciam recentiores ſcriptores *Aucum* nuncupavêre: ex Auco demum *Ou* factum. Eundem amnem *Vimmam* aut Viminam aliò proprióque vocabulò dictum eſſe, & ab eo pagum *Vimnau* nomen accepiſſe, mihi perſuadent verba hæc ex Chronici Fontanellenſis c. 7. *in pago Vimnau ſuper fluvio Vimina, in loco qui vocatur Vimiolas*, aliàs 6 *molas* ſive *Sex molas*. Nunc amnis nomen mutavit, & Briſella ſeu Briſela vocatur, Sanſoni in *tabula* fluminum Galliæ *la Breſle*, Vaſſori in *tabula Normanniæ* noviſſima atque exactiſſima *la riviere de Breſelle*. Origo nominis incognita: niſi quòd Noſtri rumpere atque dividere dicunt vulgò briſare *briſer*: Aucum autem flumen Normannos à Picardis, Caletos ab Ambianis, Celticam à Belgica dividit ac dirimit. Alluit Albammarlam *Aumalle*, quæ ab ejus fonte 3. aut 4. paſſuum millibus diſtat; Carduetum *le Cardonay*; vicum S. Germani ad Breſelam, *S. Germain de Breſelle*, *Sinardi pontem* in litteris Stephani Albamarlenſis Comitis datis A. C. 1115. cum *Waltero* ſuo memoratum, aliis caſtrum, aliis vicum maximum nuncupatum, *Senardum pontem* in Chronico Fontanellenſi mendoſè dictum, vulgò *Senerpont*; Nigellam xenodochiò claram *Nelle l'Hoſpital*; Blangiacum *Blangi*; Audeſaginam ſupradictam, *Anſene*, aliàs *Anſene*; Spinetum *Eſpinay*; Gamapium *Gamache*, Chronico Fontanellenſi ante annos 800 notum; Longumrete *Longroy*, Bellumcampum *Beauchamp*, Burdoniſchortem *Bourdencourt*; Mariſcos *Marais*; Pontes *Pons*; Aucum *Eu*, fluvii ſui vetus nomen ſervans, Ulteriorem portum, quibuſdam Ultriſportum vocatum *Treport*, qui à ſitu hoc nomen accepit, quoniam eſt Aucò portu portus ulterior, ſeu Oceano propior. Ibi Aucum flumen ſeu Breſela in mare effluit. Inter Deppam & Earam eſt ſilva Arcenſis, *la foreſt d'Arques*: inter Earam & Aucum flumina eſt ſaltus Aucenſis, *la foreſt d'Eu*, undecim millia jugerum continens. In horum pagi Caletenſis fluminum nominibus eruendis veteribus ac novis, & in curſu ſingulorum deſcribendo à V. C. doctiſſimoque Emerico Bigotio Rotomagenſi, amico meo, non mediocriter ſum adjutus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CALETANUS Ager, non longè à Volaterris in Italia. *Plin. l. 3. c. 5.*

CALETUM, oppid. circa Picardiæ fines, *Ptol. Portus Iccius* apud Cæſarem, *l. 2. Bell. Gall. c. 3. & 7.* vulgò *Calais*. Dives & permunitum, emporium celebre, cum arce & portu capaci, juxta fretum Gall. 3. leuc. à Gravelinga in Occaſum 5. à Bononia in Boream 7 ab ora Angliæ. Ibi multi credunt fuiſſe *Iccium* antiquum. Sed aliis id videtur fuiſſe, ubi nunc *Wiſſant*, caſtrum Bononienſis tractus, quod meliùs. *Baudrand.* Hiſtoria ejus paucis hæc eſt. Portus hujus urbis ſub Balduino IV. Barbato, Flandriæ Comite, extrui cœpit, tum dictus *Scalas* vel *Petreſſe*. Urbs ipſa à Philippo Comite Bononienſe uno ex illis, qui contra Blancham, Ludovici IX. matrem, Galliam adminiſtrantem inſurrexerunt, murò cincta eſt. Eduardus III. eam cepit A. C. 1347. à quo tempore ſub Anglis fuit ann. 210. jactantibus, ſe claves Galliæ habere. Recepta autem eſt à Duce Guiſio, A. C. 1558. Poſtmodùm in Archiducis Alberti, Belgii Gubernatoris, manus pervenit, A. C. 1596. ſed bienniò poſt Henrico IV. reddita, pace Vervinenſi. Hiſtor. Gall. *in Philippo Valeſio*, *Henr. II. & IV.* Vide *Geſſoriacum*, & ſuprà in *Caleſium*.

CALEVA, vel CALLEVA, *Antonio*, *Oxonium*, *Oxenford*, teſte Patæo, vulgò *Oxford*, urbs Epiſcopalis & Academia præclara Albericus

bionis in Anglia ad Themeſin fluv. à Londino 47. mill. paſſ. in Occidentem. Sed *Camdeno Caleva* ſeu *Galena* eſt *Wallingford* oppid Berchetiæ provinc. ad Tameſim, cum ponte. Cæterùm de *Caleva* vide Guil. Bertonum *in Antoninum p.* 221.

CALFURNIUS ſeu CALPURNIUS Sicla, *Ephemeridas* vitæ Gallieni Imperatoris compoſuit, Trebellius *in Galieno*, *c. ult.* Vide & *Calphurnium*.

CALGUIA, Arabiæ Petrææ urbs, *Ptol.*

CALI, Palæſtinæ locus. *Joſ. c.* 19 *v.* 25.

CALIABRUM & CALIABRIA, *hb. Concil.* ac *Caliabria* alibi. *Montanieri*, teſte *Morale*, cùm alias urbs Luſitaniæ olim Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Emeritenſi, nunc oppid non obſcurum Extremaduræ Equitum D Jacobi, à Caſtris Cæciliis 4 leuc. diſtans, inter Zafram 4. & Ellerenam 10.

CALIANASSA, & CALIANIRA, Nymphæ, quarum altera à bene regendo, altera à viris honeſtandis dicta. lege *Callianaſſa*, & *Callianira*. *Nic. Lloydius.*

CALIANDRIA, aut, ut alii legunt, *Calendra*, in ſuppellectile Deorum Dearumque ab Arnobio in calce *l.* 6. enumerata, habentur; quæ videntur eſſe Regilla & *Calyptra* Dearum, ut expoſuit Turnebus, *Adv. var. l.* 23. *c.* 27. dicens, idem eſſe, quod *recina*, utique reſtricta ad Reginas, cujuſmodi omnes Deæ cenſebantur. Idem curſus *l.* 7. *c.* 20. *Caliandria* Arnobii arbitratur eſſe ea capitis operimenta, quæ Græci ἀναδεσμοὺς vocant: quò citat illud ea *l.* 2. *Serm.* Flacci *Sat.* 8 *v.* 48.

—— —— altum Sagana Caliendrum:

ubi non omnes Interpretes veram vocis notionem expreſſerunt. Lambinus enim, ut alii quidam, non repugnante Gualterô, *comam aſcititiam* exponunt: ſed quod dictum, vero ſimilius eſt. Meminit item *Calendri*, tanquam pepli fœminei, Tertullian. *de Pallio c.* 4. ubi queritur, ſui ævi fœminas cyeraſſe omnia, quibus oberrare facilè & videre ac videri prohiberentur: & inter cætera *Caliendrum* prætermiſiſſe, commemorat. Vide Anſelm. Solerium *de Pileo*, *Sect.* 6

CALIBURNE, gladius celebris Arthuri Regis Britannorum notiſſimi. Hovedenus *in Richardo I. Ejecontra Rex Angliæ* (Richardus) *dedit Regi Tancredo gladium illum optimum, quem Britones* Calibürne vocant Spelmann. *Gloſſ.*

CALICADNUS, vel CALYCADNUS, Ciliciæ fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

CALICANDRUM, Aſiæ minor. promontor. terminus navigationis poſitus Antiocho à Romanis ſuperato.

CALICENI, Macedoniæ populi. Polyb. *l.* 5.

CALICES coronandi ritus, vide infrà in voce *Crater*.

CALICES fingendi artificium, Commodo Imperatori in deliciis, de quo ſic Lamprid. *c.* 1. *Jam in his artifex, quæ ſtationis imperatoriæ non erant, ut calices fingeret, ſaltaret, cantaret* &c. Ubi legit Vir doctiſſimus, *Calices frangeret*, propter ſimilem locum in *Vero*, *c.* 4. qui per ludum & laſciviam, cùm eret omniſſatum, calices frangebat: *jaciebat & nummos in popinas maximos, quibus calices frangebat.* At Commodus id dicitur hòc locò feciſſe, inter ſtudia & artificia ſua, quæ callebat: Quare inter cæteras artes ludicras, quas perdidicerat, & hanc quoque annumerat Lampridius, quòd *calices* ſciret *fingere*; quod fingendi ſtudium plures Imperatores amaviſſe, patet illorum vitas pervolutantibus. Imprimis autem in calicibus fingendis excellebant olim *Ægyptii*; namque præter allaſſontes illos, de quibus ſuprà dictum: arte manuque pretioſa pocula in Ægypto fingebantur, de quibus ita Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 115.

Adſpicis ingenium Nili, quibus addere plura
Dum cupit, ah! quoties perdidit auctor opus?

Uti enim allaſſontes *calices* colorum varietate celebres erant, ita in his ſculptura & cælatura viſebatur: Vitrum namque olim etiam argenti modò cælatum fuiſſe; docet Plin. *l.* 36. *c.* 26. *Aliud flatu figuratur, aliud tornò teritur, aliud argenti modò cælatur, Sidone quondam iis officinis nobili.* In flatu autem figurandis vitris, ut nunc moris eſt, & in torno terendis, at olim eoam ſolebant, nullum operis periculum: Nam & *audaces*, qui plebeji erant calices & parvô vænibant, tornô formabantur; in ſculpendis cælandiſque periculum non exiguum. Atque ii ſunt omninò calices, qui *diatreti* dicebantur, de quibus ſuô locô. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Saturnino*, *c.* 8.

Calicum quædam nobiliora genera, apud Veteres.

CALICES Ægyptii, apud Trebellium Pollion. *in Claudio*, *c.* 17 *Calices Ægyptios, operiſque diverſi*, decem, ubi Caſaubon. *Vitrei*, inquit, *erant, ſed ſingularis & ſtupendi artificii.* Vide quæ modò diximus.

CALICES Allaſſontes, apud Vopiſcum *in Saturnino*, *c.* 8. *Calices tibi allaſſontes verſicolores tranſmiſi —— quos tu velim feſtis diebus conviviis adhibeas*: ex Ægypto afferebantur, verſicolores & magni omninò pretii, πολύτιμοι hinc Straboni, *l.* 16. Vide ſuprà in voce *Allaſſontes*.

CALICES diatreti, dicti ſunt calices Ægyptii, non varietate colorum, ut alaſſontes, ſed cælaturâ ſculpturâque nobiles. Vide infrà *Diatreti*.

CALICES in gemmis, ſeu gemmati, apud Martialem, *l.* 14. *Epigr.* 109. aurei erant; gemmas habentes inſertas: cum aurea emblemata argenteis poculis insererentur, Salmaſ. *ad Vopiſc. loco citat.*

CALICES Inæquales, apud Ambroſium, *Serm.* 6. dicuntur propter bibendi intemperiem quaſi immodici. Apud Horatium verò, *l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 68. cùm, qui plus poteſt bibere, plus bibit: qui minus, non cogitur, ſed animo obſequitur ſuo. Salmaſ. *ad Spartian in Peſcennio Nigro*, *c.* 3.

CALICES Verſicolores, magni fuêre pretii, ſicque dicti ſunt, qui ſubinde colorem mutabant, alium atque alium aſpicientibus, ſuſpicientibus, deſpicientibus colorem exhibentes, ſicut in palumborum collis vidêmus. Vitrum enim olim, uti etiamnum in varios colores fingi pingique conſueviſſe, Plinius docet, *loc. cit.* Nec enim alia materia ſequacior, aut etiam picturæ accommodatior &c. de *Amlacibus* dictum *ſuô locô*.

CALICULA, urbs Hiſpaniæ Bæticæ, *Ptol. Calicula* Plinio, *l.* 3. *c.* 1. lege *Callidromui*, hodie Caſtar. *Oſca M. Nigro.* Eſt etiam ejuſdem nominis oppid. in Turdetanis, apud *Ptol.*

CALIDÆ gelidæque miniſter, in famulitio Tricliniari, memoratur Juvenali, *Sat.* 5. quò & Seneca reſpicit, *de Ira l.* 2. *c.* 25. *Inde & illud ſequitur, ut minimis ſordidiſque rebus non exaſperemur. Parum agilis eſt puer aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus torus aut menſa negligentius poſita*; vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis*.

CALIDARIA Maltha, dicebatur olim, quâ loca in balneis ſciſſa & corrupta reficiebantur; quemadmodum *frigidaria*, quâ piſcinarum, ciſternarum ac puteorum rimæ ac lacunæ, farciebantur ac ſolidabantur. Et quidem utrique cala admixta; in *calidaria* verò compoſitionem, ceram quoque albam & picem additam, tradit *Palladius*. Unde & θερμοῦ μάλθαν *malthan* Græcè exponit Auctor *Gloſſarii*: Itali *Smalthum* hodie appellant. Ipſum verò malthationis vel ſolidationis hoc genus Veteres *ferruminationem*, Græci ...,dixerunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1096. & infrà in voce *Maltha*, item *Solda*.

CALIDARIUM, Vitruvio *l.* 5. *c.* 10 & Celſo *l.* 2. *c.* 17. *Laconicum* nuncupatum, pars ſive balnearum apud Romanos, in quam ex Tepidario tranſibatur: cella videl. nullam aquam lotui ſe continens, atque ad provocandum ſudorem inſtituta; ob quod nonnullis *Calida ſudatio*, ſicut à Cicerone *l.* 3. *ad Q. Fratr. Ep.* 1. *Aſſa* nuncupata eſt. De qua ſermonem faciens Columella *præf. l.* 1. *de R. R.* hæc contra ſui temporis mores ſcripſit: *Mox deinde, ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus & exſuctô ſudore ſitim quærimus.* In hac nempe vapor calidus, ſeu calor ſiccus incluſus ſudorem provocabat haud aliter, ac ſuper Bajas myrtetis, ubi tempore Celſi, è terra profuſus calidus vapor, ædificiô incluſus maximos ſudores ciebat: cujus rei Horatius quoque meminit, *l.* 1. *ad Vallam Ep.* 15. *v.* 5.

—— —— Sanè myrteta relinqui
Dictaque ceſſantem nervis elidere morbos
Sulphura contemni. —— ——

Unde errant, qui apud Vitruvium, *l.* 5. *c.* 10 Tepidarium ac Calidarium ſeu Laconicum idem faciunt; Namque & *Celſus* manifeſtè *Laconicum* vocat, ubi calor ſiccus eliciebat ſudorem, quod Tepidario minimè conveniunt quivis facilè intelligit. Idem clariſſimè ſignificat Martialis, balnea Etruſci deſcribens, *l.* 6. *Epigr.* 42. *v.* 16. ubi inter alia ait,

Ritus ſi placeant tibi Laconum,
Contentus potes aridò vapore
Crudâ virgine, Marciaque mergi.

Sed & illi magnopere falluntur, qui *Calidarium*, quòd rotundum, ac veluti turricula in hæmiſphærium camerata foret, idem cum Sphæriſterio fuiſſe contendunt: in loco enim calido, ſudationibus deſtinato, ludum pilæ aliaſque exercitationes in Sphæriſterio obiri ſolitas, fieri conſueviſſe, rationi conſentaneum nequaquam eſt. De Laconico verò verba Juvenalis *l.* 4. *Sat.* 11. *v.* 173. poſſunt intelligi,

Qui Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem.

Ubi reprehendit quendam, quòd copioſè exſpuendò efficeret, quò minùs in *Calidario* ambulantium pedes firmari valerent, &c. Vide quoque infrà in voce *Laconicum*. Poſt *Calidarium* ſequebatur cella calida, labris aquæ conmiſcendæ poſitis referta, in qua quòd lavarentur, *Calida lavatione*, à *Vitruvio*, & λουτρῷ à Galeno, *l.* 10. *Meth.* nomen eſt adepta: quam & ζεστὴν vocavit Antigenes apud Eundem *l.* 8. *de compoſ. Medicam.* Erat ea primaria Balnei pars, & prorſus à nemine de ipſa quidquam in dubium eſt vocatum: Nonnulli tamen concameratam ſudationem & *Calidarium* & *Calidam lavationem* complexam fuiſſe, apud *Vitruvium* contendunt; qui in balneis Gymnaſiorum Tepidarium omiſit, quòd id Græcorum non haberent palæſtræ. Cæterùm *Calidario* atque *Calidæ lavationi*, Aquarium erat adnexum; Subtus verò Hypocauſtum erat, uti pluribus diximus ſuprà, ubi de *Balneis*. Vide Hier. Mercurialem *de Arte Gymnaſtica*, *l.* 1. *c.* 10.

CALIDIUS, prænomine *Marcus*, de quo Cæſar, *l.* 1. *Bell. Civil. c.* 2. Orator & vir Prætorius Q. *Calidii* Filius, obiit in hoc ipſo bello civili, teſte Cicerone *in Bruto*. Illud non prætereundum, quòd Triumvir monetæ cudendæ cum CN. *Fulvio* & Q. *Metello* in denariis argenteis deſcripſitus ſit. Addit Ciacconius, videri ſibi hunc *Calidium* ſuperiore annô cum L. Paullo & M. Marcello petiiſſe Conſulatum, ac dolore repulſæ Marcellis inimicum Cæſaris partes ſecutum eſſe.

CALIDOBECUM, urbs Normanniæ, prope æſtuarium Sequanæ, in tractu Caletenſi. Lanificiô celebre, 7. leucis infra Rothomagum, versùs Portum Gratiæ. Vulgò *Caudebec*. Vide *Calidum Beccum*.

CALIDRÓMUS, Achajæ promontor. haud longè à ſinu Maliaco.

CALIDUM Beccum, quaſi Calidus rivus; hoc enim *Bec* Francis, ſicut *Bach* Germanis denotat: oppid. Galliæ, vulgò *Caudebec*, ad Sequanæ & rivuli ignobilis confluentes. les Orbecum, adſidet fluvio naſcenti apud Lexovios, &c. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & ſuprà *Calidobecum*.

CALIENDRUM, vide *Caliandria*.

CALIFA, vide *Calipha*.

CALIFORNIA, Inſul. maxima Americæ Septentrionalis oblonga, à Borea in Auſtrum ad 300. leuc. extenſa, prope novum Mexicum, à quo dirimitur mari Purpureô. Nulla ibi urbs aut Colonia Euro-

Europæorum; tantùm luſtrata fuit ab Hiſpanis verſus oram Occidentalem. Ab Oriente in Occidentem 70. leuc. pluſminus habet. *Baudrand.* Inſul. in mari Auſtrali, prope novam Granatam, à quo freto anguſtô, *Mar vermeio* Hiſpan. dirimitur. Sterilis & deſerta. Extendit ſe a *Cabo Mendocino*, uſque ad Cabo *S. Lucar. Morrim.*

CALIGA, nomen calcei militaris, qui *Unciatum* alias dictus eſt. à quo *Caligula* Imperator eſt cognominatus, vide ſuprà in voce *Calceus*: item in *Caligula*. Veteris lapidis fragmentum: C. OPPIO.C.F.V.BASSO, P.P.P.C PR. ID. AUX. LEG. IV. FL. FEL. ET. LEG. II. TR. FORT. EVOC. AUG. AB. ACT. FORIBUS. P.R. PR. MILIT. COH. II. PR. ET. COH. XIII. ET. XIV. URBAN. OMNIBUS. OFFIC. IN. CALIGA. FUNCTO. CENTURIONES. LEG. II. TRAJANÆ. FORTIS. Fuêre autem vel ſpiculatoriæ, vel elevatæ, vel faſciatæ, vel gemmatæ, vel ſacerdotales, de quibus Grammatici, Critici ac Hiſtorici paſſim. Vide Thom. Dempſter. *in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l. 10. princ.* Dictum eſt hoc calceamenti genus, *Iſidoro* ἀπὸ τῶ κάλων, *à ligno*, quòd ſoleis conſtaret, ut illi quidem viſum, ligneis; *καλιγὰς* στρατιωτικὰ, *militares calceos*, Dioni *l.* 48. vocatur. Unde militia *Caligata* Tertulliano *de Idol. c.* 19. ubi tamen notandum, licèt omnes milites ſic calceati eſſent, ſæpius tamen *Caligatorum* nomine manipulares ſeu gregarios, & *Caligæ*, infimum militiæ ordinem indigitari conſueviſſe. Sic Marium Seneca *de Benefic. l.* 5. *c.* 16. dixit, *a Caliga ad Conſulatum perveniſſe.* & *juventam inopem in Caliga militari toleraſſe*, ait de Ventidio Plinius *l.* 7. *c.* 43. Cùm verò militum alii aliis honoratiores eſſent, in *Caligis* diſcrimen inter alia etiam in clavis, qui illis ſuffigebantur, fuit: quorum alii ferrei, alii argentei, nonnulli denique aurei eſſent. Et quidem *auro ſuffixiſſe caligas gregarios Antiochi milites* tradit Juſtinus *l.* 38. *c.* 10. Vulgò autem ferreis utebantur: iiſque quam plurimis, unde *millia clavorum* dixit Juvenalis *Sat. ult. v.* 25. & extrorſum verſiſque ſolum acutis, ut ex Plinio diſcimus *l.* 9. *c.* 18. In idea tamen *Caliga* militari, ſub lucernæ ſpecie, à Liceto *de Lucern. l.* 6. nobis exhibitâ, clavi, an ornatûs, an commodioris uſus causâ, rotundiores ſunt, vide Ben. Balduinum *de Calceo antiquo c.* 13. E ſandaliorum ſive crepidarum genere *Caligæ* fuiſſe videntur: quamvis enim ad mediam uſque tibiam aſcendebant, digitos tamen pedum non includebant; ut videre eſt in arcu Conſtantini, ubi Caligam clavatam videmus. apud Joſ. Caſtalionem *Dec.* 2. *Obſerv. c.* 4. Unde haud malè vetus Actorum Interpres *σανδάλια*, *caligas* vertit, ut & Gloſſæ *σανδάλιον*, *caliga*: Ita Alb. Rubenius *de Re Veſtiar. l.* 2. *c.* 1. Nigronius verò veram & priſcam caligam militarem, ſtante Republ. & primis ſub Imperatorib. ſoleam tantum fuiſſe, plantæ inhærentem, pedilaliſque alligatam loris ſive habenis, neque ad crus ſurgentem, probat ex eodem arcu, & columna inſuper Trajani: atque in hoc à calceo Senatorio caligam diſtinguit. Neque tamen cum Rubenio conciliari non poteſt: ſiquidem in arcu præfato, milites gregales caligâ modò deſcriptâ calceati viſuntur; Imperatoris verò ſolius calceus, uſque ad mediam tibiam, utpote reliquis ornatior, aſſurgit. Fiebat autem hoc calceamenti genus è corio, & ſecundùm quoſdam lignum habebat ſuppactum, ut vidimus ex *Iſidoro*, qui proin vocis originem inde arceſſit; *Nigronius* verò, ex ſtatuis veter. columna arcuque prædictis, non niſi ſoleam eamque tenuem plantæ ſubſtratam fuiſſe, docet; quæ clavis, utpote minutis, facilè ſufficiebat. Unde *Caligam* definit, *ſoleam ſine obſtragulo, habenis alligatam pedi, multis minutiſque clavis infernè ſuffixam*; & prolixiùs ex columna Trajani de ea ſic diſſerit: *Paſſim hîc milites calceati cernuntur calceis quibuſdam, qui ſolearum in modum plantam muniunt, ſine obſtragulis, quæ ſuperiorem pedis partem tegant. Habenis adſtringuntur supernè ſæpiùs circumductis, quæ bis ſupra talos tibiam circumvolvunt. Obſervatam à me duplicem* Caligæ *formam hîc locò exprimi curavi. Alteram, in pedibus vigilum & militum prætorianorum vidi, decuſſatis ſupra pedem corrigiis, atque inter priores digitos perductis. Alteram vulgarium militum, circumvolutis ratioribus, ſupra pedem tantùm, non inter digitos habenis.* Et paulo pòſt, *Poſt priores editiones, accepi Romæ in arcu triumphali Conſtantini, multos extare milites caligatos: curavi exprimi effigiem caligæ atque ad me mitti, in qua deprehendi, per tot annos formam non eſſe mutatam, & cum ea, quam expreſſi, in toto congruere.* Axungiâ porcinâ inungi conſueviſſe, idem in præcedentib. oſtendit, ex Beda, qui *in vita S. Cuthberti Epiſc. c.* 8. & 10. axungiam à corvis allatam eum præbere ſolitum eſſe fratribus peregrinis, *ad ungendas caligas*, ſcribit &c. Vide Jul. Nigronium *l. de Caliga tota*, inprimis autem *c.* 2. & 4. Ut verò poſteà id calcei genus, ad urbanos quoque homines, viatores, ruſticos, religioſos, mulieres tranſierit, ex eodem diſces *c.* 3. Namque & Monachorum propriam fuiſſe *Caligam* Haeftenus docet *Diſquiſit. Monaſtic. l.* 3. *tr.* 5. *diſquiſ.* 3. & 4. Erant autem & hæ caligæ elevatæ, ut teſtatur Gregor. Turonenſis, Gregorius item M. *Dial. l.* 1. *c.* 4. Alii, quemadmodum olim militum, uti præter dicta Plin. *l.* 9. *c.* 18. Juvenalis *Sat.* 3. & 16. Joſephus *de Bell. Jud. l.* 7. & Egeſippus *de Excidio Hieroſolym. l.* 5. *c.* 30. docent. Eædem erant & *follicantes* h.e. laxæ, neque minùs adſtrictæ &c. Imò & Epiſcoporum, quos, priuſquam ſandalia induant, caligis ad genua uſque protenſis crura revincire, Durandus *in Rationali l.* 3. *c.* 8. ait. Hinc *Caligarii*, quorum corpus memoratur Æl. Lampridio *in Alexandro Sev. c.* 33. *Corpora omnium conſtituit Vinariorum, Lupinariorum*, Caligariorum *& omnino omnium artium, hiſque ex ſeſe Defenſores dedit. & juſſit, quid ad quos Judices pertineret.* Sunt autem *Caligarii*, Græcis recentioribus Καλιγάριοι, caligarum confectores; quorum mentio in veter. *Inſcr.* C. *Attilius C. F. Juſtus Sutor caligarius ſibi & Corneliæ* &c. Ab iis dicta Conſtantinopoli *Porta Caligariorum* fuit, cujus meminit Phrantzes *l.* 3. *c.* 11. & Leunclavius in *Pandecte Turcico num.* 200. &c.

CALIGA Maximini, Proverb. apud Romanos, de quo ſic Jul. Capitolin. *Quum eſſet Maximinus pedum --- octo & prope ſemis, calceamentum ejus, i. e. campagum regium, quidam in luco, qui eſt inter Aquilejam & Arziam, poſuerunt, quod conſtet pede majus fuiſſe humanis veſtigio atque menſura: unde etiam vulgo tractum eſt quum de longis & ineptis hominibus diceretur, Caligæ Maximini, in Maximino ſtat.*

CALIGARIUS Franciſcus, vide *Franciſcus*.

CALIGII, populi in Arabia. Vide *Calingii*.

CALIGNONUS Soffridus, Gratianopolitanus, Cancellarius Navarræ, Philoſophus, Mathematicus, JCtus, Politicus, inter ſui ævi primos, in Edicto Namnetenſi formando cum Thuano per triennium occupatus, Proteſtantibus à Rege Henrico M. obtinuit, ut Carentonii divinum Cultum illis peragere liceret, cùm prius id fieret in vico *Blond*, quatuor vel quinque leucis Lutetiâ diſtante. Scripſit Apologiam Regis Navarræ, contra librum, cui tit. *Incendium Calviniſticum a Navarro Legatis, apud quoſdam Imperii Ordines, ad certam Religionis ac Reipubl. contributionem, procuratum*, aliaque. Obiit A. C. 1607. ætat. 56. non ſine deſiderio Regis, qui illum Cancellarium Franciæ facturus erat, ni in Religione ſua perſeverare maluiſſet. Alardus *in Vita ejus*, Chorerius *Epitom. Hiſtor. Delphin. l.* 10. Du Verdier, Anton. Teiſſier *Elogiis Volum.* 2. ubi etiam Bullæ Sixti V. contra Henricum tum Navarræ Regem reſpondiſſe, edito librô, addit.

CALIGULA, Cajus Imperator dictus à *caligis*, quas margaritis refertas primus portavit, vel potius à *caliga* militari, quâ frequenter in exercitu utebatur ad conciliandos ſibi militum animos. Id enim militibus gratiſſimum fore credebat, ſi Imperatorem veſtibus nihil à gregario milite differre videret. Germanici ex Agrippina filius, & Druſi, privigni Auguſti, & ipſius Tiberii nepos, Romæ imperavit A. M. 4000. poſt Chriſtum natum 38. *Hic veneno Tiberium, cui ſucceſſit, aggreſſus eſſe dicitur*, quin etiam manu ſuâ ſpirantis adhuc fauces oppreſſiſſe, libertô, qui ob atrocitatem facinoris exclamaverat confeſtim in crucem actô. Initium Imperii ſatis tolerabile, ſed mox facies converſa eſt. Cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit: has etiam ſæpè comitis ſuis proſtravit: quo faciliùs eas condemnavit, quaſi adulteras, & inſidiarum adverſus ſe conſcias. Multos honeſti ordinis, deformatos priùs ſtigmatum notis, ad metalla & munitiones viarum, aut ad beſtias condemnavit: aut beſtiarum more quadrupedes caveâ coërcuit. aut medios ſerrâ diſſecuit: nec omnes gravibus ex cauſis. Exiguô tempore immenſos theſauros a Tiberio relictos prodegit, novas ſibi opes per injuſtitiam comparaturus. Deorum imaginibus capita decuſſit, quò, ſuô ibi repoſitô, Deus videretur; & ſtatuam quoque ſuam inter Caſtorem & Pollucem poſitam venerationi publicæ expoſuit, Lunæ conjugium mentitus. Imò, per Petronium, Syriæ Præfectum, ſtatuam ſe ſub Jovis forma repræſentantem, in templo Hieroſolymitano collocare voluit, ſeditionis metu, & Agrippæ, filii Ariſtobuli, literis, abſterritus. Mox, pœnitentiâ animum ſubeunte, Coloſſum ex auro Romæ conflari juſſit, illum ex improviſo Sanctuario Hieroſol. obtruſurus. Sed à Chærea, Prætoriæ cohortis præfecto, confoſſus eſt, Imperii An. 3. menſe 10. die 8. Dio, Suetonius, Aurelii Victores, *in ejus vita*. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 18. & 19. & *Bell. Jud. l.* 2. Tacit. *Annal.* Philo, *in relatione Legationis, Alexandrini ad Caligulam a Judæis miſſæ, cujus ipſe caput.*

CALINDA, Lyciæ urbs. *Calynna* Straboni, *Calydna* Plinio *l.* 5. *c.* 27. *Lagula* hodiè teſte *Moletio*.

CALINDRÆ, Mygdoniæ in Aſia urbs, & Indiæ intra Gangem. *Ptol.*

CALINGÆ, gentes Indicæ ad mare, quorum fœminæ quinquennes concipere dicuntur, octavum autem vitæ annum non excedere Plin. *l.* 6. *c.* 17.

CALINGII, Arabum Felicis & Aſiæ populi, quibus vicina eſt Ampelone Mileſiorum colonia. Plin. *l.* 6. *c.* 28. Metropolis eorum Mariaba, teſte Plinio *l.* 7. *c.* 2. *Calingii, quorum Mariaba oppidum, ſignificat dominos omnium.* Quam tamen alibi omnium populorum, qui *Sabæorum* nomine comprehendebantur, caput eſſe tradit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 497.

CALINGON, Indiæ promontor. Plin. *l.* 6. *c.* 20.

CALINIPARA, Indiæ oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

CALINIUS, Syrius Hiſtoricus, qui *de geſtis Alexandri* ſcripſit.

CALINUS, Statuarius. *Quintilian.*

CALIORDI, Tauricæ Cherſoneſi populi. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

CALIPHA, nomen Principis in Dynaſtia Saracenica: Diviſum eſt autem *Caliphatus*, A. C. 869. quò Abaſidæ quidem in Bagdad, Tolonii autem poſteri in Ægypto regnare cœperunt. *Nic. Lloydius.* Hornio *Calipha*, ſummus dictus eſt Muhammedanorum Pontifex, qui ſolus jus ac poteſtatem habuit coronandi ac declarandi Imperatorem fidelium (ut ſuos vocant) *Emirelmu-Meminu*, ex quo vocabulo natum eſt monſtroſum illud *Admiralis Mirmelis*, quod in Hiſtoriis Chriſtianorum frequenter occurrit. Sedes ejus Bagdadum fuit, totius Aſiæ ac Saracenorum caput; de qua urbe occupanda, utraque gens Turcarum Perſarumque tantô ſtudiô contendit, quaſi imperium Aſiæ penès eum eſſet, qui illâ potiretur &c. Georg. Hornius *Orb. Polit. part.* 4 Vide quoque infrà in voce *Chalifa*.

CALIPPUS, Mathematicus Cyzicenus, videns ſe exactè ſatis Annos Solares cum Lunaribus conciliare non poſſe, errore etiam in Methonis calculô obſervatô, periodum excogitavit, continentem 4. cyclos Methonicos, quorum cuilibet 19. ann. attribuit, i.e. 76. annos, ſeu 19. Olympiadas. Incepit autem ipſum ſub finem Junii, 3. anni. 112. olymp. 419. Nabonaſſarii, 4384. Periodi Jul. 424. Urb. Cond. 3724. M. 330. ante Chriſt. Natum. Cum Ariſtophon Archon Athenis eſſet, anno occiſi à Beſſo Darii. Ptolem. *l.* 3. *p.* 63. *Gr. edit.* Petav *l.* 2. *Chron. c.* 16. & *l.* 16. *c.* 17. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 33. §. 15.

CALIPUS, Luſitaniæ fluv. *Ptol. Palma* Goropio, *Sandaus* Reſendio. *Baudrand.* *Cadaon* ſeu *Zadaon*. Ortus in confinio Algarbiæ, recipitque amnes Alsitum, Odegum, Cabrellam, & amniculum.

culum *Palmæ*. Dein prope Caſtrobrigam in Oceanum Atlanticum ſe exonerat.

CALIS, eunuchus Alexandri Magni, in quem cùm circumſtantes oculis Philotas incidiſſet, & per eum Demetrium conjurationis convincere vellet; perturbatus voceque ac ſanguine deficiente, ultrò, nemine nominante, Demetrium & ſemetipſum id facinus cogitâſſe confeſſus eſt. Curt. *l. 6. c. 11*

CALISIA, vel CALISCIA, German. oppid. *Ptol. Chelburg*, teſte *Ortelio*, *Kaliſch* autem *Ferrario*, Poloniæ majoris urbs, ad Proſnam, qui paulò poſt cadit in Wartam. Ubi aliàs Lugii Helvæones, 5. leuc. German. à confinio Sileſiæ, 22. ab Uratiſlavia, malè habita à Suecis ultimò bello: Ibi Concilium A. C. 1457.

CALITÆ, Libyæ interioris populi. *Ptol.*

CALIUR, oppid. Indiæ intra Gangem. *Ptol.*

CALIX Euchariſticus, in more antiqua, etiam Latinæ Eccleſiæ ad XI. uſque ſeculum præceps cunctis communicanti, juxta inſtitutionem & exemplum Chriſti, Apoſtolorumque praxin, miniſtratus eſt. Seculò vero XI. cum vehemens effundendi ſacri vini metus, Latinorum animos inceſſiſſet, ad morem panis ſacrô vinô tingendi, tametſi à Bracarenſi Concilio olim damnatum, confugerunt: ſic ut primo ita communicarent infirmi: mox tamen ſeſe iſtius intinctæ uſus in ſolemnem ac publicam ſacramenti communionem effunderet. Hôc intinctæ uſu abolitô, ab Urbano, in Concil. Claromontano, A. C. 1095 & à Paſchali A C. 1118 refutatô ac prohibitô, *Calix* planè omitti cœpit, non tamen apud omnes ſeculi illius XII. Eccleſias, etiam ſeculô XIII. antiquiſſimi moris apud plurimos reverentia manſit: Imo non ſeculô quidem XIV. planè apud Latinos priſca conſuetudo deſiit. Tum Viclefus A. C 1370. reſtituit novo mori; & Valdenſium, qui decimò tertiò ſeculô orti ſunt, morem ſecutus, communicantibus etiam vini ſpeciem miniſtrandam eſſe, docuit: aſtipulantibus Latinorum quoque plurimis. Poſtmodùm initiò ſeculi XV. Bohemi, mori diſtribuendæ ſub una ſpecie Euchariſtiæ jam tandem omnium Latinorum communi, repugnârunt. Petrô Dreſdenſi & Jacobellô Miſnenſi, ſed utrôque nobiliore virô Joh. Huſſô communionem ſub Utraque Specie ex Chriſti inſtitutione & Pauli 1. *Ep. ad Cor.* probantibus. Verum A. C. 1415. à Concilio Conſtantienſi lata, utrôque Johanne ac Hieronymo vivicombuſtis ſancita Lex, de *Calice* non amplius præbendo, latè omnibus terrorem incuſſit, Bohemis exceptis, quos ne talia quidem à traditio Veter. Eccleſiæ ritu abſterrere potuerunt: Hinc A. C. 1417. die 10. Martii, in plena Magiſtrorum Pragenſis Univerſitatis congregatione, contra Concilium pronuntiatum eſt. Secuta Cruciata in Bohemos, ſtupendæ horum victoriæ, Concilii Baſilienſis labor, pax denique & concordia IV. articulis, quos *Compactata* vocant, Iglaviæ A. C. 1438. comprehenſa, *Calixque* uſus Bohemis relictus eſt. Nec ceſſârunt plurimorum ex Latinis deſideria, idem anhelantium ſeculô XVI. pro quibus fruſtrà apud Papam & Concilium Trident. intercesserunt Catharina Henrici II. Galliæ Regis vidua, literis ad Pium IV. datis, A. C. 1561. Thuan. *Hiſt. l.* 27. Carolus IX. ſuis eôdem annô ad Inſulanum, ſuum apud Papam Oratorem, ſcriptis: cui inter alia à Cardinali S. Angeli reſponſum: Nunquam ſe aſſenſurum, *ut Gallorum populo tantum Venenum propinetur.* Ferdinandus porro I. & Maximilianus II. Imperatores Albertus Bavariæ Dux &c. dictumque à Concilio Tridentino, A. C. 1562. contrarium ſententibus anathema eſt; eôque tempore in toto Pontificis Romani regno, conſuetudinis Communionis ſub Utraque nullum remanſit veſtigium, ſi Sacerdotem celebrantem exceperis, cui conceditur, ut quem conſecraverit *Calicem*, totum ipſe unus hauriat. Proteſtantes verò, omneſque reliqui Chriſtiani, unis Latinis exceptis, Græci, Moſcovitæ, Jacobitæ, Neſtoriani, Abaſſini, totâ Euchariſtiâ, i.e. *pane & vinô*, ut interpretatur Caſſander *de Comm. utr.* p. 1043. *ivit.* ad hunc uſque diem gaudent. *Chriſtum non ſine ratione, aut gratis utrumque modum inſtituiſſe*, verba ſunt Joh. Huſſi *Tom.* 1. *fol.* 42. *a b.* & *fol.* 43. *A.* firmiter credentes. Vide de his plura, apud doctiſſimum Calixtum, *de Commun. ſub utr.* p. 13. & *ſeqq.* Auguſt Baumgartnerum Oratorem Bavaricum, *Oratione ad Tridentinos*, à Calixto editâ, Joh. Dallæum *de cultibus religioſis Latinorum*, *l.* 5. *c. ult.* &c. De *Calicibus* vulgari uſus, ſuprà dictum.

CALIX, apud Plin. *l.* 21. *c.* 4. ubi de roſa: *Quæ mox intumeſcente & in virides alabaſtros faſtigatâ, paulatim rubeſcens dehiſcit, ac ſeſe pandit in calices, medio ſui ſtantes amplexa luteos apices*; propriè flos dicitur Vopiſco in *Aureliano*: *c.* 5. à *calice*, quô bibitur, Græcè κάλυξ, à cujuſmodi calicum ſimilitudine, in floribus dicti *calices*, quos *calathos* etiam aliis appellatos ſuprà vidimus. Aliter in Narciſſo, ubi idem Plinius *calicem* vocat purpureum illud vel croceum, quod intus habet, quodque effigie calicis eſt & velut corona, quæ in orbem cartæ croceum; *florem* vero, quæ in ambitu ſunt candida folia. At *calix*, Græcè κάλυξ, inter alia, ſignificat florem roſæ adhuc conniventem & nondum apertum. *Heſych.* Κάλυξ, [illegible]. *Gloſſæ*, corymbus, κάλυξ ῥόδου, [illegible]. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 102.

CALIXTINI, in Bohemia dicti, qui *Calicis* communione & nonnullorum aliorum receptâ, ad Communionem Romanam redierunt, pace emolliti, cum bellô invicti fuiſſent: Seceſſione à reliquis factâ, qui veri Huſſi diſcipuli ritus novos & dogmata ἄγραφα, omnia ejurârunt, & *Taboritæ* dicti ſunt; quorum reliquiæ hodieque ſuperſtites, Camerac. *in Hiſtor. Fratrum Bohem.* Spondan. A.C. 1421. *n.* 8. in Polonia & confiniis. Dicti autem ſunt Calixtini *Clandeſtini* quoque, it. *Sub utraque*. Vide ibi.

CALIXTUS I. Romanus, poſt Zephyrinum martyrem, Epiſcopus Romanus. Impetratô Severi indulgentia Chriſtianis locô, ubi prius caupona fuerat, ibi templum extruxiſſe fertur, hodie *Mariæ trans Tiberim*. *Moreri.* Ejus tempeſtate, ob crebras perſecutiones *occulta erant omnia, etiam ipſa ſacella, potius abdita, & plerumque ſubterranea fuerunt, quam publicis in locis aperta.* Platina *in ejus vita*. Joh. Baſſæus, *in Calixto*. Ipſe ãn. 5. Epiſcopatus, A.C. 224. juſſu Cæſaris, *in profundo puteo demerſus eſt. Idem.* Quatuor temporum in anno jejunium inventori ei adſcribitur, & aliquot epiſtolæ. Eum excepit Urbanus I.

CALIXTUS II. Gallus, prius *Guido*, fil. Guilielmi, frater Stephani, Ducum Burgundiæ avunculus Adelaidis, uxoris Ludovici VI. Craſſi, poſt Gelaſium II. Papa, A. C. 1119. Romæ in Laterano 900. Patrum conciliô celebratô, inter alia, ſtatuit, *ut Clerici uxores admitterentur*, cœlibatui in Germania per Magiſtratus obtruſô. Crantz. *l.* 3. *c.* 40. Chemnit. *in exam. de Cælib.* A. C. 1120. 1122. In Anglia, per Johannem Cremonenſem, idem promulgari curavit, qui tamen *ipſe, die illâ, quâ corpus Chriſti (ut aiunt) confecerat & conſecraverat, poſt veſperam in meretricem intercepius, confuſione plenus domum rediit.* Matth. Pariſ. *in Henr. I.* Polyd. *Hiſt. l.* 1. A. C. 1123. Antipapâ Burdinô carceri incluſô, obiit A. C. 1124. Aliquot ſcriptis relictis. Vincentius Bellov. *Spec. Hiſtor. l.* 26. *c.* 30. & *ſeqq.* Mariana *l.* 2. *Ciacconius*, *Baronius*, San Marth. *Gall. Chriſt. tom.* 1. *p.* 800 &c. Illi ſurrogatus eſt Honorius II.

CALIXTUS III. Hiſpanus, ſucceſſit Nicolao V. A. C. 1455. prius Alphonſus Borgia dictus, Xativâ Valentiæ oriundus, annô ætat. 76. Campanas *pro pace*, ut vocant, contra Turcas pulſari, indulgentiis eô fine largiſſimis diſtributis, inſtituit. Imò totam Europam contra illos excivit, ſed nullô ſucceſſu: monitus à Turca, *Chriſtum nunquam imperâſſe, ut homines ad ſuſcipiendam ſuam legem vi & armis adigerentur.* Monſtrel. *l.* 3. *c.* 68. Obiit A. C. 1458. Ciacconius, *in vita ejus*. Genebr. *in Chronico*, &c. Illum excepit Pius II.

CALIXTUS I. Monachus in Monte Athos, *Iſidoro* ſucceſſit, A.C 1350. ſeditque ann 4. Cantacuz. *l.* 4. *c.* 16.

CALIXTUS II. Angelo Corrario, in eodem munere, ſucceſſit. A.C. 1406. per ann. 13. Item Antipapa à Friderici Imperator. amicis, Alexandro III. oppoſitus, Calixti III. nomen accepit, A.C. 1170

CALIXTUS Georgius, Theologus inſignis, in Acad. Julia Profeſſor primarius, Abbas Regio Luthat. pacis & concordiæ amantiſſimus. Scripſit plurima, inter quæ: *Expoſitio literalis*, *in* 14. *poſtr. capp. Geneſeos*, *Concordia IV. Evangeliſtarum. Expoſitio Lit. in Acta*, *in Epiſt. ad Rom. ad Corinthios*, *ad Galatas*, *ad Epheſios*, *ad Theſſalonicenſes*, *ad Titum*: Præterea, *de Immortalitate animæ libri duo*, *de Supremo judicio*, *de auctoritate Antiquitatis Eccl. Hiſtor. Majorum*: *de auctoritate S. Scripturæ Exercitatio*: *de Peccato*, *Apparatus ſeu Introductio in ſtudium Hiſt. Eccl.* &c. Tandem *Conſultatio de Tolerantia Reformatorum*, *judicium de Controverſiis Theol. inter Reform. & Lutheranos*, *Animadverſiones in Confeſſ. Thorunenſem*, *à Reformatis A. C.* 1645. *in Colloquio oblatam*, &c. Obiit Helmſtadii A. C. 1655. decrepitus, Pater Friderici Ulrici, in eadem Acad. Theologiæ Profeſſoris ac in Senatu Eccl. Guelpherbytano Conſiliarii, cujus extant: *Aſſertio divinitatis Chriſti*, *Reſponſiones ad Caloviĳ Theſes Anti-ſyncretiſticas*, &c.

CALIXTUS Thomas, JCtus Wittebergenſis celebris, obiit A. C. 1591. ætat. 68. Gotſr. Suevus *Acad. Wittebergi*.

CALLA, apud Plin. *l.* 27. *c.* 8. *duorum generum eſt: una ſimilis aro —— alterum genus ejus quidam mechuſam vocant —— radice rubrâ* &c. à Græco κάλλα, quod homonymum. De purpureo enim colore vocem aliàs uſurpat *Heſych.* Καλλαΐνα, πορφύρα, lege κάλλα, ἄνθη, πορφυρᾶ: ut in *Etymologico*, Κάλλα, τὰ ἄνθη, ἢ τὰ πορφυρᾶ ἱμάτια; & in *Suida*, Κάλλα, τὰ πορφυρᾶ ἱμάτια. Quâ notione eam acceperunt *Æſchylus* & *Eupolis*. Eſt & flos ejuſdem nominis, ex quo fit color. Idem *Heſych.* Κάλλα, [illegible], *Calla floris genus ad tingendum aptum.* Inde κάλλαια, purpurea queæris & gallorum paleæ ſeu barbæ, à purpureo colore, apud Ariſtophanem, *Equitibus*, Ariſtotelem, *Hiſtor. l.* 9. *c.* 49. Athenæum, *l.* 9. Pauſaniam *in Bœoticis*, *Heſychium*, Alios. Indidem χρῶμα καλλάινον vel καλλάϊνον deducunt *Etymologus* & *Heſych.* quorum hic apud Ægyptios id vocabuli in uſu eſſe teſtatur. Atque ſic per aphæreſin καλλάινον mutari potuit in Æthiopicum *lapa*, quô pro coccino utitur Æthiops Interpres Apocal. *c.* 17. *v.* 4. & *c.* 18. *v.* 12, 16 &c. At alibi καλλάινος dici videas colorem Venetum ſeu cœruleum. Incertus Auctor *de Circo*, apud Salmaſ. *ad Solin.* [illegible] Martialis *in Apophor. l.* 14. *Epigr.* 139.

Induerat albas, exue callainas,

i. e. eôdem Interprete, *Venetas*, ſeu *cæruleas*. Arethas *in Apocalypſin c.* 76. *de Sapphiro*, [illegible]. *Is callaini cum ſit coloris, quem nonnulli Venetum vocant, cæruleo colori ſimilis eſt aut profundo mari.* Eſt & lapis *Callais* Sapphiro ſimilis, de quo mox. Similiter apud Dioſcoridem, *l.* 5. inter Jaſpidum ſpecies eſt, ὁ [illegible] καλλάινος χρώματι [illegible]: pro quo Recentiores γαλάζιον, hodieque Græci γαλάζιο dicunt &c. Atque hæc cauſa eſt, quòd Epiphanius idem eſſe dicat ὑακίνθινον & καλλάινον; quoniam nempe utraque vox non ſolùm pro colore purpureo, ſed & pro cœruleo uſurpatur, quomodo ſumit Epiphanius in *Alogis Sect.* 34. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 5. *c.* 10. ubi *hyacinthinum colorem* (de quo Hebr. [illegible] *thecheleth*, in Sacris exponunt Græci) *eſſe eundem cum cæruleo, aut ſaltem illi vicinum*, pluribus docet.

CALLAICA vel CALLAINA, apud Plin. *l.* 37. *c.* 10. & ex eo Solin. *c.* 20. *Nam in Germania continentibus Callaica reperitur, quam gemmam Arabicis anteponunt, vincit enim gratiâ. Arabes quidem dicunt non alibi reperiri, quam in nidis avium, quas melancoryphos vocant: quod nullus recepit, cum apud Germaniæ Populos, quamvis rara, in ſaxis tamen pateat. Honore & pretio ad ſmaragdos, viret pallidum: nihil jucundius aurum decet*: *ſubmelligg Gemma*, à colore ſic dicta eſt; cùm in aliis pleriſque gemmis color ab ipſis nomen habeat. Nempe *pallidum viret*, quem Venetum ſeu Callainum colorem

 eſſe,

eſſe, ait Salmaſ. Vide ſuprà. Optimum in ea eſſe ſmaragdi colorem, Plinius habet. Quod vero Solinus de *Germania* ſcribit, de *Carmania* intelligendum eſſe, idem docet Salmaſ. ex Plinio *l.* 37. *c.* 8. Neque pretiò & honore Callaica par ſmaragdis, fragilis enim, & pulcherrimæ earum oleò, unguentò & merò colorem deperdunt, cùm contra ſmaragdi, quæ naturâ minus virides ſunt, oleò & merò proficiant. Imò ne topazio quidem comparanda, quem ſextò locò inter gemmas numerant, cùm ſmaragdus tertium obtineat. Similem tamen topazio Plinius facit, colore videl. quem *Alexander* Polyhiſtor ait eſſe, velut olei recentis, quod ita viride eſt, ut tamen ex aureo colore aliquid trahat. Interito auro decorando, h. e. poculis aureis, quæ hinc λιθοκόλλητα & λιθόκολλα Græcis, aptiſſima viſa Callaica; quod tamen & de aliis gemmis viridibus legimus. Vide infrà ubi de *Poculis aureis gemmatisque*. Alia à Callaica gemma *Callais* videtur, ex eodem Plinio *d. l.* ubi de Callaide, *Callais*, inquit, *Sapphirum imitatur, candidior & litteroſo mari ſimilis*. Sapphirus autem vel purpurea eſt vel cærulea; quarum illam *Callais* eò ambo re imitatur, quæ candidior eſt, i. e. purpuræ dilutioris & littoroſo mari, nec ita alto (quod πορφυρίζον & κυανίζον Græcis) ſimilis. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 236. & *ſeqq* ubi inter alia *Callaidem* cum turqueſia confundentes refellit, ut & ſuprà in voce *Calla*. Sed & *Callaicam* mauris genus, habes infrà ubi de *Inauribus*.

CALLAICI, Luſitaniæ populi *Gallaici* etiam dicti. Hodiè *Galliciæ regnum*. Ovid. *l.* 6. *Faſt.* v. 461.

> *Tum ſibi Callaico Brutus cognomen ab hoſte*
> *Fecit, & Hiſpanam ſanguine tinxit humum.*

Martial. *l.* 10. *Epigr.* 16. v. 3.

> *Accipe Callaicis quicquid fodit Aſtur in arvis.*

Idem *l.* 14. *Epigr.* 93. v. 1.

> *Quamvis Callaicò rubeam generoſa metallo.*

Et *l.* 4. *Epigr.* 39. v. 7.

> *Nec quæ Callaicò linuntur aurò.*

Inter *Callaicus Oceanus*, apud eundem *l.* 10. *Epigr.* 37. *v. ult.* pro Hiſpano. Aliàs diviſi fuêre in Callaicos Braccarios, & Callaicos Lucenſes. Illi inter Durium & Minium fluv. ubi nunc pars regni Portugalliæ, Tranſmontana, & regio inter Durium & Minium dicta, habitabant. Hi, qui & præcipui fuêre, ubi nunc Galliciæ regnum. Habet à Septentrione & Occidente Oceanum, à Meridie Luſitaniam, ab Oriente Aſturiam & regnum Legionis. Regio eſt montuoſa. Ejus Caput Compoſtella. Vide *Gallaci*; *Baudrand.*

CALLANTIANI, populi in ſiniſtris Ponti partibus habitantes. Diodor. Sic. *l.* 19.

CALLANTIS, Siciliæ urbs. *Suid.*

CALLAS, EubϾ inſul. fluv. *Strab.* Item Mauritaniæ Cæſarienſis locus. *Antonin.*

CALLATEBUM, Aſiæ propriæ urbs in Caria regione. *Herodot.*

CALLATERIA, Campaniæ oppid. Strab. *l.* 5. ad Brunduſium ducens, non procul à Benevento.

CALLATIA, vel CALLANTIA, Mœſiæ inferioris oppid. *Ptol. Scitia Lazio. Pandalla Nigro. Laonico Callacra.* De Callatianis vide Palmer. *p.* 563.

CALLATIÆ, Indica gens, quæ parentibus veſcitur. *Herodot.*

CALLAUM, Inſul. parva Americæ meridionalis in ora maris Pacifici, ex adverſo Urbis Limæ ſeu Regum. Habet oppid. ſatis amplum, cum validà arce, efficitque portum urbis ipſius Limæ, totius Peruviæ regiæ. Vulgò *Callao*, ſeu *Callao de Lima*

CALLE, ſeu CALE & CALLIUM, urbs Umbriæ, *Cagli.* Media ferè inter Urbinum & Eugubium, in Ducatu Urbini, ſub Pontifice verſus Apenninum, ad Boaſim, qui paulo pòſt cadit in Cantianum fluv. 15. milliar. à Foro Sempronii, 10. à limite *Piceni. Baudrand.* Vide Cale.

CALLE, Græcè κάλλη; *Heſychio* εἶδος ἀνθοποιοῦ πρὸς βαφὴν ἐπιτήδειον. *Floris genus ad tingendum aptum.* Vide ibid.

CALLENI, Campaniæ Mediterraneæ populi. Polyb. *l.* 3.

CALLENICUS, Senonum in Piceno oppid. *Antonin. Caglio Leandro.*

CALLES, apud Solin. *c.* 25. *Serpentes propter ſemitas delitescunt, per quas Elephanti aſſuetis callibus evagantur*: ſunt viæ pecorum veſtigiis tritæ, uti Gloſſæ exponunt. Certè Livius *l.* 22. *Nos*, ait, *hic pecorum modò, per æſtivos ſaltus & devias calles exercitum ducimus.* Et Curtius *l.* 7. *c.* 11. *Trecentos pernicisſimos juvenes — perducite ad me, qui per calles & penè invias rupes domi pecora agere conſueverunt.* Ubi ad Petram expugnandam hos ſibi ſeligi voluit Alexander, quòd ad ſcandenda prærupta non alii magis exercitati & in ignotis quoque montibus inveſtigandæ viæ gnari eſſent. Hunc idem ſimili Duce Perſidem intraverat, *l.* 5. *c.* 4. qui ibi ait paſtorem ſe fuiſſe, & omnes eos *calles* percurriſſe. Vide quoque de paſtore à Charopo Principe Epirotarum ad Titum Quintium miſſo, Livium *l.* 32. *c.* 11. &c. Hujuſmodi vias *Agatharchides* de elephantis loquens, τὰς τῶν θηρίων διεξόδους, *ferarum devia*, Plinius *tritum iter* appellat. Hinc *ſecreti calles*, apud Virg. *Æn.* *l.* 6. v. 441.

> *Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,*
> *Secreti celant calles —*

& *occulti calles*, *Æn.* l. 9. v. 383.

> *Sylvâ fuit latè dumis atque ilice nigrâ,*
> *Horrida —*
> *Rara per occultos ducebat ſemita calles &c.*

Vide Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 508.

CALLETUM, Hiſpaniæ oppid. Stipendiarium, non liberum. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

CALLIA, meliùs CALLIÆ, urbs una ex tribus Ætoliæ. Item parva regio prope Talantum.

CALLIADES, Gubernator deprehenſus à nave celeriore, gubernaculum frequenter inhibuit, à quacunque parte eſſet incurſura, ut perſequentes alliſis ad gubernaculum remis impreſſionem facere non poſſent, quæ ferè primis remis ſeſſilibus fieri conſuevit. Polyæn. *l.* 5. *c.* 41. *ſ.* 410.

CALLIÆ duo fuerunt, quorum ſæpe meminêre Græci, *Divus & Nepos*, uterque Hipponici, uterque δᾳδοῦχος Eleuſiniæ Matris, quod honeſtiſſimum Athenis munus erat, ſicut contrà Μητραγύρται, ſeu famuli matris Idææ, viliſſimi ac profligatiſſimi errones erant. Tertius memoratus Phænippi filius, Hipponici pater: quem virum fuiſſe dignum, cujus memoria vigeat & præclarum vindicem Patriæ libertatis; ſolum Athenienſium Piſiſtrati in exilium pulſi bona ab haſta emere auſum & omnia in eundem infeſta machinatum; Olympia viciſſe equò, quadrigâ ſecundum locum tenuiſſe: Pythiis prius quoque præmium talisſe, & inter omnes Græcos magnificentiâ, etiam in dote danda filiabus, eminuiſſe &c. refert Herodotus, *l.* 6. Eundem ubi ἐργασίαν μίλτου ſive minii inveniſſe, dum ſperabat aurum poſſe excoqui arenâ rubente, in metallis argenti, ait Plin. *l.* 33. *c.* 7. Fuit hic avus *Calliæ divitis*, qui Olymp. 72. ann. 2. cùm in prælio Marathonio in barbarum incidiſſet, hicque eum habitu Sacerdotali tæniiſque revinctum, cen diadema geſtaret, pro Rege adoràſſet & theſaurum ei monſtràſſet in puteo defoſſum, miſerò indice contra datam fidem occiſò, repentè dives prodiit & Λακκόπλουτος dictus eſt, Schol. Ariſtoph. in *Nubib.* Niſi mavis cum Gronovio illum ſic potiùs appellatum eſſe, quòd avitum quæſtum ſecutus magnas pecunias ex metallis feciſſet, ut refert Corn. Nepos in *Cimone. c.* 1. Hic Cimone, cujus ſororem Elpinicem in matrimonio habebat, Cyprum ſubjugante, ad Artaxerxem ſuis legatus pacificator, teſte *Diodorò Siculò*, & Imperator Athenienſium victorque ad Potidæam contra Corinthios, occubuit Olymp. 87. annò 1. ſucceſſore Phormione, ex filio Hipponico pater *Calliæ* iterum, qui δᾳδοῦχος quoque propter libidinem luxumque traducitus ab Ariſtophane in *Ranis & Avib.* amicus Socratis & Alcibiadis familiaris: quem cùm Thebani ejeciſſent è Bœotia Platæenſes & Theſpienſes, Athenienſes de pace ineunda legatum miſerunt &c. Vide Johan. Frid. Gronovium *Obſervation.* *l.* 4. *c.* 7. ut & infrà *Sus alba*.

CALLIARUS, urbs Locrorum, à Calliaro Odœdoci & Laonomes filio. Straboni vero, quod benè aretur, & colatur.

CALLIAS, vide *Philonomus*.

CALLIAS, Archon Athenis, Olympiadis centeſimæ annò quartò.

CALLIAS alter, à Phocenſibus in locum Phalaci, ob ſacrilegium remoti, Dux ſubrogatus, Olympiad. 118 annò 2.

CALLIAS, ut videtur, Comicus, qui ſcripſit Πεδήτας. Vide Scholia, *in Ariſtoph. Aves*.

CALLIAS, Athenienſis Comicus fil. Lyſimachi, qui *Schœnion* cognominatus eſt, quod funes ob paupertatem torqueret. Tragœdiam ſcripſit *de Grammatica*, ingenioſiſſimam, & Comœdias, Athen. *l.* 10. Voſſ. *de Poët. Græc. p.* 86. & *de quat. Art. pop. c.* 2. §. 2. Scal. *Poët. l.* 1. *c.* 8.

CALLIAS, Syracuſanus Hiſtoricus; *de rebus Siculis* libros complures reliquit, ab Agathocle corruptus. Vide Joſeph. *contra Appion.* *l.* 1. Athen. *l.* 12. Ælian. *l.* 16. *Hiſt. Animal. c.* 28. Dionyſ. Halicarn. *Ant. l.* 1. Macrob. *Saturn. l.* 5. *c.* 10. *Suid.* Voſſ. *de Hiſt. Græc.* *l.* 1. *c.* 11.

CALLIAS, vulgò *Laccoplutus* cognominatus, Dux Athenienſium nobilis, contra Artaxerxem miſſus. *Suidas.* Vide Scholia in *Ariſtoph. Nubes*, & ſuprà *Calliæ*.

CALLIAS Eleus, vates Jamidarum, Sybaritarum Principe Teli relictò, Crotoniatis, hoſtibus ejus, ſuppetias ivit. *Herodot. Musâ* 5.

CALLIAS, Methymnæus, Grammaticus, quem Strabo *l.* 13. dicit Alcæum, Sapphoque Poëtas enarràſſe. Cui Mitylenæus dicitur, & inter illuſtres Leſbios refertur. Vide etiam Athen. *l.* 3.

CALLIAS, Arcadiæ oppid. Pauſan. l. 8. Et fontis nomen *Suida*.

CALLIBLEPHARA Mulierum, memorata Plinio *l.* 33. *c.* 6. Superciliis ornandis pingendiſque inſerviebant, quam in rem vide infrà aliquid vocibus *Fucus*, *Platyophthalmon*, *Stibium*, & ubi de *Superciliis*.

CALLICA, Bithyniæ mediterraneæ urbs. *Ptol.*

CALLICATIS, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

CALLICHORUS, locus in Phocide, *Panopeus* dictus: proptereà, quòd Thyades Athenis profectæ, ut Liberi Patris orgia cum Delphicis mulieribus in monte Parnaſſo celebrarent, quotannis mediò itinere in ultis locis, præcipuè Panopenſi agro, Thyaſos & choreas ducerent.

CALLICHORUS, vel *rum*, Paphlagoniæ fluv. olim Oxynum dictus, ab Arriano *Oxina*. Nec non eſt locus aut fluvius in Attica. Siciliæ fluvius apud *Callimachum*. Puteus in Attica. In Cnoſſo Adriani locus eſt.

CALLICLES, ſtatuarius nobilis. Plin. *l.* 34. *c.* 8.

CALLICOLONA, Homero locus Troadis circa Simoenta fluv. quem *Strabo* dicit diſtare ab Ilio 40. ſtadiis.

CALLICRATES, cui theſaurorum Suſis receptorum tutela ab Alexandro Magno permiſſa eſt. Curt. *l.* 5. *c.* 2.

CALLICRATES, artifex ex ebore formicas, & alia tam parva animalia fecit, ut partes earum cerni non poſſent. Plin. *l.* 7. *c.* 21. & *l.* 36. *c.* 5. Ælian. *Var. Hiſt. l.* 1. *c.* 17. Plut. *l.* 2. *contra Stoicos*. Unde mirabilem oculorum aciem in eo oſtendit Plinius; qui enim ſatis clarâ oculorum acie fuerat in illis partibus animalium

lium ſubtiliſſimè ſculpendis, utique etiam ſculptas facilè cernebat, quas cæteri videre non poterant. Quin etiam, ut ea operum minutalia facilius cernerentur, admovebantur ſetæ nigræ, ut candor eboris, oppoſitû ſetarum nigrore, oculorum aciem magis adverteret, uti teſtatur Varro *de L. L. l. 6.* apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 46.

CALLICRATES, ἀνὴρ Ἀχαιὸς, quomodo perfidiâ ſuâ Achæos omnes Romanis parere coëgerit, docet Pauſan. *l. 7.* Itemque, quomodo a Menalcide perfidiâ ſuperatus fuerit, idem demonſtrat ubi ſuprà.

CALLICRATES, Tyrius, Aureliani tempore, & paulò poſt vixit, qui vitam Imperatoris hujus in literas retulit. Vopiſc. *in Aureliano, c. 4.*

CALLICRATIDES, Methymnam vi cepit, Conone Athenienſium Duce Mitylenæ obſeſſò, unicè patriæ devotus, Spartanis exercitus Imperator. Sed ab Athenienſibus prope Inſulas Arginuſas victus, mari merſus obiit, an. 347. Urb. Cond. Xenoph. *Hiſt. l. 1.* Diodor Sic *l. 13.* Polyæn. *l. 1. c. 48.*

CALLICRATIDES, quartus è legatis, quos Lacedæmonii, ſuprà cum Alexandro Macedone ſocietate, ad Darium miſerunt; cum tribus collegis, proditâ Damaſcô, in Alexandri manus venit. Curt. *l. 3. c. 13.*

CALLICRATIDES ſeu CALLICRATES, Græcè Καλλικράτης, Athenæo *l. 11.* refertur inter nobiles Toreutas, Καλλικράτης ὁ Λάκων καὶ Μῦς, *Callicrates Laco & Mys.* Unde Salmaſ. apud Plin. *l. 34. c. 12.* *Poſt hos celebratus eſt Calamis — Mox Cyzicenus Tauriſcus, item Ariſton — & circa Magni Pompeji ætatem Praxiteles, Poſidonius Epheſius, Ladas Stratiates, qui prælia armatoſque cælavit:* Pro *Ladas Stratiates*, legi vult, *Laco Callicrates.* Vide eum *Exercitat. Plin. ad Solin. p.* 1047.

CALLICULA, Mons erat Campaniæ, aliter *Eribanus & Eribanus*, Brieno, inter Taurum Francolaſium & Calem. Item, oppid. Campaniæ, ad Caſilinum fluv.

CALLIDEMUS, an Hiſtoricus fuit, haud ſatis compertum habemus. Plin. *l. 4. c. 12.* & Solin. *c. 17.* hôc teſte aſtruunt Eubœam priùs Chalcidem eſſe vocatam, ære ibi primùm repertô. Voſſ. *l. 3. Hiſt. Græc.*

CALLIENA, nobile olim Orientis Emporium, cujus mentio apud Auctorem *Peripli*, Καλλιένα πόλις ἡ ἐπὶ τῶν Σαραγάνου τοῦ πρεσβυτέρου χρόνων ἔνθεσμον ἐμπόριον γενόμενον, μεθ᾽ ὃ ὁ κατασχόντος Σανδάνου κωλύεται ἐπὶ πολύ, *Callienа urbs, tempore Saragani ſenioris (qui ibi regnaverat) emporium fuit celebre, poſtquam verò Sandaces* (Saragani ſucceſſor) *illud occupavit, multum priſtini ſplendoris perdidit*, vide Salmaſium *ad Solinum* p. 1186.

CALLIFÆ, vide *Aliſa.*

CALLIGA, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

CALLIGERIS, Indiæ intra Gangem urbs, *Cananor Caſtaldo.*

CALLIMACHUS, Cyrenæus Hiſtoricus & Poëta Batti & Meſalmæ fil. diſcipulus Hermocratis Jaſenſis Grammatici, vixit apud Ptol. Philadelphum uſque ad Euergetem Bibliothecæ regiæ præfectum. Scripſit plurima, ſed paucis, *ingentem librum ingens malum* vocare ſolitus, inter cætera opus *de origine & cauſis Sacrorum*, quæ Αἴτια inſcripſit. Martialis, ad Mammurram *l. 10. Epigr. 4. v. 11.*

Si non vis Mammurra tuos cognoſcere mores,
Nec te ſcire legas Ætia Callimachi.

Conſcripſit etiam in adverſarium poëma acerbiſſimum, quem fictò nomine *Ibin* appellavit. Edidit & *hymnos*, qui hodieque extant: Item carmen *de Berenices coma*, quod Catullus tranſtulit, eum, cum Propertio, ſæpe imitatus. Vide *Suid.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 1. c. 15.* & Jonſium *de Script. Hiſt. Phil. l. 2. c. 5.* Fuit etiam *Callimachus* junior Poëta ἐπικὸς, ex ſuperioris ſorore natus, Steſenoris, & Megatimæ, quæ Callimachi ſoror erat, filius, ut eſt apud *Suidam.* Sed hujus non ita magnum nomen fuit.

CALLIMACHUS, Archon Athenis, an. 4. Olymp. 107.

CALLIMACHUS, Athenienſis Dux præſtantiſſimus, prælio cum hoſtibus Perſis commiſſô, quamplurimis haſtilibus cùm tranſfoſſus eſſet, & animam efflâſſet, rectus ſtetit. Plut. *in Paral.*

CALLIMACHUS, Athenienſium Polemarchus, cùm Dianæ tot boves voviſſet, quot in Marathone Barbaros occidiſſet, poſtquam plures occiſi eſſent, quàm ut votum ſolvere poſſet, capras immolavit.

CALLIMACHUS, Colophonius, Tatiano *Oratione ad Gent.* laudatus. Ut & Euſeb. *præpar. Evang. l. 10.*

CALLIMACHUS, Umber, Mevaniâ, hodie *Bevagna*, in Ducatu Spoletano oriundus, Propertii contertaneus; qui Callimachi meminit, *l. 4. El. 1. v. 64.*

Umbria Romani patria Callimachi.

CALLIMACHUS, Sculptor κατατηξίτεχνος nominari voluit, quaſi artis interpellator, & qui eam in tenuiorem, exquiſitioremque diſciplinam reduxit, τήκειν enim *liqueſacere*, *conſumereque* ſignificat. Nam ipſe primus lapidem perforavit, minutatimque tractavit. Pauſan. *l. 1.* & Plin. *l. 34. c. 8.* κακιζότεχνος legunt. At Vitruvio *l. 4. c. 1.* κατατηξίτεχνος dicitur.

CALLIMACHUS, Medicus. Plin. *l. 22. c. 3.*

CALLIMACHUS Experiens Philippus, San Geminianus, in ditione Florentina oriundus, Pauli II. literatorum oſoris, odium declinaturus, in Poloniam abiit, à Caſimiro Rege filiorum inſtitutioni admotus, ei Albertoque fil. ſucceſſori gratiſſimus. Auctor *Hiſtoriæ Attilæ, bellorum Vladiſlai, Poloniæ & Hungariæ Regis libris 3.* ut & *de concitatis à Venetis contra Turcas Perſis Tartariſque*, &c. Trithem. Annô 1490. quô obiit. Volaterran. *l. 7.* Cromer. *l. 30.* Miechov. *l. 4. c. 78.* Voſſ. *Hiſt. Lat. l. 3. c. 8.* Adde Platinam, *in Paulo II.*

CALLIMEDES, Athenienſium Imperator. *Diodor. Sic.*

CALLIMEDES, Archon Athenis, Olympiadis centeſimæ quintæ annô primô

CALLIMEDON, Athenienſis, ex amicis Phocionis atque ejus factionis, quæ optimatum cauſam agebat & cum Caſſandro ſentiebat: ideò à populo abſens capitis damnatus eſt.

CALLIMELES, adoleſcentis nomen, quem Apollodorus, Caſſandreæ tyrannus, correptum mactavit, juſſitque ejus viſcera à Leontomene cocta conjuratis epulanda apponi. Polyæn. *l. 6. c. 7. § 2. f. 437.*

CALLIMENES, Primus *Amphipolus* (magiſtratûs annui à Timoleonte Olympiadis 109. annô ſecundô inſtituti nomen) Jovis Olympii Syracuſis.

CALLINICUM, Perſarum oppid. in Euphratis ripa. *Procop.* Et Oſrhoënæ regionis, *ib. Notit.* Meſopotamiæ item, *Amm. Marcellin.*

CALLINICUS, Græcè Καλλίνικος, Herculis cognomen, apud *Pindarum & Euripidem.* Hinc ſaltatio eidem ſacra; modus item tibiæ in Pæanibus, eodem nomine inſignitus. Jul. Cæſ. Scaliger *Poetic. l. 1. c. 18. & 20.*

CALLINICUS, Patriarcha Conſtantinopol. A C. 691. poſt Paulum III. Latinæ Eccleſ. hoſtis, Juſtiniani Junioris juſſu excæcatus, ſicque Romam miſſus, A. C. 705. *Theophanes, Cedrenus, Baron.*

CALLINICUS, cognomine Sutorius, fil Caji, Sophiſta Syrius, vel Arabs, profitebatur Athenis, ſcripſit *de cacozelia*, *de Rhetorica ad Cleopatram*, *de rebus geſtis Alexandri*, *libris* 10. & alia quædam, *Suid.* Viguit tempore Anton Pii Imperatoris. Vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l. 2. c. 13.* Jonſium *de Script. Hiſt. Phil. l. 3. c. 14.* Hieronymum *præfat. in Daniel.*

CALLINICUS, Græcus, inventor A. C. 670. ignium, qui *Ignes Græci* dicuntur, cujus ope Conſtantinus Pogonatus feliciter adjutus Saracenorum naves exuſſit, Zonaras *in vita hujus Imper.* Vide Valturium, *de re militari l. 11. c. 9.* J. Bapt. Portam, *Mag. nat. l. 12.* J. C. Scalig. *exerc. c. 3. diſt. 3.* Cardan. *de Subtil. l. 2.* Salmuth, *notis in Pancirolum, part. 2. rer. memorab. tit.* 19.

CALLINICUS, Sacri genus Herculi dicatum. Cœl. Rhodig. *l. 5. c. 4.* Item, urbs Syriæ. *Curopal.*

CALLINUS, primus orator, & inventor Elegiaci carminis teſte *Terentiano.* Vide Athen. *l. 2.* Clem. *l. 1. Strom.* Strab. *l. 13.*

CALLINUSA, promontorium Cypri. *Ptol.*

CALLIONYMUS, piſcis eſt, cujus felle Medici utuntur ad extergendas albugines, quique interdiu in terram exire legitur, ad ſomnos capiendos, ἡμεροκοίτης propterea dictus Oppiano *Halieutic. l. 2.* Unde Franciſcus Valleſius, magni acuminis olim Philoſophus in Hiſpania, eum, cùm ſuô more in terram egrederetur, Tobiæ terrorem incuſſiſſe, ac ſi voraturus accederet, adeoque non alium Tobiæ *c. 6. v. 2.* piſcem, quàm *Callionymum* intelligendum eſſe contendit. Cui favet, quòd ea Geſneri ſententia Callionymus eſt Arabum *Sabot*, piſcis genus, quem Damir ſcribit frequentem eſſe in Tigri flumine, & Abenbitar, in Euphrate, ac ex ejus felle fieri collyrium. Sed marinus piſcis *Callionymus* eſt, non fluviatilis; vix pedalis magnitudinis, piſciculiſque veſci ſolitus, quos apophyſi quadam ex ore demiſſâ in ranæ modum venatur. At ille de quo Auctor libri Tobiæ, in Tigri fuit repertus, prope Ninum quingentis minimùm à mari milliaribus. Idem fuit Anthropophagus, magnæ molis, nec minoris audaciæ, ut qui Tobiam aggredi non timuerit. Sed nec, quod ſupponit Valleſius, piſcis ille in terra fuit, verùm emerſiſſe ex mediis aquis dicitur, ut in Tobiam irrueret, dum in flumine lavabat pedes. Quod ſequentia palàm docent, cùm juvenem eum in terram attraxiſſe ait ſcriptis illius Auctor. Præterea ut concedatur, eduſem eſſe callionymum, quod nonnulli aſſerunt, οἱ δὲ πλεῖστοι ἀντιλέγουσιν αὐτοῖς, *plerique illis contradicunt*, auctore Æliano *l. 13. c. 4.* non tamen pro viatico duobus viris ſuffecerit caro tantuli piſcis, à Tigri fluv. Ragas uſque, quæ diſtabant itinere minimùm decem dierum, ut alia omittam. Idem verò & οὐρανοσκόπος appellatur aliter, quia, cùm oculos habeat in ſuperna parte capitis, cœlum etiam invitus intuetur: Atque hoc *pulchrum* illud *nomen* eſt, unde vocatur καλλιώνυμος. Bochart. *Hierozoici parte poſteriore l. 5. c. 14. p. 749 ubi de Piſce Tobiæ.*

CALLIOPE, una Muſarum, Orphei mater, quæ Rhetoricæ & Heroico carmini præeſſe exiſtimatur, à vocis ſuavitate nomen habens, καλὸς enim *bonum* eſt, & ὄψ vox. Virg. *in Epigr.*

Carmina Calliope libris Heroica mandat.

Effertur & *Calliopea.* Virg. *Eclog. 4. v. 57.*

Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo.

Ovid. *l. 5. Faſt. v. 80.*

Prima ſui cœpit Calliopea chori.

Juvencula pingitur, floribus coronata, lævâ plurima ſerta laurea; dextrâ verò Iliadem, Odyſſeam & Æneida tenens.

CALLIOPE, urbs Parthorum. *Steph.*

CALLIPATIRA, mulier quædam fuit, quæ, quum capitale eſſe fœminis ſciret, Olympicorum tempore Alpheum amnem tranſiſſe, mutatis veſtibus gymnaſticô fefellit habitu. Sed cùm id poſteà reſcitum eſſet, ignotum quidem eſt Callipatiræ, quod patrem, & fratres habuiſſet Olympionicas: lata verò in reliquum lex eſt, ut in certamen nudi prodirent gymnaſtæ. Pauſan *l. 6.* Cœl. Rhodig. *l. 14. c. 14.*

CALLIPIA, ubi fons Epheſiorum Plin. *l. 5. c. 29.*

CALLIPIDÆ, Scythiæ Europææ populi ad Hypanim fluv. Solin. *c. 14.* *Callipodes* vocat. *Græcoſcythæ Herodoto* dicuntur.

CALLIPIDES, Græcus tragœdorum hiſtrio, qui in ea re ſibi placebat plurimum. Unde cùm Ageſilao Regi occurriſſet, arrogan-

tiùs eum ſalutavit, ſubinde illi ſe oſtentans; & inter aſtantes ſeſe intrudens, arbitratus fore, ut à Rege comiter exciperetur. At is cùm gravioribus intenderet, ac ne Callipidem reſpectaret, *Non admodum*, inquit, *miſſe me videris ô Rex, nec, qui ſim, animadvertiſſe.* Reſpondens Ageſilaus: *Annon*, inquit, *tu Callipides mimus?*

CALLIPIDES, inſignis actor ſcenicus, ex Ionia ab Alexandro, præſidii per Æolidem præfecto, ad ſpectaculum evocatus. Polyæn. *l.* 6. *c.* 10. *p.* 442.

CALLIPIDES, Hiſtoricus Græcus Straboni memoratur, in 12. jungiturque Hellanico, Herodoto, & Eudoxo, quos φιλομύθους arguit. Scripſit de Scythis.

CALLIPIUS, Conſul, collega Aldaburii an. Urb. Cond. 1200.

CALLIPODES, populi Solino memorati c. 14. *Hypanis oritur inter Auchetas, Scythicorum amnium princeps, purus & hauſtu ſaluberrimus, uſque dum* Callipodum *terminis inferatur, ubi fonte Exampeo infamis eſt amarâ ſcaturigine.* Et Melæ, qui Hypanim *Callipodas* includere ſcribit, *l.* 2. *c.* 1. non tamen uſque ad *Callipodas* dulcem fluere. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 187. ut & in voce *Callipodæ*, quâ ab *Herodoto* gens iſta appellatur.

CALLIPOLIS, Turcis *Gelibolu* teſte *Leunclavio*, urbs Thraciæ aliàs ampla, nunc ſenſim deficiens, ſed cum armamentario inſtructiſſimo, ſub Turcis. E regione Aſiæ minoris juxta Helleſpontum, qui ab ea *Stretto di Gallipoli* dicitur. Sil. *l.* 14. *v.* 250.

> —— *Romana petivit*
> *Fœdera Callipolis.* —— ——

Ita Silianum hoc perperam Callipoli Thraciæ tribuit *Ferrarius.* Atqui *Callipolis* iſta, de qua Poëta agit, Siciliæ urbs fuit. *Steph.* Καλλίπολις πόλις Σικελίας. Vide omnino Cluver. *Sicil. Ant. p.* 388. Expugnata eſt ab Amurathe, contemnente damnum Johanne Cantacuzenô, qui *amphoram vini & ſtabulum porcorum amiſſum eſſe*, imprudens ajebat. Circa A. C. 1357. Leuncl. *in Hiſt. P. Jovio*, &c.

CALLIPOLIS, urbs Apuliæ, ſita in extremo promontorio longè in mare procurrenti, ſed arctiſſimo Iſthmo, adeo ut in aliqua parte vix curribus pervium ſit. Munita eſt & rupibus ſepta, à continenti unicus eſt aditus, in quo caſtellum eſt munitiſſimum. Videtur Cluverius *Ital. Ant. p.* 1219. Et Iſaac. Voſſ. *ad Melam, p.* 166.

CALLIPOLIS, urbs Italiæ olim ſub Salentinis, & *Anxa* dicta, nunc ex præcipuis Terræ Hydruntinæ. In ora ſinus Tarentini. Eſtque urbs permunita. Vide *Gallipoli.*

CALLIPOS, Philoſophus, qui honeſtati voluptatem adjunxit, ſicut Dinomachus.

CALLIPPUS, vide hîc infrà.

CALLIPUS, Athenienſis, Platonis auditor, inſidiator & percuſſor per Zacynthios adoleſcentes Dionis, quô trucidatô Syracuſis imperium per menſes tredecim tenuit, & ab Hipparino, Dionyſii junioris filio, ſuperatus ac ejectus eſt, Olympiadis centeſimæ ſextæ annô quartô. Plut. *in Dione*, & *de Verec.* Meliùs *Callippus*, eôdem pugione, quô Dionem ſub amici ſpecie interfecit, rurſus à ſociis necatus eſt. Vide Auguſtin. in *Epiſtol. p.* 553.

CALLIPUS, Corinthius, *Hiſtoriam ſcripſit de Orchomeniorum rebus*, teſte *in Bœoticis* Pauſaniâ. Item, Dux Athenienſium. Item Philoſophus, qui honeſtatem voluptati junxit. Diog. Laërt. *in Zenone.* Vide *Callipos.*

CALLIPUS, oppid. ad Pontum Euxinum. *Jornandes.* Item, fluv. Luſitan. *Sandano*, vide *Calipus.*

CALLIPYGOS, Venus dicta eſt à pulcris clunibus, nam cùm duæ quædam viſendæ pulchritudinis puellæ, de natium præſtantia contendiſſent, tandemque placuiſſet rem adoleſcentis cujuſdam arbitrio permitti, & ille utrâque diligenter inſpectâ, natu majori palmam addixiſſet, eamque conjugiô ſibi copulâſſet: occaſionem Syracuſanis præbuerunt, ut ab hac natium altercatione Veneri Callipygæ templum conſtituerent, Cœl. Rhodig. *l.* 4. *c.* 8.

CALLIRHOE, filia Scamandri, uxor Trois, tertii Regis Dardanorum, ex illo mater Ili, Ganymedis & Aſſaraci, qui pater erat Capyis, avus Anchiſæ. Meſſala Corvin. *de familia Aug. Homer, Virgil.* Euſeb. *Chron.*

CALLIRHOE ſeu CALLIRRHOE, fons in agro Attico 9. habens fiſtulas, unde & ἐννεάκρουνος dictus eſt. Thucydid. *l.* 2. Poëtæ alterum *r* ex nomine abjiciunt. Stat. *l.* 12. *Theb. v.* 629.

> *Et quos Callirhoë noviès errantibus undis*
> *Implicat.* —— ——

Nic. Lloydius. Oritur ex Iliſſi fluminis alveo, hodieque priſcum nomen retinet. Ab Enneacruno fonte, quem Piſiſtratus fieri curavit, eum diſtinctum eſſe, docet Jac. Sponius *Itinerar. Græc. Part* 3. *p.* 210. *Solino* ſic & *Plinio* ſuffragatus, contra quos tamen vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 142.

CALLIRHOE, fons in Palæſtina calidus, ac morbis ſanandis ſaluberrimus, in quo Herodes morbô horribili, ac prorſus deſperatô, & cœlitùs immiſſô laborans, perperam ſeipſum lavit, propter tot ac tanta in homines ſcelera inhumaniter perpetrata. Itemque prope hunc fontem ſita eſt ejuſdem nominis civitas. Joſeph. *l.* 17. *Jud. Ant. c.* 8. Meliùs *Callirrhoe.*

CALLIRRHOE, Lyci, Lybiæ tyranni, filia, hominis ſanguinarii, & hoſpites immolantis: à Diomede relicta, quem Trojâ redeuntem benignè ſuſceperat, & paternis inſidiis liberaverat, ægra animi fauces eliſit. Item, filia Acheloi fluv. uxor Alcmæonis. Vide etiam *Plin.* & Pauſan. *l.* 8.

CALLIRRHOE, Phoci Bœotii filia, quæ corporis formâ, & pudicitiæ gloriâ, inter æquales ſuas & ſocias facile ſibi primas vendicavit. Hanc 30. numero ex univerſa Bœotia genere & opibus primarii juvenes ſummô quiſque ſtudiô in uxorem expetiiſſe dicuntur. Cæterùm pater alias ſemper ex aliis moras complicans & cunctans, ac diem de die trahens, illorum vota procraſtinando conſulto fruſtrare videbatur. quamobrem proci, conſpiratione conflata, Phocum interfecerunt. Hac re palam factâ *Callirrhoë* clàm aufugiens, tamdiu delituiſſe fertur, quoad celebre per univerſam Bœotiam advenîſſet feſtum, quod Παμβοιώτια illi vocant. Hanc illa celebritatis occaſionem nacta, obſervatô tempore, ſupplex in Palladis ara conſediſſe dicitur, palamque de procis conqueſta ſuit, illorum ſcelus, nefandamque ſui parentis cædem indicavit, nominaque ſingulorum maximo recenſuit ejulatu. Bœotii autem, quotquot ad celebre ſpectaculum aderant, rei ipſius indignitate permoti, cædis patratores, & conſcios, ut ab illis meritas exigerent pœnas, diligentius inquirere cœperunt. Hîc illi re perceptâ, ocyùs omnes dilapſi, ad Hippotas, quod oppidum mediô Thisbarum Coronæque interſtitiô erat, celeri fugâ perveniſſe dicuntur. Poſtulantibus autem illos poſtea Bœotiis, & ut ſibi dederentur, ſummô ſtudiô contendentibus, cùm oppidani obedirent, eoſque reddere nollent, comparatô ex ſingulis civitatibus delectorum exercitu, illorum fines hoſtiliter ſunt ingreſſi, oppidumque vi captum funditus everterunt. Procos qualem illos in poteſtatem redactos, maximâ extructâ pyrâ ſimul omnes in ignem conjectos combuſſerunt. Leonicerus *Tom. l.* 4. *c.* 9. *ex Plutarcho.*

CALLIRRHOE, palus Meſopotamiæ ad Antiochiam urbem. *Steph.*

CALLISTA, inſul. maris Ægei, una Sporadum, aliô nomine *Thera* appellata. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

CALLISTAGORAS, Tenus olim cultus eſt, Clem. Alexandr. *Admonit. ad Gentes.*

CALLISTE, Græcè Καλλίστη, i. e. *Pulcherrima*, cognomen Minervæ, vide infrà, voce hâc, ubi & Καλλίμορφον eam cognominatam videbimus.

CALLISTHENES, conditor rerum Græcanicarum, illas libris decem deduxit ad occupationem templi Delphici & ſacrilegium Philomeli. Diodor. Sic *l.* 16. *ſ.* 518.

CALLISTHENES, ex illis Ducibus, qui quadringentos & viginti viros noctu introduxerunt Athenas, in urbe præſidium Demetrii cum Duce Heraclide ejecerent. Verùm re detectâ interiit. Polyæn. *l.* 5. *c.* 17. *§.* 1.

CALLISTHENES, Philoſophus Olynthius, Alexandro M. familiaris ex condiſciplinatu, accitusque ab ipſo Rege ad prodenda memoriæ geſta ejus Aſiatica. Huic nocuit immodica libertas, gravitaſque Regi inviſa. Nunquam enim aſſentantium accommodatus ingenio erat. Cum enim Rex ex Perſico bello Deorum more adorari vellet, acerrimus inter recuſantes Caliſthenes fuit, palam dictitans, Alexandrum non adorandum eſſe. Quæ res & illi, & multis Principibus Macedonum exitio fuit. Nam illum Alexander, propter adorationis Perſicæ interpellatam morem, conjurationis conſcium eſſe exiſtimatus, truncatis membris, abſciſſiſque auribus, ac naſô labiiſque deformatum, cum cane in cavea clauſum circumferri juſſit, diuque tortum tandem necavit. Plut. *in Alex.* Q. Curtius, *l.* 8. *c.* 6. Arrian. *l.* 4. Juſtin. *l.* 12. *c.* 6 7. Ei plurima attribuuntur ſcripta, priſcis laudata, de quibus vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 9.

CALLISTHENES, Ariſtotelis diſcipulus, Aſtronomus inſignis. Et quidem *Cœleſtium motuum obſervationes* (quotquot in literas relatæ ſunt) omnium vetuſtiſſimæ ſunt, quas ille Babylone in Græciam, mandante præceptore, tranſmiſit. Illas Hipparchus ad τετράβιβλον Ægyptiacam accommodavit, ut dicemus infra *in Eo.* Simplicius *de Cœlo l.* 2. *comm.* 46. & Ptol. *l.* 4. *c. ult.*

CALLISTHENES, Sybarita, Galatica conſignavit, quorum librum 23. citat Plut. *l. De Flum.* Et librum 13. Stobæus *Serm.* De morbis, & moleſtiarum in eis ſolutione, Voſſ. ibidem *& l.* 3. *p.* 338.

CALLISTO, Lycaonis Arcadiæ Regis filia, nympha celeberrima, quæ à Jove compreſſa, gravidaque facta, quum ſimul cum Diana lavaretur; tumore uteri prodita, & ab ea repulſa, Arcadem filium in ſilvis peperit, à quo poſteà Arcadia dicta eſt. Hæc poſteà à Junone in urſam commutata, & Jovis miſeratione in cœlo collocata, majorem efficit Urſam, quæ & Helice Græcis dicitur. Propert. *l.* 2. *El.* 28. *v.* 23.

> *Calliſto Arcadios erraverat urſa per agros:*
> *Hæc nocturna ſuo ſidere vela regit.*

Vide Ovid. *Met. l.* 2. *fab.* 5. *&* 6. Alexandr. Roſſæum, *in myſtagogo Poët.* &c.

CALLISTRATIA, Galatiæ oppid. *Ptol. Caſtellus* teſte *Thevetô.*

CALLISTRATUS, Archon Athenis, Olympiadis centeſimæ ſextæ annô ſecundô.

CALLISTRATUS, Athenienſis, à civibus ſuis cum Timotheo & Chabria, Dux adverſùs Lacedæmonios conſtitutus. Olymp. 100. an. 4. Diodor. Sic. *l.* 15.

CALLISTRATUS, Aphydnæus, Orator apud Athenienſes, diſertiſſimus eô tempore, cui tamen concinnè reſpondit Epaminondas. Vide Xenoph. *l.* 6. *Hellen.* & Plut. *Apophth.*

CALLISTRATUS, Athenis orator in Republ. fuit, quem cùm Demoſthenes admodùm adoleſcens audiviſſet nobilem illam τὴν περὶ Ὠρωποῦ δίκην dicentem, ita motus, demulctus, & captus eſt, ut Calliſtratum jam inde ſectari cœperit, & Academiam cum Platone reliquerit. Xenoph. *l.* 6. Gellius, *l.* 3. *c.* 13.

CALLISTRATUS, Hiſtoricus Græcus ſcripſit *de Samothracia*, laudatus Dion. Halicarn. *Antiq. Rom. l.* 1. Item, Poëta Comicus, *Athen.* Circa 97. Olymp. æmulus Ariſtophanis. Item, Tenedius, Arati Commentator.

CAL-

CALLISTRATUS, JCtus, inter diſcipulos Papiniani & Conſiliarios Alexandri Sev. Lamprid. *in Alex. c.* 68.

CALLISTRATUS, videtur fuiſſe Grammaticus, quem aliquoties laudant *Scholia in Ariſtoph.*

CALLISTRATUS, Statuarius, Plin. *l.* 34. *c.* 8. Cæterùm de variis Calliſtratis videſis Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 338. *De Scient. Mathem. c.* 33. §. 26. *p.* 156.

CALLISTUS, unus inter comites Juliani Principis, expeditionem ejus *Heroicô verſu Hiſtoriam* conſcripſit. Nicephorus, *l.* 10. *c.* 34. Socr. *l.* 3. *c.* 18.

CALLISTUS, vide *Calixtus*.

CALLITELES Samius, Genitor Syloſontis, Polycratis & Pantagnoti.

CALLITHRIX ſeu CALLITRICHUM, apud Plin. *l.* 25. *c.* 21. idem cum Trichomane, de quo infrà, Græcè καλλίθριξ: ſicut Adiantum propriè *Polytrichon* dictum eſt, quæ tamen cognomina Auctores plerumque confundunt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1294. Sed & *Callitriches* inter ſimiarum genera recenſentur Plinio, *l.* 8. *c.* 54. *Efferatior cynocephalis natura, ſicut mitiſſima ſatyris & ſphingibus. Callitriches totô penè aſpectu differunt: barba eſt in facie, cauda latè fuſâ primori parte.* Nempe caudatarum, quæ Græcis κερκοπίθηκοι; de quibus feſtivè Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 192. *de rugoſo ſene*,

> ----- *deformem pro cute pellem,*
> *Pendenteſque genas, & tales aſpice rugas,*
> *Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca ſaltus,*
> *In vetula ſcalpit jam mater ſimia bucca*, &c.

Vide Dalechampium *Not. ad l.* & de Simiis plura apud Solin. *c.* 40. Ariſtotelem *Hiſtor. Animal. l.* 2. *c.* 8. Alios, ut & infrà ſuô locô.

CALLITHYIA, fil. Peranthi, prima Junonis Argivæ Sacerdos, unô ferè ſeculô ante Cecropem, Euſeb. *num.* 376. Dictæ autem hæ Sacerdotes Ἡρεσίδες, *Etymol. Magno* in H. per quarum ætates Hellanicus Lesbius Hiſtoriam ſuam digeſſit, ut dicemus ſuô locô. Vide & infra *Creuſæ*, it. *Hereſides*.

CALLIXENUS, Athenienſis, qui cum Theramene Strientiſi Prætores in Arginuſis populo adduxit. Schol. *in Ariſtoph. Ranas V.*

CALLIXENUS, Rhodius, *libro de Alexandria*, teſtis citatur ab Athenæo, *l.* 6. *c.* 11. Pluribus ex libris id opus conſtabat, nam Callixenum *in quarto de Alexandria*, laudarat Harpocration, in Ἐγγυθήκη. Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 339.

CALLIXENUS, Statuarius nobilis, qui Olympiade 155. quô tempore illorum ars revixit, quum anteà aliquandiu ceſſâſſet, floruit. Plin. *l.* 34 *c.* 8.

CALLIXENUS, *de Pictoribus & Sculptoribus* librum edidit. Photius *in Biblioth.* Item, Dux militaris, fame enectus. Xenoph. *Hiſt. l.* 1.

CALLONA, Lesbi inſul. urbs opulentiſſima. Laonic. *l.* 10.

CALLOVETUS Johannes, vide *Johannes*.

CALLUS, item *nucleus*, de margaritis, apud Plin. *l.* 9. *c.* 35. *Sunt quidem partim multiplici conſtant cute, non impropriè* Callum *ut exiſtimari corporis poſſit.* Et paulò pòſt, *Multò deinde obrutas ſale in vaſis fictilibus, erosâ carne omni, nucleos quoſdam corporum, hoc eſt, uniones decidere in ima.* Nempè, *lapides* quidem & *lapillos* margaritas Solinus, *c.* 56. *gemmas* Ammianus, *l.* 23. Arabeſque Scriptores *Alcohar*, quod idem eſt, paſſim vocant: At alii, Latini præcipuè, margaritas extra gemmarum cenſum ablegârunt. Unde Plinius inter gemmas & lapillos margaritis locum nequiquam dedit, ſeorſim earum naturam perſequutus, *calli* & *nuclei* nominibus de illis uſurpatis. Imò cùm gemmarum nomina S. Scriptura ſingulari numerô efferre ſoleat, vocem *peninim*, quâ margaritæ indigitantur, in plurali uſurpat: quòd in annulis & ornatu quotidiano ferè ſingulæ gemmæ adhiberi, at margaritæ in torquibus & monilibus plures cenſeri ſoleant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1115. Et quidem margarita non eſt lapis in terra editus, quomodo gemmæ propriè dictæ, unde Gen. *c.* 2. *v.* 12. ubi dicitur, *ibi Bedolach & lapis ſoham*, *Bedolach*, i. e. margarita, non vocatur lapis, ut ſequens *ſoham*: tamen nihil obſtat, inquit Bochartus, quominus margarita vocetur lapis in concha editus, quomodo multos alios certum eſt in animalibus naſci; in galli jecore, lapidem alectorium: in ventriculis hirundinum & lacertorum, chelidonium & ſauritem: in oculis hyænæ & teſtudinis, hyænium & chelonium: in felle porci & hyſtricis, porcinum & Malacenſem: in cerebro draconis, draconitem: cynædium & ſynodontem, in cerebris piſcium cognominum, &c. Quare ſi qui margaritam *nucleum*, aut *callum*, aut *verrucam*, aut *oſſiculum* appellant, ita appellant eidem analogicè, propter ſimilem duritiem. Alioquin enim nucleus pomorum aut nucum eſt proprius; *callus* & verruca in cute naſcuntur; margarita, in media conchæ carne: ita tamen, ut oſſis vices ſupplere non poſſit, cùm non eôdem modô ſe habeat in omnibus. In pleriſque ſcilicet concharum, omnino nulla, in aliis plures numerô procreantur, quemadmodum Ælianus in una concha memorat viginti fuiſſe editas, Americus centum & triginta, &c. Quam in rem vide plura apud illum, *Hieroz. Parte poſter. l.* 5. *c.* 8. ubi ex conſenſu gentium, ſub genere lapidum, non nucleorum aut oſſium, margaritas contineri, pluribus docens, inter alia, Chaldæos margaritas אבנים, i. e. *lapides*, ſimpliciter nominare, obſervat, ex *Pomario*, poſt auctorem *Baal Aruch*.

CALMA, vulgò *Chaume*, locus Galliæ, in Briegio, veteri Monaſteriô inſignis: ad Pariſios populos pertinens. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. in voce Briegium*.

CALMARIA, urbs munita Sueciæ, in Oſtrogothia & Smalandia provinc. cum portu, in ora littorali maris Balthici, è regione Oelandiæ inſul. Miſerè deformata incendiô A. C. 1647. Arcem habet validam. 4. leuc. à Chriſtianopoli. 40. ab Haſnia. Ab ea mare, inter ipſam & Oelandiam Inſulam *Calmarſund*. Hic Ericus VIII. Danus, Sueciæ, & Norvegiæ Rex proclamatus, factumque eſt decretum, tria hæc regna unum Regem agnoſcerent, A. C. 1396. quod tamen minimè diu duravit. Expugnata à Friderico II. Daniæ Rege A. C. 1611. ſed poſtea recepta eſt.

CALMICIACUM, locus Galliæ, haud procul Remorum urbe, Frodoardo in A. C. 922. memoratus, nunc *Chermizy* dicitur: Ejuſdem ferè nominis eſt *Calmiſciacum* villa, vulgò *Cormicy*, in eadem diœceſi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Calmiſciacum*.

CALMONTENSIS Pagus, ſeu *Calvomontenſis*, nomen accepit à loco *Calmons*, vel *Calvus Mons*, aliis *Calmontis*, hodiè *Chaumont*, ad Moſellam in Lotharingia, quibuſdam: ſed in Lotharienſium finibus ad flumen hoc nullum ejus nominis locum exhibent tabulæ. In pago hoc caſtrum Spinal eſt, ſedes Epiſcopalis à ſpina montis Moſellæ proximi dictum: hodiè *Eſpinal*, in Lotharingia ad fluminis Moſellæ ripam, 4. leucis ab Alteriaco, ubi Abbatia illuſtris, *Autrey*: Caſtrum quoque Vendopera, nunc ignotum, in eodem pago fuit. Eſt & *Calmoes* vel *Calmontis*, inter Lutoſam & Dionantum, vulgò *Calmont*, in parœcia Leodienſi. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CALNE, locus olim celebris in Angliæ provinc. Cantio. Ibi Concilium A. C. 977. ob S. Dunſtanum à Clericis accuſatum. Matth. Weſtmon *addit Beda, Hiſt. Angl. l.* 2. *c.* 11.

CALNIACUM, oppid. lepidum Gall. ad Oeſiam fluv. In Inſul. Franciæ, ſed in limite Picardiæ, in agro Tarteniaco, 3. leuc. à Noviodumo, Vulgo *Chauny*.

CALO Petrus, vide *Petrus*.

CALOBATÆ, Græcè Καλοβάται in *Gloſſ.* Latin. *Funambuli*; nam κᾶλα, ſunt ξύλα, *Heſychio*. Vide Origenem *contra Celſum l.* 3. & infrà ubi de *Funambulis*.

CALOCERUS ſeu CALOGERUS, nomen apud Græcos Monachorum, eorum præſertim, qui ſeniô & ætate venerandi, ex καλὸς *pulcher*, & γῆρας, *ſenium*. Phil. Mangetius in *Vita S. Thomaſii* Patriarchæ Conſtantinopolit. *num.* 130. *Et alii deviſi ab Eccleſia, maximè Græci & Calogeri eorum.* In *Vita S. Severi* Abbatis Agath. *c.* 16. *Adoleſcentiores Calogeri, tam quotidianis operis, quam labore jejunii, victi.* Sic Καλογήρου epitheton Epiſcopo Theſſalon. tribuit Palladius in *Vita* Chryſoſtomi *p.* 26. Vide Stephanum Paſchaſium in *Diſquiſition. Francic. l.* 8 *c.* 50. Moniales ſimiliter Καλογραίας vocabant. Ad quorum imitationem Τουρκοκαλογήρους, *Turcocalogeras*, Monachos Turcicos, qui vulgò *Derviſii* dicti, appellat Ducas *c.* 21. & *c.* 42. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Habent autem *Caloceri* ſeu Sacerdotes Græcorum, præter 4. Jejunia ſeu Quadrageſimas communes, de quibus ſuô locô, tres alias peculiares: Quarum prima *S. Demetrii* dicta 26. dies; Altera, incipiens Kal. Sept. 14. dies ante exaltationem S. Crucis, Tertia, ante Feſtum S. Michaelis, 8. dies durat. Jacobus Sponius *Itinerar. Græcia Part* 2. *p.* 354. Cæterùm rudes ſunt magna ex parte, & vix Religionis ſuæ elementa nôrunt, &c. Idem *Ibid.* paſſim.

CALOCERUS, præfectus camelorum, in Cypro, Regem ſe proclamavit. Sed à Delmatio, nepote Conſtantini M. victus, excoriatus & combuſtus eſt, Tarſi in Cilicia.

CALO Johannes, vel Johannitzus, Bulgarorum Rex A. C. 1202. Innocentio III. ſe ſubmiſiſſe ſcribitur. Balduinum Imperatorem per inſidias captum, Trinobi vel Ternoë, Bulgariæ Metropoli ultra annum captivum detinuit, poſteà interemit A. C. 1206. *Romanoctonus* dictus, quòd Imperatorum Græcorum ſubjectos lethali odiô proſecutus, illos occidere ſummæ voluptati haberet. Obiit Theſſalonicæ. Joh. Georg. Nicetas, Outremann *Conſtant. Belg.*

CALO-Johannes, etiam Johannis Comneni, & Johannis Palæologi nomen fuit. Vide *ibi*.

CALON, ſtatuarius, Quintilian. *l.* 12. *c.* 10. Plin. *l.* 34. *c.* 8.

CALON Stoma, apud Plin. *l.* 4. *c.* 12. ubi de Danubio, *tertium Calon ſtoma, juxta inſulam Sarmaticam*, Solino, *Kalon ſtoma*, *c.* 13. *Hiſter — ſexaginta amnes in ſe recipit — ſeptem oſtiis Pontum influit: quorum primum Peuce, ſecundum Naracuſtoma, tertium Kalonſtoma, quartum Pſeudoſtoma*, &c. *Ammiano* junctim *Calonſtoma* dicitur. Græcè Καλὸν ςόμα, *Ptol.* ςόμα τὸ καλούμενον καλόν. Arrianus *in Periplo Ponti*, Ἐπειδὴ ἐστὶ τὸ καλὸν καλούμενον ςόμα, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 186. & in voce *Danubius*.

CALONDAS, interfector Archilochi Poëtæ, quem *Archiam* alii vocant. Ab uno enim Archilochum in prælio occiſum conſtat, licèt *interfectores* in plurali nominet Plin. *l.* 7. *c.* 29. & Solin. *c.* 1. *Archilochi Poëtæ interfectores Apollinem arguiſſe Delphis*, referat. Salmaſ. *ad Solin. p.* 52.

CALONES, militum ſervi, dicti quia ligneas clavas gerebant, quas Græci κᾶλα vocant. *Feſtus*. At Servio in *l.* 6. *Æn. v.* 1. ſic dicuntur, quia militibus ligna portant, & impedimenta. Ξυλοφόροι. Horat. *Sat.* 6. *l.* 1. *Serm. v.* 102.

> *Hinc permixerunt Calones, atque Caballi.*

Quidam tamen à *calando* derivant, quòd ad miniſterium advocarentur. alii à *Calendis*, quòd Calendarum die cibaria pro toto menſe caperent. *Nic. Lloydius*. Hujuſmodi ſervitia indigitantur verbis Spartiani in *Hadriano*, *c.* 13. *a Cappadocibus ſervitia caſtris profutura ſuſcepit*: ubi ſine ratione ſunt, qui caſtrenſes Miniſtros, in aula Principis militantes, intelligunt. Servorum enim in caſtris Romanis magna multitudo, *calonum* ſcil. lixarumque, quorum illi hîc omnino ſunt accipiendi. Hi per incuriam diſciplinæ magnô numerô in caſtra ſemper inducti, qui munus facerent, vallum portarent, foſſam ducerent: ſemper verò ab illis Imperatorib. ac Ducibus remoti, qui diſciplinam militarem labantem revocare & in antiquum reſtituere ſtuduerunt. Florus *l.* 2 *c.* 18. de Scipione, diſciplinæ militaris apud Numantiam correctore; *Sed tunc acrius in caſtris*,

caſtris, quàm in campo; noſtro enim militi, quàm cum Numantino, pugnandum fuit. Quippe aſſiduis & injuſtis & ſervilibus maximè operibus atteri - ad hoc ſcorta, calones, *ſarcinæ niſi ad uſum neceſſaria, amputantur*. Vide quoque Hirtium, *de bello Alexandr. c.* 74. Itaque priſtinis temporibus, quibus adſtrictior diſciplina, rari in caſtris ſervi, nec niſi digniorum, Ducum, Tribunorumque: poſtea verò labantibus moribus plures pene ſervi, quàm milites; ita ut ne gregarius quidem ullus ſine ſervo, inprimis ſub Imperatoribus: cujuſmodi ſervi veteribus *calones*, recentioribus *Galiarii*, Græcis Scriptoribus infimi ævi, καλλωνάριοι dicti ſunt. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano c.* 13. & infrà in voce *Galearii*. Quomodo, quóve ſucceſſu cum Legatis, ad Syphacem, *calonum* locò primos ordines ſpectatæ virtutis atque prudentiæ ſervili habitu miſerit Scipio, hoſtilibus caſtris imminens, qui, dum in colloquio Legati eſſent, vagi per caſtra alius alia aditus exituſque omnes, ſitum formamque & univerſorum caſtrorum & partium, qua Pœni, quà Numidæ, haberent, ſpecularentur, moremque ſimul noſcerent ſtationum vigiliarumque, refert pluribus Liv. *l.* 30. *c.* 4. *& ſeqq.* Vide etiam infrà voce *Ribaldi*, it. *Servitia*.

CALONESUS, Inſul. Galliæ in ora meridionali Britanniæ minoris cum portu & uno alteroque fortalitio. Ejus longitud. 4. ſene. latitudo 2. circiter. Item Inſul. Aſiæ in mari Sinico. Vide *Formoſa inſul*.

CALONIS, vulgò *Cleves*, teſte *Laziò*, urbs Germaniæ Ducatûs Clivenſis caput. Meliùs *Kalenhauſen*, vicus Clivenſis Ducatus ad Rhenum, 2. milliar. infrà Ordingam. *Cluver*.

CALONNA, vulgo CHALONNE, locus illuſtris Galliæ, in Andibus, ad ſiniſtram Ligeris ripam. Hadr. Valeſ. *Notit. Galliæ*, in voce *Andes*.

CALOPODIA, calcei ex ligno; qualibus Belgæ per conſtrictas frigore aquas quàm velociſſimè curſu ludibundi quaquaverſum oberrant. Vulgus *Schaatſen* vocat, præſentiſſimum itineris inſtrumentum, ſed quod exercitatum hominem requirit. Originem traxiſſe videntur, ex illo nartarum genere, quo Scriefinni altiſſimas nives & cacumina montium, vel potiùs eò, quò apertam planitiem & lubrica glacies pertranſeunt: quorum omnium imaginem habes apud Ben. Balduinum *de Calceo antiquo c.* 3. Vide quoque infrà in voce *Narta*.

CALOR, Italiæ fluv. prope Beneventum, teſte Liviò, *l.* 24. *c.* 14. & *Vibio Sequeſtri*, *Fugno* hodiè inquit *P. Diaconus*. Ἄλωρ legitur apud Appianum in *Annibalicis*. & *l.* 2. *Civilium*. *Baudrando* fluv. eſt provinc. Principatus Ulterioris, qui ortus in Apennino monte Montem Maranum civitatem rigat; dein auctus Miſcanò & Tamarò fluviis prope Beneventum labitur, pauloque infrà in Sabatum ſe exonerat.

CALOS LIMEN, i.e. bonus Portus, portus in Euxino. Mela *l.* 2. *c.* 1. *Caloſtoma* Plinio, *l.* 4. *c.* 12. commemoratur inter Danubii oſtia. Vide *Boreoſtoma*.

CALPÆ, urbs Bithyniæ, *Steph.* Κάλπαι πόλις Βιθυνῶν. ἔστι δὲ καὶ λιμὴν Κάλπη. *Calpe urbs Bithyniæ: eſt & portus Calpe. Arriano* λιμὴν Κάλπης, Plinio, *l.* 6. *c.* 1. *portus Calpas*, à fluv. cognomine, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 880. ut & in voce *Calpes portus*.

CALPAR, Feſto *vinum novum, quod ex dolio demitur ſacrificii cauſa, antequam guſtetur. Jovi enim ſua vina prius libabant, quæ appellabant Vinalia feſta*. Vide infrà *Vinalia*, it. ubi de *Inferio Vino*.

CALPARE, vel CALUPARE, unde Gallorum *galopare*, Latini dixêre de equis, à καλπάζειν vel καλπᾶν, quod *currere* ſignificat; de tripodantibus equis inprimis, qui altiùs pedes tollendo & volubiliter glomerando greſſus, quodammodo ſaltare & ſubſultim ambulare videntur. Cujuſmodi equos, ut & curſus modum, κάλπαν Græci dixerunt, Galli *le trot* dicunt, curſum inter nimis lentum & concitatiſſimum medium, i. e. inter *paſſum* & *galopum*: quamvis haud dubiè vox hæc à Græco κάλπη orta. Sed & κάλπαν dixêre Græci, mollem illam & ad delicias compoſitam vecturam, qualem exhibent cum magna ſedentium commoditate ac voluptate, tolutarii vel aſturcones. unde *Heſychius*, κάλπην, interpretatur, βαδιστὴν ἵππον καὶ εἶδος δρόμου, *ambulatorem equum & ſpeciem curſus*, utrumque deſignavit. Ideo verò καλπάζειν Græci tam de tripodantibus, quàm de tolutariis equis, uſurpârunt, quod proximè tripodariorum ille curſus, accederet ad hunc tolutariorum greſſum, facileque tripodarii tolutim quoque docerentur, & ad levitatem mollitiemque vecturæ, qualis in aſturconibus eſt, edomarentur. Imò & de tricenariis, qui crebrâ genuum inflexione & alternis crurum voluminibus, gradu per minutias fractò, inceſſum ſuum celeriter impediebant expediebantque, ſicque greſſibus intricatis & minutiſſimè cribratis incedebant (ad cujuſmodi ambulaturam, inter aſturcones & trepidantes mediam, equos ſuos aſſuefaciebant Parthi) καλπάζειν quoque dictum, quod ὀξυποδεῖν *Heſychius* exponit & ταναΐζειν. Elegantiſſimè ſanè ταναΐζειν dicebantur aſturcones & tolutarii equi, quorum gradus in ambulando perinde minutus ac creber, quaſi ſaccò colatus eſſet & eliquatus: crebris enim & minutis guttis eunt liquores, per ſaccum, dum exprimuntur. Cui haud abſimili, imò prorſus eâdem metaphorâ, de minutiſſimo ac ſpiſſiſſimo gradu dixit Plautus, *Penul. Actu.* 3. *ſc.* 1. *v.* 9. *cum ſuccretum eſſe cribrò pollinariò*, &c. Κάλπη autem ad verbum eſt, *guttus* vel *gutturnium*. Hinc etiam *guttonarii equi*, οἱ καλπάζοντες, καὶ οἱ καλπαρινοί, apud Vegetium, *l.* 4. *c.* 6. Nempe, ut *colatorios* idem vocat aſturcones, equos minutim ambulantes, à ſacco vel colo, quod minutim vacuefieri conſuevit: Sic *guttonarios*, à gutto vel guttone, qui propter oris anguſtiam minutim guttatimque evacuatur. Ut enim Græci ταναΐζειν, ἀκροβατεῖν & ταναϊσμὸν ἀκροβασίαν interpretantur, h. e. *minutam & per gradus promotionem progreſſionemque*: Sic Latini *guttum* quoque & *gutturnium*, in eodem ſignificatu acceperunt. *Gloſſa*, *Gutturnium*, εἶδος ἀγγείου, *Gutturnium*, βαύκοι, ἀρυστήρ, ὡς Βάρρων. Vide Salmaſ. *Not. ad Capitolin. in Maximinis*, *c.* 3. nec non infrà *paſſim*.

CALPAS, vulgò *Carraſheſſen*, ſi *Thevito* fides, fluv. (potius item & oppid.) Bithyniæ, inter oſtia Pſyllidis & Sangarii in Euxinum labens. *Aqua*, teſte *Moletio* dicitur; *Pinto* autem *Zagari*. Sed hic Sangarius eſt à Calpa diverſus.

CALPE, Hiſpaniæ oppid. ad fretum Gaditanum, hinc *Aſtercho de Gibraltar*, antiquitus Heraclea dictum, ut author eſt *Timoſthenes* apud *Strab.* Nunc *Gibraltar*, Urbs Vandalitiæ parva, ſed munita cum arce, 4. mill. paſſ. ab Heracleæ ruderibus, *Gibraltar Vejo* dictis. *Baudrandus*.

CALPE, mons in extremis Hiſpaniæ finibus ad fretum Gaditanum *Gibraltar Cluſio*, & *Arctio*, *Gebel Tarif* (i. e. mons *Tarif*) Arabibus, teſte *Beuterò*, ambitu quidem non magnus, ſed altitudine ingens, è regione oppoſitam habens Abylam, vel Alybem catterum Mauritaniæ montem formâ & magnitudine non diſſimilem, Hiſpan. *Sierra de las Monas*, mons Simiarum. Hi 2. montes procul aſpicientibus columnarum ſpeciem præbent, *Nic. Lloydius*. unde Herculis columnæ veter. In Andaluſia eſt, *Morer.* Sub hoc monte ſita fuit Tarteſſus urbs vetuſtiſſima, aliò nomine *Carteja* dicta. Unde & *Tarteſſia Calpe* à Poëtis appellatur. *Claudian*.

Condiderat jam ſolis equos Tarteſſia Calpe.

A' Græco vocabulo ſic nominatum volunt, quoniam eſſet concavus inſtar vaſis, quod Græci Κάλπιν vocant. *Heſych.* Κάλπη, ταμεῖον, ὑδρεῖον. Avienus in oris maritimis, ex magni Salmaſii emendatione:

Calpeque rurſum in Græcia ſpecies cavi
Tereti/que viſu nuncupatur urcei.

Unde Melæ mons iſte in *mirum modum concavus* dicitur *l.* 2. *c.* 6. Bochartus tamen, *l.* 1. *Chanaan c.* 34. Κάλπην, ex Phœnicio גלפא *galpha* ejuſdem ſignificationis deductum putat. Nam Arabibus inquit, גלפ *galph* eſt *vas fictile*, vel *effracti vaſis una pars*.

CALPE, Κάλπης λιμὴν *Arriano* in periplo Ponti Euxini. *Straboni* fluv. eſt inter Chalcedonem, & Heracleam fluens. *Ptol.* Κάλπας fluv. inter Pſyllin & Sangarium ponit. Κάλπης Apollonio, quem βαθυδίνεια vocat.

CALPETUS Sylvius, IX. Latinorum Rex.

CALPEUM, vide ſuprà *Calbeum*.

CALPHURNIA, Titi unius è XXX. Romanorum Tyrannis uxor, *ſancta & venerabilis fœmina, de genere Ceſoninorum, id eſt, Piſonum, quam Majores univiram ſacerdotem inter ſacratiſſimas fœminas adorârunt, cujus ſtatuam in Templo Veneris — acrolitham ſed auratam. Hæc uniones Cleopatranos habuiſſe perhibetur: hæc lancem centum librarum argenti, cujus plerique Poëtæ meminerunt, in qua majorum ejus expreſſa oſtenditur Hiſtoria*. Treb. Pollio. *c.* 32.

CALPHURNIA, mulier fuit importuniſſima, quæ ſexûs ſui verecundiæ oblita, per ſerpſam cauſas egit, adeoque ſe moleſtam judicibus præbuit, ut occaſionem dederit edicto, quò caminum eſſet, ne mulieri in poſterum cauſas agere liceret. Vide etiam *Calpurnia*.

CALPHURNIA, quônam pactò pro patriæ ſalute à Mario, patre ſuo, victima Diis immolata fuerit, vide in dictione *Marius*, & Plut. *in paral. c.* 20.

CALPHURNIA, L. Piſonis filia, fuit quarta Cæſaris uxor, cùm in Conſulatu ei ſucceſſurus eſſet L. Piſo, hæc poſt viri necem omnem pecuniam ad M. Antonium tulit, Sueton. *in Cæſ. c.* 21.

CALPHURNIA, vide *Calpurnia*.

CALPHURNIANA, Turdulorum in Bætica urbs. *Ptol.* juxta Bætim fluv. media inter Cordubam & Illiturgim. *Carpio* hodie.

CALPHURNIUS, memoratus in *Epiſtola* Fauſtinæ ad Marcum, apud Vulcatium in *Avidio Caſſio*, *c.* 10.

CALPHURNIUS Agricola, à Marco Antonino Imperatore adverſùs Britannos miſſus legitur, apud Jul. Capitolin. in *Marco*, *c.* 8. Quam Hiſtoriam firmat unicum veteris apud Britannos arae teſtimonium, cujus inſcriptio ſervat hodieque nomen *Calphurnii Agricolæ legati Auguſti*: ſic enim exoletam ejus lapidis ſcripturam legit Camdenus, apud Caſaubon. *ad Capitolinum. loc. cit.*

CALPHURNIUS Beſtia, nobilis Romanus, qui pecuniâ corruptus, rem adverſùs Jugurtham malè geſſit. Huic à M. Cælio accuſatore objectum eſt, quòd uxores ſuas dormientes interemiſſet. Plin. *l.* 27. *c.* 2. vide & *Lucius*.

CALPHURNIUS Bibulus Marcus, vide *Marcus*.

CALPHURNIUS Craſſus, patriciò genere ortus in expeditionem Reguli ſocius in Maſſylos, ut munitiſſimum caſtellum, nomine Garætium diriperet, miſſus eſt: ubi in hoſtium poteſtatem redactus Saturno immolandus deſtinatur. Biſaltiæ Regis filia, juvenem adamatum, patris à ſe proditi victorem fecit: Calphurniò autem retrò abeunte, puella ſibi ferrò jugulum tranſverberavit. Plut. *in Paral.*

CALPHURNIUS Craſſus, in Nervam Imperatorem conjuratione factâ, veniam impetravit à clemente Domino, eique in ludis publicis aſſidere juſſus eſt. Dion, *l.* 68.

CALPHURNIUS Fabatus, vide *Fabatus*.

CALPHURNIUS Galerianus, C. Piſonis fil. à Muciano urbem ingreſſo, cinctus militari cuſtodiâ, & ad quadrageſimum ab urbe lapidem Viâ Appiâ, fusò per venas ſanguine, occiſus ob nomen inſigne & decoram juventutem, & quia vulgus Principatus inanem ei famam circumdedit. Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 11.

CAEPHURNIUS Piſo, ſocer Julii Cæſaris, Conſul an. 733. Urb. Cond. qui plurimis JCtis natalis eſt: nobilis ac ferox vir, qui ceſſurum ſe urbe ob factiones accuſatorum in Senatu clamitaverat & ſpretâ potentiâ Liviæ Auguſtæ trahere in jus Urgulaniam domòque Principis exire auſus erat. Sed paulò pòſt, recrudeſcente animo

mo Tiberii irâ Piſonem Granius ſecreti ſermonis incuſavit, adverſus Majeſtatem habitis adjecitque in domo ejus venenum eſſe, eumque gladiô accinctum introire curiam. Quod ut atrocius verô tranſmiſſum, cæterorum, quæ multa cumulabantur, receptus eſt reus, neque peractus ob mortem opportunam. Tacit. l. 4. Annal. c. 21. Alterius Calp. Piſonis, meminit Val. Max. l. 4. c. 3. ex. 10. memorabilis abſtinentiæ. Vide & Capus, & Corn., & Lucius: it. Quintus.

CALPHURNIUS Piſo, Conſul, Collega Ruſtici Bolani. an. Urb. Cond. 863.

CALPHURNIUS Repentinus, duodevicesimæ legionis in inferiore Germania centurio, cùm Galbæ imagines protegeret, impetu militum abreptus vinctuſque eſt. Tacit. Hiſt. l. 1. c. 56. & occiſus.

CALPHURNIUS Salvianus, vide Salvianus.

T. CALPHURNIUS, Poëta Latinus, natione Siculus fuit, Bucolici carminis author. Per eadem tempora floruit, quibus Diocletianus Cæſar, & Conſtantii Principes Romanum imperium moderati ſunt. Vide Crinitum, de Poëtis Lat. c. 83. Sub Caro, Carino & Numeriano, habet Moretus. Hincmari tempore jam in Scholis prælegi ſolitus eſt. Ejus 7. carmina reſtant. Lil. Girald. in dial. Voſſ. Poet. Lat. c. 4.

CALPINUS lacus German. in Ducatu Megalopolitano in confinio Brandeburgico, juxta Warenum oppid. 5. leuc. à Guſtrovia in Auſtrum. Inter Murītium & Plavenſem lacus.

CALPURNIA, Famil. apud Romanos, nobilis. A Calpo Numæ Pompil. filiorum uno dicta. Plut. in Numa.

CALPURNIA, uxor Julii Cæſaris, ſomniavit eô die, quô maritum occiſus eſt, culmen domus corruere, maritumque inter amplexus ſuos trucidari. Etiam ſponte diſſiluerunt ædium fores. Sueton. in Cæſare, c. 81.

CALPURNIA, illuſtris fœmina, ab Agrippina perverſa, quia formam ejus Claudius fortuitô ſermone laudaverat, Tacit. l. 12. Annal. c. 22. reſtituta, poſt cædem Agrippinæ, à Nerone, l. 14. c. 12. Annal.

CALPURNIA, altera pellicum, cui Claudius C. maximè inſueverat, à Narciſſo largitione & promiſſis inducta, ut indicaret Meſſalinam nupſiſſe Silio. Tacit. l. 11. Annal. c. 30.

CALPURNIA, Lex Roman. de Ambitu, creſcente indies Magiſtratuum in provinciis libidine, lata à L. Calpurnio Piſone Tribun. pleb. an. Urb. Cond. 604. L. Marciô Cenſorinô, M. Maniliô Conſulib. fuit, Ut non tantum pœnâ graviore hoc crimen vindicaretur, ſed etiam, ut certum hæc quæſtio poſthac haberet Prætorem; quo ſic novâ lege ſocio opus non eſſet, ſed certum, ad quem confugerent, Judicem ſtatim haberent, Cicer. de Offic. l. 2. in Bruto, &c.

CALPURNII, à Calpo Numæ filio dicti, Romæ plebeii fuerunt, cognominibus Piſone, Frugi, Beſtiâ, Cæſoniô & Bibulô diſtincti, Conſulatibus, Cenſuris & triumphis maximè illuſtres.

CALPURNIUS, Poëta Latin. Auctor Comœdiæ, cui Phronesis titulus. Voſſ. de Poët. Lat. c. 8.

CALPURNIUS, vide Calphurnius.

CALSÆ, Græcè [illegible]. caligæ ſunt: Codinus, [illegible]. Ita nomine à caliga detortô calceos recentiores Græci appellârunt. At calſas hodie Galli vocant tibialia, quâ appellatione femoralia quoque ſeu braccas nuncupant, ſed ad diſtinctionem earum, quibus crura veſtiuntur. Has enim ſuperiores calſas dicere conſueverunt: inferiora etiam feminalia calſones appellant. Quemadmodum Veter. calceamenta quoque dixerunt, de faſciis femoralibus & cruralibus. Juſtinus de Semiramide virum mentita, l. 1. c. 2. Igitur brachia & crura calceamentis, caput tiarâ tegit. Et Calſa Gallorum planè femoralibus & tibialibus faſciis, quibus Veteres crura & femora velabant, reſpondent. Caligæ verò, etſi tibiarum calceatentur, nunquam tamen pro braccis aut femorum tegmine apud Veteres fuêre acceptæ, &c. Vide Salmaſ. ad Trebellium Pollionem, in Gallienus, c. 16.

CALTHA, apud Virgilium, Ecl. 2. v. 49. ubi de Naide, ſermam accurante.

Tum caſiâ atque aliis intexens ſuavibus herbis,
Mollia luteolâ pingit vaccinia calthâ:

à Siculo [illegible], quod illi ex [illegible] vel [illegible], de qua voce ſuprà dictum, fecerunt, nomen habet. Habet autem caltha hæc, quæ propriè [illegible] Græcorum, Solſequia vulgò, Gallis Soucy, croceos flores in rubrum vergentes, unde luteola Poëtæ: Pliniuſque violis luteis illam concolorem facit, l. 21. c. 6. Quare cum buphthalmo & Chryſanthemo candem facit Neotericus Auctuarii Dioſcoridis auctor, qui buphtalmum à Romanis dici annotavit, Caltham Coronam, quòd ſcil. ad coronas admitteretur; vel quòd in flore folia in orbem diſpoſita inſtar coronæ radiatæ redderent. Sed buphtalmum folia habet [illegible], feniculacea & chryſanthemum [illegible], inciſa, calthæ verò folia inciſuris carent, & ſunt ampla ſunt ac oblonga: ob ſimilitudinem tamen floris non rarò modò hôc, modò illô nomine venit. Salmaſ. ad Solin. p. 1158. & 1160. Prudentius Caltha dedit, numerô pluralem, eamque vocat pinguem, in Cathemer. Hymn. 5. v. 114.

Hic purpureis tecta roſariis
Omnis fragrat humus; calthaque pinguia
Et molles violas ——

Sociabatur in coronis nectendis violis, papaveribus, narciſſô, croceô, liliô. Virgilius, Cir.

—— aut ſuave rubens narciſſus,
Aut crocus alternâ conjungens lilia calthâ.

Et Ovid. Faſtor. l. 4. v. 437.

Illa legit Calthas; huic ſunt violaria curæ;
Illa papavereas ſubſecat ungue comas.

Quam in rem, vide Car. Paſchalium, Coronar. l. 3. c. 15. Eam Jeſuita Pomey his verbis deſcribit: Quid eſt, quid ita pacet, quid nam nobis in locis calthâ eſt. Quam certè in metallo aureo, cum in floribus natura, dis mirari videtur licitum, cum quantus ei ſit tam color, tam fulgor aureus. Ad hæc quæ, vero alio in flore elegantior compoſitio partium? quæ figuræ conformatio ſuga præclarior poteſt? Quid longulis concinnius foliolis, quibus tanquam radiis coronatur puſillus hic florum Sol. At quid, ſicut nihil eſt, quod minus miremur, quam Solem, tametſi nihil mirabilius habet Mundus, quia mirarum ſe nobis quotidie præbet aſpectabilem, ſic nobis, aut certè parvi, Caltha ideirco penditur, quod paſſim occurrat, quibus quibus ferme tempore ac locô ſe exhibeat intuendam? Cum ſi tamen ipſam, ne diſſimulemus ingratum huic flori vitium. Tetrum odor quem efflat, obſcurat formæ famam & in contemtum adducit floris pulchritudinem: quippe qui uſque adeo male olet, ut vel attingentes inficiat manum. Vide eum Deſcription. divers.

CALTHÆI, Indiæ apud Polyænum, l. 4. c. 3. Populi, ab Aleſandro Magno devicti.

CALTIORISSA, Armeniæ minoris urbs Ptol.

CALVA, Veneris epitheton, ſic ab eventu dictæ. Urbe enim à Gallis occupatâ, obſeſſi in Capitolio Romano, cùm ex mulierum capillis tormenta feciſſent, ædem Veneri Calvæ conſecrârunt, Lactant. l. 1. c. 20. Cujus Hiſtoriæ & Vegetius meminit l. 4. c. 9. In obſidione, inquiens, Capitolii, corruptis jugi ac longâ fatigatione tormentis, cùm nervorum copia defeciſſet, matronæ abſciſſos crines viris obtulêre pugnantibus: reparatiſque machinis, adverſariorum impetum repulêrunt. Maluerunt autem pudiciſſimæ deformato ad tempus capite liberè vivere cum maritis, quàm cum hoſtibus integro. Vide quoque infrà Malev.

CALVA, pro poculo. Sic Calvam L. Poſtumii Conſulis Boji auro cælaſſe, poculoque eô libâſſe, leguntur apud Livium, l. 23. c. 24. Et nota Hiſtoria Alboini Longobardorum Regis, de quo dictum ſuô locô: ut de Thracum Veterum inhumano more, ex parentum proximorumque calvariis bibendi, nihil addam. Vide aliquid infrà quoque voce Oſſa. Hinc Calvariola, parvi caliculi, inſtar Calvariarum ornatarum, apud Commentatorem Pithœanum Juvenalis, Sat. 5. qui ad v. 48.

Tu Beneventani ſutoris nomen habentem
Siccabis calicem naſorum quatuor, ac jam
Quaſſatum & rupto poſcentem ſulfura vitrô,

Ut ſolent, inquit, ſulfure calices fractos, ſive calvariolas, componere, Sulfure enim vitrum ſolidari malthaque conſueviſſe, docet Caſp. Barthius ad Statium, Thebaid. l. 1. Sylv. 6.

CALVARIUS, Mons Palæſtinæ, prope Hieroſolymam, paſſione Jeſu Chriſti D. N. illuſtris. Judæis Golgotha. Hic plerisque Patrum placet, Adamum ſepultum, & Abrahamum filium ſuum offerre juſſum eſſe. Poſtmodum Adrianus Imperator in odium Chriſtianorum, Jovis Venerisque impura idola ibi loci erexit, Hieronym. Ep. 3. ad Paul. Sulpic. Sev. l. 2. Paulin. Ep. 11. Ambroſ. in Pſalm. 43. quæ à Conſtantino M. deſtructa, templis conditis. Euſeb. in vita Conſtantini. Hieron. in Chron. Sozom. l. 4. c. 4. De cruce mediâ die, A. C. 353. hic viſâ, cùm Conſtantinus M. Maxentium aggreſſurus, ambigeret, cuinam religioni ſe applicaret, cum inſcript. In hoc vince, vel ut habet nummus ejus, Hoc Signô victor eris, vide Zonar. in Conſtantin. Euſebium, in ejuſdem vita, &c.

CALUBAI, idem qui Caleb, fil. Eſron, filii Phares. 1. Paral. c. 2. v. 9. Latinè canis, aut caniſtrum meum; ſive totus ipſe in me.

CALUCONES, Rhætiæ populi, Ptol. quorum regio Argovia, Ægid. Tſchudo, oppid. Leutkirchen, Laz. à Campoduno 5. leuc. Memmingam verſùs. Aliis 3. Callucones. Plin. l. 3. c. 20.

CALUCULA, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ ex ſtipendiariis. Plin. l. 3. c. 1. vulgò Cabra. ſed malè: hoc enim Ægabra veter.

CALVEA Ornamenta, apud Placidum, vide ſuprà in Calbeum.

CALVI Mimici, apud Nonium. Calvitur dictum eſt fruſtratur. Tractum à calvis mimicis, quod ſint omnibus fruſtratui. Caput nempe & faciem videntur raſiſſe mimi, vel mimici ſcurræ, ut ridiculoſiores eſſent. Hinc Tertullian. de Spectac. Placebit & ille, qui vultus ſuos novaculâ mutat, infidelis erga faciem ſuam, quam non contentus Saturno & Iſidi & Libero proximam facere, inſuper contumeliis alaparum ſic objicit, quaſi de præcepto Domini ludat. Sic Nonius idem alibi Liberos calvos vocat, quod capite raſo eſſent, apud Salmaſ. Not. ad Vopiſc. in Aureliano. c. 42. Sed & Sacerdotes Ægyptiorum calvi fuiſſe, uti diſcimus ex Herodoto, Euterpe [illegible], Sacerdotes Deorum alibi quidem comam nutriunt, in Ægypto vero ſunt calvi. Et quidem tertiô quoque die non capitis ſolùm, ſed & totius corporis pilos fundiùs radebant, illudque ſolicitè lævigabant, Idem ibid. Vide quoque Apulejum Meliſiar. l. 11. & Plut. de Iſide. Inprimis verò Iſidis Sacerdotes, quos primò calvos notantes vocat Octavius apud Minucium; [illegible], ſacros viros raſos in linteis, Lucianus [illegible], quemadmodum & Juvenalis lanigeros & calvos conjungit, Sat. 6. v. 533.

Qui grege linigerô circumdatus & grege calvô.

Rationem Plut. ſupponitat, quoniam crines ſint [illegible], ſuperfluitates & excrementa è cibis orta, [illegible], purum autem ab impuro tangi ſit nefas, & vide Jac. Ouzelium ad Minucium Felicem, p. 88. & ſeqq. Cùm itaque hæc Sacerdotum Ægyptiacorum Mimorumque, quos primò conjungit Artemidorus, l. 1. c. 23. nota fuerit: Chriſtianos ſimiliter raſis capitibus eſſe non licere, demonſtrat Hieronymus, Comm. in Ezechiel. c. 44. Vide quoque infrà, Calvitium, Floralia, Oſſa, nec non ubi de Tondendis Radendiſque crinibus.

CALVIA Criſpinilla, Magiſtra libidinum Neronis, à Veſte Sporo fuit & ejus cuſtos. Tranſgreſſa in Africam ad inſtigandum in arma Clodium Macrum, tamen populi Romani haut obſcurè moliita, totius poſteà civitatis gratiam obtinuit, Conſulari matrimonio innixa, & apud Galbam, Othonem, Vitellium illæſa. Vide Tacit. Hiſt. l. 1. c. 3.

CALVINA Junia, vide Junia.

CALVINUS Johannes, natus eſt A. C. 1509. Novioduni, in Picardia, ex Gerardo patre. Avarici Biturigum, ſub Alciato juris ali-

quandiu vacavit, ubi hauſtâ purioris doctrinæ aurâ, poſt Encoliſmæ Græcam literaturam profeſſus, mox ad ſubliniora divinò inſtinctu vocatus, *Inſtitutiones Chriſtianæ Relig.* elucubravit, in Germaniam tranſiens, quæ Baſileæ primò, ubi aliquandiu moratus eſt, A. C. 1534. dein Argentorati A. C. 1539. impreſſæ, &c. Genevæ poſt Farellum & Viretum A. C. 1536. S. Theologiæ Profeſſor inde Argentinam vocatus, ſed ſuit Genevæ iterum redditus eſt. Fuit ei ingenium vivaciſſimum, judicium ſubactiſſimum, memoria tenaciſſima, eloquentia docta, rerumque & ſententiarum pondere tonans. Unde Melanchthon de illo: *Nullus hoc tempore oratio in diſputando vel nervoſior fuit, vel ſplendidior. Eloquentiâ ipſe ſuâ enervat noſtros, terret adverſarios & ſauciles juvat.* Barclaj. ex Communione Romana *in Euphorm.*

Et qua tergeminam vides Calvine coronam,
Et Latium Latiâ deſtruis eloquiô, &c.

Et factum hinc, ut complures etiam adverſariorum, ignoratô ſcriptorum ejus auctore, ea in ſummo habuerint pretio, imò vitulà Calvini araverint. Quod notabili exemplô demonſtrat Mich. Beuterus, *in Cenſura nova ordin. Eccl. Argentin. inſtituta*, A. C. 1598. Cæterùm, laborioſiſſimus, quotannis ſtatas conciones 286. lectiones 186. habere ſolitus eſt, elogium meritus Pet. Matthæi, *in Hiſt. Paris: Vix repertus eſt*, inquientis, *qui Calvinum æquaverit, in perferendis laboribus.* Quæ cauſa, quòd per integrum decennium à prandio abſtinuerit, frugalitatis & φιλοπονίας inſigni exemplô. Ut nihil dicam de plurimis & continuis ejus ex quovis religione & gente adverſariis, cum quibus illi perpetuo confligendum fuit: non ſine frequenti vitæ diſcrimine, quò inter alia Lutetiæ, inter primos agoniſmos, & Genevæ inter factioſos tum Pontificios, tum diſciplinæ adverſarios, exercitus eſt. Calumniæ ſcopus fuit omnibus in hunc unum irruentibus, ut vulgatum illud oſtendit:

Sit fur, ſit nebulo, ſycophanta, & turpis adulter,
Calvinum ſervat fulmine, Magnus erit.

A' ſuperbia, à prima juventa alieniſſimus, unde non niſi Farelli primùm, ſubinde Buceri graviſſimâ obſecratione ad miniſterium S. protractus, & deinceps iterum retractus eſt. In dicendo minimè murdax, aut in calumnias pronus, à Bucero proin Sanctiſſimi appellatione, *Ep.* A. C. 1536. datâ, honoratus, ab ipſo Luthero pro docto & pio habitus: Ab avaritiæ criminatione, mors illum abſolvit. Præter divinum *Inſtitutionum* opus, plurimos tum V. tum N. T. libros eruditiſſimis commentariis explicuit, aliaque ingenii ſui monumenta edidit, è quibus facilè patet, quidquid in ejus cineres conviciorum congeritur, nil niſi pravæ lolliginis nigrum ſuccum eſſe. Obiit piè die 27. Maj. A. C. 1564. in morte illuſtre inſuper patientiæ exemplum, ſi verum eſt, quod de eo Eruditiſſ. Morerius, ex communione Romana ſcribit: qui tot illum morborum generibus excruciatum memorat, ut ſigillatim diſtributa facilè numeroſum noſocomium inſtruere potuiſſent. Ita etiam laudi invidia velificatur. De illo Verheiden: *Juriſprudentiæ*, inquit, *operam dedit Aureliæ, ſub Petro Stella, Jurecoſſ. Gallorum facilè tum Principe.* Thuanus, *Acris vir ac vehementis judicii & admirabili facundiâ præditus.* Iterum Verheiden: *In Oratione gravitas ac Majeſtas ſingularis eſt: conciona, nervoſa prorſus, & virilis compoſitum, quæ pondere ſuô penetret, moveatque maximè cum judicio legentium animos, quâ ſcribendi ratione vix ullum ſibi habuit parem.* Andr. Wintoniens Epiſc. *de Uſuris: Illuſtris vir nec ſine ſummi honoris præfatione nominandus.* Vide Antibolſecum, ab Anonymo editum, A. C. 1622. Clivis: Rivet. *Cath. Orthod. tom.* 1. *in proœm.* & *Jeſuita vapulante*, c. 2. Theod. Zuing. *in theatro Sap. Cal.* Bezam, *in ipſius Vita.* Quòd purioris Religionis cultores *Calviniſtæ* dicuntur, non illum ſectarium aut hos novæ doctrinæ vel ſchiſmatis arguit, ſed adverſarios impotentis animi. Hinc Franc. Andelotius, Admiralis Colinii frater, qui primus ex Gallica nobilitate, Religionem Reformat. publicè profeſſus eſt, Calviniſmi ab inimicis apud Henricum II. delatus, nec quidem noſſe ſe Calvinum ſanctè affirmavit, proteſtatus, ſolius Scripturæ S. judiciò ſtaturum ſe vel caſurum. *Thuan.* Vide præter jam dictos Anton. Teiſſier *in Elogiis Vol.* 1.

CALVINUS Ignatius, operis auctor, à Plinio, *l.* 11. *c.* 48. laudatus. Fuit etiam nomen plurimis olim Romanis familiare, ut, Domitius Calvinus, Conſul, &c.

CALVISIANA, Siciliæ urbs. *Anton.*

CALVISIANA Actio, appellatur, quæ Patrono datur, ad revocanda ea, quæ in fraudem ejus libertus alienavit, *l.* 16. *§. idem ſcribit. ff. de petit. hæreditat. l.* 1. *§. ſi plurib. l.* 2. *& l.* 3. *§. ſi inteſtatus & l. ult. ff. ſi quid in fraud. patron. l.* 2. *ff. ſi a parent. quis manum. l.* 16. *§.* 1. *ff. de jure patronat.* Briſſon. apud Calvin. *Lexic. Jurid.*

CALVISIDIUS Sabinus, prænomine *Cajus*, partium Cæſarianarum Dux, cujus legio, teſte Appianô, circa Macedoniam à Scipione tota cæſa eſt, exceptis octingentis. Poſteà Africam adminiſtravit, & ſub Triumviris ad Conſulatum evectus eſt.

CALVISIUS, Juniæ Silanæ *cliens*, ſubornatus à Patrona Agrippinam deferre; tanquam deſtinaviſſet ea Rubellium Plautum per maternam originem pari, ac Nero, gradu à Divo Auguſto, ad res novas extollere, conjugióque ejus etiam imperiò Rempubl. rurſus invadere. Sed falſi compertus relegatus eſt. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 19. 22. Inde revocatus, *l.* 14. *Annal. c.* 12.

CALVISIUS Sabinus, Legatus T. Vinii: illius uxor malâ cupidine, viſendi ſitum caſtrorum, per noctem militari habitu, ingreſſa; in ipſis principiis ſtuprum auſa & crimini ejus reus T. Vinius arguebatur. Tacit. *Hiſt. l.* 1. *c.* 48. Vide & *Sabinus*.

CALVISIUS Sabinus, Conſul, *Calviſius* Tullus, Conſul, Collega Palmæ, quò tempore Plinius II. Novocomenſis floruit, & artes Galatas civitatum terræ motu everſæ ſunt. Vide et *Cajus*.

CALVISIUS Sethus, plurima ſcripſit, *Chronologiam* imprimis, hoc ſeculô; defunctus Lipſiæ, ubi Chori Muſici director fuerat, A. C. 1617. ætat. 62. à Joſ. Scaligero in *Can. Iſagog.* impensè laudatus, vide Paul. Freherum *Theatro Vitor. erudit. clavor.*

CALVITIUM, obtrectatorum jocis obnoxium Eliſæi Prophetæ Hiſtoria docet, 2. Reg. c. 2. v. 23. & Cæſar, eoſdem ſæpe expertus legitur iniquiſſimè tuliſſe, apud Sueton. *in Julio c.* 45. Qui proin deficientem capillum à vertice revocare aſſueverit, & ex omnibus decretis ſibi à Senatu P. Q. honoribus, non aliud aut recepiſſet aut uſurparit libentiùs, quàm jus laureæ perpetuò geſtandæ. Nempe capillitium inter præcipua eſt capitis ornamenta. Unde Ovid. *l.* 3. *Art. Am. v.* 249.

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Et Petronius in *Satyr.*

Quod ſummum formæ decus eſt, periêre capilli,
Vernantesque comas triſtis abegit hyems, &c.

Neque aliter Syneſius Calvitium laudavit, quàm ut alius *peſtem*, alius *Phalaridem*, alius *Buſiridem*, alius *Neronem* propoſuit ſibi laudandum, non tam, ut perſuaderent; quàm ut rei paradoxæ tractatione vim ingenii oſtenderent. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 10. ut & infrà, ubi de *Decalvatione*.

CALVIUM, oppid. Corſicæ munitum, in Ora Occidental. cum arce permunita, in modum peninſul. ferè inſulatum, ſub dominio Genuenſium. 90. milliar. ab Ajacio in Boream.

CALUMACUMA, Africæ propriæ pagus ad Syrtim magnam. *Ptol.*

CALUMNIA & IMPUDENTIA apud Athenienſes ſuas habuerunt aras, ut teſtis eſt Theophraſtus apud *Diogenianum*: ita verò Calumnia efficta fuit ab Apelle. In dextra quidem ſedet vir permagnas habens aures, quales fermè Midæ feruntur; manum longè ille protendit accedenti Calumniæ: circum ipſum verò ſunt mulieres duæ Ignorantia & Suſpicio. Ex adverſo Calumnia, mulier ornata & pulchra, ſed aſpectu ardens & in iram & rabiem concitata: lævâ faciem accenſam præferens, dextrâ adoleſcentem quendam per capillos trahere videbatur, qui manus ambas ad cœlum tendebat ſuperoſque obteſtabatur; præcedebat vir pallidus, impurus, acutè intuens, his propemodum ſimilis, qui longiora morbô ſunt confecti. Hunc, Invidiam vel Livorem, facilè cognoſceres conjecturâ. Ponè duæ erant aliæ mulieres, Calumniam dirigentes & adornantes: altera quidem Inſidiæ, altera verò Deceptio, vel Fallacia, ſeu Fraus: à tergo ſequebatur *Pœnitentia*, pullas laceraſque veſtes induta, quæ retrò caput inflectens, flens ac lugens, pudore venientem veritatem excipere videbatur. Cæterum de Calumnia vide plura infra ubi de *Delatoribus* & *Sycophantis*, it. *Remmia lex*.

CALUPENA, Armeniæ minoris regio. Strabo, *l.* 12. Nuſquam alibi me legiſſe memini. Plinius Colopenæ facit mentionem, ſed id nihil huc pertinet.

CALUS, Colchidis fluv. Arrian. *in Periplo.*

CALUSIDIUS, in inferiore Exercitu Germanico miles. Hic, cùm Germanicus ad legionem imperium offerentium clamorem, tribunali deſiliens moriturum ſe potiùs quàm fidem exueret, aſſeveraret, ferrumque latere direptum in pectus deferret, ni proximi prehenſam dextram vi attinuiſſent; Imperatori ſtrictum obtulit gladium, additô *Acutiorem* eſſe. Vide Tacit. *Annal. l.* 1. *c.* 35.

CALUSIUM, Tyrrheniæ oppid. Dion. *l.* 24.

CALVUS Cornel. Licinius, Orator celebris ſuô tempore, amicus Catulli: cujus hic meminit *Epigr.* 14. v. 1.

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundiſſime Calve. ——

Quod Epigramma ſcripſit Catullus tum, cùm Calvus ipſi ineptorum ignotorum hominum carmina miſiſſet, ut illorum lectione in Saturnalibus tempus falleret. Vide etiam *Epigr.* 54 & 97. Ovid. *in eleg.* quâ Tibulli mortem deflet, Horat. item *l.* 1. *Sat.* 10. *v.* 19. ubi de eo:

Nil præter Calvum, & doctus cantare Catullum.

Vide & *Licinius*.

CALVUS Mons, Urbs Gall. ampla & munita, in Campania & Baſſiniaco tractu, à Ludov. XII. Franciſco I. Henric. II. aucta & munita. In colle, prope Matronam fluv. olim ſub propriis Dominis, donec Campaniæ Comitatui juncta eſt. Item, oppid. in Inſula Franciæ, in colle. Item, in Salonna tractu, inter Aurelianos & Romorantinum medium. Item, oppidul. ad Garumnam fluv. Gall. *Chaumont.* Aliis eſt *Calvomontium*, &c. *Ducheſnius.* Nomen his omnibus à loci ſterilitate. Poteſt etiam à nimio calore acceſſi, quaſi *Calidus Mons.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CALVUS Mons, oppid. Italiæ in Ducatu Montisferrat. Vide *Mons Calvus.*

CALX cum arena mixta, *arenatum*, item *calx arenata*, in veter. *Inſcr. Eoſque parietes marginéſque omnes, qua lata uncerant, calce harenatâ, lito politoque, & calce vodà dealbavi*: in tectorio opere locum habuit, cùm albarium opus calce nudâ, h. e. merâ & purâ, cui arena non admixta, fieret. In ſtructuris item, ad ligandos inter ſe lapides, atque, ut loquitur Plinius, *ferruminandos*, ſeu *ſolidandos*, ut alii. *Solidati* certè *parietes tectorii*, paſſim leguntur, apud Vitruvium, quod eſt munire, tegere, loricare. Unde *Tectores* dicti, quòd parietes tegerent ac ſolidarent, & Vitruvius *loricas ex calce & arena* memorat, *l.* 7. *c.* 1. Præ calce tamen & arena multis lutô ſubactô & paleis miſcebantur, in parietum inſtructura. Unde

vicem

viarum luta bitumine fartus tradit Babylonis urbis Herodotus. Aliter tamen Vitruvius, l. 1. c. 5. *Non enim*, ait, *in Babylone abundantes liquido bitumine*, *sic pro calce & arena & coctili latere factum habent murum*. Et Justin. de Semiramide, *l.* 1. c. 2. *Hæc Babylonem condidit*, *murumque urbi cocto latere circumdedit*, *harena vice bitumine interstrato*. Ubi *arenæ* vice, legendum conjicit Salmas. cum arena in parietibus, aut muris struendis nunquam locum habuerit sine calce: quam ob causam de oratione non cohærente dictum olim, *arenam esse sine calce*. Arenatum autem calx est & arena contusa, ac ligneis vectibus in mortario subacta, Vitruvius. *l.* 7. c. 5. Vide quoque Catonem, c. 18. & plura hanc in rem apud Plinium, *l.* 14. c. 29. *l.* 17. c. 8. & *l.* 36. c. 24. nec non Salmas. *ad Solin.* p. 1228. & *seqq.* De *Calcis* usu, in bello, vide Zuingerum *Theatro Hum.* p. 1842. Ubi contra Genuenses eam sparsisse, non sine successu, Venetos refert. in vitris glutinandis Isidorum & ex eo Isaac. Casaubon. *ad Vopisci Firmum*, c. 3. &c. Apud Sinenses, montes sunt fecundi lapide *Hoeſſo*, ex quo *calcem*, imò mixtæ singularis gluten, conficiunt, quod ubi latò nunc nomine Architecti *terram* vocant, muris consolidandis, firmandisque ædificiis maximam vim habens. Hoc siquidem lapidis genus igne coctum, contusum perque incernicu-lum cribratum, aquâ dein maceratum, *calorem* & tenacissimum reddit cæmentum, quod in priorem soliditatem mox coalescit, hinc structuras tantâ industriâ componunt & adeò tenaces muris incrustationes inducunt, ut ædificia continuo ex lapide nata videantur. Eadem *calce*, an gypso potius, glutinatores utuntur in obturandis ligneis fictilibusque vasis, quæ condimentis & variâ liquore fœta, in Indiam, Belgicasque, regiones & aliò deferuntur. Auctor Anonymus *Sina & Europa*, c. 10. De fovea *calce* plena, prope Carthaginem, in qua Christiani, idolis sacrificare renuentes olim præcipitati, vide infra *Massa candida*.

CALX Candidus, apud *Varronem* *Atacin. Marcopoli.*

> *Nemini Fortuna currum carcere emissum intimo*
> *Labi inoffensum per æquor* candidum ad calcem *sinit*.

Græcis est τὸ τέρμα λευκὸν ἢ λελευκωμένον. Nempe *calcem* vocârunt Veteres locum illum Circi, qui cretâ præductus fuit. Seneca, *Ep.* 108. *hanc quam nunc in Circo cretam vocamus*, *antiqui calcem vocabant*. Non quia *calce*, pro creta, uterentur Antiqui, sed quia finis ibi statutus quadrigarum cursibus, post ultimum metarum flexum. Nam calx, τὸ τέρμα; quomodo & Græci vocârunt, ubi consistebant quadrigæ, cursu legitimò peractò, ad palmam accipiendam, ut videre est apud Pollucem. Ea creta quidem, quòd albò notatus esset ille locus, dixerunt Latini: *calcem* verò, quod terminus esset currendi: Atque, ut *cretam ultimam* Poëtæ appellant, quia finis erat, ita alii *Calcem candidam*, quia terminum illic cretâ notatum esset. Sic Græcis ἐσχάτη, h. e. calx seu *calcaneus*, τὸ ἔσχατον, i. e. *ultimum*, denotat. Salmas. ad *Solin.* p. 914. Vide quoque suprà *Calce*.

CALYBA, Græce καλύβη, in poëmate de Copa incerti auctoris.

> *Sunt topia & calybæ*, *cyathi*, *rosa*, *tibia*, *chordæ*,
> *Et tricbila*, *umbrosis frigida arundinibus*.

Non est sonus vel crepitus æneorum vasorum, baculô ferreô pulsatorum, quem vulgò in Gallia *carillonum* appellant, ut censet Vir doctus. Sed pergulam notat & umbellam, quales in meritoriis tabernis vulgò fieri solent, in quibus ganeones potarent. Copa enim, ut transeuntes alliciat, ad divertendum in suam tabernam, omnia tabernæ hîc bona & delicias enumerans, *sunt*, inquit, *in mea taberna topia*, calybæ, *cyathi*, *rosa*, *tibia*, *barbiti citharæque & trichilæ seu porticus virides*, aliaque multa, quæ ibidem commemorat bibentibus accommoda & iis, qui genio volunt indulgere. Et meminit hujusmodi καλυβῶν, quæ in diversoriis hâc fini struebantur, Harmenopulus *l.* 2. *tit.* 8. περὶ καινοτομιῶν. Μὴ ἐξεῖναι ἢ τῷ τὸ ὅμοιον ποιεῖν ἐν τῷ ... καλύβας ποιεῖν ἢ στοάδας, ἢ ψιάθους ἀπὸ τοῦ ... ἐν τῷ Φόρῳ, ἢ τῇ ἀγορᾷ, ... ἐν τῷ ... καλύβας ποιεῖν. At in Græco *Epigrammate* ubi de Cybeles Sacerdotibus, καλύβη, thalamus est seu ναὸς matris Deûm, circa quam saltabant hujusmodi mulieres ministræ & θαλαμηπόλοι Cybeles, cum tympanis & crotalis, caputque jactabant bacchabundæ. Certè *Hesych.* Καλύβη, ait, σκηνή, ναός. Sic itaque *Calybæ* occurrebant, in interiore, secretiore sacratioreque templorum parte, in quibus Deorum Dearumque & quidem harum potiùs simulachra & pulvinaria: unoquoque Deorum suam καλύβην & in ea suum pulvinar & simulachrum, habente. Atque sic vox accipienda in Oraculo.

> Εἴπατε τῷ βασιλῆϊ, χαμαὶ πέσε δαίδαλος αὐλά·
> Οὐκέτι Φοῖβος ἔχει καλύβαν, οὐ μάντιδα δάφνην,
> Οὐ παγὰν λαλέουσαν, ἀπέσβετο καὶ λάλον ὕδωρ.
> *Dicite Imperatori* (Regi) *humi cecidit affabre facta aula*,
> *Non amplius Phœbus habet* calybam, *non vaticinatricem laurum*,
> *Non fontem loquentem*, *exaruit & loquax lympha*.

Quod Oribasio à Juliano misso datum erat aliquando. Hinc Gallorum, Matris Deûm Sacerdotem, idem Copæ Auctor *calybitam* vocat, h. e. θαλαμηπόλον.

> *Huc calybita veni*, *vester jam sudat asellus* &c.

Nam & pulvinaria & lectos suos in illis thalamis & *calybis* structos strutosque habuêre Veter. Numina, quorum cura huic θαλαμηπόλῳ, seu cubiculario eorum, incumbebat &c. Vide Salmas. ad *Vopisc.* in *Carino* c. 19. & infrà voce *Pastos*, it. *Thalamus*. Ab ea verò voce locum in Græcia hodieque nomen esse, annotavit Jac. Sponius *Itiner. Græcia*.

CALYBE, Thraciæ urbs. Strabo *l.* 17. Eam Philippus Amyntæ filius collectis de exercitu ignavissimis habitandam construxit.

CALYCA, carmen Stesichori, à puella Euathlum amante: quæ, prò conjugio votis Veneri factis, tamen despecta de Leucadia rupe præcipitem se dedit. Vide J. C. Scaligerum *Poetic. l.* 1. *c.* 50.

CALYCADNUS, Ciliciæ fluv. ad quem Seleucia civitas sita est, juxta Sarpedonem promontorium. *Strabo*. *Salefo* Nigro. Aliis *fiume del ferro*.

CALYDIUM, Italiæ oppid. in Appia via ad Brundusium ducens. Strabo *l.* 5.

CALYDNA, insul. maris Myrtoi, quam quidam unam esse cum Calymna putant. Alii Calydnas duas, Leron & Calymnam, quæ sunt circa Rhodum. Strabo Calydnam quandam prope Tenedum constituit, cujus meminit Q. Calaber, *l.* 10.

> Αἳ γὰρ πρὸ πόλιος ἀνέσχον ὑπ' εὐθαλέι πέτρῃ
> Βίηνα, Ἀπόλλωνος ἀειρόμενοι, ἐπὶ θῖνας
> Σμερδαλέην ναίεσκον, ἐπ' ἀλομένοισι γενέθλης
> Τερπνὸν νῆσον τε πλύξαι, ἵνα τε Καλύδνα
> Λαοὶ ἐπεμπέλασαν ὅσον ἅλις, ἄντα Τροίης.

Vide *Calymna*.

CALYDNA, urbs Thebæ, à *Calydno* Cœli filio. Dicitur & *Calydnus*, unde Apollo Καλυδνεὺς & Καλύδνιος. *Steph.*

CALYDNUS, quidam Thebis regnâsse fertur, unde Poëtæ Chalcidensis urbem eam Καλύδνου πόλιν vocat. Sicut autem ὠγύγιος pro *antiquo*, usurpârunt Poëtæ; ita & Καλύδνιον *Hesychius* ἀρχαῖον interpretatur.

CALYDON, Ætolorum civitas primaria, regia Oenei patris Meleagri, distans à mari septem millium quingentorum passuum spatiô, Evenô fluviô interfluente divisa. Ovid. *Met. l.* 9. *Fab.* 2.

> *Et Meleagream maculatus sanguine Nessi*
> *Evenus Calydona secat.* ------

Idem, *Met. l.* 8 v. 525.

> *Alta jacet Calydon*, *lugent juvenesque senesque.*

Idem, *l.* 3. *Amor. Eleg.* 6. v. 37.

> *Nec tanti Calydon*, *nec tota Ætolia tanti.*

Inde *Calydonius*, ut *Calydonius amnis* apud Ovid *l.* 2. *Met.* v. 2. Item *Calydonis*: *Plangunt ora simul matres Calydonides*, apud eundem, *l.* 8. *Met.* v. 527. Inde *regio Calydonia*, quæ olim Æolis dicebatur. Thucyd. *l.* 3. Hic Diana Laphria colebatur olim. Nunc parvi momenti urbs est, in provinc. *parva Græcia*. *Baudrand.* Addo, quod hinc Patras, cui urbi è regione Calydon olim opposita, jam exiguus vicus est, nomine *Calata* vel *Galata*, statuam Bacchi cognomin. *Calydonii*, allatam, ibique Templum ei extructum, legimus apud Jac. Sponium *Itinerar. Græcia Part.* 2. p. 14.

CALYDONIUM, promontor. Britanniæ Borealissimum, quò Ulyssem pervenisse *Solinus* testatur, pro *Caledonium*, vide *Caledonia*.

CALYDONIUS, Bacchi cognomen, vide *Calydon*.

CALYMNA, *Stephano* insula. quam *Strabo* in plurali *Calymnias* vocat, alii *Calymnam*, unde *Calymniates*. Fuit autem non longè à Lebintho, & Astypalæâ. Ovid. *l.* 2. *Art. Am.* v. 81.

> *Dextra Lebinthos erat*, *fœcundaque melle Calymne*,
> *Cinctaque piscosis Astypalæa vadis.*

Inde *mel Calymnium*, de quo Strabo *in fine libri decimi*, Ἅπαν μὲν οὖν τὸ νησιωτικὸν μέλι ὡς ἐπίπαν ἐστὶ σπουδαῖον, καὶ ἐνάμιλλον τῷ Ἀττικῷ. Τὸ δ' ἐν ταύταις ταῖς νήσοις διαφερόντως, μάλιστα δὲ τὸ Καλύμνιον, i. e. *Omne quidem mel insulare*, *plerumque est egregium*, *& cum Attico certat*; *maxime tamen excellit in istis insulis*, *& Calymnium imprimis*. Itaque Calymna Phœnicibus erat חלי מנה Chalimnah; h. e. *dulcis sedes*. Alii *Calydnam* & *Calydnam* malunt, quòd esset חלי מצע Chalitsna, *dulcis rupes*, i. e. quæ melle fluit, ut Deuteron. *c.* 32. v. 13. & Psal. 81. v. 17. *Nic. Lloydius*.

CALYNDA, Cariæ urbs. *Steph.* circa quem tractum *montes Calyndici*, *Herodoto*.

CALYPSO, nympha Oceani & Thetidis filia, vel ut aliquibus placet, Atlantis. Regnavit in Ogygia insula, & Ulyssem naufragum hospitaliter suscepit. Ovid. *l.* 2. *Art. Am.* v. 125.

> *Ah quoties illum doluit properare Calypso.*

Tibull. *l.* 4. *Epigr.* 1. v. 77.

> ------ *Fœcunda Atlantidos arva Calypsus.*

De ea Homer. *in Odyss.* Hæc de sui nomine insulam in Ionico mari cognominatam tenuit, Lacinio promontorio propinquam. Vel, ut aliis placet, in mari Africo. Plin. *l.* 3. c. 10. Ad hanc pervenit Ulysses naufragus, ubi 7. annis detentus est: licèt Ovid. *l.* 4. *Pont.* sex tantùm dicat, *Eleg.* 10. v. 13.

> *An grave sex annis pulchram fovisse Calypso*,
> *Æquoreaque fuit concubuisse Deæ?*

Hanc Propert. *l.* 3. *Eleg.* 12. v. 31. *Æeam* vocat,

> *Et thalamum Ææ flentis fugisse puellæ.*

Insula quoque ejus *Æa* dicitur Hygino, c. 125. & Melæ *l.* 2. c. 7. Id autem nominis illi, & insulæ illius inditum, quia Ææ & Circes soror à quibusdam traditur Calypso, uti testatur Tzetzes *in Lycophronem*. Calypsonis insulam juxta Puteolos describit Philostratus, *l.* 8. *Nic. Lloydius.* *Baudrando* Calypsus insul distabat. 15. milliar. à Lacinio promontor. in Boream: ubi nunc ostia fluv. Nethi, in Calabria citeriore versùs sinum Tarentinum. Nunc non apparet. Addo, quòd inter Niciæ Pictoris opera, memoratur Plinio, *l.* 35. c. 11. *Fecit & grandes picturas*, *in quibus sunt* Calypso & *Io & Andromeda.* Ibidem *Calypsus* mentio, quæ senem & præstigiatorem Theodorum pinxerit.

CALYPTRA, genus mitræ, Iſidor. in *Gloſſis*: genus veſtimenti, quò caput fœminæ operiebant, Feſtus *l.* 3. Etiam Heſychii *gloſſa*, καλύπτρα interpretantur κεφαλῆς καλυμμα, *capitis opertamentum*. Alıter *Flameum* dicta eſt, rubri coloris: unde Interpres vetus Juvenalis *Sat.* 2. veſtem hanc pudoris ſimilem, eamque propter pudorem geſtatam fuiſſe, docet. Tali veſte Priamum à ſorore è captivitate liberatum eſſe refert *Lycophron*: Captô enim Iliô, Laomedonteque ſagittis confoſſô, cùm Telamoni ab Herculo, ob rem præclarè geſtam, Heſione donata eſſet, poteſtatem Heſionæ fecit Hercules, quem vellet potiſſimum captivorum abducendi: quæ cum Podarcem fratrem elegiſſet, Herculeſque in ſervitutem redigendum eſſe dictitaret, demptô de capite flammeô aureô eum redemit; à quo tempore non Podarces amplius, ſed Priamus, ἀπὸ τοῦ πρίασθαι vocatus eſt. Verba Lycophronis in *Caſſandra* hæc ſunt:

Ο᾽ αὐτὸς καλύπτρας ἀντίλυτρον τλάς
Ω᾽νητὸς αὐθαίμονος ἐκ στερνῶν μολών
Τὸ πρὶν δ᾽ ἀνώνυμος ἐνθεὶς ὄνομα
Sororis olim luteâ calonticâ
Redemtus, uſtam cùm rediret patriam,
Vitæ tenebris, nomen obruens ſuum.

Nomen habet à Græco καλύπτω, velo, tego, operio. Anſelmo Solerio *Calyptra*, propriè erat, Reginarum tegmen: unde, apud *Lucianum*, Aetio pictor, Alexandri & Roxanes nuptias repræſentans, in tabula, expreſſit Alexandrum Reginæ *calyptram* detrahentem, & Plato in *Alcibiade* meminit agri in Perſide, cui nomen erat *Reginæ calyptra*, quòd agri illius proventus Reginæ in *Calyptra* ſumtus eſſent attributi: ſicuti pendi ſolitam Reginæ Luſitaniæ, nomine ſoccorum, certam penſionem, *Acta* Xaverii produnt; ut de Zonario Reginarum veterum Galliæ nil dicam. Similia ex Tullio *Verrinâ* 5. Athenæo ac Diodoro, notat Briſſonius *de Regno Perſar. l.* 1. Hanc Ariſtides Smyrnam, terræ motu & ruinis deformatam, commendat Imperatoribus, οἷα ὡς καλύπτραν βασιλίδων, οἷα ὡς βασιλίδων ἀνάδημα, *ſive ut calyptram Reginarum, ſive ut regiam faſciam*. Uxor quoque Tiridatis, cum Romam unà cum marito proficiſceretur, κράνος χρυσοῦν, ne patrios tranſgredi mores videretur, legitur geſtâſſe, apud Xiphilinum *Ner.* Idem καλυπτάδιον, pro καλυμμάτιον. Faciem autem quò tegerent Reginæ, παρακαλύμματα, ad quem eundem uſum, velum Penelopes κρήδεμνον Homerus vocat *Il.* α. *v.* 100. *Il.* χ. *v.* 470. &c. Vide Pollucem quoque *l.* 7. *c.* 30. Athenæum *l.* 4. Car. Paſchalium *Coronar. l.* 4. *c.* 20. & Douſquetum ad *Orat. Baſilii Seleuc. de Adamo*. Cum Regillo, quòd Reginas operiret, nomen adepto, eandem facit Iſidorus *Origin. l.* 19. *c.* 15 Sicut cum *Calendro* Hadr. Turnebus; ſed aliud tegminis genus fuiſſe Calendrum, diximus ſuprà in hac voce. Vide Anſelm. Solerium *de Pileo ſect.* 6. Diadematis genus, ab eo, quod Venetus Dux geſtat, non diſſimile eſſe, habes apud Car. Macrum in *Hierolex.* qui illud ſic deſcribit ex Nicephoro Greg. *Hiſtor. l* 5. & 7. Calyptram *in capite panni purpurâ & aurô intextô circumdatam geſtavit: quarum ſurſum vergit & ad pyramidem ſuperficiei ſinditur*. Et Georg. Logotheta in *Chron. Conſtantinop. Johannes rubra talaria cum pyramide margâritis diſtincta, in cujus ſummitate purpureus lapis fulgebat (ea Regum ſunt inſignia) max deſpoticâ dignitate à Rege muneratur*: iconemque ejus ex æneis valvis Templi Vaticani depromptam, Lectori exhibet. Vide quoque infrà in *Camelaucium*, it. voce *Umbella*.

CALYTIS, urbs Syriæ. *Steph.*

CALZA vel GALZA, Ordo militaris, Venetiis, ex occaſione Ordinis *La Bande*, in Hiſpania inſtitutus, ad juventutem bellicis exercitiis, terrâ marique inſtruendam. Renovatus A. C. 1562. *Juſtinian*.

CAMACÆ, aliàs **CAMÆ**, Scytharum populi. *Plin. l.* 6. *c.* 17.

CAMACHUS, urbs Ciliciæ, in Armeniæ minoris confinio.

CAMÆ, ſeu potius **CAMEUNÆ**, Græcis dictæ ſunt ſtrata humilia & lectuli humo propiores, quòd homines veluti χαμαὶ *humi* jacerent. *Heſych.* χαμεύνη εὐνὴ, ἢ ὁ κατωτικὸς κλίνη: ἢ χαμευνάς ὁ χαμαὶ κοιμώμενος, *Chameuna thorus eſt & Humilis lectus & Chameunas, qui humi jacet*. Propriè autem *Heſychio* dicitur Στιβάς, ἀπὸ ῥαβδίων ἢ χλωρῶν χόρτων ςρῶσις ἢ φύλλων, ἡ χαμαιευνία. *Stratum è frondibus viridique gramine, ac foliis conſtructum & lectus humi poſitus*. Inde Stibadium triclinare, &c. Eô uſi olim Aſcetæ Hebræi Chriſtianique, pauperes item, unde quia id ſtratum pauperum erat, idem *Heſych.* χαμεύνιον κλινίδιον πτωχικόν, *lectulum paupertinum*, interpretatus. A' *Camis* igitur hiſce *Camiſiam* dictam vult *Iſidorus*, *quòd in his dormimus, in Camis, i. e. in ſtratis noſtris*. Vide infrà in voce *Camiſia*.

CAMÆÆ figuræ, dicuntur ſimulachra variarum rerum, puta arborum, fructuum, urbium, fluminum, literarum alphabeti, numerorum, animalium & id genus aliorum, quæ in lapidibus variis occultus Naturæ penicillus depinxit. Cujuſmodi compluresla pides aſſervantur in Muſæo Kircheriano, Romæ. Vide Georgium de Sepibus in *Collegii Rom. Soc. Jeſ. Muſæo p.* 43. ut & in ipſius Kircheri *Mundo Subterraneo Tom. II.* Certè nemini ignotus Pyrrhi Achates apud Plinium, *in qua novem Muſæ & Apollo citharam tenens ſpectabantur, non arte, ſed ſponte naturæ ita diſcurrentibus maculis, ut Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia*, *l.* 37 *c.* 1. De Imperatoris hodierni achate prodigioſæ magnitudinis, ſimiliter ipſâ naturâ artifice ei inſculptas eſſe literas B. ΧΡΙΣΤΟΣ, refert αὐτόπτης Car Patinus *Relation. Hiſtor.* 1. ubi literam B. ΒΑΣΙΛΕΥΣ exponit. Vide ſuprà in voce *Achates*. Aliis tamen *Cameæ* etiam illæ dicuntur imagines, quæ in gemmis lapidibuſque ſculpuntur. Matthæus Paris *Hiſtor. Nobilibus lapidibus inſculptis, quos Cameos vulgariter appellamus* ex Gallica voce *Camayeu*. Hinc in Eccleſia Meſſanenſi duo cum cappis ad Canonicalem miſſam cantatam adſtantes, *Camæ* appellantur, quòd tanquam duæ ſtatuæ adſiſtant nihilque agant: uti legere eſt apud Dominic. Macrum *in Hierolex.* Vide quoque infrà, in voce *Cameus*.

CAMALDOLI, Ordo Eccleſiaſticorum in Communione Romana à Romualdo, ſub finem 10. ſeculi inſtitutus. Candidi mœdunt, P. Damianus, *in vita ejus*: Habentque Abbatiam, caput Ordinis, Camaldulum. Vide infrà ut & voce *Ambroſius*.

CAMALDULENSES, iidem.

CAMALDULUM, vicus Italiæ, in ditione Florentina cis Arnum, juxta Apenninum, in confinio Romandiolæ Florentinæ, 30. milliar. à Florentia in Ortum, & 55. à Sarſina.

CAMALLUM, vox Gall. *Camail*, Italis *Camaglio*, fuit capitii ſpecies, hamulis & maculis contexta, quæ totum caput, facie excepta, & humerorum ſuperiorem partem operiebat, cujuſmodi paſſim videre eſt, in veter. Militum imaginibus, quæ in ſepulchralibuſque deſcribuntur, ut apud Edw. Biſſæum *Not. ad Uptonum*. Huic capitio, ſiquidem integrum eſſet, levis galea aptabatur: & ſi helmus, vel caſſis ſpiſſior caput tegeret, tum *camallum* ſeu caſſidi adnectebatur, ut collum humeroſque tegeret, & ab adverſariorum ictibus tutaretur. Unde colligitur eam armaturæ ſpeciem *camallum* fuiſſe, quam hodiè Galli *Hauſſecol* vocant, niſi quòd *camallum* ex hamulis confectum eſſet, *hauſſecollum* verò ex ſolida ferro ſit compactum. Neque aliter certè *Camallum* effictum conſpicitur, in torque Ordinis Equeſtris *Camali* ſeu *Hiſtricis* dicti, quem Carolus Aurelian. & Vadenſis Dux inſtituit, vide ſuô locô. Sed & ab iiſdem *camalis* militaribus nomen manſit epomidi Epiſcoporum, non humeros modò, ut hodiè, ſed caput tantum olim, tegenti: ex quo etiamnum capitium eidem annectitur. Vide infrà in *Camilla*. Nominis originem nonnulli deducunt à *camelauco*, de quo infrà: & cùm hoc non humeros, ſed caput ſolùm texiſſe legatur, mavult Car. du Freſne *camallum* dictum eſſe, ex *Cap de maille*, quaſi *Capitium ex maculis*, in *Gloſſar.*

CAMALODUNUM, vel **CAMULODUNUM**, *Colcheſter* Lhydo. Camdeno autem *Maldon* in Eſſexia, Cynobellini olim regia, uti ex Dione cognoſcimus, *l.* 60. Καμουλόδουνον τὸ Κυνοβελλίνου βασίλειον. Per Metatheſin *Ptolemæo* Καμουδόλανον, quam inter Τριναντας ponit, ſic enim Trinobantes vocat. Vide Burtonum in *Antoninum*, *p.* 232. Vide Cambodunum.

CAMANE, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol. Chaul* nonnullis. Aliis eſt *Daman*, urbs ampla & emporium celebre, juxta ſinum Barigazenum, nunc *Golfo de Cambaja*, cum portu capaci & tuto, in ditione Luſitanorum.

CAMANI, Germaniæ populi. *Ptol.* meliùs forſan *Camavi* ſeu *Chamavi*. Vide ibi.

CAMANTIUM, una ex ſeptem urbibus Aſiæ minoris quas Cyrus familiari ſuo Pitharcho largitus eſt. *Athenæus*.

CAMARA, Indiæ intra Gangem emporium ſupra promontorium. Cory Arrian. *in periplo*. Meliùs Καμαρά, hodie *Camorin*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1299.

CAMARA, urbs Cretæ, *Ptol.* Lato olim dicta. *Steph.*

CAMARA, vide *Camera*.

CAMARACUM, primò memoratum *Tab. Theodoſ.* inter Pontem Scaldis & Bajacum Nerviorum ponitur: *Antonino*, inter Nemetacum & Bagacum; item inter Nemetacum, & Auguſtam Veromanduorum. In priſcis *Notit. provinc. ac civitat. Galliæ*, inter urbes provinc. Belgicæ ſecundæ, ſextum tenet locum: in recentioribus, quartum; poſt Remos nempe, Sueſſiones & Catalaunos, ſed ante Veromanduos & Atrebates. Capta à Chlodione Francorum Rege, poſt quem Ragnacharius ibi ſedit. Incendiis vaſtata eſt à Normannis, A. C. 881. Belgis *Camerick*, Gall. *Cambray*. Incolæ *Cameracenſes*, Gall. *Cambreſiens*. Urbs ex Epiſcopali facta eſt Archiepiſcopalis & Metropolitana, ſub Philippo II. cujus Archiepiſcopus & Dux Comes Cameracenſis & Princeps S. Romani Imperii nuncupatur. Caput eſt pagi cognominis, qui Gall. *le Cambreſis* dicitur: olim Nerviorum fuit, ſedes priſca Epiſcopi, donec ut dictum altiùs erecta, cùm prius unà cum Atrebatis & Turnaco Remorum urbem pro Metropoli haberet, jam linguæ Francicæ ſeu Wallonicæ nova Metropolis facta, quinque ejuſdem linguæ civitates ſibi ſubjectas habet, Atrebatenſem & Turnacenſem veteres, Audomarenſem, Iprenſem & Namurcenſem novas, à quibus Civitas S. Audomari vel Sithiu & Ipra partem antiquæ diœceſeos Tarvennæ Morinorum paulo ante everſæ, cui priùs attribuebantur, continent. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide quoque *Cameracum*. Cæterum continentur diœceſinis *Cameracenſis* finibus Sonegiæ cum Monte Caſtriloco, Condate, Atho, Querceto vel Caſneto, Landeriaco, Aveſnis, cumque Binchio, Bello Monte, Brenna *Brenne*, Melbodio, ac Cimaco. Hadr. Valeſ. in voce *Sonegiæ*.

CAMARADUM, in *Ep.* Hadriani Pontific. ad Carolum II. in Cod. *Carolino Ep.* 61. pro *Camaratum*, ligneis forma eſt hypocharitoſi, h. e. tectorio ſeu cruſtâ inductis, cujuſmodi fabrica deſcribitur à Vitruvio, *l.* 7. *c.* 3. Καμάρα vocârunt Græci recentiores, ab hoc fonte, tentorium in modum fornicis ſeu cameræ arcuatum, vide Leonem, in *Tacticis c.* 10. §. 12. & Mauricium, *l.* 5. *c.* 9. Unde Galli *Camarades*, Hiſpani *Camarada*, vulgò milites vocant, ſub eodem tecto aut tentorio & in eadem camera degentes, Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà in voce *Camera*.

CAMARATA, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. *Antonin.*

CAMARIA, Inſul. amnica Gall. meliùs *Caſtra Mariana & Campus Marii*, ubi Marius caſtra habuit contra Cimbros, quos maximâ ibi poſt clade affecit. Nunc *la Camargue*. Inter Rhodani oſtia & Arelatem; miræ fertilitatis, ſaltus optimis, piſcationibus ſtagnorum, maris & fluviorum, venationibus, cyrogryllis, aucupiis & paſcuis præſtans: in Provincia, 6. leuc. à Maritima in Occaſum. *Baudrand.* Vide Hadr. Valeſium *Notit. Gall.*

CAMARIA, urbs Italica ab Albanis condita. Vide *Camerinum*.

CAMARICA, *Ptol.* Cantabrorum urbs, aliô nomine *Velliaca* dicta.

CAMARINA, Italiæ civitas. Strabo, *l.* 6.

CAMARINA, palus Siciliæ juxta oppid. ejuſdem nominis; ex-

extructum an. 150. Urb. Cond. *Euſeb.* vel Olymp. 45. *Schol. Pindari*; deſtructaque à Syracuſanis 52. an. poſt, ſed denuo reparatam à quodam, cui Hipponax nomen, vide Thucyd. *l.* 6. & 7. Polyb. *l.* 2. Diodor. Sic. *l.* 14. Plin. *l.* 3. *c.* 8. Strab. *l.* 6. Herodot. *l.* 7. Leand. *deſcr. Ital.* Hujus paludis aquæ cùm fœtore ſuo peſtem generarent, conſuluerunt Apollinem, expediretne ipſis Camarinam exſiccari, quibus ab Apolline reſponſum eſt,

Camarinam non eſſe movendam.
Μὴ κίνει Καμάριναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.

Neglectô tamen oraculô, ſiccaverunt paludem, per quam mox ingreſſis hoſtibus, contempti oraculi pœnas dederunt. Unde proverb. *Camarinam movere* pro eo, quod eſt, *Sibi malum hoc accerſere*. Eraſm. *Adag.* Servius, in illud Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 700.

— — Et fatis nunquam conceſſa moveri
Apparet Camarina procul, Campique Geloi.

Vide Cluver. *Sic. Ant. l.* 1 *p.* 192. 193. 194. Interim videamus, quid de hac urbe ait Vir magnus, *De Phœn. Col. l.* 1. *c.* 29. Falluntur (inquit) qui paludem volunt ab urbe vicina dictam. Neque enim ab urbe palus, ſed urbs à vicina palude nomen traxit: ὅτι γὰρ λίμνη, ὅτι ἐν πλευραῖς τῆς Συρακουσῶν πόλεως καὶ τῆς πεδιάδος ..., Συρακούσας Γέλαν, ..., Σελινοῦντα, καὶ Φοινικοῦντα, καὶ Ἔρυκα, Καμικόν, Ἄλυκον, καὶ Θέρμον, καὶ Καμάριναν. Ita Stephanus in Ἀκράγαντι. Camarina porro palus unde dicatur, colligere eſt ex his Pindari *Olymp.* 5. de Hippari amne, qui in Camarinam influit,

Κολλᾷ τε σταδί-
ων θαλάμων ταχέως
ὑψίγυιον ἄλσος.
Agglutinatque ſtabi-
lium cubiculorum celeriter
Altam ſylvam.

Quæ *Scholiaſtes* ita explicat ex mente Ariſtarchi Grammatici celeberrimi: *Θαλάμων καθεστηκότων σύμπηξιν ὁ Ἵππαρις τῇ Καμαρίνῃ παρέχει*, &c. i. e. *cubiculorum ſtructuram Hipparis Camarinæ præbuit. Aiunt enim illum per mediam Camarinam defluentem, accedente maris æſtu ſuſcitare terram, ex qua lateres conficiunt Camarinenſes ad domorum ſtructuram.* Itaque Camerinæ nomen eſt, à חמר *chamar*, *lutoſum eſſe*. unde & חמר *chomer* eſt *lutum*, ex quo fiunt lateres. Cur Camarinæos Iſacius, *in Lycophronem*, eoſdem eſſe velit cum Lotophagis, non capio. *Nic. Lloydius.*

CAMARINI, Inſulæ Arabiæ *Camarini. Steph.* Καμαρηνοὶ νῆσοι Ἀραβίων. Camarinorum pomorum mentionem habes apud Plin. *l.* 15 *c.* 14.

CAMARINUM, urbs Umbrorum. *Ptol.* Vide *Camerinum.*

CAMARLENGUS, ſeu CAMERLENGUS, Italis *Camerlingo*, vox Germanica eſt, *Kammerling*, & Camerarium, *Cubicularium*, Ærarii Quæſtorem notat: quô munere apud Lotharium Imperatorem *Cubicularius* dictus eſt Bertoldus, ut in *Charta* Imperatoris hujus A. C. 1137 apud *Ughellum* legere eſt. Idem, vide *Cubicularius.*

CAMASUS, Græcè *καμάσιον*, in *Gloſſis*, veſtis villoſa exponitur, quam *cuſiam* appellavit *Iſidorus*. Recentiores Græci *καμάσιον* & *καμαύχιον* dixêre, atque pro pileo quoque vel cucullo vocem ſumſerunt. Apud *Nicetam* certè *καμαύχιον* eſt πῖλος, quod & *καμαύχιον* appellat, ſic itaque & *camaſus* & birrus & cucullus & cuſa & cappa, de eodem fermè genere veſtimenti ab Autoribus ſunt uſurpata, caput humeroſque regente: Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano*, c. 45. Vide Meurſium in voce *καμάσιος*.

CAMATULLICI, Galliæ Narbonenſ. populi Plin. *l.* 3 *c.* 4.

CAMAVES, meliùs *Chamavi*, inter Cheruſcos & Bructeros erant, prope Viſurgim fluv. ubi nunc pars Epiſcopatus Monaſterienſ. & Paderbornenſis. Vide *Chamavi.*

CAMBADENE, inter duodeviginti Parthorum Regna memoratur Iſidoro *in libello σταθμῶν παρθικῶν*. Vide quoque Plin. *l.* 6. *c.* 25.

CAMBADES, unum ex cognominibus Tauri montis.

CAMBAJA, Regnum Indiæ, ſub M. Mogole. Ad oſtium Indi fluv. centum & 60. milliar. Germanic. longitudine implens. Metropolis Cambaja eſt. Cùm adhuc proprios haberet Principes, ſedem Campaneli, quæ urbs eſt in edito loco, ſepteruplici murô cincta, habuerunt. Guzaratha regni hujus provinc. eſt, unde aliquando toti regno nomen. Incolæ Ethnici ſunt, vel Mahometani, ingenioſi utrique admodum. Terra fertilis, & Coralliorum, gemmarumque proventu opulenta. Barboſa, Linſchot. Maffæus, *Hiſt. Ind.* P. de Valle, *Itiner. tomô* 4. Vide quoque infrà.

CAMBAJA, regni Cambajæ metropolitanum emporium nobiliſſimum, ſub M. Mogole, cùm antea eſſet regnum proprium, dictum aliàs Regnum Guſaratæ. Vide ſuprà. Gaudet urbs portu capaci, & ab ea ſinus Barigazenus dicitur *ſinus Cambaja*. 50. milliar. ab Amedebato diſtat in Auſtrum. *Cairum Indiæ* vulgò etiam dicitur, ob pulchritudinem & magnitudinem, vide P. de Valle *Itin. tom.* 4.

CAMBALA, *balorum*, Aſiæ locus, ubi auri metalla effodiuntur Strabo *l.* 11. *N. L.*

CAMBALIDUS, Perſidis mons, Caucaſi ramus in Suſianis. Plin. *l.* 6 *c.* 27.

CAMBALUM, urbs Tartariæ, Catajæ caput, juxta Caramoranum fluv. De hac pleraque incerta, cùm pauci admodum Europæi eò penetrârint. Dicitur tamen ampliſſima Urbs & Tartariæ præcipua, ſedes proin Chani. Tribuuntur ipſi portæ ſuburbiaque 12. Ambitus 24. milliar. Italic. eſſe dicitur. Celeberrimum Sinenſium inprimis & Indorum affluxu emporium. Hic Turcæ à Johanne Luſitaniæ Rege depreſſi, A. C. 1529. Solimannus quoque ab eadem gente inde rejectus eſt, A. C. 1536. M. Polus, *l.* 2. Mercat. *Atl. minôr.* Cluvèr. *l.* 5. Arab. *Chan Balig*, vulgò *Cambalu*. Martinius ſentit eam eſſe *Peking*, regiam Sinarum regni partis Borealis: Animadvertit enim, ipſum Venetum tradere, eam à Tartaris & Mauris, tantum regiæ præſentiæ intuitu, ſic dici, quaſi *Urbem Domini*. Golius verò vocem corruptam eſſe ſcribit ex *Can Baleck*, quia cùm *urbem Domini* ſeu *Regiam* ſignificet, *Cambalu* dici non poſſe, ſed *Can Balick*, quod idem ſonet, contendit. Hornio quoque eadem eſt cum Pequino Sinarum Metropoli.

CAMBATE, Galliæ Belgicæ locus circa Burgundiæ Comitatum. *Antonin.*

CAMBEI, gens Illyricæ. *Appian.*

CAMBELLANUS, ſeu CHAMBERLANUS, à Gall. *Chambellan* & *Chambrier*, i. e. Camerarius, Cubicularius. Item Quæſtor ſeu Theſaurarius, uti & *Camera* pro loco in quem inferuntur mulctæ & theſaurus Principis. Hinc *Cameræ nuntii* erant Procuratores Fiſci Imperatorii, qui cum Ducibus æquatam habentes poteſtatem, ſubjectis Imperii præſidebant, & fiſcum Imperat. adminiſtrabant: aliàs *Advocati Cameræ*, alias Imperii dicti. Vide Goldaſt. *Comment. ad Ekkehardum Jun. c.* 1. ubi hujuſmodi fuiſſe ait duodecim illos, quos omnibus Iſraëlitis impoſuit Salomon, 1. Reg. *c.* 4. *v.* 6. 7. Alioqui *Advocati Cameræ* erant ſub *Cameræ nuntiis*, procurationem tamen publicæ pecuniæ gerentes, advocatique Fiſci dicti, & denique Fiſcales. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Gallis eundem, qui Romanis *Cubicularius* vel *Præpoſitus ſacri cubiculi*, & à *Camerario* diverſum, ut penes quem cura erat *Cameræ* ſeu Theſauri Regis, facit Car. du Freſne. Præcipuum ejus munus fuit in Vaſallorum hominiis admittendis ac recipiendis: Domino enim adſtant, vaſallis ea præſtantibus ac ejus vice vaſallum rogabant eidemque reſpondebant. Præterea hujuſce dignitatis jure pallium vaſalli eorum erat: quod poſtea in ſummam pecuniariam pro ratione feudorum, eſt commutatum, *Cambellagium* dictam. Sed & *Cambellano* annuli Regis privati, quem *ſigillum ſecreti* vocabant, cuſtodia incubuit, qui inde apud Byzantinos *παρακοιμώμενος τοῦ κοιτῶνος* appellatus eſt, ut diſtingueretur ab alio Officiali aulæ ejuſdem, qui *παρακοιμώμενος τῆς σφενδόνης* dicebatur, uti docet idem Car. du Freſne *ad Villehardouin.* Vide quæ *de Regibus Franciæ* Joh. Tillius & *de Cambellani dignitate* Bauduinus, ſcripsêre. In Regno Neapolitano *Cambellanus Mappæ* ſeu *de la Mappa* & *Cambellanus Scutiferiæ* ſeu *della Scuteria Reale*, nomina dignitatum ſunt, de quibus Scipio agit Ammiratus in *Familiis Neapolit. Tom.* 2. *p.* 55. laudante eodem *Gloſſarii Auctore*. De *Camerario* verò vide ſuo locô, ut & ſupra in voce *Camarlengus*.

CAMBERICHUM, unum oſtiorum Gangis fluv. *Ptol.*

CAMBETIS, ab *Antonino* poſt Auguſtam Rauracorum proximô locô ponitur, *B. Rhenano* teſte *Camps*, Germanis nominatur. Vicus German. in Sungovia provinc. ad Rhenum 6. mill. paſſ. infrà Baſileam, in ditione Francorum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAMBETUM, civitas Hiſpaniæ Tarraconenſis. *Ptol.*

CAMBIATOR, vox recentioris ævi, quâ denotatur *Nummularius* ſeu *Κολλυβιστής*, item *Mutator*, Græcè *καλλιβιστὴς* & *ἀργυραμοιβός*: qui videlicet alterum metallum ſemper in alterum uſum mutat, aurumque argentô & argentum aurô, ac utrumque æris monetâ permutat. *Mercator perutrimque metalli* Manilio, *l.* 5.

Et facti mercator erit perutrimque metalli,
Alterum & alterum ſemper mutabit in uſus.

i. e. erit *κολλυβιστὴς* & *ἀργυραμοιβός*, quomodo τὸ *κόλλυβον* quoque Græci vocârunt. Eleganter autem *factum perutrimque metallum* appellat argentum vel æs, quod utrinque ſignatum eſt, & Græcis *ἐπίσημον* dicitur &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1080.

CAMBIDOBRENSE Monaſterium, memoratur Greg. Turon. in vita *S. Quintiani Arvernorum Epiſc.* Locus nunc *Cambronde* vocatur, ab Artona amne Morgià diviſus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAMBIOVICENSES, incolæ Combraliæ regionis in Arvernis, *Combraille* & *Cambium*, *Chambon*, qui olim fortè Cambiovicus dictus. Idem.

de CAMBIS Margarita, Vide *Margarita.*

CAMBISENA, Armeniæ regio. Strabo, *l.* 11.

CAMBISTHOLI, Indiæ populi circa Indum fluv. ubi Hidraotes fluv. cum Gange aquas ſuas confundit. Arrian. *in Indicis.*

CAMBLES, ſeu CAMBLITAS, Rex Lydorum tantæ voracitatis, ut nocte quâdam uxorem quoque abſumpſerit, cujus manum cùm ſummo mane in ore compeririſſet, ſemet jugulavit. Xanthus apud Cæl. Rhodig. author eſt *l.* 7. *Antiq. Lection. c.* 11. *Suſpicabantur autem Jardanum* (patrem Omphales, cui Hercules ſervit) *ob immanitatem, quæ cum Camblita exercebat, maleficis deditum fuiſſe*, Athenæus *Deipnoſ. l.* 10. & Nic. Damaſcenus *Excerpta* Vales. *p.* 445. Fuit is ex *Atyadis*, de quibus ſuprà.

CAMBOCA, aliis CAMBUCA, Baculus paſtoralis, putà Camurus, quò Epiſcopi inſigniuntur, ex Clementis inſtitutione. Saxonibus priſcis *Camoc*, curvum & camurum ſignificat. Sunt tamen, qui *Cambota* ſcribunt, quaſi *καμπτὴ* ... *ἀπὸ τοῦ κάμπτειν*, i. e. à curvare. Hinc *Cambucarius*, qui cambucam aut crucem gerit. Vide Durandum *Rational. l.* 3. *c.* 15. Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

CAMBODUNUM, Vindeliciæ urbs, *Ptol.* hodie *Monachium* vulgò *München*. *Baudrando Cambodunum*, vel potius *Campodunum*, eſt caput Æſtionum, nunc *Kempten*, ad Ilar. fluv. in Suevia. Vide *Campodunum.*

CAMBODUNUM, Britanniæ oppid. in Brigantibus. *Weſtcheſter*, *Talboto*. Sed *Camdeno Almondbury* in Comitatu Eboracenſi. Ubi Brigantes populi ad amnem Calderum, prope montes & confinia Darbienſis Comitatus. Vide Bartonum, in *Antoninum*, *p.* 122. *Ptol. Camulodunum*, *Bedæ Campodunum.*

CAMBOJA, regnum Aſiæ, in India ulteriore cum urbe cognomine ad fluv. *Mecon*. Ei ab Occidente eſt regnum Siam, ab

 Ori-

Oriente regna Cocinchinæ & Ciampæ Solum fertile, incolæ ſimplices, Mahometanis impermixti, & à Chriſtianiſmo tantopere non abhorrentes.

CAMBOLECTI, Galliæ Narbonenſis populi. Plin. *l.* 3. *c.* 4.

CAMBORICUM, ſeu CAMBORITUM, Angliæ oppid. *Antonin. Cambridge* eſſe putat *Talbotus*. Ad Camum fluv. 35. milliar. Angl. à Londino, 10. ab Elya urbe, ab ora maris circiter 28.

CAMBORITUM, caſtrum Galliæ cum palatio planè regio, in agro Bleſenſi, à Franciſco I. extructo, juxta amnem *Conſon*. 4. leuc. à Bleſis in Ortum; Vulgò *Chambor*.

CAMBRA, Belini Brytanorum Regis filia, Antenoris Francorum Regis uxor, Priami junioris mater, vitæ finem accepit anno à condito mundo 3590. & ante Meſſiæ nativitatem 380. Neomagi ſepulta.

CAMBRE, locus Campaniæ, ad Gauri radices, apud Puteolos, ubi balnea *Campana* vulgò, teſte *Joh. Scoppâ*, & *Franc. Lombardo*. Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 154.

Occidit miſeros Cambre repetita Magiſtros.

CAMBRIA, ſive WALLIA, Britanniæ tertia pars eſt, quæ ab Anglia, Sabrinâ, & Deâ fluminibus ſeparatur. Omni aliâ ex parte Oceanô Vergiviô ſive Hyberniçô cingitur. Continet Dimetas, Ordovices & Silures, teſte Camdenô. Angli *Wales* vocant. Hæc pars Britannicæ inſulæ ſuis antiquiſſimis incolis gaudet, ut qui veri & gneſii Britanni ſunt, avitâque Britannicâ linguâ utuntur. Cedit hæc ex veteri inſtituto primogenito Regis Angliæ filio, ei ſcil. qui Regi in imperio ſucceſſurus eſt, diciturque à primo nativitatis die *Princeps Walliæ*. Pars eſt Occidentalis Angliæ, quâ Hiberniam reſpicit. Sub Principibus aliàs, uſque ad Henricum III. cujus fil. Eduardus primus Walliæ Princeps dictus, ut & deinceps Primogeniti Regum. Vide *Wallia. Baudrand*. Ibi Concilium A. C. 465. *Matthæus Weſtmonaſt.* Cæterùm condidêre regnum hoc Britanni à Saxonibus pulſi, regione campeſtri & planâ relictâ; verſus Occidentem in altiſſimos montes ſeſe recipientes; quorum ultimô Rege Cadwalladerô extinctô, ſimul ſpes Britanniæ recuperandæ evanuit. Ab illo tempore *Cambria*, in Meridionalem & Septentrionalem diviſa eſt, quarum utraque Reges ſuos habuit uſque ad A. C. 1148. quô, extinctô *Regum* nomine, *Principes* ſucceſſerunt, quorum poſtremus David, Londini, ob rebellionem ſecuri percuſſus eſt. Ac tum temporis *Cambria* plenè in Angliæ Regum poteſtatem pervenit, titulô *Principatus Walliæ*; eò quod Saxones Cambros, utpote barbarâ ſibi linguâ loquentes, *Wallos* appellâſſent. Stante vero adhuc *Cambriæ* Regnô, Offa Merciorum Rex foſſam & vallum inter Sabrinam & Deam flumina ſtruxit, & Cambriam à reliqua Britannia ſeparavit, lege latâ, quâ capitale erat, ſi quis Cambrorum trans illam foſſam cum telo comprehenderetur. Nec omittendum, circa genealogias ſuas tam diligentes eſſe *Cambros*, ut vix ullus ſit ruſticorum, quin genus ſuum ab ipſo Noacho deducere ſe poſſe contendat. Georg. Hornius *Orb. Imper.*

CAMBRINUS, vir ferocis animi, regnavit apud Tuſcones.

CAMBUCA, vide *Camboca* & *Cambuta*. it. *Sabuta*.

CAMBUNII, montes Macedoniæ Livio, *l.* 42. *c.* 53. quos ab incolis *Voluſtana*, appellari ſcribit, vide *Canalovii*.

CAMBUS, Auſtriæ ſuperioris fluv. *Lazio*, in Danubium ſe exonerans, infra *Chrembs* oppid. *Camb* vulgò dictus. Oritur verſus confinia Bohemiæ.

CAMBUSIS, Æthiopiæ urbs. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

CAMBUTA, vide *Baculus Epiſcopalis*, it. *Inveſtitura*.

CAMBUVII, montes Macedoniæ, in Æmathia regione. Liv. *l.* 44. *c.* 5. *Voluzza*.

CAMBYSENE, Græcè Καμβυσηνὴ, inter provincias Imperii Parthorum, de qua vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1196.

CAMBYSES, Perſarum & Medorum Rex, Cyri fil. qui paternis regnis Ægyptum adjecit. Sed offenſus illorum ſuperſtitionibus, Apidis, cæterorumque Deorum ædes dirui juſſit. Ad Ammonis quoque templum expugnandum exercitum miſit, Pœnos dein & Æthiopas invaſurus, ſed in Lybia deſerta arenis obrutus univerſus interiit. Ipſe quoque, cùm ſuo ſeſe gladio imprudens læſiſſet, leviſſimo ex vulnere mortem oppetiit. Herod. *l.* 3. occiſô priùs fratre Tanyoxarce, vel Smerde, an. 232. Urb. Cond. 3532. M. 532. ante Chriſtum Natum, Juſtin. *l.* 1. *c.* 9. Diodor. Sic. *l.* 2. In injuſtum Judicem ſeverus, Valer. Max. *l.* 6. *c.* 3. *ex. ext.* 3. Secundus eſt Nabuchodonoſor Judæorum. *Sabell.* Profectus ad quærendos ortus Nili, fame adactus comitum ſuorum aliquot in aliorum alimentum occidere, re infectâ rediit. Lucan. *l.* 10. *v.* 279.

----- Veſanus in ortus
Cambyſes, longi populos pervenit ad ævi,
Defectuſque epulis, & paſtus cæde ſuorum
Ignotô te, Nile, rediit. -----

CAMBYSES, Perſa, mediocri ſtirpe, ab Aſtyage, altero, penultimo Medorum Rege, in generum aſcitus, elocatâ ipſi Mandane filiâ, quò ſic à nepote periculum ſibi in ſomnio prædictum evitaret. Hinc Cyrus natus. Juſtin. *l.* 1. *c.* 4. Herodot *Muſâ.* 1. Vocat hunc *Cambyſen* Xenophon *Regem*, honoris ergò: & fuit bonâ familiâ ortus, ſcil. ex tribu *Achæmenidarum*, fil. quippe Cyri, abnepotis Achæmenis. Præter Cyrum verò filium, filiam genuit Caſſandanam. Herodot. *l.* 1. *c.* 11. & *l.* 2. *c.* 1. Sed & avo ejus, & abavo, Achæmenis filio idem fuit nomen. Joh. Marshamus *Canone Chron.* *Sec.* XVIII. Salmaſio pater ei fuit Achæmenes, à quo Achæmenidæ tribus, unde Reges Perſidæ originem duxerunt. Hoc enim ordine Majores ſuos recenſet Xerxes apud *Herodotum*. Μὴ γὰρ εἴην ἐκ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεω, τοῦ Ἀρσάμεω, τοῦ Ἀριαράμνεω, τοῦ Τεΐσπεω, τοῦ Κύρου, τοῦ Καμβύσεω, τοῦ Ἀχαιμένεω γεγονὼς, μὴ τιμωρησάμενος τοὺς Ἀθηναίους. *Non ſim ex Dario Hyſtaſpe, filio Arſamis, quem Ariamnes genuit, Teiſpe natus, cujus pater Cyrus, fuit ſuit Cambyſis, nepos Achæmenis, ni de Athenienſibus ultionem ſumpſero.* Ipſe autem hic Achæmenes ad Perſeum originis ſuæ principium referebat: à cujus filio vel nepote Perſe gens Perſarum nominata eſt. Vide Salmaſ. *ad Solinum* p. 1183.

CAMBYSES, fluv. Aſiæ per Albaniam regionem, ex Caucaſo monte in Cyrum influens. Mela, *l.* 3. *c.* 5. Vide Voſſ. *in loc. Baudrando* fluv. eſt Mediæ e Caſpio monte ortus, dein irrigatâ Atropatiâ regione, in mare Caſpium ſe exonerat, 8. circiter milliar. ab oſtio Cyri in ortum, ſed non in ipſum influit.

CAMBYSOPOLIS, urbs Ciliciæ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Anazarbeno, ad Patriarcham Antiochenum ſpectans.

CAMBYSSENI, populi in Cyropoli. *Steph.*

CAMDENUS Gulielmus, vide *Gulielmus*.

CAMECHIA, Albaniæ oppid. *Ptol.*

CAMEIA, Manichæorum Metropolis. *Cedrenus*.

CAMELANI, Italiæ populi in 6. regione, Narnienſibus, & Nucerinis vicini. Plin. *l.* 3. *c.* 14.

CAMELARIA, locus Galliæ urbi Arvernis propinquus, in quo Monaſterium virginum condidit Geneſius Arvernorum civi & Comes, fœminâ illuſtri, nomine Gundilanâ Abbatiſsâ conſtitutâ, circa A. C. 670. Vulgò *Chameliere* & *Chamaliere*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAMELAUCIUM ſeu CAMELAUCUM, *Macro* eſt biretum Monachale Græcorum & Benedictinorum, cujus limbus binas appendices parabolicis figuris deſinentes habet, quæ faciei tempora contegunt; ſed Benedictinorum ſunt breviores. Suturæ iſtiuſmodi bireti in 4. partes æquales ſiunt; quæ aliquantulum elevatæ quatuor crucis angulos exprimunt: cujuſmodi formâ Papale quoque biretum eſt, quod ex purpureo holoſerico raſo æſtate, & villoſo armellinâ pelle ſuffulto hyeme Pontifex geſtat. Vocis originem, Leo Allatius inde arceſſit, quòd *Camelorum* pilis intexta eſſent hæc tegmina. Car. Macer verò à *camauro*: Eſt autem *camaurum*, muliebre tegmen capitis, quô *camarum*, cerebri pars ſic dicta, defenditur. Uti vero *mitra*, à fœminis priſci ævi, ad caput Pontificium obnubendum tranſlata eſt, ſic tiara, quæ vulgò appellatur *Triregnum* Pontificis, *Camaurum* dicitur, à *Camelaucio* prorſus, quod inde nomen traxit, ut videtur, differens, vide infra in voce *Epanocalimaus*. Recentiores Græci vocant *Camelaphchi*, ſed ex ejuſdem Allatii ſententia *de Hab. Monach. l.* 3. *c.* 9. *cucullum* vocari deberet. Etiam verò Clericale biretum *camelaucii* formam antiquitùs habuiſſe ex figuris ſepulchralibus Macer laudatus colligit: ſed proceſſu temporis, inquit, ſolidâ telâ ſubſutâ, alii 4. anguli in modum crucis aliquantum erecti ſunt, ad formam Clericorum Hiſpanorum Gallorumque, ſolis Italis unicô angulô ſummiſſô, tres in honorem SS. Triadis, elevantibus figuramque crucis nihilominus retinentibus. Sed & multæ religiones in eadem Communione formam *camelaucii* priſcam hodieque retinent, cum forma videl. verticalis crucis, abſque ſolido telæ fulcimento. Vide utrumque Macrum in *Hierolex*. Imò & inter varias diadematum ſpecies, quibus Imperatores uſi Conſtantinopolit. ſunt, *Camelaucium* quoque occurrit, præ cæteris, quô Conſtantini & ſucceſſorum capita integuntur. Calyptræ ſimile eſt, quâ totum ambitur caput, vel caſſidis, apice *tufa* dictô, decoratæ: quam quidem ab ipſo Conſtantino inventam eſſe, auctor eſt Ptolemæus Silvius in *Laterculo*, *Conſtantinus Senior diadema capiti ſuo, propter refluentes de fronte capillos (pro qua re ſapiens ejuſdem cognominis ordinata confectio eſt) quâ conſtringerentur, invenit.* À Conſtantino ad ſucceſſores ejus uſus tranſiit, cum aliquo tamen diſcrimine, ut ex duobus ingentis ejus numiſmatibus, quorum uni inſcriptum, SOLI INVICTO COMITI; alteri, VICTORIÆ LÆTÆ PRINCIPUM: colligere eſt. Prætterquam enim, quòd more caſſidum, ſub mento, Conſtantinianum illud diadema alligatur, qui immineſ apex, diverſus eſt ab eo, qui poſtmodum eidem calyptræ ſuperpoſitus in ſucceſſorum nummis. Quâ ex iis primus Conſtans Conſtantini M. filius conſpicuus eſt, in numiſmate vetuſto, quod in clypeo ſcriptum exhibet, VOT. MAX. MULT. XL. &c. Vide Car. du Freſne *Diſſertat. de inferioris ævi Numiſmat.* & in *Gloſſar.* ubi Allatius *de utriuſque Eccl. conſenſ. l.* 3. *c.* 8. *num.* 12. apud Orientales, Sacerdotum Monachorum *camelaucia*, quibus etiamnum utuntur, ſic deſcribit. *Capitis tegmen eſt, (camelaucium) ex lana nigricante, ut natura illam dedit, textum, rotundum, altitudine ſemipalmare, in formam conchæ ſinuatum, quæ caput ingreditur, non undequaque rotundatur, ſed ubi aures ſunt, plagulæ unguntur, quibus aurium incommodis medentur. Nomen habet, ut ipſe arbitror, quidquid alii dicant, quòd ex pilis camelorum ut plurimum texatur.* Vide quoque Iſaacum *Invectiv.* 2. in *Armenios*, p. 414. ubi Epiſcopos illorum, cùm ſacra obeunt, eôdem integumentô caput operire docet. *Solerio camelaucus*, integumentum capitis eſt Pontifici uſuarium, dictum ab ἐλαύνειν τὸ καῦμα, *quòd arceat calorem*, *Etymolog.* Pileus autem eſt, docente Bedâ *de Tabernac.* *l.* 3. *c.* 8. in modum parvulæ caſſidis extenſus ſupra ſummitatem capitis, cujuſmodi Conſtantinum Papam, Conſtantinopolim ingreſſum, geſtâſſe, ſcribit Anaſtaſius *in eo*, *Pontifex & ejus Primates cum ſellaribus Imperialibus, ſellis & frænis inauratis, ſimul & mappulis, ingreſſi ſunt ci vitatem: Apoſtolicus Pontifex cum camelauco, ut ſolitus eſt Romæ procedere.* Ad quæ verba Solerius, *Non videtur*, inquit, *hoc capitis tegmen aliud fuiſſe, quam pileolum purpureum, quô ſemper* (Pontifex) *operitur; cujuſmodi camelaucii uſos itidem Imperatores docemur, ex Conſtantino Porphyrogenito in Chorographia. Alterius materiæ erant, quæ eô nomine paſſim apud Italos donabantur capitum tegmina*, Cedreno *l.* 1. *ſic memorata: Eſt & aliud genus ſpartæ, quæ pileî loçô capiti im-*

conponitur; *Italis Camila dicta*, unde & *Camelaucia*. Vide Anſelm. Solerium *de Pileo ſect.* 130 & quæ retrò dicta. Sed & aliquandò ſupra ſtratum extendi, ita ut operta hujuſmodi tegmine ſubducerentur proſpectui aliorum, & in eum finem uſurpari ſolitum eſſe, legimus in *Vita Mariæ*, neptis Abrahæ, quæ eſt inter opera S. Ephræmi. Idem *Sect.* 13. Plura in hanc rem, vide apud Roſweydum *Onomaſtici* voce *Camelaucium*. Nec omittendum, pleroſque è Latinis Scriptoribus, pro *Camelaucium*, mutatis literis *Calamaucum*, ſcribere, Iſidorum in *Gloſſ.* Papiam, Ælfricum, Ugationem, Anaſtaſium Bibliothec. Bolland. Alios: quam ſcripturam genuinam eſſe, Salmaſ. ὁ πάνυ contendit. Vide ſuprà *Calamaucı*.

CAMELI, à populo cognomine dicti, apud Arabes trium generum; *Clinellarii*, craſſi, procери, oneribus ferendis aptiſſimi, *Algiabe* Arabibus dicti, & Chaldæis *hegine*, i.e. *Reſſorie*, qui mille libras geſtant; *Duplici gibbo* ingentes, qui ad equitationem non minùs, quam ad onera geſtanda, commodi, olim in ſolis Bactris, *Bactriani* hinc Græcis, Arabibus *becheti*, hodie paſſim in Aſia naſcuntur; Et *Graciles* ſtaturâ, ſed expeditiſſimi, Græcis *δρομάδες*, Arabibus *raguahil* appellati, quibus ſoli ferè Nobiles utuntur, vide infrà *Dromades*, &c. Eorum lac & carnem inter cibos multi commendant, Ariſtoteles *Hiſtor. l.* 6. c. 26. Plin. *l.* 11. c. 41. Hieronym. *in Jovinian. l.* 2. *c.* 6. &c. Herodotus in *Clio*, ubi de Perſarum natali die, ſolidos camelos apponi conſueviſſe, tradit, Ἐν τῇ οἱ εὐδαίμονες αὐτῶν βοῦν καὶ ἵππον καὶ κάμηλον καὶ ὄνον προτιθέαται ὅλους ὀπτοὺς ἐν καμίνοισι, *Quâ, qui ex iis ſunt locupletes, bovem, & equum, & camelum, & aſinum ſolidos apponunt in furnis coctos*. Quin ipſis quandoque Regibus id cibi oblatum, Antiphanes docet in *Omphale*, apud Athenæum, *l.* 4.

ὁ μέγιστος ὅλον
Τέθηκε ὀπτόν, μεγάλῳ βασιλεῖ θερμὴν παρέθηκε κάμηλον.
Coquus ſolidum
Monſtrum coquens magno Regi calidum camelum appoſuit.

Lampridiuſque eadem de Heliogabalo memorant, non ſolùm *calcanea camelorum*, (vide ſuprà) ſed & integros *camelos exhibuiſſe in cœnis albgirnatus*, ſcribit, c. 28. At Iſraëlitis olim *camelina carnis* eſu interdictum fuiſſe divinitus, in Sacris legimus, Levit. c. 11. v. 4 &c. De uſu Camelorum in bello, vide Plin. *l.* 8. c. 18. Strabonem *l.* 16. Diodor. Sic. *l.* 2. & 3. Herodot. *l.* 7. Pollucem, *l.* 10. c. 8. Polyænum, *Strategem. l.* 7. c. 6. Herodianum, *l.* 4. Vegetium, *l.* 3. c. 23. & inter Sacros Scriptores Auctorem libri Judicum, c. 6. v. 5. c. 7. v. 12. c. 8. v. 21. 26. & 1. Sam. c. 30. v. 17. In caſtris Romanorum jam inde à vetuſtis temporibus, eorum multus uſus fuit, ad prædam portandam, quibus cum epibatis ſuis quinque pedes aſſignat Hyginus & in prætentura eos collocat: Unde ſemper Ducibus Tribuniſque *cameli* vel *camela* cum equis muliſque data: Salmaſ. ad *Trebellium Pollion. in Claudio*, c. 14. Aliàs homines, ſarcinas, cibos, merces & res pretioſas, vehebant. Quandoque curribus jungebantur, ut colligere eſt ex Eſaj. c. 21. v. 7. Ita Nero, Circenſibus *commiſit camelorum quadrigas*, apud Sueton. c. 11. Et Heliogabalus junxit *camelos quaternos ad currus in Circo, privato ſpectaculo*, apud Lamprid. c. 23. De pilis illorum, infrà: plura verò hanc in rem, vide apud Bochart. *Hieroz. part. prior. l.* 2. c. 1. & *ſeqq.*

CAMELIACUM, vulgò CHAMBLI, Loricatium dictum Monſtreleto *volum.* 1. c. 176. forſitan, quòd ibi loricæ fierent, caput pagi *Cameliacenſis*, in Gall. inter Bellovacenſem & Velcaſſinum, ubi aliquot villæ, Baodrinum, Campania, &c. Sugerius *in Vita Ludov. Craſſi* c. 4. Matthæi Comitis Bellimontis caſtrum, nomine *Cambacum*, memorat *Idem*.

CAMELIDÆ, inſulæ duæ in ora Ioniæ regionis. Plin. *l.* 5. c. 31.

CAMELITÆ, populi in Meſopotamiæ finibus, non procul ab Euphrate. Scenitis proximi, qui diverſoria habent partim ciſternarum, partim aquæ ductuum aquis abundantia: Strabo, *l.* 3.

CAMELIUS, Medicus Auguſti, quò Imperatore ante Muſam uſus eſt. Appulejus de *Remediis Salutaribus*, *Divus certe hac lactuca conſervatus in ægritudine fertur prudentiâ Muſæ Medici, cùm priorum Camelii religio eam ei abnegaret.* Nempe Camelius lactucarum eſum ægrotanti Auguſto negabat: Muſæ verò operâ ex valetudine anceps ope lactucæ convaluit. Fuit autem *Camelius* nomen Romanorum, ut & *Camerius* & *Camellius*: quorum omnium mentio occurrit in veterum *Inſcriptionum* tomo. Nominatim in eo memorantur, C. *Camelius Heraclid*. Et C. *Camelius Africanus Fabianus*. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1272.

CAMELLA, *Polluci* Σκύφωμα, in qua feſto Paganalium Deæ Cereri, vel quæ eadem eſſe videtur ♀ Pali, potionem propoſitam fuiſſe, notat *Scaliger*; quam *Burranicam* dictam eſſe docet, eoque refert verſus Ovidii, *Faſt. l.* 4. v. 779.

Dum licet, appoſitâ veluti in cratere Camellâ
Lac niveum potes, purpureamque ſapam.

In quæ verba, *Hæc potio*, inquit, *burranica dicebatur à colore burro, quoniam mulſum lacte dilutum ſorit.* Feſtus *Burranica* potio appellatur lacte commiſtum ſapa, à ruſo colore, quem *burrum* vocant. Unde *burram* ruſtici dicêre buculam, quæ roſtrum habet ruſum: & ſaccorum ruſi coloris vulgò uſurpatus, unde *Birrhi* ſeu *Byrrhi* ſunt dictæ. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. c. 17.

CAMELOBOSCI, Carmaniæ populi. *Ptol.*

CAMELOCONI, populi Arabiæ. *Steph.*

CAMELODUNUM, *oppid.* Angliæ, *Doncaſter*, Lhuydo. Olim Brigantium oppid. nunc Eboracenſis Comitatus ad Dunum fluv. qui eadem in *Abi* æſtuarium 30. milliar. Angl. ab Eboraco in Auſtrum. Alius eſt *Dunum*.

CAMELONTIUM, oppidul. Ægypti. Diodor. Sic. *l.* 18.

CAMELOPARDALIS, Ariſtoteli ignota fuit & Græcis omnibus, uſque ad Agatharchidem, ſub Ptolemæo VI. ſeu Philometore; poſt quem Artemidorus, Ptolemæo VIII. ſeu Lathyro æqualis; & tertius Diodorus, ſub Julio Cæſare, tam ineptè de ea ſcribit, ut appareat, tum temporis rarum fuiſſe animal & parùm notum. Nempe ante Cæſarem Romæ nemo *camelopardalim* viderat. Plin. *l.* 8. c. 18. *Camelopardalis Dictatoris Cæſaris Circenſibus ludis primùm viſa Romæ.* Neque verò id mirum, cùm in iis procreetur locis, quæ non remota ſolum, ſed iam inacceſſa ſunt, ut ea crediderint Veteres prorſus niſi inhabitata. Et *Strabo* quidem ſedem iis metatur ad Auſtri cornu: *Leo Africanus* & *Marmolius*, in Nubia naſci ait; *Antonius Conſtantius*, in ora Æthiopiæ, ad Auſtri cornu promontor. vergente. Unde eſt, quòd Heliodori *l.* 10. Axiomitæ hoc animal, ut peregrinum, Regi Æthiopum magni muneris locò attulêre. Dicitur vulgò *giraffa*, Arab. *Zurapha*, Æthiop. *Nabin*, Latinis quoque *ovis fera*, eſtque capite camelinò, collò equinò, caudâ capreæ, cruribus & pedibus bubulis, albis virgulis rutilas maculas diſtinguentibus, quarum gratiâ Plinius ſcribit inditum ei nomen *Camelopardalis* fuiſſe. Ejus poſteriora anterioribus ſunt humiliora, ut à cauda ſedere videatur; collum verò rectum eſt, & in altum evectum: Curſu tantum valet, ut nec incitatiſſimi equites illam aſſequi valeant. Tollitur è terra caput ejus ad altitudinem 15. pedum, ita ut eminùs turrim te potiùs, quàm animal, aſpicere credas. Porrò cornua habet, ſeu potiùs tubercula ac molles apices: magnificè ingreditur, &c. interim nullam ſævitiam aut feritatem oſtentat, uti eam deſcribit præfatus Conſtantius *Epiſt.* ad Galeottam Manfredum Faventinorum Principem, datâ Fani, A. C 1487. in qua accuratè agit *de Camelopardali*, quâ Laurentium Medicæum donaverat Sultanus Ægyptius, ut *Jovio*; aut Rex Tunetenſis, ut *Volaterrano* placet. Vide quoque Scaligerum *Exercit.* 109. *Geſnerum*, *Alios* laudatos Sam. Bocharto *Hieroz. Part. prior. l.* 3. c. 21. ut & infrà voce *Nabis*. In ejuſdem Conſtantii *Epigrammate* Laurentium ſic compellat *camelopardalis*;

Albertus, Magni clarus cognomine, plenam
Non dedit noſtri corporis effigiem.
Non qui Orbis modicè ſcripſit memoranda libelli
Plinius, & pulchra conditor Hiſtoriæ:
Non qui ſcriptorem dum corrigit Artemidorum
Strabo, mihi dotes invidet ipſe meas.
Qualiacunque vides, iſta mihi cornua, demum, &c.

Vide quoque Salmaſ. *ad Solin.* p. 212. 388 &c.

CAMELORUM Manſiones, apud Plin. *l.* 6. c. 28. ubi Thomnam caput Gebanitarum abeſſe à Gaza Judææ oppido quadragies quatuor triginta ſex mill. paſſ. idque ſpatium *in manſiones camelorum* ſexaginta quinque dividi, ſcribit: Græcè σταθμοί, propriè dicebantur loca, ubi confectò itinere per noctem quieſcebant; quemadmodum *Mutationes* ſeu Ἀμοιβαί, loca mutandis animalibus deſtinata. Et quidem *Manſio* ut plurimum pro unius diei itinere ſumebatur: at in *Camelorum manſionibus* non ſemper ſingulæ manſiones ſingulis diebus itineris conficiendi reſpondebant, nam pro aquationum ratione, quæ ὑδρεύματα vocabant, erant diſpoſitæ. Sic e. g. à Copto Berenicen uſque portum Rubri maris, vetus *Itinerarium*, ducenta & quinquaginta octo mill. paſſ. computat, quod iter undecim Manſionibus confici docet, quarum ſingulæ aut 20. aut 25. milliaribus conſtarent. Plinius verò idem illud iter à Copto Berenicen camelis confici ſcribit, *aquationum ratione diſpoſitis manſionibus*, *l. cit.* c. 23. ubi novem tantùm Manſiones numerat, cum tamen totum illud iter duodecimò die peragi dicat. Sic idem, ubi ſuprà ſingulis Manſionibus camelorum ſexaginta octo milliaria plus minus imputat; ad quem locum vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 494 & *ſeqq.* Plura verò hanc in rem hîc paſſim in vocibus *Aquatio*, *Hydreuma*, *Manſio*, &c.

CAMELORUM Pili, in Caſpiis olim fuêre molliſſimi & ex iis confectæ veſtes ad delitias pertinebant. Ælian. *Hiſt. l.* 17. c. 34. Κάμηλοι δ' ἀριθμῷ εἰσὶ πλεῖστοι, καὶ μέγισται τῷ τῶν ἵππων τῶν μεγίστων, εὐτριχες ἄγαν. ἁπαλαὶ γάρ εἰσι σφόδρα αἱ τρίχες αὐτῶν, ὡς καὶ ταῖς Μιλησίων ἐρίων ἀντικρίνεσθαι τὴν μαλακότητα, ἐκ δὲ τούτων οἱ ἱερεῖς ἐσθῆτα ἀμφιέννυνται καὶ οἱ τῶν Κασπίων πλουσιώτατοι καὶ δυνατώτατοι. *Cameli etiam* (apud Caſpios) *plures numerantur, quorum maximi maximis equis ſunt magnitudine pares, pilis magis preti, ii enim ita molles ſunt, ut cum Mileſiis lanis mollitie comparari poſſent. Ex illis porro Sacerdotes induuntur, & Caſpiorum ditiſſimi quoque & opulentiſſimi.* Quod illum habere è Cteſia docent hæc Apollonii *Mirabil.* c. 20. Κτησίας δὲ ἐν τῇ δεκάτῃ Περσικῶν καμήλους εἶναι ἐν τῇ χώρᾳ γράφει, ὡς ἔχειν τρίχας ὥσπερ Μιλήσια ἔρια τῇ μαλακότητι· ἐκ δὲ τούτων τοὺς ἱερεῖς καὶ τοὺς ἄλλους δυνάστας τὴν ἐσθῆτα φορεῖν. *Cteſias Perſicorum l.* 10. *refert, in ea regione eſſe camelos, quorum pili mollitie lanas Mileſias æquent, Sacerdoteſque & alios Proceres veſtes ex iis confectas geſtare.* Ita in Imperio Magni Chami, in urbe Calacia, Metropoli Provinciæ *Tanguth*, inveniri pannos, nomine *Zambelotte*, de lana alba & pilis camelorum contextos, quibus vix pulchriores in mundo inveniantur, narrat Paulus Venetus, *l.* 1. c. 63. qui etiam c. *ſeq.* ubi de terra Gogi & Magogi, *Fiunt*, inquit, *ibi Zambelotti optimi de pilis camelorum.* Cujuſmodi pannos propriè ſignificat vox Gallica *Camelot*, quamvis ſumatur hodie lanis. Sed camelorum in Caſpiis aut in Tartaria villi, quàm ſunt tenues, tam ſunt aſperi vulgares, quibus indui conſueviſſe Johannem præcurſorem Chriſti, legimus in Hiſtoria Euangel. Matth. c. 3. v. 4. & Marc. c. 1. v. 6. Hebræi vocant צמר גמלים *lanam camelorum*: ut, cùm quærunt, *an ut lanam ovium, ita lanam camelorum, cum lino miſcere Lex vetet?* Levit. c. 19. v. 19. & Deuteron. c. 22. v. 11. Item, *an lepra inficiat veſtes ex lana camelorum, quomodo inficit veſtes ex lana ovium?* Levit. c. 13. v. 47. 48. 52. 59.

Vide

Vide Talmudicum Tract. *Kelim* k. 9. & Maimonidem in *Kelim* c. 10. §. 6. citatos Bocharto, in *Hieroz. Part. Prior. l.* 2. c. 2. Recentioris ævi Scriptores *Camelotum* quoque & *Camelaum* vocant, cujuſmodi pannum ſic deſcribit Fortunatus de *Vita S. Martini*, *l.* 4.

> ——— ——— *Modò ſubit aſpera tela*,
> *Hiſpida cameli tegitur quaſi veſtere textu.*

E quo, inter Chriſtianos, olim Monachos veſtes confici curaſſe, docet Sulpitius de *Vita ejuſdem*, *c.* 7. ubi de inſtitutione Ordinis Monaſtici à S. Martino inſtituti: *Denique camelorum ſetis veſtiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat.* Et Paulinus *Vita ejuſdem l.* 2.

> *Multis veſtis erat ſetis contexta cameli,*
> *Quæ levibus ſtimulis vigiles contegeret artus,*
> *Excluderet tenuem compendia carne ſoporem,*
> *Mollia ne fluxam nutrirent tegmina corpus,*
> *Laſcivo & tenui veſtis ſuſtilaret amictu*, &c.

Vide eundem *Ep. ad Severum*, & alia quædam hanc in rem, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

CAMELORUM Tubera, Græcis κυφώματα & τύλοι, unde ἄτυλοι dictæ, quæ bina habent: Ariſtoteli ὕβοι, unde vox Latina *gibbus*, Æolicè γύβος, *petumen* antiquis Romanis ſeu *petimen* A qua voce *Petaminarii* fortè dicti, qui ſaltu periculoſò corpus vibrantes, toros plerumque ſe contrahunt & gibbos faciunt, ut Petauriſtæ & alii hujuſmodi periboli ſaltatores, de quibus vide infrà. Eadem quia oneribus læſa melle inungi ſolent, hinc cameli tuber, Hebraicè דבשת *dabbeſeth* dicitur, Eſaiæ *c.* 30. *v.* 6. tanquam à voce דבש *debas*, quæ mel ſonat, uti habent Rabbi Selomo *in Eſajam*, & Talmudici Doctores, *Tract. de Sabbatho c.* 8. & 14. nec non *in Bava Metſia c.* 3. Cui tamen originationi utpote longiùs petitæ, non aſſentitur Bochartus, quem vide *Hieroz. Parte poſter. l.* 4. *c.* 12. uti de *Camelino* clitella infrà, voce *Riſcum*.

CAMENECIA, ſeu CAMIENICUM, urbs Poloniæ permunita, caput Podoliæ ſuperioris cum arce valida inter rupes ſita. Ad amnem Smotrzicum, qui paulò infrà in Tyram cadit. In confinio Moldaviæ. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Leopolienſi. Incendiò fœdè vaſtata, A. C. 1669. Vulgò *Kamienick Podolski*. Jam ſub Turcis.

CAMENTA, Cypri promontorium, ſolem occiduum ſpectans.

CAMERA, vel CAMERE, ager, de quo Ovid. *Faſt. l.* 3. *v.* 581.

> *Eſt prope piſcoſos lapidoſi Crathidis undas*
> *Parvus ager, Cameren incola turba vocat.*

CAMERA, cubiculum, cœnaculum, conclave, quaſi *camurra*, à curvitate, ut placet *Papiæ*: ſeu potiùs à Græco καμάρα; καμάρα autem idem quod τροχαλόν, *curvum* ſeu *inflexum*, arcuata enim & in morem rotarum rotundata tecta *cameræ* ſunt. Unde *rotatio camerarum*, apud *Caſſiodorum*, ἡ τροχαλότης τῆς καμάρας, vide infrà in voce *Trichila*. Itaque errat Vir doctiſſimus, qui *ad verba Vopiſci in Aureliano*, *c.* 47. *Habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in pelles mitteretur*: per *cameras*, laquearia privatarum ædium & balnearum vult intelligi. *Cameræ* enim tecta ſunt curva, de quarum diſpoſitionibus videri poteſt Vitruvius, *l.* 7. *c.* 3. nam & trulliſſabantur & inducebantur tectoriò: Laquearia autem vel laqueata tecta erant, quæ nunc *lambriſſata* Galli vocant. Ex tabulis namque ligneis fiebant, in varias figuras & mæandros ſectis ac cælatis, quæ plerunque etiam verſatiles erant, ita ut & flores & unguenta deſuper ſpargerent, ut apud Sueton. *in Nerone*, *c.* 31. legimus: id quod in *cameris* fieri non potuiſſet. Et quidem *camerarum* uſum Veteres ignoraviſſe, notat *Servius*; eâ ratione vela ſubtendentes laquearibus ad excipiendum pulverem, qui per rimas tabularum multus conſueverat manare: quibus non opus in *cameris*, ut quæ tectoriò opere inductæ rimas non dehiſcunt & proin pulverem nec admittunt, nec tranſmittunt. Neque verum, quod *Iſidorus* ait, laquearia cameris ſubtegi conſueviſſe, niſi nomine laquearium ibi *coronas* intelligat, quæ ſubjiciebantur cameris, tenuis ſubtiliſque operis & aliquando ex gypſo, aliquando ex creto marmore, perducebantur ac modò puræ, modò cælatæ fiebant. Sed hic camerarum ornatus multum à laquearibus diſtabat, trulliſſatis enim politiſque cameris ſubjiciebatur. Tectoriò igitur opere inducebantur cameræ, & picturis tectoriò ſuperinductis, non ſecus ac parietes, decorabantur, quod tectorium ὑποχάρτιον vocabant. Vide *Epiſtol.* Pontificum 61. ubi ὑποχάρτιον videtur dici coronarium opus, quod cameris ſubjici ſolitum diximus, à chartæ tenuitate & ſubtilitate & idem eſſe, ac ὑποπλάκωσις: niſi quis ὑποχάρτιον dictam malit, quòd uſus chartarum fuerit, in cameris intexendis & diſponendis, vel etiam decorandis. Sed ſuperior ſententia potior videtur, cùm optimum *Gloſſarium* ὑποχάρτιον *tectorium* interpretetur. Etiam verò imbracteabantur cameræ, ut ex Vopiſci *l. c.* patet: muſivò item opere decorabantur, imò muſivum opus propriè cameratum fuit & de earum ornatu tantummodo apud Auctores uſurpatur, quemadmodum ſolum ſeu ἔδαφος arte pavimenti ſeu ψηφωτῇ ornabatur. Porrò ex Procopio *de Ædif. Juſtin. Serm.* 2. diſcas, aliud *cameræ* ornandi pingendique genus fuiſſe, cerâ reſolutâ igne, quod ad Encauſticen pertinet; quò genere picturæ parietes conſueviſſe pingi, ait Auctor *Etymologici magni*. Eòdem autem genere & parietes & cameras pingi & ornari ſolitas dictum. *Urere coloribus* dixit Ovid. *l.* 3. *Faſt. v.* 831.

> ——— ——— *Tabulamque coloribus uris*, &c.

Sic variis modis *Cameræ* ornabantur; coronariò opere, muſivariò, cerographiâ, vel encauſtice, & imbracteatione: quem poſtremum ornandi modum prohibere in animo habuit Aurelianus Imperator. Apud Recentiores verò vox latiùs ſumi & ad quævis tecta extendi cœpit: unde etiam *Cameræ* contabulationes ipſæ appellatæ ſunt, ſive laqueatæ eſſent; ſive cameratæ: & *Iſidorus* ſic vocem ſumit, cùm laquearia eſſe dicit, *quæ cameram ſubtegunt & ornant, ſquare vel rotunda vel quadrata, ligno ſeu gypſo ſive colore cælata ſolite*. Plura ejuſdem ſignificatus vide hic infrà; & de utriuſque accuratè differentem Salmaſ. *Notis ad Spartian in Peſcennio Nigro c.* 6. & *Vopiſc. loc. cit.* nec non *Exercitat. Plinianis ad Solinum paſſim*, ubi de *Camerarum* duobus generibus, quæ ex *lapide* ſtruebantur, aut quæ ex *contignationibus* factæ ſigninò opere inducebantur & albariò poliebantur: de ornatu porro earum, qui opere *muſivò*, vitro & gypſo fiebat: tandem de variis ſpeciebus, *Teſtudine*, *Fornice* & *Concha* complura habes, p. 1214. & *ſeqq.* adde p. 232. ubi de *Cameris* ceris uſtis ſeu encauſtò quoque pingi ſolitis, &c.

CAMERA, apud citerioris ævi Scriptores, conclavis eſt, ubi theſauri reponuntur & ſervantur: quâ notione apud Græcos ποτὲ occurrit, uti Car. du Freſne docet *ad Alexiadem*. Inprimis ſumitur pro Fiſco Imperatoris vel Regis. Unde Fridericus I. Imperator apud Helmoldum, *l.* 1. *c.* 80. & in *Hiſtor. Archiep. Brem.* A. C. 1153. *Magna, inquit, requiritur, ò viri Romani, de exinanita camera noſtra*. Sic in Teſtamento Caroli M. apud Eginhartum legimus, *Quidquid in camera atque veſtiario ejus eo die fuiſſet inventum*. Inde in Francia, Fiſcus ſeu Theſaurus Regius hodieque *Camera Denariorum* dicitur: factumque, ut provinciæ etiam atque urbes, quæ immediatè Principi ſuberant, & fiſci erant propriæ, *Cameræ* dicerentur. Vide *LL.* Edwardi Confeſſ. Matthæum Pariſ. *A. C.* 1242. Alios. Sic Monaſterium S. Dionyſii *propriam Cameram* Regis Franciæ, vocat Rigordus *A. C.* 1183. &c. Porro pro Curia Principis, pro officina ejus monetaria, pro officio Camerarii in Monaſteriis, pro Dotalitio uxoris, vocem uſurpatam reperias, in *Vita S. Adelberti* Prag. *Antiqq. Lect. Tom.* 5. in *Charta* Guilielmi Ducis Aquitaniæ apud Beſlium *p.* 539. in *Monaſtico Anglic. Tom.* 1. *p.* 248. in *Pacto* Nupt. inter Ludovicum II. Siciliæ Regem & Rolandam fil. Johannis Regis Aragonum *A. C.* 1399. Quâ ultimâ notione hodieque in uſu apud Gallos eſt, qui *la Chambre de la Femme* vulgo appellant ſupellectilem, quæ, poſt exceſſum conjugis, uxori addici ſolet. De *Camera Clericorum*, quæ in Francia idem erat, quod *Garderoba* in Anglia, vide Fletam, *l.* 2. *c.* 14. §. 1. & plura hanc in rem, apud Car. du Freſne in *Gloſſario*.

CAMERA, pro ſepulchro camerato & hypogæo ſeu ſubterraneo, apud *Phlegontem*: Ἀνορύξαντες δὲ οἱ ἐκεῖ ... [illegible] ... Ubi hypogæum illud monumentum totius familiæ, quòd fornicatum eſſet, καμάραν, i. e. *cameram*, vocat; θήκας verò ſingulorum cadaverum thecas vel arcas, quæ unâ καμάρᾳ vel *fornice* habebantur conditæ. Et quidem cùm *Cameræ*, aliæ eſſent ἀψιδωταί, quæ ſemicylindri formam habebant & oblongæ erant; aliæ ἠλακατώδεις, quæ ex ſtructura factæ & concavos receſſus haberent; poſteriori modò fiebant ſepulchra Judæorum, ut & Græcorum, ſubterranea omnia quas *Cryptas* dicebant & *Speluncas*. Cujuſmodi etiam fuit Domini ſepulchrum & Lazari, volubile nempe & fornice tectum ac ſub terra conſtructum, ἐν πέτρᾳ λαξευτῷ καὶ ἀλαξεύτοις. Fiebant autem *cameræ* illæ vel fornices Hypogæorum ex magnis lapidibus & quadratis, quos Græci τετραγώνους λίθους dixêre. Unde apud *Strabonem*, τετραγώνῳ λίθῳ καμαρωθέντες, *quadrato ſaxo concameratos*. Item μονολίθους, idem lib. 5. καμαρωθέντων ... [illegible] ... quoque: quò modò Plato de monumento hypogæo, ex lapidibus ſtructum & concameratum ingentibus debere eſſe dicit, ἐκ λίθων ... [illegible]. Alii λογάδας λίθους appellant. Certè vetus *Itinerarii* auctor, monumentum Eſaiæ Prophetæ monolithum revera fuiſſe ait & volubile, quòd ſcilicet cameratum eſſet monolithis. Et in monumento Domini ... vocant Evangeliſtæ, ob magnitudinem, & λαξευτὸς ac λαξευτοῖς, quòd ingentes & quadrati eſſent lapides, quibus cameratum atque conſtructum erat, &c. Cæterùm non omnium fuit ſepulchra habere ædificata, ſed ditiorum ſolùm ac potentiorum: vilis turba cadavera ſua factâ ſcrobe defodiebat, & aggeſtâ deſuper humô tumulabat, cippô lapideò ſuper illud χῶμα ſtatutò, qui nomen & elogium defuncti contineret: qua de re infrà dicemus. Vide plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1213. & *ſeqq.* & infrà ubi de Sepulchralibus Veterum *Cryptis* & *Hypogæis*.

CAMERA, navigii genus, apud Tacitum, ubi de motu ab Aniceto Polemonis liberto, excitato: *Quin & barbari contemptiùs vagabantur, fabricatis repentè navibus, quas Cameras vocant, artis lateribus, latâ alvò, ſine vinculo æris aut ferri connexas; & tumidò mari, prout fluctus attollitur, ſummas navium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur. Sic inter undas volvuntur pari utrimque prorâ, & mutabili remigiò, quando hinc vel illinc appellere indiſcretum & innoxium eſt*, *Hiſt. l.* 3. *c.* 47.

CAMERA Apoſtolica, Pontificis theſaurus eſt, & *Patriarchium* aliquando dicitur. *Unde autem ſumebat ea, quæ ad uſum ſui corporis erant neceſſaria? Dicit Beatus manifeſtè de Patriarchio Romano*, &c. *Noſtram Eccleſiam Romanam? Dico enim vobis, quia ſi quis venit illuc miſerabilis homo hoſpitari, omnia ad uſum præbentur ei* &c. *In tomo S. Martini Papæ in Collection.* Anaſtaſii Bibliothec. per Sirmondum in 8. *edito p.* 99.

CAMERA Clericorum, vide ſuprà.

CAMERA Denariorum, *ibid*.

CAMERA Papagalli, appellata eſt in Vaticano Palatio, ubi habebatur Conſiſtorium Secretum. *Ceremoniale Rom. l.* 1. *ſect.* 9. *c.* 3.

Co-

Conſiſtorium ſecretum celebratur in Aula aliqua palatii Apoſtolici remotiori (cameram Papagalli, *quæ eſt in Vaticano, appellant*) *ſed Pontificalis parieti adhæret, in medio ſurgit à ſolo ſine thalamo*, &c. apud Macros fratres in *Hierolex.*

CAMERA Spirenſis, ſupremum Imperii tribunal, inſtituta eſt à Maximiliano I. Cùm enim vagum ſæpius eſſet Conſilium Aulicum & Cæſar ipſe Germaniæ provincias priùs obire cogeretur, nunc in Gallia Italiaque haberet quod ageret, factum inde, ut cauſarum deciſiones lentè procederent, etiamſi Judices aulici proceſſu ſummariò uterentur. Itaque incommodis his remedium allaturus Imperator præfatus in Comitiis Auguſtanis, A. C. 1530. decrevit Ordinum omnium conſenſu, ut tribunal Imperiale in poſterum Spiræ Nemetum fixum eſſet, perpetuumque jus diceretur ex Legibus Rom. ſalvis tamen receptis conſuetudinibus, & particularibus ſtatutis ſingulorum locorum. Quæ urbs tempore iſtò, in Germaniæ meditullio ſita, ab omnibus locis devolutas cauſas facilè recipere poterat: nunc à latere illo, quò Galliam ſpectat, valdè denudari cœpit; quæ ratio, quod Status Imperii in Pacificatione Weſtphalica de commodiore loco, ubi deinceps *Camera* eſſet, conſilia agitârint. Conſtare debet ampliſſimus hic Conſeſſus, *Judice Cameræ*, Principum, Comitum, Baronum familiâ oriundo & L. *Aſſeſſoribus*, ea ſemiſſe una Pontificiam religionem, ex altera Proteſtantium Sacra amplectentibus; qui conſtituuntur partim ab Imperatorib. partim ab Ordinibus, per Circulos X. incolentibus, uti in *Pariſr. cit.* videre eſt § *Præterea, cùm ob enatas ex praſenti bello mutationes*, &c. Ad eam verò non deferuntur cauſæ *matrimoniales*, quas ſolas Papæ reſervari Cæſares voluêre: neque *criminales*, neque *religioſa*, quas Status Imperii, vel quiſque ſeorſim in ſuo territorio, vel conjunctim in Comitiis ſibi vendicant. Sed nec de Feudis Regalibus, vectigalibus, abſolutione à Banno, decernit; hæc enim ad Judicium Aulicum, quod à veteri more ſuperſtes manſit in Cæſaris palatio, pertinent, &c. Vide Henr. Kippingum *Jure Publ. Method. inv. l.* 2. c. 3. ubi de anno inſtitutionis hujus *Cameræ* quod habet, corriges ex aliis, qui A. C. 1495. id à Cæſare, & quidem Comitiis Wormatienſibus, factum eſſe docent. Adde Limnæum *de Jure Publ.* Alios.

CAMERACENSIS Hugo, vide *Hugo*.

CAMERACUM, permunita urbs Galliæ Belgicæ Epiſcopalis ad Picardiæ fines, vulgò *Cambray*. Ad Scaldim fluv. 4. leuc. à Duaco in Auſtrum, 7. à Fano S. Quintini. Sub Hiſpanis cùm olim civitas Imperialis eſſet & libera: *Baudrand*. Caput regiunculæ *le Cambreſis*, 10. leuc. Metropolitana olim Belgicæ ſecundæ. Conditor ejus Camber, Sicambrorum Rex, Chlodion Galliæ Rex illam occupavit, A. C. 445. Poſt mortem Lotharii, ad Carolum Calvum pervenit, A. C. 870. Pomum hinc Eridos inter Gallos, Imperatores & Flandriæ Comites. A. C. 1543. à Carolo V. occupata, iterum Duci Alenconio, Henrici III. fratri ſe ſubmiſit, recepta ab Hiſpanis A. C. 1595. quibus tamen iterum operò bellô à Gallis erepta eſt. Hujus Epiſcopi *Duces, Comites, & Principes Imperii* dicuntur. Guicciard. *Belgic.* Sau Marth. *Gall. Chron. tom.* 1. Concilia ibi habita, vide in *Concilia Gall. Morerium.* Hic pax A. C. 1559. inter Henric III. & Philippum II. coiit. Vide & *Camaracum.*

CAMERANA, vulgò *la Chambre*, illuſtris in Gallia Familiæ nomen. In qua floruit A. C. 1097. Aymon *de la Chambre*, ut Vicecomitatum Maurienæ, dein Comitatum *de Leville* nactus eſt; ſed cùm maſculi ejus familiæ defeciſſent, ob Margaretam Johannis de *Seiſſel* Dn *de Barioz*, nuptam, hinc genti *Seiſſelia* (ex qua etiam Domini *de la Serra* & *Arx* deſcendunt) nomen novum eſt inditum. In ea autem denuo plures lineæ extiterunt, partimque adhuc ſuperſunt à Johanne Comite *de la Chambre* ortæ; Nempe Marchionum *de la Chambre*, Marchionum *de Arx*, Comitum *de Montreal*, tum Marchionum *de Meximieux*, nec non Comitum *de Montfort*: Prætenderunt etiam alicujus matrimonii titulò Principatum Arauſionenſem. Præcipuus carum à Johanne eſt præfato, qui Margaretâ filiâ Urbani *de la Chambre* Comitis *de Leville* ductâ, ex ea genuit Amedæum Comitem *de la Chambre*, *Leville & Dom.* patrem, ex Maria de Sabaudia, Ludovici, qui extinctus A. C. 1517. ex Anna *de la Tour*, filium habuit Johannem III. maritum Barbaræ *d'Amboiſe*: quò matrimoniò natus Johannes IV. Marchio *de la Chambre* Comes *de Leville*, ex Amata *de la Baume* Dn. *de la Ferte Chanderon*, ſuſcepit Johannem Ludovicum Marchionem *de la Chambre* Comitem *de Leville* (cui obtigit uxor Claudia *de Saux Tavanes*, *ἄτεκνος*) Petrum Marchionem *de la Chambre* (uxor Laurentia *de Clermont de Montoyſon* tandem *ἄτεκνος*) Car. Emanuelem Marchionem *de la Chambre*, *ἄτεκνον* ſimiliter, & filias 4. Luiſam, Philibertam, Sebaſtianam & Carolam, omnes illuſtribus maritis junctas. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. part.* 2.

CAMERARIUS, in Regno Angliæ, idem cum Cambellano ſeu Cubiculario eſt, apud Fletam, *l.* 2. *c.* 6. § 2. Vide ſuprà. In Regno Scotiæ, idem eſt, qui *Juſtitiarius itinerans* dicitur in Anglia: Is enim certis anni temporibus totam Scotiam peragrat & in delicta incolarum exterorumque, præſertim Artificum, ut Braſſiatorum, Piſtorum, Carnificum, Appretiatorum carnium, Guſtatorum cereviſiæ, Piſcatorum, Molendinariorum aliorumque inquirit, de ſtateris, ulnis & ponderibus cognoſcit, multas imponit, &c. quæ quidem Regni peragratio *Iter Camerariæ* vel *Camerarii* nuncupatur, in *LL.* Scoticis à Shenæo editis, in quo opere cognitio & juriſdictio ejus pluribus deſcribitur. In Aula Pontificia, *Apoſtolici* cognomen habet, ſicque dicitur, qui pecuniarum & Eccleſiæ Romanæ theſauri curam gerit: quod officium, *Archidiaconi* extinctô nomine, à Gregorio VII. Pontif. inſtitutum eſſe, tradit Onuphrius Panvinius. In Monaſteriis officium eſt, ad quod pertinent *omnes cenſus & reditus Monaſterii, ſive de villis, ſive de terris, ſive de molendinis, ſive de aliis rebus quibuslibet, ut* (Camerarius) *eos tempore ſtatutô & percipiat & requirat. Horrea etiam & aratra & terra arabiles & cætera cultura Monaſterii, nec non & pecora & omnes nutritura communes ad ejus curam ſpectant, ut ipſa provideat, quæ in his omnibus inſtaurandis & exercendis ſive conſervandis, neceſſaria ſunt*, &c. Lib. *Ordinis* S. Victoris Pariſ. *MS. c.* 10. apud Car. du Freſne. Ejuſdem eſt, *procurare omnia veſtimenta & calceamenta & lectos & ſtramenta lectorum — raſoria & forfices, terſoria ad radendum — dat ferra, quibus ferrantur equi Abbatis & Prioris & omnium Hoſpitum*, &c. apud Lanfrancum in *Decretis pro Ord Benedict.* Alter *Proviſor* dictus, apud Hugonem Abbatem in *Statutis Cluniac.* cui *Subcamerarium*, qui cellarii, granarii, horrei & ſtabuli quoque curam ſibi commiſſam habet, ſubſervit. De *Camerarii* dignitate, in Eccleſiis Cathedralibus vide *Statuta* Eccleſiæ Londinenſis in *Monaſtica Angl. Tom. III.* de Treſcamerario, quod nomen eſt dignitatis Palatinæ Camerarii dignitate inferioris, infrà &c. De *Camerariis* imprimis Franciæ ut aliquid addam, dignitas ea eſt in Palatiis Regum, cui *Camera* Regiæ, i. e. Theſauri ſeu Cimeliarchii Regii cura incumbebat; de qua ſic Hincmarus Remenſ. *de Ordine Pal.* c. 22. *De honeſtate verò Palatii, ſeu ſpecialiter ornamento Regali, nec non & de donis annuis militum, abſque cibo & potu, vel equis, ad Reginam præcipuè & ſub ipſa ad Camerarium pertinebat: & ſecundum cujuſque rei qualitatem, ipſarum ſolicitudo erat, ut tempore congruo ſemper futura proſpicerent, ne quid — opportuni tempore defuiſſet. De donis verò diverſarum Legationum*, ad Camerarium reſpiciebat, *niſi forte jubente Rege tale aliquid eſſet, quod Regina ad tractandum cum ipſo congrueret.* Ockam *cap. de Scaccario*, *Officium Camerariorum in recepta conſiſtit in tribus, ſcilicet claves arcarum — bajulant, pecuniam numeratam ponderant & per centenas libras in forulis mittunt.* Vide quoque Gregor. Turonenſ. *Hiſtor. l.* 4. *c.* 26. & *l.* 6 *c.* 45. è quibus colligas, apud Francos non unicum in Palatio *Camerarium* fuiſſe, niſi ii fuerint *Camerarii Provinciarum*, de quibus inſtà. Habuêre porrò *Camerarios* Franciæ Reges uſque ad Franciſcum I. qui, poſt mortem Caroli Ducis Aurelianenſis filii ſui, quem poſt obitum Caroli Borboniæ Ducis, *Camerarium* conſtituerat, dignitatem hanc ſuppreſſit. Vide Tillium & plura hanc in rem, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* è quo etiam hæc ſubnectimus:

Camerarii aliquot Regum Franciæ I. & II. ſtirpis.

Talro, ſub Dagoberto Rege memoratur Ratperto *de Caſib. S. Galli c.* 1.

Vandalmarus, ſub Guntranno Rege apud Fredegarium c. 4.

Reginardus, *Præpoſitus Cameræ Regiæ* ſub Ludovico Pio, in *Vita* ejus A. C. 817.

Tanculfus, ſub eod. apud Ardonem in *Vita* S. Benedicti Anianenſis Abbatis.

Bernardus Comes Barcinonenſis & Dux Septimaniæ in eadem *Vita* Ludovici Pii, & apud *Eginhardum*, *Nithardum*, alios.

Ingelrannus Comes ſub Carolo Calvo, apud Aimoini Continuat *l.* 5. *c* 32.

Theodoricus, ſub Ludovico II. in *Annal.* Bertini, A. C. 878. 879. &c. Porro ſub ſecunda Regum horum ſtirpe, erant *Nuntii Cameræ*, quibus provinciarum & urbium, ad Fiſcum Regium, *Cameram* dictum, ſpectantium, cura demandabatur; erántque veluti Procuratores Fiſci in illis, atque cum Ducibus æquatam habebant poteſtatem. Sic dicti, quod à *Camera*, ſeu *Camerario* Regio, in provincias mitterentur, eſſentque quaſi *Miſſi Cameræ*. Ekkehardus Junior *de Caſibus S. Galli, c.* 1. *Nondum — Suevia in Ducatum erat redacta, ſed Fiſco Regio peculiariter parebat, ſicut hodie & Francia. Procurabant ambas* Cameræ, *quos ſic vocabant*, Nuntii. *Ibidem*, *Hic — cùm aliqua Potamum Cameræ Nuntiorum juris oppidum pertinentia à Regibus darentur*, &c. Quod *Camerarius* tertiæ Regum ſtirpis concernit; recenſent eos paſſim veteres Chartæ & Scriptores, quos conſule. *Camerarios Provinciarum* in Regno Siculo & Neapolitano eoſdem cum *Cameræ Nuntiis* præfatis, facit Car. *du Freſne* laudatus.

CAMERARIUS Cardinalis, in Aula Pontificia, qui *Cameræ*, ut vocant, *Apoſtolicæ*, h. e. theſauri Papalis & redituum Eccleſiæ Romanæ curam, ac Sede vacante, per illos dies, quibus *Conclave*, ut ajunt, nondum celebratur, magnam juriſdictionem exercet, monetamque cum gentilitiis ſuis inſignibus cudit. Huic, ſi Sede nondum redintegratâ, decedere contigerit, ex facultate Bullæ Clementis V. ipſi Cardinales alium in eadem dignitate ſubſtituere tenentur, Dominic. Macer in *Hierolex.* Vide quæ de *Cameraria Apoſtolico* retrò ſunt dicta.

CAMERARIUS Joachimus, Papebergenſis Germanus, eruditione inclytus, præteritô ſeculô. Scripſit plurima, tranſtulit in Latinum Geometras, Arithmeticos, Aſtrologos, Oratores, Hiſtoricos, Poëtas, ex vetuſtate varios. Obiit Lipſiæ A. C. 1574. ætat. 74. P. Jovius, *in elog. c.* 146. *Turneb. Lipſ.* Voſſ. *de Scient. Mathem c* 65. §. 14. Vide & *Joachimus*. Addo hic ſaltem Patrem illum fuiſſe filii cognominis, qui natus A. C. 1534. in ædibus Melanchthonis, Patris amici, educatus, Medicinæ gloriâ effloruit, ac paterna ſcripta collegit, edidítque, ipſe *Horti Medici ac Philoſophici* auctor. Nec non Philippi, qui ſcripſit *Meditationes Hiſtoricas*, à Simone Goulartio Gallicè verſas & auctas. Fuit & tertius *Joachimus Camerarius*, junioris filius, celebris itidem Medicus, de quibus omnibus vide Melchior. Adami, *Vitis Medicor* & Antonium Teiſſier in *Elogiis Eruditorum Vol.* 1. & 2.

CAMERIACUM, urbs ſatis ampla Galliæ Narbonenſ. Sabaudiæ caput & Senatus ſedes. In planitie, 2. leuc. à lacu Burgeno, juxta amnem *Orbanne*. Vulgò *Chambery*, vide *Chamberiacum*.

CAMERINUM, Umbriæ urbs præclara, à curvitate ſitûs appellata. Ab ea *Camertes* dicti. Vide Cluver. *Ital. Antiq. l.* 2. *c* 6. Nunc Marchiæ urbs eſt Anconitanæ, ſub Pontifice ad pedes montium. Media inter Maceratam & Spoletum, aliàs Ducatus titulô clara. 25. milliar. à Fulginio in Ortum, Romanis egregiè olim fida, Liv. *l* 9 *c.* 36 *Straboni*, Plinio, *l.* 3. *c.* 14. *Pis em.* Cæſ. *Bell. Civil. l.* 1. *c.* 15. Sil. Ital. *l.* 8. *v.* 462. *Vel raſtris laudande Camers*, memorata. Quas mutationum vices ſubierit, vide apud Leandr. *deſcr. Ital. Nic. Lloydum*.

CAMERINUS, Conſul, Collega Nigri, an. Urb. Cond 890.

CAMERINUS, Poëta, cujus meminit Ovid. *l.* 4. *De Ponto, Eleg.* 16. *v.* 19.

Quique canit domitam Camerinus ab Hectore Trojam.

Ubi alii *domito. Nic. Lloydius.*

CAMERINUS, vide *Pomponius*, it. *Sulpitius.*

CAMERIUM, Italiæ oppid juxta Collatiam. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Cameria* Livio, *l.* 1. *c.* 38 & *Halicarnaſſeo.*

CAMERIUS, nomen Romanum. Vide ſuprà *Camelius.*

CAMERLENGUS, vide ſuprà *Camerlengus.*

CAMEROPIS, civitas Indiæ. *Strabo.*

CAMERTES, populi Umbriæ nunc *Camerinenſes*, vide *Camerinum.*

CAMESENE, vel CAMISENE Latii, vel Italiæ vetuſtiſſimum nomen, jam inde à Jani temporibus, de cujus origine *Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.* Ad Camiſen quidem omnes referunt, ſed de Camiſe nihil certi. Hunc enim alii cum Macrobio, *l.* 1. *c.* 7. *Saturnal.* & *Hygino*, & Protarcho Tralliano, advenam & imperii conſortem; alii Jani fratrem faciunt cum Catone *in Originum libris.* Alii denique Camiſem aſſerunt ſororem & conjugem fuiſſe Jani, ut Draco Corcyræus apud Athen. *l.* 15. Unde videtur deſumptum, quod Servius *in l.* 8. *Æn.* Tiberim vel Tiberinum *Jani, & Cameſenæ filium facit.* Quid ſi *Cameſem*, vel *Cameſenem* dicamus id ipſum eſſe quod *Latium* & כתים *Cethim*, quia כמס *Camas* Hebræis eſt abſcondere. Hinc Moſes Deuter. *c.* 32. *v.* 34. nonne illud eſt כמס *camus*, reconditum apud me? *Nic. Lloydius.*

CAMESUS, Thraciæ urbs. *Ptol.*

CAMEUS, vulgò dictus lapis lacteus, nigrô & candidô compoſitus, cujus nempe ſuperficies candida eſt, radix verò nigra, marmoribus potiùs, quàm gemmis, annumerandus. Ingentes namque exciduntur cruſtæ, quibus lactea ſuperficies, quæ ectypis imaginibus aptatur; fundus autem vel radix nigerrima ſubſternitur. Paulus certè Silentiarius inter marmora recenſet atque ſic id genus deſcribit *in Ecphraſi S. Sophiæ*,

Ὅσσα δὲ Κελτὶς ἄνευθε βαθυκρύσταλλος ὀρέων
Χεῦε μέλαν στίλβοντι πολὺ γλάγος ἀμφιθάλλον
Ἐκχύνει ᾗπερ ἐκεῖνο μιγάδες ἴκελα καὶ ἴσα.

Ubi *corpori nigro ſuperficies lactea hinc inde ſuperfuſa*, marmoris omninò illud genus deſignat, unde vulgò *Camei* fiunt. In Germaniæ montibus illud inveniri iiſdem in verſibus innuit idem, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 562. & ſuprà, ubi de *Cameis figuris.*

CAMICUS, urbs Siciliæ, in qua Cocalus Dædali fil. imperavit, & circa quam Minos Cretenſis mortuus eſt. Ita *Steph.* Vibius *in Catalogo fluminum*: *Camicus*, Siciliæ, ex qua urbs *Camicos.* Ariſtot. *Polit. l.* 2. *c.* 10. *Quapropter & maris imperium tenuit Minos, inſularum alias cepit, alias incolis frequentavit, ad extremum autem bellum Siciliæ inferens,* τὸν βίον ἐτελεύτησεν ἐκεῖ περὶ Κάμικον. Strab. *l.* 6. *Multa etiam barbarica oppida interierunt*, Καθάπερ ὁ Κάμικος Κωκάλου βασίλειον παρ' ᾧ Μίνως δολοφονηθῆναι λέγεται. Vide Herodot. *l.* 7. & Diodor. Sic. *l.* 4. Apud Tzetzen *in Chil.* corruptè Κάμινον, & poſteà Καυκάλον legitur. *Fiume delle Canne*, hodiè *Cluverio.* Scribit hîc Carolus Steph. Charax hanc urbem *Inycum* vocat, dein Stephanum autorem advocat. Sic enim ille habet, Κάμικος, πόλις Σικελίας, ἐν ᾗ Κώκαλος ἦρχεν. Χάραξ δ' Ἴνυκον ἐκάλει φησί. Atqui non unum eundemque locum eſſe voluit Charax *Inycum* & *Camicum*, ſed cùm alii Camicum fuiſſe Cocali regiam affirmarent, ipſe è diverſo Inycum ſedem ejus fuiſſe tradit. *Nic. Lloydius.* Nunc urbs ſemiruta jacet, in colle, & *Siculiano* dicitur. *Brietius.* Fluvius autem cognomin. nunc *Cannaro* ſeu *Fiume delle Canne*; eſtque parvi momenti, *Baudrand.*

CAMIGARA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

CAMILABO, pannus utrinque dependens, à pileo Patriarchali, *Lexicon Græc.* apud Car. Macrum in *Hierolex.*

CAMILETÆ, populi ultra Euphratem. *Strabo.*

CAMILLA, Volſcorum Regina, Metabi Volſcorum Regis, & Caſmillæ filia, quam pater invidià ſuorum regnô pulſus, Dianæ famulam vovit. Quare ab ineunte ætate venationibus eam, & omni armorum genere exercuit: quibus in rebus brevi tantoperè profecit, ut ſummam ſibi ex re militari laudem pepererit. Tandem cùm Turno adverſus Æneam ſuppetias ferret, ab Arunte quodam ex inſidiis eſt interfecta. Ut latius deſcribit Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 539.

Pulſus ob invidiam regnô, vireſque ſuperbas
Priverno Antiquâ Metabus cùm excederet urbe,
Infantem fugiens, media inter prælia belli,
Suſtulit exilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Caſmillæ, mutata parte, Camillam.

Eam etiam deſcribit *l.* 7. *v.* 803.

Hos ſuper advenit Volſcâ de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære catervas
Bellatrix: non illa colo, calathiſve Minervæ,
Fœmineas aſſueta manus, ſed prælia virgo
Dura pati, curſuque pedum prævertere ventos.

CAMILLA, inter veſtes Epiſcopales, apud Theodulfum, *l.* 6. *Carm.* 18. *de Veſtib. Epiſc.*

Fluxa camilla *caput; mentem tegit*, &c.

Gall. *Camail.* Vide ſuprà in voce *Camalium.* Niſi potiùs legendum *Capella*, i. e. minor capa, quâ caput tegebant, uti cenſet Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CAMILLI & CAMILLÆ, miniſtri ſacrorum, à Romulo inſtituti: de quibus Dionyſ. *l.* 2. ita *Romulus voluit uxores cum ſuis maritis fungi ſacerdotio, & ſi quæ ſacra viros obire vetaret mos patrius, ea relinqui fœminis, in ejuſque miniſterii partem debitam venire, illorum etiam liberos: quòd ſi qui prole carerent, iis liceret optare ex quaque tribu puerum puellamque, elegantiſſimos: alterum miniſtraturum ſacris, donec pubeſceret; alteram tantiſper, dum pura eſſet à nuptiis*, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 38. Dicebatur quoque in nuptiis *Camillus* puer impubes, qui in operto vaſe, quod *Camerum* vocat Varro *de L. L. l* 6. utenſilia mulieris, quæque in uſu ac miniſterio ſponſæ erant, ferebat, Idem Roſin. *l.* 5. *c.* 37. Vide & infrà.

CAMILLIACUM, caſtellum Gall. priſcum, nunc *Chemillé*, locus non obſcurus hodieque in Andibus, à Camillo conditore. Eſt & Camilliacum, in diœceſi Sajenſi, *Chemilly*, quod & Prioratum ad Bleſenſe Monaſterium S. Launomari pertinentem & Eccleſiam ſuam ſeu parœciam habet Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAMILLUS, puer ingenuus, qui flamini Diali ad Sacrificia miniſtrabat. Antiqui enim *Camillos* & *Camillas* vocabant miniſtros, & miniſtras impuberes in ſacris. Unde Mercurius Hetruſcorum linguâ *Camillus* dicitur, h. e. *Deorum miniſter.* Plut. *in Numa.* De nominis notatione Bochart. *l.* 2. de *Animal. c* 36. Vates & miniſtri Deorum קשמים *Keſemim* vocantur, ut Romanis Caſmilli, i. e קשמי אל *Coſme el* miniſtri Dei. Cujus fœmininum *Caſmilla*, vel *Camilla*, Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 557.

Alma tibi hanc, nemorum cuſtos, Latonia virgo.
Ipſe pater famulam voveo. ——

Ubi Servius, *Voveo, conſecro in tuum miniſterium, unde & Camilla dicta eſt.* Vide Voſſ. *in Camillus. Nic. Lloydius*, adde Joh. Marshamum *Canon. Chron* & prædicta, voce *Camilli.*

CAMILLUS L. Furius, qui & alter Romulus dictus eſt, Romanorum ſuæ ætatis clariſſimus fuit, qui Faliſcis devictis, Vejos totô decenniô obſeſſos per cuniculos cepit. Nec multò pòſt, cùm crimini illi daretur, quòd albis equis triumphâſſet; & prædam iniquè diviſiſſet, die dictô ab Apuleio Saturnino Tribuno plebis damnatus, Ardeam conceſſit. Mox cùm Galli Senones urbem diripuiſſent, ipſumque Capitolium arctiſſimâ obſidione premerent, abſens Dictator factus, collectis ex fuga Romanorum reliquiis, Gallos pendendo auro intentos incautos oppreſſit, patriamque in libertatem vindicavit. Poſt hæc popul. Roman. Vejos migrare volentem, graviſſimâ, & elegantiſſimâ illâ, quæ apud Livium, *l.* 5. *c.* 51. legitur, concione retinuit; Legibuſque priſtino vigori redditis, Volſcos, Æquos, Tuſcos ſuperavit. Tertiùm Dictator creatus, & Satricum ſociam Populi Romani urbem ab impetu Latinorum tutatus eſt. Quartùm Dictator ad ſedandam populi ſeditionem factus, valetudinem excuſavit, aliumque ſibi ſubrogandum curavit. Quintùm Dictator Gallos iterum Romam petentes, & ad fluv. Anienem caſtrametatos ſuperavit. Poſtremò Romæ octogenarius peſtilentiâ interiit. Plut. *in vita ejus.* Liv. *l.* 5 Flor. *l.* 1. Aur. Victor. *de Vir. Illuſtr. c.* 23. *Diodor. Oroſ. Zonaras*, &c. De illo Virg. *Æn. l.* 6. *v* 825.

Aſpice Torquatum, & referentem ſigna Camillum.

CAMILLUS, unus ex Cabiris, quos quatuor fuiſſe vult Apollonii Schol. *in l.* 1. *Argon.* Vide Bochart. *de Phœn. Colon. l.* 1. *c.* 12.

CAMILLUS Ovinius, vide *Ovinius.*

CAMILLUS Scribonianus, cui à Romanis Claudii imperium pertæſis, imperium erat oblatum, mox à ſuis deſertus & necatus eſt, Arria uxore ſupra ſexum virili animô fœminâ, ultroneâ morte ipſum ſubſequente A. C. 42. Tacitus, *l.* 6. *Annal. c.* 1. *l.* 12. *Annal c.* 52. Plin. *Ep.* 16. *l.* 3. &c.

CAMINA, Inſula maris Ægæi. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

CAMINATA, in *Chronico* Fontanell. *c.* 13. ſeu *Caminada*, apud Chrodegangum in *Regula Canonic. c.* 36. locus eſt, ubi Monachi in commune convivantur, ſeu, uti cenſet Haeſtenus, calefiunt. Unde Gallorum *Cheminée* ortum. Landinus *ad Dantem* ait, *Caminatas* dici in Lombardia *Sale de pelagi*, h. e. *Palatiorum aulas*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

CAMINUM, urbs Pomeraniæ ulterioris antè ſub Epiſcopo proprio, nunc ſub Electore Brandeburgico ad oſtium Oderæ *Dravenow.* E regione Inſul. Vollinæ. 1. vix leuc. à Mari Baltico 6. infrà Stetinum, 3. à Treptavia. Vide & *Camminum.*

CAMINUS, apud Plin. *l.* 33. *c* 4. ubi de Auro, *Quod effoſſum eſt, tunditur, lavatur, molitur, ut farina ac pilis cudatur, vocant argentum, quod exit è fornace, ſed auri. At quæ è camino jactatur ſpurcitia, in omni metallo Scoria appellatur*: idem cum fornace, uti idem alibi eam vocat. Gloſſæ *Fornax*, κάμινος. Habuitque in auro coquendo locum; cujus tamenta in catinos quidem coquenda mittebantur ex argilla factos: ſed illi catini in fornace ſeu camino ponebantur. Et quidem catinos iſtos ἀγγεῖα κεραμεᾶ Agatharchides vocat: in *camino* verò poni conſueviſſe, idem Plinius ait, *Catini fiunt ex taſconio, h. e. terra alba ſimili argillæ: neque enim alia flatum ignemque & ardentem materiam tolerat.* Sed & καμίνους in argento vocat *Strabo*, τῆς δὲ τῶν ἀργυρίων καμίνους ποιοῦσιν ὑψηλάς, *Argenti verò caminos faciunt ſublimes.* Imò in omni metallo, *in quo, quæ è camino jactatur ſpurcitia, Scoriam dici*, Plin. habet, *d. l.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1079.

CAMIRUS, urbs in Rhodo, ita dicta à *Camiro* Herculis filiô, quem ex Jole Euryti Regis filia ſuſceperat. Phœnicibus erat חמירא *Chamira*, quaſi *argilloſam* dixeris. Nam חמר *Chamer* eſt *argilla.* Natum nomen ex argumento, quia Camirus erat in argilloſo ſolo. Unde eſt, quòd Homerus, cujus epitheta rarò ſunt otioſa, vocat ἀργινόεντα Κάμειρον, *argilloſam Camirum. Il. β. v.* 647. *Nic. Lloydius.*

CAMISATUS, Clericus eſt, cui cura erat infundendi aquam calidam in calicem, poſt conſecrationem, ritu Græcorum, à quibus καλδοφόρος appellatur. Vide *Curopalatam*, laudatum *Marco.*

Græci naſcaque poſtrer aquam, quam potrent in calice, in Euchariſtiæ principio, quaque denotari volunt aquam ex latere Chriſti manantem, infundunt etiam poſt conſecrationem aliquas guttas aquæ calidæ ante communionem, ut ſignificent, quòd etiam in corpore Chriſti jam mortui remanſerit Divinitatis calor, ſive, *ut labiis admoto & ſanguini communicantes ſic afficiamur, quaſi è vivifico illo latere biberemus*, quæ verba ſunt Simonis Theſſalonic. Hoc porrò officiò qui fungebatur, dicebatur *Camiſatus*, fortè à *Camiſia*, h. e. alba ſeu ſuperpellicio. Cherinus à Novar. *Sacr. Bibl. l.* 3. *c.* 8. Camiſatus *ferendo ab altari carbonibus & ſacris lebetibus calefaciendis occupatus eſt, ut illic more ſolitò aqua ferventis tempeſtivè ſacris calicibus infundatur*, apud eund. Macrum.

CAMISENA, Parthiæ regio, Strabo *l.* 11. Cui *l.* 12. eſt Armeniæ minoris regio, & in ea urbs *Camiſa*.

CAMISIA, ſive CAMISIUM, prima veſtium ſacrificalium, linea tunica talaris: quæ quòd ad talos pertingeret, *Poderis*, Græcè ποδήρης, à colore *Alba* dicta eſt, ipſa verò à *Camis* nomen accepit, de quibus vide ſupra, in voce *Came*. Fuiſſe ſtrictam & corpori adhærentem, tradit Hieronymus ad Fabiolam, *camque ſimilem militum Camiſia eſſe dicit, quæ ſic apta membris & adſtricta corpori, ut nihil militaris exercitationes impedirent*. Earum mentio apud Anaſtaſium, *in vita Benedicti III. Camiſias albas ſigillatas holoſericas cum chryſoclavo*. Caſaubonus *in illud Lampridii, in Alexandro, c.* 40. *In lineis autem auri mitti quam dementiam judicabat, cum aſperitati adderetur rigor*; jure, inquit, damnatas ab Alexandro lineas aurò clavatas, propter aſperitatem ac rigorem: & propterea ſe valde mirari, cur apud Anaſtaſium legantur *Camiſia aurò clavata*, has autem non ad uſum comparatas, ſed ad ornatum ædium ſacrarum. Verùm nihil aliud illæ *Camiſiæ* fuerunt, quàm lineæ tunicæ ſacrificantium, & ad uſum ſacrorum, non ad ornatum templorum: in quibus auri rigor & aſperitas non erat geſtantibus incommoda, cùm ſuper alias veſtes, nempe communes, injicerentur; ſecus tempore Alexandri, cùm lineæ nudis carnibus admoverentur, quas auri rigor ac aſperitas lædebat. Certè quemadmodum epularum miniſtri, in tunicis tantùm & fermè lineis, ſic etiam in ſacro convivio, Altaris miniſtri ſive Diaconi in tunicis, quas & nunc *tunicelas* appellant, inſerviebant; turba minor ſacricolorum in tunica linea. Honori Epiſcoporum tamen datum eſt, ut ſoli duas tunicas in ſacris geſtent, præterque *Camiſiam* talarem, tunicam ſuperiorem induant, quæ primò de more Κολοβῶν erat ac ſine manicis, mox in Dalmaticam converſa eſt, teſte Alcuinô *de divinis officiis*: quemadmodum in veteri Teſtamento Pontifex præter tunicam lineam, etiam hyacinthinâ induebatur, cùm reliqui ſacrorum miniſtri lineâ tantùm amicirentur. Fuit autem *Camiſia* olim quidem, ut dictum, talaris ac manulcata, quales in antiquis picturis cernuntur, poſt brevior in uſu eſſe cœpit, nec tamen eâdem ubique formâ. Plerunque manicata eſt, ſcitiſſimen & laxè fluentibus manicis, alibi ſtricta corpori & brachiis preſſa, quales Cardinalium & Clericorum Auguſtinianorum, alibi etiam ad inſtar involucris rotulorum, quod totum corpus involvit & hinc inde brachiis in humeros rejicitur, ut veteres Caſulæ ſive Planetæ, quæ forma Patavii viſitur, Cotta Italis dicta. Vide ibi. Lectorum propriam fuiſſe, ait Simon Theſſalonic. *l. de Templo*. Ο᾽ Αναγνώστης [illegible] *Lector veſte ornatur quam Camiſium dicunt, quæ eſt parva caſula, vel certè tunica modum e lino conficitur, primamque Sacerdotii delibationem demonſtrat*. Vide quoque Cadinum *de Officiis, c.* 6. *num.* 3. apud quem Greſerus veſtes eas hoc nomine intelligi vult, quas ſupra veſtes Clerici vulgò deferunt, & *ſuperpellicia* Latinis dicuntur. Hinc *Camiſati*, certi ordinis Clerici, apud Græcos, de quibus dictum. *Camiſiale* veſtis, in Concilio Colonienſi A. C. 1260. *can.* 7. tunica longior, hodie Gallis *Sotane*, quam Sacerdotes miſſam celebraturi, ſub Albis habere jubentur: *Camiſile* tandem, *Camiſile* ſeu *Campſile*, apud Monachum Sangall. *de Rebus Caroli M. l.* 2. *c.* 29. alibique paſſim, veſtis ſpecies, eadem cum Alba ſeu *Camiſia*; vel certè tela quævis linea aut cannabina, quomodo *camiſiam* videtur uſurpare Cæſarius *l.* 8. *c.* 32. &c. Vide Macros in *Hierolex.* & Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CAMIZISUS, pagus Gall. dictus à *Camizo* loco, vulgò *Chemou*, inter Catalaunos & Barrum Ducis, ad amnem in Matronam influentem: Obſcurus maximè & ignobilis, nec uſquam alibi, quàm in Capitulis Silvacenſibus memoratus. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAMMA, nobilis fœmina è Galatia oriunda, viri ſui Sinati mortem à Sinorige illatam, ægerrimè ferens, quum apud Galatas in more eſſet, ut qui ineunt ſponſalia, vir ſcilicet & uxor de eodem poculo biberent, diſſimulato dolore, ſponſalia cum eo inire finxit, venenatumque poculum illi propinavit: quò hauſtò Sinorix, & ipſa, læta quòd virum ulta eſſet, mortem obivêre. Alex. ab Alex. ex *Plut.* Polyæn. *l.* 8 *c.* 39.

CAMMANIA, pars Theſprotiæ (quæ *Ceſtrine* poſteà dicta, ex qua Cadmus fluvius Ceſtrinus) condita à Ceſtrino Heleni Priamidæ filio. *Steph.*

CAMMINUM, German. *Cammin*, urbs Pomeraniæ ulterioris Epiſcopal. olim, vide in *Caminum* Inſtitutus hic Epiſcopatus à Boguſlao II. vel, ut alii, Caſimiro, Pomeraniæ Duce poſt Julinum deſtructam à Danis A. C. 1173. ab eoque multis prædiis, ne tamen legibus, auctus eſt, ut dirio per quoſcunque pacis bellique caſus, Pomeraniæ indiviſus maneret, neque Epiſcopus, niſi Principis adſenſu, legeretur: quod pactô inter Ericum I. Pomeraniæ Ducem, & Sigfridum *Cammini* Præſulem repetitô firmatum eſt. Pacificatione verò Monaſterienſi, unà cum Magdeburgico, aliiſque quibuſdam Epiſcopatibus, religione ſolutis (*ſecularizatis*) Brandenburgico Electori obvenit: quibus abdicatæ in Suecos Pomeraniæ damnum ſarciret. Tob. Pfannerus *de præcipuis Germ. Princip. Gentibus*.

CAMMORON, apud Plin. *l.* 27. *c.* 4. ubi vulgò *cammarum* legitur, vox eſt origine Græca, quà illa aconiti ſpecies indigitatur, quam Θηλυφόνον appellavit Theophraſtus, quòd boves & jumenta & oves & omnes omnino quadrupedes necet, eòdie, ſi genitalibus inſulcatur, vel radix ejus, vel ſolium. Κάμμαρον verò Dioſcorides, ut & Nicander,

'Η᾽ δὲ ἀπὸ θηλυφόνον ἢ κάμμαρον.

quaſi [illegible], *mala morte necans*, uti vetera habent Scholia. Vel potiùs Æolicè, quaſi [illegible], i. e. *mortiferum*. Radicem habet ſcorpii caudæ ſimilem, unde & *σκορπίον* quidam appellavêre, eòque uſus legitur Calpurnius, in uxoribus ſuis interficiendis. Plin. idem *l. cit. c.* 2. *Cum conſtet omnium venenorum ocyſſimum eſſe aconitum — hoc ſuo veneno, quo interemit dormientes a Calpurnio Beſtia uxores, M. Cæcilius accuſator objecit. Inde atrox peroratio ejus, In digitum* [illegible] *eorum fabula narravêre ſpumo Cerberi canis extrahente Hercule*. Nempe unò digitulò cammori ſeu telyphoni ſuccò litô verenda uxorum ſuarum tangebat & ſic interimebat Calpurnius. Quamvis autem Aconiti ſpeciem ad genus veneni faciat Plinius, propter virtutis vi lelis & poteſtatis ſimilitudinem, in necandis feris, in cæteris tamen nihil cum eo ſimile habere, ſed omnia diverſa, folium, florem, radicem, colorem, natale ſolum, docet pluribus Salmaſ. *ad Solin. p.* 882. *& ſeqq.* ubi utriuſque figuras quoque Lectori ſpectandas exhibet, ex vetuſtiſſimo quodam Dioſcoridis Græci libro.

CAMOENÆ, Muſæ, Jovis & Mnemoſynes filiæ, à cantûs amœnitate (ut quidam volunt) ita appellatæ. Varro tamen author eſt ab antiquis *Carmenas*, & *Caſmenas* dictas fuiſſe, quæ poſtea abjecto r vel ſ, *Camœnæ* dicebantur. Virg. *Eclog.* 3. *v.* 59.

Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.

Legitur & *Camœna* ſingulari numerô. Perſius *Sat.* 5. *v.* 21.

— Tibi nunc hortante Camœnâ
Excutienda damus præcordia.

Horat. *l.* 4. *Carm.* 6. *v.* 27.

Dauniæ defende decus Camœnæ.

Et *l.* 2. *Carm.* 16. *v.* 38.

Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ.

Et *l.* 1. *Ep.* 18. *v.* 47.

— Inhumanæ ſenium depone Camœnæ.

Et *l.* 1. *Carm. Od.* 12. *v.* 39.

Gratus inſigni referam Camœnâ.

Senec. *in Medea, v.* 625.

Ille vocali genitus Camœnâ.

i. e. Calliope dulciter canente. *Nic. Lloydius.*

CAMOLIUS, vicus Liguriæ.

CAMOLODUNUM, vide *Camulodunum*.

CAMON, Hiſtoricus, libros fecit *de rerum inventionibus*. Quorum ſecundum citat Michaël Apoſtolius in [illegible]. Voſſ. *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 339.

CAMON, civitas terræ Galaad, in tribu Manaſſe, in qua Jair Galaadites, judex populi Iſraëlitici ſepultus eſt, Judic. c. 10. *v.* 5. Joſeph. *l.* 5. *Jud. Ant. c.* 12. Hieron. *de loc. Hebr.*

CAMONICA, vallis celebris Italiæ, in ditione Veneta, & agro Brixiano. Olliô fluviô irrigatur, & monte Aurigâ à valle Telina ſeparatur. Perlonga eſt & ferax. Ibi tranſitus frequens ex Helvetiis in Italiam. In valle hac 10. ſcholas Albigenſes ſeu Valdenſes habuêre, circa A. C. 1240. doctrinæ ſuæ rivulis in Siciliam uſque derivatis. Vide Lætum *Comp. Hiſt. Univerſ.* & in voce *Camunni*.

CAMOTIUS Joh. Baptiſta, Treviſanus Linguar. Orientalium, ac Græcæ, peritiſſimus, Philoſophiam docuit Bononiæ, ſub Julio III. inde Maceratæ ſub Paulo IV. tandem Romam vocatus à Pio IV. correxit opera Theophraſti ac Ariſtotelis, publico dedit *Commentarios Græcos in Metaphyſicam utriuſque*, vertit Latinè *Phyſicam Pſelli & Commentar. Olympiodori in Meteora*: *Poëmata* quoque nonnulla Græca edidit. Obiit A. C. 1581. ætat. 60. Antonius Teiſſier *in Elogiis Volum.* 2.

CAMPACUS, ſeu CAMPAGUS, ἀπὸ τῆς καμπῆς, *à flexione* vocatus, quòd multas καμπὰς & decuſſes in calceando faceret, ex corrigiarum alligaturis, apud recentioris ævi Scriptores dictus eſt calceus Patriciorum & Senatorum, ſolò colore ab Imperatoriis diſcretus. Imperatorum enim *campagi* rubri erant vel phœnicei, Senatorum verò nigri vel etiam candidi. Vetuſtioribus Latinis *calceus* ſimpliciter vocatus eſt. Nam etſi calceus generale nomen, de quolibet calceamento, ſic propriè tamen dictum eſt calceamenti genus, quo Senatores & Equeſter ordo, & reliqui paulò honeſtiores in Urbe utebantur. Hos Patricii lunatos geſtabant; qui Magiſtratum Curulem ceperant, mulleos; qui triumphabant, puniceos, ſtante Republ. Imperatores poſtmodum, ut & reliqua triumphalia ornamenta, puniceos ſibi ſolis, ut dictum, vindicârunt. Interim omnes hi calcei ejuſdem formæ erant, *reticuli* dicti Gallieno, non quòd intertiſi eſſent & πολυσχιδεῖς, uti æſtivi calcei hodieque eſſe ſolent; ſed propter ſoleorum & corrigiarum, quibus circa crura alligabantur, variam & multiplicem decuſſationem que volutam implicationem, quæ reticulatum planè opus referret. Multis autem corrigiarum nexibus & involutionibus vinciri ſolitos fuiſſe patricios huſce calceos, innuit *Iſidorus*, cùm *quatuor* illos *corrigiis* adnecti conſtruiſſe ait, quo modo multas unculas decuſſes fieri fuit neceſſe. Uſurpari ſolebat calceus hic in Urbe & in publico; nam domi, depoſitis calceis, ſoleas ſumebant: extra urbem calceos quoque abdicabant. Itaque calceus togam ſemper ſequebatur, ſicut pallium crepida, apud Græcos. Ubi

verò nomen, ita & uſum calcei, à Siculis & aliis Græcis, qui Italiam incoluerunt, accepêre Romani. *Romani* prout *calcei* appellatione donati, à Caſſiodoro in *Codicillis Rapticianis ad Theod.* quem *Heſychius* κοῖλον ὑπόδημα, *cavum & profundum calceamentum* appellat, quod uſque ad mediam tibiam aſcenderet, ut caligæ, perones, tibiali, cothurni, qui non minùs, quàm *campagi*, imò etiam magis, tibiam calceabantur. Nam *campagus* loris tantùm & corrigiis crus involvens, magnam ejus partem intactam relinquebat, quod aliæ ſpecies totum operiebant ſolidâ & integrâ pelle, &c. Vide Salmaſ. *ad Trebellium Pollionem in Gallienis*, c. 26. qui etiam calceorum uſu ſervis fuiſſe interdictum, ex *Servia* obſervat. Uti verò *campagum* Trebellius hic, ut & Capitolin. *in Maximino Jun.* c. 2. Regibus & Imperatoribus ſic Prætoribus & Palatinis Scholiaſtes Juliani Anteceſſoris in *Conſtitut.* 27. c. 63. & quibuſvis aliis, atque adeò ipſis militibus, Auctor *Chronici* Alexandr. p. 666. adſcribit. Poſtmodum Pontificum Romanorum proprius fuit. *Hypomneſticum* de Anaſtaſio Apociſ. *Et uno ex campagis ejus -- quos nullus alius, inter homines portat, niſi ſanctus Papa Romanus.* Unde apud Anaſtaſium in *Stephano IV.* legimus, in degradatione Conſtantini Antipapæ, *Mauricium Subdiaconum orarium de ejus collo ſuſtuliſſe -- & campagos ejus abſcidiſſe.* Indultu tamen Pontificis etiam Diaconi Romani, Cardinales nempe, Diaconatûs ordine donati primùm; exin Epiſcopi omnes: tandem Abbates quoque, quibus à Pontifice Epiſcoporum ornatus conceſſus eſt, hôc calceô uti cœpêre, uti pluribus docet Car. du Freſne in *Gloſſar.* Vide iterum præfatum Salmaſ. *ad Inſcr. Herodis Attici* p. 102. ex Johanne Gazenſi, & infrà in voce *Campagi*.

CAMPÆ, Ciliciæ Præf. in Cappadocia oppid. *Ptol.*

CAMPAGES, inter nomina montis Tauri, apud Plin. *l.* 5. *c.* 27. ubi alii legunt *Chambades*. Salmaſ. *ad Solin.* p. 788.

CAMPAGI, Principum ſive Imperatorum Romanor. calceamenta erant, cultu, pretiô colore que ab aliorum diſtincta. Jul. Capitolin. in *Maximino Jun.* c. 2. *Calceamentum ejus, i. e. campagum regium, quidam poſuerunt*, Trebell. Pollio in *Gallien.* c. 16. *caligas gemmatas annexuit, cùm campagos reticulos appellaret.* Vide ſuprà in voce *Calcei*, ut & in voce *Tzanca*. Balduinum *Calceamentum* fuit Imperatorum, cujus formam ex Jul. Capitolino expiſcari licet, qui quidem in explicando Proverb. *Caliga Maximini*, apertiſſimè *Campagum*, caligam eſſe dicit; unde cum hac ſimilitudinem habuiſſe, perſpicuum. Interim cultu, pretiô ac colore, à caligis viliotibus *Campagos* fuiſſe diſtinctos certum eſt. Namque idem Auctor Maximini calceamentum *Campagum regium* vocat, i. e. eô, qui Reges deceret, cultu ornatum. Et apud Trebellium Pollionem *loc. cit.* Gallienus, *Caligas gemmatas annexuiſſe dicitur, cùm Campagos reticulos appellaret.* Ubi quidem è voce *reticulos* eum ornatum elicimus, quô obſtragula illorum crebris & aptè diſtinctis inciſuris, retium ad inſtar, velut feneſtrata fuêre. Vide Ben. Balduinum *de Calceo* c. 18. ubi A. Friſius *Campagi* iconem, ex Mathamo, curioſi Lectoris oculis videndam ſiſtit. Fuerunt autem & *Campagi* ea genere ſolearum, non integrâ ſolidâque pelle crura operientes, ſed faſciis multis reticulatim implexis tegentes, caligis Senatoriis Romanorum ſimiles, uti colligitur ex Juliano veteri Novellarum Interprete, qui *Novellâ* 126. ubi interdicitur Advocatis aliiſque, ne, cùm cauſas agunt non præſente Imperatore, dignitatis ſuæ inſignia adſumant, togam nempe & calceos, ibi hos calceos *Campagos* exponit. Hos poſteà Diaconis Romanis conceſſos fuiſſe, ait Papias, vide quoque Gregorium M. *l.* 7. *Ep.* 28. & Alb. Puciolum *de antiquo jure Sicula Eccl.* c. *ult.* quem morem, à Conſtantini M. donatione quidam, ſed infeliciter, arceſſunt. Deſcribit eos Amalarius *Eccleſ. Offic.* *l.* 2. *c.* 18. & Honor. Auguſtodunenſis *in Gemma animæ* *l.* 1. *c.* 210. ubi inter alia legas, albô coriô intrinſecus circumdatos fuiſſe, extrinſecus nigri cùm eſſent: Verba donationis ὑποδήματα ἤτοι σανδάλια λευκά δι᾽ ὀθονίου, *calceamenta ſeu ſandalia candidi linteamine illuſtrata*, vocant. Unde patet fuiſſe inciſos κὶ πολυσχιδεῖς, uti & olim ſandalia quædam apud Græcos, de quibus Cephiſiodorus apud Pollucem, *l.* 7. *c.* 22. &c. Alb. Rubenius *de Re Veſtiar.* *l.* 2. *c.* 5. *ubi de calceo Senatorio*; contra quem tamen ſentit Salmaſ. *in Trebellium*, qui *Campagos* eoſdem fuiſſe cum calceis antiquis Patritiis contendit, uti vidimus ſuprà in voce *Campacus*.

CAMPANA, inventorum quibuſdam Paulini Epiſcopi Nolæ, Civitatis Campaniæ, circa A. C. 400. onde à civitate *Nola*; à patria *Campana* nomen. Sunt qui Sabiniano Pontifici Romano rem attribuunt, eô decepti, quòd horas is Canonicas primus campanæ ſonitu diſtinxit. Nonnulli à gentibus petunt, quòd apud Ovidium, Martialem, Tibullum, Statium, Manilium, Græcos item veteres tintinnabula reperiantur & pelves, etiam æra ſtrepitantia in eadem ſæpe munia, quibus hodie campanis utimur. Non addecat tamen, ut ingentes campanarum noſtrarum moles, iis ſeculis excogitatas cenſeam. Novum enim nomen novum prædicat artificium, & dicitur Lupus Epiſcopus Aurelianenſis A. C. 610. pulſando campanas in templo Stephani, apud Senonas, quô ſignô convocare ſolebat populum, exercitum Clotharii, qui muros obſidebat, adeò terruiſſe, ut omnes ſeſe in fugam verterint: unde patet, nec vulgares tunc fuiſſe campanas, nec Clotharii militibus cognitas. Advertas tamen, *ſignô* jam uſi Sidonii ævô, circa A. C. 480. ſed minoè forſan & exiguô: Lupus grandiores adhibuerit, & in claſſicum, ut hodie ſolet, pulſatas. In Britannia Inſul. circa A. C. 680. meminit Beda *Hiſt. Eccl.* *l.* 4. *c.* 23. *Audivit ſubitò in aere notum campanæ ſonum, qui ad orationes excitari vel convocari ſolebant.* Græci multò recentiùs à Veneto acceperunt, qui circa A. C. 874. Baſilio Imperatori duodecim magni ponderis, artificiique non vulgaris donô miſit campanas. *Suntque Venetorum munere tum primùm Campanâ ære uſi*, Sabellic. *Ennead.* 9. *l.* 1. Ante hoc verò tempus celebris erat Campanarum uſus in Anglia. Refert enim Ingulphus, Turketulum primum Croylandiæ Abbatem, qui obiit A. C. 875. eidem monaſterio, quod ipſe fundaverat, 6. dediſſe campanas, duas ſcil. magnas Bartholomæum & Betelinum dictas: duas [illegible] Turketulum & Betwinum: & duas minores, Pegam & [illegible] jam [illegible] ſieri curâſſet in maximam campanam, nomi[illegible] prædict: mirabilem faciebat harmoniam. Munus [illegible] ſic numerabant in Eccleſiis

> *Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum,*
> *Defunctos ploro, peſtem fugo, feſta decoro.*

Durandus *Ration.* *l.* 1. *c.* 4. ſex genera tintinnabulorum in Eccleſia memorat, cum inquit: *Squilla*, pulſatur in triclinio, i. e. Refectorio: *Cymbalum* in clauſtro: *Nola* in Choro: *Nolula* ſeu dupla campana, in horologio: *Campana* in Campanili: *Signum* in turri. Beleihus verò *divin. offic.* c. 68. Tintinnabulum pro Squilla ponit, & Campanam in turri coll[illegible]at, Campanulam in cœnobio. Hieronymi *ad Euſtochium* ductus auctoritate: ſignum autem pro quolibet pulſandi inſtrumento accipit, quô quidpiam ſignificatur. Occurrunt alia etiam vocabula generali ſenſu. Pelvis, unde Anglic. *Bel*, & Cloca aliàs Glogga, à German. *Glogga*. Vide Vincentium *Spec. Hiſtor.* *l.* 23. *c.* 9. & 10. Gregor. Turonenſ. *H*[illegible] *l.* 2. [illegible] 25. Henricum Spelmann. *Gloſſario Archæol.* alios; & hîc paſſim.

CAMPANA Lex, Ciceroni *ad Attic.* *l.* 2. *Ep.* 18. vocatur Lex Agraria Julia, quam C. Jul. Cæſar Conſul, cum M. Calpurnio Bibulo, ſuaſore Cn. Pompejô, tulit ann. Urb. Cond. 691. *Ut agro Stellat, majoribus conſecratus, item Campanus, qui ſubſidium Reipubl. vectigalis relictus, plebi divideretur.* Vide in voce *Julia Lex*.

CAMPANARIUS, apud Cæſarium *l.* 2. *c.* 12. alibique, cuſtos eſt *campanarii* ſeu turris, in qua *campanæ* pendent, quas pulſandi cura illi incumbit. Hi vulgò, in Eccleſiis maximè Cathedralibus, ex ordine Cleri ſunt, & *camiſiâ* induti officium hoc obeunt, ea *can.* 8. Concilii Colon. A. C. 1260. *Ut Campanarii Eccleſiarum, quorum ſervitus ſive onus circa Altare verſatur, nunquam abſque veſte camiſiali compareant, firmiſſimè prohibemus.* Litteratos eoſdem eſſe, vult Synodus, ibidem habita *A. C.* 1300. *can.* 7. *Ut in defectu reſpondentis ad Altare, cum camiſia lineis, dum aſſiſtunt in Miſſis, deſervientes Presbytero, miniſtrator non careat ſociô ſibi reſpondente*, &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* qui in Eccleſia Ambianenſi iſtiuſmodi Clericos *Clermanus*, voce Germanicâ appellari conſuevisse, addit. De *Campanariis organis*, vide infrà voce *Organica*.

CAMPANAS baptizandi, in Eccleſia Romana ritus, memoratur Durantio, cùm ait, *Baptizantur campanæ, Formula verò baptizandi ſive benedicendi antiqua eſt.* Et in libro *Pontificali*, edito ab Alberto Caſtellano, ubi ſal exorciſatur, *ad expellendum ex campana inimicum, & aqua ut omnium pravorum ſpirituum nequitiam ejiciat.* Ibidem; & in *Ordine Romano* occurrit, *tinctum aquâ tintinnabulum* & [illegible]ſatur, *ut elementum aquæ myſterialiter baptiſmo tam modum S. Spiritûs ſui ſanctitate reddatur.* Additur in *Pontiſ.* ab edito Venetiis A. C. 1572. apud Juntas, p. 166. *Hæc commixtio ſalis & aquæ efficiatur ſalutare Sacramentum, in nomine Patris & Filii & Spiritûs S.* Forma conſecrationis talis eſt: *conſe † cretur & ſancti † ficetur, domine ſignum iſtud. In nomine Pa † tris & Fi † lii & Spiritûs † Sancti, pax tibi.* Aſſignantur porrò Suſceptores, ut baptizatis hominibus, & Sanctâ Sanctaque alicujus nomen ei imponitur; atque ſic lotam aquâ, cum Trinitatis invocatione, chriſmate, ſale & ſputô inunctæ, bened. ſpeciali formâ abſterſæ exorciſatæ, &c. campanæ virtutes tribuuntur variæ, ut videl. *per illius tactum & ſonitum fideles invitentur ad præmium & creſcat in eis devotio fidei, fruges, mentes & corpora credentium ſerventur, procul pellantur hoſtiles exercitus, & omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum & fulgurum temperentur; infeſtique tonitrua & ventorum flamina ſuſpendantur, ſpiritus procellarum & aereæ poteſtates proſternantur*, uti habet Durandus *Rationalis* *l.* 1. *c.* 4. &c. Huic legimus apud Helgaudum in *Roberto Rege*. *Signa quinquaginta ex his metabili, in quo duo millenaria metalli & ſexcenta libræ fuerunt, cui imprimis juſſit ſignum Baptiſmi de oleo & chriſmate facti, ſicut Ordo depoſcit Eccleſiaſticus, & ut vocaretur* Robertus, *attribuerit Spiritûs S.* Neque verò Sanctorum ſolùm Sanctarumque: Sed & modò nomina virorum illis indunt, ut ex modo laudato Helgaudo patet, qui *Robertus* nomen *campanæ* datum memorat; ut & Ingulfo, qui *Bartholomæus* & *Betelinus* meminit · modò fœminarum, ſic idem Ingulfus *Begam* & *Pegam* duas minores campanas nominatas fuiſſe ait, Auctor *Chronici* Montis Sereni A. C. 1206. *Petronellam* aliam dictam refert, &c. Vide ſuprà in *Bertha*. Qua de re Theologi videantur. In *Capitulari* certè Caroli M. A. C. 787. *c.* 18. citato Durantio *de Ritibus Eccleſiæ* *l.* 1. *c.* 22. *num.* 1. *Cloccas baptizari*, diſertè prohibetur. Appellantur autem *clocca* vocabulô Germanicô campanæ, ut notum. De hoc inter omnes convenit, ad convocationem Eccleſiaſtici populi, *campanarum* inſignem uſum eſſe, poſtquàm perſecutionum deſiviente tempeſtate in libertatem aſſerta Eccleſia eſt. Unde Nolanos in eum finem campanas inveniſſe, ut *populus ad preces* [illegible] *Euchariſtiæ celebrationem convocaretur*, veteri Scriptori notatum. Olim verò huic rei inſerviebant *Curſores*, uti diſcimus ex Ignatio *Ep.* 10. Poſteà, *terno ligno* ſtrepitum excitantibus, utebantur. Vide Nicæn. Concil. II. *Act.* 4. Quò forſan reſpexit Ephrem de ſigno, quô populos convocari ſolebat, loquens, *Paræn.* 23. *Signô verò ad Synaxim & officium dato* &c. quamvis ex ipſius verbis rei maxime tonus inferri nequeat. Proin in Eccleſia Orientali populum, percuſſis malleô tabulis ligneis ad preces & officia divina, convocari conſueviſſe, refert Jacobus de Vitriaco *l.* 1. *c.* 77. Unde liber *Miraculorum* S. Anaſtaſii Martyr. [illegible] *Sacraſque ligna ſonantes, congregati ſunt univerſi, in venerando Templo*: & Synaxaria ad XI. diem Sept. *in* [illegible] [illegible] *ubi lignum pulſatum matutina cantione.* Quod præterea multis aſtruit Leo Allatius *in Diſſert. de Recentior. Græcorum Templis* p. 104. & *ſeqq.* etſi fateatur, probe. que ex Michaële Pſello & Pachymere *l.* 7. [illegible] 5. & *l.* 9. [illegible] *& 10.* [illegible] *Eccleſiam congregantia* [illegible]

[illegible], decantur poſtremis ſaltem temporibus, in uſu apud Græcos, [illegible], quem acceperit à Venetis, ſub A. C. 874. auctor eſt Sabellicus *Ennead.* 9. l. 1. Vide Gabrielem Sionitam, Joh. [illegible] *de moribus Orientalium* [illegible] poſt Geogr. Nubienſem [illegible], in [illegible], *Hag[illegible]*, & *Simandrum*. Æthiopes in T[illegible] ſuis [illegible] campanis, ſonum maximè ingratum edentibus, eſ ejuſdem nationis in propaganda Fide alumnis ſe audiviſſe, refert Macer in *H[illegible]*. Turcæ vero nolæ ſeu campanæ locô miniſtrum adhibent, vociferatione ſuâ, ex edito loco, homines convocantem, ut inf[rà] dicemus voce *Muezdim* &c. De *Campanarum pulſatione*, ad ſeſtà [illegible]; in adventu Epiſcoporum & Abbatum in Eccleſ[iam]; in violatorum pacis deteſtationem: de earum *ſono* [illegible] in luctu: de earundem *ſuccuſſione*, quæ fit feriâ 4. majoris hebdomadæ, aliiſque uſibus, in Communione Romana, vide latè diſſerentes Macros fratres in *Hierolex.* & Car. du Freſne in *[Gl]oſſar.* Adde quæ infra de *Tintinnabulis*, ut & aliquid voce *Clocca*, it. *P[illegible]*, & *T[illegible]*, *Varea*.

CAMPANELLA Thomas, Calaber, Jacobinus, Neapoli commoratus eſt. Evulgatis aliquot Monarchiæ Hiſpanicæ arcanis, hæreſeos accuſatus, & Inquiſitioni ſubjectus eſt, hinc ann. 25. in vinculis, donec Urbani VIII. ope liberatus, Pariſios venit, A. C. 1634 à Cardinal. Richelio munificè habitus. Non æquè judiciô, ac ingeniô, pollens. Scripſit *Phyſiologiam*, *Quæſtiones Phyſiol*. *De ſenſu rerum*, *Atheiſmum triumphatum*, *de Monarchia Hiſpanica*, &c. Laur. Craſſus, *Elog. Vir. Eruditorum Ital.* Obiit A. C. 1639.

CAMPANIA, provinc. Galliæ peramipla, continens agrum Retelenſem, Remenſem & Baſſiniacum, partemque Briæ tractus. Habet à Septentrione Belgium, ab Ortu Lotharingiam, ab Occaſu Inſulam Franciæ, à Meridie Burgundiam. Ejus caput Trecæ. Irrigatur autem fluviis, Sequanâ, Matronâ, Axonâ & Albulâ. *Baudrand.* Comitatus eſt, cum Paris Gall. dignitate, dividiturque in Superiorem ubi Remi & Cabillo: & Inferiorem, ubi Trecæ, uſque ad fluv. *Bloiſe*. Hiſtoria paucis ſic habet: Olim Duces habuit, quales Drus fil. Pipini Craſſi, Heribertus, &c. Parebat autem maxima ex parte Regibus Auſtraſiæ; pars ejus circa Tricaſſas Burgundiæ attribuebatur: flumine Albâ, ad cujus ripam Tricaſſium oppid. Arciaca, Burgundici juris, utramque dividente. Sed major tunc Campania, cùm de ea regnum facere Rauchingus Dux, Urſio, Bertefreduſque voluerint, qui Childeberto Auſtraſiarum Rege ſublatô ita regnum inter ambos ejus filios dividere ſibi propoſuerunt, ut Theodeberto majori *Campaniæ Regnum* cederet, reliquum Theodorico minori. Sed & Pipinus Dux & Princeps. Drogoni majori natu filio Ducatum Campanenſem contulit. Hodie partem Lugdunenſis IV. vel Senoniæ occupat, circum Tricaſſas atque Mauriacum, & partem provinciæ Belgicæ ſecundæ, i. e. Remenſem & Catalaunenſem, diœceſes, nec non portionem provinciæ Belgicæ primæ, nimirum Barrenſis Ducis, ad diœceſim Tullenſem, ſive ad Leucos gentem Belgicæ primæ pertinentes. Robertus I. Comes hæreditarius fuit, deìn Theobaldus, in Gallica Hiſtoria toties memoratus. Ejus fil. Odo, pater Odonis II. cognomine *Campani*, quòd renitente licet Robertô, Galliæ Rege Briam & Campaniam, poſt mortem Stephani Veromandui, occupaverit. Hic Imperatori Conrado Salico ſucceſſionem regni Burgundiæ dubiam faciens, in prælio occiſus eſt, A. C. 1037 Succeſſit Theobaldus III. huic Stephanus cognomine *Henricus* in Palæſtina peremptus, A. C. 1102. Theobaldus IV. *Palatinus*, qui titulus Comitum Campaniæ fuit, ei ſucceſſit, clarus Gallic. Hiſtor. obiit A. C. 1152. Filius ejus Henric. I. cognomine *dives*, obiit A. C. 1173. Cujus primogenitus Henric. II. de feneſtra prolapſus, in Palæſtina, obiit A. C. 1197. Hunc excepit Frater Theobaldus V. qui obiit A. C 1201. Hunc Theobaldus VI. cognomine *Poſthumus*, qui adjunctâ A. C. 1236. Navarrâ, obiit è terra ſancta redux, A. C. 1254. Hunc Henric. III. filius minimus, qui Pompejopoli obiit, A. C. 1274. relictâ Johannâ filiâ, quæ Philippo Pulchro, Philippi Audacis filio nupſit, A. C. 1284. A quo tempore Galliæ regno unita eſt. Pithoeus, San Marth. Du Cheſne. &c. *Hiſt. Gall. & Campaniæ*, *Morerius*. Principatus Joinvillæ, pars Campaniæ eſt. Nomen habet à campis latè patentibus, de quibus Sidonius *Carm.* 5. *ad Majoranum Aug.*

Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos ſe Belga tuos.

Ibi enim campi Remenſes Cæſari, *l.* 2. Plin. *l.* 19. *c.* 5 memorati & Catalaunici, Terricianâ clade nobiles, 100. leucas in longitud. 70. in latitud. patentes, Tricaſſini, Mauriaci, &c. à quorum primis *Remenſis* vocatur hæc regio Gregor. Turonenſi, *Hiſt. Franc.* *l.* 4. *c.* 17. quæ aliàs Campania Gallica, ad diſcrimen Campaniæ Felicis, de qua infrà, & ſimpliciter Campania, Gall. *Campagne*, cujus incolæ *Champenois*. Hujus regionis fontibus naturâ album colorem eſſe, notat Auctor *vitæ S. Gengulphi*, unde & Albæ fluv. nomen, & Matronæ albidæ aquæ, cùm Sequana, quò recipitur, nigras habeat. Remos caput Campaniæ fuiſſe, demonſtrat Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Tricaſſium quoque civitas Auguſtobona, licèt Guntchramno, cæteriſque Burgundiæ Regibus paruerit, Campaniæ aſcribebatur. Lugdunum autem Clavatum, ſeu Laudunum, ob munitiones, ac ſitum loci Ducum Campanienſium extitit ſedes. Sub Comite Campaniæ, qui unus ex 12. Franciæ Paribus, ſeptem alii Comites Pares fuêre, quorum primus erat Comes Joviniaci *Joigny*; ſecundus Comes Reiteſtinus *Retel*; tertius Comes Breonenſis *Brienne*: quartus Rauciacenſis ad Axonam, *Roucy*: quintus Brennacenſis *Braine*: ſextus Grandis Prati Comes, *Grand Pré*: noviſſimus Comes Barri Sequanici haud longè à Tricaſſis. Virtutem Campanienſium bellicam eximiè commendat Auctor *Hiſt. Hieroſolymit. ad an.* 1200. eorum deìn & Sequanorum audaciam laudat Nicolaus de Braja, *in rebus geſtis Ludovici VIII.*

Audaces & Marte probos Campania fudit,
Cum Sequana.

Ex etiam apud ſcriptores mentio Campaniæ Brabantinæ & Leodicenſis, unde fortè eſt colligere, eouſque Campaniam Gallicam ſive Remenſem olim pertingiſſe: Campaniamque cum Brabantinam tum Leodicenſem, vulgò *Kempen*, & *Kempenland*, Campaniæ Gall. portionem extitiſſe, cujus fines hodiernos ſic deſcribit ſæpè laudatus Valeſius Campania, inquit, qualis nunc eſt, à Sequana fluv. circa Barrum Auguſtobonam Tricaſſium atque Mauriacum incipit, Mosâ terminatur, circum Moſomagum, Duciacum, Sedanum, Doncherium, Maceriæ, Caroli urbem, Caſtrumque Reginaldi. Interfluunt Alba, qui Barrum alterum, Arciacam, Planciacum & Marcelliacum alluit; Matrona Jovis villam, oppidum S. Deſiderii, Victoriacum Franciſci, Catalaunos, Sparnacum, Dormanumque attingens Vidula, qui Durocortorum Remorum, Juncariam & Fines præterlabitur: Axona oppid. S. Menechildis, Sindenum, Attiniacum, Reiteſte, Caſtrum Portianum ac pontem Varenſem alluens. Vide ipſum *Notit. Gall.*

Urbes Campaniæ Gallicæ.

Barium ad Albulam, *Bar ſur Aube.*	Nogentium ad Sequanam, *Nogent ſur Seyne.*
Calvomontium, *Chaumont.*	Provinum, *Provins.*
Carolopolis, *Charleville.*	Remi, *Reims.*
Caſtrum Theodori, *Chaſteau Thierry.*	Retelium, *Retel.*
	Rupes Regia, *Rocroy.*
Catalaunum, *Chaſlons ſur Marne.*	S. Menchildis, *S. Menehou.*
Fanum S. Deſiderii, *S. Dizier.*	Sedanum, *Sedan.*
Ianvilla, *Joinville.*	Sparnacum, *Eſparnay.*
Lingones, *Langres.*	Trecæ, *Troyes.*
Maceriæ, *Mezieres.*	Victriacum Franciſcum, *Vitry le François.*
Meldæ, *Meaux.*	
Moſomum, *Mouſon.*	

CAMPANIA Felix, Italiæ regio prima, juxta diviſionem Italiæ ab Auguſto primùm factam, ſub qua nunc comprehenditur maxima pars *Terræ Laboris*: in regno Neapolitano. Dicta *Campania* ab opulentiſſimâ nobiliſſimaque quondam urbe Capua, cujus incolæ Campani dicti ſunt: deìn & *Antiqua* vocata fuit, ut à nova Campania Romana, quæ Latium eſt, diſtingueretur. præterea *Felix*, ab hujus oræ Italiæ felici beataque amœnitate: poſtremo ſucceſſit appellatio, *Terra Laboris*, quæ nunc in uſu vulgi eſt, hâc occaſione inventa, quod ager regionis commodiſſimè faciliimèque colatur & aretur, nam id *laborare* ſuâ linguâ dicunt Itali: vel ut alii, quòd arationes ejus & culturæ magno cum fructu reſpondeant. Hujus Campaniæ terminos *Leander* ponit oſtia Liris & Silaris, mare Tyrrhenum, Samnitumque montes, ut ab Oriente Silarus & pars agri Samnitium, à Meridie mare Tyrrhenum, ab Occaſu Liris, à Septentrione Samnitium montes latera claudant. *Halicarnaſſeus* tribus anni cujuſque temporibus, vere, æſtate, autumnô fructus in ea colligi ſe oculis vidiſſe teſtatur. Unde venuſtè Plinius, *l.* 3. *c.* 5. *ſummum hic*, ait, *Liberi & Cereris certamen* eſſe. De hujus fertilitate vide etiam L. Florum, *l.* 2. *c.* 16. Juvenalis ejus meminit, *Sat.* 10. *v.* 283.

Provida Pompejo dederat Campania febres.

Urbes præcipuas olim habuit Capuam, Neapolim, Cumas, Puteolos, Nolam, Linternum, nunc *Torre di Patria*, quò Scipio ſponte exul, ſe recepit, aliaſque complures, in quo proin tractu (quem Marshamus extendit à Tiberi fluv. ad Silarum Picentinorum amnem) effodiuntur numiſmata (certiſſima Græcæ originis indicia) ΚΥΜΑΙΩΝ, ΠΥΤΕΟΛΙΤΩΝ, ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ, ΣΙΝΥΕΣΣΑΝΩΝ (quod *oppidum extremum eſt in adjecto Lazio*, Plin. *l.* 3. *c.* 5. & in mediterraneis ΚΑΠΥΑΝΩΝ, ΝΩΛΑΙΩΝ, ΣΥΕΣΣΑΝΩΝ, ΚΑΛΗΝΩΝ, ΤΙΑΝΕΩΝ, ΚΑΛΑΤΙΑΣ, ΑΤΕΛΛΑΝΩΝ, ΝΟΥΚΕΡΙΩΝ, & ΠΙΚΕΝΤΙΕΩΝ. Vide Goltzium *Aſiæ Tab. II.* & præfatum Marshamum *Canone Chron. Sec. XVII.* ubi *de Magna Græcia*: ut & quamque harum ſuô locô. Hinc *Campanus*. Virg. *l.* 10. *Æn.* *v.* 145.

Et Capys, hinc nomen Campanæ ducitur urbi.

Tacit. *Hiſt.* *l.* 1. *c.* 2. *Fœcundiſſima Campaniæ ora.* Mela, *l.* 2. *c.* 4. *Amœna Campaniæ litora.* Solinus, *c.* 8. *Amœniſſimus Campaniæ tractus.* Cicero Campanum agrum, *orbis terræ pulcherrimum* vocat, *pro lege Agraria.* Florus, *l.* 1. *c.* 16. *Omnium non modò in Italia, ſed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga eſt. Nihil mollius cœlô, nihil uberius ſolô, denique bis floribus vernat.* Unde *Dives opum* Silio, *l.* 8. *v.* 525. Statius, *l.* 3. *Silv.* 3. *v.* 362.

—— Mollis Campani litoris aræ.

Tibul. *l.* 2. *El.* 9. *v.* 33.

Non tibi ſi pretium Campana terra daretur,

Propert. *l.* 3. *El.* 4. *v.* 5.

Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur.

Plin *l.* 3. *c.* 5. *Qualiter Campaniæ ora per ſe, felixque illa ac beata amœnitas! ut palam ſit uno in loco gaudentis opus eſſe naturæ.* Vide quæ ſequuntur. Audiamus Græcos. Dionyſ. Perieg. 357.

Τῆς δ' ἐπὶ Καμπανῶν λιπαρὸν πέδον ——

Polyb. *l.* 3. [illegible] Strab. *l.* 5. [illegible] vocat. Idem illi [illegible] tribuit. Et Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. teſtatur ſe ibi [illegible] vidiſſe. Vide Cluver. *Ital. Ant.* *l.* 4. *Nic. Lloydium.*

Urbes Campaniæ Fel. quæ nunc extant.

Acerræ, *l'Acerra.*	Caſinum, nunc Fanum S. Germani.
Ænaria, *Iſchia*	Neapolis, *Napoli*, Gall. *Naples.*
Atella, nunc pro illa Averſa, *Averſa.*	Nola.
Calatia, *Cajazzo.*	Puteoli, *Pozzuolo.*
Calenum, *Carinola.*	Sueſſa, *Seſſa.*
Cales, *Calvi.*	Surrentum, *Sorrento.*
Capua, *Capoa.*	Teanum, *Tiano.*
Caſerta.	Venafrum, *Venafro.*

CAMPANIA Romana, provinc. Italiæ ſub Pontifice, continet majorem partem Latii antiqui, ubi Roma, Tibur, Terracina, &c. & terminatur à Septentrione Aniene fluviô, ab Occidente Tiberi; à Meridie mari Mediterraneô, ab Ortu Liri fluviô, & regnô Neapolitanô. Ejus caput Roma. Ibique aliàs Latini, Volſci, Rutuli, Hernici. Vaſtata eſt, per Albanum, à Philippo II. Pontifici offenſo, quòd ſibi per regni Neapolitani conferre nollet, A. C. 1557. Thuan. *Hiſt. l.* 16 Vide *Latium.* Cæterùm plures hôc nomine regiones, à planitie campeſtri, ſic paſſim apud Auctores dictas, recenſet Car. du Freſne in *Gloſſar.* Ita enim

CAMPANIA Arciacenſis, occurrit apud Fredegar. *c.* 19.

CAMPANIA Catalaunenſis, apud Aimoinum *l.* 4. *c.* 1.

CAMPANIA Cordubenſis, apud Eulogium *l.* 2. *Memor. SS. c.* 9.

CAMPANIA Maciacenſis, apud Aimoinum *l.* 3. *c.* 87.

CAMPANIA Remenſis, apud Gregorium Turon. *Hiſtor. l.* 4. *c.* 17. &c.

CAMPANIA Tullenſis, apud Fredegarium Schol. *c.* 38. & Aimoinum *l.* 3. *c.* 98.

CAMPANIA Vocladenſis, in *Coll. Hiſtor.* apud Caniſium *Antiqq. Lect. Tom.* 2. &c. Italique *Campagna*, & Gall. *Champagne*, quemque locum planum & campeſtrem appellant.

CAMPANIA, urbs regni Neapolitani in Principatu Ulteriori Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Compſano. Antea erat Principis Monteri. 16. milliar. à Salerno in Ortum, 48. ab ora littorali maris Mediterranei. *Baudrand.* Cum titulo Marchionatus in Principatu citeriore, *Moreriæ.*

CAMPANIACUM, vulgò *Champagné*, locus Galliæ, in Pictonibus, ubi Junianus vir ſanctus natus dicitur, apud Boethium Vulſinum Epiſcopum, qui Ludovici Pii Principatu *Vitam* ejus ſcripſit: in territorio Brioſſio *Brion.* Valeſ. in hac voce.

CAMPANULA, nomen floris, qui *campanulæ* ſpeciem præfert, non conformatione ſolùm, ſed quòd ſolida, uniuſque texti, ducta videatur, & in formam jacta. Nimirum huic flori (mirum dictu ſimul & viſu!) folium eſt unicum, coloris modò albi, modò janthini, modò purpurei, infernè anguſtius, laxius supernè totô oris ambitu pateſcens & reſupinum, ſubtile adeò & tenue, ita delicatum ac molle, ut leviſſimô liveſcat attactu. Is ipſe flos eſt, quem *Natura rudimentum* vocat Plinius *lilia facere conſpicatus.* Unum eſt porrò miratione dignum, & huic uni flori, quod ſciam, ſingulare; quòd ſcilicet, non paucorum ſpatiô dierum, oriente Sole, ſeſe evolvit atque explicat, occidente convolvit & complicat (ex quo dictus *Convolvulus*) gratâ prorſus viciſſitudine. Sic autem ſe convolvit, ut oblongum cernere te putes ex ſerico globulum, artificis intortum manu. Ejus planta, de illarum eſt natione, quæ naturâ caducæ feruntur in terram, niſi fulciantur. Itaque hanc ſi defeceris adminiculum, procerpit humi indecorè; fulcrum ſi admoveris, erigit ſe ſerpitque multiplici lapſu, claviculis arripiens quidquid eſt nacta, fundenſque ſe in omnem partem incredibili foliorum luxurie, attenuatorum in haſtulæ cuſpidem, quibus hortenſia paſſim umbracula amœniſſimè veſtiuntur ac decorantur: uti habet Franc. Pomey in *Deſcript. div.* Floret Juniô, Juliô, Auguſtô & Septembri, Galliſque *Campanelle* dicitur, *Richelet.*

CAMPANUS Guilhelmus, vide *Guilielmus.*

CAMPANUS Joh. Antonius, Epiſcopus *de Teramo*, in Aprutio. Fil. ruſtici, ſub lauro geniti, ruri. In Germaniam A. C. 1471. miſſus eſt, ut illos contra Turcas excitet, Ratiſbonæ egregiâ in Comitiis oratione habitâ. A Sixto IV. in exilium pulſus, poſtquam Caliſto III. Pio II. & Paulo II. gratus fuiſſet, obiit A. C. 1477. Scripſit *vitam Pii II. Andreæ Brachii, Ducis clariſſimi, Peruſini*, aliaque verſu & proſâ. Volaterr. *Anthrop. l.* 21. Lil. Gyrald. *Dial.* 1. *de Poët.*

CAMPANUS Lombardus, Mathematicus, 13. ſeculô *de Aſtronomia, de errore Ptolemæi in ſupputatione motus Solaris & Lunaris*, &c. ſcripſit. Trithem. Genebr. Blancanus. Voſſius duos hujus nominis fuiſſe credit, *de Scient. Mathem. c.* 35. §. 25 *&c.*

CAMPASPE, vel PANCASTE, Alexandri M. ex concubinis præcipuè dilecta, quam cùm nudam pingi, ob admirationem formæ ab Apelle juſſiſſet, eumque tum pari captum amore ſenſiſſet, illi eam donò dedit. Plin. *l.* 35. *c.* 10.

CAMPASUS, apud Silium Ital. *l.* 16. *v.* 367. ubi de ludis à Scipione in Africa celebratis,

Campaſus antiquâ ſidebat Atlante Magiſtrô,
Ipſumque Aula Dircæi condita Tinis
Miſerat:

nomen equi, & quidem ſiniſtri funalis, cujus prointimus, utpote ad victoriam potiſſimi, nomine forte agitatoris Atlantis currus intelligitur. Græcè Καμπασος, à καμπάζειν, h.e. à molli membrorum flexu. Poëta,

—— —— Et mollia crura reponit.

Vel, à peritia metæ campſandæ: Septies enim illa circumagenda erat, antequam brabeum reportaretur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 897. & infrà in voce *Camperes.*

CAMPATES, & CAMPENSES, Donatiſtæ dicti, vide infrà *Montani*

CAMPATI, Donatiſtarum & Circumcellionum deliria ſequentes, Hieron. contra Luciferianos, *Montenſes* dicuntur.

CAMPEGIUS Johannes, vide *Johannes.*

CAMPEGIUS Laurent. Bononienſis, Cardinalis à Clemente VII. in Germaniam Legatus, A. C. 1524. In Angliam, A. C. 1528. ob divortium à Catharina Auſtriaca, quod Henricus VIII. moliebatur, &c.

CAMPEGIUS Rodolphus, vide *ibi.*

CAMPEGIUS Symphorianus, vide *Symphorianus.*

CAMPEGIUS Thomas, vide *Thomas.*

CAMPESTRE, vide *Cradlum*, it. *Feminalia.*

CAMPESTRIA Jericho, in tribu Benjamin: in his Sedecias, Rex Juda, captus à Chaldæorum exercitu, in Reblatam, ad Nabuchodonoſorem Regem perductus eſt.

CAMPESTRIS Julia, vide *Julia.*

CAMPESTRIS Meditatio, apud Vegetium, *l.* 2. *c.* 1. illud Veter. exercitium militare ſeu proluſionem denotat, quæ in armis & ſub armis fiebat, non ſecus ac ſi cum hoſte confligendum eſſet: in qua primùm diſcebat tiro, & ordines ſervare & vexillum ſuum comitari, ad haſtam, ad clypeum declinare, & reliquos armaturæ numeros ac geſtus. Exhibebatur illa ſub Campidoctore in proluſione campeſtri & decurſione; in qua qui parùm proficiebant, *pro frumento hordeum* cogebantur accipere. Condocefaciebat autem is juniores milites, in illis pugnæ ſimulacris, ſeu *arte militari*, ut vocat Livius *l.* 44. non quæ dicta modò, ſed &, quò pede ſe ab hoſte reciperent, & quemadmodum obverſi adverſariis & in quanto ſpatio reſiſterent, quò clamore in hoſtem irruendum eſſet. Cicero, *Quid exercitatio legionum? quid ille curſus, clamor, quanti laboris eſt?* De clamore Lamprid. in *Alexandro Sev. c.* 53. *Quin contineatis vocem... certè Campidoctores veſtri hanc vos docuerunt contra Sarmatas, & Germanos & Perſas emittere.* Sed & iidem meditationis hujus Moderatores in agmine curabant, ne aliis feſtinantibus, aliis verò tardius ambulantibus, acies interrumperetur aut tenuaretur: tardiùs igitur incedentes accelerare compellebant & nimis alacres, tardiùs ire cogebant. Vide Vegetium *l.* 3. *c.* 6. & ſuprà in voce *Armatura*, quam eandem eſſe cum *Campeſtri* hac *Meditatione*, & ab *Armorum exercitio* diverſam, ibi docuimus ex Salmaſio *ad Lamprid. loc. cit.*

CAMPESUS, unus ex Regibus ſive Ducibus, qui Æetæ Colchorum Regi contra Perſen auxiliô advenerunt, tigridis exuviis indutus. Val. Flacc. *l.* 5. *Argon. v.* 593. in prælio occiſus, *l.* 6. *v.* 254.

CAMPI, Hæretici, Arianorum ſectatores, jactabant Eccleſiæ communionem, tres hypoſtaſes in SS. Trinitate, i.e. tres eſſentias, ita enim hoc vocabulum accipiebant, aſſerentes. Hieron. *ep. ad Damaſum*

CAMPI, urbs Belgii in provinc. Tranſiſulana ad fluv. Iſſalam, qui mox cadit in mare Auſtrale. Vix 2. leuc. à Zwolla in Ortum, 7. leuc. infrà Daventriam. Iuditione Hollandorum.

CAMPI Canini, memorati Sidonio *Panegyr. Majoriani*,

—— —— Conſcenderat Alpes
Rhætorumque jugo per longa ſilentia ductus
Romano exierat populato trux Alemannus,
Perque Cani quondam dictos de nomine Campos,
In prædam centum novies demiſerat hoſtes.

Et Ammiano Marcell. *l.* 15. ubi de Conſtantii *Aug.* in Alemannos expeditione: an civitati *Kaufbeuren* nomen dederit, diſquirit B. Rhenanus *Rerum Germ. Nov-Antiqq. l.* 3. Vide quoque ibi eruditas Notas Jac. Ottonis JCti, & quem hic laudat Reuſnerum *de Urbibus Imperial. Parte* 2. *c.* 20. nec non infrà ſuô locô.

CAMPI Diomedis, in Apulia ſiti: Eſt & regio, quæ Diomedi ceſſit in Apuliæ diviſione. *Feſtus.* Martialis *l.* 13. *Epigr.* 93. pro tota Apulia uſurpat. Sil. *l.* 1. *v.* 125. Campos *Ætolos* vocat, & *l.* 8. *v.* 352.

Infauſtum Phrygibus Diomedis nomine Campum.

CAMPI Lapidei, ſeu *Herculeæ Campi*, regiunc. Provinciæ, lapidibus obducta, inter Rhodanum fluv. & Stagnum Aſtromelam, ubi aliàs Anatili populi. Ibi nunc Salone oppid. præcipuum. De his ita Valeſius: M. Porcius Cato, in *libris Originum*, de Tuſcia Tranſciminia ſcribit: *Sona: Non procul Saturnia lapides à Jove complute in auxilium Herculis contra Ligures Etruſcos gigantes, a filio ejus dicti Lamones.* C. Sempronius in *libello de di... Italiæ*, idem refert quod Cato. *A capite* (inquit) *Etruriæ ad Tiberim ſunt B... Ligures, in quibus ſunt campi compluti lapidum, clari pugnâ Herculis, eique Lamones dicti ab ipſius Herculis filio Lamone.* Amborum libri etiamſi ſuppoſititii videantur, veteres tamen ſunt, quos ego laudavi, quoniam Camporum lapideorum mentionem fecerunt. *Lapides* autem iſti, vel *campi compluti lapidibus*, lapideive, *clari pugnâ Herculis*, non in *Etruria Liguria*, ſed in Liguria Tranſalpina, non in Italia, ſed in Gallia fuerunt: quos *Lamones* dictos eſſe à filio Herculis Lamone mihi incognito, nuſquam alibi reperio. *Quis ignorat* (inquit Solinus, 8.) *ab ipſo Hercule dictos in Liguria Lapidarios Campos, quòd à Jove, eô dimicante, creduntur ſaxa pluiſſe?* Inter Rhodanum Foſſamve Marianam, & Maritimam Avaticorum ſtagnumque ejus Maſtromelam Mela Campos Lapideos ponit, & deſcribit *l.* 2. *c.* 5. his verbis, *Locus ignobilis eſt Lapideum, ut vocant, in quo Herculem contra Albionem & Bergionem Neptuni liberos dimicantem, cùm tela defeciſſent, ab invocato Jove adjutum imbre lapidum ferunt. Credas pluiſſe: adeò multi paſſim & latè jacent.* Melæ *Litus Lapideum* ſunt *Campi Lapidei*, *Herculis præliorum memoria*, ut loquitur Plin. *l.* 3. *c.* 4. Strabo Melâ & Plinio vetuſtior πεδίον λιθῶδες, i. e. *Campum Lapideum* vocat, & inter Maſſiliam ac oſtia Rhodani collocat, ſtadiis circiter centum ſeu 12. millibus paſſuum à mari diſtantem. Eum campum ait rotundum, & plenum eſſe lapidibus, ſub quibus herbæ

herbæ naſcantur, paſcendo pecori abunde ſufficientes: medio in campo aquas & ſalinas eſſe. Certè aquæ ibi aliquot in locis reperiuntur, & ſalinæ nomen ibi dederunt loco dicto *Val Lonc ſaline*. Campi ipſi Lapidei vocantur vulgò *la Crau*, aut *les Craux*: & vici ibidem aliquot cognomen hoc ſervant, nimirum vicus S. Martin, & vicus S. Eligii: prior *S. Martin de Crau*, poſterior *S. Eloy de Crau* dicti: præter quos ſunt vici, Magnanum *Maignan*, Foſſa *Fos*, S. Metrix *S. Mitre*, qui fuit Aquiſextienſium Epiſcopus. Hoſce campos perflat niger aquilo, frigidus & vehemens, quem *μελαμβορέαν Strabo*, Circium olim incolæ, nunc *Gario* & *Cerce* appellant; Africum *Mela*, quum ait Galliæ Narbonenſis *omnem plagam Auſtro atque Africo expoſitam eſſe*. De Circio Lucan. *l.* 1. *v.* 408. Plinius *in c.* 49. *l.* 11. Sueton. *in Claudio*, *c.* 17. aliique. Cæterum apud Mellam olim *Bergiona* corruptum nomen in *Geryona* ſublatâ unâ literâ mutandum exiſtimavi, propterea quòd Euſtathius, *in Dionyſii Periegeſin*, hoc accidiſſe Herculi prodit contra Geryonem dimicanti: qui & *Campum Lapideum Maſſiliam inter & Regenum* ponit, *ἢ Λίθινον πεδίον μεταξὺ Μασσαλίας καὶ Ῥηγίνου*. Ubi in locum *Ῥηγίνου*, ſubſtituo *Ῥοδανοῦ*. Eſt enim inter Maſſiliam & Rhodanum effluentem Campus Lapideus. *Geryona* igitur apud Mellam legebam. Certè ſi qua Blondello fides, hodieque Nemauſus ſtatuam Geryonis ſervat: quam veteres poſuêre, ut occiſi ab Hercule ejus tyranni monumentum exſtaret, & memoriam beneficii ad poſteros tranſmitteret: tanquam Hercules utriuſque ripæ Rhodani accolas circa Nemauſum & Arelatum Campoſque Lapideos à Geryone impotente tyranno vindicaverit. Sed quis *Geryonem* huncce *Neptuni filium* agnovit in Gallia Narbonenſi? quis *Albionem* ejus fratrem? Geryon quidem Hiſpanus heic locum habere non poteſt, patre Chryſaore, matre Callirhoë Oceani filiâ natus, uti *Apollodorus* aſſerit. Omnino Herculem adverſus Geryonem Hiſpanum, Regulum inſularum Hiſpaniæ, in Gallia de bobus dimicare non potuiſſe. *In l.* 11. *Bibliotheca* narrat Apollodorus, Herculem ex Europa in Africam, ex Africa in Hiſpaniam tranſiiſſe, & ſtatutis columnis, ac Geryone interfectô, abactas ejus boves in naves impoſuiſſe apud Abderam, qui eſt Bæticæ portus, & in Liguriam veniſſe, (*εἰς Λιγύην* lego, pro *εἰς Λιβύην*) ubi boves iſtas furati ſint Alebion & Dercynus Neptuni filii: (*Ἀλεβίων τε καὶ Δέρκυνος*) quibus occiſis, Hercules per Etruriam iter fecerit. Quæ *Apollodori* relatio ſi vera eſt, apud *Mellam Albionem* & *Bergiona* in *Alebionem* & *Dercynum* mutari oportebit. Nam quod ad errores iterque Herculis pertinet, ab *Apollodoro Virgilius*, *Silius*, aliique diſſentiunt, affirmantque Herculem per Gallias & Pyrenæum montem in Hiſpaniam veniſſe; ac Geryone occiſô, ſua per veſtigia revertiſſe, & fabuloſum hoc certamen cum Neptuni filiis in Liguria Tranſalpina ſeu Gallica, alterum cum Caco Vulcani filio in Latio certaviſſe. In vita S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi hæc lego, *Ut ante Reſurrectionis diem, dum Campi Lapidei ſpatia peragraſti, paſtores ſingulos unda Baptiſmi regenerando baptizas.* Multi nimirum erant tum, ut ſunt hodieque, paſtores in Campo Lapideo, nimirum bubulci, & opiliones, caprarii, ac ſuarii, quoniam ibi herbæ inter lapides atque etiam ſubter (ut ait *Strabo*) enaſcuntur, quas experunt boves ac pecora, & quarum ſuavitate delectantur. *Notit. Gall.*

CAMPI Macri, Lombardiæ Ciſpadanæ locus, ubi ſolemnis conventus habebatur. *Valle de Montirone Leandro.*

CAMPI Phlegræi, & Forum Vulcani, *La Solfatara*, locus Campaniæ, inſtar theatri, collibus cinctus prope Puteolos.

CAMPI Sennar, quorum mentio Geneſ. *c.* 11. *v.* 2. campi erant Babyloniæ, in quibus Sapientes ex Noachi ſchola viri, Philoſophiam, inprimis verò Aſtrologiam, excoluêre: quod Gentilium quoque eruditiores, ex Chaldæorum traditione, non ignorârunt. Ita enim Favorinus apud A. Gellium *l.* 14. *c.* 1. *Si principes Chaldæi, qui in patentibus campis colebant ſtellarum motus & vias & diſceſſiones & cœtus, intuentes quid ex iis efficeretur, obſervârunt.* Eorum princeps *Nimrod* Moſi dictus, ob inſignem Aſtrologiæ peritiam, primus feroces populos imperiò regere aggreſſus eſt. Unde & גבר בארץ & גבר ציד לפני יהוה fuiſſe dicitur. גבר ציד autem *virum rerum inquiſitione celebrem*, Paulo 1. *Cor. c.* 1. *v.* 20. *συζητητὴν τοῦ αἰῶνος τούτου*, eleganter appellatum, denotat. Hic itaque ut eo meliùs aſtra contemplari, ſimulque faciliùs tyrannidem tutari poſſet, auctor fuit extruendæ, iis ipſis in campis, turris celſiſſimæ, cujus Hiſtoriam habes in loco Geneſeos ſuprà laudato. Poſteà verò Babylone conditâ, è campis in urbem migrans Philoſophia, illuſtre ibi domicilium invenit. Similiter Moſen ſpeculationibus & piis & eruditis rerum naturalium, in *campo Taniticu* vacaviſſe, apparet ex Pſalmo 78. *v.* 12. ſapientiæ ſede temporibus inſequentibus Memphim tranſlatâ. Vide Georg. Horn. *Hiſtor. Philoſ. l.* 1. *c.* 2. & *l.* 7. *c.* 3.

CAMPI Sylvæ, in Tribu Juda. Pſalm. 132. *v.* 6. Hieron. *in Epitaph. Paulæ.*

CAMPI Tiberiani, inter Romam & Tibur. *Frontinus.*

CAMPI Veteres, locus Lucaniæ, nullâ re niſi morte Gracchi memorabilis.

CAMPIANUM, oppid. munitum Italiæ prope Tarum fluv. ad radices Apennini, in Principatu vallis Tari, ſub Parmæ Duce 12. milliaribus Italic. ab Appua in Boream, 6. à Burgo vallis Tari in Auſtr.

CAMPIDOCTOR, in veter. *gloſſis ὁπλοδιδάκτης*, aliàs *Magiſter exercitus*, item *Cuſtos* & *Monitor*, erat vir quidam ſummæ auctoritatis; qui bellicis exercitationibus præfectus, non modò hortabatur, ſed & coërcendo impellebat tyrones. Talis Maximinus erat, ad quem Alexander Aug. ita apud Jul. Capitolin. *in Maximinis*, *c.* 3. *Habes*, inquit, *tyrones ad tuos mores, ad tuam virtutem, ad tuum laborem, eos fac militiam addiſcere, ut mihi multos Maximinos optabiles Reipubl. efficias.* Talis apud Virgilium Æpytides, *Æn. l.* 5. *v.* 547.

Cuſtodem ad ſeſe, comitemque impubis Iuli,
Æpytidem vocat. ---- ----

Exercitiorum hic Magiſter, in ſegnius officia obeuntes animadvertebat, eoſque pro delicti ratione caſtigabat, non voce modò, ſed & verbere: Claudian. *de* 6. *Conſulat. Honor. v.* 615.

---- ---- *Inſonuit cum verbere ſigna Magiſter.*

Ælianus *virgam* vocat hoc coërcitionis genus, i. e. bacillum, ſeu flagellum, Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 154.

------ ----- --- *Metuenſque flagelli,*
Diſcit ab hirſuto jaculum torquere Capella.

Niſi dicamus & verber & virgam ſeu flagellum, teſſeræ inſtar fuiſſe, non verò plectendo tyroni dicatam: quo facere videtur illud Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 570.

---- ---- *Signum clamore paratis*
Æpytides longè dedit, inſonuitque flagello.

Sed expeditius eſt, ut ad pœnæ uſum flagellum iſtud pertrahamus. Horat. *l.* 1. *Sat.* 1. *v.* 16.

Nomina ſectatur modò ſumptâ veſte virili
Sub patribus duris tyronum, &c.

Vide Thom. Dempſter. in *Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *paraliPomenis c.* 25. & hic infrà.

CAMPIDONA, pervetus in Germania Almangoviæ (*Algow*) oppid. *Ptolem.* cum caſtro montano, ſive arce Hillermontana, *die Burghald*, quæ hodie disjecta & vaſtata. Sedes fuit antiqua Sueviæ Ducum: inter quos magni nominis Hildebrandus, cujus fil. Hildegardis Carolo M. nupta, fundavit hic Fanum antiquiſſimum, ſub cujus Antiſtite, tanquam Principe Imperialis civitas fuit, donec grandi ære ab illo libertatem redimeret. Poſteà in ditionem venit S. Romani Imperii, A. C. 1525. Privilegiis donata eſt à Friderico III. qui & illi conceſſit Aquilam dimidiâ parte auratam, cum corona. Lites inter urbem & Abbatem decidit Maximilianus I. & Carolus V. Ariſtocratico-Democraticè gubernatur. Evangelium amplexa eſt, A. C. 1530. Limnæus, Zeilerus, *Chronol. Suev.* Bruſchius *de Monaſt. fol.* 25. &c. Germanicè *Kempten.*

CAMPIGENI, apud Vegetium, *l.* 2. *c.* 7. ubi nomina & gradus principiorum legionis enumerat: *Campigeni*, inquiens, *h. e. Anteſignani, ideo ſic nominati, quia eorum operâ atque virtute exercitii genus creſcit in campo*; iidem ſunt cum *Campidoctoribus*, de quibus modò, ab his enim armatura, h. e. exercitii genus in campo, tradebatur. Iidem & *Armidoctores* hinc dicti. *Campidoctores* vocantur multis locis, apud Ammianum, ſed *Campidoctor* in antiquis Inſcr. ſcribitur: fefelitque viros doctos Græculorum in Latinis nominibus, ſed & in ſuis enuntiandis, conſuetudo, qui in *Tacticis* ſuis *καμπιδούκτορας* dicunt. Enumerat eos inter principia Legionis Vegetius *l. c.* & alibi *Campidoctores* ac *Principia* ſimul ponit; *Singula centuria dividentibus* Campidoctoribus *& principiis accipiunt pedaturas*: Interpretaturque *Anteſignanos*, quia *Campidoctores* & reliqua Legionis principia, ante ſigna pugnabant. Idem, *l.* 2. *c.* 15.

CAMPINACUM, ſeu COMPINIACUM, urbs parva Gall. in Inculiſmenſi provinc. ad Carantonum fluv. vulgò *Coſnac*. Vide *Conacum.*

CAMPINIA, tractus Brabantiæ, in Tetrarchia Buſcoducenſi, ſub Batavis, ubi oppid. Endovia, inter Boſcumduc. Geldriam ſuperiorem & dominium Leodienſe.

CAMPIO, *Iſidoro gladiator*, h. e miles & luctator, qui in *campo clauſo*, ut vulgò dicitur, dimicabat. In ſpecie hôc nomine inſigniti ſunt, qui pro iis, qui duellum inire ex Lege jubebantur, at quâpiam causâ ſonticâ excuſabantur, certamen & duellum ſuſcipiebant, cùm reus vel actor qui accuſabatur vel accuſabat, ad id teneretur. Vide *LL.* Wilhelmi I. Angliæ Regis *c.* 61. Uti enim gladiatores in ludos ſe vendebant & auctorabant, ita hi ſequenti ævô plerunque emptitii ac conductitii erant, hinc inter perſonas infames habiti, Wichbild. *Magdeburg. art.* 129. Imò, ut homicidæ, damnati, *c.* 2. *de Cleric. pugn.* Sed & câ lege interdum dominis ſuis ſe addicebant, ut, ſi pugilum operâ pro rebus ſuis tutandis ac aſſerendis indigerent, hôc fungerentur munere, & *bellum vadiare* pro iis tenerentur, acceptâ ab illis certâ, de qua convenerat, pecuniæ ſummâ, in duelli caſibus perſolvendâ, ratione cujus *Campiones* homagium faciebant: neque verò ipſi ſemper pugnare tenebantur, ſed pugiles dare poterant, qui eorum vices obirent. Priuſquam autem in arenam deſcenderent, capite *tondebantur*, gerebantque ſupra aures capillos rotundè adæquatos & in coronæ figuram deraſos: *corporalia dein ſubibant ſacramenta* ---- *dominos, pro quibus pugnam intrabant, veritatem tenere* ---- *& quòd cum omni virtute & potentiâ, ſtudiò & vigore partes, pro quibus pugnaverint, adjuvabunt*, ut eſt in *Conſtitut. Sicula l.* 2. *tit.* 37. §. 2. Sacramentô prætereà ſe purgabant, nullis ſe herbis aut maleficiis uſuros in ipſa pugna, in *L. Longob. l.* 2. *tit* 55. §. 11. Oblationes quin etiam Eccleſiis offerebant, quò Deum ſibi pugnaturis conciliarent, Car. du Freſne *ad Alexiadem.* Pugnabant porrò *pedites*, non equites; &, quò expeditiores eſſent, *cincti* ſe arenæ dabant. *Arma* fuſtis erant ſeu baculus & clypeus, in *L. eod. cit. tit.* 3. §. 16. *cubitalem ſtipitem* iis tribuit Saxo Gramm *Hiſt. Dan. l.* 5. *clavam non ſpinoſam, nec cum aculeis, nec habentem cornua, nec ex parte fuſtis ad modum unguis*, *Conſtitut. Sicula* ubi ſuprà §. 1. Intereà verò dum decertabant *Campiones*, ii, pro quibus dimicabatur, detinebantur in carcere, ſiquidem de crimine capitali ageretur, uti refert Phil. Bellomanerius *c.* 67. Quòd ſi victus eſſet *Campio*, is, pro quo pugnaverat, ſi de capitali crimine non agereiur, re, pro qua pugnatum fuerat, non excidebat modò, ſed & manus abſciſ-

abſciſſione mulctabatur, ut habet idem *Ibid.* vel habebatur infamis, uti eſt in *Aſſiſis* Hieroſol. *c.* 61. Ipſius verò *Campionis* pœna, dextræ amputatio erat, *propter perjurium ante pugnam commiſſum*, in *Capitul.* Ludovici Pii, *ad L. Sal.* ut in crimine capitali, morte mulctabatur, in *Conſtitut. Sic. l.* 2. *tit.* 37. §. 3. At in *Aſſiſis* Hieroſolym. *c.* 98. ſtatutum eſt, ut muliere per campionem de quacunque cauſa decertante, & campione devictô, illa igni comburatur, campio verò furcæ addicatur. Sed & ſepulturâ Eccleſiaſticâ, non minùs, ac qui in torneamentis læſi interibant, carebat: neque *Campio* ſemel devictus ad monomachiam admittebatur amplius, niſi ipſe ab alio ſuiſſet impetitus, in iiſdem *Conſtitutionibus* §. 1. &c. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* infrà etiam aliquid voce *Vadium*: ut & ubi de ritu *Verberandi contra ventum.*

CAMPIO Regis, in Anglia, Miles dictus eſt, qui, coronatô Rege, dum ille menſæ cum Proceribus accumbit, ad monomachiam provocat, quotquot Regem illum eſſe negant, quam quidem ceremoniam ita deſcribit Thom. Milles *l. de Nobil. Polit.* vel *Civili p.* 109. ubi de coronatione Eduardi VI. *Poſt ſecundum ferculorum apparatum, Regius Agoniſta (Dimmocus cognomine) Eques auratus, undique armatus, equo inſidens bellico, pannis aureis phalerato, paludatô feciali comitatus, ingreſſus eſt, qui primô greſſu glomerante ſuperbô ad Regem ſe contulit, ipſumque ſummâ obſervantiâ adoratus eſt. Deinde equum concitando ovantem, quater per aulam, clangente tubâ, ad duellum provocavit, ſi quis nostrum Eduardum ejus nominis VI. Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ verum, indubitatum, legitimumque Regem negaret: totieſque chirothecam militarem projecit humi, quam quum nemo attolleret, fecialis ipſi reddidit.* Tranſiit verò munus ad in *Dimocorum* in agro Lincolnienſi gentem, jure connubii, cùm priùs in *Marmionorum* familia hæſiſſet. In *Charta* Henrici I. in *Monaſtico* Anglic. *Tom.* 2. Robertus de Bajocis *Campio Regis* memoratur. Apud Froiſſardum *Volum.* 4. *c.* 114. ubi de inauguratione & coronatione Henrici Lancaſtrenſis, *Dwrethus* occurrit, &c. Videtur autem Miles iſte Patriam repræſentare, *quia*, ut habet Bractonus, *l.* 3. *tr.* 2. *c.* 21. §. 11. *Rex non pugnat, nec alium habet* campionem, *quàm patriam.* Vide præter Auctores laudatos Thom. Walſinghamum, ubi de coronatione Richardi II. *p.* 194. Camdenum in *deſcr. Staffordenſis Comit.* & qui hos citat Car. du Freſne *Gloſſar.*

CAMPIO S. Eccleſiæ Romanæ, h. e. Defenſor & Advocatus, dignitatis à Pontifice Carolo Comiti Andegavenſi & Provinciæ oblatæ nomen, apud Villaneum, *l.* 6. *c.* 90. Vide quoque *l.* 7. *c.* 23. ut & in voce *Defenſor.*

CAMPITÆ, cognomen Donatiſtarum, quòd in *campo* ſuos colligerent cœtus; qui poſtmodum, quòd in montibus rupibuſque conventicula haberent, *Montenſes* quoque & *Rupitani* appellati ſunt. Hieronym. *adverſ. Luciferianos in fin.* apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

CAMPITELLUM, Italis *Campitelli*, an corruptè pro *Campo Metelli*, nomen eſt Ædis ſacræ in Urbe Roma, quæ integrô nomine *S. Mariæ in Campitelli* appellatur, à porticu campoque ſeu platea ei adjuncta, cui Metellus Macedonicus olim nomen dedit. Paterculus, *l.* 1. *c.* 11. *Hic eſt Metellus ille --- qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus ſine inſcriptione poſitis, quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat.* Incipiebat autem hæc porticus à theatro Marcelli, in quo hodie Sabellianum palatium, & extendebatur verſùs *S. Mariam in Porticu*, dicebaturque etiam *Schola Octaviæ*: item *Schola Græca*; quòd in eam multæ picturæ ac ſtatuæ è Græcia delatæ eſſent, quarum complures recenſet Plin. *l.* 36. c. 5. &c. Vide Macrum in *Schola Græca.*

CAMPODUNUM, vide *Cambodunum*, & *Campidona.*

CAMPO-FLEURIACENSIS Hugo, vide *Hugo.*

CAMPOFULGOSUS Joh. Baptiſta, Dux Genuenſis, dignitate per Paul. Fulgoſium alioſque agnatos iniquè dejectus, ſolatii cauſâ Hiſtorico ſtudio ſe dedit, & imitatione Val. Maximi, *Factorum & Dictorum memorabilium Libros* IX. ſcripſit, filioque ſuo Petro dedicavit, quos Cam. Ghilinus Latinè vertit, & Juſtus Gaillardus Campanus locupletavit. It. Tract. *de Feminis doctis.* Claruit A. C. 1530. Hieron. Ghilinus *Theatr. Viror. eruditor.*

CAMPONA, Pannoniæ inferioris urbs. *Antonin. Keppel, Therten*, vel *Kopan.*

CAMPONI, populi inter Aquitaniæ gentes. Plin. *l.* 4. *c.* 19. eorum locus *Campan.* Hadr. Valeſ. in voce *Sibutſates.*

CAMPOVERIA, ſeu *Vera*, oppid. Valachriæ inſul. ubi Scaldis fluv. in Oceanum Germanicum ſe exonerat, cum portu & arce, ſub dominio Principis Arauſionenſis, paret tamen Batavis.

CAMPSA, urbs circa Pallenem. *Herodot.*

CAMPSANI, Germaniæ populi, *Ptolem.* quorum ſedes fuit inter urbes *Brunswick* & *Wernigerode*, in Saxonia inferiore verſùs Chattos. *Cluver.*

CAMPSARI, Africæ propriæ populi, *Ptol.*

CAMPSEONYSIS, fluv. in Themiſcyrena regione, prope Heniochos populos. Plin. *l.* 6. *c.* 4.

CAMPSIANI, Germaniæ populi indigentiâ laborantes. Strab. *l.* 7.

CAMPSON Cauri, Sultanus Ægyptius, ex ſervo, præfuit magna cum prudentiæ laude. Turbis regni providè compoſitis, in Indiam copias miſit, Luſitanos exturbaturus, & mercaturâ ſubditos ditaturus. Arbiter Orientis, inter Iſmaëlem Perſam & Selimum Turcam, æquilibriô ſervatô. Sed à Præfecto Aleps & Comagenæ Cayerbejo proditus, qui fervente prœliô, desertô Sultanô ad hoſtes tranſiit, victis ſic Mameluccis, periit equi lapſu obtritus, A. C. 1516. ætat. 70. Leuncl. *l.* 17. P. Jov. *l.* 17. Item, Circaſſius quidam, qui, ſub ejuſdem ſeculi initium, Sultanus factus, 8. poſt menſe à ſeditioſis occiſus eſt.

CAMPTAULÆ, memorati Flav. Vopiſco in *Carino Imp. c.* 19. *Nam & neurobaten --- exhibuit & tichobaten --- item centum ſalpiſtas uno crepitu concinentes, & centum* Camptaulas, *choraulas centum*: nonnullis ſunt tibicines inflexæ modulationis artifices, eò quod καμπταύλας *Heſychius* interpretatur καμπτοντας ἐν τῇ ᾠδῇ φωνήν, *vocem inflectere modulando*, ſed hoc non proprium fuit unius generis tibicinum, verùm omnium. Aliis placet, ſic dictos eſſe à tibiarum figura, quas inflabant: & certum eſt, curvæ tibiæ genus olim quoddam notum fuiſſe, quæ præcipuè habebat locum in Bacchi ſacris. Virg. *l.* 11. *Æn. v.* 737.

Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi.

Ad quem locum Servius, *Curva tibia*, inquit, *Symphoniacorum. Bacchi autem ideo, quia apud Veteres ludi Theatrales non erant, niſi in honorem Liberi Patris.* Verùm πλαγίαυλον iſtam tibiam vocârunt Græci, non καμπταύλον. Itaque Salmaſius legi vult *Cerataulæ*, qui cornicines erant, & rectè hic cum Salpiſtis, h. e. tubicinibus, junguntur, vide eum *ad loc.* & hic infrà paſſim, inprimis in voce hac.

CAMPTERES, Græca vox καμπτῆρες, apud Auctorem incertum *de Vita & geſtis Alexandri*, qui Græcè & Latinè ſcriptus in Bibliothecis ſervatur, ſunt curricula ſeu ſpatia in Circo, quæ aliis κύκλους, διαύλους, item σάδια, dixêre, Latini quoque *metas* nonnunquam appellârunt. Nempe ſicut *meta*, pro metæ flexibus, apud Caſſiodorum occurrit, ita Καμπτὴρ, quæ vox cùm optimis Auctoribus *metam* notet, apud Recentiores, de flexu metæ vel recurſu, qui fiebat poſt metæ flexum, accipi cœpit. *Cedrenus*, Ὁ Ῥωμαῖος τὸν ἐπὶ τὰς θύρας καμπτῆρα τὴν ἀνάβασιν [illegible] ἐπὶ τὴν σφενδόνην τὴν δύσιν: ubi καμπτῆρα ἐπὶ τὰς θύρας, *à meta ultima ad carceres & primam metam recurſum* appellat, & καμπτῆρα ἐπὶ τὴν σφενδόνην, *qui à prima meta ad ultimas dirigitur.* Καμπτὸν, pro eodem dixit *Antiochenſis*; Græcique recentiores & καμπτὸν & καμπτῆρα, pro toto circuitu & curriculo, ſumpsêre: unde ἑπτὰ καμπτοῖς ὁ ἀγὼν συντελεῖται, *ſeptem circuitibus* (Latini *Spatia* dixêre) *certamen abſolvitur.* Septem enim ſpatia non priùs abſolvebantur, quàm ſeptem flexibus (quod propriè vox καμπτὸς notat) meta fuiſſet circumacta. Vetus Epigramma *gyros* vocat,

Septem etiam gyris claudunt certamina palmæ,
Quòd cælum ſtringunt cingula ſeptem pari.

Atque hæc fuêre *legitima* illa *ſpatia*, de quibus Solin. *c.* 45. *Ingenia equorum etiam Claudii Cæſaris Circenſes probaverunt, cùm effuſo rectore quadrigæ currus æmulos --- prævertiſſent & poſt decurſa legitima ſpatia, ad locum palmæ ſponte conſtitiſſent.* Vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 6. *c.* 13. Salmaſ. *ad Solin. p.* 908. *& ſeqq.* ut & ſuprà in voce *Campaſus*, ubi à *campſando* flectendaque hôc modô meta, nomen nobili illi equo impoſitum, diximus. In Muſica καμπτὸν Græci explicant, ὃ ἐν τῇ ᾠδῇ καμπὰς ποιεῖν, *animam vertere* dixit *Plautus*, & Tibullus, *l.* 1. *El.* 7. *v.* 37.

---- ---- vocem inflectere cantu.

Unde Φρύνιδος καμπτὴν, apud *Pollucem* & ἀσματοκάμπτας Græcis, *qui cantilenas inflectebant*, & μέλος πολυκαμπία, quæ & ἀσματοκαμπία. Flectitur autem vox in cantionibus; cùm in alicujus ſonitus finitione conſiſtit, deinde in alterius & ad ultro citroque crebrè faciendo conſtans auribus apparet, &c. Uti verò vox aſſa in cantu cùm flectitur, varietatem facit modulationis, ita ſpiritus artificis in tibiarum cantu vertitur, ut varios edat ſonitus. Hinc πολυκαμπὴς αὐλὸς, *qui flexanimi ſonô inflabatur.* Quo pluribus enim cavis aperta eſſet tibia, eò & plures animæ flexus, dum inſpirabatur, poterat recipere & majorem ſonorum varietatem reddere. Quemadmodum & in cithara, quò pluribus inſtructa eſt chordis, eò plura ſonorum numerorumque diſcrimina pluresque vocum flexus admiſerit: unde Timotheum ferre non potuiſſe leguntur Lacedæmonii, cùm undecim, pro ſeptem, chordis citharam intendiſſet, & proin eum condemnâſſe, eô nomine, quòd veterem Muſicam corrumperet. Nempe cùm à ſimplicitate veteris Muſicæ eſt receſſum, ὃ ποικίλον καὶ πολυκαμπὲς, in omni inſtrumentorum genere, homines conſectari cœperunt, uti diximus ſuprà in *Antigenide.* Vide iterum Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 121. *& ſeqq.*

CAMPUM eripere, dicebatur olim in Circenſibus ludis, qui tertiô oſtiô exibat, ac priores prævertebat: aliàs ſimpliciter *eripere*, ubi quidam præmium ſubintelligunt; ad eum eripiendum veluti erat primô & ſecundô locô egreſſis, ſi quidem palmam conſequi vellet. Sed melius eſt, judice Salmaſiô, ut intelligamus, *Campum eripi.* Ita enim disertè Silius expreſſit in Circenſibus Scipionis *l.* 16. ubi omnia Artis vocabula ſtudioſè poſuit: ſic loquens de Agitatore ſecundi loci, equos ſuos adhortante, *v.* 389.

Tene Aſtur certante feret quiſquam æquore palmam
Erepto?

In Tabula Agitatorum Circenſium hôc ordine iſta habentur expoſita: *Occupavit & vicit; ſucceſſit & vicit, eripuit & vicit.* Quod interpretandum eſt, de primô, ſecundô, tertiô oſtiô miſſis. Silius verò de primo dicit, *præcipere limitem*; de ſecundo, *premimum eſſe*: apud eundem ſecundus metuere dicitur, ne à tertio ſibi *campus eripiatur*, &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 905.

CAMPUS, idem Longobardis, quod Regia. Aimoinus, *Francor. l.* 4. *c.* 86. inquit, Hunnorum Regia, ab iis *Rhingus*, à Longobardis *Campus* vocatur. Statio Græci Imper. duplex fuit: domeſtica, quæ Palatium, & campeſtris, quæ Foſſatum dicebatur. Sic Longobardis forſè palatium & campus. *Campus* etiam de duello, unde Campiones: item de ipſo exercitu & ipſis caſtris, vide *Hringus.* Apud Anglos duplex *Campi* ſeu Duelli formula, alia ſecundùm Curiam militarem, quam Mareſcalli vocant, alia juxta Curiam civilem, quâ togati judicant. Hic obtuſis omnino

po uſu agitur, illic mucronatis: hic victoria tandem quæritur, illic eædes. ſolemni autem utrobique ſpectaculô, & multa intereâ ceremoniâ. Utramque formulam, vide apud Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

CAMPUS Cilbianus, Lydiæ ager dictus eſt, quem Cayſter fluv. perluit. Strabo, *Geograph. l. 13. Cayſtriano itaque campo, qui medio loco inter Meſſogida & Tmolum jacens ad versus Orientem continuatur eſt Cilbianus campus magnus & habitationibus probè aptus, agrique fertilis.* Unde Cilbianum urbs, quæ poſteriorum Imperatorum ævô *Valentinianopolis* dicta eſt. Nummum Caracallæ Imperatoris cum *Inſcr.* ΚΕΙΚΑΙΒΩΝ ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ, & fluvii imagine, exhibet Jacobus Sponius, *Itiner. Græciæ Part.* 3. p. 195.

CAMPUS Jovis, locus Romæ memoratus Spartiano, in *Peſcennio Nigro*, *c.* 12. *Domus ejus hodie viſitur in* Campo Jovis, *quæ appellatur Peſcenniana*: in *deſcriptionibus Urbis* prætermittitur aut aliter nominatur. Vide Iſaac. Caſaubon. *Notis ad h. l.*

CAMPUS Lapideus, Galliæ Narbonenſis campus eſt, centenûm ferè ſtadiorum diametrum habens, lapidibus, qui ſinguli manum impleant, pleniſſimus, ſub quibus gramen enaſcitur, à quo pecoribus pabuli ſuppeditatur ubertas. In medio ſalſæ ſcatent aquæ, ſaliſque vis magna. *Campus Saxoſus Plinio* dicitur. Strabo eum inter Maſſiliam, & Rhodani oſtium conſtituit. *Campum Lapidarium* habent Solinus, c. 8. & Marcianus, ſed eum in Liguria ponunt. *Litus Lapideum* à Mela dicitur, *l.* 2. c. 5. Vide ibi Voſſium. Hodie *La Crau* dicitur. Vide *Campi Lapidei.*

CAMPUS Magnus, qui & *Campus Mageddo*, habet in longitudine decem milliaria, in latitudine verò ad mare Galilææ, & Jordanem uſque extenditur: gleba ejus optima eſt, fertilis ſupra modum in frumento, vino & oleo, atque adeò rebus omnibus affluit, ut qui ſuis oculis aliquando conſpexerunt, affirment ſeſe nihil unquam perfectius, & in quod natura æquè ſua omnia contuliſſet, aſpexiſſe. Eſt in tribu Iſaſchar.

CAMPUS Martius, locus urbis Romæ maximus: dictus à templo, quod antiquiſſimum ibi Mars habebat; aliàs *Tiberinus* quoque, à vicino fluvio, appellatus eſt. Erat autem locus extra urbem Romanam, prope portam Flumentanam, & vel à Caja Tarratia, Virgine Veſtali populo Romano donatus eſt, vel ut alii malunt, ab Acca Laurentia, cui proin ampliſſimos poſt mortem honores exhibuêre. Eum Marti Romulus ſacraviſſe creditur: ſub Servio Tullio verò primum ibi luſtrum conditum & Comitia centuriata habita ſunt, teſte Dionyſiô, *l.* 4. Poſteà à Tarquinio Superbo, in proprios uſus converſus, ac ſegetibus ab ipſo oppletus eſt: ſed ejectis Regibus, Brutus & collega ad priſtinam eum conditionem redegêre, quidquid frumenti erat in ejus campi areis, vel in ſtipula vel jam tritum, in Tiberim effusô: è cujus frumenti acervis putreſcentibus bene magna inſula, *Æſculapii* vel *S. Inſula* dicta, orta dicitur. A Beliſario poſteà pars ejus intra urbem recepta, *Procop.* nunc inter Quirinalem & pontem Sixti, Tiberim uſque, patet. Hic Reges ac Magiſtratus de more creabantur; Comitia Centuriata, quæ priùs in foro, locoque *Secretario* dicto, agitabantur, haberi erant ſolita, unde & ipſe campus aliquando *Comitium* vocitatus eſt. Ibidem ludicra exercebantur varia, eratque locus velut ſchola militiæ Romanæ, ubi juventus ad palum omni genere armorum & quidem veris duplô graviorum, exerceretur, caput petendo, lateribus inſidiando, poplite ſuccidendo, inſiliendo, reſiliendo, punctim potius quàm cæſim feriendo, & interim aſſiduè ſeſe protegendo, item jaculando, valli altitudinem vel foſſæ latitudinem, ſaltu ſuperando, curſu præcipuè locum occupando &c. Ibidem loci equi lignei, *deſultorii* dicti, unde in proverb. *Ingenium deſultorium*, ſtatuti erant, ut inſilire, deſilire, dextrâ, lævâ, inermis, armatus, diſtrictô etiam gladiô futurus eques addiſceret, veros quoque domaret & futuris adſueſaceret præliis. Strabo *l.* 5. *Maximam*, inquit, *Deorum partem, campus Martius habet præter nativam locorum amœnitatem, arte & ſolertia exornationes admitteus. Campi enim admirabilis magnitudo & curules pariter curſus, & alia equeſtria certamina expedita ſuppeditat; nec minùs, tam multis pilam, trochum, palæſtram exercitatione tractantibus aliaque incumbentia ſimul opera. Quid perennes ſolo herbas, coronatoſque uſque ad fluvii alveum colles? Scenicarum oſtentationum ſpectaculum ejus generis ſpectacula præſtant, ut difficile & invitus abſcedas.* Horat. *l.* 2. *Sat.* 6. v. 48.

— — Noſter ludos ſpectaverat unà,
Luſerat in campo, Fortunæ filius, omnes.

Inſignis erat hic locus Capitoliô, cujus aſpectu ne populus ad miſericordiam inflecteretur, quum de Manlio Capitolino, ejus conſervatore, judicatum eſt, ex Campo Martio, præter morem in Lucum Petelinum Comitia tranſlata fuêre. Item ornamentis & ſtatuis Deorum illuſtriumque virorum, quæ omnia Capitolium, ob nimiam copiam, tenere non poterat. Horologiô, quod ſeptem circum gradus & lineas diſtinctas metallô auratô habuit, Auguſtô, ut Plin. *l.* 36. *c.* 10. habet, auctore: Sepulchris virorum illuſtrium &c. Ipſe eô locô, ubi horologium fuit, lapide amplô quadratô ſtratus & eaſdem habuit lineas, & in angulis quatuor ventos, cum inſcriptione, ut *Boreas ſpirat*, ex opere Muſivo. Imprimis, memoranda in hoc campo duo loca, quorum alter prope fluvium, *Area* dictum, exercendis militibus vacabat: alter *Septa* ſeu *Ovilia* appellatus eſt, cui populus includebatur, donec de creandis Magiſtratibus ſuffragia tuliſſent. De hoc Servius ad *Virg. Eclog.* 1. *Septa*, inquit, *propriè ſunt loca in Campo Martio, incluſa tabulatis, in quibus ſtans populus Rom. ſuffragia ferre conſueverat, ſed quoniam hæc Septa communia ſunt ovilibus, duo hæc invicem pro ſe ponuntur.* In his ſeptis, quantum ſæpe ambitus ſtrepitum excitaverit, indigitat Petronius, *Satyrico*,

Nec minor in campo furor eſt, emtique Quirites
Ad prædam ſtrepitumque lucri ſuffragia vertunt.

Silius item Italic. *Punicor. l.* 8. v. 457.

— — Malum exitiale fovebat
Ambitus, & Graio ſumptum ſit aquare campus.

Eadem porticibus circumdata, ibique ludos exhibitos, teſtantur Plin. *l.* 16. *c.* 40. *trabs fuit in porticibus ſeptorum à M. Agrippa relicta*; & Sueton *in Nerone c.* 12 Gymnica, *quod in ſeptis dabat*. Deambulatum ibidem, docet Statius, *l.* 4. *Silv.* 6. v. 2.

Forte remittentem curas, Phœboque levatum
Pectora, cum patulis tererem vagus otia ſeptis,
Jam moriente die, rapuit me cœna benigni
Vindicis.

Sed de hoc locô, vide plura infrà in vocibus *Ovilia*, item *Septa*. Porrò præter Martem, cui hunc *Campum* factum fuiſſe diximus, Lares quoque in eo ædem habuêre: quod facit locus Tertulliani, *l. de Spectac.* c. 5. *Conſus conſilio, Mars duello, Lares comitio potentes*; ubi *Comitium* pro loco habendis iis deſtinato, ſicut jam ſuprà annotatum, ſumi, docent Eruditi. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 11 & Thom. Dempſter. *Paralipom.* In *Campo* hoc palatium Cardinalis Rodolphi Pii Carpenſis, cum triplici Muſæo, ſimulachris Deorum Principumque virorum, urnis, libris antiquiſſimis, inſcriptionibus marmoreis, omnis generis vaſis, epitaphiis priſcis, præſtantiſſimorum Italiæ pictorum Raphaëlis Urbinatis, Michaëlis Angeli Bonarotæ, aliorumque imaginibus &c. refertiſſimo accuratè deſcriptum reperies, apud Adamum Preyelium, *Sine &c. Europe c.* 20.

CAMPUS Martius, etiam nomen eſt, quo inſigniri ſolet amplior planities juxta majores Urbes, in qua incolæ armorum exercitio operam dabant, *inſtar Camporum Martiorum* juxta Romam, quorum 8. fuiſſe *P. Victor* auctor eſt. Vide Marlianum, *Topograph. Rom. l.* 6. Sic Trevirenſis *Campi Martii* meminêre, Golſcherus Monach. *de Geſtis Trevi*r. *l.* 1. *c.* 4. & Joh. Even in *Medulla Geſtor. Trevir. l.* 1. *c.* 4. *Nicienſis*, in Provincia, Joffredus in hujus Urbis *Notit. c.* 4. *Tornacenſis*, auctor Vitæ S. Eleutherii Epiſcopi *c.* 2. §. 5. & *Veronenſis* Polycarpus Palermus *de Patria Plinii*, *l.* 1. *c.* 5. Neque aliud fuit vaſta illa & patens planities juxta Conſtantinopolin verſus Hebdomum, in qua erectum detu ſublime Tribunal, ubi Imperatores inaugurabantur ac coronabantur: Κάμπος nudè vocata Theodoro Lectori, *Eclog.* 1. *p.* 181. *Zonaræ*, *Cedreno*, aliis. Nempe Conſtantinus M. novam Romam condens, non modò eadem, quæ Roma habuit vetus, ædificia inexcitaverit, ſed & *Campum* addidit &c. Quia verò in iſtiuſmodi patenti *Campo*, Comitia publica ſeu generales Conventus, à primis Francorum Regibus quotannis circa anni principium & *Martio* Menſe, indici celebrarique ſolebant, hinc & illi paſſim apud Scriptores rerum Francicarum *Campi Martii* appellari conſueverunt. Vide Gregor. Turonenſ. *Hiſtor. Franc. l.* 2 *c.* 27. Aimoinum, *l.* 1 *c.* 12. Alios non tam à *Marte*, quæ *Flodoardi* ſententia eſt; quàm à loco & menſe, in quo haberi ſoliti ſunt. Fiebat id Kalendis Martiis, à quo dies Francos tunc annum ſuum auſpicatos eſſe, veriſimile eſt. Hinc Auctor *Vitæ* S. Remigii, & *Geſta* Francorum, *c.* 20. de Chlodoveo Rege: *Tranſactô verò anno juſſit omnem cum armorum apparatu advenire phalangem, oſtenſuram in* Campo Martio *ſuorum armorum nitorem.* Et *Chron.* Fredegarii, juſſu Nibelungi ſcriptum, de Pipino: *Evoluto anno præfatus Rex à Kal. Mart. omnes Francos, ſicut mos Francorum eſt, Bernacô villâ ad ſe venire præcepit.* Dictus eſt autem hic Campus etiam *Campus Martii & Maii vel Magi*, præterea *Conventus generalis*, *Conventus Maximus*, *Curia Gallorum* &c. qui ſub ſecunda Regum ſtirpe ad diem Kal. Majarum relatus eſt, à Pipino. Fredegarius *A. C.* 766. *Ibi placitum ſuum* Campo Madio, *quod ipſe primus pro* Campo Martio, *pro utilitate Francorum, inſtituit, tenuit, multis muneribus à Francis & Proceribus ſuis donatus eſt.* A quo tempore non *Martius* amplius, ſeu *Martius*, aut *Martii* ſed *Madius* ac *Magius* Campus appellatus eſt. Mutationis cauſam affert Auctor *Vitæ* S. Remigii, quòd videl. hâc anni tempeſtate potiſſimum bellorum expeditiones fierent: in his autem publicis Conventibus milites ſuos Reges, inter alia, recenſebant; namque & de rebus ibi publicis Regiſque aut Regni ſtatum concernentibus tractabatur, & munera Regis ipſi ac terna, à Proceribus ſubditiſque ſuis accipiebant, Gregorius Turonenſ. *l. c.* Fredegarius *A. C.* 761. Alii. Sequentibus temporibus ejuſmodi Conventus ad Anglos tranſiiſſe, diſcimus ex LL. Eduardi Confeſſ. c. 35. quibus, licet Kal. ſimiliter Maii indicerentur, manſit tamen *Campi Martii* appellatio uti docet Simeon Dunelm *de Geſtis Angl. A. C.* 1094. apud Car. du Freſne.

CAMPUS Maſphe, hucuſque Joſua Chananæos perſecutus eſt, *Joſ. c.* 11. v. 5. Eſt in tribu Aſer.

CAMPUS Merulæ, locus Pannon. Inſul. Vide *Merulæ Campus.*

CAMPUS Mulierum, vide *Frawenfeldum.*

CAMPUS S. Petri, oppid. Veldkirchium in Rhœtis elegans, & adſita proximè regio, appellatur Bucelino, *Germ. Parte* 1. quòd Epiſcopatus Curienſis ab ipſo S. Petro ſit fundatus: qui tamen ipſe primum ejus Epiſcopum S. Lucium vocat. Vide Cl. Spenerum, *Artis Herald. Parte* 1. *l.* 3. *c.* 11. ubi de *Ep. Curienſi.*

CAMPUS Regius, Germanicè *Koningsfelden*, inſigne monaſterium virginum, pagi Verbigeni in Helvetia, 30. mill. paſſ. plus minùs Tigurô diſtans, cùm anteà cella Fratrum non magni nominis eſſet: extruxit illud Agneta Hungariæ Regina, filia Alberti Imperatoris A. C. 1308. Vindoniſſæ occiſi, reditibuſque ampliſſimis, ex parricidarum bonis, locupletavit. Fundamenta ejus cùm jacerentur, plurima numiſmata aliaque antiquitatis monumenta ibi reperta. Vide Stumpf *l.* 7. *de Argovia. c.* 25.

CAMPUS Piorum, τῶν Εὐσεβῶν χῶρος, quemadmodo eum vocat Lycurgus oratione in Leocratem; locus celebris in Sicilia juxta Catanam, quòd ibi duo juvenes ſublatos parentes evexerunt inter Ætnæ flammas intactis ab igne. Solinus, c. 11. Vide Claudium

Epigr. De piis fratribus & eorum ſtatuis, quæ ſunt apud Catinam. Strab. *l.* 6. vocat eos Amphinomum & Anapiam. Ælian. *in Var.* Φιλαδέλφους καὶ Κεπλεῖς vocat citante *Stobæo.* Martialis, *Siculos fratres* vocat, *l.* 7. *Epigr.* 23. v. 5. Seneca *Siculos juvenes*, *l.* 3. *de Benef.* c. 37. Sil *l.* 14. v. 198.

Et Catane genuiſſe Pios celeberrima Fratres.

Cum Severus *in Ætna*,

Erubuêre Pios juvenes attingere flammæ.

Εὐσεβεῖς etiam Straboni, loco dicto. Pauſan. *in Phocicis*: Περὶ πλεῖστα ... ἐν Κατάνῃ τοῖς καλουμένοις Εὐσεβέσιν. Catinenſes ſiquidem fuiſſe conſtat, etſi Solinus teſtatur, Syracuſanos etiam hos fratres ſibi vindicâſſe. Præter locum ex Silio ſuper adductum, Auſonius id abundè evincit *carmine* 11. *de claris civitatibus*, v. 1.

Quis Catinam ſileat? quis quadruplices Syracuſas?
Hanc ambuſtorum fratrum pietate celebrem,
Illam complexam miracula fontis & amnis?

Videatur & Ariſtotel. Περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων. Et Val. Max. *l.* 5. c. 4. *ex. ext.* 4. *Nic. Lloydius.*

CAMPUS Rheni, vide *Rinfeldia.*

CAMPUS Sceleratus, prope portam Collinam, inter hanc & Salluſtianos hortos, editus eſt Romæ locus, ubi olim Veſtales virgines, quæ inceſtum commiſiſſent, vivæ ſepeliebantur. Sext. Pomp. Liv. *l.* 8 *c.* 15. *Eo anno*, inquit, *Minutia Veſtalis ſuſpecta ... viva ſub terra ad portam Collinam dextrâ viâ ſtratâ defoſſa Sceleratô campô: ab inceſto id ei loco nomen factum.* Idem *Agger* quoque dictus eſt, fuitque tumulus terreus in longum porrectus. In eo autem domus ſubterranea non magna, in quam ex ſuperiori parte deſcenſus ſit, parari ſolita eſt: in eaque lectus conſtratus, lucerna ardens, paniſque & aquæ, cum lacte in vaſculo, paucæ primitiæ, tanquam nefas foret, ſummis conſecratum ceremoniis corpus fame perire. Tum inceſtus ream, in Lectica opertam, loris ita revinctam, ut ne vox quidem exaudiri poſſet, per forum vexêre; quæ, ubi ad locum ſupplicii perventum, poſtquam in domum per gradus deorſum deferentes deſcendit, hi ſurſum attracti, multâque ſupernè terrâ ingeſtâ domus occultata ac complanata eſt. Vide Dionyſ. *l.* 3. Plut. *in Numa*, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 19.

CAMUEL, i. e. *ſurrexit Deus*, vel *ſuſcitavit*, aut *confirmavit eum Deus*, filius Nachor ex Melcha. Gen. c. 22. v. 21.

CAMULODUNUM, Angliæ Oppid ſeu Colonia in Trinobantibus, apud Tacitum, *l.* 12. *Annal.* c. 32. & *l.* 14. *Annal.* c. 31. hanc hodie *Colcheſter* appellari ſcribit *Humfredus*, i. e. ut conjectamus, *Domum* ſeu *Regis collem.* Nam Arabicè [Hebrew] *kamala domuſtari*, *Dun* autem Gallis, Germanis, & Anglis eſt collis. *Clitophon*: Δῶνον καλοῦσι τὸν ἐξέχοντα, i. e. *locum eminentem Dunum vocant.* Vide *Cambodunum. Nic. Lloydius. Baudrando* eſt *Maldon*, oppid. Eſſexiæ provinc. ad amnem Chelſiterum, 8. milliar. Angl. à mari Germanico eodemque à Coleeſtria in Occaſum.

CAMULOGENUS, Aulercus, ſingulari ſcientiâ rei militaris ad eum eſt honorem evocatus, ut Pariſii & finitimæ civitates ei ſummam imperii deferrent, annô belli Gallici ſeptimô, Cæſar, *l.* 7. c. 57.

CAMULUS Deus, ſive *Sangus*, ſive alius è Sabinis Italiæ populis colebatur: ut ex antiquo lapide apud Sabinos reperto conſtat, in quo *Camuli* ipſius ſimulacrum inciſum eſt, cum titulo *Camulus.*

CAMUNI, Italiæ populi Plin. *l.* 3. *c.* 20. Καμοῦνοι *Straboni*, in aliquibus tamen exemplaribus Κάμουλοι, ut & *Camuli* apud Plin. Dioni Καμμοῦνοι, *l.* 54 Nomen horum retinet vallis Camunica ſeu Cammonica: è qua Ollius in Sebinum lacum influit. Parent hodie cum Triumpilinis, quorum ſimiliter mentio in tropæo Auguſti, Brixienſibus: ex Euganeis montibus oriundi, ſecundùm Plinium retro laudatum: & ex Lepontiorum numero, referente *Cellario. Sabellicus* & *Guarinus Camuli* legerunt, vide ſuprà.

CAMURISARBUM, Ponti Cappadocici urbs, *Ptol.*

CAMURIUS, decimæ quintæ legionis miles, quem crebrior fama tradidit impreſſô gladiô jugulum Galbæ hauſiſſe. Tacitus, *Hiſt. l.* 1. *c.* 41.

CAMUS, Græcè κημός, in re teſſeraria Veterum, vaſculum erat, per quod in pyrgum teſſeræ conjiciebantur: ad imitationem *cami*, per quem calculos in Judiciales urnas immitti conſueviſſe, ſuprà diximus. Aliter φιμοβόλον, φιμός, ἠθμός quoque, quòd *infundibulum* utrumque referret, in ſummo latus, in imo ſtrictus & anguſtus; qualis & χώνη erat; ad cujus formam *camum* factum eſſe, docent Grammatici, χωνοειδὲς πλέγμα illum vocantes. *Colum* & *urnam* vocat veteris *Epigrammatis* Auctor, apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo*, c. 13. Cæterum pleriquecamum illum vel phimum vel infundibulum in teſſeras jactandis non uſurpabant, ſolô pyrgô utentes; & videtur ad ſolam jactandi commoditatem ac facilitatem adſcitus fuiſſe *camus*: ut enim latô & hianti ore patebat, faciliùs recipiebat teſſeras, quæ inde quaſi per infundibulum in pyrgum cadebant, inde concuſſæ & agitatæ ſuper tabulam mittebantur, &c. Vide & infrà paſſim

CAMUS Joh. Petrus, Bellic. de Belley, obiit A. C. 1652. ætat. 70. ſcriptis editis clarus. Gall. Chron. *t.* 2. *p.* 360.

CAMUS, Syriæ Cœles civitas. *Polyb.*

CAN vel CHAM, titulus eſt, quô Tartari Principes ſuos indigitant, h. e. *Imperatorem* vel *Rex* Vincentius Belvac. *l.* 31. c. 10. *Quem lingua Can, i. e. Imperatorem appellabant* Et *c.* 32 *Qui & Gog Cham, i. e. Imperator vel Rex dicitur, ſubditorum eſt in Regno Tartarorum.* Canum dicitur in *Epiſt.* Quodbilai, Tartarorum imperatoris apud Odoricum Raynaldum in *Annal. Eccl* A. C. 1278. *num.* 20. *Chanus* vel *Hanus*, inquit Leunclavius in *Pandecte Turc. num.* 3. adſpiratione ſucti, appellatio peræquè uſitata Perſis & Tartaris eſt, apud quos etiam Reges & Principes amoenatum gentium *Chanes* dicuntur; Atque unde filia Principum *Chanoglan* vocantur. *Cam* quoque idem, de qua voce infrà. Quæ omnia orta ſunt ex voce *Caganus* vel *Cacanus*, quâ Avarum ſeu Hunnorum Reges olim dici ſolitos ſuprà oſtendimus, quamque eandem eſſe vel hinc patet, quòd Avarum ſeu Chazarorum patria Cherſoneſus Taurica eſt, quæ hodieque ſuos habet *Chanes.* Maximus verò omnium Tartarorum *Chan*, cui ſubjecti ſunt *Chanes* cæteri, *Chitanus* quoque appellari conſuevit. Sed & Turcici Sultani, poſt Oſmanum Galim ſe *Chanes* dici voluerunt, idque retinent in hodiernum uſque diem. Car. du Freſne in voce *Caganus.*

CANA, oppid. in regione Arabiæ Felicis thurifera, quæ adhuc *Rhamuſio* teſte Canatam nominatur.

CANA, quod CANNA Melæ, *l.* 5. *c.* 2. *Cane Ptolemæo*, oppid. Æolidis cum promontorio cognomine, contra Methymnam urbem Lesbi inſul. porrecto.

CANA, oppid. Galilææ, ubi Christus primum ſignum edidit, aquam in vinum commutans, Joh. c. 2. v. 1. & 11. deinde filium reguli miniſtri abſentem ſanavit, Joh. *c.* 4. v. 46. Vide Auguſtin. explicantem, Joh. *c.* 4. v. 54. Nathanaëlis patria, Hieron. *de Loc. Hebr.* Fuit autem in tribu Zabulon. Item alia *Cana major* dicta, in tribu Aſer. Joſue, *c.* 19. v. 28. Latinè *zelus*, vel *æmulatio*, ſive *poſſeſſio*, aut *lamentatio*, vel *nidus*, aut *arundo.* Item alia in tribu Ephraim. Hieronym. *in Loc. Hebr.*

CANA, κανᾶ, apud *Feſtum*, dicuntur Græcis, quæ Latini *caniſtra* appellant: unde *Cana Magmentaria*, apud Varronem, *l.* 4. *de Lingua Lat. Magmentum à magis, quod ad religionem magis pertinet. Itaque propter hoc magmentaria cana conſtituta locis certis, quo id imponeretur.* Ubi *Cana magmentaria* ſunt caniſtra & lances, quibus magmenta imponebantur, ut in aram inferrentur. Virg. *l.* 8. *Æn.* v. 180.

Viſcera toſta ferunt taurorum, oneransque caniſtris, &c.

Quam proin vocem ſuam uſu cùm feciſſent Latini, inde diminutivum deduxerunt *Canceolum*, quod pro atramentario uſurpârunt recentiores, in quo ſacrum encauſtum reponebatur. Unde *Præpoſitus Canicli*, ὁ ἐπὶ κανικλείου, de quo vide infrà in voce *Caniclinus.*

CANAAN, filius Chami filii Noæ, à quo *Cananæi.*

CANAAN, Palæſtinæ gens, *Saida Chenthai.* Vide *Palæſtina.*

CANABAS, Dux Gothorum, cæſis ſuorum V. Millib. in Thracia victus, à Valerio Aureliano, A. C. 272. *Aur. Victor in Eutrop.*

CANABIA, inter fœminei calceatus genera, apud Pollucem, *Onom. l.* 7. *c.* 22.

CANACA, Turdetanorum in Hiſpania urbs. *Ptol.*

CANACEA, Æoli filia, quæ cum Macareo fratre concumbens, ex eo concepit, peperitque filium, quem cùm per nutricem exponi curaret, infelix ſe ſuô vagitu avo prodidit, qui ob exectandum filiorum amorem incenſus, infantem canibus lacerandum projici juſſit; miſitque per ſatellitem filiæ gladium, ut eô pro meritis uteretur. Verùm quid illa fecerit non ſatis liquet, Macareum autem fugiens factus eſt Apollinis Delphici Sacerdos.

CANACHE, Ovid. *Met. l.* 3. v. 217. numeratus inter canes Actæonis, quod nomen illi ἀπὸ καναχῆς, h. e. *a clamore*, & *ſtrepitu* impoſitum videtur.

CANACIUM, oppid. Pedemontii.

CANADA, pars Americæ Septentrionalis, vaſta Regio, à Gallis detecta, A. C. 1504. occupata, auſpiciis Franciſci I. A. C. 1525. iterumque A. C. 1534. Poſt hæc, navigatione aliquamdiu neglectâ, occaſione Floridæ, ſub Carolo IX. iterum hîc aliquid tentatum, & ſub Henrico IV. A. C. 1604. colonia huc deducta, felici ſucceſſu. A. C. 1640. magnâ vis incolarum converſa eſt, qui ſatis ingenioſi. Solum, licet frigori ingenti obnoxium, metallorum tamen & frugum ferax eſt. *Linſchot. Leſcarbot.* & *Relationes Canad.* Ibi & Canada fluv. unde fortè regioni nomen. Vide *Nova Francia.* Item fluv. ibidem. Vide *Fluvius S. Laurentii.*

CANADIUM, urbs Hungariæ ad *Meriſſ* fluv. qui paulò infrà cadit in Vibiſcum. Comitatus Conadienſis caput, in ditione Turcarum, versùs confinium Tranſylvaniæ, 5. leuc. Germanic. à Segedino in Ortum.

CANÆ, Locrorum oppid. *Strabo.*

CANÆ, urbs ad Tigrim fluv. unde *Canæus* Jupiter nominatus; *Steph.*

CANÆ, oppid. Æolidis regionis. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

CANAGORA, urbs Indiæ exterioris, *Canogo Caſtaldo. Gangogra Mercatori.*

CANALES, Jul. *Capitolino Fiſtulæ aquariæ*, Imperatorib. Theodoſiô & Valentinianô *Sulcus publicus aquarum*, *Caſſiodoro Formæ*, in urbem hortoſque, ne ſiccitate laborarent, aquam deferebant. Calpurnius Siculus Eclogâ 2.

Accipe, dixerunt Nymphæ, puer accipe fontes,
Nam potes irriguis, nutrire canalibus hortos.

Materia illis plumbum, Claudian. *Epigr.* 2. *de Apon. balneo*, v. 45.

Devehit exceptam natura ſponte meatum,
In patulas plumbo labitur unda vias.

Et tales quidem tubuli diverſum, at tenuiorum lignei fuêre, ut apparet ex ænigmate 72. Cælii Sympoſii,

Tricinium terra legio, humans in coſtiſue lympha,
Alveus eſt medicus, qui ripas non habet ullas,
In ligno vehitur medio, quod lignum vehebat.

Per-

Præterea & teſtacei fuêre: *fictilibus quoque tubis ſtrictim aquam duci*, teſtatur Plin. Sen. *l.* 31. *c.* 6. *princip.* lapideorum meminit Plin. Jun. &c. Eorum primus Romæ uſus ab an. Urb. Cond. 441. ſecundùm Lipſium incidit, aliis ab Anci Martii principatum id referentibus, & certè jam datæ à Decemviris leges eorum meminêre: Niſi dicas has de *Aquagio*, Lipſium de *Aquæductu* intelligi debere, quorum hoc arte quadam & manu hominum abſolutum perfectumque opus, illud naturalem veluti alveum aut *Canalem* fontis ſignificet. Adhibebantur his fiſtulis extima ornamenta, quæ capitis leonini ſpeciem præferebant, Plut. *Sympoſiac. l.* 4. *c.* 5. Unde Ennodius Ticinenſis, *Epigrammate* 19.

Aſpice depoſitâ blandum feritate Leonem,
Ore vomit lymphas pectoris obſequio.
Efferâ dum vitreos effundunt gutture fontes,
Naturam perdens bellua nos ſatiat.

Eorumque fabrica tam mirabilis, & aquarum in iis ſalubritas tam ſingularis fuit, *ut magnitudinis Romani imperii id præcipuum eſſe indicium*, ſcribat Frontinus, *l. de Aquæductibus urbis Romæ.* Inprimis Claudianus aquæductus, quem Cajus Caligula inchoaverat Claudius perfecit, celebris fuit, *quippe a quadrageſimo lapide, ad eam excelſitatem, ut in omnes urbis montes levaretur, influxêre Curtius atque Cæruleus montes: erogatumque in id opus ſeſtertium ter millies*, Plin. *l.* 36. *c.* 15. i. e. ſedem Philippæorum milliones & ſemis. Municipiis poſteà ac colonis *canalium* jure conceſſô, *in aquæductu Nicomedienſes impenderunt HS. XXX. CCC. XXIX. qui imperfectus adhuc relictus ac etiam deſtructus eſt*, Plin. Jun. *l.* 10. *Ep.* 46. Et extant hodieque Nemauſi, Narbone alibique non obſcura eorum rudereta. Haud procul Metis, prope vicum *Xoxy*, in Moſella, aliquot aquæductus veſtigia ſuperſunt, ubi quantacunque eſt inter montes utrinque qui ripas ambiunt, diſtantia, olim connexa fuerit, cùm arcuum adhuc reſtent multi, in medio flumine, ad ripam dextram, & in vico, nonnulli in domicilia verſi ſint, ex albo lapide, in laterum formam diſſectò, ſeu potius cæmentò tenaciſſimò lateres compingente. Sagaciores Naumachiæ hos aquæductus, ex ulterioribus montibus præcipites huc conductos, inſerviſſe olim nobis perſuaſum eunt: Vicini *foſſam ſerpentis* vocant. In Sinis, gente illa adeò ingenioſa, non minoris nobilitatis *Canales* ac aquæductus Hiſtoricis memorantur. In Xantonia fluvius eſt *Yue*, cujus alveus ſtupendâ arte excavatus eſt, numerantùrque in illo canali, quia multis locis aqua pro majoribus navigiis tranſmittendis humilior eſt, ſupra 20 cataractæ, quadratò ſectòque lapide ac egregiò firmôque opere ſtructæ, relictâ portâ, navium capace, quam magnis craſſiſque aſſeribus claudunt, ac aquas detinent; mox illis rotæ beneficiò ac machinâ, facili negotiò, ſublatis & aquæ & navibus tranſitum dant, donec ad ſecundam cataractam, eôdem ferè ordine ac methodò, atque ita porro deinceps per reliquas tranſmittantur. Incipit autem ad Boream civitatis *Socien*, in ipſa ripa Crocei fluv. inde ad Cuningam uſque, mox ad Lincingam civitatem pertingit, ubi in *Guei* fluvium aquas effundit. Intra ipſam Metropolim *Cinan*, lacus eſt *Taming*, ex quo canalis exiens ad Choyngum lacum tendit, qui etiam intra mœnia eſt: E quo utroque lacu per totam urbem egregiò opere ducti canales, eam ubique navigabilem reddunt. In Jeupinga urbe, ad ſingulas ferè domos, per canales, ex montibus ubertim aquæ affluunt: ut alia omittam, vide Adam. Preyelium, *Sinæ & Europæ c.* 23. Nec minoris famæ molimen hodierni Galliarum Regis, qui Atacem fluv. vulgò *l'Aude*, cum Garumna conjungendo Galliam ex Mari Mediterraneo in Oceanum Occidentalem perviam facere ſtuduit: Plura de his vide apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 14. & Thom. Dempſter. *in Paralipom.*

CANALES Publici, *in l.* 2. *Cod. Theodoſ. de Curioſis*, & *l.* 15. *ibid. Cod. de Curſu publ.* Viro doctò ſunt πλαγίαι ſeu viæ tranſverſariæ, quæ in regias ſeu baſilicas influunt: Carolo verò du Freſne ipſe viæ publicæ. Im enim ita hæc 15 habet: *Neque tamen ſit cujuſquam tam inſignis audacia, qui parangarias aut paraveredos in civitatibus ad* canalem *audeat commovere, quò minus marmora privatorum vehiculis provincialium transferantur.* Ubi prohibetur, ne quis audeat paraveredos, qui ad tranſverſas vias deſtinati ſunt, ad vias publicas *commovere*, ſeu, ut Galli loquuntur, *faire marcher*, quò nimis privati marmoribus convehendis ædium ſuarum cultui conſulere poſſint. Quò ſenſu Athanaſius quoque, *Apol.* 2. quoſdam Epiſcopos, qui ad Synodum Sardicenſem convenerant, ait fuiſſe ἐκ τοῦ κανάλου τῆς Ἰταλίας, i. e. ex parte Italiæ, ſeu qui ex *Italia* viis eò confluxerant &c. Certè viam publicam in civitate Conſtantinopol. quæ ad Imperiale Palatium ducebat, *Canalem*, Græcè κανάλιον, appellatam eſſe, invenias apud Macrum in *Hierolex.* A fluminibus vocem ad *viam* tranſductam eſſe, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 478 ubi & Slavos Καναλὸ vocare, τὴν πεδοπορικὴν ἀγυιὰν ὁδὸν addit. Vide & hîc infrà.

CANALICOLA, apud A. Gellium, *l.* 4. *c.* 20. *qui prodibat, cavillator quidam & canalicola & nimis ridicularius fuit*; & Feſtum, *Canalicolæ forenſes homines dicti, quod circa canales fori circumſiſterent.* A *canalibus* in foro nempe Cauſidici & tabulæ ſic dicebantur, & qui in foro aſſidui. *Canalis* in foro mentio apud Plautum, *in Curcul. Actu* 4. *ſc.* 1. *v.* 15. *In medio propter canalem ſunt oſtentatores meri.* Quòd autem in illis canalibus aqua, ut fit, hærens, interdum malè oleret, ideò *canales odorare* dixit Tertullian. *de Pallio, c.* 5. *Jam & de negotio provocat: Ego, inquit, nihil Foro, nihil Campo, nihil Curiæ debeo: nihil officium advigilo, nulla roſtra præoccupo, nulla prætoria obſervo, canales non odoro, ſubſellia non contundo &c.* ubi alii legunt, *cancellos non adoro.* Nam mephitim illam pati cogebantur, qui aſſiduam Foro dabant operam; Cauſidici & Advocati, ſtantes ad cancellos, qui ante Judicum tribunalia erant, ad turbam prohibendam. Vide Salmaſium, *Notis ad loc.* & Vopiſc. *in Carino*, *c.* 16. ubi ipſos Fori Cancellos, *canales* quoque nonnunquam dictos eſſe, videtur innuere.

CANALICUM, eſt *Cairo*, caſtrum ad Bormiam amnem, in Ducatu Montisferrati, prope Apenninum, medium inter Finarium & Aquas Statiellas, 10. milliar. à Savona in Boream.

CANALUVII, montes in Macedonia ſunt, *Ptol. Cambunii* à Livio dicuntur, *l.* 44. *c.* 2. qui addit eoſdem ab incolis *Voluſtana* appellari.

CANAMELLA, à *canna*, h. e. arundine, *melle*, ut videtur Fulcherio Carnotenſ. *l.* 3. *c.* 21. hinc *canna mellis* dicta Conſtantino Afric. *Commun. locor. Medic. l.* 5. *c.* 18. arundo eſt, unde elicitur Zaccharum ſeu Zuccarum; ſcil. arundo nodoſior, ſpongioſâ plenus materiâ, cortice tenui, dulci ſuccô, qui ſic exprimitur: Caudex totus fruſtatim minutimque conciditur, deinde torculari preſſus ſuccum reddit, qui in cacabum mundiſſimum dimiſſus, igne ſuppoſitô coquitur & expurgatur. Purgatus verò in figulinis vaſis reconditur, ubi cùm reſtiterit, in laudatiſſimum coaleſcit ſaccharum. Albertus Aquenſis, *l.* 5. *c.* 37. *Calamellos ibidem mellitos per camporum planitiem abundanter repertos, quos vocant* Zucra, *ſuxit populus illorum ſuccô & vix ad ſaturitatem præ dulcedine expleri hôc guſtatô valebant. Hoc enim genus herbæ ſummo labore agricolarum per ſingulos excolitur annos; deinde tempore meſſis maturum mortariolis indigenæ contundunt, ſuccum colatum in vaſis ſuis reponentes, quouſque coagulatus indureſcat, ſub ſpecie nivis vel ſalis albi* &c. Cujuſmodi *canamellæ* & zuccara naſci in terris Sultano ſubjectis, unde ipſe magnos reditus percipiat, præterea in Cypro, Rhodo, Morea & Sicilia, obſervat Sanutus, *l.* 1. *part.* 3. *c.* 2. De *cannamellis*, quæ in agro Siciliæ Panormitano naſcuntur, Hugo Falcandus *Præfat. ad Hiſtor. de Calamit. Siciliæ*, *Occurret tibi mirandarum ſeges arundinum, quæ* cannæ mellis *ab incolis nuncupantur, nomen hoc ab interioris ſucci dulcedine ſortientes. Harum ſuccus diligenter & moderatè decoctus, in ſpeciem mellis traducitur; ſi verò perfectius excoctus fuerit, in ſacchari ſubſtantiam condenſatur.* Molendina, quibus iſtiuſmodi cannæ confringuntur, ibidem Saracenicâ voce *Maſſaras* vocari, colligitur ex *Charta* Guil. Regis Siciliæ A. C. 1176. apud Rocchum Pirrum *in Archiep. Montis-Regalis*, laudatum Carolo du Freſne in *Gloſſar.* De ſacchari vero hodierni antiquique diſcrimine, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1311. ut & *in libro pecul. de Manna & Saccharo*: infrà item ubi de *Saccharo*, it. voce *Trapetum*.

CANAN, dicta eſt Arabia à *Cham*, qui in ea conſedit, à quo *Cananei*. Hæc fuit prima gens, quæ Deum ignoravit, quia princeps ejus & conditor cultum à patre non accepit, maledictus ab eo; Itaque ignorantiam divinitatis minoribus reliquit. *Nic. Lloydius.*

CANAN, locus inter duo flumina, qui à Tiberiade vix quatuor diſtat milliaribus, in tribu Zabulon.

CANANÆUS, inter Herculis cognomina, vide infrà.

CANANEA, Syriæ regio, à Canane Cham filio, qui eam regionem, quæ nunc Judæa appellatur, inhabitans à ſe Canaan nuncupavit. Inde *Cananæus*, *itidis*, regio.

CANANIUS Joh. Baptiſta, vide *ibi*.

CANANORIUM, urbs Indiæ citerioris in ora Malabarica; Luſitanis erepta, à Batavis, his temporibus. Regni cognominis caput. 10. leuc. Hiſpanic. à Calecutho. Vide Maffæum *Hiſt. Ind. l.* 12. Barboſ. *l.* 9. *c.* 2. *Linſchot.*

CANAR, promontor. in Mauritania Tingitana. *Antonin.*

CANARA, regio Aſiæ citerioris inter montes & oram litoralem Oceani Indici, verſùs Occaſum, ſub Rege Biſnagaris, inter Malabariam & regnum Decani, ubi regna Onoris, Baticalæ in ora, & Gorcopæ in Mediterran. Hinc lingua Canarina uſitatiſſima in Indiis. *Tulamar*, *Barboſa.* Hîc mercatura floret, & Luſitanis aliquot arces. Texeira *l.* 1. *c.* 22. *Linſchot.* &c.

CANARIA, inſul. Africæ in mari Atlantico, è regione Maroci regni, Fortunatis propinqua, ſic dicta à magnorum *canum* multitudine ingenti. Plin. *l.* 6. *c.* 32. Hodiè omnes illæ inſulæ, quas veteres Fortunatas dixerunt, quæ 7. nempe *Teneriffa*, aliàs Nivaria: *Forteventura*, anteà Capraria & Caſperia: *Lancerotto*, aliàs Centuria: *Gomera*, aliàs Theode: *Inſula Ferri*, aliàs Pluvialia: *Inſul. Palmæ*, aliàs Capraria: præcipuaque *Canaria. Baudrand.* Detectæ à Ludovico Comite Claræmontano, fil. Alphonſi de la Cerda, cognomine *Exhæredati*, A. C. 1343. Viſitatæ à J. Bentacurtio nobili Gallo, A. C. 1346. unô nomine *Canariæ* dicuntur. Harum nobiliſſima eſt Palma, vel Madera, præſtantiſſimô ſaccharô, quod Maderanum vocatur, inſignis. *Nic. Lloydius.* Ipſa Canaria urbem habet cognominem cum arce & portu. Poſt varias viciſſitudines, ad Hiſpanos pervenêre hæ inſulæ. Incolæ Chriſtiani ſunt, ſub Epiſcopo, cui Canariæ ſedes. Solum frugum & generoſi vini feraciſſimum. Inſula Ferri, mirabili arbore eſt celebris, quæ toti Inſulæ, aliàs ſiccuioſæ admodùm, aquarum affatim ſuppeditat. Vide *Sanut. Linſchot. Marianam*, *Gramaeum*, &c. Salmaſius Veterum inſulas Fortunatas longè magis Meridionales fuiſſe, quàm hodiernas Canarias, contendit *ad Solin. p.* 1298.

CANARII, populi circa Atlantem Africæ montem habitantes, quòd victus canibus & his promiſcuus ſit. Plin. *l.* 5. *c.* 1. *Decimis ſe eò perveniſſe caſtris* (i. e. ad Atlantem) *& ultra ad fluvium, qui Niger vocatur, per ſolitudines nigri pulveris, eminentibus interdum velut exuſtis cautibus, loca inhabitabilia fervore, quamquam hibernô tempore expertum, qui proximos inhabitent ſaltus elephantorum, ferarumque & ſerpentium omni genere refertos*, Canarios *appellari.* Addit, *victum ejus animalis* (canis ſcil.) *his promiſcuum eſſe & dividua ferarum viſcera*; ad quem vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 303. ubi Græcorum Ἀγελοφάγους, aut Κυναμόλγους intelligi, ſuſpicatur.

CANARIUM Sacrificium, menſe Juliô, apud Romanos, peragi ſolitum eſt: immolabantur in illo canes rutilæ, pro frugibus, deprecandæ ſævitiæ causâ ſideris Caniculæ. *Feſtus*, *Atteius Capito* apud Joh. Roſin. *Antiq. Rom. l.* 4. *c.* 11. Hâc enim victimâ placari Divam Robiginem credunt illis. Ovid. *l.* 4. *Faſt.* v. 907.

Flamen in antique lucum Robigine ibat,
Exta Canis flammæ, exta daturus ovis.

Qui mox rationem addens pergit, *v.* 939.

Eſt Canis, Icarium dicunt, quo ſidere moto
Tosta ſitit tellus, præcipiturque ſeges:
Pro cane ſidereo canis hic imponitur aris,
Et, quare fiat, nil niſi nomen habet.

Πυρσοκυνάγεσμα dixêre Græci &c. Verùm non Robigalibus, quo tempore omnes Caniculæ ſidus occidere docent, ſed exortu Caniculæ, quò tota tellus ſitit, & ſata omnia exurentur, atque item carbunculantur uredine, canarium id ſacrificium oblatum fuiſſe, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 434. & 723.

CANARIUS Annus, Plinio, Κυνικὸς ἐνιαυτὸς Græcis, aliàs Ἡλιακὸς Θεοῦ ἐνιαυτὸς & Τετραετηρὶς, dictus eſt. Ægyptiorum olim annus, quòd eum à *Canis* ortu auſpicarentur. Columella, *l.* 3. *c.* 6. *Nec tamen ultra quadriennium ſolet extendi tur inquiſitio, id enim tempus fere vinaticum generoſitatem declarat* &c. Et Plin. *l.* 2. *c.* 47. *extr. Omnium quidem (ſi libeat obſervare minimos ambitus) redire eaſdem vices quadriennio exactè Eudoxus putat, non ventorum modo, verum & reliquarum tempeſtatum magna ex parte, & eſt principium luſtri ejus ſemper in canario anno, caniculæ ortu.* Habuit is 365. dies & diei quadrantem, unde τετραετηρὶς ei nomen: quemadmodum Magnus eorundem Annus tridem annis conſtabat, & anni quadrante, h. e. tribus Menſibus. Uti autem iidem è minoribus annis periodum quadriennalem componebant; ſic ex illis quatuor majoribus alium itidem circuitum conflârunt, qui totidem annos haberet, quot in illa minore dies reperiebantur, h. e. mille quadringentos ſexaginta unum. Quâ periodô annorum ἀποκατάστασιν omnium planetarum fieri vulgò, tum Ægyptii, tum Græci omnes exiſtimârunt. Atque hic circuitus à *Caniculæ* ortu ſemper incipiebat, ut & minor ille annorum quatuor, & ſinguli anni vertentes apud Ægyptios. Sed quocunque menſe Anni & quôcunque die menſis tum annus vertens, tum periodus parva, poterat incipere, dum ab ortu caniculæ initium duceret, verùm periodus illa major ex centuriis annorum compoſita, non aliud principium habebat, quàm ubi prima menſis Thot in Caniculæ ortum inciderat, quam ſemper redire ad idem principium poſt annos 1461. putabant &c. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 553. & ſuprà, ubi de *Anno.* Quod verò diximus de Anno hoc, Ἡλιακὸς quoque, item Θεοῦ ἐνιαυτὸς, dictum eſſe, inde eſt, quòd Θεὸς abſolutè eſt Sol, etiam apud Græcos, ut idem docet *p.* 552. & Solem etiam *Sirium* dixêre. &c.

CANAS, oppid. Lyciæ. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

CANASIDA, urbs Indiæ, Arrian. *in Indicis.*

CANASTRÆUM, Macedoniæ promontor. in Thermaico ſinu. Plin. *l.* 4. *c.* 10. *Capo Canaſtro*, vel *Capo Crio.*

CANASTRUM, promontor. proximum Pallenæ, vel Thraciæ. *Steph.*

CANATH, i. e. *emptio*, ſive *poſſeſſio*, aut *lamentatio*, urbs in tribu Manaſſe, quæ & *Nobah* dicitur. Numer. *c.* 32. *v.* 42.

CANATHA, oppid. in Decapolitana regione, quæ Syriæ jungitur. Plin. *l.* 5. *c.* 18. Mediæ orbs *Ptol.* & alia urbs ad Boſtram Arabiæ ſita. *Steph.*

CANATHRA, inſul. ante Taprobanem. *Ptol.*

CANATHUS, fons juxta Naupliam, in quo quotannis Juno, ut virginitatem recuperaret, lavabatur, Quod mulieres Archivæ credentes, idem factitabant. Pauſan. *in Corinth.*

CANATIUS, mons eſt excelſus citerioris Hiſpaniæ in cujus vertice (ut ajunt) eſt lacus profunditatis imperſcrutabilis, colore niger, in cujus fundum ſi quis lapidem, aut durum aliquid jecerit, confeſtim tempeſtatem oriri ſcribunt Hiſtorici, ejuſque in abdito ſpecu palatium eſſe Dæmonum. *Bacat.*

CANAUNA, regio Arabiæ Felicis. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

CANAVENSIS Tractus, regiuncula Italiæ, alias Montisferrati pars, nunc Pedemontio adjuncta, A.C. 1631. pace ad Claraſcum confectâ. Inter Eporedium urbem & Padum fluv. versùs Clavaſium.

CANCAMUM, cujus Plinius & *Dioſcorides* meminêre, quibuſdam Luſitanorum *Anime*, aliis *Lacca* eſt; & quidem Arabes ſub *Cancami* Hiſtoria Laccham deſcripſerunt. Sed *Anime* bdellium eſſe Veterib. ſuprà dictum. Cancamum verò Laccam non eſſe, hinc liquet, quia illud myrrhæ quadantenus ſimile traditur, σμυρνοειδὲς ὀσμῇ, ut Dioſcorides habet, quod Lacchæ non convenit. Quærendum itaque, ecquod hodie odoratæ gummi genus Cancamo Veterum reſpondeat, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1149. *& ſeqq.* De locis, unde afferri conſueverit, ſic Plin. *l.* 12. *c.* 20. *Ex conſimio caſia cinnamumque & cancamum ac tarum invehitur, ſed per Nabathæos Troglodytas, qui conſidere ex Nabatæis*: ad quæ verba vide *Notas* Dalechampii

CANCELLARIA, apud Anglos, ſummum Angliæ dicitur tribunal, ſi univerſalem illum Conventum excipias, quem *Parlamentum* dicunt: in quo Cancellarius ſingulis, qui rigore Juris communis ſe læſos queruntur, ex regula æquitatis ſubvenit, Cowellus, apud Car du Freſne *Gloſſar.* Galli verò ſic vocant locum in Palatio, in quo Regia ac publica inſtrumenta olim aſſervabantur (hodie enim vix ejuſce appellationis hâc notione veſtigium ſupereſt) Idem. De *Cancellaria Regulis*, jure particulari Curiæ Pontificiæ, vide infra lemmate, *Regulæ Cancellariæ.*

CANCELLARIUS, Ingulpho, aliiſque *Scriba*, & *Notarius* Goldaſto *Graphiarius*: Hincmaro *Secretarius*; Nicetæ *Secretarius*, item *Domeſticus*: Caſſiodoro *a Cancellis* · Hincmaro iterum *a Secretis*, *ab Actis*, *à Libellis*. In *Gloſſ.* Iſidori, *Autographus.* In Imperio Orient. *Logothetes* & *Canclinus*. In Eccleſ. Roman. aliquoties Onuphrio *Bibliothecarius* Suidæ *Logographus* & *Epiſtoleus*; Gregorio Turonenſi *Referendarius*: Quibuſdam *Apocriſiarius*, & quod regiæ capellæ curam gerebat, *Capellanus*, Interdum *Actuarius*, quòd acta Judicum ſcriberet, & *Tabellio*, quòd tabulas. Ad diſtinctionem, *Cancellarius Regis & Cancellarius Palatii*: *Archicancellarius*, *Protocancellarius & Protonotarius*, *Nomophylax*, *Aſylum Juris*, *Arbiter boni & æqui*, *Vicarius Regis*, *Pronex*, *Interrex*, &c. Originem Cancellarii ab Auguſto Cæſare, ab Athenienſibus, ab Amphictyonibus, ab ipſo Minoe, Juvis fortè Cancellario, quod ex ejus ſententia Leges Cretenſium latæ, arceſſunt. Dici cœperunt ſic Notarii Imperatoris, cum ſecluſi à turbæ moleſtiis inter cancellos agerent. Sunt autem *cancelli* feneſtratæ partitiones, ingreſſum prohibentes, non viſum: ut quæ chorum in Eccleſia dividunt à navi, cancellum inde appellatum. Sed & Cancelli dicuntur, ſepta curiarum, quæ *barras* vocant atque inde Juris Candidati, cauſas illic agentes, Budæo *Cancellarii*: ſpatium intra Curiam, cancellorum area; & à *cancellis Curiæ* explodi dicitur, cui ab agendis cauſis interdictum eſt. Per tranſlationem, *cancellos judiciales ſibi circundat*, qui rem arduam in ſe probandam ſuſcipit: *Conjicit ſe in cancellos Curiæ*, qui litibus ſe implicat, &c. Mox vocabulum *Cancellarius* transſcendebatur, à Scribis Imperatoris, ad Notarios quoque publicos: inter quos tamen id diſcriminis eſt, quod Cancellarius Regum præcepta vel acta Judicum ſcribit, Notarius vulgaria inſtrumenta. Hinc in charta Eduardi Confeſſoris Cancellarius, poſt Epiſcopos & Abbates, inter Capellanos, ſubſcribit, Notarius verò ultimum locum ſumit. Hinc *Cancellare*, pro ſcribere. Et illud,

Cancello, ſcribo: Cancello, grammata ſcindo,
Cancelloque meas in cruce pono manus.

Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

CANCELLARIUS Anglo-Saxonum, vulgò *Scriba* & *Notarius* dicebatur: vernaculô ſermone *Boſa.* Hi tum operam navârunt in dictandis chartis regiis, ſi non exarandis, ut patet ex Ingulpho, ubi de Turketulo Eduardi Senior. Cancellario loquitur. *Fungebatur hic etiam legatione ad Imperatorem & Franciæ Reges, quin & bellator egregius Conſtantinum Scotiæ Regem fudit & occidit. Exutus tandem mundo, Abbas Croylandæ factus eſt: cum, ut ceteri Cancellarii, nec Capellanus Regis, nec vel cujuſque Cleri pars fuiſſet.* Poſteà diſpartitum eſt munus alternatim pluribus. *In Hiſtor. Elienſ. l.* 2. ubi de Ethelredo, qui regnum iniit A.C 970. connectuntur munus Cancellarii & Capellani Regis, nec deinde niſi rarò disjunguntur. Sigillis ſub hoc ſeculo vix uſi ſunt Reges Saxonici, Athelſtano tamen, & Edgaro, & Canuto ſua interdum, ſed incertò cuſtode, attribuuntur: Eduardi verò Confeſſoris penes Cancellarium fuit. Sub Anglo-Normannis dein, Gulielmus Conqueſtor Scribarum collegium, qui diplomata ſcriberent, ejuſque collegii Magiſtrum vocatum *Cancellarium*, qui paulatim ſupremus effectus Magiſtratus, inſtituiſſe legitur, apud *Polyd. Virg.* quæ cum ſupradictis perpendantur. Verum id eſt, Cancellarii ſub ipſo ingreſſu Normannorum dignitatem non, ut poſteà, claruiſſe. Vide muneris ſpecimen apud Spelmann. *Gloſſar.* Fungebantur autem antiquè Cancellariatus dignitate, viri tantum Eccleſiaſtici & Epiſcopi, qui præterea curam gerebant regiæ Capellæ, repoſitaque illic monumenta ſacrâ cuſtodiâ tuebantur. Hinc accidit, ut Eccleſiaſtica omnia ad Regem pertinentia, Cancellarius adminiſtraret, Eccleſias diſponeret & regiò nomine Viſitatoris munus exſequeretur. Nec perpetuus olim fuit, ſed vel biennalis, vel triennalis, ſæpe bimus & annuus: pluresque interdum ſimul vicibus alternantes. Electionem ad Parlamentum ſpectare ex antiquo jure aſſeverabant tunc omnes Angliæ Magnates. Recentior electio apud Reges fuit, è quibus Henricus VIII. cùm curam ejuſdem Conſiliariis ſuis demandâſſet, Epiſcopos hi prætereundos cenſuerunt: ſed Eduardo VI. & Mariæ aliter viſum eſt. *Idem.* Occurrunt quoque *Archicancellarius* & *Vicecancellarius*, hic Cancellariô inferior, ille ſuperior. Dici autem videntur *Archicancellarii*, qui & aliàs Archicapellani, ſub ævo Ottonum Imperatorum Antiſtes Moguntinus, rebus Germaniæ præfectus, Colonienſis, Italiæ, Trevirenſis, Galliæ; cùm exuti paulatim moleſtias Cancellariatus, ut Eccleſiis ſuis liberiùs vacarent, munus per vicarios, quos Cancellarios ſimpliciter nuncupârunt, exſequerentur. *Vicecancellarius* apud majores dictus eſt, qui aliàs Cuſtos ſigilli, aliàs Cancellarii Locum-tenens appellatur. Sed & aliâ ſignificatione celebris eſt Vicecancellarii appellatio, in Academiis, de quo vide in *Vicecancellarius.*

CANCELLARIUS Gualterus, vide *Gualterius.*

CANCELLARIUS, Eccleſiæ Romanæ nomen magnæ dignitatis, cujus quanta fuerit in Romana olim Curia auctoritas, docet S. Bernardus *Ep.* 313. *Siquidem cùm nullum ferme ſit in Orbe bonum, quod per manus quodammodo Romani* Cancellarii *tranſire non habeat, ut vix vel bonum judicetur, quod ejus prius examinatum non fuerit judicio, moderatum conſilio, ſtudio roboratum & confirmatum adjutorio* &c. Unde factum volunt nonnulli, ut hic titulus à Pontificibus ſupprimeretur, ſolâ *Vicecancellarii* dignitate retentâ, de qua diximus aliquid ſuprà, ubi de Bibliothecario Eccleſiæ Romanæ. Quo referunt verſus illos Petri Damiani, in Alexandrum II. Pontificem Romanum, & Hildebrandum *Cancellarium* ſimul Eccleſiæ Romanæ & Archidiaconum, quorum ille Damiano à Curia diſcedendi facultatem cum dediſſet, hic nihilominus ibidem ipſum retinuit,

Vivere vis Romæ, clarâ depromito voce:
Plus Domino Papæ, quam Domno pareo Papæ.

Et,

Papam ritè colo, ſed te proſtratus adoro.
Tu facis hunc dominum, te facit ipſe Deum.

Vide Baronium *ad A. C.* 1061. *num.* 31. *& ſeqq.* Verùm etiam poſthac, bullas conſiſtoriales Innocentii II. & III. Alexandri item IV. & aliorum Pontificum, propriis eorum & Cardinalium

manibus firmatas, cum hac ſubſcriptione, *Datum per manus N. Cardinalis S. R. E. Cancellarii*, in Archivo Cathedralis Viterbienſis, ſe vidiſſe, Dominic. Macer teſtatur in *Hierolex*. In Eccleſiis Cathedralibus ejuſdem Communionis Romanæ *Cancellariatus* dignitas quoque viget, quæ ita deſcribitur in *Statutis* Leichfeldenſis Eccleſ. in *Monaſtica Angl. Tom.* 3. p. 24. Officium Cancellarii *eſt*, *ſive reſideat*, *ſive non extiterit*, *lectiones legendas in Eccleſia*, *per ſe*, *vel per ſuum Vicarium auſcultare*, *male legentes emendare*, *ſcholas conferre*, *ſigilla ad cauſas & negotia conferre*, *literas Capituli facere & conſignare*, *librum ſervare*. *quotieſcunque voluerit prædicationes in Eccleſia vel extra Eccleſiam prædicare & cui voluerit*, *prædicationis officium aſſignare* &c. apud Car. du Freſne in *Gloſſar*. In Melitenſium Equitum ordine dignitas *Magni Cancellarii* etiam reperitur, quæ ſpectat ad Primarios linguæ Caſtellanæ & Luſitan. & Vicecancellarium habet. Vide Car. Macrum *Op. cit.* &c. & de *Cancellario* Imperatorum Græcorum, infrà in vocibus *Canclinus*, item *Logotheta*, ac *Notarius*. Adde quæ diximus, voce *Oſtiarius*.

CANCELLARIUS Imperii, primò omnium memoratur Fl. Vopiſco, *in Carino*, c. 16. circa A. C. 287. cum humile admodum ac deſpectum munus fuit. Poſt alterum autem ſeculum ad ampliſſimum creſcit faſtigium unus è Cancellariis, cæteris præfectus. cujus munus & dignitas luculenter deſcribuntur apud Caſſiodorum, *Variar. l.* 11. *Formul.* 6. qui locus hodiernum Magiſtratum graphicè depingit. Inferiorum, qui huic ſummo parebant, numerum Heraclius Imperator ad 12 redegit. Nec ſummus quidem unicè datus eſt toti Imperio, ſed Provinciis ſingulis ſinguli, ut claré indicat Caſſiodor. *l.* 12. *form.* 1. Hincmari ævô, qui ſub Carolo Magno & Ludovico Pio floruit, minus videtur in aula Gallica muneris iſtius amplitudo: dum parte unâ Apocriſiarius fungitur, aliâ Comes palatii; Cancellariô ipſô vix quid prætereà tunc curante, quàm chartas Regias. Vide illum, *Ep.* 3. *c.* 16. Sigillum verò regium nondum adeptus eſt. Hoc enim cùm aliud non eſſet, quàm annulus, apud ipſum manſit Regem, ut Monachus Engoliſm. in *vita Caroli Magni*, *p.* 15. docet. De Imperii hodierni Romano-Germ. Cancellario, vide apud Limnæum *de Jure publico*, aliosque. A' palatio Imperii deducitur Cancellarius in Conſiſtorium Eccleſiæ, ævô quidem incertô, ſed antiquô. Vide Hieron. *ep. ad Gerontiam*. Tranſiit dein hic Magiſtratus in aulas omnium Principum Europæorum: ſed primùm à ſimilitudine potiùs Gallici Cancellarii, quàm Imperatorii. Exoletis verò aliquando Apocriſiario & Comite palatii, ſenſim pervenêre ipſorum munera in officium Cancellarii, qui deinceps, ne Præfecto prætorio, ut in Imperio olim, ſubjectus, ejus etiam partes plures ſuſcepit, eoque tandem crevit faſtigii, ut Principis præſentis vicarius & eô peregrè profectô, Interrex quodammodo cenſendus dicatur. *Budæus*. Vide quoque ſuprà.

CANCELLATÆ Fores, quæ aliàs *Reticulatæ*, Græcè διαφανεῖς, ſolidis foribus, præcipuè in prima janua, apud Veteres præponi ſolitæ ſunt. Vetus *Scholiaſtes* Ariſtophanis *ad illud*, Κλεῖε πυκνὰ δικτυωτὰ ὡς ἐπὶ ἐμπροσθεν τῆς θυρῶν ἱσταμένας κιγκλίδας, ...ὡς ἐπὶ θυρας οἴκου, διὰ τὸ ἔνδον ἐκ...ἀποκλείειν ἕως ὄψεως, *Præter ſtantes ante januam cancellos*, *ſolidas fores dixit*, *quò ſic omnino viſus excluderetur*. Nempe viſum tranſmittunt iſtiuſmodi *feneſtræ*, ut *Nonius* vocat, h. e. cancelli vel feneſtræ opere reticulatô factæ, θυρίδες δεδικτυωμέναι, 1. Reg. *c.* 1. v. 2. quamvis obſcurum & incertum: hinc *tranſlucentes fores* Caſſiodoro, & *perlucentes tranſenna* Paulino dictæ. Quare ad arcendum penitùs viſum ipſas fores ſolidas addi neceſſe. Hinc junxit utraſque Tertullian. *Januarum cancellorumque poteſtates*, τοὺς ἐπὶ θυρῶν καὶ ἐπὶ κιγκλίδων, *Janitores & Cancellarios*, *i. e.* oſtiarios: qua de re mox plura. Muniebantur autem iſtiuſmodi fores, ſerâ vel vecte ſeu repagulô ligneô, Græcè μοχλῷ, eoque unicô: unde velut ſingulare quid de foribus quibuſdam duplici clauſtrô obſeratis, notatur Polybio *l.* 5. Συνέβαινε δὲ τὰς θύρας εἶναι δικτυωτὰς διαφανεῖς, ἀσφαλισμένας δὲ διτλαῖς μοχλοῖς, *Accidit autem*, *ut fores eſſent cancellatæ & tranſlucentes*, *ac duabus ſeris clauſæ*. Vide ſuprà in voce *Balanus*, & paſſim alibi. Ab ædibus in Circum tranſiêre *Cancelli*, ubi fores carcerum *cancellatæ* itidem erant ſeu reticulatô opere factæ: cujuſmodi cancelli, ſignô datô, funibus demiſſi tollebantur ac laxabantur. *Tzetzes*, τὴν ὕσπληγα βαλβίδα, τὴν ἀφετηρίαν, ἣ κιγκλίδων χάλασι καὶ ἀνέλξει διὰ τοῦ μηχανῆς ὁ χρόνος. *Caſſiodorus*, *Oſtia ab Hermulis*, *funibus demiſſis*, *ſubitâ æqualitate pandantur*. Vide infrà in voce *Hermula*. Cum, ante ædificatos carceres, non niſi funiculus prætenderetur, cohibendis & in æquo limite continendis equis &c. Qua de re vide hîc paſſim, plura verò apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 922. & *ſeqq.* Sed & Podium in Circo *cancellatum* fuiſſe, diſcimus ex Ovidio, *l.* 3. *Amor. El.* 2. *v.* 63.

Si pendent tibi crura: potes, *ſi fortè juvabit*,
Cancellis primos inſeruiſſe pedes.

Puella ſpectabat in ſubſelliis podio proximis, quam proin crura pendula ſuſtinere immiſſis in Cancellos podii pedibus, jubet Poëta. Idem *ibid.* &c. plura hîc infrà.

CANCELLATIO, apud *Agrimenſoriæ Rei* Auctores, pro *limitatione* paſſim, quam alii *centuriationem*, nonnulli *metationem*, quidam etiam *perticam* nominavêre. Nempe territorium omne Coloniæ alicujus e. g. per centurias dividebatur, ſeu limites, aut metas, quas Gromatici dictabant, in prehendendis rigoribus: qui limites, quod decuſſatim ſeſe invicem ſecarent, quomodo & *cancelli* fiebant, hinc ager hujuſmodi *cancellari* dicebatur, h. e. delimitari. Hinc *Caſſiodorus*, *intra Tuſcia cancellos*, h. e. limites. Et in *Gloſſis* Veteri. *cancellat*, χαραδρεῖ; quæ vox propriè τὴν χαραξιν τοῦ ἰδάφου ſignificat, *i. e. cancellationem*. Salmaſ. *ubi ſupra p.* 1129.

CANCELLI, Græcè κιγκλίδες, item δρύφακτοι, omne *conſeptum* Latinis dictum eſt. *Papia*, *ligna ſubtiliter in tranſverſum facta*, *vel de ferro in modum retis*, *nunc vero & de lapidibus ſunt*. Scholiaſtes *Ariſtophanis*, κιγκλίδες ἔμπροσθεν τῶν θυρῶν ἱστάμεναι, *ante fores poſiti*, &c. Sic de Antonino Caracallo Æl. Spartian. *c.* 9. *Opera*, inquit, *Romæ reliquit*, *thermas nominis ſui eximias*: *quarum cellam ſoliarem negant Architecti poſſe ullâ imitatione*, *quâ facta eſt*, *fieri*. *Nam & ex ære vel cupro cancelli ſuperpoſiti eſſe dicuntur*, *quibus cameratio tota concredita eſt*: *& tantum eſt ſpatium*, *ut id ipſum fieri negent potuiſſe docti Mechanici*. Ubi non novum illo tempore aut mirum viſum eſt, in illius cellæ fabrica, quod tota cameratio ejus ſuperpoſitis cancellis eſſet impoſita, ſed tantum erat ſpatium, ut vix fieri potuiſſe videretur. Meminitque *cancellorum* ejuſmodi, quibus apſidæ & concamerationes firmarentur, non uno loco Anaſtaſius Bibliothec. inprimis in *Sexto III.* ubi apſidam ſuper cancellos argenteos habemus: *Fecit altare penſantem libras quinquaginta*, *cancellos argenteos ſupra platomas penſan. libras trecentas*, *abſidam ſuper cancellos cum ſtatua B. Laurentii Martyris argentea penſan. libras ducentas*. Idem in *Hadriano*, *Zacharia* & ante utrumque *Hilaro* quoque de *cancellis* loquitur, ſed non tam qui concamerationem ſuſtinebant, quàm qui ad januas aut feneſtras apponebantur, &c. Salmaſ. *ad Spartian. loc. cit.* Ab iſtiuſmodi vero *cancellis*, quos non Auguſta ſolùm domus, ſed & Magnatum ac Principum ædes foribus obtenſos, ut & vela, habebant, *Cancellariorum* nomen & prima origo eſt. *Cancellorum* certè velorumque meminit JC. *l.* 41. *D. de leg.* 1. *Sed ſi cancelli ſunt vel vela*, *legari poterunt*. *Cancellos* autem in veterib. ædibus fores fuiſſe cancellatas, & tranſlucidas, ex ligno reticulatim compoſitis textas notum. Δικτυωτὰς θύρας Græci dixêre, h. e. *reticulatas fores*, κιγκλίδας itidem, uti diximus; recentiores quoque καγκέλλους & καγκελλοθύρας: de quibus elegans extat Epigramma Græcum, *Antholog. l.* 5. εἰς κιγκλίδα τῆς αὐλῆς.

Ἢν κλείσῃς μ' ἀνέῳγα καὶ ἢν οἴξῃς, οὐ με κλείσεις
Τοῖος ἐὼν τηρῶ σοῖ δόμον ἢ δύναμαι.
Si claudis me, *aperior*: *ſin me aperis*, *clauſus ſum*.
Talis cùm ſim, *qui poſſum domum veſtram tutari*?

Cùm namque claudebantur cancelli, nihilominus tamen quodammodo aperti manebant: utpote cùm διαφανεῖς eſſent viſumque tranſmitterent. At ubi revera aperiebantur, tum vel intra ſepta reducti, vel in parietem reclinati, non ampliùs apparebant, aut pariete oppoſitô viſum non amplius tranſmittebant, & ſic quodammodo erant clauſi. Simile quid Caſſiodorus de *Cancellario*: *Tenes quippe lucidas fores*, *clauſtra patentia*, *feneſtratas januas*, *& quamvis ſtudioſè claudas*, *neceſſe eſt*, *ut te cunctis aperias*. Ad hos itaque qui ſtabant Oſtiarii, illoſque ſervabant, *Cancellarii* primitus. item *a Cancellis* dicebantur: qui non modo Cæſaribus Proceribuſque, ſed & Judicibus fuêre, ut ex *Cod.* notum *tit. de Aſſeſſoribus & Cancellariis Judicum*. Nam in tribunalibus ſepta, quibus arcebantur turbæ, *cancellos* dicebant: Græci δρύφακτα, quod ex *tabulis querneis* conſtarent, vetus Scholiaſt. *Ariſtoph.* σανιδώματα & ξύλα, h. e. *tabulata & ſepta*, item θωρακας ξυλίνους, i. e. *ligneos pluteos*: alii κιγκλίδας quoque appellârunt. Quamvis δρύφακτος propriè erat totum fori Judicialis conſeptum, quod ex tabulis compactum & pluteis undiquaque munitum erat, *parquetum* hodie vocant Galli diminutivè, ex *parquum* ἀπὸ τοῦ..., h. e. *ſeptum*: κιγκλίδες autem fuêre reticulatæ vel cancellatæ fores τοῦ δικαστηρίου, ſeu *tribunalis*. Unde Cancellarii iidem οἱ ἐπὶ κιγκλίδων. Mentio horum *Fori cancellorum*, apud Ciceronem. *Gloſſæ* verò *Caules*, *cancelli Tribunalis*, *ubi ſunt advocati*. Ubi pro *caules* legit aliquando Salmaſius, *canales*, quâ voce Fori cancelli etiam videntur eſſe dicti; vide ſuprà ubi de *Canalicolis*: Poſteà verò *caules* retinuit, pro *caulas*, quod nomen, propriè munimentum ſeptumque ovium denotans, pro ſeptis ſeu cancellis Tribunalium uſurpatur, in *Gloſſis* optimæ notæ, quæ in Biblioth. P. Puteani ſervantur. Cujuſmodi *cancellum* in ſummis Galliæ tribunalibus vulgò *barream* vocitatur, vide ſuprà *Barra*, Igitur ſecretaria ſeu tribunalia Judicum fores hujuſmodi habebant cancellatas ſeu ad modum retis factas, quod omnium faciliùs aperirentur & clauderentur, propter frequentes ad Judicem ingreſſus & egreſſus. Has ſervabant *Cancellarii*, curabantque, ut admiſſiones & ingreſſus ad Judicem ſine confuſione & tumultu fierent, Judici præſentandos admittebant, reſponſa Judicum exequutioni dabant, idemque planè ſuſtinebant officium, quod hodie ſolent in Curiis regiis, qui *Oſtiarii* dicuntur, item *Secretarii*, namque & expediendis Judicum juſſis, edictis, & epiſtolis dictandis ſignandiſque, relationibus formandis ac reſponſis portandis operam dabant, ſecretaque ſervabant, *Scribæ* hinc, & *Dictatores* citimi ævi Scriptoribus, Græcis Α'σηκρῆται appellati: diverſi omninò à *Cancellariis* domûs Auguſtæ Procerumque, qui ſolum Oſtiariorum munus ſuſtinebant &c. A ſeptis Dicaſteriorum tranſiit ad Ædes ſacras *cancellorum* vox, quæ & ipſæ ſuas αὐλὰς ac ἕρκη, h. e. ſepta ſive caulas prohibendis turbis habere cœperunt: intra quos *cancellos* ſolis licebat Clericis ſtare, *Capitular.* Caroli M. *l.* 7. *c.* 391. obſervatque Durandus *Rational. l.* 1. *c.* 3. *num* 35. *In primitiva Eccleſia peribolum ſeu parietem*, *qui circuit chorum*, *non elevatum fuiſſe*, *niſi uſque ad appodiationem*, *idque ſuâ ætate adhuc in quibuſdam Eccleſiis obſervatum*. *Quod ideo fiebat*, *ut populus videat Clerum pſallentem*, *unde ſumeret bonum exemplum*. *Veruntamen hoc tempore quaſi communiter ſuſpenditur*, *ſive interponitur velum*, *aut murus inter Clerum & populum*, *ne mutuò ſe conſpicere poſſint* &c. Vide Car. du Freſne in *Deſcript. Ædis Sophianæ num* 71. 72. Itaque Altaris ſeptum vel locus iſtiuſmodi cancellis muniebatur, ſicque bema ſeparabatur à Choro. Sed & hinc ipſum Βῆμα vel Α'δυτον. *Presbyterium* Latinis dictum, *Cancellum* poſteà appellatus eſt. Vide Order. Vitalem, *l.* 11 p. 832. & infrà voce *Pectorale*. Gallis hodieque *Chancel*. Joh. de Garlandia in *Synonym.*

Cancellus templi pars intima dicitur eſſe.

Poëta Mediæ infimi ævi, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.*

Infra Cancellum *Laicos compelle morari*,
Ne videant vinum cum ſacro pane ſacrari.

Porrò *cancellis*, hominum vitæ innocentiâ & ſanctitate illuſtrium monumenta & tumulos muniri conſueviſſe, legimus apud Auguſtin. *Serm. de diverſis* 32. Cyrillum Abbat. *in Vita S. Euthymii Magni Abbat. c. ult.* Gregorium Turonenſ. *de Miracul. l. 1. c. 69. & l. 2. c. 30.* &c. imò omnium promiſcuè ſepulchra tandem *cancellis* vallari ſolita, docet idem *Hiſtor. l. 6. c. 10.* *Cataractam S. Petri* cancellum talem vocat Vigilius Pontiſ. *Epiſtol. Encycl. ad Eccleſiam univerſ.* Nec omittendum, quòd à *cancellis*, quibus ſecreta Judicum muniri diximus, etiam regionum limites & agrorum termini, *cancellorum* nomine appellari legantur. Jordanes certè, *l. de Succeſſione Regnor.* *Cancellos Tuſciæ* dixit, pro limitibus Tuſciæ: in vetere quoque *Fragm.* ex veteri ſcheda, quam à Jureto Salmaſ. habuit, *cancelli* dicuntur termini, i. e. lapides, quibus agri limitantur, quibuſque olim ſacra pagani faciebant. Unde *cancellatio*, ut dictum, pro metatione vel limitatione, apud *Siculum Flaccum* & apud *Hyginum*, *regio cancellata*, pro limitata: Eſt autem *cancellare*, propriè delineare & lineas tranſverſim & in obliquum ducere &c. Vide hanc in rem plura, apud præfatum Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino*, *loc. cit.* & *ad Solin. d. l.* nec non infrà in voce *Tranſenna*.

CANCER, Poëtæ Tragici nomen.

CANCER, aquatile animal, de quo Plin. *l. 9. c. 31.* *Vivunt petroſis locis, cancri mollibus. Hyeme aprica litora ſectantur; æſtate in opaca gurgitum recedunt --- Cancrorum genera, carabi, aſtaci, moeæ, paguri, heracleotici, leones, alia --- Carabi caudâ à cæteris cancris diſtant. In Phœnice hippæ vocantur, tantæ velocitatis, ut conſequi non ſit. Cancris vita longa: pedes octoni, omnes in obliquum flexi, fœminæ primus pes duplex non ſimplex. Præter bina brachia denticulatis forcipibus. Superior pars in primoribus his movetur, inferiore immobili, dextrum brachium omnibus majus. Univerſi aliquando congregantur, os Ponti evincere non valent, quamobrem regreſſi circumeunt, apparetque tritum iter. --- In pavore & retrorſi pari velocitate redeunt. Dimicant inter ſe ut arietes, adverſis cornibus incurſantes* &c. Apud Sinenſes, ſunt *cancri marini*, inter urbem *Kaochen* & Inſul. *Hainan*, qui, ubi ex aqua extrahuntur ac aërem ſentiunt, continuò, ſervatâ tamen antiquâ figurâ ac lineamentis, lapideſcunt, ductiliſſimum lapidem referentes. Illis ſimiles in lacu quodam ejuſdem Inſulæ, quos Sinenſes & Luſitani contra calidas febres adhibent. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ*, *c. 41.* ubi de *Amphibiis*. A *cancro* gemmæ nomen, vide *Carcinias*.

CANCER, unum eſt ex 12. Zodiaci ſignis, à quadam Cancri piſcis ſimilitudine ita dictum; eo quòd Sol in menſe Junio ſignum hoc perambulans, paulatim incipit à nobis recedere, & curſu retrogradò ferri in modum Cancri. Refert *Hyginus* hunc fuiſſe Cancrum, qui à Junone in Herculem cum Hydra Lernæa pugnantem immiſſus fuit, qui cùm pedem ejus momordiſſet, ab Hercule occiſus, & à Junone inter ſidera collocatus eſt, quod itidem teſtatur Germanicus, *in Aratæis*.

Te quoque ſecundam meteres cùm cominus Hydram
Alcides, auſum morſu contingere, bellò
Sidere donavit, Cancer, Saturnia Juno
Nunquam oblita ſui, nunquam ſecura noverca.

Vide Cæſium, *Aſtron. Poët.* in Cancro. Virg. *Eclog.* 10. v. 68.

Æthiopum verſemus oves ſub ſidere Cancri.

Unde *rapidus Cancer* dicitur Statio, *Theb.* 4. v. 776. *Et torrens* Lucano, *l. 8. v. 351.* Cicero in *Aratæis*:

Clarè collucens lumine Cancer,
In quo conſiſtens convertit curriculum Sol.

Proximum geminis ſignum eſt. Ovid. *Faſt. l. 6. v. 727.*

Sol abit è geminis, & Cancri ſigna rubeſcunt.

Nic. Lloydius. Nota ejus Latinis ſic habet 69. At Græcis aliud inſtar gerit; quam ex priore corruptam eſſe, dubium non eſt. Græci Mathematici & Chymici eâ figurâ *ἡμερονύκτιον* exprimunt, quâ Latini ſignum *Cancri*: Nempe diem unum ſic deſignant 6. dies plures 66. noctem ſic 9. plures noctes, 99. Diem verò cum nocte 69. Salmaſ. *ad Solin. p. 1236. & 1237.* Cæterùm de *Cancrorum* piſcium natura, vide latè agentem Plinium, *d. l.*

CANCER, ſpecies machinæ bellicæ, de qua ſic Auctor *Chronici* Colmar. A. C. 1300. *Expugnavit Rex hanc civitatem per duo vaſa* (inſtrumenta) *concava, quæ faciebant artifices ſapientes. Unum vas Cattus vocabatur, aliud Cancer. Erant hæc vaſa longa, quadrata, ex omni parte laterum clauſa: verſus terram nullum munimen habebant, ſed verſus cœlum de fortibus ac ſpiſſis tabulis tectum, machinarum lapides minimè metuebat. --- Fuit Cancer inſtrumentum magnum, forte pariter ac ponderoſum. In ea erat trabs magna, pariter longa, in una parte groſſa, in altera parva. In groſſiori parte ſive in capite, fuit ferrò forti circumdata & in fronte ipſius Cancri fortiſſimè colligata. Hæc trabs ſuper quædam inſtrumenta jacuit, quòd facile moveretur. Hic Cancer cum ad murum perveniſſet, eiſque in circulos, qui in trabe erant, funes immiſiſſent, ex paucis ictibus pro magna parte cadere coëgerunt.* Et mox, *Ex parte terræ fuerunt obſeſſi per Cattum atque Cancrum: quia ſolus Cancer quingentos homines occupabat.* In *Conſuetud.* Bajonenſi, pro ſpecie armorum *Eſcrevisſe* quoque uſurpatur, quæ vox Gallis itidem *cancrum* notat, vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

CANCHLÆI Arabes, Catabanis & Scenitis Arabibus ab Oriente juncti, memorantur Plinio, *l. 5. c. 11.*

CANCIUS, fluv. Picardiæ, *la Canche*, Hedinum alluit, & infra Monſtrolium in Oceanum cadit. Vide *Quentia*.

CANDACE, Æthiopum Regina, tempore Auguſti, maximi animi mulier, tantique in ſuos meriti, ut omnes deinceps Æthiopum Reginæ ejus nomine fuerint appellatæ. Plin. *l. 6. c. 29.* Hujus quoque ſic mentio apud Strab. *l. 17.* ubi illam magni animi fœminam fuiſſe refert, ſed alterò oculò privatam; & Dionem, *l. 54.* Vide Marmol. *l. 10. c. 23* & Johannem de Barros, *l. 3. c. 2.* Candaces Reginæ, Judice quibuſdam, Eunuchus per Philippum Euangeliſtam ad fidem Chriſti convertitur. Actor. *c. 8. v. 27.* Et conſentaneum eſt, hunc Eunuchum ſemina Euangelii de Chriſto apud Æthiopas, Irenæ. *3. c. 12.* Hieron. *in Eſaj. c. 51.* Cyrillus *Cath.* Euſeb. *l. 2. c. 1.* ſparſiſſe, quæ poſteà per Matthæum Euangeliſtam exculta & latiùs propagata ſint. Vide & ſuprà *Abyſſini*.

CANDACENSIS Vicus, & *Candaum*, oppidul. Galliæ, ad Ligerim fluv. ubi Vigennam recipit. Eſtque provinc. Turonæ, ſed in limite Andegavenſi.

CANDÆI, populi ſerpentibus veſci aſſueti, apud Plin. *l. 6. c. 29.*

CANDAHARA, regio Aſiæ, cum urbe cognomine in Perſia olim, nunc ſub Magno Mogole, à multis annis. Urbs ipſa eſt permunita, intra montes, 50. leuc. German. ab urbe *Balch*, 60. ab Indo fluv.

CANDALI, Indiæ intra Gangem populi. *Ptol.*

CANDAMIUS Mons, *vet. Inſcr.* *Candamedo*, *Mariana* in finibus Aſturum, in Hiſpania Tarraconenſi inter Legionem & Ovetum, urbes.

CANDANIA, Mons Epiri, à Dyrrhachio diſtans 88. mill. paſſ.

CANDANUM, Jazygum Metanaſtarum urbs. *Ptol.*

CANDARA, urbs Paphlagoniæ tribus ſchœnis à Gangris diſtans, & Thariba vico, ubi Junonis Candarenæ templum eſt. *Steph.*

CANDARI, Sogdianæ populi ſunt & Plinio, *l. 6. c. 16.* & *Ptolemæo*, quamvis apud priorem *Gandari* non rectè vocentur.

CANDASA, Cariæ caſtellum. *Steph.*

CANDAVIA, regio & mons Epiri, Illyriam à Macedonia dividens. Lucan. *l. 6. v. 331.*

Devia, quà vaſtos aperit Candavia ſaltus.

Vide Plin. *l. 3. c. 23.* & Strab. *l. 7.* Etiamnum *la Canovia*; eſtque regiuncula Albaniæ, intra montes, ubi incolæ plerumque Chriſtiani. *Baudrand.*

CANDAVIA, in *Excerptis* veter. Plinii & Solini, eadem cum Scandinavia eſt, Germanicarum Inſularum maxima; quam *Ptol.* *Σκανδίαν* vocat, præter tres parvas hîc eôdem nomine, unam faciens *μεγίστην καὶ ἀνατολικωτάτην*, *maximam & Orientaliſſimam*. Mela *Codanoniam* appellat, *l. 3. c. 6.* à Codano ſinu, *Gangavion* Solinus, *c. 20.* *Gangavia Inſula à regione Germaniæ emittit animal, quale alces.* Et paulo poſt, *De Germanicis Inſulis Gangavia maxima eſt, ſed nihil in ea magnum præter ipſam*: ad quem locum, vide Salmaſ.

CANDAULES, Græcis Myrſilus, fil. Myrſi, an Meletis, ab Alcæo filio Herculis oriundi, XXII. & ultimus ex Heraclidis, Lydorum Rex; occiſus à Gyge juſſu Reginæ, eo quòd nudam inſpiciendam ſe Gygi conceſſiſſet, qui ſic uxore & regnò potitus eſt. Annò regni Candaulis 18. Sicque ad Mermnadas illud tranſtulit, in quorum familia duravit, uſque ad Crœſum, an. 210. Urb. Cond. Euſeb. Herodot. *l. 1.* & Juſtin. *l. 1. c. 7.* *Nic. Lloydius.* Factum id duodevicesimâ *Olympiade, aut, ut quidam tradunt, eôdem annô, quò Romulus* obiit, Plin. *l. 35. c. 8.* ubi Bularchi pictoris tabulam, in qua erat Magnetum prælium, à *Candaule* aurò repenſam tradit. *Tanta jam dignatio picturæ erat*, addens. *Deſiit* itaque *Candaules* annò Nabonaſſ. 30. qui eſt Period. Jul. 3996. poſtquam Heraclidæ (quorum primus Argon) regnâſſent *annos* 505. *filio ſuccedente patri per* 22. *generationes*, Herodot. *l. 1. c. 7.* Joh. Marshamus *Canone Chron. ad Sec.* XII. & XVII. Vide *Argon*, *Gyges*, *Meles*, *Xanthus*, qui Candaulis fil. celebris *Lydiacorum* fuit auctor.

CANDEA, urbs Indiæ citerioris inſul. Ceylan, regni cognominis caput, in meditullio inſulæ, urbs ampla & totius inſulæ facilè princeps.

CANDEI, Arabici ſinus populi, quos Ophiophagos ob id vocant, quòd ſerpentibus veſci ſoliti ſint. Plin. *l. 6 c. 29.*

CANDELA, quid propriè, vide infrà, *Lucerna*. At pro lucerna olearia, apud recentiores ævi Scriptores paſſim; ſicut *κανδήλα* Græcis uſurpatur. Sophronius Patriarch. Hieroſolymit. *Τὰ τῆς κανδήλας ἔλαιον ἀπὸ τοῦ τοῦ Χριστοῦ λιμένος αὐτοφυῶς λαβών.* Et infrà, *τῆς κανδήλας λαμβάνει τὸ ἔλαιον*, *Candela accipit oleum.* Anonymus de Locis SS. *Ἄνωθεν τοῦ ἁγίου τάφου κρέμανται κανδῆλαι δʹ.* Infrà *κρέμανται κανδῆλαι δʹ*, *Pendent candelæ quatuor*, &c. aliter tamen vocem uſurpante Auctore *Chronici* Alexandr. *p. 686.* ut videbimus infrà, ubi de *Papyro*. Dominicu Macro *Candela*, cereus funiculus eſt, à verbo *candeo*: cujuſmodi *candelas*, in Communione Romana in exequiis accendi notiſſimum, more à Gentilibus receptò, ſed damnatò Concilii Eliber. *can.* 34. ubi cavetur, *Ne animæ Sanctorum* candelis *inquietentur.* Conſtantinopoli olim Imperator, quoties ſolenni pompâ ad Templum ibat, duobus cereis erat comitatus; Patriarcha unicò: quod privilegiò poſtmodùm ad Archiepiſcopos Cypri, Bulgariæ aliosque Metropolitas extenſum, hodie omnibus Græcorum Epiſcopis in communi uſu eſt: unde degradationis certiſſima nota, *candela* extinctio, ut de Arſenio Patriarcha refert Pachymeres, *l. 2. c. 13.* Moris origo ex Apocalypſ. *c. 2. v. 5.* *Movebo candelabrum tuum.* Similiter in Eccleſia Galliæ Turonenſis, Archiepiſcopus in ſolennitatibus ad ſacrum celebrandum prodiens, præeuntem hodieque cum *candela* accenſa habet Theſaurarium: quemadmodum in Mediolanenſi Subdiaconus Sacerdoti, ad canendam Miſſam progredienti, manu candelam præfert, quæ *Cantharum* appellari conſuevit, alterâ thuribulum deferens: quæ ceremonia etiam, cùm Evangelium canitur, ibidem obtinet, &c. De ſuperſtitione XII. *Candelarum*, *quibus nomina Apoſtolorum inſcripta*, vide Pachymerem in *Andronico*, Petrum Cluniac. & Gregorium Turonenſ. ut & Lapidem, cujus inſcriptionem refert Car. Macer in *Hierolex.* Alia, *candelas accenſas ſub conjuratorum pedibus ponendi*, damnata eſt legibus ab Ottone Legato Pontificio in Syria A. C. 1233. in *Conſtitut. c. Simoniac.* De alia: *Candelam deferendi*, ut vocatur in Concilio Nannetenſi, dicemus infrà ubi de *Facularum accenſoribus*. Porrò ritus, *Candelas projiciendi & extinguendi*, *in excommunicationibus* me-

memoratur Reginonis *de Eccleſ. Diſcipl. l. 2. c. 409.* Marchaſ Weſtmon. *A. C. 1233.* Alius, *Candela de Modio* ... , inter præſtantiores Eccleſ. referuntur in veter. *Charta* A. C. 1030. apud Ughellum in *Epiſcopis Novar.* Vide quoque hic infrà; in civitate Atrebatum *Candela S. Lamberti*, magnâ veneratione adſervatur: de qua perſuaſum ſibi multi habent, B. Virginem eam illi præbuiſſe A. C. 1105. ejuſque guttas in aquam reſolutas morbis variis mederi, uti habet Joh. Alberti apud Menochium *Hiſtoriar. Centur. 4. c. 92.* Simile quid, de *Candelis*, accenſis in vigilia Aſſumtionis & in Miſſa ejuſdem Feſti, apud S. Mariam Majorem Romæ, referunt Petrus Cluniac. & Gregor. Turonenſis apud Macrosio *Hierolex.* ubi quidem commatis quandam reperies, de invocatione Apoſtolorum per XII. *candelas*, &c. De *Candelarum* apud Hebræos uſu adverſus peccaturos, vide aliquid infra voce *Peccatum*.

CANDELABRA Veterum, ita ferè fiebant, ut hodie videmus ea, quibus in templis utuntur: catinus erat vel ſcyphus, & in medio uncinus, cui infigebatur candela. Varro de *Vita Populi Rom.* apud Servium, *Facibus aut candela ſimplici, aut ex funiculo facta, cerâ veſtità: quibus ea figebant, appellabant funalia.* Ipſe mox Servius, *Nonnulli apud Veteres candelabra dicta tradunt, quæ in capitibus uncinos habebant, quibus affigi ſolebat, vel candela, vel funes pice delibuti, quæ interdum erant minorum, in geſtari manu & præferri Magiſtratibus a cœna poſſent.* Donatus item in *Andream*, *Funem a funalibus dictum eſt, i. e. uncis vel cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes pice vel cerà infigebantur.* Candelabra nempe ipſa in modum lancis vel [illegible] uncinum in medio habebant, cui infigi candela ſolebat, cum pediculo, quò manu retinebantur. Cujuſmodi lances ſeu [illegible], ad excipiendas candelæ emunctiones facta, [illegible] vel [illegible] recentiores Græci, unde ipſa *Candelabra*, ſi unicô tantùm conſtarent acetabulô, [illegible], ſi duobus, [illegible], iidem appellavêre, uti ſuprà vidimus. *Scyphi* vocantur vulgato Interpreti hujuſmodi acetabula, in *Candelabro* Templi Exodi *c. 25 v. 31. & ſeqq.* Tremellius Juniuſque *lances* vertit: Vide infra in voce *Lychnuchus*. Quod vero de funere ſæpià ex Donato dictum, hinc eſt, quòd, *candelis* è papyro cerâ circumdato prælucentibus, mortui olim noctu efferri conſueverunt. Perſius, *Sat. 3. v. 103.*

Hinc tuba, candela ——

Uti autem ex ſcirpi cortice tegetes, vela, veſtes, ſtragulæ, funes & alia viculo conficiebant, ſic detractô cortice medulla interior candelis faciendis inſerviebat, cerâ circumdata, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 375 & 1002.* uti de inveſtitura *per Candelabrum*, ſuô locô. De *Candelabris* ſic Plin. *l. 34. c. 3.* *Privatim Ægina Candelabrorum ſuperficiem duntaxat elaboravit, ſicut Tarentum ſcapos. In his ergo juncta commendatio officinarum eſt. Nec pudet Tribunorum militarium ſalarium emere, cùm ipſum nomen a candelarum lumine impoſitum appareat. Acceſſio candelabri talis fuit: Theonis juſſu præconis Cleſippus fullo, gibbere præterea & alio fœdus aſpectu, emente id Gegania ſeſtertium L. eademque oſtentante convivio emptum, ludibrio causâ nudatus, atque impotentiâ libidinis receptus in thorum, mox in teſtamentum. prædives Numinum vice illud Candelabrum coluit, & hanc Corinthiis fabulam adjecit: vindicato tamen moribus nobili ſepulchro, per quod æterna ſupra terras Geganiæ dedecoris memoria perduret. Sed cùm eſſe nulla Corinthia candelabra conſtet, nomen id præcipue in his celebratur, quoniam*, &c. Ad quem locum vide Joh. Frid. Gronov. *de Pecunia vet. l. 4. c. 8.* Vide quoque infrà *Cleſippus*, plura verò hanc in rem habes ſuprà, voce *Arbor* ... *cantharus carrus* ac infrà *Lychnuchus*.

CANDELABRUM, pro Numine cultum, vide hic ſuprà.

CANDELARIA, Gallis olim *la Candeliere*, hodie *la Chandeleur*, Italis *Candelora*, item *Santa Maria Candelara*; Latinis etiam *Feſtum Candelarum*, & *Feſtum S. Mariæ Candelarum*: Feſtum eſt in communione Romana Purificationis B. Mariæ, de quo vide Durandum, *l. 7. c. 7. num. 17.* Nomen ei a *candelis* ardentibus, quas hâc die ſuis deferre præcepit Gelaſius Pontifex Roman. abrogatis Lupercalibus, quæ menſe Februario agi ſolita, teſtatur *Varro*. Litanias publicas & proceſſiones ſolemnitati addidit Sergius Pontifex. Finem, quò ceremonia hæc introducta, exponit Beda *de Rat. tempor. c. 10.* ubi ejus cum Luſtrationibus Veterum collationem inſtituit. Olaus Wormius, ad eundem diem, *Kendelmeſſ* genti illi dictum, manum faces oſtentantem depingi conſueviſſe: tradit in *Faſtis Danicis*. Plura hanc in rem vide apud Auctores laudatos Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Aliud eſt *Candelarum ſeu Candelabrorum Feſtum*, quod in aliquot Galliæ Eccleſiis, primæ claſſis Feſtum eſt: ut *quinque Candelabrorum*, ſecundæ claſſis. Ibidem, quando ſolenniter, ut vocant, celebrat Epiſcopus, *ſeptem* in Altari *candelæ* ardent: quò ritu alludi dicunt ad 7. illa candelabra, quæ Johannes vidit ante Thronum Dei, Apocalypſ. *c. 1. v. 12.* ſicque ſignificari, Præſulem quemque tot Spiritus divini donis ornatum eſſe debere. Quod cautum etiam in Abbatibus initiatis, *Sacr. Congr. Rit. die 29. Januar. 1628.* In Papali Miſſa ſolenniter itidem celebratâ, non *ſeptem* ſolùm in Altari *candelæ* ponuntur, ſed etiam cum ſeptem ceteris accenſis totidem Acolythi inſerviunt, &c. Vide Macrum utrumque *Hierolexicon*, & infrà in voce *Lucerna* nec non, ubi *de Luminum ſeſto*. Apud Græcos, qui lampades & *candelas* Ædium Sacrarum accendere ſolent, [illegible], appellantur: at ipſum Sacriſtam *Kandalaphtha* appellant Maronitæ.

CANDELARUS, fluv. regni Neapolitani in Capitanata provinc. ex Apennino ortus, in mare Adriaticum ſe exonerat, prope Manfredoniam.

CANDELIS faſces involuti, in ſepulchro Numæ Pompilii, apud Livium, *l. 40. c. 29.* *Eorum enim* — *duæ arcæ lapideæ octonos ferme pedes longæ, quaternos latæ, inventæ ſunt, operculis plumbo devinctis. Literis Latinis Græciſque utraque arca inſcripta erat; in altera Numam* — *ſepultum eſſe: in altera, libros Numæ Pompilii ineſſe. Eas arcas quum ex amicorum ſententia dominus aperuiſſet, quæ titulum ſepulchri Regis habuerat, inanis inventa ſine ullo veſtigio corporis humani* — *in altera duo faſces, candelis involuti, ſeptenos habuere libros, non integros modò, ſed recentiſſima ſpecie.* Qua de re ſic Caſſius Hemina, vetuſtiſſimus Auctor *Annalium*, apud Plinium, *l. 13. c. 13.* *Lapidem fuiſſe ait quadratum, circiter in media arca vinctum candelis quoque verſus. In eo lapide inſuper libros impoſitos fuiſſe*, &c. Hoc eſt, funiculis pice vel cerâ illitis, uti habet Gronov. *ad Livium*. Sic *candelis ſubigi*, apud eundem Plinium, *l. 33. c. 7.* ubi de Minio: *Aurâ candente ſicatum nigreſcit* — *inventum & caliet adulterare* — *Solis atque Lunæ contactus inimicus remedium, ut parieti ſiccato cera Punica cum oleo liquefacta candens ſetis inducatur, iterumque admotis gallæ carbonibus ad ſudorem uſque: poſteà candelis ſubigatur, ac deinde linteis puris, ſicut & marmora niteſcunt*, &c.

CANDERE, proprium eſt ignis, unde à luce ignea *candori* nomen. Quin [illegible] *album* ſit, [illegible], quod videre eſt, quia color eſt maximè conſpicuus. Inde in *Heſychio*, [illegible], [illegible]. Item [illegible], [illegible]. Rurſus, [illegible], [illegible]. Ita ut [illegible] alba dici poſſint, quæcunque inſigniter ſplendent, quomodo rutila & purpurea. Certè à Poëtis purpurea vocantur, quæ eximiè candentia ſunt, ut nix & cygni. Albinovanus in *Mecenatis obitum*.

Brachia purpureâ candidiora nive;

Horatius ad Venerem, *l. 4. Od. 1. v. 10.*

—— —— *purpureis ales oloribus*, &c.

Utrique enim colori, *candido* ſcil. & purpureo, hoc commune eſt, ut admirati luminis multum habeant. Unde verbum [illegible] quod Hebraicè *rubere*, eſt Arabicè *candere* ſignificat; quibus pecus *adamo*, de camelo & jumento quovis, eſt maximè candidus, & *naka adma*, camela ſummè candida. Sic lepræ macula *lucida* à Moſe vocatur [illegible] Levit. *c. 13. v. 19.* quaſi *alba ſubrufa rubra*, h. e. macula alba maximè candens, ſeu nivis inſtar candens, atque ideo *lucens*, qui verus lepræ color eſt, uti patet ex Exodi *c. 4. v. 6.* & 2. Regum *c. 5. v. 27.* Ob quod ipſum, verba Sponſæ Cantic. *c. 5. v. 10.* [illegible] Bochartus non vult reddere, *Sponſus meus candidus eſt*. Sed, *Sponſus meus eſt candidus & lucidus*, i. e. ſummò candore nitens, &c. Vide eum *Hierozoic. Part. poſter. l. 5. c. 6.* ubi exponit locum Threnorum, *c. 4. v. 7.* de Nazaræis, *Corpore rubri fuerunt, præ gemmis*. Atque hôc ſenſu *candere*, de margaritis inprimis, occurrit; quæ ſive Græcam, ſive Arabicam, ſive Phœniciam vocis originem attendas, à luce, nitore ac claritate, dicuntur. Et quidem candorem earum alii, apud Androſthenem, cum argento conferunt, alii cum piſcium oculis. *Et in candore ipſo*, inquit Plin. *l. 9. c. 35.* *magna differentia. Clarior in Rubro mari repertis. Indicus ſpecularium lapidum ſquamas aſſimulat. Summa laus coloris eſt, exalbeſcentes vocari.* Inde margarita [illegible], Clementi Alexandr. *Pædagog. l. 2. c. 12.* & [illegible], *lapis pellucidus naturâ*, *Theophraſto* dicitur. Iſidorus quoque Characenus, ubi margaritam in concha creſcere tradit, quamdiu carni adhæret, ſed a carne divulſam à concha non amplius ali, [illegible], inquit, [illegible], *ſed leviorem eam pellucidioremque efficit.* Et ſtatim, [illegible], *Pinna, quæ in alio degit, margaritam pellucidiſſimam gignit*, apud Bochartum, *ibid.* Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p. 1133.* ubi hunc de margaritis locum Plinii exponit, *Mirum ipſo tantum eas candere cœlo, ſole ruſeſcere, candoremque perdere, ut corpus humanum. Quare præcipue eum cuſtodiunt, pelago altius merſæ, quam ut penetrent radii*, &c.

CANDIA, Inſul. celeberrima maris Mediterranei ab urbe primaria ſic dicta. Horrendô Turcicô bellô, quod 24. annis, & graviſſimâ obſidione urbis *Candiæ*, quæ ultra biennium duravit, famoſa. Portuum tantâ commoditate inſtructa eſt, ut Hieron. Giovarina Legatus Venetus, in conventu Electorali A. C. 1658. Francofurti habito, teſtatus ſit, *Candiâ ſemel ſubjugatâ, omnes Principes Chriſtianos mari Mediterraneo adſitos, infeſtationibus Turcicis aquè obnoxios fore: Turcam enim, qui hactenus claſſem ſuam quotannis Conſtantinopolim reducere coactus fuerit, Regni hujus adjectione non ſolum tutam ubique & omni tempore receptionem, ſed etiam fabricandis inſtruendiſque triremibus ac navibus ampliſſimam commoditatem acquiſiturum eſſe.* E' numero horum portuum, indicat Auctor *Hiſtor. Orbis Terr.* Retimum, Caneam, Candiam, Spinam Longam, Carabuſam & Sudam. E regione quoque *Candiæ* Standia eſt, locus itidem navium receptioni accommodus. In hac Inſul. porrò Labyrinthum fuiſſe, à Dædalo fabricatum, veſtigiaque ejus adhuc extare, Georg. Alexander Inſulæ Præſul apud Volaterranum, auctor eſt: ubi ait, *Montem eſſe effoſſum in undique concavum, unâ tantum & anguſtâ viâ aditu aptum, quod neminibus præire docent loci peritum cum ardente funali, qui monſtret errores aliàs inextricabiles.* Sed Bellonius, qui Inſulam hanc curioſè luſtravit, lapidicinam hic olim fuiſſe, quæ vulgo Cretenſi *Labyrinthus* dicatur, ſcribit. Malvaticô inprimis vinô inſignis eſt *Candia*, cui à vico Malvaſia nomen: Volaterranus verò pro *Arviſia* dici *Malviſia* contendit, addit que id genus vini ex Arviſio Chius Inſulæ promontorio, unde *Arviſia* vina olim, in Cretam delatum eſſe. Hodie Inſula bipartita eſt, partim ſub Turcis, in qua Retimum, Canea, Candia: Altera Venetis adhuc paret, ubi Spina Longa Carabuſa & Suda. Vide & *Creta*.

CANDIA, urbs Archiepiſcopalis Cretæ ſeu Candiæ primaria: ſatis ampla & permunita. Cum portu commodo. Veruntamen poſt obſidionem diuturnam à Turcis ægrè erepta, A. C. 1670. Olim *Macinum*, teſte *Porcô*, quod vide, ut & in voce *Creta*.

CANDIA Nova, arx permunita Cretæ, à Turcis, prope Candiam urbem extructa. Nunc diruta jacet ab aliquot annis. A' Candia vix 3. milliar. diſtabat. Vide *Creta*.

CANDIDA, urbecula Galliæ, in agro Cadurcenſi, à candore

dore aquæ dictus; vulgò *Cande*, aliis, imperitis *Sangal*, *Blanda*. Hic ultimus eſt omnium, Avarionem augentium. Eâdem modò, ab aquarum colore, plurimis fluviis *Albæ* nomen hæſit. Vide *Hadr. Valeſ. Notit. Gall.* in voce *Alba*.

CANDIDA, apud Ambroſium, *Serm.* 67. *Preparemus ortu & præclariſſima munera, edimus primam Candidam, in veſtium videntium, ſecundam vero non minus nobilem*, &c. Et in *Alba* Bonifacii Martyris, ubi de Aglaë ejus matre, *Hæc ergo ter Candidam egerat, apud urbem Romanam ex Præfectura*: Editio eſt ludorum, quæ ſiebat olim apud Romanos, à Magiſtratibus, Prætoribus ſcil. & Quæſtoribus Candidatis, propriis ſumtu. In veter. Kalendario Hervarti M. Decembr. 13. Kal. Jan. *Munus Candida*. Vide Car. du Freſne *Gloſſar*.

CANDIDA Caſa, urbs Scotiæ, à Glaſcua 45. milliar. Scotic. in Auſtrum, in ora maris Hibernici, ex adverſo Monæ inſul. cum portu utcunque commodo. Vulgò *W hithern*.

CANDIDA Toga, *Polybio* λαμπρὰ, propriè erat, quæ à prælo & creta ſplendeſcebat. *Splendens* Senecæ, *ep.* 5. *Non ſplendeat toga, nec ſordeat quidem*: Et *de tranquill. c.* 2. *Non ex arcula prolata veſte, non mille ponderibus, aut tormentis, ſplendere cogentibus, preſſa.* Pondera ſcilicet ac præla veſtem ſplendere cogebant. Quò ſpectat locus Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 46. *v.* 3.

Sic tua ſuppoſitis pellucent prœla lacernis,
Et micat innumeris arcula ſynthefibus.

Alba itaque toga nativo lanæ colore erat, *candida* additâ cretâ fiebat, ut *Lipſius* ait. *Mantius* quoque aliud fuiſſe *Candidum*, aliud album, & eſſe in colore candido ſplendorem quendam, qui non eſt in albo, itaque candidam nivem propriè dici, pallorem autem non candidum, ſed album, docet. Cùm autem in omni togarum lotione creta adhiberetur, nec ars fullonia ſine creta eſſet, communi togæ abluendæ creta ſimpliciter adhibebatur, at togæ, quam *candidam* vocamus, jam lotæ creta ſuperinducebatur, ut candeſceret magis ac poliretur. Certè Plin. *l.* 35. *c.* 6. Cimoliam cretam abluendis veſtibus in uſu eſſe ſcribit: Umbricam autem, quæ & *ſaxum* vocabatur, nonniſi poliendis veſtibus uſitatam ſolitam. Illud etiam addi poteſt, togas, ut candidæ fierent, poſtquam Umbricâ expolitæ eſſent, prælo, ut dictum, ſubjectas fuiſſe, quo niteſcerent, ſplendoremque acquirerent. Et talis propriè fuit petitorum, qui hinc *Candidati* dicti ſunt, toga, primò nempe abluta, deinde Umbricâ ſive ſaxò expolita, & tandem prælò ſplendere juſſa. Unde Perſius, *Sat.* 5. *v.* 177.

——— ——. *Quem ducit hiantem*
Cretata ambitio.

Sequentibus temporibus, poſtquam toga pulla, quæ olim in luctu ſolùm ſumebatur, vulgo communiter uſurpari incepit, ditiores & in dignitate conſtituti omnes candidâ veſte uſi ſunt: Unde nata diviſio *Candidatorum* & *Pullatorum*: ubi per illos, non ii ſolùm, qui honores ambiebant, verùm omnes illuſtriores cives, per hos de plebe homines intelligendi veniunt. Unde is, cujus officium erat, Imperatoris literas in Senatu legere, *Candidatus Principis*, vel *Quæſtor Candidatus* dictus, apud Feneſtellam, *de Magiſtrat. Rom. c.* 3. Vide Octav. Ferrarium, *de re veſtiaria*, *l.* 1. *c.* 21. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 32. Sigon. *de Judic. l.* 3. *c.* 19. &c. nec non infrà, ubi de *Niveo colore*, *Purpureo*, it. & *Senatoria Veſte*, uti de ſordida veſte Candidæ oppoſita ſuô locô.

CANDIDÆ & CANDICANTES gemmæ, dicuntur Plinio, *l.* 37. *c.* 9. quæ λευκανθεῖς Straboni, *l.* 15. ubi de India. Φησὶ δὲ καὶ λίθων ὁ χώρα πολυτελῶν λευκανθῶν καὶ ἀνθράκων ... *h. e. cryſtallinâ facie gemmæ*, inter quas primatum obtinet adamas. Plinius, *loc. cit.* pæderoti in iis primum locum tribuit; in reliquis recenſet, Aſterion, Aſtrion, Ceraunii album, alias: quas & *cryſtallo propinquare* dicit. *Candidis* opponit Strabo, *d. l.* ἀνθρακας, quô nomine palàm eſt, eum ardentes gemmas ſignificare, quarum principatum obtinet, qui ἄνθραξ propriè eſt appellatus; reliquæ Sandareſus, Lychnites, Hyacinthus, Rubinus, &c. Vide de utraſque Salmaſ. *ad Solin. p.* 1093.

CANDIDATI, dicti olim, qui Magiſtratum petebant; à toga candida, quâ ſumtâ *modeſtè in Comitium venientes in colle conſidebant, unde eorum poſſent ab univerſis videri*, Macrob. *Saturnal. l.* 2. *c.* 16. Hi ut ſcopò potirentur, neceſſaria quædam erant requiſita; quorum 1. *Nomenclatio* fuit: Amicorum enim & populi voluntas quoniam conciliauda erat, elaborandum *Candidato* erat, ut ſingulos cives nôſſet eorumque nomina teneret: quod cùm in tanto populo eſſet difficile, miniſtrò opus erat, qui Petitori nomina omnium civium, ut quiſque occurrebat, ſuggereret; Hunc *Nomenclatorem* dixêre vulgò, *Monitorem* Cicero: *Fartorem* Feſtus, quòd eâm velut infarciret in aurem Candidati nomina ſalutandorum civium. 2. *Blanditia*: eſt autem blandè appellare, non propriô nomine, ſed honeſtiore, ut patrem, aut fratrem, aut patronum, ſalutare. 3. *Aſſiduitas*, ad quam pertinebat ambire, prenſare ac rogare, ſeu ſupplicare: in quo poſtremo munere aut ipſi verſabantur, aut alios claros viros adhibebant, *Suffragatores* dictos, qui vices ſuas ſuſtinerent. Quò faciebat etiam, ut, cùm in campum deſcenderent, tunicam deponerent, ſive ne in ſinu pecuniam geſtare poſſent, ſive ut cicatrices adverſô pectore pro Patria acceptas, commodiùs omnibus occurrentibus poſſent oſtendere; ſive etiam, ut, quemadmodum prenſationibus & ſupplicationibus, ſic etiam habitu ſe deprimerent. 4. *Benignitas*, quæ poſita fuit in conciliando populo, congiariis dandis, prandiis præbendis, gladiatoribus exhibendis, locis parandis & pecuniis dividendis, in quæ munera multum patrimonii ſatis ampla conſumpſiſſe legimus. Hæc tandem in largitionem degeneravit, à qua prius differebat: *Benignitas enim liberalitatem magis, quàm largitionem ſignificabit*, teſte Cicerone *Orat. in Muræn.* Conſuetudoque invaluit, ut prætenſâ pecuniâ populi ſuffragia emerentur, ad eamque rem adhiberentur *Interpretes*, per quos pactio inducebatur, *Sequeſtres*, apud quos pecunia deponebatur: ut *Diviſores*, qui ſingulis pecunias diſtribuebant. Vide Cicer. *de petit. Conſul. & alibi*, *Aſconium*, *Plut.* Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 8. &c. Latiùs poſtmodum *Candidatorum* vox accipi cœpit, vide ſuprà in voce *Candida toga* ut & hîc infrà.

CANDIDATI, Græcis λευκοφόροι, dignitas Palatina equeſtris ac militaris fuit, inſtituta à Gordiano Seniore. Hic enim ſelectos è Scholarium claſſe quoſdam, ex iis, quos ſtaturæ proceritas ac fortitudo commendaret, in peculiarem Scholam ſeu cohortem conjecit, eoſque *Candidatos* vocavit, quod fortaſſis candidi quidpiam in veſtibus vel armaturis deferrent. *Faſti Græci*. Γορδιανὸς ὁ γέρων ... Κανδιδάτων ... ubi de cognomine Gordiani *Scholarum Seniorum*, nomen ab eo inditum illis fuiſſe, docent; Quemadmodum apud Cedrenum eadem ferè de *Junioriorum Schola*, à Gordiano Juniore inſtitutâ leguntur: utrique Hiſtoriæ fidem derogante Salmaſiô, *ad Capitolin. in Gordian.* c. 1. & 2. Certè *Candidatorum* nomen, aut cohortem ſcholamque à Gordiano primùm inſtitutam non fuiſſe, hinc patet, quod longè antè in Palatio *Candidatos* militâſſe, & Vegetio *Candidatos ſimplares* & *duplares* recenſeri conſtat. *Candentes lineâ* ſub chlamyde indutos fuiſſe, refert Hieronymus, ubi de Nepotiano: Sic Auſonius,

. . . . ——— ——— *Cùm jam ſuccinctus amictu*
Per Legatum populos ſolitô ſuccinctior ires,
Atque inter niveas altè veheretre cohortes, &c.

Militabant illi in ipſo Palatio, atque adeò ad Imperatoris Cuſtodiam adhibiti, perinde ac *Scholares*, è quorum claſſe erant, & quidem ſextam obtinuiſſe ſcholam, vidimus ſuprà ex Faſtis laudatis: Meminitque *Candidatorum* Juliani ac Valentis non ſemel, tanquam aſſeclarum ac cuſtodum, Ammianus, *l.* 25. & 31. Corippus, *de Laudibus Juſtini*,

Ornata eſt Auguſta domus, juſſique vicenis
Accitis Proceres omnes, Scholaque Palati eſt,
Juſſa ſuis adſtare locis: jamque ordine certo
Turba Decanorum, Curſorum in Rebus agentum;
Cumque Palatinis ſtans Candida turba Tribunis,
Et Protectorum numerus mandante Magiſtro, &c.

In hanc verò cohortem, utpote ſummæ ac præcipuæ in Palatio dignitatis, nulli admiſſi ſunt, niſi qui genere, opibus & animô corporis præcellerent. Hinc paſſim legimus, in ea militâſſe viros primarios, Juſtinianum Juſtini Imperatoris nepotem, apud Victorem Tunnenſem, in *Chron.* Vitulinum, hominem dignitate & opibus illuſtrem, apud Nicephorum Conſtantinopol. in *Brev.* alios: Et refert Leo Oſtienſis, Arduinum nobilem Mediolanenſem, *aurô oblatô non modicò*, à Ducxano Italiæ Præfecto, *Candidati honore donatum & quibuſdam Apuliæ oppidis præfectum fuiſſe*. Ex eadem claſſe delectos copiarum & exercituum Duces, docent *Synaxaria* ad 31. Julii in *Vita* S. Eudocimi, ut & Legatos ad Principes, Ammian. *l.* 15. Auctor *Paſſionis* S. Calocerii Mart. *num.* 11. Gulielmus Bibliotheh. in *Hadriano II.* alii. Sed & omnes in univerſum milites Romani *Candidatorum* nomine nonnunquam veniunt, quòd in prælium ituri, aut pugnaturi, *album* paludamentum aut purpureum inducere ſolerent, quod teſtatur Val. Max. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 11. ubi de *Craſſo*. Vide Car. du Freſne *Gloſſar*.

CANDIDIANUS, Comes, juſſu Theodoſii Junioris interfuit Concilio Epheſino, ſed à Neſtorio ſeductus, contra Orthodoxos, Cyrillum imprimis, ad Imperatorem ſcripſit: Poſtmodum ab hoc, ab Epiſcopis Concilii melius edoctò, punitus. A. C. 431. *Concil. tom.* 2.

CANDIDUM, Zeugitanæ regionis, quæ propriè *Africa* dicitur, promontorium. Plin. *l.* 5. *c.* 4. *Capo Ferrato*, *Mercat.*

CANDIDUS, Conſul, collega Numarii Quadrati an. Urb. Cond. 837. In *Faſtis* Capitolinis Julii Quadrati. Memoratur Spartiano, in *Adriano Cæſ. c.* 3. ubi Adrianum ſecundò utriuſque Conſulam Tribunum Plebis factum eſſe refert. *Vetus Inſcr.* T. JULIO. CANDIDO. II. A. JULIO. QUADRATO II. COSS. qui annus Imperii Trajani octavus, ætatis Hadriani nonus etatiſ vigeſimus. Vide Caſaubon. *ad loc.*

CANDIDUS, Iſaurus, Hiſtoriam ſcripſit, ab imperio Leonis exorſus, vel Zenonis, Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 21. vult, uſque ad Anaſtaſium. Chriſtianus fuit, ſed ſtylus ejus minus poëticus videtur Photio, *Biblioth. c.* 79.

CANDIDUS, ſcripſit Hexaëmeron. *Hieron. Euſeb.* Item Epiſcop. Donatiſtarum, in Africa; qui in Eccleſiæ communionem rediit. Auguſtin. *l.* 2. *c.* 10. *contra Creſcon.* Item, Presbyter à S. Gregorio; in Galliam miſſus; *l.* 4. *ep.* 5. & *l.* 5. *ep.* 10. Item Monachus, aliquot vitarum auctor. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 34. Hugo *Candidus*. Monachus, Hiſtoricus. Idem *c.* 56. Petrus *Candidus* Decembr, Nicolao V. gratus, Alphonſi V. Arragoniæ Regis juſſu, Appianum Alexandr. vertit, ſed parùm feliciter. Scripſit dein vitam Philippi, Vice-Comitis Mediolanenſ. Obiit an. ætat. 80. Mediolani. *Paul. Jov.* in *Elog. Nic. Lloydius.*

CANDIOPE, Oenopionis filia, ſoror Theodotionis, quem cùm frater in venatione in antrum traxiſſet, vim illi intulit: & ex ea Hippolagum ſuſcepit, quod cùm Oenopion reſciviſſet, indignatus filium exulatum abire juſſit: qui oraculò edoctus verſus Occidentem in Thraciam cum Candiope, & parvo filio delatus eſt, ibique ob inſignes virtutes in magno pretio fuit. Alter Ovidius, ut infrà de Orione.

CANDIPARNA, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

CAN-

CANDOLLICA, urbs Norici. S. 990. *Simlero*, eſt eadem eſt cum *Candalica* Antonini, & *Canalicata*, lib. Notit. oppid. ex præcipuis Carinthiæ, ad confluentem fluv. *Wulitz* & *Glan*. Olim quoque *Norejo*, ut quibuſdam viſum: *Baudrand*.

CANDOUM, Germaniæ oppid. *Ptol.*

CANDROGARI, Æthiopiæ ſub Ægypto oppid. in Nili ripa. *Plin.* l. 6. c. 30.

CANDYA, capitis tegmen pellitum, Perſarum olim Regibus in uſu, ut habetur apud Pollucem, *l.* 7. *c.* 13. Hinc Syneſius, *Orat. de Regno*, Parthorum Regem, qui tiara & candye ornabatur, territum abſtinentiâ Carini Imperatoris ceſſiſſe ei, cui ex viliſſimis lanis amictus pileuſque eſſet, refert. Et quidem Κανδυς ἁλουργὴς, è *purpura* videl. *marina*, memoratur Polluci, *ubi ſupra* &c. Aliàs *Candys* quoque veſtimenti nomen eſt, ut è multis Auctorum locis probat Briſſonius, *de Regno Perſ.* l. 2. Vide quoque Paſchalium, *de Coron.* l. 10. c. 3. & Anſelm. Solerium, *de Pileo Sect.* 9. Ferrario certè *Candys*, veſtis Perſica, ad inſtar chlamydis militaris. Κάνδυς χιτὼν περσικὸς, ὃν ἐπιπορπῶνται οἱ στρατιῶται, *Candys veſtis Perſica, quam ſubfibulant milites*, Heſychius. Diſtinctam a tunica fuiſſe, docent verba Dionyſ. de Tigrane ad Pompejum veniente, loquentis, quem tradit, quò & reverentiâ Pompeji, & miſericordiâ, dignus videretur, ita ſe compoſuiſſe, ut inter priſtinam dignitatem & præſentem Fortunam ſtatum ſervaret: Τὸν μὲν γὰρ χιτῶνα τὸν μεσόλευκον καὶ τὸν κάνδυν τὸν ὁλοπόρφυρον ἐξέδυ, *Tunicam enim ſemialbam, & Candym purpuream*, i. e. chlamydem ſeu veſtem regiam ſuperiorem purpuream, *exuerat*. Idem Xenoph. teſtatur *Cyropæd.* l. 8. Οἱ πορφυροῖ χιτῶνες καὶ οἱ κάνδυες. Octav. Ferrarius, *de re Veſtiaria*, l. 3. c. 8. qui eſt *de Tunica*, &c. Vide quoque Car. Paſchalium, *Coronar.* l. 10. c. 2. & 3. ut & infrà, ubi de *Pellibus*.

CANDYBA, Lyciæ regionis civitas; ubi laudatur Oenium nemus. Plin. *l.* 5. *c.* 27. A Candybo Deucalionis filio dictam ſcribit *Steph.*

CANDYS, Mediæ regionis urbs. *Ptol.*

CANE, oppid. Arabiæ Felicis in ora maris Arabici; juxta *Fartaque* promontorium, ut manifeſtè ex auctore peripli Erythræi colligi poteſt. Vide Voſſ. *ad Melam*, p. 288. vulgò *Caxem*. Thuriferæ Regionis Emporium celebre, in Adramitarum regione, qui Sabæorum pars fuêre & à Climace ad *Canem* ſeu *Canam* Emporium, atque inde ad Sachalitem ſinum terras ſuas extenderunt. Avienus, Dionyſii Interpres,

> —— Procul
> *Chatramis eſt tellus: Cana ultima, ſluctu*
> *Perſidis accedit: tutis conterminus Poenis*
> *Minnæi Sabæique tenent.*

Ad iſtud Emporium thus omne, quod in illa regione naſcebatur, deferri ſolebat, partim camelis, partim utribus, vel navigiis ex utribus factis: utres enim navigia eucheria, quibus per Sachalitem illum Sinum, cui prætenta erat Thurifera regio, navigabant. *Ptol.* ἐν τῷ Σαχαλίτῃ κόλπῳ, ἐν ᾧ κολυμβήσεις πιννικοῦ, ἀσκοῖς διαπλέουσι, *In Sachalite ſinu, in quo pinnici velleris, vel margaritarum piſcatio eſt, utribus navigant.* Inde Sabotam, gentis caput, in excelſo monte conditam, thus convectum, *portâ ad id unâ patente*, *digredi via capitali leges ſecêre* &c. Plin. l. 12. c. 14. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 491. & *ſeqq.*

CANE, in tribu Manaſſe. Hieronym. *in Loc. Hebr.*

CANE, promontor. Æolidis, olim *Ægæum*. *Steph.*

CANEA, olim *Cydon*, Cretæ oppid. à Genuenſibus captum ac dirutum. *Blond.* Hodie urbs Cretæ munita & Epiſcopalis in ora Boreali Inſul. capta à Turcis, A. C. 1646. *Cydonia.*

CANEBIUM, urbs Cariæ, *Cyon* poſt appellata. *Steph.*

CANELATE, Corſicæ urbs, *Ptol.* *Scala di Canello* Leandro. Nunc *S. Fiorenzo*, ſatis munita, in planitie, in parte Septentrionali Inſul. A Baſtia, 6. milliar. in Occaſ. 18. à Sacro promontorio. *Sanſon*, *Briet.*

CANELLA, apud *Myrepſum*, Gall. *Canelle*, vox recentioris ævi, cinnamomum Veterum notare creditur haud paucis; ſed Veteres omnes cinnamomum à caſia ſtatuunt diverſum: atque caſia veterum hodierna *Canella* eſt, quod nomen ipſum apertè oſtendit. Caſiam enim σύριγγα appellârunt, i. e. *fiſtulam*: *Nam*, ut Plin. ſcribit, l. 12. c. 19. frutex caſia eſt, *tenui cute verius quam cortice, quem contrà atque in cinnamo levari atque exinaniri pretium eſt*; cortex exinanitus jam fiſtula eſt. Et *Dioſcorides* de caſia optima; σωλῆνας παχεῖς καὶ μακρὰς τὰς σύριγγας, i. e. *craſſas & longas habentem fiſtulas.* Unde vetus Auctor *in Canticum*, *caſiæ fiſtulas* appellat. Inde itaque Recentiores *cannulam* & *cannellam* vocitârunt, h. e. συρίγγιον, nam *canna* eſt fiſtula. Et quidem, cùm cinnamomum in ſurculis afferretur ramuliſque cortice ſuô veſtitis; canellæ in poſterum cortice tantum conſtantis, in fiſtulæ modum conduplicatô, cortex ſolus fiſtulaceus apportabatur. Unde ξυλάριον meminit *Dioſcorides* in cinnamomi Hiſtoria, at σύριγγας, in caſiæ deſcriptione. Interim cinnamomo ſimilis caſia, unde *caſia cinnamomea*, quam *Pſeudocinnamomum* etiam Plinius vocat. Nec deſunt, qui velint & validè velint, ex Neotericis imprimis, eandem eſſe arborem, è qua cinnamomum ſumitur & ex qua caſia. Et fortè, ſummi ſurculi deputati vel virgultorum tenuiſſimæ partes reciſæ, ex frutice caſiæ, pro cinnamomo Veteribus venerunt. Unde videtur fuiſſe ſatum cinnamomum earumque, quòd fortaſſe rarò uſurparetur ejuſmodi fruticis amputatio, utpote in perniciem caſura ejus: Caſia autem ſive cortex, qui ex eadem arbore eximebatur, eâ re viliois communiorque, quia arbores illæ ſæpius ſolerent deglabrari, & renaſcente ſubinde cortice. Quippe hodieque narrant, detractô cortice arboris cannellæ, poſt triennium, alium ſuffici & iterum deglubi. Cortex autem ille in fiſtulam convolutus, integri rami vel ſurculi ſuperficies videtur, quum tamen fragmentum ſit majoris corticis in plures partes diſſecti & in tubulos digiti craſſitudine complicati. At truncum, qui deglabratur, ſæpenumero craſſiorem ſemore inveniri memorant. Vetuſtas verò omnis credidit, hos fiſtularum modulos totidem eſſe ſurculorum integros cortices, qui admodum difficulter eximerentur, adeo ut vermium operam requiri oporteret, lignum intus corrodentium & corticem præ amaritudine intactum relinquentium. Nimirum, quomodo fiſtulæ caſiæ ex cortice illius arboris fructus pararentur, illos latebat. Porrò *cutem* verius, quàm *corticem*, dixit Plinius; quia ex interiore libro iſtiuſmodi fiſtularum tubuli parantur &c. Qua de re vide complura apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1302. & *ſeqq.* ut & infrà paſſim. Hodie *Cinnamomum* ſeu *Canellam* potiſſimum colligunt ex Inſul. *Zeilan*, ubi ejus maxima ejus copia: quæ enim in Java Inſul. & litore Malabarico habetur, minus nobilis eſt. Creſcit & in Peruviæ provinc. *Quito*, ſed rariùs. Auctor Anonymus, *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* *cap. de Commercio.* Barlæus, ubi Societatis Indicæ Orientalis domum Amſtelodami deſcribit, *Cinnamomum & caſia lignea fiſtulæ*, inquit inter alia, *decuſſatim in altum aggeſta, Aurorum matrem fatebantur, in Medicina.*

CANEM ferendi ritus, apud Francos olim Suevoſque in uſu fuit: Apud quos vetus conſuetudo pro lege inoleverat, ut ſi quis Nobilis, Miniſterialis vel Colonus, coram ſuo Judice, deprædationis, incendii, aliorumque criminum, reus inventus eſſet, antequam morte afficeretur, ignominiæ cauſa, Nobilis *canem*, Miniſterialis ſellam, de Comitatu in proximum Comitatum, geſtare cogeretur. Sic Hermannum Palatinum Comitem à Friderico Imperatore quod Germaniam prædâ & incendiô perturbaſſet, cum decem Comitibus, accuſatum, ac convictum, per integrum milliare Teutonicum, canem quemque portare fuiſſe coactos, refert Guntherus Ligurin, *l.* 5. Quam pœnam *miſtatam* vocat Arnoldus Lubec. *l.* 7. *c.* 8. eo quod Militibus ſeu Nobilioribus ſoleret infligi. *Decem canum* appellat Conradus Urſperg. A. C. 937. Vide Auctores hanc in rem complures citatos Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà *Harmiſcara.*

CANEM ſecandi in duas partes ritus, adhibitus olim Macedonibus, in luſtrando exercitu, memoratur Livio. *l.* 40. *c.* 6. *Fortè luſtrandi exercitus venit tempus, cujus ſolenne eſt tale: Caput mediæ canis præciſa, & prior pars ad dexteram cum extis, poſterior ad lævam viæ ponitur: inter hanc diviſam hoſtiam copia armata traducuntur. præferuntur primo agmini* &c. Et Curtio, *l.* 10. *c.* 9. *Macedonum Reges ita luſtrare ſoliti erant milites, ut diſciſſæ canis viſcera ultimo in campo, in quem deducerentur, ab utraque abjicerentur parte: intra id ſpatium armati omnes ſtarent, hinc equites, illinc phalanx.* Fieri verò hæc luſtratio ſolebat, cùm *Xanthica* celebrarent, quod feſtum incidebat in diem 8. menſis Xanthici, quem Aprili noſtro ferè reſpondiſſe volunt. Vide Joann. Meurſium, *Græcia Feriata*, *l.* 5. in voce Ξανθικά. Aliàs ſectio victimarum, & inter utramque partem tranſitus earum, qui fœdera pacta hôc ſymbolô ibant firmatum, nota ex Sacris profaniſque Scriptoribus. Vide quoque infrà.

per **CANEM** jurandi ceremonia, indigitatur in *Literis* Juvavenſis Archiepiſcopi, editis à Gewoldo poſt *Chron.* Reichersberg. *Quod nos præfati Sclavi criminabantur, cum Ungaris fidem Catholicam violaſſe & per canem ſeu lupum aliaſque nefandiſſimas & Ethnicas res ſacramenta & pacem egiſſe.* Quæ illuſtrantur ab Jouvilla in *Hiſtoria* S. Ludovici, dum fœdera inter Johannem Vatatzem Imperatorem & Comanorum Principem inita, eaque firmata ebibitô alterius invicem ſanguine, hâc adhibitâ ceremoniâ, narrat: *Et inſuper hoc fecerunt. Inter ſuos & noſtros canem tranſire fecerunt, eumque fruſtatim conciſo ſic eos, qui fœdus hoc fregiſſent, concidendos eſſe, addiderunt.* Hinc apud Conradum Urſperg. *ad A. C.* 920. Dalmatas Ungaris in ludibrium *canem* objeciſſe, quod per hoc animalis genus fœdera ſua ſancirent, legimus. Vide iterum Car. du Freſne, ubi ſuprà.

CANENS, Nympha, Pici Laurentum Regis uxor, quæ cùm virum à Circe in avem mutatum ſupra modum lugeret, extabuit, & loco cuidam ad ripam Tiberis, ubi hæc contigerunt, nomen ſuum reliquit. Ovid. *Met.* l. 14. v. 433.

> *Fama tamen ſignata loco eſt, quem ritè Canentem*
> *Nomine de nympha veteres dixêre Coloni.*

Quòd collapſum Muſicæ Philoſophiæ ſtudium in Italia reſtauraſſet, ſic dicta: Ovid. *ibid.* v. 337.

> *Rara quidem facie, ſed rarior arte canendi,*
> *Unde Canens dicta eſt: ſylvas & ſaxa movere,*
> *Et mulcere feras, & flumina longa morari*
> *Ore ſuô, volucreſque vagas retinere ſolebat.*

CANENTULUM, Galliæ Aquitanicæ fluv. *Ptol.* *Carantonus* Auſonii videtur; fortè hodie *Charente*. Aliter *Canentelus*.

CANEPHORUS, ex marmore, Scopæ opus, memoratur Plinio, *l.* 36. *c.* 5. *Is fecit Veſtam* —— *item Apollinem Palatinum, Veſtam ſedentem laudatam in Servilianis hortis, duoſque chameteras (alii habent, campteras) circa eam, quarum pares in Aſinii monumentis ſunt, ubi & Canephorus ejuſdem.* Græcè κανηφόρος, caniſtrum gerens. Erat hoc virginum munus, caniſtra, quibus ſacra inclula, in Cereris ſacris ferre, unde κανηφόροι dictæ. In aliis quoque. Sic *adſiſte Arnobio*, l. 5. *In Libero honorem patris Ithyphallus ſubrigit Græcia*: Heraldus, *Præcedebat*, inquit, *in talibus pompis, & ut ita dicam, proceſſionibus ἡ Κανηφόρος. Sequebatur ὁ Φαλλοφόρος: ſubſequebantur poſtremo οἱ ᾄδοντες τὸ Φαλλικόν* &c. Vide ſupra in voce *Caniſtrum*.

CANERE, verbum *Afflatorum*. Statius, *Theb.* l. 10. v. 729.

> *Non me ullis monitus, nec Vatum exerſa furentum*
> *Sollicitant, maneſque movent: ſibi callidus iſta*
> *Treſias, vateſque canat, non ſi ipſe recluſis*
> *Cominus ex adytis in me inſaniret Apollo.*

Ubi *canat* idem eſt, quod *imperet ex oraculo*. Unde ad ſequentia, *in me inſaniret Apollo*, Lutatius, *Nemo, ait, ſi vatis ſui verbis mihi in-*

cumberet Apollo (divinationum præſes & auctor) *& me inſanire faceret adeò, ut ipſe talia præcinerem.* Atque hinc, quia ſe Numine afflatos videri volunt, iſtiuſmodi initiis utuntur maximorum operum Principes Poëtæ. Homerus, *Il. α. v. 1.*

> *Μῆνιν ἄειδε Θεά.* ----
> *Iram* cane *Dea.* ----

Et Virg. *l. 1. Æn. v. 5.*

> *Arma virumque* cano.

Vide Joh. Gebhardum ad *Tibullum, l. 1. Eleg.* 4. & Caſpar. Barthium, *Animadverſionum ad Statium l. 3. p.* 1229. Quod cùm ad confirmandas ſuperſtitiones pertineret, ut videl. aſpicerentur furere gallantes ac vaticinantes, quaſi ab alicujus Numinis inſpiratione immiſſô furore, radicem halicaccabi bibere conſueviſſe hujuſmodi homines, ut *ἔνθεον* inde conciperent, legimus apud Plinium. Non enim à dæmone ſolùm talis furor immittebatur, ſed naturâ quoque nonnunquam fiebat, uti dicemus infrà in voce *Corybantiaſmus*, item *Inſania*. Vide quoque in voce *Abdera*. Inde *Magorum*, qui duobus præcipuè modis ligabant ſolvebantque, *cantibus* nempe & *herbis*, hæc enim duo præcipuè Poëtæ nominant. Tibullus, *l. 1. El. 8. v. 17.*

> *Num te carminibus, num te pollentibus herbis*
> *Devovit tacitò tempore noctis anus.*

Et *l. 1. El. 2. v. 61.*

> ---- *Nempe hæc eadem ſe dixit amores*
> *Cantibus aut herbis ſolvere poſſe meos.*

Sed *cantibus* inprimis; ſeu *muſſitationibus*, uti Hebræi vocant לחשים, quòd Magi cantus ſuos inter labia demurmurare ſolebant. Virg. *Ecl. 8. v. 71.*

> *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.*

Ovidius, *Met. l. 7. Fab. 2. v. 203.*

> *Vipereas rumpo verbis & carmine fauces.*

Horatius, *Epod. 17. v. 30.*

> *Caputque Marsâ diſſilire næniâ* &c.

Unde tales *Incantatores*, ſerpentes autem, in quos carmina illorum nil valebant, vel *recanere*, vel *ad cantum obſurdeſcere*, dicti: hodieque *Carmen* Gallis pro ſortilegio eſt, *Charme*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1089. & Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l. 3. c. 6.* nec non hîc paſſim, inprimis infrà voce *Carmen*.

CANES Coronati, in Dianæ feſto, memorantur Statio, *l. 3. Sylv. 1. v. 55.*

> *Jamque dies aderat, profugis cùm Regibus altum*
> *Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multâ*
> *Conſcium Hippolyti ſplendet lacus: ipſa coronat*
> *Emeritos Diana* canes, *& ſpicula terget:*
> *Et tutas ſinit ire feras.* ----

Quod ab Agonothetis traductum. Factum autem Idibus Auguſti, unde mox Poëta,

> ---- ---- ---- *omniſque pudicis*
> *Itala terra focis, Hecateïas excolit Ides.*

Quo de feſto vide Hadr. Turnebum, *Adverſarior. l. 7. c. 26.* Reverâ autem coronati tum *Canes*, ut feſtis aliis diebus *Boves*, de quo ritu pluribus egit Hadr. Bebotius, *Apophoret. l. 2. c. 2.* De *Equis* & *Aſinis* adnotavit Propertio, *l. 3. Eleg. 1.* Joann. Paſſeratius. Sed & *Canum* hunc honorem Gratius quoque celebrat, *v.* 484.

> *Spicatuſque faces ſacrum ad nemorale Dianæ*
> *Siſtimus, & ſolito catuli velantur honore.*

Hoc eſt, coronantur. Quam *canum redimitionem* non intellexit, prorſus aliò iſta Papinii verba trahens, Car. Paſchalius, *Coronar. l. 1. c. 3.* Hunc verò diem feriatum à venationibus, diſces pluribus ex Turnebo, *d. l.* Vide Barthium, *Animadverſ. ad Statium, l. 1.*

CANES occidendi mos, in ortu Caniculæ, quòd hoc ſidus eos in rabiem agat, apud Romanos viguit, uti docet ex Græco auctore Salmaſ. *Ὅτι τῇ πρὸ Νωνῶν Αὐγούστων ἡμέρᾳ ἀνεσκόλοπιζον ἐν Ῥώμῃ τὰς κύνας εἰς ἐκδίκησιν τῶν χηνῶν, ὅτι ἐν καιρῷ αὐτοῖς οἱ μὲν κύνες καθεύδοντες ..., οἱ δὲ χῆνες ἐγρηγορότες διέσωσαν· οἱ δέ φασιν τοῦτο ἐποίουν, ἵνα μὴ νύκτωρ ... γίνοιντο, οἱ δὲ, ἵνα μὴ λυττῶντες τοὺς ἀνθρώπους βλάπτωσι, ἐπειδὴ ... ὁ Σείριος ..., ὅς καὶ ... αἴτιος ... εἶναι.* *Ante tertium Nonas Auguſti occiderunt tempore Romæ canes in honorem anſerum, qui vigilantiâ ſuâ Capitolium conſervârunt, cùm illi dormiendo illud prodidiſſent. Alii tamen id factum dicunt, ne nocturno tempore moleſti eſſent. Sed & ſunt, qui eos volunt necatos, ne in rabiem acti homines læderent. Tum enim Sirius oritur, canini furoris parens.* Vide eum *ad Solin. p.* 723. Aliud quid erat *Canarium Sacrificium*, de quo ſuprà.

CANESTRINUM, locus in Palæſtina. Tyrius, *l. 4. c. 7.*

CANETHUM, Eubœæ inſul. locus, poſteà intra muros Chalcidis receptus. *Strabo.* Item mons Bœotiæ. *Apollon.*

CANETUM, oppidul. Ducatus Mantuani, ubi Cluſius in Ollium ſe exonerat, medium inter Mantuam & Cremonam. Aliàs *Bedriacus vicus.*

CANGANORUM, quod *Cangorum* Tacito, *l. 12. Annal. c. 32.* promontor. Albionis inſul. verſus Occidentem, *Ptol.* in Wallia & Arvoniæ provinc. *Lhein Camdeno. Gogarth* hodiè *Humfredo Lhydo. Braychypult point*, *Speedo*: *Penrenkele point* aliis eſſe videtur, *Baudrand.*

CANGI, populi Britanniæ *Iccnis* vicini.

CANI, populi Rhætiæ, quorum regio *Campi Canini*, Amm. Marcellino, *l. 15.* Hodieque Italis *Griſoni* & Germanis *Graupündter*, i. e. *Cani Confœderati. Simler. de Rep. Helv. l. 1.* Vide *Rhæti.*

CANICÆ Valles, *Cangas*, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis in finibus Aſturum.

CANICLEUM, arx Conſtantinopol. ſeu Palatium Imperiale, cui, qui præerat, *Canicleus* ſeu *Caniclinus*, vocabatur, Macer in *Hierolex.* Meliùs *Κανικλεῖον* vas erat, in quo aſſervabatur ſacrum encauſtum, quò Imperatores diplomata vel Epiſtolas ſubſcribebant, unde *Caniclinus*, dignitas Palatina in eadem Græcorum Imperatorum aula, Græcè ὁ ἐπὶ *τοῦ κανικλείου*, appellatus. Erat vas illud aureum, gemmis lapilliſque diſtinctum, *δοχεῖον ἐρυθροβαφὲς διὰ λίθων χρύσεον*, h. e. *calamarium aureum margaritis & pretioſiſſimis gemmis inſignitum*, uti deſcribitur à Niceta in *Manuele*, *l. 3. num.* 4. ſeu, ut habet Petrus Diaconus, *Chron. Caſin. l. 4. c. 13.* *χρυσίμβοον ἀγγεῖον εἰς τὰς βασιλικὰς ὑπογραφάς*, *Aureum vas ad Imperatorias ſubſcriptiones.* De Encauſto vide infrà. Sic itaque *Caniclinus* idem fuerit cum Logotheta, uti pluribus probat Car. du Freſne ad *Alexiadem*, *p.* 378. Appellatum eſt autem vas illud *caniculus*, *κανικλεῖον*, quòd *caniculi* formam effigiemque præ ſe ferret. Salmaſ. tamen *ad Solinum* vocem *Caniculum* à *κάνις* deducit, quæ vox in *Gloſſis κανίσκιον* & *καν...* vertitur, unde caniſtrum dictam. Vide Pachymerem, *l. 8. c. 32. l. 9. c.* 24. alioſque laudatos Carolo du Freſne, in *Gloſſar.* & ſuprà in voce *Calamarium* ac *Cana.*

CANICLEUS, ſeu CANICLINUS, *κανικλεῖος*, palatium alterum Conſtantinopoli, arce & monaſteriô inſigne, à cujus præfectura, apud Auctores Orientales omnium honoratiſſima, & quâ Codinus ſocerum donat Imperatoris, *Caniclinus* dicitur. Hunc Cancellario aſſimilat Rodericus, *de geſtis Frid. I. l. 1. c. ult.* Tyrius autem *de Bello Sac. l. 22. c.* 6 Logothetem, qui Cancellarium veriùs exprimit, à Caniclino videtur diſtinguere. Guntherus non malè de Camerario intelligit, *Ligurin. l. 8.*

> ---- ---- *Tempore ſervus eodem*
> *Argolici Regis, Græca cognomine uſus*
> *Hoc* Caniclinus *erat, nobis* Camerarius *idem*
> *Eſſe poteſt.*

Sic Narſes, apud Paulum Diacon. *Longob. l. 2. c. 3.* & alios, *Chartularius* dicitur: *Cedreno κουβικουλάριος*, & à vetere Scholiaſte Juliani Patricii, *Conſtit. 13. Tit.* 60. *Cubicularii* exponuntur *Chartularii.* Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* Vide & ſuprà.

CANICULA, Stella lucida in ore canis, quæ quòd Canem diem unum, noctemque antevertat, à Græcis *Procyon*, à Cicerone etiam *Antecanis* appellatur. Vide *Erigone*, & Cæſii *Cœlum Aſtronomico-poëticum*, *p.* 250. Salmaſio propriè *προκύων*, qui & *Canis minor* Plinio, *l. 18. c.* 28. & *minuſculus* Vitruvio, *l. 9. c.* 7. malè à nonnullis confunditur cum ſtella majoris Canis lucidiſſima, quæ *Σείριος* per excellentiam appellatur, cùm aliàs, ob eundem lucis candorem, omnia aſtra *σείρια* vocet *Ibycus.* Quamvis enim & ſtellam illam, quæ in ore Canis, *προκύνα* appellent Græcorum nonnulli, eo quòd in primore parte oris canis conſtituta prius oriatur, quàm Canis totus: tamen hic *προκύων*, qui Sirius eſt, diverſus eſt à ſidere Ante-canis, quem & *προκύνα* dixêre, quòd ante canem majorem oriatur, vel, ut Plinius, *d. l. quod indicet Canis ortum*, conſtitutus juxta lacteum circulum &c. Vide infrà in voce *Procyon.* Ab exortu autem *Caniculæ*, ad alterum ejuſdem exortum, anni ſui ſpatium definiebant Ægyptii, ut ſuprà diximus, ubi de *Canario Anno*: Orygem feram tradentes ea horâ ac momentô, quô id ſidus exoriebatur, vocem emittere atque hôc indiciô, annui motus orbem abſolutum eſſe, indicare. Imò Libyæ omnes capras idem apud ſe facere memorant, ut commodum exoriente cum Sole *Caniculâ* ad eam converterentur & vocem emitterent, quod ſignum eſſet certiſſimum ſolemnis circuitus, ut videre eſt apud Plut. *de Solertia Animal.* Quod nec de ſolis Libyæ capris, ſed de aliis etiam pecoribus ac jumentis, refert Antigonus ex *Lyco.* Quam rem paulo aliter ſic narrat Solinus, *c.* 32. *Ægyptum limitem, qua ad Diacecaumenon tendit, incolunt populi, qui momentum, quô reparari mundum ad motus ferunt annuos, hoc ſtudiô deprehendunt. Eligitur ſacer lucus, in quo conſeptant animalia diverſiſſimi generis. Ea, ubi ad ſtatum medium cœleſtis pervenit diſciplina --- alia ululant, alia mugiunt, quædam ſic dicunt* &c. Porrò Plin. *loc. cit. Orygem appellat Ægyptus feram, quam in exortu ejus contra ſtare ac intueri tradit, ac velut adorare cùm ſternuerit.* Certè Ægyptios ſternuente oryge, ortum Caniculæ deprehendiſſe, traditum veteri *Scholiaſtæ* Arati. Auctori *Vitæ* Iſidori apud Photium, Aliis. Uti autem *Canis major*, Europæ cuſtos, aliis Canis Orionis: ſic *Canicula*, Icarii canis fuiſſe dicitur *Hygino*: unde in Ceo Inſul. quò Attici agreſtes, qui Icarium interemerant, ſe receperunt, Ariſtæi monitu, ad liberandam peſte terram Græciam & præcipuè Cyclades Inſul. *Caniculæ* ſacra facta, eaque quotannis poſtmodum continuata eſſe, idem, ut & *Diodorus*, tradit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 144. 429. & *ſeqq.* 721. nec non infrà in voce *Canis.* De canum verò, in exortu hujus ſtellæ, occidendi apud Romanos more, retrò diximus.

CANICULA Piſcis, vide infrà *Thurſio*, item *Canis marinus.*

CANICULARES Dies, matura meſſis. Unde de Virgine, quæ inter ſidera eſt, Avienus in *Paraphraſi Aratea*,

> *Aut Peluſiaci magis es Dea litoris Iſis,*
> *Digna thori conſors & cura latrantis Anubis.*
> *Seu tu diva Ceres, ſic nam tibi fragrat ariſta,*
> *Et cum Siriacô torretur ſpica calore*
> *Protentata manu.*

Ubi intelligit ſpicam eam, quam manu geſtat, maturam videri, utpote Sirii toſtam calore. De eadem Germanicus,

> ---- ---- ---- *Cui plena ſiniſtra*
> *Fulget ſpica manu, maturiſque ardet ariſtis.*

Et

Et Manilius, l. 4.

At quum per decimam conſurgens torrida partem,
Spica feret præ ſe ſqualentes corbis ariſtas:

Spicam vocant ſtellam Virginis majorem, & *ſqualentes corbis ariſtas* ... appellant, quæ arefactæ ſunt & maturæ, quales extant, quum demetuntur & in corbem meſſoriam, qui mos fuit apud Veteres congeruntur. *Salmaſ. ad Solin. p.* 1236. Faſtos Romanis hos dies fuiſſe, infra dicemus.

CANIDIA, unguentaria Neapolitana, in quam tanquam in veneficam, ſæpe invehitur *Horatius.* Vide *Gratidia.*

CANIGUS Mons, unus ex Pyrenæis, *Canidum* etiam dictus, inter Comitatum Ruſcinonenſem & Catalonium, versus Confluentes.

CANINA Effigies in capite, ſymbolum olim Ducis ignavi & vitiis merſi. Non dico illum utilem *Canem*, vigilem & paſtoritium; nec venaticum, & generoſum, de quibus infrà: ſed dimidum, impurum, ignavum latratorem, crudelem, exedentem cadavera, cujuſmodi apud Bactrianos dicuntur fuiſſe ſepulchrales, aut certè ſimilem illius Ariſtophanæi, ſunt.

[illegible Greek verses]

Simile quid fuit pileus Ephocarum, apud Athenæum, l. 14. quem ipſis è *canina pelle* geſtare neceſſe fuit, in ſignum miſerrimæ conditionis, cui eam gentem neceſſitas apud Lacones addixerat. Vide quoque Platonem, *de LL. l.* 6. Ejuſdem generis fuêre fortè *Canina* illa *Ægyptiorum effigies*, de quibus Romam advectis, ut illic quoque inter Numina colerentur, Prudentius, *contra Symm. l.* 2. v. 353.

Quadam vela dedit rupitur Cleopatra canina
Effigies &c.

Vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 9. c. 20. & infrà, ubi de *Pellibus.*

CANINDASTA, Iſauriæ vicus. *Steph.*

CANINEFATES, populi Batavis finitimi, & eandem inſulam incolentes, qui origine & virtute, & linguâ pares Batavis numerô ſuperantur. Tacit. l. 4. *Hiſt. c.* 15. 16. *Le pays de Gorkum en Hollande. Kennemerland, D. Rhenano.* Hos Fulvius Urſinus *Canninefates* ex *antiq. inſcript.* vocat.

CANINI Campi, Rhætorum ſunt apud Marcellin. l. 15. *Graſſons* Italis, *Grampundter* Germanis. Vide *Cam.*

CANINIA Lex, vide *Fuſia Caninia.*

CANINIUS, *Moritur* C. *Caninius* Rebilius, eôdem die, quô adeptus eſt Conſulatum, obiit. Septem enim horarum Conſul fuit, in quem jactatum eſt illud ſcomma Ciceronis, *l.* 7. *Famil. Ep.* 30. *Mira fuit Canini Conſulis vigilantia, qui totô ſuô conſulatu ſomnum non vidit.* Vide infrà.

CANINIUS Angelus, Anglerià Inſuber, in Linguis eruditis optimè verſatus, docuit illas in Italia primùm, Venetiis, Patavii & Bononiæ, deìn in Hiſpania; inde ab Andrea Dudithio in Hungariam vocatus; poſtmodum Pariſiis eôdem munere functus, tandem in Arvernia obiit, in Familia Guil. Prateuſis Epiſcopi Claromontani, ſeculô ſextô decimô. Princeps Grammaticorum Græcorum Tanaq. Fabro. Edidit *Inſtitutiones linguæ Syriacæ, Aſſyriacæ atque Thalmudicæ, unà cum Æthiopica ac Arabica collatione, quibus ad calcem addita eſt N. T. multorum locorum Hiſtorica enarratio. Grammaticam Græcam: Verſionem Latinam Simplicii in Manuelem Epicteti, Commentarium de Locis Scripturæ Hebraicis.* Suetius in *Vita Magii*, *Thuanus*, Tanaq. Faber, *Notis in prima. Scalig.* Anton. Teiſſier, aux *Eloges des Hommes Sçavants Vol.* 1. &c.

CANINIUS Celer, Orator Græcus, inter Præceptores Marci Antonini Philoſ. apud Jul. Capitolin. c. 2. cujus præterea nemo meminit, præter unum Philoſtratum, qui vitam ejus ſed nec ex propoſito ſcripſit; meminit tantum illius obiter, & τεχνογράφον nominat. Eundem ab Epiſtolis Imperatoris fuiſſe dicit, ſed cujus, non addit. Hadriani fuiſſe, divinare facile eſt: in *Dionyſio*, [illegible Greek]. Meminerit tamen Celeris ipſe quoque Marius *Vita ſua l.* 8. Salmaſ. *ad loc.* &c.

L. CANINIUS Gallus, Conſul, Collega Vipſanii Agrippæ, an. 717. Urb. Cond. 37. ante Chriſtum Natum cum Hieroſol. ab Herode, juvante C. Soſiô, capta eſt.

C. CANINIUS Gallus, Conſul, an. 752. Urb. Cond. quem Chriſti natalem, *Onuphr. Sigon. Peretius, Salianus,* &c. volunt. Vide & *Cajus.*

CANINIUS Gallus, XV. vir Sibyllinus. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 12.

CANINIUS Rebilus, prænomine Lucius, Legatus Cæſaris in Gallia. Cæſ. *l.* 7 *Comm. c.* 83.

CANINIUS Rebilus, vide *Ammius.*

CANINIUS Rebilus, unius diei Conſul, C. Cæſare Dictat. cùm belli civilis præmia feſtinaretur. Tacit. *l.* 3. *Hiſt. c.* 37. Vide ſuprà.

CANINIUS Rufus, amicus Plinii jun. Poëma de Dacia meditatus eſt. Plin. *l.* 1. *ep.* 3. & *l.* 8. *ep.* 4.

CANIPSA, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

CANIS, nonnullis Scriptoribus dicitur, qui aliis *Chan* vel *Can*, item *Canus*, quæ omnia ex *Caganus* ortu, de qua voce cetero diximus. *Chronicon* Naugii *A. C.* 1299. Uſuncaſſano Tartarorum Rex, *Qui & Magnus Canis dicitur.* Byzantini ſeu Græci recentiores Κάνας & Κάνις Tartarorum vocant Principem. Pachymeres inprimis, *l.* 3. *c.* 25. *l.* 5. *c.* 4. *l.* 10. *c.* 25. & *l.* 11. *c.* 16. qui vocem hanc dictô libri 5. *c.* 4. Imperatorum ſonare, addit: [illegible Greek] Κάν βασιλεύς. Idem ceteros quoque Toparchas *Canes* vocatos innuit; *l.* 9. *c.* 26. & Principes Tartaricæ gentis Κανίδας appellat, *l.* 3. *c.* 4. quos *Canſios* nuncupat Magiſter Rogerius, *Deſtruct. Hungar. c.* 33. *Altero verò ipſorum Caneſio, i. e. majori valente proſtrato ſuccurrere,* &c. c. 35. *conſtituerunt Caneſios, i. e. Ballivos, qui juſtitiam facerent.* Infrà, *Procurator unus de iſtis dominis erat unus, & plane mille villas regebat & erant Caneſii ſive comites* &c. Ab hac igitur origine, aliquot ex Scaligerorum gente, quæ Veronenſem diu Principatum poſſedit, *Canes* appellatos cenſuit Jovius, quam vocem nominis interdum proprio ſic præponebant, *Can Franciſcus*, *Can Grande*, *Can Signorius.* Vide Joſephum Scaligerum *in Vita Patris.* Sed nec Veronenſes duntaxat Principes id ſibi prænomen vindicavêre, cùm in familia Dandula apud Venetos idem uſurpatum doceat Sanſovinus in *Venetia*, *l.* 13. *ſub A. C.* 1328. qui, ut modo dictus Scaliger *ibid. p.* 29. docet, non à latrante illo animali dicti ſunt; ſed, quòd linguâ Windorum ſeu Sclavorum, *Cahan* idem ſit, quod Rex aut Princeps. Quam quidem ſententiam non parùm firmat ipſa olim Serviæ Principis appellatio ac nomenclatura: *Knes* enim appellabatur, ſeu μέγας Κνέζης, *magnus Knes*, vel Κνέζης πάσης Σερβίας, *Comes totius Serviæ*, ut eſt in Codice Reg. *MS.* 2023. ex quo deſcripſit Goarus, quæ habet, poſt Codinum *de Officiis aulæ* Conſtantinop. p. 414. 415. Idem autem valet, quod *Dominus*: eam namque fuiſſe vocis *Knez* apud Slavos notionem, diſcimus ex Dietmaro, *l.* 7 quem laudat Car. du Freſne in voce *Caganus.*

CANIS, apud Romanos, cuſtodiæ causâ in tabernis legitur fuiſſe. Paulus JC. *l.* 2. §. 1. *ff. ſi quadr. paup. fec. dic.* *Si quis aliquem evitans, Magiſtratum forte in tabernam proximam ſe immiſiſſet, ibique à cane feroce læſus eſſet, non poſſe agi canis nomine quidam putant; at ſi ſolutus fuiſſet, contra.* Etiam Oſtiarii plerumque comes fuit. Plautus, *Moſtellar. Act.* 3. *ſcen.* 2. v. 169.

Tranio age, canem iſtam à foribus abducat face.

Hinc de Vitellio Imperatore latebras quærente Sueton. c. 16. *Confugit*, inquit, *in cellulam janitoris, religatô pro foribus cane.* Vide quoque Senec. *de Ira l.* 3. *c.* 37. Et hic erat mutus, vel potiùs vocalis cuſtos, qui Excubiarum dormiente vigilaret: Janitori enim vigilia indicta erat. Videturque ad eyuſmodi hoc munus alludere parabola divitis Epulonis, quæ extat Lucæ c. 16. v. 21. In quam ita commentatus eſt P. Chryſologus *Serm.* 123. *Sed dicis dives, ego eiſi vinum negavi, aquam peta, quam communem cunctis animalibus ambiens ipſe omnium præſtitit & natura. Puto dives, quod & aquam pauperi tu negâſti, cui ne ingrederetur januam tuam, ne ad tuum puteum perveniret, Canes quamplurimos objeciſti.* Sed & erant, qui penè januam *canem* pictum haberent, ut apud *Petronium*, Trimalchio. Nec hominibus ſolùm hunc uſum præſtitiſſe, ſed & *ſummorum cuſtodiam Numinum canum ſolicitudinibus credere ſoliti ſunt* Veteres, quod ridet ſalsè Arnob. *adv. Gentes l.* 6. ubi voce *ſolicitudinibus* magnam vigilum iſtarum & intenſam ſolicitudinem indigitat, qui ideirco dormire jubentur interdiu, noctu ut vigilent. Varro, *de Re Ruſt. l.* 1. *c.* 21. *Canes potiùs cum dignitate & acres paucos habendum, quàm multos. Quos conſuefacias potius noctu vigilare: & interdiu clauſos dormire.* Quare apud Phædrum canis, *l.* 3. *Fab.* 7.

---- Alligant me interdiu,
Luce ut quieſcam, & vigilem, nox quum venerit.

Et apud Æſchylum ille *Agamemnone*, queritur vigilem ſe ſtare continuis noctibus, *canis* inſtar vigilis,

[illegible Greek verses]

In delitiis verò tricliniaribus catelli erant, ut teſtatur mulier Chananæa apud Matth. c. 15. v. 26. 27. & indicant ſculpturæ antiquorum Marmorum, apud Fulv. Urſinum, *Appendic. ad Ciacconium de Triclin.* Porrò præter villaticos moloſſos, Veſtigatoris quoque miniſter *canis* fuit, qui veſtigia ferarum odorarentur, ut habent leges Bajoariorum & Artemidorus, *Oneirocr. l.* 3. *c.* 2. cujus pretium ſolertia naris & induſtria: *nare ſagaces* tales Gratius ait, Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Ad ſacrificia etiam *Canes* adhibitos, quamvis id in Lege ſua graviſſimè Deus prohibuerit, apud Caros legimus, qui Marti hanc victimam, ſicut Scythæ aſinum, ſacrare ſolebant, teſte Clemente *in Protreptico.* Sed magis mirum, quòd Ægyptii etiam Numinibus ſuis inſeruerunt, non felem ſolum, ſed & *canem*, de cujus veneratione vide Cicer. *Tuſculan. l.* 5. Unde Juvenalis, *Sat.* 15. v. 8.

---- Illic
Oppida tota Canem venerantur, nemo Dianam.

Cynopolitanis inprimis in veneratione fuiſſe, indicat Clemens præfatus *loc. cit.* Addunt Herodot. *Euterpe* & Diodorus Sic. *l.* 2. Ægyptios, in quorum ædibus *Canis* moreretur, ſolitos fuiſſe ad luctum indicandum, totum corpus radere, cùm in felis, itidem illis miſeris ſacri animalis, obitu ſupercilia ſolùm pilis nudarent. De *Cynocephali* cultu vide infra; de Sergii Hæretici *Cane*, cujus interitum annoò jejuniô venerantur Armeni, ſuprà voce *Artzibutus*: & plura hanc in rem, apud Bochart. *Hieroz. Part.* 1. *l.* 2. *c.* 55. 56. & Car. du Freſne *Gloſſar.* Cadavera *canibus* objecta, vidimus ſuprà: etiam Parentum, [illegible] in hac voce. Iiſdem ſepulchra conſtituta ab Hadriano Cæſare memorat Æl. Spartian. c. 20. *Equos & canes ſic amavit, ut iis ſepulchra conſtitueret.* Quinos olim multorum, ut apud *Plautum*, *Plutarchum*, *Martialem*. Alios, ut & infrà in voce *Philocynegus*, videre eſt. Iis objici reos quoque vivos conſuevîſſe, diximus alibi, & memorat crudeliſſimi hujus ſupplicii exemplum Petrus de Valle *Itiner. Perſic.* in Judæis quibuſdam Magiæ convictis, Hiſpahani, Perſiæ Metropoli, ſtatutum.

Nec omittendum, quòd Canes in bello animitus olim uſus; Sic enim Alyattes Lydus Cimmerios ex Aſia exegit canum auxiliò, ut in adjunctis ad Euſebium legimus, & in Polyæno *Strateg. l.* 7. *c.* 2. Similia exempla vide apud Lipſium, *Ep. ad Belgas*, *Cent.* 1. *Ep.* 44. ubi multa de *Canibus* egregia. Inprimis verò feroces Indici, quos ex cane & tigride naſci, Diodorus tradit, *l.* 17. *c.* 92. & Ælianus, *Hiſt. anim. l.* 8. *c.* 1. Gallici item, quos ex lupis generari, Patricius ſcribit: Cujuſmodi canes reperiri in provinc. *Gingui* Cathaiæ finitima, teſtatur Paulus Venetus *l.* 2. *c.* 49. *ut duo canes & vir ſagittarius equo inſidens leonem ſternerent.* Vide quoque Freinshemium ad *Curtium l.* 9. *c.* 2. & Auctores alii hanc in rem laudatos. A *Cane*, nomen celebri *Cynicorum* ſectæ, in qua Diogenes *Canis* nomine ſuperbus, ejuſdem animalis figurâ repræſentatur, in veteri lapide, qui hodieque Venetiis viſitur, cum hac Inſcript.

Εἰπὲ κύον τίνος ἀνδρὸς ἐφεστὼς σῆμα φυλάσσεις;
Τοῦ Κυνός. ἀλλὰ τίς ἦν οὗτος ἀνὴρ ὁ Κύων;
Διογένης γένος, εἶτα, Σινωπεύς, ὃς πίθον ᾤκει,
Καὶ μάλα· νῦν δὲ θανὼν ἀστέρας οἶκον ἔχει.

apud Jacobum Sponium, *Itinerar. Græcæ Part.* 3. *p.* 60. Vide quoque alia ex Genitivo *κυνὸς* compoſita infrà.

CANIS, ſydus cœleſte oriens, 18. Cal. Aug. occidens autem, ſed non totum, poſt dies 40. quod dierum ſpatium Dies Caniculares appellamus: quò tempore ſydus hoc in medio Cœli centro cum Sole conjunctum æſtum conduplicat. Unde & nomen invenit; quòd nimiò calore mordere quodammodo videatur. Unde *Æſtiferum Canem* appellat Virg. *l.* 2. *Georg. v.* 353. & Tibull. *l.* 3. *El.* 5. *v.* 2.

Unda ſub æſtivum non adeunda canem.

Vide omnino Cæſium, *in Cœlo Aſtron. p.* 238. *&c.* Ut inter erraticas prima honore divinô aucta eſt Veneris ſtella, quam *Phoſphorum* & *Heſperum* dicimus, ita inter fixas, ad id decoris primò illa evecta eſt, quæ vocatur Ἀστροκύων, *Oriſtis canis*, vel etiam *Sirius*: Imò ab Ægyptiis Heſpero quoque prælata, Iſiſque, quæ cum Oſiride ſupremum iis Numen erat, nomine eſt inſignita, Plut. *de Iſid. & Oſir.* Præter Ægyptios verò Romani quoque religioſè hoc ſidus coluerunt, ut docet Feſtus paſſim, unde obſcurum non eſt, cur Deo Rubigo ſive Rubigini, præter ovem, etiam *canem* immolarent, in Apial. Nempe, quia Caniculæ ſidus frugibus inimicum, non longè à porta Catularia Romæ, rufæ ei canes, deprecandæ ſævitiæ causâ, immolabantur. Præter *Canem* autem in Meridionalibus ſideribus, Piſcem quoque divinos invenisse honores, dicemus infrà ſuo locô. Vide Voſſ. *de Idololatr. l.* 2. *c.* 36. Idem verò ſidus dum Μαῖρα quoque dictum eſt; namque *Heſychius*: *Μαῖρα κύων ἢ ἄστρον* (quam *Mæram* ſeu *canem* Erigones fuiſſe Poëtæ fabulantur) ingeniosè Anglus Samfordus conjectabat, Mæram eſſe Liberi (h. e. Moſis) ſororem Mariam. Moſem enim, ſub Liberi ſchemate, cultum, accuratè oſtendit Voſſ. qui cùm fidelem haberet ſocium Caleb; כלב *Keleb* quoque Hebræis *canem* denotet: non difficile hinc videre eſt, cur Gentiles Libero dederint ſocium *canem*, ortâ nempe fabulâ ex vocabuli homonymia. Nec enim è vulgo canem fuiſſe, indicio eſt, quod domini dicatur Panos, h. e. Domini totius naturæ, quodque ratione foret præditus, ut eſt apud Nonnum, *Dionyſiac. l.* 17. *v.* 187. *& ſeqq.* præmium ejus etiam cœlum. Ita enim ad eum Liber:

---- *Χάριν δέ σοι ὕστερον ῥέξω,*
Δῶρον ἀμοιβαῖον μετὰ Σείριον ἀστέρα Μαῖραν,
Αἰθέρος ἀστὸν ἐγώ σε, καὶ ἀστράσιν ἐν πολιόπτη
Ἄγχι κυνὸς προτέροιο, ἵνα καὶ σὺ πεπαίνης,
Βότρυος ἐν λιπαροῖσι ἀπαστράπτων σέλας αἴγλης.
---- ---- *Gratiam tibi, laborum ergo,*
Referam munum, poſt Sirium, ſtellam Mæram,
Ætheris civem ego te, & ſtellis multis volucrem efficiam,
Prope Canem priorem, unam ut & tu maturam reddas,
Racemis in ubertatem jaculans à te ſplendorem.

Vide iterum Voſſ. *l.* 2. *c.* 30. & infrà in vocibus *Mæra*, ac *Sirius*.

CANIS, Ordo equeſtris à Buchardo IV. ex Montmorantia famil. primo Galliæ Barone, inſtitutus; qui pace cum Philippo I. vel Ludov. fil. ejus potiùs, à quo arce quâdam exutus erat, quòd Adrianum Abbatem S. Dionyſii bellô vexâſſet, initâ A. C. 1101. Pariſios venit, magnâ comitatus catervâ equitum, quibus omnibus *Canis* inſigne de collo pendebat, ad fidelitatem ſuam demonſtrandam. Mennenius *de Ordinib. Equeſtr.*

CANIS, Arabiæ Felicis fluv. *Ptol.*

CANIS, convitium atrox. Quamvis enim humilitatis ſit, cùm quis eouſque ſe abjicit, ut *Canis* vocari non dedignetur. Quemadmodum de Davide legimus 1. Sam. *c.* 24. *v.* 15. de Mephiboſetho, 2. Sam. *c.* 9. *v.* 8 & de Hazaële 2. Regum *c.* 8. *v.* 13. Nec non de Helena, *Il.* ζ. *v.* 356.

Δᾶερ, ἐμεῖο κυνὸς κακομηχάνου ὀκρυοέσσης
Εἵνεκ' ἐμεῖο κυνός ---- ----
O levir, quoniam animum tuum labor maximè invaſit
Propter me, quæ ſum canis.

Tamen alterum qui ſic appellat, eum docet ſe proſſus ſpernere & pro nihilo habere. Ut cùm Abiſai dicit de Semei 2. Sam. *c.* 16. *v.* 9. *Cur maledixerit canis iſte mortuus domino meo Regi?* & Ulyſſes procis Od. χ. *v.* 35. *Ὦ κύνες*, *ô Canes.* In quidem Scriptura *Canum* nomine, ſignificat *Infideles*, Matth. *c.* 15. *v.* 26 *Profanos Verbi divini contemptores*, qui crudeliter ſæviunt in veritatis præcones, Matth. *c.* 7. *v.* 6. Quoſvis piorum *hoſtes* & *invaſores*, Pſalmo 22. *v.* 17. *Impuros*, Apocal. *c.* 22. *v.* 15. & *Paſtores mercenarios*, qui pro Domini grege ſe paſcunt. Eſaiæ *c.* 56. *v.* 10. Nempe aut in genere canes, aut ſaltem nonnulli eorum, iis vitiis laborant, quibus hæc ſunt analoga. Ut enim taceam, multos ſomno & gulæ deditos eſſe, *κυνοκαθεύδειν* proin cognomentô digniſſimos, quomodo vocari refert *Heſychius*, teſtudines cochleaſque & *τὰς νωθεστάτας τῶν κυνῶν*, *canum tardiſſimos pigerrimoſque.* Proprium canum eſt τὸ *ὑλακτεῖν*, *contriſtari*, & ignotos quoſlibet latrare, nonnunquam morſu laceſſere. Unde vel merè hyperbolicum eſt, quod habetur Exodi *c.* 11. *v.* 7 nullum canem hirrivîſſe in tot Iſraëlitarum millia, ex Ægypto excedentia, vel id fuit inſigne miraculum, quò Deus teſtatum voluit, ſe ſpecialiter huic populo invigilare & proſpicere. Nec immeritò Hecuba in *canem* fingitur fuiſſe mutata, quia Græcorum Principibus perpetuis convitiis quaſi oblatrabat. Plautus in *Menæchmis*, *Act.* 5. *Sc.* 1. *v.* 14.

ME. *Non tu ſcis mulier, Hecubam quapropter canem*
Graji eſſe prædicabant? MU. *Non equidem ſcio.*
ME. *Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis.*
Omnia mala ingerebat, quemquem aſpexerat.
Itaque adeò jure cœpta eſt appellari canis, &c.

Sed & canum vitium ſumma *Impudentia* eſt, ſive enim gulæ indulgent, ſive libidini, nihil non in propatulo patrant. Unde pleraſque voces, quæ impudentiam ſignificant, Græci à cane deſumunt, *κυνώπης*, *κυνῶπις*, *κυνῶς*, *κυνέη*, apud *Heſychium*; *κυνόφρων* item: etiam ipſum *Canis* nomen pro impudente eſt, apud Eund. & Pollucem, *l.* 5. *c.* 12. ubi Ariſtogiton Cydimachi filius *Canis*, propter audaciam, dictus legitur. Eſt porrò Canis immundum animal. Virg. *Georgic. l.* 1. *v.* 470.

Obſcœnæque canes.

Unde Deuteron. *c.* 23. *v.* 18. Lex vetat offerri Deo non ſolùm *canem*, *ſed & canis pretium*, &c. Hinc *Præfectura canum*, munus ſemper viliſſimum habitum eſt: Jobi *c.* 30. *v.* 1. *Non dignabar eos ponere cum canibus gregis mei*, i. e. *in canes præficere.* Hinc Abner, à Rege ſuo ſe contemtum haberi putans, 2. Sam. *c.* 3. *v.* 8. *Sumne*, inquit, *ego caput canis?* i. e. *caput canum*, ut Syrus reddit. Græcè *Κυναγωγὸς* dixeris, uti nominat Xenophon *de Venat.* Et Juvenalis, *Sat.* 6. *v.* 415. *dominum*, nempe canis ſibi commiſſi:

---- -- *Nam ſi latratibus alti*
Rumpuntur ſomni: fuſtes huc ocyus, inquit,
Afferte, atque illis dominum jubet ante feriri,
Deinde canem. ---- ----

Quam in rem vide plura apud Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 56. Hodieque *Canis filius*, inter prima apud Hungaros convitia eſt, &c. In laudem contrà verſum *Canis* epitheton, à Dandulo Venetorum Duce, diximus alibi: namque & eximiæ his doces, *vigilantia*, *heri amor*, & *fides infracta*, &c. de quibus vide eundem Bochart. *ibid.*

CANIS, & CANICULA, jactus in ludo teſſerario infortunatiſſimus, aliàs *Chius* quoque dictus: quemadmodum contrà proſperrimus *Veneris* ſeu *Baſilicus* titulô erat ſuperbus. Sextus Propertius, *l.* 4. *El.* 9. *v.* 17.

Me quoque per talos Venerem quærente ſecundos,
Semper damnoſi ſubſiluere canes.

Anglis *Dog-chance* nuncupatur. Vide Thom. Dempſter. *in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 1. ut & infrà in voce *Chius*.

CANIS, in Plauti *Caſina*, *Act.* 2. *ſc.* 6. *v.* 37. — *Hodie, canem & furcam feres*; vinculi genus eſt. *Feſtus*, *Catulus genus quoddam vinculi, quod interdum Canis appellatur.* Iſidorus, *Canicula eſt ferreus harpax*, &c. Certè Hebræis canis כלב *celeb*, dictus à *firmitate dentium*, quibus morſus tenacitas tanta eſt, ut harpaginum & forcipum inſtar videri queat & ferreorum compedum: כבל *cebel* enim inverſis literis, Hebraicè *Compes* eſt, unde etymi ratio in promtu. Sam. Bochartus *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 55 Sed & *Canis* nomen fabulæ perſuaſit, Cantero *Nov. Lection. l.* 7. *c.* 22. & Sam. Petito, *Miſcellaneorum l.* 2. *c.* 18. quibus *Canis* & *Caſina*, vel *Cauſſa*, ut hic vult ſcribi, idem Comœdiæ valent. Favere videtur, quòd Comœdiam *Caſinæ* nomine inſcriptam, Plautus dicit habere *literam ninnam*, i. e. *caninam*. Is enim ita in *Prologo*, *v.* 31.

Κληρούμενοι vocatur hæc Comœdia
Græcè, Latinè Sortientes, Diphilus
Hanc Græcè ſcripſit: poſt, id rurſum denuo
Latinè Plautus cum latranti nomine.

Sed meritò hic Viris aliis doctiſſimis calculus hæret. *Cauſſa* enim vox nihili eſt, & ſi loca expendantur, in quibus *Caſinæ* occurrit nomen, in pleriſque videbis non poſſe in *Cauſſam* ſine flagitio mutari, quia metri id ratio non patitur. Quam ob cauſam Grammatici veteres, quotquot ſuperſunt, Varro *de L. L. l.* 6. *in Pringatis*, Feſtus in *Caſina* & *Neja*, Nonnius Marcellus in *Calvitur* & *Lingulaca*, Fulgentius *in Catillare*, & *Sculponeas*, & *Tatvilliturps*, non aliter hoc Drama citant, quàm ſub *Caſinæ* nomine. Gellius quoque, *l.* 1. *c.* 7. *Plautus etiam in Caſina, cùm de puella loqueretur, occiſurum dixit, non occiſuram, his verbis: Etiamne habet Caſina gladium?* Denique *Caſinæ* nomen præferunt ſex acroſtichi verſus, quibus argumentum fabulæ continetur: quorum verſuum auctor fuit vel ipſe Plautus, vel alius prope æqualis, ut ex ipſo ſtylo docti colligunt. Itaque *Caſinam* à Plauto dictam fuiſſe hanc fabulam, certum eſt. Et potuit eſſe *canis* nomen, aut attributum apud vicinos Barbaros. Ut קשפא *Kaſpa*, in *Talmude*, quod de catulo *parvum* & *teneram* ſonat, &c. Idem Bochart. ubi ſuprà.

CANIS Carcharias, ex marinorum *Canum* generibus, quorum tria recenſet Ælian. *Hiſtor. l.* 1. *c.* 8. tantæ magnitudinis eſt, ut cetis robuſtiſſimis annumerari jure poſſit; ab *aſperitate* & acumine dentium ſic dictus. Alii *lamiam* & *lamnam* vocant, διὰ τὸ ἔχειν μέ-

[illegible], *à gula vaſtitate*. Unde Oppian. *Halieuticῶν l.* 1. *v.* 370.

—— —— — [illegible] χάσματα λάμνας,
Inſauſti rictus lamiæ, &c.

Cujuſmodi belluis Mare Rubrum tam refertum eſt, ut è nave proſpicere tutum non ſit, remos plerunque ipſis invadentibus, uti refert ex Theophraſto *Plinius*. Sed & in Oceano Marique Mediterraneo non infrequenter occurrunt: quarum unam mediocrem ſe vidiſſe ſcribit *Rondeletius* in Santonico littore, quæ mille librarum pondus non excederet; gulæ tamen tam patentis, ut hominem etiam obeſum potuerit capere. Quod *Petro Gillio* fidem adſtruit, referenti, Niceæ Maſſiliæque captas fuiſſe lamias, mille librarum, in quarum ventriculo loricati homines integri reperti ſint: ſed & Architeſtates jam olim [illegible], *Feram homini voram*, hunc canem vocavit. Caſſandra quoque, in Lycophrone, Trojam vaſtatam incenſamque fuiſſe dicit, à navibus

Τριεσπέρου λέοντος, ὅν ποτε γνάθοις
Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων;
Trinoctis leonis aſper quem canis
Tritonis avidis faucibus deglutiit.

I.e. Herculis, quem abſorpſit *Canis Carcharias*, à Neptuno immiſſus, ut latè perſequitur Scholiaſtes: cui fabulæ ex Jonæ Hiſtoria occaſionem datam eſſe, vix dubitari poteſt. Namque propterea τριέσπερον Herculem à Lycophrone dici idem annotat, quod triduò in eo fuiſſet, capitique ſui cæſarie ſolùm amiſſâ, ex eo iterum exiiſſet, quod à Sacra Hiſtoria neutiquam abludit. Id ipſum Phavorinus habet, in voce Τριέσπερος. Neque id *Cyrillum* fugit, qui Græcos obſervat, de ſuo Hercule fabulam habere, Hiſtoriæ de Jona non abſimilem, illum ſcil. [illegible], *abſorptum quidem a ceto eſſe, ſed redditum, ab innato calore, decalvato capite ſuo.* Nempe, cùm per Phœnices ad Græcos veniſſet fama tenuis de vate Hebræo, quem *Canis carcharias* deglutitum, & in ventre ſervatum totò triduò, tandem ſanum incolumemque revomuerit è littore, id Herculi ſuo tribuere non dubitârunt, quòd videbatur eſſe ſummi roboris argumentum. A' cetaceo enim iſtiuſmodi piſce, non verò à ceto propriè dicto, quales balæna, vel priſtis aut phyſeter, deglutitum eſſe Jonam Prophetam vero ſimillimum eſt: utut enim vaſtæ belluæ ſint propriè dicta cete, ita tamen gulæ meatus habent anguſtos, ut ſolidum hominem deglutire haud quaquam poſſint. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 5. *c.* 12.

CANIS Ε'ιδοφόρος, vide infrà *Peſſa*.

CANIS Marinus, Σκύλαξ Græcis, ab acumine roſtri, memoratur Solino, *c.* 53. ubi de margaritis, *Piſcantum inſidias timent conchæ: inde eſt, ut aut inter ſcopulos, aut inter marinos canes plurimum deliteſcant.* Ab illis enim periculum non parvum piſcantibus margaritas, ut ex Hiſtoria illa colligere eſt, quam refert Procopius *in Perſicis*, *l.* 1. & propter illas caniculas marinas, quæ in alto comitari conchas margaritiferas amant, captura earum difficilis eſt. *Ammianus*, *Capturas autem difficiles & periculoſas & amplitudines pretiorum illa efficit ratio, quod frequentari ſueta litora, propter piſcantium inſidias declinantes, ut quidam conjiciunt, circa devios ſcopulos, & marinorum canum receptacula deliteſcunt.* Non itaque piſcaturam illam periculoſam faciunt tam ipſæ conchæ comprimentes ſeſe, ac manum urinatoris morſu abſcindentes, quàm *Canes marini*, quibus non rarò hi unionum captatores ipſi in prædam cedunt. Manilius, *l.* 5.

Prudentem & cæco capiabit in æquore piſcem,
Cumque ſuis domibus concha valloque latentes
Protrahet, immerſo nihil eſt audere relictum,
Quæſitus naufragio petitur, corpuſque profundo
Immiſſum, pariter quam præda exquiritur ipſa, &c.

Partem hujuſmodi piſcis conciſam & ſalitam, Latini *Tomum Thurianum*, Græci quoque [illegible], dixêre: Moris enim habuêre illi partes ſalſamentorum magnorum eôdem nomine appellare, quò piſcem, unde ſumtæ ſunt; cujuſmodi Thuriani ſalſamenti Athenæus meminit, *l.* 6. *ſub fin.* Vide quoque infrà in voce *Thurſio*. Plura verò hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1171. & 1317. nec non ſuprà in voce *Canis Carcharias*, namque & ſic Græcis hunc piſcem dictum, monet Idem.

CANIS Melitæus, vide infrà in voce *Melitæus*.

CANIS Paſtoritius, cui pecoris cuſtodia commiſſa, occurrit Jobi *c.* 30. *v.* 1. *Quorum patres non dignabar ponere cum canibus ovium meorum.* Namque jam tum in uſu fuit, ut canes feris à grege arcendis adhiberentur. Itaque hujuſmodi canum frequens mentio eſt, apud Poëtas vetuſtiſſimos. Vide Homerum *Il.* [illegible] *v.* 183. *Il. μ. v.* 302. & *Il. ρ. v.* 109. quorum medius locus ſic habet,

—— —— —— [illegible] ἄνδρας
Σὺν κυσὶ καὶ δούρεσσι φυλασσομένους περὶ μῆλα.
Paſtores viros,
Cum canibus & haſtis cuſtodiam agentes circa oves.

Quin ipſe Homerus circa Boſiſſum, cùm ad Glauci greges perveniſſet, [illegible], *abſtrahunt eum canes pecoris cuſtodes*, Herodotus in *Vita* ejus. Heſiodus quoque Poëta, qui propè Heliconem paſtor fuit, canes habuit, qui apud eum occiſum permanentes, [illegible], *latratu ſuo prodiderant occiſores*, ut refert Pollux, *l.* 5. *c.* 5. quod etiam de Abele, à Caino fratre interfecto, tradere viſum eſt Rabbi Eliezeri, *Capitulo* 21. Sed & Mercurius, ut boves Apollini ſurriperet, [illegible], *primùm canibus, qui eos cuſtodiebant veternum anginamque immiſit*, Antonius Liberalis, *Metam.* 23. &c. Atque cum his maximè canibus conferuntur Paſtores Eſaiæ *c.* 56. *v.* 10. quorum munus eſt invigilare gregi & lupos, i.e. Eccleſiæ hoſtes, latratu prodere. Proinde etiam Ægyptii per canem Ἱερογραμματέα, ſeu *Sacrum Scribam* ſignificabant. [illegible]. *Quoniam quicunque voluerit perfectus eſſe ſacer ſcriba, eum oportet multa curare, & aſſiduè latrare & ferum eſſe, nec ulli gratificari more canum.* Horus Apollo, *Hieroglyph. l.* 1. *c.* 37. apud Bochart. *Hieroz. d. l.* ubi plura hanc in rem.

CANIS Suſpenſus, caſtrum Gothiæ, inter Carcaſſionem & Narbonem, ſed illi propius. Hodie *Cappendu*, aliàs *Campendu*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CANIS Trapezites ſeu *Menſarius*, Homero non ſemel memoratur; Od. inprimis *ρ. v.* 309.

Οἷοί τε τραπεζῆες κύνες ἀνδρῶν
Γίγνοντ', ἀγλαΐης δ' ἕνεκεν κομέουσιν ἄνακτες.
Quales ſunt virorum menſarii canes,
Quos deliciarum gratiâ nutriunt Reges.

Τραπεζῆες, i.e. [illegible], *qui ad menſam aluntur*, *paraſiti*, quorum prius eſt in vetere *Scholiaſte*, poſterius in Rhetorico *Lexico*, apud Euſtathium. Ita, ad menſam purpurati divitis *canes* adſtabant, Lucæ *c.* 16. *v.* 21. &c. Iſtiuſmodi *canibus* dominos è convivio prodeuntes, apomagdalias objeciſſe, ait vetus Scholiaſtes: quò nomine denotari [illegible], *quod in pane molle & paſtaceum eſt*, docet Jul. Pollux, *l.* 6. *c.* 14. Κυνάδα hinc vocavêre Lacedæmonii, quaſi *caninam*, uti legimus apud Euſtathium, &c. Vide iterum Sam. Bochartum, *loc. cit. c.* 55. & ſuprà in voce *Apomagdalia*: ac infrà ubi de *Melitæis catellis*; de *Canibus* verò *hujuſmodi in duas partes diſſectis*, *in inferiis Patrocli*, apud Poëtam præfatum, vide quoque infrà, voce *Inferiæ*.

CANIS Venaticus, ex agro potiùs, quàm ex urbe ſumendus, ut docet Lycurgi exemplum, apud Plut. *in Apophth. Lacon.* Nempe canes plerique in agris venationi aſſueſcunt, quæ abſque canibus manca eſt & imperfecta. Hinc *venatus* Græcis, κυνηγεσία, *venari*, κυνηγετεῖν, *venator*, κυνηγὸς vel κυνηγέτης, à ducendis canibus. De Nimrodo Græca verſio Gen. *c.* 10. *v.* 9. Οὗτος ἦν γίγας κυνηγός: Et de Eſavo, Gen. *c.* 25. *v.* 27. Ἠσαῦ ἄνθρωπος εἰδὼς κυνηγεῖν. Pſalmo quoque 22. *v.* 16. [illegible], pro quo *Aquila & Theodotio*, Κυνηγέται πολλοί. Tamen in Hebræo textu nulla apparent veſtigia venationis, quæ fit per canes; niſi fortaſſe Proverb. *c.* 30. *v.* 31. ubi [illegible], ad verbum *renibus ſuccinctum*, Hebræorum non pauci volunt eſſe canem leporarium, qui aliis *Vertagus* & *Gallicus* dicitur, aut *Laconicus*. Talibus enim lumbi tenues; unde de iis Gratius *in Cynegetico*, *v.* 271.

—— — *adſtricti ſuccingant ilia ventris.*

Et Ovidius, *l.* 3. *Met. v.* 216. ubi de Actæonis canibus;

Et ſubſtricta gerens Sicyonius ilia Ladon.

Quò referenda, quæ habet Auctor Alcoranus, [illegible], (i.e. ſuccinctus) *canis tenui pectoris ambitu*: ubi nota [illegible] & [illegible] voces vicinas eſſe, quarum una videri poſſit ex altera deducta. Vide quoque Ariſtotelem in *Phyſiognom. c.* 6. Arabibus *Venaticus canis* dicitur *Saluki*, à *Saluk*, urbe Arabiæ Felicis, à qua etiam loricæ denominantur. Bochart. *Hierozoici Part. prior. l.* 2. *c.* 56. Hinc itaque cùm Nemeſianus de Canibus venaticis ait,

—— — *tunc conſuetam retinere ſaginam*
Profuerat;

vocem *ſagina*, pro ſimplici cibo, ſumendam eſſe, uti nonnunquam ſumi notum, docet Salmaſ. *ad Solin p.* 1134. Canes enim tales non ſaginantur, &c. Epitaphium nobile *Canis Venatici* habes, apud Martialem, *l.* 11. *Epigr.* 69. ut infrà, voce *Philocynegus*. Vide eundem de *Vertago cane*, *l.* 14. *Epigr.* 200. & ſuprà, voce *Bremarius*: uti de *canes expeditandi* more, ſuò locò; de inveſtitura *canum hujuſmodi apprehenſione factâ*, ubi de *Inveſtitura*. Retinere autem eos in venatione puerorum fuiſſe Pædagogianorum, dicemus ubi de Veterum *Pædagogis*: vide quoque voce *Piquerchiel*, & plura ubi de *Venatione*. Plura *Canum* genera appellationeſque, præſertim apud medii ævi Scriptores occurrentes, vide in *Gloſſar.* Car. du Freſne.

Per CANIS in duo diſſecti partes tranſire, conſuevêre olim Lacedæmonii, vel Bœoti potiùs, apud Plutarchum, *Quæſt. Rom.* 111. quod pro publica expiatione habitum eſt. Idem de Macedonibus Livius tradit, *l.* 40. *c.* 6. ubi de Philippo Rege Macedonum, non Alexandri patre, ſed Demetrii filius, qui obſes Romæ fuerat: *Forte luſtrandi exercitus venit tempus, cujus ſolenne eſt tale. Caput mediæ canis præciſa, & prior pars ad dexteram cum extis, poſterior ad lævam viæ ponitur. Inter hanc diviſam hoſtiam copia armata traducuntur.* Vide ſuprà. Unde *Lycophron*,

Ζήρυνθον ἄντρον τῆς κυνοσφαγοῦς θεᾶς,
Zerynthium antrum mactatorum canum gaudentis Hecates.

Samothraciæ hoc antrum vocat, in quo *canes* in Hecates honorem mactari ſolebant. Imò omnes Græcos in ſacris expiatoriis canem immolâſſe, Plut. Idem diſertis verbis aſſerit, *Quæſt.* 68. [illegible]. *Cane verò univerſi, ut ſic dicam, Græci uſi ſunt, & etiamnum ex parte utuntur, ut victimâ ad expiationes.* Quod expiationis genus [illegible] ibidem appellat: Et Lupercos vult hôc exemplô mactâſſe canem, menſe Februariô, qui à februandô ſeu purgando dictus eſt, quòd urbem eô menſe luſtrari & expurgari oportebat. Quibus hæc Plinii conſonant, *l.* 29. *c.* 4. *Catulos lactentes adeò puros exiſtimabant ad cibum, ut etiam placandis Numinibus hoſtiarum vice uterentur his. Genitæ Manæ catulo res divina fit*, &c. Sam.

 Bochart-

Bochart, ubi ſuprà, *l.* 2. *c.* 36. Vide quoque ſuprà, ubi de ſitu *Canaan in duas partes ſecando.*

CANISIA, Mercurii Ducis fortitudine aliàs clara A. C. 1600. arx eſt Turcarum in Hungaria prope confinia Stiriæ, 3. leuc. German. à Savo, 2. à Mura, 12. ab Alba regia inter paludes. Chriſtianis erepta annô prædictô, fruſtrà ab Archiduce Ferdinando, Papæ Italorumque copiis ſubnixo, annô pòſt, repetita eſt. Hodiernô verò bellô Hungaricô victricibus Cæſaris armis ceſſit, A. C. 1690.

CANISIUS, Jeſuita celebris, ſcripſit compluria, inter quæ eminent *Lectiones antiquæ.* Johannem Auguſtam, Paſtorem in Bohemia Evangelic. carcere 16. annorum ob religionem conſtanter toleratô clarum, Romanæ Eccleſiæ reddere omni ope ſed fruſtra, eſt annisus, Ardore enim precum, ipſis lictoribus converſis, Auguſta tandem, Magnatum interceſſione, à Maximiliano II. Imperator. liber dimiſſus eſt, A. C. 1564. Lætus *Comp. Hiſt. Univerſ.* Vide *Petrum Caniſium.* It. *Henricum.*

CANISSA, vide *Caſina.*

CANISTIUS, curſor Lacedæmonius, qui unô die 1200. ſtadia cucurrit. Plin. *l.* 7. *c.* 20. in aliis exemplaribus *Aniſtis.*

CANISTRUM, ex Græco κανιστρον, ut *calamiſtrum*, ex καλαμιστρον, illud autem ex voce κανοῦν, quam ſuam quoque Latinos feciſſe, ſuprà diximus, in voce *Canæ.* Vide quoque in *Canephoros.* Apud Epiphanium, *Indic. ad Hormiſdam Pontif. Roman.* vas Eccleſiaſticum eſt, in quo diſtribuebantur eulogiæ ſeu panes benedicti. Eâdem voce Scriptores Eccleſiaſtici diſcos ſignificant, quibus lampades ſuſtinentur. Anaſtaſius Biblioth. in *Hadriano I. Ante januas verò argenteas fecit* caniſtros *argenteos* 12. *penſ. lib.* 36. In *Leone III. p.* 131. *Caniſtra* 2. *penſant. lib.* 3. *p.* 136. 145. *Caniſtrum ex argento puriſſimo unum fecit cum catenulis ſuis penſ. lib.* 25. Ibidem, *fecit pharum majorem in modum retis cum caniſtris* 20. *pendentem ſub trabem majorem*, &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Apud Græcos olim, κανοῦν, i. e. *Caniſtrum*, in quo ſacra hordea erant, ἀπαλλαξ dictum legimus, apud *Heſychium*, ἀπαλλαξ κανοῦν, ὃ ἔχει πλαλῶν. Ipſa enim hordea, utpote terræ fructum, πλαλῶν vocabant; ἀπὸ τοῦ, ut idem addit, ἐπ᾽ αὐτῷ ὑλαῖς πλαλῶν γὰρ ἔλεγον τὴν ἐκ τῆς κριθῶν καὶ τῆς πυρῶν ἐπιβολήν. Et propriè πλαλῶν, ἡ ἀνεμοφορία, *ſeminum in terra abſconditorum felix ubertas eſt.* Unde πλαλῶνοι dicti Dii, qui τῶν φυτῶν auctus promoverent & terræ quicunque modô præeſſent: ſaltem in ſacris vox non aliter accepta. Sic in Lenæis, ubi ὁ Δᾳδοῦχος clamabat, Καλεῖτε θεόν; id qui audiebant, reſpondebant Σεμελήϊ Ἴακχε πλουτοδότα. Heinſius *Not. ad Heſiodum p.* 273. Erant autem iſtiuſmodi *Caniſtra* & ciſtæ, in quibus condebantur ſacrificio neceſſaria, ſertis redimitæ & coronatæ, uti diſcimus ex Euripide *Ion. Actu* 5. & dicemus infrà, in voce *Ciſta.* Unde & Tibullus ſacra facturus ſe ſimul, & *caniſtra* myrtô coronat, *l.* 1. *El.* 10. *v.* 27.

Hanc pura cum veſte ſequar, myrtoque caniſtra
Vincta geram, myrtô vinctus & ipſe caput.

Ovid. quoque *Met. l.* 2. *v.* 713. canit,

Illâ fortè die caſtæ de more puellæ,
Vertice ſuppoſito feſtas in Palladis arces
Pura coronatis portabant ſacra caniſtris.

Virgines namque huic miniſterio deſtinatæ erant, hinc Κανηφόροι dictæ, vide ſuprà in voce *Canephorus.* Apud Athenienſes Sponſa quoque à Parentibus in templum Minervæ παρθένον deducta, inter alia offerebat *caniſtrum* variis elegantiis refertum, quod Κανηφόρεια itidem dictum. Vide infrà *Nuptiæ*, & plura hanc in rem, apud Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 4. *c.* 19. nec non infrà, ubi de *caniſtris*, è quibus in triclinio panis depromitur, voce *Panis*: de Monachis veter. qui in *Caniſtris* conficiendis multùm occupabantur, ac de *Viminæ.*

CANITIES, capitis corona eſt. Euripides apud Stobæum, αἰδοῦμαι δ᾽ ἐστεμμένην κάραν πολιοῖς στεφάνοισι, *Canam verò coronis caput coronatum.* Quomodo enim Lex, inquit *Plut.* οἱ στρατηγοῖ. πολιτικοῖ, diadema & coronam, ſic *Canitiem* natura honoratum præcipuæ dignitatis ſymbolum imponit. Hinc Plinius *in Panegyr.* capillum Trajani jam *albeſcentem*, vocat *ornatum.* Certè cùm paulùm abfuiſſet, quin is à Parthis vulneraretur, id ita accidit: Ipſe quidem, ne agnoſceretur, Imperatoriam prætextam abjecerat; verùm illi, cùm adverterent, τὸ δὲ αὐτοῦ τὸ γηῖνον καὶ τὸ σεμνοπρεπὲς τῆς προσώπου, *hilarem illum & Principe dignum canitiem & vultus gravitatem*, atque inde ſuſpectarent illum eſſe, qui reverà erat, in illum jacula contorſerunt, Dio *in Trajano.* Vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 3. *c.* 5. Ab homine ad alia tranſlata vox. Sic *Canities* apud Plinium, *l.* 37. *c.* 12. ubi de polia gemma, *Polia canitiem quandam inducit ſardio, eandem rariorem nigrô ſpartopolios*, Græcè eſt πολιὸν itidem, unde gemmæ huic nomen, quæ radicem vel fundum habet colore ſardii vel ſardæ gemmæ, i. e. rubeum, cui inducta eſt *canities* quædam. Eandem porrò canitiem, ſed rariorem, non rubeo, verùm nigro inductam & impoſitam alia habet, ideoque σπαρτοπόλιος appellatur, i. e. *canis ſparſa.* Σπαρτοπολίους enim Græci homines vocant, qui non penitùs ſunt canô capite, ſed quibus intermixti cum nigris cani, qui habent aſperſum *canis* caput. Idem & σπαρτοπόλιοι & μιξοπόλιοι, apud *Heſychium*; item ὀλιγοπόλιοι: nam σπαρνὸς Græcè *rarum* ſignificat, ſicut & σποράδην, quod utrumque ἀπὸ τοῦ σπείρειν. Quæ enim *ſeruntur*, hinc inde ſpargi ſolent, non in congeriem & acervum jactari. In perſonis Tragicis ſenex fuit, qui dicebatur λευκός, qui totus erat *canus.* Pollux, ὁ δὲ λευκὸς ἅπας τὰς μὲν ἐστὶ πολιὸς; at σπαρτοπόλιος, mixtos habebat nigros canis. Sed & *duriorem canitiem* quidam legunt apud Plinium, h. e. τὴν σκληροτέραν, ut quæ funiculis, h. e. σπάρτοις, quàm pilis, eſſet ſimilior. Sic σκληρόθριγας Græci vocant, quibus mollis ac tenuis capillus non eſt, ſed durus & craſſus. Verùm ita falſus eſſet *Plinius*, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 767. Vide quoque infrà, in voce *Polia* & *Spartopolia.*

CANIUS, vel CANIS, Poëta, temporibus Martialis, ejusque familiaris, naturâ ita hilaris, ut ſemper rideret. Martial. *l.* 1. *Epigr.* 62. *v.* 9.

Gaudent jocoſæ Caniô ſuô Gades.

Et *l.* 3. *Epigr.* 20. *v. ult.*

Vis ſcire quid agat Canius tuus? Ridet.

Vide etiam *l.* 3. *Epigr.* 64. *v. ult.* & *l.* 7. *Epigr.* 68. *v. ult.* ubi de duabus Canii uxoribus, Theophila & Sappho, agit:

Caſtior hæc, & non doctior illa fuit.

CANIUS, Eques Roman. cùm in Siciliam otiandi causâ veniſſet, hortoſque à Pythio argentario dolô emiſſet, inſtructos piſcibus, & piſcatoribus de induſtria poſitis: poſterô die, quum ad eoſdem ipſe amicos invitâſſet, nullos ipſi piſces, neque piſcatores reperit. Cicer. *l.* 3. *Offic.* Lepida Hiſtoria eſt, quam *Nic. Lloydius*, his verſibus expreſſit:

Trinacrias olim Canius Romanus in oras
Venit eques, Latiâ factus in urbe ſenex.
Inde Syracoſias præ cunctis eligit arces,
Otia longinquæ cauſa fuêre viæ.
Huc veniens aliquos dicit ſe frugibus hortos
Velle emere inſtructos; undique fama volat.
Venales Pythius urget argentarius hortos
Eſſe ſibi, at Canio cuncta licere ſua;
Et ſimul ad cœnam invitat, promiſſaque ſunt
A Canio ad poſtrum certa venire diem.
Intereà piſcatores ſibi convocat, hortos
Retia projicerent orat ut ante ſuos.
Ad cœnam Canius prædictô tempore venit,
Lauta epula, ante oculos plurima cymba natat.
Pro ſe quiſque ſibi quod ceperat attulit horto,
Ante pedes Pythii piſcis ubique jacet.
Tum Canius, dic oro Pythi, dic unde natantium
Tot peculum hic, cymba pro foribusque jacent?
Cui Pythius, Quid mirum? inquit, non ullus in urbe
Hâc piſcis, noſtram quin ſubeat hoſpes aquam.
A Pythio incenſus Canius, ſibi venderet, orat,
Nolentem primo ſe ſimulat Pythius.
Quid multa? (uſque adeò urgebat malus ardor habendi)
Obtinuit tandem, nummos deinde facit.
Poſtridie Canius ſocios invitat amicos,
Manè venit, toto cymbula nulla loco.
Vicinum ideirco rogat, An hæc feſta fuiſſet,
Piſcatorum iſtô poſtitumque die?
Nulla hîc feſta dies (nimium), quod ſciat, inquit,
Verùm hoc piſcari gurgite nemo ſolet.
Atque ideo multùm tacitus mirabar apud me,
Quod piſcatorum hîc affuit ullus heri.
Quocirca Canius ſtomachari cœpit, at ille
Quid faceret, quinam ſe extraheret inde modô?
Nondum etenim Titius leges hôc tempore, pura
Deque dolo nobis protulit ulla malo.

CANNA, Æolidis oppid. Mela, *l.* 1. *c.* 18. Lycaoniæ civitas. *Ptol.* urbs inter Cyrrhum & Edeſſam, *Antonin.*

CANNA, Dea Panis, *Apulejo*, Græcè Σύριγξ. Aliàs *canna* eſt fiſtula. *Gloſſæ*, *canna*, σύριγξ ἐκ καλάμων. Unde *canulam* & *canellam*, vocaverunt Recentiores caſiæ fiſtulam, uti diximus ſuprà in voce *Canella.* Veterum quippe fiſtulæ αἱ σύριγγες breviores erant hodiernis, quæ μονοκάλαμοι, & ſeptenis ordinibus calamorum erant compactæ, quod inſtar in caſia Indica vel lignea viſitur, quam & ideo *cannellam* recens ævum dixit. Indidem *Canivettum* hodie Galli appellant ſcalprum Scribæ, quòd *cannâ* ſeu harundine Veteres, non ut nos pennâ, ſcriberent, uti ſuprà vidimus, ubi de *Calamo Scriptorio.* De *Canna ſaccharitide*, vide hîc paſſim, imprimis in vocibus *Calamus Indicus*, *Saccharum*, &c. plura verò hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 401. 540. 1021. 1312. & 1325.

CANNABA, Gotthorum Dux, à Valeriano trans Danubium interemptus. Oroſius, *l.* 7. Eutrop. *l.* 9.

CANNABA, Cyrrheſticæ regionis in Syria urbs. *Antonin.*

CANNABIS, utiliſſima funibus, *ſeritur à Favonio*, verba ſunt Plinii, *l.* 19. *c.* 9. *quò denſior, eò tenerior. Semen ejus cum eſt maturum, ab Æquinoctio Autumni diſtringitur & Sole aut ventô, aut fumô ſiccatur. Ipſa cannabis vellitur poſt vindemiam, ac lucubrationibus decorticata purgatur. Optima Alabandica, plagarum præcipuè uſibus. Tria ejus ibi genera. Improbatur cortici proximum aut medullæ: laudatiſſimum eſt è medio, quæ meſa vocatur. Secunda Mylaſea, quod ad proceritatem quidem attinet, Roſea agri Sabini arborum altitudinem æquat.* Ex cortice ejus, ſicut & ex cortice lini byſſique, telæ olim texebantur, hodieque texi ſolent. Quemadmodum & urticæ genus corticem telæ faciendæ bonum habere Veteribus compertum eſt, Salmaſ. *ad Solin. p.* 300. Per Bohemiam præſertim, ubi urticæ culmi caulem reddunt, unde filum conficitur, quod & Magnatibus in deliciis, ad fimbrias dentatas collaribus circumdandas, Belgicô linô longè charius, quòd rarius, ſed flaveſcit nullis aquis dealbandum. Similiter in provinc. Queicheu ad Liping, Sinenſes pannos conficiunt ex cruda cannabe, ſeu herba, cannabi prorſus ſimili, &c. unde veſtes pro æſtivo tempore eximiæ ac commodiſſimæ, uti refert Auctor Anonymus *Sina & Europa p.* 868. &c. In Muſæo Kircheriano Romæ; ſandalia Sinenſia, cum loco, *cannabinis ligulis* compacta & viridi holoſericô connexa, oſtendi, docet Georg. de Sepibus *in Deſcriptione illius p.* 34. De *cannabina chlamyde* in veteri matrimonio, vide infrà *Gamboſo.* Affinis *cannabi* herba, unde *Indicum.*

CANNÆ.

CANNÆ, vicus Apuliæ Peucetiæ, non procul ab Aufido fluv. circa quem Annibal P. Æmilium, & Terentium Varronem Conſul. ingenti clade ſuperavit, cæſis quadraginta Romanorum millibus, tantôque equitum numerô, ut tres annulorum modios in ſignum Victoriæ Carthaginem tranſmiſerit. Apud *Polybium* πόλις eſt, idque ſingulari numerô à Κάννη, Livius undè *vicum* appellat, *l.* 22. *c.* 43. Florus, *l.* 2. *c.* 6. *Quartum, i. e. penè ultimum vulnus imperii, Cannæ, ignobilis Apuliæ vicus: ſed magnitudine cladis emerſit: & quadraginta millium cæde parta nobilitas.* Quin & Appian. *in Annibalica*, κώμην, h. e. vicum vocat: Populi *Cannenſes*, quos *clade Romanâ nobiles* vocat, Plin. *l.* 3. *c.* 11. *Hic pugna Cannenſis*, Propert. *l.* 3. *El.* 2. *v.* 9. 10. & Cicer. *de Claris Orat. Cannenſis calamitas.* Nunc ejus tantùm ſuperſunt rudera, diciturque *Canna deſtructa.* In agro Barcano. 5. milliar. infra Canuſium, 6. ab ora maris Adriatici *Baudrand.*

CANNAMELLA, vide ſuprà *Canamella.*

CANNETA, ſeu CANETA, quaſi minor *canna*, parvum eſt vaſculum ſacræ liturgiæ, in Communione Romana inſerviens, quod vulgo *burete* Galli dicunt, Car. du Freſne *Gloſſar.* Habet autem *canna*, inter alios ſignificatus, apud medii ævi Scriptores, hunc quoque, quòd cantharum poculum, vas ſtrictius & oblongius, Germanis Gallisque *Canne* & *Kanne* denotat. Fortunatus in *Vita* S. Radegundis, *c.* 19. *Quâ ſibi renunciante paratâ menſâ, miſſorum, cochleares, cultellos*, cannas, *potum & calices, Sole ſubſequente intromittebantur furtim, quò ſe nemo perciperet*, &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

CANNIBALI, vel CARAIBÆ, incolæ Antillarum olim, nunc aliquot ſaltem earum tenent. Captivos devorare ſoliti, cadavera hoſtium etiam in loco pugnæ depaſcuntur, interim ab avaritia alieniſſimi; commerciô Europæorum paulò nunc civiliores. Oviedo, Herrera, Rochefort. *de Antill. Hiſt. mor.* 2. *par.*

CANOBIUM, caſtrum Ducatus Mediolanenſis in ora orientali lacus Verbani, in confinio Griſonum, 6. milliar. à Locarno in Auſtrum, 6. à Pallantia in Boream. Gentis Borrhomææ.

CANOBUS, navium Menelai gubernator. Vide *Canopus.*

CANOGIZA, Indiæ extra Gangem urbs. *Ptol.*

CANON, Græcè Κανών, *regula*, ad quam producebantur lineæ. *Epigrammata* dedicatoria, διὰ ἐπιχειρήσεων:

Καὶ κανόνα γραμμῆς ἰθυντῆρα τομίδα:

dirigentem videl. filum ferreum vel plumbum, in lineæ, quibus ſcriptura inſtaret, rectitudinem haberent convenientem. Aliud *Epigramma*,

Τὸν τεχνίτην μόλυβδον ἐς ἀτραπὸν οἶδε χαράσσειν,
Ὀρθὰ παρὰ τὸν ἐθύνεν κανόνα.

Catullus, *Epigr.* 22. *v.* 7.

—— —— —— membrana
Directa plumbo & pumice omnia æquata.

I. e. plumbô directô ad regulam, &c. Μιλτοφυρεῖς κανόνες, i. e. *rubricâ infectæ regulæ*, in alio *Epigr.* occurrunt. Salmaſ. *ad Solin.* p. 917. & 1166. Apud Juriſconſultos *Canon*, copiam denotat frumenti, quod in Horreis publicis eum in finem aſſervabatur, ut pauperibus, neceſſitate poſcente, viliori pretiô divenderetur. Hinc *Canon* Alexandrinus, *Canon* urbis Romæ, &c. Vide Stuckium, *de Conviv. l.* 1. *c.* 35. Primus autem T. Sempronius Gracchus fuit, qui inſtituit, ut annonæ inopiâ laboranti plebi, certa frumenti menſura ſingulis menſibus porrigeretur, *Semiſſe & triente.* Locus hinc, ubi Romæ id frumenti aſſervabatur, *Horrea Sempronia* dictus eſt. Sic apud Aſconium, in 3. *Verrin.* penſitationis genus eſt, cujuſmodi is tria recenſet, *Canonem* ſeu *Canonicos titulos*, qui ſunt ſolennes, & antiquæ præſtationes, *Indictionem*, quidquid præter *Canonem* indicitur & *Oblationem*, aurum videl. & argentum, quod Largitionibus inferebatur: de cujuſmodi penſitationibus multa habent *Cujacius, Jac. Gothofredus, Henr. Valeſ. Alii.* Græci Κανόνας & Κανόνια dixerunt ſcapos, tam textorios, quàm chartarios. *Heſych.* κανὼν τὸ ξύλον, ἐφ' ᾧ ὁ μίτος: nam κανὼν *baculum rectum* ſignificat vel regulam. *Suidas*, Κανόνες εἰσὶ καλάμοι ἢ σιδήρια τὰ ὑφάσματα, τῶν πλοκῶν συνέχειν τὴν πλοκήν, ἢ εἶχον ἢ στημόνων, *Heſychio* κανονὶς quoque. Nam & κανὼν dicebatur, ut viſum, regula, quâ chartam dirigebant Librarii, ut in ſcribendo rectas ducerent lineas: adeoque ſic vox hæc & textoris inſtrumentum ſignificat, licio involutum & chartarum volumen, ut Latinè *ſcapus* utrumque notat, &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Firmo, c.* 3. &c. Sed & *Heſychius* κανόνια quoque *veracla* vocat. Vide ibi. *Canon* porrò dicebatur apud Romanos quoque demenſum, Græcè τὸ ἐπιμήνιον, ſeu ἡ τροφὴ, *cibi menſura*, quam Diſpenſator conſervis præſtare conſueverat. Zeno Veronenſis, *Serm.* 1. *ad Neophyt. Joſeph præmonitus ad menſuram prærogat cunctis annonam.* Juvenalis, *Sat.* 14. *v.* 126.

Servorum ventres modiô caſtigat iniquô
Ipſe quoque eſuriens. —— ——

Ubi notat ſordidos, qui in id incumbebant, ut de menſtruo etiam demenſo lacrarentur, aliquid ſemper corradendo. Erat nempe hic *Canon*, vel menſtruus, 4. aut 5. tritici modiorum in ſingulos; vel diurnus, libra farris, ut quidam volunt, auctoritate nixi Horatii atque Juvenalis, *l.* 1. *Sat.* 5. & *Sat.* 9. *v.* 122. Quò quoque trahunt, quòd XII. Tabb. nexis libram farris in dies pro victu præſcripſêre: ſed ad ſervos hæc referri non poſſunt, cùm immitius cum nexis ageretur. Adde, quòd ſervis cibarii panes quotidie, ad rationem demenſi, vel bilibres vel trilibres nonnunquam, aſſignabantur, ut docere videtur Cœl. Aurelianus, *l.* 3. *Acut.* 2. *Sat denique plurima impauſabiliter totâ die atque nocte cibum ſumſiſſe Veteribus traduntur: namque Aſclepiades memorat, Praxagoræ famulum ternos bilibres panes per ſingulos dies accepiſſe, quibus comeſtis non aliter paſſione afficeretur, quam ſi nihil acciperet.* Ubi certum eſt latere *Canonem* quotidianum, ſub immodica illa quantitate, quæ famuli morboſam eſuriem nullô modô levaret. Majus autem demenſum compeditis & foſſoribus, minus urbanis miniſteriis obtigit; cùm hi neque tantum haberent laboris, & quoad pulmentaria ac obſonia lautiùs haberentur: Etiam variavit illud, pro annonæ ratione & dominorum quà ſplendore, quà ſordibus. Vide infrà ubi de *Demenſo*: item ubi de ſervo, cui *à Frumento* fuit nomen.

CANON, inter opera Polycleti, recenſetur Plinio, *l.* 34. *c.* 8. *Fecit & quem Canona Artifices vocant, lineamenta artis ex eo petentes, velut à lege quadam; ſolusque hominum artem ipſe feciſſe, artis opere judicatur.* Fecit nempe hoc juxta peritiæ artisque normam; juxta quod cum & illud ſimulachrum feciſſet, ad vulgi arbitrium, πρὸς τὸ βούλημα τῶν εἰσιόντων ἀνθρώπων, *morem gerens minſcujuſque dictationi*, utrumque poſteà publicè expoſuit. Cumque alterum quidem omnes admirationi, alterum ludibrio ac riſui haberent, reſpondens Polycletus, Ἀλλὰ τοῦτον μὲν, inquit, ὃν ψέγετε, ὑμεῖς ἐποιήσατε. τοῦτον δὲ, ὃν θαυμάζετε, ἐγώ. *At hoc, quod vituperatis & reprehenditis, vos feciſtis: quod verò ſuſpicitis, ego*: apud Ælian. *Hiſtor. Var.* *l.* 14. *c.* 8. Apud Thom. Walſinghamum in *Henrico* V. aliosque recentioris ævi Scriptores, citatos Car. du Freſne *in Gloſſar.* *Canones*, machinæ bellicæ ſunt, Gallis *Canons*: à *canna* & ſiphonibus quos referunt, ſic appellatæ. Aliàs *Tormenta*, quam vocem vide, item *Tubi*, vide *Tubus.*

CANON Aſtronomicus, idem cum Parapegmate, *Suidæ*, ita enim is, παράπηγμα, κανὼν ἢ ὄργανον ἀστρονομικόν, *Parapegma*, Canon *aut inſtrumentum Aſtronomicum.* Sed παράπηγμα non tam Canon ipſe fuit, quàm tabula ærea, columnæ aut pilæ in loco publico affigenda, in qua *Canon Aſtronomicus* deſcriptus habebatur. Continebat enim cœli rationem, & ſiderum occidentium orientiumque ac tempeſtatum ſignificationem, cum quadripartitis Anni cardinibus & aliis ejuſmodi eventibus ac effectibus Mundi, ut dicemus infrà in voce *Parapegma.* Hinc Κανονικοὶ dicti Aſtrologi, qui prædictiones ſiderum, eclipſeon & aliarum rerum cœleſtium populo proponebant, in tabulis hujuſcemodi publicata. Cleomedes, *l.* 2. *Καὶ οὐδὲ γε προλέγονται πᾶσαι αἱ ἐκλείψεις αὐτῆς ὑπὸ τῶν Κανονικῶν, ὅτε γενήσονται ὁπότε συμπίπτει ἐν πανσελήνῳ γίνεσθαι αὐτὴν κατὰ μέσον τοῦ ζωδιακοῦ ἢ ἄλλως ἐπὶ μέρους, καὶ πότε ἡ μερικὴ ἢ τελεία ἔκλειψις ποιοῦσιν. Et jam prædicuntur omnes ejus eclipſes à Canonicis, ut qui nôrunt, quando futura ſit in plenilunio, in medio Zodiaco, totalis an partialis*, &c. Plin. *l.* 2. *c.* 17. de Veneris ac Mercurii ſtella, *At enim cur non ſemper ad quadraginta ſex & partes viginti perveniunt? Imò verò. Sed ratio Canonicos fallit.* Sic inter opera Mathematica Democriti recenſetur à Diogene Laërtio, *l.* 9. *c.* 48. Μέγας ἐνιαυτὸς ἢ ἀστρονομίη παράπηγμα. *Magnus Annus ſeu Aſtronomiæ parapegma.* Qui enim periodos ex multis annis compoſitas ediderunt Aſtrologi, earum παράπηγμα ſimul etiam publicare ſolebant, & tabulâ, uti dictum, in publico adfixâ Canonem proponere ortuum & occaſuum ſtellarum inerrantium, defectuum Solis & Lunæ, æquinoctiorum & ſolſtitiorum, ſtatarum cœli tempeſtatum ac ſimilium: uti, præter Democritum hunc, Eudoxum, Euctemonem, Calippum, Metonem, Phainum, Hipparchum, Aratum, alios, feciſſe tradit Vitruvius, *l.* 9. *c.* 7. primô rei auctore Metone, uti *ad Aratum* docet Theon. Uti autem parapegma *Suidas* dixit, pro canone ortus & occaſus ſiderum, cùm tabula, in qua deſcriptus eſſet ille *Canon*, propriè ſic diceretur; ſic Vitruvius analemma appellavit rationem conquiſitam Solis curſu & umbræ creſcentis, à brumæ obſervatione inventam, cùm propriè quadrata pila ſeu ſuggeſtus, in quo deformata ac deſignata eſſet hæc ratio, ſic diceretur, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 740. *& ſeqq.* ut & hic paſſim.

CANON, in Eccleſia, variè ſignificat. Primò Ἐκκλησιαστικὸς κανὼν eſt, in Synod. Laodic. 24. h. e. *Catalogus eorum*, qui Eccleſiis in quocunque munere ſerviunt: quorum alios vocabant *Clericos*, generali nomine, ut Apoſtol. *Can.* 25. 31 85. & I. Conſtant. Synod. *can.* 6. & horum rurſus alii ἱερατικοὶ dicebantur, putà Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, quos *Ordines* poſteà *majores* appellârunt: alios verò Clericos ſpeciali nomine, ut animadvertere licet, ex Apoſtolico *Can.* 7. & Laodic. Synodo *can.* 24 27. 30. Cæteros autem ſic à Laicis diſtinguebant, ut non eſſent quidem ἐν κλήρῳ κατηριθμημένοι, *in Clero numerati*, quoniam manuum impoſitionem non habebant, ut loquitur 2. *Can.* Synodi Chalcedon. dicerentur tamen generali illâ appellatione ἐν τῷ Κανόνι ἐξεταζόμενοι, Synod. Nicen. *can.* 14. & οἱ τοῦ Κανόνος, Chalced. Syn. *Can.* 2. Secundò Κανὼν λειτουργίας, *Canon liturgiæ*, quibuſdam Græcis Theologis & Latinis recentioribus, certam benedictionis Cœnæ Myſticæ formulam deſignat. Tertiò Κανὼν eſt poſitus, pro Fidelium, Epiſcoporum & præſertim *Martyrum Catalogo*, quorum in ſolemnibus precibus memoria celebrabatur; cujus conſuetudinis aliqua veſtigia in Græcæ Latinæque Liturgiæ Canone adhuc retinentur. Vide Nicephorum, *l.* 14. *c.* 25. & 26. præter alios ubi contentionem illam enarrat de Chryſoſtomi nomine in Myſticas tabulas referendo. Atque hinc factum, ut *Canonizati* dicti ſint, quorum memoria publicò Eccleſiæ conſenſu celebrabatur; ritu hoc priſcô in divorum invocationem poſteà ſenſim tranſeunte. Ideò autem Κανὼν, pro catalogo, ponitur, quod catalogus certa norma ac regula eſſet, in dignoſcendis, qui in illo recenſebantur. Quartò Κανὼν, pro *ſacrorum librorum catalogo*, quorum inviolabilis eſt in Eccleſia auctoritas, & ad quos, velut certiſſimam normam, exigenda ſunt Fidei dogmata, apud Euſebium paſſim ſumitur. Tandem Κανὼν, *regula* eſt ſeu *norma diſciplinæ Eccleſiaſticæ* ſeu politiæ ejus; ut eſt Apoſtolicis primùm traditionibus, deinde Synodis legitimis deſcripta: unde & *Canones* dicti, Conſtitutiones his de rebus factæ, aliquando & διατάξεις: quæ ambo copulantur, tum alibi, tum in Græca Concilii Niceni *Hiſtoria.* Poſtquam enim tribus Chriſtianiſmi primis ſeculis Concilia Synodique rariores eſſent, quartò

&

& quintò invaleſcere, & ſequentibus in conſuetudinem abire cœpêre. In his quidquid à Patribus decretum, nomen *Canonis* accepit, quod regulam & normam præſcriberet credendi & vivendi: mutuo ſumtô nomine à Scripturis ſacris, uſque Canonicis, ſic dictis, quod ſuprema eſſent & ſola infallibilis credendi vivendique lex: ad quas tamen ipſas vox primum tranſlata eſt, ab Artificibus Mechanicis, qui ad *canonem* exigunt, an quid rectum ſit, an ſecus. &c. Sed hac de re plura infrà. Ex his vero quinque vocis ſignificationibus præfatis, quas Beza Henr. Stephano in *Theſaur.* ſuggeſſit, prima & tertia eædem ſunt, & eſt ſic Canon idem cum Diptychis Eccleſiaſticis, de quibus latè agit Gerh. von Maſtricht in *Schediaſm. de Suſceptoribus infantium ex Baptiſmo*: ubi Diptycha hæc diſtinxit, in *Vivorum*, quæ nomina erant eorum, qui Eccleſiis quocunque in munere inſerviebant, & *Mortuorum*, in quibus nomina, ſtatus, ordo & obitus Epiſcoporum referebantur. Secunda ſignificatio ad quintam referenda eſt, quia Canon ille *Liturgia* nil aliud eſt, quam definitio per Canonem Eccleſiaſticum formulæ, quomodo S. Cœnæ benedictio peragi debeat; Quemadmodum Κανὼν in *Jure* & *LL.* vocatur, quod *Lege eſt definitum & determinatum*, item *tributum* illud, quod certâ Lege inſtitutum & indictum eſt, ut ſupra diximus ex *Aſconio Pediano*. Unde & κανονικαὶ Σύνοδοι dicuntur Provincialia illa Concilia, quæ Canonibus Eccleſiaſticis ſunt ſtatuta & mandata, ut bis quotannis convocentur, *Synodi* Chalcedon. *Can.* qui in *Codice Can. Eccl.* univerſæ eſt 197. iſtius Synodi 19. Quarta autem ſignificatio primaria eſt, & verè Eccleſiaſtica, quia libri ſacri, quia perpetuam vitæ & morum regulam præſtant, *Canonici* ſunt dicti: à qua, ut ſuprà innuimus, Decreta Eccleſiaſtica, quæ dogmata fidei vel ritus determinant, aut mores informant, *Canones* appellari cœperunt, quod ad inſtar Scripturæ, hujuſque ſolius, quæ eorum baſis eſt, vi, vitam fidemque hominis Chriſtiani dirigant. Vide Gerh. von Maſtricht, *Hiſtoria Juris Eccl. num.* 5. *& ſeqq.*

CANON in Eccleſia Romana officium eſt Eccleſiaſticum. Hariulfus *Chron. Centul. c.* 56 *Præter orationum inſtantia & Pſalmorum modulationem, hoc attentiſſime obſervabat, ut de S. Trinitate, tum de Spiritu S. --- poſtque de S. Petro vel omnibus Apoſtolis, ſive omnibus Sanctis nocturnalem & diurnalem* Canonem, *exceptô Clauſtrali canone, cui nunquam pene deerat, quotidie Domino perſolveret.* Et c. 33. *Non tamen omittebat. -- genuflexionum continuationem, ſacrarum ædium circuitionem, ſacrorumque* Canonum *de S. Trinitate, de Spiritu S. deque S. Maria & de omnibus Sanctis expenſionem.* Atque inde dictæ *Horæ Canonicæ* ſunt, de quibus ſuò locô. Sed & *Canon* Magnus, nomen feſtivitatis ſacræ eſt, in Eccleſia Græca, quæ feriâ V. primæ quadrageſimalis hebdomadis celebrari conſuevit, ut ex *Triodio ſeu Quadrageſim. Rituali* Græcorum colligitur. Dicitur autem iis *Magnus Canon*, quia, cùm alii Canones triginta ad ſummum troparia contineant; hic ducenta continet & quinquaginta: hinc & *Aliptes* appellatus, quod efficax ſit, quàm maximè ad conterendos hoſtes & ad quoſcunque conflictus Spirituales præparandos Fideles. Andreas Archiepiſcopus Cretenſis auctor hujus officii perhibetur, apud Macrum in *Hierolex.*

CANON Miſſæ, dicitur Oratio, quæ in Miſſa, ante conſecrationem, ut vocant, & in ipſa conſecratione hoſtiæ à Sacerdote recitatur, in Eccleſia Romana. Dividitur in partes quatuor, ſcil. in *Secretam*, *Præfationem*, *Canonem* ipſum & *Orationem Dominicam*: de quibus omnibus, ut & de Auctore ejus, Pontificibuſque, qui ſubinde illi inſeruêre nonnulla, multis diſſerunt Auctores complures, citati Carolo du Freſne in *Gloſſar.* & Macri Fratres in *Hierolex.* Addam ſaltem, huic *Canoni* nomen alicujus adſcribere, eſſe in album & catalogum Sanctorum referre: inde enim jam olim commemorationem Sanctorum fieri conſueviſſe, ſuprà innuimus. Vide etiam infrà, ubi de *Canonizatione*, &c. Hinc *Canonarcha*, Græcè Κανονάρχης, in Eccleſia eadem dignitas Monaſtica eſt, Latinè *Regulæ præfectus*. Dorotheus Abb. *Doct.* 11. *Adventabat interea modicô intervallo hora vigiliæ & cum paululum quidpiam obdormiſſem, excitabar a* Canonarcha *noſtro*, &c. In Eccleſia verò Græca hodie ſic dicitur, qui Cantoribus, quos librorum penuria vel legendi imperitia memoriter recitare ac canere cogit, unam periodum poſt alteram legendô ſuggerit: Et quidem ex utroque choro duo *Canonarchæ* ſunt, qui alternis vicibus hoc munus peragunt, quibus qui præeſt, *Protocanonarcha* vocatur. Vide Dominic. Macrum, in *Hierolex.*

CANONES Apoſtolici, ſeu *Apoſtolorum*, pars ſunt libri octavi Conſtitutionum, ut ajunt, Apoſtolicarum, ſecundum Turrianum, c. 5. *pro Canon. Apoſtol. contra Magdeburg.* ſecundum alios, ab Impoſtore quodam huic farragini inſerti ſunt, & duo diverſa opera in unum combinata. De auctoritate illorum controverſia non levis, cùm alii S. Clementi eos adſcribant, alii apocryphos faciant, ut habet Car. du Freſne, in *Gloſſar.* Ipſis certè Apoſtolis qui attribuat, nemo adhuc tam perfrictæ frontis fuit: ab illis tamen conſtitutos, & a Clemente exceptos eſſe, Baronius contendit ad *A. C.* 102. §. 24. Binius 50. priores pro indubitatis habet, de cæteris dubitat. Græci non hos ſolùm, ſed & poſteriores 35. jam ultra mille annos, pro Apoſtolicis habuerunt, quod patet ex *Can.* 2. *Synod. Trullan.* Et ipſe Juſtinianus Imperat. in *Conſtitut.* ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopol. ut teſtimonium perhibet luculentum, *Novell.* 6. unde in Corpus Juris relati ſunt, &c. Sed priores 50. quod attinet, ipſe Gelaſius Papa, & LXX. cum eo Epiſcopi, in Synodo Romana eos damnant & in Apocryphorum referunt cenſum: fateturque Dionyſius Exiguus *Ep. ad Stephanum*, qui ferè circa *Canonum* natales vixit, multos *iis non præbuiſſe conſenſum facilem.* Poſteà VII. ſeculi Iſidorus Hiſpalenſis, negat *ab Apoſtolica ſede receptos eſſe*, negat *à Sanctis Patribus eſſe probatos*, ut alia hanc in rem teſtimonia, & canones inſuper ſdem evincentes, omittam. Itaque cenſent Eruditi, in fine ſeculi V. à tenebrione & hæretico quodam Græco, quinquaginta primos, ex variis Conciliis, moribus & ritibus Eccleſiæ eſſe corraſos, atque, ut auctoritatem ſibi nomine ſuò magnam ſtatim ab initio conciliaret, *Apoſtolorum* ementitô nomine inſignitos: Quos cùm ſtatim in natalibus Gelaſius prædictus opprimere ſtuduiſſet, uti dictum, acceſſiſſe poſteriores XXXV. vel ab eodem impoſtore, vel ab alio quodam, qui alterutrum nugis fuerit delectatus; eos commendatos à Juſtiniano Imperatore & à Johanne Scholaſtico in Nomocanonem omnes LXXXV. inſceptos, circa A. C. 600. &c. Sed & alios, præter hoſce *Apoſtolorum Canones* IX. Antiochenos, idem Turrianus finxit, quos ab Apoſtolis, in Synodo Antiochena, in antiquitate Eccleſiaſtica inaudita, nulliſque Hiſtorico fide digno memoratâ, vult conſtituiſſe & ſanciviſſe, non aliò fine, quam ut horum auctoritate Imaginum cultum probet: ſed ejus ſententiam eruditè refellit Joh. Dallæus in *Pſeudepigraphis Apoſtol. l.* 3. *c.* 22. *& ſeqq.* de prioribus verò vide prolixè diſſerentem Gerh. von Maſtricht JCtum, *Hiſtor. Juris Eccleſiaſtici, num.* 122. *& ſeqq.* ut & aliquid infrà, in *Conſtitutionibus Apoſtol.*

CANONES Conciliorum, dicti ſunt Iſidoro, *Origin. l.* 6. *c.* 16. aliiſque, decreta eorum, uti ſupra dictum, in voce *Canon*: quod inſtar regulæ ſecundariæ (primaria enim S. Scriptura eſt) Chriſtianis eſſent & rectè credendi vivendique ipſis normam præberent. Et quidem, quod fidei dogmata attinet, non dant Concilia eorumque *Canones* novas nobis veritates, ſed tantùm ſuffragia ſententiaſque ſunt, de veritatibus antea revelatis, quas mali quidam, aut non ſatis docti, in pravum ſenſum detorſerunt, aut minus bene intellexerunt. In ritibus autem Eccleſiaſticis, quos libertati Eccleſiæ Chriſtus & Apoſtoli reliquêre, magis propriè *canonem* ſeu regulam vivendi nobis præſcribunt, quam quique, dummodo generalis illa decentia ſit obſervata, ſequi tenentur. Utraque tamen definitio Conciliorum, & de dogmatibus, & de ritibus, non inconcinnè nomine *Canonis* venit: ſunt enim regulæ fidei & morum, quouſque Scripturæ innituntur & veritates ejus comprobant, aut morale illud ordinis determinant. Et placuit id nomen Antiquis magis, quàm *Juris* illud, aut *Juris Eccl.* aut *Juris Canonici*, quod ſeriùs, forte ambitione & æmulatione Romanorum Pontificum, introductum eſt. Cum verò duplicis generis hi *Canones* fuerint, alii, qui agunt de fidei dogmatibus, Latinis *Decreta*; hi autem, quibus mores & diſciplina Eccleſiæ reguntur, *Canones*, ſpeciali appellatione, nominati ſunt: Unde *Novell.* 131. Juſtiniani, c. 1. δόγματα & κανόνες diſertè à ſe invicem diſtinguuntur, cum in principio omnes *Eccleſiaſticorum Canonum* nomine conciperentur. Quod diſcrimen non ita perpetuum eſt, ut non ſæpiſſimè, maximè poſterioribus ſeculis, & Conciliis, indifferenter omnia decreta, ſive dogmata fidei, ſive ceremonias Eccleſiaſticas reſpiciant, *Canones* vocentur: Item *Decreta* & *Capitula*, probantibus id affatim Conciliorum Inſcriptionibus. Originem *Canonum* horum quod attinet, primis Chriſtianiſmi temporibus uſque ad ſeculum tertium, Scriptura ſolum in Eccleſia audita eſt, nulli ferè Canones, quia pauciſſima Concilia habita, velut Hieroſolymitanum illud, quod Actis Apoſtolicis inſertum eſt, in quo actum de Legibus Ceremonialibus Moſaicis, aſſerta libertas Chriſtiana, & decretum factum eſt de abſtinentia ab Idolothytis, Sanguine, Suffocato, Scortatione. Seculô II. convenere quidam in Aſia, Syria, Palæſtina, in Occidente Romæ & in Gallia habiti ſunt, contra Montaniſtas & Cataphrygas, & de controverſia Paſchali. Dein mediô ferè ſeculô III. Romæ contra Novatum ejuſque ſequaces, in quo tamen *Canones* non ſunt editi, ſed δόγμα iſtius refert Euſebius, *Hiſtor. Eccl. l.* 6. *c.* 35. Aliæ quoque eôdem ſeculô habitæ Synodi paſſim; in Africa, Aſia, Occidente, ſed non in hiſce *Canones* in diptycha Eccleſ. & ex his in *Codicem Canonum* relati ſunt. Primi *Canones*, qui in eo extant, ſcripti ſunt in Synodo Ancyrana provinciali XXIV. circa A. C. 314. Quam excepit & ſupplevit Synodus Neocæſarienſis, itidem provincialis, circa A. C. 318. ubi ſecundi Canones cuſi, numerò XIV. qui in Codicem Canonum quoque ſunt conjecti. Poſt has Synodum quidam cenſent habitam Laodicenam; in qua LIX. Canones conſignati, qui ſimiliter in Codice Canonum Eccleſ. Univerſal. viſuntur: ut & Canones XX. Synodi Gangrenſis, cujus tempus in incerto eſt; Baronius circa *A. C.* 319. habitam eſſe non ſine ratione conjicit. Eamque, ſicut præcedentes, provincialis quoque fuit, excepit famoſiſſima illa Nicæna Synodus Oecumenica 318. Epiſcoporum, a pleriſque in A. C. 325. conjecta, in qua XX. Canones ſcripti; qui, quod in Oecumen. Synodo conſtituti eſſent, in Codice Canonum Eccleſ. Univerſ. primum obtinuêre locum: Nempe hôc tempore probabile eſt Collectionem Canonum cœpiſſe, & eô ordine, quô diximus, illos eſſe collocatos. Tum in eodem Codice ſequuntur VII. Canones Concilii Oecumen. II. Conſtantinopolitani verò I. quod habitum eſt, ſub Theodoſio, A. C. 38. an. 383. contra Macedonium. Hos excipiunt Epheſini Concilii Oecumenici III. contra Neſtorium habiti A. C. 431. Canones VIII. Claudunt tandem Codicem XXIX. Canones Concilii Oecumen. IV. Chalcedonenſ. ſeculô V. ferè mediô contra Eutychem. Ex horum Conciliorum Canonibus conflatus eſt *Codex Canonum Eccleſiæ Cathol.* cujus initia poſt Concilium Nicænum, uti ſuprà attigimus, ducta videntur. Et quidem primitus videtur is ſaltem habuiſſe Canones CXXXVIII. 20. nempe Nicenos, 25. Ancyranos, &c. Vide ſuprà. Poſteà crevit ad tempora Concilii Chalcedonenſis, à quo, ut & Imperatoris Juſtiniani, *Novellis* 131. confirmatus eſt, ad Canones præfatos accedentibus Antiochenis XXV. Conſtantinopol. VII. Epheſinis VIII. & Chalcedonenſibus XXIX. Sic poſt tempora Synodi Nicenæ I. Eccleſia duplici jure cœpit regi, *Divinô*, quod in S. literis, & *Canonicô*, quod in Codice Canonum continebatur. Qui codices aperto in Conciliis poſtmodum in medio conſeſſus, ut ex iis dogmata pietatis explorarentur, obortæ hæreſes refutarentur, & controverſiæ ad diſciplinam politiamque ſacram pertinentes, dirimerentur, poſiti ſunt. Dictus hic *Canonum Codex*, etiam *Corpus Canonum*, *Liber Canonum*, *Patrum Canones*; Græcis Βιβλίον Κανόνων; primumque Græcè editus eſt A. C.

A. C. 1540. ex antiquiſſimo Eccleſiæ Hilarianæ Pictavienſis Codice, operâ Joh. Tilii, Lutetiæ. Poſt Juſtinianum, qui Juris Civilis eum partem fecit, ut ex Novellis cit. docet Eichelius, Græci quædam huc Codici addiderunt, quæ enumerantur in Synodo VI. Oecumen. can. 2. A. C. 681. celebrata: Canones ſcil. Apoſtolorum, de quibus dictum, Sardicenſis Concilii Canones XXI. item Africæ Concilia, ſanctorumque Patrum Canones ſive Canonicas quaſdam Epiſtolas, Theophili, Dionyſii, Petri, Athanaſii, Timothei, Alexandrinorum Epiſcoporum, Gregorii Neocæſar. Baſilii, Gregorii Nyſſeni, Gregorii Theologi, Amphilochii, Iconii & Gennadii Patriarch. Conſtantinop. Quem poſteà ſic auctum confirmavit Synodus Nicæna II. A. C. 787. ut rectè ab hoc Codice, Jus Canonicum, uti nunc vocatur, originem duxiſſe, atque antiquiſſimâ illa Canonum collectione, utramque cum Orientis, tum Occidentis Eccleſiam diu uſam fuiſſe, dicat Chriſtoph. Juſtellus Præfat. ad Codicem. Ex Oriente quippe Canones & eorum collectiones in Occidentem & Africam tranſiiſſe certum eſt; ita ut Orienti Canonici Juris origo meritò tribuatur. Occidentalis Eccleſia, ante Concilium Nicænum, nullos Canones cum noſſet, S. Scripturæ auctoritate ſolum & moribus ſeu jure non ſcriptô utebatur, poſt Nicænum Concilium, ejus Canones ſolos recepit, uſque ad tempora Innocentii I. qui ſeculô V. ineunte ad Romæ Epiſcopatum pervenit. Acceſſêre poſtmodùm incrementa temporum progreſſu, cumque prima collectio nullô certô auctore facta eſſet, nulliuſque proin Collectoris nomen præferret, creſcente poſtmodum colligendi fervore, nomen quoque aliquando ab illis, qui ſequentia adjecerunt, accepit, ut patet exemplô Stephani Epiſcopi Epheſini, de quo ſuô locô. Hic namque poſt Concilium Conſtantinopolit. I. hujus VII. Canones prioribus addidit, nomine ſuô præfixô: quem ſequentibus temporibus imitati Epiſcopi ſunt, qui ſuô quique tempore Epheſini & Chalcedonenſ. Concil. Canones adjecerunt. Iſque fuit Codex Eccleſiæ Univerſalis ſeu Catholicæ, quô uſum Orientem eſſe diximus, quemque Occidens in Latinum vertit, vulgatum & reſtitutum à Juſtello A. C. 1610. iterumque publicatum, à filio ejus A. C. 1661. in Biblioth. Juris Canonici Vet. additis Canonibus Epheſinis & Chalcedonenſibus. Verùm hic paulo obſcurior eſt, poſtquam Græci, habitâ Synodô Conſtantinopolit. in Trullo, ediderunt alium Codicem, diverſum paulo à priore, dictumque Codicem Eccleſiæ Orientalis, quod contra eos obſervandum, qui utrumque Codicem confundere conſuevêre, &c. Cùm autem antiquâ Codicis Græci verſione minùs accuratâ uſa eſſet Eccleſia Romana uſque ad tempora Juſtiniani Imperatoris novam ejus verſionem, rogatu Stephani, Epiſcopi Salonitani, adornavit Dionyſius Exiguus Abbas Roman. qui, ſub Theodorico Rege & ſucceſſoribus ejus clarus primus, omiſſâ numeratione annorum Æræ Diocletiani Imperatoris computare annos cœpit, à Nativitate Domini noſtri. Hic interpretationi ſuæ, in qua Græcos Canones continuâ ſerie numerorum computavit, ad modum Codicis Græci, addidit Canones, qui vocantur Apoſtolorum, Sardicenſe item & quædam Africana Concilia: Cœterùm à Romano Codice in methodo quoque diverſus. Idem Conciliorum his Canonibus Romanorum Pontificum Decreta, quotquot inveniri poterant, ſub una numerorum ſerie, eôdem, quô Patrum Canones, digeſſit modô, & primus Canonum Collectioni ſubjunxit. uti à Siricio incepit, ſic in Anaſtaſio deſinens. Vide infrà in voce Decretales. Quamprimùm verò Dionyſii hæc Collectio Verſioque prodiit, ſtatim Romæ recepta eſt, atque abſolutè CORPUS CANONUM appellari meruit, can. 1. diſt. 19. eôque nomine à poſterioribus laudari ſolet, &c. Atque hæc initia & progreſſus ſunt Codicis Canonum in Eccleſia Romana præter quam aliæ quoque Occidentis Eccleſiæ, Codicem Canonum habuêre, Gallicana, (qui ex Conciliis Africanis & Decretalibus multum crevit) Hiſpanica, Britannica, Germanica, Africana, &c. quæ Eccleſiæ partim Romanæ Codicem adoptavêre, partim Codicem habuêre Canonum ſpecialem, ex Conciliis quæque gentis ſuæ collectum, &c. Auctoritatem Canonum quod attinet, fuêre illi quaſi Jus aliquod gentium ubique receptum: nec veritus eſt dicere Juſtinianus Novella cit. tantùm IV. Synodor. Oecumenicarum eſſe auctoritatem, ut dogmata illarum, ſicut divina Scriptura, accipienda, & Canones, ſicut Leges, ſervanda ſint; non quidem Scripturæ ea planè æquiparans, ſed docens ſolùm; poſt eam maximum illa momentum ac pondus, in decidendis controverſiis Religionis & ordinandis Ritibus Eccleſiaſticis, habuiſſe. Ulterius poſteà Pontifices progreſſi Gregorius imprimis VII. aliàs Hildebrandus, quô faciente Pontificia potentia ad culmen pervenit. Hic itaque Collectione ſuâ Decretorum, quam Dictatus inſcripſit, editâ, Jus Eccleſiaſticum in immenſum auxit & poſtquàm appellationes omnes Romanæ ſedi, cognitionemque in cauſis Epiſcopalibus, aliiſque momenti majoris ſibi ſoli aſſeruiſſet, effecit, ut Canones in poſterum non circa dogmata & perſonas ritusque Eccleſiaſticos tantum, quæ anteà ferè eorum objecta erant, occupati eſſent: ſed & de litibus ac diſceptationibus forenſibus ordinandis & dirigendis, ſolliciti eſſe inciperent, ſicque nomine ſuô immutatô, illud Juris aſſumerent, quod quidem ad differentiam Civilis, Canonicum in poſterum appellatum eſt &c. Vide hanc in rem plura, imprimis de Collectionibus Canonum, quô tempore quæque harum, quôque incrementô congeſſit, deque Collectoribus ipſis, ad noſtram uſque ætatem, juxta ſeculorum ſeriem, ſuprà jam laudatum Gerhardum von Maſtricht in Hiſtor. Juris Eccleſ. aliquid etiam infrà lemmate, Patrum Canones.

CANONES Euangeliorum, per quos quis facilè ſcire ac invenire poteſt, quid nam reliquorum Euangeliſtarum ſimilia, aut propria, diſerint, auctorem habuêre Euſebium Cæſarienſem, de quo vide Hieronym. de Script. Eccleſiaſt. & Iſidor. Originum, l. 6. c. 15. laudatos Carolo du Freſne Gloſſar.

CANONICA, pars Muſicæ, de qua vide infrà voce Muſica.

CANONICÆ Epiſtolæ ſeu Literæ, κανονικὰ γράμματα Græcis, juxta Zonaram ad Can. 41. Synodi Laodicenæ, ſic dictæ ſunt, quod juxta certos ac determinatos Canones, & regulas quaſdam ſolennes exararentur, ὡς κατὰ κανόνα ἀκρίβειαν γεγραμμέναι: vel certè, quod iis, qui ex Canone Eccleſiaſtico erant, ſeu Canonici peregrè & in aliam diœceſin proficiſcentibus darentur. Aliàs Formatæ, uti teſtatur Atticus Epiſcop. Conſtantinopol. ſub finem Concilii Chalcedon. Item Regulares, in Ep. 48. Johannis VIII. Pontificis. Hinc Cura Epiſtolarum Canonicarum, dignitas memorata Senatori, l. 11. Ep. 23. ubi de eo agit, qui à Principe ad hanc curam provehitur, eiuſque prom. ut idem ait, fides publica committitur. Formulæ aliquot Literarum Canonicarum habentur apud Sirmondum, ad calcem Tom II. Conciliorum Gall. p. 658. & 663. citatum Carolo du Freſne, ubi ſuprà.

CANONICI, Aſtronomorum genus, de quo infrà aliquid voce Parapegma.

CANONICORUM Cœtus, cùm ex primæva inſtitutione, nihil aliud, quàm Collegia & Scholæ fuerint, de Collegiorum origine illa hic prælibanda duximus. Eam ab ovo exorſus arceſſit Franc. Burmannus Orat. de Collegiis, à diverſiſſimo fratrum pari, Habele & Caino, illô enim cæſô, hôcque a facie Dei profugô, in duos cœtus, ſacris civilibuſque rebus à ſeinvicem quàm maximè divulſos, abiit univerſum genus humanum: Inſiſtentibus Habelis veſtigiis Sethô ejuſque filiô Enochô, ſub quo & nomen Jehovæ invocari cœptum eſt, reliquiſque Patriarchis; Caini verò exemplum imitantibus ejus poſteris, unde illa Filiorum Dei hominumque diſtinctio: donec deinceps hiſce duobus Collegiis inter ſeſe mixtis, ultima mundo pernicies per ultrices aquas attracta eſt. Redintegratis deinceps poſt diluvium, hominum ſocietatibus, mox & ſacra hæc piorum Collegia reſtituta & à profanorum hominum conventibus ſecreta fuêre, verâ fide ac pietate in Semi tentoriis manente: quod multo magis patuit, tum diſperſis à Jehova gigantæis Babylonicæ turris auctoribus, ita ſolo Hebero, è Semi familia nato, nequaque illius conſilii omninò conſorte, antiqua mortalium lingua & incorruptus Dei cultus, ut in ſancto quodam Collegio ſubſiſtit. Inde celebres apud Judæos Semi ac Heberi ſcholæ, e cujus poſteris Abrahamum Deus è communi idololatria, cui cum univerſo hominum genere ipſius Majores jam dudum immergi cœperant, evocavit & à reliqua hominum ſocietate ſegregavit, ut poſthac Patriarchæ hujus domus purioris Religionis præcipuum in toto orbe Collegium ſeu Schola extiterit: quod idem de Iſaci ac Jacobi, filii nepotiſque ejus domibus dicendum. Cùm autem deinceps placeret Deo, Eccleſiam ex Oeconomica Nationalem facere, illamque propriæ terræ poſſeſſione ditare, tum demum ſacrorum horum Collegiorum uſus ac frequentia illuſtrius apparere cœpit: integrâ tribu Levi uſui huic ſacro deſtinatâ. Maximè autem eorum inſtitutio Samueli debetur, fatali Reipubl. ac Religionis Judaicæ inſtauratori: qui cùm per præcedentium Sacerdotum ſummorum ac Judicum deſidiam cultum Dei peſſum iviſſe vidiſſet, primus Prophetiæ donum ac Prophetarum numerum nobilitavit, ſicque tuendo Miniſterio ſuccurrit, ut, cùm ſub initium, quô prophetare cœperit, verbum Domini rariſſimum fuiſſe dicatur, aliquot poſt annis quàm plurimi Prophetæ, ſub Saulis inaugurationem, commemorentur. Nempe Prophetarum Collegia inſtituit, Levitarumque conſeſſus ſeu Scholas publicas, in quibus juventus erudiretur, qui mos inde diu duravit. Hujuſmodi Scholæ tum erant, in colle Gibeæ: Najothis in Rama: Poſt Samuelis obitum, ſub Elia, Bethelæ ac Jerichunte: Sub Eliſæo Gilgalæ, in quo Huldam Propheteſſam habitâſſe quidam volunt &c. Reduces dein è Babylonica captivitate Judæi, tum alibi, tum Hieroſolymis imprimis, plurimas Academias ſeu Synagogas extruxerunt: quibus ſemper Collegia ſeu Gymnaſia conjuncta erant; unde illorum uſus interdum promiſcuus & Synagogæ Scholarum nomine (quod & hodie apud illos fit) indigitantur. Harum paulò ante urbis excidium ad 480. à Talmudicis numerantur, quarum unaquæque, binis ſcholis ſeu auditoriis conſtans, habebat Bethſepher; ſeu Domum libri, ubi legerentur Scriptura: & Beth-talmud, ſeu Domum doctrinæ, ubi docerentur Traditiones ac Deciſiones Veterum. In medio uniuſcujuſque earum columna erat, quam Doctores verba ad populum facturi conſcendebant. Quô ſenſu Eccleſia Apoſtolo, 1. Timoth. c. 3. v. 15. dicta videtur στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, Columna ac ſtabilimentum veritatis, i. e. columna ſeu cathedra, è qua veritas ſacra prædicatur ac publicatur. Hæc autem Collegia omnia à Veſpaſiano ſeu Tito ſublata & exciſa, queruntur Judæi: qui ab excidio exſidus diſperſique varia quà domi, quà foris erexêre Gymnaſia, quorum celeberrima fuêre Tiberienſe in Galilæa, unde Maſſorethæ prodiêrunt ac Soranum in Babylonia, ubi Talmud Babylonicum cuſum eſt circa A. C. 500. Chriſtianorum Collegia quod attinet, prima cœleſtis ſuæ ſapientiæ tyrocinia in Judaicorum Doctorum Collegio Hieroſolymis; duodecimô ætatis annô, deponere dignatus eſt ipſe Salvator, ſummus noſter Propheta ac Magiſter. Dein ſolenniter è cœlo munere ſuo Prophetico inauguratus, XII. Apoſtolorum Collegium inſtituit, quos deſtinatos nationibus Magiſtros in ſuum conſortium adlegit, & ab ore ſuo pendere juſſit. Marcus dein Euangeliſta, cœtus & agmina Philoſophantium, lectionibus, diſputationibus, meditationibus & interpretationibus S. Scripturæ totos dies incumbentium, Alexandriæ, ubi publicô ſumtu Collegia Doctorum, Muſea dicta; alebantur, coëgit. Quæ ſchola Pantænum, Clementem, Origenem, Tryphonem, Heraclam, Dionyſium, Anatolium, Pierium, Theonem, Athanaſium, Didymum, Ambroſium, Maximum Philoſophum, Epiſcop. Conſtantinopolitanum aliosque innumeros orbi dedit. Incepêre dein Collegia Monachorum, cum quibus Scholæ Theologicæ, & poſterioribus ſeculis Philoſophicæ quoque conjunctæ fuerunt. Origo iis à perſecutionibus Eccleſiæ, quibus graſſantibus primùm ſub Decio & Valeriano, deinceps ſub Diocletiano, Licinio eorumque ſociis, in Ægypti Syriæque ſolitudines, abacti multi fidelium, poſtquam ſolitariæ huic vitæ aſſuevêre, etiam remittente perſecutionum ſævitiâ et ad mortem uſque immotad

motati ſunt. Horum Antesignani narrantur Paulus Thebæus, Antonius, Hilarion, aliique qui Cœnobiticam vitam, ex Eremitica ſcaturientem, excoluêre, unde Monaſteria orta, officinas jejunii, vigiliarum, precum, beneficentiæ, charitatis, laboris & ſimilium virtutum, Studioſorum ſuprema Scholæ ac Phrontiſteria: in quibus bene exercitatis exire licebat ad miniſterium, ad Rempubl. ad Eccleſiam. Non ſolum enim primis illis ſeculis ſacra ſapientia, in Eccleſia, a Catecheticum Magiſtris tradebatur, ſed & maximè in Epiſcopiis ſeu Epiſcopalibus domibus, ut & in Monaſteriis; quamvis hæc ſæpius conjuncta eſſent Epiſcopiis, aut etiam eadem cum illis, Beatinô judice. In tali Monaſterio intra Hipponenſem Eccleſiam extructo, i. e. in tali Diſcipulorum Collegio habitabat Auguſtinus, eorum ſtudiis præfectus. Verùm quia non omnes Epiſcopi ad id munus apti erant, laboratum deinceps fuit, ut in Eccleſiis, ubi cathedra Epiſcopalis erat, Scholæ eſſent tamen, unde Canonicorum coiere ortu, qui Collegia hæc Scholaſque regerent. Hæ enim Scholæ erant Eccleſiaſticæ, in quibus Presbyteri & Clerici vivebant, liberius quam Monachi, attamen omnes canonibus certis, unde iis nomen: præeratque illis Epiſcopus, ut Monachis Abbas, hodie autem Epiſcopi loco Præpoſitum habent. Unde adhuc videas Collegia talia ibi, ubi ſedes Epiſcopalis erat, ut ſi Paſtor peterent olim, in oculis Epiſcopi eſſent, quos mitterent prodeuntes. Hujuſmodi *Canonicorum Collegia* plurima à Carolo M. inſtituta ſunt, quorum erat, Scholas conſtituere atque artes docere adhibita in omni conventu S. Scripturæ lectione, quod etiam ipſi Auguſtino uſitatum. Inde adhuc manet in conventibus lectio capitis & homilia, ſicut & Bedæ homiliæ in tali conventu habitæ ſunt. Inde etiam in ſe Collegiis primorum aliquis ſemper *Scholaſticus* dicitur, ut Scholæ inſpector: tum *Decanum* habebant, ut poſt hos Academiæ. Inde & *Cantorum*, qui Muſicam docebant, *Vicariorum*, *Cuſtodum*, *Lectorum*que nomina. E quibus patet, nihil aliud Monaſteria ac *Canonicorum cœtus* olim, quàm Collegia & Scholas fuiſſe; unde hodieque in Scholaſticum, qui Lectorum caput eſt, dignitas cum præbenda confertur; licèt ad munera nunc non exerceant, unde diuturnas ac inanibus nominibus retentas. Ut non mirum ſit, ipſum Tridentinum Concilium decreta, de reſtituendis prælectionibus in Eccleſiis Cathedralibus, Monaſteriis ac Conventibus, deque conſtituendis Seminariis in Collegiis Eccleſiarum Epiſcopalium, condidiſſe. Quam ſibi curam demandârunt Epiſcopi: eodem modo, ut in Cabillonenſi Synodo ſub Carolo M. ſtatutum, ut omnes Epiſcopi Scholas erigerent, in quibus bonæ literæ, atque imprimis Theologicæ docerentur, teſte *Barone*. Eadem Monaſteriorum, ab Epiſcopiis conjunctorum, apud antiquos fuit ratio, Baſilii maximè in Oriente inſtituto. Sic ergo Baſilii Auguſtinique tempore Aſia ac Africa, Caroli verò M. ævo cumprimis Europa referta erat hujuſmodi Muſarum domiciliis, pietatis Phrontiſteriis & honeſtatis omnigenæ Gymnaſiis: Leo etiam IV. juxta Eccleſias clauſtra ſeu Scholas, in quibus Clerici Eccleſiaſticis diſciplinis imbuerentur, conſtitui juſſiſſe, legitur apud *Genebrardum*. Poſt Caroli M. obitum, amor literarum refrigeſcere, & minus opibus Collegia ac Monaſteria laborare ſenſim cœperunt, quod imprimis circa A. C. 1000. factum obſervant Eruditi: & longe magis circa A. C. 1200. quò varii Monachorum mendicantium ordines in apricum prodiêre. Tum locô S. Theologiæ in eos cœtus Philoſophia admiſſa eſt, & altera cœpit Monaſteriorum Collegiorumque periodus, de qua, ut & plura de Collegiis ac Monaſteriis ipſis, vide infra in voce *Collegium*, item *Monaſterium*. Addam hic ſaltem quædam, ex Car. du Freſne, qui cum aliis nonnullis aſſerit, *Canonicorum* nomen iis impoſitum eſſe, non tam ab obſervantia arctiore *Canonicorum* regularum, aut à relatione in *Canonem* ſeu matriculam Eccleſiaſticam, (ut alii volunt, quòd quod ὀν τῷ Κανόνι & ἐν Κανονικῷ, h. e. de Clero eſſent, dictos ajunt, vide ſuprà in voce *Canones*) quàm à *Canone frumentario* ſeu Sportulis Eccleſiaſticis & ſtipendiis annuis vel menſtruis, quæ ex Eccleſiaſticis reditibus olim accipiebant: hinc *Sportulantes Fratres* dicti Cypriano, *Ep. 66.* Univerſam enim Eccleſiarum ſubſtantiam diviſam fuiſſe in 4. partes, *quarum unam Epiſcopus ſibi retinebat, alteram Clerici ... obtinebant, tertia fabricis, quarta pauperibus & peregrinis erogabatur*, legitur in *Epiſtola* Gelaſii Papæ ad Epiſcopos Lucaniæ. De variis in eadem Eccleſia Canonicorum generibus, ex eodem, infrà quædam ſubjungemus. Neque verò *Canonicos* ſolum, ſed & *Canonicas* eadem habet. Et quidem eidem Auctori *Canonica*, olim videntur appellatæ Diaconiſſæ, quòd, perinde ac Clerici, *ſub Canone Eccleſiaſtico conſtituta eſſent*. Diaconiſſas enim quemdam in Eccleſia ordinem conſtitiſſe, & in ædibus ſacris certas ſibi ac peculiares ſtationes aſſignatas eſſe, ἐν κανόνι ταχθεῖσαι, habetur in *Novella* 9. Juſtiniani & alia Heraclii Imperatoris. Proinde in *Ordine Romano Canonicæ Sanctimonialibus* diſtinguuntur: *Inter Virginem & feminam, inter Canonicam & Sanctimonialem* &c. *Kanonicas* etiam habet S. Antiochus, *Homil.* 16. At Sanctimoniales, quæ ſe *Canonicas* vocant, ut eſt in Concilio Cabillonenſi II. *can.* 53. ex videntur, quæ regulam Auguſtini profitebantur. Cujuſmodi *Canonicarum* mentio etiam eſt in *Addit.* 2. c. 1. Caroli M. c. 16. & in Concilio Paris. VI. c. 46. ubi Monaſteria earum memorantur. Hodiè verò quæ dicantur ex Sanctimonialibus *Canonicæ*, exponit Jac. de Vitriaco in *Hiſtoria Occid. c.* 31. *Ad imitationem & exemplum prædictorum Canonicorum (ſecularium) in partibus Hannoniæ & Brabantiæ & in quibuſdam Theutonicorum & Alemannorum provinciis, ſunt mulieres, quæ Canonicas Seculares, ſeu Domicellas appellari, Non enim Monialis appellari volunt, ſicut Canonici Seculares Monachi non dicuntur. Hæ ſiquidem ad ſe perſonas accipiunt, quod non niſi filias Militum & Nobilium, in ſuo Collegio volunt recipere, religioni & morum nobilitati ſeculi nobilitatem præferentes. Purpurâ autem & byſſo & pellibus griſeis & aliis pretioſitatibus ſuis veſtibus induuntur, ... variis tortis crinibus & ornatu pretioſo circumamictæ ... ... quotidieque ſubtilibus ac delicatis* [illegible] *Clericorum autem & puellarum & juvenum ſervorum ... tiam ſive miniſtrantium cultu obſequiis, in domibus propriis habitare & ſplendide epulantur. — In dormitorio autem juxta Eccleſiam ſuam de nocte quieſcunt. — Sunt autem in eiſdem Eccleſiis pariter Canonici Seculares, in diebus feſtis, ex altera parte Chori cum prædictis domicellis canentes & earum modulationibus æquipollentur reſpondere ſinuntur. — Similiter & in proceſſionibus compoſita & ornata, Canonici ex una parte, & Dominæ ex altera parte continentes procedunt. Quædam autem ex ipſis, poſtquam diebus plurimis de Chriſti patrimonio vixerint, relictis præbendis & Eccleſiis, cinctoribus ſibi perſonis matrimonio copulantur.* Vide Gobelinum Perſonam in *Coſmodromio*, *ætate* 6. c. 54. & 90. Molanum in *Martyrolog.* 17. Martii, Bruſchium *de Monaſteriis Germaniæ paſſim*, Alios, laudante Carolo du Freſne *Gloſſar.* Hinc *Canonica*, Collegium Canonicorum, apud Gregorium VII. *l.* 9. *Ep.* 29. alibique: item præbenda vel reditus Canonici, apud Eundem, *l.* 9. *Ep.* 27. Vide infra *Præbenda*. *Canonica* verò dignitas Canonici eſt, apud *Joham. de Janua* &c. Vide infrà, verbô *Optare*. Vide pariter Auctores præfatos, etiam Macrum utrumque in *Hierolex.* ubi de prærogativa & officio hodiernorum Canonicorum varia congeſſêre.

Varia Canonicorum, in Eccleſia Romana, genera.

CANONICI Cardinales, memorantur Orderico Vitali, *l.* 4. *p.* 516. cujuſmodi ſeptem in Eccleſia S. Stephani Biſontina inſtituit A. C. 1051. Leo IX. *qui cum dalmatica, mitra, ſandaliis, chirothecis ad altare illis ordinatis, Miſſas ibi ſacrorum quorum nemo loco illius Decano, annuis etiam ad Miſſarum ſacrarum mereretur*: Bullam deſcripſit Chiffletius in *Veſontione*, *p.* 357. & 361. Eodem modo Alexander III. ſeptem *Canonicos* Cardinales, in Eccleſia Colonienſi inſtituit, ut videre eſt ex *Ep.* ejus 51. Quod etiam obtinuit in Eccleſia Magdeburgenſi, Compoſtellana, Beneventana, Aquilejenſi, Ravennenſi, Mediolanenſi, Piſana, Neapolitana, aliis. Dicti illi ſunt ita, quod ad hæce Eccleſias *incardinati* eſſent Canonici, ut ad Parochiales Presbyteri.

CANONICI Domicellares, appellantur Juniores Canonici, qui necdum gradus Eccleſiaſticos adepti, jus Capituli non habent: Juniores autem Magnatum filios *Domicellos* olim fuiſſe appellatos, notum. Vide Synodum Moguntin. *can.* 86.

CANONICI Expectantes, qui in Eccleſiis Cathedralibus, Canonici dignitatem *ſub expectatione Præbendæ* habebant & *in Capitulo vocem & ſtallum in choro*: quod obtinuit olim in Cypro Inſul. ut colligitur ex *Conſtitutione* Heliæ Archiepiſcopi Nicoſienſis A. C. 1252. quâ eos omnino tollit, &c.

CANONICI Forenſes, qui Canonicam ſuam ſeu Eccleſiam non deſerviunt, oppoſiti *Manſionariis*.

CANONICI Hebdomadarii.

CANONICI Honorarii ſeu Laici, qui ex quodam privilegio hâc dignitate in Eccleſiis Canonicalibus gaudebant: quod jus Principes interdum ſibi reſervârunt, in iis Eccleſiis, quas aut à fundamentis erexerant aut amplis dotaverant reditibus. Nempe in *teſſeram & notam quandam Patronatus*, Catalogo Canonicorum adſcribi, & quoties illuc proficiſcerentur, ſecularibus depoſitis inſignibus, lineum ſuppetum ſeu ſuperpellicium induti, cum aliis collegis Eccleſiaſticô munere fungi conſuevêre. Interdum ab ipſis Eccleſiis ejuſmodi præbendis donabantur, ut eſſent, qui eorum bona ac prædia tutarentur. Sic Imperator Romæ in Eccleſia Lateranenſi item in Eccleſiis Aquiſgranenſi, Colonienſi & Bambergenſi; Rex Franciæ, in Eccleſia S. Hilarii Pictavienſi in Cenomanenſi, Andegavenſi, S. Martini Turonenſi, Cabillonenſi: Olim Comites Andegavenſes in eadem Turonenſi, ut & Comites Nivernenſes, & Dunenſes; Duces Barbantiæ, in Majori Servatii Eccleſia Trajecti, &c. Canonicalem dignitatem obtinuêre.

CANONICI Manſionarii; vide infra in hac voce.

CANONICI 15 Marcarum ſeu librarum, non ſemel occurrunt in *Ordinario* Eccleſiæ Rotomagenſis MS. fortè, quorum præbendæ reditus annui tot argenti marcarum ſunt.

CANONICI Minores in Eccleſia Londinenſi dicti ſunt, qui majorum vices gerebant, *Monaſtic. Anglic. Tom. III. p.* 344. Aliàs *Canonici Vicarii*.

CANONICI Mitrati, in Eccleſia Lucenſi dicuntur, quòd jus mitræ deferendæ habent, à Pontificibus variis indultum, & firmatum à Gregorio IX. Vide infrà *Mitra*.

CANONICI Nobiles, qui ut ad Canonicatum perveniant, genere nobiles eſſe debent. Vide *cap.* 37. *Extra de Præbendis*.

CANONICI Paupertatis, Gall. *Chanoines de la Pauvreté*, memorantur Odoni Gelleio in *Hiſtoria Antiroſi*, *l.* 1. *c.* 24.

CANONICI Regulares ſunt, qui *ſecundùm Regulam vivunt*, ut eſt in *L.* Longobard, *l.* 3. *tit.* 1. § 8. i. e. ſecundùm regulam præſcriptam ac propriam. Sicut Seculares, de quibus mox, qui dicuntur vivere *ſecundum Canones*, ſeu regulas Clericis omnibus indictas. Et autem Regulæ erant, quas S. *Auguſtini* vulgo vocant: quas qui ſequuntur, *ordinè & regulà incedentes, ſecundum primam Regularium inſtitutionem obſervantias, camiſiis & femoralibus utuntur, ſuperpelliceis etiam & pellibus, caleitis & linteaminibus. Camiſias & femoralia de nocte non deponunt: poſt Matutinas ad cubicula revertentes, cantû recreationis, dormiunt. Novem Lectionum numerum in Nocturno non excedunt: tribus diebus in hebdomada de carnes edunt: piſces, ova, caſeum, in Refectorio, in diebus aliis manducant — ſub uno Abbatis vel Prioris obedientia communiter vivunt. Proprium autem eis habere non licet; animarum curas licitum eſt eis ſuſcipere & Eccleſias parochiales regere*, &c. uti loquitur Jac. de Vitriaco, *Hiſtor. Occident.* c. 21.

Vide

Vide quoque Colletium, *Eccleſ. Hiernich. l. 5. c. 3.*

CANONICI Reſidentes, iidem cum *Manſionariis*.

CANONICI Seculares, qui *Eccleſiarum Clerici* poſtmodum dicti ſunt, quamquam *ſub eadem Regula communiter a prima earum inſtitutione Domino ſerviverunt in humilitate, paupertate, divinis officiis, lectionibus, & orationibus vacando, ut caſtro Domini militantes, ſimul in refectorio ſobrium cibum ſumentes, in eodem etiam dormitorio caſto cubilibus nocte quieſcentes*, &c. ut habet idem, c. 30. poſteà laxius vivere inceperunt. Vide ſuprà in voce *Canonica*. Hinc *Canonicè* vivere, eſt more Canonicorum horum vivere, non vero Monachorum vel *Canonicorum* Regularium, qui *regulariter vivere* dicuntur, in *Capitulis* Caroli M. *l.* 1. c. 73. alibique. Quod inter *Canonicos* & *Regulares* diſcrimen adeò ſubtile eſt (nam *Canonicus* Græcis eſt, qui Latinis *Regularis*, ut Ugutio, *Integrità*, dicat, *dicitur Canonicus ſecularis, id eſt cum Regularis Secularis, quod eſt ac ſi diceretur album nigrum: non enim eſt Canonicus, ſi non ſit Regularis.* Et Crantzius in *Metrop. l.* 4. c. 1. *Si Canon eſt regula, Canonici ſunt Regulares. Quid ergo ſit de Canonico ſeculari, niſi ut Regularis ſit irregularis, aut ſi id malumus, Regularis ſine Regula.* De utroque appellatione Wolcuinus Abbas in *Homil. de Zachæo*, *Rara avis in terris* Canonicus *à Canone vitæ. Unde ergo? Audi unde: eſt namque Canon vitæ, ut dictum eſt: & eſt Canon pecuniæ, videlicet alicujus penſionis certæ, unde ſolet dici, ſolve mihi Canonem meum. Ejus ergo, ô Canonice, inventum Canonem tuum, à quo derivaris, à Canone pecuniæ, non a Canone vitæ, i. e. à Canone regiæ, non a Canone Religionis*, &c. Vide omnino Car. du Freſne in *Gloſſar.* et Macros Fratres in *Hierolex.*

CANONICI Simplices. Vide de conceſſ. Præb. l. c. 9.

CANONICI, ad ſuccurrendum. Vide infrà *Monachus* ad ſuccurrendum.

CANONICI Tertiarii, in Eccleſia Meſſanenſi, qui fructuum præbendæ tertiâ tantum parte fruuntur, &c.

CANONICUM Jus, priſcis Eccleſiæ ſeculis tacitum, circa tempora Gregorii VII. alias *Hildebrandi* dicti, hôc nomine inſigniri cœpit, cùm priùs Canonum nomine Eccleſia contenta eſſet. Primitus enim *Scriptura* ſola audita eſt uſque ad Concilium Nicænum I. à quo tempore *Canones Conciliorum* acceſſerunt, & in Conventibus factis uterque Codex in medio poſitus eſt, ut inde de dogmatibus & ritibus judicium ferret. Canonibus eorumque collectioni poſteà *Decreta* Pontificum primus junxit Dionyſius Exiguus: Poſt quem eorundem *Decretales Epiſtolas* primus inter Canones retulit, ſicque iis Canonicam auctoritatem conciliavit Creſconius. Quibus omnibus auctoritas deciſiva contigit, ſub Leone IV. Pontifice, qui circa A. C. 947. ad Papatum evectus eſt, ut ex ejus *Epiſt.* ad Epiſcopos Britanniæ liquet, in qua inter alia, *Quam ob cauſam*, dicit, *incunctanter magna voce pronuntiare non timeo: quia, qui illa, quæ diximus, ſanctorum Patrum ſtatuta, quæ apud nos Canonum nomine prætitulantur — non indifferenter recipere convincitur, nec Catholicam & Apoſtolicam fidem, nec ſancta quatuor Evangelia utiliter & efficaciter ad effectum ſuum retinere, vel credere probatur.* Secuta deinde barbaries, literarumque ſplendore extinctô nox Orbi Chriſtiano offuſa eſt: crevitque ſeculô XI. uſque Pontificum potentia, ut altiùs aſſurgere non poſſet, inprimis ſub Gregorio VII. Pontif. qui cùm *Dictata* ſuos edidiſſet, nomen ſuum perdidêre *Canones* & illud *Juris* aſſumsêre, ac ad differentiam *Civilis*, prius nomen proprium & ſubſtantivum, diſtinctionis gratiâ, in appellativum & adjectivum *Canonici* verſum eſt. Sub Johanne poſtmodum XXII. prodiêre, & quidem ejus nomine *Extravagantes*, ſicque ultima manus *Canonico Juri* impoſita eſt, quod ex partibus præfatis, ad imitationem Corporis Civilis ſic conflatum eſt, ut *Gratiani Decretum* Pandectas, *Decretales* Codicem, *Sextus*, *Clementinæ & Extravagantes*, Novellas repræſentare poſſint. Deerant tunc *Inſtitutiones*, quô minus in omnibus cum Corpore Civili Canonicum conveniret: eas addidit Paulus Lancelotus, atque eôdem ferè tempore Antonius Cucchus, ad cujus *Inſtitutiones Juris Canonici* notas edidit Sam. Mareſius. Auctoritatem Juris hujus quod attinet, quanta fuerit antiquitùs, & quô modô creverit ſenſim, diximus. Certè progreſſu temporis factum eſt, ut omnes Occidentis populi illud receperint, eôque in decidendis controverſiis fuerint uſi. De Italia nullum dubium: Gallos, deficientibus *LL.* & conſuetudinibus propriis, ex Jure Canonico cauſas in ſuis Curiis decidi paſſos eſſe, docent Eguinar. Baronius *ad l. nonnunquam* 11. *ff. de Juſtit. & Jur.* & Rebuffus *in Conſtitut. Regias Promm. Gloſſar.* 5. *num.* 126. hodieque in Regni hujus Academiis, univerſum Jus Canonicum, librô ſextô Decretalium exceptô, docetur. Hiſpani, deficiente jure Regiô, ad Canonicum itidem recurrunt, teſte Azevedô *ad Conſtitut. Reg. Hiſpan. l.* 2. *tit.* 1. *num.* 18. Idem de Hungaris teſtatur Steph. de Werbentz *de Jure Hungar. part.* 2. *tit.* 6. De Danis, Georg. Lorich. in *Enchirid. Arreſt.* in *Addit. ad conſ. poſterius.* c. 32. De Anglis, conſtat affatim, ex ipſis Decretalibus, quæ magnam partem, de controverſiis Anglicanis, ad Anglos ſcriptæ ſunt. In Germaniæ Academiis publicè nil frequentius, quàm creatio & explicatio Juris Canonici, &c. Manſitque hæc auctoritas indelibata, uſque ad tempora Lutheri, qui visione Reformationis, quam moliebatur, obeſſe tot Decretorum & Decretalium volumina, ea ad examen revocavit, cùmque ei viderentur Sacris Literis non ſatis congruere, contemſit, tandemque A. C. 1520. irritatus librorum ſuorum exuſtione, totum Juris Canonici Volumen Wittenbergæ, extra portam, in magna Doctorum & Studioſorum frequentia, extructô rogô, concremavit. A quo tempore, Juris Pontificii auctoritas, in Proteſtantium terris decrevit, niſi quòd ex conſuetudine retineatur & doceatur. Idque propter Proceſſum Judiciarium, qui in ſecundo Decretalium libro & paſſim in ſeqq. Collectionibus, ex Interpretibus Juris Civilis & propriis commentis, magis conciſè eſt explicatus: nec non alias quaſdam materias, Jurisjurandi, Matrimonii, ſimiles. Unde & *Doctoris Juris Canonici* titulus, apud eoſdem, multis in locis, adhuc ſervatur: in Anglia verò, unà cum ipſo Jure Canon. penitus abolitus, uti diſcimus ex Rob. Parkero, *de Politeia Eccleſ. l.* 2. c. 32. & *ſeqq.* &c. Sed & ante Lutherum fuêre aliqui, quamvis pauciores, qui Jus hoc in non paucis carperent, & per id affectatum ſummum in omnia Pontificum Imperium arguerent, ſeque ei ſubinde opponerent. Inter quos ſeculi XIV. annô 24. Marſilius Patavinus, qui *Defenſorem Pacis* tunc edidit, aliique, quos collegit Goldaſtus, Flavius item Illyricus in *Catalogo Teſtium Verit.* Doctorum Virorum de hoc Jure Judicia, Cornelii inprimis Agrippæ, *de Van. Scient.* c. 92. ut & alia huc ſpectantia, vide apud Gerh. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccleſ. Duisburgi ad Rhenum editâ* A. C. 1676. Adde quæ ſuprà diximus, ubi de *Canonibus Conciliorum*.

CANONICUS Johannes, vide *Johannes*.

CANONIUM, Angliæ oppid. in Eſſexia, *Chelmesford* Camdeno. Baudrando *Canonium* vel *Canonium*, oppid. eſt Trinobantum, in Anglia, nunc vicus *Canvedon*, in Eſſexiæ Comitatu ad Crouchium amnem, qui paulò infra in mare Britannicum ſe exonerat. 5. milliar. à Ralegho in Ortum, totidem à Tameſi in Boream.

CANONIZATIO, relatio eſt in album & catalogum Sanctorum, qui *Canon* dictus. Vide ſuprà *Canon*.

CANONOR, urbs Indiæ pulcherrimarum rerum præſtantiâ celeberrima, ibi Luſitaniæ Rex munitiſſimam habet arcem. Urbis Rex idola colit cum ſubditis, qui ſolem, Lunam, vaccaſque adorant. Portum urbs habet, ſed immania ſunt ejus vectigalia. Ager eſt aromaticus, maximè vero gingiberis feraciſſimus. Oſorius, *Hiſt. Ind.* Vide *Cananorium*.

CANONUM Codex ſeu Corpus, collectio dicta eſt Canonum nuda, eô ordine, quo illi in Conciliis ſcripti ſunt & ſubſcripti, habitâ tantùm ratione temporis ſub una ſerie numerorum. Capellus *de Sedis Rom. Fide ſeu Stellionatu* c. 5. inter *Codicem Canonum* & *Corpus* diſtinguit, *Ex Canonibus*, inquiens, *ad diſciplinam pertinentibus conflatum Syntagma nomen & vetuſtius diverbium Corpus, ubi coepiſſet ut cepit*, *Codex dictus eſt.* Quod ſpecioſius, quàm veriùs dictum. A Græcis enim primùm Collectiones factæ ſunt, quæ Βιβλίον Κανόνων, h. e. *Codicem Canonum*, collectionem hancce vocant paſſim, ut inprimis patet ex Synodi Chalcedon. *Act.* 4. 11. 13. Apud Latinos quoque, ſine diſcrimine legas *Codicem Canonum* & *Corpus Canonum* & *Corpus Codicis Canonicum*, &c. In hoc Codice accuratè edendo, magnam hôc ſeculô laudem reportavit Chriſtophorus Juſtellus, cujus in colligendis Scriptoribus Juris Canonici veteris tanta fuit induſtria, ut meritò is Sator ac Reſtaurator antiqui & purioris Juris Canonici dici poſſit. Quod affatim oſtendunt, editi ab eo *Codices Eccleſiæ Univerſæ & Eccl. Afric. cum Notis: Item Juris Canonici vet. Collectores Græci & Photii Nomocanon, cum Scholiis Balſamonis*, ab A. C. 1610. uſque ad A. C. 1615. multaque alia, quæ ille morte præventus perficere non potuit, perfecit vero filius Henricus, qui cum Guil. Voello Theologo & Socio Sorbonico, ex Patre magna ex parte collectam *Juris Canonici vet. Bibliothecam*, Græcorum Latinorumque Digeſtiones continentem, A. C. 1661. duobus voluminibus Lutetiæ edidit. Vide eundem Maſtricht, *ubi ſupra*, & infrà in voce *Codex*.

CANONUM Series, Græcis Ἀκολουθία Κανόνων, item τάξις τῶν Κανόνων, illud Collectionis genus vocatur, cum nudè poſiti Canones diverſorum Conciliorum unâ ſerie numerorum decurrunt. Concilium Epheſ. *Act.* 2. Cum διὰ τὴν [illegible] *per Eccleſiaſticorum ſanctionum conſequentiam controverſias in medium poſitas examinari oporteat.* Et poſteà, *Cum animadverterimus cauſæ ſuæ defenſionem diffugere, quæ temerè*, [illegible] *contra Canonum Conſequentiam, adverſus Cyrillum & Memnonem ſcriptò conſignaverat, ea irrita & prorſus vana pronunciavimus.* Vide quoque Georgium Alexandr. in *Vita* Johannis Chryſoſtomi, & Concilium Chalcedon. *Act.* 3. *Eccleſiaſticam Conſequentiam vocant*, Epiſcopi Provinciæ Europæ Concilio. *Tom. II. p.* 477. *edit. Rom.* &c. Maſtricht, *l. c.* §. 141. & *ſeqq.*

CANOPICUM Oſtium, unum ex Nili oſtiis & quidem præcipuum, à *Canopo* urbe, idem cum *Heracleotico*, ab Ἡρακλέους ſeu *Herculis Templo*, quod Canopo proximum erat; & *Naucratico*, ab urbe Naucrate, quæ condita in majori flumine, quod ad Canopicum oſtium decurrit. Diverticula enim illa & eſtropæ, quæ ex alveo ipſo Nili derivabantur, perpetuorum ac magnorum amnium inſtar, obtinuêre atque alia nomina in decurſu habuêre, alia in extremis oſtiis ipſis. Oſtia enim nomen ſortita ſuo à locis mari vicinis ubi ipſæ exeuntes ſunt: aliud porrò nomen gerebant, ubi exeuntes ſunt & in decurſu. Et quidem Nilus, cæteram Ægyptum permeans, unicô alveô, ubi ad Delta venit, in duas partes ſcinditur, quarum illa, quæ ad Occaſum vadit, major eſt ac veluti fluminis corpus, hinc μέγας ποταμὸς & μεγάλῳ ποταμός, aliâs Ἀγαθὸς Δαίμων: à Græcis dicta. At in oſtio ipſo, quô in Mare egeritur, Κανωβικὸν appellatur & Ἡρακλεωτικόν. Vocat quidem μεγάλους ποταμοὺς, etiam reliquos alveos ac decurſus Nili legitimos ac perennes, Ptolemæus, quos recenſet Amm. Marcellinus, *Bolbiticum* videl. *Sebennyticum*, *Pathmiticum*, *Mendeſium*, *Taniticum* & *Peluſiacum*, nominibus oſtiorum ipſos amnes appellans. Unus tamen ex his per excellentiam μεγάλῳ ποταμοῖς appellatus eſt, *Canopicus* nempe, ut cæteris major & alveus principalis; quô exceptô, Ariſtoteles reliqua omnia oſtia Nili videri dicit naturalia non eſſe, ſed manu facta, *Meteorologic. l.* 1. *c.* 14. Φαίνεται δ' ἐν ᾧ [illegible] πλὴν ἑνὸς τοῦ Κανωβικοῦ, χειροποίητα [illegible], *Videntur igitur & oſtia omnia, uno Canopicô exceptô, manu facta, neque ipſius fluminis*, &c. Ammianus l. *auctorem alveum* eleganter appellat, ex quo reliqui derivantur,

Galli vulgò *Magiſtrum flumen* dicunt, ac *Matrem* [illegible] *Magiſtrum flumen*, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 476. *& ſeqq.* ubi [illegible] *primas partes* Nili fluminis in Bubaſtiaco alveo, [illegible] Canopico pouêre *Ptolemæum*, inter alia, addit.

CANOPUS, Deus Ægyptiorum, de quo Ruffin. *l.* 11. *c.* 26. *Hiſt. Eccleſ.* Jam verò, inquit, *Canopi quis enumeret ſuperſtitioſa flagitia poſſis? Ubi prætextu ſacerdotalium litterarum* (ita enim appellabant antiquas Ægyptiorum literas) *magicæ artis erat pene publica Schola*: Quem locum, velut fontem quendam atque originem dæmonum, in tantum venerabantur pagani, ut multo ibi major celebritas, quàm apud Alexandriam haberetur. Sed de hujus quoque monſtri errore, cujuſmodi originem tradant, abſurditas non erit paucis exponere. Ferunt aliquando Chaldæos Ignem, Deum ſuum, circumferentes, cum omnium provincias in Diis habuiſſe conflictum, quò ſcilicet qui viciſſet, hic eſſe Deus ab omnibus crederetur. Reliquarum provinciarum Dii æris, aut auri argentique, aut ligni, vel lapidis, vel ex quacunque materia conſtabant, quæ per ignem procul dubio corrumperetur. Ex quo fiebat, ut ignis locis omnibus obtineret. Hæc cum audiviſſet Canopi ſacerdos, callidum quiddam excogitavit. Hydriæ fieri ſolent in Ægypto fictiles, undique crebris & minutis admodum foraminibus patulæ, quibus aqua turbida deſudans, defæcatior, ac purior redditur. Harum ille unam cerâ foraminibus obturatis, deſuper etiam variis coloribus pictam, aquâ repletam ſtatuit ut Deum. Et exciſum veteris ſimulachri, quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput deſuper poſitum, diligenter aptavit. Adſunt poſt hæc Chaldæi, itur in conflictum circa hydriam, ignis accenditur: cera, quâ foramina fuerant obturata, reſolvitur, ſudante hydriâ, ignis extinguitur. Sacerdotis fraude Canopus Ægyptiorum victor oſtenditur. Hæc *Ruffinus*. Sacerdotum ejus meminit Grattius, Cyneget. *v.* 42.

> *Vix operata ſuo ſacra ad Bubaſtia lino*
> *Velatur ſonipes æſtivi turba Canopi.*

Ubi *lino velari* dicit, quoniam Sacerdotes Ægypti è *lino* potiſſimùm veſtes habebant, hinc *Linigeri* paſſim dicti: quamvis & è lana arborum ſeu fruticis, quod *Goſſypium* dicebatur, quædam ferrent. *Sonipedes* verò vocat, quaſi [illegible], h. e. *ſcabellorum crepitu gaudentes*: In ſacris enim pede ſonari conſueviſſe ſcabillum, vetus Interpres Statii docet. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 998. & infrà in voce *Scabillum*.

CANOPUS, Ægypti civitas, diſtans ab Alexandria 120. ſtadiis, & Serapidis celebri templô clara, ex qua ortum ferunt Claudianum Poëtam. Dicta quaſi Canobus, à Canobo Amyclæo, Menelai navis gubernatore ibi ſepulto. Nam, devictâ Trojâ, in Ægyptum vi ventorum delatus cum Helena, gubernatorem ictu ſerpentis, quem Hæmorrhoïda vocant, amiſit, in ejuſque memoriam urbem condidit, relictis ibi iis, qui ad navigandum inutiles erant. Vide Melam, *l.* 2. *c.* 7. Solin. *c.* 34. Amm. Marcellin. *l.* 22. Strab. *l.* 17. Virg. *l.* 4. *Georg. v.* 228.

> *Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi*
> *Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum.*

Populi Canopi, de quorum luxuria eleganter Strabo, *l. ult.* ubi de *Canopo*: *Super omnia*, inquit, *memorabilis eſt turba eorum, qui ad feſtivos illic dies per foſſam Alexandriâ deſcendunt, quæ foſſa diebus ac noctibus naviculatorum plena eſt, viros pariter, ac mulieres vehentium, qui cantant ac tripudiant cum extrema laſcivia, ac impudentia.* Juvenal, *Sat.* 15. *v.* 44.

> —— —— *Horrida ſane*
> *Ægyptus: ſed luxuria, quantum ipſe notavi,*
> *Barbara, famoſo non cedit turba Canopo.*

Stat. *l.* 3. *Sylv.* 2. *v.* 111.

> *Curve Therapnæi laſcivum ora Canopi?*

Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 82.

> *Nupta ſenatori comitata eſt Hippia Ludium*
> *Ad Pharon, & Nilum, famoſaque mœnia Lagi,*
> *Prodigia & mores urbis damnante Canopo.*

Ubi ſcelus exagitat, Romam Canopô famoſiorem fuiſſe queritur. Paulò ſuperius dixerat Strabo ſupra laudatus: *Prius tamen Eleuſinem* (navigatur) *qui pagus eſt Alexandriæ & Nicopoli proximus, in ipſa Canopica foſſa ſitus. Conclavia habet & loca, ubi Copyrus* [illegible] *& viri & mulieres*: [Greek, illegible], *quod eſt Canobiſmi* (h. e. Canopicorum rituum) *ut protervitatis initium.* Cujuſmodi proin flagitia Alexandriæ & *Canopi* commiſſa quotidie, induxêre Theophilum Præſulem Alexandrinum, ut ſummo illa cum ardore ac Zelo evertere niteretur, quem proin primum fuiſſe, qui Ritus & Sacra Ethnica oppugnârit: ita ſcil. ut illa loca, quæ ipſis ſacratiſſima erant, demolitus ſit, queritur Zoſimus, *Hiſtor. l.* 4. ubi illum vocat [Greek, illegible]. id quod contigit circa annum Salutis noſtræ 181 &c. Bertio, Zieglero, ſive Richero alius Canopus inſula parva oſtio Canopico objecta. Vide hic infrà.

CANOPUS, Inſul. in Canopico ſinu ſeu oſtio Nili ſita, memoratur Solino, *c.* 32. *Quod ab Atlante adusque Canopitanum oſtium panditur, ubi Libyæ finis eſt & Ægyptium limen. dictum à Canopo Menelai gubernatore, ibi ſepulto, in ea Inſula, quæ oſtium Nili facit*, [illegible] ad quem locum vide Salmaſ. *p.* 480. uti de Gymnaſio hôc nomine Athenis infra.

CANOPUS, Stellæ auſtrinæ nomen, de qua Vitruvius, *l.* 9. *c.* 7. Proclo eſt Κάνωβος. *Quæ*, inquit, *ſtella in ſummo Argûs navis gubernaculi fulget, Canopus nominatur.* De eo Cleomedes quoque ac *Strabo*. Ferdinandus, marinâ vocabula Rhodo [illegible]. Non autem videtur in Græcia, ſed nec in Italia. *Stellæ Canopo* [illegible] *ignota*, ait prædictô locô Vitruvius. Plin. *l.* 6. *c.* 22. ubi de Taprobane, *Canopum ingens* [illegible] *& clarum.* Vide German. Cæſarem in *Arato*, & Hyginum in *Eridano*. Nic. *Lloydius*.

CANOSA, ad fluv. *Ofanto*, urbs Comitatus titulô in regno Neapolitano, Epiſcopatus urbis Archiepiſcopatui Barenſi junctus eſt. Mirxus, *Pol. Eccl. l.* 2. *c.* 3. Item Comitatus, in agro Mutinenſi.

CANOVACI, Scotiæ populi in ora occidua, quorum regio ſimpla *Lennox*, *Argadia*, & *Lorna*, *Lennox*, *Ar* [illegible], & *Lorne* putatur, teſte *Lloydio*. Sed apud *Ptol. Carnonacæ* populi leguntur longè ab hoc ſitu diſtantes, nam poſt Epidios, & Cerones eos locat, deinde Creones orientaliores deſcribit. *Sanſon* etiam *Caranaca*, ubi nunc eſt Roſſia provinc. Scotiæ.

CANSTATUM, urbecula German. in Ducatu Wirtembergico, ad Nicrum fluv. prope Stutgardiam, vix una leuc. ſupra Eſlingam.

CANSTRISIUS, Græcè Κανστρήσιος, dictus eſt in Eccleſia Græca, qui ſacrarum Patriarchæ veſtium curam habebat, illumque, cùm ſe indueret, adjuvabat; thuribulum item deferebat & populum aquâ benedictâ aſpergebat. An à [Greek, illegible], *incenſi acerrula*, an à [Greek, illegible], *canistrum*, in quo veſtimenta Patriarchalia porrigebat, quod munus in Eccleſia Romana Veſtiarii eſt. Macer *Hierolex.*

CANTA, urbs Hiſpaniæ in Cantabris. *Ibid.*

CANTABRA, fluv. in Indum erumpens, cum 5. aliis, quos ſecum trahit. Plin. *l.* 6. *c.* 20.

CANTABRI, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi, inter Aſtures ad Occaſum, Autrigonesque ad Ortum, juxta Oceanum, ubi nunc Biſcaja pro majori parte & pars Aſturiæ Santillanæ. Omnium olim Hiſpanorum efferatiſſimi, nullam ſine armis vitam eſſe exiſtimabant. Contra Auguſtum rebellantes, victi ſunt, & ſervitutem mutuâ cæde declinârunt. Flor. *l.* 4. *c.* 12. Roderico demum à Gothis pulsô, ſoli cum Aſturibus, intacti manſerunt, A. C. 714. Horum regio *Cantabria*, Sil. *l.* 3. *v.* 326.

> *Cantaber ante omnes hyemiſque, æſtûſque, famiſque*
> *Invictus.* ——

Et mox, *v.* 330.

> *Nec vitam ſine Marte pati, quippe omnis in armis*
> *Lucis cauſa ſita eſt, damnatum vivere paci.*

Horat. *l.* 2. *Carm.* 11. *v.* 1.

> *Quid bellicoſus Cantaber, & Scythes.*

Et, *l.* 1. *Ep.* 18. *v.* 55.

> *Militiam puer, & Cantabrica bella tuliſti.*

Ab Auguſto victi. Horat. *l.* 2. *Carm. Od.* 6. *v.* 2.

> *Cantabrum indoctum juga ferre noſtra.*

Hodieque multâ libertate fruuntur, neque ullum Regem, ſed *Dominum* tantum, agnoſcunt; Hinc non licet Hiſpaniæ Regi, abſque bona ipſorum venia, neque magno cum exercitu, fines Biſcajæ ingredi. Georg. Hornius, *Orb. Imp. p.* 281. Regno *Biſcaya* hodiè dicitur. Quæ cùm latè ſumitur, continet etiam Autrigones, Cariſtos & Vardulos. Eorum primaria fuit Juliobriga, ad Iberum fluv.

CANTABRIÆ Lacus, in quo fulmen decidit, repertæque fuêre duodecim ſecures. Sueton. *in Galba*, *c.* 8.

CANTABRIGIA, Anglicè *Cambridge*, oppid. & Academia Angliæ ſecunda: patria Jacobi & Conradi, diſcipulorum Wicleſi, qui A. C. 1404. in Academia Pragenſi, contra Conſubſtantiationem, Confeſſionem Auricularem, Ordinationem, &c. publicè diſputârunt, docentes prætereà, Papam Antichriſtum eſſe. Joh. Laſicius, *l.* 1. *de geſtis Fratr. Bohem. in MS.* apud Lactum, *compend. Hiſt. Univ.* Vide *Camboricum*.

CANTABRIGIENSIS Conradus, vide *Conradus*.

CANTABRIGIENSIS Comitatus, Angliæ provinc. Cujus caput Cantabrigia. Inter provinc. Lincolnian., Norfolciam & Suffolciam eſt.

CANTABRUM, memoratum Surio, *Tom.* 3. ubi de Eutyche, Victorino & Marone Martyribus; teſte Hadr. Turnebo, *Adverſar. l.* 15. *c.* 16. ex *Apuleio* & *Cælio*, furfur fuit, ſolitum cibus apud Romanos, quod infimum ſervorum genus erat. Unde Galenus in *Dynamidiis* & Vegetius *in Veterin.* [illegible] meminerunt, cremorem furfuris intelligentes, qui ita exprimi ſolebat: In pugillos aliquot furfuris infundebatur aqua, quâ poſt horas aliquot ſuperfluâ refuſâ furfures exprimebantur: tum furfuris ſuccus albidus ſeu cremor ſic uſui erat. Vide quoque F. Joh. de Balbis *Catholic.* Hujus mentio in *Hiſtor.* de Nereo & Achilleo conſervis, quos Aurelianus à Nerva Cæſare ſibi donatos, per ſua prædia diviſit, *juſſitque eos omni die terram fodere, & cantabrum edere, ad veſperam*, i. e. furfuraceô pane, & caninô more, nedum ſervili, illos tractavit. Vocis origo, vel à furfuraceo & contemtibili pane, capitis ac ſervilibus dato Cantabris: vel ab elementaria ſubtractione, quod videlicet *Cantabrum*, à caninis pultibus, quæ ferè fiunt è furfuribus & frumenti variis purgamentis, quaſi *Canabrum*, dictum. Phil. Meutzelius, apud Pignorium, *de Servis*. Ergetiè Juvenalis, *Sat.* 5. *v.* 10. cum ait,

> —— —— *Cùm poſſit honeſtius illic*
> *Et tremere, & ſordes farris mordere canini:*

cantabrum deſignare videtur, uti cenſuit antiquus Gloſſator, qui

adjecta, panem ſordidum ſ[illegible] eſſe. Nec aliud ſibi voluit Phædrus, l. 4. fab. 17. v. 8

> *Canes legatos olim miſêre ad Jovem,*
> *Meliora vitæ tempora oratum ſuæ,*
> *Ut ſeſe eriperent hominum contumeliis,*
> *Furfuribus ſibi conſperſum quod panem darent, &c.*

Nec aliò forſan reſpexit Sueton. *Neron.* c. 48. *panem quidem ſordidum oblatum aſpernatus eſt.* Sed & Cantaber, apud Silium, *loc. cit.*

> — — *ante omnes, hyemiſque, æſtuſque ſameſque*
> *Invictus, palmamque ex omni ferre labore:*

huic pani dederit nomen. Nimirum bellicoſum & aſperum populum, non aliâ videtur decuiſſe panis ratio, quàm expedita hæc & parvò parabilis. Vide Pignorium ubi *ſuprà.* Apud Imperatores Romanos, cujus meminit Minucius Felix in *Octavio* & Tertullian. in *Apologet.* c. 16. ac *l. ad Nation.* c. 12. *Cantabrum* Carolo du Freſne vexilli ſpecies eſt, quod quidem nominis unde hauſerint Latini, incertum eſſe ait. Turneb. *loc. cit.* *cantabrum*, à *canna*, cenſet legendum. Baronius, à *Cantabris* populis ejus nomenclationem derivat; Jac. Gothofredus aliunde, &c. Vide eum in *Gloſſar.* Nic. Rigaltio *Vexilla* vela ſunt parva, colore quæque ſuô militibus nota, *Cantabra* vexilla non colore tantùm inſignia, ſed & carmine ſeu nomine aliquô inſcripta, ſicque grata aliquid ac jucunda militibus cantantia ſeu ſignificantia. Cujuſmodi vexilli meminit Dio, *l.* 40. ubi de ſerbus infauſtis Craſſo contra Parthos eunti oblatis. [illegible] inquit, [illegible]. Hinc *Cantabrarii*, inter vexillaſeros recenſiti, *l.* 2. *Cod. Theodos. de Collegiat.*

CANTACUZENUS, Hiſtoricus Græcus, qui ex Imperatore monachus factus, ſub nomine Chriſtoduli, luculentam condidit *Hiſtoriam*, *de imperio Andronici junioris & ſuo.* Floruit A. C. 1360. Inter Græcos recentiores, eminentia ei præferendum, putat Voſſius, *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 29. Vide *Johannes Cantacuzenus.*

CANTARE in Eccleſia, dicitur in Communione Romana Presbyteri, cui Eccleſia altera majori ſubdita regenda commiſſa eſt, uti *Capellania*, ſeu cui *Cantaria* eſt demandata. Hincmarus Rem. *Ep.* 7. *Ipſe Officium dum ipſam Eccleſiam teneret, cantavit in Noviente & in Laudricurte, & in Borpis titulus antemerpſias, in quo & reſidens erat, ſive in Eollanabrajo.* Idem infrà, pro *cantavit*, habet *miniſtravit*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Hinc *Cantaria*, in Communione eadem, Beneficium eſt Eccleſiaſticum, Miſſis decantandis addictum, quod illi deſerviunt, qui alias *Capellani* dicuntur, verba ſunt Caroli du Freſne *ibidem.* Vide infra in voce *Capella.* Apud Legulejos Anglos Breve eſt, *Ceſſavit de Cantaria* dictum, quod conceditur ei, qui prædia ſeivè alias Ædi religioſæ conceſſit, ſub conditione divini alicujus ſervitii annui & lampadas accendendi, aut pauperes paſcendi. Tunc enim, ſi ejuſmodi conditiones non adimpleat Domus religioſa, breve iſtud donator impetrat. Vide *Statutum* Weſtmonaſter. 2. c. 41. Ibidem *Cantamiſſæ*, dicuntur obventiones ex cantatione Miſſæ. *Cantatorium* item in *Ordine Romano*. *Poſtquam legerit Cantor, cum Cantatorio aſcendit & dicit Reſponſorium Gradualis*; Liber eſt Eccleſiaſticus, quem Franci *Graduale* vocant, *quia in gradibus vel analogia reponitur.* Hunc, cùm Pontifex aut Sacerdos ad Altare procedit, à Bajulis, unà cum cæteris vaſis Eccleſiæ, quæ is à primo Manſionario ſumunt, deferri, in eodem *Ordine* dicitur. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* & Dominic. Macrum in *Hierolex.* Sed & *Canticinium* inde, Cantus Eccleſiaſticus, Officium Eccleſiaſticum. Metellus in *Quirinal.*

> *Præſentat imminentis bonticinii*
> *In veſte palmata latens.*
> *Corpus ſacratum, ſuo ſuper ſignaculo*
> *Præmonens ſarcofagum.*

apud Car. du Freſne *ubi ſuprà* &c.

CANTARE in Scena, proprium Tragœdorum, ut *ſaltare* Hiſtrionum, fuit; & proin *cantare fabulam* dicebatur Tragœdus, eandem *ſaltare* hiſtrio. Sueton. in *Calig.* c. 54. *Sed & aliorum generum artes ſtudioſiſſime & diverſiſſimas exercuit. Thrax & auriga idem; cantor & ſaltator*; per Cantorem, Tragœdum, per *ſaltatorem*, hiſtrionem intelligens. Malè proin quidam hæc confundunt, & hiſtrionem pro Tragœdo ac auctore fabularum accipiunt, cùm apertè diſtinxerint Veteres & Hiſtrionem quidem Pantomimum appellârint; Tragœdum verò, qui fabulas canendo exprimit. Idem *ibid.* *Canendi ac ſaltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem ſpectaculis temperaret, quo minus & Tragœdo pronunciante concineret: & geſtum Hiſtrionis quaſi laudans vel corrigens palam effingeret.* Hinc *cantare fabulam* dicitur Tragœdus, quam agit: Idem in *Nerone*, c. 21. *Tragœdias quoque cantavit perſonatus.* Et paulò pòſt, *Inter cætera cantavit Canacen parturientem, Oreſtem matricidam, Oedipodem excæcatum, Herculem inſanum: quæ omnia Tragœdiarum fuêre argumenta.* Idem Auctor *ſub finem Neron. Obſervatum etiam fuerat, novisſimam fabulam eum cantâſſe publicè, Oedipodem exſulem.* E quibus licet intelligere, quare dixerit Horat. *de Arte Poët.* v. 155.

> — — — *Donec Cantor, vos plaudite, dicat.*

Nempe Tragœdum hâc voce indigitavit, quem *Tragicum cantorem* dixit Prudentius, *l.* 2. *contr. Symmach.* v. 646. Unde & *Tragœdus* ea voce luſit & *prædulcet vox* Tragœdi Suetonio, in *Calig.* c. 33. *Cum aſſiſtens ſimulachro Jovis Apellem Tragœdum conſuluiſſet, uter major illi videretur, cunctantem flagellis diſcidit: collaudans ſubinde vocem deprecantis, quaſi prædulcem.* Vide Arrianus, *Diſſertat. Epictet.* l. 3. c. 14. [illegible] (ὥς ἐν [illegible]), &c. E quibus omnibus facilè liquet, cur recentiores Græci τραγῳδεῖν dixerint cantare. Scholiaſtes *Theocriti* quoque non uno in loco τραγῳδεῖν [illegible] exponit. *Gloſſæ* veteres: *Cantatores*, Τραγῳδισταί & τραγῳδιστάς, *cantilena* Luitprando, *l.* 2. c. 11. *Poſt nonnulla inutilia tragœdimata, i. e. cantilenam, ſomno ſeſe dedere, ſtertere, nauſeam alia ſimiles intemperantiâ facere*; &c. Vide Salmaſ. ad Vopiſc. in *Aureliano*, c. 7. Ut de vocis generali notione aliquid addam; Romanorum moribus, *Cantare* olim ingenuis hominibus, licèt privatis, indignum viſum eſt, teſte Macrobio, *Saturnal. l.* 3. *c.* 10. magis Principibus. *Scimus Muſicam noſtris moribus abeſſe à Principis perſona: ſaltare etiam in vitiis poni*, C. Nepos, *Epaminondâ*, c. 1. Vide quæ de Nerone citharâ canente Tacitus habet, *Annal. l.* 14 c. 14. §. 1. Non ab omnibus tamen Romanis Cantandi artem neglectam, idem Macrobius oſtendit, *d. l.* quibus adde Romanos Principes Antoninum Philoſoph. & Alexandrum Sever. Cæterum Muſicam moderatè Principi tractandam, docent, Lipſius, *Not. ad Polit. l.* 1. c. 10. Franc. Patricius, *de Regn. & Regum inſt. l.* 2. *c.* 15. Alii.

CANTATOR, apud Recentiores, pro Tragœdo, vide hîc ſuprà, ut & paulò pòſt, ubi de *Cantu Rolandi.*

CANTATRICES, apud Chryſoſtomum, *Homil.* 13. *in Epiſt. ad Paulo*, [illegible], in Synodica Nicoſienſi, c. 10. memorantur, eædem cum Præficis ſunt, de quibus multa congeſſit Kirchmannus *de funerib. Rom. l.* 2. c. 6. *num.* 50. & nos dicemus infra non uno in loco. Excommunicari eas in Concilio Nemoſienſi *A. C.* 1298. c. 4. obſervat Car. du Freſne *ubi ſuprà.*

CANTAZARA, urbs regni Neapolitani in Calabria ulteriore verſus oram maris Ionii, ad 4. millhar. Vide *Catarium.*

CANTERIUS, mons in Sabinis Varroni memoratus, *de R. R. l.* 2. c. 1.

CANTERMA, incantationis aut maleficii ſpecies, unde fortè nomen, *ſuſurrus magicus.* Ejus meminit Gregor. M. *l.* 11. *Indic.* 7. *Ep.* 13. *Maleficio, quod vulgò* Canterma *dicitur, quoſdam dederat maculatos.* Ubi *Caterma* Car. du Freſne mallet legi: Etiamnum enim Italis *Caterini*, Senenſibus *Cantarini* dicuntur, qui crebrò ac altiò cantant, vel incantant. Sic Galli olim *Chanterres* dicebant. Alii tamen *cantamina* ſcribendum putant: Ita enim Magorum incantationes dictæ Apulejo in *Apolog.* &c. *Idem.* Vide ſupra *Cantare.*

CANTERUS Guilhelmus, vide *Gulielmus.*

CANTERUS Lambertus, Groningâ Friſius, Aureliæ Juris Doctor creatus, poſtquam in patriam rediit, Senator à Carolo V. Ultrajecti, ob patris in Cæſarem merita, creatus, obiit A. C. 1531. ætat. 40. Pater Gulielmi, undiquaque doctiſſimi, à quo inſigni monumentô honoratus eſt, & Theodori, de quibus ſuô locô.

CANTERUS Theodorus, vide *Theodorus Canterus.*

CANTHARI & CANTHARA, inter vaſa Eccleſiaſtica non ſemel Anaſtaſio reponuntur *in S. Hilaro, S. Simplicio, S. Symmacho, S. Hormiſda, Sergio* alibique, ubi vocibus his modò vaſa vinaria, namque [illegible], *Heſych.* modò aquarum receptacula, unde aquæ erumpunt; Gallis *Bacins*, qui in mediis Eccleſiarum atriis ſeu propylæis extrui ſolebant, denotantur. Apud eundem in *Sylveſtro* & *Leone III. Canthara ceroſtrata ſeu ceroſtata* occurrunt, h. e. *canthari* ſeu diſci cereis inſtructi, in quibus illâ candelabrorum vice infixi. Vide infrà in voce *Pharacanthara*, &c. In *Miſſali* Ambroſiano *Cantarium* occurrit eôdem ſenſu, ubi ſtatuitur, ut in Miſſis cantandis Subdiaconus unâ manu thuribulum ferat, alterâ *Cantarium*, h. e. candelabrum, cum candela ardente; quod in Metropolitana tantùm Mediolani Æde obtinet, idem officium Subdiaconô, dum Evangelium canitur, quoque obeunte: In his enim functionibus Ambroſiani acolythis non utuntur. Sed & lychnum penſilem, *cantharum* ſeu lagenam referentem, vox notat, cujuſmodi lychni effigiem ex antiqua pictura, habes apud Macrum in *Hierolex.*

CANTHARI Portus, pars Piræei una, ſic dicta à Canthare quodam Heroë. Vide Schol. in Ariſtoph. *Pacem.* Ibi navale eſt, Venerisque templum & quinque circum porticus. Forſan hinc emendandus Plut. *in vita Phocionis*, [illegible]. Ubi vulgò legitur [illegible].

CANTHARIUM, promontor. in Samo inſula. Strab. *l.* 14.

CANTHAROLETHROS, locus parvus in Thracia, in quo Scarabæi omnes intereunt.

CANTHARUS, Poëta Comicus Athenienſis, cujus fabulas nonnullas commemorat *Suidas.* Item Impoſtor & maleficus apud Athenienſes, de quo extat proverbium, *Cantharô aſtutior.*

CANTHARUS, poculi genus, quô Liber olim in inclyto ſuo per Aſiam triumpho uſus perhibetur. Quem proin æmulatus C. Marius, poſt victoriam Cimbricam, *Cantharis* potâſſe, legitur apud Plin. *l.* 33. c. 11. & Val. Max. *l.* 3. *c.* 6. *ex.* 6. Ut mirum ſit, Plutarchum, cùm, de triumpho Alexandri, Liberum Patrem referentis, agens varia pocula recenſeat, *Cantharum* omiſiſſe. Vide Schottum, *Obſervat. Hiſtor. l.* 3. *c.* 3. Imo & alii in Bacchicis ſacris adhibuerunt. Habebat anſam. Virg. *Ecl.* 6. v. 18.

> *Et gravis attritâ pendebat Cantharus anſâ* &c.

Sed & *Cantharo*, in infantum olim expoſitione adhibitus. Vas enim, quô tales expoſitabantur, χύτρα dictum eſt vel [illegible], *fiſcella* quoque: ſic Moſes in ſcirpea fiſcella, navigioli ſpeciem habente, expoſitus legitur Exod. c. 2. v. 3. Aliquando ex linamine ac papyro, ſeu arundine & leviſſimo ligno aliquando fictile vas *Cantharus*, ad poculi Bacchi ſimilitudinem; nec enim Cantara anus eſt apud Terentium: vide paulò pòſt: ſed corbis potiùs, quæ ciſtella alibi qualis, ſecundùm quoſdam Moyſis erat, ſtruuea & clauſa: Aliqui etiam in bubulo corio expoſuerunt. In

 Can-

Cantharu verò exponi ſolitos, diſſimuleres Terentio, *Andria*, *Act.* 4. *Sc.* 4. *v.* 30.

> DAV *Quem ne ego heri vidi ad vos adferri veſperi?*
> MYS. *Thomo memorandum! D. verum vidi Cantharam Subſarcinatam.*

Ubi non bene *Donatus*: *Canthara*, inquit, *nomen eſt anus*. Nam cur adferri dicitur, & non potiùs pedibus ſuis incederet? Major igitur veri ſpecies ſententiæ Euphragii Grammatici, qui *Cantharam ſuffarcinatam* interpretatur, *corbem ſupponendo puero repletum*. Vide Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.* uti *de Pharocantharis*, lychnuchi genere, infrà voce *Pharus*.

CANTHARUS ſub lingua, inter genitales notas, quibus in Ægypto olim inſignitus erat Apis, recenſetur Plinio, *l.* 8. *c.* 46. *de Api bove. Inſigne ei, in dextro latere candicans macula cornibus Lunæ creſcere incipientis. Nodus ſub lingua, quem Cantharum appellant*, Herodoto itidem, ubi de eodem, ἐπὶ δὲ τῇ γλώσσῃ κάνθαρον. Quid verò hac voce indigitatum fuerit, non adeò notum fuit. Multa enim illa ſignificat & inter alia ἀνάγλυφον τῆς ἱερῶν, cujus figuram nodus ille ſub Apidis lingua potuit referre. Certè videtur hæſitâſſe Plinius, & Græcam vocem ideo retinuiſſe, cùm *ſcarabæum* dicere potuiſſet æquè bene, ſic Græcis quoque dictum. Non dubium tamen quin κάνθαρος hic ſit ſcarabæus. Namque hic apud Ægyptios Soli ſacer, uti bos Apis Oſiridi, h. e. Soli, dicatus fuit. Erat autem ſacer Soli ſcarabæus is, qui pilas volvit, βολβάρος Græcis, propter quem reliquam ſcarabæorum turbam, inter Numina relatam eſſe, Plin. ait *l.* 30. *c.* 11. Operum enim Solis ſimilitudinem hunc ſcarabæo ineſſe dixêre, quod pedibus fimum ſubigens, illum in pilam, h. e. σφαιροειδῆ γῆν, cogat, illamque ab Oriente in Occidentem continuò volutet, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 438.

CANTHELE, urbes Libophœnicum. *Steph.*

CANTHELIA, urbs juxta Carthaginem.

CANTHERIUS, Græcè κανθήλιος, item κανθήλιος ὄνος, Suidæ eſt ὄνος μέγας, aſinus prægrandis. Hinc Soſibius, Poëta Tragicus non inelegans.

> Ἐσθίει μὲν ἄρτων τρεῖς ὄνους κανθηλίους
> Τῆς δ' ἡμέρας ...
> *Comedit panum tres aſinos prægrandes,*
> *Ter in die brevi.*

H. e. trium Aſinorum onus, ut rectè Caſaubonus in *Lectionibus Theocrit.*, c. 12. *Aſinus* enim Græcè κανθὼν, *aſella* κανθίς, *clitellæ* κανθήλια. Certè *Cantherium* pro Aſino ſumi, conſtat ex *l.* 3. Apulej. cùm de ſe in Aſinum mutato quendam inducit ita loquentem: *Quouſque tandem* cantherium *patiemur iſtum, paulo antè cibarius jumentorum, nunc etiam ſimulachra Deorum infeſtum?* Alibi tamen *Cantherius* pro equo caſtrato ſumitur. Itaque apud Varronem cantherius ab equo diſtat, ut capus à gallo. Bochart. *Hieroz. Part prior. l.* 2. *c.* 13.

CANTHI, ſinus ad oſtia Indi fluv. *Ptol.* Nunc *Sinus Indicus*, in eum enim ſe Indus exonerat. In ditione M. Mogolis. Quibuſdam etiam *Sinus Resbutarum*. A' Resbutis populis, eſtque in regno Guzaratarum.

CANTHUS, Abantis fil. inter Argonautas ab Apollonio ponitur, itemque ab Orpheo. *Apollonius* eum dicit periiſſe in Libya, *Flaccus* autem in Æa.

CANTIBUS & HERBIS ligandi ſolvendique modi, apud Magos, celebriores. Vide ſuprà in voce *Canere*, & infrà paſſim.

CANTICUM, ſolâ voce peragitur, Pſalmus inſtrumentis Muſicis. In Communionis Romanæ Pſalmodia decem ſunt *Cantica*, recitari ſtatis temporibus ſolita; ſeptem ſcil. ex Vet. Teſtamento, quæ per 7. hebdomadæ dies ad Laudes diſtribuuntur: & tria, ex Evangelio deſumta; Nempe, *Benedictus Dominus*, quod etiam dicitur in Laudibus matutinalibus: in eo namque præcurſoris Chriſti, qui velut aurora annunciatrix veri Solis Juſtitiæ fuerat, mentio fit: *Magnificat*, quod recitatur ad Veſperas, quæ nobiliores Laudibus habentur, cùm feſtivitatis ſint principium & hoc canticum veſperarum tempore fuerit compoſitum, quò ad Eliſabethæ domum Maria Virgo pervenerat. Et *Nunc dimittis*, quod in Completorio recitatur; quia ad modum commendationis animæ eſt, quæ Deo exhibetur ante ſomnum, æternitatis ſymbolum. Et quidem tria hæc Evangelica *Cantica* ſtando recitari ſolent, ſolentque nonnulli ſub uniuſcujuſque initium non minus ſe cruce ſignare, ac in Miſſâ, ad Evangelii principium, vide Macrum in *Hierolex.* ubi *Canticum Dramatis* Officii *antiphonum* dici, addit. Quid *Cantica* Plinio, vide ſuprà, ubi de *Acclamandi ritu*.

CANTICUM Canticorum, unus ex Canonicis V. T. libris, à Salomone, divinitus inſpirato, compoſitus, deſcribit *capitibus* 8. myſticum Chriſti & Eccleſiæ connubium. In hoc extant: Abbatisvillæ *Commentarii*; Paris 1521. Ægidius Rom. Agathius. Agelii Com. in fol. Pariſiis 1611. Albiniacus. Alcuinus de Alliaco. Aloyſius, in 8. Venetiis 1604. Almonacris *Comm.* Compluti 1588. Alſtedii *Trifolium*, in 4. Herb. 1640. Angelomus, Ambertus. Anſelmus. de Aquino Aponius. Arboreus. Aretius, in 4. Mediol. 1640. Arſoparus Aſclepios. Azotius. Beda. Bezæ *Homiliæ*. in 8. Londini 1587. Bernardi *Sermones*. Beſſoni *Lucubrationes* in fol. Toloſæ, 1646. Blackuel *Comm.* Venetiis 1591. Brightmanni *Comm.* in 8. Baſileæ 1614 Brocardus Bruccioſus. Bruno. Caloviii *Annotationes*. Cantacuzenus. Caponſaccius. Caſſiodorus. Cathi *Paraphraſis continua*, in 8. Antv. 1615 Claſſius Cyprianus Ciſterc. *Commentarii*. Damianus Del Rio. Duporti Σολομῶνος Ἐκκλησιαστής. Euſebius. Folioti *Expoſitio*, in 4. Londini Genebrardus. Gerſon. Ghiſleri *Commentaria*, in fol. Romæ 1609. Gor... *Explicatio myſtica*, Bel. in 8. 1610. Gregorius Naz. & Ny... Gulielmus Paris. Halgrini *Expoſitio*. in fol. Paris. 1521. Haymo. Hezeri *Comm.* in 8. Ulmæ 1662. Hieronymi *Homiliæ*. Holkotus. Honorius. de Hoylanda. Janſonius. de Jeſu Maria Joh. & Thomas. de Inſulis *Lectura*. Don Joſeph. aben Jechija. Don Iſaac. Abarbanel, Rabbi Iſaac ben Arama. Iſidorus Hiſp. Juſtus Orgelit. de Lapide. Lambertus. Lechem Sechorim. Lindanus. Lutheri *Enarratio*. Malderus. Maldonatus. Malvenda. de Marganellis, Medraſch Schir haſchirim. Mercerus. Meurſii *Euſebius Polychronius & Pſellus* Græcè in 4to. 1617. Monetus. Mouchiacenus. Muringus. Nannius. Neomenus *Tabula*. in fol. Brugæ 1619. Nigidius. Origenis *Homiliæ*. Oruſius. Oſorius. Paris. Pætherius. Picus. Pineda. Placæi *Paraphr.* in 12. Gall. de Ponte. Pontius. Pſellus. Pulleinus. Rabboth Hebr. Riunat Dodim Hebr. del Rio. Roperi, *Canticum* Germ. in 4to. Jenæ 1662 Roſſinus. Rupertus Sanctius. Salonius. Shorlogi *Antiquitates & Comm.* tom. 3 in fol. Lugduni, 1637. 1640. Salazar. Sotomajor. Tegleanus. Theodoreti *Explicatio*. Titelmannus. Tompſonus. Tarnovius. Udemannus. Veronius. Virnaeus. Weſtweiler. Willeramus & Wolberon Abbates, &c. Vide Crowæi *Elenchum*.

CANTIERA, provinc. Scotiæ meridionalis in modum peninſul. extenſa, & in mare Hibernicum excurrens, ubi Donovertium oppid. præcipuum, & Tribarna Urbecula.

CANTILENA, vide ſuprà *Balliſtium*.

CANTILENA Rollandi, apud Wilhelmum Malmesbur. *de geſtis Regum Anglor. l.* 3. Albericum Matthæum Pariſ. Matthæum Weſtmonaſter. Alios, A. C. 1066. de Wilhelmo Notho, ad prælium contra Haraldum ſeſe apparante: *Tunc Cantilena Rollandi inchoata, ut Martium viri exemplum pugnaturos accenderet, inclamatòque Dei auxilio, prælium conſertum, bellatumque acriter*; Clamor ille militaris fuit, *permiſſus exhortatione*, ut Salluſtius ait in procinctu pugnæ pronunciari ſolitus, *cujuſmodi barditus* fuit veter. Gallorum apud Tacitum, *de Moribus German. c.* 3. Cantiones certè in pugnaturis aut bellum poſtulantibus, uſitatæ pleriſque jam olim gentibus propriorum Numinum ac Rituum. Unde Statius, *Theb. l.* 4. *v.* 135.

> ------ *turbantur arctantur tela pharetra.*
> *Herculeum Pæana canunt vaſtataque monſtra*
> *Omnia, &c.*

Et Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 689. de turmis Italicis à Meſſapo conductis,

> *Ibant æquati numero, Regemque canebant.*

Vide quæ ad *Silium Italic.* hanc in rem adnotavit Caſp. Barthius, ut & quæ ad *Statium*, *Animadverſion. l.* 2. *p.* 951. Qui mos cùm & apud Chriſtianos perduraret, huic rei in exercitu deſtinati *Cantatores* certi, qui milites ad ſtrenuè rem gerendam excitarent, rerum præclarè à ſummis olim Ducibus geſtarum exemplis, militibus ob oculos poſitis, uſque acri ſonò decantatis. Παρακλήτορας vocat Leo in *Tacticis*, uti videl. Διὰ λόγων διεγείροντας τοὺς στρατιώτας ... ... qui verbis excitabant exercitum ad prælia --- Romanè *Cantatores dictos*. Vide eundem, *c.* 12. §. 71 72. 120. & hic infrà, nec non voce *Minſtrelli*, ubi de vagis hujuſmodi cantatricibus apud Danos, aliaſque Arctoas gentes, in *Marra*: De Rollando vero *Diſſertationem* Car. du Freſne XI. *ad Jonvillam*, p. 205. De aliis autem *Cantilenarum* generibus, hæc ſtrictim ſubjicimus.

Nonnulla alia Cantilenarum apud Veteres genera.

in Agro operæ mercenariæ, quò laborem canendo fallerent, peculiare cantabant poëmatium, Teleclidæ in *Amphictyonibus* memoratum.

Balneatus itidem ſuum erat, ut prodidit Crates in *Tolmis*.

in Conviviis, Scolia cantabantur, vide infrà.

Currum nuptialem ducentium, apud Athen. vide infrà *Nuptiæ.*

de Fallonum cantione, apud Gallos, vide Scaligerum, *Poëtic. l.* 1. *c.* 56. ut & de Dulciariorum, Cruſtulariorum & Lignariorum, *Ibid. c.* 55.

Hirundinis adventum nunciantium, infrà *Chelidoniſmi*, item *Hirundo.*

Laniſicarum poëma, ἴουλος Græcè dicebatur, commune cum Meſſorum cantu: ἴουλος enim tum *ſpicam*, tum *lanam* ſignificavit.

Lugubria, vide infrà *Monodia*, & *Olophyrmus.*

Meſſorum cantus, ἴουλος, ut dictum. Uti enim ἀμάλλας, hordeaceos manipulos divulſos, ſic collectos ἰούλους vocabant. Vide & infrà *Lytierſes*

Molitorum cantilenæ, ἐπιμύλιος vocabatur.

Nautæ, non minùs ſuas habebant *Cantilenas*, unde in *Commentariis* Acharnenſium Ariſtophanis, ... legimus eſſe μέλος quoddam Muſicum & nauticum ......

Nutricum, vide infrà *Baucalema*, *Nutrix.*

Piſtores, quod canebant ad molam, ἐπιμύλιον vocabant, Ariſtoph. *in Atticis*, & Callimachus *in Hecale*: eſt autem ἱμαῖος Dorienſibus menſurâ genus. Sed & in *Theſmophoriis* ejuſdem Ariſtoph. eſt, quod fœminæ pinſentes cantillarent.

Præficæ, peculiare quoque carmen habebant, commune omnibus funeribus: quod privatum faciebant, mutatis nominibus.

Texentium telas *cantilena*, αἴλινος appellata eſt, forte à *lino*.

Venditorum, qui mancipia diſtrahebant, vide infrà *Mancipia*, it. *Venales.*

in Vindemia, cùm primùm muſtum guſtabant, ita canere mos fuit. *Omnis grana vetus, novum vinum bibo. Veteri novo morbo medeor.* Unde & *Meditrina* Dea eis libarent tunc, & *Meditrinalia* ſacra, à medendo. Quibus proxima Scolia in Conviviis cantari, ut dictum, ſolita. Cujuſmodi Poëma integrum à Praxilla Sicyonia compoſitum, è quo hi verſus ſuperſtites ... ... Sed de his vide infrà in voce *Skolion*: plura verò hanc in rem, apud Julium Cæſ. Scaligerum, ubi ſuprà.

CANTILENARUM Magiſtri, *die Meiſterſänger*, dicuntur apud Germanos, qui quamlibet Hiſtoriam ſive ſacram ſive profanam, in rhythmos ac certas carminum leges componunt, illaſque ſuas cantilenas, *die Meiſtergeſänge*, propoſitis brabeis in publica hominum corona canere ſolent: more, ex antiquiſſima Germano-

rum conſuetudine hauſto, quam indigitat Tacit. *Annal. l. 2. ſub fin.* ubi de Arminio, Cheruſcorum Principe fortiſſimo, *Canitur*, inquit, *apud barbaras gentes, Græcorum Annalibus ignotus, qui ſua tantum mirantur.* Et de *Moribus Germ. c. 2. Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & Annalium genus eſt) Tuiſtonem — & filium Mannum, originem gentis conditoreſque.* Sic Eginhardus de Carolo M. in *Vita* ejus, *Barbara*, ait, *& antiquiſſima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, ſcripſit memoriæque mandavit.* Unde Jo. Trithemius Spanhemius Abbas *in Hiſtor. Francor. Mos erat Majoribus noſtris, Francorumque Germanis, ut Heroum facta vel dicta memoratu digna, per Sacerdotes Templorum, patriis commendarentur carminibus: in quibus diſcendis, memorandis & decantandis juvenum exercitarentur ingenia. Quæ conſuetudo multis duravit annis, nec hodieque deficit. Cujus rei teſtis ſunt facta poemata, de incarnatione, morte ac reſurrectione Jeſu Chriſti: ſimiliter proſanæ aliquot cantiunculæ, de veterum Heroum Regumque geſtis*, &c. Idem verò & Gothi fecerunt, quos præclara Majorum geſta in carminibus, patrio ſermone comprehenſa, frequenter concinuiſſe, neque ævi vetuſtate aboleri poſſent, rupibus ſaxiſque inſculpſiſſe, teſtis eſt *Jornandes*: è quibus prìùm non exiguam Hiſtoriæ ſcribendæ materiam *Joannes Magnus* deſumpſiſſe ſe fatetur. *Ut alias* gentes barbaras & literarum planè rudes, in Occidentalibus quoque Indiis, quæ multarum Hiſtoriarum memoriam [illegible] quibuſdam cantilenis per annos plurimos conſervaſſe comperiuntur, omittam. Certè & de Romanis Græciſque poſſem ſimilia apponere, etiamque in Sacris literis moris hujus non apud Iſraëlitas ſolùm, ſed & primos mortalium luculenta teſtimonia. Hodie notiſſima apud Helvetios cantilena quâ Wilhelmi Tellii, apud Belgas fœderatos, quâ Wilhelmi Naſſovii, libertatis in utraque gente auctorum vindicumque fortiſſimorum memoria celebratur, &c. Decantari autem conſuevêre iſtiuſmodi cantilenæ privatim publiceque, maximè in conviviis ac congreſſibus celebrioribus; in præliis præſertim: uti ſupremis docet in Francorum gente præfata *Cantilena Rolandi.* Plura verò de his veterum *Cantilenis* vide apud Matth. Berneggerum *ad Taciti Germ. Quæſt.* 6.

CANTILIA, caſtellum Galliæ, vulgò *Chantelle le Chaſtel*, ut diſtinguatur à Cantilio villa ſeu vico, *Chantelle la vile*. Utrumque poſitum eſt ad Bublum amniculum, *Bouble*, quem Sicula *Sioule* in Elaver defert. Inter Aquas Neri & Auguſtonemetum, *tabul. Theod.* inter Borbonis atque Clarmontis caſtella, *Annal. veter.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CANTIMPRÆUS Thomas, vide *Thomas*.

CANTIOEBIS, *Amberg* ex P. Appiani conjectura, urbs Germaniæ in Narilcis.

CANTIUM, ſeu CANTIA *Bedæ*, vulgò *Kent*, regio Angliæ in ora orientali, ubi Cantium promontor. *Ἄκαντιον Ptolemæo*, vulgò *Northforland* teſte *Ortelio*. Populi *Cantiani* nominum, qui Britanniam incolunt, humaniſſimi, Cæſare teſte *l. 5. Bell. Gall. c.* 14. Aliàs regiò nulli decorata, ſedes data eſt Saxonibus Anglis, Ducibus Hengiſtò & Horsâ, à Vortigerno, è Germania evocatis, A. C. 450. In hac regione victus eſt ab Henrico VII. Perkinus Verbekius, qui Richardum Eboracenſem Eduardi filium mentitus, multum ipſi negotii faceſſebat. Vide Verulam. *in Hiſt. Henrici VII. circa A. C.* 1489. Habet à Septentrione Eſſexiam, ab Occidente Surriam, à Meridie Suſſexiam, ab Ortu Oceanum German. Ibi urbes Cantuaria, totius provinc. Caput, Roffa, Dubris, Sandwicus & Graveſinda. Primum fuit ex VII. Regnis, quæ Anglo Saxones in Britannia conſtituerunt, fundatum ab ipſo Hengiſto, A. C. 449 Reliqua fuêre, Regnum Suthſexiæ, Weſt-Saxonum, Eaſt-Saxonum, Northan-humbriæ, Eaſt-Anglorum & Merciorum. Poſteà ſub unum Regem, ſub Guilielmo Conqueſtore, his omnibus redactis, ſoli *Cantii* ſuam libertatem & leges antiquas armis defenderunt: unde Proverb. *Cantii & omnes Chriſtiani nunquam fuerunt domiti.* Georg. Hornius, *Orb. Imper. edit.* 1677. *p.* 324. & 325.

CANTOBENNA, vulgò CHANTOIN, vicus Galliæ, in Arvernia, prope Clarum Montem, à quo *Crypta Cantobennenſis*, & *Arx Cantobennici Montis*, Monaſteriò clara, Gregorio Turonenſi dicuntur. Hadr. Valeſ. *Notiq. Gall.*

CANTOGILUM, vel US, locus in Arvernia, vulgò *Chantoge*, Monaſteriò inſignis. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CANTONES, hodie vocantur ſive voce Italicâ Anguli ſive Pagi ſive Civitates tredecim, in quas Helvetiorum Democratia ſeu regio deſcripta eſt. Metaphora à *cantis*, i. e. ferreis notarum extremitatibus ſeu oris. German. *Ort*. A concordia poſitum. Vide *Cantus* & *Helvetii*.

CANTOR, Græcè *Ἀοιδὸς* apud Homer. *Od. γ. v.* 265.

> Ἡ δ᾽ ἦτοι τὸ πρὶν μὲν ἀναίνετο ἔργον ἀεικὲς
> Δῖα Κλυταιμνήστρη· φρεσὶ γὰρ κέχρητ᾽ ἀγαθῇσι·
> Πὰρ δ᾽ ἄρ᾽ ἔην καὶ ἀοιδὸς ἀνὴρ, ᾧ πόλλ᾽ ἐπέτελλεν
> Ἀτρεΐδης, Τροίηνδε κιὼν, εἴρυσθαι ἄκοιτιν,
> Ἀλλ᾽ ὅτε δή μιν μοῖρα θεῶν ἐπέδησε δαμῆναι,
> Δὴ τότε τὸν μὲν ἀοιδὸν ἄγων ἐς νῆσον ἐρήμην
> Κάλλιπεν οἰωνοῖσιν ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι.
> Τὴν δ᾽ ἐθέλων ἐθέλουσαν ἀνήγαγε —
> *Ipſa quidem antea certè abnuebat facinus indignum*
> *Diva Clytemneſtra (mente enim utebatur bonâ:*
> *Etenim aderat Cantor vir, cui plurimùm mandârat*
> *Atrides ad Trojam proficiſcens ſervare uxorem)*
> *Sed cùm jam ipſam Fatum Deorum irretivit, ad hoc ut domaretur,*
> *Jam tum ipſum Cantorem ducens ad Inſulam deſertam,*
> *Dereliquit avibus lacerationem & rapinam fore,*
> *Ipſam verò volens volentem duxit*, &c.

Item cum *Poeta* eſt ſeu *Vates*, quò nomine honorificentiſſimo Philoſophi ſeu Sapientes antiquiſſimis temporibus veniebant. Et quidem primum, quòd innoteſcere hominibus Poëtæ antiquiſſimi cœperunt, argumentum ac materies fuit ὁ νοῦθετῶν; hòcque ſine virtæ hordeum adhibebantur, ut vel eos, qui ætate jam provectio res erant, ſicut Perſica ſuum Heſiodus, vel minores, & qui modum vitæ nondum habere poterant, inſtruerent, quorum illi ſpropriè Θεσμοὺς, iſtos Διδασκάλους, Comicus vocat. Utrumque tamen non rarò confundimus: Et præſentiâ enim ſuâ, & poſteà ſcriptis, temperantiæ & juſtitiæ Magiſtri erant publici, quibus [illegible] maximi quique nobiliſſimique committebantur. Sicut etiamnum tempore Platonis, tanquam propria, vox Σοφὸς, attributa legitur Poëtis. Unde ſemper, ὁ σοφὸς Ἡσίοδος, ὁ σοφὸς Ὅμηρος, ὁ σοφὸς Ἀ.) [illegible], ut & multis poſt eum ætatibus, quamvis ignota eſſet cauſa. Primum autem, quod docebant olim, erat temperantia. Ideòque ingenuorum libris ante pubertatem, ſtatim præfici ſolebant, ut viderent, ne auderent τὰ ὥρας χαρίζεσθαι, quos Παιδαγωγοὺς Græci, Ἀκολούθους Athenienſes, Latini *Comites* & *Cuſtodes*, antiquiores etiam Εὐνούχους & Ἀοιδοὺς dixêre: quamvis eorum primum munus docere eſſet. Sic Alcibiades apud Platonem *in Convivio*, negat ſe, quòd formoſus eſſet, abſque Ἀκολούθῳ primo Socratem adire auſum fuiſſe. Et Virg. de Aſcanio, *l.* 5. *Æn. v.* 546.

> *At pater Æneas, nondum certamine miſſo,*
> *Cuſtodem ad ſeſe, comitemque impubis Iuli*
> *Epytiden vocat*, &c.

Ex his curſus vetuſtiſſimi illi fuêre, quibus matronæ [illegible] committebantur, qualis celeberrimus ille Ἀοιδὸς Homericus præfatus. Iidem Σπάδοντες & Εὐνοῦχοι poſteà Græcis, Latinis *Cuſtodes* dicti ſunt. *Heſychius*, Ἀοιδὸς, ᾠδὸς, ὁ τραγῳδὸς, καὶ ὁ μάντις, καὶ ὁ [illegible], ὁ εὐνοῦχος, ἀηδών. Veteres certè Magiſtri, Ἀοιδοὶ illum, qui in officio Agamemnonis uxorem continebat, Εὐνοῦχοι interpretati ſunt, quod nomen temperantiæ tum erat, non ſeditatis. Antiquiſſimi enim τὸ εὖ νοῦν ἔχειν intemperantiæ directè opponebant, cujus partes omnes ἄνοιαν dicebant. Unde illud apud Comicum, ὥσπερ τ᾽ αἰσχρὰ καὶ ἀνόητα πάντα: opponebant namque *temperantiam* & *dementiam*, ſicut poſteà [illegible] & [illegible] Philoſophi; ac pro [illegible], [illegible] dicebant & [illegible]. Quæ cauſa, cur Horatius hominem temperantem *integrum* vocet, amanti eum opponens, *Carm. l.* 2. *od.* 4. *v.* 22.

> *Brachia & vultum tereteſque ſuras*
> *Integer laudo.*

Et *integram* Dianam, i. e. *caſtam*, *l.* 3. *od.* 4. *v.* 70. Quippe mentis mutilationem καὶ [illegible] eſſe intemperantiam putabant. Sic itaque apud antiquos continentiæ Magiſtri, quamvis integri eſſent, Εὐνοῦχοι dicti ſunt: in quorum locum ſequiori ævo ſucceſſêre mutilati ac moribus diſſimiles; qui cum γυναικωνῖτιν non modò occuparent, ſed & puerorum curæ præficerentur, manifeſtam integris gentibus ruinam invexerunt. Unde queritur Plato *de Legg. l.* 3. [illegible]. Certè is, in quem elegis Naſonis extat, *l.* 2. *Amor. v.* 1.

> *Heu mihi quòd dominam nec vir nec fœmina ſervas.*

eandem vicem apud puellam illam obtinebat, quam Cantor ille ſeu Ἀοιδὸς Homericus, apud Clytemneſtram. Idque Barbarorum imitatione factum, qui locò Poëtarum Σωφρονιστῶν, qui fœminarum ab antiquis cuſtodiæ præficiebantur, quòd ſuſpicione res careret, ferè Eunuchos præficiebant, &c. Dan. Heinſius *Introduct. ad Heſiodum*, *c.* 6. Vide quoque infrà *Carmina*, *Poema*, *Minſtrels*, *Mecra*.

CANTOR, in Sacra Ægyptiorum Proceſſione, peculiarem eorum Philoſophiam exhibente, primus proceſſit, *ex Muſica ſymbolo unum aliquod geſtans*. Dicunt illum ex libris Mercurii (ſecundi videl. de quo vide voce *Siphoar*) duos accipere debere, quorum unus Hymnos Deorum, alter Regiæ vitæ rationes continet. Poſt eum proceſſit *Horoſcopus*, in manu habens *horologium & palmam*, *Aſtrologiæ ſymbola*. Hunc oportet ſemper in ore habere Aſtrologicos Mercurii libros, qui ſunt quatuor, quorum unus eſt de ordine inerrantium ſtellarum, quæ apparent; alius de ortu & illuminatione Solis & Lunæ; reliqui de illarum ortu. Verba ſunt Clementis Alex. *l.* 6. *Strom.* ubi de Libris Mercurii, in adytis Templorum reconditis. Vide & infrà *Scriba Sacrorum*.

CANTOR, apud Veteres quoque pro Tragœdo vel Comœdo. Vide ſuprà in voce *Cantare*. In Eccleſia Romana idem eſt cum Pſalmiſta. Amalarius, *de Officiis Eccleſ. l.* 2. *c.* 9. *Septem gradus ſunt ordinatorum, octavus Cantorum, nonus & decimus Auditorum utriuſque ſexus*, &c. Primitus autem in ea, non ſingulis in ædibus Pſalmodiæ erant, cùm reditus adhuc aſſignati nequaquam eſſent, ſingulis capendum Collegiis ſuſtentandis. Hinc Romæ *Schola Cantorum* inſtituta eſt, quæ Urbi communis erat & ad ſtationes, proceſſionum, ſingulaſque diebus feſtis Eccleſias conveniebat, ibique ſacra officia & Miſſarum ſolemnia decantabat. Hæc communibus victitabat ſumtibus habebatque magnæ in Urbe dignitatis & exiſtimationis Præfectum, qui *Primicerius*, interdum *Prior Scholæ Cantorum* dictus eſt, cujus operâ ſelecti juvenes in cantu, lectione ſacrorum librorum, & optimis moribus inſtituebantur. Initium ejus Hilario adſcribere videtur Pontificis Anaſtaſius Biblioth. at Johannes Diaconus Gregorio M. diſertè aſcribit in *Vita ejus*, *l.* 6. *c.* 2. ubi *Scholam* hanc ab illo primùm inſtitutam eique *cum nonnullis prædiis duo habitacula aſſignata eſſe*, refert. Nempe, cùm priùs ipſi Sacrorum Adminiſtri & Diacòni *Cantorum* vices obirent, ut primum peculiare *Cantorum* in Eccleſia officium conſtituit. Sit in alias Eccleſias exinde uſus tranſiit: de cujuſmodi Scholis, ita Domnizo in *Vita Mathildis*, &c. 1. c. 2.

Poſt hæc excelſum ſtuduit ſibi fingere Templum,
Divinaque Scholas, canerent qua dulciter Horas,
Nocte die Chriſto; &c.

Per excellentiam verò, qui iſtiuſmodi Scholæ præeſt, *Cantor* dicitur: quos capita olim pileolis operuiſſe, & baculos manibus geſtâſſe, Honorius ait Auguſtodunenſis *l.* 1. *c.* 74. De veſtibus eorum agit Amalarius de *Eccleſ. Offic. l.* 3. *c.* 4. & Ekkehardus Minimus *de Vita Notkeri Balbuli, c.* 16. ubi de Ciuurado Imperat. *Apud Maguntiam*, inquiens, *civitatem S. Galli Monachô ſcholas ibi regente & procurante etiam* Cantoris *officium, ut ſolitum eſt, in medio choro imponens* (nempe cantum) *crebro coronatus & infulatus, adornatusque protoſeſſionis indumentis*, &c. In Cathedrali Lugdunenſis Eccleſiæ, in qua omnes Canonici titulô *Comitis* gaudent, præcipua eſt *Cantoris* dignitas. Unde, ſi contingat, ut in recitatione Officii in Choro error aliquis committatur, ſtatim Cantor ſignum manu dat: quô factô omnes profundô ſilentiô, è Choro diſcedunt & in aliquam Ædis Capellam ſeſe recipientes, privatim ibi reſiduam officii partem abſolvunt. In multis ejuſdem Regni Eccleſiis *Feſtum Cantoris* vocatur feſtum primæ Claſſis, quia tunc *Cantoris* eſt, officium ordinare: ſicut feſtum ſecundæ Claſſis, ob ſimilem cauſam *Feſtum Succentoris* vocitatur. In Inſula Melita Canonicus Cantor in ſolennitatibus ac proceſſionibus, manu defert virgam argenteam, & ipſe Epiſcopo in Pontificalibus præcinit, &c. Vide ſuprà in *Archiparaphoniſta*, infrà *Paraphoniſta*, *Primicerius*, *Protopſaltes*, *Pſalmiſta*, & alibi paſſim. Sed & officium Monaſticum vox notat, apud Lanfrancum in *Decret. pro Ordine S. Benedicti*, *c.* 5. Quemadmodum *Cantrix*, quæ cantum imponit & cantatricibus præeſt, in Monaſteriis Sanctimonialium, occurrit, apud Petrum Abelardum *p.* 155. Tandem *Cantores*, apud Galfridum Monumethenſem, *l.* 1. *c.* 22. Miniſtelli ſunt, joculatores, *Cantadours*, Provincialibus dicti, de quibus vide infrà in voce *Miniſtelli*, & plura hanc in rem apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & Dominic Macrum in *Hierolex.* Cur vero *Cantores* Iſidoro *Fabarii* ſint dicti, videbimus infrà in *Fabatarius*.

CANTOR Petrus, vide *Petrus*.

CANTORUM Schola, ædes Romæ, *Anaſtaſ.* vide ſuprà.

CANTUARIA, Cantii Metropolis, urbs Archiepiſcopalis primaria Angliæ, à Londino ad 45 mill. paſſ. diſtans. Ad Sturam fluv. ſub qua 21. Epiſcopi. Vulgò *Canterbery*, *Kenterbury* vel *Caerkent*, olim *Doroberaum* aut *Durovernum*, *Bed. Antonin.* Sub Saxonibus, Regum ſedes fuit, uſque ad Ethelbertum, qui illam Auguſtino Monacho, à quo converſus eſt, conceſſit, primo Archiepiſcopo. Hic dein Anſelmus & Thomas ſanctitate inclyti, & templum magnificentiſſimum. Concilium A. C. 605. præſente Ethelbertô. A. C. 820. tempore Beornulfi, Merciorum Regis A. C. 1309. 1419. *Beda*, *Baron.* Hîc quoque tituum Latinorum ab Archiepiſcopi introductione, Eccleſ. Anglica graviter concuſſa eſt. A. C. 1638.

CANTUARIANI, populi in Mauritania. *Amm. Marcellin.*

CANTUARIENSIS Gulielmus, vide *Gulielmus*: it. *Thomas*.

CANTUS Ambroſianus, ab Ambroſio inſtitutus in Eccleſia, memoratur Radulfo Tungr. de *Canonum Obſerv. l.* 10. *Propoſit.* 12. ubique Romano contradiſtinguitur, his verbis: *Officium Ambroſianum ad Nocturnos & Matutinos atque Veſperas, Laudes, nec non ad Miſſam, habet ſolemnem & fortem cantum, omnino alium a Romano, quem hodierna die ſonorû & forti voce ſonant Clerici civitatis & Diœceſis Mediolan. & exinde apud Romanos B. Gregorius & Vitalianus PP. cantum Romanum receperint, qui per eos, ſeu per alios, ſub tenore & tono, qui hodie cantatur, ubique extitit magis planè dulcoratus & ordinatus.* Primus nempe Gregorius M. *Cantum Eccleſiaſticum* contexit reduxitque ad certum Muſicæ concentum, quem in univerſo Orbe Chriſtiano obſervari voluit, & Scholas Cantorum, uti ſuprà diximus, Romæ inſtituit. Atque hinc Cantui illi *Romani* nomen, quia videl. in Romana Eccleſia, à Schola Cantorum Gregoriô Auctore inſtitutâ, uſurpari primùm ſolitus eſt: inde demum in reliquas Eccleſias delatus, quas Româ cantuum libros, miſſis ad hoc nuntiis à Pontificibus Roman. impetrâſſe, Chilienus indigitat, *Vita S. Brigidæ l.* 3. *c.* 9. *num* 61.

Libros compoſitos, cantumque & munera multa
Miſit Apoſtolicus Brigida, conceſſit habenda,
Tradidit illa ſuis, diſcendi vertit in uſum.

Præ cæteris autem Gregorianum hunc ſeu *Romanum Cantum* amplexati ſunt Germani Galliqne; qui tamen cùm de proprio quidpiam admiſcuiſſent, identidem miſſi ſunt à Pontificibus è Schola Romana Cantores, qui diſſonos Eccleſiarum cantus ad legitimum Romanæ harmoniæ modum revocarent. In Gallia certè Pipinum Gallicanum cantum, quòd omnium à Romano diſcreparet, omnino tollere in animo habuiſſe, diſcimus ex *Conſtit.* filii ejus Caroli M. *de Emendat. Libror. & Officior. Eccleſ.* et & aliunde paſſim. Unde Stephanus II. Pontifex. Roman. cum ſub eo in Galliam veniſſet, ab illo rogatus, per ſuos Clericos, Romanum cantum invexit, teſte Walafridô Strabone, *de Rebus Eccleſ. c.* 25. Sed & ante Stephani in Galliam adventum, qui incidit in A. C. 753. jam curaverat Pipinus, Remedii fratris rogatu, accerſiri Româ, qui Gallicanos Cantores in Pſalmodiæ recitatione erudirent, uti patet ex *Ep.* ad eundem Pipinum Pauli I. *Hiſtor. Francor. Tom. III.* Extinctô poſt hæc Rege, Carolus M. filius & Succeſſor, ab eodem Stephano XII. Clericos *Carminum divinorum* ſeu Romanæ modulationis *periſſimos* obtinuit, qui in Galliam advecti, in diverſas Regni Eccleſias diſperſi ſunt. Verùm hi, cum invidiâ & odiô Francici nominis, pactô inter ſe initô, quiſque ſuô locô quàm depravatiſſimè canerent, Carolus Leoni Pontifici rem detulit, qui Romam evocatos partim exiliô, partim perpetuô carcere, damnavit, & ne in poſterum ſimile quid accideret, Carolo perſuaſit, *ut duos ſuorum induſtrios Clericos* Romæ apud ſe relinqueret, quò Romanam addiſcerent modulationem & peritiâ hâc inſtructi, alios in Gallia Clericos erudirent: quod factum ita. His prorſi in Galliam reverſis, alterum Imperator ſecum retinuit, alterum ad Drogonem filium Metenſem Epiſcop. qui id à Parente efflagitabat impenſiùs, miſit; *cujus induſtriâ*, verba ſunt Sangallenſis, *l.* 1. *c.* 10. *non ſolùm in eodem loco pollere, ſed & per Franciam in tantum cœpit propagari, ut nunc apud eos, qui in his regionibus Latinô ſermone utuntur, Eccleſiaſtica Cantilena dicatur Metenſis, apud nos verò --- Mete*, &c. At qui apud Carolum remanſerat Cantor Romanus, Palatinos Clericos in eadem modulatione erudivit. Ledradus Archiepiſcop. Lugdun. *Ep.* ad Carolum: *Et ideo officio veſtræ pietati placuit, ut ad petitionem mihi concederetis reditum, qui ab antiquo fuerant de Lugdunenſi Eccleſia, per quam Deô juvante & mercede veſtrâ annuente, in Lugdunenſi Eccleſia eſt ordo pſallendi inſtauratus, ut juxta vires noſtras, ſecundùm ritum ſacri Palatii, omni ex parte agi videatur, quidquid ad divinum perſolvendum officium ordo expoſcit. Nam habeo Scholas Cantorum, ex quibus plerique ita ſunt eruditi, ut alios etiam erudire poſſint*, &c. Vide Carolum ipſum *contra Synodum de Imagin. l.* 1. *c.* 6. Amalarium *de Ord. Antiphon. c.* 68. Cardin. Bona *l. de Pſalmodia*, Auct. laudatos Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Adde Macrum utrobique in *Hierolex.* & quæ infrà de *Muſica Eccl.* it voce *Occidens*. At *Cantus incluſi*, apud Plinium, *l.* 16. *c.* 36. ubi de calamis tibialibus, *Hinc*, inquit, *armamenta ad incluſos cantus*: ſunt qui tibiis peraguntur, ad differentiam apertæ vocis, quæ cantum ſtatim in aërem effundit, nec intrà meatus incluſos habet. Cujuſmodi canendi ratio antiquiſſima ac ſimpliciſſima eſt, & ad movendum inprimis efficax, utpote maximè naturalis. Unde Itali ſpadones tantopere Magnatibus expetiti, &c. Vide Salmaſ. ad *Solin. p.* 118.

CANTUS, in *vetere Charta*, apud Ughellum *Italia Sacr. Tom. VII. p.* 393. Italis *Canto*, latus eſt, angulus, Gallis *coin*. Unde *in cantu ſedere*, apud Audoënum, in *Vita S. Eligii l.* 2. *c.* 15. *Nullus Chriſtianus in pyras credat, neque in cantu ſedeat, quia opera Diabolica ſunt*: ubi inter ſuperſtitiones paganorum id quoque memoratur: Gallis *Eſtre aſſis de cant*, eſt *Eſtre aſſis de coſte*; Car. du Freſne *Gloſſar.* Sed & Καντ vel Κανθὸς & Κανίον, Græci recentiores vocârunt, quod *anguloſum* ſit, &, quum frangitur, in partes ſemper diſſiliat *angulatas*. Unde *Saccharum Candum* apud *Myrepſum*; quod fruſtra alii à *candore*, aut à *canna*, dictum contendunt. Salmaſ. ad *Solin p.* 1022.

CANTZACIUM, urbs in Perſarmenia. *Cedren.*

CANUCCIS, Mauritaniæ Cæſarienſ. oppid *Ptol.*

CANUCHA, fluv. navigabilis in Gangem influens. Plin. *l.* 6. *c.* 18.

CANUDAN, lacus Armeniæ, qui Ptolemæo *Theſpites*, *lacus eſt aquæ ſalſæ, in quo nullum reptile, nec piſcis ullus*, uti habet Geographus Nubienſis, *clim.* 4. *part* 6. Nomen ei à ſterilitate; namque Arabibus *canoud*; ἄγονον, ſeu *ſterilem* ſonat. Cujuſmodi lacum etiam in Arcadiæ Pheneo fuiſſe, narrat Ælian. *Hiſtor. Animal. l.* 3. *c.* 38. Ἐν ᾗ Φενεῷ λίμνη ἰχθύων ἄγονος ἐστὶν, *In Pheneo lacus piſcium ſterilis eſt.* Quô eôdem ſenſu ἄγονος à Joſepho appellatur Judææ lacus Aſphaltites, *de Bello Jud. l.* 5. *c.* 4. eò quòd piſcibus careat, &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 1. *c.* 6.

CANULEIA, inter primas Veſtales, quæ quatuor erant, lecta eſt à Numa. Plut. *in ejus vita*.

CANULEIA Lex, à C. *Canuleio* Tribuno Pleb. lata, M. Genutiô Augurinô; C. Curtiô Philone Conſulib. an. Urb. Cond. 308. voluit: *Ut plebi cum Patribus connubiorum jus eſſet.* Idque contra legem XII. Tabular. quâ cautum erat, *Ne liceret Patricios conjungi cum Plebejis.* Vide Auguſtin. *de Civ. Dei. l.* 3. *c.* 17. Livium, *l.* 4. *c.* 1, 2. 3. &c. Vide C. *Canuleius*.

C. CANULEIUS, Romæ Tribun. pleb. An. 309. Urb. Cond. rogationes duas tulit, ut nimirum connubia plebis cum patribus eſſent communia, & alter Conſul de plebe crearetur. Liv. *l.* 4. *c.* 1. 2. 3. Florus *l.* 1. *c.* 25. Vide *Canuleja Lex*.

CANUM, regnum Afric. in Nigritia, cum urbe cognomine, cujus ædes ex ligno & limo, non longè à Nigro fluv. Sedet urbs juxta lacum, eſtque ex præcipuis totius regionis. Vulgò *Cano*. Incolæ paſtores & agricolæ: Rex olim potens, ſed à Rege Yichia bellô penitus, poſt diuturnam obſidionem, hâc lege demum pacem impetravit, ut victoris filiâ ductâ, tertiâ redituum parte ei cederet, Sanut. *l.* 1. Marmol. *l.* 9. *c.* 10. *Leo*, &c.

CANUM Fœdus, ſive ſuperius, inter tria Rhætorum fœdera, primum, aliàs *Griſeum*, German. *der Ober oder Grawpundt*; à Canis populis nomen accepit. Conſtat 19. Conventibus ſeu Communitatibus, inter quos præcipuô locô fuêre Abbas Diſentinus, Baro Rhætiæ, & Miſaucorum Comes: Sed poſteriorum familiæ periêre; vulgò tamen, qui arcem Baronum veterum poſſident, domini à Ræzüns dicuntur; quem titulum poſteà domini à Marmorea, tandem Plantæ, habuerunt. Præcipui populi hujus fœderis ſunt Æruatii, Lepontii, Miſauci. Conventuum ſinguli ſummum aliquem annuum Magiſtratum habent, quem plerique *Ammanum* vocant: præter quos unus eſt totius fœderis Præfectus *der Landrichter*. Comitiorum locus eſt in pago Truntio. Præfectum auctoritate ſuperat Rhætienſis arcis & Juriſdictionis dominus. Fœdus hoc cum vicinis Uraniis jam olim amicitiam colnit, A. dein C. 1497. æternô fœdere Helvetiis ſeptem veter. Pagorum junctum eſt: annô ante quàm Rhæti de domo Dei ſeu de fœdere Cathedrali iiſdem ſe junxiſſent. Simler. *deſcr. Helvet.* Vide etiam in *Cani*, & *Rhæti*.

Cani Fœderis Communitates 19.

Diſcentiſium cœnobium, cui Æruatiis vicus, Truntium, &c. conjuncta.	*Schlains.*
Walteuſpurgum, *Bertza.*	Liberi ſupra ſilvam, quorum vicus ſupremus *Laax.*
Supraſaxum, *Oberſachs.*	Thanna. Et hæ juriſdictiones novem dicuntur Rhætis,
Vallis Leguntia, *Lugnaz.*	Pars ſupra ſylvam, *der ob dem Wald.*
Vallis, *Vals.*	
Illantium, *Ylantz.*	Flemium, *Flims.*

Trimontium, *Trimus*.	Seſſa, *Schamps*.
Sruſſium, *Savien*.	Speluca, *Splugen*.
Retium, *Rhetzuns*.	Miſauci, *Maſoy*.
Domleaſca vallis ac Tuſcana, vicus illic celebris.	Rogoretum, *Ruffler*, quæ omnes pars ſub ſylva, *die under dem Wald*.
Senpum.	

CANUNEFATES, vide *Caninefates*.

CANUS Melchior, vide *Melchior*.

CANUSINÆ tunicæ, apud Romanos, ſervis militibuſque in uſu fuêre. Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 129.

> *Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia rufis,*
> *Et placet hic pueris militibusque color.*

Supra quas (erant enim interior veſtis) ſagochlamys accipiebatur. Φοινικίδα apud Trebellium Pollionem in Claudio, *c.* 46. interpretatur *Turnebus*, & hunc ſequutus *Caſaubon*. ſed φοινικίδα Græci olim ἐσθῆτα appellabant, h. e. *paludamentum* vel *chlamydem*, quam ſupra tunicam induebant. Ita enim clarè in *Craſſo* Plutarchus, λέγεται δὲ ἐξελθεῖν οὐχ ὥσπερ ἔθος ἐστὶ Ῥωμαίων στρατηγοῖς ἐν φοινικίδι, ἀλλ' ἐν ἱματίῳ μέλανι, *non in paludamento coccineo, ut mos eſt Romanorum Imperatori, ſed in pullo amictu proceſſiſſe*. Et ſanè à φοινικός, puniceo chiton eſt, ut ἁλουργής purpureus. *Tunicæ ruſſæ* ſunt φοινικοῖ χιτῶνες, quos φοινικοῦς χιτωνίσκους vocat Plut. in *Philopœmene*, &c. Vide Salmaſ. ad *Hiſtoriæ Aug. Scriptores*, *l. c.* & ad *Solin. p.* 366.

CANUSIUM, Apulorum Daunorum oppid. *Ptol.* ad Aufidum fluv. Plinio, *l.* 3. *c.* 11. & Pomponio, *l.* 2. *c.* 4. teſtibus. Idem eſſe cum Cannarum vico Romanorum clade nobili, aſſerit *Leander*, cui quo tamen aſſentiat, facium Livius, *l.* 9. *c.* 20. *l.* 22. *c.* 50. Strabo, *l.* 6. Plinius, *loc. cit.* qui utriuſque meminêre; ut & Appianus in *Annibalico*: Οἱ δὲ ἐς Κάνυσιν ... ὀλίγοι δὲ ἐς Κανύσιον διέφυγον. *Procopius* item ſcribit Canuſium diſtare à Cannarum vico 25. ſtadiis. Rutilæ lanæ ferax erat, quæ ab eo *Canuſina* dicitur, ex qua qui veſtes geſtabant *Canuſinati* dicebantur. Martial. *l.* 9. *Epigr.* 23. *v.* 9.

> *Ut Canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.*

Et *l.* 14. *Epigr.* 127.

> *Hæc tibi turbatâ Canuſina ſimillima mulſo*
> *Munus erit: gaude, non citò fiet anus.*

Græcis pleriſque Κανύσιον. Appiano & Procopio Κανύσιον, Stephano Κανύσιον, vulgò nunc *Canoſa* dictum. A Diomede conditum, ut habet Strabo, *l.* 6. Cui convenit Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 5. *v.* 91. ubi de pane Canuſino loquitur:

> *Nam Canuſi lapidoſus: aquæ non ditior urna,*
> *Qui locus à forti Diomede eſt conditus olim.*

Haud procul à mari abeſſe Canuſium, aſſerit Strabo, *ubi ſupra*, οὐ πολὺ γὰρ ἀπὸ τῆς θαλάσσης ἀνῴκισται. Idem haud obſcurè colligas ex Philoſtrato, *in vitis Sophiſtarum*, ubi de Herode Athenienſi, Ὥστε δὲ τῆς ἐν Ἰταλίᾳ Κανύσιον ἐπιρρεῖν ὕδωρ, μεῖζον τοῦ ἐκεῖ ... Hic Henricus IV. Imperator à Gregorio VII. excommunicatus, & rapinæ expoſitus, ipſi ſupplex factus eſt, ſed ab eo adeò duriter tractatus, ut regiò depoſitô cultu, intra ſecundum murorum ambitum, ſine calceis, ſæviente hyeme, jejunus, per triduum, uſque ad veſperam Pontificis reſponſum expectare cogeretur: tandem nudis pedibus, forcipes & ſcopas in manu habens, admiſſus & duriſſimis conditionibus abſolutus eſt, A. C. 1077. Sigon. *l.* 9. Inde *Canuſini* incolæ Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 10. *v.* 30. — *Canuſini more bilinguis*, ubi Schol. *Bilingues* vocat, quòd utramque noſcant linguam, & Latinam, & Græcam. Videtur autem Poëta, non tam ſignificare voluiſſe duarum linguarum doctos fuiſſe illos, quàm neutrius, ſed mixtæ ex duabus. Sic ut nec Latinam, neque Græcam poſſes dicere, quod vitio magis quàm laudi ducendum eſt. *Nic. Lloydius. Baudrand.* Canuſium urbs aliàs Apuliæ Peucetiæ, nunc agri Barenſis, 5. milliar. à Cannis excîſis, 10. à Barulo in Occaſum, ſita eſt in colle, non procul à Veteriuluon.

CANUSIUS, vel GANUSIUS, Hiſtoricus Græcus ſub Ptolemæo Aulete, Ptolemæo Dionyſio & Cleopatra. Plut. in *Cæſare*. Caliſius. Geſnero in *Bibliotheca*.

CANUTIUS Tiberius, Tribun. plebis continuâ rabie lacerabat Antonium jam hoſtem judicatum, Ciceronem imitatus, quæ libertas utrique morte conſtitit. Vide Paterculum, *l.* 2. *c.* 64. Objicientibus Antonio, & Cæſare, quòd in Republ. adminiſtrandâ potiſſimum Conſularis Iſaurici ſectam ſequeretur, reſpondit, *malle ſe Iſaurici eſſe diſcipulum, quam Bruti Calumniatoris.* Hujus forſitan eſt quod citat Priſcian. *l.* 8. *Turpe eſt propter venuſtatem veſtimentorum admirari, & propter turpiſſime vitam aſtare contemni.*

CANUTUS I. Daniæ Rex, & Angliæ 34. Monarcha. In Angliam cum Patre Sunone venit, ut Danos ab Ethelberto occiſos, & uxores eorum umbilicotenus defoſſas, ſupernis parte moloſſis atrocibus propinatâ, ulciſceretur. Mortuô Sunone filius e cum Edmundo II. eam geſſit, à quo aliquoties ſuperatus, tandem prælio victor, monomachiâ oblatâ, partem regni impetravit. Mortuô Edmundô, parricidis ejus punitis, regnô ſolus potitus eſt, hinc Suecis bellô illatô, Norvegiam occupavit, *Magni* nomen meritus. Leges tulit quampluriмas, & bonas, idque Oxoniæ, ubi Parliamentum convocavit. Rex verè magnificus, & à Paraſitis ſuis *Alexander*, *Cyrus*, *Cæſar*, Rex terræ mariſque dictus, quam adulationem memorabili factô refutavit. Polydor. *l.* 7. Ejus tempore, res Danorum in Anglia ad ἀκμὴν pervenerunt, cujus morte paulatim decrevêre. Imperavit ann. 19. Obiit Schafteburiæ, A. C. 1035. Wintoniæ ſepultus, relictô filiô Haraldô Angliæ, Canutô Daniæ Rege & filiâ Henrico III. Imperatori nuptâ.

CANUTUS II. fratri Haraldo ſucceſſit. Ab Anglis benignè exceptus, malam ita gratiam retulit, magnatibus plurimis ſublatis & plebe exactionibus afflictâ. Fratris cadaver refoſſum in Tameſin conjecit, quòd matrem ſuam, filius enim nothus Canuti I. erat, durius tractâſſet. Biennô poſt in nuptiis, repentinâ morte, an venenô, ſublatus. Eô mortuô Dani pulſi, legeque perpetuâ à regno Angliæ excluſi.

CANUTUS I. Daniæ Rex poſt patrem Ericum III. Chriſtianam religionem ejuravit, à ſucceſſore Sunone reſtitutam. De II. & III. jam dictum.

CANUTUS IV. in templo occiſus, A. C. 1081.

CANUTUS V. maritus Helenæ, ſororis Erici XII. Sueciæ Regis, quem tantopere contempſerat, quòd blæſus eſſet, ut ei etiam bellum inferret. Sed in illo periit. Saxo Gramm. Finiit in hoc Rege *Hiſt. Dan.*

CANUTUS, Vandalorum Rex, Sacerdotes honorabat, ut patres, pauperes fovebat, ut filios: viduas ut matres: Erat cæcorum baculus, eſurientium cibus, miſerorum ſpes, lugentium conſolatio. Sigon. *l.* 2. Ejus operâ inſtituit Lotharius Imperator. Epiſcopos in Dania, Suecia, Norvegia, Groenlandia & Iſlandia. Circa A. C. 1133. 1137.

CANUTUS, fil. Erici IX. Suecorum Rex occidit Carolum VII. ob ſuſpicionem paternæ cædis, & laudabiliter feliciterque regnavit, ann. 23. Saxo Gramm. *Hiſt. Dan.* Magnus *Hiſt. Suec.*

CANUTUS Joh. Sebaſtianus, è Biſcaya, nauta famoſus, cum Ferdinando Magellano 5. navium Duce, Hiſpali ſolvit, A. C. 1519. quô vel venenô, vel in prælio, in Philippinis, ſublatô, unicam navem, *Victoriam*, reduxit, poſt triennium totô orbe circumnavigatô, A. C. 1522. à Carolo V. donatus aureô torque, cum inſcriptione, *Primus circumdediſti me*. Oroſ. *l.* 11. Maffæ. *l.* 8. Mariana, *l.* 26.

CANYTIS, urbs Syriæ magna. *Steph.*

CAORCINI, ſeu CORSINI, Mercatores Itali, propter fœnerationem uſurariam famoſi, maximè in Gallia, unde non ſemel à Regibus proſcripti ſunt, Legibus Statutiſque contra fœneratores editis. Inter alia extat *Edictum* Ludovici IX. A. C. 1268. quô *Caorſinos* uſurarios proſcripſit, factâ tamen Mercatoribus Lombardis, Caorcinis, aliiſque extraneis, mercaturam in Gallia exercendi facultate, dummodo nullum facerent uſurarium fœnus. Aliud item Philippi Audacis, *Extirpare volentes de finibus Regni noſtri uſurarum pravitatem, quam quoſdam Lombardos & Caorſinos, aliosque complures alienigenas, in eodem Regno publicè intelleximus exercere, mutuantes pecuniam obligatam ſibi pignoribus ad uſuram & habentes ad hoc domos ſpecialiter deputatas, in quorum extorſionibus uſurarum valde prædictum depauperant Regnum*, &c. Quô Edictô, è Regno proſcribuntur duobus menſibus, poſt ejus *proclamationem*. Mox additur, *Non inhibemus tamen, quin mercatores Lombardi, Caorſini, & alii undiquaque pro ſuis negotiis & mercaturis legitimè exercendis, in Regno noſtro morentur, pacificè vivant, veniant & recedant*, &c. Sed & in Anglia hæc peſtis eouſque invaluit, ut vix eſſet aliquis, qui retibus illorum non illaquearetur. *Circumveniebant enim in neceſſitatibus indigentes, uſuram ſub ſpecie negotiationis palliantes*, &c. Subdit dein formulam, quâ debitores ſibi obligabant. Vide quoque Matth. Weſtmonaſterienſem *A. C.* 1235. *ſub fin.* Proſcripſit eos Angliæ Henricus III. A. C. 1240 cùm verò Papæ interventu, ut habet Matthæus Pariſius, eò rediiſſent decenniô poſt, mox ob immenſas & deteſtabiles uſuras, denuo proſcripti & carceri mandati ſunt A. C. 1251. Quod ut in terris ſuis quoque fieret, teſtamentô ſuô cavit Henricus III. Brabantiæ Dux, A. C. 1260. &c. Nomen illis à *Cadurco*, Occitaniæ in Gallia celebri urbe, in qua ii commercia ſua exercebant: unde poſtmodum Montem peſſulanum & Nemauſum translati ſunt, uti habet in voce *Langobardus* Car. du Freſne. Sunt tamen, qui iſtud nomen à familia *Corſina*, aut *Corſina*, Florentinâ, deducendum cenſeant: quæ cum aliis ejuſdem Urbis & provinciarum vicinarum familiis, in univerſa penè Europa, mercaturæ operam dederit. Licèt enim *Lombardorum* appellatione omnes Mercatores Itali, in Regnis Italiæ finitimis & longinquis fœnus exercentes, agnoſcerentur; erant tamen ii in Societates diſtincti, ex inito invicem pacto & fœdere, quæ vulgò familiæ nobilioris, penès quam mercimonii ſumma erat, nomine donabantur. Quam ob cauſam crebrò occurrunt Societates *Amanatorum*, *Accaiuolorum*, *Bardorum*, *Corſinorum*, &c. apud Johann. Villaneum, præſertim *l.* 11. *c.* 137. ubi ſocietatem *Corſinorum* diſertè memorat. Etiam verò Ugolinus Verinus, *Florentia Illuſtr. l.* 3. familiam *Corſinæ* inter Florentinas, meminit:

> *Clara Sophocleo ſtirps eſt memoranda cothurno*
> *Corſinæ ſoboles, multi virtute, fecunda.*

Quia autem *Caorſini* hi uſurarii undique exagitabantur, proſcribebantur & in vincula conjiciebantur publica, hinc nata Gallis loquendi formula, *Enlever quelqu'un comme un Corſin*, cùm aliquem in carcerem per vim abductum vident, &c. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CAPA & CAPPA, veſtis, cùm ad capitis tegmen, tum ad corporis, multiplex. Inter indumenta corporis, ejuſmodi eſt, quod manices carens, caputium habet, à collo in humeros rejectum. Sed nec conſtans hàc formâ, nec ſemel proprium: frequens in Eccleſ. Latina. De *Cappa clauſa*, vide Conſtit. Othonis *Tit. de habitu Cleric.* In choro, *Cappa choralis* adhibetur. *Manicata Cappa* mentio in Decrett. *Greg. l.* 5. *Tit.* 1. *c.* 15. Uſi etiam ſunt *Cappâ* ad electum jam Papam inſigniendum. Pro veſte fœminea, ſeu cyclade reperitur, apud Matth. Paris. in *Richardo I.* Pro ſcrinio ad conſervandas reliquias, vide in *Capella*: & de his omnibus Spelmann. *Gloſſar.*

CAPACIA, civitas Lucaniæ, non procul à mari, olim admodum frequens ac opulenta, titulôque ducatus inſignis: cæterùm hàc ætate propemodum deſerta, propter alluviones.

CAPÆ, urbs Helleſponti. *Steph.*

CAPÆUS, fluvius in ſuperficie frigidus, infrà calidus. Antigonus *in Mirabilibus.*

CAPANEUS, nobilis Argivus, maritus Evadnes, qui unà cum Polynice ad bellum Thebanum profectus, cùm ſcalas muris admovere vellet, à Thebanis lapidibus fuit obrutus. Hinc factus eſt locus fabulæ, *Capaneum cùm Deorum contemptor eſſet, à Jove fulmine eſſe percuſſum.* Vegetius, *l.* 4. *De re militari*, *c.* 21. *Qui ſcalis* (inquit) *in obſidione urbium utuntur, frequenter periculum ſuſtinent, exemplo Capanei, a quo primùm ſcalarum oppugnatio perhibetur inventa, qui tantâ mole lapidum fuit obrutus à Thebanis, ut fulminibus dicatur extinctus.* Ovid. *l.* 4. *Triſt. El.* 3. *v.* 63.

> *Cùm cecidit Capaneus ſubito temerarius ictu.*

Hinc Capaneus. Stat. *l.* 8. *Theb. v.* 662.

> —. — *Capaneaque pronus*
> *Jam procul Amne volet agnoſcenda catervis.*

Idem, *l.* 12. *v.* 764.

> —— *Capaneaque imſimum umbris*
> *Pectora.* —— ——.

Item Capaneius, Stat. *l.* 12 *Theb. v.* 545.

> —— *Arſa ante alim Capaneia conjux.*

Vide etiam *Apollod.* & Hyginum, *Fab.* 68 70. Addo, quòd cutem ejus in boum pelles duratam, habet Lutatius, *ad Statium, Theb. l.* 6. De combuſto verò ejus fulminati cadavere, vide Jac. Nicolaum Loënſem, *Miſcellan. l.* 3. *c.* 20. laudatum Caſp. Barthio, *Animadverſion. ad Papinium Statium l.* 3. *p.* 1560. Inter Taurisci celebris opera, Capanei quoque imaginem refert Plin. *l.* 15. *c.* 11.

CAPANNÆ, nomen plurium locorum in Gallia ruſticanorum & villarum; quæ partim *Chabannes*, partim *Chavannes*, nec non *Chevanuel* dicuntur. A' voce *Capanna*, quæ apud *Iſidorum* agreſtem caſam notat, Gall. *Cabanne.*

CAPARA, Luſitaniæ urbs *Ptol.* aliàs *Capera.*

CAPARATÆA, Samariæ vicus *Juſtino*, & *Euſebio*, unde Menandrum quendam Simonis Magi diſcipulum oriundum tradunt.

CAPARCELIS, Armeniæ minoris oppid. *Ptol.*

CAPARNAUM, fons juxta Geneſareth lacum, quem nonnulli Nili fluminis venam opinantur. Joſeph. *Bell. Jud. l.* 3. *c.* 12.

CAPARO ſeu CAPERO, Italis *Caperone*, Gall. *Chaperon*, Occitanis *Capayron*, vox eſt recentioribus uſitata, Gerberto *de Vita ſua*, *l.* 1, *c.* 22. & in *Regulis Monaſticis* paſſim: pro tegmine capitis, cucullâ. A' *caprone*, h. e. capillis muliebribus demiſſis in frontem, dicta. Viro docto *ad Tacit. Annal. l.* 3. *quòd*, inquit, *in vultum ſe demittat à capite* Alii potiùs quaſi *brevior capa*, quæ majori capæ ſubſternitur. Formam ejus deſcribit Car. du Freſne verbis *Statut.* MSS. Ordinis Milit. Coronæ Spineæ ſub Carolo VI. Vide eum in *Gloſſar.* Villicos olim id capitis geſtâſſe, hodieque in uſu eſſe Novitiis Capucinorum, Profeſſis verò eorum non imponi, niſi cùm ignominiæ pœnam merentur, leges apud Dominic. Macrum in *Hierolex. Caperonem uſque ad cingulum habet*, Matthæus Pariſius alicubi, apud Eund. Vide quoque infrà in voce *Cappa.*

CAPAROSA, Judææ urbs. *Ptol.*

CAPASA, Luſitaniæ urbs. *Ptol.*

CAPASTITE, Aſiæ præfectura. Plin. *l.* 5. *c.* 9.

CAPDENACUM, caſtrum Galliæ, vulgò *Cadenac*, ſitum inter Figiacum, & civitatem Rutenorum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAPDETUS, Gall. *le Capdet*, cognomen impoſitum Carolo Albretano, qui reus Majeſtatis damnatus eſt, quòd Johannis Armeniaci partes ſectatus eſſet: Ita autem ſecundò-genitos appellant Occitani, unde reliqui Galli *Cadets* dicunt. Vocis origo à *cap*, h. e. *caput*, quaſi *minora capita*, reſpectu primogenitorum, qui *Capita* vocabantur, *capita domus*, Gall. *les Chefs de maiſon*: tametſi dominos quoſvis ſic appellâſſe videantur *Bigorritani*, Car. du Freſne *Gloſſar.*

CAPE *Ptolemæo*, Africæ propriæ urbs ad Syrtim minorem ſita, *Caps* vocat *Caſtaldus*, *Tacape* habent hôc locô Latina Ptolemæi exemplaria.

CAPEDUNUM, Scordiſcorum oppid. Strabo, *l.* 7. *Capaſlein* & *Capfenberg Lazio.*

CAPELLA, Poëta. De quo Ovid. *de Ponto*, *l.* 4. *El.* 16. *v.* 36.

> *Clauderet imparibus verba Capella modis.*

CAPELLA, arx Gall. munita, in Picard. & Titaſciæ tractu, vix 2. leuc. ab Oeſia fluv. 4. leuc. ab Avenna in Auſtrum in confinio Hannoniæ, erecta ultimô ſeculô, contra Belgas, *la Chapelle* Gall. Vide *Valeſium.*

CAPELLA, ſeu CAPRA *lactens*, inter ſacrificia, pro peccato per ignorantiam commiſſo, occurrit Levit. *c.* 4. *v.* 27. *& ſeqq. Quòd ſi unus quiſpiam peccaverit per errorem ex vulgo, faciendo aliquid præter mandata Jehovæ* — *tum adducet oblationem ſuam capram lactentem integram, fœminam* — *& inicito* (illô) *manu ſuâ ſuper caput iſtius peccati, jugulabit* (Sacerdos) *peccatum iſtud in loco holocauſti*, &c. Item inter ſacrificia, in aliis peccatorum leviorum caſibus, offerri ſolita, qui recenſentur, *c.* 5. *v.* 1, 2, 3, & 4. *Quum peccaverit quiſpiam & audierit vocem blaſphemiæ, cujus ipſe teſtis ſit — ſi non indicet — Aut quum quiſpiam tetigerit rem ullam immundam aut cadaver — aut quum tetigerit immunditiam hominis*, &c. *v.* 6. *Et adducet reatum ſuum Jehovæ — fœminam lactentem ovem aut capram lactentem in reatum.* Cujus vice egenis duo turtures, aut duo pulli columbæ, permittuntur, *v. ſeq.* &c. Vide quoque infrà paſſim, imprimis in voce *Capra.* De *Capella* verò, ſigni cœleſtis, ortu, Plin. *l.* 18. *c.* 26. & cultu apud Peruanos, infrà *Peruvia*

CAPELLA, diminutivum ex *capa* ſeu *cappa*, quaſi *brevior capa*, apud Adalardum in *Statutis* antiquis Corbeienſis Monaſterii, *l.* 1. *c.* 3. Sic meminit *Capellæ S. Martini* Marculfus, *l.* 1. *Form.* 38. *Sed dum inter ſe intenderent — fuit judicatum — quod in Palatio noſtro, ſuper Capellam domini Martini, ubi reliqua ſacramenta percurrunt, debeant conjurare.* Ubi *Capella* Carolo du Freſne, eſt brevior Martini *capa*, in Palatio aſſervari ſolita, quam *Roccam* S. Martini vocat Sangallenſis, *l.* 2. *c.* 27. *Carolus habebat pellicium berbicinum, non multum ampliori pretio, quam erat roccus ille S. Martini, quo pectus ambitus, nudis brachiis Deo ſacrificium obtuliſſe, aſtipulatione divinâ comprobatur.* Quo in loco tangit id, quod Severus, *Dial.* 2. & Fortunatus, *de Vita S. Martini*, *l.* 3. & *l.* 1. *Poëm.* 5. referunt, cum ſcil. Præſul hic ſacra facturus in Eccleſia, tunicâ tunicâ pauperem veſtivit, & *bigerrica* veſte brevi atque hiſpidâ, humeros contectus, cetera nudus, in templum perrexit. In cujus facti memoriam, aſſervatam illam bigerricam veſtem cenſet Car. du Freſne, inter reliquias hujus Viri celeberrimas, quam pallii ſeu *mantelli* appellatione vulgò inſigniunt Galli: item pallia vere fuiſſe olim bigerricas, non manicatas, uti extiterunt capæ. Atque hinc idem Auctor ipſam ædem, in qua *Capa* hæc ſeu *Capella S. Martini* aſſervata eſt, intra Palatii ambitum ædificatam, quò etiam reliquarum Sanctorum lipſana illata ſunt, *Capellæ* nomine inſignitam fuiſſe judicat, nomine poſteà ad alias quoque ejuſmodi ædiculas tranſlatô, &c. Qua de re quid ſentiendum, dicemus in voce *Cappella.* Certè *Palatinarum Capellarum* mentio, apud Franciearum rerum Scriptores frequens eſt: inter quas præcipua olim fuit Aquiſgranenſis, de qua vide Eginhardum in *Vita* Caroli M. Sigibertum, A. C. 795. Miræum, *in Codice Donat. Piar. l.* 2. *c.* 11. Barthol. Fiſenum, *in Hiſtor. Leod.* Alios. Cum nempe in Francico Regno palatia complura, & ferme in qualibet provincia haberent Reges, adeò ut, ſi iter agerent, ferme ſemper in Dominicis, uti vocabant, villis & palatiis habitarent: habuêre etiam in iiſdem ſacras ædes, quæ propriâ appellatione *Capellæ* vocabantur, in quibus reliquiæ Sanctorum, quas ſecum Capellani deferebant, reconderent & aſſervarent. Dicebantur *Capellæ* iſtæ his locis, *Regales*, *Regiæ* & *Dominicæ*, vel quod in Palatiis Regiis, uti dictum, vel ſaltem, quòd à Regibus, in dominicis & propriis prædiis eſſent extructæ & annuis proventibus locupletatæ, *dominicæ* ſcil. *dictæ*, ut eſt in Concilio Meldenſi A. C. 845 Habebantque id privilegii, ut ferè ſemper ab Epiſcoporum juriſdictione & exactionibus eximerentur, ſoli ſedi Pontificiæ ſubditæ: quô factum, ut interdictum ab Epiſcopis in eas promulgari non poſſet, uti legitur apud Innocentium III. *l.* 15. *Ep.* 125. &c. Sed & *Capellæ* nomine interdum denotantur miniſteria ac vaſa ſacra, quæ Sacerdoti ad peragenda ſacra neceſſaria ſunt. Cùm namque aſſervarentur in Capellis iſtis Palatinis, præter reliquias, vaſa quoque, inſtrumenta, ornamenta, ac cimelia Eccleſiaſtica majoris momenti, quæ *Miniſteria* vulgò dicta; ea proceſſu temporis nomine collectivô *Capellæ* poſtmodum donata ſunt. Domnizo de *Vita* Mathildis, *l.* 2. *c.* 14.

> Capellam *totam, quam præbuerat pretioſam:*
> *Huic Domno digno Comitiſſa Mathildis, in ipſo*
> *Templo confeſtim rapuit, plebs peſſima fregit.*

Infrà,

> *Et domina cunctam capellam reddidit, ultra*
> *Non aliquid retinens.*

Imò & ipſis hinc, quæ reliquias continere ſolent, phylacteriis & capſulis, nomen inditum. Evodius de *Miraculis S. Stephani*, *l.* 1. *Capella argentea, in qua erat reliquiarum portio.* Inſcr. capſæ reliquiarum, quam Carolus Rex per Salomonem Monachum ad S. Gallum miſit;

> *In Cruce atque pia cum ſanctis capſa Maria,*
> *Hanc Karolus ſummam delegit habere* Capellam.

Porrò, pro ipſo integro caparum Eccleſiaſticarum apparatu, h. e. *capâ*, tunicâ, dalmaticâ, vocem ſumi, docet Catellus, *Hiſt. Occitan. p.* 901. ex veter. Charta. Et quia in *Capella* Principis ſeu Oratorio, Archivum, diplomata & Regni monumenta non minùs olim, ac hodie, aſſervarentur, inde pro Cancellaria non raró occurrit: in Anglia imprimis, ubi Archivum Regium etiam in Capella, hinc *Capella Rotulorum* appellatâ, cuſtoditur. Quô factum, ut, qui deſcribendis Regiis publiciſve inſtrumentis addicebantur, *Cappellani* vulgò jam olim audirent, uti videre eſt in voce *Capellanus.* Plura in hanc rem vide apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Addendum ſaltem, apud Adamum Bremenſem, c. 207. *Capellam* quoque dici cœtum Clericorum, qui, vulgò *Capellani* dicti, Epiſcopis inſerviunt, eorumque miniſterio præſto ſunt, ex Eod. &c. Poſterioribus temporibus *Capellæ* dictæ ſunt quævis ædiculæ ſacræ, Oratoria, quæ proprios Sacerdotes non habebant, ſeu ædes ſacræ, quæ non erant baptiſmales. Joh. de Janua, *Capella*, *parva Eccleſia, quæ nec habet baptiſmum, nec cœmiterium*, &c. Bononiæ, in Italia, ſic appellari Urbis regiones, obſervatum eſt Antonio Paulo Maſino, quâ nomenclaturâ *Parochias* indigitari ait. Vide Henſchenium *in Miraculis B. Simonis Tudert. ad diem* 20. *April.* Etiam vulgò ſacella ſic dicuntur, ſeu majorum Templorum appendices, vel ædiculæ, ædi ſacræ majori adjunctæ, quas *Cubicula* vocavêre Veteres, teſte Octaviô Ferrariô *in Originibus Ital.* voce *Capella*, &c.

CAPELLA, fortè à Ciceroniano *capſa*, & Pliniano *capſella*, in genere ciſtam, ciſtulam, ſcrinium: in ſpeciali id, ubi Martyrum reliquiæ reponuntur, denotat. Hinc pro ædicula, in qua reliquiæ aſſervantur, & perinde pro quovis ſacello ac Oratorio. Sed capſam à *Capella* diſtinguere videtur Ekkehardus Jun. qui obiit A. C. 996. hanc pro ſacra ædicula, illam pro ſcrinio reliquiarum ponens.

ponere. *Capella regia*, non à ſacris tantum locus fuit, ſed etiam Graphiarium, Secretarium, Chartophylacium & Archivum, quò mandata & reſponſa regia, Chartæ, Epiſtolæ, Brevia, à Capellanis regiis condebantur, ſcribebantur & emittebantur; reſcripta & monumenta Regni, ſacrâ quaſi cuſtodiâ, conſervabantur. *Capellæ* hinc appellatione, continebatur etiam aliquando Cancellaria. Vide Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* & infrà in voce *Capellani.*

CAPELLA Aufidius, inſignis Orator, à M. Aur. Antonino Phil. ſelectus, ut eſſet, cum aliis, Magiſter Commodi Imperatoris. Lamprid. c. 2.

CAPELLA Marcianus Minæus Felix, Afer, uti videtur, ſcripſit *Mercurii & Philologiæ nuptias.* Geſſit Proconſularem dignitatem, ut ipſa de ſe ultimò ſuorum voluminum Epigrammate teſtatur. Vide Voſſ. *de Hiſtoricis Latin. l.* 3. *p.* 712.

CAPELLÆ Cuſtos, vide *Cuſtos Capellæ.*

CAPELLANI, primò dicti ſunt, qui capellam reliquiarum curabant, deinde, qui ſacellum, ubi eadem ſiſtebantur: & tandem omnes, qui à ſacris miniſtrabant, clerici nempe & ſacerdotes. Vide Walafr. Strabonem, qui floruit A. C. 700. *de exord. & increm. rerum Eccleſ. c. ult.* Honorium *Serm. de S. Martino*, Durandum, *Ration. l.* 2. *c.* 10. ubi inquit: *Antiquitùs Reges Franciæ ad bella procedentes, Capam S. Martini ſecum portabant, quæ ſub eodem tentorio ſervabatur, quod ab ipſa capa dictum eſt capella, & clerici qui cuſtodis* Capellani. Sed vocabula hæc *Capella* & *Capellanus*, nuſquam deprehenduntur ævis S. Martini, qui A. circiter C. 400. obiit, nec in ſubſequenti: unde fabulam illa narratio ſapit. Dicti poſteà *Capellani* quoque, qui aliàs Scribæ & Notarii, aliàs Secretarii, tandem Cancellarii, i. e. ſcriptores, quorum primarius *Archicapellanus* & ſcribarum princeps appellatus eſt: hodie ſummus Cancellarius. Sic Einhardus Caroli M. Imperatoris Cancellarius, vocatur Archicapellanus in *Chron. Schwartzahenſi*, i. e. Princeps Scribarum, ut notat Goldaſtus, *ad c.* 11. *Ekkehardi Jun.* Sed Hincmarus Capellanum & Cancellarium, diverſos facit in aula Franciæ, *Ep.* 3. *c.* 16. Veſtigium rei hujus hodieque apud Anglos, ubi præcipua Cancellariæ ſtatio, ſcil. Archivum ipſum, quò diplomata & regni monumenta (*rotulos vocant*) cuſtodiuntur, in capella habetur, quæ à munere *Capella Rotulorum* appellata eſt. *Capellani* verò nunc Anglis propriè, qui Magnatibus à ſacris ſunt. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* & ſuprà in voce *Capella*: Vide quoque mox dicenda.

CAPELLANUS, Imperii Romani nomen dignitatis, quâ functus olim Petrus Diaconus Caſinenſis, ut ipſemet teſtatur *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 58. Idem de quodam Rainaldo, c. 116. *Cum fratribus*, inquit, *inter Imperii Capellanos conſtitutus eſt.* Sic *Archicapellani Romanorum Imperatricis* dignitatem habuêre jam olim, Abbates S. Maximini Trevirenſis, uti Nic. Zyleſius auctor eſt, *in Defenſione ejuſdem Monaſterii, Part.* 1. *ſect.* 2. §. 4. ut omittam *Capellanos Abbatum*, quorum *Provinciale* Eccleſiæ Cantuar. *l.* 3. *tit.* 19. *Capellanos Epiſcopales* & *Regales*, quorum Concilium Colon. A. C. 1260. *c.* 10. *Capellanos Principum*, quorum Concilium Claromont. *A.* C. 1095. *can.* 18. meminêre, de quibus omnibus videre eſt *Gloſſarii* præfati Auctorem. Fuit autem in Gallia primitus dictus *Capellanus*, ſecundum eundem, qui *Capam* ſeu *Capellam* S. Martini vel in Regum palatiis aſſervabat, vel in præliis, cum cœteris reliquiis, qui tum gentis mos erat, deferebat, qua de re, quid ſentiendum, diximus in voce *Capellæ*. Poſteà in Palatiorum ſacellis, peragendis ſacris officiis operam dediſſe *Clerumque* effeciſſe *Palatinum*, eum qui præerat, *Capellanum* κατ' ἐξοχὴν ſeu *Archicapellanum* dictus eſt, legimus apud Hincmarum *de Ordine Palatii*, c. 16. In quos acriter olim invectus eſt Wala Abbas Corbejenſis, ut docet Paſchaſius Rachpertus in ejus *Epitaphio*, *l.* 2. *c.* 5. ubi inter alia illos *non ob aliud ſervire, niſi ob honores Eccleſiarum & quæſtûs ſeculi ac lucri gratiam, ſine probatione Magiſterii, atque ambitiones Mundi*, ait. Miniſtrabant verò in hac functione viri dignitate illuſtres, Epiſcopi videl. & Abbates; è quibus ad dignitates Eccleſiaſticas poſtmodum non pauci à Regibus electi: habebantque *Abbatum* nomen. Crevit dignitas, cùm Cimelia etiam & Archiva Regia illis crederentur, utque *Cancellariorum* quoque & *Notariorum* munus obirent: quod quidem ſubinde reprehenderunt Eccleſiæ Gallicanæ Præſules, ægrè ferentes, Clericos & Presbyteros *Cancellariorum* munere defungi. Concilium Cabillonenſe II. *A.* C. 813. *c.* 44. *Scripſimus Presbyteros villicos eſſe non debere & nunc eos in tabernis bibere, Cancellarios publicos eſſe, mundinas inſolentes peragrare.* Unde & apud Burchardum, *de Eccleſ. Diſcipl. l.* 1. *c.* 50. *Presbyteri & Clerici Chartas dominorum ſuorum ſcribere vetantur.* Id enim eouſque invaluerat, ut *Capellani* Procerum eorum eſſent Amanuenſes, Epiſtolaſque & Diplomata conſcriberent, quod teſtantur veteres paſſim Chartæ, quæ à *Capellanis* ſcriptæ dicuntur, &c. Sic itaque *Archicapellani*, qui illis præerant, Archicancellariorum quoque munus adminiſtrabant, non olim duntaxat & primâ ſtante Regum familiâ, ſed etiam ſub tertia, ita, ut, qui Regum Diplomatis ſubſcribebant, promiſcuè non rarò, modò *Archicapellanos*, modò *Archicancellarios*, ſeſe ſubſcriberent, ut Dodo, Dagoberti Regis Referendarius; Itherius, qui paſſim Caroli M. Diplomatis nomen ſuum ſubſcripſit; Gozlinus Abbas S. Germani de Pratis, ſub Carolo Calvo, Balduinus, Henrici Regis Cancellarius, Alii: Quamvis aliàs dignitates hæ, muneris quidem ac officii affinitate conjunctiſſimæ, attamen diverſæ in Aula eſſent. Sed & Clericorum cauſis præfuiſſe eoſdem, teſtatur Walafridus Strabo *de Rebus Eccleſiæ*, *c. ult.* *Quemadmodum ſunt in Palatio Præceptores vel Comites Palatii, qui ſecularium cauſas ventilant; ita ſunt & alii, quos* ſummos Capellanos *Franci vocant, Clericorum cauſis prælati.* Etiam ad Capellanum principem Regiæ menſæ ſpectabat benedictio, ut teſtatur Theodulfus Aurelianenſis, *Carm. de Hildeboldo Archicapellano*, p. 185.

Adſit Præſul ovans animò vultuque benignus,
Ora beata ferens, & pia corda gerens.
Quem ſincera fides, quem tantus culminis ordo,
Pectus & innocuum Rex tibi, Chriſte, dicat.
Sit benedicturus Regis potumque cibumque,
Sumere quæ etiam Rex velit, ille volet &c.

Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* ubi ſubnectit *Archicapellanorum Palatii Francici* ſeriem, ut Scriptoribus & veterib. Tabulis, à ſe deſcriptam: è qua iſta excerpſimus:

Capellanorum ſummorum Franciæ ſeries.

Ruſticus, poſteà Epiſcopus Cadurcenſis, ſub Chlotario I.
Bertharius, poſteà Carnutenſium Epiſcopus ſub Chlotario II. in *Vita* ejuſdem.
Ricolfus, aliis *Rucolfus*, ſub Dagoberto.
Launus Abbas S. Eparchi, poſtmodùm Epiſcopus Ecoliſmenſis, ſub Pipino.
Fulradus, Caroli Martelli, ex Hieronymo fil. nepos, ſub eodem.
Andreas Epiſcopus & *Capellanus* Caroli M.
Ludebertus, ſub eodem.
Ingelrannus ſeu Engelramnus, Epiſcopus Metenſis, ſub eodem.
Hildibaldus, Archiepiſcopus Colonienſis, ſub Carolo M. & Ludovico Pio.
S Angilbertus, Berthæ Caroli M. genitæ maritus, Abbas Centulenſis, ſub Carolo M.
Hilduinus, Abbas Monaſterii S. Germani Pariſ. ſub Ludovico Pio.
Fulco Presbyter, ſub eodem.
Drogo, Caroli M. filius nothus, Metenſis Epiſcopus ſub eod. Ludovico.
Guntharius Archiepiſcopus Colon. ſub Lothario Imperatore.
Ebroinus, Epiſcopus Pictavienſis & Abbas S. Germani de Pratis, imperante Car. Calvô.
Gozlinus, Abbas itidem S. Germani de Pratis, ſub eodem.
Joſeph, Epiſcopus Eporedienſis, ſub Ludovico Lotharii filio.
Fridebaſtus, aliis *Fridebertus*, Epiſcopus Pictavienſis, ſub Pipino Aquitaniæ Rege.
Remigius, Archiepiſcopus Lugdunenſis, Caroli Burgundiæ Regis Lotharii Imperatoris *Palatii Capellanus ſummus.*
Grimaldus, Abbas S. Galli, ſub Ludovico III.
Adventius, Epiſcopus Metenſis, ſub Lothario Rege Lotharingiæ, A. C. 868. apud Zyletum.
Cozbaldus, ſub Ludovico Bajoariæ Rege.
Granoldus, ſub eodem.
Deotmarus, ſub Arnulfo Rege.
Theotmarus, ſub Arnulfo Lotharing. Duce.
Hermannus, ſub Rege Zuentibaldo.
Rutgerus Archiepiſcopus ſub eodem.
Balduinus, ſub Henrico Rege circa A. C. 1047.
Ratbodus, Archiepiſcopus Trevirenſis ſub Carolo Simplice, A. C. 917. &c. Poſt hæc deſiit apud Francos *Archicapellanorum* appellatio, & munus hoc ac dignitas in *Capellanorum*, deinde Primorum & Magiſtrorum Capellanorum Regis titulum tranſiit, de quibus crebrò in veterib. Tabulis Regum præcipuè, quoſque cum præcipuis Palatii & Aulæ Regiæ Miniſtris ſubſcripſiſſe, conſtat, &c.

CAPELLANUS Pontificis Romani, nomen Jureconſultorum, quos Pontifex gravibus in negotiis conſulere conſuevit. Poſtquam enim cauſas ex toto Orbe confluentes ad Urbem Pontifex in ſacello, quod *Capellam* nominant, adhibitis Juriſconſultis audire cœpit, illi à loco *Capellani* nominati ſunt. Et quidem hi cùm olim plures eſſent, hodie ſunt numerò XII. ſolummodò, ex generali & priſca delegatione in unum ordinem redacti, qui audiendi cognoſcendique facultatem habent, *Auditoreſque cauſarum ſacri Palatii* jam dicuntur, quas ex ſpeciali Reſcripto plerumque decidunt, & etiamnum priſcam appellationem retinent, atque in *Capella* ſacris inſerviunt. Ex horum numero Bernardus Bottonus Parmenſis fuit, qui *Gloſſas* omnium, qui ante ipſum ad Jus Canonicum commentati ſunt, in unum collectas ampliavit, circa A. C. 1240. Gerh. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccleſiaſtici num.* 361.

CAPELLARE, in *LL.* antiquis, pro *ſcapellare* eſt, à *ſcapello*, quod bacillum notat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 53.

CAPELLATIUM, quod & *Palas*, Alemaniæ regionis nomen. *Amm. Marcellin.* hodie *Pfaltz*, quæ, teſte Rhenano, *Palatinatus* nominatur. Aliis eſt *Bergſtraſſe*, quà itur Francofurtò Heydelbergam. Vide præfatum Rhenanum, *Rerum Germ. l.* 1. & ad eum *Notas* Ottonis JCti, nec non infrà voce *Pala*.

CAPELLIANUS, præfectus Mauritaniæ, ſub Maximinô, utrumque Gordianum, Imperatores in Africa proclamatos, & à Senatu approbatos, aggreſſus vicit, Filiò ætat. 47. in prælio occiſô, Patre ex deſperatione ad laqueum redactô, A. C. 237. Jul. Capitolin. *in Gordiano trib. c.* 15. Herodian. *l.* 7. *c.* 9.

CAPELLINA, vox recentioris ævi, occurrit in *Vita B. Juſtinæ de Aretio num.* 3. ac ſignificat ſeſtum precatoriorum globulorum, vulgo *Roſarium*, German. *Roſenkrantz*, Italis *Capellina*, *Chapelet* Gallis, quò in Communione Romana Deiparam ſalutare mos eſt. Originem *Roſarii* hujus ſeu recitationis orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ ad ſtatos calculorum ſeu globulorum numeros, arceſſit Car. du Freſne à pœnitentiis Monaſticis vel etiam regularum Monaſticarum præceptionibus, in quibus certi earundem orationum à Monachis dicendarum numeri imponebantur, quos ut ii faciliùs numerarent, munuſque ſibi injunctum exſequerentur, per calculos & globulos recenſebant: ad quos jam ſuô tempore preces exactas fuiſſe, docet Palladius in *Hiſtor. Lauſiaca*, c. 23. ubi de Paulo Monacho, Ἔργον δ' αὐτῷ ἦν ἀδιαλείπτως γέγονε, inquit, τὸ ἀδιαλείπτως προσεύχεσθαι: οὗτος τριακοσίας εὐχὰς τὰς κανονικὰς, τοσαύτας ψήφους συνάγων, καὶ ἐν τῷ κόλπῳ κατέχων, καὶ ῥίπτων καθ' ἑκάστην εὐχὴν ἐκ τοῦ κόλπου ψῆφον μίαν, *Exercitationi*

ejus pars præcipua fuit, non intermiſſa unquam oratio. *Habuit enim ſignatas preces trecentas, & totidem calculis collectis, hos in ſinu ſuo tenuit, ad precum quamlibet unum e lapillis e ſinu projiciens.* Car. du Freſne *Gloſſar.* Sed pauperis eſt, numerare pecus: vide de hoc ritu ſuprà, *ſuô locô.*

CAPELLIS ſeu CAPRIS inſidentes, in primis militiæ rudimentis, jaculari olim diſcebant tyrunculi. Juvenalis, *Sat.* 5. *v.* 155.

Qui tegitur parmâ & galeâ metuensque flagelli,
Diſcit ab hirſuta jaculum torquere capella.

Capras certè inequitari conſueviſſe docet Scriptor Italus, apud Geſnerum, *deſcript. Terræ Sanctæ*, *Capra membrana in regione Damiata dicta ferè æquitantem ſellam, frenum & cætera, quibus equi inſtrui ſolent, admittit.* Et Leo Africanus, *Ego quondam, juvenili fervore ductus, horum animalium dorſo inſidens, ad quartam milliaris partem ſui delatus.* Sic iiſdem ad eſſedum junctis nonnullos geſtatos fuiſſe, ex Martiali diſcimus, *l.* 4. *Epigr.* 32.

Geſtari junctis niſi deſinis, Hedyle, capris.

Et in Circenſibus pueri hircos equitabant phaleratos & capiſtratos, teſte *Epigramm.* 28. *Anthol. l.* 1. *c.* 33.

Ἡνία δὲ σοὶ παῖδες ἐνὶ, τράγε, φοινικόεντα
Θῆκαν, καὶ λασίῳ φιμὰ πέρι στόματι,
Ἵππια παιδεύοντες θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα
Ὄφρ' αὐτοὺς φορέῃς ἤπια τερπομένους.
Purpureas pueri tibi habenas, ô hirce imponentes, & hirſutum capiſtrum circa os,
Equeſtria ludunt Dei prope templum certamina,
Ut ipſos portes blande exhilaratos.

Vide Sam. Bochart. *Hieroz.* Part. 1. *l.* 3. *c.* 19.

per CAPELLUM Prioris inveſtitura, vide infrà.

CAPENA, quæ *Capena Steph. Canapina* vulgò, oppid. Hetruriæ, nunc caſteum ſtatus Roncighonis, in ditione Pontific. 7. milliar. circiter à Viterbio & Caprarsia, *Baudrando.* Hinc Capenates Italiæ populi Cluſinis vicini. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Capenus*, nomen gentile, Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 697.

Et Cimini cum monte lacum, lucoſque Capenos.

CAPENA, porta urbis Romæ, *Porta di S. Sebaſtiano.* Ovid. *l.* 6. *Faſt. v.* 192.

Appoſitam dextra porta Capena via.

Dicta eſt & *Fontinalis*, à multitudine fontium. Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 11.

Subſtitit ad veteres arcus madidamque Capenam.

Ibi Capenas fluviolus. Sil. *l.* 13. *v.* 85.

Et ſacer humectat fluvialia rura Capenas.

Dicta etiam eſt *Triumphalis*, quòd triumphantes per eam in urbem invehi ſolebant. Prima fuit urbis regio, in cujus vicinia Camenarum vicus. Juvenalis vetus Scholiaſtes, *ad v.* 11. *Sat.* 3. *Stent*, inquit, *aſpectans rhedam, ubi ſolent Proconſules jurare, in via Appia, ad portam Capenam, i. e. ad Camenas*, lege *Camenas.* Nomen portæ à Capenis. Servius *ad Æneid. l.* 7. *v.* 697.

Et Cimini cum monte lacum lucoſque Capenos.

Et quia aquæ ductus hic celebris fuit, inde Capena *madida* dicitur Poëtæ: *quia ſupra eam ductus fuit, quem poſteà appellârunt arcum ſtillantem*, Vetus Scholiaſtes Juvenal. *loco modò citato.* Unde Martialis, *l.* 3. *Epigr.* 47. *v.* 1.

Capena grandi porta quâ pluit guttâ.

CAPER, nomen proprium Grammatici.

CAPER, in phiala expreſſus, pro emblemate, inter opera Myos an Myronis, Veteribus maximè celebratus eſt. Poëta,

Stat caper in phiala, docti Myos anne Myronis?

Ita nempe, ut integer & ὁλόγλυφος appareret, non πρόστυπος, h. e. ut non tantùm unum latus oſtenderet, reliquâ ſui parte poculo affixâ: ſed ut totus & apparens omni ex parte emineret. Quemadmodum apud Athenæum, *l.* 5. legimus, Οὗτος δ' εἶχεν ἄνωθεν κατάθεσιν ἀπεξυσμένα ὁλόγλυφα ζῷα, καὶ ἐν τῷ τραχήλῳ καὶ ἐν ταῖς γαστράσι πρόστυπα ἐμπαιστὰ πεποιημένα; ubi in ſuperiori parte cælata animalia ſic erant, ut tota conſpicua apparerent: in collo verò & ventre proſtypa adhærebant, dimidiâ tantùm ſui parte expreſſâ. Alluſit eò Satyricus, *Sat.* 2. *v.* 75.

Criminibus debent hortos, prætoria, menſas,
Argentum vetus & ſtantem extra pocula caprum, &c.

Vide ſuprà ubi de arte *Cælandi*, & alibi paſſim: ut i de *Capro*, à jurantibus olim Diis mactato, ubi de Veterum *Juramentis.*

CAPER, fluv. Laodiceam clariſſimam Cariæ urbem cum Lyco & Aſopo amnibus alluens, Strabo. *l.* 12. *Capros* Plinio, *l.* 5. *c.* 29. dicitur, qui etiam eſt Aſiæ minoris fluv.

CAPER Emiſſarius, vide ſuprà in voce *Azazel*, & infrà in *Hircus.*

CAPERE, verbum ſignatum & quaſi conſecratum, de Veſtalibus dicebatur, cùm in ordinem hunc legerentur. A. Gellius, *l.* 1. *c.* 12. *Qui de Veſtali Virgine capienda ſcripſerunt, quorum diligentiſſimè ſcripſit Labeo Antiſtius, minorem quàm annos VI. majorem, quàm annos X. natam, negaverunt, capi fas eſſe: item quæ non ſit patrima & matrima*, &c. Et paulo pòſt, *Virgo autem Veſtalis, ſimul ac capta eſt atque in atrium Veſtæ deducta & Pontificibus tradita.* Ubi capi idem eſſe, quod legi, innuitur ibidem: *Præterea Capito Ateius ſcriptum reliquit, neque ejus legendam filiam, qui domicilium in Italia non haberet.* Dicebatur autem *capi* Virgo, quia Pontificis Maximi manu prehenſa ab eo Parente, in cujus poteſtate eſt, veluti bellô capta, abducebatur. Verba, quibus is, quum Virginem capiebat, utebatur, hæc erant: *SACERDOTEM. VESTALEM. QUÆ. SACRA. FACIAT. QUÆ. JOUS.* (i. e. JOVIS) *SIET.* SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPOLO. ROMANO. QUIRITIUM. UT. EI. QUÆ. OPTUMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO; ut ex libro primo Fabii Pictoris idem Gellius citat. Et quidem *capiendi* jus primitus penès Reges erat, primaque quæ capta eſt, à Numa eſt capta, qui in univerſum quatuor eas inſtituit, cæpoque Geganiam, Veraniam, Canulejam & Tarpejam. Duas deinde alias Servius Tullius addidit, ſive ante eum priſcus Tarquinius Priſcus, & ſic ſemper ſex fuerunt. Pulſis poſteà Regibus, Pontifex Maximus in locum venit, ſed electione legibus adſtrictâ: continebatur enim Papiâ lege, *ut Virgines viginti legerentur.* Qui ſatis magnus numerus, ad unam *capiendam* placuit, ut ſors levior accideret, ſparſa ſic per plures. Sortitio verò fiebat Comitiis Caratis, ut etiam teſtibus res fieret & dignitas Sacerdotio adcreſceret dignitate actionis: & quidem ſortitio adhibebatur, ut quaſi divinitus è pluribus lecta exceptaque talis videretur, &c. Quam in rem vide plura apud præfatum auctorem. Sed & idem verbum etiam ad Flamines Diales, alioſque tranſlatum idem monuit *Ibid. Plerique autem capi virginem ſolam debere dici putant. Sed Flamines quoque Diales, item Pontifices & Augures capi dicebantur*: quod probat verbis P. Sullæ, *Rerum geſtar. l.* 2. & M. Catonis *Orat. de Luſitanis.* Additque ſub finem *Amatam* inter *capiendum*, à Pontifice Max. appellatam eſſe Virginem, *quoniam quæ primò capta eſt, hoc fuiſſe nomine traditum ſit.* Ubi vide eruditas Antonii Thyſii & Jac. Oiſelii *Notas.* Neque verò perſonæ ſolùm, ſed & loca *capi* dicebantur, quæ ad ſacrum uſum ſeparabantur. Hinc *captus locus*, apud *Feſtum*, h. e. legitimè ad ſacrificandum conſtitutus. *Captus ager*, ab Auguribus, &c. Vide Scaligerum *ad Feſtum.*

CAPERNAITÆ, doctrinam de manducatione Chriſti ſpiritualis per fidem, ad carnalem ἀνθρωποφαγίαν detorquentes, memorantur Joh. *c.* 6. *v.* 52.

CAPERNAUM, vide *Capharnaum.*

CAPERSANA, locus circa Zeugma Syriæ. *Amm. Marcellin.*

CAPERTINI, agri circa Maſſiliam. Juſtin. *l.* 43. *c.* 3. 4.

CAPERTURI, Commagenæ in Syria urbs. *Antonin.*

CAPETERUM, caſtellum circa radices montium prope Theodoſiopolim. *Cedrenus.*

CAPETI, arx circa Arzen. *Curopalates.*

CAPETINGI, in Regno Galliæ Carolovingis ſucceſſerunt, tertiam Regum ſtirpem, quæ hodieque feliciter perdurat, conſtituentes. Orti ſunt ex poſteris Wittekindi Saxonum Ducis, è quibus Hugo Magnus & Hugo *Capetus*, cùm Comitatum Pariſienſem obtinuiſſent (cujus ea ferè ſub Carolovingis fuit poteſtas, quæ olim, ſub Merovingis, Majorum Domus ſeu Comitum Stabuli) poſt obitum Ludovici V. ſecundùm alios, VI. hic poſterior, excluſâ Caroli ſtirpe, Regnum Franciæ ſibi vindicavit, Carolô Duce Lotharingiæ & filiô ejus Ottone (qui duo è Carolinis reſtabant) duplici prælió ſuperatis. Sub his, Comitiorum auctoritatem abolitam; præcipuos hoſtes Anglos olim, exin Hiſpanos; junctum Regno Delphinatum; adjectum Regnum Neapolitanum; introductam ſervitutem; Mediolanenſem Ducatum occupatum; aliaque memoratu digna, obſervat Georg. Hornius *Orb. Imper.* ubi de *Galliæ Regno.* Nomen illis ab Hugone Capeto præfato, qui etiam *Hugo Capocii* dicitur in *Chron. MS.* Bibliothecæ Thuan. quod deſinit in Carolo V. *Hugo Capet ſive Capucii, ſic dictus, quia, dum juvenis eſſet, capucia ſolebat auferre*: quibus conſona habet Landulfus de Colonna in *Chronico* itidem MS. & ex iis Nicolaus Gillius. Certè etiamnum Occitani *Capetos* ruſticos vocant, quòd *capa* caput tecti incedant, ut auctor eſt *Gondelinus*, Arvernique etiam hodie *Chapets* vocant illum, qui alios lepidè vexat. *Capucciorum* ſtirpem tertiam hanc vocat Radulfus de Diceto *p.* 606. ita ut ad *cappas* ſpectare voluerit. Vide Steph. Paſchaſium, *Diſquiſitionum Francic. l.* 8. *c.* 45. alioſque Hiſtoricos ejuſdem Regni, Car. inprimis du Freſne in *Gloſſar.* in voce *Capetus.*

CAPETUS, Albæ Rex, VI. ab Ænea, Capyos fil. Tiberini pater regnavit ann. 26. Ab A. M. 3064. Dionyſ. *Ant. Rom.* Ovid. *Met. l.* 14. *Fab.* 16. Vide etiam *Hugo Capetus.*

CAPEUS, Arabiæ Felicis ſinus. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

CAPHA, urbs Pontica à Turcis expugnata. Vide *Theodoſia.*

CAPHARA, civitas in tribu Benjamin. Joſ. *c.* 18. *v.* 26. aliàs *Caphira.*

CAPHARATH, oppid. in Galilæa, non procul, ut videtur, à Jotapata ſitum, in tribu Zabulon.

CAPHARBARUCHA, i. e. villa benedictionis, ſita in monte: quem ad locum uſque Abraham proſecutus eſt duos angelos euntes Sodomam, ad ſubvertendas urbes, quæ contra Deum tantopere deliquiſſent: quò etiam locô benedictionem à recedentibus accepiſſe videtur. Erat in tribu Juda.

CAPHARDUM, in *Statutis* Facultatis Artium in Academia Viennenſi Auſtriæ, *tit.* 10. §. 7. *Non utatur publicè hic in Univerſitate aliquô capuciô, aut epitogiô, aut* caphardô *foderatô, cum pellibus de vario*, ſpecies eſt integumenti capitis ſeu pilei. Vide quoque *tit.* 17. §. 18.

CAPHAREUS, mons altiſſimus & promontor. Eubœæ, *Capo dell' oro*, Helleſpontum verſùs, impetuoſus, & formidoloſus, propter ſcopulorum frequentiam & crebros undarum vortices. 20. milliar. à Scyro inſul. in Auſtrum, 18. à Cariſto. 70. è Chalcide in Ortum. Hic Nauplius, Eubœæ Rex, mortem filii Palamedis Ulyſſis dolô interfecti ultus eſt. Nam cùm Græci Trojâ dirutâ redirent, Nauplius facem in montis vertice poſuit, ut locus fidem portûs haberet, quò cùm veniſſent, multi naufragium fecerunt. Unde Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 261.

Euboica cautes, ultorque Caphareus.

Ovid. *Met. l.* 14. v. 481.

Quos communis hyems importunuſque Caphareus
Merſit aquis. ----

Et paulo antè, v. 472.

---- *Cumulumque Capharea cladis*

Et *l.* 1. *Triſt. El.* 1. v. 83.

Quicunque Argolicâ de claſſe Capharea fugit,
Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.

Seneca Tragœdus, *Agamemn. Actu* 3. v. 559.

Ubi ſaxa rapidis clauſa vorticibus tegit
Fallax Caphareus. ---- ----

Stat. *l.* 7. *Theb.* v. 371.

Non humiles Ægas altumque Capharea dixi.

Propert. *l.* 3. *El.* 6. v. 39.

Saxa triumphales fregêre Capharea puppes,
Naufraga cùm vaſto Graeca tracta ſalo eſt.

Idem *l.* 4. *El.* 1. v. 115.

Nauplius ultores ſub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Graecia preſſa ſuis.

Baſſus, *Antholog.* 1.

Οὐδ᾽ ἄρα μοι νόστοι Καφηρίδες αἱ πολὺ νῆες
Ὤλοντ᾽ ἐκ πόντου, καὶ ἐν ἄλλοις ἔλαθον.

Pacuvius in Duloreſte apud Priſcianum, in voce *Petros*, ait, *Paterr Achivos in Caphareo ſaxo pleros perdidit*. Meritò igitur יְרִי נְשִׁבַּר Capha rus, i. e. *contritor ſcopulus* à Phœnicibus eſt appellatus. Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, c. 13 14. *Nic. Lloydius.*

CAPHARNAUM, Graecè *Capernaum*, glorioſum & praeclari nominis emporium erat, atque ex decem primariis regionis decapoleos urbibus una, in tribu Nephthalim atque adeo florentiſſima totius Galilaeae Metropolis, quae reliquis pulchritudine, opibus, faſtu, luxuque excellebat: ſita eſt ad mare Galilaeae ſuper ripam Jordanis fluvii, in finibus Zabulon & Nephthalim, in amœniori & feraciori Galilaeae agro, atque ab Oriente quidem Jordanis, ab Auſtro verò ipſum mare urbis mœnia lambunt. Haec urbs cùm & commoditate ſitus, & pulcherrimorum aedificiorum ſplendore, & civium multitudine, ac opulentiâ, nobilis imprimis ac illuſtris eſſet, Chriſti tamen Dei filii inhabitatione longè facta eſt illuſtrior, in qua multa miracula edidit, & primùm in ea cœpit praedicare Euangelium regni Dei. Hic etiam Matthaeus ad Apoſtolatum vocatus. Nunc prorſus deſerta, poſtquam à Solimanno in cineres redacta eſt, niſi quòd pauca ibi Æthiopum familiae, qui à peregrinis loca ſacra quaerentibus pecuniam extorquent.

CAPHARNAUM, ſive CAPERNAUM, fons uberrimus murò circumdatus: in tribu Nephthalim, ſcaturit è pede montis Chriſti, ac mox in fluvium excreſcit, qui ſimiles coracino Alexandrino generat ac nutrit piſces: dividitur autem hic fluvius in tres rivos, quorum primus inter fontem hunc & urbem Capharnaum medius, mare Galilaeae ingreditur, ſecundus ſuò aquaeductu Bethſaidam civitatem tranſit: tertius verò terram Geneſar irrigat, & tandem à mari Galilaeae abſorbetur. Sed & *Capharnaum*, oppidum fuit maritimum prope Caeſaream in tribu Manaſſe, aliud ab illo cujus in Euangelio fit mentio. Tyr. *l.* 10. *Bel.* c. 26.

CAPHARSALAMA, urbs. 1. Macchab. c. 7 v. 31.

CAPHARSORECH, nomen torrentis eſt: ſed & uſque hodie ad Septentrionalem plagam Eleutheropoleos vicus oſtenditur, nomine *Capharſorech*, juxta villam Saraa, unde fuit Samſon. Eſt in tribu Dan.

CAPHARTOBAS, Idumaeae vicus. Joſeph. *Bell. Jud. l.* 5. c. 4.

CAPHAS, Libyae interioris mons. *Ptol.*

CAPHERDAGO, grandis vicus inter Dioſpolim & Jamniam demonſtratur. Eſt in tribu Dan.

CAPHELETHA, muri Hieroſolymitani pars. 1. Macchab. c. 12. v. 37. lege *Caphenatha*.

CAPHERIS, inter deſertas inſulas, quae inter Cherſoneſum, & Samothracem ſunt, numeratur. Plin. *l.* 4. c. 12.

CAPHIRA, vide *Caphara*.

CAPHISTERIUM, apud Columellam, *l.* 2. *RR.* c. 9. idem quod *Scaphiſterium* eſt, alveus videl. in quo infantulis lotamenta lavabantur. Sic μάραγδος pro σμάραγδος, apud *Menandrum*,

Μάραγδον εἶναι ταῦτ᾽ ἔδει καὶ σάρδιον.
Smaragdum eſſe iſta oportebat & ſardium.

Vide Salmaſ. *ad Capitolin. in Clodio Albino*, c. 5.

CAPHRENA, oppid. Plin. *l.* 6. c. 26. *Dicta eſt in Zeugmate Apameis, ex qua orientem petentes excipit oppidum Caphrena munitum*, &c. ubi tamen aliae editiones *apprime munitum* habent, Venetianam dico & Parmenſem.

CAPHTHORIM, i. e. *ſphaera*, ſive *poma*, aut *vola* vel *palma tortorum* vel *exploratorum*, populi Gen. c. 10. v. 14. De quibus Bochart. *Phaleg. l.* 4. c. 32. *per totum.*

CAPHYIA, urbs Arcadiae. *Steph.*

CAPIBREVIUM, ſcripturarum faſcis, in quo breviter bonorum capita notantur, Dominicus Macri: è quo vocabulo *Cabreum* Equites Melitenſes fecerunt, quibus id ſignificat Inventarium bonorum ſtabilium alicujus Commendae, cum ejuſdem ichnographia, arearum ſcil. & formarum deſcriptionibus, ſtatuſque antiqui & praeſentis relatione, unà cum atteſtatione authentica melioramentorum, &c. Quod omnes Priores, Balivi ac Commendatarii, ſingulis 25. annis renovare & offerre tenentur, in triplo; ut unum horum reponatur in Archivo Commendae, alterum in Archivo Conventuali illius linguae, & tertium in Archivo Prioratus. Vide eum in *Hierolexic.* in voce *Cabreum*. Carolo du Freſne *Capibrevium*, Acta Judicis vel Notarii notat, ex *Charta* Petri Aragoniae Regis, A. C. 1285. aliiſque monumentis, in *Gloſſar.* laudatis.

CAPICERIUS, vide infrà *Capitiarius*

CAPIDAVA, Myſiae inferioris urbs ad Danubium. *Antonin.*

CAPILLACEA Coma, apud Plin. *l.* 12. c. 25. ubi de balſamo, *Arboris tria genera: tenui & capillaceâ comâ, quod vocant Eutheriſton: alterum ſcabrô aſpectu, incurvum, fruticoſum, odoratius, quod Trachy appellant: tertium Eumeces, quia eſt reliquis procerius levi cortice*: idem ei eſt, quod ἰσχνὸν & τριχῶδες *Dioſcoridi*, de eodem balſami genere. Sed τριχῶδες, inquit Salmaſ. non dicitur, quod tenuem & capillaceam habet comam; verùm quod ſurculos tenues & capillaceos. Coma arborum & herbarum de folio dici ſolet, unde ἀκρόκομα talia: Cujuſmodi non eſt balſami id genus, cujus non folia, ſed frutex, tenuis ac capillaceus eſt, virgis ac ſurculis tenuibus ac τριχώδεσι refertus. Unde *Eutheriſton* id vocatum, διὰ τὸ εὐχερῶς θερίζεσθαι ἰσχνὸν ὄν, *quod prae gracilitate facilius tondeatur*: in balſamo verò non comae & folia, ſed ſurculi ſupervacui, tonderi ac amputari ſolebant. Vide eum *ad Solin.* p. 581. Atque hi ſurculi & ſarmenta, *Xylobalſami* nomine veniebant, quorum illud quod maximè exile & *capillaceum*, praeſtantiſſimum erat. *Theophraſtus*, εὔοσμα δὲ σφόδρα καὶ τὰ ῥαβδία, καθαίρεται γὰρ καὶ τούτου ἕνεκα καὶ τῆς ἄλλης εὐθενίας, *Odorata etiam impendiò virgae, ea propter amputantur & ampliore pretiô veneunt.* Nempe aliud *coma*, aliud *capillus*, θρὶξ καὶ κόμη: *comoſum* eſt πολύφυλλον & πολύκομον: *capillaceum*, τὸ τριχῶδες, quod inſtar capilli tenue ac fragile eſt. Et comae ſeu frondes in balſami frutice, haud ſecus ac in vite, tondebantur; Sed τὸ τριχῶδες τῶν θάμνων, de gracilitate ſarmentorum ac ſurculorum accipiendum, neque quidquam ad comam facit, idem *ibid.*

CAPILLARIS ſeu CAPILLATA ARBOR. Vide infrà.

CAPILLATI, populi inter Alpinas gentes. Plin. *l.* 3. c. 20.

CAPILLATI, pars Gothorum inferior, ſuperior enim *Pileati* dicta fuit: haec à ſacris, illa à Republ. Jornandes *de reb. Get.* c. 11. *Elegit namque ex illis* (Diceneus ex Gothis) *tunc nobiliſſimos prudentioreſque viros, quos Theologiam inſtruens, numina quaedam & ſacella venerari ſuaſit, fecitque ſacerdotes, nomen illis* Pileatorum *contradens, ut reor, quia opertis capitibus tiaris, quos pileos aliô nomine nuncupamus, litabant: reliquam verò gentem* Capillatos *dicere juſſit: quod nomen Gothi pro magno ſuſcipientes, adhuc hodie ſuis cantionibus reminiſcuntur.* Petrus Patricius *in Eclog. Legat. Decebalus,* (Dacorum Rex) *Legatos ad Trajanum miſit* Pileatos *dictos: hi enim apud illos ſunt honoratiores. Prius namque* Capillatos *miſerat, qui apud eos viliores aeſtimati ſunt.* Vide & Caſſiodor. *l.* 4. *form.* 49. Sic etiam apud Romanos olim vocabatur cultior ac junior familia; qui aliàs & *Comati*, Martial. *l.* 12 *Epigr.* 71. v. 9 & *Criniti*, Virg. *Æn. l.* 1. v. 744. dicebantur. Senecae, *Ep.* 119. *Nam ſi pertinere ad te judicas, quàm crinitus puer, quàm perlucidum tibi poculum porrigat, non ſitis.* παῖδας κομήτας appellat Lucianus. Claudian. *de bello Gildon.* v. 185.

Crinitos inter famulos, pubemque canoram
Ornatas jubet ire nurus. ----

Sed apud divites tantùm & fortunatos haec deliciae ſpectabantur. Unde Juvenalis de cœna pauperis, *Sat.* 11. v. 145.

Plebejos calices, & paucis aſſibus emtos,
Porriget incultus puer, atque à frigore tutus;
Non Phryx, aut Lycius, non à mangone petitus
Quiſquam erit in magno, cùm poſces, poſce Latinè.
Idem habitus cunctis, tonſi, rectique capilli,
Atque hodie tantum propter convivia pexi.

Ubi vetus Interpres, *tonſi rectique* explicat, *non comati.* Et Martialis, ubi *gregem capillatum* vocat, *l.* 2. *Epigr.* 57. v. 5. ubi Schol. *Ciratorum*, inquit, *nobilium puerorum, quibus coma alebatur, Paedagogiorum, hodie pages.* Dixi etiam, *junior familia*, quia ex voto eriorem, quem Deo paſcebant, tondere conſueverant, vel in ipſo virilitatis adventu, vel ad novae nuptae imperium; quo de Martialis, *l.* 11. *Epigr.* 79. v. 3.

Flammea texuntur Sponſae, nova nupta parata eſt,
Tondebit pueros jam nova nupta tuos.

I. e. *Tondebit catamitos tuos, tanquam emeritos & exoletos, poſtquam uxorem duxeris*, Screvel. *Notis in loc.* Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis.*

CAPILLATURA, *Papiae*, & *Johanni de Janua*, idem quod veteribus *Galerus* ſeu *Galericulus*, Gallis *Perruque*, Italis quoque *Capillatura*. Vide quae de *Capillamentis* Voſſius obſervat *de Vitiis Sermonis*, *l.* 2. c. 15. Aliàs *Capillatura*, idem cum coma, Barthius *ad Statium*. Et quidem *capillaturam* multis compagibus extructam gradibuſque ac ſpiris variis cumulatam ac convolutam, gerebant olim mulieres: quod *comam ſtruere* vocat Tertullian *de Pallio*, c. 4. *Ædificare caput*, Juvenal. *Sat.* 6. v. 503. Ipſe verò capillus ſic ornatus, *ſuggeſtus comae* eidem, *tutulus* Varroni, *l.* 6 *de L L. ſpiroſus capillus* Apulejo, ἐπανάστασις τριχῶν Luciano dictus eſt. Atque hinc *ſtructores Capillaturae* Tertulliano, *de cultu Feminar.* quos *Perrucarios* vulgò Galli vocant. Vide infrà ubi de *Comam ſtruendi ratione*. Ex alienis enim & aſcititiis capillis ſtrui illas ſpiras conſueviſſe, diſcimus ex Hieronymo, *ad Marcellam*, *quae capillis alienis verticem ſtruunt*. Salmaſ. *ad Tertullianum d. l.*

CAPILLATUS Bellonæ, in veter. *Inſcr.* i. e. Bellonarius, Sacerdos Bellonæ. Tales enim capillitium promittebant, ut omnes Fanatici ac Harioli ſolent: Unde ἀνέδην τὸ κόμιον tribuit Lucianus, & *Comatos* notanter vocat Val. Flacc. *l.* 7. *v.* 636:

—— —— Bellona vetus incitat ira comatos.

Ubi perperam *Comanos* legunt, à Comanis Cappadociæ urbe, in qua vetuſtiſſimum & celeberrimum Bellonæ templum fuit: Salmaſ. *ibid.* *p.* 356.

CAPILLI, apud Gothos & Boreales populos in magna olim veneratione. *In capillis eſſe*, idem eſt, ac in virginitate eſſe, Longob. *l.* 2. *Tit.* 14. *l.* 20. *& l.* 24. Nuptæ ex antiquo more caput tegebant, virgines nullum præbebant, demiſſis interdum à tergo crinibus. Virg. *l.* 1. *Æn.* *v.* 319. & 325.

Virginis os habitumque gerens & virginis arma,
Spartanæ, dederatque comam diffundere ventis.

Quò ritu antiquiſſimò hodie multis in locis nubentes utuntur, Principum præſertim filiæ. Feudiſtis nihil aliud videtur ſonare, quàm *in domo patris permanere*: ideoque ad ipſas quoque nuptas trahunt. *Capillum ſuſcipere*, adoptionis ſymbolum. Sic P. Diac. *de geſtis Longob.* *l.* 6. *c.* 53. *Circa hæc tempora*, inquit, *Carolus*, *Princeps Francorum*, *Pipinum fil. ad Luithprandum direxit*, *ut ejus*, *juxta morem*, *capillum ſuſciperet*. *Qui ejus Cæſariem incidens ejus pater effectus eſt.* Sic Benedictus II. cum clero & exercitu ſuſcepit mallones capillorum Juſtiniani & Heraclii filiorum Imperatoris, A. C. 684. Biblioth. *in ejus vita.* Vide quoque Aimoin. *de geſtis Franc.* *l.* 4. *c.* 57. Leonem Marſic. *in Chr. Caſin.* *l.* 1. *c.* 49. Hinc *Capilli* ſeu *Comæ detonſione* uſi ſunt Galliæ Reges, in abnegationem filii, Gregor. Turonenſ. *Hiſt.* *l.* 6. *c.* 24. Longobardi item conſpiratores tondebant, in notam infamiæ. Servis autem manumiſſionem notabat: nam pileus libertatis calvo capiti imponendus, Gothofr. Saxones apud Gregor. Turonenſ. *Hiſt.* *l.* 5. *c.* 15. & P. Diac. *de geſtis Longob.* *l.* 3. *c.* 7. devoverunt ſe neque barbam, neque *Capillos inciſuros*, niſi de hoſtibus Slavis ultionem ſumſiſſent. Mos Germanis antiquus, crinem barbamque ſummittere, nec niſi hoſte cæſo exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum, Tacit. *Germ.* *c.* 31. Hinc veteres Anglos, inſtar Sacerdotum, raſos apparuiſſe, legitur. Vide Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* De Capillo Simſonis, in Sacris: Comâ Græcorum, Cæſarie Achillis *Homer.* Addo, quòd hos apud varias Gentes varius gerendi undandique mos fuit, ut dicemus infrà, ubi de *Capillos ornandi ratione*. Contrà illos Græci poſuêre, tertiò Apaturiorum die, qui Κουρεῶτις, à tonſura dictus eſt. Tum enim pueri triennes quadriennesque in φρατρίας ſeu claſſes tributim diviſi, capillum μαλλὸν, ſeu σκόλλυν ſeu etiam ϑρεπτήριον πλόκαμον dictum, alicui Deorum dedicârunt. Porrò in peregrinationem longinquam aut expeditionem profecturi, Deo alicui capillos devoverunt. Hinc Bacchus, cùm Pentheus minaretur comæ abſciſſionem, reſpondet apud Euripid. *in Bacch.*

Ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ Θεῷ δ᾽ αὐτὸν τρέφω,
Sacer capillus (eſt) *Deo autem illum alo.*

Similiter Theſeus conſecrâſſe ſuos capillos dicitur Apollini Delio: Delphos autem pueri nobiliores ibant, ut illius loci Deo votivos offerrent crines. Vulgus Atheinienſium Herculi illos ſacros faciebant: Ajax Telamonius Iliſſo flumini, Sperchio Achilles vovêre, &c. Vocatique ſunt detonſi hi crines κόμαι ἀπαρχαὶ, *capillorum primitiæ*. Apud Romanos, adoleſcentes Æſculapio illos obtulêre: unde Statius Earini cujuſdam meminit, qui comam in auream pyxidem conditam & pretioſiſſimis gemmis adornatam, Pergamum, ubi is Deus colebatur, miſit. Vide eum, *l.* 3. *Sylv.* 4. *v.* 6.

Accipe laudatos juvenis Phœbeie crines,
Quos tibi Cæſareus donat puer, accipe lætus,
Intonſoque oſtende Patri.

Aut Apollini ipſi, Martial. *l.* 1. *Epigr.* 32. *v.* 1.

Hos tibi Phœbe vovet totos à vertice crines
Encolpus, &c. ——

Aut Jovi, Stat. *Theb.* *l.* 6. *v.* 197. & Lactatius Placidius,

Jupiter hunc crinem, voti reus, antè dicâram,
Si pariter nati virides libare dediſſes
Ad tua templa genas. ——

Aut denique Apollini barbam, Baccho crinem devovebant: Stat. *Theb.* *l.* 8. *v.* 493.

Ille genas Phœbo, crinem hic paſcebat Jaccho.

Veſtales ab arbore, *Feſto* propterea *Capillari* dicta, ſuſpendebant: quas hodiernæ Moniales quodammodo imitatæ, cùm Religionem ingrediuntur, Sanctorum alicui capillos euni dedicarunt. Imò & aliæ virgines idem factitare ſolitæ ſunt, teſte Luciano *in Dea Syria.* Unde Claudian. *de bello Get.* *v.* 283.

Sperchiuſque & Virginibus dilectus Enipeus,
Barbaricas lavêre comas.

Idem mos Græcis in luctu, quò tempore capillos ἐν χρῷ, ad cutem uſque, abraſerunt. Unde Lyſias, de Corinthiis, qui in pugna Salaminia obiêre, Ἄξιον ἦν, inquit, ἐπὶ τῷ τάφῳ τῷδε τῶν ἐν Σαλαμῖνι τελευτησάντων κείρασθαι τὴν Ἑλλάδα, *Dignum erat ad tumulos in Salamina defunctorum tonderi Græciam.* Euripides,

—— —— Τάχθω δ᾽ Κυκλωπίᾳ,
Σίδηρον ἐπὶ κρατὸς θεὶς κουρὰν,

—— —— *Vociferabatur autem Cyclopia,*
Ferrum capiti imponens tonſorium.

Idem Poëta, cùm periiſſet, eâdem ceremoniâ honoratus legitur, apud Solin. *c.* 15. Hinc locum in Cappadocia *Comanam* dictum, habet *Strabo*, à lugubri coma, quam Oreſtes ibi ac Iphigenia poſuêre. Ut de Tello, qui in Phaëtontis, de Baccho, qui in deperditæ uxoris gratiam, idem fecêre, nihil addam. In ſacris ſimile quiddam legitur de Hiobo, *c.* 1. *v.* 20. de Iſraëlitis Jerem. *c.* 7. *v.* 29. &c. Sed meritò hunc morem ridet Bion. apud Cicer. *Tuſcul. quæſt.* *l.* 3. *c.* 26. ubi de Agamemnone loquens ait: *Perinde ſtultiſſimum Regem in luctu ſibi capillum evellere, quaſi calvitio mœror levaretur.* Vocabatur autem capillus hic Græcis πενθήριος. Verùm, annon lætitiæ potiùs indicium coma poſita fuit? Hinc Joſephus, è captivitate triennali liberatus, Micha filius Jonathæ, reditu Davidis in regnum exhilaratus: ipſi Græci, tempore gaudii, capillos totondiſſe leguntur, apud *Artemidorum*, qui prorſum ἀπὸ τοῦ καρῆναι, à *tondendo*, verbum χαρῆναι, i. e. *lætari*, deducit. Contrà apud Romanos captivi, in ſqualore ſuo, capillos promiſêre: Ovid. *Ep. Herod.* 10. *v.* 137.

Aſpice demiſſos lugentis more capillos.

Et de Græcis Lycophron *in Caſſandra*:

Κρωβύλος δ᾽ ἄκουρος ὤμια καλύψει φόβη,
Μνήμην παλαιᾶς τηρεῶσ᾽ ὀδυρμάτων,
Soluta per capitis terga ſudabit coma,
Memorem procurans veteris ærumnæ notam, &c.

Hæc qui conciliare ſatagunt, dicunt ex Plutarcho in *Romanis*, παρ᾽ Ἕλλησιν, ὅταν δυστυχία γένηται, κείρονται μὲν αἱ γυναῖκες, κομῶσι δὲ οἱ ἄνδρες, *Apud Græcos, ubi infortunium ingruit, radantur quidem feminæ, capillos verò promittunt viri*: ut ſic conſuetudinis aliàs uſitatæ contraria figant veſtigia. Hinc Accius in *Amphitryone*:

—— —— Sed quænam hæc eſt
Mulier funeſtâ veſte, tonſu lugubri?

Virg. *l.* 9. *Æn.* *v.* 477.

Evolat infelix, & femineo ululatu
Sciſſa comas. —— ——

Sed cur in palliata fabula, apud Terentium, *Heauton. Act.* 2. *ſc.* 3. *v.* 49. mulieri, in veſte lugubri, telam texenti,

Capillus paſſus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter?

Alii tonſuram diſtinguunt, quæ in lætitia non totum demebat capillum, ſed adornatum eum in orbem incidebat, quod genus Κῆπον dixêre: in luctu verò capillus ad vivum radi ſolitus eſt, quod Σκαφίον (quam tamen vocem aliter Salmaſius capit, ut hic infrà videbimus) vocaverunt. Tempora quoque diſcernenda fortè, quorum unò id in uſu eſſe ſæpe incipit, quod priùs inſolens erat. Plura vide apud Franciſcum Roſſæum, *Anthol. Attica* *l.* 3. *c.* 12. & 25. Thom. Dempſter. *in Joh. Roſini Antiqq. Rom.* *l.* 111 *paralipom.* Joh. Meurſium, *Comm. in Lycophronem*, &c. ut & hic paſſim, in vocibus *Cæſaries*, *Coma*, *Crines*, &c.

CAPILLI ad pectinem flexi, apud Æl. Spartian. in *Hadriano Cæſ.* *c.* 26. *Staturâ fuit procerâ*, *formâ comtus*, *flexâ ad pectinem capillo*, *promiſſa barbâ*, &c. ſunt arte flexi & calamiſtrò criſpati. Firmicus, *quorum infictis crines torquentur.* Contrà, *ingenuè ſuâ flexi* dicuntur, qui nullâ arte adhibitâ tales ſunt. Petronius, *Crines ingenuò ſuò flexi per totos ſe humeros effuderant.* Martialis, *l.* 3. *Epigr.* 63.

Bellus homo eſt, flexò qui digerit ordine crines, &c.

Idem cum *Capillo flexo*, *reflexus* eſt, apud Jul. Capitolin. *in Pertinace*, *c.* 12. & *criſpus ſeu renodis*, in *Albino*, *c.* 13. Græcè ἑλικτὸς vel ἑλικοειδὴς. Eſt autem *flectere capillum*, torquere & vibrare; Quintiliano *in annulum ponere*: Calamiſtrò namque flexi annulos & nodos quodammodo exprimunt, unde *ſubanellatum* Chriſti capillum vocat Arculfus, *de locis ſacris*. Idem *gradibus capillum frangere* dicebant; Vide Quintilian. utrumque, *gradus & annulos*, conjungentem, *l.* 12. *c.* 10. Sic Maximilianus, qui vixit ætate Boëthii, in *l. Elegiar.*

Grande erat inflexos gradibus numerare capillos,
Grande erat in niveo pulla colore coma.

Aliter tamen *gradus* dicuntur in compoſitione capillorum, aliter *annuli*. Inflexio enim ipſa & criſpatio nexilem annulorum orbem imitabatur: comæ verò ſic annulatim criſpatæ, non etiam confuſæ ac turbatæ & indiſcriminatim temereque inflexæ habebantur, ſed per gradus quoſdam poſitæ & ordine digeſtæ, ita ut unaquæque annulorum ſeries ſtationem quaſi ſuam ſervaret & gradatim alveolatimque alia ſuper aliam ſcanderet, in quibus exprimendis Latini, *ordinem*, *ſtationem*, *gradus*, uſurpare ſolent. Hinc Ovidius, l. 2. *Amor.* *El.* 11. *v.* 1. & *l.* 3. *Art* *v.* 434. *crines in ordine ponere*, & *in ſtatione*, dixit: idem Euripides vocavit. Manilius porrò eleganter *crines in fluctum ponere* idem dixit; namque illa crinium per annulos inflexio & per gradus digeſtio, fluctuum modò extantium, modo ſubſidentium & invicem ſe propellentium, undulatos intortoſque motus planè refert. Idem, *l.* 5.

Illis cura ſui vultus frontiſque decoræ
Semper erit: tortos in fluctum ponere crines,
Aut vinclis revocare comas, aut vertice denſò
Fingere.

Sinum vocat Ovid. *l.* 3. *Art.* *v.* 148.

Suſtineat ſimiles fluctibus illa ſinus.

Et,

Et, *l.* 1 *Amor. El.* 14. *v.* 25.

> *Quàm ſe præbuerant ferro patienter, & igni,*
> *Ut fieret torto nexilis orbe ſinus.* &c.

Opponitur autem *reflexus capillus* prolixo & prolicſo, qui Græcis [illegible] eſt. Vide Salmaſ. *ad Hiſtor. Aug.* paſſim: Ejuſque uſu interdicitur Sanctimonialibus in Concilio Londinenſi A. C. 1138. c. 15. ubi prohibentur illæ *torturam capillorum & compoſitionem* eorum facere, &c.

CAPILLI Promulſi & *Remulſi*, dicuntur *Apulejo* capilli pexi tantùm ac dentibus pectinis diſcriminati; [illegible] Græcis, quæ alium non admiſit ornatum, præter pectinis diſcriminationem, non calamiſtris intorta, non in cumulum nodata, non ſpiris convoluta, nec ſtructuris ædificata. Cujuſmodi modum comæ ornandæ vocat *Pollux* in deſcribendo habitu Comicarum perſonarum, [illegible] τριχῶν: Ἡ δὲ [illegible] *diſcrimen habet puri capitis & promiſſorum crinium.* Et alibi de Virgine, quæ in tragœdia propter luctum tonſa eſt: Ἡ δὲ [illegible] τριχῶν [illegible]. Illis opponuntur τρίχες [illegible], ſeu [illegible], apud *Eund.* Qua de re vide pluſcula apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 760.

CAPILLI Sparſi, vide ſuprà in voce *Apochyma*, ac infrà, ubi de Gothorum *Granis*.

CAPILLIS ſagittas innectendi conſuetudo, vide infrà ubi de *Sagitta*. Iiſdem ſuper altare poſitis, donationem confirmandi ritus, occurrit in *Charta* Alani Ducis Britanniæ, apud Auguſtinum du Pas in *Stemmate Tintemacenſi*, p. 572. *Inde etiam ſunt teſtimonia capilli capitis mei, quos pono ſuper altare, & cultri unum.* Hinc legitur in Charta Wilhelmi Comitis de Warenna. *Et inde ſaiſivi eam* (Eccleſiam) *per capillos capitis mei & fratris mei Radulfi de Warenna, quos abſcidit cum cultello de capitibus noſtris, ante altare,* Henricus Epiſcopus Wintonienſis, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

CAPILLORUM uſtrina, ad [illegible] uſurpata veneficis ſtrigibus, memoratur Apulejo, *Miloſiar. l.* 3. Quò facit & verſus Lælii apud eundem, *in Apologia,*

> *Antipathes illud quærito,*
> *Philtra omnia undique eruunt,*
> *Trochos, pilos, ungues,* &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 942.

CAPILLOS ornandi ratio, non una ſemper fuit. Triplex olim maximè celebris, tangitur Clementi ac Caſaubon. [illegible] Una nempe erat, cum crines colligebatur & in unum ſive nodum ſive corymbum conſtringebatur, quod [illegible], item Corymbum & Botrumatum, dixêre. Altera, cùm capillus effuſus, abſque modo & ligatura per humeros ſpargebatur, cui ornatus ἀπόχυμα nomen erat. Tertia, cum coma divida ac diſcriminata ſervabatur, non implexa & inflexa, ut in ſpatalio; nec effuſa, ut in apochymate. Sub quibus tribus generibus multi alii modi comprehendi, tam re, quàm nominibus diverſi, de quibus omnibus locus hîc dicendi non eſt. Simpliciſſimus autem ornandi modus tertius fuit, quem [illegible] vocavêre, capillis in duas partes per medium caput tenuè diviſis, qui longas facies maximè decere credebatur. Unde *capitis diſcrimina puri* Ovidius dixit, *l.* 3. *Art.* v. 137. ut purum caput ſic ſimpliciter diſcriminatum ab aliis mulierum ornatu moroſiore diſtingueret, qui etiam diſcrimen acus admiſere. Quamvis & hæc verba de capillo accipi poſſint tantum pexo & dentibus pectinis diſcriminato, de quo aliquid ſuprà, ubi de *Capillis promuſſis*. Atque ita Mulieres: Virgines verò & cirratæ erant & crinem in vertice concumulatum ac colligatum gerebant, abſque ulla [illegible], ut diſcimus ex Tertulliano, *de Virgin. Vel. l.* 3. Quod ideò & in pueris cirratis. Unde Horat. *Epod. Od.* 11. *v.* 27.

> —— *aut puellæ candidæ,*
> *Aut teretis pueri, longam renodantis comam.*

Et quidem in genere cirrum hunc ſeu nodò collectum in vertice crinem, [illegible] Græci ſeu [illegible], in ſpecie vero in mulieribus [illegible], in viris [illegible], in pueris [illegible], dixêre. ſicut *botrym* & *corymbum* Latini, &c. Hinc apud Romanos in famulitio Matronarum, inſignis fuit *capillorum* præfectura, cujus meminit Ovid. *l.* 2. *Amor. El.* 8. *v.* 1.

> *Ponendis in mille modos perfecta capillis,*
> *Comere ſed ſolas digna Cypaſſi Deas.*

Capillorum enim cura fœminis præcipua. Vide Tertullian. *de Hab. mul. & de cultu fœm.* non in ſtructura tantùm, ſed & in colore & cincinnis. Et de ſtructura quidem Manilius, *l.* 5.

> *Illis cura ſui vultus frontiſque decoræ*
> *Semper erit, tortoſque in flexum ponere crines,*
> *Et nodis revocare, & rurſum vertice denſo*
> *Figere, & appoſitis caput emutare capillis.*

At Tertullian. l. c. ubi *ſutilium atque textilium capillamentorum: nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum*, &c. compoſitorum meminit. Sed pro *galero*, Pignorius *galeam* ſubſtituit. Nam vetus marmor, CALPURNIA. L. ET ↄ. L. GALEÆ ORNATRIX; & veteres nummi exhibent imagines Auguſtarum, capillitiò ad galeam propiùs, quam galerum, accedente, conſpicuarum. Idem Tertullian. etiam viros hac in parte fœminas imitatos, ſuos *Capillaturæ ſtructores* habuiſſe, meminit, &c. De colore idem *de cultu fœm. Video*, inquit, *quaſdam & capillum croco vertere.* Vide quoque Propert. *l.* 2. *Eleg.* 18. A cincinnorum ſtudio *Cinerarii* miniſtri dicti ſunt, de quorum officio ac inſtrumentis, dicemus infrà, ubi de *Cinerario*, quemadmodum, de iis, quæ ſtruendis capillis præfectæ erant, in voce *Coſmeta*, item *Ornatrix*. Ut de variis gentibus pauca addam: Phrygum & hujuſmodi effœminatarum gentium proprium fuit, habere comas

> *Vibratas calido ferro myrrhaque madentes,*

h. e. calamiſtrò intortas ac tortas: vide ſuprà quoque ubi *de Capillis ad pollicum ſtruis*. At Sicambri Germanique apud Martialem, ex ipſa coma, quam ſatis longam nutriebant, faciebant nodum. Unde de iis Tacit. *Germ. c.* 38. *inſigne*, inquit, *gentis obliquare crinem, nodoque ſubſtringere.* Armenii, Saraceni & alii pleríque, vittis ac tæniis capita religabant, hinc [illegible] Græcis dicti: cujuſmodi tænias vittaſque tortiles *ſtrophiolas* vocat Tertullian. *d. l.* Atheinenſium crobyli proprii erant cum cicadis. Scythæ crines ſpargebant, Parthi Perſæque effundebant: Gothi Scythas, à quibus orti, imitabantur, unde capilli illorum *Grani* appellati, de qua voce vide infrà. De auri vero ſcobe Capillis inſperſa, pranſo item, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 759. *& ſeqq.* de ritu veterum Indiæ Regum *Capillos abluendi*, magnâ feſtivitate & maximorum munerum miſſione, celebrato, cujus meminit Strabo, *l.* 15. aliquid apud Loccenium, *Not. ad Curtium*, *l.* 8. *c.* 9. & infrà voce *Tilla*: de aliorum circa Capillos barbamque cura, Tiraquellum *ad Alexandr. Neapol. Genial. Dier. l.* 5. *c.* 28. ut & hic paſſim.

CAPILLOS ponendi ritus, vide ſuprà in voce *Capilli*, & hîc ubi de *Capillos radendi* ritu.

CAPILLOS radendi, apud Veteres non una eidem ratio, nec unus finis. In luctu, vel religionis ergò aut in pœnam, radi conſueviſſe diximus, dicemuſque paſſim. Aliàs non pauci communiter caput radebant; ſed hîc variam tonſuræ modi varii. Stoici totò capite, atque etiam vertice deradebantur, unde illis ἐν χρῷ [illegible] apud Auctores tribuuntur. Elegantiores Græci ac Palæſtrici [illegible] dicebantur, h. e. *in orbem tondere*: Nempe vertex intonſus & cultri immunis, ſub vertice omnia circumtonſa ſtrictim & juxta cutem; quas *xyſticas munditias* vocat Tertullian. *de Pallio, d. l.* Vide quoque Plut. *de Mulierum virtut.* ubi de Ariſtodemo Cumanorum tyranno. *Circumdare* vel *Circumradere capillum* idem Tertullian. hoc vocat *de Cultu Femin.* Atque hinc in Comœdiis adoleſcentis [illegible] perſona ita efficta erat, ut [illegible] τριχῶν haberet: Nempe capillaturam, quæ in orbem attonſa erat, inſtar coronæ, [illegible] τριχῶν appellabant. At milites *caſariati* introducebantur, ut colligitur ex Plauti *Milite glor. Act.* 3. *ſc.* 1. *v.* 172. [illegible] eoſdem vocat *Euſtathius*; [illegible] enim & [illegible] idem tonſuræ genus. Contrarius planè radendi modus eſt Monachorum, in Eccleſia Romana, quippe quibus vertex tondetur, extremò crinium ambitu relictò; quò ritu prævio, ſuo quiſque ordini lacriſque initiatur. Hinc *Capillos* ponere, ſeu per Capillos ſe offerre Monachi dicuntur, quòd Monachiſmum ſubituri ſeu Clericatum, eos ponant ſeu dimittant. Paulinus, *Carm.* 23.

> *Sed rurſus idem & Evangelicè deſuper*
> *Monitum refectus lumine,*
> *Ponat capillos mentis & velaminis,*
> *Servus fidei & liber fide.*

Nempe ſymbolum hoc fuit ſervitutis perpetuæ, quam per votorum emiſſionem Deo profitebantur, unde *Servi Dei* vulgò appellati: Servos autem olim tonderi conſueviſſe, dicemus ſuò locò. Comam verò ſic poſituris & in Monachos tondendis primi capillorum cincinni, à Viris primariis, aut certè amicis, ſolebant delibari, uti diſcimus ex Fauſto, in *Vita* S. Mauri, *num.* 21. ubi Floro cuidam ab ipſo Rege primùm, dein ab Optimatibus, capillorum aliquid decerptum eſſe, tradit. Sic apud Ignatium Diaconum, in *Vita* S. Nicephori Patriarchæ Conſtantinopol. Nicephorò eodem in Monachum attonſò, [illegible], inquit, [illegible], *Sacri illius capitis cæſuram ſilii ac Imperii participis manibus excipi ſapienter voluit*, &c. Ita quidem Monachi, Laici verò, in eadem Communione Romana qui Monachicæ Societati aſcribebant ſeſe, ut illius beneficiorum poſſent eſſe participes, *per unum crinem de capillo offerre ſe Monaſterio* dicebantur, uti patet ex *Charta* Pandulfi Principis de Conſia & de Rapolla, Magiſtri & Dominatoris totius terræ de Principatu A. C. 967. &c. Contrà *Capillos & barbam nutrire*, Pœnitentium proprium fuit, uti obſervat Rabanus, *Inſtitut. Clericor. l.* 2. *c.* 29 quorum primi, cùm reconciliabantur Eccleſiæ, crines demetebantur & veſtibus induebantur mundis, teſte Honoriò Auguſtodun. *l.* 3. *c* 76. *&* 77. Iidem tamen *capillos & barbam radere* jubentur, in Synodo Agathenſi, c. 15. & Toletana III. *can.* 12. quia apud Gothos promiſſa cæſaries honoris erat ſymbolum, ut conjicit *Menardus*, &c. Sed & *capillò abraſò* pacem firmari conſueviſſe, docet Ditmarus de Luſatiis paganis, *l.* 6. *p.* 65. *Pacem abraſo crine ſupremo, & cum gramine, dextriſque affirmant dextris.* Vide plura hanc in rem, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Porrò (ut alia quoque hîc interſeram) *Capilli* ſui particulam, in ſignum captivitatis ſuæ, miſiſſe Boemundum legitur, apud Balduino Regi Hieroſolymorum, apud Albertum Aqu. *l* 7. *c.* 29. & Auctorem *Hiſtoriæ Hieroſolym.* A. C.

1100. p. 596. vel, quòd *poſitio capilli* ſignum eſſet ſervitutis, vel quòd ita fecerit fidei faciendæ cauſâ. Hildebertus Cenoman. Epiſcopus, *Ep.* 79. *Ac, ne ſimulatorie loqui putaretur, abſciſſos de capite ſuo* capillos *matri ſuæ tranſmiſit.* *Geſta* Regum Francorum, c. 41. *Perge velociter feſtinus, cum crine capitis mei nunc ad patrem meum, ut ſuccurrat nobis, antequam cuncti corruat exercitus*, apud eundem Car. du Freſne in *Gloſſar.* Simile quid inter nuptiales Æthiopum ritus, ut infrà videbimus, ubi de *Nuptialibus moribus*. Capillos vero ſibi invicem detondere, pœna Conſpiratorum in *Capitul.* ad L. Salicam, c. 3. §. 7. aliiſque. Sic Fures aliique malefici, *pœnis in cute & in crinibus*, occurrunt in *Speculo Saxon. l.* 2. *artic.* 13. §. 1. *art.* 28. §. 3. *l.* 3. *artic.* 3. § 1. & in *Wichbild* Magdeburg. *art.* 19. §. 1. *art.* 44. §. 196. Etiam *Capillos Cymmotos*, h. e. in circulum vel orbem attonſos, jubentur habere *Saraceni Franchi* ſeu liberi, per Curiam General. celebratam Ilerdæ, à Jacobo II. Aragonum Rege, A. C. 1301. ut hôc pactô à Chriſtianis diſcernerentur, apud Eundem. Ut nil dicam jam de Tartarorum radendi more, qui cùm Sinenſibus, haud pridem ſubjugatis, *capillos ponere* more ſuô, imperâſſent, illos tantoperè aſperârunt, ut hi ejectis eos integrum annum diſtinuerint, lectô *Lu* Imperatore, ex Taminga familia. Nec, poſtquàm demùm devicti eſſent, quievêre tumultus, *veſte & tonſura Tartarica* occaſione orti, cum in adminiſtrandâ Reipubl. ratione aliàs nihil immutaretur. Hinc Corea provinc. ut capillos ſervaret, tributum primò pendere, mox armis decertare maluit, ut videre eſt apud Auctorem Anonymum, *Sina & Europa c. ult.* &c. Plura hanc in rem vide apud Salmaſ. *ad Tertullian. d. l.* Barthium, *Animadverſion. ad Statium Part.* 1. *p.* 326. ubi *de Capillos Deo dedicandi*, *Part.* 2. *p.* 416. ubi *de eoſdem Matri à virginibus, pro virginitate, libamenti*; *Part.* 3. p. 421. ubi *de illos funeri imponendi, ritibus*, pluribus agit, nec non infrà paſſim, inprimis ubi de *Radendi* more, ut & in voce *Tonſor*.

CAPILLOS tingendi conſuetudo, indigitatur Tertulliano eidem, de *Cultu Feminarum*, *Tum Solis animando ſimul & exceando capillo exoptabilis ardor*: ubi *animare capillum*, cum tingere & colorare eſt, quemadmodum idem *de Pallio*, ubi de ſerici conficiendi ratione, *animata ſtamina*, vocat jam tincta ac colorata. Certè coloris capillorum habitam rationem apud Romanos, docet Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 70.

Arctica de gente comam tibi, Lesbia, miſi
Ut ſcires, quanto ſit tua flava magis.

Nempe matronæ nigrâ, lupæ flavâ comâ gaudebant. Unde à pleriſque harum, capillorum colorem mentientibus, emptæ è Germania comæ. Aureus enim color capillorum Germanicorum, & omnium fermè Arctoarum gentium. Juvenalis, *Sat.* 13. *v.* 164.

Cærula quis ſtupuit Germani lumina? flavam
Cæſariem, &c.

Cùm itaque comæ hæ ac caliendra non ſuppeterent, ab arte quæſitus color eſt: Qua de re aliquid jam dictum.

CAPILLOS ungendi ritus, occurrit apud Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 29. *v.* 7.

Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum ſtatuetur unctis?

Et *l.* 2. *Od.* 7. *v.* 7. 8.

——— ——— ——— ——— *nitentes*
Malobathrô Syriô capillos.

i. e. malobathrinô unguentô, de quo infrà dicemus. Unde *odorati capilli* eidem, *l.* 3. *od.* 20. *v.* 14.

Sparſum odoratis humerum capillis.

Et *Capillare*, ſcil. unguentum, apud Martialem, *l.* 3. *Epigr.* 82. *v.* 26.

Et Coſmiani ipſe fuſus ampullis,
Non erubeſcit murice aureo nobis
Dividere mœcha pauperis capillare, &c.

Quod factum in primis in publica lætitia epuliſque, ut ſuô locô videre eſt. Sed & in Sacris moris veſtigia, inprimis ubi de unctione Summi Sacerdotis, in cujus caput, diebus conſecrationis ſuæ, oleum ſacræ unctionis effundebatur, quod inde deſcendebat ſuper barbam & uſque ad oram veſtium ejus, Pſalmo 133 *v.* 2. Vide quoque infrà voce *Unguentum*. Aliter madebant olim Germanorum capilli, de quibus Senec. *l.* 3. de Ira, c. 26. *non eſt Æthiopum inſignitus inter ſuos color, nec rufus crinis, & in nodum coactus apud Germanos.* Idem *Ep.* 124. *Quid capillum ingenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel nodô Germanorum vinxeris, vel, ut Scythæ ſolent, ſparſeris.* Nec alia mens eſt horum Juvenalis verſuum, *Sat.* 13. *v.* 164.

Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam
Cæſariem, & madido torquentem cornua cirro?

Torquent cornua madidô cirrô, qui comam obliquant, ut intortam, ac nodum eam cogant. *Cornua* vocat longas crinium ſetas, quæ torquentur, ut in nodum mitti poſſint. Græci & *κέρατα* appellant. Inde & *cornua*, & crines in fluminibus, & πολυκερῶς, & taurus. Madidum autem cirrum Germanorum, quia crebro comam lavabant ſaponibus. Qui nodos duos crinibus Germanorum, utilem & cereos tribuunt, & unguenta proprios faciunt. Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 39. *v.* 8. *Rhenique nodos*. Tertullianus de Virginibus velandis: *debebunt & ipſi aliqua inſignia ſibi defendere, aut pennas Garamantum, aut ſtropulos barbarorum, aut cicadas Athenienſium, aut cirros Germanorum.* Sic illo loco legendum ex veteri ſcriptura, quæ habet *ſtrobulas*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 762.

CAPILUPUS Hippolytus, Mantuanus Epiſcopus Fanenſis, Lyricus Poëta eximius: frater Lælii, Joach. Bellajo intimi, & *Centonum Virgilianorum* Auctoris tam ingenioſi, ut Auſonium, Probam Falconiam alioſque, in hoc induſtriæ genere, longô poſt ſe intervallô reliquerit: à nepote tamen ſuo, Julio in hoc ipſo ſuperatus, judice *Poſſevino*. Floruêre præteritô ſeculô. Joh. Matthæus, *Pepiâ Italia*; Poſſevinus *Biblioth. l.* 17. *c.* 14. Anton. Teiſſier *Eloges* &c. De Lælio hoc extat diſtichon, ad Mantuam:

Quis neget hoc mirum? orbiqui ex urbibus unam
Nullam, Virgilios te genuiſſe duos.

CAPINA, Arabiæ Felicis inſula in Indico mari.

CAPIONIS *Turris*, in Hiſpania eſt ad Bætim fluv. ſita in petra, quam circumcirca pelagus alluit. Ea ſicut Pharus mirum in modum ad navigantium ſalutem ædificata eſt. Strab. *l.* 3. Nunc *Chipiona*, caſtrum in colle, ad oſtia Bætis, in ora Oceani. Vix 1. leuc. à Fano Luciferi in ortum. 5. à portu S. Mariæ. Parvi momenti. *Baudrand.*

CAPIS, Colonia Italica. *Frontin.*

CAPISA, Paropamiſi oppid. *Ptol.* populi *Capiſſeni*. Plin. *l.* 6. c. 23.

CAPISCHOLA, in Hiſpania vocatur Canonicus Theologalis Præbendæ Cathedralis Eccleſiæ, apud Car. Macrum in *Hierolex.* Carolo du Freſne idem eſt cum *Caput Scholæ*, Cui dignitas Eccleſiaſtica eſt, in ædibus cathedralibus & collegiatis, quæ alias, & in aliis Eccleſiis, *Scholaſticus* dicitur. In veteri Notitia Hincmari Archiep. Remenſ. apud Sirmondum in Notis ad Capit. Caroli C. memoratur *Sigloardus Presbyter vel Caput ſcholæ ſanctæ Remenſis Eccleſiæ*.

CAPISCHOLUS, Concilium Bituricenſe A. C. 1031. *c.* 7. *Archidiaconi, Abbates, Præpoſiti, Capiſcholi, Canonici, &c.* Apud le *le Lievre*, in Hiſt. Viennenſ. c. 26. occurrit *Scholaſticus ſive Capiſcholus*. In Charta Durantii Epiſcopi Aruenſis in Biblioth. Clun. *p.* 535. ſubſcripſit *Bernardus Capiſcolus*. Vide Odonem Geſſeum in Hiſt. Podienſi. *l.* 1. *c.* 23. *l.* 2. *c.* 21. Joſeph. Scaliger. *l.* 2. *Ep.* 185. V. Cl. Jacob. Petitum poſt Pœnitentiale Theodori, *p.* 628. &c. Leges Partitæ ſeu Alfonſinæ, 1 *part. tit.* 6. *l.* 5. ubi de Cantoribus: *Ealgunas Egleſias Cathedrales ſon en que y a Cabeſcoles, que han eſſe meſmo officio que los Chantres, e cabiſcol tanto quiere dezir como cabdillo de el coro, por o levantar tos cantos.*

CAPISENE, Regio Aſiæ, in montanis, à proximis Indo fluv. gentibus, cui nomen à *Capiſa* urbe, quam Cyrus olim diruit. Plin. *l.* 6. c. 23. ubi urbem *Capiſſam* & regionem *Capiſſenen* vocat. Sed rectius per unicum *S.* ſcribunt. *Ptol.* *Καπισσα* vocat & in Paropaniſadarum regione collocat. Ex hiſce montanis Soamus fluv. oritur, qui in Indum ſeſe exonerat. Arrian. *in Indicis*, [illegible], &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1174.

CAPISTERIUM, vide ſuprà *Capiſterium*.

CAPISTRANUS Joh. in loco cognomine, prope Aquilam, in Aprutio, natus, patente nobili Andeg. qui Ludovicum Andeg. ſub Carolo VI. Galliæ Rege, Regi Neapolitano, propinquo ſuo ſuppetias euntem, comitatus erat. Franciſcanus, Generalis Ordinis, Inquiſitor, Legatus in Germaniam, ad Huſſitas ſub jugum Rom. communionis retrahendos, tuba belli ſacri, ſub Nicol. V. & Caliſto III. exercitus contra Turcas indiviſſiduus comes, qui ab obſidione Belgradi eam repulſi: Obiit in Hungaria, Anno 1456. Scripta ei de auctoritate Papæ & Concilii, de Conjugio, de Excommunicatione tribuuntur. Bellarm. *de Scr. Eccl.* Trithemius, Blondus, Wadingus, Poſſevinus, &c.

CAPISTRUM, quò boves capiſtrari ſolent, Hebr. [illegible] vel [illegible], Græcè *φιμὸς* vocatur. Hinc Deuteron. *c.* 25. *v.* 4. *Bovem triturantem non capiſtrabis*, Græcè *οὐ φιμώσεις*, redditur ab Apoſtolo 1. Corinth. *c.* 9. *v.* 9. Nempe inhumanum omnino, bovem, in mediis frugibus, obſervare cogi eſuriales ferias Tantali inſtar: quod apud nonnullas gentes ejuſmodi *capiſtris* factum eſt, apud Romanos nempe, teſte Catone *R. R. c.* 54. ubi *fiſcellas* id capiſtrorum genus, à figura vocat: Græcos item, qui *[illegible]* dixêre machinam ligneam, collo jumentorum ne ederent, imponi ſolitam. *Aliter*. Vide ſuprà, ubi de *Bove triturante*. Hinc *Capiſtragium*, Gallis *Chevestrage*, in *Ordinatione* Hoſpitii S. Ludovici Regis Franciæ A. C. 1261. quod pro *capiſtro* domus Regiæ Miniſtris annuatim conceditur, apud Car. du Freſne. Sed & *Capiſtro* ſeu *φορβειᾷ*. Tibicines olim os ſibi obligabant & buccas ſubſtringebant, ne ultra juſtum modum inflarentur & turpiculum os redderent, tum ut violentia nimii ſpiritus coërceretur: inventore Marſyâ, qui tibiæ quoque gemiſſæ ac fiſtulæ, ſeu *[illegible]*, primus Auctor pleriſque habitus eſt. Plut. *de Ira*, [illegible]. Quam *φορβειὰν* Scholiaſtes Ariſtophanis exponit *[illegible]*, *coriacea vincula quibus os Tibicinum obligari ſoleret, in Veſp.* Vide eundem in *Avibus* quoque. *Heſych.* [illegible] interpretatur: eſt autem *[illegible]*, quod capiſtrum. *Lucilius*,

Trulleum pro ſtomide huic ingens de naribus pendet.

Ubi perperam *Poſtomide* alii legunt, &c. Qui itaque immoderatô ſpiritu uterentur, in tibiis flandis, eos *ſine capiſtro* flare Græci dicebant. Sophocles, *loc. cit.*

Θυτὰ γὰρ ὁ ὑψαγόρητο αὐλήμασι ἔτι,
Ἀλλ' ἀγρίαις φυσαισι φορβειᾶς ἄτερ.
Non jam ille modicas ore ſufflat tibias,
Sed ſine capiſtro enormibus flat follibus.

Ad quos verſus alludit Longinus περὶ ὕψους, ubi de Clitarcho ait, φλοιώδης γὰρ ἀνὴρ καὶ φυσῶν κατὰ Σοφοκλέα.

Μικροῖς μὲν αὐλίσκοισι, φορβειᾶς δ' ἄτερ.

Quaſi diceret, Clitarchum modicis quidem tibiis canere, ſed ſine modo. Et quidem Marſyam hujuſmodi *capiſtrum* ſibi aptaſſe, in quodam carmine, quo ejus cum Apolline certamen deſcribit, hiſce Simonides,

Χρυσῷ δ' αἰγλᾶντι περιδέσμοισι ἀμφὶ δασείας
Κροτάφους καὶ στόμα λασίῳ ὀπισθοδέτοις ἱμᾶσιν.

Figuram ſic *capiſtrati* ex veteri ſigillo, Salmaſ. exhibet *ad Solin.* p. 813. ubi videas vinculum ex pellibus, quô labra & os illius conſtringuntur, relictâ rimâ, per quam ligula tibiarum os poſſet immitti. Atque hinc genus etiam *ἐπιδέσμου*, i. e. *ligaturæ*. Medici φορβειὰν dixêre, cujus duæ ſpecies, *μονομερὴς καὶ διμερὴς*: quarum hæc poſterior non ſolùm os, ſed etiam frontem comprehendebat vinculô: cujus ſpeciem ex libro Sorani *περὶ ἐπιδέσμων* ibidem ſubjiciendam curavit præfatus Vir. Cl. Fluta de Marſya alibi. Vide quoque Plut. *in Sympoſiacis*, ubi de iniquitate judicii, quòd artis atque ac ſimplicis, nempe tibiarum, certamen receptum fuiſſet, cùm arte geminâ vocis & fidium, quærentem Marſyam, Apollo hôc dictô repercuſſit & injuſtè conqueri oſtendit, quoniam & ipſe ore ſimul & manibus in tibicinando uſus eſſet; ut & Diodorum, *l.* 3. In cippo ſepulchrali Lyſidicæ, cujus meminit Antipater *in Epigramm.* inventæ ſunt φιμὸς ſeu *capiſtrum*, incitamentum notavit, uti docet præfatus Salmaſ. *d. l.* p. 1281. Epigramma Antipatri in Lyſidicam hoc eſt:

Μάστιγα ἢ τί ἐπὶ σαμάτι πέτρα
Λυσιδίκας, γλαυκὸς ἢ δ' ἐχεγλώσσου.

Inſculpta autem hæc fuêre in eo cippo ſymbola, frena, capiſtrum, gallus gallinaceus, tantum. Mentem eorum ſic ipſe aperit, ut hæc legenda ſunt:

Τὰν μὲν ἀνεγρομέναν με πρὸς ἔργια νυκτὸς ὄρνις,
Ἀνία δ' αὐδάσει δώματος ἁνίοχον,
Ἱππαστὴς δ' ὅδε κημὸς ἀπαγγέλλει ὡς πολύμυθον
Οὐ λάλον, ἀλλὰ πολλᾶς ἔμπλεον ἁσυχίας.

Gallinaceus vigilantem indicabat: fræna domus moderatricem: capiſtrum taciturnam. Alia ſunt *Capiſtra purpurea*, h. e. florea apud Ovid. *Met. l.* 10. v. 123.

Tu modò textiles varias per cornua flores:
Nunc, eques in tergo reſidens, huc lætus & illuc
Mollia purpureis frænabat ora capiſtris.

De quibus vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 2. *c.* 13.

CAPITA, vel Navim, ludi puerilis genus, apud Romanos, quô nummum in ſublime jactantes, cùm in terram recidit, utram faciem oſtenderet, obſervabant. Jani tempora in memoriam revocantes, qui primus in Italia nummos cudiſſe naveſque fabricaſſe creditus eſt; Unde in nummis, ab una parte duplex Jani vultus, ab altera navis erat, Angli hoc ludi genus *Croſs and pile*. Germani *Muntz oder Qhummatz* appellant. Vide Anton. Conſtant. in Ovid. *Faſtor. l.* 1.

CAPITA Militum, apud Vegetium, *l.* 3. *c.* 3. præcipui ſunt primores exercitus, Gallis *les Chefs*: Κεφαλαὶ Græcis recentioribus, Conſtantinus Porphyrogen. in *Tacticis*, p. 8. Καὶ ἐποίουν κεφαλὴν ἐπὶ αὐτοὺς, καὶ ἔλεγον τὴν μὲν κεφαλὴν στρατηγὸν, καὶ τὴν φάλαγγα στρατηγίας, *Et fecerunt eum Caput ſuper ipſos & vocaverunt Caput quidem ducem, phalangem verò ducatum*. Leo in *Tact. ibidem*, c. 3. §. 6. στρατηγοῦ, ὁ στρατηγὸς, *Primum Caput, Dux*. Iidem Κεφαλάδες dicti reperiuntur, apud Scylitzam, Cedrenum, Achmetem, aliosque ejuſdem ævi. Car. du Freſne *Gloſſario*. Eodem pertinent *Capita belli*, apud Statium, *Theb. l.* 10. v. 29.

——— utſquam Capita ardua belli,
Monſtra atque Ducum ſeptem per agmina triſtes

ad quem locum vide Barthium, *Animadverſion. l.* 3. p. 1122.

CAPITA Pſittacorum, & faſianorum & pavonum, in cœnis exhibita ab Heliogabalo, apud Lamprid. in *Vita* ejus, c. 19.

CAPITALE, capitis tegmen ſeu faſcia, quâ caput involvi ſolet, Varr. in *Gloſſis* κεφαλόδεσμος, item κρήδεμνον: ſic ricam, cingulum capitis interpretatur Feſtus & vittam, quâ Flaminica caput cingebat redimitum & mitram & palliolum, quæ omnia vocibus his apud Græcos intelliguntur. *Heſych.* Κρήδεμνον ἐπικάλυμμα, ὅ ἐστι κεφαλόδεσμος. *Capitulum* etiam & *Capitulare* Latinis, quod & *cappam* dixêre. *Iſidorus*, Capitulum, quod vulgò Capitulare, vel quòd duos apices, ut litera cappa habeat, vel quòd capitis ſit ornamentum. Unde cappas hodieque pallıola, quibus mulieres caput tegunt, & *cappellas* vel *cappulas*, noſtros pileos, quibus ad caput tegendum utimur, Galli vocare conſuevêre. Dicta κεφαλίδες veteres muliebria ejuſmodi pallia, item καμπύλαι, non à Cabade Perſa, ut Tzetzes autumat, cujus ait:

Τὸ ἔνδυμα ἐκεῖ τοῦτο καλοῦσι καβάδιον,
Ὅπερ Καβάδιον λέγεσθαι ἀπὸ Καβάδου τοῦ Πέρσου.
Indumentum Martiale ultimum hoc reperies,
Quod Cabades dicitur, à Cabade Perſa

ſed à litera *κάππα*, ut recentioribus *καππίον*, ad cujus modum duos in capite apices habebant, ut vidimus ex *Iſidoro*. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano*, c. 45. ubi *Maforium*, *Calvendrum*, *Capitale*, *Κρήδεμνον* aliaque ſynonyma eſſe docet.

CAPITALE, apud Recentiores, capitis quoque cenſus eſt, aliàs *Capitalitium*, *Capitagium* & *Cavagium*, h. e. cenſus quem *homines de corpore ſeu de capite*, quotannis domino tenebantur præſtare, Germ. *Kopffgelt*. Cujuſmodi cenſus in Gallia ut plurimum erat quatuor denariorum, tametſi non ſemper: unde tali cenſui obnoxii *homines quatuor nummorum*, vel *de quatuor nummis*, dicuntur in *Conſuetud.* Burbonenſi & in *Charta* Radulfi Abbatis S. Mauri ad Ligerim, apud Car. du Freſne. Præſtabatur is quotannis; præterea in nuptiis & in morte. Lambertus Ardenſis, p. 63. *Mancipia & liberos reſignavit, dum ipſi & ipſorum & poſteri & ſucceſſores Abbati jam dicto & ejus ſucceſſoribus annua penſione ſingulos redderent denarios, & in nuptiis & in morte quatuor*. Dies ſolennis erat Feſtum Aſſumtionis B. Mariæ, in Charta Hugonis Caſtellani Gandenſis A. C. 1243. Et quidem cenſus hic exigebatur, ſi *redditum terræ* non haberent: aliàs *cenſum cadere* dicebatur. Vide *Chartam* Flaviniacenſem A. C 897. apud Carolum du Freſne *Gloſſar.* ubi plura hanc in rem. De tributo capitis Hebræorum, aliàs. *Capitalitium ſummum* vocat Guntherus, *Ligurin. l.* 5.

Improba Romano poſcunt à Rege tributa,
Cujus ad arbitrium diſponitur omne tributum;
Et capitalitium cogunt appendere ſummum.

Veteres *Capitationem*, ſeu *Capitulare tributum*, quod *alteram penſionem tributi* vocat Plinius, ubi de cocco, *penſionem alteram tributi pauperibus Hiſpaniæ donare*, ait: Nempe tributorum collatio, ut *Feſtus* notat, duplex fuit, *alia in capite*, *alia in cenſu*, tributumque alterum capitis, alterum ſoli: quorum hoc pro modo facultatum & prædiorum imponebatur; illud ex æquo pauperes diviteſque attinebat. Qui agrum habebat, ejus ager pro domino pendebat; qui non habebat, nec eô tenebatur: penſioni alteri capitis omnes erant obnoxii, quà divites, quà pauperes. Hinc pauperes in Hiſpania coccum paſſim naſcentibus fruticibus decerpebant, cùm aliud nil ſuppeteret, atque inde corradebant, unde capitationem penderent: quare Plinius coccum *penſionem alteram tributi illis donare* dicit. Quô ſenſu herbas, quæ in hortis naſcuntur, penſionem eſſe pauperum, alibi quoque ait, *l.* 19. *c.* 4. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 275. Inde apud Recentiores, *Capitales* homines, qui iſtiuſmodi cenſum debent: quô nomine plerumque intelliguntur, qui olim manumiſſi fuerant, non *plenariâ*, ſed *conditionali* manumiſſione, ſub conditione operarum, ſervitii aut cenſus annui; Gall. *Hommes de corps & de chef*, in *Stabilimento* S. Ludovici, *l.* 2. *c.* 32. Cujuſmodi hominum conditio ſic deſcribitur in *Chron.* Abbatiæ S. Trudonis, *l.* 13. *extremo*: *Maſculus* 12. *denarios ſolvebat ſingulis annis de cenſu ſui capitis, femina* 6. *quidam alius legis* 2. *denarios*, *quidam* 4. *Maſculus iſtarum conditionum quocunque moraretur, ſive ſub noſtro jure, ſive ſub alieno, ſi nondum conjugatus erat, debebat Eccleſia quaſi heredi ſuæ, quidquid in omni ſubſtantia ſupererat ei: ſi fuerat conjugatus & non cum ſua compare, h. e. quæ non eſſet ancilla noſtra Eccleſiæ, debebat dimidium ſuæ ſubſtantiæ, ſimiliter & femina, excepto quod quocunque conjuge eſſent ejus liberi, non dabat Eccleſiæ, niſi quod melius videbatur in omni ſua mobili re. Maſculus ſi eſſet cum ſua compare conjugatus, dabat de ſuis veſtimentis quod erat melius. Quòd ſi haberet terram cenſualem & ſervilem, de terra dabat Præpoſitus ad curtim bovem & de capite ſuo, vel alium, vel vaccam, quam habebat meliorem. Ita quoque ſiebat, ſi palefridi ſupereſſent*. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* hâc voce; & voce *Heriotum*; nec non infrà *Catallum*.

CAPITALIS, vulgò *Captau* ſeu *Capitau* Gallis, dignitatis nomen, quibuſdam ex illuſtrioribus Aquitaniæ Proceribus attribui ſolitum, quos Comitibus, Vicecomitibus & Baronibus accenſet Conſuetudo municipalis Burdegal. *artic.* 75. In iis præcipui, *le Captal de Buch*, h. e. *Capitalis Bogii* (Aquitaniæ municipii, ad canalis oſtium, quod ſinum Arcachonum efficit) & *le Captal de Treſne*, ſeu *Capitales Treni* (caſtri in eadem provinc.) Qui *Capitales* videntur dicti, vel quòd eſſent domini loci iſtius, qui promontorium eſt ſeu caput in mare excurrens; vel quod eſſent Capitanei illorum caſtrorum, qui aliquando *Capitales* Gall. *Capitals*, dicti occurrunt. Et quidem *Capitalatum de Bogio* quod attinet, eum tradunt primitus poſſeſſum à P. Amanevo *de Bordeu*, cujus (ſine liberis extincti) frater fuit P. *de Bordeu*, Dominus de Podio Paulino, de Caſtronovo & de Inſula S. Georgii: quô genitu P. *de Bordeu*, Capitalis de Bogio & Aſſalhida *de Bordeu*, nupta P. *de Greſly*, Vicecomiti de Benaugiis & de Caſtilhone, quorum illô abſque liberis pariter mortuô, *Capitalatus* in Greſliacam familiam, atque inde in Lebretenſem tranſiit. Vide Auctores laudatos *Gloſſarii* Auctori præfato.

CAPITALIA, mons Indicorum altiſſimus, *Plin. l.* 6. *c.* 20.

CAPITALIS Angliæ Juſticiarius, vide voce *Juſticiarius*.

CAPITANATA, ſic dicta, à quo Baſilius Imperator certum quendam Capitaneum eò miſit, provinc. regni Neapolitani, pars Apuliæ Dauniæ, ſterilis admodum & rigua. Ei à ſeptentrione & Ortu Mare Adriaticum, ab Occidente Comitatus Moliſinus; à Meridie Principatus Ulterior, Baſilicata & terra Bariana. Urbes præcipuæ, Manfredonia, Aſculum Apulum, Luceria Paganorum, Bovinum, & Troja. Merula *Coſmogr.* Leander *deſcr. Ital.* p. 249.

CAPITANEUS, propriè qui prædia vel dignitatem in capite tenuit, h. e. ab ipſo Rege, Baro Regis vel Regni. Plebi enim terras olim non dividebant Reges; ſed vel pagos integros, vel am-

plus rurſus portiones Capitaneis conferebant; qui acceptas itidem ſuis diſpartiebantur clientibus. Communiter *Capitanei* appellantur, qui cœtui præſunt, tanquam caput, tum in re militari, Curopalati [illegible], tum in Civili & Eccleſiaſtica: unde Lyra in Matth. c. 17. v. 27. *Quia jam Petrum fecerat Capitaneum ſuper alios Apoſtolos.* Vide Henr. Spelmannum Gloſſ. Archæol.

CAPITANEUS, vide infrà *Capitaneus*, it. *Poteſtas.*

CAPITATA Cæpa, apud Plin. l. 19. c. 6. unum ex duobus cæparum generibus, quæ prima apud Latinos fuiſſe dicit, *Unum*, inquiens, *condimentaria, quam illi Get[illegible], noſtri pallacanam vocant: alterum capitatam.* Unde fruſtra eſt Vir Magnus, qui *Not. ad Morettum* contendit, nullum cæpe eſſe, quod non ſit capitatum; Gethyon enim ſine capite. Et quidem cæpæ, quæ ad ſemen ſervantur, in caput non creſcunt & in longum caulem exeunt, quem *tallam* vocat Columella, l. 11. c. 3. Unde tallas, à cæpis, diſtinguit Lucilius hôc verſu,

Flebile cæpe ſimul, lachrymoſaque ordine talla.

Inter reliquas, quæ ſimplex caput habent, nec ſubolibus adnatis propagantur, Græci [illegible] & [illegible], Latini ruſtici *Uniones* dixêre, &c. Sed & porri duo genera, *Capitatum & Sectivum*, Græcè. [illegible] & [illegible]: de quo utroque, & de Cæpis vide pluribus agentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1000. & 1168. Virgilius in *Moreto*,

Hinc ſiſer & nomen capiti debentia porra.

CAPITE multa teſtabantur Veteres. *Allidebant in luctu.* Victorinus de Auguſto, poſt cladem Varianam. *In tantum perculſus, ut cerebri vario incuſſu parietem pulſaret, veſte, capilloque & reliquis lugentium indecus deforem.* Livius, l. 25. c. 27. *Poſtquam Aſdrubalem Giſgonis venientem allatum eſt, flere omnes repentè, & offenſare capita, alii manus ad cœlum tendere.* Vide Plut. in *Alexandro*, ubi de Dario conjugis obitum lugente, & Euſebium in *Vita Conſtantini*, l. 4. c. 65. Vide quoque infrà *Fores*. Idem *verberabant*, rebus improſperis. Idem Euſebius, *Hiſtor. Eccl.* l. 11. c. 27. [illegible] ὁ Ἀπόςολ[illegible] [illegible] τὴν κεφαλὴν [illegible] ψυχὰς [illegible]. *Sciſſis igitur veſtibus Apoſtolus & magno cum ejulatu percutiens caput, præclarum, inquit, cuſtodem fraternæ animæ reliqui.* Vide quoque Herodot. l. 9. ubi de Plummento à Perſis victo captoque. Porrò illud *inclinabant*, in mœſtitiæ & puſillanimitatis ſignum. Joann. Climacus, *Paſtor.* l. 1. [illegible] *Quòd ſi & ipſi, juxta externam, quæ in ovibus cernitur, ſpeciem, caput animæ — in terram verſus inclinent, habemus docentem: cor contritum & humiliatum Dominus non in nihilum rediget.* Sed & *inflectebant*, in ſignum aſſenſus ac approbationis, qui mos in Caſinenſi Monaſterio, fortè etiam in aliis, hodieque ſervatur, ut videl. quod proponitur in Conventu, Seniores voce, juniores *capite inflexo* approbent. Petrus Diac. l. 4. c. 94. *Cùmque omnes tum voce, tum capitum inflexione hunc ſe velle* (Abbatem) *reſpondiſſent*, &c. Galli vocant *oſter du bonnet*. De ejus *apertione*, coram Magiſtratibus. Sic Varro apud Plin. l. 28. c. 6. *Capita aperiri aſpectu Magiſtratuum, non venerationis causâ juſſiſſe, ſed valetudinis, quoniam firmiora conſuetudine ea fierent.* Contra ſententiam aliorum, qui honoris causâ id fieri contendunt. Cæl. Rhodig. l. 3. c. 23. Certè antiquum exhibendæ venerationis hunc morem fuiſſe, oſtendit ad illa Salluſtii, *Hiſtor.* l. 5. c. 1. *Quibus de cauſis Sullam in victoriâ Dictatorem, equo deſcendere, ſibi, aſſurgere de ſella, caput aperire ſolitum*, Cl. Freinshemius. Et Coppium, cùm Regem allocuturus eſſet, pro more *detrahentem galeam*, habes apud Curtium, l. 9. c. 3. At inſtitutum veteris fuit, ut qui Diis ſacrum facerent, exceptô Hercule ac Saturnô, *caput operirent*, Plautus in *Amphitr.* Qui mos etiamnum Judæis ſervatur, caput inter orandum ephod ſuô tegentibus. Æneam autem operiendi capitis morem invexiſſe, dum ſacris operaretur, ajunt. Hodieque Japonenſes, præter reliquarum ferè omnium gentium morem, *capite operto* venerationem ſuam advenientibus teſtantur, vide infrà voce *Signa* &c. Obteſtantes aliquem enixius *tangebant* illud. L. Florus l. 3. c. 14. de Tiberio Graccho: *Inde cùm in Capitolium profugiſſet, plebemque ad defenſionem ſalutis ſuæ, manu caput tangens, hortaretur, præbuit ſpeciem regnum ſibi & diadema poſcentis, atque ita quaſi jure oppreſſus eſt.* Sic *tangentes caput*, per id jurabant, ut notatum multis; quem morem Judæis fuiſſe, patet ex interdicto Domini Matth. c. 5. v. 36. Quod Juvencus ita expreſſit, l. 1.

Nec caput in proprium cuiquam jurare licebit,
Mutareque poteſtatem nemini non eſſe capilli
Certatis.

Eodem pertinet Horatii illud, l. 2. *carm.* 8. v. 5.

— — Sed tu ſimul obligâſti
Publicum votis caput, enitêſcis
Pulchrior multò, juvenumque prodis
Publica cura, &c.

Vide Caſpar. Barthium, *Animadverſion. ad Stat. Tom.* 3. p. 301. Nec omittendum, *fixo haſtis hoſtium capite*, in victoriæ ſymbolum. Cujus rei veſtigium in Sacris, ubi Goliathi caput reſectum manu præ-tuliſſe Davidem, cùm ad Saulem Regem perduceretur, legimus, 1. Sam. c. 17. v. 57. Sic Silius de Terone occiſo Hasbytes caput bipenni ſuffigente, l. 4. v. 208.

Namque aderat toto ore ferens iraſque, minaſque
Annibal, & cæſum Hasbyten, ſixique tropæum
Inſanum capitis, ſixiaca mente dolebat.

Vide Keuchenium aliosque ad C. Nepotem, *Catone*, c. 1. ſimiliter *Alcibiade*, c. 10. Quod hodieque in uſu apud varias gentes, Perſas imprimis, de quibus vide Petrum de Valle, *Itinerar.* Tom. 2. & 3. & infrà *Verutum*. Adde Car. Paſchal. *Coronar.* l. 5. c. 4. & 5. Nec nominanotum *capite demerſo, pedibus ſurſum verſis*, ſuos baptizantium ritus, de quo vide infrà *Spado*.

CAPITE Cenſi, vide infrà *Proletarii*.

CAPITIARIUS, apud Fulbertum Carnot. *Ep.* 103. *Conſtituet tibi aliquem theſaurarium & Capitiarium, de bonis Clericis:* Tributorum exactor eſt, vide infrà *Capitium*.

CAPITILAVIUM, feſtum Eccleſiæ Romanæ, aliàs *Dominica Palmarum*. Ordo Rom. *Dominica Indulgentiæ, quæ diverſis vocabulis diſtinguitur, i. e. Dies Palmarum, ſive Florum atque Ramorum, Oſanna, Paſcha petitum ſive Competentium, & Capitilavium.* Sic dictum, *quia tunc moris eſt lavare capita infantium, qui ungendi ſunt, ne forte obſervatione Quadrageſimæ ſordidati, ad unctionem accederent*, Iſidor. *Origin.* l. 6. c. 18. Vide quoque Alcuinum, *de Officiis divin.* Rabanum Maurum, *de Inſtitut. Clericor.* l. 3. c. 35. Papiam & eundem Iſidorum, *de Divin. Officiis*, l. 1. c. 27. laudatos Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Nempe lavabantur hâc die capita puerorum, qui ſequenti Paſchatis die Baptiſmalibus aquis erant tingendi. Quoniam verò non pauci ex plebe illiuſmodi lotionem cum Baptiſmo eandem habere cœperunt, abrogatus ritus hic fuit, in Concilio Moguntino A. C. 813. Durandus *Capitilavium* in diem feriæ V. in Cœna Dom. conjicit, qui etiam dicebatur *Magnus dies Jovis*, & *Viridis dies Jovis*, quia in eo reconciliabantur pœnitentes: Item *Albus dies Jovis*, quia tunc diſtribuebatur pauperibus panis albus, quod hodieque in aliquot Galliæ locis contingit, ubi propterea *Jeudi blanc* appellatur. Macri *Hierolex.*

CAPITIS Viridis Inſulæ Oceani Atlantici ex adverſo Capitis viridis, in Africa. Aliàs *Heſperides* & *Gorgades*. Sunt 10. numero. Nempe præcipuæ S. Jacobi, Ignium, S. Antonii, S. Vincentii, S. Luciæ, S. Nicol. Boni viſus, Salis, Maji & Brava. Sub Luſitanis.

CAPITIUM, Siciliæ urbs, circa Symmæthi fontes, vulgari nunc incolis vocabulô *Cappazzi* dictum. Id *Ptolemæo* vocatur Κοπίτιον. At Romanis fuiſſe videtur Capitium, & inde Oppidani *Capitini*. Nam Ciceroni, *Verrinâ* 2. memorantur, inter cæteras Siciliæ urbes celebriores, *Capitina civitas*.

CAPITIUM, capitis tegmen Nonio ex Varrone, *de Vit. populi Rom.* l. 4. ubi tamen pectoris potiùs tegumentum fuiſſe indigitatur, à *capiendo pectus* dictum: ut idem Varro habet, *de lingua Lat.* l. 4. Vetus Interpres Juvenalis, Probus Georgio Vallæ dictus, *Conchylia, capitia purpurea ita ſignavum, ut conchylia ipſa videri poſſunt*, inquit ad *Satyr.* 3. v. 81.

Horum ego non fugiam conchylia. —

Ubi Ferrarius *Capitia* interpretatur lacernas cum cucullo ſive capitio. Hodie, cucullum antiquis Afeis atque Monachis arcendo frigori cœliſque injuriis adhibitum, Monachi *Capitium* à capite tegendo vocant, aliò à veteri ſignificatu, vide Octav. Ferrarium de *Re Veſtiaria*, Part. 2. l. 1. c. 22. & 23. Scaliger ſic de hac voce *Poetic.* l. 1. c. 16. *Liber pater cum thyrſo & veſte crocotula: ita Plautus* [illegible] *& cum* [illegible] *pectio. Erat hoc, quod* [illegible] *Capitium in virginibus, quia pectus caperet: non capitis tegmen, uti creduunt recentiores. Eſt verbum Philippidis Comici in fabula* [illegible] *eſt.* At *Capitium* ſeu *Capecium*, in *Chron.* Mauriniacenſi, l. 1 [illegible] [illegible] *majorem in Capitio fecit*, alibique paſſim, [illegible] eſt, in Communione Roman. quæ vulgo *Presbyt*[illegible] locus, [illegible] altare ſtatuitur, Græciſque Βῆμα dicitur. Unde hodie etiamnum in Æde ſacra Monaſterii S. Dionyſii prope Lutetiam eam ædis partem, quæ retro altare eſt, & ad quam aliquot gradibus aſcenditur, *Chevet* ſeu *Chevau*, Galli vocant. Nempe ſic dictum videtur quibuſdam, pulvinaris inſtar, quod *Chevet* Gallis eſt, admixtum fuerit altare, vel quia caput ſit Ædis, uti hæc pars non raro appellatur, apud Helgaudum in Roberto Rege aliiſque. Sed & Pariſius nota [illegible] ſignificatio hæc voc. *Chevet*, pro *capite*: ubi prona plateæ ſeu compita vocantur *Chevet de S. Landry* & *le Chevet de S. Jean en Greve*, quà parte earundem ædium ſacrarum *capita*, ſeu Presbyteria protenduntur, Car. [illegible] *Gloſſar.* qui partem hanc Ædium ſacrarum eandem [illegible] facit. Vide in hac voce. Hinc *Capitiarius* eidem ſeu C[illegible] dignitatis & officium in Monaſteriis, Gall. *Chevetier*, cui [illegible] cura incumbit *Sacriſta*, in *Charta* A. C. [illegible] 185 in Tabula S. Martini de Campis. Meurſius tamen & Voſſius [illegible] *capitatione* deducentes vocem, *Capicerium* fuiſſe dicunt, qui capitale tributum exigeret; quibus aſtipulantur Macri fratres in [illegible] *rolex.* voce *Capitiarius*. Vir doctus in *Hiſtor.* Ædis Sacræ S. Aniani Aurelian. c. 7. cum [illegible] confundit: neque feliciori conjecturâ alii a *capienda cera* d[illegible] putârunt, quòd ut plurimum in ſacris ædibus candelarum cereorumque cura diguitati iſti incumbat, cùm & Altaris, in quo ſolent reponi, cura eidem ſpectet, &c.

CAPITO VIII. Hieroſolymorum Epiſcopus A. C. 165. Item alius, poſt Julianum II. uſque ad annum quintum Commodi, à Nato Chriſto 186. Euſeb. in *Chron.* Item Poëta Alexandrinus, ſcripſit Commentarios ad Philopappum, l. 7. & 8. Voſſ. de

de Hiſt. Græc. l. 3. p. 339. de Poët. & alii, de Mathem. Salm. c. 69. §. 29.

CAPITO, vide Valerius.

CAPITO Ateius, vide Ateius Capito.

CAPITO Fabricius Wolphgangus, Hagenoa Alſatiæ oriundus, patre Oeſſano Senatore, Theologus celebris, Reformationis opus, cum Bucero, in partibus Rheni ſuperioribus, egregiè promovit. Cultit eodem interfuit colloquio Marpurgenſi, A. C. 1529. in quo inter Evangelicos in omnibus ferme conventum. Vir ingenio & prudentia præclarus, literarum & Scholarum maximus, ut qui fuit, Melch. Adami in vitis Theol. Germ. Ejus in Hexaëmeron explicatio doctiſſima, in Hoſeam Comment., in Habbacucum Enarrationes, &c pro diſtum Argentinæ, A. C. 1526. 1528, 1539. Obiit ibidem, ex peſte, A. C. 1541. ætat. 63.

CAPITO Fonteius, [illegible] ad unguem factus homo, uti eum in hodœporico vocat Horat. l. 1. Sermon. Sat. [illegible] v. [illegible]

CAPITO Lucilius, vide Capito.

CAPITO Lycius composuit Hiſtoriam Iſauricam libris 8. Epitomen Eutropii de Pamphylia, & alia, de quibus vide Voſſ. Hiſt. Græc. l. 3. p. 319.

CAPITO Robertus, vide R[illegible].

CAPITO Titinius, ſcripſit exitus illuſtrium virorum. Plin. l. 8. Ep. 12.

CAPITO, Gall. Teſton, nomen monetæ, in Regno Franciæ, olim uſitatæ. Et [illegible] G[illegible] [illegible], ſeu Teſt[illegible], Gall. [illegible] Teſtons primum cuſi ſunt ſub Ludovico XII. pond. 7. den. 1[illegible] gr. pretii ſol. Turon. 10. [illegible] æferebant illi Regis caput [illegible] depreſſo opertum, & in averſa parte ſcutum auſignatum coronatum [illegible] [illegible] denrat [illegible] & Inſcript. X P C. V I N C, &c. Fueruntque longè meliores [illegible] Franciſci I. quippe pond. 12 gr. argenti Regis. Sub eodem prodiêre [illegible] Capitones Me[illegible], Gall. quos Teſtons de [illegible], Regis caput eódem opertum [illegible] ferentes, cum [illegible] ad pectus, & Inſcr. † LUDOVICUS D G. FRANCO[illegible] M REX. In averſa parte S. Ambroſium [illegible] equitem, manu flagellum tenentem, ſub quo & in ipſo circulo In [illegible] continente, ſeptulum fuit [illegible] 3. Illuſtr[illegible] [illegible], MEDIOLANI DUX, vide ſuprà ubi de Ambroſiano, [illegible] in voce [illegible]

CAPI[illegible]LIAS, Caput Syriæ urbs. Ptol. vix 60. milliar. à Damaſco, in Suſit[illegible] P[illegible].

CAPI[illegible] [illegible], à tabula Capitolii dicti ſunt, in cujus inauratiónem Domitianus millies octingenties octogies, impendiſſe legitur apud Plutarchum in Poplic., quam inſaniam, magnificentiæ nomine, extulêre multùm Scriptores, & maximè Poëtæ. Unde [illegible], tot annis pòſt, Auſonium prodit hunc [illegible] bene,

Aurea qua ſtatuit Capitoli culmina.

Neque aliunde interpretandum vult Gronovius Martialem, l. 11. Epigram. 5. v. 1,

Sacra, Laréſque Phrygum, quos Troja maluit heres,
Quam rapere arſuris Laomedonta opes;
Scriptus & æterno nunc primum Jupiter auro,
Et ſoror & ſummi filia tota Patris.

Quaſi diceret, Et tu, Jupiter, qui nunc primum poſt incomputabilem illam proxmam certè priores Capitolii ædificationes infinitis modis ſuperaſtem, magnificentiam, æternò auro cultus es & ornatus, & v[illegible] Juno Mine[illegible] [illegible]. In quibus verbis Jupiter ſcriptus [illegible] [illegible] Statio eſt per[illegible] auro, non ſculptus, ut voluêre nonnulli, &c. Cùm itaque pretioſas iſtiuſmodi ſtatuas & aliam infinitam auri vim in Capitolio fuiſſe certum ſit, Tutela Capitolii Redemptores, hujuſmodi theſa[illegible] ab inju[illegible] defendendis, tanquam cuſtodes, appoſi[illegible], contendit Rycquius: Gronovius verò genus Publicanorum [illegible] hoc nomine intelligit, qui iſtius ædificii Membrorumque e[illegible] [illegible] redemerant, ab Cenſoribus, quibus [illegible] [illegible] nece[illegible] fuit, eóque & omnia illorum monumenta n[illegible] modò expoſita, ſed & ipſa tuenda erant, de conſervandis ii[illegible] haud dubiè [illegible] cavere oportuit: at omne munus illorum [illegible] fuit Plin. l. 35. c. [illegible] M. Auſidium [illegible] Capitolii redemptorem, do[illegible] Patres, argenteos eſſe clypeos, qui pro [illegible] aliquot jam uſtra adjiciebantur. Et priùs l. 34. [illegible], prius quam id novíſſimè conflagrat [illegible] cella [illegible], canem ex ære, vulnus ſuum lambentem [illegible] & indiſcreta veri ſimilitudo [illegible] ex eo [illegible], quod ibi dicatus fuerat; ſed & novâ [illegible] per valebant capite Tutelarios præere [illegible] fuit. H[illegible] Redemptores capiti ac vitam vel [illegible] que opponere, ut, ſi viti[illegible], vel amoverentur, non bonis [illegible] [illegible]. Quo ſenſu apud Ciceronem, [illegible] Verr [illegible], ſidem [illegible] P. ſimius habuit tuendam, l. Saſia, [illegible] Me[illegible] Et apud Livium, l. 42. C[illegible] [illegible] exuere ſartis publicis & loca [illegible]. Dicti autem hi Tutelarii [illegible], ab [illegible], quia hanc vocabuli exterminationem [illegible] [illegible] lapide prope Ulpiam Trajan MERCURIO ET MINERVÆ. DIS. TUTELARR. Joh. Frid. Gr[illegible] v. Obſerv. [illegible] 18.

CAPITOLI[illegible] A palm[illegible] [illegible] ad Probum, c. 7. tunica eſt palmata, quam [illegible] è Capitolio petebant. Capito[illegible] in [illegible] [illegible] c. 4. Palma[illegible] tunicam & Togam pictam primus Romanorum privatus ſuam propriam habuit, cum antè Imperatores etiam de Capitolio acceperint, vel de Palatio. Hanc etiam [illegible] triumphantes, die triumphi, unà cum Togâ pictâ acceperunt, ſub Imperatoribus. Conſules omnes habuêre, & Gordianus privatus quoque, ut viſum, vide infrà in voce Palmata & Salmaſ. ad Vopiſc. in Carino, c. 20.

CAPITOLINI Agones, inſtituti à Domitiano Imperatore, ſingulis quinque annis celebrabantur, ad exemplum ludorum Olympicorum. In iis omne genus artificum certabant. Citharœdi apud Juvenal. Sat. 6. v. 387.

An Capitolinam ſperaret Pollio quercum.

Hiſtriones, in vet. Mſcr. Poëm. unde Statius non uno in loco, in Sylvis tum quoniam ſibi Thebaidem recitanti alios prælatos: & notus Juvenalis locus, Sat. 7. v. 86.

— — Sed cùm fregit ſubſellia verſu
Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agaven.

Ubi fregit ſubſellia, interpretatur Roſinus, [illegible] non ſtant, ſed [illegible] non placuit. Godwynus autem Antholo Rom. l. 2. Sect. 3. c. 9. contrariò planè ſenſu hæc verba capit, in laudem Poëtæ, & applauſus vehementiam illa trahens. Hinc & Sidonius Apollinaris l. 5. Ep. ad Sapaud. H[illegible] olim peroravere, inquit, & Rhetoribus ſedilia plauſibilis oratione frangentes, ſocer videlicet [illegible] familiam patriciam [illegible] Similéque videtur illud Virgilii, l. 3. Georg. v. 328.

Et cantu querulæ rumpent arbuſta cicadæ.

Apud Polybium quoque Hiſt. l. 13. [illegible] [illegible], Rumpebantur totius loci plauſu & clamore. Unde a Juvenali vult tamen illud [illegible] ſophos, totiet Poëtæ repetitum; [illegible] nempe acclamatio, quâ Oratores Poëtas applaudere ſolebant verbis [illegible] ſeu [illegible]. Horat. de arte Poët. v. 428.

— Clamabit enim pulchrè, benè, rectè, &c.

Tempus autem dignitatis in Agones, ut Romæ non per luſtra, ſicut antea, magnum annum, ut vocabant, ſed per Capitolinos Agones ſupputarent: quod à Domitiani tempore, uſque ad [illegible] ævum [illegible] milli[illegible], [illegible] ſcribit. Cæterùm ſemper Agon ipſe Romæ manſit, ut ſu[illegible] Poëtæ, Rhetores illarumque profeſſionum artifices coronarentur ab ipſo Imperatore. Nec aliunde Poëtarum laureatorum mos [illegible] ad Germanos fluxit. Sed in veteribus agonibus Capitolinis, qui vicerant, coronâ & ramû lemniſcatâ aut torquem [illegible] volutis donabantur. Qui ſecundi erant, coronas quidem & palmas, ſed ſine lemniſcis, naneiſcebantur. Auſonius, Epiſt. 20. v. 5.

Et quæ jam dudum tibi palma Poëtica pollet,
Lemniſcâ ornata eſt, quò mea palma caret.

Vide Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l. 5. c. 18. Thom. Godwyn. loco ſuprà laudato, &c.

CAPITOLINI Ludi, dicti, quòd in honorem Jovis Capitolini, pro ſervato Capitolio, ab hoſtibus Gallis Senonibus inſtituti eſſent, à Camillo, Liv. l. 5. c. 50. In his præconis voce Sardianos venales proclamari & ſenem quendam ludibrii gratiâ produci ſolitum, bullam collò appenſam gerentem puerilem, Plutarchus habet in Quæſt. Rom. quæſt. 53. De qua ceremonia Feſtus: Sardi venales, inquit, h. e. alius aliò nequior: ex hoc natum proverbium videtur, quòd ludis Capitolinis, qui fiunt a vetuſtis prætextatis, auctio Vejentium fieri ſolet: in qua noviſſimus it, qui omnium deterrimus, producitur à præcone in medium ſenex, cum toga prætexta, bullaque aurea, quo cultu Reges ſoliti ſunt eſſe Etruſcorum: qui Sardi appellantur, quia Etruſca gens orta eſt Sardibus, &c. Habebantur quotannis. Vide Roſin. loco ſuprà citato.

CAPITOLINUS, Jovis cognomen, quòd templum in monte Capitolino extructum haberet, votum quidem primùm à Tarquinio Demarati filio, extructum deinde à Tarquinio Superbo. Diverſus hic à Jove Tonante, quem D. Auguſtus conſtituit, quòd liberatus eſſet periculò, cum, in expeditione Cantabrica, per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perſtrinxiſſet, ſervúmque antegam exanimaſſet. Sueton. in Aug. c. 91.

CAPITOLIN[illegible]S, cognomen M. Manlii, qui ob tyrannidem affectatam de Saxo Tarpejo dejectus eſt.

CAPITOLINUS Cajus Jul. Conſul, Collega Aureliani Auguſti, an. ab Urb. Cond. 1026. Chr. 274.

CAPITOLINUS Julius Hiſtoricus, qui de Cæſaribus ſcripſit, ſub Diocletiano, cui vitam Antonini Pii, & Veri dedicavit, ſicut Cl. Albini, Macrini [illegible] Maximinorum & [illegible] Gordianorum Conſtantino. Maximi verò & Balbini nemini inſcripſit. Pluriumalia rum auctor, quæ tamen periêre, Vide Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 7. Cor. Capitolinus, Auctor libri, Trebellius Pollioni, in vita 30. tyrann. laudari, ubi poſt illum ſcribit, in Odenato, Zenobiam, non ſolum virtute & rerum geſtarum gloriâ, ſed & formâ omnibus aliis in Oriente præcelluiſſe, [illegible] 14.

CAPITOLIUM, [illegible] [illegible] Romæ in monte Saturnio ex prædâ Apiolarum, Latinorum urbis, à Tarquinio Superbo extructa. Plin. l. 3. c. 5. Pulſis Regibus annò poſt tertiò, M. Horatius Pulvillus eâ magnificentiâ dedicavit, quam immenſæ poſtea Romanæ opes ornarent potiùs, quam augerent. Vide Tacitum, l. 3. Hiſt. [illegible]. 72. Virg. l. 9. Æn. v. 448.

— Sic Capitoli immobile ſaxum.

Sic dictum à capite *Toli* Vulgentani, teſte Arnobio, ibi reperto, dum fundamenta templi Jovis, Dionyſ. Halic. l. 4. foderentur. Antea mons Tarpejus vocabatur, à Tarpeja Virgine Veſtali, quam ibidem Sabini ſcutis ſuis obrutam necarunt. Virg. l. 6. *Æn.* v. 836.

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho,

Et *Capitolia celſa* videns, *Æn.* l. 8. v. 653. *Fulgens Capitolium.* Horat. l. 3. Od. 3. v. 42. Sueton. in *Veſp.* c. 8. *Ipſe reſtitutionem Capitolii aggreſſus.* Intellige Capitolii novi, quod regione urbis 8. ſive regione Fori Romani. Aliud enim vetus fuit regionis Urbis 6. ſive regionis Circi Flaminii. De utroque P. Victor in *topogr. urb.* & Notit. *Imp.* Varro, l. 4. *Ld.* Martial. l. 9. *Epigr.* 7. De vetere autem etiam Val. Max. l. 4. c. 4. *ex. ult.* Novi Capitolii conditores Tarquinii Reges Priſcus & Superbus. Dedicavit autem Horatius Pulvil. Plin. l. 3. c. 5. Tacit. *loc. cit.* Veteris conditor N. Pomp. apud Aurel. Caſſiod. in *Chron.* Nic. *Lloydius.* Capitolium in cineres redactum ſub Vitellio, à Veſpaſiano reparatum eo tempore, quo Hieroſolymitanum templum in cineres reſedit. Rurſus cineribus ſub Tito additum, Domitianus denuo magnificentius extruxit, inſtitutis Agonibus Capitolinis, qui 5. quoque anno celebrarentur. Etiam Aram ibi ab Auguſto poſitam, cum inſcriptione, *Ara primogeniti Dei*, dicunt, qua de re alibi: nunc templum extructum in celebri hoc loco, *Ara cœli*, dictum. *Moreri.* Eſque quidem, ut dictum: Mons (ut paulò plenius ſuperba hæc moles enarretur) in quo hæc ædes, Saturnius primò: dein Tarpejus, tandem, à capite Toli, *Capitolium* dictus eſt. Ipſum *Capitolium* vetus à Numa: novum à Priſco inchoatum, à Superbo poſt Sueſſam Pometiam è Volſcis captam, impenſis in id 400. talentis argenti aurique, i. e. 240. mill. Philippeorum abſolutum: pulſis demum Regibus à Pulvillo, dedicatum eſt. Situm *Dionyſius* deſcribit: Ibi & Juventas & Terminus, qui cedere noluerant exauguirantibus; itaque eorum aræ continebantur templi ambitu, atque una in veſtibulo cellæ Minervæ, altera in ipſa cella juxta pulvinar fuit. Tres enim in Capitolio cellæ fuerunt. media Jovis, utrinque altera Junonis, altera Minervæ, ſub eodem laqueari eodemque tecto. Ibidem quadrigæ inauratæ, in cella Jovis, ſupra faſtigium ædiculæ, & Proſerpinæ tabula, in Minervæ delubro, ſupra ædiculam Juventutis, fuere. Imò quatuor fuiſſe *Capitolia* monet Preyelius: quorum I. Tarquiniorum illud, quod bellò Sullanò periit. II. Sulla inſtruxit, ſed non dedicavit, Catuli nomine inſcriptò: donec hòc deletò Julii Cæſaris nomen ei inſcriptum eſt. III. Poſtquam prius bellò Vitellianò arſit, Veſpaſianus condidit atque reparavit, iiſdem veſtigiis: quod à morte ejus cùm in cineres ſedisſet ſub Tito: Quartum à Domitiano inſtauratum eſt. Limina ejus ærea, ex mulcta quorundam fœneratorum facta eſſe, refert Livius, l. 10. c. 23. Poſt Carthaginem everſam, laquearia inaurata ſunt: tegulas illius æreas primus aurò obduxit Catulus: In cellam Jovis Capitolini unâ donatione, ex Ægyptiaca præda, contulit Auguſtus ſedecim millia pondo auri, i. e. 1600000. Philippeorum, & quingenties ſeſtertiûm, i. e. 1250000. Philipp. in gemmis, referente Suetoniò, c. 30. Domitianus in ſolam inauratiònem, ſupra 12. millia talentorum, ſeu ſeptem milliones impendit: ut de reliquis ejus opibus, & reliquarum quoque cellarum donis nil dicam. Poſteà, in pecuniæ inopia, Stilico fores Capitolii, quæ aurò magni ponderis tectæ erant, laminis ſic ſpoliavit; ſed in parte forium, ſcriptum reperit: *Infelici Regi ſervantur*; quod omen eventus paulò poſt implevit. Plura vide apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* l. 2. c. 5. &c. Adam. Preyelium, *Aſia & Europa* c. 16. &c. Neque tantùm Romæ *Capitolium* erat, ſed & in aliis urbibus, uti obſervat doctiſſimus Lilius Gyraldus, *de Diis Gentilibus Syntag.* 2. Veſtis, gratia Narbonæ. Sidon. Apollinar. *Carm.* 23.

Salve Narbo nobilis
Delubris, Capitolio, monetis.

Itemque Capuæ. Sil. Ital. l. 11. v. 267. *de Annibale eam ingreſſo.*

——— Monſtrant Capitolia celſa.

Nempe ad ejus imitationem, in quamplurimis Urbibus majoribus, inprimis quæ Coloniæ erant, *Capitolia* fuere. Nam, ut ait Gellius, l. 16. c. 13. *Coloniæ, quaſi effigies parvæ Populi Rom. erant, eòque jure habebant Theatra, Thermas & Capitolia*: quorum aliquot infrà recenſere viſum eſt. Apud Recentiores, *Capitolium* Templum paganorum, vel locus, ubi ſacrificare Chriſtianos cogebant olim Gentiles, *Lexicon. Græc. MS. Reg.* apud Carol. du Freſne, Καπετώλιον [illegible]. Cyprian. Ep. 55. *Quid ſupereſt, quam ut Eccleſia Capitolio cedat, & recedentibus Sacerdotibus, ac Domini altare removentibus, in Cleri noſtri ſacrum venerandumque conſeſſum ſimulachra atque idola cum aris ſuis tranſeant*: Et l. *de Lapſis*, *Nonne, quando ad Capitolium ſponte ventum eſt, quando ultro ad obſequium diri facinoris acceſſum eſt, labavit greſſus, caligavit aſpectus?* in Capitoliis enim idola congeſta fuere. Prudentius contra Symmach. l. 2. v. 632.

Et quæcumque ſolent Capitolia claudere larvas.

Unde Tertullian. *de Spectac.* Capitolium, *omnium dæmoniorum templum* dixit, &c. Certè in area Capitolina tot erant cellæ, ſeu faviſſæ ſub terra, in quibus res ſacræ vetuſtate collapſæ reponebantur, ut Catulus, qui aream deprimere ſicque Capitolii ædem altiorem reddere conſtituerat, quò pluribus gradibus in eam aſcenderetur, inceptò deſiſtere fuerit coactus, uti legimus apud A. Gellium, l. 2. c. 10. Sed & *Capitolium*, pro Capitulo Canonicorum vel Monachorum, ſeu loco, in quo ii congregantur, de re & diſciplina Canonica Monaſticaque acturi, Ital. *Capitolo*, occurrit non rarò. *Schedula* Presbyterorum ſeu Canonicorum Eccleſ. Laudunenſ. apud Hincmarum Remenſ. *Quapropter quia eundem Dominum noſtrum* (Hincmarum) *regiâ poteſtate retentum & recluſum viſu non audebamus, III. Kal. Junias ad Capitolium noſtrum convenimus & ibidem communi colloquio retractantes, tutum fore duximus, ut*, &c. *Inſcr.* Sepulchralis in Monaſterio Monialium S. Mariæ Jadræ.

Illic uitrix merito fuerit hic Wikilega ſepulta,
Quæ fabricam turris, ſimul & Capitolia ſtruxit.

Sic Καπετώλιον τῶν Μοναχῶν dixit Palladius in *Hiſtoria Lauſiac.* apud Car. du Freſne. In eodem loco Religioſos, uti vocant, culpas ſuas propalare conſuev[iſſ]e, ac pœnitentiam poſtulare, legas apud Macrum in *Hierolex.* ubi ex *Vita Dominici*, quem Sacerdotem ſui ſæculi, dæmonem eum eo per Conventum circumambulantem ei oſtendiſſe Diabolica lucra, in omnibus locis ex Fratrum ſpirituali damno percepta; noluiſſe tamen nequiſſimum Spiritum ad *Capitolium* cum Patre ingredi, ex odio illius loci, eò quòd quicquid in aliis lucrabatur, ibi loci perdere cogeretur, refert, &c. Sed & capſulam reliquiarum, in modum arcæ, efformatam, vel certè idem, quod *caputium*, Gall. *chapeau* [illegible] hac denotari, obſervat idem Car. du Freſne in *Geſtis* Abbatum S. Germani Antiſſiodor. c. 19. ubi unum ex dentibus B. Joannis Baptiſtæ in parvo quodam *Capitolio* cryſtallino & argenteo cuſtoditum fuiſſe Scriptor hic ait, &c.

Capitolia in aliis urbibus, ad Romani imitationem.

- Apamienſe memoratur in *Actis* S. Thyrſi.
- Auguſtanum in Vindelicis, apud Welſerum, l. 5.
- Beneventanum, apud Baronium, *Martyrol.*
- Biſontinum, apud Chiffletium in *Antiq. Biſunt.*
- Capuanum, apud Suetonium in *Tiberio*, in *Cap.* alibique.
- Carthaginenſe, apud Cyprianum, *Ep.* 55.
- Claromontanum, in Arvernis, apud Savaronem in *Origin. Clarom.*
- Colonienſe, apud Herm. Strangefolium, *Annalium Weſtph.* l. 1. c. 12. num. 2.
- Conſtantinopolitanum, in l. 32. Cod. *de Ædif. priv.* in vet. Urbis *deſcript.* Region 8. in *Chron. Alexandr.* & apud Corippum l. 3. In eo Scientiarum Profeſſores publicè docuiſſe diſcimus, ex *Conſtitut.* Theodoſ. & Valentin. quæ extat in Cod. Juſtin. & Theodoſ. *de Stud. Urb. Rom.* & Conſtantinop. unde probabile judicat Car. du Freſne, illam eſſe ædem, quam Βασιλικὴν τῶν Πανδιδακτηρίων ἐν Βυζαντίῳ vocat Anonymus in *Anthol.* l. 4. c. 21. Quis ſcholis Baſilicam Legum habet vetus Inſcriptio Tarſæ in Tranſylvania, apud Gruterum 171. 2. Vide Car. du Freſne in *Conſtantinop.*
- Florentinum, apud Joh. Villaneum, l. 1. c. 58.
- Hieroſolymitanum, unde urbs ipſa Hieroſolyma *Ælia Capitolina* dicta eſt, apud Ulpianum, l. 1. c. 6. *ff. de Cenſib.* & veterem Scriptorem, qui extat in Operibus S. Auguſtini.
- Mediolanenſe, apud Ughellum *Tom.* 4.
- Narbonenſe, apud Sidonium *Carm.* 23. in *Vita* Pat. Narbon. apud Boſquetum, &c.
- Nemauſenſe, apud Poldum Albenacum, à quo deſcribitur p. 73.
- Pampilonenſe cujus veſtigia in hac urbe Navarræ primaria obſervat Car. du Freſne in vet. *Statuto* pro Regno Navarræ, edito à Johanne Paſtaro Decano Carnotenſi & Hug. de Vitry Milite, Regiis Reformatoribus à Rege delegatis: *Fuit ordinatum, quod in Capitolio venderetur bladum*, &c.
- Ravennenſe, apud Adonem Viennenſem in *Martyrolog.* 23. Julii & *Hiſtor.* S. Apollinaris poſt Abdiam.
- Remenſe, in *Actis* S. Marcæ Mart. *num.* 3. apud Boland. Jan.
- Rodenſe, ad Thiciam amnem ſupra Gerundam, in Hiſpan. in *Actis* Ss. Vincentii & Oronatii.
- Santonenſe, apud Ademarum Caban. A. C. 1050. p. 181.
- Toloſanum, quod hodieque appellationem ſervat. Vide in voce *Toloſa*.
- Trevirenſe, vide in *Treviri.*
- Venquenſe apud Polycarpum Palermium, *de* [illegible] *patria*, l. 2. c. 3. &c. Nil apud quoſdam horum Auctorum [illegible] ſis domus ædi[fica]ta. Nec deſunt, qui [illegible] hæc urbium arces potius quàm Capitolii Romani rudimenta eſſe velint: Sæpe enim hâc voce arx denotatur apud Iſidorum, Hieronymum. *Alios.*

CAPITON latro, qui cùm aliquandiu latrociniis vacâſſet, pertæſus vitæ, in ſolitudinem ſe contulit, ubi annis 50. duravit [illegible] quodam ſpecu.

CAPITONES, apud Arnobium, *adv. Gent.* l. 3. *Ergo dicendum eſt quoſdam Capitones, ſilonculos, frontones* &c. ſunt quibus caput ſolitò vaſtius. Gloſſæ veteres: *Capito*, [illegible] verò dar: *Capitones* facetè appellavit paraſitos quòd ollas [illegible] in capite frangi paterentur: *In Perſa*, *Actu* 1. *ſc.* 2. v. 8 [illegible] ſimiliter Κεφαλίωνας *Antenogenes* dixit, hunc quoque [illegible] ut multis aliis Plautus à Græcis mutuatus dicatur. Athenæus l. 4. [illegible] [illegible] Unde Antenogenes diatribam aliquam [illegible] inſcripſiſſe videtur. Κέντρωνας autem eoſdem appellabat Sophocles, quod ſtimulis pungerentur ac fodicarentur. Sic Scholiaſtes Ariſtophanis κέντρωνα interpretatur [illegible] apud Herald. ad *Arnob.* [illegible] ubi pro *ſilonculis*, quod ſequuntur, *Silonculos* reponit quoque, quod diminutivum a *Silo* de quo infrà.

CAPITULA, nomen libri, à Theodulfo Aurelianenſi ſcripti, *ad Presbyteros Parochiæ ſuæ*, ſeu Actorum Synodicorum, in quibus ad Cleri & populi emendationem, præcepta continentur.

Bibliorum titulò, donatus eſt liber olim libraris Turonenſ. Archiepiſcopi A. C. 858. de quo *Chronicon Andegav.* A. C. 858. *Ab Herardo Archiepiſcopo generali Synodo — quædam neceſſaria ſanctorum Canonum Capitula excerpſit, quæ ſervanda cuſtodiendaque ſancit.* Sic verò nominati ſunt ab Auctoribus hi libri, quod per *Capitula* ſeu ſectiones eſſent digeſti. quâ ratione inter Græcos Marcus, Diadochus, Nilus, alii Κεφάλαια libros ſuos inſcripſerunt, in quibus Monita Chriſtiana complexi ſunt. Propriè verò Canonum Eccleſiaſticorum & LL. Regiarum Codices præſertim vero Regum Sanctiones ac Decreta *Capitula* ac *Capitularia* nuncupata ſunt, ut videre eſt infrà, in voce *Capitulare.* Sed & *Capitula* apud Radulphum Tungr. *de Canon. obſerv. Propoſ.* 8. *&* 13. dicuntur breves Lectiones, quæ in divino officio, loco Lectionum, leguntur, de cujuſmodi Capitulis agitur in Concilio Agathenſi *can.* 21. apud Virgilium Epiſcopum Rom. *Ep.* 2. Alios. Unde, *Capitula Dominicalia*, quæ Dominicis diebus canuntur, in *Statutis* Guigonis pro Ordin. Carthuſ. *Capitulare Evangeliorum de circulo anni*, liber Eccleſiæ Roman. continens initia & fines cujuſque Evangelii, quod ſingulis diebus in Miſſa legitur, apud Baluzium *Notis ad libros Capitular.* p. 1156. & *Capitularium*, liber itidem Eccleſiaſticus, continens *Capitula*, quæ in Eccleſia canuntur in Monaſtico Anglico *Idem.* Vide infra.

CAPITULA & CORNICULA, Agrimenſori veteri dicuntur capita extrema chorobatis, ex quibus pendebant fila ponderibus appenſa, i. e. perpendicula. Salmaſ. *ad Solin.* p. 672. Vide infrà in voce *Chorobates.* De *tribus* vero *Capitulis*, olim in Eccleſia adeò famoſis, in Concilio Oecumenico V. Conſtantinopol. à Juſtiniano Senatore habito, examinatis & anathematizatis, vide utique agentem Joann. Forbeſium, *Inſtruction. Hiſtor. Theo.* c. l. ſect. 5. 6. 7. 14 *&* 16. ut & ubi de *Theodoro Mopſveſteno*, &c.

CAPITULARE, Græcè Κεφαλαιον, ſcriptum eſt *capitulis* diſtinctum, quâ voce notabant olim Leges imprimis Regum, ſeu Legum harum codicem per *capitula* ſeu ſectiones diſtinctum digeſtumque. Vide infrà *Leges.* Hinc κεφαλαιώδεις νόμοι *Capitulares* ejuſmodi dicuntur, Theophani *ad ann.* — Copronymi; vide Sirmondum. *Præfat. ad Capitula Caroli C.* Alii *Capitularia* ſeu *Capitulares* libros dictos volunt, quia liber ille multa capita complectantur. Sic *Gloſſæ* ... *Cod. de Sacros. Eccl. Capitularia* interpretantur, *libros Statutorum*, &c. Vocem Caroli M. Anſegiſi & Theodoſii temporibus inventam demum eſſe, ſcribit Anton. Auguſtinus *de Emendat.* Gratiani, l. 2. *dial.* 1. Sed jam ſeculò octavò ineunte ea occurrit: Habetur enim *Capitulare Gregorii II.* ad Romanæ Epiſcoporum ... A. C. 714. quod datum Martiniano Epiſcopo, Georgio Presbytero, &c. in Bavariam ablegatis, legitur Binii Conciliorum *Tom. V* extatque MS. in Bibliotheca Bodlejana, ut ex librorum ejus Indice patet. Nempe jam ſuperioribus temporibus, apud Græcos Latinoſque, κεφάλαια & *Capita* deſignabant, ſummulas, ſententias, conciſa dicta & aliorum longiùs dictorum compendia, ut videbimus infrà in voce *Capitulum.* Dixi imprimis Regias LL. ſanctiones & decreta hîc dicta eſſe; Sed nec omnia, veruntamen ea tantùm ſtatuta eorum, quæ in publicis Comitiis vel Synodis Conciliiſque, Epiſcopis populoque in Conſilium adhibitis, ab ipſis Principibus edi conſuevêre, iis præſertim in caſibus, ubi Leges deficiebant. Cujuſmodi ſanctiones Eccleſiaſticas multas edidit Carolus M. qui, magnam Eccleſiaſticæ Rei curam gerens, Concilia Synodoſque varias celebravit, Moguntiæ, Remis, Turonis, Cabillone, Arelati in quibus omnibus Conſtitutiones factæ *Capitularium* accepêre nomen. Francofurtenſis imprimis ſub eodem Synodus memorabilis eſt, ubi contra Græcorum Synodum, Imaginum adoratione damnatâ, prodiêre libri *de Imaginibus Sacris*, qui Caroli M. nomen præferunt, à Tilio editi. Idem fecêre Succeſſores ejus, Ludovicus Pius & Lotharius fil. ejus ac nepos, quorum omnium *LL.* Eccleſiaſticas collegit Anſegiſus Abbas Laubienſis, utriſque duobus libris quorum prior continet *Capitula* 186. Karoli M. poſterior 47. quæ Ludovicus & Lotharius condidêre: impreſſum eſt opus, cum titulo *Capitularis Caroli M.* & *Ludovici Pii* A. C. 827. Idem verò duobus aliis libris eorundem Imperatorum Leges ſeculares complexus eſt. Quibus aut non ſatis diligenter, aut non ſatis plenè collectis, poſteà Benedictus Levita libros tres adjecit, quintum nempè, ſextum & ſeptimum, in quos non tantum prædictorum Imperatorum *Capitula*, ſed alia inſuper inſeruit, quorum rationem ipſe in *Præfat.* reddit: continet autem quintus *Capitula* 2... ſextus 330. ſeptimus 372. Sequuntur appendices, prima *Capitul...* ... 60. quæ A. C. 817 Ludovici Pii Imperii annô 4 ſextô Idus ... Aquiſgrani, in domo Palatii, *Lateranis* dicta, communi conſilio inviolabiliter à Regularibus conſervari decreverunt, ut habet Inſcriptio. Secunda *Capitulorum* 23. Tertia 79. Quarta 108. clauditque Volumen *Capitula* 20. Caroli Imperatoris Ludovici Filii vide quæ de ordine harum Collectionum, de auctoritate item ac integritate *Capitularium* habet Anton. Auguſtinus, *de Emend. Gratiani*, l. 2. *dial.* 10. *&* *ſeqq.* e quo hoc ſaltem adſpergo. *Leges vero ſic, licet fragmenta eſſe Conſtitutionum trium Imperatorum, à privatis hominibus collecta, tamen, ut Benedictus ait, Apoſtolicâ auctoritate confirmata ſunt. Multa capita hujus Collectionis referuntur in Concilio Trecaſſino, in Turonenſi & in Coloniensi ſub Carolo* III. &c. ubi quod Bened. Levita ait, *Apoſtolicâ auctoritate confirmata eſſe*, negant id opus ... eſſe Galli etiamnum, & notum ſatis, Levitam hunc ... ſedi plus æquô addictum fuiſſe. Primus de reſtituendis *Capitularibus* his ſuperiori ſeculô ſolicitus fuit Joh. Tilius, qui cùm morte præceptus, quod meditabatur, perficere non poſſet: perfecit opus ex plurimis exemplaribus Petrus Pithœus & cum *Gloſſario* vocum obſcurarum Lutetiæ edidit A. C. 1588. quod ibidem recuſum eſt A. C. 1603. Continet autem hoc opus *Capitularia* Caroli M. & Ludovici Pii. Poſteà Jac. Sirmondus edidit ac digeſſit *Capitula* Caroli Calvi cum aliorum Succeſſorum Capitulis, Pariſiis itidem A. C. 1623. in qua editione, præter Caroli

ipſi hujus *Capitula*, habentur Ludovici II. Carolomanni Regis, Caroli Simplicis Regis *Capitula*: ſequuntur *Conventiones* Caroli & Ludovici Regum, Judithæ item filiæ & Hermintrudis conjugis Caroli. Quibus omnibus doctas ſuas notas adjecit. Et quidem, cùm in Anſegiſi & Benedicti Collectionibus, quas edidit Pithœus, Regum tantum *LL.* ſint nullô ferè ordine digeſtæ, nullâque temporum vel locorum notâ diſtinctæ: in illis, quæ Sirmondus edidit, Synodi & Conventus ipſi Regales, in quibus conſtitutæ ſunt, exhibentur, & quô quique Conventus annô locôque, quas ad res & per quos coacti celebratique ſunt, exprimitur. Vide plura in hanc rem, apud Gerhardum von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccleſ.* num. 191. *&* *ſeqq.*

CAPITULARE, & CAPITULUM, item *Capitularis*, ornamentum capitis, Antoninus Mon. in *Itiner. Hieroſolym. Pendent ſuper brachia, dextrochiria, monilia & anuli*, Capitulares, *cingula, baltei* &c. Iſidorus, *Capitulum, quòd vulgò duos apices, ut litera cappa habent, vel quod ſit capitis ornamentum.* Idem cum *Cappa*, & *Capitale*, vide ſuprà in hac voce.

CAPITULARES Literæ, apud Ekkehardum Jun. *de Caſibus S. Galli*, c. 1. *Laurandi &* Capitulares *literas vitè ornandi gnarus.* & c. 9. *ipſe erat peritiſſimus, maxime in capitularibus literis & auro*: majores ſunt literæ, quæ in principio cujuſque Capituli librorum deſcribebantur, aurô, minimô aliiſque coloribus depictæ & variis proſtrata figuris adornatæ, cujuſmodi paſſim conſpiciuntur in libris manu deſcriptis. *Capitanea literæ* dicuntur, apud Auctorem tractatum *de Limitibus agrorum.*

CAPITULARIUM, apud Gregorium Turonenſ. *Hiſtor.* l. 9. c. 30. *Quod verò omnes ejuſdem temporis accepiſſe* Capitularium, *quod anteriores Scriptores feciſſe commemoravimus, tributa caput exigere*: Liber eſt cenſualis, in quo deſcripta capitula ſeu præſtationes, quas quiſque debebat. Sequitur enim, *Ecce librum præ manibus habemus, in quo cenſus huic populo eſt infliclus.* Apud Honorium III. vero *Compilat.* 5. c. 2. *Capitularia* libri ſunt civitatum, in quibus decreta ac ſtatuta earum deſcripta. Etiam hâc voce denotari ornamenta Chartarum, quas *vitulas* vulgo ſeu *quartes* appellant Galli, quod ea in librorum capitulis imprimis ſunt, colligimus ex *Gloſſ. Latino-Græc. Capitularia*, τῶν ἀγρογραφων, ὁ χάρτη: eſt enim ... Car. du Freſne in *Gloſſario.*

CAPITULUM, Italiæ urbs prope Bovillas, & Calatias: *Civitatis* oppidul. veſtib. Fucinum lacum, ubi nunc forſan vocat *Luco.*

CAPITULUM, vox Recentioribus multo & vario in uſu. Apud Gregorium M. *l.* 1. *Ep.* 47. *Sacra Imperialia cucurrerunt, quibus omnes præceperunt gravia nunc Capitula ſubmoveri*: vox idem notat, quod *Capitularia functio* vel *temonaria*, in *l.* 14. *&* 15. *Cod. Theodoſ. de Bar...* & enim tironici ſeu pretii loco tironum exactionem ſignificat. Unde *Capitularii*, iidem qui Exactores, *l.* 3. *eod. Cod. de Privil. eorum qui in ſacro Pal. mil.* Apud Papiam, *dictum eſt, quaſi alterius ſententiæ caput — breve multorum complexio, ſic dictum, quia breviter capiat totam ſententiam.* Quò ſenſu Canones Eccleſiaſtici, & Regum imprimis ſanctiones ac decreta, ſequenti ævô appellari cœperunt: quorum Codices *Capitulares* vel *Capitularia* dicti. Vide ſuprà in voce *Capitulare.* Apud eundem, locus, in quem conveniunt Monachi & Canonici, eôdem nomine inſignitur, eò quod *Capitula*, h. e. *Regula*, ibi legantur. Notum enim manè, poſt Primam recitatam, antequam Fratres exirent ad laborem, aliquod Regulæ *Capitulum*, jam olim ibi prælegi conſuêviſſe. Apud Lindwodum, *quandoque ponitur pro collectione plurium & non communiter viventium, ſed ob tractatus communes inter ſe habendos ad aliquem locum confluentium: ut in Capitulis generalibus, Monachorum & aliorum Religioſorum, &c.* Idem *Capitulum propriè ait dici, reſpectu Eccleſiæ Cathedralis, ut Conventum reſpectu Eccleſiæ inferioris, ubi eſt collectio viventium in communi.* Unde *Capitulares*, iidem qui Canonici, apud Ericum Upſalienſem, *Hiſtor. Suecica*, l. 5. Apud Joann. Hoeſemium in *Henrico Gueldrenſi Epiſcopo* domus ſic vocatur urbis publica, in qua Ædiles ſeu Scabini coëunt ac jus dicunt, *Hoſtel*, vel *Maiſon de Ville.* Sic Curiam Toloſanam *Capitulum* appellari in veteribus Tabulis, obſervat Catellus, *Hiſtor. Toloſ.* c. 1. cui quidem *Capitulo* præerat Vicarius. unde in ſententiis hæc crebrò occurrunt, *Vicarius & Capitulum judicaverunt.* Qui verò aſſidebant, *Capitulares* & *Capitularii*, Gall. olim *Capitoliers*, hodie *Capitoux*, appellari conſuevêre. Apud Iſidorum & ex eo Papiam, *Capitulum* ſeu *Capitulare*, tegmen eſt capitis muliebre, de quo diximus ſuprà, & ... Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* & Macros Fratres in *Hierolex.* uti non ſuprà voce *Capitulare*, ut & infra aliquid in *Pericopa.*

CAPITUM Animalis, quod vendere ſolitum vetat Aurelianus Imperator apud Vopiſcum, c. 7. *pabulum jumentorum eſt*, ut Ammian. interpretatur, *l.* 22. quomodo voce accipitur in *l.* 7. 15. 17 *Cod. Theodoſ. de Erogat. milit. ann.* & alibi, & *palea* vertitur. *l.* 9. *Capitatio* in *l.* 8. *eod.* & *l. ult. eod. de Collat. donat.* &c. Vox eſt purè Græca, quam Latini uſu fecêre ſuam. *Capitum* enim pro *capitum*, Græcè καπίτιον: κάπτειν autem *carpere* ac *vorare* ſignificat: unde κάπη, *præſepe*, ἀπὸ τοῦ κάπτειν ἀπ' αὐτῆς. Hinc itaque καπίτιον, idem quod κάπη & inde καπιτίον, quod ... h. e. *jumentorum pabulum*, exponit *Heſychius.* Vide Salmaſ. *ad Vopiſc.*

CAPITURIA, Thraciæ oppid. *Procopius.*

CAPITURINI, à Salernitanis, principes & auctores ſeditionum appellati ſunt, auctor eſt Hugo Falcandus, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CAPLEIA, vicus pagi Ternodorenſis, vinô inclytus: Nunc *Chablie*, aut *Chablis*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAPNIAS, Poëta Græcus Suid. Ejus ſcripta in fumum abierunt. Voſſ. *de Poët. Græc.* p. 82.

CAPNIAS, Græcè καπνίας, genus jaſpidis, à colore fumido ſic dictus apud *Dioſcoridem*, ὁ ἐξ αἰγύπτου, ὁ καπνίας, ἀπὸ ... καπνοῦ.

[illegible]. Vocârunt autem Græci [illegible] colorem eum, qui eſt in tignis ac trabibus diuturnô fumô infectis, Latini *fuaſum* & *ſufuaſum*, teſte Feſtô. Quamvis enim omnem colorem, *qui pas inficiendo*, [illegible] ſuam vocem iidem alibi notes, quod *[illegible] deinn in aliquo ex alio transſire*, tamen, quia signum, quod diuturnô fumô infectum eſt, vel ea, quæ ex ſtillicidio fumoſo infecta ſunt, colorem eum paulatim imbiberunt, eoque prorſum imbuta, ac velut infuſa, valdè retinent, idem [illegible] & *ſuaſum*, per excellentiam de hoc fumido colore uſurpatum eſt, quod de omnibus dici poteſt, ut Græci [illegible] & [illegible]. Salmaſ. [illegible] *Solin.* p. 546.

CAPNIO vide *Reuchlinus*.

CAPNOBATÆ, populi qui *Myſi* dicebantur. Strabo l. 7. Scribit autem *Poſidonius*, Myſos religionis indulgentia ab animantibus abſtinere, & eam ob cauſam pecus omnis vitare: melle verò & lacte, & caſeô veſci. Quamque tranquillam exigerent vitam, ob Deorum cultum, Deicolæ & Capnobatæ, i. e. *fumi conſcenſores* nominantur.

CAPNOMANTES, dicti ſunt, qui flammas [illegible] ac fumum conſiderabant, futura ex iis divinaturi: à Græco [illegible], i. e. *fumus*, & [illegible], i. e. *vates*. In fumis autem notabant, quas vertigines facerent, quantumque ſe attollerent, & quô motu, rectone an obliquô, vel in orbes contortô aut complicatô agglomeratione quadam in vortices ſpiras, & quô redolerent nidore, attendebant an eô, qui ex carnibus uſtis effumaret. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* l. 3. c. 11. Accuratiſſimam rei deſcriptionem habes, in *Œdipo* Senecæ v. 309. & *ſeqq.*

CAPO, caſtratus gallus eſt: quod Ariſtoteles, *Hiſtor. Animal.* l. 9. c. *ult.* fieri docet, ſi binis tribulive ferramentis extremam alvi partem adusſeris. Nunc teſtes binos eximere ſolent, nam alterutrô relictô, etiamnum coëunt, ſolitô more canunt, nec ſaginatio ſuccedit. Mirum verò, cùm exſectionem gallorum Romani habeant à Græcis, ut ex Ariſtotele etiam liquet: eos tamen propriô caruiſſe vocabulô, quô gallus exſectus vocaretur. Nam *Capus* & *Capo* ſunt à Romanis, ſed Græcâ, ut videtur, origine, quia avidè vorent? nempe [illegible], quod veteres Grammatici nunc [illegible], nunc [illegible], *avidè & hiantis ore edere*, exponunt. Quod ſi placet, *Capo* propriè ſonet, quod Belgis dicitur *Slok-ſpis*, iis enim *ſlokken* eſt [illegible]. Quantæ etiam deliciæ, & laudes caponum credantur eſſe, quis ignorat? Suſtinerit appoſuiſſe hæc verba B. Platinæ Cremonenſis, *de Popina ſtient.* l. 5. *Omnium avium laudes, quantum ad obſonia pertinet, una caro gallinacea comprehendit. Quod enim populis adſerunt reliquæ aves, quod non unus Capus in ſe habeat, ſive elixum, ſive aſſum velis? Hujus avis potus ſtomachum juvat, pectus lenit, vocem ſonoram facit, corpus obeſum.* Eô autem caſtratio has alias delicatiores facit, quia fibroſa caro duraque eorum, intermiſſione libidinis, reddatur temperamenti humidi ac teneri, ſanguis etiam planè fiat temperatus. Interim, cùm in cavea ſaginantur, ob humorem excrementitium iis in pedes defluentem, podagricis nimis proſunt, ut qui & ipſi podagra tentantur, &c. Voſſ. *de Idolol.* l. 3. c. 92. Qui verò ea gallis *capones* facerent, Deliaci dicebantur, de quibus infrà.

CAPORTES, Marmaricæ locus. *Antonin.*

CAPOTANA, Aſiæ urbs. *Ptol.*

CAPOTES, Aſiæ mons, ex quo Euphratem oriri Lucinius Mutianus antiquiſſimus rerum ſcriptor credidit. Plin. l. 5. c. 24. &c. In Armenia majore. Plin. *loc. cit.* de Euphrate, *Oritur in præfectura Armeniæ majoris Caranitide; ut prodidere ex iis, qui proximè viderunt, Domitius Corbulo in monte Aba, Lucinius Mutianus ſub radicibus montis, quem Capoten appellant.* Vide de eo Salmaſ. ad *Solin.* paſſim, imprimis p. 628. ubi Solinum montem hunc Scythis proximum eſſe ſcribentem paucis refellit.

CAPOTI, vulgò *Cabots*, hominum genus eſt, in pleriſque Vaſconiæ locis, præcipuè apud Bigerrones & Benearnenſes: Deteſtandi ſunt ſibi eorumque commercia fugiuntur, tanquam leprâ infectorum. Suburbia incolunt & loca remotiora, habentque in templis ſtationes peculiares, nec alios inficiant: ſunt pleriſque fabri lignarii & vietores, aliiſque artibus mechanicis dediti, laboris aliàs patientiſſimi. Ipſa facies geſtuſque aliquid habent, quod eos exteriùs prodit: quamvis fœmineo ſexui liberalis ſatis forma ſit. Omnium halitus & os grave olet, unde ingratus odoris quidam colloquentibus afflatur. Maledictionis id genus à Majoribus in poſteros derivatum patet: cui accedit, quod pauperiores ſemper in diem vivunt, ſervorum cenſentur locô, neque mutire audent, ſi quid injuriæ vel à viliſſimo inferatur. Eorum ſi quis fortè bona relinquit, liberi tamen hæredes non fiunt, niſi nobiliores ſe vocant, quæ omnes, velut viperinum ſanguinem, averſantur. Merula *Coſmogr. part.* 2. l. 3. c. 38. p. 446. Auctor *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. ac Civ.* &c.

CAPPA, veſtis Cardinalium, de qua ſic Octav. Ferrarius *de Re veſtiaria*, l. 2. c. 39. *Datur purpuratis hodie binam veſtem habent duplicem; interiorem, quæ ſubucula, vicem thoracem, non tunicam talarem: tum alteram [illegible] ſive Ephod: poſtremò loco non tunicam ſolutam, [illegible] Byrrum, ſed vel togam, vel togæ perſimilem veſtem: Nam fuſa eſt, & ſyrmate prolixa, totumque hominem involvit. Et tecta ad pectus aperta, brachio tamen ſiniſtro, ut veterum toga, ſubducitur, ac* [illegible] Cappa *appellatur, vel quòd* [illegible] *capit, vel à capite,* [illegible] *caput involvunt, ut in veteri toga. Quod autem humeros ſuperaccipiunt, Exomidis ſpecies eſt*, &c. Ipſa Cappa, ſeu Capa, veſtis ſpecies, quâ viri & mulieres communiter, Monachi item ac Clerici, induebantur, [illegible] olim [illegible] dicta, uti habet Wilhelmus Brito [illegible]. Januæ. Erat autem [illegible] latior & talaris, quæ ceteris veſtibus, pallii vicem, ſuperaddebatur, unde, quod [illegible] caput [illegible] ad Cheliſidoreo, [illegible] l. 19. c. 31. Sic enim omnis hominum quodammodo capa ambitum ac gerens, quæ poſtſimum adhibebant, cùm foris ibant ac peregrè. *Vita Abbatum S. Albani*, [illegible] *fratribus, habens tamen [illegible] non mutuò, niſi urbem, videlicet in capis & [illegible]*. Atque inde Negotiatoribus præſertim in uſu, unde *Negotiatorum capas*, Lupus Ferrar. vocavit *Ep.* 125. Sed & *Capam* capitis tegmen eſſe, dixit idem Iſidorus, *loc. cit.* Certè ex ſe tudium textile, [illegible] MS. quodam docet Car. du Freſne, [illegible] Gul. de Podio Laurentii, c. 49. dicat, Maſſiliæ quemdam fuiſſe Capam [illegible] *infiriam & [illegible]*, quod illi apud Maſſiliam [illegible] & abſconderentur. Inſtructæ porro erant Capæ manicis latioribus, unde *manicata* appellantur Matthæo Par. [illegible] A. C. 1228. & in Concilio Lateran. [illegible] quô ſtatutum, Ne Canonici & [illegible] cappas manicatas, intra Eccleſiam, ad Officium divinum deferrent: quod idem prohibuit Galo Cardinal. in Conſtitut. A. C. 1208. c. 9. Quemadmodum *alia Capa* pariter Clericis interdictæ leguntur [illegible] Odonis Epiſcopi Pariſiſ. Præterea [illegible] *Capæ* erant & [illegible] capitium, atque ita induebantur, ut, cùm maximè clauſæ eſſent, caput per collare ſeu foramen collaris immitterent. Imprimis verò Monachorum [illegible] ut docet Theodemarus, *Ep. ad Carolum M. de Monachis Caſin.* Ekkehardus Jun. *de Caſibus S. Galli*, c. 13. Aliis Clericis Regularibus tribuitur, in *libro Ord. S. Victoris Pariſ.* c. 18. & inter Eccleſiaſticas veſtes recenſetur, apud Wibertum Archidiac. in *Vita S. Leonis IX.* c. 8. & alibi paſſim. Rectius baptizandis tribuitur, apud Conr. Urſpergenſem, ubi eadem fortè Cappa eſt cum *Capella* ſeu *Chriſmali*, &c. Vide Car. du Freſne in voce *Capa*. Dominico Macro, *Cappa* purpurea fuit in Eccleſ. Romanæ veſtis Canonicorum ex Gemm. l. 2. c. 27. cujus ſignificationes myſticas exponit Rupertus, *de Divin. Offic.* l. 3. c. 4. Iisdem [illegible] magnâ ſeu longâ, cum capucio, pellibus vel ſerico prout tempus poſtulat, ſuſſulto, utuntur Cardinales, Epiſcopi & in multis Cathedralibus etiam Canonici; Beneficiati item Romæ in Eccleſiis Patriarchalibus: niſi quod Beneficiatorum [illegible] Canonicorum verò coloris eſt candidi armellini. Piſis tamen Canonici, ex veteri privilegio à Pio IV. confirmato A. C. 1560. cappam gerunt rubeam: uti & XX. Mediolanenſis Cathedralis Canonici, *Cardinales* dicti, & aliquot in ſolemnitatibus Canonici Capuani. Antiquitùs tamen Canonicorum *Cappam* nigri fuiſſe coloris, Monachorum ad inſtar, ex parte anteriori apertam & unitam [illegible], docet idem Macer, ex *Conſtitut.* [illegible] aliquot MS. N[illegible] III. Sed & talem Vaticanæ Eccleſiæ Canonicos geſtaſſe, etiam tempore Innocentio III. legas apud Torrigium *de Crypt. Vatican.* ut & Canonicos Regulares Lateranenſes, *ibid.* Ceterum *Cappa* violacea, cum pelle, à Nicolao V. Canonicis Vaticanæ Eccleſ. & Beneficiatis conceſſa eſt, A. C. 1454. eôdem teſte. Pontifex, in diebus [illegible] fert *Cappam* rubram, ex ſaja armellino ſubſuta, & anteriori parte apertâ, quæ in *Ceremoniali* appellatur *Chlamys Coccinea*, *Chlamys rubea* & *Mantum*. In nocte verò Nativitatis intervenit ad Matutinam, cum cappa ex ſerico villoſo [illegible] Bonifacius IX. inſtituit, &c. Plura hanc in rem vide apud præfatum Macrum & fratrem ejus in *Hierolex.* uti de *Cappa* Epiſcoporum Græcorum infra aliquid, voce *Mandyas*.

Caparum in Eccleſia Romana genera quædam.

CAPÆ Chorales, quibus Clerici vel Sacerdotes in Choro induebantur, ſic deſcribuntur apud Rupertum, *de div. Offic.* l. 2. c. 14. *Capæ quoque in majoribus feſtis ſuperinduuntur [illegible] quæ [illegible] ab anteriori parte apertæ ſunt & omnino præter neceſſarium [illegible] conſuta [illegible] fimbrias quoque ſubter ornatæ ſunt.* Propriæ Cantorum, Honor.

CAPÆ fortæ prohibentur Decanis, Archidiaconis & Archipreſbyteris, in *Conſtitut.* Galonis Cardinal.

CAPA Ordinarii, memoratur in Chr. [illegible] Andr. c. 29. de qua Bregare, Gall. *diſputer de la chape de l'Eveſque*, proverbium notum eſt, h. e. de re litigare, quæ nec actori nec [illegible], ſed tertio cuidam competit.

CAPA Roberti, cum vel ſine penna & capucio, vel almutia, occurrit [illegible] *Statutis Maſſilienſibus* MSS. A. C. 1276. citatis Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CAPA Romana, cujus meminit Ademarus Cabanenſis de Epiſcopo Lemovic. p. 176. *Per [illegible] proceſſit ſola [illegible] cum [illegible] quibus brachiis ſuis, & cum cappa Romana, abſque caſula tamen & caſula.*

CAPÆ Rotundæ clauſæ, occurrunt in Synodo Bajocenſ. A. C. 1300 c. 53. aliiſque, [illegible] earum uſus [illegible] & iis, qui in ſacris Ordinibus conſtituti ſunt, [illegible] citur.

CAPA Rubea, Romanorum Pontificum propria fuit, teſte Damianô, l. 1. *Ep.* 20. ubi de Cadaloo Antipapa.

CAPA S. Martini, quâ Martinus olim [illegible] annumeratus, corpus ſuum tegebat, maxi[illegible] fuit olim apud [illegible] R[illegible], uti videmus ſuprà in v. Capa.

CAPA cum Tintinnabulis, quarum illa pene [illegible] [illegible] etiamnùm [illegible] ſimilè [illegible] hæc [illegible] reſ manum iisdem ex auro [illegible] [illegible], [illegible] Abbatis Clun[illegible] Galliæ, apud Au[illegible] Anonymum *de Miraculis* [illegible] *Hugonis Cluniacenſis*. Fortè ad imitationem veſtimentorum Summi Sacerdotis Hebræorum in Vet. Teſt. Vide Auguſtin. *Quæſt. in Exod.* l. 2. c. 119.

CAPPADOCIA Aſiæ regio ampla mari Euxino expoſita, inter Galatiam ad occidentem & Armeniam minorem ad ortum extenſa, extenditur in auſtrum uſque ad Ciliciæ fines, Tauro monte ab ea divulſa, Plin. l. 6. c. 3. Strab. l. 12. Hujus præſes [illegible]. Hermanianus, acris Chriſtianorum hoſtis, tandem à vermibus corroſus, dolit operam omnem [illegible] ne illi ad miſcerent. [illegible] agens, ne gaudeant Chriſtiani. A. C. 210. Docent ibi Fr[illegible]. A. C. 245. Occupata eſt à Solymanno Turcar. Imperatore Alinbegum, per Baſſam Ebrahim, [illegible] A. C. 1537. una cum Galatia & Aſiæ

Armenia, P. Jovius, Thoma. in Hiſt. Orient. In ea urbes olim ſolebant Trapezus, Comana Pontica, & Comana Cappadociæ, deinde Amaſea, Cæſarea, Tyana, & Sebaſte ac Satala. Nunc clarent Amaſea, ex qua nomen regionis advocabantur, quæ Amaſia nominatur, Trapezus & Nicopolis, ex qua regio ad ortum Genech dicitur & Neocæſarea, in medio, ex qua regio Tocato vocatur. Ferrar. In 4. provincias hodie dividitur Genech, Siuas, Anadole & Amaſia, juxta Mercatorem. Adde, quod ſub Pontica Diœceſi, ab Aſiana diviſâ, unà cum Galatia, Paphlagonia, Armenia minore & Ponto Polemoniaco, olim comprehendebatur; qua de re vide Salmaſ. ad Solin. p. 807. Cæterum à Perſis ignem ſacrum hæc gens accepit, Strabo, l. 15. [illegible] In Cappadocia eſt maxima Magorum multitudo, qui Pyræthi vocantur & plurima Perſicorum Deorum templa. A quibus Pyræthis dicta [illegible]. de quibus ibidem mox legas, [illegible] Sunt & Pyrætheia ſepta quædam ingentia, in quorum medio ara eſt: In ea Magi & cineres multum & ignem perennem ſervant. Narrat deinde, quomodo in iis ſacra faciant, qua de re quoque vide Voſſ. de Idolol. l. 2. c. 9. Ut autem cultum Ignis ac Solis, ita & Lunæ, ab iiſdem accepêre Cappadoces. Itaque Divam illam, quæ in ſomnis Syllæ apparuit ſulmen, Anaitidem ſeu Zaretin, eandem cenſet Voſſius, hoc enim apud Perſas Veneri ſeu Lunæ erat nomen. Dubitat tamen Plutarchus, an potius fuerit Minerva vel Bellona. Sic enim is in Sylla: [illegible] Dicitur etiam ipſi Syllæ in ſomno ſe obtuliſſe Dea, quam ex diſciplina Cappadocum Romani colunt, ſive ea Luna, ſive Minerva, ſive Bellona ſit. Hæc Sylla viſa eſt aſſiſtere, & fulmen ei tradere, juſſiſſeque ſingulos nominatim inimicos ejus ferire, illos autem concidere atque è medio tolli. Ubi inter alia videmus, cultum hujus Divæ à Cappadocibus ad Romanos deveniſſe: quam Lunam potius eſſe, quam alterutram ex reliquis duabus, judicat Voſſ. de Idol. l. 2. c. 22.

Urbes Cappadociæ, quæ adhuc durant, cum aliquot Armeniæ minoris ſunt hæ:

* Amaſea.	Laranda.
Archalla.	Mazaca, poſteà Cæſarea.
Baratha.	* Melitene.
Cæſarea. Vide Mazaca.	Mocatus.
Comana Ponti.	* Neocæſarea.
Ceraſus.	Nazianzum.
Cybiſtra.	Nyſſa.
Derbe.	Pharnacea.
Diocæſarea	Pityuſa.
* Iconium.	Polemonium.
Rhizus & Rhizæum.	* Sebaſtopolis.
Saſima.	Trapezus.
Sebaſte.	Tyana.

Populi Cappadoces. Duobus olim inſignes fuêre. Primò Equis. Dionyſ. Perieg. v. 975.

—— [illegible]
[illegible]

Solin. c. 47. ubi de Cappadocia, *Terra illa ante alias altrix equarum, & proventui equino accommodatiſſima eſt.* Solinum ſecutus Iſidorus, *Terra ejus ante alias nutrix equorum.* Oppianus, Cyneg. l. 1. v. 197. de equis Cappadocicis:

[illegible]

Item,

[illegible]

Secundò Mulis. Homer. *Catalogô.*

[illegible]

Id eſt, ex Amiſo Cappadociæ urbe, ad Pontum celeberrima, ut veteres interpretantur. Unde colligit Constantinus Porphyrogenneta, *Them.* 7. [illegible] Et Plut. [illegible], in divitum jumentis cenſentur, [illegible], quia inter Galatas, & Cappadocas medii ſunt Heneti. De iiſdem ita Plin. l. 8. c. 44. *Theophraſtus vulgò parere mulas in Cappadocia tradit, ſed eſſe id animal ſui generis.* Et Strabo, l. 11. Cappadociam ſcribit Perſis conferre quotannis, tributi nomine, [illegible]. Mancipiis etiam notabiles fuêre. Cicero in *Oratione, poſt reditum in Senatu, Cappadocem modò abreptum de grege venalium diceres.* Horat. l. 1. ep. 6. v. 38.

Mancipiis locuples, eget æris Cappadocum Rex.

Perſ. *Sat.* 6. v. 77.

—— *Ne ſit præſtantior alter*
Cappadocas rigida pingues paviſſe cataſtâ.

Martial l. 10. *Epigr.* 76. v. 3.

Nec de Cappadocis eques cataſtis.

Vide & Claudian. *de 4. Conſ. Honor.* Nempe Cappadocum ingenia tam erant ſervilia, ut, cùm illis Romani permiſiſſent vivere ſuis legibus, libertatem deprecati ſint, [illegible]. Hæc de ſuis civibus refert, Strabo ipſe Cappadox, l. 12. Hiſtoria regionis hujus paucis iſta eſt. Poſt Alexandri M. obitum, Pontus & Aſia Antigono ceſſit: in cujus filio, Demetrio Poliorceta, capitanea hâc regnô, poſtmodùm partim ad Syros Seleucidas translati ſunt, partim propriis Regulis ſubeſſe cœperunt, inter quas Cappadociæ: Et quidem celeberrimus eſt Ariarathes, unus ex priſcis Cappadociæ Regibus. Cujus Succeſſorum plures Populi Romani amici, ſub Ariarathe V. primum Romanorum ſocietate ambitâ. Ariobarzanes ſæpe à Mithridate pulſus, à Pompejo reſtitutus eſt. Quo mortuô Archelaus, favente Antoniô, regno admotus eſt, cujus filia Glaphyra Alexandro, Herodis M. filio nupſit. Poſteà in provinciam Cappadocia à Roman. redacta eſt, & per Proconſules adminiſtrata. Iſaacus Comnenus, Conſtantinopoli profugus A. C. 1204. ibi Imperii Trapezuntini ſedem conſtituit, à Trapezunte Metropol. dicti, manſitque uſque ad Davidem Calo-Johannem, à Mahomete II. A. C. 1462. captum: qui in Græciam abductus, cum regia prole, ibi necatus eſt. Volaterr. & Genebr. *Chron.* Nicetas, P. Jovius, *Hiſtor.* Vide & *Ariarathes.*

CAPPADOX, equi nomen in Circenſibus, Salmaſ. ad *Solin.* p. 895. Optimi enim in hac regione equi gignebantur. Solinus de Cappadocia, c. 47. *Terra illa ante alias altrix equarum, & proventui equino accommodatiſſima eſt. in bello publicum, documentis pluribus patefactum eſt, cum jam aliquot vulneris ſint, cum non niſi gravius dominis recognoſcerent inimicos paris ſua morum, adeò ut inter prælia hoſtes morſu petant. Sed in majus eſt, quod occiſuros perdunt, quos diligebant, ac ceſſant ſame mortem.*

CAPPADOX, amnis in Cappadocia. Plin. l. 6. c. 3.

CAPPADOX Georgius, vide *Georgius.*

CAPPADOX Johannes, vide *Johannes.*

CAPPAGUM, Hiſpan. Bæticæ oppidum conventus Gaditani, Plinius, l. 3. c. 1.

CAPPARIS, apud Plin. l. 13. c. 23. *firmioris ligni frutex, ſemineſque & cibo vulgati, caule quoque unà plerumque decerpto.* Et l. 19. c. 28. ubi eandem in cibos receptum ait, *In ſpinoſo genere cum caule capparis.* Vide eundem, l. 20. c. 15. ubi de natura ejus, ac uſu medico. Per *Capper*, Stoicum Zenonem jurare conſueviſſe, diximus ſuprà voce *Cape.*

CAPPELLA, vide ſuprà *Capella.*

CAPPELLIANUS, Mauritaniæ procurator, exercitum adverſus Gordianum duxit, cum vicit, occidit Gordianus filius. Herodian. l. 7. c. 9.

CAPPIDUS, Parochus Staverenſis, in Friſia, ſub Conrado & Henrico Aucupe. *Genealogiam Principum, Ducum & Regum Friſiæ* compoſuit, *Eccleſiaſt.* iidem hujus *Hiſtoriam*, aliaque, quæ incendiô fortuitô perierunt. Voſſ. *de Hiſt. Lat.* l. 2. c. 39.

CAPRA, meretrix quædam apud Suidam, ob voracitatem dicta.

CAPRA, atque hircus, olim Mendeſiis culti, teſte Clem. Alexandrino in *Admonit. ad Gentes.* etiam *Capras* divinô coluerunt honore incolæ urbis Copti, tanquam Iſidis [illegible], *Indum & oblectamentum*, ut ait Ælian. *de Animal.* l. 10. c. 23. Sed hi mares comederunt: contrariò planè Mendeſiorum more, qui capro ſive hirco potius id honoris habuêre. Herodotus, *Euterpe*, [illegible] *Capris etiam divinum Mendeſii honorem tribuunt, ac magis maribus quam feminis. Atque ex iis Caprarii præcipuo ſunt in honore.* Subdit dein, ut, ſi Caprariorum Princeps deceſſerit, ingens omnem illam regionem occuparet luctus: ac paulò antè dixerat, Pana, in Græcia, ita Ægyptiis quoque pingi ac ſculpi caprina facie & hircinis cruribus: atque eum crederent ſimilem eſſe Deorum aliis. Vide Voſſ. *de orig. & progr. Idolol.* l. 3. c. 74. & de Dianæ ſigillo ſacro, in quo *Capra* ſculpta, infrà ubi de *Leontia terra.* Apud Romanos verò, Flamini Diali lege fuit interdictum, non modo ne veſceretur caprâ, verùm etiam ne tangeret eam, atque adeò quoque ne nominaret quidem. Idem, l. 3. c. 93. An quòd ab animali fœtido ac luxurioſo abhorrerent; an quòd morboſum timerent, Comitialique labi crederent obnoxium? ut Plut. diſputat *quæſt. Roman.* 111. Vide quoque Aulum Gellium, l. 10. c. 15. At divinâ lege inter animalia munda, hujuſque non eſus tantùm, ſed & ſacrificio, apta habita eſt. Levit. c. 1. v. 10. *Quod ſi e grege oblationem ſuam ex ovibus aut ex capris offeret in holocauſtum.* Et c. 3. v. 12. ubi de Sacrificio Euchariſtico, *Sin autem capra oblatio ejus, tum offeret illam coram Jehova*, &c. Unde ad gentes ritus tranſlatus eſt. Apollini enim *capris albis* litatum eſſe, legimus apud Liv. l. 25. c. 12. *Senatuſconſultum factum eſt, Ut Decemviri ſacra Græcô ritu facerent, iſque hoſtiis, Apollini bove auratô & capris duabus albis auratis, Latonæ bove feminâ auratâ* &c. Sed & equitationem adhibitas capras, docet locus [illegible] Juvenalis, *Sat.* 5. v. 155.

Qui tegitur parmâ & galeâ, metuenſque flagelli
Diſcit ab hirſuta jaculum torquere capella.

Nempe in primis militiæ rudimentis tyrunculi, capris inſidentes, jaculari diſcebant. Sic capris ad eſſedum junctis nonnullos geſtari conſueviſſe, legimus apud Martialem, l. 4. *Epig.* 52. v. 1.

Geſtari junctis, niſi deſinis, Hedyle, capris, &c.

Vide imprimis, ubi de *Mambrinis capris* infrà. Dicta eſt autem *Capra* Hebr. [illegible], à robore, quia *capræ* cum ovibus collatæ, [illegible], *valentiores ſunt*, ut Philoſophus ait, *Hiſtor.* l. 8. c. 30. Certè, non ſolum nonnullis in locis apros audent aggredi, ſed imprimis de *Capris* [illegible], quæ in Segeſtana & Bulgaria frequentes, legitur, vide quoque Oppianum, *Cynegetic.* l. 2. v. 326. ſed & ad bovis magnitudinem accedunt, in Libya. Ælian. l. 14. c. 16. Atque ab hoc [illegible] Hebræo videtur factum Græcum [illegible]. Grex verò caprarum [illegible], *chaſiph*, aliàs, dicitur voce maximè propriâ, quæ ſolùm extat 1 Regum, c. 20. v. 27. ubi Iſraelitarum turmæ puſillæ duæ, immenſæ hoſtium multitudini nequaquam conferendæ, fuiſſe dicuntur pares, *ut caprarum duo greges.* Hi enim ſemper parvi,

parvi, ut Varro auctor, *R. R. l.* 2. *c.* 3. ubi in agro Gallio, ſatis magnum gregem dicit habitum eſſe, circiter quinquagenas; in Salentinis vero & in Caſinati, ad centenas paſcere ſolitas. Namque *capræ*, ait, *laſcivæ ſunt & quæ diſpergant ſe; contra oves, quæ ſe congregent & condenſent in locum unum*. Et paulò poſt, *quòd in magnis* (gregibus earum) *citò exiſtat peſtilentia*, &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 51 De *Caprarum* vero cultu, apud Indos hodiernos P. de Valle, *Itiner. tom. IV.* & de illarum in hominibus veſtiendis uſu, infra ubi de *Caprina pelle*, *pelis*, ut & in voce *Izane*. Nec omittendus, *Capram* in hoſtium conſpectu mactandi mos, Lacedæmoniis olim uſitatus, de quo Xenophon in *Republ. Lacedæm.* & *Lycurgo* diſſerens, quotquot aderant tibicines, tibiâ cecinisse, & neminem Spartanum ἀστεφάνωτον fuiſſe, h. e. *ſertis coronatum*, dum rem hanc peragerentur, inter alia ait. Quod de Celtis quoque tradit Ælian. *Var. Hiſtor. l.* 12. *c.* 23. Vide Cat. Paſchal. *Coronar. l.* 8. *c.* 4 uti de gemma à *capris* dicta, ſupra voce *Agaphthalmus*: de lapide Bezoar in inteſtinis *caprarum Indicarum* concreſcente infra

CAPRA Candida, apud ſetas, tumulum Homeri demonſtravit olim, quod Manibus ejus caprâ parentarent ſeta. Unde Varro apud A. Gellium, *l.* 3. *c.* 11. Homeri imagini hoc Epigramma in *libro de Imaginibus* appoſuit.

> *Capella Homeri candida hæc tumulum indicat,*
> *Quòd hac Ietæ mortuo faciunt ſacra.*

Ad quem locum vide *Notas* Antonii Thyſii JCti.

CAPRA, ſignum Cœleſte. Hæc, ut Poëtis placet, Amaltheæ capra fuit; cujus lacte educatus eſt Jupiter, quam poſteà rerum potitus inter aſtra eam collocavit, Græcis αἲξ Ὠλενίη, Aratus, in *Phænomenis*:

> Ὠλενίη δέ μιν αἶγα Διὸς καλέουσ' ὑποφῆται.

Capram dictam volunt Ὠλενίην, quòd apud urbem Bœotiæ *Olenum* nutrita, ut eſt apud Strab. *l.* 8. vel quod in *ulnis Aurigæ*, ſive Oleni Vulcano prognati filiæ excepta fuerit. Cur autem in cœlum relata ſit, explicat Cæſar Germanicus Aratea vertens,

> —— *illa putatur*
> *Nutrix eſſe Jovis, ſi verè Jupiter infans*
> *Ubera Cretææ mulſit fidiſſima Capræ,*
> *Sidere quæ claro gratum teſtatur Alumnum.*

Et Ovid. *l.* 5. *Faſt. v.* 113.

> —— *Prima tibi nocte videnda,*
> *Stella eſt in cunas officioſa Jovis.*
> *Naſcitur Oleniæ ſidus pluviale Capellæ,*
> *Illa dati cœlum præmia lactis habet.*

Horat. *l.* 3. *Carmin. Od* 7. *v* 6. vocat *inſana Capræ ſidera*, quia noctes frigidas inducere ſolet: eoque ortu ſuo vitibus nocere legas apud Pauſan. *in Corinthiacis*. Vide Caſium, *Cal. Aſtron. p.* 127. &c. *Nic. Lloydius*.

CAPRÆ, alias CAPRILE, Vicus agri Florentini, in confinea Ducatus Urbini, ad fontes Armenti fluv. prope Apenninum. 5. milliar. ab ortu Tiberis in Ortum.

CAPRÆ Mons, villa olim Regia in Tungrorum finibus diœceſive Leodicenſi, vulgò *Chevremont*, aliàs *Kevermont*. Munita egregiè, regnante Othone I. ſed caſtellum hoc ſeu oppidum funditus ſuſtulit Notgerus Epiſcopus Leodienſis A. C. 980. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAPRANICA, oppid. Ital. aliàs amplum in ditione Pontif. in provinc. patrimonii D. Petri, vix 2. milliar. à Sutrio, Vetrallam verſùs, & 3. à Roncilione. Deficit in dies.

CAPRARIA, inſul. montuoſa, cum caſtro, contra Pirenæ, culta, in mari Liguſtico, capris abundans, quam Græci *Aegilon* dicunt. Plin. *l.* 3. *c.* 6. Solin. *c.* 9. Aliis *Capraſia*, Varro *R. R. l.* 2. *c.* 3. *Capræ, quæ aliunt, à capris feris ſunt ortæ, à quibus propter Italiam Caprariæ inſula eſt nominata*. Capraia vulgò, ſub Genuenſibus, quibus ibi præſidium. De ea Poëta.

> *Proceſſu pelagi jam ſe Capraria tollit.*

Nic. Lloydius. At lacertis grandibus eam refertam Plin. habet, *l.* 6. *c.* 32. Unde *Sauriam* Inſulam hanc appellatam fuiſſe conjicit Salmaſ. *Sauras* enim pro lacertis etiam Latinè dixere: Lælius in *Erotopægnio*, apud Apulejum *Apolog.*

> *Saura, illices bicolor.*

Et facilis error, ut pro Καπραρία, *Caprasia* legeretur. Vide eum *ad Solin. p.* 1318.

CAPRARIA, Inſul. parva maris Adriatici una ex Tremitanis, quæ aliàs *Diomedeæ* dictæ. Oblonga eſt atque deſerta, verſus oram Apuliæ & montis Gargani. Pendet ex regno Neapolitano.

CAPRARIA, altera inſul. maris Iberici, ſive Balearici, vulgò *Cabrera*. Majoricæ adjacet in Auſtrum parvi circuitus.

CAPRARIA, item una ex inſulis Fortunatis, *Capraria Ptol. Forteventura*, teſte Nigrô, à Canaria 10. leuc. diſſita. Baudrando *Palma* eſt. Circuitus 25. leuc. cum urbe *Palma*. Vide Canaria.

CAPRARIA, caſtrum pagi Biterrenſis, vulgò *Cabriere*, non procul à Fonticulis & Piſcenis, 4. leucis & dimid. ab urbe Biterris. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAPRARIENSES, populi & montes Mauritaniæ. *Amm. Marcellin.*

CAPRARII, Græcè Αἰπόλοι, inter tria paſtorum genera, quæ in Bucolicis dignitatem olim habebant, infimi, *Donato*. Vide infrà *Subulci*. Apud Ægyptios tamen Mendeſios in primis, tanta in venerationem iis ſi Caprariorum principem, quem maxime æſtimabant, fatis conceſſiſſet, univerſæ tum Mendeſiorum regioni ingentem propoſitum fuiſſe luctum, ſcribit in *Euterpe* Herodotus, σέβονται δὲ πάντας τοὺς αἶγας οἱ Μενδήσιοι ... Rationem videlis ſupra, ubi de *Capra*.

CAPRARIUS, vide *Capra*.

CAPRAROLA, palatium ſuperbiſſimum Parmæ Ducis in provinc. Patrimonii Divi Petri. Opus eſt Vignolæ Architecti, extructum ab Alexandro Cardinale Farneſ. 26. milliar. à Roma Viterbium verſùs, in tractu *Stato di Roncigliona* dicto.

CAPRAS, locus in Tuſcia, ubi Totilas interemptus eſt. Procop *l.* 3. Hodiè *Caprese* vocari ſcribit *Leander*.

CAPRASÆ Calabriæ oppid. *Antonin.* hodie *Taſſia Baena*. Principatum *italo* dictum, medium fermè inter ſinum Tarentinum, & mare Tyrrhenum, in tractu valde rugoſo. 18. milliar. à Roſciano in Occaſum 15 à Caſſano in Auſtrum.

CAPRASIA, vulgo *Porto di Magna vacca*, vicus eſt Ducatus Ferrarienſis, cum caſtro & portu, in ora maris Adriatici ubi ſtagnum Comaclium in mare ſe exonerat 14. milliar. à civitate Comaclo, 10. ab oſtiis Padi. *Baudrand*

CAPRASIA, Padi fluv. oſtium. Plin. *l.* 3. *c.* 16.

ad S. CAPRASIUM, vulgo S. *Geapaſi*, vicus eſt Galliæ, ad fluvium Duranium, quemadmodum & vicus S. Fidis à. *Foy*; quorum ille à Capraſio Martyre, iſte à Fide virgine ac Martyre appellationem trahit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce S. *Gaudentii caſtrum*.

CAPREA, Hebr. צבי *tzebi*, à decore. Hinc paſſim in Cantico, Sponſus *capreæ* comparatur & *hinnulo cervarum*; atque ratione formæ, ut multi volunt: quia de eodem Sponſo dicitur Pſalm. 45. *v.* 3. *Formoſior es filiis hominum*. Bochart. tamen potius ob improviſam celeritatem, in iis, quæ ſint decreta ſunt, exequendis, Sponſum *capreæ* aut *hinnulo* ibidem aſſimilari docet. Sed & per *Capreas*, & *cervas agri*, adjurat Sponſus *filias Hieruſalem*, *c.* 2. *v.* 7. & *c.* 3. *v.* 5. tanquam res ſibi apprimè charas, i. e. orat ac deprecatur, &c. Certè amabile omninò hoc animal, unde hinnulum capreæ *gazal* Arabes vocant (vulgo *gazella*) nomine ab *amore* ſumtô: *gazalacium*, illis *aliquem amatorio ſermone demulcere*, notat. Hinc Capreæ, quas mares quidem è capreis mactare, & comedere, nulla vetabat religio, fœminas tamen colebant & conſecrabant, eas in delicas Iſidi eſſe perſuaſi, teſte Æliano, *Hiſtor. Animal. l.* 10. *c.* 23. Et Martial. *l.* 13. *Epigr.* 99.

> *Delicium parvo donabis dorcada nato.*

De bubalo quoque, quod dorcadi congener eſt animal, Oppianus *Cyneget. l.* 2.

> Ὄμματα αἰγλήεντα, ἐρατὸς χρὼς, φοβερὸς θέλξ.
> *Oculo eſt ſplendido, colore amabiſa, aſpectu Leni.*

Oculi inpſimis carent venuſti & acres, unde nomen illis *dorcadion*, quod multæ puellæ ab iis mutuatæ ſunt, impoſitum. Vide infrà in voce *Dorcas*. Meminit *Capreæ* in cibis Moſes Deuteron. *c.* 12. *v.* 15. 22. & *c.* 14. *v.* 5. & *c.* 15. *v.* 22. Auctor etiam *libri* 1. *Regum c.* 4. *v.* 23. ubi de cibariis Salomonis. Arabes quoque ejus eſum multum commendant, præ reliquis feris, Avicenna, Razes apud Damirem & Avenbitarem. Sed & apud Athenæum, *l.* 9. Palamedes Eleaticus ait, ... , *Caprearum carnem* non eſſe injucundam. Et Philoſtratus *l.* 2. in Indorum conviviis integras apponi capreas conſuevisse, refert. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 25. & *ſeqq.* ubi de venatione earum per ſacras infrà, voce *Sacer*.

CAPREÆ, inſula regni Neapolitani ultra Surrentum Campaniæ urbem circiter 8. mill. paſſ. nobilis coturnicum incredibili multitudine, quæ ex Italia volantes illic bis in anno capiuntur. Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 709.

> *Inde legit Capreas, promontoriumque Minervæ.*

Ptolemæo autem ſingulari numerô Καπρέα, Reliquis Græcis Καπρέαι, & Καπρεία. Hodieque vulgò *Capri*. De ſitu Dio, *l.* 52. ... Contrà ſanè tradit Statius, *l.* 3. *Sylv. carm.* 1. *v.* 128.

> —— *Dites Capreæ, viridesque reſultant*
> *Taurubulæ.*

Sueton. *in Tiber. c.* 40. *Prægravit Campania, Capreas ſe contulit, præcipuè delectatus inſulâ, quòd uno parvoque littore adiretur ... undique præruptis immenſæ altitudinis rupibus, & profundo maris*. Plin. *l.* 3. *c.* 6. *A Surrento* 8. *millibus paſſuum diſtantes Tiberii principis arce nobiles Capræ circuitu* 40. *millia paſſuum*. Vel potius ſeneſta ejus infamis. Vide Sueton. Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 93.

> —— *Tutor haberi*
> *Principis, anguſtâ Caprearum in rupe ſedentis*
> *Cum grege Chaldæo.* —— ——

Pharus etiam fuit in hac inſula. Sueton. in *Tiber. c.* 74. *Et ante paucos, quam obiret, dies, turris Phari terræ motu Capreis concidit.* Inſtauratam rurſus fuiſſe apparet ex Statio, *Sylv. l.* 3. *Carm.* 5. *v.* 100.

> *Teleboumque domos, trepidis ubi dulcia nautis*
> *Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ.*

Teleboas autem Capreas inſulam habitaſſe teſtatur Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 733.

Nec

Nec tu carminibus noſtris indictus abibis
Oebale, quem generaſſe Telon Sebethide nympha
Fertur, Teleboum Capreas cùm regna teneret
Jam ſenior. ------ ------

Hinc Telonis inſula, Silio, *l.* 8 v. 541.

Non Prochyte, non ardentem ſortita Typhœa
Inarime, non antiquo famoſa Telonis
Inſula.

Nic. Lloydius. Eſt in mari Tyrrheno, 3. milliar. à Minervæ promontor. 24. à Neapoli cum Civitate parva. *Baudrand.*

CAPREÆ Palus, ad quam Romulus evanuit. *Plut.* & Cicero, Ovid. *l.* 2. *Faſt. v.* 491.

Eſt locus; antiqui Capreæ dixêre paludem,
Fortè tuis illic, Romule, jura dabas.

CAPRENAS, vide *Secundus Caprinas.*

CAPREOLUS, Epiſcopus Carthaginienſ. ob Africam à Vandalis miſerè afflictam, Concilio Epheſino intereſſe cùm non poſſet, miſit illuc Diaconum Beſulam, cum literis, quibus abſentiam excuſavit. Act. Concil. Eph. *tom.* 1. *c.* 9. Alterius ejus epiſtolæ de Incarnatione meminit Baron. *ad A.* C. 431.

CAPREOLUS Elias, JCtus inſignis, Brixiâ oriundus. Scripſit hiſtoriam patriam 14. libris A. C. 1399. Leand. *deſcr. Ital.* vide & *Elias.*

CAPREOLUS Joh. Dominicanus, obſcurô circa Toloſam loco, Thomæ Aquinatis acris defenſor. Scripſit 4. libros *Commentarior. in Magiſtrum Sentent* Secul. 15. Diſputationis ejus cum Toſtato, in Concilio Baſil. meminit Spondan. *Annal. A.* C. 1443. n. 10.

CAPREOLUS Moſchi, vide *Moſchus.*

CAPRERA Bern. Siciliæ M. Judex, poſt mortem Martini, Regni & Blancæ viduæ deſiderio flagrans, magnorum malorum cauſa fuit. Fazell. *l.* 2. *deſcr.* 9 *c.* 8. Surita, *l.* 21.

CAPRETÆ, Aſiæ populi inter Ciliciam, Cappadociam, Catoniam, & Armeniam, ubi fuit poſteà condita Apamia à Seleuco Rege. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

CAPRIÆ Locus, in Pamphylia. Strab. *l.* 14.

CAPRIANUS, mons Siciliæ circa Heracleam. Diodor. *in Fragm.*

CAPRICORNUS, Decimum Zodiaci ſignum, quod Sol ingrediens Solſtitium facit hybernum. Hunc *Pana* fuiſſe nonnulli exiſtimant, qui in Ægypto, repentinô adventu Typhonis Gigantis, perterritus, poſteriorem ſui partem in piſcis caudam, priorem in formam hirci commutavit: cujus ingenium admirans Jupiter figuram hanc dicitur in cœlum tranſtuliſſe. Horat. *l.* 2. *Carm.* 17. v. 19.

------ *Seu tyrannus*
Heſperiæ Capricornus undæ,

Propert. *l.* 4. *El.* 1. v. 86.

Lotus & Heſperia quid Capricornus aqua

Manilius, *l.* 4.

Tu Capricorne regis, quicquid ſub ſole cadente
Expoſitum. - ---- -----

Nic. Lloydius. Vide de hoc ſidere prolixè agentem Cæſium *Cœl. Aſtron. p.* 89 Natus hôc ſidere, Auguſtus, nummos complures ex argento, auro & ære ejus notâ percuſſit, Car. Patinus in Suet. *Auguſt.* c. 49. Idem ſidus natale habuiſſe, Coſmum Medicæum, Magnorum Florentiæ Ducum primum, refert *Thuanus.* Cæterum eum Latini cum hac effigie oſtendunt ♑. Græci verò ſic ſimulam, ♓. veluti frigore contractum *ἐν τῷ Ἀιγοκερῷ* finxêre. Manilius, *l.* 1.

Tuque tuô Capricorne gelu contractus in aſtris.

Cum cauda piſcis involuti pingitur, in veter. monumentis. Aliquando tamen cum rectâ piſcis cauda, ut in Annulo LXXXV, Gorlæi, & LXXXVII. Sed & quidam Capri imaginem pro Capricorno dederunt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1237.

CAPRIFICIALIS, dies Vulcano ſacer fuit, quô Attici æſtivi mellis vindemiam auſpicabantur. Plin. *l.* 11. *c.* 15.

CAPRIFICUS Arbor, ficus eſt è ſylveſtri genere, nunquam maturescens, ſed, quod ipſa non habet, aliis tribuens. Culices enim parit *ψῆνας*, Græcis, qui fraudati alimentô in matre putri ejus tabe, ad cognatam volant: morſuque ficorum crebrô, h. e. avidiore paſtu, aperientes coria earum atque ita penetrantes, intus ſolem primò ſecum inducunt, cerealeſque auras immittunt, foribus apertis. Mox lacteum humorem, h. e. infantiam pomi, abſumunt: quod fit & ſponte. Ideoque ficetis caprificus permittitur ad rationem venti, ut flatus evolantes in ficus ferat. Inde repertum, at illatæ quoque aliunde & inter ſe colligatæ injicerentur ficos: quod in macro ſolo & Aquilonio non deſideratur, &c. Verba ſunt Plinii, *l.* 15. *c.* 19. ad quæ vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1315. Fuiſſe *Caprificum* ſeu Ficum ſilveſtrem, arborem illam, ſub qua inventa Lupa ubera ſelinunda præbuit Romulo & Remo, tradit Plutarchus, *in Romulo*, quam *Ficum* alii Auctores vocant, vide ubi de *Ficu Ruminali*, &c. Hinc *Caprificari*, apud eundem Plinium, quod Theophraſto eſt *ἐρινάζειν* & *ἐπιψωλάζειν*, aliis *συκάζειν* & *ἀπερινάζειν*, h. e. *τὸ ἐρινόν*, ut habet Pollux, *συνάγειν τῶν ἐρινεῶν*, *groſſos*, ſeu *ficus immaturas colligere & ex caprifico ſuſpendere.* Item *ἀποσυκάζειν*: Et quia *θρῖα* ſunt folia ficus, *θριάζειν*, i. e. *ἀπολογεῖν τὰ φύλλα*, *ficuum folia decerpere*, colluctandi gratiâ. Quibus verbis, ex variis ficuum nominibus deſumptis, propriè ſignificatur quidquid ad eorum curam pertinet. Unde Amos Propheta, *c.* 7. v. 14. ſeipſum cum vocat בולס שקמים, *boles ſikmim*, i. e. *vellicantem ſycomoros*, intelligendus eſt; *qui ficus vellit & ſycomoros*, quaſi *ὁ συκάζων, ὁ ἐρινάζων, ὁ ἐπιψωλάζων, ὁ ἐπισυκάζων, ὁ θριάζων*, & ſi quid aliud in ficus culturæ requiritur. Cum verò ſycomori fructus non ſit magnæ rei, Propheta, *ſe neque Prophetam fuiſſe, neque Prophetæ filium, ſed bubulcum*, boles ſikmim, i. e. *ſycomoros vellicantem*, dicens, infimæ ſe ſortis hominem oſtendit & in ſe tenui natum, ita ut miſeram vitam parcô & frugali victu ægrè ſuſtinuerit, ne cogitâſſe quidem de Prophetico munere inter Iſraelitas obeundo, donec ad id vi majore impulſus eſſet, indigitare voluit. Sam. Bochartus, *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 39.

CAPRILIA, appellatur ager, qui vulgò *ad Capræ paludes* dici ſolet, Feſtô auctore.

CAPRIMA, Cariæ regionis oppid. Diodor. Sic. *l.* 19.

CAPRIMULGI, Plinio, *l.* 10. *c.* 40. appellantur *grandiores merulæ aſpectu*, (in MSo reperitur, *grandiores*, ac pro *aſpectu* Pincianus emendat *a fuſtu*: ut videatur legendum, *Caprimulgi appellantur, grandiores merulà a fuſtu*) *fures nocturni: interdiu enim viſu carent: intrant paſtorum ſtabula, caprarumque uberibus advolant; ſuctum propter lactis; qua injuriâ uber emoritur, caprisque cæcitas, quas ita mulſêre, oboritur.* Græcis *Αἰγοθήλας.* Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 80. & 83. *ubi de variis rapacium avium generibus.* In Creta id fieri, apud Bellonium legimus, *Obſervat. l.* 1. *c.* 10 Sed & pueris ſive ante luſtrationem ſive poſt dormientibus *Caprimulgus* inſidiari olim credebatur, quem Copti *Βερσάδιας*, h. e. *Matrem puerorum*, vocitabant, teſte Kirchero *Part.* 3. *Lex. Copt.* quemadmodum & Lilith, quam vocem apud Eſajam, *c.* 34. v. 14. Pagninus *Strigem* reddit. quæ *Iſidoro* nocturna avis eſt & lac præbere dicitur naſcentibus, ut de Sagis ſeu Strigibus nil dicam. Certè de infantibus ejuſmodi injuriâ vexatis memorabile exemplum refert Thomas Bartholin. *Hiſtor.* 9. *Cent.* 1. ſimileque apud Ovidium legimus de Strigibus, *Faſtor. l.* 6. v. 143.

Ad thalamos venêre Procæ. Proca natus in illis
Præda recens avium quinque diebus erat.
Pectoraque abſorbent avidis infantia linguis,
At puer infelix, vagit, opemque petit.

Vide præfatum Bartholinum quoque *de Puerperio veterum.*

CAPRINA Pellis, vide infrà *Melotes.*

CAPRINA Turris, arx Gall. & Inſul. parva in ora provinciæ, prope Maritimam, media ferme inter Maſſiliam & oſtium Rhodani, *La Tour de Bouc.*

CAPRINI Pili, in veſtium uſum adhibiti, olim hodieque. Alicubi enim capræ longiore ſunt pilô, & tondentur ut oves, villis eorum varios in uſus adhibitis. Sic in Hiſpania, circa Cynetas, Feſtus Avienus in *ora Marit.*

Hirtæ hic capellæ, & multus incolis caper
Dumoſa ſemper intererrant ceſpitum
Caſtrorum in uſum & nauticis velamina,
Productiores & graves ſetas alunt.

Idem de capris Phrygiæ, Varro *R. R. l.* 2. de Lyciæ, Ælian. *l.* 16. *c.* 30. de Africæ, circa Cinyphem amnem, Virg. *Georgic. l.* 3. de Ciliciæ, Plinius, memorant. Quorum hic *l.* 8. *c.* 50. *In Cilicia*, inquit, *circaque Syrtes villi tonſili veſtiuntur*: ubi alii legunt, *circaque Syrias*, non malè, cùm in Iſraële mulieres *caprarum pilos* nevisse, conſtet, & ex iis aulæa facta, quibus Tabernaculum tectum, vide Exodi, *c.* 25. v. 4. & alibi paſſim. Quomodo Scenitarum Arabum tentoria Solinus cilicina fuiſſe ſcribit, i. e. ut ipſe interpretatur, *e caprarum pilis texta*, &c. Cum autem *caprini villi* duæ ſint ſpecies, unus *craſſior*, ex quo fiebat pannus, Arab. *meſcha*, cujus uſus in ſaccis & ciliciis; alter longè *ſubtilior* eſt, è quo panni cymatiles tantæ tenuitatis, ut ſericeis parùm cedant, fieri conſuevêre. Andreas Bellunenſis de utroque, *Lana*, inquit, *merhazi, eſt lana capræ ſubtiliſſima, ex qua fiunt Zambelotti & alia vellera ſubtilia* --- *Meſcha vero eſt panni genus, contextum ex pilis aſinorum & caprarum, at interdum ex ſolis caprinis, ex quo, qui deſerta habitant Arabes, tentoria & ſaccos ſibi conficiunt.* Unde facile eſt conjicere, cur hujuſmodi *caprarum villos* Mical in Davidis cervical impoſuerit, nempe ut ejus cæſariem aliquô modô referrent. Capras enim in Oriente pilos habere, humanis non omninò abſimiles, diſcas ex Apulejo, *l.* 3. Proinde galericuli ex hœdina pelle confecti, ad diſſimulandam calvitiem Martialis meminit, *l.* 12. *Epigr.* 45. v. 1.

Hœdinâ tibi pelle contegenti
Nuda tempora verticeſque calvæ.

Et Rebecca, hœdinis pellibus texit Jacobi collum ac manus, Geneſ. *c.* 27. v. 16. ut haberetur pro fratre Eſavo, qui totô corpore erat hirſutus, &c. Inprimis vero ad *Caprini pili* commendationem facit, quod capilli Sponſæ cum caprarum pilis conferuntur, Cantic. *c.* 4. v. 1. quas alicubi habere *ὡς βοστρύχους καὶ ὡς ἐλικτοὺς πόκους*, *quaſi cincinnos & quoſdam comarum cirros*, ſeu, ut *Geſnerus* interpretatur, *pilos, ut muliebres cirros, implexos* (quia ex multorum ſententia *βόστρυχος* propriè *muliebris geritur eſt*) Calliſthenes refert, apud *Ælianum*, &c. Vide Bochart. *Hieroz. Part.* 1. *l.* 2. *c.* 51.

CAPRIPEDES, Græcè *Αἰγίποδες* & *Αἰγιπόδαι*, commune epithetum Panum, Sylvanorum & Satyrorum, apud Poëtas, quamvis aliàs hi inter ſe diverſi ſint. De Panibus, Poëta,

Capripedes calamo Panes hiante canent.

Sylvanus ſimiliter, cum cupreſſo, quam ferebat cum radice avulſam, pingi ſolitus, Græcis *Αἰγίπαν* dicebatur, teſte *Plutarcho*, vide Plinium, *l.* 15. *c.* 20. Sic & Satyri, quamvis nec fiſtulam, nec pedum, nec pellem pantherinam, nec coronam ex pino geſtabant,

ut Panes vel Fauni, cætera tamen ſimiles erant, cornua videl. & pedes cruraque ad inſtar caprarum. Unde & *Capripedes Satyri* Lucretio, *l. 4. v. 581.* & Horatio, *l. 2. Carm. Od. 19. v. 4.* indigitantur, & paſſim αἰγίποδες & τραγόποδες Græcis appellantur. Ad quorum *Capripedum* ſimulanda crura ἰσχνὰ & arida, Grallatores crura lignea, h. e. ligneas perticas cum furculis, γράλλαι quoque dicta, Auctori *Gloſſarum*, geſtabant. Feſtus, *Grallatores — ut in ſaltatione imitarentur Ægipanas, adjectis perticis furculas habentibus, atque in his ſuperſtantes, ob ſimilationem crurum ejus generis gradiebantur, utique propter difficultatem conſiſtendi.* Cæterum quod Pedibus *Capra*, in fabula Panis (quò nomine *Univerſum* indigitari conſtat) indignatum voluerint Veteres, his explicat Verulamius: *Acutiſſima, inquit, eſt allegoria de pedibus capræ, propter aſcenſionem corporum terreſtrium, verſus regiones aëris & cœli, ubi etiam penſilia fiunt & inde dejiciuntur magis, quam deſcendunt. Capra enim animal ſcanſorium eſt, eaque in rupibus pendere atque in præcipitiis hærere amat. Similiter etiam res, licet inferiori globo deſtinatæ, faciunt, idque miris modis, ut in nubibus & meteoris manifeſtiſſimum eſt. Imo non ſine cauſa Gilbertus — dubitationem injecit; Num non fortè corpora gravia, poſt longam à terra diſtantiam, motum verſus inferiora paulatim exuant.* Vide eum *de Sapientia Veterum in Panis fabula*, & plura de his *Capripedibus*, apud Salmaſ. *ad Solin. p. 413.* & 414.

CAPRIUS, vir, cujus meminit Horat. *l. 1. Serm. Sat. 4. v. 70.*

Non ego ſum Capri neque Sulci. — & rurſum, v. 65.
— Sulcius acer
Ambulat, & Caprius rauci, malè cumque tabellis.

CAPRONA, vide *Anna.*

CAPROTINAM Junonem, & Nonas Julias *Caprotinas* veteres dixêre, quód Romæ nonis Caprotinis ſub Caprificio ſacra fierent. Nam poſt urbem captam, cum ſedatus eſſet Gallicus tumultus, exhauſtâ Republ. finitimi opportunitatem invadendi Romani imperii nacti, præfecerunt ſibi Poſthumium Livium Fidenatum Dictatorem, qui feciali ad Senatum miſſô poſtulavit, ut ſi vellent reliquias ſuæ urbis non deleri, matresfamiliás & virgines omnes ſibi dederentur. Et cùm Patrum hâc de re eſſet anceps deliberatio: ancilla nomine Philotis, aſſumptis cæteris omnibus ancillis, matrumfamilias, virginumque habitu aſſumptô, nomine Dominarum ad hoſtes tranſiit, perſequentibus cæteris ad rei fidem. Quæ cùm à Livio in caſtris diſtributæ eſſent, hoſtes plurimô vinô provocârunt, diem feſtum apud ſe eſſe ſimulantes: quibus ſomnô obrutis ex Caprifico ſigno dato hoſtes trucidati ſunt. Itaque memor Populus Romanus accepti ab ancillis beneficii, omnes juſſit manumitti, dotemque iis ex publico aſſignavit, diemque ipſam *Nonas Caprotinas* appellavit; & ſacra annua Junoni Caprotinæ ſub Caprifico inſtituit, adhibitô lacte ad rei memoriam.

CAPRUGINEI Lumbi, in indice Pontificalis cœnæ Metelli, apud Macrob. *l. 3. Saturn. c. 13.* à *capro* dicti ſunt. Malè enim *aprugni* vulgò legitur. Salmaſ. *ad Solin. p. 455.*

CAPRULÆ, [illegible] inſul. proximæ littori Fori Julii, in mari Hadriatico 40. milliar. à Venetia in Cæciam, 4. ab oſtio Romati fluv. Ægrè inhabitatur, propter aëris graveolentiam; *Caberle* vulgò.

CAPRULLUM, portus prope montem Atho. Pompon. Mela, *l. 2. c. 2.*

CAPRUS, portus in Cherſoneſo Athi montis, & ejuſdem nominis inſul. *Strabo: Epitome.* Item, fluv. Aſiæ in Mæandrum cum Lyco influens.

CAPRUS, Græcè Κάπρος, amnis in Tigerim influens, *Ptolem.* de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p. 698.*

CAPSA, Libyæ interioris urbs. Ratio nominis non eſt obſcura (ait vir magnus *l. 1. Chanaan, c. 24.*) Ebræis enim קפץ *Caphas* eſt συσφίγγειν *comprimere & conſtringere.* Hinc meritò *Capſa* dicitur, quam undiquaque premebant vaſtiſſimæ ſolitudines. Florus, *l. 3. c. 1. Capſam in media Africâ ſitam, anguibus, arenisque vallatam.* Salluſtius *Bell. Jugurt. c. 89.* de Capſenſibus, *Muniti adverſus hoſtes, non mœnibus modo & armis, atque viris, verum etiam multo magis locorum aſperitate.*

CAPSA, urbs Chalcidicæ regionis juxta Pellenen, Thermæ Sinui vicina. *Steph.*

CAPSA, memoratur Juvenali, *Sat. 10. v. 114.*

Eloquium, aut famam Demoſthenis, aut Ciceronis,
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,
Quiſquis adhuc unô partam colit aſſe Minervam,
Quem ſequitur cuſtos, anguſtæ vernula capſæ.

Ubi ex veteri Grammatico diſcimus, deſignari puerum adhuc diſcentem, quem arcula ſequatur, in qua reponantur codices. *Capſæ* autem & armaria librorum recenſuit, & Jul. Paulus, *l. 3. Sent. tit. 8.* Et hæ pueriles *capſæ* minuſculæ videntur fuiſſe, utpote ad geſtandum habiles, ideoque *anguſtas* vocavit Poëta, ad earum diſcrimen, quæ majores erant & ſtatariæ, quarum videtur meminiſſe modò dictus Paulus. Vide quoque infrà voce *Zabernus*, it. *Zotheca.* Hinc *Capſarius*, quem Pædagogo adjungit Pignorius, ex auctoritate Ulpiani, *leg. 13. ff. de manum. vind. Si Collactaneus; ſi Educator, ſi Pædagogus ipſius: ſi Nutrix vel filius filiave alterutrorum, vel Alumnus, vel Capſarius*, &c. Sed & *Capſarii* dicebantur, qui in balneis veſtimenta accipiebantur cuſtodienda, quód ea *capſis* includerent, nomen ſortiti. Hi ad fores ſtare ſolebant, ut Epiphanius docet, cùm de Adamianorum moribus peſſimis agens, illos inter cætera etiam *nudis corporibus conventus habuiſſe in hypocauſtis*, refert, *& ad fores adſtitiſſe ipſis quoſdam Capſariorum inſtar, qui eorum veſtimenta ſuſciperent & cuſtodirent.* Etiam illi *Capſarii* Romanis nuncupati, qui *capſæ* nummariæ apud Argentarios & Nummularios, fuêre præpoſiti: & *Capſarii*, capſarum opifices, quibus aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit, ut ſunt *Menſores, Optiones, Valetudinarii Medici, Capſarii artifices & qui foſſam faciunt*, &c. Vide Laur. Pignorium *de Servis* & Tit. Popmam *de operis Servorum*: quorum ille, an *Capſarii* balneares ſervi, an liberi, fuerint, in ambiguo relinquit: de *Capſulis* verò *è corio confectis* Legiſque quibuſdam titulis inſcriptis, quas precaturi olim Judæi, Phariſæi inprimis fronti vel brachiis præcingebant; aditum inſuper poſtibus, tanquam precamina & amuleta, averruncandis malis Spiritibus, affigebant, more apud hodiernos Judæos etiamnum ex parte retentô, infrà ubi de *Phylacteriis* & Veterum *Veſtibus*. In Eccleſia Romana *Capſæ*, in quibus reliquiæ Sanctorum, memorantur Guntherò *Ligurini*, *l. 3.*

— — — Capſaſque piorum
Cuſtodes cinerum, prælato thure vaporum.

Quarum benedictiones habentur in *Ordine* Roman. Unde *Capſarium*, earum theca, in *Teſtamento* Perpetui Epiſcopi Turonenſis. Sed & *Capſella* & *Capſula*, eâdem notione occurrunt, apud Adrevaldum *de Miracul. S. Benedicti c. 7.* In *Statutis antiquis* Cartuſienſibus, *Capſula* memoratur, in qua aſſervatur hoſtia conſecrata, ut vocant, reſervanda ad infirmos, &c. Apud Gregorium Turonenſ. *de Vitis Patrum, c. 7. Capſa* pars eſt caſulæ: *Capſa hujus indumenti* (caſulæ) *ita dilatata erat atque confuſa, ut ſolent in illis combatis fieri, quæ per Paſchalia feſta Sacerdotum humeris imponuntur.* Quam paulò poſt *Cucullam* vocat, &c. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* Sed & Pariſiis *Capſa*, Gall. *Capſe*, in Sorbona, vocatur pyxidicula ex capro aut ſtanno, in quo ſuffragia Doctores reponunt, cùm aliquis poſt examen pro Licentia ſubitum vel admittendus vel rejiciendus venit, &c. Cæterùm, *Fagum, quanquam fragilem & teneram, ſectilibus laminis in tenui flexilem, capſiſque ac ſcriniis ſolam utilem eſſe*, docet Plin. *l. 16. c. 43.* De *capſulis Sinenſibus* aliquid infrà in *Cor.*

CAPSAGÆ, Syriæ urbs, Curt. *l. 10.* Vetuſtiores Editiones legunt *Tapſagas*. Ortelius *Thapſacum* Ptolemæi eſſe putat.

CAPSI, in Ludo Latrunculorum, loculi ſunt lineis diſtracti, in quibus calculi ſtatuuntur, aliàs *carceres*, & *mandra*, & *ſepta*, Græcè χαρακώματα. In Teſſerarum luſu, lineæ ſic dicuntur & ſcripta, per quæ calculi currunt, κάσσοι, pro κάψοι, apud Johannem Antioch. ubi Ἀρχαιολογ. quæ vox Latina planè eſt & parietem craticium aut vallum, aut ſeptum ſignificat. Hinc *capſa* in plauſtro, quem Græci κοίταθον vocant: & *capſum animalium*, pro ſepto vel ſtabulo, apud *Vellejum*; recentior ætas Latinorum ſidem dixit: Sed verius eſt, *caſſum* pro *capſum*, ex more loquendi, quem infima Latinitas habuit, manaviſſe. Sic *caſſetam* pro *capſeta*, h. e. parva capſa, Galli vulgò dicunt; & *caſſam* alicujus Sancti, pro *capſa*. Inde igitur κάσσοι Græcis, pro κάψοι, loculamenta calculorum in tabula: quæ & *puncta* & *ſcripta* & *lineæ* dicebantur, & γραμμικαὶ χώραι Græcis & γραμμαί. Hujuſmodi autem *capſos* XII. tabula luſoria habuit, in quibus calculi collocabantur & per quos variè, ſecundùm teſſerarum jactum, movebantur: unde ποικιλόταξιν calculorum vocat Agathias *Epigramm. in tabulam Zenonis*;

Τοῖς ποικιλόταξ[illegible] ἰδὼν δίνης,

i. e. *ordo*, uti nominavit Quintilianus: *Repetiit totius certaminis ordine, quò dato erraſſet, recordatus.* Ariſtænetus ποικίλας μεταθέσεις τῶν ψήφων dixit, *Ep. 23. l. 1.* Atque in his *dabantur* calculi; hoc enim verbum proprium calculorum, ſicut *jaci* teſſerarum: Quoreſcunque autem aliquis calculum dediſſet, & mox pœnitentiâ ductus datum reducere ac revocare vellet, licebat hoc ei facere, modò fieri concederet is, quicum ludebat. Cicero, *Ita tibi concedo, quod in duodecim Scriptis olim, ut calculum reducas, ſi te alicujus dati pœniteat*: Græci ἀναθεῖναι ψῆφον, & ſimpliciter ἀναθεῖναι, dixerunt, &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo. c. 13.* At *Capſum* Eccleſiæ, apud Gregorium Turonenſ. *Hiſtor. l. 2. c. 14. Habet* (hæc Baſilica) *in longitudine pedes 155. in latum 60. habet in altum uſque ad cameram pedes 45. feneſtras in altario 32. in* capſo 20. *columnas 41. in toto ædificio feneſtras 52. columnas 120.* &c. Carolo du Freſne eſt ea ædis ſacræ pars, quæ retro altare eſt & editior olim erat, *Caput* eum quoque appellata, unde *capſum* formatum videtur. Manſit dein appellatio parti illi, in qua Altare, præſertim iis in Templis, in quibus Capitium editius non erat. *Caput Eccleſiæ* eam partem vocat Helgaudus in *Roberto Rege*; Aliique. Vide præfatum Car. du Freſne in *Gloſſar.* & de voce *capſum* quædam infrà in *Clabulare.*

CAPSITANI, populi Zeugitanæ regionis, quæ *Africa minor* dicitur. Plin. *l. 5. c. 17.*

GAPSUM, oppid. à Narſeta per deditionem captum A. C. 561 Agathias, *l. 1.*

CAPSUS, ſinus maris Mediterranei, in ora regni Tunetani, olim *Syrtis minor*. In eum influit Capſus, ſicque dictur ab urbe Capſa adjacente.

CAPTA, injuſtô bellô, poſſeſſoribus ſuis reddere ratio jubet. Sed & factum id ſæpe legimus. Livius certè cum retuliſſet à L. Lucretio Tricipitino victos Volſcos & Æquos, expoſitam ait in Campo Martio prædam, ut ſuum quiſque per triduum cognitum abduceret, *l. 3.* Idem cùm narrâſſet, Volſcos à Poſthumio Dictatore fuſos, *prædæ pars*, inquit, *ſua cognoſcentibus Latinis atque Hernicis reddita: partem ſub haſta Dictator vendidit.* Alibi, *Bidunm ad prœcognoſcendas res datum dominis.* Idem, ubi Samnitium de Campanis victoriam narraverat, *quod lætiſſimum victoribus fuit, captivorum recepta ſeptem millia & quadringenti: præda ingens ſociorum: edictoque edictô dominis ad res ſuas noſcendas recipiendaſque præſtituta die.* Mox ſimile recitat factum Romanorum, *Samnites*, inquit, *Interamnam coloniam Romanorum occupare conati, urbem*

non

non recuperant: agros depopulati cum prædam aliam inde invitam agerent, in victorem inciderunt, Conſulem ab Etruria redeuntem, nec prædam ſolum amiſerunt, ſed ipſi —— cæduntur. Conſul Interamnam vellicè domum ad nihil fuit referendo triumpho ſubque conveniat, exercitus ibi relicto Comitiorum causâ Romam eſt profectus. Vide eundem, ubi de præda, quam ad Bipam Luſitaniæ urbem Coca. Scipio ceperat, item ubi de pugna T. Gracchi ad Beneventum, *l.* 24. Sic de L. Æmilio Gallorum victore Polybius, *Hiſtor. l.* 2. [illegible], ait, [illegible], *Prædam iis reddidit, a quibus abacta fuerat.* Quod Scipionem quoque feciſſe, cum Carthagine captâ multa ibi inveniſſet donaria, quæ è Siciliæ urbibus & aliunde Pœnis eò advenerant, Plutarchus in *Apophth.* & Appianus in *Punic.* narrant. Vide quoque Ciceronem *contra Verrem*, de Signis, ubi factum hoc Scipionis latè proſequitur, & plura hanc in rem, apud Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis, l.* 3. *c.* 16. ut & *capp. præced.*

CAPTALIS, vide ſuprà *Capitate.*

CAPTIVI, olim nulli in bellis, exceptis Mulieribus & parvulis, quibus ipſe Deus, etiam poſt pacem oblatam & repudiatam, parci juſſit; extra paucas gentes ſpeciali jure exceptas, adverſus quas quod erat bellum, non erat hominum, ſed Dei, atque ita appellabant. Unde phraſim illam Hebr. *Non reliquit mingentem ad parietem,* 1. Regum, *c.* 16. *v.* 11, alibique, interpretantur non pauci, *Excindam omnem marem*, uti infra latius videbimus. Et cum Syros aliquot in Samaria haberet captivos, miraculô illuc ductos, Jehoramus Rex Iſraëlis, rogavit Eliſæum Prophetam 2. Regum, *c.* 6. *v.* 21 an eos percuteret, cui Propheta, *Non percuties: quos cepiſti gladio tuo & arcu tuo, tu percutis.* Quem locum ſic explicat Joſephus, *Archæolog. l.* 9. *c.* 2. ut vetaret hoſce occidi Prophetam, [illegible], *Captos vero jure belli, injuſtum non eſſe occidere*, verbis aliis innuerat. Cæterùm, idem, ubi ſenſa Legum ſacrarum de militia tradit, *l.* 4. *c.* 8. [illegible], inquit, [illegible]. *Victores in prælio facti eos qui in adverſa acie ſteterunt,* (h. e. qui ſe dedere noluerunt,) *cædito. Cæteros, ut tributa nobis ſolvant, ſervato.* Ubi tamen excipit ſeptem populos Cananæos, unà cum Amalekitis, cum tota familia ſua internecioni devotos. Poſtquam itaque in devictos ſeu præliò ſeu obſidione hoſtes eſſet ſævitum, perſonæ, quibus parcitum eſt, ut *captivi*, in ſervitutem redacti pars prædæ erant, quæ ſic tota in Victorum dominium jure belli tranſibat. Atque, ut pace empti, ſic bellô capti ſervi fiebant & pro dominantium libitu in poſterum vivere tenebantur. Qui mos paſſim, tam in Oriente, quàm in Occidente, invaluit, primò ejus auctore Nimrodô, ut infrà videbimus voce *Servi.* Sed inter Chriſtianos charitatis causâ jam diu abolitus; apud quos redemtionis pretium præſtitui conſuevit, uti etiam apud Mohametanos, ubi Muhametanum ceperint, &c. Qua de re vide Jo. Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta Diſciplin. Ebræorum, l.* 6. *c.* 16. Alberic. Gentilem *de Jure Belli l.* 2. *c.* 16. & Hug. Grotium *de Jure Belli ac Pacis l.* 3. *c.* 7. & 22. De *captivis* verò ſub coronâ venditis, Liv. *l.* 22. *c.* 51. uti *de Captivis redimendis*, apud Hebræos infrà voce *Redemptio*, de iiſdem, in Eccleſ. Roman. ac *Confraternitatibus hanc in rem inſtitutis*, infrà *Confalone Societas.* De eo, cujus erat *Captivos ſuſcipere* in Aula Conſtantinopolitana, voce *Prætextatus.*

CAPTIVI Dii, apud Tertullian. *Apologetico*, c. 10. *Nec ego per ſingulos decurram, tot ac tantos, novos, veteres, Barbaros, Græcos, Romanos, peregrinos, Captivos adoptivos.* Et *Captiva Numina*, ſuperatarum urbium gentiumque Dii ſunt, quos Romanos olim ſolitos *partim privatim per familias ſpargere, partim publicè conſecrare*, ait Arnob. *adv. Gentes, l.* 3. Vide infrà, de hoc Veter. more etiam de Diis triumphandi. voce *Triumphus*: quem hodieque apud Orientis, Idololatras vigere, ex *Itinerariorum* conditoribus diſces, apud Prudentium, *contra Symmachum l.* 2. *v.* 346.

Innumeros poſt deinde Deos, virtute ſubactis
Urbibus, ex claris peperit ſibi Roma triumphis
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris, ſimulachra hoſtilia cepit
Et captiva domum, venerans ceu Numina, traxit.

CAPUA, totius olim Campaniæ urbs præſtantiſſima, quam Vulturnus amnis interfluit. Diodorus eam M. Genuciô Agrippâ, & Curtiô Chilone Conſulib. conditam tradit, ab Oſcis. Liv. *l.* 4. *c.* 37. à *Capy* Samnitum Duce dictam exiſtimat. Alii à Falcone, ſub cujus augurio condita eſt, qui priſcâ Tuſcorum linguâ *Capys* dicebatur. Virg. à *Capy*, Æneæ commilitone, qui eam condidit, dictam mavult: *Æn. l.* 10. *v.* 145.

Et Capys, hinc nomen Campanæ ducitur urbi.

Cujus ſententiæ ſubſcribit Sueton. *in Julio Cæſare*, *c.* 81. Strabo inde dictam exiſtimat, quòd eſſet 12. Campaniæ urbium caput Hoc certè conſtat. Campaniæ urbium potentiſſimam fuiſſe, & Punici belli tempore Romanæ urbis æmulam, agri autem bonitate nulli terrarum poſthabendam. Virg. *l.* 2. *Georg. v.* 224.

Talem dives arat Capua. —— ——

Strabo, *l.* 5. [illegible], dictam ſiquidem vult à Capite. Subdit, [illegible]. Florus, *l.* 1. *c.* 16. *Urbes ad mare Cumæ, Puteoli, &c. & ipſa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas Romam, Carthaginemque numerata.* Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 4. *p.* 1174. Cicero luxûs infamiâ Capuam notans, *luxuria & ſuperbia domicilium eſſe* ait: in orat. *de lege Agraria contra Rullum*, item in Orat. *poſt Red. in Sen.* Liv. *l.* 23. *c.* 4. *Prona ſemper civitas in luxuriam.* Hujus Annibal, poſt pugnam Cannenſem, deliciis fractus eſt, quô factum, ut Capua à Romanis, aliàs deſtruenda, conſervaretur. Poſtmodùm Colonia facta, à Genſerico Vandalorum Rege vaſtata, à Narſete verò, Juſtiniani Duce, reparata eſt. Capta à Ludovico II. Imperatore & Saracenis erepta A. C. 866. qui illam rurſus expugnârant. A. C. 884. iterum à Longobardis deſtructa; qui etiam novæ Capuæ fundamenta jeciſſe videntur. Quæ Archiepiſcopalis ab A. C. 968. Capuani Principes Johannem XIV. Pontificem, qui à Romanis imperium affectantibus pulſus fuerat, reduxerunt, A. C. 966. Annô dein 1167. Guilielmus fil. Mali Rex Siciliæ, Dux Apuliæ & Calabriæ, ac Princeps *Capuæ* ab Hadriano Pontifice confirmatus eſt, *Dionyſ. Halicarn, Cato, Sempronius, Appian. Alexandr. Tacitus, Sueton. Silius Ital.* Leander *deſcr. Ital p.* 164. & *ſeqq.* Hic Concilium A. C. 389. 1087. 1118. quò Henric V. excommunicatus, &c. Baron. *in Annal.* Addo quòd Principatus *Capuanus*, ex Beneventano, cujus Dux Arechis primus in Italia *Princeps* appellatus eſt, 90. poſt ann. originem ſumſit. Cùm enim Siconolfus, Siconis Principis Beneventani filius, & Sicardi Principis frater, Salernum & Capuam Radelchiſo Principi ademiſſet, Ludovicus II. Imperator convocatis Longobardis, totam provinciam inter Ledelchiſum & Siconolfum æquô diſcrimine partitus eſt A. C 851. atque Siconolfo Salernum & Capuam attribuit. A quo tempore cæteri, qui Salerno imperavêre, *Principes Salernitani* appellati ſunt, poſtmodùm verò diviſô rurſum hôc Principatu, *Capuanus* Principatus emerſit, donec utorque ad Tancredi Normanni familiam & Siculos Reges eſt devolutus. Captâ enim Capuâ, Rogerius Rex Anfuſum filium *Capuam per vexillum ſublimavit Principatus honore*: quô extinctô, Patre ſuperſtite, Guilielmus fil. alter eâdem dignitate donatus eſt. Fuit autem hic Principatus unus ex iis, qui non niſi legitimis Principum filiis concedebatur. Unde apud Falcandum *p.* 659. cùm idem Rex, Simonem, filium nothum Principem Tarentinum renunciâſſet, filius ejus Guilielmus Rex eum Simoni titulum ademit, dicens, *Ducatus Apuliæ, Tarentique & Capuæ Principatum legitimis tantum filiis debere concedi: ad Comitatum autem —— non indignum eſſe, liberos etiam naturales admitti.* Vide ſuprà in voce *Arechis.*

CAPUA, urbs regni Neapolitani in Campania felice cum arce munita. Olim *Caſilinum.* Eo tranſlata eſt Capua, à Laudone Comite, & Epiſcopo Dandulfo, locô Capuæ veteris, à qua diſtat 2. milliarib. in Boream, cùm antea ſæpe ædificata in monte Piſiſco, ſemper deflagrâſſet. Senſim deficit.

CAPUANUS Petrus, vide *Petrus.*

CAPUANUS Victor, vide *Victor.*

CAPUCCINUS, moneta in MSS. Brocardi Diacon. ac Paris. de Graſſis, apud quem *Cappuccini* & *Capuccini Spatularum* legitur, Dominic. Macer in *Hierolex.*

CAPUCIATI, dicti quidam ex Wiclefi diſcipulis, in Anglia, quòd velatô capite ad Sacramenti participationem accederent. Spondan. *A.C.* 1387. *n.* 9.

CAPUCINI, à miro, quod geſtant, cucullo ſic dicti: Ordo religioſorum Franciſci in communione Romana ab A. C. 1525. Cujus Auctor vel ſaltem Generalis Bernardinus Ochinus etiam fuit. In ditione M. Ducis Florentini orti, unde ſe in orbem effudit. Luc. Vadingus, Zach. Boverius *Ann.* Cap. Spondan. *A.C.* 1525.

CAPUDABA, locus maritimus in Byzantio Africæ. *Procopius.*

CAPULARIS Senex, apud Comicos, *capulo* proximus, & jam jam efferendus eſt, Græcis [illegible], item [illegible] quoque: quemadmodum *Silicernium* idem Terentio, *in Adelph. Actu* 4. *ſc.* 2. *v.* 48. à prandio ſilicerno, quod conficiebatur, circa ſilicem, i.e. ſepulchrum mortui. Eſt autem *Capulus*, lignea arca, quâ mortuos efferri mos. *Nonius* interpretatur ſarcophagum aut ſepulchrum, ſed abs re. Nec enim in Capulo condebantur cadavera, ſed efferebantur. Meliùs *Gloſſarum veterum* conſarcinatores: *Kapulus in quo mortui efferuntur.* Hinc elegantiſſimè Varro *Coſmopoliboryne*:

Prœter cunam capulum poſitum,
Nutrix tradat Pollinctori.

Quorum verborum ſententia eſt, ſtatim nato homini imminere abolitionem, ut capulum ſibi juxta cunas poſitum & nutricem tradere poſſe pollinctori, ultimæ unctionis ergò, quiſque natus infans poſſit nôſſe, ſi per ætatem daretur. Fulgentius *ſandapilam* vocat, *feretrum mortuorum, id eſt loculum, non in quo nobilium corpora, ſed in quo plebejorum cadavera portabantur.* Ubi rectè *portabantur*, nam [illegible] fuit: Et rectè de plebejis, nam Nobiles in lectis efferri ſolebant. Nominis ratio Iſidoro, *Origin. l.* 10. *c.* 21. *quòd ſupra capita hominum feratur.* Sueta enim feretra ſupra capita ferri: Papinius Statius, *Theb. l.* 6. *v.* 129.

—— —— *Longè poſt tempore ſurgit*
Celſa ſuper Juvenum (numero dux legerat omnes)
Ipſe fero clamore torus.

Potiùs ex Græco [illegible] Salmaſio, quæ præſepem & [illegible] ſignificat. Unde cum Kappa Gloſſæ ſcribunt, ad differentiam *Capuli* enſis, qui à *capiendo* dictus eſt, quod capiatur, ut videbimus. Vide eum *ad Solin. p.* 1205. & Caſp. Barthium, *Adverſar. l.* 123. *c.* 3.

CAPULATOR, inter cellæ oleariæ miniſtros, de quo vide infrà *Olea*, it. *Trapetum.*

CAPULLA, in Synodo Nemauſenſi A. C. 1284. diminutivum videtur a *Capa*, fuitque veſtis Baptizandorum, aliàs *Chriſmale* dicta, ſeu *Chriſmalis pannus*, vide ibi.

CAPULUS, pro arca ſepulchrali. Vide ſuprà *Capularis Senex.*

CAPULUS, ſeu clauſula enſium, Græcis [illegible], (unde *Myconus*,) quòd *fungi* formam referat, Gallis à pomi ſimilitudine *pomale*, quod vide infrà, uti hodiernis Barbaro-Græcis eadem de causa [illegible], dicitur. Fuêre autem olim militibus eburnei, unde [illegible] ſpathæ, item eburnei, unde [illegible]. Æl. Spartian. de Hadriano, *c.* 10. *veſtem humili-*

humilimam frequenter acciperet — capulô vix eburneô ſpatham clauderet, &c. Ubi gregarii militis habitu Imperatorem inceſſiſſe indignatur. Poſteà Plinii ætate, eburneis faſtiditis, argentô cælati ſunt &c. Salmaſ. *ad loc. cit.* Certè magnâ induſtriâ ornatos olim, adeoque Regiis inſignibus accenſitos, exemplis variis docet *ad Claudian.* Barthius. Veterum enim inprimis Heroum mos, in patrium avitaque inſignia geſtare, ut inde ſcil. ſucceſſio noſceretur. Unde Claudian. *l. 2. v. 88. ſ. Laudum*, de Tutoris Stiliconis in Imperatores pupillos fide:

> *Quin & Sidonias chlamydes, & cingula bacca*
> *Aſpera, gemmataſque togas, viridesque ſmaragdis*
> *Loricas, galeaſque renidentes hyacinthis,*
> *Geſtatoſque patri capulis radiantibus enſes,*
> *Et variis lapidum diſtinctas igne coronas,*
> *Dividis ex æquo, ne non Auguſta ſupellex,*
> *Ornataſque pares geminis heredibus offert.*

Ubi ineptiunt, qui *ſcapulis* legunt. Namque enſes illi referebant inſignia ſtirpis Theodoſianæ, alluſione Poëtæ ad veterum Heroum morem, Papinio clarè expreſſum, *Theb. l. 5. v. 725.*

> *Ut verò & vultus, & ſigna Argoa reliſtis*
> *Enſibus, atque humeris ambobus innexus Iaſon;*
> *Ceſſerunt luctus — — —*

Et Ovidio, *Met. l. 7. v. 421.*

> *Sumſerat ignarâ Theſeus pocula dextrâ,*
> *Cum pater in Capulo gladii cognovit eburno*
> *Signa ſui generis; facinuſque excuſſit ab ore.*

Quò proin alluſit in *Pſychomachia ſua*, doctiſſimus Vates & nulli Veterum minor, niſi Vanitates Veritatis negotiis præponere voluiſſet:

> *Jam capulum retinente manu, ſine pondere ferri,*
> *Mentis inops, ebur infelix, decoriſque pudendi*
> *Perfida ſigna abjicit, monumentaque triſtia longè*
> *Spernit — — —*

Capulis enim fortiter factorum vetera monumenta cælata habuiſſe indicatur. Quâ eâdem ratione *Capulum Regni*, Inſignia nempe Regia continentem, appellavit idem Ovid. *eod. l. v. 505.*

> *Sic ubi mandatam juvenis facundia cauſam*
> *Æacus in capulo Regni retinente ſiniſtrâ:*
> *Ne petite auxilium, ſed ſumite, dixit, Athenæ, &c.*

Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Stat. Tom. 3. p. 316.* De phraſi verò, *Manus in capulo*, vide infrà *Manus ad ferrum*: uti de inveſtitura *per Capulum Spathæ*, ubi de *Inveſtitura*. At cultris *capulos*, ex radice loti arboris, Ægyptiis factitari conſueviſſe, dicemus infrà, voce *Lotos*.

CAPUS ſeu CAPPUS, apud recentioris ævi Scriptores, avis prædatoria, falco, accipiter: Theodulfus de pugna avium, *carm. 8. l. 4. p. 219.*

> *Quatuor accipitres veniunt hinc, quatuor illinc,*
> *Quatuor & totidem parte ab utraque capi,*
> *Primò hi congreſſu perimunt ſe hunc inde viciſſim,*
> *Accipitrem accipiter, ſeu capus ipſe capum.*

Hinc Gerricus quidam *capis Præpoſitus*, qui ſcil. avium venaticarum curam habebat, memoratur in *Vita* Ludovici Pii A. C. 813. Ubi tamen alii *Buticularium* intelligunt: *Capis* enim & *capula* apud *Varronem* poculi genus eſt, quô deplere vaſa olearia conſuevêre; & licèt *capis, idis*, declinetur, inflexione tamen receptâ apud citimæ ætatis Scriptores, *Præpoſitus capis* potuit dici, pro *capidibus*. Niſi fortè *cappis* legendum, Car. du Freſne *Gloſſar.*

CAPUT, Jovi apud Gentiles ſacrum, veluti Sapientiæ officinam. Hoc Romani olim non intexêre, in urbe incedentes, nullumque pilei, petaſi, cauſiæ vel alius tegminis uſum, niſi extra urbem in peregrinatione, novêre, ut Lipſius docet. Ita namque illi à primis annis capita ad caloris frigoriſque patientiam durabant, crebris frigidæ lotionibus & aſſiduâ nuditate domi ac per urbis vicos. Ad iter petaſum, vel galerum, vel cauſiam Macedonicam ſumebant; vel pileum ſive Theſſalicum, ſive Arcadicum, ſive Laconicum. Nihilominus mos fuit Quiritibus quandoque ad Solem, ventumque & alia cœli incommoda defendenda, *capiti* togam injicere: licèt enim ex hac brachium exererent, ut ſumma togæ ora ab dextro humero deflueret; facile tamen fuit, cùm res poſceret, eandem dejectæ togæ partem revocare, *caputque* operire vel involvere. Hoc deinde togæ velamen, in occurſu viri alicujus honorandi detrahere ſicque caput aperire ſolebant; quod Pompejo feciſſe Sullam tradit *Salluſtius* ac *Plutarchus*; & fieri ſolitum, quoties Conſul vel Prætor occurreret, confirmat Seneca. Plut. Οἱ Ῥωμαῖοι τῶν ἀξιουμένων τιμῆς [illegible] ἀποκαλύπτουσι τὴν κεφαλὴν, ἂν τύχωσι [illegible] τὸ ἱμάτιον ἔχοντες, [illegible]. *Romani, ſi cui obviam facti ſunt, cui honor habendus ſit, & ſi fortè togâ caput velatum habeant, id aperiunt.* Idem alibi, ubi de Sulla, ut dictum: Καὶ τὸ [illegible] τοῦ ἱματίου, *Veſtem capiti detrahentis.* E iam cum ſacra fierent, hæc pars togæ in caput attrahebatur; capita enim velare in ſacris moris fuiſſe, inter alia Lucretius *de reb. Nat. l. 5. v. 1197.* docet:

> *Nec pietas ulla eſt, velatum ſæpe videri*
> *Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras,*
> *Nec procumbere humi proſtratum.*

Et Virg. *Æn. l. 3. v. 405.*

> *Purpureo velare comas adopertus amictu.*

Addens cauſam, *v. 406.*

> *Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum*
> *Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.*

Vide quoque Juvenalem, *Sat. 6. v. 391.* Excepti Saturnus & Hercules, quibus nudô capite litarunt. Servius *ad Virgilii locum*, *Sed ſciendum ſacrificantes Diis omnibus capita velare conſuetos, ob hoc, ne ſi inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus: exceptô tamen Saturnô, ne Numinis imitatio eſſe videretur, & Hercule in templo ſuo, quia & ipſe capite operto eſt.* Quam proin varietatem ridet Arnob. *adv. Gentes, l. 3. ſub fin.* ubi G. Elmenhorſt vide. Hinc inter omnia mortis Hadriani ſigna Spartianus, *c. 26.* recenſet, quod ſacrificanti prætexta ſponte delapſa caput ei operuit: Nec aliam ob cauſam apud Livium, *l. 23. c. 19.* *Manitio Prœneſtinorum Prætori ſtatua in foro Prœneſte ſtatuta eſt loricata, amicta togâ, velatô capite.* Habitu nempe vota concipientis: Subjicit enim, *Cum titulo lamina ænea inſcripta: Manitium pro militibus, qui Caſilini præſidio erant, votum voviſſe.* Porrò in re trepida ac calamitoſa totum involvebatur; quod Cæſar & Pompejus, eodem lethi genere ad generum Cæſaris deſcendentes, in ipſa morte uſurpârunt, apud *Dion. Suetonium. Plut.* Aliud quid fuit, cùm Scipio Naſica, contra Gracchum vadens, laciniam togæ *capiti* impoſuit: Nam cùm repentè in mediam rixam iturus eſſet; ubi fuſtibus ac ſaxis, ſubſelliorumque fragminibus & cæteris quæ furor miniſtraret, maximè res agebatur, nullô ſpatio capiendi arma, non ſolam togæ laciniam, ſed totam ferè partem inferiorem in rugas contractam ac complicatam, capiti ad tutelam impoſuit, & ſe velut galeâ communivit, ut etiam ſic ſubductâ togâ expeditior in pugna foret, apud eundem *Plut.* Nec verò togâ ſolum involverunt Veteres caput, ſed & palliola in eum uſum præcipuè fuêre: unde Claudius apud Sueton. *c. 23.* *Gladiatorio munere palliolatus novô more præſidet*; nempe caput palliolô tectus, quô frigus arcebat. Præterea cucullis, aliiſque tegminibus, idem fiebat. Græcanicô palliô, quod intra capiti injiciebatur, obvelatus Mæcenas incedebat apud Senecam, *Ep. 114.* *Hunc eſſe, qui in tribunali, in Roſtris, in omni cœtu publico ſic apparuerit, ut pallio velaretur caput, excluſis utrinque auribus, non aliter quàm in Mimo Divite fugitivi ſolent*: de quibus Plaut. *Captivo*, *Nam certa res eſt, eodem pacto ut Comici ſervi ſolent; Conjiciam in collum pallium.* Hunc ritum qui accumbentibus eſſe voluêre, ex Plut. *in Pompejo*, meritò vapulabunt. Ibi enim notatur liberti ejus Demetrii importunitas, quod ante Dominum diſcumberet, & quidem *capite obvoluto* quod ſoli ægroti aut molles faciebant. Itaque & Trimalcio ille apud Petronium molliſſimus, quòd *palliô coccineô adraſum incluſerat caput*, convivis riſum excuſſit. Vide Octav. Ferrarium, *de re veſtiaria l. 1. c. 10. & 11.* &c. Apud Dionem, permittit Caligula Populo Rom. [illegible] τῷ Θετταλικῷ τρόπῳ ἐς τὰ θέατρα φορεῖν, *pileum Theſſalicum in Theatra afferre*, ne Solis æſtu offenderentur. Auctor tamen eſt Joh. Chryſoſtomus, *Homil. 2. adv. Judæos*, adhuc ſuâ ætate morem obtinuiſſe, ut, qui ludos ſpectarent, nudô *capite* Solis perferrent æſtum, Ἀπόστα, inquiens, οἱ Ὀλυμπιακοὶ [illegible] [illegible] [illegible], [illegible]. Vide Lucianum *de Gymnaſ.* Imperatores verò veter. [illegible], *in pileo Laconico* fuiſſe ſpectatos, narrat Syneſius *de Regno.* Quidam etiam ita obduratô collô fuerunt, ut etiam itinera nudô capite æſtate pariter ac hyeme facerent, Maſiniſſa, Julius Cæſar, Corbulo apud Tacitum *Annal. l. 15.* Hadrianus Imperator apud Spartianum & Dionem; Severus, apud Herodian. *l. 5.* Julianus, apud Claudium Mamertinum, Alii. E quibus tamen Hadriano mortis cauſam hinc maximè contraxiſſe, ſcribit Spartian. *ſub fin.* Vide Caſaubon. *ad eum.* Sed & *Caput* nonnunquam Veteres in pugna nudârunt, *virtutis oſtentandæ*, ut de Sacroviro loquitur Tacitus, *Annal. l. 3. c. 41.* Vide quoque Curtium, *l. 7. c. 4.* ubi de Saubarzane Perſa & Erigyio Macedone, Xenophontem, Ἀναβάσ. *l. 1.* ubi de Cyro juniore, imò omnibus Perſis, Alios. Henetos verò omnino nudos, *operientes ſolummodo corporis verecunda*, refert Paul. Warnefridus, *de Geſtis Longobardor. l. 1. c. 20.* Porrò *Caput* oſculabantur non rarò Veteres, uti infrà pluribus dicemus, voce *Oſculum*, & ejuſdem *jactatio* inter 9. erat ceremonias, quas Galli, Cybeles olim Sacerdotes, obire ſolebant; quod ad imitationem Cybeles factum eſſe, diſcimus ex Diodoro, *l. 3.* ubi ait, illam [illegible] [illegible], *inanem ſtrophilo* [illegible] [illegible], *Cybelem per amorem erga juvenem (Attinem) impatientiam, & mœrorem ob mortem, furore correptam in agros excurriſſe: atque ibi ſolam, diffuſis capillis, ululatu & tympani ſtrepitu, univerſam impleviſſe regionem.* Ad quem ritum pertinent illa Catulli, *Epigr. 64. v. 19.*

> — — *ſimul ite, ſequimini,*
> *Phrygiam ad domum, Cybeles Phrygia ad nemora Deæ.*
> *Ubi cymbalum ſonat vox, ubi tympana reboant,*
> *Tibicen ubi canit Phryx curvô grave calamô.*
> *Ubi capita Mænades vi jaciunt hedeïgeræ,*
> *Ubi ſacra ſancta acutis ululatibus agitant.*

Sic Cilnius Mæcenas,

> *Ades huc, ades Cybelle, Dea, montigena Dea,*
> *Age tympanis ſonantis quate flexibile caput.*
> *Latus horreat flagellô, comitum chorus ululet, &c.*

Vide Voſſ. *de Idolol. l. 2. c. 20. ſub fin.* Et ad hanc *capitis* motionem, non uti Eraſmus putabat, ad Olivæ aviditatem, pertinet, quòd *tremuli* tales dicuntur, apud B. Hieronymum, *Ep. ad Marcellam*: *Hiſtrio nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelen.* Vide eundem, *l. 2. c. 54.* De capite autem Cybeles turrito, tegminéque capitis fœminarum Chriſtianarum ac Myſticarum, quod turrium referens ad imitationem ejus geſtaverunt, dicemus infrà.

ubi

ubi de *Turrito capite*: uti de more occiſorum Capita unguentis imbuta ſuſſigendi, quò diutiùs vultus agnoſcerentur, quod *καλλωπισμὸν* Græci dixêre, lemmate *Ungendi ritus*. Cæterùm, ex antiqua notione vocis *πόλος*, quâ Hemiſphærium ea ſignificabat vel globum, inde capitis rotunditas quoque ſic appellata eſt. Pollux de *Capite & Capitis partibus*, *Καλεῖται δὲ τὸ σύμπαν πόλος, κρανίον καὶ κόγχος παρ᾽ Ἀντιφάνει*,

Τοιαῖς σαυτοῦ κόγχον ἀλοίφῃ μόνον.

A rotunditate ſcil. ſic vocitant, uti & *κόγχον*: quemadmodum *Teſtam* hodieque Galli vocant, à teſtæ forma. Addit *Pollux*, *πόλον* etiam vocari apud *Ariſtophanem* hoc verſu,

Ἵνα μὴ πατάξῃ τὸ πόλον ὑμῶν τῷ ξύλῳ.
Ne tibi percuſſum fuſte frangatur caput.

Ad quod proin reſtat factum olim vas illud Gnomonicum, in quo gnomon erectus oſtendebat Solſtitium & Æquinoctium, cui hinc & *πόλου* appellatio. Sed & eadem videtur fuiſſe Horologiorum forma, quæ inde *Σκάφια* dicta ſunt, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 616. & 1258. ubi notam compendiariam *Capitis* in Hippocratis antiquis libris hunc fuiſſe notat ☉. At plura hanc in rem, ſuprà ubi de ritu Veterum varia *Capita tegendi*.

CAPUT, pro Rege, unde *tenere in capite*, eſt tenere de Rege, omnium terrarum capite. Etiam ſuperior dominus feodi, infra Regem, Capitaneus & *Caput* dicitur. *Caput jejunii* dies Mercurii auctoribus vocatur. *Eſſe in capite* idem eſt, quod præfectus, capitalis, primarius. Iſidor. *Orig. l. 9. c. 3.* ubi Quinquagenarii dicti, qui ſunt in capite 50. militum. *In Capite tenere*, licet non à Rege, nobilitatis olim indicium fuit. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

CAPUT Aquæum, *Capaccio*, urbs Principatus citerioris in regno Neapolitano 3. milliar. ab ora littorali 3. milliar. à Peſto, urbe exciſa.

CAPUT Aſini, cognomen Militis cujuſdam, apud Ordericum Vitalem, *l. 8. p. 681. pro magnitudine capitis & congerie capillorum.* Vide quoque ſuprà *Aſini caput*.

CAPUT Caprium, vulgò *Sauvge*, locus Gall. ſeu pagus in Baturgibus, proximus Brucis *Broſſe*, & municipio Salis vel Salenſi caſtro, monaſterioque *S. Benoiſt du Sau*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAPUT Cillanum, Mauritaniæ Cæſarienſis locus. *Antonin.*

CAPUT Coronatum, magnâ ſemper auctoritate fuit. Ut enim de ſacrificantibus & majoribus Magiſtratibus, hîc nil dicam; illi, qui in concionem olim prodibant dicturi, non niſi *coronati* conſpiciebantur, auctoritatis ergò irrefragabilis. Unde Ariſtides, ubi Rhodios hortatur ad concordiam: *Olim*, inquit, *tanta erat concionum veſtrarum compunctio, ut, cùm in concionem veniebatis, ſatis vobis eſſet videre coronam*, i. e. ſcire, quis eſſet concionaturus. *Quippe ſolâ hominis auctoritate moti, vix orationem ejus expectabatis*, &c. Orat. *ad ὁμον.* In quam ſententiam Euripides, apud *Stobæum*,

Τὸ δ᾽ ἀξίωμα κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν
Πείσει. ——— ———

Atque proin hoc modò ornatus Pericles, amiſſis duobus filiis, in concione diſſeruit, apud Hieron. *l. 3. ep. 22.* Demonax, ſuis calumniatoribus reſpondit, apud Lucianum *in Demonacte*: Praxagora mulier in cœtu fœminarum, verba fecit, apud Ariſtoph. *Ἐκκλησιαζ.* Cippus inprimis concionaturus, priuſquam prodiret in publicum, coronavit caput. Ovid. *Metam. l. 15. v. 590.*

Dixit, & exemplo populum, totumque Senatum
Convocat. Ante tamen capitis nova cornua fronde
Velat, & aggeribus factis a milite forti
Inſiſtit ———

Idem cùm capiti coronam dempſiſſet, repoſita illi à populo eſt, *v. 609.*

Rurſus ad hos Cippus, quem poſcitis, inquit, habetis.
Et demptâ capiti populo prohibente Coronâ,
Exhibuit gemino præſignia tempora cornu.
Demiſere oculos omnes ——— ———
Atque illud meritis clarum (quis credere poſſit?)
Inviti videre caput, nec honore carere
Ulterius paſſi, feſtam impoſuêre coronam.

Inde porrò fluxit, ut qui ſæpiùs apud Populum diceret, ſæpeque coronatus aſpiceretur, jus hinc impetraret coronæ geſtandæ. Certè Demoſthenes illam ſuam coronam ſæpe oſtentavit, & objectavit illis, à quibus violatæ legationis accuſabatur, velut omnium certiſſimam & tutiſſimam defenſionem. Vide Plut. *πρὶ τ̃ ἐκκλησ. ἀναπομπ.* Dabatur autem ei, qui dicturus erat, corona ab illo, qui proximè dixiſſet, uti ex Ariſtophane patet, d. l. Ibi enim Praxagora,

Ἐγὼ δὲ δῆτα τὸν στέφανον ἀφαιρέσομαι,
Κἀγὼ μεθ᾽ ὑμῶν, ἤν τι καὶ δοκῇ, λέγειν.
Ego verò impoſitâ coronâ redimiar
Et ipſa cum vobis, ſi quid mihi viſum fuerit dicere.

Et paulò pòſt,

——— ——— *Τίς ἀγορεύειν βούλεται;*
Γυ. Ἐγώ. Πρ. περίθου δὴ τὸν στέφανον τύχῃ ἀγαθῇ,
——— ——— *Quis concionari vult?*
Mul. Ego. Pr. Circumpone ergo coronam, feliciter omine.

Et infrà,

Πρ. Ἴθ᾽ ἥτις ἑτέρα βούλεται λέγειν. Γυ. Ἐγώ.
Πρ. Ἴθι δὴ στεφανοῦ.
Pr. Eſtne alia aliqua, quæ velit dicere? Mul. Ego.
Pr. Age dum coronare, &c.

Vide quoque infrà *Concio*. Imitatione Oratorum Hiſtriones, qui proœmiis recitandis id agebant, ut ſpectatorum benevolentiam ſuo gregi conciliarent, fauſti ominis gratiâ, ſimiliter *Caput coronatum* habuêre. Niſi potius à Rhapſodis, de quibus vide Platonem *Ione*, & Hiſtrionibus, illum ritum ad Oratores tranſiiſſe dicere malimus; namque & ligatum ſermonem ſolutâ Oratione antiquiorem fuiſſe, oſtendemus infrà. Vide Car. Paſchal, *Coronar. l. 5. c. 5. & 6.*

CAPUT Etruriæ, locus maritimus Etruriæ in confinio Liguriæ. *Antonin.*

CAPUT Extorum, vide *Hepar*.

CAPUT Hoſtiæ, vide *Caput Victimæ*.

CAPUT Iſtriæ, urbs Italiæ, alias *Ægida*, in Iſtria regione Venetorum, in ora ſinus Hadriatici, quondam *Juſtinopolis* etiam: Quod vide.

CAPUT Libri, vide infrà *Liber*.

CAPUT Lupinum, in *LL.* Edw. Confeſſoris, *c. 7. Si repertus fuerit & retineri poſſit, vivus Regi reddatur, vel caput ejus, ſi ſe defenderit.* Lupinum enim gerit caput. *Et hæc eſt lex communis & generalis de omnibus Utlagatis*; gerere dicebatur omnis *utlagatus*, i. e. extra Legis protectionem poſitus, *bannitus*, qui videl. ob contumaciam in non comparendo, cùm in jus vocaretur, capitaliter convictus adeoque capite diminutus eſt, facultate cuilibet conceſsâ, caput ejus, ac ſi *lupinum* eſſet, amputandi, ſi in provinciam rediret: Anglicè *Wulfesheofod*. Quod nomen ad Henrici IV. tempora in Foro Anglico duravit. Nempe talem non ſolùm cuique tum occidere licebat, ſed & ob mortem ejus laus ſaltem, ſi non præmium, interfectori debebatur. Sic enim antiquitus mos ſe habuit in Anglia circa lupos, uti poſteà aliquandiu circa vulpes etiam, catos ſylveſtres, muſtelas, &c. Vide Guil. Malmesburienſem *de Regibus Angliæ*, *l. 5. c. 8.* & plura hanc in rem apud. Io. Seldenum *de Synedriis Veter. Hebræorum l. 2. c. 14. §. 4.* & infrà, voce *Lupus*, item *Utlagati*. Apud Procopium verò *de Bello Gothico*, *l. 3.* *Λυκοκέφαλοι* occurrunt quidam Piſidiæ populi, ſic dicti; non quod Capita haberent *lupina*, ſed quod regionis, quam incolebant, mons, *Λύκου κεφαλὴ* appellaretur: qua de re vide ſuo locô.

CAPUT Padi. *Ptol.* Fortè *Cadagoro*, vicus agri *Ferrar.* juxta ramum Padi Volanæ dictum, inter Arianum & Comaclum.

CAPUT Porcinum, Tacticorum vox: Sic enim à militibus Romanis dicta eſt illa acies, quæ cuneum repræſentabat. Cuneum autem ait Vegetius, *l. 3. c. 19.* vocari *peditum multitudinem, quæ juncta cum acie primùm anguſtior, deinde latior procedit & adverſariorum ordines, dum à pluribus in unum locum tela mittuntur, rumpit.* Typum ejus habet Ælian. *de inſtr. aciebus.* Lipſius ei tribuit formam literæ Græcæ Δ. additque Caput *porcinum*, dici *quia velut fodit & ruit invadendo*, *l. 4. de mil. Rom. dial. 7.* *Caput* Quadrageſimæ, in Eccleſia Romana quarta Feria Cinerum dicitur, Car. du Freſne *Gloſſar.* *Caput* Scholæ, apud Ammianum, *l. 25.* qui ſcholæ militari præerat, apud Romanos. In Communione Romana hodie dignitas Eccleſiaſtica eſt, in ædibus Cathedralibus & Collegiatis, quæ aliàs, & in aliis ædibus, *Scholaſtici* dicitur. In vetere *Notitia* Hincmari Archiepiſcopi Remenſis, apud Sirmondum. *Not. ad Capit. Caroli C.* memoratur *Sigloardus Presbyter* vel Caput Scholæ *ſanctæ Remenſis Eccleſiæ*. Alibi *Capiſcholus*, &c. Sed & *Caput Scholæ*, locus appellatur, ubi qui Scholæ Cantorum præeſt, conſiſtit; *Ordo Roman. Tum procedit Pontifex* (ſacra facturus) *& antequam veniat ad Scholam, dividuntur cereoſtata quatuor ad dextram & tria ad ſiniſtram & pertranſit Pontifex in* Caput Scholæ, *& in gradu ſuperiorum, primò adorat ſancta*, &c. Vide Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CAPUT Stagni, caſtrum Galliæ, ad caput ſtagni in Aracem influentis, non procul Columbarus & Caſulis *Caſorx*: vulgò *Capeſtang*, aliàs *Capeſtan*. Ejus meminit Petrus Monachus, *c. 27. Hiſt. Albigenſium*, qui ibi quoque dira paſſi, ſecul. 13.

CAPUT Taurinum, cædis teſſera, apud Scotos. Buchanan. *Rer. Scot. l. 5. Archibaldus Douglaſium moriens monuit filium, ut totam familiam* (i. e. ambos filios) *ſub unum Fortunæ ictum daret* —— *Verùm Guilielmus, velut fato trahente, rectà in Arcem Edinburgum pergit* (à Prorege vocatus ad Regni conventum) *& in inſidias inimicorum ſe præcipitat, cùm eum menſa regia adhibitum eſſet, procedente convivio, armati inermem circumſiſtunt, & Taurinum caput* (ea illis temporibus *cædis teſſera*) *ei apponunt. Quo viſo turbatus Adoleſcens, cùm exſurgere conaretur, ab armatis comprehenſus, in aream deductus, ibique capite plexus eſt, unà cum Davide Fratre.* Vide & ſuprà *Bucephali*.

CAPUT Tyrſi, Sardiniæ locus. *Antonin.* Fortè fons Tyrſi fluminis.

CAPUT Victimæ, peculiariter olim conſideratum. De Hirco emiſſario Moſes, Levit. *c. 16. v. 10. & ſeqq. Et offeret* (Aaron) *hircum vivum: & imponet utramque manum ſuper caput hirci vivi & confitebitur ſuper eum omnes iniquitates filiorum Iſraelis, & omnes prævaricationes eorum, ex quibuſvis peccatis. Et, cùm eas hirci capiti impoſuerit, amandabit eum in deſertum per manum viri parati; & portabit hircus omnes iniquitates eorum in terram divulſam & hircum in deſertum mittet.* Qui ritus *imponendi manus ſuper* Caput *victimæ*, non hîc ſolùm uſurpatus. Ejus enim veſtigia quoque videre eſt, Levit. *c. 1. v. 4.* & *c. 3. v. 2.* & *c. 4. v. 4.* & 33. & *c. 8. v. 14.* & 18. in ſacrificiis omne genus, i. e. tam pacificis, quàm expiatoriis. Multis illum deſcribit Maimonides *de Oblationibus*, *c. 3. ſect. 6. 8. 9.* &c. Neque obſcura ejus ratio. Victimam enim offerens, hoc ritu eam tradebat Deo & quaſi manumittebat, profeſſus ſe renunciare juri, quod in iſtud animal habebat, ſeque illud domino ſuo eximere & cultui Divino dicare. Quomodo priſci Romani, ſervum in

libertatem aſſerendum manu tenebant, dicentes, *Hunc hominem liberum eſſe volo.* Sed & eodem ritu iram Dei peccator deprecabatur, eamque immitti petebat in illius victimæ caput, quam ſuô loco ponebat. Proinde ſummus Pontifex d. l. in ſolenni Expiationis feſto, totius Eccleſiæ perſonam ſuſtinens, jubetur, utrâque manu in hirci *caput* impoſitâ, Iſraelitarum omnia peccata confiteri, eòque ipſô hircum devovere, ut, quidquid pœnarum in populum, propter admiſſa peccata, impenderet, in illum converteretur. Neque dubium, quin inde ad Ægyptios manaverit ſimilis ritus. De illis namque ſic Herodot. *l.* 2. *c.* 39. Κατηρέονται δὲ τάδε λέγοντες τῇσι κεφαλῇσι, εἴ τι μέλλοι ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι. *Execrantur autem (victimarum) capita in hæc verba, ut, ſi quid mali aut ipſis immolantibus, aut toti Ægypto futurum ſit, id in hoc caput convertatur.* Sequitur, per univerſam Ægyptum idem fieri, κατὰ τὰς κεφαλὰς τῶν θυομένων κτηνέων, *circa pecudum immolandarum capita*; & inde eſſe quòd ἀπὸ τούτου ... οὐδὲ ἄλλου οὐδενὸς ἐμψύχου κεφαλῆς γεύσεται Αἰγυπτίων οὐδείς, *nemo Ægyptiorum de ullius animantis capite guſtat.* Dum autem utrâque manu in Hirci *Caput* incumbebat Sacerdos ſummus, hâc oratione uſus eſſe legitur in *Joma, c. 6. fol. 66. a. Rogo te, Domine, peccârunt, iniquè egerunt, prævaricati ſunt coram te populus tuus Domus Iſraël. Quæſo, Domine, expia nunc peccata, iniquitates & prævaricationes, quibus peccârunt, iniquè egerunt, & prævaricati ſunt in te populus tuus domus Iſraël, ut prout ſcriptum habetur in lege Moſis ſervi tui, Quia iſto die vos expiabit, ad vos mundandos ab omnibus peccatis veſtris: coram Domino mundabimini.* Sacerdotes verò & populus, qui ſtabat in atrio, auditô *Nomine explicatô*, ex ore Sacerdotis Summi, flexis genibus adorantes proni in faciem dicebant, *Benedictus ſit Dominus, gloria Regni ejus ſit in æternum.* Quâ oratione peractâ, hircus in ſolitudinem deducebatur, &c. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 54.

Promontoria.

CAPUT Acutum, vulgò *Cap des Aiguilles*, in Africa meridionali. Vide *Acutum Caput.*

CAPUT Album, vulgò *Capo Bianco* Hiſpanis, promontor. Africæ aliis, Solventia extrema dictum à quibuſdam, excurrit in Oceanum Atlanticum, in ora Nigritiæ regionis, & in regno Gualatæ, ubi Arguinum oppidum, inter oram Zaaræ & fluv. Senegam.

CAPUT Aniwa, vulgò *Cap Aniwa*, promontor. eſt Aſiæ, in Tartaria & in regione *Yupi* dicta, 550. mill. paſſ. à parte Boreali Japoniæ, & totidem à Terra Eſonis in Occaſum. A Batavis detectum fuit.

CAPUT Arenarum, vulgò *Cap de Sable*, promontor. Americæ ſeptentrionalis, in Nova Francia & provinc. Acadia in Auſtrum tendens, prope ſinum Gallicum & Portum Regium.

CAPUT Aromatum, vulgò *Caba de Guadafui*, in Africa. Vide *Aromata promontorium.*

CAPUT Bicaynum, vulgò, *Cabo Bicaya*, promontor. Aſiæ, in Mindanoa inſula, una ex Philippinis in auſtrum & orientem maximè tendens.

CAPUT Bonæ Spei, vulgò *Cap de bonne Eſperance* Gallis, *Cabo de buena Speranza* Hiſpanis, promontor. eſt celeberrimum in parte auſtraliori Africæ, in Cafreria regione, primùm detectum à Vaſco Gama Luſitano A. C. 1498. & ita procelloſum & nautis formidabile, ut idcirco tunc dictum fuerit Caput procellarum; ſed ab Emanuele Luſitaniæ Rege nomen ei fuit mutatum, & dictum Caput bonæ Spei; quia eô detectô, faciliùs ſperant nautæ in Indiam pervenire. In Auſtrum maximè tendit juxta Oceanum Æthiopicum.

CAPUT Bonum, vulgò *Cap Bon* Gallis, *Capo Buono* Italis, promontor. eſt Africæ, in regno Tunetano, in mare Mediterraneum valde protenſum à regione Siciliæ, 70. milliaribus à Tuneto diſtat in Boream, & 45. à Pantalarea inſula. Aliàs Mercurii promontor. dictum fuit.

CAPUT Boreale, vulgò *Noort Caep* Hollandis, *Northkin* incolis, promontor. eſt Norvegiæ, in Boream maximè tendens, in ſeptentrionalem parte Lapponiæ, antiquitus dictum Rubeæ promontor, vide ibi.

CAPUT Boreale, vulgò *Cap de Nort* Gallis, *Cabo Rare* Hiſpanis, promontor. eſt Americæ meridionalis, in Guayana regione, prope oſtium fluvii Amazonum Septentrionem verſùs, in mare Boreale excurrens.

CAPUT Britannicum, ſeu & Britonum, vulgò *Cap Breton*, promontor. & inſula eſt Americæ ſeptentrionalis, in ora Novæ Franciæ, inter Accadiam & inſulam Terræ Novæ, in ſinu S. Laurentii.

CAPUT Candenoum, vulgò *Cap Candenos*, promontor. eſt Moſcoviæ, in parte Boreali inſulæ Candenoæ, in Septentrional. Oceanum ſeu Petzoricum mare excurrens, prope mare Album, è regione Lapponiæ regionis.

CAPUT Cantinum, vulgò *Cabo Cantin*, promontor. Africæ, in ora Oceani Atlantici & in regno Marochi, prope Azafiam & oſtium Tenſifti fluvii, in provincia Duccala.

CAPUT Comorinum, vulgo *Cabo Comorin*, promontor. eſt Aſiæ, in parte auſtrali peninſulæ Indiæ cis Gangem, in regione Malabarica. In Oceanum Indicum ſe extendit verſùs Maldivas inſulas.

CAPUT Corſum, vulgò *Caba Corſo*, promontor. eſt Africæ, in Guinea, cum arce probe munita, prope oppidum S. Georgii de Mina, & ab eo aliquot tantùm leucis diſtat in Ortum. Pluries capta fuit arx hiſce ultimis temporibus à Danis, Suecis, Anglis, atque Batavis.

CAPUT Crucis, vulgò *Cap de la Croix*, promontor. eſt Aſiæ, in terra Eſonis, prope fretum *Uriez*, & ex adverſo inſulæ Terræ Statuum dictæ, nuper à Batavis detectum & denominatum.

CAPUT Currentium, vulgò *Cabo das Correntes*, promontor. Africæ, in ora Cafreriæ, aliàs Praſſum dictum. In Oceanum Æthiopicum excurrit ex adverſo inſulæ Madagaſcaræ.

CAPUT Farvelium, vulgò *Cap Farwel*, Gallis *Cap d'Adieu*, promontor. eſt Americæ ſeptentrionalis, in parte Auſtrali Gronlandiæ regionis, ex adverſo Eſtotilandiæ & Terræ Laboradoris.

CAPUT Finis terræ, vulgò, *Cabo de Finisterra*; in Hiſpania. Vide *Artabrum promontorium.*

CAPUT Floridæ, vulgo *Cabo de Florida*, promontor. Americæ ſeptentrionalis, in parte auſtrali Floridæ regionis & in Tegeſta provincia, in ſinum Mexicanum valde protenſum è regione Cubæ inſulæ, à qua diſtat 18. leucis Hiſpanicis.

CAPUT Formoſum, vulgò *Cabo Formoſo*, promontor. Africæ, in ora Guineæ & regni Benini, 70. circiter leucis Hiſpanicis à Benino in auſtrum diſtans, & 50. ab inſula Ferdinandi Patii occaſum, inter ſinum Benim & ſinum S. Thomæ.

CAPUT Henricum, vulgò *Cap Henry*, promontor. Americæ ſeptentrionalis, in ora Virginiæ regionis, ad fauces ſinus Cheſapeaci, ab Anglis illius tractûs incolis ſic dictum in gratiam Henrici filii primogeniti Regis Jacobi.

CAPUT Hornanum, vulgò *Cap de Hoorn*, promontor. Americæ meridionalis, in Magellanica regione & in Terra Ignium, maximè in auſtrum porrectum verſùs mare Magellanicum. A Jacobo le Maire Batavo Hornano detectum fuit A. C. 1616. & ab ipſo ſic denominatum. A quibuſdam verò Hiſpanis dictum fuit Caput S. Salvatoris.

CAPUT Lupi Gundiſalvi, vulgò *Cabo di Lopo Gonſalves* promontor. Africæ, in ora Oceani Æthiopici, inter ſinum S. Thomæ & oram Congi.

CAPUT Mendocinum, vulgò *Cabo Mendocino*, promontor. Americæ ſeptentrionalis, in Boreali parte Inſulæ Californiæ, juxta mare Pacificum.

CAPUT Montis Leænæ, vulgò *Cabo de Sierra Leona*, promontor. Africæ, alter Caput Tagrinum, aliàs Heſpericeras dictum, Sanſone teſte, in ora occidentali Guineæ, juxta amnem cognominem, & in confinio Nigritiæ regionis.

CAPUT Nigrum, vulgò *Cabo Negro*, promontor. Africæ, in ora occidentali Cafrorum, in regno Molemba. 140. circiter leucis Hiſpanicis diſtat ab urbe Loanda in auſtrum.

CAPUT Non ſeu Naonis, vulgò *Cabo de Non*, promontor. Africæ, in ora Oceani Atlantici, & in provinc. *Sus* regni Marochi, ſic dictum antea, quod eſſet ultima meta navigantium, ultra quam progredi poſſe non credebant.

CAPUT Palmarum, vulgò *Cabo das Palmas*, promontor. Africæ, in Guinea, ubi deſinit ora Malaghettæ, & incipit ora litoralis Guineæ propriæ, in auſtrum porrectum.

CAPUT S. Antonii, vulgò *Cabo de S. Antonio*, promontor. Americæ meridionalis, ad oſtia fluvii Argentei, verſùs auſtrum, in Provincia Plata ſeu Argentea, in mare Magellanicum excurrit.

CAPUT S. Antonii, vulgò *Cabo de S. Antonio*, promontor. Americæ ſeptentrionalis, in Cuba inſula verſus occaſum inſulæ, 55. leucis Hiſpanicis circiter diſtans à Lucarama provincia in Boream.

CAPUT S. Auguſtini, vulgò *Cabo de S. Agoſtino*, promontor. Americæ meridionalis, in Braſilia, cum valida arce, in Præfectura Pernambuca. 6. leucis Germanicis diſtat ab Olinda in auſtrum. Aliàs capta fuit ab Hollandis, ſed poſteà recepta à Luſitanis hiſce poſterioribus annis.

CAPUT S. Crucis, vulgò *Cabo de ſanta Cruz*, promontor. Americæ ſeptentrionalis: in Cuba inſula verſùs auſtrum, è regione Jamaicæ inſulæ, à qua 20. leucis Hiſpanicis circiter diſtat.

CAPUT S. Lucæ, vulgò *Cabo de S. Lucas*, promontor. Americæ ſeptentrionalis, in parte meridionali Californiæ inſulæ, vix 50. leucis Hiſpanicis diſtans à nova Hiſpania.

CAPUT S. Sebaſtiani, vulgo *Cabo de S. Sebaſtian*, promontor. Africæ, in parte ſeptentrionali Madagaſcaræ inſulæ, in mari Æthiopico.

CAPUT S. Vincentii, vulgò *Cabo de S. Vincent*, promontor. Hiſpaniæ, in Portugallia. Vide *Sacrum promontorium.*

CAPUT Spartelium, vulgò *Cabo Spartel*, promontor. Africæ, in Mauritania Tingitana, ad fretum Herculeum. Vide *Cotes promontorium.*

CAPUT trium Furcarum, vulgò *Cabo de tres forcas*, promontor. Africæ & regni Fezzæ in ora littorali maris Mediterranei, è regione Alborani inſulæ, in provincia Gareta.

CAPUT Victoriæ, vulgò *Cabo de la Vittoria*, promontor. Americæ meridionalis, prope oſtium freti Magellanici, in mare Pacificum, verſùs Boream, à Magellane dictum & detectum.

CAPUT Virginum, vulgò *Cabo de las Virgines*, promontor. Americæ meridionalis, ad oſtium orientale freti Magellanici, verſùs mare Paraguaium, ſic dictum à Magellane, quia ab eo primùm detectum fuit die feſtô S. Urſulæ.

CAPUT Viride, vulgò *le Cap Verd*, Gallis, *Cabo Verde* Hiſpanis, promontor. eſt Africæ in Nigritia regione, inter oſtia fluvii Senegæ. In Oceanum Atlanticum maximè excurrit. Aliàs Arſinarium dictum fuit. Vide ibi.

CAPUTIATI, cohors factioſorum in Arvernia, Galliæ provinc. exorta, A. C. 1183. auctore quôdam Durandô fabrô: qui ſic nuncupati ſunt, quod imaginem Deiparæ ſtanneam, capitiis lineis albis affixam, in ſignum mutui invicem fœderis, deferrent. Vide de illis Rigordum, Auctorem *Hiſtoriæ Epiſcop. Autiſſiodor. c.* 58. Monachum S. Mariani ad A. C. 1183. & 84. Gervaſium Doroberp.

cobern. ad. A. C. 1182. Odonem Geſleum in *Hiſtor. Aicienſ. l.* 3. c. 6. Alios. Eſt autem *Caputium*, idem quod *Capitium*, capitis tegmen, quod capet aſſui ſolebat. Græcis recentioribus *καπούτζιον*. Codinus *de Officiis c.* 14. *num.* 13. *Τὰ μὲν καπούτζια μόνον αὐτῶν ἀποβάλλοντες, οὐ γονατίζοντες Caputia ſua tantum deponunt, non flectunt verò genua.* Solebant quippe in ſalutationibus de capite deponere hæc tegmina, uti docet ex *Chronico Flandrenſi* Car. du Freſne in *Gloſſar.* In Eccleſia Romana vox *Caputii*, Gall. *Capuce*, ſingulariter uſurpatur de Monachis Auguſtinianis Diſcalceatis, & omnibus ferme iis, qui Franciſci inſtitutum ſequuntur, & ſignificat pannum, quò caput involvunt, plerumque in acumen deſinentem. *Capuchon* verò iiſdem, propriè dicitur de Benedictinis, item de Religioſis S. Mariæ Virginis de Miſericordia, *Richelet.* Vide ſuprà ubi de *Cucullo*.

CAPYS, filius Aſſaraci, Anchiſæ pater, Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 33.

> *—— Tros eſt generatus ab illo,*
> *Aſſaracum creat hic; Aſſaracuſque Capyn.*

CAPYS, qui cum Ænea in Italiam venit, Capuam condidit, Virg. *l.* 10. *Æn. v.* 145.

> *Et Capys, hinc nomen Campanæ ducitur urbi.*

CAPYS Sylvius, Rex Albanorum, VII. ab Ænea, & Capeti pater regnavit. 28. ann. *Dion. Halicarn. Euſeb.*

CAPYTIUM, Siciliæ urbs. *Ptol.*

CAR. in nummo Juſtiniani, *Carthaginis* nota, quod ibi moneta cuſa, Car. du Freſne *Diſſertat. de inf. ævi Numiſmatibus*.

CARA, nomen herbæ ſeu radicis, apud Cæſarem *de Bello Civ. l.* 3. è qua panes conficiebant ejus milites, *carotte* hodie per diminutionem Gallis. Non diſſimilem fuiſſe, imo congenerem paſtinacis & daucis, conſtat ex *Paulo Ægineta* & *Dioſcoride*; quorum ille, *σταφυλῖνος δὲ καὶ δαῦκος καὶ καρὼ αἱ ῥίζαι ὀλιγοτροφώτεραι τῶν γογγυλίδων εἰσί*: iſte: *ἡ δὲ ῥίζα αὐτῆς ἰδιάζει, ὥσπερ σταφυλῖνος.* Arabibus *Karvia* dicitur; de qua vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 225.

CARA Cognatio, vide *Brucleri*; item *Feſtum B. Petri Epularum*.

CARABACTRA, locus circa Bactra ſive Indiam. Curt *l.* 9. *c.* 7. Ubi Ortel. legit *circa Bactra*.

CARABAGA, machina bellica, lapides ingentes ejaculans, in expugnatione Urbium adhiberi ſolita, Sanutus *l.* 3. *part.* 12. *c.* 21.

CARABI, Scythiæ fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 17. Alii legunt *Cambari*.

CARABIA, Mygdonidis in Macedonia oppid. *Ptol.*

CARABIS, Hiſpaniæ urbs. *Appian.*

CARACA ſeu CARACCA, urbs parva Caſtellæ novæ, *Guadalaxara*, juxta amnem *Henares*. In Algarria regiuncul. 5. leuc. Hiſpanic. à Compluto in Ortum. Vide *Caracca*.

CARACA, apud Anaſtaſium in *Benedicto* III. *Caraca de holovero cum chryſoclavo, camiſias albas ſigillatas holoſericas*: fortè pro *Caracalla*, vulgo tamen *ſaraca* legitur. Fuit autem *Caracalla*, veſtis urbana & militaris, pænulæ ſimilis, ut *Dio* indicat & *Lampridius* apud Car. du Freſne; ſeu lacernæ, ut *Salmaſ.* habet; quam è Gallia advectam talarem fecit Antoninus Caracalla Imperator hinc nomen adeptus, quemadmodum ipſæ ab eo talares hæ Caracallæ, *Antoninianæ* poſtmodum appellatæ ſunt. Æl. Spartian. *in vita ejus, c.* 9. *ipſe* CARACALLI *nomen accepit, a veſtimento, quod populo dederat, demiſſo uſque ad talos. (quod antè non fuerat) unde hodie Antoninianæ dicuntur Caracallæ hujuſmodi, in uſu maximè Romanæ plebis frequentata.* De eodem Victor tradit, *coegiſſe plebem ad ſe ſalutandum indutam talibus introire.* Poſteà verò *Caracallæ* Clericis aſſignatæ ſunt. Unde in *Paſſione* S. Albani, *caracalla* Clerici veſtis appellatur. *Καρακάλλιον Gloſſæ* exponunt *cucullam*: non quod propriè cuculla eſſet, ſed quòd palliolum cucullatum: nunquam enim ſine cuculla caracalla. D. Hieronymus *de veſte Sacerdot.* *Et efficitur palliolum mira pulchritudinis, præſtringens fulgore oculos, in modum* Caracallarum, *ſed abſque cucullis.* Nempe *caracallæ* hæ Hieronymi, palliola erant cum cucullis, qualia Monachi & Aſcetæ gerebant: ipſe *Pallia* vocat in vita Hilarionis. Atque ita fortè Caſſianus de Monachis Ægyptiis, ubi pallium anguſtum eſſe dicit, quò colla atque humeri Aſcetarum tegebantur, &c. Salmaſ. *ad Spartian. loc. cit.* Carolo du Freſne Clericorum *Caracalla* eadem eſt, cum *capa*, de qua dictum. Idem vocem Gall. *Caſaque*, quaſi *Caraque*, pro *ſago*, ex veteri illo *caraca* ſeu *caracalla* à Paradino *Hiſtoriæ Lugdun. l.* 1. *c.* 34. deduci refert. Octav. Ferrario. *Caracalla*, veſtimenti genus Gallicum, ad inſtar lacernæ factum. *Id Barbarum*, inquit Xiphilinus de Caracalla Imperatore ex Dione, *l.* 78. *diſciſſumque & conſutum erat ex multis partibus, atque indutus erat ſemper, ex quo & Caracallus dictus eſt, juſſitque milites eodem genere veſtis uti.* Sed quomodo id veſtimenti genus ſciſſum, & ex multis partibus confectum fuerit, ignoramus, cùm & ipſam veſtem ignoremus. Meminit & Palladius *in Lauſiaca, c.* 117. *Αὕτη ἡ ἀναστᾶσα ... καρακάλλιον ..., Induta ſervi caracallam, &c.* Vide eum *de Re Veſtiaria, part.* 2. *l.* 1. *c.* 28.

CARACALLA M. Aurel. Anton. Baſſianus, Imperator poſt patrem Severum, Lugduni natus. Romam reverſus Medicos, quod parentis mortem non acceleraſſent, mori juſſit, fratrem Getam, in matris ſinu, occidit, Papinianum parricidium excuſare nolentem ſuſtulit, aliosque ad 20000. peremit. Viduam Patris Juliam uxorem duxit, in Orientem tranſiens Alexandriam occiſorum ſanguine replevit, Magis atque Aſtrologis in conſilium adhibitis, vanus Alexandri Magni imitator. Hinc Edeſſâ Carras in Meſopotamiam profecturus à quodam Centurione, Macrini, qui ei deinde ſucceſſit, juſſu peremptus eſt, cùm equô deſcendiſſet, naturâ, imo fatô, urgente. A. C. 217. Imperii 6. ætat. 29. vel 43. juxta *Spartianum*. Caracalla dictus eſt, à certo veſtimenti genere, quod è Gallia allatum Romæ in uſu volebat eſſe. Et quia aliquem German. populos devicerat, Germanici cognomen ſumſit, Parthici & Arabici etiam addſitus. Unde Helvius Pertinax dicere ſolitus, etiam Geticum appellandum, alludendo ad Getam fratrem. Spartian. Aur. Victor. Dion, Herodian. *in ejus vita.* Vide & *Marcum Aurelium*.

CARACATES, Germaniæ populi Vangionibus Tribocciſque finitimi. Tacit *l.* 4. *Hiſtor. c.* 70. Vide B. Rhenanum *Rerum Germ. l.* 3. cum *Notis* Ottonis JCti.

CARACCA, Hiſpan. Tarraconenſis oppid. in Carpetanis. *Ptol.* Oppidanos Plin. *in Sertorio Characitanos* appellat.

CARACCIOLUS Galeacius, ex illuſtriſſima Caracciolorum, in regno Neapolitano familia. Vici Marchio, purioris religionis acerrimus & conſtantiſſimus aſſertor. Obiit A. C. 1586. ætat. 69. menſ. 4. Genevæ. Vide Anton. Teiſſier in *Elogiis*, Part. 2.

CARACCIOLUS Johannes, vide *Johannes*.

CARACENI, Italiæ populi. *Ptol.*

CARACOTINUM, Galliæ Lugdunenſis locus *Antonio. Le Crotoy* Cluver. oppid. Picardiæ, ad Somonæ fluv. oſtia, *Gravinum* aliàs. Aliis *Portus Gratia* videtur, in Caletenſi tractu.

CARACTACUS, Scotiæ Rex poſt Metellanum, A. C. 27. regnavit feliciter ann. 20. Buchan. *Hiſt. Scot.*

CARACTACUS, Silurum Britannorum Regulus à P. Oſtorio Proprætore victus, quum fidem Cartiſmanduæ Reginæ Brigantum petiiſſet, vinctus ab illa, & victoribus traditus eſt. Sed cum generosè Claudium Cæſarem allocutus eſſet, Cæſar veniam ei, conjugique & fratribus tribuit. Tacit. *Annal. l.* 12. *c.* 33. 37. *Dio Καρατάκον* nominat, alii *Caractatum*. Zonaras *Caratacum*, *Caradocum* vocaſſe videntur Britanni. Certè etiam hodie locus eſt & in eo patentes arcis, quem *Caer Caradoc* vocant: i. e. oppidum ſive arcem Caradoci.

CARÆ, ita dicti vici, ubi Alexander Magnus ex Suſis movens ac Tigrim tranſgreſſus caſtrametatus eſt. Diodor. Sic. *l.* 17. *fol.* 620. & 621. Servius, ad illud *Æn. l.* 8. *v.* 725.

> *Hic Lelegas Caraſque ſagittiferoſque Gelonos*
> *Finxerat. —— ——*

Caræ, inquit, *Inſulani populi fuerunt, piraticâ famoſi, victi à Minoe.*

CARÆ, munitus locus, de quo Polyæn. *l.* 4. *c.* 2. *in Philippo* §. 20.

CARADOCUS, è Wallia Anglus ſub Stephano Rege A. C. 1150. Tractatum *de ſucceſſione diverſorum Angliæ regulorum* edidit, & alium *de ſitu terræ*. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 51. Vide *Cardocus*.

CARÆI, Arabiæ Felicis populi. *Ptol.*

CARÆUS, Jupiter à Bœotiis nuncupabatur, quod altus ut celſus ſit, *ἀπὸ τοῦ κάρα, καραιός*, i. e. à capite *Caræus*. Dicebatur etiam *Carius* à Caria regione, ut refert Herodot. *l.* 1. qui ait ejus delubrum vetuſtiſſimum fuiſſe, quò communiter & Lydi utebantur; ut qui inter ſe germani haberentur & fratres.

CARAFFA Antonius, vide *Antonius*.

CARAFFA Carolus, Neapolitan. Cardinalis, Pauli IV. ex fratre Alphonſo, nepos, omnium ſub hoc rerum arbiter, dein cum reliquis agnatis, pulſus. A' Pio poſtmodum II. aliis in vincula conjectis & ad mortem condemnatis, Carolus in carcere ſtrangulatus eſt. A. C. 1560. *Caraffa* Olivier, Cardinal. navium Pontificis contra Turcas præfectus, A. C. 1472. Vide & *Olivier*. Item Joh. Petrus Cardinal. Theatinorum auctor. Vide *Paulus IV*.

CARAGA, Africæ propriæ oppid. *Ptol.*

CARALIA, Libyæ urbs. *Steph.*

CARALIS, Sardiniæ primaria civitas. Strabo de Sardinia, *l.* 5. *Πόλεις δ' εἰσὶ μὲν πλείους, ἀξιόλογοι δὲ Κάραλις καὶ Σοῦλχοι.* Pomp. Mela, *l.* 2. *c.* 7. *Sardiniæ urbium antiquiſſimæ Caralis & Sulchi.* Pauſan. *in Phocicis*, *Ἔκτισαν δὲ ἐν αὐτῇ ... πόλεις οἱ Καρχηδόνιοι Κάραλίν τε καὶ Σύλχους.* Claudian. *de Bello Gildonico*, *v.* 510.

> *Urbs Libyam contra Tyrio fundata potenti*
> *Tenditur in longum Caralis, tenuemque per undas*
> *Obvia dimittit fracturum flamina collem.*

Unde Phœnicibus קרלים *Caralim*, vel קריה *Carha*, *à refrigeratione* dicta, propter collem illi vicinum, quò ab ab auſtro defenditur Bochart. *l.* 1. *Chanaan, c.* 31. Hujus urbis Epiſcopus Lucifer, cum Euſebio Vercellenſi, ſub Juliano Apoſtata Thebas relegatus, in reditu Antiochiam deflexit, ibique ſchiſmate ſciſſâ Eccleſiâ, cùm alii Euzojum Arrianum, alii Meletium Orthodoxum ſequerentur, non expectatò hujus reditu, Paulinum Epiſcopum creavit: quod cùm Euſebius ægrè ferret, Lucifer, ejus acta Alexandriæ improbans, ab aliis ſe ſegregavit: hinc ſecta *Luciferianorum* orta, circa A. C. 362. Ab urbe hac promontorium *Caralitanum* nomen accepit.

CARALLIS, & CARALLIA, Iſauriæ urbs. *Steph.*

CARAMANIA, an a Caramano quodam Turca, qui inde Armenios expulit, Leunel. *pand. c.* 13. regnum Aſiæ minoris juxta mare Mediterraneum ex adverſo Cypri inſul. Aliàs *Cilicia*. Vide in Cluverio *l.* 5. Pamphyliam, cum parte Ciliciæ, complectitur.

CARAMANITIS, pagus Græciæ. in Achaja, 4. leuc. Lebadiâ diſtans; cujus meminit Jac. Sponius *Itinerar. Græc. Part.* 2. *p.* 89.

CARAMBICE, inſul. eadem cum Nova Zembla, quaſi nova terra, creditur. Vide *Nova Zembla*.

CARAMBICE, fluv. Sarmatiæ ampliſſimus, Europam & Aſia dividens. *Oby*, Cluverio. Oritur in Tartaria deſerta; & irrigatis aliquot Moſcoviæ ditionibus, in Oceanum Sarmaticum ſeu Chronium, ſe exonerat, in Samojeda regione. Ad ejus oſtia eſt Litarmis promontor. nunc *Cap d'Oby*.

CARAMBIS, Paphlagoniæ, ſeu Galatiæ promontor. magnum ad Septentrionem porrectum. Mela, *l.* 1. *c.* 19. *Quorum* (Paphlagonum ſcil.) *in litoribus penè medium promontorium eſt Carambis.* Val. Flac. *l.* 4. *v.* 599.

Quid

Quid tibi nubiferâ ſurgentem rupe Carambin?

Idem, *l.* 5. *v.* 107.

Jamque reducebat noctem polus; alta Carambis
Radiitur, & magna pelago tremit umbra Sinopes.

Idem, *l.* 7. *v.* 214.

——— *Jam nubiferam tranſire Carambim*
Significans. ———

Plin. *l.* 10. *c.* 23. *de gruibus*, *Illas certum eſt*, inquit, *Pontum tranſvolaturas, primum omnium anguſtias petere inter duo promontoria, Criumetopon, & Carambin.* Quæ non niſi 170. mill. paſſ. intervallô diſtant, ut idem aſſerit, *l.* 4. *c.* 12. Alii quidem aliter ſtatuunt, nempe tridui navigatione, vel quod ferè idem eſt, bis mille quingentis ſtadiis ab invicem diſtare, duo hæc promontoria. Dionyſ. v. 255.

Αἰν' ἄκρον ξυνιόντα ὀπωπιας, ὁ μὲν ἔσωθεν.
Ἐγγύθεν, ἀλλ' ὅσον ὁλκάς ἐπὶ τρίτον ἦμαρ ἀνύοι.

Et Amm. Marcellin. *l.* 22. *Haud procul inde attollitur Carambis*, &c. *cujus è regione Criumetopon Taurica promontorium duobus millibus & quingentis ſtadiis diſparatum.* Strabo etiam, *l.* 2. Τὸ μὲν ἐκ τῆς Εὐξείνου παραπλέοντι Κριοῦ μέτωπον, τὸ δὲ τῆς Ἀσίας Κάραμβις, διεχόντων ἀλλήλων περὶ δισχιλίους σταδίους καὶ πεντακοσίους. Quæ tamen ſunt falſiſſima, & palam refelluntur ipſius Strab. verbis. *l.* 3. Διέστηκε δὲ ἡ Κάραμβις τῆς μὲν τῶν Χερσονησιτῶν πόλεως σταδίους δισχιλίους καὶ πεντακοσίους, τοῦ δὲ Κριοῦ μετώπου πολὺ ἐλάττους τοῦ ἀριθμοῦ. Rectè omnino. Nam aliud *Cherſoneſus* urbs, aliud *Cherſoneſus* regio, in qua urbs illa ſita. Et urbs quidem, quæ eſt in Boreali Cherſoneſi parte à *Carambi* verè diſtat 2500. ſtadiis. Sed in oppoſita parte *Cherſoneſi* Criu-metopon eſt multò propius. Tamen hæc promiſcuè ſumta ſunt, & quod de urbe *Cherſoneſo* nonnulli ſcripſerant, illam à *Carambi* diſtare ſtadiis 2500. ita ſumptum eſt, quaſi de totâ *Cherſoneſo* dictum, atque illius parte maximè auſtrali, nempe *Criu-metopo*. Sed hujus commenti vanitas ex eo maximè apparet, quod ibidem à Strabone additur: Συχνοὶ γοῦν τῶν διαπεπλευκότων τὸν πορθμὸν ἅμα φασὶν ἀμφοτέρας ἰδεῖν τὰς ἄκρας ἑκατέρωθεν. In medio ſcilicet ſpatio conſtituti; quod non fieret, ſi fretum pateret 2500. ſtadiis. Imbecillior eſt enim humani oculi acies, quam ut ad totidem ſtadia poſſit penetrare. *Bochart. Nic. Lloydius.*

CARAMBUCIS, Scythiæ fluv. ad montes Riphæos. Plin. *l.* 6. *c.* 13. Vide *Carambice.*

CARAMBYCE, gens Hyperboreorum à *Carambyco* fluv. *Steph.*

CARANA, Ponti oppid. à quo *Caranenſis* regio, Strab. *l.* 12.

CARANITIS, præfectura Armeniæ majoris. Plin. *l.* 5. *c.* 24. Chalybum fuit olim, qui & *Armenochalybes*, Armeniæ minori vicini; poſteà adjuncta eſt Armeniæ majori. Xerxenen ei conjungit Strabo, item Plinius, qui Euphratem, in *Caranitide* ortum, per Xerxenen primùm fluere dicit. Vide inprimis Strabonem, *l.* 11. ubi Artaxiam & Thariadem, Duces Antiochi M. qui & Regnum ejus poſteà uſurpârunt, ex Regionibus vicinis ad ſuam ditionem multa adjunxiſſe, Medis, Iberis, Chalybibus, Catanonibus, Syria adempta, ſicque Armeniam majorem magnopere ampliâſſe, memorat. Alia eſt *Caranitis*, regio Galatiæ, apud eundem, *l.* 12. ab urbe *Carana*, quam vide.

CARANNA, πόλις γαλατίας, *Stephanus.*

CARANNICUM, Hiſpaniæ oppid. inter Bracaram & Aſturicam. *Antonin.*

CARANTHONUS, fluv. Gall. *la Charente*, ortus in confinio Lemovicenſis & Encoliſmenſ. provinc. in vico Caronaco *Cheronnac*, fonte modicô, dein per Pictavenſem Comitatum labitur, & rigatis poſt Givracum oppid. & Vertolium, Incoliſmâ, Caſtellô Novô, Baſſiacô, Ajarniacô, Conniacô, ad ipſius, & duorum amnium confluentes, Mediolanô Santonum, Talleburgô, Tauniacô ad Carantonum *Tonnai Charante*, Rupe forte, in Oceanum Aquitanicum ſe exonerat, ad Solbiſiam & portum Lupini, ex adverſo Uliari inſul. 2. leuc. à Broagio. Recipit præter cæteros fluvios, Tarduciam, Tolveram *Touvre*, ſupra Encoliſmam, magni amnem nominis, ſed breviſſimi curſus, Noeram *Noere* & Vultonnam *la Boutonne*, qui Secundiniacum, Ciſacum, Inſulam, Avallem, Verventum, Angeriacum, Tauniacum ad Vultonam, & Vallem alloem, apud locum nomine Portum *Port*, in Carantonum effluit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Antoninus de illo.

Aſſiduo reſluus non ipſe Carantonus æſtu.

CARANTONUS, olim *Carantomagus*, locus Galliæ, ubi hodieque monaſterium Virginum Benedictin. Ord. ad flumen Milmandram, *la Marmande*, quod in Carem defluit. Vulgò *Charenton*. Item locus in Aquitania prima, inter Dibonam Cadurcorum ac Segodunum Rutenorum, in *tabul. Peutingeriana* memoratus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CARANUS, inter Herculis cognomina, apud *Servium* ex *Verrio*; idem cum *Recarano*, apud Auctorem incertum *de orig. urbis Romæ*, ex Caſſio; nec non ex *Libris Pontificalium*. Vide in hac voce.

CARANUS, primus Macedonum Rex, ſeptimus ab Hercule; regnavit ann. 28. vel 30. Cum Græcorum multitudine, caprarum gregem ſequens, Edeſſam, quam *Ægeam* vocavit, expulſô Midâ, cepit, regnique Macedonici fundamenta jecit. Juſtin. *l.* 7. *c.* 1. A. M. 3240. Vellej. Paterc. *l.* 2. Marmor. Arundel. Ab hoc uſque ad Alexandr. numerantur vulgò 25. Reges, è quibus Amyntas, cum 4. filiis Regibus, illuſtres, quorum minimus natu Philippus, primæ Monarchiæ Græcæ fundamenta locavit. Duravit regnum hoc Macedonicum, uſque ad Alexandri M. mortem, ann. 490. & uſque ad Perſei, ultimi Regis interitum, 646.

CARANUS, unus ex Ducibus five Præfectis Alexandri Magni, qui cum aliis miſſus eſt, ad compeſcendum Satibarzanem, in Arios. Curt. *l.* 7. *c.* 4.

CARANUS, Aradiorum portus in Phœnicia. Strabo, *l.* 16.

CARANZA Bartholomæus, vide *Bartholomæus.*

CARAPE, Armeniæ minoris urbs. *Ptol.*

CARAROS, Africæ propriæ oppid. *Ptol.*

CARAS, vir qui Caribus imperavit, illiſque primus ex avibus auſpicium dedit. Alex. ab Alex. *l.* 5. *c.* 13.

CARASA, Aquitaniæ civitas in Pyrenæis. *Antonin.*

CARASENI, Tauricæ regionis populi. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

CARASTASCI, populi circa Mæotim. Plin. *l.* 6. *c.* 7.

CARASYRA, Thraciæ oppid. *Procop.*

CARATÆ, Sacarum gens. *Ptol.* in Norico quoque populi, ut vult *Lazius.*

CARAVACCA, oppidul. regni Murciæ, intra montes, prope Seguram amnem, verſus confinia Caſtellæ novæ.

CARAVAGGIUS, Pictor nobilis, Italus.

CARAVAGIUM, oppid. lautum Ducatus Mediolanenſ. in confinio agri Bergomenſis, notum Dominis ſuis & victoriâ Franciſci Sfortiæ contra Venetos. Alius eſt *Carrara*, quod vide.

CARAVANNA, vide infrà *Carvana.*

CARAVELLA, nomen navis hodie in uſu, apud Italos Galloſque, an à voce *Carabus*, apud Iſidorum in *Gloſſis*, *parvam ſcapham ex vimine & corio*, denotante: quæ apud Græcos quoque frequenter occurrit. *Chron.* Alexandrin. *p.* 874. Ἦλθε μετὰ καράβου εἰς τὸν Ἰουλιανοῦ λιμένα. *Venerat cum carabo in Julian portum.* Nicetas in *Manuele*, *l.* 2. *c.* 4. κατὰ φόρτου μεγάλου καράβου ἐναυαγήσατο, &c. Car. du Freſne in *Carabus.*

CARAVIA, Hiſpaniæ urbs, circa Cæſar-Auguſtam. *Antonin.*

CARAVIGIOLUS Bernardinus, Cardinalis de S. Cruce, Hiſpan. Alexandro VI. & Pio III. charus, ſub Julio II. ſe Piſam offenſus recepit, Maximiliani Imperatoris Ludovici XII. aliorumque Principum, Papæ infenſorum, partes amplexus, Concilii Piſani caput, A. C. 1511. Sub Adriano VI. & Clemente VII. rurſus magnis rebus adhibitus, obiit, A. C. 1522. ætat. 77. Marian. *Hiſt. Hiſp.*

CARAUSIUS, Menapius, Belgicæ Procurator, in Britannia juſſu Diocletiani & Maximini Galliis coërciturus, imperium arripuit, cui illud poſt 7. annos Allectus, cum vita, eripuit, quô mox per Aſclepiodorum oppreſſô, recepta Britannia A. C. 293. A. Victor. *in Diocl.* Eutrop. *l.* 9.

CARAX, Strab. *Caruti*, pagus Corſicæ, apud Marianaorum urbem, ſub ſe plures ſeu vicos ſeu villas continens, ſub Epiſcopo Marianenſi.

CARAXUS, frater Sapphûs, & amaſius Pyramidis meretricis. *Perottus.*

CARBA, vel CARBAS, ventus Africus dicitur à Vitruvio, *l.* 1. *c.* 6. Nautæ *Carbinum* vocant, Narbonicè *Garbin.*

CARBACA, Paropamiſi urbs. *Ptol.*

CARBAM, Armeniæ oppid. *Cedren.*

CARBANA, urbs Lyciæ. *Steph.*

CARBANDA, vel CARBAGANDA, frater Caſſani, Tartarorum Regis huic ſucceſſit, A. C. 1304. Matre Chriſtianâ natus, dum illa viveret, Chriſtianus, baptiſmate etiam tinctus, Nicolai nomine ſumtô, poſtmodum Mahometanus, Chriſtianis in Oriente plurimum nocuit. *Hayton. Sanut.* &c.

CARBANI, populi Phœniciæ, à quibus Καρβᾶς, ventus Apeliotecus vel Apeliotes ipſe nomen nactus eſt. Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 1259.

CARBANIA, parva inſula Italiæ adjacens. Mela, *l.* 2. *c.* 7. Plinius eſt *Barpana*, ut jam aliis rectè obſervatum, quorum opinio hâc in parte verior eſt, quàm Cluverii, qui *Columbariam* hic pro *Carbania* ſubſtituit. *Iſ. Voſſ.*

CARBANIS, loci nomen. *Steph.*

CARBANTORIGUM, oppid. fuit Selgovarum, nunc caſtrum tantùm, Camdeno *Carlaverock* in Nidiſdaliâ regione Scotiæ Meridional. in ora Oceani Hibernici prope Ituniam æſtuarium, & oſtium Nidæ fluv. 3. milliar. à Dunfreja. Anteà munitum, nunc aggeres disjecti.

CARBASA, apud Solin. *c.* 11. *Caryſtos aquas calentes habet, Hellopias vocant: & Caryſtias aves, quæ flammas impune involant; carbaſa etiam, quæ inter ignes valent;* de Caryſtio lapide illa ſumuntur, è cujus filamentis laneis, ἀμίαντον λίθον vocat Apollonius, texebantur mantelia & mappæ, quæ in igne non comburebantur, imò in ignem mittebantur, ut à ſordibus mundarentur. Nam ignis eas mundas reddebat, παραπλησίως τῇ πλύσει, *inſtar lotionis*, ait *Strabo*. Impropriè itaque *Carbaſa* appellat, ſive pro velis lineis accipias, ut plerumque Latini, ſive pro lino. Quamvis enim lineis ſimilia eſſent, quæ ex eo lapide texebantur, non tamen linum erat, multo minus carbaſus, de quo infrà. Fortè *Carpaſia* legendum, memini enim Καρπασίου λίνου, *Carpaſii lini*, Pauſan. *in Atticis*, ubi funiculum lychni aurei Minervæ Athenis conſecrati ex eo fuiſſe docet; ab urbe Cypri *Carpaſo*, aut *Carpaſia* Inſul. in qua ut in Caryſto, hic lapis multus inveniebatur. Sed valde impropriè *Linum* appellat Pauſanias, quod metallum eſt & lapis: nec Strabo *linum Caryſtium* vocat, ſed λίθον. In India verò lini genus fuit, quod Græci Ἀσβέστινον vocavêre, ejuſdem cum hoc Cyprio ac Caryſtio lapide virtutis, Plin. *l.* 19. *c.* 1. quod videtur Pauſanias cum Cyprio lapide confudiſſe, &c. Salmaſ. *ad Solin.* p. 178. Aliud longè *Carbaſus*, apud Plinium, *l.* 19. *c.* 1. *Hiſpania citerior habet ſplendorem lini præcipuum, torrentis in quo politur naturâ, qui alluit Tarraconem. Et tenuitas mira, ibi primum Carbaſis repertis.* Lini nempe genus tenuiſſimi, è quo texebatur veſtis magni pretii, paſſim in deliciis habita, ut ſerica nobis. Curtius, *l.* 8. *c.* 9. *Carbaſô Indi corpora uſque ad pedes velant: corumque Rex aureâ lecticâ, margaritis circumpendentibus recubat, diſtinctis auro & purpurâ carbaſis, quæ indutus eſt.* Hinc apud Ciceronem, Verres æſtate

æſtate ſummâ tabernacula *carbaſeis* intenta velis in littore collocâſſe legimus, ubi totos dies cum mulieribus impudicis perpotavit. Et Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 776.

—— tum croceam chlamydemque, ſinuſque crepantes
Carbaſeos *fulvo in nodum collegerat auro.*

Nonnulli id genus lanei panni eſſe putant, quod hodie *tela Baptiſta*, *tela Hollandica* & *tela Cameracenſis* appellant: quam poſtremam ex Hiſpania advehi certum, vide Dalechampium, *Not. ad Plinium*. Apud Poëtas, pro velis, abuſivè vox ſumitur. Val. Flaccus, *l.* 2. *v.* 580.

Panditur hinc totis in noctem carbaſus alis,
Litoraque & veteris tumulis prælabitur Ili.

Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 357.

—— —— —— —— —— Auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbaſus *auſtro.*

Statius, *Theb. l.* 6 *v.* 405.

—— —— —— Quæ tantum carbaſa *ponto,*
Quæ bello ſic tela volant, &c.

Unde videmus, non ſolùm eùm veſtitum tenuem, ſed & cùm vela navium, notat, in utroque numero promiſcuè uſurpari. Vide Caſp. Barthium, *ad Statium d. l.* Neque enim *minores cunctis animalibus inſidias, quam nobismet ipſis linô tendimus*, Plin. *l.* 19. *c.* 1. qui idem *Carbaſina vela* primum in theatro duxiſſe Lentulum Spintherem, Apollinaribus ludis, tradit *Ibid.*

CARBATINÆ. genus calceorum è crudis pellibus: Primùm enim ævô rudiore crudæ pelles conficiendis calceis materiam ſubminiſtrabant, uti diſcimus ex Xenophonte, *Anabas. l.* 4. qui, referente Angelô Politianô, *Miſcell. c.* 2. *Cùm defeciſſent*, inquit, *veteres calcei*, *habebant ex recentibus coriis bubulis* Carbatinas *confectas*. Et de his, ut omittam Ariſtotelem, *de Anim. l.* 2. & Lucianum *in Philopſeud.* Catullus quoque agit *Epigr.* 99. *v.* 3. 4.

Tu tamen hac lingua, ſi uſus veniat tibi, poſſis
—— & crepidas lingere Carbatinas.

Deinde verò, ut indies paſſim creſcunt Artes, atque perficiuntur, ita ſeculis poſterioribus, commodioris honeſtiorisque uſus atque elegantiæ ſtudium, concinnandarum tingendarumque pellium artificium edocuit. B. Balduinus *de Calceo c.* 2.

CARBI, Arabiæ Felicis populi. Diodor. Sic. *l.* 3.

CARBIA, Sardiniæ urbs. *Antonin.*

CARBILESI, Thraciæ populi. Plin. *l.* 4. *c.* 11.

CARBILIUS Ruga, primus Romanorum, An. 523. Urb. Cond. ſub M. Attilio & P. Valerio Conſulib. uxorem repudiavit ob ſterilitatem, præſtitô juramentô antè, ſe uxorem liberorum causâ quærere, Author Gellius. *l.* 4 *c.* 3. Vide *Carvilius.*

Sp. CARBILIUS, ejus libertus, primus ludum Grammaticæ Romæ aperuit, mercede docens. Plut. *in Problemat.* Vide & *Spurius.*

CARBINA, Iapygum urbs. Athen. *l.* 12. *c.* 7

CARBO, Hebr. רצפה, Eſajæ c. 6. v. 6. *Et volavit ad me unus è Seraphim & in manu ejus* רצפה *carbo.* Ita enim Seniores reddunt, Καὶ ἐν τῇ χειρὶ εἶχεν ἄνθρακα: quos Interpretum pars maxima ſequitur. Bocharto verò hâc voce denotatur calculus *candefactus*, cujuſmodi lapidum apud Arabes multiplex uſus fuit, in lacte coquendo, carnibus aſſandis, ſtigmatibus etiam vivæ carni inurendis, uti videre eſt infrà, ubi de *Lapidibus candefactis* ſeu *ignitis*. Itaque & עגת רצפים 1. Regum c. 19. v. 6. eidem eſt *panis coctus ad lapides candefactos*. At חררא *charara*, Chaldæis panis ſubcinericius inde dicitur, quòd *ſupra carbones torreatur*: Ἐσχαρίτης propterea Græcis. Athenæus, *l.* 3. Ἡ δ᾽ ἐσχαρίτης ἐστὶ τῶν λαγάνων ἁπαλωτέρα [illegible] *Eſcharites in laganis eſt cæteris delicatior: videtur autem etiam hic panis, ſuper carbones coqui, ut Athenienſium encryphias*. Sed de hoc pane infrà dicendi locus erit: plura autem hanc in rem vide apud Bochart. *Hieroz. Part. prior. p.* 327. Cæterùm Carbo non paucis in locis è terra effoditur, ut inter alia in Sinenſi provincia *Xanſi*, ut & apud Belgas, in Leodienſi agro: quô ad alendum ignem & vaporaria calefacienda paſſim, utuntur Boreales. Prius autem illos contuſos effingunt, cùm lapides ſæpe ingentes ac nigerrimos effodiant: tum, uti in Belgio inprimis moris eſt, aquâ perfuſos miſcent maſſaque ſic conficiunt, quæ difficulter quidem ignem concipiunt, at conceptum ſemel, diutiſſimè vegetum, urentemque fortiſſimè retinent. Similiter apud eoſdem Sinenſes, in provinc. *Peking*, prope *Pingça*, montes ſunt *Kye* & *Siuvu*, ubi carbo ſeu bituminoſa iſtiuſmodi terra effoditur, quam locô lignorum incolæ adhibent, Auctor Anonymus, *Sina & Europ. c.* 50. Vide quoque infrà *Lithanthrax*. At lapis ille Thracius, *σπίνος* dictus, apud Ariſtotelem, qui diſſectus accenditur & rurſus in ſe compoſitus, ac aſperſus ardet, carbonum inſtar, *carbo metallicus* eſt & lapideus, quô hodieque Fabri ferrarii in fornacibus ſuis utuntur, Salmaſ. *ad Solin. p.* 253. *&c.* Hinc *Carbonis* illatio, præbitio, ad monetæ nempe & armorum fabricas, *l.* 15. & 18. *de extraord. muner. in Cod. Theod.* quæ in ſordidis muneribus olim numerabatur. Calvinus *Lexic. Jurid.* De *Carbonibus* defoſſis, quibus populi quidam agrorum fines diſtinxerint, proptereà quòd res nulla durabilior, magiſque perpetua ſit, quàm *carbones ſub terra defoſſi*, vide Baldum, *l. de Officio Judicis*, laudatum Eidem. De ratione verò *Carbonis* conficiendi Plinium, *l.* 16. *c.* 6. De gemma carbonibus ſimili anthracite, quæ in Theſpiotia olim fodiebatur, eundem, *l.* 36. *c.* 7. De *Carbonum* in ſcribendo uſu, vide ſuprà in voce *Atramentum*, *&c.*

C. CARBO, Triumvir, cum Graccho & Flacco, de diviſione agrorum, contendit.

CARBO, Romæ orator, fruſtra conatus Romani populi ſtatum moreſque corrigere, ſibi ipſi necem conſcivit. De hoc multa *in Bruto*, Tullius.

CARBO, eloquentiſſimi viri Carbonis fil. Orator non ſatis acutus, ſed tamen orator numeroſus; Erat in verbis gravitas, & facilè dicebat, & authoritatem quandam naturalem habebat Oratio. Cicero, *Bruto*. Hunc poſtremò ab exercitu ſuo interfectum fuiſſe, quem bellis civilibus collapſum adſtringere, & ad diſciplinam reducere cupiebat, refert *Val. Max.*

Cn. CARBO, hujus frater, ſummâ fuit in Republ. authoritate, partes Marianas ſecutus. In tertio Conſulatu ſuo in Siciliâ juſſu Pompeji, dum ventrem apud latrinam exoneraret, trucidatus eſt. Val. Max. *l.* 9. *c.* 13.

CARBO Ludovicus, vide *Ludovicus*.

CARBO Petrus, vide *Petrus*.

CARBONARIA, Padi fluv. oſtium. Plin. *l.* 3. *c.* 16. *Le fornaci* teſte *Leandro*. Baudrando *Porto di Gora*, unum ex 2 præcipuis Padi oſtiis, à vicina Turri ſic dictum. Ejus alveus *Po di Ariano*, ab oppido cognomine. Vix 8. milliar. in auſtrum ab alio oſtio Padi, nunc *Porto Vecio*. 20. milliar. ab Hadria in Ortum 25. à Foſſa Clodia in Auſtrum.

CARBONARIUS, qui *carbones* conficit, qualem *Illyricum olim duxiſſe exercitum*, notat Freinshemius *ad Curtium*, *l.* 9. *c.* 1. Sed & ludus gladiatorius, qui Neapoli in uſu cùm eſſet, à Johanne XXII ſub pœna excommunicationis prohibitus eſt, A. C. 1327. ut ipſemet ad Geroldum Capuæ Archiepiſcopum ſcribit, apud Dominic. Macrium, in *Hierolex.*

CARBONARIUS Saltus, vel *Carbonaria Sylva* apud *Trithemium*, Gregor. Turonenſem, & Sigebertum, à veteribus *Hercynia Sylva* dictus. Gall. *La foreſt Noire*. Baudrando pars fuit Arduennæ ſylvæ, in Hannonia, inter fluv. Sabim, Scaldim & Haynam, atque inter Binchium & Quercetum, cujus veſtigia in ſylva de *Mormaux* dicta manent. Valeſi *Carbonaria ſylva*, ſeu *Saltus Carbonarius*, à carbonibus, qui in ea fieri hodieque conſueverint, appellationem traxit: *la Foreſt Charbonniere*. Hæc Arduennæ ſilvæ pars eſt, inter Moſam & Scaldim amnes in Nerviis ac finitimis pagis. Gotefridus Wendelinus, vir doctus, in Legibus Salicis illuſtrans, ſilvam Carbonariam in Hainoo Braebantoque ponit, aitque eam ab ultimo Hainoo ad Lovanium & Dieſtam flumenque Temeram pertinere: ejus ſilvæ partes eſſe Mormaliam, *bois de Mormal*; Ceraſiam, *bois de Ciran*; Soniacam, *bois de Sogne*; Levatam, *Die Lew*, à Lovanio ad portas Dieſtenſes pertingentem: quem totum tractum vocari *Hagelanden*, vel *Hageland*, h. e. regionem ſilveſtrem & arboroſam. *Lanbienſe Monaſterium* in ſilva Carbonaria eſſe ſitum, auctore Fulcuinô; eſſe & Cœnobium S. Foillani in ſilva Soniaca parte Carbonariæ non longè à Nivala: ut literæ Nicolai Cameracenſis Epiſcopi A. C. 1137. datæ docent: *Mormaliam Carbonariæ partem* à Dimeru vocari. *Carbonariæ* mentionem facit Sulpicius Alexander, *in Hiſtoria apud Gregorium*; quum *multos Francorum*, qui Rhenum tranſierant, *à Romanis apud Carbonariam ferrò peremtos* tradit. Et *in Geſtis Regum Francorum* Chlodio Rhenô tranſitô, *Carbonariam ſilvam ingreſſus*, Tornacenſem urbem obtinuiſſe dicitur. Ex quo intelligitur, inter Rhenum & Scaldim fluvios Carbonariam ſilvam fuiſſe. In eiſdem *Geſtis*, *Et ante Carbonariam ſilvam tranſeuntes*, *uſque Moſam fluvium terras illas vaſtantes ſuccenderunt*. Quæ videntur confirmare opinionem inter Moſam & Scaldim Carbonariam ſilvam ponentium; ut & Nithardi, *l.* 2. verba hæc: *Per idem tempus cùm Lotharius à Ludhuwico reverteretur*, *& omnes citra Carbonariam ad illum venirent*, *Moſa trajectâ ratem duxit*, *ac Sequanam uſque procederet*. In Chronico Monaſterii S. Arnulfi, quod Andreas Cheſnius Annales Metenſes appellare maluit, hæc ſilva Neuſtriam ab Auſtria dividere dicitur his verbis: *Anno* 690. *adunato exercitu Pippinus ad Carbonariam ſilvam pervenit: quæ terminat utraque Regna dividit. Tunc invocatô unanimiter Dei auxiliô Carbonariam ſilvam tranſeunt*, *& ad interiores Regni illius partes intrepidè perveniunt*, *haud procul que ab oppido Veromanderum juxta villam Textricium caſtra poſuerunt*. Ex his apparet Carbonariam ſilvam uſque ad Iſaram & Summam ferè pertinuiſſe. Certè & *Karolus ab Aquitania Cariſiacum veniſſe*, *& à Carbonariis & infra ad ſe venientes benignè ſuſcepiſſe* dicitur à Nithardo, *in l.* 2. Eſt autem Cariſiacum ad Iſaram flumen non procul ab urbe Veromanduorum Noviomago. *Notit. Gall.*

CARBONES, Sarmatiæ Europææ populi. *Ptol.*

CARBONIS primi & ſecundi deſcenſio, die 14. 21. Febr. inter Feſta Syrorum. Ulug Beg in *Epochis*, *c.* 7.

CARBRUSA, inſula deſerta juxta Thraciæ Cherſoneſum. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

CARBULO, oppidum Hiſpan. Bæticæ prope Cordubam. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

CARBUNCULI, quintô locô inter gemmas Veteribus habiti, poſt margaritas videl. adamantes, ſmaragdos & opalos, topaziis præponebantur, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 239. Loca eorum, in quibus pretioſi naſcuntur, *Theophraſto* hiſce verbis deſcribuntur, [Greek illegible] ubi meminit Carthaginis, Maſſiliæ, Ægypti, Catadupororum, Syenes, & regionis *Pſebo*, in interiori Æthiopia. Æthiopicos tamen *Carbunculos* non omnium optimos fuiſſe, liquet ex Plinio, *l.* 37. *c.* 7. *Satyrus Indos non eſſe claros dicit, ſed plerumque ſordidos ac ſemper fulgoris horridi: Æthiopicos pingues, lucemque non emittentes aut fundentes, ſed convolutô igne flagrantes*. De optimis verò ita ſcribit, *Optimos verò amethyſtizontas*, *h. e. quorum extremus igniculus in amethyſti violam exeat: proximos illis, quos vocant* σύρτιτας, *innato fulgore radiantes*. Ubi *σύρτιτας* eſt ex Græco *αὐγίτας*, ſic autem vocatur, qui innatô fulgore radiat, non acceſſitiô, quique ex ſeſe lucem emittit, &c. Ab ignium verò ſimilitudine pyropos quoque carbunculos dictos eſſe, idem monuit *ibid. Principatum habent Carbunculi*, à

ſimilitudine ignium vocati, cùm ipſi non ſentiant ignes, ob id à quibuſdam pyropi appellati, &c. Qua de re vide infrà, ubi de *Pyropo*, &c. Plura verò hanc in rem apud Plinium, *d. l.* de variis hujus gemmæ generibus, *Alabandico*, *Carchedonico*, *Corinthio*, *Garamantico*, *Indico*, *Lithizonte*, &c. & Salmaſ. *ad Solin. p.* 180. & *ſeqq.* ut & ſuprà in voce *Anthrax*, item ubi de *Ardentibus gemmis*. *Adulterantur vitro ſimillimè, ſed cote deprehenduntur* (i. e. molâ è cote factâ, ad quam gemmæ poliuntur) *ſicut aliæ gemmæ factitiæ: mollior enim materia & fragilis & centroſâ ſerobe deprehenduntur & pondere, quod minus eſt vitreis: aliquando & puſtulæ argenti modo relucentibus*. Idem Plin. Nec omittendum, quòd *Carbunculi* ingentes, in columna publicè repoſiti, luce, noctem in urbe Æduorum olim illuſtratam fuiſſe, narrat Chaſſanæus, *de Glor. Mundi*.

CARBYLE, apud Solin. *c.* 54. *A Suſis* Carbyle *ſive Barbyte oppidum*: & ex eo Marcianum, *Suſa juxta Carbele ſive Barbite in centum triginta millibus*; alibi nuſpiam occurrit. Proin *Babythace* reponit Salmaſ. *Exercit. ad h. l. p.* 1194. Vide ibi.

CARCA, Baſtitanorum in Hiſpania urbs. *Ptol.*

CARCAA, urbs in tribu Judæ. *Joſ. c.* 10. *v.* 3. Latinè *pavimentum*, ſive *frigiditatem diſſolvens*.

CARCAMUSA, machina oppugnatoria, aries. Abbo *de obſid. Paris. l.* 2.

> *Arietes vulgò* Carcamuſas *reſonatas*
> *Duniſſere duas:*

apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

CARCANOSSIA, regio in Inſula Madagaſcariæ, verſus oram Auſtralem fertilis, rigua & culta. Ibi & aliquot coloniæ & munimenta Gallorum à paucis annis.

CARCANTIA, Italiæ oppid. circa Inſubriam. *Antonin.*

CARCANUM, oppid. apud Italos Longobardicos, gentis à Saxonibus, qui *Carcannum*, pro carcere & ergaſtulo dixêre, ducentes. Spelmannus in *Gloſſario Archæol.*

CARCARANNA, fluv. Americæ Meridionalis in Paraguaja. Oritur verſus Andium montes & in fluv. Argenteum ſe exonerat.

CARCARUM, locus circa Mediam. *Curopalates.*

CARCASSUM, quod *Carcaſo* Ptol. *Carcaſion* Procop. *Carcaſſum Volcarum & Tectoſagum* aliis, urbs triplex Galliæ Narbonenſis lanificiò clara, hodie *Carcaſſone*. Ad Atacem fluv. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo & Parlamento Tholoſano. Cum forti caſtro, ubi acta vetuſtiſſima, corticibus arborum pannoque inſcripta, à Viſigothis, ut creditur, qui ibi tanquam in loco munitiſſimo gazam regiam ſervare aſſueverant, Romà allata aſſervabantur. Vide de illa Plin. *l.* 3. *c.* 4. Gregor. Turonenſ. *l.* 8. Procop. *Hiſt. Goth.* Poſt Viſigothos, ad Saracenos, deinde demum, ad Gallos pervenit, poſt victum in campo Vogladenſi, Alaricum à Chlodovæo, qui ibi pretioſiſſimam Salomonis ſupellectilem, urbe præfatâ avectam, obtinuiſſe legitur, A. C. 508. Bernardus Comes Tholoſ. hujus urbis comitatum muneri accepit, à Carolo Calvo, A. C 871. Rogerius ibi comes, A. C. 887. cujus ſucceſſores plurimum ei adjunxerunt: uſque ad Rogerium, Albigenſium ſtrenuum defenſorem, qui à Simone Montfortii Comite, Duce copiarum contra innocentes hos, A. C. 1209. captus, (cum cæteri utriuſque ſexus, nudi per exercitum tranſire cogerentur, partibus etiam iis, quæ honeſtè nominari non poſſunt, Sanctorum illorum cruciatorum oculis expoſitis, verba ſunt Riverii, ex Girardo du Haillan) boniſque exutus eſt. Neque diu hoſtis tantâ prædâ eſt fruitus, Almericus enim Simonis filius, œmulis impar, jus ſuum in Ludovicum VIII. Regem A. C. 1223. tranſtulit, Conneſtabilis factus, Carel. *Hiſt. Langued.* de Marca, *Hiſt. Bearn. l.* 8. San Marth. *tom.* 2. *Gall. Chriſt. p.* 475. Sedes Epiſcopatus, cum Elena, non niſi poſt Gothos devictos facta eſt, quæ proin inter Epiſcopatus ſub Narbonenſi Archiepiſcopo ultimò locò ponuntur. Ex quo autem ambæ Epiſcopales evaſère, uſque ad Pipini principatum, non Synodis in Gallia, ſed Conciliis in Hiſpania Toleti habitis aliiſque earum Epiſcopi interfuêre, Septimaniâ & Gothiâ Gothis tum primo, deinde Saracenis in Hiſpania regnantibus ſubjectâ. Caput eſt pagi cognominis, vulgò *le Carcaſſez* incolis, reliquis *Carcaſſonois*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

Carcaſſonenſis Diœceſeos loca.

Aquæ vivæ, *Aigues vives.*	Mons laureus, *Montlaur.*
Balneola, *Bannoles.*	Mons olivus, *Montolieu.*
Canis ſuſpenſus, *Carpendu.*	Mons Regalis, *Montreal.*
Carcaſſo.	Pratella, *Pradelles.*
Caſtanetum.	Rivi, *Rieux.*
Confluentes, *Coffolens.*	Ruſiacum, *Roſiac.*
Craſſa, *la Graſſe.*	Villare, *le Villar.*
Mons clarus, *Montclar.*	Villa ſicca, *Villeſecque.* &c.

CARCATHIOCERTA, Armeniæ majoris urbs, Tigri proxima. Plin. *l.* 6. *c.* 9. Sophenes regia. *Strabo.*

CARCER, caſtellum Galliæ, in finibus & diœceſi Cenomanorum, vulgò *la Chartre*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CARCER, à coërcendo, dictus, differt ab Ergaſtulo: quòd in hoc mancipia conjiciebantur, pro lubitu herorum, in ærumnoſam ibi vitam degerent: in illo liberi homines, auctoritate publicâ, ob delictum aliquod enorme, aſſervabantur, ibique necabantur. Namque & ſtrangulatio, quæ laqueò fiebat, & præcipitatio, quæ in Robore, in *Carcere* ſuſcipi ſolitæ erant. Partes ejus duæ, Tullianum, quod Angliæ dicas *Dungeon*, in quo ſtrangulatio, & Robur, Angl. fortè *Strong hold*, in quo præcipitatio fiebat. Cura *Carceris* Triumviris capitalibus, Angl. *High Sheriffs* erat commiſſa. Modum procedendi ſic exponit Val. Max. *l.* 5. *c.* 4. *ex.* 7. *Mulierem damnatam Prætor Triumviro necandam in carcere tradidit, quam receptam is qui cuſtodiæ præerat, miſericordiâ motus non protinus ſtrangulavit; aditum etiam filiæ dedit, ſed diligenter excuſſa, ne quid cibi inferret*, &c. Diverſum quid à *Carcere* quoque fuit Mala manſio, quam quidam pro Puteo acceperunt; ſed hunc propriè furacibus coquis deſtinatum fuiſſe, docet Plautus in *Aulular. Actu* 2. *Sc.* 5. Alii pro Arca, in qua recondebantur illi, quos ulteriori quæſtioni reſervari placuit. De Sentricin, Spoliario, Nervo, Collumbari, Numella, Codice, vide *ſuis locis*, uti & voce *Decanica*, *Flens*, *Lethe*, *Oblivium*, *Turris*. Primus autem *Carceris* auctor Ancus Rex traditur. Recentiori ævò, *Carcer perpetuus*, Albigenſium, qui Romanam fidem amplecti nollent, pœna fuit, Concil. Narbon. *A. C.* 1235. *can.* 4 9. Hinc illorum iis, qui intra certam diem ſponte veniebant, & rectè Latinos amplectebantur ſocioſque prodebant, *Carceris immunitas* data dicebatur. *Ibid.* de *Carceris cuſtode*, vide infrà voce *Commentarienſis*.

CARCER Inquiſitionis, vide infrà *Sancta Domus*. Et quidem olim *Carcer* inſervit non puniendis, ſed cuſtodiendis, hominibus. At Jure Canonico ad pœnam poteſt eſſe carcer. Habebant verò Epiſcopus olim & Inquiſitor ſinguli ſuum peculiarem carcerem, hodie verò idem carcer, qui Inquiſitoris eſt, in quo vincti cuſtodiuntur, communis etiam eſt Epiſcopo, quemadmodum & carcer, qui fit ad pœnam, utrique communis eſt, cùm ad pœnam carceris, niſi ex utriuſque conſenſu, damnari nemo poſſit. Phil. à Limborch, *Hiſtoriâ Inquiſit. l.* 2. *c.* 18.

CARCER Intimus, in verſibus *Varronis*, apud *Nonium*,

> *Nemini Fortuna currum carcere emiſſum intimo*
> *Lâbi inoffenſum per æquor candidum ad calcem ſinit:*

dictus eſt, qui aliàs *intimum oſtium*, quod primum primiſque metis in Circo proximum erat. Vitam namque Varro comparat Circenſium curriculo; ubi feliciſſimè id certamen auſpicabatur auriga, cui è primo vel intimo oſtio exire ſortitò obtigerat. Sed re plerumque non perferebat felicitatem ſuam uſque ad ultimas metas & extremum curriculum: verùm prælaſſatis & conſumtis viribus equorum, præ ſtudio ſervandi primatus, ante ſeptimum curriculum deficiebat palmamque ſequentibus tradebat. Silius, *l.* 16. *v.* 338.

> *At quem interior cura & prudentia Cirri*
> *Altior, effuſas primo certamine vires*
> *Damnare*, &c.

Carceres nempe in Circo dicebantur *ἀφετήρια* & *ἱππαφέσεις*, à quibus initium currendi ſumebant quadrigæ. Intra illos autem (erant enim *οἰκήματα*) equi cum curribus continebantur, repagulis vel cancellatis foribus oppoſitis coërciti, priuſquam ſignum daretur emittendi; unde *Varro* illos dictos ait, à *coercendo* equis ne inde exirent, antequam Magiſtratus miſiſſet. Tum verò, unò eòdemque tempore laxatis repagulis, è carceribus effuſi, ſeſe proripiebant exiliebantque: cujuſmodi repagula *ὕσπληγγες* Græcis dicta ſunt, Dionyſius verò Halicarn. carceres unò tempore reſerari ſolitos, *ἀπὸ μιᾶς ὕσπληγγος*, dicens, unum ac perpetuum repagulum omnibus Oſtiis Circi præduci eòque laxatò omnia ſimul punctò temporis pandi conſuevisſe, innuit. Uti autem inde exière, ſic eòdem reverſi victores, curſum ibidem terminabant, peractò ſeptimò curriculò, & coronabantur, in loco cretâ praeductò, qui haud longè à carceribus fuit, ut infrà videbimus. Erat porrò duplex utrinque *Carcerum* ordo, ſenis uterque oſtiis conſtans, unus ad ſiniſtram primæ metæ, alter ad dextram: in quorum medio locus erat ejus, qui machinationem movebat; quâ omnia oſtia aperiebantur, *Altare* in Olympiaco, (in quo tamen *Carceres* propriè dicti non erant) *Janua Conſulum* ſeu *Oſtium*, in Romano, dictus. Sidonius Apollin.

> *Hæc eſt Janua Conſulumque ſedes,*
> *Ambit quam paries utrinque ſenas*
> *Cryptas porticibuſque fornicatas.*

Nec tamen omnium carcerum uſus erat; ſed ex illis ſenis, qui ad dextram fuère primarum metarum, ſoli quatuor primi quadrigas emittebant quatuor certaturas, ſinguli ſingulas: quod ab eo tempore obtinuit, quò in colores quatuor & greges tota Circi factio diviſa eſt; quibus cùm duos addidiſſet Domitianus, omnibus ſenis opus erat, quod tamen poſt mortem ejus non diu duravit. In altero latere tamen totidem oſtia facta, forſan ad ornatum, & ut architectura æqualis eſſet. Initium *Carcerum* rejicit Livius in annum Urb. Cond. 425. unde Joannes Antiochenſis, Georgius Syncellus, Cedrenus, Alii, Circum à Romulo primùm extructum cum duodenis oſtiis, dicentes, meritò ridentur. Et quidem primò ex topho ac ligno fuerunt; quos marmoreis permutavit Claudius Imperator, quemadmodum idem metas inſigniores inaurari voluit. Fores eorum cancellatæ fuère, ut dictum, & reticulatò opere factæ, cujuſmodi fores vel feneſtras Latini veteres propriè *Tranſennas* dixère, vide infrà in hac voce. Priuſquam verò ædificati eſſent in Circo carceres, funiculus prætendi ſolitus videtur, cohibendis equis & in æquo limite continendis: cujuſmodi funiculum in Circo Olympiaco *βαλβίδα* Græci dixère, quamdiu ſcil. funis pro repagulo fuit. Aliàs *βαλβὶς*, in Stadio, propriè erat linea in ſolo depreſſa & modicè cavata, cui inſiſtebant curſores: *ὕσπληξ* repagulum vel regula paſſim altius è ſolo elata & oppoſita curſoribus, quæ ſignò datò ruens incidebat in lineam illam, ejuſque cavitatem implebat, quæ tamen non rarò confunduntur. *Lycophron*,

> *Ἄκραν δ' ἐγὼ βαλβῖδα μηρίνθου χαλῶν*
> *Πρώτην ἀράξας ὕσπληγα·*
> *Summam ego ſolutò fune laxans regulam*
> *Primò repulſo limine*, &c.

Vide Salmaſ. hac de re pluribus agentem, *ad Solin. p.* 902. & *ſeqq.* & hic paſſim, inprimis ubi de Circi *Oſtiis*.

CARCER Pauli, vide infrà *Cayſtrus*.

CARCER Perpetuus, vide *Immunitatio*, it. *Perpetuus Carcer*.

CAR-

CARCERES, in ludo Latrunculorum, idem quod *mandra*, *ſepta*, *valla*, *capſi*. Græcis veterib. πλαῖσια, χῶραι, γραμμαί, χαραγμοί, recentioribus ζατρίκιον, unde toti ludo nomen. Tabula nempe, in qua latrunculis ludebant Veteres tota lineis erat diſtincta, & unicuique calculo ſuus locus ac ſedes attributa: quemadmodum hodieque tabula luſoria ligneis quadratis diſcoloribus alternatim poſitis, in quibus calculi diſponuntur, diſtingui ſolet. Has calculorum ſedes, *carcerum* nomine inter alia inſigniêrunt: quod latrunculorum quiſque in ſuô locô ſeu ſede, velut clauſus, teneretur. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo*, *c.* 13. & paulo ſuprà in *Capſi*.

CARCHA, Aſſyriæ urbs, haud procul à Nineve. *Moſes*.

CARCHABESA, urbs ad Euphratem. *Joſephus*.

CARCHARIAS Canis, vide ſupra *Canis Carcharias*.

CARCHEDON, Καρχηδών, nomen viri, apud *Appianum*, à quo Carthago, Græcis quoque Καρχηδών, condita: an pater Didonis, an comes, an neutrum; imò commentitium planè eſſe, tradit Salmaſ. *ad Solin. p.* 323.

CARCHEDON, Græcis dicitur Carthago, unde Pœnulus Plautina Comœdia *Carchedonius* dicitur. Dionyſ. *v.* 195.

> Τοῖς δ' ἐπὶ Καρχηδὼν πολυήρατος ἀμφὶς ἔχει ...,
> Καρχηδὼν, Λιβύων μὲν, ... Φοινίκων,
> Καρχηδὼν, ... εἶναι φασὶ ...

Vide *Carthago*.

CARCHEDONIUS Carbunculus, Theophraſto, quòd ἐκ Καρχηδόνος, h. e. *Carthagine*, veniret, dictus eſt: at Plinius Garamanticos ſic appellatos tradit, *l.* 37 *c.* 7. *propter auctoritatem Carthaginis magnæ*. Carbunculi certè genus fuit. Publius Syrus,

> *Quid* Carchedonios *optas ignes lapideos*,
> *Niſi ut ſcintillent? pietas eſt carbunculus*.

Ab hoc diverſa erat *Carchedonia*, apud Plinium, *ibid.* ſubintellige gemma, quæ ex Naſamonibus eandem Carthaginem deferebatur. Ad repercuſſum enim lanæ *Carchedoniam*, ſicut carbunculos ad repercuſſum Solis, reperiri ſcribit; *paterꝗ vaſa* ex eo fieri ſolita, addens. Unde vilem fuiſſe lapidem conſtat, quemadmodum nec hodiè magno in pretio eſt *Chalcedonium*, uti Gemmarii eum vocant. Alias erat Chalcedonius ſmaragdus, de quo alibi, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 381.

CARCHESIA Inſul. una Cycladum, aliàs *Amorgus*. *Steph.*

CARCHESIUM, apud Papinium Statium, *Achilleid. l.* 2. *v.* 6.

> *ubi excelſa libant* carcheſia *puppe*:

genus fuit poculi, quô Dii gentiles libare conſueverunt. Ita enim hîc in Apollinis honorem factum. De Baccho Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 77.

> *Hic duo ritè mero libans* carcheſia *Baccho*,
> *Fundit humi, duo lacte novo, duo ſanguine ſacra*, &c.

Ignoratum priſcis Latinis, ſolis Græcis notum, ex Sappho, Sophocle, præcipuè Aſclepiade, deſcribit ac depingit Macrob. *Saturnal. l.* 5. *c.* 21. Servius tranſit, poculi tantùm genus indicâſſe contentus. Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Stat. Tom.* 3. *p.* 708.

CARCHI, Mediæ gens. Polyb. *l.* 5.

CARCICIUM, urbs circa Armeniam. Curopal. *Carcinium*, Cedreno.

CARCINA, civitas Mediterranea, à qua *ſinus Carcinites*.

CARCINIAS Gemma, à *cancri* marini ſimilitudine, apud Plin. *l.* 37. *c.* 11.

CARCINITES, Sinus Scythiæ Europææ. Plin *l.* 4. *c.* 12. & Mela, *l.* 2. *c.* 1. Medius inter oſtia Boryſthenis, & Boſphorum Cimmerium in Scythia Europæa. Olim *Tamyraces*. Et adjacet Carcine urbs, juxta oſtia Gerrhi & Carcinites ſeu Hippacitis. Quid nunc ſit incertum. Sunt qui credant, nunc dici *Golfo di Moſcovia*. Sed regio adjacens in ejus ora litorali majori ex parte eſt deſerta atque inculta. Eſt & *Carcinites* (aliàs *Carcinitus*) fluv. oppid. præterfluens. *Ptol.* Item urbs Scythica *Steph.*

CARCINUM, Magnæ Græciæ promontor. Italiæ longiſſimum. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Eſt etiam urbs circa Peuliam. Pomp. Mela, *l.* 2. *c.* 4.

CARCINUS Agrigentinus, Poëta Tragicus, floruit paulo ante Philippum Macedonem, docuit fabulas 98. cum Æſchine, apud Dionyſium vixit. De hoc extat Proverbium, *Carcini poëmata*, de his qui obſcurè, & inſtar ænigmatum ſcribunt. Fuit alius *Carcinus*, Athenienſis, Poëta Tragicus, Olymp. 100. Vide *Suidam*, Athen. *l.* 8. Voſſ. *de Poët. Græc. c.* 7.

CARCINUS, Tragicus Poëta, cujus filii fuerunt Xenocles, Xenotimus & Demotimus, quem ob præſumptionem victoriæ derideri ab Ariſtoph. adnotant *Scholia*.

CARCINUS, Signum cœleſte, quod Latini *Cancrum* vocant. Lucan. *l.* 9. *v.* 536.

> *Par Geminis Chiron, & idem quod Carcinus ardens*
> *Humidus Ægoceros*, —

CARCOME, Mauritaniæ Cæſarienſ. oppid. *Ptol.*

CARCOVIACA, urbecula Scotiæ, Orcadum præcipua, in Mainlandia Inſul. cum arce & portu capaci. Scotiæ Regni ab aliquot ſeculis pignoris jure, fruſtra reclamante Daniæ Rege, qui illas inſulas ſibi vindicat. 20. circiter milliar. Anglic. à Tarvedro promontorio Borealiori Scotiæ in Septentrionem.

CARCUVIUM, urbs fuit Hiſpaniæ inter Emeritam & Cæſaraugustam. *Antonin.* Quid nunc ſit, ignoratur.

CARDACES, Aſiæ minoris populi, *Polybius* & *Arrian.* Heſych. Κάρδακες οἱ στρατευόμενοι βάρβαροι ὑπὸ Περσῶν καὶ οἱ Ἀθηναῖοι μισθοφόροι στρατιῶται, ἀπὸ ἔθνους ὁ ... Strab. *l.* 15. Καλοῦνται δὲ οἱ Κάρδακες ἀπὸ κλοπείας τρεφόμενοι. Κάρδα γὰρ τὸ ἀνδρῶδες καὶ πολεμικὸν λέγεται. Vide Euſtath. *in Iliad.* β. *Nic. Lloydum*.

CARDACUS, vel **CARADOCUS**, Hiſtoricus Gallus, ſub Faraberto, Francorum Duce, de quo Geſnerus, *in Sother. & Eleutherio*.

CARDALENA, Arabiæ Felic. regio. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

CARDAMINE, inſula ſinûs Arabici. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

CARDAMOMUM amomo & amomidi, *ſimile & nomine & frutice, ſemine oblongô. Metitur eodem modô & in Arabia. Quatuor ejus genera: viridiſſimum ac pingue acutis angulis contumax fricanti, quod maximè laudatur: proximum e ruffo candicans: tertium brevius atque nigrius. Pejus tamen varium & facile tritu, odoriſque parvi: quod verum, coſto vicinus eſſe debet. Hoc & apud Medos naſcitur, pretium optimi in libras: X. duodecim*, Plin. *l.* 12. *c.* 13. Hodie quid ſit, ignoratur. Ἄμωμον autem vocatum eſt, ſicut ἀμώμητον λιβανωτόν, & ἀμώμητον ...: Videntur enim Græci veteres omne aroma, quod ſincerum ac inculpatum eſſet, ἄμωμον appellâſſe. Salmaſ. *ad Solin. p.* 402. & 1307. *Cardamon* verò naſturtium eſt, vide ibi.

CARDAMUS, Bulgarorum Rex Conſtantio Porphyrogennetæ, tributum ſibi à Græcis Imperatorib. pendi ſolitum, in majus aucturus, ab illo Bulgariam ingreſſo miſerè exceptus eſt, *Hiſt. Miſcell.*

CARDAMYLA, urbs in Argo, Pylo propinqua, & ſub dominio Agamemnonis. Homer. *Il.* 9. Herodotus Laconicam eſſe ſcribit, *l.* 8. Καὶ Ἀσίνη ἡ πρὸς Καρδαμύλῃ τῇ Λακωνικῇ. Ptol. inter urbes mediterraneas eam ponit, *l.* 3. Strabo in ſaxo ſitam dicit, *l.* 8. Ἐν ἐπὶ πέτρας ἐρυμνῆς ἵδρυται Καρδαμύλη. *Heſych.* ſimpliciter Καρδαμύλη, πόλις. Videtur & alia eſſe prope Chium. *Stephan. Nic. Lloydius. Baudrando* oppid. Peloponneſi, in Laconia, trans Eurotam fluv. prope Meſſeniacum ſinum, 8. milliar. à Leuctris in Boream.

CARDAMYLESSUS, vicus quidam. *Steph.*

CARDANUS Hieron. Medicus & Aſtrologus Mediolanenſis ſcripſit in 4. libros Ptolem. *de Aſtrolog. Judic. de reſtitutione tempor. Aphoriſmos Aſtronomicos, de ſubtilitate* &c. quæ 10. voluminibus comprehenſa. Ipſe etiam *vitæ ſuæ* ſcriptor: Dubiorum natalium, ut ipſe memorat. Jul. Cæſ. Scaligerum adverſarium expertus eſt. Arcanorum imperitia naturæ peritiſſimus Obiit Romæ A. C. 1576. ætat. 75. fame ſpontaneâ enectus, ut annum diemque proximæ mortis à ſe prædictum attingeret Thuan. *Hiſtor. l.* 62. Genebr. *Chron.* Blancanus, *de Mathem. ſec.* 16 Voſſ. *de Mathem. Scient. c.* 10. §. 10. *c.* 41. §. 5. *c.* 49. §. 28 *c.* 65. § 30. *de Theol. Gent. l.* 3. *c.* 80 &c. Vide quoque *les Eloges* Antonii Teiſſier, & Freherum, *Theatrô Viror. claror.*

CARDATORES, Gallis dicuntur, qui Græcis Κνάφεις, Latinis *Lanarii*, à *carduo*, ſeu *cardo*, ut Veteres etiam dixêre, Fullonio videl. cujus capitulis inanibus, in carminandis lanis & rudibus pannis lævigandis, tota Europa uti ſolet: Quemadmodum capitula hippophæſti fullonibus olim, ad pectendam veſtium mollitiem, eundem uſum præbuêre. Et quidem hippophæſtum idem videri poſſet cum hoc genere cardui, ſi capitula ejus altô caule attollerentur, quemadmodum in hoc carduo. Itaque Dipſacon Veterum putant eſſe & vocant vulgò *virgam Paſtoris*. Salmaſ. *ad Solin. p.* 397. Vide quoque infrà *Pectinalis Carduus*.

CARDAVA, Arabiæ Felic. urbs. *Plin.*

CARDEA, vide *Cardinea*.

CARDENAS, nomen Familiæ Caſtellanæ, quæ Viris illuſtribus jam dudum inclaruit In filiis Garſiæ Lopezii *de Cardenas*, qui patrem Lupum *Ruiz* & Garſiam Lopeziam, incolam Ocannæ, atque ſub Regibus Petro & Henrico celebrem, avum habuit, lineæ diverſæ cœpêre. Alter enim, Garſias Lopezius, Alfonſi ultimi Magiſter Ordin. S. Jacobi pater fuit: hic autem filiam genuit Joannam Du. *de la Puebla*; quæ Petro Portocarrerio nupta *Cardenium* nomen illi domui intulit, inprimis per ſecundum filium Alfonſum continuatum, cum titulô Comitis *de la Puebla* obtento. Alter Garſiæ Lopezii filius Rodericus, in civitate Ocanna habitans, Gutierium & Rodericum, cujus poſteritas in civitate Lerena ſuperfuit, genuit: Gutieriô natus Didacus, primus Dux Maquedæ fuit; Pater Bernardini atque Gutierii, Dominorum *de Torralva* & *Beteta*, cum cognomine *Carillo de Albornoz*, ſatoris. A' Bernardino reliqui Duces ſunt propagati. Illô enim, & Iſabellâ Velaſcâ genitus Bernardinus II. ex Joanna Portugallica ſuſcepit Bernardinum III. *de Cardenas, Ducem de Maqueda, Marchion. d'Elche*, qui ex Luiſa Manricia *de Lara Manuel*, pater fuit Bernardini Marchionis d'Elche, Georgii Ducis *de Maqueda*, Jacobi Manuelis, Johannis, Petri, Mariæ (Johannis Andreæ *de Mendoza* Marchioni *de Canete* nuptæ) & Annæ Mariæ, qui hôc ſeculô floruerunt. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. tom.* 2. *ubi de familiâ de Cardenas-Ducum de Maqueda & Manrique, Ducum de Najera, p.* 41.

CARDESUS, urbs Scythiæ. *Steph.*

CARDIA, urbs in Thracia Cherſoneſo, à cordis ſimilitudine vocata. Solinus, *c.* 16. *Cardia à Melane ſinu, hoc ex facie loci nomine accepit.* Plinius, *l.* 4. *c.* 11. Hujus ſæpe meminit Demoſthenes *in oratione contra Ariſtocratem. Steph. Ptol. Cardiopolis*, ex cujus ruinis crevit *Lyſimachia* in viciniis, nunc tantùm oppidul. *Carula*. Huic adjacens ſinus maris Ægei *Cardiacus* dictus eſt. 15. milliar. à Callipoli in Occaſum. Alexander Myndius hanc civitatem in Fameniis gratiam, immunem à tributis Philippum feciſſe ſcribit.

CARDIABANCA, Valeriæ Ripenſis in finibus Pannoniæ oppid. *Lib. Notit.*

CARDIANUS Hieronymus, vide *Hieronymus*.

CARDICEAS, IV. Medorum Rex, regnavit ann. 13.

CARDIDUM, Africæ promontorium Sardiniæ adverſum.

CARDIFFA, urbs Angliæ in Wallia, in Comitatu Glamorganenſi, ad oſtia Taffi fluv. in Sabrinæ æſtuarium. Olim quibuſdam *Ratoſtibius*.

CARDIGANUM, urbs & provinc. Valliæ, in Anglia. Vide *Ceretica*.

CARDILLIACUS Johannes, vide *Johannes*.

CARDINALES, in Communione Romana Aſſeſſores & Conſiliarii Papæ. Primitus 13. de quo numero vide Potter. *de num. Apocal.*

Apocal. Sequentibus temporibus excrevêre, uſque ad 72. Quorum 6. Epiſcopi Cardinales, quibus præcipuæ in & extra Romam parochiæ obtigêre, 52. Presbyteri Cardinales, quibus reliquæ ceſſerunt, & 14. Diaconi Cardinales, quorum ſunt Noſocomia, cum cura viduarum, orphanorum, &c. Primus horum, Pelagius, ab Innocentio III. A. C. 1213. Conſtantinopolim miſſus, purpuram geſtavit, quod dein omnibus commune eſſe cœpit, Concilio Lugdun. A. C. 1245. ſub Innocentio IV. Equum candidum cum fræno inaurato addidit, Paulus II. A. C. 1464. Plura vide apud Bellarm. *Controv. 5. de Membris Eccleſiæ, l. 1. de Clericis, c. 16. de Cardinalibus*, & authores ipſi laudatos. Sub Benedicto IX. Papa non uſque adeò laudato, *Cardinalium nomen*, ex parvis initiis ſuboriri cœpiſſe, tempore admodùm depravatô refert Platina *in vita*. Vide quoque infrà.

CARDINALES Venti, mediô ævô dicti ſunt quatuor illi primi ac præcipui, qui, ex quatuor Mundi *Cardinibus* ſeu plagis deducti, antiquitus ſolum cogniti erant, *Eurus* nempe, *Zephyrus*, *Notus & Boreas*. Dionyſius Uticenſis αὐϑεντικοὺς vocat, ſicut ipſas plagas καθολικὰς: Vegetius *principales*, *l. 4. c. 38. Ita ut, ventis principalibus declaratis, eos qui ipſis dextra levaque juncti ſunt indicemus.* Cardo autem pro momento ſeu articulo ſumitur, in quo præcipuè res vertitur, ab oſtiorum *cardinibus*. Virg. *Æn. l. 1. v. 676.*

— *Haud tanto ceſſabit cardine rerum.*

Ubi *Servius* notat, *rem in cardine eſſe*, quando in articulo eſt. Adeoque *cardo* ipſum punctum eſt, ac momentum occaſionis & opportunitatis. Cæterùm, propriè loquendo non quatuor ſunt Mundi cardines, ſed duo tantùm, Septentrionalis & Meridionalis axis, ſuper quibus verti Mundus fingitur. Æquinoctialis verò Occidens cum Occidente Meridionali, cardines potius Solis ſunt, Κέντρα Græci appellant: quæ quatuor ſunt, Solſtitium & Bruma, ac duo Æquinoctia. Hinc iſta puncta & momenta, quibus illa committuntur, quum Sol attigit, *in cardine illum eſſe*, Latini dicebant. Emittunt autem quatuor hæc ſolis κέντρα ſex ventos, ab Ortu & Occaſu Æquinoctiali duos; ab Ortu & Occaſu Solſtitiali duos ac reliquos duos ab Ortu & Occaſu Brumali: quos non minùs Cardinales dicas, quàm qui à Mundi cardinibus exoriuntur. Quod ſequuti fortè, quibus placuit *octo* præcipuis Ventis Mundum perflari. Vide infrà ubi de turre *Octogona*. Non deſunt tamen ex Antiquis, qui ſolos hos duos ventos, qui ab utraque Mundi meta originem ducunt, recipiendos putent, velut Principes & Magiſtros, Auſtrum ac Aquilonem; reliquos omnes acceſſionum vice habentes, & prout inclinatione ac receſſione ab hoc & ab illo axe deflectunt, Septentrionales ac Meridionales nominantes. Unde Lucilius ex perſona Cotys Thracum Regis

Rex Cotys ille duo hos ventos, Auſtrum atque Aquilonem
Noviſſe aiebat ſolos, &c.

Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1239. & ſeqq.* ut & in voce *Cardines*.

CARDINALIS, nomen officialium Theodoſii, quales Magiſtri quidam militum, Præfectus prætorio Aſianæ diœceſis, Præfectuſque Africæ, quòd hi cæteris illuſtriores eſſent. Et in Caſſiodor. *l. 7. formul.* 31. occurrit, urbis Romæ *Princeps Cardinalis*. In Eccleſia item perantiquæ ſunt hæ voces, quas tamen apud Hieronymum vix reperias. Dicti autem Cardinales olim, non quòd præcipui tunc eſſent, & à rerum cardine, ſed quòd certæ alicui Eccleſiæ, quam *titulum* vocabant & *cardinem*, impacti eſſent & annexi. Poſtquam enim Evariſtus Pontif. circa A. C. 112. Eccleſias Presbyteris diviſiſſet, & Fabianus circa A. C. 240. urbem totam in 14. regiones diſtribuiſſet, iiſdem 7. conſtituens Diaconos, ſcil. binis regionibus unum, cœpêre tum Presbyteri iſti & Diaconi, *Cardinales* appellari, eo quòd quocunque locorum agerent, deſignatæ Eccleſiæ, tanquam cardini, inhærendum eſſet. Nec diſſimili ſenſu apud Damaſum, in vita Fabiani, iidem Diaconi à prædictis regionibus *Diaconi regionarii* appellantur. *Epiſcopos Cardinales* primùm memorat Gregorius, & nomine ſolùm à cæteris diſcrepantes. Non autem Romæ permanſit aut *Cardinalium* appellatio, aut inſtitutio, ſed quò tum fides ſe diffudit, eò unà penetrâvit utraque. Inde Univerſitas Pragenſis ad Oxonienſem: *Perlectis multis Chronicis & Hiſtoriis authenticis, nihil invenio de Cardinalibus, uſque ad tempus Gregorii M. quo tempore Epiſcopi indifferenter Cardinales fiebant, & Papa Cardinales in Epiſcopos promovebat.* Reperiuntur adhuc igitur Cardinales in antiquiſſimis pluribus Eccleſiis, Ravennate, Aquilejenſi, Mediolanenſi, Piſana, Beneventana, Compoſtellana, & D. Pauli Londinenſi. Non pro faſtu recentiorum, purpurati, ſed ad antiquorum ſimilitudinem, tenues admodum & pauperes. Vide Gregor. *Ep. ad Maximianum Epiſc. Syracuſanum, pro Felice Diacono Cardinali.* Affluente tandem opibus & potentiâ Romanâ Eccleſia, ſubjectaſque jam habente reliquas, conſentaneum videbatur, ejuſdem etiam miniſtros cæteris omnibus anteferri. Præcelluit inter hos ſtatim *Cardinalium* cœtus, qui Papæ ſemper à conſiliis & rebus gerendis, magis indies atque magis cœperunt inclareſcere. Præſertim ab ævo Caroli M. ex quo ea, quæ convocatis Italiæ Epiſcopis aliquando in Synodis ſolebant definiri, omiſſis nunc illis, in Cardinalium conclavi agebantur. Huc facit, quòd poſt ſchiſma à Conſtantino excitatum, decretum fuerat in Concilio Roman. ſub Stephano III. A. C. 768. can. 4. *Ut nullus, ſi non Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad ſacrum Pontificatus honorem poſſit promoveri.* Deinde, quòd cautô cæterô Clerô & omnino Laicis, ſummi Pontificis electio ad ſolos Cardinales deducta eſt. Ut verò omnes honoratiores haberentur, Innocentius IV. & Paulus II. effecêre, vide ſuprà in voce *Cardinales*. Hodie ordo hic tam illuſtris eſt, ut regiæ via cedat dignitati: *Notandum tamen*, ait Pontificale Roman. *quòd Cæſar, antequam coronetur, ſimplici diademate, ſedeat poſt primum Epiſcopum Cardinalem, & ſi quis Rex adſit, ſedeat poſt primum Presbyterum Cardinalem*: Non mira igitur Clemangii querela *de corrupto ſtat. Eccl. c. 10.* Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archaeol.* qui de numero Cardinalium iſta adjicit. Marcellus 25. conſtituiſſe dicitur, A. C. 304. Septem Epiſcoporum Cardinalium hebdomadariorum meminit Anaſtaſius in vita *Steph. A. C. 768.* Sigebertus in *A. C. 1083. Hildebrandus, ait, qui & Gregorius, nunc in extremis poſitus ad ſe vocavit unum de 12. Cardinalibus.* Poſt aliquot luſtra, in ſchiſmate nempe circa electionem Alexandri III. & Victoris Antipapæ, A. C. 1159. numerus à Marcello inſtitutus, extat apud Radevicum *de geſtis Freder. II. l. 2. c. 52. & 53.* In Codice verò M. S. circiter A. C. 1430. deprehenduntur Epiſcopi Cardinales 7. Presbyteri 28. Diaconi 16. In libro impreſſo A. C. 1490. Epiſcopi Cardinales 7. Presbyteri 35. Diaconi 18. qui numerus ſubinde variavit. Vide ſuprà. Ex M. S. exemplari modò laudato, nomina Cardinalium hæc ſunt.

Epiſcopi Cardinales.

Epiſcopus Hoſtienſis, qui, quia Papam conſecrat, reliquis dignior eſt & palliô utitur.	Epiſcopus Sabinenſis.
Epiſcopus Portuenſis.	Epiſcopus Praeneſtinus.
Epiſcopus Albanenſis	Epiſcopus Ruphinus.
	Epiſcopus Tuſculanus.

Presbyteri Cardinales 28. per numerum ſeptenarium diviſi, reſidui quatuor Eccleſiis Patriarchalibus ſunt intitulati. Videlicet

Ad Eccleſiam S. Petri ſeptem.

Cardinal. S. Mariæ trans Tiberim.	Cardinal. S. Anaſtaſiæ.
Cardinal. S. Griſogni.	Cardinal. S. Laurentii in Damaſo.
Cardinal. S. Cæciliæ trans Tiberim.	Cardinal. S. Marci.
	Cardinal. S. Martini in monte.

Septem alii S. Pauli, in altari majori ſervientes.

Cardinal. S. Sabinæ.	Cardinal. S. Sixti.
Cardinal. S. Priſcæ.	Cardinal. Marcelli.
Cardinal. S. Balbinæ.	Cardinal. S. Suſannæ.
Cardinal. SS. Nerei & Achillei.	

Septem Cardinales Presbyteri S. Laurentii.

Cardinal. S. Praxedis.	Cardinal. S. Steph. in monte Celio.
Cardinal. S. Petri ad vincula.	Cardinal. S. Johannis & Pauli.
Cardinal. S. Laurentii in Lucina.	Cardinal. SS. Quatuor coronatorum.
Cardinal. S. Crucis Jeruſalem.	

Septem Presbyteri Cardinales S. Mariæ majoris.

Cardinal. SS. Apoſtolorum.	Cardinal. S. Vitalis.
Cardinal. S. Ciriaci in thermis.	Cardinal. SS. Marcellini & Petri.
Cardinal. S. Euſebii.	Cardinal. S. Clementis.
Cardinal. S. Potentianæ.	

Diaconi Cardinales, ad miniſterium Pontif. deputati.

Cardinal. S. Mariæ in Dompuſnica, qui Archidiaconus.	Cardinal. S. Nicolai, in carceribus.
Cardinal. S. Luciæ, in e'in Palatii, juxta Septiſolium.	Cardinal. S. Angeli.
Cardinal. S. Mariæ novæ.	Cardinal. S. Euſtachii.
Cardinal. SS. Coſmæ & Damiani Palatii.	Cardinal. S. Mariæ in Aquatia.
Cardinal. S. Gregorii Palatii.	Cardinal. S. Mariæ in via lata.
Cardinal. S. Mariæ in ſchola Græca.	Cardinal. S. Agathæ.
Cardinal. S. Mariæ in porticu.	Cardinal. S. Luciæ, in caput Subnræ.
	Cardinal. S. Quintini.

Plura vide apud Spelmannum retro memoratum.

CARDINEA, Dea apud Romanos, quæ Cardinibus præerat, quaſi *Cardina*, vide *Carna*.

CARDINES, dicuntur duæ cœli partes immobiles ſibi mutuò oppoſitæ, quarum altera eſt ad Septentrionem, altera ad Auſtrum, Græci Πόλους vocant. Sæpè tamen Coſmographi Cardinem nomine quatuor præcipuas Cœli regiones intelligunt, *Ortum*, *Occaſum*, *Septentrionem*, & *Meridiem*. Lucan. *l. 4. v. 72.*

— — *Summique Olympi*
Cardo tenet Tethyn. — —

Ovid. *l. 2. Pont. El. 10. v. 41.*

— — *Cùm ſim ſub cardine mundi,*
Qui ſemper liquidis altior exſtat aquis.

Stat. *l. 1. Theb. v. 156.*

— *Quid ſi peteretur crimine tanto*
Limes uterque poli, quem ſol emiſſus Eoo
Cardine, quem portu vergens proſpectat Ibero!

CARDINES, in Theatris, quid fuerint, indigitat Tertullian. *de Spectac. Quod quidem & cætera congruunt. Nam & apud ſpectacula & in via ſlatur. Vias enim vocant cardines balteorum per ambitum & diſcrimina popularium per procliuum. Cathedra quoque nominatur ipſe in anfractu ad conſeſſum ſitus.* Nempe *cunei* ſpatia erant, in quibus ſubſellia componebantur, viis per ambitum & in deſcenſu invicem diſtinguebantur, per ambitum viæ *cardines* dictæ. Quod inter eas vias & cardines eſſet comprehenſum, *Cuneum* vocabant. *Baltheos* præcinctiones erant. Et quidem uti *limites*, in Circi porticibus, viæ inter ſedilium ordines, ſic cardines in theatro, qui ſeparabant præcinctiones: Hoc tamen diſcrimine, quòd viæ in Theatro multis verſuris cuneos interſecarent, hinc *Cardines* appellatæ, *Limites* verò in Circo verſuras non facerent, ſed perpetui ac rectâ ſerie currerent. Ob quam multifidam viarum in Theatro ſectionem, è

cuneis

cuneis elabi ac refugere eum, cui junctus eſſe nolles, facile fuit: in Circi ſedilibus non item. Unde Ovidius, cùm Corinnæ fortè ſedens in ſubſelliis Circi proximam occupâſſet, illaque ſermonibus ejus inquietata diſcedere vellet, inquit, *l.* 3. *Amor. El.* 2. *v.* 19.

Quid fruſtra refugis, cogit nos linea jungi:

Longus videl. hic limes & ſedilium ordo totus undique occupatus, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 919 Vox ab Agrimenſoribus petita. Illi enim, in Coloniis deducendis, & agris publicè viritim dividundis, lineam ducebant ab ortu Æquinoctiali ad Occaſum Æquinoctialem hunceque limitem, qui ita ſecabat agrum, *Decumanum* vocabant. Deinde aliam lineam per mediam eam decuſſatim ac normaliter in rectum excurrentes, à Septentrione ad Auſtrum deſcendebant, eumque limitem *Kardinem* appellabant, pariter quem Cardines quoque dicebantur minores limites *Cardini magno* paralleli: ut pluribus videre eſt apud eundem p. 674. *& ſeqq.* Vide quoque infrà ubi de *Metatoribus caſtrorum.*

CARDO, cuneus propriè, qui in foramine vertitur. Hi in liminibus ferrei erant aut ærei. Cornelius Gallus *in Lena*,

—— — fondum nam fecerat illi
Marmoreo aratus ſtridens in limine cardo.

Papinius Statius, *Theb. l.* 11. *v.* 49.

Stabat in Argolica ferrato limine turris
Egregius lituo dextri Mavortis Enipeus, &c.

Vide Caſp. Barthium, *Adverſarior. l.* 110. *c.* 12. Uti autem foribus Forculum, liminibus Limentinum Deos, ſic *Cardinibus* Cardineam ſeu Cardeam Deam, præfecerunt Romani, falsè hinc notari B. Auguſtino, *de Civ. Dei, l.* 4. *c.* 8. quòd tres Deos unis foribus præficerent, cum ſuis ædibus unum præponere Oſtiarium ſatis habuerint quibbet Patresfamilias. Vide infrà in vocibus *Forci*, & *Limen*. plura verò hanc in rem apud præfatum Barthium, *Animadverſion. ad Statium d. l.*

CARDONA, oppid. Catalauniæ, Ducatus titulò clarum, ad amnem cognominem, 3. leuc. infra Solſonam. Sub dominio antiquæ familiæ *de Folch*. Ibi Salis Fodinæ celebres.

CARDUCHI, populi Mediæ bellicoſi, *οἱ δ' Καρδοῦχοι εἰσὶ ἀ-νδρεῖοι.* *Steph.* Aliis *Carduchi*, gens circa Hyrcanium mare, Adiabenis conterna, *Ptolemæo* ſunt *Carchudi*. Diodor. Sic. *l.* 14. habet *Carduchos* montes, inter Mediam & Armeniam.

CARDUELIS, Servio *acanthis* eſt, *quòd ſpinis & carduis veſcatur.* Gloſſæ, *cardelus*, *ἀκανθυλλίς*. In Græcorum recentiorum Lexicis eandem *ζῖνιν* & *σιγγραδάκιον* & *πραγάλιν* dici reperias, item ſic deſcribi, ut rubeas in capite pennas, in alis luteas, habeat: quæ omnino Latinorum *Carduelis* eſt. Atque ſic omnes veteres Latini Græcam vocem *ἀκανθίς* interpretantur. Gaza & Bellonius *Spinum* vertunt, ut ſic à *ſpinis* dicatur. Sed errat hic, cùm ſpinum Gazæ putat eſſe Græcorum *σπίνον*, quâ voce fringillam potiùs denotari, infrà videbimus, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 441. De ea ſic Plin. *l.* 10. *c.* 42. *Minima avium* Carduelis *imperata faciunt, nec voce tantùm, ſed pedibus & ore pro manibus. Eſt quæ boum mugitus imitetur, in Arelatenſi agro taurus appellata, alioquin parva. Eſt quæ equorum quoque hinnitus, anthus nomine, herba pabuli adventu eorum pulſa, imitatur, ad hunc modum ſe ulciſcens.*

de CARDUO S. Andreæ, vide *Andreas*.

CARDUUS, herbæ ſpinoſæ genus, quod in plures ſpecies dividitur. Abſolutè verò & per excellentiam cùm *Carduum* dicunt Latini, de hortenſi & ſativo loquuntur, quem Siculi olim *cactum*, hodiè *cacocalé*. Latini quoque nonnunquam *cactum*, ut ad *Tertullian. de Pallio*, Salmaſ. obſervat; Græci *κινάρα*. Galli hodieque *Artichaut*, appellant. Sed & *Carduus* Latinis dictum, docet Athenæus, *l.* 11. *τὸν λεγόμενον καρδον*, & Capitolin. *in Pertinac. c.* 12. ubi *lactucas* & *cardos* memorat. Meminit ejus Plinius his verbis, *l.* 21. *c.* 16. *Et cactos quoque in Sicilia tantùm naſcitur, ſuæ proprietatis & ipſa, caules in terra ſerpunt caules, à radice emiſſo, latè folio & ſpinoſo. Caules vocant cactos, nec faſtidiunt in cibis inveteratos quoque. Unum caulem rectum habent, quem vocant pternica, ejuſdem ſuavitatis, ſed vetuſtatis impatientem. Semen ei lanuginis, quam pappum vocant: quo detracto & cortice, teneritas ſimilis cerebro palmæ eſt: vocant aſcalium.* Quæ graphica eſt deſcriptio hodierni Artiſchi, Gall. *Artichaut*. Sed fallitur Plinius, cùm *ſui generis eſſe & in Sicilia naſci tantum*, ſcribit: Nam *Carduus Romanorum & cactus Siculus* res eadem, ut ſuprà vidimus, in voce *Articactus*, ubi in hanc rem plura. Id ſaltem hîc addo ad hunc locum, quod ille *Aſcalium* vocat, Athenæo *Aſcalerum*, Theophraſto *Scalias*, Appulis circa Hydruntum etiamnum *Scalera* vocari, ex Dalechampio *Not. ad Plin.* Non plebejum fuiſſe cibum, idem innuit alibi, cùm ait, *Mirum eſſe non licere pecori carduis veſci, non licet plebi.* Unde valde priſcis illis pæſtanis Cardui experiti, & res erat maxini quæſtus. Idem, *l.* 19. *c.* 8. *Poteram videre dicta omnia, quæ in pretio ſunt, niſi reſtaret res maximi quæſtus; non ſine pudore dicenda. Certum eſt quippe, carduos apud Carthaginem magnam Cordubamque præcipuè ſeſtertia ſena millia, ut par ejus reddere.* Ubi Salmaſius legit, *ſeſtertiûm ſena millia è parvis reddere areis.* Sunt autem areæ hortorum *πρασιαὶ* Græcis, quarum quamvis quintanas *ſeſtertium ſena millia*, h. e. centenos quinquagenos præter propter noſtri nominis aureos, reddidiſſe notat. Addit modum colendi: *Quoniam portenta quoque terrarum in ganeam vertimus, etiam ea quæ refugiunt quadrupedes conſciæ.* Carduos *ergo duobus modis ſerunt, Autumno plantâ, & ſemine ante Nonas Martias, plantæque ex eo diſponuntur ante Idus Novembres, aliâ in locis frigidis circa Favonium. Stercorantur etiam, ſi Diis placet, latiuſque provenient, condiunturque aceto melle diluto, additâ laſeris radice, & cumino, ne quis dies ſine carduo ſit.* Vide quoque infrà, in voce *Cinara*.

CARDUUS, Gall. *Chardon*, vel *Noſtre Dame de Chardon*, Ordo militaris, inſtitutus à Ludovico II. cognomine Bono, Duce Borbonio, A. C. 1370. Numerus equitum 26. quorum cingulo cæruleo inſcripta vox *Eſperance*, i. e. Spes. Emblema, *Allen, Allen*, i. e. Eamus una, ad ſerviendum Deo & patriam defendendam. Doctonvilla, Favynus, Moretius *in diction. Hiſtor.*

CARDUUS Fullonius, vide *Cardatores*.

CARDYNUS, mons circa Niſibin ad Tigrim fluv. *Xiphilin.*

CARDYTENSES, Syriæ in Cyrrheſtica regione populi. Plin. *l.* 5. *c.* 23.

CARDYTUS, Syrorum urbs magna. *Steph.*

CARE, Hiſpaniæ oppid. inter Liminum & Cæſar-auguſtam. *Antonin.*

CARE Puer, apud Papinium Statium, *Achill. l.* 1. *v.* 250.

· — — · · · · dubitatque agnoſcere matrem
Occupat illa manu, blandeque affata paventem
Si mihi, Care puer, thalamos fors æqua dediſſet,
Quos dabat, æthereis ego te complexa tenerem
Sidus grande plagis: —— ——

Allocutio parentum eſt. Cujus exemplum apud Claudianum quoque *Conſul. Honorii* 4. *v.* 214.

Si tibi Parthorum ſolium Fortuna dediſſet,
Care puer ——

I. e. fili, vetus *Gloſſar.* Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium, Tom.* 3. *p.* 1642. & infrà, in voce *Puer.*

CAREA, Tartarorum urbs circa Boſporum. *Leunclav.*

CARECARDAMA, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

CAREE, i. e. *calvus*, ſive *glacies*, pater Johanan. 2. *Reg. c.* 25. *v.* 23. *Carehim*, i. e. *calvi*, vel *glacies*, numeri pluralis nomen loci.

CAREI, urbs Indiæ intra Gangem.

CARELIA, provinc. Sueciæ, in Finlandia. Ejus pars pertinuit ad Moſcos, nunc tota ſub Suecis eſt, & pars extenditur ad ſinum Finnicum. Ibi oppid. præcipuum Viburgum.

CAREMBOLA, regio inſul. Madagaſcaræ ſeu Delfinæ, in Oceano Æthiopico, versùs Auſtrum.

CARENA, à Gall. *quarantaine*, ſpatium 40. dierum. Occurrit vox ſæpius apud Scriptores Eccleſiaſticos. Vide Spelmann. *Gloſſ. Archæol.* Vox formata ex *Quadragena*, vel ex *Quarentena*, h. e. *quadrageſima pars*, in Eccleſia Romana quadrageſimale denotat jejunium, ſeu publicam pœnitentiam, ab Epiſcopo Clericis Laicisque, aut ab Abbate Monachis inflictam ſolitam, quâ quis jejunare ſpatiò quadraginta dierum tenetur. Summula Raymundi Ordinis Prædicat.

Matronæ juvenes poſſunt explere carenam
In domibus propriis.

Etiam remiſſio ſic dicitur ſeu indulgentia 40. dierum, quæ à Pontifice vel Epiſcopis indulgetur, vide Browerum in *Antiqq. Fuldenſ.* p. 122. 125. Equites Melitenſes *Quarentenam* appellant pœnitentiam, quæ delinquentibus Equitibus imponitur, qui per XL. dies equeſtri togâ induti, quam *Manto di punta* appellant, flexiſque genibus, Conventualis Eccleſiæ miſſis cantatis horiſque Canonicis durantibus, ad ſcamnum incumbere coguntur. Car. du Freſne & Macer.

CARENA Cæſar, Advocatus Fiſcalis Officii Inquiſitionis, ſcripſit *de Illo & de modo procedendi in cauſa Fidei*; quod opus prodiit Lugduni A. C. 1669. in *Fol.*

CARENE, Myſiæ oppid. *Steph.*

CARENI, populi Scotiæ Septentrional. *Ptol.* quorum regio *Loghnabria* in ora occiduæ contra Mulam inſulam, teſte *Lhuydo*; juxta quam Evonium urbs vulgò *Dunſtaphag.* *Xuegnoi* Manuſcr. Selden. Aliàs *Carini* & *Carni*. Horum nomen remanet in provinc. *Cathnes*. Fuêre omnium ultimi versùs Orcades. *Baudrand.* Item populi circa Perſidem Procopio, atque inter Euphratem & Cyrum fluvios. *Steph.*

CARENSES, Hiſpaniæ populi Complutenſibus vicini. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

CARENTANI, Germaniæ populi Bojariis vicini. *Luitprand. Sigeb.* Carinthiæ incolæ *Crantzio*, & *Lazio*. Vide *Carinthia*.

CARENTINI, Italiæ populi Ferentanis vicini. Plin. *l.* 3. *c.* 12.

CARENTONA, fluv. Galliæ, vulgò *la Charentone*, aliàs *Carentonne*? alluit Monaſteriolum Argillæ *Montreüil l'Argile*, Cameracum *Chambray*, Bernacum *Bernay*, oppidum in Lexoviorum finibus, Abbatiâ ſuâ nobile, demum in Riſclam decurrit. Ejus mentionem facit Ordericus, à quo *tranſitus Carentonæ* refertur & *ritum Carentonæ*, *l.* 6. Hadr. Valeſ. in voce *Riſcla*.

CARENTONIUM, oppid. Normanniæ, in tractu Conſtantienſi, ad amnem cognominem cum caſtro, 3. leuc. ab ora maris Britannici 8. à Conſtantia. Ordericus, *l.* 11. meminit vici *Carentoni*, in pago Conſtantino. Vulgò *Carentan*. Hadr. Valeſio eſt non procul ab Oceano, & oſtio duorum amnium, vulgò *Charenton*. Item vicus, binis à Lutetia leucis diſtans, ubi templum novum ſplendidum, Henrici IV. permiſſu à Reformatis extructum, ſequentibus annis fraude hoſtium arſit; reparatum tamen, hodieque illis inſervit, quippe quò ſub concionem aliquot auditorum millia, è principe Regni urbe, rhedis, naviculis, pedes convenire ſolent. Hîc Synodus Reformatorum habita hoc ſeculò.

CARENUM ſeu CAROENUM, Myrepſo, *Sect.* 1. *c.* 5. *κάροινον*, vinum decoctum, ita ut tertia parte abſumpta ſit, duæ tantùm remaneant, occurrit apud Auguſtin. *contra Manichæos*, *l.* 2. *c.* 13.

CAREON, Hiſpaniæ civitas. *Appian.*

CAREOTÆ, Sarmatiæ Europææ gens. *Ptol.*

CAREPULA, Mauritaniæ Cæſarienſis urbs, *Batalo* à noſtris, *Gaſſamar* Pœnis dictus, *Jovio* teſte. Caſtaldus *Muſtagam* vocat.

CARERE Lanam, propriè vocabant Veteres ξαίνειν. Unde non *carminare* modò, ſed & *carmere*, i.e. carpere, & per tralationem, *mordere*, & dictis dicteriiſque inceſſere. *Gloſſa*, *carmare*, χαρακτηρίζειν: quod ineptè Grammaticorum ratio à navis *carina* deducunt. Secunda enim brevis eſt, ut apud Ennium,

Sed neque me decet hanc carinantibus lædere chartis.

I.e. mordacibus & carpentibus. Idem apud Servium,

Et contrà carinans verba atque obſcœna profatur.

E' qua eadem arte metaphoris mutuaris, πλύνειν pro eodem Græci dicunt, *carpere* & *depectere* Latini, Galli hodiè *drapper*. Et quidem primum hoc lanæ purgamentum, cùm carminantur, h. e. quum ipſæ per ſe purgantur, priuſquam in fila deducantur & in tela texantur: quæ lanæ purgandæ Ars ξαντική Græcis dicta eſt. Quamvis enim in noviſſimo purgamento, cùm in veſte ipſa carperentur & depectebantur erinaceo fullonis, ξαίνειν quoque dicerentur, propriè tamen ξαντική ad primum pertinebat, &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 399.

CARES, fil. habuit Caryaſſum, qui Cari urbi nomen dedit. *Steph.*

CARES, Statuarius nobilis, Lyſippi diſcipulus.

CARES, pluralis numeri, populi ſub Minoë fuerunt, & tunc *Leleges* dicebantur, & inſulas habitabant, ſed ſuâ ditione partim contenti, magnam maritimæ oræ, & mediterraneæ partem occupârunt, eam prioribus habitatoribus adimentes, qui & ipſi magnâ ex parte Leleges Pelaſgi erant: ſed Iones & Dores, ut allatam injuriam ulciſcerentur, eos rurſus, quamvis belli ſtudioſiſſimos, ſuis finibus expulerunt. Cares & Myſos ejuſdem fuiſſe cum Lydis originis, ex Herodoto diſcere eſt, qui de *Caribus* hæc habet, *l.* 1. Ἀποδεικνῦσι δὲ ἐν Μυλάσοισι Διὸς Καρίου ἱρὸν ἀρχαῖον, τοῦ Μυσοῖσι μὲν καὶ Λυδοῖσι μέτεστι, ὡς κασιγνήτοισι, ἐοῦσι τοῖσι Καρσί. Τὸν γὰρ Λυδὸν καὶ τὸν Μυσὸν λέγουσι εἶναι Καρὸς ἀδελφεούς: *In Mylaſis, Jovis Caris delubrum vetus oſtenditur, quod Myſis etiam & Lydis commune eſt, ut qui ſint Carum Germani. Quippe Lydum & Myſum Caris fratres eſſe dictitant.* Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 644.

Caras & armiferos Lelegas, Lyciamque peterrat.

Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 725.

Hic Caras, Lelegaſque ſagittiferoſque Gelonos.

Vide *Caria*.

CARESA, inſula Ægæi maris ex adverſo Atticæ. *Plin.*

CARESSUS, Ceæ inſulæ urbs. *Ptol.*

CARESSUS, fluv. Troadis. Homer. *Il.* 12. celebratus, cujus Plinius ait nulla ſuâ ætate veſtigia extitiſſe, *l.* 5. *c.* 30.

CARETHA, inſula in mari Lycio, poſteà *Dionyſia* dicta. Plin. *l.* 5. *c.* 31. *Gironda* Nigro.

CARETIUS, M. Britanniæ Rex ad regnum pervenit, illô bellis inteſtinis admodùm turbatô, à Saxonibus paulo pòſt pulſus. *Hiſt. Angl.*

CAREUM, locus Galliæ, ubi bello contra Albigenſes, horum 60. ſuſpenſi ſunt, A.C. 1212.

CARFERONIANA, aliàs GRAFINIANA, quod vide, regiuncula Italiæ, intra montem Apenninum in Hetruria, vulgò *Carfagnana*.

CARGANI, populi Tranſrhenani in Galliam Celticam, circa fines Sequanorum, ac Heduorum, ab Arioviſto Germanorum Rege tranſportati, quos non abs re opinari poſſumus eoſdem fuiſſe cum Harudibus ab ipſo Rege ſimiliter tranſlatis.

CARGAPOLIA, provinc. Moſcoviæ Occidentalis cum oppido cognomine prope lacum Onegam, inter confinia Sueciæ & Duinam fluv.

CARIA, nunc *Aldinelli*, regio minoris Aſiæ inter Lyciam nunc *Meſſenteli*, & Ioniam *Strabo* eam à Boreâ Mæandri flumine clauſit, ab occidente Icariô, & Myrtoô pelagô, à meridie Rhodienſi, ab ortu Lyciis, & aliis gentibus, magnamque Tauri montis partem in Caria concluſit, omnem oram Rhodiam ei attribuens, quæ meridionalis eſt. Hujus Metropolis aſt Halicarnaſſus, in qua regnavit Mauſolus, cui ibidem Artemiſia conjux Mauſoleum illud celeberrimum extruxit. Dicta Caria, à *Care* Rege, qui primus auguria avium dicitur inveniſſe. Epaphroditus etiam Cariam *Chryſaoridem*, vocat, alii urbem quandam Cariæ tantùm ſic nominant. *Steph.* à *Care* conditore dictam ſcribit. *Poeta.*

Arcades antiqui celebrataque Caria famâ.

Subeſt dominio Turcarum ab aliquot ſeculis. Ibique ſunt raræ urbes alicujus momenti. *Baudrand.* Olim Magneſia, Alabanda, Stratonice, Mynda, Priene, Miletus, nunc *Malaxo* vel *Milaſſo*, 80. coloniis & Thalete ibi genitô clara. Mons Latmus hujus regionis fabulæ de Luna & Endymione originem dedit, Strabo, *l.* 14. Mela, *l.* 1. Cluver. *l.* 5. Concilium à Macedoniæ Epiſcopis A.C. 366. in Caria habitum, quô rejectô terminô *Conſubſtantialis*, formulæ Antiochenæ & Seleucienſi, ſubſcripſêre. Sozom. *l.* 6. *c.* 9. Eſt & *Carius* gentile, & *Carius*, quô nomine Jupiter apud Mylaſſenſes colitur. *Herodot.* Caricam gentem celeberrimam fuiſſe ſcribit. Vocabatur etiam *Caria*, magna quædam ara à *Care* filio Phoronei: alioqui fœmininum eſt à *Carus*, ut & *Carianus* & *Caira*, unde Homer. *Il. B.* v. 142. Μηονίη ἠὲ Κάειρα. Cos etiam inſula Καρὶς dicebatur. Eſt & Phrygiæ urbs. In Caria extitit olim amnis, qui fuerat ante dulcis, poſteà in ſalem mutatus. Plin. *l.* 2. *c.* 5. כר Car Hebræis eſt *aries*, aut *agnus*, atque ab eis ad Iones tranſiiſſe hoc vocabulum, ex his *Heſychii* colligas: Κὰρ, πρόβατον Καρῶν, Idem in προβάτω. Inde videtur *Caria* dicta. Cluver. *l.* 2. *de Druid.* *Arabes autem & Phryges & Cilices, quod paſtu pecorum maximè utuntur*, &c. *Tum Caria tota*, &c. Et Καρὶς alterum nomen inſulæ Co apud *Stephan.* & Euſtath. *in Iliad. B.* quia, eòdem auctore, inſula erat πολυπρόβατος, & celebris δι' ἀγέλας. Hinc Callimachus, *Hymno in Delum*, illam cum Delo confert,

Νῆσος ἰητὶ Λυκαγὼ γε καὶ εὔβοτος, εἰ τό ἐνὶ ἄλλη.

Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 7. Cares autem, licèt in rebus bellicis eminuerunt, ut *arma Carica*, & *lorica Carica* in proverbio eſſent, viles tamen habiti ſunt, quod mercede militarent, ac in prima acie locati, primos hoſtium impetus ſuſtinentes vitam ſuam nihili æſtimarent. Unde adagium natum, *In Care periculum facere*, apud Platonem in *Socrate*, cùm periculo exponitur res, cujus jactura gravis non ſit. Illud quoque, apud Diogenianum, *Cum Care Cariſſa*, h. e. cum ruſtico ruſticè agas, quòd Cares inter agreſtes & ruſticos haberentur. Item *Caricum nomen*, apud *Suidam* pro tenui, & *Carica Muſa* pro inſuavi. Item *Caricus hircus* in hominem vilem, & contemptibilem, vel pro oblatione vili, ut & *Caricum ſacrificium*, quod Cares pro hirco canem immolarent. *Caricum Schema* quoque apud *Heſychium*, pro modo congreſſus libidinoſi ſpurco, & turpi, qualem figuram Caricæ oſtendebant. Sic enim ille, Καρικὸν σχῆμα, μοιχικόν. Δυδαῖ δὲ καὶ Ἀφροδίτην χῆμα αἰσχρόν. Idem Καρικάζειν, Βαρβαρίζειν. *Nic. Lloydius.* Cæterum una erat ex regionibus, quæ Aſiam Proconſularem, ſub primis, & Thracenſium provinciam, ſub poſterioribus Imperatoribus conſtituebant. Poſtquam verò Aſia Proconſularis imminuta eſt tribus provinciis, inter has & *Caria* Aſianæ Diœceſeos Vicario ſubjecta eſt, ac proprium Præſidem habuit. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 803. *& ſeqq.* Populi *Cares*, qui & Καρβᾶνες nonnullis dicti videntur. Unde καρβανίζειν, Καρικῶς λαλεῖν, *Caricè loqui*, & Καρβατίναι, genus calcei à *Caribus* inventum. Vide eundem *Ibid. p.* 1259.

CARIA Portus in Thraciâ, Mela, *l.* 2. *c.* 2. Portus ipſe Καρῶν λιμὴν vocabatur, ſed verò regio circumſita Caria. Teſtantur hoc Arrianus, & Anonymus, *de Ponto Euxino*; quamvis apud poſteriorem perperam legitur καλλιάλιγεῖαν, pro Καρίαν αἰγιαλίαν. Notum enim, Pontum Euxinum non eſſe obnoxium reciprocationi alicui ſenſibili. Scio quidem aquas & hîc quoque multum intumeſcere, adeoque attolli, ut totum hunc tractum ad quatuor uſque milliaria operuerit, quandoque urbes verò Odeſſum, & Dionyſiopolim totas penè abſorpſerit, prodentibus id *Cedreno* aliiſque. Verùm particularia iſta diluvia locum hîc habere non poſſunt, cùm toto ſæpe ſeculô vix ſemel contingant. Sed verò, quod *Arriani* lectionem maximè confirmat, Cariamque regionem hîc fuiſſe evincit, i. e. quòd præter hunc Portum Carum, ſitum hîc fuerit & aliud oppidulum Κίρρα dictum, cujus meminit Pauſan. *Eliacis poſterioribus*: Ὁ πολίτης δὲ ἐν ἄστει ἐν Κιρρᾳ ἐν τῇ Θρᾳκίᾳ Καρίᾳ. Perperam viri docti id accipiunt de Ceramo in Cariâ Aſiaticâ, tanquam ſi & illic aliqua fuiſſet Thracia. Rectè verò Suidas, in voce Ἱππόδαμος, locum illum Pauſaniæ reſpiciens, Θρᾳκίαν Καρίαν interpretatur τὴν ἐν Θρᾳκῃ Καρίαν. Iſ. Voſſ. in *Mela loc. cit.* Idem *Nic. Lloydius.*

CARIANDA, vide *Caryanda*.

CARIAPA, Parthiæ promontor. *Ptol.*

CARIARA, quæ & *Cararia*, oppid. Lunegianæ, in Hetruria ad radices montium. A paucis annis Principatus titulô gaudet, in ditione Maſſæ Duc. è gente Cibo, juxta amnem Laventiam, 6. milliar. à Sarzana, totidem à Maſſa.

CARIAS, civitas Peloponneſi, quæ cum Perſis hoſtibus contra Græciam conſenſit, poſteàque à Græcis deleta eſt. Vitruv. *l.* 1.

CARIATA, urbs Bactrianæ, quam Alexander ſubvertit, ubi Calliſthenes comprehenſus eſt & in vincula conjectus. Strabo, *l.* 11.

CARIATH, civitas in tribu Benjamin, Joſ. *c.* 18. *v.* 28. i.e. *civitas*, vel *vocatio*, ſive *lectio*, aut *occurſus*.

CARIATHAA, aliàs CARIATHBAAL, nomen civitatis in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 60.

CARIATHAM, urbs Moabitarum, antiqua & valida, in tribu Ruben, Joſ. *c.* 13. *v.* 19. ubi olim Emim gigantes habitabant. Hieronym. *in Ecloga*, ſcribit, eam eſſe juxta Medebam urbem Arabiæ, & appellari *Coraiatha*.

CARIATH-ARBE, i.e. *civitas quatuor*, civitas in tribu Judæ, ſic dicta ab *Arbea* conditore, non autem à quatuor Patriarchis, Adam, Abraham, Iſaac & Jacob, qui ibi ſepulti, ſepulcris, ut quidam volunt. Joſ. *c.* 15. *v.* 13. quæ & *Hebron* dicitur Joſ. *c.* 20. *v.* 7.

CARIATH-BAAL, i.e. *civitas idoli*, vel *domini*, civitas in tribu Juda, quæ & *Kariathjarim*, Joſ. *c.* 15. *v.* 60. Unô tantùm milliario ab Ælia, quà pergimus Dioſpolim, diſtat.

CARIATHIARIM, urbs Sylvarum, in tribu Dan: eſt de Jeruſalem ad quatuor milliaria & dimidium contra Occidentem euntibus Dioſpolim. Urbs prius Gabaonitarum, poſteà tribus Judæ & Benjamin, ſita in colle, 1. milliar. ab Æmaüs, versùs Dioſpolim. Vide *Cariath-baal*.

CARIATH-SEPHER, i.e. *civitas literarum*, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 15.

CARIATH-URIM, i.e. *civitas vigilantium*, nomen viri, Eſdr. *c.* 2. *v.* 25.

CARIATUM, urbs parva Calabriæ citerioris in ora littorali maris Ionii. Principatus titulô gaudet. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo S. Severinæ, 22. milliar. ab Umbriatico, 20. à S. Severina.

CARIBÆ, populi Americæ Septentrionalis, qui aliàs occupabant omnes Antillas. Nunc verò inſul. ab Europæis occupatis, ipſi majore ex parte in proximam continentem Americæ meridionalis ſe receperunt. Ubi Guajana regio.

CARICA, certum genus ficorum Plinio, *l.* 15. *c.* 19. *Ex hoc genere ſunt, ut diximus, Cottana & Caricæ, quæque conſcendenti navem

tem adverſùs Parthos, tamen ſcribere *M. Craſſo*, venales prædicantis voce *Caunea*. Et quidem Syriæ peculiare, *Omnia hæc*, addens, *in Albenſe tum e Syria inviſit L. Vitellius*. Vide quoque eum, *l.* 15. *c.* 5. Alibi tamen & Ægypto vindicat, *l.* 15. *c.* 18. ubi illas cute in Ægypto placere, hancque ſolere detrahi in ficis arentibus, in ſiccis maximè gratam haberi, ait; ſicque ſiccas ficis à Caricis ſeparat, quum alii *Caricas* ἰσχάδας appellent, i. e. *Ficus ſiccas*. Hinc Cicero *de Divin. l.* 2. *Cùm M. Craſſus*, inquit, *exercitum Brundiſii imponeret, quidam in portu Caricas Cauno advectas vendens, Caunea clamitabat*: Caricam generale vocabulum faciens, cujus ſpecies *Caunea*. Quas itaque alii *Caricas* vocant, i. e. ἰσχάδας, Plinius *ſiccas ficus* & *ſiccatas* nominat. Ut *l.* 15. *c.* 19. *Panisque ſimul & opſonii vicem ſiccatæ implent*. Et paulo antè: *Seneſcunt in arbore, anniſque deſtillant gummium lachrymâ. Siccas honos laudatas ſervat in capſis*. Certè, utcunque *Caricæ* ficus certum fuerint genus, à *Caria* quippe denominatæ, ut Καρικαὶ ἰσχάδες; Priſci tamen Romani, ut in multis aliis rebus ſolent, *Caricarum* nomen de omnibus ficis ſiccatis & tranſmarinis uſurpârunt. Quod idem & Cauniis poſteà contigit, quæ ex Cauno advehebantur, Cariæ urbe, ut infrà videbimus. Unde Plinium Syriæ, & Ægypto *caricas* vindicantem hallucinatum eſſe, colligit Salmaſ. *ad Solin. p.* 937. Earum optimæ & præſtantiſſimæ erant Ebuſitanæ, quarum meminit Statius, *Saturnal. l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 12.

> *Quidquid nobilis Ponticis nucetis*
> *Fœcunda cadit aut jugis Idumes,*
> *Quod ramis pia germinat Damaſcus,*
> *Et quas percoquit Ebuſia cannas.*

Ubi cum Damaſcenis prunis & palmulis rectè jungi Caricas ſive ficus aridas, nemo non videt, &c. In maſſas autem compoſitæ afferebantur ſeu globos, quæ παλάθας Græcis. *Heſych.* παλάθη, ἡ τῶν ... ὀρεινὰ ... παλάθας ... : quod idem de prunis cottanisque legimus. Martialis, *l.* 13. *Epigr.* 28.

> *Hæc tibi quæ torta venerunt condita metâ,*
> *Si majora forent cottana, ficus erant*, &c.

Ubi *metam tortam* Poëta vocat, è tortis juncis textam ſportam, metæ modò, in acuminatum faſtigium deſinentem. Cujuſmodi caniſtris Maſſilienſes hodieque caricas ſuas recondunt ac exportant & *cabas* vocant. Dalechampius, *Not. in Plin. l.* 13. *c.* 5. Vide infrà in vocibus *Maſſa* & *Offa*: plura verò hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 935.

CARICA, domicilia dicuntur, quæ in edito ſita ſunt, & naturali munimentô tuta. Cœl. Rhodig. *l.* 27. *c.* 23.

CARICÆ Claves etiam dictæ, quæ *Laconicæ* aliâs, quòd his etiam *Cares* uterentur. Avienus Arati Interpres, ubi de ſidere Caſſiopeæ,

> *Lux hebes eſt membri. Sic quadam Caria quondam*
> *Noverat intrantem per clauſtra tenacia clavem,*
> *Formatur ſtellis diſtantibus.*

In quibus verbis Laconicæ clavis dentibus, ſimilem eſſe ſtellarum diſpoſitionem in aſteriſmo hoc innuit. Non utiliæ enim, nec in congerie acervatæ & alternatim poſitæ ſtellæ, Caſſiopeæ corpus effigiant, ſed in lineæ ſeriem ſitæ diſſitæque invicem, & aliæ aliis rectô filô ſubjectæ. Quod verum eſſe vetus ejus aſteriſmi κατάθεσις, apud Hyginum, *c.* 9. deſcripta, fidem facit: qui in capite Caſſiopeæ unam ſtellam oſtendi dicit, in papilla dextera, puta claram unam; in lumbis, magnam unam; in genu, unam; & in pede dextero, unam. Quô ſitu ac diſpoſitione dentes, in clavi *Carica* ſeu Laconica locati erant, ut ſcil. unus alii ſubjiceretur; quod hodieque in noſtris clavibus videre eſt. Vide typum hujuſmodi occultarum clavium, tribus γομφίοις, quos Ariſtophanes iis tribuit, conſtantium, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 919. *& ſeqq.*

CARICONTICHUS, Libyca urbs, ad ſiniſtram Columnarum Herculis. *Steph.*

CARICUM, locus ſolitarius in Memphide, ubi Cares aſſiduitate, cum Memphitis contractâ, *Caromemphitæ* dicti ſunt. *Steph.* Res ſic habet: Pſammitichus I. Ægypti Rex invidiâ cæterorum Regulorum pulſus, conſultô Latonæ oraculô reſponſum accepit, ultionem ei affuturam è mari, χαλκέων ἀνδρῶν ἐπιφανέντων, *viris aeneis apparentibus*. Paulo poſt, prædatores quidam Iones & *Cares, ære armati*, in terram exierunt & campeſtria populati ſunt. Qui nuntius cum Regi allatus eſſet, is agnitô oraculô, cum iis amicitiam init. Sed &, cùm Oraculum Ammonis Tementhem Regem juſſiſſet φυλάξασθαι τοὺς ἀλεκτρυόνας, *caveret à Gallis*, Pſammitichus verò, Pigrete Care familiariter utens, ab eo cognoviſſet, Criſtas galeis primos impoſuiſſe *Cares*, intellectâ oraculi mente, magnam illorum multitudinem conduxit. Quorum ope cum, devictis cæteris Regibus, totô Ægypti regnô potitus eſſet; in præmium navatæ operæ, fundos illis dedit ad utrumque Nili latus, prope mare, infrà urbem Bubaſtin, ad oſtium Peluſiacum; locus *Caſtra* vocabatur: quos deinde Rex Amaſis Memphim tranſtulit, ſuorum ſatellitiô contra Ægyptios ſe muniturus. Ita ab his pars Memphidis *Caro-Memphites* dicta eſt. Hi primi ἀλλόγλωσσοι, *linguæ diverſæ*, in Ægypto habitârunt: quibus poſtmodum, traditi ſunt pueri Ægyptii, Græcâ linguâ imbuendi, à quibus ſic edoctis orti ſunt, qui in Ægypto deinceps fuêre Interpretes. His ita in Ægypto habitantibus, & cum Græcis commercium foventibus, *Nos* (ait Herodotus, *l.* 2. *c.* 154.) *res Ægypti, a Pſammiticho tempore, ac deinceps, certò cognoſcimus*: quod ad illius auctoritatem non parùm facit: vetuſtiora enim ea Sacerdotum fide tradidit. Poſteà, eôdem adhuc Rege, circa initium Cyaxaris I. Medorum Regis Olymp. 36. Mileſii cum 30. navibus in Bolbiticum oſtium appulerunt, ibique τὸ Μιλησίων τεῖχος, *Mileſiorum murum*, condiderunt. Quô pactô, circa Pſammitichi demum tempora, Græcis Hiſtoria Ægypti exploratior eſſe cœpit. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec.* XVII. ubi *de Pſammiticho Rege*.

CARIDEMUM, vide *Charidemum*.

CARIDES, Phrygiæ urbs. *Steph.*

CARIETES, Hiſpaniæ populi in conventu Clunienſi. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

CARIGA, Drangianæ urbs. *Amm. Marcellin.*

CARIGE, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

CARILLÆ, vide *Cerillum*.

CARIMA, Galatiæ oppid. *Ptol.*

CARINA, fœmina ſive virgo è Caribus, quæ amore Nymphæi correpta, inſidias, quas Cares Meliis parabant, aperuit. Polyænus, *l.* 8. *c.* 64.

CARINA, mons Cretæ, 9. mill. paſſ. ſuô ambitu continens, in quo nullæ muſcæ viſuntur. Plin. *l.* 5. *c.* 32.

CARINA Equi, apud veterem Scholiaſtem Papinii Statii, *Theb. l.* 11. *v.* 512.

> *—— —— —— tamen irrita vota*
> *Cuſpis, in obliquos invenit vulnera coſtas.*

Quid ſit, exponit Nemeſianus in *Cyneget. de Canibus*, *v.* 110.

> *—— —— —— Sit cruribus altis,*
> *Sit rigidis, multamque gerat ſub pectore lato*
> *Coſtarum ſub fine, decenter prona, carinam.*

Ubi *carinatum* pectus volucrum & cæterorum, præter hominem, animantium, ex Plinio notavit Barthius. Vide quoque eum, *Animadverſion. ad Statium d. l.* Nempe *Carina* propriè infima navis pars, à cavitate nonnullis, quaſi *Cavina* dicta, cujus formam animalium pectus imitatur. *Ad eundem maximè modum Parapamiſadarum etiam tuguria ad ... coibant, ubi foramine relicto ſuperne lumen accipientium*, Curt. *l.* 7. *c.* 3. Nec aliter pleraque in Germania tecta ſtruuntur & clauduntur, quàm in *carinæ* aut ſepulchri aggeſti formam lateribus æquali ſpatiô uſque ad tecta ſurgentibus. Sed & Perſas, qui in Africa ex Herculis exercitu remanſerant, *alveos navium inverſos pro tuguriis habuiſſe*, & ædificia Numidarum agreſtium, quæ *Mapalia* illi vocabant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quaſi *navium carinas*, ſuô adhuc tempore fuiſſe, Salluſtius refert, *Jugurth. c.* 18. Vide quoque infrà, ubi de veterum *Tectis*.

CARINÆ, mulieres dicebantur, quæ cantu flebili mortuos in funeribus aſſectabantur, eo quod ex *Caria* accerſebantur. Cœl. Rhodig. *l.* 16 *c.* 3.

CARINÆ, Romæ dicebantur ædificia facta, in modum Carinarum, quæ erant circa Templum Telluris. Alii addunt, vicum fuiſſe Romæ, ubi domus fuit Pompeji. Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 361.

> *—— Paſſimque armenta videbant,*
> *Romanoque foro & lautis mugire Carinis.*

Horat. *l.* 1. *Ep.* 7. *v.* 48.

> *—— Forô nimium diſtare Carinas*
> *Jam grandis natu queritur.*

Varro *Carinas*, dici putat ab eô, quòd hinc oriretur caput Sacræ viæ, caput enim Græcè Κάρα dicitur.

CARINARE, apud Ennium Servio laudatum,

> *Et contrà carinante, verba atque obſcœna profatus,*

quid ſit, vide ſuprà *Carere*.

CARINARII, vide infrà *Cerinarii*.

CARINAS, vide *Secundus*.

CARINE, urbs circa Caïcum fluv. in Aſia minore. Herodot. *l.* 7. *Ita exercitum è Lydia perrexit ad flumen Caïcum, & regionem Myſiam*, ἀπὸ δὲ Καΐκου ὁρμώμενος Κάνης ὄρος ἔχων ἐν ἀριστερῇ διὰ τοῦ Ἀταρνέος ἐς Καρήνην πόλιν. *Clitrina* Nigro.

CARINI, Germaniæ populi Plin. *l.* 4. *c.* 14. Ubi nunc pars Marchiæ Brandeburg. & magnæ Poloniæ. *Cluver.*

CARINIACUM, vulgò *Charny*, locus Galliæ in Burgundiæ Ducatu, in pago Autoſavorum ſeu Autiſiodorum. Hadr. Valeſ. in voce *Ternodorum*.

CARINIANUM, oppid. Pedemontii cum arce & ponte, ad Padum fluv. longâ obſidione Gallorum, cùm à Petro Columna Cæſarianarum legionum præfecto defenderetur, nobilitatum. Principatus titulô gaudet. 5. milliar. ſuprà Taurinum in Auſtrum: paulò minùs à Carmaniola.

CARINII, Illyrici populi. *Appian.*

CARINSII, Sardiniæ populi. *Ptol.*

CARINTHIÆ, vel CARNITHIÆ, olim Pannoniæ provinc. nunc German. Ducatus, habet ab Ortu & Septentrione Stiriam, ab Occaſu & Meridie Alpes, & Forum Julii contingit. Hujus pars eſt *Carniola*. Multæ in hâc regione valles, colleſque tritici feraces; multi lacus & amnes, quorum præcipuus eſt Dravus, qui ipſam in duas partes ſecat. Olim hunc tractum Japides inhabitâſſe putantur. Regionis imperium tenent Duces Auſtriaci. *Munſter. Sabellicus*. A tempore nempe Henrici, Ducis ultimi, qui, poſtquam Bohemiæ per triennium præfuit, à Johanne Rege, Henrici VII. Imperatoris filio pulſus eſt, A. C. 1311. Incolæ ferunt privilegiô occuratos eſſe novos Duces inaugurandi, Duce ruſticanâ veſte in ſcrinio prope adſtante: Idque factum, quia primi fidem Chriſtianam ſint amplexi. Hîc urbes *Sanvent*, *Villach*, *Volckmarck*, *Judenburg*, *Clagenfurt*, &c. Æneas Sylv. *Europ. c.* 20. Mouſtrelet. *Coſm. l.* 3. Cluver. *l.* 3. *Geogr.* Addo, quòd eam poſt alios Otho, Othonis M. Imperatoris ex Ludulfo Sueviæ Duce nepos, eôque defunctô, filius ſilius Cuno, agnati Othonis III. beneficiô tenuit, penſandæ fidei induſtriæque, quam, vindicandæ contra Bavaros Duces Cæſaris Imperiique dignitatis, iſte præſtiterat. Erantque tum in Ducatu Marchiones duo, alter tuendo limiti Orientali contra Hungaros: alter contra Sclavos, defendendæ oræ Meridionalis conſtituti: Palatini item, Goritienſis atque Crainburgius, iſte in Italiæ, hic in Bavariæ, finibus, omnes pari obſequii nexu Ducis juſſa ſpectantes.

Adeinta

Ademta poſteà Cunoni, Cunonis nepoti, in contumaciæ pœnam, ab Henrico IV. provincia, primùm in Welphonem Bojoarum, inde ad Bertholdum Comitem Zeringium, tranſlata eſt. Sed rediit ad Cunonis filios, qui inſignibus erga Cæſarem officiis parentis culpam eluiſſe viſi, amiſſam iſtius crimine terram ſuô meritô recepêre. Eam exin Ottocarus emtionis titulô cum Ulrico, ultimo Duce, contractæ, pro ſua uſurpavit, ut quidam ajunt. Alii Meinhardo Tyrolenſi à Rudolfo, nonnulli Alberto Contracto Auſtriæ Duci à Ludovico Bavaro Imperatore defunctô Henrico Carinthio, abſque maſcula ſobole, A. C. 1335 conceſſam, pòſt per conjugem Margaretham Maultaſchiam, plenô jure domui iſti illatam, dicunt. Quidam etiam Alberti hujus filios, à Margaretha iſta hæredes ſcriptos, referunt. Tob. Pfannerus, *l. de præcipuis German. Principum Genealog. c. 1.*

CARINUM, à Siculo *καρῖς*, pro *κηρὸς*, quod eſt *ceræ colore*. Unde *Carinarios* Plautus habet in *Aulularia*, *Actu* 3. *ſc.* 5. *v.* 36.

Flammearii, violarii, carinarii:

qui eô colore veſtes inficerent. Octav. Ferrarius, *de re Veſtiaria, part.* 1. *l.* 3. *c.* 20. Vide quoque infrà in voce *Cerinum*.

CARINUS Marc. Aurelius, Imperator quidam Romanus, fil. Cari, Imperatoris cum fratre Numeriano, Cæſar pronuntiatus, & hôc in Orientem ſumptô, in Galliam miſſus. Novem uxores habuit, in innocentes ſævus, & ſcelerum victima, unde à Patre abdicatus. Quô mortuô Diocletiano ſe oppoſuit, & prope Vetonum, Sabinum Julianum, Imperium affectantem, occidit, à quodam Capitaneorum ſuorum, cujus uxorem corruperat, in Mœſia interfectus, Aurel. Victor. Dion. Vopiſcus, *in vita ejus*, ubi cum *hominem omnium contaminatiſſimum*, & *adulterum* vocat. Idem eſt judicium de ejus moribus, apud omnes Hiſtoricos, fuiſſe ſcilicet omni genere luxûs perditum, crudelem etiam & ſuperbum. Quare diſertiſſimus ſcriptor Syneſius, qui in elegantiſſima, & graviſſima oratione de regno, Carinum laudat, ut principem ſobrium, moderatum, & magni exempli, ſine controverſia falſus eſt: *Carinum* enim nominat, quem debuerat *Carum*.

CARINUS ſeu CHARINUS Ludovicus, Lucernâ Helvetius, Medicus ſingulari candore humanitateque præditus, Fuggerorum quondam Præceptor, multis Magnatibus familiaris ac virtutum causâ acceptus. Hic ut ſe Baſilienſibus, apud quos ſedem fixerat, gratum exhiberet, tribus bonæ indolis adoleſcentibus liberalia ſtipendia conſtituit, hôcque ſe nomine poſteritati commendavit. Obiit die 17. Jan. A. C. 1569. Epitaphiô metricô inſigni honoratus. Chriſt. Urſtiſius, *Epitome Hiſtor. Baſil.* & ex eo Freherus, *Theatrô Viror. eruditione claror.*

CARIO, nomen comicum Servi apud Ariſtophanem, *Pluto*, deductum à Caribus, qui ſervili fuiſſe ingeniô dicuntur, parati quidvis malorum pati mercede propoſitâ. Propterea Ariſtophanes alibi ait, Εἰδ' ὀυδὸς ἐςὶ κ̕ Κάρ, i. e. *Quòd ſi ſervus eſt & Car.*

CARIOBARZANES, mons inter Parthos & Maſſagetas.

CARIOPOLIS, urbs Cariæ, *Clariobolis* Turcis. *Leuncl.*

CARIOSUELLITES, Galliæ Lugdunenſis populi. Plin. *l.* 4. *c.* 18.

CARIOTH, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 24. Jerem. *c.* 48. *v.* 41 Item, in regione Moab, in tribu Ruben. Jerem. *c.* 48. *v.* 24. Amos *c.* 2. *v.* 2.

CARIOVALDA, Dux Batavorum, inter auxilia Romana ſub Germanico. Eum Cheruſci fugam ſimulantes in planitiem ſaltibus circumjectam traxerunt; ac diu ſuſtentatâ hoſtium ſævitiâ, denique in denſiſſimos irrumpentem, congeſtis telis & ſuffoſſô equô labentem interfecerunt. Tacit. *Annal. l.* 2. *c.* 11.

CARIOVISCUS, inter auxiliares Valeriani Imperatoris contra Perſas, apud Vopiſc. in *Aureliano*, *c.* 11.

CARIPETA, Arabiæ Felicis oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

CARIS, olim vocabatur Cos inſula. *Steph.*

CARIS, Galliæ fluv. oritur in confinio Alverniæ, dein per Bojos, Bituriges & Turones lapſus, aliquot milliar. infrà Cæſarodunum Turonum, in Ligerim ſe exonerat, vulgò *Le Cher*, *Baudrand.* Secundùm Valeſium, alluit Caris oppida & caſtella, Montem Luctionem, *Montluçon*, Podium Foliolum *Puy Feuilleux*, Valliniacum *Valligny*, Aniacum vetus *Aınay le viel*; vel potius Auracum villam *Aınay la Ville*, Aniaco caſtello propinquam; Columbarium *Colombier*; Montemrotundum caſtrum, à ſitu cognominatum, *Montrond* vulgò, & corruptè *Mourou*; Auream vallem *Orval*; Nigrumlacum *Noirlac*, Bruerias ad Carum *Bruieres ſur Cher*, Caſtrum novum *Chaſteau-neuf*; Coryletum *le Coudray*, Villamnovam, Quintiacum, Virſionem *Vierzon*, ad quem Averam vel Euram, *Yeure & Eure* dictum, Urrione (*Auron*) auctum recipit. Deinde attingit Caſtra *Chartre*; Monaſteriolum ad Carum *Monſtier ſur Cher*, Carobrivas vel Carobrias *Chabris*; Cellam Biturigum vel Cellam S. Euſicii, *Celles en Berry*, ubi Saleram amnem, *la Saudre*, Saldriam quibuſdam nuncupatum, admittit: tum Nucaria *Noyers*; caſtrum S. Aniani, Maroilum *Mareuil ſur Cher*, Montem Tricardi; Blateum *Biere*; Aciacum *Azay ſur Cher*, Saponarias, Columbaria, Luarias: ac demum in Ligerim influit. Accipit præ cæteris Tardam *Tarde*, Milmandram *Marmande*, Averam *Yeure*, & Saleram majorem *la grande Saudre*, quæ Nigram *Nerre*, & Saleram minorem *petite Saudre* ſecum defert. *Notit. Gall.*

CARISIA, cognomine Aurelia, civitas Hiſpaniæ ad Bætim fluv. in Gaditano Conventu. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

CARISIACUM, Galliæ Belgicæ oppid. *Antonin.* vulgò *Creſci.* Ad Saram fluv. in Picardia, 3. leuc. à Lauduno in Boream 4. à Fera in Ortum. Item Villa olim regia, Hadr. Valeſio, palatiô inſignis, ſilvisque contigua, non procul à Compendio. Hic Carolus Dux & Princeps Francorum deceſſit, A. C. 741. & Godeſcalcus Monachus iterum damnatus ac honore Presbyterali dejectus eſt, Conciliô hic habitô, A. C 848. A Chariſio conditore aut ſaltem poſſeſſore nomen accepiſſe videtur. Hodiè *Chierſi* vicus, 6. mill. paſſ. à Noviomago, ad ripas Iſaræ. *Notit. Gall.*

CARISIUS, prænomine Publius, Legatus pro Prætore in Hiſpania. Emeritæ, juſſu Auguſti, conditor.

CARISSA, Paphlagoniæ oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 3.

CARISSANUM, caſtellum quoddam in Italia, juxta quod T. Annius Milo occiſus eſt. Plin. *l.* 2 *c.* 56.

CARISTEÆ columnæ, apud Capitolin. *in Gordiano tertio*, *c.* 32. Vide infrà *Caryſtiæ*.

CARISTI, Hiſpaniæ Tarraconenſis gens. *Ptol.* Ubi nunc pars Guipuſcoæ provinc. & pars Orientalis Biſcajæ, inter Iberum fluv. & Oceanum Cantabricum.

CARISTUM, Liguriæ oppid. Liv. *l.* 42. vulgò *Caruſco.*

CARITAS, cella Monachorum Cluniacenſ. ad ripas Ligeris, in diœceſi Antiſſiodorenſi, una ex 5. majoribus cellis ſeu Prioratibus, huic Ordini ſubjectis. Hinc oppido non ignobili nomen *la Charite.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CARITAS, apud Gregor. M. *l.* 12. *Ep.* 6. aliisque paſſim, Agape eſt, convivium Chriſtianorum, quô amici olim pauperesque excipiebantur. Hodieque in Monaſteriis *Caritatum* nomine veniunt epulæ ſolennes & extraordinariæ, quas Benefactores (qui prædiis bonisque Monaſteria locupletârunt) vel anniverſariorum ſuorum, vel ſtatis & deſignatis aliis diebus, præſertim Feſtis ſolennioribus à Monachis fieri præceperunt, quô & beneficiorum & rerum conceſſarum memoria Monachorum animis altius hæreret. Qui quidem ritus jam à Stephano Eddio memoratur, qui vixit A. C. 700. Sed & quamvis extraordinariam refectionem, maximè illam, quæ fiebat extra prandium & cœnam, in Monaſteriis, ſic dici ſolitam, diſcimus ex Udalrico *Conſuetud. Cluniac. l.* 1. *c.* 13. Quam propinare, propriè Converſorum ac Juvenum eſſe, docet Bernardus Monach. in *Conſuetud.* ejuſdem Abbatiæ *MSS.* apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Etiam menſura vini, quæ in huiuſmodi refectionibus extraordinariis Monacho præbebatur, ſic appellata, occurrit in *Hiſtor.* Abbendonenſis Cœnobii in Anglia, *Monaſtic. Anglic. Tom.* 1. *p.* 104. Et quia ad ejuſmodi *caritates* ac extraordinarios paſtus, deſtinati erant reditus prædiorum quorundam, Monachus, cui harum ſubminiſtrandarum incumbebat cura (*Magiſter Caritatum* dictus) eorundem etiam redituum ipſorumque prædiorum adminiſtrator erat: Quod munus in pleriſque Monaſteriis Cellerario tribuitur, *Monaſtic. Anglic. Tom.* 1. *p.* 137. 149. &c. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* Sic *Caritatum* Magiſter, Gallis *Maiſtre de charitez*, dicitur in Regio hujus Monaſterio San-Dionyſiano Monachus, qui epulis prædiisque, de quibus dictum, præfectus eſt. Vide quoque infrà *Charitas.*

CARITH, vel CHERITH torrens, qui in Jordanem influit. 1. Reg. *c.* 17. *v.* 3. i. e. *conciſio*, *confoſſio*, aut *exterminatio*. In tribu Ephraim. Hic Elias tempore ſiccitatis manſit.

CARITNI, Germaniæ populi. *Ptol.* ubi nunc Wirtembergenſis Ducatus in Suevia, juxta Nicrum fluv. *Ortelius*, *Sanſon.*

CARIUM, locus in Cypro, ubi Apollinis ſylva. Iſac. in *Lycophr.* fortè *Curium* ſcribendum.

CARIUS, Jovis & Torrhebiæ filius, qui circa Torrhebium lacum oberrans, Nympharum cantum dicitur audiviſſe, & ab eis muſicam didiciſſe, eamque apud Lydos propagâſſe. Quapropter divinos honores apud ſuos meruit, templô illi magnificè extructô in monte, qui & ipſe *Carius* à nomine ejus appellatus eſt. *Steph.* Vide *Torrhebus.*

CARLEOLUM, urbs Angliæ munita ab Henric. VIII. ad Ituniam fluv. 3. milliar. à mari, 6. à Scotia, in Cumbria, juxta ruinas muri Pictici. Parvi circuitus. *Carliſle* vulgò. *Ptol. Leucopibia. Luguvallum* antiquorum Brigantium eſſe credit *Camdenus* & alii, quod vide.

CARLILOCUS, Gall. *Charlieu*, urbs Comitatus Carolenſis, in Burgundia. Ibi Synodus A. C. 926. *Tom.* 9. *Conc. l.*

CARLINGFORDIA, oppidul. munitum Hiberniæ in Ultonia provinc. & Lugenſi Comitatu. Portu gaudet utcunque capaci, 4. milliar. à Dunkerano, 22. à Duno in Auſtrum.

CARLOMANNUS, fil. Ludovici Balbi, ex Anſgarde, nobili puella, cum Ludovic. III. fratre, coronatus, A. C. 879. regnô ſic diviſô, ut Ludovicus Neuſtriam, Carlomannus Aquitaniam cum Burgundia teneret. Hi cum Ludovico, Alemanniæ Rege fœdere initô, Boſonem, qui Burgundiæ regnum invaſerat, prælio vicerunt, Viennâ, ubi uxorem reliquerat, obſeſſâ. Sed cùm Ludovicus Normannorum incurſiones repreſſurus, domum iter parans, in reditu obiiſſet, Frater, obſidioni Comite Richardô præpoſitô, in Picardiam tranſiit, ubi Barbaros aliquoties victos, tandem, aliquâ pecuniæ ſummâ exhibitâ, diſcedere penitùs coegit. Paulo poſt prope Montforonum, an venatione, an ab apro, an ab aliquo ſuorum, lethaliter vulneratus, obiit, A. C. 884. Sponſus filiæ Boſonis, Regis Arelatenſis ex Hermangarde.

CARLOMANNUS, fil. Caroli Martelli, Dux & Princeps Francorum in Auſtraſia, cum fratre Pipino Griffonem autumnum nato, in vincula compegerunt, Hunaldum dein, Aquitaniæ Ducem, in ordinem coëgerunt, dein regnô diviſô, Carlomannus in Germaniam tranſiens Theobaldum, Alemannorum & Theodoricum, Bavariæ Ducem ſubegit, quorum hic fidem mox fallens, plurimorum cæde perfidiam luit A. C. 746. Hinc commendatô prius fratri Drogone filiô, à Zacharia Papa ſacris initiatus, monaſticam vitam ſuſcepit. Obiit A. C. 755. Aimoin. *l.* 4. Leo Oſtienſ. *l.* 1. Hiſt. Gall. *in Childerico II. & Pipino Curto.*

CARLOMANNUS, fil. Pipini Curti, regnô cum Carolo M. fratre diviſô, Sueſſione coronatus eſt. Paulo poſt, cum fratre commiſſus, inquietorum hominum operâ, obiit A. C. 771. Pater duorum filiorum, ex Bertha, quæ maritô mortuô ad Taſſilonem Bavariæ Ducem ſe recepit. Hiſt. Franc. *in Pipino Curto & Carolo M.* Tillerius, San Marth. *Geneal. domus Gallicæ.*

CARLOMANNUS, major natu fil. Ludovici Germanici, frater Ludov. II. & Caroli, regnum Bavariæ, ſub ſe cognitum Pannoniam,

tonaſam, Carinthiam, Bohemiam & Moraviam tenuit, cum titulo quoque Italiæ Regis. Quod regnum Imperio adjecturus, exercitu collectô, Panicô terrore perculſus, fruſtrà fuit. Paralyſi ictus A. C. 880. Oetingæ jacet. Pater duorum nothorum, Arnulphi, cui Carinthia obtigit, & Giſelæ, quæ A. C. 890 Zuendipoldo, Moraviæ Regi nupſit. *Regino*, &c.

CARLOMANNUS, fil. Caroli Calvi major natu, qui cùm contra Patrem conſpiraſſet, diaconus factus eſt Mox iterum rebellans, in vincula conjectus: unde ope Adriani II. liber denuo turbatus, excæcatus eſt, & in Monaſterium Corbejæ detruſus. Obiit A. C. 873. *Hodoard. Aimon* &c.

CARLOTA, fil. Johannis II. Regis Cypri, Hieroſolym. & Armeniæ, ex Helena, filia Theodori Deſpotæ Peloponneſi, uxor primo Johannis Luſitani, Ducis Conimbricenſ. eô mortuô A. C. 1457. nupſit Ludov. Sabaudo, ſecundogenito Ludov. Ducis, ex Anna Cypria, ſorore Johann. II. Nicoſiæ, patre mortuô, trium regnorum Regina coronata eſt, A. C. 1458 ſed equô cum illa turbante, corona, malô omine, excidit. Paulo enim poſt Jacobus, patris ex Maria Patra fil. nothus, à Sult. Melec. Ella adjutus, eam regnô excuſſit. Quæ primo in Sabaudiam, dein Romam delata, donavit amiſſum Cypri regnum nepoti ſuo Carolo, Sabaudiæ Duci. Obiit A. C. 1487. *Æn. Sylv in Aſia c. 97 & l. 7. Comm.* Steph Luſinian. *Hiſtor. Cypri*, Gulcheno *Hiſt. Sabaud.*

CARLOTA, filia Ludov. Sabaudi, ex Anna Cypria, Sponſa Friderici Saxonis, dein uxor Ludov XI. tum Delphini ex eo mater trium filiorum, quorum unicus ſuperſtes manſit, Carolus VIII Obiit A. C. 1483. in templo Mariæ Cluniacenſis prope Autelmaum, cum marito, ſepulta *Hiſtor. Gall*

CARMACÆ, Aſiæ populi circa Maotim. *Plin. l 6. c. 7.*

CARMALUS, Aſiæ minoris in Sagarauſena regione amnis, qui in Cilicium mare effluit *Strabo.*

CARMANA, inſula *Steph.* Item urbs primaria Carmaniæ, *Ptol.*

CARMANIA, regio Aſiæ Majoris in regno Perſico inter Perſidem propriam, & Indiam ſita. Habuit olim & Regni titulum Cladinus enim Sultanus Iconienſis, ob irruptionem Tartarorum, è regno profugus, Ortugarelem Carmaniæ præfecit, A. C. 1296 quô poſt paucos menſes defunctô, filio ejus Ottomanno inſignia regni dedit, eumque Regem Carmaniæ creavit: ſic prima fundamenta Ottomannicæ potentiæ, quæ dominatur hodie, jacta ſunt. Hanc duplicem eſſe *Ptolemæus* tradit, cultam alteram, vulgo *Chermen*, alteram deſertam, *Dulcinde* Caſtaldo, & *Mingen* Ortelio. Prior Perſidi hæret, ab ea in ortum recedens, ſinum Perſicum circa fauces illius Armuzo promontor. contra Armoſam inſulam & urbem attingens: Altera Oceano Indico adjacet, inter priorem Carmaniam ad occaſum & Gedroſiam ad ortum perſtricta. Tota Carmaniæ ora 1250. mill. paſſ. patet ex Plin. *l. 6. c. 23.* Aliter eas *Ptol.* deſcribit. Deſertam enim in Boream versùs Aſiam & Parthiam, ac in occaſum Perſidem versùs extendit; alteram ad meridiem & ortum. *Carmaniæ pars* (inquit Bochartus. *l 4. Phaleg. c. 4*) *una deſerta eſt; Altera, ad quam Sabthecam putamus appuliſſe, ubi* Samydace *urbs & Samydarus fluv. omnium arborum eſt ferax, præter oleam. Auro etiam & argento dives eſſe traditur, & ære, & arſenicô, & minio, & ſale, & frugibus Perſicarum æmula. Sed Carmaniam nihil tantoperè commendat, quam portentoſa vitium ubertas, quarum uva ſolent eſſe bicubitales, grandibus acinis ac denſis* Ita habetur in Strabone: Γεώργιά δ' ἔχει ἐοικυῖα ταῖς Περσικαῖς, ἔστι ἄλλα καὶ ἄμπελον, ἥντινα δ' ἡ Καρμανία λεγομένη ταῖς ἐκεῖ, καὶ δίπηχυν ἔχει πολλάκις τὸν βότρυν, πυκνόραγά τε ὄντα καὶ μεγαλόραγα, οὐκ εἰκὸς οὖσαν ἀπειροτέραν οἴνου. Et in *Indicis* Arriani, ὁρμίζονται δ' ἐν Βαδισχόρῳ τῆς Καρμανίης εἰσαφίκοντο ἐπ' ἄκρα τε ἄμπελα ἄπειρα πεφυκυίας ἔχουσιν, πλὴν ἐλαίης, καὶ ἀμπέλοις ἀγαθοῖς. Et Plin. *l 6. c. 23.* ubi de Carmania, *Inde vineas coli, & uva*, &c. Ab hâc vitium copiâ & præſtantiâ כרמן Carman, i. e. *Carmania* videtur dicta, Chaldæis enim & Syris כרמא *carma* eſt *Vitis.* Arabes ſcribunt כרמה *carama*, Hebræi כרם *cerem*. *Nic. Lloydius.* *Baudrando* Carmania, regio Aſiæ, perampla, inter Perſidem propriam ad Occaſum, Gedroſiamque ad Ortum, versùs oram ſinus Armuſiam & Oceani Indici ſita, nunc *Kherman*, ab urbe cognomine, quæ aliàs etiam *Carmania*. Continet provinc. *Guadel*, *Dulcinda* & *Armuza*. Carmania autem Deſerta provinc. Perſidis parva, inter Parthiam & Carmaniam propriam, cujus versùs pars, ubi nunc pars provinc. Meridionalis *Sableſtan*, & deſertum *Mingus*, in Boreali parte Kermani, intra montes. Vide de Carmania, præter prædictos, Arrian. *l. 8.* Melam, *l. 2. c. 8.* P. *Jovium*, *Texeiram*, &c. Addo, quod multarum inſuper gemmarum mater eſt, in qua Altrios, Aſtettes, Callaica, Ceraunium candidum, aliæque plurimæ reperiuntur; Onyx inprimis, quem proin *lapidem Carmaniæ* Plin. *l. 37. c. 6.* vocat, ubi de onychis gemmæ nomine loquitur, *Hoc in gemmam tranſiliit ex lapide Carmania.* Idem in eadem regione probatiſſimum Alabaſtritem inveniri, ſcribit alibi. Unde aliquot locis, apud *Solinum & Martianum Capellam*, ubi de gemmis, pro *Germania*, *Carmaniam* reponit Salmaſ. illas enim in Germania repertas eſſe, notum. Porrò parebat ea, unà cum Perſidis provinc. Suſiana ac reliquis in ora maris Indici, Regi Perſarum, etiam tum cùm Parthi imperabant: quæ cauſa, quòd inter duodeviginti Parthorum Regna, provinciæ hæ non recenſeantur Iſidoro *in libello* Παρθικοὶ Σταθμοί, *Parthicarum Manſionum*, &c. Vide præfatum Salmaſ. *ad Solin. p.* 240. 559. 1190. 1197. *alibique.*

CARMANIOLA, urbs Pedemontii munita, 2. milliar. à Pado fluv. 9. à Taurino in Auſtrum. Arcem habet & armamentarium. Sub Sabaudiæ Duce, cui illa bellô hîc erepta à Gallis, receptaque eſt.

CARMANIS, Perſiæ Emporium, apud *Euſtathium*

CARMANOR, Cretenſis, Apollinem de cæde purgavit. Pater Chryſothemidis, qui primus in Pythicis Ludis cœtum & cantu vicit. Pauſan. *Phocic. p. 610.*

CARMANUM, caſtrum Galliæ, obi cum Albigenſium doctoribus colloquium inſtitutum primo eſt, quod dein Apameam tranſlatum, A. 1208. Vulgò *Carman*: Comitivæ titulô illuſtre, in pago Toloſano. Ejus meminit Petrus Monachus, *Hiſt. Albig. c. 3.*

CARMARA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol*

CARME, nympha ex Jove Britomartim concepit, quæ cùm curſu delectaretur, & venatione, Dianæ grata fuit; Hanc cùm amaret Minos, inſequereturque, illa fugiens in retia capiendis piſcibus demiſſa, ſe præcipitem dedit. Cœl. Rhodig. *l. 18. c. 26.* Vide *Dictynna.*

CARMEIUS, unus ex Ducibus, qui Æetæ contra Perſen fratrem auxilio venerunt. Val Flacc *l. 3. Argon. v. 582*

CARMELIS, Hiſpaniæ urbs, ubi Servilius Galba hyemavit. *Appianus.*

CARMELITÆ, Ordo religioſorum, in communione Roman. qui initium cepit in Syria; in monte Carmelo locatus, ab Almerico, legato Alexandri III. in Orientem. Regulas accepit ab Alberto, Patriarcha Hieroſolymitano A C 1205 habitum ab Honorio IV. mitigationem regularum, ab Innocentio IV. A C. 1245. Vide Sabellic. *l. 4. Ennead.* 5. Onuphr. & Genebr. *in Chron tom 1. Bull. in Honorio III. Conſt. 8. Innoc IV. Conſt. 6. in Bonif VIII. &c.* De duplici ordine militari à *monte Carmelo* dicti, quorum alter ab Henrico M. inſtitutus, A. C. 1608. numero 100. nobilium Gallorum, quorum eſt, belli tempore, Reges proximè ſequi: alter S. Lazari dictos, pro Sabaudis & Italis, qui ab Innocentio VIII Melitenſi junctus eſt, vide Spondan. *A. C. 1608. n. 3.* Matthæum, Favynum, Moretum, & in voce S. *Lazarus*

CARMELUS, ſumitur vel appellativè, vel propriè. Et quidem priori ſenſu *Carmel* dicitur locus quivis arboribus conſitus, frugibuſque aut gramine fertilis. Eſaj. *c. 16. v. 10.* Jerem. *c. 48. v 33.* Voce, ut ſuſpicor, compoſitâ, ex כר *Car*, quod *paſcuum*, aut *agrum* ſonat, & מל *mul*, quod *ſuccidere* eſt, ut *Carmel* ſit *pratum*, vel *ager ſucciſivus*, i e. ex quo fœnum, aut ſpicæ ſuccidunter. Sed & *Carmel* proprium nomen eſt duorum in Judæa montium. Quorum unus ad Aquilonem eſt παραθαλάσσιος, prope Ptolemaidem, in confinibus Aſſer & Zabulon, de quo Joſ. *c. 12. v. 22* & *c 19. v. 26.* fertilis, in paſcuis, fructibus & herbis, ferax vini delicatiſſimi. *Moreri*, in tribu Iſaſchar, ambitus 15. leuc. innumeris fontium ſcatebris irriguus, ubi aliquot pagi hodie, plurimæque cavernæ Eremitarum. Alter ad meridiem μεσόγειος, prope Hebronem in tribu Judæ, de quo Joſ. *c 15. v. 55.* In priori habitavit Elias, & altare Deo erexit & per inſigne miraculum, coram Iſraëlitis præſtitum, Baalitas confutavit, & veri Dei cultum reſtituit. Sed & illud ipſum altare poſtmodum in ſuperſtitionem verſum, & Jovi conſecratum eſt. Unde *Scylax*, ex doctiſſimi Voſſii emendatione Κάρμηλος ὄρος, ἱερὸν Διός. Quamvis in eo Tacitus, *Hiſt. l. 2. c. 78.* templum ullum fuiſſe neget, ſed montem ipſum aſſerat pro Deo fuiſſe cultum: *Eſt*, inquit, *Judæam inter Syriamque Carmelus. Ita vocant montem, Deumque. Nec ſimulacrum Deo, aut templum, ſic tradidêre majores, aram tantùm & reverentiam* Inde eſt, quod in Suetonio Veſpaſianus, *c. 5.* Carmeli Dei oraculum conſuluiſſe legitur. Ab hoc monte Carmelitæ, ſucceſſores Eliæ & Eliſæ, ſe jactantes, nomen mutuati ſunt. Vide ibi. In altero monte Carmelo degebat Nabal, 1. Sam *c. 25. v. 2.* Et ad hunc Carmelum referunt, quæcunque habent Prophetæ, de Carmeli paſcuis, Jerem. *c. 50. v. 19.* Amos *c. 1. v. 2.* Mich. *c. 7. v. 14.* Quæ tamen loca referri poſſunt etiam ad Eliæ Carmelum; Bochart *de Anim. Bibl. Part. 1. l. 2. c. 48.* *Heſych.* Κάρμηλος, ὄρος ἐν τῇ Θεσσαλίᾳ. *Nic. Lloydius.*

CARMELUS, promontor. 10. milliar. à promontorio Albo in Auſtrum, prope Porphyrion & Caipham. *Baudrand.*

CARMELUS, vel *um*, promontorium in tribu Iſaſchar, ubi S. Helena Eccleſiam conſtituit. Niceph. *l 8. Hiſt. c. 30.*

CARMEN, pro incantatione, apud Juſtinianum, §. 5. *Inſtitut. de Public. Jud.* Virg. *l. 4. Æn. v. 487.*

Hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes.

Unde *Carmina dira*, in *l. 7. Cod. Theodos. de Paganis*; Vindicianus Med.

Gramine ſeu malis ægro præſtare medelam,
Carmine ſeu potiùs, namque eſt res certa ſalus,
Carmen, ab occultis tribuens miracula rebus.

Cujuſmodi *Carmina diabolica*, quæ ſuper mortuos nocturnis horis vulgus cantare ſolebat, vetantur, in Ratherii Veronenſ. Epiſcopi *Epiſtola Synod. ad Presbyteros*, & apud Reginonem, *c. 91.* &c. Serpentibus inprimis adhibita, quos ideo magis moveri hominum carminibus Auguſtin. judicat *ad Geneſ.* quàm ullum illud genus animantium, ut hoc eſſet argumento, primum hominem à Satana fuiſſe per ſerpentem in Paradiſo ſeductum. *Carmina* iſtiuſmodi לחשים, i e. *ſuſurros*, aut *muſſitationes* Hebræi vocant; quia cantus ſuos Magi intra labia demurmurare ſolent, vide Pſalmum 58. *v.* 5. 6. Et quidem cantu hôc credebantur ſerpentes, primò è cavernis elici atque evocari, Plin *l. 8. c. 2.* & Ælian. *l. 6. c. 33.* Hinc Seneca in *Medea*, *Actu 4. v. 683*

------ -- tracta Magicis cantibus
Squamea latebris turba deſertis adeſt.

Dein fugari. Lucanus, *l. 9. v 915.*

Primum quas valli ſpatium comprendit arenas,
Expurgat cantu, verbiſque fugantibus angues.

Porro ſiſti, deliniri & ſtupefieri. Virg. *Æn. l. 7. v. 753.*

Vipereo generi, & graviter ſpirantibus hydris,
Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat,
Mulcebatque iras & morſus arte levabat.

Inſuper, expurgari ab omni veneno, ne noceant. Alcimus de Peccato Orig. l. 2.

Concutit interea ſecreti carminis arma, &c.
Mox impunè manu coluber tractatur inermi:
Et morſus tantùm, non virus in angue, timetur.

Sed & putabatur virtus carminis eos ſanare, quos morſu læſiſſet aut tactu ſerpens: quo nomine apud Strabonem Indos commendat Nearchus. Lucan. l. 9 v. 930.

—— —— Peſtis nigra inſerta medullis
Excantata perit.

Præcipuè verò, Magò cantante, angues rumpi dicebantur & crepare medii. Virg. Eclog. 8. v. 71.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Ovid. Amor. l. 2. Eleg. 1. v. 25.

Carmine diſſiliunt, abruptis faucibus, angues, &c.

Verùm non in omnes ſerpentes eadem Carminum vis: namque hi duobus modis incantationi crediti ſunt obluctari, nempe, cùm vel recantarent, i. e. contrariò ſibilò incantationem repellerent ac retorquerent, Plin. l. 28 c. 2. vel cùm ad carmen obſurdeſcerent, h. e. cùm cantu nihilò magis afficerentur, quàm ſi vel ſurdi eſſent, vel auribus obtuſis. Atque tùm non eluctari ſolùm ſerpentes, ſed & Magis periculum creare, dicebantur. Alcimus ubi ſuprà,

Interdum perit incantans, ſi callida ſurdis
Admiſſa auris contempſit murmura ſerpens.

Sive totam vim incantationis, juſtò Dei judiciò, in perniciem Auctoris cedere, ſive ſerpentem lethale Mago venenum infundere, dicamus. Nempe tota vis Carminis iſtiuſmodi pendet à dæmone parecdro, cui nonnunquam Deus permittit, ut ſerpentes compeſcat, aliquando minimè: quò fit, ut Magi ſerpentum morſibus non raro æquè periniantur atque alii, & tum angues ad cantum obſurdeſcere, vel etiam recantare dicti ſunt. Vide Sam. Bochart. Hierozoici Part. prior. l. 3. c. 6. & ſuprà, ubi de Aſpide, item in voce Cantare: adde infrà dicenda, ubi de Conſecratione magica.

CARMEN Rogationis, apud Livium, l. 3. c. 64. *Recitabatque (Duilius) rogationis Carmen, in quo, Si Tribunos plebei decem rogabo, ſi quis minùs hodie decem Tribunos plebei feceritis: hi tum uti quos ſibi collegas cooptâſſint, ut illi legitimi eâdem lege Tribuni plebei ſint, ut illi quos hodie Tribunos plebei feceritis.* Rogationis videl. de decem Tribunis latæ, tentatum varié & vetuſtis Editoribus, & Rhenano, Sigonio, Schotto. Locum ſic legit Gronovius: *Si Tribunos plebei decem rogabo, ſi qui vos minùs hodie decem Tribunos feceritis, tum tunc, uti quos ſuos Collegas adoptaſſint, ut illi legitimi*, &c. Ubi *ſi qui*, eſt *ſi quâ ratione, ſi quô numero*: conſtruendumque, *ſi qui Tribunos plebei feceritis minùs decem*, i. e. *τοὺς δέκα*. Vide eum Not. ad h. l. Apud eundem Livium, *Carmen deteſtationis* occurrit, l. 10. c. 38. *Carmen cruciatus*, apud Ciceronem, *I. lictor, colliga manus, caput obnubito*, &c. Ubi *Carmen* ſignificat ſententiam ſeu formulam, conceptis verbis conſtantem. Imò ſonus quilibet modulatus, *Carmen* dictus eſt. Virg. Ecl. 3. v. 27.

Stridenti miſerum ſtipulâ diſperdere carmen.

Statius. Theb. l. 11. v. 56.

Jam gelida ora tacent, Carmen tuba ſola peregit, &c.

Vide Caſp. Barthium animadverſion. ad h. l. & plura infrà in voce Carmina.

CARMENTA, & CARMENTIS, vates Arcadica, Euandri mater, cum quo, ex Arcadia, in Italiam appulſa, benignè à Fauno Rege, 60. ann. ante captam Trojam, A. M. 2810. excepta eſt. Dicta à *carminibus*, quibus dabat reſponſa, cùm propriè *Nicoſtrata* vocaretur. *Carmentalia feſta*. vide infrà & *Carmentalis porta*. Virg. l. 8. Æn. v. 338.

Et Carmentalem Romano nomine Portam.

Poſteà verò *Scelerata* dicta eſt, quòd per eam ſex, & trecenti Fabii, cum clientum quinque millibus egreſſi, adverſus Hetruſcos, ad amnem Cremeram, omnes interfecti ſunt. Ovid. Faſt. l. 2. v. 201.

Carmentis portæ dextro via proxima Jano eſt.
Ire per hanc noli, quiſquis es; omen habet.
Illâ, fama refert, Fabios exiſſe trecentos.
Porta vacat culpâ, ſed tamen omen habet.

Ita primum verſum emendavit Doctiſſimus Nic. Heinſius cùm anteà legebatur.

Carmentis porta dextra eſt via, &c.

Idque ex Livii authoritate, l. 2. c. 49. in hac ipsâ narratione: *Infelici viâ à dextro Jano porta Carmentalis profecti.* Vide Dionyſ. Halicarnaſſ. Ant. Rom. Aurel. Victor. de origine Rom. Plut. in Romulo Nic. Lloydius.

CARMENTALIA, erant feſta, quæ annis ſingulis in honorem Carmentæ à matribus familias 18. Cal. Feb. fiebant, in quibus aliquod ſcortum, aut ſuâ morte peremptum attuliſſe erat piaculum. Ovid. l. 1. Faſt. & Alex. ab Alex. l. 16. c. 8.

CARMENTALIS Flamen dictus eſt, qui Carmentæ ſacra curabat. Ejus Cicero in Bruto ſic meminit: *M. Popilium, cùm Conſul eſſet eodemque tempore ſacrificium publicum cum læna faceret, quod erat Flamen Carmentalis, plebis contra Patres concitatione & ſeditione nuntiatâ, ut erat lænâ amictus, ita venit in concitationem, ſeditionemque quam tum auctoritate, tum oratione ſedavit.* Erat hic Flamen ex minoribus & plebejis. Lænas enim is, cujus Cicero meminit, ex plebe Conſul electus eſt.

CARMIDES, vir Græcus, qui tantâ valuit memoriâ, ut quæ quis exegiſſet volumina in bibliothecis, legentis more repræſentaret. Plin. l. 7. c. 24. ubi tamen alii *Charmadas*, alii *Carneadas*, quidam *Carmadas* legunt.

CARMINA, inſul. Indiæ, populi *Carmani* & *Carminei*. Steph.

CARMINA, apud Dionyſium Catonem, n. 1.

Si Deus eſt animus, nobis ut Carmina dicunt:

dicta ſunt Philoſophorum, brevia illa, quibus ſententias ſuas de Deo, de Moribus, de Virtute includebant, Ἀποφθέγματα Græcis & Ἀδόμενα appellata. Unde Thaletis, aliorumque Philoſophorum ferè omnium, Ἀποφθέγματα à Laërtio citantur. Inter quæ ᾀδόμενον illud Thaletis extat,

Οὔτι τὰ πολλὰ ἔπη φρονίμην ἀπεφήνατο δόξαν.

Et Chilonis,

Ἐν λιθίναις ἀκόναις χρυσὸς ἐξετάζεται.

Hodieque Ἀδόμενα ſive Ἀποφθέγματα habemus in libello illo, qui à moribus nunc *Cato* inſcribitur. Primò enim in Ἀποφθέγματι, de Deo agebatur, quod & ſequutus eſt ille. qui, ut propoſiti ſui rationem occultè redderet, citat continuò τὰ ᾀδόμενα, addidque, *Nobis ut Carmina dicunt*, i. e. ὥσπερ ἐν τοῖς ᾀδομένοις τῶν φιλοσόφων τὸ παλαιὸν γέγραπται. Atque hæc cauſa eſt, quare breves ſententias præmittat; ut *Aliénum ſure*, & ſimilia. In principibus enim illis filium ſuum inſtruit, ſicut in Hypotheſis Heſiodi alumnum ſuum Chiron. Ratio nominis quòd hæc antiquiſſimorum Poëtarum provincia eſſet, ad Philoſophos poſtmodum delata. *Carminibus* enim Græci antiquiſſimi Sapientiæ præcepta tradiderant, iiſque non minimam ſibi apud rude vulgus conciliârunt auctoritatem, velut Numine afflati, & nil mortale ſonantes. Unde iidem tum Poëtæ, Theologi, Sacerdotes, & adeò celebre illud Ἀοιδῶν, de quibus peculiarem librum ſcripſit Nic. Heinſius, nomen. Delectabant ſimul illa, & faciliùs memoriæ infigebantur. Quâ ratione Lucretius carmine Philoſophiam ſe complexum eſſe canit, l. 1. v. 934.

Ac veluti pueris abſinthia tetra medentes,
Cum dare conantur, priùs oras pocula circum
Aſpirant mellis dulci flavôque liquore.

Idem de Germanis Tacitus refert, c. 2. *Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriæ ac Annalium genus eſt, Tuiſtonem Deum.* De Gallis Cæſar, l. 6. c. 4. *Nihil diſcipulos ſuos mandare literis permittebant, ne confiſi commentariis remitterent in perdiſcendo diligentiam.* Itaque illi totam Philoſophiam incluſam verſibus, Diſcipulis ſic imbibendam propoſuére. Unde paſſim in triviis iſtiuſmodi *Carmina* cantari cœpta ſunt, hócque modò factum, ut Muſica ipſa paulatim exculta Sapientiæ accenſeretur, quam ideo etiam Socrates jam ſenior ſibi addiſcendam putavit. *Imò verò*, inquit Quintilian. l. 1. c. 17. *claros nomine ſapientiæ viros, nemo dubitaverit ſtudioſos Muſices fuiſſe, cùm Pythagoras atque eum ſecuti acceptam ſine dubio antiquitus opinionem vulgaverint, mundum ipſum ejus ratione eſſe compoſitum, quam poſtea ſit lyra imitata.* Et notum illud. *Themiſtocles in cœna cùm recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior.* &c. Quod autem Græci carminibus, id Ægyptii aliique Hiſtoriis conſequuti ſunt. Hinc Euſebius de præpar. Evang. l. 2. *Moyſen*, ait, *qui primum cujuſque hominis vetuſtiſſimi vitas deſcripſit, civilem atque in actione poſitum vivendi modum narratione Hiſtoricâ docuiſſe.* Sed & idem *Carminibus* docuiſſe, legitur in Pentateucho paſſim. Similis eorum fuit conatus, qui aut narrationibus fabuloſis, aut Comœdiis Tragœdiiſque, quid in quotidiana vita uſu veniret, demonſtrabant: Quales Æſopus, Συμβιωτικῶν λόγων Auctores, Comici, Tragici Poëtæ, &c. Vide Georgium Hornium, *Hiſtoria Philoſophica* l. 9. c. 7. Cantabant nempe inprimis τὰ περὶ ζωῆς χρηστικὰ, *quæ ad vitam ſanctè inſtituendam facerent*, Poëtæ, etiam priuſquam apud Siculos extaret Tragœdia; poſtmodum Comici & Tragici, idem munus primò obière, Διδάσκαλοι hinc appellati, ut apparet ex Epitaphio Epicharmi, Comœdiæ apud Dores inventoris; Tandem Philoſophi & præſertim ſeptem illi Græciæ Sapientes, neglectâ ut plurimùm (non ſemper tamen) τῇ Μελοποιΐᾳ, i. e. *Numeris* & *ſimilibus*, ſententias, in quibus de iiſdem agebant, Ἀποφθέγματα ſeu Ἀδόμενα, Latinè *Carmina* quoque dixerunt. Dan. Heinſius in *Opera & Dies Heſiodi* c. 6. Vide quoque ſuprà in voce *Cantor*. ut & infrà *Modi*, *Modulatio*, *Poëſis*, *Poëta* &c.

CARMINARE Lanam, vide ſuprà *Carere*.

CARMINE celebrari, idem propè habitum olim, quod honeſtè ſepeliri. Statius, l. 3. Sylv. 3. in *Lachrymis Etruſci*, extr.

Noſtra quoque exemplo meriti tibi Carmina ſancit,
Hoc etiam gaudens cinerem donâſſe ſepulchro.

Ubi *ſancire* eſt, ſub certa fide promittere, confirmareque. Unde Auſonius.

Hoc ſatis & tumulis, ſatis & telluris egenis,
Voce ciere animas funeris inſtar habet.
Gaudent compoſiti cineres ſua nomina dici,
Frontibus hoc ſcriptis & monumenta jubent.
Ille etiam mœſti cui defuit urna ſepulchri,
Nomine ter dicto penè ſepultus erit.

Vide Caſpar. Barthium Commentat. ad Claudiani Bellum Geticum & Papin. Statium d. l. nec non hic paſſim.

CARMINIUS, Hiſtoricus Latinus, qui libros aliquot de Italia ſcripſit, in quorum ſecundo ait. *Tuſcos antè nomine in condendis urbibus*

urbibus uſus, Cœl. Rhodig. *l.* 29. *c.* 26. Vide Macrob. *Saturnal. l.* 5. *c.* 29. Servium in 5. & 6. Æn. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 5. *p.* 659.

CARMINNA, inſul. Carmaniæ *Ptol.*

CARMINUM Lectio, a ſolutæ orationis numeris, diverſa. Auſonius, *Edyll.* 4. *v.* 45.

> *Perlege, quodcumque eſt memorabile, prima monebo*
> *Conditor Iliados, & amabilis Orſa Menandri*
> *Ev... ...da tibi*
> *---- . --- . -- in flexu & acumine vocis,*
> *Innumeros numeros doctis accentibus effer,*
> *Affectuſque impone legens -----*

Quas prorſus diſertè diſtinguit Plin. Cæcilius, *l.* 5. *Ep.* 19. de Zoſimo, Liberto ſuo: *Idem tam commode Orationes & Hiſtorias & Carmina legit, ut hoc ſolum didiciſſe videatur.* Unde videmus & Orationes & *Hiſtorias* & *Carmina*, aliò tonô aliòque ingeniô legi conſueviſſe: cujuſmodi tamen lectio qualis fuerit, hodie ignoratur. Vide infrà in voce *Lector*.

CARMON, locus in Meſſenia, & templum Apollinis in Laconia, & in Achaja flumen, & mons in Peloponneſo. Eſt & Hiſpaniæ Bæticæ urbs *Straboni*. *Charmonia* apud *Ptol.* legitur. *Carmo* habent numiſmata. *Carmona* fortè hodie. *Nic. Lloydius*. *Baudrando* oppid. Turdetanorum in Hiſpania, nunc in Vandalitia provinc. 5. leuc. à Bæti fluv. Aliàs amplum & probè munitum, nunc parvi momenti, juxta Siliceuſem amnem.

CARMYLESSUS, locus in Anticrago, monte Lyciæ, in convalle poſitus. Strabo, *l.* 14.

CARNA, ſive CARDINEA Dea, quæ vitalibus humanis præeſſe exiſtimabatur: ab eademque petebatur, ut jecinora, & corda, & cætera, quæ ſunt intrinſecus viſcera, ſalva conſervaret. Huic pulte fabaciâ, & laridô ſacrificabatur. Jun. Brutus, pulsô Tarquiniô, in monte Cœlio ipſi ſacrum fecit, 1. die 4 menſis, qui Junius ab illo dictus eſt. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 12. Ovid. *Faſt. l.* 6. *v.* 101.

> *Prima dies tibi Carna datur, Dea Cardinis hæc eſt,*
> *Numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.*

Hæc ſtriges nocturnas puerorum, ut dicebant, cunas infeſtantes, à limine ſubmovebat. Cœl. Rhodig. *l.* 9. *c.* 8.

CARNA, Arabiæ Felicis urbs, in Minæis, erat in illo tractu, ubi nunc Medina Taalibi. Hic natus Mahometes pſeudopropheta. *Baudrand.*

CARNA Sylva, German. *Karnwald*, Subſylvaniam ſeu Underwaldiam, ſextum inter Helvetiorum pagos, in duas partes dividit, Superiorem, *ob dem Wald*, & Inferiorem *Nid dem Wald*, ſeu *Under dem Wald*: à qua poſteriore toti pago nomen. Vide diverſorum Auctorum *Remp. Helv.*

CARNABAS, vir quidam crudelis, qui parentem ſuum Teiopam Perrhæborum Regem interfecit. Cœl. Rhodig. *l.* 11. *c.* 17.

CARNAIM, i. e. *Cornua*, populus civitatis Aſtaroth. Gen. *c.* 14. *v.* 5. Eſt & nomen civitatis, 1. Macchab. 5. *v.* 26. in tribu Manaſſe. Sitæ ultra torrentem Jaboc, ad Septentrionem munitæ ac magnæ. In regione Galaaditica.

CARNANA, urbs Minæorum, juxta rubrum mare. *Steph.*

CARNAPÆ, populi circa Mæotim. Plin. *l.* 6. *c.* 7.

CARNARIA S. Laurentii, in Urbe Beneventana, locus fuit ſub dio, muris ſeptus, ad quem ſuſpendiô aliòve ſupplicii genere peremti, & viliſſima capita ſemihumanda comportabantur. Camillus Peregrinus *Caſtigat. ad Falconem Benev.* A. C. 1128. Itali *Carnaro* & *Carnajo* vocant.

CARNARIUS Sinus, in Iſtria. Vide *Flanaticus*.

CARNASA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

CARNASIUS Saltus, Peloponneſi vicus in Meſſenia. Pauſan. *in Meſſen.*

CARNE, Phœniciæ oppid. ad montem Libanum. Plin. *l.* 5. *c.* 20. *Baudrando*, prope Caſſium montem & oſtia Eleutheri fluv. in ora litorali maris Mediterranei. Eſt item urbs *Stephano*, à *Carno* Phœnicis filio dicta. Gentile *Carnites*. Eſt & alia Æolidis, Gentile *Carneata*, vide *Steph.*

CARNEA, viculus in nono ab Ælia milliario, in tribu Benjamin. Hieronym. *in Loc.*

CARNEADES, Cyrenæus, novæ ſeu tertiæ Academiæ princeps, Chryſippi maxime ſtudioſus, de quo Gellius, itemque Plin. *l.* 25. *c.* 5. ait, *ſcripturum adverſus Zenonis Stoici libros ſuperiora capitis helleborô candidô purgaſſe, ne quid ex corruptis in ſtomacho humoribus ad domicilium uſque animi redundaret, & conſtantiam, vigoremque mentis labefactaret.* Phyſicâ neglectius habitâ, morali Philoſophiæ ſe dedidit, ſtudiô tam pertinaci, ut diſcumbenti Meliſſa ſerva ſæpe cibum aliud cogitanti ingerere cogeretur. Hunc præthereà memoriæ arte uſum fuiſſe, Cicero *de Orat.* ſcribit, & Quintilianus, *l.* 11. *c.* 2. miſſum Romam legatum ab Athenienſibus, unà cum Diogene Stoico & Critolao Peripatetico, ſuſpectam feciſſe Romanis legationem, dicente M. Catone in Senatu: *Ab hoc viro cavendum eſſe, qui ob eloquentiam & differendi facultatem, facilè quæcumque vellet, impetrare poſſet.* Audito, Antipatrum venenum ſumpſiſſe, idem fecit, obiitque Olymp. 162. Diog. Laërt. *in vita ejus.* ætat. 85. an. Urb. Cond. 625. Eclipſi Lunari mortem comitante. Vide Gellium, *l.* 7. *c.* 14. & *l.* 17. *c.* 15. Val. Max. *l.* 8. *c.* 7. *ex. ext.* 5. Plut. *c. Colot.* Jonſium *Hiſt. Phil.* Voſſ. *de Sectis Phil. c.* 14. Petav. *exercit. miſcell. in Julian. c.* 8. Cicer. *quæſt. Acad. l.* 4. &c. *Nic. Lloydius.*

CARNEADES, alius Philoſophus Athenienſis, Anaxagoræ diſcipulus. *Suidas.* Item, Poëta elegiacus, obſcurus & frigidus. *Diog.*

CARNI LEVAMEN, in *Charta* apud Ughellum, *Ital. Sacr. Tom. VII. p.* 325. Bacchanalium dies eſt, Italis *Carnevale*, Gall. *Carnaval*. Quam vocem Scriptores Itali nonnulli dictam volunt, quaſi *Carne*, ſeu *Caro vale*, ſed id etymon Octav. Ferrarius minimè probat. Car. du Freſne ſie dies iſtos, ſeu potius diem Martis, qui Quadrageſimam antecedit, appellatum eſſe exiſtimat, *Carn-à-val*, quod eſt, *Caro abſcedit*, ſeu tempus carnes comedendi. Vide eum in *Gloſſar.*

CARNEUS, Citharœdus, qui Terpandrum viciſſe legitur.

CARNEUS, Apollo ſic dictus à *Carno* vate, quem quidam Ales nomine interfecit. Hinc feſta Carnea, ſeu ludi in honorem Apollinis, cujus Sacerdotes tenuerunt per 33. annos Regnum Sicyoniorum, poſt mortem Zeuxippi, 26 & ultimi Regis: ab Archelao, qui primus fuit, ad Charidemum uſque, qui, cum impenſis par non eſſet, ſe ſubduxit, African. & Euſeb. an. 879 & 889 *antev. Athenæus*: qui etiam de Ludis Carneis, Olymp. Spartæ inſtitutis, quibus Muſicæ præmia propoſita, loquitur. Vide *Carnea*.

CARNI, populi ſupra quos Apenninus mons incumbit, Galliam Togatam inhabitantes: Venetis vicini, quorum regio hodie *Carniola* dicitur. *Baudrando* populi Italiæ, ubi nunc pars Orientalis Foro Julii & Comitatus Goritiæ, inter Liquentiam fluv. & Formionem, vulgò *Friuli*. Provinc. ampla, ſub Venetis, exceptis Aquilejâ, Tergeſtô & Goritiâ, quæ ſub Auſtriacis. De Carnorum genere ac finibus vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 1. *c.* 19. & *Geogr. l.* 3. de agro iiſdem, fluminibus, urbibuſque eorundem, quæ *Laubach* Epiſcop. *Krainburg*, *Cilly* Comit. *Meerſburg*, &c. *c.* 20. *ejuſdem libri.* Hodierni incolæ, partim Slavi, partim Germani ſunt. *Ortel.*

Urbes Carnorum.

Aquileja, *Aquilegia*.	quibus, *Pontafella* aliis.
Concordia.	Noreia, *Venzone*.
Forum Julium *Cividal di Friuli*.	Tergeſtum, *Trieſte*.
Julium Carnicum, *Zuglio*, ali-	Utinum, *Udine*.

CARNI Tauriſci, populi Norici, versùs Alpes Julias, ubi nunc Carniola, vulgò *Krain*. Vide ſuprà.

CARNIA, urbs Ioniæ, *Steph.*

CARNIA, vel CARNEA, feſta Apollinis, apud Spartanos, in quibus Terpander primus vicit. Græcè Κάρνεια, ſic dicta à *Carno* vate, qui, Heraclidis in Ætolia expeditionem parantibus, contra Athenienſes, Rege Codrô cum his imperante, διὰ τὰς φυγάδας, *ob exules*, (quos illi Peloponnesô repulerant) receptos, Strab. *l.* 9. apparuit χρησμοὺς λέγων καὶ ἐνθεάζων, *futura prædicens & Numine afflatus.* Quem cum Magum eſſe & in exercitus perniciem ab hoſtibus emiſſum exiſtimarent, Hippotes Aletis (primi ex Heraclidis poſtmodum Corinthi Regis) pater, eum jaculô trajecit, Pauſan. *l.* 3. Vide quoque Apollodorum, *l.* 2. & Euſebium, *Præpar. l.* 5. *c.* 20. Quia verò mox peſtis exercitum invaſit, Hippotes exulatum abiit, & Dorienſes (qui tunc in unum corpus cum Heraclidis coierant) ſtatuerunt Acarnanem vatem ſacris placandum eſſe. Hinc Κάρνεια, feſtum Apollinis, apud Lacedæmonios, & à feſto ipſe Apollo Κάρνειος, *Suid.* Religio, in expeditionem orta, *bellicas quaſdam ceremonias* retinebat: unde μίμημα στρατιωτικῆς ἀγωγῆς Demetrio Scepſio, apud Athenæum, *l.* 4. Poſteà *certamen Muſicum* additum, Olymp. 26. quò Terpander primus vicit, memoratus in Marmore Arundeliano, anno Attico 381. Vide eundem, *l.* 14. & infrà voce *Terpander*. Quod verò Regibus Sicyoniis deficientibus, Sacerdotes Carnios ſubſtitutos, ait *Euſebius*, & ex eo *Syncellus*, merito ſuſpectum eſt illuſtri Chronologo Joh. Marſhamo, quem vide *Canone Chron. Sec.* XIII. aliquid etiam infrà, voce *Sicyon*.

CARNICUM Julium, *Ptol.* Norici oppid. hodiè *Villach* dictum, inter Alpes ſitum in Carinthia regione, *Gorithia* Leandro. Nunc *Pontafella*, *Latio*, oppid. partim in Forojulio, partim in Carinthia ſitum, 7. leuc. à Villaco in Auſtrum, ubi tranſitus. Aliis eſt pagus *Zuccl* ſeu *Zuglio*, prope fontes Butii amnis & oppidul. Moſcardum, ad pedes Alpium; 4. leuc. Germanic. à Pontefella in Occaſum *Baudrand.*

CARNIFEX, qui reos conficit & *carnem facit* ex vivente, quo de etymo vide Scaligerum, *Poëtic. l.* 3. *c.* 86. indigitatur Papinio Statio, *Theb. l.* 3. *v.* 80.

> *Inde ultro Phlegyas, & non cunctator iniqui*
> *Labdacus (hos Regum ferrum penes) ire, manuque*
> *Proturbare parant. Sed jam nudaverat enſem*
> *Magnanimus vates, & nunc trucis ora Tyranni,*
> *Nunc ferrum aſpectans, &c.*

Hic enim homines intelliguntur, qui juſſu Regis interficerent, quos ille vellet: *hos Regum ferrum penes*. Conſuetudine Romanâ quidem habuiſſe id munus Milites, cui quibus tandem injungeret Imperator, notârunt pridem Lipſius Aliique. Vide infrà *Speculatores*. Ex *Hiſtoria* tamen Martyrum clarum, ut & veteriore Romana, *Carnifices* fuiſſe, qui ferrô aliiſque inſtrumentis reos aut condemnatos conficerent, Caſpar Barthius *Animadverſion. ad Papinium d. l.* Quod hodieque obtinet apud pleraſque Europæ gentes, Lithuanis exceptis, qui accuſatoribus has partes demandant: ſicut Helvetiis olim factitatum. Nec approbant Jura conſuetudinem quarundam Rerumpublicarum, in quibus plebs lapidibus *Carnifices*, (vide quoque infrà voce *Vulnus*, ubi de Archagatho Medico carnificis convitio affecto,) obruit, ſi unô ictu rem non peregerint. Wendelinus *Doctr. Polit. l.* 2. *c.* 19. Inſtrumentum *Supplicii* ſeu *Carnificis*, habes apud Pollucem, *l.* 8. *c.* 7. Aliter vox ſumitur in *LL.* Burgorum Scotic. *c.* 70. *De Carnificibus & carnibus vendendis*: ubi Lanius, qui *carnes* vendit *ac facit*, indigitatur. Apud Flor. item Wigornienſem & Hovedenum A. C. 1040. ubi *Throud Carnifex* Regis Hardekunti, inter primæ dignitatis Aulicæ viros recenſetur, & idem eſt Carolo du Freſne cum eo, quem Galli Magnum Cocum, *le grand Queux*, appellârunt. Hinc Spelmanno, ſplendidi officialis hæc appellatio apud Anglo Saxones. Wigorn. præfati locus eſt. *Rex Hardecanutus Alfricum Eboracenſem Archiepiſcopum, Godwinum Comitem, Stir Majorem domus, Edricum diſpenſatorem, Throud ſuum* Carnificem, *& alios magnæ dignitatis Viros, Londinum miſit*. Quod iiſdem totidem verbis Hovedenus narrat apud Henr. Spelmannum *Gloſſ. Archaol.*

CARNILIUS, ex 4. Regibus ad Cantium & mare. Cæſ. *l.* 5. *Bell. Gall. c.* 2.

CARNIOBURGUM, oppid. Carniolæ ſuperioris prope Savum fluv. quibuſdam *Carrodunum*.

CARNIOLA, vulgò *il Cragno*, regio Norici inter Alpes Julias, & Saum fluv. quæ etiam Japodes Liburnis finitimos complectitur. Populi *Carniolenſes. Baudrand.* inter Carinthiam & Stiriam, in Boream, & Foro-Julium Iſtriamque ad Auſtrum, Croatiam autem ad Ortum. Sub Auſtriacis. Dividitur in Superiorem & Inferiorem. Ejus caput eſt Laubacum. Eam unà cum Carinthia, ab Ottocaro emptam, Auſtriis ab Ludovico Bavaro Imperatore datam, memorant: alii Alberto, à patre Rodolfo I. qui Ottocarum vitâ & ditionum magnâ parte exuit, quoque datam eſſe, aſſerentibus. Vide ſuprà in *Carinthia*.

CARNION, nomen Præſidii, in tribu Manaſſe. 1. Macchab. c. 12. v. 21. Item Laconiæ oppid. Polybius. Arcadiæ item fluvius. Pauſan. *in Arcadic.*

CARNISPRIVIUM ſeu CARNIPRIVIUM, in Eccleſia Romana dictum tempus, quò *Carnibus privari* & ab iis abſtinere homines incipiunt, ante jejunia Quadrageſimæ. Gervaſius Tillebær. MS. *de Otiis Imperial. part.* 3. *c.* 102. *Initium Quadrageſimæ*, *quod vulgò* Carnisprivium *nominant*. Sed & peculiariter ſic appellatur ſecunda Dominica Septuageſimæ, ut videre eſt apud Beletum, *c.* 65. Quam proin *Dominicam ante carnes tollendas*, vocat Miſſa Muſarabum. Græci ἀπόκρεων appellant, ut & hebdomadem, quæ Dominicam præcedit, quòd non ultra eam veſcendis carnibus operam dent, ſed unà cum ea iis edendis imponant finem, uti habet Allatius *de Dominic. & Hebdomadibus Græcorum*, c. 20. Vide quoque Dominic. Macrum in *Hierolex*. Maximè verò Clerici & Sacerdotes Jejunium Quadrageſimale, apud Latinos, auſpicabantur ab hac Dominica: quæ propterea dicitur *Carnisprivium & Privicarnium Sacerdotum*, ſcil. Dominica, quâ mos eſt Sacerdotibus caput Quadrageſimalis Jejunii ſolemni eſu carnium prævenire, ut eſt apud Wilhelm. Neubrigenſem, *l.* 5. *c.* 10. *&c.* Uti autem Moſarabes Dominicam, quæ Quadrageſimam præcedit, *Ante carnes tollendas* vocabant, ſic Hiſpani diem Martis, qui eandem antevertit, hodieque *Martes de carnes tolliendas* dicunt, quem Chronicon Petri IV. Regis Aragon. *Dio de carnes toltes* appellat, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* apud quem in eadem Eccleſia *Carnevoro*, in *Actis* Murenſis Monaſterii dicitur dies, quò vorari & conſumi, quod reliquum eſt *carnium*, conſuevit. Gall. *Mardy gras*.

CARNITHIA, vide *Carinthia*.

CARNIUS, *Heſych.* Κάρνειος ἐπίθετον Ἀπόλλωνος, ἤτοι ἀπὸ Κάρνου τοῦ Διὸς καὶ Εὐρώπης. Vel ἀπὸ τοῦ Κάρνου, ὄντος αὐτοῦ ... Pind. *Schol.* p. 276. Meurſ. *Gr. Fer. c.* 51. *Nic. Lloydium*.

CARNIUS, menſis apud Athenienſes, *Majus* dicebatur.

CARNODUNUM, Vindeliciæ oppid. ad Danubium. *Ptol.* lege *Carrodunum*.

CARNON, Arabiæ Felicis oppid. *Plin.*

CARNOVACÆ, Scotiæ populi. *Ptol.* quorum regio *Catherſia*, vulgò *Cathneſſe* ab aliquibus putatur, in ora Orientali Tarvedum promontorium verſus. *Baudrando* erant in ultimo receſſu Scotiæ Borealis prope oram Occidentalem inter Creones & Carinos, ubi nunc pars Occidentalis Stranavernia provinc. *Sanſon. Alii*.

CARNOVIA, oppid. Sileſiæ, regiunculæ cognominis caput, ad Oppam fluv. Cum caſtro ſplendido, *Jagerndorff*. 3. leuc. ab Oppavio 4. à Ratiboria. Ducatus eſt, quem ex Piaſtea Sileſiorum Principum gente poſtremus habuit Wenceſlaus, cujus filia Barbara, Johanni è Teſchinenſi proſapia, & hoc à Polonis cæſo, A. C. 1473. Georgio Baroni Schellenbergio nupta, eum ſua è domo primùm ad Teſchinenſes, inde ad Schellenbergios tranſtulit. Unde fortè ortum, quòd Dynaſtiarum locò aliquibus habitus fuerit. Poſteà Schellenbergiorum ſupremi obitu, A. C. 1500. vacuefactum Vladiſlaus Bohemus Regno adjecit: à cujus filio Ludovico Georgius Pius Brandeburgenſ. tulit A. C. 1524. in præmium tutelæ fideliter geſtæ & navatæ varia per officia operæ; quod à ſucceſſore Ferdinando I. eâ conditione confirmatum eſt, ut feudi nomine eam haberet. Hujus in filio Georgio Friderico lineâ extinctâ A. C. 1603. Ducatum Joachimus Frideric. Elector ſortitus eſt, à vivo adhuc Patre in Johannem Georgium fil. translatum, qui partibus Palatinis & turbis Bohemicis immixtus, ideo à Ferdinando II. proſcriptus eſt, & ſine prole deceſſit A. C. 1624. Datus poſt Ducatus cum quibuſdam aliis Principi Liechtenſteinio, ab Electore nequicquam hactenus repetitus eſt, centum millia thalerorum, quos eadem flagitanti Cæſar quondam obtulerat, generoſè aſpernatus: qui intereà retinuit titulum, retentæ juris indicem jacturæque qualecunque ſolatium. Tob. Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Principum Gentib.* c. 4. Vide quoque in voce *Jegerndorffium*.

CARNOVIUM, ſeu CURNONIUM, eſt *Eſtella*, urbs Navarræ, ad Egam amnem. Vide *Curnonium*.

CARNUS, nomen Vatis, ex Acarnania, à quo Apollo *Carneus* dictus eſt. Pauſan. *l.* 3. Vide ſuprà *Carnea*. Item oppid. Pannoniæ ſuperioris, nunc pagus Auſtriæ. *S. Petronel. Lazio*.

CARNUS, inſul. Acarnaniæ. *Steph.* Vide *Carne*.

CARNUTES, populi inter Celtas, Andegavenſibus Turonibuſque finitimi, ac Oceano proximi. Horum meminit Cæſar *in ſuis Commentariis*, *l.* 6. *c.* 4. cùm ait, *Carnutes Remorum erant in clientela*, & *c.* 12. *Carnutum regio totius Galliæ medio habetur.* Taſgetio Carnuti, cujus majores regnum in ſua civitate habebant, Cæſar id reddidit, tertio poſt anno ab inimicis occiſo. Gens inter Sequanam & Ligerim latè diffuſa eſt: *Carnuti flavi* Tibullo *carm.* 7. *ad Meſſalam*, *l.* 1. *v.* 12. Caput eſt *Carnutum*, ſeu *Autricum Carnutum* ab Autura fluv. *Eure*, urbs ampla, ad Eburam fluv. Poſt Metropolim civitat. Senonum à veteribus prima poſitus, in provinc. Lugdunenſi quarta ſeu Senonia. Recentiores in tertium locum rejecerunt, poſtquam Lutetia caput regni facta eſt. Hanc captam A. C 743. incendit ac diruit Hunoldus, Aquitanorum Dux. Caput eſt ut dictum, gentis validiſſimæ, totam latitudinem Galliæ Lugdunenſis à Sequana ad Ligerim, quæ eſt 30. leucarum, obtinentis, æquali intervallô à Sequana & Ligeri, inter quos ſita eſt, diſtans. In Carnutibus plures pagi, Bleſenſis, Vindocinenſis, Durocaſſinus, *le Drougeſin*, Dunenſis, Carnutinus *le pays Chartrain*, Pinciacenſis, *le Pinceraie*, Madrienſis, Aurelianenſis, Belſa, pars Pertici, ac trans Ligerim quoque uſque ad Carum fluv. Secalaunia. Carnutes igitur, ſicut Turones, & Andicavi præ cæteris, ultra Ligerim amnem, intra fines Aquitaniæ partem aliquam agri ſui habuêre, habentque etiamnum, ſed multo utrique minorem. Diœceſis Carnutina è maximis Franciæ, dividitur à quibuſdam in 4. novas diœceſes ſeu Epiſcopatus: Bleſenſem, Vindocinenſem, Durocaſſinum & Dunenſem. In Eccleſia Carnutena ſex Archidiaconi ſunt: Carnutenſis ſeu major, Dunenſis, Durocaſſinus ſeu Drocenſis, Pinciacenſis, Vindocinenſis & Bleſenſis. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* diſtat urbs 18. leuc. à Lutetia in Africum, totidemque ab Aurelia in Boream. Vulgo *Chartres*. Vide *Autricum* & *Carnutum*.

CARNUTI, Germaniæ populi inter Danubium, & Hercynium ſaltum. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Vide omnino Cluver. *de Vindel. & Norico c.* 5.

CARNUTUM, Galliæ oppid. Epiſcopale. *Zoſimus. Autricum Ptolemæo.* Tantæ vetuſtatis, ut prima ejus fundamenta à Gomeritis, paulo poſt Noachi tempora, jacta credantur. Alii Druidas & Samorydas, Gallorum veter. Sacerdotes eam condidiſſe ferunt, quas prædixiſſe addunt, *Virginem parituram*, unde hoc templum à Priſco, Romanorum in Gallia præfecto, erectum. Hujus incolæ libertatem ſuam acriter contra Romanos tuiti, poſtmodum à Cæſare victi & in ſocietatem recepti ſunt. Deni Comites urbe habuit. Franciſcus I. Ducali dignitate illam ornavit, in gratiam Renatæ, Ferrarienſis Ducillæ. À Rollone, Normannorum Duce obſeſſa, poſteà tota ferme in cineres redacta, A. C. 1019. à Ligæ partibus ſtetit, præterito ſeculó, ſed capta eſt, ab Henrico IV. A. C. 1591. qui ibi coronatus. Cæſar *Comm. l.* 6. *c.* 13. Merula, Johann. Boniſacius, *Hiſtor. Virgin. l.* 2. *c.* 1. Seb Rouillard. *Hiſt. Eccl. Carnut.* Du Cheſne, *Antiquit. Gall. c.* 1. *de Carnut.* Eccleſia Cathedralis hujus urbis antiquiſſima cenſetur Galliæ totius, & in diœceſi numerantur 30. Abbatiæ, 297. Prioratus, 1300. parœciæ. Hic Concilium A. C. 1124. 1146. quò S. Bernardus, militiæ ſacræ caput conſtitutus, &c. Morerius *in Diction. hiſtorico*. Vide quoque *Carnutes*.

CARO, horrori Pythagoræis fuit: Unde *multi antiquorum tradiderunt, eos omnibus epulis per mortem parent abſtinuiſſe*, Quintilian. *decl.* 13. Sed falſam hanc opinionem A. Gellius vocat, *l.* 4. *c.* 11. docetque ex Ariſtoxeno, *porculis minuſculis & hœdis tenerioribus* quoque, Pythagoram non rarò uſum eſſe. Plut. *l.* 1. *de Homero* utramque ſententiam ſic conciliat, non omni, quadam tamen carne, Pythagoræos abſtinuiſſe. Quæ utut ſeſe habeant, tamen certum eſt Ægyptios, unde omnia ferè Pythagoras hauſit, certos quoſdam cibos, præcipuè *carnem & olera*, fuiſſe averſatos. Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 11.

—— Lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.

Aben Eſra *Ægyptios ab omni carnium eſu ſibi temperâſſe*, contendit; quod falſum eſſe ex antiquis Auctoribus perſpicuum eſt. Omnes enim quidem Ægyptii, Lycopolitanis aliiſque nonnullis exceptis, *ovillâ* abſtinuêre, ut Satyricus modò innuit: aliarum tamen carnium eſum admiſêre, ut de convivio Ptolemæi ac Cæſaris loquens teſtatur Lucan. *l.* 10. *v.* 158.

—— —— —— Multas volucreſque feraſque
Ægypti poſuêre Deos. —— ——

Sacerdotes tamen & ſacris dicati interdum inanimis contenti cibis, vinô & *carnibus* abſtinuerunt: quod, dum caſtarentur, decem fiebat diebus. Vide Apulej. *Mileſiar. l.* 11. Ab iis ad alios deinceps iſte derivatus eſt. Nam & Brachmanes nihil *animatum* edebant, Euſeb. *l.* 6. *de præp.* Britanni *leporem*, *& gallinam & anſerem* guſtare grande credebant nefas, Cæſ. *de bello Gall. l.* 5 *c.* 12. Eſſeni carnem nunquam attingebant, *Hieron.* Flaminibus Dialibus apud Roman. *capram & carnem incoctam, ut & hederam ac fabam, neque tangere mos erat, neque nominare*, A. Gellius, *l.* 10. *c.* 15. ut alios præteream. Hunc itaque errorem tam inolitum, Chriſtianis exempturus Spiritus S. per Apoſtolum, inquit, Πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον ἐσθίετε, μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν, *Quicquid in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam*, 1. Corinth. *c.* 10. *v.* 25. Unde idem paulo infrà exemplô ſub alius præit, dicens Εἰ δὲ ἐγὼ χάριτι μετέχω, τί βλασφημοῦμαι ὑπὲρ οὗ ἐγὼ εὐχαριστῶ; *Et ſi ego per gratiam* (cibum) *participo, cur* (ob id) *impius judicor, pro quo ego gratias ago?* v. 30. Quaſi dicat, ſi ex beneficio Dei hôc vel illô cibô mihi uti licet, cur committam, ut meâ culpâ hoc Dei beneficium mihi vitio vertatur. Vide Georg. Hornium, *Hiſtor. Philoſ. l.* 7. *c.* 12. Unde Quadratus, diſcipulus Apoſtolorum, & Eleutherius Papæ firmârunt, *ut nulla eſca a Chriſtianis fidelibus repudiaretur, quæ rationalis & humana eſſet*. Spiridion quoque Cypriorum Epiſcopus hoſpiti porcinas carnes diebus quadrageſimæ edere, quod Chriſtianus eſſet, renuenti, *Propterea magis*, reſpondit, *refutare non debes. Omnia enim munda mundis, ſicut ſermo divinus edocuit.* Vide de prioribus Bedam, *Martyrologio*, & Eleutherium ipſum, *Ep. ad Galliæ provinc. tom.* 1. *Concil. Coloniæ, edit. per Jo. Quentel. fol.* 92. de poſtremo Sozom. *l.* 1. *c.* 11. Interim non monienia ſolùm reſpuerunt & ſequenti ævô Chriſtiani, ſed & edomandæ libidinis ac gulæ refrænandæ causâ, aut ne immolatitiam, quæ in macello vendebatur edendo neſcii inciderent in eam, quam putabant cum idolis communicationem, nonnulli *carnis* eſu ſatis diu planè abſtinuerunt: *cibis* ſolùm *inanimis*, ut Apulejus, *l.* 2. appellat, ſeu *ſimplicibus*, ut Statius, ſeu *innocuis*, & Prudentius, *Cathemerin* h. e fructibus terræ, uſi. Hinc nec *piſcibus ſanguinem edulium pecorum Chriſtianos noſſe*,

Minucius ait, Rabanus quoque Maurus Clericis eôdem fine carnis eſum prohibuit, minutarum avium & piſciculorum exceptâ, *de Inſtit. Cler. l. 2. c. 27.* Vide G. Elmenhorſt. *ad Minuc.* d. l. ut & infrà paſſim. Veſcebantur autem *Carne* tantùm Barbari, uti de Mardis legas apud Curtium *l. 5. c. 6.* non *cum pane*, ut aratores populi. Sic Majores noſtros victitâſſe refert Cæſar *de Bello Gall. l. 6. c. 21. 22.* Galliſque τὸ κρεωφαγεῖν tamquam proprium morem, tribuit Polybius, *l. 2. c. 17.* quanquam etiam agriculturæ non expertes ibi faciat. Quod mitioribus populis adeo barbarum viſum, ut propemodum fame ſe putarent premi, in quantalibet carnium copia, ſi deeſſet panis, diſcas ex Xenophonte, *Ἀναβάσ. l. 1.* & Tacito, *Annal. l. 14. c. 24.* Cæterum *Carnis* bubulæ ac porcinæ caritatem, ad miram vilitatem, ingenioſè perduxit Alexander Severus, apud Lamprid. *c. 22. Quum enim vilitatem P. R. ab eo peteret, interrogavit per Curionem, quam ſpeciem caram putarent. Illi continuo — carnem bubulam atque porcinam: tunc ille non quidem vilitatem propoſuit, ſed juſſit ne quis ſuminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem: tantumque intra biennium vel prope annum porcina caro fuit & bubula, ut, quum fuiſſet octominutalis libra, ad duos unumque utriuſque carnis libra redigeretur.* Nempe, qui vilitati carnis bubulæ conſultum volebant, illi nec vaccas, nec damaliones, comedebant; tauris autem & bobus & vitulis parcebant minimè. Hinc Alexander, quod caro bubula cara eſſet, ne quis damalionem, ne quis vaccam occideret, juſſit. Quâ eâdem ratione motos in Ægypto & Palæſtina, propter boum caritatem, vaccas non comedisſe, ſcribit Hieronymus. Fortè ne damaliones quidem: eas enim vaccarum nomine, utpote minores vaccas, comprehendi, dubium non eſt. Contrà eſt, cùm agriculturæ ratio habetur. Tunc enim damalionibus & vaccis paſſim veſci permiſſum, vitulis verò nequaquam: Ideoque Valens Imperator cùm agriculturæ utilitati proſpectum iret tantùm, non autem *carnis* vilitati. Legem emiſit, *ne quis vitulos conſumeret.* Ut autem in genere bubulo *vaccas & damaliones* occidi vetuit Alexander; ſic in genere porcino *ſuminatas*, h. e. ſcrophas & *lactantes*, h. e. porcellas. Ita enim vocem *lactare* tunc temporis Latini uſurpârunt, pro *lactere*, atque etiam antiquiores. Auſonius, *Epitaph. 32. v. 3.*

> *Infans lactavit. pubes & virgo adolevit,*
> *Nupſit, concepit, peperit, jam mater obivit, &c.*

Salmaſ. *ad Lamprid. loc. cit.* Cæterùm *Carnium* vilitatem Romæ fuiſſe magnam, & Plinius docet nos: qui aſſibus ſingulis carnis pondo 12. aliquando fuiſſe vendita, auctor eſt *l. 18. c. 3.* Ab eodem Severo, *Caro* populo addita, apud eundem Lamprid. *c. 26. congiarium populo ter dedit, donativum militibus ter*: carnem *populo addidit*: porcinam, ut videtur, ex Zoſimo, *l. 2. Ἀπὸ τοῦ χοιρείου κρεῶν ἐκ χορηγὸς, ὃ τῷ δημοσίῳ ἐπιδίδωσι τῷ Ῥωμαίων δήμῳ.* Sed porcinæ diſtribuendæ Auctorem Aurelianum facit Vopiſcus, &c. Plura de *Carnis* eſu, vide ubi de *Animalibus* paſſim: uti de more polentam *Carnibus* aliiſque cibis adſpergendi, infrà aliquid voce *Polenta.*

CARO Humana, comeſta ab amicis, ab inimicis. De Thracibus namque legimus, chariſſimos ſuos in propriis viſceribus ſepeliiſſe. Quod idem in India Occidentali faciunt populi quidam efferati, qui ipſi devorant ſuos mortuos, quos tamen plerunque trucidant, ne morte expirantes naturali minus delicatas ſuperſtitibus epulas præbeant. Wendelin. *Doctr. Polit. l. 2. c. 21. theſ. 2.* Contrà Tydeum *ἀνδροβορεῖν* indigitans Sextus Pyrrhonius, *Hypotypos. l. 3. c. 24.* eum *cerebrum hoſtis* comediſſe perhibet: *Ἀλλὰ καὶ τὸ ἀνθρωπίνων γεύσασθαι σαρκῶν, παρ' ἡμῖν μὲν ἀθέμιτον, παρ' ὅλοις δὲ βαρβάροις ἔθνεσιν ἀδιάφορόν ἐστι. Καὶ τί δεῖ τοὺς βαρβάρους λέγειν, εἴγε καὶ ὁ Τυδεὺς τὸν ἐγκέφαλον τοῦ πολεμίου λέγεται φαγεῖν, Sed & humanas guſtare carnes, apud nos quidem impium, apud totas verò gentes barbaras, indifferens eſt. Imo quid dico de Barbaris, cùm & Tydeus hoſtis ſui cerebrum depaſtus ſit.* Vide quoque Euripidem, & Doſiadem, *Arâ ſecunda*, cum *Commentariis* Salmaſ. Idem per deteſtandam calumniam Chriſtianis olim impactum, uti legimus apud Minucium Felicem, & omnes ferè veteres Eccleſiæ Doctores, diceműſque infrà ubi de *Cœna Domini*, it. voce *Infanticidium.* Occaſione ortâ à Cataphrygum, Pepuzianorum, Quintillianorum aliorumque hæreticorum nefandis epulis, quibus deſungebantur, cùm ſacerrimis ſuis ſacris vacabant, ubi Gevert. Elmenhorſt. *Commentar. ad Minucium* pluribus docet. At non raro fame eò adacti homines, aliàs à tanto facinore abhorrentes: ut ex Hiſtoria ſacra, de obſidione Samariæ & Joſepho, de obſidione Hieroſolymæ, novimus. Belliſarii tempore in Liguria tantam fuiſſe famem, ut multæ matres proprios filios comederint, notatum eſt Guid. Fornerio, *ad Caſſiodor. l. 2. Ep. 27.* Certè homines comedere, inter diras res & legibus vetitas, ponit Aëtius Medicus, *l. 2. c. 84.* Atque ut fœdum prodigium recenſet Jul. Obſequens, *c. 37.* Quod portentum *iræ Cereris obvenire* dicebant, ut videre eſt in Oraculo antiquo, quod recenſet Pauſan. *l. 8.* cujus hæc ſententia:

> *Ipſa Ceres flavam ſegetem ſubtraxit, & ipſa*
> *Fœcundam invidit miſeris paſtoribus herbam;*
> *Præmiaque eripiens & priſci commoda honoris,*
> *Liba itidem donata Deis abſumere adegit.*
> *Coget ea & natos & mandere membra viciſſim,*
> *Ni feſto populus placet libamine divam, &c.*

Vide Caſpar. Barthium, *Adverſar. Tom. 3. l. 136. c. 1.* & *Animadverſion. ad Papinium Statium, Tom. 3. p. 941.* ex antiquis verò Athenionem *in Encomio Coquorum*, apud Athenæum *l. 14. c. 23.* Quibus adde Homer *Il.* 1c. ubi de Achille, Tacitum, *Hiſtor. l. 4. c. 42.* ubi de Regulo, Gulielmum Britonem, *l. 7. v. 540.* ubi de fœtu recenti comeſto, Procopium, *Hiſtor. Goth. l. 2.* Jac. Ciglerum *in Excidio Holmiæ p. 107.* Paul. Jovium, *Elogiorum l. 5.* Alios.

CARO Victimarum, in Holocauſtis, tota igni abſumebatur. Sic enim bos e. g. ad holocauſtum mas & integer ſelectus, ad oſtium Tabernaculi Conventus adducebatur, & ab offerente manus capiti ejus imponebantur. Tum Levita illum jugulabat: & poſtquam alius ſanguinem vaſe exceptum Altari inſperſerat, hoſtiam excoriatam idem Levita in fruſta concidebat, quæ igni impoſita à Sacerdote adolebantur, in holocauſtum gratii odoris Domino. Ita Legiſlator Levit. *c. 1. v. 3. &c.* Quò ritu ſe ſuaque omnia Deo debere profitebantur. In Sacrificiis verò Pacificis, abſumebatur *adeps* ſolùm, *renes & lobus jecoris*; Sacerdoti cedebant *pectus & dexter humerus*, Levit. *c. 9. v. 21. 22.* reliqua offerenti, quæ vel eôdem die, vel poſtridie ſaltem comedenda, & quidquid in tertium diem ſupererat, igne erat abſumendum, *eod. c. v. 6. 7. 8.* In Sacrificio juvenci pro peccato (per errorem commiſſo) adeps, renes & lobus jecoris in Altari adolebantur; Corium verò, & tota *caro*, caput, pedes, exta & fimus, extra Caſtra comburebantur, vide Levitic. *c. 4.* In Sacrificio juvencæ rufæ, quam extra caſtra immolabat Sacerdos, illa tota cum ligno cedrino, hyſſopo & cocco bis tincto comburebatur, ut ejus cineribus aquæ ſeparationis immiſſis aſperſi mundarentur, qui propter cadavera contactum, aut alia de cauſa polluti erant, Numer. *c. 19 v. 2. &c.* Quam in rem vide plura apud Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 33.* nec non infrà aliquid ubi *de Capillis candefactis*, quos ut caro victimarum citiùs abſumeretur, adhibitos, idem docet. Apud Gentiles, quorum nota cacozelia, uſque ad Prometheum. *Caro Victimarum* tota conſumebatur, unde *ὁλοκαυτωμάτων* crebra mentio, in Græcorum ſcriptis: primus Prometheus hunc ſacrificandi morem introduxit, quò partem hoſtiæ in ignem conjicere ſoliti ſunt, partem ad ſuum victum abuti. Unde Homerus de Eumæo ſacrum faciente Od. ξ. v. 429.

> *Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε, παλύνας ἀλφίτου ἀκτῇ.*
> *Μίστυλλόν τ' ἄρα τἆλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν.*
> *Et partem quidem in ignem jecit, ubi commiſcuiſſet farinæ flore;*
> *Alia vero minutatim ſecuerunt & verubus confixerunt.*

Et exta quidem prius mandebant, quàm reliquam *carnem*, unde illud de Pinariis, qui in ſacrificio Herculis, extis jam adeſis, ad cæteram venerunt dapem: quapropter inſtitutum, ut ii deinceps arcerentur extorum communione, & ad reliquam admitterentur viſcerationem, uti legimus apud Livium, *l. 1. c. 7.* & Dionyſ. Halicarnaſſ. *l. 1.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 129.* & infrà in voce, Ovis, *Prometheus*, item *Proficiæ.* Veteres verò Perſas totum victimæ corpus, cum omni *carne*, abſumere conſueviſſe, animâ, utpote digniore parte, Diis ſuis relictâ, legimus, &c.

CAROBERTUS, ſeu CAROLUS Robertus Hungaris, Carolus II. Hungariæ Rex, fil. Caroli Martelli, nepos Caroli Claudi, Regis Siciliæ & Comitis Provinc. Hujus Martelli mater Maria erat, filia Stephani IV. hinc jus in Hungariam, quod dubium Caroberto patruus Robertus facere conatus, à præcipuis Juriſconſultis rejectus eſt. Carobertus ergo, jam Andreâ ab Hungaris electô, vi thronum aſſeruit, victis ingenti præliô Hungaris, ſub Matthæo Palatino Trinchiniæ. Unde quies, & ob ſuave regimen, Caroberti amor. Ductâ Mariâ primò Caſimiri fil. & Eliſabethâ, filiâ Ladiſlai, reliquit filios duos, Ludovicum Magnum, Poloniæ Regem, & Andream, maritum Johannæ I. Neapolitanæ. Obiit A. C. 1342. regni 32. Bonfin. *l. 9. dec. 2.* Thuroſius, *c. 90. Chron. Hungar. part. 2. c. 99.*

CAROBRIÆ, vicus Galliæ in finibus Biturigum, pontes olim habuit Caro impoſitos, hinc nomine mutuatô. Nunc *Chabris.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAROBURGUS, urbs Normanniæ, in tractu Conſtantienſi ad mare Britannicum munita cum portu utcunque capaci. Vulgò *Cherbourg.*

CAROCHA, Hiſpanis ac Luſitanis, chartacea eſt mitra, in formam coni effigiata, ac dæmones & flammas appictas habens, quæ damnatorum à Tribunali Inquiſitionis capiti ſolet imponi. Et quidem ornantur hâc infami mitrâ perſonæ viles & abjectæ pro atrocioribus blaſphemiis; quòd ſint quaſi decoctores cœleſtium facultatum: præterea polygami: tandem & magiæ convicti. Illi, quidem, ut qui per eam duplicis eccleſiæ jugales arguuntur iſti quate, non liquet. Phil. à Limborch, *Hiſtoriâ Inquiſitionis l. 4. c. 41.* ubi & iconem ejus habes. Veſtitus autem hujuſmodi comburendi *Samarra* eſt, quam vocem vide.

CAROCOTINUM, locus Galliæ, ad mare non procul ab oſtio fluminis Sumniæ. Hodie *Crotoy.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CARODUNUM, Germaniæ urbs. *Ptol.* hodie *Cracovia*, in Polonia. Vide *Carrodunum.*

CAROEA, Sarmatiæ Europææ vicus. *Ptol.*

CAROLESIUM, regiuncula Ducatus Burgundiæ, cujus caput *Carolia*, urbecula lepida, ad amnem Reconſam, 6. leuc. à Cluniaco & Ligeri fluv. ſub dominio olim Hiſpanor. Galliis *Charolois.* Inter agrum Matiſconenſem & Burbonium Ducatum. Veterum fuit Burgundiæ Ducum, dein ad Borbonios, Armeniacos, tandem ad ultimum Burgundiæ Ducem pervenit. Per hujus filiam Mariam Auſtriacæ familiæ obtigit, cui hôc ſeculô à Gallis ereptus, reſtitutus eſt Philippo IV. pace A. C. 1659. initâ, ſuperioritate Galliæ Regi ſemper reſervatâ. *Merc.* Verùm bellô nuperô à Gallis denuo occupatus, illis pace Neomagenſi remanſit.

CAROLINGI, nomen ſecundæ ſtirpis Franciæ Regum. Hujus enim conditor quamvis Pipinus eſſet cognomine *Parvus* ſeu *Brevis*, dynaſtia tamen hæc non ab illo, ſed à Carolo M. filio ejus (ſub quo Regnum florentiſſimum fuit) nomen accepit. Quâ durante Italia, iiſdemque Imperatoris, jam ab A. C. 475 deſuetus, Francis acceſſit; plerique per Galliam, Belgium & Germaniam Principatus erecti, Britannia è Regno in Ducatum verſa: XII. Pares & Parlamenta inſtituta ſunt. Decrevit familia, diviſione Regnorum, mutuis diſſidiis & ignaviâ ultimorum Regum. Et quidem ex variis Regum diviſionibus orta ſunt Regnum Franciæ, Neuſtriæ, Lotharingiæ,

ringiæ, Burgundiæ, Auſtraſiæ, Aquitaniæ, Germaniæ, Italiæ, Saxoniæ, Provinciæ; donec tandem hæc omnia ſub Carolo III. cognomine *Craſſo* iterum conjungerentur. Verum eô extinctô divelli iterum ac dilacerari Monarchia in VI. partes cœpit: Arnulfô Germaniam ac Imperium; Berengariô & Guidone Italiam; Rudolfô Burgundiam, Belgium itid. Rudolfô; Guidone Provinciam; Ottone Aquitaniam, occupantibus. A quo tempore *Carolingi*, quaſi decurſâ ſuâ periodô, marceſcere & Germaniam primo ac Imperium, ad Francos ab aliis tranſlatum, amittere, mox Normannorum, aliarumque barbararum gentium incurſionibus vexari ſicque ſenſim retro ſublabi cœperunt: Hugone Caperô, ab iis ad tertiam, *Capetingorum* familiam, cujus ipſe auctor fuit, Regnum tandem transferente; poſt obitum Ludovici VI. excluſâ, à ſucceſſione, Caroli M. progenie & qui duo reſtabant, è *Carolinis*, Carolô Duce Lotharingiæ ac filiô ejus Othone duplici prælio ſuperatis. E quibus cum orti ſint hodierni Lotharingiæ Duces, veros Caroli M. ſucceſſores & Regni Gallici legitimos hæredes, ſe hodieque ferunt, ſcriptis etiam aliquando libris jus ſuum tum, &c. Georg. Hornius *Orb. Imper.*

CAROLO-BERGOMUM, urbs Bavariæ, vulgò *Karlſperg.*

CAROLOMANNUS, vide *Carlomannus.*

CAROLOMONTIUM, oppid. Belgii, com itec, A. C. 1555. à Carolo V. excitata in monte, juxta Moſam, in Namurcenſi Comitatu medium inter Carolopolim & Namurcum.

CAROLOPOLIS, urbs nova & munita Gall. ad Moſam fluv. in agro Retelenſi, ubi antea pagus *Arches.* Ei inſidet ex altera parte fluv. Mons olympus, arx munita. 5. leuc. à Sedano, 5. à Rupe regia.

CAROLOREGIUM, fortalitium Belgii, ab Hiſpanis excitatum, A. C. 1666 in monte, prope Sabim fluv. in Comitatu Namurcenſi in confinio Hannoniæ, ubi aliàs vicus *le Charnoy.* Gallis ſubeſt ab A. C. 1667.

CAROLOSTADIUM, Franconiæ oppid. vulgò *Karlſtatt.*

CAROLOSTADIUM, urbs nova German. & probè munita, in Vindorum Marchia, ad confluentias fluviorum *Kulp* & *Mereſnix*, à Carolo Archiduce condita contra Turcas. Alii in Croatia ponunt, quod meliùs forſan. 2. leuc. è Metelinga in Ortum.

CAROLOSTADIUM, oppid. Sueciæ, in parte Oſtro-Gothiæ, *Wermelandiæ*, loco Tingualliæ civitatis à Carolo IX. extructum, juxta Venerum lacum. 25. milliar. à Philippoſtadio in Occaſum. Malè habitum à Danis A. C. 1644.

CAROLOSTADIUS Andreas, Archidiaconus primò Wittembergenſis, Lutheri intimus amicus, eum Doctorem Theologiæ renuntiat, A. C. 1512. dein Evangelii luce illuſtratus, diſputat cum Eccio, de libero Arbitrio, A. C. 1519. abſente Lutherô ejicit imagines è templis, A. C. 1521. editô de Sacerdotum conjugio & votis Monaſticis reſcindendis, librô Bartholomæum Bernh. Feldkirchium, præpoſitum in oppido Kemberg ſecutus, ducit uxorem, A. C. 1522. Notatur literis alphabeti A. B. C. D. *in 1. ep.* Melanchthonis ad Camerar. i. e. Andreas Bodenſtein Carolſtadius Doctor. A' Luthero docente, *Chriſtum in pane S. Cœnæ tantum eſſe, quantum in Cruce pependiſſet*, diſſentit, myſticum verborum ſenſum ex Scriptura urgens. Rotenburgi per totam hyemem latet, A. C. 1525. Baſileam venit, ubi cum A. C. 1543. à Dæmone ſtrangulatum, cum è Miniſtrorum Baſilienſium literis, ſe referre dicat Moterius, *in diction. magno*: adjicere viſum eſt ex Viri Sancti, Joh. Jac. Grynæi, Antiſtitis Baſil. ad Barthol. Piſiſcum, Concionatorem aulæ Elect. Palatin. 1601. literis, die 18. Martii ſcriptis ſequentia: *Illud ſignificare viſum eſt, poſtquam a Luthero, quem natu major & dignitate ſuperior doctorem crearat Carolſtadius, e Saxonia pulſus eſſet, per annos decem, Eccleſiæ Petrinæ fideliter præfuiſſe, Rectoris in Academia noſtra munere functum cum laude: Εὐτάξιας & diſciplinæ amantem fuiſſe: inculpatè vixiſſe, obdormiviſſe piè eo ipsô tempore, quô D. Petrus Boquinus Baſileæ vixit. Monſtroſum mendacium, de Diabolico ſpectro, quô ante obitum turbatus ſit, auctori Satanæ relinquimus. Qualis vir viſus ſit Oecolampadio, ex hujus dialogo videre eſt*, &c. Vide Bucholcerum, *Ind. Chronol.* &c.

Imperatores.

CAROLUS I. cognomentô *Magnus*, Pipini Francorum Regis fil. primò Francorum Rex, poſteà etiam primus Occidentis Imperator. Natus Ingelheimii prope Moguntiam, A. C. 742. vel ſecundùm alios, 747. Poſt patrem, coronatus Noviodunt, A. C. 768. vicit Hunaldum, Ducem Aquitaniæ, & Lupum Vaſconum Ducem, à Carolomanno fratre contra ſe excitatos. Quô mortuô Galliæ Monarcha, Saxones aggreſſus, prope Oſnabrugum, deſtruxitque famoſum Deaſtri illorum *Irmenſul* templum. Deſiderium, Longobardorum Regem ab Adriano vocatus, præliô vicit, & Paviæ captum, in Galliam ſecum duxit, fine ſic regno huic impoſitô, A. C. 776. poſtquam 200. ann. ſtetiſſet. Donationem à patre Pipino Stephano II. factam, ratam habuit, additô territoriô Sabinæ, Ducatus Spoletani & Beneventi. Saxones denuo aggreſſus, 33. ann. ſpatiô, ad Chriſtianiſmum perduxit, etiam magnô illorum Rege Witekindô baptizatô. Dein Saracenos in Hiſpania, A. C. 778. oppreſſit, Alphonſô Caſtro à tributi neceſſitate liberatô, à Vaſconibus, in reditu laceſſitus, Rolandum, nepotem ſuum amiſit. Poſt hæc Aragiſum, Deſiderii generum, hujuſque filium Adalgiſum, à Taſſilone Bavaro excitatos, compeſcuit. Pipinum filium Italiæ, Ludovicum Aquitaniæ Regem creavit. Saxones rebelles, tertiâ vice, domuit, Britonibus etiam victis. Taſſilonem Bavariæ, & Aragiſum Beneventi Duces, ſoceri Deſiderii exilium vindicaturos, ſubegit, illô cum filiis in monaſterium detruſô. Cum Hunnis ab eodem evocatis rem habuit; quos A. C. 788. poſt octennale bellum, fregit: Rhenum Danubio jungere fruſtrà conatus. Turbas poſtmodum Romæ ob Pontificem Leonem ortas compoſuit, Imperator Occidentis coronatus A. C. 800. poſtquam Irenes conjugiô exciderat, ſic cum Nicephoro Imperatore pactus, Venetos in medio utriuſque Imperii liberos pronunciavit: apud omnes *Magni & Auguſti* nomen promeritus. Interea, cùm imaginum non uſus tantum hiſtoricus, ſed & veneratio, annitente Irene Synodô Nicænâ, quod Oecumenicum 8 Concilium fuit, reſtituta eſſet, actaque hujus Concilii Adrianus ad Carolum M. miſiſſet, ut ea Germaniæ, Galliæque Epiſcopi approbarent, Carolus Francofurti Concilium 300. Epiſcoporum A. C. 794. celebravit, in quo *Imaginum uſus hiſtoricus quidem approbatus, ſed adoratio damnata, Græcorum Nicena Synodus deſtructa, alia reſciſſa ſunt*, &c. Refutatio etiam ejus ſub nomine Caroli M. conſcata. Sigon. *l.* 4. Chemn. *in exam. de imag.* Porrò, jam Imperator Theodorum Hunnorum Caganum, pulſum à Lecho, per Carolum filium propugnavit, Saxones devictos, alios in Franciam, unde Brabanti & Flandri, alios in Hungariam, unde Septemcaſtrenſes, tranſtulit: Helmſtadium, contra Vandalos, Dreſdam contra Bohemos, Naumburgum contra Sorabos, Hamburgum contra Danos, condidit. Pipinô, ac Carolô filiis amiſſis, Ludovicum minimum natu Imperatorem, Bernardum è Pipino nepotem, Regem Italiæ creavit, maximâ bonorum parte Eccleſiaſticis & pauperibus legatâ. Et jam Imperatori Romæ datum, ut *per ſingulas provincias Archiepiſcopos*, &c. *inſtitueret, Pontificem eligeret, ſedemque Apoſtolicam ordinaret*, Sigon. *l.* 4. Itaque & Leo Papa, ipſe juramentum ſubjectionis ac fidelitatis dixit. In ſingulis Monaſteriis & Epiſcopiis, ſcholas eſſe juſſit, ubi Grammatica, Muſica & Arithmetica doceretur, Sigibert. *in Chron.* Rhegino, *l.* 2. Textus Evangeliorum & Epiſtolarum ſingulis Dominicis, operâ Pauli Diaconi adaptavit, Synodos varias habuit, &c. Literarum inſignis fautor, Grammaticam Teutonicam ipſe ſcripſit, menſium ventorumque nomina Germanica eſſe juſſit, &c. Obiit pleuritide, A. C. 814. Aquiſgrani, ubi tum aula, ætat. 72. regni Francici 45. Italici 42. Imperii 15. Plura de ipſo, Eginhart. & Acciajolus, *in vita Caroli M.* Aimoin. Ado, Sigon. Blond. *dec.* 2. *l.* 5. P. Æmil. *l.* 5. Crantzius, *l.* 2. Baronius, &c. Paucis, Hunnos, Saxones, Longobardos, Bavaros multis præliis fregit, Aquitaniam ſubegit, Vaſcones perdomuit. Pannoniam vaſtavit, multa in Hiſpania prælia commiſit, quinque concilia coëgit, Scholam Pariſienſem inſtituit, multaſque in Italia Sanctorum hominum res geſtas literis prodendas curavit, ventis, & menſibus nomina impoſuit; ædes ſacras plurimas extruxit; denique omnium, qui unquam fuerunt Principum, belli, paciſque artibus longè clariſſimus fuit. Ut & hoc addam, quantam is Rei Eccleſiaſticæ curam geſſerit, diximus ſuprà in voce *Capitulare.* Libros ejus 4oro contra caros *de Imaginibus ſacris*, occaſione Synodi Francofurtanæ ab ipſo, contra Græcorum Synodum, in qua Imaginum adoratio ſtabilita, celebratæ ſcriptos, primus in Gallia ſub nomine *Eli Phili* publicavit, ſeculi præteriti annò 49. Joh. Tilios Epiſcopus Meldenſis, additâ ſuâ præfatione; cujus authenticum exemplar, contra quorundam conatus, hunc fœtum *νόθον* accuſantium & exemplaria bonæ notæ in Gallia edita quâ poſſe abolentium, in Bibliotheca ſua aſſervare ſe refert Gerh. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccleſ. num.* 46. Vide Vincentium Placcium JCtum Hamburgenſem in *Tract. de Scriptoribus Anonymis & Pſeudonymis detectis*, *in Caroli M. Imperat. Scriptis*, p. 174. Eum excepit fil. Ludovicus Pius.

CAROLUS II. Calvus, ultimus fil. Ludovici Pii, ex Judita, Velfi Bavariæ Comitis filia, Franciæ Rex, A. C. 840. poſt multas cum fratribus de regni jure controverſias, tandem etiam extinctô Ludovicô II. Imperator factus. Prius cum Fratre Ludovico, fratrem maximum natu Lotharium, vicit, ac utróque mortuô, cum Ludovici filio negotium habuit. Lotharió Rege Lotharingiæ, filiô Imperatoris cognominis Placentiæ mortuô, Metas advolans Carolus, coronam ibi ſumſit. A Britonibus victus, Robertum Saxoniæ Principem iis oppoſuit, Hollandiæ Comitem primum Theodoricum creavit, ut Normannis reſiſteret, à quibus domi in tantas anguſtias redactus eſt, ut illis Neuſtriâ, hinc *Normannia* dictâ, cedere cogeretur, A. C. 875. Aquitaniam ſibi, Pipinô & Carolô patruelibus, in cœnobia relegatis, ſemel peius victus, ſubjecit. Poſt hæc Ludovico fratri Imperium, conciliatô ſibi Johanne IX. præripuit, Chriſtianiſſimus ab eo dictus, A. C. 875. Carolomannum fratris filium, contra ſe miſſum, eluſit. Italiæ regnum ſibi vindicaturus, à Boſone impeditur eſt, fratris etiam liberis regnum rapturus, judiciô calidæ aquæ, & ferri candentis, convictus primùm, dein cùm deſiſtere nollet, à Carolo Craſſo acie ſuperatus, paulò poſt in Galliam reditu paratô, à Sedechia Judæo Medico, venenô propinatô, obiit, A. C. 877. Ex Ermentrude, filia Odonis, Comitis Aurelianenſis pater Ludovici Balbi, ſucceſſoris, Caroli, Lotharii, à patre excæcati & Juditæ: Aimoin. *l.* 5. *c.* 31. Rhegino, *l.* 2. Paul. Æmilius, *l.* 3. Sigon. *l.* 5. *ad an.* 877. *Annales Fuldenſes, Tilletus, Ado,* &c.

CAROLUS III. Groſſus vel Craſſus, VII. Romanorum Imperator, Ludovici II. Germanorum Regis fil. tertius Lotharingiæ, Alemanniæque Rex, A. C. 881. petiis Carolo Simplici, adhuc minorenni, poſt Carolomanni mortem, Galliam adminiſtraverat. Longobardorum regnô occupatô, Imperator coronatus eſt, à Johan. IX. qui quòd Balbum petiis vocaret ad Imperium, à Romanis in carcerem conjectus fuerat. Fratrum ditiones, iis mortuis, adiit. Cum Normannis, traditâ Godofredo Duci Friſiâ, ac in uxorem Giſelâ filiâ Lotharii elocatâ tranſegit. Poſt tamen, cùm Hugonem Lotharii nothum ad occupandam Galliam armaret, eum trucidari, Hugoni oculos erui curavit. Hinc animô & corpore æger, divortiô cum Richarde conjuge factô, Germanorum iras incurrens, Arnolpho nepoti Imperiô cedere coactus, Obiit A. C. 888. in obſcuro Sueviæ pago, in ſumma paupertate. Sepultus in Abbatia de Richenow, in Inſul. Lacus Conſtantienſis. Aimoin. *l.* 5. *c.* 40. P. Æmil.

P. Æmil. *l.* 3. Rhegin. *l.* 2. Sigebert. *in Chron.* Otto Friſing. Matth. Voſſius, *Annal. Holl. l.* 1. *p.* 7.

CAROLUS IV. Dux Lucemburgic. filius Johannis, Bohemiæ Regis, Nepos Henrici VII. Imperatoris, à Clemente VI. contra Ludovicum Bavarum, Imperator dictus, ſed ab Electoribus non admiſſus, æmulos Eduardum Anglum, Fridericum Thuringum, & Guntherum Schwartzemburgicum habuit. Quorum illi duo cùm mox renuntiârint juri ſuo, à tertio Carolus per matrimonia Electores ſejunxit, etiam venenô, ut ajunt, propinatô. Sic Imperii potitus A. C. 1347. prælio Creſſiacenſi, quô Johannes Galliæ Rex, ab Eduardo victus captuſque erat, interfuit, patre Johanne ibi amiſſô: & in Italia coronatus A. C. 1355. Galeacium ejuſque fratrem Barnabam Vicecomites, Imperii vicarios creavit: ſtatimque ut juſſerat Papa diſceſſit, *ô infamem diem, ô pudendum fœdus, ô superi!* exclamante Petrarchâ. Annô pôſt Auream Bullam in Comitiis Norimbergæ condidit. Ut Wenceſlaum ad Imperium promoveret, ex illius patrimonio plurima abalienavit, Sigiſmundo alteri filio Marchionatum Brandenburg. cum, Electoratum contulit. Pragam, quam lateritiam acceperat, marmoream reliquit, templa & monaſteria plurima erexit, Moldavam ponte ſumtuoſiſſimô ſtravit, Arcem ſplendidam & Academiam Pragæ erexit. Hiſtoriam rerum à ſe geſtarum ipſe ſcripſit, ubi inter alia, in exordio, *quid valet*, inquit, *nobilitas generis, aut rerum affluentia, niſi adſit pura conſcientia, cum fide recta, ſpe ſancta reſurrectionis.* Plurimarum linguarum præterea notitiâ clarus, obiit Pragæ A. C. 1378. ætat. 63. Imperii 32. Crantz. *metrop.* Æneas Sylv. & Dubravius, *Hiſt. Bohem.* Cuſpinian. *Hiſtor.* Trithem. Onuphr. *Chron.* Blondus *dec.* 2. *l.* 10. Platina *in vit.*, *&c.* Eum excepit fil. Wenceſlaus.

CAROLUS V. fil. Philippi I. Archiducis Auſtriæ, ex Johanna Caſtellana, nepos Maximiliani I. natus die 24. Febr. A. C. 1500. Hiſpaniæ Rex, A. C. 1517. poſt mortem Avi Romanorum Imperator, A. C. 1519. per Europam omnem bellum geſſit, & triumphum egit, Hiſpaniam ſuam tumultuantem compeſcuit, Belgas rebellantes in ordinem coëgit; In Italia Mediolanenſem ducatum primò fœderatis, pôſt ſibi aſſeruit; Pontificem, Florentinos, Senenſes, Genuenſes, vel erexit ſocios, vel hoſtes afflixit. In Germania Solymannum Viennâ depulit, Proteſtantes acie victos ſub jugum miſit. Et quaſi Europa tot victoriis anguſtior foret, tranſmiſſus in Africam, barbaris gentibus Regem dedit; arcemque poſuit, ubi antè nec licebat ſtare. Sed quid hæc bella ad Gallicum? Nam Carolus nihil omiſit, quô Franciſcum rivalem gloriæ tot triumphis adjungeret. Hunc primùm ex Italia, ademtô Mediolanenſi ducatu, ejecit, redeuntem ad ingenium, vicit ad Ticinum, cepitque. A. C. 1525. Clementem VII. bella contra ſe cientem, Duce Borboniô, aggreſſus, Romam expugnavit, *quoties oppugnationem iterabat, cadente urbe, & Pontificis proſpectum adimente*, Thuan. *l.* 1. Camer. *in Hiſt. Romæ captæ*, & per Hiſpanos inprimis diripuit, *aliquô Papali habitu, cum meretrice, in equo per urbem circumductô*, P. Jov. *in vita Pomp. Columnæ.* Pontificem in mole Hadriani ad menſes redegit, A. C. 1527. In Germania tam ipſe præſens, quàm per fratrem Ferdinandum, varios conventus, ut diſſidia religionis componerentur, egit. Colloquia Theologorum utriuſque partis crebro inſtituit, Confeſſionem Auguſtanam à Principibus oblatam audivit. Quibus ad Mulbergam victis, librum *Interim*, formulam fidei continentem, permiſſô conjugiô Clericorum & calicis uſu, uſque ad Concilium, Germaniæ obtruſit. Donec à Mauritio Saxone, Philippi Haſſi captivi genero, Oeniponte, in fœdam fugam conjectus, impedimentis omnibus amiſſis, & ad pacem Proteſtantibus dandam coactus eſt, A. C. 1552. quô Paſſavii concluſum, *propter religionem nulla cuiquam exhiberetur moleſtia.* Cæterùm Peruviam & Mexicum novi Orbis terras, Ferdinandi Corteſii præclariſſimas victorias, à Pizarro vel ignoravit diripi, vel diſſimulavit. Tandem poſt Metas fruſtra obſeſſas, A. C. 1555. Imperii 36. vivus & vegetus ſe hæredibus tradidit, donumque conceſſit ab omni memoriâ locupletiſſimum Ferdinando Fratri Imperium, ac regna cætera Philippo filio: In Hiſpano ſeceſſu duobus annis ſibi ſuperfuit, imo ſibi vixit, & vita mortis commentatio eſt, Bernhardi lectioni præcipuè deditus. Obiit A. C. 1558. ætat. 58. Imperii 36. *P. Jovius Guicciard.* *Thuan. Strada*, &c. Filius ejus Philippus, *Carolum* filium habuit, quem tum adhuc unicum, an. ætatis 24. morte affici juſſit, Annô, quô.

FILIUs ante DIeM patrIos InqUIrIt In annos.

CAROLUS II. Hiſpan. Rex, ejuſdem Imperatoris abnepos, Philippo IV. Patri ſucceſſit, A. C. 1665. ſub tutela Annæ Mariæ Auſtriacæ matris.

Reges Galliæ.

CAROLUS I. & II. Vide *inter Imperatores.*

CAROLUS III. cognomine *Simplex*, fil. poſthumus Ludovici Balbi & Adelaidis. Quô adhuc minorenni Carolus Craſſus, & poſt eum Odo, regno præfuerunt. Coronatus eſt Annô ætat. 14. menſe 4. die 11. annuente Fulcone Archiepiſcopô Remenſi, magni animi virô, A. C. 891. poſtquam ipſe Odo moriturus monuiſſet Proceres, illum legitimum Regem ſuum agnoſcerent. Pacem iniit cum Lotharingiæ Duce & Normannis, quorum Dux Rollo Roberti nomen baptizatus aſſumſit, Giſlâ Regis filiâ ductâ. Sed cùm Rex dependeret à conſiliis Haganonis, deſertus à proceribus, & Robertus, Pariſiorum Comes, ſubſtitutus eſt, A. C. 922. quem in prælio ipſemet lanceæ ictu occidit. Interim Regi à factioſis Rodolpho Burgundiæ Rege oppoſitô, Herbertus II. Comes Veromanduorum in carcerem eum compegit, ubi ſex poſt annis obiit, A. C. 929. ætat. 50. Relictô filiô Ludovicô, ex Ogiua, filia Eduardi I. ſucceſſore.

CAROLUS IV. cognomine *Pulcher*, fil. Philippi Pulchri, poſt Ludovic. Hutinum, & Philippum Longum, fratres, Galliæ Rex A. C. 1322. titulô etiam Navarræ Regis aſſumtô, ob matrem Johannam, filiam Henrici I. ex Blanca Arteſia. Plurimos, exactionum convictos, & redituum malè adminiſtratorum, partim carcere, partim morte puniit. Ludovicum, Flandriæ Comitem, contra Robertum, tutus eſt. Eduardo infenſus, quòd inaugurationi ſuæ non interfuiſſet, per Carolum Valeſium, ferme totam Guiennam occupavit, à Regina Iſabella, ſorore ſua, cum Eduardo filio in Galliam veniente, placatus. Imperium à Papa oblatum repudiavit, Obiit A. C. 1327. ætat. 34. Regni 6. ſine maſcula prole.

CAROLUS V. cognomine *Sapiens*, Francorum Rex, Joannis Regis fil. Primus Delphini titulô, ante regnum, inſignis, Dux Normanniæ quoque fuerat, & Patre in captivitate detentô, Regens, ei ſucceſſit, A. C. 1364. Temporum ſuorum turbulentiſſimum ſtatum ſuâ prudentiâ emendavit; pacis artibus etiam bellicas res feliciter adminiſtrare doctus, ita ut quæ pater ejus armatus amiſerat, inermis in cubiculo ſedens recuperârit. Unde Rex Angliæ dicere ſolitus, *nullum ſe ira hoſtem, qui ſibi minus armaretur, & plus negotii faceſſeret.* Froiſſard. *l.* 2. Per Bertrandum Gueſclinum & Mareſchal. Bucicaldum, vicit Carolum Navarræ Regem in Normannia; Carolum Bleſenſem in Armorica contra Johannem Montfortium conatus eſt defendere, ſed hic æmulum interfecit, Gueſclinô captô, quem liberatum Rex in Hiſpaniam miſit, contra Petrum crudelem. Angliæ Regem, quod Vaſalli fidem non præſtaret, à Parlamento condemnatum magnâ parte ditionum, quas in Galliis habebat, exuit, terrâ marique victor. Biblia ſacra, à Nicolao Oreſmo, in Gallicam linguam verti curavit: ad exemplum Ludovici IX. qui idem ſuô tempore Theologis imperaverat, Baleus, *l.* 6. Vide quoque in voce *Oreſmo.* Majora conatus, obiit, A. C. 1380. ætat. 42. regni 16. priùs jam venenô debilitatus, à Navarræ Rege propinatô, cujus vim Imperatoris medicus aliquouſque retuderat. Relictô ex Johanna uxore, Carolô VI.

CAROLUS VI. Franciæ Rex, ſucceſſit Patri Carolo V. an. ætat. 12. coronatus A. C. 1380. per initia imperii ſatis felix, ſuppreſſis ſeditioſis, dictis *Mailiotins*, nobili etiam de Flandris victoriâ ad Roſebecum, A. C. 1382. victô Philippô Arteyillâ, rebellionis, contra Ludovic. de Marle, Flandriæ Comitem, Duce, inſignis, in morbum incidit, cùm contra Johannem Monfortium, Britanniæ minoris Ducem expeditione ſuſceptâ, Sole nimis fervidô, iter faceret, accedente apparitione hominis ignoti, qui ipſum monebat: *Siſte, proditus es*; imprudentiâ miniſtri, qui dormiens in equo lanceâ galeam ejus percuſſit, & tandem quorundam perſonatorum infelici ſpectaculô: cujus occaſione à ſuis contemptus, multis ſeditionibus agitatus, tandem inter Anglorum, qui A. C. 1415. pugnâ *ad Agincourt* victores, in regno impunè graſſabantur, manus moritur, A. C. 1422. regnum eis reliquit, coactus filium exhæredare, quæ tot innumeras calamitates utrique populo attulit. Ex Iſabella Bavarâ, Galliæ ſuttâ, præter plurimos alios utriuſque ſexus, Carolum ſucceſſorem ſuſcepit. Monſtrelet, Froiſſard. Joh Juvenalis de Urſinis, Laboureur, & Jean de Serres *Invent. in Carolo.* VI.

CAROLUS VII. cognomine *Dilectus*, Rex Franciæ, homo egregiè exercitatus, primùm etiam ab Anglis omni penè regno excluſus, ut etiam per jocum *Rex Biturigum* diceretur, eos poſteà tantâ felicitate perſecutus eſt, ut nullus eis locus in Francia relinqueretur: ubi in ſuo pedem ponerent. Habuit cognomen *Victorioſi*, natus eſt A. C. 1403. Regentis titulum ſumſit A. C. 1418. coronatus poſt obitum patris Pictavii, tum cum mater ejus cum Anglis colluderet, Henricum VI. Angliæ Regem Lutetiæ Regem proclamari curâſſet. Dein iterum Remis, A. C. 1429. quam urbem, ope Johannæ d'*Arc*, vide ibi, præter plurimas alias recuperaverat, ejus ut & Comitis Dunenſis miniſteriô, contra Anglos, feliciſſimè uſus, quos Galliâ penitus, Caleto tenus, expulit. Poſteà Ludovicum Delphinum infeſtum ſenſit, qui ad Ducem Burgundiæ perfuga, 14. ann. ab aula abfuit, non niſi patre mortuô reverſus. Rex venenum timens, cum à cibo ſeptiduum abſtinuiſſet, fame periit, A. C. 1461. ætat. 58. regni 39. Ludovicô XI. filiô ſucceſſore relictô. Heroldus *Hiſt. Caroli* 6. *&* 7. Joh. de Serres, *in Inventario Hiſtor. Gall.*

CAROLUS VIII. cognomine *Affabilis*, fil. Ludovici XI. ex Carlota Sabauda ſucceſſit patri, qui noluit plura filium Latinè ſcire, quàm pauca hæc, *Qui neſcit diſſimulare neſcit regnare*, A. C. 1483. ætat. 13. Eô minorenni, ſoror ejus Anna, Regens, vicit, per Ludovic. II. Tremollium, Ludovicum Ducem Aurelianenſem regimen ad ſe trahere conatum, in Armorica, A. C. 1488. Poſtmodum Annam Ducis ultimi filiam, jam Maximiliano Imperatori deſponſatam per procuratorem, ſibi junxit, et Margaretâ filiâ, cui ipſe prius fidem conjugii dederat, remiſſâ. Dein, cùm hæres Renati Caroli Ludovico XI. jure ſuô in regnum Neapolitanum ceſſiſſet, hoc ſibi aſſerturus, A. C. 1494. in Italiam tranſiit, ibi multa conceſſit, Romæ Alexandro VI. inveſtituram regni Neapolitani & coronationem velut Imperatoris Conſtantinopolitani extorſit, inde A. C. 1495. regnô intra quadrimeſtre occupatô, unde Alphonſus Rex cum filio Ferdinando, conſcientiâ ſcelerum magis, quàm vi Caroli, ejectus profugerat. Pôſt à Ferdinando Hiſpano fugatus, à Venetis in regreſſu victus, & impedimentis exutus, Neapolitanum regnum, Gallorum inſolentiâ ſubditis irritatis, Ferdinandô recipiente & patrueli Fridericô relinquente amiſit. Redux domum, amiſſô prius filiô trienni, ſubitò, paulo ante prolocutus, *ſpero me nihil facturum amplius, quod Deum offendam*, in loco ſordido, obiit, Ambosiæ, A. C. 1498. ætat. 27. regni 14. Guil. de Jaligny, *in ejus vita.* Belleforeſtus, *de novem Carolis.* P. Jovius, Guicciardinus, Joh. Serres, &c.

CAROLUS IX. fil. Henrici II. ex Catharina Medicæa, natus A. C. 1550. Egregiis à natura dotibus inſtructus: Sed à Matre in tranſverſum actus eſt, venationi inprimis frequenti adhibitus, in qua cæſarum ferarum vulneribus cubitotenus brachium immergere

gere puer admodum didicit, ut cruori aſſueſceret. Succeſſit fratri Franciſci II. ætat. an. 11. quod edicta, in gratiam Proteſtantium lata, non ſervarit, bello civili denuo anſam dedit. Quô Anna Montmorancius ad Fanum Dionyſii cum Condæo & Coliniis fratribus colliſus, ex vulnere accepto obiit, A. C. 1567. poſtquam A. C. 1562. ad urbem Druidum ſimiliter confixiſſent, utriuſque exercitus Duce captô. Cumque verò Condæus, Caſimiri Palatini copiis auctus, jam terribilis eſſet, decreta revocata, religio conceſſa, amneſtia ſancita. Mox religio & cultores ejus rurſus proſcripti, quibus Rupella aſylum fuit, & brevi res iterum egregiæ, ut Condæus ſæpe uſurparet vocem Themiſtoclis, *Periiſſem niſi periiſſem*; A. C. 1569. tamen in pugna Baſſiacena captus, & contra datam fidem occiſus. Quô ſublatô, perculſos fœderatos Johanna Labretana erexit, donec A. C. 1570. rurſus pax facta, libertas religionis data, amneſtia proclamata. Et quia hactenus pellis Leonina non juvit, vulpina induta, ac ſub prætextu nuptiarum Henrici Navarri, cum Margareta, Caroli ſorore, *Laniena Pariſienſis* ſecuta, dictitante Catharina, *neceſſe eſſe unam partem regni perire, ut altera incolumis ſervetur*. Sed Reformatorum conclamatas res Rupella, ſtrenuè ſe contra Henricum Andium Ducem, Caroli fratrem, defendendo reſtituit, è propugnaculo, cui *Evangelii* nomen, hoſtibus inprimis infeſtatis. Rex verò, cui ab hoc tempore, ſomnium nocturni horrores plerumque interrumpebant, fruſtra Symphoniacorum puerorum ſolatiô imploratô, A. C. 1574. poſt dolores adeo pertinaces, ut, *ſe mori diu ante mortem ſenſerit*, extinctus eſt, quum 14. diebus ante mortem, *nil niſi ſanguinem è corpore fluere vidiſſet*, ætat. 24. regni 13. Cæterum Poëſeos & Venationis, vide ſuprà, de qua etiam tractatum dictâſſe Villaregio dicunt, inſignis amator. Maritus Eliſabethæ Auſtriacæ. Relictô ſucceſſore Henricô fratre. Plura de eo vide apud Jac. Aug. Thuanum, *l.* 26. *& ſeqq.* Ville Roy, *Memor. Caroli IX.* Vide quoque *Guido Faber*.

CAROLUS Borbonius Cardinalis, poſt Henrici III. mortem, ab Henotica factione, Rex Galliæ proclamatus eſt, cuſis & ſignatis nomine Caroli X. nummis, additôque ipſi Vicariô, Duce Meduanio. Sed perſonatus hic Rex, paucis poſt diebus, in Navarræi cuſtodia, ex calculi doloribus, exſpiravit, Annô ætat. 66 Hic verò jam prius in caſtris Rex proclamatus, felicibus auſpiciis thronum conſcendit. Henricus IV. ſeu Magnus dictus, vide ibi.

CAROLUS, primogenitus Caroli M. Rex Franciæ Orientalis, teſtamento Patris dictus, A. C. 806 magnâ diligentiâ reliquiis Idololatrarum, è Germania exſtirpandis, incubuit, vicit Bohemos, Duce illorum Lechô occiſô, ſuperavit Slavos Sorabos, trans Albim habitantes. Obiit improlis, A. C. 810. Eginhart. *in vita Caroli M.* Aimoin. *l.* 4. *Hiſt. Gall.*

CAROLUS Martellus, Magiſter palatii, ſeu Majordomus, fil. Pipini, ex Alpaïde, A. C. 694 à Plectrude, quam Pater repudiaverat, in vincula conjectus, mox inde liber, Raimfrodum Majorem Domus aggreſſus vicit, A. C. 717. Saxonas dein, Alemannos, Bavaros, Noricoſque ſub jugum miſit. Chilpericô Rege ſuperatô, Lotharium Dagoberti filium admovit, quô mortuô, Chilpericum reſumſit, cum Luitprando amicitiam, miſſô Pipinô filiô, iniit. Ab eo adjutus, Saracenos ab Eudone, Aquitaniæ Duce, evocatos, cecidit, A. C. 732 Burgundiam dein, & Aquitaniam ſubjugavit, Saracenoſque ſecundâ vice in Galliam reverſos expulit. Chilperico mortuo, Theodoricum Dagoberti filium ſubſtituit. Ex Majore Domus Princeps Franciæ pronuntiatus, obiit Creſſiaci A. C. 741. ætat. 55. regiminis 26. Relictô Carlomannô & Pipinô Curtô, capite ſecundæ familiæ regiæ. Brevi poſt mortem, ſepulchrum inane, & ſerpens ſolùm ibi repertus. P. Æmilius, *in Hiſt. l.* 2. Sigon. *l.* 3. Fredegarius, Sigebertus, Aimoinus, Anaſtaſius, *in Gregorio* II. &c.

CAROLUS Valeſius, cognomine *Defenſor Fidei*, fil. Philippi Audacis Regis ex Iſabella Arragonia. Caput Valeſiæ familiæ, quæ regnum tenuit 260. ann. ab. A. C. 1328. quô Philippus, filius ejus regnare incepit, uſque ad A. C. 1589. quô Henric. III. obiit. Arragoniam ſibi Valentiam, & Comitatum Barcinonenſem à Papa oblata, hâc lege, ut occuparet, ſprevit. Poſt mortem Philippi Pulchri, curam regni geſſit, Anglis in Guienna bellô illatô. Dein à Bonifacio IX. Vicarius Generalis & Defenſor ditionum Eccleſiæ creatus, Florentiam profectus eſt, Alborum & Nigrorum factiones ſublaturus. Prioribus pulſis Dantem Poëtam in carminibus ſuis infeſtum ſenſit, &c. Obiit A. C. 1325. Vide Du Cheſne, Choletum, San Marth. Dominicum, Du Bouchet, &c. *Genealog. Famil. Gall.*

CAROLUS, fil. Caroli II. Rex Aquitaniæ, coronatus, A. C. 855. Obiit, A. C. 866. Item, fil. Caroli VII. caput Ligæ Boni publici, A. C. 1465. Obiit A. C. 1472. cum veneni à Monacho quodam Benedictino propinati ſuſpicione. Item, Comes Engolismus, Par Franciæ, in prœlio *ad Azincourt*, captus. Obiit A. C. 1472. Item, Comes Alenconius, fil. Caroli Valeſii, in pugna Creſciacenſi, occiſus, A. C. 1346. Item, ultimus Dux Alenconius, fil. Renati, poſt mortem Ludovici XII. pro primo principe regni ſanguinis agnitus. Obiit A. C. 1525. Item, filius Ludovici, nepos Caroli V. in Anglia ann. 25. captivus, obiit A. C. 1465. pater Ludovici XII. Item, Comes Engoliſmæ, fil. Johannis Aurelianenſis, obiit A. C. 1496. pater Franciſci I. Item Dux Borbonius, obiit A. C. 1456. ex Agnete Burgundica, 11. liberorum parens. Item, Conneſtabilis Franciæ, ex Ducibus Borboniæ, tranſiit ad Carolum V. Imperatorem in expugnatione Romæ mortuus, A. C. 1527. Item, primus Dux Vindocinus, pater Antonii Navarræ Regis obiit A. C. 1537. Item, Comes Sueſſionum, Par & magnus Galliæ Magiſter, filius Ludovici Condæi, obiit A. C. 1612. Item, Princeps Rupi-Sur-yonius, obiit A. C. 1565. Item *Carolus* Borbonius, Dominus de Carency, A. C. 1493. Vide *Morerium*.

Reges Hiſpaniæ vide Carolus V. Imperator.

Reges Navarræ.

CAROLUS I. Vide *Carolus* IV. Galliæ Rex.

CAROLUS II. Malus, Navarræ Rex, fil. Philippi Comitis Ebroicenſis, ex Ludov. X. Hutini Galliæ Regis filia Johanna, cui Ordines regni, mortuô Philippô Longô & Carolô Pulchrô, coronam detulerant. Coronatus eſt Pompejopoli, A. C. 1349. Carolum Hiſpanum de la Cerda, Franciæ Conneſtabilem & Johanni Regi charum, in Normannia, caſtrô, ubi degebat, noctu expugnatô, trucidavit. Cum Anglis non ſemel contra Galliam fœdus iniit, eloquiô, dexteritate, ingeniô, animoſitate abuſus, modò ſcopô potiretur, nihil penſi habuit. Carolum Sapientem, ſeu V. tantô odiô proſecutus eſt, quod ab ipſo adhuc Delphino, in vincula conjectus olim fuiſſet, ut illum cum reliquis ſanguinis regii principibus, venenô quoque aggreſſus ſit, ſed fruſtrà: idem facturus Gaſtoni Phœbo, affini ſuo, ſimiliter fruſtratus eſt. Tandem ſuum ipſe ſibimet vitam confecit, dum ad vires malè deperditas reficiendas, infuſus eſt linteis aquâ ardente perfuſis, ubi admotâ ſibi candelâ flamma concepta eſt. Ita mors in remediis quæritur, & telo, quô pellitur, ſæpè vincit. A. C. 1387. ætat. 55. Carolum fil. ſucceſſorem habuit. Froiſſard. *l.* 3. Juvenal. de Urſinis, *in Carolo VI.* P. *Æmyl. Belleforeſius*, *Mariana*, &c.

CAROLUS III. cognomine *Nobilis*, *& aliter Salomo*, patri Carolo II. ſucceſſit, Juſtus, mitis, benignus. Obiit A. C. 1425. relictâ ex Eleonora Caſtellana, filiâ Blancâ, uxore Johannis Arragoniæ Regis, quæ Patri ſucceſſit. Mariana, *l.* 18. 19. 20. Garibay.

Reges Neapolitani, Comites Provinciæ.

CAROLUS I. fil. Ludov. VIII. cognomine *Leo*: frater Ludov. IX. maritus Beatricis, Raimondi Berengar. Comit. Prov. filiæ, fratrem, à quo Comitatu Andegavenſi &c. donatus erat, in Orientem ſecutus, poſtquam rediit, ab Urbano IV. & Clemente IV. contra Manfredum vocatus, Neapoliſque & Siciliæ Rex creatus eſt, hâc lege, ut 40000 aureorum ſibi quotannis ſolveret, poſtquam Manfredum primò, fil. nothum Friderici II. ad Beneventum, dein Conradinum regni utriuſque hæredem legitimum, prius quidem ad Arcium profligatus, in Marſis ſuperâſſet: quem cum Friderico Duce Auſtriæ, ex annulo & liberali forma agnitos, è fugâ retraxit, & Clemente, feralem ſententiam ferente, *Vita Conradini mors Caroli*, &c. cum 12. aliis Sueviæ Italiæque Proceribus, Neapoli, ſecuri percuſſit: Carnifice illicò plexô, ne gloriari poſſet, tam nobilem ſanguinem à ſe fuſum eſſe. Quæ ſævitia Veſperis Siculis mox expiata, Nicolaô III. cujus fratri regiæ puellam ſtirpis Carolus uxorem negaverat, dictitans, *etſi Nicolaus rubrô galerô utatur, ejus tamen agnatos regii ſanguinis puellâ indignos eſſe*, Papir. Maſſon. *l.* 3. *Hiſt.* conjurationis fabrô, ipſô Paſchatis die, A. C. 1281. quibus, dum campanæ ad veſpertinas preces pulſarentur, omnes Galli interfecti ſunt, prægnantibus quoque occiſis, ne quid Gallici ſanguinis ſupereſſet: Petruſque Aragonius illico eò tranſivit, ac Rex Siciliæ coronatus eſt, fruſtrà obnitente Carolô: qui iterum monomachiâ propoſitâ ab Arragone eluſus, mox Carolô Claudô filiô ab hoſte captô, mœrore confectus obiit, A. C. 1285. in Apulia. Relictô Carolô filiô ſucceſſore, Blondus: Villan. Nangy, Spond. Bzovius, Raynald. *in Annal. Eccl.* Bouchæus *l.* 9. *Hiſtoriæ Provinciales*.

CAROLUS II. Claudus, Patre mortuô, adhuc captivus, demum A. C. 1288. liberatus eſt, poſtquam pollicitus eſſet, effecturum ſe, ut gener ſuus Carolus Valeſius regno Arragoniæ renuntiaret, & Jacobus Aragonius Siciliæ regnum à Papa impetraret, *at fruſtra ſunt, qui a S. Magdalena eum liberatum dicunt*, Moreri *in diction. Hiſt.* Hinc in Galliam inde iterum in Italiam reverſus, Rex Neapolitan. coronatus eſt, A. C. 1289. Hungariæ quoque, per Mariam, fil. Stephani V. & ſororem Ladiſlai IV. regnum adeptus. Mitis in ſubjectos, Cœleſtini V. electionem & Clementis V. conatum, in Templariis exſtirpandis adjuvit, templa monaſteriaque plurima excitavit ob benignitatem *Alexander* ſui temporis dictus. Obiit Caſæ Novæ, prope Neapolim, A. C. 1309. ætat. 63. regni 25. Pater ex Maria Hungar. decem filiorum, & 5. filiarum. E quibus primus Carolus Martellus in Hungariam vocatus eſt, Robertus Patri ſucceſſit. P. Æmylius, Zurita, Villanius, Spond. Noſtradamus, Ruffy, Bouchæus, *Hiſt. Prov. l.* 9.

CAROLUS, fil. Roberti, nepos Caroli II. Dux Calabriæ, pepulit Siciliâ Fridericum, Trinacriæ Regem, qui cum Caſtruccio & Gibellinis Roberto Regi inſidias ſtruxerat. A Florentinis urbis ſuæ Præfectus aſſumtus, obiit A. C. 1328. ætat. 31. Sub Eleazaro Comite Ariano, Ephoro ſuo, tantum profecit, ut Petrarchæ verbis, *fortitudinem Caroli I. liberalitatem Caroli II. prudentiam Parentis, cum exacta Juſtitiæ obſervantia in ſe uno conjunxerit*. Ex Maria, Caroli Valeſii filiâ, præter alios, Johannæ parens, quæ Roberto ſucceſſit, Petrarcha *l.* 10. *Ep. ad Donat.* Summonte. *Hiſt. Neap.* Bouch. *l.* 9.

CAROLUS, Dux Duracinus, fil. Johannis Siculi, nepos Caroli II. Præfectus Neapolis, ſub Johanna, Andreâ Hungarô ſtrangulatô Averſæ, capite plexus eodem in loco, operâ Ludovici fratris ejus, A. C. 1347. Summonte, *Hiſt. Neapolit.*

CAROLUS III. cognomine *Pax*, Dux Duracinus, fil. Caroli, nepos Johannis, abnepos Caroli II. Johannam, in vincula conjectam, mori coëgit, hinc ab Urbano VI. regni Neapolitani inveſtiturâ acceptâ, fruſtrà obnitente Ludovicô Andegavenſi filiô Johannis Galliæ Regis à Johanna adoptatô. Quô mortuô A. C. 1384. Carolus, in Hungariam profectus, Budæ occiſus eſt, A. C. 1386. ætat. 41. artibus Iſabellæ, quæ generum ſuum Sigiſmundum in thronum evexit. Ex Margareta Duracina, parens Ladiſlai, Hungariæ Regis & Johannæ II. Ruffy. *Hiſt. Comit. Prov.* Bouch. *l.* 9.

CA-

CAROLUS III. vel IV. fil. Caroli, Comitis du Maine, &c. à Renato Rege, patruo ſuo adoptatus, ei ſucceſſit, A. C. 1480. Obiit A. C. 1481. Ludovicô IX. Galliæ Rege hærede inſtitutô, Noſtradamus, Ruffy, Bouch. *Hiſt. Prov.*

Reges Angliæ.

CAROLUS I. M. Britanniæ, poſt patrem Jacobum, Rex, A. C. 1625. Rupellæ, ſub Buckinghamio Duce, ſuccurrere conatus eſt: mox pace cum Gallo initâ, domeſticis turbis implicitus, Scotos obſequium aliquatenus detrectantes, armis terruit, hinc veniâ dignatus. Aliæ exinde in Anglia exortæ turbæ, inteſtinô bellô omnia miſcuerunt, Rege tandem pulſô. Qui apud Scotos perfugiô fruſtrà quæſitô, ab illis in Anglorum manus traditus, Fairface & Cromwelliô annitente coram Parlamento accuſatus, & inauditô ab omni memoria exemplô, manu carnificis in publicâ panegyri, capite plexus eſt, A. C. 1649. Du Cheſne, *Hiſt. Angl. l.* 22. *& ſeqq.* Gualdo, *Hiſtor.* Ex Henrietta Francica, parens Caroli II. ſucceſſoris.

CAROLUS II. Hagæ Comitis erat, funeſtô paternæ mortis nunciô auditô. Hinc à Scotis Rex factus, illuc conceſſit, ſed ab Anglis, Cromwelliô Duce, acie victus, poſtquam diu iſti hoſtibus latitâſſet, tandem lignatoris habitu primùm uſus, dein cubicularium nobilis alicujus fœminæ ſimulans, in Hollandiam evaſit. Decennali exiliô jactatus, Coloniæ imprimis moram traxit: Fruſtra dein Galliæ Hiſpaniæque Regum, qui tum pacem nuptiaſque ſanciverant in utriuſque regni confinio, A. C. 1660. ope imploratâ, paulo poſt, mortuô Protectore, miraculô reſtitutus, miniſteriô Generalis Monckii, ex Hollandia, ab hujus incolis magnificè excultus & deductus, in Angliam redux: In throno ſtabilitus, Hollandis binis vicibus bellô illatô, non uſquequaque felix. Obiit ſubitâ morte, A. C. 1685. ſucceſſore fratre Duce Eboracenſi Jacobô. Vide *Jacobus* II.

Reges Sueciæ.

CAROLUS VII. priores enim nullâ re memorabiles, vindictâ mortis Erici IX. cognomine *Sancti*, ſimulatâ, thronum conſcendit, à Canuto Erici filio, occiſus, Annô 7. regni. Olaus M. *Hiſt. Suec. l.* 19.

CAROLUS VIII. ex antiquis Sueciæ Regibus, poſt Chriſtophorum electus eſt, A. C. 1448. Juſtitiæ & prudentiæ laude clarus, Philoſophiæ etiam & Mathematum peritus. Ter pulſus, ob nimium in Eccleſiaſticos rigorem, obiit A. C. 1470. Joh. Magnus, *l.* 23. *Crantz. &c.*

CAROLUS IX. Dux Sudermanniæ, Sigiſmundi Regis patruus. Cui in Poloniæ regnum adſcito, cùm religionem in patria turbare conaretur, neque, poſtquam citatus eſſet ab Ordinibus, compareret, aut Uladiſlaum filium, vel ſaltem Johannem, ex noverca fratrem mitteret deſignaretve, Stockholmiæ in Comitiis regnum abrogatum; ipſi autem A. C. 1604. delatum eſt, cedente Johanne jure ſuô. Bello cum Polonis Daniſque non adeò felix, obiit A. C. 1611. relictô filiô Guſtavô Adolphô Magnô.

CAROLUS Guſtavus, X. ex Bipontinorum Ducum familia, nepos Caroli IX. ex filia, ſucceſſit Chriſtinæ, A. C. 1655. Bellô Polonis Daniſque illatô celebris. Obiit poſt Hafniam fruſtrà obſeſſam, Gottemburgi A. C. 1660. ſecundum alios, in obſidione munitionis cujuſdam in Norvegia caſtri, relictô ex Hedvige Eleonora, Holſata, Carolô filiô ſucceſſore.

CAROLUS XI. natus A. C. 1660. hodiè regnat, difficili cum confœderatis Germaniæ Principibus bello implicitus.

Hungariæ Reges.

CAROLUS I. cognomine *Martellus*, fil. Caroli Claudi, Neapolitan. & Siciliæ Regis natus eſt A. C. 1272. coronam Hungariæ A. C. 1290. nactus, ex Maria, nepos Stephani V. & Ladiſlai IV. Andream cognomine Venetum, & Imperatorem Rodolphum, qui filio Alberto regnum conciliatum ibat, infeſtos ſenſit, ſed hujus gener, thronum occupavit, parte Hungariæ ſub Andrea manente. Obiit A. C. 1297. ſecundum alios, 1301. Ex Clementia Habſpurgica Pater Caroli II. &c. Villanius, *l.* 7. *&* 8. *Bonfinius, Thurocius, &c.*

CAROLUS II. dictus *Carolus Robertus*, vulgò *Carobertus*, vide ibi.

Palatini Principes.

CAROLUS Ludovicus, fil. Friderici V. Bohemiæ Regis, natus eſt A. C. 1617. Adolevit apud Belgas: mortuô Patre, cum Ferdinandus III. Rex Roman. eligeretur, A. C. 1638. contra electionem proteſtatus, jus ſuum in Electoratum ſcriptis tuitus eſt. Poſt Vimarienſis obitum Dux exercitûs deſtinatus, cùm ex Anglia ad copias properaret, in Gallia detentus eſt. Pace Monaſterienſi A. C. 1648 reſtitutus, inferiorem Palatinatum recuperavit, promiſſâ ſimultaneâ quoque inveſtiturâ, in ſuperiorem Palatinatum & Electoratum priorem, ſi Wilhelminam lineam extingui contigerit. Ferdinandô III. extinctô Vicariatum Imperii adminiſtravit, fruſtra obnitente Bavarô. Cum domo Darmſtattina dein A. C. 1661. ob jus Eccleſiaſticum in præfectura *Umbſtatt*; cum Duce Lotharingiæ, cum Principibus vicinis, ob Wildfangios, hodie cum Galliæ Rege, gravibus bellis implicitus, ubique excelſi & ſupra triones fortunæ vices eminentis animi magnitudine, invictâ inſuper in Cæſarem & Imperium fide, omnium admirationem in ſe rapit. Pater, ex conjuge Haſſiaca, filii unici *Caroli*, dignitatis Electoralis & virtutum paternarum ex aſſe hæredis, qui haud pridem auſpicatiſſimô matrimoniô ſibi junxit Wilhelminam Erneſtinam, Sereniſſimi Daniæ Regis ſororem: & Carlottæ Elizabethæ, quæ A. C. 1672. nupſit Philippo Duci Aurelianenſi, Galliarum Regis Chriſtianiſſ. fratri unico.

Sabaudiæ Duces.

CAROLUS I. fil. Amedei IX. ſucceſſit Philiberto fratri, A. C. 1482. ætat. 14. Sub tutela Ludov. XI. in cujus aula educatus eſt. Marchionem Salucianum, bellô petitus, ditione ſuâ exuit, A. C. 1489. ab hoc venenô peremtus. Græcè Latinèque eruditus, à Carlota Cypri regnô donatus, A. C. 1485. ex Blanca Monteferratenſi parens Caroli II. ſucceſſoris. In ejus aula Bayardus ephebus fuit. Guicheno, *Hiſt. Sabaud. Phil. Bergamus, Juligny, &c.*

CAROLUS II. Johann. Amedæus, natus Taurini, A. C. 1488. novem ante patris obitum menſibus; unde Marchioni Saluciano occaſio ditionem recuperandi. Paulo pôſt lapſu obiit. Guicheno, *Hiſt. Sabaud.*

CAROLUS III. cognomine *Bonus*, Philiberto II. fratri ſucceſſit, A. C. 1504. In partes Caroli V. Imperatoris cum tranſiiſſet, Taurinum à Gallis, Nicea à Barberoſſa Turca capta eſt, & poſt pugnam *de Criſoles*, A. C. 1544. Pedemontium belli theatrum fuit. Sic afflictus, obiit A. C. 1553. ætat. 66. princip. 49. Pius, Sapiens, Juſtus, literarum & Literatorum fautor, ſed non æquè animoſus. Ex Beatrice Luſitana 9. liberorum pater. P. Jovius, *l.* 35. *& ſeqq.* Thuan. *l.* 11. *&* 12.

CAROLUS Emanuel, I. cognomine *Magnus*, fil. Emanuelis Philiberti, natus eſt A. C. 1562. maritus Catharinæ Michaelæ Auſtriacæ, A. C. 1585. Plurimis conflictibus interfuit, literatus & literatorum fautor, memoriâ, judiciô, arte imprimis animos hominum ſibi conciliandi, & Regum arcana perſcrutandi, inclytus, præcipuè autem bellô clarus. Unde inter clariſſimos ſui ſeculi Duces habitus, ſoluſque cum ſolo Henrico Duce Rohanio, à Forſtnero, *notis in Tacit.* collatus, quem vide. Cæterùm in ſequiorem ſexum effuſus, pollicitorum immemor, & plus quàm decet, ſuſpicax. Ligâ fervente, non ad Comitatum Provinciæ ſolùm, ſed ad regnum aſpirare auſus, imò ad Imperium, poſt mortem Matthiæ, Cypri quoque & Macedoniæ regna cogitavit. Hinc æmulatio, invidia, odium. Ab Henrico IV. maximâ ditionum parte exutus, Marchionatum Salucianô cedere ipſi coactus eſt. Genevam A. C. 1602. primò, dein A. C. 1609. infeliciſſimè tentavit. Bello poſteà Mantuano, Gallico, Hiſpanico, &c. implicitus, obiit Savilliani, præ animi mœrore, A. C. 1630. ætat. 68. Adeò rectus, ut pluribus montibus pectus, quàm regio ejus circumvallata vulgò diceretur. Pater numeroſæ prolis. Succeſſit fil. Victor Amedeus.

CAROLUS Emanuel II. Victoris Amedæi fil. natus A. C. 1634. ſucceſſit Franc. Hiacyntho fratri, A. C. 1638. ſub tutela matris Chriſtinæ Francicæ, tum Hiſpanorum armis exercitus; ex filia Ducis Nemoroſii, prolem maſculam ſuſcepit, A. C. 1666. Obiit A. C. 1675.

Lotharingiæ Duces aliique Principes.

CAROLUS I. fil. Ludovici IV. Galliæ Regis, Dux Lotharingiæ factus eſt: à Galliæ regno, electô Hugone Capetô, excluſus, quòd Germanis nimis faveret, cùm jus urgeret ſuum, ab Hugone captus eſt, & in vinculis Aureliani, obiit, A. C. 991. numeroſâ prole ſuſceptâ. Sigebert. *l.* 5. *Annal. Loth.*

CAROLUS II. fil. Johannis, venenô Pariſiis peremti. Interfuit prælio *de Roſebecq*, A. C. 1382. & obſidioni Gandavenſi, quâ Philippus Audax orbem cinxit. In Pruſſia, Regem Lithuaniæ in prælio prope Vilnam cepit, ſocero Ruperto Imperatori Francofortum obſidenti adfuit. A vicinis Principibus bellô petitum, illos vicit, præcipuis captis. Sed Gallos infeſtans, veniam petere coactus eſt. Obiit A. C. 1430. Iſabellâ, quæ ipſi ſucceſſit, uxore Renati Andegavenſ. & Catharinâ filiabus relictis. Froiſſard. Joh. Juven. de Urſinis, *Hiſt. Caroli* VI. *Annal. Lothar.*

CAROLUS III. fil. Franciſci Ducis. Natus eſt, A. C. 1543. educatus in aula Henrici II. Galliæ Regis Guiſianorum turbis implicitus, bellum in Campania geſſit. Obiit A. C. 1608. Henricô filiô ſucceſſore relictô, &c.

CAROLUS IV. fil. Franciſci, Comitis de Vaudemont, nepos Caroli III. maritus primo Nicolaidis cognatæ, dein Beatricis Cuſantiæ. Fortunæ pila, ſæpius ditionibus pulſus, dein exul, tandem pars non minima exercitus Confœderatorum, contra Galliæ Regem, Principum, poſt Gallos, Crequiô Duce, ingenti clade ad Moſellam, A. C. 1675. affectos, captamque Trevirorum Auguſtam, paulo pôſt obiit, ſeptuagenariô major. Ei ſucceſſit, ex fratre nepos, Carolus, Imperatori Leopoldo gratus.

CAROLUS, cognomine *Bellator*, natus A. C. 1433. ſucceſſit patri Philippo Duci Burgundiæ, A. C. 1467. in Leodienſes rebelles nimis rigidus, junctus dein Ludov. Delphino plurimorum Galliæ malorum cauſa. Lotharingiâ poſtmodum occupatâ, vicinis formidabilis, ad majora aſpiravit. Quare Helvetii ſubjugandi erant, occaſio currus pellibus ovinis oneſtus, quem Jacobus Sabaudus, Romontii comes, retinuerat. Sed belli, non qualem optâſſet, exitus. Vide infrà. Ex Iſabella, Caroli Borbonii, filia, pater Mariæ, quæ ampliſſimam hæreditatem, in familiam Auſtriacam intulit, nupta Maximiliano I. Comminæus, *l.* 5. Gaguino. *l.* 10. Hic Dux Burgundiæ potentiſſimus, primùm *Carolenſis Comes* appellatus, variâ fortunâ cum Ludovico undecimo Francorum Rege, Eburonibus, Helvetiis bellum & pacem exercuit: tandem verò, poſtquam binis cladibus ab Helvetiis afflictus, ad Muratum innumeros milites, ad Grandiſſonem theſauros ſuos perdidiſſet, ad Nanceium, à Renato Lotharingiæ Duce pugnâ ſuperatus, & interfectus eſt, A. C. 1477.

CAROLUS, minimus natu fil. Wolfgangi Ducis Bipontini, fratres habuit Philippum Ludovicum, cui Neoburgicus Principatus & Johannem, cui Ducatus Bipontinus obtigêre: ipſe, cum ſuſtentatio ejus fratri Johanni & ita Principatui Bipontino aſſignata eſſet, poſteà A. C. 1586. Birckenfeldiam ditionem obtinuit.

Deceſſit maturè A. C. 1600. à literarum & pietatis ſtudio celebratus. Pater Georgii Wilhelmi, Friderici & Chriſtiani: quorum primus ex Dorothea Solmenſi ſuſcepit *Carolum* Ottonem A. C. 1625. tertius è Magdalena Catharina Bipontina, præter Chriſtianum, Johannem *Carolum* genuit A. C. 1658. ambos rei bellicæ gloriâ illuſtres.

CAROLUS, fil. Jacobi Marchionis Badenſis, mortui A. C. 1455. à fratre Bernardo, qui vitam monaſticam eſt amplexus, adminiſtrationem traditam ſuſcepit: à Friderico Palatino, cum quo ei bellum, cum fratre Georgio atque Ulrico Wirtenbergico victus captuſque multa jure nomine Palatinis relinquere coactus eſt: Obiit A. C. 1475 ex Catharina Auſtriaca pater Alberti, Friderici Epiſcopi Ultrajectini & Chriſtophori, qui Patris ſucceſſor fuit, quô inter alios *Carolus* Canonicus natus eſt.

CAROLUS, fil. Erneſti, qui Durlacenſis lineæ conditor fuit, A. C. 1556. in ditiones ſuas Religionem Evangelicam publicè introduxit, mutuatus à vicinis Doctores, qui Eccleſias inſtruerent: ſororium Albertum Brandiburgicum proſcriptum recepit, contra Reformatos operam militarem Galliæ Regi præſtans, prælio Moncontorio interfuit. Obiit A. C. 1577. Pater, ex ſecunda conjuge Anna Palatina Erneſti, Friderici, Jacobi & Georgii Friderici: qui fratribus ſuperſtes ſoluſque tandem hæres, inter filios quoque *Carolum* habuit, qui in Galliam pro Germanis Principibus iturus, extinctus eſt A. C. 1625 frater Friderici natu majoris, quô natus Fridericus A. C. 1616. & *Carolus* Magnus: quorum is Fridericum Magnum ſuſcepit & *Carolum* Guſtavum, jam Imperatoris militem; hic militare genus totâ ferè vitâ Suecicis auſpiciis ſectatus, in clade Schlangii à Piccolomineo & Mercio in ſuperiore Palatinatu circumventis, unà captus eſt A. C. 1641. In Polonico dein bello iterum ſtipendia fecit, ac ibi in prælio Warzovienſi, Regi, cui acceptiſſimus fuit, vitam ſervavit: Defunctus non multò pòſt, A. C. 1658. relictô ex Maria Juliana Hohenlonica filiô *Carolo* Friderico, qui ad Pontificios tranſiens militari vitæ ſe addixit, in ipſo ætatis flore extinctus A. C. 1677.

CAROLUS, fil. Ferdinandi Archiducis Auſtriæ (ex Philippina Welſeria, eleganti ingeniô & formâ, patriciâ Auguſtanâ, quam Ferdinandus clam Patre ſibi ſociaverat) ſucceſſione paternâ excluſus, ægrè Burgoviam obtinuit, *Marchio Burgoviæ* inſignitus. Ab A. C. 1595. in bello Turcico Cæſari meruit, bienniôque pòſt, demandatam à *Carolo* Mansfeldio exercitus curam, cum Johanne Mediceo ſuſcepit. Cùm frater Andreas Cardinalis ac Epiſcopus Conſtantienſis Belgium regeret, eòdem deſcendit, & Sibyllam Clivenſem duxit, ſed ſterili matrimoniô. Idem quoque nomen fuit filio tertiò nato Alberti Ducis Megapolitani, qui poſt Fratrem Chriſtophorum Epiſcopus Ratzenburgius, & à nepote Johanne liberorum tutor relictus, Ducatum adminiſtravit, extinctus A. C. 1610. Item Duci Monſterbergico, genero Johannis Ducis Sagano-Glogovii ultimi. Fuit quoque *Carolus* Victor, filius Henrici junioris Ducis Brunſuicenſis, lineæ Guelferbitanæ, patris in exilio primùm, dein captivitate ſocius, &c. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Sylloge Geneal. Hiſtor. paſſim.*

CAROLUS Bleſenſis, fil. Guidonis, Comitis Bleſ. & Domini Caſtellionis, ex Margareta, ſorore Philippi Valeſii Regis, maritus Johannæ, cujus patruus Arturus II. Dux Britanniæ erat, quô defunctô ſine prole, Carolus Ducatum aſſerens, Johannem Montfortium æmulum habuit. Unde diuturnum bellum, in quo A. C. 1347 Carolus captus eſt, cum duobus filiis: poſt quæ in prælio *d'Auray* occiſus, obiit A. C. 1364. Hiſtor. *Britanniæ & Caſtellion.*

CAROLUS, cognomine *Bonus*, fil. Canuti, Daniæ Regis ſucceſſit Balduino VII. Flandriæ Comiti, natus ex filia Roberti Friſonis. Brugis, in templo S. Donatiani, à ſuis occiſus. A. C. 1127.

CAROLUS I. Gonzaga, Mantuæ Dux.

CAROLUS II. Mantuæ Dux ejus filius, obiit A. C. 1637. paulo poſt Mantuam captam. Eô natus.

CAROLUS III. qui obiit A. C. 1665. ætat. 54. Filiô relictô, ſub tutela Matris, ex Auſtriacâ Familiâ.

CAROLUS Borromæus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, nepos ex ſorore Pii IV. natus eſt, A. C. 1538 Obiit A. C. 1584. à Paulo V. Beatis adſcriptus. Godeau, Car. Biſcapo & Ripamontius, *in ejus vita.*

CAROLUS I. Cardinalis Borbonius, fil. Caroli I. Borboniæ Ducis, Concilio Lugdunenſi, Schiſmati inter Felicem V. & Eugenium exorto finem impoſuit. Obiit A. C 1488.

CAROLUS II. Cardinalis Borbonius, vide *Carolus X.* ſuprà.

CAROLUS III. Cardinalis Borbonius dictus *Junior*, fil. Ludovici Principis Condæi, Archiepiſcopus Rotomagenſis. Obiit A. C. 1596. ætat. 32. San Marth. *Hiſt. Geneal. Regum Franciæ. tom.* 2. Et, *Gall. Chriſt. l.* 1. Thuan. *l.* 110.

CAROLUS I. Cardinalis Lotharingus, natus eſt A. C. 1519. ex Claudio Lotharingo, primo Duce Guiſiæ & Antonia Borbonia. Apud Franciſc. I. Henric. II. multùm valens, Reformatis bellum movit. Sub Carolo IX. præfuit Colloquio Poſſiaceno, ubi vitreis argumentis uſus, veritatem fruſtrà oppugnavit. Post Romæ poſtmodum, auditô *Lauræ* nuntiô, mille aureos, lætitiâ ebrius, primo latori numeravit, vel ſic victos hæreticos, gaviſus. Obiit A. C. 1574. Avenione, quâ nocte tanta tempeſtas urbem ſolicitam habuit, ut ex imis fundamentis omnia excuti crederentur. Videatur *Ciacconius*, & qui multorum aliorum locô eſſe mereretur, Thuanus, *in Hiſt.*

CAROLUS II. Cardinalis Lotharingus, fil. Nicolai ex Johanna Sabauda, frater Ludovicæ, quæ Henrico III. nupſit, A. C. 1575. Vulgò, *Cardin. Vaudemontius*, obiit, A. C. 1587. Ciacconius, Petramellarius, Attichy, *Hiſt. Cardin. Gall Chriſt. tom.* 3.

CAROLUS III. Cardinalis Lotharingus filius Ducis Caroli III. ex Claudia Francica, Obiit A. C. 1607. Johanni Georgio Brandenburgico à Proteſtantibus Epiſcopo Argentoratenſi electo oppoſitus, A. C. 1592. *Ciacconius*, &c.

CAROLUS Dominicus Carretus, Cardinalis Final. filius Galeazii, & frater Alphonſi I. Marchion. Final. in aula Ludovici XII. pluſimùm valuit. Obiit Romæ, A. C. 1514. Bembus Cardin. *Hiſt. Ven. l.* 2. Hubert. Folieta, *de Viris Ill.* Francia Chriſtian.

CAROLUS Aretinus, frater Johannis, Hiſtoricus & Poëta. Obiit A. C 1443. ætat 74 Poggius Florentin. Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 7.

CAROLUS Bovillus, ſcripſit 6. *libros Introductionis, in Geometriam, de Quadratura circuli*, &c. Circa annum 1510. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 16. §. 17. *c.* 61. §. 5. *c.* 52. §. 3. Geſner. Ant. Verdier, *in Biblioth.*

CAROLUS de Chauvecler, Borbonius, in aula Principum Borbon. educatus, Franciſcum I. ex Hiſpania reducem facundè ſalutavit, hinc ad ampliſſimos honores evectus. San Marth. *elog. l.* 2.

CAROLUS Cottus, vel *Tacrus*, Siculus, Lotharii Capitula illuſtravit. Vide infrà *Cottus*.

CAROLUS Eſtienne, ſeu *Stephanus*, Medicus, auctor egregius plurium ſcriptorum Latinor. & Gallicor. Vide Geſner. & Verdier, *in Biblioth.*

CAROLUS Geſvaldus, Princeps Venoſæ, novos in Muſica tonos excogitavit. Obiit A. C. 1594. Blancanus, *Chron. Math. Secul.* 17.

CAROLUS Johannes, vide *Johannes*.

CAROLUS Langius, Gandavenſis, an Bruxellenſis, Poëta & Criticus inſignis, Lipſii, qui *de Conſtantia* libellum in ædibus ejus, dum Leodii degeret, & Andr. Schotto, omnium Belgarum, Auctorum inprimis, qui emendârunt Ciceronem, inque eum commentati ſunt, doctiſſimus. Scripſit varia, quorum ſeriem habes *in Elogiis* Anton. Teiſſier *Part.* 1. Porrò Hortum plantis floribuſque exoticis ornatiſſimum, ac Bibliothecam MSScriptis præcipuè inſtructiſſimam habuit. Obiit A. C. 1573. Vide Thuanum, *Hiſtor.* Valer. Andreæ, *Biblioth. Belg.* Lipſium, *Epiſt. Quæſt. Ep.* 17. *l.* 4. Andr. Schottum, *Vitâ Langii*, ubi inter alia Levini Torrentii Commentarium in Suetonium, continuationem ſolùm ejus, quem in hunc Auctorem exorſus fuerat Langius, (amicus illius & in Canonicatu collega) fuiſſe notat, Alios.

CAROLUS de Louvieres, ſcripſit ſub Carolo V. *de poteſtate Eccleſiaſt. & Seculari*: acer jurium Eccleſiæ Gallicanæ vindex.

CAROLUS Malapert, Mathematicus.

CAROLUS Molinæus, Pariſienſis, JCtus & Conſiliarius regius: tam eruditione ac judiciô, quàm probitate conſpicuus, *Thuan.* Genebrardô ipſum ignorantiæ in fide hæreſiſque accuſante: ut qui in Curiam Romanam, & Concilium Tridentinum, paulò liberiori ſtylô ſcripſerat. Edidit inter alia *Evangeliſtarum Unionem, cum Annotationibus*, quæ in quarto Hanoviæ prodiit A. C. 1565. Obiit annô ſequente, ſexagenariô major. Vide Anton. Teiſſier, *Elog. Part.* 1.

CAROLUS de Navieres, Sedanenſis, Poëta, plurima ſcripſit.

CAROLUS Sigonius, *Hiſtoriam Italiæ*, aliaque ſcripſit. Obiit A. C. 1585. quòd Andr. Auriam, in prælio ad Nicopolim contra Barbaroſſam laudaverit, cùm tamen ejus culpâ vicerint Turcæ, reprehenſus, Spondanus *ad A.* C. 1538. plura apud Laur. Craſſum, *Elog.* Lipſium, *Epiſt. Miſcell. Centur.* 1. *epiſt.* 7. Manutium, *Epiſt. Fam. Cicer. l.* 3. *ep.* 1. *Scaligeran. Muſæi Hiſtorici* Auctorem p. 38. 59. Alios, ac infrà voce *Sigonius*.

CAROLUS San Marthanus, JCtus Pictō, *de Sepulturis*, pompiſque funebribus ſcripſit, *Pſalmos commentariis* illuſtravit, &c. Poëta Latinus & Gall. Scævola S. Marth. *elog. l.* 5.

CAROLUS Stephanus, Doctor Medicus, frater Roberti, vide *ibi*, plurima egregia in lucem edidit. La Croix du Maine, *in Biblioth. Francic.* Vide quoque *Carolus Eſtienne*.

CAROLUS Verardus, Cubicularius Paparum, circa A. C. 1484. Scripſit *de obſidione Granatæ*, aliaque. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 8.

CAROLUS, ſeu potiùs *Carolinus Romanus*, ſpecies monetæ, apud Macrum in *Hierolex.* Item moneta Anglica, valens tredecim libras, ſolidos quindecim. *Rechel.*

CAROMEMPHITÆ, vide *Caricum*.

CARONIUM, Hiſpaniæ Tarraconenſis urbs. *Ptol.* Quibuſdam oppid. Callaicorum, nunc vicus Gallæciæ, aliquot leucis ab ora.

CAROPOLIS, urbs Cariæ. *Steph.*

CAROS *cepe*, i. e. *horti*, parva regio Cariæ *Steph.*

CAROSUS, Abbas, fautor Eutychis, condemnatus conciliô Chalcedonenſi. Vide *Concil. Chalc. ſeſſ.* 5.

CAROTHUS, Cyrenaicæ regionis urbs. Antonin. *Carcera* Mercatori.

CARPA, vide infrà *Cyprinus*, it. *Lepidotus*.

CARPÆA, Græcè Καρπαία, ſaltatio, quam Ænianes & Magnetes armati ſolebant ſaltare. Argumentum tale: Quidam poſitis armis arat & ſerit, crebrò reſpectans metuentis modò. Supervenit latro, quô viſô raptim reſumtis armis pugnat, pro bobus; idque in numerum & ad tibiam. Latro aratore victô vinctôque boves abigit. Interdum latronem arator vincit. Vide Xenophontem, ubi de convivio Seuthæ Thracis & Scaligerum, *Poëtices l.* 1 *c.* 18.

CARPASIA, inſula Ciliciæ ante Sarpedonem promontorium.

CARPASIA, ſeu CARPASIUM Plinio, *l.* 5 *c.* 31. urbs Cypri in ora Boreali, *Carpaſſo* vulgò. Inter Aphrodiſium & Dinaretum promontor. 28. milliar. à Salamine in Boream & paulò amplius à Clide. Ab ea Carpaſiæ Inſulæ dictæ ſunt, in ora adjacente Cypri, inter Carpaſiam & Dinaretum promontor. *Baudrand.* Hinc *Carpaſium linum*, quod igne non conſumebatur. Vide ſuprà voce *Carbaſa*.

CARPATES, mons Sarmatiæ Europææ. *Ptol.* Pro varietate locorum & idiomatum varia nomina ſortitus eſt. Sarmatiam à Dacia ſubmovet. Hungaricè *Tartzal* & Germanicè *der Munck, Vatter, Wurtzgarten* & *Schneeberg* vocatur. Apud *Aventinum* ſunt ejus nomina *Chemnitz und Sennitz*. Hujus altiſſima juga à Solino, *c.* 16. *Sarmatica rupes* dicuntur, quæque ſunt inter Moraviam

viam & Hungariam ac Danubium attingunt, *Schneeberg* Germanis & *Tatri* Slavorum linguâ hodie vocantur. Vulgò horum montium tractus, qui eſt inter Hungariam, Tranſſylvaniam & Poloniam, *Crapack* vulgò & *Bieſcid* à Ruſcis dicitur.

CARPATHUS, inſul. in mari Mediterraneo, contra Ægyptum media, inter Rhodum & Cretam ducentorum ſtadiorum circuitu, quatuor urbibus inſignis. Ab ipſo ſitu חרפתא *Carpath* dicta eſt, quia eſt ad oram Cariæ. Ut enim Hebræis פאה *pea* vel פאת *peath*, ita Syris פאתא *patha* eſt *latus*, *ora*, *plaga*, *regio*. Quòd in *Iſidoro* legitur, *Carpathon* vocatam, *propter celerem fructuum maturitatem*, tam futile eſt, quàm quod ſequitur, ex hac inſula dici Carpaſias naves magnas, & ſpacioſas. Hodiè *Scarpanto*. Hinc *Carpathium teſtem*, & *Carpathius leporem* apud Archilochum, proverbium eſt in eum, qui teſtem in ſui malum adducit, vel aliquid aliud in ſui perniciem adfert, uti qui lepores in Carpathon inſulam deferunt, adeo exereſcentes, ut fruges omnes diſſipent maximô incolarum detrimentô. Mare, inter Ægyptum & Cretam, nomen dedit hæc inſul. Philonis Carpathii, qui *commentarium in Canticum Canticor.* ſcripſit, tempore Epiphanii, patria Plin. *l.* 4. *c.* 12. Davity, *t.* 2. *p.* 54 55. oppid. habuit Poſidium, nunc etiam *Scarpanto* dictum. Sub Turcis. *Baudrand*. qui ibi *Cadi*, i. e. Judicem habent. Incolæ Græci ſunt.

CARPE, ſeu CARCENIA, Hiſpan. Bæticæ locus. *Antonin.*

CARPEIA, portio cibaria Monachorum, à *Carpas* fortè, Gall. *Charpie*, ſeu linteolo minutiſſimè carminato & diſſecto; quod carnes minutatim inſtar *carpiæ* concidantur. Minutal. *Carpionare* enim Italis eſſe piſces aceto aliiſque ſpeciebus condire, obſervat Octav. Ferrarius in *Origin. Italian.* Occurrit vox in Chron. Abbatiæ S. Trudonis, *l.* 13. alibique, apud Car. du Freſne. Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 766.

CARPELLA, Carmaniæ promontorium.

CARPENSIS Jacobus, Medicus, præter ſupellectilem argenteam, 400. millia nummorum aureorum hæredibus ſuis reliquiſſe, memorat Johann. Imperialis in *Muſæo Hiſtorico*.

CARPENTARIA, regio ſeu pars terræ Auſtralis recèns detecta, in intimo receſſu Oceani Indici, à Præfecto Carpentario Batavo.

CARPENTARIUS Petrus, vide *Petrus*.

CARPENTORACTE, Galliæ Narbonenſis civitas. *Carpentoracte Meminorum*, Plin. *l.* 3. *c.* 4. vulgò *Carpentras*. Caput Comitatus Venuxini, in Provincia. Sub Pontifice, quæ gens ſub Tricaſſinis ponitur *Ptolemæo*. Romanis *Forum Neronis* dicta eſt, & inter 14. provinciæ Viennenſis civitates 10. 12. etiam 13. locô in *Notitiis* collocatur. Ad ripas amniculi Ruſſæ *Ruſſe*, olim fortè *Raſſe* dicti, qui in Sulgam *la Sorgue* effluit; 3. leuc. ab Arauſione, 4. à Vaſione in Auſtrum. Condita eſt in rudcribus Vindaliaco; Petrarcha, *Epiſt. ad Guidonem Archiepiſcop. Genuenſem*. Epiſcopalis eſt, olim ſub Arelatenſi. Metropolitana hodie ſub Archiepiſcopo Avenionenſi. Ibi Concilium A. C. 527. quò Epiſcopatum Juans caſtigatus.

CARPENTUM, vehiculi ſuit genus, à junctis mulabus trahi ſolitum, quò Romæ olim Matronæ vehebantur: Id quale eſſet, indicant nummi veteres, ſignati nomine & imaginibus Juliæ & Agrippinæ Auguſtarum: Ita enim alter inſcriptus eſt, S P Q R. MEMORIÆ AGRIPPINÆ: alter hoc lemma habet, S. P. Q. R. JULIÆ AUGUST. At quia *Carpentum* ab his, veſui etiam à Magiſtratibus, teſte Fl. Vopiſcô in *Aureliano*, *c.* 1. & Pollione *in Claudio*, *c.* 14. uſu cœpeum eſt inde factum, ut Matronæ ad baſternas ſe reciperent, de quibus dictum ſuprà. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*. Hinc *Carpentarius*, cognomen Militis cujuſdam, apud Guil. Tyrium *de Bello ſacr.* ſic dicti, quod multum ſtratum ex hoſtibus faceret, & lignarii fabri more, quà cædendo, quà obtruncando, quidquid in manus veniret, multum ferrô uteretur. Apud Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 52. militis, qui artifex *Carpentarius* erat, mentio eſt: *Idem quum quandam anculam affectam injuriis à milite audiſſet, exauctoratum eum mutuò ſervum ei dedit, quod artifex* carpentarius *eſſet, ut eam paſceret.* Ubi *Carpentarii* vox non ita ſtrictè accipienda, ut de ſolo confectore atque artifice *carpentorum*, quæ ita propriè appellabantur, capiatur: nam *carpenta* tunc omnia vehicula vocabant. *Carpentum boum*, *carpentum muliare*, apud *Hiſtoriæ Aug.* Scriptores, in *vita Heliogabali*, *c.* 4. & *Carpentum Judiciale*, apud Vopiſc. *cit. loc.* Sic etiam *carpenta camelorum* dicta de ſagmis & clitellis camelorum, hinc *Carpentarius*, Græcè ἁμαξοποιός, *l.* 1. *Cod. de excuſ. artif.* *Carpenta redarum Cod. Theodoſ. de curſu publ. l.* 30. Unde *Carpentarius* infrà pro *redario*, qui *carpenta redarum* fabricat & *Carpentarius Vehicularius*, qui *carpenta vehicularum*: cujuſmodi *Carpentarii* juxta Fabros lignarios, ſtructores, ferrarios, inter Artifices, qui exercitum ſequebantur & in ſingulis legionibus erant ſub Præfecto fabrorum, nominat Vegetius, *l.* 2. *c.* 11. Hodie verò Gallis *Carpentarius* eſt, quem Veteres Fabrum lignarium vocârunt: cùm contrà Vegetius *Carpentarios*, h. e. qui *carpenta*, i. e. vehicula militaria, portandis militum impedimentis aut etiam militum ægrotis vehendis, conficiebant, à Fabris lignariis, apertè diſtinguat. Dictum autem *Carpentum* eſt, à *carpendis* & ſcindendis lignis, è quibus conficiebatur: eratque antiquitus honoratiorum vehiculum (*currum pompaticum* hunc Iſidoro dictum) honeſtiſſimum, quæ poſt pilentum, Livius *an. Urb. Cond.* 359. *Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad ſacra ludoſque, carpentis feſtô profeſtôque uterentur*: de Magiſtratuum *carpentis*, crebrò in Codice. Matronarum *carpenta* poſteà baſternæ ſucceſſiſſe videntur, uti diximus, quarum frequens apud Scriptores mentio. Ad hujuſmodi autem vehicula non equi ſolùm aut mulæ, ſed & boves jungi conſuevêre, uti ex Auguſtino, *de Civ. Dei*, *l.* 22. *c.* 8. docet Salmaſ. *ad Lamprid. in Antonino Heliogabalo*, *loc. cit.* Vide quoque Jac. Gothofredum *ad l. unic. Cod. Theodoſ. de Honoratorum Vehic.* Car. du Freſne, quem militem ſuprà diximus ex Salmaſio, *Carpentarii* cognomine fuiſſe inſignitum, docet fuiſſe Wilhelmum Meledunenſem Vicecomitem, qui primæ Francorum expeditioni Hieroſolymitanæ interfuit, ex Guiberto, *Geſtorum Dei l.* 4. *c.* 7.

CARPESII, gens Iberica intra Iberum fluv. *Steph.*

CARPESIUM, Græcè Καρπήσιον, aromatis genus apud Galenum, quod feſtucas ait eſſe tenues ſurculis ſummis cinnamomi ſimiles, pariqùe virtute facit prædictum cum cinnamomo: [illegible]. Item, [illegible]. Hodie quid ſit, ignoratur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1306 & 1307. ubi non eſſe cubebam, quod quibuſdam viſum eſt, pluribus docet.

CARPESSUS, vide *Carteja*.

CARPETANI, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi juxta Vaccæos ad Tagum fluv. Plin. *l.* 3. *c.* 3. In eo tractu Caſtellæ novæ, ubi nunc pars Algarriæ, & regionis *la Mancha*. Eorum caput fuit Toletum. *Sanſon*, *Bertius*.

CARPETTÆ, vulgò *Carpette*, muliebres tunicæ vocantur hodieque Venetiis, quas *Chiridotas Dalmatarum* vocat Capitolin. *in Pertinace*, *c.* 8. Καρπωτὰς Græcis, ut alius notarum, quòd καρποὺς manus obvelabant. Octav. Ferrarius, *de re Veſtiar. l.* 3. *c.* 9.

GARPI, populi Zeugitanæ regionis, quæ propriè Africa dicitur. *Ptol.* Quæ gens cum poſt Marci Imperatoris tempora diu quietem tenuiſſet, ſub Maximo & Balbino, iterum Romano Imperio cœpit eſſe moleſta, quem motum Zoſimus narrat, *in Philippo rebus*. Et deſcriptus eſt vario dictis hujuſmodi nummus, IMP. PHILIPPUS. AUG. VICTORIA. CARDICA. ſcribe CARPICA Poſteà Aurelianus eoſdem vicit, & ex parte in Romanum ſolum tranſtulit, exemplum poſteà ejus ſequente Diocletianò, apud *Aur. Victorem*, ſed Carpici cognomen, à Senatu ſibi delatum, accipere renuit, uti legimus apud Vopiſcum in *Vita* ejus, *c.* 30. *Parato Oriente in Europam Aurelianus rediit victor, atque illic Carporum copias afflixit: & quum illum Carpicum Senatus abſentem vocaſſet, mandaſſe illico fertur, Supereſt P. C. ut me etiam Carpiſculum vocetis. Carpiſculum enim genus calceamenti eſſe ſatis notum eſt: quod cognomen deforme videbatur: quum & Gothicus & Sarmaticus & Armeniacus & Parthicus & Adiabenicus diceretur.* Fuit nempe *carpus* & *carpiſculus*, calceoli ſpecies, multifariam ſciſſi ac cæſi, unde ei nomen; Græci πολυσχιδῆ vocant & λεπτοσχιδῆ. A cujus ſimilitudine *carpiſculi* Architectorum appellati ſunt, quorum meminit *vetus Inſcr.*

TEGULAS ÆNEAS AURATAS
CUM CARPISCULIS ET
VESTITURIS BASIUM.

Vide Caſaubon. & Salmaſ. *ad Vopiſc. loc. cit.* plura verò de hac gente, ejus imprimis in Pannoniam h. e. Valeriam traductione à Diocletiano facta, apud B. Rhenanum, *Rerum Germanic. Nov. Antiqq. l.* 1. & ibi in *Notis* D. Jacobi Ottonis JCti. Gallorum *Eſcarpins* ab hac barbarica calcei ſpecie, nominatos eſſe, vero diſſimile non eſt, Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CARPIA, urbis nomen. *Steph.*

CARPIANI, populi Sarmatiæ Europææ fuêre, gens Baſtarnarum, inter Carpatem montem & Viſtulam fluv. Dicti etiam *Carpi*, *Cluver.*

CARPICUS, cognomen Aureliano à Senatu oblatum, ſed non admiſſum, vide hic ſuprà.

CARPINUS, Græcè Ζυγία, ex aceris generibus, memoratur Plinio, *l.* 16. *c.* 15. *Tertium genus Zygiam, rubentem fiſſili lignô, cortice lividô & ſcabrô. Hoc alii genere proprio eſſe malunt, & Latinè carpinum appellant.* Theophraſtus habet, *fiſſili lignô platani modò, cortice paulò aſperiore quam tilia, ſublivido, craſſo*: hancque arborem inter eas recenſet, quæ in Macedonia montanæ tantùm, & ad lautiora opera expetitæ. Ad nuptiales faces Romanis adhibitam, idem Plin. habet *l.* 16. *c.* 18. *Spina nuptiarum facibus auſpicatiſſima. Nunc facibus carpinus & corylus familiariſſima.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 506.

CARPIO, nomen illuſtris in Hiſpania Familiæ. Beatrix enim filia Ludovici Mendezii *de Sotomayor*, *Du. del Carpeo*, ex Didaco I. Lopezio *de Haro Do. de Sorbas*, genuit Didacum II. Lopezium *de Haro & Sotomayor*, patrem ex Antonia *de Guzman*, Didaci III. Lopezii *de Haro* & *Sotomayor*: quò, & Mariâ Guzmanâ, natus Ludovicus *Mendez de Haro* & *Sotomayor*, ex Beatrice *de Haro* & *Sotomayor* March. *del Carpeo*, ſuſcepit Didacum IV. Lopezium; cujus fil. Ludovicus *Mendez de Haro Sotomayor* y *Guzman de la Paz*, Marchio & dein Dux *de Carpio*, Comes Dux Olivarius, celebris fuit ille Ἐπὶ ϑυρῶν & primus Miniſter ſtatûs in Regno Hiſpaniæ, cui Philippus IV. ob pacem feliciter confectam, cognomentum *della Paz* ad poſteros tranſmittendum conceſſit. Huic, ex Catharina Fernandez *de Cordoua d'Aragon*, filius genitus eſt Caſpar *de Haro*, *Guzman*, *Aragon de la Paz*, Dux *de Carpio* M. *de Liche*, Comes Dux *d'Olivarez* & *S. Lucar*: cui uxor obtigit Antonia *de la Cerda de Medina Celi*, filia Joh. Ludovici Ducis *de Medina Celi*. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatr. Nobilit. Europ. tom.* 3. *p.* 79.

CARPION, Hiſtoricus Græcus Vitruvio laudatus, *in præfat. l.* 7. Vide Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 71 § 2.

CARPIS, quod *Carpen Lazio*, oppid. Pannoniæ inferioris in Hungaria apud Danubium, inter Strigonium, & Budam occurrens. *Carpis* item *Ptolemæo* olim urbs, nunc pagus Africæ inter Maxulam, & Clypeam, Tuneti urbi finitimus, *Carpi* adhuc. *Carpis* etiam *Herodoto* fluv. Myſiæ, qui unà cum Albi Iſtro miſcetur. Vulgo *Crappen*, qui & *Kruppa*. Verùm hic Colapis eſt non in Myſia, ſed in Liburnia, in Savum influens.

CARPISCULI, genus calceorum. Item vox Architectorum. Vide *Carpi*.

CARPIUM, urbs Italiæ in ditione Mutinenſi, cum titulo Principatus, aliàs ſub dominio Piorum, ad incile fluv. Secjæ, 4. milliar.

à Corregio, 12. à Mutina in Boream. Arcem habet munitam, & territorium ſat amplum.

CARPOCRATES, Alexandrinus, Simonis Magi diſcipulus, Hæreticus tempore Adriani Imperatoris. Docuit mundum ab angelis conditum, & Chriſtum cæteris hominibus parem eſſe, hôc unô exceptô, quod animam mundam habuerit. Jactavit Somnia & *Δαιμονας παρεδρους*. Uxores voluit eſſe communes: inìo Baſilide (cum quo multa aliàs communia habebat) quod *animas non purgari poſſe, niſi omnia priùs flagitia commiſerint*, adeoque velut rem ad perfectionem neceſſariam, omnem turpitudinem, ſtatueret exigeretque. Filium habuit, Epiphanium, paternorum deliriorum cultorem, diſcipulum Cerinthum, ſectatores Gnoſticos, & hodiernos Adamitas. Irenæus, *l.* 1. *c.* 24. Clem. Alex *Στρωμ.* 7. Euſeb. *l.* 4. *c.* 8. Epiphan. *hær.* 27. Tertull. *de præſcr. c.* 48. & *ad hunc*. Chriſt. Lupus. Danæus *Commentar.* Alii.

CARPOPHORUS, martyr Hiſpalenſis ſub Maximiano. Decembris die 2.

CARPOPHORUS, adoleſcens magnâ apud Domitianum Cæſarem gratiâ. Martialis, *de Spectaculis, Epigr.* 15. 23. 27.

CARPOSIS, *Heſych.* Καρπωσις, *θυσια Α'φροδιτης ἐν Α'μαθουντι*.

CARPTOR, item *Carpus*, dicebatur à Romanis famulus, qui convivis ex arte cibos dividebat; à *carpendo*. Unde apud Petronium *in Satyr. Vides illum, qui obſonium carpit, Carpus vocatur.* Et vetus Scholiaſtes Juvenalis, *Sat.* 9. *v.* 110.

> *Fuerunt pariter librarius, archimagiri,*
> *Carptores.*

Carptores, interpretatur, *inſectores, qui illata carpunt.* Seneca *Magiſtrum obſonii* appellat, cùm ait, *l. de vita beata, c.* 17. *Quare ars eſt apud te miniſtrare, nec temere, & ut libet, collocatur argentum, ſed peritè ſervatur, & eſt aliquis ſcindendi obſonii Magiſter.* Apulejus *Diributorem* vocat, *Mileſiar. l.* 2. Veteri Scholiaſti Juvenalis, *Sat.* 5. *v.* 121. dicuut *Chironomunti*, *manus ducens & artificio incidens omnia.* Ipſe Poëta,

> *Structorem interea, ne qua indignatio deſit,*
> *Saltantem ſpectes & Chironomunta volanti*
> *Cultello, donec peragat dictata Magiſtri*
> *Omnia, nec minimò ſanè diſcrimine refert,*
> *Quò geſtu lepores & quò gallina ſecetur.*

A' ſcenica conſuetudine deductô vocabulô: Nam & Græcis dicuntur *Χειρονόμοι*, quaſi *manibus omnia effingentes*. Iidem *Structores* dicebantur, à menſa adornanda, Græcis *τραπεζοποιοι*: *Sciſſores*, à ſcindendo: de quo ſuprà Seneca, & iterum *Ep.* 47. *Cùm ad cœnandum diſcubuimus, alius ſputa deterget, alius reliquias temulentorum ſubditus colligit, alius pretioſas aves ſcindit, pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, in fruſta excutit*, &c. Carpebantur autem cibus ad Muſicos concentus, quippe quoties nova fercula inferebantur; toties Hydraulica ſonabant inſtrumenta, ut Lipſius notat *Saturnal. l.* 2. *c.* 2. Unde apud Petronium, in convivio Trimalcionis, *proceſſit ſtatim ſciſſor, & ad ſymphoniam ita geſticulatus laceravit obſonium, ut putares Darium hydraule cantante pugnare.* Partes dein hôc modò diſſectæ diſtribuebantur ſorte, poſtquam pars prima carnium, *Mercurii ſors* dicta, huic Deaſtro ſepoſita erat. Docebant autem hanc artem publicè hujus rei periti habebantque & illi ſuam pergulam, omnis generis animalibus & volucribus è ligno refertam, in quibus diſcipuli artem incidendi diſcebant, ut de Tryphero, artem iſtam in Subura ſuô tempore profitente, docet Juvenalis, *Sat.* 11. *v.* 136. & *ſeqq.*

> *Sed nec ſtructor erit, cui cedere debeat omnis*
> *Pergula, diſcipulus Tryphcri doctoris, apud quem*
> *Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,*
> *Et Scythicæ volucres, & phœnicopterus ingens,*
> *Et Gætulus oryx, hebeti lautiſſima ferrò*
> *Cæditur, & tota ſonat ulmea cœna Suburà.*
> *Nec fruſtum capreæ ſubducere, nec latus Afræ*
> *Novit avis noſter tirunculus* &c. ----

Artis namque erat, juncturas membrorum ſolerter poſſe ingenire & incidere: & videtur *ſubducere*, terminus Artis hujus fuiſſe. Plura vide apud Thom. Dempſter. *l.* 5. *Antiqq. Rom. Joh. Roſini, paralipomen. ad c.* 19. & hic paſſim, inprimis voce *Inciſor*, it. *Sciſſor*.

CARPUDEMUM, Thraciæ mediterraneæ urbs. *Ptol.* Hodiè *Cappa* vel *Capſia*.

CARPUS, Epiſcopus & Martyr ſub Aurelio Commodo.

CARPUS, Mathematicus, ſeculô 5. Scripſit *Aſtronomica quædam*, Proclo in 1. *Euclid.* laudata. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 48. §. 5. & *c.* 62. § 8.

CARPUS, nomen viri. 2. Timoth. *c.* 4. *v.* 18.

CARPUS, Græcè Καρπος, malè cum brachio confunditur Plinio, *l.* 13. *c.* 11. ubi de papyro loquens, ejus radici *brachialem craſſitudinem* tribuit; cùm Theophraſtus, è quo iſta ſumſit, ejus craſſitudinem ſaltem eſſe dicat, ut eſt *καρπος* hominis robuſti. Aliud enim *καρπος*, aliud brachium: alia craſſitudo brachii, quà parte cubito committitur, alia quà manui jungitur; *καρπον* hanc propriè dicunt, *primam partem palmæ* Celſus vocat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 536. de ornamentis autem hujus partis humani corporis, ſuprà in voce *Armilla*.

CARPUS, & CARPISCULUS, vide *Carpiſculi*.

CARPZOVIUS Benedictus, pater & filius: nec non Johannes Benedictus, vide ſuprà *Benedictus*.

CARRA, Syriæ fluvius *Steph.*

CARRACA, Tuſciæ urbs mediterranea, hodie *Carrara Leandro*.

CARRACENSES, Hæretici, memorati in *Conſtitut.* Friderici I. de Hæret. à *Carrago*, Lombardiæ oppido, ut videtur, nomen habuêre, Car. du Freſne *Gloſſar.*

CARRACIOLUS Richardus, Ordinis Rhodii M. Magiſter ab Urbano VI. A. C. 1383. creatus, contra Joh. Ferdin. de Heredia, qui Clementem VI. pro vero Pontifice agnovit, ſed ab Equitibus non receptus. *Hiſtor. Melit.*

CARRÆ, Meſopotamiæ urbs a Latinis dicitur, quæ aliàs *Charran*, Lucan. *l.* 1. *v.* 105.

> *Aſſyrias Latio maculavit ſanguine Carras.*

CARRAGO, apud Trebellium Pollionem in *Gallieno*, *c.* 13. *Qui comperto Scythæ, factâ carragine, per montem Geſſacem fugere ſunt conati*: apud Græcorum Tacticos *καραγος*, quid ſit, ex Procopio diſcere eſt, qui *facere carraginem*, *l.* 4. dixit *ὡς ἁμαξας μετωπηδον θεῖναι*, *frontes carrorum hoſti objicere*; quod quà fine fieret, mox exponit ſuis verbis, *ὅπως ἐκ νώτου τὸ μὴ ἀσφαλὲς ἔχειν τοὺς ἐναντίους μέλλοι*, *ut a tergo tuti ſidentiores eſſent*. Sic nempe Scythæ hi fugam medicantes *carraginem* fecêre prius, ut Romani perſequi fugientes non poſſent. Similiter apud Zoſimum iidem Scythæ *κυκλωσαμενοι τας ἁμαξας ὡς ἐπι Μασσαγεταις ἐχωρουν*. Alium *carraginis* uſum, cum in orbicularem figuram collatis farracis exercitus undique cingebantur, vide apud Ammianum, *l.* 31. Apud Vopiſc. hinc in *Aureliano*, *c.* 11. vox pro ipſis caſtris accipitur, *Timor eſt --- quærere, ubi carrago ſit hoſtium* &c. Caſaubon. *ad loca cit.* Vetus certè mos vehiculis junctis pugnandi, jam Curtio indigitatur, *l.* 9. *c.* 1. ubi de Alexandro in India bellum cierte, *Barbari vehiculis inter ſe junctis dimicaturi occurrerunt ---- tranſiliebantque in vehicula ſtrenuè ſaltu, quum ſuccurrere laborantibus ſuis vellent. At primo inſolitum genus pugnæ Macedonas terruit --- dein -- ab utraque latere vehicula circumſuſi repugnantes fodere cœperunt. Rex vincula, quibus conſerta erant, juſſit incidi, quo facilius ſingula circumvenirentur.* Vide quoque Livium, *l.* 4. *c.* 33. & *l.* 10. *c.* 28. quò poſteriore locô de Gallis, *Eſſedis carriſque ſuperſtans armatus hoſtis, ingenti ſonitu equorum rotarumque advecti; & inſolitus ejus tumultûs Romanorum conterruit equos*; prior de Fidenatibus, cum eiſdem pugnantibus, verba facit: Cæſarem *de Bello Gall. l.* 4. *c.* 14. ubi prælium memorat cum Britannorum eſſedariis: Vegetium, *l.* 3. *c.* 10. ubi omnibus idem Barbaris tribuit, nec non infrà *Carrus*, *Eſſedum* &c.

CARRARIA, quæ CARRERA & CARERA, urbecula Thuſciæ, nuper Principatus titulô inſignita, in ditione Ducis Maſſæ gentis Cibæ. 4. milliar. à mari Mediterraneo, 6. à Sarſana in Ortum. Vide *Carrara*.

CARREA, quæ & *Claraſcum*, oppid. Pedemontii, ad Tanarum fluv. ubi recipit Sturam, medium inter Albam & Foſſanum, 7. milliar. ab utraque. Celebre pace ibi confectâ A. C. 1631. in qua portio ſatis ampla Montisferrati acceſſit Pedemontio.

CARREI, Arabiæ Felicis populi. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

CARRENI, incolæ *Carrarum*, deductor ſe Odenatu, apud Trebellium Pollion. in *Gallieno*, *c.* 10. Vide in voce *Carrhæ*.

CARRETUS Fabricius, Genuenſis, ex familia Marchionum Final. Melitenſium Ordin. M. Magiſter, A. C 1513. Cum Sultano Ægypti pacem iniit, A. C. 1516. Rhodum iouitur; poſt obitum, amiſſam. *Hiſtor. Melit.* Vide & *Carolus Dominicus*.

CARRHÆ, hodiè *Heren*, civitas Arabiæ, ad mare Rubrum. *Steph. Morer.* Eſt etiam civitas Meſopotamiæ 40. milliar. ab Edeſſa. *Ptol.* & aliis ad Chaboram fluv. Craſſi nobilitata clade, Flor. *l.* 3. *c.* 11. Plin. *l.* 5. *c.* 24. Lucan. *l.* 1. *v.* 104.

> ----- ---- *Miſerando funere Craſſus*
> *Aſſyrias Latio maculavit ſanguine Carrhas.*

Et Caracallæ Imperatoris etiam nece. Hic enim, ut Rufus conſularis ſcribit, intra Euphratem apud civitatem Edeſſam periiſſe fertur, cùm levandæ veſicæ gratiâ ex equo deſcendiſſet. Hanc *Heren* nunc nominari, ſcribit Niger. Hebræis חרן Abrahami habitatio. Gen. *c.* 36. *v.* 26. Actor. *c.* 7. *v.* 2. Nunc eſt in provinc. *Diarbech*, ſub Turcis.

CARRHENES, nomen illuſtris Parthi, partes Meherdatis contra Gotarzen ſecuti. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 12.

CARRIATUM, urbs Epiſcopalis Calabriæ citerioris cum titulo Principatus.

CARRICTA, provinc. Scotiæ meridionalis in ora ad Occaſum inter Gallovidiam & Coveliani provinc. Ejus primarium oppid. Betigoniam, *Bargeny*, ad Luſſum amnem, 10. milliar. à Candida caſa in Boream.

CARRINA, pagus provinc. Beiræ, in Comarca Commbricenſi, ſupra fontes amnis *Giraon*, 1. leuc. Hiſpanic. à caſtro Cantanoda, 2. ab Oceano Luſitano, ortà Munda fluv.

CARRINENSIS, ager Hiſpan. in quo duo *ſcaturiunt* fontes, alter omnia reſpuens, alter abſorbens.

CARRIO Ludovicus, vide *Ludovicus*.

CARROCIUM, Italis dicitur ſacrum totius exercitus vexillum, Romanis inferioribus *Labarum*, Germanis & Anglis *Standardum*. Illis, quòd è carro erigeretur, motus gratiâ: His, quòd ſolennem nihilominus ſtationem in exercitu obtineret: carrus enim, ut cætera forma, utrique erat communis. Vide Sigonium in *Friderico I.* cujus Notarius Burchardus Ep. *de excidio Mediolan.* horum *Carrocium* fuſius deſcribit. Brito Armoricanus *Philippidos*, *l.* 11. *de Ottone Imperatore præliaturo*, canit:

> *Erigit in carro palum, paloque draconem*
> *Implicat, ut poſſit procul hinc atque inde videri,*
> *Quem ſuper auratâ volucer Jovis imminet ala.*

Spelman. Magis vox Itala eſt, quaſi *currum magnum* dicas, altioris currus formam exprimebat, ſuperioribus ſeculis in caſtris maximè uſitatum. In his enim, jam tintinnabulorum majorum in Chriſtiana Templa uſu receptò, Imperatores exercituum, quaſi in civitate ambulatoria, curru vehebantur, cum turricula campa-

naria

eta è ligno, itidem ambulatoriâ, è qua tintinnabulum pendebat ingens. Poſitis itaque caſtris, prope Imperatoris tentorium *Carrocium* (ſic enim is currus appellabatur, ut dictum) locabatur, principiſque ſignum militare mutum in ſuprema parte figebatur. Sole occidente & manè ante lucem, tintinnabulum miles aliquis pulſabat, Deum venerandi ſignum præbens: eôdem, cùm bellicum canendum erat, milites ad arma vocabantur. Cum in hoſtem progrediendum acieque confligendum eſſet, *Carrocium* in media acie cum ſigno prænotato, & tintinnabulo ſiſtebant, & tanquam Imperatorem illud circumvallatum cuſtodibus, ab hoſte, magnâ curâ, ne caperetur, tuebantur; tantumque erat tuendi ac defendendi ſtudium, tantus militum ardor, ut quem locum quiſque vivens occupâſſet, cum amiſſâ anima corpore tegeret: Maximi enim dedecoris locô habebatur, *Carrocium* amiſiſſe. Quamobrem Accurſius in quodam *gloſſem.* ſcribit, *regulæ eundem inhærendum, tanquam fuerit Bononienſes Carrocio*, Bononiæ enim multos annos verſatus fuerat: quæ verba poſteà apud Jurecoſſ. in Proverbium venerunt, ut videre eſt apud Alciatum, *de verborum ſignif.* Vide Hier. Magium *de Tintinnab. c. 13. ubi iconem quoque Carrocii cum tintinnabulo ac vexillo exhibet.* Plenius *Carrocium* deſcribit Anton. Campus Cremonenſis *in deſcr. Cremonæ: Anno Chriſti M. LXXXI. Cremonenſes* Carrocium *inſtituerant, quod, quia ejus uſum, und cum libertate, gratiâ Berthæ Auguſtæ ab Henrico Imperatore impetrâſſent, Bertam aut Bertacciolam dixerant. Erat currus ampliſſimus atque ſublimiùs, quam in communi uſu. Invenêre Longobardi, primique omnium, ſecundùm aliquos, Mediolanenſes uſurpârunt. Ornabatur id a quibuſdam pannô rubrô, ab aliis albô; a Cremonenſibus verò mixtim rubrô & albo, denique pro colore, quô cujuſque civitatis inſigne. Sed & ſemi boves, a quibus trahebatur, ſimili pannô tecti. In medio autem erat antenna cum vexillo ſive labaro, præter crucem rubram cætera albô, cujuſmodi in ſupplicationibus hodieque nonnullis in locis geſtantur: & ab eadem antenna dependuli funes, quos validi robuſtique juvenes manibus attinebant, inque ejus ſummo campana, appellata Nola. Nefas autem educere, niſi publicô decretô, nec minus mille quingentis ad cuſtodiam ejus militibus ſtrenuis & panopliâ ac bipennibus egregiè munitis: prope etiam Duces omnes ac miniſtra præfecti, at porè tibicines VIII. multique ad rem divinam Sacerdotes. Præcipua tamen currus hujus cura dabatur viro virtute & peritia rei militaris inſigni, quique loci ille ſtatueretur, ed tum pro diis, tum conſilium haberi de ſumma belli ſolebat. Eodem & ſauciis receptus erat atque confugium, iiſque qui vel pugnando defeſſi, vel à multitudine hoſtium premerentur:* apud Fr. Suertium *Notis in Magium.* Addo, quod de Mediolanenſibus ait Campus, confirmari à Sigonio *l. 8. ad A. C. 1038.* à Conrado II. Imperatore auctorem ſeditionum in Italia exortarum, Heribertum Epiſcopum Mediolanenſem, qui *vexillô inſolenti in ſtupendo curru erectô uſus fuerat*, depoſitum ac exiliô mulctatum fuiſſe, referente. Vide quoque Villanium Florentinum *in Chron.* ubi Florentinorum *Carrocium* à Senenſibus captum & *Martinozum* dictum fuiſſe, memoriæ prodidit. An & aliæ nationes, præter Italos, hujuſmodi in caſtris uti ſoliti ſint, ſibi incompertum eſſe, ait Magius, *ubi ſuprà.* Imò non Italos ſolum hujuſmodi vexillis uſos eſſe, docet Car. du Freſne, qui auctorem eorum Heribertum prædictum Mediolanenſium Archiepiſcopum, qui circa A. C. 1124. vixit, ſtatuere videtur, ex Corio in *Hiſtoria Mediolan. l. 3.* Nam & Ottoni IV. Imperatori tribuit *Carrocium* Guil. Brito *Philipp. l. 11.* ubi illud deſcribitur: & Regis Hungariæ *carrocium* pluribus exſequitur Nicetas in *Manuele l. 5. num. 3.* ut & Cinnamus *l. 6. c. 7.* Saracenis pariter *carrocium* adſcribit Turpinus in *Hiſtoria Caroli M. c. 18.* ut & Duci Lovanienſi Ægidius Monachus in *Alexandro Epiſcop. Leodienſ. c. 14.* ubi id *Standardum* vocat. Habent & ſua hodieque Galli *Carrocia*, ſed nomine hôc denotant currus penſiles, quibus vehuntur, olim *chariots branſlans*, antequam id nominis vulgaretur, nunc *Caroſſes*, dictos, &c. Uti verò nomina interdum peculiaria *Carrociis* indita fuiſſe, diximus, ſic Parmenſes *Crevacorem* ſeu *Biancardum* ſuum quondam appellâſſe, diſcimus ex Sanſovino & Carrario, Car. du Freſne *Gloſſ.* ubi *Carrocium* definit, *vexillum exercitus præcipuum, quod curru impoſitum, à quatuor boum jugis trahebatur, & magnâ curâ in præliis a lecto milite ſervabatur, quippe quod eius inſigni probri locô per ea tempora habebatur*, &c. Quod autem nolam ſeu campanulam, & figuram carrocii apud Antonium Campum expreſſam attinet, fuiſſe eam potius machinam, pro conſtituendo altari, ad celebrandum ante *Carrocium*, quàm ipſum carrocium, cùm Auctores complures campanæ in carrocio ipſo nullam faciant mentionem, imò tibicines potiùs in eo collocent, quorum cantu milites convocari & excitari ſint, judicat Car. Macer in *Hierolex.* Vide quoque infrà aliquid voce *Standardum.*

CARRODUNUM, *Ptol.* German. oppid. quod Pet. Apianus *Krakow* Poloniæ regiam interpretatur. *Gracchopolin* appellat *Bonfinius. Carrodunum* alterum in Vindelicis ponit *Ptolemæus.* Hoc *Cramburg* juxta Waſſerburgum ad Oenum fluvium eſt, Pircheymerô auctore. Tertium Pannoniæ ſuperioris eſt. Nunc Stiriæ, *Kornburg*, ad Arrabonem fluv. parvi momenti. Quartum ſuper Tyram fluv. in Sarmatia Europæa collocatur. *Cluverio* aliiſque Peucinorum præcipua eſt Leopolis, Ruſſiæ minoris ſeu nigræ caput, German. *Lemburg*, Palatinatûs caput, ad amnem *Peltew*, qui in Bugem fluv. cadit.

CARROFUM, vel KARROFUM, Gall. *Charroux*, Abbatia vetus, in Pictavia ſuperiore non procul Biturigibus. Vide Chenatum *de antiqq. urbium Gall. c. 5. de regione Pictav.* Ibi concilium A. C 989. & 9. *conc.* A. C. 1028. à Guil. Comite Aquitaniæ, contra Manichæos, celebratum. A. C 1082. & 1186. Hadr. Valeſio *Caroffinum* vel *Carroffum*, locus eſt in Aquitania, veteri Monaſteriô a Ludovico Pio vel extructô vel reparatô clarus, ad Carantonum flumen. Incendiô vaſtatus eſt, regnante Rotbertô. Hic Baſilica Monaſterii *Salvatorem* pro patrono habet: duæque ibi Eccleſiæ, S. Michaëlis & S. Sulpitii *Notit. Gall.* Rotgarium Comitem Lemovicinæ urbis, Monaſterii præfati conditorem, ſub Carolo M. qui illud munificè dotaverit, refert Auctor *vitæ Gengulphi, l. 2.*

CARRUCA, Hiſpaniæ oppid. Hirtius, *de Bell. Hiſpan. c. 27.*

CARRUCA, nomen vehiculi, quô Matronæ apud Romanos utebantur. *Carruca dormitoria*, è Burdonibus geſtari ſolitæ, mentio fit, *l. 13. de aur. & arg. leg.* Paulinus quoque, deſcribens comitatum S. Melaniæ, Neapoli Nolam proficiſcentis, *Tota*, inquit, *hujus ſeculi pompa, qua honorati & opulenti poterant, circumfuſi Senatores proſequebantur. Carrucis nutantibus, phaleratis equis, auratis pilentis, & carpentis pluribus gemente Appia ac fulgente.* Et *Carrucis* quidem ad luxus rationem utebantur argentatis: quas Senatoribus conceſſas, ab Alexandro Sev. ait. Æl. Lamprid. *c. 43. Carrucas Romæ & Rhedas Senatoribus omnibus, ut argentatas haberent, permiſit: intereſſe Romæ dignitati putans, ut his tanta Urbis Senatores veherentur.* Quod poſteà aliis etiam permiſſum. Vopiſc. in *Aureliano, c. 46. Dedit præterea poteſtatem, ut argentatas privati carrucas haberent: cum anteà ærata & eborata vehicula fuiſſent.* Sed & jam olim argentatæ atque auratæ carrucæ in aliquo erant uſu. De inauratis, Abdias, *l. 3. Denique Nicolaus quidam ex civium numero, exhibens carrucam deauratam, cum quatuor mulis candidis, totidemque equis, obtulit B. Apoſtolo, dicens*, &c. De aureis, Martialis *l. 3. Epigr. 62. v. 5.*

Aurea quòd fundi pretiô Carruca *paratur.*
Quòd pluris mula eſt, quam domus empta tibi.

De argenteis, Plin. *l. 33. c. 11. At nos carrucas ex argento cælare invenimus*, vide eundem pluribus *l. 34. c. 17.* ut & infrà. Curriculum bijuge fuiſſe, notat Scholiaſt. ad modò laudati Poëtæ *l. 12. Epigr.* Apud Paulinum citatum *Ep. 10. ad Severum, Carrucæ nutantes*, eædem ſunt Carolo du Freſne cum hodiernis carrucis, quas *Chariots branſlans* Galli olim vocabant, ſeu currus ſuſpenſos. Idem opertum vehiculum carrucam fuiſſe obſervat, ex *l. un. Cod. Theodoſ. & Juſtin. de Honorator. vehiculis*, &c. Cujuſmodi vehiculô in Gallia primus Lutetiæ uſus eſt Johannes Lavallius Boſco-Delphinus, cùm propter corporis molem commodè equo inſidere non poſſet, ſub finem regni Franciſci I. Poſteà in aula duæ erant *Carrucæ*, una ex Italia invectô, altera Reginæ, altera aliquanto poſt Dianæ Henrici II. filiæ naturalis. Prima exin in urbe fuit Chriſtophori Thuani, poſtquam Princeps Senatus creatus eſt, Thuanus *Vitâ ſuâ.* In Carrucam argentatam Præfecti Urbis, Græcum hoc *Epigramma* extat, cujus lemma, εἰς τινα φιλόσοφον γενόμενον ὕπαρχον πόλεως ἐπὶ Βαλεντινιανοῦ ἢ Βάλεντος:

Ἄντυγος οὐρανίης ὑπερήμενος ἐς πόθον ἦλθες
Ἄντυγος ἀργυρέης, αἶσχος ἀπειρέσιον.
In quendam Philoſophum, Præfectum Urbis, ſub Valentiniano & Valente.
Currui cæleſti inſidens, deſideriô ardere cœpiſti
Currus argentati, vah probrum immenſum!

apud Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Aureliano, loc. cit.* Hinc *Carrucarii* dicti, qui iſtiuſmodi vehiculum portabant *l. 15. prædictâ*: Item *Mulionis Carrucarii*, ut apud Capitolin. legimus in *Maximino juniore, c. 4.* Indidem, apud recentioris ævi Scriptores, *Carrucagium* nomen tributi, ſingulis aratris pro Regni negotiis impoſiti ſoliti: apud citerioris enim ætatis Scriptores *carruca* aratrum denotare cœpit. Primùm in Anglia auditum, occaſione memoratâ in veteri *Scheda in Monaſtico Anglic. Tom. I. p. 293. An. Dom. 1013. Suenum Rex Angliæ ab Alwino Monacho admonitus eſt, ne à populo S. Edmundi --- tributum exigeret: Sed Suenus eum non exaudivit. Nocte Purificationis S. Mariæ S. Edmundus Suenum --- lanceâ ſuâ interfecit. Northfolcienſis & Southfolcienſis audito miraculô & nece Sueni Regis, dederunt S. Edmundo de qualibet carrucata terræ in toto Epiſcopatu 4. denarios annuos, quod uſque modo ea de cauſa* Carrucagium *eſt appellatum.* Poſteà cùm tributum id obſolevîſſet, revocatum eſt à Ricardo Rege *ſeu pro liberandis obſidibus, apud Imperatorem relictis, ſeu in ſumtus belli cum Francorum Rege gerendi*, ut ait Guil. Neubrigenſis, *l. 5. c. 1.* Sed & in Campania Gallica *Carrucagium* obtinuiſſe, docet ex *Computo* Bladorum terræ Campaniæ A. C. 1348. Car. du Freſne in *Gloſſar.* ubi alias quoque vocis ſignificationes exponit.

CARRUS, Inter impedimenta Gallorum, memoratur Jul. Cæſari *de Bello Gall. l. 8. c. 14. num. 3. Complurimis diebus iiſdem in caſtris conſumtis, quùm propius acceſſiſſe legiones --- cognoviſſent: Duces Bellovacorum --- noctu dimittunt eos, quos aut ætate, aut viribus inferiores aut inermes habebant unaque reliqua impedimenta: quorum perturbatum & confuſum dum explicant agmen (magna enim multitudo carrorum etiam expeditos ſequi Gallos conſuerit) oppreſſi luce*, &c. Et *de Bello Civ. l. 1. c. 51. num. 2. Fuerant & ſagittarii ex Rutheniis; equites ex Gallia cum multis carris, magniſque impedimentis, ut fert Gallica conſuetudo.* His vallorum inſtar uſos Helvetios idem memorat *de Bello Gall. l. 1. c. 26. num. 3. Ad multam noctem etiam uſque ad impedimenta pugnatum eſt: propterea quod pro vallo carros objecerant & è loco ſuperiore in noſtros venientes tela conjiciebant & nonnulli inter carros rotaſque mataras ac tragulas ſubjiciebant, noſtroſque vulnerabant.* Quod Rhellicanus Germanicè exponit *ein Wagenburg.* Vox Celtica eſt, & currum notat, unde Græcus Interpres ἅμαξα reddit; hodieque Germanis in uſu. At *Carrum*, in *veter. Inquiſit.* apud Puricellium in *Monum.* Ambroſianæ Baſilicæ p. 1166. *Dant lampades illas, quæ ponuntur in plauſtro ſive carro, quod eſt in Choro. B. Mariæ Infrà, Credo, quod Archiepiſcopus dat ipſas lampades & oleum, & Canonici S. Georgii accendunt vel accendere faciunt ipſas lampades & volvunt & volvere faciunt ipſum Carrum:* majoris candelabri in Templis ſuſpenſi ſpecies eſt, quòd *carri* ſeu currus imaginem refert, dicta.

CARSA, maris Ægæi inſula, *Antonin.*

CARSAMATIUS, à voce barbaro Græca Καρζαμάτιος, Eunuchus eſt, penitùs exſectus, cujuſmodi ſpadonum genus gynæceum Turcarum Imperator. tuetur. Vox apud Luithprandum occurrit

currit, *l. 6. c. 3. Obtuli mancipia quatuor* carſamatia *Imperatori, omnibus gratioſiora.* Carſamatium *autem Græci vocant amputatis virilibus & virga Eunuchum, quos Verdunenſes mercatores, ob immenſum lucrum, facere ſolent, & in Hiſpaniam ducere.* Vide Lipſium, *Centur.* 3. *Ep.* 44 qui à *Garcio*, Gallis *Garçon*, quod juvenem notat imberbem, vocem effictam arguatur Latè de iis diſſerit Joh Baptiſta Tavernier, in *deſcript. Serralii.* Καυλοκοπεῖσθαι id exſecandi genus Græcis dictum. Harmenopulus, *l. 6. tit.* 4 Οἱ κτηνοφθόροι, ἤγουν οἱ κτηνοβάται καυλοκοπείσθωσαν, ubi in jumentorum corruptores id pœnæ ſtatuitur. Vide quoque infrà *ubi de Caſtratione, Eunucho* &c.

CARSE, Armeniæ urbs. *Cedren.* ſeu *Charſa*, nunc *Cars*, urbs munita Aſiæ in Turcomannia, prope fontes Euphratis ſub Turcis à 100. circiter annis. *Baudrand.* Tantopere æſtimata, ut Turcarum Imperator inter titulos ſuos, Dominus Carſi, dici amet. An Charræ, ubi Craſſus devictus? Pouler. *Relat. Orient.* tom. 2. c. 9

CARSEÆ, Aſiæ minoris gens. *Polybius.*

CARSEOLANI, populi in quarta regione Italiæ. Plin. *l.* 3. *c.* 12.

CARSEOLI, oppid. *Æquorum* Italiæ in colle, in Via Valeria, non longè à Pelignis Ovid. *Faſt. l. 4. v.* 683.

Frigida Carſeolis, nec olivis apta ferendis
Terra: ſed ad ſegetes ingenioſus ager;
Hac ego Pelignos, natalia rura, petebam
Parva; ſed aſſiduis humida ſemper aquis.

Hinc *Carſeolanus.* Ovid. *l.* 4. *Faſt. v.* 709.

Factum abiit, monumenta manent: nam dicere certam
Nunc quoque lex vulpem Carſeolana vetat.

Videtor Cluverius *Ital. Ant. l. 2. p.* 784. *Nic. Lloydius.* Nunc *Arſoli* caſtrum 3. milliar. ab Aniene fluv. paulo amplius à confinio Aprutii, intra montes, in ditione Pontific. *Baudrand.* Addo, quòd meminit deductæ hujus coloniæ Liv. *l.* 10. *c.* 3. *Etruriam rebellare ab Arretinorum ſeditionibus motu ortò nuntiabatur; ubi Cilniorum genus prapotens, divitiarum invidiâ pelli armis cœptum, ſimul Marſos agrum vi tuere, in quem Colonia Carſeoli deducta erat, quatuor millibus hominum ſcriptis.* Etc. 13 *Eòdem annò* Carſeolus *colonia in agrum Æquicolarum deducta. Fulvius Conſul de Samnitibus triumphavit.* Vide & infrà ubi de *Vulpibus.*

CARSICIS, portus Galliæ Narbonenſis. *Antonin.*

CARSIDAVA, Daciæ Alpeſtris urbs. *Ptol.* quæ *Kyrymna Lazio* eſt, in Valachia, verſus Moldaviam.

CARSITANI, Italiæ populi juxta agrum Prænestinum. Macrob. *Saturnal. l. 3. c.* 18.

CARSIUS Sacerdos, ſub Tiberio reus, tanquam frumentò hoſtem Tacfarinatem juviſſet, ſed abſolutus. Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 13.

CARSULI, Umbriæ in Italiæ urbs. Strabo, *l.* 5. Πόλεις, inquit, εἰσὶν ἐν τῇ Ὀμβρικῇ ἀξίαι λόγου αἵτε Ὀτρίκλοι, καὶ Λάρολοι, καὶ Ναρνία, ὅλα Κάρσουλοι καὶ Μηουανία. Id vocabulum commentatorem Strabonis voluiſſe corrigere è Livio, Plinio, ac Ptolemæo, in Καρσέολοι, mirari ſe ſcribit Cluverius, & meritò. Siquidem Livii, Ptolemæique *Carſeoli* Æquorum oppid. fuit Tacit. *Hiſt. l. 3. c.* 60. *Carſulas* vocat hodie, *Carſula* Leandro. *Nic. Lloydius.*

CARSUM, Myſiæ inferioris oppid. *Ptol.*

CARTA, unus ex Darii Principibus.

CARTA, Hyrcaniæ urbs, *Strab.* & portus circa Thraciam *Zonaras.*

CARTADULORUM, regio in ſubſolanis Indorum montibus, in qua Satyri reperiuntur, perniciſſimum animal: tum quadrupedes, tum rectè currentes humanâ effigie, propter velocitatem, niſi ſenes, aut ægri non capiuntur. Plin. *l.* 7. *c.* 2. ubi MS. *Catarduldorum.*

CARTALIAS, Hiſpaniæ oppid. Strabo, *l.* 3.

CARTALO, viri nomen proprium. Sil. *l.* 15. *v.* 450.

------ ------ *Cadit obvius acri*
Cartalo, Vaſidio Libyca regnator arena.

CARTAMITARUM municipium, ſeu *Cartima*, oppid. regni Granatenſis, 3. leuc. à Malaca in Occaſum ad maximi montis radices ſitum, prope confinium Vandaliæ, aliàs amplum & munitum, nunc deficit.

CARTANDUS, mons eſt inter Perſas Medoſque poſitus.

CARTANENSIS moneta, apud Albertum Aq. *Hiſtor. Hieroſol. l.* 2. *c.* 35. dicitur *Cartenſis* Raimundo Agilæo *p.* 165. apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

CARTARE, Hiſpanica inſula. *Sext. Avienus.*

CARTASINA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

CARTEIA, vulgò *Algezira*, oppid. Hiſpan. ad fretum Gaditanum verſus orientem, aliò nomine *Tarteſſus*, ut multi volunt. *Strabo*, ἔνιοι δὲ Ταρτησσὸν τὴν νῦν Καρτηίαν προσαγορεύουσι Mela, *l. 2. c. 6. Carteja, ut quidam putant, aliquando Tarteſſos.* Plin *l. 3. c.* 1. *Carteja, Tarteſſos à Græcis dicta.* Pauſan. *in Eliacis poſterioribus*, Εἰσὶ δὲ οἱ Καρτείαν (lege Καρτηίαν) ἡγοῦνται πόλιν τὰ παλαιὰ νομίζοντες τὰ ἀρχαιότερα Ταρτησσόν. Silius, *l. 3. v.* 396.

Arganthonicos armat Carteja nepotes.

Ac ſi Tarteſſi Rex Arganthonius Carteiæ regnaverit. Appianus in *Ibericis*: Ταρτησσὸς μοι δοκεῖ τότε εἶναι πόλις ἐπὶ θαλάσσης, ἣν νῦν Καρπησσὸν ὀνομάζουσιν. Item, Διέβησαν ἐς Καρπησσὸν, ἐπὶ θαλάσσῃ πόλιν, ἣν ἐγὼ νομίζω πρὸς Ἑλλήνων πάλαι Ταρτησσὸν ὀνομάζεσθαι, καὶ Ἀργανθώνιον αὐτῆς βασιλεῦσαι. *Carpeſſum*, i. e. *Carteiam*: nam binomia fuit urbs, unum nomen Carteja, alterum fuit Carpeſſus; Quod ipſum putaverim errori anſam dediſſe, quia ad Tarteſſum alludit Carpeſſi nomen. In ſcriptura tamen nihil ſimile. Tarteſſus enim Phœnicibus ſcribebatur תרשיש *Tarſis* vel תרטיש *Tartis*, & *Carpeſſus* כרפשא *Carpheſa*, vel כרפשא *Carpheſa*, i. e. *concha.* Quippe à *conchis* dicta Carpeſſus, quæ *Carteja* veteribus, quia conchas habuit puteinculæ magnitudinis. *Strabo*, Ἐν δὲ Καρτηίᾳ κήρυκας καὶ πορφύρας δεκακοτύλους εὑρίσκεσθαι φασίν. *Apud Carteiam buccinæ, & purpuræ inveniri dicuntur decem cotulas continentes.* In cotyla autem ſunt ſex cyathi. Vetus ejus nomen Heraclea, tanquam ab Hercule conditore. Herculem enim ſuum Phœnices Μελίκαρθον, *Melcarthum* appellabant. Philo Byblius ex Sanchoniathone apud Euſeb. *l.* 1. *Præpar.* Τῷ δὲ Δημαρούντι γίνεται Μελίκαρθος, ὁ καὶ Ἡρακλῆς. Μελίκαρθος, i. e. מלך קרתא *Melec Kartha, rex urbis*, i. e. Tyri. Omnino igitur ea *Melcartho*, vel *Melec cartha*, urbs quam ad Calpen condidit Hercules Phœnicius, primò *Melcartheja* vocata eſt, quaſi *Heracleam* dixeris, deinde per aphæreſin *Cartheja*, vel *Carteja.* Bochart. *l. 1. Chanaan, c.* 34. Nunc via rudera ſuperſunt: portu tamen gaudet commodò & capaci, intra fauces freti Herculei, verſus Ortum, 2. leuc. à Calpe in Occaſum, 4. à Tariffa in Ortum. Alias regiô titulò clara, dum in ea permaneret filius Miramolini ſeu Regis Marocci. Hic Cn. Pompejus Magni fil. cæſus eſt, ex prælio ad Mundam profugus.

CARTENAGA, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

CARTENNA, Auguſti colonia in Tingitana provincia. Plin. *l. 5. c.* 2.

CARTENNÆ, Mauritaniæ Cæſarienſis urbs. Mela. *l. 1. c.* 6. veteres autem codices (teſtante Iſ. Voſſiò) *Cartinna* legunt. Καρτέννα quoque in antiquiſſimo *Ptolemæi* codice. Hodie *Arcilla*, aut *Acilla* ab Afris dicitur.

CARTENNÆ, nunc *Moſtagan*, oppid. Afric. in regno Algerii, cum portu capaci & arce in ora littorali maris Mediterranei ad oſtia fluv. *Selef.* 14. leuc. Hiſpanic. ab Orano in Ortum. *Baudrand.*

CARTENUS, Mauritaniæ Cæſarienſis fluvius, *Ptol.*

CARTERIA, ante Smyrnam inſula. *Ptol.*

ad S. CARTERIUM, locus Galliæ, in Petrocoriis, vulgò *S. Chartier en Perigord.* Fuit autem Carterius Petrocoriæ Eccleſiæ Epiſcopus cui Majeſtatis accuſato, negantique à ſe miſſas eſſe literas, quæ fuerant interceptæ, Chilpericus Rex ceſſit ac ignovit, A. C. 582. Gregor. Turonenſ. *Hiſt. Franc. l. 6. c.* 22.

CARTERUM Murus, locus in Sarmatia Aſiatica. *Ptol.*

CARTERUS Hiſtoricus, qui collegit *decreta ſive Athenienſium, ſive omnium Græcorum.* Ejus συναγωγὴν ψηφισμάτων laudat Auctor Scholiorum in *Ariſtophanis Ranas, Act. 1. ſc.* 7.

CARTESIUS Renatus, vide *Renatus.*

CARTHA, civitas Levitarum in tribu Zabulon. Joſ. *c.* 21. *v.* 34. i. e. *civitas*, ſive *vocatio*, aut *lectio* vel *occurſus.*

CARTHADA, vel CARTHADO, apud Solin. *c.* 27. *Urbem illam* (Carthaginem) *Eliſſa mulier extruxit domò Phœnix &* Carthadam *dixit, quod Phœnicum more exprimit civitatem novam*: idem cum *Carthago* eſt, niſi quòd illud merè Phœnicium, hoc Punicum eſt, jam depravatum, Phœnicibus aliquantum temporis in Africa commorantibus. Hinc Siculi Καρχάδα, cæteri Græci Καρχηδόνα dixêre. Salmaſ. *ad Solin. d. l.* Eſt autem קרתא Phœnicibus *urbs*, unde per excellentiam hæc ſic dicta eſt, ſicut Athenæ ἄστυ, Alexandria πόλις, Roma *urbs.* *Karthagena*, civitas hortorum quam Οἰνοῦσσαν Græci dixêre. Aliô nomine apud Plautum appellatur *Chedreanech*, quaſi ענק חדר vel חדרת, ἐπαυλεῖς Ἀνὰκ an quòd ab Anakæis, fortiſſima natione qui Kiriatharba per Calebum ejecti in Chanæa defecerunt, ſtructa? *Horn.* de qua fuga conſulendi, Jos. Scaliger *de Emend. temp.* Voſſius, *Gramm. l. 1. c.* 9. & Jo. Seldenus *de Diis Syris.* Vide & in voce *Carthago.*

CARTHÆA, urbs in Cea inſula. Plin. *l. 4. c.* 12. Hinc *Carthæus.* Ovid. *l.* 7. *Met. v.* 368.

Tranſit & antiqua Cartheia mœnia Cea.

Item *Carthæus.* Idem *Met l.* 10 *v.* 109.

Namque ſacer nymphis Carthæa tenentibus arva
Ingens cervus erat. ------ ------

CARTHAGO, Filia Herculis, Cicer. *l.* 3. *de Nat. Deorum. Quartus Hercules Jovis eſt, qui Tyri maximè colitur, ejus Carthaginem filiam ferunt.*

CARTHAGO, Græcis Καρχηδὼν, urbs Africæ totius celeberrima: Romanique imperii aliquando æmula, à Didone condita, ſeptuageſimô poſt Romam conditam annô, *Euſebius.* Atqui Juſtinus, *l. 18. c.* 3. tradit conditam fuiſſe ante Romam. Imò condita fuit ante captum Ilium, annis 50. ſi credas Appiano *in Libycis*, Καρχηδόνα τὴν ἐν Λιβύῃ Φοίνικες ᾤκισαν ἔτεσι πεντήκοντα πρὸ ἁλώσεως Ἰλίου. Ideo de eadem urbe ibidem Πόλιος ἀρχαίας, *Urbis antiquæ.* Unde Virg. *Æn. primò*, *v.* 16.

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuêre coloni,
Carthago; Italiam contra, Tiberinaque longè
Oſtia, dives opum ſtudiiſque aſperrima belli.

Sic nihil Didoni, præter Byrſam arcem, relinquitur, ubi nunc, *Marmolò* teſte, turris, *la Rocca di Maſtinaca* Chriſtianis, Afris *Almenare* dicta. Vide infrà. De nomine & origine urbis hujus, vide Servium, Joſeph, *Jud. Antiq. l. 8. c.* 23. *contra Apion. l.* 1. poſt Menandrum, qui ſcripſit hiſtoriam Regum Tyri & Sidonis, Solin. *c.* 30. vel 27. *edit. Salm.* Salian. & Torniel. in *Annal.* Petavium, *l.* 9. *de doctr. temp. c.* 63. & *rat. part.* 2. *l.* 2 *c.* 13 Tatianum *contra Gent.* Theophilum Patriarcham Antiochenum ad Autolychum, *l.* 3. Tertull. *apol. c.* 19. Clem *l.* 1. *Strom* Velleium *l. 1. c.* 6. Strab. *l.* 17. Plin. *l. 5. c.* 4 Marcellin Marmol. *l.* 6 *c.* 15. Leonem *de Africa*, &c. Quibus adde Plutarchum, Livium, Eutropium, Florum, Oroſium, Zonaram, Proſperum, &c. de nihis Fato, quod paucis ſic habet: Eò potentiæ urbs hæc à tenuiſſimis primordiis pau-

paulatim excrevit, ut non modò Libyæ univerſæ, verùm etiam inſularum, & bonæ Hiſpaniæ partis imperium tenuerit. Tria cum Romanis graviſſima geſſit bella, quorum primò, quod duravit annos 24 ab. an. 490. Urb. Cond. uſque ad 513. ſuperati navali prælio Pœni, æquas propemodum pacis conditiones à victoribus acceperunt, inſulis tantùm quibuſdam abſtinere juſſi. Huic ſucceſſit bellum Punicum ſecundum, Annibalis ductu geſtum, qui expugnatâ in Hiſpania Sagunto, victorem exercitum in Italiam tranſportavit, eamque totos 18. annos ferrò, flammâque crudeliſſimè vaſtavit. Victò deinde à P. Scipione apud Zamam Annibale, eò anguſtiæ res Carthaginenſium redactæ ſunt, ut ſalutem ſuam mœnibus tueri, duriſſimaſque pacis conditiones pro arbitrio victoris accipere ſint coacti. Verum cùm ne ſic quidem quietè agitare poſſent, tertioque bellum, quod duravit ab an. Urb. Cond. 605. uſque ad an. 608. inſtaurarent, Senatus Catonis autoritatem ſecutus, Carthaginem delendam cenſuit, & Scipionem Æmylianum in Africam miſit, qui victis Pœnis urbem obſidione cinxit, captamque ſolo æquavit: Reparatam, à Romanis ſub Graccho & Auguſto, coloniâ 3000. hominum illuc deductâ. Adrianus autem Imperator eam à ſe renovatam *Adrianopolim* appellavit, priùs *Carthadam* dictam, quod Phœnicum linguâ *novam civitatem* ſignificat, & ridiculè Commodus *Alexandriam Commodianam* rogatam. A' Genſerico, Romanis erepta, A. C 438 ſedes regni Vandalici fuit, per centum annos; tandem ſub Turcarum poteſtatem venit, ab Arabibus penitùs deſtructa eſt, poſtquam & à Ludovico IX. Galliar. Rege capta eſſet, A C. 1269. ob Chriſtianis Archiepiſcopalis fuit, & Primatu Africæ inclyta. A Pelagianis & Donatiſtis plurimum paſſa. Ibi Concilium A. C 255. 252. contra Novatum & Feliciſſimum. Duo A C. 306. & 308. à Donatiſtis habita. Quibus oppreſſis, à Conſtante Imperator. A. C. 348. Concilium dictum I. Carthaginenſe celebratum, quò reiteratio baptiſmi, *ἀντοχειρία*, &c. damnata. II. A C. 390. III. A. C. 397. IV. A. C. 398. quò Honorius Imperator rogatus, reliquias Idololatriæ in Africa abolevit. A C. 401. Concilium provinciale, quò Donatiſtis in Eccleſiæ ſinum redeuntibus dignitates priſtinæ conceſſæ. A. C. 417 quò damnatum Pelagii dogma, decretumque inſuper eſt, non provocandum eſſe Eccleſiaſticis, ad judicia tranſmarina, quamvis Soſimus Romanus contrarium poſceret. Aliaque contra Donatiſtas, Pelagium & Cœleſtium, Pelagianos, Monothelitas, &c. Vide Cyprian. *in ep.* Auguſtin. Baron. & *Tom. Concil.* 1. 2. & 3. Ibidem celebris olim Monetaria Officina ſub Imperatorib. fuit, ut patet ex notis, CAR. KAR. KART. KΔ KE. KPTC. K. R. T S. PK. SMK. SMKA. SMKE. SMNKAB. in nummis, occurrentibus, de quibus hîc paſſim. Vide etiam aliquid voce *Byrſa*. Silius, *l.* 13. *v.* 52. *almam* vocat:

> 8..... *Si nunc exſtaret alma*
> *Carthago ante oculas turritâ celſa figurâ.*

Virgilius *altam*, *Æn l.* 4. *v.* 97.

> *Suſpectas habuiſſe domus Carthaginis altæ.*

Horatius *impiam. l.* 4. *Carm.* Od. 8. *v.* 17.

> *Non incendia Carthaginis impiæ.*

Item *invidam*, *Epod.* 7. *v.* 5.

> *Non ut ſuperbas invidæ Carthaginis*
> *Romanus arces ureret.*

Populi hujus & alterius Carthaginis *Carthaginenſes*, quibus arietis & quadriremium inventio tribuitur, *fraudulenti* & *mendaces* dicuntur Tullio, *Orat. pro lege Agraria*. Ejus portus nunc *Marcia*, & mons, qui hanc urbe cingebatur, *Almenara* Afris, *Rocca de Maſinuces* Chriſtianis. Ejus ea ruinis crevit Tunetum vicina urbs.

CARTHAGO Nova, urbs quam Dux Prenorum Aſdrubal condidit in Hiſpania Bætica. Itaque *πόλιν Φοίνικα* appellat Polyænus, *l* 8. *c.* 26. Et Solinus expreſsè, *Carthaginem apud Iberos, quæ mox Colonia facta eſt, Pœni condidêre.* Itemque *Strabo*, Ἡ Καρχηδὼν ἡ νέα κτίσμα Ἀσδρούβα, &c. A Scipione expugnata eſt, Hannone non ſine ſuorum clade ſe dedente, Liv. *l.* 6. *Dec.* 3. Conteſtanorum maritima urbs Ptolemæo, & aliis. Hanc autores, ut Plin. *l* 3. *c.* 3. & Appianus *in Punic.* *Spartarium* cognominant. Idem Appianus putat prius *Saguntum* appellatam, ſed poſteà ab Annibale exciſam, & Carthaginienſium coloniam factam, *Carthaginem Spartaginem* nuncupatam; Sed hanc *Carthaginem* & *Saguntum* duo & diverſa oppida eſſe, lippis & tonſoribus, ut dicitur, notum eſt; at hoc condonandum eſt homini Græco, & peregrino, & cui Hiſpania minus cognita fuerit, veluti, qui ſcribit, Iberum fluv. in Septentrionalem Oceanum evolvi, cùm in Mediterraneum exeat. Καινὴ πόλις dicitur *Stephano* & *Polybio*, ubi vocis etymon expreſſum videtur. Ebræis enim קרתא חדתא *Karta hadath* novam urbem notat, ex *Carthada* autem factum, Καρχηδὼν, χ. & θ. permutatis, quod Siculorum eſt proprium, qui pro ὄρνιθας dicunt ὄρνιχας. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 332. Carthaginis hujus deſcriptionem accuratiſſimam habet Polybius, *l.* 10. *p.* 583. *edit. Caſaubon.* quam in pauciora contraxit Liv. *l.* 26. *c.* 43. Et utrumque ſecutus Silius pleraque iſta carminibus hiſce optimè expreſſit *l.* 15. *v.* 220. quæ, in lectoris gratiam huc tranſcribere non gravabor:

> *Carthago impensò naturæ adjuta favore,*
> *Excelſos tollit pelagò circumflua muros.*
> *Arctatas ponti fauces modica inſula claudit,*
> *Quà Titan ortu terras aſpergit Eoi.*
> *At quà proſpectat Phœbi juga ſera cadentis,*
> *Pigram in planiciem ſtagnantes egerit undas;*
> *Quas auget veniens reſtuſque reciprocat æſtus;*
> *Sed gelidas à fronte ſedet ſublimis ad Arctos*
> *Urbs impoſita juga, pronumque excurrit in æquor*
> *Et tuta æternò defendit mœnia fluctu.*

Hodiè *Carthagena* nominatur. Vide Bochart. *De Phœn. Colon. l.* 1. *c.* 33. *Nic Lloydius.* 6. leuc. à Murcia in Auſtrum, totidem à Scombraria, promontor. in Occaſum. Arcem habet permunitam portumque ampliſſimum totius Hiſpaniæ & tutiſſimum. Ibidem ingens ſparti copia & ſcomborum piſcatio opulenta, à quibus inſul. objecta, quæ portum claudit *Scombraria* dicta: Gemmæ quoque Eſtque prope Virgitanum ſinum. Vide Boterum *relat. Hiſp.* Adde, quod Carthaginienſis Hiſpaniæ Citerioris hæc portio ſpartum tantum ferebat, nec hæc vero tota. Plin. *l.* 19. *c.* 2. *Ad quos omnes uſus quæ ſufficiant, minus triginta millia paſſuum in latitudinem à littore Carthaginis novæ, minuſque in longitudinem centum reperientur.* Ubi deſignat, quid in longitudine ac latitudine habuerit hæc regio σπαρτοφόρος. Vide eundem Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 261.

CARTHAGO Nova, urbs maritima Americæ meridionalis in novo regno Granatæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo S. Fidei de Bogota. Gaudet portu tutò & capaciſſimò, permunita, cum duobus fortalitiis. Hinc Regio adjacens *Covernacion de Cartagena*, irrigata ex parte, à fluv. Magdalenæ, Linſchot *Amer. c.* 8. Herrera *c.* 16.

CARTHAGO Vetus, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis *Ptolemæo*, *Villa Franca* hodiè, vel ut alii volunt *Cantavilla*. Nunc vicus *Cantaveja*, in Aragonia verſus confinia Cataloniæ & Valentiæ, in colle, medius inter Teruſum & Dertuſam. Alia fuit ad oſtia Sicoris in Iberum, ubi nunc Mequinenca, caſtrum Cataloniæ. *Baudrand.* *Stephano* quoque Carthaginem habet in Armenia. Item, in Thracia, Schol. *in Ariſtoph. Eq.*

CARTHAN, civitas in tribu Nephthalim, quæ cum ſuis ſuburbanis Sacerdotibus & Levitis ſeparata fuit. Joſ. *c.* 21. *v.* 34. Hieronym. *de loc. Hebr.* lit. *c.*

CARTHARA, Meſopotamiæ ad Tigrim urbs. *Ptol.*

CARTHASIS, Regis Scytharum frater, cum magna Equitum manu miſſus, ad diruendam urbem, quam in ripa Tanais Macedones condiderant. Curt. *l* 7. *c.* 7.

CARTHEA, una ex quatuor urbibus Ceæ inſul à *Carthao* ibi mortuo denominatæ. Item urbs Iberiæ Vide ſuprà *Chartaa*. Hinc *Cartheius*. Ovidius, *Met l.* 7. *Fab.* 12. *v.* 368.

> *Tranſit & antiqua* Carthea *mœnia Ceæ,*
> *Quâ pater Alcidamas* &c.

CARTHEIA, parva inſul. circa Delon, nobilibus clara ingeniis: ſiquidem ex ea Simonides Poëta, & Bacchylides, deinde Eraſiſtratus, medendi arte clarus, atque Ariſto Bionis æmulus ea Peripatetica diſciplina duxerunt originem. Alex. ab Alex. *l.* 6. *c.* 3.

CARTHUSIA, eremus intra montes altiſſimos, 4. leuc. à Gratianopoli in Boream prope confinium Sabaudiæ, ubi incunabula Carthuſiani Ordinis, ſic dicta à Carthuſio vico. *Chartrous*, adjacente. Hîc ſemper moratur Prior General. Ordinis.

CARTHUSIANÆ Claves, eædem cum Clavibus *ἀνακρουσταῖς* Laconum veter. de quibus vide ſuò loco: uti de receptione in *Carthuſianorum* ordinem infrà aliquid, voce *Miſericordia*

CARTHUSIANI, Monachi à Brunone Colonienſi, qui Pariſiis Philoſophiam profeſſus eſt, orti ſunt in Gallia circa A C. 1080. vel 1086. Jejunium ſilentiumque ferme perpetuum ſervant, à carne, indiſpenſabili lege, abſtinent, perpetuò incluſi, & ciliciis horrentes. Generalis illorum vocatus *Prior Carthuſiæ*, ubi quotannis Capitulum Generale indicit: eſtque hodiernus quadrageſimus à primo octavus. Hiſtoriam Ordinis hujus exhibet Nic. Monachus *l.* 3. *c.* 8. & 23. Petrus Abbas de Celles, *l* 1. *ep.* 23. Vinc. Bellovacenſis, *l.* 26. *c* 81. Petrus de Bles, *ep* 68 Joh. Saliſburienſis, *l.* 1. *Polit. c.* 23. Dorland. *Chron. Carth.* Petræus *Bibl. Carth.* Albertus Miræus, *de origine Relig. l.* 2. *c.* 35. Lud. Beurriere *de Ordin. Relig.* Moretus *in Diction hiſtorica.* Vide *Bruno*.

CARTII, Perſiæ populi, Strabo, *l.* 11.

CARTILAGO, mera piſcis, vide *Raja*.

CARTILATUM, caſtrum Galliæ, in Arvernia ſuperiore cum titulo Vicecomitatûs, vulgò *Carlat* caput pagi cognominis, *le Carladez*, cui aſcribitur Vicus Ceræ Seræve fluminis appoſitus, *Vic en Carladez* dictum, ut diſtinguatur à Vico Comitis, in Arvernia inferiori. Hadr Valeſ. *Notit. Gall.*

CARTISMANDUA, Regina Brigantum, cujus fidem ab Oſtorio victus Caractacus cùm petiiſſet, vinctus ab ea ac victoribus traditus eſt, nonò poſt an quàm bellum in Britanniâ cœptum Tacit. *Annal l.* 12. *c.* 36. Maritum habuit *Venutium*, qui mox ortò diſſidiò hoſtilia adverſum ipſam & Romanos induit. *c.* 40. Vide *Hiſt. l.* 3. *c.* 45.

CARTRIS, Cimbrorum peninſula. Plin. *l.* 4. *c.* 13.

CARTOBRA, vicus Galliæ, in Sueſſionibus, in pago Tardaneoſi, *Chartreuve* vulgò. Ejus meminit Frodoardus *Hiſtor. Rem. l.* 2

CARTULARIUS Antonius, Papienſis, vitas & mores Philoſophorum ſcripſit, Laërtium imitatus. Obiit A. C. 1440 Vide & *Antonius*.

CARTWRIGTHUS Thomas, Anglus, Hertfordienſis, Theologiæ in Academia Cantabrigienſi Profeſſor celeberrimus, ob *commentationes in Proverbia Salomonis*, *Metaphraſin in Eccleſ.* *Commentarios practicos in Euangelia*, *Harmoniam Euangelicam*, &c. *in quibus non acumen ſolùm viri, ſed & vitæ ſanctitas morè elucet, omnibus doctis amabilis*, Lætus *Compend. Hiſt. Univ.* Obiit. A. C. 1603. Vacvaci ſepultus. *Fullerus.* Vide & *Thomas*.

CARUANCAS, Norici mons. *Ptol.* *Premer* Pyramio.

CARUANIANA, urbs ab Æquis capta, quam rurſus pulſis hoſtibus Valerius Conſul recuperavit, an. Urb. Cond. 346

CARVANIS, urbs Ponti Polemoniaci in Cappadocia *Ptol.*

CARVANNA ſeu CARAVANNA, vox Turcica, ſignificans qualecunque hominum agmen, ſecuritatis causâ in itinere (ſacro inprimis, quod Meccham quotannis ſuſcipitur) ſe conjungentium. Matth. Pariſ. *A. C.* 1250. *Omnem illam catervam, quam* vul-

vulgares Kartavenam *appellant, ſibi mancipavit.* Jac. de Vitriaco *l.* 1 *c.* 39. *Quòd ad exercitum Salahadini maxima veniret Caravana,* &c. Vide Scaligerum, *Exercitat.* 209. 2. Cum *Carvanam* iſtiuſmodi inſtituunt Mercatores, peregrè profecturi, non camelos ſolùm ſecum habent mercibus onuſtos, & certò ordine diſpoſitos, ſed & tentoria, ſub quibus noctu degant: non enim ulla in urbe, quæ in itinere occurrant, ſed foris, pernoctant, donec ad locum, quò tendunt, perveniant. Intercà quilibet loci præfectus, in quo itinerantes morantur, contra Arabum prædonum incurſiones *Carvanam* tuetur & ulteriùs proficiſcentem aliquouſque deducit. Sed & caput habet mobilis iſtiuſmodi Reſpublica, *Carvanæ Baſſam* appellatum, qui magnam ſæpe pecuniæ vim inde lucratur, utpote cùm ceteris legibus omnes *Carvam* (quomodo in Carvanam euntes appellat Arnoldus Lubecenſis, *l.* 5 *c. ult.*) teneantur, & à Præfecto ſuo ad victum neceſſaria ſibi comparare adſtringantur, uti pluribus docet Joh. Baptiſta Tavernier *Itiner. Turc.* quem vide. De *Carvana* Militum Hieroſolym. ſic *Statuta* ejuſdem Ordinis *tit.* 19. *de Verbo. ſignif.* §. 29. Carvana, *Syrorum & Arabum linguâ ſignificat congregationem hominum, ut una aliquid negotii peragant, a Majoribus noſtris uſurpatum, in delectu fratrum habendo, cum ad ſubſidia per arces & triremes diſtribuuntur, aut aliò per turmas mittuntur,* apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Vide quoque infrà *Melhymna Talnabi*, item *Muſlimi.*

CARY, Cary, vox Bononienſium ſeu Monnorum, quâ utuntur, ubi contra injuſta vectigalia reclamant aut publicanos convitiis inſectantur, quaſi ad ſeditionem contra iſtiuſmodi prædatores plebem excitaturi. *Cari* enim, injuſta exactio eſt, in *Charta* Brienni II. Ducis Caſtelli Brienii apud Auguſtinum du Paz in *Stemmate Geneal. hujus Famil.* An à κάρυον, nux Græcis, deducta? Tradit quippe Servius *Eclog.* 8 v. 30. *in nuptiis ideo ſpargi nuces, ut cadentibus pueris ſiat ſtrepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis poſſit audiri.* Quâ ratione *Carya* tumultum & ſeditionem ſignificabit. Nota certè Gallis vox *Charivary*, quâ *ludus turpis & nocivus* innuitur, & deſcribitur in Synodo Joannis Raguerii Epiſcopi Trecenſis, *per quem nuptiis potiſſimè ſecundis detrahitur non modicum ... & efficitur cum horridis & blaſphemis vociferationibus & obſcœna loquacitate, ſub turpi transfiguratione larvarum injurioſarum, contumelioſiſque clamoribus binarum nuptiarum,* &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Caria.*

CARUENTUS, urbs Latinorum. *Steph.*

CARVILIUS Marinus, Dux militum in Pannonia, poſt obitum Philipporum, Imperator proclamatus, mox cùm expectationi non faceret ſatis, interfectus eſt. *Zoſimus, Zonaras.*

S P. CARVILIUS Maximus, duorum nomen, qui bis Conſules. Vide & *Spurius.*

CARVILIUS Pollio, eques Romanus, tricliniis quibuſdam argentum addidiſſe primus traditur, non ut operiret, aut ut Deliacâ ſpecie faceret, ſed Punicâ. Plin. *l.* 33. *c.* 11.

CARVILIUS Rex, in eâ parte Britanniæ, quæ eſt ad Cantium, & tota maritima eſt. Caſſivellani imperiò, caſtra navalia Cæſaris improviſo adoritur, Cæſ. *Com. l.* 5. *c.* 22.

CARVILIUS Ruga, vide *Carbilius.*

CARVILIUS Spurius, victis Samnitibus Sacratâ lege pugnantibus, è pectoralibus eorum, ocreiſque & galeis Jovem, qui eſt in Capitolio, fecit, amplitudine tantâ, ut conſpiciatur à Latiario Jove. Plin. *l.* 34. *c* 7.

CARVILIUS Spurius, primus Romanorum, ſolâ infœcunditate objectâ, uxorem repudiavit. Dionyſ. Halicarn. *l.* 2. Σπούριος Καρβίλιος ἀνὴρ ἐπιφανὴς πρῶτος λέγεται ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα, ἀναγκαζόμενος ὑπὸ τῶν Τιμητῶν ὀμόσαι ἦ μὴν ἕνεκα γυναικὸς μὴ τεκνοποιοῦ. Ubi particula μὴ omitti poteſt, ut legamus γυναικὸς τεκνοποιοῦ, & novam intelligamus uxorem, quam Carvilius petebat. Sic enim de eo Gellius, *l.* 4. *c.* 3. *Jurare a Cenſoribus coactus erat, uxorem ſe liberorum quærendorum gratiâ habiturum.* Sin verò retineamus particulam τὸ μὴ, de ſuâ tunc accipiendum, quam jam habuit. Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. *ex.* 4. *Primus autem Sp. Carvilius uxorem ſterilitatis causâ dimiſit, qui quanquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehenſione tamen non caruit, quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuiſſe arbitrantur.* Hæc ille.

CARULA, Hiſpan. Bæticæ urbs. *Antonin.*

CARUONIS, oppidul. ad Moſam in Geldriæ Ducatu, *Grave* Simlero. Permutatum, Cuicanæ regiunculæ caput. Sub Batavis, 2. leuc. à Genapia, 5. à Buſco Ducis, in Ortum

CARURA, regia Cerobothri, Indiæ intra Gangem. *Ptol.* Pagus item circa Mæandrum fluv. limes Phrygiæ, & Cariæ, *Strabo.*

CARUS, Narbonenſis, Eutrop. *l* 9. *c.* 12. Aur. Victor. *c.* 36. Romanorum Imperator, imperavit poſt Probum, annis 2. cum filio Numeriano Cæſare, doctiſſimo juvene, & Carino, quorum hunc in Gallias miſit, illô ſecum in Orientem abductô. Victis Sarmatis, bellum Perſicum, quod Probus parabat, aggreſſus, Meſopotamiâ captâ, Cteſiphontem uſque pervenit, & in tempeſtate maxima morbô periit an. ab Urb Cond. 1035. A. C. 283. Imperii 1. vel. 2. In urbe Cteſiphonte fulmine occiſum habet Vopiſcus, *in ejus vita c.* 8. Eutrop. *loc. cit.* Eum excepit Diocletianus, quem vide.

CARUS, alter Dux datus ab Alexandro trigintà juvenibus, in Aornum Petram euntes juſſis. Curt. *l.* 8. *c.* 11.

CARUS, nomine *Julius* legionarius miles, qui T. Vinium ante ædem D. Julii jacentem in utrumque latus transverberavit. Tacit. *Hiſt l.* 1. *c.* 42.

CARUS Metius, delator, ſub Domitiano, ejus meminit Tacit. *Agricol. c* 45.

CARUS-LOCUS, monaſterium in diœceſi Biſuntina, vulgò *Charlieu.* Item locus in Æduis, in diœceſi Matiſconenſi, oppidulum monaſteriò veteri illuſtre, non procul à Cluniaco, aliàs *Cherlieu*: Cluniaco ſubjectum. Item municipium in pago Bellojocenſi, via 2. à Ligeri leucis diſtans. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CARUSSI, populi Troglodytis finitimi pacati & Æthiopibus, in finibus Africæ ad latus meridiem ſpectans, inhabitantes. *Sipontinus.*

CARYA, apud Servium *ad Eclog.* 8. filia fuit Dionis Laconiæ Regis & Iphitheæ, quæ à Libero amata, in monte Taygeto, in arborem ſui nominis mutata fingitur, cùm arctiùs a ſororibus ſuis cuſtodiretur. Ita enim is, *Caryam vero, quam amaverat, in eodem monte in arborem ſui nominis vertit, quæ Latinè Nux dicitur: quod poſtea Diana ita factum Laconas docuit, unde templum Caryatidi Dianæ a Laconibus conſecratum.* Aliam vero hujus conſecrationis rationem refert vetus Interpres Statii: *Carya templum Dianæ in Laconio ſacrum, quòd etiam Caryotium nominatum eſt ex hac cauſa, quum luderent Virgines mimulante ſuma, omnis chorus in arborem nucis fugit & in ramo ejus pependit, quam nucem Græci Caryan vocant.* E qua antiquiſſima Græciæ fabula ſatis liquet, quam antiqua res in Græcia fuerit *Nux* arbor, quum tradat Suevus, ætate demum Alexandri M. in Græciam è Perſide fuiſſe translatam. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 603. & 604. Colebatur itaque eo locô (in vico ſcil. *Caryo* haud procul Lacedæmone) *Caryatidis* nomine Diana, ad quod templum & ſignum celeberrimum Virgines Lacænæ anniverſarium faciebant ſacrum & patriò ritu ſaltabant: hinc *Caryatides* dictæ, quarum ſimulachrum Diogenes fecit Athenienſis, è marmore, maximi olim habitum. Plin. *l.* 36. *c.* 57. *Agrippæ Pantheum decoravit Diogenes Athenienſis; & Caryatides in columnis templi ejus probantur inter pauca operum: ſicut in faſtigio poſita ſigna, ſed propter altitudinem loci minus celebrata.* In annulo verò ſuo, ἀποσφράγισμα locô habuit Clearchus, Græcorum, qui Cyro militaverant, Dux, ut Plutarchus teſtatur in *Artaxerxe*, ubi poſtquam narrâſſet ipſum à Tiſſapherne circumventum & in vinculis ad Regem miſſum, cùm à Cteſia pectinis copiam ſibi fieri petiiſſet, oblectatum ejus uſu eſſe: addit, τὸ σφραγίδιον αὐτῷ δοῦναι, σύμβολον φιλίας πρὸς τοὺς ἐν Λακεδαίμονι συγγενεῖς καὶ οἰκείους. Εἶναι δὲ γλυφὴν ἐν τῇ σφραγίδι Καρυάτιδας ὀρχουμένας, *annulum ſuum amicitiæ mutuæ ad neceſſarios & familiares Lacedæmone ſuos inſigne ipſi dediſſe. Inſculptas autem in pala fuiſſe* Caryatidas *ſaltantes.* Ex eo feſto Bucolici carminis originem arceſſit Probus in *Vita* Virgilii, ut ſuprà vidimus: meminitque illius Papinius Statius, *Thebaid. l.* 4. *v.* 225.

Hujus Apollineæ currum comitantur Amyclæ,
Quos Pylos & dubiæ Malea vitata carinis,
Plaudentique habiles Caryæ *reſonare Dianæ.*

Ubi *plaudentem* Dianam & reſonare ei doctos choros facit, quoniam gratiſſimæ illi idolo putabantur illæ ſaltantium & canentium Virginum ceremoniæ. At ſuperſtitionis ſpatiò remotò, nil niſi *Lignum* eô loci pro Diana cultum eſſe, docet Arnob. *l.* 6. *Ridetis temporibus priſcis Perſas coluiſſe fluvium, Memorabilia ut indicant ſcripta: Informem Arabas lapidem: Acinacem Scythicas nationes; Ramum pro Cinxia Theſpios, Lignum Caryos pro Diana indolatum; Peſinuntios ſilicem pro Deûm matre,* &c. Vide Scaligerum *ad Euſeb. num.* 119. & *Poëtic. l.* 1. *c.* 4. Jo. Meurſium *de Feriis Græcis, l.* 4. Jan. Parrhaſium *ad Claudianum de Raptu Proſerpinæ, l.* 2. & *Epiſt. Quæſt.* 55. Jac. Nic Loënſem *Epiphyll. l.* 4. *c.* 3. Alios, laudatos Caſp. Barthio *Animadverſion. ad Statium Tom. II. p.* 978. Ab illis verò *Caryatidibus*, de quibus ſuprà, manſit terminus Architectorum, qui hodieque ſic vocant figuras muliebres talari veſte indutas, quibus columnarum vice, in ſtructuris quibuſdam, utuntur, Gall. *Cariatides, Richelet.*

CARYA, regio Arcadiæ. *Xenophon.* Certa item Tegeatarum, Pauſan. in *Arcad.* & urbs Laconiæ.

CARYA, civitas Peloponneſi, quæ cum Perſis contra Græciam conſenſit, poſteàque à Græcis deleta eſt. Vitruvius, *l.* 1. *c.* 1. Vide Steph. in Καρύα.

CARYANDA, locus & inſula eôdem nomine Cariæ regionis, *Strabo. Stephano* urbs & ſtagnum non procul à Myndo, & Coo, qui ſubdit: Ἐντεῦθεν ἦν Σκύλαξ ὁ παλαιὸς λογογράφος. Vide Iſ. Voſſ. *ad Melam. p.* 83.

CARYATÆ, Græcè Καρυᾶται, populi Arcadiæ, Pauſan. *l.* 8. cum Telchinibus, Phoroneo Argivorum Regi vetuſtiſſimo & Parrhaſiis bellum intulerunt, apud Syncellum *p.* 136.

CARYNIA, Achajæ urbs Plin. *l.* 14. *c.* 18.

CARYONES, Sarmatiæ Europææ gens. *Ptol*

CARYOPHYLLA, inter florum illuſtriores, quorum gratiæ cedat tulipanarum gloria, tum coloris varietate, tum odoris ſuavitate. Duo genera ſumma; *hortenſe & ſylveſtre*, per omnia, niſi molem ſpectes ea alimento, paria. Folia illis bina undiquaque ad eundem ramulum ex eodem pedunculo vel theca ferè ſurgentia, aliis foliis ſimilliuma, ſi longitudine detrahas. Candidorum folium ſemper pinguius, omnium caulis rectus, lævis, cubitalis, geniculatus, ea latere ſobolem emittens. Ea apice prorumpunt tubera longiuſcula, per extrema dentata, flore quaternum, quinûm, ſenûm foliorum ſubſequente. Et quis recenſeat colorum varietatem? videas lacte candidiores, ſanguine frigidò rubriores; tum autem extremis hiſce colorum gradibus rebellis, modò ex hoc, modò ex illo ſplendorem nanciſci, umbram ferre: ſunt variæ; ſunt guttæ nunc in ſanguinem, tum in lac ſparſæ, parciùs, denſiùs. Illud vix dabis, & cœruleum alicubi viſum, & quæ dicas adulteria Naturæ, ubi ea eadem radice, ex eodem calamo, & diverſo, alium atque alium ſpectes colorem. Viſum certè eſt caryophyllum, quod ex eodem caliculo florem geminum multiplicis folii emiſerat, quaſi diametro ductâ, ad diſcernendos geminos flores, utique propter colorum diverſitatem; quos unicum & eundem, eâdem matre natum, eôdem niſu prolatum & oculus & ſenſuum vitium judicabat. Spectandum publicitus Pictor fecit. Foliorum quædam ſimplicia, alia multiplicia; alia fiſſa; alia integra, pleraque ſerrata, nonnulla plumata per extrema. Centrum ſurrigit duas veluti claves, ad latera,

rem, propter capita prægrandia inclinans, tametſi rectò nitatur vertice flos tantæ molis, tantilli calami. Odor omnibus hortenſibus gratiſſimus, nullus ſylveſtribus; ſemen atrum, ceparum ſimile, per auctumnum colligitur in theca: propagantur tamen per traduces, ubi utique inſeritur ſtolo terrâ fœcundâ ſatæ, et radicibus actis amputetur. Docuit dies, thecam diſrumpi, niſi colligas in collare, augeri autem molem thecæ & foliorum numerum latitudinemque, ſi reſecetur ſoboles nimia. Solers natura Hortulani duum generum ſemina in calamum compoſuit, duum generum radices fiſſas maritavit, & varietatem, quam diximus, elicuit. Hodie magnificis inſigniuntur nominibus & *Regina*, *Principis*, *Comitis* & *excellentia*, *pudicitia*, *honoris*, & *Hollandia*, *incomparabilis*, *lectiſſima*, & quæ alia novarum rerum ſomniant ſtudioſi, ſuperbiunt. Auctor Anonymus *Sina & Europa*, c. 33. Ut de *Caryophyllo* aromate aliquid addam, eſt illud ſuaviſſimi odoris, nec minoris ad cibos condiendos uſus, quod prope ſolæ Moluccæ ferunt. Unde illud Sinenſes primo, mox Malaccenſes, poſteà Perſis mixti Arabes, ad Græcos Romanoſque olim detulére, quod quia Ægyptô tranſibat, auctum hinc Ptolemæis, & poſt illos Romanis vectigal. Labaſcante re Romanâ, Genuenſes, & ſecum hos Veneti, per Theodoſiam petiêre. Trapezuntem dein per Caſpium mare invectum mercimonium, ab Imperatorib. Græcis, qui ſedem ibi ceperant, Conſtantinopoli à Latinis occupatâ; at cùm Turcæ ibi invaluiſſent, per dromadas ac camelos Aleppum ivit: ſed Cairum qui tenuêre Sultani, Rubro iterum mari & Alexandriæ tradidêre. Luſitani dein occupatis Moluccis *Caryophylli* dominos ſe reddidêre, circa A. C. 1512. omni in Ægyptum itinere præcluſô, quô pactô Sultanus, non minus octuagies mille ducatis annuum perdit. Et quamvis Caſtellani dubiam illis hanc poſſeſſionem reddidiſſent aliquandiu, Carolô tamen V. jus ſuum Johanni III. Luſitaniæ Regi acceptâ ingenti pecuniæ ſummâ pignori tradente, ex eo Luſitani pro libitu illic agere, caryophyllumque omne Goam mittere cœpêre. Donec cum Anglis primò circa A. C. 1579. poſtmodum cum Batavis res ipſis eſſe cœpit, circa A. C. 1599. qui poſteriores Inſulis illos & mercimoniô adeò divite exuerunt. Præter Moluccas verò etiam Amboina Inſul. haud longè eandem fert frugem, itidem à Batavis poſſeſſa: uti latiùs diximus in voce *Moluccæ*. Sed & lignum *Caryophylli* ad odores faciebat: unde & *ξυλοκαρυόφυλλον*, in compoſitionibus odorum & unguentorum ſæpe reperire eſt, ut in Myrepſico Thymiamate & aliis apud Aëtium, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1055. Inter alias Orientis delitias, quibus epulum, quô Societas Indica Orientalis Amſtelodami hoc ſeculô Mariam Mediceam, Galliæ Reginam, excepit, *Caryophyllorum* quoque meminit Barlæus, *Caryophyllorum acervi — alte è patinis ſurgebant*, in *Medicea ſua*, &c.

CARYOTÆ, dicebantur olim palmarum majores, ſicut minores *communes* & *dactyli*: nomen à nucali forma nactæ. Earum maximas ſex digitos in longitudine efficere, ſcribit *Diodorus*, τοὺς μὲν φοίνικας ... ὄντας: quô pactô quaterni juncti 24. digitos explent, h. e. pedem cum ſemipede. Inprimis verò ſic dicebantur, quæ formam habebant nucis & multò ſuccô abundabant. Nam, ut ſcribit Plin. *l.* 13. *c.* 4. poſt Theophraſtum, *l.* 15. c. 17. *differunt figurâ rotunditate aut proceritate.* Qui ſoli Judææ quoque & Orienti, i. e. Babyloniæ & Perſidi illas vindicat: *Ab his caryotæ maximè celebrantur, & cibô quidem, ſed & ſuccô uberrimæ. Ex quibus præcipua vina Orienti, inqua capiti, unde pomo nomen. Sed ut copia ibi atque fertilitas, ita nobilitas in Judæa, nec in tota ſed Hierichunte maxime, quanquam laudata & Archelaide & Phaſelide atque Liviade, gentis ejus convallibus.* Nempe majores erant Babylonicæ caryotæ, quarum clariſſimæ, *Regiæ* dictæ, in horto Bagoi Eunuchi naſcebantur: at meliores Judaicæ fuêre, quæ proin *Caryotæ* abſolutè appellatæ ſunt, quæque ut ob raritatem cariores eſſent, Judæi annonam eorum incenſuri, non ubivis naſci nec multas ſinebant, quo de monopolio eorum vide Strabonem, *l.* 17. ubi de papyro. Luſitani hodie *Caryoſſos* vel *Caryoces* vocant, non obſcuris indiciis priſci nominis: cujuſmodi fructus repererunt in Inſulis Occidentalibus, ut in Inſula D. Thomæ; formâ & magnitudine Citrei mali, quod *limonium* vulgò vocant, colore luteô. Quemadmodum Xenophon de *Caryotis* Babylonicis, colorem earum ab electro nihil differre, ait. De quibus proin aurei coloris palmulis, intelligenda fortè Galeni *χρυσοβάλανος* eſt, noſtris Medicis ignorata. Sed & in Fortunatis Inſulis inveniri, Plinius alicubi habet, &c. Hodie grandiores palmæ, h. e. *Caryotæ*, ad nos non importantur, ſed minores tantum, quos *dactylos* vocabant: *caryotæ* tamen per errorem vulgò appellantur. Sed ne in Græciam quidem, Xenophontis temporibus, majores illas invehi conſuêſſe, docet is *in Expedit.* Cyri, ubi de palma Babyloniæ &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1320. & 1321. ubi Indicam palmam, cujus fructum Luſitani *cocos* vocant, à palma Vetere longè diverſam eſſe, neque proin caryotas, neque dactylos, Indiam ferre, inter alia, pluribus oſtendit.

CARYSA, Statio navibus malefida in Galatia. *Arrianus.*

CARYSTION, Mileſii cum Samiis bellum geſſerunt & cùm inferiores eſſent accerſiverunt auxilium Athenienſium, qui quadraginta navibus, cum Imperatore Pericle Xanthippi filio, miſſis, Samô urbe potiti ſunt, & ſtatum popularem conſtituerunt obſidibus acceptis & Lemni collocatis. Poſteà cùm Samii defeciſſent ad Regem Perſarum, rurſum Athenienſes, Duce eôdem Pericle, triremes bellicas plures inſtruxerunt, & beneficiô *Caryſtionis*, qui Samiorum inſidioſa conſilia ipſis aperuit, victores evaſerunt, & ad deditionem murorumque deſtructionem Samum coëgerunt. Vide Schol. in *Ariſtoph. Veſpas*, *p.* 449. c. 1.

CARYSTUS vel CARYSTOS, Cariſto etiam hodie, teſte *Sophiano*, urbs Eubœæ littoralis in ora auſtrali, una è Cycladibus, varii marmoris ferax. Seneca *in Troadibus*, *Actu* 3. v. 836.

Ferax varii lapidis Caryſtos.

Hinc *Caryſtum*, Ovid. *Faſt. l.* 5. v. 282.

Quaque Caryſtêis frangitur unda vadis.

Ibi Apollinis marmorei templum. Caryſtii marmoris meminit Plin. *l.* 4. *c.* 12. & *l.* 36. *c.* 6. Lucanus, *l.* 5. v. 232. de inſul. Eubœa loquens,

Qua maris anguſtat fauces ſaxoſa Caryſtos.

Martialis, *l.* 9. *Epigr.* 76. v 6.

Idem beatas lautus extruxit thermas
De marmore omni, quod Caryſtos invenit.

Marmor autem iſtud viride erat & fluctibus concolor. Statius, *l.* 2. *ſylv.* 2. v. 93.

Et Chios, & gaudens fluctus æquare Caryſtos.

Idem, *l.* 1. *Sylv.* 3. v. 34.

Non hic admiſſa Thaſus, aut undoſa Caryſtos.

Tibul. *l.* 3. *El.* 3. v. 13.

Quidve domus prodeſt Phrygiis innixa Columnis,
Tænare ſive tuis, ſive Caryſte tuis?

De nominis origine ſic Bochartus, *l.* 1. *Chanaan. c.* 13. *in Eubœa*, inquit, *nil quicquam fuit lapide Caryſtiô mirabilius, ex quo texebatur tela, quæ ubi ſordes contraxerat, in ignem injecta purgabatur.* Vide Strab. *l.* 10. Apollonium in *Mirabilibus*, Plutarchum, *de defectu Oraculorum*, & Stephanum in Κάρυστος. Ab hac ardente tela dici potuit ipſa Cariſtus, quia Ebræis חרר *charar*, vel חר *char ardere*, & חורי *telam* ſignificat.

CARYUM, Laconiæ oppid. à quo Diana *Caryatis*, quod illic coleretur: Vitruvius *Caryam*, *l.* 1. *c.* 1. vocat, unde ſunt *Caryatides columnæ* in antiquis ſubſtructionibus celebratæ, vide Meurſium *in Lacon. Miſcell. l.* 1. *c.* 2. Hic choros agitantes virgines Ariſtomenes, bellô Meſſeniacô II. interdiu ex occulto comprehendit, à juvenum libidine vindicavit, integraſque parentibus magnâ pecuniâ acceptâ, reſtituit, Pauſan. *l.* 4. Vide & *Carya*.

CASA, Latinis tugurium & veſtem, ſicut Toga tectum & veſtem itidem notat; ex Græco ὁ καυνῆς vel καυνάς, *tapes* vel *amphitapes. Heſych.* καυνὰς, ἀμφίταπος ἢ χλαῖνα. Et Arcadius Gramm. Καυνὰς ὁ πιλωτὸς ἱμάτιον ... Pro chlamyde equeſtri etiam legitur, apud Xenophontem, *Pæd. l.* 8. *Pollux* ... πιλωτὸν interpretatur, h. e. lacernam ex lanis coactis factam ſeu *veſtem coactilem*. Unde *Caſula* diminutiv. veſtis cucullata apud infimæ Latinitatis Auctores. Sed & καῦνος, pro veſte Græcis, ut apud eundem Arcadium videre eſt: unde κολοκάσιον, *parvus* καυνὰς, vel *parvus* καῦνος, & inde elegantiſſimè Ægyptiis κολοκασία dicta eſt faba Ægyptia, quòd ejus folia inſtar eſſent τῶν κολοκασίων, i. e. *parvorum tapetum*, vel *curtarum lacernarum*, ab amplitudine ſcilicet. Quâ eâdem ratione folia fabæ ejuſdem πίλοις vocat *Theophraſtus* & pileis Theſſalicis comparat: & Latini perſonatam appellavêre *Mantiſolium* &c. Salmaſ. *ubi ſupra p.* 966.

de CASA Petrus, vide *Petrus*.

CASACA, vox Gall. *Caſaque*, vide ſuprà *Caraca*.

CASÆ, Ciliciæ aſperæ in Pamphylia urbs. *Ptol.*

CASÆ, villa Anicerorum in Africa propria. *Antonin.*

CASÆ Calbenti, Mauritaniæ Cæſarienſis locus. *Antonin.*

CASÆ Nigræ, Africæ civitas. *D. Auguſtino.*

CASÆCONGEDURUS, vel CASÆCONGUIDINUS, aut *Caſæconguidunenſe Monaſterium*, memoratum, in literis Sigeberti Regis, ab hoc in honorem Apoſtolor. Petri & Pauli, conditum ac ditatum, ad Seſmarum fluv. vulgò *le Semoy*, hodie fortè vicus eſt *Cougnon* vel *Cugnon*, veteri cellâ Monachorum, ſeu Prioratu inſignis. Hadr. Valeſ. in voce *Seſmarus*.

CASAIA, pater Ethan, 1. Paral. *c.* 15. *v.* 17. Latinè *durities*, aut *gravitas*, aut *ſcandalum ejus*.

CASALE, urbs Epiſcopalis pedemontii. Ital. aliàs *Bodincomagus* dicta à Liguribus, & *Induſtria* à Romanis, ubi altàs Veliates populi. Ægrè habitata, propter Cœli inclementiam. Celebris obſidione & clade Hiſpanorum, A. C. 1627. & 1640. Vulgò *Caſal di S. Faſo*, a D. Euaſio ejus patrono. Olim Marchionum Montisferrati ſedes. Jus civitatis adepta eſt à Sixto IV. A. C. 1474. Guil. Palæologô, Marchione Montferr. precibus impetrante, Leander. *deſcr. Ital.* Sub Gallis.

CASALE Majus, oppid. Ducatus Mediolanenſis in agro Laudenſi, prope Padum, in limite Ducatus Mantuani & agri Parmenſis.

CASALE Puſturlengum, oppid. amplum & cultum, in agro Laudenſi Ducatus Mediolanenſis medium ferè inter Laudem Pompejam & Placentiam.

de CASALI Hubertinus, vide *Hubertinus*.

CASALOTH, civitas, Joſ. *c.* 19. *v.* 12. Latinè *temeritates*, ſive *fiducia*, aut *ilia*. In tribu Iſſachar.

CASALUS, ſinus ad Corſicam inſulam. *Ptol. Golfo di S. Fiorenzo*, aliis *Capo di porto*. Magino *Golfo di Calvi*, in parte occidentali Inſul. inter Sagonam & Nebium, quod probabilius. *Baudrand.*

CASAMA, Palmyrenæ urbs. *Ptol.*

CASAMAN, Armeniæ oppid. *Cedrenus.*

CASAMARRI, Æthiopiæ ſub Ægypto populi. Plin. *l.* 6. *c.* 30.

CASANDRA, inſul. contra Perſidem Plin. *l.* 8. *c.* 23.

CASANOVA, oppid in Comitatu Tirolenſi. Vide & *Marcus Antonius*.

CASANUM, urbs Tartarorum, ſub Moſcis, à Joh. Baſilio expulſis Regibus, capta. Ad Caſanum fluv. qui mox in Volgam fluv. cadit. Primaria regni cognominis inter Bulgariam & Ceremiſſos.

Ortum eſt hoc Regnum, unà cum Aſtracanenſi, & Nagajenſi, ex Imperii Tartarorum Zavolhenſis decrementis. Cum enim Crimenſibus Tartaris contra Zavolhenſes rebellio ſucceſſiſſet, aliæ quoque Hordæ deficere & quævis proprium ſibi adſciſcere Regem cœpêre: inter quas *Caſanenſes*, qui latè ſatis dominati. Quippe ſub hoc Regno *Mordwa*, *Keremiſſi*, *Nagorni*, *Logavi* & *Siberia*, comprehenſa. Verum id poſteà Baſilius Magnus Ruſſorum Dux ſibi tributarium fecit, datô illis Rege Scheale, A.C. 1518. Cumque *Caſanenſes* ab eo ad Mendli-Kirajum Regem Precopenſium defeciſſent, qui illis fratrem ſuum impoſuit *Sap--Kiray*, A.C. 1521. Joh. Baſilides Regnum recuperavit A.C. 1551. à quo tempore Ruſſis ſubeſt, nuper tamen, unà cum Aſtracanenſi, graviſſimis motibus, à Duce quodam Ruſſorum rebelli excitatis, agitatum. Vide Georg. Hornium *Orb. Imp. ubi de Tartaria*.

CASATI, Joachimo Vadiano *de Colleg. & Monaſter. Germ. l. 2. p. 60.* & ex eo Goldaſto *Not. ad Deſithrum*, *l. 3. p. 23.* primùm dicti ſunt libertini generis homines, qui conductum inhabitabant: Locantur enim, inquit, Vadianus, hodieque villæ & caſæ certâ reddituum aut cenſus conditione, nec aliâ locationis ſpecie. Diverſi autem erant ab illis ſervis, quos vulgus Alemannorum *Leibeigenleuth* vocat. At Carolo du Freſne *Caſati*, non tam libertinæ, quàm ſervilis fuerunt conditionis, dictique videntur ſervi ii, qui *intra caſam*, h. e. in ruralibus poſſeſſionibus, ſerviebant, ut eſt in *Capitular.* Caroli M. *l. 4. c. 73.* & 80. quique certis *caſis* erant addicti. Servorum namque alios *caſatos*, alios *non caſatos*, fuiſſe, docet is ex *Charta* Diviſionis Imperii Caroli M. *Hiſtor. Franc. Tom. II. c. 6. p. 89.* & *Diviſione* Ludovici Pii, *c. 7.* Neque alii videntur *Caſati*, in *Chartis* Alamann. apud eundem Goldaſtum, *Chartâ* 39. 69 87. &c. Iidem fortè cum *Caſariis*, in *l. 7. Cod. Theodoſ. de Bonis praſcript.* ubi in familia ruſtica recenſentur, *qui ſint* Caſarii *vel coloni*, appellati à *caſis* ruſticis, quibus habitandis aut curandis erant præfecti. Nam prædia pluribus *caſis* conſtabant, &c. Aliàs vox *Caſacus*, pro domeſtico vel vaſſallo, occurrit non raró. Hinc *Caſata* ſeu *Caſſata*, promiſcuè enim ſcribitur, habitaculum cum certa terræ portione, idoneâ ad unam familiam alendam, ſervis *Caſatis* olim attributum, atque adeò ipſa familia, in *Capitulis* Caroli M. *l. 5. c. 3. Capitulis* Caroli Calvi *tit.* 23. c. 27. &c. Vide plura hanc in rem apud Carolum du Freſne *Gloſſar.*

CASAUBONUS Iſaacus, Delphinas, informatam religionem amplexus, eruditione Græcâ, *notis in Athenæum*, *Exercitationibus contra Baronium Annaliſtam*, &c. immortalem famam meruit; Floruit ſub initium hujus ſeculi, ſinemque præcedentis.

CASBINUM, urbs Perſiæ cultiſſima & perampla, in *Ayrach* provinc. Verus Regum ſedes. Quibuſdam eſt Ecbatana antiqua. Vide ibi.

CASBON, civitas, 1. Machab. *c. 5. v. 36.* In tribu Gad.

CASCALE, oppid. Luſitaniæ, in ora Oceani, cum arce ſatis munita, prope promontorium Lunæ, quod vulgò *Cabo de Rocca ſintra*, ad oſtium Tagi, 5. leuc. infra Ulyſſiponem in Occaſum.

CASCANDRUS, inſula deſerta in Oceano Indiam verſùs. Plin. *l. 6. c. 25.*

CASCANTENSES, Hiſpaniæ populi. Plin. *l. 3. c. 3.*

CASCANTUM, oppidul. Navarræ, ad amnem *Queiles*, in præfectura Tudelenſi, inter Tudelem & Turiaſonem, vix 2. leuc. ab Ibero fluv.

CASCAR, regnum Tartariæ, in Turcoſtania, cum urbe cognomine Hiarchan hodie Metropolim habet. M. Paulus, *l. 1. c. 29.* Jarric. *l. 5.*

CASCATÆ, vel potiùs *Cacatæ*, vulgò *Caſquetes* aut *Quaſquettes* dictæ cautes ſunt veriùs, quàm inſulæ, in Oceano Britannico: Quarum nomina,

Audium *Audia.*	Iga, vulgò *Ligon.*
Axantos vel Uxantis *l'Isle d'Oueſſant.*	Liga, eadem cum priore.
	Sena, inter Oſiſmicæ adverſa.
Batha *Isle de Bas*, Gallis: Anglis *Baſepole.*	Septem Inſulæ, *les ſept Isles.*
	Viridis inſul. *l'Isle Verte.*
Brehalia *l'Isle de Brehal* aut *Brehat.*	Uxantis *l'Isle d'Oueſſant*, vide ſuprà *Axantos.*

Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Gallicum mare.*

CASCIA, oppid. Umbriæ, verſùs Appenninum & confinia regni Neapolitani infrà colles. In ditione Pontificis.

CASED, i. e. *quaſi dæmon*, vel *quaſi deprædator*, aut *quaſi mamilla*, ſive *quaſi ager*, filius Nachor ex Melcha, Gen. *c.* 22. v. 22 à quo *Caſdim*, i. e. *Chaldæi.*

CASEERA, Rhodopæ regionis in Thracia urbs. *Procop.*

CASELLÆ, lautum opulentumque caſtellum Lombardiæ Ciſpadanæ Veteribus *Caſſium.*

CASELIUS Johannes, Philoſophus inſignis, Helmſtadii, cum Duncano Liddelio Scoto Medic. D. & Corn. Martinio, acriter ſe oppoſuit Dan. Hofmanno, & quibuſdam aliis, contendentibus: *Philoſophiam pugnare cum Theologia: Multa eſſe vera in Theologia, quæ ſint falſa in Philoſophia & contra; exterminandam proin illam è Chriſtianis Academiis, ut noxiam, ut toties quoque ab antiqua Eccleſia damnatam.* Seculô præteritô. Georg. Horn. *Hiſt. Philoſ. l. 6. c. 13.*

CASELLA ſeu CAPSELLA, apud Glabrum, *l. 4. c. 3.* Καψάκης, in *Hiſtor.* Apollonii Tyrii, *p. 9.* loculus eſt reliquiarum, vide ſuprà in voce *Capſa.*

CASELLÆ, vulgò CHASELLES, locus Galliæ, in Lingonibus, in pago Ammavorum ſeu Amaorum, memorato in *Teſtamento* Wideradi, Flaviniacenſis Monaſterii conditoris ac Abbatis, apud Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Ternodorum.*

CASELLUS Vindex, optimus habitus conſultus juris, de cujus erroribus dicitur ſcripſiſſe Terentius Scaurus, Adriani temporibus. Hæc Janus Parrhaſius, *in illud Horatii de Arte Poetica*, v. 371.

---- -- Neſcit quantum Caſcellius Aulus,
Sed tamen in pretio eſt.

CASEROTÆ, Ariæ gens, Καρνσώται Ptolemæo.

CASERTA, urbecula Campaniæ Felicis prope Vulturnum fluv. Principatus titulô gaudet gentis Gaëtanorum, ad radices montis Tifatæ. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Capuano, 6 milliar. à Capua in Ortum.

CASEOLUM, vulgò *Choiſeul*, caſtrum Galliæ in finibus ac diœceſi Lingonica, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

per CASEUM purgatio, olim non minùs in uſu, ac per aquam ferventem, panem, alia: cujus exorciſmus extat apud Lindenbrogium poſt *veter. Formulas*, p. 7. Effectum orationes in iſtiuſmodi judicio recitari ſolitæ, ſatis declarant: inter quas una hæc, *Fac eum, Domine, in viſceribus anguſtiari, ejuſque guttur conclude, ut ---- caſeum iſtum in tuo nomine ſanctificatum devorare non poſſit hic, qui injuſtè juravit ac negavit, illud furtum vel homicidium aut adulterium, ſeu maleficium, quod quærebatur & juſjurandum pro nihilo habuit & nomen tuum nominavit*, &c. Vide hic infrà, ubi de Ordalio.

CASEUS, lac preſſum, Virgilio, *Ecl.* 1. v 82.

------ ------ & preſſi copia lactis:

Illud enim emulctum in *caſeum* cogitur, quod Græci πήγνυσι, Latini etiam *figi* dixerunt. Gallis *Formaria* ſeu *Formagia*, quoniam in forma inſeruntur & ſtruuntur. Sic *parietes formaceos* habet Plin. *l 35. c. 14. qui in forma circumdatis utrinque lateribus inferciuntur verius, quam inſtruuntur.* In Sacris, חריצי *charets*, dicitur 1. Sam. *c. 17. v.* 18. ob hoc ipſum, h. e. τμῆμα, *fragmentum* ſeu τρύφαλις, Vulgato *formella caſei*, quòd ex hiſce formellis ſeu fiſcellis, Græcè ταλάροις, exprimeretur. Ad cujuſmodi formas pertinent hæc Gregorii Naz. *Carm.* 4.

Τοῖς μὲν ἐγὼ ἀταλὴν πλάσθην φρένα καὶ πόνοισιν·
Οἷα τυρὸς, ταλάροις λαμβάνων αὖψα τύπους.
Per hæc mens tenera mihi efficta eſt, & ut nuper coagulatus
Caſeus, *fiſcellæ ſumpſi primùm formam.*

Et *Carm.* 49.

Ὡς τυρὸν πλασθέντα ἰσοδίφρον ταλάροισιν,
Ut caſeum fictus ſimilem fiſcellis.

Vide Heſych. in vocibus, ταρσὸς, ταρσοὶ & τυροῦται, Item שפות, *ſaphoth*, 2. Sam. *c. 17. v. 29.* à *ſapha*, quod eſt *colare* vel *percolare*. Caſeus enim non aliter fit, quàm lac percolando, ut ſerum effluat. Unde Hiobus, *c. 10. v. 10. Nonne ſicut lac me percolaſti, & ſicut caſeum me coagulaſti?* Et Tibullus, *l. 2. El. 3. v. 19.* de fiſcella, in qua fit caſeus,

Tunc fiſcella levi detexta eſt vimine junci,
Raraque per nexus eſt via facta ſero.

Tandem גבינה *gebina*, locô Jobi modò dictô: vocant autem coagulare *gibben* Talmudici, quæ vox *gibboſum* etiam ſonat Levit. c. 21. v. 20. Hinc Pſalm. 68. v. 16. pro Hebr. *mons gabnunim*, Græci habent ὄρος τετυρωμένον, Vulgata *montem coagulatum*, Pſalterium vetus *Montem incaſeatum*, Hilarius *montes caſeatos*, &c. Fiunt verò *Caſei* tam ex ovillo & caprino lacte, quàm ex bubulo, ſed ex hoc majore copiâ, craſſius enim eſt. Hinc paſtores ex amphora caprini lactis caſeos obolares undeviginti, ex bubulo autem pari menſurâ triginta, facere conſueviſſe, tradit Philoſophus, *Hiſtor. Animal. l. 3. c. 20.* Qua de re vide plura apud Sam. Bochartum, *Hieroz. Part. prior. l. 2. c.* 33. Cum ficu recenti, ſalis olim vice comedi *Caſeum* ſolitum, habet Plinius, *l. 15. c. 19. Cum recenti ficu ſalis vice caſeo veſci nuper excogitatum.* Ut ſcil. ficus recens (Græcis σῦκον καὶ χλωρὸν σῦκον) locô ſalis eſſet, cum caſeo comeſa. Sanè aliquid ſalſi habere ficum, & ſalſum ſuccum facere, tradunt Veteres Medici apud *Athenæum*. Sed & fruſtum ejus defunctorum ori, præter Charontis naulum impoſitum, apud Græcos, ut infrà videbimus ubi de *Offa Cerberi*. De vero *Caſeum ab ara rapiendi*, Laconibus frequentato, aliquid infrà voce *Verbera*. Qui optimi olim habiti, idem exponit Plin. *l. 11. c. 42. Laus caſeo Romæ ---- è provinciis Nemauſenſi præcipua, Leſuræ Gabalicique pagi* (Dalechampius legit *Ballici*, vulgò *les Baux*, hodieque apud Avenionenſes in magna æſtimatione) *ſed brevis ac muſteo tantum commendatio. Duobus Alpes generibus pabula ſua approbant: Dalmatiæ Docleatem mittunt, Centronicæ Vatuſicum* (hodieque *fromage de Baſſi*) *Numeroſior Apennino. Cebanum hic e Liguria mittit, ovium maximè lactis* (qui *Roples* hodie incolis) *Æſinatem ex Umbria: miſtoque Hetruriæ atque Liguriæ confinio Lunenſem magnitudine conſpicuum: quippe & ad ſingula millia pondo premitur. Proximum autem urbi Veſtinum, eumque è Cædicio laudatiſſimum. Et caprarum gregibus ſua laus eſt, recenti maximè, eam augente gratiam fumo ---- Trans maria verò Bithynus ferè in gloria eſt ---- Tradunt Zoroaſtrem in deſertis caſeo vixiſſe annos viginti, ita temperatô, ut vetuſtatem non ſentiret.* Ubi quod de fumo habet, confirmatur ex Columella, qui Romæ & in pleriſque locis Italiæ caſeum eô & ſiccari & colorari ſolitum tradit Et Martiali in *Xeniis*, *l. 13. Epigr.* 32.

Non quemcunque focum, nec fumum caſeus omnem,
Sed Velabrenſem qui bibit, ille ſapit, &c.

Portò è memoratis *Caſeorum* generibus Alpinus, Antonino Pio in deliciis fuit. Jul. Capitolin. in *Vita* ejus, c. 12. *Quum Alpinum caſeum in cœna ediſſet avidiùs, nocte rejectavit, atque aliâ die febre commotus eſt.* Ubi *Alpinus* dicitur, qui ab Alpibus mittebatur, uti dictum. Membranæ tamen apud Capitolinum *Tranſalpinum* ſcribunt, uti notat Caſaubon. *Not. ad l.* Vide iterum ſuprà. Hodiè palmam ferunt, in Belgio *Hollandici*, & in his *Teſſelenſes*, in Suecia, *Scanici*; in Anglia *Ceſtrenſes*; in Italia *Parmenſes*. præter

quos

quos *Helvetica* æſtimantur, Auctor Anonymus *Hiſt. Orbis Terrar. Geograph. & Civ. c.* 10. *de Commerciis.* A *Caſeo*, qui τυρὸς Græcis, Κρεωφάγος *&* τυροφάγος item Τυρινὴ, appellatur iis Dominica Quinquageſimæ, ut infrà videbimus, voce *Dominica.*

CASHELIA, urbs Momoniæ, in Hibernia, ubi ſedes unius ex 4. Archiepiſcopatibus Hiberniæ, & Concilium A. C. 1171.

CASIA, Scythiæ extra Imaum regio *Ptol.*

CASIA, apud Virg. *Ecl.* 2. v. 49. ubi de Naide ſertum nectente,

Tum caſia atque aliis intexens ſuavibus herbis
Mollia luteola pingit vaccinia calthâ.

Et *Georgic. l.* 4. v. 30.

Hæc circum caſiæ virides & olentia latè
Serpylla ----- -- --

herba eſt, apibus grata, quam in alveatibus earum ſeri ſcribit Plin. *l.* 12. *c.* 19. & illis pro pabulo miniſtrandam, Virgilius, *loc. cit.* aliique agricolationis Scriptores, præcipiunt. *Hyginus* κνέωρον vocat, quò nomine propriè vocabatur folium thymelææ, cum qua proin hanc *caſiam* eandem Salmaſ. facit. Nomen ei an ab odore *Caſiæ* aromatis; an quia ſimiliter guſtata os & guttur accenderet; an potius, quòd propè *caſas* ruſticorum in alveariis apum ſereretur? Cum Æthiopico certè aromate, quam Græci κασίαν vocant, cujuſque Virgilius meminit *Georgic. l.* 2. v. 466.

Alba nec Aſſyriò fucatur lana veneno:
Nec caſiâ liquidi corrumpitur uſus olivi.

nihil commune habet: neque *caſia*, ſed *caſſiota* dicenda fuiſſet, ſi à *caſia* odore vel ſimilitudine nomen fuiſſet nacta. *Caſia* autem hæc aromatica, aliàs *Caſia Fiſtula*, item *Fiſtula* ſimpliciter Latinis, σύριγξ Græcis, frutex eſt Galeno, adeò non diverſus à Cinnamomo, ut ſæpe illam in hoc tranſire, & optimam Caſiam non multum differre à cinnamomo, ſcribat *de Antidotis l.* 1. è quo loco colligit Salmaſius, ejuſdem fruticis reciſa ſumma ſarmenta fuiſſe Veterum cinnamomum; corticem verò exemtum, paratum & in tubulos fiſtulares complicatum, veram & genuinam caſiam. Et quidem tria cubita amplitudine non ſuperare Caſiæ fruticem, nec ſurculos cinnamomi maximi palmô fuiſſe majores, tradit idem *Ibid.* ubi & colorem cinnamomi leucophæum, in cœruleum quadantenus vergentem; optimæ caſiæ verò purpureum, ἐγχυμόν & ἐρυθρότερον: porro odorem in cinnamomo omnium odorum, qui benè olent, flagrantiſſimum; in caſia, ἀρωματίζοντα quidem, ſed tenuem levemque eſſe, addit. Sed & pretium cinnamomi immane quantum ſuperâſſe Caſiæ pretium; ut cujus optima libra non cariùs emeretur, quàm denariis quinquaginta, cùm cinnamomo olim in libras pretium eſſent denarii mille, teſtatur Plinius. Nempe tantum diſcrimen inter ſurculos ſunt & corticem ejuſdem arboris. Hodie *Canella* dicitur, ut ſuprà vidimus. Plura verò apud Salmaſ. *ad Solin.* ubi *de Caſia ſpeciebus ac nominibus variis, de Caſia Aromatica, Daphnitide, Catharthica ſeu Solutiva, Lignea ſeu Xylocaſia, de Caſia tandem Vulgari ſeu hodierna*, multis agit, *p.* 540. & 1304. *ac ſeqq.* Inter munera ſepulchralia, *Caſia* quoque memoratur Martiali, *l.* 11. *Epigr.* 55. *in Zoilum*,

Unguenta, & caſias, & olentem funera myrrham
Turaque de medio ſemicremata rogo.
Et quæ de Stygio rapuiſti cinnama lecto, &c.

Et *l.* 10. *Epigr.* 97. *de Numa*,

Dum levis arſurâ ſtruitur Libitina papyro,
Dum myrrham & caſiam flebilis uxor emit.

Aromata nempe iſtiuſmodi rogo injici & oſſibus cineribuſque urnæ datis, miſceri ſolebant, ut idem innuit, *l. cit. Epigr.* 26. v. 5. Vide quoque ſuprà, in voce *Aromata*, item *Cas Mas*, ac infrà Cinnamomum, *Daphnis inſul. Kezia*, quod uni ex filiabus Hiobi ab hoc aromate fuit nomen, *Xylobalſamum.*

CASILINUM, Italiæ oppid. in Campania. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Strabo, *l.* 5. Τελευταῖα δ' ἐστὶ ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, ἡ τε Ἄππια, καὶ ἡ Λατίνη καὶ ἡ Οὐαλερία. μέση δ' αὐτῶν ἡ Λατίνη, ἡ συμπίπτουσα τῇ Ἀππίᾳ κατὰ Κασιλῖνον πόλιν διέχουσαν Καπύης σταδίους ἐννεακαίδεκα. Et poſteà Κασιλῖνον δ' ἔστιν ἐπὶ τῷ Οὐολτούρνῳ ποταμῷ. Livius, *l.* 23. *c.* 15. *Fabius Caſilinum occupat modico præſidio, quæ Urbs Vulturni flumine dirempta Falernum a Campano agro dividit.* Hodie *Capua*, Sanſoni, Briettio, aliis. Iude.

CASILINUS fluvius, idem qui Vulturnus, Agathias, *l.* 2. & Conſtant. Porphyrogen. *l.* 2. *Them.* 11. *Nic. Lloydius.*

CASIMIRUS I. Rex Poloniæ, à Miecziſlao patre relictus eſt, ſub tutela Riſkchæ matris. Quæ cum Germanis ſuis nimium tribueret, à Polonis pulſa, in Saxoniam, cum theſauris, ſe recepit. Filius autem in Franciam ignotus tranſiit, ubi Lutetiæ ſtudiis cum vacâſſet, Monachus Cluniacenſis factus eſt. Septenniò pòſt, à ſubditis revocatus, duxit Mariam Ruſſam, & Rempubl. egregiè adminiſtravit, pace belloque inclytus. Ab eo tempore raſum Polonis caput, relictâ capronâ in fronte. Obiit A. C. 1058. Boleſlaum Audacem fil. Succeſſorem habuit. Longin. *Annal. Polon.* Cromer. *l.* 3.

CASIMIRUS II. cognomine *Juſtus*, Miecziſlao III. ob avaritiam pulſo, ſucceſſit. Pruſſos devictos, ad Chriſtianiſmum reduxit, Obiit A. C. 1194. ætat. 77. regni 17. Ei ſucceſſit Leſcus fil. *Idem.*

CASIMIRUS III. cognomine *Magnus*, Ladiſlai Loctici ſucceſſor, A. C. 1333. uxorem ſecundam Adelaim Haſſiacam, ob deformitatem, repudiavit, Judæâ quâdam fotâ. Bellô felix contra Johannem Bohemiæ Regem. Subegit totam Ruſſiam. Mortuâ uxore, Hedvigam, unius ex Ducibus Poloniis filiam, duxit; Templis, Nosocomiis, Arcibus propugnaculiſque magnô numerô ſubſtructis, ſerià inprimis Juſtitiæ curâ inclytus. Obiit in venatione, equi lapſu, A. C. 1370. regni 37. Succeſſit ei Ludovicus Hungariæ Rex, ejus ex ſorore nepos. Michov. *l.* 4. Cromer. *l.* 12.

CASIMIRUS IV. Dux Lithuaniæ prius, poſt Varnenſem cladem, quâ Ladiſlaus frater & antecellor ejus periit, ad regnum vocatus eſt, coronatus A. C. 1447. Bohemiæ regnum ſibi conciliare conatus eſt, Matthiâ prælatô Subeo, Legato Sixti IV. A. C. 1478. Cracoviam ingredienti, Academia nil honoris exhibuit, adhærens Baſilienſi Concilio, quod decreverat; *Concilium ſupra Papam eſſe.* Imo 12. elapſis annis ipſe Rex reſtitit Pontifici, neque permiſit ei pro arbitrio Epiſcopatus diſtribuere, *Malle ſe regnum amittere*, addens, *quam jure ſuò cedere.* Obiit in Lithuania, A. C. 1492. ætat. 64. quinque relictis filiis, quorum 4. priores Reges. Michov. *l.* 4. Cromer. *l.* 28. 29. & 30. Sym. Turnovius, *in ſpec. ver. ex libro* 7. *Sarnicii.*

CASIMIRUS V. Johannes, Ladiſlao IV fratri ſucceſſit, A. C. 1648. ex Jeſuita Rex. Maritus uxoris fratris ſui, è qua filiam ſuſcepit, A C. 1650. non vitalem. A Carolo Guſtavo Sueciæ Rege bellô petitus, & tantum non regnô exutus, pacem impetravit, tumulô, Sueciæ Rex, remiſſô, A. C. 1660. Moſcico dein inteſtinoque bello implicitus, cui uxoris avaritia animam præbuit, hâc defunctâ, regno ſponte ceſſit, & in Francia, ex Rege Abbas, aliquandiu vitam trahens, obiit haud pridem. Ei ſucceſſit Michaël Rex

Joh. CASIMIRUS, fil. Friderici III. Electoris Palatini, cognomine Pii, in Galliam puer ductus, ibi adolevit, multis egregiæ indolis ſpeciminibus editis. Redux inde, Patri ante alios ſemper præſtò fuit: Expeditionem dein geminam pro Reformatis in Galliam ſuſcepit, A. C. 1568. primò, dein A. C. 1575. Poſt quæ, mortuô Patre, ſicut prius exules è Gallia poſt laniena Pariſienſem: ita tum Reformatos à Ludovico fratre Electore pulſos, ſuſcepit, Neoſtadii illuſtri Academiâ inſtitutâ, quæ *Caſimiriana* dicta. Formulâ *Concordiæ* ab Ubiquitariis promulgatâ, A. C 1577. Francofurti, cum legatis variorum regnorum ab Eccleſiis miſſis, de iniqua ejus cenſura conqueſtus eſt, editò librô, cui titulus: *Chriſtiana admonitio, de libro Concordiæ.* In Belgium dein movit, Thuan. *l.* 66. inde tranſiit ad Eliſabetham Angliæ Reginam, à qua periſcelide donatus eſt. Iterum A C. 1588. Gebhardo Truchſeſſio, Archiepiſcopo Colonienſi adſtitit conſilio, mox armis. Sed mortuô fratre, in patriam reverſus, *Adminiſtrationem* ſuſcepit, ſcriptò *legitimi tutoris ante teſtamentarium prærogativam*, tuitus. Mox Lutheranos Palatinatu totô exegit, poſt novendialem Heidelbergæ, A. C. 1584 inter Jac. Grynæum, Baſileâ evocatum, & Miniſtros Lutheranos habitam diſputationem: quemadmodum & inter ejus Theologos, ac Wirtembergicos colloquium Marbaci poſteà celebratum eſt. Obiit, auditâ morte Chriſtiani I. Elect. Saxoniæ, A. C 1592. Ejus Epitaphium vide apud Pareum, *p.* 360.

CASIMIRUS, fil. Friderici Marchionis Brandeburgici & Franconicæ lineæ conditoris, Culmbacenſem ramum orſus eſt, ſicut è fratribus ejus minoribus Georgio Anſpacenſis, ſeu Jegerndorffius, & Alberto Boruſſicus, originem habuêre. Initiò non niſi decennis Canonicus Herbipolenſis & Præpoſitus factus, mox A. C. 1504. ab Imperatore ad Electoratum Moguntinum propoſitus eſt. Auſpiciis Patris A. C. 1506. Norimbergenſes, cùm encænia vicini pagi inviſerent, clade multavit. In bello Veneto A. C. 1516. ex parte Cæſaris, Commiſſarius belli & Caroli V. ad electionem Francofurtenſem legatus fuit. Ruſticam ſeditionem A. C. 1525. ſedavit, initiò ſupplicans, inde in reliquos cum equitatu invectus, plurimos excidit. Cum fratre Georgio, habitâ provinciali Onoldsbaci diætâ, A. C. 1526. ob Spirenſium Comitiorum decretum certas de religione conſtitutiones fecit, quem in modum ejus exercitium uſque ad Concilium inſtituendum fit. Denique A C. 1527. Dux generalis in Hungaria Ferdinandi Auſtriaci, adverſus Johannem Scepuſium, dyſenteriâ exſtinctus eſt. Pater Alberti cognomine *Alcibiadis Germanici*, in quo ramus defecit.

CASIMIRUS I. fil. Wartiſlai, qui Pomeraniæ citerioris lineæ conditor fuit, unà cum fratre Bogiſlao II. pulſô Henricô Leone, in cujus fuerant clientela, præſente Woldemarô Daniæ Rege ſolenni ceremoniâ, porrectis aquilis, à Friderico Barbaroſſa, in caſtris ad Lubecam Dux creatus eſt, datâ in Imperio ſeſſione, A. C. 1181. Pater fuit Suantibori.

CASIMIRUS II. fil. Bogiſlai II. prioris ex fratre nepos. Hieroſolymis deceſſit A. C. 1217 hærede Warcſlaô III. qui à Danis quædam in Megapolitanis finibus recuperavit, ac ſine prole deceſſit A. C. 1264.

CASIMIRUS III. fil. Suantibori retro memorati, ſucceſſit Patri, & avitam regionem pacificè diu rexit: Exſtinctus ſine prole A. C. 1273. ex poſteris Caſimiri I. ultimus.

CASIMIRUS IV. filius ſecundo-genitus Barnimi M. Ducis Stetinenſis, A. C. 1368. defuncti, ſucceſſit fratri Bogiſlao VII. Obiit ſine prole. Eum excepit frater Suantiborus II.

CASIMIRUS V. fil. Bogiſlai V. à quo Pomeraniæ Orientalis linea initium ſumpſit; in Polonica aula educatus, quædam ibi feuda tenuit, & cum fratribus bella adverſus Cruciferos continuavit; in oppugnatione arcis cujuſdam, quam auſpiciis Ludovici Hungariæ Regis obſidebat, cæſus A. C. 1377. Ei ſucceſſit frater Barnimus V.

CASIMIRUS VI. fil. Suantibori II Ducis Stetinenſis, ſucceſſit fratri Ottoni II. obiit A. C. 1433. Eum excepit Joachimus, pater Ottonis III. in quo linea defecit.

CASIMIRUS VII. fil. Erici II. Ducis Pomeraniæ Occidentalis, ſucceſſit fratri Wartiſlao X. ipſe ſucceſſorem nactus fratrem Bogiſlaum X. cognomine *Magnum*, totius Pomeraniæ Principem & ſolum familiæ hæredem è cujus poſteris *Caſimirus*, fil. Philippi, Caminenſis Epiſcopus, vivendi finem fecit A. C. 1605.

CASIMIRUS, fil. Conradi, ſtirpis Mazovianæ, è familia Piaſtea,

cum Lencicia Cujaviam tenuit, hinc Lencicienſis rami conditor, quemadmodum frater ejus Ziemovitus Mazovium ortus eſt. Cum vicinos non deſiſteret turbare, à filiis majoribus regimine cautus eſt: Fuêre autem illi Leſcus cognomine *Niger*, Dux Siradienſis & dein Poloniæ Princeps, ac Ziemoviſlus; qui Cujaviam cum Lencicia tenuit, pater *Caſimiri*, qui cum à patruo Rege, cum fratre Premiſlao, principatum Pomereliæ impetrâſſet, eodem a Cruciferis ejectus, filium habuit Vladiſlaum cognomine *Album*. Præter hos, genuit Caſimirus Lencicienſis, ex Conſtantia Vratiſlavienſi, Vladiſlaum cognomine *Loktam*, patrem Caſimiri cognomine *Magni*, qui ambo Poloniæ Reges fuêre, ſed in horum poſteriore, ſine prole extincto, familia Regalis Piaſtea in Polonia defecit, A. C. 1370. Vide *Caſimirum III. Polon. Rex.*

CASIMIRUS I. fil. Miciſlai I. Sileſiæ ſuperioris Ducum ſatoris, ſucceſſit extincto Patri jam ſeni A. C. 1211. Pater Vladiſlai & Miciſlai II. quorum illô, inter alios, natus eſt,

CASIMIRUS II. auctor rami Teſchinenſis, quemadmodum frater ejus minor natu Oppolienſem proſevit. Wenceſlao Bohemiæ Regi ſe ſubmiſit A. C. 1288. pater ex Beatrice Brandeburgica Johannis, *Caſimiri*, Vladiſlai, & Semovitii.

CASIMIRUS III. filius ſecundo-genitus prioris, non minus ac alii, ex eadem familia, Principatum à Johanne Bohemiæ Rege in feudum hæreditarium, & ab eodem Glogoviæ partem, quam Rex emerat; illum A. C. 1327. hanc A. C. 1351. accepit, ut ita forti propugnatore adverſus Polonos ille limes muniretur. Pater fuit Semovitii, qui Glogoviam, & Primiſlai, qui Teſchinenſem Principatum tenuit.

CASIMIRUS IV. fil. Boleſlai, cujus pater Boleſlaus Primiſlaô prædictô genitus erat, patris & patrui Primiſlai, qui A. C. 1477. exceſſit, hæres, A. C. 1479. partem dimidiam Glogoviæ ſuam Regi Bohemiæ, pro Ducatu Goſlæ & 2000. aureis ceſſit; Viduæ alterius patrui Vladiſlai Margaritæ Ciliæ, adverſus Senatum Glogovium, fideliter adſtitit. Deceſſit A. C. 1528. utriuſque Sileſiæ Capitaneus; Pater ex Johanna Monſterbergica Wenceſlai atque Friderici, qui ante Patrem fatô functi ſunt: ex Anna verò Brandeburgica Wenceſlai Adami poſthumi.

Johannes CASIMIRUS, fil. tertius Johannis I. Ducis Bipontini, frater Johannis II. qui patri ſucceſſit, & Friderici *Caſimiri*, Landſpergenſis lineæ conditoris, de quo pôſt: Suecicam lineam proſevit, cùm in Suecia A. C. 1615. Catharinam Caroli Sueciæ Regis filiam uxorem promeruiſſet. Ex quo tempore partim in Suecia, partim Germania, Argentorati inprimis, vixit, religionis ſuæ tenax. Obiit A. C. 1652. pater Caroli Guſtavi Sueciæ Regis & Adolphi Johannis.

Johannes CASIMIRUS, fil. Johannis Friderici II. Saxoniæ Ducis & Gothanæ lineæ conditoris, cum fratre Johanne Erneſto minore natu, in gratiam Comitiis Spirenſibus receptus A. C. 1570. partem ditionum Patris capivi, cum illo nactus eſt, Erfurti ob hoc inſtitutô Conventu. Coburgi magnô aulæ ſplendore habitavit, ubi præter Gymnaſium *Caſimirianum*, quædam alia magnificè extruxit. Priore conjuge Annâ, Auguſti Electoris filiâ, ob adulterii ſuſpicionem carceri addictâ, in ejus locum aſſumpſit Margaretam Lunæburgicam, cujus propinquis non parùm beneficit. Conventui Lipſienſi interfuit A. C. 1631. Obiit improlis A. C. 1633. quemadmodum & frater, A. C. 1638.

Johannes CASIMIRUS, Princeps Anhaltinus, fil. Johannis Georgii, (Deſſavienſis lineæ conditoris) ex Dorothea Palatina, Patri ſucceſſit: ex Agnete Haſſiaca Johanne Georgiô ſuſceptô A. C. 1627. qui poſt Patrem ditiones rexit.

Fridericus CASIMIRUS, ſecundus fil. Johannis I. Ducis Bipontini, Landſpergæ habitavit, unde linea ejus *Landſpergenſis* dicta eſt: Ad eum, ut Decanum Capituli Argentinenſis, ſuper reſtitutione fratrum villæ Argentinæ & aliorum bonorum Cathedralis Eccleſiæ, directum Cæſareum diploma A. C. 1627. inſeruit ſuis diplomatibus Carafa *Germaniâ reſtaur*. Deceſſit in Burgundia A. C. 1645. Pater Friderici Ludovici, qui A. C. 1661. Bipontino patrueli Friderico ſucceſſit. Vide Phil. Jacobum Spenerum *Sylloge Genealogico-Hiſtoricâ paſſim*.

CASIMOMAGUM, ſeu CASINOMAGUS, oppid. inter Toloſam & Lactoram fuit, ubi nunc *Caulogne* oppid. in Verdunenſi regiuncula Vaſconiæ, 7. leuc. à Toloſa in Occaſum.

CASINA, Plauti fabula, dicta à *Caſina* ancilla, quam Stalino ſenex, ejuſque filius certatim deperibant.

CASINA & CASINUM, ad confinia Campaniæ oppid. Volſcorum fuit. Nunc autem in provinc. Terræ laboris, in regno Neapolitano. Ex ejus ruinis crevit oppid. S. German. In multis authorum exemplaribus *Caſinum* eſt. Inſcriptiones autem antiquæ *Caſinum* habent. De nominis Origine Varro *de L. L. l. 6. Caſcum ſignificat vetus, Ejus origo Sabina, quæ uſque radices in Oſcam linguam egit, &c.* Addit, *Item oſtendit quod oppidum vocatur Caſinum, hoc enim à Sabinis orti Samnites tenuerunt, unde & Caſinum forum, vetus.* Ejus meminit Silius, *l. 4. v. 227.*

> —— *Nebuloſi rura Caſini.*

Itemque, *l. 12. v. 527.*

> ----- —— *Nymphiſque habitata Caſini*
> *Rura evaſtantur.* ----- ——

Nic. Lloydius.

CASINUS, mons Campaniæ, ubi olim Apollo colebatur, cujus templum everſum eſt à viro quodam ſanctiſſimo. *Boccat.* Celebri Abbatiâ, à S. Benedicto inſtitutâ, hodie inclytus *Moret.*

CASIOPE, *Ptol.* urbs Chaoniæ regionis in Epiro; quam *Sophianus Caſopo* vocat. *Santi quaranta* Nigro.

CASIOTIS, pars Syriæ, Phœniciæ proxima.

CASIS, i. e. *conciſio*, aut finis, nomen vallis. *Joſ. c.* 18. *v.* 21.

CASIUM, melius CASSIUM, oppid. Ægypti, prope confinia Palæſtinæ, in Auguſtamnica prima provinc. ad radices Caſſii montis, inter Oſtracinam & Gerrham, in ora, ubi Sirbonis palus in mare Mediterraneum ſe exonerat. 50. milliar. à confinio Arabiæ. Fuitque anteà Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Alexandrino.

CASIUS, cognomen Jovis, vide *Jupiter*, ut & hîc infrà.

CASIUS, mons apud Euphratem, ubi Trajanus dicavit crateras argenteos, in templo Jovis Caſii, cum epigrammate. *Suidas.* Item *Caſius*, nunc *Lariſſa*, mons trans Peluſium, extremum Nili oſtium in ea Arabiæ Petrææ parte, quæ ab hoc monte *Caſiotis* Ptolemæo appellatur, in quo erat M. Pompeji tumulus ab Adriano inſtauratus, ut *in vita ejus* teſtatur Spartian. *c.* 14. In hoc monte templum inſigne habebat Jupiter, qui inde *Caſius* dicebatur. Lucan. *l.* 8. *v.* 858.

> —··· *Moreſque tuos placare licebit*
> *Et Caſio præferre Jovi.*

Noſtri *Sinai* montem eſſe aſſerunt, ob dâc à Deo datas per Moyſen populo Iſraelitico Decalogi tabulas, nobilem. Plin. *l.* 5. *c.* 14. Arabiam hanc ſterilem, & præter Caſium montem nihil inſigne habentem indicat. Alii *Caſſius*. Vide *Caſium*.

CASIUS, mons in Syria Antiochena, ſupra Seleuciam cognomine Pieriam. Cujus excelſa altitudo quartâ vigiliâ orientem per tenebras Solem aſpicit, brevi circumactu corporis, diem noctemque pariter oſtendens; ambitus ad cacumen 19. mill. paſſ. eſt, altitudo per directum quatuor. Hæc Plin. *l.* 5. *c.* 22.

CASLETUM, oppid. Gall. Belgicæ. Æmil. *l.* 8. à Philippo Valeſio Flandris victis, captum, A. C. 1328. quod cùm fieri non poſſe obſeſſi cenſerent, ſpecie galli gallinacei linteâ factâ, & pro muris propoſitâ, Regi illuſerunt, dictitantes, tum poſituram Caſleto Repertum (ita Regem, quòd non natus ſed electus eſſet, vocaverunt) cùm alites lintei canerent. Sed eventus pro Rege fuit. Froiſſard. *l.* 1.

CASLEU, decimus menſis Hebræis, noſtro Novembri & Decembri reſpondens, Zachar. *c.* 7. *v.* 1. Ab Ebræo *Ceſil*, quæ *Orionem* vulgò ſignificat, Job. *c.* 9. *v.* 9. Hoc autem ſidus menſe Novembri Coſmicè occidens, turbulentas ciet tempeſtates. Unde Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 719.

> *Sævus ubi Orion hybernis conditur undis.*

CASLUTIUM, caſtrum Galliæ, in Cadurcis, vulgò *Caillus de Bonette*, à fluviolo, cui aſſidet, cum titulo Comitatus. Amniculus autem Bonnetta ſive Bonatidia in Avarionem defluit, *l'Averon*, Avarionem Tarnis in Garumnam defert. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CASMANNUS Otto, Theologus Reformat. ſcriptâ *Angelographiâ*, *Coſmopœiâ*, aliiſque pietatem & praxin ſpirantibus, celebris. Obiit Stadæ Saxonum, A. C. 1604. ætat. 45.

CASMARE, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. *Ptol.*

CASMENE, urbs Siciliæ. *Steph.* hodie *Comiſo*, vide Cluver. *Sicil. Ant. l.* 2. p. 358. & Bochartum *de Phœn. Colon. l.* 1. *c.* 30. Nunc *Scicali*, Briet*o*, aliis. Ad amnem cognominem in valle Netina, Magno *Sicili*. Ab ora 10. milliar. totidem a Neeto in Occaſum. Nunc fere in ruinis jacet.

CASMILUS, cognomen Mercurii, apud Samothraces. Vide *Camillus*.

CASMONATES, Liguriæ populi. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

CASNETUM, Hiſtoricis Gallicis quoque dicitur, quod aliàs *Quercetum*, vulgò *le Queſnoy*, oppidum Hannoniæ. Quam enim Latini quercum, Galli olim *Caſnum* nominavêre, hodie *un cheſne*, aliàs *queſne*. Hinc legimus in priſcis literis, *In ſylva S. Benigni & ibi taliaſſent vel occidiſſent uno caſno de S. Benigno*, i. e. quercum unam cecidiſſent, ad Divionenſe Monaſterium S. Benigni pertinentem. Unde etiam *Caſnum* nomen habet, villa Cotiæ villæ vicina, in ſylva Cotia, *Cheſne en Cuiſe*, aliàs *Cheſne Herbelot* vulgò: cujus meminit Bertinus *Annal. ad A.* C. 877. *Et diſcurrentibus inter eos miſſis, ad hoc perventum eſt, ut Richildis & ipſi Primores ad eum Compendium venirent, & ſuum Conventum ad Caſnum in Cotia condixerunt.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in vocibus *Cotia ſilva* & *Quercetum*.

CASNINIUM, oppid. unum ex illis, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam Reſpubl. neque tamen magiſtratus ſuos habebant, in quæ legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. *Feſtus.*

CASOPE, vide *Caſſope*.

CASOS & CASUS, *Caſſo*, teſte *Sophianô*, inſul. maris Ægæi, una Sporadum, teſte Pliniô, *l.* 4. *c.* 12. inter Sammonium promontor. Cretæ 30. & Carpathum inſulam in Cæciam vergentem ad 50. mill. paſſ. ut ſcribit idem Plin. *l.* 5. *c.* 31. Sunt autem multæ Caſorum inſulæ per ambitum, à quibus veſtimenti nomen *Caſiaca*, quod & nunc quoque durat, vulgare Græcis militibus. *Euſtath.* *Caſianum* appellat à monte *Caſio*.

CASOS, Perſidis inſula & civitas. *Steph.*

CASPANUM, oppid. Lombardiæ Tranſpadanæ.

CASPAPYRUS, urbs Gaodarica, Scytharum verò *αἰετὸς*, i. e. *linum*. *Steph.*

CASPASIUM, fluv. apud Scythas Aſiaticos. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

CASPERIA, Rhœti Marrubiorum Regis uxor, quæ cum Anchemolo privigno corpus commiſcuit, ut annotavit Servius in illud Virgil. *Æn. l.* 10. *v.* 388.

> *Hinc Sthenelum petit, & Rhœti de gente vetuſtâ*
> *Anchemolum thalamos auſum inceſtare novercæ.*

CASPERIA, Indiæ intra Gangem regio. *Ptol.*

CASPERIA, vulgò *Aſpra*, oppid. olim, nunc pagus Sabinorum apud ortum Himellæ fluv. à Narniâ 12. mill. paſſ. ab Interamna

ferè

ferè totidem, inter Octiculum & Reate 16. Ejus meminit Virg. *Æn. l. 7. v. 713.*

> *Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Severum,*
> *Caſperiamque colunt, Foruloſque & flumen Himellæ.*

CASPERIUS, Centurio præſidiariorum in caſtello Gorneas. Tacit. *l. 12. Annal. c. 45.* obſeſſô Capitoliô pugnam auſus, à Vitellianis obtruncatur, *Hiſtor. l. 3. c. 73.* Fulvius Urſinus legendum cenſet *Aſperius*, ad *l. 12. Annal.* Taciti, fortè dividendum *Cajus Aſperius* Jano Gebhardo videtur: in quâ opinione ante eum natum fuit *M. Antonius Muretus. Nic. Lloydius.*

CASPERIUS Æmilianus, &

CASPERIUS Agrippinus, inter Nobiles Romanos, ſine cauſæ dictione, interemtos, juſſu Severi Imperatoris, apud Æl. Spartian. in *Vita illius. c. 13.*

CASPERULA, oppid. Sabinorum, quod Sil. Italic. à *Caſpiis portis*, quæ in Oriente ſunt, ubi Bactriana eſt regio, accepiſſe nomen fingit, *l. 8. v. 413.*

> *Huic Amiterna cohors, & Bactris nomina ducens*
> *Caſperula, hanc Foruli magnaque Reate dicatum*
> *Cœlicolûm matri, nec non habitata pruinis*
> *Nurſia & a Tetricô comitantur rupe cohortes.*

CASPHOR, nomen civitatis. 1. Macchab. *c. 5. v. 26.* In tribu Manaſſe.

CASPIÆ Portæ, variæ dicuntur; Quidam Amazones portis Caſpiis egreſſas ad Alexandrum veniſſe in Hyrcaniam prodidêre: ſed illæ Caucaſiæ fuerunt, per quas tranſitus eſt ex Iberia in Scythiam. Neronis quoque comminatio ad Caſpias portas (ut inquit Plin. *l. 6. c. 13*) ad eum tranſitum reſpiciebat. Verum Taurus mons tribus in locis interruptus, quaſi portis quibuſdam pertranſitur in Armeniam, in Ciliciam, & in Mediam. Sed illæ tantùm Caſpiæ portæ appellantur, quæ apud Medos ſunt. *Ptol. Plin.* & *Strabo.* Per has tranſitus eſt ex Babylone & Perſide ad mare Caſpium; Et hinc fortaſſe Caſpiæ dictæ ſunt, quòd aliquæ gentes vicinis inſident montibus appellatæ Caſpiæ. Juga verò Caſpia procul binc abſunt, & ad Armenios ulterioreſque populos pertinent. Portæ autem Caſpiæ panduntur itinere manufactô millibus octo paſſuum longô: nam latitudo vix eſt plauſtro permeabilis. Hæc alibi Armeniæ, alibi Caſpiæ, alibi Ciliciæ vocantur, Plin. *l. 5. c. 27. Caſpia clauſtra* dicuntur Lucano, *l. 8. v. 222.* itemque Valerio Flacco, *l. 5. v. 124.* Stat. *l. 4. Silv. 4. v. 64.*

> —— *Metuendaque portæ*
> *Limina Caſpiaca.* ——

Nonnullis *Les Portes de Teflis. Nic. Lloydius.*

CASPIANA, Armeniæ majoris regio. *Strabo.*

CASPII, populi Scythici generis, Hyrcanis finitimi, ejuſque maris accolæ, quod ab ipſis *Caſpium* appellatur. Horum regio à Strabone *Caſpiana* appellatur. Virg. *Æn. l. 6. v. 798.* ἀκυροτέρως *Caſpia regna* nominat,

> *Hujus in adventum jam tunc & Caſpia regna*
> *Reſponſis horrent divûm.* —— ——

Hi parentes decrepitos, & ſeptuageſimum ætatis annum attingentes, anguſto loco includere dicuntur, & fame enecare. Strabo, *l. 11.* Apud hos ſæviſſimi ſunt canes, ut ſcribit Val. Flaccus, *l. 6. v. 106.* uti videre eſt in his:

> *Inſequitur Dravgea phalanx; clauſtriſque profuſi*
> *Caſpiadæ, quîs turba canum, non ſegnius acres*
> *Exilit ad litiuos, pugnaſque capeſſit heriles:*
> *Inde etiam par mortis honos, tumuloque recepti*
> *Inter avos, poſituſque virûm: nam pectora ferro*
> *Terribileſque innexa jubas ruit agmine nigrô*
> *Latratumque cohors: quanto ſonat horrida Ditis*
> *Janua, vel ſuperas Hecates comitatus ad auras.*

Vide Lipſ. *Cent. 1. ad Belg. Epiſt.* 44. Etiam Reuſner. *Aræ Strateg. l. 1. c. 15.* Caſp. Facium, *in axiom. Bellicis, c. 94. Idem Nic. Lloydius. Baudrando* fuêre populi in Hyrcania.

CASPII montes, à Septentrione in meridiem valde extenſi, inter Armeniam majorem & Mediam. Ex his Turcæ in Armeniam irruperunt, A. C. 733.

CASPIN, civitas pontibus & muris munita, in tribu Dan. 2. Macchab. *c. 12. v. 13.*

CASPINGIUM, oppid. Batavorum, prope Vahalim fluv. nunc caſtrum dictum *Geſſenburg*, *Cluverio* teſte, inter Goricum & Dordracum, in Comitatu Hollandiæ.

CASPIRUS, urbs Parthorum, finitima Indiæ, cujus incolæ omnium curſu ſunt velociſſimi. *Steph.* Aliis *Caſpira.*

CASPIS, Syriæ urbs. 1. Macchab *c. 12. v. 13.*

CASPIUM Mare, inſtar lacus, unde dulces ei aquæ, inter Caſpios & Hyrcanos monteseſt, à quibus nomen accepit. Dicitur enim & *Hyrcanum mare.* Strabo, *l. 11.* Καλοῦσι δὲ αὐτὴν ἡ θάλατταν καὶ Ὑρκανίαν. Dionyſ. *v. 30.*

> Ἥτε καὶ Ὑρκανίην ἑτέρην διεφημίζοντο.

Immenſum ſpatium occupat, de quo tamen inter ſcriptores parum convenit. Mela. *l. 3. c. 5. Mare Caſpium ut anguſtô, ita longô etiam fretô.* Vide ſis illic Voſſium. Strabo ubi ſuprà, Ἔστι δ᾽ ὁ κόλπος ἀνέχων ἐκ τοῦ Ὠκεανοῦ πρὸς μεσημβρίαν. Ubi ſequitur vulgatam ſuorum temporum de hoc mari opinionem. Putabant enim plerique omnes, mare Caſpium nihil aliud eſſe, quàm ſinum Oceani Cronii ſive Septentrionalis, ut ſinus Perſicus ex Oceano meridiano ἀνέχει. Hæc eſt Dionyſii ſententia, qui ſinum Oceani ſecundi ita deſcribit:

> Δεύτερος αὖτ᾽ ὀλίγος μὲν, ἀτὰρ πολυπειρότατος ἄλλων,
> Ὅς ῥ᾽ ἀπονισσόμενος Κρονίης ἁλὸς ἐκ βορέαο,
> Κασπίη ἐν μεγάλοισιν ἐπικλείουσι θαλάσσῃ.

Quocum conſentiunt duo Interpretes, Feſtum Avienum dico & Priſcianum. Hic

> *Alter item eſt primô brevior, majorque duobus*
> *Hic prolapſus aquas, Boreali fuſus ab alto*
> *Terga procelloſô turgeſcit Caſpia fluctu.*

Priſcianus,

> *Hic minor eſt, reliquis major, quem Caſpia tellus*
> *Suſcipit intrantem vaſtis Aquilonis ab undis,*
> *Nomine Saturni quod Tethys poſſidet æquor.*

Hæc etiam Pomponii Melæ, hæc Plinii, l. 6. c. 13. ſententia. At non eorum, qui noſtrâ ætate de eo mari accuratius ſcripſêrunt, qui affirmant eſſe id per ſe, nec ullô modô, aut cum Oceano, aut cum alio mari miſceri. Falluntur verò è recentioribus plerique, dum totam antiquitatem hujus erroris inſimulant. Nam quid illi novi docent, quod non jam pridem ab *Herodoto* ſit traditum? Sic enim ille, Ἡ δὲ Κασπίη θάλασσα ἐστὶ ἐπ᾽ ἑωυτῆς, οὐ συμμίσγουσα τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ. Diodorus quoque Siculus ait, Τὴν Ὑρκανίαν εἶναι καθ᾽ αὑτήν. Ideoque maximus Philoſophorum Ariſtoteles lacum appellat; mare tamen ab accolis vocari tradit *Caſaubonus.* Horatius, *l. 2. Carm. Od. 9. v. 2.*

> ——— *Nec mare Caſpium*
> *Vexant inæquales procellæ*
> *Uſque.*

Nic. Lloydius. Aliàs in 4. ſinus diſtributum fuit, nempe Scythicum, Albanum, Caſpium & Hircanum. Nunc *mer Caſpie*, vel *mer de Sala*, ab urbe *Salacinis* in ora, & *mer de Bacu*, ab urbe cognomine in Media, & de *Taberiſtan.* In illud ſe exonerant Rha, Jaxartes, Oxus, Cyrus, Araxes. Longitud. eſt 800. mill. paſſ. Latitud. 650. mill. paſſ. Hieme magna ex parte concreſcit. Et à Borea Tartarica deſerta, ab Ortu Usbechia, ab Occaſu Georgia, à Meridie Perſia, *Baudrand.* Vide Texeiram.

CASPIUS, vide *Marius.*

CASSA & CASSETA, apud Recentiores, pro *Capſa & Capſeta*, vide ſuprà *Capſa.*

CASSAN, vel CHAGAN, Perſiæ Regis fil. Aragonis Rex ad regnum ſic pervenit. Raythô Aragonis ſucceſſore occiſô, Baythou ſubſtitutus eſt. Qui, quòd Chriſtianis faveret, à Caſſane hâc lege electo, ut Chriſti fidem ejuraret, prælio victus eſt, A. C. 1294. ſed hic regnô potitus, rem Chriſtianam mirificè promovit. Cum Chriſtianis in Oriente Principibus, fœdere initô, Melechnazerum Ægypti in Syria Regem ſuperavit; Carbandam fratrem ſucceſſorem habuit, A. C. 1304. Sanut. *l. 3. part. 13. c. 8. & 10.* Hayton. *c. 41. &c.*

CASSAN, Baſſa Solimanni, vaſtatâ Hungariâ, à Principe Palatino in prælio occiſus. A. C. 1532.

CASSANDA, inſul. Belgii, in ora Flandriæ, ex adverſo Zeelandiæ & Fliſſingæ. Arcem habet cognominem permunitam. Sub Batavis vix 1. leuc. à Sluſa & Brugis in Ortum.

CASSANDANE, filia Pharnaſpis, & mater Cambyſæ generi Aſtyagis. Herodot. *l. 3.*

CASSANDER, XXV. Macedonum Rex, I[us]. verò poſt mortem Alexandri Magni, fil. Antipatri, Aridæo ſucceſſit. Democratiâ Athenis abolitâ, magnam Græciæ partem ſibi ſubjecit, urbi Demetriô Phalereô præpoſitô. Irritatus dein Aridæi, uxoris Eurydices, aliorumque Macedonum cæde, Olympiadem necari juſſit. Theſſalonice porro Alexandri ſorore ductâ, Macedoniam perdomuit, Thebas denuo extruxit, Roxanen cum filio Alex. poſthumo ſuſtulit, alterum quoque, Herculem, per Polyperchonta interemit. Cum Seleuco & Lyſimacho fœdere initô, contra Antigonum, ingentis prælii victor, ad Ipſum, in Phrygia, an. 433. Urb. Cond. 3733. M. 3. Olymp. 119. trienniô poſt hydropicus obiit. Regnavit ann. 19. Diodor. Sic. *l. 19* Euſeb. & Juſtin *l. 14.*

CASSANDER Georgius, vide *ibi.*

CASSANDRA, Priami & Hecubæ filia, quæ cùm ob formæ venuſtatem ab Apolline amaretur, juſſa quamcumque vellet concubitûs mercedem petere, vaticinandi peritiam ſibi dari poſtulavit, quam cùm credulus amator ei conceſſiſſet, neque illa promiſſis ſtaret, indignatus Deus, quoniam munus jam datum eripere non poterat, effecit, ut vaticiniis ejus fides nulla haberetur. Quare cùm equi Trojani inſidias detexiſſet, eumque mœnibus minimè recipiendum clamaret, neminem tamen invenit, qui verbis ejus fidem adhibendam putaret. Virg. *Æn. l. 2. v. 245.*

> *Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris*
> *Ora, Dei juſſu, non unquam credita Teucris.*

Hanc Virgil. poſtremis Trojani belli temporibus, Chorœbo juveni deſponſatam fuiſſe tradit, qui cum extremâ illâ nocte, quâ Ilium cecidit, ſponſam captivam abduci videret, eique ſuppetias ferre conaretur, à Peneleo quodam confoditur, Virgoque ipſa ab Ajace Oileo in Minervæ templo vitiatur. Hæc poſteà, in prædæ diviſione, Agamemnoni ceſſit, qui cùm identidem ab illâ admoneretur, ut Clytemneſtræ uxoris ſuæ inſidias caveret, nihilo tamen minus ejus monita, velut veſanæ mulierculæ deliramenta contempſit. Cujus poſteà ſecuritatis pœnas dedit, unà cum Caſſandrâ, uxoris, Ægyſthique inſidiis in convivio obtruncatus. Homer. *Iliad* Virg. *Æn. l. 2. v. 403.*

> *Ecce trahebatur paſſis Priameïa virgo*
> *Crinibus a templo Caſſandra, adytiſque Minervæ.*

Idem, l. 3. *Æn. v. 183.*

> *Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.*

Vide de hac porrò Lycophronem. *in Poëmate ab ea denomi nato.*

CASSANDRA, Jobatis filia, quæ Bellerophonti nupſit. *Homerus*

CASSANDRA Fidelis, puella Veneta, erudita, Angelo Politiano, decus Italiæ, vocata. *l.* 3. *ep.* 17. Vixit A.C. 1487. Fulgoſ. *rerum memorab. l.* 8.

CASSANDRA, oppid. & *Caſſandria colonia*, de quibus vide in *Potidæa.* Ptolemæus *Caſandra* cum ſimplici *ſ.* ſcribit. Eſt autem urbs Macedoniæ maritima. *Pauſan.* & *Steph.* adhuc etiam *Caſſandria Sophiano.*

CASSANI, vicus agri Tarviſini.

CASSANITÆ, populi maritimi ad mare Rubrum. *Steph.* Arabiæ Felicis, *Ptol.*

CASSANORUS, urbs Ægypti. *Steph.*

CASSANUM, urbecula Calabriæ citerioris juxta amnem *Lianæ*, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Conſentino, 20. milliar. à Roſſano in Boream.

CASSANUM, oppidul. Ducatus Mediolanenſis ad Adduam fluv. aliàs frequens, 15. milliar. à Crema. 12. à Bergamo.

CASSANUS, vide *Caſſan.*

CASSARDUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

CASSELLA, urbs, Landgraviatûs Haſſiæ caput. Familiæ origo à Ducibus Brabantinis: è quibus Henricus II. Magnanimus, reliquit filios duos, Henricum III. Brabantini, & Henricum, cognomine Puerum, Haſſiaci rami, auctores: quorum hic obiit A. C. 1308. pater Ottonis, qui principatum ad Lanum; Johannis, qui Caſſellas, & Ludovici, qui Marpurgum tenuit. Sed ſucceſſit reliquis Otto, è cujus poſteris Ludovicus Mitis, genuit Ludovicum Pium, qui Caſſellas iterum, & Henricum, qui Marpurgum tenuit: quorum ille mortuus A. C. 1471. ſtirpem propagavit, è cujus ſucceſſoribus, Philippus Magnanimus fuit, rebus pro Evangelio geſtis, inclytus. Hujus fil. Guilielmus iterum *Caſſellanæ*, Georgius verò *Darmſtatinæ* lineæ auctores fuêre. Guilielmus, Princeps literis egregiè cultus, in Patre captivo liberando, multùm & cum ſucceſſu occupatus, Caſſellas ſuas maximè munivit, magnâ in Imperio auctoritate, & controverſiarum, inter vicinos obortarum, arbiter. Libro Concordiæ fortiter ſe oppoſuit, Obiit A.C. 1592. ex Sabina Wirtenbergica, pater Mauritii: qui πολύγλωττος & eruditus, Reformatæ Religioni ſummô zelô adhæſit: Primo fœderi, A. C. 1603. quô unioni præludebatur, dein ipſi Unioni nomen dedit. A Gronsfeldio, juſſu Tillii, Caſſellis obſeſſus, regimen tranſtulit in filium Guilielmum, A.C. 1626. mortuus A. C. 1632. Hic cognomine Conſtans, ſuſceptô regimine, cum fratribus de Apanagio, inde cum Darmſtatinis de cauſâ Marpurgenſi tranſegit: Fœdus cum Guſtavo Adolpho pepigit, Lipſienſi conventui interfuit, A.C. 1631. Regi ad Lipſiam victori copias ſuas prope Hœchſtam junxit. Pace Pragenſi penè ſolus in Germania noluit comprehendi, Hanoviam à Cæſareanis liberavit, defunctus in Friſia A.C. 1638. Vidua ejus Amelia Eliſabetha, Lambojum A. C. 1642. in agro Kempenſi, & A.C. 1648. ad Grevenburgam cæcidit, &c. Horum filius Guilielmus, in pace Monaſter. Abbatiam Hirſchfeldiam, & præfecturas *Schawenburg*, *Buckeburg*, *Statthagen* & *Saxenhagen*; atque pro ſatisfactione 600000. imperialium accepit: in cauſa Marpurgenſi, & Waldeccenſi cum adverſa parte tranſegit, &c. prudentiâ & pietate inclytus. Obiit repentinâ morte, A. C. 1663. pater ex Hedvige Sophia Brandeburgica, inter alios Guilielmi, qui A. C. 1672. ætat. 18. Pariſiis obiit, & Caroli, qui nunc ditionibus præeſt. Ut diu & feliciter præſit, vota piorum Deus exaudiat! Vide Spener. *in Sylloge Geneal. Hiſtor.* & in voce *Caſſilia.*

CASSENTIUM, ſive CASUENTIUM, *Frontin.* oppid. olim & Colonia Hetruriæ, exciſum: cujus ager *Caſentine*, in territorio Aretino.

CASSERA, Macedoniæ oppid. Plin. *l.* 4. *c.* 10.

CASSI, populi Britanniæ apud Cattieuchlanos: *Graſſere*, nunc *Glareano*, at *Camdeno Caſhow.* ſed *Caſhoio* Cattieuchlani eſſe videntur. Ita *Ferrarius.* *Camdenus* autem ait, in regiuncula *Caſhow* ſervari nomen Caſſiorum, quos etiam Cattieuchlanos vocat. Vulgò *the Hundred of Caſhow*, in Comitatu Herfordienſi.

CASSIA, Græcè Κάσιον, urbs in Ægypto ad montem *Caſium.* *Stephanus*, Κάσιον, ὄρος καὶ πόλις Αἰγύπτου ἀρχὴ τοῦ Πηλουσίου, *prope Peluſium*: quam de ſitus paritate æquare Epidamnum ſive Dyrrachium (utraque enim in ora maris edita & ſaxoſa ſita fuit) ait Solinus, *c.* 14. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 528.

CASSIA Lex, cujus auctor L. Caſſius Longinus Tribunus Plebis an. Urb. Cond. 649. C. Mariô ſecundum, C. Flaviô Fimbriâ Conſulib. fuit: *Ut quem populus damnâſſet, cuive Imperium abrogâſſet, in Senatu ne eſſet.* Tulit eam Caſſius, ob ſimultates cum Q. Servilio Cæpione, qui ante biennium Conſul fuerat, & cui populus ob bellum malè adminiſtratum, imperium abrogaverat, Aſconius *in Cornelian.* Alia, lata à C. Caſſio Prætore, Dictatore Juliô Cæſare, *Ut in numerum Patriciorum, qui Senatu deeſſent, alii ſublegerentur*, Tacit. *Annal. l.* 11. *c.* 25. Alia, *ſuffragia libera eſſe voluit, non ſolùm tantùm in Judiciis, ſed etiam populi in Comitiis: verum in tribunis tantùm, quibus de re tu judicaretur*, Cicer. *in Lælio*, ubi hanc legem biennio poſt Gabiniam latam eſſe ſcribit, nempe Urb. Cond. 616. Item *in Bruto*, *l.* 3. *de Legg.* Aſconius *in Cornelian. & Verrinam* 2. Alia, quam tulit Sp. Caſſius Viſcellinus III. Conſul cum Proculo Virginio Tricoſto Rutilio an. Urb. Cond. 267. *Ut ex agro Hernicis, quibuſcum fœdus ictum erat, adempto, dimidium Latinis, dimidium plebi divideretur.* Lex tamen non tenuit. Livius, *l.* 2. Val. Max. *l.* 5. *c.* 8. *ex.* 2. Fuit quoque Lex *Caſſia*, lata à Q. Caſſio Prætore, Q. Ælio Pæto, M. Junio Penno Conſulib. an. Urb. Cond. 596. *Ut Paulo Æmilio & Octavio, ex bello Macedonico cum victoria redeuntibus, quo die Urbem triumphantes inveherentur, & imperium eſſet.* Livius, *l.* 45.

CASSIA Via, à Caſſio Strata. *Feſtus.*

CASSIANE, apud Hiſtoriæ Aug. Scriptores, pro, *more Caſſii*, principatum Reſpubl. reſtituere, h. e. eam in libertatem vindicare, moliri, Salmaſ. in *illum.*

CASSIANI, in Jure, nomen ſectæ, ſicut & Sabiniani & Proculiani: ab Auctoribus *Caſſio* Sabino & Proculo, nomen adepti, de quibus ita Pomponius, *l.* 2. *ff. de orig. Jur.* *Fuit Qu. Tubero publici privatique juris doctiſſimus: ejus duo diſcipuli, Ateius Capito & Antiſtius Labeo fuêre. Quorum alter Magiſtri præceptis adhæreſcens, alter ingenii fiducia pleraque innovans, diſſidium quoddam in Juris Civil. diſciplinam invexerunt. Nam cum Ateio Maſſurius Sabinus, Labeoni Nerva pater ſucceſſiſſet, acceptam à Magiſtris diſcordiam vehementer auxerunt: quam poſtea eorum diſcipuli, Sabinus quidem Caſſius, Nerva autem Proculus, eo produxerunt, ut duæ jam familiæ contrariæ ex eorum nominibus appellatæ ac propagatæ ſint. Nam qui Caſſium ſequebantur*, Caſſiani; *qui Proculum, Proculiani dici cœpêre; poſt ſequuti ſunt, Caſſium quidem Cælius Sabinus, Proculum verò Pegaſus: unde Sabinianorum & Pegaſianorum nomina. Quorum diſſenſionibus ac præceptionibus contrariis imbuti: poſtea JCti Javolenus, Neratius, Julianus & cæteri, quorum ex ſcriptis compoſiti ſunt ii, quibus nunc utimur Pandectarum libri, mirificam concertationis in hanc LL. diſciplinam importarunt*: apud Briſſonium, laudatum Joanni Calvino *Lexic. Jurid.*

GASSIANUM, urbs ampla Perſidis, in provinc. *Hierach.* In perpulchra planitie. Tridui circiter itinere diſtat ab Haſpahamo in Boream, verſùs mare Caſpium.

CASSIANUS, inter Jovis cognomina, vide hic infrà.

CASSIANUS, Antiochiæ Rex, ab Armeniis interfectus, A.C. 899. Blondus, *l.* 4. *Decad.* 2.

CASSIANUS, Hieroſolymitanus Epiſcopus XI. A. C. 141.

CASSIANUS, Martyr apud Forum Cornelii, ubi & jacet, & quò venerat peregrinationis gratiâ à Brixia urbe, cujus erat civis, & Præſul. Cùm apud forum Cornelii doceret, juſſu Juliani Imperatoris, qui prohibuerat Chriſtianos docere, ſtylis diſcipulorum confoſſus eſt. Martyrium ejus eleganter deſcripſit Aurelius Prudentius Περὶ Στεφάνων, *Hymn.* 14.

CASSIANUS, Alexandrinus ſub Joviniano in Italiam veniens, apud Oriona, templum conſtruxit, cujus & Præſul electus. Inde peregrinando Auguſtodunum venit, ac Epiſcopo Simphcio vim ſancto ſucceſſit.

CASSIANUS, Monachus, Honorii tempore, Hieroſolymitanâ Eccleſiâ ab hæreticis ejectus, Maſſiliam venit, ubi duo condidit cœnobia; ſcripſit & de *Monachorum inſtitutis. Volaterr.* Vide Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 17. & infrà.

CASSIANUS, auctor Chronographiæ, Clem. apud Hieron. *in Catal. Script. Eccl. c.* 38.

D. CASSIANUS, quintus Auguſtoduni Galliæ civitatis, vulgò *Autun*, Epiſcopus fuit: ad cujus tumulum pleraque ac miranda eduntur miracula, ſi fides Gregor. Turon. *c.* 75. *de glor. mart.*

CASSIANUS Johannes, Scytha origine, natus Athenis, diſcipulus Chryſoſtomi, ſcripſit *collationes Patrum deſerti*, 24. *libros*, *Inſtitutiones & modum vivendi cœnobitarum*, *remedia contra octo vitia capitalia*, *de Incarnatione verbi*, *contra Neſtorium.* A Proſpero refutatus, quòd 13. libro Collationum, Semipelagianis favere videretur, cæterùm vitæ ſanctitate illuſtris. Obiit A.C. 448. ætat. 97 Gennad. *c.* 61. Gueſnay, *Caſſian. illuſtr. l.* 1. *Præf.* & *l.* 2. *c.* 11. Maſſiliæ imo in tota Provinc. colitur.

CASSIBELANNUS Helius, fortiſſimus Britannorum Rex. Cajum Cæſarem à ſua Britannia bis bellô repulit, ſed tertiò devictus, in ſubjectionem cum ſuo populo venit, A. M. 3921. & ante natum Servatorem 49.

CASSIDA, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

CASSII, montes Scythiæ extra Imaum. *Ptol.*

GASSILIA, urbs probè munita Germaniæ ad Fuldam fluv. cum arce. Sedes Principis Landgravii Haſſo-Caſſellani. 12. leuc. à Marpurgo in Boream. Etiam *Caſtellum Cattorum* dicta & *Sterrontium.* Vide ibi.

CASSILIA, urbs Momoniæ in Hibernia ad Sirium fluv. in Comitatu Tiperarienſi. In colle. Ampla & culta, ſed poſterioribus his temporibus malè habita ab Anglis.

CASSILIACUM, Rhætiæ oppidum, *lib. Notit. Romakeſſel*, Rhenano, *Rer. Germ. l.* 3. quòd ibi habitâſſent Romani milites, ſic dictum, *ab occupationibus Alemannis.*

CASSILIUM, vulgò *Caſſel*, vide *Sterrontium.*

CASSINITIUS, Thraciæ fluv. cujus aqua equos potos efficit.

CASSINOGILUM, palatium veterum Aquitaniæ Regum, in pago Aginnenſi, vulgò *Chaſſeneuil.* Hic Hildegardis Ludovicum Pium genuit, A. C. 788. Petro Monacho, *in Hiſtor. Albigenſium*, vocatur *Caſtrum Caſſanolium nobile & fortiſſimum, ad pedem montis, in amœniſſima planitie, &c.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CASSINUM, vide *Caſinum.*

CASSIODORUS Magnus Aurelius, Patricius, & Senator Romanus, Theodorici Gothorum Regis Præceptor, & Cancellarius, ſolus Conſul. A. C. 514. tandem poſtquam vidiſſet, Gothorum res, ſub Vitige, ruere in pejus, in extremitate Calabriæ Monaſterium à ſe conditum incoluit. Ibi ei horologia Solis & aquæ plurima, lampades inextinguibiles, & Bibliotheca ſelecta. Cùm multa alia ſcripſit, ut *Commentarium in Pſalmos, in Canticum, &c. Libros duos Inſtitutionum divinarum*, 12. *epiſtolas ſub Theodorico Rege*, 12. *libros Hiſtoriæ Gothicæ, a Jornande in epitomen redactos, Chronica, pluriméſque tractatus Grammaticos, Rhetoricos, Dialecticos, Arithmeticos, Muſicos, Geometricos, Aſtronomicos, Orthographicos, de ſchemata*, tum verò *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, quæ *Tripartita* nominatur, ex tribus Scriptoribus Theodoreto, Sozomeno, & Socrate in unum corpus coagmentavit. Mortuus eſt temporibus Juſtiniani Imperatoris A.C. 562. ætat. penè 100. Gregor. *l.* 7. *ep.* 31. & 33.

P. Diac.

P. Diac. *Hiſt. Langob. l.* 1. *c.* 25. Aimoin. *Hiſt. Franc. l.* 2. *c.* 9. Volaterr. vide etiam Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 29. & *de Scient. Mathem. c.* 16. § 2. *c.* 22. § 6. & *c.* 34. § 11.

CASSIODORUS Petrus, vide *Petrus*.

CASSIOPE, ſive CASSIOPEA, Cephei Æthiopum Regis uxor, & Andromedes mater, quæ quòd gloriaretur, Nereidibus ſeſe corporis pulchritudine præſtare, illarum indignationem incurrit. Nymphæ enim jactantiâ ejus irritatæ incredibilis magnitudinis cetum immiſerunt, filiamque ejus unicam, nomine Andromedam, ſaxo alligârunt, cetoque devorandam objecerunt, quæ tamen Perſei virtute liberata, ei nupſit. Caſſiope verò tandem generi meritis in cœlum tranſlata traditur. Arabibus vocatur *mulier ſedis*, i. e. *ſedens in ſiliquaſtro cum palma delibuta*. Manilius, *l.* 1. *inverſam* vocat, quòd capite cernuans occidat. Unde Marcus Tullius Aratea vertens,

> *Labitur illa ſimul gnatam lachrymoſa relinquens*
> *Caſſiopea, neque ex Cælo depulſa decore*
> *Fertur. Nam verſo contingens vertice primùm*
> *Terras, poſt humeris everſa ſede, refertur.*
> *Hanc illi tribuunt pœnam Nereides almæ,*
> *Cum quibus, ut perhibent, auſa eſt contendere formâ.*

Vide Cæſium, in *Cælo Aſtronom.* p. 316. Propert. *l.* 1. *El.* 17. *v.* 3.

> *Nec mihi Caſſiope ſolito viſura carinam,*
> *Omniaque ingrato litore vota cadunt.*

Caſſiepea, pro *Caſſiopea*, dicere jubet Scal. in *Manilium*, atque ita ſe reperiſſe ait in codice Gemblacenſi. Sanè Græcis eſt Κασσιέπεια. Verùm codici uni plures opponere licet, in quibus o ſcribatur, nempe Latini ut *Calliope*, & *Calliopea*: ita *Caſſiope* & *Caſſiopea* ſcripſêre. Nec eſt quòd Græca vox opponatur, nam *E* & *O* facilè commutantur. Ita Græcè eſt Πτολεμαῖος, at in optimis libris eſt *Ptolemæus*, & Βερενίκη *Berenice*. Voſſ.

CASSIEPEIA, mater Cilicis ex Phœnice, apud *Scholiaſtem* Apollonii: aliàs *Caſſiopea*, quam vocem vide; aliquid etiam de *Caſſiopea* aſteriſmo, ſuprà in voce *Carnea clavis*. Vide quoque infrà *Keziâ*, quod nomen fuit uni ex filiabus Hiobi, è cujus Hiſtoria fortè de *Caſſiope* fabula nata.

CASSIOPE, Corcyræ inſulæ oppid. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Ptolemæo Caſſiopolis* dicitur. Hodiè *Caſſopo*. Hîc celebre olim Fanum fuit Jovis Caſſiani, cujus varia numiſmata meminêre. Hodiè urbs in ruinis jacet; Ædes ſaltem ibi ſacra Panagiæ, i. e. S. Virgini, undique anathematis nautarum, aliorumque qui è maris periculis emerſerunt, referta. Sed & imago ibidem ejuſdem B. Virginis, cui lamellam cupream applicantes viatores, inde ſuorum necem, aut vitam, augurantur. Cùm enim adhuc in vivis eſt, de quo ſoliciti ſunt, nummulum adhærere imagini; ſin exceſſit, continuò delabi, dicunt. Vide Jac. Sponium, *Itiner. Græciæ Part.* 1. p. 121. & *ſeqq.*

CASSIOPE, Epiri urbecula à qua *Caſſiopæi*. Plin. *præfat. l.* 4. & *Ptol.* in montanis. *Straboni* promontorium eſt, quod & *Phalacrum* vocat. Caſſiope alia, urbs Epiri, in Almena provinc. (cùm prior ſit in regiuncula Caſſiopæa) verſùs oram littoralem. Nunc *Joannina*. Eſtque alicujus momenti. Ambæ ſub Turcis.

CASSIOS, fluv. Scythiæ, qui per Albaniam in mare decurrit. Plin. *l.* 6. *c.* 13.

CASSIPA, lacus Americæ meridional. in Paria regione. In Orenocum fluv. ſe exonerat. Inter Orinocum & lacum Parime.

CASSIS, apud Virg. *Æn. l.* 11. *v.* 775. ubi de Chloreo Cybeles Sacerdote,

> *Aureus ex humeris ſonat arcus, & aurea vati*
> *Caſſida* ---- ----

Et Statium, *Theb. l.* 9. *v.* 700.

> ---- ---- ---- *Aſt ubi pugnâ*
> Caſſis *anhela calet* ----

galea eſt. Unde *Caſſis plebeia*, apud Lucanum, *l.* 7. *v.* 586.

> *Hic plebeja contectus caſſide vultus,*
> *Ignotuſque hoſti*, &c.

quæ inſigni caret, ἄφαλος Græcis. Variè enim galeæ caſſideſque honeſtiorum militum ornabantur olim: & quidem *cornibus* præcipuè, ac *criſtis*. Veram enim cornuum ſimilitudinem ex ære vel ferro in illis exprimi conſueviſſe, colligitur ex Plinio, *l.* 10. *c.* 45. Unde apud Varronem, *de LL. l.* 4. Comœdiæ Plautinæ, in qua miles iſtiuſmodi galeam geſtans traducebatur, *Cornicularia* nomen; & *Cornicularii* appellati, in militia Romana antiqua, milites honeſtiores, qui ab hoc caſſidis paraſemo ſic appellati, beneficiarii ut plurimum erant Tribunorum aut Centurionum, uti diſcimus ex Valerio Max. *l.* 6. *c.* 1. *ex.* 11. Vide infrà, ubi de *Corniculis*. Sed & criſtatæ fuêre non rarò. Virg. *Æn. l.* 8. *v.* 620.

> *Terribilem criſtis galeam, flammaſque vomentem.*

Papinius de Hippomedonte, *l.* 4. *Theb. v.* 129.

> ———— ---- *Tremit ærea* caſſis
> *Ter niveâ ſcandente jubâ.*

Idem, *Theb. l.* 9. *v.* 107.

> ---- ---- *Lycus excelsò terrore comantem*
> *Perſtrinxit galeam*, &c.

Namque ad hæc majeſtatem criſtas militi, jam olim ſeriò obſervavit Polybius, ubi πτερίνῳ στεφάνῳ *plumeâ corona*, galeas ornari, agmine videl. pennatum, quod supernè procumbens & in galeam ipſam circumcirca fluctuans, orbe ſeu ſertò illam plumeò incingebat: ex eo verò, rectas eminere pinnas quaſdam, puniceas, aut nigras, cubitali celſitudine, multas, paucas, pro lubitu geſtantis, ait. Ad quem locum Claudianus, *Conſul Honor.* 4. alludens, cum *caſſide majorem & rutilum criſtis*, ſuum Principem inducat. Hinc de Minerva blandiore idem,

> *Ferratus laſcivit apex, horrorque receſſit*
> *Martius & criſta placatâ fulgure vernant,*
> *Inſolitumque docet galeam miteſcere ſertis*, &c.

Vide quoque hîc paſſim, inprimis in vocibus *Apex* & *Criſta*. Claudi autem omnino *caſſides* Veterum conſueviſſe, ut ne videri quidem facies armatorum potuerint, docent Scriptores quamplures. Papinius iterum, *Theb. l.* 4. *v.* 20.

> ---- ---- *galeis juvat oſcula clauſis*
> *Inſerere.*

Silius de Militibus Marcelli poſt peſtilentiam, *l.* 14. *v.* 637.

> *tenuata jacendo*
> *Et maciem galeis abſcondunt ora, maleſque,*
> *Ne ſit ſpes hoſti, celatur* caſſide *pallor.*

Vide quoque Alcimum Avitum, *l.* 5. & Sidonium, *Panegyr. Anthemii*, de Roma. Unde apud eundem Statium, *Theb. l.* 11. *v.* 373.

> *Solve genas, liceat vultus fortaſſe ſupremùm*
> *Cernere dilectos, & ad hæc lamenta videre,*
> *Anne fleas?*

Nareſque etiam galeis tectas, indicat iterum Sidonius, *ibid.*

> *Obtundis teneras circumdata faſcia nares,*
> *Ut galeis cedant*, &c.

Quam in rem vide plura apud Caſpar. Barthium, *Animadverſion. ad Statium d. l. Adverſar. l.* 52. *c.* 14. & ſuprà *Buccula*, nec non infrà in voce *Cervellerium*, *Galea*, *Juſta*, ubi de more eorum, qui primâ vice in Juſtis decertabant, *caſſidem* Fœcialibus vel Heraldis, donativi locò offerendi, niſi priùs in Torneamentis id ipſæ feciſſent.

CASSITERIDES, inſulæ in occidentali Oceano, unde plumbum candidum effoditur. Plin. *l.* 4. *c.* 22. *Ex adverſo*, inquit, *Celtiberiæ complures inſulæ ſunt Caſſiterides Græcis dictæ, à fertilitate plumbi.* Olim nemini perviæ, præterquam ſolis Phœnicibus. Strabo, *l.* 5. πρότερον μὲν οὖν Φοίνικες μόνοι τὴν ἐμπορίαν ἔστελλον ταύτην ἐκ τῶν Γαδείρων, κρύπτοντες ἅπασι τὸν πλοῦν. Plumbum ex illis inſulis Græcis primò allatum. Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Plumbum ex Caſſiteride inſula primus apportavit Midacritus.* Atque indidem ſtannum habuêre. *Herodot.* Οὔτε νήσους οἶδα Κασσιτερίδας ἐούσας ἐκ τῶν ὁ κασσίτερος ἡμῖν φοιτᾷ. Poteſt autem hoc nomen Phœniciæ originis eſſe, quia Chaldæi, & Arabes ſtannum appellant, vocabulis huic ſimillimis. Sic Numer. *c.* 31. *v.* 22. pro Ebræo בדיל Jonathan habet קסטירא *Kaſtira*, & Hieroſolymitanus Interpres קסיטרא *Kaſiara*, & Arabs קסדיר *Kaſdir*, Bochart. quem vide de *Phœn. Colon. l.* 1. *c.* 39. *Nic. Lloydius. Cluverio*, aliiſque ſunt Inſulæ, quæ Trileuco promontor. Gallæciæ objacent, quarum una ad Occaſum *Zizarga*, alia ad Ortum *Iſla de S. Cyprian*, in ora Boreali Gallæciæ & in Oceano Cantabrico. *Baudrand.*

CASSITIRA, Inſula in Oceano, Indiæ vicina. *Steph.*

CASSIVELAUNUS, Britannus, cui cùm Cæſar in Britanniam exercitum traduxiſſet, ſumma imperii belliqve adminiſtrandi communi Britannorum conſiliò permiſſa eſt. Cæſ. *l.* 5. *c.* 19. 20. Frater fuit Ludi Regis, eòque mortuò regni adminiſtrator fidus, Thomantio primogenito ejus Cornubiam, Andrugeo juniori Cantium dederat. Beda, Polydorus Virgil. *Hiſt. Angl.*

CASSIUM, vulgò *Caſe*, oppidul. Liguriæ, in agro Ticinenſi.

CASSIUS, civis Roman. cùm filius ejus Tribunus, Agrariâ lege latâ, Rempubl. turbaturus iviſſet, eum regni affectati accuſatum, ad virgas & mortem condemnari curavit: Templò dein Cereris ex prædâ extructò. Val. Max. *l.* 5. *c.* 8. *ex.* 2.

CASSIUS, Tribun. plebis, C. Mariò & L. Flaccò Conſulib. plures leges ad diminuendam nobilitatis potentiam tulit: in quibus ſanxit, ut quem populus Roman. damnâſſet, cuive imperium abrogâſſet, id ratum eſſet. Fuit & inter competitores Ciceronis in Conſulatu. *Aſcon. Pædian.*

CASSIUS, Dux Pompejanus cum decem navibus ardente bellò civili ad Cæſarem tranſiit.

CASSIUS, Præſul Narnienſis tempore Totilæ Regis Gothorum, cui occurrens animum ejus placavit, ne civitati noceret. Gregor. *l.* 3. *Dialog.*

CASSIUS, Poëta Parmenſis fuit, cujus ingenium in ſcribendo carmine mitè coërcitum, & promptum prædicat Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 10. *v.* 62.

> ---- *Hetruſci*
> *Quale fuit Caſſi rapidò ferventius amni*
> *Ingenium, capſis quem fama eſt eſſe, libriſque*
> *Ambuſtum propriis.* ----

Hic eſt, qui in partibus Caſſii & Bruti Tribun. militum fuit, quibus victis Athenas ſe contulit. Quintilius Varus ab Auguſto miſſus, ut eum interficeret, ſtudentem reperit, & peremptò eò ſcrinium cum libris tulit, unde multi crediderunt Thyeſten Caſſii Parmenſis fuiſſe. Scripſerat enim multas tragœdias, Acron in illud Horatii, *l.* 1. *Ep.* 4. *v.* 3.

> *Scribere quod Caſſi Parmenſis opuſcula vincat.*

CASSIUS Apronianus, Conſul. Collega Pætini, an. Urb. Cond. 871. Athenienſibus jura ex Draconis, & Solonis, reliquorumque libris conſcripſit. *Caſſiodorus.*

CAS-

CASSIUS Aſclepiodotus, magnitudine præcipuus inter Bithynos, quò obſequiò florentem Soranum celebraverat, labentem non deſeruit, exutuſque eſt omnibus fortunis, & in exilium actus. Tacit. *l.* 16 *Annal. c.* 33. à Xiphilino *Caſſius Aſclepiodotus Nicæus* pauló aliter dicitur.

Sp. CASSIUS Bellienus, alias Viſcellinus, regni affectati crimine damnatus, cui plus ſuſpicio concupitæ dominationis nocuit, quàm tres magnifici Conſulatus, ac duo ſpecioſiſſimi triumphi profuerunt. Nam S. P. Q. R. non contentus capitali cum ſupplició afficere, interempto domum ſuperjecit. In ſolo autem ædem Telluris fecit. Val. Max. *l.* 6 *c.* 3. *ex.* 1. Liv. *l.* 2. *c.* 41. Flor. *l.* 1. *c.* 26. Dionyſ. Halicarn. *l* 8.

CASSIUS Brutus, patriæ proditor, à patre inediâ conſumptus eſt, nam bellum adverſus Latinos Romanis erat. In eo Ducem P. Decium creant quidam Patrum. Cæterum inops hic adoleſcens Caſſius Brutus, dictâ mercede, portas aperire eùm deprehenſus eſſet, ad auxiliare Palladis templum confugit, cujus pater Caſſius ſignifer, occluſis foribus, necatum fama juvenem inſepultum ejecit. Plut. *in Parallelis.*

CASSIUS, prænomine *Cajus*, cùm Nerone tertiùm Valeriò Meſſallâ Conſulib. ſeditio Puteolis inter Senatum & plebem ad ſaxa & minas ignium progreſſa eſſet, adhibendo remedio delectus. Quia ejus ſeveritatem non tolerabant, precante ipsô, ad Scribonios fratres ea cura tranſlata eſt, datâ cohorte Prætoriâ, cujus terrore & paucorum ſuppliciò rediit oppidanis concordia. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 48. Eundem Nero officiò exſequiarum Poppææ prohibendò admonuit exitii, quod in eum haud in longum dilatum eſt. *l.* 16. *Annal. c.* 7. Nam ſtatim in inſulam Sardiniam deportatus eſt. Oderat verò eum Cæſar, quòd opibus vetuſtis & gravitate morum præcellebat. *Ibid.* Vide & *Cajus.*

CASSIUS Dio, Conſul, Collega Jun. Tiberiani an. ab Urb. Cond. 1042. Alius omnino eſt à Dione Caſſio Hiſtorico, de quo poſteà. Is enim conſulatum geſſit cum Alexand. Mammeæ filio an. Urb. Cond. 981.

C. CASSIUS, (*Longinum* vocat Dio, *l.* 40.) ex illuſtriſſima Romanorum familia, Quæſtor Craſſi in Syria, hôc cæsô, reliquiis exercitus collectis, ad Orontem fluv. Oſacem vicit. Dein Pompejum ſequutus, victus eſt à Cæſare, mox illi reconciliatus, unus fuit ex ejus percuſſoribus, unà cum M. Bruto apud Philippos à M. Antonio & C. Octavio victus, mortem ſibi conſcivit, vir omni laude dignus, & animô in Rempubl. planè ſingulari: hôc tamen minus felix, quòd, ſublatô tyrannô, tyrannidem tollere non potuit. Plut. *in Bruto.* Cæſare interfectô, quum poſtridie apud M. Antonium cœnaret, rogante illô, Num etiam ibi gladium aliquem in ſinu reconditum haberet? Et quidem permagnum, inquit, ſi & tu tyrannidem affectas. Sueton. *in Cæſare & Aug.* Plut. *in Bruto.* Liv. *l.* 116. Flor *l.* 3. *c.* 6. Vellejus, *l.* 2. Dion, *loc. cit.* *Appianus*, &c. Scientiarum amator fuit, Literatorum Fautor, Epicuri ſectator, vide Cicer. *l.* 15. *ep. fam.* & *Philippicâ* 2. Gaſſend. *in vita Epicuri.* Voſſ. *de Sectis Phil c.* 8. §. 25. Uxorem habuit Juniam Bruti ſororem, quæ utrique per annos 64. ſuperſtes vixit *Nic. Lloydius.* Præfectura ejus, quâ ſub Pompejo Syriacis navibus præfuit, in argenteis denariis acroterii ſignô indicatur, additô etiam nomine M. Servilii, ejus Legati, cùm in altera parte ſit M. SERVILI. LEG. Uterque autem in percuſſoribus Cæſaris fuit & in denariis M BRUTI IMP. alter LONGUS, alter CASCA notis cognominibus deſcribuntur. MSCR.

CASSIUS Hemina, Chirurgus apud Roman. cui ob peritiam jus Quiritium datum, & taberna in compito Acilio empta.

L. CASSIUS Heminis, quem *vetuſtiſſimum annalium auctorem* vocat Plin. *l.* 13. *c.* 13. Ubi Guilandinus, & Dalechampius, pro *vetuſtiſſimus* legunt *veriſſimum*; idque quia, ut ajunt, vix 70. annis antiquior fuit Pliniò: ut qui Auguſto ac Tiberio fuerit coævus, iiſque Hiſtoriam ſuam dicavit. Verùm errant. Vixit enim ludis ſecularibus quartis C Corneliô Lentulô, & L. Mummiô Achaicô Conſulib. an. Urb. Cond. 608. ut de eo teſtatur Cenſorinus, *c.* 17. Fecit *Annalium libros* 4. Eorum quartus inſcribebatur *Bellum Punicum poſterior*, ut Priſcianus auctor eſt, *l.* 7. Nempe ex veterum uſu, quibus exeuntia in (*or*) communia erant. Vide A. Gellium, *l.* 17. *c.* 21. Cenſorinum, *c.* 17. Plinium *paſſim.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 7.

CASSIUS Longinus, Juriſconſultus, quòd Caſſii Cæſaris percuſſoris nomen, & ſtemmata haberet, juſſus eſt à Nerone mori. Pronepos fuit Servii Sulpitii ac eques Romanus. Tranquillus, *Ner. c.* 37.

CASSIUS Longinus, prænomine Cajus, Juriſconſultus, in honore ſub Claudio fuit, Syriam adminiſtravit, pulſus à Nerone, per Veſpaſianum rediit & omne iſtud tempus vixit. Vide & *Cajus.*

CASSIUS Longinus, prænomine *Lucius*, Conſul, cum M. Vinicio Quartino an. Urb. Cond. 783. cui Tiberius Germanici filiam Druſillam collocavit. Poſteà ſub Cajo proconſul Aſiæ & monentibus ſortibus caveret Caſſium, à tyranno cæſus eſt. Sueton. *Calig. c* 57. Dio, *l.* 59. Vide & *Lucius* & *Quintus.*

CASSIUS Longinus, Philoſophus, omnium ſui temporis *κριτικώτατος, λογιμώτατος* & *φιλολογώτατος*, uti habet Porphyrius de *Vita* Plotini, quô Magiſtrô uſa eſſe Zenobia, Palmyrenorum Regina, ad Græcas literas, dicitur: occiſus juſſu Aureliani Imperatoris, Vopiſcus, in *Vita* Aureliani, *c.* 30. *Aurelianus, indignum exiſtimans mulierem* (Zenobiam videl. quam multum ſtrepitus ad pœnam poſcebat) *interimi. occiſis pleriſque, quibus auctoribus illa bellum moverat, paraverat, geſſerat, triumpho mulierem reſervavit* — Grave inter eos, *qui caſi ſunt, de Longino Philoſopho fuiſſe perhibetur* — *quem quidem Aurelianus idcirco dicitur occidiſſe, quòd ſuperbior illa epiſtola, ipſius diceretur dictata conſilio, quamvis Syrô eſſet ſermone contexta.* Meminit ejus & Euſebius, qui *l.* 15. *προπαρασκευῆς*, quædam ex illo deſcripſit: Libros enim multos ediderat, quorum plerôſque recenſet *Suidas.* Extatque etiamnum ejus *περὶ ὕψους* libellus verè aureolus: è quo ſemi-Chriſtianum fuiſſe, non malè forte aſſe colligas, propter illud, quod facit de Moſis ſcriptis, judicium. Eruditionem porrò, ſcripta, & conſtantiam illius, in ſubeundo ſupplicio, Zoſimus inſigniter laudat. Vide Caſaubon. *ad Vopiſc. loc. cit.*

CASSIUS Longus, Præfectus Caſtrorum, vinctô proditore ergo Cæcinâ. Dux cum Fabio Fabulo à Vitellianis militibus delectus. Tacit. *l.* 3 *Hiſt. c.* 14.

CASSIUS, prænomine *Lucius*, Collega C Marii, in primo illius conſulatu, an. Urb. Cond. 647. à Tigurinis Gallis, pagô Helvetiorum, qui à civitate receſſerant, in finibus Allobrogum cum exercitu cæſus eſt. Milites, qui eâ ex clade ſupererant, obſidibus datis & dimidiâ rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hoſtibus pacti ſunt: tempore quô Jugurtha pulſus eſt à Mario. *Lucius* quoque Piſo vir conſularis, legatus Caſſii Conſulis, interfectus eſt. Q. Publius, alter legatorum, deditus ſub jugum miſſus eſt. Ciacconius hoc factum adnotat annô urbis ſexcenteſimô quadrageſimô ſextô. Vide Liv. Epitomam, *l.* 65. Oroſium, *l.* 5. *c.* 15. Appianum, *in Celticis, &c.*

CASSIUS Papirius, Conſul Roman. cujus mentio in *Epiſt.* Marci quam M. Avidii Caſſii temporibus ſcripſit, de Clodio Albino, poſtmodum Imperatore, *c.* 10. *Laudanda eſt Albini conſtantia* — *Habemus igitur virum dignum Conſulatu, quem ſufficiam in locum Caſſii Papyrii, qui mihi exanimus prope jam nuntiatus eſt. Quod interim a te publicari nolo, ne aut ad ipſum Papyrium, aut ad ejus affectus perveniat: noſque videamur in locum viventis* COS. *ſubrogaſſe*, apud Jul. Capitolin. *in Clodio Albino, loc. cit.*

CASSIUS Poſthumus Labienus in Gallia regnavit ann. 7. ſub Gallieno majore Imperatore.

M. CASSIUS Scæva, miles Cæſaris fortiſſimus, de quo Cæſar, *Bell. Civil. l.* 3. *c.* 53. Val. Max. *l.* 3. *c.* 2. *ex.* 24. Appian. *ἐμφυλ.* 2. Lucanus, *l.* 6. *v* 145. Florus, *l.* 4. *c.* 2. & Sueton. *in Cæſare. c.* 68.

CASSIUS Severus, Orator, de quo Quintilianus ſic ſcribit, *l.* 10. *c.* 1. *Caſſius Severus, qui ſi cæteris virtutibus colorem, & gravitatem orationis adjeciſſet, ponendus inter præcipuos foret, nam & ingenii plurimum eſt in eo, & acerbitas mira, & urbanitas, & vis ſumma.* Hæc ille. Hujus Caſſii ſcripta ex Senatuſconſultô abolita ſunt. Sueton. *Calig c.* 16. Vide Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 1. *c* 21. & infrà

CASSIUS Severus, Parmenſis, Orator primus flexiſſe dicitur ab illa recta & vetere dicendi via. Hiſtoriam quoque ſcripſiſſe innuit Tertullianus Apologetico, & Suetonius, *Vitellio, c.* 2. Cæterùm ſordidæ originis, maleficæ vitæ, maledicæ linguæ: idcirco ejus ſcripta librique aboliti ab Auguſto & judicio jurati Senatus Cretam amotus. Ibidem eadem actitando recentia veteraque odia adverſus, ac ſub Tiberio bonis exutus, interdictô igni atque aquâ, ſaxô Seriphiô conſenuit, & 25. exilii ſui anno, ſummâ inopiâ mortuus; vix panno verenda contectus. Hieron. *in Chron.* Euſ. *An.* 4. *Olymp.* 200. Plin. *l.* 7. *c.* 12 *l.* 35. *c.* 12. Quintil. *l.* 10. *c.* 1. Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 16 Oroſ. *l.* 6. *c.* 19. Appian. *bell. civ. l.* 5. Plut Vellej. *l.* 2. *c.* 87 Adde Horat. *l.* 1. *Sat.* 10. *v.* 62. *l.* 1. *Ep.* 4. *v.* 3. Voſſ. *de Poet. Lat. c.* 1. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 21. An idem cum *Caſſio* Poëtâ?

CASSIUS Verus, vide *Cajus.*

CASSIUS Viſcellinus, prænomine Spurius, Conſul cum Opſtero Virginio Tricoſto an. Urb. Cond. 252. Vide etiam ſuprà, & voce *Spurius.*

M. Avidius CASSIUS, Præfectus exercitus Antonini Principis in Oriente, dum Imperator ipſe rem in Germania gerit contra Marcomannos, defecit ab eo, itaque relictô bellô Imperator cum exercitu eum petit, & ſuperat.

CASSIUS, Hiſpan. mons. *Sext. Avienus.*

CASSOBIA, vel CASSOVIA, Urbs Hungariæ ſuperioris caput, & Comitatus Abaujvarienſis præcipua, juxta Kunnertum fluv. capidum, probè munita, 4. milliar. ab Eperia in Auſtrum ſub Imperatore, cui à Stephano Boskai, A C. 1604. & Betleemo Gabore, A. C. 1619. erepta, ſed recepta eſt. Eſt tamen libera & ſui penè juris, 6. leuc à monte Carpatho. Vulgò *Caſchau.*

CASSOPA, urbs in Moloſſo. Vide *Steph.*

CASSUBIA, Ducatus Poloniæ, inter Pruſſiam & Pomeraniam, hodie regio Pomeraniæ ulterioris inter mare Balticum & Pruſſiam. Ducali titulô gaudet. Ibi urbes præcipuæ Chonitza, Colberga, Coſlinum, Lavenburg, Selochovia & Belgardia. Sub Electore Brandeburg. ab aliquot annis. Ab his populis, ut & Pruſſis, Pomeranis, ac Henetis erepta repetiit Zemovitus Polonus, A. C. 891. Cromer. *Hiſt. Pol. l.* 2. ſed bellum à patre inchoatum, deſeruit Leſcus, quietis & otii amantior, A. C. 9?0. Idem. A Boleſlao poſtmodùm, poſt res ſæpius turbatas, cum Pomeranis ſubacti, cæſis eorum XXVII. Millib. A. C. 1119. Idem, *l.* 5. atque ad Chriſtianam fidem perducti ſunt. Crantz. *l.* 3. *c.* 40 *&c.* Olim ſub propriis Principibus, qui *Caſſubiæ & Wandaliæ* titulis inſignes, terras ultra citraque Viſtulam *Pomerelliæ* nomine notas tenuêre. Ex à Miſtevino, familiæ ſuæ poſtremo, Barnimo II. Pomeran. Duci & ortâ fortè cum hoc diſcordiâ, Boleſlao Poloniæ Duci, donatæ; A. C. 1271. ab his ad Brandeburgicos tranſierunt: ex quibus eas primum Fridericus II. Marchio, Ludovico Bavaro Imperatori coævus, nactus eſt, belli ſimul pactique cum Pomeranis Poloniſque inito jure. Et quidem *Caſſubia* jam anguſtioribus limitibus terminata; Vandalia infimam Pomerelliæ ad Viſtulam regionem complectitur. Tob. Pfanner. *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus, c.* 5

CASSUTHA, hodie vel *Cuſcuta* dicitur, quam *Caſſytam* Veteres dixêre, inter eas herbas, quæ in terra ſedem ſuam non habent, ſed in aliena naſcuntur ac vivunt, in aliis nempe herbis aut arboribus, quibus ſuſtinentur, Plin. *l.* 16. *c. ult. Eſt & in Syria herba,*

qua

quæ vocatur Caſytas, *non tantùm roboribus*, *ſed etiam ſpinis circumvolvens ſe*, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin*. p. 971. & infrà *Calytas*.

CASTABALA, Ciliciæ campeſtris & Phœniciæ civitas, quæ & Peraſia dicebatur. *Steph.* Populi *Caſtabalenſes*, qui propter bella cohortes canum habuêre, teſte Plinio, *l.* 8. *c.* 40. In Caſtabalis autem Dianæ Peraſiæ templum extitit, quod ſacræ mulieres ingreſſuræ ſuper prunas nudis pedibus incedebant. Æneas Sylvius, *Aſiæ c.* 46. *Baudrando Caſtabala* eſt versùs oram littoralem ſinus Iſſici, inter Anazarbum & Adanam.

CASTALDUS Jacobus, Pedemontanus, emiſit *typum totius Orbis*, & *plurimas tabulas recentes*, *Europ. Aſiæ & Afric.* A. C. 1550.

CASTALIA, Acheloi filia.

CASTALIA, urbs Ciliciæ. *Steph.* alia circa Phocidem. *Herodot.*

CASTALIO Sebaſtianus, Allobrox, excellenti linguarum cognitione præditus, Baſileæ Græcè docuit, per ann. 18. Biblia Latinè interpretatus eſt, quod opus A. C. 1542. Genevæ aggreſſus, nonô pòſt annô abſolvit majori elegantiâ, quàm fide: in ſacris ſuis Dialogis Areſdorphii editis, non uſquequaque ſincerus, obiit Baſileæ A. C. 1563. ætat. 49. *Elegantiæ plus ſatis curioſus, protervè in re ſacra Dei verbum Ciceronianæ dictionis flore veſtire, inſolenti temeritate molitus eſt*, Morus *Exercit. de S. Scr.* Tranſlationem ejus *Ethnicam* appellans, Idem ibid. *Magnam procul dubio ab eruditis omnibus, & post gratiam iniiturus, niſi ſacroſanctam vetion divinarum Majeſtatem viſus eſſet, aliquot in locis, præ nimio Latinitatis & facundiæ ſtudio violâſſe*, Scævola Sammar. *El.* Ejus autem Biblia cum Annot. prodierunt Baſil. A. C. 1551. 1554. 1573. hæcque extant inter Criticos Sacros, per Corn. Bee. Scripſit quoque *in Cap.* 9. *ad Rom. Annot.* in octav. quæ Jenæ edita, A. C. 1613. Prima Arminianiſmi ſemina in Dialogis ſuis, de quibus ſuprà, ſparſiſſe videtur. Epitaphio Baſil. inſigni à Staniſlao Starzechovio, Joh. Oſtrorogio & Georgio Niemſta, Nobilibus Polonis honoratus eſt, quod vide apud Urſtiſ. *Epitom. Hiſt. Baſil.*

CASTALIUS Fons, *Caballinus*, & *Libethrus* dicitur. Eſt in radicibus Parnaſſi, Muſis ſacer. Virgilius *Caſtaliam* vocat *Georg.* l. 3. v. 293.

----- Juvat ire jugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli divertitur orbita clivo.

De nominis origine ſic Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 16. Arabicè, inquit קסטלא *Caſtala*, eſt *ſtrepitus* vel *ſonitus murmur*. Sunt qui *fragorem* reddunt. Talis fons Caſtalius Virgil. *in culice*.

Caſtaliæque ſonans liquido pede labitur unda.

Quin Caſtalii fontis murmure putabatur aliquid habere fatidicum. Unde eſt, quòd apud Nonnum *Dionyſ. l.* 4. Cadmò Apollinis oraculum conſulente,

----- Ὀμφήεντι ῥεέθρῳ
Κασταλίης παφλαζε μανιωδες ἔνθεον ὕδωρ.

Et in Luciani *Jove Tragœdo*, Apollo ad vaticinia deeſſe ſibi queritur, πηγὴν μαντικὴν, οἵα ἡ Κασταλία ἐστί. Et Clemens *in Protreptico*, Σεσίγηται γοῦν ἡ Κασταλίας πηγὴ, καὶ Κολοφῶνος ἄλλη πηγὴ, καὶ τὰ ἄλλα ὁμοίως τέθνηκε νάματα μαντικά. Quô palam alludens Gregor. Naziant. Orat. 4. Πάλιν, inquit, ἡ Κασταλία σεσίγηται καὶ σιγᾷ, καὶ ὕδωρ ἐστὶν οὐ μαντευόμενον, ἀλλὰ γελώμενον. Quale eſt, quod idem ſcribit *Orat.* 39. Κασταλίας μαντικὸν νᾶμα, divinum Caſtaliæ laticem ſolum ſilentium ſuum vaticinari non potuiſſe: Quod quidem *Scholiaſtæ* referunt, ad Syriæ Caſtaliam, prope Daphnem Antiochiæ: Sed ad hanc noſtram Conſtantin. Porphyrogen. Themate *Nicopolis*. Nempe eâdem virtute pollere fons uterque creditus eſt. Sozom. *l.* 5. *c.* 19. ubi de Daphne Antiochiæ: Ἐπιστεύετο δὲ παρὰ τοῖς τάδε σπουδάζουσι, ῥεῖν αὐτόθι καὶ ὕδωρ μαντικὸν ἀπὸ Κασταλίας τῆς πηγῆς, ὁμοίως τῇ ἐν Δελφοῖς ἐνεργείᾳ τε καὶ προσηγορίας λαχούσης. Ita etiam Niceph. Calliſtus *l.* 10. *c.* 28. Proinde in Syrâ illa Caſtalia ex aquarum motu & ſtrepitu ὀδμουμένους futura prædixiſſe conſtans fama eſt. Hinc Apollinem refert *Suidas*, in Antiochiæ Κασταλίᾳ ſolitum χρησμολογεῖν, αὔρας καὶ πνοῦς ἐκ τοῦ ὕδατος ἀναδιδόμενος, *Oracula edere*, *auras*, *& flatus ex aquâ expirante*. Ex ea porro aquarum agitatione fragor, & murmur conſequebatur: quod & alii disertè ſcribunt. Græcus Schol. *in Gregorium*, *ubi ſuprà*: Κασταλία, πηγὴ περὶ τὴν Ἀντιόχειαν, ἐν ᾗ καὶ ὁ Ἀπόλλων ἐθεοφόρει, *Caſtalia fons circa Antiochiam cui Apollo præſidet*. Pergit, Μαντεία ἄν τις ἐξεφέρετο κατὰ τὴν τοιαύτην πηγὴν, ὁ τοῦ νάματος, οὐ καὶ φωνῆς, ἀλλ᾽ ἁπλῶς ἦχον τινὸς καὶ πνεύματος ἀναδιδόμενον (lege ἀναδιδομένου) *Proinde Divinatio quædam ad fontem illum edebatur ex defluxu*, *non per vocem*, *ſed ſolùm ſonô quodam & flatu editô*. Vides Lector, huic aquæ ſonum, ſtridorem, & ſtrepitum tribui, i. e. קסטלא *Caſtala*; unde *Caſtalia* dicta eſt, non à *Caſtalio*, de quo Pauſan. *in Phocicis*, nec ab Acheloi filia *Caſtalia*, de qua ibidem Pauſaſis, & Conſtant. Porphyrog. in *Nicopoli*, nec à *Caſtalia* nympha, quæ metu inſequentis Apollinis eò ſe præcipitem dejecerit, ut à Lutatio traditum. Bochart. *loc. cit. Nic. Lloydius*. Addo quod ex eôdem fonte futuri Imperii omen hauſiſſe Hadrianus legitur apud Ammi. Marcellin *l.* 22. *Hæc dum ita procedunt more pacis*, *militarium curioſior Julianus novam conſilii viam ingreſſus eſt*, *venas fatidicas Caſtalii recludere cogitans fontis: quem obſtruxiſſe Cæſar dicitur Hadrianus*, *mole ſaxorum ingenti: veritus ne*, *ut ipſe præmonentibus aquis capeſſendam Rempubl. comperit*, *etiam alii ſimilia docerentur: ac ſtatim circùm humata corpora ſtatuit exinde transferri*, *eô ritu*, *quô Athenienſes inſulam purgaverant Delon.* Eadem habet Sozom. *l.* 5. *c.* 19. ubi addit, Adrianum φύλλον δάφνης ἐμβαφέντα τῇ πηγῇ ἀνελόμενον τὴν περὶ ἡγεμονίας γνῶσιν ἐγγεγραμμένην ἐπὶ τοῦ φύλλου εὑρεῖν, *cum intinxiſſet in fontem lauri folium*, *eo iterum extractô futurorum notitiam illi inſcriptam vidiſſe*. Factum id autem in *Caſtalio* Syriæ fonte, Antiochiæ cujus idem mentionem facit, non verò in illo Græciæ propè Delphos. Quamvia in Græcorum *Hiſtoriis* & *Martyrologiis* legatur, miſſum aliquando ad Delphicum Apollinem Oribaſium à Juliano, cui hæc ſors edita:

Εἴπατε τῷ βασιλῆϊ, χαμαὶ πέσε δαίδαλος αὐλά,
Οὐκέτι Φοῖβος ἔχει καλύβαν, οὐ μάντιδα δάφνην,
Οὐ παγὰν λαλέουσαν· ἀπέσβετο καὶ λάλον ὕδωρ.
Dicite Imperatori: humi prolapſa eſt variegata aula,
Non ampliùs Phœbus habitat talybam, *non vaticinatricem tenet laurum*,
Non fontem loquacem: extincta eſt etiam garrula aqua.

Caſaubon. *ad Spartian. in Hadriano*, *c.* 2. Dictus eſt autem fons hic Syriæ *Caſtalius*, cùm aliàs *Daphnodes* cognomen eſſet, ad imitationem decantatiſſimi illius in Phocide, Græciæ regionis fontis, quemadmodum & mons Antiochiæ imminens, *Parnaſſus* appellatus eſt. Vide infrà in voce *Daphne*: Plura verò de hoc Phocidis fonte, apud Sponium αὐτόπτην, *Itiner. Græc. Part.* 2. *p.* 63.

CASTALO, maxima civitas Oretaniæ, gentile *Caſtalonites*. *Steph.*

CASTANEA, urbs circa Peneum fluv. *Strabo*. Et Magneſiæ Plin. *l.* 4. *c.* 9. *Eudoxus* per θ ſcribit. Gentile *Caſtaneus*. *Steph.* Ab hac urbe, (niſi à priori malis) nuces, quæ *Caſtanea* dicimus; quas Nicandri *Scholiaſtes* duplicis generis facit, Καστάνων, inquit τὸ μὲν λεπτόν, τὸ δὲ μαλακόν. Ita Virgil. diſtinguit, *Eclog.* 7. *v.* 53.

Stant & juniperi, *ſtant Caſtanea hirſuta.*

Et *Eclog.* 1. *v.* 82.

Caſtaneæ molles, *& preſſi copia lactis.*

Vide mox dicenda.

CASTANEA, vulgò *Chaſteigneres*, nomen Familiæ in Gallia illuſtris, de qua Andr. Ducheſnius integrum edidit commentarium. Seculô XII. in tres ramos diviſa eſt, per tres Fratres, Theobaldum, Johannem & Wilhelmum, filios Theobaldi: Dominos *de la Chaſteigneraye* (quorum hæreditatem tandem ſeculô XIV. Maria Theobaldi VI. filia marito Savarico *de Rivaune* attulit) *de la Meilleraye* & *Reaumur* ac demum *du Breuil de Challans*. In qua ultima linea, una Dominorum *de Bergon* ſuperiori ſeculô deſiit; alia Dominorum *du Breuil* hæreditate in familiam Bellimontiam (*Beaumont*) inſerta eſt: ſolâ Dominorum *de la Lardere* & *de la Groliere* ſuperſtite. Medium quod concernit ramum, is denuo in tres palmites excrevit: quorum tertius Dominorum *de Reaumur* proximô ſeculô exaruit, nec non alter Dominorum *de Avaux*. Præcipuus verò fuit Dominorum *de S. George de Rexe*, è quibus deſcendunt Domini *du Verger*, *de Audonville*, *de la Gabillere*, *des Touſches*: Primogeniti autem ſunt Domini *de la Rochepozay*, atque *de Abain*, poſt hos Comites *de Chiniſe*. Et quidem Caſtaneos Rupipozeos quod attinet, Petrus, extinctus A. C. 1474. ex Johanna *de Varze* pater fuit Guidonis, qui mortuus A. C. 1506. reliquit ex Magdalena Puteana Johannem III. quem mortuum A. C. 1567. ex Claudia *de Monleon* Dn. *de Touffu* & *Talmond*, excepit filius Ludovicus Dn. *de Abain* B. *de Malval* & *Preuilly*, qui obiit A. C. 1595. Eô, & Claudiâ Puteanâ, genitus Johannes IV frater Henrici Ludovici *Caſtanei*, doctiſſimi Pictavorum Epiſcopi, pater fuit Carolè Dn. *de Rochepoſay* & *Abain* nati A. C. 1628. Ludovici, Abbatis Bellipoitvenſis, Johannis & Annæ; ex Diana *de Fonſeque*, cujus proavus Rodericus Fonſeca ex Comitibus de Monte Regio *Monterey* in Hiſpania oriundus fuit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Tom.* 2. *p.* 33.

CASTANEA, una ex quatuor ſpeciebus nucum ſylveſtrium, quarum nomina apud Græcos, τὸ κάρυον, *nux juglans*, τὸ λεπτοκάρυον, *minuta nux*, τὸ ἀμύγδαλον, *amygdalum*, καὶ τὸ Κάστανον, *Caſtanea*. Quibus Auſonius pineam nucem adjungit, *Technopægn. de Cibis*, *v.* 10.

Et duplici defenſa putamine quinque genus nux.

Alii tamen, qui quatuor genera nucum tantùm faciunt, quarum *nucleus* propriè dicitur, quod intus eſt, *caſtaneas* ab hoc cenſu excludunt, & glandibus, ταῖς βαλάνοις, adſcribere malunt. Apicius, *de nucleis* hoc: *nuces majores*, *nucleos pineos*, *amygdala avellanas*. Διὸς certè βάλανον caſtaneam, vocat Theophraſtus, *Hiſtor. Animal. l.* 3. *c.* 6. Interim πλατεῖα κάρυα Græcia propriè *Caſtanea*, ut videre eſt apud Xenophontem, Ἀναβάσ. *l.* 5. ubi de Moſſynæcis, & Dioclem laudatum Athenæo, *l.* 2. ſitu enim ac facie planæ ſunt, non prorſus rotundæ; nempe communes. At Sardianæ, quæ optimæ, figurâ rotundiore fuiſſe videntur: Hinc duas ſpecies caſtanearum apud Græcos, recenſet Philotimus apud eundem, τὸ πλατύ, καὶ τὸ καλούμενον Σαρδιανόν, quorum hoc poſterius *εὐπεριλεπτότερον* appellat, ob rationem jam dicendam, de Tarentinis, ex Plinio *l.* 15. *c.* 23. *Tarentina faciles*, *nec operoſa cibo*, *planæ figuræ. Rotundior*, *quæ balanitis vocatur*, *purgabilis maximè & ſponte proſiliens pura. Plana eſt & Salariana*, *Tarentina minus tractabilis*. Ubi maximè *purgabilem* vocat balaniten, h. e. facillimè purgari & echino ſuô exui. *Echini* enim propriè calices ſeu operimenta caſtanearum dicuntur, ut quæ revera ἐχινώδη ſeu ἐχίνῳ ὅμοια, *echino ſimilia* ſunt. Hinc *virides echini* Calpurnio. Et Servius ad illud, *Eclog.* 7. *v.* 53.

----- Caſtanea hirſuta.

adhuc, inquit, *intra ſuos echinos locata*, & aculeis undique rigentes. Sed & iulos caſtaneæ habent, vel βρύα ἰουλώδη, qui non tam ἀνθώδεις vel ἄνθη *flores*, quàm ἀνθώδεις ſunt; præter eos enim, tum in juglandibus, tum in caſtaneis, ſuus flos oſtenditur, ea parte quâ fructus erumpit, in ipſius fructus apice. Porrò *Eubœica* quoque nuces, Εὐβοϊκὰ κάρυα, & ſimpliciter Εὐβοϊκά, caſtaneæ eidem Theophraſto dicuntur, *Hiſtor. l.* 1. *c.* 18. τὰ μὲν δερματώδη ὁ βάλανος καὶ τὸ Εὐβοϊκόν

Corio teguntur glandes & Euboicæ nuces. Et *l.* 4. *c.* 7. ubi in Eubœa & circa Magneſiam magnâ copiâ reperiri ait. Sic *Heſychius.* Εὐβοῖκαι, τὰ κάρυα: & *Nicander.*

——— λόπισμα κάρυου τε
Εὐβοΐδος, βαλανόν τε μετεξέτεροι καλέουσι, &c.

Quod verò ſuprà dictum, quoſdam Διὸς βαλάνους, *Jovis glandes*, de caſtaneis interpretari, maximè de ſativis intelligendum, quæ vulgò *marrons* Gallis dicuntur, cùm reliquas ſimpliciter *chaſtaignes* vocent. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. paſſim, imprimis p.* 60. *& ſeqq.* Hodie Pekinga in Imperio Sinenſi *caſtaneas* fert laudatiſſimas & maximas: ſed urbs *Xunking*, in *Suchuen* eas, quæ aliquantulò tempore ore conteruntur, ſuâ ſponte, ſaccbari inſtar, liqueſcunt. Auctor *Sina & Europa, c.* 36. A *caſtanea*, Latinis inferioris ævi *Caſtaneum*, Gallis *Chaſtaigné*, color dicitur, vel idem vel ei affinis, quem φοίνικα & σπάδικα Græci, Latini *badium*, in equis, dixêre. Obtinet præcipuè in capillis, qui ruſi ſunt coloris, non nimiùm preſſi, nec nimiùm ſaturi, &c. Idem Salmaſ. *ibid. p.* 1330. Vide quoque infrà *Phœnix.*

CASTANEUS Ludovicus, vide *Ludovicus.*

CASTANIA, ſeu CASTELLANATA, Urbs Lucaniæ, in Salentinorum confinio. *Steph.*

CASTANOVITIUM, arx Croatiæ, in ditione Turcarum ad Unnam fluv. 3. leuc. à Siſcia, 4. à Petrina, versùs confinia Croatiæ Auſtriacæ.

CASTAON, vulgò *Cazorla* teſte *Moret.* cum *Gomeſio*, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ inter Ubedam urbem & Seguram oppid. ad ortum 6. leuc. Sed Henr. Coquo, & Car. Cluſio eſt *Villa Nueva d'Alcarez*, oppid. amplum Hiſpaniæ Tarraconenſ. haud procul à monte, ex quo Bætis fluv. profluit, ubi olim plumbum proveniebat, cui argenti pars immixta fuit, non adeò ut ejus utilis ſit expurgatio. Baudrando eſt ad Bætum fluv. in Diœceſi & regno Toletano, ſed in confinio Vandalitiæ, ubi aliàs Oretani populi. Aliàs *Caſtulo*, quod vide.

CASTAX, urbs Iberiæ. Gentile *Caſtacæus. Steph.*

CASTELLA, regnum Hiſpaniæ ampliſſimum, diviſum in *Veterem* Caſtellam, quæ versùs Septentrionem, cujus caput Burgi Archiepiſcopal. & *Novam*, versus Meridiem, ſeu regnum Toletanum, cujus primar. aliàs Toletum, nunc Madritum. Habet Caſtella à Septentrione Aſturias & Biſcajam; ab Ortu regna Navarræ, Aragoniæ, Valentiæ, Murciæ; à Meridie Andaluziam; ab Occaſu Eſtremaduram & regnum Legionis. Primò Comites habuit, quibus Alhaca Saracenorum Rex non pauca ademit, A. C. 961. uſque ad Garciam, cui Nunna ſoror ſucceſſit, uxor Sanctii Navarræ Regis, à quo Regnum eſſe juſſa eſt: quod Ferdinandus II. Rex Legion. ſuo junxit, A. C. 1217. Cùm Arragoniæ regno unita Caſtella eſt, A. C. 1474. ſub Ferdinando & Iſabella. Hodie ſub Regibus Hiſpaniciis ea Familia Auſtriaca. Merula *Coſmogr.* Ortelius, *Atlas M.* Boterus *Relat. Hiſt. Mariana, &c.* In hujus collimitio Ordonius, trucidatis LXX. Millib. Saracenorum, Almanzorem in fugam conjecit, A. C. 916. *Mariana, Vaſæus*, &c.

Urbes Caſtellæ veteris:

Albula, *Avila.*	Burgi, *Burgos.*
Calaguris, *Calahorra.*	Oxoma, *Oſma & Burgo d'Oſma.*
Calciata, *la Calzada*, ſeu *S. Domingo de la Calzada.*	Segovia.
	Valliſoletum, *Valladolid.*

Nova.

Calatrava.	Conca, *Cuenca.*
Civitas Regia, *Ciudad Real.*	Madritum.
Complutum, *Alcala de Henares.*	Seguntia, *Siguenza.*
	Toletum, *Toledo.*

CASTELLA, Illuſtriſſimæ Familiæ nomen, quæ ex Ducibus Franconiæ ſive Franciæ Orientalis, in Germania, deduci amat: primuſque in ea Marquardus, hinc Rodulphi Comitis Rotenburgenſis, illinc Hetani ultimi Franconiæ Ducis ex filia Irmuia nepos, Comitis *de Caſtel* nomen aſſumſiſſe, atque A. C. 828. fatis conceſſiſſe legitur. Inde non interruptâ ſerie illi Comites ac Domini ſtirpem ſuam dignis conjugiis propagârunt: ramis quidem aliquoties diviſis, ſed diviſione nunquam in plures gradus protenſâ. Nunc in duabus lineis conſiſtit tota gens, *Remlingenſi & Rudenhauſia*, quas Wolfgangus & Godofridus, Georgii, ſub finem ſuperioris ſeculi defuncti, filii, cœperunt. Et quidem priores quod attinet, Georgiô & Sophiâ Limburgiâ natus Wolfgangus, extinctus A. C. 1631. ex Juliana Hohenloica, ſuſcepit Wolfgangum Georgium; ex Sophia Juliana Hohenloica, patrem Georgii Ludovici (nati A. C. 1638. denati 1639.) Julianæ Dorotheæ (natæ 1640. uxoris Henr. Friderici Comitis Hohenloici) Wolfgangi Theodorici (nati 1645) Friderici Magni (nati 1646.) Eberhardi Friderici (nati A. C. 1652.) aliorumque. Vide præfatum Speneium *Tom.* 2. *p.* 109. Godofridus verò prædictus, pater fuit, ex Anna Limpurgia, Georgii Friderici, extincti A. C. 1633. quô, & Annâ Luiſâ Limpurgiâ, genti, Philippus Godofredus (A. C. 1641. cui uxor obtigit Anna Sibylla Florentina Comes Sylvarum & Rheni) Ludovicus (A. C. 1645.) Henr. Albertus (A. C. 1643.) Eberhardus (A. C. 1650.) Joh. Fridericus (natus A. C. 1655. eôdemque denatus) præter aliquos filias, omnes Comites *de Caſtel in Rudenhauſen.* Vide Eundem *Theatr. Nobil. Europ. Tomô* 3.

CASTELLA Aurea, pars Americæ Meridionalis inter Iſthmum Panamæ, Peruviam & Venezuelam, à Caſtellanis detecta & dicta. Solis aurifodinis celebris, Herrera, *c.* 15. Linſchot. *Amer. c.* 7. Nunc *Terra firma* dicitur, quod vide. Sub Hiſpanis.

CASTELLAMENTUM, apud Arnob. *l.* 2. *Ut ſphærulas & botulos facerent, iſicia*, Caſtellamenta, *Lucanicas, ſumſinatum cumulum* *carum & glaciali conditione taceta*; idem quod κυαμεῖς, apud Clem. Alex. *Protreptico*: farciminis ſcil. genus Joanni à Wower *Not. ad Minucium Fel.* ubi non dulciaria tantum, ſed & farcimina diverſis figuris à Veteribus confici ſolita docet. Certè & puerilem quatuor nucum ſtructionem, quam Galli *chaſtellet* vocant, ex Latino *caſtellare*, πυραμοειδῆ appellat Philo *de Mundi Creat.* Vide paulo infrà.

CASTELLANA, civitas Epiſcopalis Umbriæ, *Tiphernum* Ptolemæo dicta. Item, oppid. Galliæ in Provincia, ad Verdonam amnem, intra montes. 5. leuc. à Saunio in Auſtrum.

CASTELLANETA, urbs regni Neapolitani cum titulo Principatus ad fluv. Talvum, in provinc. Hydruntina Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Tarentino. 9. milliar. ab ora ſinus Tarentini.

CASTELLANI, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi in Catalaunia, quorum tractus Ducatus eſt Cardonæ, teſte *Varrerio* cùm *Villanovano.* Eſt autem Cardona oppid. inter Salſonam 5. & Minoriſſam orbem 3. leuc. ab Ilerda 10. Boream verſus, ubi mons eſt copiâ ſalis colorum varietate reſperſi celebris: *Baudrando* fuêre inter Auſetanos & Cerretanos, versùs Beſſulam & Bergam, oppida Cataloniæ, ad radices Pyrenæorum, & prope Cardonam etiam procedebantur.

CASTELLANUS, à caſtello, Præfectus caſtri, domini vices ibidem agens, ut in villa Villicus. Conſtituti enim olim à Ducibus & Comitibus ampliſſima poſſidentibus territoria, in loco aliquo munito, non ſolùm militares Præſides, ad propulſandos hoſtes, ſed & civiles Judices ad dirimendas populo lites. Facti dein potentes, & in patrium munus ſuccedentibus ſæpe filiis, à dominis tandem impetrârunt, ut præſtitis antiquis ſervitiis & tributis, munus ſibi in feudum retinerent. Juriſdictionis etiam ſuæ cancellos paulatim tranſeuntes, virgam inferioris juſtitiæ, quâ primùm fungebantur, in gladium ſuperioris tandem commutârunt: dignitatis ſibi faſtigium, Baronum minus, ſed nomine potius, quam amplitudine, conficientes. Sic Gallis non, & Polonis, eò magis, quòd Baronum claſſem non agnoſcant: Anglis autem, ne muneris appellatione: quos enim Galli *Caſtelains*, illi *Conſtables of the caſtle* appellant: ſed apud eos rari & inhonori. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

CASTELLANUS, Baſſiano oriundus, Poëta, an magis Hiſtoricus, Bernardin. Scardeonius, *Hiſt. Pat.* Pacem Friderici I. & Alexandri III. verſu proſecutus eſt. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *p.* 798. Leand. *deſcr. Italiæ, p.* 480.

CASTELLANUS, ſub Franciſco I. eruditione clarus. Quærenti Regi, an nobilis eſſet, cùm reſpondiſſet, neſcire ſe, ex quonam filiorum Noahi oriundus ſis, ita Regem oblectavit, ut hinc Epiſcopus Matiſconenſis &c. Magnus tandem Eleemoſynarius Galliæ evaſerit. Moret. *in Diction Hiſt.* Animam Franciſci, cùm in funebri Oratione, *ſimul atque ex corpore exceſſit, cœlo receptam eſſe, dixiſſet*, periclitatus eſt, ſed à Job. Mendoza egregiè defenſus. Vide Thuan. *l.* 3. *Hiſt.*

CASTELLANUS, Philoſophus Gallus inſignis, tempore Franciſci I. Peripateticus, imprimis Bigotio, qui immortalem famæ ſuæ præconem nactus eſt Jul. Cæſarem Scaligerum *Exerc.* 307. *ſect.* 13. infenſus: ſuadentibus quibuſdam Regi, ut & Bigotium audiret, commotior: *Quid*, inquit, *hominem laudatis, qui Ariſtotelicus ſit? Et ut ſciat, Rex, qui illi homines ſint, Ariſtocratiam meliorem eſſe Monarchiâ affirmant.* Quô pactô effecit, ut Rex, omiſſô Bigotiô, inpoſterum Caſtellanum, quem jam antea diſputantem ſæpius audiverat, unicè ſequeretur. Melanchthon *Reſp. ad Colonienſes.*

CASTELLANUS Albertus, vide *Albertus.*

CASTELLANUS Julius, vide *Julius.*

CASTELLANUS Petrus, vide *Petrus.*

CASTELLARIUS, apud Romanos, dictus eſt caſtellorum cuſtos. Hic aquam per canales in urbem derivatam, & *caſtellis* primum, (ita enim loca aquæ illi primùm excipiendæ deſtinata vocabantur) exceptam, certâ menſurâ in diverſa loca urbis diſtribuebat, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 14.

CASTELLATARUM Nucum ludus, Vide infrà *Nuces.*

CASTELLATIUM, oppid. Pedemontanæ ditionis, ad Burmiæ Tanarique confluentes ſitum, antiquis *Camiundum* appellatum.

CASTELLETUM, vulgò *le Catelet*, oppidulum Galliæ probè munitum, in Picardia regione & in confinio Hannoniæ & Cameracenſis tractus, ad fontes Scaldis fluv. 3. leucis diſtat à Perona; eſtque medium inter Cameracum & Fanum S. Quintini.

CASTELLETUM, locus juxta Tiberiadem, ſecus mare Galilææ, ubi quondam Chriſtianorum copiæ coactæ ſunt.

CASTELLIO Sebaſtianus, vide *ibi.*

CASTELLIO, vulgò *Caſtillon*, oppidulum Galliæ, in Petragoricenſi provincia, ad fluvium Duranium, ubi Angli victi, & grandi clade affecti à Gallis A. C. 1451. ſub Carolo VII. Rege. Diſtat 3. leucis à Liburnia in ortum, & totidem à Fano S. Fidei in occaſum.

CASTELLIO ad Lupiam, vulgò *Chaſtillon ſur Loing*, oppid. lepidum Galliæ, in Vaſtinio ſitum, cum caſtro in colle, ad Lupiam amnem, & anteà Ducatus titulô inſignitum. 4. leucis ſupra Montargium in meridiem diſtat, & 6. à Ligeri fluvio.

CASTELLIO ad Matronam, vulgò *Chaſtillon ſur Marne*, urbecula Franciæ, in Campania ſuperiori, ad Matronam fluvium ſita, vix 3. leucis ab Epernaco in occaſum, & 7. a Remis in auſtrum. Hinc illuſtris Familiæ nomen, quam Andr. Ducheſnius inſigni opere repræſentavit. Deducens illa ab Eude, Hervei Archiepiſcopi Rhemenſis fratre, principiô ſeculi X. & pluribus ramis viguit. Nam ex ea primùm Vicedomini Rhemenſes & Catalaunenſes, Domini *de Baſoches, Villeſſavoie Tocy, Baſerne, Chaſteau porcean, Pacy & Nantueil, Nanteuil la Foſſe, Autreſche*: dein cùm Gaucherio III. Dn. *de Chaſtillon*, ab uxore Eliſabetha Comitatus *de S. Paul* ac alia obtigiſſent, Comites *de S. Paul*, ac aliis hæreditatibus *de Blois, de Soiſſons, de Dunois, & de Porcean, Domini de Leuſe Condé*,

Ente

Encre, *Blou*, *Dampierre*, *Roſoy*, *Clacy*, *la Fere*, deſcenderunt. Ducalem titulum Carolus Bleſenſis, ductâ herede Ducatûs Britanniæ intulit, ſed non eô quietè gavisus eſt, adverſantibus Monfortiis: unde poſtea titulô Comitum Penthevriæ ac Petricorii, Baronum *de Avangour* & *de l'Aigle*, contenti eſſe debuêre. E Sanpaulenſium & Porcéanorum ramo novos palmites dedit Johannes Dn. *de Chaſtillon & Gandelus*, Magnus Coquus Franciæ, à cujus minoribus filiis derivantur Domini *de Ours Douy*, *Pomurail*, à primogenito Gauchero, præter Dominos *de Marigny*, *Ciſſy* & *de Trouſſy*, primaria linea (ſed veteri domus potentiæ minimè par) Dominorum *d'Argenton*, *Bouville*, *Farcheville*, *Bourogues*, *la Greve*, &c. orta eſt: è quibus Ægidio Baroni *d'Argenton*, (filio Claudii, nepoti Claudii, pronepoti Johannis Car. *de la Greve Bouville*, abnepoti Caroli de Chaſtillon Dn. de Bouville & Farcheville qui obiit A. C. 1480. nati ſunt ex Maria *de Vivonne* Andreas Dn. *de Farcheville* (A. C. 1605.) & Franciſcus Dn *de Bourogues* (natus A. C. 1606.) vide Spenerum, *Theatr. Nobilit Tom* 2. *p.* 40.

CASTELLIO ad Sequanam, vulgò *Caſtillon ſur Seine*, urbs Galliæ ſatis culta, in Ducatu Burgundiæ, ad Sequanam fluvium, 16. leucis à Divione in Boream, & 13. à Lingonibus in occaſum. Patria fuit Gulielmi Philandri, qui Vitruvii Pollionis de Architectura *libros* 10. adnotationibus doctis & laborioſis illuſtravit. Dicitur autem *Caſtellio*, à caſtello, quaſi parvum Caſtellum. Hadr. Valeſ. *Notit Gall.*

CASTELLIONÆUS Scævola, vide *Scævola*.

CASTELLIONENSIS Lacus, vulgò *Lago di Caſtiglione*, lacus eſt Hetruriæ, in agro Senenſi, ſic dictus ab oppidulo ei adjacente, *Caſtiglione di Piſcaria*, inter Groſſetum & ditionem Plumbinenſem. Paulò poſt in mare Mediterraneum ſe exonerat, ſub dominio Magni Ducis Hetruriæ.

CASTELLODUNUM, vulgò *Chaſteaudun*, urbs Galliæ lepida & culta, ad Ledum fluvium, octo leucis ſupra Vindocinum. Sita eſt in Belſia provincia, in eo tractu, qui ab ea *le Dunois* dicitur, in dominio Ducis Longovillæ. Diſtat à Rothomago 58 leucis in auſtrum, & totidem a Lutetia in occaſum.

CASTELLONOVANUS Petrus, vide *Petrus*.

CASTELLUM, vide *Caſtrum*.

CASTELLUM, Locus inter Faventiam & Florentiam, *Antonin.* in Mauritania Cæſarienſi.

CASTELLUM Abbatis, oppidum novi nominis in Lucania.

CASTELLUM in Andibus, hodie *Chaſteaux*, locus Andicavinæ diœceſeos, non procul à fluvio Liderico, in Andium Turonumque confinio.

CASTELLUM Aquarum, quod & Aquæ, & Thermæ ſuperiores, *Baden*, & *Ober baden*, urbs Helvetiorum inter Tigurum 2. & Baſileam 6. leuc. ubi comitia haberi ſolent Helvetiorum generalia. Vide *Badena*.

CASTELLUM Arriorum, ſeu *Caſtelarium* Arriacium, vulgò *Caſtelnaudary*, oppid. Galliæ, in Occitania, celebre pugnâ ibi commiſſâ A. C. 1632. Sedet in colle, 5. leucis à Carcaſſona, & 8. à Tholoſa.

CASTELLUM Carnones, caſtrum Burgundiæ liberæ Sequanorum, vetuſtiſſimâ Monialium Abbatiâ inſigne, vulgò *Chaſtel Chalon*; inter Montemacutum & Polemniacum Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CASTELLUM Cattorum, vulgò *Caſſel*, urbs Haſſiæ primaria. Vide *Caſſella* & *Surremium*.

CASTELLUM Delphinum, oppidum Pedemontii.

CASTELLUM Durantium, vulgò *Caſtel Durante*, oppidum aliàs Italiæ, in Ducatu Urbini, ad Metaurum amnem, ubi amœnæ deliciæ Ducum, & palatium ſuperbum. Sed ab Urbano VIII. Barberino Romano Pontifice facta fuit civitas A. C. 1632. & dicta Urbanea, *Urbanea*, cujus Epiſcopatus unitus eſt cum Diœceſi S. Angeli Vadani. Vide *Urbanea*.

CASTELLUM Francum, oppidum agri Tarviſini.

CASTELLUM Goſcelini, vulgo *Joſcelin*, caſtrum Galliæ, in diœceſi Aletenſi ſeu Maclovienſi, cellâ ſeu Prioratu S. Nicolai illuſtre & Prioratibus S Martini ac S. Crucis. Dictum à domino Goſcelino, Nonnunquam *Joſlin* quoque.

CASTELLUM Gontherii, in provinc. Lugdunenſi 2. ad fluv. Olinam, hodie *Gontel*. Aliud nobilius, in provinc. Lugdunenſi, 3. in finibus Andium, ad ripam fluv. Meduanæ, ſtructum à Fulcone Nerra, tertio Andicavorum Comite, & Villicæ appellatione donatum. Vide Hadr. Valeſ. *Notis Gall.*

CASTELLUM Heraldi, vulgò *Chaſtellerault*, in Pictonum finibus, olim Vicecomites habuit, nunc titulô Ducatûs illuſtratur. Ibi Vingenna primùm navigia tolerat, ad Inſul. Borchard. properans. Caput pagi Caſtroheraldenſis. Vide Hadr Vales. *Notit. Gall.*

CASTELLUM Holmium, vulgò *Caſtelholm*, oppid. Sueciæ, & Alandiæ inſulæ præcipuum, in mari Baltico, ad fauces ſinus Bothnici, cum portu capaci.

CASTELLUM Hunnorum, ſeu Caſtellaunum, oppidulum eſt tenue, in Palatinatu Rheni & in confinio Trevirenſis ditionis, unâ leucâ à Simmera, & 2. à Moſella fluvio.

CASTELLUM Marcellinum olim, póſt circa A C. 1132. ob immunitates Caſtellanorum, *Caſtrum Francum* nuncupatum, ac demum *Cenæ*, vulgo *Caues* dictum, locus eſt Galliæ maritimus, ad Lerinenſe Monaſterium pertinens; circa ſinum maris, inter Caput Rubeum vel Ruſum, & Caput Galupe interceptum. Hadr. Valeſ. *Notit Gall* in voce *Lerinus*.

CASTELLUM Menapiorum, vulgo *Keſſel*, oppidum eſt Gueldriæ ſuperioris, prope Moſam fluvium, & ab eo regio adjacens dicitur *T' land van Keſſel* incolis, *pais de Keſſel* Gallis, inter Moſam & paludes *Peele*, verſùs Brabantiam. Oppidum autem 2 leucis diſtat ab Horna in Boream.

CASTELLUM Morinorum, vulgò *Caſſel* & *Mont Caſſel* dicitur, eſtque lepidum oppid. Flandriæ in colle ſitum, 4. leucis ab Hypra, cum amplo territorio.

CASTELLUM Novum, opulentum oppid. Lombardiæ Ciſpadanæ, à Gothis, cum Dertonam tenerent, conditum, tam quò belli temporibus hôc uterentur propugnaculô quàm ut horreum rei frumentariæ haberent: ſitum eſt inter Æmiliam viam & Padum: de *Caſtello Novo* Galliæ. Vide Valeſ. *cit loc.*

CASTELLUM Theoderici, vulgo *Chaſteau Thierry*, oppid. in Sueſſionibus, ad Matronam fluv. cum titulo Ducatus & arce celſa. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall*

CASTELLUM Thermarum, memoratum Tacito *Hiſtor. l.* 1 *c.* 67. B. Rhenano *Thermæ* ſunt *Helveticæ*, German. *Baden* & *ober Baden*, urbs Helvetiæ, inter Tigurum 2. & Baſileam 6. leucis, ubi Comitia Helvetiorum Generalia haberi ſolent. Quod quidem direptum à Cæſina A. C. 71. poſteà vero reſtitutum eſt ut ex marmorea columna Trajano dedicata A. C. 200. liquet. Plura apud Cl. Ottonem JCtum Notis ad Rhenanum *l.* 3. nec non ſupra, voce *Badena*.

CASTELLUM in Voſago, locus in ſylva Voſago, apud Lotharienſes, ad ripam Moſellæ. Vulgò *Chaſtel*. Idem Vales. *loc. cit.*

CASTELON, vulgò *Caſtellon d'Ampurias*, oppid. amplum Hiſpaniæ citerioris in Catalaunia, apud Emporias urbem olim in ora littorali, nunc oppidulum inter Gerundam ſupra 5. & Helenam in Boream ſupra 8. leuc. ab Emporiis ferè 3.

CASTELVETRUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

CASTERIA, apud Plautum *in Aſinaria Actu* 3. *ſc.* 1. *v.* 16: *Quin pol ſi repoſivi remum, Sola ego in caſteria*, pro *ſchaſteria*, ſeu *chaſteria*, Salmaſio; quid ſit, hiſce exponit Lutatius, *ad Stat. Theb.*

—— —— Signô de puppe datô.

A gubernatore, inquit. *Nam pertica quædam eſt in navi, quam hortator remigum tenet, quam ſi incuſſerit, remiges non deſinunt, ſi depoſuerit, quieſcunt à labore. Hanc* Caſteriam *Plautus nominavit in Aſinaria*, &c. Sed error manifeſtatur eſt Exegetæ. *Caſteria* enim, Nonio auctore, locus eſt reponendis remis & inſtrumento cætero nautico. *Portiſculus* autem, ut docti Viri pridem notârunt, ad quod indicatur his verbis. Caſp. Barthius *Animadverſion. ad Statium Tom.* 3. *p.* 604.

CASTHENES, Thraciæ ſinus juxta Byzantium. Plin. *l.* 4. *c.* 11.

CASTIANIRA, mulier genere Threſſa, ex Æſimo urbe, quæ Priamo Gorgythionem peperit. Homer. *Il.* 8.

CASTICUS, Catamantelidis fil. Sequanus. Cæſ. *l.* 1. *Comm. c.* 3. Germanicum forſan nomen *Kaſtrich*.

CASTILIO Stiverorum, vulgò *Caſtiglione delle Stivere*, oppid. munitum Italiæ, intra limites Ducis Mantuani. Gaudet arce non temnendâ, & titulô Principatus Gonzagarum, cum regiuncula adjacente, quæ proprio paret Princip. 12. milliar. diſtat à Piſcaria; eſtque fermè medium inter Mantuam & Breſciam.

CASTILIONÆUS Johannes, cum Franciſco de Harcatara, ob religionem Florentiæ combuſtus, A. C. 1321. Moræus *in myſt. Iniq.*

CASTILIONIUS Franciſcus, vide *Franciſcus*.

CASTELLIO Mantuanus, vulgò *Caſtiglione Mantuano*, oppidulum Italiæ, in Ducatu Mantuano, 25. milliaribus à Mantua Veronam verſus.

CASTIMENSIS, Venus cognominata eſt, ſub quo nomine à Theſſalis culta, apud quos fanum habuit, & aliud in Sidâ Pamphyliæ, & in Aſpendo Argivorum, & Argis in feſto quod Hyſteria dicitur: in quibus præter inſtituta moresque aliorum, ſues mactare licet, cùm in cæteris nullô modô fas ſit. Alex. ab Alex. *l.* 3. *c.* 12. Ex Strabone, *l.* 9. alii *Caſtnicalis*.

CASTIMONIA, inter Luſtrationes in Veter. Sacris requiſita. Unde Hominem ad Sacra acceſſurum μετὰ θυσίας, καὶ μετ᾽ εὐχῶν καὶ προηγνευκότα, *poſt ſacrificium & poſt preces ac præmiſſa caſtitate*, accedere debere, monet Arrianus *in Epict. l.* 3. *c.* 21. Atque hinc Sacerdotes Cereris Eleuſinæ, Scholiaſtes *in Perſium*, *Sat.* 5. ad Hierophantas Athenienſium ad ſua uſque tempora, cicutæ ſorbitione caſtrari, Hieronymus *contra Jovin. l.* 1. memorant. Neque hoc Eleuſiniis proprium; namque tam in Cybeles, quam in Iſidis ſacris, *pane* quoque ac *Vinô* abſtinebant, Julian. *Orat* 5. etiam *à mulieribus*, *Ibid.* &c. Plura infrà lemmate, *In Caſtu* vel in *Caſto eſſe*.

CASTINIUM, mons in Aſpendo Pamphyliæ, gentile *Caſtinius* & *Caſtinetes*. *Steph.*

CASTINUS, Conſul, Collega Victoris an. Urb. Cond. 1177.

CASTOLI, campus apud Dorienſes. Quos Lydi *Caſtolos* vocant.

CASTOLOGI, populi Galliæ Belgicæ. Plin. *l.* 4. *c.* 17.

CASTOLUS, urbs in Lydia. Steph. hinc *Caſtoli* campus apud *Xenoph*

CASTOR, & Pollux Διόσκουροι, fratres gemini Jovis ex Leda ſub cygni formâ compreſſa filii, qui & Tyndaridæ paſſim à Poëtis appellantur, quemadmodum & Helena ſoror ipſorum Tyndaris, quod Leda Tyndaro vel Tyndareo, Spartæ Regi, nupta eſſet. Hi ubi primùm adoleverunt, mare piratis liberârunt, & ob id Dii maris habiti ſunt, quos in tempeſtate nautæ ſolent implorare. Poſt hoc in Colchos cum Argonautis profecti: quâ in expeditione Pollux Amycum Bebrycium Regem inſidias ſibi ſtruentem interfecit. Deinde domum reverſi, Helenam ſororem à Theſeo raptam receperunt, Aphydnâ urbe, Theſeô abſente, expugnatâ. Tandem cùm Caſtor diem ſuum obiiſſet, ferunt Pollucem (qui eôdem cum Helenâ ovô natus immortalis erat) fratris deſideriô à Jove petiiſſe; ut immortalitatem ſuam cum fratre poſſet partiri: quâ re impetratâ, alterni mori traduntur, & reviviſcere Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 121.

Si fratrem Pollux alternâ morte redemit,
Itque reditque viam toties.

Quod ideo fingatur, ait *Servius*, quia horum ſtellæ ita ſe habent, ut occidente unâ, oriatur altera. Horat. *l.* 2. *Ep.* 1. *v.* 5.

—— *Cum Caſtore Pollux*
Poſt ingentia facta Deorum in templa recepti.

Vide *Gemini*. His Romani templum, tanquam Liberatoribus ſuis, illorum ſæpe experti, ut rebantur, præſidium, dedicârunt. Plut. *in Coriol.* Vide Florum paſſim & Salmaſ. *in eum notis*. Cæterum communicatur inter fratres *Caſtoris* nomen, apud auctores, D. Lucas in Act. Apoſt. *c.* 28. *v.* 11. ſecundùm Vulgatum Interpretem: *Poſt menſes autem tres navigavimus in navi Alexandrinâ, quæ in inſulâ hyemaverat, cui erat inſigne Caſtorum.* Ubi tamen Græcè Διοσκούροι. Plin. *l.* 10. *c.* 43. *Super ædem Caſtorum genitus pullus in oppoſitam ſutrinam devolavit.* Arnob. *l.* 4. *Tyndaridæ Caſtores, equos unus domare conſuetus, alter pugillator bonus, &c.* Vide & infrà, voce *Ducans*. Atqui Caſtor equorum domitor, Pollux bonus pugil fuit. Theocritus *in Dioſcuris*:

Ὑμνέομες Λήδας τε καὶ Αἰγιόχου Διὸς υἱὼ
Κάστορα, καὶ φοβερὸν Πολυδεύκεα πὺξ ἐρεθίζειν.

Et poſteà,

—— Σὺ δὲ Κάστορ ἀείσω
Τυνδαρίδα, ταχύπωλε, δορυσσόε, χαλκεοθώραξ.

Et ante illum Homer. *Odyſſ.* λ. *v.* 299.

Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα,
Τοὺς ἄμφω, ζωοὺς κατέχει φυσίζοος αἶα.
Οἳ καὶ νέρθεν γῆς τιμὴν πρὸς Ζηνὸς ἔχοντες,
Ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε
Τεθνᾶσι, τιμὴν δὲ λελόγχασιν ἶσα θεοῖσι.

Horat. *Carm. l.* 1. Od. 12. *v.* 25.

Dicam & Alciden, pueroſque Ledæ,
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem, quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit.

Idem, *l.* 2. *Sat.* 1. *v.* 26.

Caſtor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis. —— ——

Ovid. *Faſt. l.* 5. *v.* 700.

Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil.

Seneca *in Medea, Actu.* 1. *v.* 88.

Cedet Caſtore cum ſuo
Pollux caſtibus aptior.

Porrò Caſtor & Pollux arbitri ac teſtes legum judiciorumque fuerunt. Cicero *contra Verrem. Nic. Lloydus.* Eſt & Meteori genus, quod appellârunt *Caſtores*, ignes nimirum fulgoris ſtellarum inſtar, feſta omen navigantibus habitum, ſi incidiſſent gemini. Lege Plin. *l.* 2. *c.* 37. & Senec. *Nat. Quæſt. l.* 1. *c. extr.* Hinc *Ecaſtor*, & *Mecaſtor*, adverbia jurandi apud Plaut. *Amphitr. Actu* 1. *ſc.* 3. *v.* 10. & Terent. *Hecyr. Act.* 1. *ſc.* 2. *v.* 8. Item adjectivum *Caſtoreus*, ut *munus Caſtorea*, apud Senecam, *Hippol. v.* 810. Item *Caſtor*, animal ἀμφίβιον, Latinè *fiber*, vel *canis Ponticus*, juxta *Servium*, Juvenal. *Sat.* 12. *v.* 34.

..... *Imitatus Caſtora, qui ſe*
Eunuchum ipſe facit, cupiens evadere damno
Teſticulorum, adeo medicatum intelligit inguen.

Redimere ſe eâ parte, propter quam petuntur maximè, quò Juvenalis hoc carmen pertinet, præter Ælianum *de Animal.* alioſque, etiam Horapollo affirmat, qui *l.* 2. *Hieroglyph. c.* 65. Ægyptios tradit *Caſtorem*, ſive *fibrum* pingere, cùm deſignare volunt hominem, qui ſibi ipſi damnum infetat: quòd hoc animal, cùm ſe venatione peti videt, proprios teſtes evulſos in prædam objiciat. Author Elegiæ *de Nuce*, *v.* 165.

Sic, ubi detracta eſt à te tibi cauſa pericli,
Quod ſupereſt, tutum, Pontice Caſtor, habes.

Quod Seſtium tamen, medicinæ diligentiſſimum, negâſſe; Plin. *l.* 32. *c.* 3. prodidit. Negat & Dioſcorides, *l.* 2. *c.* 26. Vide infrà. Addo, de *Caſtore* fratre Pollucis, quòd in ejus, ut & aliorum Deorum, templo Romæ theſauros ditiorum fuiſſe reconditos, innuit Juvenalis, *Sat.* 14. *v.* 260.

—— *ad vigilem ponendi* Caſtora *nummi.*

Ubi *vigilem* vocat, quòd ibi, pro cuſtodiendis rebus Numinis tutelæ commiſſis, per vigiles excubiæ agerentur. Vide Brodæum, *Miſcellan. l.* 4. *c.* 17. Lipſium *ad Taciti Annales*, & hic paſſim.

CASTOR, Medicus antiquus, docuit piperitim herbam, quam aliô nomine ſiliquaſtrum nominant, bibi contra morbos Comitiales. Plin. *l.* 20. *c.* 17.

CASTOR, Hiſtoricus Rhodius, floruit ſub Julii Cæſaris principatu, quem aliqui Galatem vocârunt, quia in Galatiâ vixerit. Putat Voſſius, hunc eundem eſſe cum eo, cujus meminit Plin. *loc. cit.* Cyrillus, *l.* 1. *contra Julianum*, ac Stephan. in *Bœotia*. Nobilis Chronographus fuit, atque eô nomine etiam laudatur Euſebio *in Chron. ad an.* 989, ubi ex Chronographia Caſtoris de regno Sicyoniorum, & mox de Athenienſium regno, fragmentum citat. Item ad an. 1612, & 342. ubi quædam adfert ea eo de regno Argivorum. Ad hæc Tatiano etiam celebratur, & ante hos Flavio Joſepho, qui *l.* 2. *contra Apionem*, eum hiſtoricis annumerat, ex quibus conſtet, Antiochum Epiphanem, in templo Hieroſolymitano à ſe ſpoliato haud quicquam reperiſſe, propter quod Judæi a nationibus rideri mererentur. Maſſilienſis primum fuit orator, ſi *Suidæ* credimus; qui & auctor eſt, ſcripſiſſe libros 3. ſive juxta alios libros 9. *de conſcherematis*; item *de perſuadendo* libros 2. adhæc *artem dicendi*. Sed hiſtorica ejus, quorum idem meminit, ſunt iſta: *Libri* 2. *de Babylone, liber de Nilo*, item χρονικὰ ἀγνοήματα, ſive *de ignoratione temporum*, quæ etiam Apollodorus citat, *l.* 2. & fortaſſe Auſonius *Carm.* 22. *v.* 7. *in Profeſſores Burdigal.*

Quod Caſtor cunctis de Regibus ambigeus.

Nam cùm imprimis ſoleat in temporibus peccari, eò quòd ejuſdem nominis principes confundantur: planè eſt veriſimile, Caſtorem illô opere unius nominis Reges diſtinxiſſe. Scripſit præterea, eôdem teſte, περὶ θαλασσοκρατησάντων: ex quo opere ſunt, quæ Euſebius, *in Chronicis*, paſſim de illis refert, qui imperio maris ſunt potiti. Porrò Caſtorem hunc, atque item Thallum, diligenter tractâſſe hiſtoriam, auctor eſt Africanus & ex eo Euſebius, *l.* 10. *Præp. Evang. c.* 3. Idem Euſeb. *l.* 1. Χρονικῶν: Κάστωρ ἐν τῷ κανόνι αὐτοῦ οὕτως φησί. Adfert deinde verba, de imperio Aſſyrio, ejuſque initio, quod eſt à Belo. Mentionem quoque Juſtinus Martyr facit, *paræneſi ad Græcos*. Impenſius ſemper faviſſe Romanis, indicat cognomen Φιλορώμαιος, cujus meminit *Suidas*. Atque eo magis veriſimile fit, eſſe hunc ipſum Caſtorem illum, qui volumine quodam Romana inſtituta cum Pythagoricis contulit, teſte Plutarchô *in Quæſt. Romanis*. Quod opus etiam ſignat, *libro de Iſ. & Oſiride*. Sed Strabo alterum etiam cognomen adfert. Nam *l.* 12. vocatur *Saocondarius*. Refert ibidem, fuiſſe generum Dejotari, Regis Galatiæ, atque ab eodem unà cum uxore fuiſſe interemptum. Suidas cauſam hanc cædis addit, quòd ſocerum eſſet criminatus apud Jul. Cæſarem. Itaque videri poſſit hic eſſe idem Caſtor, adverſus quem pro Dejotaro orationem habuit Cicero, apud Cæſarem. Sed obſtat, quod Caſtor iſte Dejotari fuit nepos: & vocatur adoleſcens, quâ ætate tam multa ſcripſiſſe minimè fit veriſimile. Verba Ciceronis ſunt: *Crudelis Caſtor, ne dicam ſceleratum & impium, qui nepos, avum in diſcrimen capitis adduxerit, adoleſcentiaque ſuæ terrorem injecerit ei, cujus ſenectutem tueri & regere debebat.* Cicerone autem quis meliùs iſta nôſſe potuit, qui cauſam Dejotari adverſùs Caſtorem egit? Num igitur Strabonem & Suidam errâſſe dicemus, qui ex nepote generum fecerint? An potiùs ſtatuendum, Caſtorem illum, de quo Cicero loquitur, eſſe filium Caſtoris illius, de quo Strabo & Suidas? Saltem illud extra controverſiam poni poteſt, Caſtorem nepotem, de quo Tullius, eſſe filium Caſtoris Chronographi; qui cùm genere eſſet humili, ſolâque fortaſſe eruditione & facundiâ commendabilis, Regis gener factus eſt. Vide ſis Voſſium *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 24. *p.* 158. *& ſeqq. Nic. Lloydius.*

CASTOR, Curſor velociſſimus. Pauſan. *l.* 3.

CASTOR Antonius, vide *Antonius*.

CASTOR, animal amphibium, de quo ſic Plin. *l.* 32. *c.* 3. *Caſtorea teſtes eorum. Amputari hos ab ipſis cum capiantur, negat Sextius diligentiſſimus Medicinæ. Quinimo parvos eſſe ſubſtrictoſque & adhærentes ſpinæ, nec adimi ſine vita animalis poſſe. Adulterari autem renibus ejuſdem, qui ſunt grandes, cum veri teſtes parvi admodum reperiantur, &c.* Unde eos ἀντιστρόφους *Dioſcorides* vocavit, à cælatis vaſis metaphorâ ductâ: ἀδυνατὸν γάρ ἐστιν ἀφαιρεῖν αὐτοὺς ἀντιστρόφους ὄντας, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1046. Hinc *Caſtorinæ* veſtes, in pretio olim, uti legimus, apud Sidonium, *c.* 7. Ambroſium *de Dign. Sacerdot. c.* 4. Haymonem 1. *ad Timotheum*, *c.* 3. &c. De *Caſtoribus* porrò multa habet Sylveſter Giraldus *Itinerar. Cambriæ l.* 2. *c.* 3. at de medicinis è *caſtoreo* deſumi ſolitis, vide latè diſſerentem Plin. *d. l.* adde & dicta ſuprà.

CASTORIA, urbs Epiſcopalis Macedoniæ apud Lacum Lychnidum. Caſtoria caſtra *Antonii*.

CASTORIS, marinum animal, tam horrendi ejulatus, ut audientes enecet, uti refert Ælian. *l.* 9. *c.* 50. Hinc Oppianus *Halieutic. l.* 1.

Καστορίδες τ' ἀλιαὶ δυσπενθέες, αἵτ' ἀλεγεινὴν
Ὅτταν ἐπὶ προμολῇσιν ἀϋτεῦσιν βροτοῖσιν
Ἀνθρώπων ὅς δέ κε γῆρυν ὅ κεν ἀλγινόεσσαν
Δέξηται, στυγερῆς τ' ὄπος ἔκλυεν αἰνὸν ἀϋτῆς,
Οὐ τηλοῦ θανάτοιο τάχ' ἔσσεται· ἀλλά τι ἄλγος
Καὶ μόρον αἰνοτάτη κείνη μαντεύεται αὐδή.
Caſtoridesque, pernicioſæ & graves luctu, quæque triſtem
Vocem in littoribus, & infauſtam emittunt
Hominibus. Qui verò clamorem auribus mœſtum
Perceperit, querulæque vocis ejulatum audierit
Non procul à morte erit: ſed ipſi cladem
Et mortem graviſſima illa præſagit vox.

Et Tzetzes, *Chil.* 6. *Hiſtor.* 47.

Ἡ καστορὶς δ' ὀρνίθιον, ὅς δ' ἂν ἀκούσῃ ταύτης,
Χρόνῳ βραχεῖ παρέρχεται τὸν ταλαίπωρον βίον.
Caſtoris autem avis eſt, & quiſquis audiverit illam,
Brevi excedet ex miſera hac vita.

E quibus patet falli eos, qui *Caſtoridem* pro fibro ſeu *caſtore* habeant, in quibus doctiſſimus Ritterhuſius, *Notis ad Oppian.* Aliud enim *caſtor*, aliud *caſtoris*, ille quadrupedes amphibium, hæc piſcis eſt. Ille in ripis fluminum, hæc circa maris litora deſcribitur & cenſetur ab Oppiano, inter ea cete, quæ nonnunquam è mari in ſiccum exeunt: cùm contrà caſtor ex terra in amnes feratur. Sed & caſtor verum eſt animal, *caſtoris* fabuloſum, uti quidem videtur Bocharto, *Hierozoici Part. I. l.* 4. *c.* 2.

CASTORIUS Johannes, Monachus Anglus, ſcripſit *hiſtoriam Weſt-*

Weſtmonaſterienſem, & *Chronicon patriæ ſuæ*: quod orditur à Bruto ſeu Brytho illo fabuloſo uſque ad A. C. 1306. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 61. Item, Epiſcopus Concilii Mileſitani, in locum fratris Maximiani, ſponte ſe abdicantis, ſurrogatus. Auguſtin *Ep.* 217.

CASTORUM Locus, ad duodecimum lapidem a Cremona diſtans, ut habet Tacitus, *Hiſt. l.* 2. *c.* 24. *Caſtoru lucus* vocatur Oroſio, *l.* 6. *c.* 8.

CASTRA dicta Romanis, loca naturâ atque arte, vallô, foſsâ & aggere munita: qualia fermè militum in campis tendentium erant: exiguum caſtrum *Caſtellum*, parvum verò Caſtellum *Caſtella* vocabatur. In priſcis Notitiis Provinciarum & civitatum Galliæ, *Caſtrum* Cabullonenſe, Matiſconenſe, &c. memorantur: quæ loca olim urbes & quidem Epiſcopales fuêre. Sic *Caſtrum* Rauracenſe, Auguſta Rauracorum etiam Colonia. Veteres Gallici Hiſtorici ſola capita Gentium urbes aut oppida, nec non civitates, interdum etiam municipia vocitant: cæteras urbes eis ſubjectas *Caſtrorum*, vel *Caſtellorum*, nonnunquam & Vicorum appellatione notantes. Contra in Annalibus & Chronicis rerum Francicar. atque in priſcis tabulis, *Caſtra Caſtellaque* appellantur non pauca, quæ Vicorum nomine deberent eſſe contenta: ſive bellis everſa, ſive peſtilentiâ exhauſta, ſive lapſu temporis minora multò ac deſertiora facta ſunt, quàm olim fuerant. Ad *Caſtella* proximè accedunt, quas Galli *Firmitates*, *Salvitates*, *Salvas Terras* & *Fortia*, *Montes Fortes*, *Montes* item & *Rupes*, vel *Roccas* & *Petras*, cum adjuncto aliquo, vocaverunt. Vide Hadr. Valeſ. *Præfat. in Notit. Galliæ.*

CASTRA, interdum domus ſeu Palatium Principis, ut comitatus, Caſaubono *ad Capitolin. in Antonino Pio*, *c.* 7. unde *Caſtrenſes*, h. e. Aulici, eidem *ad Lamprid. in Severo*, *c.* 41. Sed Græcis quidem τὸ *στρατόπεδον* comitatus Imperatoris dictus eſt, item *Sῦαις στρατοπέδου*, *Ep.* 76. & 110. Syneſii, ut & in *Epiſt.* Theodoſii & Valentiniani ad Synodum Epheſ. τὸ σύνδεσμος quoque *στρατόπεδον*, in *Mandato* ejuſdem Synodi. præterea apud Palladium in *Vita* Chryſoſtomi, &c. Latinis verò *Caſtra* nunquam eâdem notione ſumta ſunt, nec *Caſtrenſes* ob id dicti, quòd in *caſtris*, h. e. in comitatu Principis verſarentur, Salmaſio *ad Lamprid. loc. cit.* Vide *infra*, ubi de *Caſtrenſiani* & *Caſtrenſibus*. Apud medii ævi Scriptores *Caſtra* urbes dictæ ſunt, quæ *Civitatis*, i. e. Epiſcopatus jus non habuerunt: Quô ſenſu occurrunt in *Notit. Galliæ*, in Maxima Sequanorum, *Caſtrum Ebredunenſe*, *Caſtrum Vindoniſſenſe*, *Caſtrum Rauracenſe*, *Caſtrum Argentoratenſe*, &c. *Vita* S. Medardi apud Surium *Noviomus*, *cùm tunc temporis caſtrum*, *ſeu munitio haberetur*, *poſtmodum ipſius ejuſdem glorioſi Pontificis Medardi ordinatione*, *Pontificalis cathedræ honore ſublimatum eſt*, apud Car. du Freſne. Nomen autem *Caſtrorum* multis in Europa urbibus hinc factum, memorat Salmaſ. quòd ibi loci exercitus aliquando caſtra locâſſent. Sic cùm Græci exercitum vallô incluſum ſeu *caſtra*, *χάρακα* vocent, multis urbibus locisque *Χάραξ* nomen inditum occurrit. In Phrygia urbs fuit *Charax*, item in Caria, in Nicomediæ ſinu, ad Perſicum ſinum, in Parthia, in Palæſtina, alibi: Et *Σεσώστριος χάραξ*, multis locis impoſitum nomen, ubi Seſoſtris caſtra fuerat metatus, Strabo, *l.* 16. Vide eum *Exercitat. Plinian. ad Solin. p.* 1205. Fuit autem *Caſtrametatio*, apud Romanos, talis. Loci ejus, qui maximè idoneus ad caſtrametandum videbatur, aptiſſimam partem, ad proſpiciendum præcipiendumque, Imperatoris occupavit tentorium: Poſitô deinde ſignô, ubi illud fixuri erant, metiebantur, circa ſignum ſpatium quadratum ſic, ut omnia latera diſtarent à ſigno pedes centum, planumque ejus eſſet 4. actuum. Ad hujus figuræ ſemper unum aſpectum unumque latus, quod viſum erat aptiſſimum aquationibus pabulationibusque, locabantur Romanæ legiones. Tentoria Tribunorum æquali inter ſe diſtabant intervallô, eouſque extenſa, ut totam Legionum tendentium latitudinem aſſiduè occuparent; dimensô rurſus ſpatiô centum pedum in anteriorem partem ab omnibus tentoriis, fecêre Legionum tabernacula: in quibus equitum peditumque locatio tentoriorum ſimilis, adeoque quadrata fuit. Vide Polybium, *l.* 6. Wolfg. Lazium, *l.* 4. *Comment. Reipubl. Rom.* Lipſium, alios, prolixè & accuratè modum *Caſtrametationis* Rom. deſcribentes. Cæſar lunatis *Caſtris* Thapſum, operibus communivit: Vegetius, *l.* 1. *c.* 23. triquetram & ſemirotundam formam nominat. Et quidem ante tempora Camilli tantùm per æſtatem militiæ fuêre, domi ſuæ hyemantes: donec Vejis obſeſſis, primùm caſtellis ædificatis, caſtriſque munitis, in hoſtico hyemem cum æſtate continuare cœpêre, Plut. *in Camillo*, Liv. *l.* 5. &c. Tentoria ſeu tabernacula militum ex pellibus fiebant, unde *ſub pellibus eſſe*, *exercitum ſub pellibus retinere*, & conſimiles phraſes, vide Val. Max. *l.* 2. *c.* 2. *extr.* Carolum Sigonium *in Liv. l.* 5. Iac. Rævardum, *Variorum l.* 4. *c.* 3. &c. Habuêre autem *Caſtra* Romanorum ut plurimùm portas 4. Quarum prima *Prætoria* ſeu *Quæſtoria* dicta, vel Orientem Solem ſpectabat vel è conſpectu hoſtium dirigebatur. Secunda, ſeu à tergo caſtrorum *Decumana* vocata eſt, è qua deſertores & facinoroſi educebantur. Tertia *Principalis* habebat nomen, è qua Principes & ſummi Duces, velut ex poſtrema, ſi quando opus eſſet, opem ſuis laborantibus ferebant. Quarta erat poſt Prætoriam & *Quintana* dicebatur, per quam commeatus in caſtra invehi & rerum utenſilium copia venalis exponi ſolebat. Vide Alex. Neapolitanum *Genial. dier. l.* 1. *c.* 12. Imò præter has 4. portas, *Extraordinariam* habet quoque Turnebus, *Adverſar. l.* 30. *c.* 14. ex Livio, *l.* 40. &c. Apud Iſraëlitas *Caſtra* in tres erant diviſa partes, quarum centrum occupabat Tabernaculum dictum *Caſtra divinæ Majeſtatis*. Huic proximi erant Sacerdotes ac Levitæ. Tabernaculi miniſterio deſtinati, quorum ſtatio dicebatur *Caſtra Levi*: Extimas partes, XII. tuebantur Tribus, undique tribum Levi cingentes; Horum locus dicebatur *Caſtra Iſraël*. Tota Caſtrorum figura exactè quadrata fuiſſe ſcribitur, 12. milliar. longa ac totidem lata, Uzielid. in Numer. *c.* 2. *v.* 3. Ita autem locabantur duodecim Tribus, ut ad Orientem eſſent Iuda, Iſaſchar & Zabulon: Ad Meridiem, Ruben, Simeon & Gad: ad Occidentem Ephraim, Manaſſe ac Benjamin: ad Boream totidem Tribus, Dan, Aſſer & Nephthali: quæ omnes certis inter ſe ſpatiis, viarum adinſtar, diſtinguebantur, in quibus merces venum exponi, velut in civitate pacata, ſolebant. Diſtabant verò Caſtra Iſraelis omni ex parte à Tabernaculo 1. milliar. ut colligitur ex Joſuæ *c.* 3. *v.* 4. ubi ſpatium inter Arcam & Populum 2000. cubitorum eſſe juſſum eſt. Hinc P. Fagius *in Numer. c.* 2. *v.* 3. *Tradunt*, inquit, *Hebræi*, *filios Iſraëlis caſtrametatos fuiſſe in circuitu Tabernaculi*, *ut unum milliare interfuerit*, *i. e. ſpatium mille paſſuum*, *& hoc erat iter Sabbati*. In Caſtris Levi, (*vide ſupra*) Orientem eorum partem tuebatur Moſes, Aaron & Sacerdotes: Auſtralem obtinebant Cahathitæ: Gerſonitæ Occiduam, & Septentrionalem Merarritæ erant ſortiti. In quorum omnium medio, Tabernaculum erat, Divinæ locus præſentiæ; Hinc *in medio Iſraëlitarum habitare* dicitur Deus, Pſalmô 46. *v.* 5. Habebant porro XII. Tribus, quatuor Vexilla primaria, (Græcis *τάγματα* dicta, quò alludere videtur Apoſtolus 1. Corinth. *c.* 15. *v.* 23.) quorum unumquodque triplici colore, coloribus gemmarum in pectorali ſummi Sacerdotis, quibus Patriarcharum nomina erant inſcripta, reſpondente, inſigne fuit: habebatque unumquodque eorum peculiare emblema, cum inſcriptione conveniente. Sic primo vexillo inſcripta fuiſſe, dicunt verba illa Numer. *c.* 10. *v.* 35. *Surge Jehova*, *& fac*, *ut inimici tui diſſipentur*, *ac*, *qui te oderé*, *à facie tua fugiant*. De emblematis ita P. Fagius in *Numer. c.* 2. *v.* 3. ac Abeneſra *ibidem*, *Dicunt in vexillo Reubea fuiſſe imaginem hominis*: *in vexillo Jehudah*, *imaginem leonis*; *in vexillo Ephraim imaginem bovis*, *in vexillo tandem Dan imaginem aquilæ*: ſub quibus formis Cherubinos ſibi viſos refert Ezechiel, *c.* 1. *v.* 10. Vide quoque Apocal. *c.* 4. *v.* 6. 7. Et fortè eòdem Veteres reſpexêre, cum Euangeliſtis quatuor eorundem animalium formas adſcripsêre: Matthæo hominem, Marco leonem, Lucæ bovem, & Johanni aquilam attribuentes, &c. Hôc modô itaque caſtrametabantur olim Iſraëlitæ, tum in Deſerto, ubi per 40. annos errârunt, tum quoties bellum ipſis cum hoſtibus fuit. Imò & poſtquam terram Canaam, devictis hoſtibus, quietè tenerent, urbs Regni princeps Hieroſolyma eandem formam imitata eſt: Namque docente Maimonide *in Bethhabechirah*, *c.* 7. *ſect.* 11 à porta *Hieruſalem* uſque ad montem, in quo templum, *Caſtra* erant *Iſraël*: à porta montis uſque ad portam Curiæ, aliàs *Nicanoris portam* cognominatam, *Caſtra Levi*. reliquum tenebant *Caſtra divinæ Majeſtatis*. Vide Thom. Godwyn. *de ritibus Hebr. c.* 8. *l.* 6. ut & infrà aliquid lemmate *Templi mons*; de *Caſtra metandi* verò ratione Romanis uſitatâ inprimis Salmaſ. *ad Solin. p.* 671. *& ſeqq.* ubi inter alia *Caſtra foſſis circumducta*, unde *Foſſata caſtrorum*, Hebræis Gad, Græcis *περιτάφρευμα*, i. e. *ſeptum*: & *Caſtrorum portas* in conſpectu rigoris ſtellam effeciſſe, notat. Locum *Caſtris* idoneum hiſce deſcribit Papinius Statius, *Thebaid. l.* 7. *v.* 441.

> ―――― ―――― *tutis accommoda* caſtris
> *Arva notant*, *unde urbem etiam turreſque videre*
> *Sidonias*: *placuit ſedes*, *fidique receptus*.
> *Colle per excelſum patulô*, *quem ſubter aperto*
> *Arva ſinu*, *nullique aliis à montibus obſtant*
> *Aſpectu*, *nec longa labor munimina durus*
> *Addidit*, *ipſa loco mirùm Natura favebat*,
> *In vallum elata rupes*, *devexaque foſſis*
> *Æqua & fortuitò ducta quater aggere pinna*, &c.

Ad quem locum vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. Tom.* 3. *p.* 719. Adde Leonem Philoſophum & Imperatorem, *Tacticorum Epilogô*. Onoſandium *Strategicô*, Vegetium, *l.* 1. *c.* 21. *l.* 3. *c.* 8. &c. Diminutivum *Caſtellum*, unde *incaſtellare* verbum medii ævi, quod vide infrà. Vide & *Procaſtria*.

CASTRA, Indiæ intra Gangem oppid. Ptol. Nunc eius urbs *Antonum*. Alia quoque Macedoniæ inter Lychnidum & Heracliam *Idem*.

CASTRA Alata, urbs Scotiæ regia, *Edenburg*. Vide *Alata Caſtra*.

CASTRA Alexandri, locus Ægypti circa Peluſium. Qu. Curt. *l.* 4. *c.* 7.

CASTRA Annibalis, Magnæ Græciæ portus. Plin. *l.* 3. *c.* 10. *Le Caſtelli* Leandro.

CASTRA Auguſtana, in *libro Præfectur. Rom.* ubi Dux Rhætiæ primæ & ſecundæ V. S. habuiſſe equites Stableſianos ſeniores, dicitur, Rhenano Auguſta eſt Vindelicorum, German. *Augſpurg*, *Rer. Germ. l.* 3. ubi vide *Notas* Cl. Ottonis: adde ſuprà dicta.

CASTRA Cæcilia, Luſitaniæ urbs. Plin. *l.* 4. *c.* 22. Hodiè *Caceres*, vel *S. Maria Guadalupe* Vaſæo. Nunc provinc. Eſtremaduræ, inter Auguſtam Emeritam & Caurium, in ampla planitie, 3. leuc. à Tago, 16. à Placentia, uti ab oppidul. Guadalupia in Occaſum. *Baudrand.*

CASTRA Canulina, oppidul. Auſtriæ Inferioris ad amnem cognominem *Tuln.* qui unâ leucâ infra ſe in Danubium exonerat.

CASTRA Celica, Hiſpaniæ locus inter Emeritam & Salmanticam. *Antonin.*

CASTRA Conſtantia, civitas Galliæ Celticæ in Neuſtriæ, ſeu Normanniæ provincia, ſic vocata, quòd ibi C. Julii Cæſaris milites *conſtanter*, ob Aremoricorum incurſiones, caſtrametabantur. Am. Marcellin. *l.* 5. vulgò *Conſtance*.

CASTRA Cornelia, ſeu Corneliana, oppid. Africæ, in ora, inter Carthaginem & Uticam. Ammian. Plin. *l.* 5. *c.* 4. Mela, *l.* 1. *c.* 7.

CASTRA Cyri, regio Ciliciæ, ſic dicta, quòd ſtativa illic habuerat Cyrus, cùm adverſus Crœſum, in Lydiam, exercitum duceret. Curt. *l.* 3. *c.* 4.

CASTRA Dan, locus eſt poſt tergum Cariathiarim, ubi ſexcenti viri de cognatione Dan pernoctârunt.

CASTRA Dei, i. e. *Mahanaim*. Vide Geneſ. *c.* 32. *v.* 2.

CASTRA Domeſtica, apud Juvenalem *Sat.* 16. *v.* 95.

Egregias equites, & Caſtra domeſtica ——
Simpliciter Caſtra Senecæ *Octavia*, *Actu* 2. *v.* 439.

Juſſa haud morabor. Caſtra confeſtim petam.

Locus eſt Prætorianis dicatus, ſeu *Caſtra Prætoriana*, à Tiberio in extrema urbis parte conſtituta, ut ex Dione, Tacito, Suetonio, docent Onuphrius, Lazius, Faber. E quibus Tacitus, *Annal. l.* 4. *c.* 2. *Diſperſas per urbem cohortes una in caſtra conducendo, ut ſimul imperia acciperent.* Super Diocletianas ponit Scholiaſtes *Juvenal. ad* 10. *l. Juxta aggerem primus caſtra poſuit Sejanus, i.e. ſuper Diocletianas, quæ dicta ſunt caſtra Prætoria.* Et in *Sat.* 11. *A Suburra frequentiſſima regione migrare ad Diocletianas, ubi ſolitudo eſt.* Ad muros urbis, non procul à porta Viminali, Farnabius *ad eund. Satyr.* Habebant tamen ſtationem in Palatio, & more militari excubias viciſſim ſinguli Tribuni agebant, Tacit. *l.* 6. Vide Gronov. *ad Senec. loc. cit.*

CASTRA Exploratorum, locus in Anglia, Antonin. *Burgh upon Sands* Camdeno Burgus ad Sabulum, Baudrando eſt vicus in Cumbria provinc. ad Itunæ æſtuar. medius inter Carleolum & Drumbourg. Hic obiit Eduard. I. Aliis *Old Carleil.*

CASTRA Febiana, vide *Caſtra Phebiana.*

CASTRA Flaviana, vide *Ala Flaviana.*

CASTRA Gemina, Hiſpalenſis conventûs oppid. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

CASTRA Germanorum, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. Hodiè *Brezar*, & *Berſac.*

CASTRA Hannibalis, pagus magnæ Græciæ, in littore, Eulæ urbi proximus. Ferrar.

CASTRA Herculis, oppid. Geldriæ, inſertum Ducatui Juliac. verſus Ruram amnem; *Erkelenz.* 3. leuc. à Juliaco, 7. à Colonia. Aliis *Herenlaum.*

CASTRA Judæorum. Vide *Bubaſtus.*

CASTRA Julia, Hiſpan. oppid. Plin. *l.* 4. *c.* 22. Hodiè *Truxillo.* inter Caſtra Cæcilia & Guadalupam. 8. leuc. Zephyræ propior 5. leuc. diſtans ab Emerita 12.

CASTRA Læta, Africæ minoris urbs. Mela. *l.* 1. *c.* 7. *Delta* ibi habet Voſſius.

CASTRA Lapidariorum, urbs Ægypti, *Lib. Notit.*

CASTRA Larba, Thraciæ urbs. *Antonin.*

CASTRA Mariana, pagus Ducatus Mediolanenſ. in planitie. 5. milliar. à Novaria in Occaſum.

CASTRA Metallina, ſeu *Metallinum*, oppid. Luſitan. nunc Extremaduræ, ad Anam fluv. Vide *Metallinum.*

CASTRA Nova, Mauritaniæ Cæſarienſis locus. Plin. *l.* 5. *c.* 4.

CASTRA Phebiana, in *libro Præfecturar. Rom.* ubi Dux Rhetiæ I. & II. dicitur habuiſſe equites Stableſianos Juniores, B. Rhenano eſt Bebenhuſium, German. *Bebenhauſen*, ſeu *Babenhauſen*, ad Guntiam amnem, Fuggerorum Comitum ſedes. Aliis ſuit non procul Langinciaco, ubi nunc pagus *Feuningen*, vel *Faimingen*, quondam Marchionum Vohenburgenſium. Aliis oppid. *Burgaw*. in Suevia ad Mindelam fluv. Cl. Otto *Notis ad Rhenanum*, *l.* 3. Vide & infrà.

CASTRA Poſthumiana, locus Hiſpan. Bæticæ. Hirtius, *Bell. Hiſp. c.* 8. *Caſtro del Rio* hodiè dicuntur, ut vult Ambr. Moralis. Oppidul. Vandalitiæ.

CASTRA Regina, Rhætiæ Locus. *Lib. Notit.* à fluv. Bavariæ *Regina*, vulgò *Regen*, an Reginopolis hodie, ſeu Ratisbona? Vide præfatum Ottonem JCtum *ibid.*

CASTRA Rhætica, vulgò *Gaſtern*, vel *Gaſteln*, ditiuncula Epiſcopatu Curienſi olim comprehenſa, nunc Suitiis & Glaronenſibus ſubeſt, ab A. C. 1436. quò Fridericus ultimus Toggienſium Comitum, cui oppignorata erat, cum aliis, obiit. Tum enim *Caſtrenſes*, ſe Pagis junxerunt, ſalvô Superiorum jure, ſed A. C. 1437. pignori *Caſtra* data ſunt iiſdem. Miſſa cum imaginum cultu hic abolita eſt, A. C. 1529. Dein Tigurini Rhætis Toggiiſque juncti ibidem contra Suitios bellum geſſerunt. Vide Stumpf. *de Rhætis*, *l.* 10. *c.* 28.

CASTRA Vetera, Urbs Cliviæ Ducatus *Santen.* Inter Veſaliam & Calcariam. Vide *Vetera.*

CASTRA Vicelliana, Morali & Varrerio *Medelin.* Vide *Caſtra Metallina.*

CASTRA Vinario, Hiſpan. urbs. *Ptol.*

CASTRA Ulpia, nomen urbis. Antonin. Hanc Simlerus *Cleve* exiſtimat, Clivienſis Ducatûs primariam civitatem.

CASTRATIO Marium, uſui hodieque multo in uſu, vetita eſt *LL.* Domitiani, Nervæ, Hadriani, ſimulque circumciſioni Judæorum fibula impoſita, qui bellum prius Hadriano moverunt, à Pio tandem auxiliari lege imperatâ. Caſaubonus *ad Spartian. in Hadriano Caſ. c.* 14. Sed & jam Noachidis *caſtrationem* vetitam ajunt Magiſtri, unoque ore pronuntiant, Iſraelitis ne ullum quidem animal ea lege caſtrare licuiſſe, Levit. *c.* 22. *v.* 24. quod & diſertè habetur, apud Flav. Joſephum *adv. Apionem*, *l.* 2. Eouſque Valeſiorum hæreſi, quæ omnes *caſtrari* voluit, Auguſtin. *de Hæreſ. c.* 37. Hebræi adverſati ſunt: ut falsò tradat Strabo, genti huic [illegible], *exſectiones* pariter atque [illegible], *circumciſiones*, fuiſſe in uſu, *Geogr. l.* 16. Vide Joann. Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta diſciplin. Ebræor. l.* 7. *c.* 3. In pœnam tamen *caſtratione* mulctati occurrunt Servi, in adulterio & furto deprehenſi, in *Lege Sal. tit.* 27. §. 4. *tit.* 42. § 4. 15. Pæderaſtæ, in *L.* Wiſigoth. *lib.* 3. *tit.* 5. § 1. 7. & apud Theophanem, *p.* 1[illegible]1. Mulierum oppreſſores, in *LL.* Wilhelmi Nothi, apud Bromptonum, *p.* 985. & Knyghtonum A. C. 1087. οἱ Ἀλογ[illegible] Κωνωδίαι, apud Harmenopulum, *l.* 6. *tit.* 4. Etiam proditor quidam oculorum & genitalium mutilatione punitus, legitur, apud Lugenium in *Ludowico* VI. *p.* 108. laudatum Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Inſtrumentum, inter alia, concha Cytheriaca, ſeu marex, quas voces vide. Cæterùm qui huic mutilationi apud Romanos deſtinabantur, ab ipſo ubere materno ad id rapiebantur, ancillarum inprimis, ac ſervarum filii, uti diſcimus ex Papinio Statio, *l.* 3. *Sylv.* 4. *v.* 74. ubi de Domitiani lege prædictâ,

—— —— —— nunc frangere ſexum,
Atque hominem mutare nefas, gaviſaque ſolum,
Quos genuit, Natura videt, nec lege ſiniſtrâ
Ferre timent famulæ natorum pondera matres.

Et Claudiano, ubi de Eutropio ait, *l.* 1. *v.* 45.

—— —— rapitur caſtrandus ab ipſo
Ubere, ſuſceptum, matris poſt viſcera, pœna.

Sed & adultos exſecabant. Idem Statius, *l.* 4. *Sylv.* 3. *in Via Domitiana*, *v.* 13.

Qui fortem vetat interire ſexum:
Et Cenſor prohibet mares adultos
Pulchræ ſupplicium timere formæ, &c.

Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium d. l.* & plura hanc in rem infrà ubi de *Eunuchis* & *Spadonibus.*

CASTRATIUS, cùm tempore Syllanæ diſſenſionis Placentiæ gereret magiſtratum, & Cn. Carbo Conſul Marianarum partium obſides peteret Placentinos, ne Placentia ad Syllam deficeret, negantique Caſtratio dixiſſet, multos ſe habere gladios: *At ego annos*, reſpondit. Val. Max. *l.* 6. *c.* 2. *ex.* 10.

T. CASTRATIUS, Rhetoricam Romæ docuit, ubi locum principem declamandi ac docendi habuit, ſummâ authoritate gravitateque vir, & à D. Hadriano ob mores atque literas ſpectatus. Lege *Caſtricius*, & vide diſcipulum ejus Gellium, *l.* 11. *c.* 13. & *l.* 13. *c.* 21. ubi ſeveritatem ejus, contra duos Auditores [illegible] natos, exponit.

CASTRENSES Ludi, vide infrà *Ludus.*

CASTRENSES Miniſtri, apud Æl. Lamprid. in *Alexandro Severo*, *c.* 41. *Aulicum miniſterium in id contraxit —— ita ut annonas, non dignitatem, acciperent fullones & veſtitores & piſtores & pincernæ, omnes Caſtrenſes Miniſtri, quemadmodum*, &c. iidem cum *Aulicis miniſtris & Palatinis miniſtris*, quibuſdam ita dicti ſunt, quod in *Caſtris*, h. e. in comitatu Principis, verſarentur. Sed hoc ſi eſſet, etiam Corporecuſtodes Protectores & Domeſtici, qui latus Principis protegebant & militiam ſequebantur armatam, iſto potius nomine fuiſſent dicti: quos tamen conſtat nunquam ita fuiſſe vocatos. Imò nec omnes, qui Palatinorum matriculis annotabantur, hoc nomen habuêre. Nam qui in ſcriniis Imperatoriis militabant, *h. e.* Memoriæ, Epiſtolarum, Libellorum &c. in numero ac ſub nomine *Caſtrenſium* miniſtrorum nunquam fuerunt. Sed nec Admiſſionales, nec Cubicularii, eâdem appellatione cenſebantur. Aliquot Miniſtros ex iis, qui propriè *Caſtrenſes* dicti, nominat Lampridius *l. c. Fullones*, *Piſtores*, *Veſtitores*, *Pincernas*. Præter quos & Coci, & *Piſcatores*, & *Balneatores*, & *Curſores* etiam, ac cæteri, qui propriè *Miniſtri* vocabantur & aliquod miniſterium in Aula gerebant, ſic appellati ſunt. Corippus eos, ſic deſcribit ac enumerat:

Adſunt obſequio caſtrorum turba virorum.
Illis ſumma fides, & plena licentia ſacris
Deſervire locis, atque aurea fulcra parare,
Regales menſas epulis onerare ſuperbis,
Conſervare domum, ſanctumque intrare cubile,
Internas munire fores, veſteſque parare.

Ubi tamen *caſtrorum* legit Car. du Freſne, Eunuchoſque hîc intelligit. Hinc *Caſtrenſem* Miniſtrum exponunt *Gloſſæ* Græcorum: Καστρήσιος, [illegible]. Eadem *Caſtrenſem* vocant, qui mandata Principis exſequeretur, Καστρήσιος, [illegible], & pro *Magiſteriano* eum accipiunt. Exſequendis enim Principum mandatis, maximè adhibiti Magiſteriani vel Agentes in rebus, Μαγιστριανοὶ, ὁ Καστρήσιος. Alibi namque Μαγιστριανοὶ etiam *Mandatorem* exponunt unde eſt, quòd eædem Gloſſæ *Caſtrenſem* [illegible] interpretantur. *Sacri Palatii Miniſteria* iidem dicuntur, in Cod. Theodoſ. & *Sacro Miniſterio Deputati*, Cod. *de Caſtrenſian. leg.* 4. Militabant autem ſub *Caſtrenſi ſacri Palatii*, qui & *Caſtrenſis* ſimpliciter dicebatur, *l.* 3. Cod. *Theodoſ. de privileg. eorum, qui in ſacr. Pal. mil.* & ſeparantur à Palatinis ſcriniorum & ab Admiſſionalibus & Largitionalibus Palatinis. *ead. leg.* ut & *lib.* 7. *tit. eod.* Dicti & *Miniſteriani* vel *Miniſteriales*, quòd de ſacro miniſterio eſſent, unde tit. in Codice, *de Caſtrenſibus & Miniſterianis*, &c. Appellatos autem *Caſtrenſes* miniſtros Palatinos vult Salmaſius, quòd ſemper adeſſent Principi, nec tantùm in Aula, vel in Urbe, ſed in caſtris etiam, obſequium illi ac miniſterium exhiberent, & in omnibus expeditionibus, eum ſequerentur. Nam quocunque iret Imperator, id *Expeditio* vocabatur, ut videre eſt apud Spartian. in *Pio*, *c.* 7. & Conſtantinum *de Palatinis*. Adeoque illi *Caſtrenſes* ſunt Aulici miniſtri, qui ab officiis Palatinis & ſacris ſcriniis, uti dictum, ſeparantur. Vide *l.* 15. Cod. *de erog. milit. ann.* aliàs quoque *Caſtrenſiani*, & *Miniſteriani* & *Miniſteriales* dicti. Unde Recentioribus *Miniſteriales* Regum, Ducum, Comitum dicuntur, *Caſtrenſes* & expeditionales ſervi, qui Dominos ſuos in expeditionibus ſequerentur, & ſemper præſto eſſent in bellicis actibus. Vide in *LL.* Burgundionum, in *Capitulis* Caroli M. & infra in voce *Miniſteriales*, it. *Palatini*. Quia verò inter *Caſtrenſes* etiam Veſtitores erant, uti patet ex loco Lampridii *cit.* & *Cod. de Caſtrenſibus & Miniſterianis*, *l.* 3. inde Κουβικουλάριοι vocârunt, Græci recentiores. Miniſterianos Pontificis vel Patriarchæ, qui eum veſtiebant, Codinus *de Officiis Aulæ Conſtantinopol.* Johann. Epiſcopus in *Reſp.* Alii, &c. Vide Salmaſ. *Notis ad Æl. Lamprid. in Alexandro Severo. loc. cit.*

CASTRENSIS, qui & *Comes Caſtrenſis*, dignitas olim Palatina, qui *Caſtrenſibus* ſeu *Caſtrenſianis* præerat, eratque ſub diſpoſitione Præpoſiti ſacri Cubiculi, uti colligit Car. du Freſne ex *l.* un.

Cod. Theodoſ. Qui à prabit. tiron. Sub ejus verò diſpoſitione erant *pædagogia, miniſteriales dominici. Cura Palatinorum*, ut eſt in *Notit. Imperii.* Meminit præterea officii ejus, *l.* 1 2 *Cod. Theodoſ. de Caſtrenſianis*, *l.* 12. *de Palat. ſacr. largit.* &c. Vide ſuprà in voce *Caſtrenſes.*

CASTRENSIS Corona, dabatur apud Romanos olim, qui primus hoſtium *Caſtra* pugnans introiſſet. Et hæc quidem frondea antiquitus. Plin. *l.* 16. *c.* 4. *Romulus frondeâ coronavit Hoſtium Hoſtilium, quòd Fidenam primus irrupiſſet.* Dein aurea fuit, cujus inſigne vallus, A. Gellius, *l.* 5. *c.* 6. Caſtra enim, obſtructis portis, non aliâ ratione poterant capi, quàm dejecto ac ſuperato vallo. Unde & *Vallaris* dicta. Val. Max. ubi de caſtris Lucanorum & Brutiorum, expugnatis à C. Fabricio Conſ. *l.* 1. *c.* 8. *ex.* 6. *Poſterò die cùm Conſul inter honorandos —— vallarem coronam ei ſe ſervare dixiſſet, à quo caſtra erant oppreſſa*, &c. Auferebat illa, uti & muralis, reliqua dona militaria, unde non niſi præcedente accuratâ inquiſitione conferebatur. Sueton. *Aug. c.* 25. *Dona militaria aliquanto faciliùs —— quàm vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat. Has quam parciſſimè & ſine ambitione, ac ſæpe etiam caligatis, tribuit.* At poſteà ſeneſcente jam ac decreſcente Imperio, ut pleraque alia, ita tantæ quoque rei decus ad illos cœpit transferri, qui vix nunquam caſtra viderant, ſed ſolùm erant in comitatu Principis; adeoque non tam virtute, quàm gratiâ & favore Principis, more ſenſim recepto, iis præmiis, quæ non meruerant, donabantur. Cujuſmodi ſunt illæ *Caſtrenſes corona*, de quibus Tertullian. *de Coron. mil. Eſt & alia*, inquit, *militia regiarum familiarum. Nam & Caſtrenſes appellantur munifica, & ipſa ſolemnium Cæſarianorum.* Vide Car. Paſchalium *Coronar. l.* 7. *c.* 3.

CASTRENSIS Pagus, ſeu Comitatus, in Belgica ſecunda, ad flumen Moſam, memoratur in diviſione regni Ludovici Pii. In hoc Doncherium, Calvus Mons Caſtellum diœceſeos Remenſis *Chaumont*, à Doncherio 7. leucis diſſitum, 2. à Caſtro Portiano: Vicus Caſtricenſis, unde Pago nomen, Maceriæ, &c. Quidam ad flumen *Barr* poſitum, & uſque ad Moſam amnem, cui Doncherium adjacet, pertinuiſſe dicunt. Barus autem fluv. alluit vicos Barum, Bosilum, Solium, Novam villam, & paulo infrà in Doncherium in Moſam evolvitur. Hodiè nomen Comitatus Caſtrenſis exolevit, cum Reiteſtenſi Comitatu confuſi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CASTRIANI, populi ab Aureliano Imperatore magnâ ex parte interempti. Vopiſc. *in Aurelian. c.* 30. *Nic. Lloydius.* Verba ejus ſunt, *Monetarii —— compreſſi ſunt, ſeptem millibus Hiberorum, Riparienſium & Caſtrianorum & Daciſcorum interemtis.* Meminitque Riparienſium & *Caſtrianorum* Codex Theodoſ. *l. ult. de re milit.* Sed *Caſtricani* ibi nominantur, Salmaſ. *ad Vopiſcum. loc. cit.* Hodie milites Turcarum infimæ ſortis, qui, ad Janizerorum dignitatem non aſpirantes, in caſtris urbibuſque præſidiarios ſolùm agunt, Turciſque *Neferides*, vel *Iſarlides*, appellantur, *Caſtriani* Græcis dici, notat Jac. Sponius, *Itiner. Græc. Part.* 2 *p.* 132.

CASTRILOCUS, aliàs à ſitu *Montes*, vulgò *Mons en Hainaut*, olim *Caſtrilucum*: ubi antehac cœnobium nobile Monachorum, hodie Canonicarum nobilium. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CASTRIMONIUM, oppid. Vulſcorum, in Latio, nunc forſan *Caſtro*, in Campania Romana, versùs Lirim fluvium & confinium regni Neapolitani, medium inter Aquinum & Pipernum, 12. milliaribus ab Alatrio, & tandem à Sora in auſtrum, 20. autem à Signia in ortum.

CASTRIOTUS Georgius, vide *Georgius.*

de CASTRO, ramus eſt ſereniſſimæ Familiæ Portugallicæ, ab Alfonſo, è Burgundiæ veterum Ducum, atque ita è Regum Galliæ Capetinorum familia oriundo, qui floruit A. C. 1139. fundatæ. Hujus progenies maſcula cum defeciſſet in Ferdinando A. C. 1383. gener ejus Johannes Caſtellæ Rex regnum ſibi vindicavit, contra quem electus Johannes Ferdinandi frater nothus, ſceptrum ad poſteros propagavit; donec extinctô Sebaſtianô A. C. 1578. maſculus legitimus nullus ſupereſſet: quô factô Philippus II. Hiſpaniæ Rex regnum occupavit. Sed ſub nepote ejus Luſitani, Caſtellanorum imperium pertæſi, ex Brigantinis (qui ex notho Johannis Regis orti, per fœminam quoque ad Emanuelem Regem genus referebant) Johannem Regem eſſe juſſerunt, ut alibi viſum. Cujus patruus Edoardus, ex Beatrice *de Toledo-Oropeſa* hærede, filium habuit Ferdinandum, Toleto Oropetanorum progenitorem. Inter reliquas lineas è Brigantinis deſcendentes, domus quoque eſt *de Caſtro*, à Dionyſio Jacobi Ducis Brigantini fratre orta. Hic enim Ferdinandi II. Ducis Brigantiæ, A. C. 1485. extincti filius, ex Beatrice de Caſtro, genuit Ferdinandum *Ruis de Caſtro Comitem de Lemos*: quô & Tereſâ *de Andrada Comite de Villalva*, natus Petrus Fernandez *de Caſtro Andrada Comes de Lemos*, pater fuit ex Leonora de Cueva, Ferdinandi Roderici ſeu *Ruis*, extincti A. C. 1601. cujus, ex Catharina *de Sandoval*, filii fuêre Petrus *Fernandez* Comes *de Lemos* Marchio *de Sarria* (uxor Catharina *de Sandoval & Roxas*) Franciſcus Dux *de Tauriſano* (extinctus A. C. 1637. maritus Lucretiæ Gatinaræ Legnanæ) & Ferdinandus Comes *de Gelves*, (cui uxor obtigit Leonora *de Portugallia de Gelves*) Spener. *Tom. I. p.* 6.

de CASTRO Ludovicus, vide *Ludovicus.*

de CASTRO Paulus, vide *Paulus.*

CASTROCOMIUM, Iberiæ locus. *Cedrenus.*

CASTRODUNUM, vulgò *Chateau-Dun*, urbs Galliæ, caput regiunculæ Dunenſis, olim *Urbs-clara* ſeu *Ruberclare* dicta. Hic à Sigeberto Rege Prometo Epiſcopo conſtituto, Pappolus Epiſcopus Carnutenſis reſtitit, A. C. 573. Vide Gregor. Turon. *l.* 7. *T. V. Conc.* Ducheſnium, *antiq. Urb. Gall. c.* 4. *de Ballivatu Bleſenſi.*

CASTRORUM Præfectus, vide *Præfectus*, it. *Principia.*

CASTROZARBA, Thraciæ oppid. *Procopius.*

CASTRUCCIUS Caſtracanus, Tyrannus Lucenſis, Piſtorium cepit, à Johanne XXII. excommunicatus, A. C. 1326. Filii ejus duo à Ludovico Bavaro pulſi. Antonin. *tit.* 21. *c.* 5. §. 6. Macchiavellus, *in vita ejus.* Blondus, Villanius, Sabellicus, Leand. *deſcr. Italiæ.*

CASTRUM, vulgò *Caſtro*, urbs fuit Hetruriæ, Ducatus Caſtrenſis caput, Ducis Parmæ anteà, munita, & Epiſcopalis; ſed ab Innocentio X. Pontifice Romano funditùs everſa & deleta fuit A. C. 1646. & ejus Epiſcopatus Aculam translatus, erat juxta amnem Olpitam, 13. milliaribus ab ora maris Tirrheni, & paulò minus à Soanâ in auſtrum, uti à Tuſcania in occaſum. Ab eâ regiuncula adjacens dicta fuit *Stato di Caſtro*, eſtque inter agros Senenſem ad occaſum, & Urbevetanum ad Boream, Patrimonium D. Petri ad ortum, & mare Mediterraneum in auſtrum, nunc in ditione Romani Pontificis. Altera autem urbs Caſtrum dicta, in Salentinis, eſt Caſtrum Minervæ Vide ibi.

CASTRUM, ſeu Caſtrum Albienſium, vulgò *Caſtres*, urbs Galliæ, in Occitania, ad Acutum fluvium, Epiſcopalis facta A. C. 1317. à Joh. XXII. ſub Archiepiſcopo Bituricenſi. 6. leucis diſtat à Carcaſſona in Boream Albigam versùs, à qua tot leucis diſſita, & 10. à Toloſa.

CASTRUM, urbs Siciliæ exciſa, apud Arcanum oppid. teſte *Faz.* ab Alantio 15. mill. paſſ. in Cæciam. Patria Epicharmi.

CASTRUM ad Lædum, ſeu Caſtrum Lidium, vulgò *Chateau du Loir*, oppid. Galliæ, in Cenomanenſi provincia, ad Lædum fluvium. Sedet inter Turones ad 8. leucas, & Cenomanum ad 9. circiter, prope confinia Turonenſis agri.

CASTRUM Alin, vulgò *Chaſtel Allion*, ad Oceanum, in priſcis Santonum finibus, non procul Rupellâ: diœceſi huic nunc attributum, & cum Rupella, aliiſque locis Santonicæ diœceſi exemptum, poſtquam ſedes Malliacenſium Epiſcoporum apud Pictones aucta, & Rupellam tranſlata eſt. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CASTRUM Altum, vulgò Caſtralle, teſte *Bruthero*, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis, medium inter Saguntum ad meridiem & Carthaginem veterem ad ſeptentrionem cæde Amilcaris memorabile, Liv. *l.* 24 *c.* 41. in regno Valentiæ *Floriano* autem eſt *Caſtel Seras.*

CASTRUM Aragonenſe, vulgò *Caſtel Aragoneſe*, urbs Sardiniæ inſulæ, in parte Boreali, ſat ampla & culta, totiuſque inſulæ poſt Calarim prima, & probè munita, in ora littorali, prope oſtia fluvii Aragonenſis; cum portu ſatis capaci. 24. milliaribus diſtat à Saſſari in Boream, 80. ab Arborea, & 100. circiter à Calari pariter in Boream. Aliàs Tibula dicta fuit.

CASTRUM Bononienſe, vulgò *Caſtel Bologneſe*, oppid. Italiæ, in ditione Bononienſi, quanquam in Romandiola inſertum, in via Æmilia, inter Imolam & Faventiam, ſub dominio Summi Pontificis.

CASTRUM Briandi, vulgò *Chaſteau Briant*, oppid. Galliæ, in Britannia, versùs Andegavenſem provinciam, 10. leucis à Nannetis in Boream, cum caſtro antiquo.

CASTRUM Brientii, in Britannia minori à Brientio conditore vel domino. Vulgò *Chaſteau briant.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide *Caſtrum Briandi.*

CASTRUM Brittonum, Scriptor. Scot. *Dunbritton*, oppid. eſt Scotiæ, in Levinia provincia, cum arce munitiſſima, ubi Levinus fluvius cadit in Glottam fluvium. Diſtat. 8. milliaribus à Glaſcua. Vide *Dunbretonium.*

CASTRUM Caledonium, vulgò *Dunkelden*, urbs eſt Scotiæ, ad Tavum fluv. in Perthia provincia, versùs Atholiam regionem, 10. milliaribus à Perthia urbe in Boream. Eſt Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo S. Andreæ; fuitque malè habita ab Anglis hiſce ultimis temporibus.

CASTRUM Cameracenſe, vulgò *Cattau Cambreſis*, oppid. Belgii, in agro Cameracenſi, bellis nuper deformatum. 5. leucis diſtat à Cameraco in ortum, & 2. à Landrecein, ad Sellam fluvium.

CASTRUM Caninum, vulgò *Chaſteau Chinon*, non longè à fonte fluminis Icaunæ, in diœceſi Auguſtodunenſi, cum Prioratu S. Chriſtophori Cluniaco ſubjecto. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CASTRUM Celſum, in diœceſi Nannetenſi, ad Ligerim, celebre olim, nunc *Chantoceaux.* Idem.

CASTRUM Cenſorium, ad ripam Icaunæ, non procul à Chora fluvio & Viceliaco. Vulgò *Chaſteau Sanſoy*, pro *Chaſteau Cenſoy.* Pago Nivernenſi attribuitur à *Coquillio.*

CASTRUM Corvolinum, Gall. *Corbeil.* oppid. Gall. ad fluv. Sequanam, 14. Italic. milliarib. ab urbe Pariſienſi diſſitum.

CASTRUM Doloris, *in Ceremoniali Epiſc. l.* 2. *c.* 11. Si aderit in Eccleſia *lectum mortuorum ſeu Caſtrum doloris.* Infrà, *cum quo ibant ad feretrum, ſeu Caſtrum doloris*: Dominico Macro Cenotaphium eſt, ſeu tumulus, in exequiis defuncti cadaver repræſentans, *Ideò*, inquit, *Sacerdos, qui preces recitat, & Subdiaconus cum cruce debent ſe collocare eodem in loco, in quo ſecundùm rubricas ſiſtere ſe deberent, præſente cadavere*; in *Hierolex.*

CASTRUM Francum, vulgò *Caſtelfranco*, oppid. Italiæ, in ditione Pontificia & agro Bononienſi, & medium ferè inter Mutinam & Bononiam, prope Panarum amnem. Ei adjacet Arx Urbana, ab Urbano VIII. Pontifice Maximo extructa in tutelam confinii Status Eccleſiaſtici contra Mutinenſem Ducatum.

CASTRUM Gaillardum, vel Guallardum, vulgò *Chaſteau Gaillard*, locus eſt Galliæ, prope Radipontem *Ratepont*, in Veliocaſſibus: Ejus meminêre Britto & Rigordus, apud Hadr. Valeſ. in voce *Radipons.*

CASTRUM Gandulphi, vulgò *Caſtel Gandolfo*, oppid. Italiæ, in Latio. Vide *Arx Gandolphi.*

CASTRUM Guelphum, vulgò *Caſtel Guelfo*, oppid. Italiæ, in Ducatu Parmenſi & in via Æmilia. Paucis nunc conſtat incolis; eſtque prope Tarum amnem, & medium inter Parmam & Burgum S. Domnini.

CASTRUM Gonterii, vulgò *Chaſteau Gontier*, oppid. Galliæ, in Andegavenſi provincia, ad Meduanam fluvium, in limite Cenomanenſis provinciæ, & medium ferme inter Andegavum & Lavallum. Hic diverſa Concilia, vide Lanc. Bouchelium, *nomencl. Syn. & Autor. edit.* 1609.

CASTRUM Heraldi, vulgò *Chaſtellerault*, urbs Galliæ, in Pictavenſi provincia, ad Vigennam fluvium, 6. leucis infra Pictavium, versùs Turones. Prope urbem hanc cerva militibus Clodovæi M. vadum oſtendit, contra Maricum Gothum ituris. Olim Vice-Comitatus, poſteà à Franciſco I. in Ducatum erecta & Paris dignit. in gratiam Franciſci Borbonii. Ducheſnius *aux recherches des Villes*.

CASTRUM Inui, erat oppidulum Rutulorum, in Latio, in ora littorali maris Tyrrheni. Situm inter Antium & Aphrodiſium, teſte *Brietio*.

CASTRUM Iphium ſeu Taxianum, vulgò *Chaſteau d'If*, arx Galliæ in ſcopulo, in ora Provinciæ, prope Maſſiliam urbem, undique mari cincta, parva, ſed munita.

CASTRUM Lamberti, vel *Lamperti*, verſùs Aquilonem à Ptolemaide quatuor, contra Auſtrum verò à Sandalio *Caſtro* tribus diſtans milliaribus, ſub monte Saron, juxta mare, ſitum, eſt in tribu Aſer.

CASTRUM Lidi, oppid. in Cenomanis, Turonibus finitimum, vulgò *Chaſteau du Loir*. Vide *Caſtrum ad Lidum*.

CASTRUM Lucii, in Lemovicibus, in cujus obſidione Richardus Angliæ Rex vulneratus occubuit, A. C. 1199. Vulgò *Chalus*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CASTRUM Lunæ, vulgò *Chaſteau de la Lune*, ad ripam Riſellæ, in Aulercis Eburovicibus. *Idem.*

CASTRUM Minervæ, vulgò *Caſtro*, urbs fuit Salentinorum, nunc regni Neapolitani, in provinc. Hydruntina, Epiſcopalis, ſub Archiepiſcopo Hydruntino, in ora littorali maris Ionii, aliàs malè habita à Turcis, nunc utcumque reparata & munita. 6. milliaribus diſtat ab Hydrunto in auſtrum, 9 ab Alexano in Boream. & 16. à Iapygio promontorio, centum autem & ampliùs à vico Grottaria dicto, in Calabria ulteriori.

CASTRUM Nantonis, vulgò *Chaſteau Landon*, urbecula Galliæ, in Inſula Franciæ & Vaſtinio agro, 2. leucis à Nemuſio in meridiem, & 4. à Montargio, 20. autem à Lutetia.

CASTRUM Novum, in ora Hetruriæ, Plin. *l.* 3. *c.* 5. Liv. *l.* 36. *c.* 3. & aliis, locus provinciæ Patrimonii S. Petri, in ora maris Tyrrheni, nunc Caſtrum S. Marinella dictum, in ditione Barberinorum, ut ex conjectura liquet, & ex loci diſtantia inter Pirgos & Centumcellas, cum portu aliàs capaci, ſub dominio Romani Pontificis. Caſtrum novum alterum *Blond. Leand.* eſt in Aprutio ulteriori, in ora ſinus Adriatici, nuncque tantùm ſuperſunt rudera *Calvano* dicta, ad oſtia Romani fluvii.

CASTRUM Novum, *Caſſiod. Caſtel Novo*, oppid. amplum Liguriæ, ad Iriam, ſeu Scripiam fluv. inter Dertonam urb. 5. & Ticinum 10 Boream, 20. mill. paſſ. à Gothis, teſte *Caſſiod.* ædificatum. *Baudrand.*

CASTRUM Novum, vulgò *Caſtel novo Tortonese*, quia in Dertonenſi agro. Dicitur etiam ad differentiam aliorum *Caſtel novo de Scrivia*, eſtque in Ducatu Mediolanenſi 3. milliaribus à Pado fluvio.

CASTRUM Novum item, *Vet. Inſcr.* urbs Dalmatiæ, ad ſinum Rhizonicum, Aſcrivio urbi finitima, in ora. ubi ſedes eſt Epiſcopi Riſinienſis, nunc ſub Turcis. *Baudrando Caſtel novo*, oppid. eſt Turcarum probè munitum, aliaſque à Chriſtianis tentatum irrito conatu, diſtat 10. milliaribus à Cattara in occaſum, & totidem à Rhizino, 22. autem à Budua in Boream.

CASTRUM Novum, Chriſtianorum præſidium in montanis, quæ Tyrenſi urbi ab Oriente adjacent, ſitum eſt in monte Aſer.

CASTRUM Novum Grafinianum, vulgò *Caſtel novo di Carfagnana*, oppid. amplum Italiæ, & caput Cafronianæ ſeu Grafinianæ regionis, ubi arx munita, dicta Mons Alphonſus. Subeſt Duci Mutinenſi; ſedetque versùs montem Apenninum, & prope amnem Serclum, 23. milliaribus à Lucca in Boream.

CASTRUM Novum de Strictis fontibus, ita dictum, quòd recentius eſſet aliis caſtris proximis, & fontes haberet anguſtos. Vulgò *Caſtelnau de Stretefons*, aliàs abſolutè *Caſtelnau*, 3. leuc. ab urbe Toloſa.

CASTRUM Octavianum, vulgò *S. Locat*, teſte *Merali*, pagus Hiſpaniæ citerioris apud Barcinonem urbem.

CASTRUM Porcianum, vulgò *Chaſteau Porcien*, urbecula Franciæ, in Provincia Campaniæ & Retelenſi agro, ad Axonam fluvium, Principatus titulò clara, vix 2. leucis à Retelio in occaſum, & 8. à Remis in Boream. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CASTRUM Radulfi, in Biturigibus, hodiè *Chaſteau Roux*, pro *Chaſteau Raoul vel Roul*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CASTRUM Rainaldi, vel *Reginaldi*, hodie *Chaſteau Renard*, in Turonibus, ad fluv. Brænnam, *la Brenle*. Proximum habet Buxolium, *le Boulay*, locum olim Prioratu, nunc collegiò Canonicorum illuſtrem. *Idem.*

CASTRUM Reginaldi, vulgò *Chaſteau Regnault*, caſtrum munitum Franciæ, in Retelenſi agro, in colle, cum titulo Principatus, ad Moſam fluvium, duabus leucis infra Carolopolim, in limite Leodienſis ditionis.

CASTRUM Regium, quondam dominorum Teutonicorum, quod contra Vulturnum à *Caſtro* Iudi tribus, contra Africam autem à Tabernaculo Aber Cinæi quatuor milliaribus in valle ſitum, optimis quibuſque fructibus abundabat, eſt in monte Aſer.

CASTRUM Rufum, vulgò *Chaſteau Roux*, oppidum Galliæ, in provincia Bituricenſi, Ducatus titulò inſignitum, ad Ingerem fluvium, 7. leucis ab Exolduno in Auſtrum. Dicitur etiam, & forſan melius, *Caſtrum Radulphum.*

CASTRUM S. Angeli, vulgò *S. Angelo*, oppid. Italiæ, in Ducatu Mediolanenſi, non longe a Lambro fluvio, & 7. milliaribus à Laude Pompeia.

CASTRUM S. Sidonii, locus Galliæ, in Caletis, Monaſteriò illuſtris, vulgò *S. Sens*, aliàs *S. Saens*. Diſtat ab urbe Rotomago 4. leuc. *Orderico Vitali* memoratum. Hic oritur Guarenna ſeu Warinna fluvius, inde *fluvius S. Sidonii* quoque dictus, teſte *Chronico* Fontanellenſi, *c.* 9. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Caletis*.

CASTRUM Stiliconis, vulgò *Caſtion*, teſte *Merulâ*, oppid. Inſubriæ in agro Mediolanenſi, a Mediolano 25. mill. paſſ. Vareſium versùs 7. à Stilicone viro clariſſimo Honorii Aug. ſocero, à Claudiano verſibus celebrato, nominatum, prout alia caſtra, ſive oppida ejuſdem nominis non modò in Italia, ſed in Galliis.

CASTRUM Theodorici, vulgò *Chaſteau Thierry*, urbs lepida Galliæ, in Campania regione, ad Matronam fluvium. Ducatus titulò gaudet. 10. leucis diſtat à Meldis in ortum, & 15. à Remis. Hic Concil. A. C. 933. urbe à Rodolfo obſeſſâ. Flodoard. *in Chron. T. IX. Concil.*

CASTRUM Truentinum, Cicer. *l.* 8. *Att. Ep.* 13. *Appian. Liv.* oppid. Picenis excisum, ad oſtia Truentis fluv. Vide *Truentum*.

CASTRUM Villanum, quaſi villa munita, vulgò *Chaſteau Vilain*, locus Comitatûs titulò inſignis, in finibus Lingonum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CASTRUM Vulpinum, vulgò *Chaſteau Renard*, oppidulum Galliæ, in inſula Franciæ & Vaſtinio agro, ſupra amnem *Ovaine*, 2. leucis à Montargio, & 27. à Lutetia in meridiem, ſub dominio utili Principis Auraici.

in CASTU, vel CASTO Cereris eſſe, Græcè τῇ Δήμητρι ἁγνεύειν, quid ſit, vide ſuprà in voce *Cadurcum*, item in voce *Cerealia*. Addam hic tantum, ut eò exactiùs caſtitatem ſervarent αἱ Θεσμοφοριάζουσαι hæ, *agnum* ſibi durante feſtò ſubſtraviſſe, quod inimicum id eſſet generationi: nam fœtus in utero necabat appoſitum, Salmaſ. *ad Solin.* Sed & Plinius *agnum*, eòdem fini aliis adhiberi conſueviſſe, docet *l.* 24. *c.* 9. *Græci lygon vocant*, *alii agnon*, *quoniam Matronæ Theſmophoriis Athenienſium caſtitatem cuſtodientes*, *his foliis cubitus ſibi ſternunt.* Nempe Sacra maximâ caſtimoniâ tractanda eſſe, etiam Gentiles agnovêre. Hinc Macrobius, *Saturnal. l.* 1. *c.* 23. *Vehitur enim ſimulachrum Dei Heliopolitani, ut vehuntur in pompa Ludorum Circenſium Deorum ſimulachra: & ſubeunt plerumque provinciæ proceres raſo capite, longi temporis caſtimonia puri.* Ubi, *Caſtimoniam hanc appellat ἁγνείαν & à Venereis operibus abſtinentiam*, ait Heraldus. Quo fine, Myſi & Eſſeni ἄθεοι καὶ ἄγαμοι, Galli matris Sacerdotes virilitatem ſibi adimebant teſtâ, Hierophantæ Pontificatum adepti cicutâ ſe caſtrabant; recto propiùs in Cybeles Iſidiſque *Caſto* (qui etiam propriè illarum erat) certis ſtatiſque diebus, non uſu Veneris tantum, ſed & certis ciborum generibus, libidinis refrænandæ, abſtinebant, Appulejus, *Mileſiâ* 11. *Quod enim ſedulo percontaveram, difficile religionis obſequium & caſtimoniorum abſtinentiam ſatis arduam, cautoque circumſpectu vitam, quæ multis caſibus ſubjacet, eſſe muniendam.* Ubi *Caſtimoniam* ἀκριβολογίας vocat rigidam abſtinentiam ab omni cibaria voluptate, ab animalibus, à vino, ſimulque ab illis rebus temperatum, ut ipſe *eòdem librò* poſteà explicat. Et Tertullian. *de Jejunio, adverſ. Pſychicos, c.* 11. *Xerophagias verò novum affectare officii nomen, & proximum Ethnicæ ſuperſtitioni, quales caſtimoniæ Apim, Iſidem, & Magnam Matrem certorum eduliorum exceptione purificant.* Quæ abſtinentia nonnunquam integrum menſem durabat; atque tum *tricenaria ceremoniæ*, & qui illas obſervabant, *puri menſtruo* dicebantur, *Feſtò* teſte. Imò quorundam ciborum abſtinentiæ meminit Hieronymus mox laudandus. Inter hos verò cibos panem memorat, præ cæteris, Arnob. *adv. Gentes, l.* 5 *Quid temperatum ab alimonio panis, cui rei dediſtis nomen Caſtus?* Sed quantum hypocriſeos ſub hac rigoris ſpecie latuerit, docet idemque Hieronymus *contra Jovinianum*, *l.* 2. *Apud illos*, inquiens, *jejunium panis ſaginâ carnium compenſatur.* Et magis *Epiſt. ad Lætam*, *Faciant hoc cultores Iſidis & Cybeles qui gulosâ abſtinentiâ Phaſidis aves & fumantes turtures vorant, ne ſcil. Cerealia dona contaminent*, &c. Sic Iſidis propriè Cybeleſque *Caſtus*, ut dictum: unde ad alios quoque Deos Deaſque tranſiit vox. *Caſtus* enim abſtinentia, ſeu, *temperatus a pane* primum, ut ex Arnobio vidimus, inde & ab aliis rebus à *Careo*, unde caſtus ac literarum μετάθεσις *Caſtus*, Deſid. Heraldus, *Animadverſionibus ad Arnobii locum*, qui etiam de vocibus *purus* & *caſtus* ſæpe jungi primò & pro ſe mutuo ſumi ſolitis, varia habet *ad l.* 7. Sed & caſtimoniæ obſervantes Gymnoſophiſtæ pomis, oryzâ, farinâ contenti, carnibus abſtinebant, Jovis in Creta ſacrifici in cibum nil admittebant, quod coctum eſſet, &c. Quod & Jure Pontificiò cautum erat, *Ad Divos caſtè adeunto, pietatem adhibento: opes amovento, qui ſecus faxit, Deus vindex erit.* Vide Alexandr. ab Alexandro, *l.* 4. *c.* 17 Theod. Canterum, *Variar. Lectiom. l.* 2. *c.* 21. Scaligerum, *Conjectanea ad Varronem*, & Dalechampium *Not. ad Plinium*, nec non infrà *Epidaurus*, *Myſterium*, *Paraſceve*.

CASTULA, oppid. Etruriæ inter Aretium 5. & Cortonam, medium ferè intra montes, 10. mill. paſſ. non obſcurum, vulgò *Caſtiglione*, niſi ſit aliud ad lacum Thraſymenum, à priore 20. mill. paſſ. in meridiem diſtans. longitud 35. 15. latitud. 42. 40. *Baudrando* eſt, 4. milliar. à Clanii palude, ſub Magno Duce Hetruriæ. 15. milliar. in Boream ab altero oppid. *Caſtellione* dicto, juxta lacum Thraſimenum, in agro Peruſino, in ditione Pontificia.

CASTULA, palliolum ſive præcinctori, quò nudæ infra papillas præcingebantur mulieres, tuniculis poſtquam ſubuculis uti deſierunt, vide Varronem, *de Vita Pop. Rom. l.* 1. Plautum, &c. Alii pro *Caſtula*, apud Plautum *Caltula* legunt, de qua Nonius: *Caltulam*, inquit, & *Crocotulam*, *utrumque à generibus florum translatum*, *à caltha & à croco.* Octav. Ferrarius *de re Veſtiar. l.* 3. *c.* 20.

CASTULO, urbs olim Epiſcopalis, nunc pagus Hiſpaniæ

Tarraconenſ. *Appiano*, Κασάλων, *Straboni* corruptè Κλαστῶν, & Καστάλων, & Καστλαν. *Artemidoro*, *Polybio* & Stephano Κασταλῶν. Ejus meminit Silius, *l.* 3. *v.* 30.

> *Caſtulo Phœbei ſervat cognomina vatis.*

Et paulo pòſt, *v.* 391.

> *Fulget præcipuis Parnaſſia Caſtulo ſignis.*

Populi *Caſtulonenſes* Plinio, *l.* 3. *c.* 3. Oretanorum urbs maxima eſt (inquit Bochart. *l.* 1. *Chanaan. c.* 34.) Bæticæ finis verſùs Orientem, ubi Bætis ne ſcaphis quidem eſt pervius, propter confragoſas crepidines, quibus utrimque obſidetur. Res expreſſa in Strabone, qui, poſtquam Bætin ſtadiis fere quingentis Hiſpalin uſque, ὁλκάσιν ἀξιολόγοις, onerariis grandioribus, navigari docuit, & minoribus uſque ad Ilipam & Cordubam uſque ſcaphis, Τὸ δ᾽ ἄνω, inquit, τὸ ἐπὶ Κλαστῶν (lege Κασταλῶνα) οὐκ ἔστι πλώιμον: παράλληλοι δὲ τινες ῥάχεις ὀρῶν παρατείνουσι τῷ ποταμῷ. Ubi ῥάχεις ſunt rupes, ad quas fluctus cum fragore alliduntur: unde Proverbium in loquaces, ῥαχίης λαλίστερος, ripâ aut litoris crepidine loquacior. Cùm autem ad hujuſmodi ῥάχεις ſita fuerit *Caſtulo*, ut Geographus author eſt, ab aquarum fragore videtur eſſe appellata, quia קסטלא *caſtala* ab Arabibus *fluvii fragor* dicitur. Hoc ſaltem veroſimilius, quàm quod Græci fabulantur, non aliâ ratione freti, quàm vocis ſonò, Caſtalium, Caſtaliæ nymphæ filium, à qua prope Cyrrham & Parnaſſum fons Caſtalius dictus eſt, Caſtulonem in Hiſpania condidiſſe. Unde Silius, *l.* 3. *v.* 97. de Imilce uxore Annibalis, quæ Caſtulone nata erat, ut ex Livio diſcere eſt.

> ———— *Cyrrhæi ſanguis Imilce*
> *Caſtalii, cui materno de nomine dicta*
> *Caſtulo.* ———— ———

Ad Caſtulonem meminit *Strabo* fodinæ plumbi, cui argentum erat admixtum. Sed & argenti fodinas in eodem agro memorat his verbis Polyb. *l.* 10. Ἐν δὲ περὶ Κασταλῶνα τόποις, περὶ Βαικύλαν πόλιν, οὗ μέταλλον τῶν ἀργυρείων μετάλλων. Hæc *Bæcula* eſt *Obulcum Ptolemæi*, cui vicina fuit Caſtalo ad Bætim, non ad Anam, ubi deſcribunt πλωτηγραφοῦντες. Sed, in Caſtulonis ſitu, fefellit illos numerus latitudinis, qui in *Ptolemæo* corruptus eſt, ut Caſaubonus rectè obſervat. De Caſtulone plura qui volet, Livium legat, *l.* 24. *c.* 41. & *l.* 28. *c.* 13. 19. 20. Nunc tenuis vicus eſt, infra montes, ubi tranſitus *Puerto de Muradal*, inter Caſtellam novam & Andaluziam. *Nic. Lloydius.*

CASTUM Nemus, alluſum ad caſtum Cereris, apud Romanos. Fuit tamen, cùm ſuſpicarer, *Caſtum Nemus* propriam quandam appellationem Teutonicam fuiſſe, quæ arcani illius vehiculi nomen exprimeret, dictumque adeò *Caſtenwald*. Vocatur hodie ſilvæ etiam Martianæ pars, apud Briſiacum, eô nomine, an à ſimili ratione? Nam de Caſtaneis nugæ ſunt, cùm ſilva tota obſita quercubus. Ortelius locat in inſula Oceani.

CASVENTILIANI, Italiæ populi in 6. Regione. Plin. *l.* 3. *c.* 14.

CASUBULA, Gallis *Chaſuble*, Siculis etiamnum *Caſubula*, veſtis eſt Sacerdotalis in Eccleſia Romana, eadem cum *Caſula* & *Planeta*: dicta à *caſa*, quòd totum hominem, ut *caſa*, tegat. Nempe veſtis hæc olim totum Sacerdotem à collo ad pedes ambibat, atque adeò brachia ipſa & manus tegebat: ita ut, ſi iis ad ſacra facienda vellent uti, neceſſum haberent *Caſulam* ad utrumque latus erigere, aut fibulâ cohibere, uti Car. du Freſne docet ex Ruperto. Erat autem veter. Caſulis Pallii Archiepiſcopalis figura annexa, quomodo hodieque complures habentur, in majorum Templorum ſecretariis, in quibus circa collum limbus alterius coloris ante & retro pendulus aſſutus conſpicitur, ubi hodie retro tantùm in crucis atteritur figuram. Vide Gregorii M. imaginem ex muſivo expreſſam, quæ habetur poſt ejus *Vitam*, à Joanne Diacono exaratam, & Epiſcopi alterius in S. Germani Pratenſis Templi porticu & ſimiles, quæ Romæ in veter. Ædibus ſacris viſuntur. Quia itaque rotunda & clauſa fuit ex omni parte revolvique toties ac replicari neceſſe habebat, quoties ſacra peragenda eſſent, factum eſt, ut Latini eam paulatim in latere reſcinderent, ut hodie non ampliùs *Caſula*, ſed Monachici ſcapularis formam præ ſe ferat. Græci verò hodieque antiquam formam mordicus retinent: atque iis intexunt, ad modum crucis quadruplicatæ, literam *Gamma*, hincque πολυσταύριον, h. e. *multicrucem* & *gammadium* vocant. Iidem ſolâ *Caſolâ* induti, abſque Alba, ſacra faciunt, &c. Sed & in genere *Caſula* omnibus Clericis, apud Amalarium, *de Eccleſ. Offic. l.* 2. *c.* 19. Diaconiſque tribuitur, in Concilio Liptinenſi *can.* 7. Vide Honor. Auguſtodunenſem, *l.* 1. *c.* 131. Pro habitu Monachico ſumitur, adeoque pro ipſa cuculla, apud Theodemarum Abbatem, & Auctorem *Vitæ* S. Fulgentii Epiſcopi Ruſpenſis, *c.* 18. Vide Haëftenum, *Diſquiſitionum Monaſtic. Tract.* 3. *diſquiſ.* 1. Imò famulis ac viris privatis tribuit Procopius, *Vandalicor. l.* 2. *c.* 26. ἱμάτιον ἀμπεχόμενος ὅτε στρατηγῷ ὅτε ἄλλῳ στρατιώτῃ ἀνδρὶ ἐπιτηδείως ἔχον, ἀλλὰ δούλῳ ἢ ἰδιώτῃ πρέπον ὄν, κασούλαν αὐτὸ τῇ Λατίνων φωνῇ καλοῦσι Ῥωμαῖοι, *Veſte indutus, quæ nec Duci exercitus, nec militi, ſed ſervo potius aut idiotæ conveniret*: Caſulam *Latinâ voce*, *Romani vocant*. Mulciber inſuper ſervi, Carolus Macer, ex antiquis picturis in muſivo Tribunæ S. Cæciliæ Tranſtyberinæ regionis, &c. Vide Macrum utrumque in *Hierolex.* & Car. du Freſne in *Gloſſar.* quorum hic vocis originem nonnullis arceſſi, à Græco καυνάκης vel καύνακος & καύνακες, quæ *Polluci* & *Heſychio*, aliiſque Grammaticis ἐσθῆτα παχεῖαν, *veſtem craſſiorem*, ſonet, apud *Xenophontem* imprimis, addit, ex Salmaſio *ad Solin. p.* 966. Vide & hic infrà.

CASUENTUM, fluv. in ſinu Tarentino. Plin. *l.* 3. *c.* 11. quem Leander *Vaſento* dici ait, in Calabria ſuperiore eſt. *Baſientum* Diaconus vocat. *Baudrando* Lucaniæ fluv. trans Apenninum eſt, nunc Baſilicatæ provinc. inter Bradanum & Acalandrum. In ſinum Tarentinum ſe exonerat, 24. milliarib à Tarento in Occaſum *Barentinum amne* eſt apud *Jornandem*, ſub cujus alveo Alaricus Gothorum Rex ſepultus fuiſſe dicitur. Fuit etiam *Caſuentum*, vel *Caſuentum* Colonia Romanorum, teſte *Frontino.*

CASULA, Africæ propriæ urbs. *Ptol.*

CASULA, idem cum Planeta, veſtis Sacerdotalis, quæ circumcirca totum ambit corpus, rotunda ac per totum clauſa, uno circumjectu totum involvens corpus, ſicque utrumque ſtringens brachium, ut niſi à lateribus utrôque pariter brachiô ſublevari poſſit. Iſidor. *l.* 19. *c.* 28. *Caſula eſt cucullo, à caſa, quod totum hominem tegat, quaſi minor caſa*; elegantiâ ejus ære propriâ. Gemma Animæ, *c.* 207. *Caſulam*, ſcribit, *omnibus aliis veſtibus circumjicio, quæ Planeta dicatur, quod errabundus limbus ejus utrimque in brachia ſublevetur. Hæc in pectore, & inter humeros duplicatur, in utroque brachio triplicatur.* E quibus patet, *Caſulam* ſive Planetam, quæ olim in uſu, veſtem fuiſſe laxam, rotundam, circumcluſam, quæ totum corpus involvebat & utrimque à lateribus in ſcapulas rejiciebatur: unde togæ ſpecies fuit; à qua tamen differebat, quòd in toga dexterum brachium, quâ parte patebat ad pectus, exerebatur: ſiniſtrum ſub ipſa toga ejuſdem reductione extollebatur, Atqui in *Caſula* utrumque brachium ſubjectum, ex inferiore parte ipſam contrahendo, expediebatur. Quod fortè ideo factum, quia modeſtior & magis verecundus hic habitus fuit, quodque, ut in antiquis picturis videre eſt, non omnino exertâ nudâque manu, ſed veſte obvelatâ, res ſacræ tangebantur. Et quoniam non aliter expedire brachia poterant, quam ſubductâ *Caſula* orâ, & in humeros rejectâ; hinc factum eſt, ut inter Miſſarum ſolennia, cùm myſteria elevanda & populo oſtendenda erant, quòd *Caſula* ſeu Planeta ſic contracta utrumque brachium deprimeret, ac prægravaret, ut difficulter poſſet attolli, aræ miniſter poſteriorem ejus laciniam ſublatam ſuſtentaret, quo facilius brachia Sacerdos extolleret: qui mos nunc quoque, ſciſſâ licèt jam veſte & brachiis exertis, viget. Octav. Ferrarius *de Re Veſtiar. l.* 1. *c.* 36. & 37. Eam malè quidam cum Pluviali confundunt, quæ veſtis totum quidem hominem cooperiebat, interim aperta erat ac fibulâ nexa: quam meliùs Pænulam, Græcè φαινόλιον, in Actis Concilii Epheſini, interpretantur Eruditi. Vide eundem *ubi ſupra*, *c.* 39. & infrà in voce *Planeta.*

CASURGIS, Praga urbs, Bohemiæ totius caput. *Ptol.* longitud. 37. 20 latitud. 49. 59. *Sanſoni* verò & *Ortelio* nunc eſt *Caurzim*. Vide *Caurzima.*

CASUS & Eventa, inter Romanorum Deos, Clem. Alexandr. *Protrept. p.* 1.

CASUS Johannes, vide *Johannes.*

CASUS, inſula prope Rhodum. Phœnicibus erat קש *cas*, i. e. *ſtipula*, vel *minuta palea*, quam ventus rapit. Cur autem inde dicatur inſula *Caſus*, ſibi non conſtare, ait Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 7. Tantùm conſtat ſic dici, quia Caſi aliud nomen eſt *Achne.* Plin. *l.* 5. *c.* 31. *Rhodiorum inſulæ Carpathus, quæ mari nomen dedit, Caſus, olim Achne, &c.* Achne ſcil. Græcis id ipſum eſt quod Ebræis קש *cas. Heſych.* Ἄχνη, ἡ ἄχυρον, i. e. *palea. Nic. Lloydius.*

CASYTAS, Græcè Κασύτας, nomen Syriacæ herbæ, apud Theophraſtum & Plinium, quæ in aliena terra naſcitur, non arboribus modò, ſed etiam ſpinis, ſeſe circumvolvens; Quemadmodum epithymon ſtœbæ innaſcitur, phaunos oleaſtro depurato, &c. Sine radice enim eſt, ut pleraque herbæ, quæ alienis ſtirpibus innaſcuntur. Hodie *cuſcuta* dicitur, Arabicè *Caſuth.* Vide Theophraſtum imprimis *de Cauſis*, *l.* 2. *c.* 22. & Salmaſ. *ad Solin. p.* 1290. nec non ſuprà in *Caſſutha.*

CATABANES, populi Arabiæ deſertæ, quos Strabo, *l.* 6. *Catabanenſes* vocat. Horum regionem Eratoſthenes thuriferam eſſe perhibet; Φέρει δ᾽, inquit, λιβανωτὸν μὲν ἡ Καταβανία. Plin. *l.* 12 *c.* 14. ſolùm thus ſcribit avehi per Gebanitas (nam Catabanos & Gebanitas eoſdem eſſe veriſimile videtur) *Evehi*, inquit, *non poteſt*, niſi per Gebanitas, itaque & eorum Regi pendimus vectigal. Unde nomina; *Gaba* enim vel *Geba tributum exigere*, & *Catab*, vel *Cetab ſcribere* ſignificat. Putat igitur Bochartus, *l.* 2. *Phaleg*, *c.* 21. Syros mercatores gentis avaritiam his epithetis potius, quàm nominibus ſegillâſſe, quòd videretur modum excedere in aromatum, quæ efferebantur, deſcriptione, & vectigalium exactione. Unde ſequitur in Plinio, *Sunt & quæ ſacerdotibus dantur portiones, ſcribiſque Regum certa.* Obiter emendabis Dionyſium, *v.* 959. ubi vulgò Καμβάνοι corruptiſſimè, lege Καταβανοί. Sic duo Interpretes Priſcianus,

> *Minæique maris prope Rubri litora vivunt*
> *Atque Sabæ, poſt hos nec non habitant Catabeni.*

Feſtus Avienus,

> ——— *Rutili conterminna ponti*
> *Minæi, Sabæaque tenent ſuperi, impiger ampla*
> *Æquora diſſulcat gleba dein Catabenus.*

Idem *Nic. Lloydius.* Salmaſio una hæc fuit ex quatuor gentibus præcipuis Arabiæ Felicis ſeu odoriferæ; ad Occidentem, prope fauces Arabici Sinus, ſita: ex *Stephano*, Καταβανία, χώρα τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας. Qua de gente, vide eum pluribus agentem *ad Solinum p.* 48. & *ſeqq.*

CATABAPTISTÆ, apud Calvinum *Inſtitut. l.* 4. *c.* 15. §. 16. iidem cum Anabaptiſtis ſunt, qui errorem Novatianorum ac Donatiſtarum, *de Baptiſmo infantum*, jam olim exploſum, præteritò ſeculô renovârunt: refutati à quamplurimis graviſſimis Theologis, inter quos vide imprimis Frid. Spanhemium, *Syntagm. Part.* 2. *Diſp. de orig. & progr. Anabaptiſtarum*, & *ſeqq.*

CATABARBARA, locus in Exquilino urbis Romæ monte, ubi Ædes erat S. Andreæ, hodie in Hoſpitali S. Antonii Abbatis incluſa; dictus ex voce Græca κατὰ & quadam Barbara Patricia, quaſi *prope ſeu*

verſus locum Barbara. Sic *Catagalla*, nomen itidem loci Romæ, apud Anaſtaſium, h. e. *prope locum Galla matrona*. Latini namque præpoſitionem Græcam Κατὰ, ſequiori ævô ſuam fecerunt, pro *ad*, *juxta*, *verſus*, *ſecundum*, eam uſurpantes. Vide Macrum in *Hierolex*. & Car. du Freſne *Gloſſar*. nec non infrà voce *Katapopa*.

CATABATHMUS, urbs olim, nunc pagus Marmaricæ litoralis inter Cyrenem ad occaſum, 174. & Paratonium ad ortum 129. mill. paſſ. *Antonin*. Carta Moleto, *Capo d'Alber* Theveto. Mela, *l*. 1. *c*. 8. *Catabathmos vallis devexa in Ægyptum finit Africam*. Salluſtius vocat *declivem altitudinem*, ſed non addit, in quam partem vergat iſta declivitas. Inquit enim *in Jugurthino*, *c*. 17. *Africam habere ob ortu ſolis declivem altitudinem, quem locum Catabathmon incolæ appellant*. Καταβαθμὸς vocat Æſchylus in *Prometheo*, ridiculè verò ponit ad fontes Nili. Sed ignoſcendum hoc Æſchylo, qui non major inter Græcos fuit Geographus, quam fuerunt apud Romanos vel Seneca, vel Lucanus. Non rectè verò interpres Solini hunc Catabathmum, qui terminus fuit Cyrenaicæ, arenoſum fuiſſe colligit, ex loco illo Stephani, Καταβαθμὸς τόπος, ὡς Λιβύη, μεταξὺ τοῦ Ἀμμωνος καὶ τοῦ Παραιτονίου. Locum enim iſtum non poſſe accipi, niſi de Catabathmo parvo, nemo, ut opinor, negabit. *Iſ. Voſſ.*

CATABOLENSES, in *rubr. Cod. Theodoſ. de Piſtor. & Catabol. l*. 14. *tit*. 4 *& ubi. tit. leg*. 9. Budæo in *Annotat. poſterior*. ſunt qui panes exercitui præſtiterunt, ἀπὸ τοῦ καταβάλλειν, i. e. *ſolvere*, præſtare. Et rectè καταβολὴ, in *Gloſſis Græco-Lat*. ἡ ἀπόδοσις eſt, *ſolutio, præſtatio*. unde *catabolum*, pro eodem, in *Geſtis Dagoberti Regis*, c. 18. & in *Ch*. ipſa Dagoberti vel potiùs Chlodovæi III. apud Mabillonium, *Actorum Ordinis S. Bened. Tom IV. p*. 618. 622. At aliud ſuadet locus Caſſiodori, *Var. Epiſtol. l*. 3. *ad Feſtum V. I. Patric*. *Atque ideò magnitudini tuæ præſenti admonitione declaramus, ut marmora, quæ de domo Pinciana conſtat eſſe depoſita, ad Ravennatem urbem, per* Cataboleuſes *veſtrâ ordinatione dirigantur*. Nempe *Catabolenſes* legendum, quâ voce intelliguntur, qui oneraria & *Catabularia* jumenta ductabant. Horum Corpus ſive Collegium in Urbe conſtitutum erat, ex libertinis hominibus, quod ideò in *Cod. Theod*. jungitur Corpori & Collegio Piſtorum, quòd *Catabolenſes* molenda frumenta animalibus farinaſque comportarent, ut cenſet Cujacius, *Obſervat. l*. 16. *c*. 5. Confirmat id idem Caſſiodorus, *l*. 4. *Ep*. 47. *Et ideo* 50. *ſolidorum mulctam non jam veredarius, ſed* Catabulenſis *incurrat, quiſque ultra centum libras parhippum crediderit onerandum*. A voce *Catabulum* quæ & ipſa ἀπὸ τοῦ καταβάλλειν, i. e. *comportare*, originem habet. Papias, *Catabulum, clauſura animalium, ubi deſuper aliquid jacitur*. Addit Baronius ad 16 *Januar. animalium*, non quidem ſylveſtrium, *ſed jumentorum, quæ publicæ militant: ad vehenda onera, inſervirent*, vide Car. du Freſne in voce *Catabulum*.

CATABOLICI, apud Tertullianum de *Anima*, Fulgentium *de Contin. Virgil*. & Zenonem Veronenſem, Fileſaco, *Selector. l*. 1. Mathematici ſunt, quaſi Κατασυλευταὶ, à *conſulendo*, ſic dicti: Salmaſio Spiritus, qui per arreptitios & energumenos futura prædicentes, eos dejicere, affligere, proſternere, quod Græcis καταβάλλειν eſt, conſuevêre. Tres enim Deorum vel Dæmonum ſpecies ſatis disertè his verbis facit recenſetque Fulgentius, *Nec ille, qui Dardanus in Dynameris, aut Battiades in Parcdris, aut Campeſter in Catabolicis Infernalibuſque cecinerunt*: videl. *Dynameros*, *Paredros*, de quibus vide ſuò locò & *Catabolicos*, quos eoſdem cum Infernalibus videtur facere Fulgentius, vel Campeſter potiùs, qui de his librum compoſuerat. Hi itaque vel ἀπὸ τοῦ καταβάλλειν, quòd dejicerent proſternerentque, quos Numine ſuò implebant; vel ἀπὸ τῆς καταβολῆς, h. e. *acceſſione & afflatione cum impetu*; quòd derepente irruerent & vates ſuos corriperent, ſpirituque implerent fatidicô, nomen invenêre. Καταβολὴ enim ἐπίπνοιαν Θεοῦ καὶ κάθοδον ſeu κατοχὴν dæmonis ſignificat, teſte Polluce, *l*. 1. *c*. 18. Similiter καταβολὴ πυρετοῦ, *acceſſio febris* eſt, apud Medicorum filios. Vide Salmaſ. *Notis ad Spartian. in Hadriano Caſ. c*. 14.

CATABOLUM, Ciliciæ urbs. *Antonin*.

CATACAUMOS Illiacus, h. e. Trojæ incendium, titulus Carminis, quod Nero, item Lucanus, compoſuêre. Idem *ibid*. Simile quid de Hadriano conjicit Caſaubonus, qui, ubi Spartianus, c. 16. habet, ſcripſiſſe eum *Catacrianos libros obſcuriſſimos*, pro *Catacrianos* legi vult, *Catacaumos*, ſeu *Catacauſmos*, & multifariam exponi poſſe hunc titulum: Vel, quòd Orbis terrarum incendium, quod Phaëthontis temeritate accidit, eô opere deſcripſiſſet; vel quod Heracliti & aliorum Philoſophorum ſententiam, de futura conflagratione, quâ totum hoc periturum pronuntiabant, iſtis libris tractâſſet, contendit. Certè utrumque horum duorum argumentorum, ſive incendii Poëtici, ſive Heracliteæ ἐκπυρώσεως, cujus meminit Marcus Imperator, *l*. 3. intextis Lycophroneô more fabulis antiquis, obſcuritati fuit capaciſſimum. Vide Caſaubon. *Not. ad loc*. Aliter tamen Salmaſ. *ad eund*. judicat, uti videbimus infrà, in voce *Catacrianos*.

CATACECAUMENE, Phrygiæ regio, quam alii Myſiæ, alii Mæoniæ aſcribunt, ut videre eſt apud *Strabonem*. Sed eandem Phrygiæ *Heſychius* tribuit vocabulû Κεκαυμένη. Ἄγαν, inquit, ἐστὶ τὴν Κατακεκαυμένην τῆς Φρυγίας χώραν. Diodorus item Siculus, quô locô fabulatur Ægidem belluam ignivomam à Pallade occiſam, τὸ μὲν πρῶτον φανῆναι περὶ τὴν Φρυγίαν, καὶ κατακαῦσαι τὴν χώραν, ἣν μέχρι τοῦ νῦν κατακεκαυμένην Φρυγίαν ὀνομάζεσθαι. Tam verè, quàm quod alii apud *Strabonem*, ἐκ τῶν κεραυνοβολιῶν καὶ πρηστήρων, *à fulminibus & ignium procellis*, hoc contigiſſe dicentes eò referunt fabulam Typhonis, à Jove ſcil. fulmine icti. Utut ſit, *Catacecaumene* dicitur Phrygiæ portio, circa Cayſtrum & Mæandrum & urbem Philadelphiam, de quâ Apocalypſ. c. 3. v. 7. cujus campeſtris regio eſt τεφρώδης, i. e. *cineritia*, montana autem & ſaxoſa μέλαινα ὡς ἐξ ἐμπυρώσεως, *nigra tanquam ex adustione*. Terra denique tota eſt εὔθρυπτος καὶ ψαθυρὰ, *fragilis & friabilis*, πλήρης τε ἁλμυρίδος καὶ εὐεκπύρωτος, *plena ſalſuginis, & facile inflammabilis*. *Nic. Lloydius*.

Eſt etiam inſula in mari Rubro. *Steph*. Meminit ejus Ptolemæus quoque inter Inſulas Arabici ſinus, Κατακεκαυμένη, Μαλίχου. A Latinis *Exuſta*, propter ardorem namque deſerta eſt & inhabitata. Salmaſ. *ad Solin. p*. 1240.

CATACETI, Aſiæ populi circa Mæotim. Plin. *l*. 6. *c*. 7.

CATACHYMATA, inter veter. Athenienſium ritus nuptiales, vide ubi de *Nuptiis*.

CATACIUM, Urbs ampla Calabriæ ulterioris. In colle. 3. milliar. ab ora ſinus Scillacei, a Scillaceo & Bellicaſtro 21. milliar. diſtans. Vulgò *Catanzaro*.

CATACLISTA Veſtis, apud Tertullian. *de Pallio*, c. 3. *Quanquam & pavo pluma veſtis, & quidem de cataclíſtis*: Græcè κατάκλειστος, pretioſa eſt. Ita enim Græci vocant, quidquid ſervari diligenter & clauſum teneri meretur. Sic puellas Virgines, quas tenellis aſſervandas diligentius uvis Poſita quidam ſcribit, Callimachus κατακλείστους vocat; his verſibus,

> Παῖδες αἱ κατάκλειστοι,
> Ἃς φασιν οἱ τεκόντες
> Εὐναίους ὀαρισμοὺς
> Ἔχθειν ἶσον ὀλέθρῳ.
> *Virgines occluſæ,*
> *Quas dicunt parentes*
> *Conjugales ſermones*
> *Averſari debere, tanquam exitium.*

Imò & κατάκλειστοι, dicuntur meretrices quædam dictæ, quæ carius ſe venditarent, nec paterent omnibus: *dura porta*, Horatio, *l*. 2. *Carm. Od*. 11. *v*. 21. Κατάκλειστα εἶχον τὰ βιβλία, apud *Strabonem*, de Apelliconis hæredibus, qui libros Ariſtotelis ſub clave habebant, nec in publicum exire ſinebant. Atque inde, ut dictum, κατάκλειστος, de re pretioſa, quæ non pro derelicto haberi, ſed ſtudioſè conſervari ac tutô locô concludi digna eſt. Unde *Cataclista veſtis*, veſtis ſyntheſina & in arca recondi ſolita, Apulejo, *l*. 11. *Eas amœnus lectiſſimæ juventutis, veſte niveâ &* cataclistâ *prænitens, ſequebatur chorus*. Ubi de veſte ſermo eſt, feſtivis tantùm diebus & ſolennitatibus promendâ ac ſumendâ; cujuſmodi rariores veſtes non habebantur quotidie, ſed in arcis ſervabantur. Eôdem ſenſu aurum κατάκλειστον vocat Sextus Empiricus, *l*. 1. & *cataclista vaſa*, apud Fortunatum; i. e. pretioſa: apud Eund. *cataclista fila* cara ac pretioſa ſunt:

> *Quæ manus artificis* cataclistica *fila rotavit*, &c.

Sunt tamen, qui apud Tertullianum, non *Cataclista*, ſed *Cataclita* legant, uti pluribus exequitur Salmaſ. *ad loc*. & libri omnes ſcripti editique præ ſe ferunt, vide infrà. Quin tamen *Cataclista* retineri poſſit, cùm nihil facilius ſit, quàm unicam literam revocari, quæ fortè culpâ Librarii deeſt, vix dubium eſt; quam in ſententiam non ipſe ſolùm Salmaſius aliique, ſed & Carolus du Freſne, concedit. Cui tamen veſtes *Catalista*, non ſunt eæ, quæ in arca ſervari ſolent, ut cum Salmaſio Cerda ſentit; nec quæ undique clauſæ ſunt, ut Suſanneus habet in *Collectan*. & Beroaldus *ad Appul*. Sed, quibus lapilli ac uniones inteſti ſolent, qui quodammodo in opere includuntur (vide infrà in voce *Cluſor*) atque ſic κατακλείστοις; eadem proin cum iis, quæ Phrygiô opere adornantur, quæque Latinis ſequioris ævi *Cataclyza* dictæ reperiuntur. Vide infrà in voce *Cataclyza*.

CATACLITA, apud Tertullian. *l. c*. ita enim omnes libri ſcripti ac editi conſtantes præſe ferunt, *Quanquam & pavo pluma veſtis, & quidem de cataclitis*: Græcè κατάκλιτα, *accubita* ſunt, tori nempe quibus ad menſam accumbebatur. Nam κατακλίνεσθαι, eſt ad *menſam accumbere*, & κατάκλιτον, *accubitus*: inde κατακλίτιον, *accubitum* vel *ſtibadium*. Veſtis igitur de *Catalitis*, ſic Afro fuerit veſtis cataclitorum: quibus cataclita mutatura ſternebantur, h. e. accubita, vel triclinares lecti. Et quidem *de cataclitis veſtis* non malè pavo tribuitur, quia veſtes hujuſmodi triclinares aut accubitales pictæ ut plurimum & aurô purpurâque inſignes erant. Babyloniorum imprimis periſtromatum in ſternendis accubitis olim uſus, quæ aurô & purpurâ picta fuiſſe, aliiſque coloribus mixta, nemo neſcit. Hinc & Publius Syrus pavonem, qui duobus præcipuè coloribus, aureô & purpureô, ſuperbit, Babyloniacô amictum facit; h. e. *veſte de cataclitis*:

> *Tuo palato oculoſus pavo naſcitur*
> *Plumatò amictus aureò Babyloniacò*, &c.

Salmaſ. *ad loc*. qui tamen non multum repugnat, quin de *Cataclistis* legatur, uti vidimus. Certè, *qui attentè verba Tertulliani expenderit, per cataclita materiam potiùs veſtis expreſſiſſe deprehendet*, inquit Car. du Freſne. Vide eum in *Gloſſario*, & ſuprà *Accubita*.

CATACLYZA, apud Gregorium Turonenſ. *de Gloria Confeſſ*. *l*. 2. *c*. 63. *Verumtamen calicem non mutuum, quia cataclyza in ipſo fuerant ſolidata*: Cerdæ ſunt fundus vaſis; Carolo verò du Freſne, lapilli ſolidati vaſi inſerti, opere incluſoriò & aurifabrili. Cui proin vox corrupta videtur, pro *Cataclista*, Græcè κατάκλειστα; quemadmodum iidem ſcriptores Latini ipſum opus *cataclyzoma* vocârunt. *Artem* autem *Cataclyzomatis*, eandem fuiſſe quæ Aurifabrorum, qui operibus ſuis lapillos & gemmas innectere ſeu *includere*, quod κατακλείειν Græcis eſt (unde *Cluſores* & *Incluſores*, & *Incluſorium opus*) conſuevêre, docet Arnobius Jun. in *Confl. cum Serapione*, *l*. 2. *Unum diadema video, ſed in ipſo diademate, cataclyzomatis arte gemmæ conſtitutæ*. Quod verò in ſolida materia faciebant Aurifabri, id fecêre in veſtibus Phrygiones, quibus gemmas pariter & lapillos intexuêre ac incluſêre. Hinc, uti *Cataclyza de vaſis*, Gregorius & de diademate Arnobius dixêre; ita Fortunatus in *Vita* S. Martini, *l*. 3. vocem uſurpavit, de veſtibus, cujus verſus ex Codice MS. literis Longobardicis exarato, qui in Bibliotheca Monaſterii S. Germani Pariſ. aſſervatur, hunc in modum exhibet Car. du Freſne:

Vidiſti

Vidiſti thalamum Sponſi ſuper omnia pulchri,
Compoſitum gemmis, auroque oſtroque decorum:
Quantò zona dec lapidum radiabat honore,
Cyclades aut quales cataclyces effera raſis,
Quæ paſſa ex humeris mixto chryſè Phara beryllis,
Quodve monile decus collo radiabat ut illo!

Ubi *Cataclyca raſa*, idem exponit pannos gemmis omnibuſque exornatos. Vide iterum Fortunatum, *l.* 4. ubi in veſtibus pretioſis deſcribendis occupatus eſt, & *cataclyzica ſua* memorat. Idem *permixta radiantia vellerum gemmis* iſtiuſmodi veſtes vocat, *l.* 5. quemadmodum *conſertas gemmis veſtes*, Vopiſc. *in Aureliana*, *c.* 28. *craſſiore auro ſmaragdiſque ſuperraſiſtas*, Dudo *de Moribus Normannorum*, *l.* 3. *p.* 153. laudatus præfato Carolo du Freſne in *Gloſſario*.

CATACOMBO, Guj anæ Inſul. cujus incolæ circumciſione utuntur, Tob. Pfannerus, *Syſtem. Theol. Gentil. c.* 14. §. 1

CATACRIANI Libri, apud Spartian. in *Hadriano Caſ. c.* 16. *Famæ celebris tam cupidus fuit, ut libros vitæ ſuæ ſcriptos a ſe liberto ſuo literato dederit, jubens, ut eos ſuis nominibus publicaret: nam Phlegontis libri Adriani eſſe dicuntur, Catacrianos libros obſcuriſſimos, Antimachum imitando ſcripſit*: quinam fuerint, in obſcuro eſt. Regiæ membranæ *Catacaymos* habent, Puteani codices *Catacamos*, unde Caſaubonus facit *Catacaimos*, uti vidimus ſuprà *ibi*. Scaliger *Catachrianos*, inſertâ aſpiratione, legi vult, intelligitque libros τῶν κατ' χρείαν λεγομένων: in Rhetorum enim Scholis docebantur tunc alia κατ' χρείαν, alia κατ' γνώμην, dicere. Et exercuiſſe ſe Hadrianum in illa Rhetorum Schola ac Μελέτας ſcripſiſſe, Photius in *Biblioth.* docet. Lilius Giraldus quatuor alias emendationes diverſas, quâ ſuas, quâ aliorum, in medium profert; quarum tamen ejuſmodi nulla eſt, in qua meritò judicia doctorum acquieſcant. Salmaſ. in vetuſtiſſimis Spartiani excerptis reperit *catacanna*: quam eandem lectionem in veterib. libris Turnebus ſibi notatam, teſtatur. Quomodo dici poſſet, olim ὑπ' κατ' Κάνναι ſcripſiſſe Hadrianum & hunc operis illius obſcuriſſimi titulum fuiſſe. Sic ergo legendum *loco* Spartiani *cit*. eſſet: τῶν κατ' Κάνναις, *libros obſcuriſſimos Antimachum imitando ſcripſit*. Ubi ὑπ' κατ' Κάνναις, eſſent *res ad Cannas geſta*: ut memorabilem illam Cannenſem cladem verſibus deſcripſerit Hadrianus, exemplô Antimachi, qui Bellum Thebanum compoſuit, &c. Vide Salmaſ. *ad loc.*

CATACUMBÆ, cœmeteria antiqua ſubterranea, prope & extra muros Romæ, ad aliquot milliaria extenſa à Chriſtianis, ubi ſæpe degebant tempore perſecutionum. Ut Calepodii, Calliſti, Prætextati, Priſcillæ, &c. cœmeteria. In his habitâſſe Urbanum Epiſcopum Romanum tradunt, *Acta* S. Cæciliæ: ut & Evariſtum, *Vita* S. Fauſtini & Jovitæ Mart. *anm.* 19. Vide Adonem in *Chron. A.C.* 364. Ordericum Vitalem, *p.* 355. 357. &c. Atque hinc *Catacumba*, pro quovis cœmeterio, uti videre eſt apud Joann. Diaconum *in Epiſcop. Neapolitanis*, *in S. Fortunato*. Vocis etymon quod attinet, videtur compoſita ex præpoſitione κατ', quam ſuam feciſſe Latinos recentiores ſupra oſtendimus & voce *cumba*. Cùm enim ejuſmodi polyandria & cœmeteria publica in cryptis & locis reconditis extiterint, quos iſtius ætatis Scriptores *Cumbas* vocabant, videtur locus hic *Catacumbas*, h. e. *Ad Cumbas*, *ad cryptas* vel *ad valles* appellatus eſſe. Et ſanè Martyrum ſepulchra Romæ vel haud procul ab Urbe, in cryptis & locis depreſſioribus, extitiſſe, auctor eſt Hieronymus in *Ezech. c.* 14. ubi cœmeteria Romana à ſe viſa deſcribens, *Dum eſſem*, inquit, *Romæ puer & à liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum cæteris —— diebus Dominicis ſepulchra Apoſtolorum & Martyrum circumire crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſa, ex utraque parte ingredientium, per parietes habent corpora ſepultorum & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum illud Propheticum compleatur, Deſcendant in infernum viventes*. Adde Prudentium in *Paſſione S. Hippolyti Mart.* & in *Deſcript. Cœmeterii Cyriacæ in agro Verano*, *Romam* item *Subterran. l.* 3. *c.* 12. & inſtà in voce *Cumba*.

CATADA, Africæ propriæ fluvius. *Ptol.*

CATADRÆ, Æthiopiæ ſub Ægypto oppidum.

CATADUPI, populi Æthiopiæ apud Catarractas Nili incolentes, unde nomen *Catadupa*. Cicer. *de Somnio Scip. c.* 5. *Hic ſonitu oppletæ aures obſurduerunt: nec eſt ullus hebetior ſenſus in nobis; ſicut ubi Nilus ad illa, quæ catadupa nominantur, præcipitat ex altiſſimis montibus: Ea gens, quæ illum locum accolit propter magnitudinem ſonitûs, ſenſu audiendi caret*. Vide Senec. *Nat. Qu. l.* 4. *c.* 2. Amm. Marcell. *l.* 22. *c.* 34. 36. Plin. *l.* 5. *c.* 9. nec non Vitruvium, *l.* 8. *c.* 2. & Wendelin. *de Admirand. Nili*, *c.* 5.

CATÆA, Perſidis inſula. *Arrianus*. *Omſicrito* Ἀφροδίτης, quòd eſſet Veneri ſacra. Sed & Mercurius ibidem colebatur. Perſidis initium ab ea Inſula ſtatuit ex Nearcho *Arrianus*, ut & *Plinius*, uſque ad flumen Oroatin, quô Perſidis ora maritima finiebatur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1181.

CATÆBATES, Jupiter, h. e. *deſcenſor*, ut meminit Pauſan. *in Eliacis*, aram habebat in Olympia, ubi & Themidis fuit & primum Terræ oraculum. Sunt qui ideò ſic appellatum tradant vel propter fulmina, vel quòd à cœlo ſæpe deſcendiſſe putarent ad amores potiundos: huic Jovi Scarabæum fuiſſe in tutela datum, ſcribit *Ariſtophanes*.

CATÆGIS, apud Senecam, *Natural. Quæſtion. l.* 5. *c.* 17. *Atabulus Apuliam infeſtat, Calabriam Japyx, Athenas Sciron, Pamphyliam Catægis, Galliam Circius*; inter ſpeciales localeſque ventos recenſetur. Sed mendoſam hanc vocem eſſe, ut quæ *procellam* vel *turbinem* Græcis notet, obſervat Salmaſ. *ad Solin. p.* 1257.

CATÆONIUM, Marmaricæ promontor. *Ptol.*

CATAGLVPHA, Græcè Κατάγλυφα, dicuntur vaſa, quæ depreſſis ſulcis & imaginum cavatis lacunis ſculpta ſunt: quibus oppoſita ἀνάγλυφα, i. e. *eminentibus ſigillis expreſſa*, de quibus ſuprà. Vide eundem *ibid. p.* 1045.

CATAGRAPHA, vox itidem Græca origine, terminus picturæ eſt. Plin. *l.* 35. *c.* 8. *Cimon Cleonæus Catagrapha invenit, h. e. obliquas imagines & variè formare vultus, reſpicientes ſuſpicienteſque & deſpicientes*. Sic linum καταγραφον, Catullo *in paſſere*, variè depictum: Athenæo, *l.* 5. τῶν ſtomaδων καταγραφων, ὁ γὰρ ἀβιέλων καταγραφο, &c. Vide Hadr. Turnebum, *Adverſarior. l.* 25. *c.* 12. Sed & Horologia καταγραφειν Græci dicunt. *Cleomedes*, καταγραφειν ſhiveo in ἀναλόγημα ἐπὶ τῆς γῆς ὑπὸ τῆς τεχνικῶν. Et paulo poſt, *ὥσπερ τὸ μέσον ἐστιν ἀναλόγημα ἀναφέρον καταγραφεῖν*. Vitruvius, *l.* 9 *c.* 8. de Horologiis, *Cum hoc ita deſcriptum ſit & explicatum, ſive per hibernas lineas, ſive per æſtivas*. Et Cenſorinus, *c.* 23. de Horologio Siculo, quod Romæ primum in Foro ſtatutum eſt: *Quod quum ad clima Siciliæ deſcriptum ad horas Romanas non conveniret, L. Philippus Cenſor aliud juxta conſtituit*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 630.

CATAGUSA, inter opera Praxitelis, apud Plin. *l.* 34. *c.* 8. *Fecit ex ære pulcherrima opera: Proſerpinæ raptum: item Cataguſam & Ebriatatem, & Liberum Patrem*, &c. Græcè ἡ κατάγουσα, eſt *quæ penſa nendo deducit*, unde κατάγματα, vel *quæ carminibus Lunam devocat*. Sed prior interpretatio potior, unde *Cataguſam* exponunt Lacheſin, unam ex tribus Parcis, quæ, quod colo Clotho advolvit, net, torquet, demittit. Alii tamen κατάγουσαν τὴν ὁδὸν αὐτῆς ἔφοδον, *ducentem ad inferos viam*, per quam Pluto raptâ Proſerpinâ reverſus eſt, intelligunt; quam Pauſan. *in Corinthiacis*, juxta Lernam & Chematum fluv. eſſe tradit. Vel magis ipſam Proſerpinam, quæ ſectis capillô moribundis eos αὐτῆς τῷ ᾅδου κατάγει, *ad orcum deducit*. Sanè Praxitelis imago, mulieris fuit cum colo & fuſo nentis, ſive Parca fuerit, ſive alia quævis. Veteres enim κατάγειν ἔριον & κατάγειν κρόκην, pro *nere*, *filum deducere*, paſſim dixerunt. Ut adeo audiendi non ſint, qui vel *Pergnſam*, qui locus erat amœniſſimus Ætnæ monti propinquus, ad cujus ripam rapta Proſerpina, Ovid. *Met. l.* 5. vel κατάχυσιν i. e. *effuſam caliginem*, vel καταλυθρα, i. e. *depreſſam voraginem*, hîc legunt. Jac. Dalechampius, *Not. ad l.*

CATAJA, Regio Aſiæ, in Tartaria, versùs Ortum & terram Eſonis maximè extenſa, inter Tartariam veram ad Boream, Sinas ad Auſtrum, & Turcheſtaniam ad Occaſum. Ejus partes Europæis notæ ſunt, Tangutum, Tenducum & Tainfujum; crediturque Serica antiquorum. Primaria ibi Urbs Cambalum, quæ & ampliſſima. Ibi & urbs Camdon, linteô ſubtiliſſimô, quod ex certarum arborum cortice conficitur, celeberrima. Tota hæc regio populoſa & omnium rerum proventu opulenta fertur. Plin. *l.* 6. *c.* 17. Marc. Paul *l.* 2. Cathainum regnum cœpit, A. C. 1147 cum Tartari Sinenſe jugum excuſſiſſent. Martinio hoc regnum nihil aliud eſt, quàm Sinarum pars Borealis, ſeu 6. provinciæ, ab Auſtralibus novem fluvio *Kiang* ſeparatæ, quas veluti Venetus *Mangin* vocavit, ita iſtas *Catayuas*: eaſque hodienum Tartaris atque Turcis ita vocari idem perhibet. Quam ſententiam Golius confirmat ſcriptô Noſirodini Perſæ, qui dum recenſet *Cathaorum* 12. horas & 24. partes, in quas annum Tropicum ab his dividi tradit, omnino cum Sinenſium partitione congruere animadverſus eſt. Additam. *ad Atl. Sinicum*. Georgio Hornio hodierni Sinenſes primitus Seres, dein *Cathaorum* nomine Perſis, unde Saraceni innotuêre. Primus in Europam eorum notitiam M. Paulus Venetus intulit, eumque ſecutus Joh. Mandevill Anglus, qui Catajorum eruditionem & ſubtilitatem in omnibus artibus immanè quantum extollit, *Itiner. c.* 71. & *c.* 81. ubi ad Imperatoris, quem Magnum Canem vocat, pedes complures ſedere ait ſapientiſſimos Philoſophos, eruditos in Aſtronomia, Geometria & aliis artibus, quorum quiſque Aſtrolabium ante ſe habeat. Poſt quæ tempora iterum *Catajæ* notitiam Occidens amiſit; donec navigationes Luſitanorum in Indiam vaſtiſſimum illud Sinenſe Imperium denuo aperuerunt. Primi autem omnium Jeſuitæ obſervârunt, nullam extra Sinenſem murum reperiri *Catajam*, ac qui nobis Sinæ, eos Perſis *Catajos* vocari. Vide Hornium, *Hiſt. Philoſ. l.* 6. *c.* 7. Notat tamen Auctor libri, cui titul. *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. ac Civ.* nomen *Cathaorum* etiam ipſis Alexandri M. rerum geſtarum Scriptoribus, non fuiſſe ignotum. Hunc enim in horum ditiones protuliſſe arma literis prodiderunt; quos eoſdem cum Sophitis regis apud Curtium, *l.* 9. *c.* 1. incolis fuiſſe docet Strabo, *l.* 15. cui Regis nomen Sophites, Regni *Kathia Cathayon* fuit. Optimis illud legibus fuiſſe adornatum, tradunt Curtius, *loc. cit.* & Diodor. Siculus, *l.* 17. Typographiam diu ante Europæos habuiſſe, Sinici Annales. Vide *Seres*, *Sina* & *Typographia*. Hornio cultiſſima eſt totius Tartariæ regio & ſedes magni Tartarorum Imperatoris, *Karathai* propriè dicta. Idem non aliam hanc eſſe regionem addit; quàm Chinenſis Regni Septentrionalem partem, & *Cambalu* non aliam urbem, quàm *Pequinum*. Vide eum *Orb. Imp. & Polit.*

CATALAUNI, populi Galliæ, qui olim Vadicaſſes, quorum urbs Noviomagum tum dicta: in Gallia Lugdunenſi ſeu Celtica primùm locati; poſtmodùm, hâc in duas, ut & Belgicâ in totidem diviſâ, Belgicæ ſecundæ attribui cœperunt. Ab his Vadicaſſibus nomen habet ad Matronam ager, *la Galevaſſe*, eſtque ex parte quidem Meldorum Meldiexque diœceſeos, ac etiam Sueſſionum; ſed ex majori parte Catalaunorum ſeu Vadicaſſium, Catalauniæ, eæque pareciæ. Cæterùm ante annos 500. Catalaunos *Chaalons* dici cœpiſſe & *Chalonges*, oſtendit Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* qui addit, Epiſcopos Catalaunorum, jam tum dominium aliquod & aliquam juriſdictionem, in urbe ſua habuiſſe, Comitivam puta atque Pariatum aut certe ſaltem aliquid, quod utrique originem dederit. Vide infrà in voce *Catalaunum*.

CATALAUNIA, meliùs Catalonia, regio Hiſpaniæ citerioris inter mare Mediterraneum ad ortum, Aragoniam ad occaſum, montes Pyrenæos ad Septentrionem, & Iberum fluv. ad Auſtrum à regno Valentiæ ferè dividentem. Principatus titulô clara, aliàs paruit Comitib. Barcinonenſibus, dein Regibus Aragoniæ. Ejus pars, nempe Comitatus Ruſcinonenſis Gallis ſubeſt, ab A. C. 1660.

Regio eſt montuoſa, ſed ferax, & valde rigua, ejuſque incolæ libertatis amantiſſimi. Ingenti motu intremuit, A. C. 1427. horrendô dein diluviô tantùm non tota ſubmerſa eſt, A. C. 1617. Metropolis Barcino eſt, reliquæ, Tarraco, Tortoſa, Girona, Lerida, &c. Vide infrà. Ibi Monaſterium Monſerratenſe, peregrinantium ex univerſo orbe affluxu nobile. Hiſtoria compendiô ſic habet: Carolus Martellus Catalaunos juvit, contra Mauros Hiſpaniæ, qui ſub Carolo M. regione hâc potiti. Hi Barcinone ereptâ à Ludovico Pio, Catalaunia proprios habuit Principes, donec Arragoniæ unita eſt, vide *Barcino*. A. C. 1640. Joſepho Margarito nobili annitente, incolæ, jugô Hiſpanicô excuſſô, Gallos recepere, hinc per 20. ann. belli hîc cruenti theatrum. Donec A. C. 1659. ſic inter utramque Coronam conventum, ut Montes Pyrenæi litem deciderent, Cataloniaque cum Comitatu *de Cerdanna*, quæ trans, Hiſpanorum, Roſino autem & Confluentia, quæ cis montes ſunt, Gallorum eſſet. A. C. 1674. bellô inter Hiſpanos denuò & Gallos exortô, rurſus alternantis Fortunæ ludus eſt.

Urbes Catalauniæ.

Barcino, *Barcelona.*	Rhoda, *Roſes.*
Cardona.	Celſona, *Salſona.*
Dertuſa, *Tortoſe.*	Tarraco, *Terragona.*
Gerunda, *Girona.*	Vicus, *Vich d'Oſſona.*
Ilerda, *Lleyda*	Urgela, *la Cea d'Urgel.*

CATALAUNICI Campi, à *Catalaunis* urbe dicti, *Mauriaci* quoque, Jornandi vocati, 100. leucas in longitud. 70. in latitud. eô teſte habent. Hîc Aurelianus Aug. Tetricum, & Ætius Magiſter militum, Gotthicis adjutus auxiliis, Attilam Hunnorum Regem & Chlotarius Junior Francorum Rex Theodorici liberos, inprimis Sigebertum Regem pars dolô, pars prælio ſuperavêre. Cæterùm *Mauriacos* campos, à Mauriaco in Tricaſſibus *Merg* dictos, ab urbe Catalaunis 51. mill. paſſ. abeſſe indicat Æthicus *in Itiner.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Morerius *Secalaunicos* vocat campos, Attilæ clade celebres. Vide ibi

CATALAUNUM, duæ ſunt hujus nominis in Gallia civitates, una ampla & munita in Campania, inter ſplendidas urbes Belgicæ ſecundùm Amm. Marcellin. tertiô locô, *Notit. veter.* ad fluv. Matronam ſita, quæ Gallicè profertur *Chaalons* per duplex *a*. Ab hac dicti *Catalaunici campi*, ubi Attila devictus à Gallis, Gothis & Romanis. Vide *Cathelauni*. *Morerio* vulgatus hic error eſt, credenti que *in campis Secalaunicis*, prope Aurelianum, hoc factum, aliter Valeſiô ſentiente, vide ſuprà, & dicta hanc in rem Cl. Ottoni JCto, *Notis ad B. Rhenanum*, *l.* 1. Hîc Concilium, A. C. 1115. contra Henricum IV. Imperatorem à Legato Paſchalis II. &c. Vide Rapinum, *de Epiſc. Catalaun.* Gall. Chriſt. *tom.* 2. *p.* 501. longitud. 25. 40 latitud. 48. 58 Altera verò in Burgundia, & *Chalons* vulgò vocatur per ſimplex *a*. Vide quoque *Cathelaunum*.

CATALDUS Petrus, vide *Petrus Antonius*.

CATALLUM, in *LL.* Eduardi Confeſſ. *c.* 35. alibique paſſim, *Chatel* in *LL.* vernaculis Wilhelmi Nothi, c. 4. idem eſt quod *Capitale*, bona omnia, quæ ex pecudibus ſunt: unde invaleſcente poſtmodum uſu, bona omnia mobilia, cujuſcunque tandem generis, hâc voce venire cœperunt. Practicis porrò Anglis, omne bonum eſt ſeu mobile ſeu immobile, quod nec liberum tenementum, nec feudum eſt, Cowello, Raſtallo, Eduardo Coko, laudatis Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Non tamen in univerſum omne bonum immobile, ſed ea ſolùm, quæ ad certum annorum terminum poſſeſſa tenentur. Et quidem jus olim in Anglia obtinuit, ut, mortuô maritô, tam prole, quàm uxore ſuperſtite, tum tertiâ *Catallorum* parte, tum fundi optimô jure poſſeſſi; ſeu, in quem liberi ex ea ſuſcepti jure ſuccedere poſſent, donaretur uxor; etiam *Catallorum* dimidiâ parte, ubi nulla proles ſuperſtes. Ita enim Henr. de Bractona & Fleta, *Hæreditas*, (rerum ſcil. mobilium) *dividatur in tres partes, quarum una pars relinquatur pueris, ſi pueros habuerit defunctus, ſecunda uxori, ſi ſuperſtes fuerit & de tertia parte habeat teſtator liberam diſponendi facultatem. Si autem liberos non habeat, tunc medietas defuncto & alia medietas uxori reſervetur.* Atque paulo pôſt: *Et ea, quæ dicta ſunt, locum habent & tenent, niſi ſit conſuetudo, quæ ſe habeat in contrarium, ſicut in civitatibus, burgis & villis*, aliquibus ſcil. ubi pars alia, ſed certa interim, ad uxorem attineret, etiam & ſubinde (ut in Jure item Cæſareo, C. *l. unic. tit. unde Vir & ux.*) totum. Hinc *omnibus Catallis dotare*, formula apud eoſdem ſolennis, h. e. dotale ejuſmodi jus uxori in omnibus non tam conſtituere, quàm declarare; ut inde tum alimenta, ſi ea, contra quàm poſcit conjugale fœdus, negaverit vir, durante matrimoniô jure poſſet exigere, atque inſuper *Dote Catallorum*, quæ mortis tempore remanerent, nomine partem, ſive tertiam, ſive aliam (*rationabilem* vocitant) ſive, ut ſubinde pro more loci, univerſa ſuperſtes poſſet actione petere, & alimenta per dies à morte viri 40. ex ejuſdem bonis capere, quæ pars juris eſt, quam *Quarentenam* vocitant. Quin verò interdum certa nummorum ſumma ad oſtium Eccleſiæ in dotem aſſignabatur, quam ab eo, qui in bona mobilia Viro ſucceſſit, uxor ſuperſtes ritè petebat. Sed diu eſt, quod ambæ hæ dotandi formulæ in hac genere in deſuetudinem abiêre Seldenus, *Uxor. Ebr. l.* 2. *c.* 27. In *Charta* Philippi Marchionis Namurc. *A. C.* 1212. apud Miræum in *Diplom. Belg. l.* 2. *c.* 27. *Catallum* Melius, Anglis *Heriotum*, Gall. *Droit de meilleur catel*, in *Conſuet.* Hannon. *c.* 83. eſt, quod poſt mortem tenentis domino præſtatur. Cui debito potiſſimùm erant obnoxii homines, quos *Manus mortuas* vocabant, de quibus ſic Chronicon Belgic. *A.* C. 1123. *In eo verò conſiſtebat jus* (Mortuæ manus) *ut quandocunque aliquis paterfamilias — moreretur, in ſignum ſervitutis præteritæ optimum pignus vel jocale, quod in ipſius domo reperiri contigerit, à domino exigeretur: ſin autem nihil eſſet, ut tum defuncti dextera manus abſciſſa domino offerretur.* Quod juris etiam ſibi olim vindicâſſe Eccleſias, ex Synodo Sodorenſi docemur. Unde Rhenanus, *Rerum Germanic. l.* 2. *p.* 87. *Erant inſuper Eccleſiaſtici ſervi, quos ipſe Rex — Monaſteriis donâſſet. Hinc videmus Abbates noſtrates adhuc talia mancipia poſſidere, ex liberalitate Principum Francorum. Hinc illa profitationes originem habent, quibus multos ſcimus obnoxios, ut paterfamilias mortuo præſtantiſſimum jumentum è ſtabulo Procurator Abbatis abducat, vel veſtium pretioſiſſimam auferat.* Vide Kilianum in *Hoofd-ſtoel* laudatum Carolo du Freſne in *Gloſſar.* ut & infrà paſſim, inprimis voce *Mortuarium*.

CATALOCHISMUS, Græcè Καταλοχισμὸς, liber dictus eſt τῶν γενικῶν γραφῶν, h. e. *in quo deſcripta erant ſingularum familiarum & omnium inde deſcendentium nomina.* Apud Eſdram, *l.* 1. *c.* 4. καὶ οὗτοι ἐζήτησαν τὴν γραφὴν αὐτῶν ἐν τῷ καταλοχισμῷ, καὶ μὴ εὑρέθησαν, ἐχωρίσθησαν ἐκ τῆς ἱερατείας. Vulgatus ita vertit, *Horum quæſita eſt genera ſcriptura in pedatura, & non eſt inventa* Ubi καταλοχισμὸν reddit *pedaturam*, ut voce ἀπὸ τῶν παίδων confictâ, ut καταλοχισμὸς eſt ἀπὸ τῶν λοχεῶν ſeu λοχισμῶν, h. e. *à generationibus*; ut καταλοχισμὸς ſic accepit, quaſi καταπαιδισμὸς aut καταχωρισμὸς, & *pedaturam* vocat latercalum, in quo generationes deſcriptæ. *Pedaturam* enim Latini vocant quodlibet ſpatium, in quo aliquid poni locarive poſſit. Certè apud Romanos, qui pater factus eſſet, natum ſibi puerum cum nomine apud Acta profiteri cogebatur, cujus & nomen tabulis publicis inſerebatur. Juvenalis, *Sat.* 9. *v.* 84.

> — — *Libris Actorum ſpargere gaudes*
> *Argumenta viri.*

Quæ publica liberorum ἀπογραφὴ, ſolita apud Ærarii Præfectum fieri, Græcè καταλοχισμὸς, quaſi *puerperiorum & liberorum cenſus & profeſſio deſcriptioque*, non malè diceretur. Sed & καταλοχίζειν, Græcis eſt diſtribuere milites in λόχους ſeu ταγματα, quinquaginta ut plurimum hominibus conſtantia, apud Arrianum *de Expedit. Alexandri*, *l.* 7. Imò λόχος quemlibet etiam numerum vel τάγμα ſignificat. Hinc, cùm homines in Judæa per familias, veluti κατὰ λόχους tributi cenſerentur, καταλοχισμὸς quoque dici potuit cenſus & ἀπογραφὴ familiarum: Laterculos, vel matricula, quâ continebantur deſcripta familiarum omnium Judææ nomina & homines, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 716. & 717.

CATALOGUS Fidelium, Epiſcoporum & præſertim Martyrum, quorum in ſolennioribus precibus memoria olim celebrabatur, in Eccleſia, Κανὼν dictus eſt, unde *canonizati* primitùs illi appellati occurrunt, quorum memoria publicò Eccleſiæ conſenſo celebrabatur: cujus conſuetudinis aliqua veſtigia in Græcæ & Latinæ liturgiæ Canone adhuc retinentur. Olim autem id omnino fuiſſe moris, ex veter. quorundam Theologorum ſcriptis liquidò conſtat; & ex recentioribus Scriptoribus Nicephorus præſertim fusè exequitur, *l.* 14. *c.* 26. & 27. ubi contentionem illam, de Chryſoſtomi nomine in Myſticas tabulas referendo, enarrat. Sed & *Catalogus* eorum, qui in Eccleſiis in quocunque munere ſerviebant, *Canon*, item *Canon ſacer*, dictus eſt: unde οἱ τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι, Nicen. Syn. *can.* 14. & οἱ ἐν κανόνι, in Chalcedon. Syn. *can.* 2. Ideo autem pro *Catalogo* pofitus Canon, quod catalogus certa norma ſeu regula eſſet in dignoſcendis, qui in illo recenſebantur, vide ſuprà in voce *Canon*. *Catalogus ſacer*, hæc Clericorum matricula dicitur, *Can. quoniam* 18. *quæſt.* 3.

CATAMANA, Syriæ urbs Comagenæ regionis *Ptol.* prope Germaniciam, aliis Καταμάνα, Salmaſ. *ad Solin. p.* 488.

CATAMANTELES, Regnum in Sequanos, multis annis obtinuit, & à S. P. Q. R. amicus appellatus eſt. Cæſ. *l.* 1. *Comm. c.* 3. Germanicum nomen fortè fuit *Kaldmantel*.

CATAMIDIARI, in Amphitheatro & dimitti. Decoctores bonorum ſuorum, ſi ſuæ auctoritatis eſſent, juſſit Hadrianus Cæſ. apud Æl. Spartian. *c.* 18. ubi *catamidiari* Caſaubono eſt, Græcè καταμιδιᾶν. Notiſſimos enim mos Veter. ſontes & pœnis addictos, per Fora, Theatra & Amphitheatra, inter ſpectantium riſus & magna rerum verborumque ludibria, ad exemplum traduci; Quò fine, ut major eſſet cachinnatio, nonnunquam aſino imponebantur, vel joculariter onerati producebantur. Tractus à Græcis, in quorum urbibus nonnullis Decoctores in *Forum* inducti & ſedere juſſi, cophinum capiti impoſitum habere cogebantur, quod κοφινοῦν vocabant, Nic. Damaſcenus, *de Ritibus Gentium* Salmaſ. tamen, cum veterib. editionibus omnibus, & in his principe Mediolanenſi, *catomidiari* legit, quod vide infrà.

CATAMITUS, à veteribus Romanis nec dum aſſuetis Græcæ linguæ appellatus eſt, qui *Ganymedes* Græcis dicebatur, & Jovi in deliciis fuiſſe traditur. Ita enim iidem *Alcedonem* quoque *Halcyonem* dixerunt, ut *Feſtus* obſervat Idem Feſtus: *Catamitum*, inquit, *pro Ganymede dixerunt, qui fuit Jovis Concubinus.* Vetus Gloſſ. *Catamitus*, *Ganymedes*. Arnob. *l.* 5. *adverſus Gentes*: *Alcmena, Electra, Latona, Laodamia, mille aliæ virgines, ac mille matres: cumque illis Catamitus poſt pudoris ſpolium eſt honeſtatis.* Loquitur ibi de ſtupris Jovis. Unde Cicer. *Phil.* 2. *catamitum* pro *molli & effœminato* poſuit: *O hominem*, inquit, *nequam! (Quid enim aliud dicam? Magis propriè nihil poſſum dicere) ergo ut te Catamitum, nec opinato, cum oſtendiſſes, præter ſpem mulier aſpiceret, &c* Vide & *Pullus*.

CATANA, Siciliæ oppid. Epiſcopale ad radicem Ætnæ montis conditoribus Calcydiis, Thucydid. *l.* 5. ſitum, patria Charondæ, inter Athenienſium legiſlatores inprimis celebrati. Ibi fuit ſimulacrum Cereris, teſte Cicerone, *in Verr.* 4. *c.* 53. quod à viro non modo tangi, ſed ne aſpici quidem fas erat. Silius, *l.* 13. *v.* 197.

> *Tum Catana ardentis nimium vicina Typhœo.*

Diodorus, *l.* 11. & 14 ſcribit, hanc ab Hierone, cùm ejus incolas ejeciſſet, Ætnam appellatam fuiſſe. Hodie tamen adhuc *Catania* dici tradit *Fazellus*. Procopio, *Gothicarum rerum l.* 1 Κατάνη mendosè legitur. Strabo, *l.* 6. Ἡ Κατάνη δ' ἐστὶ Ναξίων κτίσμα. Idem tradunt Marcianus Heracleota, & Thucydid. *l.* 6. Videtur Cluverius, *de Sicil. Ant. l.* 1. *p.* 117. Ad Amenam oſtium (inquit Bochartus,

chartus, *l. 1. Chanaan, c. 28.*) *Catana* קטנא h. e. *parvum* ſonat. Nempe *Catana* erat oppidulum, antequam Naxii illud auxilient, coloniâ eo deductâ, Euarchô duce. Quos proinde Græci habuêre pro Catanæ conditoribus. Ita *Cana* Galilææ Ebraicè ſcribitur קטנא *Catna*, & in Syriâ paraphraſi קטנא *Catne* Johan. *c. 2. v. 1.* in quem locum conſulendus eſt Lud. de Dieu, *ὁ μακαρίτης*, Bochartus, *loc. cit.* Urbs hæc capta à Roberto, filio Caroli Claudi Neapoli & Apuliæ Regis, A. C. 1312. mox à Friderico Siciliæ Rege recepta eſt. Sita eſt in regione *Valle Demona*, in ora littorali maris Ionii, ubi ſinus Cataneuſis. A' Carolo V. mœnibus & propugnaculis cincta eſt. Eſtque prope radices Ætnæ cujus eructationibus patet. A. C. 1669. incendiis ejus deformata eſt, & in ipſius territorio plurima caſtra everſa ſunt, 4. fluminibus igneis, ex Ætna prodeuntibus. 40. milliar. diſtat à Syracuſis in Boream. *Baudrand.* Vide Leandr. *deſcr. Inſ. Italia.* Terræ motu horrendô A. C. 1693. miſerè vaſtata.

CATANÆUS Joh. Maria, vide *ibi*.

CATANANCE, Græcè *καταναγκη*, apud Plinium, *l. 27. c. 8.* herba eſt Magica, quâ ad amatoria olim utebantur. Ita enim is, *Catanancen Theſſalam herbam, qualis ſit, a nobis deſcribi ſupervacuum eſt, cùm ſit uſus ejus ad amatoria tantum. Illud non abs re eſt dixiſſe, ad intelligendas Magicas vanitates, electam ad hunc uſum conjecturâ, quoniam areſcens contraheret ſe ad ſpeciem unguium milvi exanimati.* Ubi *Theſſalam herbam* vocat, quòd mulieres Theſſalæ eâ uti ad amorum veneficia ſolerent. Quod de *unguibus* addit, eò pertinet, quòd, qui eâ utebantur, amatas mulieres rapere etiam invitas & veluti contractis unguibus retinere dicerentur. Sed & in genere philtra & amatoria *ἀνάγκαι* & *καταναγκαι* dicebantur inde, quod amandi *neceſſitatem* facerent. Unde & *cemos* herba quæ ſequitur, apud Plinium, ab incapiſtrandis ac ligandis animis nomen invenit, *κημὸς* enim Græcis *capiſtrum* eſt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1085. & infrà in voce *Leontopodium*, quod & ipſum, utpote amatoriis *ἀνάγκαις* utile quoque habitum, *Catanancen* nonnulli vocârunt.

CATANEUS, nomen dignitatis, in Italia olim frequens; cujus incrementum ad Fridericum Ænobarbum refert Joann. Villaneus, & Ghirardaccius, *Hiſtor. Bonon. Part. 1. l. 4. ad A. C.* 1196. Origo autem ad ſeculum IX. rejicitur, quô ſede vacante Stephani *Pontificis Romani, potentiores oppida & caſtella in urbis terris poſſidentes (Capitaneos appellabant) Pontificem ex factione ſua creare conſtituerunt*, Blondus *Dec. 2. l. 3.* Imperatorum enim partes ſequebantur. Idem, *Dec. ead. l. 5. Primarii urbis, quos nunc Barones tunc Capitaneos appellabant, Imperatori obſequentes omnia conſilia Pontificis evertebant.* Nempe ex *Capitaneis*, primò *Catpanei*, poſtmodum *Catanei* ſeu *Cataneus*, originem traxit, Longobardis imprimis illiuſmodi contractionem amantibus. Hinc Joffredus, *de libell. par. 5. rub. de Vaſſ.* In *Tuſcia verò, ait, & Lombardia appellabantur* Catanei, *quaſi Capitanei.* Vide etiam Scipion. Ammiratum, *de Nobilit. Florent.* Cum verò titulus primo apud Gibellinos ſolùm in uſu eſſet, poſtmodum etiam ad Guelfos, tranſlatus eſt. Car. Macer, *Hi nimirum, qui factiam Gibellina erant & ab Imperatore in feudum caſtella & terras poſſidebant; ideo prædictis ſpecioſis titulis decorabantur. Guelfi verò, qui Romana Eccleſiæ fautores erant, titulos Baroncelli & Domicelli aſſumebant: quamvis proceſſu temporis* Catanei *titulus etiam inter Eccleſiaſticos exerceretur, in Hetrolex.* Vide quoque hîc in vocibus *Capitaneus* & *Catipanus*.

CATANGIUS, ſinus in litore Aſiatico Boſpori Thracici. *Golfo Caſtacio* nunc, *Petrus Gyllius*.

CATANIRA, urbs apud *Steph.*

CATANNI, populi ad mare Caſpium. *Steph.*

CATANZARA, vide *Catacium*.

CATAONIA, ſupra Ciliciam regio, confinis Cappadociæ, ut Corn. Nepos, *in Datame, c. 4.* deſcribit. Incolæ *Cataones* dicuntur *Stephano*. Vide Plin. *l. 6. c. 2.* Sita eſt autem regio ad Taurum montem, ubi Euphrates ejus objectu in Meridiem retorquetur. *Steph.* *Κατ' αὐτὴν μοῖρα ἐγγὺς τοῦ Ταύρου.* Fuit una ex decem Cappadociæ Præfecturis, poſtquam illa in decem *Στρατηγίας* diviſa eſt. At Veteres *Cataoniam* à Cappadocia ſeparabant, *καὶ ἐν διαφοραῖς ἔθνους μετὰ τὴν Καππαδοκίαν ἐτίθεσαν τὴν Καταονίαν, εἶτα τὸν Εὐφράτην καὶ τὰ πέραν ἔθνη, ὥστε καὶ τὴν Μελιτηνὴν ὑπὸ τῇ Καταονίᾳ ἐτίθεσαν*, Strabo, *l. 12.* E quibus verbis patet, etiam aliquot regiones trans Euphratem, ſub Cataonia fuiſſe cenſitas, Acilicenen nempe: præter quam & Sophenen eidem tribuit. Qua de re vide eundem Salmaſ. *ad Solin. p.* 627.

CATAPACTAYME, feſtum Peruanorum, Menſe Decembri, illis *Rayme*, qui anni eorum princeps eſt, celebrari ſolitum, quô ſacra tribus Solis ſtatuis, *Apointi*, *Churunti* & *Intiquaoqui* nominatis, h. e. *Soli Patri, Soli Filio & Soli Fratri*, facere conſuevêre. Joann. Hugo Linſchotanus, *Hiſtor. Ind. Occid.*

CATAPANUS, vide infrà *Catipanus*.

CATAPHRACTA, apud Tertullian. *de Pallio, c. 4. triumphalem cataphractam amolitus*: Græcè *κατάφρακτος*; lorica ferrea eſt *θωρακίδι* aut *λεπιδωτῷ*, ex ferreis ſquamis ſuccuſa, ut patet ex mox ſeqq. *Pectus ſquamarum ſignaculis diſculptum.* Hinc *Cataphractarii* milites, ſæpiùs memorati *Hiſtoria Aug.* Scriptoribus, quod nomen certo cuidam Equitum generi, qui toti *cataphractis* muniti erant, hæſit. Licèt enim *cataphractas* ſinguli haberent milites, & galeas, non tamen *cataphractarii* aut *galearii* ſunt dicti. Nec uſquam legere eſt *cataphractarios* pedites, ubi perſeô Romanorum ævô, apud Livium. Certum quidem genus militum hoc nomine inſignitum fuiſſe, videtur ſuadere locus Trebellii, *in Claudio, c. 16. Hunc ex regione Dardania dabis milites ducentos*, ex cataphractariis *centum*, ex *Equitibus C. & ſexaginta*: ubi *Cataphractarii* ab Equitibus ſeparantur. Sed ne ſic tamen *Cataphractarii pedites* fingendi. Saltem hoc ſequitur, Equitum quoſdam non *Cataphractarios*, alios *Cataphractarios* fuiſſe. Unde in *Vita* Alexandri Severi, apud Lamprid. *c. 56.* refert Imperator, ſe bellô Perſicô, *centum & viginti millia equitum fudiſſe &* cataphractarios *decem millia interemiſſe.* Sed & *cataphractarii milites*, apud Vopiſcum in *Aureliano*, Equites ſunt: namque *Militum* nomine Equites quandoque venire, diſcimus ex *Ænigmate* Symphoſii, cujus lemma *Miles podager*, apud Salmaſium, *Not. ad Vopiſc. in Aurelian. c.* 34.

Bellipotens olim ſævis metuendus in armis
Sex pedes habui, quos nunquam nemo negavit.
Nunc mihi vix duo ſunt, inopem me copia fecit, &c.

Simile armaturæ genus Rhoxolanis, Sarmaticæ genti, tribuit Tacitus, *Hiſtor. l. 1. c. 79. omnis Sarmatarum virtus velut extra ipſos, nihil ad pedeſtrem pugnam tam ignavum; ubi per turmas advenêre, vix ulla acies obſtiterit. Sed tum humido die* - - *lapſantibus equis, & cataphractarum pondere, id principibus & nobiliſſimo cuique tegmen, ferreis laminis aut prædurô coriô conſertum: ut adverſus ictus* &c. *ſimul altitudine & mollitiâ nivis haurîebantur.* Quod verò de peditibus diximus, certum eſt, omnes ab omni tempore Romanos milites *cataphractis* vel loricis fuiſſe munitos, uſque ad tempora Gratiani Imperatoris, ſub quo, intercidente militari diſciplinâ, *cataphractas* & galeas illi depoſuêre, uti videre eſt apud Vegetium, *l. 1. c. 16.* Servius ad *Virgilium*, *Æn. l. 11. v.* 771.

Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam ſquamis auro conſerta tegebat.

Catafractum, ait, *eum* (Chloreum videl. de quo ibi ſermo) *fuiſſe ſignificat. Catafracti autem equites dicuntur, qui & ipſi ferrô muniti ſunt & equos ſimiliter munitos habent, de quibus Salluſtius: Equis paria operimenta erant, quæ linteo, ferreis laminis in modum plumæ, adnexuerant. Pluma eſt in armatura, ubi lamina in laminam ſe indit. Nunc autem pro linteo pellem poſuit & aneas ſquamas aneas laminas intelligimus.* Vide quoque Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium, p.* 1385. & infrà *Clibanarii*. In ſcuto Daniæ & Norvegiæ Regis *Cataphractus eques*, aureô thorace, equô albô, cujus inſtructus niger, inſidens & gladio minax, in rubeo ſolo, Dirmarſiæ nota eſt. Elverſeldius.

Enſe quid educto Cataphractus? *Marte rebelles*
Holſatia victos denotat eſſe viros.

At *Cataphractus miles*, cum 3. vexillis, apex eſt Baronum *de Rodern*, in Auſtria. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Arte Herald Parte II.*

CATAPHRYGÆ, Hæretici, qui in Phrygia fuerunt, ut Montanus, Priſcilla, & Maximilla. Hi adventum Spiritûs Sancti, non in Apoſtolis, ſed in ſe traditum, aſſerebant, veteribus Prophetis rejectis. Mortuos baptizabant, & ſanguine infantum, aciculis compunctorum, ad Euchariſtiam utebantur: illis poſtmodum, Martyrum inſtar, cultis. A. C. 174. Epiphan. *Hær.* 48. Auguſtin. *Hær* 26.

CATAPIRATER Plumbeus, apud *Lucilium*,

An Catapirateris *eodem deferet uncum*
Plumbi paxillum rudus, linque metaxam?

Græcè *καταπειρατηρία* & *καταπειρατηρίας μόλυβδος*, eſt quô maris altitudo à nautis tentatur. *Molybdum* Græcâ voce Statius appellat, *l. 3. Sylv. 2. v.* 30.

Sint quibus exploret rupes gravitate molybdus.

Ubi veteres Codices habent *Molucus*, pro *Molubdus*. Barthius *Molorthus* legit, à rectâ demiſſo artificiali illo *plumbo*. Quod enim quidam nomen viri aut hominis hâc voce denotari ibi volunt, non parùm hallucinantur: Officia namque nautarum Muſis Poëta injungit, inter quæ metiri maris profunditatem *molybdô*. Aliàs *βολὶς* idem. *Heſychius*, *καταπειρατηρία, ὅταν βολίδι πειράζωσι, καὶ ἡ λεγομένη βολίς*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1013. & Caſparum Barthium, *ad Statium d. l.*

CATAPLUS Lalagea, apud Marcellum Empiricum, in Carm.

Quodque ab Idumæis vectum Seplaſia vendunt,
Et quidquid confert Medicis Lalagea cataplus:

Lege, *Lagæa catapli.* Cataplum enim Alexandrinum hîc intelligit, h. e. navigationem ſeu claſſem, quæ Medicis ſpecies ferè omnes, quæ Medicinæ conferrent, afferebat; *Lagæa* ſubintellige, *urbis*, h. e. Alexandria. Eundem Cataplum *Niliacum* vocat Martialis, *l. 12. Epigr. 75. v.* 1.

Cùm ubi *Niliacus portet cryſtalla* cataplus,
Accipe de Circo pocula Flaminio.

Quem eleganter his verbis proponit Seneca, *Epiſt. 77. Hodie nobis Alexandrinæ naves apparuerunt, quæ præmitti ſolent & nuntiare ſecuturæ claſſis adventum: tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniæ aſpectus eſt. Omnis in pilis Puteolorum turba conſiſtit, & ex ipſo genere velorum Alexandrinas, quamvis in magna turba, naves intelligit. Solis enim licet ſupparum intendere, quod in alto omnes habent naves. Nulla enim res æque adjuvat curſum* —— *Cùm intravêre Capreas & promontorium, ex quo*

Alta procelloſo ſpeculatur vertice Pallas,

cætera velô jubentur eſſe contenta, ſupparum Alexandrinarum inſigne eſt. In hoc omnium diſcurſu properantium ad litus, &c. Vide Lipſium, *Commentar. ad h. l.* ut & ad *Tacitum Annal. l.* 15. De eodem ſic Statius, *l. 3. Sylv. 2. v.* 19. 21.

—— —— *celſo catis* —— ——
Nec querenda diu: modò nam trans æquora terris
Prima Dicarchæis Pharium gravis intulit amnem.
Prima ſalutavit Capreas, & margine dextrô
Sparſit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ, &c.

Frumentum enim præcipuè afferebat hic *στόλος Ἀλεξανδρινός*, *claſſis*,

ſit, quò Romam paſtam eſſe, multis docuit *ad Claudian.* Barthius. Vide quoque Thom. Dempſter. *Collectan. Antiqq. l. 7. c. 38.* De cæteris vero mercibus Ægypti, Iſaac. Caſaubon. agit *ad Sueton. Auguſt. c. 98.* & dicemus aliquid infrà, in voce *Rhopopola.* Vide quoque hic paſſim, ubi de *Alexandrina Claſſe, Frumentariis navibus*, &c.

CATAPULTA, ἀπὸ τῆ πέλτης, i. e. *arca*, ſeu *jaculo*: quamvis hæc vox clypeum quoque lunatum denotet, idem nonnullis cum baliſta. Vide *ibi.* Plinius verò diſtinguit, qui *Cretas catapultam, Syros Phœnices baliſtam & fundam inveniſſe*, ait, *l. 7. c. 56.* At Ælianus inventam in Sicilia *catapultam* ſcribit, à Dionyſio Tyranno ideoque eâ inde allatâ dixiſſe Græcum quendam, ὤχετ' ἀρετή, *Periit virtus.* Certè Siculos machinalis ſcientiæ peritiſſimos fuiſſe, oſtendit Archimedes. Vide Hadr. Turnebum, *Adverſar. l. 29. c. 28.* & infrà *Trebuchetum.*

CATARACTA, Samnitum urbs à Romanis expugnata. *Diodorus.*

CATARACTÆ ſeu CATARRACTÆ, Græcè Καταῤῥάκται, aves Diomedeæ, apud Plinium, *l. 10. c. 44. Nec Diomedeas præteribo aves: Juba cataractas vocat & eis eſſe dentes oculoſque igneo colore, cetera candidas tradens.* Sed non proprium hoc ullius avis, verùm omnium prædatricium, nomen eſt, quæ ex alto ſe proruunt, atque impetibili lapſu in ſubjectam prædam deſcendunt, terræque alliſgunt. Hinc aquilam ſic vocavit Sophocles *in Laocoonte* & Harpyias, *in Phineo*, apud Heſychium Lycophron κίρκους καταῤῥάκτης ſimiliter vocat,

> Τὸν δ' αὖ τένακϑα αἰϑέρανον ὕψελον
> Κίρκον καταῤῥάκτηρα —.

Ab eadem notione & καταῤῥάκτης Nilus, ab impetu deſcenſus, ubi inter præcipitia potius ruit, quàm manat; & καταῤῥάκτης Marſyas fluv. ex arce Celænarum ruens, apud *Herodotum*: & *Cataracta*, portæ ferratæ genus, ſic appellatæ, quòd cum impetu decideret, apud Livium, *l. 27. c. 28.* & Vegetium, *l. 4. c. 4.* &c. Καταῤῥάκτης tamen avis ſpecies marinæ ſic propriè dictæ, apud Ariſtotelem, *in Admir.* Ὁ δὲ καταῤῥάκτης ζῆ μὲν ἐπὶ θαλάττῃ· ὅταν δὲ καθῇ ἑαυτὸν εἰς τὸ βυθὸν, μένει χρόνον οὐκ ἐλάττονα ἢ ὅσον πλέθρον διελθεῖν ἄν. Sed minorem accipitre eam volucrem facit, quod Diomedearum avium inſtar non eſt, quæ ſpecie & magnitudine ſunt, quâ eroduī. Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, *imprimis*, *p. 92.* Origo vocis à Græco καταῤῥάσσειν, quod eſt, *ex alto præcipitare & cum impetu ruere*, Idem *ibid. p. 419.* &c. Hinc *Cataracta S. Petri*, in *Epiſtola Encyclica* Vigilii Epiſcopi Romani ad Ecleſiam univerſ. *Poſitò codiculò ſuper altare & cataractâ B. Petri, & ſuper Crucem, quæ de ligno paſſionis Domini habet incluſum*, &c. & in *Epiſt.* Legatorum Pontiſ. ad Juſtinum Imperatur. *Tom. II. Epiſtol. Roman. Pontif.* de Juſtiniano nondum Imperatore, qui Apoſtolorum reliquias, ut & Laurentii, ab Hormiſda Epiſcopo popoſcerat: *Sanctuaria beatorum Apoſtolorum, ſecundùm morem, et largiri præcipite, & ſi fieri poteſt, ad ſecundam* cataractam *ipſa ſanctuaria deponere, veſtrum eſt deliberare*: non eſt (ut quidam volunt) *Catena S. Petri*, de qua ſuò locô; ſed cancellus ferreus, in modum *Cataractæ* compactus, quò ſepulchrum Petri muniebatur. Duplex autem ea *cataracta* erat, *prima*, quæ exterius, & *ſecunda*, quæ interius ſepulchrum ambibat. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.*

CATARACTES, hodiè *Caſcada di Tivoli*, caſus Anieni fluv. apud Tiburt urbem in Latii Sabinorumque confinio. Alius *Cataractes* Danubii, *Strudel*, teſte *Lazio*, Locus Norici in Auſtria, infra Lentiam urbem, ubi in Danubio navigia periclitantur.

CATARACTONUM, ſive CATARACTON, vulgò *Catterick*, teſte Rob. Talbotò, oppid. Scotiæ, ubi & diverſorium *Cattaracktbridge.* Vide *Catmactonium*, quod alii *Carlile* indigitant. *Camdenus* habet *Catarrick*, & *Catarrik-bridge* Angliæ in Comitatu Eboracenſi.

CATARI, Pannoniæ populi. Plin. *l. 3. c. 25.*

CATARITÆ, Arabiæ Felicis populi. *Ptol.*

CATARRACTES, fluv. Pamphyliæ, apud *Ptolemæum*, Παμφυλίας παραλία, Ἀττάλεια, Καταῤῥάκτου ποταμοῦ ἐκβολαί, Μάγυδος, Κέστρου ποταμοῦ ἐκβολαί: ad quem Pergam & Aſpendum, unde Pamphyliæ παραλίαν auſpicantur Antiqui, idem ponit: quem tamen falli, utpote Aſpendô ad Eurymedontem ſitâ, docet Salmaſ. *ad Solin. p. 780.* Ratio nominis ſuprà indigitata.

CATARRACTUS, fluv. Cretæ in ora auſtrali apud Libenam oppid. fluens, *Aſpodore* hodiè dicitur. Item fluv. Pamphyliæ, qui cum Melane Aſpendum urbem præterfluit. Meliùs *Catarractes.*

CATARRYTHUM, Græci vocârunt Hipponem Africæ urbem propter aquarum irrigationem. Plin *l. 5. c. 4.*

CATARZENE, regio Aſiæ, juxta Moſchos montes, de qua vide eundem, *ibid. p. 621.*

CATASCOMON, inter opera Lucani, memoratur in *Vita* hujus, *Extant ejus & alii libri complures. Ut Iliacon, Saturnalia*, Cataſcomon, *Sylvarum X. Tragœdia Medea imperfecta Saluta Fabula*, &c. Quid autem fuerit, non planè commiſci licet; putat tamen Barthius ad Priami ſupplicationem pertinere, Hectoris mirum Lytra, quæ cecinisse Lucanum Papinius, *l. 2. Sylv. alt. v. 54.* docet.

> *Ac primum, teneris adhuc in annis,*
> *Ludes Hectora, Theſſaloſque currus,*
> *Et ſupplex Priami potentis aurum.*

Hoc enim cum primum fuerit Lucani carminum, idem aliquando Barthius ſuſpicatus eſt, Κατακόμιον fuiſſe inſcriptum, cùm Metaphoricô uſu Κατάκομα, pro τὸ τὴν ψυχὴν, in uſu fuiſſe, doceat Heſychius. Vide eum *Animadverſion. ad Statium Tom. 3. p. 469.*

CATASCOPIA, Venus dicta eſt à κατασκοπεῖν, i. e. *contemplari*, quòd templum haberet intra eam ſtadii partem, in qua Hippolytus ſe exercebat, unde Phædra Hippolytum ſpectare conſueverat.

CATASPHÆRUM Folium, Græcè κατάσφαιρον φύλλον, *l. 16. D. de Public. & Vectigal. Species pertinentes ad vectigal, puta cinnamomum, piper longum, piper album, folium* cataſphærum, *folium Barbaricum, coſtum*, uti legi vult Salmaſius: idem quod σφαιροειδὲς eſt, & intelligitur de Malabathri folio, quod Græci in pilulas convolutum afferri ex India, ſcribunt. Auctor *Peripli*, de hoc folio, Καταπτύσσοντες ἐπὶ θαλάσσῃ καὶ σφαιροειδῆ ποιοῦντες, *Duplicantes folia & globoſa efficientes*, &c. Unde σφαῖραν μαλαβάθρου paſſim apud Græcos antiquiores; de quibus vide ſuprà in voce *Betre* & infrà ubi de *Malabathro*: Plura autem hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p. 1072.*

CATASTA, pegma ligneum, quò venales olim exponebantur ſervi, à καθίστημι: vel, ut Raderus exponit, machina lignea longaque, ſervis venalitiis injecta, unde ipſi ſervi *Cataſti* dicti. Ejus meminit Martialis, *l. 6. Epigr. 29. v. 1.*

> *Non de plebe domus, nec avaræ verna* cataſtæ, &c.

Ubi quoniam magnus erat ſervorum ſtrepitus, Idem *l. 9. Epigr. 30. v. 5.* ait,

> *Heu quæ lingua ſilet, non illam mille cataſtæ*
> *Vincebant.*

Plura vide infrà voce *Venalis.* Maximè verò & propriè ſignificabat, ut Jac. Pamelius, *Notis ad Epiſtol. S. Cypriani Martyris 33.* docet, locum eminentiorem, quem vulgò *Palcum* Itali dicunt, in quo vel de reis, vel de Chriſtianis Martyribus ſumebatur ſupplicium. Unde Prudentius Poëta, *in Romani Martyrii hymno 14. v. 466.* iſta habet,

> *Audite cuncti: longè clamo, ac prædico,*
> *Emitto vocem de* cataſta *celſiore.*

Nonnunquam etiam, per tralationem ipſamet torquendi inſtrumenta indigitâſſe, patet ex Eodem *Periſteph. hymnô 3.* ubi de Laurentio, *v. 199.*

> *Poſtquam vapor diutius*
> *Decoxit exuſtum latus,*
> *Ultro e cataſta* (crate ferrea) *Judicem,*
> *Compellat affatu brevi*, &c.

Vide Gallonium, *de Martyr. Cruc.* Matth. Raderum *ad Martialem*; Lud. de la Cerda, *Adverſarior. c. 71.* Caſpar. Barthium, *Animadverſion. ad Statium, l. 2. Sylv. 1. v. 72.* &c. nec non infrà *Cyphon.*

CATATECHNOS, cognomen Callimachi, vide infrà *Corinthia columna.*

CATATHESIA, feſtum duplex in Eccleſia Græca, de quo vide infrà *Depoſitionis feſta.*

CATATHRÆ, Inſulæ duæ Rubri Maris. *Ptol.*

CATATUMBAS, apud Gregorium M. *l. 3. Ep. 30.* quaſi *Ad tumbas*, ex præpoſitione Græcorum κατ', quæ *ad, verſus, juxta*, ſignificat, à Latinis ævi ejus adoptatâ, ut diximus ſuprà, & voce *tumbas*, h. e. ſepulchra, locus fuit extra Romam, aliâs *Catacumbæ* vocatus: unde quidam illum ſic dictum cenſent, quaſi locum mortuorum *tumbis* ſeu ſepulchris deſtinatum, ſeu quòd in eo Martyrum ac Chriſtianorum, qui ſub Imperatore. paganorum tyrannide mortem oppetierant, *tumbæ* paſſim eſſent inventæ. Sed cùm aliquot Codices MSS. cæterique Scriptores conſtanter *Catacumbas* habeant paſſim, non ſine ratione verbis Gregorii membrum ſubeſſe reatur Car. du Freſne, quem vide in voce *Catacumbæ.*

CATATUS, civitas Ungariæ à Piſano Venetæ claſſis Duce vi capta, diruta & incenſa.

CATECHETES, Græcè Κατηχητὴς, in Eccleſia Conſtantinopolit. dignitas erat Eccleſiaſtica, cujus munus κατηχίζειν τὸν λαὸν καὶ πάντας ἐρχομένους ἀπὸ τῶν ἑτεροδόξων εἰς τὴν ὀρθόδοξον πίστιν, *Catechizare populum & omnes tranſeuntes ab Heterodoxis ad fidem veram.* Vide Catalogum *Officiorum Eccleſiæ Conſtantinopol.* & Theophanem, *p. 397.* ubi Miſcella & Anaſtaſius *Inſtitutor* vocem reddunt. A verbo κατηχέω, *vivâ voce inſtruo*; quod olim nefas eſſet, myſteria literis committere, voce tantum tradenda: de quo in Sacris ſilentio aliàs fuſiùs, inprimis infrà in voce *Myſteria*, item *Norunt Fideles.*

CATECHISTA, vide ſuprà *Exorciſta.*

CATECHIZARI & CATECHUMENI fieri, pueri recèns etiam nati dicebantur ſequioribus ſeculis, qui, antequam offerrentur ad Baptiſmum, ut veteris diſciplinæ vel umbra ſervaretur, à Patrinis in ſpeciem *catechizabantur*, qui iis nomen imponebant & *Catechumenos* factos offerebant ad Baptiſmum, tanquam eorum fidei Sponſores. Unde Flodoardus in *Chron. A. C. 945.* Ludovicô Rege *apud Rodomum degente, Gerberga Regina filium peperit, qui Carolus ad catechizandum vocatus eſt, i. e. in baptiſmo, vel catechiſmo. Catechizari* autem *ante fores Eccleſiæ*, ante Baptiſmum, jubentur *infantes*, in Concil. Caſſilienſi *A. C. 1172. c. 2.* apud Silv. Geraldum, *de Expugn. Hibernia, l. 1. c. 34.* idque *per octo dies ante Paſcha, & per totidem ante Pentecoſten*, in Concilio Rediugenſi *A. C 1279. can. 4.* & Nemauſenſi Syn. *A. C. 1284. c. de Baptiſmo.* Reliqua ſuggerit *Summula* Raymundi, *de Bapt.* apud Car. du Freſne,

> *Dum catechizat puerum, tunc tres tibi ſumas*
> *Perſonas, & non plures, quia ſufficiunt hæ:*
> *His injunge fidem puerum debere docere,*
> *Atque Pater noſter*, &c.

CATECHUMENA, ſeu CATECHUMENIA, porticus olim ſuperiores Ædium ſacrarum dicebantur, quòd ibi ſtationes eſſent *Catechumenorum*, vel locus, ubi inſtrui ſolebant, uti quidem viſum eſt Baronio, *ad A C 656. num. 38. Wolphio & Meurſio*: vel, quòd in iis mulieres ſacras liturgias audirent perciperent, uti magis placet Carolo du Freſne *in Gloſſar.* & in *Deſcript. Sanctæ Sophiæ, c. 38.* Occurrit vox, apud Anaſtaſium in *Collectan.* Gregorium II. *Ep. 2. ad Leonem Iſaur.* Euſtorbium in *Vita* S. Pelagiæ meretricis, *c. 8.* Alios. Κατηχούμενα & Κατηχουμένια Græci iſtiuſmodi porticus vocant paſſim: Ἀνάγνω τῶν κατηχουμένων meminit Criſpinus in *Vita* S. Parthenii Epiſcopi

ſcopi Lampſaceni, c. 2. num. 14. quod ἐπὶ ... [illegible], ſeu partem *Eccleſiæ ſuperiorem*, interpretatur Cat. du Freſne, &c. Aliquando tamen per *Catechumenum* denotari domum Catechumenis deſtinatam, in qua Catechiſtæ eos, in rebus fidei inſtruere ſolíti, ubi quoque Clerici diſciplinæ impatientes à Patriarcha Conſtantinopol. includi conſueverunt, repertas apud Doman̄e. Macrum, qui addit, hodieque Romæ duas eſſe hujuſmodi manſiones, viris unam, feminis alteram, paratas, in *Hierolex*.

CATECHUMENI, *Iſidoro ſunt, qui primùm de Gentilitate veniunt, habentes voluntatem credendi in Chriſtum, de Eccleſ. Offic. l.* c. c. 20. Græcè Κατηχούμενοι, quod idem reddit *Auditores* ſeu *Inſtructi*; à Verbo κατηχεῖν, *auribus inſonare*, erudire, docere, præſertim elementa prima, vide Lucam, c. 1. v. 4. Act. Apoſtol. c. 18. v. 25. Galat. c. 6. v. 6. & Hebræ. c. 5. v. 12. Fides enim ex *auditu* eſt, Rom. c. 10. v. 17. &c. Atque hæc generalis vocis notio eſt. Anguſtius & ſtrictius eadem accipitur, de certis eorum gradibus, qui ad gratiam Baptiſmatis olim aſpirabant, quos in triplici differentia fuiſſe Canones Patreſque declarant. Quamvis enim omnes, qui ad Baptiſmum ritè ſuſcipiendum primis Chriſtianiſmi elementis imbuebantur, communi nomine *Catechumenorum* comprehenderentur, pro majori tamen minorive in doctrina fidei ac virtutis profectu in tres Ordines ac Claſſes tribuebantur, *Audientium* nempe, *Genuflectentium* ſeu *Orantium* & *Competentium*, de quibus paſſim Patres & hîc ſuis locis. Cat. du Freſne in *Gloſſar*. Quartum genus ſeu ordinem, & quidem ante tres hos locandum, *privatæ* ſcil. *inſtitutionis* addit, primamque inſtitutionem per manus impoſitionem factam, docet Tob. Pfannerus, qui de his omnibus accuratè agit, in *libr. de Ritibus Eccleſ. antiq. c. 2. adhuc inedito*. Vide quoque ſuprà, ubi de *Audientibus*. His itaque Baptiſmatis Candidatis prima Fidei elementa, non ſcriptò, ſed voce, tradebantur, quemadmodum priſcis Theologis mos erat, etiam apud Ægyptios olim ac Druidas: nec ad ſacra ſpectanda adhuc introducebantur, verùm myſteriis vivâ hactenus voce ſolum percipiendis occupabantur; interimque inſtituebantur *deſiderare* totâ cupiditate Sacramentorum participationem, quæ erat ipſa epopteja; cum ſic κατηχηθῆναι, *initiari myſteriis* diceretur. Docebantur autem primùm *Catechumeni* ea Apoſtolorum placita, quorum primum eſt, *Credo in Deum Patrem*, &c. Dein jurabant magnô jurejurandô in nomen CHRISTI, quæ ἐξορκισμὸς vocatur, *c. 2. de conſecr. diſt. 4.* Dimittebantur autem, cum ad Euchariſtiam celebrandam ſeſe accingeret Sacrorum Adminiſter, Diaconô ter exclamante, *Ite Catechumeni, miſſa eſt*: idque apud Latinos, imitatione Græcorum, qui *abeundi* verbô utebantur, vide infra in voce *Miſſa*: item *Parathefis*. Uti autem gradus *Catechumenorum* erant, ſic & per gradus abire jubebantur, ultimóque recedebant Competentes, utpote jam Baptiſmo proximi, & mox *Illuminandi*, uti vocantur in *Liturgia* Clementis. Tempus *Catechumenatus* certum fuiſſe non videtur. Nam Lapſi quidem, h. e. qui graviore aliquô peccatô admiſsô, commune jus Fidelium amiſerant, ſed poſteà pœnitentiâ ducti in priorem locum reſtitui optabant, quinquenniô totô detinebantur, priuſquam ad epoptejam denuo admitterentur: at *Catechumenis* tempora contractiora præſtituta erant, in quibus tamen, priuſquam ad panem cum Fidelibus frangendum pervenirent, ſtadium conſuetæ exercitationis illis fuit decurrendum. In *Epiſt.* Clementis, tempus trimeſtre iis antiquitus definitum eſſe dicitur: quod poſtea ad 40. dierum ſpatium redactum fuiſſe, legitur apud Hieronymum, *Epiſt. ad Pammach*. Ad plures tamen annos deſiderium Catechumenorum prorogatum nonnunquam, paſſim docetur. Judæos ad fidem converſos per octimeſtre ſpatium inter *Catechumenos* fuiſſe detentos, habetur can. *Judæi de conſecrat. diſt. 4.* &c. Vide Macrum utrumque in *Hierolex*. inprimis verò Joh. Caſp. Suicerum, *Theſaur. Eccleſ.* in hac voce, & hîc in vocibus *Catechizare*, *Deſiderata*, *Scrutinii Dies*, *Silentium Pythagoricum* ubi de verbis κατηχεῖν & [illegible], &c.

CATEJA, apud Virgilium, *Æn. l. 7. v. 741.*

Teutonicô ritu ſoliti vibrare catejas:

Servio idem teli genus cum aclide fuit. Erant autem *aclides* clavæ ſeu haſtæ, quæ lorô vel amentô religatæ magnâ vi jaciebantur & redibant ad eum, qui jecerat clavíſque ferreis aut acuminibus erant munitæ, ut ſine pernicie non redirent, quemcunque tetigiſſent: Rectè proin *jacula brevia* dicta Nonio. Iſidorus, *l. 18. c. 7. Cateja genus eſt Gallici teli, ex materia quàm maximè lenta, quæ jactu quidem non longè propter gravitatem evolat, ſed, quò pervenit, vi nimiâ perfringit. Quòd ſi ab Artifice mittatur, rurſum redit ad eum, qui miſit.* Ubi quód Gallicum *telum* fuiſſe ait, docet, propriam Teutonibus Gallíſque *catejam* fuiſſe, junctus Virgilio, de quo ſuprà. Quod proin Papias & ex eo Joann. de Janua *Perſarum eſſe ſagittam barbulatam, quâ uſus fuerit Hercules*, ſcribunt, unde id hauſerint, non conſtat. *Catejas* non ſemel Gallis ſuis adſcribit Abbo *de Bello Pariſ. l. 1.*

Inde ſuper cernens lapides conſpexit acerbos,
Ac diras ut apes denſe manare catejas,

Edd. libr.

Pila dabat, rupeſque ſimul celereſque catejas.

l. 2.

—— —— *Clypeum geſtanſque catejam.*

Ubi tamen *Catejæ* vocabulô tralatitiè uſus videtur: Ipſe certè in *Gloſſis* [illegible] vertit, i. e. *ſagittam*, vide Salmaſ. *ad Trebellium Poll. in Claudio*, c. 14. & Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CATELANI, ſeu CATALANI, aliter *Gothalani*, populi ex Avarum ſtirpe, qui in Hiſpaniam profecti regioni nomen indiderunt. Ubi anteà Lacetani, Coſetani, Laletani, Auſetani, Caſtellani, Cerretani, Indigetes & Ilergetes populi inter Pirenæos montes, Iberum & Cinnam fluv. & mare Mediterraneum. Vide Plin. *l. 10.*

CATELLA, apud Horatium, *l. 1. Ep. 17. v. 55.*

---- -- - *meretricis acumina, ſæpe* catellam,
Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis ——

Et Livium, *l. 39. c. 31. Quintus alter Prætor ſuos equites catellis ac fibulis ornavit*: vocem fere pro *catenula* interpretantur. Sed Laevinus Torrentius in priore loco, ad catellam aliquam, quæ in deliciis fuerit, referre maluit. Quin & Livii locum non de catenulis intelligit, quibus Romani milites ad ornatum nulli utebantur: ſed ornamentis militaribus, ad effigiem canini capitis effictis, quibus chlamydum fibulæ innexis ſolitæ; cujuſmodi in gladiorum capulis & caligarum faſtigiis ſub genibus apponi conſueviſſe, in vetuſtis monumentis cernimus, &c. Vide de *Catellis*, qui in deliciis habiti, plura hîc infrà, ut & in voce *Iſſa*, item *Melitæi*. uti de *Catella* [illegible] infra, voce *Curſores*.

CATELLI, in tricliniaribus apud Veteres deliciis fuiſſe leguntur, apud Matthæum, ubi de muliere Chananæa, c. 15. v. 27. & indicant ſcalpturæ antiquorum marmorum, apud F. Urſinum, *Appendic. ad Ciaccon. de Triclin.* Et quia nobiles Matronæ imprimis catellis delectabantur, veluti Melitæis, inde factum, ut legamus in antiqua inſcriptione officium hoc peculiare:

OSSA.
AURELIÆ LIV. AUG.
SER. A. CUR. CATELLÆ. &c.

modeſtè ſanè, & non, ut illa, apud Lucianum, *de Merc. cond.* quæ Philoſophum *catellæ* curatorem habuit, vide Pignorium *Comm. de Servis*, & infrà ubi de *Melitæis catellis*, it. voce *Tita*. Sed & *Catelli*, Latinis quoque dicti ſunt piſces, qui Græcis γαλεοί, item [illegible]. Ariſtoteles, *Hiſtor. Animal. l. 6. c. 10.* [illegible] ubi [illegible] Latinè *catelli* ſunt. Optimæ Gloſſæ, *c. de Piſcibus*, γαλεοί, *catelli*, γαλεός, *catellus*, &c. Hinc [illegible] Syracuſiis, ſeu [illegible], *canem pinguem*, dictum eſſe è galeorum genere alopeciam, quem Acipenſem Romanorum eſſe cenſuit, ait Archeſtratus apud Athenæum, *l. 7.*

[illegible Greek verse]
[illegible Greek verse]
[illegible Greek verse], &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 116.* & hîc in vocibus *Acipenſer* & *Galeus*.

CATELLUSIUS Franciſcus, vide *Franciſcus*.

CATENA, cognomen Pauli cujuſdam, apud Ammianum, *l. 14.* & *15.* ſic dicti: quod *eſſet in complicandis negotiis artifex dirus, ſeu in complicandis calumniarum nexibus indiſſolubilis.*

CATENA Patrum, nomen libri, in quo perpetuæ Expoſitiones, ex variis Patribus contextæ & ordine diſpoſitæ *in Pſalmos, Prophetas & Evangelia* continentur. Eâdem enim prorſus ratione, interpretationem operis alicujus perpetuam, ex variis compilatam Auctoribus, *Catenam* nuncupavêre Recentiores, quâ *Cyclum* Veteres. Sic Catena ſeu Cyclus totius Mythologiæ Græcorum, vulgò *Cyclus Epicus*, non unicum Poëma, ſed catenata quædam ſeries erat, ex plurimis conſtans Poëmatiis, quibus univerſus Hiſtoriæ fabulatæ contextus, ab Orbis conditu, ad Ulyſſis reditum, ordine perpetuò deſcriptus continebatur; uti infrà videbimus. Salmaſ. *ad Solin. p.* 859.

CATENÆ, ad manus tantùm, ſicut *Compedes* ad pedes pertinent. Claudianus *de Raptu Proſerpinæ, l. 3. v. 109.* ubi de ipſa Proſerpina, matri per ſomnium apparente,

---- ---- ---- *Sic fata trementes*
Tendere conatur palmas, vis improba ferri
Impedit, & moto ſomnum excuſſêre catenæ.

Et Plin. *l. 7. Ep. 27. Mox apparebat idolon: Senex macie & ſqualore confectus, promiſſa barba, horrenti capillô, cruribus compedes, manibus catenas gerebat, quatiebatque.* Earum uſum antiquiſſimum Statius indigitat, *Thebaid. l. 12. v. 460.*

—— —— —— *ego corpus, ego ignes,*
Me pietas, me durus amor, depoſcere ſæva
Supplicia & dextras juvat inſertare catenas.

Ubi Antigone loquitur, quæ Polynicen ſepultum ibat: Niſi ex ſuis temporibus Poëtam antiqua ſonare dicas. Sane in ipſa antiquiſſima Hiſtoria raptæ Proſerpinæ, *catenas* agnoſcit Claudianus, verſibus allatis. Quia verò vincti *catenis* homines excruciabantur ac puniebantur, hinc *catena* ipſos cruciatus denotant, apud eundem Statium, *Thebaid. l. 8. v. 25.*

Stant Furiæ circum, variæque ex ordine Mortes,
Sævaque multiſonas exercet Pœna catenas.

Vide qui de Romanorum inſigni hac in re crudelitate multa adnotavit, Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Papinium Statium, Tom. 3. p.* 793. & 1498. aliquid quoque infrà, ubi de *Circulis ferreis*, uti de *catenulis galearum, quibus collum in bello Veteres muniti*, infrà itidem; de *catenatis oſtiariis*, in hac voce: de *catena vitrea ſubtiliſſima*, voce *Vitreum*.

CATENATES, Vindelicorum populi, quorum meminit Plin. *l. 3. c. 20.*

CATENATORUM Ordo, apud Waddingum, A. C. 1274.

CATENES, unus, cui maximè fidem habebat Beſſus; quóque ad comprehendendum eum uſus eſt Spitamenes, de quo vide Curt. *l. 7. c. 55.* Adeo certô ictu deſtinata feriebat, ut aves quoque exciperet. *Ibid.* Defecit iterum ab Alexandro, ac in prœlio occiſus eſt. Idem, *l. 8. c. 5.*

CATERLOGENSIS Comitatus regio Hiberniæ in Lagenia provinc. Inter Comitatus Veiſurdienſem, Dubliunienſem & Kilkennienſem: Cujus caput.

CATER

CATERLOGUM Urbs, ad Brigum fluv. media inter Kildariam & Cellam S. Canici.

CATERVA, apud Statium, *Thebaid. l.* 2. *v.* 577.

> ---- ---- *quorum in ſubitu exterrita ſata*
> *Agmina, turbatam vidit laxare catervam:*

denſum agmen exponitur in *Gloſſ. MS.* Quam vocem Latinam multis Græcis interpretatur Philoxenus: *Caterva*, πολυπληθία. Συνδρομή, Ὁμιλος, Πλῆθος, Συντροφὴ (ἐπὶ ὄχλου) Ἄθροισμα, Σύλλεγμα. Collectitium vulgus. Hinc idem, *Thebaid. l.* 5 *v.* 352.

> ---- ---- *Hoc ſaxa ſudeſque*
> *Armaque miſta virûm, atque infectos cædibus enſes*
> *Subvectant trepidæ. quin & ſqualentia texta*
> *Thoracum, & vultu galeas intrare ſolutô*
> *Non pudet audaces rubuit mirata catervas*
> *Pallas*, &c.

Ad quæ loca vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. Tom.* 2. *p.* 553 & *Tom.* 3. *p.* 182.

CATETH, i.e. *tedium*, ſive *contentia*, terminus tribus Zebulonis. *Joſ. c.* 19. *v.* 15.

CATGRAVIUS Johannes, vide *Johannes*.

CATH, fil. Triſmegiſti. *Euſeb.*

CATHÆA, regio Indiæ, in qua mirum in modum pulchritudo excoli dicitur, adeò ut Oneſicritus author ſit, in ea Regem pulcherrimum eligi. Vide plura de Cathæorum moribus apud Strab. *l.* 15. *Cathæa Stephano* dicitur. Sic enim ille, Καθαία, πόλις Ἰνδικῆ: ἐνταῦθα δὲ τοὺς καλλίς ἐστι θάπτειν, ὥστε βασιλέα τὸν κάλλιστον αἱρεῖσθαι. *Nic. Lloydius.*

CATHALUSIUS, Nicanor nominatur apud Steph. in Μιεζα.

CATHARI, Græci καθαροὶ Θεοὶ, i.e. *puri Dei*, colebantur ab Arcadibus, quorum templum erat in colle Pallantio, ad quorum numen jusjurandum Arcades habere ſolebant. Horum Deorum nomina ſe neſcire fatetur Pauſan. *in Arcadic.*

CATHARI, Galliæ populi *Straboni*, in ultima ripa Rhodani habitantes, Salyis finitimi.

CATHARI, Indiæ populi apud quos hic mos invaluit, ut uxores cum maritis defunctis deflagrarent. Cœl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 31.

CATHARI, Hæretici quidam antiqui, quos hodiè *Puritanos* vulgus vocat. *Nic. Lloydius.* Hoc nomen ſibi Montaniſtæ ſumſerunt, ut oſtenderent, non eſſe ſe ex illis, qui tormentorum vi adacti fidem abnegarent; quem in finem candidas quoque veſtes geſſêre. Quibus Auguſtin. ad nomen alludendo regeſſit, *Si nomen ſuum voluiſſent agnoſcere, mundanos potiùs, quam mundos vocâſſent.* Euſeb. *l.* 6. *c.* 35. Socr. *l.* 6. *c.* 20. Auguſtin. *de agon. Chriſti*, *c.* 31. Baronius, *A.C.* 154 *n.* 106. 107. Nomen hoc etiam aliis, ſubinde per injuriam, tributum. Mulierem nobilem hæreſis *Catharorum* convictam Parmæ, cùm fratres Prædicatores ſubitò igne cremâſſent, A. C. 1280. plebs tumultu concitatô, omnes urbe exegit. Blondus *dec.* 2. *l.* 9. Sigon. *l.* 10. *&c.* Vide & *Gazari*. Addo quòd hæretici olim Novatiani, *quòd ſe mundiores aliis prædicarent*, ſic dicti ſunt, Proſper Aquit. in *Chron.* Iſidorus, *Origin. l.* 8. *c.* 5. & Ebrardus *contra Vald.* Nomine poſtmodum ad Valdenſes, ab eorum adverſariis, tranſlatô: quos in *Albanenſes*, *Concorrezenſes* & *Bagnolenſes*, iidem diviſerunt, ut videre eſt apud Reinerum *contra Valdenſ. c.* 6 & Bonacurſum *de Vita Hæretic. initiô.* Eoſdem cum *Chazaris* facit Gretſerus *Prolegom. ad Script. contra Sectam Valdenſ. c.* 2. putatque Germanicam eſſe vocem, ex iis quæ habet Echertus Schonaugienſis 10 *Sermonib. adv. Cathar. Hos Germania noſtra Catharos, Flandria Piphles, Gallia Texerant, ab uſu texendi appellant.* Sed Godefridus Henſchenius *ad Vitam S. Galdini Cardin.* mavult illos ſic appellatos eſſe, propter nocturnas coitiones, à voce Germanica *Caters*, i. e. *feles*, &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* De illis ſic Forbeſius, *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 14. *c.* 2. *num.* 2. *Manichæorum ſecta in tres partes diſtinguebatur, videl. in Catharistas & Mattarios & ſpecialiter Manichæos. -- Ab his Catharistis deſcenderunt Manichæi illi, quos in Germania Catharos dictos eſſe ſui ſeculô ſcripſit Eckbertus Mon. Schonaugienſis*, *A.C.* 1160. Dicti autem *Catharistæ* illi, quaſi *mundatores*, vel *purgatores*, à turpiſſimo quodam illorum ſcelere, quod commemorat Auguſtinus, *Hær.* 46 quorum turpitudinem ac ſecretas ſpurcitias *Catharos* ſui temporis ſequutos eſſe, refert idem Eckbertus. Vide inprimis de his prolixè diſſerentem Jac. Uſſerium Archiepiſcopum Armachanum *de Chriſtianarum Eccleſ. ſucceſſione & ſtatu*, *c.* 8. §. 16. *& ſeqq.* ut & *can. ult.* Concilii Lateran. III. celebrati A. C. 1170.

CATHARINA, virgo Alexandrina, à tribus Philoſophis à pueritia exculta, ac deinde ſtudio doctrinæ cœleſtis dedita. Quæ cùm Maximinum cogentem Ægyptios ad ethnica ſacrificia celebranda palam argueret, primùm carceri incluſa eſt, deinde ad diſputationem cum 50. Grammaticis ac Rhetoribus educta, omnes vicit & ad fidem Chriſti convertit. Eos omnes Tyrannus trucidavit; Catharinam rotæ impoſiturus erat, ſed fulmen rotam diſjecit; quare gladiô decollata eſt. A. C. 307. Corpus dicitur ab Angelis in montem Sina delatum eſſe. Vide Voſſ. *de Philolog. c.* 11. §. 3.

CATHARINA, filia Caroli VI. Galliæ Regis nupſit Henrico V. Anglo, poſtmodum Owino cuidam, ex ſartore Walliæ Principi, qui capite plexus, ſub Henrico VI. avia Henrici VII. Item filia Caroli VII. Galliæ Regis, quæ Carolo Burgundiæ nupſit.

CATHARINA, Soror Phœbi, Navarræ Regis uxor Johannis Albretani. Item hæres Portugalliæ, à Philippo II. excluſa, cujus poſteri rerum thronô potiti. Item Regina Georgianorum, in Perſia, martyrii coronam macta, A. C. 1617.

CATHARINA, Soror Henrici IV. Galliæ Regis, Ducis Barrenſis uxor, Reformatæ Religionis cum lacte hauſtæ tenaciſſima, Obiit A. C. 1604. Nanceji. Ob cujus mortem cùm tota Regia in luctu eſſet, ſimulque omnes cæterorum Principum Legati, Pontificis Nuntius, quid ageret, aliquandiu incertus, tandem & ipſe pullatus coram Rege comparuit, dicens: *majorem ſe habere luctus cauſam, quam reliquos: ſuum enim Dominum & ſe lugere interitum animæ, cum reliqui tantum corporis deſiderium paſſuram.* Cui Rex, *minime dubitare ſe de animæ ſororis ſalute*, reſpondit, referente Bucholcerô, *in Indic. Chron.*

CATHARINA Auſtriaca, filia Philippi I. Hiſpan. Regis filii Maximiliani I. Imperatoris poſt Parentis mata obitum, ex Johanna Caſtellana, promiſſa fuit Joh. Friderico Saxon. Electori, ſed non data ob religionem: poſteà Joanni III. Portugalliæ Regi nupſit, ac poteſque Sebaſtiani adverſus Mauros deſtinatam expeditionem, quoad viam, retardavit. Vide de illa Thuanum, *Hiſtor. l.* 65. Item, filia Ferdinandi I. Imperatoris primò Franciſci Ducis Mantuani, dein Sigiſmundi Auguſti Poloniæ Regis, qui priorem ejus ſororem Eliſabetham etiam conjugem habuerat, uxor. Spenerus *Syll. Geneal.*

CATHARINA Borena, Lutheri uxor. A.C. 1525.

CATHARINA Genuenſis, duos libros *Catalogorum ſacrorum* compoſuit. Obiit A.C. 1510. *Caccius.*

CATHARINA Havardia, quinta Uxor Henrici VII. Angli, capite plexa.

CATHARINA Hiſpanica, filia Ferdinandi, deſponſata Arthuro, filio Henrici VII. Angliæ Regis, quinto poſt menſe mortuo, ducta eſt à fratre ejus Henrico VIII ex eoque mater Mariæ, quæ poſt Eduardum VI. regnavit. Poſtmodùm à marito repudiata eſt, qui, cùm anteà contra Lutherum ſcripſiſſet, Defenſor Fidei prius à Papa dictus, nunc à Pontifice duis devotes, *Ordinum regni decreto, authoritatem Pontificiam per regnum abrogavit.* Thuan. *l.* 1. Sic miſera Regina, in regia domo, *Kimbalton*, in Comitatu Berhfordienſi, fortunæ ſuæ triennium cum ſuperviaſſet, Obiit A. C. 1536. ætat. 50. meditationibus in Pſalmos, &c. compoſitis Polydor. Virgil. *l.* 17. Surius, in *Comment.* Verulamius, *in Henrico VII.*

CATHARINA Landæa, erudita virgo, Bembus *Epiſt. l.* 2. *p.* 613.

CATHARINA Medicæa, filia Laurentii, nupſit Henrico Duci Aurelianenſi ſecundogenito Franciſci I. A. C. 1533. Poſt ſterilitatem decennalem, jam Regina, decem liberos peperit: inter quos Franciſcum II. Carolum IX. Henricum III. omnes Reges, Franciſcum Alenconium Brabantiæ Ducem, &c. Mortuô maritô, & filiis vel minorennibus vel abſentibus, Galliæ Regem, omnis turbis miſcuit, verè regni Furia, &c. Hanc Clemens VII. patruus ejus magnus Henrico elocaverat, non ex amore, ſed odio ductus, quia ex Mathematicis cognoverat, *natam eam exitio Patriæ, ideoque etiam Florentini de exponenda, aut proſtituenda Virgine cogitârant*, *Thuan.* In regno 30. annos graſſata, mœrore animi, A. C. 1589. ætat. 72. deceſſit, *vaſti animi ac ſuperbi luxus fœmina*, Thuan. *l.* 94. poſtquam de filiorum, Succeſſorumque fortuna, per Magicum ſpeculum, fuiſſet edocta, Pet. Matth. *in Hiſtor. Henrici IV.*

CATHARINA Parra, ſexta uxor Henrici VIII.

CATHARINA de Roches, Pictavienſis, doctrinâ inſigni prædita. Vide elogia Virorum doctorum.

CATHARINA Senenſis, viguit 14. ſeculô, Gregorio XI qui Florentinos excommunicaverat, perſuaſit, ut Avenione relictâ Romam rediret, A. C. 1377. Obiit A.C. 1380. ætat. 33. à Pio II. in Beatorum Catalogum relata, A. C. 1461.

S. CATHARINA montis Sinai, ordo militaris in Palæſtina, à Turcarum religioſis peregrinis, huc venientibus, conferri ſolitus. Inſigne crux, in modum rotæ formata. *Favyn.*

CATHARINUS Ambroſius, Senenſis, Epiſcopus Comanus, Concilio Tridentino interfuit. Plurima ſcripſit, in quibus opiniones quaſdam peculiares fovit. Obiit A. C. 1552. Sixtus Sen. Poſſev. Bellarm. *de Scriptorib. Eccleſ.*

CATHARISTÆ, Hæretici, præter deliria Montani, Gnoſticorum ſpurcitias ſectati. *Macarii* quoque dicti. Cyrill. *Cat.* 6. Auguſtin. *Hær.* 46. Baron. *A.C.* 177.

CATHARUM, urbs munitiſſima Dalmatiæ, in ora, ad ſinum Rizonicum, cum arce in colle, ſub Venetis, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Raguſino. Vide *Aſcrivium*, Vulgò *Cattaro*.

CATHARUM, Libyæ interioris promontorium. *Ptol.*

CATHEA, Indiæ regio, trans Hyarotim, inter quem fluvium & Hypanim ſunt Gandaridæ. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 995.

CATHEDRA, variis olim tributa. Fœminearum meminit Martialis, *l.* 12. *Epigr.* 38.

> *Hunc qui fœmineis noctéſque dieſque cathedris*
> *Incedit tota notus in urbe nimis*, &c.

Ubi Schol. *ſummatas*, inquit, *in quibus fœminæ ſedentes, varia & ad ſuam Rempubl. pertinentia, miſcebant colloquia.* Juvenalis, *Sat.* 6. *v.* 91. *molles* vocavit. Phædrus item, *l.* 3. *fab.* 9. *v.* 2.

> *Habebat quidam filiam turpiſſimam,*
> *Idemque inſignem & pulcrâ facie filium.*
> *Hic ſpeculum in cathedra matris ſuppoſitum facit*, &c.

Vide quoque Plinium Jun. *l.* 3. *Ep.* 16. ubi de Arria, Horatium, *l.* 1. *Sat. ult.* Propertium, *l.* 4. *Eleg.* 5. Juvenalem, *l. c.* &c. Hinc pueri *Cathedralicii*, i. e. delicati, teneri, effœminati, mollitie neutiquam cedentes mulieribus, quarum propriè *Cathedra* fuit, Hadr. Turnebus, *Adverſar. l.* 38. *c.* 30. De iis Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 13. *v.* 1.

> Cùm Cathedralicios portet tibi rheda miniſtros,
> *Et Libys in longo pulvere ſudet eques.*

Ubi in delicatum puerorum comitatum invehitur, de quo Cicero *in Milon.* quoque agit. Alii longè ab his fuerunt Cathedra-

vel ſervi, memoratâ Sidonio Apollinari, *l.* 1. *Ep.* 11. *Solus Curia trans in transfugarum perfidiam invectus, cùm adverſſeraſceret, per Cathedration ſerius veſtibulibus ulteriores, domum raptus & reportatus eſt.* Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* de Cathedra verò marmoream, in extremo Circi poſitâ à Tarquinio Priſco, ut ex ea ſpectaret populus, infrà in voce *Subſellia*, &c. In Eccleſia Romana *Cathedra*, propriè ſedes eſt honeſtior & auguſtior Epiſcoporum in Æde ſacra, cæteris aliorum Presbyterorum ſedilibus excelſior: atque hinc ipſa Sedes, Epiſcopatus, Diœceſis: Guil. Britto *Philipp.* *l.* 5. de Turonenſi Metropoli.

> *Quæ cùm ſit Britonum caput & Metropolis, una*
> *Bis ſenas ſub ſe* Cathedras *lætatur habere.*

Porrò quoque Ædes ſeu Eccleſia Cathedralis, in *Capitulari* Aquiſgran. *A.* C. 789. c. 40. Hinc *Altarium Cathedra*, h. e. Præfectura Eccleſiaſticæ, Epiſcopatus, apud Sidonium in *Concion.* Et *Cathedrari* dicti Epiſcopi, cùm ad *cathedram* Epiſcopalem promoverentur, item *incathedrari*, Græcis ἐνθρονίζεσθαι, quòd cùm conſecrarentur, in Eccleſiæ *cathedra* collocarentur in eaque ſedentes palàm ab aliis Epiſcopis efferrentur, de quo maximè in Galliis more inſignis extat locus, apud Steph. Eddium in *Vita* S. Wilfridi Epiſcopi Eborac. c. 12. ubi *auream* illam fuiſſe inter alia refert. Et *Cathedrales*, nudè pro Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, in *Charta* Leopoldi Ducis Auſtriæ *A.* C. 1216. in *Metropoli Salisburg. Tom. I. p.* 381. 395. Et *Cathedraticum*, penſio, quæ Epiſcopo ab Eccleſiis quotannis exſolvitur, in ſignum ſubjectionis, ſeu *pro honore Cathedra*, ut eſt in Concilio Braccar. II. *can.* 2. *pro reſpectu ſedis*, ut eſt in Concil. Ravenn. *A.* C. 997. *can.* 2. quæ ad duorum ſolidorum quantitatem reſtringitur, *ibid.* Vide quæ de *Jure Cathedratici* congeſſêre Renat. Choppinus *de Sacr. Polit. l.* 2. *tit.* 7. Nicol. *le Maiſtre de Juribus & Cenſibus Epiſcop. l.* 2. *c.* 2. 3. Innocentius Cironius in *Paratitl. Decretal. l.* 5. *tit.* 39. ut & infrà, in voce *Synodaticum.* Apud Julianum verò Antecesſorem *Conſtitut.* 115. §. 431. *Cathedraticum* eſt, quod Juſtiniani *Nov.* 123 *c.* 3. ἐνθρονιστικὰ vocat: nempe certa pecuniæ ſumma, quam Epiſcopi recèns ordinati dabant partim Epiſcopis, à quibus ordinati erant, partim Clericis & Notariis, qui in ea inauguratione miniſtraverant, &c. Vide plura hanc in rem apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* & Macros Fratres in *Hierolex.* aliquid etiam infrà, voce *Sella*: it. *Stagiu* & ſuprà *Apſidatitia.*

CATHEDRA, in vet. *Regeſto A.* C. 1346. 14. *Julii fiebant* Cathedræ *ponderis auri* 55. *marcha auri empta* 50. *Cathedr.* 6. *Nov.* 1346. Cathedræ, *ut ſuprà marca empta* 48. *Cathedr.* 7. *April.* 1347. *poſt Paſcha: marca empta* 50. *Cathedr. auri*, apud Car. du Freſne, nummus aureus eſt Franciicus, in quo Rex *cathedra* inſidens conſpicitur. Sub Philippo IV. certè *Floreni cum Cathedra*, vulgò *Florins d'or à la Chaire*, cuſi leguntur, A. C. 1308. pretii 20. ſol. Turon. in *Edicto* Regis hujus 18. Januar. ann. prædicti apud Eund. in voce *Moneta*, ubi etiam *Denariorum aureorum ad Cathedram*, ut & *Florenorum cum Cathedra*, meminit.

CATHEDRA Ferrea, Καθέδρα σιδηρᾶ inter Martyrum olim tormenta, frequens apud Eccleſiæ Græcæ Scriptores, ſicut & χαλκαῖ λεπίδες, *lamina ſeu ſquama ærea.* Ita legimus apud Euſebium, *Hiſtor. Eccl. l.* 5. *c.* 1. in Lugdunenſium ac Viennenſium ad Fratres Aſiaticos *Epiſt.* Sanctum Diaconum χαλκᾶς λεπίδας διαπύρους, *æreis ſquamis corpori undequaque affixis uſtulatum* primò; dein (quod & in aliis quibuſdam perpetratum) ἐπὶ σιδηρᾶς καθέδρας τηγανιζόμενον, *cathedra ferrea inſidentem fuiſſe torrefactum.* Vide quoque infrà *Grabatus.*

CATHEDRÆ S. Petri Romæ feſtum, inſtitutum à Gregorio XIII. ad inſtantiam Antonii Cardinal. Caraſæ A. C. 1576. celebrari ſolet die 18. Januar. Franc. Torrigius *de Crypta Vaticana edit* a 0. 570. Vide Dominicum Macrum *Hierolex.* in voce *Sella geſtatoria Apoſtolica.*

CATHEDRALE Fœdus, ſeu fœdus Domus Dei, Germanice *Gottshaus-bunds*, ſecundum Rhætorum fœdus, nomen habet ab Epiſcopo & Collegio Curienſi: Hujus caput urbs Curia eſt: Conventus ſeu Communitates habet 21. quæ nonnunquam in 11. majores contrahuntur: è quibus duæ Germanicâ linguâ, reliquæ ſuâ peculiari Rhæticâ utuntur. Populi præcipui Curienſes Prægallienſes & Engadini, apud quos Oenus & Atheſis oriuntur. Ex his Epiſcopus & Capitulum, civitaſque Curienſis cum Tigurinis fœdus A. C. 1419. junxerunt in annos 51. Dein fœderi Cano junctum Cathedrale in perpetuum fœdus cum 7. Helvetiorum Pagis coiit, A. C. 1498. annô poſtquam Canum illis acceſſerat. Factum id autem ob negatam juſtitiam & inſidias ipſis ſtructas à Maximiliano I. Imperatore, cui tum Epiſcopus Curienſis operam navabat. Proximô ſtatim annô, bellô Suevicô, Rhæti adverſus Auſtrios fines ſuos egregiè tutati ſunt, & tum ſuis viribus, tum adjuti ab Helvetiis pluribus præliis hoſtem fuderunt: pace tandem, quam cum Imperatore Helvetii ſæpius victores Baſileæ fecerant, quoque comprehenſi. Plura vide apud Simlerum *de Rep. Helvet.* Stumſ. *Chronic. Helvet*, &c.

Conventus fœderis Cathedralis 21.

Curia, *Cur.*	Averſa. *Ardetz.*
Furſtenovin, *Furſtenow.*	Prægalia infra & ſupra portam, *Pregell ober und under Port.*
Pagi quatuor ad Aſperum montem ſpectantes.	Zuzium, *Sutz.*
Vatium ſuperius, *Obervatz.*	Summada, *Summaden.*
Rætia ampla.	Peſclavium, *Puſchiaff.*
Imum caſtrum, *Tuffen-Caſtell.*	Stenzebergum.
Griſenſtein.	Sculsina, *Schuls.*
Bivium ſive Stalla, *Bevi* vel *Stalbo.*	Eremuſium, *Remus.*
	Monaſterienſis vallis, *Munſterthal.*
Ad Malos, *Malix.*	Stanza.
Galſa.	

CATHEGETA, ex Græco Καθηγητὴς, *Doctor*, præceptor, apud Theophylactum Bulgarorum Archiepiſcopum in *Inſtitut. Reg. Pars.* 2. *c.* 2. Idem qui Βασιλέως ſeu *Imperatoris Magiſter*, *Codinus.*

CATHEI, montes Sarmatiæ Aſiaticæ, ex quibus Lagous amnis profluit. Plin. *l.* 6. *c.* 7.

CATHELAUNI, meliùs *Catalauni*, Galliæ populi apud Marcellinum, *l.* 15. quorum urbs *Cathelaunum* in Neotericis, & *Catalaunum* in *Libr. Provinciarum* nominatur. Eandem hodie *Chalons en Champagne*, vocant; & *Cathelaunos campos*, ubi Attila cæſus eſt, A. C. 453. à Merovæo, Francorum Rege, Theodorico Gothorum Rege, & ab Ætio, Romanorum Duce à pluribus ſumuntur ex ea regione quam Gallicum vulgus *Champagne* vocat, ubi adhuc *Chaſtillon* civitas. Sed hi campi Catalaunici in tam exiguo terrarum ſpatio vix includi poſſe videntur. Quidam verò *Catalaunum*, quaſi *Gothalanum*, h. e. Gothorum & Alanorum regionem, vocari putant. Alii ſcribunt, eſſe circa Tholoſam, totamque vel maximam regionem hos campos deſignare veriſimile eſt ex Jornande, qui eos 100. leucas in longitud. & 50. in latitud. patere ait. Idem eos quoque *Mauricios campos* nuncupat. Apud Catalaunos Tetricum ab Aureliano Imperatore ſuperatum tradit *Euſebius*. *Baudrando* ſunt in Campania regionis Galliæ Belgicæ prope Catalaunum. Vide *Catalaunum.*

CATHENA, Latinis ex Κάθεμα Græco unde & *Kethem* Hebræis, Proverb. *c.* 25. ℣. 12. ubi jungitur cum *margarita*, & apud Danielem, ubi cum *ophaz* monile ſignificat auro & gemmis variatum *Heſych.* Κάθεμα ὁ ἐκ τοῦ στρεπτοῦ ὁρμος· *Polluci καθεμα*, ex Antiphane Comico. Nec defuêre certè ex Hebræis Magiſtris, qui peregrinam eſſe vocem agnoverunt, &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1084. Vide eundem *p.* 688. ubi funibus & *cathenis*, quas *Perticas* vocant, hodie rem agrimenſoriam peragi, ait.

CATHIEREMITÆ, gens vicina Gabaonitis. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 5. *c.* 1.

CATHILCI, German. populi à Germanico Cæſ. devicti, *Strabo.* Lege *Catholci.*

CATHIPPI, Aſiæ urbis nomen circa Medicam aut Parthiam. *Oroſius.*

CATHISMA, vide *Pſalmus.*

CATHNESIA, regio Scotiæ Septentrionalior & ultima, verſus Orcades Inſulas, ubi aliàs *Cerini*. Ibi loca quædam parvi momenti.

CATHOLICA, in Symbolo dicitur Eccleſia, Græcè Καθολικὴ, h. e. *Univerſalis*; Tum quatenus ex univerſam Dei familiam, ſive olim, ſive nunc, in terris peregrinantem, perque omnia Mundi tempora ac ſpatia diffuſam unô ambitu comprehendit, tum in ſpecie, quatenus Eccleſiam N. T. pariter in terris militantem denotat. Hæc enim verè univerſalis & una eſt, nulli amplius loco aut populo affixa, ut olim; non in familiis Patriarcharum dedicata, non in ſacra Judæorum gente collocata, non alii denique genti elocata, ac velut in ſervitium tradita, verùm totô, quà patet, Orbe jam ſparſa, manet ipſa communis omnium fidelium mater; quos eôdem lacte nutritos, eôdem ſinu fovet, atque eandem in ſpem educatos, ejuſdem civitatis cives facit, mundumque hunc tandem univerſum commune veluti Templum Dei reddit. Sed & Veteres cuivis Eccleſiæ particulari orthodoxæ, *Catholicæ* elogium tribuerunt, verùm ratione Fidei *Catholicæ*, quam profitebantur; adeoque per tralationem. Hodieque idem nomen ſervat Ædes quædam ſacra Meſſanæ in Sicilia, cujus Protopapas non parùm à Clero Metropolitanæ Eccleſiæ honoratur, & ab illo, die Pentecoſtes, ad eam Ædem deducitur, ubi Græcô ritu ſolennes Veſperas celebrat. Quæ honoris demonſtratio Clericis illis Græcis ideò exhibetur, quod, cùm Sicilia adhuc ſub Græco Imperio eſſet, Eccleſia illa cum Latina unita permanſit, in articulo Catholico. *de proceſſione Spiritus S. à Patre & Filio*, uti legimus apud Macros Fratres in voce *Protopapas* Aliam notionem vocis habes infrà, ubi de veterum *Oratoriis.*

CATHOLICA, vicus Ramandiolæ, in ditione Pontificis medius ferè inter Ariminum & Piſaurum, in colle, & in ora maris Adriatici, tabernis tantùm conſtans & turri.

CATHOLICUS, titulus Hiſpaniæ Regum, cujus origo ad Flavium Recaredum, Regem Gothicum refertur, qui Arianis dictionibus ſuis expulſis, A. C. 585 Valdeſius *de excell. regum Hiſp.* in Toletano Concilio *Catholicus* proclamatus eſt, Mariana, *l.* 7. *c.* 4. Iſid. *in Chron.* Adelphonſus deìn, gener Pelagii, Saracenorum viribus attritis, & Chriſtianiſmô reductô, idem agnomen meruit, A. C. 738. Vaſæus *in Chron. Hiſp.* Quod multis poſteà ætatibus intermiſſum repetiit Ferdinandus Aragoniæ Rex, pulſis totâ Hiſpaniâ Mauris, A. C. 1492. effecitque, ut conſequentibus Regibus proprium & hæreditarium eſſet. *Idem*: Sed & Philippum Valeſium, Gallorum Regem quòd jura Eccleſiaſtica ſtrenuè tueretur, *Catholici* nomen obtinuiſſe, legimus apud Froiſſard. *l.* 1.

CATHOLICUS, dignitas & Magiſtratus, in Africa præſertim. Euſebius, *l.* 8. *c.* 23. Καθολικὸς τῆς Ἀφρικῆς, & *de Vita Conſtantini*, *l.* 4. τῶν διοικήσεων Καθολικὸς, h. e. *Conſularem & Præfectum Africæ*, ut interpretantur Viri docti. At Cujacius *ad l.* 5. *Cod. de Jure Fiſci*, *l.* 10. contendit, probatque non unô Baſilικῶν locô, id nominis ſpectâſſe Fiſci Procuratores, Gallis hodie *Generaux des Finances*, quos Scriptores Byzantini vocant paſſim: quod clarè evincit Theodorus Hermopolites *ad l. ult. Cod. Si à non compet. Jud.* ὁ Καθολικὸς, ἤγουν ὁ [illegible] Cui notioni convenit *Gloſſ.* Græc. Latin. Καθολικὸς *Rationalis.* Quamvis certum ſit Conſularium vel certè Proconſulum munus fuiſſe, tributorum exactionis [illegible], quod Dio diſertè tradit, *l.* 53. &c. Inde *Catholiciani*: officiales Catholicorum, *l.* 9. §. 2. *Cod. de Bonis proſcript.* ubi cum Cæſarianis junguntur. *Gloſſæ* Baſil. [illegible] Quæ fortè ratio quòd pro

Speculatoribus vocem aliquoties uſurpat Sueno *in Hiſtor. Danica*, *c.* 7. Sed & *Catholicus* Primas eſt, qui inter Epiſcopos *Primatis*, ut vocant, dignitatem obtinet: apud Aſiaticos præſertim aliquos Præſules. Antiochenæ olim ſedi ſubditos & ſuffraganeos; qui, quòd juriſdictionem & diœceſin valde amplam haberent, olim hodieque *Catholicos* ſe, h. e. *Univerſales*, appellare conſueverunt. Et quidem *Perſarmenorum Catholicus* memoratur Procopio, *de Bello Perſ. l.* 2. *c.* 25. *Armenorum*, Ottoni Friſingenſi *Chron. l.* 7. *c.* 32. *Seleuciæ*, in *Canonibus* Nicænis Arabicis à Turriano editis, c. 33. & c. 34. ubi gradus ejus ſupra omnes Epiſcopos Græciæ ſtatuitur: c. item 35. ubi *Prælatus Perſidis* appellatur. Sed hæc dignitas poſtmodum diviſa legitur, binique ex uno *Catholici* Patriarch. Antiocheno ſubditi creati: quorum alter *Ancenſis*, *Amenſis*, *Perſidis Primas*, *Catholicus Ani*, *Romogyreus Catholicus*, &c. alter *Hieronopolitanus*, item *Bagdatenſis* dictus eſt, *Papa* quoque & *Jacolith*, ſeu *Jacolich*, Paulo Veneto (quæ vox corrupta eſt ex *Catholicus*) de quo utroque agit Guil. Tyrius, *l.* 4. *c.* 9. Armenicus Catholicus, cujus meminit idem Auctor, cum *Hieronopolitano* idem eſt. Vide eum *l.* 15. *c.* 18. Publicavit autem *Armenia Catholicorum* ſeriem & hiſtoriam ex Græco Scriptore & ex *Codice* 696. Bibliothecæ Regiæ Combefiſius in *Hiſtoria Monothelitar.* ex qua liquet primitus *χειροθεσίαν* & ordinationem accepiſſe ab Eccleſia Cæſarienſi; pacto initio ſimodi inter Gregorium primum Armenorum Epiſcopum cum Leontio Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopo, à quo ordinatus fuerat, initô: quod etiam eouſque duravit, donec prolapſi in varias hæreſes Armenii ab Eccleſia Cæſarienſi deſciſcerent. *Sis* verò urbem, Armeniæ *Catholici* fuiſſe ſedem ſuô ævô, refert Wildebrandus ab Oldenborg, *Itinerar. Terra Sanctæ*, ubi de Armenis. Titulos honorarios, quos Zachariæ Majoris *Armeniæ Catholica* adſcribit Joannes Archiepiſcopus Nicænus, *l. de Nativ. Domini*, ita habes: Ὦ μακάριε Ζαχαρία, ὁ διάδοχος τοῦ μεγάλου Ἀποστόλου Θαδδαίου ζηλωτὴς καὶ σύνθρονος τοῦ ἁγίου Γρηγορίου, ὁδηγὸς δὲ τοῦ οἴκου Θεοῦ, καὶ ἐπιστάτης Ἀράξου ἐγχωρίων, καὶ γνωστικώτατος τῶν φυλῶν τῶν ἀρίστων πολεμιστῶν τῶν Ἀζάν. O beate Zacharia, Succeſſor magni Apoſtoli Thaddæi, & Sancti Gregorii ſynthrone, Dux viæ domus Thorgom & Præſes Araxis incolarum, ſcientiſſime tribuum optimorum bellatorum in Azan. Porrò habuit Æthiopia quoque ſuos *Catholicos*, Alexandrinæ ſedi ſubjectos, non tamen tantæ auctoritatis, quantâ pollebat Seleucienſis, cui jus erat ordinare Archiepiſcopos, ſicut Patriarchæ faciunt, quod Æthiopiæ *Catholico* non licebat, ex *can.* 36. Nicæni Arabici *Canon.* ubi in Conciliis Græciæ ſeptimum locum, poſt Seleucia Catholicum, cui datur ſextus, Æthiopico aſſignari conſueviſſe, additur. *Albaniæ* Catholicum memorat Auctor *Narrationis de Rebus Armen.* apud Combefiſium, qui Καθολικὸς Ἰβηρίας dicitur in *Menæis*. *Catholicus Jacobitarum*, quem illi *Patriarcham* vocant, recenſetur à Zonara in *Heraclio*. Vide quæ præter Car. du Freſne in *Gloſſar.* de *Catholicis* congeſſerunt Sirmondus in *Adventoria*, Marca *Diſſertat. de Primatibus*, *c.* 26. 27. & Salmaſ. in *Euchariſtico*, *c.* 3. De Æde primaria Græcorum quam habent Athenis, *Catholicon* illis dici, ait Jac. Sponius, *Itinerar. Græc. Part.* 2. *p.* 182. quæ ibidem videtur loci eſſe, ubi olim Templum Vulcani, *Ibid.*

CATHON, inſula à *Pomponio* inter Cyclades adnumerata.

CATHRAPS, apud Plinium, *c.* 25. *l.* 6. *A promontorio Carmaniæ junguntur Armozei, quidam interponunt Arbios CCCCXII. toto littore, ibi portus Macedonum, & aræ Alexandri in promontorio. Amnes Sagana. Dein Æchedana & Cathraps*, amnis Aſiæ poſt Saganam ad Orientem pergenti occurrens. Hinc Κάθραπος ποταμοῦ ἐκβολαί, apud Ptol. &c. Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 1182.

CATHULCI, ſeu CATHULCONES. *Ptol.* Germaniæ populi ad Albim fluv. Erant clientes Cheruſcorum, ubi nunc Luneburgum, urbs ampla & probè munita, Ducatus cognominis caput. *Cluver.*

CATI, quinam Romanis ſint dicti, exponit Plin. *l.* 7. *c.* 31. *Reliquis animi bonis præſtitêre cæteris mortales: ſapientiâ, ob id Cati, corculi apud Romanos cognominati: apud Græcos Socrates, oraculo Apollinis Pythii prælatus cunctis.* Ubi ſenſus eſt; Cæteri mortales præſtitêre reliquis animi bonis, ut fortitudine, eloquentiâ, memoriâ, patientiâ, aliiſque; at ſapientiâ apud Romanos, qui *Cati* & *corculi* ob id ſunt cognominati apud Græcos Socrates, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 51. Cognomen ad Æliorum *fuiſſe*, *adnotat* Jac. Dalechampius *ad h. l.*

CATI Fons, dicebatur, ex quo aqua Petronia in Tiberim fluebat, quia in agro erat cujuſdam *Cati. Feſtus.*

CATICARDAMNA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol.* Chiromandel. *Petro Appiano. Baudrando* quid ſit, non conſtat.

P. CATIENUS, Philotimus, patronum adeò dilexit, ut hæres omnibus bonis inſtitutus in rogum ejus ſe jecerit. Plin. *l.* 7. *c.* 36. *extr.*

CATIFA, oppid. Aſiæ, in ora Arabiæ Felicis juxta ſinum Perſicum, qui hinc *Golfo del Catif*, habet portum & arcem ſatis munitam; Aliàs *Gerra* dictum, *Sanſone* teſte. Vide ibi.

CATIGNATUS, Allobrogum Dux, qui poſt conjurationem Catilinæ rebellaverat. Pacati verò fuerunt Allobroges an. Urb. Cond. 694. bienniô antequam Helvetii ſunt domô profecti.

CATILI, Alpium incolæ inter Polam & Sergeſtum. Plin. *l.* 3. *c.* 20.

CATILINA, cognomen Avidii Caſſii, qui, poſt Verum, Imperium tenuit. Vulcatius Gallicanus, in *Vita* ejus, *c.* 3. *Nec defuêre, qui illum Catilinam vocarent: quum & ipſe ſe ita gauderet appellari; addens futurum ſe Sergium, ſi dialogiſtam occidiſſet. Antoninum hic omnino ſignificans.* Nempe propter ſimilem conjurationem, & motum inprimis ſimilitudinem, Caſſius hic non *Catilina* ſolum audio lubens, ſed ultro etiam ſe vel Sergium dici velle (*Catilinæ* qui armiger fuit perditiſſimi heri perditiſſimum mancipium) ajebat, modo Marcum occidiſſet. Vide Caſaubon. *ad loc.*

CATILINA, civis Romanus nobilis, conjuratuſque contra patriam ſatis notiſſimus, cujus impii conatus prudentiâ Ciceronis oppreſſi ſunt: an. 692. Urb. Cond. *Hiſtoriam eam* ſcripſit Salluſtius. Vide & Flor. *l.* 4. *c.* 1. & Plut. *in Cicerone*. Juvenal. pro quovis peſſimo & exitioſo patriæ cive poſuit. *Sat.* 14. *v.* 41. cum ait,

> ----- *Et Catilinam*
> *Quolibet in populo videas, quocunque ſub axe.*

Virg. *Æn. l.* 8 *v.* 668.

> ----- *Et te Catilina minaci*
> *Pendentem ſcopulo Furiarumque ora trementem.*

Lucanus, *l.* 7. *v.* 64. ubi de Cicerone

> ----- *Cujus*
> *Pacificas ſævus tremuit Catilina ſecures.*

Martialis, *l.* 9. *Epigr.* 72. *v.* 1.

> *Dixeras O mores! O tempora! Tullius olim*
> *Sacrilegum ſtrueret cum Catilina nefas.*

Nic. Lloydius.

CATILIUS Severus, vir doctiſſimus, diſcipulus Papiniani. an. Urb. Cond. 976. Lamprid. in *Alexandro*, *c. ult.*

CATILIUS Severus, Conſul, Collega T. Aurelii Fulvii Antonini an Urb. Cond. 872.

CATILLAMINA, apud Arnob. *l.* 7. *Quid toda? quid nenia? quid offa, non vulgi, ſed quibus eſt nomen appellatioque penita, ex quibus quod primum eſt, in exiguas arvina eſt miculas catillaminum inſecta de more*; cupedia eſt & deliciola mattea, è verbo *catillare*, i. e. ligurire, unde *Catillones* dicebantur gulones, à lingendis *catillis*, & *Catillatio*, de his, qui provincias expoliabant. Propriè verò ita vocâſſe videntur farcimina aut botulos minutis carnibus inculcatos, quòd avidè à catillonibus expeterentur. Quô ſenſu idem quoque *Catillamenta* poſuit *l.* 2. *Ut ſpirulas & botulos facerent, iſicia, catillamenta Lucanica, ſummatam cum his carnem & glaciali conditione incretia*, ex lectione Salmaſii, cui proin *catillamenta* & *catillamina* fartus ſunt ex carne minutatim & per miculas inſecta, vide eum *Exercit. Plin. ad Solin. p.* 128.

CATILLI, populi circa Anienem fluv. Silius Italicus, *l.* 4. *v.* 225.

> ----- ----- *Anienicolæque Catilli.*

CATILLUS, filius Amphiarai, qui cum fratribus Corâ & Tyburtô in Italiam venit, ibique Tybur condidit, & à nomine fratris nomen ei impoſuit. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 672.

> *Catillusque acerque Coras Argiva juventus.*

Silius Italicus, *l.* 8 *v.* 365.

> *Et Tybur, Catille, tuum.*

CATILLUS, mons prope Tiberim à *Catillo* ſic dictus.

CATILLUS, ſuperior pars molæ, apud Paulum JCtum, *de inſtructo & inſtrum. leg.* 18. *eſt autem meta inferior pars molæ, catillus ſuperior*, uti vulgò habetur: Scaliger verò putat JCtum ſcripſiſſe, *Eſt autem meta ſuperior pars molæ, catillus inferior*. Græci certè ſuperiorem molæ partem ὄνον vocant, inferiorem μύλην. Moeris Atticiſta. Μύλος ὁ τραπεζίτης τοῦ μύλου, ὄνος τὸ ἄνω μύλου. Sic *Catillus* molæ, i. e. πίναξ, id fuerit quòd Græci τραπεζίτην μύλου vocant, quod impoſitus & ſuperjectus eſt, ὄνος vel ὀνίσκον Græcis, *meta* Latinis, ſuperior nempe molæ lapis. *Heſychius*, ἀλετῶνες οἱ τοῖς μύλοις ἐπικείμενοι; qui & alibi ὄνος interpretatur ἀνώτερον λίθον τοῦ μύλου, *ſuperiorem lapidem molæ*. Tota verò mola *machina* dicebatur unde *machinarium aſinum*, qui machinam circumagit, &c. Vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 659. & 1210.

CATIMELIBOCUM, Germanicè *Catzenelnbogen*, Comitatus Germaniæ, in Wetteravia, vide infrà in voce *Catimelibocum*.

CATINA, Siciliæ urbs, vide *Catana*. Item Arcadiæ oppid. Plin. *l.* 4. *c.* 6.

in CATINIS aurum coquendi ratio, indigitatur Plinio, *l.* 33. *c.* 4. *Quæ e catino jactatur ſpuritia, in omni metallo vocatur ſcoria. Hæc in auro coquitur iterum & tunditur. Catini fiunt ex taſconio, hoc eſt terra alba ſimili argillæ: neque enim alia flatum ignemque & ardentem materiam tolerat.* Auri enim ramenta in *catinos* coquenda mittebantur ex argilla factos, qui dein in fornace vel camino ponebantur. Κεράμεα ἀγγεῖα vocat Agatharchides iſtos catinos. Κεραμεῖα, inquiens, ἐμβάλλοντες ἐνίσχουσι ... καὶ μολύβδου χόνδρους, ... Et poſteà imponentes operculum benè adaptatum & undique perlinentes, coquunt in camino quinque dies, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1079.

CATIPANUS ſeu CATAPANUS, apud Guil. Apulum *de Geſtis Normannorum*, *l.* 1.

> *Turnicii tandem rumor pervenit ad aures,*
> *Qui* Catapan *fuerat Græcorum miſſus ab Urbe,*
> *Cui Conſtantinus nomen dedit.*

Infrà,

> *Partibus Auſoniæ Gallorum terror habetur,*
> *Ex qua Normannos Catapan abſcedere fecit.*

apud Leonem porro Oſtienſem, *l.* 2. *c.* 61. Lupum Protoſpatham, Anonymum Barenſem, in *Vita S. Vitalis Siculi*, Ughellum *Ital. ſacr. Tom. IV. paſſim*, idem quod *Capitaneus* eſt, Præſes, Præfectus provinciæ ſeu civitatis; apud Byzantinos inprimis ſeu Græcos, ut infrà videbimus. Hodieque Neapoli *Catapanus* vocatur publicus Miniſter, annonæ, ponderibus menſuriſque præfectus. Præſertim vero ſic dicti ſunt, qui in Italiam ab Imperatoribus Byzantinis mittebantur, provincias ac urbes ſui Imperii ibi adminiſtraturi, unde *Italia Catapanorum* frequens mentio, apud Byzantinos atque adeò Italicos medii ævi Scriptores. Leo Oſtienſis

ſis loc. cit. *Atque in Apuliam* Catapanus, *nomine Dieliano*, *ab Imperatore dirigitur.* Sic Romualdus Salernitanus Archiep. *in Chronico MS.* A.C. 1013. *Bugianum quendam, qui Bοιωάννης Scylitza dicitur, à Græcorum Imperatore in Italiam miſſum, cum Catapani dignitate, in Apulia plures urbes condidiſſe, ipſamque regionem Catapanatam* (quæ eadem eſt cum hodierna *Capitanata*) *appellaſſe*, refert. Et quidem, pulſis Italiæ finibus Gothis, ſub Juſtiniano demum miſſos eſſe *Præfectos* ſeu Στρατηγοὺς, qui provincias & urbes regerent, populoſque in officio continerent, certum eſt. Quos inter primum extitit Beliſarius, qui exactis Gothis Italiam aliquandiu gubernavit. Narſes mox Eunuchus & Patricius, qui in Italiam Longobardos evocavit, aliique: quos excepêre poſtmodum *Exarchi* Ravennates. Hos ſequuti ſunt *Catapani*, qui Apuliam & Calabriam rexêre, poſtquàm Longobardiâ aliiſque Italiæ provinciis Græci pulſi ſunt, eo ordine, qui infra ſubtexitur. Nomen quod attinet, Auctori *Vitæ* Lietberti Epiſcopi Camerac. c. 41. *Tom. IX. Spicilegii Acheriani* dictus eſt quaſi κατ' ἐπανόρθωσιν, h. e. *poſt Imperatorem*, ſeu qui vices illius exequebatur, unde eum *ſecundum dominum* vocat. Guilielmo Apulo *juxta omnes*, *l.* 2.

> *Cui Catapan facto cognomen erat Bugianus*,
> *Quod Catapan Græci*, *nos juxta dicimus* omnes.
> *Quiſquis apud Danaos vice fungitur hujus honoris*,
> *Diſpoſitor populi*, *parat omne*, *quod expedit illi*,
> *Et juxta*, *quod cuique dari decet*, omne miniſtrat.

Sed nugas has refellit, & Byzantiorum vocem hanc formâſſe ex *κατεπάνω*, quam quibuſvis *Capitaneis* ſeu cujuſcunque ordinis viris primatibus tribuere ſoleant, eruditè oſtendit Car. du Freſne *Notis ad Alexiad.* p. 275. è quo *Catapanorum* Apuliæ Calabriæque ſeriem hanc damus, in *Gloſſario* ejus fuſiùs memoratam.

Catapanorum Apuliæ Calabriæque ſeries.

Stephanus cognomine *Maxentius* Cappadox, miſſus ad gubernandam Italiam ſeu Longobardiam, à Baſilio Macedone, prius eo occiſo: tui, ob rem malè geſtam, pulſo, ſucceſſit.
Nicephorus, cognomine *Phocas*.
Gregorius Bajulus Imperialis Græcorum A.C. 875.
Caſanes ſeu Caſſanus Patricius, A.C. 883. 884.
Joannicius Candidatus, Stratigo Auguſtalis, A.C. 884.
Tradezi Straticus, A.C. 886.
Theophylactus Stratigo, A.C. 887.
Conſtantinus Patricius, qui & *Trapezi* ſeu ἐπὶ τῆς τραπέζης, *Præfectus menſæ Auguſtalis*, A.C. 887. 889.
Symbaticus Protoſpatharius, qui & στρατηγὸς, i. e. *Dux Macedoniæ*, *Thraciæ*, *Cephaloniæ atque Longobardiæ*. Beneventum cepit. A.C. 891.
Georgius Patricius, cùm Benevento præfuiſſet ann. 3. menſ. 9. à Guidone Duce & Marchione unà cum Græcis inde pulſus eſt. Huic ſucceſſit
Barſacius Patricius.
Coſmas Anthus Protopatricius, Baſilicus Protonotarius & Straticos Siciliæ ac Longobardiæ, A.C. 893.
Meliſſenus ſeu *Meliſſianus*, Italiæ Stratigus, A.C. 900.
Nicolaus Patricius, cognomine *Picyglus*, A.C. 915.
Urſileo, A.C. 921.
Michael Schlavus, A.C. 926.
Imogalaptus, A.C. 940.
Platopodus, A.C. 947.
Meliſſenus ſeu Malachianus, A.C. 955.
Marianus Patricius, ſeu Marianus Anthypatus Imperialis Patricius & Stratigos, h. e. *Dux Calabriæ ac Longobardiæ*, A.C. 955.
Nicephorus Magiſter A.C. 966. Hic primus *Magiſtri* dignitate inſignis, Strategus ſeu *Catapanus* Italiæ fuit.
Paſſaris Protoſpatha A.C. 973.
Zacharias A.C. 975.
Porphyrius Protoſpatha A.C. 979.
Calocyrus Delphinas Patricius, A.C. 982 & 983.
Romanus Patricius, A.C. 985.
Sergius Protoſpatha, à Barenſibus occiſus, A.C. 987.
Nicolaus Κριτὴς, cognomine Calibritus, eodem annô, Adralistum interfecit.
Joannes Patricius, qui & *Ammiropulus*, A.C. 989. Hic Leonem Ieannatum, Nicolaum Critum & Porphyrium interfecit.
Tubali, A.C. 990. Petrum Excubitum occidit.
Macrotheodorus Excubitus, occiſus à Maraldo, A.C. 997.
Gregorius Trachanioti, Græcis Τραχανιώτης, A.C. 989. 1000.
Melus Barenſis, A.C. 998.
Xiphias vel *Xiphea Catepanus*, A.C. 1006. 1007. pater Xiphiæ, qui ſub exitum Imperii Bulgaroctoni defecit.
Curacas Patricius, A.C. 1008. 1010.
Baſilius Meſardonites, A.C. 1010. 1012 obiit 1017.
Andronicus Turaices ſeu *Turnicius*, A.C. 1017.
Baſilius Bugianus ſeu *Bagianus*, Scylitzæ Βοιωάννης, A.C. 1018. 1019 1024.
Abalantius Patricius, A.C. 1028.
Safatius Κριτὴς A.C. 1023.
Leo Potus A.C. 1027.
Michael Protoſpatharius Critis, Κριτὴς τοῦ Βήλου καὶ Γυναικώνιου deſcendit A.C. 1032. & adduxit Anatoliki ἐπὶ τῶν οἰκειακῶν Catapanum.
Conſtantinus Protoſpatha, cognomine *Opo*. A.C. 1033. cujus amore Zoë capta, apud Scylitzem.
Leo Opus, A.C. 1037.
Nicephorus, qui & *Dokiano*, A.C. 1039.
Michael, qui & *Dokiano* ſeu *Duchiano*, A.C. 1041.
Exaguſto, filius Bugiani præfatus, A.C. 1042.
Georgius Maniaces, à Michaele in Apuliam miſſus, A.C. 1043. ubi & purpuram induit.
Pardus Patricius, cum Tubaki, Protoſpatha deſcendit, A.C. 1043. quò Imperator dici voluit.
Conſtantinus Theodorocanus Proëdrus, contra Maniacem in Italiam miſſus A.C. 1043. præfuit aliquandiu: fuſus poſteà & captus à Nicephoro Bryennio, qui ſimiliter Imperium arripuerat, apud Scylitzem, ubi & Georgii Theodorocani, Cycladum Præfecti, mentio præterea occurrit.
Euſtachius Palatinus A.C. 1045. 1046.
Johannes, qui & *Raphaël* A.C. 1046. 1047.
Argyrus Magiſter, Veſtes & Dux Italiæ A.C. 1011
Alexius, cognomine *Charon*.
Trombus, A.C. 1058.
Matules, A.C. 1061.
Sirianus, A.C. 1062.
Apochara, A.C. 1064.
Curiacus A.C. 1066.
Mabrix, qui & *Mabricata* A.C. 1066.
Stephanus Patrianus A.C. 1071. quâ ferme tempeſtate exacti Calabriâ Apuliâque à Normannis Græci ſunt, ſicque *Catapanatus* dignitas extincta.

Plura de his qui ſcire amat, adeat Lupum Protoſpatham, Erchempertum, Leonem Oſtienſem, Leonem Gram. Zonaram, Scylitzem, Anonymum Barenſem, Anonymum Salernitanum, *Fragmentum Hiſtoriæ* Longobard. Ughellum *Ital. ſacr.* Auctorem *Vitæ* Nili Jun. Guil. Apulum, Romualdum Salernit. in *Chron. MS.* Nicephorum Bryennium, Octavium Beltranum, *Deſcript. Regni Neapolit.* & qui hos laudat, Car. du Freſne in *Famil. Byzant. Notis ad Annam Comnenam*, *Gloſſar.* &c.

CATIPHA, portus Inſulæ margaritarum piſcatione celebri, Baharem oppoſitus. Petrus Texeira, *Itinerar.* & *Chron. Armuzia*, p. 19. *Inſula Barhen ſita eſt in meditullio ſinus Perſici centum leucis ab Armuzia & totidem à Baſara, exiguò intervallò à continente Arabia, è regione portus Catiphæ.* Idem prope portum hunc, in ſinum Perſicum, ramum illum Euphratis, qui Phiſon in Sacris dicitur, ferri ait, *Ibidem.* Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſt. l.* 5. *c.* 3.

CATIVULCUS, Rex dimidiæ partis Eburonum, frater Ambiorigis. Cæſ. *l.* 5. *Comment. c.* 24. & 26. *l.* 6. *c.* 30.

CATIUS, Deus Ethnicorum, qui *catos*, i. e. acutos homines faceret, alias *Cautus*, quia *Cautos* homines efficit. Auguſtin. *de Civ. Dei*, *l.* 4. *c.* 21.

CATIUS, hominis nomen, cujus meminit Horat. *l.* 2. *Sat.* 4. *v.* 1.

Unde & quò Catius, &c.

CATIZI, Pygmæorum gens à barbaris dicuntur, quos credunt à gruibus fugatos. Plin. *l.* 4. *c.* 11. *Stephano* Καταζία & Πυγμαία eorum regio vocatur; incolæ *Tuſſyle.*

CATO. Hujus nominis celebres aliquot fuerunt: 1 M. Porcius *Cato*, cui poſteà à *Cenſura* dignitate *Cenſorii* nomen inditum eſt. Ex Tuſculano municipio ortum traxit, indeque perſuaſione atque amicitiâ Val. Flacci adductus primus ex ea familia ſe Romam contulit, ubi propter ſingularem virtutem honores omnes ſine repulſâ eſt adeptus. Primò enim Tribunus Militum in Sicilia fuit; deinde Prætor Sardiniam ſubegit, ubi ab Ennio fuit Græcis literis inſtitutus, cùm jam natu grandior eſſet. Poſtremò Conſul cum eodem Flacco creatus citeriorem Hiſpaniam ſortitus eſt, ubi rebus feliciter geſtis urbium omnium muros, quæ intra Bætim erant, unô die ſolò æquari juſſit. Hunc ob morum gravitatem, ſingularemque juſtitiam Virgilius, *Æn. l.* 8. *v.* 670. Inferorum judicem facit:

Secretoſque pios & dantem his jura Catonem.

Tametſi locum illum aliter intelligit *De la Cerda*, nempe de Catone Uticenſi. quem *ſeverum* Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 3. *v.* 3. *gravem* Silius, *horridum* Lucanus vocat. Cæterùm Cato noſter tres ſummas res præſtitiſſe exiſtimatus eſt. Erat enim *Optimus Orator*, *Optimus Imperator*, *Optimus Senator*, uti eum Plin. *l.* 7. *c.* 27. prædicat. Præterea quadragies cauſam dixit, & quamvis toties poſtulatus fuit, tamen ſemper abſolutus eſt. *Omnium bonarum artium magiſter* eidem Plinio vocatur, *l.* 25. *c.* 2. Scripſit ſatira, jam ſenex a Ui *ſeptem libros hiſtor.* Cornelio Nepote teſte, quos *Origines* dixit: fruſtrà ab Annio Viterbienſi mundo obtruſos, cùm perierint. Aliaque, de quibus vide Voſſ. infrà laudatum. Quintilian. *l.* 12. *c. ult. M. Cenſorius Cato*, *idem Orator*, *idem Hiſtoriæ conditor*, *idem juris*, *idem rerum ruſticarum peritiſſimus*, *inter tot operas militiæ*, *tantas domi contentiones*, *rudi ſeculô literas Græcas ætate jam declinatâ didicit*, *ut eſſet hominibus documento*, *ea quoque percipi poſſe*, *quæ ſenes concupiſcunt.* Vide Plutarchum & Nepotem *in ejus vita*, itemque Livium, *l.* 39. *c.* 40. Elogium quoque ejus habes apud Val. Max. *l.* 8. *c.* 7. *ex.* 1. Vide ſis etiam Voſſ. *de Hiſt. Lat.* l. 1. *c.* 5. Dicere ſolebat, Trium potiſſimùm rerum ſe pœnitentiam egiſſe; primùm eò penetraſſe navigiô, quò pede proficiſci potuiſſet: Secundò ignavum præteriiſſe diem; Tertiò uxori ſecretum revelâſſe. Carthaginem delendam ſemper ſuaſit, in quacunque occaſione Reipubl. devotus. Quando obierit, incertum eſt. Pleraque tamen obiiſſe illum an. 606. Urb. Cond. M. 3906. ante Chriſtum Natum 148. Olymp. 158. ſecundò bellô Punicô, aſſerunt. Item Catoni duo fuêre ſuperioris filii, quorum alter in bello contra Perſeum, ſub Æmilio Paulo, magna cum laude militavit, ejus, ductâ Tertiâ, gener factus: Alter Cato *Salonius* dictus, quem pater jam octogenarius, ex Salonia, cujuſdam domeſticorum ſuorum filia, ſuſceperat, patre ſuperſtite, ac Prætore deſignatô, extinctus eſt, & egregios in juris Civilis diſciplinâ libros compoſuit. Gellius, *l.* 13. *c.* 19. Pater Catonis Conſulis, Avus Catonis Philoſophi, Proavus Catonis, qui in Philippica pugna contra Auguſtum & Antonium pugnans occubuit, Plut. *de duobus Catonibus.*

M. CATO Uticenſis, M. Porcii pronepos fuit, quem & vitæ, Stoicæque diſciplinæ ſeveritate referebat. Hic nudis interdum pedibus, brevique togâ in publicum prodibat, ſeſe adſuefaciens non niſi turpibus rebus erubeſcere. Conſulatum fruſtrà petiit, quòd virtuti ſuæ fidens, populo non nimium ſubmiſſè voluerit ſupplicare. Martiam conjugem Hortenſio amico, liberorum cauſâ conceſſit, eandemque poſt ejus mortem recepit; quod Cæſar avaritiæ cauſâ ab eo factum calumniatus eſt: *Dimiſit*, inquit, *inopem*, *ut locupletem reciperet.* Poſt Pharſalicam cladem, reliquias Pompe-

jani exercitûs collegit, ac terreſtri itinere per deſerta Libyæ ad Jubam Regem perduxit. Tandem, victô à Cæſare Scipione, Uticæ, quam tutandam ſumpſerat, necem ſibi conſcivit, perlectô antè Platonis Dialogô, de animæ *Immortalitate*, qui *Phædon* inſcribitur. Lucanus, *l. 1. v. 128*

Victrix cauſa Diis placuit, ſed victa Catoni.

Horat. *l. 3. Carm. Od. 21. v. 11.*

Narratur & priſci Catonis
Sæpe mero caluiſſe virtus.

Quem vino non indelectatum liquet, ex Senec. *c. 15. l. 2. de Tranquillitate*: Cato, inquit, *laxabat animum cura publica fatigatum*, &c. Et mox, *Catoni ebrietas objecta eſt. At facilius effecerit, quiſquis objecerit, hoc crimen honeſtum, quam turpem Catonem.* Sane & Plutarchus quoque author eſt, Catonem πολλάκις εἰς οἶνον διάγειν εἰς ὄρθρον. Hunc *Sapientis* nomen in ſenectute habuiſſe, ſcripſit Cicer. *l. de ſenect.* Quô nomine eum vetus Poëta *in Floridis* ita admiratus eſt, ut vel Socrati anteferret. Ejus verſus iſti ſunt:

Sperne mores tranſmarinos, mille habent offucias,
Cive Romanô per orbem nemo vivit rectius:
Quippe malo unum Catonem, quam trecentos Socratas.

Fuit nimirum ſeveris moribus, invicti animi & continentis: Unde omnes *cordati*, *ſeveri & inculpatis moribus Catones* vocati, ut Val. Max. *l. 2. c. ult. ex. 7.* obſervat. Lucan. *l. 2. v. 380.*

------ Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, ſervare modum, finemque tenere,
Naturamque ſequi, patriæque impendere vitam,
Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.

Nec aliâ cauſâ aureolo illi libello, *De moribus*, verſibus conſcripto, qui vulgò pueris proponi ſolet, *Catonis* nomen inditum eſt: Neque enim Cato ejus author eſt: ſed ita appellatur, quia de ſanctitate morum præcipit, qualis in Catone fuit. Ejus vitam ſcripſit *Plutarchus*. Elogium ejus apud Senecam habes, *de Conſt. Sapientis*, *c. 1. & 2. Nic. Lloydius.*

Val. CATO, Grammaticus, qui Romæ multos & nobiles docuit tempore Syllæ, cujus famam hi verſus indicant;

Cato Grammaticus Latina Siren,
Qui ſolus legit, ac facit Poëtas.

Scripſit, præter Grammaticos libellos, etiam poëmata, ex quibus præcipuè probantur *Lydia*, & *Diana*. *Lydiæ* Ticida meminit.

Lydia doctorum maxima cura liber,

Dianæ verò Cinna:

Secula permaneant noſtri Diana Catonis.

Vixit ad extremam ſenectam, ſed in ſumma pauperie & penè inopia, abditus modico gurguſtio, poſtquam Tuſculana villa creditoribus ceſſerat, auctor eſt Bibaculus *in his*:

Si quis fortè mei domum Catonis
Depictas minio aſſulas, & illos
Cuſtodes videt hortulos Priapi,
Miratur, quibus ille diſciplinis
Tantam ſit ſapientiam aſſecutus,
Quem tres calculi & ſelibra farris,
Racemi duo, tegula ſub una,
Ad ſummam prope nutriant ſenectam.

Et idem rurſùs,

Catonis modò Galle, Tuſculanum,
Tota creditor urbe venditabat.
Mirati ſumus unicum magiſtrum,
Summum Grammaticum, optimum Poëtam
Omnes ſolvere poſſe quæſtiones,
Unum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en jecur Cratetis!

Ejus quoque meminit Catullus, *Epigr. 57. v. 3.*

Ride, quicquid amas, Cato Catullum.

Itemque Ovidius, *l. 2. Triſt. v. 436.*

Et par Cornifici, parque Catonis opus.

Idem.

CATO temporis ſui, cognomine Fabii Sabini, qui inter conſiliarios Alexandri Sev. memoratur Ælio Lampridio in *Vita* hujus Imperatoris, *c. 68.*

CATOBLEPAS, ſeu CATOBLEPA, nomen animalis in Æthiopia, de quo ſic Solinus, *c. 30.* *Juxta Nigrim fluv.* Catoblepas *naſcitur, modica atque iners beſtia, caput prægrave ægrè ferens, aſpectu peſtilenti: nam qui in oculos ejus offenderint, protinus vita exeunt.* Græcè καταβλέπας, vi καταβλέψας, à κάτω *deorſum*, & βλέπω *video*, ob rationem dictam. In Circo Romano, ἡ κάτω, i. e. *pars inferior*, dicebatur Circi principium, ubi erant; ſicut ἡ ἄνω, i. e. *pars ſuperior*, ea quæ ad ultimas metas erat, & aliàs σφενδόνη quoque appellabatur. Unde partem illam Circi, comparant *Circi* Editores terræ; iſtam vero, cœlo In urbe Athenarum, quid τῆς κάτω πόλεως nomine venerit, diximus ſuprà. Vide Salmaſ. ad *Solinum p. 389. & 915.*

CATOBRIGA, Hiſpaniæ urbs inter Cordubam & Emeritam. *Antonin.*

CATOLACUM, ſeu CATULLIACUM, vicus ſuburbanus agri Pariſiaci, 6. ab urbe lapide, in quo Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus ſepultus eſt. Hic clariſſimum monaſterium à Dagoberto Rege extructum & baſilica magnificentiſſima condita eſt quod monaſterium S. Dionyſii dicitur, & oppido originem ac nomen dedit Regumque Galliæ palatiis fuit inclytum, Dagoberti, Caroli Ducis Francorum, Pippini Regis, Caroli Calvi ejus pronepotis & omnium ferè ab Hugone Rege Mauſolæum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CATOLUCA, Galliæ Narbonenſ. oppid. *Antonin.*

CATOMIDIARI, apud Æl. Spartian. in *Hadriano*, *c. 18.* *Decoctores bonorum ſuorum, ſi ſuæ auctoritatis eſſent, catomidiari in Amphitheatro juſſit & dimitti*: Ita enim veteres editiones omnes habent, cùm recentiores ſecutus Caſaubonus *catomidiari* legat, ut vidimus; *catomis cædi* eſt. Significat autem Græcis τὸ κατωμὸς ſive τοὺς κάτωμοι partem ſub collo inter ſcapulas: unde *cædi* aut *verberari catomo* vel *catomis* dixêre, ut *capite cædi*, *tergô vapulare*. Uſitatiſſimum namque Latinis partem deſignantia efferre per ſextum caſum, intellectu præpoſitionis. Quam proin conſtructionem ſecuti recentiores inprimis, *catomis verberare*, frequenter dixerunt, uti in *Martyrologiis* paſſim videre eſt. Procopius, *Arcan. Hiſtor.* vocat πληγὰς ξαίνειν κατὰ τῶν ὤμων καὶ τοῦ νώτου. Quod virgis ferè ſiebat interdum etiam plumbatis. Unde apud Prudentium, *in Romano*, *Hymnô*, *14. v. 117.*

Plumboque cervix verberata extuberet.

Verberabantur autem certè quidam illorum pendentes, μετέωροι ὄντες τοῖς γραμματεῦσι φοιτῶντες παιδάριοι, *velut ad Præceptorem ituntes pueri*, ut Procopius ait, *l. c.* quod valde antiquum eſſe ex Comicis conſtat; nempe, ut eo majorem patientiam præſtarent, non innitentes ſolo, nec contrahendi corporis aut flectendi, aut ullô motu ſive eludendorum ſive molliendorum ictuum copiâ factâ. Unde factum, ut ſemiptiſci Scriptores abuſi vocabulô finxerint phraſes, *in Catomo levari*, *ſuſpendi catomô*, *catomis & flagellis cædi*, vocemque, quæ deſignabat corporis partem maximè dantem atque excipientem ſupplicium, pro ipſo ſupplicio acceperint. Sic itaque Decoctores bonorum Hadrianus puniri voluit, nempe juſſit eos *catomidiari*, h. e. fuſtibus aut virgis κατ' ὤμων verberari, niſi malis plumbatis, quarum ictibus cervices & terga contundi moris fuit; ſed poſteriorum tantùm Imperatorum ævô, *l. 40. Cod. de Decurion.* Vide Salmaſ. *ad Spartian. loc. cit.* & Gronovium, *Obſervation. l. 4. c. 13.* & hic paulo pòſt.

in CATOMO LEVARI, ſeu CATOMO SUSPENDI, in *Actis* S. Babylæ Martyris, *c. 2. num. 6.* *Rex juſſit tres infantes levari in catomo, & primo dari duodecim plagas, ſecundo autem novem*, &c. & apud Adonem ac Bedam 18. *Nov.* Catomô ſuſpendi *eum ac verberari & poſtremò etiam decollari juſſit*: quibuſdam eſt in alienos humeros attolli; melius idem cum *catomidiari*, de quo diximus: Unde & Scaliger formulam hanc loquendi intelligendam cenſet de iis, qui flagris cædebantur funibus utrinque à terra levati, atque ita ſuſpenſi, ut cervices à terra longiùs, quàm pedes, extarent. Sic Nic. Alemannus, *Notis ad Anecdota Procopii*, *p. 85. 1. Edit.* κατ' ὤμους καὶ νῶτα cædi, ait eſſe μετέωρον αἰωρεῖσθαι, *ſublimem pendere*, quomodo pueri in ludo literario vapolare ſolent, ex eodem Procopio & ex Nicephori Conſtantinopol. *Breviario.* Et ſanè ita etiamnum pueri vapulaturi à duobus valentioribus condiſcipulis in ſublime educuntur, nudatô tergô ut verbera excipiant. Neque aliter Prudentius, *Hymnô 14. de S. Romano*, *v. 696.*

Vix hæc profatus, puſionem, præcipit,
Sublimè tollant, & manu pulſent nates,
Teneramque dru ictibus tergum ſecent.

Vide præter ea, quæ ſuprà diximus, plura apud Juſ. Scaligerum, *Epiſt. 144. & 146.* ac Chifletium *ad Victor.* laudatos Carolo du Freſne in *Gloſſario*, aliquid etiam infrà, voce *Verbera.*

CATONIUM, in verſu Laberii, apud A. Gellium, *l. 16. c. 7.*

------ ------ ------ ------ tollet bona
Fide vos Orcus nudas in catonium:

pro *catomum* perperam poſitum eſſe, contendit Vir magnus, & de colli vertebris accipit vocem, vide ſuprà. Salmaſius verò vocem merè Græcam eſſe, εἰς τὸ κατώνιον, & *ad inferos*, vel, ut infimi Ævi Scriptores dixêre, *ad infernum*, ſignificare docet. Ab adverbio nempe κάτω, *infra*, Æolicâ planè derivatione, κατώνιον dictum, ſicut ἐπιχώνιον, à voce ἐπιχώ-, αἰπώνιον ab αἰπ-, ἀκρώνιον ab ἄκρ-, vide Euſtathium *in Il. ο.* adeoque κατώνιον inferorum hic locus eſt, cùm Græci Poëtæ κάτω plerumque de Inferis accipiant, uti Latini *infra*. Tibullus, *l. 1. El ult. v. 35.*

Non ſeges eſt infra.

i. e. εἰσὶν ἀγροὶ ἐν κάτω, *apud inferos.* Quod proin verbum idem reducit in *Epiſtolam* 25. Ciceronis *l. 7.* *Sed heus tu manum de tabula: Magiſter adeſt citius, quàm putaramus, vereor ut in catonium Catoninos* i. e. ne morte afficiat Catonianarum partium homines & orco demittat. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano Cæſ. c. 18.* ubi vocem *Catomidiari* pluribus exponit.

CATONA, taberna diverſoria Calabriæ inferioris è regione Meſſanæ.

CATONI, populi Scythiæ circa Mæotim degentes. Plin. *l. 6. c. 7.* Alii *Carones* legunt.

CATONIUS, vide *Juſtus.*

CATOPISCI & CATOPITÆ, vide infrà *Scotopiſci.*

CATOPTERIUM, locus excelſus ſupra Anemoriam Phocidis urbem, ſive Parnaſſi præcipitium, *Strabo.*

CATOPTRICA Alexandri VII. Pontificis exhibitio, in *Muſeo* Kircheriano. Cujus Auctor, cùm ob ſtudii & virtutis amorem, multum ab hoc Pontifice amaretur & magnis excoleretur muneribus, beneficiorum memor ejuſdem effigiem in nitidiſſima ſpecu-

tulari placit comparere voluit in laquearis faſtigio; tali quidem ſolertiâ, ut pro vario ambulantis ſitu mox accedere, mox retrocedere videatur & certô demum ſtationis punctô, curioſo indagatori, ſe plenè & majeſtosè venerabilem præbeat. Cujus artis arcanum ſagaciſſimos quoſque fugit, qui quantumvis objectas ſpecies ex omni latere inquirant, nuſquam tamen eas detegere queunt. Georg. de Sepibus in *Collegii Roman. Societ. Jeſu Muſæo*, c. 37.

CATOPTRICA Proſpectiva, *Catoptricum* Theatrum, *Catoptricus* Proteus & *Catoptricum Quadrans*, vide infrà, ſuô quodque locô; de *Catoptrica* verò *Scientia* aliquid ſuprà, in voce *Anacampticon*, ac infra ubi de *Optice*.

CATOPTROMANTIA, ſeu *Vaticinatio per ſpecula*, apud Veteres multiplex fuit. Nam & Sagæ Theſſalæ, quibus multiplex cum Luna commercium, ad divinationes ſuas ſpeculô uſæ, in eo literas ſanguine inſcribebant, reſponſa continentes: quas, qui conſuluerant, legebant non in ſpeculo, ſed in orbe Lunæ. Id enim carminibus ſuis ſe præſtare, eſſeque id Pythagoræ inventum, jactitabant. Alius modus erat, cùm præter ſpeculum & Puerum ad *μαγγανείαν* ſua adhibebant, de cujuſmodi pueris multa Appulejus in *Apolog.* Vide quoque Spartian. in *Didio Juliano*, c. 7. Præterea, quos genera ſunt corporum, quæ imagines referunt, tot fuêre *Ἐνοπτρικῆς* ſeu *Κατοπτρικῆς* ſpecies ac nomina, unde huc referri debent *Ὑδρομαντεία*, *λεκανομαντεία*, *κρυσταλλομαντεία*, *ἐλαιομαντεία*, *ξιφομαντεία*, ſimileſque aliæ, quatenus hæc omnia, utpote terſa, polita, ac læyia, imagines reddere apta ſunt. Johann. Sareſberienſis de *Veſtigiis Philoſophorum* l. 1. c. 12. *Specularios vocant, qui in corporibus levigatis ac terſis, ut ſunt lucidi enſes, pelves, cyathi, ſpeculorumque diverſa genera, divinantes, curioſis conſultationibus ſatisfaciunt.* Neque verò ſolum ad præſcientiam futurorum hæc faciebant; ſed etiam in adverſis unde peterent ſubſidium, quod Julianus ſpectâſſe videtur, de quo præfatus Spartianus, &c. Vide infrà ubi de Cyatho & *Specularüs*.

CATORISSIUM, ſeu CARTUSIA, vulgô *Chartrouſſe*, vel *Chatrouſſe*, magnus Galliæ in Delphinatu vicus, poſitus ad pedem montis cognominis nomen dantis Eremo Monaſterioque majoris Cartuſiæ, *la grand' Chartrouſe*. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CATRÆ, civitas, Gentile *Catræus*. *Steph.*

CATRALEUCOS, Luſitaniæ urbs. *Ptol. Cumieira* aut *Moleiro*.

CATREA, Cretæ urbs. Pauſan. *l.* 8.

CATRIA, inſula in mari Libyco, eadem quæ *Aſthuſa*. *Steph.* De nominis origine ſic Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 27. *Ægusa* Libycum nomen, apud *Steph.* eſt *Catria*; *Αἰγοῦσα*, inquit, νῆσος Λιβύης ἣν Λίβυες ἀγροφόρε Κατρίαν. Ubi pro *Κατρία* Cluverius ſcribendum cenſet *Καπραρίαν*, quaſi pro *Ægusa* Libyes *Caprariam* Romanâ voce appellaverint. Sed unus *Αἰγοῦσα* & *Capraria* ſint voces ſynonymæ, tamen à Romanis ipſis Ægusa dicitur non Capraria. Vide Plin. *l.* 3. *c.* 8. *Aponianam* vocat Hirtius, *de bello Africano*, c. 2. unde hodiernum *Favignana*; *Caprariam* nemo quod ſciam. Præterea non eſt credibile, Pœnos a Romanis accepiſſe nomina inſularum, quas tenuêre diu ante Romam conditam. *Catria* igitur, ut vult *Stephanus*, Punicum nomen eſt, ſed à Græcis interpolatum, nam & ג expreſſum per G. ut in *Gaza*, *Segor*, *Gomorrha*, & ſimilibus, גדר *geder* autem vel *gadar* eſt *grex*, non ſolum ovium ſed & caprarum. Hinc in plurali emphatico גדריא *gedraja* vel *gedreia* ſunt *greges*. Itaque inſula *Gadraja*, unde deflexum *Catria*, eſt inſula gregum, caprinorum ſcilicet, i.e. *Ægusa*. *Nic. Lloydius.*

CATTABANIA, regio Felicis Arabiæ thurifera, *Steph.*

CATTARA, vide *Catharum*.

CATTI, ab Hermondaris, ob rivum, unde ſal colligebatur, victi ſunt, exuviis Marti & Mercurio dicatis, i.e. hominibus, equis jumentiſque internecioni datis, Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 57. *Chattæ* Ptolemæo populi German. hodie *Heſſi*, à Druſo domiti, quorum regio *Heſſia*, ſeu *Haſſia*, *Heſſen* vulgò, teſte *Junio*: *Baudrando* erant, ubi nunc Haſſia, cum parte Turingiæ & Brunſuicenſis Ducatus, prope Viſurgim fluvium & Cheruſcos. Poſteà in inſul Batavorum tranſgreſſi ſunt, *Tacit.* Hinc in Batavis ſunt Cattorum vici duo, vulgò *Catwick*, ad mare & Rhenum, apud Lugdunum urbem. Adverſos Cattos nulla neceſſitate bellum ſumſit Domitianus Imperator, A. C. 85. ſed amiſſô Poppæô Sabinô Conſulari rediit, Dion. *l.* 67. Horum meminerunt Martial. *l.* 2. *Epigr.* 2. v. 5.

> *Frater Idumæos meruit cum patre triumphos,*
> *Quæ datur ex Cattis laurea, tota tua eſt.*

Juvenal. *Sat.* 4. v. 147.

> *Tanquam de Cattis aliquid, torviſque Sicambris,*
> *Anxia præcipiti veniſſet epiſtola pennâ.*

Vide Rhenanum, *Rer. Germ. l.* 1. ibique Cl. Ottonem JCtum.

CATTÆ Pannonicæ, apud Martialem, *l.* 13. *Epigr.* 69.

> *Pannonicas nobis nunquam dedit Umbria cattas:*
> *Mavult hæc domino mittere dona Pudens.*

Sunt, quas *Martas* vulgò dicimus, quæ de genere felium ſunt ſylveſtrium ſeu muſtelæ ſylveſtres. Quæ enim *Felis* Veteribus, Recentioribus dictus eſt *Cattus*, quòd *cattat*, i. e. videt: *Iſidoro*: hodieque *gattare*, in Gallia dicunt obſervare & ſpeculari. Arabico-Latinum Lexicon: *Muſium cattum, quod cattat, i. e. videt.* Sed illud *cattare*, pro videre & ſpeculari factum eſt, ex Latino *captare*, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1009. Apud Hungaros, *Banſolmora* vel *Banſulnſmora*, dicitur martinorum harum penſio, vel ipſa earum pellis, in *Decreto* Ludovici Hungariæ Regis A. C. 1351. c. 12. quam penſionem à Calomano Rege primitus introductam eſſe, diximus ſuprà in voce *Banſolmora*. A *Cattus* porro *Cattinæ pelles*, in *Vita S.* Wlſtani Epiſc. Wigorn. *c.* 1. *Cuidam ſuggerenti, ut pelles ſaltem cattinas admitteret.* Apud Continuatorem Florentii Wigorn. p. 663. *Nulla Abbatiſſa carioribus utatur indumentis, quàm agninis, vel cattinis, pelles ſunt catorum ſeu felium.* Sic coopertoriorum cattinorum meminit *Hiſtoria* Abbendomenſis in Anglia Monaſterii. Uti autem *pelles cattinæ* vulgares vileſcebant, ſic contrà in pretio habitæ cattinæ pelles Hiſpanicæ, Gall. *Peaux de chats d'Eſpagne*, de quibus Petrus Venerab. in *Conſuetud. Cluniac.* c. 17. *Cattinarum damnabilis curioſitas in tantum proceſſerat, ut, Gallicanorum cattorum pellibus contemtis, ad Iberorum vel Italorum cattos religioſorum hominum curioſitas tranſmigraret.* Pelles *cattorum ſylveſtrium*, quas ἀνθρώπων κάτας vocat Cæſarius, frater Gregorii Theol. *Dial.* 2. c. 110. appellat *Regeſtum* vetus *Peaux de chat ſauvage*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà *Felis*, it. *Murilegus*, ut & ubi de *Muribus Moſcoviticis*, de *Mure peregrino*, & voce *Zibetta*.

CATTI Meliboci, Germann. tractus, qui *Catzenelnbogen* dicitur *B. Rhenano*; Comitatus Wetteraviæ, in Haſſia eſt, ſub Landgravio Haſſo Caſſellano. Cum oppido cognomine vix 2. leuc. à Naſſavio in Occaſum. Comitatum hunc, uxoris Annæ nomine, defunctô profratre Philippô juniore, ultimô *Cattimelibocî* Comite, Henricus III. Haſſiæ Landgrav. obtinuit; cujus filius Gulielmus Junior, abſque filiis mortuus A. C. 1500. litis inter ſucceſſorem Gulielmum Medium agnatum, ſororeſque, Mechthildem & Eliſabetham, iſtam Johanni Clivenſi, hanc Joanni Naſſovio Dillenburgio, nuptas, cauſam occaſionemque dedit: cùm iſtæ Comitatum maternæ hæreditatis jure ſibi vindicarent, Gulielmô contrà eô maximè argumentô nixô, quòd Gulielmus Junior A. C. 1487. ſororibus non niſi dotem 100000. aureorum pactus, integram terrarum ſucceſſionem patrueli ſepoſuerit. Et protractâ multos in annos cum Naſſoviis controverſiâ, Clivenſium quoque juribus poſteà titulô emtionis auctis, tandem pro his ſententia dicta eſt, A. C. 1648. cui tamen tranſactione Paſſavienſi robur ademtum, & ut in illius juſtitiam aliô judiciô quæreretur, permiſſum. Inde ab iis, quibus cognoſcendi vices delegatæ, pronuntiatum A. C. 1657. ut tituli honore non Naſſovii minùs, atque Catti gauderent; hi verò, retentô Comitatu, Naſſoviis, unâ cum quarta Comitatus Diezenſis parte 450000. aureorum exſolverent: *Cattimelibocci* quoque portionem, ſive inferiorem, ſive ſuperiorem, aut luco ejus 300000. aureorum habituri, quando Haſſi nullâ relictâ prole maſculâ decederent. Tob. Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Princip. Gentibus*, c. 8. Vide quoque præfatum Rhenanum, *Rer. Germ. l.* 1. & ad eum Cl. Ottonis præfati *Notas*.

CATTI Oculus, vide ſuprà *Glaucoris*.

CATTIGARA, Sinarum ſtatio. *Ptol. Canton Caſtaldo*, urbs Sinarum in ora littorali, ſub Luſitanis, in Indiæ ultra Gangem confinio, Emporium frequens. Quibuſdam eſt *Nanton*, urbs Aſiæ ſub Tartaris, in regno Sinæ, in ora littorali ſinus Nanquini. *Baudrand.*

CATTINÆ Pelles, apud Continuatorem Florentii Wigorn. Vide ſuprà *Cattæ Pannonicæ*.

CATTITERIDES, vide *Caſſiterides*.

ÇATTIZA, vide *Cattuza*.

CATTUACI, populi inter Belgas, Nerviis, Caletibus, Veromanduis & Condruſis proximi, quos fortè Duaci oppidi incolas Diœceſis Atrebatenſis opinari licet. Cæſar, *l.* 2. Corruptè pro Aduatici, qui fuêre, ubi nunc Comitatus Namurcenſis, & eorum urbs Namurcum, ad confluentias Sabis in Moſam, *Sanſon*, *Brietius*. *Alii.*

CATTUS ſeu CATUS, vinea. Vegetius, *l.* 4. *c.* 15. *Vineas dixerunt Veteres, quas nunc militari barbaricoque uſu* Cattos *vocant*. Sic dictæ nempe vineæ hæ ſeu plutei, quòd ſub illis miles in morem felis, quem *Cattum* vulgò dicunt, ſub inſidiis lateat. Monachus Vallis Sarnaji in *Hiſt. Albig.* c. 42. *Machinam quandam parvam, quæ linguâ vulgari* Catus *dicitur, faciebat duci ad ſuffodiendum murum.* Aimoinus *Hiſtor. l.* 3. *c.* 72. *Erant carri viminis cratibus tabuliſque tecti lignea, in quibus latentes milites fundamenta ſuffoderent murorum.* Τὰς ὑπὸ τῷ χελώνῃ στοάς, vocat Procopius, *Gothicor. l.* 2. *c.* 19. Vide Portenarium *in Felicitate Patav. l.* 5. *c.* 5. Matthæum Pariſium *A. C.* 1226. Jac. de Vitriaco *Hiſtor. Orient.* paſſim, Alios & ſuprà in voce *Catta*. Guil. Brito, *Philipp. l.* 7. apud Car. du Freſne.

> *Hinc faciunt reptare Catum, tectique ſub illo*
> *Suffodiunt murum, &c.*

Hinc *Catafalco*, Italis machina illa, quam *Chafaux* Galli dicunt, quaſi *Chatfaux*, ut obſervavit idem Car. du Freſne *ad Joinvillam*, cùm non *cata* vel *catus* ſit, ſed ſpeciem ſaltem illius referat. Vide quoque infrà, in voce *Murilegus*.

CATTUZA, vide *Cattzi*.

CATUALDA, nobilis inter Gothones juvenis, profugus olim, vi Marobodui; ſed pòſt dubiis rebus ejus ultionem auſus, validâ manu fines Marcomannorum ingreſſus, corruptiſque primoribus ad ſocietatem irrupit regiam Bohemam, Maroboduumque regnô proturbavit. Eundem caſum paulò pòſt capertus, Hermundorum opibus & Vibiliô Duce pellitur; receptuſque Forum Julium Narbonenſis Galliæ coloniam mittitur. Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 6.

CATULARIA, porta Romæ ſic dicta, quia non longè ab ea, ad placandum caniculæ ſidus frugibus inimicum, ruſæ canes immolabantur, ut fruges flaveſcentes ad maturitatem perducerentur.

CATULI cum porcellis ludentes, gratum Alexandro Sev. oblectationis genus, apud Lampridium, *c.* 41. ubi *Catuli* ſunt canes juniores. Sed & *Catulus*, nomen vinculi, apud Veteres, de quo vide ſuprà in voce *Canis*. Aliàs *Catuli*, dicuntur *quarumlibet beſtiarum filii*, ut ait *Iſidorus*, apud Salmaſ. *ad Solinum*, *p.* 106.

CATULIANA, Minervæ cognomen, à Q. Lutatio *Catulo*; qui ſignum ei dedicavit, Plin. *l.* 34. *c.* 8.

CATULINA Caſtra, *Tuln*, oppidul. Auſtriæ inferioris ad amnem cognominem, qui 1. leuc. infrà ſe in Danubium exonerat, 5. leuc. à Vienna in Occaſum, 4. à Chremſa in Ortum.

CATULINUS, Conſul, collega Apri, an. Urb. Cond. 881.

CATULINUS, vide *Blæſum*.

CATULLUS, Cajus, vel *Quintus Valerius*, Poëta Veronenſis, in Peninſul. Sirmio, hodie *Lac de la Garde*, ſeptimô Conſulatu Marii, natus, *Epigrammatum* ſcriptor, quorum 117. ſuperſunt, annô unô Salluſtio major, quô tempore Romanorum imperium Marii & Syllæ factionibus concutiebatur. Latinæ puritatis cuſtos fuit religioſiſſimus, unde & *Docti* cognomen meruit. Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 62. *v.* 1.

> *Verona docti ſyllabas amat Vatis.*

Alioqui laſcivus, & ſupra modum mordax, utpote qui ne Cæſari quidem, jam rerum potito, pepercerit. Ipſitillam & Clodiam, amicas celebravit, quarum hanc fictô nomine *Lesbiam* dixit. Ovid. *Triſt. l.* 2. *v.* 427.

> *Sic ſua laſcivo cantata eſt ſæpe Catullo*
> *Fœmina, cui falſum Lesbia nomen erat.*

Martialis, *l.* 6. *Epigr.* 34. *v. ult.*

> *Nolo quot arguto dedit exorata Catullo.*
> *Lesbia.* ——

Obiit an. ætatis 30. Urb. Cond. 698. Hieron. *in Chron.* Quintil. Lilius Girald. 10. *dial. de Poët. Latin.* Voſſ. *de Poët. Latin. c.* 1. *Nic. Lloydius*,

CATULLUS, cognomine *Urbicarius*, mimographus, de quo Juvenal. *Sat.* 13. *v.* 111.

> —— *Mimum agit ille*
> *Urbani qualem fugitivus ſcurra Catulli.*

Idem, *Sat.* 8. *v.* 186.

> *Conſumptis opibus vocem, Damaſippe, locaſti*
> *Sipario, clamoſum ageres ut Phaſma Catulli.*

Ubi vide ſis *veterem Scholiaſt.*

Q. Luctatius **CATULUS**, primô bellô Punicô 300. navibus adverſus Pœnos profectus, 600. eorum naves commeatibus impeditas, Duce Amilcare, apud Ægates, inſulas inter Siciliam & Africam, depreſſit, finemque bello impoſuit. Pacem verò petentibus hâc conditione conceſſit, ut Siciliâ, Sardiniâ, cæteriſque inſulis inter Italiam, Africamque cederent, & Hiſpaniâ circa Iberum abſtinerent.

CATULUS, Orator, Conſul cum C. Mario, quartô ejus conſulatu, Cimbros fudit: à collega poſteà, urbe occupatâ per diſſenſionem, mori juſſus eſt, fruſtra precantibus pro eo civibus. Itaque in cubiculo incluſus candentium carbonum vapore ſuffocatus eſt, cujus manes ultus poſteà Sylla, interfectô Mariô juniore. Lucanus, *l.* 2. *v.* 174.

> —— *Quid ſanguine manes*
> *Placatos Catuli referam?*

CATULUS, ſororius Catilinæ, eques Romanus, partium nullarum tantumque quieti ſtudens, à Catilina juſſu Syllæ interfectus. *Aſcon. Pedian.*

CATULUS alius, hujus ſuperioris fil. qui Lepidum, poſt Syllæ mortem, bellum reparantem, oppreſſit. Hic numerum fuit Ciceronis temporibus, & Capitolium incenſum reſtituit, vir non minoris integritatis, quàm gravitatis, & apud ſuos cives authoritatis. Vide & *Luctatius.*

CATURICA, locus circa Alpes Cottias, inter Brigantionem & montem Seleucum. *Antonin.* Vide infrà.

CATURIGÆ, qui & *Caturiges*, populi Galliæ, à Plinio, *l.* 3. *c.* 20. in Alpibus Cottiis locati, quorum caput tum Ebrodunum, poſteà Alpibus Maritimis adſcripti ſunt. Ab his Ebrodunum, nomine gentis acceptô, *Caturigæ*, nunc *Chorges* dicitur. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & in voce *Caturiges.*

CATURIGES, qui *Caturiges Ptolemæo*, *Caturiges Straboni*, populi Galliæ Narbonenſis, Alpini in Delphinatu ſuperiore, quorum oppid. *Caturiga. Antonin* *Chorges*, teſte *Simlero*. Nunc *Chorges*. 1. leuc. à Druentia fluv. medium inter Ebrodunum & Vapincum, 2. leuc. ab utraque. *Baudrand.* Vide & *Caturigæ.*

CATURRACTONIUM, Angliæ oppid. vulgò *Catrlile*. Aliis autem eſt *Allerton* oppidum in Comitatu Eboracenſi longitud. 19. 20. latitud. 51. 16. *Baudrando Catarractonium*, ſeu *Cataracton*, oppidum fuit Brigantum, vaſtatum A. C. 769. ab Eanredo, Northumbriæ Rege. Nunc viculus *Catterick*, in provinc. Eboracenſi ad amnem Suiatam, 3. mill. paſſ. infra Richmondiam, 7. ab *Alverton* oppidulum longè à Carleolo.

CATURRIGA, Galliæ Belgicæ urbs inter Durocortorum & Naſium. *Antonin.*

CATUS, vide *Firmius.*

CATUS Decianus, Britanniæ Procurator, ſub Nerone. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 32.

CATYEUCHLANI, Albionis populi. *Ptol.* Hodie *Buckinghamienſes*, *Hertfordienſes*, & *Bedfordienſes* vocantur *Camdeno.*

CAVA, urbs Principatus citerioris Neapolit. parva, paucorumque incolarum. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Salernitano, vix 4. milliar. à Salerno & ab ora ſinus Salernitani.

CAVA, foramina in muris facta, Livio, *l.* 24. *c.* 34. *Murum ab imo ad ſummum crebris cubitalibus fere cavis aperuit; per quæ cava pars* [illegible]*, pars ſcorpionibus modicis ex occulto petebant hoſtem.* Genere primo apud Varronem, *l.* 3. *c.* 15. de gliribus: *Ferire his cavos oportet laxiores, ubi pullos parere poſſint.* Columellam, *l.* 12. *c.* 8. *Oxygalam ſic facito. Ollam novam ſumito, eamque juxta fundum terebrato. Deinde cavum, quem feceris, ſurculo obturato.* Et Horatium, *l.* 1. *Epiſt.* 7. *v.* 33.

> *Macra cavum repetes arctum, quem macra ſubiſti.*

Aliàs *cavum*, Poëtis omne vacuum. Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 293

> —— —— *cava ſub imagine formæ.*

Auſonius, *Edyll.* 6. *Cupidine cruciſixo, in Pictura*, *v.* 68.

> *Hæc laqueum tenet, hæc ſpeciem mucronis inanem*
> *Ingerit: illa Cavos amnes, rupemque ſragoſam,*
> *Inſanique metum pelagi & ſine fluctibus æquor.*

Paulinus, *Jambô Cytherii*:

> *Hi nunc obeſi ſpiritu ſuperbia,*
> *Et apibus inflati cavis.*

Sic *cava veritatis*, vacua, apud Claudianum Mamertum, *l.* 2. *c.* 9. *de Statu Animæ*: *Cava Luna*, vide infrà *Cavum Solum*, &c. Prudentius verò *Cavi* voce fornacem deſignat *Hymnô* 5. (*al.* 2) *v.* 69. *Periſteph. de Simulachris*,

> *Exciſa fabrili manu,*
> *Cavis recocta & follibus,*
> *Quæ voce, quæ greſſu carent,*
> *Immota, cæca, elinguia*, &c.

Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Stat. Theb. l.* 4. *v.* 478. & de Amphitheatrorum Cavis *ſubterraneis*, infrà in voce Cavea. Hinc *cavare*, apud eundem Papinium, pro *perforare*, *Thebaid. l.* 9. *v.* 126.

> *Lernæam jacit ille trabem. Volat illa ſagittæ*
> *Æqua fuga, mediumque nihil cunctata, Politen*
> *Tranſabit, & juncti clypeum cavat improba Mopſi.*

Atque ulteriùs pro *cruciare* ac torquere: apud Venantium Fortun. *de Vita Martini*, *l.* 1. *v.* 120.

> *Dulcia membra viri per amara flagella cavantur*

Aliam vocis notionem, vide hîc infra.

CAVA Manus, vide infrà *Vola.*

CAVADES, vide *Cabades.*

CAVALCANTIUS Bartholomæus, vide *Bartholomæus.*

CAVALCANTIUS Guido, vide *Guido.*

CAVANA, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

CAVARA, ſeu CAVARES Plinio, *l.* 3. *c.* 4. *Cavari Ptol.* populi Galliæ Narbonenſis. Nunc in Provincia, apud Rhodanum fluv. *Gavots*, teſte *Dalechampiô* inter Avenionem & Valentiam incolentes, quorum Metropolis *Avenio* dicitur. Sed ridet Dalechampium Valeſius, docens, *Cavares* quidem accolere ſiniſtram ripam Rhodani & Druentiam, circa Arauſionem & Avenionem ac Cabellionem, urbes provinciæ Viennenſis; at pagum Gavotum *le pays de Gavot*, longiſſimè abeſſe ab Arauſione cæteriſque *Cavarum* urbibus, ut qui jaceat in provincia Alpium Grajarum & Penninarum, ad caput ſeu initium Lacus Lemanni. Idem oſtendit, hujus gentis urbes fuiſſe Arauſionem caput Cabellionem & Avenionem. aut ſi plura gentis fuêre capita, ſaltem Arauſionem primarium fuiſſe. *Strabo* tranſitô flumine Druentiâ ad Cabellionem, occurrere regionem *Cavarum* uſque ad Iſaræ ac Rhodani confluentes ſcribens fallitur: Neque enim totum agrum inter Druentiam & Iſaræ ac Rhodani confluentes occupant *Cavares*; cùm Segalauni, quorum eſt Valentia & Tricaſtini ad lævam ripam Rhodani maximam ejus agri partem obtineant. Diligentior Strabone Ptolemæus illos, ſub Segalaunis ponit: Interim veriùs, ſub Segalaunis Tricaſtinos, ſub Tricaſtinis *Cavares* fuiſſe. In *tabula Peutingeriana*, ab urbe Avenione uſque ad Seguſteronem, ſeu à Rhodano uſque ad Druentiam, notantur literis capitalibus, quaſi totum hunc tractum occupaverint: ſed inter hæc loca fluviaque Meminos Carpentoratenſium & Vulgentes Aptenſium ſedes habere certum eſt: vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Arauſio.*

CAVARILLUS *Æduus*, pedeſtribus illorum copiis, quæ ad Cæſarem miſſæ fuerant, præfectus. Cæſar. *l.* 7. *Comm. c.* 67.

CAVARINUS Seno, quem Cæſar apud Senones Regem conſtituerat regnô domôque à ſuis expulſus ad Cæſarem confugit, *Comment. l.* 5. *c.* 54. Eum Cæſar Senonum Equitatui præfecit. *l.* 6. *c.* 5.

CAVARUS, Gallorum Rex, annô à Diluvio 2085.

CAVATOR, gemmarum ſcalptor eſt; *cavare* enim Latini pro ſcalpere, ut Græci διαγλύφειν, poſuerunt: gemmas enim qui ſcalpunt, quaſi quoſdam in iis *cavant* ſulcos & foramina cælô imprimunt. Hinc in veterib. Inſcript. mentio eſt *Cabatorum de ſacra via* qui non alii ſunt intelligendi. *Cabitarii* etiam vel *Cavatores* iidem dicebantur, Græcis recentioribus Καβιδάριοι, Palladio λιθουργοί; in *Baſilic.* Græcè Σαρδωνυχίδαι, à Sarda, faciliimæ ſcalpturæ genere. Et quidem *Scalptores* propriè dicti, qui gemmas *cavant*, h. e. cavam faciunt in gemmis effigiem, quæ pro ſigillo ſolet inſculpi, & *ſcalpere*, cavare eſt; cùm contrà *calare* & *ſculpere*, ſit ectypam & extantem imaginem, non *entypam*, ut Scalptores faciunt, exprimere. Hinc *gemmas calatas*, non legimus apud Auctores, ſed *ſcalptas* omnes videl. illas, quæ σφραγίδων uſum præbebant. Galli hodie *Cavatores* iſtiuſmodi & Scalptores lapidum *Gravatores* dicunt, *Graveurs*, pro *Grafatores*; nam & γράφειν Græcis in eadem ſignificatione ponitur. *Heſychius*, γλύψαι, ξύσαι, χαράξαι· & hinc χειρογραφίδες ſeu χειρογραφεῖς, annuli ſignatorii. Im & γλάφειν Græci, à quo Latinum *ſcalpo*, κοιλᾶναι exponunt & βαθῦναι, i. e. *cavare*, refugientes in cavo ac impreſſas figuras formare &c. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Saturnino*, *c.* 8. *Exercitat. Plin. ad Solinum*, *p.* 1-46. & 1106. & infrà, ubi de *cavatis* ſcalptiſque vaſis vitreis, quæ *Diatreta.*

CAUCA, urbs Hiſpaniæ aliò nomine *Cota*. Oppidulum Vaccæorum aliàs, nunc Caſtellæ veter. inter montes, inter Segobiam ad 6. leuc. & Tagum fluv. 23. à Valliſoleto.

CAUCA & CAUCUS, recentioribus Latinis idem, qui veteribus *cyathus*, patera nempe, unde bibitur. Æl. Spartian. *in Peſcennio Nigro*, c. 10. *Hoc tanta erat ſeveritatis, ut quum milites quoſdam in cauco argenteo expeditionis tempore bibere vidiſſet, juſſerit omne argentum -- ſubmoveri.* Gloſſ. Καῦκα, *patera*: In *Epigramm.* Græco Καυκίον, ejus enim lemma, *εἰς ἔρωτα ἐν καυκίῳ γεγλυμμένον*, *In Cupidinem in cauco ſculptum.* Idem cum *bauca* & *bauco*, quâ voce aliquoties, in *Vita* Pontificum Anaſtaſius utitur Bibliothecar. &c. Hinc *Cauci* nummi de quibus infrà, it. *Cauclearii* & *Caucularores*, pro Incantatoribus, quos Galli hodie *Joueurs de gobelets* vocant, in *Capitular.* Caroli M. *Cauculum* enim eſt acetabulum; unde Caucularor ψηφοπαίκτης & præſtigiator. Seneca, *Ep.* 45. *Sic iſta ſine noxa decipiunt, quomodo præſtigiatorum acetabula — in quibus fallacia ipſa delectat.* Atque inde ad quemvis oculorum faſcinatorem & magum vox translata. Salmaſ. *ad Spartian. cit. loc.* Car. verò du Freſne *Caucularores* ſeu *Coclearios* fuiſſe ait, qui cauculis *ſeu poculis amatoriis, cibo vel phylacteriis ita mentes quorundam inficiunt, ut in inſaniam verti a pleriſque judicentur, dum proprias non ſentiunt contumelias*, ex *L.* Wiſigoth. *l.* 3. *tit.* 4. §. 13. Et certè iſtiuſmodi poculorum meminit Plautus in *Truculento*, *Actu* 1. *ſc.* 1. *v.* 23.

> *Si ſemel amoris poculum accepit merè,*
> *Eaque intra pectus ſe penetravit potio, &c.*

Guichelaers Belgæ, *Gauckeler* Germani dicunt: Vide eum in *Gloſſario.* Vox verò *Caucus* non Latina, ſed Græca eſt, & vetuſtiſſima. Quidquid enim *cavum* ac κυμβοειδὲς eſſet, καῦκον & καυκάλιον dixêre, ut idem Salmaſ. pluribus docet apud Spartian. *ubi ſuprà.*

CAUCABENI, Arabiæ deſertæ gens. *Ptol.*

CAUCADÆ, gentes ad Lagoum amnem, ubi in eum influit Ophurus circa Mœotim. Plin. *l.* 6. *c.* 7.

CAUCANA, Siciliæ portus prope Syracuſas, teſte *Ptolemæo*, cui Καύκανα λιμὴν dicitur. Pluralis numeri eſſe ex Καύκανα è Procopii *Vandalicorum l.* 1. diſcimus: Βιλισάριος δὲ ξὺν τῷ στόλῳ κατῆρεν ἐς Καύκανα τὸ χωρίον τεσσαράκοντα σταδίους Συρακουσῶν διέχον, ubi τεσσαράκοντα legendum cenſet Cluverius. Porrò *Caucana*, vel ut veteres efferebant *Caſcana*, videtur eſſe חוף קנה *Chof cane*, *portus arundinis*, i. e. *arundinoſus*, Bochart. *l.* 1. *Chanaan*, c. 29.

CAUCASUS, mons editiſſimus in Septentrionali Aſiæ parte, Indiam dirimens à Scythia. Val. Flaccus, *l.* 5. *Argonaut.* v. 154.

> *Ultimus inde ſinus, ſævumque Caluſe Promethei*
> *Cernitur in gelidas conſurgens Caucaſus Arctos.*

A' Circaſſis *Salatta*, versùs Mingreliam & Georgiam valde extenſus, quibuſdam *Mont de Circaſſie*. Ejus pars multis eſt mons *Ararath*, versùs Armeniam. Hic fertur tantæ altitudinis, ut circa illius verticem Sol velut ſcindi videatur, uti Philoſtratus, *l.* 2. *de vita Apollon.* prodidit, ubi vide plura de hoc monte, itemque apud Qu. Curt. *l.* 7. *c.* 3. Hinc *Caucaſum mente induere*, pro ſupra modum induratæ animum. Seneca *in Medea*, v. 43. dixit:

> *Pelle femineos metus,*
> *Et inhoſpitalem Caucaſum mente indue.*

Virg. *Æn.* l. 4. v. 367.

> *Duris genuit te cautibus horrens*
> *Caucaſus, Hyrcanæque admôrunt ubera tigres.*

Horat. *Carm. l.* 1. *Od.* 22. v. 7.

> *Sive facturus per inhoſpitalem*
> *Caucaſum.* ——

Porrò ſylvoſum eſſe montem, atque arboribus, quæ fabricandis navibus ſint aptæ, pleniſſimum fuiſſe teſtatur Strab. *l.* 11. nec dubitare nos de eo ſinet Propert. *l.* 2. *El.* 14. v. 5.

> *Et nemus omne ſatas intendat vertice ſylvas,*
> *Urgetur quantis Caucaſus arboribus.*

Virg. *Georg. l.* 2. v. 440.

> *Ipſæ Caucaſeo ſteriles in vertice ſylvæ,*
> *Quas animoſi Euri aſſiduè franguntque feruntque;*
> *Dant alios alia fœtus: dant utile lignum*
> *Navigiis pinos, domibus cedroſque, cupreſſoſque.*

In radicibus herbis veneficis & vulturibus abundat. Supra Iberiam ac Albaniam in Septentrione à *Ptolemæo* collocatur. *Cocas*, & *Corbras*, teſte Haytonô Armenô dicitur, *Albſor* Nigro, *Adazar* Theveto. *Caſſium* vocat Eratoſthenes apud Strabonem: in quo Prometheum vinctum, aquilâ jecur roſtrô depaſcente, fabulantur. Cum Tauro ſæpe à pleriſque confunditur, qui tamen ſaltem pars Caucaſi, ut bene Arrianus, *l.* 5. *de Alex.* obſervavit, ea nempe quæ Pamphyliam & Ciliciam ambit; in aliis locis alia, pro nationum diverſitate, nomina ſortitus. Vide etiam Plin. *l.* 5. *c.* 27. P. de Valle, *Itinerarii parte* 2. & 3. Inde *Caucaſiæ Portæ* ſeu *Pylæ*, quæ & *Iberiæ*, circa Harmaſtin urbem, in cujus rupe Cumanum caſtellum eſt. Ibi urbs nunc eſt, exteris *Derbent* i. e. anguſtiæ: omnium totius Orientis munitiſſima: Turcis *Demircapi* & *Themircapi*, i. e. *portæ ferreæ*, uti ab *Egeſippo* nominatur, non quòd ex ferro conſtet, ſed quòd locus adeò munitus, ut quemvis hoſtilem impetum facilè ſuſtineat, quum tranſitus duntaxat pateat 300. paſſuum. Gaudet portu ſatis commodô, ſub Perſis. Indies tamen deficit, prope Cyrum fluv. Hæ portæ magnô errore *Caſpiæ* à multis dictæ fuêre, ut Plin. *l.* 6. *c.* 11. tradit. Inde *Caucaſiæ volucres* apud Virgilium, *Eclog.* 6. v. 43.

> *Caucaſeaſque refert volucres, furtumque Promethei.*

I. e. vel *Aquilæ*, juxta Heſiod. *in Theog.* Apollonium, *l.* 2. *Argon.* Ovidium, & Attium in Prometheo, ſic ſcribentem:

> *Jam tertiò me quoque funeſtô die,*
> *Triſti advolans aduncis lacerans unguibus*
> *Jovis ſatelles, paſtu dilaniat ferò.*

Vel *Vultur*, juxta Fulgentium *in Mythol.* & Petronium *in Hendecaſyllabo*:

> *Qui vultur jecur intimum pererrat*
> *Et pectus trahit, intimaſque fibras.*

Et hæc fortè ratio (notante *De la Cerda*) quare Poëtæ dictum *volucres*, quaſi inſinuaret Prometheum jam ab aquila, jam à vulture lancinari, nam aliter dixiſſet *volucrem* vel *avem*, ut Propert. *l.* 2. *Eleg.* 1. v. 70.

> —— *Medio pectore paſcit avem.*

Et Martial. *in Amphith. Epigr.* 7. v. 2.

> *Aſſiduam nudô pectore paſcit avem.*

De nomine Bochartus, *l.* 3. *Phaleg*, c. 13. Terra Gog vel Magog erat Scythiæ pars circa Caucaſum, quam Colchi & Armeni, quorum dialectus erat ſemichaldæa, גוג חסן *Goghaſan* vocârunt, i. e. *Gogi munimentum*, atque inde Græci Καύκασον ſonô molliori, ut cùm pro גמל *gamel*, κάμηλον dicunt. Fuit etiam *Caucaſus* locus, circa Chium inſul. *Herodot.* Item in Arcadia *Halicarnaſſeo*, niſi illic *Thaumaſius* legendum ſit, uti putat *Portus*. *Nic. Lloydius.* Sed & vide de hoc monte, montium maximo, præter Auctores præfatos, Salmaſium imprimis, qui pluſimis de illo diſſerit, *Exercitat. Plin. ad Solinum paſſim*, ubi inter alia duplicem Caucaſum *Ponticum* ſeu *Colchicum*, & *Indicum*, à ſe invicem longè diſſitos, ſtatuit, & Caucaſum à Scythis *Craucaſum* vel *Croucaſim* vocatum, h. e. nive candidum, ex Plinio, *l.* 6. *c.* 17. contendit, *p.* 788. & *ſeqq.* Hodieque certè Germanis *gras*, canum notat, quam gentem Scythicæ originis eſſe, quæ & ipſa à verbo *ſcieten*, h. e. jaculari, nomen traxerit, docent Eruditi.

CAUCASUS, nomen equi Circenſis, apud Silium Italic. *l.* 16. v. 555.

> *Tertius æquatâ currebat fronte Peloro*
> *Caucaſus: ipſe aſper nec qui cervicis amaret*
> *Applauſa blandos ſonitus clauſumque cruentô*
> *Spumeus admorſu gauderet mandere ferrum.*

Frequens enim erat, equis Circenſium nomina indere, non urbium ſolùm, regionum, inſularumque, ſed & montium, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 936. Fuit autem hic *Caucaſus* equus funalis dexter, Græcè δεξιόσειρος, ſicut Pelorus ſiniſter, quos proin ambos *æquatâ fronte currere* ait. *Ibid. p.* 898. Vide quoque infra ubi de equis *Funalibus*.

CAUCENSES, Hiſpaniæ citerioris populi in conventu Cluvienſi. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

CAUCHABENI, Arabiæ Deſertæ gens. *Ptol.*

CAUCHÆ, campi circa Creſiphontem, quos Tigris fluv. Septentrionem versùs flexus ſecat. Plin. *l.* 6. *c.* 27.

CAUCHI, vide *Cayci* & *Chauci*.

CAUCI, Hiberniæ populi. *Ptol.*

CAUCIACUM, vulgò *Choiſi* Gallis, ad Axonam, non procul ab ejus & Iſaræ confluentibus atque Compendio, villa olim fuit publica, Regiâ & ponte lapideô flumini impoſitô inſignis. Hic obiit & ſepultus eſt Childebertus Rex, Berta item, mater Caroli M. A. C. 783. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAUCII Nummi, καύκιοι, inter minutioris ac pretii vilioris monetæ apud Byzantinos, ſpecies, recenſentur in *Novella* Juſtiniani, quâ, ne Conſules in Proceſſibus publicis aureos nummos aut argenteos in populum ſpargant, prohibetur, ita tamen, ut *caracta* ſeu miſſilia ſua jacere iis permittatur, ὡς μιλιαρησίοις ἢ καὶ μήλοις, καὶ καυκίοις καὶ ἀργυρωμένοις κογχαρίοις, καὶ τοῖς τοιούτοις. Quod meritò ſtatuit Imperator, cùm antea etiam ſpargere Conſulibus fas eſſet, uti ex Marcellino Comite diſcimus. Ænei igitur hi nummi fuêre, exceptis Miliarenſibus; & *Cauci* quidem dicti ſunt, quòd paululum concavi erant & *cauci* formam referebant: cujuſmodi nummos concavos non ex ære ſolùm, ſed & ex meliori metallo Imperatorum Conſtantinopol. paſſim videre eſt in Gazophylaciis Curioſorum. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* *Not. ad Alexiadem* & *Diſſerat. de inferioris ævi Numiſmatibus*, nec non infrà aliquid voce *Scyphati*.

CAUCOBABDITÆ, Hæretici, à loco, in quo primitus convenerant, dicti. Severi Antiocheni & Acephalorum ſectatores. Niceph. *l.* 18. *c.* 49. Baron. *A. C.* 535.

CAUCOLIBERIS, melius *Illiberis*, urbs Galliæ Narbonenſis probè munita, ad radices Pyrenæorum, in Comitatu Ruſcinonenſi, in ora littorali maris Mediterranei & ſinus Leonini, gaudet portu commodô & percapaci, vulgò *Colioure*. Sub Gallis, ab A. C. 1660. Vide *Illiberis*.

CAUCONEA, regio à *Caucone* fluvio ſic dicta. *Steph.*

CAUCONES, populi Bithyniæ circa Parthenium fluv. oſtia. Item populi Meſſeniæ. *Ptol. Strabo.*

CAUDA, in aliis animalibus Hebraicè זנב *Zanab*; in ove אליה *Aliah*, dicitur, voce maximè propriâ. Exodi *c.* 29. v. 22. *Et capies ex ariete adipem והאליה & caudam.* Et Levit. *c.* 3. v. 9. de agno, qui offertur in ſacrificium Euchariſticum, האליה תמימה, *caudam integram uſque ad coccygem.* Et Levit. *c.* 7. v. 3. ubi de oblatio-

oblatione agni pro delicto, האליה את caudam offeret & adipem, qui operit exta. Et c. 8. v. 25. de agno conſecrationum, Et cepit adipem האליה ואת & caudam. Et c. 9. v. 19. Et ex ariete obtulerunt האליה caudam. Alibi in Scriptura non extat. E quibus videmus, Moſen, qui in boum & hircorum ſacrificiis de cauda ne γρῦ quidem habet, de ovilla vehementer fuiſſe ſollicitum, quæ apud nos ſolet eſſe vervecum femorum appendix, tam parvæ rei, ut ne teruncio quidem ematur. Inprimis notabilis locus eſt Levit. c. 3. cit. ubi, in Sacrificio Euchariſtico, Deus adoleri ſibi agni caudam poſtulat & quidem integram uſque ad coccygem: qua de voce multis agit Bochartus laudandus infrà. Ratio hujus rei ex nomine claret, quod apud omnes Orientales receptiſſimum. Græci Interpretes uſque adeò non intellexerunt, ut in Exodo planè omiſerint, & in Levitico conſtanter τὴν ὀσφὺν, i. e. lumbum, explicaverint: uſurpant tamen Samaritani, Syri, Chaldæi & Arabes. Nempe eô intelliguntur non vulgares ovium caudæ, ut in Europa nos habemus, ſed, ut habet in Lexico Golius, quales in Orientis ovibus ſpectare eſt, quarum minima decem, vel duodecim libras pendunt, nonnulla autem quadraginta libras pondere excedunt. Hinc apud Arabes alia verbum, de ove, ſignificat caudam habere amplam & adipoſam: quod inde ad homines transfertur, qui nates habent carne & arvinâ diſtentas. Sed & aliô vocabulô eandem caudam inſigniunt iidem, quod divitem ac copioſam denotat; ſicut ab eadem origine ſegmentum ejus appellant, cujuſmodi multa proſtant, apud Arabum fartores & macellarios. Præter uſum verò in ſacris, alii quoque indigitantur eodem Golio locô cit. Eas autem minutatim conciſas liquant, & adipem in uſus ſuos ſervant, vel ad condiendum inprimis frumentaceum cibum, vel etiam, ut in Perſia, & alibi, ad conficiendas candelas. Syrus Interpres alium innuit, cùm ſic reddit verba Siracidis, c. 20. v. 20. Ut (arietis) cauda ſine ſale comedi non poteſt. Ita etiam in Arabe; ſed id unde ſumpſerint, incertum; cùm in Græcis & Latinis exemplaribus nihil ſimile reperiatur, &c. Ut igitur iſtiuſmodi caudæ pinguedine denſæ graveſque, humum verrendo, non lacerarentur & corrumperentur, ploſtella illis ſupponi conſuevêre, iiſque adaptari, ut poſt eas cùm ambulant, volvantur, cujus moris meminêre ex Veterib. Talmudici Tract. de Sabbatho, c. 5. & Herodotus ubi de Arabibus, l. 3. c. 113. Vide quoque Ariſtotelem, Hiſt. Animal. l. 8. c. 28. Ælian l. 10. c. 4. Plinium, l. 8. c. 48. extr. Diodorum inſuper, l. 2. Cteſiam, ubi de Indis, l. 3. c. 3. & l. 4. c. 32. apud Ælianum & Photium in Excerptis. Damitem de Indicis ovibus: Ex Recentioribus Paulum Venetum de Camandu, in Perſide, l. 1. c. 21. Lod. Vartomannum, Navigat. l. 2. c. 5. ubi de urbe Aden, in Arabia Felice, Busbequium, Ep. 1. ubi de ea Aſiæ parte quæ Byzantio vicina eſt; Leonem Africanum, l. 9. ubi de Africa & Ægypto, Adam. Olearium, Itin. Moſcovit. Perſico & Ind. ubi iſtiuſmodi oves in Syria, Meſopotamia, Gordyæa & Perſide frequentes eſſe refert, Alios Ludov. Marmolius Hiſpanicè appellat carneros de cinco quartos: quòd, cum noſtræ ſolùm in quatuor partes, hæ in quinque dividantur, quarum partium una cauda eſt, eaque ſæpe potiſſima, Africa ſua, l. 1. c. 23. Plura habes apud Bochartum, Hieroz. Part. prim. l. 2. c. 45. ut & quædam infrà, ubi de Ovibus, nec non in voce Ploſtellum uti de Cauda jumenti cujuslibet vectigali facta, à Margareta Septentrionis Regina, voce Tributum. Alia notio vocis apud Feſtum, qui penem antiquos Codam vocâſſe, & inde offam porcinam cum cauda in cœnis puris offam penitam vocatam, obſervat.

CAUDA Pavonis, Poëtarum carminibus, ob gemmas ſuas ſeu oculos ſuos non parùm commendatur. Lucret. l. 2. v. 805.

Caudaque pavonis, largâ cum luce repleta eſt,
Conſimili mutat ratione obverſa colores.

Ovidius, Metam. l. 15. Fab. 35. v. 385.

Junonis volucrem, quæ caudâ ſidera portat.

Statius in Pſittaco Melioris, l. 2. Sylvar. 4. v. 26.

Quem non gemmatâ volucris Junonia caudâ
Vinceret aſpectu —— ——

Epigrammata Vetera, ubi de Gemma & Chloë,

Cùm quatit, & caudam Junonia explicat ales,
Mille oculos, gemmas mille decenter habet, &c.

Quam porrò Chryſippus ita miratur, ut aſſerat, τὸ ζῶον γεγονέναι, ἕνεκα τῆς κέρκου, καὶ τῆς ἀοιδίμου, hoc animal propter caudam ſuam fuiſſe creatum, non contrà, apud Plutarchum de Stoicorum contror. Hinc ipſe, ut ſe oſtentet, caudam expandit. Plin. l. 10. c. 20. Simul umbra quaſdam repercuſſis cæteris, qui in opaco clarius micant, conchatâ quærit conchâ. Columella, l. 8. c. 11. ſemet ipſum, velut mirantem, caudâ gemmantibus pennis protegit. Quod Dio Chryſoſtomus ἀναπλώσαντα τὴν οὐρὰν vocat, ſeu potiùs ἀνακλάσαντα, ut legit Bochartus, Ἀνακλάσας τὴν οὐρὰν, καὶ περιστήσας αὑτῷ τὸ πτερὸν ὥσπερ εὐειδὲς θέατρον, Infringens caudam, & circumquaque ſibi ſtatuens, tanquam ſpecioſum theatrum. Phædrus porrò, l. 3. Fab. 19. v. 8.

Pictiſque plumis gemmeam caudam explicas, &c.

Unde eſt, quod cum cauda perit tota pavonis glorìatio. Plin. loc. cit. iterum, Idem caudâ annuis vicibus amiſſâ cum foliis arborum, donec renaſcatur iterum cum flore, pudibundus, ac mœrens quærit latebram. Abuſivè caudam alas vocat Moſchus,

Ὄρνις ἀγαλλόμενος πτερύγων πολυανθέϊ χροιῇ.
Avis alarum floridô colore exultans.

Martialis in Xeniis, l. 13. Epigr. 70. v. 1.

Miraris, quoties gemmantes explicat alas.

Et Claudian. in Eutrop. l. 1. v. 109.

Patricias roſeis pavonum ventiles alis:

i. e. caudis. Nam ex pavonum cauda hujuſmodi flabella fieri conſuevisse, Martialis docet in Apophoretis, l. 14. Epigr. 67. ubi de muſcario pavonino,

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muſcas,
Alitis eximiæ cauda ſuperba fuit.

Et Propertius, l. 2. Eleg. 24. v. 11.

Et modo pavonis caudæ flabella ſuperbæ.

Quod officium appoſitè Eutropio Claudianus tribuit; Eunuchos enim ſequiore ævô id obiiſſe, dicemus infrà, &c. Vide plura hanc in rem, apud Sam. Bochartum, Hierozoici Parte poſter. l. 2. c. 36. ut & infra in voce Pavo.

CAUDA Sirenis, in Muſæo Kircheriano, Romæ. Eſt autem Siren piſcis maris Indici prope Moluccas, mulieris referens formam, ex Hiſpanorum relatione. Caput habet rotundum, nec multum à reliquo corpore diſcretum, naſum modicè inter utramque malam protuberantem, palpebras oculis humanis ſimilibus, aures ei aliquanto promiſſiores, labra, dentes & reliqua corporis membra, humanis paria; ubera rotunda & lacteô humore turgida, manus cartilagineæ, anſerum inſtar, ad natandum aptæ, quibus remorum locô utitur. Cæterum pro ſexus varietate ad generationem requiſita omnia adſunt: poſteà in piſcem deſinit, caudâ 9. circiter palmorum longâ, & ſenſim in acumen abeunte, Georg. de Sepibus in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo p. 23. Vide ubi de Sirenibus.

CAUDATI, per convitium Angli, à Gallicis Scriptoribus non ſemel dicti occurrunt; Jac. de Vitriaco Hiſtor. Occid. c. 7. Pro diverſitate regionum mutuo diſſidentes ---- opprobria imprudentes proferebant, Anglicos potatores & Caudatos affirmantes. Matthæus Paris. paſſim, &c. an propter caudas calceorum, quibus ii præ cæteris nationibus delectabantur: an quòd comti & nitiduli eſſent, quomodo Cois, h. e. Eſcone, Occitani comptum appellant: an potiùs, quòd timidi & puſillanimes, Couards enim Gallis, Codardi Italis, timidi vulgò indigitantur? Certè huc facit, quod Robertus Comes Attrebatenſis illos ſic inclamat apud Matth. Pariſium, O' timidorum Caudatorum formidoloſitas! Sed hac de re vide ipſum, qui hunc laudat Car. du Freſne in Gloſſar. Aliàs propriè Caudatos homines alicubi extare, Plinius tradit, l. 7. c. 2. Et alibi caudâ villoſa homines naſci pernicitatis eximiæ. Cui aſtipulatur ex Veterib. Pauſanias, ex Recentioribus M. Paulus Venetus & P. Martyr, quos citat Schottus, Phyſic. Curioſ. l. 3. c. 11. Simile quid in montanis Inſulæ Formoſæ ſe reperiſſe, ſcribit Albertus Herport Itiner. ſuo, In aviis montanis hujus Inſulæ genus eſt hominum ſylveſtrium, quibus in poſteriore parte appendix quædam, ſicuti brutis, ſpithama longitudine eſt. Vitam degunt ſolitariam neque cum aliis quam ſui generis converſantur: reliquis Inſulanis infeſtiſſimi, quorum ſi fortè aliquem rapuerint, malâ cum morte necant. Et Nierembergius, l. 8. c. 4. Certius eſt, in Regno Lambri caudatos eſſe homines. Scribit M. P. Venetus, caudam unius palmi eſſe. Sed addit, Eâdem infamiâ alii homines Europæ laborant. Quæ affectuum intemperies & miraculoſa Auguſtini decantati nobiliſſimæ nationis Europææ (de qua dictum) Apoſtoli maledictio (hinc enim fabula illa potiùs orta) jam dudum à cordatis Viris exploſa eſt. Auctor Anonymus, Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. ac Civ. c. 9 ſect. 2. §. 4.

CAUDEX Claudius, vide Claudius.

CAUDI, vel CAUDIUM, Samnium oppid. in Italia prope Beneventum. Baudrando Hirpinorum oppid. nunc Arpaja, vicus Principatus Ulterioris prope amnem Iſclerum, in regno Neapolitano in confinio Terræ Laboris 4. milliar. à S. Agatha in Auſtrum, 7. à Nola in Boream 16. à Capua in Ortum unde Furcæ Caudinæ, & Fauces Caudinæ, Romanorum ignominiâ & clade nobilitatæ. Ibi enim eorum copiæ, Duce Sp. Poſthumiô Conſule, in anguſtias redactæ, & ab hoſtibus circumquaque obſeſſæ, cùm alia ſpes evadendi non eſſet, poſitis armis, ſub jugum miſſæ ſunt. Lucan. l. 2. v. 138.

Ultra Caudinas ſperavit vulnera Furcas.

Strab. l. 5. Κεῖται δ᾽ ἐπὶ τῇ Ἀππίᾳ αὐτῇ τε Καπύα, καὶ αἱ τῶν ἄλλων ἐπὶ Βρεντέσιον ἀγουσῶν ἀπ᾽ αὐτῆς Καλατία, καὶ Καύδιον, καὶ Βενεούεντον, lege Καύδιον, vel ſi mavis Κλαύδιον; ita enim eſt apud Ptol. Quin & Claudium quoque habet Horat. Sat. 5. l. 1. v. 47. 50. 51.

Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt,
Hinc nos Cocceii recipit pleniſſima villa,
Quæ ſuper eſt Claudi cauponas. ——

Apud Plut. in Parallel. ſic ſcriptum eſt: Καθὼς ἐν αὐλωνίαις Φουρκούλαις Κλαυδίναις, ὡς ὁ νόμος ἐστὶ. lege Φουρκούλαις. Vide Cluver. Ital. Ant. p. 1197. Furcarum autem Caudinarum natura hæc eſt, ſaltus duo alti ſylvoſique ſunt, montibus circa ſe perpetuis inter ſe juncti. Jacet inter eos ſatis patens clauſus in medio campus, herbidus aquoſuſque, per quem medium iter eſt: ſed antequàm venias ad eum, intrandæ primùm anguſtiæ ſunt, & aut eadem, quâ te inſinuaveris, retrò via repetenda, aut ſi porrò ire pergas, per alium ſaltum arctiorem impeditioremque evadendum. Nic. Lloydius. Hodie locus Stretto d'Arpaja, inter Arpajam vicum & Airolam caſtrum in Principatu citeriore.

CAUDOS, inſul. vicina Cretæ, ubi maximi onagri naſcuntur. Suidas. Aliis Claudos, nunc Gozo, è regione promontor. Arietis Frontis. Vide Claudos. Baudrand.

CAVE, ſeu CABA, filia Juliani Comitis, à Roderico, Hiſpaniæ Rege violata. Quâ injuriâ offenſus Pater, Aſiæx à Rege præpoſitus, junctus duobus Vitizæ, ultimi Regis à Roderico excæcati, filius, A. C. 712. Saracenos in Hiſpaniam pellexit, qui, Rege

Rege ſuperatô, totum regnum occupârunt. Garibay, *l. 8 comp. c.* 48. Roderic. Sanctius. *part.* 5. 1. 57. Vaſæus, *in Chron.* Mariana, *l.* 6. *c.* 11 *&* 13. Marmol *l.* 2. *c.* 10.

CAVE, magnus vicus in Bithynia. Xenoph. *Hiſt. l.* 2.

CAVEA, apud Statium, *Theb. l.* 6. *v.* 654.

—— —— —— Ni ſe
Ardens Hippomedon Caveâ ſtimulante tuliſſet
In medios ——

Populus eſt, qui in *Cavea*, Amphitheatri remotiore & altiore parte ſpectabat. Unde apud Senecam, *de Tranquillit. c.* 11. *ſumma Cavea*, cùm ait, *Mimica verba, & ad ſummam Caveam ſpectantia*. h. e. ad viliſſimam plebem, ibi loci Ludos ſpectantem. Primitus verò locus medius ſic dicebatur. Hinc *Cavea* nonnunquam pro toto Amphitheatro. Sed & *Cavea*, loca omnia, quibus Theatrum adiri poterat, apud eundem Statium, *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 28.

Ecce autem caveas ſubit per omnes,
Inſignis ſpecies decora cultu,
Plebes altera, non minor ſedente.

Poſtquam enim remotiores à ſcena, aggeſtis ceſpitibus, editiorem locum ſibi pulvillis actis feciſſent, antiquiſſimis temporibus, quibus nulla adhuc ex arte Theatra, medius locus depreſſior *Caveæ* nomen accepit, quod nomen poſtea in Theatris remanſit. Erant quoque *Caveæ* Amphitheatrales, in quibus feræ detinebantur & *Cavi* ſubterranei, è quibus per poſticas beſtiæ in arenam immittebantur, diſtinctè memorati Vopiſco in *Probo*, *c.* 19. *Addidit aliâ die in Amphitheatro unâ miſſione centum jubatos leones, qui omnes è poſticis interempti ſunt, non magnum præbentes ſpectaculum, cùm occidebantur: neque enim erat beſtiarum impetus, qui eſſe è caveis egredientibus ſolet.* Nempe non ſolùm *caveæ* ferreæ in Amphitheatro habebantur, continendis ac concludendis feris, ſed etiam *cavi* ſpeluncæque hypogææ ad eam rem factæ. Et *caveæ* quidem ex regulis ferreis contextæ erant & ad lucem expoſitæ in medio, ut par eſt, amphitheatri: *cavi* autem & ſpecus illi ſubterranei tenebroſi planè erant, ut qui nullâ vel minimâ luce irradiarentur. Unde non mirum, ſi feræ in illis ſpecubus detentæ, minore inde cum impetu exirent exilirentque, quàm quæ in *caveis* habebantur. Tenebris namque ac pædore domitæ, languidiores efficiebantur: at è *caveis* erumpentium major vis ac impetus; luce enim ipsâ efferabantur & beſtiarii ipſius forſitan, adversùs quem emittebantur, conſpectu. Adde quòd priusquam inde exirent irritabantur: quæ fieri non poterant in *cavis* & hypogæis illis, Salmaſ. *ad loc. cit.* Vide quoque infrà in voce *Repagula*, item *Ruduli*: & plura hanc in rem apud J. Lipſium *de Amphitheatro*, uti *de Caveis baſternarum*, ſuprà; & de ſupplicio eorum, qui *Caveâ ferreâ* incluſi in mare demitti & ſubius navem denuo ſubmergi conſuevêre, ſuprà verbô *Accabuſſare*.

CAVEA Leonis, in qua is captus circumduci ſolet, indigitatur Ezechieli, *c.* 19. ubi, in allegoria Leænæ & leunculorum ejus, i. e. Synagogæ Iſraëlis, ut exponit Hebræam vocem Chaldæus & filiorum Juſiæ Regis, Joachazi ac Joachimi; contra leunculum illum, qui regionem, palatia & urbes vaſtaverat, & deſolaverat, vicinas undique gentes conveniſſe, eumque retibus ſuis implicitum & in fovea captum, & uncis tractum & *caveâ* incluſum, ad Regem Babyloniæ fuiſſe adductum, & munitionibus detentum, ne rugitus illius amplius audiretur ſuper montes Iſraëlis, Propheta dicit. Sed inprimis notabilis *v.* 4. *Et duxerunt eum* (nempe Joachazum) בחחים uncis (ſeu uncinis) *in terram Ægypti*. Et *v.* 9. *Et poſuerunt eum* (Joachimum) *in cavea uncis*, ſupple *attractum*. Quorum prior locus per poſteriorem explicatur. Cum enim leones non ſoleant uncis trahi per longum iter, cùm *v.* 4. leo in foſſa captus, inde in Ægyptum uncis deductus fuiſſe dicitur, is è fovea intelligendus eſt in caveam fuiſſe uncis tractus, atque ita in Ægyptum deductus, quomodo *v.* 9. alterum leonem in Babyloniam fuiſſe translatum, ſcribit idem Propheta. Eſt autem *Cavea* Hebr. סוגר *ſugar*, i. e. κλεῖθρον, quâ voce Leonum *caveas* Plutarchus inſignit in *Bruto*, ubi leones narrat magnam Megarenſibus cladem intuliſſe, cùm ἅμα τῆς πόλεως καταλαμβανομένης τὰ τῶν λεόντων κλεῖθρα καὶ τοὺς δεσμοὺς ἀνῆκαν, *Dum jam caperetur urbs, leonum fregerunt clauſtra* (ſeu caveas) *&* *vincula diſſolverunt*. Sed uſitatior eſt pro *feræ cavea* vox γαλεάγρα, quâ Græci Interpretes utuntur *ibid.* Hinc Plutarchus *in l.* *Utra animalia*, &c. tigrim eſurientem narrat, γαλεάγραν συναρράττειν, *caveam diſcerpere*. Et Diogenes apud Laërtium, *l.* 6. ἰδὼν γυναῖκα ἐν φορείῳ, Οὐ κατὰ τὸ θηρίον, ἔφη, ἡ γαλεάγρα, *Mulierem in lectica intuitus, Non ſecundùm feram, inquit, eſt cavea.* Quamvis, ſi originem reſpicias vocis, γαλεάγρα *muſtelarum decipula* eſt, ut μυάγρα murium. Atque hujuſmodi *Caveis* homines nonnunquam incluſi. Calliſthenes Philoſophus, ab Alexandro M. apud Curtium, *l.* 8. *c.* 6. 7. 8. Theleſphorus Rhodius, à Lyſimacho, apud Athenæum, *l.* 14. & Senecam *de Ira*, *l.* 3. *c.* 17 pater Equitis cujuſdam Romani, à Caligula, apud *Dionem* Bajazethes, Turcarum Imperat. à Temirlane, de quo vide ſuô locô, &c. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 5. *c.* 4. De Avium *caveis*, vide infrà aliquid, in voce *Perdix venatur*, ubi de cavea doloſa, in quam allici aves conſuevêre, ex loco Sirach. *c.* 11. *v.* 31. πέρδιξ θηρευτὴς ἐν καρτάλλῳ. Addam hîc ſaltem, uti Jeremiæ, *c.* 5. *v.* 27. iſtiuſmodi cavea כלוב Hebraicè, ita etiam in Græcis Scriptoribus κλωβὸν aut κλωβὸς, vel pro *doloſa* hac *cavea*, vel pro *Cavea* avium, paſſim occurrere: vide Poëtam veterem apud Suidam, in Ἀμφιθάλαμον, Philoſtorgium, *l.* 10. *c.* 11. Nicephorum, *l.* 12. *c.* 37. Cedrenum, *Alios*. Talmudici caveam capiendis avibus, *paliſur* vocant & Romani *tranſennam*. Plautus *in Bacchidibus*, *Act.* 4. *Sc. Nimis*, *v.* 23

Nunc ab tranſenna hic turdus lumbricum petit.
Pendebit hodie pulchrè, ita intendi tenus

Vide quoque eum *Perſâ*, *Act.* 4. *Sc. Cus homini*, *v.* 11. & *Rudente*, *Act.* 4. *Sc. Quam mox.* *v.* 7. 13. De *Cavea* quadam *chorea* ſic Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 77.

Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hic habitare poteſt, &c.

CAVERNÆ Suſis, locus prope Carthaginem, ubi 53 Epiſcopi Donatiſtæ contra Primianum, congregati, quòd Diaconum Maximianum injuſtè excommunicâſſet, illum ad cauſam dicendam citârunt. Qui cum non comparuiſſet, ab illis poſtmodum majori numerô coactis Cebarſuſſi depoſitus eſt, Auguſtin. *l.* 3. *&* 4. *contra Creſc.* Baron. *A. C.* 394 Sunt tamen qui credant, non niſi unam Synodum fuiſſe, & vocem *Cebarſuſſenſe*, cum *Caverſuſenſe*, confuſam eſſe. Vide Concilia Bmin. & edit. Lupar. T. *III. p.* 459.

CAVICLUM, Rætiæ urbs, circa Menobam. *Antonin.*

CAVII, Illyrici populi. Liv. *l.* 44. *c.* 30.

CAVINIO, vulgo *Chavignon*, vicus magnus Galliæ, inter urbem Sueſſionas & Laudunum mediô itinere poſitus, ab utraque civitate 5. leuc. diſtans. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CAVIONES, populi Germaniæ ad Albim fluv. ubi nunc Daneberga & Lavenburgum uppida. Cluver. *Sanſon*, *Alii.*

CAVITARII, ſeu CABAIORES, in veterib. *Inſcr.* recentioribus Græcis Καβιδάριοι, item Σκεύαρχοι, iidem cum *Cavatoribus*, vide ſuprà *Cavator*.

CAULÆ, propriè munimenta & ſepta ovium, de quibus vide infrà, voce *Paſtor*. Inde ad alias res traducta vox; *caulas corporis*, *caulas palatii*, *caulas æthereas*, *l.* 2. *v.* 949. *l.* 3. *v.* 256. 703. 708. *l.* 4. *v.* 612. 668. *l.* 6 *v.* 491. 839 dicit Lucretius. In *Gloſſis* veterib. *caulæ* ſunt ſepta ſeu cancelli tribunalium, Græcis αὐλαὶ & δρύφακτα, turbis cohibendis; cujuſmodi cancellum in ſummis Galliæ Tribunalibus *barrellum* dicunt. Sed & in Templis ſimiles cancelli facti erant, intra quos ſolis Clericis conſiſtere licebat. *Capitularia* Caroli M. *l.* 7. *c.* 591. *Ut nulla fœmina ad Altare præſumat accedere, aut Presbytero miniſtrare, vel intra cancellum ſtare aut ſedere.* Et *l. eâd. c.* 203. *Pars illa, quæ cancellis versùs Altare dividitur, choris tantùm pſallentium pateat Clericorum*, *&c.* Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino*, *c.* 16. & *ad Solin. p.* 952. Vide hîc paſſim, inprimis in vocibus *Barræ*, *Cancelli*, *Secretarium*.

CAULEI, Germaniæ populi ad Oceanum, *Strabo*.

CAULICI, populi juxta Ionium ſinum, *Caulicus* Apollonii. Vide *Steph.*

CAULONIA, apud Solin. *c.* 2. *Notum eſt, a Philocteta Petiliam conſtitutam* —— *Caulonam & Terinam a Crotonienſibus*, &c. & Marcianum Heracleotam,

Ἔχει δ' ἑξῆς τούτων πρῶτα μὲν Καυλωνίαν.
Ἣν ὁ Κροτωνιάτης ἔκτισεν ἀποικίαν.
Ἀπὸ δὲ συνεγγὺς κειμένου τε τῇ πόλει
Αὐλῶνος αὐτὴ τοὔνομ' ἴσχει· εἰς ὕστερον
Μετωνομάσθη τῷ χρόνῳ Καυλωνία.

Urbs Italiæ, de qua vide in voce *Caulum*.

CAULUM, ſive CAULON, qui & *Aulon*, uppid. in prima Italiæ fronte, apud Locros. Plin. *l.* 3. *c.* 10. Virg. *Æn. l.* 3. *v.* 553.

Caulonisque arces, & navifragum Scylaceum.

Quanquam ibi Poëta non tam de oppido, quàm promontorio loqui videtur. *Caulonia* dicitur *Straboni* & Pomponio, *l.* 2. *c.* 4. *Stephano*, Καυλωνία πόλις Ἰταλίας, ἔτι δὲ καὶ ἄλλη Σικελίας. *Achæorum opus*. Strabo, *l.* 6. poſt bellum Punicum II. in perfidiæ ultionem, à Romanis ad internecionem deleta. Vide Joh. Marſhamum, *Canone Chron. Sec. XVII.* ubi de *Magna Græcia* agens, Græcorum urbes per Lucaniam edificiis. Oppidani *Caulonatæ*, vel *Caulonitæ*, in nummis legitur ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΝ.

CAUM, Hiſpaniæ oppid. inter Aſturicam & Tarraconem. *Antonin.*

CAUMANA, alveus Indi fluv. circa ejus oſtia. Arrian. *in Indicis*, h. e. *Hiſtoria ejus l. ult.*

CAUMAS, unus è Centauris, Ixionis fil. *Boccat.*

CAUNÆ, apud Columellam, *l.* 10.

Livia Chalcidicis & Caunis æmula Chiis
Purpureaque Chelidonia pinguiſque Mariſca:

i. e. *Caunæ*, aliàs ficus ſunt ſiccæ, quæ ex oppido Cariæ *Cauno* adferebantur, hîc autem ficus quælibet ſiccæ. Quemadmodum enim *Carica*, primò dictæ ſunt, ficus ſiccæ è Caria, poſtmodum ficus ſiccæ quælibet: ita *Caunæ*. Unde *Caunas Chias* & *Chalcidicas* vocat Columella, quas alii *Caricas Chias* & *Chalcidicas* vocarent, h. e. caricas ex Chio vel Chalcide. Sic *Caunos Ebuſi*, pro caricis ex Ebuſo Inſul. dixit Statius *in Saturnalibus*, *l.* 1. *Sylv.* 6. *v.* 15.

Et quas percoquit Ebuſia Caunos, &c.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 931. At de eo, qui, *Cauneas ficus* venales clamans, Craſſi in Parthos eunti infelix fecit omen, dicemus infra in *Vox*.

CAUNUS, fil. Mileti & Cyanes, qui cum à Byblide ſorore perditè amaretur, ſponte patriam amiſit, & in Cariæ littore è regione Rhodi urbem condidit, quam de nomine ſuo *Caunum* appellavit. Vide Ovid. *Met. l.* 9.

CAUNUS, Cariæ oppid. maritimum ad Calbin fluv. verſus Glaucum ſinum, vix 5 milliar. a Rhodo Inſul. Sub Turcis, cum toto tractu, 40. milliar. a Macra in Occaſum, in ora ſinus Macrenſis.

Nunc *la Roſſa. Sophian.* Hujus meminit Strabo, *l.* 14 æſtate & autumnó, ut ipſeait, ad habitandum gravis, ob calorem & pomorum copiam. Ob id Caunii ſub peſtilenti cœlo eſſe dicuntur. Hos cùm inviſiſſet Stratonicus Citharœdus, homo ſalibus plenus, illum, ex 6. *Il. v.* 46. verſiculum in eos protulit.

> Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν,
> Id eſt,
> *Tale quidem genus eſt hominum, quale eſt foliorum.*

Colorem videlicet, quô omnes pallebant, ſugillans. Caunii verò cùm hominem inceſſiſſent acrius, quod urbem, ut morbidam carperet, *Ego*, inquit, *morbidam dicere auſim, ubi mortui ambulant?* Urbanitas multò acrioſque, quàm prius illudens. Hæc Strabo, *ubi ſuprà.* Ab hac civitate vehebantur fici *Canneæ* dictæ Cicer. *l.* 2. *de Divinatione.* Cùm M. Craſſus exercitum Brunduſii imponeret, quidam in portu caricas Caunô advectas vendens *Canneas* clamitabat, ac ſi dixiſſet (præſagiens futuram cladem, in qua Craſſus occubuit) *Cave ne eas.* Vide *Stephan.* Eſt etiam *Caunus* Doridis oppid. *Ptol. Magri* dicitur *Olivario.* Item Cretæ urbs, nec non Hiſpaniæ mons in Celtibris, *Moncayo* hodie, aliquando quoque Caci *mons* dictus. *Baudrando* in Arragonia, verſus confinium Caſtellæ veteris 2. leuc. à Turiaſone in Auſtrum, 6. ab Ibero fluv. Item Æolica urbs, *Athenæo.*

CAVONIUM, caſtrum Hiberniæ, in Ultonia provinc. Comitatus cognominis caput, juxta *Aquam Nigram* fluv. in limite Connaciæ. 8. milliar. à Chilmorea in Boream. Vulgò *Cavan.*

CAVORTIUM, oppidulum Pedemontii, ad Alpium radices, in colle, aliàs munitum, 6. milliar. à Pinarolo in Auſtrum, ad *Peles* fluv. Sub Gallis.

CAUPHIACA, Perſidis urbs. *Ptol.*

CAURASIÆ, gens Bætica. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

CAURATANI, Arabiæ Felicis populi. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

CAURENSIS urbs, *Nueva Caceres*, in Philippinis inſulis. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Manillano. Sub Hiſpan. In ora Orientali Inſulæ Cebu. Aliàs *Nomen* ſeu *Villa Jeſu.*

CAURITA, Hiſpaniæ urbs, circa Placentiam. *Caria* Cluſio.

CAURIUM, Luſitaniæ oppid. *Ptol.* quæ & *Caura*, vulgò *Coria.* In Extremadura Legione juxta Alagonem fluv. qui ſeptem inde leuc. cadit in Tagum, 5. leuc. à confinio Portugalliæ, verſus montes, media fermè inter Mirobrigam & Alcantaram, 12. leuc. à Placentia in Occaſum, 17. à Guardia in Ortum. *Baudrand.*

CAUROS, inſul. cum oppido, quæ priùs Andros. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

CAURSINI, Mercatores Italiæ, qui cum Legatis Papæ, in Angliam venientes, ſub Henrico III. non ſolùm populum & Clerum, ſed Regnum ipſum graviſſimis uſuris corroſerunt: Matthæo Pariſienſi *Uſurarii Tranſalpini*, *Papæ mercatores* vel *ſcambiatores* dicti, A.C. 1235. Formulam, quâ debitores ſibi obligaverant, idem exhibet, *p.* 403. &c. Hos excommunicavit Epiſcopus Londinenſis, & è ſua diœceſi fruſtra nixus eſt ejicere: Sed regiô nomine in jus tandem vocati graviſſimas pœnas meritò luerunt, Judæis cùm habiti deteriores. Vide plura apud Matthæum Pariſienſem, laudatum Spelmanno *Gloſſar. Archæol.* Vide & *Caorſini.*

CAURUS, ventus ab Occaſu ſolſtitiali flans, qui & *Corus* dicitur. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 356.

> *Semper hyems, ſemper ſpirantes frigora Cauri.*

Vide Gell. *l.* 2. *c.* 22. & infrà *Chaurus.*

CAURZIMA, oppid. Bohemiæ amplum, vix 2. milliar. German. ab Albi fluv. medium inter Pragam & Czaſlaviam. *Sanſoni* eſt *Caſurgis* antiquorum.

CAUS, untis, urbs Arcadiæ in agro Telphuſio, ubi *Cauſius* Æſculapius colebatur.

CAUSARIA Liberalitas, apud Spartian. in *Hadriano*, *c.* 10. *Poſt hæc profectus in Gallias, omnes cauſariis liberalitatibus ſublevavit:* dicitur, cui aliquis caſus aut calamitas fuit cauſa, opponiturque illi, quæ virtutis ergò aut meritorum impetratur. Vocabulum *Cauſa* enim etſi naturâ ſuâ μέσον ſit, in deteriorem tamen partem accipiebant, uti pluribus oſtendit Caſaubonus *ad. l.* At Salmaſius *cauſarios* legit: falſum enim, inquit, omnes liberalitatibus ſublevatos, cùm multi non indigerent. Ergò ſolos igitur *cauſarios* liberalis fuit, h.e. egentes & facultatibus defectos, & quibus *non ſine cauſa* ſubveniretur. Huic itaque *Cauſarius homo* dicitur, ut *cauſarius locus*, apud Medicos, qui in cauſa eſt, vel qui morbo tenetur, aut dolore: *cauſarius Deus*, apud Marcellum Empiricum: *cauſarius oculus*, apud eund. *c.* 8. ἐπαίτης apud Græcos, qui morbô Comitiali vexatur, *ſonticus*, h. e. αἴτιος vel ἐπαίτιος, *ſontes* enim ſunt ἐπαίτιοι. Sic itaque *Cauſarii* hic dicuntur egeni & facultatibus lapſi, vel etiam ægroti: quod genus hominum in Galliis cùm eſſet, Hadrianus liberalitate ſuâ fovit & adjuvit, &c.

CAUSAS noſcere, de Cenſore apud Romanos, quid ſit, vide infra voce *Vacationes.*

CAUSATUM, Galliæ oppid. ubi in Albigenſes ſævitum, A. C. 1213. non minùs ac Carci, Moſſaci, Tholoſæ, in Fano Antonii, & Marcelli, &c. Lætus *in Comp. Hiſt. Univ.*

CAUSENNIS, oppid. Angliæ. *Antonin.* Eſt autem in Comitatu Lincolnienſi, *Cayſtrum* Talboto, *Keſteven* Camdeno.

CAUSIA, communis Macedonum pileus, apud Pollucem, *l.* 10 *c.* 36. ſicut crobylus Athenienſium, petaſus Theſſalorum, tiara Perſarum, atque ſicut hic duplex, popularis & regius, ita *Cauſia* quoque fuit. Et quidem de *Cauſia* communi accipiendus Strabo, *l.* 15. cùm ait, viſiſſe Calanum, conſpectô Oneſicritô, Alexandri ad Gymnoſophiſtas Legatô, quod cauſiam ferret: quod ipſum eſſe, quod Demoſthenes, *Orat.* περὶ παραπρεσβείας, vocavit πῖλον, notavit Hadr. Junius, *Animadverſ. l.* 2. *c.* 6. De *Cauſia* Regibus peculiari, cui diadema apponebatur, agit Plut. *in Demetrio* & Athenæus, *l.* 12. ſed & potentiores Macedones aliquod cauſiæ genus geſtaviſſe, ſupra communem ſortem illuſtre, oſtendit Plut. *Eumene.* Non multum autem *Cauſia*, tiara & crobylus, diſſimilia fuêre, ut oſtendit Anſelm Solerius *de Pileo*, *ſectione* 8. Vide quoque Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 1. *c.* 5. ubi non ſolum *Cauſiæ Regiæ* diadema imponi conſueviſſe, ſed & illam ipſam notâ aliquâ inſigni à reliquis fuiſſe diſtinctam, ex Plut. *l. cit.* qui καυσίας διπλῆς, *cauſiis duplici ſilo ſeu vinculo*, redimitum fuiſſe ibi memorat, addit. Quod itaque diadema hæc *Cauſia* ferret, διαδηματοφόρος dicta Græcis eſt: cujuſmodi *Cauſiam* Antonius dediſſe Ptolemæo, ut Regi Phœniciæ, Syriæ & Ciliciæ, legitur apud eundem *in Antonio.* Nec omittendus locus *Suidæ* qui *Cauſiam* vocat Macedonum οἰκεῖον ὅπλον, καὶ σκέπας ἐν νιφετῷ, καὶ κράνος ἐν πολέμῳ, *familiare genus armorum, ut tegmen in imbre nivali & galeam in bello.* Abuſivè vox ſumitur, cum quemlibet barbaricum pileum ſignificat, apud eund.

CAUSIANI, populi qui naſcentes lugent, mortuos autem beatos reputant, Stobæus *in Encomio mortis.*

CAUSIDICI, dicti *Togati*, quia quamvis omnium ordinum geſtamen Toga eſſet, eorum tamen præcipuè cenſebatur. Imò poſtquam cauta ſimul à Romanis cum libertate Toga fuiſſet, manſit tamen ejus uſus penes clientes, & cauſarum Patronos: Juvenalis, *Sat.* 8. *v.* 49.

> ---- ---- ---- ---- *Veniet de plebe togata,*
> *Qui juris nodos, qui legum ænigmata ſolvat.*

Ubi *plebs togata* non eſt minuta illa ac ſordidior, ut volunt Interpretes, ſed quæ judiciis, eloquentiæ & cauſis agendis operam dabat, & propterea in toga erat. Hinc & Seneca, *de Ira l.* 2. *Inter iſtos, quos Togatos vides, nulla pax eſt: alter in alterius exitium levi compendii ducitur.* Idem clarius *de Conſt. c.* 9. *ut accuſatione ſubmiſſo, aut criminatione falsâ, aut irritatis in nos potentiorum moribus: quæque alia inter Togatos latrocinia ſunt.* Quem imitatus videtur Chryſoſtomus *Ep. ad Donatum*, *Sævit in vicem*, inquiens, *diſcordantium rabies, & inter togas pace ruptâ forum litibus mugit inſanum.* Apulejus etiam improbos patronos *Togatos vultirios* vocat. Nec alia mens Martiali, *l.* 7. *Epigr.* 50 *v.* 5.

> *Jure madens, varioque Toga limatus in uſu,*
> *Non lector meus hic, Urbice, ſed liber eſt.*

Idem, *l.* 2. *Epigr.* 90. *v.* 2. Quintilianum *gloriam Romanæ togæ* appellat. Ovidius proin eleganter *caſtra civilis togæ* vocat Judiciale forum, *de Rem. l.* 1. *v.* 149.

> *Deſidiam puer ille ſequi ſolet: odit agentes,*
> *Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.*
> *Sunt fora: ſunt leges: & quos tuearis, amici,*
> *Vade per urbanæ ſplendida caſtra togæ.*

Togata dignitas apud Caſſiodor. *l.* 6. *Ep.* 4. *in fine* eandem ob cauſam Advocato dicitur. Quod verba atinent Juvenalis, *Sat.* 7. *v.* 135.

> ---- ---- *Purpura vendit*
> *Cauſidicum, vendunt amethyſtina:* ----

Unde quidam evincere conantur, eum *Cauſidico* togam adimere, lacernas dare: reſpondet Ferrarius, ea quidem de lacernis aut lænis intelligenda eſſe, ſed quæ togæ injiciebantur, &c. Cæterum à *Cauſidicis* victoribus, quô ſive palêô naturali, (vide voce *Pileati*, it. *Pileus*, infrà) utebantur, Marſyæ in Foro Romano ſtatuam, coronari ſolitam, dicemus infra voce *Marſyas.* Iiſdem delinquentibus pœna ſolemnis, ſilentii fuit indictio; Ulpianus, *l.* 9 *ff. de pœn. Moris eſt, advocationibus quoque præſides interdicere, & nonnunquam ad tempus vel annis metiuntur, vel etiam tempore quô provinciam regunt, nec non ita quoque interdici poteſt, aliàs, ne certis perſonis adſit: poteſt & ita interdici ei ne apud tribunal præſidis poſtulet, & tamen apud Legatum vel procuratorem non prohibetur agere.* Antoninus Aug. *l.* 1. *Cod. de poſtul. Cum à præfecto Ægypti cauſas agere perpetuum prohibitus non appellaveris, placitis obtempera.* Hinc & Plin. *l.* 5. *ep.* 14. *Aſſenſerunt, ait, omnes præter Flavium Aprum, ut interdicendum ei advocationibus in quinquennium cenſuit.* Vide Thom. Dempſter. *in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 32. Sed & *Cauſidici*, Advocati Eccleſiarum dicti, medio ævô, ut vidimus &c.

CAUSIMOMANTIA, Græcè Καυσιμομαντεία, ſpecies Magiæ ſeu divinationis, ἐκ τῶν καυσίμων, apud Plinium, *l.* 36. *c.* 19. *Hic (gagates) dicuntur uti Magi in ea, quam vocant cauſimomantiam, & periti urgam, ſi eventurum ſit, quod aliquis optet:* ita quidem legit Salmaſius, cùm aliàs *axinomantiam* in libris editis habeatur. Per καύσιμα autem intelliguntur ea, quæ uri poſſunt. Itaque ſi aliquid τῶν καυσίμων, in ignem injectum, peruri nequiret, ſignificabat id eventurum, quod quis in votis haberet. atque inter talia gagates lapis erat, quô maximè in hanc καυσιμομαντείαν Magi utebantur. Alia erat Pyromantia, qua de ſuô locô dicemus. Vide præfatum Salmaſ. *ad Solin. p.* 253.

CAUSINI, Mauritaniæ Tingitanæ populi, *Ptol.*

CAUSISOLEUS, natione Ægyptius, frater Theodoti, qui Æmilianum ceperat; Dux Gallieni Trebellianum, qui ſub Gallieno tyrannidem invaſerat, prælió victis ac interemit. Treb. Pollio *in XXX. Tyrannis*, *c.* 26.

CAUSTICA Horologia, vide infrà *Cryſtallinæ ſphæra*, uti de *Cauſticis Speculis*, in hac voce.

CAUTI, Scotiæ populi, melius *Cantæ*, ubi pars Orientalis Roſſiæ & Armanochiæ, ubi promontorium *Tarbat*, inter Moraviam & Sutherlandiam.

CAVUM, oppidum Latii, à ſitu loci ſic dictum, quòd tanquam in cavo ſeu fovea jaceat.

CAVUM Sidus, apud Solin. *c.* 27. *Exultant (ſimiæ) novâ Lunâ, triſtes ſunt cornutô & cavô ſidere:* eſt cava & cornuta Luna,

na, quam à *nova* diſcernit, quæ tamen & ipſa cava nihilominus & corniculata eſt. Et quidem Græci *μηνοειδῆ* & *κοῖλην* quoque vocant, quum curvatur in cornua, & tam de nova dicunt, quàm de vetere. Sed & ſimiliter *cavam* Lunam à *nova* diſtinguit Plinius, ubi de Cercopithecis, *l.* 8. *c.* 21. Nempe cum *cavum* opponatur *pleno*, nam quod vacuum fit, cavum exiſtit; etiam *cava* Luna plenæ opponitur: adeoque, ſicut *plena* dicitur, quum totum orbem implet, ita *cava*, hîc non è *μηνοειδὴς*, ſed quum totô orbe vacua eſt & inanis, nihilque prorſus habet luminis. Per interlunia igitur, quum ſplendorem prorſus amiſit Luna, triſtes ſunt ſimiæ. eandem renaſcentem & in exortu ſuo novam exultatione adorant. Quod de cynocephalis quoque Orus ſcribit *in Hieroglyphicis*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 376.

CAXAMALCA, locus Americæ meridionalis, ubi Atabalipa Peruviæ Rex ab Hiſpanis captus eſt. Intra montes eſt, prope Vagnam amnem, 30. leuc. Hiſpanic. ab ora Maris Pacifici.

CAXTONUS Guil. Hiſtoricus Anglus, Margaretæ Burgundiæ Duci, ſorori Eduardi IV. gratus. Plurima è Latino & Gallico, in patrium ſermonem tranſtulit, & *Chronicon* conſcripſit 7. *libris*, cui titulus, *Fructus Temporum*: uſque ad annum 23. Eduardi, A. C. 1483. Simler, Poſſevin. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 9. Vide & *Guilielmus*.

CAXUMA, metropolis regni Tigremahon, *Tigray* Marmolio, fortè *Tenſis* Strab. Sedes reginæ Sabæ, *l.* 10. *c.* 23.

CAYANA, inſul. Americæ Meridionalis in Guajana regione ad oſtia Cayani fluv. circuitus 18. leuc. 100. circiter à fluv. Amazonum in Boream. Ibi Arx S. Michaëlis Gallorum, cum aliquot colonis.

CAYCI, populi German. qui & *Chauchi* & *Chauci*, in majores & minores dividuntur. Illi inter Albim & Viſurgim fluv. locantur, eorumque metropolis eſt Bremæ, urbs in Saxonia. Hi inter Viſurgim & Amaſium fluv. quorum urbs Bilenburgum, vel Oldenburgum cum aliis in Friſiæ & Weſtphaliæ confiniis. Alii Cauchos majores, ubi Luneburgenſes ſunt, ſtatuunt. Lucan. *l.* 1. *v.* 463.

Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppoſiti. ------

CAYCUS, Celæni fil. Pauſan. *l.* 5. Item fluv. Myſiæ. Vide *Caicus*.

CAYM-ADAM, Califa 24. Babylonius, Mahometis ſucceſſor, A. C. 874. bellô contra Perſas Græcoſque infelix. A Nicephoro Phoca, qui poſtmodum Imperator prælio victus, Beroë urbe amiſſa. Marmol. *l.* 2. *c.* 27.

CAYM-BEARMILA, familiæ Abeſenæ legitimus, ut ferebat, hæres, Arabum ope, totum Africæ Orientem brevi occupavit, hinc in Occidentem tranſgreſſus, Regni Feſſani provincias vaſtavit. Tandem per Ducem quendam Dalmatam, totâ Barbariâ, Numidiâ & Libyâ potitus, opibus immenſis Cairvanæ congeſtis, potentiſſimus Africæ principum, ante 16. ſecul. quò vixit, evaſit. Marmol. *l.* 2. *c.* 29.

CAYRETHUS, Myuntis conditor.

CAYSTER, vel CAYSTRUS, fluv. Aſiæ circa Epheſum, nunc *Chiay*, cui etiam regioni nomen dat; nam tractus ille *Cayſtrus* dicitur, ut author eſt *Eunapius Sardianus*. Fluvius hic cygnis olim abundavit. Unde Ovidio, *Triſt. l.* 5. *El.* 1. *v.* 11. *Cayſtrius ales* pro cygno. Propert. *l.* 3. *El.* 21. *v.* 15.

Si quære olorigeri viſenda eſt ora Cayſtri.

Ubi tamen alii *Cygni*, Voſſius autem *Ortygii* legit. Ovidius, *Met. l.* 2. *v.* 252.

Et quæ Mæonias celebrabant carmine ripas,
Flumineæ volucres medio caluêre Cayſtro.

Martial. *l.* 1. *Epigr.* 54. *v.* 7.

Sic niger in ripis errat cùm fortè Cayſtri,
Inter Ledæos ridetur corvus olores.

Homer. *Il.* β. *v.* 459.

—— Ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ
Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα,

Inde Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 384.

Jam varias pelagi volucres & quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri.

Ubi forſan meliùs legendum,

Dulcibus in patriæ rimantur ſtagna Cayſtri.

Nic. Lloydius. Oritur in Phrygia combuſta. Dein per Lydiam labitur, & rigatis Philadelphiâ aliiſque urbibus, per Ioniam in Sinum Ionium ſe exonerat. Eſt etiam *Cayſtrus*, ſecundùm nonnullos, urbs Ciliciæ mediterranea. Cæterùm Fluvius non eſt magnus, ſed formoſus, ac non minùs in varias ſpiras, quàm Mæander, ſerpens, quæ cauſa, quòd non pauci illum cum Mæandro confuderint: inprimis quia per planum incedentibus, propter iſtiuſmodi anfractus, quos non niſi in edito loco conſtituti obſervare poſſunt, duplex flumen videtur. Sed Mæander integrô die cum dimidio inde diſtans, propè Mileti rudera, in mare ſe exonerat. Hinc in antiquis nummis Galliæni, & Salonini, filii hujus, pro lemmate legimus, ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΫΣΤΡΟΣ, cum icone alicujus, hydriæ effluenti incumbentis, i. e. EPHESIORUM CAYSTRUS; quum Mæander potius Mileſiorum eſſet. Cum cura illius decurſum è colle proximo, in quo rudera turris tetragonæ, *Carcer Pauli* dictæ, conſideravit, exactè delineavit, atque eum miris Mæandri flexibus contulit, Jacobus Sponius Medicus Lugdunenſis, quem vide in lib. cui titulum fecit, *Voyage de Levant & de 7. Egliſ. tom.* 2. *ubi utriuſque icones exhibet.* Turcis appellatur *Caraſou*, i. e. *aqua nigra*: Item *Coutchouk-Mindre* & *Minderſcare*, i. e. *parvus ſeu niger Mæander*; ob ſimilitudinem cum Mæandro, quem ſimpliciter *Mindre*, vel *Bojouc-Mindre*, h. e. *magnum Mæandrum*, appellant. Idem *ibid.* A *Cayſtro*, nomen *Cayſtrii* Herois, cujus, ut & Aſii ſacella propè hunc fluvium monſtrata fuiſſe adhuc ſuo tempore, refert Strabo, *l.* 14. apud Voſſ. *de Idolol. origine ac progreſſu*, *l.* 1. *c.* 21.

CAYTUS, ſeu GAYTUS vel GAYETUS, apud Saracenos olim militaris officii nomen, occurrit apud Lupum Protoſpatham A. C. 972 1002. Hugonem Falcandum crebrius & apud Rocchum Pirrhum paſſim.

CAZAFUSTA, apud Rollandinum, *Hiſtor. l.* 8. *Nihilominus niſi ſunt defendentes, inimicos repellere eoſque fugare, & figere nunc lanceis, nunc ſagittis, ſimulis petras rotantibus & ſonantibus cazafuſtis*: pro *catapulta* eſt; machina bellica, ſudibus acutis ejaculandis idonea, Car. du Freſne *Gloſſar.*

CAZANUM, regnum Moſcoviæ. Vide *Caſanum*.

CAZECA, vicus in litore Tauricæ Cherſoneſi. Arrian. in *Periplo*.

CAZERI, à Germanis Valdenſes olim dicti ſunt, an à priſcis *Catharis* detortâ voce: an uti Godefridus Henſchenius ad *Vitam S. Galdini Cardin.* vult, à voce Germanica *Catz*, h. e. catus, felis: eò quod, ſicuti feles noctu ſua conventicula celebrant; ita & illi, adverſariorum metu, nocturnô tempore cœtus ſuos inſtituere fuerint coacti. Vide ſuprà in voce *Cathari*.

CAZERTA, urbs Terræ Laboris cum titulo Principatus & ſede Epiſcopi.

CAZIACUM, villa olim Regia ſeu fiſcalis Galliæ fuit, meliùs *Caſiacum*, ubi Monaſterium vetus, in Diœceſi Sueſſionica, vulgò Chezy. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CEA, vel CEOS, inſula juxta Eubœam, Cos contractè dicitur ab *Heraclide ac Diodoro*: A Romanis ſcriptoribus, *Virgilio*, *Ovidio*, *Plinio*, *Salluſtio*, apud Servium *Cea*; A Ptolemæo *Cia*; A Lyſia apud Suidam, & Æliano de Animalibus *Cios*, è Philone & Mela, *l.* 2. *c.* 7. *Ceos*, vocabulis ita diverſis, ut ea conſtet omnia eſſe nata ex uno fonte. Nempe כוה *cava* Ebræis eſt *exurere*, ut Græcis *καίειν* & *καίω* & כי *ce* vel כויה *cevija* exuſtio dicitur; Hoc de quavis exuſtione, illud propriè uſurpatur de aduſtione Solis. Nomen inſulæ cur eò referatur, docet Vir magnus, *de Phœn. Col. l.* 1. *c.* 24. *his verba*: *Liber Pater Cadmi nepos Icarium, vel Icarum* (i. e. איכר *eccar agricolam*) *miſit in Atticum agrum, ut vitium culturam Athenienſes edoceret.* Hunc vinô potô ruſtici ſemiebrii, venenum ſe bibiſſe credentes, nefariè interfecerunt, & admiſſi criminis ſibi conſcii aufugerunt, in Ceam inſulam, in qua regnabat Ariſteus Cadmi gener. Hyginus ex magni Salmaſii emendatione, *l.* 2. *Aſtron. cap. Arctophylax*: *Interfectores ejus* (Icarii) *animi conſcientiâ permoti ſtatim ſe fugæ mandaverunt, & in inſulam Ceam* (lege Ceorum) *pervenerunt, à quibus ut hoſpites recepti domicilia ſibi conſtituerunt. Aliquanto poſt ita Numine reos perſequente, canicula exoriens æſtu Ceorum loca & agros frugibus orbabat, & ipſos morbô affectos pœnas Icario cum dolore ſufferre cogebat, quod latrones recepiſſent. Quibus malis conſtitutus inſulæ Rex Ariſtæus Apollinis & Cyrenes filius, &c. petiit à parente, quâ pactô calamitate civitatem poſſet liberare. Quem Deus jubet multis hoſtiis expiare Icarii mortem & ab Jove petere, ut quo tempore Canicula exoritetur, dies quadraginta ventum daret, qui æſtus Caniculæ mederetur. Quod juſſum Ariſtæus confecit, & impetravit, ut Eteſiæ flarent.* Hæc ex Hygino hactenus, quibus ſimilia referunt etiam alii antiquiores. Theophraſtus *de Ventis*: [illegible] Et apud Apollonium, *l.* 2. *Argonaut.* cum Sirius [illegible], id eſt Cyclades, monitu Apollinis Ariſtæus in Ceam ſe contulit:

Καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν Διὸς Ἰκμαίοιο,
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Plura vide apud Scholiaſtem & in Heraclidis politiis, & Diodori *l.* 4. & Ciceronis *de Divin. l.* 1. & in Germanici *fragmento ad Arati Phænomena*, *capite*, *Aquarius*, qui omnes meminêre hujus ſacrificii ab Ariſtæo inſtituti, & à Ciis celebrari ſoliti ad Eteſias impetrandos. *Nic. Lloydius.*

CEA, dicta etiam *Hydruſa*, nunc *Cia*, una Cycladum, propè Atticam regionem & Helenam Inſulam 20. milliar. ab Eubœa in Auſtrum, 30. ab Andro inſul. vix 50. milliar. in circuitum, nunc ægrè habitata, ſub Turcis. *Baudrandus*. Vid *Cea*. Hic Julis, hodie *Zuide* urbs præcipua, Simonidis natalibus inclyta, Mnemonices inventoris, ut & Bacchylidis & Philoſophi Ariſtonis. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Pont. Niger*, *Moret.*

CEA, fluv. Hiſpaniæ per regnum Legionenſe fluens, juxta oppid. S. Facundi.

CEADES, vir Thrax, cujus filius Euphemus unus erat ex iis, qui Trojanis auxilium tulerunt. Homer. *Il.* 2.

CEADRAGUS, fil. Thraſiconis, Princeps Abotritarum, à Danis occiſus erat, tempore Caroli M. protectoris ejus; Dux factus eſt, Sclaomirô à Ludovico Pio pulſô. Sed colluſionis cum Danis accuſatus, hôc reſtitutô, depoſitus eſt: Poſt mortem tandem Sclaomiri, innocentiâ Regi probatâ, in dignitatem A. C. 818. redut. Hiſt. Gall. *in Lud. Pio.*

CEAULINUS, tertius Rex Weſtſaxonum, in Anglia, Ethelbertum Cantii Regem devicit, & Britones uſque in Walliæ deſerta fugavit, urbibus eorum captis. Poſt quæ, undique hoſtibus concurrentibus, victus, regnôque exutus eſt. Beda *Hiſt. Angl.*

CEBA, oppid. Italiæ, populi *Cebani*. *Plin.*

CEBALLINUS, qui à fratre Nicomacho, Dymni exoleto, comparatas contra Alexandrum Magnum in Hyrcania inſidias cùm percepiſſet, ad Philotam, dein ad Metronem detulit. Curt. *l.* 6. *c.* 7.

CEBARES, equiſo fuit, cujus aſtu Darius regnum Perſarum adeptus eſt: nam cùm Magi inter ſe pactô convenîſſent, ut is, cujus equus primus hinniret, regnô poteretur, Cebares manum vulvæ equinæ prius admotam naribus equi olfaciendam præbuit, quô odore irritatus equus primus hinnitum dedit. Herodot. *l.* 3.

CEBARSUSSI, vide *Caverna Suſſi*.

CEBCHA, fluv. regni Mogor. *Naud. Meſel.*

CEBENNA, mons ſeu *Cebenna*, non *Gebenna*, Græcis Κέμμενον ὄρος, *Cemmenus mons*, Gallis *les Cevennes*, olim Celtas à provincia Narbonenſi, nunc Aquitaniam primam à Narbonenſi prima dirimit. Hinc Obris & Arauraris vel Arauris, Vitturlus item in Septimania, *la Bedarrie* & Vardo, quorum alter in mare Gallicum, alter in Rhodanum influit: præterea in Vellavis Liger, & Elaver in Gabalis; Tarnis & Agotus *Agout*, atque Avario *Averron*, qui Tarnis recipiuntur; Olitis *le Lot* & Triobris *Truiere*, qui in Olitem labitur; Durannius cum Viſera, quem in Garumnam defert, ſcaturiunt. E quibus Tarnem in Rutenis, Durannium in Arvernia, Olitem quoque in Rutenis, non longè à Tara oriri conſtat. Promittuntur hi montes à Rhodano ſeu ab Helviis, per Vellavos, Gabalos & Arvernos, ad Garumnam uſque & Vivarienſem ſeu Helvicum pagum, Vellavum, Gabalicum, Arvernum, Cadurcinum & Rutenum dividunt in ſuperiorem & inferiorem: *Montes Arverniæ* dicti, quà per Arverniam longò limite immittuntur. Addunt aliqui partem Arvernorum Burbonenſes & Lemovices, qui cum Marchia in ſuperiores inferioreſque dividuntur. Volcas Tectoſages Cebennæ auſtrina uſque promontoria incolere tradit. Strabo. *Cebennas* montes, nec non Pyrenæum & Voſagum, auro, argento aliiſque metallis, nulli regioni ceſſuros eſſe, ſi exercere liberet: ſed deeſſe ſervos qui fodiant, refert Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CEBRENIA, regiuncula Troadis cum oppidulo ejuſdem nominis, non procul à Scepſi. Inde *Cebrenis* patronymicum. Ovid. *Met. l.* 11. *v.* 769

Aſpicet Heſperien patriâ Cebrenida ripâ.

Statius, *l.* 1. *Syl.* 5. *v.* 21.

—— *Vidua Cebrenidos arida luctu*
Flumina. ——

Sunt etiam *Cebrenii* in Thracia.

CEBRIONES, unus ex Gigantibus, qui Superis bellum intulerunt, devictus à Venere. Ejus meminit & cum Prophyrione conjungit, Ariſtophanes *Avib. p.* 567. Ubi vide *Scholia*, G.

CEBRIONES, Priami nothus, à Patroclo ſaxô ictus interiit. Homer. *Il.* 16. *v.* 754.

Κεβριόνην βάλεν ἡνίοχον Πριάμοιο.

CEBUS, Inſul. Aſiæ, in mari Indico una ex Philippinis, parva ſed culta. Ibi A. C. 1520. occiſus eſt Ferdin. Magellanus celeberrimus ille Argonauta, qui primus eam detexit. Subeſt Hiſpanis habetque urbem *Villa Jeſu*.

CEBUS, ſeu CEPUS, ſimiæ genus, Solin. c. 30. *Iiſdem ferè temporibus* (Dictatoris Cæſaris) *illic* (Romæ) *exhibita monſtra ſunt. Cepos appellant, quorum poſteriores pedes crure & veſtigio humanos artus mentiuntur: priores hominum manus referunt: quæ tamen a noſtris non amplius, quam ſemel, viſa ſunt.* Græci partim Κῆπος, partim κῆβος vocant. Ariſtoteles ſimias cum cauda κῆβους appellat, & ſanè hujuſmodi *cepi* poſteriores pedes humanis pedibus ſimiles, manibus priores ſunt. *Heſychius*, κῆπος ζῶον ὅμοιον πιθήκῳ, *Cepus, animal ſimile ſimiæ*. *Agatharchides*, & ex eo *Diodorus Siculus*, κῆπος habere, τὸ μὲν πρόσωπον λέοντι, τὸ δὲ σῶμα πάνθηρι, τὸ δὲ μέγεθος δορκάδι, *faciem quidem leonis, corpus verò pantheræ & magnitudinem capreæ*, tradunt: Idemque ſcribit ex Artemidoro Strabo, *l.* 16. At *l.* 17. prodit idem, Babylonis Memphitas colere *Cepum*, qui faciem habeat Satyro ſimilem, τὰ δὲ ἄλλα κυνὸς καὶ ἄρκτου μεταξύ, *reliqua verò partim urſo, partim cani.* Ubi libri quidam ſcribunt κῆπον, alii κῆβον. Nomen inveniſſe hoc animal κῆπον, ἀπὸ τῆς ποικιλίας, quaſi *hortum pro varietate formæ* dictum, tradunt ſummi Auctores. Sed nomen eſt illius gentis, ubi fera ipſa naſcitur. *Cep* enim aut *Ceb* Æthiopes appellâſſe videntur, inde in Ægyptum & hinc in Græciam, nomen cum ipſo animali illatum: unde Græci Κῆπον aut Κῆβον dixêre, quemadmodum Τίγρις, κάμηλος, παρδάλις, ἐλέφας, τάρανδος, βόνασος, & ſexcenta id genus animalia, quæ appellationes nacta ſunt ab eorum locorum populis, in quibus nata. Salmaſ. *ad Solinum*, *d. l.* Origo verò ex Hebraico קוף *Koph*, ut videtur, quæ vox in Sacris occurrit 1. Regum, *c.* 10. *v.* 22. & 2. Paralipom. *c.* 9. *v.* 21. ubi Salomonis claſſis è Tharſi advexiſſe legitur קופים *Kophim*, i. e. ſimias: uti Veteres & Recentiores explicant. Nec deſunt, qui dictos velint à verbo קוף *Kuph*, vel נקף, *nakaph*. h. e. *ambire & circuire*, propter frequentes circulationes, quibus & ſeipſum exercet & ſpectatores detinet hoc animal. Hinc ergo *Æthiopum Cephus*, primùm Pompeji M. Ludis Romæ viſus, teſte Plinio, *l.* 8. *c.* 19. in cujus deſcriptione quamvis mirè varient Auctores, ut vidimus: ex iis tamen Æthiopicum aut Troglodyticum eſſe animal, inter ſimiarum ſpecies, colligere proclive eſt, vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 31. & infrà *Cephus*.

CECAUMENE, ſeu *Diacecaumene* regio eadem cum *Catacecaumene*, quod vide.

CECCANUS Annibaldus, Roman. primus Archiepiſcopus Neapolitanus, dein Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus verſu ſcripſit Petri Paulique Apoſtolor. vitam. A. C. 1327. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 64.

CECCUS Franciſcus, Aſculò oriundus, Ducis Florentiæ Aſtrologus, exuſtus eſt Bononiæ, A. C. 1327. Malos quoſdam Spiritus in cœlo gigni, Jeſum Chriſtum certò ſidere natum, neceſſariò inopem fuiſſe, Antichriſtum ſub opulentâ conſtellatione naſciturum, &c. aſſeruit. Nec profuit hæc retractâſſe, annitente Dinô Molicô æmulô ejus, qui 15. die, poſt Ceccum, obiit. A. C. 1327. Leander *deſcr. Italiæ*, *p.* 267.

CECHIANA, provinc. regni Sinæ ſatis ampla, prope littus maris & ſinum Nanchini, ex adverſo regni Coreæ.

CECIA, Auſtriæ urbs, *Seiſſelmaur Latio*.

CECIDES, antiquiſſimus Poeta Dithyrambicus, cujus meminerunt Cratinus ἐν πανόπταις atque Ariſtophanes *in Nubibus*.

CECILIA, Syriæ urbs, ad Euphratem fluv. *Ptol.*

CECILIA Mellinum, Luſitaniæ urbs. *Ptol.*

CECILIANA, ſunt ruinæ, inter amnes *Aguadna* & *Agua de Moura*, qui ibi cadunt in Cadaon fluv. vix 2. leuc. à vico Martea in Occaſum, in Extremadura Luſitanica.

CECILIANUS, Diaconus Menſurii Epiſcopi Carthaginienſis ei ſucceſſit, A. C. 306. A qua dignitate excluſos ſe dolentes Botrus & Celeſius, ſeceſſionem fecerunt, *Donatiſtæ*, à Donato, Majorini ſucceſſore, dicti; dein in duas partes diviſi, per duo ſecula Africanam Eccleſiam turbaverunt. Cecilianus verò à criminibus ſibi tributis liber pronuntiatus Romæ primò, A. C. 313. dein Arelati A. C. 314. Niceno Concilio Generali interfuit. Obiit A. C. 325. Auguſtin. *l.* 1. *contra Parm.* *c.* 5. *Brev. Coll. d.* 3. *c.* 14. *l.* 3. *c. Creſcon. c.* 27. *Optat. l.* 1. *contra Parm.*

CECILION, locus Hiſpaniæ inter Emeritam & Salamanticam. *Antonin.*

CECINA, melius *Cæcina*, fluv. ad Volaterras. Mela, *l.* 2. *c.* 4. & Plin. *l.* 3. *c.* 5. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 2. *p.* 469. Oritur inter Senas & Volaterras; dein auctus aliquot fluviis, in Mare Mediterran. ſe exonerat, 18. milliar. à Liburno in Eurum. Ab eo vallis amœna & fertiliſſima in territorio Piſano nomen habet. *Baudrand.*

A. CECINNA, equeſtris ordinis vir, quadrigariorum magiſter, Pompejanarum partium; tempore belli Civilis hirundines parvas è nidis Romæ comprehenſas nutriebat, quas poſteà nuncias belli mittebat amicis, ut *Plin.* refert. Scripſit librum *contra Cæſarem*. Fuit Ciceroni familiaris, & cliens, defenſus ab eo in quadam hæreditaria cauſa: extant & inter eos epiſtolæ conſcriptæ. Librum quoque *de fulguribus procurandis* edidit, quem Seneca, *l.* 2. *quæſt. nat. c.* 56. ſe fatetur imitari, dicitque *eum virum facundum, niſi a Ciceronis rebus primo receſſiſſet.* Cicer. *Orat. c.* 29. & *l.* 15. *Epiſt.* 66. &c.

CECINNA, Octavii Cæſaris ſcriba, prout legitur, *in Epp. ad Atticum. l.* 16. *Ep.* 8.

CECINNA, vir Conſularis, ob conjurationis ſuſpicionem à Tito Imperatore ad cœnam vocatus, ac per proditionem interfectus. Sueton. *c.* 6. *in Tito.*

CECINNA, Dux Vitellianus, cum exercitu è Gallia profectus, ad Bebriacum, cum Othonianis congreſſus feliciter dimicavit; Mæſius dein cum exercitu 30000. contra Primum Mœſiæ Præſidem, Veſpaſiani partes amplexum, Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 4. *c.* 40.

CECINOM, oppidul. *Stilo*, quod & *Carcinum* & *Cocinthum*, ad amnem cognominem, nunc *Carmo*, in Calabria ulter. 12. milliar. à Cocintho promontor. in Occaſum 15. à Soriano, 22. à Mileto in Ortum. *Maginus*, *Alii*.

CECRENA, urbs Troadis. *Phavorinus.*

CECROPIA, vide *Cecrops*.

CECROPIDÆ, vide infrà *Novum Nomen*, it. ubi de præmiis *Militum*.

CECROPIS, prima & antiquiſſima Athenienſium Reipubl. Tribus, ita nominata in honorem *Cecropis*, qui 4. tribubus, in quas primitus civitas diviſa fuerat, nomina primus indidit: quæ poſteà Cranaus mutavit, ut & Erichthonius ac Ion, nominibus pro uniuſcujuſque arbitrio iis impoſitis. Donec Alcmæon Archon, auctô Tribuum numerô, à Semideis Athenienſium, inter quos & Cecrops fuerat, illas denominavit: cum iterum *Cecropidis* emerſit nomen. Vide Pauſan. in *Atticis*.

Δῆμοι ſeu Municipia Tribus Cecropidis.

Æxone.	Phlya.
Alæ Æxonides.	Pithus.
Athmonon vel Athmonia.	Sypalettus.
Dædalidæ.	Trinemea.
Epieeidæ.	Xypete.

Vide Franc. Roſſæum *Archæol. Attica*, *l.* 1. *c.* 6.

CECROPIUS, Dux Dalmatarum, Heracliani juſſu Gallienum interemit, Zoſimus & Trebellius Pollio, in *Vita Gallienorum*, *c.* 14.

CECROPIUS, Epiſcopus Sebaſtiæ, Concilio Chalcedonenſi interfuit. De illo vide *Acta Concil.* Baron. *A. C.* 451. Item, Epiſcopus Nicomediæ, Arianus & hoſtis Athanaſii, poſt Euſebium ejuſdem farinæ hominem. Periit urbe ruinâ, in horrendo illo terræ motu, de quo Ammian. Marcellinus, *l.* 17. A. C. 358. Vide Socr. *l.* 2. Sozom. *l.* 4.

CECROPS, primus Athenienſium Rex. Euſeb. *in Chron. l.* 1. Οἱ δὲ ἐκ μέρους τῆς Αἰγύπτου, καὶ τὴν παλαιὰν ὀνομασίαν, βασιλεῦσιν; εἶναι ὁ δὲ. Πρῶτος Κέκροψ, ὁ διφυής. Johannes Tzetzes, *Chil.* 5. *Hiſt.* 18.

Πρῶτος ἁπάντων Ἀθηνῶν ὁ Κέκροψ βασιλεύει.

Apollodorus, *l.* 3. Κέκροψ αὐτόχθων, συμφυὲς ἔχων σῶμα ἀνδρὸς καὶ δράκοντος, τῆς Ἀθηνῶν ἐβασίλευσε πρῶτος. Et obſerva, indigenam illic eum dici; cum Ægyptium alii faciant. *Suidas* · Κέκροψ Αἰγύπτιος ὢν τὸ γένος, ᾤκησε τὰς Ἀθήνας. Atque idem rurſus dicit in Προμηθεῖ. Totidem quoque verbis Schol. Ariſtoph. *ad Plutum*. Et Jo. Tzetzes eum refert à Sai, Ægypti urbe, Athenas commigrâſſe poſt diluvium Ogygis, *Chil.* 5. *Hiſt.* 18.

Ὡς ἐκ Σάεως δὲ τῆς Σάεως, πόλεως Αἰγυπτίας.
Μετὰ τὸν τοῦ Ὠγύγου κατακλυσμὸν ἀπελθών,
Ὁ Κέκροψ προσέκτισεν Ἀθήνας τῆς Ἑλλάδος.

Iſacius Tzetzes ad Lycophronem: Ἡ Ἀθηνᾶ βασιλεύοντος Κέκροπος. Οὗτος γὰρ ἐλθὼν ἀπὸ πόλεως Αἰγύπτου, τὰς Ἀθήνας συνῴκισε. Inde *Cecropium lutum* apud Papinium, pro Ægyptio, *Sylv. l.* 3. *in Propemptico Metii Celeris*, *v.* 107.

—— *Te præſide noſcat*
Unde paludoſi fœcunda licentia Nili:
Cur vada deſiciant, & ripa coërceat undas,
Cecropiô ſtagnata lutô.

Certè peregrinum facere etiam videtur Strabo, qui Bœotiæ præfuiſſe eum ante regnum tradit, *l.* 9. Λέγεται καὶ Κέκροπα, ἐν Βοιωτίᾳ βασιλεῦσαι. Gotfridus Viterbienſis, Regem Cretæ fuiſſe refert, *Chronici parte* 4.

Cùm dominum Cecropem Regem tenet inſula Creta.

Quod non dubium eſt, quin ille ab antiquo auctore acceperit; innuitque hoc ipſum Plautus in *Trinummo*, *Actu* 4. *ſc.* 2. v. 85.

Pol illum reliqui ad Rhadamanthum, in Cecropia inſula.

De Ægypto quod dictum, nititur Hiſtoriæ fide. Illâ enim à Paſtoribus occupatâ, ut dicemus infrà, gente barbara & Ægyptiis infenſa quàm maximè, incolarum veterum pars magna ſolum vertere & novas ſede quærere coacta eſt. Tres igitur eorum Coloniæ illuſtres brevi in Græciam deductæ, prima à *Cecrope*, altera à *Cadmo*, tertia à *Danao*, uti pluribus, docet Marshamus *Canone Chronico ad Sec.* VIII. Unde & ex Ægypto *mores magis civiles* in Græciam induxit, & ſecundùm legem in Ægypto à Vulcano latam, *virginem uni viro elocari* juſſit; & *Minervæ ac Jovis cultum* indidem attulit Cecrops; ut *de more mortuos humandi* nil addam. Vide paulò infrà. Quod parentes ejus attinet, matrem Hygiuus Terram facit, *fab.* 48. patrem autem Vulcanum, *fab.* 158. Ac matrem Terram refert etiam Antonius Liberalis, *Metamorphoſ.* c. 6. Περίφας ἐγένετο ἐν τῇ Ἀττικῇ αὐτόχθων, πρότερον ἢ φανῆναι Κέκροπα τὸν Γῆς. Φῦντα ἐβασίλευσε τῶν ἀρχαίων ἀνθρώπων. Iſacius verò Tzetzes ad Lycophronem, ex draconis dentibus enatum ſcribit, qua de re videculus quoque Schol. Ariſtoph. *ad Plutum.* Et Athenienſes quidem ab eo dicti *Cecropidæ*. Herodot. *l.* 8. Ἀθηναῖοι δὲ ἐπὶ Κέκροπος βασιλεύοντος ἐπεκλήθησαν Κεκροπίδαι. Virg. *l.* 6. *Æn.* v. 21.

—— *Tunc pendere pœnas*
Cecropidæ juſſi. ——

Ovid. *Met. l.* 7. v. 670.

Phœbus in interius ſpatium pulchroſque receſſus
Cecropidas duxit.

Silius, *l.* 13. v. 484.

Cecropidæ ob patriam Mavortis ſorte peremptos
Decrevêre ſimul communibus urere flammis.

Claudian. *l.* 1. de *Raptu Proſerp.* v. 11.

—— *Templumque remugit*
Cecropidùm, ſanctaſque faces extollit Eleuſis.

Auſonius, *Epiſt.* 24. v. 55.

Siſtere Cecropidum in terris monumenta parante
Obſtitit. ——

Inde etiam Athenæ *Cecropia*. Plin. *l.* 7. c. 56. *Oppidum* (*Athenas*) *Cecrops a ſe appellavit Cecropiam.* Hinc mons *Cecropius*, Athenis proximus. Attica quoque univerſa, *Cecropia* dicta. Apollodorus, *l.* 3. ubi de Cecrope: Καὶ τὴν γῆν, πρότερον λεγομένην Ἀκτὴν, ἀφ' ἑαυτοῦ Κεκροπίαν ὠνόμασε. Catullus in *Argonaut. Epigr.* 63. v. 79.

Cecropiam ſolitam eſſe dapem dare Minotauro.

Porrò Cecrops hic, Moſi & Deucalioni coævus, Crotopo item Argivorum Regi, uti ſuprà innuimus, Διφυὴς cognominatus eſt. Archelaus in Epigrammate, apud Antigonum Caryſtium, *Hiſt. Mirab.* c. 96.

—— Εἰ δὲ τὸ δ' ἴσα,
Οὐ θαῦμα, βλαστὼν τὰ διφυοῦς Κέκροπος.

Ovid. *Geminum* dicit, *l.* 2. *Met.* v. 555.

Virginibuſque tribus, gemino de Cecrope natis,
Servandam dederat. ——

Cujus cognominis variæ rationes proferuntur. Sunt qui velint à ſtaturæ magnitudine, aut duarum linguarum peritiâ, Græcæ nempe & Ægyptiacæ, ita dictum. Euſeb. *Chron. l.* 1. Κέκροψ ὁ Διφυὴς ὁ ἐν Ἄστει, τῷ δὲ Ἀθηνῶν, ἐβασίλευσεν ἔτη πεντήκοντα, διὰ μῆκος σώματος ἤτοι μεγέθους, ὥς φησιν ὁ Φιλόχορος. ἢ ὅτι, Αἰγύπτιος ὤν, τὰς δύο γλώσσας ἠπίστατο. Idem tradunt Hieronymus & Cedrenus. Aliis placet, quòd, conjugiô inſtitutô, virum fœminæ conjunxerit. Athenæus, *l.* 13. Ἐν δὲ Ἀθήναις πρῶτος Κέκροψ μίαν ἑνὶ ἔζευξεν ἀνεδην τὸ πρότερον οὐσῶν τῶν συνόδων, διὸ καὶ ἔδοξέ τισι Διφυὴς νομισθῆναι. Juſtin. *l.* 2. c. 6. *Ante Deucalionis tempora Regem habuêre* (*Athenæ*) *Cecropem, quem, ut omnis fabuloſa eſt antiquitas, biformem tradidêre; quia primus marem fœminæ matrimonio junxit.* Syrianus in Hermogenem: Κέκροψ πρῶτος συνήγαγεν ἄρρενα καὶ γυναῖκα, ὅς καὶ διὰ τοῦτο Διφυὴς ἐκλήθη. Idem quoque Euſtathius refert, *ad Iliad.* σ'. & ώ. Certè à Cecrope inſtitutum matrimonium, etiam teſtatur iſtis verbis Nonnus Panopolitanus, *l.* 41.

Κάλλιμος εὐγλώσσοιο διδάσκεται ὄργανα φωνῆς
Θεσμὰ Σόλων ἄχραντα, καὶ ἵστορον Ἀτθίδι πάλιν
Συζυγίης ἀλύτοιο συνεζεύξε δίζυγα Κέκροψ.

Alii tradunt, partim hominem, partim draconem fuiſſe. Ariſtoph. *in Veſpis*:

Ὦ Κέκροψ, ἥρως ἄναξ, τὰ πρὸς ποδῶν δρακοντίδη.

Ubi *Schol.* Φασὶ τὸν Κέκροπα Διφυῆ γεγονέναι, καὶ τὰ κάτω ὄφεως ἔχοντα. Apollodurus, *l.* 3. Κέκροψ αὐτόχθων, συμφυὲς ἔχων σῶμα, ἀνδρὸς καὶ δράκοντος. Nonnus, *ubi ſuprà*:

Κέκροπος ἀντιτύποιο, ὃς ἰοβόλῳ ποδὸς ὁλκῷ
Γαίης ἐπεσύρων ὀφιώδεα σύρετο ταρσῷ,
Ἥμισυ δράκων, καὶ ὕπερθεν, ἀπ' ἰξύος ἄχρι καρήνου,
Ἀμορφος ἀτίλητος ἐφαίνετο δέχεο αἴης.

Quare autem hoc confinxerint, explicatur à Demoſthene in *Orat. Fun.* Ἤδεσαν Κεκροπίδαι τὸν ἑαυτῶν ἀρχηγὸν, τὰ μὲν ὡς ἔστι δράκων, τὰ δ' ὡς ἔστιν ἄνθρωπος, λεγόμενον, οὐκ ἄλλοθεν ποθεν, ἢ ὅτι τὴν σύνεσιν αὐτοῦ προσομοιοῦν ἀνθρώπῳ, τὴν ἀλκὴν δὲ δράκοντι. Alii verò ſic exiſtimabant, hominis pariter ac draconis formam illi attributam, quod ex bono Rege poſteà ferus factus fuerit. Quorum ſententia refutatur à Plutarcho, *De ſera num. vind.* Οἱ μὲν γὰρ ὡς καὶ τὸν Κέκροπα Διφυῆ προσαγορεύσαντες τοὺς παλαιοὺς, οὐχ ὡς ἔνιοι λέγουσιν, ἐκ χρηστοῦ βασιλέως ἄγριον καὶ δρακοντώδη γενόμενον τύραννον, ἀλλὰ τοὐναντίον ἐν ἀρχῇ σκολιὸν ὄντα καὶ φοβερὸν, εἶθ' ὕστερον ἄρξαντα πρᾴως καὶ φιλανθρώπως. Hæc Meurſius; apud quem vide ſis plura de Cecrope, *l.* 1. *de Reg. Athen.* c. 8. 9. 10. 11. 12. Primus hic inter Gentiles Sacrificia inſtituiſſe, & ad civiliorem vitam, legibus ſancitis, ſubjectos perduxiſſe legitur. Vide ſuprà. Regnavit annos 50. ab an. 35. Moſis, qui erat Mundi 2498. ante Chriſtum Natum 1556. Sedecim Succeſſores habuit, uſque ad Codrum, per annos 487. Illius monumento certos quoſdam characteres inſculptos, plurimos Gallinaceos ejus Manibus ſacrificatos, umbramque demortui ſub Leonis forma apparuiſſe, tradunt quidam. Chronologus ignotus Inſulæ Pari, à Seldeno editus, ab eo Epocham orditur, Euſeb. *Chron.* Cyrillus Alexand. *l.* 1. *contra Julian.* Auguſtin. *de Civ. Dei*, *l.* 18. c. 8. 9. Pauſan. *Achaic. Nic. Lloydius.* Ei ſucceſſit Cranaus, quem vide. Addo ſaltem, ab adventu *Cecropis* conſurgere æram Atticam, *per Reges Archonteſque Athenienſes* deductam, ad quam res Græcæ accommodantur. Sic Auctor Parius Arundelliani marmoris, modò indigitatus, *deſcripſit ſuperiora tempora*, ἀπὸ Κέκροπος τοῦ πρώτου βασιλεύσαντος Ἀθηνῶν εἰς ἄρχοντος Ἀθήνησι Διογνήτου, *auſpicatus à Cecrope primo Athenarum Rege uſque ad Archontem Athenis Diognetum.* Id eſt, per annos 1318. Terminum hujus intervalli citeriorem conſtituit Seldenus ad annum Periodi Jul. 4450. deme annos 1318. habes annum Periodi Jul. 3132. ſive primum Cecropiæ atque æræ Atticæ. Marshamus præfat. *d. l. ad Sec.* IX. Fuit alius *Cecrops*, Athenienſ. Rex VII. poſt fratrem Erechtheum, regnavit annos 40. de quo idem Meurſius, *l.* 2. *de Reg. Ath.* c. 14. Jul. Africanus, Euſeb. *Chron.* &c. Sub eo Perſeus Mycenis, Megapenthes Argis, floruêre, *Ibid.* Ei ſucceſſit Pandion II. fil. quem vide.

CECROPS Aureolus, inſignis pugnator, de quo vide Salmaſ. *ad Pollion. in Claudio*, c. 5.

CECROPS Maurus, apud *Zoſimum*, nominatur inter illos, qui, Gallienô imperante, res novas moliti ſunt: diverſus à *Cecrope*, de quo ſuprà.

CECRYPHALEA, promontor. ſeu inſul. Peloponneſi, ubi Athenienſes ab Æginetis prælio ſuperati fuerunt. *Steph.*

CECYLISTRIUM, oppid. Galliæ Narbonenſis, *Sex. Avienus.*

CECYRINA, Achajæ in Peloponneſo urbs. Pauſan. *l.* 7.

CEDAR, Arabiæ regio in Agarenorum, i. e. Saracenorum ſolitudine, à *Cedar* ſecundo filio Iſmaëlis. Gen. c. 25. v. 13. Hieron. *de Loc. Hebr.* Etymologo Κηδὰρ eſt vox Græca, quæ *ſignificat*, inquit, τὸ σκοτεινὸν, ἀπὸ τοῦ κνίσα τὸ κοιμώμενον. Verum autem etymon eſt ab Ebræo קדר *kadar*, *atratus fuit*, *ſive fuſcus*, qualis ferè Arabum color, unde Sponſa Cantic. c. 1. v. 5. nigram ſe eſſe dicit, *ut tentoria Cedar.* Sæpe pro Arabia ponebatur antiquitùs. Ita enim Arabia Petræa Hebræis dicta. *Baudrand.* Deſerta, quæ prope Meſopotamiam & ſinum Perſicum. *Moreriu.*

CEDAR, civitas eſt glorioſa in tribu Manaſſe in montanis Seir, altô ac firmô locô ſita, quæ à civitate Corozaim, verſùs Orientem, quatuor milliaribus abeſt.

CEDELLUS, in veteri *Charta*, apud Car. du Freſne, vas portatile eſt aquæ in Eccleſia Romana benedictæ inſerviens. Gallis etiamnum *Cedet.*

CEDEM, i. e. *oriens*, fil. Iſmaëlis, *Kedemah.* Gen. c. 25. v. 15.

CEDERE viâ, honoris genus, vide infrà *Via*. At *Cedere bene ac feliciter*, apud Arnobium, *adv. Gentes*, *l.* 3. Græcis εὐοδεῖν & εὐπλοεῖν. quibus etiam res dicitur ὁδῷ βαδίζειν, quæ ad finem ſuum, nullis impedimentis tardata perducitur. Plut. *Pyrrho*, ἐ τὴν ἐπὶ ἑτέρων ὁδῷ βαδίζειν οἰόμενος ὁ κατεῖχεν. Sic Ovid. *Faſtor. l.* 1. v. 551.

Gaudet; & à pedibus tracto velamine, vota
Ad ſua felici cœperat ire via.

Quare & ἰκανὸς, ὁ ἐπὶ τῶν ἀναχωρουμένων λεγόμενος: ſcribitque Artemidorus, lætum quid ſignificari, ſi quando nos ſomniamus facilè domô egredi, πρόειμι δὲ εὐπορῶς ἐστιν - - ἀγαθὸν, *l.* 2. c. 2.. Vide Deſid. Heraldum *Animadverſion. ad Arnobii locum.*

CEDES, urbs in tribu Judæ. Joſ. c. 15. v. 23. Latinè *ſanctuar.*

CEDES, magna & munita tribus Nephthalim urbs eſt, ob agri adjacentis ubertatem nullis non rebus abundans, quæ ad diſtinctionem aliarum ejuſdem nominis civitatum in tribubus Iſſachar & Juda Joſ. c. 15. ſitarum, plerumque Cedes Nephthalim vocatur. Sita eſt in Galilæa ſuperiore, ſuper montem Nephthalim, & verſùs Boream à civitate Cephet quatuor, totidemque contra Corum, ab urbe Capharnao milliaribus diſtat: quam Joſue cæſô hujus urbis Rege cum ſuburbanis ſuis ſacerdotibus & Levitis habitandam dedit. Hæc etiam fugitivis deputata, qui neſcii homicidium perpetraverant. Joſ. c. 10. v. 41. c. 20. v. 22.

CEDIAS, vicus propè Sinneſſam. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Item Africæ oppid. D. Auguſtino.

CEDIMOTH, Latinè *antiquatores, priores*, vel *Orientales*, ſive *incendium*, aut *incurvatio mortis*, oppid in tribu Ruben. Joſ. *c.* 13. *v.* 18. Et ſolitudo *Cadmoth*. Deuteron. *c.* 2. *v.* 26.

CEDITIÆ Tabernæ, dictæ à Domini nomine, qui *Cedirius* vocabatur.

CEDMIEL, vel CADMIEL, i. e. *antiquitas*, aut *Orientis Deus*, nomen viri. Eſdr. *c.* 3. *v.* 9

CEDMONEI, vel KADMONITÆ, populi. Gen. *c.* 15. *v.* 16.

CEDON, Athenienſis, in claſſe ad oppugnandam Naxum à populo miſſâ, lævum cornu tuitus eſt; in quod Pollis Lacedæmonius invectus eum cum multis navibus ſubmerſit.

CEDONIA, vulgò *Cedogna*, *Lacedogna*, urbs Epiſcopalis Principatus ulterioris in regno Neapolitano. An *Aquilonia* Livii, ubi L. Papyrius Conſul Samnites ad fidem jurandam adegit. Leander Alb. *deſcr. Ital.*

CEDREA, urbs Cariæ. *Steph.*

CEDREANITÆ, Arabiæ Felicis gens. *Steph.*

CEDREATIS, Diana ab Orchomeniis ideo ſic vocata, quòd ejus ſimulacrum in ingenti cedro eſſet erectum. Pauſan. *l.* 8.

CEDREI, Arabiæ Petrææ gens. Plin. *l.* 5. *c.* 11. *Cedareni* Lampridio. Vicini Canchlæis & Nabathæis, à Meridie Scenitis Arabibus junguntur: de quibus vide Salmaſium *ad Solinum*, *p.* 486.

CEDRENUS Georgius, Monachus Græcus 11. ſeculô, Annalium à Mundi initio, uſque ad Imperium Iſaaci Comneni, conditor. Hiſtoria, quæ ei præterea attribuitur, Joh. Curopalatæ videtur eſſe. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 26.

CEDRINÆ Menſæ, apud Plinium, *l.* 14. *c.* 15. melius *citrinæ*, vide infra.

CEDRIS, fluv. Sardiniæ *Ptolemæo*.

CEDRON, torrens inter Jeruſalem & montem Oliveti. Hunc tranſiit Chriſtus iturus ad agonem, Joh. *c.* 18. *v.* 1. Eâdem viâ David Abſalonem fil. fugiens tranſivit. 2. Sam. *c.* 15. *v.* 23. In hac valle Rex Aſa combuſſit ſimulacrum Priapi 1. Reg. *c.* 15. *v.* 13. & Joſias vaſa Baalis. 2. Reg. *c.* 23. *v.* 4. ut & Ezechias. 2. Paral. *c.* 29. *v.* 16. Item urbs inter Joppem & Eleutheropolim, cujus in Macchabæis mentio fit, & alias *Gedor* vocatur.

CEDROPOLIS, Cariæ oppidum.

CEDROS, inſula in German. littoribus, cedri genere ſylvoſa, unde electrum in petras defluere dicitur. *Perottus*.

CEDROSIA, Solino regio, quæ aliter *Gedroſia*, *c.* 34.

CEDROSSI, populi prope mare Rubrum. *Steph.*

CEDRUS, arbor nobilis, memoratur Papinio Statio, *Theb. l.* 3. *v.* 142.

Theſſalis haud aliter bello gaviſa recenti:
Cui gentile nefas hominem revocare canendo,
Multifida attollens antiqua lumina cedro,

Ubi *antiquam* vocat, quia diu durat. Hinc Virgilius domibus aptam ait, *Georg. l.* 2. *v.* 443.

---- ---- dant utile lignum
Navigiis pinos domibus cedroſque cupreſſoſque.

Sed & Majorum hinc effigiebus expetita. Idem, *l.* 7. *Æn. v.* 177.

---- ---- effigies ex ordine Avorum
Antiqua ex cedro.

Imò ſimulacris Deorum. Plin. *l.* 13. *c.* 5. *Cedri materia æternitas, itaque & ſimulacra Deorum ex ea factitaverunt. Cedrinus eſt Romæ in Delubro Apollo Soſianus, Seleucia advectus*, & *l.* 16. *c.* 40. *Buxum maximè ætatem ferre putant --- cedrumque, claro de omnibus materiis materiæ judicio in Templo Dianæ, Epheſio ---- cujus tectum convenit eſſe è cedrinis trabibus. De ipſo ſimulacro Deæ ambigitur.* De ejus uſu in *Sacris Iſraëlitarum*, dicemus infrà, &c. Niſi tamen humore vitientur, quem non ferunt. Palladius, *l.* 2 *c.* 16. *Cedrus durabilis niſi humore tangatur.* Funeribus deſtinatam ad d. *l.* Statii ait Interpres; an quod facibus idonea? Certè Magnatum facibus adhibitam liquet, ex Virgilio, *Æn. l.* 7. *de Circe*, *v.* 12.

---- ---- tectiſque ſuperbis.
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum:

& Homero, *Odyſſ.* 1. *v.* 60. ubi de ſpecu & foco Calypſus:

Κέδρου τ' εὐκεάτοιο, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδωδει.

Vide quoque de *Cerere*, apud Claudianum, *Raptûs l.* 3. Suavem enim odorem exhalat. Ut Virgilius quoque, *l.* 3. *Georg. v.* 414.

Diſce & odoratam ſtabulis accendere cedrum.

Unde ejus ligni accenſi nidorem, in ſacris adhibitum à Græcia, legimus. An, quia *Cedri* ſuccô mortui conditi, ut doctis notatum pridem, &c. Amplitudo iis tanta aliquando, ut trium hominum complexum exceſſerit, auctore Theophraſtô, *l.* 5. *c.* 9. qualem in Cypro ſucciſam eſſe, ad undecirememem Demetrii, 130. pedes longam, memorat. Naſcuntur maximè in Creta, Africa, & nonnullis Syriæ regionibus: cui verò *Cedrus Libani* inprimis, toties dicta ſacris Scriptoribus, ignota? E qua non ſolùm ſibi domum Salomo aliique Reges extruxêre: Sed & quam in Tabernaculo conficiendo multipliciter ipſe Deus adhiberi juſſit, Exodi *c.* 33. *v.* 5. Ut enim alia omittam, è puriſſima cedro, confectum erat Altare æneum in Atrio, quòd æneis laminis undique obductum eſſet, id nominis adeptum, Exodi *c.* 40. *v.* 29 Sic & Altare aureum, in Sanctuario, cedrinis tabulis deauratis conſtabat: Menſa item aurea, in qua ſacri panes, Exodi *c.* 30. *v.* 1. & *c.* 25. *v.* 23. Ipſa tandem Fœderis Arca è ligno *Zettim* ſeu cedro, conſtabat, Exodi *c.* 25. *v.* 10. intus & extra aurô obducta; quemadmodum & duo vectes ex 4. ejus annulis aureis, ex eadem cedro erant, pariterque deaurati prominebant: quâ cedri ſeu ligni cum auro conjunctione, utriuſque Naturæ in Chriſti perſona myſterium adumbratum eſſe, docent Theologi, inter quos vide inprimis Fr. Burmannum *Synopſ. Theol. Chriſt. Part.* I. *l.* 4. *c.* 15. & plura hanc in rem, apud Salmaſium *ad Solinum paſſim*. De cedro ſic Plin. *l.* 13. *c.* 5. *Juniperi ſimilem habent Phœnices & cedrum minorem. Duo ejus genera, Lycia & Phœnicia. Differunt foliô. Nam quæ durum, acutum, ſpinoſum, habet, oxycedros vocatur, ramoſa & nodis infeſta. Altera odore præſtat. Fructum ferunt myrti magnitudine, dulci ſapore. Et majoris cedri duo genera. Quæ floret, fructum non fert* (mas videl.) *Frugifera* (fœmina nempe) *non floret: & in ea antecedentem fructum occupat novus. Semen ejus* (alii habent *cortex*, Salmaſ. *foliatura*) *cupreſſo ſimile. Quidam cedrelaten vocant*, &c. Idem alibi *clavum eam non pati* addit. Apud Sinenſes, in *Huquang* provinc. *cedri* naſcuntur, quas *Idols manum* vocant: extremitates earum illarum in candulas aliquas, ceu in digitos, ac pedunculos deſinunt. Eſui aptæ non ſunt, at domi, intra cubiculum ſuſpenſæ, ſuaviſſimum exhalant odorem: quam ob cauſam ſacculos in eam rem reticulatô opere ex ſerico artificioſe contexunt, teſte Auctore Anonymô *Sina & Europa*, *c.* 36. De *Cedria* ſeu *Cedrio*, picis genere & *Cedride* ſeu Cedri fructu vide Plinium, *l.* 16. *c.* 11. & *l.* 24. *c.* 5. De *Cedrino bryo* Salmaſium *ad Solinum p.* 1028 De proverb. *Cedro digna*, Eraſmum in *Adagiis*, uti de miniſterio *à Pendice cedri* dicto, infrà ſuô locô. Simillimum cedro lignum taxum habere, dicemus infrà &c.

CEDRUSIORUM, poſt Abaritas, meminit in India, Curtius, *l.* 9. *c.* 10.

CEDWALUS, Rex Weſtſaxonum, in Anglia, Cantii regnum, Ederico uſurpatore à ſuis occiſô, occupare fruſtra annixus. *Hiſt. Anglic.*

CEELATHA, locus ad quem venerunt filii Iſraël profecti de Rheſſa. Numer. *c.* 33. *v.* 22. Latinè *cœtus*, *congregatio*, vel *eccleſia*.

CEFALA, Africæ inſul. A. C. 1500. primùm inventa, cujus longitudo eſt trium milliarium, latitudo verò unius. Pagos habet duos, in quibus domus non paucæ & arx: Regi civitatis Quiloa quondam parebat, cæterùm ab eo deficiens peculiarem Regem poſteà habuit. A. C. 1505. arcem, quam Luſitani tenebant, vehementi obſidione incolæ oppugnârunt, adeò ut pereundi evadendi ſpes Luſitanis appareret, qui noctu, præter Afrorum opinionem erumpentes, Regem multoſque proceres in cœnaculo ſuo opprimunt, ejuſque caput haſtæ infixum per arcis feneſtram exponunt, eâque ratione ingens evadunt periculum ac tandem alium Regis Portugalliæ nomine Præfectum conſtituunt. Theatr. *urb. orbis*.

CEFALODIUM, vide *Cephalœdis*.

CEFUS & CEFFUS, apud Solinum, *c.* 30. monſtrum eſt: *cujus pedes poſteriores crure & veſtigiô humanos artus mentiuntur; priores hominum manus referunt*; de quo diximus retro in voce *Cebus*, nam ita communiter ſcribitur; vide quoque infrà in voce *Cercopithecus*.

CEI, incolæ Inſul. Cêæ, quam poſt mortem Actæonis tenuiſſe Ariſtæum, conſentiunt Auctores. Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 14.

---- & cultor nemorum, cui pinguia Ceæ
Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.

Apollonius Rhodius,

---- λίπεν δ' ἐγὲ πατρὸς ἐφετμῇ
Φθίην, ἐν δὲ Κέῳ κατενάσσατο λαὸς ἀγείρας
Παῤῥάσιον. ---- ----

Alii. Faciebant illi quotannis Caniculæ ſacra, circa exortum ejus quô tempore Eteſiæ flare incipiunt, idque ex ejuſdem Ariſtæi inſtitutione, ad liberandam peſte terram Græciam & præcipuè Cycladas Inſulas, uti videre eſt apud Diodor. Siculum, *l.* 4. & Hyginum *in Sphæra*. Unde Cicero *de Divinat. l.* 1. *Ut enim Ceos accepimus ortum Caniculæ diligenter quotannis ſolere ſervare, conjecturamque capere, ut ſcribit Ponticus Heraclides, ſalubriſne an peſtilens annus futurus eſſet.* Idemque Heraclides eundem populum, priuſquam ad extremam & decrepitam ſenectutem perveniant, mortem cicutâ ſponte accerſere, tradit in *Fragm.* Unde illa *Menandri*,

Καλὸν τὸ Κείων νόμιμόν ἐστι Φανία,
Ὁ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῇ κακῶς;

quos verſus refert Stephanus in voce Ἰουλίς, quæ urbs fuit Cêæ Inſulæ, una ex quatuor, &c. Vide hac de Inſula ejuſque incolis plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 143. ubi in Ceo Inſul. Pamphilen quandam veſtes bombycinas ex Aſſyria bombyce textas redordiri rurſuſque texere, primam inveniſſe, atque hinc fœmineorum delicatiorem veſtem profectam eſſe, docet, ut & *pag. ſeqq.* Sed & adde, quæ diximus in voce *Cea*.

CEILA, civitas in tribu Judæ, Joſ. *c.* 15. *v.* 44. Latinè *diſſolvens eam*, ſive *dividens*, aut *ſcindens eam*, vel *fixio ejus*. Hic abſconditus aliquando fuit David, & nunc eſt *Villula* Ceila ad orientalem plagam Eleuteropoleos, in tribu Juda. Vide 1. Sam. *c.* 23. *v.* 1.

CEILAN, vide *Ceylon*.

CEJONIUS Ælius Verus, juvenis inſignis formâ, ab Adriano adoptatus, licet gener Nigrini, qui vitæ Imperatoris inſidiatus fuerat. Prætor, Præſes Pannoniæ, Conſul deſignatus. Sed morbo graviſſimo implicitus in reditu periit. Poſt hunc Adrianus Antoninum Pium adoptavit, hâc lege, ut Cejonii filio Annio Vero idem faceret; Ita hic collega Antonini Philoſophi evaſit. Spartian. *in Adriano*, *c.* 23. Dion, &c.

CEJONIUS Albinus inter Nobiles Romanos, ſine cauſæ dictione à Severo Imperatore occiſos, memoratur Spartiano, in *Vita Severi*,

Severi, *c.* 13. Item Præfectus Urbis, ad quem Aureliani Auguſti Epiſtolam habes, apud Vopiſcum in *Aurelian* 1. 9.

CEJONIUS Julianus Camœnius, Conſul, Collega Amici Paulini. Vide de illo Voſſ. *Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 7.

CEJONIUS Poſthumianus, affinis Clodii Albini, in Galba Imperatore declarati, poſt mortem Pertinacis, apud Capitolin. in *Vita* ejus, *c.* 6.

CEJONIUS Poſthumius, ſeu *Poſthumus*, pater Clodii Albini modo dicti, ex Aurelia Meſſalina, *Ibid.*

CEIRIADÆ, Græcè Κειριάδαι, locus Atticæ, ad Hippothoontidem tribum pertinens, memoratur Sponio, *Itiner. Græc. Part.* 3. *p.* 139. ubi de *Atticæ populis*. Vide in voce *Ceriada*.

CELA, & CILA, oppid. Palæſtinæ, ubi Michæas Propheta ſepultus eſt.

CELADIONUS, Alexandrinus Epiſcopus. A.C. 157.

CELADON, unus ex iis, qui unà cum Phineo in aula Cephei Regis Æthiopum Perſeo vim inferre conati, ab eo ſunt occiſi. Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 144.

Occidit & Celadon Mendeſius, occidit Aſtreus.

CELADON, amnis in Alpheum influens. Strabo, *l.* 8. Ejus meminit Homer. *Iliad* 7. *v.* 133.

––––– Ὡς ὅτ' ἐπ' ὠκυρόῳ Κελάδοντι μάχοντο
Ἀγρόμενοι Πύλιοί τε καὶ Ἀρκάδες ἐγχεσίμωροι.

Quid ſit non conſtat, niſi fortè Ladon, fluv. Peloponneſi, In Arcadia, in agro Clitoriorum exiſtens, ait Pauſan. *l.* 8. Ejus aqua cæteris aquis Græciæ præcellit. *Baudrand.*

CELADONE, urbs Locridis. *Steph.*

CELADRAGUS, fil. Liubi, Regis Wiltzorum, Milegaſti major natu prælatus, & à Ludov. Pio confirmatus, muneribuſque cum fratre exculttus. Aimoin. *l.* 4.

CELADUS, Arcadiæ fluvius Pauſan *l.* 8.

CELADUSA, inſul. maris Adriatici. Mela, *l.* 3. *c.* 1. Bobus & capris abundat, Plinio authore, *l.* 3. . 26. *l.* 4. *c.* 12. *Laguſta* Hermol. Barbaro. *Celaduſſa* verò parva inſula Delo proxima

CELÆ, inſul ante Troadem. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

CELÆNA, locus Campaniæ, Junoni ſacer. Virg. *Æn. l.* 7. *v.* 739.

Quique Rufas, Batulumque tenent, atque arva Celenæ.

CELÆNÆ, *Straboni* tumulus eſt Aſiæ propriè dictæ, Apamiæ imminens, oppidum habens ejuſdem nominis, quod *Phrygiæ caput* Livius vocat, *l.* 38. *c.* 13. Antiochus Soter *Apamiam* dixit, matris nomine, filiæ Artabazi, uxoris Seleuci Nicanoris. Hoc in loco Marſyam cum Apolline tibiarum cantu certâſſe fabulantur, victumque temeritatis ſuæ pœnas dediſſe, & in fluv. ſui nominis commutatum fuiſſe. Ovid. *Faſt. l.* 4 *v.* 363.

Inter ait, viridem Cybelen, altaſque Celænas
Amnis it inſanâ nomine Gallus aquâ.

Lucanus, *l.* 3. *v.* 206.

Lugent damnatæ Phœbo victore Celænæ.

Stat. *Theb. l.* 2. *v.* 666.

Fœda Celænæâ committere prælia buxo.

Ubi Scholiaſtes: *Celænæ Marſyæ civitas, ubi primùm dicitur tibiarum uſus inventus, quibus Apollinem provocare auſus eſt, a quo victus temeritatis ſuæ pœnas exſolvit.* Marſyas enim Celænæus fuit; ut ipſe infrà, *l.* 4. *Theb. v.* 186.

––––– *Et illuſtres Satyro pendente Celænas.*

Obiter emendabis Polyænum, in Melantho, *l.* 1. *Strategem. c.* 19. Ἐπολέμουν Μελάνθῳ κτλ. Μελαναιας, χωρίων μεθορίων Ἀθηνῶν, καὶ Βοιωτίας. Legendum Κελαινῶν, & Κελαιναί, ut rectè monet magnus Caſaubonus. Schol. Ariſtoph. *Acharn. Act.* 1. Πόλεμος ἦν Ἀθηναίοις πρὸς Βοιωτοὺς περὶ Κελαινῶν, ὅ ἐν χωρίον ἐν μεθορίοις. Ita etiam Suidas & Phavorinus vocibus Ἀπατούρια, & Κελαιναί. Vide Strab *l.* 12. *ſub finem. Nic. Lloydius.* Salmaſius diſtinguit Arcem *Celænarum*, in qua fons Mæandri, quæque in monte Aulocrene ſita erat, ab urbe Apamæa ſeu *Novis Celænis*, quas cùm condidiſſet Antiochus Soter; veteris oppidi incolas eò tranſtulit. Ex arce hac antiqua autem ortus Mæander, per mediam urbem arci ſubjectam pervadebat, & poſtmodum Marſyâ, Orgâ & Obrimâ fluviis, quibus urbem circumfuſam ait Plin. *l.* 5. *c.* 29. reddebatur auctior, &c. Qua de re vide plura apud eum *ad Solin. p.* 827. *& ſeqq.*

CELÆNO, una ex Pleiadibus, Atlantis & Pleiones nymphæ filiæ, cum quâ Jupiter concubuit. Ovid. *l.* 4. *Faſt. v.* 173.

––––– ––––– *Concubuiſſe ferunt.*
Neptuno Halcyonen, & te, formoſa Celæno.
Majan, & Electram, Taygetamque Jovi

Tzetzes in *Lycophronem*, refert ex Acſandro, ex hac & Neptuno natos eſſe Peripylum ac Tritonem.

CELÆNO, una Harpyiarum, Neptuni ac Terræ filiæ, ſoror Ocypetes & Aëllus, quarum formam, & ubi habitant, deſcribit Virgil. *Æn. l.* 3. *v.* 210.

––––– *Strophades Graiſ ſtant nomine dictæ*
Inſulæ Ionio in magno, quas dira Celæno
Harpyiæque colunt aliæ –––––

Figuratè Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 130.

––––– *Si nullum in conjuge crimen,*
Nec per conventus & cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno

Ab obſcuritate nomen habet, nam κελαινὸς Græcè *niger*. Vide infra *Harpyiæ*.

CELÆNUS, mons Galatiæ. *Ptol.*

CELÆTHI, Theſprotica gens. *Steph.*

CELÆTHRA, urbs Bœotiæ prope Armeniam. *Steph.*

CELAJA, Latinè *levis*, ſive *torrefactio*, aut vox *mea*, nomen viri. Nehem. *c.* 11. *v.* 19.

CELAJAH, Latinè vox *Domini*, aut *elevatio*, ſive *torrefactio domini*, nomen viri. Eſdr. *c.* 10. *v.* 23.

CELAMA, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. *Ptol.* Quibuſdam eſt *Calama*, verſùs Malvam fluv. 70. milliar. circiter ab ora maris Mediterranei ad radices montium. *Baudrand*

CELANDUS, ſeu ALESTES & CAVARUS, eſt fluv. Hiſpaniæ Tarraconenſ in Callaicis. Braccaram Aug. alluit Cœlobrigamque, dein in Oceanum Occidentalem ſe exonerat, 6. leuc. à fluv. *Gresſoma*, in Boream; vulgo *Cavado*.

CELANUM, caſtellum Latii, circa lacum Fucinum, quod Fucino lacui vulgatum hac memoriâ nomen *Celani* præbuit.

CELBANUS, unus ex Macedonum Ducibus, à partibus ſtans Eumenis; ſed prœliô factô cum Antigono cum aliis prodidit. ideò ab hoc iterum ſuſpectante perfidiam occiſus eſt.

CELBIS, Germaniæ fluvius rapidus, nobilibus piſcibus ſuis ac Ceteahibus molis celeberrimus, laudatus ab Auſonio in *Moſella*, *v.* 359. vulgò *Kil*, aut *Kelb*, alias *Kyll*. Alluit non procul à fontibus ſuis *Celbim* nominis ſui caſtellum, *Stat Kil* vulgò dictum Gerardſtaxum *Gerhardſtein*, Celbim Burgum aut Celbiburgum *Kylburg*, & ad Erungium oppid. *Erang*. Moſellam auget infra Auguſtam Trevirorum, ferè è regione Confluentium Erubris & Moſellæ. Erubris enim, vulgò *Rower* aut *Rober*, ad vicum cognominem in Moſellam dextrum infunditur. De utroque præfatus Auſonius *v.* 359.

Te rapidus Celbis, te marmore clarus Erubris,
Feſtinant famulis quam primum allambere lymphis.

Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CELCHYTUM, locus Angliæ, in Merciorum regno, ubi Synodus, A.C. 794. & 816. præſente Kenulphô Rege.

CELEÆ, Peloponneſi urbs. Pauſan *l.* 2.

CELEBE, ὄνομα τῆς πόλεως. Schol. Theocr. *Idyll.* 2.

CELEBIS, Inſul. ampla Aſiæ, in Archipelago Moluccarum; aromatum copia dives inter Borneum, Mindanaum & Gilolo Inſul. Ibi urbes præcipuæ Celebis, Bantachaja & Macaſſer. Longitud. 200. leuc. latitud 100. Continet 6 regna, nempe *Macaſſar*, præcipuum, *Cion*, *Sanguin*, *Caunipana*, *Geriguan* & *Supar*: quandoque etiam ſub nomine Moluccarum comprehenditur.

CELEBOTHRAS, Rex Mutiris, quod primum eſt Indiæ emporium. Plin. *l.* 6. *c.* 23. Sed ſcribi vult *Cepabotras* vel *Ceprobotas* Salmaſius, ex Auctore *Peripli*, qui Κηπροβότραν eum vocat. Vide illum *ad Solin. p.* 1185.

CELEBRES Coronæ, ἀξιοθέατοι στέφανοι, dicuntur Artemidoro, *l.* 1. *c.* 79. propriè coronæ querceæ, laureæ, myrteæ & oleagineæ: quas cum non niſi univerſorum ſuffragiis conferri mos eſſet, meritò, qui illiuſmodi coronam impetrabat, ſe apud omnem poſteritatem percelebrem ſperabat fore. Nempe Corona talis, præcipuum ac luculentiſſimum præmium, cæteris omnibus præibat. Euripides *Herc. Fur. actu* 5.

Καλός γὰρ αἰνοῖς στέφανος Ἑλλήνων ὕπο
Ἀλλ' ἐξ ἀεὶ ἐθέλοντας εὐδαίμων τυχεῖν.

Quam in rem vide Car. Paſchal. *de Coronis*, *l.* 5. *c.* 8. & plura hic paſſim, ubi de *Agonibus*, *Certaminibus Iſelaſticis*, *Ludis*, &c. Hinc *Celebritas*, apud C. Nepotem *Præfat. Cujus* (Romanorum) *materfamiliâs non tenet primum locum ædium, atque in celebritate verſatur*: Ciceronemque non uno in loco, cœtus honoratiorum. Ita enim is *loci celebritatem* dixit, *ad Terentiam*, *via*, ad Atticum *l.* 3. *Ep.* 7. *refertiſſimum celebritate theatrum*, ad Quint Fratr. Sic *celebris habitatio*, apud Symmachum, *l.* 2. *Ep.* 26. ut reſtituit Gronovius, *Obſerv. l.* 3. *c.* 16. Idem *Celebratio*, apud eundem Cicer *pro Sulla*, *quæ domus quæ celebratio quotid.* de qua voce & infrà.

CELEGERI, Mœſiæ populi Plin. *l.* 3. *c.* 26.

CELEIA, vel CELIA, Noricorum oppid. Plin. *l.* 3. *c.* 24. vulgò *Cilei*.

CELELATES, Liguriæ populi. Liv. *l.* 32. *c.* 29.

CELEMANTIA, Germaniæ oppid. *Ptol.* Quadorum olim. Nunc *Kalmünz*, vicus Auſtral. prope Teyæ fluv. fontes, in confinio Moraviæ. *Cluver. Alii.*

CELENDRÆ, ſive CELENDRIS, aut CELENDERIS, Samiorum colonia in Cilicia, portum habens ejuſdem nominis ad Selinuntis fluv. oſtia. Lucan. *l.* 8. *v.* 259.

––––– *Sequitur pars magna Senatus*
Ad profugum collecta ducem, parviſque Celendris,
Quò portu mittitque rates, recipitque Selinus.

At in *Strabone*, inter Selinuntem & Celenderin, multa ſunt interjecta. Hinc *regio Celenderitis* apud Plinium, *l.* 5. *c.* 27. Vide Bochart. *de Phœn. Colon. l.* 1. *c.* 5. Meminit ejus quoque Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 80. *Piſo caſtellum Ciliciæ munitum admodum, cui nomen Celenderis, occupat.* Nominat id Joſephus, *l.* 17. *Jud. Ant.* collocatque in via, quâ Romam ibatur; ſed in eo ſcriptum *Celendra*. Meminit & *Ptolemæus*. Antiquiſſimum id fuit, ſi Apollodoro fides, *l.* 3. qui conditionem ejus refert, ad Sandarum Tithoni nepotem Ὃς, inquit, ἐκ Συρίας ἐλθὼν εἰς Κιλικίαν πόλιν ἔκτισε Κελένδεριν. Lipſius *ad illum locum Taciti.* Inde principium Ciliciæ ad Occidentem Artemidorus duxit, apud Strabonem, *l.* 14. Εἶτα φησὶ Μέλανα π. Κελένδερις πόλις λιμένα ἔχουσα. τινὲς δὲ ταύτην ἀρχὴν τιθέασι τῆς Κιλικίας, οὐ τὸ Κορακήσιον, ὧν ἐστι καὶ Ἀρτεμίδωρος. Cum alii ampliores ejus terminos à Melane amne, alii à Coraceſio, inciperent. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 771.

CE-

CELENEUS, Cimmerius, ritus expiandi fontes cædibus docuit, Flacc. *l.* 3. *v.* 406.

CELER, pro Equite, Græcis κέλης, Æolibus κέλης; unde & Celeres & Celetes iidem Val. Probus in *Notis*, TRIB. CEL. *Tribuni celerum vel celetum.* Servius ad *l.* 8. *Æn. Romulus cùm turbam civium non haberet, aſylum condidit — à vicinis civitatibus matrimonia poſtulavit, ſed ab eis contemtus Celeres ſe Neptuno equeſtri Deo editurum propoſuit*, &c. Atque inde *celer* pro veloci: nihil enim equô vel equite velocius. Poſteà à flectendis in gyrum equis, *Flexuntes* dicti ſunt, vide infrà in hac voce, ut & in *Troſſuli*; namque & ſic appellati antiquitus ſunt. Plura vero hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 81. Car. Paſchal. *Coronar. l.* 6. *c.* 15. ut & infrà, in voce *Celeres*.

CELER, Conſul, Collega Venanti An. Urb. Cond. 1161.

CELER, machinator Neronis, in domo, poſt exuſtam Romam, ſtruenda, cui cum Severo ingenium & audacia erat, etiam quæ Natura denegaviſſet, per artem tentare & viribus Principis illudere. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 42.

CELER, aliô nomine *Fabius*, centurio, qui Remo tranſilienti mœnia, contra legem, rutrô caput diſplanavit. Sic dictus à celeri ex agro Latino in Etruriam fugâ.

CELER, prænomine *Publius*, accuſante Aſiâ, reus; quia eum Cæſar Nero abſolvere nequibat, traxit ſenectâ, donec mortem obiret. Nam Celer interfectô Silanô proconſule, magnitudine ſceleris cætera flagitia obtegebat. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 33.

CELER Caninius, Rhetor, inter Præceptores Veri Imperatoris, apud Capitolin. *c.* 2.

CELER Metius, Juvenis illuſtris, ad quem extat Carmen Papinii Statii, *l.* 3. *ſylv.* 2. cui titulus, *Propempticon Metii Celeris*, ubi inter alia, *v.* 123.

> *— — puer hic ſudavit in armis*
> *Notus adhuc tantum majoris munere clavi.*
> *Jam tamen & turmas facili prævertere gyro*
> *Fortis & Eoas jaculo damnare ſagittas.*

Et ſuprà, *v.* 104.

> *— Juvenem egregium, Latium cui ductor Eoa*
> *Signa Palæſtinaſque dedit frænare cohortes*, &c.

Fuit & *Celer* alius, qui ingeſtum Imperium ab exercitu ſprevit, eô nomine, celebratus Claudiano, *Epithalamiô Palladii & Celerinæ*, à quo & Celerina illa ſponſa originem traxiſſe videtur. Caſp. Barthius, *Animadverſ. ad Statium Part.* 1. *p.* 290.

CELERES, dicti ſunt apud Romanos trecenti robuſtiſſimi & ex nobiliſſimis familiis delecti Juvenes, commendati ſuffragiis Curiarum, & deni per ſingulas Curias delecti, qui circa Regem eſſent, ipſum haſtati per urbem aſſectarentur, & juſſi exequerentur miniſteria, in militia anteſignani ac protectores, qui primi pugnam inirent & poſtremi ſe reciperent: Equites quidem, ubi campus eſſet ad equeſtre certamen accommodus, pedites verò in aſpero loco & equis invio. Sic dicti vel à *celeritate* miniſterii, vel à Duce ſuo, cui id nomen, vel à *Celere* quodam Romuli comite, qui eum in pugna contra Remum ſtrenuè adjuverit Remumque occiderit, Plut. *in Romulo*, vide ſuprà. Certè primus illorum auctor Romulus fuit, qui hanc ſibi ſecuritatem lectamque juventam, contra omnes metus, circumdedit. Aliquando *Troſſuli* iidem dicti leguntur, eo quòd hi ſoli, abſque ulla peditum ope, urbem in Hetruria Troſſulum dictam occupavêre, Plin. *l.* 33. *c.* 2. Alter quoque *Flexuntes*, uti dictum ſuprà. Hi trecenti juvenes in tres centurias diſtincti, ſingulæ ſuum Præfectum habebant, qui Centurio dicebatur: quibus omnibus Præfectus ſeu Tribunus *Celerum* præerat. de quo Pomponius, *Tribunum ſeu Præfectum Celerum*, inquit, *fuit qui Equitibus præerat, & veluti ſecundum locum à Regibus obtinebat, quo in numero fuit Junius Brutus, qui auctor extitit Regis ejiciendi.* Cuſtodiam *Celerum* depoſuiſſe Numam Pompilium ſecundum Regem, ſcribit Plut. *in Numa*: quod ſi ita eſt, ſequentibus Regibus eorum uſum revocatum fuiſſe credendum, cum etiam in reliquorum Regum vitis *Celerum* mentio fiat, ut vel ex ſolis his Plutarchi verbis modò laudatis patet. Vide Joh. Roſin. *Antiquit. Romanar. l.* 7. *c.* 4. Alterum miniſtrorum Regiorum genus, Lictores erant, vide ibi.

CELERINA, uxor Palladii Conſulis. Vide Claudian. *in Epithalamio Palladii & Celerinæ*, non *Serenæ*, ut vulgò legitur. Probat id Dempſterus ex MS. ſuo & ipſe Claudianus gentilitium nomen inſinuat, cùm canit. *v.* 72.

> *Immenſamque trahit Celerini robore lucem.*

CELERINI, populi citerioris Hiſpaniæ Plinio, *l.* 3. *c.* 3.

CELERIUS, prænomine *Publius*, Eques Roman. Junii Silani everſor, Tacitus. *l.* 13. *Annal. c.* 1.

CELES, apud Curtium, *l.* 4. *c.* 1. in epiſtola Alexandri ad Darium, *Celes, cujus nomen ſumpſiſti, Darium*, &c. quid notet, non adeò certum. Et quidem vocem de nihilo comparere ſenſit *Modius*, alii verò non ſine ratione adeſſe. *Celes* enim, quæ vox comparet apud Plin. *l.* 34. *c.* 4. *Suida* & *Heſychio*, eſt *eques*, & equus unâ ſiens habenâ rectus, curſor, *hodie ſellarius & ſingularis dictus.* Unde Κελητες, *qui prævii equis currerent*, J. C. Scaliger *Poetic. l.* 1. *c.* 22. Sic Plutarchus, inter tria illa læta, quæ unò eôdemque tempore Philippo patri Alexandri M. nuntiata ſunt, alterô locô ponit, cum Ὀλυμπιάσιν ἵππῳ κέλητι νενικηκὼς, *Olympiis equô celete viciſſe, in Alexandro M.* Itaque Curtius locô cognominis vocem uſurpare potuit. Sed & Darius Hyſtaſpis *Celes* dictus, h. e. eques præſtans, ἱππεύς: cujus proin epitaphium apud Euſtath. *Odyſſ.* ζ. *Celes & ſagittarius optimus fui.* Niſi malis, eum ſic dictum, quòd equi hinnientis auſpiciô Rex Perſarum creatus ſit. Fortè & hôc nomine Darius ultimus uſus ſuit ab Alexandro, ut qui ante Regnum *Aſtandes*, h. e. curſor ſive veredarius fuerat. quô ſenſu verba ſic poſſunt legi, *Rex Alex. Dario Celeti. Ille cujus nomen ſumpſiſti*, &c. Adde, quod ei hôc nomine fugam exprobrare potuit, quod deſertô curru, quô ſublimis prælium inierat, ſolitario equo inſidens periculô ſe eripuiſſet, Freinshemius *ad loc.* Vide Euſtathium *ad Il.* a. *v.* 679. & *Odyſſ.* ε. ubi ἀπὸ τοῦ κέλλω ſeu κέλω vocis originem arceſſit, nec non hic paſſim.

CELESTINUS, vide *Cæleſtinus*.

CELETÆ, populi Thraciæ non ignobiles, diviſi in *majores* & *minores*, quorum hi ſub Rhodope, illi ſub Æmo, habitabant. Unde *Celetica* aquæ famâ nobiles. Salmaſ. *ad Trebellium Pollionem in Claudio*, *c.* 6.

CELETES, populi Theſprotiæ, Theſſaliæ vicini. *Steph.*

CELETIZONTES Pueri, Græcè Κελητίζοντες, ex ære, inter opera Canachi memorantur Plinio, *l.* 34. *c.* 8. Eſt autem κελητίζω, equito & propriè de iis dicitur, qui deſultorios equos regunt, de quibus vide infrà, in voce *Deſultor*, item ubi *de Sarmatico Ludo*; ut & ſuprà in voce *Celer*.

CELETRUM, Macedoniæ urbs. Liv. *l.* 31. *c.* 40.

CELEUS, Rex Eleuſinæ, pater Triptolemi, cui Ceres, quòd eſſet ab illo excepta hoſpitiò, commonſtravit omnem agriculturæ rationem. Ejus vilis & ruſticana ſupellex abiit in proverbium, Virg. *Georg. l.* 1. *v.* 165.

> *Virgea præterea Celei, viliſque ſupellex.*

Schol. *in Ariſtoph. Equit.* De hoc ſic Euſebius ad Num. 611. *Eleuſinæ Celeus regnavit coævus Triptolemo, quem Philochorus ait longâ navi ad urbes accedentem diſtribuiſſe frumenta, & ob id ſuſpicionem dediſſe, quòd navis ejus ſerpens prænotatus fuerit.* Euſtathius *in* 2. *Iliad.* ait, Cephalum patrem fuiſſe Celei, & Celeum Arceſii, qui Ulyſſis avus fuit. Ex *Orat.* 1. Nazianzeni *contra Julian.* elici poteſt, Celeum pertinuiſſe ad familiam Cereris; ait enim: Τὰς Δημήτρας, καὶ τοὺς Τριπτολέμους δρακοντοῦς, καὶ τὰς ὀργιαζόντας, ἔτι δὲ καὶ Κελεούς τε καὶ Ἰαμβάς. Idem *Orat.* 2. Κατάβαλε Τριπτόλεμόν σου, καὶ τὸν Κελεὸν, καὶ τοὺς μυστικοὺς ὀργιάζοντας. Et *Orat. ad Sancta Lumina*: Οὐ δὲ Κόρη τις ὑπὸ πλανᾶσθαι, καὶ Δήμητρα πλανᾶται, καὶ Κελεοὺς τινας ἐπεισάγει καὶ Τριπτολέμους καὶ ὀργιάζοντας.

CELEUSMA, apud Martialem, *l.* 3. *Epigr.* 67. *v.* 1. *ſ.*

> *Ceſſatis pueri nihilque noſtis,*
> *Vaterno, Eridanoque pigriores:*
> *Quorum per vada tarda navigantes,*
> *Lentos tingitis ad celeuſma remos:*

Græcè κέλευσμα, clamor eſt & hortatio nautica, quâ ſe invicem nautæ, vel potiùs ſignum, quô nautas *Celeuſta* hortatur, ut ſtrenuè remis incumbant. A verbo κελεύειν, *ſignum dare*, ut Plinius exponit, *l.* 18. *c.* 25. propriè de illo, qui remigibus ſignum dabat, quò remigare inciperent deſinerentque. Hunc Græci proin Κελευστὴν, Ennius *Portiſculum* dixit, ſecundùm nonnullos,

> *— — tonſamque tenentes*
> *Parerent, obſervarent, portiſculus ſignum*
> *Cum dare cœpiſſet.*

Dabat autem is remigandi, imò & ceſſandi, ſignum perticâ; ut Coryphæus endoſimum, h. e. canendi ſignum, pede, & Prætor mappâ, emittendarum quadrigarum, ſignum dabat, Ἄφετος hinc appellatus. Vide Scaligerum *ad Varronem* & Feſtum, Caſaubonum *ad Suetonium*, & *Plinium min.* Lipſium *ad Senecam*, Carrionem, *Emendat. l.* 1. Merulam *ad Ennium*, Gothofredum *ad Feſtum*, & Salmaſ. *ad Solin. p.* 754. Joann. Frid. Gronovius verò *portiſculum* ipſum inſtrumentum eſſe docet, malleum videl. quem manu tenens modum dederit claſſi, ut *Feſtus*; vel perticam, quam ſi ſuſtulerat, remiges non deſinebant; ſi depoſuiſſet, quieſcebant à labore, ut Luctatius ait *ad ſextam Thebaid.* Vide Gronov. *Obſervation. l.* 4. *c.* 56. & infrà in voce *Navigatio*, *Pauſarius*, *Portiſculus* & *Symphoſia*. Ab hoc nautarum *Celeuſmate*, elegantì metaphorâ ſumtâ, dixit Xenophon de agricultura, multis damoris aſſici; qui ſerit πρὶν κελεύσῃ ὁ θεός, h. e. Plinio, *hoc est*, verſione, *antequam Deus ſignum dederit*: imbre videl. qui occaſum Vergiliarum ſequi ſolet. In madida enim ſeri is vult, cùm aliis ſicca terra placeat magis. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 734. ubi de veterum Chriſtianorum *celeuſmate*, ſuprà voce *Allelujah*. Apud Anglos ſuos, *celeuſma* nautarum eſſe, *Via, via, cheerly mates*, addit *Scholiaſtes ad Martialem d. l.* &c. De *Celeuſtis* in Ludis Olymp. dicemus infrà, ubi de *Curſu*.

CELEUSUM, oppid. Vindeliciæ, ad confluentes Abuſini fluv. in Danubium, nunc *Neuſtatt*, oppid. Bavariæ ſuperioris medium ferme inter Ingolſtadium & Ratisbonam. *Cluver.*

CELEZENÆ, *Suidas*, Κελεζηνοί, χώρα τῆς Ἀρμενίας, πλησίον Μελιτηνῆς, ἡ παρ' ἡμῖν Κελτζηνὴ ὀνομαζομένη.

CELIA, Norici oppid. Plin. *l.* 3. *c.* 24. In Stiria, ad Sonnam fluv. qui paulo infrà in Savum cadit, verſus confinium Carniolæ. Caput Comitatus perampli, ſub Auſtriacis, cum duplici arce, ubi multæ antiquitates Romanæ ſeſe exhibent; *Baudrand.* Urbs item Apuliæ Peucetiæ, *Ptol.* & Campaniæ, *Diodor.*

CELIA, & CERIA, potio Hiſpanis olim familiaris, teſte Plinió, *l.* 22. *c. ult.* cujus conficiendæ modum ſic deſcribit Paulus Oroſius, *l.* 5. *c.* 7. *Poſtmodum diu obſidione concluſi Numantini duabus de ſubito portis cuncti eruperunt, largâ priùs potione uſi, non vini, cujus is locus ferax non eſt, ſed ſuccô tritici per artem confectô, quem ſuccum à calefaciendo Celiam vocant: ſuſcitatur enim illa igneâ vi germinis madefacta frugis, ac deinde ſiccatur, & poſt in farinam redacta molli ſucco admiſcetur, quô fermentatô ſapor auſteritatis & calor ebrietatis adjicitur.* Unde liquet non multum abſimilem *Celiam* à *cerevisia* fuiſſe, quæ quidem non ex tritico, ſed ex hordeo conficitur: quin & à *celia*, ſeu *ceria*, vox *cerevisia* orta videtur. Imò cùm Florus, obſi-

obſidionem Numantinam deſcribens, *l.* 2. *c.* 18. *Celiam dicat è frumento potionem fuiſſe*, ſicque *ab indigenis* appellari, *frumenti* autem voce etiam hordeum contineatur, non malè quidam *celiam* ſeu *cerviam* Hiſpanorum, cum Gallorum *cerevißia*, eandem potionem faciunt. Tacitus *de Germ. mor. c.* 23. *Potui, humor ex hordeo aut frumento, in quandam ſimilitudinem vini corruptus.* Certè Dani, ut Pontanus auctor eſt, *Oel* & Angli *Ael* cerevißiam vocant, vocibus ex *celia*, ut videtur, confictis. Ejuſdem originis eſt Teutonicum *Godale*, quaſi *Good-ael*, proba cerevißia, in *Regeſto* Cameræ Computor. apud Car. du Freſne, quem vide in *Gloſſario*, ut & Boxhornium *Not. ad Tacit.*

CELIANUS, Magiſter Antonini Diadumeni: meliùs *Calianus*, Æl. Lamprid. in *Antonino Diadum. c.* 8. *Hanc epiſtolam quidam ipſius, quidam Magiſtri ejus* Cæliani *ferunt*, *Afri quondam Rhetoris*, &c.

CELIDA, Pentapoleos regionis in Africa oppid. *Ptol.*

CELIDNUS, fluv. Macedoniæ, & ejus limes ab Auſtro, verſus Elymiotas, nunc *Salnich*, in Albania. In mare Adriaticum ſe exonerat, in parte Boreali ſinus Oenci.

CELINA, oppid. aliis Carnorum, nunc vicus *Monage*, in provinc. Foro-Julii, ad *Celinæ* amnem, prope oppid. Montis regalis, 8. milliar. ab Aviano.

CELIOBRIGA Celerinorum, *Barcelos*, oppid. Portugalliæ ad Cælandum amnem, Ducatus titulô clarum. Aliàs Callaicorum Braccarenſium fuit. *Sanſon.*

CELIOMONS, vide *Celiomons*.

CELION, vel CELIUS, Rex Eleuſiniæ, pater Triptolemi. Vide Virgil. *Georg. l.* 1. Ovid. *Faſt. l.* 4.

CELITA, Latinè *refugium*, vel *contractio*, aut voce *declinatio*, nomen viri. Nehem. *c.* 8. *v.* 7.

CELIUM, ut legit apud *Anton. Varrerius*, urbs Hiſpaniæ quam putat *Cezae* eſſe prope *Tomar* urbem. Quibuſdam eſt *Lezra*, vide *Catium*.

CELIUM, ſeu COELIUM, CEGLIE, oppid. aliàs Apuliæ Peucetiæ nunc provinc. Hydruntinæ, ad radices Apennini, 6. milliar. ab Hoſtunio Orientem verſus.

CELIUS, mons Romæ à *Celio*, nobiliſſimo Tuſcorum Duce dictus. *Boccat.*

CELIUS Tatianus, meliùs *Attianus*, eques Romanus, inter tutores Hadriani Cæſ. apud Spartian. *c.* 1.

CELLA, urbs Ducatus Luneburgenſ. Ducum ſedes, quibus inde nomen. Ad Alleram fluv. cum arce eleganti & permunita, 6. leuc. à Brunſuico. Rami hujus *Cellenſis*, auctor Wilhelmus fuit, frater Henrici, à quo Wolffenbutellanus ortus eſt: qui ambo fil. fuerunt Erneſti Luneburgici, mortui A. C. 1546. Hic Wilhelmus, A. C. 1582. Comitatum Hoyenſem, cum Agnatis, A. C. verò 1585. Diepholtenſem ſolus adiit: defunctus A. C. 1592. Hunc cùm ſeptem filii ſuperesſent, hi communi pactô conſtituêre, ut unô ſolùm uxorem ducente, quæ ſors in Georgium cecidit, reliqui cœlibem agerent vitam. Hic, initio Hiſpanis in Belgio operam addicturus erat, niſi A. C. 1607. induciæ ſupervenisſent. Daniæ dein Regi contra Succos, A. C. 1615. Cæſari verò contra Danum militavit A. C. 1624. Succiæ poſteà Regi acceſſit, quò mortuô, tertiæ parti exercitus præfuit, & Haſſis junctus, ſtrenuè rem ad Hamelam, &c. geſſit. Pace Pragenſi A. C. 1635. Cæſari reconciliatus, causâ Brunſvigiæ ſucceſſionis expeditâ, in principatu Calenbergenſi à ſubditis receptus eſt, A. C. 1636. Poſt quæ iterum Succis adfuit, donec in obſidione Guelferbyti A. C. 1641 defecit, pater Chriſtiani Ludovici, cui Cellenſis principatus: Georgii Wilhelmi, cui Hannoverana portio ſeu Calenbergica à patre relicta: Johannis Friderici, & Erneſti Auguſti, qui Epiſcopus Oſnabrugenſis factus, ex Sophia Palatina, familiam propagare cœpit. Ex quibus unus ad Pontificios tranſiit, reliqui verò Evangelicæ Religionis tenaces, pro Imperio, contra Gallos ad Muſellam, & Succos, in Ducatu Bremenſi, fortiter feliciterque rem gerunt. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hiſtor.*

CELLA, urbecul. Sueciæ, Imperialis, cognomentô in *Hammerſpach*, ad Nagoltium amnem in Mortnavia tractu, 2. & dimid. leuc. à Phorzeno. Item, alia ad lacum cognomin. 3. leuc. à Conſtantia, in ditione Epiſcop. Conſtantienſis.

CELLA, apud A. Gellium, *l.* 2. *c.* 10. faviſſa eſt; ita enim ibi Varro, *faviſſas*, ait, *eſſe cellas quaſdam ac ciſternas, quæ in area ſub terra eſſent: ubi reponi ſolerent ſigna vetera, quæ ex eo Templo* (Capitolio ſcil.) *collapſa eſſent, & alia quædam religioſa è donis conſecratis.* Propriè ἀποθήκη ὑπόγειος, *cava ſeu promtuarium ſubterraneum.* Vide infrà in voce *Cellarium*; & de ſignandi illas more, in voce *Signare* alibique. Apud Vitruvium *Cella ædis*, eſt interior ædes, h. e. interior Fani receſſus, in quo ſimulachrum illius Divi, cui dicata erat ædes, cum ara ponebatur: Græci ναὸν propriè vocabant. Nempe in Græcorum ædibus ſacris hæc erant, Pronaum primùm, dein ἀντιπύλαιον, qui & πυλεὼν; poſt *Ædis cella*, ὁ ναός. Et quidem plerumque multæ *cellæ* in eodem conſepto, præſertim ſi pluribus Divis una eademque ædes eſſet dedicata. Unam enim eandemque cellam pluribus Numinibus dicari non poſſe, reſpondere Pontifices, cùm Marcellus bello Gallico ad Claſtidium votam ædem Honori & Virtuti dedicare vellet, apud Livium, *l.* 27. *c.* 25. *Quia, ſi de cœlo tacta, aut prodigii aliquid in ea factum eſſet, difficilis procuratio foret: quod, utri Deo divina res fieret, ſciri non poſſet, neque enim duobus, niſi certis Diis, rite unâ hoſtiâ fieri.* Poſt cellam Ædis, ὀπισθόδομος vel poſticum erat, ad idem ferè inſtar factum, ut πρόδομος ſeu pronaus. In pleriſque Templis, & præcipuè fœminarum Dearum, interiores hæ cellæ etiam θάλαμοι Græcis dictæ ſunt & καλύβαι; quarum foribus velum lineum variegatum, παστὸς dictum, oppandi ſolebat. Vide hic in vocibus *Calyba*, *Paſtas*, &c. In Chriſtianorum Templis hujuſmodi Cellæ reſpondebat Sacrarium, intima & ultima eorum, pars, nam ὀπισθόδομος non habebant, aliàs *Apſis*, ſive *Concha*, dicta, Salmaſ. *ad Solin. p.* 1218.

CELLA & CELLULA, apud ſequioris ævi Latinos, pro Monachorum domicilio, atque adeò pro ipſo Monaſterio, uſurpari cœpêre. Unde *cellæ* vocem apud Gregorium M. *in Dial.* ſæpius hôc ſenſu occurrentem, *μοναστήριον* Zacharias reddit. Nempe primitus Monachi diviſis in *cellis* habitabant, in idem hoc Oratorium, pſallendi atque ſacra peragendi gratiâ convenientes, ut videre eſt apud Rufinum, *de Vitis Patrum l.* 2. *Præfat.* Cujuſmodi *cellas cellulaſque*, κελλία vocant Græci Scriptores paſſim; item *μοναστήρια*, ut dictum interdum & *ἀσκητήρια*. Atque inde *Cellarum* & κελλίων manſit nomen locis non paucis, ubi inædificatæ erant *Cellæ* Monachicæ, uti monti Lariſſæ, Macedoniæ vicino, qui βουνὸς τῶν Κελλίων Annæ Comnenæ, *Alexiadis l.* 5. *Kella* Innocentio III. *l.* 13. *Ep.* 4. dicitur: *Cellis* in Æmathia & *Cellis* in Bithynia, apud eandem Annam, *l.* 12. *Cellarum Theſſalicarum* meminit Auctor *Itinerarii Hieroſolym.* & Antonini; ut & alterius ejuſdem appellationis in Ægypto, Sozom. *l.* 6. *c.* 31. & Nicephorus Call. *l.* 11. *c.* 38. Poſtquam verò Monachi prædia variis in vicis poſſidere cœperunt, eoque aliquot è ſuis mittere, qui & fruges colligerent, procurarentque reditus & ad Monaſterium deferrent, hinc *Cellæ* vox ad Monaſteriola quoque, ſeu, ut olim vocabant, *Abbatiolas* vel *Obedientias*, quæ majoribus ſuberant, ſeorſim extenſa eſt. In cujuſmodi *cellis* Monachi quoque nonnunquam deſtinati vitam degebant ſolitariam: unde Bonifacius VIII. *c.* 3. *de Verb. ſignific.* *Cellas* ejuſmodi *loca ſecreta & ſolitaria* interpretatur, *quæ ab hominum ſeparata conventu ſunt, ad contemplandum & Deo vacandum ſpecialiter deputata.* Sed & *cellæ* tales ſubinde ædificatæ ſunt, creſcente Monachorum numerô, ut ex Monaſteriis eo mitterentur, qui aliis accedentibus darent locum. Iiſdem enim in locis Oratoria etiam extructa, quibus deſerviendis deſtinatus erat certus Monachorum numerus, à primario Monaſterio dependens. Imò eòdem Monachos, in clauſtro moventes rixas turbaſque, nonnunquam mitti conſueviſſe, diſcimus ex Concilio Pariſ. A. C. 1212. *part.* 2. *c.* 24. Atque hâc notione *cellam* Monaſterio opponi, & unicuique Monaſterio *cellam* ſuam aſſignari, *cellaſque* tales *Cœnobiales cellas* appellari deprehendas paſſim. Plura vocis ſignificata vide apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & infrà in *Cellarium*, ubi de vocis origine.

CELLA Abbatis, vide *Abbatis Cella & Appenzella.*

CELLA Aſſa, una ex balnearum apud Romanos *cellis*, quam & *ſudatoriam* dicebant Latini, item *Aſſam* ſimpliciter, Græci πυριατήριον, item λακωνικὸν, & ἀποδυτήριον. In ea vaporarium erat & ſiccô vapore corpora ſudoribus exhauriebantur: unde & nomen, quòd in ea per *aſſum*, i. e. ſiccum vaporem cieretur ſudor. Vide ſuprà in voce *Aſſa*.

CELLA Balnearum, apud Veteres triplex erat, *Frigidaria*, *Tepidaria* & *Caldaria*: Οἶκοι & οἰκήματα Græci vocant. Quibus addit Salmaſius *Cellam aſſam* & *Cellam Unctuariam*: quarum omnium meminit Dialogus Hadriani Imperatoris cum Epicteto, *Prima Caldaria: ſecunda Tepidaria: tertia Unctuaria: quarta Aſſa ſudatoria: quinta Frigidaria.* Ubi tamen in ordine contrarium à reliquis Auctoribus, in deſcriptione balnearum harum cellarum, primam ſemper Frigidariam, poſtremam Caldariam collocantibus, receditur. Sed in balnearum diſpoſitionibus ita cellæ cùm ædificatæ fuiſſe videantur, ut primò & ſummò locò ſtatuerentur Frigidariæ, mediò Tepidariæ, tertiò & ultimò Caldariæ, juxta naturam ſcil. aquæ decurrentis, quæ de Piſcina in Frigidariam, inde in Tepidariam, atque hinc in Caldariam, influebat, ſecundùm lavandi verò uſum & conſuetudinem, poſt balnea calentia & ſudationes, in frigidam deſcenderent & frigidariam omnium poſtremam uſurparent: hæc cauſa eſt, quare Auctor *Dialogi* hujus Frigidariam quintam nominârit, quartam Aſſam ſudatoriam; nam ab aſſa ſudatione ad frigidam exibant, uti docemur à Petronio & Seneca, *Ep.* 87. Salmaſ. *ad Vopiſc.* in *Carino*, *c.* 17. Vide harum *Cellarum* quamque ſuô locô.

CELLA Caldaria, ſeu *Caldaria*, una ex Balnearum apud Veter. *cellis* ſeu œcis, & quidem ordine diſpoſitionis ultima, ut ex Plinio, *l.* 5. *Ep.* 6. *Galeno* & *Luciano* diſcimus, qui omnes primò locô Frigidariam, ſecundô Tepidariam, tertiô Caldariam, ponunt, uti vidimus, vide quoque Vitruvium, *l.* 5. *c.* 10. In hac, ut & Tepidaria, alvei erant, vel ſolia, in quæ deſcendebant lotures & in quibus ſedebant; eaque tria, Græcis πύελοι, ἀσάμινθοι, ἐμβάσεις & μάκτραι; Plinio, *loc. cit. deſcenſiones.* Qui alvei in his ſolùm duobus œcis locum habebant, ut in Frigidariis piſcinæ, ſeu κολυμβῆθραι. Hinc *alveus* de caldaria, apud Varronem: *Mihi puero modica una fuit tunica & toga: ſine faſciis calceamenta: equus ſine ephippio: balneum non quotidianum, alveus rarus.* Lucianus θερμὰς πυέλους caldariæ hos alveos vocat, &c. Sicut autem in Frigidariis natabant, ſic in hiſce ſedebant lavantes, &c. *Caldarias* exhibuiſſe de nardo Heliogabalum Lampridius habet, *c.* 24. Vide Salmaſ. *ubi ſupra.*

CELLA Curiæ, apud Jul. Capitolin. *in Pertinace*, *c.* 4. *De caſtris nocte quum ad Senatum veniſſet, & Cellam Curiæ juſſiſſet aperiri, neque inveniretur Æditus, in templo Concordiæ reſedit*: ναΐδιον eſt, ſeu ſacellum; recentiores *capellam* dicerent. Hanc, priuſquam Curiam ingrederentur, ex Auguſti præcepto, Senatores ingredi conſuevêre. Sueton. *in Aug. c.* 35.

CELLA Dunenſis, vulgò *Celle Dunoiſe*, vel *Celedunoiſe*, locus eſt Galliæ in Lemovicibus, à *Duno* proximo oppidulo cognominatus ad fluv. Croſam majorem, paulo antequam minore Croſâ augeatur. Hadr. Valeſ. in voce *Croſa*.

CELLA Epiſcopi, ſeu *Epiſcopi cella*, German. *Biſchoffzell*, oppid. Helvet. ad confluentes Sitteræ & Turi, in Turgea, parvum, ſed elegans admodum, cum arce, & monaſterio, à Salomone S. Galli Abbate & Epiſcopo Conſtantienſi, circa A. C. 891. extructo: Muniri cœptum eſt ſub Ottone Imperatore in contra Hungarorum irruptiones

prionestutum eſſet. Paret Epiſcopo Conſtantienſi ex parte, à quo Nobilitati A.C. 1115. oppignoratum fuit, per annos 100. Cætera αὐτονομίας fruitur. Poſtquam enim ab Epiſcopis redemtum eſſet, inſignia ab illis privilegia accepit, quæ ab Imperatoribus confirmata. Inprimis Henricus Epiſcopus in oppidum beneficus fuit, qui cives Senatus ſententiæ ſtare, omni appellatione piæciſa, juſſit, A.C. 1031. quod A.C. 1373. à Nicolao Epiſcopo confirmatum eſt. Ob quæ merita, cum Epiſcopis fideliter adhæreret, ab hoſtibus eorum, tempore depoſitionis Friderici II. Imperatoris ſubitaneâ irruptione occupatum & combuſtum eſt. Reparatum dein, à Wenceſlao Imperatore novô privilegiô eſt munitum, ne unquam ad extraneum tribunal cives rapiantur, &c. A' Sangallenſibus & Abbatiſcellanis captum eſt A.C. 1406. & 1407. Iterum arſit, A.C. 1419. de novo poſteà privilegiis ampliſſimis ornatum, A.C. 1434. à Friderico, & A.C. 1468. ab Hermanno Epiſcopis. Habet autem Epiſcopus præfectum in arce, cui omnium mulctarum pars media cedit, cives verò oppidi proprium ſibi Senatum legunt: à quo cùm Epiſcopus jusjurandum exigit, prius juramento ſe obſtringit, ſe illorum privilegia & immunitates nullâ ratione imminuturum. Cives ſub ſuis ſignis cum Helvetiis militant, quorum tamen Præfectus nullum in eos imperium habet. Religio hîc Reformata viget, inter cives: quibus inter primos Evangelium annuntiavit Doctor Johannes Zuickius Conſtantienſis, mortuus A.C. 1542. Ferax virorum clariſſimorum oppidum eſt. Hinc enim Theodorus Bibliander, Hugwaldus Mutius, Joh. Jungius, &c. prodiêrunt, quorum primus Tiguri, alter Baſileæ, tertius Conſtantiæ docuêre. Hinc Zuingerorum Baſilienſium, de Eccleſia & Academia, totaque adeò Re literaria optimè meritorum merentiumque proſapia ortum ducit: Hodieque Bartholomæo Anhornio Paſtore, Theologo ſcriptis editis notiſſimo, gaudet. Vide Simler. *de Rep. Helv.* Stumpf. &c.

CELLA, vel CELLULA S. Euſicii, in Biturigum finibus ad Carum fluv. inſigne monaſterium, unde nomen oppido *Selles en Berry*, melius *Celle*. Fuit autem Euſicius eremita ac Monachus, ſub Childerico majore ab eoque aditus eſt. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CELLA Frigidaria, una ex cellis Balnearibus veter. in qua ex διξαμενῇ ſeu κολυμβήθρᾳ aqua primùm, unde in Tepidariam & Calidariam, defluebat. Hujus κολυμβήθρας ſeu *piſcinæ* erant, ſicut Caldariæ vel Tepidariæ alvei, unde piſcina Caldariis ſemper opponitur. Lamprid. in *Alexandro Sev. c. 30. Atque ita unctus lavabatur, in caldaria vel nunquam, vel rarò, piſcinâ ſemper utetetur.* In iis itaque natabant lavantes, quemadmodum in Tepidariis & Caldariis ſedentes aquâ perfundebantur a balneatore ſeu mediaſtino: locus primus erat, vide *ſupra*.

CELLA Fructuaria, vide infrà *Villa*.

CELLA S. Genulphi, locus in Biturigibus, ad Naonem amnem, vulgò *Celle ſur Nahon*, Turonibus confinis, ubi olim Dianæ fanum, a S. Genulpho ibi ſepulto nomen habet. Haud procul à Stradenſi Monaſterio, ubi cœnobium à Wifredo & Oda, ſub Pippino, extructum, cui ſuus Abbas eſt: appellatur autem vulgò *S. Genou*, ſeu S. Genulfi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CELLA S. Jodoci, *S. Joſſe*, pagus Picardiæ, cum cœnobio.

CELLA S. Kanici, urbs ampla Hiberniæ, in Lagenia provinc. in Comitatu Kilkennienſi, ad Neorum. fluv. Vulgò *Kilkenni*, quod vide

CELLA vel CELLULA S. Maxentii, monaſterium in Pictonibus, à S. Maxentio, ſub Chlodovæo & Alarico conditum. Abbatem habet, & oppido ſuum nomen dedit; Vulgò *S. Maxent*, ad Separim amnem, *la Sevre Niortoiſe*, in Pictavenſi pago. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CELLA Sudatoria, vide ſuprà *Cella Aſſa*.

CELLA Suppoſitoria, occurrit apud Vopiſc. in *Carino*, c. 17. *Balneis ita frigidis uſus eſt, ut ſolent eſſe* cellæ ſuppoſitoriæ, *frigidariis ſemper nivalibus*: nec alibi uſquam. Salmaſ. *Tepidariam* interpretatur ſicque dictam à Vopiſco vult, quod hæ, Frigidariis connexæ & *ſuppoſitæ* eſſent, utpote quæ exeuntem è frigidaria aquam exciperent. Nam de piſcina ſeu διξαμενῇ aqua per frigidariam cellam, primùm, deinde per Tepidariam, influebat in Caldariam. Vult itaque, Carinum balneis, h.e. caldariis uſum eſſe non plus calidis, quàm ſolebant eſſe Cellæ Tepidariæ; Tepidariis vero ita frigidis, ut vulgo eſſe conſueverant Frigidariæ: at Frigidariis ſemper nivalibus. Vide eum *Not. ad locum*.

CELLA Tepidaria, Cella itidem Balnearis, inter Frigidariam & Calidariam media, in qua, uti & in Calidaria, alvei erant ſeu ἐμβάσεις, *deſcenſiones*, ubi, qui lavabant, ſedentes à balneatore ſeu mediaſtino, aquâ perfundebantur. Vide ſuprà.

CELLA Vinaria, vide *Vinea* infrà.

CELLA Unctuaria, ſimiliter in Balneis olim fuit, *Unctuarium* Plinio, *l. 5. Ep. 6* Ἀλειπτήριος οἶκος Luciano, quam, ſtatim poſt Tepidariam, à dextris collocatam, ſic deſcribit: *Μεθ' ὃν οἶκος τῶν μάλα φαιδρὸς, ἀλείψασθαι ἀφθονίαν παρεχόμενος, ἑκατέρωθεν εἰσόδους ἔχων Φρυγίῳ λίθῳ κεκαλλωπισμένος, τοὺς ἀπὸ παλαίστρας ἐξιόντας δεχόμενος*, *Poſt quem — ocus admodum ſplendidus, ungendi copiam affatim exhibens, utrinque habens aditus lapide Phrygiô exornatos, eos qui è Palæſtra exeunt, excipiens.* Ejuſdem cellæ meminit, Auctor Dialogi Hadriani Imperatoris cum Epicteto Philoſopho, quem ſuprà laudavimus.

CELLÆ ſignum, quod Judæi maſculi à 13. annis & ſuprà, extra domum, in ſuperiori veſte, in pectore, latitudinis 3. vel 4. digitorum, deferre jubebantur, memorant in Concilio Arelat. *A.C. 1234. can. 16.* apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà, ubi de *Judæis*.

CELLÆ, locus Macedoniæ. Item alius Africæ. *Antonin. Cellæ* præfectura, vide *Bremogarton*.

CELLARIENSES Species, *l. 32. Cod. Theodoſ. de erogat. milit. ann. Procuratores earum, annonarum & Cellarienſium ſpecierum gratiâ, quas in dignitatibus conſtituti, i. e. Rectores provinciarum & Comites ſolent accipere*: nempe cùm hi à Principibus in provincias mitterentur, vel è provinciis in Comitatum evocarentur; *ſalarium* erit, apud Auguſtæ Hiſtoriæ Scriptores. Idem *Cellarium*, apud Æl. Lamprid. in *Heliogabalo*, c. 26. *Mittebat paraſitis* procellarios *ſalaris annua vaſa cum ranis & ſcorpiis & cum ſerpentibus*, &c. Hîc enim *Cellarium* non notat id, quod pro penſione cellæ ſolvebatur, quodque pro clientulis & paraſitis Magnates & Patroni dependebant. Juvenalis, *Sat. 9. v. 63.*

—— —— Sed clamat poſcio cella:

ſed quod ex *cella* penuaria depromi conſuevit: nempe, præter annonas, h. e. panem & frumentum; ſal, vinum, oleum, carnem bubulam, lardum, alia; quæ omnia monſtriis Caſtrenſibus, Paraſitis & reliquis Domeſticis Palatinæ domus, deferri ſolebant. Τὰ κελλαρικὰ Græci appellârunt, Auctor *Chronici* Alex. Palladius, *Hiſtor. Lauſ.* c. 14. & Harmenopulus, *l. 2. tit. 10.* apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide Salmaſ. *ad Lamprid. l. cit.* & infrà in voce *Cellarium*.

CELLARII, ſervi apud Romanos, quorum erat rem cibariam, quæ in penu fuit, adſervare. Seneca, *Ep. 122. Circa lucem diſcurritur, pueri vocantur*, Cellarii, *Coqui tumultuantur, quæro quid ſit? dicitur mulſum & alicam popoſciſſe, a balneo exiiſſe.* Plin. *l. 19. c. ult. Apio eximunt Coci obſoniis acetum; eodem Cellarii in ſaccis odorem vino gravem.* Lamprid. *Heliogab. c. 26. Mittebat paraſitis per Cellarios ſalaris annua vaſa cum ranis & ſcorpiis, cum ſerpentibus & hujuſmodi monſtris.* Meminit quoque *Cellarii* Plautus, *Captiv. Actu 4. ſc. 2. v. 123.*

Sume, poſce, prome quidvis: te facis Cellarium.

Horatius eum *Promum* appellavit, *l. 2. Sat. 2. v. 16.* Vide *infrà*. A' *Cellario* vero nomen loci manavit, apud Lucæ Interpretem, *c. 12.* Auguſtin. *Confeſſ. l. 9. c. 8* & Caſſianum *de inſtit. renunc. l. 4. c. 8.* Unde *Cellariolum*, apud Gregorium Turonenſ. *Mirac. l. 1. c. 35.* quod & *Promptuarium* vocat. Addam de *Cellariis* ſervis, qui & *Cellerarii*, illos aliquando curâſſe, ut eſſent ſalvæ rationes, teſte Ulpianô, *l. 12. ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* Cæterùm præbuiſſe familiæ potionem & cibum, ait Columell. *l. 12. c. 1.* eorumque diligentiam præceptis inſtruxiſſe M. Ambivium, Mænatem Licinium, & C. Matium, apud Eund. *l. 12. c. 4.* Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis* & T. Popmam, *de operis eorum*.

CELLARIUM, ſeu CELLA, à reponendis celandiſque rebus eſculentis ac potulentis nomen accepit, teſte *ad Terent.* Donatô. *Cella proma* apud Tertullianum, *de Reſurr. carn. Niſi quia in cellis promis caro ſalita & uſui repoſita ſervatur, depromenda illinc ſuo tempore.* Hinc *Cella penuaria*, cujus meminêre Suetonius, *Aug. c. 6.* Ulpianus, Turonenſis, alii; niſi quod exactè loquendo inter Penu ac *Cellarium* id intererat, quòd hoc paucorum dierum, illud longi temporis eſſet. In villa fructuaria Columella varias locat *Cellas, olearium, torcularium, vinarium, defrutariam* & cæteras: quarum priorem exactè delineavit Vitruvius, *l. 6. c. 9.* Columella, *l. 12. c. 30.* & Palladius, *l. 1. tit. 20.* Inſtruunt eandem Cato *tit. 13.* Columella, *l. c.* & Neratius apud Ulpianum, *l. 19. ff. loc. & cond.* Poſterioris, vinariæ nempe, unà cum ſervis doliaribus ſeu doliariis, quorum mentio in veter. marmore, typum exhibet ex antiquo itidem marmore, A.C. 1601. Auguſtæ Vindelicorum effoſſo M. Velſerus, apud Laur. Pignorium *Comm. de ſervis*. Sed & ſervilia habitacula *Cellæ* nomine deſignata, legimus apud Columellam *de R. R. l. 1. c. 6.* quas *Cellas familiæ* dixit Cato. Hinc Seneca *de Tranq. c. 8.* ubi de Pompejano Demetrio, *Cui jam dudum divitiæ eſſe debuerant, duo Vicarii &* Cella *laxior.* Cicero quoque 2. *Philipp. Conchyliatis Cn. Pompeji peristromatis ſervorum in* Cellis *lectos ſtratos videres.* Sic apud Vitruvium, *l. 6. c. 10.* *Cellæ familiaricæ*, cellæ ſervorum ſunt, non penuariæ, ut quidam voluêre. Et ab his *Cellis* Monachorum habitationes nomen mutuum ſumpſerunt, quòd eſſent, ut illæ ſerviles, arctæ & anguſtæ; quam ſanè ob cauſam D. Hieronymus *in Hilarion.* & Joh. Caſſianus, *de inſtitut. renunc. c. 12.* *Cellulas* appellant, velut etiam Ennodius, *l. 1. Ep. 5.* *Monachos cellulanos*: imò & D. Gregorius, *Dial. l. 1. & 4.* Monaſterium ipſum non rarò *Cellam* appellat. Vide ſuprà. *Cellæ* verò *meretriciæ* ſatis notæ ſunt ex Petronio, Martiale, Juvenali, cujus carmen unius literulæ mutatione depravatum, *Sat. 3. v. 136.*

Et dubitas aliâ Chionen deducere ſellâ:

Vir Doctus corrigit, *cellam* reponendo: *Alia enim cella fornix eſt*, inquiens. Quam conjecturam confirmat, ejuſdem Poëtæ, *Sat. 6. v. 121.* verbis hiſce,

Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et Cellam *vacuam.*

Et *ibid. v. 128.*

—— Sed quod potuit, tamen ultima Cellam
Clauſit.

Vide Laur. Pignorium *ubi ſuprà*. Nec omittendum, eundem in Villa ruſtica, Culinæ proximum ſtatuere Valetudinarium, cum *Cellæ* ſervorum ſolutorum fuiſſe, vide Columellam, *l. c.*

CELLENSIS lacus, aliàs Acronius. Per ipſum Rhenus decurrit à Conſtantia, Baſileam verſùs; in Suevia eſt & confinio Helvetiorum.

CELLERARIA, in Monaſteriis fœminarum, nomen officii conſimilis cum Cellerario, in Monaſteriis Virorum: quod deſcribitur ſinè à Petro Abælardo *p. 137.* & in *Synodo Aquiſgranenſi* apud Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CELLE-

CELLERARIUS, vel CELLARIUS, juxta concil. Aquiſgranenſe, ſub Stephano V. A. C. 861. can. 140. Officialis eſt in Monaſterio, qui fratrum ſtipendia ſervat & adminiſtrat: piſtrinum etiam curant, ne miniſtri ibidem deputati, annonam eorum aut furtim ſurripiant, aut negligenter vivendo diſſipent. Crevit dein munus, & in Abbatia S. Edmundi Buriensis, illoſtri ædium pars cum latifundiis ejus muneri deſignata fuit, verba ſunt Henr. Spelmanni *Gloſſar. Archæol.* Vide & ſuprà.

CELLIOTA, Græcè Κελλιώτης, apud Phranzem, *l. 2. c. 2.* *Hic quoque mos tenet, ut* Celliotæ *Imperatoris, ad ſepulchrum ejus, uſque ad prima ſacra funeralia ſive juſta perſeverent*, intimum in Aula Imperatoris Conſtantinopolit. Cubicularium denotat. Hi claves ædium, in quibus Deſpotæ ſeu Imperatorum filii habitabant, aſſervare ſolebant, ut, quoties vellent, illas ingredi, inſpicere ac referre poſſent, an aliquid in patrem illi machinarentur: unde *Speculatores Scamerœ* ſunt dicti. Vide Macros Fratres in *Hierolex.*

de CELLIS Petrus, vide *Petrus.*

CELLIUS Matthias, Cæſarſpergius, primus Argentinæ Evangelizare cœpit, anno ætat. 43. A.C. 1522. obiit, A.C. 1548. ætat. 71.

CELLONÆENSES, Scythica gens. *Photorinus.*

CELLOS, vicus Tripolitanæ regionis in Africa. *Antonin.*

CELLULÆ Publicæ *leg. 3. Cod. Theodoſ. de ſtudiis liberal.* Urb. *Conſtantinopol.* eædem cum *Pergulis Magiſtralibus*, de quibus vide infrà. De *cellulis* verò Monachorum, ſuprà in voce *Cella.* Apud Chryſoſtomum, Κελλίον τοῦ Χριστοῦ, *Cellula Chriſti*, vocatur locus ab Æde ſacra ſegregatus, & ſubterraneus, in quo Chriſtiani olim hoſpites excipiebant: Καταγώγιον τῶν ξένων Baſilio, Ξενὼν eidem Chryſoſtomo alibi, ut infrà videbimus, ubi de voce *Xenodochium* &c. Inde *Cellulani*, apud Sidonium, *l. 9. Ep. 3. De Senatu Lirinenſium Cellulanorum.* Dorotheo *doctr. 16.* Κελλιῶται: Monachi ſunt in eadem *Cella*, *Cellula* aut Monaſterio habitantes: quibus opponuntur cæteri, qui ſeorſim in diverſis & diſperſis per eremum *cellulis* habitabant. Eôdem nomine dicebatur Contubernalis, quem, ad amoliendas maledicorum calumnias, habere juſſi ſunt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, ut eſt, apud Gregorium M. *l. 4. Ep. 44.* in *Capitular.* Car. M. *l. 3. c. 174.* alibi. Occaſionem inſtituti Symmachus Papa præbuit, uti videre eſt apud Ennodium *Opuſc. 7.* cui tit. *Præceptum, quando juſſi ſunt omnes Epiſcopi* Cellulanos *habere.* Vide Sirmondum *Not. ad eum*, & infrà in vocibus *Concaliſta, Syncellus, Syncellita*, &c.

CELMIS, unus fuit ex Idæis Dactylis, qui cùm Matrem Deorum ſtupro violâſſet, deinde à reliquis fratribus rejectus eſt. Ab hoc ferrum ſolidiſſimum cudi ſolebat, unde Proverb. *Celmis in ferro.* Zenodotus, Clem. Alex. Κέλμις καὶ Δαμναμενεὺς οἱ τῶν Ἰδαίων Δακτύλων πρῶτοι σίδηρον εὗρον ἐν Κύπρῳ. Vide Scaliger. *ad Euſeb. p.* 58. & Palmerium *ad Marmor. Arundel. p.* 688.

CELMUS, Jovis nutritius, quem & parvulus adhuc Jupiter plurimùm amavit. Cæterùm cùm aliquando mortalem eſſe Jovem dixiſſet, Jupiter injuriæ memor, cùm Saturno expulſo rerum jam poteretur, in adamantem lapidem eum commutavit, Ovid. *l. 4. Met. Fab. 7. v. 281.*

Te quoque nunc adamas quondam fidiſſime parvo
Celme Jovi. — —

CELNIUS, fluv. in Roſſia comitatu Scotiæ, *Kilhan* Camdeno. Quibuſdam eſt *Boggie*, in Buchania provinc. verſùs Ortum. *Baudrandus.*

CELONÆ, Aſiæ oppid. in Meſopotamia. *Diodorus.*

CELONES, in antiquo Lucii exemplari, apud Salmaſium, ex Græco eſt κήλων, unde κηλώνιον, apud Herodotum, *l. 1.* καὶ τὸ ζύγιον ὁ αὐτὸς οἱ ποιεῦντες ἐν Αἰγύπτῳ, τὸ ποιεῦσι ἀναβαίνοντες εἰς ὕψος, ἀλλὰ χερσί τε καὶ κηλωνηΐοισι ἀρδόμενος. Ἐκ κηλωνηΐου, apud eundem, *l. 6.* de bitumine, ἀντλέεται μὲν κηλωνηΐῳ. Quod inſtrumentum notat, aquæ ex puteis hauriendæ aptum: Latinis *tolleno*, voce è Græco mutuatâ. Machina nempe fuit ἀνακλωμένη καὶ κατακλωμένη, *tolli ac demitti ſolita*, cui alligatus erat ſitulus ſeu cadus aquæ hauriendæ. Herodotus γαυλὸν vocat, Græci ἄντλιον, Latini *anclam*, Lucretius, *l. 5. v. 517.* *hauſtrum* quoque. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 589. & infrà in voce *Tolleno.*

CELOX, navis genus, de quo vide infrà *Navis.*

CELREDUS, vel CEOLREDUS, Merciorum Rex, poſt Ethelredum, rebus contra Inam Weſt-Saxonum Regem geſtis clarus. Obiit A. C. 717. regni 8. Beda, qui tum vixit, *Hiſtor. Anglic.*

CELRICUS, Rex quartus Weſt-Saxonum, in Anglia, poſt patruum Ceaulinum, prudentiâ inclytus, regnavit ann. 6. *Beda, Polydorus Virg.*

CELSA, Ilergetum in Hiſpania urbs. *Ptol.* Item alia ad Iberum. *Strabo*; niſi fortè eadem ſit, vide Caſaub. ad Strabonem, *l. 3.*

CELSE nati, apud Statium in *Lacrymis Etruſci*, *l. 3. Sylv. 3. v.* 143.

— — — *Lævaque ignobile ferrum*
Exuit & celsè natorum æquavit honore:

Equites ſunt, quorum honori Libertinus, de quo hic Poëta, æquabatur, cùm, exutis annulis ferreis, aureos, à Principe ſibi conceſſos, indueret. *Celſi*, Equites certè paſſim dicuntur, quaſi perpetuô propriôque epithetô:

Celſi prætereunt auſtera Poëmata Rhamnes, &c.

Salmaſ. ad *Capitolin. in Opilio Macrino, c. 4.* Facit huc, quòd *Celſus* ex Græco κέλης, *celer*, ſeu *celes*, de qua voce retro dictum, *Feſto* deducitur. Poſteà & Judices *Celſi* dici cœpêre, uti legimus apud Marcellum. *l. 28. & Judicibus celſis, iiſdemque muneribus*, Præjus apud Calvinum *Lexic. Jurid.* Iidem & *Splendidi* & *Splendidiſſimi* ab Auctoribus, ſingulari quôdam velut privilegiô Ordinis, nuncupantur, Caſp. Barthius, *Animadv. ad Statium d. l.*

CELSENSES, citerioris Hiſpaniæ populi. Plin. *l. 3. c. 3.*

CELSINANIÆ, cella eſt in Gallia, Cluniaco ſubjecta, dicta à Celſino: In Arvernis diœceſique Claromontenſi: à S. Odilone vel à fundamentis extructa, vel reſtaurata, vulgo *Sanſilanges.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CELSINUS, Conſiliarius Diocletiani, memoratur Vopiſco in *Aureliano*, *c. 44.*

CELSIORES, Doctores legum dicuntur, *l. 2. Cod. de Offic. div. Judic.* quos *Honoratos* appellat *Conſtitutio*, *l. 3. Cod. ibid. Eorum enim Judicio Judices provehuntur* — *Juriſperitorum judicio & examine Judices futuri probandi ſunt. Illi meritò Patres appellantur, cum à Judicibus Fratres vocari vetentur*, dictâ *l. 2.* apud Eund.

CELSITUDO, titulus honorarius Regum, apud Nicolaum I. Pontificem Roman. *Ep. 76. 77.* Vide Beſlium in *Comitibus Pictav. p. 77.* Hodie Principum eſt illuſtriorum: ſic Henricum Fridericum Principem Auriacum, poſt recuperatam trimeſtri obſidione Bredam, *Celſitudinis* axiomate, à Ludovico XIII. Gall. Reg. mactatum, legimus apud Joannem Laëtum *Compend. Hiſtor. Univ.*

CELSONA, urbs ampla Catalauniæ, ad pedes montium. 12. leuc. à Vico in Occaſ. 8. à Minoriſſa in Boream. Juxta amnem *Cardoner. Solſone* Gallis, à quibus antea munita eſt.

CELSUS, cognomen perpetuum Equitum Romanorum. Vide ſuprà *Celsè nati.*

CELSUS, tyrannus, ſeptiduum imperavit. Pollio, *de 30. tyr. c. 28.* Item Patricius, Guntrami Regis exercituum Dux, Arelatum cepit.

CELSUS, plagiarius ab Horatio notatus, *l. 1. Ep. 3. v.* 15.

Quid mihi Celſus agit, monitus, multumque monendus,
Privatas ut quærat opes, & tangere vitet
Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Plures ejuſdem nominis Trajano & Adriano Imperatorib. vixiſſe neminem latet Hiſtoriæ vel mediocriter ſtudioſum. *Celſi* Juriſperiti Spartianus meminit, *in Adriano, c. 18. Cùm judicaret*, inquit, *in concilio habuit non amicos ſuos aut comites ſolùm, ſed Juriſconſultos, & præcipuè Julium Celſum.* Alium *Celſum* conſularem virum tunc temporis vixiſſe, nobis retulit quoque prædictus author, *c. 4.* his verbis: *In adoptionis ſponſionem venit, Palma & Celſo, inimicis ſemper ſuis.* Hic juſſu Adriani interfectus, *c. 7.* Tertii, quartique Memoriam ab Origene accepimus, qui in primo, *contra Celſum*, qui ſcriptô editô Chriſtianos laceſſiverat, nobis aliqualem utriuſque notitiam ſuppeditavit: Δύο δέ, inquit, παραλαβόντες Κέλσους γεγονέναι Ἐπικουρείους, τὸν μὲν πρότερον κατὰ Νέρωνα, τοῦτον δὲ κατ' Ἀδριανὸν καὶ κατωτέρω. Vide Spencerum, *in Annot. ad Origen. p. 3.* Huic poſteriori à Luciano Pſeudomantes dedicatus. Baron. *A. C. 132. n. 16.* Volaterr. *l. 14. Anthrop.* Gaſſendus, *de vita Epicuri*, *l. 2. c. 6.* Fuit etiam Corn. *Celſus* Medicus ſub Cæſare Tiberio, qui methodicam Aſclepiadis ſectam ſequebatur, itaque Jo. Heurnius medicus doctiſſimus ait; *Plures Latinitatem ejus, quam medicinam fecit oportere.* Ejus meminit Quintilian. *l. 12. c. ult. Quid plura? cùm etiam Corn. Celſus, mediocris vir ingenii, non ſolùm de his omnibus conſcripſerit artibus, ſed amplius rei militaris & Ruſticæ etiam & medicinæ præcepta reliquerit.* De Rhetorica ſcripſiſſe ex eodem Quintiliano, *l. 2. c. 15. & l. 3. c. 6.* conſtare poteſt. Libros *de R. R.* ſæpiſſimè laudat Columella, circa cujus tempora etiam fuit; nam *l. 1. c. 1.* ita ſcribit: *Non minorem laudem meruerunt noſtrorum temporum viri Corn. Celſus & Julius Atticus, quippe Cornelius totum corpus diſciplinæ quinque libris complexus eſt.* Eundem etiam de Philoſophiâ ſcripſiſſe Quintilianus teſtis eſt, *l. 10. c. 1. ſub finem.* Alius Julius *Celſus* fuit multò recentior, qui & de vita Cæſaris ſcripſit & commentarios Cæſaris recenſuit ac corrupit. Vide Voſſ. *de Hiſtor. Lat. l. 1. c. 13. & Inſtit. Orat. c. 3. ſect. 20.* itemque Salmaſ. *Proleg. Exercit. Plin. ſub finem.*

CELSUS Ælianus, Conſul cum Claudio Juliano, ſub Maximo & Balbino Imperatorib. apud Capitolin. in *Vita* horum, *c.* 17.

CELSUS Julianus, vide *Julianus.*

CELSUS Maphæus Veronenſis, ſecul. 15. opus quoddam Hiſtoricum ſcripſit, de quo vide Voſſ. *l. 3. de Hiſt. Lat. c. 8. p.* 620.

CELSUS Marius, vide *Marius.*

CELSUS Stipator, memoratur Trebellio Pollioni in XXX. *Tyrannis*, *c. 20.* ubi Claudii ad Regillianum epiſtola recenſetur.

Jul. CELSUS JCtus inter eos, quos in concilio habuit Hadrianus Cæſar, memoratus Spartiano, *loc. cit.* ubi *Juventium Celſum* jubet legi Janus Gruterus, *Notis ad loc.*

CELTÆ, populi Galliæ Comatæ inter Garumnam & Sequanam fluvios, ita dicti, ut vulgò volunt, à *Celto* Polyphemi ex Galathea filio, *Appianus.* Alii à Celte, IX. Gallorum veterum Rege. Aliud etymon ſuppeditat nobis vir magnus *Phaleg*, *l. 3. c. 6.* In Talmudico tractatu *Nidda*, inquit, חלתי pro *croco* ſumitur, ſiquidem fides Hebræis, & viris undecunque doctis Bodeciano & Buxtorfio. Idem autem חלתי ſi libeat Chaldæô more inflectere, fit *terbes Chalta*, vel *Chelta* vox proximè accedens ad *Celtas.* Ita croceis capillis Galli tam Celtarum & Galatarum, quàm Rhodanitorum nomen debebunt. Sanè Gallos τὰς ξανθὰς ἰδέας paſſim appellari notat vir doctiſſimus *Iſ. Voſſ. Diodor. Sic.* Οἱ δὲ Γαλάται τοῖς μὲν σώμασίν εἰσιν εὐμήκεις, ταῖς δὲ σαρξὶ κάθυγροι καὶ λευκοί, ταῖς δὲ κόμαις οὐ μόνον ἐκ φύσεως ξανθοί, ἀλλὰ καὶ διὰ τῆς κατασκευῆς ἐπιτηδεύουσιν αὔξειν τὴν φυσικὴν τῆς χρόας ἰδιότητα. Strabo *de Britannis*, *l. 4.* Οἱ δὲ ἄνδρες εὐμηκέστεροι τῶν Κελτῶν εἰσι, καὶ ἧττον ξανθότριχες. Atque ob hoc ipſum, Britannos Gallicæ eſſe originis, conjectat Jornandes, *Hiſtoriæ Gothorum c. 9.* quòd illis ſint *rutilæ comæ.* Ubi *rutilas* dixit

pro *flavis*, quomodo Ammianus, *l.* 15. *Candidi penè Galli ſunt omnes & rutili*; capillitii ratione ſcilicet. Claudian. *in Rufinum*, *l.* 2. *v.* 110.

Inde truces flavô comitantur vertice Galli.

Bodinus *in Methodo*, c. 9. *Celtas*, quaſi κελ... dictos voluit, quia liberis equis, haud ſtratis, nec ad currum junctis vehi conſueviſſent. *Lazios* à *Galatis*, per contractionem. Strabo ait, Κελτὰς appellatos διὰ τὴν ἐπιφάνειαν, quòd authoritate prævaluerint, ſive quòd robuſta & valens natio fuerit. Id ſonat *Gelten* hodiè, Germanorum linguâ. Nominis veſtigium remanet in *Geldris*. Belgis quoque *Gelte-baars* eſt piſciculus melioris notæ: & *Gildes*, *hoc præſtans valore*, Pontanus. Harum regio Κελτικὴ dicitur, quæ apud vetuſtiſſimos Græcos ea tantùm Galliæ erat pars, quam mare mediterraneum alluit, nam eam tantum noverant. Poſteà verò id nomen etiam ad alias partes, quæ paulatim cognoſci cœpêre, translatum eſt, donec tandem toti Galliæ, poſtquam tota cognita fuit, eſt attributum. Idem de Romanâ Galliæ appellatione ſentiendum: Nam qui *Celtæ* propriè appellantur, ii à Romanis *Galli* dicti ſunt, auctore Cæſare, *l.* 1. *c.* 1. *Bell. Gall.* deinde ea vox latiùs accipi cœpit. *Polybius* autem, Κελτικὴν propriò nomine appellat eam Auſtrinæ oræ partem, quæ eſt inter Narbonem & Pyrenæos, *Caſaubonus*. Horum Imperium celebre, ſub Ambigato, Rege Biturigum, qui Tarquinii Priſci tempore vixerat, Liv. *l.* 5. Porrò Celtarum nomine, præterquam quòd quidquid Europæarum gentium erat, antiquiſſimis temporibus illud continebat, dein factâ regionum & populorum diſtinctione, & unicuique propriô nomine inditô, veteres non ſolùm Gallos intelligebant, auctore *Appianô*, ſed & Germanos, ut ex Herodoto, *l.* 1. & 4. aliiſque conſtat. Maximè tamen eos Germanos fuiſſe crediderim; quippe quòd Ariſtoteles *Polit.* *l.* 7. hunc morem tribuit Celtis, quod recens natos ad fluvium explorarent, quod ipſum Germanorum moribus tribui apud Cæſarem & Melam legas. Eodem refero Græci Poëtæ teſtimonium de Celtis, probantibus prolem ſpuriam vel legitimam Rheni lavacrô. Sunt enim Celtæ Germani, qui Celticâ dictâ Galliâ expulſis Gallis, aut ſaltem iis permixti trans Rhenum conſederunt; unde factum, teſte Dione, *l.* 39. ut Celtæ unô nomine ſint appellati, ἑκάτεροι οἱ ἐπ' ἀμφότερα τοῦ ποταμοῦ οἰκοῦντες. Quemadmodum enim veteres Romani gentem utramque (*Gallos & Germanos*) nondum ſatis ſibi cognitam *Gallorum* vocabulô nuncuparunt, ita Græci *Celtarum* nomen utriſque indiderunt. Hinc Herodotus Danubium in *Celtis* oriri ſcribit, cùm illum in Germania & quidem in eo tractu, quem *Baronarum* vocant, profluere conſtet. Sed & Baſſus Poëta, Germanicum cum Celtis pugnâſſe canit. At eô tempore nulli ad Septentriones populi, præter quam Germani, cum Romanis bella geſſêre. Hujus rei ignorantia multis errandi cauſam præbuit tribuentibus Gallis, quæ liquet eſſe Germanorum. Refert Appianus, ſatellitem illum, qui ad occidendum Marium in carcerem miſſus eſt, *Celtam* fuiſſe: at Paterculus *Germanum* fuiſſe teſtatur, *l.* 2. *c.* 19. Sic Strabo profectos ad Alexandrum Magnum, in Getis tum agentem, *Celtas* memorat, haud dubiè Germanos intelligens. Illud unum prætereà addendum, eam fuiſſe *Celtarum* audaciam & fortitudinem, ut Ariſtoteles hujuſmodi audaciam, quæ cum propriæ ſalutis contemptu ſit, *Celticam* vocaverit. *Nic. Lloydius*. *Baudrando*, Celtæ fuêre populi Galliæ, à quibus una pars *Gallia Celtica* dicta, olim ampliſſima. Præter Lugdunenſem enim & populos intra Ligerim & Garumnam fluv. Maſſiliam uſque atque Narbonem extendebatur, *Strab.* Poſteà anguſtior, vulgò *Lugdunenſis* dicta eſt. Qui fines ejus ſub Cæſare, qui ſub Auguſto, vide Cluver. *l.* 2. Sanſon. *de antiqua Gall.* Auſonius Gallos ſive *Celtas* à Belgis Matronâ fluviô dividi, diſertè teſtatur, in *ſua Moſella*, *v.* 461.

Non tibi ſe Liger anteferet, non Axona præceps,
Matrona non Gallos Belgaſque interſita fines.

In quæ verba Hadr. Valeſius, *Certè*, inquit, *Matrona Gallos vel Celtas a Belgis dividit, non dividit, ſaltem exactè, Sequana, fluvius interior: quod tamen Julius Cæſar, Plinius, Ptolemæus, Ammianus Marcellinus, aliique plurimi affirmant.*

CELTÆ, inter Scytharum populos, à Claudio II. Imperatore devicti, apud Trebellium, *in Claud. c.* 6. *Denique Scytharum diverſi populi, Deveni* — *Celtæ etiam & Heruli in Romanum ſolum & Rempubl. prædæ cupiditate, venerunt*, &c. quinam ſint, hæret in Viri docti. *Celetas* poſſe legi, Thraciæ popul. ait Salmaſius; unde *Celetica* & *Celtica* equæ famâ nobiles, quarum numerum captum eſſe magnum, idem Auctor in *ſeqq.* refert. Certè Threciſcos equos Veterib. celebratos fuiſſe notum; vide eum *Not. ad loc.*

CELTES, melius *Celtes*, Auſonio, *Epigr.* 57. *v.* 6. *cœlum à cœlo*, i.e. γλύφω, in veteri lapide apud Gruterum & Aldum: *Non neque hîc atramentum, vel papyrus, aut membrana ulla adhuc: ſed malleolo & cæte literatus ſilex*: ſtylus eſt ferreus, Græcè γλυφεῖον, quô antiquiſſimi literas ſaxis & lateribus inſculpsêre. Apud veterem Interpretem Jobi, *c.* 19. *v.* 24. *Quis mihi det, ut exarentur in libro ſtylô ferreo, aut plumbi lamina, vel cœlte ſculpantur in ſilice?* Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Arte Gramm.* *l.* 1. *c.* 35.

CELTES Conradus, vide *Conradus*.

CELTES Protucius Conradus, Suinforto ad Mœnum oriundus, ſeculô 15. à Friderico Imperatore Poëta coronatus eſt, primus Germanorum id honoris adeptus. Diſcipulus fuit Rodolphi Agricolæ, in Germania, Marſilii Ficini, Sabellici, Pomponii, &c. in Italia. Scriptis Poëticis Hiſtoriciſque clarus, obiit A.C. 1505. ætat. 49. Lil. Giraldus, *dial.* 2. *de Poet.* Voſſ. *de Hiſt. Lat.* *l.* 3. *c.* 10.

CELTIACA, oppid. Hiſpan. in conventu Hiſpalenſi. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

CELTIBERI, Hiſpan. populi à *Celtis* originem traxiſſe creduntur, qui cùm veniſſent ad *Iberum* fluv. ibique conſediſſent, aſſumptô ad nomen ſuum fluvii nomine, juxta quem conſederant, Celtiberi dicti ſunt, & eorum regio *Celtiberia* vulgò *Aragon*. *Nic. Lloydius*. Arragonia & Caſtella, *Moret*. Lucanus, *l.* 4. *v.* 10.

——*Profugique à gente vetuſtâ*
Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.

Silius, *l.* 3. *v.* 340.

Venêre & Celtæ ſociati nomen Iberis.

Robur Hiſpaniæ eos vocat Florus, *l.* 2. *c.* 17. Romanis & Pœnis, magna cum fortitudinis gloria, reſtiterunt. Diodor. *l.* 6. Strab. *l.* 4. Plin. *l.* 3. *c.* 1. Liv. *l.* 5. Florus, *loc. cit.*

CELTICA, vide *Celtæ*.

CELTICÆ Comes Odo, ſororius Rodolfi Burgundiæ Regis, Conrado II. Imperatori pro filio Henrico, quem hæredem Rex ſcripſerat, Burgundiam vindicanti fruſtra reſtitit, A.C. 1033. Friſing. *l.* 6. *c.* 30. &c.

CELTICI, Hiſpaniæ populi à *Celtis* oriundi. Meminit eorum Strabo, *l.* 3. ὕστατοι δ' οἰκοῦσιν Ἀρτάβροι περὶ τὴν ἄκραν, ἣ καλεῖται Νέριον, ἣ καὶ τῆς ἑσπερίου πλευρᾶς καὶ τῆς βορείου πέρας ἐστί· περιοικοῦσι δ' αὐτὴν Κελτικοί, *Ultimi autem habitant Artabri circa promontorium Nerium, quod Heſperii lateris Borealiſque extremum eſt: circum illud autem habitant Celtici.* Unde & *Celticum* promontor. Sunt autem hi, quos *Nerienſes* cognomine dicit vocatos Plinius, *l.* 4. *c.* 20. à promontor. ſcilicet Nerio, ut ab aliis *Celticis* diſtinguerentur, qui dicebantur *Praeſamarci*. In Tarraconenſi provinc. quos à Celtiberis in Luſitaniam adveniſſe, idem ait, *l.* 3. *c.* 1. Regionem, quæ à Bæti ad Anam tendit, in duas fuiſſe diviſam gentes addens, Turdulos & Celticos. Strabo verò *Celticos* hos *Tarraconenſes* ſeu *Arenſes* (qui iterum in *Nerienſes* & *Paſamarcos* diviſi) à *Celticis Bæticis* oriundos vult. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 276. & *ſeqq.* & ſuprà ubi de *Arotrebarum promontor.* Hoc enim idem cum *Celtico*, ob accolis ſic dictum. *Celticorum* autem *Bætica* oppida, communia habere nomina cum Celtiberorum oppidis, cognominibus ſaltem diſtingui, ut Seria e.g. dicatur *Fama Julia*, Nertobriga, *Concordia* Julia; Segida, *Reſtituta Julia*, &c. habet Plinius, *l.* 3. *c.* 3. Sed cum Turdulorum oppida pro Celticis numerare, docet Salmaſ. *ibidem*.

CELTICUM, Hiſpan. promontorium, quod *finem Terræ* hodiè vulgus peregrinorum vocat. *Vaduanor.*

CELTILLUS, Arvernus, Vercingetorigis pater, qui totius Principatum Galliæ obtinuit, & ob eam cauſam, quòd regnum appetebat, ab civitate eſt interfectus. Cæſar *l.* 7. *Com.* *c.* 4.

CELTORII, Galliæ populi prope Senones. Plut. *in Cam.*

CELTOSCYTHÆ, gens ſeptentrionalis. Strabo, *l.* 10.

CELTUM, urbs Hiſpaniæ inter Hiſpalim & Emeritam. *Antonin.*

CELTZENE, urbs Armeniæ, olim Epiſcopalis dein Archiepiſcopalis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. Etiam *Keltzene*.

CELURCA, oppid. Scotiæ, in ora litorali maris German. ubi olim Horeſtæ populi 7. milliar. Scotic. à Brechino in Ortum. Vulgò *Montros*. Vide *Mons roſarum*.

CELYDNUS, vide *Celianus*.

CEMA mons, aliis *Cemenus*, in Italia & Alpibus, in Comitatu Nicæenſi, in Vicariatu S. Stephani, prope caſtrum S. Stephani, juxta fontes Tineæ fluv. Hic oſtenduntur rudera magnæ urbis, vulgò *Camelion* ſeu *Camella*, teſte Bretiô, aliis Cemenelio ſeu Cemenelum. *Acuma* olim. *Baudrand.*

CEMA, Narbonenſis provinciæ fluvius in Alpium monte *Cemeno* profuſus. Plinius, *l.* 3. *c.* 4. Aliàs *Acema*, vide itaque ſuô locô.

CEMANDRI, populi in parte Illyrici. *Jornandes.*

CEMBANI, Arabiæ Felicis populi. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

CEMBELLUM, Gall. *Cembel*, Haſtiludii ſeu Torneamenti ſpecies, ut cenſet *Falcetus*: quæ quidem vox ſæpius occurrit, apud Poëtas Gallos, Car. du Freſne *Gloſſar.*

CEMENELEON, oppid. Liguriæ in Alpibus, dicitur & Cemeleon Plinio, *l.* 3. *c.* 5. quaſi à *Cemeno* monte. Hôc locô, teſte *Leandrô*, Varus fluv. originem ſumit, diciturque nunc *monte Camelione*, ſed hoc montis nomen eſt, non urbis. Vide Cluver. *Ital. Ant.* *l.* 1. p. 66. Nunc viculus, vulgo *Cimies*, 6. milliar. à Nicæa in Boream. Hiſtoria ejus hæc. Olim urbs in Galliis comprehenſa, etiam *urbs Vediantiorum*, aliis habens, *Vendiatiorum*, Plin. *loc. cit.* & *Ptol.* dicta eſt: in provinc. Alpium Maritimarum, penultimô locô collocata, in *veterib. Notit.* Sedes Præfecti Alpium maritimarum, magnifica admodum, ut amphitheatri, aquæductuum, & templi Apollinis rudera teſtantur. Epiſcopalis quoque fuit, ubi Pontius, ſub Valeriano & Gallieno martyr, Amantius, qui A.C. 381. Concilio Aquilejæ interfuit, Valerianus, &c. A Gothis Vandaliſque, vel ut alii volunt, à Lombardis, aut Saracenis deſtructa, ſede Epiſcopali Nicæam translatâ, quæ, ex ruinis Cemeles, in opulentam egregiamque urbem excrevit. Diſtat ab oppido Cemenelio mons Cemenus, è cujus gremio amnis Varus profluit, & à quo, ut dictum, quidam oppidum denominatum volunt, ad minimum 30. mill. paſſ. Holſtenius, *Annot. ad antiq. Cluverii Italiam.* Ibi præter prædicta, Templum B. Virginis ſacrum, quæ *noſtra Donna de Cimies* dicitur, & opus antiquum theatri ſimile, quod *Camella* nomen habet, quô etiam urbs inſignita eſt jam ante annos 800. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Petrus Jofredi, *Hiſt. Epiſc. Nic.* Francia Chriſt. *t.* 3. p. 785. Gueſnay, *Hiſtor. Maſſil.* Theophan. Raynoldus, *in apol. Valerian*, *c.* 1 &c.

CEMMENUS, Cæſari, *l.* 7. *Bell. Gall.* c. 8. Plinio, *l.* 3. *c.* 4. & Auſonio, *in Clar. Urbib. n.* 12. *v.* 5. *Gebenna*, qui & *Cebenna* & *Gebennæ* numerô plurali, mons maximus Galliæ, vulgò *les Sevennes*. In Aquitania versùs Galliam Narbonenſem, inter Volcas, Arecomicos, Helvios, Velaunos, Gabalos & Ruthenos per 30. leuc. circiter in longum protenſus. Initium habet versùs fontes Ligeris,

in

in Vivarienſi provinc. ſuperiori, extenditurque per Occitaniam, Luteram uſque. Dicitur etiam *les Montagnes de Sevennes*, ubi quamplurima caſtra, oppida & urbes alicujus momenti. *Cemenus* verò unico *m* eſt mons Galliæ apud Varum, ex quo *Cema* fluv. *Plinii* reſte. Sub Cemenico hoc tractu comprehenduntur provinc. Vivarienſis ſuperioris Gabalum, cum parte Ruthenorum: Reformatorum perfugium. Vide quoque *Cebenna*.

CEMOS, apud Plinium, herba in amatoriis pollens; à Græco *κημὸς*, *capiſtrum*: ab incapiſtrandis ſic & ligandis animis nomen adepta. Quidam & *κοσμοσάνδαλον* ita dictam ſcripſère. *Neophytus Monachus*, *Καλαμίνθην*, *οἱ δὲ κημὸν*, *οἱ δὲ διωπίδειον*. Alii Leontopodium eôdem nomine indigitârunt, quod & ipſum amatoriis *κημοῖς* utile exiſtimatum, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1085. Locus Plinii eſt, *l.* 27. *c.* 8. *Catanancen Theſſalam herbam — à nobis deſcribi ſupervacuum eſt, cùm ſit uſus ejus ad amatoria tantùm. Illud non ab re eſt dixiſſe ad detegendas Magicas vanitates, electam ad hunc uſum conjecturâ, quoniam areſcens contraheret ſe, ad ſpeciem unguium milvi exanimati. Eadem ex cauſa & cemos ſilebitur a nobis.* Ubi quibuſdam *caſſutham* noſtram hôc nomine innui, ait Dalechampius, quem vide *Not. ad loc.*

CEMPSI, populi Hiſpaniæ citerioris ad montis Pyrenæi radices incolentes, in regno Aragonio, quorum oppid. *Venaque*, ad amnem Eſſeram, ad radices Pyrenæorum in limite Galliæ ab Oſca ad 15. leuc. inter montes diſtans. Horum meminit Dionyſ. *v.* 358.

> Κέμψοι δ' οἱ ναίουσιν ὑπαὶ πόδα Πυρηναῖον.

Nuſquam, ut opinor, apud alium quenquam authorem hujus populi mentio extat, ideo ipſos non ſub *Pede Pyrenæi*, ſed in *Utopia* quærendos putat *Montanus*. Neſcire verò ſe ait, an Κέλψοι ab auctore ſcriptum fuerit. Sanè *Cepersinus Celtas* vertit. *Priſcianus* verò & *Avienus Cempſi* habent. *Nic. Lloydius*.

CENA, Siciliæ locus. *Antonin.*

CENABUM, Carnutarum civitas. *Ptol.* hodiè *Gien*.

CENÆI, Palæſtinæ gens. Gen. *c.* 15. *v.* 19.

CENÆUM, promontor. Eubœæ inſul. in Occaſum, maximè porrectum, prope Maliacum ſinum contra Opuntem & Locros Epicnemidios. Nunc *Capo Liter*.

CENCEMES, fil. Athotis I. cum fratre Athote II. videtur ſic diviſiſſe hæreditatem patriam, ut diviſâ Thebaide, alter ad Nili orientem imperaret, alter ad Occidentem. itaque Cencemes Thinitarum regnum obtinuit, tertiuſque à Mene numeratur. *Manethoni* præfuit autem annos 32. ſucceſſore Venephe. Joh. Marshamus Canone *Chron.* Vide quoque infrà voce *Thes*.

CENCHREÆ, Peloponneſi oppid. prope Corinthum in Iſthmo ipſo juxta ſinum Neptuni, quinquennalibus ludis inclytum. Item portus Corinthi. Inde *Corinthiaca*. Ovid. *Triſt. l.* 1. *El.* 9. *v.* 9.

> *Illa Corinthiacis primum mihi cognita Cenchreis.*

Plin. *l.* 4. *c.* 4. *Lecheæ hinc Cenchreæ illinc anguſtiarum termini, longo & ancipiti navium ambitu, quas magnitudo plauſtris transvehi prohibet.* Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 59.

> *It comes Inous Ephyre ſolata querelas*
> *Cenchreæque manus.* —

Hodieque *Kenchreai*, ubi tamen jam nil niſi turris ſuper & portus Lechæum. Sub Venetorum verò Imperio cùm eſſet Corinthus, ſatis populoſum hoc oppidum fuiſſe videtur: plurimarum enim ædium rudera etiamnum viſuntur. Ibidem Turcæ contra piratas ſolent perfugium habere. Vide Jac. Sponium, *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *p.* 300. Item urbs Troadis, in qua commoratus eſt Homerus, ut de rebus Trojanis certior fieret. Item alia Italiæ. *Steph.*

CENCHREENSES, à D. Paulo Chriſtianiſmo imbuti, apud quos ipſe caput, ut voverat, totondit. *Actor. c.* 18. *v.* 18.

CENCHRES, Ægypti Rex, periit in mari Rubro. Beroſus, *l.* 5.

CENCHREUS, Pirenæ filius. Pauſan. *l.* 2.

CENCHRI, Græcè Κέγχροι, & in veſtibus & in vaſis, poſiti occurrunt. In veſtibus rotundi ſunt clavi & macularum formæ orbiculares, quibus veſtes intertexi atque diſtingui mos. Athenæus, *l.* 12. *ἴδοις δ' ἂν ἔτι, φησὶ καὶ νῦν πολυτελεῖς ἐσθῆτας, ὥσπερ ἐστὶ καὶ τὰ ποικιλτικὰ ἐν τοῖς Περσικοῖς ἐνδύμασι, ...* Aliter *ἧλοι*, *clavi*, & *ἐμβλήματα*; item *ſigna*. In vaſis ſimiliter *κέγχρους* appellârunt, emblemata & ſigna, quibus aſperantur, quòd *milio*, hoc enim Græca vox propriè notat, ſimillima eſſent. Rotundas enim quaſdam aſperitates, in poculis extantes & globulis ſimiles eô nomine deſignârunt: quales fiebant & in clypeorum extremitatibus & in poculorum labris. Unde *κεγχρωτὰ* vaſa, *cælata & ſigna aſpera*: & *κεγχρώματα*, *τραχύσματα*, *κολλώματα*, *aſperitates*, *rotunditates*, apud Heſychium, Salmaſius *ad Vopiſc.* in *Carino*, *c.* 20. Inde idem *Cenchris*, & *Cenchrine*, Græcis *κεγχρὶς* & *κεγχρίνης*, item *κέγχρης* aut *κέγχρος*, nomen ſerpentis, cujus tergum vario nitore fulget, apud Lucanum, *l.* 9. *v.* 712.

> *Et ſemper recto lapſurus limite cenchris:*
> *Pluribus ille notis variatam pingitur alvum,*
> *Quàm parvis tinctus maculis Thebanus ophites.*

Et Nicandrum *in Theriacis*,

> Δεινοὶ Κεγχρίνεω δολιχὸν δέμας, ὅστε λέοντι
> Αἰόλον ...

Quod nomen ipſum indicat. Nam ſic dictus eſt, quòd inſtar *milii* granorum variatum habeat tergum: hoc enim *κέγχρος* eſt. Unde *κεγχρώσαι* verbum, *τὸ ποικίλαι*, & *τὰ κεγχρώματα*, *τὰ ποικίλματα*. Quomodo, ut vidimus, inter alias dicebantur in clypeorum ambitu ornamenta, granorum inſtar aſperſa. Euripides *in Phœniſſis*,

> Ἀλλ' εἰ τὸ γοργωπὸν ἀσπίδων κεγχρώματα
> Ὀφθαλμοῖς. — —

Ubi Scholiaſtes, *κέγχροι*, inquit, *καλοῦνται οἱ κύκλοι τῆς ἴτυος τῆς ἀσπίδος ...* *parva clavorum capita, ex auro extantia*, &c. Atque hinc Hebr. צבוע *tſebua*, i. e. *pictus*, idem ſerpens dictus eſt. Unde *vallis Tſeboim*, 1. Sam. *c.* 13. *v.* 18. ſi Hebræis credimus, ubi frequens admodum hoc ſerpentis genus. Uti verò ſerpens à ſquamarum, ſic avis quædam à plumarum, varietate ita dicta eſt. Ariſtophanes,

> Πορφυρὶς, κεγχρὶς, πελεκᾶς.

De qua Plinius, *l.* 29. *c. ult. Fimum* Cenchridis: *accipitrum generis eam Græci faciunt.* Hinc cum avibus, ungues aduncos habentibus, eâdem Comœdiâ memoratur, ut & Plinio iterum, *l.* 10. *c.* 52. Eam prorſus eſſe volunt, quam *tinnunculi* nomine alibi idem appellat, columbis inimicam avem. Nam colore cinereô eſt punctis nigris, veluti milii granis ſparſa. Sed & *κεγχρῖτις* gemma, auctore eôdem, *l.* 37. *c.* 11. *milii granis velutì ſparſis*, &c. Portò, uti *κεγχρώματα* ſeu *κεγχρώματα*, labra poculorum hujuſmodi granis extantibus in orbem inſignita; æreas item laminas vel ferreas ad munimentum ſimul & ornamentum ab ima & ſumma parte ſcutis appoſitas, claviſque confixas & aſperatas: ſic nummorum quoque in circuitu orbem, ex parvis granis factum & ornamenti gratiâ additum, ſimiliter vocare conſuevère. Salmaſ. *ad Solin. p.* 140.

CENCHRIS, Cinyræ Aſſyriorum Regis uxor, Myrrhæ mater, quum ſuperbiùs locuta eſſet, & filiæ ſuæ formam Veneri antepoſuiſſet, Venus Myrrhæ nefandum amorem objecit, adeò ut patrem ſuum amaret, quæ ne ſuſpendiô ſeipſam necaret, nutrix intervenit, & patre neſciente per nutricem cum eo concubuit, ex quo concepit. Id autem ne palam fieret, pudore ſtimulata in ſilvis ſe abdidit. Ejus verò Venus poſteà miſerta eſt & in ſpeciem arboris commutavit, unde myrrha fluit, ex qua natus eſt Adonis. Hygin. *Fab.* 58. Quamvis paulo aliter hoc narretur à Theocriti Scholiaſte *in prim. Idyll.* Id ſcilicet non Cenchridis, ſed ipſius Myrrhæ ſuperbiâ accidiſſe, utpote quæ inter pectendum non æquè formoſos eſſe Veneris capillos ac ſuos gloriata fuiſſet, ac proinde Veneris iram in ſe concitâſſet.

CENCHRIUS, Ioniæ amnis ad Epheſum Cayſtro proximus, per Ortygium fluens, in quo Latonam fabulantur ab Ortygia nutrice lotam ex partu. Tacit. *Annal. l.* 3. *c.* 61. *Primum omnium Epheſii adiêre, memorantes, non, ut vulgus crederet, Dianam, atque Apollinem Delo genitos, Eſſe apud ſe Cenchreum amnem, & Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam, & oleæ, quæ tum etiam maneat, adniſam, edidiſſe ea numina.*

CENCIUS, Cubicularius Cæleſtini III. *operis, de reditibus & ſervitiis, Eccleſ. Romanæ debitis, titulisque, auctor.* Baron. *A. C.* 1192. Aſſervatur in Biblioth. Vatic.

CENDALUM, apud Auctorem *Hiſtoriæ Abbatiæ Condom. p.* 504. *Duas cortinas de cendalo rubeo & viridi*, tela eſt ſubſerica vel pannus ſericus: Gallis & Hiſpanis *Cendal*, Italis *Zendado*. Quaſi *Setal* quibuſdam, interpoſito *n.* ex ſeta, ſeu ſerico; aliis ex Græco *σινδών*; *amictus ex lino Ægyptiaco*: aliis denique ex Arabico *Cendali*, quô denotatur ſolum delicatum, ſubtile; vel lamina ſubtilior. Vide Octav. Ferrarium in voce *Cendale*, & Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CENDEBÆUS, nomen Ducis Antiochi Sidetis, qui vaſtatâ Judæâ, à Johanne Simonis fil. victus eſt. A. M. 3918. Urb. Cond. 617. ante Chriſtum Natum 135. Olymp. 16. 1. Machab. *c.* 15. & 16.

CENDEVIA, palus in Phœnice, intra montis Carmeli radices, ex qua creditur naſci Belus amnis 5. mill. paſſ. ſpatiô in mare profluens, juxta Ptolemaidem Coloniam. Plin. *l.* 36. *c.* 26.

CENEBUM ſeu GENEBUM urbs permunita Ducatus Clivenſis, ad Moſam fluv. ſub Hollandis. In confinio Geldriæ, media ferè inter Veſaliam ad Ortum, & Boſcum Duc. ad Occaſum. Vide *Genepum*.

CENEDA, Latinè *Cenета* & *Ceneda*, *Agathia*, in Marca Triviſana, Venetæ regionis oppid. inter Liquentiam & Anaſſum fluminа. Agathias, *l.* 2. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Aquileienſi. Venantius Fortunatus ejus meminit.

CENEIA dicta eſt Atalanta *Cenei* filia. Vide *Ceneus*.

CENERETH, Latinè *cithara*, vel *quaſi lucerna*, urbs in tribu Nephtalim. Joſ. *c.* 12. *v.* 3. Eſt & ad Orientem Judææ mare. Numer. *c.* 34. *v.* 11. Aliàs *mare Tiberiadis*, & *lacus Geneſarethicus*, ſeu *mare Galilææ* dicitur, 40. ſtad. in latitud. diffunditur, ac 100. in longitud. extenditur. Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 3. *c.* 18. Per hunc medium Jordanes amnis profluit.

CENESPOLIS, urbs Hiſpaniæ. *Polyb.*

CENESTUM, Corſicæ civitas. *Ptol.* Nunc quibuſdam *S. Lucia*, vicus, prope Rhotanum fluv. ubi hodieque multa rudera, inter Curiam & Aleriam. Aliis eſt ipſa Curia, *Corte*, in ſaxo undique prærupto, prope Cremum lacum.

CENETA, urbs Ital. 13. milliar. à Belluno, & Opitergio totidem. 15. à Tarviſio. Sub Venetis. Prope fontes amnis Motticani. Aliis eſt in ditione Pontific. *Baudrand.*

CENETIUM, Peloponneſi oppid. Elidis regionis. *Strabo.*

CENETUM, oppid. regni Neapolitani. Sedes Epiſcopalis Teleſini. Aliis eſt *Cerretum*, in provinc. Terræ Laboris & confinio Principatus Citerioris, 5. milliar. à Teleſio in Circium.

CENEVALKUS, Rex Weſtſaxonum VII poſt Cynigilſum, à Pando Merciorum Rege, cujus ſororem ductam repudiaverat, regnô

exutus, perfugit ad Annam, Regem Saxonum Oriental. Ubi cùm triennio latitâſſet, Chriſti fidem amplexus, paulo pòſt regnum recuperavit, Wiſherumque, Pandi fil. aliquâ parte ditionum mulctavit. Ducheſnius, *Hiſt. Angl.*

CENEUM, Eubœæ inſul. promontorium. *Strabo.*

CENEUM, promontorium Eubœæ, à quo Jupiter *Cenæus* appellatus eſt, quòd ibi præcipuè coleretur. Hercules enim ab Oechaliæ expugnatione rediens in eodem loco aram parenti conſtruxit. Ovid. *l.* 9. *Met. v.* 136.

Victor ab Oechaliâ Cenæo ſacra parabat
Vota Jovi. —— ——

Vide *Cenæum.*

CENEUS, Theſſalus, Lapitha, cùm multis interfuiſſet præliis, nunquam tamen lædi potuit. Hinc natum proverb. *Invulnerabilis Ceneus.* Neſtor apud Ovid. *Met. l.* 12. *v.* 169.

—— Veſtro ſua tempora ævo
Contemptor ferri, nulloque forabilis ictu
Cycnus: at ipſe olim patientem vulnera mille
Corpore non læſo Perrhæbum Cenea vidi,
Cenea Perrhæbum, qui factis inclytus Othryn
Incoluit. —— ——

Fuit hic ex fœmina mutatus in virum, ut idem refert Ovidius eôdem locô, & Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 448.

—— Et juvenis quondam, nunc fœmina Cæneus
Rurſus & in veterem fato revoluta figuram.

Lege *Cæneus.*

CENEZ, i.e. *videns iſte*, aut *lamentatio hæc*, ſive *poſſeſſio* aut *emptio hæc*, fil. Eliphaz, Gen. *c.* 36. *v.* 11.

CENEZEI, populi. Gen. *c.* 15. *v.* 19.

CENI, regio Philiſtæorum. 1. Sam. *c.* 27. *v.* 10. in tribu Juda.

CENICENSES, Galliæ Narbonenſis populi. Plin. *l.* 3. *c.* 4.

CENIMAGNI, populi Albionis, in ora Angliæ orientali, Cæſar, *Com. l.* 5. *c.* 21. *Cenimagni* autem nunquam lecti inter Britanniæ gentes. Apud Cæſarem igitur legit Lipſius *Iceni*, *Cangi*, (diviſò vocabulò) Cangos enim vicinos ait fuiſſe Icenis, & capit judicem Guil. Camdenum, qui Britanniæ noſtræ nebulas clarò ingenii ſole illuſtravit, *Ad Annal. Tacit. l.* 12. Hi populi *Baudrando* inter Trinobantes, Catieuchlanos & mare German. ubi pòſt *Eaſt-Anglia*, & nunc Suffolcia, Norfolcia, Cantabrigienſiſque Comitatus. Alii etiam *Simeni.* Vide *Iceni.*

CENINA, urbs Romæ vicina à *Cenino* conditore, *Feſtus.* Incolæ *Ceninenſes.* Pompon. *l.* 3.

CENIONIS, fluvii oſtia habet *Ptolemæus* in latere meridionali Albionis inſulæ.

CENISIUS, mons Italiæ Transpadanæ ex Alpibus Cottiis, ſub Seguſione, in limite Galliæ, inter Sabandiam & Pedemontium, prope Maurianam vallem & agrum Seguſinum. Aliter *Mons Cenerum.*

CENITES, viri proprium, qui Cenınam urbem condidit.

CENITUS, in *L. Sal. tit.* 32. *de Conviciis*: *Si quis alterum cenitum clamaverit*, 600. *denar.* —— *mulctetur*: in *Gloſſis*, eſt *oculum erutum habens*, i.e. unoculus; Goldaſto homo nihili eſt, ex German. *Kein nutz*; Wendelino, quaſi *Ghy niet*, h.e. *Tu nihili*; Carolo verò du Freſne, quaſi *cænoſus*, à *cœno*, i.e. luto conſperſus. Quippe *cænoſum* quendam appellare convicii fuit ſpecies, uti ignominiæ locô habitum cœnô ſordibuſque perfundi, Eccleſiaſtic. *c.* 22. *v.* 1. & 2. Paſchaſius in *Vitis* Patr. *Elephantioſe*, *cœno & luto horride.* Gregorius Turon. *l.* 7. *c.* 14. *Tunc Rex — juſſit ſuper capita eorum projici equorum ſtercora, ipſamque fœtidam urbis lutum.* L. Longobard. *lib.* 1. *tit.* 16. §. 8. *Pervenit ad nos, quòd dum quidam ad ſuſcipiendam Sponſam cujuſdam Sponſi cum paranymphis aut triatingis ambularent, perverſi homines aquam ſordidam & ſtercoratam ſuper ipſum jactâſſent*, &c. Unde Græcis recentioribus κοπρολογεῖν eſt, *ignominia afficere*, ut habetur in *Gloſſis Græco-barbaris.* Vide præfatum Car. du Freſne in *Gloſſar.* *Atrocem injuriam* id vocat Arnobius *adv. Gentes*, *l.* 7. *Stercoribuſque vos accipi inter atroces computatis injurias.* Uti Pop. Rom. Legatos à Tarentinis lotiô reſperſos, *per obſcænam turpemque dictu contumeliam violatos*, ait Florus, *l.* 1. *c.* 18. Dignam prorſus viſam, quæ ingentibus malis expiaretur. Quemadmodum eandem Achaici belli, quô urbs florentiſſima & nobiliſſima Corinthus everſa eſt, cauſam fuiſſe ſcribit Strabo. Vide Deſid. Heraldum *ad Arnobii locum.* Idem itaque hîc *Cenitus* fuerit, quod *fœtidus*, in Charta libertatum Jazeronis oppid. in Breſſia, & *Stercoreus* apud Plautum in *Milite Glor. Act.* 2. *ſc.* 3. *v.* 22.

—— Glorioſus, impudens,
Stercoreus, plenus perjurii, &c.

Sed & Athenienſes, damnatos alicujus criminis, ἀποτηγανίζειν ſolitos, docent Grammatici Græci, ut Lamprid. *in Heliogabalo*, *c.* 13. in Tyrannorum ſtatuis *titulos lutatos* vocat. Idem *ibid.* Vide quoque infrà, *Lutum*, nec non ubi de *Cœno.*

CENNABA, mons in Mauritania Cæſarienſi. Ptol. *l.* 5.

CENNI, German. populi cum quibus Caracalla bellum geſſit, *Xiphilinus.*

CENOMANI, Galliæ Celticæ populi, vulgò *Manſeaux.* Hi & *Aulerci Cenomani* dicti, inter Rhedones, Andegavos, Carnutes & Seſſuos ſiti ſunt. Eorum tractus *le Maine*, provinc. ampla & admodum rigua, inter Normanniam, ad Boream, Belſiam ad Ortum, Britanniam ad Occaſum & Andegavenſem provinc. cum parte provinc. Turonenſis ad Auſtrum. Caput provinc. eſt Subdinum, ſeu Vindinum, alıis Cenomanum, *le Mans.* Vide quoque Cenomani.

CENOMANI, Italiæ Transpadanæ populi, in quorum agro Cremona fuit, & Brixia oppidum. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 1. *c.* 26. His à Septentrione Euganei, ab Ortu Veneti, à Meridie Padus fluv. ab Occidente Inſubres; ubi nunc agri Veronenſis, Mantuanus, Cremonenſis & Brixianus, majori ex parte ſub Venetis. *Baudrand.*

Urbes Cenomanorum Italiæ.

Bergomum, *Bergamo.*	Mantua, *Mantova.*
Brixia, *Breſcia.*	Tridentum, *Trento.*
Crema,	Verona.
Cremona,	

CENOMANUM, urbs Galliæ ad Sartam fluv. ubi Auiſnam recipit, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Turonenſi, 10. leuc. ab Alenconio in Auſtrum 26. à Turonibus abeſt, triginta verò leuc. diſtat à Rhedonibus, totidem à Carnuto. Olim *Subdinum* & *Vindinum*, nunc *le Mans*, Caput provinc. *Cenomanenſis.* Scaliger, Cluver. &c. Una ex antiquiſſimis Galliæ urbibus. Unde vetus illud:

Bourges, Autun, le Mans, avec Limoges,
Furent jadis les quatre villes rouges,

Majoris olim, quàm hodie, famæ: Galliæ Celticæ ſub Carolo M. florentiſſima, Aimoin. *Hiſtor.* Sed à Normannis Anglıſque, ut & plurimis incendiis, gravia paſſa eſt. S. Julianus primus urbis hujus creditur Epiſcopus. Gregor. Turonenſ. *l.* 5. Ducheſnius, *Antiq. des villes.* Anton. Corvaſerius, *de memorabilibus Diœceſ. Cenom.* &c. In hujus territorio Concilium habitum, A.C. 843. annitente Carolô Calvô, cùm quædam contra divinum cultum & auctoritatem regiam eſſent oborta. Item A.C. 1241. Concil. Tom. XXIII. *edit. Reg.* & Tom. VIII. *edit. ult. Pariſ.*

CENON, Italiæ oppid. Antiatum, à Virginio captum. Liv. *l.* 2. *c.* 63.

CENONES, dignitas Eccleſiaſtica, apud Cataphrygas Hæreticos ſeu Montaniſtas; Habebantur illi ſecundô locô, cum primô Patriarchæ, tertiô Epiſcopi ponerentur, Hieronym. *Ep.* 54. *ad Marcellam*: ubi tamen Codices quidam habent *Iconomos*, h.e. Oeconomos.

CENOPURIUM, in veter. Tabula: *Cenophrurium* in *Itiner.* Antonini; melius *Cænophrurium*, καινὸν Φρούριον, apud *Polyb.* munitiſſimum fuit caſtellum, inter Heracliam & Byzantium; in quo gaza Mithridatis. Vide ſuprà.

CENOTAPHIUM, Græcè κενοτάφιον, Papinio Statio *vacuum ſepulchrum* eſt, *Theb. l.* 12. *v.* 160.

Quin ſurgitis, dum tota via eſt, Lernæaque verſa
Nomina (quod ſupereſt) vacuis date orba ſepulchris,
Abſentesque animas ad inania buſta vocatis.

Ubi Vetus Scholiaſtes: *Quod ſolum poteſtis, cenotaphia illis erigite & inſcribite eorum nomina, quod ſervabit penè eos, ut ſepultura.* Unde Auſonius, *in Parentalib. Præfat. v.* 9.

Hoc ſatis & tumulis, ſatis & telluris egenis,
Voce ciere animas funeris inſtar habet.

Quod cùm tam inſcriptionibus monumentorum, quàm vocis vivæ commemoratione fieri poſſet, ſubjicit mox, *v.* 11.

Gaudent compoſiti cineres ſua nomina dici,
Frontibus hoc ſcriptis & monumenta jubent.
Ille etiam mœſti cui defuit urna ſepulchri,
Nomine ter dicto penè ſepultus erat.

Ideoque nomina defunctorum inſculpebant monumentis, ut ſæpiùs lecta eundem effectum haberent. Quod & *Cenotaphiis* apud Papinium Omnes fieri præcipit *loc. cit.* Quâ ſententia extructa fuerunt per totam olim Græciam plurima *Cenotaphia*, h.e. *vacua ut genus monumenta* & ſepulchra, ut videre eſt in *Memorabilibus* Pauſaniæ; qui Argivorum inprimis, bellô Trojanô occiſorum, Cenotaphium memorat *in Corinthiacis.* Sic naufragi *Cenotaphium*, narrat Callimachus *Epigramm.* 2.

—— Ἐν ἁλὶ του φέρεται νέκυς, ἀντὶ δ' ἐκείνου
Οὔνομα καὶ κενεὸν σῆμα παρερχόμεθα.
—— In mari alicubi jactatur cadaver, vice verò illius
Nomen & monumentum inane prætermus.

Virgilius *Tumulum inanem* dixit *Æn. l.* 3. *v.* 303.

Solemnes tum fortè dapes & triſtia dona
Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas cauſam lacrymis ſacraverat aras.

Vide quoque Val. Flaccum, *l.* 5. Suetonius *Honorarium tumulum*, in *Vitis* Cæſarum, *l.* 5. *c.* 1. Lycophron Κενήριον, *in Caſſandra*,

—— —— —— ὡς φθιτῶν δίκης,
Ἀλλ' οὔνομ' αἰακτὸν ἐν κενηρίοις γράφας.
—— —— —— ut juſta demortuis,
Sed triſte nomen, atque ceſpitum notat.

Solebant verò non nomen ſolùm demortui, verùm etiam è qua patria & familia eſſet, adſcribere; quam inſcriptionem *Memoriam* ſive *Monumentum* Romani appellavêre. Vide Iſidorum, *Origin. l.* 15. *c.* 11. Inſuper & pyram accendebant & coronas imponebant, Xenophon *Expedit. Cyri*, *l.* 6. Οὓς δὲ μὴ εὕρισκον, κενοτάφιον αὐτοῖς ἐποίησαν μέγα, καὶ πυρὰν μεγάλην καὶ στεφάνους ἐπέθεσαν. *Quos verò non repererunt, iis* Cenotaphium *extruxêre ingens, & rogum ampliſſimum & coronas impoſuerunt*, &c. Etiam anniverſariis ludis ſtatô die circa illa monumenta, nec non ſupplicationibus publicis, defungebantur, uti idem docet Sueton. *ubi ſuprà.* De quo titu capias Auſonium

nium in Epitaphiis Profeſſor. Burdigalenſ. Tit. XVI. Æmilii Magni Arborii, v. 15.

Hic dives opum, doctoque tibi Cæſare honore
Occumbis patribus Magne ſuperſtitibus.
In patriam ſed te ſedem, ac monimenta tuorum
Principis Auguſti reſtituit pietas.
Hinc renovat cauſam lacrymis & flebile munus
Annua ingratâ religione dies.

Vide Jo. Meurſium ad *Lycophr.* Joann. Kirchmannum *de Funeribus*, l. 3. c. 27. Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Statium l. cit.* ut & hic paſſim, inprimis in voce *Monumentum*.

CENSIO Haſtaria, una ex mulctis militaribus, dicebatur: *cùm militi mulctæ nomine, ob delictum militare, injungebatur, quod haſtas daret.* Quemadmodum enim illi, qui rem egregiè geſſerant, haſtâ purâ donari ſummo honori duxêre, ita viciſſim non exiguæ erat ignominia, haſtam reſignare ac tradere, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 25. Th. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 4. *c.* 3. &c.

CENSITOR, Græcè Τιμητὴς, Ἀπογραφεὺς, Ἐξισωτὴς, vide hic infrà.

CENSOR, Magiſtratus nomen, apud Romanos, qui morum præfecti, bona in cenſum redegerunt, Senatores depoſuerunt, Principem Senatus creârunt, familiarum inſpectores, luxus caſtigatores, &c. Bini primitus, quorum unus Patricius, alter ex plebe, quinquennium præeſſe ſoliti. L. Papyrius Mugellanus, & L. Sempronius Atratinus primi hôc munere functi ſunt. An. Urb. Cond. 311. poſtquam Senatus deprehendiſſet, Conſules bellicis curis diſtractos, hæc civilia curare non poſſe. Vide Cicer. *de Legibus l.* 3. Plut. *in Catone Cenſore.* Liv. Dionyſ. Roſin. *Antiq. Rom. l.* 7. *c.* 10. Salmaſ. *in Flor.* &c. Fuit hic unus de Magiſtratibus Romanis majoribus, & Reipubl. propter diſciplinæ cuſtodiam, cujus ſevera cura Cenſoribus, inter cœtera, ſine provocatione commiſſa fuit, admodum ſalutaris. Præterea ad eorum munus pertinebat, addere Tribus, tueri urbis templa, vias, pontes, aquarum ductus & alia quædam publica ædificia: elocare item vectigalia ac fundos publicanis: pretia quoque ſacrificiorum procurare, alere ſacros anſeres, luſtrum condere, &c. Habuerunt inſuper poteſtatem leges condendi aut abrogandi, & cognoſcendi de certis cauſis, ut matrimonialibus, &c. Equitibus quoque emeritis vacationem dederunt; quæ omnia paucis complectitur, de Cenſorum munere hanc legem proponens Cicer. *de Legg. l.* 3. *c.* 3. *Cenſores populi ævitates, ſoboles, familias pecuniaſque cenſento: Urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor: populique partes in Tribus diſtribuunto: exin pecunias, ævitates, ordines partiuntor: Equitum peditumque prolem deſcribunto: cælibes eſſe prohibento: mores populi regunto: probrum in Senatu ne relinquunto,* &c. Non eligebantur autem ad hoc munus, niſi viri virtute & auctoritate inſignes, & ut plurimùm Conſulares, nec poſt Martium Cenſorinum ulli bis hanc dignitatem capere licuit. Cùm etiam Cenſor moreretur, ad quod inter alia contigit, eô annô, quô Urbs à Gallis eſt capta, infauſtiſſimum habebatur omen: Mamercinus Dictator an. Urb. Cond. 319. poteſtatem annuam & ſemeſtrem fecit: Communicatus fuit Magiſtratus cum plebe an. 411. Liv. *l.* 7. Intermitti cœpit an. 667. ſed tamen an. 693. reſtituta Cenſura eſt: eamque Clodius quoque Tribun. Pleb. lege latâ Cenſuram tantùm non ſuſtuliſſet, teſte Dione, *l* 38. & 40. ac Cicer. *in Piſonem & pro Seſtio*, illa poſtmodum à Q. Metello Scipione Pompeji in Conſulatu collega, denuo Reipubl. integra reddita eſt: viguitque porro uſque ad Decii Imperatoris tempora, uſurpantibus ſibi id honoris ex ipſo Imperatorum numero nonnullis. Unde ſcribit Dio, *l.* 54. de iis, qui poſtremi de privatis perſonis *Cenſores* fuerant, ſub Auguſto Cæſare, tribunal ipſorum, cùm primâ id Magiſtratus die conſcenderent, omine non obſcurô, corruiſſe. Vide infrà. Meminit quoque Halicarnaſſ. *l.* 1. Commentariorum, quos Cenſores in ſua familia reliquerint, & velut ſacra paterna ac gentilitia ad poſteros tranſmiſerint, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 10. Tabularum, quas, cùm Magiſtratu deceſſêre, memoriæ ergò reponebant, in æde Nympharum, meminit Cicero, de Clodio loquens, *in pro Milone, c.* 27. *Qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicam recenſionis tabulis publicis impreſſam aboleret.* Quinquennium eorum *Luſtrum* dicebatur, eò quod ſemel Magiſtratu durante luſtrabant exercitum Romanum, ſacrificiô adhibitô, quod *Suovetaurilia* dicebatur: vide infrà in voce *Luſtrum*. Notari à *Cenſoribus* non erant perpetuò infames: imò duos è Senatu ejectos, poſtmodum ipſos ad Cenſoriam dignitatem perveniſſe, narrant Cicer. *pro Cluentio* & Val. Max. *l.* 2. *c.* 9. &c. Hinc *Cenſorum*, unde *Cenſoria* Comitia; in quibus, ſi creatô unô tempeſtas Comitia diriméret, tum etiam is, qui creatus jam erat, vitioſus cenſebatur: *Cenſoria* lex, vide *ſuprà*. *Cenſoria* virgula Proverb *Cenſorium* funus, &c. Vide præter prædictos Auctores Feneſtellam *de Mag. Rom. c.* 17. Pomp. Lætum, Pancirollum, *l. rer. perdit.* Alex. *Genial. dier. l.* 3. *c.* 27. &c. Addam ſaltem, ſub Imperatorib. *Cenſores* nullos ampliùs fuiſſe, niſi nomine, Cenſoriumque munus, quod in notandis indignis & probroſis poſitum erat, prorſus ceſſaviſſe, ex inſigni loco Tertulliani *de Pallio*, *c.* 4. *Enimvero jamdudum cenſoria intentione epiſcopatû diſperſô, quantum denotatui paſſivitas offert? libertinos in equeſtribus, ſubverbuſtos in liberalibus, deditiios in ingenuis, rupices in urbanis, ſcurras in forenſibus, paganos in militaribus: veſpillo, leno, laniſta, tecum veſtiuntur. Converte te & ad fœminas, habes ſpectare, quod Cæcina Severus graviter Senatui impreſſit: matronas ſine ſtola in publico! denique in Lentuli Auguris conſultis, quæ ita ſeſe exauctoraſſet, pro ſtupro erat pœna: quoniam quidem indices cuſtodeſque dignitatis habitus, ut lenociniis factitandis impedimenta, ſedulò quædam deſuefecerant. At nunc in ſemetipſas lenocinando, quo planius adeantur, & ſtolam & ſupparum & crepidulum & caliendrum, ipſas quoque jam lecticas & ſellas, queis in publico quoque domeſtice ac ſecrete habebantur, ejeravêre.* Vide quoque infrà *Subcenſor*, &c. Alii ab his *Cenſitores*, de quibus aliquid infrà, itidem voce *Luſtrum*, it. ubi de *Numiſmate cenſus*, & *Peræquatoribus*, it. voce *Tributum*.

CENSORINUS, Senator Roman. bis Conſul, bis Prætorii præfectus, bis urbis, Legatus in Perſiam, & Pannoniam, Vir præcipuæ auctoritatis, & bellô clariſſimus. Cùm ſenex rus receſſiſſet, vulneris, tempore Valeriani, in Perſia accepti, curandi ergô, contra Claudium II. Imperator factus, at ob nimium rigorem, paulò pòſt ab iis ipſis, qui Imperatorem elegerant, occiſus eſt. Monumentum ejus, prope Bononiam in Ital. inſcriptum: *Felix ad omnia, Imperator infeliciſſimus.* Ejus familiæ pars in Thraciam, pars in Bithyniam ſe recepit. Trebellius Poll. *addit.* 30 *tyrann. c.* 32.

CENSORINUS, ex nobili familia Manciorum A. C. 238. primò Gordiani Imperatoris *de die Natali* libellum pereruditum & Chronologis utiliſſimum conſcripſit. Recenſuit, notiſque perquam elegantibus illuſtravit Henr. Lindenbrogius Lugd. Bat. 1642. Idem etiam *de Accentu* opus edidit, ſæpe laudatum Sidonio Apollinari, Caſſiodoro, &c. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 3. *de Scient. Mathem. c.* 34. §. 9. *de Philol. c.* 5. §. 8.

CENSORIUS, apud Solin. *c.* 1. *M. Meſſalla Cenſorius & Menogenes è face vulgari, hoc fuerunt uterque quod ſinguli, nec alium Meſſalam quàm Menogenem, nec Menogenem alium, quam Meſſalam putaverunt:* ætate ejus hominem ſignabat honoratum & ἀξιωματικὸν, cui vulgaris & plebejus oppoſitus. Quemadmodum *Cenſorium funus*, à funere vulgari diſtinguebatur, ut alibi diximus. Argutiam itaque captavit Solinus ex antitheſi *Cenſorii* & *vulgaris*, &c. Salmaſ. *ad loc.* Vide quoque infrà in voce *Cenſura*.

CENSUALES, apud Jul. Capitolin. *in Gordiano*, *c.* 12. *Senatuſconſultum tacitum — ita ut non ſcribæ, non ſervi publici, non Cenſuales illis actibus intereſſent, Senatores exciperent,* &c. Miniſtri erant, quorum operâ Magiſtratus Romani, in actis publicis conficiendis, utebantur; quod tandem mutatum eſt ab Arcadio, Honorio & Theodoſio. Vide de iis multa apud Juriſconſultos. Salmaſ. *ad Pollion.*

CENSUM, Eubœæ promontorium in Septentrionem directum.

CENSURA, apud Corippum, *l.* 2.

Adſpexit lætus populos, vultuque modeſto
Circumfuſa videns plaudentûm millia riſit,
Cenſuram ſervans & plebi gaudia donans.

Et *l.* 4.

Conſcendit princeps trabeâ ſuccinctus avitâ,
Regalem dicens auguſtâ fronte coronam,
Cenſuramque piâ ſervans gravitate recedit

gravitas eſt cum dignitate conjuncta. Ita enim ætatis illius Scriptores *Cenſuræ* vocem accepêre paſſim. Unde *oris cenſuram*, quæ Veterib. *oris dignitas*, dixerunt. *Pondus* etiam quidam illô ſenſu uſurpârunt, & *pondus mentis* dixerunt pro gravitate. *Cenſura* igitur hîc ἀξίωμα eſt, item ἦθος, ut in *Gloſſis* exponitur. Poſteà etiam vulgus uſurpare vocem cœpit, pro honeſtate vultus & decore, proque ipſa forma & pulchritudine: unde & *cenſorium hominem* vulgò, qui pulcher eſſet, vocârunt ſicque ab animo ad corpus tranſtulerunt, &c. Vide Salmaſ. *ad Capitolin. in Marco*, *c.* 22.

per CENSUM Manumiſſio, vide in hac voce.

CENSURA Eccleſiaſtica, in lapſos in Idololatriam, vel adulterium, vel hæreſin, vel ſchiſma, vel aliud grave notorium peccatum; aliò nomine *Excommunicatio*, ſic deſcribitur apud Cyprian. *Ep.* 28. *A communione noſtra arceatur, ſe abſtentum à nobis ſciat.* Et *Ep.* 38. *Sciat ſe in Eccleſia nobiſcum non eſſe communicaturum.* Et *Ep.* 52. *Si quis verò ante conſilium noſtrum & ante ſententiam de communi conſilio ſtatutam, lapſis temerè communicare voluiſſet, ipſe à communione abſtineretur,* &c. Vide quoque Ambroſium *in ad* 1. *Cor. c.* 5. *v.* 5. *de Pœnit. l.* 1. *c.* 12. 14. 17. Theodoretum, *Commentar. ad eundem locum*, Alios. Eadem dicebatur *Abſtentio*, *Anathema*, *Maran-atha*, *Traditio Satanæ*, *Projectio ex Eccleſia*, Græcè, Ἀναθεματισμὸς, Ἀφορισμὸς, &c. & adhibebatur, præter retrò dicta crimina, contra fraudes & rapinas, Cyprian. *Ep.* 38. negationem libellaticam, apud eundem paſſim: contra homicidium, Auguſtin. *de Fide & Oper. c.* 19. inceſtum, Concil. Eliberit. *can.* 66. & ſodomiam *can.* 71. contra lenocinium *can.* 12. & 70. Alia. Conſiſtebat autem non ſolùm in excluſione à participatione Sacramentorum, ſed & ejectione ex Eccleſia & communione Fidelium. Neque tamen ſpem omnem veniæ præcipiebat, ut patet ex converſione multorum, eorumque ſolutione ab injecto priùs Anathematis vinculo. Certè terribilis iſta ſententia hanc conditionem includit, quam diſertè enuntiant Patres Concilii Lateran. contra Monothelitas olim, præſide Martinô I. celebrati *Anathematiſmô ult.* *Si quis ſecundum ſceleroſos Hæreticos ... & uſque in finem ſine pœnitentia permanet, hic impiè agens; hujuſmodi in ſecula ſeculorum condemnatus ſit & dicat omnis populus, fiat, fiat!* &c. Præter hanc verò, quam *Abſtentionem majorem* dicere liceat, alia apud Veteres etiam occurrit minùs ſevera, quâ abſtinebantur nonnulli à communicatione, ob culpam non uſque adeò gravem, ut projectionem ex Eccleſia mereri videretur, nec tamen ſine correptione publica prætereundam. Sic, qui per tres dominicas Templum non acceſſiſſet, paucô tempore, Concil. Eliberit. *can.* 21. qui aleâ luſiſſet annuô ſpatiô, *can.* 79. bellatores, trienniô Baſil. *Epiſt. Canon ad Amphiloch. can.* 13. trigami, quinquenniô, *Ibid. can.* 4. à communione arcebantur. Cujuſmodi hominibus nec pars illa pœnitentiæ, quàm ὑπόπτωσιν vocabant, injungebatur. Nihilominus in quolibet delicto contumaces cenſura premebat perpetua, & contumaciâ durante, irrevocabilis. Unde quibuſdam communionem non niſi poſt triginta annorum pœnitentiam redditam legimus, apud Baſilium ubi ſuprà *can.* 7. aliis, non niſi in fine vitæ, Concil. Eliberit. *can.* 13. aliis denique nec in fine, qui pœtentes

tentes quamvis communionem, in exemplum diſciplinæ dimittebantur divinô judiciô, abſque Eccleſiaſtica reconciliatione, ut patet ex eodem Concilio celebrato A. C. 305. paſſim. Quem rigorem poſteà ſuſtulit Synodus Nicæna, his verbis: Καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς οὑτινοσοῦν ἐξοδεύοντος, αἰτοῦντος δὲ μετασχεῖν εὐχαριστίας, ὁ Ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας ἐπιδότω, *Univerſaliter autem & omni unicuique in exitu conſtituto, ac participationem communionis petenti, Epiſcopus præviâ exploratione, eam conferat*, Can. 13. Retinuiſſe tamen & ſequenti eum tempore Eccleſias quaſdam, ut hominibus, poſt peractam ſolennem pœnitentiam reconciliatis, ſi in eadem, aut alia gravia peccata, relaberentur, locum publicæ pœnitentiæ negarent, docet Tertullianus, *de Pœni.* c. 7. & 9. Vide quoque Ambroſium, *de Pœnit.* l. 2. c. 10, Auguſtin. *Ep.* 54. *ad Macedon.* Gratianum *de Pœnit. diſt.* 3. *can. Nihil prodeſt* §. *ex perſ.* Alios: plura verò hanc in rem apud Joann. Forbeſium, *Inſtruct. Hiſtorico-Theologic.* l. 12. c. 3. ut & hic paſſim, inprimis in vocibus *Anathema* & *Excommunicatio.*

CENSUS Populi Romani primus inſtitutus à Servio Tullio, ſexto Rege. Florus, l. 1. c. 6. *Ab hoc populus Romanus relatus in cenſum, digeſtus in claſſes, curiis atque collegiis diſtributus: ſummâque Regis ſolertiâ ita eſt ordinata Reſpubl. ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque diſcrimina in tabulas referrentur, ac ſic maxima civitas minimæ domus diligentiâ contineretur.* Cujus inſtituti utilitatem idem indigitat. l. *ejuſdem* c. 8. cùm ait: *Actus à Servio cenſus quid effecit, niſi ut ipſa ſe noſſet Reſpublica.* Ita enim capita civium omnium numerata & bona æſtimata ſunt, pro diverſa opum uniuſcujuſque & ætatis & artium officiorumque ratione inſtitutâ: ad exemplum fortè ordinis militaris, quò omni caſtrenſium multitudine in legiones, cohortes, manipulos, centurias diſtributa, faciliùs in omnes imperium derivatur. Centuriæ igitur 193. fuêre: At ſupra fidem alicui poſſit videri, cùm pauci fuerint ditiſſimi, plures mediocris fortunæ, plurimi autem tenuiſſimæ, ac proinde horum tanta multitudo in plures centurias, quàm ditiſſimorum illud modicum corpus diſpeſci potuerit, ditiſſimorum tamen plures ab Auctoribus, Livio inprimis ac Dionyſio, quàm cæterorum centurias recenſeri. Verùm Centuriæ ditiorum ex multo minori civium numero conſtitêre, quàm illæ hominum inferioris conditionis: tum ut in ferendis ſuffragiis de Republ. ditiſſimi reliquos ſuperarent: tum ut tributorum onera maximè in eos inclinarentur: tum ut in illoſdem militiæ gerendæ derivaretur onus; à quo ſexta claſſis civium tenuiſſimæ fortunæ immunis erat. Erant autem Ditiſſimorum Centuriæ, illis Equitum & Fabrûm additis, centum: unde adverſùs illorum conſenſum nihil potuiſſe reliquas claſſes, utpote quarum Centuriæ conjunctæ non erant, niſi numero 93. facilè liquet. Orborum viduarumque fortunas à *Cenſu* tum excluſas, nec earum nomine tributa tum exacta fuiſſe, ex Livio eſt manifeſtum. Cujus favoris beneficium nulli idoneæ rationi inniti, exiſtimat Boxhornius.

Populus Roman. in 6. Claſſes, pro diverſitate opum, diſtributus, & claſſes ſingulæ in Centurias, quarum aliæ Juniorum, aliæ Seniorum, hoc modo.

I. Ditiſſimorum, Cenſus Claſſis C^m.	Centuriæ Claſſ. 80. Senior. 40. Junior. 40. quibus additæ 18. Equitum & Fabrorum inſuper duæ.
II. Ditiorum, Cenſus LXXV^m.	20. Senior. 10. Juniorum 10.
III. Divitum, Cenſus L^m.	20. Senior. 10. Juniorum 10.
IV. Mediocrium, Cenſus XX^m.	20. Senior. 10. Juniorum 10. His additæ duæ Tibicinum, Dionyſ.
V. Modicorum, Cenſus XI^m.	30. Senior. 15. Juniorum 15.
VI. Tenuiſſimorum, Cenſus XI^m.	1. Hæc immunis erat à militia & tributis, ad quæ priorum Claſſium centuriæ tenebantur.

Boxhornius *Notis in Florum*, c. 6. l. 1. Et quidem à Regibus primùm, inde Conſulibus *Cenſus* actus eſt. Poſtquam verò totos annos ſeptendecim à Conſulibus, negotiorum mole impeditis, nullus fuerat habitus *Cenſus*: electi Cenſores ſunt circa An. Cond. Urb. 310. in quos pars hæc Conſularis muneris & alia quædam officia transferrentur. In legendo verò inprimis Senatu cenſum ſpectatum fuiſſe, declarat Seneca, *Senatorum*, inquiens, *gradum cenſus aſcendere facit*: quod an inſtituti fuerit antiqui, ambigit Plinius, cùm ait, *in Proœm.* l. 14. *Poſterius laxitas mundi & rerum amplitudo damno fuit, poſtquam Senator cenſu legi cœptus, poſſum ibre vitæ pretia, &c.* Laudatus autem fuit *cenſus* in Senatore, ne ſplendor ampliſſimi ordinis rei familiaris anguſtiis obſcuraretur. Cæterùm ante Auguſtum, *Cenſum Senatorum* ſeſtertium 800. mill. fuiſſe, eumque ab Auguſto ampliatum, docent, Suetonius, c. 41. & Dio. Neque ſolùm ſi quis Senatorium cenſum non haberet, Senator legi non poterat: ſed ſi, poſteàquam lectus eſſet, cenſum labefactâſſet, ordinem amittebat. Cicer. *epiſt. ad Q. Valerium.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* l. 7. c. 5. Neque verò opum ſolùm, ſed & familiarum, & liberorum & puerperiorum *Cenſus* actus eſt, apud Romanos. Qui enim Pater factus eſſet, natum ſibi puerum eum nomine apud Acta profiteri cogebatur; cujus & nomen tabulis publicis inſerebatur. Juvenalis, *Sat.* 9. v. 84.

— — libris Actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri.

Quæ publica liberorum ἀπογραφὴ, apud Ærarii Præfectum, fiebat, uti alibi latiùs dicemus. Sed & tranſvectio equitum *Cenſus* dicebatur: Cùm enim à Cenſoribus equô publicô donarentur equites, horum *qui ſtrigoſum aut malè habitum equum in cenſu agendo duceret, multabatur eô*, A. Gellius, l. 4. c. ult. quem morem deſuetum, poſt longam intercapedinem, revocâſſe Auguſtum Principem, teſtatur Suetonius *in eo*, c. 38. De *Cenſuum Magiſtro*, iiſque qui *Cenſus* agerent curam, vide aliquid infrà, ubi *de Primoribus*: uti de diviſione civium, in Athenarum Republ. *Cenſus* iiſdem ratione, à Solone, inſtitutâ, hic paſſim, in vocibus *Athenæ*, *Eques*, *Pentacoſiomedimni*, *Theta* &c. Addo ſolùm, ut in delectu, ſic etiam in *Cenſu publica*, Valerios, Salvios, Statorios, primô locô, boni ominis causâ, evocari apud Romanos conſueviſſe, quem morem G. Stewechius, *Præfat. in Electa ſua Arnobiana*, l. 4. adnotavit.

CENSUS Eccleſiæ Romanæ in provinciis, quibus colligendis quotannis mittebantur à Pontifice Diaconi, aut Subdiaconi vel Legati, ut ex *Epiſtolis* Gregorii M. Nicolai I. *Ep.* 55. Innocentii III. l. 15. *Ep.* 166. 167. aliis, colligitur; conſtabantur ex liberalitatibus Principum, qui certis præſtationibus annuis regna & terras ſuas, atque adeò, ipſos ſubditos, iis Eccleſiæ Romanæ quotannis exſolvendis, nonnunquam ſponte adſtrinxerunt. Gregorius VII. l. 8. *Ep. ult.* *Carolus Imperator ---- in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras, ad ſervitium Apoſtolicæ ſedis, exceptô hôc quod unuſquiſque propriâ devotione offerebat.* Sic *Cenſus Eccleſiarum in Regno Siciliæ & Campaniæ & Maritimæ*, memorantur in *Bulla Mt.* Nicolai IV, *ann.* 3. Sed & *Cenſus* annui indicebantur, perſolvendi Monaſteriis & Eccleſiis, in ſignum protectionis ſedis Roman. quæ *Juris S. Petri* dicuntur fuiſſe, apud Hug. Flaviniacenſem, ex *Epiſtola* Gregorii VII. è qua patet, ejuſmodi cenſus in Gallia fuiſſe exactos, vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & in voce *Romaſcot.* Apud eundem *Cenſus* B. Olavi, qui & *Votum B. Olavi*, Sueris *Sant-Olafs-Scatt*, cenſus erat, qui à Suecis ad S. Olavi Norvegorum Regis ſepulchrum in Norvegia olim deferebatur; quemque Upſaliam ad ejuſdem Altare ferri præcepit Nicolaus *Alb.* Archiepiſcopus Upſalienſis. Dabant autem *de qualibet ruſtico unam ulnam tela vel ejus valorem: de captura halecum --- de qualibet nave unum mankut: de qualibet nave, quæ vadit Stokolmis cum mercimoniis, unum denarium Suecicum, &c.* uti docet Charta ejus A. C. 1314. deſcripta à Scheffero *ad Chron. Archiepiſc. Upſal.* p. 251.

CENSUS Magiſter, vide infrà *Magiſter*: uti de *numiſmate Cenſus*, voce *Numiſma.*

CENTA, Mauritaniæ Tingitanæ urbs mediterranea. *Ptol.* Hodiè *Benibahalud.*

CENTALE, oppidul. Pedemontii, recèns munitum, ad amnem Maleam, prope Marchionatum Salutiarum, cujus etiam pars fuerat anteà. Medium ferè inter Cuneum & Savilianum.

CENTARETUS, Galata quidam fuit, qui Antiochô Rege occiſô, equô ejus potitus, eum ovans conſcendit; quod ille indignè ferens, præceps in abrupta deſilit, unàque cum ſeſſore exanimatus eſt, Plin. l. 8. c. 42. *Cintaretum* vocat Solinus, c. 45. *Cum prælio Antiochus Galatas ſubegiſſet, Cintareti nomine Ducis, qui in acie ceciderat, equum inſiliit ovaturus, iſque adeò ſprevit lupatos ut de induſtria cernuatus, ruinâ pariter & ſe & equitem affligeret.* Ubi *cernuatum* ait equum hunc: *Cernuat* autem vel *cernuatur* equus, qui pedibus prioribus deficientibus in faciem ruit. At equus *Centareti* non ſimpliciter cernuatus eſt, & Antiochum domini interfectorem ſolo effudit, ſed ore contumaci abreptus domitus frænis per abrupta præcipitem traxit, ſeque unà exanimavit, ut clarè Plinius ait. Niſi fortè *cernuari* hôc locô Solinus poſuit pro, in præceps ſe dare & per abrupta ruere capite pronô, ut faciunt petauriſtæ: uti Recentiores hoc verbum paſſim uſurpant. Salmaſ. *ad Solin.* p. 894. Κυβιστητής idem Æliano dictus eſt, &c.

CENTAURI, Theſſaliæ populi ſecus Pelion montem habitantes, qui primi equos domare, & ex iis pugnare cœperunt: quò factum eſt, ut à vicinis populis primùm conſpecti, membra partim humana, partim equina habuiſſe crederentur. Vide Plin. l. 7. c. 56. De horum origine ſic fabulantur Poëtæ. Ixionem ſcil. à Jove Deorum menſæ adhibitum, Junonis amore captum fuiſſe, eamque de ſtupro interpellâſſe. Quod cùm illa viro ſuo indicâſſet, Jovem Ixioni Nubem ſubjeciſſe, in uxoris imaginem transformatam, eamque Ixionem pro Junone compreſſiſſe, & ex ea Centauros generâſſe, qui inde *Nubigenæ* dicti ſunt. Cui fabulæ anſam præbuiſſe videtur caſtellum nomine Νεφέλη, Centaurorum ſedes, νεφέλη enim Latinè *nubem* ſonat. Hi cùm in nuptiis Pirithoi vinô madentes ſponſam rapere conarentur, à Theſeo & Lapithis partim cæſi, partim in fugam acti ſunt. Iidem & *Hippocentauri* dicti ſunt, quòd equis inſidentes boves œſtris agitatas ſtimulis ad tecta revocarent, eſt enim κεντεῖν *ſtimulare*, & *pungere*. Centaurorum verò, qui à Poëtis maximè celebrantur, nomina ſunt hæc: Chiron, *Eurytus*, *Amycus*, *Gryneus*, *Rhœtus*, *Arneus*, *Lycidas*, *Medon*, *Pheſenor*, *Caumas*, *Mermeros*, *Pholus*, qui ſuſcepiſſe Herculem hoſpitiô dicitur. Lucanus, l. 6. v. 391.

Hoſpes & Alcidæ magni Phole. — —

Eos ab Hercule victos interfectoſque oſtendit Diodor. Siculus. Aliî ſic narrant: Cùm Hercules à Pholo Centauro hoſpitiô exciperetur, *Centauri* priùs *Amyræ*, poſteà *Leleges* dicti, dolium vini optimi defoſſum extulerunt, quod eà illis lege Bacchus dederat, ut cùm Hercules illàc tranſiret, illud effoderent: ipſi verò ebrii facti & ad rapinas converſi ad unum omnes cæſi ſunt. Vide Polyænum, l. 1. *Hercules*, *Com.* 1. Alii non omnes cæſos, quin ipſum bis cum centauris pugnâſſe prodiderunt: Primò cùm Hippodamia nupſit Pirithoo, deinde cùm *Eurytus* ab Oeneo hoſpitiô exceptus, nihil Deos hoſpitales veritus, vim inferre Dejaniræ conatus eſt, quas fabulas Ovidius prorſus confundit. Palæphatus de Centauris: c. 1. Τὸ μὲν ὄνομα ἔσχον ἀπὸ τῶν ... οἱ Κένταυροι, ὅτι τοὺς ταύρους κατηκόντισαν. Eos autem in numero τῶν ἀπίστων, h. e. *Incredibilium* haberi jubet: Εἰ δὲ τοιοῦτον, inquit, θηρίον γένοιτο, ἀδύνατον ... ὅτι ἡ φύσις ... ἵππῳ καὶ ἀνδρὶ, ... Eadem Lucretii mens, l. 5. v. 876.

Sed

Sed neque Centauri fuerunt, neque tempore in ullo
Eſſe queunt duplici naturâ & corpore bino,
Ex alienigenis membris compacta poteſtas.

Eorum meminit Lucanus, *l. 6. v. 386.*

Hic ſemiferos Ixionidas Centauros
Feta Peléthroniis Nubes effudit in antris.

Inde *Semihomines* dicti, Ovid. *Met. l. 12. Fab. 6. v. 536.* Viſum à ſe allatum in melle Centaurum, ex Ægypto affirmat Plinius, *l. 7. c. 3.* ubi & Claudium Cæſarem ſcripſiſſe prodit, *Hippocentaurum in Theſſalia natum eôdem die interiiſſe.* Vide & Plut. *in conv. 7. ſap.* D. quoque Hieronymus *in vita Pauli*, tradit, Antonium ad Paulum Eremitam pergentem, *conſpexiſſe*, ut ipſe loquitur, *hominem equo mixtum, cui opinio Poëtarum Hippocentauri nomen indiderit.* Sed poteſt hoc ſpectrum fuiſſe, rectè itaque ſubjungit Patrum ille doctiſſ. *Verum hoc utrum Diabolus ad terrendum ſimulaverit, an, ut ſolet, eremus, monſtruoſorum animalium ferax, iſtam quoque gignat beſtiam, incertum habemus.* Vide Hieronym. Magium, *l. 1. Miſcell. c. 10.* ubi de Centauris proliſè diſputat. Mythologi, fabulâ hâc, hominem corporearum illecebrarum violentiâ in ferinam naturam degenerantem, repræſentari volunt. Vide Pſalm. 32. *v. 9.* Alex. Roſſæum, *in Myſtagogo Poët.* &c. *Nic. Lloydius.* E marmore eorum ſimolachra, inter ſpectatiſſimorum Artificum opera fuêre. Phidias enim *in ſcuto Minervæ, Amazonum prælium cælavit intumeſcente ambitu parmæ, ejuſdem concava parte Deorum & gigantum dimicationem, in ſoleis verò Lapitharum & Centaurorum*, &c. Plin. *l. 36. c. 5.* Sic inter Myronis monumenta, Aſinius Pollio ſpectari voluit *Centauros Nymphas gerentes*, Ibid. Plura de *Centauris*, vide apud Caſpar. Barthium, *Notis ad Papinium Statium paſſim.*

CENTAURI Cyprii, in Bacchi copiis, quos cornutos paſſim deſcribit Nonnus, *Dionyſiac. l. 5. v. 614.* & *l. 14. v. 193.* & *l. 32. v. 71.* & natos fingit è Jovis ſemine in terram ſparſo, tum cùm Paphiæ Veneris amore arderet, naves videntur fuiſſe è Cypro Inſul, quam *αὐτὴν πρὸς ναυπηγίαν τῆς νεῶν, ad navium & claſſium fabricationem*, valde commodam *Strabo* aliique teſtantur. Unde &, *trabem Cypriam*, pro quavis nave Horatius uſurpat, *l. 1. Od. 1. v. 13.* Naves certè ſæpe *Centauros* vocari, propter Centauros pro *ἐπισήμῳ* proræ appictos, conſtat ex Æneidos, *l. 5. & 10.* ut thalamegon ſuam Veneti hodieque *Bucentaurum* vocant. His affinguntur cornua, quia in nave ſic vocantur antennarum extremæ partes. Idem *Æn. l. 3. v. 549.*

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

Et Ovid. *Met. l. 11. Fab. 10. v. 482.*

Ardua jam dudùm demittite cornua, Rector
Clamat; & antennis totum ſubducite velum.

Jovis ſemen in terra ſparſum, circa templum Veneris Paphiæ, unde *Centauri* hi nati, glandes ſunt, quæ non minùs ac quercus Jovi ſacræ. Nempe ex glandibus natæ ſunt, circa Paphum & Papho proximum Acamantem, plurimæ quercus, claſſium materies: Quam ob cauſam Geographus, *l. 14.* ibi deſcribit *ὕλην πολλήν, plurimam ſylvam.* Inde *Sphagnos Cyprius* Plin. *l. 12. c. 23.* quâ voce notantur in quercu cani villi odore præſtantes, &c. Sam. Bochartus, *Hieroz. Part. poſter. l. 6. c. 10.*

CENTAURII, apud Aſſerum A.C. 851. iidem qui Cantiani.

CENTAUROPOLIS, urbs Theſſaliæ apud Tempe, in monte Oſſa. *Procopius.*

CENTAURUS, nomen navis ſic dictæ, quod Centaurum habuerit inſigne. Virg. *Æn. l. 5. v. 122.*

Centauro invehitur magnâ:

Ubi Servius ait ſubaudiri debere *navi*. Hinc adjectivum *Centaureus.* Horat. *l. 1. Carm. Od. 18. v. 7.*

At ne quis modici tranſiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa ſuper mero
Debellata. ——— ———

Hinc etiam *Centaureum* herbæ genus, & pluralis numeri *Centaurea.* Virgil. *Georg. l. 4. v. 270.*

Cecropiumque thymum & graveolentia Centaurea.

Et ante eum Lucretius, *l. 4. v. 123.*

Abrotonique graves & triſtia Centaurea.

Herbæ hujus meminit Nicander *in Theriacis*, uti videre eſt in his:

Πρώτην μὲν Χείρωνος ἐπαλθέα ῥίζαν ἑλέσθαι
Κενταύρου Κρονίδαο φερώνυμον, ἥν ποτε Χείρων
Πηλίου ἐν νιφόεντι κιχὼν ἐφράσσατο δειρῇ.
Τῆς μὲν ἀμαρακόεσσα χύδην περιδέδρομε χαίτη,
Ἄνθεα δὲ χρυσέοισι φαείνεται, ἡ δ' ὑπὲρ αἴης
Ῥίζα, καὶ οὐ βυθόωσα Πελεθρόνιον νάπος ἴσχει.

Vide ſis ibi *Scholiaſten. Nic. Lloydius.*

CENTENA, in *lege 3. Codicis Theodoſiani de Cohortalibus* & *lege 7. eodem. Codicis de Agent. in rebus*, dignitas *Centenarii* ſeu gradus in Schola Agentium in rebus, ad exemplum militiæ armatæ, proximus Principi agentium, apud Eund. In *Decretione* Chlotarii Regis alibique paſſim, *Centena* pars Comitatus eſt aut regionis, nam ſinguli Comitatus, Pagi ſeu Territoria, dividebantur olim in Vicarias, Vicaria in *Centenas*, Centena, in Decanias, in quibus minores Judices erant Vicarii, *Centenarii*, Decani. Quod inſtitutum ad latrones primùm arcendos, auctore Chlotario, ex *Decret.* modò dicta, valuiſſe, collegit Car. du Freſne. Auctor certè eſt B. Rhenanus *Rerum Germanic. l. 2.* hodieque proximè Heidelbergam apparere *Centenæ* veſtigium in aliquot locis, & manere vocabulum. His *Centenarii*, ut dictum, præerant, quibus ipſi præerant Comites, qui in vitam eorum ac mores inquirebant, *L. Langob.* ac interdum cum iis in rebus majoris momenti conſultabant, ut eſt in *Capitulis* Caroli M. *l. 2. c. 28.* Belli tempore, *Centenarii* munus erat, centenæ ſuæ milites in aciem educere, *LL. Wiſigoth. l. 9. tit. 2. §. 3.* Præſertim verò eorum cura fuit, ut diſtrictus à latronibus, furibus aut prædonibus, purgarent, ex *Capitulis* Caroli C. *tit. 11. p. 111.* Denique in publicis Actis interdum nomen, perinde ac Comites, ſubſignabant. vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & in voce *Centenarius*: inprimis verò Jac. Cujacium *ad l. 1. Cod. de exaction. Tribut.*

CENTENARIA Forma, apud Lamprid. *in Alexandro Sev. c. 39. formas binarias, ternarias & quaternarias & denarias etiam, atque ampliùs uſque ad bilibres quoque &* centenarias, *quas Heliogabalus invenerat, reſolvi præcepit: atque ex his formis materia nomen inditum eſt.* Nempe locô *centenariarum* formarum, quas invenerat Heliogabalus & quæ in uſu verſabantur, poſtquam juſſu Alexandri reſolutæ ſunt, nomen ipſum remanſit, quod materiæ nomen impoſitum eſt: Nam *Centenarium*, pro centum libris dici cœpit: cùm tamen minimè reperiretur nomiſma *centenariâ formâ cuſum*; cujuſmodi formas invenerat Heliogabalus, quibus *centenaria* cuderentur, aurei nummi, quorum quilibet 100. aureorum vulgarium pondus haberet ac pretium. In poſterum itaque *Centenarium* dici cœptum, quidquid 100. librarum ponderis eſſet. Sic *Centenarium*, de 100. libris frequenter uſurpant Hiſtorici & Græci præcipuè ſequioris ævi. *Cod. de curſu publ. l. 12.* *Centenariorum auri* fit mentio, quæ hippocomi in ſacculis ferebant: qua lege cavetur, ne 60. libras ſella cum frenis, ſexaginta itidem averta non tranſeant, *exceptis auri Centenariis, quæ neceſſe eſt ab hippocomis in ſolitis ſacculis reportari.* Ubi *Baſilic.* ὑπεξῃρημένου δὲ τοῦ χρυσοῦ κεντηναρίων. Aurum ſcil. largitionale intelligitur, quod veredis imponebatur, & in ſacculis hippocomi ferebant, ſi quando deſtinaretur ad comitatum Principis & ſacris largitionibus inferendum portarent. Quot autem auri publici *Centenaria* uni veredo imponerentur, conjicit Salmaſius ex *l. 30. Cod. Theodoſ.* quâ ſanxerunt Valentinianus, Valens & Gratianus A. A. A. *ut nemo ampliùs rhedæ, quàm mille pondo, angariæ, quàm mille quingenta, veredo, quàm trecenta, auderet imponere*: quæ trecentorum pondo ſumma tria *Centenaria* efficit. Vide eum *Not. ad Lamprid. loc. cit.*

CENTENARIÆ Cœnæ, dictæ olim, in quas ex lege non plus *centuſſibus*, præter terrâ nata, impendebatur, auctore *Feſto.* Dictæ ſic ſunt à lege Licinia, vide *ibi.*

CENTENARIÆ Roſæ, apud Tertullian. *de Coron. Milit. Uti nunc laurea & myrtea & olea, & illuſtriore quoque fronde, & quod magis uſui eſt*, centenariis *quoque roſis ex horto Midæ lectis*, &c. Rhenano illæ ſunt, quæ *centifolia* Plinio, *l. 21. c. 4.* & *ἑκατοντάφυλλα ῥόδα* Theophraſto. Sed *centifoliam* in coronas addi (præterquam extremos velut ad cardines,) ut nec odore, nec ſpecie probabilem, negat Plinius. Et Tertullianus, ex horto ſeu roſeto Midæ has roſas lectas fuiſſe ait. At in eo nullæ *centenariæ* ſeu centifoliæ, ſolæ ſexaginta foliorum provenerunt, & quidem cæteris omnibus odoratiores, & pulchriores. Itaque Paſchalius *ſpontaneis* legit *d. l.* ſic enim vocabantur roſæ Midæ, Græcis *αὐτόματα ῥόδα*, vide Herodot. *Uraniâ 8.* & Dracont. *de oper. VI. dier.* Nec obſtat, quod dici poteſt, *Centenarium* numerum eſſe ſymbolum caſtitatis, uti diſcimus ex hiſce Hieronymi *ad Lætam l. 2. Ep. 15. Sit in gremio aviæ, quæ repetat in nepte, quidquid præmiſit in filia; quæ longo uſu didicit nutrire, ſervare, docere virgines. In cujus coronam centenarii quotidie numeri caſtitas texitur.* Nihil enim hîc aliud vult Hieronymus, quàm virginem hanc mereri centuplicem fructum caſtitatis ſuæ, &c. Vide Car. Paſchalium *Coronar. l. 3. c. 7.*

CENTENARII, vide ſuprà in *Centena*, ac *Centenarius* & infrà, in voce *Miſſum.*

CENTENARIUM, pro *Centenaria forma*, de qua modò. In *Chron.* Caſauricenſi, *l. 4. Inſtituit, ut pro unoquoque fratre defuncto fiat Centenarium (ſeu in) hoc modo in à die obitus uniuſcujuſque Fratris pitantia de pane & vino & cæteris cibis, coridie in menſa Abbatis ponatur:* Officium eſt centum miſſarum, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Apud eundem, *Centenas* evolvere, in *Actis* S. Cæciliæ Virginis & Martyr. h. e. centenos fuſtium vel flagellorum ictus, inter ſupplicia Martyribus irrogatos, &c. An *Centenarii* nota lunula fuerit Patriciorum, vide infrà *Lunula.*

CENTENARIUS, belli & pacis miniſter; hîc regiunculæ Judex, illic manipuli Præfectus: nec diverſus olim, ſed ex viciſſitudine munus utrumque obiens. Apud Romanos Centumvirales Judices his aliquid ſimile habebant, ſed Gothorum propriè & Germanorum id inventum eſt, qui Comitum territoria per *Centenas* ſive *Centurias*, (Tacito, *in Germ. c. 6.* pagos) dividebant, ſingulos ſingulis præficientes, *Centenarios* inde & *Centuriones* appellatos, Francis *Centones.* Dicti *Centuriones*, quòd centum præſint militibus, Iſidor. *Orig. l. 9. c. 3.* Nominis ratio à numero emanavit, de numerato tamen non ubique convenit. Germani, quod è ſingulis pagis centum milites conſcriberent, conſcriptos *Centenos* vocabant & *Centenarios*: conſcriptionis locum *Centenam*, *Centuriam* & *Centuriatum* (quod potius ad Centenariorum munus & ſodalitium referendum eſt) præfectum, *Cengravium*, i. e. Centenæ præpoſitum. Gothi, Franci, Longobardi, meliùs hoc fortè retinuerint, quàm Anglo-Saxones, ut infrà in *Hundredus*, quod idem illis eſt cum *Centena* & *Centuria.* Primò autem dictus eſt *Centenarius*, unuſquiſque ex eadem Centena, demum Præfectus tantùm, cujus claſſem partim & ordines noveris ex Wiſigothorum legibus, *l. 2. Tit. 2. l. 26.* Et *l. 9. Tit. 2. l. 1.* &c. apud Spelmannum *Gloſſar.* Evocabat ſuperior quiſque

inferiores, regebatque in militia juxta caſtrenſem diſciplinam, in pago juxta forenſem. Nam & ſuo foro adornatus eſt *Centenarius*, ſed inter judices minores ſemper habitus. Priſca ejus juriſdictio liquet è Capitular. Caroli & Ludovici Imperator. *l.* 4. *c.* 56. & è lege Caroli M. tam in Longobard. *l.* 2. *Tit.* 52. *l.* 3. quàm Capitulas. *l.* 3. *c.* 79. exhibitâ. Celebravit autem apud Germanos *Centenarius* generalia placita ter in anno: ordinaria, vel à ſeptem in ſeptem noctes: vel quando pax in provincia melior, poſt 14. noctes. Apud Anglos bis in anno, nempe circa feſtum S. Michaëlis & Annunciationis beatæ Virginis, generalia perficiuntur placita, Angl. *Hundred Courts*, ordinaria à 3. ſeptimanis in tres. Prætereà apud hos *Centenarii* dicuntur liberi Poſſeſſores ſeu Tenentes, qui in *Centena* degunt, Angl. *the Freeholders*, & ſunt hi ipſi in *Centena* curia Judices (Centumviralia Romanorum judicia imitati) quos & Tacitus, *loc. cit.* Centenos *Comites* vocat, qui addit, illos niſi armatos non agere, quod etiam Anglorum *Centenariis* olim religioſè obſervatum. Plura vide apud ſuprà memoratum Spelmannum, it. Cl. Ottonem JCtum, *Notis ad B. Rhenanum Rer. Germ. l.* 2. *p.* 271. & in voce *Hundredus*: de *Centgravio* autem Munſter, *Coſmogr. l.* 3. *c.* su. &c.

CENTENIONALIS Nummus, ſeu *Centenio*, *l.* 1. & 2. Cod. Theodos. *Si quis pecun. conſl.* Caſaubono, Salmaſio, aliis, idem eſt cum *Centenario* aureo, ſic dicto ab Heliogabalo, quòd *centum aureos* ſive ſolidos, h. e. libras auri dum, excurrentibus 4. aureis, conficeret, quo de ſuprà. Jac. verò Gothofredo, *minutula* fuit *pecunia*, ut loquitur Valerianus *Ep. ad Aurelianum*; ſic dictus, ut *bimo*, qui *dinummo* redditur in *Gloſſar.* Latino-Græco, conſectque ejus ſententiâ centum æreos ſeu ſtipes. Unde fit, *Majorinas* ſeu majores, & *Centenionales communes*, vetitos oſtendit *Lex* 1. quæ eſt Conſtantii: alteram, quæ eſt Honorii & Arcadii, *Centenionalem tantùm nummum*, *in converſatione publica*, *tractari* præcipit, *Majoris pecuniæ figuratione ſubmotâ*, apud Car. du Freſne, *in Diſſertat. de inferioris ævi Numiſm.*

CENTESIMA uſurarum, apud Romanos dicta eſt quòd menſe quôvis pars aſſis centeſima, ſeu unus in centum, decem in mille, pro uſu pecuniæ alienæ merces præſtaretur. Hanc, cùm ad publicorum vectigalium modum concepiſſent nomen fructus pecuniæ privatæ, ſtatuerunt velut fontem & caput, unde omnia, quibus tot commodorum pecuniæ fœneraticiæ minora genera intelligerentur, vocabula, veluti rivuli, emanarent: & quòd viderent, eam anneas hujuſmodi partes duodecim, qui numerus unciarum aſſis eſt, parere, juſſerunt illam ad inferiora ſeſe habere, tanquam aſſem, in quem omne ſolidum partiebantur; ne, quod uſuræ nomine promiſſum diſtaret tantum à centeſima, quantum unciæ, ſextantes, quadrantes, &c. ab aſſe, ab his partibus aſſis vocitaretur: ad ſuperiora, tanquam aſſem unum ad plures: ſic pro dupondio *binæ Centeſimæ*, pro treſſis ternæ, ac deinceps: omnia ex eo, quod menſtruum redibat. Acquirere autem *Centeſimæ* nomen cœpêre, non in ſignato demum, ſed etiam in gravi ære, contra quàm ſenſit Salmaſius, atque in argento etiam dein tenuêre. Vide Gronovium *de Pec. vet. l.* 3. *c.* 13. Malè confunduntur *Centeſimæ*, ita enim frequentiùs Romani loquuti ſunt, cum fœnore unciario: *Centeſimæ* namque ſunt, cùm centeſima pars ſortis; unciæ, cùm duodecima pars centeſimæ; ſemunciæ, cùm ejus viceſima quarta pars; trientes, cum tertia; ſemiſſes cùm dimidia: beſſes cùm duæ tertiæ uſurarum nomine ſingulis menſibus debentur: hoc eſt, in centenos annui vel duodecim, vel unus, vel dimidiatus, vel quatuor, vel ſex, vel octo nummi, &c. Ab hac *Centeſima* Latinos. Græcorum Ἑκατοστὴ, cujus apud illos ſolùm Hiſtoricos, qui ſub Romano Imperio ſcripſerunt, mentio fit, orta eſt. Non enim ad eum fœnoris modum venêre Romani illô demum tempore, quô negotiatores Romani generis & publicani in Græcia Aſiaque fœnus exercentes appellatione Ἑκατοστῶν in illis locis magis pervulgatâ libentiùs eam rem exprimere ſoliti ſunt, ut quibuſdam videtur: Sed ipſi nomen *Centeſimæ* Græciæ Aſiæque incognitum, primi eò intulêre. Certè de unciario fœnore lex perlata eſt an. Urb. Cond. 396. C. Marciô Rutilô, Cn Manliô iterum Conſulib. 100. propemodum annis, antequam bellô Punicô primò in Siciliam tranſcenderunt. At quomodo unciarium fœnus potuit appellari, ſi ignorabatur *Centeſima*? Imò non dubitat retro laudatus Gronovius, ante ſacrum Montem Meneniumque Agrippam ſanguinolentas *Centeſimas* tenuiores agris paternis atque avitis exuiſſe: Hinc bonorum virorum ingratiis, prævalente plebis potentiâ, leges de unciario & ſemunciario fœnore rogatæ fuêre. De fœneratorum artibus, qui cùm centeſimas tantum haberent in ſyngrapha, quaternis centeſimis fœnerari ſolebant, vide eundem, *p.* 474. & *ſeqq.* aliquid etiam infrà, voce *Siliquaticum*.

CENTESIMATIO militum, Opilio Macrino inſtituta legitur, apud Jul. Capitolin. *c.* 12. *Milites ſæpius decimavit*, *aliquando etiam centeſimavit: quod verbum proprium ipſius eſt*, *cum ſe clementem diceret*, *quando eos centeſimaret*, *qui digni eſſent decimatione*, *vel viceſimatione.*

CENTIMALUS Cornelius, vide *Cornelius.*

CENTINUM, Umbrorum urbs in Italia. *Stephanus.* Hodiè *Sentinum.*

CENTO, cum *cilicio*, confunditur Servio ad hæc *Virgiliana*, *l.* 3. *Georg. v.* 312.

> ------ ------ *Setaſque comantes*
> *Caſtrorum in uſum & miſeris velamina nautis.*

Aït enim, *quia de ciliciis polluntur lorica & teguntur tabulata turrium*, *ne pulſis facibus ignis poſſit adhærere.* At cilicia de pilis caprarum fiebant, *centones* vero ex lana coactili. Nec ciliciis, ſed *centonibus*, tegebantur tabulata turrium & puppium turres, ut igni reſiſterent. Ita namque Plin. *l.* 8. *c.* 48. *Lanæ & per ſe coactæ veſtem faciunt*, *& ſi addatur acetum*, *etiam ferro reſiſtunt*, *imò etiam ignibus.* Cilicia verò laxè ſuſpenſa obtendebantur, ad telorum ictum. Certè apertè Siſenna Ciliciorum & Centonum uſum ſeparat, apud *Nonium*: *Puppes aceto madefactis centonibus integuntur*, *quos ſupra perpetua claſſis ſuſpenſa cilicia obtenduntur*, ex *Hiſtor.* ejus *l.* 4. Nempe *Centones* firmitate, *Cilicia* laxitate ſuâ, adverſum tela valebant, &c. Ex iſtiuſmodi porro *Centonibus* tunicas & tegmenta ſibi parabant milites, ad tela vitanda, quos πιλωτοὺς θώρακας dixêre Veteres, *Sagginovarios* recentiores Græci, Salmaſ. *ad Solin. p.* 486. Alia vocis notio apud ceteriuis ævi Scriptores eſt. In Poeſi *Centones*, haud abſimiles parodiæ ſunt. *Deducitur enim ſenſus alius à ſenſu priſtino verſuum*, *hic parodiam refert*, *quorum verſuum membra hinc inde collecta quum aſſuantur*, *rhapſodias nomen repræſentant*, *atque idcirco centones appellati ſunt*, *à centonibus quibus ſunt ſtragula.* *Tale apud Auſonium Poema valdè ingenioſum & lepidum*, *ex fruſtis Virgilianis coagmentatum.* *Tale etiam Probæ Poetriæ Chriſtianæ*, Jul. Cæſ. Scaliger, *Poetices l.* 1. *c.* 43. &c. Nec omittendum, quòd *Centones* & Saga ſervis tribuit *Columella*, &c. Nomen quod attinet, quibuſdam eſt à voce *centum*, quòd ex variis panniculis & diverſis etiam coloribus conſarcinata veſtis ſit. *Euſtathio* verò à Græco κεντεῖν, *pungo.* Propriè certè *Cento*, quod multiplicibus punctionibus ſuitur, &c.

CENTOBRICA, Celtiberorum urbs. Val. Max. *l.* 5. *c.* 1. *ex.* 5.

CENTODEMUM, Thraciæ locus in Myſia inferiore, *Procop.*

CENTON, Thraciæ Caſtellum ibidem. *Idem.*

CENTONARII, in *Cod.* Theodos. *tit. de Centonariis & Dendrophoris*, ubi in *l.* 1. Conſtantinus ſtatuit, *ut*, *in quibuſcunque oppidis Dendrophori fuerint*, Centonariorum *atque Fabrorum corporibus adnectantur*: *quoniam hæc corpora frequentiâ hominum multiplicari oportet*: qui ſint, in liquido non eſt. Nam fuiſſe eos, qui *Centones* conficiebant, dici vix poteſt; quid enim commune tales Artifices habent cum Fabris Tignariis & Ferrariis, Dendrophoris item, quibus ferè ſemper adjunguntur, in veterib. Inſcr. apud Gruterum. Niſi ne eſſent, qui in caſtris tabernacula conficerent. Eoſdem præfectos cum præfatis Artificibus habuiſſe, ex eodem Grutero conſtat 36. 12. 45. 8. eoſdem Patronos 457. 1. eoſdem denique Magiſtros Quinquennales, 261. 4. Mentio eorum quoque, *l.* 161. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Videque quoque Jac. Gothofredum *ad B. cit.* Spalati hanc *Inſcr.* notavit Sponius, *Centonariorum* memoriam ſervantem:

> AUR. QUINTIANUS DEC.
> COLL. FAB. ET CENT. QUI
> VIXIT. ANN. P. M. LI. MENS.
> V. D. --- VIVUS SIBI POSUIT
> ET AUR. IAENUARIAE CON-
> IUGI SUÆ COT. SI QUIS
> ÆAM ARCAM POST MOR
> TEM EORUM APERIRE VO
> LUERIT INFER. DECURIAE
> MEAE. X. XXV.

Vide eum *Itiner. Part.* 3. *p.* 81.

CENTORES, Scythiæ populi. Val. Flac. *l.* 6. *v.* 150.

> *Impulit & dubios Phryxei velleris ardor*
> *Centoras*, *& diræ magicè terrore Choatras.*

Melæ *Eſſedones*, *l.* 2. *c.* 1.

CENTRITES, fluvius, qui Armeniam à Carduchis dividit. *Xenoph.* inter Mediam & Armeniam eum fluere ſcribit *Diodorus.*

CENTROBARICA, pars Statices, de qua infrà.

CENTRONES, populi Galliæ Narbonenſ. verſùs Alpes Grajas, ut hodie dicuntur, in Sabaudia. Hos, cum Garocellis & Caturigibus exercitum ſuum itinere prohibere conatos, compluribus prælis pulſos à ſe eſſe ſcribit, Cæſar *Comm. l.* 1. *c.* 10. Etiam Straboni noti ſunt, ſupra Salaſſos, in verticibus montium, *Plinio* item, *l.* 3. *c.* 19. & *l.* 11. *c.* 42. Illorum regio & urbs Tarantaſia, vulgò *Le pays de Tarentaiſe*, teſtibus Marlianô, Vigenereô & Tſcudô, ubi Centronum pagus vulgò *Centron* vel *Sentron*, inter Auguſtam Prætoriam, 12. & Genevam 14. leuc. viſitur. *Ferrar.* A Foro Claudii Aximam petenti ad dextram procul à via viſendum ſe præbet. Quidam tamen Bergintrum *Sentron* eſſe putant, quod à Tarantaſia 18. mill. paſſ. abeſt. Eorum urbes apud *Claudium Ptolemæum* Axima, hodiè vicus magnus *Eſme* vel *Aime* dictus, 4. leuc. à Foro Claudii & primaria Forum Claudii, *Mouſtier en Tarentaiſe*, urbs Archiepiſcopalis ad Iſaram fluv. quæ illam dividit interfluitque: à Claudio regionis præfecto, qui ibi jus dixit, appellata: poſteà tamen Darantaſiæ nomen aſſumpſit, ſeu Tarantaſiæ, quod non urbi modò, ſed etiam toti tractui Alpino Centronum eſt attributum. Habet hæc urbs Metropolis ſedes ſub ſe duas, Sedunenſem ac Auguſtanam, & pleriſque à veteri aliquo monaſterio *Monaſterium* vocatur; unde *Moter*, *Mouſtier* vel *Mouſtiers* dicitur: Olim verò ipſa Viennenſi ſedi fuerat ſubjecta. Huic *Centronicæ* Alpes: Caſeus apud Centrones Vatuſicus, à Vatuſia vel Vatuſio, hodie locu ignoto, olim nobilis. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CENTRONES, Belgii populi olim ſub Nerviorum imperio, Cæſ. *l.* 5. *Bell. Gall. c.* 11. quorum oppid. *S. Truyen* vel *Trujden*, teſte *Hnr. Leodii*, à Tungris 3. leuc. à Leodio. 6. in Occaſum in medio inter illud, & Lovanium. Regio nunc Haſbania Latinè nominatur, vulgò *Haſpengow.* Becanus verò *Corwyck* vocat Flandriæ oppid. ad Scaldim. *Baudrando* in Morinis fuêre, ubi nunc *Corterracum*, urbs Flandriæ, ad Liſam fluv. cum arce permunita, ſub Gallis, ab A. C 1657. inter Aldenardum & Ipras.

CENTRUM, Græcis κέντρον, in omni materie nodoſa duritiis ineſt, quæ ſectus reſpuit ne ferrô findi frangique negat: cujuſmodi ὄζων in lapidibus, in lignis, in ferro, reperiri Auctores confirmant.

mam. Plin. *l.* 26. *c.* 39. ubi de arboribus cædendis: *Publicum omnium vitium vocant ſpiras, ubi convolvêre ſe venæ atque nodi. Inveniuntur in quibuſdam, ficut in marmore* Centra, *i. e. duritia clavo ſimilis, inimica ferris.* Sanè & κέντρον Græcè *clavus* eſt, unde legas alicubi κέντρα ἐλεφάντινα, *claves eborea.* Sed & in gemmis ac lapidibus pretioſis ea *centra*, quæ ſcalpturæ reſiſtunt, duriora videl. quædam atque opaciora corpuſcula in poliendo lapillo: quæ proin inter gemmarum vitia idem Plinius recenſet paſſim. In cryſtallo ſimiliter: Plinius de cryſtallinis, *l.* 37. *c.* 2. *Infeſtantur plurimis vitiis, ſcabro ferrumine, maculosâ nube, occultâ aliquâ vomicâ, præduro fragilique centro, item ſale appellato.* In auri metallis inprimis, lapis, qui auri venâ micat, hujuſmodi κέντρα habet, micas ſcil. auri, potiſſimi, quæ comminui frangique non poſſunt, nec cum reliquo pulvere coquuntur: ἀδάμαντα Græci dixêre, ut vidimus ſuprà, in voce *Auri adamas*, item *Auri nodus.* Plura verò hanc in rem vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1074. & 1075. Omiſſis aliis vocis notionibus, ſaltem hoc addam, κέντρα, de cardinibus Mundi, ut vocant, iiſdem dici. Unde Ἀνατολικὸν κέντρον, δυτικὸν κέντρον, ὑπόγειον κέντρον, μεσουράνημα κέντρον. Dionyſius, ὁ μὲν ἐν ἀπηλιώτου ἀπὸ ἀνατολικοῦ κέντρου φέρεται, *Apeliotes, qui ab Orientali cardine fertur.* Quâ ſignificatione *Centri* compendiaria nota, apud veteres Mathematicos, fuit K. &c. Vide eundem *p.* 1249. & 1250. Inde Κέντρον, quô nomine quiſnam appellati Græcis olim, vide ſuprà in voce *Canitaus* & infrà *Stimulus.*

CENTULUM, vicus pagi Pontivi, cum monaſterio, à conditore ejus ac primo Abbate S. Richario, qui ſub Dagoberto majore floruit, *S. Riquier* dicto. Idem Richarius in ſilvam Criſciacenſem ſeceſſit, ibique obiit, ubi cœnobium Foreſtiſcella *Foreſtmouſtier*, à Centulo 10. mill. paſſ. diſtans. Diſtat autem Centulum ab Abbatiſvilla, capite pagi Pontivi in Ambianis 2. leuc. ad Ortum, eſtque ad Scarduonem amniculum, *La riviere arx Cardons*, qui in Summonem evolvitur contra Abbatiſcellam, poſitum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CENTUM, oppid. Ducatus Ferrarienſis ſat cultum, aliàs munitum, in confinio ditionis Mutinenſis, 18. milliar. à Bononia, Mirandulam verſùs, prope Rhenum amnem, ſub Pontifice.

CENTUM CELLÆ, Tuſciæ urbs: *Civita Vechia* hodie. Oppid. Hetruriæ in ora littorali maris Tirrheni, Diœceſis Viterbienſis, recèns munitum, cum portu tantiſper capaci & caſtro. 6. milliar. à Caſtro novo in Occaſum, 9. à Corneto in Auſtrum, 4. à Roma in Occaſum in planitie. *Baudrand.* Trajano Imperatori originem debet. Plin. Jun. *l.* 6. *Ep.* 31. *Evocatus in conſilium à Cæſare noſtro ad Centum cellas longè maximam cepi voluptatem.* Vide quæ ſequuntur. Græcis auctoribus *Procopio*, & *Agathiæ*, more ejus temporis, eliſô μ Κεντουκέλλαι. *Ptolemæo* ὁ Τραιανὸς λιμήν, i. e. *Trajani portus* dicitur; quem Rutilius pulchrè deſcribit his verſibus, 237. 158. *ſ.*

Ad Centumcellas forti deflexımus auſtro.
Tranquillâ puppes in ſtatione ſedent.
Molibus æquoreum concluditur Amphitheatrum,
Anguſtoſque aditus inſula facta tegit.
Attollit geminas turres, biſidòque meatu
Faucibus arctatis pandit utrumque latus.
Nec poſuiſſe ſatis laxô navalia portu,
Ne vaga vel tutas ventilet aura rates:
Interior medias ſinus invitatus in ædes
Inſtabilem ſcis œra neſcit aquis.

Ædes intelligit, quas Græci νεωσοίκους vocant: Νεώσοικοι autem Suidæ ſunt οἰκήματα παρὰ τῇ θαλάσσῃ οἰκοδομήματα εἰς ὑποδοχὰς νεῶν ἐκ τῆς θαλάσσης, nempe quibus ſubducebantur in ſtationem naves, Latini *cellas* dicunt, unde portui nomen. Huc Cornelius, Epiſcopus Romanus relegatus eſt, Galli perſecutione durante &c. Vide *Leandr. Albertum*, cui *Ferrolla* aut *Forcella* dicitur, *Collentium*, &c.

CENTUM-COLLES, Hungariæ oppid. vulgo *Zarhalon.*

CENTUM-NUCES, Superio Centinodium, *Cenou* aut *Sanois*, Pariſiorum vicus. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CENTUMPERANEA, inſul. in agro Sentinatum, Nicol. Perotti patria.

CENTUMVIRI, apud Romanos, Judices erant, è ſingulis Tribubus, quarum 35. fuêre, terni delecti, & *Centumviri* dicti, numerô rotundô, licèt quinque ſupra centum eſſent. De quibus illi controverſiis judicaverint, docet Cicero, *de Orat. l.* 1. his verbis: *Jactare ſe in cauſis Centumviralibus, in quibus uſucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum aut ratorum, cæterarumque rerum innumerabilium jura verſentur*, &c. Poſteà autem multum eorum juriſdictio crevit, ut apud Fab. Quintil. *l.* 4. *c.* 1. & *l.* 5. *c.* 2. videre eſt: atque numerus ad 180. auctus, manente tamen ſemper *Centum virorum* nomine, Plin. Jun. *l.* 1. *Ep.* 5. & 18. *l.* 9. *Ep.* 23. De cauſis juris etiam graviſſimis & obſcuriſſimis judicâſſe à Tacito, *in Dial. de Orat.* & Seneca, *de Benef. l.* 5. dicuntur. Apud Tullium ſæpe *Recuperatores* ac *Judices haſta* appellari eos deprehendimus, judiciumque illorum *Haſtam Centumviralem*, ob haſtam in loco, ubi judicia hæc vigebant, in ſignum auctoritatis erectam. In Baſilicis autem judicia exercuêre, in 4. conſilia diviſi, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 9. *c.* 30. &c. De illis Statius, *l.* 4. *Sylv.* 4. *ad Victorium Marcellum*, *v.* 42.

------ ------ nec jam tibi turba reorum
Veſtibulo, querulique rogant exire clientes,
Ceſſat centeni moderatrix judicis haſta.

Et, *l.* 1. *Sylv.* 4. *ad Rutilium Gallic. v.* 23.

------ ------ docto nec enim ſine Numine tantus
Auſoniæ decora ampla togæ, centumque dediſti
Judicium mentemque viris.

Ubi admonet Barthius, ab illis appellationem fuiſſe ad Præfectum Urbi. Rutilius enim hic Præfectus urbi fuerat, &c. Plura apud Ph. Berterium, *Pithanon. l.* 1. *c.* 8. Jac. Cujacium, *Obſervation. l.* 3. *c.* 23. Quæ Lipſio tribuuntur *ad Suetonium Veſpaſiano, c.* 10. de *Haſta* vero, ſuo locô, ut & apud Ludovicum Cœlium *Commentar. Antiqq. Lectionum.* Vide quoque infrà *lit. H.* ubi de compoſitis ex Græco Ἑκατόν.

CENTUNCULUS Herba, Græcis γναφάλιον, quòd ejus foliis candidis & mollibus pro tomento culcitarum meretur, ſic dicta. Γνάφαλλα etiam dicebantur iiſdem purgamenta lanæ, quæ, dum veſtes jam textæ purgabantur & depectebantur, ſpinis adhærebant pectinis κναφικοῦ, ſeu *fullonii.* Unde Plinium, ſi Gallarum demum inventô proditum eſſe, tertiamentis hujuſmodi & purgamentis lanæ culcitras farciri, ſcribentem, notat Salmaſius, cum Græcis nominibus ex antiquo vocentur tomenta γνάφαλα hòc modò inculcata, vide eum *d. l. p.* 598. Aliàs de *Centunculo* ſic Plin. *l.* 24. *c.* 15. *Nunc ſubtexemus herbas, mirabiles quidem, ſed minus claras --- Itali* Centunculum *vocant roſtratis foliis, ad ſimilitudinem capitis penularum jacentem in arvis: Græci autem clematidem*, &c. Ad quem locum vide *Notas* Dalechampii.

CENTURIA, propriè centenos homines continet, aliquando pauciores pluresque, cum vocis appellatio abuſive ſumitur. Earum in Republ. Romana primus auctor Servius Tullius fuit, qui actô cenſu, populum Romanum in 6. claſſes, & in 193. *Centurias* diviſit: totâ claſſe ſextâ, quæ tenuiſſimorum erat civium, pro unica reputatâ, cùm contra in ditiſſimorum claſſe 100. *Centuriæ* numerarentur. Vide ſuprà in voce *Cenſus.* Hæ itaque claſſes & *Centuriæ*, licèt initiò cum Tribubus & Curiis nihil habuerint commune, ut ex *Livio* & *Dionyſio* patet poſt expletum tamen tribuum 35. numerum, earum quodammodo partes eſſe cœpêre, ut ex Livio colligit Sigonius *de antiquo jure civ. Rom. l.* 1. *c.* 4. Hinc *Centuriata* Comitia, eôdem Serviô Tulliô auctore, quibus populus per claſſium centurias diviſus ſuffragium ferebat, dicta ſunt: in quibus Magiſtratus legi, ferri leges & bellum indici mos erat: quibus, poſt Rempubl. in libertatem aſſertam, acceſſit, quod eiſdem judicia peracta. Creabantur autem his Comitiis Magiſtratus majores, Conſules, Prætores, atque Cenſores: Proconſules etiam interdum, & Reges ſacrorum: item Tribuni militares Conſulari poteſtate & Decemviri legibus ſcribendis. Leges, quæ his Comitiis ferebantur, *Centuriatæ* dictæ & propriè *Leges*, à Magiſtratibus majoribus auctoritate Senatus, de re quapiam majoris momenti, rogabantur. Tales erant leges Valerii Publicolæ de provocatione, apud Valerium M. *l.* 4. *c.* 1. *ex.* 1. Lex de revocatione Ciceronis ab exilio, Cicer. *Orat. poſt reditum in Sen.* & *l.* 1. *epiſt. ad famil.* &c. Judiciorum his Comitiis exercendorum unica fuit cauſa, nempe Perduellio: Unde legibus XII. Tabb. ſancitum eſſe videmus, *Ne de capite civis, niſi Comitiis Centuriatis judicaretur*, apud Cicer. *de Sestio:* Et docet Val. Max. *l.* 6. *c.* 5. *ex.* 3. *P. Rutilium Tribun. Plebis Tiberiô Gracchô & C. Claudiô Cenſoribus, cùm ob nimis ſeverè geſtam cenſuram majorem partem civitatis exaſperâſſent, diem perduellionis ad populum dixiſſe: quo in judicio prima Claſſis permultæ centuriæ Claudium apertè damnarint*, &c. Idem clarum eſt ex Livio de judicio M. Manlii Capitolini loquente *l.* 6. &c. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 8. 9. & *ſeqq.* Porrò *Centuria prærogativa* dicebatur, cui ſortitione factâ primus locus obtigit ſuffragium ferendi. Cujus tanta apud Romanos fuit auctoritas, ut, quem illa Conſulem nominâſſet, talis haberetur, Turnebus, *Adverſar. l.* 5. *c.* 23. In re militari *Centuria* erat una ex minoribus legionis partibus, in quas ut & manipulos pedeſtres copiæ erant diviſæ. De his Varro: *Centuria, inquit, quæ ſub uno Centurione ſunt: quorum centenarius juſtus numerus.* Dividebantur in contubernia, ita ut decem militibus, ſub uno papilione degentibus, unus quaſi præeſſet Decanus, qui *Caput contubernii* nominabatur: Habuit autem Legio *Centurias* 60. Qui primæ Triariorum centuriæ, quæ *Primum pilum* vocabatur, præerat, *Primo-pilus*, item *Primus Centurio* dictus eſt, habuitque curam Aquilæ: Secundæ *Secundipilus*, &c. Vide Lipſium *de mil. Rom. l.* 2. *dial.* 1. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 5. &c. Apud Agrimenſores *Centuria*, communiter 200. jugerum ſpatium denotat; limiteſque centurias includebant, & centuriæ per actus dividebantur. Ponebantur autem in ſingulas centurias lapides terminales, qui invicem diſtabant ped. 11. cccc. ſi centuriæ tantùm jugeris conſtarent. In ſingulos porrò actus pali defigebantur, qui diſtabant à ſe pedes 120. quæ unius actus longitudo eſt. Et quidem primus qui centuriam includebat limes, *Alimarius* appellatus eſt, eratque à Decumano vel Kardine maximo ſecundus. Decumanus verò & Kardo maximi, primi quidem ducebantur, ſed ſtellam efficiebant, nec cludebant *centurias.* Hinc *Ager Centuriatus*, apud veterem Agrimenſorem, *qui quadratis centuriis diviſus*: Centuriæ autem quadratæ præciſè ducentena jugera habebant. Ei oppoſitus *Ager ſcamnatus*, qui in centuriis ſingulis habebat jugera ducenta quadragena, & per latitudinem habebat actus 20. per longitudinem actus 24. *Scamnum* enim id erat, quod latius fuit quàm longius, ut contra *Striga*, quæ longior, quàm latior, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin p.* 679. & *ſeqq.* At *Centuriatores*; ſunt dicti Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ compilatores, contra quos Baronius ſcripſit, de quibus alibi.

CENTURIATUS Mulus, apud Vopiſc. *in Aureliano*, *c.* 7. *Equum ſagmarium ſuum deſtruet -- Mulum* centuriatum *communem curet*: mulus eſt *centuriæ* inſerviens. Solutâ enim veteris militiæ diſciplinâ, cœpêre apud Romanos ſingulis centuriis muli deputari, ad ſarcinas vehendas; qui hinc *centuriati* dicti ſunt. Hadr. Turnebus apud Caſaubon. *Notas in h. l.*

CENTURINI *Chriſtiani de cinctura*, à cingulo lato, quod portabant, dicti ſunt Chriſtiani in Ægypto degentes, apud Sanutum, *l.* 2. *part.* 2. *c.* 8. A. C. 1230.

CENTURINUM, caſtrum Corſicæ inſul. *Ptol. Centuri Pinto.* Cui adjacet ab Occaſu inſul. Centurina. 18. milliar. ab arce S. Florentii. 20. à Baſtia in Boream.

CENTURIO, ab eo qui ordines ducit, diſtinguitur, apud Jul. Capitolin. *in Maximino*, c. 4. *Hic duxit ſub Antonino Caracalla ordines duxit, Centuriam & cæteras militares dignitates ſæpe tractavit.* Et Symmachum, *Ordines duxit ac ſæpe ſummam ſuſtis extendens, inter plures militiæ gradus*, Centuriatus quoque ſirmitatem ſua portium miles. Atque ita quidem, ut majoris videatur fuiſſe Centurionum dignitas, quàm ejus, qui ordines duceret, ut hinc clarè liquet. Sed & in *veter. Inſcr.* *Centurio* alius eſt ab ordinum ductore:

SERGIUS. TERENTIUS.
SERG. F. ÆMILIANUS.
CENTUR. EMER. VIX. A. LXX.
ORDIN. DUX. SUB.
L. POSTUMIO. MODES
TINA. MARITO.
MERENTISSIMO.

Qui ordines ducebant, *Ordinarii* dicebantur, quos à *Centurionibus* quoque diſtinguit Jul. Capitolin. in *Clodio Albino*, c. 11. Nempe manipulorum ſic vocati ductores videntur, manipulus autem eò tempore decem tantùm militum fuit, quibus qui præerat, *Manipularius*, *Ordinum ductor*, *Ordinarius*, appellatus eſt, Græcè ταξίαρχος. *Centuriones* verò *centuriis* præerant: Et ſic quidem ætate Severi ac Maximini. Apud Vegetium verò Ordinarii, ſunt etiam primorum ordinum ductores, iidem cum illis, qui veterib. *primorum Ordinum Centuriones* ſunt dicti: ut ejus ætate *Centuriones* non amplius dicebantur, ſed *Centenarii*, qui centum homines ducebant. Sic illô tempore majores & digniores fuerint Ordinarii *Centurionibus*, ita ſcil. dicti primorum Ordinum ductores, qui partim quatuor, partim duas centurias regebant: aliquando centum quinquaginta homines ducebant. Polybius verò ταξιάρχας, h. e. *Ordinum ductores*, paſſim *Centuriones* vocat, vide Salmaſ. *Notis. ad Capitolin.* & plura infrà, ubi de phraſi *Vitem dare*. Cæterùm, ut Tribuni & Duces, ſic & *Centuriones*, emolumenta à militibus olim accipiebant: & quidem hi vacationes munerum vendebant militibus; quod tamen boni prohibuêre Principes & Centurionibus vacationes annuas è fiſco ſolvendas conſtituêre. Tacitus, *Hiſtor. l.* 1. *c.* 46. *Sed Otho, ut vulgi largitione* Centurionum *animos averteret, ex fiſco ſoluturum vacationes annuas promiſit: rem haud dubiè utilem & à bonis poſteà Principibus perpetuitate diſciplinæ firmatam.* Vide ſuprà in voce *Beneficiarii*, & plura hanc in rem, apud præfatum Salmaſ. *Notis. ad Spartian. in Hadriano*, c. 10

CENTURIO rerum nitentium, apud Ammianum, *l.* 16. ire dictus eſt, qui ſignorum ac ſtatuarum ex ære & marmore, in Urbe, curam gerebat: poſteà *Tribunus* ac tandem *Comes rerum nitentium*, appellatus, Henr. Valeſius. In *Cod. Theod. l. unic. de Centurionibus*, certum corpus in oppidis confeciſſe *Centuriones* legimus, quorum munus inter vilia & oneroſa fuiſſe, indidem colligitur: Sed quinam ii, non liquet. Inter officiales Judicum *Centuriones* recenſentur, *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Offic. Rect. prov.* apud Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CENTURIONES, urbs Hiſpaniæ verſùs Galliam Narbonenſem. *Antonin.*

CENTURIPE, ager Siciliæ, à quo *Centuripinum crocum* hodie *Centorbi* Fazello. *Centurupa* Pomponio Sabino, & Ptolemæo αἱ Κεντόριπαι, reliquis Græcis auctoribus neutrô genere τὰ Κεντόριπα. Quin & apud Cicer. *Orat.* 2. & 3. *Verr.* Plin. Solin. *Centuripis* obliquô caſu legimus. Apud Silium *Centuripe*, *l.* 14. *v.* 204.

Nec non altus Eryx, nec non è vertice celſo
Centuripe, largoque ſatis Entella Lyæo.

De ſitu Strabo, *l.* 6. Κεῖται δ' ὑπὲρ Κατάνης τὰ Κεντόριπα, συνάπτοντα τοῖς Αἰτναίοις ὄρεσι καὶ τῷ Συμαίθῳ. Populi *Centuripini*. *Nic. Lloydius*. Vulgò *Centorbe*. Oppid. Siciliæ, in Valle Dæmona, prope Adranum fluv. 12. milliar. à Paterno *Baudrand*. Crocum ejus memoratur Solino, *c.* 5. *Quidquid Sicilia gignit, ſive ſoli, ſive hominis ingenio, proximum eſt his, quæ optima judicantur, niſi quòd fetus terræ Centuripino croco vincitur.* Ubi Salmaſius legit, *niſi quòd fetus terræ Centuripinæ Corycio vincitur.* Nempe Corycium crocum præſtantius Centuripino, ut quod tertiò demum locô recenſetur apud Plinium, *l.* 21. *c.* 6. Vide infrà ubi de Croco.

CENTUSSIS, ſubintellige *pondus* vel *as*, Perſius, *Sat.* 5. *v. ult.*

Et centum Græcos curto centuſſe licetur.

Ubi *Centuſſem* dicunt eſſe idem, quod quadraginta ſeſtertios, ſed malè. Dirigitur enim abacus ad illud tempus, quô quaternis ſeſtertiis ſeu denario, non deni ſed ſedecim aſſes reſpondebant: & quum Perſius ſcriberet, centum aſſes non quadragenis, ſed vicenis quinis continebantur ſeſtertiis: etenim ſeſtertius non duos aſſes & ſemiſſem, ſed quatuor valebat, Gronov. *de Pec. vet. l.* 3. *c.* 9. Hinc Fannia lex *Centuſſis* dicta eſt, quòd ludis Romanis, item Plebejis & Saturnalibus ac aliis quibuſdam diebus, in ſingulos dies centenos æris inſumi conceſſit. De eo Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 17. *Fannia legit*, inquit, *ſeveritatem in eo ſuperâſſe legem Orchiam, quòd in ſuperiore numerus tantum cœnantium cohibitus fuerit, licebatque ſecundum eam unicuique bona ſua inter paucos conſumere: Fanniam autem & ſumtibus modum feciſſe aſſibus centum. Unde à Lucilio Poëta feſtivitatis ſuæ more Centuſſis vocatur.* Vide Joh. Roſin. *Antiq. Rom. l.* 8. *c.* 13.

CENULPHUS, vel KENULPHUS, XIV. Merciorum Rex pietate & rerum præclariſſimarum gloriâ illuſtris. Regem Cantii victum cepit. Obiit A. C. 819. regni 24. *Hiſt. Angl.*

CENUS, libertus Neronis, qui cùm atroci mendaciô vulgâſſet, Vitellianos ſupervenus XIV. Legionis junctis à Brixello viribus, cæſos victores, verſam partium Fortunam, rapidus in urbem vectus, paucos poſt dies, juſſu Vitellii, pœnas luit. Tacitus, *l.* 2. *Hiſt.* c. 54.

CENUS, extremum Italiæ promontorium verſus Pelorum Siciliæ.

CEOLFRIDUS, Abbas Anglus, Bedæ præceptor, *de feſto Paſchatis* librum edidit. Beda, *Hiſt. Angl. l.* 4. *c.* 16. *Trithem.*

CEOLPHUS, decimus ſextus Rex Merciorum, poſt fratrem Kenelmum, Cenulphi nepos. Decimô poſt annô pulſus. Item, Rex Weſt-Saxonum. Item, Rex Danæ.

CEOS, Cea Plin. *l.* 4. *c.* 12. Cia *Ptol.* vulgò Zia, inſula maris Ægæi, una Cycladum, vide Cea.

CEPE, olerum ſolum, creſcit, Lunâ decreſcente: quocirca abſtinuiſſe ab ejus uſu Sacerdotes Ægyptios, tradit Plut. *l. de Iſide & Oſir.* Qua de re ſic A. Gellius, *l.* 20. *c.* 8. *Cepe revireſcit & congerminat decedente Lunâ, contra autem inareſcit adoleſcente. Eam cauſam eſſe dicunt Sacerdotes Ægyptii, cur Peluſiotæ cæpe non edunt: quia ſolum olerum vices minuendi & augendi habeat contrarias.* Vide Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 19. Unde Juvenalis, *Sat.* 15. *v.* 9.

Porrum & cæpe nefas violare & frangere morſu.

Imò inter Deos Ægyptiorum Prudentius recenſet *contra Symmachum*, *l.* 2. *v.* 466.

Porrum & cæpe Deos imponere nubibus auſi.

Peluſiotarum inprimis, Lucianus *Jov. Trag.* Ἰδίᾳ Μεμφίταις μὲν ὁ βοῦς Θεὸς, Πηλουσιώταις δὲ κρόμμυον, *Cæterum privatim Memphitis quidem bos Deus eſt, Peluſiotis verò cepe.* Quò reſpiciens Hieronymus, *adv. Jovinian. l.* 2. *Impelle, aut, ſi vales, Peluſiotem, ut manducet cepe.* Et Commentar. *in Eſaj. c.* 46. *Ut taceam de formidoloſo & horrendo cepe: & crepitu ventris inflati, quæ Peluſiaca religio eſt.* Vide Pfannerum, *Syſtem. Theol. Gentil. c.* 1. *§.* 1. Cæterum Græci in allio & cepe κεφαλὴν vocant id, quod omnes nucleos comprehendit; aliquando tamen & nucleum ſolum, quem & γελγεῖον, & ἄγλιθα & σκόροδον & ἄγλιν quoque dixêre. Latinis *talla*, folliculi cæparum, ex Græco θαλλὸς, quæ ἐλύτρον ſignificat. Quia autem eôdem folliculô, quô cepæ caput velatur, etiam magna pars caulis integitur, hinc *tallam*, pro caule cepæ, poſuit Columella, *l.* 11. *c.* 3. Lucilius tamen *tallas* à *cæpis* diſtinguere videtur hôc verſu.

Flebile cæpe ſimul lacrymoſaque ordine talla.

Ubi quod capitatum eſt, vocat *cæpe*, caules ſectiorum *tallas*, quæ capitata non ſunt. Sic duo genera *cæpitis*, ut porri. Galli ruſticô ſermone *cives* hodie vocant, dictione ex *cæpa* detortâ, quæ capitatæ non ſunt. Et planè ſunt Græcorum γήθυα, *cibullas* alii vocant, i. e. *cæpulas*, quæ ſunt γηθυλλίδες, &c. Inter cæpitia porrò, eas cæpas, quæ ſimplex caput habent, nec ſubolibus adgnatis propagantur, Græcos μονοκέφαλα vocare & μονόκαυλα, Latinos ruſticos *uniones*, diximus ſuprà. Plura vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1168. *& ſeqq.* de ritu verò, *capitio cæpillo ſulgurita expiandi*, Numæ Pompilio à Jove tradito, Arnobium *adv. Gentes*, *l.* 5.

CEPHALÆ, municipium Acamantidis tribus, in Attica: alludit Ariſtoph. *Avibus*.

Ὦ πατὴρ ἐμοὶ ὁ κεραμεὺς, καὶ αὐτὸς τέτταρες κεφαλῆθεν.

CEPHALÆON, Hiſtoricus Græcus ab Adriano Imperatore in Siciliam relegatus, ubi *epitomen Hiſtoriæ* ſcripſit, *à Nino uſque ad Alexandrum Magnum*, *libris* 9. *Muſarum nominibus*, inſtar Herodoti. Patriam, Homerum imitatus, nunquam confeſſus eſt. Euſeb. *Chron. L.* 1. Phot. *Bibl. tm.* 68. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 3. *& l.* 2. *c.* 12.

CEPHALÆOTÆ, Græcè Κεφαλαιῶται, in *l.* 6. *Cod. Theod. de Patroc. vic.* Exactores ſunt capitationis.

CEPHALAS, altum & ſylvoſum promontor. majoris Syrtis initium. Strabo, *l. ult.*

CEPHALE, Græcè Κεφαλὴ, caſtrum Atticæ, ad tribum Acamantidem pertinens, ubi Caſtoris & Pollucis celebris olim ædes. Ejus memoriam ſervat hæc *Inſcr.* Eleuſine, in baſi ſtatuæ cujuſdam, principatu Commodi conſtructæ:

ΔΗΜΗΤΡΙ ΚΑΙ ΚΟΡΗΙ
ΗΙΕΡΑ ΓΕΡΟΥΣΙΑ Μ. ΑΥ
ΡΗΛΙΟΝ ΛΙΘΟΦΟΡΟΝ ΠΡΟ
ΣΑΕΚΤΟΝ ΠΙΣΤΟΚΡΑ
ΤΟΥΣ ΚΕΦΑΛΗΘΕΝ ΠΡΕΣ
ΒΕΥΣΑΝΤΑ ΠΡΟΙΚΑ ΤΙΜΗ
ΘΕΝΤΑ ΔΕ ΥΠΟ ΘΕΟΥ
ΚΟΜΜΟΔΟΥ ΤΗ ΡΩΜΑ
ΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑ ΑΡΞΑΝ
ΤΑ ΤΟΥ ΚΗΡΥΚΩΝ ΓΕ
ΝΟΥΣ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΗΣ ΙΕ
ΡΑΣ ΓΕΡΟΥΣΙΑΣ ΕΥΣΕΒΕ
ΙΑΣ ΕΝΕΚΑ &c.

apud Jac. Sponium *Itiner. Græc. Part.* 3. *p.* 148.

CEPHALEDION, oppid. Siciliæ non procul ab Himera fluv. Plin. *l.* 3. *c.* 8. & Strabo, *l.* 6. Vide Cephaludis.

CEPHALENE, vel CEPHALLENIA, inſul. maris Ionii. Plin. tradit eam quondam dictam fuiſſe *Melanam*, *l.* 4. *c.* 12. A Cephalo Amphitryonis ſocio, Deionei filio, dictam volunt. Populi *Cephallenes*, qui Ulyſſem ad bellum Trojanum ſecuti ſunt, ut videre eſt apud Homer. in *Catalogo navium*, *Il.* β. *v.* 631.

Αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἦγε Κεφαλλῆνας μεγαθύμους

Silius.

Saxa Cephalenum, & ſcopuloſis Neritos arvis.

Infra Corcyram eſt, & Acarnaniæ objecta. Nomen ejus à verbo כפל *cephal*, quod Syris eſt *duplicare*, ut כפל *cephal* apud Hebræos, quia bifariam diviſa eſt, & videtur eſſe gemina inſula, par-

tibus iſthmô tam planô inter ſe cohærentibus, ὥσθ' ὑπερφερόμενα τὰ πλοῖα ἐκ θαλάττης εἰς θάλατταν, Ita Strabo. Eam olim Taphii & Teleboæ tenuiſſe perhibentur. Ejus circuitus eſt 120. circiter milliar. ſub Venetis, cum urbe permunita in colle, verſùs Auſtrum. Incolæ Græcus ritus. Vix 20. milliar. à Zacyntho. Olim 4. habuit urbes, nunc villas tantùm & pagos, cum portu *Argoſtoli*, ad Auſtrum, inſul. 6. milliar. ab urbe Cephalenia. Doviry *Tom. III. Nic. Lloydius.* Olim tota ſub Ulyſſe fuit, & patre ejus Laërte, qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 714. & Jac. Sponium, *Itinerar. Græciæ Part.* 1. *p.* 134.

CEPHALLEN, Lampi fil. Citharœdus nobilis, apud Pauſan. *l.* 10.

CEPHALOEDIS, ſeu CEPHALUDIUM, Siciliæ urbs munita, hodiè *Cefalu Leandro.* In ora Boreali Inſul. cum portu verſùs mare Tyrrhenum, in modum promontorii in mare excurrens. 49. milliar. à Panormo in Ortum, 90. à Meſſana. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Meſſanenſi. Octavius Branciforcius, *Conſtitutiones Synodales* fecit A.C. 1635. publicè editas. Κεφαλοιδὶς Ptolemæo, Κεφαλοίδιον Straboni, *l.* 6. Κεφαλοιδεῖς Græcâ formatione, Silio, *l.* 14. *v.* 253.

Quæque proceſſoſo Cephaloedias ora profundo,
Cæruleas horret campus paſcentia cete.

Πολίχνιον Strabo vocat. Φρούριον Diodorus, *l.* 13. Vide Cluver. *de Sicil. Ant. l.* 2. *c.* 3. populi *Cephaloeditani*, Ciceroni *in Verrinis*, & Priſciano. Nomen utut Græcum videatur, tamen eſt merè Punicum. Pœnis enim כיפא לוד *Cepha-lud* eſt *rupes firma. Cephaloedis* porro ſita eſt in vertice rupis, penè in ipſo flexu promontorii, quod multum in mare prominet. Conſtat id cum ex tabulis, quàm ex deſcriptione Fazelli, dum in eo eſt, ut probet Græcum eſſe vocabulum; *Cephaloedos*, inquit, *urbs vetuſta, nomen à* Κεφαλὴ, *quod Caput eſt Latinis, natia eſt, vel ob id, quod ad verticem præruptæ rupis, promontorii ſpeciem habentis, condita fuit, ubi adhuc arx eſt naturâ muniſſima, & urbe ipſa jacente ambitu ferme mille paſſuum.* A' Meſſeniis proditione captam narrat Diodor. Sic. *l.* 14. *Idem Lloydius.*

CEPHALON Gergithius, Κεφάλων ὁ Γεργίθιος memoratur Straboni, *l.* 13. ubi ait, fuiſſe in agro Cumano urbem, quæ pluralis numeri & genere muliebri αἱ Γεργῖθες diceretur, atque hanc Cephalonis hujus patriam fuiſſe. Teſtem quoque eum producunt Parthenius in *Eroticis*, qui Troïca illius citat, *Hiſt. l.* 4. & Feſtus Pompejus, in *Romam.* Item Dionyſius Halicarn. *l.* 1. ubi vocatur Κεφάλων Γεργίθιος συγγραφεὺς πάνυ παλαιός. De Æneæ in Italiam adventu. Vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 12. & *l.* 3. *p.* 340. *Idem.*

CEPHALONNESUS, Carcinites ſinus, ubi in pontem Euxinum ſe exonerat, inſul. *Rubea* teſte Pinetô, apud Tauricam Cherſoneſum cum urbe cognomine. Plin. *l.* 4 *c.* 13. *Ptol. Amm. Marcellin.* Inſul. parva & oblonga in *Hyllæa* regione prope Tamiracam portum, ex adverſo Tauricæ Cherſoneſi, 50. circiter ab ea milliar. in Occaſum diſtans. *Baudrand.*

CEPHALOTOMI, populi ad Pontum Euxinum. Plin. *l.* 6. *c.* 5.

CEPHALUS, Dejonis, vel Dejonei filius, vel, ut alii volunt, Mercurii & Herſes filiæ Cecropis, qui Procrin Erechthei, vel Hyphili Athenienſium Regis filiam uxorem duxit. Hujus amore capta Aurora, cùm juvenem uxoris amantiſſimum nullâ ratione ad ſui amorem poſſet inflectere, vi eum dicitur rapuiſſe. Verùm cùm ne ſic quidem conſtantiam ejus poſſet labefactare, ad uxorem eum remiſit in negotiatoris ſimilitudinem transformatum: cujus erga ſe fidem cùm explorare vellet, ingentibus muneribus pudicitiam ejus ſolicitavit, cùmque illa pretii magnitudine jam ſuccumberet, Cephalus receptâ priſtinâ formâ perfidiam ei exprobravit. Quod Procris cùm inficias ire non poſſet, pudore impulſa, relictô virô in ſilvam ſeſe, locaque deſerta contulit. Tandem tamen viro reconciliata, jaculum ei inevitabile, & canem Lælapa nomine dedit, quem à Minoë donô acceperat. Iis itaque muneribus inſtructus Cephalus ſilvis ſeſe aſſiduè oblectabat, relictôque ante lucem uxoris thalamô, venatione ſeſe exercebat. Quamobrem verita Procris, (ut res eſt plena ſuſpicionis amor) ne nymphæ cujuſpiam amore teneretur, clam eum in ſilvas eſt ſubſecuta, & ut in furto virum deprehenderet, inter fruteta ſeſe occultavit. Cùm itaque Cephalus, æſtu laboreque fatigatus ad virgulta ſe recepiſſet, & ſub arbore quadam recumbens *Auram*, ut ſe reficeret, ex more invocaret, Procris ſuſpicata aliam pellicem affuturam, quò rem omnem melius cognoſceret, ſeſe erigens virgulta commovit. Quâ re animadverſâ Cephalus feram ratus, jaculum ſuum emiſit, uxoremque chariſſimam inevitabili ictu interfecit. Ovid. *l.* 7. *Met.* Sed paulo aliter Hyginus *Fab. Poetic. c.* 189. Propterea accuſatus fuit coram Areopago, & hoc fuit ſecundum Areopagi judicium, uti diſcimus ex Scholiaſte Euripidis *in Oreſtem*; Primum fuit Martis à Neptuno accuſati, quòd filium ſuum Halirrhothium interfeciſſet; Secundum Cephali, propterea quòd Procrin uxorem occidiſſet, Tertium Dædali, qui Talum nepotem ac ſororis ſuæ filium de medio ſuſtulerat; Quartum Oreſtis parricidæ à Tyndaro Clytæmneſtræ patre accuſati. Neque tamen deſunt, qui Cephalum à Jove in lapidem converſum tradant. Ovid. *in De Arte Amand. l.* 3. *v.* 83.

Latmius Endymion non eſt tibi Luna pudori,
Nec Cephalus roſea præda pudenda Deæ.

Idem *in Ep.* 4. *Heroid. v.* 93.

Clarus erat Cephalus ſilvis, multaque per herbam
Conciderant illo percutiente feræ.

Idem ibidem, *Ep.* 15. *Heroid. v.* 87.

Hunc ne pro Cephalo raperes Aurora timebam.

Nic. Lloydius.

CEPHALUS, Athenienſis orator, qui primus procœmia, & epilogos induxit. *Suidas.* Cujus etiam Æſchines & Demoſthenes, *in Orationibus*, meminerunt. Hic gloriabatur, quòd cum plura decreta, quàm quis ſui temporis orator, ſcripſiſſet, nunquam fuiſſet accuſatus, quod contra leges decreviſſet. Cæl. Rhodig. *l.* 12. *Antiq. Lection. c.* 14.

CEPHALUS Corinthius, correxit leges Dioclis Syracuſis, poſt ejectum Dionyſium Juniorem, Olympiad. 160.

CEPHARNOMA, vicus in tribu Manaſſe. Joſeph. *in vita ſua.*

CEPHAS, ſic dictus fuit Simon Petrus, Andreæ frater, rationem nominis reddit Servator, Joh. c. 1. v. 43. Σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς, ὃ ἑρμηνεύεται ὁ Πέτρος. Syriacæ originis, *Hieronym. Tertull. Auguſtin.* &c. Quæres unde vocabulum illud originem ſuam duxerit? Conſules Cardinalem Baronium, & invenies eum cum Optato Milevitano, aliiſque ejuſdem farinæ miſeris linguarum inſciis ex linguâ Græca derivantem. Cephas, inquit, dicitur ἀπὸ τῆς κεφαλῆς *à capite.* Atque hinc ingens producit myſterium, imo & ſimul ingens ignorantiæ ſpecimen. Petrus, inquit, eſt ἡ κεφαλὴ; quia totius Eccleſiæ Catholicæ caput, & fundamentum eſt, qui ſuam etiam vim Pontificibus Romanis continuâ ſucceſſione communicavit. Atqui כיפא *Cepha* Syriacè *Petra* dicitur. *Nic. Lloydius.*

CEPHENES, Æthiopiæ populi. Herodot. & Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 1.

Dumque ea Cephenum medio Danaëius heros
Agmine commemorat. ------

Græcè Κηφῆνες, à Cepheo, quem Beli filium & Æthiopiæ Regem eſſe Veterum quidam prodidère. Scholiaſtes Germanici, *Cepheus fuit, ſicut Euripides ſcribit, Æthiopum Rex, Andromedæ pater.* Vide quoque *Apollodorum ubi de Perſeo.* Sed reprehendit eos Stephanus, ea ſententia illorum, qui Cepheum in Phœnicia regnâſſe ajunt. Certè Κηφῆνες olim Chaldæos vocatos eſſe, ſatè inter omnes conſtat; incolebant autem ii circa Babylonem, & regio illorum Κηφηνία quondam dicta. Hinc idem, Χαλδαῖοι, inquit, οἱ πρότερον Κηφῆνες, ἀπὸ Κηφέως τοῦ πατρὸς Ἀνδρομέδας. Interim Græci, ut dictum, Æthiopiam ſic vocaverunt. Unde *Cepheam Meroën* vocat Propertius, *l.* 4. *El.* 6. *v.* 78.

Cepheam & Meroën fuſcaque regna canat.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 570. Meminit *Cephenia*, ſeu Chaldaicæ regionis Plinius, *l.* 6. *c.* 13. *Utraque per devexa laterum Armeniæ majori à fronte parte, quâ vergit in Commagenen, Cephenia, ex dextra, capulatur, eique Adiabene Aſſyriorum initium.* Et *Cephenorum popul. c.* 9. ubi de Armenia minore. *Claudunt eam montes ab Oriente, ſed non ſtatim Ceraunii, nec Adiabene regio. Quod intereſt ſpatii, Cepheni tenent: ab his juga ultra Adiabeni tenent.* Ut idem ex veteribus libris legendum eſſe docet, cùm vulgò habeantur *Sophene* & *Sopheni.* Vide quoque eum, *p.* 1227. ubi Perſas primitùs Κηφῆνας, à Cepheo, Beli Aſſyrii filio, poſtmodum à Perſe, filio Perſei ex Andromeda Cepheo genitâ, vocatos eſſe, addit ex *Herodoto.*

CEPHESIS, vide *Triphuſa.*

CEPHESIUS Lacus, Κηφησιὰς λίμνη, in Africa propriè dicta, memoratur *Scylaci Caryandeo*, circa quem Μελεαγρίδας eſſe, h. e. *Gallinas Africanas*, & quidem circa illum ſolum, tradit: Αἱ δ' ὄρνιθες Μελεαγρίδες γίνονται αὐτόθι, ἄλλοθι δ' οὐδαμοῦ, ἂν μὴ ἐντεῦθεν ἐξαχθῶσιν. Aſdrubas apud Plinium *Cephiſida* vocat, & juxta mare Atlanticum collocat. Scylax inter Herculeas ponitur columnas & Hermæan promontor. Vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 892. de Meleagridibus autem, ſuô locô.

CEPHEUS, Æthiopum Rex, Andromedæ pater, quam Perſeus periculô liberatam, uxorem duxit. Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 736.

Auxiliumque domus Servatoremque fatentur
Caſſiope, Cepheuſque pater.

Hic poſteà generi meritis cum uxore & filia in cœlum tranſlatus eſt, & à tergo minoris urſæ conſtitutus, circuloque arctico ita inclusus, ut præter caput & humeros ejus occulere videatur. Ei ſucceſſit ex filia nepos Perſa. Ἐτύγχανε γὰρ ἄπαις ἐὼν ὁ Κηφεὺς ἔρσενος γόνου, *Cepheus cum nullos habebat liberos, mares*, Herodotus, *l.* 7. *c.* 61. quemadmodum poſteà & Cyaxares Medo-Perſarum regnum ad filiam ſuam pertinere dixit, οὐδὲ γάρ ἐστί μοι ἄρρην παῖς γνήσιος, *Neque enim eſt mihi filius legitimus*, apud Xenophontem, *Cyropædia l.* 8. Vide Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec. IV.* ubi *de Regnandi Jure muliebri.* Cæterùm is Beli Ægyptii filius, Euripidi aliiſque Græcis. Alii verò Agenore, Beli fratre, vel Phœnice Agenoris fil. natum & in Phœnice regnâſſe volunt, ſede regni Joppe exiſtente: In Aſſyria & Perſide nonnullis eum collocantibus. Quod utrumque verum eſſe, nihil prohibet. Nam ſub eodem fuiſſe olim Rege regionem omnem, quæ ab ora Syriæ maritima, uſque ad Babylonem, porrigebatur, illud indicio eſt, quòd eôdem *Syriæ* nomine univerſus ille terrarum tractus nuncuparetur, ut ex Heſychio & Strabone, *l.* 16. palàm eſt. Sed & Ægyptius Belus cum Aſſyrio idem, &c. Hinc *Cephei Regio*, ſeu Κηφεὺς, nonnullis Æthiopia eſt, quæ & Κηφηνία dicta, aliis Chaldæorum regio in Perſide, ab eodem *Cepheo*, Andromedæ patre, ut vidimus ſuprà. Plura verò hanc in rem, apud Salmaſium *d. l.* Certè in antiquis aſteriſmorum figuris *Cepheum* pingi videmus, cum Perſica tiara, in anteriorem partem acumine proclinatô, eundemque tiaram habere *Ptolemæus* notat, &c. Hinc *Cepheus* Ovid. *Met. l.* 4. *v.* 668.

Æthiopum populos, Cepheaque conſpicit arva.

Item *Cepheus*, unus ex Argonautis. *Orpheus.*

CEPHEUS, Alei filius, Argonautarum in expeditione Colchica comes. Val. Flacc. *l.* 1. *v.* 373.

CEPHIRA, i. e. *tumcula*, aut *propitiatio*, ſive *leniens*, aut *villa*, vel *oppidum*, ſive *glacies*, aut Syriacè *negatio*: nomen viri Eſdr. *c.* 2. *v.* 25. Item urbs. Nehem. *c.* 7. *v.* 29. Eadem & *Cephara*, & *Caphira* dicitur. Item nomen urbis. Joſ. *c.* 18. *v.* 26.

CEPHIS, ſtatuarius nobilis. Plin. *l.* 34. *c.* 8.

CEPHISIA, regiuncula Atticæ, per quam Cephiſus labitur, & in quâ fons ejuſdem nominis, teſte Pliniô, *l.* 4. *c.* 7. Vide & *Cephiſia*.

CEPHISIDORUS, Archon Athenis, olympiadis centeſimæ tertiæ annô tertiô.

CEPHISIDORUS. Athenienſis Tragicus, antiquæ Tragœdiæ ſcriptor, Æſchyli tempore. *Suid.* Fuit & alius *Cephiſidorus*, qui in Comœdiis tanquam aſinus traductus eſt. Fuit quoque alius præfectus, qui cum Gryllo Xenophontis filio ad Mantineam occubuit. *Suid.* Item Athenienſium Dux, qui rei malè geſtæ damnatus, in obſidione Alopeconneſi, quinque talentis mulctatus eſt. *Suid.* Præterea fuit *Cephiſidorus* Athenienſis Iſocratis diſcipulus, & ipſe Rhetor, qui Platonem, & Ariſtotelem reprehendit, quod Proverbia ſcripſiſſet, teſtibus Halicarnaſſenſi Dionyſiô *in Iſocrate*, & Athenæô, *l.* 8. *c.* 13. Alius etiam, *Cephiſodorus* Belli ſacri ſeu Phocici ſcriptor citatur ab Euſtratio in *Ariſtot. Ethic. l.* 3. *c.* 8. Vide Voſſium *de Poët. Græc. c.* 6. *de Hiſt. Græc. l.* 3. p. 340. *De Philolog. c.* 6. §. 1.

CEPHISIDOTUS, Archon Athenis Olympiadis centiſimæ quintæ annô tertiô.

CEPHISION, tribus millibus peditum & quingentis equitum, auxilio Megapolitanis miſſis à Thebanis, præfectus. Diodor. Sic. *l.* 16. *fol.* 330.

CEPHISIS, lacus juxta mare Atlanticum, quem Mauri *Electrum* vocant, quòd ſole calefactus electrum è limo det. Plin. *l.* 37. *c.* 2.

CEPHISODEMUS, Rhetor ac rabula Athenienſis importunus procax ac nugax. Vide Schol. *in Ariſtoph. Acharn.* p. 405. D. Eô nomine Grammaticus laudatur ab auctore Scholiorum *in Ariſtophanis Aves*, *p.* 601. *G.*

CEPHISODORUS, Archon Athenis, Olympiadis centeſimæ decimæ quartæ annô ſecundô.

CEPHISOPHON, Archon Athenis, Olympiadis centeſimæ duodecimæ annô quartô. Fuit & *Cephiſophon*, qui populi ſcitum fecit, ut jure cibum in Prytaneo capiendi Euripides prohiberetur. Vide Scholia in *Ariſtophanis Ranas*, *Act.* 4. *Sc.* 1.

CEPHISOPHON, Servus Euripidis, laborum ejus adjutor maximè in verſibus ſtruendis, quem & cum ejus uxore ſolitum fuiſſe Comici traduxerunt. Vide Scholia *in Ranas* 977. *G.*

CEPHISSIA, oppid. Atticæ olim; poſtmodum Herodis Attici ſeceſſus: nunc vicus eſt adhuc ſatis amplus & elegans, dictus etiamnum *Cephiſia*. De quo vide Jac. Sponium, *Itinerar. Græcia Part.* 2. p. 312. ut & in voce *Cephiſia*.

CEPHISUS, vel CEPHISSUS, fluv. Bœotiæ, qui in Trinemiis naſcens, & præter Larymnam in Atticum agrum influens, tandem in Phalericum ſinum ſe exonerat. Strabo, *l.* 9. Lucan. *l.* 3. *v.* 175.

> *Beati cedere duces, quos impiger ambit,*
> *Fatidica Cephiſſus aquâ.* ----- -----

Ubi Cephiſſi aquas fatidicas dicit, propter Themidis oraculum fluvio huic vicinum, à quo Deucalioni, & Pyrrhæ ratio oſtenſa eſt, quâ genus humanum poſſit reparari. *Cephiſſus*, inquit Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 16. Arabibus כפיז Chaphiz, quod *profundum* notat, eſt enim ἀγχιβαθής, *alti gurgitis*, teſte Pauſaniâ *in Bœoticis*. Et in Melanis cum Cephiſo confluxu βαθεῖαν λίμνην, *profundum lacum*, deſcribit Theophraſtus, *Hiſt. Plant. l.* 4. *c.* 12. Καλλιρέεθρος Homero *in Hymn.* 2. *v.* 240. h. e. *pulcerrimus*, & Καλλίναος, *pulchrè fluens*, Euripidi in *Medea* dicitur. *Baudrando* oritur in Doride, prope Lilæam urbem; deindè auctus Melâ fluviô Elatæam Phocidis urbem rigat, poſtea per Chæroneam in Bœotiam labitur, caditque in Copaidem lacum *Cephiſſides* hinc dictum, mox per cuniculum exiliens, in Euripum ſe exonerat, prope Larimnam oppid. Inundationibus valdè obnoxius. Septem enumerat *Cephiſos* Strab. *l.* 9. Longè ſanè diligentior Polemone, qui in libro περὶ ποταμῶν, tres tantum nominat. Sic enim ille, ἐν Ἀθήναις ἐν Κηφισιεῖ, καὶ ἐν Σαλαμῖνι, καὶ ἐν Ἄργει. *Vibium* quoque *Sequeſter* Polemone negligentior eſt: unicum enim novit Phocicum Cephiſſum. *Nic. Lloydius.*

CEPHISSUS, Atticæ fluv. juxta Athenas fluit ad Occaſum, dein in ſinum Saronicum ſe exonerat, prope Pyræum portum. Hic non parum amœnitatis & gratiæ urbi conciliavit olim, ac graviorum etiam navigiorum patiens fuit. Sed Turcæ poſtquam in ſuam poteſtatem Athenas redegêre, veriti ne per *Cephiſſum* occupandæ urbis hoſtes occaſionem captarent, obſtructô ingentibus ſaxis per integrum milliare ejus oſtiô, in plurimos illum diduxêre rivos. Ic. Roſſæus *Archæol. Attica*, *l.* 1. *c.* 2. Sed & una cum Iliſſo altero Atticæ fluv. torrenti ſimilem eſſe, & æſtivô tempore ſæpe deficere, jam ſcripſit Strabo, *l.* 9. Vide quoque de eo Salmaſ. *ad Solin.* p. 146. *& ſeqq.* nec non Caſp. Barthium *ad Papinium Statium paſſim.*

CEPHISUS, nepotis obitum lugens, in monſtrum marinum ab Apolline converſus eſt. Ovid. *Metam. l.* 7 *fab.* 19.

CEPHREN, Ægyptius Tyrannus. Syneſius *Ep.* 38. Vide Jonſium *de Script. Hiſt. Phil. l.* 1. *c.* 13.

CEPI, i.e. *horti*, locus maritimus, ubi Mæander in mare illabitur. *Cellarius.*

CEPIANA, Celticorum in Luſitania urbs. *Ptol.* In provinc. inter Tagum & Anam fluv. Aliis eſt *Prabel*, oppid. Portugalliæ in Tranſmontana provinc. juxta amnem cognominem, ix 4. leuc. à confinio regni Legionis in Occaſum, totidem à Durio fluv. in Auſtrum, à Trancoſo autem 5. in Ortum.

CEPIO, civis Romanus, qui cum Druſo inimicitias exercuit, unde origo belli ſocialis. Valerio Max. ſcribitur *Capio*, *l.* 8. *c.* 5. ex. 1.

CEPIO Coriolanus, Dalmata, Scodiæ incluſus, cùm à Mahomete II. obſideretur, A. C. 1478. ſcripſit *Hiſtoriam Mocenici*, Ducis Veneti. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 6. Vide *Capus*.

CEPIO Servilius, Conſul. Roman. Hiſpaniam Duce Viriathô rebellantem pacavit; Proconſul, captâ Toloſâ, in terrâ Galliæ è templo aurum ſuſtulit. Unde & ipſe, & quicunque ex ea direptione aurum attigiſſet, miſerô exitu periêrunt. Nam poſteà Conſul. cum Cn. Manlio contra Cimbros in Italiam ruentes miſſus, apud Rhodanum victus profligatuſque eſt. Juſſu populi Romani ejus bona publicata, ejuſque imperium primò poſt Tarquinium abrogatum, ipſe in publicis vinculis extinctus, unde tractus diſcerptuſque eſt ad Scalas Gemonias, Liv. *l.* 67. Alii in exilio periiſſe dicunt. Is autê de Cilicis triumphavit. *Val. Maximus.*

CEPOE, oppid. Boſpori Cimmerii, Plin. *l.* 6. *c.* 6. hodie *Capa*.

CEPOBOTRAS, vel CEPROBOTAS, Græcè Κηπροβότας, Rex Muziris, tempore Plinii, *l.* 6. *c.* 23. & Auctoris *Periplis*, quorum hic, Ἡ δὲ Μούζιρις, inquit, βασιλείας μὲν τῆς αὐτῆς, ἀκμάζουσα δὲ τοῖς πλοίοις. Et antè, Βασιλείας μέν ἐστι τῆς μὲν Τυνδὶς Κηπροβότου, *Tyndis in Regno eſt Ceprobota, Muſiris autem ejuſdem Regni*, apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1185.

CEPOTAPHIUM, Græcè Κηποτάφιον, h. e. *Sepulchrum Hortenſe*, in quo Jannes & Jambres, qui propter Magicæ Artis peritiam apud Pharaonem primô locô erant, fuerunt conditi, memoratur Palladio in *Lauſiaca*, ubi illud in vaſta ſolitudine Macarius viſitâſſe dicitur his verbis: Ἐπεθύμησεν ποτὲ οὗτος ὁ μακάριος Μακάριος αὐτοῦ τὸ κηποτάφιον τοῦ Ἰαννοῦ καὶ Ἰαμβροῦ, τῶν Μάγων τῶν ἐπὶ τοῦ Φαραὼ χάριν ἱστορίας, ἢ καὶ ἐντυχίας τῶν ἐκεῖσε δαιμόνων. Ἐλέγοντο γὰρ πεπεισμένοι καὶ χαλεπῶς ἀποκεκλεῖσθαι παρ' αὐτῶν ἐκεῖσε τῷ τόπῳ ἐκείνῳ δαίμονας δι' ὑπερβολὴν τῆς αὐτῶν τέχνης αὐτῶν. Τοῦτο δὲ τὸ Κηποτάφιον γέγονε παρ' αὐτῶν τῶν Ἰαννοῦ καὶ Ἰαμβροῦ τῶν ἀδελφῶν, δι' ὑπερβολὴν τῆς Μαγικῆς τέχνης τὸ πρῶτον ἐχόντων τότε παρὰ τῷ Φαραῷ. *Optavit aliquando in ſepulchrum ingredi, quod in horto habebant Jannes & Jambres, ſub Pharaone Magi; ut videret & incurreret Dæmonibus, qui illic ſunt. Dicebantur enim inſanum illorum Artis in locum illum eſſe ſortiti multi & moleſti Dæmones. Factum autem fuerat hoc* Cepotaphium *ab illis ipſis fratribus Janne & Jambre, qui propter Magicæ artis præſtantiam tum temporis apud Pharaonem primas tenebant.* Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 53. De Janne verò iſto & Jambre, 2. Timoth. *c.* 3. *v.* 8. & apud Euſebium *Præparat. Evangel. l.* 9. p. 241.

CEPPHUS, vide infrà *Larus*.

CEPULA, inter myrobalani genera, recenſita recentioris ævi Scriptoribus, de quibus vide Salmaſ. *Ibid.* p. 472.

CEPUS, urbs ad Pontum Euxinum in Corocondamâ inſula. *Strab. Diodor.* De ea ſic *Baudrand. Cepus*, ſeu *Cepe*, aut *Capa* vel *Cepe* Mileſiorum, oppid. Aſiæ ad Corocondamim lacum in regno Boſphorano, inter Phanagoriam & Tyrambim, in Eione inſul. vix 20. milliar. à Boſphoro Cimmerio in Ortum.

CEPUS & CEPPHUS, vide *Cebus*.

CEPUSIENSIS Comitatus provinc. Hungariæ Septentrionalis verſus montem Carpatum & confinium Poloniæ, *Cepuſia* dicta, cujus pars etiam Polonis, à 3. ſeculis, ſubeſt. Ibi oppid. præcipuum *Leuſch*, in ditione Imperatoris, ut Hungariæ Regis, cum parte Auſtrali Comitatus.

CEQUIARIUS, Præfectus Aquarum, in Regno Majoricano, apud Car. du Fresne *Gloſſar.*

CERA, alter Apum labor, quem ex floribus, ſicut ex rore mel, illas conficere, tradit Ariſtoteles *Hiſtor. l.* 5. *c.* 22. Vide quoque Senecam, *Ep.* 83. Corn. Celſum apud Philargyrum, Alios. Eam colligendi modum hunc refert Plin. *Hiſtor. l.* 21. *c.* 14. *Cera fit expreſſis favis, ſed antè purificatis aquâ & triduò in tenebris ſiccatis, quartò die liquatis igni in novo fictili, aquâ favos tegente, tunc ſportâ colatis. Rurſus in eadem olla coquitur cera cum eadem aqua, excipiturque aliâ frigidâ, vaſis melle circumlitis. Optima, quæ Punica vocatur. Proxima Pontica. Deinde Cretica, poſt has Corſica*, &c. Vide quoque ſuprà, ubi de *Apibus*. Uſus ejus multiplex in vita humana. Hinc *Cera* pro Epiſtola, Ovidio, *l.* 1. *Art. Amand v.* 438. Olim enim in tabulis ſcribebant *ceratis*, Plin. *l.* 13. *c.* 11. Unde apud Juriſconſultos ſæpius *tabulæ ceræque*, de ceratis Teſtatorum tabulis: apud Poëtas *prima, ima cera & cera ultima*, pro iiſdem ſumuntur. Quæ ſcribendi ratio & celerior fuit noſtrâ, ut apud Fabium eſt, *l.* 10. *c.* 3. &, ubi quid mutaretur, nullum relinquebat lituræ indicium: quippe, uti cuſpide graphii ſive ſtyli exarabant: ita parte adverſâ, quæ obtuſior erat, quidquid diſpliceret, inducebant ac complanabant. Præterea, *Cerâ* in obſignandis literis & teſtamentis utebantur. Nempe tabellas chartaſve linô obligabant, poſteà annulô χαρακτῆρα imprimebant ceræ. Proin Chryſalus, apud Plautum, *Bacchidibus Act.* 4. *ſc.* 4. *v.* 64. ad literas ſcribendas ſignandaſque afferri jubet,

> ------- *Stylum, ceram & tabellas, & linum.*

Cujus vice cretâ Aſiatici utebantur, ut infrà videbimus: qui tamen mos in cera cretave ſignum imprimendi, tardè obtinuit apud pleraſque Orientis ipſius gentes; apud Hebræos verò pervetus fuit. Inter Græcos veteres, Lacones quidem in *cera* ſignavêre, ſed non annulô, verùm θριπήδεστῳ, ſive θριπόβρωτῳ, h. e. *ligno a vermibus corroſo*, &c. Cùm autem Veteres in *ceram* ſigillum imprimebant, priùs, quod hodieque vulgò fieri ſolet, ſalivâ illud madeſecerunt, ne cera illi adhæreret. Unde Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 68. *Gemmam udam* dixit. In tabulis verò, quæ publici & privati contractus ſcripturam continebant, peculiaris modus obſervatus eſt, quem Paulus, *Sentent. l.* 3. *tit.* 25. his verbis deſcribit: *Amplìſſimus ordo decrevit, eas Tabulas adhibitis teſtibus ita ſignari, ut in ſumma margine ad mediam*

partem

partem perforatam triplici lino conſtringantur, atque impoſitum ſupra linum ceræ ſignum imprimatur, ut exteriores ſcripturæ fidem interiori ſervent. Cujus formæ Senatum, ſub Nerone, auctorem fuiſſe, oſtendit Sueton. *Neron*, c. 17. At literæ Principales, eæ præſertim, quæ pragmaticas ſanctiones ad totum Imperium vel poſteritatem pertinentes, continerent, non linô & *cerâ*, obligari obſignarique ſolebant, sed erant, ut hodie loquimur, *patentes* in quarum tamen una parte, fidei causâ, ſigillum apponebatur, quod ſequiori ævô *Bulla* dici cœpit. Et quidem cùm hæc quadruplex eſſet, *Aurea, argentea, cerea & plumbea*: *Cerea* Imperatores utebantur ad matrem, uxorem, filium: ut *infrà* videbimus, ubi de *Cerea bulla*. Cujus verò coloris *cerâ* olim hodieque Principes varii utantur in ſignando, dicemus ibid. ut & infrà voce *Sigillum*. In cenſendis porrò ſcriptis ſolebant quoque Critici olim *cera* annotare ſigna quædam judicii ſui, cui ceræ admiſcebatur μίλτ☉ ſive *rubrica*, aut minium, quô & aliàs ad ornatum uſi. Cicero ἄνθη, i.e. *flores* vocat, *l.* 16. *ad Attic. Ep.* 11. Democritus verò iſtis, quæ [illegible] viderentur, veriſſima tamen eſſe didiciſſet experientiâ, notam è cera annulô ſuô ſignatam adfigebat: quæ [illegible] dicta eſſe, ex *Heſychio* diſcimus. Ad hæc uſus *ceræ* in pictura erat. Nam ceram prius tabulæ inducebant, eamque diſcolorem, prout exigeret id, quod in tabella vellent pingere. Ceris dein ſic inductis inſtratiſque, eas inurebant ac exæquabant: id, quô ceris pingerent *encauſtum* dicentes, uti artem ipſam *Encauſticen*, qua de re dicemus infrà *ſuô locô*. Præterea, in lignô, ebore, lapide vel metallô, ita ex ſola etiam *cera* vultus totaſque imagines efformabant. Ut enim de imaguncculis Magicis nil dicam, qualis erat imago, de qua Ovidius, *Remedii Amor. l.* 2. *v.* 723.

> *Si potes, & ceras remove: quid imagine mutâ*
> *Carperis? hîc periit Laodamia modò.*

Magnam capiebant olim utilitatem ex *ceris* Majorum, qui præclarè præiviſſent. Quippe, ut ait Val. Max. *l.* 5. *c.* 8. *ex.* 3. *Effigies Majorum cum titulis ſuis idcirco in prima ædium parte poni ſolent, ut eorum virtutes poſteri non ſolùm legerent, ſed & imitarentur.* Et Plin. *l.* 35. *c.* 2. *Apud Majores, imagines hæ in atriis erant, quæ ſpectarentur, non ſigna externorum Artificum, nec æra, aut marmora: expreſſi cerâ vultus ſingulis diſponebantur armariis, ut eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, ſemperque, defunctô aliquô, totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus. Stemmata verò lineis diſcurrebant ad imagines pictas; Tablina codicibus implebantur & monumentis rerum in Magiſtratu geſtarum*, &c. Primus autem ceræ imaginum auctor Lyſiſtratus traditur eidem, *l.* 35. *c.* 12. *Hominis imaginem gypſo è facie ipſa primus omnium expreſſit, ceraque in eam formam gypſi infuſâ emendare inſtituit Lyſiſtratus Sicyonius, frater Lyſippi.* Alia ut *ceræ* commoda perſequamur, magnus ejus in fugandis tenebris uſus, de quo infrà in voce *Cereus*. Etiam, in rebus glutini in morem jungendis. Sic enim primùm fiſtulas fecêre, pluribus calamis cerâ junctis: Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 63.

> *Quid me compactum ceris & arundine rides:*
> *Quæ primùm ſtructa eſt fiſtula, talis erat.*

Vide Ovidium, Dædali alas cum fiſtula iſtiuſmodi graphicè conferentem, *Met. l.* 8. *Fab.* 3. Iidem *cera* oblinebant dolia ac naves; illa, ne liquorem tranſmitterent, has, ne aquas admitterent. De doliis inſignem locum habes, apud Columellam, *l.* 12. *c.* 50. De navibus, Ovid. *Met. l.* 11. *Fab.* 10. *v.* 514.

> *------ ------ Spoliataque tegmine ceræ*
> *Rima patet.*

Non ſolâ tamen cerâ ad hanc rem uſos fuiſſe, ſed & pice, Lucanus innuit, incendium claſſis deſcribens, *l.* 3. *v.* 683.

> *------ Faciles præbere alimenta carinæ*
> *Nunc pice, nunc liquida rapuêre incendia cerâ.*

Pocula quoque cerâ oblinebant. Theocritus, *Idyll.* 1.

> *Καὶ βαθὺ κισσύβιον κεκλυσμένον ἁδέϊ καρῷ,*
> *Et profundum poculum oblitum dulci cerâ.*

Ubi Vir eruditus quidem cenſet, κεκλυσμένον hîc idem eſſe ac κηρογραφόν, ſed pretioſiora fuiſſe vaſa ceris picta, quàm ut ea ruſtici in Sicilia, idque Theocriti ætate, haberent, certum eſt. Quare ſic potiùs ſtatuit Voſſius, pocula quidem ærea ſtannô, fictilia verò κηρῷ, ſive pice liquefactâ, obduci conſueviſſe, ne tempore æſtivô liquor exſudaret; aut vaſa æruginis virus contraherent. Quæ utraque ratio locum habuit, in vaſis cerâ illitis: ut enim pix, ſic cera, exſudationem impedit; atque ut ſtannum, ſic cera dulcis ſaporem facit gratiorem & æruginis virus coërcet. Vaſa autem *cera* illita, κηρωτά; ut illa pice obducta, πισσωτὰ καὶ κονιατά, ac ſtannô incruſtata, κασσιτερωμένα dicta ſunt, ut videre eſt apud Caſaubonum *in Athen. Animadverſ. l.* 11. *c.* 6. Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progreſſu Idololatriæ*, *l.* 4. *c.* 91. 92. Vide quoque infrà ubi de *Interramentis navium*. Ulteriùs cerâ cadavera, non minùs, ac melle, condiri conſueviſſe, diſcimus ex Herodoto, qui *l.* 4. Scythas Regis ſui mortui corpus [illegible] per totam Scythiam circumtuliſſe, antequam terrâ conderent, refert. Idem, *l.* 1. de Perſis, [illegible], inquit, [illegible], *inceratum cadaver terrâ condunt*. Unde Cicero *Tuſcul. l.* 1. *Perſæ jam cerâ circumlitos condunt, ut quàm maximè permaneant corpora.* Et Strabo, *l.* 15. de iiſdem, [illegible]. Hinc *Mumia* vox notiſſima, ex *mum*, quo Perſæ *ceram* & Arabes [illegible] nominant, deducta videtur. Vide infrà *Mum*. Etiam in fuco cerâ aliquis fuit uſus, Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſterior. l.* 4. *c.* 12. Sed & *Cera*, in multis unguentis intrabat. Unde in Foliati compoſitione *Attius*, κηρὸς, inquit, λίτρας μίαν, *Ceræ libram unam*. Et Spicati, [illegible], *Cera quantum ſufficit, ut ne ſpiſſum ſit poſtò unguentum; quantum non prohibeat liquidum eſſe.* Quæ duo genera unguenti multo in uſu fuere apud Romanos. Eadem in confectione Oenanthi locum habuit. Et in genere unguenta, in quibus plus *ceræ*, quàm croci eſſet (namque & hoc ſæpiſſimè adhibebatur) velut minùs luxurioſa minuſque delicata Cicero probâſſe legitur, apud Plinium, laudatum Salmaſio *ad Solinum*, p. 1063. Vide & infrà, voce *Malthare*. &c. Uti autem apud nos Apes, ſic apud Sinenſes in provinc. *Huquang*, alba cera, in agro urbis *Tegan*, à vermiculis eô ferè artificiô elaboratur, quô Apes favos ſuos ſtruunt. Sunt autem hi favi multò minores & candidiſſimi: è quibus collectis candelas, ut ex communi noſtrate cera conficiunt incolæ, at longè magis albas, à Magnatibus, quòd majori conſtent pretiô, ferè tantùm adhiberi ſolitas. Nam præter candorem, odorem etiam ſuavem exhalant, eâ inruntur, nihilque ſordibus inficiunt aut fœdant, licèt in veſtes incidant guttæ liquefactæ; lumen inſuper clariſſimum maximeque temperatum reddunt. Cujuſmodi cera etiam in regione *Pingio* provinc. *Quangſi* invenitur, Auctor Anonymus, *Sina & Europa c.* 58.

CERACA, Macedoniæ urbs circa Lychnidem paludem. Polyb. *l.* 5.

CERACATES, Germaniæ Tranſrhenani populi, Vangionibus ac Tribocis proximi. Tacitus. *l.* 4. *Hiſtor. c.* 70.

CERÆ, apud Papinium Statium, *l.* 3. *Sylv.* 2. *v.* 95.

> *Æraque tot ſcriptô viventia lumine ceras*
> *Fruſtì? ------ ------*

dicuntur colorum omne genus; unde *ſcripto lumine ceras*, exponit Barthius, *luce colorum*. *Scribere* enim hîc pingere eſt: & *Apelle Maximo* hæc pariter conjunxit Idem, *v.* 100.

> *------ Apellea cuperent te ſcribere ceræ*, &c.

Aliàs cerâ pingendi peculiare artificium fuit, indigitatum Plinio *l.* [illegible] *Varius in colores pigmentis traditur, ad reddendas ſimilitudines* [illegible] *tamque etiam & armorum tutelam.* De cujus inventore idem, *l.* 35. *c.* 11. *Ceris pingere ac picturam inurere, quis primus excogitaverit, non conſtat. Quidam Ariſtidis inventum putant, poſteà conſummatum à Praxitele. Sed aliquantò vetuſtiores encauſticæ picturæ exſtitêre, ut Polygnoti & Nicanoris & Arceſilai Pariorum. Lyſippus quoque Æginæ picturæ ſuæ inſcripſit ἐνέκαυσεν. Pauſias Sicyonius primus in hoc genere nobilis. Pinxit penicillò parietes Theſpiis. Idem & lacunaria pingere primus inſtituit, nec cameras ante eum taliter adornari mos fuit.* Sed hac de re plura dicemus infrà, ubi de *Encauſtice*.

CERAMBYCAS, fluvius, & inſulam *Cerambycæ*, vide *Heliacea*.

CERAMENTES, populi, qui de conventu Carum, quem *Chryſaoreum* vocant, participant, licet Cariei generis non ſint. Strabo, *l.* 14.

CERAMICA Porta, Κεραμικὴ πύλη, una erat ex portis Naucratis urbis in Ægypto, *Athenæo* memorata, cui à figlinis, quibus proxima erat nomen: [illegible], *Adulti autem in ea urbe figuli.* Κέραμ☉ verò Græcis erat *coctilis later*, ὁ ὀπτὸ [illegible], quem *teſtaceum* vocat Vitruvius, *l.* 8. *c.* 3. ubi Babylonios muros hujuſmodi latere ſtructos eſſe, refert. Sed & domus eô tegebantur, unde & tectum κέραμον, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1232. Eôdem nomine inſigniebatur Athenis porta, quæ *Dipylon* aliter dicebatur; à *Ceramico*, qui prope erat, hodieque *Kεραμεικὰ* appellatur: quo de celebri loco vide in voce *Ceramicus* & plura apud Jac. Sponium, *Itinerar. Græciæ, Part.* 2. *p.* 181. & 193. ubi, inter alia, Academiam ibi loci fuiſſe, docet: nos non infrà ubi de *Plaſtice*.

CERAMICUS, Cariæ ſinus, non longè ab Halicarnaſſo. Plin *l.* 5. *c.* 29. *Ceramici*, inquit Suid. Athenis loci duo erant, unus in civitate, alter extra civitatem: in quorum altero, qui in bello, ceciderant, publicè ſumptu ſepeliebantur, funebrique oratione ornabantur. In altero verò ſcorta proſtabant. *Heſych.* Κεραμεικὸς, τόπ☉ Ἀθήνησιν, ὅπου αἱ πόρναι προεστήκεισαν. Εἰσὶ δὲ δύο Κεραμεικοὶ, ὁ μὲν ἔξω τειχῶν, ὁ δὲ ἔσω. Vide Suid. & Jo. Meurſii *Athen. Att.*

CERAMIS, municipium tribus Acamantiæ. *Suidas*.

CERAMIUM, locus Romæ, in quo Cicero & Milo domum habebant. Cicer. *ad Att. l.* 4.

CERAMNUS, ingentis ſtaturæ, Dux auxiliaris Perſæ, à Phryxi filio, inflictô in pectus ſpatioſô vulnere, occiſus apud Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 550.

CERAMORUM Forum, Aſiæ minoris urbs in finibus Myſiæ. *Xenoph.*

CERAMUS, Aſiæ minoris oppid. in Mæonia, & in Arctonneſo inſul. juxta Caniam. *Plin. l.* 5. *c.* 31. Doridis item oppid. littorale. *Ptol.*

CERAMYNTES, à Græcis Hercules cognominatus, quaſi *ſaga rejiciens*, ut idem ſit fermè cum alexicaco. Cœl. Rhodig. *l.* 6. *c.* 7. *Antiq. Lection.*

CERANGE, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

CERAPTUM, *Papiæ* candelabrum eſt, in formam cornuum effictum, à κέρας, *cornu*: aliis inſtrumentum, quô cereus accenditur, vel vas in quo cereus accenſus ardet, ex κηρὸς, *cera* & ἅπτω, *accendo*. Occurrit vox apud Anaſtaſium Bibliothecar. in *Leone III. Fecit ---- pharum ex argento puriſſimo cum lucerna & ceraptò ſuo*, &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà in voce *Cerophala*.

CERARII, in *Capitulari A. C.* 779. *c.* 15. aliiſque libertinæ conditionis homines ſunt, ſic dicti quod cenſum capitis ſui in *cera* ſeu *cerarum* Eccleſiis præſtent. Ekkehardus Jun. *de Caſibus S. Galli*, c. 1. *Cenſum capitis ſui in cera ad ſepulchrum ejus miſit*, apud *Baud.*

CERAS, apud Solin. *c.* 10. *Veniamus ad promontorium Ceras Chryſeon Byzantiô oppidô nobile*, Plinio, *l.* 9. *c.* 15. *Aureum cornu*

pro-

promontor. eſt, in quo Byzantium, cui à ſinu circa Byzantium id nominis hæſit. Hic enim propriè Κέρας dictus eſt, quòd multis ramis in ſinus reductis ſcinderetur, ad inſtar *cornu* cervini: Et χρυσοῦν epithetcè, propter largam pelamydum capturam, unde proventus dives Byzantiis accedebat. Hinc melius *Ceratis promontor.* apud Ammian. *l.* 22. ubi illud ſic appellatum fuiſſe putat, quod pharon in ſummo præferret navibus prælucentem, h. e. lampadem intra *cornu* ardentem, &c. Sed κέρατα dici *brachia* fluviorum apud Græcos notum: ſicut in eadem re *cornua* Latini uſurpant, unde *bicornes fluvii*, qui in duo brachia ſcinduntur. Item *crines*, qui non ſunt capilli ſimpliciter, ſed πλοκάμοι, & capilli in funem nexi, ſeu crinium ſertæ, quas κέρατα ſimiliter Græci dixêre. *Cornua* quoque Juvenalis, *Sat.* 13. *v.* 164.

> *Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam*
> *Cæſariem, & madido torquentis cornua cirro?*

Hinc itaque & κέρατα, *cornua* & *crines* in fluminibus, & πλοκάμοι & *rami* ſeu *brachia*; ac proin *Ceras*, potius ipſe Sinus circa Byzantium, quàm promontorium. Salmaſ. *ad Solin. d. l.*

CERASON Chryſeon, promontorium Propontidis, in quo Byzantium oppidum fuit, nunc Conſtantinopolis.

CERASTÆ, inſulæ prope Syenen. Plin. *l.* 5. *c.* 9.

CERASTÆ. Græcè κεράσται, cervi dicebantur, cùm perfecta erat forma cornuum & ipſi magni cervi facti. Interpres Apollonii, Οἱ δὲ κέρατα μεγάλα ἔχοντες ἔλαφοι κεράσται. Nempe primò annò Græcis νεβροὶ, ſecundò πατταλίαι, tertiò δικερῶται, quartò κλαδίαι vocabantur cervi, tum enim ramoſa fieri cornua incipiunt: poſtmodum verò κεράσται, Salmaſ. *ad Solin. p.* 224. Satyri quoque iiſdem paſſim & αἰγίποδες, i. e. *capripedes* & Κεράσται, i. e. *Cornuti* appellantur: Satyris enim cornua, pedeſque caprinos, uti Panibus, apud Poëtas, tribui notum; niſi quòd fiſtulam, pedum, pellem pantherinam, coronamque ex pinu, Panibus ſolis aſcribant. Idem *p.* 414. At communiùs *Ceraſta* ſerpentum genus, cum quo Damtæ conferuntur, in Vaticinio Jacobi Patriarchæ Gen. *c.* 49. *v.* 17. *Dan erit ſerpens ſuper viam, & ceraſtes ſuper ſemitam, qui mordet calces equi, & cadat ſeſſor ejus retrorſum.* Ubi Hebræam vocem Sephiphon reddit *Ceraſten* Vulgatus, cùm natura *ceraſtæ* planè his verbis exprimi videatur. Ita enim eum latere dicit Nicander, *Theriacis* *v.* 262.

> —— ἢ ψαμάθοισιν
> Ἢ καὶ ἁματροχιῇσι παρὰ στίβον. ——
> —— *In arenis,*
> *Aut etiam in rotarum orbitis prope viam;*

ut videl. inde viatoribus inſidietur. Et in poplitibus atque inguine potiſſimum mali vim ſe exercere, ut ſic retrorſum cadere vulneratus neceſſe habeat, tradit idem. Neque hominibus ſolùm, ſed & brutis morſum eum lethiferum eſſe, dicit Callias apud Ælianum, *l.* 16. *c.* 28. Cujuſmodi inſidias eò minus evitare licet, quia, cum ſit arenæ concolor hic ſerpens, calcatur ab imprudentibus, quos ille viciſſim remordet. Diodorus, *l.* 3. *p.* 128. Quò factum, ut olim Æthiopiæ partem Ægypto ſubjectam ea peſtis prorſus deſolaverit, uti legere eſt apud eundem. Nomen ei à *corniculis* duobus, quibus prætentat iter, cùm oculorum careat uſu; quæ carnea cùm ſint, & *non niſi parva eminentia*, ut ait Bellonius, *inſtar granorum hordei, quæ cornicula referunt*; falli non parùm eos apparet, qui ſcribunt, ex *Ceraſtæ* cornibus cultellorum manubria fieri ad menſas Imperatorum, quia venenum appoſitum ſudore prodant. Vide Vincentium & Auctorem *de Nat. rerum*, plura verò hanc in rem apud Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 3. *c.* 12. ut & infrà, ubi de *Hæmorrhoo*, qui *Ceraſtæ* ſpecies eſſe videtur, item in voce *Peregrinus*, ubi Cypri incolas ob inhoſpitalitatem in hoc ſerpentis genus converſos habes, item *Sephiphon*.

CERASTIS, Cyprus olim ſic dicta, quoniam homines *Ceraſtas*, i. e. *cornibus inſignes* eam quondam tenuiſſe quidam ſcribunt. Alii quòd procurrentibus promontoriis, velut infeſtis cornibus, aſſurgat. Omnino *Ceraſtæ* dicti ſunt Cyprii omnes, quia ipſa inſula *Ceraſtis* à frequentibus promontoriis, in cornuum modum prominentibus, vocabatur. *Steph.* Ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Κεραστὶς διὰ τὸ πολλὰς ἄκρας ἔχειν. Hinc Nonnus, *l.* 13. & paſſim: Κεραστίδος εἰς χθόνα Κύπρου, ubi malè ſcribitur Κεραστίδος. *Nic. Lloydius.*

CERASUS, ſummis, nunc *Chirisonda*, urbs Cappadociæ maritimæ. Mela, *l.* 1. *c.* 19. *Raræ urbes: Ceraſus, & Trapezus, maximè illuſtres*: Græca Sinopenſium colonia. *Baudrando* urbs Aſiæ minoris in Ponto Polemoniaco, & ora littorali ponti Euxini. Inter Hermonaſſam ad 36. milliar. & Trapezuntem ad 63. Nunc paucis conſtat incolis in Amaſia regione ſub Turcis. Hinc *Ceraſa* primùm à Lucullo in Italiam delata, teſte *Athenæo*. Hieron. *ad Euſtoch. Ep.* 19. *Accepimus & caniſtrum ceraſis refertum talibus, & tam virginali verecundia rubentibus, ut ea nunc à Lucullo delata exiſtimarem. Siquidem hoc genus pomi, Ponto & Armenia ſubjugatis, de Ceraſunte primus Romam pertulit; unde è patria arbor nomen accepit.* Atqui *Ceraſorum* appellatio ipſius *Ceraſuntis* urbis natalibus prior eſt & antiquior. Κερασοῦς enim indubitanter dicta, ἀπὸ τῶν κερασίων, ut Ἀγνοῦς, Αἰγειροῦς, Ἀχερδοῦς, Ῥαμνοῦς, Μυρρινοῦς, Σελινοῦς, Πιτυοῦς, Μαραθοῦς, & ſimilia, ab aliis plantis locorum deducta nomina. Caſaub. *in Athen.*

CERASUS, arbor, *ceraſum* fructus, inter baccas & acinos recenſeri ſolitus. de illa Plinius, *l.* 12. *c.* 3. *Peregrinæ* (arbores) *& Ceraſi, Perſicaque, & omnes, quarum Græca nomina aut aliena.* Quando autem in Italiam advectæ ſint, docet, *l.* 15. *c.* 25. *Ceraſi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuêre in Italia. Ad urbis annum DC LXXX. is primùm vexit è Ponto.* Inde CXX. pòſt annis trans Oceanum in Britanniam pervenêre, *Ibid.* De iſtis Idem, *ibid. Ceraſorum Aproniana maximè rubent: nigerrima ſunt, ut Actia: Cæciliana verò & rotunda. Julianis gratus ſapor, ſed penè tantùm ſub* *arbore ſua, adeò teneris, ut geſtatum non tolerent. Principatus duracinis, quæ Plinianæ Campania appellat: in Belgica verò Luſitanis. Inrepit etiam Rheni —— Sunt & Macedonica parvæ arboris — Inter prima hoc è pomis colono gratiam annuam refert. Septentrione frigidiſque gaudet: ſiccatur etiam Sole, conditurque, ut oliva, cadis.* E quibus *Duracina*, à carne duriore nomen accepêre: quibus & principatus à Græcis delatus eſt, Διὸς πυρὸν appellantibus, h. e. *Jovis ſugem.* Francogalli *Bigarella* appellant, Burgundi *Graphiones*, quòd vario colore ſint, ἐν χρωτὶ vel ποικιλόχροα κεράσια, quemadmodum χρωτὶ ſtigmata ſunt *varia*. Quæ verò Cæciliana vocat Plinius, ea ſunt quæ *Ceraſa* propriè Galli dicunt, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 958.

CERATA, Locus in Megaridis confinio. Plut. in *Parallelis*.

CERATAULÆ, apud Vopiſc. in *Carino*, *c.* 19. cornicines ſunt, qui cum *ſalpiſtis* ibidem, h. e. tubicinibus, rectè junguntur: tubæ enim & cornua paſſim in bello, apud Veteres occurrunt, κέρατα καὶ σάλπιγγες. Et σάλπιγξ quidem Græcis propriè, quæ Latinis *tuba*, ex ære recto; ut cornua, ex ære flexo & in ſe recurvo erant, ad ſimilitudinem veri cornu, vel quòd olim ex cornu bubulo fierent, quæ poſteà ex ære facta ſunt. Ovid. *l.* 1. *Met. Fab.* 3. *v.* 98.

> *Non tuba directi, non æris cornua flexi.*

Vide Salmaſ. *ad Vopiſc.*

CERATE, *Straboni* Italiæ urbs. *Cereto* nunc *Leandro*. In colle, inter Sublacum & lacum Fucinum, in confinio Aprutii ulterioris. Aliter *Cerata* & *Cereata*. Eſt etiam caſtrum Umbriæ, ad Neram amnem, ad pedes Apennini, versùs Marchiam Anconitanam, 12. milliar. à Caſcia; 15. à Nurſia in Occaſum. Sub Pontifice. Vulgò *Cerreto*.

CERATE, vicus Turonum, Gregorio Turonenſ. *Hiſt. l.* 10. *c. ult.* memoratus, hodie *Cerey*, non procul à fluv. Caro, & à Vico Turonum Orbiniaco *Orbigni*. *Hadr. Valeſ.*

CERATIUM, nomen monetæ, in *LL.* Georgic. & apud Cedrenum ann. 24. Leonis Iſauri; quod genus ab ipſius Numæ temporibus obtinuit, ſi *Cedreno* fides. Fecerunt autem *Ceratia* duo *argentea* milliarenſem, qui hinc διϰεράτιον Scriptoribus dicitur; ſicut τετραϰεράτιον duplicem milliarenſem vocant; adeoque *ceratium*, idem cum drachma eſt, pars nempe ſolidi 24. & 12. conſtabat follibus æreis. Vide Car. du Freſne *Diſſertat. de inferioris ævi Numiſm.* Propriè autem Κεράτιον, granum Siliquæ arboris, quod in ponderibus locum obtinuit; dicta verò arbor illa etiam κερωνία Græcis, quòd fructus eſſet inſtar *cornu* curvatus & falcatus. Et quidem pomum ejus, quod ſiliquæ ſimile eſſet, *ſiliqua* dicta mandebatur: ſemina, quæ intus, amara & eſui inutilia: cortex autem ipſe prædulcis & edulis erat, Plin. *l.* 15. *c.* 18. & 24. Atque hujuſmodi fructus indigitatur nomine κερατίων, Lucæ, *c.* 15. *v.* 16. ubi de filio prodigo: Hic enim non ſiliquas leguminum intelligi, res ipſa loquitur, & nomen κερατίων, ſed ſiliquas ſylvaticas, quibus in Syria & Judæa porci nutriebantur. Hanc enim arborem Ceroniam, ſeu Siliquam, in Ionia & Syria plurimam naſci ſcribunt cum Theophraſto Plinius. Sed & poſſunt τὰ κεράτια ἃ χοῖροι ἤσθιον, apud Evangeliſtam de his ſiliquis accipi, è quibus exprimi ſolebat ſuccus. In Syria namque vinum è ſiliquis fecisse, docet Plin. *l.* 14. *c. de vinis factitiis.* Quæ κεράτια ſic expreſſa, porcorum pabulo ſervabantur, ut & vinacea. Hæc itaque nepos ille in magna ſua fame avidè voraverit. Cæterùm & apud Poëtas *Siliqua*, de tenui victu, verùm hac de re infrà dicemus, in voce *Siliqua*; plura vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 459. & 460. aliquid etiam in *Xylokeratium*.

CERATUS, fluv. Cretæ Cnoſſum urbem præterlabens, quæ etiam de nomine fluvii dicta eſt. *Fiume di Geneſa*: hinc *Ceratæus* adjectivum, Virg. ſive Catullus *in Ciri*,

> *Carpathium fugiens, & flumina Ceratæa.*

CERAULÆ, Græcè Κεραῦλαι, vide *Cerataulæ*.

CERAUNIA, Achajæ in Peloponneſo urbs. Polyb. *l.* 2.

CERAUNIA, Cypri inſul. oppid. quod hodie *Cermes* vocari ait *Mercator*, ſed Græcus Ptolemæi codex habet *Ceronia*.

CERAUNIA, ſive CERAUNII, montes in finibus Epiri, in mare uſque extenſi, ubi Ionium mare ab Adriatico ſeparatur: Ita dicti à fulminibus, quibus ſæpe impetuntur, Ovid. *l.* 2. *de Pont. Eleg.* 6. *v.* 9.

> *Cùm poteram rectò tranſire Ceraunia velò,*
> *Ut fera vitarem ſaxa, monendus eram.*

Lucanus, *l.* 5. *v.* 652.

> —— *Scopuloſa Ceraunia nautæ*
> *Summa timent.* ——

Prærupta Ceraunia Ovidio *Met. l.* 15. *v.* 704. Sunt in Chaonia regione versùs Oricum ſinum. Nunc à Chimera oppid. *Monti di Chimera*. Sunt ab Occaſu in Ortum extenſi, inter Albaniam & Epirum. Vix 50. milliar. à Corcyra Inſul. in Boream. *Baudrand.* Vide *Acroceraunium*.

CERAUNIA, cum lente, in conviviis exhibuit Heliogabalus, apud Lamprid. *c.* 21. Eſt autem *Ceraunia* & *Ceraunium*, nomen gemmæ, apud Solin. *c.* 23. *Luſitanum litus floret Ceraunio gemmà plurimùm, quam etiam Indicæ præferunt: hujus Ceraunii color eſt è pyropo: qualitas igni probatur: quem ſi ſine detrimento ſui perferat, adversùm vim fulgurum creditur opitulari.* Sed *Ceraunium* is pro carbunculo poſuit; recentiores namque propriè ſic vocârunt gemmam rubram, carbunculo ſimilem. Tertullian. *de Anima*, *Ceraunii gemmis non ideo ſubſtantia ignita eſt, quòd coruſcent rutilo rubore.* Vide quoque Epiphanium de Carbunculo, Capitolinum, Alios. At Plinius inter candicantes gemmas *Ceraunium* reponit, quamvis & nigræ rubentiſque genus etiam è Sotaco agnoſcat, vide eum, *l.* 37.

l. 37. *c.* 9. & 10. ubi inter alia, *per hæc, imber expugnari & claſſes, iiſque Batulos vocari ait*, de qua voce diximus ſuprà, in *Berylo*: Plura verò hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 177. & *ſeqq.* Claudianus etiam pro carbunculo *Ceraunium* poſuit, *Laud. Seren. v.* 78.

> —— —— *Pyrenaiſque ſub antro*
> *Ignea fulminea legêre* ceraunia *Nymphæ*, &c.

CERAUNIAS, Jupiter dictus, quòd fulmen emittat.

CERAUNIIS renidentes galeas habes infrà.

CERAUNII, montes in Aſia in Caſpium pelagus obverſi. Pompon. Mela, *l.* 1. *c.* 19 & *l.* 2. *c.* 3. Quin & Taurus mons in univerſum Græcè *Ceraunus* dicitur. Plin. *l.* 5. *c.* 27. Salmaſius *Ceraunios*, & montes Caucaſios, & montes Epiri, qui *Acroceraunii* alias; imò montes illos, qui inter Euxinum, Mæotida, Tanaim & Caſpium Mare attolluntur, Græcis in univerſum ſic appellatos eſſe, diverſis aliàs nominibus pro ſua cujuſque gente vocatos, docet, ex *Mela* & *Plinio*. *Strabo* tamen & *Ptolemæus* ſpecialem malunt *Cerauniorum* montium appellationem eſſe, & partem quandam Caucaſiorum montium, quæ ad Septentrionem porrigitur & Caſpio Mari magis incumbit, ſic propriè nuncupatam eſſe, tradunt. Vide Strabonem, *l.* 10. & præfatum Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 800.

CERAUNOBOLOS, inter opera Apellis memoratur Plinio, *l.* 35 *c.* 10. *Pinxit, & quæ pingi non poſſunt, tonitrua, fulgetra, fulguraque, Bronten, Aſtrapen*, Ceraunobolon *appellant*. Græcè Κεραυνοβόλος, *fulmen ejaculans*. Sed & *Ceraunobolos*, cognomen Legionis Chriſtianæ, ſub Marco Aurelio militantis. Vide *Fulminatrix*.

CERAUNOSCOPIUM, Græcè Κεραυνοσκοπεῖον, in Veterum Scena, machina fuit circumductilis, celſa, poſt ſcenam, in qua utres calculorum pleni cum æneis vaſis; unde fulgura exibant, tonitrua exaudiebantur, fulmina mittebantur, ut in Ajace Oileo. Quare etiam Βροντεῖον dicta. Jul. Cæſ. Scaliger, *Poetices l.* 1. *c.* 21.

CERAUNUS, cognomen cujuſdam Ptolemæi primi filii, ſic dicti, quòd in bello fulminaret. Cœl. Rhodig. *l.* 24. *c.* 6.

CERAUNUS, amnis clarus Cappadociæ. Plin. *l.* 6. *c.* 3.

CERAUSIUS, Arcadiæ mons, Pauſan. in *Arcadic.*

CERBALUS, Apuliæ amnis. Plin. *l* 3. *c.* 11. *Cervarus* Nigro. Is eſt, de quo Strabo, *l.* 6. Μεταξὺ τῆς Σαλαπίας καὶ Σιποῦντος ποταμὸς πλωτὸς δι' οὗ ἐς ἀνάπλους Σιπουντῖνος... Baudrando *Cerbalus* fluv. Italiæ, in regno Neapolitano in provinc. Capitanata. Oritur ex Apennino monte, & prope Bovinum urbem labitur, dein in Candelaram fluv. ſe exonerat, prope Sipuntum, vulgò *Cervaro*.

CERBANI, Arabiæ Felicis populi. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

CERBARIUM, locus in Apulia. Procop.

CERBERI Oſſa, vide *Oſſa Cerberi*.

CERBERION, oppid. in ultimo oſtio Boſpori Cimmerii, Plin. *l.* 6 *c.* 6.

CERBERUS, à Poëtis fingitur canis triceps; inferorum cuſtos, quem ab Hercule catenâ ab inferis tractum eſſe idem fabulantur. Virgil. *Æn. l.* 6. *v.* 417.

> *Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci*
> *Perſonat, adverſo recubans immanis in antro.*

Tibullus, *l.* 3. *El.* 4. *v.* 87.

> *Nec canis anguinea redimitus terga catenâ,*
> *Cui tres ſunt linguæ, tergeminumque caput.*

Sophocles in Trachiniis: Τρίκρανον σκύλακα. ἀπρόσμαχον τέρας. Ovid. *Met. l.* 9. *v.* 185.

> —— *Nec forma triplex tua Cerbere movit.*

Heſiod. *in Theog. v.* 310. quinquaginta capita illi tribuit his:

> Δεύτερον αὖτις ἔτικτεν ἀμήχανον. οὔτι φατειὸν
> Κέρβερον ὠμηστὴν Ἀΐδεω κύνα χαλκεόφωνον
> Πεντηκοντακάρηνον, ἀναιδέα τε, κρατερόν τε.

Iſacius illum centum capita habuiſſe ſcribit: Ἑκατὸν δὲ λέγουσιν αὐτὸν ἔχειν ... ψυχάς, ... Sic etiam Horat. *l.* 2. *Carm. Od.* 13. *v.* 34.

> *Demittit atras bellua centiceps*
> *Aures.* —— ——

Quod autem addit Iſacius, Λέγουσιν ὅτι τὰς εἰσερχομένας μετὰ κολακείας ἀπεδέχετο. τὰς δὲ ἐξελθούσας ... ex Heſiodo habuit, cujus verſus apponam è *Theogn. v.* 769.

> —— Δεινὸς δὲ κύων προπάροιθε φυλάσσει
> Νηλειής, τέχνην δὲ κακὴν ἔχει, ἐς μὲν ἰόντας
> Σαίνει ὁμῶς, οὐρῇ τε καὶ οὔασιν ἀμφοτέροισιν,
> Ἐξελθεῖν δ' οὐκ αὖτις ἐᾷ πάλιν, ἀλλὰ δοκεύων
> Ἐσθίει, ὅν κε λάβῃσι πυλέων ἔκτοσθεν ἰόντα.

Mythologi *Terram* interpretantur; dictumque volunt Cerberum quaſi κρεοβόρον, h. e. *carnivorum*. Terræ enim proprium eſt cadavera conſumere, & ad primam ſuam originem revocare, hoc eſt in humum convertere. Item tempus edax rerum, cui tria capita, Præſens, Præteritum & Futurum. Ab homine cordato ſuperatus, qui exigit monumentum.

> —— —— *Ære perennius,*
> *Quod nec imber edax*, &c.

Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 30. *v.* 1. Etiam tres hominis capitales hoſtes ſignificare poteſt, qui à generoſa Anima ſub jugum mittuntur, &c. Alii Serpentem fuiſſe volunt, in Tænaro Laconiæ promontorio: cujus venenò mortales extinguebantur. Et quoniam in Tænaro ad inferos dicitur eſſe aditus, *Ditis canem* dixerunt; quem cùm Hercules trucidaſſet, nata eſt fabula, *canem tricipitem interemiſſe*; quanquam alii hoc ad virtutem ejus & animi cupiditatem referre malint, quâ omnes cupiditates, & cuncta vitia terrena contempſit ac domuit. *Cerberus* etiam dictus eſt canis Alexandri Epirotæ cum leonibus congrediens. *Heſychius* habet Κερβέριος δαίμων. *Nic. Lloydius.*

CERCAPHUS, fil. Poliadis & Cydippes. Steph. in *Cameiro*; à quo Rhodiæ mulieres *Cercaphides*. Meminit ejus etiam in *Lindo*. Fuit & alius *Cercaphus*, filius Æoli, Phœnicis proavus; cujus meminit Strabo, *l.* 9. Et Euſtath. *in* 2. *Il.*

CERCAPHUS, Colophonis mons, ubi vipera reperitur. Nicander, Iſac. *in Lycophr.*

CERCASORUM, Ægypti oppid. juxta quod ſcinditur Nilus in Peluſium fluens & Canopum. Herodot. *l.* 2.

CERCEIS, nympha marina, Oceani & Tethyos filia. Heſiod. *in Theog. v.* 355. à *texendo* dicta. Cercis enim Græcè *radium textorium* ſignificat.

CERCETICUS, ſinus maris Euxini, in Sarmatia Aſiana, ubi Tazos urbs, vulgò *Golfo di Suſaco*.

CERCETII, populi in ora ejuſdem Sarmatiæ. *Cercetæ* Plinio, *l.* 6. *c.* 5. Κερκέται *Ptol.* qui nunc *Circaſſi* memorantur.

CERCETIUS, mons Sauri juxta Amprium montem & promontor. Sunt & *Cercetii* montes in Theſſalia. Plin. *l.* 4. *c.* 8.

CERCIÆ, inſulæ circa Ioniam. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

CERCIDAS, optimus legiſlator Megalopolites fuit. Hic cùm morti eſſet proximus, ad ſuos converſus, Jucundè ſe à vita migrare pronunciavit, quod animò concepiſſet, mox paulò ex ſapientibus quidem cum Pythagora ſe congreſſurum, ex hiſtoricis cum Hecatæo; ex muſicis cum Olympo, ex Poëtis cum Homero. *Stephanus*.

CERCIDAS, Poëta Jambeus. Cœl. Rhodig. *l.* 4. *c.* 8. *Antiqu. Lection.*

CERCII, Italiæ populi. Diodorus, *l.* 14.

CERCINA, vel CERCINNA, inſul. parva maris Mediterranei, cum urbe ejuſdem nominis in ora Africæ, & regni Tuneteni, ad promontorium minoris Syrtis ſita. Plin. *l.* 5. *c.* 7. Inde *Cercynites* perparva inſula, Cercinæ ſuperiori Carthaginem verſus ponte juncta. Plin. ubi ſuprà. Hæc Gomera, forſan aliàs *Cercinna* minor dicta eſt. *Baudrand.* Etymon ejus ſic explicat Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 25. Inſulæ nomen, inquit, ab urbe factum, quam Pœni appellabant, ... *Cercen*, i. e. Φρούριον, ὀχύρωμα. Hinc *Plinius*, *Cercina cum urbe ejuſdem nominis*. Et Strabo, *l.* 17. Ἡ Κέρκιννα εὐμεγέθης ἐστὶ νῆσος ἔχουσα πόλιν. Et Diodorus, *l.* 5. Ἔξεισι δ' ... Κέρκιννα ... πόλιν ἔχουσα εὐμεγέθη. In *Strabone Cercina & Menix*, ſunt παραπλήσιαι κατὰ μέγεθος; *æquales magnitudine*, ſed in *Plinio Menix* longa eſt 25. mill. paſſ. lata 22. *Cercina* longa duntaxat 25. mill. paſſ. lata dimidium ejus, ubi plurimum, ac in extremo non plus 5. mill. paſſ. Itaque Menix Cercinâ multo eſt amplior: At Cercina non minùs fortis. Unde eſt, quod apud Polybium ſuorum agrorum depopulationem à Cn. Servilio Cercinates magnò redimunt. Et apud Hirtium, *de Bello Afric.* c. 8. Salluſtius, *Prætor ab iiſdem receptus magnò numerò frumenti Cercinæ invento, naves onerarias, quarum ibi ſatis magna copia fuit, complet, atque in caſtra ad Cæſarem mittit. Nic. Lloydius.* Diſtat hæc inſul. ab Adrumeto in Ortum 45. milliar. à Tacapes 100. circiter in Boream 90. à Lopaduſa 50. à Lotophagite ſeu Meningæ inſula in Boream. Ægrè à paucis habitatur, *Chercara* Italis. *Baudrand.*

CERCINA, mons Thraciæ, verſùs Macedon. Sintos & Pæones populos conjungens, in Dantheletica regione. Thucydid. *l.* 2.

CERCINIUM, Macedoniæ oppid. Liv. *l.* 31. *c.* 41.

CERCION, vide *Cercyon*.

CERCIUS, vel RHETIUS & Amphitus, aurigæ Caſtoris ac Pollucis. *Dioſcuriadis* Auctores, memorantur Ammiano, *l.* 22. & *Dioſcurias nunc uſque nota, cujus auctores Amphitus & Cercius Spartani traduntur, aurigæ Caſtoris & Pollucis, a quibus Heniochorum natio eſt inſtituta*. Ubi fortè *Rhecas* ſcribendum eſſe, conjicit Salmaſ. ex Strabone, cui alter horum *Fanas* dicitur, vide eum *ad Solin. p.* 193. Sed & *Cercius* antiquis *Circius* dictus, Siculis Κιρκίας. Vide ubi de Circio. Quem vero partem Circii Ἀργέστην vocaverint Græci, dicemus infrà, in voce Caurus.

CERCOPES, populi Pithecuſæ inſul. qui cùm nullò flagitii genere abſtinerent, à Jove in ſimias mutati ſunt. Ovid. *Met. l.* 14. *fab.* 3. *v.* 91.

> *Quippe Deûm genitor fraudem & perjuria quondam*
> *Cercopum exoſus, gentiſque admiſſa doloſæ,*
> *In deforme viros animal mutavit, ut iidem*
> *Diſſimiles homini poſſent, ſimileſque videri.*

CERCOPES, item fratres duo fuerunt *Paſſalus* & *Achemon*.

CERCOPIA, magnæ Phrygiæ oppid. *Ptol.* Verſus Lydiam, juxta Cryam amnem, qui paulo infrà in Hermum cadit. Nunc *Arcobin* Caſtaldo. Prope Eucarpiam.

CERCOPITHECUS, Græcè ..., Ariſtoteli, *Hiſtor. Animal. l.* 2. *ſimia eſt habens caudam*: ut planè idem ſit ac κερκοπίθηκος, ſecundum Martial. *l.* 14. *Epigr.* 202.

> *Si mihi cauda foret, Cercopithecus eram.*

Et Prudentium *adv. Symm. l.* 2. *v.* 468.

> *Iſis enim & Serapis & grandi ſimia cauda.*

Hunc coluêre Babylonii, qui juxta Memphim; ſicut Cynocephalum, Hermopolitani, teſte Strabone, *l.* 17. & legas de prioris cultu etiam apud Juvenalem, *Sat.* 15. & Lucianum *in Deorum concil.* Nempe *Cercopitheci* divinum aliquid habere viſi ſunt; animal enim valde ingenioſum eſt. Præcipuè eò valent illi, qui ab odore moſchi, Italis *Moſchini* vocantur, de quibus Scaliger *in Exercitat.* & Cluſius *in Exoticis*. Acceſſit tum externæ hominis ſimilitudo, tum interior etiam, de qua Ariſtoteles, *Hiſt. Animal. l.* 2. *c.* 9. Οἱ δὲ κῆβοι ... ἀμφοτέρων ... ἔχουσιν ...

Cebi partes inferiores habent ſimiles hominis. Imò omni hoc ſimiæ convenire putatur: unde & Anatomici, ſi humanum defuerit cadaver, vivam ſecant ſimiam. Sed & illud ad divinum Cercopitheco tribuendum facere honorem valebat; quod hoc animal colorem variet, horti inſtar diverſicoloribus conſiti floribus: unde etiam nomen ei ajunt datum κῆπος, h. e. *horti*, è quo poſteà κῆβος factum. Verùm de iſto diſſentit Voſſius: Κῆβος enim vel κῆπος omnino eſt ex Hebræo קוף *Koph*, i. e. *ſimia*, ut 1. ſive 3. Regum, c. 10. v. 22. Imò & literæ unde *Koph* nomen datum; quia figuram referat ſimiæ, perticæ inſidentis, &c. Vide eum *de Idolol. l.* 3. *c.* 74. Pænula *Cercopithecorum*, apud Martialem, occurrit, *l.* 14. *Epigr.* 128. cujus lemma, *Bardocucullus*,

> *Gallia Santonicâ veſtit te bardocucullo,*
> *Cercopithecorum pænula nuper erat.*

Hoc enim cùm breve eſſet veſtis genus, ut patet ex *Epigr.* 93 *l.* 1. v. 8. pro ſe ferebat tunicam, quâ ſimiæ & *κερκοπίθηκοι* amiciri conſuevêre, &c. Vide quoque ſuprà *Cebus*, & infrà *Simia*.

CERCOPS Mileſius, Hiſtoriæ fabuloſæ ſcriptor, Apollodoro, *l.* 2. *Biblioth.* laudatus, Itemque Philoſophus Pythagoricus. Vide Clem. *l.* 1. *Strom.* Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 4. *p.* 509.

CERCOSIUM, oppid. à Diocletiano amplificatum mœnibus, turribuſque inexpugnabilibus munitum; *Pompon. Lætus.*

CERCUM, oppid. Tauricæ Cherſoneſi.

CERCUS, Bithyniæ collis. *Cedrenus.*

CERCYON, latro inſignis, apud Eleuſinem, Atticæ civitatem, tanto corporis robore, ut validiſſimas arbores incurvare poſſet, quibus viatores alligatos diſcerpebat. Filiam habuit nomine Alopen, quæ à Neptuno vitiata Hippothoonta peperit. Quod cum nutricis judicio reſciviſſet Cercyon, tam ægrè id tulit, ut puerum quidem in ſilvis devorandum feris objecerit, filiam verò carceri incluſam fame enecârit. Interfectus eſt tandem à Theſeo eidem ſupplicii genere, quô ipſe in viatores ſævire conſueverat. Ovid. *Met. l.* 7. *Fab.* 23. *v.* 439.

> *Cercyonis lethum vidit Cerealis Eleuſis.*

Inde *Cercyoneus* adjectivum. Idem *in Ibin*, v. 411.

> *Quaque Ceres vidit læto pereuntia vultu*
> *Corpora, Theſeâ Cercyonea manu.*

CERCYRA, inſul. maris Ionii, quæ à Latinis literâ unâ immutatâ *Corcyra* dicitur. Populi *Cercyræi*, qui quoniam crebris ſeditionibus agitabantur, conſueverant geſtare Sagra ingentia auſis eburneis exornata.

la CERDA, nomen illuſtris in Hiſpania Familiæ, quô primum uſus eſt Ferdinandus, Alfonſi Caſtellæ Regis primogenitus, ſed ante patrem mortuus. Cujus poſteritas cum Regno excluderetur à Sancio Ferdinandi fratre, nomen *de la Cerda* ei manſit. In hâc Ferdinandi nepos Ludovicus Comes de Claromonte filiam habuit Iſabellam, neptem Bernardo Gaſtonis Phœbi Fuxii Comitis *de Foix* & Dn. *de Bearn*, filio naturali: cui Henricus Rex conceſſit Medinamcelam, cum dignitate Comitis, A. C. 1371. Succeſſit filius Gaſto, ut iterum huic patri Ludovicus: qui ex minori filio Johanne Dominus *de Torrequadrada* fuit; major Gaſto, Ludovici fuit parens, qui primus *Ducis de Medinaceli* & *Comitis del Puerto de S. Maria* agnomine inſignitus eſt, ac Johannem genuit, hic Ludovicum I. Marchionem *de Cogolludo*, Gaſtonem & Johannem, Patris in Ducatu ſucceſſores. Solus vero Johannes ſtemma propagavit, non tam per ſecundo-genitum Sancium Marchionem *de la Laguna*, quàm primogenitum Johannem, qui ex Joh. Ludovico prioris matrimonii filio aliquorum Ducum genitor fuit; ex altero verò filio Confalvo, qui à Matre cognomen *de Luna* ſortitus eſt, Marchionum *de Ladrada* auctor. Joh. itaque Ludovicus præfatus, matre natus Iſabellâ Aragoniâ, obiit A. C. 1607. pater, ex Antonia *de Toledo* & *Davila*, Johannis *de la Cerda Ducis de Medinaceli* Marchionis *de Cogolludo*. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatro Nobilitatis Europ. tom.* 2. Hic Johannes 3. ſeu Antonius Johannes Ludovicus, ductâ Annâ Mariâ Liniâ *Portocarrero* Duce *Alcala*, novis titulis auctus, utpote *de la Cerda Henriquez Ribera Portocarrero*, *Ducis de Medina celi* & *Alcala*, ex ea pater fuit Johannis *de la Cerda Ribera Portocarrero Ducis de Medina celi* & *Alcala*, atque ab uxore Catharina *de Sandoval de Cardona*, Duc. *de Lerma* & Co: Antoniæ, quæ nupſit Gaſpari *Gusman de la Paz Duci de Carpio* & -- *de la Cerda*, ux. Joh. Thomæ Henrici *de Ribera* Admir. Caſtellæ Duc. *de Medina de Rio ſecco Com. de Melgar*. Idem Spenerus, *tomo* 3.

CERDANITÆ, Arabiæ Felicis populi. *Steph.*

CERDIAS, civitas à Lyſandro vi capta & diruta. Xenophon, *Hiſtor. l.* 2.

CERDO, ſeu CERDON, Patriarcha Alexandrin. præfuit, ab A. C. 100. uſque ad 110. Baronius *in Annal.*

CERDO, ſeu CERDON, Hæreticus, diſcipulus Heracleonis, ſectator deliriorum Simonis Magi & Saturnini, in Syria errores ſuos ſparſit. Duos ſtatuit Deos, bonum & malum, Legem & Prophetas &c. rejecit, ſolâ Evangelii Lucæ parte aliquâ, & quibuſdam Paulinis Epiſtolis retentis. Verum Chriſti corpus, corporiſque reſurrectionem inficiatus eſt: Hinc Chriſtum verè eſſe paſſum negavit. A. C. 152. Romam veniens, mentitâ abjuratione errorum ſuorum Orthodoxis imponere fruſtrà conatus, mox pulſus eſt. Tertullian. *de Præſcr. c.* 51. Irenæus, *contra Hæreſ. l.* 1. 3. &c. Epiph. *Hæreſ.* 41. Auguſtin. *Hæreſi* 21. Euſeb. *l.* 4. *c.* 11. ex recentioribus G. Hornius, *Hiſtor. Eccl. Novi Teſt. cum Notis & Obſervationibus M. Leydeckeri*, *p.* 148.

CERDO, apud Juvenalem, *Sat.* 4. *v.* 153.

> *Atque utinam his potius nugis tota illa dediſſet*
> *Tempora ſævitiæ, claras quibus abſtulit urbi*
> *Illuſtreſque animas* ——
> *Sed periit, poſtquam cerdonibus eſſe timendus*
> *Cœperat* ——

nomen eſt ſeu convitium potiùs, quo à Gentilibus Chriſtiani tum aſperſi, quòd artes manuarias, quas Romani pro vilibus & abjectis habebant, non aſpernarentur, ſequuti monitum Apoſtoli 1. Theſſal. *c.* 4. *v.* 11. Vide infrà voce *Sellularii*. Voli itaque Sceyricum, obiiſſe Domitianum, cùm in Chriſtianos ſævire incepiſſet. Eſt autem *Cerdo*, à Græco κέρδος, quaſi *lucrio*, idem quod *βάναυσος*, vox generalis: ad coriarium poſtmodum *βυρσοδέψην*, ac ſutorem denotandum reſtricta, *Perot.*

CERDOUS, dictus eſt Apollo, ut & Mercurius à Κέρδος, i. e. *lucrum*: Hic quidem, quia negotiis præſit ac lucro, quâ ratione illi marſupium aſſignatur, ille verò, quia oraculis editis ad lucrum conferre inſigniter crederetur. Cæl. Rhodig. *l.* 16 *c.* 19. *Suidas*, Κερδῷος θεὸς ὁ Ἑρμῆς, ὡς ἐφόρος ... [illegible] Unde Auſonius *divitem* vocat *ep.* 21. *ad Paulinum*, *v.* 6.

> *Jam nunc per auras Perſei talaribus,*
> *Petaſoque ditis Arcadis vectus, vola.*

CERDYLIUM, Argilorum locus, non procul diſtans ab Amphipoli. Thucyd. *l.* 5. Ἐς ... [illegible] Ἀμφιπόλεως.

CERE, vide *Cære*.

CEREA Bulla, Imperatoribus Græcis in uſu fuit, cùm ad matrem, uxorem, filium ſcriberent, ſuitque, ſicut & plumbea, eam iidem in literis ad Deſpotam, Patriarchas & reliquos Principes honoratiores, adhibebant, ubi Accubitore pali vel annuli ſignata, ut, docet Codinus Curopal. *de offic. Aulæ Conſtantinop.* quemadmodum auream, fortè & argenteam, magnus ſignabat Logotheta. Sed *Ceream* quoque in Novellis Conſtitutionibus appendi ſolitam reperimus: quod ſolenni teſtatur formula, οἱ ... [illegible] quâ multorum Imperatorum Novellæ concluduntur. Ipſe etiam Alexius Comnenus, in quadam Novella, *tom.* 2. *p.* 186. edicit, ne in poſterum cujuſcunque Reſcripti ratio habeatur, quod alicui Judicum tranſmiſſum ad ſe Itum exhibere prohibeat, [illegible], *Licet nomo fortè ſubſcriptum ſit, licet bulla cerea ſigillum habeat.* Et Nicol. Patriarcha *in Synodali Epiſt. ad Alexium Imperator.* affirmat, ſe accepiſſe quæ [illegible], *Divinum reſcriptum per ſigillum cereum punicaque propria manu literas idonee munitum.* Erat autem bulla *Cerea* duplex, rubra ſcil. & praſina, dicebaturque *Δικήρων*. Et utebatur quidem utrâque Imperator: quô innuebatur, ad eum pariter atque ad Patriarcham, munus docendi pertinere. Balſamo *de privileg. Patriarch. p.* 444. [illegible] *Hinc enim uſu venit, ut fideles Principes & Imperatores, Catechetico more, cum populo Chriſtiano colloquantur aut juſſitam faciant, more Sacerdotum, ac cum cera duplici obſignent.* Sed Patriarcha tantùm praſinâ: itaque legitur bis *in Solutionibus quarundam quæſt.* Manuelis: [illegible] Præter eam verò, etiam plumbeâ, uſum fuiſſe, didicimus ex Sanctis quorundam Patriarcharum, quæ extant *Juris Græco-Rom. tomo* 1. Vide Joh. Kirchmannum, *de Annulis c.* 8. & ſuprà in voce *Bulla*, it. infrà *Sigillum*.

CEREA Cœna, apud Lamprid. *in Heliogabalo*, *c.* 25. *Paraſitis in ſecunda menſa ſæpe ceream cœnam, ſæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam vel marmoream vel lapideam exhibuit. ita ut omnia illi exhiberentur videnda de diverſa materia quæ ipſe cœnabat, quum tantùm biberent per ſingula fercula, & manus, quaſi comediſſent, lavarent*; imitatio fuit veræ cœnæ, ex *cera*, ciborum ſimulachra exhibens. Sic etiam Ptolemæus Sphæro Philoſopho, ut illi veterinum excuteret diſciplinæ Stoicorum, qui *ſapientem falſa opinaturum* negabant, in ſecunda menſa *ceream cœnam* appoſuit: *magnum* utique *ſomnum*, ut refert Laërtius, *l.* 7. Caſaubonus *ad loc.*

CEREÆ Coronæ, apud Artemidorum, *l.* 1. *c.* 79. [illegible] *Corona Cerea omnibus malum* (portendunt) *maximè verò ægrotantibus; ſiquidem & mortem* [illegible] *vocant Poëtæ*: videntur neſcio quid magicæ ſuperſtitionis continuiſſe. Car. Paſchalius, *Coronar. l.* 4. *c.* 4.

CEREÆ Icones, multo in uſu Veterib. utpote quæ optimè & ad nativum vultus repræſentant, nullâ picturâ veritatem magis, quàm cerâ, imitante. Unde ſimiarum ſolertiam hôc maximè argumentô demonſtrat Plinius, quod *pictas cera icones viſu diſtinguere*, & à veris vultibus eas diſcernere queant, *l.* 8. *c.* 54. Vide ſuprà in voce *Cera*. At nefandus ille, ad quem icunculas à *cera* Veneficæ adhibuêre. Poëta.

> *Sagaque, pœniceâ deſixit nomina cerâ.*

Ovid. *Ep.* 6. *Heroid. v.* 91.

> —— *ſimulacraque cerea fingit.*

Virgilius item, *Eclogâ* 8. *v.* 80.

> *Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit,*
> *Uno eodemque igni: ſic noſtro Daphnis amore.*

Ubi venefica ipſa ſui iconem de limo, Daphnidem de cerâ fecit; ut hic inſtar ceræ molleſceret, ipſa verò in ejus amorem induraſceret magis. Imò non ad amatoria ſolùm, ſed & cùm aliquem excruciare volebant, uſos fuiſſe iſtiuſmodi imagunculis olim, hodieque id Strigum genus, illuſtri exemplô de Cardin. Lotharingo Thuanus, & de Scotiæ quodam Rege, Buchananus, hoc veneficii genere ad tabem adductis, docent. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1088.

CEREALES Ludi, in Cereris honorem, more à Græcis ex Eleuſine ductô, apud Romanos celebrabantur, prid. Idus April. per 8. dies,

dies. Repræſentabatur in illis à matronis luctus Cereris, ob raptam Proſerpinam, & ejus peregrinatio cum face filiam quæritantis. De iis Alexander ab Alex. *Genialium dierum*, *l.* 6. *c.* 19. *A ſolis matronis hi ludi fiebant anno ſingulis, Romanique in toga candida ſpectare ludos mulieresque in veſte alba, pariter ſacrum facere ſolebant: in quo id obſervatum fuit, ut tunc Diis gratum eſſe cenſerent, ſi à luctu nec funere polluti celebrarentur: utque in ſacris Cereris ante noctem epularentur nemo, atque à vino imprimis & Venere abſtinerent: Utque quoad quoque anni ex Sibyllinis carminibus prodigiorum causâ jejunium fieret, inter quæ præcipuum, ut ſacris initiatos calatâ abluerent primum, quod caſtitati prodeſſe ducerent.* Hinc, cùm à lugentibus non poſſent hi ludi peragi, bellô Punicô ſecundô, poſt cladem Cannenſem, Senatus finiri luctum 30. diebus juſſit, cum aliàs centenos requireret. In iis *Pompa* producebatur cum Deorum ſignis; continebat autem Pompa *Simulachrorum ſeriem, imaginum agmen, currus, thenſas, armamaxas, ſedes, coronas, exuvias.* Tertullian. *de Spectac. c.* 7. quæ tria ultima in Supplicationibus & publicis Feſtivitatibus, ob partam de hoſte victoriam inſignem, adhibebantur. Porrò ovum non omittebatur in his ludis, imò *Ovum in Cerealis pompa apparatu numerabatur primum*, Macrob. & inter *arcana Cereris* erat, an quia id mundi imago eſt, *nam ſicut in mundo, ita in ovo vis vitalis*, Cœl. Rhodig. *l.* 27. *c.* 17. an quia ex eo Caſtor & Pollux prognati, unde Horatius, *Serm. l.* 2. *Sat.* 1. *v.* 26.

—— —— Ovo *prognatus eodem.*

Locus ludorum Circus erat: Ovid. *Faſt. l.* 4. *v.* 391.

Circus erit pompâ celeber numeróque Deorum,
Primaque ventoſis palma petetur equis.
Hinc Cereris ludi, &c.

Exhibebantur namque his ludis certamina equeſtria, Dio, *l.* 47. iisdem miſſilia, i. e. nuces, cicer & alia dabantur ac ſpargebantur in vulgus, ad plauſum & populi favorem captandum: Illis etiam Ædiles præerant ut plurimum; Dictatorem tamen & Magiſtrum Equitum eos ex Senatuſconſulto feciſſe refert Livius, *l.* 30. Nec omittendum, duas porcas, unam auream, argenteam alteram, huic ſacrificio fuiſſe adhibitas, ex *Feſto*. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 8. *l.* 5. *c.* 14. & Scaligerum, *Poetices l.* 1. *c.* 32.

CEREALIA, orum, ſacra Cereris à Triptolemo inſtituta, quæ Plinius, *l.* 24. *c.* 9. *Theſmophoria* vocat, à Cerere Theſmophoro, h. e. *legum latrice*. Hæc autem feſta tantâ religione celebrabantur, ut feriæ pollutæ crederentur, ſi quis eô tempore cum uxore concubuiſſet. Præterea in ſacrificiis Cereris vinum non adhibebatur. Unde Plaut. in *Aulul.* Megadorum Cereri nuptias eſſe facturum, ait, quod nihil vini ad nuptias eſſet allatum. Salmaſio duo ſic dicta ſacra erant Athenis, *Eleuſinia* & *Theſmophoria*, quorum illa Boëdromione menſe, iſta Pyanepſione illi proximo, celebrabantur. Hæc cum luctu ſolebant agitari, unde Plut. [illegible] vocat: in Eleuſiniis verò omnia læta; hinc Myſtis Epoptiſque illorum Initiorum ventum fuit etiam ad puteum ſedere, cui Ceres adſederat, cùm filiam quærens in pagum Eleuſinis venit, quia triſtis tum erat. Nempe non luctum Cereris ſignificabant aut repræſentabant illa, ſed eam jam exhilaratam mœrore depoſitô monſtrabant, quum facetiis Baubonis (de qua ſuô locô) ad riſum incitata, cyceonem potum ſumſit, quem prius recuſaverat. Præterea ob fruges repertas ea inſtituta, quæ lætitiam hominibus & facilitatem victum attulerunt. At tota Theſmophoriorum mythologia Proſerpinæ raptum depalabat, & ex eo raptu, Cereris oſtendebat mœrorem. Porrò Theſmophoria fiebant in Urbe, Eleuſinia in pago cognomine. Theſmophoria ſolæ mulieres candidis indutæ veſtibus obibant, unde Θεσμοφοριάζουσαι Ariſtophanis; Eleuſiniorum initia ſoli viri accipiebant. In iis quippe Ἱεροφάνται, Δᾳδοῦχοι, Σπονδοφόροι, Κήρυκες. Et quidem in Theſmophoriis Cereris Sacerdotes à viris ſeparabantur, vel nullos habebant. Unde Plinius, *l.* 24. *c.* 9. *Agnon-matronæ Theſmophoriis Athenienſium caſtitatem cuſtodientes, his foliis cubitus ſibi ſternunt.* Et Tertullian. *de Pallio*, *Cum ob cultum omnia candidatum & ob notam vitæ & privilegium Cereris initiantur.* Vide quoque ſuprà in voce *Caduceum*. Denique Eleuſinia Cereri Eleuſiniæ; Theſmophoria, Cereri Θεσμοφόρῳ ſacra fuêre. Interim varia habuêre communia; nam utriſque Jacchus junctim cum Cerere & Libero colebatur; utriſque porci immolabantur, quos χοίρους Græci, Latini *ſacres* vocârunt &c. Unde non mirum, ea ſæpe ab Auctoribus confundi, Arnobio præſertim, *l.* 5. At Clemens, unde ſumſit ad verbum, quæcunque de Myſteriis illis habet, ea accuratè diſtinguit: *Baubo enim, Triptolemus, Eubuleus, Eumolpus, Dyſaules, Caduceatores, Hierophantæ, Dadûchi, Præcones, & tota illa ſcena, quam ibi traducit, Eleuſiniorum fuêre. Ipſa denique ſymbola quæ rogati ſacrorum in acceptionibus reſpondeant: jejunavi atque ebibi Cyceonem, ex ciſta ſumpſi, & in calathum miſi; accepi rurſus, in ciſtulam tranſtuli: hæc ſymbola Eleuſiniorum ſacrorum*, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 750. & *ſeqq.* plura verò de utroque hoc feſto ſuô locô.

CEREALIS, Conſul, Collega Commodi, an. Urb. Cond. 859.

CEREALIS, Conſul, Collega Læti, an. Urb. Cond. 967. Thermas Romæ ædificavit. Novercam Juliam uxorem duxit. *Spartian. Oroſ. Eutropium.*

CEREALIS, Epiſcopus Afer, ſeculô 5. Carthagini, contra Maximianum Epiſcopum Arianum, qui ipſum, coram Rege Vandalorum, erat aggreſſus, ſcripſit. Vide Biblioth. Patrum edit. 2. *tomo* 4. Gennad. *c.* 96.

Petilius CEREALIS, Dux Romanus, in Anglia, ad Bundvica cæſus. Tacit. *Annal. l.* 14. *c.* 32. 33. Item, avunculus Gratiani Imperat. Valentinianum, filium hujus, an. 10. ætat. Imperatorem proclamavit, Socr. *l.* 14. *c.* 26. A. C. 375. Vide & *Cerialis*.

CEREALIS, & Primus, memorati *Suidæ*, cùm in Romanum ſolum irrupiſſent, modos excogitârunt varios, quibus ſecretò literas & nuntios mitterent, quos Auctor recenſet: Epiſtolas nempe mortuorum, qui efferebantur, arcis inſerendo, aut cum fiſcinis fructuum miſſitando, aut inter calamos aucupatoriis occultando. Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 1205.

CEREALIS, quæ aliô nomine *Ebora* dicitur, Hiſpaniæ urbs. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

CEREBELLA phœnicopterûm, ſtruthionum & turdorum, ingenti copiâ appoſita Palatinis, ab Heliogabalo, apud Lamprid. *c.* 20. de phaſianorum & pavonum; caponum & gallinarum *cerebellis*, vide infrà in *Gallina*; uti de *cerebro* lupi piſcis, Rabbinis magnopere commendato, ſuô locô; de molli, itidem ubi de eo. At Græci veteres à *cerebri* eſu ſolicitè abſtinuerunt, ob rationem dicendam infrà voce *Sternutatio*. In homine *Cerebrum*, unà cum capite, in quo eſt, Jovi ſacrum fuit, apud Gentiles. Nota ejus compendiaria, in antiquis Græcorum libris Hippocratis eſt Ꝭ. ut docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1238. De eo ſic Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Hoc eſt viſcerum excelſiſſimum, proximumque cœlo capitis, ſine carne, ſine cruore, ſine ſordibus. Hanc habent ſenſus arcem: huc venarum omnis à corde vis tendit, hîc deſinit: hoc culmen altiſſimum, hîc mentis eſt regimen*, &c. De *cerebro* hoſtis à Tydeo ſorbillato, diximus alibi; de Sacerdotis, in immunditia ſua ſacra obeuntis, fuſtibus eliſo, dicemus aliquid infrà voce *Zelota*. Addam hîc ſolùm, *Cerebrum* optimis Scriptoribus caput non rarò dici. Hinc Avienus ubi de Sirio.

Æthereæ canis ille plagæ; Cui plurimus ardet
Æſtuat in cerebro, *multus rubor*, &c.

Horatius, *Carmin. l.* 2. *Od.* 17. *v.* 27.

Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum
Dextrâ levâſſet. —— ——

Prudentius, *Agnete*, *Hymn.* 8. *v.* 113.

Stans & draconis calce premens caput.
Criſtas Cerebri *deprimit igneas.*

Et *Pſychomachiâ*, *v.* 139.

—— —— *dextrâ ſublimis ab aure*
Erigitur, mediumque ferit librata cerebrum.

Plautus quoque *Rudente*, *Actu* 4. *ſc.* 3. *v.* 68. *Verbum adde etiam unum, jam in cerebro colaphos abſtrudam tuo.* Serenus, *c.* 10. *Allia nonnulli commiſcent oleique liquore Perfundunt cerebrum*, &c. Nec Poëtæ ſolùm ſic locuti. Victor Utic. *l.* 3. *Singulos in modum canum, cerebris comminutis, extinguit.* Hugo Falcandus; *Equi velocitate fretus illius enſem ſublatum cerebro fugientis immerſit*, Alii. Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium d. l.* uti de convitio, *Muſca in cerebro*, infrà. Ab homine tranſlata vox ad palmas, in quarum quibuſdam (ut in Chydæis palmis) in parte, quæ radici proximior: in aliis, in ſummo trunco, teneram medullam, in qua tota palmæ vis, hôc nomine venire, & *cor* quoque, Græcis [illegible] dici, albamque eſſe, docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 1317. ubi inter alia, & medullam hanc dulcem eſſe, & veſcentes inebriare, addit.

CEREDANUM, pagus agri Novarienſis, *Cerano*. *Ferrar.*

CEREI, apud Romanos, multo in uſu diſtribus. Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 18. *v.* 1.

Quòd tibi Decembri menſe, quô volant mappæ,
Gracileſque ligulæ, Cereique, *chartæque*
Et acuta ſenibus teſta cum damaſcenis,
Præter libellos vernulas nihil miſi.

Nempe *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus; quia candelis pauperes, locupletes cereis utebantur*, ut ait *Feſtus*. Vide quoque Macrob. *Saturnal. l.* 1. *c.* 7. & infrà voce *Sigillaria*. Hodieque in Eccleſia Romana occaſione Candelabri ſeptem ramos habentis, in Tabernaculo, Exodi *c.* 25. *v.* 31. *ſ.* de quo quid ſentiendum, Theologis relinquimus. Hoc certum, *Cereos* Eccleſiæ, qui à Gentilibus coram idolis, vel ab Arrianis, Athanaſii tempore continebantur, uti is queritur *Epiſt. ad Orthodoxos*, non diurnis exercitiis, ſed nocturnis, fuiſſe adhibitos. Epiphanius quoque de ſuo dicebat, *l.* 3. *in fine Comp. doctr. Perpetuo ſiunt in Eccleſia orationes matutinæ, lucernaleſque ſimul Pſalmi & orationes.* Sic Nazianzenus, *Orat.* 2. *in S. Paſcha*, agit de luminaribus in Paſchatis vigiliis, *ad noctem illuſtrandam* accenſis. Et Hieronymus *contra Vigilant. c.* 13. ad objectionem de *Cereis* clarâ luce accenſis, *Cereos autem*, reſpondet, *non clarâ luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris, ſed ut noctis tenebras hôc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci dormiamus in tenebris.* Quod autem aliqui faciebant, imperitiæ & ſimplicitati ſecularium hominum, vel religioſarum fœminarum, aſcribit, quibus aptat illud Apoſtoli; *Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.* Sed & Tertullian. *Apol. c.* 35. in Gentilibus id reprehendens, negat à Chriſtianis idem fieri; *Die lætô*, inquit, *lucernis diem non infringimus.* Vide quoque Lactantium, *l.* 6. *c.* 66. Alioſque. Imò & Ethnici ipſi ſibi temperare non potuerunt, quin morem illum etiam apud ſuos perſtringerent. *Accendere*, ait Seneca, *Ep.* 95. *aliquem lucernas Sabbatis prohibemus; quoniam nec lumine Dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine.* Qui idem alibi quoque populo objicit, quòd ad Sacerdotem lampada præferentem concurrerent; *de Vita beata c.* 27. *Cum laurum linteatus ſenex & medio lucernam die præferens conclamat iratum aliquem Deorum, concurritis.* Neque verò in profanis ſolùm

ſolùm ad ſuperſtitiones ſuas, ſed etiam ad lupanaria indicanda, utebantur, uti iterum Tertullianus docet *locò cit.* qui proinde *Idolol. c.* 35. *Accendant igitur quotidie lucernas, quibus lux nulla eſt: adfigant poſtibus lauros poſtmodum arſuras, quibus ignes imminent: illis competunt teſtimonia tenebrarum & auſpicia pœnarum*, &c. Vide quoque infrà in voce *Cereus*.

CEREI Calcei, vide infrà *Cerimus*, it. *Zancha*.

CEREI Pugillares, vide infrà *Pugillares*.

CEREIA, gens Romana memorata Flav. Vopiſco in *Floriano*, c. 6.

CERELLIA, gens itidem Romana è qua Macrinus, Fauſtinianus & Julianus, inter Nobiles, juſſu Severi, ſine cauſæ dictione occiſos, memorantur Spartiano in *Severo Imperat. c.* 13.

CEREMISSI, ſeu CREMISSI, populi Moſcoviæ Orientalis, diſcreti in cis-Volganos & trans-Volganos, *Brietio* aliiſque. Volgò *Nagornoy*, i. e. montuoſi. Extenduntur ad montes Riphæos, habitantque in ſylvis, inter Novogardiam inferiorem & Caſanum.

CEREMONIA, vide *Cærimonia*.

S. CERENISI caſtellum Galliæ, vulgò *S. Celerin*, ad ripam Sartæ; ejuſque ac Sartulæ confluentes, in diœceſi Sajenſi, Alentionem inter ac Fraxinetum. Nomen habet ab Abbate quodam, qui ibi monaſterium extruxit; Prioratu gaudet inſigni, ac novô *S. Celerini* nomine, quàm veteri S. Cerenici inſignior eſt. Ordericus Vital. *Hiſt. l.* 8. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CERES, Saturni & Opis filia, frugum inventrix, & cultrix terræ. Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 147.

> *Prima Ceres ferrò mortales vertere terram*
> *Inſtituit: cùm jam glandes atque arbuta ſacra*
> *Deficerent ſylvæ, & victum Dodona negaret.*

Ex qua Jupiter Proſerpinam ſuſcepit: quam cùm poſteà Pluto rapuiſſet, Ceres, accenſis in Ætna monte tædis, filiam toto orbe maximô labore perquiſivit. Stat. *Theb. l.* 12. *v.* 270.

> *Qualis ab Ætnæis accensâ lampade ſaxis*
> *Orba Ceres, magnæ variabat imagine flammæ*
> *Auſonium Siculumque latus, veſtigia nigri*
> *Raptoris, vaſtoſque legens in pulvere ſulcos:*
> *Illam inſanis ululatibus ipſe remugit*
> *Enceladus, ruptoque vias illuminat igni.*
> *Perſephonen amnes, ſylvæ, freta, nubila clamant,*
> *Perſephonen tantùm Stygis tacet aula Tyranni.*

Quæ in peregrinatione, cùm ad Eleuſium Regem perveniſſet, filium ejus Triptolemum alendum ſuſcepit, cumque alumnum immortalem reddere vellet, interdiu divinò eum lacte alebat, noctu verò igne obtuebat. Verùm cùm Eleuſius inſolitum fieri incrementum admiraretur, nutricem ſibi obſervandam putavit, clàm ſe abſcondens eâ in parte domûs, ubi illa puerum ad ignem fovere ſolebat. Cum itaque illam intueretur puerum in ignem mittentem, ſubitò expaveſcens, clamore ſe ſuò prodidit. Quam rem ægrè ferens Ceres, nimiam hominis curioſitatem morte punit. Puerum autem ſerendarum frugum rationem docuit, eundemque in alatorum draconum vehiculum impoſuit, ut orbem peragrans frugum uſum mortalibus communicaret. Poſteà Arethuſæ nymphæ indiciò certior facta, Proſerpinam apud inferos eſſe, Jovem adiit, fratriſque injurias cum eo expoſtulavit, tandemque filiæ reditum eâ conditione impetravit, ſi nihil illa apud inferos guſtâſſet: Verùm cùm Aſcalaphi indiciô palam factum eſſet, eam in Plutonis pomario fortè obambulantem, malum Punicum decerpſiſſe, aliquotque inde grana deguſtâſſe, reditus ei in perpetuum fuit intercluſus. Quam rem ægerrimè ferens Ceres, Aſcalaphum in bubonem commutavit. Tandem tamen Jupiter, ut ſororis dolorem mitigaret, Proſerpinæ permiſit, ut dimidiâ anni parte apud inferos cum viro, reliquâ apud ſuperos eſſe poſſet. Fabulæ Hiſtoriam de Cerere, Siciliæ Regina, cujus filia ab Orco, Rege Moloſſorum rapta, occaſionem dediſſe ſunt qui velint. Poëtæ aliquando *Cererem* accipiunt, pro Luna, ſicut *Liberum* pro Sole. Virgil. *l.* 1. *Georg. v.* 5.

> —— *Vos ò clariſſima mundi*
> *Lumina, labentem cœlò quæ ducitis annum,*
> *Liber & alma Ceres.* —— ——

Quanquam aliqui, per *Clariſſima lumina*, intelligant Solem & Lunam, diſtinguantque à Baccho & Cerere. Nonnulli Cereris appellatione terram intelligi volunt. Unde & à Græcis Δημήτηρ dicitur, quaſi Γῆ μήτηρ. Eſt enim Terra frugum omnium Genitrix, unde Eurip. *in Phœniſſ.*

> Δαμάτηρ θεὰ, ἀνάσσα
> Ἄνασσα, ἁπάν-
> των γᾶ τροφός.

Ceres Dea, omnium domina, omnium terra creatrix. Ita granum, quod in terram conjicitur, per Proſerpinam, per Plutonem tellus, aër per Jovem intelligi poterit, &c. Eadem & *Theſmophorus* dicta eſt, h. e. *legum latrix*, quia, antequam illa agriculturæ uſum docuiſſet, homines nullâ lege vivebant. Poſtea verò, Cereris beneficiô, monſtratô frugum uſu, cœptum eſt de agrorum finibus (qui nulli erant anteà) diſceptari: quam primam volunt fuiſſe juris & legum inſtitutricem. Ovid. *Met. l.* 5. *v.* 341.

> *Prima Ceres unco terram dimovit aratro,*
> *Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,*
> *Prima dedit leges.* ——

Notandum verò, quòd Ceres rebus omnibus ruſticanis putabatur præeſſe. Docebit illud locus Pauſaniæ *in Arcadicis*, ubi aræ cujuſdam meminit, in qua Cereri offerebantur fructus arborum ſativi, lana; alia item, ut ſerpentes, porca fœta, papaver inprimis, &c. Cum hoc facit, Cererem appellatam ab eodem Pauſania μαλοφόρον, h. e. *lanigeram*, quà cognomine culta eſt in Megaride, & Μηλοφόρον, h. e. *oviferam*. Dicitur autem *Ceres*, teſte Varrone *de L. L. l.* 4. *quod gerat fruges*, quaſi *Geres*. Sed Scaliger deducit à *cerea*, quod eſt *creo*. Si Geres prius dicta, à Græco γέρος. *Heſychius.* Ἀχερὼ καὶ Ὦπις καὶ Ἕλλα, καὶ Γῆρος καὶ Γῆ, καὶ Δημήτηρ ἡ αὐτή. Sed ſic neque Græca vox erit; ſed potiùs Hebræa à גרש *geresh*, quod eſt *frumentum tritum*, à גרש *garash frangere, contundere*. Eſt & vicina vox Κύρα; ſic vocata eſt Ceres apud Cnidios, quod ſit κυρία τοῦ ζῆν, h. e. *vitæ domina*. Ponitur interdum *Ceres* pro pane. Terentius, *Eun. Actu* 4. *ſc.* 5. *v.* 6.

> *Sine Cerere & Baccho friget Venus.*

Et apud Lucanum, *l.* 4. *v.* 381.

> —— *Satis eſt populis fluviuſque Ceresque.*

Nic. Lloydius. Nomen aliis ab Hebræo הרס, unde & *Horus*, *Heros*, *Herus*, & interpoſitâ unicâ literâ Ἔρως, orta, accepiſſe videtur, ad Solem relatâ totâ ἀλληγορίᾳ Ethnicæ fabulâ. Et de Cerere res manifeſta, quæ inventarum Dea frugum dicatur. Nimirum quia Sol inter præcipuas fructificationis cauſas eſt, à cujus temperato calore & ipſius terræ nativa fœcunditate principium antiquitatis argumentum duxêre Ægyptii, apud Juſtinum, *l.* 2. *c.* 1. Unde & eam quidam antiquorum cum Veſta confundunt, quæ ſanè non aliunde, quam ab אורא denominatur: Et ad הרס propriùs accedit Γῆρος, quomodo eam ab antiquis Græcis vocatam eſſe, docet *Heſychius*, cùm ait: Ἀχερὼ καὶ Ὦπις καὶ Ἕλλα καὶ Γῆρος, καὶ Γῆ καὶ Δημήτηρ, ἡ αὐτή, *Achero & Ops & Helle & Geres & Tellus & Ceres, una eademque eſt.* Quid, quòd Plutarchus Cyri nomen linguâ Perſicâ Solem ſignificare ſcribit? et omnino ex eadem cum Cerere radice deſcendat. Addi poteſt, Cererem antiquis Θεσμοφόρον ſeu Θεσμοθέτιν dictam eſſe. Ovid. *Met. loc. cit.*

> *Prima dedit Leges.* —— ——

Ut ſic non minimam inventæ Sapientiæ, & ad homines propagatæ laudem reportârit: cujus rei indicium non levem præbent myſteria ejus Θεσμοφόρια, quæ in memoriam illius, tanquam legum & frugum, i. e. omnis humani cultus auctoris, celebrata ſunt. Videntur enim illa ſecretiorem Philoſophiam, per occultas traditiones, non niſi inter initiatos, propagari ſolitam continuiſſe, quemadmodum apud Hebræos Cabbala idem præſtabat. Vide Cicer. *l.* 2. *de Legg.* Seldenum *de Diis Syris prolog.* 3. &c. Inprimis autem Divinitatis unitatem ac ſimplicitatem iis aperiebant. At Sapientiæ omnis parentem Apollinem ſeu Solem ſtatuêre Veteres, vide Macrobium, *l.* 1. *Saturn. c.* 17. & *l.* 2. *c.* 7. Communiter tamen per Cererem terra indigitatur, in cujus honorem *Cerealia ludi* habiti ſunt. Coli cœpta fuit *Ceres* in Urbe Palantio, quam Arcades in monte Palantio condiderunt, & in ea Deæ templum, teſte Dionyſio, *l.* 1. additâ ei Græcâ ſacerdote, quemadmodum & ſacra 5. Kal. April. ei fieri ſolita *Græca ſacra*, quod è Græcia ab Evandro Romam perlata, dicta ſunt. Poſteà an. Urb. Cond. 257. A. Poſthumio, T. Virginio Conſulib. ab A. Poſthumio Dictatore, poſt victoriam à Volſcis reportatam, de ſpoliis ædes Cereris locata eſt: quam triennio pòſt alter Conſulum Sp. Caſſius, in urbe relictus, dedicavit. Sita illa eſt in fine Circi maximi ſuper ipſos Carceres. Aliarum ejus ædium meminit *P. Victor*. Solebant ejus ſacra peragi ſub auroram, à ſacerdotibus fœminis quæ ad furioſarum inſtar cum accenſis facibus hinc inde diſcurrebant: has puras eſſe (nihil enim polluti ſanum ingredi audebat) & pertinaci ſilentio myſteria involvere erat neceſſe, quod ut fideliùs ſervarent, à vino abſtinere cogebantur. Unde *Cereri ſacrificare* Proverbialiter dicuntur, qui convivis vinum non exhibent. Simulachrum Deæ ſolebat ſic pingi, ut ſertum ex ariſtis ſeu ſpiceam coronam capite geſtaret: Nonnunquam mœſta, cum lampade ſeu face deſcribebatur; interdum manipulum ſpicarum & papaverum gerens, quemadmodum in nummis antiquis cernere eſt. Vide Roſin. *Antiq. Rom. l.* 2. *c.* 12. Thom. Dempſter. *Paralipom. in illud*, Salmaſ. *ad Solin.* Caſp. Barthium *ad Statium*, Alios. De Feſto ejus, apud Athenienſes duplici, diximus ſuprà, in voce *Cerealia*: de Feſto ejuſdem apud Romanos, in voce *Cerealia*. De ejus primo Romæ ſimulachro ſic Plin. *l.* 34. *c.* 4. *Romæ ſimulachrum ex ære factum* Cereri *primum reperio, ex peculio Sp. Caſſii, quem, Regnum affectantem, pater ipſius interemerat*, &c.

Epitheta Cereris.

Actæa.
Alumna.
Attica.
Χλόη, in ſegete viridi.
Eleuſina, ſeu *Eleuſinia*, ab Eleuſine oppid. ubi illa præcipuò honore culta. Vide in hac voce.
Ennenſis, ab Enna civitate juxta quam rapta eſt Proſerpina.
Frutis, à *fruendo* nominata, apud Solin. c. 2. ubi de Ænea, *Deæ ſimulachrum, quod ſecum ex Sicilia advexerat, dedicata Veneri Matri, quæ Frutis dicitur.* Eadem enim Ceres, Iſis, Venus, Luna, Appul. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 70.
Inferna, apud Papin. Statium, *Thebaid. l.* 5. *v.* 156. h. e. Proſerpina; quæ & *Nigra Ceres* Pauſaniæ, *l.* 8. & *Profunda Ceres* eidem Statio, *Thebaid. l.* 4. *v.* 460. Sic autem dicta Ceres, ob fructus ſatos in terræ viſceribus aliquandiu latentes.
Ἰουλώ, in ſegete matura.
Iſis, Ægyptia.
Legifera.
Licmea, à ventilabro.
Mallophoros, quaſi *Lanigera*; Templum habuit in porta Megarenſi, à vicinis paſtoribus hòc cognomine inſignita. Unde arum ei ſacer, uti docet Sponius, *Itiner. Græc.* part.

part. 2. ubi Cererè *Eleuſiniæ*, ex optimo marmore, iconem exhibet *p.* 182. *& ſeqq.*
Mammoſa, apud Arnobium *adv. Gentes*, *l.* 3. *Apud Iacchum Cererem (Muſa ut prædicat Lucretii) mammoſam.* Verſus eſt hic, *l.* 4. *v.* 1161.

At Lamia & mammoſa Ceres, & ipſa ab Iaccho.

Vide Lud. Carrionem, *Emendation. l.* 2. *c.* 18. Idem Arnobius *Cererem mammis cum grandibus* habet, *l.* 7. Simile Iſidis epitheton *Multimammia*, de quo ſuô locô.
Nigra, vide ſuprà *Inferna*.
Πανευδαίμων, apud Orpheum, *Hymnô*.
Panda ſive *Pantica*, à *pane* dando.
Profunda, vide ſuprà *Inferna*.
Rharia, à *Rhario* agro Eleuſinis, quem à Cerere conſitum primum fuiſſe volunt, vide Pauſan. in *Attica*.
Sancta.
Theſmophoros, ſeu *Legifera*, cui Theſmophoria ſacra fuêre. Sic autem dicta eſt nonnullis, quòd, inventis frugibus, feritas inter homines ceſſaverit & leges acceptæ ſint, apud *Servium*.
Venus, &c.

CERESSUS, oppid. Hiſpaniæ Tarraconenſis in Jaccetanis. *Ptol.* Ubi poſteà Celſona urbs, in Catalonia videtur fuiſſe, *Briecio* teſte. Vide *Criſima*.

CERESSUS, Theſpienſium caſtellum in Bœotia. Pauſan. in *Bœotic.*

CERETÆ, Cretæ populi. *Polyb.*

CERETANI, Umbriæ populi. Vide *Caretani*.

CERETANI, Italis hodie qui olim Agyrix, vide *ibi*.

CERETANUM, caſtrum Siciliæ in colle, in valle Nextina, ad radices montis Hiblæ, prope oppidulum *Montem Rubeum*. 25. milliar. à Leontinis in Auſtrum.

CERETE, oppid. Italiæ, unde *Ceretani*.

CERETHI, i.e. *conciſio*, ſive *tranſfoſſio*, vel *exterminatio*, populi qui & Philiſtim, ut Lyranus, *in libro Differentiarum*, ſive nomen legionum, aut bellatorum David. 2. Sam. *c.* 36. *v.* 14.

CERETHI, i.e. *milites*, ſive *curſores*, aut *arcites*, Hebr. *Cari.* 2. Reg. *c.* 11. *v.* 19.

CERETICA, provinc. Valliæ meridionalis in Anglia, juxta oram maris Hibernici cum urbe cognomine *Cardigan*, ad oſtia Tivii fluv. olim Tuerobius. 14. milliar. à Maridunoi, 17. à Meneviâ. Ibi olim Demetæ populi *Kardiganshire* Angl.

CERETUM, oppidul. ſatis amœnum in Ruſcinonibus, in confinio Galliæ Narbonenſis prope Tecum fluv. 16. mill. paſſ. à Perpiniano. Hic habitum A. C. 1660. colloquium inter Galliæ & Hiſpaniæ Regum Legatos de figendis regnorum finibus, in ea Pyrenæorum montium parte.

CERETUS Daniel, Brixienſis, Medicus celebris, *patriæ panegyricum, & virorum in illa illuſtrium elogia* verſu ſcripſit, ſeculô 15. Voſſ. *de Hiſt. Lat.* *l.* 3. *c.* 10. *p.* 810.

CEREVIA, urbs Æmiliæ Galliæve Togatæ. *Ferrar.*

CEREVISIA, vox Gallica vetus, quâ potum ex hordeo confici ſolitum hac gens ſignificat, Plin. *l.* 22. *c.* 25. *cui* hodieque *Cervoiſe* appellat, ex *Celia* vel *Ceria* Hiſpanorum, de qua ſuprà: Belgis & Germanis *Bier*, Danis *Oel*, Anglis *Ael*. Hic potus, antequam fiat, redigitur priùs in maltam hordeum. Eſt verò malta, quam Dani, Belgæ, Germani, *Mout* & *Molt* dicunt, vix aliud, quàm Aëtii Amydeni βύνη, quam exponit *hordeum aquâ madefactum* ac maceratum, è quo germen erumpit, quod deinde cum eodem germine ſive enatis filulis, torretur; Ac mox aqueo humori inditum unà cum lupulo ſalictario igne excoquitur, fitque liquor potus graviſſimus, Gallis, Anglis, populiſque Septentrionalibus frequens: quem tamen apud Car. du Freſne *Gloſſar.* his verſibus improbat Henricus Abrincenſis, qui floruit ſub Henrico III. Angliæ Rege

Neſcio quid Stygiæ monſtrum conforme paludi,
Cerviſiam *plerique vocant: nil ſpiſſius illâ,*
Dum bibitur: nil clarius eſt, dum mingitur; unde
Conſtat*, quòd multas faces in ventre relinquat.*

Vide quoque infrà in voce Cyceon, item *Scetalla*, *Sicera*.

CEREUS, candela ex cera, cujus, præter alia, in nocturnis tenebris pellendis uſum fuiſſe olim, ſuprà diximus: unde hodieque Belgis candelæ etiam ſebaceæ *Keerſſen* dicuntur. Innuit conſuetudinem Romanam Plautus, *Curculion. Act.* 1. *ſc.* 1. *v.* 9.

Tute tibi, puere, lautus luces cereum.

Et Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 42.

Hic tibi nocturnos præſtabit cereus ignes.

Quas etiam patrimi & matrimi pueri faces præferebant, in nuptiis, hæ *Cerei* fuerunt, iique numerò quini; cujus rei cauſam non unam adfert Plutarchus, *Quæſt. Rom.* 3. ubi illos nominat πέντε λαμπάδας ὡς κηρίων ... , *Quinque faces*, *quas Romani ipſi* cereos *vocant*. In Eccleſia quoque *Cereorum* uſus antiquis obtinuit temporibus; priùs quidem, ad tenebras pellendas, quia, ut ex Plinii, *Ep.* 97. *l.* 10. conſtat, noctu potiſſimùm, ad perſequutionem effugiendam, cœtus fiebant: poſteà verò placuit, ut in ſacris de die quoque veteri luminarium inſiſterent conſuetudini; quod multùm culpabat in Eccleſia Occidentali Vigilantius, de quo vide B. Hieronymum, *contra Vigilantium*, *c.* 3. cui adde Iſidorum, *Origin. l.* 7. *c.* 12. Alcuinum *de divinis offic. c. de tonſura cler.* & *c. de celebratione Miſſæ*; Amalarium, *l.* 3. *c.* 18. Alios, & ſuprà in voce *Certi*. Porrò & baptizandis *Cereus* ſolebat in manus dari: quam conſuetudinem indicant Cyrillus ſive Joh. Hieroſolymitanus, *in Procatecheſi & catech.* 1. *Myſtagog.* Venant. Fortunatus *Carm. l.* 4. Gregor. Turonenſ. *Hiſtor. l.* 5. *c.* 11. Niceph. Calliſtus, *l.* 3. *c.* 37. & Sim. Metaphraſtes *in Conſtantino M.* Vix tamen ſub hoc Cæſare eam conſuetudinem obtinuiſſe, cenſet Voſſius; ſaltem apud neminem, qui Conſtantinô fuerit prior, invenitur. Interea mos vetus: ut luce illâ cerei externâ ſignificabatur interior animæ illuminatio; à qua Baptiſma dicebatur φωτισμός, *illuminatio*; baptizati item φωτιζόμενοι, *illuminati*, vide Nazianzenum, *Orat. de Bapt. cum Comm.* Nicetæ, Ivonem Carnutenſem, *Serm. de Sacramento Neophyt.* Hug. Victorinum, *de Sacram. c.* 20. & Voſſ. *l. de ritibus Baptiſmi*. Quia verò cera conducebat tenebris pellendis; inde eſt, quòd eâ quoque in Chriſtianorum martyriis uſus ſit Nero. Nam moleſtâ eos tunicâ induebat, quæ interiùs papyracea, foris cerea erat; qualis ταρχίτων dicitur Poetæ veteri: ubi Chriſtiani ipſi ex eo vocati ..., h. e. *cerei*. Nempe, quia hôc pactô ardentes noctu pro ceris erant, teſte Tacitô, *Annal. l.* 15. *c.* 44. & Sulpitiô Severô, *l.* 2. *c.* 41. Papyrô autem, quæ cerâ eſſet circumlita, induì conſuêviſſe, indicat vetus interpres, *ad illud Juvenal. Sat.* 1. *v.* 155.

Pone Tigellinum; tædâ lucebis in illa,
Quâ ſtantes ardent, qui fixô gutture fumant.

Sic enim ſcribit: *Tigellinum ſi laſeris, vivus ardebis, quemadmodum in Munere Neronis vivi arſerunt, de quibus ille juſſerat Cereos fieri, ut lucerent ſpectatoribus, cum fixa eſſent illis guttura, ne ſe curvarent. Nero maleficos homines tedâ, & papyrô & cerâ ſupervestiebat, & ſic ad ignem admoveri jubebat, ut arderent.* Ubi per *maleficos*, Chriſtianos intellige: quô nomine quamvis jam Conſtantini temporibus dicebantur illi, qui execrandas Artes Magicas exercebant, Lactant. *Div. Inſtitut. l.* 2. *c.* 17. tamen Sacerdotes gentiles, maleficos vulgò traducebant Chriſtianos: cùm miracula iſta, quæ ab ipſis fierent divinâ virtute, nihil eſſe aliud dicerent, quàm præſtigias & artes execrabiles, &c. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progreſſu Idolol. l.* 4. *c.* 92. &c. Hinc apud Scriptores medii ævi, *Cereofala*, in *Actis* Proconſul. ſub Munatio Fel. apud Baronium, *A. C.* 303. *num.* 120. videntur eſſe candelabra, cereis inſtructa, quæ poſterior ætas *fara* & *phara* vocavit; quòd *Phari* inſtar ædem lumine perfunderent. Porrò quas *pharos* dicunt Latini, Galli *Falots* appellârunt, laternas nempe caſtrenſes, quarum inventionem Manueli Imperatori Conſtantinopolitano Cinnamus tribuit. Sic *Cereophalum* erit, *un falot de cire* Gall. At *Cereoſtata*, candelabra, quæ per ſe ſtant, vel in quibus *cerei* ſtant aut manibus deferuntur. Gregorius M. *in Sacrament. Pontifex loco manibus procedit cum* 7. *cereoſtatis ad Miſſam.* De cujuſmodi candelabris intelligendus Bibliothecarius *de Munific. Conſtantini* M. apud Baron. *A. C.* 324. *num.* 64. *Fecit autem candelabra ex auricalcho in pedibus decem, numero quatuor argento concluſa, cum ſigillis argenteis*, &c. Unde *Cereoſtatarii*, Acolythi, qui *Cereoſtata* in Eccleſiaſticis proceſſionibus aut ceremoniis deferunt, aliàs *Ceroferarii*. Petrus Diac. *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 37. *Bajulos*, Cereoſtatarios, *Stauroferos*, *Aquiliferos*, &c. apud Car. du Freſne. Sunt autem *Ceroferarii*, Græcè Κηροφόροι & Κηροφόροι, propriè in eadem Eccleſia dicti olim, qui *cereos deferebant* in Eccleſiaſticis ceremoniis, aut qui luminaria accendebant. Quod munus cùm Acolythus potiſſimùm incumberet, inde poſtmodum à Latinis *Ceroferarii* appellari cœpêre. Unde, cùm ordinatur Acolythus, inter alia, ab Archidiacono accipit *ceroferarium* (h. e. candelabrum) *cum cereo*, ut ſciat, *ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari*, cum verbis: *Accipite hoc geſtatorium luminis, ut per illud valeatis adverſariorum tenebras effugere*, ut habetur apud Gregorium M. *in libro Sacram.* E quibus liquet, *Ceroferariorum* munus etiam fuiſſe, *cereos* accendere in Eccleſia, uti dictum: cujuſmodi etiam fuit in Eccleſia Græca *Ceroferarium*, qui non κηροφόροι ſolùm, ſed & λαμπαδηφόροι Græcis dicuntur, &c. Vide Car. du Freſne *Gloſſar.* & Macrum *Hierolex.*

CEREUS, vide infrà *Cerinus*.

CEREUS Paſchalis, in *Communione* Romana dicitur, qui in Sabbatho Paſchatis à Diacono benedicitur & qui novô igne accenditur, auctore Zoſimô Pontifice Romano, ut Amalarius, Rupertus, Durandus, Sigebertus, volunt. Baronius verò *ad A. C.* 418. *n.* 70. uſum ejus, utpote à Prudentio laudati, antiquiorem ſtatuens, Zoſimum ſaltem ſtatuiſſe exiſtimat, ut *Cereus* hic, qui in majoribus Baſilicis tantùm hactenus accendi ſolebat, æquè ſingulis Parochiis concederetur. Alii tamen *Hymnum* Prudentii, qui *ad incenſum lucernæ* inſcribitur, non *de Cereo Paſchali*, ſed de lumine olim, veſpere quotidie ſolenni ritu in Eccleſia accendi ſolito, capiendum contendunt, &c. Duæ benedictiones ejus, quæ *Præconii* nomine propriè veniunt, extant apud Ennodium, *Opuſc.* 9. & 10. Et Diaconus quidem, qui hôc ritu defungitur, ipſemet ex una trianguli candela cereum accendit, illamque ad cereum inclinat, ad denotandum, ut aiunt, SS. Triadis conſenſum in Chriſti reſurrectionem, ac præcipuè Verbi, qui denuo animam corpori univit. Lumen verò ſumitur ex novo igne, ante Ædis ſacræ fores accenſo ac benedicto; eòque lapide excuſſô; quòd veritatis lumen à Redemptore, qui verus Eccleſiæ angularis lapis eſt, trahatur. Antiquitus tamen ex lumine in feria 5. majoris hebdomadæ conſervato, accendebatur cereus, idque ſuper candelabrum lapideum, formam columnæ habens. Cujuſmodi candelabra in antiquis quibuſdam Galliæ templis, Romæque, etiamnum viſuntur. Sed & præter *Cereum* majorem, deferebantur proceſſionaliter in Sabbatho Sancto duo alii minores, ex majori accenſi, ad denotandum, Apoſtolos à Chriſto illuminatos, per totum mundum, claritudinem Evangelii diffudiſſe. Uſque quò autem *Cereus* iſte durare debeat, certi nil apud Scriptores reperitur. Fratres Minores decreverunt A. C. 1263. accenſionem hanc in Miſſis ſaltem ſolennibus, uſque ad Aſcenſionem, continuandam eſſe. *Sac. Rit.* Congregatio A. C. 1607. accendi juſſit tribus Paſchæ diebus, in Sabbatho in Albis & in omnibus Dominicis, Miſſâ cantatâ, Veſperiſque durantibus. Romæ tamen per totam Paſchæ octavam accenditur atque in omnibus Dominicis, uſque ad Aſcenſionem: quod fit incipiendo à Veſperis, & extinguendo, in fine Evangelii diei Aſcenſionis. In Eccleſia verò Galliæ Turonenſi, à Sabbatho S. remanet accenſus uſque ad ſecundas Paſchales Veſperas, at in aliis diebus Matu-

ſini, Miſſæ & Veſperarum tantùm tempore ardet. Porrò ſoliti ſunt Veteres in appenſa ad *Cereum* tabella, annum currentem Creationis orbis & Incarnationis notare: hodieque Ciſtercienſes annum incarnationis Epactæ Indictionisque in eo obſervant, &c. Vide Macros Fratres in *Hierolex.* ut & ſuprà aliquid in *Paſchalis Epiſtola.* Plura alia in hoc titulo vel tabella, quam *Paſchalem* vocant, à Præcentore inſcribi conſuevisſe, obſervat Car. du Freſne, ex Udalrico in *Conſuetudinibus Cluniac. l. 2. c. 14.* & veterib. *Conſuetudinib. Floriacenſis Cœnobii c. 3.* exemplumque tale exhibet, ex *Regeſto Cameræ Comput. Pariſ.*

Titulus Cerei Paſchalis Capellæ Regis Pariſ. ſcriptus in Paſcha anno Dom. MCCCXXVII.

Annus ab origine Mundi 6526.
Annus ab Incarnat. Domini 1327.
Annus à Paſſione Domini 1294.
Annus Indictionis 10.
Annus Biſſexti. 3.
Annus ſuſceptionis ſanctæ Coronæ ſpineæ 88.
Annus ſuſceptionis ſanctæ Crucis, Sanguinis Domini, Catenæ cum magna parte ſepulchri & veſtimentorum infantiæ, & quadam tabula, quam tetigit facies Chriſti, & quodam fruſto ligni ſanctæ Crucis & Sanguine, qui fluxit de imagine Chriſti percuſſâ, & cum lacte B. Mariæ Virginis, & ſuperiori parte capitis B. Joannis Baptiſtæ, cum capitibus S. Clementis, S. Blaſii & S. Simeonis, 87.
Annus ſuſceptionis ſacroſancti ferri & lanceæ cum veſte purpurea & arundine & ſpongia Domini, & cum linteo quo fuit præcinctus in Cœna & cum Peplo B. Virginis & Virga Moyſi, 79.
Annus dedicationis Capellæ, 87.
Annus tranſitus S. Ludovici, 57
Annus canonizationis ejuſdem, 29.
Annus tranſlationis capitis ejuſdem, 20.
Annus ætatis Caroli Regis præſentis, 32.
Annus Regni ejuſdem, 6.
Annus Epiſcopatus Hugonis Pariſ. Epiſc. 2. Porrò ſub anni finem alteri cedit, & *cum cera virgine* ac oleo, ut vocant, benedicto, *miſcetur*, Ceremon. *Sacr. l. 1. tit. 7.* ut inde *Agnus-Dei* conſiant. *Ibidem.*

Balſamus & munda cera cum Chriſmatis unda
Conficiunt agnum, &c.

Qua de re vide ſuprà in voce *Agnus Dei*, & plura hanc in rem apud Rivetum, *Summa Controverſ. 3. tract. 2. quæſt. 7.* ubi primam *Cerei Paſchalis* mentionem fieri Conciliô IV. Toletanô, ſeculô VII. celebratô, docet. Ejus enim Canon 8. ſic habet, *Lucerna & Cereus infra Vigilias, apud quaſdam Eccleſias non benedicitur & à nobis cur benedicatur, inquirunt. Propter glorioſum enim noctis ipſius Sacramentum, hoc ſolemniter benedicimus, ut ſacra reſurrectionis Chriſti myſterium, quod tempore hujus noctis votive advenit, benedictione ſanctificati luminis ſuſcipiamus. Et quia hæc obſervatio per multarum loca terrarum — in Eccleſiis commendatur, dignum eſt propter unitatem pacis, ut in Gallæciæ Eccleſiis conſervetur.* Sic ergo in ardente & ſingulis annis renovato cereo, Chriſti reſurrectionem oſtendere illis viſum eſt, &c.

CERIADA, Κηριάδη, vicus Atticæ regionis in Hippothoontide tribu. *Stephan.*

CERIALIS Anicius, poſt Silium Nervam & Atticum Veſtinum, Conſul deſignatus, retectâ Piſonianâ conjuratione pro ſententia dixit, ut templum Divo Neroni quàm maturrimè publicâ pecuniâ poneretur. Tacit. *l. 15. Annal. c. 74.* Hunc paulò pòſt aſſimulatâ ſcripturâ, in codicillis Annæi Melæ cauſſa exitii quæſita eſt, tanquàm ante finem Mela queſtus eſſet, ſe quidem mori nullis ſupplicii cauſis, Anicium vitâ ſerui infenſum Principi. Quare haud multò pòſt vim ſibi attulit minore miſeratione, quia proditam C. Cæſari conjurationem ab eo meminerant. Tacit. *l. 16. Annal. c.* 17.

CERIALIS Turullius, vide *Turullius*, vide & *Cerealis.*

CERII, populi in Tuſcia ſunt Diodor. *l. 14. in calce.* Gentile à Cære fortè.

CERILIANUS Fabius, Hiſtoricus ſub Caro, Carino, & Numeriano, Vopiſc. *in vita horum*, c. 3.

CERILLUM, melius *Cerilli*, Lucaniæ locus in Italia. Strabo *l. 6.* Κηρίλλους vocat, πλησίον Λάου, h. e. *prope* flumen *Laum* eſſe ait. Silius *Carillæ* (forte metri cauſâ e mutato in a) *l. 8. v.* 580.

—— Exhauſtæ mox Pœno marte Carillæ.

Caſtrum Calabriæ citerioris paucorum incolarum. *Baudrand.*

CERINARII, vide ſuprà *Cærinarii.*

CERINTHUS, Hæreticus cujus meminit Dionyſius, cùm de Joannis Revelatione diſſereret, *Cerinthus*, inquit, *affirmabat futurum regnum Chriſti voluptatum, mores ſuos ſecutus, quod gulæ luxuriæque deditus eſſet.* Diſcipulus Simonis Magi, & Carpocratis, Apoſtolis moleſtus, Antiochiæ jam ſchiſma meditabatur, ceremonias legales Evangelio miſcendo. Jeſum ex Joſepho etiam genitum, Chriſtum verò ſpecie columbæ, in animam ejus, decidiſſe, &c. Jeſu porro paſſô, Chriſtum in cœlum ſubvolâſſe, &c. aſſerebat; auctor etiam Chiliaſmi. Huic ut occurreret Johannes Apoſtol. Epheſô redux, poſt mortem Domitiani, Evangelium ſuum divinitùs actus ſcripſit: nec eôdem quidem cum illo balneô lavari dignatus, *Fugiamus*, inquiens, *ne balneum corruat, in quo Cerinthus eſt, veritatis hoſtis.* Iren. *l. 3. c. 3.* non ſine omine, mox enim ruinâ ejus hæreticus oppreſſus eſt. Epiphan. *hær.* 28. Theodoret. Baron. *A. C.* 35. 41. 51. 57. 74. 97. Irenæus etiam ſecretiora ipſius, in primo ſui operis, manifeſtat. Euſeb. *l. 3.* Plura de illo & *Cerinthianis*, illius ſectatoribus, apud G. Hornium, *Hiſtor. Eccl. Novi Teſt. ex edit. Leydekeri p.* 132.

CERINTHUS, Græciæ urbs maritima Homer. *Il.* 2. Item Eubœæ inſul. oppid. *Ptol.* & Plin. *l. 4. c.* 12. Nunc vicus. *Baudrand.*

CERINUS, coloris genus, Græcè κηρινὸν χρῶμα; & κηρινόχρως, occurrit apud Plinium, *l. 19. c. 5.* ubi *cerini cucumeres. Creſcunt quà coguntur formâ. In Italia virides & quam minimi, in provinciis quam maximi & cerini aut nigri placent, copioſiſſimi in Africa, grandiſſimi in Aſia ubi cum magnitudine exceſſêre, pepones vocantur.* Epiphanium, *de Gemmis*, ubi beryllis eundem colorem tribuit: Ἄλλη δὲ ἐκ βήρυλλος τοῖς κηροῖς τὴν ὑπόθαλψιν τῆς χρόας ἐοικυῖα, [illegible] Sic *cerina prima*, apud eundem Plinium *alibi*, *l. 15. c.* 13. quæ *cerea*, in *Copa* Virgilii; *Ceres calces*, apud Vopiſcum, *in Aurelian. c.* 49. h. e. *ceram imitantes*, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1107. & *Hiſtor. Aug. loc. cit.* Sed & *Ceritem* gemmam, quod *ceræ* ſimilis ſit, memorat Plinius *l. 37. c.* 10.

CERIOLANUS Fridericus Furius Valentiâ Hiſpanus, Pariſiis contra Bononiam Siculum Theologiæ Profeſſorem, circa verſiones Bibliorum, acriter diſputavit, diſputationemque poſtmodum in Germania publici juris fecit, quæ cenſurâ notata eſt. Nihilominus Carolus V. diſcrimini illum eximit, ac ad Philippum II. fil. ſuum miſit, apud quem reliquam vitæ exegit. Eloquentiâ inter ſui ſeculi principes, ſcripſit docuitque publicè *Rhetoricam libris* 3. quæ Lovanii prodiit, præterea *de Officio Conſiliarii* ac cælebs obiit A. C. 1592. ætat. circa 60. *Bibliotheca* Hiſpan. Anton. Teiſſier *in Elogiis Part.* 2.

CERISOLÆ, vicus Pedemontii in colle, celebris victoriâ Gall. Duce Anguiano contra Hiſpanos, A. C. 1544. Sub Henric. II. 5. milliar. ab Alba, 4. à Claraſco, Carmanolam verſùs.

CERITES, populi, quos cùm viciſſent Romani, ſtatuerunt, ut nunquam leges conderent, vel haberent. Vide *Cære.*

CERIUS Severus, Prætoriæ cohortis, Galbæ tempore, tribunus. Tacit. *Hiſt. l. 1. c.* 31.

CERMALA vel GERMALUS, locus ubi expoſiti Romulus & Remus, memoratur Varroni, *de L. L. l. 4. Germalum à Germanis Romulo ac Remo, quod ad Ficum Ruminalem & hi inventi, quò aqua hiberna Tiberis eos detulerat expoſitos.* Palatio conjunctum fuiſſe, idem *alibi* habet. Vide Salmaſ. ad *Solin. p.* 1157.

CERMALUS, *Feſto* locus in urbe Roma, vide ſuprà.

CERMATÆ, gens, quæ Agarenis hoſtis eſt. *Cedren.*

CERMORUM, oppid. Macedoniæ, Plin. *l. 4. c,* 10.

CERNA, vel CERNE, inſul. Æthiopici maris. Plin. *l. 6. c.* 31. *Ptolemæi* Menuthias eſſe videtur, quæ hodie ab Hiſpanis *Inſul. S. Laurentii* dicitur, quia detecta hôc die, A. C. 1504. ab incolis *Madagaſcar.* Perſæpe ab Europæis luſtrata, nunc inhabitata à Francis, præſertim verſus oram Auſtralem, in Carcanoſſia provinc. ubi Arx Delphina, Inſula eſt ampliſſima & cultiſſima. Vide *Delphina Inſul.* & *Madagaſcaria.*

CERNAS, Græcè Κέρνας, Sacerdos Matris Deûm, *in Epigrammate* Alcmanis, apud Plut. *l.* περὶ φυγῆς,

Σάρδιες ἀρχαῖαι, πατέρων νομὸς, εἰ μὲν ἐν ὑμῖν
Ἐτρεφόμαν, Κέρνας ἢ τις ἂν ἢ βάκηλος κτλ.

Quaſi dicat, bene ſecum actum, quòd Sardibus in patria Lydia non fuerit educatus, in qua *Cernas* fortè, h. e. Sacerdos factus eſſet, uti legit in membranis Palatinis Salmaſ. Κέρνοι enim dicebantur, quæ Deorum Matri ſacrificabantur, & Κερνοφόρος, qui ſacra præibat. Βάκηλος autem eſt ſpado, ut erant Galli ejus Deæ ſacerdotes. Alii tamen Κίβας legunt, qui *Heſychio* eſt μονόφθαλμος: cujuſmodi homines plerumque miniſterio Deorum deputari conſuêviſſe, innuit Poëta,

——— cum ſiſtro luſca Sacerdos.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 825. Sed & Κέρνος, poculi genus, Scaligero, unde *Cernophoros*, inter ſaltationis furioſæ genera. Vide eum *Poëtices l. 1. c. 18. de Saltatione.*

CERNE, Atlantici maris inſul. contra Atlantem montem. *Ptol.* Hanc nonnulli *Maderam*, quæ etiam *Ombrio*, ad Boream, Fortunatarum, prope Apoſitou Inſul nunc *Porto S.* in Occaſum. Sub Portugalliæ Rege, alii *Gracioſam* eſſe putant. Eſt etiam *Cerne Lycophroni* inſul. Oceani, Auſtrum verſùs, quam ejus Scholiaſtes *Tzetzes* olim Amphimetrium dictam ſubdit. Ratio nominis (ut Bochartus, *l. 1. Chanaan, c.* 37.) non eſt obſcura. *Cerne* Phœnicibus erat [Hebrew] *Chernaa*, *poſtremum habitationis*, i. e. *ultima habitatio*, plenè ſcriberetur [Hebrew] *acharnaa*, ab Arabico [Hebrew] *acher*, vel *achir*, quod reſpondet Ebræo אחרון *acharon.* Sed prima radicalis ſæpe excidit. Nempe Phœnices, ultra Cernen, nullam deduxêre Coloniam, ut vel ex Hannonis periplo conſtat. Quin & nonnulli ultra Cernen non crediderunt mare poſſe navigari. Scylax: Τῆς Κέρνης δὲ νήσου τὰ ἐπέκεινα οὐκ ἔτι ἐστὶ πλωτὰ διὰ βραχύτητα θαλάσσης, καὶ πηλὸν, καὶ φῦκος. Inde eſt quòd ὑστατίην, h. e. *ultimam* appellârunt. *Dionyſius.*

Ὑστατίης παρὰ νῆσον Κέρνης.

Ac ſi ad illam finis eſſet naturæ, rerum, & Nautarum meta ultima, tunc ſaltem cognita Plin. *l. 6. c.* 31. *Contra ſinum Perſicum Cerne nominatur inſula, adverſa Æthiopiæ, cujus neque magnitudo, neque intervallum à continente conſtat.* Nic. Lloydius.

CERNERE veterib. Latinis, idem quod *decernere* poſtmodum, i. e. dimicare. Aliquando cum caſu, ut *Cernere bellum* apud Poëtam Latinum, cujus meminit Seneca, *Ep.* 58. *Cernere vitam*, in verſibus Ennianis: quod Euripides in *Medea* dixit, ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ. Eôdem modô κρίνεσθαι apud Græcos, item κρίνειν [illegible], κρίνειν τὸν πόλεμον καὶ διακρίνειν, ſumitur. Vide Keuchenium, *ad Miltiadem Nepotis*, c. 2.

CERNETANI, qui Mariani cognominabantur, Italiæ populi propè Caſinum, & Bovillas. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

CERNETUM, Italiæ oppid. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Aliàs *Cerata*, oppidum Latii, quod vide.

CERNUI Pueri, in Ludis dicebantur, qui capite in ſolo ſiſtebant, pedibus in aërem erectis. Servius, *Unde & pueros, quos in ludo videmus eâ parte, quâ cernunt, ſtantes*, Cernuos vocantur, *ut Varro docet in Theatralibus*. Græci κυβιστᾶν vocant, & cernuare ἀνάκυβιστᾶν. Cujuſmodi luſores Conſualibus olim, apud Romanos, adhibebantur. Scaliger, *Poetices l.* 1. *c.* 18. *Inventum in veteri monumento, inter cætera ludicra Conſualibus paſtores inverſo ac rotato corpore cernuos ſalire ſolitos*. Aliàs cernui equi eidem, qui, pedibus prioribus deficientibus, in faciem cadunt, quaſi in eam partem tuentes, quâ cernimus. Cujuſmodi equi meminit Poëta, *l.* 12. *Æn.* v. *mir.* his,

> *Tollit ſe arrectum quadrupes & calcibus auras*
> *Verberat effuſumque equitem ſuper ipſe ſequutus*
> *Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.*

Ubi ἀρδευτῆρα Græcorum expreſſit, qui *arrectum ſe tollit*: Non tamen ſemper ſe cernuant equi, qui in altum ſeſe erigunt. Recentioribus *cernuare* eſt, in præcipitium ſe dare & per abrupta ruere capite pronò, ut petauriſtæ faciunt: ſed verbum ſimpliciter id ſignificare non poteſt, niſi addatur, *per prærupta*, aut *in præceps*, &c. Vide quæ ſuprà diximus, de *Cernacti* equo. Sed & *Cernui boves* dicuntur, quorum cornua terram ſpectant, ſicut *Lotus*, quæ in ſurſum verſus habent reflexa. Salmaſ. *ad Solin. p.* 211. & 894.

CEROMA, unguentum ex oleo, pulvere ac cera mixtum, quò priſcis temporibus Luctatores, ante certamen, inungi ſolebant, in ea parte Gymnaſii, quæ *Aliptèrium* ſeu *Unctuarium*, aliquando etiam, ut apud Plinium, Senecam ac D. Hieronymum videre eſt, *Ceroma* hinc dicebatur: ſicut iidem pulvere poſteà, *Haphe* dicti, aſpergebantur, in alia parte, quæ *Coniſterium* vocabatur. Vide Hieronym. Mercurialem, *de Arte Gymnaſt. l.* 1. *c.* 9. & infrà, ubi de *Luctâ*, *Unguendi ritu*, alibique. Addam ſolitos, Veteres athletarum more, palæſtras ſuas, ut & *Ceromata*, exornare conſuevisse, uti docet ad *Chabriam Nepotis*, *c.* 1. Keuchenius.

CERON, equus Adraſti, apud Græca Thebaidos auctorem Antimachum, laudatum Pauſaniæ, *l.* 8.

> Κῆρος Ταλαϊονίδου Κρεθεϊάδαο,
> Πρῶτος Δαναῶν ἵππους ἐλάσαι κλυτὸν ἵππον
> Καιρόν τε κραιπνὸν καὶ Ἀρείονα Θελπουσαῖον.

De quo vide Barthium, *Animadverſion. ad Statium*, ubi ejus locò *Cyllarum* ſubſtituit Lutatius, *Thebaid. l.* 4.

CERON, eſt fons in Heſtiæotide, cujus aqua bibentes oves facit nigras. Plin. *l.* 31. *c.* 2.

CERONIA, arbor quæ ſiliquas fert, nonnullis συκῆ Αἰγυπτία, plurima ubi naſcebatur, in Syria, Ionia, Rhodo, Caria & circa Gnidum, dicta ἀπὸ τοῦ κέρατος, cujus fructus ſimiliter κέρας & κεράτιον, vide ſuprà in voce *Ceratium*.

CEROPASDES, *Strab.* vel ut alii, *Ceroſpades*, à Patre Phraate, Perſarum Rege, Auguſto ſimul cum aliis tribus filiis, duabus nuribus, quatuor nepotibus datus.

CEROPHÆI, Africæ propriæ gens. *Ptol.*

CEROS, nomen viri. Eſdr. *c.* 2. *v.* 45, i. e. *amicus*, vel *incurvatio*.

CEROSSUS, juxta Ionium pelagus locus aut inſula videtur inter Meliten, & Macedoniam. Apollonius, *l.* 4.

CEROSTRATA, vide *Ceſtrata*.

CERPHERES, Memphitarum Rex VIII. poſt Siphuriim, præfuit annos 26. Serapide in inferiore Ægypto regnante: eum excepit Soris, quem vide. Pyramidem primam hunc Memphitarum Regum, minorem nempe, condidiſſe refert Herodot. *l.* 2. *c.* 127. ubi illum Χεφρῆνα vocat: ſicut alteram, maximam videl. Suphis, tertiam Nitocris, omnes in eadem Regum ſerie, exſtruxiſſe traduntur. Unde, quòd Venephes Thinitarum Rex in Chochome primas pyramides erexiſſe, dicitur, fortè ad hunc *Cerpherem* pertinet, cùm extra Memphiticum territorium penitus nulla extet pyramidum memoria, Plin. *l.* 36. *c.* 12. Fuêre quidem auguſtiſſima Thebanorum in Ægypto Regum ſepulchra, nec contemnenda Saitarum Regum monumenta: ſed hi *σύριγγας, ἀστέρας habitationes*, ut Diodor. Sic. vocat, *l.* 1. pyramides indigito, Memphitarum Regum proprium opus fuêre. Et quidem inter hoſce, æmulatione quâdam, adeò increbuit πυραμιδοποιΐα, ut tot ferè ſuperſint pyramides, quot Memphitarum Regum nomina, cum unicuique Regi ſua ſit pyramis. Celeberrimæ autem ſunt tres prædictæ, de quibus Plinii locum præfatus ſic habet: *Pyramides tres, quæ orbem terrarum implevêre fama, ſitæ ſunt in parte Africæ, monte ſaxeo ſterilique, inter Memphim oppidum & Delta.* Item, *Illæ tres conſpicuæ undique adnavigantibus.* Auctorum verò nomina diverſimodè referuntur, ut Diodorus Sic. docet; quam in rem vide plura apud Joh. Marshamum, *Canone Chron. ad Sec.* III. ubi poſt Nitocrim nullas amplius extructas pyramides, niſi ævò longè inferiori in Mœridis inſula, aut Labyrintho, adnotat. Item voce *Chochomæ*, & *Moeris*.

CERRENII, niſi codex eſt mendoſus, populi Thraciæ. Polyænus, *l.* 7. *c.* 22.

CERRETANI, Hiſpaniæ populi. Plin. *l.* 3. *c.* 3. Quorum regio *Cerretania* Pars anteà Cataloniæ; nunc media ejus pars ſubeſt Gallis. Eſtque inter montes Pyrenæos & fontes Sicoris fluv. Oppid. Jugum Cerretanorum, vulgò *Puicerda* caput eſt provinc.

CERRETANIA, Gall. *la Cerdagne*, provinc. eſt inter Occitaniam & Cataloniam.

CERRETANUM, quibuſdam vicus *Torre de Cerdana*, in valle Carolina, verſus Pyrenæos, 2. leuc. à Jugo Cerretanorum in Boream.

CERRITI, Larvatis junguntur, apud Plautum in *Menæchmis*, *Actu* 5. *ſc.* 4. *v.* 2. & Nonium. *Gloſſ.*, *Cerritus*, ὑπόμωρος, κεραυνόβλητος, apud Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Bonoſo*, *c.* 14. Vide quoque infrà *Larvati*.

CERRONIUS Baſſus, memoratur Vopiſco, in *Aureliano*, *c.* 31. ubi Imperatoris hujus ad eum Epiſtola

CERRUS, inter glandiferas arbores, memoratur Plinio, *l.* 16. *c.* 5. *Quarum verò genera quiſdam, quæ cerrus vocatur, ne Italiæ quidem majore ex parte notam eſſe.* Et *c. ſeq.* *Glandem, quæ propriè intelligitur, ferunt robur, quercus, eſculus, cerrus, ilex, ſuber.* Ejus glandem *horridam, echinato calice, ut caſtaneas, dulciſſimam* inſuper, poſt quercum, *nec ex alia ſolidiorem carnem, ſed duram eſſe*, addidit. Græcis ὀξύα, quam licèt inter glandiferas non recenſeat *Theophraſtus*, ſui generis eſſe dicens, Latini tamen inter βαλανοφόρα recenſuêre, propter fructum βαλανώδη, *glandi ſimilem*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 994.

CERSOBLEPTES, Thracum Rex, ſubactus à Philippo Macedoniæ Rege, Olymp. 109. annò ſecundò. Ejus meminit quoque Polyæn. *l.* 7. *c.* 31. *ſ.* 522.

CERSUNUM, Corſicæ mediterranea urbs. *Ptol.* *Nebbio Pinitor.* Urbs ampla, nunc diruta, cujus ruinæ *Roſolo*. *Baudrand.*

CERTA, urbs ſupra Armenios. *Heſych.* Hebr. קרתא Cartha eſt πόλις, h. e. *civitas*.

CERTAMEN, apud Virgilium, *Eclogâ* 7. *v.* 16.

> *Et Certamen erat Corydon cum Thyrſide magnum;*

eleganter pro certante. Aliàs idem cum Agone: cujuſmodi Certaminum cùm varia eſſent olim genera, illorum IV. illa imprimis, quæ *Sacra* dicta, Græcis ἱεροὶ Ἀγῶνες, celeberrima fuêre, *Olympia*, *Pythia*, *Iſthmia*, *Nemea*, de quibus vide ſuò locò, ut & hîc infrà, in voce *Iſelaſtica*, alibique paſſim. Addam hîc ſaltem locum Plinii, *l.* 16. *c.* 4. *Novuſſimo (coronam) & in ſacris certaminibus uſurpatur, in quibus hodieque non victoris daptur, ſed patriam ab eo coronari pronuntiatur. Inde natum, ut etiam triumphaturi conſervantur, in Templis dedicandæ.* Sed & in Ludis Certamina, curruum imprimis, vigebant. Jul. Cæſ. Scaliger, *Poetices l* 1. *c.* 29. *In Ludis primaria partes quatuor: Pompa cum thenſis pro Deo, cum ferens, Certamen curruum; Fabula, Pugna in arena.* Et quidem, apud Homerum quinque currus commiſſerunt, in funere Patrocli; in Archemori, apud Statium, ſex; apud Anonymum de *Vita Alexandri*, novem; apud Strabonem, in Electra, decem; in Olympiaco Circo, duodecim, unde me oſtiis. Apud Romanos, duos colores à principio certaſſe vide Tertullianus; poſteà duo alii additi, & quatuor factionum numerus velut ſacer fuit. Unde licèt Domitianus priſtinis 4 gregum factionibus duas alias addiderit, *purpureo auratoque panno*, poſt mortem tamen ejus ad quaternarium numerum mox reditum, &c. Qua de re, ultra ea, quæ hîc paſſim, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 901. Præterea verò ingenio *certatum* publicè, ab antiquiſſimis temporibus, novimus, de quibus certaminum generibus aliàs. Sufficiat adjeciſſe, neminem in *Certaminibus* Veter. indonatum abiiſſe, ne poſtremum quidem, victumque. Virg. *Æn. l.* 5. *v.* 365.

> *Sic ait, & geminis pugnæ proponit honorem:*
> *Victori, velatum auro vittiſque juvencum;*
> *Enſem atque inſignem galeam, ſolatia victo.*

Et Statius, *Thebaid. l.* 6. *v.* 548.

> *His Adraſtus opes dono victoribus ire*
> *Imperat, at genetum famulâ ſolatur Achæâ.*

Ubi *famulæ* notamer meminit: Hunc enim rei aptum habebatur aliquod mancipium. Unde & Silius *Ital. l.* 16. *v.* 454.

> ---- --- *donat ductor, miſeratus & ævum*
> *Et fortem caſus: Famulus florente juventâ*
> *Huic datur, adjuncto gentilis honore galeri.*

Et rurſus Virg. *l.* 5. *Æn.* *v.* 284.

> *Olli ſerva datur* ----

Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium d. l.* & plurima hanc in rem, apud Car. Paſchalium, *Coronarum l.* 3. *c.* 6 & *toto l.* 6. qui eſt de *Coronis quatuor Græciæ Certaminum*; nec non ſuprà in voce *Brabeuta*: & infrà ubi de *Ludis Gymnicis*, voce *Præcia*, it. *Reprehendimus*, *Reſpirandi ſpatium*.

CERTERÆ, gens circa Pontum Euxinum. *Strabo.*

CERTIACUM, vicus Helvetiæ ampliſſimus, ad Rhenum, nobilitatus mercatu anniverſariò celeberrimò, cujus originem ab ipſo Tiberio Imperatore plerique arceſſunt, indeque *Forum Tiberii* dictum volunt. Nomen et à Menle Junio *Certo*, milite Romano ibidem ſepulto. German. *Zerzach*, unde factum *Zurzach*. Vide Cl. Otonem JCtum, *Notis ad B. Rhenanum Rer. Germ. l.* 3. *p.* 478.

CERTIMA, Celtiberorum urbs in Hiſpania. Livius, *l.* 40. *c.* 47.

CERTISSA, Pannoniæ inferioris oppid. *Ptol.*

CERTITIUS, vel CERDITIUS, Saxo, cum quinque navibus, in M. Britanniam appulſus, conſcenſionem fecit, Britonibus fruſtra reſiſtentibus. Poſt bellum annorum 24. in Occidua inſulæ parte regni ſedem fixit, primus Weſt-Saxonum Rex. Du Cheſne, *Hiſtor. Angl.* T. 1.

CERTONIUM, Aſiæ minoris oppid. *Xenophon.*

CERTUS, vide *Certiacum*, it. *Quinctius*.

CERVA Amorum, uxor viro ſuo grata & accepta, Salomoni dicitur Proverb. *c.* 5. *v.* 19. Nempe in pilis & toto ſilo corporis aliquid habent cervæ, hinnuli, ibices, quod mirè placet: unde non ſolùm iſtiuſmodi feras alere ſummò ſtudiò; ſed & lavare & pectere, & ſertis ornare aut torquibus monilibuſque, olim in more fuit, vide

Virgi-

Virgilium de *cervo* Sylviæ *Æn. l.* 7. Ovidium de *cervo* Cypariſſi. *Metam. l.* 10. *Fab.* 3. Silium Italicum de *cervo* Capuana, *l.* 12. Theocritum de hinnulis Cyclopis *Idyll.* 11. &c. Plura verò hanc in rem apud Bochartum, *Hierozoici Part. prior. l.* 3. *c.* 18. ut & hic infrà, in voce *Cervus*.

CERVA Auroræ, Hebr. אילת השחר, in titulo Pſalmi 22. *Præcentori ſuper cervam Auroræ*, nonnullis Magiſtrorum veterum eſt Stella matutina, ſeu Lucifer; aliis Eſthera; quibuſdam Synagoga Iſraëlis: Aben-Ezra aſſerit id eſſe initium Poëmatis amatorii ſtylô conſcripti; ut cum *Cervam Amorum* dilectam uxorem ſuam Salomo appellat Proverb. *c.* 5. *v.* 19. Vide ſuprà. Vult igitur, Poëtam Hebræum, ſtatim initiô cantionis amatoriæ, puellam aut conjugem ſuam, *Cervam auroræ* appellâſſe, & ad hujus cantionis numeros compoſitum & decantatum fuiſſe hunc Pſalmum. In qua ſententia id unum diſplicet, quòd amatoriam cantionem hîc intelligit. Neque enim videtur cum Pſalmi argumento convenire, ut ad eum canendum adhibita ſint hujuſmodi cantionis nomen, atque moduli. Neque Eccleſiam id decuiſſet, in qua omnia fieri εὐσχημόνως debent. Imò potuit cùm à *cervo* ſit initium unius Pſalmorum, & in *cervo* deſinat oratio Prophetæ Habakuc, plena ardoris & zeli; quidni à *Cerva auroræ* potuerit incipere ſacra cantio tum inter Judæos recepta, ad cujus numeros Propheta hunc Pſalmum ſcripſerit. Cerva porrò meritò *Cerva auroræ*, vel *matutina* vocatur, cùm ſtatim ab aurora ſurgat & catulos lactet & eis cubile ſternat. Unde Xenophon Cyneget. poſtquam cervorum venatorem monuit, ut πρὸ ἡμέρας, *ante diem*, in eum locum contendat, in quo plures ſunt cervi, atque inde circumquaque ſpeculetur, ait, [illegible] *Simul autem cum die cervas videbis hinnulos ſuos in eum locum adducentes, in quo unicuique cubile ſuum ſtratum eſt. Cum autem recubuerint & lactaverint & proſpexerint, ut ne a quoquam videantur, unaquæque ſuum ſervabit, ad oppoſitam ſtationem profecta.* Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 17. Cæterùm *cervâ* litatum Dianæ, dicemus infrà.

CERVARIA, locus ad templum Veneris, Galliæ Aquitanicæ finis. Pomp. Mela, *l.* 2. *c.* 5. & 6. *Corbere*, teſte *Joh. Poldo. Baudrando* eſt oppidum Galliæ Narbonenſis, nunc vicus *Cervera*, juxta Pyrenæos montes in ora maris Mediterranei & Sinus Leonini, in Catalon. provinc. in confinio Comitatus Ruſcinonenſis. Oretanorum item urbs Hiſpan. *Ptol. Cervera Molino*. Nunc caſtrum Caſtellæ Novæ intra montes, in tractu *la Sierra*, verſus fontes Anæ fluvii.

CERVARIUS Proculus, Eques Romanus, ſpe rerum novarum adjunxit ſe conjuratoribus, Duce Piſone in Neronem. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 50. Sed cùm indicium feſtinaviſſet, Nero eum impunitate remuneratus eſt. *c.* 71.

CERVEDO, locus Galliæ memoratus, in *Vita* Germani, *c.* 33. *Cum de vico Cervedone in Morvinnum progreditur, habitatores loci adcurrentes ſuggerunt.* Vulgò eſt *Cervon*, in pago Morvinno ſeu Morvinnenſi, non procul à fluvio Icauna. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Morvinnus pagus*.

CERVELLERIUM, caſſidis ſpecies, ſuperiorem capitis partem operiens, Ital. *Cervellera*, *Capelleto di ferro per difeſa del capo*: de cujus inventore, ſic *Chronicon* Nonantulanum MS. ſub Friderico II. Imperatore. *Per hæc tempora Michaël Scotus, Aſtrologus Friderici Imperator. — Hic cùm vidiſſet ſe moriturum ictu lapilli biuncie caput lædentis, ex lamina ferrea fecit ſibi fieri capitis infulam, quam geſtabat. Cum autem eſſet in Eccleſia & Euchariſtia levaretur in Altari, amovit a capite infulam ferream* (quam *Cervellerium* dixerat) *ob reverentiam Chriſti; tunc lapillus biunx in verticem ejus decidit, quò eum læſit parumper. Ille ponderans, lapillum fecit penſari, quò invenit biunc. — rebus ſuis diſpoſitis moriturus.* Idem Michaël ſcripſit *l. de Phyſiognomia*, ad Fridericum præfatum, & alium, cui titulus, *Menſa Philoſophica*, Car. du Freſne in *Gloſſario*.

CERVI, apud Livium, *l.* 44. *c.* 11. ubi de oppugnatione Caſſandreæ, *Diviſis partibus oppugnare adorti. Romanus ad Clitas quas vocant, munimenta. Cervis etiam objectis, ne viam intercluderent, à Macedonico ad Toronaicum mare perducit*: qui qualeſque fuerint in re bellica & muniminum conficiendis, diſcere licet ex Julio Cæſare *Bell. Gallici*, *l.* 7. *c.* 72. de obſidione Vercingetorigis verba faciente. Unde elicimus, fuiſſe *Cervos*, ligneos, ſtipites, truncos ſeu cippos humi infixos, ad hoſtium impetum retardandum: ab aliis ſtipitibus in hoc diverſos, quòd in ſupernis cacuminibus veluti bifurci eſſent & acuminati, inſtar animalium cervorum. Certè & *Cervi* appellati furcæ, quæ ad caſæ agreſtis ſuſtentationem figebantur. Virg. *Ecl.* 2. *v.* 29.

— — caſas & figere cervos, &c.

Godeleviis *ad l.*

CERVIA, urbs maritima Romandiolæ, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Ravennæ, olim *Phycoles* vel *Ficocle* dicta. Salinis ſuis celebris, ſed ægrè habitata ob aëris inclementiam. Cervienſi majori ex parte ſalarii ſunt artifices, tantô quæſtu, ut Pontifex annuatim inde habeat 60. mill. coronatorum. Subeſt Pontifici 12. milliar. à Ravenna, 15. ab Arimino diſtat. Eſtque inter oſtia Sapis & Rubiconis fluv. Vide *Cervena* & *Ficocle*.

CERVIA, caſtrum in Hainoo, vulgò *Chevre*, dictum à cervis forte, quibus ager ejus & ſilva proxima olim abundabat. Quibuſdam *Cervia*, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

Q. CERVIDIUS Scævola, ſub quo Severus & Papinianus profeſſi, memoratus Æl. Spartiano in *Antonino Caracalla*, *c.* 8. Ex ejus ſcriptis *de Jure Civili*, multa extant fragmenta in *Pandectis*.

CERVINI, populi & oppid. *Corſica* mediterraneum in medio ſitus, *Cervione*.

CERVIX, apud Papinium Statium, *Theb. l.* 2. *v.* 326.

— — Cervixque receſſit
Sanguine magna redit — —

clarus eſt fortiſque animus, qui non aliâ re frequentiùs Poëtis aliiſque Auctoribus, velut per paræmiam deſcribitur, quàm erectâ, magnâ, ſublimi *cervice*. Claudian. *in Rufin. l.* 1. *v.* 53.

Cumque ſide Pietas, altâ cervice, vagatur.

Seneca *Thyeſte*, *Actu* 5. *v.* 885.

Æqualis aſtris gradior, & cunctos ſuper
Altum ſuperba vertice attingens polum.

Vide quoque Horatium, *Carm. l.* 1. *Od.* 1. *v.* 27. Juvencum *Hiſtor. Evangel. l.* 4. Auſonium, *Edyllio* 8. Alios. Certe *Cervix* potentiæ ſignum. Unde Auctor ſeu Collector Sibyllinorum, *l.* 8.

[illegible]
[illegible]

Item contumaciæ, unde οἱ σκληροτράχηλοι, *dura cervice*, in Sacris; & *cervix cordis*, pro contumacia atque obſtinatione, apud Gregorium M. *Homil.* 1. Contrà demiſſa *cervix*, humilitatis ac ſubmiſſionis ſymbolum. Propertius, *l.* 2. *El.* 24. *v.* 11.

At nunc demiſſis ſupplex cervicibus ibam.

Et de Elephantis Florus, *l.* 1. *c.* 18. *Non ſine ſenſu captivitatis, ſubmiſſis cervicibus victores equos ſequebantur.* Quæ cauſa, quod in ſacrificiis quibuſdam *Cervicem* victimæ fractam legimus, uti de Vitula ſeu Juvenca *decervicanda*, in caſu homicidii commiſſi, cujus Auctor ignorabatur, videre eſt Deuteron. *c.* 21. *v.* 4. Sic *Aſinum aperientem vulvam*, h. e. primogenitum, ſi non redimeretur, *decervicari* juſſit Deus Exodi, *c.* 13. *v.* 13. Quò pertinet, quod de Conſtantino Rhinotmeto legimus, duorum Antartarum *cervicibus* impoſitos pedes in Circenſibus habuiſſe, integri miſſûs intervallô; quô pactô devictos illos & omni ſubmiſſionis genere ſibi obnoxios eſſe, teſtatus eſt. Vide quoque infrà *Nervus*, it. *Oſculum*, *Panſicape*. Aliquid hîc ſaltem addam de πληγαῖς [illegible], *plagis circa cervicem inflictis* olim Martyribus, quarum mentio apud Athanaſ. *Ep. ad ſolitar. vitam agentes*, ubi de Potammone Epiſcopo Ariani, [illegible]. *Confeſſorem — ita plagis circa cervicem cæciderant, ut non ceſſarent prius, quam mortuus putaretur.* Quibus autem animalibus *Cervix*, quibus minùs, docet Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Ex cartilagine & carne arteria, colla nervis & carne conſtat. Cervix nulli, niſi quibus utraque hæc. Cæteris collum, quibus tantùm gula. Sed quibus cervix è multis vertebratiſque orbiculatim oſſibus flexilis ad circumſpectum, articulorum nodis jungitur.* Ubi quod *flexilem ad circumſpectum* ait, in memoriam revocat illud Statii, *Achill. l.* 2. *v.* 382.

Digreditur multum cunctata in limine mater,
Dum repetit monitus, arcanaque murmura figit
Auribus, & tacito dat verba noviſſima voto.
Tunc excepta freto, longè cervice reflexâ
Abnatat — —

Ad quem locum vide Barthium, *Animadverſion. Part.* 3. *p.* 1665. ut de *Cervicalibus* aliquid voce *Pluma*.

CERVIX Africæ, ſeu Caput bonæ Spei, in Africæ parte meridionali. In regione Cafreria, promontor. in Auſtrum maximè extenſum. Vide *Caput Bonæ Spei*.

CERULARIUS Michaël, vide *Michaël*.

CERUSSA vel encauſtum, in ſcribendo adhibitum indigitatur, *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Veteranis*: unde *ceruſſata tabula*, *l.* 1. *eod. Cod. de Albin.* h. e. illita *ceruſſâ* ſeu albô colore, in quibus poſtmodum ſcribebatur. Vigebat autem ſcribendi hæc ratio, in Edictis potiſſimùm ſcribendis proponendiſque, Car. du Freſne *Gloſſar.* Sed & *Ceruſſam* uſtam, rubeum & ſandarachinum colorem facere, *Galeno* Σάξα, *Serapioni Zeg rubeum*, h. e. Atramentum rubrum dictum, obſervat Salmaſ. *ad Solin. p.* 1158. Hujus autem coloris frequens uſus in Imperatorum literis. Vide in voce *Cinnabaris* infrà, it. *Pſimmythium*.

CERVULA, turpe ludi genus, Auguſtino quàm maximè damnatum, *Serm. de temp.* 215. *Si adhuc agnoſcatis aliquos illam ſordidiſſimam turpitudinem de hinnula vel cervula exercere, ita duriſſimè caſtigate, ut eos pœniteat rem ſacrilegam commiſiſſe.* Solebant nempe Ethnici & Pagani Kalendis Januar. belluarum, pecudum & vetularum aſſumtis formis, huc illuc diſcurſare, & petulantiùs ſeſe gerere: quod à Chriſtianis non modò proſcriptum, ſed & ab iis poſtmodum inductum conſtat, ut eà die ad *eradicandam Gentilium conſuetudinem*, privatæ fierent litaniæ & jejunaretur, ut obſervare eſt in Concilio Toletano IV. *can.* 10. Conciliô Turonenſi II. *can.* 17. aliis. *Turpitudo de hinnula aut cervula*, prohibetur apud Auguſtin. *Serm. de Temp.* *Vetulas aut cervulas, aut jotticos facere*, in *Vita* S. Eligii, *l.* 2. *c.* 15. quibus *frena diabolica* adduntur Concil. Autiſſidor. *can.* 1. *in cervulo ducere, aut in vitula vadere*, apud Halitgarium *in Pœnitent. c.* 6. &c. Bonifacius Epiſcopus Moguntin. *Ep. ad Zachariam Pontif. c.* 6. *Affirmant ſe vidiſſe annis ſingulis in Romana urbe, & juxta Eccleſiam S. Petri in die vel nocte, quando Calendæ Januarii intrant, paganorum conſuetudine choros ducere per plateas & acclamationes ritu Gentilium, & cantationes ſacrilegas celebrare & menſas illa die vel nocte dapibus onerare & nullum de domo ſua, vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino ſuo præſtare velle.* Ubi ad eundem paganicum luſum reſpicit. Plura hanc in rem vide apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* & Macrum utrumque in *Hierolex.* Hinc Proverb. apud Gallos, *N'en faire que le cerf*. In variis enim Galliæ inprimis urbibus, ad ludicri olim in uſu. Unde *Cervulum facere*, idem dictum

in

in Concilio Altiſſiodor. *bicat* autem Gallis fœminas eſſe, ſicut mares *cervus*, conſtat. Salmaſ. *ad Solin. p.* 222. Simile ludi genus Ermulus, de quo infrà.

CERVUS, Hebr. איל *ajal*, vulgari nomine; Græcis ἔλαφος; quæ ambo ſæpe in fœminino etiam de cervo mare occurrunt. Ut cùm dicat Philoſophus *in Mirabil.* Τὰς ἐν Η'πείρῳ ἐλάφους ἐκτέμνεσθαι τὸ δεξιὸν κέρας; in cervino enim genere ſoli mares cornuti ſunt; fruſtra Poëtis contrarium aſſerentibus, Sophocle *in Aleadis*, apud Ælianum, *Hiſtor. l.* 7. *c.* 39 de cerva, quæ nutrivit Telephum, Anacreonte; Euripide *Iphigeniâ*, ubi de cervâ ei ſubſtituta; eodem in *Temenidis*, de cerva ab Hercule Euryſtheo adductâ, Valer. Flacco, *Argonautic. l.* 6. *v.* 71. ubi de Phryxi cerva, Aliis. Quòd enim *cervam cum cornibus, ſuis temporibus, in Gallia & viſam & captam eſſe, ejuſque caput etiamnum ſervari*, refert Scaliger, *Poematis l.* 3. *c.* 4. inter monſtra numerandum. De Hebræo, vide Pſalm. 42 v. 2. Prædicat in *Cervo* Scriptura ſacra, *greſſus firmitatem*, 2. Sam. c. 22. v. 34. & Pſalmo 18. v. 34. quippe ejus pedibus nihil firmius. Unde Poëta, *Æn. l.* 6. *v.* 801.

Fixerit æripedem cervam licèt ———

Eòdem ſenſu, quò equi & tauri paſſim Poëtis Græcis χαλκόποδες & χαλκόνυχοι dicuntur; quia maximè pedibus valent, duramque habent ungulam & ſonoram æris inſtar. Vide quoque Habacuc *in fin. Prophetiæ ſuæ*. Sed & *ſummam agilitatem*, tam in *ſaltu*, quàm in *curſu*. Et quidem de ſaltu, vide Eſajæ, c. 35. v. 6. & Canticum, c. 2. v. 8, 9. Meminitque Geſnerus loci prope Francofordiam, in quo duo lapides erecti viſantur, interſtitiò pedum ferè ſexaginta, quantò ſpatiò ſaliiſſe ibi dicatur cervus, idque ſupra plauſtrum oneratum, cùm Venatores inſtarent. De curſu Cantic. c. 8. v. 14. Unde de Achille ſummè veloci, Catullus *in Nuptiis Pelei & Thetidis*, *Epigr.* 65. *v.* 341.

Flammea prævertet celeris veſtigia cervæ.

Quin ἔλαφος, *cervus*, & ἐλαφρός, *levis*, conjugata ſunt, uti notum. Porrò *boatus* ejus creditur Hebræis eſſe ערג *arga*, quæ vox occurrit Pſalmo 42. v. 2. Quò pertinere videtur, quod *Arge* venatrix in cervam mutata fuiſſe fingitur, apud Hyginum, *Fab.* 205. Boare autem ſeu glocitare eum aquarum appetitu d. l. ob tres cauſas maximè ajunt, inter quas præcipua, quod ſerpentum eſu vehementer incaleſcat. Qua de re ſic Ælian. *Hiſtoria l.* 2. *c.* 9. Περιέρχεται τῇ ὀσφρήσει τὴν ὁδόν, τὰς ὀπὰς τῶν φωλεῶν βλεπόμενος ... *Naribus ſuis in caverna ramam incumbens vehementiſſimè aſſerat & trahit ſpiritu ſuò, tanquam amatoriò & invitum ad ſe allicit, & inclinatum edere incipit; id quod hyeme potiſſimum facit.* Vide de hoc *Cervorum* cum ſerpentibus bello internecino, Plinium, *l.* 28. *c.* 9. Solinum, *c.* 22. Oppianum, *Halieutic. l.* 2. *v.* 289. & *Venatic. l.* 2. Lucretium, *l.* 6. Lucanum, *l.* itidem 6. Nicandrum *in Theriacis*, Alios. Inprimis circa *Cervarum fœtum* mirabilis Dei providentia indigitatur Jobi c. 39. v. 3. 4. ut ſine qua brevi deficeret genus hoc tot et mille pericula, quæ vel à Venatoribus, vel à feris illis imminent, ut ipſas matres taceam fœtus ſuos ſæpe in diſcrimen adducere. Vide Chryſoſtomum *ad h. l.* Iiſdem per herbam *ſeſeli* providet Deus, cujus eſu partum (qui difficilis huic animali) ſublevant, tum ante, tum poſt eum, illà utentes, Cicero *de Nat. Deor. l.* 2. Plin. *l.* 8. *c.* 33. Ælian. *Varior. l.* 12. *c.* 31. Dioſcorides *de ſeſeli Maſſil. l.* 3. Philoſophus inprimis *Hiſt. l.* 9. *c.* 5. Imò & per terrorem vocis ſuæ, i. e. fulminis cum fragore è nubibus erumpentis metum, Pſalmô 29. v. 9. *Vox Domini parturire facit cervas*, &c. Pariunt autem prope vias, niſi cùm pingues evalêre, tum enim enituntur in præruptis locis & ſaltibus & convallibus, Ælian. *l.* 6 *c.* 11. Interim & illos ipſos hinnulos, qui juxta vias in lucem eduntur, ſtatim à matre in loca prærupta & confragoſa deduci tradit Ariſtoteles, *l.* 6. *c.* 29. quæ ſunt Hebr. במות *Bamoth* illa, ſeu *excelſa loca*, ad quæ ſe cervorum inſtar, à Deo deductos & in iis tanquam in tuto collocatos, dicunt David & Habacuc Pſalmô 18. v. 34 & c. 3. v. 19. E qua illarum ſollicitudine in catulorum educatione, liquet extremæ famis & ſterilitatis judicium eſſe, cùm *hinnulos ſuos in agro deſerunt*, Jerem. c. 14. v. 5. *Carnem* quod attinet *cervinam*, illius eſus & uſus in ſacris libris ſæpe commendatur. Deuteron. c. 12. v. 15. & 22. c. 15. v. 22. Alibi. Unde in quotidiano victu Salomonis, etiam *cervi & capreæ*, 1. Regum, c. 4. v. 23. Sed & Telephum Myſorum Regem *lacte cervæ*, & Achillem μυελοῖς ἐλάφων, *medullis cervorum* enutritos fuiſſe, fabulantur Veteres, &c. Vide plura hanc in rem apud Bochart. *l.* 3. *c.* 17. & 18. *Partis prior. Hieroz.* Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, & ex Veterib. apud Plinium, *l.* 8. *c.* 32. *& ſeqq.* præter eos, quos retrò laudavimus: de Cerva inprimis *exelario* ſeu domeſtico, cujus ope alios cervos venari mos, infrà: uti de Sibilo palmæ, quò *cervos* maximè capi ajunt, verbô *Sibilare*. Adjiciam ſaltem varia *Cervorum* apud Græcos nomina, pro gradibus ætatis: Hi enim cùm adhuc in ſpelunca cubant, *nebrides* dicuntur; cùm majores ſunt, & exeunt ad paſcua, primò annô νεβροί; ſecundô, πασσαλίαι, αἰχμίαι & σπαθίναι, tum enim cornua erumpunt, ſed recta & ſimplicia, quas *ſubulas* vocat Plinius, Græci πασσάλους, & σπάθας; tertiò δικρόσσαι, cùm ſimplicia cornua bimolorum in furcam exeunt; quartò πλατώνες, tunc enim ramoſa incipiunt fieri. Tandem κεράσται vocati, cùm perfecta eſt forma cornuum & ipſi magni cervi facti. Vide Salmaſ. *ubi ſuprà*, *p.* 224. ut & infrà *Fera*. Nec omittendus animalis hujus in vectura uſus. In triumpho certè, Aurelianum Aug. cervis vectatum eſſe, tradit Vopiſcus, *c.* 33. *in eo, ad hoſtium nuditatem exprimendam*, id factum addens. Similiter in nummo aureo, quem deſcripſit Octav. Strada, Bonifacius Africæ Comes curru ſublimis conſpicitur, quem *cervi* trahunt, ut ſuprà vidimus, voce *Bonifatius*; ubi & de Heliogabalo aliquid ſimile, ex Lampridio, *c.* 28. Hodieque in ſolennitate funebri Regum Tunquinenſium, currum, qui mauſolæum defert vel feretrum Regale, ab octo *cervis*, huic rei aſſuetis, quorum quilibet à Magnatum aliquo ducatur, vehi ſolitum, refert Jo. Baptiſta Tavernier *in Deſcr. Regni hujus*.

CERVUS, ex ære, inter opera Canachi, memoratur Plinio, *l.* 34. *c.* 8. *Canachus Apollinem nudum (fecit) qui Philefius cognominatur, in Didymæo* ——— *Cervumque una ita veſtigiis ſuſpendit, ut linum ſubter pedes trahatur, alternò morſu digitis calceque retinentibus ſolum, ita vertebratô dente utriſque in partibus, ut a repulſu per vices reſiliat.* De Cervo in nummis, Dianæ ſymbolo, vide Jac. Sponium, *Itinerar. Græc. Part.* 3.

CERVUS Extelarius, vide infrà *Extelarius*.

CERYCES, apud Græcos dicebantur *caduceatores*, à *Caryce*, Mercurii filio, quos nefas fuerat violare, quòd eorum genus divinum putaretur. Achilles apud Homer. eos Jovis ac hominum nuncios vocat, & in Odyſſea Ulyſſes exploratoribus comitem Cerycem adjecit. Cœl. Rhodig. *l.* 21. *c.* 16.

CERYCIA, Græcè Κηρύκεια in *l. ſanctum ff. de rer. diviſ.* inſignia ſunt Legatis Græcorum ferri ſolita, ne quis eos violaret. Jul. Pollux, *Onomaſt. l.* 8. Κηρύκειον φόρημα τῶν πρεσβέων, *Caryceum geſtamen legatorum*; nempe non ornamento tantùm, ut vult Alex. ab Alexandro *Genial. dier. l.* 4. ſed & tuitioni, *d. l. ſanctum*. Vide ubi de *Heraldis*.

CERUCIUS, Bœotiæ, & Epheſi mons. Pauſan. *l.* 9. *Heſych.*

CERYLUS, mas alcyonum, vide *Halcyone*.

CERUNEA, urbs Achajæ in Peloponneſo, & mons Arcadiæ, ex quo Cernitis amnis profluit, qui urbem hanc præterlabitur. Pauſan. *l.* 7.

CESATA, vel CESADA, Hiſpaniæ urbs inter Emeritam, & Cæſar-auguſtam. *Paul. Antonin.*

CESCUS, Pamphyliæ, ſeu ut Suidas vult, Ciliciæ urbs, Plin, *l.* 31. *c.* 2. *In Cilicia apud oppid. Creſcum, (lege Ceſcum) rivus fluit Nus, ex quo bibentium ſenſus ſubtiles fieri* M. *Varro tradit.* Mirum eſt, quòd hic legas νοῦν, h. e. *mentem*, hunc fluvium dici, quia ſenſus reddat ſubtiles, cùm *Suidæ* dicatur Ἄνους, quia reddat hebetes. Sic enim ille, Κίσκος ἐστὶ πόλις ἐν Κιλικίᾳ, καὶ παρ' αὐτὴν ποταμὸς Ἄνους ὀνομαζόμενος, ἀφ' οὗ οἱ πιόντες ... τὰς φρένας ἔχουσι· Κεσκεῖοι νοῦν οὐκ ἔχειν φασί. Metuo autem, ne ſciolus aliquis locum corruperit: quia cùm videret dementes dici Κεσκαίους ... planè ſibi perſuaſerit, Ceſco non fuiſſe nomen Νοῦς ſed Ἄνους. At cogitare debuerat Suidam dicere, ſic Poëtas loqui ludentes, h. e. per ironiam, vel hoc ſi diſplicet, legendum Κεσκαῖοι οὐκ ἔχειν φασί. Quam opinionem firmant iſta *Heſychii* verba, Κίσκος ποταμὸς Κιλικίας, ὅθεν ἡ παροιμία λέγεται· Πάλαι Κεσκαῖοι νοῦν ἔχουσι. Εἴρηται δὲ ἐπὶ τῶν νοῦν μὴ ἐχόντων. Nec aliud flumen, quàm memoratum capio, cùm ait idem *Heſych.* Νοῦς, ψυχή, ποταμὸς καὶ ὁ νοῦς, h. e. *Noys*, *animus*, *fluvius*, *mutus*. Etſi non ignorem, & *Nilum* ab Ægyptiis eſſe vocatum Νοῦν, atque hoc νέον ſignificare, ut eſt apud Philen, Ori interpretem, *l.* 1. quô locô agit de Nili aſcenſu & exundatione. Verum eſto, ut *Heſych.* hic Nilum reſpexerit, ſaltem fluvio iſti Ciliciæ non fuiſſe nomen Ἄνους, ſed Νοῦς etiam indicant illa Euſtathii, *in Odyſſ.* α. Παυσανίας ὁ ἱστορῶν φησὶν ὅτι Κίσκος πόλις ... ποταμὸς Νοῦς καλούμενος. Quæ tamen verba hodiè fruſtra in Pauſania quæras, ut videantur eſſe ex deperdito Aſiaticorum opere. *Voſſius. Nic. Lloydius.*

CESELETH Thabor, Palæſtinæ locus. Joſ. c. 19. v. 12.

CESELLIUS Baſſus, Pœnus, mente turbidâ, qui per ſomnium oblatam ſpeciem ingentium theſaurorum, in agro ſuo abſconditorum, ad ſpem haud dubiam retraxit; perſuaſoque Nerone Didonem Phœniſſam ibi abdidiſſe magnam vim auri rudi pondere; dein effoſsô agrô & inani repertô pudorem & metum morte voluntariâ effugit. Quidam vinctum ac mox dimiſſum tradidêre, ademptis bonis, in locum regiæ gazæ. Tacit. *l.* 16. *Annal. c.* 1, 2. 3.

CESENA, oppid. in Octava regione Italiæ. Vide *Cæſena*.

CESENIUS Pætus, à Parthis in Armenia obſeſſus, legionibus ſub jugum miſſis, Armeniam turpiter reliquit, Oroſius, *l.* 7. *c.* 7.

CESENNAS Michaël, doctor Valdenſium, quibus Marcam Anconitanam & ipſam Florentiam referetam fuiſſe; unde pulſi in Græcorum regiones ſe diffuderunt, circa A. C. 1325. ſcribit Antoninus Archiepiſcop. Florentinus, *part.* 3. *tit.* 21. *c.* 5 §. 1. Vide & Mornæi *Myſter. Iniquit.*

CESENNIUS Priſcus, Syriæ Prætor A. C. 47.

CESIL, i. e. *Arcturus*, ſive *Orion*, nomen ſtellæ, Latinè *ſtultitia*, aut *ilia*, item civitas in tribu Juda, Joſ. c. 15. v. 30.

CESION, civitas Levitarum in tribu Iſſachar, Joſ. c. 19. v. 19. Latinè *durities*, *ſtipula*, *cucumerarium*.

CESIUS mons, *Kalenberg*, in Auſtria longiſſimus, & à Danubio uſque ad Savum fluv. excurrens per varios flexus. Aliis *Cetius* mons. Vide ibi.

CESONINI, vel CESONIANI, cognomen Piſonum: unde *Ceſonius*, pro Piſonibus, apud Treb. Pollionem *in XXX. Tyrannis*, *c.* 32. ubi de Tito, *Hujus uxor Calphurnia fuit ſecreta & venerabilis fœmina, de genere Ceſoninorum* (non *Cenſorinorum*, ut vulgò legitur) *i. e. Piſonum*. Salmaſ. *ad loc.*

CESONIUS Pætus, Conſul, Collega Petronii, ann. Urb. Cond. 813.

CESPERIA, eadem quæ *Caſperia*.

CESPES, apud Papin. Statium, *l.* 1. *Sylv.* 4. *v. ult.*

——— *Sed ſæpe Deus hos inter honores*
Ceſpes & exiguo placuerunt farra ſalino.

Et *Theb. l.* 2. *v.* 246.

Hi fibras animaſque litant hi ceſpite nudô.

Ara eſt nullo paratu, de *Ceſpitibus* congeſtitia. Vide quoque Horatium, *Carmin. l.* 3. *od.* 8. *v.* 4. In cujuſmodi Altaribus, quamvis nullô cœtera apparatu, etiam hoſtias fuiſſe mactatas, docet idem, *l.* 1. *od.* 19. Hinc Silius Ital. *l.* 16. *v.* 262.

Et ſimul evulſus ceſpes ſurrexerat aris,
Victimaque admota ſlabat ſubjecta bipenni.

Juvenalis, *Sat.* 12. *v.* 1. *ſ.*

Natali; Corvine, die, mihi dulcior hæc lux:
Quâ feſtus promiſſa Deis animalia ceſpes
Expectat.

Calpurnius, *Ecl.* 2.

Sæpe vaporatâ mihi ceſpite palpitat agnus, &c.

Quod de latronibus narrat quoque Appulejus, *l.* 7. *Sic cò profectà ceteri copioſum inſtruunt ignem, aram ceſpite virenti Marti Deæ faciunt.* Eſt autem *Ceſpes terra avulſa cum herba*, *unde faciebant altaria*, apud Scholiaſtem veterem Prudentii *Apotheoſ.* v. 255. *tellus herbâ florente veſtita* Papinio: ſed & omnis terra, non rarò Avieno in *Periegeſi*. Vide Caſp. Barthium, *Animadverſionibus ad Papin. Statium paſſim*, *imprimis p.* 406. & 407. Sed & *Ceſpites*, ad caſtra cingenda & aggeres caſtrenſes extruendos, adhibiti, Vegetius, *l.* 3. *c.* 8. Quod Plinius firmat, *l.* 33. *c.* 14. *Ceſpitum natura caſtrorum vallis accommodata.* Unde *Ceſpitaticum*, in *Capitulari* 5. Caroli M. ann. 86. c. 1. quod quibuſdam eſt tributum, pro via *ceſpitibus* munienda; aliis pro caſtris muniendis. Vide quoque infrà *Vallus*. Etiam *Ceſpititium tribunal*, occurrit apud Vopiſc. in *Probo Imperat.* c. 10. *Quum ad exercitus notitiam veniſſet —— quaſi divinè nutu undique ab omnibus acclamatum eſt, Probe Auguſte, Dii te ſervent: deinde concurſu & ceſpititium tribunal: appellatuſque Imperator.* Cujuſmodi tribunalis erectio, certiſſimum creati Imperatoris argumentum erat: Ex editiore enim loco alloquendi milites uni ac ſoli Imperatori jus fuit, Caſaubon. *ad loc.* Nec omittendus *Ceſpitum* in Inveſtituris uſus. Cùm enim in traditionum ejuſmodi ſymbolis maximè adhiberent Veteres, quæ affinitatem aliquam haberent cum re, quæ donaretur & cederetur; vel ſaltem, quibus dominium in alium translatum ſignificaretur: hinc, agri vel prædii inveſtituram factam denotaturi, *ceſpitem*, glebam, ſeu *waſonem*, uti recentiori ævô loquebantur, ex ipſo agro deſumptum, in manus illius, cui donabatur, tradebant. Cujuſmodi ſymbola ne perirent, adſervabantur apud donatarios, in rei geſtæ memoriam. *Hujuſmodi ceſpites cum ſua feſtuca, multæ in Eccleſiis ſervantur hactenus, viſunturque Nivellæ & alibi, juſtæ magnitudinis, formâ quadratâ vel etiam laterculari*, Wendelinus apud Car. du Freine in voce *Inveſtitura*. Interdum etiam donationis, ceſſionis vel venditionis inſtrumento innexebantur, aſſuebantur vel alligabantur, ut ex compluribus tabulis veterib. liquet. Hinc itaque, apud Scriptores, tam frequens mentio Inveſtituræ, *per Ceſpitem*, ſeu quod idem, *per herbam & terram*. Porrò, *per ramum & ceſpitem* (nam nonnunquam addebatur *ramus*, quò ſoli ſuperficies, ſi quid nempe ſatum & ædificatum in eo eſſet, ſimul tradita innuebatur) ſeu, quod idem, *cum ramo & guaſone vel waſone*, *per guaſonem andelaginem & ramos de arboribus*, &c. ut videbimus infrà, ubi de *Inveſtitura*: uti de *Ceſpite nigro*, loco carbonis, variis in regionibus adhibito voce *Turba*.

CESPIUS, mons in regione Exquilia.

CESSÆI, vide *Ciſſi*.

CESSATIO ab opere, in Feriis Gentilium, præter ſacra, ſolennis fuit. Hanc ob rem, in iis imperandis, *ut litibus & jurgiis abſtinerentur*, per præconem edici ſolitum, Cicero teſtis eſt, *de Divinat. l.* 1. Quò reſpiciens Ovidius, *Faſtor. l.* 1. *v.* 73. ubi de feriis Calend. Januarii agit,

Lite vacent aures, inſanaque protinus abſint
Jurgia, differ opus livida lingua tuum.

Unde & Livius, in primis, quæ Romæ per 8. dies habebantur, lectiſterniis, *jurgiis ac litibus temperatum* dicit, *l.* 5. *c.* 13. Quibus verbis judiciales maximè diſceptationes iſtiuſmodi tempore fuiſſe prohibitas, nemini non liquet. Præſertim verò Meſſivis feriis, Vindemialibuſque, lites & res judiciariæ apud Veteres forô ceſſêre. Hinc Juliò menſe, Plin. Jun. *l.* 8. *Ep.* 21. Juliò & Auguſtô, Seneca *Apocolocynth.* lites maximè interquieviſſe, ſcribunt. Idem tempus Statius innuit, *l.* 4. *Sylv.* 4. *v.* 39.

Certè jam Latiæ non miſcent jurgia Leges,
Et pacem piger annus habet, meſſeſque reverſa
Dimiſêre forum, nec jam tibi turba reorum
Veſtibulo, querulique rogant exire clientes,
Ceſſat Centeni moderatrix judicis haſta.

Id quod *differre* vel *proferre res* vulgò dictum, Senec. *de Brev. vitæ*, c. 7. Tacitus, *Annal. l.* 2. Seneca ubi ſuprà: cùm contrà *res*, denuo agi cœptæ, *rediiſſe* dicerentur. Plautus *Captivis*, *Actu* 1. *Sc.* 1. v. 17. ubi Paraſitus,

Prolatis rebus Paraſiti venatici
Sumus: quando res redierint, Moloſſici
Odioſique & multum incommodeſtici.

Vide Jac. Ouzelium, *Animadverſ. ad Octavium Minucii Fel. p.* 7. & 8. Sed & ab aliis operibus negotiiſque non minùs *ceſſatum* eſt. Quod teſtatur Sext. Pompeius, *l.* 14. *Præclamitatores*, inquiens, *vel —— Præclamitatores dicuntur, qui Flaminibus Diali, Quirinali, Martiali, antecedentes exclamant, Feriis publicis ut homines abſtineant ſe opere, quia his opus facientem videre, irreligioſum eſt.* Et rurſum, *Præciæ dicebant, qui à Flaminibus præmittebantur, ut denuntiarent opificibus, Manus abſtinerent ab opere.* Quapropter, ut etiam Servius adnotat *Georgic. l.* 1. Pontifices ſacrificaturi, præmittere Calatores ſuos ſolebant, ut ſicubi vidiſſent Opifices adſidentes, opus fieri prohiberent, ne pro negotio ſuo & ipſorum oculos & Deorum ceremonias attaminarent: *Feriæ enim Deorum opera credita ſunt*, &c. Vide Tob. Pfannerum, *Syſtem. Theol. Gentil. purior*, c. 2. §. 22. & infrà, ubi de *Sabbatho*, *Septima die*, &c.

CESSE, nomen fluvii in Ducatu Luxemburgenſi, qui non longè à Rupeforti pagum *Han* —— *Leſſe* præterfluens, poſtmodum in profundum & viſu horrendum antrum illabitur in quo paulatim ſe ita abſcondit, ut poſt medii Germanici milliaris ſpatium, demum egrediens perſpicuus evadat. Quia autem is locus adeò horrendus exſtitit, nemo cum planè perſcrutari auſus fuit: abhinc tamen annis paucis homines quidam ammotiones ejus ſui periculum facere ſunt aggreſſi, atque iſtius antri bonam partem pervaſerunt: cum cymba & lumine cousque devecti, donec per ſectas rupes & aquarum concuſſiones horribiles ad locum Oceani inſtar vaſti apparentem deveniſſent, ubi quia abſque extremo vitæ periculo ulterius procedere nullus auderet, ſubſiſtere coacti fuerunt. Dum enim ob loci aliquid levis ac ſupernaturalis materiæ, in aquam projicitur, aliud idem vix poſt unum aut alterum diem egredi animadvertitur. *MS.*

CESSERO, quod CÆSIRO *Antonin. Ceſſres*, teſte *Joh. Baldo*, urbs Galliæ Narbonenſ. ad Arauricum fluv. inter Toloſam ad Occaſum 12. & Eutavam ad Ortum & Cacinum 14. leuc. a Vauro 6. ſive inter Carcaſonem 7. & Albigam in Boream 9. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Bituricenſi. At Vaſſerio *S. Tubery*, vel *Tibery* oppid. Occitaniæ potius videtur inter montem Peſſulanum 8. & Narbonem 6. leuc. occurrens à Biterris 3. quod magis probatur. In *Theſauro Linguæ Latinæ* ad Carpentoractum ponitur, quæ urbs longè à Ceſſerone abeſt.

CESSELIUS, JCtus celebris, nullâ ratione adduci potuit, ut ſyllogæ legum, quam concinnaverat, Triumviralia ſtatuta inſereret. Inſignis in Cæſarem parrheſiaſtes, monentibus amicis, ut ſibi caveret, *Senium & orbitatem*, obtendit. Val. Max. *l.* 6. *c.* 2. ex. 12. Vide etiam *Ceſellius*.

CESSIO, reverentiæ ſignum. Papin. Statius, *Theb. l.* 1. *v.* 29. ubi de Domitiano,

—— —— Licèt arctior omnes
Limes agat ſtellas, & te plaga lucida cœli
Pleiadum, Boreæque & hiulci fulminis expers
Sollicitet; licet ignipedum frænator equorum
Ipſe tuis altè radiantem crinibus arcum
Imprimat, aut magni cedat tibi Jupiter æquâ
Parte poli; maneas hominum contentus habenis.

Et *Theb. l.* 2. ubi de Somno, limite cœli Mercurio cedente, v. 60.

—— —— Sopor obvius illi
Noctis agebat equos, trepiduſque aſſurgit honori
Numinis, & recto decedit limite cœli.

Vide quæ de reverentia Brachmanibus à plebe Indorum exhiberi ſolitâ, habet P. de Valle *Itinerar. Part* 4.

CESTIRA, gens Mediæ in confinio Perſidis.

CESTIUS Florus, Judææ Procurator A. C. 64.

CESTIUS Gallus, Syriæ legatus. Tacit. *Hiſt. l.* 5. *c.* 10. Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 2. *c.* 37. & *ſeqq.*

CESTIUS Proculus. Q. Voluſiô, P. Scipione Conſulib. abſolutus repetundarum cedentibus accuſatoribus. Tacit. *l.* 13. *Annal.* c. 30.

CESTIUS Severus, crebris apud Neronem delationibus famoſus. Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 41.

CESTIUS, pons urbis Romæ, quem hodie *S. Bartholomæi* nominant. *Marlianus.*

CESTRIA, urbs Angliæ in Comitatu Ceſtrienſi, ad Deam fluv. qui ibi portum præbet commodum, in limite Walliæ. Vide *Deva.*

CESTRIA, vulgò *Sopoto*, teſte *Pinetô*, oppid. Epiri in Theſprotia regione. Pauſan. *l.* 2. *Ceſtrina Stephano* apud Chimæram; quod tamen *Hecatompedum Ptol.* dici videtur aliis. Populi *Ceſtrini* Plinio, *l.* 4. *c.* 1. Propè Thyamim fluv. ad pedes montis Acroceraunii. *Cammania Stephano. Baudrand.*

CESTRIENSIS Rogerius, vide *Rogerius*.

CESTRINUS, Heleni, & Andromachæ fil. Heleno mortuô cum Epirotarum aliquot ſponte ſequentium turma regionem ſupra fluv. Thyamim occupavit, quam *Ceſtrinem* de nomine ſuo vocavit, Pauſan. *Attic.*

CESTROSPHENDONÆ, teli genus, de quo ſic Liv. *l.* 42. *c.* 65. ubi de bello Romanorum cum Perſeo, ultimo Macedonum Rege: *Anceps Romanos terror circumſtabat —— Maximè ceſtroſphendonis vulnerabantur, hoc illô bellô novum genus teli inventum eſt. Bipalme ſpiculum haſtili ſemicubitali infixum erat, craſſitudine digiti: huic ad librandum pinnæ tres, velut ſagittis ſolent, circumdabantur: funda media, duo funalia imparia habebat. Cùm majori ſinu libratum funditor habena rotaret, excuſſum velut glans emicabat.* Ubi *pinnæ ei tres additæ* dicuntur, ut libratior & directior certiorque eſſet volatus teli, nec erranti diverſéque nutanti parte ejus poſteriore ictus irritus eſſet, telô eôdem tenore non eunte. *Funda media duo funalia imparia habebat*; h. e. medio haſtili inhærebat funda, eaque duplex, ut latior ejus ſinus telum meliùs libraret. Nam *funalia duo* funda duplex, altera alteri continens: & quidem poſterius funale majus latiuſque erat, ut ictum teli adigeret vehementiùs, meliuſque telum ſuſtineret. Duo autem funalia hæc, quæ fundam unam efficiebant, in nodum videntur fuiſſe nexa, anſulâ factâ, cui inſerebatur habena, quâ telum rotabatur. *Cùm majori ſinu*, &c. Major ſinus videtur majoris fundæ & tanquam duplicis major capacitas, in qua pendebat & librabatur telum. Nomen ei à *κέστρα*, i. e. verticulo, ut Plinius hanc vocem vertit, *l.* 35. *c.* 11. & *σφενδόνη*, *Funda*. Hadr. Turnebus, *ad loc.*

CESTROTA, apud Plinium, *l.* 11. *c.* 37. ubi de aurorum cornibus, eorumque apud populos Septentrionales multiplici uſu. *Mollitaſque alias ad delicias confringuntur, nunc tincta, nunc ſubſcta, nunc*

qua

quæ ceſtrota *pictura genere dicuntur*. Græcè κεςρωτά. Fuit autem genus Encauſtices, quâ *ceſtro*, i. e. veruculo pingebatur in ebore ac cornu. Quidquid nempe in acumen exibat, κέςρον Græci vocârunt: unde κεςρωθὲν ξύλον, *præuſta ſudes*, apud *Heſychium*. In ſpecie verò ſic dicebatur veruculum, quô ignitô κεςρωτὰ opera ſiebant. Fortium ornamenta hoc Encauſtices genere quoque pingi conſuevìſſe, apud Veteres Vitruvius docet, *l. 4. c. 6. extr. Ipſaque forium ornamenta non ſiunt ceſtrota neque biſora, ſed valvata & aperturas habent in exteriores partes.* Animalium verò cornibus tinctis & *ceſtratis*, ebore quoque ſimiliter pictô, lignum diſtinguebatur, in lectis, menſis & foribus Plin. *l. 16. c. 43. extr. Excogitata ſunt & ligni bractea, nec ſatis: cœpêre tingi animalium cornua, dentes ſecari, lignumque ebore diſtingui, mox operiri.* Ebur porrò illud & cornu, quô lignum operiebatur & diſtinguebatur, *ceſtro* etiam incidi ſolebat & *ceſtratum* fieri. Aliàs ceris etiam inurebantur fores: quod alterum Encauſtices erat genus. Auſonius, *Epigr. 26. v. 10.*

> *Ceris inurens januarum limina*
> *Et arcuatum pegmata.*

Cujuſmodi opera *cerostrata*, Græcis κηρόςρωτα, dicta ſunt, nempe non ramentis & teſſellis inſertorum cornuum picta, ſed ceris ſolis & ſtratis inuſta, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 231.* & hîc in vocibus *Cera*, item *Encauſtice*, & *Veruculum*.

CESTRUS, Pamphyliæ fluv. Mela, *l. 1. c. 14. Duo validiſſimi fluvii, Ceſtros, & Catarractes.* Ubi *Cejarum* vulgo dictum putant, quia ſe præcipitat. Movit hoc nonnullos, ut ibi *Ocliſum*, pro *Ceſtro* reponerent, prorſus ineptè. Κέςρον plerique hunc autem vocant Fugis verò illos hoc vocabulum etiam *ſagittam*, & *jaculum* ſignificare. Potuiſſent hoc illos docere Grammatici, qui *ἀκόντιον* interpretantur. Hinc κεςροσφενδόνη apud Livium, *l. 42. c. 65.* & *Tacitum*, & ξύλον κεςρωθὲν, pro ſude præuſta, quam ἀκόντιον aliter appellant. *Heſych.* κεςρωτὸν ξύλον, λογχὸ ἔχον ἐν κέντρον, ... Ita legendus ille locus, quem perperam emendare conatur vir magnus, *in Solinum*. At verò longè aliter accipiendus hic Pomponii locus, cùm enim dicit, *hic quia præcipitat*, ita dictus, id non de Ceſtro, ſed Catarracte intelligi debet. *Ceſtrus Baudrando* fluvius Aſiæ minoris ortus in Piſidia, versùs confinia Iſauriæ, dein per Carbaliam in Pamphyliam labitur, ubi juxta Magedin oppid. in mare Mediterraneum & ſinum Attalicum ſe exonerat 25. milliar. à Sida in Occaſum.

CESTUS, Græcis κεςὸς, *cingulum*, quaſi κεντητὸς, à κεντέω. Hincque lora, quæ pugnis addita, ad munimentum. Pugnæ enim primùm nudis certabatur, dein addita lora, propterea quòd nudi quum fierent, ſæpe plus damni acciperent, quàm facerent. Ea lora *Ceſtus* dicti, initióque brevia erant: mox ne excuſſa exuerentur in ictibus, tum humero, tum cubito alligabantur. Poſtremò ferrum plumbumque aſſutum eſt ſæviſſimo ſpectaculo. Cerebrum enim & guttur facilè elidebant: quare aurium munimenta reperta, ἀμφωτίδες. Tota ars ictum vitare, non fugâ, ſed corporis inclinationibus & flexibus: Tum autem excipere ictum ictu, ſi ſit fortior. Poſtremò, non inferre ictum fruſtrà: concidebant enim plumbi onere præcipites, ſi impenſiùs mirentur verberare, &c. Eô Erycem Siculum excelluiſſe, atque ab Hercule victum: Præter cæteros autem calluiſſe Pollucem, quâ fortiſſimum virum Amycum ſuperavit, legimus apud Theocritum, & Virgilium, *Æn. l. 5.* Jul. Cæſ. Scaliger, *Poetices l. 1. c. 5.* Qua de re plura diximus ſuprà in voce *Caſtiphori*.

CETACEI Piſces, Bocharto dicuntur, qui quamvis *Cete* non ſint, ad *cetorum* tamen magnitudinem propè accedunt, ut *ſilurus*, *eſox*, *attilus*, *carcharias canis*, aliique, *magnorum piſcium* nomine venientes, vide Jonæ, *c. 1. v. 17.* In quibus, qui multò maximi ſunt, *lamia* putà, & *maltha* & *zygæna* & *thynnus*, Cetis non rarò adſcribuntur. Quas quatuor ſpecies nominatim recenſet Auctor, ut quæ ſæpe leguntur *Cetorum* nomine appellari, propter immenſitatem, quamvis cætera ſint verè piſces. De lamia, maltha & zygæna, res patet ex Oppiano, *Halieutic. l. 1.* Galeno, *de Alim. Facult. l. c.* Ægineta, *l. 1. c. 94.* & Æliano, *Animal. l. 9. c. 49.* è quorum ultimo Suidas, Κῆτος, inquit, θαλάττιον θηρίον πολυειδές· ἔςι γὰρ λάμια, ζύγαινα, παρδάλις, φάλαινα, ... Sed thynnum inprimis *Cetis* accenſeri, colligitur ex his Archeſtrati, apud Athenæum, *l. 7.*

> Θύννον ... ... μέγαν, ὃν καλέουσιν
> Ὄρκυνον, ἄλλοι δέ τε κῆτος:

nempe poſtquam in eximiam magnitudinem excrevit, ut teſtatur Soſtratus, *in l. περὶ ζώων* vide plura hîc infrà. Sed & mediæ magnitudinis, inter *cetaceos* & ἰχθύδια, *piſciculos*, piſces *magni* quoque dicti occurrunt, ut Joannis, *c. 21. v. 11.* ubi centum quinquaginta tres *magni piſces*, uno jactu retis incluſi, non potuerunt eſſe cetacei. Piſciculi verò, Græcis ὀψάρια ſunt, qui infra utramcumque magnitudinem ſubſidunt: de quibus omnibus vide apud Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 1. c. 6. & 7.*

CETARIA, Siciliæ urbs. *Ptol.* Nunc vicus, *Scopello*, in valle Mazaræ, 4. milliar. à Segeſtanorum emporio, 35. à Panormo in Auſtrum, 18. à Drepano.

CETE, Hebræis iiſdem nominibus appellantur, quibus draco, nempe [illegible] *thannin* & [illegible] *leviathan*: an ob formæ ſimilitudinem, an ratione molis & quia Cetus in aquatilibus tantum præſtat,

> Ὅσσον ... ...,
> *Quantum in reptilibus præſtant virtute dracones*

Oppianus Ἁλιευτ. *l. 1.* Eſt autem Cetus propriè dictus viviparus, non oviparus, ut piſcis. Hinc Ælian. *l. 11. c. 37.* Δελφὶς δὲ φάλαινα ἐςὶ κῆτος. ... ... ζωοτοκεῖ. In Ceto itſuper coſtum durum eſt, caro firma & compacta, oſſa ſolidiſſima, pulmo etiam & guttur & vera vox, virga denique maribus & lac mammæque fœminis, quibus omnibus caret piſcis. Sed & inter ſe *Cete* multum differunt. Minora ſunt, *phoca*, *delphin*, *hippopotamus*: Majora, *priſtis*, *orca*, *balæna*. Rurſus phoca & hippopotamus pilos, pedeſque & collum habent: at balænæ & delphini corium eſt glabrum, & pinnæ pro pedibus, & pro collo fiſtula in fronte, quâ de ſuperiore parte trahunt aërem. Papillas Ceti quod attinet, non eſſe ἐπιφανεῖς rectè notat Philoſophus, *Hiſtor. l. 2. c. 13.* quippe in mammis receptas, tanquam in vaginis, condunt. Unde illas ad uſum promi, dicit Scaliger, *Exercitat. 104. § 10.* Quo non dubium, quin Jeremias his verbis reſpexerit, Threnor. *c. 4. v. 3. Etiam cete mammam educunt, ut lactent catulos ſuos.* Vide de *Cetorum* lacte & mammis, plura apud Philoſophum, ubi ſuprà & rurſus, *l. 6. c. 12.* Solinum ubi de Delphinis, *c. 35.* Plinium, *l. 9. c. 8.* Ælian. *Hiſtor. l. 5. c. 4.* & *l. 10. c. 8.* Alios. Unde Oppianus de Delphino, poſtquam geminos parere dixit, *Halieutic. l. 1.*

> Μαζοὶ δ' ἀμφοτέροισι παρήχεται, οἷον ἰσάζων,
> Θέσπεσον γάλα λαβρὸν ... ...
> Καὶ γάλα, καὶ μαζῶν ... φέρειν, οἷα γυναικῶν,
> *Admovet uberibus catulos & lacte utrumque*
> *Pavit ut os laneis: namque hunc æqualia Divi*
> *Ubera fœminis manantia lacte dederunt.*

Et Phile, *c. 65.*

> Τρέφει δὲ καὶ γαλακτοῦ ... τὰ βρέφη,
> Προτείνουσα μαζόν, ὡς λεχὼ ...
> *Nutritque ſuum lacte, præbens ubera*
> *Lactantis inſtantem in morem puerperæ.*

Hinc fœtus matrem undiquè ſequitur, nec hujus erga illum amoris vehementiam ſatis prædicare novit Philoſtratus *Apollon. l. 2.* Ut de voce aliquid addam, *luctus* Cetis tribuitur. Mich. *c. 1. v. 8.* Namque, licèt è Cetis quædam boent ac mugiant, ut phoca ſive boca, à *boatu* hinc dicta Feſto, & balæna, quam Rondeletius ad binas leucas audiri, refert: alia tamen verè & propriè gemunt; ut Delphin, cui pro voce *gemitum humano ſimilem* tribuunt Plinius, *l. 9. c. 8.* Solin. *c. 35.* & Vincentius, *Doctrinali l. 16. c. 32.* Quam in rem inſignia Petrus Gillius habet, quem vide. Ad magnitudinem propero, ob quam *Cete* Moſi *grandia* dicuntur, Geneſ. *c. 1. v. 21.* meritò: cum inter piſces mole ſint maximi. Sed quæ Veteribus de eorum magnitudine tradita ſunt, multùm à vero pleraque abludunt. Theodes, ea triremibus majora facit, apud Ælian. *Hiſtor. l. 17. c. 6.* ipſe Ælianus ad elephantem vel maximum proportione quintuplâ, *ibid. l. 16. c. 12.* Eratoſthenes longa 30. cubitorum, apud Strabonem, *l. 16.* Nearchus 25. orgyiarum, i. e. cubitorum 100. apud Arrianum in *Indicis*: Oneſicritus atque Orthagoras, dimidii ſtadii, h. e. pedum plus quàm tricenûm, apud Ælian. *l. 17. c. 6.* Juba pedum ſexcentorum, apud Plinium, *l. 32. c. 1.* Plinius ipſe quaternûm jugerum, *l. 9. c. 3.* quantum terræ ſpatium quædam oppida non occupant. Quos ſequuti Sancti Doctores hyperbolica quædam tradunt, de *cetorum* ingenti mole, Baſilius in *Hexaëm. Hom. 7.* Iſidorus, *Origin. l. 12. c. 2.* Euſtathius Antiochenus in *Hexaëm.* Alii. Ut Hebræorum hîc mendacia omittam. Compertiſſimum enim, tam ex maritimarum Urbium *Annalibus*, quàm ex eorum ratione, qui ad balænarum piſcationem quotidie ſe conferunt, majores illos cetos plerunque 50. rarò admodum 100. pedum menſuram excedere. Unum tamen in Oceano Britannico captum refert *Scaliger* longitudinis pedum 150. altitudinis tantæ, ut obequitantium non tantùm conſpectus adimeretur, ſed voces inter ſe, tanquam trans collem editæ, viderentur. Et in Narbonenſi littore viſam à patre ſuo belluam, narrat *Rondeletius* 300. paſſuum longitudine: quam menſuram longiſſimis in Balthico mari *Zieglerus* ac *Olaus Wormius* adſcribunt, &c. Atque hæc de *Cetis* propriè dictis, impropriè ſic appellantur omnes ii è cetaceis piſcibus, qui in vaſtitatem molem exereſcunt. Ut enim in vulgo piſcium, qui ſunt reliquis majores, ut *ſilurus*, *eſox*, *attilus*, alii, *cetacei* dicuntur: ita in cetaceis, qui ſunt multò maximi, *lamia* putà, & *maltha*, & *zygæna*, & *thynnus*, non rarò *cetis* adſcribuntur. Unde apud Varronem *Cetarii* ſunt thynnorum piſcatores: apud Ælian. *Hiſtor. l. 13. c. 16.* κητεία Siculis thynnorum piſcatio: & in Horatio, *Serm. l. 2. Sat. 5. v. 44. cetaria* loca thynnis referta: itque Æliano iterum *l. c.* κητοθηρία, piſcatoriæ caſæ, reponendis retibus & reliquæ ſupellectili, thynnorum piſcationi deſtinatæ. Sic Matthæi, *c. 12. v. 40.* cùm Jonas fuiſſe legitur ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους, *in ventre ceti*; cave, ne *cetum* intelligas propriè dictum, quales *balæna*, *priſtis* aut *phyſeter*, quæ, utut vaſtæ belluæ, tamen gulæ meatus habent anguſtiores, quàm ut ſolidum hominem tranſglutire poſſint. Cetus eo loco eſt *piſcis magnus*, ut habetur Jonæ, *c. 1. v. 17.* verus nempe piſcis, ſed ita ingens, ut ratione molis ſuæ cetis adſcribi meruerit. Bochartus *lamiam* ſeu *carchariam* intelligit, ut ſuprà diximus. Vide eum *Hieroz. Parte prior. l. 1. c. 7.* & ſuprà, ubi de *Cetaceis piſcibus*: ſicut de *Ceti dentibus*, diu pro cornu Monocerotis habitis, infrà in hac voce.

CETENE, Græcè Κητήνη, apud *Heſychium*, πλοῖον μέγα ὡς κῆτος, *navigium ingens*, *inſtar ceti*: imo πλοῖον κητόπρωρον, *navis quæ protomen ceti in prora præferebat*, ἢ κητόπρωρος; cujuſmodi navigia πρίςεις quoque Græcis, Latinis *priſtes*, dicebantur. Nam *priſtis* etiam bellua marina, Virg. *l. 5. Æn. v. 116.*

> *Velocem Mneſtheus agit acri remige priſtin.*

Nempe, ſicuti καπροφόροι & κριοφόροι νῆες vocatæ ſunt, quæ tauri & arietis effigiem, paraſemi vice, præferebant: ita κητοφόρος, quæ ceti; imo & κῆτος, cujuſmodi nave quòd Andromeda capta eſt,

eſt, finxêre Poëtæ, *ceto* illam ſeu belluæ marinæ expoſitam fuiſſe. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 570. & hîc infrà, ut & ubi de navium *Paraſemis*.

CETEUS, Ægyptiorum Rex à Græcis *Proteus* dictus.

CETHEGUS, Conſul, Cicerone teſte, cum Pub. Tuditano, bellô Punicô ſecundô; de quo ſic ſcribit ipſe *in Bruto*, c. 15. *M. Corn. Cethegus, cujus eloquentia eſt author & idoneus, meâ quidem ſententiâ Q. Ennius; præſertim cùm & ipſe eum audiverit, & ſcribat de mortuo: ex quo nulla ſuſpicio eſt, amicitiæ causâ eſſe mentitum. Eſt igitur ſic apud illum in nono (ut opinor) annali,*

Additur orator Cornelius ſuaviloquenti
Ore Cethegus Marcu' Tuditano collega,
Marci filius, is dictu'. ollis popularibus olim
Qui tum vivebant homines, atque ævum agitabant,
Flos delibatus populi.

CETHEGUS, alter, qui in Catilinæ conjuratione primas tulit: cujus etiam ſæpe meminit Cicero, *Oratione in Catilinam tertiâ*, c. 3. *Atque interea*, inquit, *ſtatim admonitu Allobrogum C. Sulpitium fortem virum miſi, qui ex ædibus Cethegi, ſi quid telorum eſſet, efferret, ex quibus ille maximum ſicarum numerum & gladiorum extulit.* Juvenal. *Sat.* 2. v. 27.

Clodius accuſat mœchos? Catilina Cethegum?

Cethegis autem amictum erat expapillato brachio depugnare. Notum illud Lucani, *l.* 2. v. 543.

— Exertæque manus veſana Cethegi.

Silius, *l.* 8. v. 586.

Ipſe humerô exertus, gentili more parentum,
Difficilis gaudebat equô. — — —

Ut enim habilius, valentiusque telum evibrarent, ſubſtrictiores erant. Unde Horat. *de Arte*, v. 50.

Cinctutis non exaudita Cethegis.

CETHIM, Hebr. כתים *Chittim*, Græci interpretes Κιτίους reddunt, & Κιτιεῖς, & Κιτιαίους, i. e. *Cyprios*, ſi Joſepho credimus; quia in Cypro inſulâ, *Citium* urbs eſt celeberrima, patria Zenonis Stoici, qui Κιτιεὺς inde appellatur. Addit idem, omnes inſulas, & loca maritima pleraque Hebraicè vocari Χεθίμ. Quô errore abductus *Jud. Antiq. l.* 9. *c.* 2. *Regem inſularum* habet τὸ βασιλέα τῶν νήσων, pro Ebræo מלכי החתים 2. Reg. c. 7. v. 6. Ac ſi Chittim per *Cheth* idem eſſent, qui Chittim per *Caph*. Joſephum ſecuti Epiphanius, *in Hæreſi Manichæorum*, & Hieronymus, *in Geneſin*, & Euſtathius *in Hexaëmero*. & Victor presbyter *in Jeremiam*, Cyprum itidem, vel Cyprios interpretantur. Alii Χίους *Chios* malunt, alii Ἰουδαῖον ἔθνος, *Judæorum gentes* apud Olympiodorum Chryſoſtomum, in *Catena Græcorum patrum*, *in Jeremiæ caput ſecundum*. Multi Ciliciam præferunt, cujus pars non minima. *Nic. Lloydius*.

CETHLIS, nomen civitatis in tribu Judæ. *Joſ.* c. 15. v. 40.

CETHRON, quæ aliàs *Cetron*, *Citron*, & *Tethron* ſcribitur, munita urbs in tribu Zabulon, cujus priſtinos habitatores Zabulonitæ in principio expellere non potuerunt.

CETHURA, uxor Abrahami, jam Senis: è qua numeroſâ prole ſuſceptâ, prodiêre Madianitæ, Ephæi, Dadonæi, Sabæi. An & Magi, qui Chriſtum adoraturum venerant? Torniel. *A. M.* 2179. *Nic. Lloydius*. *Cethura*, altera uxor Abrahæ, quæ *copulata* exponitur. Volunt autem Hebræi hanc fuiſſe Agar prius concubinam, quæ mortuâ Sarâ de non copulata in copulatam tranſiit.

CETICUS, magus fuit, cujus augurio Bocrehiſta Rex Getarum Romanos vicit.

CETII, populi inter Cilices & Pelaſgos. Strab. *l.* 13.

CETIRZIS, promontorium in litore Appolloniæ regionis, locus munitiſſimè validus, quô aliquando Lyſimachus ad opes ſuas recondendas uſus eſt. Strab. *l.* 7.

CETIS, regio apud *Ptol.* & Baſilium Seleucienſem *l.* 1. *de vita S. Theclæ*. Author primi libri Macchabæorum, haudquaquam contemnendus ſcriptor, putavit haud dubiè *Chittim* eſſe Macedonea. Quippe ſtatim initiô *l.* 1. v. 1. narrat Alex. Macedonem egreſſum eſſe ἐκ τῆς γῆς Χεττιείμ ex terra *Chethim*. Et c. 8. v. 5. Perſeum illum Macedonem, de quo Romani triumphârunt, vocat Κιτιέων βασιλέα, *Citiorum Regem*. Cui ſententiæ videtur non parum accedere roboris, ex eo, quod Eſajas c. 23. v. 1. *Tyrus excidium interminatus*, addit, fore ut *revelatur*, i. e. *erumpat in illos hoc malum*, מארץ כתים *à terra Chittim*, quod referunt ad Macedonas, qui Alexandro duce Tyrum oppugnârunt, & devaſtârunt. Eôdem facit, quòd ad *Cethim* videtur alludere Macedoniæ vetus nomen *Macettia*, vel *Macetia*, unde populi *Macetæ*. *Heſych.* Μακετία, ἡ Μακεδονία. Bochartus tamen, *l.* 3. *Phaleg.* c. 5. כתים *Chittim* Italos potiùs eſſe opinatur, primò quia, cùm Daniel Alexandrum nominet Regem *Javan*, ſi dicatur idem Rex *Chittim*, confunderentur *Javan* & *Chittim*, quæ manifeſtè diſtinxit Moſes. Secundò, quia in Balaami vaticinio Numer. c. 24. v. 24. *Naves* מיד כתים *à parte Chittim affligent Aſſyrios, & Ebræos*. Ubi Hieronymus reddit *De Italia*. Rurſus Dan. c. 11. v. 29. 30. *De Chittæis* ea dicuntur, quæ meritò ad Romanos referunt ferè quotquot ſunt interpretes: *Conſtitutò*, inquit, *tempore, Antiochus rurſus invadet Auſtrum*, i. e. *Ægyptum, ſed poſterior priori non erit ſimilis: ſupervenient enim naves Chittim & invitus regredietur*. Ubi naves *Chittim* haud dubiè ſunt naves Romanorum, Cajô Popiliô duce, quorum metu Antiochus re infectâ diſceſſit. Itaque in Vulgato interprete, pro Chittim, *Romanos* legas. Denique Ezech. c. 27. v. 6. Hebræa verba מאיי כתים *ex inſulis Chittim*, Chaldæus reddit מאפרכי אפוליא *è provinciis Apuliæ*, & Vulgatus interpres *ex inſulis Italiæ*. Tertiò, quia veſtigia hujus nominis reperiuntur in Italia, nam urbs Κετία *Cetia*, apud Halicarnaſſeum, *l.* 8. *p.* 376. una fuit è 7. urbibus à Coriolano captis, quas, *in ejus vita*, Plutarchus teſtatur fuiſſe μεγάλας, καὶ πολυανθρώπους *magnas & populoſas*. Occurrit item Ἐχέτλα *Echetla*, Italiæ urbs, apud *Steph.* eadem, ut videtur cum *Echetra*, vel *Ecetra* in Volſcis clariſſimâ, & inter Æquos, ac Hernicos locô valdè commodô ſitâ, cujus poſt Dionyſium, *l.* 4. 6. 8. 10. & Livium, *l.* 1. & 3. meminit idem *Steph.* Eſt item circa Cumas Κετὸς *Cetus* fluv. in quo tradit Ariſtot. *l. de Mirabil.* plantas ἀπολιθοῦσθαι. Unde Cetum colligas eum eſſe fluvium, quem alii *Silarum* vocant. Nam de *Silaro* Campaniæ amne id ipſum referunt Strabo, *l.* 5. *extr.* Plin *l.* 2. *c.* 103. Silius Italicus, *l.* 8. v. 582. Quartò, quia non deſunt, qui Romanos & Latinos aſſerunt è *Citiis* vel *Cetiis* traxiſſe originem, atque hanc illis fuiſſe priſcam appellationem. *Euſebius*: Κίτιοι, ἐξ ὧν Λατῖνοι, οἱ καὶ Ῥωμαῖοι. Suidas in Λατῖνος, Τήλεφος υἱὸς Ἡρακλέους, ὃ ἐκαλεῖτο Λατῖνος μετονομάσας τοὺς πάλαι Κιτίους ἀγορευομένους Λατίνους. Idem habent *Cedrenus*, & *Chronicon Alexandrinum* 5. Denique quia in ipſa voce *Chittim* Latinorum nomen latet, ſaltem à *latendo* dici Latinum pleriique conſentiunt, nam Arabicâ dialectô, quæ Hebrææ linguæ ramus eſt, כתם *Chetema* eſt *abſcondere*, & כתים *Chetim occultus, latens*, quâ voce nihil frequentius. *Nic. Lloydius*.

CETIS, Ciliciæ regio. *Ptol.*

CETIUM, Norici oppid. *Antonin.* *Baudrando* pagus Auſtriæ Inferioris ad Danubium, ubi recipit *Auxſpach.* amnem. Ibi incipit Cetius mons Vix 2. leuc. à Neoburgo in Occaſum ut & à Vienna. Vulgò *Czeiſſmaur*.

CETIUS, mons inter Noricum, & Pannoniam, hodie *Kalemberg* vulgò dicitur. Oritur in Auſtria inferiore & per Stiriam Carinthiamque protenditur. Vide *Ceſius*.

CETIUS, Plin. *l.* 5. *c.* 30. fluvius Myſiæ, ex Pindaſo profluens, ac juxta Pergamum decurrens, ex urbe nomen habet.

CETO, Græcè Κητὼ, apud Plin. *l.* 5. *c.* 13 de Joppe, *Inſidet collem præjacente ſaxô, in quo vinculorum Andromedæ veſtigia oſtendunt. Colitur illic fabuloſa Ceto*: Numen Joppenſium, *ceti* formam præferens. Qualis Dagon Azotiorum Palæſtinæ, quâ voce ſignificatur, ὁ Κητὼ, vel ὁ Κῆτος: Nec longè ab Azoto Joppe, ut in utraque urbe idem Numen cultum fuiſſe, ſit veriſimile. Sanè Dagon eſt *Ceto*. Sed & Derceto hâc figurâ colebatur in urbe Aſcalone Azoti vicina, apud *Diodorum*, ubi de Aſcalonis lacu: in Phœnice, item, apud *Lucianum*. A' qua diverſa illa, quæ Hierapoli templum habebat. Joppenſis enim vultu fœmina, cœtera piſcis erat: at Hierapolitana, in fœminea ſpecie proſtabat tota. Unde non Derceto, ſed Deam Syriam (quam nonnulli cum Deûm Matre eandem faciebant) Hierapolitanis cultam eſſe, colligit *Lucianus*. Vide quoque Appulejum, *l* 8. Porrò non *Derceto* ſolùm, ſed & *Atergatis*, Numen Joppenſium dictum eſt, quod ab *Addirdaga*, h. e. *piſcis magnificus*, detortum nomen eſſe docti volunt. Salmaſ. *ad Solin p.* 574

CETOBRICA, *Antonin.* *Cetobrix*. *Ptol.* Luſitaniæ urbs. *Setuval Vervetia*. Belgis *S. Uber*, permunita, cum portu admodum frequenti & arce, in Extremadura provinc. ad oſtia *Cadani* fluv. ibi ſunt ſalinæ magni proventus. 6. leuc. ab Ulyſſipone in Auſtrum, 6. à Barbario promontor in Ortum, 16. ab Ebora in Occaſum.

CETRA, Maurorum clypeus, qui ex tergore elephantorum, quorum apud illos vis ingens, plerunque eas faciebant. Plin. *l* 11. *c.* 39. *Elephantorum quoque e tergore Mauri impenetrabiles cetras habent*. Et *Strabo* de Mauris, Οἱ δὲ πεζοὶ τοῖς τῶν ἐλεφάντων δέρμασιν ὡς ἀσπίσι χρῶνται. Unde de Tingi, Mauritaniæ oppido Mela, *l.* 1. *c.* 5. *Extat vis* (conditæ nimirum ejus ab Antæo) *ſignum, parma elephantinô tergore ſecta ingens & ob magnitudinem nulli nunc uſura habilis*. Aliàs ex orygum pelle. Juvenalis Interpres, Oryx, *animal minus quàm bubalus, quem Mauri unicem vocant: cujus pelle ad cetras proficit, ſcuta Maurorum minora*. Ubi *ſcuta minora* notanter vocat. Figuram quod attinet, à *pelta* non multum abfuiſſe, innuit apud Curtium, *l.* 3. *c.* 2. ubi de Barcanis equitibus in exercitu Darii: *armati bipennibus, levibuſque ſcutis, cetræ maximè ſpeciem reddentibus*, Blanckardus. Rotundas certè illas pinxant optimi Scriptores, quamvis Varro & Nonius circularem illis figuram aſſignent. *Levia* dicuntur Curtio *ſcuta*, quia geſtari ſolita è loro ex collo propendula, contra ictus aut tela incidentia: ac ut ad motus concurſuſque milites promtiores eſſent. Tribuit illas idem Barcanis equitibus peditibuſque: Non tamen ſoli hi *cetris* uſi. Namque de Mauris jam dictum: ſed præter hos, Afris, Perſis, Gallis, Hiſpanis, imò & Britannis, in uſu fuiſſe, diſcimus ex Scriptoribus: de ultimis inprimis, ex Tacito. *Pelta*, pro eodem ſcuti genere, paſſim apud Livium, vide Lipſium *in Analectis ad Milit. Rom. l.* 3. *Dial.* 2. & Blancardum *l. cit.* ubi geminam iconem ejus exhibet.

CETRIBONI, Indiæ populi. *Plin. l.* 6. *c.* 20.

CETRONIUS, cui prænomen *Cajus*, legatus primæ legionis judicium & pœnas, de ſeditioſis inferioribus Germanis malitibus, exercuit. Tacit. *Annal. l.* 1. *c.* 44.

CETRONIUS Piſanus, in Africa ſub Valerio Feſto legato, caſtrorum præfectus, vinciri juſſus ob proprias Legati ſimultates, tanquam conſcius molitionum C. Piſonis. Tacit. *Hiſt. l.* 4. *c.* 50.

CETUMA, Æthiopiæ ſub Ægypto oppid. Plin. *l* 6 *c.* 29.

Rabbi Joſeph CETZ, Cracovienſis, compoſuit *Quæſtiones & Reſponſiones*, fuitque unus ex Rectoribus Scholæ, in regia hac urbe, per 50. circiter annos. Rabbi David Ganz. *Chronol. Rabbinorum*, *ann.* 351. *Millenarii VI.*

CEVALERIUS Antonius Rodolphus, Normannus, Pariſiis ſub Franc. Vatablo, Oxonii ſub Franc. Fagio, Hebraicæ Linguæ operam dedit, Elizabetham deìn Angliæ futuram Reginam Gallicam linguam docuit. Poſt obitum Eduardi VI. in Germaniam delatus filiam uxoris Eman. Tremellii ſibi junxit, Argentinamque vocatus primum, A. C. 1559. deìn Genevam, ibi diu docuit, ac

Sancti

Sanctis Pagnini Theſaurum auctiorem edidit. Bis poſt hæc vicibus in Angliam reverſus, ibi obiit A. C. 1572. ætat 65. Scripſit *Grammaticam Hebraicam* Joſ. Scaligero & Florenti Chriſtiano magni habitam, & *Hebraicó carmine* Calvini obitum deflevit, quod habetur inter Carmina Bezæ Genevæ impreſſa A. C. 1597. Thuanus, Anton. Teiſſier in *Elogiis*, *Part.* 1. Alii: quorum primus novam Editionem, Bibliorum IV. Lingg. cum molitum, cujus jam Pentateuchum & librum Joſuæ, manu ejus antidè deſcriptos, viderit, addit.

CEVANUM, oppid. Pedemontii, cum caſtro & regiuncula cognomine ad Tanarum fluv. verſus Apenninum montem & Ducatum Montisferrati. Habuit olim Marchiones proprios magni nominis. Vulgò *Ceva*. Vide *Ceba*.

CEUCI, Hiſpan. populi conventus Lucenſis. Plin. *l.* 4. *c.* 20.

CEUS, vel CÆUS, Titanis & Terræ fil. qui ob Latonam filiam à Jove ſtupratam, adverſus eum arma movit, ſed jure ab injuria victo, periit. Virg. *Æn. l.* 4. *v.* 179.

Extremam ut perhibent Cæo Enceladoque ſororem
Progenuit. ——

CEUS, inſul. in qua lex olim lata, ut (quæ etiam Menandri ſuffragiò comprobatur) qui rectè vivere nequeant, nisi ne vivant. Significabatur autem ſexagenariò majores aconitò vitam finire oportere, ne reliquis cibariis deficerent. Cœl. Rhodig. *l.* 18. *Antiqu. Lection. c.* 26.

CEUS, Propontidis urbs eadem cum Bryllio. *Steph.*

CEUTHES, Magiſter Equitum apud Thraciæ Regem Cerſobleptem, de quo Polyæn. *l.* 7. *c.* 32. ubi tamen Interpres legit *Scuthes*.

CEYLA, vide *Ceila*, Palæſtinæ locus Joſ. *c.* 15. *v.* 44.

CEYLANUM, inſulam peramplam Aſiæ, in Indiis citeriore Joannes Barrius Luſitanus Taprobanam olim fuiſſe contendit: ab ea obliquus in Auream Cherſoneſum, ex Cherſoneſo vicinam ingentem inſulam Somatram curſus eſt. Ceilanum, ovali maximè figurâ ducentarum circiter & 40. leucar. ambitu, leucas in longitudinem 78. patet; in latitudinem 44 atque a Cori promontorio, avulſa fretò vadoſò Piſcariæ, quam appellant, ora prætenditur, eâ cœli clementiâ, ſoli ubertate, & copiâ fluminum aquarumque perennium, ut primorum parentum ſedes olim perhibeatur fuiſſe. Hinc *Tenariſin* Indis, i. e. terra deliciarum. Sunt ſylvoſi montes, ad effigiem theatralem inflexi, qui vaſtam planitiem oblongò circuitu in caveæ formam includunt: quorum unus in arduam & ſubjectam altitudinem penè 7. leuc. exſurgit: habetque in ſummo æquatam agri planitiem, ex cujus medio bicubitale ſaxum eminens ad inſtar menſæ, veſtigium demonſtrat impreſſum inclyti ſanctitate viri, quem ex Indiæ regno Deli, quondam in ea loca veniſſe tradunt, ut gentem ſuperſtitionibus deditam fabuloſis, ad unius Dei cultum religionemque traduceret: Et tantæ eſt venerationis locus, ut à leucis amplius mille omnium ordinum peregrini, ac præſertim Jogues, illuc pietatis causâ contendant, ingenti labore: ſiquidem præter cæteras itineris difficultates atque pericula, in ejus etiam montis cacumen nonniſi per adactus clavos ferreaſque catenas aſcenſus eſt. Hæc univerſa inſula in ſeptem Satrapias vel regna dividitur; eſtque ad omne commercium, vel frequentiâ portuum, vel ipsâ loci regione imprimis accommodata. *Natal. Metel.* Via 60. leuc. à Comorini promontor. Regna ſunt Candeæ, præcipuum, Columbi, Chilai, Cenavacæ, Jalæ, Batticalæ & Jafanapatani. Sed Columbi ara & aliquot aliæ in litore ſubſunt Batavis, à paucis annis. Vide *Taprobana*. *Baudrand.* Cluver. *l.* 5. Maffæus, *l.* 3. Davity, *deſcr. Aſiæ p.* 860. De propagatione Chriſtianæ fidei in hac Inſula aliquid dicemus infrà, voce Jafanapatanum. Addo, quod Inſula, in circuitu complectitur 240. milliar. ſpiratque è longinquo odorem ſuaviſſimum, quem advenæ ad tertium & amplius milliare in mari jam ſentiunt, ob cinnamomi, quod profert, abundantiam, quò aromate etiam potiſſimùm eminet. Montem habet, quem *Pico d' Adam* vocant, quòd Adamus ibi ſepultus inoleta gentis ſuperſtitione creditur: hujus veſtigia rupi impreſſa & ſacello quodam nunc tecta advenis oſtendunt. Incolæ ut plurimùm ad extremam perveniunt ſenectam, cujus cauſam Saarius aſcribit maſticationi certæ alicujus radicis; alii in aromatico odore, quò inſula donata eſt, ſitam putant. Quid hujus Inſulæ causâ geſtum ſit inter Luſitanos & Belgas, latè proſequitur. Joh. Jac. Saarius in *Itinerar. ſuo, cui titulus: Oſtindianiſche Funfzehenjahrige Kriegesdienſte*; cui ſi places, adde Georg. Spilbergium *Itinerar.* Bochart. *Geogr. Sacr. part.* 2. *c.* 46. &c.

CEYX, Rex Trachiniæ, Luciferi fil. & Alcyones maritus, qui cùm ob fratris cauſam, in accipitrem mutati, ad Clarium oraculum conſulendum ire vellet, diu ab uxore ſuſſlaminatus eſt. Cùm verò illi promiſiſſet, ſe intra duos menſes rediturum, abire permiſſus eſt; ſed in Ægæo mari tempeſtate deprehenſus naufragium fecit, ibique amiſsâ navi ſubmerſus, promiſſis ſtare non potuit. Uxor autem, cùm quotidie Diis pro viri ſalute vota ſolveret, noctu per ſomnium monita eſt, maritum periiſſe. Manè igitur experrecta, ad litus, unde maritus ſolverat, acceſſit, & dum infortunia ſua quereretur, cadaver in mari longius aſpexit. Quod cum mariti eſſe cognoviſſet, ac per undas ad illud exilire vellet, Deorum commiſeratione in Halcyonem converſa ad os mariti advolavit, qui oſcula uxoris ſentiens, in avem ejus nominis commutatus eſt. Ovid. *l.* 11. *Met. fab.* 8. 9. 10. Patruus Chiones, cui Diana linguam ſagittâ trajecerat, unde pater Dædalion de rupe ſe præceps dedit. Ipſe autem ad Oraculum, &c. *Morer.*

CHA, nomen herbæ apud Sinenſes nobiliſſimæ & potionis inde confectæ, ſaluberrimi uſus; à cujus præſtantia & copia imprimis urbs *Luchen* commendatur, in provinc. Nankinga. Sed & ad civitatem *Pungyue* in provinc. *Quangtum*, folium *Cha* optimum. Fruticulum eſt omnino illi ſimile, quod rhus coriaria profert; imò illius quandam eſſe ſpeciem nemo dubitat ampliùs; non tamen ſylveſtre illud, ſed cultum; non arbor, ſed virgultum eſt, in ramulos varios, aut virgulas potius, ſe diffundens: nec flore admodum differt; niſi quòd hujus albedo nonnihil magis in flavedinem declinat. Æſtate primum florem emittit, levi odore fragrantem, ſequitur bacca viridior, mox nigricans. Pro potione *Cha* coquenda expetitur folium primum vernum ac mollius, quod ſtudioſè ac ſigillatim unum poſt alterum manu carpunt, mox in ferreo catino, tenui ac lentò igni aliquantulum calefaciunt, deinde ſuprà ſtoream ſubtilem ac lævem manibus propellendo involvunt, utque involutum iterum exponunt igni ac denuo confricant, donec intortum rurſus & conglomeratum planè ſiccum ſit. Id ſervant in vaſis plerumque ſtanneis ab omni humiditate diligentiſſimè & evaporatione cuſtoditum: quod cùm in bullientem aquam conjiciunt, etiam poſt diuturnam aſſervationem, ad priſtinum viorem redit, ſeque expandit; aquam odore ſuavi, ſi optimum eſt, ſaporeque non ingratò, præſertim ubi aſſueveris, ac colore ſubviridi inficiens. Cujus calidi potus vires ac virtutem multis deprædicant Sinenſes, qui eò noctu ac interdiu frequentiſſimè utuntur, hoſpitesque excipiunt. Illi verò potiſſimum aſcribunt, quod Sinenſes podagram & calculum neſciunt. Poſt cibos ſumtum, omnem indigeſtionem & ſtomachi cruditatem tollit; maximè enim concoctionem juvat, quin & ab ebriis adhibetur, levamen iis, novaſque ad potandum vires addit, adeoque & crapulæ omnes moleſtias levat; exſiccat ſiquidem & abſtergit ſuperfluos humores, ut vigilare cupientibus, ſomniferos vapores expellit, oppreſſionemque ſomni, ſtudiis vacare volentibus, arcet. Vaſcula, quibus tanquam aptiſſimis ad diluendum potandumque ſuum *Cha* Sinenſes utuntur, figlinâ arte fiunt, in civitate *Guiling* ejuſdem provinciæ, quæ hanc ob cauſam nomen hoc, *Terra gloria* Latinè, accepit. Præferunt, vaſcula hæc Kiangſienſibus porcellanis, licèt ſplendidioribus magiſque diaphanis, quòd ſaporem aliquem ac odorem potui tribuunt, Sinenſibus maximè expetitum: Unde maximi apud eos fiunt, totaque civitas eo ut plurimum in opere occupatur. Veneunt magnò pretiò nonnulla eorum, ac Luſitaniæ Eſtremoſia vel ſuperant vel æquant. Ipſius verò *Cha* tanta varietas ac præſtantiæ diſcrimen eſt, ut libræ pretium apud ipſos Sinenſes ab obolo aſcendat ad duos pluresve aureos, &c. Auctor Anonymus *Sina & Europa*, *c.* 30. *&* 32.

CHAA, inquit Strabo *l.* 8. Peloponneſi urbs Lepreo vicina, ubi Epheſius campus jacet. Hujus Chaæ causâ bellum inter Arcades & Pylios conflatum plerique ajunt.

CHABACA, Sidenes Cappadociæ regionis urbs. *Strabo.*

CHABAR, Veneris nomen apud Saracenos, vide ubi de his infrà.

CHABARENI, populi *πρὸς Χαλδαίοις οἰκοῦντες*, qui peregrinorum, quibus potiti fuerint, mamillas crudas edunt, & pueros devorant. Steph. *ex Eudoxo.*

CHABARIM, Hebræis titulus honoris, quaſi dicas *Socios*, *Collegas*, ſcil. Sapientum, de quo vide Rabbi Davidem Ganz, *Chronol. Rerum & Ducum ſub Templo ſecundo*, *ad ann.* 768.

CHABAS, fil. Attilæ, dum de ſucceſſione cum fratribus Ellaco & Dencirice contendit, ab Oſtrogothis juncto Ardarico Gepidarum Regi, victi omnes è Pannonia in Barbariam repulſi ſunt, A. C. 455. Jornandes *de rebus Geth.*

CHABERIS, urbs & fluv. Indiæ intra Gangem. *Ptol. Mabro Nigro*, *Calapate Caſtaldo.* Uterque videtur divinare.

CHABES, Servi Comici nomen, è tribu ſeu municipio Phlyæ, Schol. in Ariſtoph. *Veſp.* Alii ſcribunt Chades, Χάδης.

CHABINUS, Arabiæ Felicis mons. *Diodorus.*

CHABLASII, Arabiæ populi Nabathæis proximi. *Dionyſius.* De nomine Bochartus, *Phaleg. l.* 4. *c.* 11. Sabthæ ſuccedit *Chavila Ptolemæo* prorſus ignota, cæteris non item; quamvis nomine tam deformatò, ut penè fugiat perſpicaciſſimos. Nam pro *Chavilæis* Eratoſthenes habet *Chaulothæos*, apud Strabon. *l.* 16. Dionyſius *Chablaſios*, Feſtus Avienus *Chavilaſios*: Priſcianus *Chalbaſos*. Plinius, *l.* 5. *c.* 11. omnium optimè *Chavelæos*, ſcripſerat, quod ſcribarum imperitia mutavit in *Chaulcos*. Nimirum deducis ab Ebræo חוילה *Chavila*. De ſitu, Eratoſthenes apud Strabonem dicit, Felicis Arabiæ ab Heroum urbe Babylonem uſque adjacere Nabathæos, *Chaulotæos* & Agræos. In Dionyſio iidem populi à Libano ad mare Perſicum eòdem ordine proponuntur, Nabatæi nimirum, & Chablaſii, & Agrees.

CHABOR, vel CHABORA, fluvius & mons Aſiæ, quorum hic *Giulap*, ille *Caphſco*, hodie *Caſtaldo* & *Ortelio*. *Ptolemæo ὁ χαβώρας τὸ ὄρος*, quem ponit inter Mediam, & Aſſyriam, ubi tabulæ perperam habent *Choarras*. Hic fluv. oritur in confinio Armeniæ majoris ex monte Maſin, & per Meſopotamiam labitur, ubi auctus aliquot fluviis in Euphratem ſe exonerat, infra Tapſacum urbem prope Circeſium oppid. è regione Arabiæ deſertæ 30. milliar. infra Nicephorium. *Baudrand.*

CHABOTIUS Petrus Gualterius, Picto, Vir eruditione, probitateque inclytus, continentiâ & abſtinentiâ omnibus aliis exemplo fuit. Edidit *Expoſitionem analyticam & brevem in omnia Q. Horatii Flacci Poemata.* Obiit A. C. 1598. ætat. 82. cœlebs. Jan. Jac. Boiſſardus *Vita* 80. *Virorum doctrinâ illuſtrium.*

CHABOTIUS Philippus, vide *Philippus*.

CHABRIA, vicus Ægypti prope Arabiam. Strabo, *l.* 17.

☞CHABRIAS, Atheniensis Philoſophus & Imperator inclytus. Hic dicere ſolebat, *Terribiliorem eſſe exercitum cervorum duce leone, quàm leonum duce cervò.* Inſigni ſtratagemate, Bœotiis auxilio miſſus, contra Ageſilaum, in prœlio prope Thebas, victor. In Europa & Ægypto, rebus ſæpiſſimè præclarè geſtis, Nectanebum reſtituit, Euagoræ ſuppetias tulit. Obiit, annò ante bellum ſociale, in

in portu Chii Inſul. quam obſidebant Athenienſes, Corn. Nepos, *in ejus vita*, Diodor. *l.* 16. Ejus quoque Demoſthenes, cùm ſæpe *in orationibus* meminit, tum *in oratione adverſus Leptinem* pluribus res geſtas perſequitur, & in ejus laudes digreditur.

CHABRIS, unus è ſenatoribus Bethuliæ urbis, Judith. *c.* 8. *v.* 9.

CHABRIUS, Macedoniæ fluv. *Ptol.* Oritur in Biſaltia regione, dein rigatis Amphaxiti & Paraxia regiunculâ, auctuſque fluvii aliquot, in ſinum Thermaicum ſe exonerat, ex adverſo Pydnæ. *Chabria Bretto*,

CHABUATA, Arabiæ Felicis urbs. *Ptol.*

CHABUL, nomen civitatum earum, quas Solomon dedit Hiramo Regi Tyri in terra Galilææ. 1. Reg. *c.* 9. *v.* 13. h. e. *diſplicentes*, vel *lutea*. Lege *Cabul*.

CHADABULA, apud Gulielmum Armoric. *de Geſtis Philippi Aug. A.C.* 1202. *Tribus lapidibus magna petraria, quæ* Chadabula *vocabatur, emiſſis*: Petrariæ ſeu balliſtæ majoris ſpecies eſt, *cabulus* Wilh. Brittoni, *Philipp. l.* 7. Vide ibi.

CHADACA, Albaniæ oppid. *Ptol.*

CHADÆI, Arabiæ Felicis populi. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

CHADENI, Scandinaviæ, ſive Scandiæ populi, quos *Ortelius Nortwegger*, ſive *Finmarcher* eſſe putat. *Cadeni Brettio*, in parte Boreali Norvegiæ, ubi nunc præfectura Vardhuſiana, prope promontor. Boreale.

CHADISIA, urbs Leucoſyrorum. *Stephan.* quem vide. Cives *Chadiſii*. *Chadiſſa* quibuſdam, oppid. Paphlagoniæ, in confinio Cappadociæ, in ora Ponti Euxini, & ſinus Amaſeni, inter Amaſum ad Occaſum, & oſtia Iridis fluv. ad Ortum, 30. milliar. à Themiſcyra in Occaſum. *P. à Vico.*

CHADRAMOTITÆ, populi juxta Indicum ſinum. *Stephan.*

CHÆANITÆ, populi ad Caucaſi montis radices ſeptentrionem verſùs. Strabo, *l.* 11.

CHÆMÆ, Germaniæ populi. *Ptol.*

CHÆNIDES, Sarmatiæ Aſiaticæ populi. *Ptol.*

CHÆREAS, nomen viri, 2 Macchab. *c.* 10. *v.* 32.

CHÆREAS, Hiſtoricus, vel potius nugator fuit, uti & Soſilus, quorum utriuſque meminit Polybius, *l.* 3. *Ambo quidem*, inquit, *non pro hiſtoriis ſcripta eorum videntur haberi debere, ſed pro fabulis ex officina alicujus tonſoris aut vulgi fæce profectis.* Item Dux militum, Ptolemæô desertô, ad Antiochum ſe contulit. Idem, *l.* 5.

CHÆREAS, Comica videtur fuiſſe perſona, apud Ariſtoph. *Veſp. p.* 480. Eupolis in Βαπταῖς Chæream ut inquilinum exagitat, cujus filius in Ariſtoph. *Veſp.* perſtringitur, non ſolum ut illegitimus civis, ſed ut meritorius puer & cinædus.

CHÆREAS, nomen centurionis, qui C. Caligulam Imperatorem occidit. Vide ibi.

CHÆRECLA, Pentapoleos in Africâ regione urbs. *Ptol.* & *Ammian. Marcellin.*

CHÆREDEMUS, frater Epicuri, in cujus honorem hic tractatum *de Diis*, titulô *Chæredemi*, compoſuit. Diog. Laërt. *in Epicuro*, *l.* 10. Gaſſend. *in vita ejuſdem*, *l.* 1. *c.* 1. 8. & 11.

CHÆREDEMUS, qui Equum durateum Athenis in arce poſuit. Vide Scholia in Ariſtophanis *Aves* 595. *F.*

CHÆREMON, Poëta Comicus, Socratis diſcipulus. Ariſtoteles, *in Rhetoricis*, ejus Pentheum celebrat. In fabula Hippocentauro, omne metrorum genus miſcuit. Meminit *Athenæus*, uti etiam Ulei, & Alpheſibœæ, pluteſque fabulas ejus recenſet *Suidas*: atque addit, diverſum ab eo eſſe Hieroglyphicorum ſcriptorum. Voſſ. *de Poët. Græc. c.* 6. *p.* 41. Ῥαψῳδίαν hinc Poëma ejus Ariſtoteles dixit, Καθάπερ Χαιρήμων ἐποίησε Κένταυρον, *μικτὴν ῥαψῳδίαν ἐξ ἁπάντων τῶν μέτρων ...* Non quòd à Rhapſodis vulgò caneretur, ſed quod ex variis metris, velut cento, conſuta eſſet. Salmaſ. *ad Solin. p.* 868. Vide quoque infrà in voce *Rhapſodia*.

CHÆREMON, Ægyptius, ſub Auguſto, præceptor Dionyſii Alexandrini. Ælii Galli in Ægypto ſectator, Philoſophiam & Aſtronomiam docuit, nimiâ ſuperbiâ omnibus contemtui. *Hieroglyphica* ſcripſit, & *memorabilia Ægypti*: ubi, de Phœnicis avis vita, peculiarem fovet ſententiam. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 2. *p.* 164. 165. ubi eum etiam de Cometis ſcripſiſſe aſſerit.

CHÆREPHON, Tragicus patriâ Athenienſis, Philippi Macedonis temporibus vixit, ut eſt apud Ulpianum Rhetorem, quod arguit, eum fuiſſe Socrati & Demoſtheni familiarem. Hic *Veſpertilio* vocitatus fuit, quòd niger & exili voce præditus eſſet. Item Πύξινος *buxeus*, ob pallorem luridum, quem ſtudiis immodicis contraxerat. Is de *Heraclidarum deſcenſu* ſcripſit *Tragœdiam*. Mentio ejus fit apud Ariſtophanem *in Nubibus*, Athenæum, Philoſtratum *in Sophiſtarum vitis*. Ab hoc vel alio natum proverb. *Nihil à Chærephonte differt*, in macilentos & pallentes. Erat enim pallidus, ut dictum, ut qui Philoſophiæ operam daret, & literis incumberet. Cujus etiam vel alterius, incredibilis iracundia abiit in proverb. *In Palladis veſtigio tabid Chærephontis gubernabo.*

CHÆRES, Rex Thinitarum XIV. poſt Sethenem, ante Nephet-Cheren, regnavit annos 17. Soophe apud Thebanos & Mencheres, apud Memphitas rerum potitis: vide Joh. Marſhamum ex *Manethone*.

CHÆRESTRATA, mater Epicuri, nobiliſſimô genere nata Diog. Laertius, *in Epicuro*, *l.* 10. Gaſſend. *eod. l.* 1.

CHÆRINTHUS, puer admodum inſignis facie, & candore, ſed qui ſeipſum proſtituit. Horat. *l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 81.

Sit licet hoc Cherinthe tuum. ----

Meminit & Chærinthi cujuſdam Tibullus, *l.* 2. *El.* 2. *v.* 9.

CHÆRIS videtur quoque Grammatici nomen, citati ab auctore Scholiorum in Ariſtophanis *Ranas*, *Act.* 4. *ſcen.* Vide in *Veſp. p.* 478. *F.* 1.

CHÆRIS, Citharœdus ſive tibicen inhab., de quo Ariſtoph. *initio Acharnenſ.* ejuſque Schol. *p.* 371. *B.* Fuit vero Thebanus, de quo plura, *p.* 413. *F.* 1. Item *p.* 582. *A. in Aves*, ubi addit, quòd ſponte convivus ſe ingeſſerit.

CHÆRONIA, & CHÆRONEA, ſeu CHERRONEA, Bœotiæ urbs, ad Cephiſſum fluv. Plutarchi patria. Priùs *Arne* dicebatur, teſtibus Pauſaniâ, *l.* 9. paulo ante finem, & qui antea non raro buccâ (quod aiunt) Pauſaniæ ævare, Stephanô Byzantiô, *l.* 22. *olim παλαιά*. Utriuſque verba hæc ſunt: Ἐκαλεῖτο δ' ἡ πόλις Ἄρνη τὸ ἀρχαῖον. Meminit ejus Homerus *in Catalogo Il.* β. *v.* 507.

Ο῞ι τε πολυστάφυλον Ἄρνην ἔχον.

Itemque Lycophron,

Κρανναι παλαιᾶς σπέρμα, Τεμμίκων ἄκραι.
Arnæ veteris propago, Temmicum duces.

Poſteà verò ſuum in eam nomen Chæron transfudit, teſte Stephanô, Χαιρώνεια πόλις ἡ πρότερον Ἄρνη, ἀπὸ Χαίρωνος, quiſnam ille Chæron fuerit, indicabit Pauſan. *in Bœoticis*, Τὸ δὲ νῦν ἔτι Χαιρωνεῦσιν ὄνομα γενέσθαι λέγουσιν ἀπὸ Χαίρωνος, ὃν Ἀπόλλωνος φασὶν εἶναι. Id ipſum tantùm non conceptis verbis declarat ipſe Plutarchus, in Περὶ πολυπραγμοσύνης, ubi etiam cauſam immutati nominis indicat: Ὥσπερ τὴν ἐμὴν πατρίδα πρὸς ζέφυρον ἄνεμον κεκλιμένην, καὶ τὸν ἥλιον ἐκ τοῦ Παρνασσοῦ δεχομένην, ἐπὶ τὰς ἀνατολὰς τετράφθαι λέγουσιν ὑπὸ τοῦ Χαίρωνος, i. e. *Quemodo patriam meam vento, qui flat ab occaſu, priùs obverſam, & Solis decumbentis radios reſpertiam Parnaſſo admittentem, in Ortum à Chærone converſam ferunt.* Vult indubiè à Chærone, cui ſuam ſalubritatem debebat, poſtremò nomen obtinuiſſe. Falſus eſt igitur Apollodorus, dum ſcribit, *rerum Bœoticarum l.* 2. Chæronem hujus urbis conditorem exstitiſſe: Λέγεται δ' οἰκιστὴς γενέσθαι τῆς πόλεως Χαίρων. Non ſuit οἰκιστὴς Chæroneæ, ſed potius ἐπώνυμος, ἢ ἀρχηγέτης, & quaſi Ἐπωνυμωτὴς, ut Apollinis filium decuit. Utut ſit, certè Chæronea erat etiam ætate Plutarchi anguſta, & civium paucitate ignobilis, quippe quæ vel unius abſentià imminutionem ſenſibilem, neque contemnendam patiebatur. Id quod ipſe, *l.* 5. βίου Δημοσθένους clarè manifeſtat, ἡμεῖς δὲ μικρὰν οἰκοῦντες πόλιν, καὶ ἵνα μὴ μικροτέρα γένηται φιλοχωροῦντες. Neque actis retro ſeculis major, aut illuſtrior fuit. Plut. *in Cimone*: Ἅτε δὴ καὶ τὴν πόλιν ἡμῶν ἀνδρῶν ἔρημον οὖσαν, καὶ διὰ μικρότητα καὶ πενίαν παρορωμένην, i. e. *Quippe patriæ noſtra tenues id temporis* (ætate Luculli) *res erant, & ſub etiam inopiâ tum exilitate deſpicatui habebatur.* Neque ſub Auguſto fortunâ meliore uſam vel hinc diſce, quòd Chæronenſes, ceu viliſſima mancipia, omnem præfinitum tritici modium humeris deferre ad mare, etiam flagellis, quò citius maturarent, vapulare juſſit, ſub Actiacam pugnam M. Antonius. Duo verò præcipuè Chæroneæ nomen apud poſteros illuſtraverunt: unum par eximium Philoſophorum Plutarchus, & Sextus ejus nepos alterum inſigne prælium, quô Philippus Alexandri pater, debellatis ad Chæroneam Athenienſibus, Bœotis, & Corinthiis Græciæ dominus evaſit. Strabo, *l.* 9. Χαιρώνεια δ' ἐστὶν Ὀρχομενῷ πλησίον, ὅπου Φίλιππος ὁ Ἀμύντου μεγάλῃ μάχῃ νικήσας, Ἀθηναίους τε καὶ Βοιωτοὺς καὶ Κορινθίους, κατέστη τῆς Ἑλλάδος κύριος. Sita fuit media ferè inter 2. ſinus Maliacum & Corinthiacum, & ab utroque triceuis mill. paſſ. diſtabat, Heliconi & Parnaſſo quàm proxime, dextro margini adſita Cephiſſi amnis, in occiduis, & extremis Bœotiæ limitibus. Id quod etiam Thucydides expreſsè teſtatur, *l.* 4. Ἔστι δὲ ἡ Χαιρώνεια ἔσχατον τῆς Βοιωτίας, πρὸς τῇ Φανοτίδι τῆς Φωκίδος. *Rualdus. Nic. Lloydius.* Hic & Mithridates à Sylla ſuperatus. Nunc vix rudera ſuperſunt. 22. milliar. diſtabat à Coronea & Copiade lacu, in Occaſum. *Baudrand.*

CHÆTÆ, Paraxiæ regionis in Macedonia urbs *Ptolemæo*, Scytharum extra Imaum gens quoque apud *eundem*. Inter Iſſedones & Maſſagetas, verſùs Auzacum montem & Chitacum lacum. Alii ſunt *Cacta* & *Gila*, eæqueque in eo tractu, ubi nunc pars Borealis Turcheſtaniæ.

CHAGANUS, Rex Avarum vel Hunnorum, ſub Mauritio Imperatore Thraciâ vaſtatâ, à Priſco pulſus, Theodori Medici ſuaſu, pacem iniit. Mox violatis induciis reverſus, dimidiam exercitus partem cum ſeptem filiis eôdem die peſte amiſit. Contra Heraclium Imperatorem iterum hoſtilie induens, Conſtantinopolim obſidere voluit, ſed divinitus inhibitus eſt. Niceph. *l.* 18. & 19.

CHAGANUS Theodorus, à Carolo M. prope Carinthiam ſedes petiit, contra Bohemos. Vide etiam *Caganus*.

CHAGIGA, חגיגה, apud Hebræos, in Paſchali feſto, victima, ſeu pars victimæ, dicta eſt, quæ unà cum agno Paſchali menſæ imponebatur, cujuſque eſus differri poterat in poſterum diem, ut pacificorum omnium, Levit. *c.* 7. *v.* 16. & *c.* 19. *v.* 6. Vide Maimonidem *de Oblat. Paſchali*, *c.* 10. *ſect.* 12. 13. 14.

CHAI, circa Phaſim fluv. gens, Diodor. Sic. *l.* 14.

Rabbi CHAJA Raba, partim doctor Miſnæ, partim Gemaræ, ſcripſit *Toſiphot*, ann. 3979. juxta calculum Rabbi Davidis Ganz, *Chronologia Rabbinorum ſub Templo II.*

CHAJOT, vide *Iſaac Chajot*.

CHAIPHA, oppid. in pede montis Carmeli ſitum, circa quod & Carmelum, purpurarum præcipua ubertas, quamvis purpuratiæ piſcationis locus hinc Scalas uſque Tyriorum patuerit ſtadiis circiter 230. Quò referendum, quòd in Guil. Tyrio *Caipha* vetus nomen fuit *Porphyria*. Ut eadem fuerit, quæ Phœniciæ Πορφυρεών, apud Stephanum, ex Polybii *l.* 5. tanquam à purpuræ piſcatione factô nomine. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. v. l.* 5. *c.* 8.

CHAIRUS, Arabum linguâ Babylonem ſignificat. Cœl. Rhodig. *l.* 8. *c.* 25.

CHA-

CHALÆON, urbs Locrorum Thucyd. *l.* 3. *Steph.*

CHALÆON, Bœotiæ portus, à quo 7. mill. paſſ. introrſum liberum oppid. Delphi ſub monte Parnaſſo. Plin. *l.* 4. *c.* 3.

CHALAK, vel **HALAK**, mons ſine arboribus. Joſ. *c.* 12. *v.* 17.

CHALAL, i. e. *conſummatio*, vel *totalitas*, aut *quaſi nox*, vel Syriacè *corona*, nomen viri. Eſdr. *c.* 10. *v.* 30

CHALAMA, civitas Perſidis, quæ & Cteſiphon.

CHALAMBRII, equi à loco Libyæ ſic appellantur. *Heſych.*

CHALAPETIS, Suſianæ regio *Paul.*

CHALASTRA, urbs Macedoniæ in Bottiæa regione, ad Thermæum ſinum. Inde *Chalaſtricum nitrum*, Plin. *l.* 31. *c.* 10. *Hératas* urbs eſt Thraciæ. Quid nunc ſit, non conſtat. *Baudrand.*

CHALAZIAS Lapis, memoratur Plinio, *l.* 37. *c.* 11. *Chalazias grandinum & colorem & figuram habet, adamantinus duritie. Narrant etiam in ignem addito manere ſuum frigus.* Et Solino, *c.* 37. *Chalazias, grandinis & candorem praefert & figuram durita robuſtiſſima & invicta.* Χαλαζίτην Geoponicorum Eclogæ vocant, ſic dictum ajentes, quòd *grandinem* (quæ Græcis χάλαζα) imminentem avertat ac depellat: Ἐὰν δὲ λίθον χαλαζίτην ἔχῃ τις, ὅταν ἴδῃς νέφος χάλαζαν, ἀεὶ οὖν αὐτοῖς ἀποστρέψει. *Reperitum Chalazitem lapidem habe, & cum grandinem videris, concute illum, ſic ea avertetur.* Recentiores Græci χαλάζιον vocârunt margaritam, non tamen à *grandinis* figura, ut videtur, ſed à ſuillis *granis*, quæ Græcis χαλάζια. Hinc Androſthenes de margarita, apud *Athenæum*. Ἡ δὲ λίθος ἐν τῇ σαρκὶ τῆς ὀστρέου ὥσπερ ἐν τοῖς σιοῖς ἡ χάλαζα. Et Librum ἀνέκδοτον, inſcriptum μέθοδος δι' ἧς ποιεῖται ὁ μαργαρίτης ἡ χάλαζα, *Methodum continentem efficiendi grandinem*, h. e. margaritam, ſe habere notat Salmaſ. *ad Solin. p.* 718. Ut enim in carne ſuillâ grana inveniuntur, quæ Græci χαλάζας appellant; ad eam formam in carne oſtrei reperiuntur uniones, &c. Idem, *p.* 1125.

CHALCÆA, Cariæ urbs, Strabo, *l.* 17. Alia Libyæ *Polybiſtori*, quem valde reprehendit Polybius, *l.* 12. non civitatem eſſe ſcribens, ſed ærarias officinas. Alia Phœnicum, alia Lariſſæ. *Chalce* Thucydidi, *l.* 6. *Theophraſtus* eam *Chalcon* vocat, *Theopompus Chalcas* pluraliter. *Steph.* Chalce ſolis Libyæ. Vide Bochart. *de Phœn. colon. l.* 1. *c.* 24. *Nic. Lloydius.*

CHALCÆA, feſta aliò nomine *Athenæa* dicta, Vulcano dicata, quæ à cerdonibus tantum aut operariis & fabris præſertim celebrabantur, Cœl. Rhodig. *l.* 19. *c.* 9.

CHALCANTUM, vide *Calchantum*.

CHALCE, inſula cum oppido circa Rhodum. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

CHALCE, atrium Palatii Conſtantinopolit. apud Poëtam Byzantinum, laudatum Caſaubono *ad Spartian in Hadriano*, *c.* 23.

CHALCEDON, quæ **CHALCEDONIA** Livio, urbs antiqua, an. poſt Romam 148. condita, Archiepiſcopalis, cujus Eccleſia Metropolis & Concilio ibi habitô, de quo infrà, dicta eſt: Bithyniæ in ora ex adverſo Byzantii, minùs milliariô diſtans: Boſporo intercedente, ſeptemdecim annis condita ante Byzantium à Megarenſibus. Oraculi ambage *Cæcorum urbs* Plinio dicta, *l.* 5. *c.* 32. quòd priores illuc advecti, paritèr viſâ locorum ubertate, pejora elegiſſent. Strabo, *l.* 7. Amm. Marcellin. *l.* 26. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 63. Vide infrà. Turcis *Calcitun*, *Ramuſ* teſte. *Marinus Niger* tradit, interius reædificatam, & à Junioribus *Cocedon* nuncupari. *Scutari* ex ea facit hodie *Alphon. Adrian.* Sed Davity hanc, Turcis *Iſcodar*, Chryſopolim vult eſſe: *in deſcr. Aſiæ part.* 1 *p.* 13. *Petrus Gyllius* prodit hodiè exiguum vicum eſſe, ſine monimentorum veſtigiis. *Steph.* Hanc, ut dictum, Megarenſes condidêre, *Cæci* appellati, quòd non potiùs oppoſitum litus elegêre, in quo ſita eſt Conſtantinopolis optimô locô. Hic olim magna Synodus 630. Epiſcopor. celebrata eſt, A. C. 451. quæ quartô locô inter octo numeratur, quibus Romana Eccleſia præcipuum honorem impertitur. Huic Martianus, cum Pulcheria Auguſta, præerat; ubi Eutyches & Dioſcurus damnati, decretumque Mariam Θεοτόκον appellandam. Porro Clericis prohibitum, ne ſecularibus negotiis ſe immiſcerent, aut in duabus Eccleſiis miniſtrarent; Porro Sedes Urbis Antiochenæ & Alexandrinæ prælata, & ut ſecundas à Romana obtineret, ſtatutum. cui decreto Leo Epiſcopus Romanus reſtitit, ortô inde infelici, *de Titulo Univerſali*, certamine, &c. Evagr. *l.* 2. *c.* 18. Zonar. *tom.* 3 Niceph *l.* 15. *c.* 2. Acta Concilii *tom.* 4. *Liberatus*, *Proſper*, &c. Claudian. de 4. *Conſul. Honorii*, *v.* 177.

Boſporus adverſum patitur Chalcedona cornu.

Idem, *l.* 2. *in Ruffin. v.* 55.

Et Chalcedonias contra deſpectat arenas.

Nic. Lloydius.

CHALCEDON, fluviolus, qui in Propontidem effluit, unde urbs nomen ſumpſit, hodiè accolæ *Potamon* vocant, *Thevetus* ſcribit eum hodiè *Chalcedoni* vocari.

CHALCEDON, Græcè χαλκηδὼν, gemma memoratur Apocalypſeos, *c.* 21. *v.* 19. ubi inter duodecim fundamenta novæ Hieroſolymæ, tertiô locô ponitur χαλκηδών. *Chalcedonius* vetus Interpres: Quem dictum eſſe *ab Chalcedone* ſupra Chryſopolim refert, ex iis, qui *Bithynica* ſcripſerunt. *Arethas*, & colore ſimilem facit carbunculo; ſed confundere videtur τὸν Καρχηδόνιον λίθον, qui Carbunculi genus eſt, cum τῷ Χαλκηδόνι, quod ob magnam utriuſque nominis affinitatem proclive fuit. Nam & Χαλκηδόνιος perperam ſcribitur apud *Epiphanium*, pro Καρχηδόνιος; & *Carchedonii* ſmaragdi apud *Plinium* pro *Calchedonii* vel *Chalcedonii*. Quid vero propriè fuerit Veterum *Chalcedonius*, non adeò liquet. Certè præter *Chalcedonios ſmaragdos*, (omnium viliſſimos & minimos) quorum meminit Plin. *l.* 37. *c.* 5. *Chalcedonia jaſpidis* apud eundem, *l.* 37. *c.* 5. extat mentio, ubi colores & genera patriaſque jaſpidum recenſens, dicit Chalcedoniem turbidam Jaſpidem mittere, *Amiſos Indicæ ſimilem mittit, Chalcedon turbidam.* Qui fortè lapis eſt, quem recentior ætas abſolutè *Chalcedonium* appellavit. Omnia namque iſtis aptè conveniunt. Marbodeus *in Dactylothêca* ſcribit, Chalcedonem lapidem hebeti pallore refulgere; inter hyacinthum & beryllum: quam Jaſpidem Chalcedoniam eſſe planè liquet. Addit,

Hæc ſpecies lapidis tantùm tricolor reperitur.

Ubi notant Interpretes primum colorem *Chalcedonii* ſapphirinum eſſe, ſecundum fulcum & pallidum, tertium permixtum rubro. Sic & jaſpidum multi colores & infinitæ penè ſpecies: inter quas & ſardis lapidis quandam colorem habent, nonnullæ etiam onychis: unde non mirum, quod *Chalcedonius*, quæ ſpecies Jaſpidis eſt, non multum ab onyche gemma nonnullis differre dicatur. Longius verò illi aberrant, qui *Chalcedonium* hodiernum Veterum onychitem eſſe contendentes, onychitem in Germania erui, atque ex illo fieri globulos precales, capulos & mortariola, referunt: nam gemma marmor non eſt; nec onychites, ſed *Chalcedonius*, in Germania reperitur, ubi multa illa geſtamina ex eo excuduntur, *Caſſidonias* vulgò appellant. Salmaſ. *ad Solin. p.* 561. Hinc de Weſtia Auctor Anonymus Sinæ & Europæ, *c.* 30. *Montes habet plurimo achate, jaſpide*, Chalcedoniô, *at eô villore, prægnantiſſimos: Hinc fiunt manubria gladiorum, catinus, poteria, armillæ, ſalina, cochlearia, globuli, columnulæ, ovalia ære conſerenda & quidquid ingenioſus materiæ poteſt induere politor. Id verò oculis jucundum, ea omnia vel unô vel pluribus ſpectari coloribus, aureô, fuſcô, purpureô, ſanguineô, viridi, cæruleô, lividô, candidô, ſanguineô, cinereô, ubi punctis & venulæ inſeruntur, ut animum rapiant in admirationem architectricis naturæ, præſertim ubi ea imitatur herbidum ſolum, & filamenta confuſa miſtè, aut capillamenta humi repentis graminis, ſive ſplendidius, ſive obſcurius.* In Muſæo Kircheriano *Chalcedonius*, ex montibus *Ruffoli*, territorii Volaterrani in Hetruria: item tabellulam *Chalcedonii* glaucam, ex Catanæ in Sicilia territorio, adſervari, tradit Georg. de Sepibus *in deſcript.* ejus *p.* 42. Vide quoque ſuprà *Carchedonius*.

CHALCEDONENSIS, cognomen Juſtiniani Imperatoris de quo vide infrà voce *Melchitas*.

CHALCEDONIA, particularis quædam regio Bithyniæ. *Natal. Metel.*

CHALCENTEROS, Didymi Grammatici cognomen ob indefatigabile ſtudium ſic dicti, Cœl. Rhodig. *l.* 19. *c* 9.

CHALCENTERUS, cognomen Didymi Alexandrini Grammatici, apud Hieronymum *in Ruffin.*

CHALCETERIUM, Cretæ civitas. *Steph.*

CHALCIA, inſula una Cycladum Plin. *l.* 4. *c.* 11. *Charcâ Nigro.*

CHALCIDENE, fertiliſſima Syriæ regio. Plin. *l.* 5. *c.* 23.

CHALCIDENSES vocat Strabo, qui Iſthmum Ioniæ incolunt; qui eſt inter Tejum & Erythras urbes. Populi ſunt etiam, circa Phaſim fluvium, Diodoro, *l* 14.

CHALCIDES, novæ Academiæ Philoſophus, Timæum Platonis commentariô illuſtravit. Voſſ. *de Sectis Philoſ. c.* 16. § 12.

CHALCIDIA, urbs teſte *Feſtô*.

CHALCIDICA, regio Macedoniæ. *Ptol. Jamboli Caſtaldo.* Eſt & Syriæ regio, in qua eſt Chalcis urbs, eidem *Plini* Thraciæ quoque *Stephano*: Chalcidenſium etiam in Thracia meminit Thucyd *l.* 2.

CHALCIDICUS, mons Siciliæ. *Steph. S. Reſi Fazello.*

CHALCIDIUS, nomen Gentile, etiam nomen Philoſophi, Vide *Jamblicum*.

CHALCIOECUS, Minerva dicta eſt, vel quia domum haberet æneam, vel quia ea Eubœa Chalcidenſes fanum conſtituerunt. Cœl. Rhodig. *l.* 19. *c.* 8. Vide Meurſium *in Miſcell. Laconic. l.* 1. *c.* 3. Ad hujus templum, Ariſtomenes, Meſſeniorum Dux, initiô belli Meſſeniaci II. ut hoſtes perterrefaceret, ſcutum, noctu Lacedæmonem veniens, adfixit, cum *Inſcr.* Ἀριστομένης ἀπὸ Σπαρτιατῶν θεᾷ τῇ Θεῷ, *Ariſtomenem de Spartanorum manubiis dicaſſe Deæ*, Pauſan. *l.* 4. In eandem ædem Pauſanias Lacedæmoniorum Dux, proditionis ſuſpectus, *confugit. Unde ne exire poſſet, Ephori valvas obſtruxerunt, tectumque ſunt demoliti, quò facilius ſub dio interiret*, Corn. Nepos, *Vitâ ejus*, *c.* 5. ubi, notante Keuchenio, in nummis antiquis apud Goltzium, Minerva hæc appellatur ΧΑΛΚΑΣ, eſtque Ἀθηνᾶ χαλκίοικος, quod alia numiſmata ΑΘΗ. ΧΑΛΚ repræſentant, vide & Suidam voce Χαλκίοικος. Eandem *Chalciœcida* appellatam, obſervat Beroaldus *ad Apuleji Metamorph.*, *l.* 10. Addo, ſimile fuiſſe Templum Delphici Apollinis, tradunt Scriptores. Cum enim id primo nil niſi cata eſſet lauri ramis contexta; poſteà ex cera apumque alis conſtructum, finxêre Veteres, Nempè *Pteras*, nomen Architecti fuit, qui illud extruxerat. Tertiò, ut durabilior ædes eſſet, totum ex ære factum eſt, quod cum terræ motu, an incendiô, periiſſet, ex lapide quartô locô reædificatum eſt, à Trophonio & Agamede. Donec tandem, hôc iridem flammis conſumtô, Olymp. 58. *an.* 1. Amphictyones, operâ Spintharî Corinthii illud denuo erexêre, Pauſan. *loc. cit.* Cæterum hoc *Chalciœcus* propriè nomen Templi eſſet, interim frequentius ipſi Deæ tribuitur: quæ & *Chalcœtes*, & *Chalcidica* dicta eſt: an quia bellorum habebatur præſes, in quibus armorum æneorum frequens uſus, ferreorum nullus olim fuit. Ejus meminit Virg. *Æn. l.* 6. *v.* 17.

Chalcidicaque levis tandem ſuper aſtitit arce.

Ejuſdem non cultum modò, ſed etiam nomen, devictis, à quibus primò illi hoc nomen, gentibus, recepêre Romani, unde & Minervæ *Chalcidicæ* templum in 9. regione collocat *Onuphrius*: idque in plano, ut conſtat ex regionis ſitu. Meminit illius Dio, *l.* 51.

l. 51. de Auguſto loquens, Ἐκεῖ δ᾽ καὶ τὸ ... τόν Ἀθηνᾶς καὶ τὸ Χαλκιδικὸν ὀνομαζόμενον, καὶ τὸ Βουλευτήριον, τὸ Ἰουλιεῖον, τὸ ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ... *Deinde Minervæ templum, quod Chalcidicum vocatur, tum Curiam Juliam, in honorem patris ſui factam dedicavit.* Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 13. Cœl. Rhodig. *Antiq. lect. l.* 19. *c.* 8. Liv. *Decad.* 5. *l.* 7. &c.

CHALCIOPE, Æetæ Regis Colchorum filia, ſoror Medeæ & Phryxi uxor. Ovid. *ep. Helena ad Paridem, Heroid.* 17. *v.* 231.

Non erat Æetes, ad quem deſpecta rediret,
Non Ipſea parens, Chalciopeque ſoror.

Lege *Idyia*. & vide omnino doctiſſimum Nic. Heinſium ad locum. Val. Flac. *l.* 6. *v.* 479.

Cingitur arcanis Saturnia læta venenis,
Atque hunc virginea venit ad penetralia ſede,
Chalciopen mutata ſonū, formaque ſororem.

CHALCIOTIS, Minervæ cognomen, quæ & Χαλκίοικος, ἡ Ἀθηνᾶ ἐν Σπάρτῃ, ἢ ὅτι χαλκοῦν εἶχεν οἶκον, ἢ διὰ τοὺς Χαλκιδεῖς τοὺς ἐν Εὐβοίᾳ φυγάδας αὐτοῖς ..., *Suid.* Vide Chalcæœcus.

CHALCIS, cognomen heroinæ cujuſdam, nomine Combe, quæ nupta viro centum pueros enixa eſt, unde Proverb.

Tanquam Chalcid ea nobis peperit uxor.

Item locus profundus, & cavus ad montem Atho. *Steph.* Item urbs Scythiæ, unde *Chalcitia*, & regio *Chalcitis*. Item urbs Arabiæ Felicis. Plin. *l.* 5. *c.* 26.

CHALCIS, Græcè Χαλκὶς, nomen avis, ἀπὸ τῆς χάλκης; quibuſdam noctua eſt, quæ Græcis γλαύξ. Item piſcis, & ſerpentis, quibus ſimiliter non tam à patria, quàm à colore cœruleo, de quo diximus ſuprà in voce *Calcha*, illud hæſit. Et quidem *Chalcidem* ubique vocat *Plinius*, id ſerpentis genus, quod *ſepem* alii dixere, ex Græco σήψ. Nicander in *Theriacis*,

Σῆπά γε μὴν ... ὄφιν ... ἀλύξεις.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1161.

CHALCIS, Oppidum primarium Eubœæ, quæ & ipſa quondam ſic appellata, *ære primum ibi reperto*, ut Plin. *l.* 4. *c.* 12. obſervat. Avulſa eſt à Bœotia, modicè interfluente Euripô, de quo poſteà. *Semiſſime eam aſtate candere* Colum. *l.* 1. *c.* 4. ſcribit. De nomine Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 13. Nec à fabuloſa Chalcide Aſopi filia dicta videtur, nec à monte Chalcide, nec ab ære primùm ibi reperto, quæ fama eſt valdè incerta: Sed à Phœnicio חלקין *Chalakin*, quaſi *diviſiones* diceris: Quia putatur Eubœa continenti quondam hæſiſſe, & maris irrumpentis impetu eſſe abſciſſa, inter Eubœæ Chalcidem, & Aulidem Bœotiæ, quæ tam anguſtô fretô ab invicem diviſæ ſunt, ut intermediô ponte aliquando junctæ fuerint. Ephorus, ubi de Bœotia: Τὴν Εὔβοιαν πρότερον ... μέρος αὐτῆς ... ὁ Εὔριπος, ... *Eubœam Bœotiæ partem aliquo modò facit Euripus, qui ita anguſtus eſt, ut duorum jugerum ponte jungatur.* Strabo, *l.* 10. de eodem Euripo: Ἔστι δ᾽ ἐν αὐτῷ γέφυρα ... πύργος δ᾽ ἑκατέρωθεν ἐφέστηκεν ὁ μὲν ἐκ τῆς Χαλκίδος, ὁ δ᾽ ἐκ τῆς Βοιωτίας, *Illi duorum jugerum pons inſtratus eſt: turris autem utrinque extat, una à Chalcide, altera à Bœotia.* Plinius, *loc. cit. Eubœa & ipſa avulſa Bœotiæ tam modicè interfluente Euripô, ut ponte jungatur.* Quibus Procopius ita concinit, *l.* 4. *de ædificiis Juſtiniani: Eubœa in mari objecta eſt Græciæ, videtur autem olim abrupta eſſe; Quandoquidem priùs una erat, quæ poſt fretô eſt divulſa: Maris undoſo fluxu hîc circa Chalcidem urbem continentem perrumpente, & quod à terra dejectum eſt, in inſulam redigente.* Ejus meminit Lucan. *l.* 2. *v.* 710.

Arctor Euboicâ, quà Chalcida verberat, undâ

Colonia Athenienſium fuit, hodieque una ex præcipuis Turcarum, in Archipelago, Vide infrà. Inde *Chalcidenſes* incolæ, qui malè audiebant, quòd eſſent fœdi puerorum amantes. Unde *Chalcidiſſare* loco adagii habebatur. *Heſych.* χαλκιδίζειν, ἀπὸ τῶν κατ᾽ Εὔβοιαν Χαλκιδέων. Τίθεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν παιδεραστούντων. Inde etiam *Chalcidicum*; quod inde eſt, aut eò pertinet. Virg. *Eclog.* 10. *v.* 50.

Ibo & Chalcidicô quæ ſunt mihi condita verſu
Carmina, paſtoris Siculâ modulabor avenâ.

Ubi *Chalcidicô verſu* deſignare videtur Euphorionis Chalcidenſis carmen, quod inſcripſit *Heſiodum*, ut *Suidas* auctor eſt. Idem *Æn. l.* 6. *v.* 17.

Chalcidicâque levis tandem ſuperadſtitit arce.

Sed ibi *Cumanam arcem* intelligit. Quòd Cumas Campaniæ in Italia civitatem Chalcidenſes condiderint, unde in principio libri dicit: *Euboicis Cumarum allabitur oris.* Ubi Servium, ſi lubet, vide. *Semiſſime eam æſtate candere* Columella, *l.* 1. *c.* 4. ſcribit. Suidas Χαλκὶς ὄνομα πόλεως Εὐβοίας, καὶ εἶδος ὀρνέου. Quod habuit ex Homero, *Il.* ξ. *v.* 290.

Ὄρνιθι λιγυρῇ ἐναλίγκιος, ἥν τ᾽ ἐν ὄρεσσι
Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δὲ Κύμινδιν.

Eſt urbs valde famoſa & permunita, cum caſtro duplici ad Euripum, & *Negroponte* nunc dicitur; ex hac olim coloniæ aliquot deductæ ſunt, quæ nunc etiam *Inſulæ*, nomine *Negropontæ* vocantur: ſita autem eſt in plano, ubi mare in anguſtias arctatur & continenti ponte jungitur, quo in loco præter aquarum curſus, ut ita *Niger*, variis invicem fluctibus venti quoque ab utrinque terræ præaltis montibus, ſubiti ac procelloſi jaciuntur, quare nec diu nec noctè quies navibus datur. Urbi huic adjacens territorium, admirabile æris & ferri communis metallum continebat, quod tamen evanuit. Fuit autem hæc urbs à Mahomete II. A. C. 1451. ingenti apparatu expugnata & Venetis erepta, Chriſtianis fœdâ ſtrage affectis, hodieque ſub Turcis cum tota Inſula, quæ nunc *l'Iſle de Negropont*. Diſtat urbs ipſa 30. milliar. à Thebis. Hinc *Chalcidica Ficus*, quæ à *Chalcide* advehebantur, apud Macrobium, *l.* 3. *c.* 20. ubi de generibus ficorum, *biſera Cavica, Chalcidica alba nigra, Chia alba nigra.* Et *Chalcidici galli*, quos magnopere commendârunt Veteres. Varro, *l.* 3. *R.R. c.* 9. *Nec tamen ſequendum in ſemine legendo Tanagricos, ac Medicos & Chalcidicos.* Item *Chalcida Laurus*, apud P. Statium, *l.* 4. *Sylv.* 3. *v.* 117.

—— —— —— ac ſacris ab antris
Profert Chalcidicas *Sybilla* laurus.

Cumanum eſt oraculum. Servius in *Æn. l.* 3. *v.* 441. *Eubœa Inſula eſt, de cujus civitate Chalcide profecti ſunt ad novas ſedes quærendas & haud longè à Bajis —— invenerunt vacuum litus, ubi viâ mulieris gravidæ civitatem condiderunt, quæ res fœcundam fore oſtendebat Rempublicam & eam Cumas vocaverunt.* Unde apud eundem, *l.* 3. *Sylv.* 3. *v.* 182. *Chalcidicum*, eſt Cumanum, Sibyllinum. Caſp. Barthius, *Animadverſion. ad Statium Part.* 2. *p.* 376. 387. 485. Eſt & alia Chalcis agri Corinthii oppidum. Tertia Æoliæ, Acheloô fluviô irrigata, prope fontes Eveni fluv. verſûs Athamanicam, quæ etiam *Hypochalcis* dicta fuit olim, *Strab.* Quid nunc ſit, non conſtat, *Baudrand.* Quarta Syriæ à Monico Arabe condita. Ad Belum amnem, media inter Chelibonem & Antiochiam, à qua 35. milliar. diſtat ad Occaſum. Eſt & *Chalcis* in Meſſapia Italiæ urbe. Sunt & aliæ à *Stephano* commemoratæ, quem ſis conſule. *Nicol. Lloydum* De diſſenſione inter Andrios & *Chalcidenſes*, ob Acanthum à Barbaris deſertam, oborta, adi Plutarchum, *Quæſt. Græc.* §. 30.

CHALCIS, potens Syriæ urbs eſt, ad Septentrionem Libani montis ſita, in tribu Nephthalim, à qua regnum *Chalcidis* ſive *Chalcidica* regio nomen habet.

CHALCITIS, inſul. è regione Chalcedonis, æriſodinam habens, Gentile *Chalcites*. *Steph. Chalcitis* etiam Meſopotamiæ regiuncula. *Ptol.* & Indiæ intra Gangem regio, item Chalcitidis regionis promontorium. Denique inſul. contra fauces Rhyndaci amnis in Aſia. Plin. *l.* 6. *c. ult.*

CHALCITIS Gemma, ab *æris* colore nomen accepit, de qua vide Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 1161. Item lapis, è quo æs coquitur; ſicut *ſideritis*, è quo ferrum. Plin. *l.* 34. *c.* 12. *Chalcitim vocant lapidem, ex quo & ipſum æs coquitur. Diſtat à cadmia, quod illa ſuper terram ex ſubdialibus petris cæditur, hæc ex obrutis. Item, quòd chalcitis friat ſe ſtatim mollis naturâ, ut videatur lanugo concreta —— Habet autem æris venas oblongas. Probatur mellei coloris, gracili venarum diſcurſu friabilis nec lapidoſa*, &c.

CHALCOCONDYLAS, Athenienſis Hiſtoricus, Græcè *Hiſtoriam Turcicam libris* 10. condidit. Orditur ab *Ottomanno Ortogulis* filio, qui regnare cœpit circa A. C. 1300. Deſinit in A. C. 1483. quô Mahometes ſecundus bellum à Venetis, & Matthia Ungariæ Rege illatum fortiſſimè repulit. Sed ætatem ad A. uſque C. 1490. vel ultra perduxit. Dicitur vulgò *Laonicus Chalcocondylas*. Hunc Conradus Clauſerus, Tigurinus, Latinè vertit, Blaſius Vigenarius Gallicè; Eſt inſuper Commentariis illuſtratus, & duplici continuatione auctus. Vide & *Demetrius*.

CHALCODOMUS, mons eſt ſupra Pheras.

CHALCOLIBANUS, Græcè χαλκολίβανος Apocalypſ. *c.* 1. *v.* 15. Bocharto vel eſt נחשת לבן, *æs laban*, ſeu *album*, vel נחשת ליבון, *æs libon*, ſeu *ignis candoris*, quale eſt, cùm in igne candet. Idipſum vocari נחשת קלל, *æs Kalal*, Dan. *c.* 10. *v.* 6. patebit conferenti loca. Utrobique enim vir deſcribitur aureâ zonâ cinctus & oculis igneis & voce magni fragoris & pedibus multi ſplendoris, qui hîc quidem dicuntur eſſe ſimiles *chalcolibano*, & ibi, *ut color æris Kalal*. Sed cùm non ſatis ſciatur, quid ſit *æs Kalal*, conjicit Bochartus, æs eâ voce intelligi politum ac lucidum; ſicque Joannem χαλκολίβανον, h. e. *æs album*, edidiſſe voce ſemihebræâ, vel quia albedo eſt color lucis, vel quia hoc genus æris reverà fuit album. Quale à Poëta deſcribitur orichalcum, *l.* 12. *Æn. v.* 87.

—— —— auro ſqualentem alboque orichalco;

Ubi fruſtra eſt Servius, qui *album* dici tradit, *auri comparatione*, cùm Græci etiam tam nativum, quàm factitium, orichalcum album deſcribant: & in Philoſopho Moſſynæcum æs, quod ille λαμπρότατον καὶ λευκότατον, *ſplendore ac candore excellens*, vocat, ex Tubal & Meſech Tyrum deferri ſolitum, Ezech. *c.* 27. *v.* 13. Ut non mirum ſit, album illud æs notum fuiſſe Judæis ejuſque adeò meminiſſe Euangeliſtam. Neque novum videatur, χαλκολίβανον vocabulum Græco-Hebræum eſſe, cùm multa ſint hujuſmodi. Sic Semiperſica ſunt, ... *cidaris mitra*, Levit. *c.* 10. *v.* 6. & *c.* 21. *v.* 10. Γαζοφυλάκιον ſacrum ærarium, in Euangelio paſſim & ei præfectus in Nonno γαζοφύλαξ; & in Xenophonte ... *tiaræ ſpeciem habens*: & in *Suida* ac *Euſtathio* ..., *onera ferre per ſucceſſionem*. Semiægyptia in Cicerone, Juvenali, aliis, Ἀλεξάνδρεια Alexandriæ; in Polluce veſtium ſpecies, ... & ...: Semiarabica in Simeone Sethi ..., *oleum camphora & ...*, *zulapium* vel *guleb* ex violis, &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. c. ult.* & infrà *Menſa Sacra*.

CHALCOMEDUSA, uxor Arceſii, mater Laërtæ, avia Ulyſſis. Euſtath. *in.* 16. *Il.*

CHALCOL, i. e. *nutriens*, ſive *conſummans omnia*, aut *ſuſtinens omnia*, filius Maol. 1. Reg. *c.* 4. *v.* 31. filius item Zaræ filii Judæ, 1 Paral. *c.* 2. *v.* 6.

CHALCOPHTHONGOS, Græcè χαλκόφθογγος, nomen gemmæ, apud Solinum, *c.* 37. *Chalcophthongos reſonat, ut pulſata*

jaſs

ſota eras: pulisè habitus ſervat vocis claritatem. Eadem cum *Chalcophono*, Χαλκοφώνῳ Plinii, de qua is *l.* 37. *c.* 10. *Chalcophonos nigra eſt, ſed illiſa æris tinnitum reddit, Tragœdis, ut ſuadent, geſtanda.* Nempe ſervare vocis claritatem, & proin Tragœdis, hanc maximè affectantibus, geſtandam eſſe, Veteribus perſuaſum. Certè *Chalcophonu*, prope Aniciuim Vellauniorum plurimæ ſunt ubivis in ſtructuris murorum & parietibus temerè congeſtis, nigræ, leves, fiſtuloſæ, tophaceæ, cùm ferrô percutiuntur, tinnientes. Ibidem parietes delubri Divæ Virginis alternis ordinibus hujus lapidis & candidi, extructos eſſe, adnotat Dalechampius *Not. ad Plin.* Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 769. De φωνασκίᾳ verò Tragœdorum infrà.

CHALCOSMARAGDUS, apud Solinum, *c.* 15. dicitur, qui in metallis *ærarii* appareat. Potius, qui *æris* venis turbidus Plinio, *c.* 5. *l.* 37. Non enim hoc nomen omnibus datum ſmaragdis, qui in æratiis metallis inveniri, ut in quibus etiam veri bonæque notæ ſmaragdi, quorum penès Cyprios principatus erat, eidem: ſed ſmaragdi viliſſimo generi, à colore, quem diximus. Inter vitia certè ſmaragdorum æris color. Idem, *Omnium horum vitiorum veteres, quod fellis colorem aut æris habent, in Sole dilucidi quidem & liquidi, ſed non virides.* Ubi tamen alii legunt, *æris olei*; quod, aliàs *viride oleum* Latinis, ὀμφάκιον Græcis, ex acri & amara olea premebatur, neque auſteri coloris viridis, ſed in aureum deſcendentis; qualis & fellis color, erat. Unde χαλκοβαφῆ, *ad æris ſimilitudinem infecta*, &c. Salmaſ. *ad Solin p.* 198.

CHALCUS, Dux præſidii, ut videtur, Cyzicenis, ab Alexandro M. impoſiti. Polyæn. *l.* 5. *c.* 44. *e.* 5.

CHALCUS, Græcè χαλκοῦς, idem Siculis, quod οὐγκία, uncia, duodecima nempe oboli apud illos ſeu λίτρας pars: unde libra & aſſis partes Romanis. *Pollux* octava oboli pars eſt; Ita enim ille, Ὁ γὰρ ἦν ὀβολὸς ὀκτὼ χαλκοῦς εἶχε, *Obolus nempe octo chalcos continebat.* Ejus ſeptima pars λεπτὸν fuit. Idem drachmæ argenteæ pars fuit quadrageſima octava, cùm drachma ſex haberet obolos, obolus verò octo, ut dictum, chalcos: victoriati vigeſima quarta: ſeſtertii duodecima: dupondii ſexta: aſſis tertia: quaſi is ſit ipſum τρίχαλκον Græcorum. Vide Joh. Frider. Gronov. *de Pec. vet. l.* 3. *c.* 2. & 10. nec non infrà, voce *Obolus.*

CHALDÆA, Aſiæ majoris regio, inter Euphratem, Tigrim, ſinum Perſicum, & montana Arabiæ deſertæ adeoque Arabiæ conterminia, plana, fontium indiga, in qua Babylon civitas magna. Populi *Chaldæi*. Hebraicè *Chaſdim*, i. e. *quaſi dæmones*, aut *quaſi deprædatores*, vel *quaſi mamillæ*, aut *quaſi agri*. *Gloſſa Philonis*: Χαλδαῖοι, ὡς δαιμόνια. Putabat componi, ex *Caph* nota ſimilitudinis & *Schedim*, i. e. *dæmones* a שדד *Schadad vaſtavit*. Hinc *Hieronym.* *De Chaldæis, inquit, nullus ambigere, quin dæmones ſonet.* Hos Arphaxad inſtituit (inquit *Joſephus*) & à ſe *Arphaxadæos* nominavit. *Cephenes* (teſte *Stephano*) prius dicti, à *Cepheo* Andromedes patre. *Hellanicus* ſcribit, hanc gentem, mortuô jam Cepheô, relictâ eâ regione, aliò in militiam abiiſſe: proinde regionem non amplius *Cephenam* dictam, ſed *Chaldæam* à *Chaldæo* Rege, qui (*Dicæarchô teſte*) quartus decimus à Nino fuit; & Babylone juxta Euphratem conditâ omnes Chaldæos in eam collegit. De his ita Strabo, *l.* 7. *Conſtat nunquam diligentiùs ſeveriùſque mathematum ſtudia exculta fuiſſe, quam apud Chaldæos.* Præcipue verò eam aſtrologiæ partem tractârunt, & invenerunt, an ab Abrahamo? eum Arithmetica & Geometria, acceperunt, quæ ex ſtellarum poſitu, qui in nativitate fuit, de cujuſque fortuna pronunciat: unde & ipſa ars *Chaldaica*, & qui profitebantur, *Chaldæi* appellati fuêre, licèt de gente illa haud eſſent. Cicer. *l.* 1. *de Divin, c.* 1. *Principiò Aſſyrii, ut ab ultimis auctoritatem repetam, propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, cùm cœlum ex omni parte patens, atque apertum intuerentur, trajectiones, motuſque ſtellarum obſervaverunt: quibus notatis, quid cuique ſignificaretur, memoriæ prodiderunt. Qua in natione Chaldæi, non ex artis, ſed ex gentis vocabulo, nominati, diuturnâ obſervatione ſiderum, ſcientiam putantur effeciſſe, ut prædici poſſet, quid cuique eventurum, & quô quiſque fatô natus eſſet.* Cùm dicit, *non ex artis, ſed gentis vocabulo nominari*, non obſcurè ſignificat, *Chaldæorum* nomen dupliciter ſumi, ſemel cùm gentem notat, propriè puta; deinde cùm artem per figuram deſignat: ut in genere omnes *Chaldæi* dicerentur, qui Chaldæorum rationes ſecuti ex natali cujuſque die futura audent prædicere. Sic *Chaldæorum natalitia prædicta*, eôdem libro, itemque *Chaldæorum promiſſa* dixit. *Multos*, inquit, *promiſſis ſuis feſellerunt Chaldæi.* Idem, *l.* 2. *de Divin. c.* 47. *Quàm multa hunc ipſi Cæſari à Chaldæis dicta memini.* Aliquoties *Chaldæorum* vocabulum ita Tacitus quoque poſuit: Et cùm Juvenalis, *Sat.* 10. *v.* 94. ſcribit:

Principis anguſta Caprearum in rupe ſedentis
Cum grege Chaldæo. —— ——

Genethliacos iſtos intelligit. Loquitur enim de Tiberio, qui Thraſyllum Mathematicum comitem habuit, eique multum attendit. Præterea mundum æternum ſtatuentes hi Philoſophi, jactabant Aſtrologiam à majoribus, per annos 43000. jam exercitam; Diviſi in Orchenos & Borſippenos, Magos quoque inter ſe habuerunt, quorum quidam dæmones ciendi artem, longâ abſtinentiâ & peculiaribus luſtrationibus præparati, profitebantur: Reliquis, Principum geſta æternitati conſecrandi curâ impoſitâ. Ab his Herodotus, *l.* 2. Ægyptios elevationem Poli, uſum quadrantis, dies ἰσημερινούς &c. edoctos ait. Plura de *illorum* ſtudiis, & ratione Philoſophandi lege apud Diodor. *l.* 2. & 3. Strab. *l.* 15. 15. & 16. Curt. *l.* 5. *c.* 1. Joſeph. *contra Appion. l.* 1. Auguſtin. *de Civ. Dei*, *l.* 8. *c.* 9. Voſſ. *de Sectis Phil. c.* 1. §. 3. *de Scient. Mathem. c.* 30. §. 5. & *c.* 38. §. 10. Inde *Chaldaicus*, Cicer. *de Divin. l.* 2. *c.* 42. *Scylax Halicarnaſſeus familiaris Panætii, excellens in aſtrologia, idemque in regenda ſua civitate princeps, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiavit.* Idem ibidem, *Lucius quidam Tarutius Firmanus familiaris noſter, in primis Chaldaicis rationibus eruditus.* Ubi per *Chaldaicas rationes*, γενεθλιαλογίαν deſignat, quam & Χαλδαϊκὴν *Periegetes* appellavit. Ita enim apud *Scholiaſten Apollonii*, qui librum ejus περὶ Χαλδαϊκῆς γενεθλιαλογίας laudat, legendum eſſe, Janus Rutgerſius, *l.* 5. *variarum Lectionum*, *c.* 6. præclarè ac eruditè obſervavit. *Nic. Lloydius.* *Chaldæi* populi & *Chaldæa* regio nunc *Yerack* & *Caldar* etiam dicitur, olim ſub Perſis, nunc ferè tota Turcis ſubeſt. Ibi Euphrates & Tigris conjunguntur. Urbes præcipuæ Bagdatum, Balſera, Cuſa, & Waſetum. Aliàs etiam Babylonia dicta. *Baudrandus.* Addo, quòd hodierni *Chaldæi*, Chriſtianorum ſecta, iidem cum Neſtorianis, quorum quinque jejunia quotannis celebrari ſolita memorantur Scriptoribus. Et quidem Jejunium ſeu Quadrageſimam primam maximamque incipiunt Dominicâ Quinquageſimæ: Secundam, quæ eſt SS. Apoſtolorum, auſpicantur à feria 2. poſt primam Dominicam Pentecoſtes: tertiam Aſſumptionis à 1. Auguſti: quartam Nativitatis Chriſti à 25. die ante Feſtum: quintam Ninives vel Jonæ, quæ trium dierum eſt, obſervare incipiunt hebdomade proximâ ante Septuageſimam, feriâ 2. 3. & 4. Sic quidem, ut in prima nec piſces comedant, nec vinum guſtent: In ſecunda, Sabbatho ac Dominicis non jejunent, in tertia nec lacticinia, nec carnes comedant, exceptô Transfigurationis Feſtô: Quartam verò & quintam, uti tertiam, obſervent. Vide Fileſacum *de Quadrageſima*, & plura de horum Chriſtianorum fide ac παραδόσει, apud P. de Valle, *Itiner. Part.* 2. Sed & *Chaldæi*, pro Hiſpanis Saracenis, occurrunt apud Sebaſtianum *Epiſcop. Salmantic. in Hiſtor.* Vide quoque ſuprà *Cephenes.*

CHALDÆI, populi juxta Colchidem. *Steph.*

CHALDAICI Lacus, *Alarch Pineto*, Stagna Chaldææ regionis, in quos Tigris ſe effundit. Plin. *l.* 6. *c.* 27.

CHALDIA, regio Armeniæ, *Steph.* Item tractus circa Syriam Codieno, eidem etiam eſt Calabriæ locus.

CHALDONE, Arabiæ Felicis promontorium. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

CHALEOS, Achaiæ regionis urbs ad ſinum Corinthiacum. *Ptol.* *Chaleos* vulgo Græcis, *Aſpropiti* teſte *Sophiano*.

CHALESTRA, urbs Theſſaliæ litoralis, juxta quam Axius fluv. in mare Ægæum deſcendit.

CHALI vel CHALE Herba, cujus cineres indurati, lapidis firmitatem ſuperant. Vide infrà in vocibus *Halimum*, *Kali* & *Solda.*

CHALI, civitas, terminus Aſſer, Joſ. *c.* 19. *v.* 25. i. e. *infirmitas*, ſive *deprecatio*, aut *expectatio*, vel *principium*, aut *gemma*, aut *monile.* Item *Chali* Armeniæ gens. *Ptolemæo.*

CHALIA, urbs Bœotiæ. *Steph.*

CHALIFA ſeu CALIFA, vox Arabica, h. e. *Succeſſor vel Hæres*; appellatio fuit, apud Saracenos, ſupremi generis ſuæ Principis, ut docet Guil. Tyrius, *l.* 19. *c.* 19. eo quòd hi ſummi eorum Prophetæ vicem & ſucceſſionem jure tenerent hæreditariò. At Nic. Fullerus, *Miſcellan. ſacr. l.* 4. *c.* 16. & Valerius *Præfat. ad El-Macinum*, cenſent, hôc vocabulô, *Vicarios ſeu Locum tenentes* ſeſe appellitâſſe, Dei omnipo. Unde eô nomine tanto in honore ac reverentia à ſuis habebantur, ut pro Dei quaſi Numine colerentur, *nec niſi mandatô & auctoritate illius quantumque potens aut nobilis, appellaretur Soldanus & omnes ejus ſubditi, tam Reges, quam alii, pedes ejus ad terram proſtrati reverentes oſcularentur*, uti loquitur Jac. Vitriacenſis. Sed poſtmodum Soldanorum potentia adeo invaluit, ut rebus politicis ac militaribus, ut ferè eum inani ac ſpecioſo dignitatis nomine ſola religionis, ſeu potiùs ſuperſtitionis Mahumedicæ, poteſtas penès *Caliphas* remanſerit: unde *Papa & Apoſtolus ſuæ gentis*, vulgò appellati leguntur apud Conr. Urſpergenſem, Vincentium Belvacenſem, alios. Primus autem *Chalifæ* nomen & dignitatem uſurpavit Abubacarus, Mahometis ſucceſſor; cujus titulos habes in *Chronico* Flandrenſi, *c.* 81. Sed & *Chaliphas* videntur appellâſſe ſuos Sacerdotes, non ſupremos ſolùm; verum inferiores etiam, Saracenorum Principes, uti videre eſt apud Petrum Diaconum *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 51. &c. Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque ſuprà in *Calipha*, & infrà voce *Muſlime.*

Series Calipharum ex Forbeſio hæc eſt.

Abubecher, Muhamedis Pſeudoprophetæ ſocer, regnavit annos duos. Sub eo Saraceni, occupârunt Perſidem, Ægyptum, Syriam & Meſopotamiam, vivente adhuc Heracliô Imperatore & occiſô Jezdegirdô Perſarum Rege, A. C. 632.

Omar, Mahumedis itidem ſocer, præfuit annos 10 à ſervo occiſus, A. C. 643.

Othman ſive Oſman, regnavit annos 12. Conſtante Heraclii nepote Romanor. Imperium obtinente; occiſus domi ſuæ A. C. 655.

Ali, fil. Abiltaleph, gener Muhammedis; Perſis Sophinis unicè in veneratione: interfectus eſt in oppid. *Kiofe* A. C. 660. poſtquam quadriennio regnâſſet. Ei ſucceſſit filius Chaſan, cui poſt 9. menſes & 11. dies venenô extinctô, frater Chuſein, ſecundùm nonnullos: ſecundùm alios Mavia frater, per annos 22.

Maviâ hôc regnante, Saraceni Conſtantinopolin olim obſedêre, integrô ſeptenniô: fortiter tandem repulſi à Conſtantino Pogonato, claſſe eorum fugatâ A. C. 673. non exiguâ *Ignis Græci*, tum primùm inventi, operâ. Inde itaque Damaſcum, quam Imperii ſedem Mavia elegerat, Saraceni reverſi, tributarii Græcis Imperatorib. per complures annos fuêre. Obiit Mavia A. C. 680.

Jezid I. ejus filius, præfuit ann. 4. Eum ſocer Abdulla excepit, ſeu Abdulmelechus, ſub quo Saraceni totâ Armeniâ & Africâ uſque ad Oceanum Atlanticum ſunt potiti. Alii Jezidi ſubſtituunt filium Marvanem, & huic demum Abdullam: qui regnavit annos 20.

Walid, filius Abdelmelichi; an Walidis frater *Suleiman*? deceſſit A. C. 717. Hôc regnante, Saraceni, Duce Tarich

hortatu Juliani Comitis in Hiſpaniam venerunt. Munive-rat autem is caſtra ſua in loco, inde *Gebel Tarich*, h. e. Mons Tarich, & hodie corruptè *Gibraltar* dicto, circa A. C. 711.

Omer, filius Jezidis ſeu Azizis, nepos Abdelmelechi, præfuit 2. annos, mortuus A. C. 719. imperante Leone Iſaurico Romanis.

Jezid II. regnavit annos 4.

Haſcham ſive *Harun*, annos 15. vel ſecundùm alios 20. Sub eo, Saraceni ex Hiſpania in Galliam irruperunt, Duce Abderamâ; cæſi memorabili prœliô Turonenſi à Carolo Martello, A. C. 726.

Walid, luxu & vinô perditus, unum cùm imperâſſet annum, ab ipſis Arabibus interfectus capútque ejus Damaſci oſtentui circumlatum eſt, A. C. 743.

Marvan.

Jachſi vel Abulabas, qui obiit A. C. 753.

Abugephar Elmanzur, primus ædificare cœpit urbem Bagded, ſeu novam Babylonem. Obiit A. C. 775. ſuítque *Habdalla* quoque dictus, i. e. Dei ſervus.

Mahdi filius ejus, regnavit annos 10.

Aharun I. Erreſchid, filius Mahdi, *Aaron* Græcis Scriptoribus, ſucceſſit A. C. 786. regnavit annos 23. Irene, Conſtantinô & Nicephorô in Oriente; Carolô M. in Occidente, rerum potitis. Bellô contra Nicephorum nimium felix Romaniam ingreſſus cum ingenti exercitu, Tyanis & aliis in urbibus, ædes Muhammedicæ impietati dicatas creavit. Cum Carolo M. amicitiam coluit: extinctus A. C. 809. Sub eo Imperium Saracenicum culmen attigit. Poſt obitum ejus Saraceni Africani Siciliam & Corſicam & Sardiniam aliaſque Italiæ regiones devaſtârunt: ipſa urbis Romæ ſuburbia deprædati.

Imin.

Mamon A. C. 813.

Muterza, A. C. 833.

Aharun II. Elwathak, A. C. 841.

Mechucal A. C. 846.

Mutnazar A. C 861.

Elmuſtein A C. 862. cujus tempore *Chaliphatus* diviſio facta, Tolone à Turcomanis conſtitutô Rege Ægypti & omnis Syriæ. Leunclavius autem ſtatim ab obitu Aharunis I. Imperium hoc vaſtum lacerari ac diſſipari cœpiſſe, ait, *Hiſtoria Muſulm. l.* 1. Unde Scriptores *Hiſtoriæ Turc.* Chalipharum feriem in Aarone illo claudunt. Certè poſt extinctum Aaronem, ſeditionibus inteſtinis agitatis Saracenis, Soldani & alii terrarum Principes *Chalipha* obſequium negare, *Chaliphatus* ipſe in Bagdadenſem & Damaſcenum (ut alios minores taceam) dividi, idemque à Chriſtianis maximâ ditionum parte exui cœperunt, eóque redigi, ut de Muhammedana ſuperſtitione actum videretur: ni fatalibus Occidentis diviſionibus, Turcis Arabum ſucceſſoribus, jam Muſulmannâ ſuperſtitione imbutis, ad erepta Muhammedanis recuperanda, occaſio fuiſſet præbita, &c. Vide Jo. Forbeſium, *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 4. *c.* 17. & 18.

CHALINITIS, Minerva dicta eſt ἀπὸ τοῦ χαλινοῦ, i. e. *à fræno* quod Bellerophonti Pegaſum equum præbuerit, eumque frænaverit.

CHALISIA, urbs Libyæ, & alia juxta Pontum una Amazonum (fortè ſic dicta ab Amazone aliqua) cujus cives *Chaliſii*. *Steph.*

CHALNE, vel CHALANE, civitas quam ædificavit Aſſur. Gen c. 10. v. 11. De qua ſic Bochart. in *Phaleg. l.* 1. *c.* 8. Una, inquit, è 4 urbibus, quas in terra *Sinhar* condidit Nimrod, *Chalne* dicitur, vel *Chalane* Gen. c. 10. v. 10. I. e. *Cteſiphon*, quæ ad Tigrim erat. Non ſatis autem ſcio, quibus machinis turrim Babylonicam eò tranſtulerint ex Babylone Græci interpretes, apud quos ita loquitur Eſaj. c. 10. v. 9. οὐκ ἔλαβον τὴν χώραν τὴν ἐπάνω Βαβυλῶνος καὶ Χαλάννης, οὗ ὁ πύργος ᾠκοδομήθη; In quem locum Baſilius: Πύργον μὲν ἐν ἐκείνοις λέγει τὸν ἀρχαῖον, ὃν ἐν τῇ Χαλάννῃ ᾠκοδόμησαν. Et Cyrillus, Χαλάννη δὲ ὁ πύργος ᾠκοδομεῖτο παρὰ τῶν ἀρχαιοτέρων, πάντας μὲν ἐν ἰσχύϊ εἶναι ... Βαβυλωνίων χώρας ... Hinc Gregorius Nazianzenus, *oratione* 26. ὁ ἐν Χαλάννῃ πύργος, ὃς καλῶς τὰς γλώσσας ἐμέρισε. Et Conſtantinus Manaſſes, *in Hiſtorica Synopſi*,

Οἰκοδομοῦσι μὲν ἀρχαῖον τὸν πύργον τῆς Χαλάννης.

Unde Euſtath. *in l.* 2. *Iliad.* Οἱ μῦθοι τοὺς ὑπερτέρους θεοὺς αὐλῆς μέγρονται τοὺς ἀνθρώπους ... ἀπὸ τοῦ μεγαλομῦθοι ... ὡς ἔπαθον μετὰ τὸν τῆς Χαλάννης πύργον. Sed Hieronymus rectè monet, 70. interpretes *addentes de ſuo regionem trans Babylonem interpretati ſunt, & Chalanem, ubi ædificata eſt turris.* Mihi originem exquirenti tam depravatæ interpretationis, aliud nihil ſuccurrit, quàm in illis verbis, *Annon Chalnon ſicut Carchemis?* Græcos ex כרכמיש *ſicut Carchemis* feciſſe כמגדל שם *in ea turris fuit*; quod interpretati ſunt de turri Babylonica. כרכום Græcum χαρχώματα eſt; hujus plurale כרכומין pro Ebræo מגדל legitur Deuteron. c. 30. v. 20. in Jonathanis paraphraſi. Alibi autem meliùs ſcribitur כרכום. Hujus autem nomen variè ſcribitur כלנה *Chalne* Gen. c. 10. & Amos c. 6. v. 2. כלנו *Chalno* Eſaj c. 10. v. 9. כנה *Channe* Ezech. c. 27. v. 23. Illam confert Amos Propheta cum magnis urbibus: *Tranſite*, inquit, *Chalnem & videte, & inde ite Hamath magnam, & deſcendite in Gath Paleſtinorum, an ſint meliores regnis iſtis?* Vide Varium magnum, *in Phaleg. l.* 4. *c.* 18. *Nic. Lloydius.*

CHALONITIS, Græcè Χαλωνῖτις, apud *Strabonem*, ubi de lacu Thoniti, Μετὰ δὲ τὸν μυχὸν λίμνης, εἰς βάραθρον ἐμπεσὼν ὁ ποταμός, καὶ πολὺν τόπον ἐνεχθεὶς ὑπὸ γῆς, ἀνατέλλει κατὰ τὴν Χαλωνῖτιν. Et Plin. *l.* 6. *c.* 27. *Jungitur* Chalonitis *cum Cteſiphonte. ad eam pervenit Zagrus mons, ex Armenia inter Medos, Adiabenoſque veniens ſupra Paratacenen.* Pro *Chaonitide* quibuſdam, quam ab urbe Χαόνια id nominis ſortitam volunt. Salmaſ. verò utrobique, Χαλωνῖτιν retinendum eſſe docet, ut quæ à Chaonitide diverſa. Hæc enim regio Mediæ, illam diſterminat à Media mons Zagrus. Meminit ejus Iſidorus quoque *in Manſionibus Parthicis*, Ἐντεῦθεν ἡ Χαλωνῖτις, χοῖνοι κα', ἐν ᾗ κῶμαι, ἐν αἷς σταθμοί, πόλις δὲ Ἑλληνὶς Χάλα. Ubi memorat urbem Χάλα, à qua regioni nomen. Idem paulo pòſt, ὄρος ὁ καλούμενος Ζάγρος, ὅπερ ὁρίζει τήν τε Χαλωνῖτιν χώραν καὶ τὴν τῶν Μήδων. In ea Tigrim, poſt egreſſum Thonitis lacus, in cuniculos merſum, rurſum erumpere facit *Strabo*. Quod cum circa Nymphæum fieri dicat Plinius, inde colligere eſt, in *Chalonitide* fuiſſe Nymphæum, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 693.

CHALUS, fluv. Syriæ, in quo viſuntur piſces magnitudine inſignes, ac mitis manſuetóque ingeniò. Eos, inquit *Xenophon*, Deos arbitrabantur Syri, nec injuria affici patiebantur, ſicut neque columbas. Cœl Rhodig. *l.* 18. *c.* 34.

CHALUSUS, German. fluvius *Ptol. Dravena* vulgò *Trave* nonnullis, circa Lubecam urbem, qui quidem in mare Balticum ſe exonerat. *Eider Pirckhamero*, Dithmarſiam ab Holſatia ſeparat. Credit *Ortelius* eſſe Varnam fluv. qui ad Roſtochium in mare Balticum ſe exonerat. Sed *Dav. Chytræus* Chaluſum Dravenam eſſe non affirmat ſolum, ſed etiam eſſe circa ipſam tractum *Chluſerort*, & oppid. *Chlus* aſſerit.

CHALYBES, ſeu CALIBES, populi Aſiæ minoris Ponto vicini ad Thermodontem fluv. Homero *Alizones* appellati. Strabo, *l.* 12. Paphlagoniæ proximi, *Straboni Chaldæi* dicti. *Baudrando* in Cappadocia, verſus confinium Armeniæ minoris inter Polemonium & Trapezuntem. Hi optimò ferri genere olim celebrabantur, quod nudi effodiebant. Apollon. *Argonaut. l.* 2.

> —— Μετὰ δὲ συγγεόθεν ἀνδρῶν
> Τρηχεῖαν Χάλυβες καὶ ἀτειρέα γαῖαν ἔχοντες
> Ἐργατίναι, τοὶ δ' ἀμφὶ σιδήρεια ἔργα μέλονται.

Dionyſius Perieg. v. 768.

> Τοῖς δ' ἔπι καὶ Χάλυβες στυφελὴν καὶ ἀπηλέα γαῖαν
> Ναίουσι, μογερῶν δεδαημένοι ἔργα σιδήρου,
> Οἳ ῥα βαρυγδούπων ἐπ' ἀκμόνων ἑσταότες,
> Οὔποτε παύονται καμάτου καὶ ὀϊζύος αἰνῆς.

Nempe Chalybes creduntur primi tractâſſe ferrariam. Ammian. *l.* 22. *Chalybes per quos erutum & domitum eſt primitus ferrum.* Arrianus, *in Alexandro*, Χάλυβες πρῶτοι ἀνθρώπων αὐτοὶ ἔχουσι χαλκεύοντες σίδηρον. Puto illum reſpexiſſe, cùm id ſcriberet, hos Callimachi verſus,

> —— Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γενέθλη
> Γειόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν.

Quos ita reddidit Catullus, *in de coma Berenices*, *Epigr.* 67. *v.* 45.

> —— *Chalybon omne genus pereat:*
> *Et qui principio ſub terrâ quærere venas*
> *Inſtitit, & ferri frangere duritiem.*

Virg. *l.* 1. *Georg.* v. 57.

> *India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi,*
> *At Chalybes nudi ferrum.*

Val. Flaccus, *l.* 4. *Argon.* v. 610.

> *Non ita ſit metuenda tibi ſæviſſima quamquam*
> *Gens Chalybum, duro patiens cui cultus in arvo,*
> *Et tonat adſtrictâ ſemper domus ignea maſſâ.*

Vide Bochart. *Phaleg. l.* 3. *c.* 12. Idem *Nic. Lloydius.*

CHALYBONITIS, Syriæ regio. *Ptol.* Vinô ſuô celebris, quod adeò eximium fuit, ut Perſarum Reges aliud nullum biberint, Strabo, *l.* 15. ubi per opulentiam Reges illos eò luxuriæ prolapſos eſſe ait, ὥστε πυρὸν μὲν ἐξ Ἄσσου τῆς Αἰολίδος μεταπέμπεσθαι, οἶνον δὲ ἐκ Συρίας τὸν Χαλυβώνιον, *ut triticum adveht juberent ex Aſſo Æolidis, & vinum ex Syria Chalybonium.* Unde Plut. *de Fortuna Alex. l.* 2. Οὐδὲ τρυφαὶ Μηδικαί, καὶ τράπεζαι καὶ γυναῖκες, οὐδὲ Χαλυβώνιος οἶνος, *Neque delicia Medica, & menſa & mulieres, neque Chalybonium vinum.* Cujuſmodi vites Damaſci propagatas fuiſſe, Perſis, h. e. Aſſyriis (ut hi populi à Græcis promiſcuè ſumuntur) procurantibus, docet ex Poſidonio Athenæus, *l.* 1. *c.* 22. idque in vico circa urbem *Chelath* dicto, uti conjicit Bochartus. Hinc *Vinum Chelbon*, & *lana rutila*, quibus Damaſceni Tyrias nundinas maximè inſigniverint, memorantur Ezech. c. 27. v. 18. ubi *vinum Chelbon*, eſt vinum ex *Chelbone* ſeu *Chalybone*, quomodo Græci efferunt. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 45.

CHALYBS, fluv. in Hiſpania, in quo ferrum optimè temperatur, juxta quem Chalybas populos collocat Juſtinus, *l. ult. c.* 3. hodiè *Cabe*, teſte Cluſiô.

CHALYBS, fluv. ex radicibus Tauri montis ſcaturiens, qui Syros & Paphlagonas interluit, & in Euxinum mare evolvitur.

CHAM, i. e. *calidus*, vel *calor*, vel *niger*, filius Noë. Is patrem odiô habuit, quia ab eo deſpiceretur. Idemque ob vitia, quibus quampiurimis, ac nefandiſſimis ſcatebat, patri infenſus fuit. Itaque opportunitatem nactus, cùm Noa pater jaceret madidus, illius virilia comprehendens, tacitéque ſubmurmurans, magicô carmine illuſit patri, adeò ut mulierem nullam fœcundare potuerit. At verò cùm is publicè mortale genus corrumperet aſſerens, ac reipsâ exſequens, congrediendum eſſe, ut ante inundationem, cum matribus, ſororibus, maſculis, brutis, quovis alio genere, à Jano piiſſimo & caſtiſſimo principe ejectus, ſortitus eſt cognomentum *Chamesfenuus*, i. e. Cham *infamis*, *impudicus*, *incubus*, & *propagator*, quem Ægyptii *Saturnum* appellârunt, illique civitatem poſuerunt, quam χεμμιν vocârunt. Beroſus, *l.* 3. Sed

hæc

hæc fabuloſa ſunt, & (quod ajunt) ſine libro loquitur prædictus author [illegible]. Nos itaque rem paulo penitius intuentes, veritatem ejus ex Bocharto, in *Phaleg*, *l.* 1. *c.* 1. ſic exhibemus. Primò occaſio anathematis, à Noacho, in Chamum contorti, hæc fuit, quòd vidiſſet [illegible] *patris ſui verenda nuda*, atque oculos ſuos hôc ſpectaculô paviſſet. Fuit id ex parte notum Poëtis, qui latam à Saturno legem eſſe fingunt, quâ ſancitur, ne quis Deos nudos impunè contempletur. Proinde in Callimacho Minerva, cùm Tireſiam occæcâſſet, qui lavantem illam viderat, apud Tireſiæ matrem factum ita excuſat:

> --- Ἐγὼ δ᾽ οὐ [illegible] ἔθηκ᾽ ἀλαόν.
> Οὐ γὰρ Ἀθαναίᾳ γλυκερὸν πέλει ὄμματα παίδων
> Ἁρπάζειν. Κρόνιοι δ᾽ ὧδε λέγοντι νόμοι,
> Ὅς κε τιν᾽ ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
> Ἀθρήσῃ, μισθῶ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.
>
> --- *Oculos non per me perdidit iſte,*
> *Nec mihi luminibus pueros orbare voluptas,*
> *Aſt à ſaturnia lex ſtat lata jubet,*
> *Ut pœnâ graviore luat, temeraria quiſquis*
> *Auſit in invitos lumina ferre deos.*

Secundò *Cham* vel *Ham*, vel quia fratrum minimus, Gen. c. 9. v. 24. vel propter anathema à patre in illum caput contortum, in Africæ ſteriles arenas ablegatus eſt, ubi per multa ſecula cultus eſt, ſub nomine Jovis *Ham*, ſeu *Hammonis*. Ægyptii molliori ſonô denſæ aſpirationis Ἀμμῶν, vel Ἀμοῦν dicebant. Herodotus in *Euterpe*, Ἀμμοῦν γὰρ Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία. Plutarchus in *Iſide*: [illegible] Ἀμοῦν [illegible] Ἄμμωνα λέγομεν. Ab *Ariſtotele* ſcribitur Ἀμμῶν. *Heſychius*, Ἀμμοῦς, ὁ Ζεύς, Ἀριστοτέλης. Et quidem, ut Noam eſſe Saturnum multis argumentis conſtat, ſic tres Noë filios cum Saturni tribus filiis conferentes, *Hamum* vel *Chamum* eſſe Jovem, probabunt hæ rationes. Primò ex nomine חם *Ham* factum Ægyptium Ἀμοῦν, & Africanum *Ammon*, vel *Hammon*, quæ Jovis eſſe nomina nemo eſt, qui neſciat. Secundò חם *Ham fervidum* ſonat, à radice חמם *Hamam*, *fervere*, *incaleſcere*. Ita Jupiter Græcè Ζεὺς videtur à *fervendo* dici, quod author Etymologici Magni refert ad calorem aëris, quaſi Jovis nomine Poëtæ aërem intellexerint. Ζεὺς, inquit, [illegible] ὁ ἀήρ, [illegible] Ἀρτέμιδος. Cyrillus Alexandrinus [illegible] exponit, *l.* 2. *Glaphyrorum in Geneſin*. Hiſtoricè nempe Ammon ipſiſſimus *Cham* fuit, Phyſicè verò Sol, in quo & cum quo Cham cultu mixtô colebatur, unde & ei nomen. Sol enim Hebræis חמה, *Chama*; unde & fortè *Hama*, veterum Saxonum Numen, de quo Fabricius in *Saxon. ſua*, ipſum Solem fuiſſe, ait: Quemadmodum & inde חמנים, *Chamanim*, & Deus *Amanus* ſive *Omanus*, uti vult Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 11. quem, hac de re pluribus agentem, adeat qui volet. Tertiò ut *Cham* filiorum Noë fuit הקטן natu minimus, Gen. c. 9. v. 24. Ita Jupiter Saturni. Callimachus, *hymnô in Jovem*:

> Τῷ [illegible] ἐπ᾽ [illegible]
> [illegible] ἔχων, [illegible].

Quartò, *Cham* ſeu Jupiter fingitur eſſe cœli dominus, quia illi obtigit Africa, cujus magna pars, cùm ſit inter Tropicos, ſolem habet & reliquos planetas ſuprà verticem, unde eſt quòd putatur eſſe cœlo proxima. Lucan. *l.* 9. *v.* 351.

> *Terrarum primam Libyem (nam proxima cælo eſt*
> *Ut probat ipſe calor) tetigit.*

Quintò, quòd in Phornuto, & alius legitur, Jupiter patrem Saturnum exſecuiſſe, ſumptum videtur ex hîs; Gen. c. 9. v. 22. perperam intellectis: *Et vidit Cham pater Chanaan verenda patris ſui, & nunciavit*, &c. Ibi enim *& nunciavit* Hebraicè eſt ויגד *Vajagged*, quod à ſerie orationis divulſum, tum cùm vocalia puncta aberant, legi potuit *Vejagged & abſcidit*, tanquam à verbo גדד, quod excidere ſignificat, maximè cùm de carne agitur. Deuteron. *c.* 14. *v.* 1. 1. Reg. *c.* 18. *v.* 28. Jerem. *c.* 16. *v.* 6. Ultimò notandum, Hebræum חם *Ham*, multis *Cham* ſcribunt, aſpiratione denſâ mutatâ in χ Græcorum. Inde eſt, quòd à priſcis incolis Ægyptus vocabatur *Chema* vel *Chemia*, i. e. *terra Cham*, quomodo illam appellat Pſaltes, Pſal. 78. v. 51. Plutarchus, *in Iſide*, qui Ægyptios ignorabat à *Chamo* eſſe oriundos, à *terræ nigredine* putavit ita nominari: Ἔτι, inquit, τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν, ὥσπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ Χημίαν καλοῦσι. Et verò Gen. *c.* 30. ubi de coloribus pecudum Labanis & Jacobi agitur, חום *Chom* pro *nigro* quater v. 32. 33. 35. 40. occurrit. Tamen Χημία videtur potius ad Chamum pertinere, ut & apud *Steph. in* Αἴγυπτος, aliud Ægypti nomen compoſitum Ἑρμοχύμιος, & in Ægypto pagi, vel urbes χέμμις, [illegible], &c. Cophtitæ etiam, qui veruſta nomina pertinaciſſimè retinent, Ægyptum hodiè *Chemi* vocant. *Nic. Lloydius*. Adde Torniel. Salian. *in Annal*. Genebr. *l.* 1. *Chron.* Vide & *Chanaan*, & *Menes*. Cæterùm *Cham*, cum poſteritate ſua, inprimis tamen Chenaane filio, undis diluvii extinctam ſectam Kainiticam, in lucem revocare cœpit: unde genus humanum iterum in duas ſectas, *Sethianas* & *Kainitas* diviſa eſt; quarum prior in ſola Noachi familia, neque tamen inter omnes, neque diu permanſit: Poſterior à Chamo & Chenaane excitata, longè lateque ſe extendit. Vide Lactant. *l.* 2. *c.* 14. Japhetis quoque & Semitis in ſua caſtra pertractis; præcipuè tamen, rerum potiente Nimrodô, invaluit. Fuit autem hæc planè Epicurea, conſiſtens in abnegatione Providentiæ divinæ & immortalitatis animarum. Tunc & artes illicitæ ortæ ſunt, ac Philoſophia in Sataniçam Magiam tota degeneravit, quâ inprimis filius Chami Chus excelluiſſe dicitur: Unde *Chamus* Græcis Zoroaſtres & Jupiter Hammon credictus; manſitque Philoſophia per plurimas ætates cum Magia conjuncta. Georg. Hornius *Hiſt. Phil. l.* 2. *c.* 9.

CHAM, Principum Tartarorum quoque nomen eſt, & lingua illorum Regem, vel etiam magnum Regem ſignificat. Imperium horum Regna Catay, Tangut, & Tanfu: Item provincias Tenduc, Camul, Cincchiam, &c. complectitur. Vide ſupra *Caganus*, *Can*, *Cans*.

CHAMAAM, vide *Chimham*.

CHAMÆDAPHNE, Græcè Χαμαιδάφνη, Alexandrea laurus eſt dicta, *Dioſcoridi*, Χαμαιδάφνη, οἱ δὲ καὶ ταύτην Ἀλεξανδρεῖαν καλοῦσι, & *Stephano*; quorum ille *Chamædaphne* hoc proprium tribuit, quòd fructum ferat, [illegible], i. e. *in tergo foliorum adnaſcentem*, quod idem de Alexandrea tradidit, quam ait geſtare fructum [illegible]. Eadem & *Daphnoides* nominulis. Quæ tria tamen manifeſtè alii diſtinguunt, cognominibus interim non rarò confundentes. Alexandrea certè laurus, *Stephano*: *Alexandri* cognominata eſt, quod eâ coronari ſolitus eſſet Alexander; & coronariam quoque ac topiariam *Chamædaphnen* Plinius facit, *l.* 21. *c.* 11. *Vinca pervinca ſemper viret, in modum lineæ foliis geniculatim circumdata, topiaria herba, inopiam tamen florum aliquando ſupplet. hæc à Græcis* Chamædaphne *vocatur*. Verùm hæc deſcriptio clematidis eſt, longè diverſæ ab ea Chamædaphne, quam *Dioſcorides* & *Stephanus* eandem cum Alexandrea faciunt. Chamædaphne quippe illa, cubitales virgas à radice producit, fructumque rotundum, rubentem & foliis adnatum. Nihil tale in vinca pervinca: quæ cum illa nil, niſi folium lauro ſimile, commune ac indiſcretum habet. Unde & Δαφνοειδὴς utraque cognomen meruit: ſed Alexandrea *Chamædaphne* propriè vocata eſt; clematis autem δαφνοειδής, &c. Qua de re vide plura apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 403. & 404. ut & ſuprà, ubi de *Alexandrea Lauro*.

CHAMÆLEON, commentarios libros in varios Poëtas edidit, nimirum eum ἐν τῷ περὶ Ἀνακρέοντος citat Athenæus, *l.* 12. Item, *l.* 13. περὶ Σαπφοῦς, & περὶ Σιμωνίδου. Ad hæc περὶ Θεσπιδος Michaël Apoſtolius, proverbiô, [illegible]. Idem Scholiaſtæ Apollonii in *l.* 2. citatur, [illegible]: quod nihil aliud eſt, *quam in quinta* ſuper Iliade. Variorum nempe Poëtarum argumentum expendit. Idem & alia edidit. Eaque inter *de Diis librum*. Clem. Alex. *l.* 1. Χαμαιλέων δὲ ἐν τῷ περὶ [illegible]. Item ſcripſit *de ebrietate*. Idem Clemens *eôdem l.* Χαμαιλέων ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ περὶ [illegible]. Quo ex loco patriam ejus diſcimus. Commentatus quoque eſt περὶ [illegible], cujus libri mentionem facit Mich. Apoſtolius, proverbiô [illegible], &c. meminit & *Chamæleontis* Laërtius, *in Platone*; ubi ex eo prodit, Lycurgum quoque ſtudioſum fuiſſe Platonis. Idem ex eo in Heraclide narrat, Heraclidem hunc ſuffuratum ſua fuiſſe ex Homero & Heſiodo. Vide Jonſ. *de Script. Hiſt. Philoſoph. l.* 1. *c.* 17. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 340. *ſ. Nic. Lloydius*.

CHAMÆLEON, ut habet Tertullian. *de Pallio*, *c.* 3. *pelliſcula vivit, capitulum ſtatim a dorſo, nam deficit cervix, itaque durum reflecti: ſed circumſpectu expeditus oculis, imo luminum punctis vertiginat, hebes, feſſus vix a terra ſuſpendit, moliturus inceſſum ſtupens & promovet, gradum magis demonſtrat, quàm expedit, jejunus ſcilicet ſemper & indefectus: oſcitans veſcitur, follicans ruminat, de vento cibus. Tamen & Chamæleon mutare totus, nec aliud valet: nam cùm illi coloris proprietas una ſit, ut quid accesſit inde ſuffunditur: hoc ſoli chamæleonti datum, quod vulgo dictum eſt, de corio ſuo ludere.* Ubi vide quæ Salmaſius eruditè adnotat. In Africa multum reperiri tradit Plinius, frequentiorem in India: Hodie in Syria, Ægypto & Arabia inveniri ajunt. In vineis ſub pampino reperiri, addit Tertullianus: *At cùm offenderis apud vineam penè ſub pampino totum, videbis illico audaciam & Græci jam nominis*. Inter folia rhamni arboris in Ægypto plurimam offendi, teſtantur ex Neotericis quidam. Figurâ & magnitudine lacertæ eſſe, ſcribit Plin. *l.* 8. *c.* 33. *Caſſiodorus* parvorum ſerpentum generi dicit conſimilem; *Ariſtoteles* [illegible] ſimiliter facit. Quare mirum, eundem Plinium, *l.* 28. c. 8. crocodilo Ægyptio Niliaco magnitudine comparare. Sed decepit eum Democritus, qui *l. peculiari de Chamæleonte*, illum [illegible], *crocodilo magnitudine parem eſſe* ſcribit; verùm Iones, quorum linguâ is uſus, [illegible] *lacertas* vocare, docet Herodotus diſertis verbis, *Muſâ* 2. Cauda tamen amplior ac prolixior, atque in vertiginem torta, Chamæleonti; in cujus dorſo porro ſpina eminet ac recurvatur, ut piſcibus: at lacertæ dorſum planum eſt. Sed & ei crura recta, & longiora, quàm lacertæ: roſtrum haud abſimile ſuillo, &c. Quam in rem vide quamplura apud eundem Salmaſ. *ad Solin. p.* 275. *& ſeqq*. nec non apud Iac. Sponium, *Itinerar. Græcia*, ubi varietatem colorum, quibus ſubinde *Chamæleon* ſerpſum diſtinguat, ab animi paſſionibus, ira, metu, &c. quibus variè agitatur, ingenioſè arceſſit. De herba verò cognomine, Salmaſium iterum, *l. cit. p.* 302. *& ſeqq.*

CHAMÆLEON Aqueus, in Muſæo Kircheriano, Romæ. Ludit jucundâ differentium aquarum præcipitatione Auctor Muſæi; dumque in differentes colores liquores tranſmutat, eoſdem, aliâ mox alterius aquæ præcipitatione ſemper ad priſtinum ſtatum reducit, modò tali, ut duobus claris liquoribus mixtis, aureus evadat aquæ color, cui, ſi alias guttulas alterius indas, in atramentum nigreſcit; ad priſtinam claritatem rediturá, mox alterius ſpeciei aquâ additâ. Aliis verò aquis claris primò permixtis in candidum lac ſe mutat, quarum e tertiâ admiſtâ ambæ nigreſcunt. Videtur ſic verè *Chamæleontum* more quaſcunque impreſſiones aſſumere, ac iterum dimittere, ſolaque ſimplici commixtione varios exhibere ludentis artis in rerum natura jocos. Georg. de Sepibus *in Collegii Roman. Societatis Jeſu Muſæo*, p. 46. Vide quoque Athanaſ. Kircherii *Mundum Subterraneum*.

CHAMÆPI, Parochi & Paranymphi, apud Romanos, dicti ſunt

ſunt amici vel conſanguinei, quorum duo Sponſam, nocturno tempore, flammeo velatam & carpento ſeu pilento vectam, in domum mariti ſuum deducebant ac comitabantur. Thom. Dempſter. in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l. 2. paralipom. ad c. 19. Melius Chamæpus. Græcè Χαμαίπους, ſponſa (ut dictum in hac voce) quæ pedibus incedebat. Nobiliores enim Græcorum ſponſæ chedâ ad Sponſum vehebantur; cujus chedæ axis pro foribus comburebatur, argumentô conſtantiæ ac moderationis: ne conjunctionis alienæ, neve novi conjugii fluctuantem animum occuparet cogitatio, neve hac illac evagandi, quod vitium eſt fœminis maximè familiare, caperet impetus. Jul. Cæſ. Scaliger, Poetices l. 3. c. 101.

CHAMÆPUS, ſponſa nuncupatur, quæ non curru, ſed pedibus mariti domum petit. Cæl. Rhodig. l. 28. c. 24.

CHAMETÆRA, apud Plin. l. 36. c. 5. ubi inter Praxitelis ex marmore opera, recenſet Veſtam ſedentem laudatam in Servilianis hortis, duasque Chametæras circa eam, quarum pares in Aſinii monumentis: quibuſdam eſt ſcortum, cùm id Græcus plerunque id notet. Verùm quoniam Veſtæ pudicitiæ minimè conveniret, ſocias ei fœminas iſtiuſmodi infames adjungere, reddunt alii vocem, ſociam humi ſedentem, non in ſedili, à Græco χαμαὶ, humi & ἑταίρα, ſocia. Niſi quis putet in facie comitum Veſtæ expreſſiſſe Artificem, meretricum duarum, quas ſectabatur, imaginem. Quidam vero & Commotrias legunt, h. e. Ornatrices. Dalechampius ad l.

CHAMANI, vel CHAMAVI, populi German. Tacito, in Germ. c. 33. 34. & Ammiano, quos Ptol. Camanos vocat. Sunt qui eos Camino Pomeraniæ oppido nomen reliquiſſe ſuſpicentur, inquit Althamerus. H. Junio autem eſt Campen urbs Tranſiſalanæ ad oſtium Rheni oriental. Chytræo autem eſt Chamen, urbs Weſtphaliæ. Baudrando erant verſus Chaucos minores, qui Cluverio aliiſque habitabant, ubi nunc pars Diœceſis Monaſterienſ. & Paderborn. aliique Comitatus in vicinis, prope Amiſiam fluv. uti credit etiam Brietius.

CHAMBERIACUM, Metropolis Sabaudiæ, vulgò Chambery, quod Camerinum antiquis appellatum fuiſſe notat in ſua Sabaudia Paradinus: ſita eſt hæc urbs in regione antiquorum Antuatium: in ea Principes Sabaudiæ ferè degunt moramque trahunt, & in ea Parlamentum collocârunt. Merula. Mercl. Vide Cameriacum.

CHAMBES, fluv. regni Mogororum, fluvium Tamom ingrediens. Idem.

CHAMBRÆUS David, vide David.

CHAMBRÆUS Philippus, vide Philippus.

CHAMEN, urbs Weſtphaliæ, in Marchiæ Ducatu. Vide Chamavi.

CHAMEUNIÆ, Græcè χαμευνίαι, humi cubationes, culcita humi ſtrata, apud Julianum Antecesſ. Nov. 4. c. 4. quibus Aſcetæ olim Hebræorum Chriſtianorumque uſi, ut ſomnô partius defungerentur. Vide ſuprà, ubi de Aſcetis, item voce Camæ.

CHAMIERUS, vide Daniel Chamierus.

CHAMOAN, vel CHAMAAN, vallula juxta Bethlehem, in tribu Juda. Hieronym. in Loc. Hebr.

CHAMOIS, inferioris Ægypti Rex XIV. poſt Armyſen, præfuit ann. 12. Suphide II. adhuc apud Memphitas regnante. Eum excepit Ameſiſes. Joh. Marshamus Canon. Chron. ex Syncello.

CHAMOS, nomen idoli Moabitarum, cui Salomon, à peregrinis uxoribus ſeduci ſe paſſus, fanum, in excelſo monte, prope Hieroſolymam, extruxit, 1. Reg. c. 11. v. 7. aliis Chemoſh. B. Hieronymus in Eſaiam, c. 15. v. 2. In Nabo erat Chemoſh idolum conſecratum, quod alio nomine appellatur Beelphegor. Nicetas in Gregorium, dicit fuiſſe Veneris ſtatuam. Quidam putant, quod כמוש ſit Κῶμος Græcorum, Deus Comeſſationis, alii Bacchum. Vide Voſſ. de Idolol. l. 2. c. 7. Chanaan, fil. Cham. Gen. c. 10. v. 6. Bochartus eundem eſſe vult cum Mercurio, l. 1. Phaleg, c. 2. Primo, quia uterque Jovis fuit filius, i. e. Hami. Secundò, utrique à mercibus & mercatura nomen. Hebræis enim כנען Chanaan mercatorem ſonat. Tertiò, quomodo fratrum ſervus indigitatur Chanaan, ita Mercurium in cœlo Ethnici ſervilibus miniſteriis addixerunt, unde illa acerba illius apud matrem expoſtulatio in Luciani dialogo, in quo ſunt collocutores Mercurius & Maja: Quid non dicam ego, qui ſolus tot negotia ſuſtineo, quibus delaſſor ἀντὶ τοσαύτας ὑπηρεσίας διαμεριζόμενος, in tam multa miniſteria diſtractus. Me ſiquidem manè ſurgentem σαίροντα τὸ συμπόσιον δεῖ, verrere oportet convivii cœnaculum. Et cùm tribunal Ἐκκλησίαν ubi ſtravero, & ſingula compoſuero, Jovi eſt aſſiſtendum, ad perferenda illius mandata totâ die ſurſum & deorſum curſitando. Et paulo poſt, cum aliorum Jovis filiorum ſorte ſuam conferens, Hic quidem, inquit, Alcmenæ, ille Semeles filius, ambo miſeris mulieribus progeniti, ſecurè epulantur, at ego Atlantidis Majæ progenitus διακονοῦμαι αὐτοῖς, illis ſervio. Denique ſe talem eſſe queritur, ὥσπερ οἱ ἐν τῇ γῇ κακῶς δουλεύοντες, qualis ii, qui durum in terris ſervitutem ſerviunt. Huc facit, quòd à Pœnis שמש Sames, i. e. miniſter, & ab Etruſcis Camillus dicitur, i. e. ſervus deorum, aut miniſter. Nic. Lloydius.

CHAMUM, Urbs Germaniæ in Palatinatu ſuperiore ad amnem Nigrum, verſùs confinia Bohemiæ. Sed cum adjacente regiuncula peculiarem Comitatum conſtituit. 7. milliar. German. à Ratisbona. Vulgò Chamb.

CHANA Galilææ. Vide Cana. Juvenco, l. 2. Chanan.

CHANAAN, fil. Chami, cui Noachus tanquam indici, & primo auctori contumeliæ ſibi ob hoc illatæ, maledixit, Gen. c. 9. v. 25. reliquiſque cum tota poſteritate ſervum ſubjecit. Chryſoſtomus diras has in Gabaonitis impletas ſtatuit. Genebrardus Chananæos plurimoſque Africæ populos Regibus peregrinis Aſiæ Europæque propterea obnoxios aſſerit, Perſis nempe, Ptolemæis, Græcis, Romanis, Vandalis, Saracenis, Turcis, Arabibus. Alii credunt Propheticô ſpiritu prævidiſſe & prædixiſſe Noachum abominis eventum 7. populorum Chananæorum, & eorum deſtructionem, factam a Moſe, Joſua, Judicibus, & Regibus Iſraël. Hoc certum eſt, hodieque Chananitis hujus Chamique poſteros, in Oriente, pecudum more diſtrahi, & nudam, cum reliquo corpore, etiam illam partem oſtendere, quam abſcondi honeſtas jubet. Vide Chryſoſt. homil. 8. in Matth. Genebr. l. 2. Chr. A. C. 1657. Torniel. A. M. 1664. &c.

CHANANÆA, vulgò terra Sancta, cujus limites ſunt ad orientem Jordanes fluv. ad occidentem Ægyptus, & mare magnum, quod Mediterraneum dicitur; ad meridiem deſertum Arabiæ, ad aquilonem mons Libanus. Populi Chananæi, de quibus & eorum regione, vide Bochartum in Phaleg. l. 4. c. 34. cujus titulus eſt Chanaan, itemque, c. 36. quod eſt, de Chananæorum finibus.

CHANANEUS, Regulus Galiciæ, idem cum Theodomiro, A. C. 560. Arianam ſectam, cui prius addictus erat, è ditionibus ſuis exulare juſſit. Gregor. Turonenſ.

CHANANI, nomen viri. Nehem. c. 9. v. 4. Latinè præparatio, vel baſis mea.

CHANAO, Comes Britonum, tres fratres ſuſtulit, ut bona illorum ad ſe raperet, tertium Machlavum perſequens. Qui apud Comitem quendam regni latitans aliquamdiu, Epiſcopus Venetum evaſit, fratrique tandem ſucceſſit. Gregor. Turonenſ. Hiſt. l. 4. c. 3. & 4. & l. 5. c. 16.

CHANCÆUS Mauritius, vide Mauritius.

CHANDÆUS, vide Antonius Chandæus.

CHANDANACE, urbs Perſica. Gentile Chandanacenus. Steph.

CHANDANE, urbs Apuliæ. Steph.

CHANE, fluv. inter Albaniam, & Armeniam, à Cyro amne exceptus, mox cùm eſt factus navigabilis, in mare Caſpium erumpens. Strab. l. 11.

CHANEJUS Martinus, vide Martinus.

CHANGIUS, Chamus, condidit regnum Cathaicæ ampliſſimum, nomine Magnæ Tartariæ; poſt excuſſum Sinenſium jugum. Suos juſſit unum Deum colere. Circa A. C. 1203. Obiit A. C. 1207. relictis duodecim filiis, quorum natu maximus Hogotius Chamus ſucceſſit. Peucerus in Chron.

Rabbi CHANINA, Præſes Scholæ in terra Iſraëlis poſt obitum Rabbene a Kodeſch, ſecul. ult. Millenarii IV. juxta calculum Rabbi Ganz: Ei ſucceſſit Rabbi Johannes, qui compoſuit Thalmud Babylonicum. Vide Chronologiam Rabbinorum citat. Rabbi Ganz.

CHANORICUM, Urbs Scotiæ Boreal. Chanonry, ſedes Epiſcopi Roſtenſis, in Roſſiæ provinc. juxta æſtuarium Moray Firth, in ora Orientali Scotiæ, ex adverſo Moraviæ provinc. 4. milliarib. Scoticis ab Invernio, 6. à Cromartio in Auſtrum.

CHANOTH, vide Hanoch.

de CHANTECLER Carolus, vide Carolus.

CHANTELUPIUS Nicolaus, vide Nicolaus.

CHAONES, Epiri populi, à quibus Chaonia regio dicta. Nunc Canina, à caſtro cognomine intra montes. Extenditur ab Oricio ſinu Buthrotum uſque, verſùs oram maris Ionii ſubeſtque dominio Turcarum. Baudrand. Chaoniam autem Helenus Priami filius à Chaone fratre, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidiſſe, nominavit, quaſi ad ſolatium fratris extincti. Fuit propriè montana pars Epiri, licèt quandoque ſumatur pro totâ. Virg. l. 3. Æn. v. 335.

Chaoniamque omnem Trojano à Chaone dixit.

Ibi ſylva Chaonia columbis abundans. Virg. Eclog. 9. v. 13.

—— Carmina tantum
Noſtra valent, Lycida, tela inter martia, quantum
Chaonias dicunt, aquilâ veniente, columbas.

Propert. l. 1. El. 9. v. 5.

Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ.

Ovid. De Arte, l. 2. v. 150.

Quasque colat turres Chaonis ales habet.

Quòd autem in Epiri illo nemore columbæ dare reſponſa dicantur, Servius ideò fingi putat, quia linguâ Theſſalâ Peliades & Columbæ vaticinatrices vocantur. Hinc victus Chaonius, i. e. glandium cibus. Ceres apud Claudian. l. 3. De Raptu, v. 47.

Chaonio ſtatuo gentes avertere victu.

Virg. l. 1. Georg. v. 8.

Liber & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſtâ.

Et l. 2. Georg. v. 67. Chaoniique patris glandes; i. e. Jovis Epirotici. Servius. Nam & Jupiter Chaonius. Val. Flac. l. 1. v. 303.

—— —— Dodonida quercum,
Chaoniique vides famulam Jovis.

Ni. Lloydius.

CHAONIA, Comagenæ urbs in Syria. Ptol.

CHAONITIS, Aſſyriæ regiuncula. Strabo.

CHAOS, rudis & inordinatæ materiæ confuſa congeries. Poëtæ ajunt, Chaos in principio fuiſſe, i. e. confuſionem rerum, atque elementorum. Poſteà verò Deum diremiſſe illam congeriem, ſingulisque rebus ex confuſo acervo ſeparatis, in ordinemque deſcriptis inſtruxiſſe mundum pariter, & ordinâſſe. Vide Ovid. l. 1. Metam. Virg. l. 4. Georg. v. 347.

Atque Chao denſos divum narrabat amores.

Lactant. *Inſtitut. l.* 2. *c.* 5. *Heſiodus non à Deo conditore ſumens exordium, ſed à Chao, quod eſt rudis inordinatæque materiæ confuſa congeries.* Dictum autem putant nonnulli à χάω *fundo. Heſych.* χάω· χωρέω. Lucan. *l.* 1. *v.* 74.

Antiquum repetens iterum Chaos ——

Cui Etymo favere videtur illud Philonis, *ubi* Α'φθαρσίας κόσμου. Τὸν ἢ χρόνον ... χάω ... Chaos autem procul dubio ab antiquo χάος, pro χαῖνω *dehiſco*. Ritterhuſio autem, *notis in Gunther.*, placet eſſe à חשך i. e. *caligavit*. Sanè *Gloſſæ Cyrilli* χάω *tenebræ*. Et Prudentius tenebras eâ voce deſignat, *Hymno* 5. *Cathemerinôn*, *v.* 3.

Merſo ſole, Chaos ingruit horridum,
Lucem redde tuis Chriſte fidelibus.

Inde atrum Chaos Senecæ, *in Agamemnone*, *Actu* 3. *v.* 487 & cæcum Chaos eidem, *in Octavia*, *Actu.* 2. *v.* 391. Denique *Cimmerium* Chaos Statio, *l.* 3. *Silv.* 2. *v.* 92. Apud Ariſtoph. verò *in Nubibus*, & *Avibus* ponitur pro aëre, & ſic exponit Scholiaſtes, alludit quoque locô hôc Ibycus,

Πωτᾶται ἢ ἐν ἀλλοτρίῳ χάει.

Vetus interpres Bibliorum Lucæ, *c.* 16. *v.* 26. Spatium quod inter cælos, inferoſque eſt, & χάσμα Evangeliſta dixit, *Chaos* appellat, quem malè in eo reprehendi ſummus vir H. Grotius ad eum locum oſtendit. Itaque hanc vocem etiam *Fauſtus Rhegienſis* uſurpavit. *Nic. Lloydius.*

CHAPHTHIS, in tribu Juda. Hieronym. *in Loc. Hebr.*

CHAPOTENSIS Moneta, apud Scriptores rerum Gallicarum ſpecies aureæ monetæ, quam cum *Chate* eandem fuiſſe conjicit Car. du Freſne; qui *Chapotenſes* contractè, quaſi *Chatus Pictavenſes*, Gall. *Chats de Poitou*, quod apud Pictones potiſſimùm cuderentur, dictos putat, *in Gloſſar.*

CHAPUSIUS Gabriel, vide *Gabriel.*

CHARABE, Galilææ ſuperioris vicus, prærupto ſitu, in tribu Nephthalim. *Joſeph.*

CHARACA, Phrygiæ locus. *Strabo.*

CHARACENA, Suſianæ regio. *Ptol.*

CHARACENUS Iſidorus, vide *Iſidorus.*

CHARACENI, Tauricæ regionis populi ab oppido Charace ſic dicti, quod inter hujus regionis urbes commemorat *Ptolemæus.*

CHARACENUS, vide *Iſidorus Characenus.*

CHARACINA, Ciliciæ regiuncula. *Ptol.*

CHARACMOBA, vel *Moboucharax*, urbs Palæſtinæ *Ptol.* Vide *Steph.* A' nonnullis Arabiæ accenſetur. *Stephan.* Χαρακμῶβα πόλις ... Παλαιστίνης, ... *Characmoba urbs nunc tertiæ Palæſtinæ, quam Ptolemæus Geographicorum quintô inter Arabicas numerat.* Nempe pars Arabiæ Petrææ in nomen ac cenſum tertiæ Palæſtinæ cum tempore conceſſit: *Characmoba* autem haud longè à Petra oppido unde Arabiæ illi nomen. Aliàs Μωβουχάραξ, ſeu conjunctim *Mobouxcharax*: ſicut Χαρακμωβα & Σπασινουχάραξ, inter Tigris & Eulæi fluminum oſtia, à *Ptolemæo* memoratur. Eſt autem χάραξ, propriè *Ϛαυρῶμα*, ſeu ..., *vallum ſeu locus caſtrorum*, quod Latini recentiores *Sudatum* dixêre: unde plurimis urbibus nomen indi conſueviſſe, dicemus infrà in voce *Charax.*

CHARACOMETES, fluv. Aſiæ, *Athenæus.*

CHARACONDIUS Gregorius, vide *Gregorius.*

CHARACTERES Magici, *Lunatia Maleficia*, qualibus ab initio rerum Magices vetitæ ſtudioſi homines mala, multa bona ſibique invicem intulerunt, *infauſta figura* appellantur Statio, *Theb. l.* 2. *v.* 277.

—— —— *notique operum Telchines amicâ*
Certatim juvêre manu; ſed plurimus ipſi
Sudor. ibi arcanò florentes igne ſmaragdos
Cingit, & infauſtas percuſſum adamanta figuras,
Gorgoneoſque orbes.

Qua de re notârunt multa viri docti, ſtudiò illuſtrandæ Antiquitatis, multis ſe malignîſque furtis ſuſpicionibus vulgi exponentes. Divinum verò, quodque ægrè vel omnino non homo ullus perfecerit, *Adamantem* ſignare pro moneta. *Percuſſum* enim eam rationem indicat, quòd monetis faciendis verbum ſit peculiare, Juvenalis *ferire* dixit, *Sat.* 7. *v.* 55. *Inſcribere* Claudianus, *Ruffin. l.* 3. *v.* 342.

Inſcribi propriis aurum fatale figuris.

Characteres, ſequens ætas. Vide Barthium *Animadverſion. ad Statium d. l.* & in hanc rem plura infrà, in voce *Dæmon*, item *Magia.* Magos imitati ſunt Hæretici, qui hujuſmodi characteribus inconditis inſolitiſque credulum vulgus ad ſuperſtitionem pellicere non rarò conati ſunt, de quibus vide aliquid, ubi de *Baſilidianis*, *Borboritis*, &c.

CHARADNÆ, Carmaniæ gens. *Ptol.*

CHARADRA, urbs Phocidis, non procul à Lilæa, gentile *Charadræus. Steph.*

CHARADROS, apud Papin. Statium, *Thebaid. l.* 4. *v.* 46.

Quaque pavet longâ ſpumantem valle Charadron
Neris ——

Fluvius eſt Peloponneſi, quo Neris oppid. alluebatur. Lutatius, *Neris Civitas Peloponneſi, quæ flumine Charadro circumcirca raditur.* Fuit autem Neris civitas Meſſenes memorata *Stephano*, qui idem & *Charadri* amnis meminit, ut & Pauſan. in *Meſſeniacis*: Quo & *Charadrum torrentem* celebrat *Corinthiacis*: & amnem *Charadrum*, *Achaicis*; ex quo potantia pecora maximam partem credit fuerunt marem ſobolem gignere, ideoque ad eum non niſi bovinum pecus agi conſuetum, quod ad opera boves magis aptiores ſint, quàm fœminæ. Alius eſt torrens, qui neutrà ſe procedit, ut natantia etiam ſaxa avertat, dictus eidem Statio, *Thebaid. l. cit. v.* 712. & *ſeqq.*

Aret Lerna nocens, aret Lyrcius, & ingens
Inachus, advolvenſque natantia ſaxa Charadros,
Et nunquam in ripas audax Eraſinus, & æquus
Fluctibus Aſterion, ille alta per avia notus
Audiri, & longè paſtorum rumpere ſomnos.

Quibus ultimis verbis Charadrum eundem innui, docet Barthius *ad loc.* Idem nomen urbis, vide in voce *Characenus.* Græcis χαράδρα & χαράδρα, propriè *foſſa* eſt, ſeu potius *foſſatum*; unde ille in Cilicia χαράδρος λιμὴν ἢ ἐπίνειον. Sic *Charadrum Ambraciæ*, pro portu, dixit *Ennius*: quod & fortè nomen Ambraciæ portui fuerit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1108. Indidem & *Charadrius* avis nomen, quaſi ἐν ταῖς χαράδραις, *in hiatibus prope amnes & torrentes*, nidificet, quaſi *hiaticula*, uti vocem Gaza reddit, apud Philoſophum *Hiſtor. l.* 9. *c.* 19. Vide quoque Ariſtophanis Scholiaſtem *in Avibus.* Unde, cùm apud eundem Nephelococcygium urbem aves in *Nubibus* ædificent,

Ὕδωρ ἐφόρουν κάτωθεν εἰς τ' ἀέρα
Οἱ χαραδριοὶ, ἢ τ' ἄλλα ποτάμι' ὄρνεα.
Aquam ex inferioribus locis in aërem portabant
Charadrii, & aliæ aves fluviatiles, &c.

Vide Bochart. *Hieroz. Parte poſter. p.* 340.

CHARADRUS, oppid. fuit Aſiæ minoris in Cilicia aſpera, in ordine littorali, 20. milliar. ab Antiochia ad Tragum, in Ortum, 30. ab Anemurio promontor. in Occaſum, ex adverſo Inſulæ Cypri.

CHARADRUS, fluv. Phocidis, Charadream urbem Lilææ proximam alluens, & in Cephiſſum influens, brevis decurſus. Pauſan. *l.* 10. cujus meminit Stat. *Theb. l.* 4. *v.* 46.

Quaque pavet longâ ſpumantem valle Charadrum
Neris.

Idem *eòdem l. v.* 712.

—— —— *ingens*
Inachus, advolvenſque natantia ſaxa Charadrus.

Eſt & fluv. Ciliciæ cum lacu cognomine, cujus aqua mares gignere facit. Ubi oppid. ejuſdem nominis.

CHARÆADAS, Euphileti filius, cum Lachete Dux miſſus eſt, cum imperio viginti navium, in Siciliam, ubi tamen occubuit. Vide Thucyd. *l.* 3. & 4.

CHARAN, vide *Garrha.*

CHARANDÆI, populi juxta Pontum. Orpheus in *Argonaut.*

CHARANDES, Tyrius, apud Athenienſes legiſlator, qui legem tulit, ne quis armatus veniret in concionem. Vide *Charondas.*

CHARANDRA, ſinus maris Arabici ad Arſinoën urbem. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

CHARAUNI, Scythiæ extra Imaum gens, & oppid. *Ptol.*

CHARAX Pergamenus, Sacerdos, & Philoſophus, *Suida* teſte, condidit *Hiſtoriarum Græcarum libros* 40. in quorum ſecundo Auguſti Cæſaris memoriam celebrat, ὡς παλαιᾶς ..., *tanquam antiqui.* Unde, eum multò poſt Auguſti ævum vixiſſe colligitur. Secundum Ε'λληνικῶν adducit quoque Steph. in Α'ὀρνεία & Ταναγρά. Condidit & Χρονικά, quorum ſecundum idem citat in Α'γραία. Apud Euſtath. etiam in 1. *Il.* citatur ὁ Χάραξ ἐν ... *Lampſacenus* vocatur Lilio Gyraldo, *Dialogô* 2. *de Poetis.* Verùm Suidas in Χάραξ adducit epigramma antiquum, ubi *Pergamenus* dicatur. Incipit illud,

Εἰμὶ Χάραξ ἱερεὺς γεραρῆς ἀπὸ Περγάμου ἄκρης.

Fortaſſe Gyraldo obverſabatur Charon Lampſacenus. Non de nihilo verò eſt, quòd *Etymologus* diſtinctè dicat, Χάραξ ἱστορικός ...; Quomodo & Suidæ in ὑπογραφῇ bis vocatur. Nam fuit prætereà alter *Charax*, Grammaticus, cujus item in Στέφανο meminit. *Nic. Lloydius.*

CHARAX, Armeniæ minoris oppid. & Parthiæ quoque. *Ptol.* Item Cretæ promontorium *Curopalata*, & Suſianæ urbs ad ſinum Arabicum, *Ptol.* Primum *Alexandria*, ab Alexandro ejus conditore, dein *Antiochia* ab ejus reſtauratore: & tandem *Paſine* (*Spaſine* legit *Pintianus* ex *Stephano*) dicta fuit, autore Plinio, *l.* 6. *c.* 27. *Paſine* habet hôc locô Arriani *Periplus.* *Tapaſine* legitur apud *Xiphilinum*, fortaſſe malè junctô Græcô articulô. *Carmen* vocat Pinetus, in *ſuo Plinio Gallico.* Quibuſdam *Camata*, *Vicus Pellens* ſeu *Vallum Braſiorum P. de Via.* Hermolaus, *in Plinianis caſtigationibus*, citat Indicam quandam incerti autoris Hiſtoriam, in qua legitur *Diridotum*, quandoque dictam, ſed hoc ita non eſſe, ex *Arriano* compertum eſt, qui *Diridotum* ad oſtium Euphratis fluvii deſcribit, ubi Teredon *Ptolemæi* eſt, ejuſdem ferè ſoni, & paucis litteris mutatis oppidum. Inter Teredonem & Moſeum fluv. ex adverſo Arabiæ ſita eſt. Ab ipſa autem regio adjacens *Characene* dicta. Addo, quòd primigeniâ notione χάραξ Græcis *foſſam* notat, ἀπὸ τοῦ χαράσσειν, quod eſt *cavare* & *fodere.* Inde *vallum*, porro *exercitus vallo incluſus*, vel *caſtra*: unde multis urbibus ac locis nomen hæſit, in quibus aliquando exercitus caſtra metati eſſent. Sic

 prætere

præter ea quæ diximus in hac voce ✝ *Charax*, urbs Parthiæ fuit, in quam Mardos errones coëgit Phraates ; item alia ad Perſicum Sinum, quæ & *Σπασίνου χάραξ*; alia in Palæſtina, quæ & *Μωάβ χάραξ*, & *Χαραχμωβά*. Vide ſuprà. Quomodo multis in Europa urbibus *Caſtrorum* nomen factum eſt, quæ hodieque id nomen retinent. Et Paſagardas, Perſiæ urbem, Anaximenes dictos voluit, quaſi *Περσῶν στρατόπεδον*, *Perſarum Caſtra*. Ibi enim Medi & Aſtyages à Perſis victi, Onò Dicte. *Chagad* item locus vocatus eſt, Numer. c. 33. v. 32. in quo caſtra metati ſunt Iſraëlitæ ; ab Hebr. *exercitus* &c. Latini recentiores *χάρακα*, *ſudatum* dixêre, à *ſude*: ſed & Græci recentiores *Σοῦδαν* appellant *foſſam*. Quia enim caſtra valló & foſſâ circumcingebantur, alterum pro altero ſumpsêre. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1202. & 1203.

CHARAX, locus Alexandriæ juxta Celænas Phrygiæ, ubi Alexander magnus caſtrametatus eſt. *Nicetas*

CHARAX, maximum emporium prope Nicomediam, in ejus ſinu. Eſt & alius locus Ponticæ regionis. *Steph.* & *Ptol. Caragrosi Mercatori*, *Giraconda* verò *Nigro*.

CHARAX, Cariæ urbs, quæ nunc *Tralle* *Steph.*

CHARAXES, ſive CHARAXUS, Herodoto, *l.* 2. vir Mitylenæus, frater Sapphûs poëtriæ, qui captus Rhodopes meretricis amore, ejus causâ opes ſuas omnes dilapidavit, & ad ſummam redactus inopiam piraticam exercuit. Ovid. *in Epiſt. Sapphûs*, *Heroid.* 15. *v.* 117.

Gaudet, & è noſtro creſcit mœrore Charaxus,
Frater, & ante oculos, itque reditque meos.

Et paulo antè, *v.* 63.

Arſit inops frater, victus meretricis amore,
Mixtaque cum turpi damna pudore tulit,
Factus inops, agili peragit freta cærula remo,
Quaſque male amiſit, nunc male quærit opes.

CHARBANUS, Medorum mons. Plin. *l.* 6. *c.* 27

CHARCÆ, populi Americæ meridionalis in parte Auſtrali regni Peruviæ, verſus mare Pacificum, & regnum Cales, intra montes : ſub dominio Hiſpanorum.

CHARCHAMISH, Eſaj. c. 10. v. 9. lege *Charchemiſh*. Aliis *Charcamis* & *Charmande*, oppid. Arabiæ deſertæ, in confinio Chaldeæ, prope montes Babylonios, multis milliarib. ab Euphrate. *Baudrand.*

CHARCHAI, nomen Eunuchi Regis Ahaſueri. Eſther, c. 1. v. 10 lege *Charshena*.

CHARENTON, burgus cultiſſimus Galliæ, cum ponte, ad Matronam fluv. qui paulo infrà in Sequanam ſe exonerat, apud Pariſios, inde duobus ferè milliaribus diſtans, echo celebris, quæ ibi duodecies redditur. In agro Pariſino. Vide *Carentonum*

CHARES, Athenienſium Dux, ad promittendum facilis, & promptus ; Unde proverbium natum *Charetis pollicitationes*. *Suidas*, & Eraſm. Adag. *tit. magnifica promiſſa*. Fuit & *Chares* Lydius ſtatuarius, Lyſippi diſcipulus, qui Rhodi Solis coloſſum fecit. Plin. *l.* 34. c. 7. Fuit & *Chares*, teſte Plutarchô *in Artaxerxe*, qui in bello Cyrum vulneravit. Denique *Chares* Mitylenæus Hiſtoricus fuit, qui & ipſe *de rebus ab Alexandro geſtis* opus condidit. Citatur ab Athenæo, *l.* 1. 3. 5. 10. 11. 12. & 13. Item Plutarcho *in vita Alexandri*; ubi *Εἰσαγγελεύς* vocatur, uti & Gellio, *l.* 5. *c.* 2.

CHARES, Athenienſis, militavit Dario ultimo Perſarum Regi, ac Mitylenen duorum millium Perſarum præſidiô tenuit : obſeſſus ab Amphotero & Egilocho, pactus ut incolumi abire liceret, urbem tradidit. Curt. *l.* 4 *c.* 5.

CHARES, fluv. Belgicæ, Fortunato, *Carm. l.* 7. *carm* 4. memoratus.

Iſara, Sara, Chares, Scaldis, Saba, Sumena, Sura,
Seu qui Mittin adit, de ſale nomen habens.

Frodoardo *Chera* dicitur, *Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis*, *l.* 4. *c.* 33. Sigeberto *Carus*, vulgo *le Chier*. Hic fluv. montem Maledictum *Montmedy*, Carantiacum, *Chavanci*, Epoſium pagi Vabienſis caſtrum alluit, ad 8. milliar. à Monaſterio Baſilicaque S. Martini & Duciacum ad Prata, *Douzi les Prez*: ac demum Moſæ confunditur ; paulo infra Duciacum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CHARETERIUS Matthæus, vide *Matthæus*.

CHARETES, Peloponneſi fluv. circa Argiam. Plut. *in Arato*.

CHARIANDER, Archon Athenis ; Olympiadis centeſimæ primæ annô primô.

CHARIATA, oppid. Arabiæ Felicis. *Ptol.*

CHARIATUM, urbs parva Calabriæ citerioris in regno Neapolitano & ora Sinus Tarentini. Melius *Cariatum*, quod vide.

CHARIBAEL, Græcè *Χαριβαήλ*, Homeritarum & Sabaitarum ſeu Sabæorum Rex, apud Auctorem *Peripli*, de quo vide Salmaſ. ubi ſuprà. *p.* 496. 498. 499. & 1186.

CHARIBERTUS, ſeu CHEREBERTUS vel *Aribertus*, Rex Pariſiorum, ſucceſſit Patri Clothario I. A. C. 561. Uxorem ſuam Ingobergam vel Nigebridam repudiavit, ductâ Meroflедâ, hujuſque paulo pòſt ſorore Marcoëfâ, jam Moniali, utraque Carminatoris cujuſdam filiâ. Quibus ſuperinduxit Theodegildam ; vel Theudechildam, paſtoris filiam. Hinc ab Epiſcopo Pariſienſi ſacris prohibitus, pauló pòſt in Xantonia, obiit A. C. 570. regni 9. Ex legitima uxore pater Berthæ, vel Edilbergæ, quæ Ethelbertum, Cantii R. maritum ad fidem perduxit. Greg. Turonenſ. *l.* 4. Aimoin. *l.* 3. Sigebert. *in Chron.*

CHARIBERTUS, Aquitaniæ Rex filius Clotharii II. ex Sichilde. Huic primogenitus Dagobertus, Xantonum, Petrocorium, Aginnenſem, & Tholoſanum tractum, totam denique terriam Aquitaniam, appenagii locô, conceſſit. Tholoſæ itaque ſedem fixit, ſed illico mortuus eſt, A. C. 637. Chilperico fil. ſimiliter in cunis extinctô. Fredegar *Chron. c.* 5. Aimoin. *l.* 4. c. 17. Item, Comes Laudunenſis, pater Berthæ vel Bertradæ, quæ Pipino nupta, Caroli M. mater extitit.

CHARICLES, ex triginta tyrannis Athenis, à Lacedæmoniis impoſitis unus, qui ad amplificandam ſuam potentiam collegis reliquis præ promptiſſimè adulabatur. Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 6. Qui apud Rerum conditores palmam ſævitiæ cum Critia poſſidet. Ejus quoque meminit Xenophon, *l.* 1. *Memorabil.*

CHARICLES, Medicus arte inſignis, non quidem regere valetudinem Tiberii ſolitus, conſilii tamen copiam præbere. Is Gn. Acerronio & C. Pontio Conſulib. velut propria ad negotia digrediens & per ſpeciem officii manum complexus pulſum venarum attigit ; ac labi ſpiritum, nec ultra biduum duraturum Macroni firmavit. Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 50.

CHARICLES, Athenienſis factionis Caſſandrinæ, abſens à populo capitis damnatus.

CHARICLIDES, Archon Athenis, Olympiadis centeſimæ quartæ annô ſecundô.

CHARICLIDES, à Dionyſio Juniore copiis præfectus militaribus, ſed à Dione adſumptus ad dejiciendum tyrannum ſocius. Diodor. Sic. *l.* 16.

CHARICLO, filia Apollinis, Chironis Centauri, vel Scironis, ut alii volunt, uxor. Ovid. *l.* 2. *Met. Fab.* 10. *v.* 635.

Ecce venit rutilis humeros protecta capillis
Filia Centauri, quam quondam nympha Chariclo
Fluminis in rapidi ripis enixa, vocavit
Ocyroen, —— ——

CHARIDEMUM, promontor. Hiſpaniæ Tarraconenſ. in Bæticæ confinio, ſic appellatum, ab achate lapide pretioſo, qui ibi reperitur. *Cabo de Gates*, *Cluſio*; portus quoque ejuſdem nominis ſequitur apud *Florianum*, qui eum hodie *Porta Carbonera* appellari ait. Vide Bochartum, *de Phœn. col. l.* 1. *c.* 34.

CHARIDEMUS, ultimus Sacerdos Jovis Cranii, regnum Sicyoniorum, ab hiſce adminiſtrari ſolitum, profugus deſeruit, quod impenſis par non eſſet. Euſeb. *in Chron.*

CHARIDEMUS, Dux Cherſobleptæ Thraciæ Regis militum. Demoſth. *contra Timocratem*. Polyæn. *l.* 3. *c.* 14. Fuit quidam etiam Romanus feris objectus. Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 44. *v. ult.*

CHARIDEMUS, Athenienſis, ab Alexandro M. exulare juſſus, *ἐς τὴν Ἀσίαν παρὰ βασιλέα Δαρεῖον ἔφυγε*. Arrian. *Hiſt. l.* 1. Qui magno uſui Perſis fuit, donec ob linguæ libertatem, juſſu Darii interfectus eſt. Diodoro dicitur *[illegible]*. & Curtio, *l.* 3. *c.* 2. *belli peritus, & ob eculium infeſtus Alexandro, quippe Athenis jubente eo fuerat expulſus*. Vide Lloydium.

CHARIDES, vel CHARICLES, de Machinis ſcyphis, Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 48. §. 9.

CHARIEN, fluv. Themiſcyrenæ. Plin. *l.* 6. *c.* 4. *Χαρίεις* Arriano.

CHARILAS, una ex 3. ſolennitatibus nonô quoque annô Delphis olim celebrari ſolitis, apud Plut. *in Quæſtion. Græc.* *Τρεῖς ἀγουσι Δελφοὶ ἐνναετηρίδας κατὰ τὸ ἑξῆς, ὧν τὴν μὲν Σεπτήριον καλοῦσι, τὴν δ' Ἡρωΐδα, τὴν δὲ Χαρίλαν.* *Delphi tres deinceps nonô quoque annô agunt ſolennitates, Septerium, Heroida & Charilam.*

CHARILAUS, ſeu CHARILLUS, fil. Polydectis Spartanorum Regis poſtumus, à patruo Lycurgo, qui poſt fratrem regnavit menſes 8. tum demum natus, ad 25 ætatis annum magna cum cura educatus eſt, poſtquam illum, rarô fidei amorisque exemplô, cum ei propria mater Regiam necem pararet, in vita conſervâſſet. Jam adultus, Argivorum, (quibus primum bellum, Ducibus Labotâ Agidâ, & Prytane pronevô Proclidâ, bellum indixerant Spartani) agrum igne ferróque vaſtavit ; dein Tegeatas aggreſſus, *Χρησμῷ κιβδήλῳ πιστεύσας*, *captioſo fretus oraculô* (quod exhibet Herodotus, *l.* 1. *c.* 66.) ſed ab illis, quibus etiam fœminæ ſe junxerant, victus captuſque, ac cùm ſe jurejurandô obligâſſet, bellum Tegeatibus non amplius illaturum, gratis dimiſſus eſt, nec tamen fidem ſervavit, Pauſan. *Arcadicis*. Inde Archelao, ex altera familia Regi, in exſcindenda Ægy. urbe finitima, adfuit. Pauſan. idem *Laconic.* Obiit annô regni 64. Nicandrô filiô ſucceſſore. Vide *Archelaus*, *Labotas*, *Polymeſtor* &c. plura verò apud Clem. *l.* 1. *Strom.* Plut. *in Lycurgo*. Juſtin. *l.* 3. Pauſan. *loc. cit.* Euſeb. &c. Item alius, qui apud Herodot. *l.* 3. fratrem ſuum Mæandrum perduxit, ad arma contra Perſas ſumenda.

CHARILAUS, Spartanus, tyrannidem convertit in Ariſtocratiam. Vide Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 12. Herodot. *l.* 2.

CHARILAUS, Lacedæmonius nobilis ; comæ nutriendæ ſtudioſus, qui interrogatus, cur comam nutriret, reſpondit : *Quia ex omni ornatu hic foret pulchrior, venuſtiorque ac ſumptus minimi*. Idem interrogatus, cur admodum paucas leges ſanxiſſet Lycurgus : *Quia*, inquit, *pauca dicentibus, paucitas legum ſufficit*. Cœl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 4 *ex Plut.*

CHARILUS, Dux Lacedæmoniorum, Tegeatas ſuperavit, author Pauſan. apud *Volaterr.* fortè *Charilaus*, cujus meminit Strabo, *l.* 12. Vide ſuprà.

CHARIMATÆ, populi intra Pontum. *Steph.*

CHARIMENES, Mileſius, cùm in Phaſelidem confugiſſet, ſupervenientibus ei longis navibus Periclis Lycii, habitu alio aſſumptô, pedes per regionem Periclis evaſit. Polyæn. *l.* 5. *c.* 42.

CHARINADES, nomen Senis, apud Ariſtophan. *Veſp.* ob tarditatem inceſſus notabilis p. 445. B.

CHARINDA, Mediæ fluv. *Ptol.*

CHARINI, rectiùs CARINI, populi German. fuêre, & pars Vindiliorum. Plin. *l.* 4. *c.* 14. *Ptolem.* Habitabant inter Rugios, Sidenos & Guthones, ubi nunc pars Borealis Marchiæ Brandeburgicæ.

CHA-

CHARIOPOLIS, Urbs Peloponneſi in Laconia; *Cheropoli. Leunclav.*

CHARIPHRON, unum oſtiorum Indi fluv. *Ptol.*

CHARIS, Vulcani Lemnii uxor.

CHARISIA, urbs Arcadiæ. *Stephano* à *Chariſio*, Lycaonis filio, dicta.

CHARISIUS, Atticus orator. Cicer. *in Bruto*. Itemque Grammaticus, cujus meminit *Priſcianus*. Ejus Inſtitutiones hodie habentur, quæ in Grammaticorum veterum corpore Putſchii primum locum obtinent.

CHARISIUS, Philadelphicæ Eccleſiæ Presbyter, Symbolo fidei à Neſtorianis conſcripto ſubſcribere nolens, eorumque proin ope depoſitus, querelam defert ad Concilium Epheſinum. Vide *Seſſ. 6.* Item, Clericus quidam Conſtantinopolitanus, ob vitam ſcandalis plenam, divinitùs punitus. Niceph. *l.* 15. *c.* 13. Theodoret *l.* 2.

CHARISPA, urbs Aſiæ & Bactrianæ regia, ad Oxum fluv. Vide *Zoriaſpa*.

CHARISTAS, fluv. Colchorum in Euxinum influens. *Charus* Straboni, *Charien* Plinio, *l.* 6. *c.* 4. *Tamaſa* hodie *Negro*. Vide *Chariſtus*.

CHARISTEÆ Columnæ, apud Jul. Capitolin. in *Gordiano tertio*, *c.* 32. Et Iſidor. in *Origin.* pro *Caryſtiæ*. Vide in *Caryſtos*.

CHARISTHA, Græcè Χάρισθα, oppid. Arabiæ, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 491.

CHARISTIA, feſta erant apud Romanos, in quibus cognati, & conſanguinei convenire ſolebant, & invicem mutua dona dare. Hæc autem fiebant 11. Cal. Mart. Ovid. *l.* 2. *Faſt.* v. 617.

> *Proxima cognati dixêre Chariſtia Chari,*
> *Et venit ad ſocios turba propinqua deos.*

Val. Max. *l.* 2. *c.* 1. *ex* 8. *Convivium etiam ſollenne majores inſtituerunt: idque Chariſtia appellaverunt: cui præter cognatos & affines nemo interponebatur.*

CHARISTUS, Colchorum fluv. nunc Mingreliæ, in mare Euxinum ſe exonerans, inter Æapolim ad Boream, & Phaſim ad meridiem. *Charien* Plinio dictus, *l.* 6. *c.* 4.

CHARITAS, oppid. Galliæ in Nivernenſ. provinc. cum ponte lapideo, ad Ligerim fluv. & Prioratu diciſſimo Ordin. Cluniacenſis, 6. leuc. infra Nivernum in Boream.

CHARITAS, vide *Caritas*.

CHARITAS, Ordo ſacer in communione Romana à Joh. de Dieu inſtitutus, ad ægrotis inſerviendum. Spond. A. C. 1520. à Paulo V. confirmatus, A. C. 1617. *Charitas Chriſtiana*, Ordo, ab Henrico III. Franciæ & Poloniæ Rege inſtitutus, in uſum militum, in bellis mutilatorum: ſed, Rege morte præventô, executione caruit. Favyn. *l.* 3. Lemma hoc debebat eſſe, *Pour avoir fidellement ſervi*. Moert. *Charitas S. Virg.* Ordo, à Guidone, Domino Joinvillæ, inſtitutus, à Bonifacio VIII. & Clemente VI. confirmatus. Huic Pariſiis locus obtigit, ubi ædes olim Judæi cujuſdam, qui hoſtiam ſcalpellô perfoderat, A. C. 1290. *Spondan.*

CHARITAS Julia, vide *Julia*.

CHARITATIS Familia, nomen, quod ſibi nefariæ veterum Gnoſticorum ſectæ reliquiæ quibuſdam in locis, ſumunt. Poſtquam enim à Simone Mago Gnoſtici prodiêre, quintum inter alia dogmata furoris plena illud inprimis fuit, *liberè omnia agenda eſſe, nullius rei ullo timore habendo*. Irenæus *l.* 1. *c.* 1. Infamem hanc hæreſin, ſub Gratiano Imperatore A. C. 381. amplexi ſunt in Hiſpaniis Priſcillianus ejuſque aſſeclæ: intermortuam poſtmodùm reſuſcitârunt, ſeculô præteritô ex Anabaptiſtis illi, qui ſe *Spirituales* dicebant, vulgò *Libertini* nuncupati: Cujus nefariæ ſectæ reliquiæ adhuc eſſe dicuntur, in quibuſdam locis, apud ſceleſtos quoſdam homines, qui *Charitatis Familiam* ſeſe vocitare conſuevêre. Vide Joann. Forbeſium, *Inſtructionum Hiſtorico Theologic. l.* 12. *c.* 9.

CHARITES, ſeu GRATIAS quidam ex Venere & Jove genitas ſcripſerunt, alii ex Venere, & Libero. Cicero ex Erebo & nocte ortas exiſtimat. Statii Scholiaſtes, *in primum Thebaidos*, Jovis & Autonoës filias putat. *Heſiodus* Jovis & Eurynomes filias ſcribit. Tres ſunt, *Aglaia* (quæ & *Paſithea*) *Thalia*, *Euphroſyne*. Tot autem ideò eſſe prodiderunt, quia & benefici eſſe in alios debemus, & aliorum beneficia ſuſcipere, & iis, qui in nos fuerunt liberales, retribuere, quæ tres actiones ſunt ſeparatæ. *Muſæus*.

> —— Οἱ δὲ παλαιοὶ
> Τρεῖς χάριτας ψεύσαντο πεφυκέναι, ὡς δὲ σὺ Ἥρως
> Ὀφθαλμὸς γελόων ἑκατὸν χαρίτεσσι τεθήλει.

Ariſtænetus, *l.* 1. *ep.* 10. Καὶ τοῖς ὄμμασι χάριτας οὐ τρεῖς καθ' Ἡσίοδον, ἀλλὰ δεκάδα ἀποστάζουσι. Alii ideo dicunt tres Gratias eſſe, quia acceptum beneficium cum fœnore reddi debeat. Quapropter ſolebant veteres ita Gratias pingere, ut una earum adverſam faciem teneret, quaſi à nobis profecta: duæ verò nos adſpicerent, ut duplex nobis beneficium rependi debere oſtenderent. Nudæ etiam pingebantur, quia beneficia fucô debent carere, & nullo velamine obtegi: Juvenes, ne beneficii memoria ſeneſcat: Ridentes, quòd hilariter danda ſit, Item Connexæ, quia indiſſolubiles eſſe Gratias decet, & unum beneficium aliud ſemper parere. Porrò *Blandæ Sorores* dicuntur Statio, Theb. *l.* 2. v. 286. *Ab officio omnia blanditiis & amores ſuavitate conciliandi*, ut habent Scholia priſca. Quod officium in tres ſorores illas ſic diſpertit Martianus Capella, *l.* 2. *Præterea tres puellæ, vultu decoreque paribus ac æquâ venuſtate, lucidæ ſertis, religata invicem manus, roſarumque ſpeculis redimitæ, ad Virginem convenêre: Quarum una oſculata Philologiæ frontem, illic ubi pubem ciliorum diſcriminat glabella mediatur, alia os ejus, tertia pectus apprehendit. Prima, ut —— lætos oculis afflaret honores. Secunda gratiam ejus linguæ inſpirabat, animo tertia caritatem.* Sine his enim nihil comæ conſtare mortalibus putabatur. Hinc Theocritus, earum neglectarum *Eidyllio*, quod totidem verbis noſtro ævo opprobrium canit, illud his verbis claudit:

> —— —— Τὶ γὰρ Χαρίτων ἀγαπατὸν
> Ἀνθρώποις ἀπάνευθεν; ἀεὶ Χαρίτεσσιν ἅμ' εἴην.

Ut verò Majeſtas Comitati conſtaret, Veneri famulas, Junoni filias, honorabilitati venuſtatem poſtponens finxit Antiquitas. *Callimachus* ad Junonem,

> Φαντὶ με, μάτερ Ἄρεος, ὑπ' ὠδίνεσσιν ἀέξειν
> Ἥματι Χαρίτων ἱερὸν χορὸν ——

Idem nutricem illis dat eandem,

> Ἥρην μὲν Χαρίτων ἱερὸν ἐσίνειαν τιθήνην.

Quam eandem *Eunomies* nomine intelligit Orpheus *Hymno Charitum*, &c. Vide Caſparum Barthium, *Animadverſ. ad Statium*, Part. 2. *p.* 439. Inter Socratis opera ex marmore, *Charites* celebrantur Plinio, *l.* 36. *c.* 5. *Non poſtferuntur & Charites in propylæo Athenienſium, quas Socrates fecit, alius ille, quàm pictor, idem ut aliqui putant.* Nec omittendum, quod Magdæburgum imagines *Charitum*, dona ſibi invicem averſô vultu porrigentium, ne viderentur beneficia objectari vel exprobrari, inter alia quondam monumenta habuiſſe ex Krantzii *Saxonia* obſervat Cl. Loccenius, *Not. ad Curtium l.* 8. *c.* 8. Vide etiam *Gratiæ*.

CHARITNI, vide CARITNI.

CHARITON, Monachus Græcus Patriarcha Conſtantinopolit. factus, A. C. 1147. undecimô poſt menſe Lucam Chryſobergum ſucceſſorem habuit.

CHARITONIA, hoc eſt, inquiunt, *nihil non feſtivitatis, & gratia habens venale*: ὤνιος enim *venale* ſignificat. Sed profectò hoc ineptum & putidum eſt, & à Grammaticis confictum, quibus corrupta lectio impoſuit. Ita enim ſcripſit Lucretius, *l.* 4. v. 115. ut & Giſanius edidit,

> *Parvula, pumilio, Chariton mia, tota merum ſal.*

Ob venuſtatem putà, ac leporem. Quod non intelligentes correctores, bellum illud *Charitonia* commenti ſunt. *Nic. Lloydius.*

CHARITONIUS, Græcè Χαριτώνιος, quâ voce, ut quidam volunt, uſus eſt Lucretius, in commendatione puellæ, *loc. cit.*

> *Parvula, pumilio, Charitonia tota, merum ſal.*

Vide ſuprà.

CHARITUM Mons in Africa, unde Cinyphus oritur. *Herodot.*

CHARIVARIUM, Gall. *Charivary*, *ludus turpis eſt ac nocivus, per quem nuptias potiſſimè ſecundas detrahitur non modicum. & efficitur cum horridis & blaſphemis vociferationibus, & obſcæna loquacitate, ſub turpi transfiguratione larvarum injurioſarum, commerlioſiſque clamoribus binarum nuptiarum*, &c. in *Synodo* Joann. Raguier Epiſcopi Trecenſis. Efficitur autem ſtrepitus iſte, ad ædes neogamorum, nec ceſſat priuſquam moleſtia hæc aliquô pretiô redimatur. Triduum integrum perduraſſe in nuptiis viduæ cujuſdam, cujus maritum (qui, cùm alienigena eſſet, clamore hôc vulgi, tympanorum ac buccinarum ſtrepitu, maneque inventis ad portam cornibus appenſis, perculſus uxorem, tanquam publicum ſcortum eſſet, jamjam occiſurus erat) cunctis hanc in rem fide dignis teſtibus, de conſuetudine loci, moneri neceſſum fuerit, in Terra Arcis Prioræ prope Tuſculanum, adnotatum videas apud Car. Macrum in *Hierolexico*. Prohibitus jam olim ſub pœna excommunicationis, in Concilio Turon. A. C. 1445. *Inſultationes, clamores, ſonos & alios tumultus, in ſecundis & tertiis quorundam nuptiis, quos* Charivarium *vulgò appellant, propter multa & gravia incommoda, fieri omnino prohibemus, ſub pœna excommunicationis.* Vocis etymon Car. du Freſne arceſſit, à *caria* ſeu *cary*, de quo ſuprà. Græcam verò vocem eſſe, ex κάρη, *caput*, & βαρὺ, *grave*, conflatam, contendunt Macri Fratres. Vide quoque ſuprà aliquid, voce *Calyba*.

CHARIXENA, Poëtria quædam apud *Ariſtophan.*

CHARLATTANI & SALTIMBANCI, dicuntur hodie Medicorum circulatorum id genus, quos Græci περιοδευτὰς appellabant, Latini veteris *Pharmacopolas*; quos non tantùm ſimplicium medicamentorum fuiſſe propolas, ſed & ipſos remedia miſcuiſſe ac venditâſſe, dicemus infrà. In veter. Inſcr.

> —— *Medicus fora multa ſecutus*:

eſt Medicus hujuſmodi circumforaneus ac circulator, ſeu περιοδευτής: Unde περιοδεύειν infima Græcia, *pro ſanare & curare* dixit, eô modô ſcil. quô Περιοδευταὶ iſtiuſmodi curas. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1050.

CHARLERIUS Johannes, communiter *Johannes Gerſon*, vel *Jarſon*, vide *Johannes Gerſon*.

CHARMADAS, Philoſophus memoriâ feliciſſimâ celebris, memoratur Plinio, *l.* 7. *c.* 24. Charmadas *quidam in Græcia, quæ quis exegerat volumina in Bibliothecis, legentis modo repræſentavit* —— *quæ Ars* —— *inventa eſt à Simonide Melico, conſummata Metrodoro Scepſio.* Ubi vulgò *Charmidas*. Sed Græcis Χάρμας & Χαρμᾶς; unde Χαρμάδης: ut Χαρμίδης ἀπὸ τοῦ Χάρμου. Ejuſdem meminit Cicero, *Tuſculan.* 1. & *de Oratore*, *l.* 2. *Vidi enim ego ſummos homines & divinâ prope memoriâ, Athenis Charmadam, in Aſia, quem hodie vivere ajunt, Scepſium Metrodorum.* Ubi aliàs *Carneadem* habetur

betur. Item Pictor inſignis apud Plinium, *l.* 35. *c.* 8. *Simul apparet, multo vetuſtiora principia eſſe, eosque, qui monochromata pinxerunt, quorum ætas non traditur aliquanto ante fuiſſe, Hygiemonem, Deiniam,* Charmadam, *qui primus in picturà marem fœminamque diſcreverit, Eumarum Athenienſem* &c.

CHARMÆ, gens Indica. Plin. *l.* 6. *c.* 20.

CHARMÆI, oppid. Minæorum in Arabia, qui à Rege Cretæ *Minoe* originem trahere exiſtimantur. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

CHARME, ſeu CARME, mater Britomartis, ex Jove. Diodor. Sic. *l.* 5. Βριτόμαρτιν δὲ, τὴν ὀνομαζομένην Δίκτυνναν, μυθολογοῦσι γενέσθαι ἐν Καινοῖ τῆς Κρήτης ἐκ Διὸς καὶ Κάρμης. Meminit ejuſdem Scriptor *Ciris*: item *Pauſan.* cujus verba *ad Cirim* protulit Joſ. Scaliger, nec non *Antonius Liberalis*, eidem nominatus. Vide quoque Caſp. Barthium, *Animadverſ. ad Papin. Statium Part.* 3. *p.* 1045.

CHARMANDÆ, urbs trans Euphratem, juxta portas Babylonias. *Stephan.*

CHARMI, fil. Ruben. Gen. *c.* 46. *v.* 9. Filius Juda. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 1. qui Gen. *c.* 46. *v.* 12. dicitur Er. Præterea filius Zadi. Joſ. *c.* 7. *v.* 1.

CHARMIDAS, vir quidam extitit in Græcia, qui tantæ fuit memoriæ, ut quæ quis in bibliothecis exegerit volumina, legentis modò repræſentaret. Plin. *l.* 7. *c.* 24. Idem cum Carneade, Cicer. *l.* 1. *Tuſc.* Quintil. *l.* 11. *c.* 2. *de memor.*

CHARMIDES, Dux Lacedæmonius, à Rege Spartanorum Alcamene in Cyprum miſſus, inſulam pacatum. Pauſan. *Lacon.* Item alius, de quo Diog. Laërt. *in vita Socratis.* Thucyd. *l.* 1.

CHARMIDES, pugil nobilis, apud Pauſan. *l.* 6. Item *Charmides*, Maſſilienſis ſcriptor, qui *Lusciniam* non modò muſicæ ſtudioſam, ſed gloriam ambitioſius captantem ſcripſit.

CHARMIONE, Cleopatræ ancilla, ſpontaneam Dominæ mortem imitata. Plut. *in Anton.* Græcè χαρμίων ſcribitur, vel χαρμιόνη, vel χαρμιόνα. Plut. *in Antonio*, Εἰρὰς ἡ Κλεοπάτρας κουρεύτρια καὶ Χάρμιον, ὑφ' ὧν τὰ μέγιστα διῳκεῖτο τῆς ἡγεμονίας, *Iras Cleopatræ tonſtrix & Charmion, a quibus maxima imperii negotia adminiſtrabantur.* Et infrà, ubi de morte Cleopatræ. Τῶν δὲ γυναικῶν ἡ μὲν Εἰρὰς λεγομένη πρὸς τοῖς ποσὶν ἀπέθνησκεν, ἡ δὲ Χάρμιον, ἤδη σφαλλομένη καὶ καρηβαροῦσα, κατεκόσμει τὸ διάδημα περὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς, *Mulierum ejus, quæ vocabatur Iras, ad pedes ejus exſpiraverat: Charmion autem, jam lapſabunda & capite gravata, caput illius diademate exornabat.* Galenus, pro Εἰρὰν, habet Νάειραν, Χάρμιον verò Καρμιόνην vocat, & illam comam Cleopatræ decenter impliciſſe, hanc extremos ungues dextrè præcidiſſe refert, *de Theriaca ad Piſonem l.* 1. *c.* 8. Tzetzes, *Chil.* 6. *Hiſtor.* iterum paulo aliter,

> Τῇ Κλεοπάτρᾳ τῇ σοφῇ, τῇ καὶ ὡραιοτάτῃ,
> Καὶ ὑπὲρ λοιπαῖς δὲ γυναιξὶ πασῶν ὑπερφερούσῃ
> Πρὸς ἐπιμέλειαν τριχῶν καὶ τῶν ὀνύχων, ἦσαν
> Χαρμιόνη καὶ Ταίρα.
>
> *Cleopatræ ſapienti ſimul & formoſiſſimæ,*
> *Et ſupra reliquas omnes mulieres longè præſtanti,*
> *Ad curam capillorum & unguium erant*
> Charmiano & *Taira.*

E quis pro Εἰρὰς, apud Plut. & Νάειρα, apud *Galenum*, Ταίρα, repoſuit Bochartus, docetque utramque vocem Syram eſſe, & Tairam quidem avem, Χάρμιον verò *columbam* δηλοῦν, denotare, *in Hieroz. Parte poſter. l.* 1. *c.* 1. *p.* 2. *col* 2.

CHARMIS, in Catalogo Olympionicarum, cum Euſebianis edito, vicit Olymp. 28. Sed legendum *Chion*: monet *Marshamus*, Vide *Chionis.*

CHARMIS, Maſſilienſis Medicus, qui, ſpretâ Therapeuticâ conſuetâ, ſolebat balneis frigidis, etiam hyeme frigidiſſimâ, ægrotos lavare. Plin *l.* 29. *c.* 1.

CHARMIS, Sardiniæ urbs, à Carthaginenſibus condita. *Stephan.*

CHARMODARA, oppid. Comagenes, ad Euphratem, cujus meminit *Ptolemæus*, Καὶ πρὸς τῷ Εὐφράτῃ πόλεις Χαρμοδάρα, Σαμόσατα, Δαβοσὴν, Et *Tabula Peutingeriana*, ubi, iter à Melitena Samoſata enarrans, manſiones ſic numerat,

> Melitenis *Ciamr* XIIII.
> *Meti'a* XII.
> *Glaudia* XLVI.
> *Barſalium* VIII.
> *Hebra* XXX. (Ptolemæo Δέβα)
> *Charmodara* XII.
> *Samoſata.*

E quibus Deba, *Charmodara* vel *Cholmadara* & Samoſata, urbes erant Commagenes, omnes ad Euphratem poſitæ, per quas iter fiebat juxta ripam Euphratis, à Melitene Armeniæ minoris Samoſata uſque, quæ fuit caput Commagenes. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 619

CHARMONIA, Hiſpaniæ urbs *Ptol. Carmon* dicta *Straboni.*

CHARMOTAS, portus in Arabia, centum ferè ſtadiorum ambitu, ingreſſu anguſto, ac periculoſo. Strabo, *l.* 16.

CHARMUS, Syracuſius quidam Poëta, qui, teſte *Athenæi*, in ſingula, quæ apponerentur, verſiculos ac parœmias promebat, ut eſt illud de piſcibus:

> Ἥκω λιπὼν Αἰγαῖον, ἁλμυρὸν βάθος, id eſt,
> *Venio linquens Ægæum ſalſam profunditatem.*

de S. CHARO Hugo [illegible]. Vide *Hugo.*

CHARON, Pythi[illegible]lis fil. quem Strabo, *l.* 13. *Hiſtoricum* appellat, atque inter illuſtres Lampſacenos reponit. Dionyſius quoque, *epiſtolâ ad Pompejum*, eum ante Herodotum ſcripſiſſe Hiſtorias teſtatur. Hic, *Suidâ* teſte, libros 2. *De Rebus Perſicis* conſignavit. Eos Plut. citat, *in Themiſtocle.* Item Athenæus, *l.* 9. Idem Athenæus cum eo περὶ ὄρων laudat, *l.* 11. & 12. Sed præterea multa alia conſignavit, quæ ex *Suida* peti poſſunt. Ex quo etiam diſcimus floruiſſe eum circa Olymp. 75. vel juxta alios, paulò poſt Olymp. 79. Vide Strab. *l.* 12. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 1. *Nic. Lloydius*

CHARON, junior (ita vocatur) vixit temporib. Ptolemæi Evergetæ, ac familiaris fuit Apollonii, Argonautica explicans, non univerſa quidem, ſed quæ ab Hiſtoria penderent. Docet hoc nos Appollonii Schol. *l.* 2. Οὗτος δὲ αὐτὸς ἱστορεῖ ὁ Χάρων, αὐτὰ Ἀπολλωνίου γνώριμος, ἐν τῷ περὶ ἱστοριῶν τῆς Ἀπολλωνίου. Eundem citari arbitror, cum antè dicitur: Χάρων δὲ φησι, καὶ τὴν Ἀμφιβολίαν χώραν πρότερον Βεβρυκίαν καλεῖσθαι. Sed minime hinc conſequitur, ſcriptorem hunc fuiſſe Lampſacenum. Atque ut Lampſacenus eſſet, alius tamen ſit à nobili illo rerum Perſicarum ſcriptore, de quo ſuprà, cum inter eos intervallum ſit amplius quàm 50. Olympiadum. Vide & infrà.

CHARON, potens & dives fuit Thebis, qui domum Pelopidæ & conjuratis ad opprimendos, qui rebus Lacedæmoniorum ſtudebant, contulit & ad Platæas feliciter pugnaverat. Ad quem etiam Leuctricæ pugnæ laudem Menoclides orator invidioſè transferebat. Cæteroqui vir bonus & impavidus & in ſententia ſua perſeverans.

CHARON, Carthaginenſis Hiſtoricus, deſcripſit *tyrannos*, quotquot in Europa, & Aſia fuerunt. Idem prodidit *vitas illuſtrium virorum libris* 4. & *vitas illuſtrium fœminarum libris totidem. Suidas.*

CHARON, Naucratites Hiſtoricus, ut idem *Suidas* auctor eſt, retulit *Alexandrinos*, & *Ægyptios Sacerdotes*, ac quæ ſub eorum quòque accidiſſent. Ad hæc Reges, qui in unaquaque fuiſſent gente. Præterea de Naucrate, & alio quodam de Ægypto, poſteris reliquit. *Nic. Lloydius.* Sæpe confunditur cum Charonte Lampſaceno Juniore. Vide ibi; & Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 342. *l.* 4. *c.* 5. *p.* 442. & *c.* 12. *p.* 468. *Nic. Lloydius.*

CHARON, Erebi & Noctis fil. inferorum portitor, *Porthmeus* Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 266.

> —— *Tetrumque novitius horret*
> *Porthmea.* ---- ----

Quem Poëtæ fabulantur defunctorum animas futili cymbâ per Stygiam paludem tranſvehere. Virg. *l.* 6 *Æn. v.* 298.

> *Portitor has horrendus aquas, & flumina ſervat*
> *Terribili ſqualore Charon, cui plurima mento*
> *Canities inculta jacet; Stant lumina flammâ:*
> *Sordidus ex humeris nodo dependet amictus,*
> *Ipſe ratem contò ſubigit, veliſque miniſtrat,*
> *Et ferrugineâ ſubvectat corpora cymba,*
> *Jam ſenior, ſed cruda Deo, viridiſque ſenectus.*

Quæ fabula inde orta Diodoro Sic. *Bibl. Hiſt. l.* 1. *c.* 92. videtur, quòd Orpheus, obſervatô, Ægyptios, certæ alicujus urbis, mortuos ſuos ſepulchris inferre ſolitos, lacum quendam trajiciendo, hoc de Charonte figmentum, quod nomen Ægyptiis *nautam* denotat, in Græciam reverſus Græcis obtruſerit. Vide præclara hanc in rem, apud *nôſtrum* P. de Valle, *Itiner. tom* 1. Per antiphraſin ſic dictus, quaſi *Atharon*, h. e. *triſtis*, *auſterus*, qualis à Virgilio ſuprà deſcriptus. Unde Propert. *l.* 3. *El.* 17. *v.* 24.

> *Scandenda eſt torvi publica cymba ſenis.*

Senec. *in Hercul. Fur. Act.* 3. *v.* 763.

> *Hunc ſervat amnem cultu & aſpectu horridus,*
> *Pavidoſque manes ſqualidus geſtat ſenex,*
> *Impexa pendet barba, deformem ſinum*
> *Nodus coërcet, concava lucent genæ,*
> *Regit ipſe contô portitor longò ratem.*

Idem *in Oedipo, Act.* 1. *v.* 166.

> *Quique capaci turbida cymbâ*
> *Flumina ſervas, durus ſenior,*
> *Navita crudus, vix aſſiduô*
> *Brachia contô laſſata refert.*

Quin & Charon ipſe apud Eurip. *in Alceſtide*, vocat mores ſuos ἐχθρούς γε θνητοῖς, καὶ θεοῖς στυγουμένους.

> *Inviſos hominibus, Diiſque odioſos.*

Inde à Statio, *l.* 2. *Silv.* 1. *v.* 186. *trux navita.* Denique Propert. *l.* 4. *El.* 11. *v.* 7.

> *Vota movent ſuperos; ubi portitor æra recepit,*
> *Obſerat herboſos lurida porta rogos.*

Hinc per convicium, homines terribili ſqualore, & pravô ac corruptô animô, *Charontes* appellantur. Apul. *in Apol.* de Æmiliano: *Igitur agnomenta ei duo indita, Charon, ut jam dixi ob oris & animi diritatem: & alterum, quod libentius audit, ob Deorum contemtum,* Mezentius. *Nic. Lloydius.*

CHARON Ludovicus, vide ibi.

CHARONDAS, Thurius (à *Catana* civitate, unde originem habuit, *Catanæus* appellatus) legem tulit, *Ne quis armatus in concionem veniret*; Cumque poſtea ipſe rure rediens imprudens, ut erat gladiô accinctus, in concionem veniret, admonitus legis, ab eo qui proximè ſedebat, eidem gladio incubuit, cùm liceret culpam diſſimulare, vel defendere. Val. Max. *l.* 6. *c.* 5. *ex. ext.* 4. Meminit ejus Tullius *de legg. l.* 3. *c.* 2. & Diog. Laërtius, qui eum Pythagoræ diſcipulum facit, *in ejus Vita*, *l.* 3.

CHARONDAS, Archon Athenis, Olymp. 110. an. 3.

CHARONEA, *orum*, locus, vel regio eſt Aſiæ ad Mæandrum fluv. vicina Hierapoli, Characi, Magneſiæ, & Myunti, terram habet cavernoſam, putridam, & incendiis obnoxiam: Strabo, *l.* 12. Aves exhalatione exçæcat. Alter hujuſmodi locus apud Magneſiam reperitur *Plutonia Caverna* dictus. *Ferrar.*

CHARONEA Porta, appellabatur una ex portis Athenienſis nomophylacii, per quam damnati ad ſupplicium ducebantur.

CHARONEA Scrobs, locus Italiæ, Plinio, *l.* 2. *c.* 93. memoratus: *Spiritus*, inquit, *lethales alibi, aut ſcrobibus emiſſi, aut ipſo loci ſitu mortiferi: alibi volucribus tantum, ut Soracte vicinò urbi tractu; alibi præter hominem cæteris animantibus, non nunquam & homini, ut in Sinueſſano agro, & Puteolano Spiracula vocant, alii Charoneas ſcrobes, mortiferum ſpiritum exhalantes.*

CHARONIÆ Scalæ, in Theatro veteri, machinæ ſimiles, non tamen machina erat, unde ſimulachra emittebantur, quemadmodum in *Hecuba* Euripidis. Sicut privatim quibus è locis exhibant Erinnyes, Ἀναβαθμοὶ, *gradus imi*, quales in Oedipo & Oreſte, & Athamante, & Amata Scaligeri. Vide hunc *Poetices l.* 1. *c.* 21. *ubi de Theatro.*

CHARONITA, Orci libertus, vide infrà *Orcini.*

CHARONIUM, antrum inter Tralles & Niſam, ubi ægroti ſolemnibus quibuſdam ſuperſtitionibus à morbis liberari credebantur. Strabo, *l.* 12.

CHAROPS, Æſchyli fil. Princeps Athenienſium decimus quartus. Alcmæone Archonte perpetuò mortuò, placuit Athenienſibus, ut Archontes in decennium tantum imperium obtinerent; primuſque hic Charops creatus eſt, annô primô principatûs ejus incidente in an. 2. Olymp. ſeptimæ, quô tempore Roma condita fuit. *Sigonius.* Vide Euſeb. *Olymp.* 6. Circa A. M. 3300. *Nic. Lloydius.* De *tempore Romæ conditæ*, ut & de *Nabonaſſari* *initio*, quod ſimiliter ad Charopis tempora refertur, prolixè agit Joh. Marshamus *Canone Chronol. ad Sec. XVI.* quem videre operæ pretium erit. Succeſſit Charopi Æſimedes, de quo ſuô locô. Addo ſaltem, etiam hos Δεκαετεῖς Archontas dici βασιλεύειν, *regnare*, nonnunquam apud Scriptores, ſed minus propriè, vide Suidam in *παρθένιον*, & Euſebium *Chron. n.* 1333. ubi poſt *Eryxiam*, ipſorum poſtremum, *Annui Principes*, ait, *conſtituti ſunt, ceſſantibus Regibus.*

CHAROPS, vel **CHAROPES**, vir Trojanus, Hippaſi fil. & Soci frater, quos ambos unô die Ulyſſes interemit. Homer. *Il.*

CHAROPS, inter Epirotas primarius, qui T. Quintio Flaminio Conſuli Romano, contra Philippum bellum gerenti favit. Plut. *in vita Flaminii.*

CHARPOTE, caſtrum Meſopotamiæ, *Curopal.*

CHARROTIUM, vulgò **CHARROUX**, oppid. in Ducatu Bituricenſi, inter Avaricum, & Iſſoudunum, *Metel.*

CHARSACI, nomen, quô Perſæ a Scythis inſigniti. Vide infrà *Cherſaci.*

CHARSAN, apud Alkazuinium Arabem, *animal eſt bædi ſtaturâ, ad curſum agile, unum in capite cornu habens, ut cornu monocerotis, pernicitate pedum ſuper omnes feras, in Segeſtana & Bulgarica ſylvis:* Damiri ungues Leonis ei addit, refertque nullâ ratione à venatoribus capi poſſe, niſi virgo ei incorrupta objiciatur, in cujus gremio requieſcens ſoporetur. Vide quoque Iſidorum, *Originum l.* 12. *c.* 2. Euſtathium, *in Hexaem. p.* 40. Petrum Damianum, *l.* 2. *Ep.* 18. Albertum M. Tzetzem, *Chiliad.* 5. *c.* 7. Alios. Cui fabulæ nimis jactatæ & mirè modis interpolatæ, dedit occaſionem, quòd Veteres monocerotem ſcripſerant, ſolitarium eſſe animal, & marem à fœmina plerumque diſſidere: certò tamen anni tempore fœminæ amore manſueſcere & cum illa paſci, Ælian. *Hiſtor. l.* 16. *c.* 20. & Phile, *c.* 36. Itaque ad puellas tranſlatum eſt, quod à veterib. de fœmina monocerotis traditum fuerat. Pertinet ad Borealem hunc monocerotem, quæ citat Geſnerus, *c. de Oryge*, ex *Epiſtola* Antonii Schnebergeri, de rupicapris unicornibus, Polon. *Skalnakoza*, in Carpatho monte, versùs Ruſſiam Tranſylvaniamque, degere ſolitis, unde Cracoviam, in Aulam Regiam, à venatoribus ſæpe deferantur, vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 3. *c.* 26.

CHARSHENA, nomen viri. Eſth. *c.* 1. *v* 14.

CHARTA, Tyri urbs, ex qua, ut quidam volunt, Dido egreſſa eſt, & ab ſe conditam urbem *Chartagenem* appellavit.

CHARTA Voſſio aliud, aliud *papyrus* vel *biblus.* Papyrus materia, ex qua *charta* fieret: cui nomen non datum, niſi cùm Epiſtolis ſalutatricibus inſervire cœpit. Etenim Χάρτης Græcum à χαίρειν, i. e. *gaudere*, *ſalvere*, ut ad verbum notet *ſalutator.* Unde Epiſtolam ſic circumſcribit Martialis, *l.* 9. *Epigr.* 101. *v.* 2.

Charta *ſalutatrix ſi modò vera refert.*

Primus autem Cleon, teſte Lucianô, *pro lapſ. in ſalut.* & Laërtiô, *in Plat.* in Epiſtolis Χαίρειν uſurpavit: quô rejectô primus τὸ εὖ πράττειν, prætulit Plato, Plato *in Charm.* & *Ep.* 3. Modum conficiendæ ex papyro chartæ, docet Plin. *l.* 13. *c.* 11. & 12. *Præparantur ex papyro charta, diviſo acu in prætenues, ſed quam latiſſimas, philyras.* Ubi clarè *Plinio* papyrus eſt totus ſcapus ſive caulis, ex cujus libro plures philyræ fiebant. Unde ſequitur, *Principatus medio, atque inde ſciſſuræ ordine*: pro quo poſteà dicit, *Proximarum ſemper bonitatis diminutione uſque ad deterrimas.* E quibus cognoſcimus, uti cæpa tunicas habet multas, quas acu meliùs, quàm cultrô, dividas: ſic papyrum ſolere diſpeſci in tenues philuras, iis acu à ſe invicem ſeparatis, ita ut ſuô quæque ordine detraherentur. Porrò philuræ illæ acu ſeparatæ, ad modum cratis ſterni ſolebant, ſuper tabulam ſive aſſerem ligneum, madentem turbidâ Nili aquâ, quæ contexebat ac conglutinabat plagulas. Id *contextre bibli* vocat Lucanus, *l.* 3. *v.* 222. quia nempe plagularum una ſtaminis, altera ſubſteminis inſtar ſe haberet. Similiter loquitur Caſſiodorus, *l.* 9. *Pulcrum planè opus Memphis ingenioſa concepit, ut univerſa ſcrinia veſtiret, quod unius loci labor elegans texuiſſet.* Ita verò contextæ plagulæ imponebantur prælo, ut humor exprimeretur: inde exemtæ exponebantur Soli, ut magis ſiccarentur; ſiccatæ digerebantur in ſcapum, qui ſummum erat philurarum 20. uti hodie 25. Verùm nunc ita uſus obtinet, ut ferè pro ſcapo dicamus *volumen papyraceum*: vulgò & *librum chartæ* nuncupant; pro philyra autem *folium* uſurpant. Sed de turbida Nili aqua quod dictum eſt, perpetuum non fuit. Nam initio quidem ea affuſa fuit marginibus, ut jungerentur ſchedæ ſive philyræ papyri: poſteà verò pro Nili liquore uſi fuêre verò glutinô, unde duo hæc conjungit Firmus apud Vopiſcum, *c.* 3. cùm ait; *Exercitum ſe alere poſſe papyro & glutino*, ſed de glutino vide *infra.* Hodie iſta eſt conficiendæ *chartæ* ratio: Chartopœus, in mola papyracea, eam conficit è linteis vetuſtis, quæ in pulmentum contunduntur, quod nonnullis hauſtum diducit in plagulas aëriqque exponit, ut ſiccentur: harum 25. ut dictæ, conficiunt ſcapum; 20. ſcapi volumen minus, horum 10. volumen majus: Plura apud Gerh. Joh. Voſſium *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 37. *Charta* autem illa è linteis concerptis ac contuſis, jam ab aliquot fuit ſeculis, cum mos è papyro eam efficiendi, jam Euſtathii deſierit ætate: inpote qui *Odyſſ.* φ. chartas Veterum ξυλοχάρτια appellat, ad diſcrimen nempe earum, quibus vulgò utimur, ut Salmaſio monitum *Notis ad Vopiſcum.* Veteris verò chartæ, quæ ex papyro ab Ægyptiis fiebat, Ægyptô demum in poteſtatem Græcorum redactâ & conditâ Alexandriâ, per Græciam vulgaris eſſe uſus cœpit: uſque dum ex æmulatione inter Ptolemæos & Pergamenos Reges (qui de Bibliothecæ nobilitate certabant) Rex Ægyptius vetuit chartam Ægyptô efferri. Tum Pergamenus Rex ne ab ſtudio prius remitteretur, curavit, ut membranæ, quarum anteà rarior erat uſus, frequentiſſimæ haberentur; quæ, quia optimæ adferebantur Pergamô, hinc *Pergamena* dictæ ſunt. Unde patet, quô pactô intelligendus ſit Plinius, qui *l.* 13. *c.* 11. ex Varrone refert: Pergami ab Eumene Rege inventas eſſe membranas, *ſupprimente* Chartas *Rege Ptolemæo.* Vide iterum Voſſ. *c. ſeq.* Bonitas autem *Chartæ* apud Veteres ſpectabatur ex ordine philyrarum, è quibus fiebat: principatus in medio, atque inde ſciſſuræ ordine, ut dictum. Ergo omnium deterrima, quæ ex proxima cortici exteriori philyra texebatur. Cujuſmodi *Emporetica* fuit, quæ, ſcribendo inutilis, involucris chartarum ſegeſtriumque in mercium uſum inſerviebat. Unde de *Chartis* ſalſamenta & pigmenta culinaria tegentibus, toties Martialis, &c. In evolvendis verò *Chartarum* voluminibus, Veteres partem adhuc involutam mento ſubjiciebant: priorem verò partem ſubinde explicantes ambabus tenebant manibus, ſimulque legebant, eam interim, quæ nondum erat explicata, ſub mento convolutam tenentes. Hinc de *Charta virgine*, & quæ adhuc intacta erat, eam *mento tritam non eſſe*, dicebant. Horridior quippe fiebat manibus, & mentô trita, excitatis inarum filamentis & fibris, ut latius videbimus infrà in voce *Mentum.* Sunt autem *inæ* tenuis Chartæ filamenta, Feſto; *Ene*, Empirico Marcello; quas in Chartis uſu detritis ſubrigebantur, & veluti barba, aſperos reddebant libros, unde *Barbata Charta*; quæ inis excitatis inhorreſcunt, apud Martialem: quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 391. & 1003. ut & de tota *Re Chartaria*, *ad Vopiſcum in Firmo*, *loc. cit.* adde quæ infrà dicemus paſſim, in vocibus *Papyrus*, *Protocollum*, *Scapus*, *Volumen*, *alibique.* De *Chartis* verò *per perticas pendentibus propter grandinem avertendam*, vide paulò infrà: uti de *Chartaceis nummis*, ubi de *Monetæ uſu.*

Variæ Chartæ apud Veteres genera.

Amphitheatrica, ſic à loco ubi fieret, appellata eſt: quam quidam *Athribiticam* potius dictam vult ſicque legit apud Plinium, *loc. cit.* à præfectura Ægypti, cujus caput Athribis. Sed nihil impedit, quò minùs Amphitheatro additæ eſſent officinæ, in quibus, quando ludi nulli eſſent, chartæ fierent. Hæc in Ægypto curata recurabatur Romæ: cumque advecta ſolùm 8. eſſet digitorum, malleô ita extendebatur, ut novem fieret, ac dicebatur tum Fannia, vide hic infrà, ut & in voce *Hieratica.*

Athribitica, vide hic *ſuprà.*

Auguſta, ex Hieraticæ itidem ſpeciebus una, cui ab Auguſto Cæſare nomen, lata fuit digitorum 13. Apud Iſidorum, *Orig. l.* 6. *c.* 10. malè *Auguſtea* dicitur.

Barbata, vide ſuprà.

Claudia, à Claudio Cæſare appellata eſt, qui cùm Auguſta, ob tenuitatem, vix calami mucronem ferret, chartam reperit tenuiorem Livia, minus tenuem Auguſta.

Corneliana, Plinio prætérita, nomen habuit, teſte Iſidorô, *loc. cit.* à primo ejus Auctore Cornelio Gallo, Ægypti Præfecto, quem Maro celebrat *Eclogâ* 10.

Emporetica ſeu *Emporeutica*, infimæ dignitatis erat, hinc dicta, quòd οἱ Ἔμποροι ſeu *Negotiatores* eâ merces involverent. Scribendo enim erat inepta & ex ſcheda fiebat, corticì proximâ: 6. ſolùm digitorum.

Fanniæ ſeu *Fanniana*, à nobili illo Grammatico Rhemnio Fannio Palæmone, qui chartarum habuit officinas, nomen traxit Amphitheatrica, poſtquam illa Romæ recurata eſt, ut dictum; Interim Fanniam 10. fuiſſe digitorum, notat Voſſ. *loc. cit.* Pretium ejus, ſupra Saiticam, ſed infra Auguſtam, Liviam & Claudiam.

Hieratica, dicta eſt quæ majoris formæ eſſet; quia hâc Annales, Rituales, aliique libri ſacri ab Hierophantis ſcriberentur. Unius formæ non erat, ut generis: una enim Auguſta, altera Livia dicta eſt; poſt quam Claudia ac

Amphitheatrica fuit. Quæ vero ſimpliciter *Hieratica* dicebantur, dignitorum fuit 11. Iſidorus *Hieratica* tertium dat locum, poſt Auguſtam & Liviam.

Livia, altera ſpecies Hieraticæ in honorem Liviæ Auguſtæ, dicta, *Liviana* quoque appellata eſt, & ſecunda Iſidoro recenſetur: qui eam *Lybianam* vocat, perperam ſine dubio. Nempe ut iis temporibus *beneficium* pro *veneficium* dixêre.

Magna Charta quid ſit, vide in voce *Magna*.

Plumbea. Suetonio *in Nerone*, c. 20. laminæ plumbeæ dictæ ſunt, quibus literæ olim inciſæ. Quomodo & Lyſimachus Alexandrinus locutus eſt, cujus meminit Flav. Joſeph. *adverſ. Appionem l.* 1. ubi inter cætera eum memorantem introducit, ut Bocchoris, Rex Ægyptius, Judæus leprâ ac depetigine laborantes juſſerit *εἰς μολυβδίνας χάρτας ἐνδήσαντας*, *plumbeis chartis involutos*, in mare dari præcipites.

Saitica, cui nomen dedit Ægypti oppidum Sais, Minervæ cultu & Pſammetichi Regis ſepulchrô, inclytum, plebeja erat charta; quam proin Fanniæ poſtponit Plin. *loc. cit.* cùm magis plebeja tamen Tæniotica fuit. *Iſidorus* verò quartum locum Tæniotiræ ttibuit, quintum demum Saiticæ. Pauciorum dignitorum Amphitheatricâ.

Tæniotica, charta erat magis plebeja Saiticâ, ſic dicta, quòd propè Tæniam, i. e. *ταινίαν*, *anguſtam faſciam*, quam inter Canopicam foſſam & mare ſtatuit *Strabo*, fieret. Hæc Saiticâ, ut dictum, deterior, adhuc tamen ſupra Emporeticam fuit, pauciorum quàm Saitica, dignitorum. *Iſidorus* verò eam locô reponit quartô, & à loco Alexandriæ, ubi fierat, dictam aſſerit. Quod valde adverſatur Guilandino, qui *Tantica* reponit, apud Plinium: ut nomen dederit Tanis, quæ nunc *Damiata*, & Nili oſtio ſecundo, *Tanitico* dicto, adjacet. Sed *Tanitica charta*, inquit Voſſius, *loc. cit. ante Guilandinum meminit nemo. Taeniotica autem legi debet, cùm in eo Plinii & Iſidori codices conſentiant*, &c.

CHARTA, apud Normannos, Angliæ dominos, ſcriptum obſignatum, quô prædiorum ceſſiones, contractus, conventiones, & hujuſmodi rata fiunt, denotant. Romanis *Symbolum*, *Tabula*. Inferioribus, *Epiſtola*, *Teſtamentum*, *Chirographum*, &c. Anglis hodie *Factum*. Inter Saxones vix reperta hæc vox *Charta*, nec ſigillis firma, ſed è ſubſignatis crucibus. Magna *Charta*, factum illud diploma, annô 9. Henrici III. quô regni Angliæ libertates (multô ſanguine & bellô funeſtiſſimô partæ) confirmantur. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

CHARTA Caritatis, in *Annalibus* Francorum Victoriani MSS. *A.* C. 1108. *Hoc tempore facta eſt* Charta Caritatis *a S. Stephano Ciſtercienſi Abbate & aliis* 10. *Abbatibus, auctoritate ſigilli Apoſtolici confirmata. Ab illo ergo tempore rejecerunt frocos, & pellicias, ſtamina, caputia & feminalia, coopertoria & ſtramenta lectorum ac diverſa ciborum in refectorio fercula & ſagimen, & omnia, quæ probitati regulæ adverſabantur, abdicârunt*, &c. Sic dicta eſt prima Ciſtercienſis Monaſterii inſtitutio, quòd *caritatem undequaque ſaperent illius decreta*, ut ait Clemens IV. vel, ut Calixtus II. quòd *omnium tam Abbatum & Monachorum* (ejuſdem ordinis) *quam Epiſcoporum, in quorum parochiis prima illorum Monaſteria conſtituta fuerant, conſenſu ac deliberatione communi, ac mutuâ caritate* ſancita fuerint, apud Car. du Freſne ubi ſuprà.

CHARTÆ per perticas pendentes, propter grandinem, avertendam ſcil. ſuperſtitio, quæ prohibitur in *Capitulis* Caroli M. A. C. 789. c. 18.

CHARTAJA, urbs Hyrcaniæ, Orientem verſùs. *Leunc.*

CHARTANI, Marmaricæ nomi gens. *Ptol.*

CHARTARUM Luſus, vide infrà *Ludi de Rege & Regina*.

CHARTEJA, vel CARTHEJA, oppid. inſul. Ceæ. Plin. *l.* 4. *c.* 1.

CHARTERIUS Alanus, Secretarius Caroli VI. & VII. magni nominis, ſcripſit plurima, quorum Catalogum Verderius, *in Bibl. p.* 17. recenſet: quædam Du Cheſnius edidit. In ſuo *Somno Viridario* auctoritatem Papæ non parum dejecit. Revius *in Hiſt. Pontif. Latin.* Hunc cùm Margarita Scotica, Delphini, poſtmodum Ludov. XI. uxor, in cubiculo quodam regiæ aulæ, dormientem deprehendiſſet, illac tranſiens, oſculum ei poſuit: quæſita reſpondit, non Virum ſe, hominem admodùm deformem, ſed facundum ejus os oſculô dignatam eſſe. *Ægidius Corrozetus.*

CHARTERIUS Gulielmus, Epiſcopus Pariſienſis, A. C. 1448. Tempore *Ligæ Boni publici*, Principum animos ad obſequium reducturus, colloquium cum Duce Biturtcenſi habuit, hinc Regis offenſa. Obiit A. C. 1472. non ſine ſuſpicione inſidiarum. P. Æmylius, *in Lud. XI. Franc Chriſt.* 1. 1. *p.* 458.

CHARTERIUS Johannes, Monachus, auctor *Chronic. magn. S. Dionyſii*, &c.

CHARTOPHYLAX & CHARTULARIUS. Qui publicas tabulas, epiſtolas & inſtrumenta curabant, *Scriniarii*, vulgò *Regiſtratores*. Hic autem in palatio Principis miniſter fuit, ille in Eccleſia, ut perſpicuè *Codinus*. Confunduntur tamen ſæpiſſimè: Et Gregorius M. *Ep. ad Maxim. Epiſcop. Salonit. Regiſtr. l.* 7. c. 129. inquit, *Caſtorio cartulario noſtro remanente*. In Eccleſ. Orientali *Chartophylax* Sigilli Patriarchalis (inſtar Cancellarii) cuſtos erat, ipſumque is in pectore geſtabat: Et ab Andronico juniore *Magnus Chartophylax* nominatus eſt, quod epitheton ad Succeſſores tranſiit. Vide *Codinum*, hic infrà & fuſiùs Meurſium in *χαρτοφύλαξ*.

CHARTOPHYLAX, in Eccleſia Conſtantinopolitana, cuſtos erat annuli Patriarchalis, quem ille à Patriarcha ſolenniter acceptum, in pectore geſtabat; ut dictum: quemadmodum Magno Logothetæ vel etiam Accubitori palæ, cura annuli vel ſigilli, quô literæ Imperatoriæ obſignabantur, commiſſa fuit. Et quidem de *Chartophylace* ita Balſamon *de privilegiis Patriarch. p.* 458. Ἐγχειρί-ζεται τούτῳ τὸ χαρτίον, ὡς ἂν [illegible] δακτύλιον, καθὼς εἶπε Κύριος τῷ Μωϋσῇ. Καὶ ἐνθήσεις ἐπὶ τὸ λογεῖον [illegible] τοῦ Ἀαρὼν [illegible] δακτύλιον χρυσοῦν [illegible] τοῦ λογείου [illegible], ἐφ' ᾧ δι' αὐτοῦ τὰ [illegible] Ἰσραὴλ [illegible]. Ποῖον δὲ οὗτός ἐστι, ὁ Πατριαρχικὸς [illegible] τοῦ χαρτοφύλακος [illegible], ὡς εἴρηται, δοχεῖον [illegible] λογικῶν [illegible]. *Etiam ei porrigit in manum annulum aureum, ſicut & Dominus ad Moſem dixit: Et impones Rationale ſuper Aaronis pectus, & annulum facies aureum & accommodabis eum labro ipſius Rationalis, ut per eum nomina filiorum Iſraelis decreberentur. Et quinam is eſt? Patriarchale bulloterium pro more ſuſpenſum ad Chartophylacis pectus, receptaculum ſtudii doctrinarum omnis generis.* Vide Joh. Kirchmannum, è Meurſio, de iſtis agentem, *l. de Annulis c.* 9. *ſub fin.* Apud Car. du Freſne de eadem dignitate, ſic Anaſtaſius ad VIII. *Syn. Act.* 2. *Chartophylax interpretatur, chartarum cuſtos. Fungitur autem officiô* Chartophylax *apud Eccleſiam Conſtantinopolitanam, quô Bibliothecarius apud Romanos, indutus videlicet inſulis Eccleſiaſticorum Miniſtrorum & agens Eccleſiaſtica prorſus obſequia, exceptis illis ſolis, quæ ad Sacerdotale ſpecialiter ac propriè pertinere probantur officium. Sine illo præterea nullus Præſulum ac Clericorum a foris veniens, in conſpectum Patriarchæ intromittitur, nulla Epiſtola Patriarchæ miſſa recipitur, niſi forte a cæteris Patriarchis mittatur, nullus ad Præſulatum vel alterius Ordinis Clericorum, ſive ad Præpoſituram Monaſteriorum provehitur, niſi iſte hunc approbet & commendet, atque de illo ipſi Patriarchæ ſuggerat & ipſe præſentet.* Quibus addit Pachymeres, *l.* 5. *c.* 24. *quod ſine illius nutu & aſſenſu, nuptiales Benedictiones non adminiſtrentur.* Sed & in *Chartophylacio* tuta libros Eccleſiæ fuiſſe, patet ex Synodo VI. *Act.* 1. *p.* 17. & *Act.* 13. *p.* 152. *Edit.* 1618. ubi innuitur, eos libros repoſitos, ἐν χαρτοφυλακίῳ τοῦ πατριαρχείου, quod in VII. Synodo *Act.* 1. *p.* 486. βιβλιοθήκη τοῦ ἁγιωτάτου πατριαρχείου, *Bibliotheca venerandi Patriarchii*, dicitur, &c. Sed & Chartophylax *Auguſti N.* occurrit in vet. *Inſcr.* 387. 11. & *Davidis Chartophylacis Hormiſdæ*, Palatii ſic nuncupati, meminit Paulus Diaconus, *Hiſtor. Miſc. l.* 17. *p.* 518. Unde Palatinam quoque dignitatem fuiſſe patet. Certè *Chartophylacium*, pro Archivo, apud medii ævi Scriptores non rarò. Vide Goarum, Codinum, Meurſium inprimis ſupra laudatum.

CHARTUITUS, Epiſcopus Hungariæ, ſcripſit *vitam S. Stephani, primi Regis*, opere Colmanno Regi dicatô: ut & alia quædam. Baron. *A.* C. 998. & 1011.

CHARTULARIUS, in Eccleſia Romana, idem cum *Chartophylace*, ſed minoris æſtimationis: Certè in *Gloſſ. Græco-Lat. Chartularius χαρτοφύλαξ* exponitur. Nec mirum quum is; qui Commentarienſis vice fungitur, idem & *Chartophylacis* munus obeat, & *Chartas* ſuas ſervet. Sic apud Joann. Diaconum, in *Vita* Gregorii M. *l.* 2. *c.* 55. *Caſtorius Diaconus &* Chartularius Ravennæ *nuncupatur*, qui ipſi Gregorio, *l.* 4. *Ep.* 23. & 24. *Notarius & Diaconus* dicitur: unde eandem fuiſſe in hac Eccleſia *Chartularii*, & Notarii dignitatem, liquet. At in Eccleſia Conſtantinopolit. diverſum *Chartularii* ac Chartophylacis munus, & *Chartularius* Chartophylaci ſubditum fuit, uti docet Balſamon in *Medit.* & Codinus *de Officiis*, c. 1. *num.* 44. qui *Chartularium* inter minora Eccleſiæ officia recenſet. Apud Romanos *Chartularii* dicebantur omnes ii, qui *Chartas tractabant*, iiſque *aſſervabant*, *l.* 10. *Cod.* iidemque erant cum Commentarienſibus, *Gloſſ. Baſil.* erantque eorum tot, quot ſcrinia, ut ex Senatore colligitur, *l.* 11. *Ep.* 38. Præter hos, *Chartularius regiorum equorum*, occurrit apud Nicetam, de qua apud Byzantinos dignitate, multa habet Car. du Freſne *ad Cinnamum*: *Chartularius ſacrorum cubiculorum*. *Nov.* 8. *c.* 8. h. e. Imperatoris Secretarius, ſeu qui Codicillos Imperatoris aſſervabat: *Chartularii numerorum militarium*, in *Nov.* 117. *c.* 11. & in *l.* 19. *Cod. de Erogat. milit. ann. l.* 12. qui in acta referebant nomina militantium & qui eorum eſſent mortui, ſeu qui circa τὴν ἐγγραφὴν καταγραφῶν καὶ ἀναγραφῶν verſabantur, ut & in *Tacticis* Leonis, *c.* 4. §. 3. &c. Nec omittendi *Chartularii*, ſervi per Chartulam ſeu Epiſtolam manumiſſi, *Franchi de Charta*, Vitali Epiſcopo Oſcenſi, apud Blancam, *Commentar. Rerum Aragonic. p.* 757. Vide plura hanc in rem apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & Cl. Ottonem Juriſconſ. *Notis in B. Rhenanum*, *p.* 292. nec non infrà *Protochartularium*.

CHARUDES, vide *Harudes*.

CHARUS, ſeu CARUS & CARIS, fluv. Gall. *le Cher*, qui per Bituriges & Turones labitur, & in Ligerim ſe exonerat paulo infra Cæſarodunum. Vide *Carus*.

CHARYBDIS, gurges vorticoſus in freto Siculo, verſùs Meridiem, juxta litus Tauromenitanum, Scyllæ oppoſitus, contrariis fluctuum concurſibus in miram altitudinem aſſurgens, ſtatiſque temporum vicibus obvia quæque abſorbens, iterumque evomens. Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 420.

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet: atque imô barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus rurſuſque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat undâ.

Habuit ex Homero, *Odyſſ.* 12. *v.* 104.

Τῷ δ' ὑπὸ δῖα Χάρυβδις ἀναῤῥοιβδεῖ μέλαν ὕδωρ,
Τρὶς μὲν γάρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναῤῥοιβδεῖ.

Ovid. *l.* 7. *Met. v.* 62.

Quid? quòd neſcio qui mediis concurrere in undis
Dicuntur montes, ratibuſque inimica Charybdis,
Nunc ſorbere fretum, nunc reddere; cinctaque ſævis
Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo?

Idem *Ponticorum l.* 4. *Ep.* 10. *v.* 27.

Nec potes infeſtis conferre Charybdin Achivis,
Ter licet epotet, ter vomat illa fretum.

Heſych.

Heſych. Χάρυβδις, χάσμα θαλάσσης, ὁ καταπίνει. Charybdis Bochartio, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 28. eſt *Chor-obdan*, h. e. *foramen perditionis*; nempe ut ait Seneca, *in Conſol. ad Marciam*, *c.* 17. *Hiatu magno profundòque ſorbet navigia.* Hinc Iſidor. *l.* 13. *Origin. c.* 8. *Charybdis dicta, quòd gurgitibus occultis naves abſorbeat.* Inde laudandus Horatius, qui meretricem rapaciſſimam, & voraciſſimam atque avariſſimam nominat *Charybdim*, *l.* 1. Od. 27. *v.* 19.

— — Ah miſer
Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flammâ.

Poëtæ fabulantur, Charybdim mulierem fuiſſe rapaciſſimam, à Jove, cùm Herculis boves ſurripuiſſet, fulminatam, & in voraginem hanc converſam. Cæterum Charybdin hanc ſubtiliſſimè juxta ac eruditiſſimè deſcribentem vide Cluver. *Sicil. Ant. p.* 64. *&c.* Hodie *Capo di Faro*, & *Capo Faro*, à Pharo illic exſtructa, juxta Pelorum promontor. ex adverſo Scyllæ, prope Meſſanam, in Boream. *Charybdim* deſinit Etymologus Πάν τὸ εἰς χάος καὶ ὄλεθρον ἀνάγον. Et præter hanc, quam diximus, aliam deſcribit circa Gades. Et Strabo, *l.* 6. Charybdin vocat Syriæ locum inter Emeſſam & Apamæam, in quo Orontes abſceptus poſt XL. ſtadia ruſſus emergit. *Nic. Lloydius* Addo quòd *Charybdis* natura hæc, ut nunc velut ſubjectò igni cacabo perpetuò bulliat, nunc vortices, veluti turbinibus agitatos agat, qui tantò navigantibus ſunt periculoſiores, quantò ebullitiones minori eoſdem periculo exponunt; ſiquidem per ebullientem Syrtim impune tranſire licet, pereundum verò eſt, ſi vorticibus agitetur: obſervatumque fuit longâ nautarum experientiâ, tum maximè *Charybdim* ebullire, quando Syrophœnix freto dominatur; quod tanta tum violentia fieri ſolet, ut in columnæ formam aquarum diluvia eructare videatur. Indagata fuit vorago hæc, tempore Friderici Siciliæ Regis ab urinatore Siculo, quem ob ſummam natandi peritiam *Peſcecola*, ſeu Nicolaum Piſcem, vocitare ſolebant: Hic teſtatus eſt, ſe ſenſiſſe in ea, 1. Aquæ ex imo ebullientis tantum impetum, ut homo nullatenus ipſi reſiſtendo eſſet, eóque ſeipſum impeditum per diverticula nonnulla fundum petere oportuiſſe. 2. Scopulorum paſſim occurrentium ingentem multitudinem. 3. Euriporum æſtus contrariis violentiſſimis agitationibus impenſè formidabiles. 4. Ingentes polyporum, etiam homine majorum, greges, horrendis cirris inſtructos, quibus quem ſtringerent, inevitabili examinarent morte. 5. Carchariarum denique maximorum copiam, dentium acutiſſimorum triplici ſerie horribilium. Eòdem cùm ſecundâ vice Peſcecola, auri, quod Rex in *Charybdim* projici curabat, cupidine allectus, ſe demiſiſſet, ibi periit, nunquam poſtea repertus. vide Athanaſ. Kircherum, *Mundi ſubterr. l.* 2. *c.* 13. *&* 16.

Rabbi CHASDA, præſedit Pumbaditæ in Babylonia annis 21. habuitque 12000. diſcipulos. Sub initium Millenarii V. juxta calculum *Rabbi Ganz*.

Rabbi CHASDAI, auctor libri *Or adonai*, h. e. lux Domini, obiit A. M. 5156. juxta *Rabbi Ganz*. Vide & *Juchaſin*, p. 134.

CHASELON, Villa prægandis, in finibus Æliæ, in tribu Benjamin. Item, pater Eldad Principis tribûs Benjamin. Numer. c. 34. *v.* 21. Hebraicè *Chiſlon* dicitur.

CHASII, vide *Laſſaſini*.

CHASIRA, Armeniæ minoris oppid. *Ptol.*

CHASLUIM, fil. Miſraim, Gen. *c.* 10. *v.* 14. Hebr. *Chaſluhim* populi nomen, qui & Philiſtini, ſive corruptè Palæſtini. Eos Colchos eſſe, multis argumentis probantem vide ſis Virum magnum *in Phaleg*, *l.* 4 *c.* 31.

CHASPHOR, Paleſtinæ oppid. 1. Macchab. *c.* 5. *v.* 26. Joſeph. *Jud. Ant. l.* 12.

CHASSUSIUM, vel CHASSUS, urbs ditionis Lemovicenſis. *Merul.*

CHASUARII, qui CASUARII *Ptol. Chattuarii Strab.* Germaniæ populi pars Iſtævonum, *Thuringos* putat *Althamerus*. *Cluverio*, aliiſque habitârunt inter Amaſium & Viſurgim fluv. ubi nunc Diœceſis Monaſterienſ. & Oſnabrugenſis ex parte. Erant clientes Cheruſcorum, inque eorum confinio, longè à Thuringis. *Baudrand.*

CHASZANEMICA, Ponti urbs. *Lib. Notit.*

CHAT, Mercurii Triſmegiſti fil. floruit annô ante urb. conditam 737. *Euſeb.*

CHATENI, Arabiæ Felicis populi ad ſinum Capeum.

CHATIGAN, Urbs Aſiæ, in India extra Gangem Metropolis in Bengala, cujus incolæ ſunt naturâ verſuti & malitioſi, unde inter nequiſſimos totius Indiæ Slavos connumerantur; mulieres laſciviâ & luxu diffluunt, quò vitiô per Indiam nihil eſt familiarius. Mos eſt apud eos, ut in eadem olla nullô modò bis coquant, ſed quâque vice recentes uſurpent. In adulterio deprehenſis nares cultrô detruncantur, ſitque divortium, ſi ita velint conjuges; quæ conſuetudo ſtrictè obſervatur. Habent quæcunque vitæ neceſſaria in magna copia, & abunde habere poſſunt tam vili pretiô, ut ſcribenti hæc via fides deberi videatur. Bos integer venit plerunque unò Laryn, quod in noſtra moneta quatuor batzios facit: ſic & oves, gallinæ, &c. ſuô quæque pretiô proſtant viliſſimô. Ibi oryza in tanta eſt copia, ut unum Candel, quod tantundem capit, quantum apud nos 14. medimnos, vendatur in Bengala dimidiô Joachimicô. Saccharum & alia aromata ſuum habent pretium admodum tolerabile. Creſcunt in Bengala Rhinocerotes, quorum cornu, dentes, caro, ſanguis, ungula, & cæteræ partes, totò genere reſiſtunt venenis, quâ de cauſa maximo in pretio ſunt apud Indos. Eſt in Imperio magni Mogolis, ad Coſminum fluvium.

CHATRACHARTA, Bactrianæ, & Aſſyriæ urbs. *Ptol.*

CHATRÆI, Indiæ intra Gangem populi. *Ptol.*

CHATRAMITIS, regio juxta mare rubrum. Strabo, *l.* 13. Χατραμῖτις *Dionyſio* dicitur. Incolæ *Artemidoro Atramotæ*. *Chatramotitæ Stephano*. *Chatramotæ Uranio* *Chatramonitæ* & *Chatramotitæ Ptolemæo*. Nec ab his diverſi *Atramitæ*, vel *Adramitæ*, quamvis diſtinguunt Uranius, Plin. *l.* 6. *c.* 28. ac Ptolemæus *Chatramotis* autem Hebraicè eſt *Hatzermaveth*, ſive *Hadramauth*, & eſt Arabiæ regio myrrhifera, & thurifera apud *Ptol.* à Climace monte pertingens uſque ad Sachalitas Porro Hebræis ad verbum ſonat *atrium mortis*, ut & Arabibus *regionem mortis*. Rationem nominis innuit Arrianus, *in Periplo maris Erythræi*, his verbis· Μετὰ δὲ Χατραμωτῖτιν ... Hæc Bochartus, qui & aliam Etymologiam profert de ſerpentibus ibidem leſiferis, quem, ſis, conſule *Phaleg. p.* 116.

CHATTENIA, regio Gerrhæorum, aſpera alioqui, ſed vicis, & turribus inſtructa, prope mare Rubrum; Cives *Chatteni*.

CHATTI, vide *Cati*.

CHATTUARII, Germaniæ populi. *Strabo.*

CHATUS, nomen minoris monetæ aureæ, in Gallia olim, Roberto Cenali *de Ponder. & Menſur. Maille au chat*, 13. *teruntiorum*. Vide ſuprà in voce *Cinopolenſes*.

CHAUBI, German. populi ad Oceanum ſpectantes. Strabo, *l.* 7. Apud Tacit. legitur *Aviones*, *in Germ. c.* 40 Fortè rectius *Chavones*, ſeu *Chaibones*. Illuſtravêre hos populos poſteà Maximiani & Diocletiani victoriæ, Mamertinus *Genethliacô*. Apud eundem aliâ oratione legitur, *Itidem heic gens Chaibonum Erulorumque deleta*. Vulgo *Cawonum*.

CHAUCI, Plinio, & Tacito, *l.* 1. *Annal. c.* 38. *Cauchi*, vel *Cauci*, *Ptolemæo*, & *Straboni*, Germaniæ populi. In majores & minores dividuntur. Minores ſunt *Friſii Groningenſes*, Majores *Luneburgenſes*, & *Bremenſes*, ad Hamburgum uſque. Hos *Chaycos* Poëticè appellavit Claudianus, *l.* 1. *de laudibus Stilichonis*, *v.* 225.

Ut jam trans fluvium non indignante Chayco.

Vide *Cauchi & Cayci*.

CHAULA, vicus Ægypti. Strabo. *l.* 16.

CHAUM, Argiæ mons. Pauſan. *l.* 5. Et caſtellum in Taurica Cherſonneſo. *Strabo.*

CHAUNARIA, extrema Libyæ interioris urbs. *Ptol. Cabudeuen Caſtaldo*. Promontorium etiam ad mare Atlanticum, *Capo di Non Maffæo*. & *Mariana*.

CHAUNDULERUS, vel CANDELARIUS Johannes, Anglus, aliquot operum hiſtoricorum auctor, ſeculô 13. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 9. *p.* 633. 634.

CHAUNI, populi Theſprotiæ. *Steph.*

CHAUON, Græcè ὁ Χαῦον; Mediæ regio, populi Chauones, Græcè Χαυόνες, regio Χαυωνῖτις, *Steph.*

CHAURANA, Scythiæ extra Imaum urbs. *Ptol.*

CHAURINA, Aſiæ urbs. *Ptol.*

CHAURUS ſeu CHORUS, ventus inter Favonium & Septentrionem Vitruvio, *l.* 1. *c.* 6. cui Plinius ſuffragatur; *l.* 18. *c.* 34. Hinc Grattius in *Cynegetico*, *v.* 296.

Verùm ubi Chauruo *perſtrinxit frigore veſtes,*
Ire placet.

Ab Occidente nempe hic ventus, ſed à parte Septentrionis; ideò frigidus. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 278.

In Boream Chaurumque — —

Græcis Ἀργέστης, Calabris *Japyx*, aliàs *Corus*. Sed meliùs cum aſpiratione; origo nominis ex Græco χωρός, quod idem ac χωρίτης vel ἐγχώριος, *indigena*; ſicut *demos* idem ac *demotes*. An à verbo χωρεῖν; quod cum impetu & violentia eat, quemadmodum Φορυτὸς ..., quem *ferventem ventum* Latini appellant. Seneca, *l.* 5. *Natur. Quæſt. c.* 16. *Chauri violenta vis eſt & in unam partem rapax.* Certè *Thucydides* τοὺς ... vocat, *qui in prælio incipiundo cum impetu proruunt & clamore*, quibus opponit τοὺς μετὰ ῥυθμοῦ βαίνοντας, *qui ſedatè & clementi gradu eunt in hoſtem.* Sunt tamen qui & à Chonibus, gente Oenotrica, quorum regionem dictam Χωνίαν poſteà tenuêre Lucani, ventum appellatum velint; Sic enim eum ex ea parte flantem Thurii aut Tarentini Χῶρον, unde Latini *Chorum* & *Chaurum*, dixiſſe poterunt: Sed illud alterum verum eſt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1260. Vide quoque in vocibus *Argeſtes*, *Chorus*, *Japyx*.

CHAUS, quibuſdam dictus eſt, quem *Chamam* Albertus & aliô nomine *Rufinum* (unde hodie *Raphium* & *Ruphium* Galli dicunt) appellatum ait: *Lupus* ſcil. *cervarius*, de quo animali ſic Plin. *l.* 8. *c.* 22. *extr. Sunt in eo* (luporum) *genere, qui Cervarii vocantur, qualem è Gallia* (ubi plurimi ſunt) *in Pompeji Magni arena ſpectatum diximus. Huic quamvis in fame mandenti, ſi reſpexit, oblivionem cibi ſubrepere ajunt, digreſſumque quærere alium.* Malè cum thoë viros eruditos, apud Ariſtotelem; cum lynce mare, Scaligerum, confundere, ait Salmaſ. *ad Solin. p.* 390.

CHAXUMUM, Urbs Abyſſiniæ, in regno *Tigre* inter. Inſul. Meroën & mare Erythræum, eſtque ex præcipuis totius tractus. A multis creditur Auxuma antiquorum. Vide *Iſaac. Voſſ.*

CHAZARI, vide *Cathari & Chozari*.

CHAZARIA, cum Media, recuperata à Baſilio Imperatore A. C. 1015. pulſis Saracenis. Zonar. *tom.* 3.

CHAZBI, ubi geminos Judæ filios Thamar edidit: oſtendebatur autem tempore Hieronymi locus deſertus juxta Odollam in finibus Eleutheropoleos, in tribu Juda. Hieronym. *in loc. Hebr.*

CHAZENE, Satrapia juxta Euphratem Meſopotamiæ, Stephanus ex Arriani *Parthicôn l.* 13.

CHAZINZARII, Hæretici Armeniæ, Staurolatræ, nam *Chazus* crucem notat. Neſtorii ſectatores, annuô jejuniô mortem

Arrziburtzi canis, quò Sergius uſus erat, ad ipſis adventum ſuum ſignificandum, venerabantur. Nicephor. *l.* 18. *c.* 54. Gautier *in Chron.* 7. *ſeculi.*

CHEBBON, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 40. Hebr. *Cabbon*

CHEBRON Pharao, poſt Amoſum Pharaonem patrem, circa *A. M.* 2557. ſecundum Euſeb. *Chron.* aliter paulo juxta Calviſ. *Chron. p.* 176. 179. Ægypti Rex; regnavit annis 23. iniſque in ſerie Regum Thebanorum XXXIX. cum excepit Amenophis. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron.*

CHEKUS, ſummus omnium Muſlimorum Pontifex, de quo vide infrà voce *Muslimi.*

CHELÆ, locus inter Apolloniam inſulam, & Sangarium fluv. *Arriano.* Eſt & locus circa Byzantium. *Scalæ* teſte *Pet. Gyllio.* Item duo Africæ circa Carthaginem promontoria. Arrianus in *Periplo*, Boſpori fauces, ubi tranſitus ille breviſſimus, ponens ad ſacrum Jovis Urii, dein Melænam collocat promontorium, mox Artanen, inde Pſilin, poſteà Calpes portum & inde Rhoën & *Chelas* & Sangarium fluvium. Eandem oram Peutingeri *Tabula* ſic deſcribit: *Jovis Urii* XXV. *ad promontorium* XV. *Artherbas fluv.* XVI. *Melena* XIX. *Artane* XVIIII *Philium* XXVII. *Chelas* XXVIII. *Sangarius fluv.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 880.

CHELANDIUM vel CHELANDRIUM, apud Græcos recentiores, aliiſque, navigii majoris ſpecies, nonnunquam *Salandra* & *Salandria*; cujus mentionem jam apud Arrianum *in Periplo Maris Rubri* fieri ait Car. du Freſne: Ἐν οἷς ἔστι μὲν ἐπὶ πλοῖα μίκρα λεμβάδια παραλεγόμενα τὴν γῆν. ἕτερα δ' ἐκ μονοξύλων πλοίων μεγίστων ἐζευγμένα, λεγόμενα Σάγγαρα. Τὰ δὲ εἰς τὴν Χρυσῆν καὶ εἰς τὴν Γάγγην διαίροντα, Κολάνδια ὄντα τὰ μέγιστα (pro quo vulgò legitur, κολανδιοφωντα τὰ μέγιστα) Ubi navigiorum iſtorum alia, *Sangara* appellata, ex majoribus trabariis invicem junctis conſlata; alia maxima, *Colandia* dicta fuiſſe, atque inde ejuſmodi navigiorum uſum à barbaris iſtis ac Indis gentibus, accepiſſe Græcos, innuere videtur. Licèt quidam Græcam vocabulo originem accerſant à voce κέλης, *equus*, & ἀνὴρ, *vir*, illud deducentes, &c. Vide laudatum Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CHELEAB, ſecundus fil. David de Abigail uxore Nabal Carmelitæ. 2. Sam. *c.* 3. *v.* 3. Hebr. *Chileab.*

CHELES, ſeu CHEILES, Satrapes Seleuci, per Perſiam, ut apparet ex Polyæno *l.* 7. *c.* 39.

CHELIAU, nomen viri. Eſdr. *c.* 10. *v.* 34.

CHELIDONI, populi Illyriæ. *Stephan.*

CHELIDONIA, Favonius ventus vocatur à die 6. ante Idus Febr. uſque ad 7. Calend. Martias, eo quòd his diebus hirundines primùm conſpici incipiant. Plin. *l.* 2. *c.* 47. *Chelidonios* poſt Brumam incipere, ſcripſiſſe Græcos, ſed de initii die nihil certi prodidiſſe, docet Auctor *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 2. Sunt autem Auſtrales valde debiles, inconſtantes & menſis continui, quorum origo ex montibus Monomotapæ, quos *Lunæ* vocant, petenda. Dum enim Auſtralem Zodiaci partem Sol permeat, nobis ac Græciæ hyemem facit, illis verò in Monomotapæ regno æſtatem; Eoque nives montium iſtorum liquefacit, halituſque educit, ſenſim deinde abſumendos. Quòd autem debiliores ſint, id à maxima montium diſtantia fieri videtur, Auctor Anonymus ſuprà laudatus. Sed & *Chelidonia*, nomen variis aliis tribui rebus ſolitum. Χελιδονιαὶ enim *nidus hirundinis* (quæ χελιδὼν Græcis) ut μυρμηκιαὶ, *nidus formicæ.* Unde *Chelidoniæ Inſul.* à ſcopulis, quibus ſe condunt per hyemem hirundines, aut quibus æſtate nidos affigunt. Poeta:

> *Cùm glaciantur aquæ, ſcopulis ſe condit hirundo,*
> *Verberat egelidos garrula vere lacus.*

Vide in voce *Chelidonia.* Idem nomen (cum accentu in penultima) aſpidi, Nilo maximè peculiari, h. e. Ægyptiæ aſpidi, quæ præter cæteras aſpides aliquid proprium habet ac ſui quodammodo generis, ab *hirundinum* colore. Hanc αἰθαλόεσσαν videtur appellare *Nicander*,

> Χερσὶ δ' ἄλλοις μὲν ψαφαρῆς ἐνιδέρκεαι νώτοις,
> Ἄλλοτε μιλτόεσσα, καὶ ἀιολοι, ἄλλοτε τεφρὴ,
> Πολλάκι δ' αἰθαλόεσσα μελάμβωλον ὑπὸ βῶλον
> Αἰθιόπων, οἵην τε πολύσπορος εἰς ἅλα Νεῖλος
> Πλημύρων κατέχευεν ἰλύν.

Ubi nigram illam & *fuliginei* coloris aſpidem (limi Ægyptii, quem Nilus in mare defert, ſimilem, concoloremque terræ ipſi, ſub qua degit) deliteſcere innuit, *ſub gleba Æthiopum, quam Nilus invehit in mare.* Nempe circa principia Nili ut plurimum *Chelidonia* φαλαίνη, ut ait *Ætius.* Longitudo ejus ultra cubitum rarò procedit, citoque necat. Cùm enim cheriææ aſpides tribus horis hominem morſu peragant, ἐκεῖ τῆς χελιδονίας, συντομώτερος ὁ θάνατος, *à chelidonia citiſſima mors*, *Idem.* Eadem in ſacris Iſidis, cum tumido collo, caput arduum attollens circumferebatur. Nicander iterum *Theriacis*,

> —— —— ψαφαρῆς δ' ἀναπίμπλαται αὐχὴν
> Κυανέῳ τεφρόεις ——

Quâ formâ pictam, unà cum Oſiride & ſiſtro, multis locis Iſiaca tabula exhibet. Hinc Juvenalis, *Sat* 6. *v.* 538.

> *Et moviſſe caput viſa eſt argentea ſerpens.*

Ubi Scholiaſtes, *Serpens, quæ eſt in templo Iſidis.* Et Ovid. *l.* 9. *Met. v.* 692. de Myſteriis Iſiacis,

> *Siſtraque erant, nunquamque ſatis quæſitus Oſiris,*
> *Plenaque ſomniferis ſerpens peregrina venenis.*

Appulejus quoque, ubi de geſtaminibus Iſidis, *Lævâ verò cymbium dependebat aureum, cujus anſula, quà parte conſpicua eſt, inſurgebat Aſpis caput attollens arduum, cervicibus latè tumeſcentibus.* Quamvis enim *tumida colla* omnibus ſerpentibus iratis ac irritatis tribuant Poetæ, hanc tamen notam propriam ac peculiarem hujus aſpidis fuiſſe, ut ex Plinio conſtat, qui *colla aſpidum intumeſcere* ſcribit, *l.* 8. *c.* 23. & Lucano, *l.* 9. *v.* 701.

> *Aſpida ſomniferam tumidâ cervice levavit.*

Altera nota ſomni fuit effectus. Unde eadem & *Hypnale* dicta, quod nullo ſenſu doloris, quaſi ſomnô ſolutos, extinguat, quos pupugit, &c. Vide hanc in rem plura apud Salmaſ. *ad Solin p.* 541. & *ſeqq.* Porrò gemma ſic dicta eſt, ab eodem *hirundinum* colore. Plin. *l.* 37. *c.* 10. *Chelidoniæ duarum ſunt generum, hirundinum colore, & altera parte purpureæ, nigris interpellantibus maculis.* Item herba, cujus flos & ſuccus luteus ſeu croceus. Græcè Χελιδόνιον. Vide iterum Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 1165. & Plinium modò dictum, *l.* 25. *c.* 8. & *l.* 26. *c.* 5. &c.

CHELIDONIÆ, inſulæ parvæ contra Tauri promontorium peſtiferæ navigantibus, duæ ſunt, quarum una *Corydela*, altera *Menalippa* dicitur. Steph. Dionyſ. trium meminit, *v.* 506.

> Τὸν δὲ μετ' αἰγιαλὸν δὲ Χελιδονίας γεγαυῖας
> Τρεῖς νήσους, μεγάλης Παμφυλίδος ἔνδοθεν ἄκρης.

Ptol. Χελιδόνιαι νησίδιαι, *Stephan.* Χελιδόνιαι πέτραι vocat, *Strabo* Χελιδονίας, quaſi dicas *Hirundinarias. Herodianus Grammaticus* Χελιδονιὰς ἐξοχὰς vocat, quæ vox *nidos hirundinum* notat. A Scopulis autem ſic appellantur hæ inſulæ, quibus ſe condunt per hyemem hirundines, aut quibus in æſtate nidos conficiunt. Ad hoc facit Ovidii hoc diſtichon:

> *Cùm glaciantur aquæ, ſcopulis ſe condit hirundo,*
> *Verberat & gelidos garrula voce lacus.*

De his Mela, *l.* 2. *c.* 7. *Quæ contra Tauri promontorium importunè navigantibus objacent, Chelidoniæ nominantur.* Vide, ſis, Euſtath *ad Dionyſ. locum*; & Strab. *l.* 14. *Nic. Lloydius.* Sunt in mari Pamphylio *Baudrando*, prope Sacrum promontor. partem Tauri, in fine ſinus Attalici, in ora Libyæ exterioris, versùs Crambuſam Inſul.

CHELIDONISTÆ, Χελιδονισταὶ *Heſychio*, *Theognidi* Χελιδονίζοντες, Agyrtæ apud Græcos dicebantur, qui hirundinem adeſſe nuntiabant. Canebant autem oſtiatim cantilenam, cujus initium, Ἦλθ', ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα καὶ καλοὺς ἐνιαυτοὺς, ἐπὶ γαστέρα λευκὰ, κἠπὶ νῶτα μέλαινα, *Venit, venit hirundo, albô ventre & nigrô dorsô, pulchra tempora adducens & pulchros annos*, &c. Vide reliqua apud Theognim *de Rhodiorum ſacrificiis*, *l.* 5. Nempe verni temporis nuntia hirundo. Ariſtophanes in *Pace.*

> —— Ὅταν ἠχῇ μὲν
> Φωνῇ χελιδὼν
> Ἐζομένη κελαδῇ.
> —— Cùm vernâ quidem
> *Voce hirundo,*
> *Sedens reſonat.*

Unde, ut Theon *ad Aratum* ſcribit, Piſcem Borealem Veteres cum hirundinis capite pingebant & ἰχθὺν χελιδόνιον vocabant, quæ veris præludium ortu ſuô ſignificabat, &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. partis poſter. l.* 1. *c.* 10.

CHELIDONIUM, promontorium Tauri montis, in mare Pamphilium prominens. Plin. *l.* 5. *c.* 27. Aliis *Sacrum* dicitur.

CHELIDONIUS, *Epiſcopus* Veſontionenſis, quòd viduam duxiſſet, contra Canones, à S. Hilario depoſitus, Romam venit, apud Leonem M. conqueſturus, reſtitutuſque eſt. Leo, *ep.* 89. Baron. *A. C.* 445.

CHELION, vel CHILION, h. e. *conſummatus, vel perfectus*, aut *totus columbinus*, filius Elimelech. Ruth. *c.* 1. *v.* 2.

CHELIPPUS, mons in Chio inſula. *Germ. Cæſar in Arateis.*

CHELMA, Urbs Ruſſiæ nigræ, caput Palatinatus cognominis, parvi circuitus, cum arce lignea. Miſerè non pridem à Moſchis Tartariſque vaſtata 10. leuc. à Lublino, 12. à Belſa in Boream, 24. verò à Premiſlia.

CHELMAD, nomen urbis, Ezech. *c.* 27. *v.* 23.

CHELMON, nomen loci inter Belma, & Bethuliam. Judith. *c.* 7. *v.* 3.

CHELONATES, ſive CHELONITES, *Ptol.* & Pauſan. *l.* 1. *Caſtel Tornese teſte Sophiano*, promontor. cum oppid. Peloponneſi in ora occidua Elidis, inter oſtia Alphei & Penei flum. contra Cephaleniam inſul. *Baudrando* contra Zacynthum Inſul. inde 15. milliar. diſtantem, & 25. à Cephalenia. Eſt & ſinus *Ptolemæo* inter promontor. prædictum, & Ichthyn promontor. ſequens ad auſtrum, *Golfo di caſtel Torneſe.*

CHELONE, promontorium Coi. Pauſan. *l.* 8.

CHELONIA, oculus Indicæ teſtudinis eſt, vel *portentoſiſſima Magorum mendacis. Melle enim colluto ore impoſitam linguæ futurorum divinationem præſtare promittunt — Sunt & chelonitides, teſtudinum ſimiles; ex quibus ad tempeſtates ſedandas multa vaticinantur. Eâ verò quæ ſit aureis guttis, cum ſcarabæo dejectâ in aquam ferventem, tempeſtates averti*, Plin. *l.* 37. *c.* 10. habet, ubi de variis gemmis per alphabeti ordinem.

CHELONIDES, paludes Libyæ interioris. *Ptol.*

CHELONIS, fil. Leonidæ, Regis Spartani, uxor Cleombroti. Patrem à marito pulſum, hôc dejectô ſecuta eſt, mox mariti à Patre deturbati comes, Plut. *in Agide & Cleomene.*

CHELONIS, vide *Alkova.*

CHELONITES, inſula in Rubro mari. *Steph.* Item promontor. Elidis. *Ptol.*

CHELONOPHAGI, populi ſunt in Carmaniæ angulo, non aliâ quàm teſtudinum carne veſcentes, earumque teſtis caſas ſuas tegentes. Vide Plin. *l. 6. c. 24.* Sed Strabo in ora longè diverſa ſtatuit, in Arabici nempe ſinus littore, in parte Troglodytarum; quod etiam faciunt *Agatharchides* & *Diodorus*. Nempe duplices *Chelonophagi* ab Auctoribus agnoſcuntur, in ora Carmaniæ, & in Arabico littore verſus Æthiopiam. Neque verò teſtudinum ſuperficie caſas tegebant hi populi, ſed eas ſuperficies pro caſis habebant, protius conſtitutas. Unius namque teſtudinis ſuperficies illis pro domo erat, uti reſtitit Plinius, *l. 9. c. 10.* *Teſtudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, ut ſingularum ſuperficie habitabiles caſas integant.* Vel potiùs, *l. 6. c. 22. de Taprobane, extr.* *Eſſe & in præcipuam voluptatem, teſtudinum maximè, quarum ſuperficie familias habitantium contegant, tanta reperiri magnitudine.* Quæ Solinus ſic interpretatus eſt, *c. 56* *Marinas teſtudines capere gaudent, quarum tanta eſt magnitudo, ut ſuperficies earum domum faciat & numeroſam familiam non arctè recipiat.* Piſcatio autem teſtudinum tam in Æthiopia, quàm India, celebris: & ex utroque litore ad delicatiora Romanorum opera illæ veniebant, unde *Æthiopicæ & Indicæ teſtudinis* mentio, *l. 16. ff. de Public.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1189.* & infrà in voce *Teſtudo*.

CHELUB, i.e. *caniſtrum*, vel *canions*, nomen viri, 1. Paral. c. 27. v. 26.

CHELYDONIUS, mons Arcadiæ, Cellenio monti contiguus Pauſan. *in Arcad.*

CHELYDOREUS, Bœotiæ mons. Pauſan. *in Bœotic.*

CHELYDRI, ſerpentum genus, apud Solin. *c. 2.* *Calabria chelydris frequentiſſima*; & Virg. *Georgic. l. 2. v. 214.*

> ---- ---- *nigris exeſa Chelydris*
> Creta. ---- ----

l. item 3. v. 415.

> *Diſce & odoratam ſtabulis accendere cedrum,*
> *Galbaneoque agitare graves nidore chelydros:*

iidem cum *Cherſydris*, de quibus vide infrà. Χερσύδροι namque, quòd in aquis & terris morentur; at χέλυδροι, ab aſperitate teſtudinei tergi, vel quòd more teſtudinis, quæ χέλυς dicitur, in aquis terriſque vivant, ſunt appellati. Ita quidem *Iſidorus*, *Servius*, alii recentiores, qui hæc duo ſerpentium genera paſſim confundunt. At vetuſtiſſimi Scriptores diſtinxêre. Hinc & Lucanus, *l. 9 v. 711.*

> *Cherſydros, tractique viâ fumante chelydri.*

De cujuſmodi *Chelydris* intelligit Macer,

> ---- *ſeu terga exſpirant fumantia virus,*
> *Seu terra infumat, quâ teter labitur anguis.*

Eſt autem *Nicandro* Χέλυδρος, ὄφιος, & fortaſſe à χέλυς & δρῦς nomen habet: at Χέρσυδρος idem quod ὕδρος, qui & in terra degit, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 87.*

CHELYS, omne inſtrumentum Muſicum ſonorum. Papinius eam à ſuture Poëtico ſeparat, à tuba videl. Pieria, *init a Thebaid. v. 32.*

> *Tempus erit cùm laurigero tua fortior œſtro*
> *Facta canam, nunc tendo Chelyn* ----

Cum lyra & cithara Poëtæ eandem faciunt, cùm volunt. Sed *Lyræ* picturam deferunt imagines veteres Germanici Aratei indiceꝫ *Citharam* aliud quid fuiſſe liquet; & ea enim teſtudinem habebat, ad recipiendum reddendumque ſonum fidium, uti docet Favonius Eulogius *in Somnium Scipionis*. Vide de Teſtudinis inventione, Servium *ad illud Georg. l. 4. v. 464. de Orpheo,*

> *Ipſe cava ſolans ægrum teſtudine amorem.*

Sed & *Chelys* teſtudinem aliquando indicat. *Epigr.* vetus Petronio adſcriptum:

> *Sic format linguâ fœtum, cùm protulit, urſa,*
> *Et piſcis, nullò junctus amore, parit.*
> *Sic Phœbæa Chelys, vinclò reſoluta parentis,*
> *Lucinæ tepidis naribus ova fovet.*

Hiſtoriam ejus inventæ, Avienus in Schemate *Lyræ* Arateo ſic exponit;

> *Eſt Chelys illa dehinc, tenero quâ luſit in ævò*
> *Mercurius, curvâ religans teſtudine chordas.*
> *Ut Parnaſſo munus memorabile Phœbo*
> *Formaret nervis opifex Deus; hanc ubi rurſum*
> *Concentus ſuperis complevit pulcher Apollo,*
> *Orphea Pangæo docuit geſtare ſub antro;*
> *Hic jam fila novem doctâ in modulamina movit,*
> *Muſarum ad ſpecimen, Muſâ ſatus: ille repertor*
> *Carmina Pleiadum numerô deduxerat* ----

Nempe, ſeptichordem, ad numerum Planetarum, vel Pleiadum, à Mercurio inventore factam; poſtmodum juxta numerum Muſarum, ἐννεάχορδον, h.e. *novem chordis inſtructam*, ab Orpheo fuiſſe, etiam Theon *Commentar. in Aratum* refert, & Scholiaſtes Germanici. Eam ſertô cingere, in rebus proſperis, mos l'olitarum fuit. Statius, *l. 4. Sylv. 8. v. 35.*

> ---- *cumque tibi vagiret tertius infans,*
> *Protinus ingenti non venit cantica curſu*
> *Littera, quæ feſtos cumulare altaribus ignes*
> *Et redimire Chelyn, poſteſque ornare juberet.*

Sed & poſt deſitum cantum. Idem Statius, *Theb. l. 6. v. 366.*

> *Finis erat, differt avidis audire ſorores;*
> *Dumque Chelyn lauro, textumque illuſtre coronâ*
> *Subligat & pictò diſcingit pectora limbò.*

Ubi Lutatius, *Citharœdorum diſciplinam expreſſit, quibus mos eſt, finito carmine coronam detractam capiti citharæ ſubligare.* Quò pertinet Petronii de Apolline locus, *Damnabat Apollo noxias manus, lyramque reſolutam modò nata flore coronabat.* Quod verò de *limbo picto*, h.e. baltheo, addit Statius, confirmatur ex Apulejo, qui non abſimili habitu Citharœdum Bathyllum in ſtatua deſcribit: *Cithara balthed cælatô apta ſtrictim ſuſtinetur, procerula læva diſtantibus nervos digitis moliitur. Dextera pſallentis geſtu ſuò pulſabulum citharæ admovet, ceu parata percutere*, &c. Vide de more hoc Chelyn laurò coronandi, plura apud Illuſtratorem operis *Coronarii*, *l. 2. c. 14.* Salaſium *Commentar. ad Petronium p. 173.* & Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium loc. cit.*

CHELYTIS, Dianæ cognomen. Clemens in *Protreptico*, ἐν Χελύτιδι δὲ Ἄρτεμιν Σπαρτιᾶται τιμῶσιν, ὅτι τὸ βήττειν, χελύττειν καλοῦσιν. Tuſſire verò, etiam Χελύττειν dici, quanquam nullâ Spartanorum mentione, auctor quoque *Heſychius*, Χελύσσει, βήσσει, lege βήττει. Nic. *Lloydius*.

CHEMBIS, ad Pyramidem novam exſtruendam convocavit 360000. hominum & Pyramidem tamen illam viginti demum annis perfecit. Vide *Chemmis*.

de **CHEMERAUT** Magdalena, vide *Magdalena*.

CHEMIA, *Suidæ* Χημεία, aliis Veterum Χυμεία & Χυμευτικὴ infimæ Græciæ Auctoribus Ἀρχημία, Firmico *Scientia Chimia*, *l. 3. c. 15.* in *Lexico* hujus Artis ἱερὰ καὶ θεία τέχνη, *ſacra & divina Ars*, eſt quam hodiè *Chymiam* vocant & *Alchymiam*, quaſi ἀπὸ τοῦ χυμοῦ, i.e. à *ſucco*; cum potius ſit ἀπὸ τῆς χώνης, quô nomine fornaculam, ſive caminum, in quo aurum & argentum fundebatur, appellârunt Græci, quaſi χωνευτήν, quod ore hianti ac patulo eſſet. Illam enim τὴν χρυσοῦ ποίησιν, *auri effectionem*, item τὴν τοῦ ἀργύρου καὶ χρυσοῦ κατασκευήν, *argenti atque auri præparationem*, vulgò definiunt atque interpretantur: Ægyptiis olim maximè frequentatam, ad quos inventionem ſtatoræ hujus technæ referunt Zoſimus, Stephanus, Cleopatra & alii Græci Alchemiſtæ. Unde libros illius arcana continentes, in Ægypto, anxiè conquiri comburique euràſſe Diocletianum, ne opibus ſuis elati Ægyptii contra Romanos inſurgerent, narrat apud *Suidam* vetus Auctor: *Quaſi verò Ægyptii ex arte hac magnas divitias comparare ſoliti eſſent & copias inde conducere, Romanis formidabiles. Nugæ dare pondus idoneæ camini fumo, quem ſtupor & frigus excalfaciunt*, Salmaſ. *ad Solin. p. 1099.* Sunt tamen, qui originem Artis altiùs arceſſentes eam a *Chamo*, Noachi filio, dictam velint: quos non pudet proferre Moſis Prophetæ *Chymicam Syntaxin*, & Mariæ ſororis librum *Alchemiſticum*; ut taceam Hermetis Triſmegiſti *Tabulam ſmaragdinam* & ejuſdem *Chemicos tractatus ſeptem*, *Opuſque de corporibus transmutandis*, & Oſthanis & Democriti & Ori *Chemica* & Iaſonis *Vellus aureum*, de quibus videre eſt apud Suidam præfatum voce *Dêras*, vide quoque infrà ubi de *Olybii lucerna*: alii ulterius quoque ad Tubal caïnum, & Angelos, qui in terram deſcendentes mulieres primi Mundi hanc Artem docuerint, aſcendentibus. Sed certum eſt novum id inventum eſſe, Julio Firmico demum, qui Conſtantino Imperatori σύγχρονος erat, primo memoratum, cùm Lunam ſcribit in nono ab Horoſcopo loco, in nocturna genitura, hominem ad Alchemiæ ſcientiam propenſum reddere. Quod enim de Democrito Abderita habetur in *Chron.* Euſebii, ejuſque in Ægypto Sacrorum præſidatu, ac artis hujus, ab Oſtane acceptæ, exercitio, meritò Scaligero ſuſpectum eſt, tanquam à Panodoro Monacho in Euſebii textum intruſum, &c. Vide Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ*, c. 30.

CHEMMIS, Diodoro, *l. 1.* Ægyptiacè, ab infuſcatâ forſan facie, vocatur qui Herodoto Græcè dicitur Χέοψ vel Χέοπς, *l. 2. c. 99.* pyramidis maximæ auctor, quam Manetho Suphidi Regi tribuit. Marshamus Phiopi Memphitæ mavult. Vide ibi.

CHEMMISIA, urbs Miſniæ.

CHEMNICIUM, oppid. German. in Miſnia, ad amnem cognominem *Kemnitz*, in ditione Electoris Saxoniæ, 6 leuc. German. à Miſnia in Auſtrum, 5 ab Altenburgo in Ortum. Arcem habet dictam *Auguſtuburgum*. Hic Ferdinandus III. Imperator a Banerio Suecici exercitus Duce, magnâ clade affectus eſt, triginta ſignis equeſtrium, 20. pedeſtrium copiarum, omnibus præterea impedimentis captis. A.C. 1638.

CHEMNICIUS Martinus, ex Marchia Brandeburgica poſt Melanchthonis, cujus diſcipulus fuerat, obitum, inter Proteſtantes maximi nominis, Friderico II. Daniæ Regi, Ludovico Palatino, Auguſto Saxoni, Iulio Brunſuicenſi aliiſque Germaniæ Principibus ac Rebuſpubl. reſponſa dedit. Scripſit complura, inter quæ eminet opus, contra Concilium Trident. Obiit Brunſuici, ubi docuit annos 30. A.C. 1586. ætatis ſuæ climacterico. Alius ejuſdem nominis JCtus quædam Iuridica luci dedit. Vide Melch. Adami *Vitas Theol.* Verheiden *Effigies*, Antonii Teiſſier *Elogia Part. 2.* atque hîc paulò infrà voce *Chemnitius*.

CHEMNIS, Ægypti Inſula. De qua Pomp. Mela, *l. 1. c. 9.* ubi de Ægypto: *Alia quoque in his terris mira ſunt. In quodam lacu Chemmis inſula lucos ſylvaſque & Apollinis grande ſuſtinens templum, natat, & quocunque venti agunt, pellitur.* Sed ibi *Chemmis* legendum monet doctiſſ. Is. Voſſius. Ita quoque inſulam iſtam appellat Herodotus, *l. 2.* ubi, magnam ibi eſſe palmarum aliarumque vitis arborum, partim frugiferarum, partim umbriferarum ſaltem memorat. Hecatæus eam *Chembin* vocat, in loco *Stephano* ita legendo; Ἐν Βούτοισι πρὸς τὸ ἱρὸν τῆς Λητοῦς ἐστὶ νῆσος Χέμβις ὄνομα, ἱρὴ τοῦ Ἀπόλλωνος. Ἐστι δ' ἡ νῆσος μεταρσίη, καὶ περιπλεῖ ἐπὶ τοῦ ὕδατος καὶ κινέεται. Ὁ νησιώτης Χεμβίτης, καὶ Χέμμιος. Alia eſt *Chemmis*, quæ in nomo Thebaico ſita erat, quamque *Panos urbem* interpretatur *Diodorus Siculus*, ubi templum Perſei, quem incolæ modò è terra prodeuntem,

 tem,

tem, modò è fano exeuntem ſe videre perſuaſi ſunt. Meminerunt hujus tum alii, tum ipſe quoque Herodotus. Plut. *inl. de Iſide & Oſir.* perperam Χέμμω vocat. *Stephanus* ex authoritate *Herodoti*, & hanc quoque inſulam eſſe inquit: Ἔςι ϰ̀ Χέμμις πόλις μεγάλη τοῦ νομοῦ Θηβαϊκοῦ, ἐγγὺς δὲ Νέας πόλεως, ϰ̀ νῆσος εἶναι χέμμις ἐν αὐτῇ. Sed nuſquam hoc Herodotus prodit. Itaque apud *Stephanum* legendum ἐν Βούτῳ, non ἐν αὐτῇ. *Nic. Lloydius.*

CHEMNITIUS Martinus, Germanus, patriâ Britzenſis, in Veteri Marchia, Superintendens Brunſuicenſis. Hic aſſiduò labore in ſtudio Theologico tantum profecit, ut, poſt Philippi præceptoris obitum, Theologorum Aug. Confeſſ. facilè princeps haberetur. Ejus *Harmonia Evang.* inchoata, & à Polycarpo Lyſero continuata, prodiit in fol. Francofurti A.C. 1622. & Genev. 1628. in quarto, variis vicibus. Vide Joh. Gerardum. De ea ſic Walthe-rus *in offician. Bibl. Ex Lutheranis ſatis commendari nequit* Harmonia à Chemnitio, *ad ſtuporem uſque dexterrimè cœpta*, à Polyc. Lyſero *fideliter continuata*, à Gerardo *dexteritate ac fidelitate pari conſummata*; ex *Pontificiis* Janſenius, ex *Reformatis* Calvinus. Riveto citat. apud Leigh. dicitur *Vir eximius, atque acerrimus Pontificiarum partium oppugnator*. Obiit A.C. 1586. ætat. 61. Brunopoli in Saxonia, Melch. Adami *in vitis Theol. Germ.* & Regenvolſcius: Verheiden. Vide & *Elogia* Anton. Teiſſier ſuprà laudati.

CHEMOSH, Moabitarum numen, Jerem. *c.* 48. *v.* 46. Χαμὼς LXX. interpretes vocant; & nomine tantummodo à Phegorio Deo hunc diſtare ſentit D. Hieronymus. Philo Judæus, *Allegor.* 2. Χαμὼς ἑρμηνεύεται ὡς ψηλάφημα, quod cæcorum ferè proprium. Sanè משׁ *moſch* eſt *contrectavit*, ſeu *palpavit*, & elementum *Caph* ſervile, ὡς interpretatur.

CHENA, Laconicæ urbs, Myſonis patria. *Steph.* Χῆν, πόλις Λακωνικῆς, ὁ πολίτης Χηνεύς. Vicum appellat Diodorus. Sic in Excerpt. Μύσων ἦν ἐν Μαλιεῦσιν ὡς φησὶ ἐν κώμῃ Χηνεῖ κατοικῶν. Ariſtoxenus apud Laërtium *in Myſone*, μηδὲ πόλεως, ἀλλὰ κώμης, ϰ̀ ταύτης ἀδόξου. Χῆν dicitur in Pythiæ oraculo. Αἱ Χῆναι Max. Tyrio, & Pauſaniæ; cujus *in Phocicis* hæc ſunt verba: Κώμας ἐν τῇ Οἴτῃ τῷ ὄρει φησὶν εἶναι Χῆνας. Vide Doct. Menagium *ad Laërtium p.* 38. 39. *Nic. Lloydius.*

CHENERES, Ægypti Rex, regnavit ann. 16. *Nic. Lloydius.* Manetho illi 30. tribuit, & in ſerie Regum Thinitarum ponit XVII. poſt Seſochrim, ante Nechetophen. Vide Joh. Marshamum *Canone Chron.*

cum CHENETELLIS potus, occurrit in *Charta* Garini Abbatis de Valleia *A.* C. 1227. ex *Tabulario* Eccleſiæ Carnotenſis, *Cum ex pia deceſſorum noſtrorum devotione proceſſio Eccleſiæ B. Mariæ Carnotenſis ad Eccleſiam noſtram accedens, procurationem quartâ feriâ Paſchalis ebdomadæ, & potum* cum chenetellis *in vigilia S. Joannis Baptiſtæ decollationis ſine contradictione perciperet, quia mediâ procurationis & potus &* chenetellorum *exhibitione, ob turbarum inſtantiam, nobis importunè plures & damnoſè, ſed & inhoneſte res fieri videbatur, Decanus & Capitulum ejuſdem Eccleſiæ, ad fugam diſcordiæ & mutuæ affectionis cuſtodiam ---- prædictam procurationem potum &* chenetellos, *nobis in perpetuum quittavit, proceſſione B. Mariæ Carnotenſis, ad Eccleſiam noſtram, more ſolitò præfatis duobus ebdomimus accedente*, &c. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* quo *Chenetellum*, paſtilli fuiſſe ſpeciem, docet ibidem, ex *Charta* alia A.C. 1201.

CHENISCUS, Græcè Χηνίσκος, h. e. *anſerculus*, inter ornamenta navium: memoratur *Luciano*, Ὡς ἡ δὲ πρύμνα μὲν ἐπανέστηκεν ἠρέμα καμπύλη, χρυσοῦν χηνίσκον ἐπικειμένη. Nempe recurvatis lignis, quæ ad ornandas puppis & proræ extremitates inſurgunt, recurvò inprimis puppis ligno, aliquando ſcutuli forma imponebatur olim, aliquando anſerculi figura. Hinc Apulejus, *Puppis intorta* chenisco, *bracteis aureis veſtita*; ubi τὸ ἄκρον τῆς πρύμνης ἐπικεκαμμένον, *extremitatem puppis incurvatam*, ad inſtar colli anſerini, intelligit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 572. Ἄχὴν porrò, *anſer*, venit χηνίζω, *gingrio*, ſonus anſerum proprius; inde de tibicinibus, apud *Athenæum*, Χηνίζων λέγεται ἐπὶ τῶν αὐλούντων. Unde & *gingrina tibia*, apud Solin. c. 5. & *gingritor* tibicen, apud *Feſtum*. Idem Salmaſ. *ibid. p.* 124.

CHENIUS, mons circa mare, apud Macrones populos, haud procul à Colchide regione, uti deſcribit Diodor. Sic. *l.* 14.

CHENNE, i. e. *baſis*, *rectitudo*, vel *præparatio*, urbs Ezech. c. 27 v. 23.

CHENNIA, coturnicis ſpecies, Ægypto familiaris, quâ certâ anni tempeſtate Ægyptii ſic abundabant, ut, cùm omnes abſumere non poſſent, eas in poſterum ſale condire cogerentur. Χέννιον ὀρνιθάριον ἐν τῇ Αἰγύπτῳ ταριχευόμενον, Chennium, *quoddam aviculum in Ægypto ſale conditum*, *Heſych. χ.* Quod maximè mirandum, in regione tam populoſa, ut Theocritus, *Idyll.* 17. *v.* 82. in ea cenſeat oppidorum plus triginta millia, & Joſephus, *Belli Jud. l.* 2. *c.* 16. hominum 750. myriades, abſque Alexandriæ incolis. Athen. *l.* 9. *c.* 11. Τῶν δὲ ταριχευμένων χεννίων, μνημονεύει ὁ τὸν Ἀρχίλοχον ποιήσας Κλεομένης -- φαληρίδας ταριχηρὰς μυρίας -- χέννια ταριχηρὰ μυρία, Chenniorum, *quæ vocant, ſunt autem parvæ coturnices, meminit Cleomenes -- ſic, Phalarides ſalſas decies mille, ---* chennia *ſalſa decies mille*. Ubi *phalaris mergus*, *chennium* coturnicis genus eſt, ipsô Athenæô auctore. Capiunt illa Rhinocoruræ, aliarum rerum indigæ, *retibus ex ſiſſis, calamis compactis & in multa ſtadia prope littus poſitis*, apud Diodor. Sic. *l.* 6. illuc enim *ex mari per magnos greges ſe conferunt*, ibid. *non ſine periculo navigantium, cùm appropinquavêre terris. Quippe velis ſæpe inſident, & hoc ſemper noctu, merguntque navigia*, Plin. *l.* 10. *c.* 23. Præ cæteris Arabicus ſinus alit, Joſeph. *Antiqq. Jud. l.* 3. *c.* 1. Apud eundem Athenæum Hipparchus in Iliade Ægyptia,

> Οὔ μοι Αἰγυπτίων βίος ἤρεσεν, οἷον ἔχουσι
> Χέννια τίλλοντες.
> *Non mihi Ægyptiorum vita placet, quam degunt*
> *Chennia vellentes.*

Poëta vetus; in ſordidum convivatorem, qui hoſpitibus vilia & ſalſa omnia apponebat, *Antholog. l.* 2. *c.* 47.

> Ἡμεῖς δ' ἐσθίομεν κεκλημένοι ἅλμυρα πάντα,
> Χέννια, ϰ̀ τυροὺς, χηνὸς ἅλιστα λίπη.
> *Nos verò invitati comedimus ſalſa omnia,*
> *Chennia & caſeos & anſeris ſalſos adipes*, &c.

Itaque *Chenniorum* & coturnicum in Ægypto, & tota Africa, cùm tanta copia fuerit, facilè ventorum alis in Iſraëlitarum caſtra devehi potuêre; ut non neceſſe ſit nova miracula ſibi fingere, quaſi Deus, coturnicibus exercitum ſuum aliquandiu paſturus, in deſerto, eas vel de novo creare, vel miraculoſè multiplicare, habuerit neceſſe. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 1. *c.* 16. Atque hujus miraculi occaſione fortè factum, quod Ægyptios μαγείᾳ τινὶ ἐπιχωρίῳ τὰς ὄρνιθας ἐκ τοῦ ἀέρος κατάγειν, *magicâ quadam ratione illi genti propriâ, aves de cælo deducere*, ſcribat Ælian. *Hiſt. Animal. l.* 6. *c.* 33.

CHENNO, fluv. Regni Mogor. *Natal. Metel.*

CHENOBOSCIA, & CHENOBOSCIUM *Antonin.* urbs Ægypti è regione Dioſpolis, quaſi ab *anſerum paſtu* dicta, à Copto 40. mill. paſſ. in Boream diſtans.

CHEOPS, Ægypti Rex, Herodot. *l.* 2. Vide *Cheoſpes*, it. *Chemmis*.

CHEOSPES, poſt Rhampſinetum, Ægypti Rex, qui fanis clauſis ſacrificiisque prohibitis, ſibi ſoli gente laborare juſſâ, celeberrimam illam Pyramidem ſtruxit, in qua tam multa hominum millia, opus tot annis fecerunt, ut pro apio, cæpa, allio, expenſa fuerint mille & ſexaginta talenta. Vide Herodot. *l.* 1. Ac hic Chemmis vel Chammos Diodor. Sic. *l.* 21 Regnavit ann. 50.

CHEPHREM, frater hujus, ei ſucceſſit, regnans ann. 56. Pyramide ſubſtructâ fratris imitator. Sed utrque ſubditis adeò evaſit inviſus, ut ne nomina quidem eorum audire ſuſtinerent, dictitantes, Pyramides has à paſtore Philitione conditas, qui ibi locorum gregem paſcebat, *Herodot.* Diodoro *Chephres* dicitur, aliis *Chabryes*, qui eum volunt filium non fratrem prioris fuiſſe. *l.* 1.

CHEPHRI, in tribu Benjamin. Hieronym. *in Loc. Hebr.*

CHEPSTOVIUM, oppid. Angliæ, in Wallia, & in Comitatu Monumethenſi, prope oſtia Vagæ, & æſtuarium Sabrinæ, 8. milliar. Anglic. à Monumetia in Auſtrum. Vide *Striguliа*.

CHEPTA, Aſiæ fluv. inter Orthoſpanam Drangianæ regionis urbem, & Peucolaitem. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

CHEREADES, plurali numerò, ſecundùm *Hecatæum*, Moſynœcorum urbs.

CHEREBERTUS, filius Clotarii I. Galliarum Regis, patri ſucceſſit: A.C. 565. primus Regum Francorum Latinè ſcivit: rejectâ uxore Ingobergâ, cum Meroſledæ ancillæ aſſuevìſſet, paulo pòſt unà cum pellice obiit, uti refert inſignis auctor Papirius Maſſonius *in Clotario*.

CHEREBERTUS, vide *Charibertus*.

CHEREM, Hebræis ἀνάθεμα, Levit. *c.* 27. *v.* 21. à verbo *charam*, quod propriè ſignificat rem aliquam ab uſu communi eximere ac ſegregare, ut Deo conſecretur, Græcis ἀφορίζειν & ἀναθεῖναι; atque inde pro *perdere* ſumitur, quia res ei perit, à cujus uſibus abſcinditur, ac Deo vindicatur. Hinc *Cherem*, Excommunicationis apud Judæos ſpecies. Et quidem, ut latum à Deo in Angelos Apoſtatas judicium, & Adami extra Paradiſum exilium, procul à myſticæ arboris aſpectu ac contactu. Caini quoque à facie Dei fugam & incircumciſos ſub lege immundoſve legaliter, Templô ac ceremoniis prohibitos, omittam: Labente inprimis Republ. & αὐτονομίᾳ ſub exterorum Imperio, ſub Templo ſecundo ſuprimis Excommunicatio ſolennis viguit; cujus primum exemplum nonnulli ex Eſra c. 10. v. 7, 8. arceſſendum contendunt. A quo tempore de Synagoga frequenter ejecti, qui contra ſacrorum Leges peccaverant, quod in N. T. dicitur, ἀποσυνάγωγον ποιεῖν, ἀφορίζειν, ἐκβάλλειν. Unde & eo in Templo peculiaris Excommunicatorum porta, & ſub eodem tres diſciplinæ gradus, ſecundùm quoſdam numerati, נדוי *Niddui*, חרם *Cherem*, & שמתא *Shammatha*, quorum ille aliquem Eccleſiâ & promiſcuô convictu arcuerit; iſte peccatorem, ut profanum, ac à Reſpubl. Iſraëlis alienum, non ſine diris, ac maledictionibus, extra Eccleſiæ ac Reſpubl. illius pomœria relegaverit, hic autem cum ſupremâ demum ſententiâ perculerit, ac extra Eccleſiam ejectum, ſine ulla impoſterum venia, horrendô carmine, congeſtiſque diris ac exſecrationibus, inter tubarum ſtrepitum, Dei tandem judicio reliquerit. Quam tamen alii extremam ſententiam apud illos non agnoſcentes, *Niddui* & *Sammatha* ferè alternare, nec ſignificatu, ſed gradu tantum, differre ſtatuunt, duoſque tantùm excommunicationis gradus faciunt, qui in *Cherem*, quod *exterminationem ex Iſraële* dicebat, terminati fuerint. Qua de re vide Franc. Burmannum, *Synopſ. Theol. Chriſt. Part.* 2. *l.* 8. *c.* 5. §. 13. Joann. Forbeſium, *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 12. *c.* 13. §. 14. Alios, ut & hic paſſim, in vocibus *Anathema*, *Excommunicatio*, *Shammata*, &c.

CHEREMOCRATES, inſignis quidam artifex fuit, cujus opus Epheſiæ Dianæ templum fuiſſe perhibetur. Strabo, *l.* 14. Idem Alexandro pollicebatur, ſeſe montem Atho in ejus formam fabricaturum, ut tanquam ex gutto quodam aqua in phialam effunderetur. Strabo, *ubi ſuprà*.

CHERIAS, Athletes quidam, quem Hercules condylô interfecit.

CHERIAS, Medicus Athenienſis, qui apud *Plin.* teſtis eſt, radicem cardui ex aquâ decoctâ potatoribus ſitim facere, ſtomachum corroborare, & vulvis aliquid conferre.

CHERILUS, vide *Cherilus*.

CHERISOPHUS, octingentis Lacedæmoniis præpoſitus, tempore belli Cyri, contra Artaxerxem. Cui, Cyrô victò & pleriſque

riſque ducibus, in itinere, perfidè à Tiſſapherne comprehenſis, ſummam imperii milites tribuêre.

CHERITISMUS, Græcè Χαιρετισμὸς, *Salutatio*, Annunciatio Deiparæ Virginis. Anaſtaſius Bibliothecar. *in Leone III. Fecit veſtem de chryſoclavo, habentem hiſtoriam Nativitatis & S. Simeonis, & in medio Cheritiſmum*: h.e. figuram annunciationis Gabriëlis ad Virginem depictam. Hodieque Græci Annunciationis Feſtum, propter Angelicam ſalutationem, hâc voce inſigniunt, Macer *Hierolex.* Vide ſuprà ubi de *Annunciationis Feſto*.

CHERIUM, vulgò *Cheri*, Gallis *Quiers*, oppid. Pedemontii, hiſce ultimis bellis notum, 6. milliar. à Taurino in Ortum; Fuit olim urbs potens, ampla & ſui juris.

CHERMES, vel GUERMES, Arabibus pro cocco, ſeu vermiculo, ſeu verme: unde etiam nomen. Κόκκος enim ſive grana fruticis, qui granum tinctorium fert, intus parvis ſcatent vermiculis, quorum ſanies coccino tingendo præclara eſt, unde *vermis* pro cocco, item *vermiculum*, jam Lucilii ævô; etiam *vermiculatum* opus, ſive *emblema*, vocat id, quod *musivum* appellat *Nonius*:

---- ---- lexis compoſta, ut teſſerula omnes
Arte pavimentò atque emblemate vermiculatò.

Certè & σκωλήκιον Græci dixêre, ut eſt apud Plin. *l.* 24. *c.* 4. quod is certum genus cocci eſſe dicit; Sed omne coccum ſic vocabatur. Unde & apud recentiores Græcus σκώληξ, pro *cocco*, paſſim, &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1214. Vide plura infrà, inprimis ubi de *Cocco*.

CHERMITES Lapis, apud Plinium, *l.* 36. *c.* 17. *Mitior eſt autem ſervandis corporibus, nec abſumendis Chermites ebori ſimillimus, in quo Darium conditum ferunt.* Ub libri Plinium habent, atque ita *Iſidorus*: Cùm aliàs *Chernites* legatur, quemadmodum & Theophraſtus, *l. de lapp.* lapidem illum vocat, è quo ſolium Darii cadaver ſervans, factum memorat. Χερμὰς certè Græcis lapis eſt χαλικώδης unde fortean χερμίτης λίθος. Quod tamen non affirmare licet. Nam Χερμάδιον inde interpretantur Grammatici lapidem, qui manum impleat. Cujuſmodi in ripis fluminum & alveis repetiuntur polito ac candidi & magnitudine, quæ facilè tolli poſſit. Fortè à coloris ſimilitudine Χερνίτης dictus: Χερνίτης vero in Græcia originem non habet, Salmaſ. *ad Solin p.* 1204.

CHERMULA, Palæſtinæ urbs. *Lib. Notit.*

CHERNIPS, vide *Scyphus*.

CHERNOS, caſtellum in Aſia minore circa Iſauriam. *Suidas.*

CHEROGIPSIS, Thraciæ fluv. circa Cherroneſum. *Niceph.*

CHEROPHON, Tragicus Athenienſis ſub Philippo Macedone. Philoſtr. *in vitis Sophiſt.* *Athenæus.*

CHERRÆIDÆ, portus circa Teum Ioniæ urbem Septentrioni obverſus. Strabo, *l.* 14.

CHERRES, Ægypti Rex, regnavit ann. 15.

CHERRONESUS, vel CHERSONESUS, Terra eſt in inſulæ modum mari cincta, unô tantùm, eoque anguſtô ſpatiô continenti adjuncta; Latini peninſulam vocant. Quinque autem inſigniores memorantur *Cherroneſi*, quarum celeberrima Achajæ adhærens, *Peloponneſus* dicitur. Secunda quæ à vicina continente *Thracica* dicitur; hodiè *Brachium S. Georgii*, cujus Iſthmus ab Occaſu Melane ſinu, ab ortu Propontide alluitur. Pars eſt Thraciæ, juxta Helleſpontum, à Meridie in Boream extenſa, ubi aliàs Cruſæi & Sexi populi, & urbes Seſtus, Elæus, Callipolis, Cardia, Ciſſa, & Chryſea. Suidæ *Helleſpontiaca Cherſoneſus. Baudrand.* In hanc Cherſoneſum, Juſtinianus Imperator naribus præciſis, prout *Rhinotmetus* dictus, à Leontio relegatus eſt, A.C. 694. ſed hôc ab Abſimaro ſucceſſore ſimiliter truncatô, A.C. 697. Juſtinianus poſt exilium decennale, A.C. 703. cuſtodiâ elapſus, & Trebellius, Bulgarorum Regis, auxiliô reſtitutus, in Cherſoneſi incolas, quod ſibi in exilio inſidias ſtruxiſſent, crudeliter Principibus aſſatis, 87000. puerorum ac infantum ſubmerſis deſævit, A.C. 710. Hi verò claſſe ejus victâ, Philippicô Bardane ad Imperium evectô, captâ urbe Juſtinianum cum Tiberio fil. trucidârunt. A.C. 711. P. Diac. *Long. l.* 6. Tertia Saxoniæ adhærens, à Cimbris, qui eam tenuerunt, *Cimbrica*, appellata eſt: *Jutland*, pars Daniæ regni. Vide *Cimbrica Cherſoneſus*. Quarta inter Pontum Euxinum, & Mæotidem paludem ſita, nunc *Przekop*, Pineto, à Tauris Scythiæ Europææ populis *Taurica* fuit appellata. Quod vide. Quinta, quam *Auream* cognominant, in India ſita extra Gangem, juxta ſinum, quem magnum vocat *Ptolemæus*, qui duas alias Cherſoneſos, in ſinu Arabico videlicet, & Perſico conſtituit. Eſt hæc Aurea Cherſoneſus in modum peninſul. verſus Auſtrum & Inſul. Sindæ maximè extenſa. Ubi nunc regnum Malaccæ, & pars Meridionalis regni Siamis. Vide *Aurea Cherſoneſus. Nic. Lloydius.* His verò jungi poſſunt Yucatana & Corea, ad Sinas: ex Auctore *Hiſtor. Orbis Terr. c.* 5. *de Hiſtoria Inſul.*

CHERRONESUS, vel CHERSONESUS, oppid. Ilercaonum in Hiſpania Tarraconenſi in ora orientali regni Valentiæ, in Catalauniæ confinio, arx *Peniſcla*, vel *Peniſcola* hodie, Latinè etiam Peninſula dicta. In colle, prope Tenebrium promontorium, ubi aliàs ſtabulum Petri à Luna, dicti Benedicti XIII. Locus eſt munitus, 8. leuc. à Dertuſa, & 13. à Valentia in Boream. *Baudrand.* Secunda urbs Tauricæ, inter Parthenium, & Criumetopum. *Ptol. Cherſo*, & *Kerſoy Nigro*, & aliis. Ad oſtia ſinus Carcinitis. Nune *Topetorkan*, *Sanſon.* 50. mill. paſſ. à promontor. *Fronte Arietis*, in Boream, 70. à Carcine urbe in Auſtrum prope Parthenium promontor. aliàs Heraclea, *Baudrand.* Tertia, urbs Cretæ litoralis, hodiè *Chirroniſo*. Nunc *Spinalonga*, arx probe munita, cum portu capaciſſimo, inter Matium & Cytæum. *Baudrand.* Quarta, *Cherſoneſus magna*, urbs Marmaricæ, in ora litorali apud Cyrenaicæ fines. *Ramlin*, teſte *Marmolio*. Nunc vicus tantùm *Raſitta* & *Raſaton*, cum promontor. cognomine in ora maris Libyci, vix 4. dierum itinere à Cyrene in Ortum. *Baudrand.* Quinta, *Cherſoneſus parva*, urbs Ægypti maritima Alexandriæ finitima, quæ *Buſire* Jo. Leoni nominatur; ſed hæc potius Buſiris veteribus eſſe videtur: utcunque ſit, Cherſoneſus parva ab Alexandria in Occidentem recedit Marmaricam verſus. Sexta, Syriæ civitas quæ aliàs *Apamea*. Vide *Steph.*

CHERRONESUS, vel CHERSONESUS, promontorium Siciliæ geminum, unum inter Catanam, & Syracuſas, ubi nunc Auguſta oppidum, teſte Fazellô circa Megaram. Alterum apud Mylen oppid. *Capo di Melazzo* hodie dictum

CHERRURA, urbs Libyæ, quæ & *Cherſoneſus. Steph.*

CHERSEUS, Phœniciæ fluv. *Ptol.*

CHERSIAS, Orchomenius, Periandro à Chilone reconciliatus. Ejus verſus quosdam laudat Pauſan. *l.* 9.

CHERSIDAMAS, vir Trojanus, quem Ulyſſes in bello interemit, teſte ſeipsô apud Ovid. *l.* 13. *Met. v.* 259.

Exitioque dedi cum Cherſidamante Thoonà.

Vide *Iliad.* 11.

CHERSIPHO, Architectus quidam eximius, qui Dianæ Epheſiæ templum mirè extruxit, poſtea aliud fecit, majus illô. Strab. *l.* 14. Ubi tamen libri veteres habent Ἀρχιφρων. Sed nihil eſſe mutandum docet Plin. *l.* 36. *c.* 14. ubi de hoc templo loquens; *Operi*, ait, *præfuit Cherſiphron architectus*.

CHERSIS, Africæ vicus. *Ptol.*

CHERSIUS, nomen proprium viri.

CHERSO, Ponti maritima urbs ad Mæotidem paludem. *Procop. Cedren.*

CHERSOBLEPTES, Thracum Rex, ann. Urb. Cond. 410.

CHERSONESUS, ſeu CORSUNUM, urbs Tauricæ Cherſoneſi antiquiſſima, quam *Sari Germenum*, i.e. *flavam arcem*, Turcæ vocarunt, nam ſolum quaſi flavum ille tractus habet. *Mercat.*

CHERSONESUS, vide *Cherroneſus*.

CHERSYDRI, ſerpentum genus, ab *hydris* partim diverſum. Qui enim hydrus hyeme ſuerat, dum aqua erat in lacunis, poſtquam ea defecit æſtu, inque ſiccô degere cogitur, atque ita fit *cherſydrus*, h.e. hydrus ἐν χέρσῳ, *in ſicco*, degens. Tum vero infeſtiores ſiti in calidis regionibus virus ejus acrius multo ac ferventius. Unde Poëta, *Georgic. l.* 3. *v.* 432.

Poſtquam exhauſta palus, terraque ardore dehiſcunt,
Exilit in ſiccum, &, flammantia lumina torquens,
Sævit agris, aſperque ſiti, atque exterritus æſtu.

Itaque tum morſu ſuô exurit, quidquid attingit. Nicander, de morſu à cherſydro, *Theriacon v.* 363.

---- ---- ἐν δ᾽ ἄλγεα φωτὶ δαμάζει
Μυρία πορπολεῦντα· θοαὶ δ᾽ ἐπὶ γυῖα χέονται
Πρηδόνες.
---- ---- *Dolores autem homines domant*
Infiniti, tanquam incendiis depopulantes: ſtatim autem per membra ſparguntur
Puſtulæ urentes.

Imò tradit Geſnerus, in virga, cujus ori admota, *excitari veſicas, aut fellei coloris puſtulas*. Et, *gladium à mucrone uſque ad capulum, tetrô ac cœruleô colore nigr. ac ſi flammâ violentâ corriperetur*. Item, *vim habere igneam hoc virus, quare ſemper ſuperiora petere*. Quô pro in igne conſumptum fuiſſe Herculem, Poëtæ fingunt, cùm veſtem induiſſet Hydræ Lernææ venenô tinctam. Vide Ovid. *Metam. l.* 9. *Fab.* 3. Senecam *in Hercule Oetæo*, *v.* 1216. Sophoclem *in Trachiniis*, ubi vellus etiam hôc venenô tinctum, tanquam igne ſecretô, carpitur & conſumitur, Alios. Id verius, *ſeraphim* illos, Numeror. *c.* 21. *v.* 9. à quibus morſi Iſraëlitæ, in Deſerto, ænei ſerpentis aſpectu ſanati ſunt, non alios, quàm *Cherſydros* fuiſſe, uti pluribus probat Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 3. *c.* 13. Dicti autem illi *ſeraphim* Hebræis, h.e. *ardentes & exurentes*, Græcis ὁπωρεσμοί. quos vias obſidere circa Caniculares maximè dies, quâ tempeſtate calamitatem hanc Iſraëlitis contigiſſe, *Idem* docet, ait Nicander, *ubi ſuprà*. Vide quoque ſuprà ubi de Æneo, *Serpente*.

CHERTOBALUS, vulgò *Charlburg Lazio*, oppid Pannoniæ ſuperioris in Auſtria apud Danubium, nunc pagus inter Viennam ad Occidentem & Poſonium urbem Hungariæ in Ortum ad 5. leuc.

CHERUB, Hebr. כרוב eſt alata imago, ſimilis juveni, dici volunt ex כ *ſicut*, & רבי *rebe*, *puer*, *adoleſcens*. Chaldaicè enim רבא *reba* eſt *creſcere*, *adoleſcere*. In Scriptura ſancta vox legitur pro *angelo*, & *ſpecie angeli*, qui, ut alatus juvenis pingitur, ad ſignificandum robur, & velocitatem in expediendis Dei juſſis. Plurali numerô *Cherubim* dicuntur. De quibus Joh. Druſius, *Commentar. ad difficiliora loca Exodi*, *c.* 44. *De Cherubis*, inquit, *quatuor opiniones ſunt. Una eſt veterum Hebræorum, qui ſcribunt, eos formam habuiſſe puerorum, aut juvenum, quod ex etymo colligunt, argumentô admodum infirmô* כרובים *Cherubim, tanquam pueri & juvenes*. Altera eſt Hiſcani, & aliorum quorundam, qui cenſent angelos fuiſſe avium formam referentes, unde eis alæ tribuantur. Tertia opinio eſt Joſephi, ſcribentis animalia fuiſſe alata, nemini mortalium unquam viſa. Origen. *l.* 3. *c.* 6. Quarta eſt Abenezræ, qui ſcribit, generale nomen eſſe ad omnes formas. Hi à nullo conſpiciebantur, niſi à ſolo ſacerdote, cùm intraret in Sanctum Sanctorum ſemel in anno. *Nic. Lloydius*. Arcam nempe obumbrabant, in intimo Sanctuarii receſſu, quos bovis habuiſſe ſpeciem, atque inde eſſe, quòd Aaron & Jeroboam verum Deum vituli formâ coli voluerint, creditum nonnullis; eo quòd uni ex quatuor animalibus, de quibus Ezech. *c.* 1. *v.* 7, 10. & Apocal. *c.* 4. *v.* 7. uni locô facies bovis, alterô *facies Cherub*, tribuatur. Sed de Aarone res palàm falſa, cùm, quô tempo-

tempore fudit vitulum, Arca fœderis nondum fuerit fabricata. Hoc ſaltem certum, vitulorum pedes illis tribui, Ezech. c. 1. v. 7. illoſque, licèt varias animalium formas exhiberent, ad bovis tamen ſpeciem acceſſiſſe propius. Et verbum כרב *cherab*, unde *Cherub* ortum, arandi notionem apud Syros obtinere, conſtat, &c. Vide Bochart. *Hieroz. Part. prior. l. 2. c. 41.* & infrà in voce *Vitulus*. Ad horum ſimilitudinem *Cherubim*, in antiqq. Romanis *Ceremonialibus*, vocantur pretioſa quædam ornamenta, quæ Angelus Rocca, in aliqua gemma ſculpta atque in pluviali Pontificio, pro pectorali, ſerviſſe, exiſtimat. Car. verò & Dominicus Macri, in cacumine haſtarum ea poſita, & ad latus Pontificis equitantis, ultimò locò præferri ſolita, neque alia, quàm bina illa flabella eſſe ajunt, quæ ad tegendum Pontificis caput deferri ſolebant, *Seraphim* quoque aliàs dicta. Moſci in proceſſionibus ſuis 4. *Cherubim* ſuper haſtas deferunt. Græci verò in epigonatio illos depingunt: hic enim facer habitus Evangelicæ prædicationis & doctrinæ Eccleſiaſticæ illis ſymbolum eſt, vide Macrum utrumque in *Hierolex.*

CHERUBICUS Hymnus, vide infrà *Triſagius hymnus*.

CHERUBINUS, Ordo militaris in Succia, aliter *Jeſus*, à Magno IV. inſtitutus, A. C. 1334. *Ziegler.* A Carolo IX. abrogatus. Favyn. *Theatro honor. & equit.*

CHERUSCI, popul. German. magna gens, & Duce Arminiò inclyta. Itaque multa ejus mentio apud Tacitum, aliosque eſt, qui bella illa, quæ Romani cum Germanis habuêre, compoſuerunt. Coluêre Cheruſci ab Albi ultra Viſurgin. Ad Confluentes Albis, & Salæ conterminos habuêre Hermunduros, inde meridiem versùs Catos, qui Haſſi hodie ſunt, ſub Occidente ad Septentriones Foſios, qui Saxones, ſive Holſati hodiè, & Chaucos, in quibus nunc præcipuè Bremenſes cenſentur. Vide Cluver. *Germ. Antiq. l. 3. c. 19.* Claudian. *de 4. Conſulat. Honorii*, v. 452.

—— Ingrates Albin liquere Cheruſci.

Idem *de bello Getico*, v. 420.

—— Immanſuetoſque Cheruſcos.

Baudrando erant versùs Viſurgim fluv. & Melibocum montem. Ubi nunc Ducatus Brunſuicenſis & Luneburgenſ. Marchia antiqua, Diœceſis Halberſtadienſis & Hildesheimenſis, parſque Magdeburgenſis, cum parte Thuringiæ. Plura apud B. Rhenanum, *Rer. Germ. Nov-Antiqq. l. 1.* ubi *de Toringorum & Miſnorum in Cheruſcos expeditione*, adde *Notas* Ottonis JCti.

CHESAPEALUS Sinus, ſinus parvus Americæ Septentrionalis cum fluvio cognomin. in Virginia regione, ubi plurimæ Anglorum colmiæ. Vulgo *Cheſapeack-bay*.

CHESELETH-THABOR, civitas in tribu Zabulon. Joſ. c. 19. v. 12. Hæc ejuſdem tribus terminus erat, ſita in campeſtribus ad radicem montis Tabor, in octavo lapide ſive milliario Diocæſareæ ad Orientem reſpiciens.

CHESINUS, ſeu CHESSINUS & CHERSINUS, Sarmatiæ Europææ fluv. inter Aorſios & Veltas popul. *Cluver. Sanſon.* Nunc *Lowat* Ruſſis, antequam lacum *Ilmen* intret, in magno Ducatu Moſcoviæ. Quanquam *Ortelius* credat eum in ſinum Livonicum ſe exonerare, prope Narvam urbem.

CHESION, oppid. Ioniæ, unde incola *Cheſioneus*. Orus in maſculino genere uſurpat; nec civitatem, ſed locum eſſe vult. *Steph.*

CHESIUS, fluv. in Samo. Plin. *l. 5. c. 31.*

CHESLON, in tribu Dan, priùs Judæ, in qua tamen tribu ponitur ab Hieronymo *in loc.*

CHESSINUS, Sarmatiæ Europææ fluvius. *Ptol.* Vide *Cheſinus*.

CHESSON, nomen villæ in Hieroſolymorum finibus.

CHESTOCHOVA, oppid. Poloniæ majoris *Czenſtokow*, ad Wartam. Vide *Czenſtochova*.

CHETÆUS, Ægypti locus circa Canobum. *Procop.*

CHETIM, vide *Cethim*.

CHETTÆA, Marmaricæ in Africa vicus. *Ptol. Carto Caſtaldo.*

CHI Græcorum, in *Miſopogone* Juliani. Vide *Monogramma*.

CHIACA, Armeniæ urbs. *Antonin. & Lib. Notit.*

CHIAMSIA, una ex 13. provinciis regni Sinarum, versùs Auſtrum.

CHIAPA, provinc. Americæ Septentrional. in nova Hiſpania, inter Guaxacam & Jucataniam provincias. Gaudet Epiſcopali dignitate, ſub Archiepiſcopo Mexicano. Urbs primaria eſt *Civitas regia*, *Ciudad Real*.

CHIAS, Equitum Calatravæ in Hiſpania, antiquum inſigne: quâ voce denotantur faſciæ latæ ex panno, quas primitus Equites hi geſtare conſueverunt. Vide Macrum in voce *Boja*.

CHIAUSI, nomen officii in Aula Turcica. Nempe ſupplicia de Veziriis, Baſſis, aliiſque Magnatibus, ab Imperatoribus juſſa, ſumuntur per *Chiauſios*, qui triſte decretum Soldani nigro panno involutum unicuique horum afferunt, ac è veſtigio ſententiam exſequuntur. An ex *Tzangrus*, i. e. *arcus*, quorum nervô fauces damnatorum eliduntur; an ex *Tzaulus*, quô nomine dicebatur olim in Aula Græcorum Imperatorum, qui præcepta Imperantis ferebat; unde *Tzaus*, ſive *Chiaus*, qui nihil aliud eſt, quam Miſſus Turcarum Imperatoris, vel Primi Veziri. Vide Georg. Hornium, *Orb. Polit.* & Macrum, *Hierolex.* Eoſdem in judicium vocare privatos, controverſias illorum decidere, & captivos cuſtodiæ ſuæ commiſſos habere, refert Briotius *Hiſtoire de l'Empire Otomann. l. 5.* Vide quoque Joh. Baptiſtam Tavernier, *Relation du Serrail*.

CHICANGOÆ Regnum, unum ex 4. Regnis, in quæ tota Morataaga ſeu Monomotapa diviſa eſt. Vide Georg. Hornium, *Orb. Imper. p. 464.* & infrà in voce *Monomotapa*.

CHICHIMECI, populi Novæ Hiſpaniæ, Aſbei, *Acaſta*

CHIDNÆI, populi juxta Pontum. Orpheus *in Argonaut.*

CHIDON, i. e. *jaculum*, vel *interitum*, ſive *quaſi judicium*, nomen loci. 1. Paral. c. 13. v. 9.

CHIDORUS, fluv. Macedoniæ. Herodot. *l. 7.* vide *Echedorus*.

CHIEFLETIUS Joh. Jacobus, Patricius, Conſularis & Archiater Veſontinus, civis Roman. Johannis ibidem Archiatri fil. Antiquarius inſignis, in Patria Gubernatoris quoque munere diu functus, Iſabellæ tandem Claræ Eugeniæ à conſiliis Medicis fuit. Auctor *Dædalmanum libb. 2. Veſontionis illuſtratæ*, *Obſervationis de loco legitimo Concilii Epaonenſis*, *Lachrymarum in Exequiis Alberti Princ. Portus Iccii Jul. Cæſaris demonſtrati* &c. Floruit A. C. 1630. Franc. Sweertius *Athenis Belg.*

CHIEMIUM, urbecula Bavariæ ſuperioris 7. leuc. Germ. à Salisburgo in Occaſum, 10. a Monachio 5. à Burchuſia. Vulgo *Chiemſee*.

CHIETIUM, civitas Aprutii in edito colle: diruta à Pipino Caroli M. patre fuiſſe legitur, quòd rebus Longobardicis perpetuò ſtuduiſſet, reſtaurata verò paulo pòſt, adeò Normannis ob loci amœnitatem placuit, ut præ cæteris omnibus Aprutii, ſedem hic potiſſimè collocarent.

CHIFUNG, nomen herbæ, apud Sinenſes, in provinc. Quantonia, ad urbem *Chiuncheu*, quòd *ventum* oſtendat, ſic incolis dictæ. Nautæ enim, quò menſe & quot totô annô ſint futuræ tempeſtates, das colligere, atque ea nodulis ſeu geniculis; quò enim nodi pauciores ſunt, eò pauciores illô annô futuras ajunt tempeſtates Sinenſes, qui ex diſtantia nodorum à radice etiam, quò menſe quælibet accidere tempeſtas debeat, ſcire & colligere ſe poſſe autumant. Auctor Anonymus, *Sina & Europa c. 32.*

CHII, populi ſunt, qui cum merò calentes Spartam veniſſent, acceſſiſſentque ad curiam Ephororum, in curulibus magiſtratuum ſellis ventris onera per ſummam fœditatem dejecerunt. Hinc natum proverb. *Chius omnia percacans.*

CHILDASUS, mons Hiberniæ.

Reges veteres Gallorum, Viriique Principes.

CHILDEBERTUS I. Pariſiorum Princeps, A. C. 516. Secundogenitus Clodovei I. ex Clotilde, Regnum Pariſiorum obtinuit à Patre. Hic cum fratribus primò non optimè convenit, à Matre tamen lis ſopita, ut de Sigiſmundo & Gundemaro, Burgundiæ Regibus, ob cædem avi vindictam ſumerent. Rumore mortis Theodorici fratris auditò, Arverniam ingreſſus, mox videns falſum illum, & fratrem victorem redire, receſſit, ac in Alamarichum Gothorum Regem, ſororis ſuæ Clotildis maritum, bellum movit, victorque victum obtruncavit, quòd Clotildem ipſam virgis & verberibus, ob cultum Orthodoxæ fidei, quotidie inceſſeret, A. C. 531. Sed etiam fratris Clodomiri filios pupillos & clientes ſuos ad ſe venire juſſos interfecit, ut eorum patrimoniò potiretur. Mox & cum Clotario fratre, Rege Aurelianenſi, in cujus gratiam in horum necem conſenſerat, aliquid litis habuit, ob ſucceſſionem Theobaldi, fil. Theodeberti, fratris utriuſque nothi. Sed rurſus uniti Saragoſſam in Hiſpania obſederunt. Inde redux obiit A. C. 558. regni 47. nullò filiô relictò. Aimoin. *l. 2. Volaterran.* Gregor. Turonenſ. *l. 3. & 4.* Procop. *l. 1. bell. Goth.*

CHILDEBERTUS II. Auſtraſiæ Regis fil. Sigeberti, immiſſis à Fregedonde ſicariis, in obſidione Tornaci, interfecti, ex Brunechilde, quæ illum an. ætat. 5. Metis coronari curavit, A. C. 575. An. ætat. 14. exercitum contra Longobardos duxit, iterumque ac tertiò, à Mauritio Imperatore rogatus, ſed ſucceſſu parum felici. Dein in regno Aurelianenſ. vel Burgundiæ ſucceſſit, mortuò Gontranô, prœliò à Fregedonde præſente, ſtrategemate Landrici, mox victus. A Fregedonde creditur venenô ſublatus, cum uxore Faileuba, relictis Theodoricô & Theodebertô filiis, quorum ille Auſtraſiæ, hic Aurelian. & Burgundiæ Rex evaſit. Obiit A. C. 595. ætat 25. Gregor. M. *l. 3. ep. 58.* Gregor. Turonenſ. *l. 5. 6. &c.* Aimoin. *l. 3.* P. Diac. *Hiſtor. Longobard. l. 3.*

CHILDEBERTUS III. cognomine *Juſtus*, fil. Theodorici I. fratri Clodovæo III. in regno Franciæ, ſucceſſit A. C. 695. Pipinô Craſſô, Magiſtro Palatii, rerum ſub illo, potitô. Obiit. A. C. 711. Dagoberti II. pater. Fredegar. *l. 101. & ſeqq.* Aimoin. *l. 4.* Dupleix, *Hiſt. Fr. t. 1.* Mezeray, *Abb. p. 113.* Gaguin. *l. 1.* Æmil. *l. 1.*

CHILDEBERTUS, fil. Grimoaldi, qui Sigeberti Auſtraſiæ Regis Major Domus erat. Hic Grimoaldus, Rege mortuò, adoptatum ab eo ſe mentitus, thronum occupavit, Dagobertô Regis filiò tonsò & in monaſterium detruſô. Hinc Auſtraſiis exoſus, & pulsò Childebertô, Pariſiis à Clodovæo II. morte mulctatus eſt. Aimoinus, *l. 4. c. 42.*

CHILDEBRANDUS, fil. Pipini Craſſi, frater Caroli Martelli, cujus copias ſæpe ductavit. Caput & ſtipes hodiernæ familiæ Regiæ. Pater fuit Nebelongi, cui natus Theodebertus; cui Robertus I. cui Robert. II. cui Robert. III. Galliæ Reges A. C. 922. Hic genuit Hugonem M. qui Hugonem Capetum ſuſcepit. Vide *Mezeraium*, & authores ab illo citatos.

CHILDERICUS I. Francorum Rex, patris Merovei ſucceſſor, A. C. 458. propter nobilium matronarum ſtuprum in Thuringiam, Vidomato regni curâ commiſſâ, fugit. Franci Ægidium Roman. in Regem elegerunt, qui 8. ann. imperavit, quem Childericus revocatus fudit, victique, recuperatô regnô, ope fidelis ſui Guiemanni, poſtmodum magnâ cum moderationis laude præfuit, Odoacrô Saxone victô. Alemannis cæſis & Andegavô captô felix. Ex Baſina, quæ Baſini, apud quem latitaverat, in Thuringia, uxor, eum in Galliam reverſum ſecuta erat, pater Clodovæi I. Obiit A. C. 481. regni 24. Gregor. Turonenſ. *l. 2.* Aimoin. *l. 1. c. 7.* Tilletus, Æmil. *l. 1.*

CHILDERICUS II. Clodovei II. Regis Francorum trium filiorum medius, Auſtraſianis Rex datus eſt, poſt fratrem Clotarium III. A. C. 674. Ebroino, qui Theodoricum in thronum evehere niſus eſt, cum hoc in Monaſterium truſo, *Aimoin.* Sic Francorum Rex electus, crudelis in ſuos, nobilem Bodillonem nomine, in quodam palo alligatum fuſtibus cædi juſſit; Indignè hoc facinus ferentes Franci, conjurationem adverſus Regem inierunt, quâ factâ, cùm Rex à venatione rediſſet, à ſuis cum uxore prægnante eſt interfectus an. regni ſui 12. Aimoin. *l.* 1.

CHILDERICUS III. cognomine *Idiota*, hl. frater, an agnatus Theodorici II. ultimus primæ familiæ, Gall. Rex. Hunc Zacharias Papa, à Pipino rogatus, poſtquam Francos ſacramentô ſolviſſet, tonderi, Pipinô ſurrogatô, juſſit. A. C. 701. regni 9. uxor ejus Giſela ſimiliter in monaſterium detruſa eſt. Vide Goil. Barclaj. *de Papæ poteſt. contra Bellarm.* & Joh. Barclaji *Pietatem.*

CHILE, regnum Americæ meridionalis *Chili.* Populi hi omnium fortiſſimè Hiſpanis reſtiterunt, Arauſiani præcipuè, à quibus ingentes clades multoties Hiſpani acceperunt; ita quidem ut Confœderati Belgæ ſpem aliquando conceperint, ſeſe auxiliô *Chilenſium* universâ Peruviâ Hiſpanos expellere poſſe; quam in rem miſſus eò cum armis navibuſque Browerus Navarchus, fœdus cum iis contra Hiſpanos pepigit A. C. 1638. Sed negotium poſteà intermiſſum eſt: eo quod *Chilenſes* Batavos non minori, quàm Hiſpanos, quibus mons *Potoſi* aurifodinis celeberrimus extorquendus erat, auri cupidine viderent flagrare; quod gens illa maximè averſatur. Unde Baldivium Hiſpanorum Ducem cùm cepiſſent A. C. 1567. ut ei avaritiam exprobrarent, aurique extinguerent ſitim, ori ejus liquefactum aurum infuderunt. Scripſit bellum *Arauſianum*, quod *Chilenſes* pro libertate contra Hiſpanos geſſerunt, plenum Heroicorum facinorum, Alfonſius Ercilla Hiſpan. eleganti ſtylô. Cæterum regio Europæ ſimillima eſt & omnium frugum, quas nos habemus, ferax; interim, ob continua bella, non adeò frequenter habitatur. Hornius, *Orb. Imper. & Polit.* Vide & *Cile.*

CHILIARCHUS, nomen officii, in regia olim Perſarum aula. C. Nepos, *Conone*, *c.* 3. *Poſteaquam venit* (Conon) *primùm ex more Perſarum ad Chiliarchum, qui ſecundum imperii gradum tenebat, Tithrauſtem acceſſit, ſeque oſtendit cum Rege colloqui velle, nemo enim ſine hoc admittitur.* Unde idem Εἰσαγγελεὺς Diodor. Sic. *l.* 16. ubi de Ariſtozane. Aliquando tamen officia hæc ſeparata, & *Chiliarchi* dignitatem Εἰσαγγελέως ſeu *Introductoris* honore ampliorem celſioremque fuiſſe, colligitur ex eodem, *l. ſeq.* ubi Ariſtozanem primùm Εἰσαγγελέα, poſteà demum ad *Chiliarchi* dignitatem aſcendiſſe tradit. Idem *Megiſthanes* vocabatur, & inſuper poſt Regem totius regni curationem habebat, quemadmodum apud Ægyptios Diœcetes. Nec vero diſſimile, hunc unum fuiſſe ex Perſarum Δορυφόρων, qui ad numerum millenarium aſcendebant, teſte Athenæô, *l.* 13. *c.* 3. quibus aliquantò viliores erant Cubicularii ad oſtium palatii, quos πυλωροὺς vocabant, vel ſecundùm Plutarchum Καλδαύρας. Cæterùm Χιλίαρχος Græcis vulgò dicitur, qui *mille viris præfectus* eſt. Quô ſenſu vox apud Curtium occurrit, *l.* 5. *c.* 2. *Novem, qui fortiſſimi judicati eſſent, ſinguli militum millibus præfuturi erant; Chiliarchos vocabant.* Et Joſephum, *de bello Jud. l.* 5. *Milites ad Centuriones, illi ad Chiliarchos convenient.* Hieronymus talem *Tribunum* dixit *Exod. c.* 18. &c. Vide Keuchenium aliosque *ad Nepotem d. l.*

CHILIASTÆ, Hæretici quidam, quos *Millenarios* Auguſtinus interpretatur: propter illud ex ſacra pagina, 2. *Petr. c.* 3. *v.* 8. *Una dies apud dominum, ut mille anni, & mille anni ut una dies*, Chriſtum ſuper terram mille annos regnaturum opinantur. Papias, Johann. Evangeliſtæ diſcipulus auctor hujus ſententiæ creditur, cujus authoritate etiam Irenæus, Juſtinus Martyr, Tertullianus abrepti. Poſteà Nepos, Epiſcopus Ægypti obſtinatè & facundè hunc errorem defendit, à Dionyſio Alex. convictus & ad Palinodiam redactus, Coracione præcipuô defenſore, aliiſque cum eo plurimis converſis: Synodô dein Romæ à Damaſo Epiſcopo inſtitutâ contra Apollinariſtas, damnatus Chiliaſmus eſt. Epiph. *Hær.* 77. Philaſtr. Euſeb. *l.* 7. *c.* 9. Baron. *A. C.* 264. Sed hodie aliquibus in locis revixit.

CHILIOCOMUS, Mediæ tractus, prope Corduenam. *Ammianus.*

CHILIOMBÆ, aris nonnunquam admotæ, à Gentilibus. *Martyrolog.* de Artemio, πλεῖστα γὰρ ὁ σύμπαντι [illegible] ἀγάλματι αὐτοῦ τὴν θεραπείαν. Χιλιόμβας ὅλας ἐξ [illegible] *Majorem igitur, quàm reliquis omnibus imaginibus, cultum exhibuit, integras chiliombas ex quolibet genere ei offerens.* Vide Caſaubon. *ad Capitolin. in Maximo & Balbino*, *c.* 12. Sic Miltiade victore, Thargelione menſe, Athenienſibus multoties fauſtô, χιλιόμβη, h. e. *ſacrificium mille victimarum*, oblata Diis eſt. Unde χίλια [illegible], Proverb. Vide Euſtathium, *Odyſſ.* γ.

CHILIUS, Arcas, qui Lacedæmone verſatus eô tempore, quò Xerxes in Græciam deſcendit, Spartanos dehortatus eſt, ne ſe à Græcis reliquis ſepararent, ſeorſumque ſibi Iſthmum muniendo conſilium caperent. Polyæn. *l.* 5. *c.* 50. Ab Herodoto in *Calliope* vocatur *Chileus.*

CHILMANENSE, oppid. in Africa propria.

CHILMINAR, ſeu **CHIL-MANOR** ſeu **CHEHEL-MANOR**, quaſi dicas 40. *turres*, celeberrimæ ſunt veteris Perſepolis, in Aſia, reliquiæ, quas pleniſſimè deſcripſit Herbertus, *Itiner. p.* 65. *& ſeqq.* cui addi poteſt Petrus de Valle, *Itiner. tom.* 2. Earum fundamentum totum marmoreum eſt, ac ad 22. circiter pedes Geometricos ſurgit. Cætera etiam jaſpide ac marmore nitent quàm ſplendidiſſimè. Columnæ plures quadraginta, unde loco nomen, apparent (*Mandelſlonus* tamen 19. majores & 11. minores tantùm numeravit.) Ingreſſus Palatii, reſiduique parietes variis & artificioſiſſimis Regum, triumphorum, præliorum, animalium imaginibus exſculpti ſunt; ibidem incogniti figurarum Triangularium ac Pyramidalium characteres videntur. Nec defuerunt Pictori quantumvis induſtrio dicunt laborem, etiamſi totô trimeſtri deſignandis rebus omnibus ſe impenderet: Sed quotidiè inde Barbari aliquid, ad ædificia ſua, auferunt, &c. Auctor *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 8.

CHILMORIA, urbecula Hiberniæ, in Ultonia provinc. & Comitatu Cavonenſi, juxta Aquam Nigram fluv. ſub Archiepiſcopo Armachano. 8. milliar. Angl. à Cavonio, prope confinia Connaciæ.

CHILO, Lacedæmonius Philoſophus, unus ex ſeptem Græciæ ſapientibus; Ephorus Spartæ. 56. Olymp. Præ gaudio mortuus in amplexu filii Olympionicæ. Ejus tria dicta Delphis in Apollinis templo fuerunt, Pliniô teſte, *l.* 7. *c.* 32. *Noſce te ipſum; Nil nimium cupias. Comes æris alieni, atque litis eſt miſeria.* Cætera ejus apophthegmata ſic expoſuit Joannes Stobæus,

> Πίνων μὴ πολλὰ λάλει, ἁμαρτήσεις γάρ.
> *Inter pocula ne multum loquere, delinques enim.*

Μὴ κακολόγει τοὺς πλησίον, εἰ δὲ μὴ ἀκούσῃ, ἐφ᾽ οἷς λυπηθήσῃ. *Ne ſis maledicus in proximos, ſin minus audies, quæ tibi moleſta erunt.* Ἐπὶ τὰ δεῖπνα τῶν φίλων βραδέως πορεύου, ἐπὶ τὰς ἀτυχίας ταχέως. *Ad convivia amicorum tardus eas, ad calamitates autem citò.*

> Ἡ γλῶσσά σου μὴ προτρεχέτω τοῦ νοῦ;
> *Fac ne lingua tibi mentem præcurrat.*
> Ζημίαν αἱροῦ μᾶλλον, ἢ κέρδος αἰσχρόν.
> *Damnum potius elige, quam turpe lucrum.*

Ἐν ὁδῷ μὴ σπεῦδε προάγειν, μηδὲ τὴν χεῖρα κινεῖν, μανικὸν γάρ. *In via non acceleres pergendo, neque manum moveas, inſaniæ enim indicium eſt.* Tria ejus, quæ difficilia dixit eſſe, commemorat Laërtius, *l.* 1. *c.* 69. primum quidem τὰ ἀπόῤῥητα σιωπῆσαι, *arcana reticere*; alterum σχολὴν εὖ διαθέσθαι, *otium rectè diſponere*, tertium ἀδικούμενον δύνασθαι φέρειν, *injurias tolerare poſſe.* Nomen accepiſſe videtur ἀπὸ τῶν χειλέων, ut *Labeones*, & *Labeni*, apud Romanos, à labris, & labiis. Lucretius, *l.* 4. *v.* 1165. nominat *Labioſas.* Ita de Chilone Soſipater Chariſius, Feſtus, & Velius Longus. Fuit etiam *Chilo* Catonis ſervus Grammaticus. *Nic. Lloydius.*

CHILO Vettius, vide *Vettius.*

CHILOA, oppid. Americæ meridionalis in regno Chiles, in inſul. maris Pacifici, à quo ſinus adjacens *Archipelagus Chiloenſis*; ſeu *Chiloenſis*, ſeu de *Ancud*, à multitudine inſular. Propriosincolas habet dominos.

CHILONIS, Cleadæ filia, uxor Theopompi Regis, quæ quô pactô virum ab Arcadibus captum liberârit, vide Polyæn. *l.* 8. *c.* 34.

CHILONIUM, urbs Ducatus Holſatiæ, *Kiel.* Duos patens portus gaudet ſatis commodô, in maris receſſu, ad oſtia fluv. Suentinæ, ex Plœnenſi palude elabentis, cum emporio ſatis frequenti; arce in loco editiori, & Academiâ recèns erectâ. Ibi Ducalis Holſatiæ comitia ſingulis celebrantur annis. Media inter Lubecam & Flenſburgum eſt, 4. leuc. à Renſburgo in Ortum.

Reges veter. Francorum.

CHILPERICUS I. nonus Francorum Rex, fil. minor natû Clotharii I. ex Charegonde, primò Sueſſionum Rege, dein poſt mortem fratris Cheriberti, totius Franciæ. Contra Sigebertum fratrem, aliquot præliis victor, ingeniô & facundiâ pollens, aliquâ quoque zeli, in converſione Judæorum oſtenſi, ſpecie. Cæterà Nero & Herodes ſui temporis, naturæ monſtrum, tres duxerat uxores, quarum Audoveram primam repudiavit, ac velatam in cœnobio concluſit, alteram Galſuintam, Athanagildis Viſigothi filiam noctu ſtrangulavit, ad hoc per Fredegundam concitatus, quam poſteà duxit uxorem, omnibus ſubditis ob facinora horrenda, obſcœnaſque libidines, quòd ſingulorum thoros fœdaret, ac turpiter conſpurcaret, exoſus. Hunc denique Fredegunda, ejus uxor impudica, ex venatione redeuntem ſub veſperam, in gratiam Landrici, imo ab hoc ipſo, A. C. 584. occidi curavit, regni, cum fratribus 23. cujus corpus in templo S. Germani de pratis, Pariſienſi ſuburbio jacet, quod unà cum Fregedundes repertum, A. C. 1643. Ann. Franc. Gregor. Turonenſ. *l.* 5. & 6. Aimoin. *l.* 3. *Fredegar.* Sigeb. *Venantius Fortun.* &c.

CHILPERICUS II. in Francorum Regem electus, priùs Daniel Sacerdos vocatus, regnavit, poſt patrem Childericum II. Clotharió enim IV mortuô, Rainfredus Major Domus æmulus Caroli Martelli, illum è Monaſterio extractum in throno repoſuit, Ducemque exercitus præfecit. Sed victo hinc à Carolo, Clotarius oppoſitus eſt, qui paulo poſt obiit. Ipſe Chilpericus Noviodunum A. C. 720. regni 5. vel ſextô, obiit. Continuator Gregor. Turonenſ. *c.* 106. 107. *& ſeqq.*

CHILUM, Palæſtinæ locus. *Joſ. c.* 15. *v.* 55.

CHIMÆRA, urbs Epiri in Macedoniæ confinio intra montes Ceraunios, *la chimera*, vel *Chimera*, inter Aulonem ad Boream, & Corcyram ad Meridiem 30. mill. paſſ. Item urbs Siciliæ. *Stephan.*

CHIMÆRA, mons Lyciæ ignivomus, in cujus cacumine leones habitant. in medio autem, ubi paſcuis abundat, capræ; in radicibus autem ſerpentes. Hinc factus ſabulæ locus, Chimæram monſtrum eſſe, quod flammas evomat, caput & pectus leonis habens, ventrem capræ, & caudam draconis. Lucretius, *l.* 5. *v.* 903:

> *Quî fieri potuit, triplici cùm corpore ut una*
> *Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra,*
> *Ore foràs acrem efflaret de corpore flammam?*

Idem, *l.* 2. *v.* 704.

> *Tum flammam tetro ſpirantes ore Chimæras.*

Ovid. *l.* 9. *Met. v.* 646.

> *Quoque Chimæra jugo mediis in partibus ignem,*
> *Pectus & ora leæ, caudam ſerpentis habebat.*

Et quoniam Bellerophon Glauci fil. montem hunc habitabilem reddidit, Chimæram ſingitur occidiſſe. Hæc fere Servius ad illud Virg. *Æn. l. 6. v. 288.*

Flammiſque armata Chimæra.

Ignem ejus accendi aquâ, extingui verò terrâ aut fœnô Cteſias tradit. Plin. *l. 2. c.* 106. Finxerunt filiam fuiſſe Typhonis. Heſiodus ex Hydra natam affirmat, *Theogon. v.* 319.

Ἡ δὲ χίμαιραν ἔτικτε πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ,
Δεινήν τε μεγάλην τε, ποδώκεά τε, κρατερήν τε.
Τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαί. μία μὲν χαροποῖο λέοντος,
Ἡ δὲ χιμαίρης, ἡ δ' ὄφιος κρατεροῖο δράκοντος,
Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

Τρισώματος appellatur ab Euripide, *in Ione.* Et ab Horat. *l. 1. Carm. Od. 27. v. ult. Triformis*:

Vix illigatum te triformi
Pegaſus expediet Chimæra.

Idem, *l. 2. Carm. Od. 17. v.* 13.

Me nec Chimæræ ſpiritus igneæ.

Et *l. 4. Carm. Od. 2. v.* 16.

—— Cecidit tremendæ
Flamma Chimæræ.

Tibull. *l. 3. El. 4. v.* 85.

Nam te nec vaſti genuerunt æquora Ponti,
Nec flammam volvens ore Chimæra fero.

Hinc *Chimæreus* adjectivum. Virgil. *in Culice*

Alma Chimæreâ Xanthus perfuſa liquore.

Vide Bochartum, *de Phœn. colon. l. 1. c. 6. extr.* Et Cæſium, *in Cœlo Aſtronomico Poët. p.* 219. *Nic. Lloydius.*

CHIMÆUM, oppid. Belgii, cum caſtro, in Hannonia, Principatus titulô clarum, 2 leuc. à Mariæburgo, 4. à Rupe Regia verſus Arduennam ſylvam & confinia Companiæ. Ad Album fluviol. 5. leuc. ab Avenna.

CHIMARUS, Argiæ regionis torrens. Pauſan *l.* 2.

CHIMERA, navigii ſpecies, apud Paulum Diaconum, *Miſcell. l. 20. p.* 625. & Anaſtaſium Bibliothec. in *Hiſtoria Eccleſ. p.* 122. *μεγαλοῦδα ibidem* reddit Theophanes, *μεγαλόγωγα* habet Codex Peireſcianus, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide in voce *Chimera.*

CHIMERII, populi Aſiæ, Amazonibus proximi. Sic etiam dicuntur, quicunque occupatas frigoribus terras incolunt.

CHIMERIUM, Phthiotidis mons in Theſſalia. Plin. *l. 4. c.* 8. *Stephano* autem promontorium Theſprotiæ eſt.

CHIMES, Græcè Χήμης ſeu Χύμης, Propheta, inter præcipuos *Chemiæ* ſeu *Alchymiæ* repertores, miris laudibus effertur, ab iis, qui hac de Arte aliquid memoriæ prodiderunt. Zoſimus hinc Panopolita, Χήμης δὲ κατὰ ἀκολουθῶν, ἓν γὰρ τὸ πᾶν, καὶ δι' αὐτοῦ τὸ πᾶν γέγονε. ἓν τὸ πᾶν καὶ εἰ μὴ πᾶν ἔχει τὸ πᾶν, οὐ γέγονε τὸ πᾶν. δεῖ σε οὖν βάλλειν τὸ πᾶν, ἵνα ποιήσῃς τὸ πᾶν, *Chimes verò præclare dixit unum eſſe univerſum & per ipſum univerſum factum eſt. Unum univerſum, quod ſi non univerſum contineret, univerſum non eſſet. Oportet igitur te adhibere univerſum, ut facias univerſum.* Et paulo poſt, ubi eum Chimen vocat. ὅπου καὶ Χήμης ἐν πολλοῖς τόποις, καὶ μάλιστα τὴν δι' ἀποδείξιν, ὅπου καὶ Πεβήχιος, &c. A quo proin & Arti nomen inditum, placet nonnullis. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1098.

CHIMMAM, urbs juxta Bethlehem. Jerem. *c. 41. v.* 17. Item nomen viri. 2. Sam. *c. 19. v.* 37. Barzillai filii, lege *Chimham.*

CHIMO, Ægypti pagus ad mare Mediterraneum. *Ptol. Carobario*, teſte *Ortelio. Thevetus turrim Arabum* ex ea facit. *Cynoſſema* fortè *Strabonis* eſt. Reſtituit hoc vici nomen Polyæno, *c.* 28. in Maga *com. 2. l.* 2. Caſaubonus.

CHINA, Gall. *la Chine*, Tartaris *Mangin*, quô nomine quod Barbarum eſt ſignificant, ipſis Chinenſibus *Chunghoa* & *Chungue*, i. e. Medium regnum, ſeu medius hortus, quia in medio Mundi ſe eſſe dicunt, regnum eſt Orientis ampliſſimum, cui à Cin Imperiali familia nomen. Hippophagorum regionem eſſe inde colligunt quidam, quòd incolæ equinâ non minus, quàm bubulâ, veſcuntur, quamvis illud Tartaris frequentius. Ab Oriente Oceanum habet Chinenſem, à Borea Murum illum famoſum, quô ſeparatur à Tartaria, regniſque Niuche, Niulhan & parte Tanyu. Quæ ad Auſtrum vergunt, ambiunt regna *Preſte Joan*, *Geo* ſeu *Cangigu*, *Tibet*, *Laos*, *Mien*, *Pegu*, *Tunking* demum & Cochinchina. Triginta circiter gradus in longitudinem porrigitur, à Capite ſeu Promontorio *Ningpo* ſeu *Liampo* urbis, ad Araſſeos ſeu Damaſios uſque montes. Latitudo eſt ab 18. gradibus uſque ad gradus 42. Provinciis conſtat 15. quorum nomina vide infrà: Earum 6. priores Boreales ſunt, habentque Regiam *Peking*; novem poſteriores Auſtrales, quas *Kiang* fluv. ſeparat, Regiâ gaudent *Nanking*. Cœterùm urbes ex auctiores hîc fere ſunt 150. inferioris verò ordinis ad 1222. Regio abundat carnis piſciumque copiâ, fluviorum commodis, fodinis, incolis. Provinciæ *Kiangſi* urbem *Iaochen* commendat elaboratio ac copia ſcutellarum Chinenſium, quas *Porcellanas* vocant; quæ nullibi præſtantiores, quàm in vico *Feuleang* civitatis fiunt, ad quem ex urbe vicina *Hoeichen* terra idonea his vaſis conficiendis advehitur. Patiuntur hæc edulîorum etiam ferventium vim ſine noxa, & quod mirandum, fruſta inter ſe clavículis æneis filôque conſuta non minùs fideliter concreditum ſervant liquorem. Sutores hujus artis periti totam paſſim regionem perambulant, ad foramínula efformanda ſubtiliſſimô terebellô, cui ex adamante cuſpis, utentes, &c. In provinc. *Peking* hoc compendium navigationis habent, ut plauſtrum unâ rotâ inſtructum unôque illius medium occupante, atque eidem aliis duobus utrinque aſſidentibus, vir mediocris roboris, ligneis vectibus non minus ſecurè quam velociter promovere poſſit: unde fabulæ de curribus in China, quos venti agitent, origo, &c. Hodie regnum hoc ampliſſimum ac antiquiſſimum Tartaris ſubeſt, à quo virgo Tartarica à Chinenſium Principe vim paſſa eſt, circa A. C. 1645. Nec *Chinenſes*, præter pauca quædam in extremis Auſtralibus loca, quidquam habent reliquum: manet tamen genti libertatis & patrii ritus amor, unde Formoſa inſul. ab exulibus occupata & raſura Tartarica hactenus pertinaciter recuſata. Hodiernus Regis Tartarico Chinenſis, *habitus variis draconibus volucrumque pennis, nec non inæſtimabilis pretii gemmis per leſque exornatus eſt: Ad Regem admiſſi pendentibus brachiis ſolio adſtant, ſtatuarum ad inſtar immobiles*, Kircherius, *Chin. l. 2. c.* 10. qui paulo poſt de priorum quoque Regum cultu hæc addit: *Rex ſeu magnus Monarcha Sinarum, ante Tartarorum irruptionem, cum olim in tribunali procedebat, e loco ſuperiore ad inferiorem feneſtram, ceu Numen quoddam, ſe conſpiciendum præbebat, manu eburneam tabulam ad vultum contegendum geſtans, nec non & aliam dimidio cubito latam, integrô longam, ſupra regium diadema fronteque, e qua tabula lapilli ſummi & inæſtimabilis pretii ita in ſilo induſti dependebant, ut frontem ac vultum omni ex parte tegerent, & intuentium oculis etiam præſentem affectata quadam divinitatis ſpecie ſubducerent.*

Provinciarum Chinenſium nomina.

Pekinga *Peking.*	Kiangnana ſeu Nankinga *Nanking.*
Xanſia *Xanſi.*	Chekianga *Chekiang.*
Xenſia *Xenſi.*	Fokiena *Fokien.*
Xantunga *Xantung.*	Quantonia *Quantung.*
Honania *Honan.*	Quangſia *Quangſi.*
Suchuena *Suchuen.*	Queichea *Queichew.*
Huquangia *Huquang.*	Junnania *Junnan.*
Kiangſia *Kiangſi.*	

Quibus accedit *Leaotung* regio, Tartarorum regnis Niuche & Niulhan vicina, atque ſinu maris *Cang* dictô & magnô murô Chinenſi intercepta: dein Corea ſeu *Chaoſien*, ambæ quidem Sinenſium imperio, ſed non provinciis accenſiæ. Videantur, præter M. Martinii *Atlantem Sinicum*, Blaevii *tomus 6. Atlantis*, Nic. Trigaltii *Sacra expeditio*, P. Alvari Semedo *Relatio de Mon. Chinenſ.*, Kircheri *China*, Joh. Neuhofii *Geſandſchafft der Oſtindianiſchen Geſellſchafft an den Tartariſchen Cham, &c.* inprimis vero Adami Preyelii, *Sina & Europa*: vide quoque in voce *Sina* & hic infrà.

CHINA, monumentis quà ſacris quà prophanis illuſtrata; in qua de admirandis Artis & Naturæ, in triplici ejus Regno, ſpectaculis aliarumque rerum memorabilium, tum de China, tum de Tartaria, vicinaque India narrationibus, fusè agitur: Opus, Athanaſii Kircheri, ob incognitarum hucoſque rerum novitatem, rarum ac curioſum: prodiit Amſtelodami A. C. 1666. *in fol.* linguâ Latinâ, Gallicâ A. C. 1667. & Belgicâ, eôdem annô editum.

CHINAPHAL, Mauritaniæ Cæſarienſis fluv. *Caleſe*, & *Acafau*, *Marmolio* teſte.

CHINDAS-WINTHUS, vel CINDALVINDUS, Viſigothorum in Hiſpania Rex XXIX. ſucceſſit Tulgæ, A. C. 642. Princeps bellicoſus, filium Receſvindum conſortem regni fecit, & extinctus A. C. an 649. an 651. ſucceſſorem reliquit. Vide ibi.

CHINGIS Kan, Imperii Tartarici fundator. Tartari namque, poſtquam vel Turcarum, vel Neſtorianorum Imperatori ex familia *Karai*, circa Sinam potentiſſimâ, obnoxii fuiſſent, quidam *Tamachin*, excuſſô jugô & in Teduccanis campis ſuperatô Joanne Imperatore Neſtorianorum, compoſitis domi rebus, cunctas Tartarorum per Scythiæ ſolitudines diſperſas hordas, ad ſigna & commilitium, evocavit, ac cum innumerabili exercitu, fugatis Bagdadum Choraſmiis, in Perſiam irrupit, & totâ fere Aſiâ perdomitâ, *Chingis Khan*, h. e. *Rex Regum*, appellatus eſt, ac Tartarici Imperii, quod omnium totô Orbe ampliſſimum fuit, conditor, Barbaros Scythas hactenus pecuariâ arte inopem trahentes vitam, legibus & diſciplinâ militari inſtruxit, A. C. 1187. Id verò imprimis omnibus ſuis perſuaſum voluit, ſuis Succeſſorumque ſuorum mandatis, qualiacunque demum eſſent, cæcô obſequiô eſſe parendum. Præter quod multas alias Conſtitutiones tulit, quæ Tartaricâ linguâ *Jaſak Schingis Khan*, i. e. *Leges Regiæ*, appellantur, teſte Hatone Armenô, *c.* 17. Sic itaque Unkanô Neſtorianorum Imperatore victô, magnâ cum ditionum parte exuit; utque Perſiâ Indiâque victoriis peragratâ, uſque ad Tigrim ac Volgam fluvios, cunctis Regionibus eſt potitus. Moriturus filiis ſuis quatuor ditiones ſic diſpertitus eſt, ut primogenitum *Magnum appellari Chanum* Regemque Regum, cujus Imperio reliqui tres fratres ſubeſſent, vellet; dictus autem is eſt *Octai* ſeu *Hocota*. Filio alteri *Tuſci*, omnes provincias Occidentales ad fluv. Volgam dedit, ultra. *Deſchi* ſeu Tartariam deſertam, Ruſſiam, Cumaniam, Bulgariam, Gothiam, Alaniam, alias. Tertius *Schagadai*, à Patre accepit provincias Mauaranacharam, Coraſmiam aliaſque ad Orientem ſitas regiones, quæ univerſæ poſteà à conditore, *Schagaiæ* unô nomine appellatæ ſunt. Quartus ultimuſque Septentrionalia Regna nactus eſt, quæ majorem partem Europæis nobis ſunt ignota. Sic ex uno Imperio *Schingis Chan*, quatuor Regna magna ſunt orta, *Deſtenſe*, *Schagataienſe*, *Katanium & Perſicum*. Ex Schagataniæ Metropoli *Samarkand* ortus *Temurlenk*, vulgò *Tamerlanes*, ad ſummum faſtigium rem Tartaricam evexit, hodiernorum auctor Mogolorum, qui ampliſſimum ditiſſimumque intra Gangem Indiæ Imperium hodieque obtinent. Reliqua quomodo iterum in minores partes laſerata, quidque cuiuſnam ex iis reſtet, ſuis locis videbitur. Georg. Hornius, *Orb. Imper. & Polit.* Vide quoque infra *Schingis Khan.*

CHINNA, Dalmatiæ urbs. *Ptol.*

CHINO,

CHINO, urbs agri Turonenſis, cum caſtro, præfecto, & tribunali Regio. An vicus *Ciſomagenſis*? de quo Gregor. Turonenſ. *l.* 10. *c.* 31. Hic Carolus VII. aliquandiu commoratus eſt, à Johanna d'Arcia ibi ſalutatus A. C. 1429. Ibidem Franciſcus I. Brieau. Dux Regi fidelitatis ſacramentum præſtitit, A. C. 1443. Patria Franc. Rabelæſii. Canonici Eccleſiæ colleg. S. Memmii immediatè Papæ ſubjecti ſunt. De hac urbe dicitur vulgò: *Chinon petite ville, grand renom, aſiſe ſur pierre ancienne; au haut le bois, au pied la Vienne.* Cheſnius, *antiq. Urb. c.* 7. *de Turonibus.* Vide & Chinonum.

CHINONIS Caſtrum, oppid. Ducatus Nivernenſis. *Merell.*

CHINONUM, oppidum lepidum Turoniæ, in Gallia, arce præditum, ad Viganam fluv. Francorum Regibus olim in deliciis, præſertim Regi Carolo VII. fuit. Ab hoc oppido grandes mutum faciunt verſus Pictones leucæ. *Merula.* Vide Caino & Chino.

CHINTILUS, aut **CINTHILUS**, ii. *Chintila*, Rex Viſigothorum in Hiſpan. XXVII. ſucceſſit fratri Siſenando, A. C. 636. celebravit concilium 5. Toletan. eôdem annô, obiitque A. C. 640. Mariana, *l.* 6. Iſidorus Hiſpal. *Chron.* Grotius, *Præfat. ad Hiſtoriam Vandalo-Gothicam.* Fuit pacificus & doctus, cui ſucceſſit Tulgas, quem vide.

CHINZIRUS, & *Porus*, in regno Babylonis exceperunt Nadium Regem II. circa initia Senacheribi Aſſyriorum Regis, regnârunt annos 5. ſucceſſore Jugæo, quem vide.

CHIOMARA, cùm à Romanis hoſtibus capta eſſet, Galatis à Scipione cæſis, cuidam Tribuno, qui ſuæ pudicitiæ vim intulerat, caput cautè obtruncavit, quod propriis veſtibus involvens, unà cum ſuis domum remeavit, utque in viri Ortiagontis conſpectum pervenit, laxatô ſinu, caput, quod geſtabat, ante illius pedes effudit. Plut. *l. de claris mulieribus.* Sardibus à Polybio viſa.

CHION, Archon Athenis, Olymp. 103. an. 4.

CHION, vide *Theognis.*

CHIONE, filia Deucalionis, cujus nuptias cùm ob formæ elegantiam multi ambirent proci, tandem Pæonio Epidaurienſi nupſit. Redeunte autem Mercuriô à Cyllene monte, & Phœbô Delphis ab utroque conſpecta eſt: qui ſtatim amore ejus capti, ſeparatim eam de ſtupro interpellârunt. Cumque Apollo concubitum in noctem diſtuliſſet, Mercurius moræ impatiens, caduceô eam tangens, altiſſimô ſopore oppreſſit, dormientemque vitiavit. Sub noctem deinde Apollo, acceptâ anûs formâ ad eam ingreſſus, voti ſui compos fuit. Ex utroque itaque gravida effecta, Mercurio Autolycum peperit, Apollini verò Philammona, qui carmine & lyrâ plurimum valuit. Poſteà verò, quòd Diis placuiſſet, ſuperbiâ elata, non verita eſt ſe Dianæ pulchritudine præferre: quâ injuriâ commota Dea

> (Καὶ γὰρ ἐπ' ἀγλαΐῃ ζηλώσατο οἶσι Διάνῃ.)

ſagittis eam interemit. Ovid. *Met. l.* 11. *fab.* 8. Inſulæ Chio nomen dediſſe vult Plin. *l.* 5. *c.* 31.

CHIONE, nobile ſcortum fuit, dictum à *candore*, χιὼν enim Græcè *nivem* ſignificat. Martial. *l.* 3. *Epigr.* 34.

> *Digna tuô cur ſis indignaque nomine dicam:*
> *Frigida es, & nigra es: non es, & es Chione.*

Juvenalis, *Sat.* 3. *v.* 136.

> *Et dubitas altâ Chionen deducere ſellâ.*

CHIONIDES, Athenienſis, circa 70. Olymp. 8. ann. ante pugnam Marathoniam. Veteris Comœdiæ primus Poëta. *Suid.* Voſſ. *de Poet. Græc. c.* 4. *p.* 25.

CHIONIS, celebris Olympionices. Olymp. 30. quâ Phigalia à Lacedæmoniis excîſa eſt, tertiùm vicit; imò & quartùm: ejuſque victoriæ in duabus ſtelis, alterâ Olympiæ, alterâ Lacedæmone inciſæ erant. Pauſan. *l.* 6. Χίονις (ſive Ἀγχίονις) *Lacedæmonius ... Chionis Lacedæmonius palmas tulit tum alias, tum Olympicas; numerantur ibi VII. de Stadio IV. de Curriculo iterato geſtique.* In Olympionicarum catalogo (cum Euſebianis edito) 3. tantùm palmæ ei tribuuntur: primamque ejus victoriam, Olymp. 28. Charmis quidam injuſtè uſurpat. Reponendus eſt itaque Χίονις, οὗ τὸ ἅλμα ποδῶν ἦν νβ. *Chionis, cujus ſaltus erat pedum* 52. Singularis ſaltus prodigioſus modus. Cæterùm Chionin hunc ſeu Anchionin, cum Batto Theræo in Africam claſſe profectum, coloniam Cyrenem deduxiſſe; eique in ejiciendis finitimis ſocium fuiſſe, traditur apud Pauſaniam, citatum Joh. Marshamo, *Canone Chron. Sec.* XVII. Vide *Battus* I.

CHIONITÆ, gens Perſis vicina. *Amm. Marcellin.*

CHIOS, inſula maris Ægæi nobiliſſima, inter Samum & Leſbum eſt, quam ſic vocatam volunt de nomine Nymphæ, quæ ob inſignem candorem *Chione* nuncupabatur: olim *Æthalia*, *Æthale*, *Macris*, & *Pityuſa* dicebatur: nunc autem vulgò *Chio* vel *Scio*, Turcicè *Sachez*, vel *Saquzada*, à maſtiche. Perſicè dicitur *Sechez*, diſtat ab Ionia, minoris Aſiæ regione, fretô maris, quod 10. milliar. juxta antiquos complectitur, multis ſcopulis refertô: at recentiores ſcribunt tantùm quatuor: circumnavigationem habet 124. milliar. vel ut alii dicunt, 20. Eſt magis longa quàm lata, longitudoque à Meridie in Septentrionem porrigitur: tota montibus & collibus attumulatur, in Occaſum præcipuè ac Septentrionem arboribus referta, multiſque torrentibus irrigua. In duas autem partes diviſam eſſe à modernis comperitur, in *Superiorem*, quæ *Apanomera* Græcâ voce dicitur, ea ad Occaſum & Boream eſt; & in *Inferiorem*, *Catomorea* vocatam alteri oppoſitam. Apanomera montibus aſpera eſt, & arboribus conſita, vallibus umbroſis intermixtis, aquiſque irrigatur. in hac permulti ſunt pagi ac oppida, tum in ipſis montibus, tum etiam in vallibus. In Catomorea verò colles potiùs, quàm montes ſunt, in quibus lentiſci arbores mirâ induſtriâ ac diligentiâ coluntur, à quibus laudatiſſima maſtix gummi colligitur, toti Europæ ſubminiſtranda, ex qua incolæ proventum circiter 20. millium aureorum percipiunt. Hodie enim ſola hæc inſula maſtichem mittit. Optimum illic vinum provenit, ſed præcipuum Arviſium, quod in Arviſio promontor. aſpero ac importuoſo loco, 300. ſtadior. ſpatiô naſcitur. A quo *Arviſia vina* Lucan. *l.* 8. *v.* 193.

> *Quas Aſia cautes, & quas Chios aſperat, undas.*

Hinc ſurculos tranſlatos in Cretam Inſulam ferunt. Marmor Chium laudatur à Plin. *l.* 5. *c.* 31. quod in Pellenio præcelſiſſimo omnium monte naſcitur. Sunt in hac inſula 36. circiter oppida: item templum Apollinis, qui inde *Chius* appellatur. *Urbs* autem *Chia* primaria eſt, quæ olim in montis vertice erat, ſed hodie juxta litus, ad montis radices tranſlata, Orienti oppoſita eſt, Natoliam ſpectans. A Turcis & Judæis habitata, Latinis & Græcis ſuburbia incolentibus. Optimum habet portum, licèt anguſtum, majores naves anchoras in ipſo canali jaciunt, ſed portum non ingrediuntur. Navale hîc olim erat 80. navium: nam Chii antiquitùs claſſem habuerunt, mariſque imperium ac libertatem ſibi vendicaverunt. Sunt qui quadrigeminam Chium eſſe putant, ut prima ſit Chios inſula, ſecunda Cariæ urbs, tertia in Eubœa, quarta in Cherroneſo Rhodiorum juxta Triopium. Fuit hæc inſula olim ſub Athenienſibus, Macedonibus, Romanis, Græcis. Hodie Turcæ tributaria, et in ſingulos annos duodena ducatorum millia pendit, cùm ejus dominium ante illos tenuiſſent Mahones, primarii nobiles ex Juſtiniana familia Patricia Genuenſi, (Genuenſibus enim donata fuit ab Andronico Palæologo Imperatore, A. C. 1346) à qua gubernata fuit ad annum uſque A. C. 1566. quô Solimannus, per Baſſam Piali, eam ſibi fraudulenter ſubjugavit. Ferunt in hac inſula eſſe Homeri ſepulchrum, in oppido pervetuſto, in monte D. Heliæ, ſito ad occiduam inſulæ partem, ſed alii id alibi locô eſſe contendunt. Hîc orti ſunt Tragicus, Theopompus Hiſtoricus, Theocritus Sophiſta; alii dicunt Homerum hîc in lucem editum, veſtigiaque ejus ſepulchri hîc videri. Ab occidua inſulæ Chios parte, eſt *Pſyra* inſula exigua, quæ hodie *Pſara* vocatur. *Merel. Benjamin Micha* inſulam hanc nominat, ut ex maſticis hiſtoria, quam deſcribit, colligere licet. Porrò vinum Chium laudat Horatius, *l.* 1. *Serm. Sat.* 10. *v.* 23.

> *—— At ſermo linguâ concinnus utraque*
> *Suavior, ut Chio nota ſi commiſta Falerni eſt,*

Et *l.* 2. *Sat.* 3. *v.* 115.

> *Si poſitis intus Chii, veteriſque Falerni*
> *Mille cadis. —— ——*

Ficubus etiam nobilis olim Chios. Martial. *l.* 7. *Epigr.* 30. *v.* 2.

> *Et ſlavas medio vapore Chias.*

Et ejuſdem *l. Epigr.* 24. *v.* 7.

> *Infanti melimela dato, fatuaſque mariſcas,*
> *Nam mihi quæ novit pungere, Chia ſapit.*

Pungere dixit, propter non ingratam aciditatem, quâ vini, ſaliſque ſaporem quodammodo refert. Unde in *Xeniis*, *l.* 13. *Epigr.* 23. ſub lemmate *Chia Ficus*,

> *Chia ſenis ſimilis Baccho, quem Setia miſit:*
> *Ipſa merum ſecum portat & ipſa ſalem.*

Calpurnius, *Ecl.* 2.

> *Mille tenebras dabimus tibi cortice Chias,*
> *Caſtaneaſque nuces totidem.*

De *terra Chia*, quæ Samiæ inſtar candet, inque medicaminibus locum habet, Dioſcorides, *l.* 5. *c.* 105. & Plin. *l.* 35. *c.* 16. De nomine Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 9. A ſerpente (inquit) mea inſula *Chia*, vel *Chias* dicta. (de ſerpente autem iſto plura alibi; vide *Pelinnæum*) Syris חויא *Chivia* ſerpentem ſonat, cujus (ו) conſonum à Græcis eſt neceſſariò omiſſum, ut in Ἰαώ ex יהוה *Javo* Dei nomine tetragrammato. Serpentem autem à longævitate Syri ſic vocant, quia ſenectutem quotannis exuere creditur. Horus Apollo, *l.* 1. *c.* 2. Καθ' ἕκαστον δ' ἐνιαυτὸν τὸ γῆρας αὐτοῦ ἀποδύεται. Virg. *l.* 2. *Æn. v.* 473. De ſerpente,

> *Nunc poſitis novus exuviis, nitiduſque juventâ.*

Stat. *l.* 4. *Theb. v.* 97.

> *—— Liber ſenio & ſqualentibus annis*
> *Exutus, lætiſque minax interviret herbis.*

Plin. *l.* 8. *c.* 27. *Anguis hybernô ſitu membranâ corpori obductâ, fæniculi ſucco impedimentum illud exuit, nitiduſque vernat.* Theophylact. in *c.* 10. *Matth.* Ὁ ὄφις ... τὸ παλαιὸν δέρμα. Sed hæc obiter. *Nic. Lloydius.* Vide Bellon. *l.* 2. *obſerv. c.* 8. Ortelium, *Geogr.* Miræum, *Geogr. Eccl.* &c. ut & in *Chius.*

CHIOVIA, urbs Poloniæ, in Volhinia, ad Boryſthenem fluv. alias *Amedica*. Pluries capta receptaque eſt hiſce temporibus. Nunc Magno Moſcoviæ Duci ſubeſt; *Kiow.*

CHIRAMUS, ingenioſiſſimus in auro, argento & ære ſalverandi artifex, à Salomone in templo extruendo adhibitus. Vide Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 8. *c.* 2.

CHIRIDOTÆ, tunicæ dictæ ſunt manicatæ, quarum meminit *Nævius*:

> *Molicinam, crocotam, chiridotam, ricam.*

Nomen habent à Græco Χειρὶς, ἡ à *manica*. De his A. Gellius *l. 7. c. 12. Tunicis*, inquit, *uti virum prolixis ultra brachia & uſque in primores manus ac prope in digitos, Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. Eas tunicas Græcè vocabulo noſtri Chiridotas appellaverunt: feminisque ſolis veſtem longè lateque diffuſam decoram exiſtimaverunt, ad ulnas cruraque adverſus oculos protegenda.* Addit dein, primò Romanos ſine tunicis, ſolâ togâ amictos; poſteà exomidas, i. e. tunicas ſubſtrictas ac breves, quæ citra humerum deſinebant, geſtâſſe. Curtius quoque, *l. 3. c. 3.* molliciem luxumque Perſarum deſcribens, *Illi veſtem*, inquit, *auro diſtinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas.* Unde Suetonius in Caligula, c. 52. *in eo*, Dio, *l. 72* in Commodo, &, *l. 78.* in Caracalla, hanc veſtem reprehendunt. Dalmaticas verò *Chirodotas* Jul. Capitolini *in Pertinace*, c. 8. ubi habet, *Per tunicas penulasque, lacernas & chirodotas Dalmatarum & cirratas*, &c. quod attinet, fortè & auro intextò pretioſæ erant. Hinc apud Lampridium Commodus, c. 25. *in publicum Dalmaticatus proceſſiſſe, atque ita ſignum emittendis quadrigis dediſſe*, legitur. Vide Thom Dempſter. *in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l. 5. c. 35.* & Octav Ferrarium, *de re Veſtiaria, part. 2. l. 3. c. 8.* Addo ſaltem, apud Capitolin. pro *Chirodotas*, ut vulgò habetur, *Cheridotas* legendum. Græcè enim Χειριδωτὸς hujuſmodi tunica dicta, i. e. *habens χειρίδας*; ſeu *manicata*; aliter iiſdem Græcis *καρπωτὸς*, quòd uſque *ad manus καρπὸν* pertingerent. Salmaſ. ad loc unde *Carpeta*, quod vide.

CHIROCMETA, Græcè Χειρόκμητα, titulus Democritici *Commentarii*, apud Plin. *l. 24. c. 17. Democriti certe Chirocmeta eſſe conſtat. In his ille poſt Pythagoram Magorum ſtudioſiſſimus, quanto portentoſiora tradit?* Sic enim legendum eſſe, pro *Chirocineta*, quod vulgò extat, diſcimus ex Vitruvio, *l. 9. c. 3. Multas res attendens, admiror etiam Democriti de rerum Natura volumina, & ejus commentarium, quod inſcribitur Χειροκμήτων, in quo utebatur annulo, ſignans cerâ molli quæ eſſet expertus.* Nempe Democritus, more antiquorum Criticorum, in eo Commentario, quô rerum naturalium arcana & abdita ſcrutabatur, iis paradoxis, quæ ipſe vera expertus erat, notas ſeu fruſtula è cera (quæ παραπτλαστικὰ dicebantur, *Heſych.*) affigere ſolebat & annulò quidem ſuô ſignatas, unde illis nomen. Annulus enim Χειρόκμητος dicebatur, h. e. *manu ſculptum*. Idem *Heſych.* Χειροκμητῶ, Χειροποιητῶ, ἀγνῶ ὑπὸ χειρῶν γεγλυμμένα. & Eugenius Rhetor *in Lexico*, Χειρόκμητος, ἀπὸ χειρῶν γεγλυμμένα ἢ κατεσκευασμένα. Quemadmodum & Χειρογλυφεῖς annuli, quòd *manu ſculpti* ſint. Niſi malis, Democriti librum ſic appellatum eſſe, quòd omnia, quæ in illo tractabat, *manu* ipſe *elaboraſſet* & experimentò propriò comprobâſſet. Sed priorem ſententiam adſtruit & confirmat Vitruvius. Hinc itaque apud Diogenem Laërtium, in *Vita Democriti*, titulum libri hujus corruptum eſſe, & pro *χερνικὰ*, ἢ Φυσικὰ προβλήματα, legendum χειροκμήτων ἢ Φυσικὰ προβλήματα, docet Salmaſ. *ad Solin. p. 1100. & 1101.*

CHIROCRATES, nomen architecti celebris, qui ab aliquibus *Dinocrates* dici ſolet. Plin. *l 34. c. 14.*

CHIROCRATIA, vide Manuaria Lex.

CHIROGONIA, Proſerpina. *Heſych.* Χειρογονία, ἡ Περσεφόνη, quaſi novè dixeris *manugeniam*; de cauſa nominis ſilent quos vidi, ſed cenſeo inde eſſe, quòd Proſerpina ſive Diana, ſive Juno ſit partûs præſes, ac obſtetrix, quæ Afranio *Adſeſtrix*, aſſideat genibus parturientis, manus iis admovens, quibus parata ſit fœtum excipere, Voſſius.

CHIROGRAPHI Thyni, apud Catullum, *Epigr. 25. v. 7.* Thyni annuli ſunt, manu ſculpti. Non enim χειρόγραφον ſolùm, quod *manu ſcriptum*, ſed &, quod *manu ſculptum* eſt, ſignificat, Salmſ. *ad Solin. p.* 1100. Vide infrà *Cirographe*.

CHIROGRAPHUM, in *Gloſſis Græco Latin.* Γραμματεῖον, *cautio*, *inſtrumentum*: h. e. Diploma, ſcriptum ac pactum, Regum Principumque manibus & ſubſcriptionibus roboratum. In ſpecie poſteà ſic appellari cœperunt eæ chartæ, tabulæ ac inſtrumenta, quibus in duas partes diviſis ſectiſque, una uni, altera alteri è contrahentibus dabatur. Bis namque in eodem pergameno cùm deſcriberentur contractus ſeu pactum, quâ parte ſecari ac dividi debebant; ſcribebantur Alphabeti majuſculæ literæ vel picturæ exarabantur, per quarum medium ſecabatur pergamenum, idque ne fraus ulla obreperet ac vitium. Quippe, ut pacti ſcriptique probaretur veritas, majores illæ literæ diviſæ ac ſectæ, an invicem ritè cohærerent reſponderentque, conferebantur. Cujuſmodi *Chirographi* meminerunt Joann de Janua, *Tabularium* Augeriacenſe, Louvetus in *Bellovaco*, Rogerius Hovedenus in *Henrico II.* Alii. Sed & hiſce *Chirographis*, ſigilla ita appendebantur, ut ſigillum unius parti chirographi, quæ penès alterum è contrahentibus remanebat; ſuum apponeretur & è diverſo: Sic ſigillum S. Wlmari parti illi, quæ manebat Eccleſiæ S. Bertini; ſigillum S. Bertini verò illi, quam ſervabat Eccleſia S. Wlmari, appenſum fuiſſe, legitur in *Tabulario* S. Bertini *A. C.* 1207. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Atque hanc ob cauſam *Charta diviſa* paſſim *Chirographa* talia dicta occurrunt, in *Monaſtico* Angl. *Tom. II.* in *Chron.* Andrenſi, alibi: Item *Chartæ per alphabetum diviſæ*, in *Foris* Oſcæ Jacobi I. Aragon. Regis *A. C.* 1274 & *Chartæ indentatæ*, apud Auctores laudatos præfato Viro Cl. Carolo du Freſne ubi ſuprà, vide quoque infrà *Indentata*.

CHIROGYLIUM, inſula, Plin. *l. 5. c. 31.*

CHIROMANTIA, cujus artis ope ex manuum lineamentis diligenter inſpectis futura quidam augurantur, antiquiſſima eſt & jam Hiobi temporibus viguiſſe nonnullis creditur, occaſione verborum Verſionis vulgatæ c. 37. v. 7. *Qui ſignat in manu omnia opera eorum.* Sed in Hebræo nihil tale legitur. Interim dubium non eſt antiquam admodum hanc artem & in Oriente natam eſſe, ubi infanum illud Aſtrologiæ ſtudium fervebat. Cùm enim deprehendiſſent cœli in hæc inferiora vim, reliquum erat, ut inferiorum cum ſuperioribus convenientiam ſcrutarentur. Priſcum enim illud *Inferius eſt ſicut ſuperius.* Igitur hominem parvum mundum ſtatuentes, ſingulas ejus partes ad cœleſtia, ut ſic dicam, lineamenta revocârunt. Unde nata illa diſciplina, quam Græci Φυσιογνωμίαν appellantes, in Μετωποσκοπίαν, Ὀφθαλμοσκοπίαν & Χειρομαντείαν diſtribuerunt: quæ omnes longô tempore aut planè amiſſæ aut miſerè à circulatoribus quibuſdam corruptæ ſunt; ut non immeritò Phyſiognomicum Syſtema inter deſiderata triſtiſſima referat Kekermannus, *l. 4. Phyſ. c. 1.* Hodie impoſtores mundo notiſſimi, quos *Zingaros* Germani, *Cilices* Itali vocant, hâc arte imprimis glorantur. Vide Polydorum Vergilium *de Inv. Rerum, l. 7. c. 7.* & infrà voce *Phyſiognomia.* Alii ſunt *Chiromanta* ſeu *Chironomantæ* illi, quorum meminit Sidonius, *l. 4 ep. 7. At ſi inter Apicios epulones & Byzantinos* Chironomantes *hæruſque vaſtaverit.* Ita enim Structores ſeu Carptores dicti ſunt, quod *manus ducendo, artificiosè cibos inciderent*, ut vetus ait Scholiaſtes Juvenalis *Sat. 5. v. 121.* Tractum id nomen autem à ſcenica conſuetudine: Nam Græcis & Χειρονόμοι dicuntur; quaſi *manibus omnia effingentes.* Vide *infra*.

CHIRON, Centaurus Saturni, & Phillyræ, vel, ut *Lactantius* inquit, Pelopeæ filius. Saturnus enim cùm amaret Phillyram, Oceani filiam, ejus concubitu uſus eſt: ſed interveniente Ope conjuge, confeſtim ſe vertit in equum, ne agnoſci poſſet. Phillyra autem concepit, peperitque animal, cujus ſuperior pars hominis, inferior verò equi formam referebat. Porrò cùm excreviſſet, in ſylvas abiit, ibique herbarum naturam ac potentiam edoctus, in præſtantiſſimum medicum evaſit, à quo etiam *Centaurea herba* nomen accepit, & *Chironium ulcus*, quod maximè ſit in pedibus, & cruribus, ſic dictum, quòd *Chironis* operam deſideret. Poſteà à genero Nerei Peleo, & Thetide filia acceſſitus, *propter peritiam*, & juſtitiam, quibus cæteris longè excellebat, Achillis pædagogus conſtitutus eſt, qui ab eo inter alia maximus citharœdus effectus eſt. Docuit præterea Æſculapium medicinam, & Herculem aſtrologiam. Poſteà cùm graviter vulneratus eſſet, Herculis ſagittâ Lernæò venenò perlitâ caſu decidente in ejus pedem, optavit mori, ſed cùm immortalis à parentibus natus eſſet, ut Ocyroës vaticinium impleretur, quô prædixerat, eum optaturum eſſe mortem, gravi vexatus morbô mori cupiens, oravit ſuperos, ut mori ſibi liceret: Quô conceſſô, ab iiſdem in cœlum tranſlatus eſt, & in Zodiaco locatus, *Sagittarius* appellatur. De quo Cæſium vide *Cæl. Aſtron. Poet. p. 583.* Theſſaliæ medicus fuit. Plin. *l. 7. c. 56* Euſt. *in Il.* Natal. Com. *l. 4. c 12. Suid. Hygin.* &c. A matre *Philyreius heros* dictus Ovidio, *Met. l. 2. Fab. 11. v. 676.* & *Phillyrides* Vergilio, *l 3. Georg. v. 550.* Statius *longævum Chirona* vocat, & *doctum ſenem*. Homer. de Achille *Il. λ. v. 835.*

Ὃν Χείρων ἐδίδαξε δικαιότατος Κενταύρων.

Heſiodus de eodem, *Theogon. v. 1001.*

---- ---- Τὸν ἔτρεφε Χείρων
Φιλλυρίδης. ----

Pindaro *in Pythiis*, *Od. 4.* σώφρων dicitur, id eſt, *prudens*, vel *temperans*. Eidem *in Nem. od. 3.* βαθυμήτης *profundi conſilii vir* dicitur. *Nic. Lloydius.* Addo, quod Heroës Græciæ, qui in *Scrupea* hujus Centauri *ſchola*, ut Tertullianus loquitur *de Pallio*, c. 4. eruditi fuêre, recenſet Xenophon in *Cynegetico*, Cephalum, Æſculapium, Melanionem, Neſtorem, Amphiaraum, Peleum, Telamonem, Meleagrum, Theſeum, Hippolytum, Palamedem, Ulyſſem, Meneſtheum, Diomedem, Caſtorem, Pollucem, Machaonem, Podalirium, Antilochum, *Æneam*, Achillem: quod ejus *μαθηταὶ γεγονότες κυνηγεσίων τε καὶ ἑτέρων καλῶν*, *diſcipulos extitiſſe in arte venandi aliiſque rebus præclaris*, refert. Vide Salmaſ. *ad l.* Inter opera, ex marmore, ſed quorum Auctores ignorantur, celebris quoque *Chiron*, memoratur, Plinio, *l. 36. c. 5. Nec minor quæſtio eſt in Septis, Olympum & Pana Chironemque cum Achille qui fecerint, præſertim cùm capitali ſatisdatione Fama judicet dignos.* Dicta autem *Septa*, Romæ locus in Campo Martio, tabulis munitus, in quibus ſtans Populus ſuffragia ferebat, Dalechampius *Not. ad locum.* Vide quoque infrà in vocibus, *Ovilia* & *Septa*: ac plura de *Chirone*, apud Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium paſſim*.

CHIRONOMI, Græcè Χειρονόμοι, in Scena olim dicti ſunt; qui pedum totiuſque corporis adminiculô, manuum imprimis artificioſô motu quidquid vellent, exprimebant, repræſentabantque notæ cujuſdam perſonæ, in quam à Poëta canticum, Græcis ὑπόρχημα, ſcriptum eſſet, hiſtoriam. Eam primùm veſte ipſâ referebant, ut in Velleio, *l. 2. c. 83. Plancus cùm cæruleatus & nudus, capiteque redimitus arundine & caudam trahens, genibus nixus, Glaucum ſaltâſſet in convivio*; Scilicet veſtitu efficto in Numen marinum; deinde ſaltantes ad numerum, *manibus*, pedibus ac totius corporis contractione ac extenſione, ſingulos verſus, ſingula verba cantici referebant. Cujuſmodi Bathyllus quoque fuit, de quo Juvenalis, *Sat. 6. v. 63.*

Chironomon Ledam molli ſaltante Bathyllo.

Illius cum Pylade altercationem prolixè exſequitur Macrob. *Saturn. l. 2. c. 7.* Vide quoque Artemidorum, *l. 2. c. 78.* Leontium Scholaſticum *Epigr. 1. c 15. l. 4. Anthol.* Joſiam Mercerum *ad Ariſtænetum, l. 1. ep. 26.* Thom. Dempſter. in Joh. Roſini Antiquitates, *l. 5. paralipom. ad c. 29.* &c. Jul. Cæſari Scaligero, *ad verſum* Juvenalis citatum, *Chironomia* una fuit ex ſaltationum Gaditanæ ſpeciebus, *Poetic. l. 1. c 18. ubi de Saltatione: Omnium corruptiſſima Gaditana, ut hinc etiam intelligas Epigramma Valerii Martialis. Ejus modos produnt tres:* Chironomiam, *à manuum agitatione*; *Hâbma, à ſaltu*; *Lactiſma, à calcitratione.* Qua de voce plura mox dicemus. Vide quoque infrà aliquid ubi de *Pyrrhica ſaltatione*. Sed & Χειρονόμοι Græcè vocârunt Carptores ſeu ſtructores, de quibus dictum ſuprà. Vide quoque in voce *Chiromanta*.

CHI-

Suarti

CHIRONOMIA, quam vocem interpretatur Quintilianus, *l. 1. c. 19. Legem geſtus*, à qua *Chironomi* Pantomimi ſunt appellati, non à Pylade demum & Bathyllo, qui Auguſti tempore in ſcena floruêre, inventa eſt. Nimium enim, etiam Veteres ſaltationis illud genus habuêre, quæ motu corporis & geſtu quidvis exprimeret. Unde narat Athenæus, Teleſiam quendam ſive Teleſtem ὀρχηστοδιδάσκαλον multas ſchemas & geſtus inveniſſe ac manibus omnia, quæ dicerentur, graphicè oſtendiſſe. Jamque Plato de *LL. l. 7.* τὴν Ὀρχηστικὴν dicit eſſe μίμησιν τῶν λεγομένων σχημάτων *ſtrumi-nibus*, *imitationem eorum*, *quæ dicuntur*, *geſtibus peragi ſolitam*. Imò tradit Quintilian. *l. 1. c. 11.* al. 19. jam ab ipſis heroicis temporibus ortam eſſe hanc Artem, & à ſummis Græciæ viris, ab ipſo etiam Socrate probatam, à Platone quoque modò laudato in parte civilium poſitam Virtutum, & à Chryſippo, in præceptis *de liberorum educatione* compoſitis, non omiſſam. Et quidem, cum tres eſſent antiquiſſimæ & celeberrimæ ſaltationis ſpecies, *Tragica*, *Comica* & *Satyrica*: nulla non harum manibus & corporis geſtibus exprimebat, quidquid in fabula ageret: referetque Athenæus, l. 1. Teleſtem, quô ſaltatore Æſchylus in Tragœdiis utebatur, adeò bonum ejus rei fuiſſe artificem, ut cum τοὺς ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας deſaltaret, omnia, quæ illic agebantur, geſtibus peregerit & oculis ſpectantium ſubjecerit. In Comœdiis etiam Latinis, Hiſtriones, qui cantica ſaltabant, ita ea in ſabulis agendis geſtibus repræſentare conſueverant, ut populus facilè inde cognoſcere poſſet, quam fabulam acturi eſſent. Sed tempus fuit, cùm iidem ſaltarent cantarentque. Poſtea, quia vocem motus corporis et anhelitus interturbabat, & rurſum vox multum geſtibus incommodabat, melius viſum eſt, ut, aliis accinentibus, ipſi tantùm ſaltarent & taciti geſticulatione defungerentur: quod primus Livius fecit, antiquiſſimus apud Romanos fabularum actor ſimul & Poëta, apud Livium, *l. 7. c. 2.* A quo tempore diverbia ſolum pronuntiabant Hiſtriones; cantica verò ſaltabant, puerò accinente & reſponſante tibicine, id quod Livius *ad manum ſaltare* vocat, hoc eſt, omnino χειρονομεῖν, *ſeu manibus ſaltare*. Poſteà verò Pylades ſaltandi hunc modum & Artem, quæ in Tragœdia tantum, & Comœdia & Satyris partis locum habebat; primus à Tragœdia & Comœdia ſeparatam, in formam Latinam introduxit eamque tribus ex ſaltationibus præfatis compoſitam excoluit *Italicamque* vocavit, quòd Romæ primum ejus ſpecimen in Latino theatro ediderit: cùm anteà ſaltatio ſola per ſe in orcheſtra nunquam comparuiſſet. Unde eſt, quòd eum, ut & Bathyllum, contemporaneum ejus, ὀρχηστικήν, imò & ἀσύντακτον, primos Pantomimicam ſaltationem exercuiſſe, *Zoſimus* ſcribat. Vide in vocibus *Bathyllus*, *Pantomimi*, *Pylades*, &c. Tragicæ verò *Chironomiæ* antiquæ aliquot ſchemas & geſtus recenſet Pollux, *l. 4. c. 15.* Καὶ μὴν σχήματα τραγικῆς ὀρχήσεως σιμὴ χεὶρ, καλαθίσκος, χεὶρ καταπρηνὴς, ξύλου παράληψις, διπλῆ, θερμαστρίς κτλ. ubi Χεὶρ καταπρηνὴς & Χεὶρ σιμὴ, contraria erant ſchemata. His addenda & σκοπὸς Χεὶρ, quæ etiam inter ſchemas tragicas numerabatur, eratque geſtus eorum, qui intentè aliquid & diligenter ſpeculatur, manum fronti obtendunt, ne Sol oculis officere & proſpectum impedire poſſit. Cujuſmodi ſchemata Tragica complura invenit dictus Teleſtes: longè plura dein excogitavit Pylades, qui ſaltationem hanc manibus peragi ſolitam multis partibus ampliavit & expolivit. Idem primus fiſtulas & chorum, ut ſibi ſaltanti præcinerent, curavit: cùm antè ſine fiſtulis & choro Pantomimi ſaltarent, ſolò adhibitò pueri canentis & tibicinis concentu. Hinc rogatus ab Auguſto, quid ſaltationi contuliſſet, reſpondit:

Αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπὴν, ὁμαδόν τ' ἀνθρώπων.

Nempe primus in plures tibias præcinentes habuit, fiſtulaſque ſimiliter primus adjunxit: & cum Pythaulæ antiquis Hiſtrionibus accinerent, ſine choro: ei primùm ſaltatori Choraules præcinebat, cum choro. Quibus addit Lucianus citharas, cymbalorum crepitum & ποδὸς κτύπον. Itaque ſaltante Pantomimo, alii tibiis canebant, alii vocibus concinebant, alii fiſtulis ſibilabant, alii cymbala concrepabant, alii pede ſonabant, de quibus ultimis vide infrà in *Crupezia*. Sed & ad teſtarum crepitum ſaltitâſſe *Chironomos*, ex Heſychio diſcimus, in voce κρεμβαλιάζειν, &c. Plura in hanc rem pete ex *Notis* Salmaſ. *ad Flav. Vopiſcum*, *in Carino Imperat. c. 19.*

CHIROSCOPUS, nomen officii apud Athenienſes, vide infrà *Cormita*.

CHIROTHECA, à Regibus olim in urbem quam obſidebant, projecta ſignum erat, obſidionem ſe non ſoluturos, donec urbe potirentur. Ad quem ritum referri poteſt ille Arabum mos, apud quos calcei detracti in aliquem conjectio ſervatæ ſervandæque fidei ſignum pignuſque certiſſimum eſt. Unde Rahius Benzamutius, vir inter Arabum Duces inſignis, uxorem à Luſitanis captam vindicaturus, calceum ſibi detraxit atque in eam jecit ſimulque equites ſuos, quos ad 70. raptim collegerat, animoſè cohortatus, tantò impetu in Luſitanos irruit, ut his partim cæſis, partim diſſipatis uxorem ſalvam receperit, apud Juſt. Lipſium, *Monit & Exempl. Polit. 1. c. 17.* Aliàs *Chirothecæ* detractio, inter ignominiæ militaris fuit ſpecies: uti apud Anglos veteres obſervavit Valſingamus *in Eduardo II. Andreas hercle, tranſfuga Anglus, antequam ſuſpenderetur, degradatus eſt, ſecuris amputatis et ad talos calcaribus, mox diſcinctus baltheô militari & ablatis caleis & Chirothecis: mox tractus & ſuſpenſus*, &c. Conradinus verò, ultimus Sueviæ Dux, mox decollandus Neapoli, in pegmate ferali, *Chirothecam*, in hæreditatis indicium, Henrico Truchſeſſio porrexit, Arragoniæ vel Caſtellæ Regi, (variant enim, qui referunt) afferendam, cujus in rei memoriam leones Suevicos, inſignis locô, Dapiferorum ſeu Truchſeſſiorum familia obtinuit, A. C. 1268. Vidê Phil. Jac. Spenerum, *Theatrô Nobilit. Europ. tom. II.* Hinc *Chirothecæ traditione inveſtire*, nota Feudiſtis locutio, de qua multa congeſſit Car. du Freſne in *Gloſſar.* Indidem *Chirotheca ſeu Wanti*, pars prima eſt inveſtituræ, quæ non tam domino, quàm ejus Miniſterialis competit, Majori ſcil. vel Villico, apud eoſdem. *Chirothecam porrigere* autem dicebatur, qui eâ humi projectâ ad duellum aliquem provocabat, quò à crimine, cujus arceſſebatur, ſeſe purgaret, cujus rei illuſtre exemplum Matthæus Pariſius exhibet ad A. C. 1245. Vide quoque infrà voce Vadium. Porro *Chirothecæ* purpureæ, margaritis lapillíſque exornatæ, Imperatoriæ dignitatis inter ſymbola, recenſentur, apud Pachymerem, *Hiſtor. l. 7. c. 12.* Nec omittendæ *Chirothecæ Epiſcoporum*, in Eccleſia Romana quibus ii in ſacris Liturgiis ac ceremoniis utuntur; quarumque uſus Abbatibus quoque à Pontifice utendum indulgetur. Meminit earum Leo Oſtienſ. *l. 2. Chron. Caſin. c. 81.* ubi Abbati Caſinenſi id privilegii conceſſum refert, A. C. 1049. & Baronius in *Annal.* Incontinentes eas uſe debere, reperies apud Macrum in *Hierolex.* ubi addit, in majoris hebdomadæ die Veneris, in & in Miſſis pro defunctis, Epiſcopis illis uti non licere, ex *Ceremoniali Epiſc. l. 2. 1. 29.* Plura de *Chirothecis Epiſcoporum*, apud Honorium Auguſtodun. *l. 1. c. 25.* & Durandum *Ration. l. 3. c. 12.* Olim verò ignotum *Chirothecarum* fuiſſe uſum, docet Caſaubon. in *Athen. l. 12. c. 2.* Judices quoque Regios, dum pro tribunali ſedebant, nocentiores ævô, *Chirothecas* habere vetitos fuiſſe, legimus in Speculo *Saxon. l. 3. art. 69.* In quo etiam, *l. 3. art. 45. §. 10. duæ lineæ* Chirothecæ *cum furcula ſeu tridente, quò fimus tollitur, emenda eſt deditititorum*, &c. De *Chirothecis rubeis*, quibus tres nummuli impoſiti, in Nuptiali ſacro, alicubi adhibitis, dicemus infrà, ubi de Nuptiali annulo; de *Chirothecis* ferreis, inter vulgaris purgationis ſpecies, vide iiſdem infrà, ubi de *Ferro candente*. Adde quæ paucis tangemus, in *Lano pentadactyli*, & voce Muffida.

CHIRURGICA, ſeu Manuaria, pars Mechanices, de qua ſuô locô. Item Medicinæ, vide ubi de *Miraculis*, item *Medicinæ origine*.

CHISIOTOSAGI, populi Scythiæ. Plin. *l. 6. c. 17.*

CHITIM ſeu **CITHIM**, filius Javan. Gen. *c. 10. v. 4.* à quo Macedones orti: Namque & vetus nomen *Macetiæ*, quod antiquitas pro *Macedo* nia eſt, haud dubiè à *Cittim* factum eſt; & Cethæos fuiſſe in locis Macedoniæ vicinis, ex Homero patet, qui illos paruiſſe Myſorum Regi Telepho narrat, *Odyſſ. l. 21.* Quare liber 1. Macchabæorum, *c. 1. v. 1.* Alexandrum *Regem Cithim* vocat: à quibus cum orti ſint Latini, (*Suidas* enim Latinum, Telephi filium, *Ceteos* in Italiam duxiſſe, tradit) vox *Chithim* tum Macedonas tum Italos complecti videtur. Hinc & in Numeris, *c. 24. v. 24.* vaticinatus Balaam, venturas eſſe claſſes ex *Cithim*, quæ Aſſyrios & Ebræos eſſent deleturæ; Quod in Romanos potiùs, quàm Macedonas quadrat. Phil. Melanchthon, *in c. 11. Danielis.* Vide quoque Georg. Hornium *Hiſtor. Philoſ. l. 3. c. 2.*

CHITIS, Arabiæ inſula, in qua Troglodytæ prædones, cùm diutius fame, ac tempeſtate preſſi, herbas, radiceſque effodiſſent, eruerunt topazium gemmam, ut ex Archelai ſententia refert Plin. *l. 37. c. 8.*

CHITONE, vel **CHITONIA**, Diana eſt apud *Epicharmum*, *Steph.*

CHITOR, provinc. Indiæ cis Gangem, in imperio magni Mogolis, in montanis, cum urbe primaria cognomini, quæ itinere quatriduidiſtat ab Amedabato, Agram verſus. Aliàs, regiô ſui ji titulô clara.

CHITUÆ, Mauritaniæ. Cæſarienſ. gens Ptol.

CHITUS, Thraciæ pagus. *Cedren.*

CHIUN, idolum Iſraëlitarum, cujus mentio Amos, *c. 5. v. 26.* Herculem repræſentavit, qui, Ægyptiorum linguâ *Chon* dictus, Solis erat ſymbolum: ſive enim nomen ejus ab Hebræo הֵאִיר כֹּל *Heir col*; i. e. illuminavit omnia, ſive à Græco Ἡρακλέους, i. e. *aëris gloria* deducas, Solem intelligi clariſſimum eſt. *Quæ enim alia eſt aëris, niſi à Sole, illuminatio?* Macrob. *Saturn. l. 1. c. 20.* Vide Thom. Godwyn. *de ritibus Hebr. l. 4. c. 2.* Aliud Voſſius ſentit infrà videbimus in *Cain*.

CHIUS Leonardus, vide *Leonardus*.

CHIUS Theodorus, vide *Theodorus*.

CHIUS Inſul. maris Ægei, Genuenſibus, circa A. C. 1571. à Selimo, Turcarum Imperatore erepta, poſtquam paulò antè Cyprô Venetos exuiſſet. Thuan. *l. 49.* &c. Vide quoque in voce *Chios*.

CHIUS, jactus in ludo talorum infortunatus, idem cum Cane vel Canicula: *Suid.* Ὁ μὲν Χῖος δυνατὸς ἦν, ὁ δὲ Κῷος ἴσχυε. *Chium minimum*, *Coum ſummum valebat.* Anglis *Ace.* Unde Proverb. Κῷος πρὸς Χῖον, cùm Gigantem Pygmæo, magna parvis, componimus. Th. Godwn. *Anthol. Rom. l. 2. ſect. 3. c. 13.*

CHLÆNA, Latin. *Læna*, veſtimenti genus antiquiſſimum ac Heroicum; duplex fuit togæque ſuperinducebatur, præſertim hyeme ad propulſandum frigus, Plut. *in Numa*: *Heſych.* Χλαῖνα Χλαμὺς, inquit, ἢ ἱμάτιον χειμερινὸν ἀπὸ τοῦ χλιαίνειν ὅ ἐστι θερμαίνειν. *Chlæna chlamys ſeu hyberna veſtis, à verbo quod calefacere ſignificat.* Euſtathius ait eſſe tunicâ craſſiorem; *Homerus* Heroas primò *Chlænas*, dein tunicas exuiſſe, narrat. Idem διπλῆν duplicem, h. e. villoſam, craſſiorem ac duplici filô contextam, contra frigus ventumque adhibitam, docet: præter quam etiam *Chlænarum* ſimplicium (quas ἁπλοΐδας ſeu μονοπλεκτὰς *Il. ω. v. 230.* appellat, i. e. ſine villis, ſimplici filô contextas) meminit. Nec induendi modò ac amiciendique, ſed & incubandi causâ *Chlænas* ſumtas, ex eodem vate apparet, *l. ult. Il.* ubi Achilles jubet Priamo lectum ſterni, ſtragulaque purpurea ſuper:

Χλαίνας τ' ἐνθέμεναι οὔλας καθύπερθεν ἕσασθαι, &c.

Ita in eundem uſum gauſapina cubicularia Romæ fuêre. Diſcrimen inter *Chlænam* & Chlamydem, hoc erat, quòd illa Heroum, hæc Macedonum geſtamen; illa quadrangulum pallium, hæc infa-

inferiori parte concluſa fuerit. Tenuior ac mollior chlæna Χλαινὶς & Χλανίδιον, Latinis *Lænula* dicta eſt: quale veſtimenti genus Ciceroni geſtatum exprobrat Calenus apud Dionem, *l.* 46. & Demoſtheni objicitur apud A. Gellium, *l.* 1. *c.* 5. Vide Octav. Ferrarium, *de Re Veſtiaria part.* 2. *l.* 1. *c.* 10.

CHLAMYDIA, inſul. inter Cycladas. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Stephanus* Delum olim Χλαμυδίαν dictam ſcribit.

CHLAMYS, veſtimentum ferè militare, tunicæ ſuperindui ſolitum; unde quemadmodum toga pacis, ita *Chlamys* belli inſigne fuit; Philoſtratus, *l.* 5. *c.* 45. Χλαμύδ☉ ἠράσθη κ̀ στρατιώτου βίου, *Chlamydem & militarem vitam amavit.* An ſicuti χλαῖνα, quòd hyeme frigus arceat, παρὰ τὸ χλιαίνειν, Grammatici viderint. Ejus ſpecies, Puerilis, Muliebris ac Virilis; hæcque iterum Vulgaris & Imperatoria. Prima *Alicula* dicta eſt ſeu *Chlamydula*, quâ humeris injectâ infantes ac puſiones ſeminudi incedebant. Ejus meminit Sueton. *in Tiber. c.* 6. *Munera, quibus à Pompeja Sexti Pompeji ſorore in Sicilia donatus eſt, chlamys & fibula, item bullæ aureæ, durant, oſtenduntúrque adhuc Baiis.* Imò & Ephebos in chlamydibus, & quidem velut in peculiari habitu, fuiſſe apud exteros, docet Plut. in *Catone minore* & Artemidorus, *l.* 1. *c.* 56. ubi obſervandum, quemadmodum Romani anno tyrocinii brachio togam cohibebant, ita Græcos per annum dextram chlamyde involutam habuiſſe. Muliebris *Chlamydis* meminit Poëta de Didone, *l.* 4. *Æn. v.* 137.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Et Agrippina in ſpectaculo navalis prœlii auratâ chlamyde induta fuit, apud Tacitum, *l.* 12 *Annal. c.* 56. & Dionem, *l.* 60. quam Plinius *paludamentum* appellat, *l.* 33. *c.* 3. Idem Dio, *l.* 62. Bounduicæ Britannicæ Χλαμύδα παχεῖαν, *Chlamydem craſſam*, tribuit. Militarem porrò veſtem, quæ tunicæ, loricæ ac reliquæ armaturæ apud Græcos imponeretur, fuiſſe *Chlamydem*, certum eſt. Unde Plautus, *Rudente, Act.* 2. *ſc.* 2. *v.* 9. milites *Chlamydatos* vocat. Nec apud Romanos Sagum & Paludamentum aliud quiddam fuit, quàm *Chlamys*: indumentum videl. ſive ἐπιβόλαιον, quod tunicæ impoſitum fibulâ in humeris nectebatur. Unde Latinorum *ad Saga ire*, Græci dixerunt *Chlamydes ſumere*, Dio, *l.* 46. Et Nonio, *Paludamentum eſt veſtis, quæ nunc* Chlamys *dicitur.* Plinius quoque, id quod Tacitus, *l.* 12. *Annal. c.* 56. *auratam Chlamydem*, & Dio Χλαμύδα διάχρυσον appellant, vocat *Paludamentum auro textile.* Vide Octav. Ferrarium, *de Re Veſtiar. Part.* 2. *l.* 3. *c.* 3. & 4. nec non infrà, voce *Paludamentum*: uti de more honeſtiorum, in *Chlamydem expanſam* ſtipem excipientium, quam viliores accipiebant cavâ manu, infrà voce *Vola*. In Eccleſia Romana *Chlamys*, inter præcipua Pontificatus Roman. inſignia reponitur à Petro Diacono, *Chron. Caſinenſi*, *l.* 3. *c.* 66. ubi de Victore II. quam purpuream fuiſſe, addit, *c. ſeq.* Vide ſuprà in voce *Cappa*.

CHLOE, Cereris cognomen apud Pauſan. *l.* 1. Item Familia Corinthiorum. 1. Corinth. *c.* 1. *v.* 11.

CHLOREUS, ſacerdos Cybeles, divinandi peritus. Virg. *l.* 11. *Æn. v.* 767.

Fortè ſacer Cybelæ Chloreus, olimque ſacerdos, &c.

Vide locum.

CHLORION, memoratus Ariſtoteli, apud Salmaſ. *ad Spartian. in Peſcennio Nigro, c.* 6. Item avis, etiam χλωρεὺς dicta, quod *lutei* coloris; hoc enim Græcis τὸ χλωρὸν notat, qui proin & luteum in ovo χλωρὸν appellant. Aliàs tamen χλωρὸς & χλοερὸς etiam *viridans, virens, viride*, ſignificat, qualis herbarum color eſt: à χλόη, *herba*; item *viriditas*. Unde χλωροὶ φοίνικες, *palmæ recentes*, oppoſitæ ταῖς ξηρανθείσαις κ̀ ξηραῖς, *conditis & aridis*. Et Chryſopraſius χλωρότερ☉ τ̃ χρυσοβηρύλλου, *viridior eſt Chryſoberyllo*, apud *Theophraſtum*: utpote cùm ea aureo & porraceo (quod exactè ac meracè viret) mixtam lucem trahat. Idem tamen, cùm carbunculos χλωροτέρους vocat, illos *pallidiores* intelligit. Quam proin duplicem notionem vocis Χλωρὸς non attendentes plerique, circa hæc non rarò impingunt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1106.

CHLORIS, florum Dea, eadem cum ea, quæ à Romanis *Flora* dicta eſt: quæ cùm Zephyro nupſiſſet, à marito muneris locò impetravit, ut florum omnium haberet poteſtatem. Ovid. *l.* 5. *Faſt. v.* 195.

Chloris eram, quæ Flora vocor. Corrupta Latino
Nominis eſt noſtri litera Græca ſono.

Vide quæ ſequuntur. Propert. *l.* 4. *El.* 7. *v.* 72.

Si te non totum Chloridis herba tenet,

Fuit etiam Chloris quædam Amphionis, & Niobes filia, quæ Neleo nupſit, eique Neſtorem aliosque filios peperit. Hæc poſteà, ob matris ſuperbiam, quæ ſe Latonæ præferre non verebatur, unà cum fratribus & ſororibus, Apollinis, & Dianæ telis fuit interfecta. Ovid. *Metam. l.* 6. Nic. *Lloydius*.

CHLORUS, fluv. Ciliciæ. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

CHMIELECIUS Martinus, vide *Martinum*, & hîc infrà.

CHMIELNICUM, oppid. Poloniæ, in Podolia ſuperiore in paludibus, ad Hypanim fluv. *Bog.* 9. leuc. à Baro in Boream & 24. à Barclavia etiam in Boream. Patria Martini Chmielecii, Med. Doctoris & in Academia Baſil. Profeſſoris primò Logicæ, poſt Phyſicæ clariſſimi; demortui A. C. 1632. ætat. 74. Pater is fuit filii cognominis, qui apud Mulhuſinos Conſulari dignitate, ſummâ integritatis & prudentiæ laude, defunctus eſt: quò natus itidem Martinum, in eadem Republ. Medicinam cum laude facit.

CHNA, Phœnice dicebatur. Gentile Chnæus. *Steph.* Vide Bochartum, *Geogr. p.* 789. & 790.

CHNAVIS, Ægypti urbs. *Ptol.*

CHNUBUS Gneurus, dictus χρύσεος χρύσεου υἱὸς, Aurea Aurei filius, Thebanorum in Ægypto Rex XII. poſt Sirium, præfuit ann. 22. Sophide II. apud Memphitas regnante, circa initia Abrahami Patriarchæ. Eum excepit *Rauoſis*, qui exponitur Α'ρχικράτωρ, *Princeps robuſtus*, qui præfuit ann. 13. ſucceſſore *Biyre*, per annos 10, quem excepit *Saophis*, qui exponitur Κομαστὴς, *Comatus*, vel Χρηματίστης, *Negotiator*, ac regnavit annos 29. Huic ſucceſſit *Sen-ſaophis*, per annos 27. quô tempore Iſaacus Rebeccam uxorem duxit. *Eratoſthenes*, *Syncellus*, & ex iis Joh. Marshamus, *Canone Chron.* Vide & *Sen-ſaophis*.

CHOANA, Mediæ civitas, item Parthiæ, & Bactrianæ. *Ptol.*

CHOANI, Arabiæ gens. *Ptol.*

CHOAR, decimus ſextus Sicyoniorum Rex. Regnavit ann. 30.

CHOARA, Χοάρα, Satrapiæ nomen, ſub ditione Parthorum, Plin. *l.* 6. *c.* 15 *Mox ejuſdem Parthiæ amœniſſimus ſitus, qui vocatur* Choara. *Duæ urbes ibi Parthorum, oppoſitæ quondam Medis, Calliope & alia in rupe Iſſatis quondam.* Ubi *ſitus*, ſicut & *locus* alibi, apud eundem, & Solinum, non ſignificat oppidum, aut vicum, ut ſæpe aliàs, ſed regionem; quemadmodum Τόπος & Θέμα, apud Græcos. Alii Χοαρηνὴ, apud Strabonem, *l.* 11. μέρη δ' ἐστὶ τ̃ Παρθυηνῆς, ἥ τε Κωμισηνὴ κ̀ ἡ Χοαρηνὴ, *Partes autem Parthyenes ſunt; Comiſene & Choarene.* Eſt autem Parthyene apud illum latior, quàm apud *Iſidorum* Characenum, qui utramque hanc Regionem à Parthyene ſeparat & ſub Parthia collocat, per *Parthiam* intelligens Parthorum regionem. Ultra Caſpias Portas *Choaram* eſſe, & in illa Apameam urbem, idem *Iſidorus* refert, vide de illa plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 982. & 1196. ut & in voce *Choarene*.

CHOARAXES, limes inter Colchidem, & Armeniam. *Strabo*.

CHOARINA, regio ex omnibus, quæ ſub Parthis ſunt, Indiæ proxima, quam Craterus omnem permeavit, ſubigens eos, qui parere recuſabant, ut cum Alexandro jungerentur. Strabo, *l.* 15.

CHOASPA, Arachoſiæ urbs. *Ptol.* Græcè ἡ Χόασπα, fortaſſe à fluv. *Choaſpe*, ad quem ſita fuit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 700. & *ſeqq. ubi egregia multa de utroque Choaſpe Perſico & Indico*: quemadmodum de *Choaſpite* gemma viridis coloris, fulgoris aurei, *p.* 767.

CHOASPES, Phaſidis fluv. filius, venit quoque cum aliis Æetæ Colchorum Regi, contra Perſen auxilio. Valer. Flac. *l.* 5. *Argonaut. v.* 584.

CHOASPES, Indiæ fluv. Curtius, *l.* 5. *c.* 2. 3. & *Strabo*.

CHOASPES, vel CHOASPIS, Medorum fluv. ad fines Perſidis in Tigrim defluens: cujus aquæ tam ſunt ſuaves, ut finitimi Reges non aliâ aquâ ad potum utantur. Tibul. *l.* 4. *El.* 1. *v.* 141.

Nec quâ vel Nilus, vel regia lympha Choaſpes
Profluit. —— ——

Item Auſonius, *in claris urbibus*, de Burdigala:

Hunc cuperes Rex Mede tuis conjungere caſtris,
Flumina conſumptâ cum deſecere meatu,
Hujus fontis aquas, peregrinus ferre per urbes,
Unum per cunctas ſolitus portare Choaſpem.

Herodotus, *l.* 1. Καὶ δὴ κ̀ ὕδωρ ἀπὸ τ̃ Χοάσπεω ποταμοῦ ἅμα ἄγεται τ̃ παρὰ Σοῦσα ῥέοντ☉, τ̃ μόνου πίνει βασιλεὺς, κ̀ ἄλλου οὐδενὸς ποταμοῦ. Ideoque ea una ex omnibus aquis decocta, & in argenteos urceos, ſeu urnas condita, quacumque iter facerent, multis quadrigis vehebatur; quod ex Herodoto tradit Athenæus, *l.* 2. Solinus, *c.* 41. *Choaſpes ita dulcis eſt, ut Perſici Reges, quamdiu intra cippos Perſidis fluit, ſolis ſibi ex eo pocula vendicârint: & cùm eundum foret peregrè, aquas ejus ſecum vectitârint.* Ælianus, *Var. Hiſt. l.* 12. *c.* 40. Τά τε ἄλλα ἔϕερον οὕτω τῷ Ξέρξῃ πολυτελῶς, κ̀ ἀλαζονείας πεπληρωμένα, κ̀ ἔτι κ̀ ὕδωρ ἀπολαύειν τ̃ ἐκ τ̃ Χοάσπου. Max. Tyrius, *Serm.* 43. de Diogene loquens: Ἡδὺ τοῖς ἀρίστοις... ὁ Καμβύσης Χοάσπου πόμα. Idem *Serm.* 44. Χορηγεῖ ... κ̀ οἱ ποιητικοὶ ταῖς βασιλείαις ἡδοναῖς, Πακτωλὸς χρυσὸν, Νεῖλ☉ πηγὴν, Χοάσπης ὕδωρ. Ariſtides, in *Puteum Æſculapii* Ἐγὼ μὲν ... ὥσπερ Ἐρυθραίων..., ὥσπερ Χοάσπου ὕδωρ βασιλεῦσι ἔπινε, &c. Clem. Alex. *l.* 2. *Pædagog.* ... ὕδωρ ἐκ ... τ̃ Χοάσπου ... Euſtath. *in Dionyſium*, κ̀ τὸ βασιλικὸν ὕδωρ τ̃ Χοάσπου. Plut. in *l. de exilio*; Ἐπὶ τ̃ μὲν Περσῶν βασιλέων καταγελῶμεν οἳ γὰρ δή ... τ̃ Χοάσπου μόνον ὕδωρ πίνοντες, ἄνυδρον αὑτοῖς τὴν ἄλλην οἰκουμένην ποιοῦσι. Plin. *l.* 31. *c.* 3. *Parthorum Reges ex Choaſpe & Eulæo tantum bibunt, & ea (aquæ ſcil.) quamvis in longinqua, comitantur illos.* Nic. *Lloydius*. Baudrando fluv. Suſianæ, qui & *Eulæus*, nunc *Tiritiri*, aliquando etiam Zeymare, Suſam Urbem, Suſianæ caput & Aſſueri regiam, rigat; dein auctus aliis fluviis, poſt longum decurſum, in Sinum Perſicum ſe exonerat, 50. leuc. Hiſpan. à Balſera in Ortum.

CHOASTES, Dux Choatrarum, veneficii ſcientiâ celebris, Flacc. *l.* 6. *Argonaut. v.* 155.

CHOATRÆ, vide *Coatræ*.

CHOATRAS, mons Aſiæ. Plin. *l.* 5. *c.* 27. *Coluſco Caſtaldo*.

CHOBAR, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. *Ptol.*

CHOBAR, vel CHEBAR, fluv. in terra Chaldæorum, ramus Euphratis, de quo *Ptol.* & *Strabo*, ubi Ezechiel viſionem vidit. Ezech. *c.* 1. *v.* 3. E' Meſopotamia ſcatere, & poſt longum tractum, prope locum, ubi Ezechiel ſepultus creditur, in Euphratem ſe exonerare hodieque antiquam appellationem retinere, ex indigenis ſeſe audiviſſe, refert Dominicus Macer in *Hierolex.*

CHOBARA, Albaniæ urbs. *Ptol.*

CHOBURGUM, oppid. Franconiæ, excelſâ arce munitum. Vide *Coburgum*.

CHO-

CHOBUS, Colchidis regionis fluv. *Arrian. in Periplo.* Hic, teſte Plinio, *l. 6. c. 4.* è Caucaſo per Suanos fluit inter Chataca, & Rhoam fluv. Vide Agathiam, *Hiſt. l. 3.*

CHOCHÆUS, Apollinis cognomen apud Jul. Capitolin. in *Vero, c. 8. Et nata fertur peſtilentia in Babylonia, ubi de Templo Apollinis* (addit Ammian. *l. 23. Chomei*, lege *Chochæi*) *ex arcula aurea, quam miles fortè inciderat, ſpiritus peſtilens evaſit, atque inde Parthos orbemque complêſſe.* A *Coche* urbe, quam cum Seleucia idem Ammian. eandem facit, *l. 24.* Quidam verò diverſam, inter quos *Stephanus* eam non longè à Seleucia ponit, & *κώμην*, *vicum*, eſſe dicit. Χωχη κώμη περὶ τῷ Τίγρεδι ποταμῷ; uſus auctoritate *Arriani*. At Arriano hôc recentiores omnes, & *Chochen* Seleuciam, confundunt, & pro una Urbe accipiunt nec *Chochen* vicum agnoſcunt, ſed urbem nobiliſſimam. Sext. Rufus, *Chochen & Creſiphontem, urbes Perſarum nobiliſſimas.* Φοίνικα tamen vocat Nazianzenus, *Stelitev. 2.* Inde igitur Χωχαῖος Apollo, qui Seleuciæ magna in veneratione erat. Salmaſ. *ad Capitolin.* Vide quoque infrà in *Coche.*

CHOCHE, vicus juxta Tigridem fluv. *Steph.*

CHOCHOME, locus *Ægypti*, in quo Venephes, V. Thinitarum Rex pyramides primus ſtruxiſſe dicitur, Herodot. *l. 2.* Græcè *Κωχώμη*, *Euſebio Κωχώμη*, nec apud alios reperitur vox, unde quiſnam ſit iſte locus, non liquet. An deſertum fuit illud, in quo XVIII. Pyramides hinc inde ſparſas hodie conſpiciendas ſe præbere, *in planitie* vel *Libyca*, Joh. Gravius tradit. Cæterum ad Memphitas Reges id pertinere videtur, in eorum enim territorio celeberrimæ conſtructæ ſunt pyramides, in cæteris Ægypti partibus prorſus nulla earum memoria. Primæ autem hæ in *Chochome*, ut famâ, ſic mole dubio procul cæteris fuêre minores. Joh. Marshamus, *Can. Chronica Sec. II.*

CHUDDA, Carmaniæ urbs. *Ptol.*

CHODORLAHOMOR, vel **CHEDORLAOMER**, Rex Ælamitarum, unde Perſæ oriundi, victus ab Abrahamo A. M. 2118. Vide Gen. *c. 14. v. 4.*

CHOENIX, menſuræ genus apud Græcos, continens tres cotylas, quantum diurni hominis in cibum dabatur: unde *demenſum* Terentio, Vide Eraſmum *in Adag. Chœnici ne inſideto.* Eadem menſura apud Romanos legitima; unde admodum ſimile veri eſt, quod ponit vir maximus Guil. Budæus, teſſeras frumentarias, quæ ſingulis dividerentur, *chœnicares* fuiſſe. Quô poſitô facilè intelligitur ſingularis in Hiſtoria Romana locus Ælii Spartiani, *in Severo, c. 23. Moriens ſeptem annorum Canonem, ita ut quotidiana ſeptuagena quinque millia modiorum expendi poſſent, reliquit*: è quo de multitudine turbæ frumentariæ conjectare poſſumus. Conſtat enim in modio Romano *chœnices* octo fuiſſe, quæ legitima eſt menſura hominis in diem alendi neceſſaria. Qua ratione turbam frumentantem, quæ quotidianum demenſum de publico accipiebat, ad ſexies centena millia acceſſiſſe colligitur. Atqui frumentô publicô plebs ſolum & mulieres alebantur, certè civium tenuiſſimi quique ſolum. Quanta igitur univerſorum civium multitudo? Iſaac. Caſaubonus, *Not. ad Spartianum.*

CHOERADES, urbs Moſynœcorum. *Steph.*

CHOERADES, & Pharon inſulas in Alexandria Ægypti appellatas, ſciunt omnes, inquit Hermolaus, *in Plin.* Sunt etiam *Cherades*, inſulæ Italicæ Thucydidi, *l. 7.* in mari Ionio, juxta Japygium promontorium. Item inſulæ, ſive petræ Ponti Euxini juxta Helleſpontum, eædem cum Cyaneis, ut quidam volunt. Theocr. *Idyll. 13.*

> Α᾽ξ᾽ ἐ τότε Χοιράδες ἔσαν.

Theognis, *v. 576.*

> Πᾶς κυβερνήτης Χοιράδας ἐκκλίνει.

Schol. Euripides χοιράδας nominari dicit πέτρας πέτρας ἐξέχουσας, ἢ ἀναβαίνουσας θαλάττης, ὑπαλαιους ἔχουσας.

CHOERADES, nominari ab Apollonio *Baleares*, annotavit *Gerbelius.* Sunt & *Cherades* ſcopuli ante *Eubœam*, juxta Caphareium promontor. apud quos Caſſandrâ virgine violatâ Ajacem naufragium feciſſe narrant fabulæ. *Cherades* etiam ſunt ſcopuli ad fretum Gaditanum, teſte *Strabone*, qui nomen etiamnum retinere videntur, ab accolis enim *los Puercos* hodiè vocantur. Gall. *la Roche de la Truye.*

CHOERILUS, Hiſtoricus, patriâ Samius, juxta *Heſychium Mileſium*; Iaſſenſis ex mente *Stephani*; Halicarnaſſenſis ſecundùm *Suidam*; natus circa 75. Olymp. Samô profugiſſe ajunt, ac *παιδικὰ*, h. e. *in deliciis* Herodoto fuiſſe, quod paulo juniorem fuiſſe arguit. Carmine victoriam deſcripſit, quam Græci de Xerxe retulerunt, atque ab Archelao Macedoniæ Rege, pro quoque ejus poëmatis verſu, aureum retulit ſtaterem. Memoria autem fefellit Horatium, cùm ſcribit, *l. 2. Ep. 1. v. 232.*

> *Gratus Alexandro Regi Magno fuit ille*
> *Chœrilus, incultis qui verſibus & male natis*
> *Rettulit acceptos regale numiſma Philippos.*

Nec enim, qui honos ab Archelao habitus bono Poëtæ, is & apud Alexandrum contigit *Chœrilo* Poëtæ malo. Nimirum duos *Chœrilos* confudit, quos rectè Gyraldus in Poëtarum hiſtoria diſtinguit. Poſteriorem etiam ſignat Horat. *in Arte, v. 357.*

> —— *Sit Chœrilus ille,*
> *Quem bis terque bonum cum riſu miror.* ——

Sunt, qui tradunt, Alexandrum hâc lege cum hoc *Chœrilo* pepigiſſe, ut pro ſingulis bonis verſibus, ſingulos acciperet Philippeos: pro ſingulis autem malis ſingulos colaphos: opere verò perfectô vix ſeptem fuiſſe inventos, qui probari poſſent. Is demùm inediâ periit apud Alexandrum captivus. Ovid. *in Ibin, v. 539.*

> *Incluſuſque necem caveâ patiare, ut ille*
> *Non profecturæ conditor hiſtoriæ.*

At prioris *Chœrili* verſus nobili Poëtâ dignos eſſe, non ex fragmentis modò liquet, quæ apud Ariſtotelem, *in Rhetoricis*, Strabonem, *l. 7.* Joſeph. *l. 1. contra Appionem*, alioſque ſuperſunt: ſed etiam ex eo, quod Lyſander illum in comitatu habere ſolitus fuerit, ut res à ſe geſtas celebraret, quemadmodum *Plutarchus* ſcribit; & imprimis quid antiquitas ſtatuit, teſte *Suida*, ut verſus ejus cum Homericis recitarentur. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 4. c. 7. Nic. Lloydius.*

CHOERILUS, Athenienſis Tragicus Poëta, floruit Olymp. 64. ac fabulas edidit 150. vicit 13. A quibuſdam traditur *primus larvarum, ac veſtitus ſcenici fuiſſe auctor.* Teſtis *Suidas.* Alius, Lyſandrochærus. Aliàs *Chœrillus.*

CHOEROBACCHI, locus Thraciæ, ad Melani fluv. *Chirobacchi, Curopalata.*

CHOEROBOSCUS Georgius, vide *Georgius.*

CHOEROGRYLLUS, vide *Saphan.*

CHOES, feſtum Athenis, in honorem Lenæi Dionyſii, i. e. Bacchi, Antheſterione menſe, celebrari ſolitum, dictum à χοῦς, i. e. congius vini hanc ob cauſam: Oreſtes ob matris cædem contulit ſe Athenas, ad Pandionem cognatum, tunc rerum potitum: & hunc deprehendit publicum convivium celebrantem, Pandion dimittere Oreſtem verens, convivio verò nondum à cæde expiatum adhibere religioni ducens, ne ex cratere biberet, unicuique vocatorum χοῦν, i. e. congium apponi juſſit. Vide Cœl. Rhodig. *l. 24. c. 2. l. 18. c. 31. l. 29. c. 1. Nic. Lloydius.* De *Choes* inferorum, vide infrà in voce *Melicratum*, ubi ad hæc ſacerrima ſacra *Vinum & Mel cum lacte* adhibitum docebimus. Sed & oleum additum, diſcimus ex Virgilio, *l. 6. Æn. v. 252.* ubi tamen infuſum illud dicit extis jam ardentibus;

> *Tum Stygio Regi nocturnas inchoat aras,*
> *Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,*
> *Pingue ſuperque oleum fundens ardentibus extis.*

Adhibebant autem iſta Veteres, cùm Animas mortuorum elicere vellent, ex iis reſponſa de rebus dubiis accepturi. Qua de re vide hic paſſim, ut & plura apud Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium Poet. 2. p. 1050. & ſeqq.*

CHOI, Aſiæ populi juxta Bechiros. *Steph.*

CHOLÆBUS, Mapharitarum Tyrannus, memoratur Arriano, *in Periplo*: Erant autem Mapharitæ iiti ad Mare Azanium ſeu Euphratem, quod inter Arabicum Sinum & Indicum Mare medium. Idem de Dioſcoridis inſula, Υποτέτακται μὲν ἡ ... ὥσπερ ἡ Α᾽ζανία Χαριβαὴλ, καὶ τῷ Μαφαρίτῃ τυράννῳ, καὶ ἡ νῆσος αὐτῷ τῶ βασιλεῖ ... *Subdita eſt igitur, uti Azaniæ, Charibaëli, & Mapharitæ Tyranno, & Inſula ipſi Regi Thuriferæ regionis.* Nempe Arriani tempore Charibael Sabæis præfuit ſive Homeritis; Thuriferæ Eleazo & Mapharitæ *Cholæbo* paruêre. Salmaſ. *ad Solin. p. 499.*

CHOLARGOS, vel **CHOLARGI**, vicus in Acamantide tribu, tribulis *Cholargeus.* *Steph. Suid. Plut. in Nicia*, & Schol. *in Ariſtoph.*

CHOLBESINA, Sogdianæ oppid. *Ptol.*

CHOL-HOZA, pater Sellum. Nehem. *c. 3. v. 15.* Latinè *omnis prophetia*, vel *videns*, aut *omne pectus.*

CHOLETUS Johannes, vide *Johannes.*

CHOLIDÆ, vicus in Leontide tribu; tribulis *Cholides*, apud *Laertium Cholæus. Steph.*

CHOLIMMA, Armeniæ majoris urbs, *Ptol.*

CHOLINUS Petrus, πολύγλωττος, Patritius Tigurinus, & bonarum literarum, in Eccleſ. Tigurina, Profeſſor, libros Apocryphos, ex Græco Latinè, ſummâ fide, tranſtulit. Obiit Tiguri A. C. 1542 Vide & *Petrus.*

CHOLLE, *Palmyrenæ* oppid. *Ptol.*

CHOLLIDES, vicus gentis Ægeidos, Athenis. Vide Schol. *Acharn.* 391. *D.*

CHOLMADARA, ad Euphratem urbs. *Ptol.*

CHOLOBETENE, pars Armeniæ, cui præfectus Tigranes. *Steph.*

CHOLOE, Ponti Galatici oppid. in Cappadocia. *Ptol.*

CHOLONTICHOS, urbs Græciæ. *Steph.* incola Colonchites.

CHOLUA, Armeniæ majoris urbes duæ. *Ptol.* Idem *Cholmata* habet in eadem regione.

CHOMA, Lyciæ urbs. *Ptol.* Cum recentioribus tabulis:

CHOMAEPHTHA, exponitur Κόσμος φιλήφαιστος, Thebanorum in Ægypto Rex XXIX. poſt Meuron, præfuit ann. II. Apachnâ apud Tanitas rex gerente. Illum excepit Anchunius Ochys quem vide.

CHOMARI, populi circa Margianam, vel Bactrianam. Plin. *l. 6. c. 16. Ptol.*

CHOMATUM, Nili Logographi, *col. ult. Cod. Theodoſ. de Patroc. vocor.* dicti ſunt, qui muniendæ Nili ripæ aggeribuſque ejus præerant. *Chomata* enim (Græcè Χώματα, quæ vox aliàs in genere quemvis *aggerem*, terræque molem aquas cohibentem notat, *Heſych.*) per excellentiam dictos eſſe Nili aggeres, docet Ulpianus, *in l. 10. D. de Extraordin. Crimin.* Vide Car. du Freſne, *Not. ad Alexiadem Comnenæ, p. 273.* ex Salmaſio, *ad Solin. p. 431.* ut & ſuprà in voce *Aggeſtum.*

CHOMPSO, inſul. Nili inter Æthiopiam & Ægyptum. *Herod.* Gentile *Chompſeum. Steph.*

CHON, Hercules Ægyptiorum linguâ vocatus, qui cum Oſiride Italiam liberavit à tyrannide, & ab hoc Chone Hercule Ægyptio Italiam antiquitus vocatam prodidit Antiochus. *Steph.*

CHO.

CHONÆ, *Straboni Coloſſæ*, vulgò *Cona*, urbs Phrygiæ magnæ, olim terræ motibus concuſſa. Vide *Coloſſæ*.

CHONE, Autolyci filia, à qua *Chonea* regio nomen habuit. Solin. c. 2. ubi de Italia, *Regionem Choneam, à Chone Autolyci filia, quam procaciter inſidentem viæ Hercules, ut ferunt, interemit, conditam*, refert. Ita is ſuos Auctores ſequutus. *Chone* certè urbs Italiæ fuit, quam à Philoctete conditam, ex ſententia quorundam refert *Strabo*, à qua populi Χῶνες, quos *Ariſtoteles* tenuiſſe, ait, τὰ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν καὶ τὸν Ἰόνιον. Χωνίαν eorum regionem vocat *Lycophron*,

Ἀγρὸν βαθεῖαν Χωνίας παρακτήσει:

quæ *Chonea Regio Solino*. Vide Salmaſ. *ad loc.* nec non in voce *Chone*.

CHONE, urbs Oenotrorum. Strabo, *l. 7.* regionem appellat *Chonen*: incolæ *Chones*, & *Chonii*, ita dicti ab Hercule in Italiam adventante, quem Ægyptii *Chonem*, vocant. Sanè *Chonen* Italiam olim dictam fuiſſe innuit *Heſychius*, Χώνη τὴν Ἰταλίαν, ὥστε πάλαι Ἰταλοί. *Chonas* verò ab Oenotris alienos facit Geographus, *l. 6.* Χῶνες, inquit, καὶ Οἰνωτροὶ τοὺς τόπους ἐνέμοντο. Ariſtot. verò *Polit. l. 7. c. 10.* eoſdem facit, Ἤσαν δὲ οἱ Χῶνες Οἰνωτροὶ τὸ γένος. Quin & Strabo ipſe paulò pòſt *Chonas* Οἰνωτρικὸν ἔθνος vocat.

CHONENIA, frater Semei 2. Paral. c. 31. v. 13. Ebraicè *Cononiah*, i. e. *præparatio*, aut *firmitas*, aut *rectitudo Domini*.

CHONIA, *Lycophroni*, *Chone Straboni* civitas eſt Calabriæ, ut vult *Gabr. Barrius*, quam hodie *Belcaſtro* nominant. Aliis Bellicaſtrum eſt Petelia antiquorum in Brutiis, aut ex ejus ruinis crevit. 15. milliar. à Taberna in Ortum, totidem ab Umbriatico, & 20. à Scyllacio.

CHONIATES Michaël, vide *Michaël*.

CHONNABARA, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

CHONODOMARIUS, Alemannorum Rex, unus ex ſeptem illis Regibus, qui ſub Imperatore Conſtantio Gallias invaſerunt, à Juliano captus, & ad Imperatorem miſſus, in captivitate obiit. Eutrop. *l. 10.* Zoſimus, *l. 3.* Ammian. Marcellin. *l. 16.* cujus de hoc Rege locum emendat B. Rhenanus, *Rer. Germ. l. 3.* ad quem *Notas* adde Cl. Ottonis.

CHOPES, oppid. Arachoſiæ, ad fluv. cognomine Semir. Vide *Cophe*.

CHOPINUS Renatus, vide *Renatus*.

CHORA, fluv. Galliæ, *la Cure*, qui ortus in pago Nivernenſi, Choram *Cure*, Petram pertuſam *Pierrepertuis*, Vicelliacum & Arciacom, Luciacumque alluit, ac 12 ferè leucas emenſus, ad Crabennum in Icaunam labitur. Item nomen vici, qui appellatione cum ſuo fluvio communi & monaſteriô vetuſtiſſimô hodieque inſignis eſt, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CHORÆ, in *Regula* S. Donati Epiſcopi Biſuntini ad Virgines c. 75. videntur eſſe diſtinctiones Pſalmorum, quarum ſingulæ certum Pſalmorum numerum continent, ut ſunt Nocturni in *Officio* Roman. *Ab Octavo Kal. Octob. creſcit curſus uſque ad ſummum ejus 25. choris - 12. verò choræ in hyeme omni nocte cantanda ſunt*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

CHORAGUS, Græcè Χορηγός. Quod honeſtiſſimum nomen habebatur apud Græcos, iiſque tribuebatur, qui ſumptus de ſuo ad ludos ſacros præbere ſolebant. Latinis *Choragus* dicitur, qui ſcenicis hiſtrionibus ornamenta agendæ fabulæ neceſſaria, vel accepta ab Ædilibus, vel de ſua copia conductus præbet. Plautus *in Perſa, Act. 1. Sc. 3. v. 78.*

TO. *Ornatam adduce lepidè in peregrinum modum.*
SA. *Unde ornamenta?* TO. *abs Chorago ſumito.*
Dare debet: præbenda Ædiles locaverunt.

Idem *Trinummo, Act. 4. Sc. 2. v. 16.*

Ipſe ornamenta à Chorago hæc ſumpſit ſuo periculo.

Vetus Poëta apud Sueton. *in Auguſto c. 70.* de cœna δωδεκαθέῳ,

Cùm primum iſtorum conduxit menſa Choragum.

Inde *Choragium*: ipſe apparatus, ſeu inſtrumentum ſcenicum. Plin. *l. 36. c. 15.* de Scauri Theatro loquens: *Sed & reliquus apparatus tantus Attalicâ veſte exteroque Choragio fuit, &c.* Apul. *in Apol. Quid enim ſi Choragium Thymelicum poſſiderem, num ex eo argumentarère, etiam uti me conſueviſſe Tragœdi ſyrmate hiſtrionis, crocotâve ad trieterica orgia, aut Mimi centunculo?* Elegantiſſimè autor Rhetor. *ad Herennium, l. 4. c. 50.* in Charactere oſtentatoris: *Et dicit in aurem, aut ut domi lectuli ſternantur, aut ab avunculo rogetur Æthiops, qui ad balneas veniat, Aſturconi locus ante oſtium ſuum detur, aut aliquod fragile falſa Choragium gloriæ comparetur.* Item *Choragium* dicebatur locus, in theatro ex ipsâ re, quod ibi Choragium ſcenicum, i. e. veſtes, &c. quæ inſtruendæ ſcenæ inſerviebant, cuſtodiebantur. Vitruvius, *l. 5. c. 9. Choragiaque laxamentum habeant ad chorum parandum, &c. Nic. Lloydius.* Vide & *Chorea*.

CHORAMNÆI, Perſidis populi ſylveſtres, tantâ velocitate, ut cervos comprehendant. *Steph.*

CHORASANUM, regio Perſiæ perampla, verſùs Tartariam extenſa, reſpondet veterum Ariæ: Et extenditur uſque ad Oxum fluv. & habet urbes præcipuas Mexatum & Heratum, in regionis meditullio, ubi aliàs Aria & Paropamiſus regiones. Vide & *Chorasanum*.

CHORASMI, populi Aſiæ ad utramque Oxi fluv. ripam incolentes, in Sogdianæ & Bactrianæ confinio, quorum regio hodiè *Coraſſan* in tabul. recent. nominatur: *Choraſmii* Plinio, *l. 6. c. 16. Choraſmiorum* Straboni, *l. 11.* Dionyſ. v. 746.

Τοῖς δ' ἐπὶ (Maſſagetis ſcil.) πρὸς Βορέην Χοράσμιοι οἷς ἐπὶ γαῖαν
Σογδιὰς, ἐν διὰ μέσσον ἑλίσσεται ἱερὸς Ὦξος.

CHORAULES, Græcè Χοραύλης, propriè qui cum choro tibiâ concinebat. cùm in conviviis tum in ſcena. Quo ſenſu Petronius,

Manu puer loquaci
Ægyptius Choraules.

Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino*, c. 19. Martial. *l. 9. Epigr. 79. v. ult.*

Quod optimum eſt, quæritis, convivium?
In quod Choraules non venit.

Juvenal. *Sat. 6. v. 76.*

Accipis uxorem, de qua Citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiet pater Ambroſiuſque Choraules.

A' *Chorea*, vel *Choro* dictus, quam vocem non inveniſtè Varro ad ſtellas tranſtulit, quæ certâ lege, atque ad numerum veluti decurrunt:

Repentè noctis circiter meridiem,
Cùm pectus aër fervidis latè ignibus
Cœli Choreas aſtricas oſtenderet, &c.

Itemque Manilius, *l. 1.*

Et quinque adverſo luctantia ſidera mundo
Exercent varias, natura lege, Choreas.

Similiter & *Chorus* de iis dictus. Tibull. *l. 2. El. 1. v. 87.*

Ludite, nam nox jungit equos, curruumque ſequuntur
Matris laſcivò ſidera fulva choro.

Stat. *l. 1. Achill. v. 643.*

—— —— *Riſit Chorus omnis ab alto*
Aſtrorum.

Nic. Lloydius. Addo, quòd & tibicines, qui ſaltantibus Pantomimis in ſcena operam dabant, ut ſaltantium excitarent vigorem, quia & choro canenti reſponſabant, ſic appellati ſunt. In Comœdiis quoque olim, quando chorus canebat, choricis tibiis artifex concinebat, atque is *Choraules* dicebatur, uti refert Diomedes Gramm. *l. 3.* Poſteà *Choraulæ* à comœdiis ſeſe ſegregârunt & res ſuas parteſque ſeorſim in ſcena agere cœperunt; ut & Pythaulæ & Pantomimi, qui omnes primis temporibus in Comœdia canebant. A' quo tempore chorum etiam ſuum habuerunt, qui ubique eos comitabatur & ex 7 Cantoribus conſtabat. Meminit eorum Lucilius in *Epigrammi.* adhuc inedito, apud Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino*, c. 19.

Οὐκ ᾔδειν σε τραγῳδὸν, Ἐπίκρατες, οὐδὲ χοραύλην,
Οὐδ' ἄλλ' οὐδὲν ὅλως ὃ χορὸν ἔστιν ἔχων.
Ἀλλ' ἐκάλουν σε μόνον, σὺ δ' ἔχων χορὸν οἰκοθεν ἥκεις,
Ὀρχηστῶν, αὐτοῖς πάντα δίδως ὀπίσω.
Εἰ δ' οὕτω τοῦτ' ἐστὶ, τὸ σὺς δούλους κατάκλινον,
Ἡμεῖς δ' αὐτοὶ σοι πρὸς ποσὶν ἐρχόμεθα.
Non ſciveram te Tragœdum, ò Epicrates, neque Choraulam,
Neque quid omnino eſſet chorum habere.
Sed invitavi te ſolum, tu verò cum choro domo venis
Saltatorum, ipſis omnia porrigens retro.
Quòd ſi ita eſt, tu ſervos junge diſcumbere,
Nos ipſi verò tibi ad pedes erimus.

Nempe Epicrates hic invitatus à Lucillio, adduxerat ſecum in convivium chorum Symphoniacorum puerorum aut gregem Tragœdorum, ſervorum ſcil. ſuorum, quibus ponè triclinium ad pedes ſtantibus omnia, quæ in menſa erant adpoſita, tradebat domum perferenda & ſibi ſervanda in craſtinum, ut de his domi iterum cœnare poſſet. Quem morem plerique olim habebant, qui ad convivia invitabantur: uo paſſim conqueritur ſimul ac jocatur Martialis, *l. 3.* inprimis *Epigr. 23.* ubi oltimorum Lucilii verſuum ſenſum planè expreſſit ac reddidit,

Omnia cùm retro pueris obſonia tradas,
Cur non menſa tibi ponitur à pedibus?

E' quibus patet *Choraulas* & Symphoniacos divitum conviviis adhiberi olim conſueviſſe. Unde idem Poëta, *l. 9. Epigr. 79. v. ult.* optimum convivium eſſe dicit, *in quod Choraules non venit*, &c. Sed & *Choraulem* eum appellabant, qui ad tibias ſaltabat, apud *Petron.*

Manu puer loquaci
Ægyptius Choraules.

Sic Nanam *Choraulem* deſcribit Propertius, *l. 4. El. 9. v. 23.*

Nanus & ipſe ſuos breviter contractus in artus
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

Ubi *jactare manus ad cava buxa*, nihil aliud eſt, quàm ſaltare & χειρονομεῖν ad tibiam. Nec aliter vox accipitur, apud Sidonium Apollinarem, ut doctis Viris obſervatum: & Iſidorum fortè in *Gloſſis*, ubi habet, *Choraula*, *Jocularius*. Namque etiamnum Galli *Jongleur* vocant geſticulatorem præſtigiatoremque quemlibet. Aliàs tamen *jocularius* ſeu *joculator*, Græcis παιδονόμος, tubicinem, tibicinem, omneque id Artificum genus, quos etiam hodieque *joculatores* Galli vocant, ſignificat; quâ ratione Iſidoro *Choraules* fuerit, qui ad chorum canit, &c. Vide Salmaſ. ubi ſuprà, ut & ad *Solin. p. 123.*

CHORAX, decimus quintus Sicyoniorum Rex, regnavit ann. 30.

CHORAZANA, Regnum olim peculiare, nunc provinc. Perſiæ, ubi olim Bactra, Parthi, Sogdiani. Poſtquam enim Imperium

rium Tartaricum inſtauravit Timur-lenk, vulgò Tamerlanes; poſt obitum ejus, inteſtinis filiorum diſſidiis id multum diminutum eſt: quorum tamen natu maximus Scha-Rego in Turkeſtaim, Schagadaja, Mauatunahara, Perſia, Gaſna & Indoſtana, latè regnavit. Inter hujus ſucceſſores variis rerum vicibus obortis, Regnum ejus in duo Regna, Chorazan & Mawaranachar, diviſum eſt A. C. 1451. quæ iterum conjuncta A. C. 1462. poſt obitum Regis Abusaid, denuo diſſilierunt, A. C. 1470. Sequenti tempore, Rex Chorazana Schabekus ſeu Sebakanus, Usbekanum Imperium condidit aut inſtauravit: quod hodie complectitur, quidquid inter Perſiam, Indiam, Chinam & Cathajam terrarum jacet. Sed Iſmael Sophi Perſarum Rex, graviſſimò contra eum ſuſceptò bellò, cum totâ Chorazanâ depulit: à quo tempore, inter Usbecanos & Perſas, odium internecinum & hinc perpetua diſcordiarum ſeges eſt. Vide Georg. Hornium Orb. Imper.

CHORAZIN, Galilææ oppid. nunc deſertum in ſecundo lapide à Capharnao Matth. c. 11. v. 21. & Luc. c. 10. v. 13. Hieronym.

CHORDA, vide Fides.

CHORDIRAXA, Meſopotamiæ urbs. Strab.

CHOREA, nomen ſaltationem denotans, unde ortum, docet Mercurialis: Loca, inquiens, ubi ſaltationes peragerentur, primo, cùm nondum exculta eſſent, fuêre vici, & plateæ publicæ; deinde, cùm majorem dignitatem atque ornamentum recepiſſent, ad Theatrorum partes quaſdam tranſlata fuerunt, quæ & ab Ariſtotele & Polluce, ob id, Orcheſtræ vocatæ fuerunt; unde etiam Chorea, nomen ſaltationis peregrinum, manavit. A Theatris ad palæſtras poſteà tranſiêre, unde in Convivia, &c. Vide eum de Arte Gymnaſt. l. 2. c. 7. ſub fin. Affinis vox Chorus eſt, quô collegium Muſicorum dicitur Servio, ad Georgic. l. 2. & Jacobi. l. 79. de Legat. 3. l. 34. de Ædilitio edicto. Seneca eleganter, Ep. 84. Non vides, quàm multorum vocibus Chorus conſtet? Unde Choraules ſervus, apud Romanos. Vide Pignorium Comm. de Servis & ſuprà. At Choragus dicebatur Athenienſibus, qui ſumtus præbebat ad Ludos, καὶ ὤνω, i. e. choragium, quô inſtruebatur Theatrum & chorus: à quo χορηγία, unum ex muneribus pacis publicis, quæ alterô quôque annô cives ex Lege obibant, Deſignabant autem Choragos unaquæque Tribus ſuos, qui ſic conſtituti ſortiebantur pro concione tibicines, præſidente Archonte, ex hac Lege: Ἐν ἐκκλησίᾳ τὸν Ἄρχοντα ἐπικληροῦν τοῖς Χορηγοῖς τοὺς Αὐλητάς. Archontes pro concione Tibicines Choris ſortito danto. Nempe ſortiebantur primò ſe Choragi, deinde is, cui ſors prima obtigerat, primus eligebat Tibicinem, quem vellet; cui ſecunda ſors, ſecundum &c. quæ ſortitio fiebat menſe integrô, antequam darentur ludi, in quos chori inſtruebantur; idque, ut omnia citè fierent & ad celebrandos majori cum voluptate ac dignitate Ludos. Erat verò Lege cautum, ne quis peregrinus in Choro ſaltaret; in quam ſi commiſiſſet Choragus, drachmis 1000. multabatur: ita enim illa habet, Μὴ χορεύειν ξένον, ἢ χιλίας ἀποτίνειν τὸν Χορηγόν, apud Plut. Phocion. Atque id religiosè obſervatum eſt in Dionyſiis τοῖς κατ' ἄστυ; at non item in Lenæis, τοῖς κατ' ἀγρούς, quibus non tantùm peregrini ſaltare in choro poterant, ſed etiam inquilini ipſi erant Choragi ac præbitores, uti diſcimus ex Interprete Comici ad Plutum. Ipſis verò ludis Choragus, ſi peregrinum in Choro ſaltantem in jus raperet, ad Archontem, 50. drachmis; ſi è ſcena exturbâſſet ac ſuô moviſſet locô, 1000. multabatur; ex Lege Demoſtheni memoratâ in Midian. Nolebant enim quidpiam inauſpicati fieri in diebus illis feſtis: Ludis verò peractis judicia reddebantur. Sed nec ignominiâ notatis in Choro ſaltare licebat; quod ſi facerent, poterant de ſcena deturbari & locô moveri, ex Lege: Ἐξεῖναι τοῖς αὐλοῦσιν ἀγωνιζομένοις ἐπιλαμβάνεσθαι ... Vide Demoſthenem Midian. E quibus patet, quantum abfuerint à Romanis hac in parte Athenienſes, qui non niſi è civibus Chorum conſtare volebant: cùm Romani ſibi privatim Choros habuerint è ſervis conviis, qui cantare noverant ac ſaltare: unde apud Celſum, l. 9. Digeſtorum, Si Chorus aut familia legetur, perinde eſt, quaſi ſinguli homines legati ſint, &c. Vide Sam. Petitum, Comm. in LL. Atticas, l. 3. tit. 4. & infrà in voce Saltatio, uti de epulo, quô tribum ſuam excipiebant Choragi, aliquid infrà, voce Epulones. Addam hîc ſaltem, de Choreis Gentilium, quibus in Sacris ſuis utebantur, etiam Apoſtolo indigitatis 1. Corinth. c. 10. v. 7. Certè nulla Sacra in Delo peracta, quibus ſaltatio non fuerit adhibita, referteque Plato de LL. l. 2. ſingulis Diis ſingularia ſacrificia atque choreas fuiſſe ſolitas accommodari. Inſpiriis verò celebres Choreæ Caryatidum fuêre, de quibus ſuprà; item Corybantum ſeu Curetum. Sic memorat ſolennes Choreas & luſus, ad Sacra Bacchi & Palladis, Papinius Statius, Achilleid. l. 1. v. 208.

—— imbelli nuper Lycomedis in aula
Virgineos cœtus & litora perſona ludo
Audierat ——

Ad ſacra Dianæ, Virg. l. 1. Æn. v. 502.

Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille ſecutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades ——

Saltantes enim & tripudiantes de montibus & campis in urbem Spartam, de qua hic, unde ad ſacra Dianæ prodierant, redibant Virgines, vetus Scholiaſtes Statii ad l. Mox laudandum, &c. Alia Chorearum genera conglomerat Statius, Achilleid. l. 2. v. 152.

Jamque movent greſſus; thyrſiſque Iſmenia buxus
Signa dedit, quater æra Rheæ, quater Evia pulſant
Terga manu, variaſque quater legêre recurſus,
Tunc thyrſos pariterque levant, pariterque reponunt,
Multiplicantque gradum, modò quo Curetes in actu,
Quoque pii Samothraces eunt: nunc obvia verſæ
Pectine Amazonio, modò quo citat orbe Lacænas
Delia, plauditurque ſuis utrorque Amyclis.

Vovebantur autem & ſolvebantur quoque Diis choreæ, rebus bene geſtis; quô nomine non ſemel puellas adhortatur Horatius, & plenæ Tragœdiæ. Virg. l. 11. Æn. v. 2.

Æneas, quanquam & ſociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataque funere mens eſt,
Vota Deûm primo Victor ſolvebat Eoo.

Et Statius iterum, Thebaid. l. 4. v. 109.

—— —— —— Dabit æquor iſta
Fors Deus, Argolicaſque habitu præſtabo maritas,
Cùm Regis conjux, cum te mihi ſoſpite, templa
Votivis implenda choris, nunc inſtat illa.

Circumibant verò Aras ſaltantes, dextrô interiore gyrô, uti Ariſtophanes tradit in Pace: quemadmodum contrariô gyrô luſtrabant rogos in Decurſionibus funebribus, apud eundem Statium, &c. Plura de priſco hoc ſuperſtitioſo more, quem Dæmonum infandos cultores etiamnum ſervare, diſcas ex Petro de Valle Part. 4. Itiner. Vide apud Petrum Lancreum Senatorem Burdigal. in Commentario erudito Gallicè ſcripto, præcipuè, l. 1. c. 4. ubi typus æneus ſpectandas iſtas choreas proponit. Illum verò idololatricas gentes, velut ſimias, κακοζηλίᾳ quâdam traxiſſe, à ſacris illis choreis, quarum in Scriptura mentio, veriſimile fit. Quod tamen Sancti non fecerunt, in omnibus Sacris, ſed tantùm in celebratione alicujus recentis beneficii, ad animi ſui lætitiam & εὐχαριστίαν erga Deum teſtificandam. Adde, quod Gentilium choreæ, præter impium finem, thymelicis geſtibus laſcivis & planè indecoris exercebantur: qui à modeſtia & gravitate Sanctorum, in cultu divino, procul aberant. Sed nec Choreas & ſaltationes unquam vel inſtituit vel requiſivit Deus in Populo ſuo ſacris operante, quem tamen variis ceremoniis oneravit: ſed id ſponte Sancti illi fecêre. Poſteà verò apud ipſos Iſraëlitas Idololatræ ad profana ſua ſacra hunc ritum traxêre, Exodi, c. 32. v. 6. Surgenteſque manè, obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas & ſedit populus manducare & bibere & ſurrexerunt ludere; ad quem locum Paulus reſpicit d. l. Nempe vituli cultores poſt epulas ſurrexêre ad ludendum, h. e. ſaltandum coram vitulo. Eodem referendum, quod in ſolenni feſto puellæ choreis indulſiſſe leguntur, Judicum c. 21. v. 21. id enim ex Idololatrarum iisdem more factum videtur. Ita ergo feſtivitates Gentilium cum cantu, choreis & comeſſationibus peragebantur. Propriè enim Χορεία ἡ μετ' ᾠδῆς ὄρχησις, Chorea cum cantu ſaltatio eſt. Scaliger, Poëtices l. 1. c. 18. Saltatio quædam ſine cantu fuit, eaque vetuſtiſſima. Deinde cantus additus, quem poſtea Χορείαν appellârunt. Quod prohibet Paulus Roman. c. 13. v. 13. εὐσχημόνως περιπατήσωμεν μὴ κώμοις καὶ μέθαις, compoſitè ambulemus, non in comeſſationibus & ebrietatibus. Ubi κῶμος, juxta Suidam, idem quod μέθη καὶ ὄρχησις, Temulentia & ſaltatio. Sed & Canon 53. Concilii Laodiceni, Chriſtianos jubens σεμνῶς δειπνεῖν, venerabiliter cœnare, vetat illos βαλλίζειν ἢ ὀρχεῖσθαι, plaudere vel ſaltare, &c. Vide Gev. Elmenhorſt, Obſervationibus ad Arnob. adv. Gent. l. 2. A. Rivetum, Comment. in Exod. c. 15. v. 11. c. 32. loc. cit. & plura hanc in rem apud Car. Paſchalium, Coronar. l. 2. c. 15. ubi Virgines, imò omnes alios coronatos Choreas duxiſſe, pluribus docet.

CHOREA Gigantum, monumentum lapideum omnium hujus generis nobiliſſimum, in Anglia, propè Saliſburiam, vulgò The Stonehenge dictum, & à Camdeno, ob vaſtiſſimam amplitudinem, inſanæ ſubſtructionis nomen meritum: Quod non unum è Scriptoribus Anglicanis in admirationem rapuit, hæſitantem, qui tantæ molis lapides in loco aliàs minus petroſo ibi congeſti vel in altum elevati fuerint; aliis inſuper adjicientibus, certum horum lapidum numerum iniri à nemine poſſe. Vide Selnecium in Mirac. Angliæ, Inigum Iones of the Stonehenge on Saliſbury plain, Joh. Webb a vindication of Stonehenge, Auctorem Anonymum, Hiſt. Orbis Terr. Geogr. ac Civ. ſect. 1. c. 8. Hiſtor. Antiquit. &c.

CHOREPISCOPUS, quaſi ὁ τῆς χώρας, i. e. ruris Epiſcopus. Reperitur ſub naſcenti Eccleſia, ſed incertâ origine, licèt ab exemplo 70. Diaconorum, ſecundùm Damaſum, deductâ. Ideo inſtitutus, vel potius ſubſtitutus, ut dum Epiſcopus civitatem, hic rus & villas, ut vicarius ejus, curaret. Hincmarus apud Flodoardum, l. 3. c. 21. Torpeſcentibus verò per civitates Epiſcopis, (dum rus olim haberent minus quæſtuoſum) res ad Chorepiſcopos ſic delata eſt, ut non ſolùm ritus Epiſcopales, ſed honorem etiam ad ſe pertraherent. Pertinaciam hanc cancellis circumſcripſit Ancyranum Concilium, A. C. 314. ſub Conſtantino Imperatore, c. 13. arctiùs verò & potentiùs Concilium ſub eodem Nicænum, l. 3. c. 54. & 55. edit. Piſanæ, ubi fusè, de ipſorum electione, munere & juriſdictione, de quibus vide quoque Damaſi Ep. 6. Item Concil. Antioch. can. 10. & Capitular. Caroli & Ludov. locis pluribus, præſertim, l. 7. Can. 318. Munus Chorepiſcoporum cum nomine ſenſim antiquatum, abolevit (nec pridem) Eccleſia: ſubinductis verò in eorum vicem, qui Epiſcopo liberiùs cedunt & humiliori jure contenti ſunt, Archipresbyteris, aliàs Decanis ruralibus & Plebanis. Vide Henr. Spelmann. Gloſſ. Archæol. & in voce Corbanus. Neque tamen Chorepiſcoporum dignitas, vel certè appellatio, alicubi hodieque non viget. Quippe, ut obſervat Molanus, l. 2. de Canon. c. 32. in Eccleſia Ultrajectenſi S. Martini, Chorepiſcopi nomen & titulum primus Subdiaconorum habet; cui Archipresbyterii ſeu Decanatus ruralis officium incumbit. Præterea Coloniæ, in omnibus Collegiatis Eccleſiis Chorepiſcopus eſt primus Cantorum, qui etiam in Cathedrali Eccleſia officium faciens, in ſolennitatibus, Epiſcopali baculô utitur. Etiam Trevirenſem Eccleſiam Chorepiſcopos habuiſſe ſuos, Theganus innuit auctor Geſtarum Ludovici Pii, ipſe hôc titulo inſignis. Hodieque in eadem Eccleſia quatuor ſunt dignitates eâdem nomenclaturâ, ſcil. ſupremus Chorepiſcopus S. Petri, Chorepiſcopus

piſcopus S. Lubentii in Dietkirken, Chorepiſcopus S. Caſtoris in Cardinis & Chorepiſcopus S. Agathæ in Longuione. Sic mentio fit Chorepiſcopi Eccleſiæ Lugdunenſis, apud Adonem in Chronico A. C. 810. Eccleſiæ Friſingenſis, in Charta Arnolphi Ducis Bajoariorum A. C. 808. Chorepiſcopi Ratisbonenſis, in Metrop. Salisburg. Tom. III. Chorepiſcoporum Eccleſiæ S. Stephani Metenſis, in Charta Leonis IX. apud Meuriſſium in Epiſcopis Metenſ. &c. Qui quidem Chorepiſcopi non alii erant ab Archidiaconis, qui vices Epiſcoporum agebant in ruralibus Eccleſiis. Scribit porrò Browerus, Antiqq. Fuldenſ. l. 1. c. 3. & in Notis ad 12. Poema Rabani Mauri. Abbates eô tempore Chorepiſcopi munus obiiſſe, exemplô S. Wigberti & Albini Fritzlavienſium Abbatum, quod Car. du Freſne firmat exemplô Bertilonis, qui Chorepiſcopus Abba Monaſterii S. Benigni Divionenſis appellatur non ſemel, in Tabulario hujus Monaſterii, &c. Vide eum in Gloſſar. Corruptè ex Chorepiſcopi voce, Maronitæ in Oriente Chori appellant Archipresbyterum ſeu Parochum loci, cui in traditione curæ baculum Paſtoralem Epiſcopus in manus tradit, uti legas apud Macros Fratres, qui de dignitate hac Eccleſiaſtica multa congeſſerunt. Vide quoque infrà Periodeuta.

CHORIENSIS Petra, Indiæ, in Paratacarum regione, Arriano. Hanc Curtius Dorium vocat.

CHORINEUS, viri nomen. Virg. Æn. l. 9. v. 571.

Emathiona Liger, Chorineum ſternit Aſilas.

Fit & alterius mentio, l. 12. Æn. v. 298.

Obvius ambuſtum torrem Chorinæus ab ara
Corripit, & venienti Ebuſo, plagamque ferenti
Occupat os flammis. —— ——

CHORITÆ, vide infrà Sanguenitæ.

CHORIZANTIUM Secta, in Germania & agro Leodienſi A. C. 1374. qui à dæmonibus obſeſſi, choreis indeſinentibus in plateis & templis vacabant: vide Radulfum de Rivo in Joanne de Arckel Epiſcopo Leodienſi, c. 9. & Gobelin. Perſonam in Coſmodromio æt. 6. c. 69. laudatos Car. du Freſne in Gloſſar.

CHOROBATES, Græcè Χωροβάτης, quaſi agri perambulator vel metator, apud Græcos idem videtur inſtrumentum fuiſſe, quod groma apud Latinos. Deſcribit illud ita Vitruvius, l. 8. c. 6. *Chorobates eſt regula longa circiter pedum XX. ea habet ancones in capitibus extremis æquali modo perfectos, inque regulæ capitibus ad normam coagmentatas & inter regulam & ancones à cardinibus compacta transverſaria, quæ habent lineas ad perpendiculum rectè deſcriptas pendentiaque ex regula perpendicula in ſingulis partibus ſingula.* Utebantur autem gromâ Veteres, ad agrorum caſtrorumque metationem, uti dicemus infrà. Sed & aquæ librandæ Chorobates inſerviebat; quemadmodum & dioptræ, quibus turrium ex intervallo altitudines explorabantur, eundem uſum præſtabant. Idem, *Libratur aqua dioptris aut libris aquariis, aut Chorobate, ſed diligentius id efficitur per chorobaten quod dioptra libræque fallunt.* Vide Salmaſ. ad Solin. p. 672. &c.

CHOROCLES, Pater Phrynichi, hiſtrionis tragici. Schol. in Ariſtoph. Aves, 576.

CHOROCOARIÆ, Parthiæ regiuncula, Ptol.

CHORODNA, Perſidis urbs Ptol.

CHOROEBUS Athenienſis, qui figulinam primus invenit. Plin. l. 7. c. 56. Hic primus curreudi certamine victor. Cœl. Rhodig. l. 13. Antiq. Lect. c. 17.

CHOROEBUS Elienſis, primæ Olympiados victor.

CHOROEBUS, Juvenis apud Virg. l. 2. Æn. v. 341.

—— *Juveniſque Chorœbus*
Mygdonides, illis qui ad Trojam fortè diebus
Venerat, inſanô Caſſandræ incenſus amore.

Et poſteà, v. 386.

Atque hic exultans ſucceſſu, animiſque Chorœbus.

Ac paulò pòſt, v. 407.

Non tulit, hanc ſpeciem furiatâ mente Chorœbus.

Denique, v. 424.

—— *Primuſque Chorœbus*
Penelei dextrâ divæ armipotentis ad aram.

Nic. Lloydius.

CHOROEI, vel HORRÆI. Deuter. c. 2. v. 12. dicuntur populi gigantes, expulſi à filiis Edom ex monte Seir. Latin. furores aut libertates, ſive foramina.

CHOROGRAPHIA, vide Geographia.

CHOROMANDÆ, populi ſine voce, horrendi ſtridoris, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis. Plin. l. 7. c. 2.

CHOROMITHRENE, Græcè Χωρομιθρήνη, Mediæ regio, apud Ptol. Μεθ' ἃς ἐκτέτα[ται] μέχρι τῆς Παρθίας ἡ Χωρομιθρηνὴ, βορειοτέραν ἔχουσα τὴν Ἐλυμαΐδα, *Poſt quos extenſa eſt Parthiam uſque Choromithrene, magis ad Septentrionem vergentem habens Elymaida.* Quæ Elymais, non confundenda cum Elymaide, ad oram Sinus Perſici, à qua longè diſtat. Vide Salmaſ. ubi ſuprà, p. 1194.

CHORSA, Armeniæ majoris urbs, Ptol. Chars Ortelio. verſus fontes Euphratis, in Arſia regiuncula aliàs, nunc Turcomanniæ regio ſub Turcis, in confinio Georgiæ, cum arce permunita. Quibuſdam dicitur Chiſers, ab urbe Erzerum 4. diebus in Ortum.

CHORSACI, Perſæ à Scythis olim appellati. Solin. c. 49. *Scythæ Perſas linguâ ſuâ Sacas dicunt, & invicem Scythas Perſæ Chorſacos nominant, montemque Caucaſum Graucaſum,* &c.

CHORSEUS, Palæſtinæ fluv. Ptol.

CHORSIA, oppid. Bœotorum, Pauſan. l. 9. πόλις Stephano. Gentile Chorſieus.

CHORTACANA, Aſiæ urbs ab Alexandro expugnata. Diodorus Sic. l. 17.

CHORTAZO, urbs Ægypti, ſic dicta, quòd Cleopatræ exercitus annonâ deſtitutus, illic ſatiatus fit. Χορτάζειν enim eſt ſaturare.

CHORUS, quibuſdam idem cum Argeſte; διὰ τὸ χωρεῖν nomen habet, quòd cum impetu & violentia eat: quomodo in prœlio incipiendo ruentes, τοὺς ὠθοῦντας ἐς ὀργὴν χωρήσαντας, vocat Thucydides, *cum impetu & clamore prorumpentes.* Hinc ἀγχίστροφος quoque, quæ vox Græcis conterrimum & velocem ſignificat. Sed eos diſtinguit Seneca, l. 5. Natural. Quæſt. c. 16. *Chorus ventus, qui apud quoſdam Argeſtes dicitur. Mihi non videtur, quia Chori violenta vis eſt, & in unam partem rapax: Argeſtes verò mollis eſt, & tam euntibus, quam redeuntibus, communis.* Et Vitruvius, l. 1. c. 6. *Circa Favonium Argeſtes & certis temporibus Eteſiæ. Ad latera Caurus Corcius & Chorus.* Ubi Argeſtes propior Favonio, Caurus ſeu Chorus Septentrioni; qui indidem tamen veniunt, modicâ tantùm inclinatione diverſi. Vide ſuprà Caurus. Atque hic ventus eſt, quô ſolô flante ab Indiæ promontorio Gades uſque navigari, Plinius ſcripſit, l. 2. c. 47. & poſt eum Solinus, c. 56. converſò nempe Mundi ſtatu & mutatò ventorum ſitu flatuque, ut habet Salmaſ. ad Solin. p. 1262.

CHORUS, pars Comœdiæ, una ex acceſſoriis, inter actum & actum: vel pars eſt, poſt actum introducta cum concentu. Dicebatur autem ſic primò, *multitudo canentium ſaltantiumque cum tibicine*: idque antiquitus circa aras Deûm, Virg. Æn. l. 6. v. 517.

Illa chorum ſimulans, Evantes orgia circum
Ducebat Phrygias.

Quo in loco Servius, ut, *chorum eſſe multitudinem in ſacra collectam.* Et l. 1. Georg. v. 346.

Omnis quam Chorus & ſocii comitantur ovantes.

Chorus, inquit, *propriè eſt coeuntium cantus atque ſaltatio.* Solebant enim aras Liberi patris Deorumque cæterorum circumgyrare canentes atque ſaltantes. Inde ad fabulas Chorus translatus eſt. Et quidem primus Philammon Delphicus, ad aram patriam, Choros diſpoſuit, in Apollinis honorem. Romæ verò, L. Anicius, devictô ac triumphatô Gentiô Rege Illyriorum, in Circo Scenam extemporariam excitandam curavit, Ludoſque edidit cum Thymelicis tum primùm, quos in Orcheſtra conſtituit: in Proſcenio autem Tibicines cum Choro. Primus Archontes in Scenam duxit Comicum Chorum. Fuit autem is per initia μονοπρόσωπος, unus enim quiſpiam prodibat civium vitia recenſens, idque ſine cantu, cujuſmodi eſt apud Plautum Choragus in Curculione, Act. 4. ſc. 1. Dein alter additus, ut interrogationibus ac reſponſionibus explerent animos varietate. Poſteà quaterni fuêre, ita ut penitrentur Chorum in paria duo, quæ idcirco Græci vocaverunt ζυγά. Tandem is ad quinquagenos excrevit: quæ turba, poſtquam Æſchylus Eumenides fabulam dedit, ad quindenos redacta eſt: ita ut eſſent paria ſeu ζυγὰ quina, ex ternis verſibus, ubi qui cantum incipiebat, Κορυφαῖος, proximus Παραστάτης, tertius Τριτοστάτης dicebatur. Conſtabat verò tam viris, quàm mulieribus, ut ex Troade Senecæ apparet; hâc tamen lege, ut ſi mas laudandus eſſet, viri: ſin fœmina, fœminæ chorum componerent. Præterea, quidquid canebatur, ad argumentum fabulæ, maximè ad actum ipſum, quem diſtinguebat, oportebat pertinere: docente Horatiô, in Arte, v. 193.

Actoris partes Chorus, officiumque virile
Defendat, nec quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat & hæreat aptè.

Diſponebantur verò in Orcheſtra, quum ſtaret Chorus, ſicut ſit in acie, quod appellabatur Χοροστασία: Idem ordo, quum rectà ambularet, vel exiens vel ingrediens, hi dicebantur quadrati Chori. Quum accedebant, Πάροδος vel Παροδία vocabatur; quò tempore canebant Παρόδιον: quum ingrediebantur Εἰσόδιον, cauſam dicebant, cur adeſſent. Tum aut ſtantes canebant, quod & Στάσιμον nominârunt & Στασίδιον, tum narrabant rei eventum: aut ſtatim revertebantur & exibant, quæ erat μετάστασις. Quod ſi curſus ingrediebantur, Ἐπιπάροδος: in qua ſi ſaltarent prolixiùs, erat Κόρδαξ: ſi parciſſiùs, Κομμάτιον, ſibi lugebant. Utebantur Græcanicâ tibiâ in cæteris, in ſynodo tantùm geminis. Timæus poeto memoriæ prodidit, Choros Laconicos tetragonos fuiſſe, Athenienſes orbiculatos; quos & Διαστάσεις appellârunt illi, Siculi autem Ἰαμβισμούς. Κύκλον orbiculatum Chorum, appellatum eſſe, docet Salmaſius, unde vox translata ad Κύκλον Ἐπικὸν, & Κύκλον Παιδείας, de quo vide infrà in voce Cyclus. Non omnis tamen Chorus eidem κύκλος, ſed ſolus Dithyrambicus: Nam *Chori Tragici*, inquit, *& Comici ſolebant τετράγωνοι, qui κατὰ ζυγὰ & στοίχους diſponebantur*, Exercitat. ad Solin. p. 848. Sed non ſemper Veter. conſertis manibus, verùm aliquando ſolutis etiam in orbem diſponebantur. Concinentes autem movebantur in lævam primùm, primum hoc motu cœlorum orbem ſe imitari ajentes, eumque vocabant Στροφὴν; quam quum explêrant, totidem numeris eadem veſtigia pluribus temporibus relegebant; quâ reverſione ſubterlabentium adverſum motum Planetarum referri profitebantur Ἀντίστροφος hæc. Eô ſpatiô abſolutô ſtantes, Terræ quietem repræſentabant. Quo in ſtatu cum diverſa à ſuperioribus actinerent, Ἐπῳδὸν nominârunt. Mutatas tamen leges invenias aliter alibi. Vide quoque infrà Ode. Porrò conſtabat Chorus non ſolùm ex maribus fœminiſque, ut dictum, ſed inſuper ex quavis ætate, officio, ſtatu, ſexu, pueris, puellis, viris, ſenibus, fœminis, aniculis, civibus, peregrinis, militibus, agreſtibus, ſervis, liberis, captivis. Nubes quoque & ranæ & veſpæ & alia quæ volueris, quemadmodum Scaliger olim luſit in Comœdia Vidula, cujus chorus conſtabat alliis & cepis & ulpicis & aſcaloniis & bulbis. Cæterùm, diſtinguebantur Græcis Actus, Chorô in Orcheſtram aſcendente: Latinis verò,

vero, qui Chorô canebant, mimis perſonisque de proſcenio in Scenam redeuntibus. Cùm verò partes Chori illæ præcipuè eſſent, ut potiſſimum, quos liberet, læderent: attritis Populi Athenienſis opibus, reductâque illius inſaniâ & licentiâ & inconſtantiâ ad Tyrannicam paucorum libidinem, coercuit Poëtas metus potentiorum in officio bene dicendi, & proin ſublatus Chorus eſt: cujus locô παρασκήνια quædam introductæ, in quibus aliorum Poëtarum dicta ſcriptaque, ſine maleficii crimine aut pœnæ ſuſpicione, irridebantur. Nec Cratino, ad priſtinam licentiam redire, impunè fuit, uti vidimus ſuprà, in voce Bapta. Vide plura hanc in rem, apud Jul. Cæſ. Scaligerum, *Poetices l. 1. c. 6. & ſeqq.* Atque hinc *Chorus* etiamnum, in Ædibus Sacris, apud Latinos Græcoſque, ea pars dicitur, in qua Clerus conſiſtit ac concinit: Honorius Auguſtodun. *l. 1. c. 140. Chorus dicitur a concordia canentium, ſive a corona circumſtantium. Olim namque in modum coronæ circa aram cantantes ſtabant: ſed Flavianus & Diodorus Epiſcopi choros alternatim pſallere inſtituerunt.* Certè hodieque apud Græcos ea pars in orbem circumducitur & ſubſelliis Cantorum ac Clericorum munitur, ut ex Ichnographiis Templorum apud illos, quas Goarus ad *Euchologium* repræſentat, licet perſpicere. Sed & *Chorum* Sophianum, in ovalem formam contractum perhibet Petrus Gyllius, *Deſcript. Conſtantinopol. l. 2. c. 3.* Quia verò dividebatur *Monachorum Chorus* in Eccleſiis in 2. partes, quarum una à dextris, altera à ſiniſtris erat, ſibique antiphonatim reſpondebant, hinc quâ parte Abbas ſedebat, *Chorus Abbatis*; quâ Prior, *Chorus Prioris* dictus eſt, vide *Vitas* Abbatum S. Albani, *p. 91.* Pars porro Chori Monachorum, à quibus Invitatorium incipitur, *Chorus Invitatorii* dicta, occurrit in *lib. Uſuum Ordinis Ciſterc. c. 12. 13.* Apud Cartuſienſes Pariſinos *Chorus Converſorum* eſt, Choro Fratrum, ut videtur, præſtructus. meminitque *Chori* hujus Cæſarius, *Mirac. l. 1. c. 35.* apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Porro cancellis *Chorum* munitum eſſe, ne Laicis, uti vocant, ingreſſus in eum pateat, diſcimus ex Concilio Moguntiac in *Decret. de Vita & Honeſt. Cleric. c. 1.* Refert tamen Curopalates, Imperatori Conſtantinopolit. licuiſſe eum ingredi, die coronationis ſuæ, ibique ſacram communionem percipere, ut & in Veſperis Paſchæ, ad incenſum offerendum. Quod idem de Rege Galliæ, habet Matthæus *de Rebus geſtis Henr. IV.* circa finem, ubi de Mariæ, uxoris ejus, coronatione agens, *intra Chorum ex privilegio Regem ſedere conſueviſſe*, tradit. Sic Magnus Magiſter Melitenſium Equitum thronum ſuum intra Presbyterium habere dicitur, Macris Fratribus in *Hierolex.* quos ſi places vide.

CHORZENA, Armeniæ majoris regio. *Strabo.*

CHORZIANI, Aſiæ populi circa Perſidem. *Procop.*

CHOSRAWI, ſeu Saſanidæ, nomen IV Familiæ regnatricis in Aſia, ante Muhammedanos. Vide hîc infrà, & voce *Perſia*.

CHOSROES I. Perſarum Rex, patri Cabadi ſucceſſit, A. C. 532. Poſt aliquem ſucceſſum, pacem αἰώνιον cum Romanis iniit, ſed fide triennio poſt violatâ, vaſtavit Meſopotamiam, Syriamque, combuſſit Antiochiam, idem Apameæ facturus, nî Thomæ Epiſcopi prudentia obſtitiſſet. Quartâ vice Imperio ditiones ſubjectas ingreſſus, A. C. 545. Edeſſam fruſtra obſedit, Juſtiniano inducias quinque annorum caro mox vendidit. Sub hujus ſucceſſore Juſtino non minùs felix, eò inſolentiæ proceſſit, ut Legatos Imperatoris ſe comitantium Cappadociæ Cæſaream uſque ſequi juberet. Sed à Tiberii Duce Juſtiniano aliquoties victus, & theſauris exutus, præ animi mœrore tandem obiit, A. C. 581. regni 48. Euagr. *l. 4. & 5.* Agathias, *l. 4.* Procop. *de bello Perſ. l. 1. & 2.* Eum excepit Hormiſda. I.

CHOSROES II. Perſarum Rex, throno impoſitus, A. C. 591. Hormiſdam patrem, à ſubditis in vincula conjectum, benignè fruſtra tractare conatus, tandem fuſtibus occidi juſſit. Hinc à ſubditis pulſus, cum equo frænis temerè laxatis in aliquam urbem Romanorum delatus eſſet, à Mauritio Imperatore per Narſetem, reſtitutus eſt: ſed illo mortuô, contra Phocam parricidam armis ſumptis, Palæſtinam, Phœniciam, Armeniam, Cappadociamque occupavit, totô Oriente vaſtatô. Ab Heraclio, poſt Phocam occiſum, rogatus, ut pacem faceret, tributô annuô oblatô, ſuperbè renuit; Hieroſolymâque occupatâ in Africam tranſgreſſus, Libyam Ægyptumque ſubegit, Carthagine captâ. Itaque ſecundo pacem fruſtra rogatus, victus & fugatus eſt ab Heraclio, mox à Siroë filio, cui minorem prætulerat, fame necatus, in vinculis A. C. 628. Euagr. *l. 6.* Theoph. *miſc. l. 18.* P. Diac. *l. 4. Cedren. Chronic. Alex.* &c. Literarum ſtudioſiſſimus, ad ſummam Græcæ Philoſophiæ pervenit notitiam, Græcorum libris uſus à quodam in linguam Perſicam converſis. Atque adeò dicitur Ariſtotelem ipſum exactiùs tenuiſſe, quàm Demoſthenes Thucydidem. Platonis etiam ſcriptis animum explevit, atque excoluit. *Suid.* Fuit verò *Choſroës* commune cognomen Regum Perſarum, qui ab Artaxerxe duxerunt genus, ut & nonnullorum Parthorum antè, ut Caſaubonus, *ad Spartianum Adrian. c. 13.* obſervat. Vide Onuphrium Panvinium, quæ *Comment. 3. Reipubl. Romanæ*, de Parthico, Perſicoque imperio, eorumque Regibus digeſſit. Vide & *Coſroës*. Addo, quod Tituli ejus, in *Epiſtola* ad Varamum, penes Theophylactum Simocattam, *l. 4. c. 8.* hi ſunt, Χοσρόης, βασιλεὺς βασιλέων δεσποζόντων δεσπότης. Κύριος ἐθνῶν εἰρηνάρχης, τοῖς ἀνθρώποις σωτήριος, ἐν Θεοῖς μὲν ἄνθρωπος ἀγαθὸς καὶ αἰώνιος, ἐν δὲ τοῖς ἀνθρώποις Θεὸς ἐπιφανέστατος, ὑπερένδοξος νικητής. Ἡλίῳ συνανατέλλων, καὶ τῇ νυκτὶ χαριζόμενος ὄμματα. *Choſdroes Rex Regum, dominantium dominus, Dominus gentium, Pacis princeps, hominibus ſalutare ſidus, in Diis quidem homo bonus & æternus, inter homines verò Deus illuſtriſſimus, ſupergloriosus, victor, una cum Sole exoriens, & nocti largiens oculos.* Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium, l. 4. Sylv. c. 1. v. 3. Atque oritur cum Sole novo*, &c.

CHOULIUS Gulielmus, vide *Gulielmus*.

CHOZALA, Mauritaniæ Cæſarienſis oppid. *Ptol.*

CHRABASA, Aſiæ propriæ urbs. *Ptol.*

CHRAMUS, vel CHRAMNUS, fil. Clotarii I. et Chunſena, à patre in Aquitaniam miſſus, ita impotenter ſe geſſit, ut à ſubditis coram Rege accuſaretur. Citatus, arma ſumſit, miſſiſque contra ſe Chariberto & Gontrano fratribus impoſuit, Patrem contra Saxones periiſſe mentitus. Hinc illis recedentibus, Cabillonem cepit, & Pariſiis, Childeberto patruo, tactis Evangeliis, juravit, nullam ſibi unquam cum Patre pacem fore, quam tamen inivit, Childebertô mortuô. Verùm, iterum rebellis, in Britanniam ſe ad Conoborum Principem recepit, cum quo à Patre victus, cum uxore Calta, filia Wilicheri, Ducis Aquitaniæ, & filiabus combuſtus eſt. A. C. 560. Sævus ſeptimus in Dei Miniſtros. Gregor. Turonenſ. *l. 4.* Aimoin. *l. 2.*

CHREMBSA, vide *Cremſa*.

CHREMES, Archon Athenis, Olymp. 113. an. 2.

CHREMES, perſona ſenilis apud Terentium, & ruſtica, à χρέμπτειν, quod eſt *excreare*. Horat. *in Arte, v. 94.*

> *Iratusque Chremes tumido delitigat ore.*

Ex *l. 1. Serm. Sat. 10. v. 40.*

> *Argutâ meretrice potes Davoque Chremeta*
> *Eludente ſenem. ----- -----*

CHREMETES, Libyæ fluv. maximus. Auſtor. *in Memor. Heſych.* Χρεμέτης ὄνομα ποταμοῦ. Nonnus, Dionyſ. *l. 13. v. 374.* Οἷσιν ἔσω Χρεμέτας, καὶ οἱ ... Κινυφος ὕδωρ. Fluvius *Chremetis* Punicè dicebatur נהר כרמת *nahar Chremat*, i. e. *fluvius vinearum*. Confirmatur id ex *Scylace*, qui eôs ipſos Æthiopes, qui prope Cernen degunt, nempe ad amnem quem diximus, vinum aſſerit è vineis plurimum conficere. Verba ſunt, Οἶνον δὲ ποιοῦσι πολὺν ἀπὸ ἀμπέλων. Bochart. *l. 1. Chanaan, c. 37. Nic. Lloydius*,

CHREMON, Senex Comicus, Ariſtoph. *Veſp.* 49.

CHREMONIDES, Ptolemæi Navarchus, à Rhodio Agathoſtrato, circa Epheſum ad Veneris templum inopinato, oppreſſus & victus. Polyæn. *l. 5. c. 18.*

CHREMYLUS, nomen comicum viri, ἀπὸ τοῦ χρέους debitum & αἱμύλλω ἢ ἀπατῶ decipio, quaſi qui præ inopia cogatur ſuos creditores fallere, non ſolvendo quod debet.

CHRENDI, Hyrcaniæ gens. *Ptol.*

CHRENECRUDA, in *L. Sal. tit. 61.* Goldaſto & Spelmanno *viridis herba*, ex German. *Grun Kraut*; Wendelino ex *Rein*, i. e. *purum*, caſtum & mundum ac *Kruten*, i. e. *probare*, digna annotatu ceremonia medii ævi eſt. In hac, qui hominem occidit, nec in bonis habet, unde mulctam exſolvat, adjunctis XII. Juratoribus, nihil ſibi eſſe in bonis, præter ea quæ tradidit, ſacramentô cavet. Tum proximiores agnatos ad reliquum mulctæ exſolvendum invitat, factâ in eos bonorum ſuorum omnium ceſſione, hôc ritu: Domum ſuam ingreditur, & collectum de 4. illius angulis pulverem pugnô tenens, ad limen revertitur; in eoque ſtans ac vultu ſuô in interiorem domum obverſô, ſiniſtrâ manu pulverem in proximiorem agnatum trans ſcapulas mittit. Quô factô domô egreditur nudus ac ſolô indusiô tectus & palum manu tenens ultra ſepem ſalit. Tum agnati compoſitionem homicidii exſolvere tenentur: qui ſi pariter ſolvendo non ſint, aut ex iis aliquis, *iterum ſuper illum* Chrenecruda, *qui pauperior eſt*, *jactat & ille totam legem componat.* E quibus colligitur, *Chrenecruda jactare*, idem eſſe quod *pulverem*, ex quatuor domûs angulis collectum, projicere. Poſteà verò Legem hanc correxit Childebertus Rex in *Decreto, c. 15.* quòd & paganorum ritus ſaperet, & plures in bonorum ceſſione involveret: *De Chrenecruda Lex, quam paganorum tempore obſervabant, deinceps nunquam valeat, quia per ipſam cecidit multorum poteſtas*, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Addit in *Hierolexico* Macer, in aliquibus Civitatibus decoctorem (Decoctoribus enim hanc legem poſitam contendit) ut à creditorum ſe eximeret moleſtia, lapidi podicem ter in publico illiſiſſe, ut Senis in præſenti fieri ſoleat. Romæ verò per integram diem pileum viridem geſtare cogi, &c. Sed de *Decoctorum* pœnis pluribus agetur infrà, in hac voce.

CHRESIPHON, Græcè Χερσίφρων, Templi Dianæ architectus, apud Plin. *l. 36. c. 14.* Nempe primæ Templi Epheſii fabricæ is præfuit, non ultimæ, quæ poſt Heroſtrati ἐμπρησμὸν inſtauratum eſt, Alexandri M. temporibus, & ad anguſtiorem cultum renovatum, cui ἐπιστάτῃ Democrates fuerat præfectus, uti diſcimus ex Solino, *c. 40* Gnoſium fuiſſe, idem Plinius refert, & Vitruvius, *l. 7. in Proœmio*, ubi fabricam Templi ab eo inſtitutam quidem, non verò perfectam, tradit: *Primumque ædes Epheſi Dianæ Ionicô genere ab* Chreſiphone *Gnoſio & filio ejus Metagene eſt inſtituta, quam poſtea Demetrius ipſius Dianæ ſervus, & Pæonius dicuntur perfeciſſe.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 12. & ſeqq.*

CHRESTODEMUS, ex Thebanarum rerum ſcriptoribus unus fuiſſe dicitur à Michaële Apoſtolio, *Cent. 18. proverb. 42.*

CHRESTOLOGUS, Pertinax Imperator per convitium dictus eſt, apud Capitolin. *c. 13. Omnes, qui liberè fabulas conferebant, malè Pertinaci loquebantur. Chreſtologum eum appellantes, qui benè loqueretur & malè faceret.* Palatinus Codex *Chriſtologum* habet, more illi ætati conſuetô. Eſt autem *Chreſtologus* vel *Chriſtologus*, qui blandè diceret, nec benignè faceret. Sic Græci χρηστολογίαν. Palladas,

> Μισῶ τὸν ἄνδρα τὸν διπλοῦν πεφυκότα,
> Χρηστὸν λόγοις, πολέμιον δὲ τοῖς τρόποις.
> *Odi hominem duplicem exiſtentem,*
> *Blandum quidem verbis, hoſtem verò moribus.*

Eoſdem pollicitatores ac Doſonas etiam τοὺς χρηστοὺς λόγους διδόντας, *blandiùm verborum inſcitare*, dicebant; nec multo aliter apud Paulum Apoſtolum, Roman. *c. 16. v. 18.* χρηστολογία ἀπατῶσι. Quod

optumè in Pertinacem convenit, qui blandus erat verbis, re autem ipſâ minimè benignus, unde & nunquam ſimplex creditus, ſed οἰωνὸς. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *ad loc.* Alias Χρεσοὶ, idem cum *Manibus.* Sic enim notat Plutarchus in *Quæſtionibus Græcan.* ubi explicat, quinam dicerentur apud Lacedæmonios & Arcades Χρηςοὶ, in Fœderis columna; quod inter ambos illos populos conventum eſt, inter alia ſcriptum fuiſſe, *Μεσσηνίους ἐκβαλεῖν ἐκ τῆς χώρας καὶ μὴ ἐξεῖναι χρηστοὺς ποιεῖν*, *Meſſenios ejicere è regione, & non licere Manes facere*; quod ait Ariſtotelem interpretari, *Non licere interficere, ſed ἀποκτείνειν*: Idem quoque repetens in *Quæſtionibus Rom.* Hinc *Manes* mortui, & *Dii Manes*, defunctorum genii, qui aliàs *Lares familiares*, & boni Genii dicebantur, oppoſitè ad larvas, qui mali habebantur ac noxii: unde illi eorum poſterorum ſimiorum futuri credebantur, hi vacatione ſeu quodam exſortio, h. e. ἀκληρία puniti, nullis bonis ſedibus errabant. Inde *Mania*, eorum mater, quam perperam docti confundunt cum *Genita Mana*, quæ ſic quoque cognominata eſt, i. e. *bona*, non à *manando*, ut quidam volunt, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 412. & infrà in voce *Manes.* Porrò τῷ χρηστῷ Græcorum reſpondet Latinorum veter. *forctum* & *horctum*, quod ſequuta ætas *horctum* & *ferctum* pronunciavit. Unde *ferctum*, pro genere libi, quòd *bonum* eſſet, ὃ χρηστόν: Et πάγχρηστα, liba, & χρηστομειλίχια Homero, & compoſitum genus libi *Struefer ctum*, quaſi *ſtruem bonam* dicetis. Idem *ibid. p.* 1263.

CHRESTOMATHIA, nomen libri, à Proclo editi, in quo, λέγει, verba ſunt Photii, καὶ τὰ ὀνόματα καὶ τὰς πατρίδας τῶν πεποιηκότων τὸν ἐπικὸν κύκλον, *Enarrat nomina & patrias eorum, qui Epicum Cyclum condiderunt.* Vide Eundem, *d. l. p.* 847.

CHRESTUS, Athenienſis author probatiſſimus. Colomella, *l.* 1. *RR. c.* 1.

CHRESTUS, Byzantius ſophiſta, Herodis Attici auditor, tempore Adriani, qui vino deditus, cæteris in rebus continenter vixit, ac in primis vigilanter. Nam cùm ad Galli cantum ſæpe bibere ſolitus eſſet, non prius tamen ſomno ſe, quam ſtudio dabat. *Philoſtrat.*

CHRESTUS, vide in voce *Chriſtus.*

*CHRETINA, Luſitaniæ urbs. *Ptol.*

CHRISMA, Græcè Χρίσμα, propriè genus unguenti, ab altero, quod ἄλειμμα dictum, diverſum. Spiſſiora enim *linunt*, χρίουσι: liquida *perfundunt*, ἀλείφουσι. Gloſſæ, *lino*, χρίω: unde *inunctoria* χρίστα φάρμακα, quæ illinuntur. Plin. *l.* 13. *c.* 3. *Sed quoſdam craſſitudo maxime delectat; ſpiſſum appellantes: linique jam, non ſolum perfundi unguentis gaudent.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 465. Hodie *Chriſma*, in Eccleſia Romana oleum eſt, quod conſecratur; idque duplex: Alterum enim *oleo* & balſamô conficitur, ac *principale* appellatur, in *Pontificali* MS Senonenſis Eccleſ. Alterum ſimplex oleum eſt, ab Epiſcopo conſecratum. Priore unguntur, qui baptizantur, in vertice & qui confirmantur, in fronte; item, qui ordinantur: Poſteriore Catechumeni inunguntur, in pectore, ſcapulis & fronte, antequam abluantur. Sed & Infirmos ac Energumenos eôdem oleô inungi, paſſim legas, &c. Occaſionem ejus acceſſunt ab Unguento ſacro Eccleſiæ Iſraëliticæ, quod ex variis aromatum ſpeciebus compoſitum; juſſu Dei, Aaroni ipſiuſque filiis, adhibitum legitur, Exodi, *c.* 30. & duraſſe dicitur nongentos ferè annos: quô amiſſô Pontificis inauguratio ſolô in poſtremum veſtitu peracta eſt. Idem videtur fuiſſe oleum, quô & Reges nonnunquam ſunt inaugurati, quanquam alii diverſum fuiſſe velint, ex *v.* 32 & 33. *c. cit.* Verùm typicum illud fuit, quô quid ſignificari tum voluerit Deus, diſcimus ex 1. Joh. *c.* 2. *v.* 27. *Unctio* (χρίσμα) *quam accepiſtis ab eo, in vobis manet.* Vide quoque Joann. *c.* 1. *v.* 16. & *c.* 3. *v.* 34. Unde S. Ephrem *de Sacerdotio Tom. I. p.* 2. *Populus, qui ante nos erat, cornu olei ferens, ad Sacerdotium promovebatur: nos verò ſervi inutiles Dei Benedicti, non cornu, non oleum ſenſibile, ſumimus; ſed ipſe, qui eſt brachium excelſum atque tremendum, ex cœlo deſcendens, ſuum nobis, per impoſitionem manuum, donat Spiritum.* Quod omninò eſt Χρίσμα illud Johannis *l. cit.* Idem confirmant verbis Rob. Bellarmini *Recognit. oper. ad librum de Summo Pontifice, p.* 34. *Figura ſemper eſt inferior & imperfectior figuratô. Sicut igitur Sacerdotium Chriſti fuit longè ſublimius Sacerdotiô Moſis & Melchiſedeci: ſic etiam regnum Chriſti multò debuit eſſe excellentius, id eſt, non temporale, ut illorum, ſed æternum, ſpirituale & cœleſte,* &c. A *Chriſmate* verò Eccleſiæ Romanæ, *Chriſmal* ſeu *Chriſmale*, vas Eccleſiaſticum, in quo *Chriſma* aſſervatur. Item vas, in quo Euchariſtia recondicur. *Liber Sacram.* S. Gregorii, *Præfatio Chriſmalis: Oremus, ut Deus omnipotens hoc miniſterium corporis filii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti gerulum benedictionis, ſanctificationis tutamine, defenſionis donatum implere dignetur,* &c. Interdum, *corporale*, ut vocant, ſeu palla corporalis; imò & quævis palla, quâ ſacræ conteguntur reliquiæ: Tandem veſtis candida, quam capiti baptizatorum imponi mos. Quippe olim hodieque baptizatorum, ſtatim atque *chriſmate* in fronte ungebantur, ne illud deflueret, capita panniô obvolvebantur candidô; qui octavâ demum die ab iis auferebatur: *Capello*, ut videtur, dictus, in Synodo Nemauſ. *A.* C. 1284. *c. de Baptiſmo.* Indidem *Chriſmales denarii*, præſtatio, quæ à Presbyteris pro chriſmate, quod circa Paſcha ab Epiſcopo accipere ſolent, eidem Epiſcopo exſolvebatur, quæ, ut ſimonia, damnata legitur apud Anſelmum, *l.* 4. *Ep.* 61. Item *Chriſmarium*, vas in quo ſacrum chriſma reponitur, in Concilio Antiſiodor. A. C. 586. *can.* 6. ſeu, ut aliis, videtur, theca reliquiaria vel phylacterium, apud Gregor. Turonenſ. *Miracul. S. Martini, l.* 4. *c.* 32. &c. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* Tandem *Chriſmarius*, h. e. Notarius ſeu Cancellarius, cui incumbebat baptizatorum nomina adnotare. Hinc de ceremonia coram Pontifice obſervanda, cùm in die Paſchæ ad S. Mariam Majorem ad celebrandum equitaret, Ordo Roman. habet: *Cùm venerit ad Merulanam, quidam Chriſmarius electus ab omnibus Chriſmarius dicit altâ voce, Jube Domine benedicere, & Pontifex benedicat,* & Chriſmarius, *in Eccleſia S. Mariæ Dominæ noſtræ baptizati ſunt tot maſculi & tot feminæ. Deo gratias.* Vide Macros Fratres in *Hierolex*, ut & ſuprà, in voce *Ampulla.*

CHRISTI Effigies, in nummis deſcripta, à Conſtantino M. occurrit apud Joannem Damaſcenum in *Synodica ad Theophilum*, Hodie tamen inter tot, qui ex Conſtantini ſuperſunt nummis, nullus hactenus repertus eſt, in quo *Chriſti* imago compareat. Hinc primus, qui eam in nummis ſuis exprimi curaverit, videtur Juſtinianus Rhinotmetus; cujus aureus nummus, apud Stradam & Chiffletium, priore facie Chriſtum habet expreſſum, thorace tectus, dextrâ benedictionem impartientem, ſiniſtrâ Evangeliorum codicem tenentem, cum *Inſcr.* IHS CHRISTUS REX REGNANTIUM: alterâ Juſtinianus ipſe barbatus, cum ſtemmate crucigero ac loro, cruci majori manum admovens conſpicitur; his characteribus in ora exaratis: DN. JUSTINIANUS SERVUS CHRISTI. A quo tempore eadem effigies ſimili modô ac inſcriptione cernitur, in nummis Baſilii & Conſtantini Porphyrogenniti. Johannes Zimiſces poſteà primus ſolum Chriſtum in nummis una parte effigiari curavit; in altera verò & quidem multa facie Græca hæc, characteribus Romanis, JESUS CHRISTUS BASILEUS BASILEON, vide infrà ubi de nummis *Soteriis.* Quem ſequuti poſteà alii, quorum nummi Chriſti protomen cum inſcr ΕΜΜΑΝΟΥΗΛ exhibent, cum iiſdem Zimiſcianorum characteribus, niſi quòd nonnunquam Crucem in medio cum gradibus depictam præferant: vel Crucem cum hiſce ad angulos literis, IC XC NIKA: vel Regum adorationem cum binis columbis, &c. In iſtis porrò nummis ita Servator effingitur, ut dextram protendat, binis extenſis digitis, tanquam benedictionem impartiens, ſiniſtrâ verò librum Evangelii teneat. Paulus Silentiarius *in Deſcript. S. Sophiæ part.* 2. *v.* 359.

> —— Ἔοικε δ' ἀκρότατα τείνειν
> Δεξιτερῆς, ἅτε μῦθον ἀκηράσιον ὑποφαίνων,
> Λαιῇ βίβλον ἔχων ζαθέων ἐνίσκοπα μύθων,
> Βίβλον ἀναγγέλλουσαν, ὅσα χρειώδεα βουλῇ
> Αὐτὸς ἄναξ ἐτέλεσσεν, ἐπὶ χθονὶ ταρσὸν ἐρείδων.
> —— *Videtur autem digitos protendere*
> *Dextera, velut ſi ſermonem immortalem annunciaret,*
> *Siniſtrâ librum tenens, ſacros narrantem ſermones,*
> *Librum pandentem, quæ ipſe conſiliô*
> *Ipſe Rex peregit dum in terris ageret.*

Interdum in tabellis Græcanicis, in apertis libri Evangelici foliis; interdum ad ipſa imaginis latera, deſcripti viſuntur characteres Græci A. & Ω. deſignantes Chriſti divinitatem & humanitatem, uti exponit Leo Allatius, *de Conſ. utr. Eccl. l.* 1. *c.* 6. *num.* 31. Sed & plurimùm cernuntur iſti, IC. XC. id eſt, Ἰησοῦς Χριστός: quæ literarum contractio in nummis ac tabellis veter. ferè ſemper conſpicitur. Prætereà, in iis nummis *Chriſtus* interdum ſtans effingitur, ut in præclaro Jaſpide, cujus ectypon habetur in dactyliotheca Canonicorum Regularium S. Genovefæ Pariſ. In eo *Chriſtus* ſtans ad genua, dextram protendit, binis extenſis digitis, ſiniſtrâ librum tenens, cum literis ad latera, IC XC O ΕΛΕΗΜΩΝ. in altera facie legitur, † ΧΕ Ο ΘC Ο ΕΙC CΕ ΕΛΠΙΖΩΝ ΟΥΚ ΑΠΟΤΥΓΧΑΝΕΙ, Id eſt, *Jeſus Chriſtus miſericors. Chriſte Deus, qui in te ſperat, non fruſtratur.* In aliis nummis Chriſtus in cathedra vel ſella ſedens effingitur, dexterâ pariter impartiens benedictionem, alterâ Evangelium tenens, ut eſt in veter. tabella Græcanica gazophylacii S. Genovefæ Pariſienſis; quod etiam Veneti Duces, Byzantinis Auguſtis poſſimùm addicti, in nummis ſuis imitati ſunt, cum adſcriptis ſolùm Græcis characteribus IC. XC. uti docet nummus argenteus P. Ziani Ducis, qui ante A. C. 1200. vixit, in eodem gazophylacio. Servii item Reges, uti patet ex nummis Vroſci & Stephani, apud Car. du Freſne. In ejuſmodi autem numiſmatibus, potior ea pars, quæ Chriſti protomen præfert: quod, præterquam quòd id perſonæ dignitas evincit, docent characteres ΚΕ ΒΟΗΘΕΙ, nummis Alexii & Manuelis Comnenorum in ea facie adſcripti, h. e. ΚΥΡΙΕ ΒΟΗΘΕΙ, cùm in altera, ubi Imperatorum effigies, ſequatur, ΤΩ ΔΟΥΛΩ ΣΟΥ, *Domine adjuva ſervum tuum.* Cui quidem inſcriptioni ſimilis quodammodo & illa, quæ in nummo Heraclii habetur, DEUS ADJUTA ROMANIS. Ita in cereis ſigillis Imperatorum Caroli M. Ludovici Pii & Caroli Calvi legitur ſimiliter, XRE PROTEGE CAROLUM, vel LUDOVICUM IMPERATOREM. Sed & adnotat Scylitzes, Græcorum claſſicum fuiſſe Χριστὲ βοήθει, *Chriſte juva*; quod in Leonis *Tacticis* unicô Βοήθει concipitur. Nec omittendi nummi, quales Conſtantini Ducæ Imperatoris, in quibus *Chriſtus* ipſe ſtans, crucem Imperatori porrigit; quâ figurâ Ducas hic ab ipſo Chriſto Auguſtam dignitatem ſe adeptum teſtatur: à quo & coronatur, unà cum Eudocia conjuge, Romanus Diogenes, in Diptycho eburneo. Quomodo in tabellis pingi ſolitos Auguſtos Conſtantinopol. teſtatur Johannes Euchaïtarum Metropol. *Carm. εἰς στεφανοῦντα τὸν Χριστόν*,

> Οὐ χεὶρ κρατύνει τοὺς κρατοῦντας δεσπότας,
> Ἔστεψε Χριστὸς καὶ παρέσχε τὸ κράτος.
> *Non manus fortis fortes Imperatores,*
> *Sed Chriſtus coronavit, ipſiſque Imperium dedit.*

Unde Θεόστεπτοι, i. e. *à Deo coronati*, dicti ſunt, &c. Vide Car. du Freſne *Diſſertat. de Numiſm. Inſcr. ævi*, & infrà aliquid voce *Siclus*,

CHRISTI Inſtitores, Χριστέμποροι, Ignatio *Ep. ad Trallianos*, vaniloqui dicuntur ac ſeductores, qui partum Virginis calumniabantur, paſſionem negabant, nec credebant reſurrectionem: Deum porrò ignotum introducebant, *Chriſtum* ingenitum eſſe cenſebant, Spiritum S. verò nec eſſe confitebantur. Ex iiſdem etiam quidam Filium Dei merum hominem eſſe dicebant, & eundem

dem eſſe Patrem & Filium & Spiritum S. aſſerebant; omnia item creata à Deo, non per Chriſtum, ſed per aliquam quandam poteſtatem, hallucinabantur. De quibus vide Jo. Forbeſium, *Inſtructionum Hiſtorico-Theologic. l.* 1. *c.* 3. §. 1.

CHRISTI Monogramma, in nummis occurrit non rarò, quod à Conſtantino M. fluxiſſe, oſtendunt nummi ejus, in quorum uno, qui aureus eſt, inſcriptum, VICTORIA CONSTANTINI AUG. In alio verò Caſſidi adſcriptum viſitur, quò firmatur, quod Euſebius tradit, huſce characteres ἐν ὅπλοις detuliſſe Conſtantinum. Conſtat autem *Chriſti Monogramma*, literis majuſculis Græcis P. & X. invicem junctis ac implexis; quibus *compendiò totum Chriſti nomen includitur*, ut eſt apud Primaſium Africanum, *in Apocalypſ. l.* 4. *c.* 23. Unde mos idem ad Succeſſores poſteà delatus, qui aut in Labaro, aut in medio nummo ipſo id monogramma deſcripsêre. Præclarus autem ille eſt Conſtantii Junioris Cæſaris aureus, in quo ipſe, vel Conſtantius Pater, militari habitu ſtat, Labarum dextrâ tenens, in cujus ſipario deſcriptum Chriſti monogramma, victoriâ à tergo ſubſequente & coronam ejus capiti imponente, cum hoc lemmate, HOC SIGNO VICTOR ERIS. In medio verò nummo idem monogramma exhibet Conſtantii Imperatoris aureus cum A & Ω. Decentii perinde cum iiſdem characteribus & *inſcr.* SALUS DNN. AUG. ET CÆS ut & Joviani, ſed abſque inſcriptione. Præterea ectypon habetur inſignis gemmæ, in Ludovici Chaluſii *Dactyliotheca MS.* apud Car. du Freſne, in qua inſculptum hoc monogramma, cum hiſce characteribus, SALU DOMNI NOST. AUG LUC. h. e. *Salus Domini noſtri Auguſti lucet.* Cui quidem ectypo adjungenda alia nummorum Conſtantii & Decentii inſcriptio, apud Cholium, in quorum adverſa facie ſimile viſitur monogramma, SAL. DD. NN. AUGG. LUCET. Interdum porro ita effictum erat monogramma, ut P. tranſverſariò ſtipite trajiceretur. Cujuſcemodi verò monogramma Chriſti non ætate duntaxat Conſtantini M. noſci ac deſcribi cœpit, ſed & longè anteà; cùm extet gemmæ egregiæ ectypon in modo dicta Dactyliotheca, cui inſculptum monogrammon hoc, cum A. & Ω. ad latera & hiſce in circuitu characteribus, SAL DO N ALEX FIL IUCE, i. e. *Salus Domini noſtri Alexandri filii Mammææ lucet.* Quam gemmam exaratam fuiſſe ab homine Chriſtiano, qui ætate hujus Alexandri vixerit & ad Chriſtum pro Imperii ne vitæ ejus incolumitate preces fuderit, veriſimillimum eſt: niſi quòd ſcrupulum movet vox *Domini noſtri*, quæ ejus ævi non eſt. Sed & ſimile monogramma in nummo Maxentii Cæſaris obſervare eſt, apud Cholium, ubi ſcriptum, VOT V MULT XX VIC CÆ MAXE h. e. *Victoria Cæſaris Maxentii.* In altero item ejuſdem, ubi monogramma ex P. & X. implexis conficitur: quod ſane ſtupendum, ut tum à Principe, Chriſtiani nominis infenſiſſimo, fuerit uſurpatum. Tametſi notatu eandem interdum à paganis, Deorum ſuorum imaginibus adſcriptam, obſervare ſit, ut in gemma, in qua Jovis, Dianæ & Apollinis capita, ſicut in Delioruor nummis apud Goltzium, effinguntur, cum ſigno hoc Jovis imminente capiti & hiſce characteribus. VIVAS IN DEO F. i. e. *feliciter*, ſed hac de re dicemus plura infrà. Idem verò Cholius nummum alium profert, in quo Monogramma hoc quadruplex, vel quadrilaterâ formâ conſpicitur, cum hac inſcr. PAX DOM N ÆTER, i. e. *Pax Domini noſtri æterna.* In quibuſdam etiam inferioris ævi maximè nummis Crux medium nummum occupat, cum hiſce ad quatuor angulos characteribus JC XC NIKA. Quæ tamen nec propria omnino Græcis Auguſtis inſcriptio fuit, cùm & Francorum Reges in Scutis, ut vocant, aureis hanc exarari voluerint, CHRISTUS VINCIT, CHRISTUS REGNAT, CHRISTUS IMPERAT, &c. Vide Car. du Freſne, *Diſſertat. de inſcr. ævi numiſm. num.* 24 & 25.

CHRISTIANA, urbs Norvegiæ, aliàs Anſloga, poſt ejus incendium, à Chriſtiano IV. Daniæ Rege reparata & denominata. Juxta *Bedru* fluv. Vide *Anſloga.* Vulgò *Chriſtianſtadt.*

CHRISTIANI munitio, arx Jutiæ, à Chriſtiano IV. erecta. Ad maris Baltici æſtuarium, quod ſe inter Sleſvicenſem Ducatum, & Holſatiam ingerens, Chiloniam urbem petit. 2. leuc. à Chilonio, *Chriſtianpreiſſ.*

CHRISTIANI, nomen fidelibus Antiochiæ inditum, A. C. 42, Actor. *c.* 11. *v.* 26. cùm priùs *Diſcipuli* dicerentur: unctionem denotat, cujus illos Chriſtus participes reddit. Aliàs *Fratres, Sancti, Credentes, Fideles, Nazaræi*: Ab Ethnicis, nominibus, à ſuppliciorum generibus, quibus necabantur, petitis, inſigniti; vide Tertullian. *Apolog. c.* 52. quorum calumniis denigrati, decem perſecutionibus ſolennibus exerciti, & omni pœnarum genere affecti, nihilominus perſtiterunt, *Sanguiſque eorum ſemen Eccleſiæ fuit.* Idque perpetuum Chriſti regnum eſt. Vide quoque *Judæi*, it. *Pergentes* &c.

CHRISTIANI Philoſophi, Tertulliani ætate, Epiſcopi, Preſbyteri & Clerici fuêre; poſteà Monachi: de quorum ſimplicitate in veſtium & calceatu, xerophagiâ item, aliiſque huc ſpectantibus, accuratè agit Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*; de balneis ipſis, *ad Lamprid. in Commodo*, *c.* 11.

CHRISTIANI de Cinctura, Sanuto, *l.* 2. *part. c.* 8. *ſub A.* C. 1250. dicti olim ſunt, Chriſtiani in Ægypto degentes: cujus nominis rationem reddit B. Odoricus de Forojulii *in Chron. ſub A.* C. 1307. *In iſta autem Babylonia habitant multa millia Saracenorum — & multitudo Chriſtianorum, qui dicuntur Centurini ſeu de Cintura, quia cingulum portant latum & veſtimentum, per quod recognoſcuntur ab aliis,* Jacobitis ſcilicet, aliiſque Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CHRISTIANISMI Profeſſio, quò ritu olim peracta, vide infrà *Profeſſio.*

CHRISTIANISSIMUS, titulus eſt Galliæ Regum, ſicuti Catholicus Regum Hiſpaniæ, & Defenſor Fidei, Angliæ Regum. Primus autem *Chriſtianiſſimus* elogiò condecoratus eſt Ludovic. Pius, à Synodo Aquiſgrani habita, A. C. 836. quà de reſtauranda diſciplina Eccleſiaſt. leges latæ ſunt, *Clericorum regula* dictæ; juſſuſque eſt ab Imperatore Saxo quidam, vir doctus, S. Scripturam Germanicò carmine transferre, quò & idiotæ eam diſcere poſſent: quod is præſtitit. Flacius, *in Catal. teſt. Ver.* Platina, *in vit. Pap.* Maſſonius, *in Lud. Pio.* Carolus dein Calvus, à Johanne IX. Pontifice Romano ad imperium promotus, *Chriſtianiſſimus* vocatur eſt, circa A. C. 875. qui titulus tandem coronæ implexus, & hæreditarius factus eſt ſub Ludovico XI. Vide Becm. *Hiſt. Orb. terr. Geogr. & Civ. c.* 1 *de Hiſp. Reg.* Sed & Simonem Monfortium, ſicut ab Innocentio III. tropeò Centum Millium Albigenſium interfectorum, ita à Sixto V multò *Chriſtianiſſimi* donatum eſſe, refert Iſaacus Vaalke, *in Rege Plat. p.* 109. *ex deſcr. Vatic. Angeli Rocha.*

CHRISTIANITAS, titulus Honoris, Francorum Regibus potiſſimùm tributus, qui *Chriſtianiſſimi* peculiari quôdam jure ac prærogativà etiamnum dicuntur. Occurrit non ſemel in *Epiſtolà* Imperatoris Conſtantinopolit. ad Childebertum Regem. *Hiſtor. Franc. Tom.* 1. in *Epiſt.* Stephani III. ad Carolum & Carolomannum Reges, apud Baron. *A. C.* 753. *num.* 1. in *Epiſt.* Pauli Pontificis ad Pipinum Regem *Hiſtor. Franc. Tom.* 3. *p.* 734. alibique paſſim. Sed & Gregorius M. ſcribens non modò ad Brunechildem Reginam, ſed quoque ad Mauricium Imperatorem & Theodelindam Reginam Langobardorum, eòdem *Chriſtianitatis* titulò eos compellat, *l.* 5. *Ep.* 63. *l.* 7. *Ind.* 1. *Ep.* 5 *Ind.* 2. *Ep.* 42. *l.* 12. *Ep.* 7. &c. Item functio ſeu Juriſdictio, audientia Epiſcopalis ſeu Forum Eccleſiaſticum, cui Epiſcopus vel alius illius nomine præeſt, quod vulgò *Curia Chriſtianitatis* vocatur, in *Capitul.* Caroli M. *l.* 5. *c.* 114. & alibi paſſim. *Chriſtiani* etiam potiſſimùm Clerici dicti, vide *l.* 50. 125. *Cod. Theodoſ. de Decurion. l.* 2. *de Poſtlim. l.* 21. *de Piſtor.* &c. In *Decreto* Bonifacii IV. apud Holſtenium in *Collectione Rom.* abſolutionem peccatorum in Confeſſionibus vox notat: uti Officium Eccleſiaſticum, apud Hugonem Flaviniac. *p.* 260. & Baptiſmum; in *Hiſtoria* Merlini MS. apud Car. du Freſne in *Gloſſario.*

CHRISTIANOCATEGORI, i. e. Accuſatores Chriſtianorum, Beatæ Virginis & Angelorum imagines adorabant. *Joh. Damaſcen.*

CHRISTIANOPOLIS, oppid. Sueciæ permunitum, in Blekingia provinc. à Chriſtiano IV. conditum, in limite Oſtrogothiæ & ora maris Balthici, cum portu ſat tuto. Sub Suecis ab A. C. 1659. 4. leuc. Danic. à Calmaria, 3. ab ora Oelandiæ Inſul. in Occaſum.

CHRISTIANOSTADIUM, oppid. Sueciæ, in Blekingia, à Chriſtiano IV. ſtructum, ex adverſo Scaniæ, cum portu capaci, prope mare Balticum, 1. leuca ab oppid. Ahuſio in Boream. Medium ferè inter Hafniam & Chriſtianopolim.

CHRISTIANUS I. II. III. IV. V. Daniæ Reges, vide infrà *Chriſtiernus.*

CHRISTIANUS I. Elector Saxoniæ: Filius Auguſti Electoris unicus ex Anna Danica, doctrinæ purioris amantior, turbas tantopere odit, ut perſæpe optaret, *ab indoctis & opinione ſententiæ inflatis liberari.* Pulſos itaque à patre Theologos ſedibus reſtituit, Melanchthonis ſcripta revocavit, Reformatorum libros non ipſe ſolum legit, ſed & ab aliis legi ac vendi ubique permiſit: plura tentaturus, niſi quintò regiminis annò, non ſine veneni ſuſpicione, immaturâ morte fuiſſet abreptus, A. C. 1591. Ita enim tum alia conſilia, quibus ad majora videbatur aſpirare, tum eòdem annò pro Henrici IV. partibus expeditio in Galliam, cui primùm ipſe præeſſe conſtituerat, dein *Chriſtianum* Anhaltinum præfecerat, imprimis verò quæ in Religionis negotio inſtituta fuerunt, caruêre ſucceſſu. Pater fuit ex Sophia Brandeburgica *Chriſtiani II.* Johannis Georgii I. & Auguſti.

CHRISTIANUS II. prioris filius, Patri in Electoratu ſucceſſit, tutore agnatò Fridericò Wilhelmò Altenburgicò; Quem partium Ducem nacti Flacciani cùm eſſent, diſſentientes ab Ubiquitatis dogmate in carcerem rurſus compacti, Nicolaus Crellius Cancellarius, datò ei crimini, quòd *Calviniſmum in Saxoniam* introducere voluerit, capite plexus; Viſitatio per omnes Eccleſias inſtitutâ adactique cuncti ſunt in verba placitaque à Selneccero & Leyſero Theologis conſcripta; Urbanò Pieriò Profeſſore & Paſtore Wittenbergenſi, qui ſubſcribere renuebat, poſt 56. ſeptimanarum arctam cuſtodiam, vix ad interceſſionem Eliſabetæ Anglorum Reginæ dimiſſò. Nihilominus idem Adminiſtrator, tumultum Lipſiæ, ob Helvetios quoſdam apud Adolphum quendam ibi hoſpitantes, exortum, quatuor nebulonum extremò ſuppliciò coërcuit. Contulit *Chriſtiano* feudum Juliaci, Cliviæ & Montium Rodolphus Imperator A. C. 1610. Sed ſequente annò, nullà ex Hedvige Danica prole ſuſceptâ, defunctus ſucceſſionem reliquit fratri Johanni Georgio: cujus filii Johannes Georgius II. Auguſtus, *Chriſtianus*, qui Naumburgum cum Luſatia nactus eſt, & Mauritius hodieque ſuperſunt. *Latin.* Vide Thuan. *Hiſt l.* 104. & 105.

CHRISTIANUS, filius tertio-genitus Caroli Principis Palatini, Birckenfeldiæ Ducum auctoris, maturè arma ſectatus, prœliò ad Wimpenam, ex parte Marchionis Durlacenſis, fortiſſimè ſe geſſit A. C. 1622. ab inferioris Saxoniæ circulo Dux legionis equeſtris conſtitutus A. C. 1623. illam dein in Hungariam duxit, Vinarienſem ac Mansfeldium comitatus, A. C. 1626. Danica dein ſecutus auſpicia, ab illo Rege in ordinem Georgii adſcitus eſt: demum à Guſtavo Adolpho Sueciæ Rege in Germania victore, equitatus imperium & Rhenani tractus curam ſuſcepit, A. C. 1632. Exin, re Bavaricà eidem à Rege commendatà, Auguſtæ Vindelicorum ſedem fixit, Bavariâ inde excurſionibus infeſtatâ, Landsbergâ quoque captâ. Poſtmodum Heidelbergam recuperavit, & in Alſatia, ad *Pfaffenhoven* ſuperatis Lotharingis, Hagenoam cepit. Poſt varia dein in Alſatia ac Palatinatu geſta, militari ſe imperiò abdicavit A. C. 1635. & Cæſari reconciliatus Argentinam habitatum conceſſit: Epiſcopovillam poſt hæc ab eâ ſibi acceptam incoluit arcemque ſibi extruxit. Obiit Neoſtenii A. C. 1654 pietate, rei familiaris prudentiâ & dictorum conſtantiâ inclytus. E' genitis

è Magdalena Catharina Bipontina (cujus mater Rohanea multa in Gallia bona habuit) *Chriſtianum* A. C. 1637. qui legionis Suevicæ Dux, in prœlio ad Arrabonem fluv. prope Gothardi fanum fortitudinis ſpecimen inſigne edidit A. C. 1664. & Johannes Carolus A. C. 1638. ambo poſteà Galliæ Regis milites.

CHRISTIANUS, Dux Brunſuicenſis, cognomine *Senior*, filius Wilhelmi Cellenſis lineæ conditoris, fratri Ernesto ſucceſſit, A. C. 1611. Epiſcopus etiam Mindenſis: Cum Friderico Ulrico agnato, qui lineæ Guelferbytanæ prærogativam aliquam urgebat, de priori ſede controverſiam habuit. Ut Rex Daniæ inferioris Saxoniæ circuli Dux eſſe poſſet, quod munus Chriſtiani fuerat, prætextu gravioris ætatis abdicatus eſt, ſed juſſi ſunt à Cæſare Ordines imperium circuli ei reſtituere. Deceſſit ſucceſſore Auguſtô fratre.

CHRISTIANUS, cognomine *Junior*, filius ſecundò-genitus Henrici Julii Ducis Brunſuicenſis, lineæ Guelferbytanæ, Epiſcopus Halberſtadienſis, bellô Germanicô inclarunt. Poſitis apud Batavos belli tirociniis, hinc Friderico Palatino Bohemiæ Regi pulſo operam addixit, in partis ſymbolum Reginæ chirotheca, quam pileo aptatam geſtabat, aſſumtâ. Itaque collectô in Saxonia Weſtphaliaque exercitu A. C. 1621. per Haſſiam graſſatus, Amœnoburgum Moguntinæ ditionis cepit, à Comite Anholdio poſteà inde rejectus. Annô ſequente Lippiâ, Suſatô, Paderbornâ occupatis, multam prædam confecit; ſed in Palatinatum aſcenſurus, in Mœni ad Hœchſtam tranſitu, contra Fickenſteinii ei ducendo miſſi conſilium, cum Cæſareis congreſſus, gravem accepit cladem: poſt quæ à Palatino dimiſſus, cum Mansfeldio, ad Hollandos ſe conferre ſtatuit. In itinere, ad Floriacum, cum Cordubæ Duce prœliô commiſſô brachium amiſit, in poſterum, ejus vice, ferreô non incommodè uſus: Batavos eâ inde in ſolvenda obſidione Bergarum ad Zoomam ſtrenuè juvit: Sequenti annô in Germaniam reverſus Oſnabrugenſes infeſtavit, oblatam à Cæſare veniam, niſi & ſociis daretur, recuſavit: ſed paulo poſt gravi iterum ad Stattloam ſtrage affectus in Belgium denuo abiit, illic & poſt hos in Anglia novos belli apparatus facturus. Partibus A. C. 1625. Daniæ Regis cum Mansfeldio ſuſceptis, Monaſterienſi diœceſi incubuit: à Rege, fratre majore natu Friderico Ulricô exauctoratô A. C. 1626. Ducatus adminiſtrationem & regii exercitus tertiam partem curæ ſuæ commiſſam accepit. Extinctus eôdem annô, fratri liberam in ditiones redeundi facultatem reliquit.

CHRISTIANUS, Princeps Anhaltinus, filius Joachimi Erneſti, Bernburgicum ramum cœpit, militari inprimis laude celebris. Exercitum auxiliarem in Galliam adduxit A. C. 1591. Inde in Argentinenſi bello operam ſuam Brandeburgicis addixit, A. C. 1595. Ex eo in Unione ipſe unus è præcipuis & arcanorum omnium particeps, atque Vicarius generalis fuit, illiſque auſpiciis cum Mauritio Naſſovio Juliacum cepit, A. C. 1610. Ob hoc patris ſtudium à Ferdinando II. Imperatore proſcriptus A. C. 1621. ſed poſt biennium eidem reconciliatus, ſingulari in aula illius honore fuit. Moriens A. C. 1630. reliquit filios *Chriſtianum* juniorem, (qui in prælio Pragenſi captus A. C. 1620. ſed ſequenti dimiſſus, obiit A. C. 1656. relictis ex Eleonora Sophia Holſata Victore Amadeô & Carolo Urſinô) atque Fridericum, Harskerodæ Dominum.

CHRISTIANUS, Dux Saxoniæ, filius Erneſti Gothanæ lineæ conditoris. Item Marchio Brandeburgicus, filius ſecundus Joh. Georgii novam orſus eſt lineam *Culmbacenſem* ſeu *Baruthinam* dictam, nactus ex ſucceſſione Georgii Friderici agnati tractum in Franconia montanum & ad Ayſſum. Neptem ſponſam Joh. Friderici Ducis Wirtenbergici Sponſo nomine Electoris adduxit A. C. 1609. Conventui Lipſienſi ipſe quoque interfuit A. C. 1630. Obiit A. C. 1655. relictô ex filiorum majori Erdmannô Auguſtô A. C. 1651. defunctô, nepote *Chriſtianô* Erneſtô, vide *infrà*, & aliô filiô Georgiô Albertô. Item Dux Brigenſis in Sileſia, filius tertius Joh. *Chriſtiani*, de quo infrà, ex Luiſa Anhaltina genuit Georgium Wilhelmum, qui ſolus è Piaſteis ſuperſtes, A. C. 1676. obiit. Item nomen aliquot veterum Comitum Oldenburgicorum, è quibus inprimis memorandus venit pater Theodorici cognomine *Fortunati*: quô natus *Chriſtianus*, Daniæ poſteà Rex primus hujus nominis fuit, frater Gerhardi, à quo Oldenburgici continuati ſunt, &c.

CHRISTIANUS Adolphus, Dux Holſatiæ, filius Joh. *Chriſtiani*, Sonderburgicæ lineæ.

CHRISTIANUS Auguſtus, Comes Palatinus, filius Auguſti Sulzbacenſis lineæ auctoris, natus A. C. 1622. ſtudiis operam juvenis navavit. dein cum ditiones ſuas regeret in exules Religionis gratiâ munificentiſſimus extitit. Poſteà ab Helmontio ad Latinos ritus pellectus A. C. 1656. à patrueli Neoburgico Principe ex promiſſo obtinuit, ut ditiones propriô & ſummô jure teneret: Uxore brevi poſt maritum ſecutâ.

CHRISTIANUS Erneſtus, filius Erdmanni Auguſti, Chriſtianô Marchione Culmbacenſi & Baruthinô, de quo ſuprà, genitus; natus A. C. 1644. magna exercitus Confœderatorum contra Galliæ Regem Principum Germaniæ pars nuper fuit, vide *Erneſtus*.

CHRISTIANUS Wilhelmus, Marchio Brandeburg. filius Joachimi Friderici Electoris. Vide in voce *Wilhelmus*.

Georgius CHRISTIANUS, Haſſiæ Landgravius, filius tertius Friderici Homburgii rami auctoris, Hiſpanorum primò, dein Gallorum militiam ſecutus, Latinæ communioni ſe addixit, habitanſque Burſbeci, in balneo ambuſtus miſerè interiit A. C. 1643. nullâ è duplici matrimonio prole relictâ.

Johannes CHRISTIANUS, Dux Holſatiæ, filius Alexandri, Sonderburgicæ lineæ auctoris, genuit filium *Chriſtianum* Adolphum, de quo ſuprà. Item Dux Briegiæ, filius Joachimi Friderici, Capitaneus totius Sileſiæ, à Cæſare conſtitutus eſt; Reformatis adhæſit, cùm frater ejus Georgius Rudolphus Auguſtanam confeſſionem ſequeretur. Obiit Oſterodæ in Boruſſia A. C. 1639. Pater ex Dorothea Sibylla Brandeburgica Georgii, Ludovici & *Chriſtiani*. Vide ſuprà, & de his aliiſque plura apud Phil. Jac. Spenerum, *Sylloge Geneal. Hiſtor.* Bucholcerum *Indic. Chronol.* &c.

CHRISTIANUS Buchæus, Archiepiſcopus Moguntinus, Friderico Barbaroſſæ à ſecretis, plurima ſcripſit, & cum paucis, 15000. hoſtium prope Romam vicit, *Nicetas*. Obiit A. C. 1183. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. c. 53. San Marth. *Gall. Chr. t.* 1. *p.* 356.

CHRISTIANUS Druthmarus, cognomine *Grammaticus*, Monachus Corbiacenſis, circa A. C. 840. ſcripſit *commentarium in S. Matth.* & *epitomen Lucæ & Johannis*, *Trithem.* Item Patriarcha Antiochiæ, hâc urbe à Saracenis captâ, A. C. 1268. Martyr.

CHRISTIANUS Herlinus, Mathematicus Argentinus plurimos veter. auctorum emendavit.

CHRISTIANUS Maſſæus, Flander, auctor *Chronici, à M. condito, uſque ad A. C.* 1540. *quadruplicisque Calendarii, Ægyptii, Hebræi, Macedonici & Romani.* Obiit an. ætat. 77. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 41. §. 4 *p.* 250.

CHRISTIANUS Molitor, Clagefurtenſis, *Aſtrologica quædam & Prognoſtica* ſcripſit. Geſner. *Bibl. t.* 1. Obiit A. C. 1495.

CHRISTIANUS de Troyes, ſeu Trecenſis, vetus Poëta Gallus.

CHRISTIANUS Urſtiſius, Mathematicus Baſileenſis ſcriptis editis tum Hiſtoricis; Patriæ enim Hiſtoriam laudatiſſimam ſcripſit, tum Mathematicis inſignis. Obiit A. C. 1586.

CHRISTICOLÆ, Chriſtiani olim à Gentilibus, velut per convitium appellati, vide infrà *Crucicolæ*.

Daniæ Reges.

CHRISTIERNUS I. Daniæ Rex poſt Chriſtoph. Bavarum. A. C. 1448. prudentiâ, & humilitate inclytus. Obiit A. C. 1481. Crantz. *Hiſtor. Dan. l.* 8.

CHRISTIERNUS II. cognomine *Crudelis*, poſt Johannem patrem, Rex A. C. 1513. Grœnlandiam à prædeceſſoribus amiſſam, fruſtra repetiit. Sueciæ regno inhians, obſidionem Stockholmiæ ſolvere coactus eſt, A. C. 1518. Interim Stenone Rege mortuô, ei ſucceſſit. Sed ſævus in præcipuos Procerum, cruento convivio adhibitus, in Daniam repulſus eſt: cùm ſævire pergeret, etiam hâc excidit, Friderico Holſatiæ Duce patruô ſurrogatô, A. C. 1523. ſeque in Belgium, cum uxore Eliſabetha, ad hujus fratrem Carolum V. recepit. Decennio pòſt, Hollandorum ope, regnum recuperaturus, captus, in vinculis an. 27. conſenuit, obiitque A. C. 1559. ætat. 78. Joh. Magnus, *Hiſt. Suec. l.* 24. Chytræus Saxon. *l.* 9. *&* 10 *&c.*

CHRISTIERNUS III. Friderici I. Patris ſucceſſor A. C. 1537. Epiſcopos pepulit, Lutheranæ religionis eximius cultor, moderatione & clementiâ illuſtris. Obiit A. C. 1559. ante captivum ſuum Chriſtiernum II. cum quo, poſt prolixum colloquium, reconciliatus dicitur, ætat. 56. Friderico II. filiô, ſucceſſore relictô. Chytræus Saxon. *l.* 14. 15. *&c.*

CHRISTIERNUS IV. Friderico II. patri ſucceſſit, A. C. 1588. ætat. 12. coronatus A. C. 1596 Suecis bellum intulit, A. C. 1610. caput fœderis, à Proteſtantibus, contra Cæſarem electus, A. C. 1625. pacem fecit, A. C. 1629. Denuo bello contra Suecos implicitus, A. C. 1646. Obiit A. C. 1648. ætat. 71. regni 60. Fortitudine inclytus. Ei ſucceſſurus Chriſtiernus V. fil. ante Patrem, in thermis quibuſdam Saxoniæ fatô functus eſt, ſecundogenitum Friderico III. lampade tradita: cujus filius

CHRISTIERNUS V. vel VI. natus A. C. 1646. vivô Patre alienas oras luſtravit. Poſt mortem ejus, (quæ contigit A. C. 1670.) quæ in aula vel regno emendatione egere videbantur, ordinare curæ habuit. A. C. 1671. menſe Octobri novum Ordinem erexit. Inde, occaſione Gallici in Batavos belli, his, Imperatori item ac reliquis Fœderatis acceſſit, & cum Sueciæ Rege bellum acre geſſit. Hôc quoque, quô Europa etiamnum quatitur, bellô Guilielmum III. M. Britanniæ Regem contra hoſtes milite juvit. Ex Carola Haſſiaca, Friderici A. C. 1671. nati, egregiæque porrò ſobolis Pater.

CHRISTIFERUS, in *Charta* Beremundi Regis apud Antonium Yepezium in *Chron.* Ordinis S. Benedicti *Tom.* 6. *p.* 17. Vexillifer dictus eſt, quòd in Regio vexillo *Chriſtus* effictus eſſet.

Fœminæ Illuſtres.

CHRISTINA Francica, filia Henrici IV. ex Maria Medicea nupſit Victori Amedeo, Sabaudiæ Duci A. C. 1619. quô viduata A. C. 1637. ditiones, minorenni adhuc filiô *Carolô Emanuele* II. temporibus difficillimis adminiſtravit; in Pedemontanarum vallium incolas, purioris religionis conſtantiſſimos cultores, ſevera. Obiit A. C. 1663. ætat. 57.

CHRISTINA, filia Chriſtierni II. Daniæ Regis nupta, primò Franciſco Sfortiæ Duci Mediolanenſi, dein Franciſco Duci Lotharingiæ; mortuo marito Ducatus adminiſtratione mota eſt à Galliæ Rege, filiô in Galliam miſſô; Unde in Belgium conceſſit, pacis Cameracenſis mediatrix. A. C. 1558.

CHRISTINA, Sueciæ Regina, filia Guſtavi Adolphi, A. C. 1626. nata. Patri mortuo ſucceſſit, ſed A. C. 1654. regnô ceſſit, nomine communioni Romanæ datô, *Alexandra* dicta, ab Alexandro VII. Literas & Literatos amâſſe dicitur.

CHRISTINA, virgo Italica, à patre Ethnico primùm carceri incluſa, poſteà tortoribus tradita eſt, qui eam nefandis cruciatibus vexârunt, cumque nec igne cremari, nec in aqua ſuffocari poſſet, tandem jaculis confoſſa eſt, regnante Julianô.

CHRISTINA Munkia, ſuſcepit ex Chriſtiano IV. Daniæ Rege (qui illâ poſtmodum repudiatâ, famulam ejus *Wibeke* aſcivit) præter 6. filias, ex quibus præcipui generi Hannibal Seſtet & Cornificius Ulefeld, facinoroſis & multiplici proditione infamatus, Woldemarum Comitem genuit, qui in Moſcoviam ducendæ M. Ducis

Dacia filiæ profectus, multos ſumtus fecit, demum in Polonia Sueciæ nuſtrans obiit. Phil. Jac. Spenerus, *Geneal. Hiſtor. Sylloge in Fam. Oldenburgo-Danica.*

CHRISTINA Piſana, erudita, Carolo VI. Galliæ Regi dedicavit *Viam magni ſtudii*, opus ſuum: ſcripſit quoque *Theſaurum civitatis mulierum.* Verdier *Biblioth. p.* 165. Item, Ducilla Florentina, &c.

CHRISTINA, oppid. novum Americæ Septentrionalis à Suecis recèns extructum, in honorem Chriſtinæ Reginæ in Nova Suecia, ad oſtia fluvii Auſtrioi cum portu ſat capaci. Poſteà Suecis ereptum eſt à Batavis, hiſque iterum ab Anglis, quibus etiamnum cum toto tractu paret.

CHRISTMANNUS Jacobus, vide *Jacobus.*

CHRISTO Laudes, vetus acclamandi formula, vide ſuprà.

CHRISTO regnante, & Regem expectante, formula adſcripta quibuſdam Galliæ Regum Diplomatibus, poſt mortem Caroli Simplicis, de qua vide Steph. Baluzium, in *Appendice ad Capitularia Regum Francor. num.* 138.

CHRISTOBURGUM, oppid. amplum Pruſſiæ regiæ in colle, ad Sirgunium amnem, prope Drauſium lacum, 3. leuc. Germanic. à Marienburgo, 4. ab Elbinga in Auſtrum.

CHRISTODORUS, è Copto Ægypti urbe Poëta Anaſtaſii Cæſaris tempore, ſcripſit *Iſaurica*, *libris ſex.* Alia ejuſdem refert *Suidas*, quem vide.

CHRISTOGENON, Græcè τ̀ Χριστογενῶν, vocatur apud Græcos unum ex quatuor illorum anniverſariis Jejuniis, & quidem ordine quartum, quod diebus quadraginta ante Nativitatis Dominicæ feſtum initium ſumens, uſque ad hanc diem ſe extendit. In eo piſcibus uti licet, Mercurii ac Veneris diebus exceptis; adeoque minùs id rigidum eſt, quam primum, quod vocant τὴν μεγάλην τεσσαρακοστήν, & tertium, τ̀ ἁγίας Παρθένου, in quibus etiam piſcium eſus illis interdictum. Vide Jac. Sponium, *Itinerar. Græciæ, Part.* 2. *p.* 353.

CHRISTOLYTI, errones, Jeſum Chriſtum ad Inferos deſcendiſſe, ibique corpore cum anima relictô, cum ſolâ divinitate inde in cœlum aſcendiſſe delirârunt. Johann. Damaſcenus, *Hær.* Gautierus, *Chron. Secul. ſexti.*

CHRISTOMACHI, Græcè Χριστομάχοι, quaſi *Chriſti hoſtes*, dicti ſunt omnes illi Hæretici, qui I. vel *Deitatem* ejus, vel *Perſonalitatem*, vel *Conſubſtantialitatem* tandem cum Patre & Spiritu S. ivêre impugnatum. Et quidem, *Chriſtum eſſe Deum* negârunt, rebelles ac Θεομάχοι Judæos ſequuti Ebionitæ & Cerinthiani, primò nondum finitô ſeculô, ab ipſo Joanne Apoſtolo refutati. Quam hæreſin ſecundô ſeculô renovavit Theodotus quidam Coriarius, à Victore I. Epiſcopo Romano propterea excommunicatus. Eum in eodem furore excepit Artemon, ſub initium ſeculi tertii: quô vergente, interlapſis annis plus minùs ſexaginta, Paulus Samoſatenus eandem hæreſin amplexus eſt, ab Antiocheno Concilio damnatus A. C. 272. Photinus dein ſeculô 4. cujus prorſus damnationem & exauctorationem factam, à Syrmienſi Synodo, leges apud Socratem, *Hiſtor. Eccl. l.* 2. *c.* 29. & 30. &c. Alii Chriſtum faſſi Deum, ejus *Perſonalitatem* ivêre inficias, per Patrem, Filium & Spiritum S. non tres perſonas, ſed unam duntaxat perſonam trinominem intelligentes, adeoque novô nomine Υἱοπάτορα nuncupantes: hinc *Patripaſſiani* appellati, quam hæreſin introduxit Praxeas, à Tertulliano refutatus, circa A. C. 210. corroborare eorum ſunt, Victorinus & Hermogenes, circa idem ferè tempus; propagavêre, Noëtus, & Sabellius, ſeculô 3. refutati ab Athanaſio *Orat. πρὸς τοὺς Σαβελλίζοντας.* Sed & fuêre, qui, utrumque agnoſcentes, *Filium tamen Deum minorem eſſe Patre, etiam quoad eſſentiam*, aſſeruêre: quam hæreſin introduxit Arius, à Concilio Nicæno anathemate percuſſus. A quo tempore Ariani in diverſas ſententias & factiones abiêre, Acacianos, Aetianos, Eunomianos, &c. qui tamen in eo conſenſêre omnes, Filium ἐξ οὐκ ὄντων, *ex non entibus*, factum, & κατὰ πάντα ἀνόμοιον τῷ Πατρί, *ſecundum omnia diſſimilem eſſe Patri*, inde *Exucontii* & *Anomœi* appellati. Quibus cùm poſtmodum ſucceſſiſſent, qui, *munera imperatoris cum iis partientes*, hæreticæ Arianæ partem de Filio Dei rejecerent quidem, ſed alteram de Spiritu S. (cujus Deitatem non minùs Ariani lædebant) mordicus retinerent, Ariani per excellentiam Χριστομάχοι, ſicut reliqui Πνευματομάχοι, dici cœperunt, vide Athanaſium *de Decretis Synodi Nicænæ contra Hær. Arianam.* II. Qui orthodoxam *de Verbi Incarnatione* doctrinam impetivêre, qui iterum in IV. Claſſes commodè poſſunt digeri, Namque primò fuêre, qui *naturam & veritatem Humanitatis Chriſti* in dubium vocârunt, iterum variè ſubdiviſi. Saturninus enim & Baſilides, Marcus item, Colorbaſus, Cerdon, Marcion, Manichæi, *Carnem Chriſti non veram eſſe, ſed putativam ac phantaſticam*, delirârunt: Apelles, *ſideream & aeream carnem* Chriſto attribuit: Valentiniani, Gnoſtici, Ptolemæus, Secundus, Heracleon & Ophitæ, Chriſtum *in ſubſtantia carnis noſtræ non fuiſſe*, ſed ſpiritale neſcio quod corpus de Cœlo deferentem, per Mariam Virginem, quaſi aquam per canalem, tranſmeâſſe, dixerunt. Nonnulli *Carnem Chriſti animalem & animam ejus carneam* eſſe, ſomniârunt, quorum abſurdiſſimam ſententiam refellit Tertullianus *de Carne Chriſti, l.* 1. *c.* 10. Apollinariſtæ porro, carnem quidem confeſſerunt, ſed *in Chriſti carne animam eſſe intelligentem*, negârunt, ob hanc diſcerptionem Naturæ humanæ Διμοιρῖται, Joanni Damaſceno dicti: quæ hæreſis damnata eſt in Concil. Conſtantinopolitanô II. Tandem Servetus, à Manichæis & Priſcillianiſtis hoc mutuatus, quòd *Animam* dixit, *ex Deo*, ſeu *ex Dei ſubſtantia* eſſe natam, de ſuo addidit, etiam *ipſam Chriſti carnem ex Deitate ipſa & ex tribus elementis increatis, factam eſſe*: refutatus à Calvino. Atque hi quidem circa veritatem Naturæ Chriſti impegerunt. Secundum genus eorum eſt, qui Humanæ Chriſti naturæ veritatem agnoſcentes, *circa originem ejus* hallucinati ſunt. Qualis Carpocratio, qui Chriſtum non ex Virgine natum, ſed ex ſemine Joſephi hominem tantùm genitum, Cerinthum & Ebionem ſequutus: Origeniſtæ item, qui animam Chriſti, ante incarnationem, in cœlis commoratam, poſtmodum corpori ejus immerſam fuiſſe, delirârunt. Tertiò fuêre, qui circa priora cum Orthodoxis facientes, *de Perſona Chriſti* perperam ſenſerunt. Et quidem *Perſonam Divinam Chriſto competere*, negavit Theodotus Byzantius, alter item Theodotus, Melchiſedecianorum auctor, *Paulus* inſuper Samoſatenus & Photinus. Eam vero Chriſto conceſſit Neſtorius, ſed ab ea humanitatem ſeparans, *pro una Perſona Mediatoris Θεανθρώπου duas perſonas* commentus eſt, Conciliô Oecumenicô III. damnatus. Poſt quem manſêre non paucæ ſectæ illius reliquiæ, Conciliô Oecumenicô V. condemnatæ: qui *Hæretici*, vel *Schiſmatici ſaltem trium Capitulorum* dicti ſunt. Nec defuêre Adoptioniani, Eliſpandus & Felix, impiè aſſerentes, *Chriſtum ſecundum carnem eſſe Dei Patris Filium adoptivum*, quæ hæreſis damnata eſt, in Concilio Francofurtano, A. C. 794. Quartum genus Hæreticorum, circa Incarnationem Chriſti errantium, in quinque præcipuè ſpecies iterum diſpeſci poteſt. Eutychiani enim & Dioſcoritæ, *unam tantum in Chriſto Naturam, poſt Incarnationem etiam, eſſe*, contendunt, damnati Conciliô Chalcedonenſi A. C. 451. Acephali dein, partim reſumtô Eutychetis errore, partim mutuatâ à Neſtorio quadam miſcellâ errorum fecerunt, Conciliô Conſtantinopolitanô A. C. 536. rejecti. Aphthartodocitæ, *circa carnis Chriſti infirmitates* impegerunt. In quarta ſpecie, Agnoëtæ ſuerunt, *Intellectum Humanæ Naturæ* inficiati. In quinta Monothelitæ, qui, duas Naturas apertè negare non auſi, *unicam in Chriſto voluntatem* agnovêre, damnati Conciliô Lateranenſi A. C. 649. Romanô 680. & Oecumenicô VI. Conſtantinopolitanô, A. C. 681. His adjunge Anabaptiſtas, Socinianos, &c. de quibus omnibus, aliiſque hîc non memoratis, qui tamen ad unam alteramve ſectarum præfatarum referri poſſunt, vide Joann. Fechtium in *Inſtruction. Hiſtorico-Theologic. paſſim*, imprimis *l.* 1. *c.* 3. & *l.* 2. *c.* 1. 2. 3. *& ſeqq.* ut & hîc ſuô quemque locô.

CHRISTOPHORI Inſul. una ex Antillis, ob amœnitatem, à Chriſtoph. Columbo, dicta, in 4 partes dividitur. Commerciô ſacchari, tabaci, piperis, &c. inſignis. Rochefort. *Hiſt. Antill. Amer. part.* 1. *c.* 4.

CHRISTOPHORIA, Feſtum in Ambroſiana Eccleſia, ad diem 7. Januarii, in memoriam Chriſti ex Ægypto reverſi celebrari ſolitum, apud Car. Macrum in *Hierolex.*

Imperatores, Reges, Pontifices, Viri Principes, &c.

CHRISTOPHORUS, fil. Romani, qui juventute & ſimplicitate Conſtantini VIII. generi ſui, abuſus, Imperium gubernabat, Auguſtum ſe fecit, A. C. 920. Obiit A. C. 954. *Curopalat.* Item, filius Conſtantini Copronymi, à Patre Cæſar declaratus, A. C. 769. poſtmodum linguâ privatus, A. C. 792. Theophanes *miſcell.*

CHRISTOPHORUS I. Daniæ Rex poſt fratres Abelem & Ericum VII. A. C. 1252. perſecutor Clericorum, in bello contra Holſatiæ Comites captus, obiit A. C. 1268. Crantz. *Hiſt. Dan. l.* 7. Pontanus, *l.* 7.

CHRISTOPHORUS II. Erico IX. fratri ſucceſſit, Rugiam Inſulam regno adjecit, Roſtochiô Ducibus Megapolitanis feudi nomine conceſſô. A Comitibus Holſatiæ pulſus bis reſtitutus eſt. Obiit A. C. 1333. regni 13. *Iidem.*

CHRISTOPHORUS III. Comes Palatinus, Dux Bavariæ, nepos ex ſorore Erici X. hôc ſponte cedente, Sueciæ quoque Norvegiæque Rex electus eſt, A. C. 1439. clementiâ inclytus, ſed ſuis minus acceptus, quòd Germanos præ indigenis promoveret. Maritus Dorotheæ Brandeburgicæ, deceſſit improlis, A. C. 1448. Crantz. *Hiſt. Dan l.* 8. *c.* 22. *& ſeqq. Hiſt. Suec. l.* 3. *c.* 38. Joh. Magnus, *l.* 22. *c.* 17. Pontan. *Hiſt. Dan. &c.*

CHRISTOPHORUS, pulsô à ſe Leone V. 118. Rom. Pontif. menſibus 7. à Sergio ſede Pontificiâ dejicitur, & in carcerem detruditur, inde in monachum detondetur, & monaſterio includitur, A. C. 908. Sergiô in ejus locum intruſô. *Volaterr. Sigeb. Genebr. Ciacconius, S. Antonin.*

CHRISTOPHORUS, in Lycia Evangelium de Chriſto propagâſſe, & capite truncatum eſſe, ſub Diocletiano Imperatore ſcribitur.

CHRISTOPHORUS, puerum Chriſtum per mare geſtans, pictura eſt hominis Chriſtiani, & præcipuè Doctoris Evangelii, eleganter his verſibus expreſſa:

Tu quis es? Ingentem Chriſtum profitentis imago,
Cui nomen puer hic, quem fero, dulce dedit.
Quis puer hic? Chriſtus. Quæ moles tanta Gigantis,
Exigui pueri quem leve portet onus?
Omnibus in ſpeciem parvus puer iſte videtur,
Quo tamen eſt totô majus in orbe nihil.
Hinc opus eſt animis ut ſint & corpore fortes,
Qui Chriſtum populis ferre per ora volunt.
Cur tamen ingrediens tumidi per marmora Ponti
Arboreâ infeſtas mole repello aquas?
Per mare, quod calco, perverſum intellige mundum,
Ille animis præbet ſæva pericla piis.
Arbore nil aliud niſi ſanctum intellige verbum,
Rebus in adverſis quod pia corda regit.
Hîc etenim inſtructi imus per ſaxa, per ignes,
Qui Chriſti meritum grande docemus opus.
Dic tamen hoc, unum, quid pendens manica tergo,
Quid ſibi cum liquido piſce, placenta velit?
Certa piis nunquam deſunt alimenta Miniſtris,
Quique Deo fidunt, ſervat, aluque Deus.
Porro quid inſigni canâ procul ille feneſtrâ
Rectorem accenſâ qui face monſtrat iter?

Fer

Fax promiſſa refert veniura Oracula Chriſti,
Significat vates qui cecinere, ſenex.
Huc ades ô hoſpes, tuque ô puer optime Chriſte
Mecum habita, tecum vivere ſola ſalus.

Principes Viri.

CHRISTOPHORUS, fil. Henrici cognomine *Senioris*, ſeu *Mali*, Ducis Brunſuicenſis & Guelferbytanæ primæ lineæ conditoris, ex Catharina Pomerana, Archiepiſcopus Bremenſis. Hic à Joh. Rhodio aſſumtus pridem Coadjutor, ut ſe adverſus Magnum Saxoniæ inferioris Ducem defenderet melius, dein A. C. 1557. cùm à ſubditis æri alieno, quod vitâ ſolutiùs actâ & bellis contra Albertum Brandeburgicum geſtis contraxerat, exſolvendo, tributa exigeret, & Urſatici pagi in Friſia incolas ea pendere detrectantes caſtigâſſet; ab Erico patruele vi repreſſus atque in conſilio conventus Saxonici accuſatus, ab amittendo Archiepiſcopatu parum abfuit; Retinuit tamen eum ad mortem uſque, poſtquam deprecatione Ordines placâſſet. Obiit A. C. 1557.

CHRISTOPHORUS, Dux Wirtenbergicus, filius è Sabina Bavarica Ulrici lineæ Ducalis primæ auctoris, cùm ſorore Anna quadrimus à fœderis Suevici ſociis, in arce Tubingenſi, obſeſſus, dein ab avunculo Guilielmo Bavariæ Duce educatus, tum A. C. 1522. Oenipontem amandatus eſt, ut cum liberis cujuſdam Medici literis imbueretur. Inde in aula Caroli V. adolevit, ſed eò in Italiam redeunte è Cæſaris comitatu divertens, in vicinam Bavariam ope fideliſſimi ſui Præceptoris Tiferni elapſus eſt: Solus enim cùm eſſet familiæ hæres, aliquid gravius timebat. In aulam Gallicam ſe contulit A. C. 1532. illiſque auſpiciis, cùm vix ætatis annum 22. ageret 33. vexilla duxit, in bello Subalpino & Alexandriam obſidione cinxit; Regi Regiſque filiis gratiſſimus, unde ab aliis invidia & in Caſtro Heraldi periculum, ubi fortiter contra aggreſſores ſe tutus eſt. Demum, cùm in regno ſæpe ob religionem videret aliquos ſuppliciis affici & ipſe jam dum A. C. 1538. negatò Niceæ Pontifici pedum oſculò ſe feciſſet ſuſpectum, rei pertæſus in Germaniam rediit, in Turcicam expeditionem A. C. 1542. iturus, ni à patre prohibitus fuiſſet. Hôc itaque volente, uxorem Annam Mariam Brandeburgicam duxit & exiguô contentus vixit Mompelicardi. Inde Smalcaldico in bello ſecuritatis causâ Baſileam conceſſit: Interimiſticam autem formulam conſtanter recuſavit. Patris A. C. 1550. ſucceſſor, tria adhuc in Ducatu præſidia Hiſpanica ejecit, miſſiſque ad Tridentinum Concilium Legatis, Confeſſionem offerri curavit: Non tamen fœderi adverſus Cæſarem participare volens, unicâ tantùm conductâ legione ſua præſidia firmavit; unde eô Mediatore Cæſar uſus eſt A. C. 1552. Dein cum Præpoſito Elvangenſi controverſiam habuit. Inde jus Provinciale primus evulgavit A. C. 1553. deſtinatus ab Imperio Legatus ad Regem Franciæ A. C. 1559. cum Cardinale Auguſtano, qui impensè eum amavit: Galliæ regni adminiſtrationem à Catharina Regina ſibi oblatam recuſavit, apud Regem pro afflictis ob Religionem deprecatus. Cæterùm de Ducatu ſuo optimè meritus, eum ex pluribus partibus, in unam Reipubl. formam redegit: Arces decem extruxit & perfecit, alias reſtauravit: Subditorum nulli ſine ſua venia militarem operam ulli addicere, exceptô bellô Turcicô, permiſit; Tubingenſem Academiam auxit & leges diſciplinæ adſtrictas eſſe voluit: Illuſtri quinque ſtipendio, in quo antea 70. alebantur, alios alumnos 90. adjecit, ſcholis paſſim per ditionem erectis. Obiit Stutgardiæ A. C. 1568. linguis & literis probè excultus, & literatorum fautor eximius, inſuper pietate celebris, & licèt olim miles, pacis amantiſſimus, quam in Circuli, cujus Dux erat, negotiis, ſemper cordi habuit. Vide Thuanum, *l.* 11. 34. 65. &c. Pater fuit, præter 8. filias ſplendidiſſimis matrimoniis elocatas, Eberhardi, ſe vivô defuncti, & Ludovici cognomine *Pii*, qui extinctus A. C. 1593. lineam terminavit, ſcriptô hærede agnatô proximô Friderico.

CHRISTOPHORUS, Marchio Badenſis, fil. Caroli A. C. 1475. demortui, Patri ſucceſſit Hochbergenſemque Suſenburgiam & Rœtelanam ditionem nactus, unus in hac familia illas omnes rexit: Moriens enim agnatus Philippus, ex Hochbergiis ultimus, A. C. 1503. eum hæredem ſcripſerat. Cùm occaſionem ſubminiſtrare videretur bellum Bavaricum, A. C 1504. quæ pater à Palatinis victus amiſerat, has proſcriptis, recuperandi, ſolus ex vicinis ob amicitiam quievit; quin & eos cum Imperatore reconciliare ſtuduit. Deceſſit A. C. 1527. ex Otilia Catimelibocenſi, præter filias & filios aliquos immaturâ morte raptos, Pater Jacobi Archiepiſcopi Trevirenſis, Bernhardi, Philippi Carolo V. grati, Caroli & Chriſtophori Canonicorum, Rudolfi ac Erneſti: è quibus Bernhardus Badenſem ramum, Erneſtus verò Durlacenſem, condiderunt. Hujus inter poſteros quoque *Chriſtophorus* fuit, filius tertius Georgii Friderici, extinctis A. C. 1638. in exercitu Sueciæ Regis ad Ingolſtadium, capite, quod pila tormentaria rapuit, truncatus A. C. 1632.

CHRISTOPHORUS, filius tertio-genitus Alberti Ducis Megapolitani A. C. 1547. defuncti, ex Anna Brandeburgica, datus A. C. 1552. à Fœderatis Principibus Regi Galliæ obſes, dein Razenburgiam diœceſin obtinuit, & 38. annis, ſumeſt in arce Schonbergia ſede, ac Euangelicâ Religione introductâ, adminiſtravit: Inde multorum commendatione ab Archiepiſcopo Rigenſi Coadjutor ſumtus eſt, cùmque cum illo à Wilhelmo Furſtenbergio Magno Magiſtro Ordinis Livonici captus, atque Treidenæ aſſervatus fuiſſet, ope Regis Poloniæ & Pruſſiæ Ducis libertatem recuperavit A. C. 1557. Poſteà, cùm A. C. 1560. ad inteſtinum bellum, ob Magni Holſatii inſolentiam, Livonia ſpectaret, ſuâ auctoritate motus compreſſit. Cùm verò fruſtra auxilio adverſus Moſcos, contra quos cum M. Magiſtro aliquot expeditiones non infelices ſuſceperat, Livoniæ obtinendo, in Germaniam ſuſceptô itinere, Imperium ſollicitâſſet eòque non impetratô reliqua ad Poloniæ reſpicerent Regem, cum Sueciæ Rege Erico A. C. 1562. tranſegit, ut ejus ope Archiepiſcopatum tenere poſſet, quem etiam, ubi ſub tedium ejus Archiepiſcopus mortuus erat, occupavit. Sed brevi pòſt in venatione à Gothardo Duce Curlandiæ & Erneſto Wejero, nomine Regis Poloniæ captus & dejectus, ac totâ diœceſi Polonico regno addictâ, captivus Ravæ integrô quinquenniô detentus ac durius habitus eſt. Dimiſſus tandem per reliquam ætatem domi Chymiæ & Muſicæ ſtudiô otium fefellit, ſubitâ morte A. C. 1592. extinctus, ex Dorothea Danica & Eliſabetha Suecica nullâ prole ſuſceptâ. Ei ob peritiam militarem annuam penſionem Maximilianus II. & Rudolfus II. Imperatores, ut requiſitus eis præſtò eſſet, numerâſſe leguntur. Vide Thuanum, *l.* 9. 22. 26. & 32.

CHRISTOPHORUS, Princeps Palatinus, ex filiis Friderici III. Electoris, Belgis Hiſpanorum tyrannide oppreſſis, auxilio à Patre miſſus A. C 1574. prœliô ad Mœcum cecidit. Item Comes Oldenburgicus, filius Johannis, Canonicus Colonienſis ac Bremenſis, miles pariter egregius ac ſtudiorum fautor, poſt mortem Friderici I. Daniæ Regis captivi Chriſtierni II. partes tuendas ſuſcepit, & Lubecenſium ſeditioſorum ope omnia turbavit, Scaniâ, Seelandiâ & Fioniâ, in verba Chriſtierni adactis. Cùm copiæ ejus in Fionia deletæ eſſent, Hafniæ integri anni obſidionem tulit, donec A. C. 1535. deditionem facere & veniam à Rege petere eſt coactus. In bello Smalcaldico Proteſtantibus, Cæſari verò in Metenſi obſidione militavit; inde Alberti Brandeburgici ſequutus partes, Siverſhuſano quoque prœlio interfuit. Vide Phil. Jac. Speuerum, *Syll. Geneal. Hiſtor. paſſim.*

CHRISTOPHORUS Bathorius, Princeps Tranſylvaniæ, poſt fratrem Stephanum, Poloniæ Regem, pulſis Arianis, obiit. A. C. 1581. Vide *Bathorius.*

CHRISOPHORUS Ludovicus, fil. Ludovici Comitis Wertheimii, ex familia Leonſteinia. Virnenburgicam aliàs Euangelicam lineam condidit, fratre ejus Joh. Theodoricô Rupifortiæ vel Catholicæ auctore. Comitatum Virnenburgium præ reliquis communium nactus eſt, ab uxore Eliſabetha, filia Joachimi Comitis Manderſcheidii & Virnenburgii, ductâ A. C. 1592. De illo tamen Comitatu in jure controvertere neceſſe habuit; Obiit A. C. 1618. Pater Friderici Ludovici ſucceſſoris, Erneſti & Joh. Hermanni. Idem.

CHRISTOPHORUS de Bondelmontibus, Florentinus, ſcripſit de Inſulis Archipelagi; Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 9. *de Scient. Mathem. c,* 70. §. 8.

CHRISTOPHORUS Clavius, Bambergenſis, Jeſuita, inſignis Mathematicus, ſcriptis editis celeberrimus, à Gregorio XIII. Calendario reformando adhibitus. A C. 1581.

CHRISTOPHORUS Columbus, Genuenſis, edoctus à nauta quodam, ut & ipſo Mundi ſitu, Antipodes dari, ægrè, à plurimis Principibus eluſus, tres impetravit naves, à Ferdinando & Iſabella, Arragoniæ & Caſteliæ Regibus, cum quibus, A. C. 1492. portu *Palos* ſolvens, Inſulas detexit, Matriô ſequentis anni cum immenſis opibus ex India, quæ poſtmodum *America*, ab Americo Veſputio, dicta eſt, reverſus. Hinc Thalaſſiarchus maris Indici, quater eò vela dedit. Poſtmodum in invidiam apud Principes ſuos ab æmulis adductus, rediit in eorum gratiam, obiitque A. C. 1506. Hiſpali ſepultus. Joh. Barros, Oviedus, Marmol. *l.* 9. *c.* 29. Vide *Cogaretum, Colonus, Columbus,* &c.

CHRISTOPHORUS Dibaudius, tractatus Arithmetici auctor.

CHRISTOPHORUS Garaton, Secretarius Eugenii IV. Conſtantinopolim miſſus, ad unionem Eccleſiarum promovendam, A. C. 1435.

CHRISTOPHORUS Harlæus, Præſes Parlamenti Pariſini, vir illuſtris. Obiit A. C. 1572. San-Marthan. *elog. l.* 2.

CHRISTOPHORUS Helvicus, auctor *Chronologiæ*, quam Schuppius continuavit.

CHRISTOPHORUS Juſtellus, vide infrà *Juſtellus.*

CHRISTOPHORUS Longolius, Flander, an Hollandus? fil. Antonii, Epiſcopi & Eleemoſynarii Ludov. XII. à Leone X. magni æſtimatus, Latinæ linguæ elegantiâ clarus. Obiit A. C. 1522. ætat. 34. San-Marth. *elog. l.* 1.

CHRISTOPHORUS Longomontanus, diſcipulus Tychonis Brahei, ſcripſit *Aſtrologiam Danicam.*

CHRISTOPHORUS Perſona, in Oriente Græcam Linguam addidicit, *Agathiæ* & *Procopii* interpres. Peſte obiit Romæ, A. C. 1486 Geſner. *Biblioth.*

CHRISTOPHORUS Rhotamanus, inſignis Mathematicus.

CHRISTOPHORUS Richerus, de origine Turcarum, ſcripſit, uſque ad A C. 1540.

CHRISTOPHORUS Schaplerus, Anabaptiſta, ruſticæ ſeditionis fuſſio. A. C. 1525. Gautier, *ſeculô* 16.

CHRISTOPHORUS Thuanus, Præſes Parlamenti, Pariſienſem Lanienam his verſibus deflevit:

Excidat illa dies ævô, nec poſtera credant
Secula; nos certè taceamus, & obruta multâ
Nocte tegi propria patiamur crimina gentis.

Jac. Auguſti Thuani filii Hiſtoriam vide. Ipſe Hiſtoriam Galliæ exorſus eſt, obiit A. C. 1582. Pater 24. liberorum. San-Marthan. *elog. l.* 3.

CHRISTOPOLIS, urbs Macedoniæ in Thraciæ confinio, Epiſcopalis olim ſub Archiepiſcopo Philippenſi, nunc Metropolis eadem putatur cum Amphipoli.

CHRISTOS, nomen fontis, cujus aquæ miraculoſam virtutem tribuunt Græci, (qui iſtiuſmodi aquas, non minus, ac aquas benedictas, *ἁγίασμα* vocant) in vico *Siky* ad Cianum Sinum. Jac. Sponius, *Itinerar. Orient. Part.* 1 p. 275

CHRISTUS, Jeſu mundi Redemptoris cognomentum. Ab Hebræo

Hebræo vel Syriaco משיח ſic dictus, *Joh. c. 1. v. 41.* Εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, ὁ Χριστός. Ubi Nonnus,

> *Εὕρομεν Μεσσίαν τοῦτον ἐτήτυμον, ὃς θεὸς ἀνὴρ*
> *Χριστὸς Ἰουδαίοισιν ἀκούεται Ἑλλάδι φωνῇ.*

Latini verò à Judæorum ritibus, ac doctrina Chriſti alieni, nomen hoc non rectè intellexêre. Dominumque noſtrum ac Servatorem *Chreſtum*, ù Græco Χρηστὸς vocaverunt. Sueton. *in Claudio, c. 25. Judæos, impulſore Chreſto, aſſiduè tumultuantes Româ expulit.* Inde etiam *Chreſtianos* vocabant eos, qui Chriſto nomen ſuum dedêre. Tertull. *adv. Gent. Sed & cùm perperam Chreſtianus pronunciatur à vobis (nam nec nominis certa eſt notitia penes vos) de ſuavitate vel benignitate compoſitum eſt.* Lactant. *l. 4. c. 7. Sed exponenda hujus nominis ratio eſt propter ignorantium errorem, qui eum immutatâ literâ Chreſtum ſolent dicere.* Quò errore, Juſtinus Martyr ſui temporis Chriſtianos culpâ abſolvit: Ἐπεὶ ὅσον γε ἐκ τοῦ κατηγορουμένου ἡμῶν ὀνόματος χρηστότατοι ὑπάρχομεν, & rurſum Χριστιανοὶ γὰρ εἶναι κατηγορούμεθα, τὸ δὲ χρηστὸν μισεῖσθαι οὐ δίκαιον. Hæc ille, *Apol. 2.* Verumenimverò rectum nomen, uti diximus, eſt *Chriſtus*, cujus etymon idem innuit *Juſtinus*, Χριστὸς μὲν κατὰ τὸ κεχρῖσθαι. Abuſivè ſcil. ſic dictus eſt. Τὸ δὲ Χριστοῦ ὄνομα πρῶτος Μωσῆς ὡς σεμνότατον ἐπιφημίζει, ait Euſeb. *Dem. Evang. l. 4. c. 15.* Et Lactant. *l. 4. c. 7. Quoniam Græci veteres* χρίεσθαι *dicebant ungi, quod nunc* ἀλείφεσθαι, *ob hanc rationem, nos eum Chriſtum nuncupamus.* Prima tamen hujus vocis ſignificatio ſatis comperta nondum videtur. Primus antiquorum, quem ſcio, qui hoc vocabulo uſus eſt, fuit Æſchylus in *Prometheo Vincto:*

> Οὐκ ἦν ἀλέξημ' οὐδὲν, οὐδὲ βρώσιμον,
> Οὐ χριστὸν, οὐδὲ πιστὸν, ἀλλὰ φαρμάκων
> Χρείᾳ κατεσκέλλοντο. —— ——

Ubi *Scholiaſtes* exponit, ὅτι ἐπὶ τῶν ἐπιχριομένων ἔξωθεν. Sic *Schol. Apollon.* Τῶν φαρμάκων τὰ μὲν ἐστι καταπλαστά, τὰ δὲ χριστά, τὰ δὲ ποτά. Et ſic τὸ χριστὸν, idem erit quod τὸ ἔγχριστον apud Theocritum, *Idyll. 11.*

> Οὐδὲν ποτὶ τὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο
> Νικία, οὔτ' ἔγχριστον (ἐμὶν δοκεῖ) οὔτ' ἐπίπαστον,
> Ἢ ταὶ Πιερίδες. —— ——

Ubi *Schol.* Ἤγουν, οὔτε τῶν φαρμάκων τῶν μὲν ὄντων χριστῶν, ὥσπερ ὅσα χρίεται θεραπείαν, τῶν δὲ ποτῶν, ὥσπερ πινόμενα, τῶν δὲ ἐπιπάστων, ὥσπερ ἐπιπασσόμενα. Sic Euripides in *Hippolyto*,

> Πότερα δὲ χριστὸν, ἢ ποτὸν τὸ φάρμακον.

Quamvis autem prima ſignificatio τοῦ Χριστοῦ actum, vel materiam unctionis denotat apud Græcos, non autem perſonam, qui ungitur, tamen 72. Interpretes voce τοῦ χριστοῦ, i. τοῦ κεχρισμένου utuntur. Unde Χριστὸς, ὁ κεχρισμένος τῷ ἐλαίῳ. *Nic. Lloydius.* Hunc dulciſſimum Servatorem noſtrum Tiberius Imperator cognitâ Hiſtoriâ Reſurrectionis ejus, ex Epiſtola Pontii Pilati, Deum eſſe proclamandum cenſuit, ni Senatus obſtitiſſet: ſed qui indigebat ſuffragiis hominum, conterinus Patri Deus? Euſeb. *l. 2. c. 2.* Alexander quoque Severus, in larario ſuo, inter Divos Principes, & animas ſanctiores, juxta Abrahamum, Orpheum & Apollonium coluit, miſerandâ potius quàm ridendâ ſuperſtitione Oroſ. *l. 7. c. 21. &c.* Imò & à Turcis pro Propheta habetur, ſed qui Mahomete minor: contra Moyſis effatum, Deuter. *c. 18. v. 15.* Solis *Chriſtianis*, unde & illis nomen, ſalutaris CHRISTI hujus notitia cœlitùs conceſſa eſt, quam in S. Scriptura ſcrutari indies unicas ſuas delitias judicant. Vide *Jeſus Chriſtus.*

CHRISTUS, Ordo militaris in Luſitania, A. C. 1318. à Dionyſio I. inſtitutus, ad nobilitatem contra Mauros animandam. Pulla illis veſtis cum cruce Patriarchali coccinea; Conjugii venia, ab Alexandro VI. data, Poſtmodum coronæ inſeperabiliter unitus eſt. Mariana, *l. 15.* Favin. *theatr. hon. Vaſconcellos*, &c.

CHRISTUS vincit, crucе ſignatorum & aliorum clamor militaris olim fuit. Et quidem in quibuſdam inferioris ævi maximè nummis, Crux medium nummorum occupat, cum hiſce ad 4. angulos characteribus, IC XC NIKA. *Jeſus Chriſtus vincit.* De-ſcripſitque Gretſerus in *Horto S. Crucis*, *part. 1.* Diploma Fulcheri Patriarchæ Hieroſolymitani & Amalrici Prioris Eccl. S. Sepulchri, cui appenſum fuiſſe teſtatur ſigillum plumbeum Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ, in cujus uno latere crux duplex ſeu Patriarchalis, cum iiſdem characteribus, in alio verò fabrica Dominici ſepulchri, cum inſcr. † SANCTISSIMI SEPULCHRI. Itaque ad Latinos à Græcis ritus tranſiit, unde Francorum quoque Reges Scutis, ut vocant, aureis hanc inſcriptionem inſeruêre, CHRISTUS VINCIT, CHRISTUS REGNAT, CHRISTUS IMPERAT. quibus quidem verbis conceptas fuiſſe laudes Carolo M. Romæ dictas, cùm Imperator à Leone Epiſcopo Romano coronatus eſt, refert Rudolfus de Diceto A. C. 801 &c. Non diſſimilis clamor alter, ΚΕ ΒΟΗΘΕΙ vel Χριστὲ βοήθει, *Domine juva*, vel *Chriſte juva*, item ſimpliciter Βοήθει, *juva*, quem Græcis itidem familiarem fuiſſe, Sevlitzes tradit & in *Tacticis* Leo, apud Car. du Freſne, *Diſſertat. de inſcr. ævi numiſm. num. 28.*

CHROBATÆ, vel CHOROBATÆ, populi circa Dalmatiam. Cedren. Curopalat.

CHROCUS, Rex Alemanniæ, Matris inſtinctu, Gallias intravit, Treverim Metaſque deſtruxit, omniaque in Xantonam uſque vaſtavit. Eavoliſſimâ capta, Epiſcopum loci Auſonium necavit, &c. Poſtmodum à Mariano, Narbonæ Præſide, Arelati captus, & per devictas priùs urbes oſtentui circumductus, tandem capite plexus eſt. Gregor. Turonenſ. *l. 1. c. 32. Hiſt. Ado.* A. C. circiter 182.

CHRODIELDA, filia notha Chariberti, Regis Pariſiorum, monaſterium S. Crucis Pictavis turbis implevit. Gregor. Turonenſ. *Hiſt. 9. 10.*

CHROMA, Græcè Χρῶμα, i. e. *color*, abſolutè poſitum, Plinio, *l. 33. c. 7.* cinnabaris eſt, apud *Theophraſtum*, quod etiam Græcia recentior κιννάβαριν vocavit. Salmaſio genus quoddam radiculæ, quò è Syria advehi ſolitô, colorabantur olim unguenta. Ita enim Theophraſtus de odoribus, χρωματίζουσι δ' ἐνια μὲν ἐρυθρῷ τῷ κόμμι, τῇ ἀγχούσῃ τὰ δ' ἀμάρακινα τῷ καλουμένῳ χρώματι. τοῦτο δ' ἐστι ῥίζιον, ὃ ἄγουσιν ἐκ τῆς Συρίας. *Colorant autem rubra quidem unguenta anchuſâ; amaracinum verò eo, quod* chroma *appellatur. Eſt autem radicula quam è Syria afferunt.* Cujuſmodi genere radicis videntur & mulieres uſæ, ad colorandas genas, haud ſecus ac radice anchuſæ φῦκος aliqui, ut apparet, vocârunt: Nam & *fucus* Latinis inde pro quolibet colore. Gloſſæ, *fucus*, χρῶμα. *Democritus Pſeudonymus* Συρίας ἄνθος nuncupat, i. e. *Syriacum colorem*; hoc enim vox ἄνθος apud illum notat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1149* & infrà paſſim, inprimis in voce *Radicula.* Sed & χρώματα dicta Veter. *pigmenta*, de qua voce vide infrà.

CHROMATIUS, Epiſcopus Aquilejæ, poſt Nicæam, ſub finem 4. ſeculi pietate & eruditione inclytus. Scripſit in *Matthæum Comment.* de quibus nihil, præter *homilias*, *de 8. Beatitudinib.* & pauca alia, Bibliothecæ Patrum inſerta, reſtant. Hieron. *in præf. Paral.* Chryſoſt. *Ep. 15.* Ambroſius, Caſſiodorus, qui illum *martyrologium quoddam* quoque ſcripſiſſe refert. Contra Origeniſtas Concilium celebravit, Baron. *A. C.* 400. 404. 405. *Romanticianum* alii appellant, ſeu *Romatianum* ſeu *Romanum*, quòd Aquileja, ob nobilitatem, *ſecunda Roma* vel *Romana* vel *Romatiana* civitas olim dicta ſit. Obiit circa A. C. 410 Labbeus ex *Baronio.*

CHROMII, montes Peloponneſi, circa Arethyream, ex quibus Aſopus fluv. oritur. *Steph.*

CHROMIS, unus è ſeptem Pterelai filiis, apud Apollodorum. Item Myſorum ductor, apud Homerum. *Il. β.* puer quoque paſtoralis, apud Maronem, *Eclogâ 6.* alius Phryx à Camilla peremtus, *l. 11. Æn.* apud eundem: de quibus vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium Part. 2. p. 573.*

CHROMIOS, fil. Nelei & Chloridos, qui in ea pugna, quam Pylii & Meſſenii adverſus Herculem geſſerunt, cum decem fratribus occiſus eſt.

CHROMIOS, Priami fil. in bello Trojano à Diomede interfectus.

CHROMIS, Herculis fil. Statius, *l. 6. Theb. v. 346.*

> *Et Chromis, Hippodamuſque alter ſatus Hercule Magno.*

Et paulo poſt, *v. 479.*

> *Mox Chromis Hippodamum meta interioris ad orbem*
> *Viribus Herculeis, & totò robore patris, &c.*

CHROMIUS, Argivus quidam, qui in ea pugna, quæ ob Thyreorum agrum inter trecentos Lacedæmonios, totidemque Argivos commiſſa eſt, ſolus ex ſuis cum Alcenore incolumis evaſit. Herodot. *l. 1.*

CHRONEA, inſula. *Steph.*

CHRONICA, vide *Paralipomena.* Aliàs *Chronica*, unum ex tribus Hiſtoriæ juſtæ generibus: Hæc enim aut portionem temporis aliquam repræſentant, aut perſonam ſingularem memoriâ dignam, aut actionem aliquam, ſeu rem geſtam ex illuſtrioribus. Primum *Chronica* ſeu *Annales*; ſecundum *Vitas*; tertium *Relationes*, vocat Verulamius. Inter quæ *Chronica* celebritate & nomine excellere videntur; Vitæ autem fructu & exemplis; Relationes rurſus ſinceritate & veritate. *Chronica* namque amplitudinem actionum publicarum vel perſonarum facies externas & in publicum verſas proponunt; Minora autem, quæ tum ad *res*, tum ad *perſonas* pertinent, omittunt, & ſilentio involvunt. Cùm verò ad artificii divini ſit propriam, ut maxima è minimis ſuſpendat, fit ſæpenumero, ut hujuſmodi Hiſtoria, majora tantùm perſecuta, negotiorum pompam potiùs & ſolennia, quàm eorum veros fomites & texturas ſubtiliores oſtendat; Quin etiam, etſi conſilia ipſa addat & immiſceat, tamen grandìtate gaudens, plus gravitatis ac prudentiæ, quàm revera habent, humanis actionibus aſpergat: ut Satyra aliqua poſſit eſſe verior humanæ vitæ tabula, quàm nonnullæ ex ejuſmodi Hiſtoriis. Qui defectus prout quo modo ſarciendus ſit, vide Franc. Baconum de Verulamio *Augment. Scient. l. 7. c. 7.* & ſuprà, ubi de *Annalibus Livii.*

CHRONICOS Lapis, apud Auctorem *Geographiæ* ſemibarbarum, à Jac. Gothofredo editum, *Laconica verò ſolò Chronicò lapide, quem dicunt Lacedæmonium, ornari putat*: corruptè pro verò *polychroò*, i. e. verſicolore. Herbidus enim color, qui à *Sidonio*, *Prudentio*, *Alis*, marmori Laconico datur, non viridis ſolùm, ſed varius quandoque eſt: quod voluit obſcurus iſte Compilator. Caſp. Barthius, *Animadverſion. ad Statium*, *l. 2. Sylv. 2. v. 90.*

> *Hic & Amyclæi cæſum de monte Lycurgi*
> *Quod viret.*

Vide de Lacedæmonio hoc Marmore, Lud. de la Cerda, *ad Tertullianum de Pallio*, Deſid. Heraldum, *ad Martialem*, *l. 8. Epigr. 56.* Manh. Raderum *ad ejuſdem l. 6. Epigr. 42* &c.

CHRONITÆ, Græcè Χρονῖται, ab Eunomianis olim appellati Orthodoxi ſunt, quaſi novam & *brevi tempore duraturam* doctrinam profitentes. Vide infrà *Tempus.*

CHRONIUM Mare, pars Oceani Glacialis, Porrigitur à fluvio Paropamiſo ad Rubeam promontor. vulgò *Nordkyn*, Plin. *l. 4. c. 16.* Dictum etiam Saturnium eſt, nunc *Murmanskoi More* Ruſſis.

CHRONIUS, apud Papin. Statium, *Theb. l. 2. v. 518.*

> *Ecce autem vaſtâ Chronii contorta lacertô,*
> *Quô duce freta cohors, fuſcat intervolat auras,*
> *Haſta: —— ——*

inter Duces Tydei, de quo vide Barthium *ad loc.*

CHRONOCRATOR, apud Firmicum, *l.* 4. *c.* 14. dominus geniturae, in Genethlialogia Veter. Vide infrà voce *Decanus*.

CHRONOLOGIA Hiſtoriâ recentior. Sicut enim *Æra Chriſtiana*, à *Dionyſio Exiguo* adinventa, nobis vix tandem à Caroli M. temporibus innotuit; & *annus Urbis Conditæ*, ipſis Romanis ante M. Catonem ignotus, ſero in Faſtos relatus fuit: non aliter apud Græcos Hiſtoria, abſque ulla temporum definitione, diu incerta fuit. Feliciter tandem in *Alis* Chronologia quæſita eſt; & in Gymnaſio ex *Olympionicarum nominibus* contexta eſt fidiſſima Græcorum temporum menſura: quod verò ſerò admodum factum. Sed nec initiò exarata ſunt victorum nomina, in Gymnaſio Olympico, ad uſum Chronologicum, verùm ad virtutis æmulationem, Pauſan. *Eliac*. Quæ nominum congeries poſterioris demum ævi Chronographis anſam dedit res Græcas in *Tetraeteridas* congerendi, & veritatem hiſtoricam è ſtadio vindicandi. Priſcis itaque temporibus nuda fuit rerum geſtarum narratio, nec certis temporum intervallis diſtincta, nec à termino fixo deducta, in qua claſſe cenſendi Herodotus, Thucydides & Xenophon, qui, licèt Olympiorum obiter meminerint, tetraëtericam tamen Olympiadum computationem non agnoſcunt. Hellanicus, *Argivorum Sacerdotum annos*; Ephorus, *Reges Spartanos*, ab Heraclidarum reditu, ad annum Æræ Atticæ 1240. ſuis Hiſtoriis intexuerunt. Demetrius Phalereus compilavit *Archontum ἀναγραφὴν*. Et quidem *Sacerdotes*, *Ephori*, *Archontes*, in inſtrumentis publicis, contractibuſque civilibus priùs uſurpati ſunt, quàm in Hiſtoriis. Olympiades autem ſerò inductæ ſunt in uſum hiſtoricum, in politicum nunquam. Parius verò Chronographus, qui annò Atticò 1318. Marmor Arundelianum exaravit, primus *Chronologicum* ſcribendi genus, ab Hiſtorico diverſum, inſtituit, ac celebriores Græciæ epochas *Regum Athenienſium annis*, & *Archontibus annuis* ſignatas, ad Diognetum uſque numerat, qui Archon fuit annò 4. Olymp. 128. unde ſatis clarum, Archontes priùs, quàm Olympionicas, in *Chronologiam* eſſe receptos, atque certè Olympiades Hiſtoricæ non fuerunt jam editæ. Inter Græcos ſuperſtites, qui Olympiades in Hiſtoriis adhibuerunt, vetuſtiſſimus Polybius eſt: poſtquam Timæus, Ptolemæi Philadelphi ævò, primus eas in Hiſtoricam compaginaret fabricam, ſcripſitque Ὀλυμπιονίκας, ἢ χρονικὰ πραξίδια, *Acta ad tempus Olympionicarum relata*, Suidas *in Eo*, ac Ephoros cum Regibus Spartanorum; & Archontes Athen. ac Sacerdotes Argivos cum Olympionicis contulit, Polyb. *Exc. Valeſ. p.* 50. circa Olymp. 128. Poſt illum Eratoſthenes, ſub Ptolemæo Euergete *Canones Temporum* compegit, qui à plurimis ſunt probati, & abhinc demum Olympiades quaſi certius *Græciæ Faſti* habitæ ſunt, Dionyſius Halicarn. *l.* 1. & Plin. *l.* 4. *c.* 5. Fuit autem Corœbus primus eorum Victorum, qui continuâ ſerie in memoriam revocari potuerunt, adeoque is, tanquam Mercurius bifrons, *Fabuloſi* temporis *Verique* index, ac quidquid ejus victoriam præceſſit, μυθικὸν habitum, nihil ἱστορικὸν, niſi poſt *Primam ejus Olympiada*, quæ ab Iphito fuit XXVIII. quò tempore Athenis Rex erat Æſchylus, annô Æræ Atticæ 807. Atque hinc *Olympiadum Æra* vulgatis eſt & in vulgarem Chronologorum uſum aſſumpta, cùm verum illarum initium illud eſſet, quod Iphitus, Lycurgus & Cleoſthenes inſtituerunt, annò Æræ Atticæ 699. Joh. Marſhamus, *Canone Chron. Sec.* XV. & XVI. Vide quoque infrà *Hiſtoria*.

CHRONOSOLON, Sacerdos & vates Saturni, apud Lucianum, *Tom.* 2. *p.* 945.

CHRONUM, urbs ab Archidamo capta, an. ab Urb. Cond. 307.

CHRONUS, Sarmatiæ Europææ fluv. *Ptol.* In Lithuania eum ponunt *Pirchaimerus*, & *Cromerus*, eumque Germanis *Memel*, & Slavis *Niemen* vocari dicunt; in ſinum Venedicum influit. *Eraſmo Stella* verò & *Rithaymero* fluv. eſt Pruſſiæ, *Pregel* dictus, in eundem ſinum ſe exonerans. *Fidlerus*, qui Germaniæ flumina elegiacò carmine deſcripſit, cum Cromero ſentit. *Baudrando* fluv. alias Venedorum, in Sarmatia, nunc Poloniæ. Oritur in Lithuania, verſus *Slucko* Urbem, dein auctus variis fluviis & rigatis Grodnò & Kounò, oppidis Lithuaniæ per Samogitiam labitur; poſteà per Pruſſiam Brandeb. ubi *Ruſſe* ab oppido cognomine in ejus oſtiis dictus, in Curonium lacum, & cum ipſo in mare Balticum ſe exonerat, ad Memelium oppid.

CHRUDIMA, oppid. amplum Bohemiæ, ad Chrudimicam amnem, 4. leuc. à Czaſlavia in Ortum, 1. ab Albi fluv. 6. à confinio Moraviæ, in Occaſum.

CHRYSA, ſive **CHRYSE**, Ciliciæ oppid. non procul à Thebis Ciliciis, Apollinis Sminthei delubrô inſigne. Strab. *l.* 13. Ovid. *l.* 13. *Met. v.* 274.

—— Chryſenque & Cillan Apollinis urbes.

CHRYSÆ fanum, locus Siciliæ, inter Ennam & Aſſorum.

CHRYSAETUS, vide infrà *Melanaetus*.

CHRYSAMAXUS, Laco, victor in Stadio virorum coronatus eſt, Olymp. 46. quâ eâdem Polymneſtor Mileſius puer, victor in puerorum Stadio, coronam meruit, ut refert Solinus, *c.* 1. Laertolius Ὀλυμπιονικῶν· Τεσσαρακοστὴ ἕκτη· Χρυσάμαξος Λάκων στάδιον καὶ Πολυμνήστωρ Μιλήσιος παίδων στάδιον. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 45.

CHRYSAME Theſſala, Triviæ Sacerdos, quæ taurum pulcerrimum venenò pavit, ſicque ad hoſtes dimiſit: ex cujus carnium eſu furorem contraxerunt facileque à Græcis Erethrienſes oppreſſi fuerunt. Polyæn. *l.* 8. *c.* 43. *f.* 619. & 620.

CHRYSANTAS, Dux exercitûs Cyri, qui hoſtem interfecturus jam elatum gladium in cædem revocavit, quia ἀνακαλέσαι, *i. e. receptui cani*, interim audiiſſet, ac ideò à Cyro laudatus. Cœl. Rhodig. *l.* 12. *c.* 18. *ex Xenoph.*

CHRYSANTHEMUM ſeu **CHRYSANTHUM**, Græcè χρυσάνθεμον & χρύσανθος, idem plerіſque cum buphthalmo, quod Neophytus Romanis *calthum* appellari tradit, Καλθὸν λεγόμενον; quòd ſcil. ad coronas admitterentur, an quòd folia in orbem diſpoſita inſtar coronæ haberet? Certè helichryſò, ſimulachra Deorum coronari, Dioſcorides auctor eſt, *l.* 4. *c.* 57. Eôdem ſi ſe Magi coronarent, ad gratiam vitæ gloriamque pertinere arbitrabantur, ſcriptumque reliquit Theophraſtus, *de Plant. l.* 2. clareſcere eum qui hôc flore coronetur. Unum autem eundemque florem cum *Chryſanthemo* helichryſum eſſe, hinc videtur liquere, quòd helichryſum dici aiunt ab Helichryſe quadam Epheſia, quæ prima è flore *Chryſanthemo* Dianam coronârit. Deſcribitur à Plinio, *l.* 21. *c.* 5. ubi ait, *cum ad Solis repercuſſum auro ſimiles in orbem velut corymbos habere dependentes, qui nunquam marceſcunt. Quo de cauſa*, addit, *Deos coronant illo. Quod diligentiſſime ſervavit Ptolemæus Rex Ægypti*. Vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 9. *c.* 25. & Salmaſ. *ad Solin. p.* 1160. & 1161. ubi multis floribus colore *luteò* præditis, buphthalmo, calthæ, helichryſo, ranunculo, aliis, hanc χρυσάνθεμον appellationem Græcos tribuiſſe, inter alia, docet. Cognominis recentia buphthalmi vel *chryſanthemi* inde quoque ſunt, χαλκίδα, χαλκάνθην & χαλκάνθεμον, quòd florem habeat colore *calthæ*, quæ χάλκα Græcis. Niſi quis malit dictum, ab *aureo* colore, qui iidem flavus eſt, *ibid.* Vide quoque ſuprà. Aliud eſt χρυσάνθιον, ſpinæ ſcil. ſeu *flos auri*, de qua vide eundem, *d. l. p.* 1079.

CHRYSANTHINA, Græcè Χρυσάνθινα, Ludi apud Sardianos olim celebrari ſoliti; memorantur in nummo Tranquillinæ Auguſtæ, ut & in nummo quodam Caracallæ Imperatoris, in quorum utroque urna expreſſa cum palma inde emergente, & *Inſcr.* ΕΠΙ ΙΟΥΛ. ΕΡΜΟΦΙΛΟΥ. ΑΡ. ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΑ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Item ΕΠ. ΑΝ. ΡΟΥΦΟΥ ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Γ. ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΑ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, apud Jac. Sponium, *Itiner. Part.* 3. *p.* 188.

CHRYSANTUS, Alexandrinus, Romæ, quò juvenis venerat, factus Chriſtianus, ſub Numeriano Imperatore in foſſam demiſſus, ac terrâ ſaxiſque obrutus fuit; hic in conjugio manſit virgo unà cum Dariâ uxore. *Volaterran.*

CHRYSAOR, pater Mylaſi, fil. Glauci. Steph. in *Mylaſa*.

CHRYSAOR, Meduſæ fil. ex Neptuno, qui ex Callirrhoë Geryonem ſuſcepit, ut placet Hygino *Fab. Poët.* 151 Heſiodus autem *in Theog. v.* 282. 288. 979. *f. Chryſaorem* ſine patre natum vult, quemadmodum & Pegaſum ex ſolo Meduſæ ſanguine.

CHRYSAOREUS, Jupiter cognominatus, cujus templum fuit in agro Stratonicenſium, Caribus omnibus commune, quò illi ſacrificantes & de communibus rebus deliberantes conveniebant, qui conventus *Chryſaoreus* vocabatur, ex vicis conſtans, in quo qui plures vicos attuliſſent, ii in ſuffragiis antecellebant. Vide Strab. *l.* 4.

CHRYSAORIS, urbs Cariæ. *Epaphroditus* verò totam Cariam *Chryſaoridem* vocat. *Steph.*

CHRYSAORUS, fluv. per medium Mauſtauræ urbis in Libya fluens. Steph. in *Maſtaura*.

CHRYSAPHIUS, Eunuchus, Theodoſii Junioris gratiâ abuſus, Flavianum Patriarcham pellere conatus eſt. Inter Eudoxiam & Pulcheriam litis auctor; Eutychi favit, in pſeudo concilio Epheſino Orientali Eccleſiæ exitium machinatus. Sed Pulcheriâ aulæ redditâ, A. C. 450. pulſus & occiſus eſt. *Marcellin. Cedrenus, &c.*

CHRYSARGYRUM, Græca vox χρυσάργυρον, tributum fuit, à meretricibus aliiſque hominibus ſequioris famæ, in aurea argenteaque moneta (unde ei nomen) Imperatori olim Conſtantinopol. ſolitum pendi, apud Evagrium, *Hiſtor. l.* 3. *c.* 39. Sublatum ab Anaſtaſio Imperatore ut docet Baronius *ad A. C.* 530. *num.* 36. apud Macrum in *Hierolex*. Latin. *Aurum luſtrale*, *negotiatorium*, *penoſum*, quod vide.

CHRYSAS, fluv. Siciliæ, qui per Aſſorinorum agros fluit; & apud illos habebatur Deus, religioneque maximâ cultus fuit. Fanum ejus fuit in agro propter ipſam viam, quâ Aſſorò itur Ennam. Cicero *Verrinâ* 4.

CHRYSE, Inſul. vide ſuprà *Aurea Inſula*. Sed & χρυσῆ γῆ & χρυσῆ χώρα vocata olim Σωφὶρ & Σωφείρα, regio Indiæ, quòd *aurum* inde afferretur, de qua vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1084. ut & in voce *Ophir*.

CHRYSE, Sinus Eoi maris, *Ptol.* Item inſul. ejuſdem ſinûs ac ejuſdem nominis, cujus *Stephanus* & *Capella* meminêre. *Japan* ſive *Giapan* eſſe putatur. Inſul. perampla, in Oceano Sinico, ad Ortum regni Sinarum. *Sanſoni* tamen Japonia eſt Jabadii Inſul. *Ptolem. M. Polo Ven. Zipangri* dicta. Vide *Japonia*. *Steph.* Ἔστι καὶ ἄλλη νῆσος Ὠκεανῖτις, ὡς ἄνω καλεῖ Διονύσιος διὰ τὸ χρυσῆ ἔχειν μέταλλα. Non autem hanc rationem iſtius nominis adfert Dionyſius, ſed quòd ibi ſol purius luceat, *v.* 589.

—— Ἔνθα καὶ αὐτοῦ
Ἀντολίη καθαρῇσι φαείνεται ἠελίοιο.

Plinius tamen cum Stephano conſentit, *l.* 6. *c.* 21. *Extra oſtium Indi*, inquit, *Chryſe & Argyre*, *fertiles metallis*, *ut credo*. Autor *Periplo*, inſulam Chryſen in Oceano Orientali planè collocat, ſub ipſum ſolis ortum, contra fluv. Gangem, ultimamque eſſe ait orbis partium, quæ ad orientem ſitæ ſunt: Κατ' αὐτὸν δὲ τὸν ποταμὸν νῆσός ἐστιν Ὠκεανίτις, ἐσχάτη τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν τῆς οἰκουμένης, ὑπ' αὐτὸν ἀνέχοντα τὸν ἥλιον καλουμένη Χρυσῆ, χελώνην ἔχουσα ἀρίστην τῶν κατὰ τὴν Ἐρυθρὰν τόπων ἁπάντων: Sic eum locum repurgavit Claud. Salmaſius, in *Plinianis Exercit.* Et inde eruit hanc inſulam, quæ ut ipſe ait, hactenus ſub his verbis mendis deliteſcit, ſcilicet, ὑπ' αὐτὸν ἀνέχοντα ἥλιον καλουμένη χρυσῆν ἔχουσα χελώνην; Ubi de aurea teſtudine nugas eſſe affirmat. Sunt & pluriмæ aliæ *Chryſa*, de quibus vide *Stephanum*. *Nic. Lloydius*.

CHRYSEI, Indiæ gens. *Ptol.*

CHRYSEIS, Chryſæ filia.

CHRYSENDETA, vide ſuprà *Auro Vaſa*.

CHRY-

CHRYSEON Ceras, apud Solin. c. 10. *Venimus ad promontorium* Chryſeon ceras *Byzantiû oppidô nobile:* & ex illo Marcianum, *illic promontorium* Chryſeon Ceras, *Byzantiû oppidô celebratum.* Plinio iidem modò *Chryſeon Ceras*, modò *Aureum Cornu* Latinè appellatur, *l. 9. c. 15. Hujus aſpectu repentè territi, ſemper adverſum Byzantii promontorium ex ea cauſa appellatum Aurei cornu, præcipite petunt agmine.* Ubi de thynnorum captura loquitur, quæ quòd in eo loco admodùm dives eſſet, hinc promontorio nomen, aut ſinus potiùs, qui *κέρας* dictus eſt, i. e. *cornu*, quòd multis ramis ſinuus reductis ſcinderetur ad inſtar cornu cervini; vide ſuprà in voce *Ceras.*

CHRYSERMUS Corinthius, Hiſtoricus, gemino in loco teſtis adhibetur à Plutarcho, ſemel in *Euphrate*, ubi quædam refert ex 13. ejus *de fluminibus libro*; ac iterum in *Inacho*, ubi primum advocat de rebus Peloponneſiacis, unde & tertium citat idem Plut. *Min. Par. c. 3.* Scripſit etiam *Indica*, grande opus; ſiquidem 80. eorum librum citat prædictus Author in *Hydaſpe.* Videndum autem utrum Peloponneſiaca an Indica ſignemus, *c. 10. Min. Par.* ubi meminit decimi Hiſtoriarum Chryſermi. Imò Stobæus etiam adfert Chryſermi verba ex *ſecundo Hiſt. Perſica.* Denique apud Plin. *l. 22. c. 22.* legas *Chryſermus parotidas in vino decoctâ radice, curavit.* Sed credit hunc alium eſſe à Corinthio Voſſius. Vide hunc, *de Hiſt. Græc. l. 3. p. 342.*

CHRYSERUS, vel CHRYSORUS, Hiſtoricus Græcus, nomina Conſulum, & annos, à Regibus pulſis, annotavit. Theophilus Antioch. *l. 3. ſub fin.*

CHRYSES, Apollinis ſacerdos, pater Aſtynomes, quæ nomine ejus *Chryſeis* dicta fuit: Quam cùm Græci, expugnatis Thebis Ciliciis, urbe Eetionis, abduxiſſent, & Agamemnoni in prædæ diviſione tradidiſſent, Chryſes Apollinis inſignibus exornatus ad Græcorum caſtra acceſſit, filiamque ſibi reſtitui petiit; Quod cùm impetrare non potuiſſet, Apollinis auxilium imploravit, qui tam gravem Græcis peſtilentiam immiſit, ut Agamemnon patri puellam reſtituere coactus fuerit, cujus locô Achilli Briſeidem eripuit. Homer. *Il. 1.*

CHRYSINUS, Græcè *χρύσινος*, *aureus* ſeu ſolidus, apud Græcos recentiores. Vide in hac voce.

CHRYSIPPA, urbs Ciliciæ à *Chryſippo* conditore, Gentile *Chryſippeus*, aut *Chryſippeus*, *Steph.*

CHRYSIPPUS, primò currui regendo operam dedit; dein animò ſtudiis applicatò, mox evaſit Philoſophus Stoicorum princeps, Zenonis, *Nic. Lloydius*, vel Cleanthis, *Morer.* diſcipulus, acutus ſanè, ut qui multis præceptoribus repugnaverit, ſtatuam habuit Athenis in Ceramico poſitam. In Dialectica clariſſimus fuit, ita ut non illepidè dicerent quidam; *Si apud Deos Dialectica haberetur, non aliam eſſe futuram, quam Chryſippi.* Val. Max. *l. 8. c. 7. ex.* 10. ætat. 80. Dialecticæ opus abſolviſſe narrat, quam an. 40. inceperit. Scripſit volumina ſupra 75. *Nic. Lloydius.* 311. tractatus de Dialectica exaràſſe refertur. Diog. Laërt. *l. 7. c. 179. ſ.* Ferunt Carneadem Philoſophum Cyrenum, perlectis Chryſippi libris, ita dixiſſe, *Niſi Chryſippus eſſet, ego non eſſem.* Apollonidæ filius fuiſſe dicitur, Solenſis, aut ſecundùm alios Tarſenſis. Horat. *l. 2. Serm. Sat. 3. v. 43.*

Quem mala ſtultitia, & quemcunque inſcitia veri
Cæcum agit, inſanum Chryſippi porticus, & grex
Autumat. ---- ---- ----

Idem de Homero, *l. 1. Ep. 2. v. 4.*

Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippô, & Crantore dicit.

Quintilian. *l. 1. c. 1. Sapientes nutriri optabat Chryſippus.* Idem, *l. 1. c. 3. Cadi diſcipulos non improbat Chryſippus.*
Perſius, *Satyra ultima exitu:*

—— Depinge ubi ſiſtam
Inventus, Chryſippe, tui finitor acervi.

Quod proverbii ſpecie de *ἀδυνάτῳ* elegantiſſimâ brevitate dicitur. Senſus enim eſt, tam difficile eſt, avaritiæ tuæ modum ſtatuere, quàm Chryſippo Soritis finem invenire, h. e. ubi reſiſtendum ſit, definire. *Soritem* enim *acervum* vocat Poëta, cujus nullum finem Chryſippus invenire potuit. Vide Caſaubon. *ad eum locum.* Idem & Hiſtoricus fuit, quippe qui de *antiquis Phyſicis* etiam opus ſcripſit, ut Laërtius teſtatur. Chryſippi *de rebus Italicis* quoque libros Plut. citat in *Par. Min. c. 24.* quos cur Solenſi (fuêre enim & alii Chryſippi, ut ex Diogene conſtare poteſt) minus tribuamus, cauſſa non eſt. *Eum enim in omni Hiſtoria curioſum fuiſſe* Cicero teſtatur, *l. 1. Tuſcul. Quæſt.* Vixit ann. 73. vitâ defunctus eſt, cùm merum bibiſſet, ſacrificio quodam intereſſe à diſcipulis rogatus. Alii præ riſu, aſinô è patina comedere viſô, crepuiſſe dicunt. Olymp. 143. Urb. Cond. an. 545. M. 1846. Diog. Laërt. *in ejus vita, l. 7.*

CHRYSIPPUS, Pelopis fil. quem cùm pater valdè amaret, noverca ejus Hippodamia id indignè ferens, liberos ſuos Atreum & Thyeſten impulit, ut illum interficerent; ob quam rem à Pelope pulſi, in exilio vitam egerunt, donec pater è vivis excederet. *Idem.*

CHRYSIPPUS Gnidius Medicus, Eraſiſtrati præceptor. Vide Jonſium, *de Script. Hiſt. Phil. l. 2. c. 8.* Alius, qui *Georgica* ſcripſit. Alii, quos vide apud Plin. *l. 26. c. 2.* Lil. Giraldum, *Hiſt. de Poët. l. 3.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 1. c. 17. p. 112. de Poëtis Græcis, p. 87. de ſectis Phil. c. 19. §. 11. p. 102. de Philoſ. c. 11. §. 27. p. 87. de Logica, c. 8. §. 16. p. 35. &c.*

CHRYSIS, Sacerdos Junonis Argivæ, memorata Joh. Marshamo, *Canone Chron. Sec. IX.* ubi *de Danao*, cum ejus templo flammis abſumpta. Arnob. *adv. Gentes, l. 6. Ubi Juno Regina, cùm inclytum ejus ſanum, ſacerdotemque* Chryſidem, *eadem vi flammæ Argiva in civitate deleret.*

CHRYSITES, Livio locus eſt in Macedonia, qui hodie *Sidrocapſa* dicitur, ut refert *Bellonius.*

CHRYSITES Lapis, Græcè *χρυσίτης*, propriè dictus eſt Græcis, quò probatur aurum. *Heſychius*, *χρυσίτης λίθος ὁ ἀργυρίζων [illegible], ὁ Λυδός.* *Chryſites lapis, qui alias Lydius dictus eſt.* A *Lydia* ſcil. patria, in qua cùm magnes quoque reperiatur, hinc natus error illorum, qui *ἀνδροδάμαντα*, inter Magnetum genera, repoſitum quibuſdam, eundem cum *Χρυσίτῃ* fecerunt. Aliàs *λίθον χρυσίτην* vocant *Agatharchides & Diodorus*, de metallis Æthiopicis loquentes, lapidem auri venâ micantem: cujuſmodi lapis ſive marmor auri venis nitens cædebatur, cæmenta in mortariis lapideis pilô ferreô pinſebantur, donec in fruſta comminuerentur magnitudinem ervi æquantia; ea deinde fruſta in molam mittebantur, ibique molebantur, adeò ut farina redderetur. Inde aurum ſecernebatur, lavabatur, coquebatur, &c. Sæpe autem in eodem lapide *ψῆγμα* occurrebant, vel micæ auri puriſſimi, quæ ſeligebantur, neque cum reliquo pulvere coquebantur, uti diximus inter ea, quæ *de Auro* ſuprà. Plura vide apud Salmaſ. *ad Solin. p. 1075.* & 1103.

CHRYSIUS, vulgò *Keurenz* incolis, & *Kraiſſ* German. teſte *Sambuco*, fluvius Daciæ per Tranſylvaniam fluens, ac in Tibiſcum deſinens. *Baudrando* fluv. Hungariæ duplex. Uterque ortus in Tranſylv. unus *Fekierkerez*, prope Abrudbaniam ortus, Juliam rigat, & per Lacum *Sarcad* lapſus ſe exonerat in alium *Sebeskeres* dictum, qui ortus ex monte Kalota, in agro Claudiopolitano Varadinum magnum rigat, recipitque aliquot amnes, cum ſupradicto Fekierkerez & Berethonio; quibus auctus in Tibiſcum ſe exonerat ſupra Zongradium, in Comitatu Orodienſi in ſuperiore Hungaria.

CHRYSIUS, fluv. Hiſpaniam Tarraconenſem pro parte à Bætica dividens. *Guadiaro* vulgò, aliis *Gualalentio.* In ſinum Virgitanum ſe exonerat, 7 leuc. à Carthagine nova in Occaſum.

CHRYSOANA, Indiæ extra Gangem urbs. *Ptol.*

CHRYSOASPIDES & Argyraſpides, dicti ſunt milites, ab armis aurô vel argentô obductis, quò major pompa ac apparatus eſſet. Vide Juſtin. *l. 12. c. 7.* Æl. Lamprid. *in Severo, c. 50.* &c. P. Oroſius. *l. 3. c. 23. Ultimò conſiliò*, inquit, *Argyraſpidas, ob arma deargentata ſic dictos, h. e. milites qui ſub Alexandro militaverant, in auxilium rogat.* Macrob. *Saturn. l. 2. c. 2. oſtentabat Antiochus in campo ingentes copias, convertebatque exercitum inſignibus aureis & argenteis florentem.* Hinc Ovid. *de Ponto, l. 3. Ep. 4. v. 103.*

Scuta, ſed & galeæ gemmis radientur & auro. &c.

Vide Thom. Dempſter. *in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l. 10. Paralip. ad* c. 10. Bernéggerum *ad Juſtinum, l. 12. c. 7.* Caſaubon. *ad Lamprid. d. l.* &c

CHRYSOBALANOS, h. e. *Palmula aurea*, memorata *Galeno & Charitoni*, quibuſdam nux eſt myriſtica; Salmaſio caryota palmula Babylonica, de qua Xenophon, *Ἦν δὲ ὄψει ἠλέκτρου οὐδὲν διαφέρει*; *Aſpectu ejus ab electro nihil differt:* Color autem electri aureus. Certè luteas quoque caryotas extare, firmat *Diodorus*, *τῇ δὲ χροιᾷ τὰς μὲν μηλίνας, τὰς δὲ φοινικᾶς, τὰς δὲ πορφυρίζουσας, alias luteas, alias puniceas, partim verò purpuraſcentes videri.* Succum decoctarum Antiqui dabant, ad recreandas vires renum, veſicæ ac viſcerum vitiis corrigendis. Stomacho etiam proderant ac internis ardoribus. Qua de re vide plura apud Salmaſ. præfatum ubi ſuprà, p. 1321. & 1322.

CHRYSOBERGES Lucas, vide *Lucas.*

CHRYSOBERYLLUS, nomen gemmæ, apud Solin. *c. 52. Beryllorum genus dividitur in ſpeciem multifariam: eximii, intervenente glauci & cærulei temperamentô, quandam præferunt puri maris gratiam. Infra hos ſunt* chryſoberylli, *qui languidius micantes nube aureâ circumfunduntur*, h. e. quaſi cinguntur in exitu & circa extimas oras. Unde Paſchalius inter naturales coronas etiam *Chryſoberyllum* numerandi occaſionem ſumſit. *In plantis*, inquiens, *in frondibus, in fructibus, in lapidibus, in omni re creata, licet advertere coronas. In chryſoberyllis eſt corona. Nam languidius micantes, aureâ nube, velut coronâ, circumfunduntur*; tanquam ex Plinio, *l. 37. c. 9.* Sed verba hæc ibi loci non comparent, nec quicquam tale Plinius, unde ea Solinus ſumſiſſe videri voluit, quem ſequatur Paſchalius. Hoc ſaltem, *c. 5. l. cit.* Plinius habet. *Proximi vocantur* chryſoberylli, *& ſunt paulo pallidiores, ſed in aureum colorem exeunte fulgore.* Cùm enim alius in gemmis *color*, alius *fulgor* ſit, colorque exeat in fulgorem inclinatione factâ, ſuſpectu aut deſpectu: ait Plinius, pallidô colore eſſe Chryſoberyllum, ſed *in aureum fulgorem exire.* Quemadmodum idem alibi, *Varia opali, ſi color in florem herbæ, quæ vocatur heliotropium, exeat.* Rectiùs itaque *Iſidorus*, ad mentem Plinii, *Chryſoberyllus dictus, eò quòd pallida ejus viriditas in aureum colorem reſplendeat.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1106.*

CHRYSOBULLUM, locus circa Tarſum. *Cedrenus.*

CHRYSOBULLUM, ſeu CHRYSOBOLIUM, corruptè *Criſobolum*, in *Epiſtola* Joannicii Bulgariæ Regis *in Geſtis* Innocentii III. *Subſignas aureâ Imperium meum, ad ſecuritatem Chriſobolum ſuum:* *Χρυσόβουλλον* eſt Pachymeri, *l. 2. c. 5.* h. e. *Bulla aurea*: cujus jus Venetos Duces ab Imperatore Conſtantinopol. accepiſſe, diſcimus ex Andr. Dandulo in *Annalibus*, *Calo-Joannes Imperator Alexio Patri ſuccedit, cui Dux (Venetiarum) Legatos miſit, ſibique chriſobolum à Patre conceſſum approbari petiit.* Et *A. C.* 1126. *Tandem Auguſtus ad cor rediens, Ducem requirit, ut ſibi Legatos mittat, pollicens* Criſobolum *pridem vetitum*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

CHRYSOCERAS, promontor. Thraciæ ad Boſporum ſitum, Plin. *l. 4. c. 11.*

CHRYSOCLAVUM, χρυσόκλαβον, aliis χρυσόσημον, aureis diſtinctum clavis: Unde *Chryſoclavus*, adjectivum. Tritum apud veterum Pontificum ſcriptores. Vita Leonis IV. *Obtulit veſtem, aquilarum habentem hiſtoriam, cum cruce de chryſoclavo & gammadiis unam.* Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Vox hybrida, pluriesque occurrit apud Anaſtaſium Biblioth. *Auroclavatum* redditur, apud Vopiſcum in *Tacito*, c. 11. & *Bonoſa*, c. *ult.* ut & apud Scholiaſtem Juvenalis, *ad illud Sat.* 6. v. 482.

Aut latum pictæ veſtis conſiderat aurum.

Ἐσθῆτα χρυσοκλάβαις, habet auctor *Vitæ S.* Eudociæ Mart. c. 8 Unde χρυσοκλαβοφορέζων dixit Emanuel Georgillas *in Verſibus Politicis MSS. de Mortalitate Rhodi*, A. C. 1498. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide ſuprà in *Auroclavatus* & infrà in *Clavus*.

CHRYSOCLISTA ſeu **CHRYSOCOLLETA**, eadem quæ *Chryſendeta*, pocula erant argentea, quibus aurea emblemata inſerimus: Ut enim gemmæ aureis poculis, ſic aurum argenteis includebant. Cryſtallina verò & murrina nullis iſtiuſmodi emblematis incruſtata, pura & ſincera per ſe magis placebant. Vide ſuprà, ubi de *Auro vinctis*.

* **CHRYSOCOCES** Georgius, vide *Georgius*.

CHRYSOCOLLA, Plinio, *l.* 33. *c.* 5. *humor eſt in puteis, per venam auri defluens, craſſeſcente limo rigoribus hybernis, uſque in duritiam pumicis.* Hinc non tam lapis, quàm inter ſalis ſpecies, *Salmaſio*, Laudatior in ærariis metallis, Demoneſi Inſul. ſuprema, quæ proin cariſſima. Sed & in Armenia optimam naſci Plinius, *loc. cit.* & *Dioſcorides* tradunt: ſummam autem *commendat ante eſſe, ut colorem herbæ ſegetis latè virentis quàm ſimillime reddat.* Qui ſummus & acutiſſimus viroris gradus eſt, qualis praſinus & ad plenum porraceus. Atque hæc contra aurum vænibat, & inter colores habebatur, quos pictori tectorique dominus præbere tenebatur, Plinius, *l.* 35. *c.* 6. Uſus enim in pictura ejus, quis fuerit, fusè idem explicat, *c.* 5. Sed & Aurifices ſibi vendicabant agglutinando auro, unde etiam ei nomen, quaſi *auri gluten.* In theatro porro adhibebatur, *Viſumque jam eſt Neronis Principis ſpectaculis harenam Circi chryſocolla ſterni, cùm ipſe concolori panno aurigaturus eſſet, introductâ opificum turbâ*, Idem Plinius *ibid.* ubi etiam de uſu ejus Medico, aliiſque huc pertinentibus. Adde Salmaſ. *ad Solin. paſſim.* De vaſis verò χρυσοκόλλοις vel χρυσοκολλήτοις, diximus ſuprà, ubi de *Auro vinctis*, *Chryſendetis*, *Chryſocliſtis*, &c.

CHRYSOGENOS, in Prophetia quadam Turcica, nomen gentis eſt, à qua exitium ſibi imminere Turcæ perſuaſum habent. Quod Sponius *flavum* reddit, & de Moſcis interpretatur, flavâ plerumque cæſarie præditis, quorum potentiam magis Imperante Turcarum, quàm ullius alterius Monarchæ, formidabilem judicat. Vide eum *Itinerar. Græcia Part.* 1. *pag.* 356.

CHRYSOGONUS, Syllæ libertus, Roſcii Amerini ſectator. Cicero *in Orat. pro Roſcio Amer.*

CHRYSOGONUS, nomen viri proprium apud Juvenal. *Sat.* 6. v. 74.

—— Sunt quæ
Chryſogonum cantare vetent.

CHRYSOGONUS, martyr, nobili genere ortus Romæ, qui quando nec conſulatûs, nec ullius honoris pollicitatione per Diocletianum à fide averti potuit, jugulatus eſt ad ſcalas Gemonias. *Volaterran.*

CHRYSOGRAPHATA Scuta, apud Trebellium Pollionem in *Claudio*, c. 14. Caſaubono ſunt picta, ſive cælata & inaurata, vel aureis literis inſcripta, de qua Arte, *ad Suetonii Octavium*, is nonnulla adnotavit, c. 7. χρυσογραφεῖον namque Græci vocant, quod *aurô pictum* eſt, ut κηρογραφεῖον, quod *cerâ*. Hinc verbum χρυσογραφεῖν, *aurô pingere*, quod eſt, *chryſographare*: & *chryſographata ſcuta*, χρυσογραφηθέντα. Vide ſuprà in voce *Aurigraphus*. Salmaſius mavult *aurô ſculpta & inſignita*. Idem enim, inquit, γράφειν, ξύειν, χαράττειν. Unde apud *Theophraſtum* ἐγγράφειν idem, quod *inſculpere*, de vermibus, quæ lignum erodendo charaxant & inſculpunt. Sic χρυσογράφοι annuli, qui *manu ſculpti*: & *Inſcripti* οἱ ἐγγλυφοὶ:

Quorum inſcripti portabant vile cadaver.

Vide eum ad *Solin.* p. 218. & 1100.

CHRYSOLAMPIS, gemmæ nomen, de qua ita Solinus, c. 30. *ubi hyacinthus, ibi et chryſopaſtus*, (lege *Chryſolampis*) *apparet; quem lapidem lux celat, produnt tenebræ. Hæc enim ei illa diverſitas eſt, ut nocte igneus ſit, die pallidus.* Hæc enim de *Chryſolampide* tradit Plinius: quam gemmam cum *Chryſopaſta* Solinus confudit. Sed Chryſopaſtus, chryſolithi ſpecies, nec optimæ, cui nomen, quòd *aureis ſcobe quaſi aſperſa eſſet.* Interim ab *auri* colore utraque nomen ſortita eſt, nec ampliùs quicquam ſignant *chryſolithi*, quàm *chryſolampidis*, nuncupatione. Præterea utrumque, quemadmodum & hyacinthum, in Æthiopia gigni, ſcribit Plin. *l.* 37. *c.* 10. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 406. In Sacro Pectorali Sacerdotis Hebræorum Summi, Exodi c. 28. v. 17. inter XII. gemmas, quibus illud præfulgebat, ultimam quidam ponunt hanc gemmam, in primo ordine, ubi in Hebræo vox eſt פטדה *pitdah*. Sed plerique topazium hîc intelligi malunt, uti docet A. Rivetus *ad loc.* Vide quoque Baccium *de Nat. Gemmar* c 4. & *ibid.* Gobelchoverum, nec non Fr. Ruëum *de Gemmis*, *l.* 2. *c.* 9.

CHRYSOLANUS, Archiepiſcopus Mediolanenſis A.C. 1116. à Paſchali II. ad Alexium Comnenum miſſus, contra Græcos, de proceſſione Spiritus S. diſputavit. Trithem. *de Script. Eccl.* Euſtathius Archiepiſcopus Nicænſis, Blemides ſapiens, &c. Scripſerunt contra illum. Baron *tom.* 12. *Annal. A.* C. 1116.

CHRYSOLAUS, Methymnæorum tyrannus, à Macedonibus in Chio, quam ignarus ab illis occupatam eſſe cum Ariſtonico piraticis lembis intravit, captus & popularibus deditus; quem illi ob injurias tortum necaverunt. Curt. *l.* 4. *c.* 8.

CHRYSOLITHUS, Græcè χρυσόλιθος, inter XII. gemmas, Novæ Hieroſolymæ fundamenta, memoratur Apocalypſ. c. 21. v. 20. ſeptimô locô: Ὁ πέμπτος σαρδόνυξ, ὁ ἕκτος σάρδιος, ὁ ἕβδομος χρυσόλιθος. *Quintus ſardonyx, ſextus ſardius, ſeptimus, Chryſolithus.* Inter XII. itidem illas, quibus ſacrum Pectorale Sacerdotis Summi Hebræorum refulgebat, Exodi, c. 28. v. 20. ubi in quarto ordine, ponitur primô locô *Chryſolithus*, quomodo Vulgatus Hebr. תרשיש *tarſchiſch* Joſephus & LXX. ſequutus reddit; Tremelliô & Juniô *Beryllum Thalaſſinum* voce eâ intelligentibus. Vide Rivetum *ad loc.* De illo ſic Plin. *l.* 37. *c.* 9. *Æthiopia mittit & Chryſolithos, aureô colore tranſlucentes. Præferuntur iis Indicæ & ſi variæ non ſint, Bactrianæ. Deterrimæ autem Arabicæ, quoniam turbidæ ſunt & variæ, & fulgoris interpellati nubilô macularum, etiam quæ limpidæ contigere, velut ſcobe ſuâ refertæ. Optimæ verò ſunt, quæ in collatione aurum albicare quâdam argenti facie cogunt. Fundâ includuntur perſpicuæ, cæteris ſubjicitur aurichalcum*, &c. Nomen ei ab *auri* θέᾳ, dictuſque etiam χρυσόπαστος eſt, ab auri ὄψει, h. e. *facie*: aliter & *Chryſolampis*, juxta Solinum, & χρυσόπαστον Epiphanio, qui gemmam hanc in puteo repertam, propè Babylonem tradit, quod adumbratum & effictum ex verbis Plinii *d. l. Bocchus Auctor eſt & in Hiſpania repertas, quo in loco cryſtallum dicit ad libramentum aquæ puteis depreſſis inde erutam. Et Chryſolithon XII. pondo à ſe viſam.* Speciem ejus, nec optimæ, *Chryſopaſton* eſſe diximus ſuprà. Cæterùm optimæ *Chryſolithi* fundâ includebantur ſeu palâ perſpicuæ, ut idem ait, h. e. patentes; cæteris aurichalcum ſubjiciebatur, *folii* vice, ut vulgò vocant Galli, quod olim & per ſe in uſu gemmarum diu apud Veteres in admiratione fuiſſe, idem alibi ſcribit. *Fundum* autem appellat in annuli palam, quia Græci σφενδόνην quoque vocant, quæ vox fundam ſignificat, &c. Pergit Plinius, *Sunt in hoc genere capniæ, ſunt & vitreis ſimiles, veluti croceô refulgentes, vitrei a veris viſu diſcerni non poſſunt; tactus deprehendit, tepidior in vitreis.* Ubi vitrei Chryſolithi ſunt, quos ψευδοχρυσολίθους vocat *Diodorus*, qui ὑαλίνους vocat vitrum, quô Chryſolithi factitii adulterantur. *Capniæ* verò, *Chryſolithi* ei dicuntur, qui fumidi vapore Solis fiant, adeoque [illegible] hunc colorem induant, &c. Vide omnino eum pluribus de hac gemma diſſerentem, ubi ſuprà, & Salmaſ. *ad. Solin.* p. 305 ac 407. Sed & χρυσόλιθος, lapidis nomen, qui aliàs χρυσίτης, apud Zoſimum: Ἀργυρόλιθος καὶ χρυσόλιθος, vide ſuprà in voce *Chryſites*. Etheſium quoque lapidem, ut & Aëtiten, χρυσολίθους vocari, legas in *Lexico Chimiæ*, apud eundem Salmaſ. d. l. p. 1103.

CHRYSOLOGUS, vide *Petrus Chryſologus*.

CHRYSOLORAS Emanuel, nobilis Conſtantinopolitanus, in Italiam venit, A. C. 1397. Græcam linguam ibi, à 700 an. neglectam docuit; excitatô ſimul Latinæ linguæ ſtudiô, Venetiis, Florentiæ, Romæ, Papiæ. Obiit A. C. 1415. ætat 47 Conſtantiæ, tempore concilii. Ei Æneas Sylvius, poſtmodum Pius II. epitaphium ſcripſit. Auctor *Grammaticæ Græcæ*, &c. Geſner. Biblioth. P. *Jov. elog.* Vide & *Emanuel*.

CHRYSONDIUM, Daretidis regionis in Macedonia oppid. Polyb. *l.* 5. *c.* 108

CHRYSOPASTUS, Græcè Χρυσόπαστος quaſi *Aurô ſparſus*, inter Chryſolithorum genera. Vide ſuprà in voce *Chryſolampis*. Sed & Sapphiri eundam generi idem nomen, eandem ob cauſam, quòd videl. *aureâ ſcobe*, uti Plin. loquitur, *l.* 37. *c.* 9. *aſperſum* ſimiliter eſſet. Dicta namque χρυσόπαστα Græcis *varia*, &c. Idem Salmaſ. *p.* 407.

CHRISOPOEIA, vide ſuprà *Chemia* & infrà *Vellus aureum*.

CHRYSOPOLIS, *Stephano* urbs prope Chalcedonem in Bithynia, per Boſporum naviganti ad dextram: dicta, quòd Perſæ illic colligerent aurum ex tributo aliarum civitatum, vel à *Chryſo*, Chryſeidis & Agamemnonis filio. Plin. *l.* 5. *c. ult.*

CHRYSOPOLIS, Ciliciæ urbs *Steph.*

CHRYSOPOLIS, *Ptol. Xenoph. Suidæ*, & *Stephano*, *Bos* Polybio, *Damalis Arriano*, promontor. Aſiæ, poſitum è regione promontorii Byzantium continentis, ut illud ex *Georg. Cedreno* deſcribit *Petr. Gyllius*, quod *Scutari* hâc tempeſtate appellatur. Polybio tamen, l. 4. *Bos* & *Damalis* duo diverſa ſunt loca.

CHRYSOPRASUS, Græcè Χρυσόπρασος, inter gemmas XII. quæ totidem fundamenta conſtituunt Hieroſolymæ Novæ, apud Joannem Apocalypſ. c. 21. v. 20. decimô locô memoratur: Ὁ ὄγδοος βήρυλλος, ὁ ἔνατος, τοπάζιον, ὁ δέκατος, Χρυσόπρασος, *Octavus beryllus, nonus, topazius, decimus, Chryſopraſus.* Ejuſdem mentio inter XII. gemmas, in ſacro Pectorali, Pontificis Maximi apud Iſraëlitas, Exodi c. 28. v. 11. *Et hunc ordinem ſecundum, Chryſopraſum* (inſeruerunt) *ſapphirum & adamantem.* Sic enim vocem Hebræam נפך, *nophec*, Tremellius & Junius reddunt. Vulgata vero *Carbunculum* interpretatur, uti ἄνθρακα Septuaginta; *Chalcedonium* Hebræorum nonnulli. Quorum quidquid ſit, *Chryſopraſus*, gemma eſt, ex porraceo virore & auri fulgore mixtum habens colorem, unde ei quoque nomen. Beryllorum generi quoſdam *Chryſopraſum* adjudicâſſe, Solin. ait, c. 52. imò ſui generis eſſe quoſdam exiſtimâſſe, Plin. *l.* 37. *c.* 8. *Vicinum genus huic eſt pallidius, & à quibuſdam proprii generis exiſtimatur*, de Chryſoberyllo loquens. Sed, ut nomen ſonare diximus, non poteſt pallidius eſſe hoc genus Chryſoberyllô; imò nec beryllo: porraceus enim color ſummi eſt viroris & auſteri, non pallidi. Fortè legit in Græco Auctore Plinius, χλωρότερός ἐστι χρυσοβηρύλλου, quod ob ambiguitatem vocis χλωρὸς de *pallore* accepit, cùm de *virore* capere debuiſſet. Guttas aureas gemmæ huic tribuunt *Iſidorus* & *Epiphanius* de quibus nihil apud Plinium ac Solinum, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1106.

CHRYSOR, idem cum Vulcano apud Sanchoniathonem, cujus

verba Philo laudat apud Euſebium *Præpar. Evangel. l.* 1. ubi, cùm de Ὑψουρανίου ſobole gemina, quam Ἄγρεα & Ἁλιέα, *Venatorem* & *Piſcatorem* vocat, locutus foret, ſubjungit: *Ab iiſdem fratres procreati duo, qui ferrum ac multiplicem ejus uſum reperêre. Quorum alter Chryſor nomine, quem Vulcanum eſſe aiunt, plurimum operæ ac ſtudii partim in eloquentia, partim in cantionibus ac divinandi artibus collocavit. Is etiam hamum atque eſcam, piſcatorum lineam, ac tumultuarias rates invenit, primuſque mortalium omnium navigavit. Quamobrem eum quoque poſt obitum inſtar Dei coluerunt, ipſumque præterea Diamichii nomine appellârunt.* Quæ vocabula Ὑψουράνιος, Ἀγρεύς, &c. non à Sanchoniathone ſunt, ſed Interprete, qui Phœnicia nomina Græcis vocibus expreſſerat. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de origin. & progreſſu Idolol. l.* 1. *c.* 22.

CHRYSORRHAPIS, cognomen Mercurii, de quo vide infrà, voce *Mercurius*.

CHRYSORRHOÆ, populi dicti, quòd apud eos, ut inquit *Strab.* auriferi torrentes ſint. Unde fabulis occaſio de vellere apud Colchos aureo.

CHRYSORRHOAS, Syriæ fluv. per Damaſcum, & ejus agrum fluens, *Pharpar* Ebræis, *Adegele*, teſte *Bellonio*. Sic & Pactolus à veteribus dictus ob arenas, quas defert, aureas. Sunt alii duo hujus nominis, unus in Bithynia, alter in Themiſcyra regione. Salmaſio tamen potiùs, quod Damaſcum fertilem redderet, quàm quòd *auro* flueret, fluvius Syriæ dictus videtur. Totus enim is in rigua & rivulorum deductiones convertebatur & Damaſcum præcipuè rigans, eam εὔκαρπον reddebat fertilemque, Salmaſ. *ad Solin. p.* 617. Vide quoque infrà *Opoton*.

CHRYSOSTOMUS, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, tempore Arcadii & Honorii Imperatorum ob excellentem eloquentiam cognomen Χρυσοστόμου, & Χρυσορρήμονος adeptus eſt. Patriâ Antiochenus fuit, natus ex nobilibus parentibus, Secundô, & Anthuſâ, Rhetoricam à Libanio, Philoſophiam ab Andragathio didicit. Theologiæ ſtudio apud Diodorum & Baſilium incubuit. Primum in Eccleſia Antiochena lector fuit. Deinde Presbyter ordinatus, poſteà mortuô Nectariô, ad Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ gubernationem evectus eſt, A. C. 401. Fuit naturâ iracundior, & liberioris linguæ. Ideo in multorum acerbiſſimas offenſiones incidit, declamitans contra Eudoxiam Auguſtam, juſſu Imperatoris in exilium actus eſt, ſed populus, ſeditione motâ, obtinuit, ut quamprimum revocaretur. Poſteà rurſum ejectus, & in Armeniam relegatus eſt, ubi diem ſuum obiit die 14. Septembris, A. C. 411. Vide *Johannes Chryſoſtomus*.

CHRYSOTHEMIS, filia Agamemnonis & Clytemneſtræ Homer. *Il.* 9. Item vir Cretenſis, Carmanoris, qui Apollinem de cæde Pythonis latronis purgaverat, filius; primus in Pythicis Ludis, Panegyricorum vetuſtiſſimis, cecinit & cantu vicit. Fuit enim antiquiſſimum in his Ludis certamen, *Hymnum in Apollinem canere*, ἆθλον ſeu *premio* victori propoſitis. Poſt eum Philammon vicit. Pauſan. *Phocicis*. Vide quoque *Diomedes*.

CHRYSUM, unum oſtiorum Indi fluv. *Ptol.*

CHRYSUS, nomen pueri vel famuli, Ariſtoph. *Crabr.* 520.

CHRYSUS, Hiſpaniæ Bæticæ fluv. *Sex. Avienus*.

CHRYXUS, Dux Bojorum fuit nepos Brenni, quô Duce olim Galli Romam ceperant. Hunc deſcribit Silius, *l.* 4. *v.* 148.

Bojorum ante alios Chryxô duce mobilis ala
Arietat in primos, obicitque immania membra.
Ipſe tumens, atavi Brenni ſe ſtirpe ferebat
Chryxus, & in titulos Capitolia capta trahebat,
Tarpejóque jugi demens, & vertice ſacrô
Penſantes aurum Celtas umbone ferebat.

CHTHONIA, Ceres dicta, quaſi *terreſtris*, ſeu *terrena*, quanquam Pauſan. author eſt, *l.* 2. eam cognomen hoc ſortitam à *Chthoniâ* quadam puellâ Argivâ, quòd poſt ambuſtum patrem à Dea in Hermionem oppid. ducta, ibi templum ei conſecraverit, *Chthoniamque* Deam à ſuo nomine appellaverit. *Nic. Lloydius*. Aliàs χθόνιοι Θεοὶ Græcis, *Inferi* ſunt, ut in *Inſcr.* Herodis, Μάρτυς δαίμων ἐστὶ.... ἥ τε Δημήτηρ καὶ Κόρη ... καὶ Χθόνιοι Θεοί. Et in altera ejuſdem *Inſcr.* Χθόνιος .... h. e. *Dis pater*, Deus Inferorum: qui iidem & Καταχθόνιοι. Sed & ſic dicebant eos, quos *Indigetes* appellavêre Latini, h. e. Deos *in ipſo ſolo* natos, ἐγχωρίους aliter. Hinc apud *Dionyſium*, ... Πατρὸς Θεοῦ Χθονίου, i. e. *Patris Dei Indigetis*. Sic Χθονίας .... *Tragicum* dixit, τοὺς αὐτόχθονας, *indigenas*, in ipſa terra natos, &c. Vide Salmaſ. *ubi ſuprà p.* 71. & plura in hanc rem infrà, in voce *Indigetes*.

CHTHONIA inſula, eadem quæ Creta. *Steph.*

CHTHONIUM, feſtum erat, quod in honorem Cereris ab Hermionenſibus eximiâ veneratione celebrabatur, in quo boves viſendæ magnitudinis, & ferociæ, Deæ ſacerdotem, infirmam, & vetulam muliérculam ſponte ſequebantur, velut ultro ſe immolationi offerentes.

CHTHONOPYLE, mulier quæ Baccho Philianem peperit. Steph. in *Philæa*.

CHUB, i. e. *extinguens*, nomen gentis. Ezech. *c.* 30. *v.* 5.

CHUBA, Aſiæ urbs. Nicephorus, *l.* 18. *c.* 30.

CHUDUCA, Babyloniæ urbs. *Ptol.*

CHULLABI, Africæ propriæ urbs. *D. Auguſtinus*.

CHULLI, Municipium, in *Itinerar.* Auguſti. Ejuſdem meminit Solinus, *c.* 26. ubi de Numidia: *Urbes in ea quamplurimæ nobileſque, ſed Cirta eminet, dein Chulli purpurario fuco Tyriis velleribus comparanda.* Apud Plinium, *l.* 5. *c.* 3. *Chulla* extat, apud *Ptolemæum* Κόλλα, cujus utriuſque terminationis exempla habes in Numidiæ & Mauritaniæ urbibus. Cæterùm Χοῦλλα, apud hunc legendum, judicat Salmaſ. *d. l. p.* 311.

CHULMIA, hodie *Zachlumia* & *Chelmum*, teſte Joh. Luciô, eſt provinc. Serviæ, nunc *Herzegovina*, cujus partem maritimam incoluerunt olim Varalii, dein cum proximis Inſul. Narentani, qui & Arentani & Pagani Porphyrogenetæ.

CHUMNUS Georgius, vide *Georgius*.

CHUN, i. e. *præparatio*, ſive *placenta*, aut Syriacè *feneſtra*, nomen urbis. 1. Paral. *c.* 8. *v.* 8.

CHUNI, Sarmatiæ populi, *Ptol.* Honorii Principatu ex Mæotidis confinio in Europam, cum magna barbarorum gentium colluvie, irrupêre, Riccobaldus Ferrarienſis, *in pomario urbis Romanæ*. Auſonius, *Epigr.* 1. *v.* 8.

Arma inter Chunoſque truces, furtoque nocentes
Sauromatas. —— ——

In precatione Conſulatus ſui *Edyll.* 8. *v.* 31. *Chunnos* & Getas conjunxit:

Quæ vaga Sauromates ſibi junxerat agmina Chuni,
Quæque Getes ſociis Iſtrum adſultabat Alanis.

Sidonius eorum frequenter meminit, *l.* 8. *Ep.* 9.

Iſtis Oſtrogothus viget patronus,
Vicinoſque premens ſubinde Chunos,
His quod ſubditur, hinc ſuperbit illis.

Et *Carm.* 5. *v.* 481.

Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus.

Et *Carm.* 7. *v.* 241.

Curſu Herulus, Chunus jaculis, Francuſque natatu, &c.

Vide *Hunni*.

CHUNNA ſeu CHUNNAS, in *L. Sal. tit.* 8. idem eſt, quod Latinis *centum*, Germanis *Hundert*; numerus ſcil. centenarius ſeu centuria denariorum, ſecundùm quas centurias omnes Legum illarum pœnæ pecuniariæ conceptæ ſunt & ſecundùm eaſdem denariorum ſumma reducta ſemper, ad numerum ſolidorum, 40. denariis in ſolidum computatis. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CHUQUAMIA, una ex 15. provinciis regni Sinarum, in mediterran. inter *Honam* & *Chiamſi* provincias.

CHUQUISACÆ effigies, apud Peruanos, memorabilis, cui nomen *Tangatanga*, h. e. *in Tribus Unus & in Uno trinus*: quam, magnô honore in iis gentibus cultam, ſe vidiſſe refert Joh. Hugo Linſchotanus *Hiſtor. Indiæ Occid.* apud Pfannerum, *Syſtem. Theol. Gentil. pur. Cap.* 3. §. 2.

CHURITÆ, Libyæ interioris gens.

CHURIUNTI, apud eoſdem, unum è tribus Solis ſtatuis, quibus feſtô *Catapaclayme* ſacra faciunt menſe Decembri, qui iis anni primus eſt, nomen. Reliqua ſunt *Apointi* & *Intiquaoqui*, *Ibid.*

CHUS, filius Cham, Gen. *c.* 10. *v.* 6. 8. de quo, uti etiam de Chuſæis conſulendus eſt Vir Magnus, *in Phalege*, *l.* 4. *c.* 2. Æthiopum pater. Unde niger? Joſeph. *Ant. Jud. l.* 1. *c.* 6. Torniel, *A. M.* 1657. 1931. *Morer.*

CHUSAI, amicus David, Abſolonis conſilium, de perſequendo Patre, ingenioſè avertit, primus ejus occiſi poſtmodum nuntius. 2. Sam. *c.* 15. 16. 17. Joſeph. *Antiq. Jud. l.* 7. *c.* 8. 9. 10. Torniel. *A. M.* 3005. *n.* 5. Salian. *A. M.* 3009.

CHUSANRASATHAIM, Rex Meſopotamiæ. Joſepho, *Antiq. Jud. l.* 5. *c.* 4. dictus *Chuſarthes*, Rex Meſopotamiæ, vel Aſſyriæ, Iſraëlitas ſub jugum miſit, per ann. 8. ab Othoniele, cùm reſipuiſſent, poſtmodum liberatos. Judic. *c.* 3. *v.* 3. Joſeph. *Ant. Jud. l.* 5. *c.* 4. Torniel. *A. M.* 2601. Salian. *A. M.* 2623. & *ſeqq.*

CHUSARIS, Libyæ interioris fluv. *Ptol.*

CHUSISTANIA, provinc. Perſiæ, verſùs Auſtrum, juxta ſinum Perſicum extenſa, ubi aliàs Suſiana regio. Ejus urbs præcipua *Souſter*, aliàs Suſa, ubi regia Aſſueri, ad Eulæum ſeu Choaſpem fluv.

CHUTA, regio Perſica, unde Salmanaſer gentes traduxit ad Palæſtinam inhabitandam. 2. Reg. *c.* 17. *v.* 30. Unde *Chutæi*, vide infrà & *Cuſis*.

CHUTÆI, populi Perſiæ, miſſi, ut Samariam, à Salmanaſſare vaſtatam, incolerent, Samaritani poſtmodum dicti. Ob Idololatriam, leonum præda; hinc miſſis ex infima face Sacerdotibus, qui illos utcunque ad veri Dei cognitionem perducerent, miſcellam quandam religionem amplexi ſunt. Demum poſt Chriſti aſcenſionem veræ de Deo doctrinæ luce plenè illuſtrati, Actor. *c.* 8. *v.* 5. Joſepho, *Jud. Antiq. l.* 9. *c. ult.* ſic dicti, à Perſiæ provinc. Chuta, fluvioque Chut. Vide 2. Reg. *c.* 17. *v.* 25. *& ſeqq.* Torniel. *A. M.* 3314. *n.* 2. 3315. *n.* 2. Salian. *A. M.* 3315. Vide & in voce *Cuſis*.

CHUTHER Taurus, Thebaidis in Ægypto tyrannus, poſt Semphucratem Regem, quem vide. Illum excepit Meuros, vide *ibi*.

CHUZICA, caſa fuit in tribu Benjamin, Monachi Johannis, ſita ad torrentem in parte Septentrionali viæ publicæ, quæ Hieroſolymis egreſſos Hierichuntem defert. Niceph. *l.* 17. *Hiſt. Eccleſ. c.* 4.

CHUZIS, Africæ propriæ urbs. *Ptol.*

CHYDA, Lyciæ maritimæ oppid. apud *Ptol.* ut *Sophiano* placet, ex Latinis fortaſſe mendoſis exemplaribus, nam Græca *Lydia* hôc locô habent: *Giva* hodie eidem *Sophiano*.

CHYDA, Siciliæ fluv. *Ptol. Chryſa Diodoro. Roſmarino* teſte *Fazello*, inter Aluntium, & Calactam.

CHYDÆÆ, Græcè χυδαῖαι, apud Plinium & *Dioſcoridem*, palmulæ dictæ ſunt minores, quæ maturæ ſuêre, quaſi tum *viliores*,

quod vox Græcis notat, vide Plinium, *l. 14. c. 16. de Vinorum generibus*, & *Dioſcoridem*, ubi de vino palmeo loquens, λαβὼν, inquit, φοίνικας τὰς χυδαίας πεπείρους, *Cape palmulas* chydæas *maturas.* Nempe ex palmis, quæ inveteratí ſervatique negabant, aliæ ad cibum ſumebantur, aliæ ad vinum faciendum: quarum illæ viridiores colligi ſolebant, antequam mateſcerent, has maturas eſſe fuit neceſſe. Cujuſmodi vinô Parthos & Indos & Orientem totum uti ſolitum, ait *Plinius*. Niſi malis *Chydæas* palmulas, de communibus dactyliferis exponere, quas Romani Græcique honori Deorum dabant, quibus & victores coronabant. Sic autem vocabant eas Judæi Helleniſtæ, non ut Deos Gentilium contumeliâ afficerent, ut arguatur Plinius, ſed ad differentiam caryotarum, quæ apud ſe quoque naſcebantur. Vulgaris autem illa & plebeja in Græcia naſcebatur, non item caryotifera. Et fortaſſe hæ ſunt, quæ πατητοὶ dicebantur, ex quibus *calcatis* vinum exprimebatur, &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1326. Alia notio vocis, cùm de coronis uſurpatur, quæ Χυδαῖαι apud Athenæum, *l.* 15. dictæ ſunt, quaſi χύδην πλεκ(ταί), *confuſè plexa*, ac nullô ordine & diſpoſitu florum, ſed inordinatæ & inmulsitariæ. Cujuſmodi coronæ primitùs fiebant, cùm flores in indiſcriminatim legebantur, ſic ex indiſtinctis illis corollam ſibi quiſque plecteret. Poſtmodum, ut convivium dabantur iis, qui jubebantur exigi conviviô; planè diſſimiles illis, quibus omnis generis flores inſerebantur, & quidem multâ curâ, multû delectu paritque diſpoſitu. Ibi enim florum multitudo verſicolorum certabat cum ordine & collocatione: unde proceſſu temporis coronam tam accuratè plexam, ἴρωα fuiſſe appellatam, inquit Auctor *Etymologici*. Qua de re vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 2 *c.* 12.

CHYDORUS, Bœotiæ fluv. qui à tot millibus Perſarum, quot Xerxes Græciam invaſit, epotus non ſuffecit. Alex. ab Alex. *l.* 6. *c.* 25.

CHYER, apud Auctorem Appendicis Latinæ *ad Hiſtoriam Wilhardnini*, p. 230. *Dederant ipſam terram Imperatori* Chyer *Micali Palæologo Græco*, &c. Dominus eſt, ex Græco Κύριος ſeu potiùs Κύρος, aut Κύρης, uti recentiores Græci efferebant. Ibidem *Chyer Andronicum*, quem *Xer Andronicho* vocat Raimundus Montanerius *in Chron. Catalanica Regum Aragon. c.* 199. ubi *Xer* effertur, ut *Chor*, apud Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CHYLEMATH, Mauritaniæ Cæſarienſis fluv. *Ptol.*

CHYMENE, Græcè Χυμένη & Χυμένιον, infimâ ætate, dicta eſt herba tinctoria, luteum faciens colorem, quâ excellentiſſimum in tota Græcia ſericum luteum tingi ſolitum, ſcribit eruditus Herbarius. Ejus meminit, præter alios, Pſellus, *in Iatrico*, Jambicis verſibus ſcripto de *Urina*.

> Ε᾽πεὶ δ᾽ ἀπόχρωσιν μετρίως βεβαμμένον
> Τὴν ἀμόργινον εἰκονίζον χυμένην,
> Βαφὴν τε μᾶλλον ἀχροῦ ἰσχὺ τὴν χροιάν.

Ubi ἀμόργινος χυμένη, eſt cujus jus tinctorium nondum ſatis conferbuit, ſed adhuc *crudum eſt nec abunde decoctum.* Corruptum autem eſt nomen ex οἰχομένιον, quod integrum legitur in Pſeudo-Democriti *Phyſicis* & cum aliis herbis rebuſque lutô inficientibus commemoratur: ϰ κρόκον, ϰ θάψαν, ϰ οἰχομένιον ἄνθος, ϰ ἰλύδιον ϰ κεχαυμένον ϰ ἀρσενοχίτην. Sed cùm forma χυμένης ad nos non pervenerit, incertum quomodo apud Veteres Græcos illa fuerit appellata. *Zoſimus* Θαψίαν fuiſſe putat, & certè Thapſiæ flores lutei; unde Θαψίναι mulieres vocatæ, quæ *ictore* & velut *lutô* infectos habebant colores corporum. *Comicus*,

> Γυναικὶ ὠχροτέραν ἔοικας θαψίνης

Etiam thapsô tingi lanas & capillos colore luteô, *Heſychius* habet. Sed eadem fieri potuêre ex Scythica radice & Lycio. Glauco quoque colore lanas olim luteô colore tinctas fuiſſe novimus: unde *glaucina pallia*, apud Martialem, *l. 9. Epigr.* 27. Scriptores tamen Chymici diſertè Θαψίαν vocavêre οἰχομένιον: quæ nomina etiam affinitatem habent. Namque οἰχομένιον videtur dictum, quòd colorem efficeret luteum ex pallido, qualis ἐν τοῖς οἰχομένοις, *in morientibus*, cernitur: & θάψος, quòd colorem parem oſtendat, ut eſſe in his ſolet, qui *ſepeliendi* ſunt; θάψαι enim *ſepelire* eſt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1163. *& ſeqq.*

CHYMIA, vide ſuprà *Archemia* & *Chemia*: uti de *Chymicis*, Medicorum genere infra.

CHYNILADANUS, in utroque regno Babylonico & Aſſyriaco, quæ Aſar haddon conjunxerat, tertius ab illo, Saoſduchinum excepit, annô Joſiæ Regis in Juda 12. regnavit annos 22. ſucceſſore Nabo-pol-aſſaro, uti *Canon Regum Babylon.* eum vocat, ſeu Nabu-chodon-oſore aut Nebucadnezare I. Contra eum aſcendit Pharao Nechao Rex Ægypti, annô 21. regni *Chyniladani*, Joſiæ 31 qui Pharaoni occurrens, occiſus eſt in Mageddo. Vide Marshamum *Canone Chron.* ubi & per ignaviam hujus Regis, an Saoſduchini, deceſſoris ejus, Niniven deſciviſſe, propriô ſibi Rege electô, conjicit. Vide in *Cyaraxe* ſeu *Cyaxare* I. infrà.

CHYRETIÆ, Macedoniæ urbs. *Ptol.*

CHYTON, regiuncula Epiri. *Steph.*

CHYTOS, Cyzici portus. *Apollonii Scholiaſtes.*

CHYTRÆ, apud Ammian. Marcellin. *l.* 22. *de Ægyptiis*, *Sunt Thermæ lutra, quæ* Chytras *indigenæ vocant.* Nempe profundiora loca paludis, uti πέλεκκα, à *pelvis* profunditate, ſic χυτρίνους & χύτρας dicebant Græci, ab eadem ratione. *Heſych.* χυτρῖνοι τὰ κοῖλα τῆς γῆς, δι᾽ ὧν αἱ πηγαὶ ἀνίασι. Arriano κυθρῖνοι dicuntur loca iſtiuſmodi fluminis magis profunda & cava, in *Periplo* Maris Erythræi, οἱ δὲ κυθρῖνοι τόποι εἰσὶ τοῦ ποταμοῦ βαθύτεροι μέχρι θαλάσσης. Ubi κυθρῖνοι Ionicum eſt pro χυτρῖνοι. Inde κυθρῖνοι & χυτρῖνοι, foſſæ & canales ad aquam deducendam. Heſychius *d. l.* ut & alibi, λίθων χοαί, αἱ διὰ λίθων ὀχετοὶ ϰ χυτρῖνοι. χοαὶ δὲ οἱ λίθων, ὑπονόμοι ϰ χυτρῖνοι ϰ διώρυγες. Sic meminit τῶν Καιῶν Χυτρῶν, quæ vaporem peſtiferum exhalabat, Antigonus, *c.* 176. quem ἄχρηστον & βόθυνον vocat *c. ſeq.* Unde videmus, tam naturalem, quàm manufactum, rivum χυτρῖνον vel χύτρον Græcos vocâſſe. Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 117. *&* 118.

CHYTRÆUS David, Indelfingâ vel ſecundùm alios, Menzingâ Suevus, Theologus & Hiſtoricus clariſſimus. Scripſit *Onomaſticon Bibl.* atque in *S. Scriptura maximam partem Enarrationes, Prælectiones, Commentarios, & Scholia.* Præterea *Chronicon Saxon.* &c. quæ omnia 2. tom. fol. prodierunt Lipſiæ, A. C. 1599. De hoc Melch. Adamt, *Scripta malui edere*, inquit, διδακτικὰ, quàm πολεμικὰ aut ἐριστικὰ, *unde meiſno aſpergebatur ſocietatis cum Pontificiis ſuſpicione.* Obiit Roſtochii A. C. 1600. ætat. 70. Idem. Thuanus *Hiſt. &c.* Vide & *David*, it. *Nathan.* ac de utroque plura apud Autom Triſſiet *in Elogiis*, *Part.* 2.

CHYTRI, Cypri civitas. Vide *Steph.*

CHYTRI, feſtum fuit, apud Athenienſes, percelebre, in quo omne ſeminum genus in olla coquere ſolebant, Dionyſio, & Mercurio operantes, ut *Theopo.* ſcribit. Propriè pars Liberalium Antheſteriorum. Scholiaſtes Ariſtophanis *ad Acharn.* φησὶ Α᾽πολλόδωρος, Α᾽νθεστηρια καλεῖσθαι κοινῶς ὅλην τὴν ἑορτὴν Διονύσῳ ἀγομένην, κατὰ μέρος δὲ Πιθοιγίαν, Χόας, Χύτρας. Et quidem Pithœgia celebrabantur die 11. menſis Antheſterionis; Choes 12. *Chytri* 13. teſte *Harpocratione*: quanquam præfatus Scholiaſtes Choum & Chytrorum eundem eſſe diem ſtatuit. In his autem, non minus ac in Dionyſiis, Lenæis ac Panathenæis, fabulas ſuas committebant Tragici, uti diſcimus ex Diog. Laërtio *in Plat.* Vide Sam. Petitum, *Comm. in LL. Attic. l.* 1. *Tit.* 1. dicatumque hoc feſtum Mercurio terreſtri fuit, uti legimus apud *Theopompum* Scholiaſti Ariſtophanis citatum; Quòd enim ſibi id ſacrum dicit Bacchus, apud eundem Comicum *Ranis*, hinc eſt, quòd non ſolum per Διόνυσον ſeu Bacchum; ſed per Mercurium etiam, Sol intelligatur, ut ait Voſſius, *de Idolol. l.* 2. *c.* 13. *ſub fin.* De Mercurio verò verba Scholiaſtis *Ran.* iſta ſunt: Ε᾽πεὶ θύειν αὐτοῖς ἔθος ἦν, Ο᾽λυμπίων μὲν θεῶν οὐδενὶ τὸ παράπαν, Ε᾽ρμῇ δὲ χθονίῳ. *Hinc ſacrificare iis mos erat, Olympiorum quidem Deorum nemini, Mercurio autem Terreſtri.* Idem de eodem ex Theopompo memorat, ut, cùm Deucalioneô diluviô periſſet genus humanum, ſuperſtites omne ſeminum genus in olla coxerint Mercurio Terreſtri, quô mortuis eum redderent propitium; neminem verò ex olla hac guſtare auſum, atque illud eſſe initium feſti iſtius, quod Χύτροι ſive *Ollare feſtum* diceretur. Quis autem hic Mercurius fuerit, clariùs exponit Voſſius, *l.* 2. *c.* 57. ubi cenſet, Mercurium Olympium fuiſſe Solem noſtrum. Terreſtrem autem illum Antipodum. Idem eô ſe inclinare quoque dicit, ut Charon Græcus & Romanus non alius ſit quàm Mercurius ille inferus, cui nomen fortè à חרון *ira*, quia miniſter ſit iræ divinæ: ut ſic propriè ſit Angelus malus, malas animas ad loca ſupplicii deſtinata deferens. Sanè Pſalmô 78. v. 49. habes hanc vocem. Latinè eſt: *Miſit eos in iram* (חרון) *naris ſua, excandeſcentiam & furorem & anguſtiam, immiſſionem Angelorum malorum.* Ubi Rabbini ex eo, quod ſubjicitur *de Angelis malorum*, colligunt, Iram, Excandeſcentiam, Furorem, Anguſtiam, eſſe nomina ſpirituum, quibus Deus utitur in malis puniendis. Vide omnino Voſſ. *loc. cit.*

CHYTRIUM, Ioniæ locus, ubi quondam Clazomenæ fuerunt. *Strabo.*

CHYTROPOLIS, regiuncula Thraciæ. *Steph.*

CHYTROS, Plinio, *l.* 5. *c.* 31. *Chytri*, urbs olim Epiſcopalis, nunc pagus Cypri mediterran. apud Famaguſtam. *Chitri* etiamnum.

CHYTRUM, urbis Clazomenarum pars, cum altera parte, quæ parva erat Inſula, ponte commiſſa. Hæc autem urbs, teſte Ariſtotele, ob iſtum ſitum variis ſeditionibus laboravit, *l.* 5. *Polit. c.* 3. Hermolaus Barbarus putat Stephani eſſe *Chytum*: verùm apud Stephanum ſic mihi legendum videtur..

CIA, vulgò ZEA, inſula ſub Eubœa, non procul ab Attica, quæ à Plinio, *l.* 4. *c.* 12. & *Strabone Ceos*, & *Cea*, appellatur. Populi *Cii*, qui à laſciviis, & voluptatibus alieni fuiſſe perhibentur, cùm apud eos nec meretrices, nec tibicines eſſent. Contrà *Chii* malè tanquam effœminati audiebant. Unde adagium apud Athen. *l.* 13. *Non Chium, ſed Cium*, de rebus valdè diſcrepantibus.

CIABRUS, vel CIAMBRUS, Daciæ fluv. *Ptol. Morava Mercatori, Sueva Ortelio*, qui malè eum in Hungaria reponit, inquit *Ferrarius*, cùm Myſiæ ſuperioris fluvius eſt, eam ab inferiori dividens. Aliquando *Ciambus* dicitur.

CIACA, in *tabula Peutingeriana*; ubi iter à Daſcuſa ad Melitenen Cappadociæ, per ripam Euphratis deſcribitur, ad hunc modum:

> *Daſcoſa*, *Hiſpa* XVIII.
> *Arangas* IX.
> *Ciaca* (lege *Ciaca*) XXVIII.
> *Melentenis* (pro *Meliteneu*) VIII.

Ptolemæo Κιάκις dicitur, eſtque urbs Armeniæ minoris, de qua vide in voce *Ciacis*.

CIACIS, Armeniæ minoris urbs in Meletina regione. *Ptol.*

CIACONIUS Alphonſus, Baëzâ Andaluziæ oriundus, Dominicani inſtituti, in Antiquitate Eccleſiaſtica optimè verſatus, poſt Petrum Ciacconium Toletanum, præcipuum Hiſpaniæ lumen. Scripſit *de Cruce Dominica*, *de Jejuniis*, *Hiſtoriam utriuſque belli Dacici à Trajano geſti*, &c. *de Trajani anima à Gregorio I. liberata*, *de S. Hieronymi Cardinalitia dignitate*, quæ ambo cenſuram meruêre ipſius Bellarmini, Melch. Cani & Baronii. *Pontificum porrò Roman. utuoque Cardinalium omnium ſeriem*: quod opus ab illo cœptum continuavit Franc. Morales Cabrera editique A. C. 1601. & 1602. correxerunt dein Hier. Aleander & Andr. Victorellus, quorum hic novam editionem adornavit. A. C. 1630. Continuârunt poſteà Car. Bellus Urbinas, aliique uſque ad Clementem X. prodiitque editio ultima A. C. 1676. in 4. Voluminib. in fol. Obiit A. C. 1599.

Thua-

Thuanus, Poſſevinus *Appar. Biblioth. Hiſp.* Teiſſier, *Elog. Part.* &c.

CIACONIUS Petrus, vide *Petrus*.

CIÆNA, Galatiæ urbs. *Ptol.*

CIAGESI, Daciæ gens. *Ptol.*

CIAMPA, regnum Indiæ ulterioris inter Cocinchinam, regnum Cambajæ & mare Sinicum.

CIAMUM, promontor. Cretæ, nunc *Capo Spada* Sophian. In mare Ægæum maximè excurrit, verſus Cytheram Inſul. & Peloponneſum, nunc in territorio Caneæ.

CIANI, Græcè Κιανοὶ & Κίιοι, dicti ſunt nonnullis, qui aliis [illegible], Galenus in *Iſagoge*, Βιθυνοὶ [illegible], Bithynus Cianus, *qui & Pruſienſis dictus eſt*. Nempe Cios vocabatur olim, quæ poſtea *Pruſias* appellari cœpit, unde Cives modò *Ciani*, modò *Pruſienſes*. Condita eſt autem Cios, circa Olymp. 37. uti habet Euſebius *in Chron.* Meminit Cianis oppid. Plin. *loc. cit.* nullâ Pruſiadis factâ mentione, *Amnes Hylas & Cios, cum oppido ejuſdem nominis*: quam cum Pruſa ad Olympum perperam confundit, ut docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 878.

CIANICA, Armeniæ oppid. *Ptol.*

CIASA, Babyloniæ oppid. *Ptol.*

CIBALIS, Pannoniæ inferioris urbs. *Ptol.* quibuſdam *Palyna*, Urbecula Hungariæ ad amnem Bozuetham, prope Almum montem, in Valbouenſi Comitatu inter Murſam minorem ad Boream & Sirmium ad Auſtrum. Aliis melius eſt *Walma*, oppid. ſeu vicus *Svilen*, in vicinis, ad amnem Bicksium, in Raſcia, vix 2. leuc. à Savo fluv. in Boream. Inter Polegam ad Occaſum & Sirmium ad Ortum. *Lex. Baudrand.*

CIBARCI, Hiſpaniæ populi. Plin. *l.* 4. *c.* 20.

CIBARIÆ Leges, alias *Sumtuariæ* dictæ, ab hominum luxu occaſionem habuêre. Cùm enim à veteri & avita Majorum parſimonia poſteri diſcederent, & nullum modum luxuria inveniret; cujus teſtes, Cinci porcellus Trojanus & integri apri conviviis illati, legum animadverſione opus fuit. Lata igitur primum eſt Lex *Orchia*, quæ numerum convivarum præſcripſit, Ao. Urb. Cond. 566. *Fannia* dein ſumtibus modum fecit aſſibus centum, an. 588. cujus tenorem ad univerſam Italiam, ac eos etiam, qui vocati conviviis interfuiſſent, extendit Lex *Didia*, an 606. Secuta *Licinia*, paucis mutatis, in reliquis cum Fannia congruit. Poſt quam lex *Cornelia*, minora rebus pretia impoſuit: Ciborum genus & modum dein præſcripſit Lex *Æmilia*: Quam paucis interjectis annis excepit *Antia* Lex, quæ eos qui Magiſtratus eſſent, Magiſtratumque caperent, ad certas tantùm perſonas cœnatum ire permiſit. Poſtremò lex *Julia*, profeſtis quidem diebus ducentos: Kalendis, Idibus, Nonis, & aliis quibuſdam diebus feſtivis trecentos: nuptiis verò & repotiis H. S. millies permiſit. Vide quamque harum Legum, *ſuo loco*. Neque verò apud Romanos ſolùm, ſed & alias gentes, gulæ obviam itum. Imò & ante lapſum *Cibariam* quandam legem fuiſſe, diſcimus ex Gen. *c.* 2. *v.* 16. 17. ubi de arboris ſcientiæ fructu homini prohibito. Poſt diluvium dein occurrit lex ſanguinis uſu interdicens, Gen. *c.* 9. *v.* 4. quæ ſub lege repetita. Adipis eadem ratio: quæ ambo Deorum ſacra erant, vide hic vocibus *Adeps* & *Sanguis*. Præter hæc, varia etiam animalium genera vetita fuêre, de quibus vide Levit. *c.* 11. *v.* 9. Quæ tamen omnia ceremonialia & typica fuêre, ut apud Theologos videre eſt. Hinc lex illa ſenſim ſub Novi Teſt. tempora abrogata. Et quidem primò derogando illam quaſi antiquavit Chriſtus divinâ dictione illâ, Matth. *c.* 15. *v.* 11. *Quidquid in os ingreditur, hominem non polluit*. Penitùs dein & reâpſe ſublata ea eſt morte Chriſti, qui poſt expiatam peccati impuritatem, rerum omnium uſum nobis vindicavit & poſtliminiò reſtituit. Obliterata denique eſt uſu, ex tempore ipſo aſcenſionis Chriſti, poſt confirmatum Euangelium, Actor. *c.* 10. *v.* 11. &c. quando jam aſſertô in gloriam capite, beneficia ejus plenô alveô in membra redundare cœperunt. Manſit interea, quæ Lege Morali inculcatur, temperantiæ regula, æternùm obſervanda, aureaque de modo in victu ſanctè mundo perpetuò velit, donec *eſca, quæ ventri, & ventre, qui eſca deſtinatus eſt, abolitis*, 1 Cor. *c.* 6. *v.* 13. in beatas illas ſedes transferemur, ubi *nec eſuriemus amplius, nec ſitiemus amplius*—*quia Agnus, in medio throni, paſcet nos, & ducet nos ad vivos fontes aquarum*, Apoc. *c.* 7. *v.* 16. 17.

CIBARITIS, Aſiæ regio circa Mæandrum. *Strabo.*

CIBILITANI, ſtipendiarii Bæticæ populi. Plin. *l.* 4. *c. penult.*

CIBINIUM, Daciæ urbs mediterranea, quæ *Hermanſtadt*, vulgò dicitur. Caput Tranſylvaniæ urbs maxima & perelegans, egregiè munita, potens; illius incolæ Saxones ſunt. Ad Cibinum amnem, qui paulo infrà in Aluthum fluv. cadit. 25. leuc. Germ. à Claudiopoli in Ortum, verſus confinium Walachiæ. In ea perſæpe commoratur Princeps Tranſylvaniæ. *Baudrand.*

CIBO, nomen illuſtris in Italia Familiæ; quam derivant à Guidone Genuenſi, tempore Ottonis I. Imperatoris claró. Ex ea Innocentius VIII. Papa fuit, & cùm liberos ante ordines ſuſceptos ex virgine Neapolitana genuiſſet, familiæ ad majorem fortunam viam ſtravit. Filius ejus Franciſcus Comes *de Anguilara & Ferentillo* fuit: nepos autem Laurentius, ab uxore Richarda, Malaſpinarum hærede, Maſſam & Carrariam ſtirpi ſuæ acquiſivit; quibus, in filio Alberico, Ducatus *de Ayello* acceſſit. Jam antem A. C. 1450. Arano Cibo, Senator Genuæ, Prorex Neapolis fuit: qui ex Generra de Mari, nobili Genuenſi, genuit Johannem Baptiſtam, qui dein Innocentius VIII. obiit A. C. 1492. pater Franciſci præfati: quô & Magdalenâ Medicea, genitus Laurentius, extinctus eſt A. C. 1549. Cujus ex Richarda, Maſſæ & Carrariæ hærede, filius Albericus Ciboius Malaſpina Princeps Maſſæ Dux *de Ayello*, defunctus A. C. 1623. ex Eliſabetha Roborea, Franciſci Mariæ Ducis Urbini filia, pater fuit Alderami, ac reliquorum: hinc Alderamo Marchione Carrariæ (ante patrem mortuo A. C. 1606.) & nuru Marfiſâ Eſtenſi, nepotes, Carolum Principem Maſſæ Ducem Ayelli & fratres. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. tom.* 2.

CIBOLA, vel CIVOLA, provinc. novæ Mexicæ, hodie novæ *Granadæ*, ab urbe cognomine. Plana, & frigida, incolas habet candidiores, & ingenioſiores, ut & ſinceritatis juſtitiæque majores cultores, quàm in reliqua America. Unicam quiſque ducit uxorem, quam ſolicitè cuſtodiunt. Adorant aquam, & vetulam quamdam, quæ Maga ſine dubio, prope lacum quemdam in abdito degit. Herrera, *c.* 11.

CIBORIUM, non unâ ſignificatione Græcis & Romanis notum. Scriptoribus vero Eccleſiaſticis pro arca, nec non pyxide, ſeu ſcrinolo, ſuper altare, quô Sacramentum conſervatur in Latina Eccleſia. Plures in Eccleſiaſticæ ſupellectilis catalogis. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Antiquitus ita dictum eſt receptaculum, quô continebantur grana fabæ Ægyptiæ, pergrandis inſtar papaveris capitis, in quo ipſa grana ſunt quaſique loculamentis ac capſis incluſa, paulum ſuprà cellas ſuas extantia; [illegible] vocat Theophraſtus, a ſimilitudine favi veſparum, Dioſcorides [illegible]. Nicander apud Athenæum,

[illegible Greek verses]

Ubi flores ad corollas expeti dicit, & [illegible] in maturitadi ſervanda, ut pocula inde faciant, ubi fructus maturus inde extractus fuerit, aut deciderit; radicem autem in menſa coctam apponi. Nempe illud ipſum Ciborium fabæ Ægyptiæ, granis excuſſis & membranaceis diſſepimentis ejectis, poculi vicem uſumque præbebat: cujuſmodi ſcyphi formam graphicè habes expreſſam, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1110. Atque hinc [illegible] Græcis, poculi genus, ſcypho ſimile, quod ab inferiore parte in anguſtum contrahebatur, ſeu quod ab ambitu latiore ſenſim decreſcebat, uſque ad imum pediculum, ut ciborium fabæ Ægyptiæ. *Athenæus* de ciborio poculo, [illegible]. *Levia* hæc pocula vocat Horat. *l.* 2. *Od.* 7. *v.* 21.

Oblivioſo levia Maſſico
Ciboria exple, &c.

Sunt tamen qui de foliis Fabæ prædictæ vocem libentiùs accipiunt, quæ ſponte ſuâ ac naturâ cavitatem exhibere quandam, poculis ac vaſis idoneam, tradit *Strabo*. quod de foliis colocaliæ ac nymphææ itidem legimus; è quibus prout variæ ſpecies vaſorum fiebant, pateræ, catini, ſcyphi. Unde magnum reditum per totam Ægyptum, ex foliis hujuſmodi fieri ſolitum, adeo ut agri hoc potiſſimum cultu cenſerentur, addit *idem*. Sed de calice potiùs, quô tenetur ſemen incluſum, Nicandri [illegible] interpretanda eſſe, facilè liquet, ex verbis ejus: ait enim, [illegible], *ubi ſemen maturum decidit*, calices uſum præbere ſcyphorum. Præterea [illegible] *Athenæus* ſic vocata tradit, quòd ab inferiore parte in acumen deſinerent: at folia planum habent ſitum. Poſtremò calices ipſos ſive capita colocaſiæ, quæ ſemen continent, [illegible] propriè appellata, pleriſque conſtat, quô nomine & fabas ipſas quidam nuncupârunt, &c. Eſt autem [illegible] Græcæ originis; nam [illegible] apud Æolos pera vel *ſacculus*: unde & [illegible] pro eodem cæteris Græcis, unde [illegible], *Arca*, quo aliquid includitur. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. præfatum, *d. l.* nec non p. 967. & 968. Inde in Eccleſiam Latinam tranſlata vox, ut dictum. Sed & in *Ordine Roman. tegmen & umbraculum* Altaris appellatur, memoraturque Alcuino, *Poem.* 117.

Hoc quoque Ciborium *Parcuſſus fecerat Abbas.*

Illud autem quatuor columnis, iiſque prealtis, attollebatur: & in faſtigiatam formam eductum totum Altare contegebat, Anaſtaſius Bibliothecar. in *S. Gregorio Pontif.* Cæteris quoque adornatum & illuminatum, P. Silentiarius *deſcript. S. Sophiæ, part.* 2. *v.* 530. Vide ad hunc *Notas* Car. du Freſne; qui addit, in iis Templis, ubi non extant ejuſmodi *Ciboria*, ut hodie ferè apud Gallos, umbraculum ſuper Altare dependere. *Ceremoniale* Epiſcoporum, *l.* 1. *c.* 12. *Quod baldachinum etiam ſuperſtatuendum erit, ſi altare ſit à pariete ſeparatum, nec ſupra habeat aliquod* Ciborium *ex lapide aut ex marmore confectum*. *Si autem adſit tale Ciborium, non opus eſt umbraculo* &c. Porro *Ciboriis* plerumque Sanctorum corporibus leguntur impoſita, quod ea ſub Altaribus olim recondi ſolerent, atque ita eadem cum Altaribus umbraculô obtegerentur, Gregor. Turonenſ. *de Mirac. l.* 1. *c.* 28. Unde *Cibora S. Petri* meminit Adrianus Pontifex Roman. *Ep.* ad Carolum Magnum *Quaſt.* 59 *in Tom. III. Hiſtor. Franc.* illud verò conſtruxerat Leo III. apud Anaſtaſium Bibliothecar. & Baronium, *A. C.* 1130. Et Theofridus Abbas Epternacenſis, in *verſibus Operi ſuorum Epitaph. Sanct. præfixis*.

Exſtruo pyramides, Ciboria, *colligo flores*.
Spargo ſuper tumulos Sanctorum rore ſoratos

Ubi *Ciboria* pariter & *Pyramides* jungit, non quòd hic pyramides, aliæ ſint à *Ciboriis*, ſed quòd hæc illarum formam referant. Atque hinc in *Ciboriis* Sanctorum corpora paſſim leguntur recondita. Vide *Deſcriptionem Ciborii* Ædis S. Marci Venetiis apud Sanſovinum & Stringam *in Venetia*, *l.* 1. *c.* 41. & 42. nec non Ambroſianæ Baſilicæ Mediol. apud Puricellum in *Monum. ejuſdem Baſil. p.* 127. & *ſeqq.* Inde autem *Ciborium* pro quavis concameratione ſuperiore, quatuor potiſſimùm pilis vel columnis ſuſtentatâ, ſumi cœpit, uti videre eſt apud Gervaſium Dorobernenſem in *Deſcript. Eccleſiæ Cantuar.* laudatum Carolo du Freſne in *Gloſſar.* ubi ex prædictis aliiſque

vide,

vult, perperam hanc vocem interpretari *Ugutionem*, qui *Ciborium vas eſſe ad ferendos cibos* dixit: *Gropperum*, qui *Ciboria*, de quibus *Anaſtaſius* paſſim, pro pyxidibus, in quibus Euchariſtia aſſervatur, accepit: & *Goulaſtum*, qui *Ciborium*, apud Ekkehardum, *flaſconem* eſſe cenſuit. Vide quoque Macros Fratres in *Hierolex.* & infrà in voce *Suprocacium*.

CIBOTUS, Aſiæ civitas eadem, quæ *Apamea. Plin. l.* 5. *c.* 29. Græcè Κιβωτὸς, quam vocem *arcam* ſignificare *ſupra* diximus. Sic autem appellata videtur hæc urbs, quod emporium eſſet & receptaculum ac veluti arca mercium communis totius Aſiæ. *Strabo*, Ἀπάμεια δ' ἐστὶν ἐμπόριον μέγα τῆς ἰδίως λεγομένης Ἀσίας, δευτερεῦον μετὰ τὴν Ἔφεσον· αὕτη γὰρ ἐκ τῆς Ἰταλίας καὶ τῆς Ἑλλάδος ὑποδοχεῖον κοινόν ἐστι. *Apamea vero eſt Emporium ingens Aſiæ propriè dictæ, ſecundas ab Epheſo tenens. Hæc enim omnium ex Græcia & Italia mercium commune receptaculum eſt.* Olim *Celenas* appellatam eſſe, docet Plinius *loc. cit.* & Solinus ex eo, *c.* 43. & *Marcianus*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 826.

CIBSAIM, i. e. *congregationes*, civitas ex tribu Ephraim data Levitis. *Joſ. c.* 21. *v.* 22.

CIBUM Veteres quater in die ſumere ſoliti ſunt. Prima enim erat matutina jentatio, quam *Prandiculum* appellavêre priſci; mox *Prandium*, tum *Cœna*, poſtremò *Comeſſatio*. Quibus apud Græcos responderunt Ἀκράτισμα vel Ἀριστόδειπνον, Ἄριστον, Δεῖπνον, Δόρπον: vel ſecundùm *Athenæum*, Ἀκράτισμα, Δεῖπνον, Ἑσπέρισμα, Δόρπον. Dein verò, ut luxus & nequitia ſerpit, cùm à *Merenda* (quæ olim eadem cum prandio fuit) ad Cœnam, i. e. à Meridie ad veſperam, unde *veſperam Cœnam* dixêre, jejunitas nimiùm videretur longa, prandii uſus in Merendæ locum ac horam ſucceſſit: Merenda verò poſt eam horam, unde nomen ſumſerat, i. e. poſt Meridiem producta eſt, qui mos hodieque retinetur. Inde non quater modò, ſed quinquies *Cibum* capi mos erat: Quod de pueris, opificibus, ſervis, viatoribus, ſenibuſque intelligendum. Reliqui enim homines liberaliter educati, ſemel tantùm, aut plurimùm bis comedebant, ut ex Veterum monumentis pluribus probant Hieron. Mercurialis, *Var. lect. l.* 4. *c.* 17. *in arte Gymn. l.* 1. *c.* 11 & Aldus Manutius Pauli filius, *l.* 1. *de quæſitis per Epiſt. ep.* 4. Antiquiſſimum autem *Cibi* genus glandes fuêre, quas colligere tunc ſolebant certi quidam homines, Βαλανηφάγοι dicti: quò tempore nondum vigebat, *Cereale ſolum*, Et *Menſæ conſumimus*, Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 111. & 116. In hujus rei memoriam civicam coronam ex querno foliis à Romanis conſertam eſſe, docet A. Gellius, *l.* 5. *c.* 6. *Quoniam*, inquit, *cibus victuſque antiquiſſimus quernus capi ſolitus ſit*. Cui adſtipulatur Plin. *l.* 16. *c.* 4. *Civica iligna primò fuit, poſtea magis placuit ex æſculo Jovi ſacra; variatumque & cum quercu eſt, ac data ubique quæ fuerat, cuſtodito tantum honore glandis*. Hordei dein uſus invaluit, quod poſteà meliori frumento reperto in pœnam datum eſſe, indigitat Sueton. in *Aug. c.* 24. *Decimatas hordeo pavit*. Sic panis mortalibus conceſſus eſt, quo tamen non ita frequenter veteres Romani, ac pulte victitabant, teſte Valerio Max. *l.* 2. *c.* 5. *ex.* 5. Luxuries poſt hæc ſenſim irrepſit, & duo primitus miſſus in conviviis erant, unus carnium ſive epularum, alter pomorum: ut Servius prodit *ad l.* 1. *Æn. v.* 220.

Poſtquam exempta fames epulis, menſæque remotæ.

Et *ad illud l.* 8. *Æn. v.* 283.

Inſtaurant epulas, & menſæ grata ſecundæ
Dona ferunt. ---- ----

Dein, poſt Aſiam imprimis domitam, uſque adeò ingenioſi in gulam Principes viri extitêre, ut novum aliquod convivandi deliciandique genus excogitare indies unicè ſtuduerint. Quidam apros integros epulis intulerunt, teſte Schol. Juvenalis *ad v.* 141. *Sat.* 1. Alii non contenti naturalibus cibis, in una paropſide, varias rerum ſpecies confundere gaudebant; Unde Ælii Veri Auguſti ferculum *tetrapharmacum vel pentapharmacum*, ſcilicet *ſumen*, *phaſianus*, *pavo*, *cruſtulum*, *aprugna*, apud Æl. Spartian. *c.* 5. Nec deerant, qui tot in menſa ſtationes facerent, quot literæ ſunt: ut de Geta Severi Imperatoris filio narrat Spartianus idem, *c.* 5. Ex omnibus elementis nonnulli cibos conquirebant: Lucan. *Pharſal. l.* 10. *v.* 155.

Infudêre epulas auro, quod terra, quod aër,
Quod pelagus Niluſque dedit, &c.

Denique erant, qui iſti vicinia paratos faſtidientes cibos, è longinquo immani ſumtu advehi curabant: Sic Vitellius in patina, quam *Minervæ clypeum* vocavit, *ſcarorum jecinora*, *faſianorum & pavonum cerebella*, *linguas phœnicopterum*, *murænarum lactes* *Carpathio uſque fretoque Hiſpaniæ*, *per Navarchos ac triremes petitarum*, *commiſcuiſſe*, legitur apud Suetonium *in eo*, *c.* 13. Et Apicius Trajano apud Parthos agenti, multorumque dierum itinere à mari diſtanti, *oſtrea recentia ſolerter aſſervata*, miſit apud *Suid.* Unde Petronius *Satyr.*

Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afra volucres placent palato,
Quod non ſunt faciles. At albus anſer
Et pictis anas enovata pennis
Plebejum ſapit; ultimis ab oris
Attractus ſcarus, atque arata Syrtis
Si quid naufragio dedit, probatur.
Mullus jam gravis eſt, amica vincit
Uxorem, roſa cinnamum veretur:
Quidquid quæritur, optimum videtur, &c.

Dicebantur autem *Cibi* illati *Fercula*, Græcis Ἐπιφερόμενα, quæ in æquales partes, ut unicuique convivæ ex æquo portio attribueretur, vel à Tapulla ſeu convivii Magiſtro, vel à ſervis, vel à coquis, vel, quod communius erat, à Carptoribus, dividebantur: quam vel ſervo donare, vel domum uxoribus mittere, cuique conſervantium integrum erat. Non verò *Cibos* Veteres capiebant niſi præcerptos prius & à Diis ſuis delibatos, ut infrà videbimus, ubi de *Conviviis*, feſtis inprimis. Unde querela Cæcilii, apud Minucium Fel. de Chriſtianis, *Sacra contemnunt, præcerptos cibos & delibatos altaribus potus abhorrent*. A talibus enim, utpote idolothytis, hi abſtinebant, uti dicemus infrà ſuo loco. Idem mos apud citerioris ævi idololatras quoque obtinuit. Ita enim de Lithuanis et Samogitis Jo. Meletius *Epiſt. ad Georg. Sabinum*, *In domibus ſub Fornace, vel angulo vaporarii, ubi menſa eſt, ſerpentes fovent, quos Numinis inſtar colentes certo anni tempore precibus ſacrificuli evocant ad menſam. Hi verò exeuntes per mundum linteolum conſcendunt, & ſuper menſam aſſident. Ubi poſtquam ſingula fercula delibârunt, rurſus deſcendunt, ſeque abdunt in cavernis. Serpentibus digreſſis, homines læti fercula prægustata comedunt, ac ſperant illo anno omnia proſpera ſibi eventura. Quod ſi fercula non delibaverint, tunc credunt ſe illo anno magnam ſubituros calamitatem* &c. Plura vide apud Thom. Dempſter. *in Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *paralipom. ad c.* 29. & infrà in lemmate *Conviviandi ritus*.

CIBUS ſtrenuus, Tacito, *l.* 2. *Hiſt. c.* 5. ubi de Veſpaſiano, *brevis & vilis*, Ammiano, *caſtrenſis* dictus Æl. Spartiano *in Hadriano Cæſ. c.* 10. *Ipſe quoque inter manipulares vitam militarem magiſtrans, cibis etiam caſtrenſibus libenter utens*. Στρατιωτικὴ δίαιτα vocat *Dio*, cujus ſunt de Hadriano [illegible] *Duro ubique victu utebatur*: quod alibi idem [illegible], *militariter veſci*, exponit. Quis autem hic *cibus* fuerit, addit idem Spartianus *ib. c.* pergens, *lardo caſeo & poſca*. Apud Ariſtophanem in *Equitib.* allium & cæpe, ναυτικὰ & στρατιωτικὰ ἐφόδια, *nautica & militaria alimenta* vocantur, ab ejus *Scholiaſte*. Apud Syneſium *de Regno*, cibi, quibus in caſtris uſus eſt Carinus Imperator, puls ſunt è piſo & laridum: Τὸ δὲ δεῖπνον ἦν πίσινον ἔτνος [illegible] χοίρου. Rodolfi. I. Imperatoris militaris ſeu *caſtrenſis cibus* erat rapum toſtum, cùm Baſileam obſidenti nuntius afferretur de dignitate Imperiali ei delata. Vide de *militaribus Cibis*, paſſim Scriptores *Hiſtoriæ Aug.* cum *Notis* Caſauboni, ac Salmaſii, nec non in *Codice*. De *cibo* verò Aſcetarum veterum Gladiatorumque, vide hic paſſim, inprimis, in vocibus *Arida ſaginatio*, *Aſceta*, *Calephia*, &c. *Cibum de Cadavere ſumere*, juxta comeſtionem immolatitii, Chriſtianis prohibitum legimus, apud Auguſtinum contra *Fauſtum Manichæum*, *l.* 32. ubi is plura hanc in rem. Vide quoque Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Papinium Statium*, *Thebaid. l.* 2. verbo, *Inceſtat*.

CIBYRA, urbs Phrygiæ majoris *Ptol.* aut Cariæ, Plin. *l.* 5. *c.* 27. in confinio Lyciæ. *Buruz Leunclavio*, intra montes media, inter Alabandam ad Occaſum, & Antiochiam Piſidiæ ad Ortum, prope fontes Xanthi fluvii. Hinc Plinio *Cibyratica juga* & *Cibyratica præfectura*: Tacito *Cibyratica civitas*, *l.* 4. *Annal. c.* 13. *Strabo*. De qua Præfectura ſic Plin. *l.* 5. *c.* 28. & 29. *Prius terga & mediterraneas juriſdictiones indicâſſe conveniat, una appellatur Cibyratica, ipſum oppidum Phrygiæ eſt. Conveniunt eo XXV civitates, celeberrima urbe Laudicea. Impoſita eſt Lyco flumini, latera alluentibus Aſopo & Capro.* Ubi *Laudicea* eſt Laodicea ad Lycum, quam cum Diocæſarea Ptolemæi eandem fuiſſe, putat Salmaſ. *ad Solin. p.* 818.

CIBYRA, urbecula Ciliciæ aſperæ, ad Cragum montem, Antiochiæ urbi propinqua, ubi *juga Cibyratica* à Plinio, *loc. cit.* memorata, *Ferrar.* quam interiiſſe ſcribit *Thevetus*. Dicta *minor*, ad alterius differentiam.

CICADA, Apollini apud Gentiles ſacra fuit, Deo Muſico; quemadmodum & cygnus, ob cantum. Hinc etiam Poëtæ *cicadæ* dicti; ſed mali potius. Ita enim Simonides, apud Athenæum, *l.* 13. *c.* 8.

Φοῖβος ἐπωγύνας ἐπὶ Τυνδαρίδησιν ἀοιδὰς,
Τὰν ἀπιεργῶν τέττιγες ἐστεφάνωσαν ἀγαθῶς.
Phœbus docuit Tyndaridas cantionem, i. e. *Muſicam*,
Quam Cicadæ, modorum neſcia, coronârunt coronâ.

Vide Iſaac. Caſaubonum *Animadverſ. in locum*. Neque obſcura eſt tranſlationis ratio: cùm Poëtæ boni ſuavem luſciniarum vel cygnorum cantum referant, mali autem, raucum quiddam, inſtar *cicadarum* ſtrideant. Vide Voſſ. *Inſtitution. Orator. l.* 4. *c.* 6. *ſect.* 12. & plura de hac comparatione apud Dan. Heinſium *Præfat. in ſua Poemata*. Apud Athenienſes nobilitatis inſigne *cicada* fuit, unde *cicadas* ex auro crinibus inſertas gerebant, ut indigitarent ſe αὐτόχθονας atque γηγενεῖς, *è terra genitos*, non verò advenas eſſe, uti diſcimus ex Tertulliano, *de vel. Virg. c.* 10. ubi, plexum illorum crines *Crobylos* vocans, iiſque pro inſigni ac nota *cicadas* tribuens, *crobylos* non ſumſit pro ſcrobiculis & foraminibus aurium, ad inſerendas gemmas, ut ait Soletus, *de pileo*, *ſect.* 8. Indigitat ritum illum Athenienſium Virgilius ſeu potius Corn. Gallus *in Ciri de Niſo*, *v.* 129.

Ergo omnis caro reſidebat cura capillo,
Aurea ſolemni comtum quem fibula ritu
Mopſapio, tereti nectebat dente cicada.

Ad quem locum vide omnino Scaligerum. Nempe mos vetuſtiſſimus gentium, geſtandi crinibus nobilitatis aut gloriæ indicia. Sic de Alcmena Statius, *Theb. l.* 6. *v.* 289.

---- ---- *partùque Alcmena ſuperbit*
Herculeo, tergemina crinem circumdata Luna.

Ad indicium trium noctium, quibus conceptum in complexibus Jovis fuiſſe fingunt. Totas verò gentes parvis ſagittis capillaturam exornâſſe, dicemus infrà, vide quoque Hadr. Turnebum, *Adverſarior. l.* 29. *c.* 27. & Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium dicto loco*. De puero *cicadam* captante, diximus ſuprà in voce Berul-

Bennæ Eques. Rhegii mutas eſſe cicadas, tradit Solin. c. 2. *Cicadæ apud Rheginos mutæ, nec uſquam alibi: quod ſilentium miraculo eſt, nec immeritò, cum vicinæ quæ ſunt Locrenſium, ultra cæteras ſonent. Cauſas Granius tradit, quod obſtreperentur illic Herculi quieſcenti, Deum juſſiſſe, ne ſtreperent: itaque ex eo captum ſilentium permanere.* Vide quoque Antigonum in *Mirabil.* Illarum verò pronuntiare eſt, Græcè ἠχεῖν, unde ἠχέτας τέττιξ. Salmaſ. ad Solin. p. 89 &c.

CICÆ, Inſul. in ora Gallæciæ, *Islas de Bayona* dicuntur, & aliis *Deorum Inſulæ*. Vide ibi.

CICATRICES, adverſò corpore acceptæ, decoræ: unde occaſione poſcente oſtentari ſolebant. Liv. l. 2. c. 23. *Magno natu quidam cum omnium malorum ſuorum inſignibus ſe in Forum projecit. Obſita erat ſqualore veſtis — ipſe teſtes honeſtarum aliquot locis pugnarum, cicatrices adverſo pectore oſtentabat.* Apud eundem Servilius, l. 45. c. 39. orationem ſuam prolixam, his verbis claudit: *Ea eminebo cum quibus manum conſerui, ſpolia retuli, inſigne corpus honeſtis cicatricibus omnibus adverſo corpore exceptis habeo. Dum nudare ſe cœpit,* &c. Contra *averſæ* infames, quæ ſcil. in tergo fugientium conſpiciuntur. Unde de Siccio Dentato Tribuno Plebis narrat A. Gellius, l. 2. c. 11. ſcriptum eſſe, in Libris Annalibus, *pugnaſſe in hoſtem centum & XX. prœlia; cicatricem averſam nullam, adverſas quinque & XL. tuliſſe*, &c. Uti autem in corpore cicatrices è vulneribus remanent: ſic *Cicatrices*, ex vitiis animabus impreſſas, in ultimo Judicio, apparituras, crediderunt Veterum non pauci. Hinc Plato, [illegible] *Regum & Magnatum animas plerumque perpurus atque injuſtitiâ, quaſi quibuſdam verberibus, cicatricibuſque infectos, qualia cujuſque aliis contraxit e [illegible] deprehendi*, dicit, in *Gorgia*. Et apud eundem Eris Armenius inter alia, quæ apud mortuos obſervaverit, etiam hoc recenſet, injuſtos à Judice ad ſiniſtram infrà ire juſſos eſſe, [illegible] *Omnium, quæ fecerant, poſt tergum ſigna ferentes.* Expreſſius Plutarchus de his qui ſerò à Num. pun. ubi de improborum poſt mortem judicio ſuppliciiſque loquitur, *Cicatrices*, inquit, *& vibices reſtant a ſingulis vitiis, majores aliis, aliis minores --- Squalidus eſſe & caliginoſus (color) illiberalium ſordium eſt pigmentum atque avaritiæ. Sanguinolentus & igneus, crudelitatis atque ſævitiæ. Cæruleus intemperantiæ circa voluptates, lividus & violaceus, & qualis atramenti, quod ſepia emittit, invidiæ ac malignitatis. Etenim ut hic vitioſitas per Animæ motus in corpora certos colores dedit, ita* &c. Hinc apud Lucian. *Catapl. Tom.* 4. p. 82. *Cyniſcus*, veſtibus detractis, tribus quatuorve cicatricibus, penè tamen obliteratis (vitiis ſcil. Philoſophiæ ſtudiò poſteà abſterſis) & qui unà idem judicium ſubiiſſe finguntur, Micyllus ſutor, purus & ne punctulò quidem notatus, atque ex adverſo Megapenthes Tyrannus totus lividus, & præ *cicatricibus* cæruleus, Rhadamantho Judici exponuntur, &c. Vide Tobiam Pfannerum, *Syſtem. Theol. Gentilis purior.* c. 10. §. 7. uti de capitis tegmine *cicatricibus* in eo occultandis adhibito, infra in *Viriola*.

CICER, frigi torrerique ſolebat. Hinc in Ariſtophanis *Pace*, ruſticus deſcribitur,

> Ἐρεβίνθους φρύγων,
> *Cicer ſuper carbones torrens.*

Et in Ἐκκλησιαζούσαις, p. 2. Scholiaſtes, [illegible], ait, *Largius pote frictum cicer tundebant.* Sed & *fricti ciceris* non ſemel meminêre Romani Scriptores: inter quos Plautus, *Bacchidibus, Act. 4. Scen. 5. v. 7.*

> *Tam frictum ego illum reddam, quàm frictum eſt cicer*, &c.

Inter recentiores quoque Bellonius, *Singular.* l. 2. c. 53. obſervat, in Ægypti urbe Cairo multas eſſe officinas, in quibus nihil venditur, præter frictum cicer, quod magnâ copiâ comparatur à peregrinis, qui quotannis inde Meccham proficiſcuntur. Et c. 90. idem de Damaſco refert, *Damaſci plures ſunt officinæ, frigendo ciceri vacantes. Erevithia vocant* (ἐρεβίνθια) *Græcâ nomine. Illa autem in arenis ſartaginibus fricta & exſiccata ea percommoda ſunt, qui longum iter ſuſcipiunt.* Unde in Alexi Comico, apud Athenæum, l. 2. vetula quædam, inopiam ſuam deflens, inter plebejos cibos, quibus miſeram vitam ægrè ſuſtinet, ἐρέβινθον & λάθυρον, *cicer & cicerculam*, recenſet. Et Horatius de *Arte*, iis qui ex fricto cicere & nucibus victitant, divites opponit, v. 248.

> *Offenduntur enim, quibus eſt equus, & pater, & res,*
> *Nec, ſi quid fricti ciceris probat, aut nucis emptor,*
> *Æquis accipiunt animis, donantve coronâ.*

Quò facit, quòd Romæ in ſpectaculis, qui honores ambiebant, Plebeculæ gratiam captaturi, inter miſſilia, cum fabis & lupinis, *cicer* ſpargebant. Perſius, *Satyrâ* 5. v. 177.

> —— —— *Cicer ingere largè*
> *Rixanti populo, noſtra ut Floralia poſſint*
> *Aprici meminiſſe ſenes.*

Similiter in Ægypti eremo Scetica, ubi Monachi vitam frugalitatem profitebantur, *frictum cicer* aliis pro cibo fuit, ut teſtatur Caſſianus, ubi de Sereno Abbate, &c. Hinc Tertullian. *Ciceculam* pro re minimi pretii uſurpat, *contra Marcion.* l. 1. c. 21. Et apud Græcos ἐρεβίνθινος, i.e. *Ciceranus*, pro vili ſumitur. Unde ἐρεβίνθιος Βάκχος, *Ciceranus Bacchus*, Proverb. apud *Heſych.* de re vili uſurpari ſolitum, ut exponit *Suidas*. Enim, cum faba & lente, feralibus cœnis, non aliam ob cauſam, *cicer* adhibitum eſt, teſte Plut. in *Rom. quæſt.* c. 95. quàm quòd lugubre tempus decent viles cibi, ut ſunt legumina omnia, quæ corpus quidem implent, ſed parùm alunt. Sed & in pervigiliis religionem illud adhibuiſſe, in Plinio reperimus &c. Vide plura hanc in rem, apud Bochart. *Hieroz. Part. poſter.* l. 2. c. 9. & infrà *Kali*. Hinc *Ciceranus*, Græcè ἐρεβίνθιος, cognomento Bacchi, apud *Heſychium* & *Suidam*. Vide ſuprà.

CICEREJUS Cajus, vide *Cajus*.

CICERES, Pagus in Rhætia, haud procul Curiâ Urbe, quem ſub Pleſſura Rhenus [illegible] ingreſſus adit.

M. T. CICERO, natus eſt, 3. Jan. an. 648. Urb. Cond. 168. Olymp. Oratorum omnium Romanorum celeberrimus, idemque Philoſophus egregius, cujus libri extant plurimi *Orationum, Epiſtolarum, & Philoſophiæ*, omnium, qui unquam Latinè ſcripſêre, tum doctrinâ, tum eloquentiâ primi. Equitis Romani, cui à Tullo Tatio, Sabinorum Rege origo, ex Helvia filius, in prima juventa, contra Sullæ amicos tantâ cum libertate cauſam egit, ut hujus offenſam veritus, in Græciam tranſiret. Ubi Athenis, Antiochô Aſcalonitâ, Philoſophô Alexandrinô uſus, inde in Aſiam profectus eſt, ut Xenoclem, Dionyſium, Menippum audiret, hinc Rhodi, Apollonium Molonem, hominem eloquentiſſimum præceptorem habuit, dein per omnem honorum gradus, in Sicilia nempe Quæſtor, exin Ædilis, Verrem accuſavit, Prætor, Ciliciam à prædonibus purgavit, tandem in Conſulatum pervenit, in quo leges ſaluberrimas tulit; Legem Agrariam fregit, Catilinæ conjurationem Conſul coërcuit, Poſteà verò à Publio Clodio Tribuno plebis per invidiam urbe pulſus, omnium populi Romani ordinum ſummô conſenſu, ipſô Pompejo, cujus ope pulſus erat, ſatagente, revocatus eſt. Hujus partes, bellô civili, ſecutus, illô ſublatô, veniam impetravit à Cæſare, cui Ligarium, ſolâ ſua facundiâ, reconciliavit. Bruti amicus, non tamen conjurationis in Cæſarem conſcius, hôc occiſô, Auguſti partes amplexus eſt, qui Conſul cum illo eſſe voluit, mox tamen ſententiâ mutatâ, cum Antonio Lepidoque Triumviratum iniit. Ita ſenex tandem à M. Antonio, qui occaſionem vindictæ, Philippicis ejus offenſus, diu quæſiverat, & C. Octaviô tyrannide, quod nimium amans Reipubl. eſſet, proſcriptus, unà cum patriæ libertate periit, quam uſque ad extremum ſpiritum conſtantiſſimè defenderat, à Popilio, quem olim contra hoſtes, à quibus parricidii fuerat accuſatus, erat tutus, capite truncatus, cujus inſuper linguam exciſam Antonii uxor Fulvia aciculis pupugit, quòd olim dixiſſet, nullum iracundius animal fœminâ eſſe. Opera ejus vulgò in quatuor partes tribuuntur, in quarum prima *de arte Rhetoricâ* agit, ut ſunt 2. *libri de Inventione*, 3. *de Oratore*, *de Illuſtribus oratoribus*, *ſeu Brutus*. Ad ſecundam *Orationes* pertinent. *Epiſtolæ ad tertiam*. Quartæ verò opera ejus Philoſophica adſcribuntur, ut *Quæſtiones Academicæ*, *de finibus bonorum & malorum*, *Tuſculanæ quæſt. de natura Deorum*, *Amicitiâ*, *Senectute*, &c. *Hiſtoriam* quoque ſibi ſcribere propoſuerat. Verſibus *tres libros* conſcripſit, *de rebus in Conſulatu ſuo geſtis*. In quos digitum intendit, l. 1. *ep. fam.* 9. Ejus vitam, vide apud Plutarchum, plurima etiam de eo habes apud Dionem Caſſium Ciceroni paulò infenſiorem, Appian. Salluſt. Florum, Oroſium, Dionyſ. Lambinum, in initio operum, &c. T. Tiro libertus Ciceronis iſtam quoque perſecutus eſt. Vide & infrà. Epicharmi illud maximi fecit,

> Νᾶφε καὶ μέμνασ᾽ ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν:

Sobrius eſto, & memineris virum, qui ſic ſapiat, non oportere eſſe credulum. Quod & alicubi ſic extulit: *Nervi, atque artus ſapientiæ ſunt, non temerè credere.* Hunc verò Homeri verſum *puerulo* à ſe adamatum fuiſſe, ſcripſit, l. 3. ad Qu. fratrem, Ep. 5.

> Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Quod eſt, *ſemper agere optimè, & præſtantem eſſe aliis*, vulgò celebratum, *maximam quamque eſſe orationem optimam eſſe*, Plinius auctor eſt, l. 1. Ep. 20. Juvenal. Sat. 10. v. 114.

> *Eloquium ac famam Demoſthenis, aut Ciceronis*
> *Incipit optare, &c.* ——

v. 118.

> *Eloquio ſed uterque perit Orator: utrumque*
> *Largus, & exundans leto dedit ingenii fons,*
> *Ingenio manus eſt & cervix cæſa;*

Catul. Epigr. 50. v. 1. de eo

> *Diſertiſſime Romuli nepotum,*
> *Quot ſunt quotque fuêre, Marce Tulli.*

Martialis, l. 10. Epigr. 19. v. 16.

> *Hoc, quod ſecula poſterique poſſint*
> *Arpinis quoque comparare Chartis.*

Hoc eſt, operibus Ciceronis, qui fuit Arpinas.

Sil. l. 8. v. 405.

> *Tullius æratas raptabat in agmina turmas*
> *Regia progenies, & Tullo ſanguis ab alto:*
> *Indole pro quanta juvenis, quantumque daturus*
> *Auſoniæ populis ventura in ſecula civem,*
> *Ille ſuper Gangem, ſuper exauditus & Indos*
> *Implebit terras voce, & furialia bella*
> *Fulmine compeſcet linguâ, nec deinde relinquet*
> *Par decus eloquio cuiquam ſperare nepotum.*

Quintilian. l. 10. c. 1. *Oratores verò vel præcipuè Latinam eloquentiam parem facere Græcæ poſſunt. Nam Ciceronem cuicunque eorum fortiter oppoſuerim. Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde*

ploravit. Lactant. *l. 5. c. 15.* *Non tantùm perfectus Orator, ſed etiam Philoſophus fuit, ſiquidem ſolus extitit Platonis imitator.* Liber ejus de officiis omnium primus typis excuſus fuit, de quo rectè ingens Grotius, *Ep. 16. ad Gallos*. *Liber non ſuo pretio habitus, utro quòd omnium manibus teritur.* Nefas illa Plinii præterire, *l. 7. c. 30.* *Salve primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguaque lauream merite, & facundiæ literarum Latinarum parens: atque ut Dictator Cæſar, hoſtis quondam tuus, de te ſcripſit, omnium triumphorum lauream adepte majorem, Quanto plus eſt ingenii Romani terminos moviſſe, quam Imperii.* Tit. Livius, *naturâ candidiſſimus omnium magnorum ingeniorum cenſor*, ut Seneca Pater eum locô mox citandò appellat, hoc epitaphium ei apud iſtum ipſum Senecam *Suaſoriâ 6.* ſive, ut aliis placet, *7.* reddidit: *Vixit*, inquit, *tres & ſexaginta annos, ut ſi vis abfuiſſet, ne immatura quidem mors videri poſſit: Ingenium & operibus & præmiis operum felix: Ipſe fortuna diu proſpera, & in longo tenore felicitatis, magnis interim ictus vulneribus, exiliô, ruinâ partium, pro quibus ſteterat, filiæ morte, exitu tam triſti, atque acerbô, omnium adverſariorum nihil, ut verò dignum erat, tulit, præter mortem, quæ verè æſtimanti minus indigna videri potuit, quòd à victore inimico nil crudelius paſſurus erat, quam quod ejuſdem fortunæ compos ipſe feciſſet: Si quis tamen virtutibus vitia penſarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, & in cujus laudes ſequendas Cicerone laudatore opus fuerit.* Paterculus poſt narratam cædem ejus in hæc verba erumpit, *l. 2. c. 66.* *Nihil tamen egiſti M. Antoni, mercedem cæleſtiſſimi oris & clariſſimi capitis abſciſſi numerando, auctoramentoque funebri ad conſervatoris quondam Reipubl. tantique Conſulis irritando necem. Rapuiſti tu M. Ciceroni lucem ſollicitam, & ætatem ſenilem, & vitam miſeriorem te principe, quam ſub te triumviro mortem: famam verò, gloriamque factorum, atque dictorum adeo non abſtuliſti, ut auxeris. Vivit, vivetque per omnem ſeculorum memoriam, dumque hoc vel fortè, vel providentiâ, vel utcumque conſtitutum rerum naturæ corpus, quod ille pene ſolus Romanorum animo vidit, ingeniò complexus eſt, eloquentiâ illuminavit, manebit incolume, comitem ævi ſui laudem Ciceronis trahet: omniſque poſteritas illius in te ſcripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur: citiuſque e mundo genus hominum, quam hujus nomen cadet.* Vide Ciceronis laudes ampliſſimas apud Senecam, *Suaſoriarum*, *l. 1.* *Nemo tamen*, inquit, idem Senec. *Suaſor. 7.* *ex tot diſertiſſimis viris meliùs Ciceronis mortem deploravit, quàm Cornelius Severus*, cujus verſus hic ſubjungam:

Oraque magnanimûm ſpirantia penè virorum
In roſtris jacuêre ſuis: ſed enim abſtulit omnes
Tanquam ſola foret, rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia Conſulis acta,
Jurataeque manus, deprenſaque fœdera noxæ,
Patritiumque nefas extinctum, ut pœna Cethegi
Dejectuſque redit votis Catilina nefandis.
Quid favor, aut cœtus pleni quid honoribus anni
Profuerunt? ſacris & vita quid artibus acta?
Abſtulit una dies ævi decus ictaque luctu
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ.
Unica ſollicitis quondam tutela, ſaluſque,
Egregium ſemper patriæ caput, ille ſenatus
Vindex, ille fori, legum, rituſque, togæque,
Publica vox ſævis æternum obmutuit armis.
Informes vultus, ſparſamque cruore nefandò
Canitiem, ſacraſque manus, operumque miniſtras
Tantorum, pedibus civis projecta ſuperbi
Proculcavit ovans: nec lubrica fata Deoſque
Reſpexit, nullò luet hoc Antonius ævô.
Hoc nec in Emathio mitis victoria Perſe,
Nec te, dire Syphax, non fecit in hoſte Philippo,
Inque triumphato ludibria cuncta Jugurthâ
Abſuerant: noſtraque cadens ferox Annibal irâ
Membra tamen Stygias tulit inviolata ſub umbras.

Verùm de Cicerone nos alibi plura. *Nic. Lloydius.* Addo, quòd Elegias ejus Servius laudat *Ecl. 1.* quarum tituli aliquot recenſentur Julio Capitolino *in Gordianis*, *c. 3.* *Alcyonas*, *Uxorium*, *Nilum*; Ipſe Servius *Talemaſtis* meminit, &c. Interim Vir tantus, quem meliorum, de quibus benignius ſperare liceat, coetui ipſe Lutherus adnumerat, quibus nævis notabilis fuerit, ex iis apparet, quæ ipſi Salluſtius *in eum Declam.* & apud Dionem Caſſium, *l. 46.* Fuſius Calenus exprobrans, proſtitutum nempe quotumcunque libidini corpus, ſtupri cum filia conſuetudinem, avaritiam, & exercitas in cives rapinas. Quæ ſi non vera, quippe ab inimicis dicta, ex vero tamen multum traxiſſe non immeritò credere queas, Tob. Pfannerus, *Syſtem Theol. Gentil. purioris c. 22. §. 33.*

Q. CICERO, frater oratoris, Legatus in Gallia Cæſaris, dein proconſul in Aſia, munere ſecundâ famâ adminiſtratô, inclytus: poſt in numero proſcriptorum, cum filio ſuo interfectus eſt, *Plut.* & *Appianus* memorant, utrumque rogâſſe percuſſores, ut prius occiderent, tandem eôdem momentô ambos necatos. Idem etiam nomen Ciceronis filio ſecundùm quoſdam fuit, qui Conſul ab Auguſto creatus, ſtatuas Antonii dejici juſſit, ut Plut. *in Cicerone*, & Appian. *de Bell. Civ. l. 4.* referunt. Interim nec in Caſſiodori *Chronico*, nec in Conſularibus Faſtis ejus nomen apparet. Vide infrà.

M. CICERO, M. T. Ciceronis oratoris filius, *Bicongius* ob temulentiam dictus, nihil patre dignum geſſit, niſi quòd interfectoribus Cæſaris pertinaciſſimè favit, antea cum patre proſcriptus, poſt tamen ab Octaviano reſtitutus, & Prætor factus. *Plut.* Imò & Conſul an. Urb. Cond. 723. C. Antiſtio ſuffectus eſt die 13. Septembr. uſque ad Novembr. quò tempore Antonii ſtatuas evertit. *Nic. Lloydius.*

CICERONIANA Villa, apud Æl. Spartian. *in Hadriano Cæſ. c. 25.* *Adrianus Bajas petiit, Antoninô ad imperandum Romæ relictô. Ubi —— periit —— invìſuſque omnibus, ſepultus eſt in Ciceroniana villa Puteolis.* Vide Ciceronis Villa.

CICERONIS Aquæ, ſive *fontes calidi*, *Bagni di Cicerone*, & *Bagni di Bruttolino*, teſte *Pighio*, locus Campaniæ. Plin. *l. 31. c. 2.* Baudrando *Bagni di Tritolino*, balnea Campaniæ, prope Bajas & lacum Avernum, in colle, ex adverſo Puteolis. Vide Itiner. Italiæ Schotti.

CICERONIS Caſtra, Cæſar. *in comment. l. 5.* *Velſik* hodiè, pagus nunc, à Gandavo plus minus tribus milliaribus diſtans, ubi multa antiquitatis monumenta eruuntur. *Goropius.*

CICERONIS Villa, hodiè *Ciceroniano*, locus Campaniæ apud Puteolos & Bajas, ad lacum Avernum. Plin. *l. 31. c. 2.*

CICESTRIA, quæ *Neomagus Ptolemæo*, urbs Angliæ in Auſtrali Suſſexiæ parte, vulgò *Chicheſter*. *Baudrando* illa diſtat 40. milliar. Anglic. à Londino in Auſtrum, 15. à Vecti Inſul. 18. à Vinconia Urbe. Juxta amnem *Lavant*, 4. milliar. ab ora maris Britannici, totidem à confinio Hantoniæ provinc. & 30. milliar. à Neomago in Auſtrum.

CICHESUS, fluvius poſitus ab Homero *in Hymno Apol.*

CICHORIUM, Græcè κιχώριον, herba Ægyptia, ut & nomen; Planta quidem agreſtis eſt & ſponte proveniens, ſed quæ ſatu quoque mitigetur: cujus cùm plures ſint ſpecies, ut videre eſt apud Plinium, *l. 19. c. 8.* quod Græcis eſt κιχώριον, Latinis *Intybum erraticum* dicitur, item *Ambula*, qua de voce diximus ſuprà. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 829.* Patet autem Cichoreum multis uſibus, *miraculò pollet: radicem habet longam & amaram, conſurgit caulis in multos ramulos cavos, iiſdem diſparatos, ad folia minuſcula adnaſcuntur plurimi noduli, virides per extrema, ex quibus erumpit flos elegantiſſimi cærulei coloris: ubi flos decidit, matureſcit ſemen in rotunda viridique ſtellula. Ea ipſi natura, ut per univerſam æſtatem, uſque ad autumnum, floreat, exoleto decidua, novis ſuccedentibus, perpetua nodulorum ſobole. Mirum, florem ſalutaro Solem orientem adverſâ facie, ſequi decurrentem & reſpectare, tanquam cum mœrore, occiduum; ita tamen, ut caliculus floris ad orientem Solem converſus, dilatet paulatim labia & cum Sole aſcendente attollat, unde ad Meridiem erigitur, tanquam triumphum gratulans; ſed ad veſperam vergente inclinatus paulatim vertex, contrahuntur extima, ut evanidò Sole concludantur, donec ex altero orbe ad nos redeat Sol & rodiò aliquò gratuitò blandiatur demo. Illud verò ſummum, etiam cœlô nubilô, eandem ſpectari amœnitatem, adeò ut ſic quòvis tempore curſus Solis & perinde hora diei obſervari poſſint. Altera ſpecies florem fert hyacinthinum, altera candidum.* Auctor Anonymus, *Sina & Europa c. 33.* De uſu verò Medico Magicoque vide Plin. *ubi ſuprà.*

CICHYRUS, Theſprotiorum in Epiro oppid. *Strabo.*

CICI, vel Ricinus, Hebr. *Cica-in*, inter herbas Ægypto peculiares Plinio, unde oleum ad lucernas confectum dicit, *l. 15. c. 7.* de oleo factitio: *Proximum fit & è cici arbore in Ægypto copioſa: aliis Crotonem, aliis Sili, aliis Seſamum agreſte appellantibus: Quæ non pridem & in Hiſpania repentè provenit. In aliis tamen locis ſponte proveniebat: in Ægypto vero etiam ſerebatur.* Σίλι Κύπριον antiquiſſimi Græci vocabant, h. e. *Seſeli Cyprium*: Σιλλικύπριον, unâ voce Herodotus, *l. 2.* ubi oleô inde factô Ægyptios inungere ſe conſueviſſe, narrat. Idem apud Aſſyrios arboreſcere hanc plantam tradit, ex ſoli bonitate. Et reverà arboreus frutex eſt, Plinio arbor oleæ magnitudine, in Hiſpania hodieque arbor eſt, *Dioſcoridi δένδρον μικρὸν συκῆς μέγεθος ἔχον*, *mediocris ficus magnitudinem habens* &c. cujus proin umbrâ Jonam recreatum fuiſſe, legimus in Prophetia ejus, *c. 4. v. 6.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 977. &* 1002.

CICIANTHI, Scythiæ Aſiaticæ populi. Plin. *l. 6. c. 13.*

CICILIANA, Hiſpaniæ urbs inter Emeritam & Cordubam. *Antonin.*

CICIMENI, populi circa Mæotim. Plin. *l. 6. c. 7.*

CICINDELA, vel Noctiluca, Ariſtoteli πυγολαμπὶς & λαμπυρὶς, *Hiſtor. l. 4. c. 1.* quòd cauda illius noctu tàm luceat, quàm ſi facem haberet tergo infixam: Unde Plin. *l. 11. c. 28.* *Lucent ignium modò noctu, laterum & clunium colore lampyrides.* Pulvere veſcitur, quô tamen nunquam ſaturatur, ideò ſolum, quòd timet, ne deficiat terræ pulvis, atque illa fame pereat, ut de hoc animalculo ſcribit *Alghazali* Arabs apud Bochartum, *Hieroz. parte prior. l. 2. c. 4.* &c. Inde id nominis tribuens lychnio, cujus

—— vitreâ natat ignis in unda,

ut Fortunatus loquitur *de Vita S. Martini*, *l. 4.* apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà, *Vulpes*.

CICLAS, meliùs CYCLAS, propriè veſtis fœminea, quòd inſtar κύκλου ſeu circuli eſſet, longa, utpote terram verrens & ſinuoſa. Matth. Paris. in apparatu nuptiarum Henrici III. A. C. 1236. mentionem facit: *Cives, inquiens, Londonienſes ſericis veſtimentis ornati, cycladibus aurô textis circundati.* Vide Henr. Spelman. *Gloſſar. Archæol.* Vide Cyclas.

CICONÆ, Aſiæ populi in India Aquilonari.

CICONES, populi Thraciæ, juxta Hebrum, quos Ulyſſes poſt dirutam Trojam ventis eò adactus debellavit, eorumque urbem Iſmarum diripuit, paucis ex ſociis amiſſis. Ovid. *l. 15. Met. v. 313.* mira quædam de fluvio eorum prodit:

Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.

Apud eos Orpheus, obſcœni concubitus inventor, à Bacchis dicitur laceratus. Virg. *l. 4. Georg. v. 520.*

—— Spretæ Ciconum quò munere matres
Inter ſacra Deûm, nocturnique orgia Bacchi,
Diſcerptum latè juvenem ſparſêre per agros.

Quòd autem ait, Orpheum obſcœni concubitus autorem fuiſſe, παιδεραστίαν intelligit. Ovid. *l. 10. Met. v. 83.*

Ille

Ille etiam Thracum populis fuit autor, amorem
In teneros transferre mares. ——

CICONIA, Theſſalis olim magno in honore. Plin. *l.* 10. *c.* 23. *Honos iis ſerpentium exitio tantus, ut in Theſſalia capitale fuerit occidiſſe; eademque legibus pœna, quæ in homicidam.* Unde factum, ut *Ciconias* Theſſalis pro Numine fuiſſe cultas, ſcripſerit Clemens Alexandr. *Protrept.* Similiter inter Ægyptiorum Deos hanc alitem fuiſſe, ſunt qui ex Luciano in *Deor. Conſil.* colligant: qui error inde ortus, quòd *Obſopæus*, Luciani interpres, vocem ἴβεις, *Ciconiam* reddidit: quia ibes & ciconia ſerpentibus paſcantur, hinc utramque avem confundens. Apud Romanos primus menſæ adhibuit Sempronius Rufus, vir Prætorius: de quo Horatius Flaccus, *l.* 2. *Sat.* 2. *v.* 49.

Tutus erat rhombus, tutoque Ciconia nido
Donec vos auctor docuit Prætorius.

Quem ad locum vetus Interpres hoc in Rufum Epigramma eſſe factum memorat, cùm repulſam tuliſſet Candidatus.

Ciconiarum Rufus iſte conditor,
Hic eſt duobus elegantior Plancis.
Suffragiorum puncta non tulit ſeptem,
Ciconiarum populus ultus eſt mortem.

Conſulatum nempe ambiit, cùm vir Prætorius eſſet; ut enim Ædilitatem curulem Prætura, ſic Præturam ſequebatur Conſulatus. Unde videmus, cur Apicio, Hortenſiis, & ſimilibus lurconibus Ruſos addat Tertullianus, *de Pallio*, *c.* 5. uti obſervavit Salmaſ. De eadem ave ſic Plin. *l.* 10. *c.* 23. *Cornelius Nepos, qui Divi Auguſti Principatu obiit, cùm ſcriberet, turdos paulò ante cœptos ſaginari, addidit, Ciconias magis placere, quàm grues: cùm hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigiſſe.* E quibus liquet, quantopere etiam pro temporibus varient judicia hominum in iis, quæ rem attinent cibariam. Quippe hic videmus, Corn. Nepotis ætate, in pretio fuiſſe *ciconias*: vixit autem ille Attico, Ciceroni, Catullo, amiciſſimus. At hinc uſque ad imperium Veſpaſiani, ſub quo Plinius inclaruit, anni ſunt 110. quò planè cibus is deſpectui erat. Quod ſi granduiſculum videtur intervallum, quid de eo ſtatuendum, quod uno eum homine judicium de alicujus ſapore & naſcitur & denaſcitur? Neque hoc ſolùm in alitibus, ſed quadrupedibus etiam, ac piſcibus, uſu venit. Sic *pullos muliarum epulari Mæcenas inſtituit, multum eò tempore prælatos onagris: poſt eum interiit auctoritas ſaporis*, apud Plinium, *l.* 8. *c.* 43. Et cùm Romæ Hadrianus Pontifex merluccia piſce caperetur, qui ſaporis non boni, eoque pretii vilis habebatur: multi judicium hoc ſequuti ſunt, ut is piſcis mox ſupra mediocre pretium divenderetur, ridente piſcariò forô, Paul Jovius *libro de piſcibus Rom.* &c. Vide Voſſ. *de Idololatr. l.* 3. *c.* 93. Cæterùm *Ciconia* inter migratorias aves eſt, ut notum Petronius ex Publio

Avis exul hyemis, titulus tepidi temporis.

De qua migratione ſic Gaſpar Heldelinus, *Idibus Auguſti ciconiæ iter laborioſum illud permoctè Lunâ aggrediuntur. Priuſquam verò iter capeſſant, omnes, quas quidem noſtri agri enutrire, Athinſini* (*alii* ... *fluvium*, *non ita procul à Sextiis Aquis*, *vel, ut aliis placet, Seſtiana* ... *congregantur. Illic, habitis inter ſe publicis concionibus, communem* ..., *exercitum luſtrant.* —— *Cæterum abeuntes Aquilonis ſecundum flatus prudenter exſpectant, qui ſimul atque primos incidit, ceu lege præſcriptâ, abitum maturant.* Et Bellonius: *Cum circa Abydum eſſem*, 24. *Auguſti ingentem ciconiarum vim conſpexi* —— *Volabant illæ à Ruſſia & Tartaria, & Helleſpontum agmine decuſſato tranſverſim trajecerunt. Et cum ſupra Tenedum eſſent, longò per anfractum tractu ſe convertebant, donec in circulum omnes colligerentur. Inde priuſquam longius à faucibus Propontidis pergerent, in minores aliquot turmas ſupra* 20. *ſe diſtribuebant, & ſe invicem verſus Meridiem ſequebantur*: At, *quonam è loco veniant, aut quò ſe referant, incompertum adhuc eſt*, Plin. *Hiſtor.* *l.* 10. *c.* 23. *neque ſatis conſtat, unde veniant, & quo revertantur: quidam ex Lycia volare ajunt, alii ex Æthiopia*, Oppian. in *Ixeut.* Quod poſterius confirmari poteſt, ex hiſtoria Geſnero indigitata: apud quem Goblerus refert, Veſaliæ ciconiam quotannis in eadem domo nidificare ſolitam, poſtquam hominis clementiam per multos annos experta eſſet, è conſueta migratione ſub Veris tempus redeuntem, viridem zingiberis radicem, tanquam pro xenio ad ejus pedes gratulabundum projeciſſe. Nam in Æthiopia, vel, quod idem, Arabia Troglodytica, ut plurimum creſcit zingiber, Dioſcorides, *l.* 2. Plin *l.* 12. *c.* 7. Galenus *Simplic. l.* 6. Quamvis fatendum, varia Indiæ loca, Malabariam, Bengalam, *Baibul*, *Becam*, idem aromatis genus proferre. Quod & de Arabiæ Felicis terra *Oman*, legitur apud Abuchanipham, Scriptorem Arabem, laudatum Bocharto, *Hieroz. Part. poſter. l.* 2. *c.* 29. Vide quoque Auctorem, *Aſiæ & Europ. c.* 48. & infrà, voce *Pelargi*.

CICONIA, genus ſannæ, apud Perſium, *Sat.* 1. *v.* 58. quum *ciconia* collum manibus fingebatur. Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*.

CICONIÆ, locus Galliæ, in Lingonibus, pertinens ad pagum Ternodorenſem; Vulgò *Chichier en Tonnerrois*. Hadr. Valeſ. *in Ternodorum*.

In CICONIAM verſus planus quidam, ſub M. Antonino Philoſ. apud Capitolin. *c.* 13. *Tantâ clementia fuit* —— *ut plano cuidam, qui, diripiendæ urbis occaſionem cum quibuſdam conſciis requirens, de caprifici arbore in Campo Martio concionabundus, ignem de cœlo lapſurum, finemque mundi affore, diceret, ſi ipſe lapſus ex arbore in ciconiam verteretur: quum ſtatutò tempore decidiſſet, atque ex ſinu ciconiam emiſiſſet, perducto ad ſe atque confeſſo veniam daret.*

CICONIUM, promontor. juxta Boſphorum, *Petro Gyllio*, ejus hodie *Cornio* hoc appellari ait.

CICONIUS, nomen ejus qui Brixiam condidit.

CICULI, populi Tranſylvaniæ, in 7. ſedes ſeu regiones diviſi, præcipuè verſùs montem Carpathum & confinia Poloniæ. Eorum ſedes ſunt Novomarchia, Maros, Girgiato, Czikum, Kiſolium, Orbæum, & Aranias. Parent Principi Tranſylvaniæ.

CICURATORES, qui belluas cicures reddunt, *domatores ferarum* dicuntur Senecæ, de quibus is ſic, *Ep.* 85. *Certè ſunt domitores ferarum, qui ſæviſſima animalia & ad occurſum exterrentia hominem docent pati jugum, nec aſperitatem excuſſiſſe contenti, uſque in contubernium mitigant. Leonibus Magiſter manum inſertat, oſculatur Tigrim ſuus cuſtos, Elefantum minimus Æthiops jubet ſubſidere in genua & ambulare per funem. Sic ſapiens eſt artifex domandi mala.* Ad cujuſmodi officium quô ſidere apti naſcantur, canit Manilius, *l.* 4.

At quibus in biſero Centauri corpore ſors eſt
Naſcendi conceſſa, libet ſubjungere currus,
Quadrupedum omne genus poſitis domitare Magiſtris,
Exorare tigres, rabiemque auferre leoni,
Cumque elephante loqui, tantamque aptare loquendo
Artibus humanis varia ad ſpectacula molem.

Idem, *l.* 5. *non procul à fine.*

Non inimica fera genitos ſub ſidere tali
Ora feret, placidas reget in commercia gentes.
Ille manu vaſtos poterit frænare leones,
Et palpare lupos, pantheris ludere captis,
Nec fugiet validas cognati ſideris urſas,
Inque artes hominum perverſaque munera ducet.
Ille elefanta premet dorsò, ſtimuliſque movebit
Turpiter in tanto cedentem pondere cunctis,
Ille tigrim rabie ſolvet, pacique domabit,
Quæque alia infeſtant ſilvis animalia terras
Junget amicitia ſecum, catuloſque ſagaces.

Vide quoque Statium, *Theb. l.* 5. *v.* 231. & infrà, in voce *Manſuetarii*. Uſus eorum præcipuus in triumphis Romanorum, poſtquàm illi ſequiori ævò elephantes, leones, tigres, rhinocerotes, currui jungere, gloriæ duxerunt, ut videre eſt, ubi de *Triumpho*.

CICUTA, nomen proprium fœneratoris cujuſdam maximè avari. Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 3. *v.* 69.

—— *Adde Cicutæ*
Nodoſi tabulas centum, mille adde catenas.

CICYNETHUS, Macedoniæ inſula. Plin. *l.* 4. *c.* 12. hodie *Ponico*. De nomine Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 12. Eſt in ora Magneſiæ (inquit) *Pagaſæus*, vel *Pagaſinus* vel *Pagaſeticus ſinus* (Ptolemæo *Pelaſgicus*) in quo inſula *Cicynethus*. Strabo, *l.* 9. ubi de ſinu *Pegaſetico*, [illegible] Scylax, [illegible] Mela, *l.* 2. *c.* 7. *Pagaſæus ſinus Scyathon proſpicit, Cicynethum amplectitur.* Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Pagaſicus ſinus ante ſe habet Eurychium, Cicynethum*, &c. Quum ex eo ſinu Argonautæ profecti ſunt urbem Pagaias, quæ nomen ſinui dedit, pleraque dici volunt ἀπὸ [illegible] At (ex ſententiâ *Strabonis*) *probabilius ſtatuunt loco nomen eſſe à fontibus* (Doricè παγαὶ) qui frequentes ibi largique fluunt. Scepſius etiam apud Apollonii Scholiaſten, *l.* 1. Pagaias dici aſſerit, ἀπὸ τῶν παγῶν [illegible] Hæc ideo notanda duxi, quia mihi videtur ex iis poſſe colligi, *Cicynethus* unde dicatur. Nempe quam urbem Græci *Pagaſas* ab ubertate fontium, eandem ſuâ linguâ Phœnices [illegible] *ajanoth*, aut *enoth*, i. e. *fontes* appellarunt, & ſinum Pagaſæum [illegible] *Chek anoth*, i. e. *ſinum fontium*, & inſulam in medio ſinu, inſulam *Chek anoth*, quod Græci mutârunt in *Cicynethum*. *Baudrand.* eſt inſul. parva maris Ægæi, in ora Macedoniæ in ſinu Pelaſgico, media inter Demetriadem, à qua 20. milliar. diſtat & oram Borealem Eubœæ.

CICUTA, Latinis quælibet canna, intus concava & inanis; unde apud Poetas *cicutæ*, pro calamis vel cannis, quibus fiſtulant paſtores. Virg. *Ecl.* 2. *v.* 37.

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula ——

Nempe cùm antiquitùs μόναυλος, h. e. ſingularis tibia inflaretur, Marſyas, an Pan? fiſtulam invenit, ex pluribus calamis compactam, quæ quòd cerâ jungerentur, [illegible] inde nomen adepta eſt. Propriè verò *Cicuta*, Græcè κώνειον, herba venenata notiſſima eſt, cujus famam magnoperè auxerunt Athenienſes, Philoſophorum non contemtores modò, ſed & hoſtes: qui, ſuccô ejus ad mortem in publicis judiciis utentes, Socratem inter alios, illius hauſtu è medio ſuſtulerunt. Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 205.

—— *Hunc inopem vidiſtis Athenæ*
Nil præter gelidas auſa conferre cicutas.

Propinabant nempe eam tuſam ac dilutam in calice, more medicamentorum, idque [illegible] dicebant. Caſaubon. *ad Dionem Corn. Nepotis*, *c.* 2. Alioquin indigna herba, quæ in omnium Poëtarum carminibus & Sapientum commentariis, inveniretur, ut ſcribit Jo. Bauhinus, *Hiſtoria Plantar. Univer. Tom. III. l.* 27. *c.* 74. apud Jo. Jac. Wepferum *de Cicuta Aquat. Hiſtor. & Noxis*, *c.* 2. Sed & præter hanc, aliam *Cicutam*, herbam catharticam, vulgò ſic appellatam, occurrere docet Salmaſ. apud Horatium, *l.* 2. *Ep.* 2. *v.* 53.

Quæ poterunt unquam ſatis expurgare cicutæ?

Et ex eo Perſium, *Sat.* 5. *v.* 145.

—— *Calido ſub pectore maſcula bilis*
Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ?

Lathyridem hôc nomine intelligens, quæ caulem habet ferulaceum & concavum inanemque, unde ei *cicutæ* nomen datum. Vide

cum *Exercitat. Plin. ad Solin. p.* 1054. & de *Cicuta* in evirando uſu, aliquid inſiâ, voce *Hierophanta*: adde quæ de *Venere* dicemus.

CICYNNA, tribus Acamantidos gens, Ariſtoph. *in Nub.* Ibi feſtum olim ſolenne in Apollinis honorem. Hinc Κικυννεὺς, qui ea hac demo erat oriundus. *Inſcr. vetus*,

ΛΥΣΙΚΡΑΤΗΣ ΛΥΣΙΘΕΙΔΟΥ ΚΙΚΥΝΝΕΥΣ ΕΧΟΡΗΓΕΙ
ΑΚΑΜΑΝΘΙΣ ΠΑΙΔΩΝ ΕΝΙΚΑ ΘΕΩΝ ΗΥΛΕΙ
ΛΥΣΙΑΔΗΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕ ΕΥΑΙΝΕΤΟΣ ΗΡΧΕ.

LYSICRATES LYSITHIDIS FIL. CICYNNENSIS CHORAGUS ERAT.
ACAMANTHIS JUVENTUS VICIT THEO TIBIA CECINIT.
LYSIADES ATHENIENSIS RECITAVIT EVÆNETUS ERAT ARCHON.

apud Jac. Sponium *Itiner. Græcia Part.* 3. in hac voce.

CID, vox Arabica, *Dominus*, quâ celeberrimum illum Hiſpanicum Ducem Rodericum Diazium donârunt Saraceni, ob præclaram virtutem bellicam animique magnitudinem. Vetus *Epitaphium* apud Brizium Martinezium, *Hiſtor. Pinnatenſis l.* 1. *c.* 46.

In hac tumbâ requieſcit Domna Eximina,
Cujus fama prænitescit, Hiſpania limina.
Regis Sancti fuit nata, feliciumque me fecit:
Roderico copulata, gentes quem vocabant Cid.
Hac in era milleſima fuit hic tumulata,
Centum & ſexageſima fuit attracta & bolſamata,
Martis Nonas ſepulta, maneat cum gaudio,
Bona quæ fecit multa præſenti cœnobio &c.

apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* Item titulus Comœdiæ Gallicæ, à Cornelio compoſitæ, quæ in Theatro tricies exhibita nunquam diſplicuit, *Hiſtoire de l'Academ. Franc.*

CIDÆ, ſeu KIDÆ, Græcè Κειδαί, demus Athenienſis, ad Erechtheidem Tribum pertinens, cujus mentio in vetere marmore, XIII. Tribuum Athenienſium memoriam ſervante, apud Jac. Sponium, ubi ΕΚ ΚΗ exponit ΕΚ ΚΗΔΩΝ, ex Demoſthene, *Orat. in Euergum*, Πυθόδωρος ἐκ Κηδῶν. Vide eum *Itinerar. Græcia, Part.* 3. *ubi de* 174. *Demis Athenienſium.*

CIDÆNIS, vide *Elæa.*

CIDARIS, idem fuiſſe, quod *Diadema*, cenſetur Budæo in *Pandectis*, & Pancirollo, *Variar. l.* 1. *c.* 9. At vix niſi nomine à *tiara* diſcrepâſſe, notat Alexander Neapolit. *Genial. dier. l.* 1. *c.* 18. quod confirmatur ex Curtio, *l.* 3. *c.* 3. qui tegmen Regum Perſicorum *Cidarim* appellat. Agathias quoque, *l.* 4. regium Perſarum pileum promiſcuè, nunc *tiaram* nunc *Cidarim* nominat, agens de Artaxerxe: quemadmodum de Varane, in utero adhuc latente, impoſitam fuiſſe *Cidarim*, i. e. *tiaram rectam*, ait *Idem.* Genus itaque erat pilei, à pilis conteati, Pollux, *l.* 10. *c.* 36. uſique hôc capitis tegmine ſunt Reges Armeniorum & Ponti, Reges Ægypti ac Æthiopiæ: nec diſſonat *Diodor. Siculus*, horum pileum dicens fuiſſe oblongum, aſpidibus circumvolutum; nihil quippe vetat, *Cidarim* oblongum pileum dicere. Vide Anſelm. Solerium, *de Pileo, ſect.* 9. De eodem geſtamine ſic Paſchalius, *Quam Perſa Tiaram, Armenii vocabant* Cidarim, *ſive, ut ex Herodoto ſcribit Pollux* Κίδαριν, *&* Κίταριν, *i. e. diadema Regibus Armeniæ peculiare, nec ferè niſi nomine diſtinctum à tiara. Quanquam hôc quoque nomine fuit diadema aliorum quorundam Regum, velut Mithridatis Regis Ponti* &c. Vide eum *Coronar. l.* 10. *c.* 3. Apud Hebræos Pontificii capitis tegmen ſacrum, *Cidaris* nomine (quô & Sacerdotum) deſignans B. Hieronymus, *Ep. ad Fabiolam* illud ſic deſcribit: *Rotundum pileolum, quale pictum in Ulyſſe conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diviſa & pars una ponatur in capite, hoc Græci & Noſtri tiaram, nonnulli galerum vocant, Hebræi Miznepheth: Non habet acumen in ſummo, non totum uſque ad comam caput tegit, ſed etiam partem a fronte inopertam relinquit: atque ita in occipitio vittâ conſtrictum eſt, ut non facile labatur ex capite. Eſt autem byſſinum & ſic fabrè opertum linteolò, ut nulla acus veſtigia appareant.* Vide quoque Joſephum, *Antiqq. Jud. l.* 3. *c.* 8. qui, quid *Cidaris* Pontificia ſupra Sacerdotalem haberet, oſtendens ſic ait: *Pileo, quali cæteri Sacerdotes utebantur: ſuper quem extabat alius conſimilis, ex hyacintho variatus. Hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua ſpectabantur calyculi aurei, quales videmus in herba, quæ Græcis hyoſcyamus*, (quam herbam probè deſcribens, addit:) *Ejuſmodi corona ab occipitio circum tempora utraque procedebat: nam frontem iſti calyculi non ambiebant; ſed, ceu lorum quoddam latum aureum, quod ſacris characteribus Dei nomen inciſum habebat.* Ubi videtur Joſephus coronulam ſoli Pontificiæ cidari adſcribere: Lyranus verò *in Exodi*, c. 39. in Sacerdotali quoque agnoſcit; non quidem aureas, quales erant Pontificiæ, ſed byſſinas &c. Hodiernorum Pontificum *Cidaris* triplicem continet coronam, ſupra ſimplicem Epiſcoporum inferiorum mitram: inventum, ut pleriſque viſum, Bonifacii VIII. de quo pluribus agit Anton. Mazaronius *de tribus Pontif. Coron.* & Car. Paſchalius ubi ſuprà, *l.* 9. *c.* 14. & *l.* 4. *c.* 21. Fuiſſe tamen hoc geſtamen antiquius, & à Paulo II. poſtquam jam exoleviſſet, revocatum, monuit Jacobus Cardinalis Papienſis *Comm. de rebus Pauli II. l.* 2. Vide paulo antè laudatum Anſelm. Solerium, *l. eâd ſect.* 12. *&* 13. ut & infrà in *Citaris* & *Citaris*. Sed & *Cidaris*, Græcè Κίδαρις, nomen ſaltationis Arcadibus olim uſitatæ, de qua vide Jul. Cæſ. Scaligerum, *Poetic. l.* 1. *c.* 18.

CIDINOLA, caſtellum Apuliæ Dauniæ, circa quod planities ἄδενδρος, hordeum tamen, triticum, aliaque frumenti genera mirâ ubertate fundit.

CIDONIUS Demetrius, vide *Demetrius.*

CIE, gummi ſeu gluten celebre, quod apud Sinenſes in provinc. *Chekiang*, ſub urbe *Nincheu* plurimum colligitur. Stillat ex arboribus perſimile lachrymæ terebinthi, colligitur per æſtatem purgaturque ab incolis, &, quô volunt, inficitur colore: optimum auteo flaveſcit, proximum nigerrimum. Cùm nondum ſiccatum eſt, venenatam quandam dimittit exhalationem, cui non aſſueti intumeſcunt ac pallent vultu, ſed facilis eſt curatio. Eò etiam tinguntur arculæ, tardiùs ſiccatur, niſi in humido ſit loco, ſemel autem exſiccatum ampliùs liqueſit nunquam. Quàm vero res ſit elegans, munda ac ſplendida, jam pridem didicit Europa ex capſulis, quæ e Japonia & ipſa Sina plurimæ advehuntur. Auctor Anonymus, *Sina & Europa c.* 34

CIERIUM, urbs Bœotiæ, aliàs *Arne* dicta. *Steph.*

CIFRA, vide *Ciphra*, it. *Siphra.*

CILBIANUM, urbs Aſiæ ad Caystrum fluv. in Lydia, quæ & *Valentinianopolis* in *Lib. Concil.* appellatur. Populi *Cilbiani* Plinio, *l.* 5. *c.* 29. *extr.* & *campus Cilbianus* apud Tmolum montem. *Cilbiani* quoque *agri* apud Epheſum.

CILBICINI, Hiſpaniæ populi circa oſtium Bætis fluv. *Avienus.*

CILBUS, Hiſpaniæ Bæticæ fluv. *Idem.*

CILE, ſeu CHILI, Regnum Americæ meridional. ultra tropicum Capricorni ſitum, juxta mare Pacificum in longum porrectum, verſus Occaſum, inter Peruviam & Patagonum regiones, à Septentrione Charchanes, & Collaones habitant, ab Occidente Plataru reſpicit, reliquum Oceanô & Pacifici maris undis pulſatur aut abluitur, propter intenſum illis in partibus frigus à frigore nomen habet. Nam *Chili*, Barbarorum linguâ, *frigus* ſignificat: tantum enim eſt frigus, ut equos cum ſeſſoribus penè conſtringat, & marmoris inſtar induret. Prima adverſus Chilenſes expeditio fuit Didaci Almagri, cui cùm ex fœderis conditionibus cum Franciſco Pizarro initi ea provincia obveniſſet, A. C. 1534. magnis itinerum difficultatibus ſuperatis ad Chilenſes penetravit; ſed cùm præter viros proceris corporibus metuendos, hiſpidiſque marinorum luporum pellibus terribiles, ſagittis à tergo lateribuſque incurſantes ſuoſque aſſiduè laceſſentes, nullum adhuc uſquam auri indicium inveniſſet, dimiſſâ infructuosâ Chilenſium oppugnatione retro eſt reverſus, occiſuſque poſt reditum à Pizarris, totius rei hujus gloriam tandem Petro Baldivio reliquit, qui ad Chilenſes Proprætor miſſus, gentem diuturnô bellô domuit, occupanſque maritimis locis opportunam illis in partibus coloniam deduxit, quæ nunc Gentis Metropolis eſt. Regio ingentibus ſæpenumero terræ motibus infeſtatur, quibus præter hominum jumentorumque miſeram ſtragem, integros quoque montes ſolo æquat aut ſubvertit, fluviorum naturales alveos transfert, aut in lacus ſtagnantes commutat, & maris æſtum per aliquot paſſuum millia divertit, naveſque in ſicco procul à ſtatione relinquit. In hujus etiam provinciæ montanis peculiaris ventus dominatur, cujus vis adeò noxia eſt, ut oppreſſô intet viſcera vitali calore viatorem extemplò interimat, mortuorum tamen corpora non infeſtet, ſed à corruptione & putrefactione conſervet: non aliquâ tamen vehementiâ, ſed nimiâ ſuâ ſubtilitate adeò noxius eſt. *Merel. Baudrando*, à Septentrione Peruviam, ab Oriente Andes montes, à Meridie Terram Magellanicam habet. Subeſt majori ex parte Hiſpanis, Boream verſùs. Herrera, *c.* 22. *Linſchoten*, *a Coſta*, &c.

Urbes præcipuæ Cile.

Araucum, *Arauco.*	*S. Juan de la Frontera.*
Chiloa, *Chiloe.*	Imperialis, *Imperial.*
Civium conceptionis, *Ciudad de la Conception.*	Oſornum, *Oſorno.*
Fanum S. Jacobi, *S. Jago*, totius regionis primaria.	Serena ſeu Coquimba, *la Serena ò Coquimbo.*
Fanum S. Johannis de confinio,	Urbs dives, *villa Ricca.*
	Valdivia.

CILENI, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi. Plin. *l.* 4. *c.* 20. *Cilini Ptol.*

CILIA, urbs Stiriæ, ad Savi fluvii ripam, uti apparet ex veſtigiis, antiqua, nam inſcriptiones in ea plures nominum Romanorum apparent. *Mercat.* *Ciliæ* Comes Ulricus celebris fuit ſeculô 15. Huic Ladiſlaus Hungariæ Rex Auſtriam gubernandam commiſit, A. C. 1452. poſtquam Fridericum III. Imperatorem coëgiſſet, Regem adhuc vix tredecennem ſuæ tutelæ concredere. Sed quia Auſtriacæ nobilitati gravis viſus, pauló poſt ex aula dimiſſus eſt, æmuli inprimis Eyzingeri machinationibus. Iterum tamen Regi reconciliatus, rediit Viennam, A. C. 1455. Tandem, quòd lætatus eſſet Huniadis morte, ab hujus filio Ladiſlao obtruncatus eſt, A. C. 1456. Vide Æn. Sylvium *Bohem. c.* 62. *& ſeqq.* Hermanni *Ciliæ* Comitis filia Barbara, nupſit Sigiſmundo Imperatori. Vide *Barbara.*

CILICENE, Pannoniæ inferioris urbs, *Antonin.*

CILICIA, regio Aſiæ minoris notiſſima, inter Pamphyliam ad Occaſum, Syriam ad Ortum, ac inter Taurum montem ad Boream, à Cappadocia ſeparantem, & pelagus Cilicium ad Meridiem contenta. *Caraman* & *Caramania* propria vulgò, non *Turcomania*, ut ſcribit *Ortelius.* Aliàs Caramania latè ſumta complectitur Ciliciam, Pamphyliam, Piſidiam & partem meridionalem Cappadociæ. *Baudrand.* Hic Hama ſeu Hamſa, quæ olim Tarſus, Pauli natalibus inclytæ, Seleme, Pompejopolis, ad Iſſicum ſinum *Golfo d'Ajazzo*, vide Ptol. *l.* 5. Mercat. *Atl.* Bellonium, *l.* 2. Cilicia crocô maximè abundat. Lucret. *l.* 2. *v.* 416.

Et cum ſcena croco Cilici perfuſa recens eſt.

Ovid. *in Ibin*, *v.* 199.

Nam neque quot flores Siculâ naſcantur in Hyblâ,
Quotve ferat dicam terra Ciliſſa crocos.

Propert. *l.* 4. *El.* 6. *v.* 74.

Terque lavet noſtras ſpica Ciliſſa comas.

Plin. *l.* 21. *c.* 6. *Prima nobilitas eſt è croco Cilicio in Coryco monte*, &c.

Stat. *l.* 3. *Sylv.* 3. *v.* 94.

> ----- *Tu largus Eoa*
> *Germina, tu meſſes Ciliciumque Arabumque ſuperbis*
> *Merge rogis.* -----

Hujus incolæ dicti ſunt, *Cilices*, quos piraticam exercentes, Pompejus devicit, victoſque in deditionem accepit, eorumque poſteà fideli operâ uſus eſt in bellis navalibus adverſus Cæſarem. Lucanus, *l.* 3. *v.* 228.

> *Itque Cilix juſſâ non jam pirata carinâ.*

Λόγος ἐστὶ παλαιὸς (inquit quidam) *μὴ ῥᾳδίως ἀληθεύειν τοὺς Κίλικας.* Hinc illud:

> *Κρῆτες, Καππάδοκες, Κίλικες τρία Κάππα κάκιστα.*

Chalab, Ciliciam ab Ebræis nominari auctor eſt Arias Montanus: Incolas ejus prius *Achæos* appellatos ſcribit ex Herodoto *Stephanus*. Strabo, *l.* 14. Ciliciam dividit in *Campeſtrem* & *Tracheam*, i. e. *aſperam*. Nomen ejus quod attinet, videtur id primò & præcipuè à Phœnicibus inditum Ciliciæ aſperæ parti; neque enim à *fabuloſo Cilice* nomen ſumptum, ſed à חלכים *Chalekim* vel *Chalakim*, i. e. *lapidibus*, quia lapidoſa regio eſt. Sil. *l.* 13. *v.* 881.

> *Hinc Cilicis Tauri ſaxoſa cacumina vitet.*

Nonnus Dionyſ. *l.* 34.

> *Αὐχένα* [illegible] *Κίλιξ* [illegible] *Ταῦρος.*

Fuit opulentiſſima Populi Romani provincia & Cicerone proconſule memorabilis; poſtmodum ab Antonio Triumviro Regulos inſpectavit, quorum primus erat Polemon, quem vide. Tandem verò iterum in provinciam redacta, à Veſpaſiano, Sueton. *in eo*, *c.* 8. Inclinante Imperiô Orientali à Saracenis occupata, hiſque iterum fere tota erepta eſt à Nicephoro Phoca, A. C. 966. Olim verò Solinus author eſt, adeò potentem fuiſſe, ut ad Peluſium uſque procurrerit, Lydis, Medis, Armeniis, Pamphyliâ & Cappadociâ ſub imperio conſtitutis. *Κιλίκιοι τράγοι* dicebantur homines hirſuti, & pilis obſiti, unde Tibull. *l.* 1. *El.* 7. *v.* 11.

> *Frigidus intonſos Taurus arat Cilicas.*

Vide *Heſych. Nic. Lloydius.* Hodie tota Cilicia ſub Turcis eſt.

Urbes Ciliciæ, hodie extantes:

* Adana.	* Iſſus.
Anazarba, & us.	Larnus.
Anemurium.	Mallus.
Antiochia ſuper Trago, vel Crago.	Mopſueſtia.
	Nicopolis.
Auguſta.	Olbaſa.
* Cæſarea, penes Anazarbum, Sedes Satrapæ.	Philadelphia.
	Pompeiopolis ſeu Soli.
Celenderis.	Sebaſte.
Corycus.	Seleucia aſpera.
Diocæſarea.	Selinus.
Domitiopolis.	Tarſus.
Flavias & Flaviopolis.	Thebe.

CILICICIUM, veſtis genus ex hircorum ſive caprarum pilis contextum, quæ tonſura quod primùm in Cilicia inſtituta, facta inde appellatio eſt, ut Varro auctor eſt, *l.* 2. *de R. R. in fine.* Uſus eorum potiſſimùm in caſtris, item in navibus. Quò illud Virgilii pertinet, *l.* 3. *Georg. v.* 311.

> *Nec minùs intereà barbas incanaque menta*
> *Cinyphii tondent hirci, ſetaſque comantes*
> *Uſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.*

Aſconius in 3. *Verrin. Cilicia, texta in caſtrorum uſum, atque nautarum.* Porro lugentium & pœnitentiam veſtes apud Ebræos, quos 70. Interpp. [illegible] appellant, vetus Interpres Latinus ſæpe *Cilicia* interpretatur: neque enim dubium eſt, hirtas & ex pilis contextas fuiſſe; tales autem *Cilicia* vel *Cilicina* appellabantur: quare & *ὑφάσματα τρίχινα* Exodi, *c.* 26. *v.* 7. idem interpres *ſaga Cilicina*; & *σάκκον τρίχινον* Apocalypſ. *c.* 6. *v.* 12. *Saccum Cilicinum* vertit. Qui locus id quoque indicat, nigros fuiſſe hos ſaccos, ſive *Cilicia*. Et vero hic color mœſtos plangenteſque maximè decet. Prudentius, *Hymnô* 7. *jejunantium*, de Ninevitico juſtitio agens, *v.* 251.

> *Squalent recinctâ veſte pullati patres,*
> *Setaque plangens turba ſumit textiles,*
> *Impexa villis virgo beſtialibus.*

Alcimus Avitus, cùm idem argumentum tractat, *l.* 4.

> *Mollibus abjectis, Cilicum dant tegmina ſeta.*

I. e. *cilicia* induuntur. Cæterum *ſacci* à formâ (anguſti enim & minimè fluctuantes erant) *Cilicia* à materia, pilis videl. caprarum dicebantur. Quare *tunica ſaccus*, ſive *ſaccinea*, & *tunica Cilicia*, de eadem, B. Hieronymo dicitur, *in vita Hilarionis ſub finem*; tali enim ille ſanctus uſus fuerat. Et ita fermè ſolebant veſtiri, qui planè renunciâſſent ſeculo, propoſitumque ſeverius ſequerentur, qui & *Aſceta* & *Monachi* appellati, quibus maximè conveniebat hæc veſtis: *cùm monachus non doctoris, ſed plangentis officium habeat; qui ſe, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præſtoletur adventum*, ut idem Hieronymus alibi ſcribit. Paulinus Nolanus, *in obitum Celſi*, *v.* 451.

> *Si modò lugentem gravis hirtô tegmine ſaccus*
> *Caprigenûm ſetis dum tegit, & ſimulet.*

Ubi & *ſaccum* & *ſetas*, ſive pilos caprinos habes, ex quibus Cilicia contexta erant. Quanquam *Ciliciorum* nomine omnes hirtas veſtes comprehendi exiſtimem, licèt de aliis etiam, quàm caprinis pilis contextæ eſſent, ut Camelorum, qualis Joannis Baptiſtæ fuit, item diſcipulorum B. Martini; de quibus Severus Sulpitius, *in vita ejus*, *c.* 7. *Plerique camelorum ſetis veſtiebantur; mollior ibi habitus pro crimine erat.* Utebantur autem Aſcetæ hirtis ejuſmodi veſtibus, atque in iis cubabant etiam, ut coërcerent carnem, & ad Orationes vigilantiores eſſent. Paulinus *de Joh. Baptiſta*,

> *Veſtis erat curvi ſetis contexta cameli,*
> *Contra luxurium molles duraret ut artus,*
> *Arceretque graves compunctô corpore ſomnos.*

Nic. Lloydius. Ad vocis etymon reſpiciunt *Gloſſæ Baſil.* [illegible] *Cilicia hirci ſunt è Cilicia villoſi: ibi enim iſtiuſmodi hircorum eximia vis eſt; unde & quæ è pilis contexuntur, Cilicia vocantur.* Nempe, ut dictum, de pilis caprarum iſtiuſmodi velamenta fiebant. *Heſychius*, [illegible] *κιλίκια.* Unde patet Servium cum centonibus malè *cilicia* confundere; Cùm ait, *de ciliciis poliuntur loricæ & teguntur tabulata turrium, ut jactu facibus ignis poſſit adhærere.* Centonibus enim, qui ex lana erant coacta, neque ferro ſolùm, ſed & igni, reſiſtebant, id fiebat. At *cilicia* laxè ſuſpenſa obtendebantur ad telorum jactum. *Siſenna* apud Nonium, *Puppes aceto madefactis centonibus integuntur, quos ſupra perpetua claſſi cilicia obtenduntur*, adde, *& laxè ſuſpenſa*: Ita enim non firmitate ſolùm ſuâ, ſed & lenitate, adverſum tela valebant, quia molliter exceptum eorum jactum reddebant inutilem. Sed & ad facienda tentoria aliquem *Ciliciorum* fuiſſe uſum, apud Scenitas Arabes, ex Plinio diſcimus. Porro nautas tunicas ex *ciliciis* induebant: Unde Virg. *loc. cit.*

> --- ---- *Setaſque comantes*
> *Caſtrorum in morem & miſeris velamina nautis* &c.

Vide Salmaſ. *Exercitation. Plin. ad Solin.* p. 488. 489. Savaronem *ad Sidonium Apollinarem*, *l.* 4. *Ep.* 24. & Hæfenum. Paulinus, *l.* 2. *de vita Martini*, de *Cilicio* Monachorum ſic canit:

> *Quin & contextô ſetis coopertus amictu*
> *Exeſa aſſiduò compungit acumine membra,*
> *Ut tereret tenuem veſtis nimis aſpera pellem*
> *Et cutis externis ſtimulis attacta paveret;*

apud Car. du Freſne *Gloſſar.* ubi addit Græcos recentiores centones ac feltra, quibus machinas ſuas tegebant, quò ab igne Græco tutæ eſſent, [illegible] quoque & *Κιλίκια* appellitâſſe, ex Procopio, *Perſicor. l.* 2. *c.* 26. & *Tacticis* Leonis paſſim. Nec omittendum, Maſſilianos olim Hæreticos, Synodo Oecumen. III Epheſinâ damnatos, *Cilicium* palam affectâſſe, quam illorum hypocriſin arguens Epiphanius *Hær.* 80. [illegible] *Oportebat autem ſanctæ Virginis Matris noſtræ Eccleſiæ liberos eſſe honeſtos, domum ſervantes, Deoque qui abdita novit, & palàm præmia reddit, ut ſcriptum eſt, in abdito ſervientes; idque decenter propter exteros; adeò ut nullam ab intuentibus mercedem aut gratiam exſpectarent. Eſt enim alienum a Catholica Eccleſia Cilicium palam præ ſe ferre.* Certè & Caſſianus, *Inſtitution. l.* 1. *c.* 2. ſapere ſuperbiam & nullum corpori afferre emolumentum, impedire item laborantem, neque ſuô tempore in uſu fuiſſe, niſi apud paucos, refert &c. Vide Forbeſium, *Inſtitutionum Hiſtorico Theologic. l.* 2. *c.* 8. §. 6.

CILIMBESII, Corſicæ inſulæ populi. *Ptol.*

CILISCUS, vel **PHILISCUS**, Poëta Tragicus Græcus, quem Protogenes coloribus expreſſit. Plin. *l.* 35. *c.* 10.

CILISSA, Phrygiæ, aut viciniæ regionis urbs. *Xenophon.*

CILIUM, Africæ propriæ urbs. *Antonin.* Item civitas antiqua Apuliæ Peucetiæ.

CILIX, Phœnicis filius; item qui è *Cilicia* eſt. Ita Solin. *c.* 38. *A Cilice nomen trahit* (Cilicia) *quam etiam priſtina penè ultra avum memoria abſcondit. Hunc Phœnice ortum, qui antiquior Jove de primis terra alumnis habetur.* Herodotus verò Agenoris filium facit, ubi de Phœnicibus, [illegible] *ſic fuerit is Cadmi, Phœnicique frater.* Nec defuêre, qui Neptunô eum genitum dicerent, inter quos Pherecydes. Unde vetus Auctor, cum Agenor filios ad Europam quærendam miſiſſet, unà cum his ad ejus inveſtigationem cauſſe Telephaſſam matrem addit, [illegible] *Cilicem, & Thaſum filium Neptuni, vel ut Pherecydes, Cilicem.* Pro Phœnice tamen ſtat Scholiaſtes quoque Apollonii: [illegible] *Ex Caſſiepea Arabi filia naſcitur Phœnici Cilix, & Phineus, & Doryclus; Atymnius verò, nomine quidem & ipſe Phœnicis filius fuit, reverà autem Jovis.* Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 772.

CILLA, Africæ propriæ urbs, *Appiano.* Et Æolidis oppidum *Herodoto.* Item Troadis urbs, in regione Ciliciæ, Thebaica dicta, *Sanſone* teſte, ad amnem Cilleum, 5. milliar. ab ora ſinus Adramyteni, 12. ab Adramyteo in Boream, 9. à Thebe in Occaſum Apollini ſacra. Ovid. *l.* 13. *Met. v.* 174.

> *Me Tenedon, Chryſenque & Cillan Apollinis urbes.*

Homer. *Il.* 1. *v.* 37.

> *Κλῦθί μευ ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας,*
> *Κίλλαν τε ζαθέην, Τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις.*

Heſychius: *Κίλλα, πολίχνιον* [illegible] *Ἀπόλλωνος.* Eſt etiam *Cilla* montis nomen, apud Qu. Calabrum, *l.* 8.

Οἱ τότε Γερμανοῖσι περὶ ξάνθον ὕδωρ ναίεσκον.

Nic. Lloydius.

CILLABA, Africæ urbs, circa Syrtim majorem. Plin. *l.* 5. *c.* 5.

CILLÆ, Thraciæ urbs, *Antonin.*

CILLEJA, urbs German. in Stiria, ad Saanam fluv. qui paulo infrà in Sanum fluit. Vide *Celia*.

CILLUS, Pelopis auriga, quem cùm Pelops ad Oenomaum proficiſcens in itinere amiſiſſet, juſta ei ſplendidè perſolvit, & ut memoriam ejus ad poſteritatem propagaret, eôdem, quô mortuus eſt locô, urbem condidit, quam *Cillam* de nomine ejus appellavit. Strabo, *l.* 15.

CILMA, Africæ propriæ urbs. *Ptol.*

CILMANA, circa Gaditanum ſinum urbs. *Antonin.*

CILNIUS, cognomen Mæcenatis. Erant autem *Cilnii* populi Etruſci; domô autem Aretini, maximæ apud cives dignitatis ac potentiæ, docet hoc Livius, *l.* 10. *c.* 3. *Etruriam rebellare, ab Arretinorum ſeditionibus motu orto nunciabatur; ubi Cilnium genus prapotens divitiarum invidia pelli armis cœptum.* Et Silius Ital. *l.* 7. *v.* 29.

> *Cilnius Arreti Tyrrhenis ortus in oris*
> *Clarum nomen erat.* —— ——

Præfectus fuit Romæ Italiæque ab Auguſto, per bellum Siculum, an. Urb. Cond. 717. Vide Meibomii *Mæcenatem*, p. 18. 19.

CILO, apud Æl. Spartian. *in Antonino Caracalla*, *c.* 3. *Alterâ die Capitolium petiit & eos, quos occidere parabat, affabiliter eſt allocutus, innixuſque Papiniano & Chiloni ad Palatium rediit.* Ubi alii *Chilo* legunt: ſed veram lectionem confirmant *Dio* & *A. Victor*. Eſt autem *Cilo*, vi vocis, cui frons veluti cellit, & ſurſum movetur ac ſurgit. Feſtus, *Cilones, quibus frons eſt eminentior, ac dextra ſiniſtraque velut recîſa videtur.* A' verbo *cellere*, κέλλειν ſeu κελεῖν, & tranſitivè, κινεῖν καὶ κλίνειν. Unde *excellere*, & *recellere*, quod eſt, eôdem interprete, *reclinare*, & inde Gallicum *reculer*, Lucretius, *l.* 6. *v.* 571.

> *Sæpius hanc ob rem nutatur terra pruinas*
> *Quam facit. Inclinatur enim retroque recellit:*
> *Et recipit prolapſa ſuas ſe in pondere ſedes.*

Ab eadem origine *incilare* & *vacilare*: quorum illud erat primò *incellere*, i.e. maledictis impetere & vexare. Quare eſt veluti pleonaſmus ἐν παρέλκοντι, in ejuſdem Auctoris iſto, *l.* 3. *v.* 976.

> —— —— *Neceſſe eſt,*
> *Jure (ut opinor) agat: Jure increpat inciletque, &c.*

Vide Heraldum, ad *Arnob. l.* 3.

CILO Junius, præfuit Bithynis & Ponto, nequiter & avarè. Queſti Bithyni apud Claudium popoſcerunt pœnam. Cùm parùm intellexiſſet Claudius in turba ſtrepituque adſtantium, quid dixiſſent Bithyni, alios interrogat. Ibi Narciſſus, pronus in *Cilonem*, audaci mendaciô edidit, gratias eos agere *Ciloni*. Tum ille. Præſit ergò illis alterum biennium. Dio, *l.* 60. Tacit. *l.* 12. *Annal.* c. 21. dicitur *Junius Cilo*.

CILURNUM, Britanniæ oppid. Ottadinorum in Northumbria, ubi nunc pagus *Collerton* nonnullis, ſive *Collerford*. Cum ponte ad Tinam Boreal. fluv. Camdenus autem potiùs autumat val *Walwick*, vel *Scilicester* eſſe ad Murum Severi.

CIMACUM, locus in Ducatu Lucilburgenſi, olim Comitatus nunc Principatus titulô inſignis, ad Croyios, Arſchoti Duces pertinens; ad caput amnis, qui Mariæburgum, & vicos aliquot prælerlapſus, in Moſam defluit, inter Caroli Montem & Fumaecum. Vulgò *Chimay*, aliàs *Cimay*. Eccleſia *Cimacenſis* vetus S. Monegundis nomine cenſetur, Canonicoſque habet. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CIMÆUS, Aſiæ mons circa Troadem. *Ptol.*

CIMANA, ætate Hieronymi vicus erat in campo latiſſimo, in tribu Zabulon, ſex millibus ab urbe Legione, ad Septentrionalem plagam pergentibus Ptolemaidem. Hieronym. *de Loc. Hebr.*

CIMARA, Indiæ extra Gangem urbs, *Ptol.*

CIMARUS, mons & promontor. Cretæ, prope Occidentem. Inſul. in territorio Caneæ, nunc *Capo Ciſamo*, quibuſdam medium inter Cyamum promontor. in Ortum, & portum Grabuſium in Occaſum. *Sophiano* verò eſt ipſum promontor. Cyamum.

CIMBELINUS, vel **KIMBELINUS**, Rex M. Britanniæ, ſub Auguſto, negaturus tributa, à ſubditis huic pendi ſolita, auditô, copias contra ſe mitti, per Legatos obſequium omne pollicitus eſt, ſeque Imperatoris protectioni commendavit. Regnavit diu & feliciter, relictis tribus filiis, qui mutuis diſſidiis colliſi. Plut. *in Aug.* Dio Caſſius, Polydor. Virgilius, Chenæus, *Hiſt. Angl.*

CIMBERIUS, Dux Suevorum, frater Naſuæ, qui centum Suevorum pagos, primò Gallici belli annô, ad Rheni ripas ſubſidio Sequanis adduxerat, Rhenumque tranſire conabatur. Cæſar, *l.* 1. *Comm.* c. 37.

CIMBERTILLIUS, vide *Tilius*.

CIMBINA, Mediæ urbs. *Ptol.*

CIMBRI, populi Germaniæ extremi ad Boream, quorum regio & peninſula *Cimbrica Cherſoneſus* à *Ptolemæo* appellatur, in 4. partes diviſa, Holſatiam ad Meridiem Saxoniæ attiguam, Ditmarſiam ad Occidentem, in ora Albis circa oſtia, & Oceani, Jutlandiam ad Septentrionem, & Ducatum Sleſvicenſem in medio inter Holſatiam & Jutlandiam in regno Danico contentas. Hi an. Urb. Cond. 640. paratô maximô exercitu Teutonibus, Ambronibus & Tigurinis juncti, vaſtatâ Germaniâ, Iſtriâ, Dalmatiâ, Rhætiaque per Delphinatum, Aquitaniam & Provinciam Romam contenderunt, ſed C. Marius eos fugavit, caſtriſque exuit, prope Arelatum in campo *Camargue* hodie, i. e. campus Marii, eos aggreſſus, & inter Aquas Sextias & S. Maximinum plenâ victoriâ potitus. Cujus reliquiæ adhuc ſuper inter pagos *de Pourrieres*, & *de Treis*, prope rivulum *de l'Arc*, ubi Pyramidis ibi erectæ rudera. Vide præter infrà laudatos, Eutrop. *l.* 5. Flor. *l.* 3. *c.* 3. Vellej. *l.* 2. *c.* 12. Liv. *Epit.* 67. 68. Plin. *l.* 7. *c.* 22. *l.* 16. *c.* 33. *l.* 17. *c.* 1. *l.* 36. *c.* 1. Melam, *l.* 3. *c.* 3. &c. A' Cimbris & Holſatis, quos duriùs tractabat, oppugnatum legimus Valdemarum IV. Daniæ Regem circa A.C. 1360. Erant homines ingenti corpore, horrendis oculis, Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 124.

> *Quâ nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam.*

Idem, *Sat.* 8. *v.* 251.

> *Atque ideo, poſtquam ad Cimbros ſtrageſque volabant,*
> *Qui nunquam attigerant majora cadavera, corvi.*

Lucan. *l.* 2. *v.* 234.

> *Nos primi Senonum motus, Cimbrumque furentem*
> *Vidimus.* —— ——

Propert. *l.* 2. *El.* 1. *v.* 24.

> *Cimbrorumque minas & benefacta Mari.*

Tympanorum inventores habentur. Vide Strab. *l.* 7. Plutarchus, *in Mario*, *Cimbrorum* vocabulum Germanicum tradit, quô *latrones* ſignificentur; ideoque Strabo, *l.* 4. & 7. eos πλάνητας καὶ λῃστρικοὺς vocat. Et *Feſtus*; *Cimbri linguâ Gallicâ latrones dicuntur.* Sed hæc, ut & alia, quæ de Cimbris antiqui fabulati ſunt, refutat Cluverius, *Germ. Ant. l.* 3. *c.* 22. *Nic. Lloydius*. *Cimbriam* cum Ducatu Sleſvicenſi, beneficii titulô Holſatiæ Ducibus conceſſit Chriſtianus IV. Daniæ Rex. Chytr. *Saxon.*

CIMBRIANUM, oppid. Myſiæ inferioris *Brabbide* Lazio, quaſi Brionum pons. Vide & *Cimbria*.

CIMBRICA Cherſoneſus, peninſul. perampla German. à Septentrione in Meridiem extenſa, inter Cimbricum & Suevicum mare, ſeu Codanum ſinum. Pars eſt regni Daniæ, nunc *Jutia* dicitur. Dividiturque in Jutiam Septentrionalem, ſub qua 4. Diœceſes ſeu provinciæ Alburgenſis, Arhuſienſis, Wiborgenſis & Ripenſis; & in Jutiam Meridionalem, ubi Ducatus Sleſvicenſis & Holſatia, ſub qua Ditmarſia, Stormaria, Holſatia propria & Wagria. Habet à Meridie Saxoniam inferiorem, & fretô *Middelfart Sund* dictô ſeparatus à Fionia Inſul. Aliàs *Cartris*, etiam, Pliniô teſte, *l.* 4. *c.* 13.

CIMBRORUM Promontor. *Scager Rif*, prope caſtrum *Scaam*, in parte Boreali Diœceſis Alburgenſis, in Jutia Septentrionali, 10. leuc. à proximo littore Norvegiæ in Occaſum, 12. ab Alburgo in Boream, 40. à Bergis in Auſtrum.

CIMELA, urbs exciſa Italiæ, prope Alpes & Nicæam urbem in confinio Galliæ Narbonenſis. Via 1. leuc. à mari Mediterraneo. Vide *Cemenelium*.

CIMELIARCHA, in *Collatione* factâ Conſtantinop. ſub Juliano, *Vir venerabilis Euſebius Presbyter &* Cimiliarcha *ſanctiſſimæ majoris Eccleſiæ*: Κειμηλιάρχης, *in l. fin.* §. 1. *Cod. de Bon. auctor. judic. poſſid.* & *Nov.* 40. §. 1. Κειμηλιοφύλαξ, in Concil. Chalcedon. *Act.* 10. Theſauri & Cimeliorum, h. e. vaſorum donariorumque Eccleſiæ cuſtos eſt. Sic in Metropolitana Eccleſia Mediolanenſi, *Cimeliarcha* meminit Corius ad *A.* C. 1172. Et *Cimeliarcham* Neapolitanæ Eccleſiæ, in celebrationibus divinorum officiorum ac in Proceſſionibus, baculum ferre, dicitur in *Sac. Congr. Rit.* 19. *Januarii A.* C. 1619. Hinc *Cimeliarchium* locus ubi Κειμήλια reponuntur, Κειμηλιαρχεῖον in *Epiſt.* 2. Gregorii II. ad Leonem Iſaurum in *Syn.* VIII. κειμηλιοφυλακεῖον, in *Nov.* 70. c. 4. &c. A' voce Græca κειμήλιον, quod in genere notat τὸ ἀποκείμενον χρῆμα, *rem in futurum reconditam*. Homer. *Il.* ζ. *v.* 47.

> Πολλὰ δ' ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται,
> Χαλκός τε, χρυσός τε, πολύκμητός τε σίδηρος.
> *Multa in opulenti Patris (ædibus) cimelia recondita jacent,*
> *Tum æs, tum aurum, tum elaboratum multâ arte ferrum.*

In ſpecie, *theſaurum & vaſa Eccleſiæ*, uti dictum. Vide Macros Fratres in voce *Cimelia*. Apud Veteres *Cimeliarchium* nonnullis dicitur Aurum Viceſimarium, i. e. viceſima redituum Reipubl. pars, quam ad ultimos caſus, in penitiori ædis Saturnio ſacræ receſſu, tanquam tutiori munitiorique locô, Romam aſſervabant: quod ipſum *Ærarii ſanctioris* nomine inſignitum eſt. Vide Cæl. Rhodig. *Antiqq. Lect. l.* 4. *c.* 9.

CIMILINE, apud Honorium III. Pontif. Rom. *in* 5. *Compil. l.* 5. *tit.* 19. *c.* 1. & P. 29. *de Verb. ſignific.* vas eſt, in quo Sacerdos ſacra faciens manus abluit, quôque poſtmodum uti ſolent Diaconi aut Subdiaconi, eidem inſervientes, ad excipiendas oblationes, quæ inter Miſſæ ſolennia offeruntur, dum patena præbetur populo oſculanda. Contractum ex *Aquamanile*. Car. du Freſne *Gloſſar.*

CIMINUS, lacus & mons Italiæ, *Montagna di Viterbo*: unde *Sylva Ciminia*, ſive *ſaltus Ciminius* memoratur Livio, *l.* 9. *c.* 36. *l.* 10. *c.* 24. Plinio, Frontino, *l.* 1. *Stratagem. c.* 2. *ex.* 2. *Straboni* Κιμινία λίμνη, fortè pro Κιμίνη. Apud *Stephanum* Κίμινος λίμνη. Ejus meminit Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 695.

> *Hi Feſcenninas acies, æquoſque Faliſcos,*
> *Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva,*
> *Et Cimini cum monte lacum, lucoſque Capenos.*

Nec non Silius Italicus, *l.* 8. *v.* 490. Virgilii imitator:

> *Hos juxta Nepeſina cohors, æquique Faliſci,*
> *Quique tuos, Flavina, focos, Sabatia quique*
> *Stagna tenent, Ciminique lacum, qui Sutria tecta*
> *Haud procul, & ſacrum Phœbo Soracte frequentant.*

Nic. Lloydius.

CIMME-

CIMMERII, populi in Italia, apud Bajas ad lacum Avernum, quorum oppid. *Cimmerium* fuit, ubi antrum Sibyllæ olim fuiſſe dicitur. Hi in ſubterraneis domiciliis habitantes, & per cuniculos commeare ſoliti, toto in illis die delitescebant, noctu tantùm ad latrocinia egreſſi, cùm victum ex metallorum aliqua effoſſione, divinationum mercede, & proventibus à Rege deſignatis quærerent, ut ex *Ephoro* ſcribit *Strabo*. Hinc *Cimmerias tenebras* proverbiò celebrarunt pro denſiſſimâ caligine. Homer. Od. 11.

> Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε
> Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
> Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσι.

De Italicis enim Cimmeriis hæc intelligenda clarum ex Geographis. Tibullus, *Panegyricò ad Meſſalam*, *l. 4. Epigr. 1. v. 64. ſ.*

> *Cimmerion etiam obſcuras acceſſit ad arces,*
> *Queis nunquam candente dies apparuit orta,*
> *Sive ſupra terras Phœbus, ſeu curreret infra.*

Juxta hos Ovidius Somni ſedem collocat, *l. 11. Met. v. 592.*

> *Eſt prope Cimmerios longò ſpelunca receſſu*
> *Mons cavus, ignavi domus & penetralia Somni:*
> *Quò nunquam radiis oriens, mediuſve, cadenſve*
> *Phœbus adire poteſt.* ---- ----

A' *cumbra* itaque nomen habere Phœnices fabulati ſunt, quia כמר *camar*, vel *cimmer*, eſt *nigreſcere*. Penès hos ingens quondam ſuperſtitio increbuit, loci naturâ erroribus ſuffragante; ibi ſacra nemora honorata, fluminibus etiam & fontibus ſuus honor fuit. Specus præterea famoſi & ad Inferos crediti aditus, quò intrare fas non erat, niſi Diis Manibus ſacrificiò placatis. Unde Homero ſuæ fabulæ œconomia, quam in Odyſſea commiſcuit, deſumpta eſt, & liber ſextus Æneid. Virgilii. Idem *Nic. Lloydius*.

CIMMERII, populi Aſiæ gemini; Alii qui ex Scythia venerunt, habitantes circa Boſphorum, ab ipſis *Cimmerium* appellatum. In Taurica Cherſoneſo, quæ cum tractu adjacente olim *Cimmeria* dicta eſt; poſt Scythia Europæa, ſeu parva; nunc Tartaria minor ſeu Precopenſis. *Baudrand.* Horum regio perpetuis nebulis involuta, unde *Tenebræ Cimmeriæ*, Proverb. Strabo, *l.* 1 & 3. Eraſmus *Adag. titul. Cæcutibus.* Alii inter Colchos & Iberes, quorum regio *Haveſſen* Aſt. Curchimio in Georgiam appellatur. Orpheus in *Argonauticis*:

> ---- Ἔνθα δὲ Κιμμερίοισι
> Νῶν Δολιοὶ ἐναγομένης ἀκτῖνος, ...
> Αἴγλης ἀπεύχοντο ...

Nic. Lloydius. Priores olim à Scythis, Aſiam incolentibus, pulſi, in Aſiam venerunt, & Cherſoneſum condiderunt, ubi nunc Sinope urbs Græca, ſita eſt, iter ſemper ſecundum mare tenentes. Inde ulteriùs progreſſi, Sardeis ceperunt, ut dicemus voce *Lydiam*. Herodot. *l.* 4. *c.* 12. Quæ tamen illorum expeditio non tam ſubverſio urbium, quàm depredatio per incurſionem, fuit. Illos verò inſequentes Scythæ, cùm aberrantes viâ in Mediterranea converſi eſſent, Cyaxare Medorum Rege victò Aſiæ imperiò potiti ſunt, per annos 28. ut infrà dicemus. Tandem ab Alyatte Lydorum Rege, Aſiâ iterum ſunt expulſi, ſub cujus avo Ardye Sardeis captæ fuerant. Strabo, *l.* 13. 14. Vide quoque ubi de *Scythis*. it. voce *Tyras*.

CIMMERIS, Troadis urbs, *Edonis* priùs vocata. Plin. *l.* 5. *c.* 30. Item *Cimmeris*, mater Deorum apud Cimmerios. *Heſych.* Κιμμερὶς, μήτηρ Θεῶν.

CIMMERIUM, oppid. Tauricæ Cherſoneſi, in ora Ponti Euxini, ad Boſphori *Cimmerii* fauces, 25. milliar. à Creocondama in Occaſum, totidem à Panticapæo in Auſtrum. *Cimbricum Straboni.*

CIMMERIUM, promontor. Aſiæ, in tractu Boſphorano, juxta Boſphorum Cimmerium à parte Aſiæ, prope paludem Mæotidem. Dictum etiam *Cerberion* Sanſoni, vix 4. milliar. à Parthenio in Ortum, 15. à Panticapæo in Boream, *Capo di Crote* hodie.

CIMOLIS, ſeu CINOLIS *Arriano*, *Quinoli Mercatori*, oppid. Paphlagoniæ in ora maris Euxini, inter Caraſubim promontorium ad Occaſum & Sinopen urbem ad Ortum. Nunc *Ginopoli*, parvi momenti, indies deficit. *Baudrand.*

CIMOLUS, it. CIMOLIS, *Ptol.* *Cimolia* Obſequenti, c. 190. *Polino*, teſte *Nigrò*, inſul. maris Cretici, cujus meminit Ovid. *l.* 7. *Met. v.* 463.

> *Hinc humilem Myconum, cretoſaque rura Cimoli.*

Bocharto, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 14. גמ־חול *gam-chol* dici videtur, i.e. *foſſa ſaponaria*, propter terram ſaponariam, quæ ex ea eruebatur. Sic in Hippocrate *Galenus* & *Erotianus* σμηκτίδα γῆν exponunt τὴν Κιμωλίαν. Dioſcorides, *l.* 2. *de felle*: Σμῶ νίτρῳ ἢ γῇ Κιμωλίᾳ ... Idem habent Ariſtoph. *in Ranis*, & Jul. Pollux, *l.* 10. *c.* 31. *Nic. Lloydius.* Hinc *ſmectis*, eadem terra Plinio, *l.* 37. *c.* 10. *Galactites, ex vino colore lactis eſt. Eandem dicunt leucogæam & leucographidem, & ſmectidem, terram lactis ſucco & ſapore notabilem.* Ubi legit Salmaſ. Dicta autem ſic eſt, quòd eâ uterentur ad dealbanda ac polienda indumenta; cui eidem uſui Cimolia terra inſerviebat. Vide eum *ad Solin. p.* 137. ut & infrà ubi de lapide *Galactite* & *Morochtho*.

CIMOLUS, à Scholiaſte *in Ariſtoph. Ranas*, ponitur inter Cycladas, cujus terra ferax ſic natri. Vide ſuprà.

CIMON, Athenienſis, Miltiadis & Egeſiphiles fil. liberalitate, munificentiâque domi magis, quàm militiâ clarus, quapropter Lucullo comparatur. Nam cùm hoſtium ſpoliis locuples eſſet, ea civibus ſuis diſtribuit, deinde amotis undique agrorum ſuorum ſepibus, vulgò poma, frugeſque ſumendas impunè dabat. Parabat quotidie ingens domi convivium, quò undique confluentes pauperes veſcebantur. *Plut.* Primus Athenis Scholas inſtituit, ut Pythagoras in Italia. Vitam ejus pete ex Plut. & Corn. Nepote, *l.* 5. Obiit rebus pace belloque geſtis clariſſimus, in Cypro, claſſis Græcæ Dux ſummus, poſt multas victorias, in urbe Citio morbo correptus, An. 302. Urb. Cond. Vide etiam Thucyd. *l.* 1. Juſtin. *l.* 2. *c. ult.* Valer. Max *l.* 5. *c.* 3. *ex. ext.* 3. *l.* 5. *c.* 4. *ex ext.* 2. Diodor. Sic. *l.* 11. & 12. Item *Cimon*, pictor quidam apud Plinium, *l.* 35. *c.* 8. Fuit etiam *Cimon* Hiſtoricus, qui Athenienſium & Amazonum pugnam deſcripſit. Arrian. *l.* 7. Incertum autem eſt, utrum idem ſit cum Cimone illo, de quo Suidas in Ἄψινθος. *Nic. Lloydius.*

CIN, Latinè *poſſeſſio*, vel *emptio*, ſive *nidus*, aut *Lamentatio*, nomen viri, à quo *Cinæi*, de quibus Numer. *c.* 24. *v.* 20.

CINA, civitas in tribu Juda. Joſ. *c.* 15. *v.* 22.

CINADON, vide *Cinæthon*.

CINÆDOCOLPITARUM Mons, hodie *Porto di Ferro*, ut videtur *Ortelio*, mons Arabiæ Felicis ad ſinum Arabicum, ubi *Cinædocolpitæ* populi incolebant.

CINÆDOLOGIA, ſpecies erat Mimicæ Veterum Poëſeos, in qua *Cynædorum* mores exprimebantur ac repræſentabantur: continebat enim, ut Suidas habet, μίμησιν ἀγωγῆς τῶν ... κιναίδους ... Et quidem Sotadem primum auſpicatum eſſe τὸ κιναιδολογεῖν tradit Strabo, & poſt eum Alexander Ætolus, pedeſtri uterque ſermone. Idem de Sotade, ... Poſt eos Lyſis & Simus etiam carmine, unde Σιμῳδοὶ & Λυσιῳδοὶ dicti, de quibus Athenæus, *l.* 14. Simodi etiam Ἱλαρῳδοὶ & Φλυακογράφοι dicebantur, ſicut Lyſiodi iidem cum Magodis erant. Erat autem Ἱλαρῳδία minùs gravis ac ſevera, quàm Tragœdia, ſicut Μαγῳδία laſcivior obſcœniorque, quàm Comœdia, uti Ariſtoxenus memorat apud eundem. Hujus enim argumenta, aliquando mulier, mœchi & lenones; aliquando vir temulentus ad amicam comiſſatum vadens, quæ omnia turpius obſcœniuſque repræſentabat, quàm Comœdia. Quemadmodum eadem mimorum Latinorum argumenta, adulteria, lenocinia, perpotationes & ſimilia. Sed & multa Κιναιδολογία in mimis virilibus & muliebribus &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 108. & 109. ut & hic paſſim.

CINÆDOPOLIS, inſul. Doridis regionis in ſinu Ceramico Plin. *l.* 5. *c.* 31. paulò à Continente diſtans, verſùs Halicarnaſſum.

CINÆI, populi circa Libanum & Amanum.

CINÆI, & CENI, qui à Jethro ſocero Moyſis duxerunt originem, habitârunt in medio regionis Amalec & Madian, quibus pepercit Saul in excidio Amalec. Gen. *c.* 15. *v.* 18. Numer. *c.* 24. *v.* 20. Judic. *c.* 1. *v.* 16. 1. Sam. *c.* 15. *v.* 6. 1. Paral. *c.* 2. *v.* 25. Joſeph. *l.* 6. *Jud. Antiq. c.* 8.

CINÆTHUS, Homeri carmina primus conventibus publicis recitavit: perperam enim tradunt nonnulli, Demetrium Phalereum primum dediſſe eos, quos Homeriſtas cognominârunt: cùm *Homeridarum* appellationem etiam apud *Pindarum* legamus. Appellati autem ſunt Ὁμηρίδαι, ſive ab officio, ſive, ut aliqui voluêre, quòd ex ejus familia illius cantum tanquam hæredes circumferrent. Jul. Cæſ. Scaliger, *Poetic. l.* 1. *c.* 41. Vide quoque infrà ubi de *Homeridis* & *Rhapſodis*.

CINÆTIUS *Halicarnaſſeo*, *Onugnathos Ptolemæo*, i. e. *Maxilla aſini*, promontor. Peloponneſi, *Xili* teſte *Nigrò*, aliis *capo di Malvaſia*. In Laconia provinc. ex adverſo Cytheræ inſul. medium inter Maleam promontor. ad Ortum, & Cypariſſam ad Occaſum. *Baudrand.*

CINAMBRI, Illyrica gens. *Appianus.*

CINARA, apud Columellam, *l.* 10. *v.* 235.

> *Horrida ponatur Cinara.* ----

ex Græco Κινάρα, Latinis *Carduus*. Siculis olim *cactus* eſt, quem *artocactum* hodie Galli vocant, *Artichaut*. Athen. *l.* 11. ... Sub finem addit, Ἀλλὰ μὴν καὶ κινάρας ... Refert ibidem verba Ptolemæi Evergetis, qui Ariſtarchi diſcipulus fuit, ubi & κινάρας nominavit. Aliud eſt κυνάρα; ſeu κυνάρα ἄκανθα, cujus veteres Poëtæ aliique Scriptores meminêre. Inter quos *Sophocles*,

> Κίναρος ἄκανθα ...

Aut enim carduum agreſtem hôc nomine appellârunt; de quo Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 152.

> ---- *ſegniſque horreret in arvis*
> *Carduus.*

Aut cynosbaton, ſive ſentem caninam. Salmaſ. *ad Solin. p.* 225. 226. & 228. Vide quoque ſuprà, ubi de *Articocalo* & *Carduo* eduli ſeu hortenſi.

CINARADAS, ex familia Cinaræ, ceremoniis Paphiæ Veneris præſidens. Tacit. *l.* 2. *Hiſt. c.* 3.

CINCENSES, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

CINCIA Lex, cujus auctor M. Cincius Tribunus Plebis M. Corneliò Cethegò, P. Semproniò Tuditanò Conſulib. an. Urb. Cond. ICLIX. fuit: *Ne quis ob cauſam orandam donum, munuſque caperet*. Liv. *l.* 34. *c.* 4. Tacitus, *l.* 11. *Annal. c.* 5. Cicer. *Ep. ult. ad Atticum*, *l.* 1. &c. Eam Feſtus *Muneralem* à Plauto vocari ſcribit, his verſibus:

> *Neque muneralem legem, neque lenoniam;*
> *Rogata fuerit nec ne, flocci æſtimo.*

L. Q. CIN.

L. Q. CINCINNATUS, Romanus fuit, cui aranti Viator attulit Dictaturam. Cicer. l. 2. de Finib. c. 4. *Majores noſtri ab aratro abduxerunt Cincinnatum illum, ut Dictator eſſet.* Perſius, *Sat.* 1. v. 73.

Unde Remus, ſulcoque terens dentalia, Quinti,
Quem trepida ante boves Dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. ——

Filium ſæpiculè à Cenſoribus reprehenſum abdicavit, Exercitum Conſulis M. Minucii ab Æquis & Volſcis obſeſſum liberavit: Sexto decimo, poſt triumphum, die ad aratrum reverſus. Liv. l. 3. c. 26. Flor. l. 1. c. 11. Aur. Victor, *de Viris Illuſtribus*, c. 17. &c. A *cincinnis* proculdubio nomen illi, qui ea ingenere id primus accepit, undè & pro inſigni poſteri ejus cincinnis uſi ſunt. Sueton. in *Calig.* c. 35. *Vetera familiarum inſignia nobiliſſimo cuique ademit, Torquato torquem, Cincinnato crinem.* Nic. Lloydius.

CINCINNI, crines intorti ſunt, quorum non exigua apud Romanos cura, tenerioris imprimis ſexus, fuit. Cum enim *habitus fœminæ*, ut ait Tertullian. *de Hab. mul. duplicem ſpeciem circumferret, cultum & ornatum*: ille in veſtibus, iſte in capillis & cutis curâ conſiſtebat. Et quidem capillorum cura, quæ iis fuit præcipua, non in ſtructura ſolum erat, de qua ſupra, ubi de *Capillis*, ſed & in colore & *cincinnis*: à quorum ſtudio *Cinerarii* miniſtri appellati ſunt. Varro, *de L. L. l.* 4. *Calamiſtri, quod his calefactis in cinere capillus ornatur. qui ea miniſtrabat, a cinere Cinerarius eſt appellatus.* Meminit & Seneca, *de Conſt. Sapient.* c. 14. *Quidam ſe à Cineraria impulſos moleſtè ferunt, & contumeliam vocant, Oſtiarii difficultatem, Nomenclatoris ſuperbiam, Cubicularii ſupercilium.* Acron eleganter in l. 1. *Sat.* 2. *Ciniflones & Cinerarii eâdem ſignificatione apud Veteres habebantur, ab officio Calamiſtrorum, i. e. veruum in cinere calefaciendorum, quibus Matronæ capillos criſpabant.* Cujus rei & Virg. facit mentionem, *l.* 12. *Æn.* v. 100.

Vibratos calidò ferrò ——

Porrò Servius *ad h. l.* cùm ait: *Criſpatos calamiſtrò, nam calamiſtrum eſt acus major, quæ calefacta & adhibita intorquet capillos.* Idem, *in eundem libr. Etiam ille pulvis, quo utuntur puellæ, cinis vocatur: unde etiam Cinifiones.* Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 2. v. 98.

Cuſtodes, Lectica, Ciniflones, Paraſita.

Calamiſtros autem *σιδηρᾶ ὄργανα*, *ferrea inſtrumenta*, videtur appellare Lucianus *Amor.* quibus modicè calefactis *Cincinni* excitabantur. Ovid. *l.* 1. *Amor. El.* 14. v. 25.

Quàm ſe præbuerat ferro patienter & igni,
Ut fieret torto nexilis orbe ſinus, &c.

Et ſanè calamiſtrum, acum ferream interpretatur non ſemel Iſidor. *Origin. l.* 10. & 20. præter quam uſui erant & minores acus, quibus ſuſtinebantur & figebantur capilli: unde *crinales acus* memorata Prudentio, *Pſychom.* Appulejo, *Metam. l.* 8. & Ovidio, *de Arte paſſim.* Ejuſdem miniſterii inſtrumenta erant, Diſcerniculum, Pecten, Speculum. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis.* Tranſiit etiam hic luxus ad fortiorem ſexum, unde *in capillorum concinnatores* invehitur Columella, *Præfat. l.* 1. *Structores capillaturæ*, vocat Tertullian. agitque de iiſdem *Manilius*, & *Juvenalis.* Nec ignotus eſt Othonis galericulus, apud Sueton. *c.* 12. Imò & Clemens Romanus, *l.* 1. *c.* 4. non licere ſcribit Chriſtiano, nutrire capillum & in unum complicare vel diſcerniculô diſcriminare, neque verò intortum calamiſtris criſpare, vel flavum facere. Inprimis ad Servius, *ad l.* 10. *Æn.* v. 832.

—— *comptos de more capillos*,

confirmat argumentô perſonarum Tragicarum, *quæ ſimiles erant in utroque ſexu, quantum ad ornatum pertinet capitis.* Pignor. *ubi ſuprà.* Vide quoque infrà *Crinis*: *Crocus*, ubi de *Cincinnos offerendi Deo ritu*, ſuprà ubi *de Capillos radendi ratione*, tondendi verò, infrà, ubi de *Lugendi ritibus.*

CINCIUS, Senator Roman. ſcripſit *de re militari.* Idem in ſuaſione legis Fanniæ objecit ſeculo ſuo, quòd porcum Trojanum menſis inferrent, quem illi ſic vocabant, quaſi aliis incluſis animalibus gravidum, ut equus Trojanus gravidus armatis fuit. Macrob. *l.* 3. *Saturn. c.* 13.

L. CINCIUS Alimentus, Prætor, Siciliam 2. belli Punici tempore adminiſtravit, ſub hujus finem captus. Scripſit Græcè *Annales*, Dionyſ. Halicarn. *Antiquit. l.* 1. Liv. *l.* 7. 16 17. 21. &c. De *arte militari* opus ejus laudat, A. Gell. *l.* 16. *c.* 4. *Faſtos*, Macrob. *Saturn. l.* 1. *c.* 12. Porro de vocibus antiquis, poteſtate Conſulum, officio JCti, &c. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1 *c.* 4. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *c.* 13.

CINCIUS, cui prænomen *Lucius*, vir Senatorii ordinis, ſcripſit de *antiquitatibus Romanis*, ejus meminit Solin. *c.* 1.

CINCIUS, prænomine *Marcus*, Tribunus plebis, an. Urb. Cond. 549. Legem de donis & muneribus tulit, quâ inter alia cavetur, ne quis ob cauſam orandam pecuniam donumve acciperet. Retulit iterum Auguſtus evaneſcentem vetuſtate, & firmavit novô conſultô. Dio, *l.* 54.

CINCIUS, prænomine *Sextus*, provinciæ Syriæ additus adminiſtrandæ, cùm copiæ militares Corbuloni permiſſæ eſſent ad bellum Parthicum. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 25.

CINCOMAGUS, ad Alpes vicus. *Plin.* ſeu Sincomagus, *Sezanne*, oppid. olim, nunc pagus in Delphinatu. 2. leuc. à Brigantio in Ortum, prope Matronam montem, vide *Sincomagus*, *Baudrand.*

CINCTI, apud Publium Syrum,

Libido cinctos etiam ſub vultu domat:

oppoſiti *diſcinctis*, qui fluxioris ſolutioriſque vitæ ſunt, quique totô vultu & habitu libidinem & luxuriem profitentur, ſunt qui modeſtiam & ſeveritatem præferunt. Sed multi ſunt, dicere vult Publius, qui Curios ſimulant & *Cinctos* Cethegos, quos libido ſub vultu & ſub perſona domat, quique intus ſunt diſcincti nepotes. Ubi vultus eſt *πρόσωπον*, ſeu *perſona.* Hinc *accincti lumbi*, in Sacris, quâ phraſi varia ſignificantur. In comeſtione Agni Paſchalis, manducantium habitus hic erat, ut lumbis eſſent ſuccincti, calceatis pedibus & cum baculo in manu, Exod. *c.* 12. v. 11. Qui viatorum habitus erat in Oriente, eorumque, qui operoſum aliquid moliuntur. Orientalium namque veſtes, cùm longæ & fluxæ fuerint & plerumque diſcinctæ, eas oportuit ſuccingi, cum vel ad iter ſe parabant, vel ad opus laborioſum, ne eſſent impedimento. Vide 2. Regum c. 4. v. 29. & c. 9. v. 1. Jeremiæ c. 1. v. 17. Lucæ c. 12. v. 35. Joan. c. 13. v. 4. &c. Eòdem itaque modò Venatores cincti. Unde *Diana alte & ſuccincta venatrix*, Minucio Felici & præter Venatores plures alii, nominatim Chirurgi. Ita cum Virg. Iapidem, vulneratum Æneam curaturum, *amictu ſuccinctum* effingit, *l.* 12. *Æn.* v. 401. Et Statius, *l.* 1. *Sylv.* 4. v 107. de illis, qui ſe ad Rutilium Gallicum ſanandum parant.

—— *Ritu ſe cingit uterque*
Pæonio. ——

Popæ ſive Sacrificorum miniſtri. Sueton. *Calig.* c. 32. *Admotâ altaribus victimâ, ſuccinctus Poparum habitu elatô altè malleô, cultrarium mactavit.* Hinc *ſuccincti Miniſtri*, iidem Ovidio, *l.* 2. *Faſtor.* v. 319. & *l.* 4. v. 413. Lucano, *Pharſal. l.* 1. v. 612. Aliis. Item Milites, quod notiſſimum. Inde namque *Cincti*, i. e. ſtrenui, militares, antiquè *Cinctuti*, Acron *ad Horatium de Arte*: contrà *Diſcincti*, pro imbellibus, Servius *ad l.* 8. *Æn.* v. 724. *Succingulum*, pro balteo, apud *Feſtum*, ut alia omittam. Atque hinc Latini dixêre *aliquem ad iter*, vel *ad opus accingi.* Et Poëta ſummus, *l.* 2. *Æn.* v. 235.

Accingunt omnes operi. ——

Neque rarò accipimus *accinctus*, pro homine induſtrio & expedito, qui Græcis *εὔζωνος ἀνήρ*, & Hebr. חלוץ *Chalutz*, quia חלצים *Chalatſim* ſunt lumbi, ubi cingulum. Sed & inter animalia, quæ magnificè incedunt, Proverb. *c.* 30. v. 31. ponitur זרזיר מתנים *accinctus lumbis*, i. e. equus, ſi Junio & Tremellio credimus: ſive ita dicatur propter cingulam (Gall. *la ſangle*) aut à conſequenti, roboris nomine; quia jumenta lumbis adſtricta firmiora ſint. Unde Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 86.

Stragula ſuccincti, venator, ſume veredi.

Eſt autem *cingula* vox, in Ovidio, *de Remedio Amor. l.* 1. v. 236.

Ut nova velocem cingula lædat equum.

Zonam vocat Claudian. *Epigramm.* 20. *de zona equi Arcadii*, v. 4.

Hâc uterum zonâ cinge frementis equi.

Quod ipſum eſt *baltheus*, in ſequente *Epigr.* 21. v. 1.

Stamine reſplendens & mirâ textilis arte,
Balteus alipedis regia terga ligat.
Hoc latus aſtringi velox optaret Arion,
Hoc proprium vellet cingere Caſtor equum.

Hebræi חגור vocant ab *amplectendo* & *cingendo*, &c. E quibus patet, hominem *cinctum* eleganti tralatione Publio dici hominem non otio indulgentem aut ignavum, in quali libidines facilimè exoriuntur, ſed *induſtrium*, & *ad iter opuſque ſuæ vocationis* expeditum: item *fortem* & *firmum*, qui pravis ſuggeſtionibus magnô animô reſiſtat, & modeſtiæ temperantiæque monitis ſitientem aurem præbeat. Quò & illud facit, quòd inter veſtes Sacerdotales V. T. nihil ſanctius habitum fuerit *cingulô* vel balteô: in quô reliquæ omnes veſtes, aliàs fluxuræ, continerentur & conſtringerentur, ut in officio ſuo nullam facerent Sacerdotibus moram. Vide ſuprà in voce *Baltheus*, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 655. & Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 6. & 50. Vide quoque infrà *Cinctus*, *Cingulo*, & de *Cinctuculo*, quô coliô amicti ædes ſuſpectas intrabant olim furtorum indagatores, infrà, voce *Lanx*, item ubi de *Furto.*

CINCTIUS Severus, Africæ Proconſul, memoratus Lampridio *in Commodo ſub fin.* & Tertulliano *ad Scapulam*: juſſu Severi Imperatoris, quaſi ipſum venenô appetiiſſet, interfectus eſt. Æl. Spartian. c. 13. Cinctium Severum *calumniatus eſt, quòd ſe veneno appetiiſſet atque interfecit.*

CINCTORIUM, in *Gloſſis παραζώνιον*, à *cingendo.* Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 32. de parazonio.

Arma Tribunicium cingere digna latus.

παραζώνιον μαχαίριον Græci exponunt, *gladiolum*, *pugionem.* Hinc apud Pomponium etiam, ubi de Neuris, *l.* 2. *c.* 1. extr. *Mars omnium Deus; ei pro ſimulachris enſes & cinctoria dedicant, hominesque pro victimis feriunt.* Salmaſius pro *cinctoria* reponit *cruoria*, à ſanguine, quò tinguntur; vel potiùs *Cinctoria*, h. e. ſicas, quæ accinguntur. Occurrit eadem vox, apud Plin. *l.* 7. *c.* 7. *Tu, cujus ſemper in Cinctorio mens eſt*; h. e. cujus mens in cædibus & gladiis ſemper verſatur, qui nihil niſi cruentum ac crudele cogitas. Cui ſimili loquutione Terentius, *in Eun. Actu* 4. *ſc.* 7. v. 46. *Jamdudum tibi animus eſt in patinis.* Et *Ariſtophanes*,

Τῷ χεῖρ᾽ ἐν Αἰτωλοῖς, ὁ νοῦς δ᾽ ἐν Κλωπιδῶν.

Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 188.

CINCTUM, ſubligaculum erat ſive campeſtre, quod ſolas partes infra pectus velabat: Alii tamen illud non tantùm ſubligaculum dixêre, ſed veſtem, quæ ab umbilico ad pedes cadebat, qualis poparum veſtis ſive victimariorum in ſacrificiis, quæ & *Limus* dicebatur. Servius *ad illud Poëtæ*, *l.* 12. *Æn.* v. 169.

—— *Alii*

---- ---- Alii fontemque ignemque ferebant,
Ornati limo.

Limus, inquit, *veſtis, quâ uſque ad pedes teguntur poparum pudenda.* Hygenos *de limit. agrorum*, limum *Cinctum* ideò dicit vocatum, quòd purpuram tranſverſam habeat; habebat enim in extremo purpuream limam. Inde *ſuccinctis* popæ, Sueton. *Calig. c.* 32. Ovidius *Cinctum* & campeſtre idem facit, cùm *Lupercos cinctutos* vocat, *l.* 5. *Faſt. v.* 101. quos nudos ſolò ſubligaculò incinctos diſcurriſſe notum. Similiter Cethegi *cinctuti* dicti ſunt, quòd cùm Romani antiquiſſimi ſolam togam ſine tunica geſtarent, illi ſeverioris vitæ ac cultus tenaces, ſine tunica, nudiſque humerò & brachiò incedebant, locò tunicæ *Cinctum* ſolùm geſtantes, quem morem ad poſteros quoque ſuos tranſmiſerunt. A *Cincto* diminutiv. *Cinctitulum*, cujus mentio fit in veſte adoleſcentum, apud Plautum, *Bacchid. act.* 3. *ſc.* 3. *v.* 28.

Inde de hippodromo & palæſtra ubi revenißes domum,
Cinctitulò præcinctus in ſella apud Magiſtrum aſſideres,
Cùm librum legeres.

Vide Octav. Ferrarium, *de re Veſtiar. l.* 2. *c.* 9. & hîc infrà.

CINCTUS, non Togæ, ſed Tunicæ cinctum erat, apud Romanos. Cùm enim Toga utrumque brachium, aut ſaltem ſiniſtrum coliberet, totumque corpus involveret, cingi nullâ aliâ ratione poterat, quin eâdem cinctâ aut utrumque aut ſaltem lævum brachium colligaretur: dein ſinus togæ nec in humerum contrahi, nec tejici revocarique poterat, ſi cinctura impedimento fuiſſet. Solam igitur Tunicam cingebant omnes, præter Laticlavios, & prout libebat, contrahebant aut demittebant. Ita militum omnium tunicæ breviores & intra genua ſubductæ; & apud Petronium *Strenores altum cincti*, i. e. agiles, expediti. Unde & Servius ad illud *Virg. l.* 8. *Æn. v.* 214.

Illi ſe prædæ accingunt,

Accinctos, inquit, *induſtrios dicimus: ſicut contrà negligentes diſcinctos vocamus*, at *l* 8. *Æn. v.* 724.

---- ---- Diſcinctos Mulciber Afros.

Magno ſcilicet probro habitum fuit, diſcinctum inceſſiſſe. Hinc Dio, *l.* 63. poſtquam multa Neronis tuſande percenſuit, adjecit *Quibus ipſis in rebus ita faciebat contra jus faſque*, ὥστε καὶ ἀζώστως χιτῶνας, *ut etiam tunicas diſcinctas publicè indueretur.* Cùm enim tunicatum ſic ſolutarum ac diſcinctarum laxi ac ventoſi eſſent ſinus, ideò mollium & effœminatorum habebantur. Quare Plut. *in Apophth.* tradit, Xerxem Babylonis iratum, quòd defeciſſent, poſtquam illos redegerat ad obſequium, ne arma ferrent imperâſſe, ſed canerent, lenocinia ac cauponas exercerent καὶ φορεῖν καλασίρις χιτῶνας, & ut ſinuoſas tunicas, quales mulierum erant, geſtarent. In ipſo autem *Cinctu* elegantiam affectâſſe quoſdam innuit Ovid. *l.* 3. *de Arte*, *v.* 441.

Nec coma vos fallat liquidâ nitidiſſima nardo,
Nec brevis in rugas cingula preſſa ſuas.

Porrò cùm tunica cincta eſſet, in ſinum pecuniam reconditam fuiſſe, docet Plut. *in Coriolano*, cùm ait: *Candidatos ſine tunica in forum deſcendere ſolitos, ne pecunias emendis ſuffragiis in ſinu geſtarent.* Cæſaris *cinctura*, ob quam reprehendebatur, tripliciter notabilis fuit, docente Salmaſiô *ad Hiſt. Aug.* Primò, quòd cùm cæteri tunicis non manicatis uterentur, & colobiis: Cæſar latô clavô, ſive tunicâ laticlaviâ uteretur, ita ut oræ manicarum fimbriatæ eſſent, quod mulierum proprium. Deinde, quòd cùm cæteri laticlavii non cingerentur, ipſe nihilominus tunicam laticlaviam cingeret. Tertium fuit, quòd laxiore cincturâ uteretur, ſive ut Græci dicunt, καχῶς ζωννύμενος eſſet. Vide Octav. Ferrarium, *de re Veſtiar. l.* 2. *c.* 13. & *l.* 3. *c.* 7.

CINCTUS Gabinus fuit, cùm Togæ lacinia lævo brachio ſubducta, in tergum rejiciebatur, ac retrahebatur ad pectus atque ita in nodum colligabatur, ut togam contraheret, & breviorem ac ſtrictiorem redderet. Ejus origo hæc: Cùm Toga longum ac redundans veſtimentum eſſet, & ideò pugnæ non accommodum, repentinâ, ut notat Servius, apud Gabios hoſtium incurſione, cùm non eſſet tempus deponendi togas, ac ſumendi chlamydes, ſubductam ac retro rejectam Togæ laciniam hinc inde revocantes ad pectus, ſe eâ incinxerunt, ſive ſuccinxerunt: qui mos poſteà ſervatus in ſacris, & cùm Conſul Janum reſeraret, aut Imperator in bello prætextam ſumeret, quæ hôc ritu incingebatur, aut Prætor mappam Circenſibus mitteret: atque hôc habitu ſtatua Lepido poſita eſt. Itaque hic Togæ cinctus non communis aut civilis, ſed militaris, cujus origo è militia & uſus initio tantùm in militia fuit. Hôc ſenſo apud Plut. *Coriolano*, Romani in acie *Togam præcingere*: & apud Appianum *in Punicis*, Scipio poſt devictum Annibalem ſpolia crematurus, ἀναζωσάμενος *accinctus* fuiſſe dicitur. Val. quoque Max. *l.* 2. *c.* 7. *ex.* 9. de Titio cohortis præfecto fugituro loquens: *Hu præfectum*, inquit, *ignominia generibus affecit, juſſit cum togâ laciniis abſciſſis amictum diſcinctaque tunicâ nudis pedibus adeſſe*, i. e. togâ ita decurtatâ, ut cingi more militari non poſſet. Togam autem priùs ſubduci deinde cingi, oſtendit Appianus, *Civil. l.* 2. loquens de Antonio in Cæſaris funere ſatagente: *Hu dictis*, inquit, *quaſi fanaticus* ἐσθῆτα ἀνασπάσας καὶ ἀναζωσάμενος, *ut eſſet expeditior, ſubductam togam accingens.* Meminit *Cinctus* hujus Gabini Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 612.

Ipſe Quirinali trabeâ, cinctuque Gabinô
Inſignis reſerat ſtridentia limina Conſul.

Vide Octav. Ferrarium, *de re Veſtiar. l.* 2. *c.* 15 & infrà *Prætor.*

CINCTUS & PRÆCINCTUS, pro milite, apud Vulcatium Gallicanum, *in Avidio Caſſio*, c. 6. *ut ſi quis cinctus inveniretur, apud Daphnem, diſcinctus rediret.* Petronius,

Qui pelago credit, magno ſe fœnore tollit.
Qui pugnas & caſtra petit, præcingitur auro.

Propter pecuniam, quam in Zona geſtabant milites, Salmaſius ad *l. c.* & *c.* 2. Apud recentiores *Judex cinctus*, à Principe delegatus, *cingulóque* donatus eſt, & non privato modò, verùm etiam Eccleſiaſtico, paſſitu opponitur: Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide ſuprà in *Cincti* & infrà ubi de *Zona*.

CINCUM, caſtrum Caſtellæ novæ 6. leuc à Complum, Concham verſùs, propeamnem Tajuniam, in Algarria tractu; Vulgò *Chinchon*.

CINDALOPÆCTÆ, Græcè Κινδαλοπαῖκται, vel Κινδαλοπαῖκται, ut habet *Heſychius*, dicebantur, qui ludebant ludum Κινδαλισμὸς ſeu Κινδαλισμοὶ, Græcis veterib. dictum, quem Pollux deſcribit, *l.* 9. *c.* 7. Κινδάλη enim vel Κινδαλὰ Doricè palus dicebatur. Ludus igitur erat *e palum* eminus jaculando, ita adtemperare miſſum, ut ſummô capite rectus in terra humectata ac mollita ſiſteret, eumque ſic depactum aliô ſubinde miſsô palô evertere. In quo certamine vincebat, ut par eſt, qui palum ſuum rectiùs defixerat, & citiùs defixum everterat, paucioribus miſſis paxillis vel unius paucioribus jactibus. Nec enim licuit ſemper primò jactu finem conſequi optatum; Et forſan hic eſt κάναξ ἀπὸ πορπᾶς, apud Photium *in Nomocanone*: Nam κάναξ eſt parvus contus, qui, cùm ſine ferro eſt, pali inſtar habet. Sed de hoc infrà. Paxillos verò ſeu clavos, à Comicis κινδάλας appellari, notat Pollux, *l.* 10. ſ... ὅτι καὶ Κινδάλας τοὺς ἥλους ὀνομάζουσι, Salmaſ. ad *Solin. p.* 1032. & 1078.

CINDIA, Indiæ intra Gangem oppid, *Ptol.*

CINDRA, gens Thraciæ.

CINDYNUS, vide Auſonium *Epigr. in Chreſtum & Acindynum.*

CINEAS, vir Theſſalus, Pyrrhi Regis amiciſſimus. Plut. *in Pyrrho.* Hic legatus Romam miſſus, ut de pace ageret, obſiſtente ſibi Appiô Claudiô Cæcô, re infectâ ad Pyrrhum reverſus eſt. Interrogatus deinde de ſtatu urbis & ſenatu, dixit: *Senatum Deorum conſeſſum ſibi viſum eſſe; populi autem tantam turbam eſſe, ut vereretur ne Regi cum Hydra quadam Lernæa res eſſet.* Huic tam fidelis fertur fuiſſe memoria, ut poſtridie cùm Romam advenîſſet, ſine ulla nomenclatoris ope, ſenatui, equeſtrique ordini ſua nomina reddiderit. Plin. *l.* 7. *c.* 24. Ælian. *in Tacticis*, author eſt, hunc Cineam Æneæ (cujus librum *de obſidione toleranda* edidit Caſaubonus) antiquiſſimi ſcriptoris, Commentarios ἐν ἐπιτομῇ in compendium redegiſſe, de quo Ciceronis locus accipiendus eſt, *l.* 9. *Famil. Ep.* 25. *ad Papyrium.*

CINEAS, Athenienſis, Mantinenſibus contra Thebanos auxilio miſſus. Vide Polyæn. *l.* 2. *c.* 32.

CINERARIUS, Ugutioni, qui pulvere unguentariô capillos aſpergit; in *Gloſſ.* Latino-Græc. δοῦλος ἑταίρας, *ſervus meretricis*, vide infrà *Ciniflo*, apud Recentiores, qui ex herbis deſiccatis in nemore cineres conficit. Sed & *Cinerarii*, à Vigilantio, ex Chriſtianis ii dicti ſunt, qui *Cineres* Martyrum venerabantur, apud Baronium *ad A. C.* 406. *num.* 44. & *ſeqq.* uti legitur apud Macrum *Hierolex.* Car. du Freſne *Cinericios*, à quodam Elindio, eoſdem dictos ait: ex Durando, *Ration. l.* 1. *c.* 3. *num.* 16.

CINERES, apud Gentes, quæ mortuos cremabant, in urnis, ollis, caccabis, urceis, ampullis, amphoris, cupis, orcis & aliis hujuſcemodi vaſculis, aſſervari ſolebant, uti hîc paſſim videre eſt, ubi de *Cadaverum cura*, *Defunctis* &c. Et quidem cujusque *cineres* peculiare repoſitorium habebant: Hinc. Papin. Statius, *Theb. l.* 3. *v.* 168. ſub perſona Matris duorum filiorum,

Ite diu fratres, indiſcretique ſupremis
Ignibus & caros urnâ confundite Manes.

Ubi Schol. *Manes pro cineribus ſeu reliquiis oſſium, poſt cremata cadavera dicit.* Gloſſographus Priſcus: *in unam urnam permiſtos cineres confuſuram pollicetur parens.* Alius, *Manes deſignant cadavera.* Vide Barthium *Animadverſion. ad l.* Peregrè verò defunctorum *cineres* in patriam reportabantur. Unde de cineribus Germanici Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 75. *At Agrippina ---- aſcendit claſſem, cum cineribus Germanici ---- Miſerantibus cunctis quod fœmina nobilitate princeps ---- tunc ferales reliquias ſinu ferret, incerta ultionis, anxia ſui.* Et *c.* 77. *An feſtinamus cum Germanici cineribus appellere?* Idem de exulibus à Nerone reſtitutis, *l.* 14. *c.* 12. *Etiam Lolliæ Paulinæ cineres reportari, ſepulchrumque extrui permiſit.* Quod quâ pompâ fieri conſueverit, de eodem Germanico idem docet, *l.* 3. *Annal. c.* 2. *Miſerat duas prætorias cohortes Cæſar, addito, ut Magiſtratus Calabriæ, Apuliæque & Campaniæ ſuprema erga memoriam filii ſui munera fungerentur. Igitur Tribunorum Centurionumque humeris Cineres portabantur: præcedebant incompta ſigna, verſi faſces: atque ubi colonias tranſgrederentur, atrata plebes, trabeatique equites: pro opibus loci, veſtem, odores, aliaque funerum ſolennia cremabant. etiam quorum diverſa oppida, tamen obvii & victimas atque aras Diis Manibus ſtatuentes* &c. Vide quoque infrà ubi de *Pyra* & *Rogo*: it. voce *Tapuja*. Addo ſaltem, corpora non *cinefacta*, ſed uſtulata tantùm, inter calamitates, reponi conſueviſſe. Hinc Seneca, *Oedipo*, *v.* 67. ubi de malis, Peſtem comitantibus, Oedipum querentem introducit,

Arſiſſe ſatis eſt. pars quota in cineres abit?

Quemadmodum idem *verſu præced.*

Non oſſa tumuli ſancta diſcreti tegunt.

deplorat aliud calamitatis ſimili lue contingentis genus, quòd videl. ſingulis tumulis urnisve non condantur ſanctô ritu ſinguli, uti notat Farnab. *ad l.* Hinc *Cinerarium* in veterib. *Inſcr.* pro ſepulchro & *Cinerarii fines* ac *ſepulturarii*, apud *Gromaticos* &c.

CINERES, in Sacris adhibiti leguntur Numer. c. 19. v. 19. & ſeqq. ubi de *aqua ſeparationis*, ſeu aqua cinere vaccæ rufæ conſperſâ, qua polluti è morticinio purificabantur. Erat enim hæc vacca tota rufa, & comburebatur à principe Sacerdotum in monte Olivarum ſanguiſque ejus aſpergebatur: porro aquæ ita aſperſæ cinere hujus vaccæ ſervabantur, & valebant ad purgandam immunditiem, ex contrectato cadavere contractam. Ubi inter alia, quòd mactaretur & in *cineres* ſolveretur hæc victima, mors Chriſti ab ipſo ex amore oppetita; quòd verò aſſervarentur hi cineres, & ſuper illos aqua viva effunderetur, perpetuus valor mortis Chriſti & Spiritus Sanctus, propter eam effuſus, indicabantur: quemadmodum aſperſio poſtmodùm ejuſdem aquæ, accommodationem & inſinuationem ſanguinis Chriſti in juſtitiam & ſanctitatem teſtabatur. Franc. Burmannus, *Synopſ. Theol. Chriſt. Part.* 1. *l.* 4. c. 22. §. 16. & 17. Aliàs holocauſtorum cineres, æteâ laminâ foraminibus plenâ, quæ mediô ſpatiô erat in Altari æneo, egerebantur, uti diximus ſuprà in voce *Altare*. Sed & Veteres, inter alios pœnitentiæ & luctus teſtificandi ritus, *Cineribus* quoque ſeſe aſpergebant; de quo tamen nihil divinitus injunctum reperimus: verum liberum erat, modò hôc modò illô ſignô, in publicis inprimis Jejuniis, humilitatem ſuam coram Deo teſtificari. Vide infrà, ubi de *Lugendi ritibus*. Aliud quid notat, *Cinerium dies*, in Eccleſia Romana, qui feria 4. eſt Dominicæ Quadrageſimæ, à Chriſtianis diſcalceatis celebrari ſolita, ut habetur in *Conſtitutionibus* Ciſtercienſium & apud Rupertum, qui de hoc Ritû ſic habet: *Igitur ut — meminerimus quia pulvis ſumus, idcirco & cinere capita noſtra aſpergimus & — pedes nudamus, hic habitu confitentes, quia non Dii — ſed homines ſumus.* In Ambroſiano ritu diſpenſantur *Cineres*, ad feriam ſecundam Rogationum, quæ ibi poſt Aſcenſionem celebrantur. In Capella Papali, cùm Pontifici à Cardinali cinis imponitur, Cardinalis *ſtans coram eo ſupra ſcabellum, nihil dicens, imponit Papæ ſedenti cineres in modum crucis*, *Ceremonial. l.* 2. *c.* 31. Quod ad S. Sabinam, ubi quadrageſimalis ſtatio incipit, fieri ſolet. Refert tamen Cencius Camerarius, Papæ dici, *Memento homo* &c. in *Ceremoniali* ſuo, apud Macros fratres in *Hierolex.* Olim Halberſtadii Saxonum, hâc die quærebatur civium ſceleſtiſſimus, qui lugubribus indutus ac capite velatô in Eccleſiam perductus, divinô officiô peractô inde expellebatur. Poſteà per totum Quadrageſimæ tempus nudis pedibus urbem obibat, omneſque Ædes ſacras accedebat, neque tamen ingrediebatur, aut cum quoquam ſermones conferebat; interim per vices à Canonicis loci invitatus: Poſt mediam noctem ſomnum capiebat. Tandem ab omnibus peccatis liber pronuntiatus, in poſterum *Adamus* nomine (in cujus memoriam hic ritus celebratur) appellatus eſt, Æn. Sylvius, *Europa c.* 2. Adhibetur autem cinis hôc die, ex palmarum & olivarum ramis, præcedente annô, benedictis, ut in *rubricis* diſponitur: quod & Græci obſervant. Vide eoſdem Macros. De eodem *Cinere* ſic Bernardus Monach. in *Conſuetud. Cluniac. MSS.* apud Car. du Freſne, *c.* 64. *Cineres, qui in Capite Jejunii Fratrum olim pœnitentium, hodie fidelium omnium capitibus imponuntur, ex induſtria fiunt de cremiis formentorum, qui etiam ſtudioſè mandantur & vibrantur & benedicti conſervantur ad infirmatio, et morientibus fratribus cum cilicio ſubſternantur.* Vide eum in Gloſſario in voce *Cinis*, item in *Caput Jejunii*, ut & quæ de hac Ceremonia refert Andr. Rivetus, *Summæ Controv. Tract.* 2. *Quæſt.* 13. nec non ſuprà, ubi de *Aqua aſperſionis*: uti de more Naſamonum, in amicitiæ fideique teſſeram, *cinerem lingendi*, infrà verbô *Lingere*, aliquid etiam voce *Spodium*.

CINESIAS, Thebanus, Dithyramborum ſcriptor. Compoſuit *Pyrrhichiam*, ut eſt in proverbio Πυῤῥίχην ἡμᾶς Κινησίας, quòd hic in Choris multô motu uteretur, contra Comicos agens, qui in hac parte deficiunt. Erat autem hic Cineſias corpore pigrô & fractô crure, vulgòque malè audiebat impietatis & improbitatis nomine. *Suidas.* Vide Schol. in Ariſtoph. *Ranas*, *Act.* 1. *ſc.* 2. Item *Act.* 5. *ſc.* 4. *In Aves* 605.

CINESIUS, pars Alpium Cottiarum, inter Sabaudiam & Pedemontium, in via Seguſio Maurianam verſùs, in ipſa Sabaudia, ſed in confinio Pedemontii. Vide *Ceniſius mons.*

CINESTARIUM, oppid. Cataloniæ, A. C. 1617. horrendô diluviô inundatæ, dimidiæ horæ ſpatiô, unà cum omnibus incolis ſubmerſum eſt. Thuani ſupplem. *ad A. C.* 1617.

CINGA, fluv. Hiſpaniæ in Arragonia ex Pyrenæis montibus in Iberum, in limite Catalauniæ, influens, ubi & nomen amittit. Lucan. *l.* 4. *v.* 21.

—— Campoſque coërcet
Cinga rapax, vetitus fluctus, & litore curſu
Oceani pepuliſſe ſuô: nam gurgite miſtô
Qui præſtat terris, aufert tibi nomen Iberus.

Vulgò Cinca.

CINGALI, Italis dicuntur homines peſſimô inſtitutô viventes, qui Ægyptios ſe mentiuntur. Alii *Cyngaros* vel *Zygaros* vocant: Becanus *Cingalos* dici ait ob vitam vagabundam. Vide Κίſ-ναδ☉-.

CINGARI, iidem, vide & *Cigeuni.*

CINGETORIX, de Treverorum Principatu contendebat, cum Indutiomaro, *l.* 5. *c.* 3. cujus erat gener, manſitque in fide Cæſaris, *l.* 5. *Comm.* Alter fuit Britannus, Rex in ea parte, quæ eſt ad Cantium, qui Caſſivellauni impetu caſtra Cæſaris improviſo adortus eſt, *l.* 5. *Com. c.* 22.

CINGIUS, vide *Cincius.*

CINGONIUS Varro, cujus meminit Tacitus, *l.* 14. *Annal. c.* 45. Conſul deſignatus, tanquam Nymphidii ſocius, à Galba, ex Hiſpania in urbem ad capeſſendum Imperium reduce, interfectus. Idem, *l.* 1. *Hiſt. c.* 6.

CINGULUM, civitas inter Picentes, inter Æſim ad Boream & Septempedam ad Auſtrum 12. milliar. ab Auximo in Occaſum, juxta Muſonem amnem. Populi *Cingulani*. Plin. *l.* 3. *c.* 13. Cicer. *ad Att. l.* 7. *Ep.* 11. *Cingulum nos tenemus, Anconem amiſimus.* Originem atque conditorem ejus oſtendit Cæſar, *Civilium l.* 1. *c.* 15. *Auximo*, inquit, *Cæſar progreſſus omnem agrum Picenum percurrit. Cunctæ earum regionum præfecturæ libentiſſimis animis eum recipiunt, exercitumque ejus omnibus rebus juvant. Etiam Cingulô (quod oppidum Labienus conſtituerat, ſuaque pecuniâ exædificaverat) ad eum legati veniunt.* Hinc Silius Italicus, *l.* 10. *v.* 32.

—— Labienus & Ocris
Sternuntur letho atque Opiter, quos Setia colle
Vinifero: celſis Labienum Cingula ſaxa
Miſerunt muris. —— ——

In ditione Pontificia.

CINGULA, Æ, apud Ovid. *l.* 3. *de Arte*, *v.* 444.

Nec brevis in rugas cingula preſſa ſuas.

De Rem. idem *l.* 1. *v.* 238.

Ut nova velocem cingula lædat equum.

Communiter *Cingulum*, non militum modò geſtamen, ſed & nota fuit, ſine qua nemo militaribus ordinibus cenſebatur dignus, quippe *Cingulis* inſertos gladios geſtabant. Joh. Sareſber. *Polycratici l.* 6. *c.* 13. *Honorem gladii ex cingulo militari fruſtra portas.* Vide in voce *Baltheus* ſuprà, & infrà, ubi de *Militibus*. Eôdem Imperatores inaugurandi cingebantur, tantique neceſſarium militi fuit, ut per eum militia ſignificaretur, & geſtatum militem ſignaret, depoſitum verò denotaret exauctoratum & ignominioſâ miſſione caſtris excedere juſſum. Fuit autem hæc *Cinguli* militaris ademtio in graviſſimis ſemper & ignominioſiſſimis pœnis, dicebaturque *Diſcinctura*, item *Resinctura*. Herod. *l.* 7. *Cohortibus, quæ ſigna amiſerant, hordeum dari juſſit, Centurioneſque manipulorum, quorum ſigna amiſſa fuerant, diſtrictis gladiis diſcinctos deſtituit.* Vide plura infrà ubi de Veter. *Zona*. Ad formam militaris diſciplinæ & civici Magiſtratus cingi ſunt ſoliti: Unde M. Manilius, *l.* 5. *Aſtronomic. de Conſule Rom.*

Mœnia ſuccinctus curvô deſcribit aratrô, &c.

Vide Thom. Dempſter. *in Joh. Roſini, Antiqq. Rom. l.* 10. *Paralipom.* Sed & aliis ſua *Cingula* fuêre. Vide de mulieribus infrà, ubi de *Clavis remittendi ritu*. Hinc ea pro omni *cultu*, cinctuſque pro omni veſtitu, apud Statium, *Theb. l.* 8. *v.* 567.

—— triplici velaverat oſtrô
Surgentes etiamnum humeros & lævia mater
Pectora, tunc auro phaleras auroque ſagittas
Cingulaque & manicas &c. ——

Et *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 13.

Ipſa toros & ſacra parat, cinctuque Latino,
Diſſimulata Deam, crinem, vultumque genaſque
Temperat. —— ——

De *Cingulo* inprimis Pontificali, apud Iſraëlitas, vide ſuprà in voce *Baltheus*. In iis verò ſolitum aliquid fingi, unde noſceretur Dominus, indicat Virg. *l.* 12. *v.* 940. ubi Pallantis *cingula* Turno ſunt cauſa mortis:

—— jam cunctantem flectere ſermo
Cœperat, infelix humerô cum apparuit altô
Balteus, & notis fulſerunt cingula *bullis,*
Pallantis pueri; victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum inſigne gerebat.

Hic enim *inimicum inſigne* nota eſt, quâ Pallantis arma à ceteris internoſci poſſent. Et *Cingula*, Regni inſignia habuiſſe, docet Val. Flaccus, *l.* 5. *v.* 342.

Dat pictas auro, atque ardentes murice veſtes
—— —— galeam dilectaque cingula Regni
Injicit, &c. —— ——

Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium Thebaid. l.* 12. *v.* 440. & de *Cingulo*, ex teſtudinum marinarum teſtulis confectô, quô Mandarini Sinenſium Proceres uti ſolent, Georg. de Sepibus, *in Muſæo Collegii Romani Societat. Jeſu*, *p.* 34. Hinc *Cinguli* homines, Latinis dicti, qui gracilioris ſtaturæ ſunt. Hoc enim zona præſtat in tunicis, quæ præcinguntur, ut ab ea parte, quâ cinctus eſt, graciliores homines reddat, &c. Vide Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*, *p.* 105. Item *Cinctorium*, de quibus ſuprà. Sed & *Cingulum*, inter veſtes Eccleſiaſticas Eccleſiæ Romanæ occurrit, apud Stephanum Eduenſem Epiſc. *l. de Sacramento Altaris*, *c.* 10. & Menardum *ad librum Sacram. Gregorii*, *p.* 260. In antiquo *Pontificali* MS. *Cinctorium* appellatur: de cujus benedictione & uſu in Communione Romana ac Græca, vide Macros Fratres in *Hierolex.* Adde quæ diximus ſuprà itidem in voce *Baltheus*: de *Cingulorum inciſoribus* verò vide infrà voce *Furtum*, Item ubi de *Saccularius*, & voce *Sector*, ac *Zona*.

CINIATA, caſtellum munitiſſimum in Cimiſthenâ Galatiæ regione à Mithridate conditum. Strabo, *l.* 12.

CINIFLO, apud Horatium, *Serm. l.* 1. *Sat.* 2. *v.* 98.

Cuſtodes, lecticæ, Ciniflones, paraſitæ;

Quis dictus ſit indigitat Servius in *l.* 12. *Æn.* *Etiam ille pulvis, quô utuntur puellæ, cinis vocatur, unde etiam &* Ciniflones *dicti ſunt.* Et Acron, *l.* 1. *Sat.* 2. eleganter, *Ciniflones & Cinerarii eâdem ſignificatione apud Veteres habebantur, ab officio calamiſtrorum, i. e. veruum in cinere calefaciendorum, quibus matronæ capillos criſpabant*, juxta illud *Æn. l.* 12. *v.* 100.

Vibratos calidô ferrô ——

Vide quoque Varronem, *de L. L. l.* 4. Senecam, *de Conſtant. Sap. c.* 14. ſuprà voce *Cincinni*, it. *Cinerarius* & infrà *Tonſor*.

CINIPHII, vide *Cinyphe*, in *Cinyps*.

CINIS

CINIS ad lixivam Veterib. adhibitus, atque hinc *Cinis lixivius* Plinio, *l.* 14. *c.* 20. *Cinis lixivia* Scribonio; utrúque enim genere voa occurrit apud priſcos. Vide Godeſc. Stewechium, *Electis Arnobianis, l. ult.* ad verba, *Ad ſordes eluendas labentibus aquis opus, atque adjunctâ antiqua cineris fricliane*, Idem pro fimo, apud populos quoſdam. Plin. *l.* 17. *c.* 9. *Transpadanis cineris uſus adeò placet, ut anteponant fimo jumentorum: quod quia leviſſimum eſt, ob id exurunt. Utroque tamen pariter non utuntur in eodem arvo, nec in arbuſtis cinere, nec quaſdam ad fruges*, &c. Vide quoque, *l.* 17. *c.* 13. & 28. de uſu ejus Medico, *l.* 36. *c.* 27. de aliis verò ejuſdem uſibus, ſuprà in voce *Cineres*.

CINITHII, Africæ populus apud Tacit. *l.* 2. *Annal. c.* 52. quem vocat *manum haud ſpernendam*.

CINIUM, Balearidis majoris oppid. Plin. *l.* 3. *c.* 5. *Cala longa* Pineto. *Cinen*, oxeus Majoricæ Inſul. cum portu tantiſper capaci, 5. leuc. à Majorica urbe, in Ortum. *Baudrand.*

CINNA L. Cornelius, nomen viri Romani, qui ſummâ crudelitate Rempubl. vaſtavit. Primò Conſulatu, ſervis ad pileum vocatis, adverſarios vicit, Octavium Collegam interfecit; Janiculum occupavit; iterum ac tertiò ſe Conſulem fecit. Quartò verò conſulatu cùm bellum contra Syllam pararet, Anconæ, ob nimiam crudelitatem, lapidibus ab exercitu occiſus eſt. Lucan. *l.* 4. *v.* 822.

> *Jus licèt in jugulos noſtros ſibi fecerit enſe*
> *Sylla potens, Mariuſque ferox, & Cinna cruentus.*

Vide Appianum, *l.* 1. Florum, *l.* 3. *c.* 21. Livii, *Epit. l.* 77. 79. Eutrop. *l.* 5. Vellej. *l.* 2. Plut. *in Pompejo, Mario, Sulla.* Oroſ. *l.* 5. Aur. Victor. *de Viris Ill. c.* 69. & infra.

CINNA Magnus, vide *Cinna*.

CINNA, Tribunus plebis, qui, cùm leges perniciosas de revocandis exulibus ferret, pulſus à Cn. Octavio Collega, magiſtratu exutus, ex urbe profugit, & bellum urbi intulit, accerſitò C. Mariò, aliiſque exulibus ex Africa, qui in urbem recepti, cædibus omnia complevêre, inter quos Cn. Octavium Conſulem, Marcum Antonium Oratorem & Lucium Cæſarem jugulârunt. Vide Appianum *in Civilibus*, & Plutarchum *in Mario* Verum de hoc ſuprà. Item Cinna alius, per errorem necatus à populo Romano fuit, forò mediò in funere Cæſaris, cùm unus ex interfectoribus ejus crederetur. Plut. *in Cæſare*. Item *L. Cinna*, fil. neptis Pompeji, Octavii temporibus, ab eo, contra quem conjuraverat, vitâ donatus eſt, res novas affectans. Seneca, *l.* 1. *de Clementia*, *c.* 9. Quô ingenti beneficiô mactus, fideliſſimus in poſterum Auguſto extitit, eumque moriturus hæredem ſcripſit *Dio.*

CINNA, Poëta doctiſſimus, Virgilii æqualis, cujus meminit Virg. *Ecl.* 9. *v.* 35.

> *Nam neque adhuc Vario videor, neque dicere Cinnâ*
> *Digna, ſed argutos inter ſtrepere anſer olores.*

Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 21. *v.* 4.

> *Judice te major Cinna Marone fuit.*

C. Helvius **CINNA**, Smyrnam, Poema obſcurum ac difficile ſcripſit, quem libellum 10. annis elimavit, authore *Servio*. Catullus, *Epigr.* 96.

> *Smyrna mei Cinnæ, nonam poſt denique meſſem*
> *Quàm cœpta eſt, nonamque edita poſt hyemem.*

CINNA Catulus, Stoicus, inter Præceptores Marci Imperatoris apud Capitolin. *c.* 3.

CINNA, Italiæ urbs, quam Romani Samnitibus eripuerunt, *Diodorus*. Macedoniæ oppid. *Antonin.* Jaccetanorum urbs in Hiſpania Tarraconenſ. *Ptolemæo*, eſt & Perſidis oppidum, eidem. Denique, Theſſaliæ civitas à *Cinno* gigante Cœi fratre dicta.

CINNA, urbs Galatiæ meridionalis prope Aſcanium lacum, in limite Phrygiæ, longè ab Ancyra in Auſtrum Synnadæ propior, in Aſia minore.

CINNABARI, Græcè Κιννάβαρι abſolutè, genus minii, quod ſolum vetuſtiſſimis fuit cognitum temporibus, nondum inventô Hiſpanicô: χρῶμα per excellentiam dictum, unde Græcia recentior καλλίχρων etiam vocabat, h. e. *pulchrum colorem*. A' cujus ſimilitudine nomen accepit Cinnabari Indicum & Libycum, patriæ cognomine ſemper additô: quod ſanguinem draconis ab elephante eliſi eſſe putârunt Veterum quidam, ut videre eſt apud Plin. *l.* 33. *c.* 7. Noſtrum ſanguinem draconis, arboris in Fortunatis Inſulis naſcentis, quas *Canarias* vocant, ait Dalechampius *ad l.* Certè jam priſcorum temporibus Arrianus *Periplo* notavit, *Cinnabari lachrymam eſſe arboris*, γίνεται δ' ἐν αὐτῇ καὶ κιννάβαρι τὸ λεγόμενον Ἰνδικὸν, ἀπὸ τῶν δένδρων, ὡς δάκρυ συναγόμενον. Narratque Cadamuſtus, *Navigat. c.* 4. fructum ejus arboris ſimilem eſſe ceraſo, coloris cœrulei; arbores porrò illas certô anni tempore incidi, annô verò proximè ſequenti fluere lachrymam. Idem, Inſulas, arborem harum feraces, incolis *Draconum ſylvam* appellari, qui advenas hôc nomine per jocum abſterrere ſoleant, addit. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis *p.* 167. 199. & 1152. ubi κιννάβαρι, ἀληθινὸν χρῶμα, *verum colorem*, i. e. rubrum ſeu coccineum, *Heſychio* appellari, inter alia notat; ut & aliquid infrà voce *Ochra*. Eô Veteres monochromata pinxiſſe, idem Plinius auctor eſt, ubi ſuprà. Poſtmodum ejuſdem eximius in ſubſcriptionibus Epiſtolarum uſus fuit, in Imperio Conſtantinopol. Aureis enim bullis Imperator manu ſuâ ſubſcribebat plerumque ſingulari quodam genere encauſti: unde Leo Imperator, *l.* 6. *C. de div. Reſcr. purpurea inſcriptione, & cocti murice triſque conchylii*, meminit: Nicetas Imperatorias literas *rubras*, & *conchæ ſanguine pictas*, vocat in *Manuele Comneno*, *l.* 2. adhibebatque hiſce illa in Aureis Bullis verba ſolebant, διὰ ἐρυθρῶν γραμμάτων τῆς βασιλικῆς χειρὸς. Aliquando tamen & Cinnabari utebantur: quod Alexius Comnenus indigitat in Novel, *Tom.* 2. *p.* 186. ubi edicit, ne impoſterum cujuſcunque Reſcripti ratio habeatur, quod alicui Judicum tranſmiſſum ad ſe litem exhibere prohibeat, μὴ διὰ κινναβάρεως ὑποσεσημασμένον εὑρίσκων, *licet minime forte ſubſcriptum ſit*. Gregorius item Dialogus, *Ep.* 1. *ad Leonem Iſaur.* apud Baronium, *Annal. tom.* 9. Καὶ τέως ἀπέστειλα καὶ εἰλήφαμεν σου τὰ γράμματα καὶ οὐκ ἀπόστεια ταῖς βασιλικαῖς σφραγῖσιν ἐσφραγισμένα ἀσφαλῶς καὶ ἐπιμελῶς ἀσφαλισθέντα, καὶ διὰ κινναβάρεως ὑπογραφαὶ τῶν χειρῶν σου, ὡς ἐν ἔθει βασιλεῦσιν ὑπογράφειν, *Inprimis autem & præcipuè quod literæ tuæ & non alieno ſigillo Imperatorio obſignatæ diligenter eſſent & accuratè tuam ſubſcriptionem per Cinnabarim, propriæ manu tua, ut mos eſt, Imperatoribus ſubſcribere.* Vide Joh. Kirchmann *de Annulis*, *c.* 8. Sed & adhibebatur Cinnabaris, in titulis & capitulis librorum; titulos item legunt, ut Voſſius habet *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 39. & nos *infra* dicemus, ubi *de Minio*. Imò & eâdem faciem infeciſſe olim Gothi videntur. Iſidorus, *Origin. l.* 19. *c.* 23. *Nonnullæ etiam gentes non ſolum in veſtibus, ſed & in corpore aliqua ſibi propria, quaſi inſignia, vendicant, ut videmus cirros Germanorum, granos & cinnabar Gothorum.* Niſi fortè id vocabuli referas, ad colorem veſtium Gothicarum, quæ rubricatæ erant, &c. Vide de *Cinnabaris* uſu, in literarum ſubſcriptionibus inprimis, plura apud Car. du Freſne, *Not. ad Annam Comnenam*, Camillum Peregrinum, *Hiſtor. Benevent. Tom.* 1. *p.* 131. & Michaëlem Monachum in *Sanctuario Capuano*, ubi hi duo, Principes quoque & Archiepiſcopos Capuanos, rubricâ pariter in diplomatum ſuorum deſcriptione uti conſuevisſe, tradunt, apud eundem Car. du Freſne *Gloſſar.* aliquid etiam infrà voce *Slats*.

CINNADON Lacedæmonius, qui cùm inſidias Ephoris ſtruxiſſet; hâc re per indicem illi cognitâ Cinnadonem, per præmiſſos duos equites, Aulone comprehendendum curârunt. A' quibus ibidem tortus conſcios edidit, & ſine tumultu conjuratio oppreſſa eſt. Apud Ariſtotelem, *l.* 5. *Polit. c.* 7. ſcribitur *Cinadon*. Xenophon, *l.* 3. *Hellen*, rem ita deſcribit: *Ageſilao pro publica ſalute rem divinam faciente, ex prima victima aruſpex periculum indicat; ex ſecunda majus; ex tertia talia, inquit, ſigna video, quaſi inter hoſtes ipſos verſemur. Itaque Diis averruncatoribus ſacra facta & vix litatum fuit. Cùm dies quaſi quinque deſeri quidam ad Ephoros inſidiarum conſilium, & auctorem Cinadonem, hominem juvenili formâ & animi robore ſpectatum; ſed non ex eorum numero, qui pares in Republ. Spartana dicebantur. Is quæſtioni ſubjectus rem ordine omnem faſſus eſt, rogatuſque cur id facere decreviſſet; quòd nemine, reſpondit, Lacedæmone voluiſſet eſſe inferior.*

CINNAMA, apud Statium, *Thebaid. l.* 6. *v.* 61.

> *Tertius aſſurgens Arabum ſtrue tollitur ordo,*
> *Eoas complexus opes, incanaque glebas*
> *Thura, & ab antiquo durantia* Cinnama *Belo.*

Quid ſint, dicemus infrà. Hîc ſaltem *durabilitatem cinnami* conſiderabimus, quam Scholiaſtes antiquus & Lutatius notat. Et certè bene dixit *durantia* Poëta, cum conſtet fugare putredinem, odorémque longò tempore ſervare. Lucan. *l.* 10. *v.* 165.

> —— —— *multumque madenti*
> *Infudêre comæ, quod nondum evanuit aurâ*
> Cinnamon, *externa nec perdidit aëra terra.*

Quò facit inprimis, quód repertum ſcribunt in ſepulchro Mariæ, Stiliconis filiæ, conjugis Honorii Imperatoris, ut tradit Andreas à Lacuna: cui tamen Hiſtoriæ fidem non habet Garſias ab Orto, *Aromat. l.* 1. *c.* 13. Deſcribit illud Plin. his verbis, *l.* 12. *c.* 19. *Ipſe frutex duûm cubitorum altitudine ampliſſimus, palmoque minimus, IV. digitorum craſſitudinis, ſtatim à terra ſex digitis ſurculoſus, arido ſimilis. Cùm viret, non odoratus, folio origani, ſiccitate gaudens, ſterilior imbre, cædua natura. Gignitur in planis quidem, ſed denſiſſimis in vepribus, rubiſque difficilis collectu. Metitur non niſi permiſerit Deus, Jovem hunc intelligunt aliqui* &c. uti legit Barth. Quam ſuam narrationem alludit hac divinitatis attributione Plinius, deinde, quæ Herodotus commentatur, adumbrare quoddammodo, ne, quæ illô dicti capitis ejus ſeponit, planè damnâſſe videatur. Scriptum autem illi, divinitus *per aves advehi*, nec ſeri, unde, *l.* 3. Τὸ δὲ δὴ κιννάμωμον ἔτι τούτων θωμασιώτερον συλλέγουσι. ὅκου μὲν γὰρ γίνεται, καὶ ἥτις μιν γῆ ἡ τρέφουσά ἐστι, οὐκ ἔχουσι εἰπεῖν, πλὴν ὅτι λόγῳ οἰκότι χρεώμενοι. Ἐν τοῖσι δὲ χωρίοισι φασί τινες αὐτὸ φύεσθαι, ἐν τοῖσι ὁ Διόνυσος ἐτράφη κτλ. Nimirum enim nugacia ſunt, quæ ſequuntur. Sine nugis de eo Dioſcorides, *l.* 1. *c.* 13. Multis cum ſuperſtitionibus olim celebratum, notat etiam Garſias præfatus: qui Herodotum fictionis abſolvit, nunc quoque eaſdem fabulas à Chinenſibus narrari commemorans. Adde, quæ ſcribit Chriſtoph. à Coſta, *Aromat. l.* 1. *c.* 8. & ſuprà laudatus Barthius, *Animadverſion. ad Statium*, *d. l.* Nempe *Cinnamon* Latinis, idem cum *Cinnamomo*, Græcum, quod nihil aliud eſt, quam κίνναμον ἄμωμον, h. e. *cinnamum inculpatum*, (quamvis nunquam κίνναμον, ſed κιννάμωμον ſolùm, Græci dicant) de quo infrà videbimus.

CINNAMOLOGUS, apud Plin. *l.* 10. *c.* 33. avis eſt, *cinnami ſurculis* privatim nidificans, quos plumbatis Indigenæ decutiunt ſagittis. Idem tradit Ariſtoteles, *l.* 9. *c.* 13. & ex eo Antigonus Caryſtius, *c.* 49. qui κινναμωμὸν eam vocat. Statius quoque in *Epicedio Phileti*, *l.* 2. *Sylv.* 6. *v.* 87.

> *Et Cilicum meſſes, Phariaque exempla volucri*
> *Cinnama.*

Ubi Phœnicem avem intelligit: quam alii quoque cum *Cinnamologo* confuderunt. De eâdem Solin. *c.* 33. *Cinnamologos periude Arabica avis, in excellentiſſimis lucis texit nidos, è fruticibus cinnamorum: ad quos quoniam non eſt pervenire, propter ramorum altitudinem, & fragilitatem, accolæ illas congeries plumbatis petunt jaculis, dejectoſque pretiis vendunt amplioribus, quod hoc cinnamum magis, quàm alia, Mercatores probent.* Herodotus verò non aliud cinnamum ex

Arabia exportari, quàm quod hîc modò diximus ex avium nidis, refert: quæ & fabuloſæ omnis antiquitatis opinio fuit. Idem μεγάλας ὄρνιθας has aves vocat. In eo ſitu autem nidificare, ubi Liber Pater fuerit educatus, Plinius ſcribit: cui adſtipulatur *Dionyſius* Poëta,

> *Τῷ κὴ γεινομένῳ νοώδεα φύετο πάντα,*
> *Μῆλα δὲ κὴ τεῦχ᾽ ἀϊκτοις ἐδωδήτου μελδοῖς*
> *Ἐν νομῷ, αἰθυαδῆς δὲ κεράσσιν ὕδατι λίμνη.*
> *Ὄρνιθες δ᾽ ἑτέρωθεν ἀκηράτων ἀπὸ νήσων*
> *Ἦλθον φύλλα φέροντες ἀκηρασίων κινναμώμων.*

Ubi aves indigitantur Κινάμωμοι, quarum plures nidos ſuos in inviis Arabiæ rupibus ſtruebant. *Avienus* de Phœnice autem dixit,

> *Ales amica Deo largum congeſſit amomum,*

Solem intuens, cui ſacer Phœnix: quem cum cinnamomo ave, quòd utraque nidum è fructibus cinnamomum conſtruerent, confudiſſe nonnullos diximus. Sed & *cinnamomum* aroma idem cum amomo herba, alios quoque nonnullos ſequutus, miſcet, cum conſtet magnopere hæc diſtare, quamvis *Cinnamomum* quibuſdam *ἄμωμον κινάμωμον* dici ſicque pro *amomo* ſumi, certum ſit. Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis *p.* 399. & 551. nec non hîc infrà, in voce *Cinnamomum*.

CINNAMOMUM, Græcè Κιννάμωμον, quaſi *κίνναμον ἄμωμον*, Latinis *Cinnamomum* quoque, & *Cinnamum*, de quo multa fabuloſè tradit Antiquitas, uti vidimus; *Garcia ab Horto* idem cum caſia eſt: infimâ ætate Græci Latinique Imperii cum *κανέλα* illud quoque confundentc. Sed *canella*, eſt *cannella*, h. e. parva canna, quæ eſt *καλα μίσγγξ*. Ut *Cinnamomum* Veter. non eſt in cortice fiſtulari cannaceo, ſed in ſurculis: caſia cortex merus, *cinnamomum* ſurculus. *Herodotus*, *ἐξ ὧν ἡμεῖς, ἄπερ ἡμεῖς ἀπὸ Φοινίκων μαθόντες κιννάμωμον καλέομεν*. Et Auctor *Peripli*, qui diligentiſſimè merces omnes Indicas & Arabicas recenſet, atque inter has omnes caſiæ ſpecies enumerat, nuſquam *cinnamomi* facit mentionem. *Galenus* quoque narrat verum *cinnamomum*, propter raritatem excellentiamque ſuiipſum ſervari, in theſauris Imperatorum nec vulgò notum fuiſſe. Sanè hodie nuſquam tale affertur quale à Veterib. deſcribitur. Volunt tamen & validè volunt Neoterici, eandem eſſe arborem, è qua cinnamomum ſumitur, & ex qua caſia: quod fieri poteſt, ut verum ſit. Summi ſurculi deputati vel virgultorum tenuiſſimæ partes reciſæ, ex frutice caſiæ, pro cinnamomo, væniſſe leguntur apud Plin. *l.* 12. *c.* 19. Sic nihil aliud verum *cinnamomum* Veteribus fuerit, quàm extremitas ſarmentorum in arbore amputata. E' quo videtur fuiſſe rarum carumque, quòd fortaſſe rarò uſurparetur ejuſmodi fruticis amputatio, utpote in perniciem caſura ejus. Caſia autem ſive cortex, qui ex eadem eximebatur arbore, eâ re vilior communiorque, quia arbores illæ ſæpius ſolerent deglabrari, renaſcente ſubinde cortice. Quippe, hodie tradunt, detractô cortice arboris Cannellæ ſive Cinnamomi, poſt triennium alium ſuffici & iterum deglubi: qui in fiſtulam convolutos, qui Gallis eſt pro *cannella*, quique antiquis pro *caſia* fuit, integri rami vel ſurculi ſuperficies videtur, quum tamen fragmentum ſit majoris corticis, in plures partes diſſecti, & in tubulos digiti craſſitudine complicati. At truncum, qui deglabratur, ſæpenumero craſſiorem femore conveniunt memorant. Vetuſtas verò omnis credidit, hos fiſtularum modulos, quos in caſia videmus, totidem eſſe ſurculorum integros cortices, qui admodum difficulter eximerentur, adeò ut vermium operam requiri oporteret, lignum intus corrodentium & corticem præ amaritudine intactum relinquentium. Nimirum ignorârunt, quomodo pararentur fiſtulæ caſiæ, ex cortice illius arboris fruticis. Plin. *l.* 12. *c.* 19. *Frutex & caſia eſt, juxtaque cinnami campos naſcitur, ſed in montibus craſſiore ſarmento, tenui cute verius, quam cortice*. Ubi diverſum utriuſque fruticem facit, quem tamen eundem eſſe nihil prohibet. Et verò non eſſe diverſos, comprobatum eſt ætate noſtrâ, ſi vera narrant Luſitani, qui loca illa navigationibus perluſtrârunt. Idem Plinius memorat, vidiſſe ſe in Palatii templo, quod Divo Auguſto fecerat conjux Auguſta, radicem *Cinnami* magni ponderis, ex qua guttæ editæ quotannis in grana durabantur. Cui congruere videtur, quod hodiè traditur, ex radice caſiæ arboris, liquorem ſtillare, ſapore caphoræ, ſed vetitum eſſe, ne ad eliciendum hunc liquorem vulneretur, quia periret arbor: quâ eâdem ratione cautum eſt, ne amputetur; quo fit, ut hodie *Cinnamomi* careamus. Interim nominibus ſemper diſtincta fuêre Græcis Latiniſque etiam vetuſtiſſimis *κασία* & *κιννάμωμον*. Latini utrumque junctim nominant, Martialis, *l.* 6. *Epigr.* 55. *v.* 1.

> — *Caſiaque cinnamoque*.

Perſius, *Sat.* 6. *v.* 35.

> ---- ----. *cui ſpiritus cinnama ſurdum,*
> *Ceu ceraſo peccent caſia*. ---- -----

Hebræi quoque ea ſeparant appellatione. Nempe *cinnamomi*, cùm in ſurculis conſtaret, qui Græcis *ῥάβδοι*, & *ἰσβίδια*, *κλῶνια*, *πτέρθαι*, & *ἀκρεμόνες*, efficacia duplô major, quàm caſiæ, in cortice merô conſtantis. Color etiam diverſus, ut qui in cinnamomo in cœruleum quadantenus vergeret, purpureus eſſet in caſia: in hac porrò levis tenuiſque, in illo omnium odorum, qui bene olent, fragrantiſſimus eſſet odor. Hinc & pretii immane diſcrimen. Duplô enim aurô rependebatur *cinnamomum*, Plinii ætate, unde mera vulgò minimè cognita, ſolis Regum & Imperatorum theſauris reſervabatur: tradiditque Galenus, ſolis divitibus habere licuiſſe, quòd impensô pararetur pretiô, vel Imperator amicis, quibus è domo Auguſta illud gratiſque daretur &c. Regio Κινναμωμοφόρος in Æthiopia, veterib. Geographis in tantum celebrata, à qua & parallelus ὁ διὰ κινναμωμοφόρου nomen accepit, navigationibus Luſitanorum reperta nulla eſt, ob cauſam jam dictam. Vide plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis *p.* 1304. *& ſeqq.* infrà quoque aliquid, ubi de *Xylocinnamomo*. Cæterùm cum variis in locis proveniat, Moſylliticum olim præſtantiſſimum habitum eſt, de quo vide *Dioſcoridem* & *Oribaſium*, nec non infrà *Moſylis*. Hodiè in Inſul. *Zeilon* colligitur magnâ copiâ, idque nobile admodum: cui prius Javanum & Malabaricum poſtponitur. Sed & in Quangſia Provinc. Imperii Sinenſis, ad *Cinchen* urbem præſtantiſſimum legitur, à Ceilano, in eo tantùm diverſum, quòd odoris ſit fragrantioris, majoriſque mordacitatis, cùm linguæ imponitur. Reperitur etiam in Peruviæ Provinc. *Quito*, ſed rarius. Vide Auctorem Anonymum, *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. C. de Commercis*, & Auctorem *Sinæ & Europæ*, *c.* 34. nec non ſuprà in vocibus *Canella*, item *Caſia*: namque hanc *Cinnamomi* nomine hodie venire dictum. Caſp. Barlæus in Deſcr. Epuli, quô Societas Orientalis Amſtelodami excepit Mariam Mediceam Galliæ Reginam, *Cinnamorum* quoque meminit: *Cinnamorum & caſiæ lignea pilulæ decuſſatim in altum aggeſta Auroram matrem fatebantur*, vide eum in *Medicea* &c. Quomodo autem adulterari olim conſueverit *Cinnamomum*, ex Plinio diſce, *l.* 12. *c.* 19.

CINNAMUS, Hiſtoricus, ſeu Regius, ut ſe ipſe vocat, Grammaticus, memoriâ ſane & poſteritate digniſſimus. Vitam Joannis Comneni Imperatoris Conſtantinopolitani brevi compendiô tradidit; ſed imperium, ac res geſtas filii ejus ac ſucceſſoris Manuelis, cui per Aſiam, atque Europam bellanti adoleſcens admodum, comes fuit, cujuſque facta pleraque oculis ſuis vidit, longâ ſerie proſecutus eſt. Dictio ejus pura, ac terſa ſanè, Herodoti, Xenophontis, aliorumque veterum Græciæ in Hiſtoriâ principum æmula, ac vel hâc ſolùm virtute immensô poſt ſe ſpatiô relinquat Michaëlem Glycam, Conſtantinum Manaſſem, Tzetzem, Choniatem Nicetam, & eos qui ejus ævô, aut paulò poſt ſcripsêre, tumidi homines & ſalebroſi. Fidem profitetur incorruptam, ſine amore cujuſquam, ſine odio, quanquam indulgentior viſus eſt quibuſdam in laudando Manuële, deprædicandoque magnis auſis, ſæpe etiam temerarius promptum ejus animum. Corn. Tollius *in præfat. editionis Authoris prædicti*. Vide & *Johannes*.

CINNAMUS, tonſor quidam Roman. in quem ludit Martial. *l.* 7. *Epigr.* 63.

> *Qui tonſor fueras totâ notiſſimus urbe,*
> *Et poſthac Dominæ munere factus eques;*
> *Sicanias urbes, Ætnæaque regna petiſti*
> *Cinname, cùm fugeres triſtia jura fori.*
> *Quâ nunc arte graves tolerabis inutilis annos?*
> *Quid facit infelix & fugitiva quies?*
> *Non Rhetor, non Grammaticus, Ludive Magiſter,*
> *Non Cynicus, non tu Stoicus eſſe potes.*
> *Vendere nec vocem Siculis, plauſumque theatris;*
> *Quod ſupereſt, iterum Cinname tonſor eris.*

Idem, *l.* 6. *Epigr.* 17.

> *Cinnam, Cinname te jubes vocari;*
> *Non eſt hic, rogo, Cinna, barbariſmus?*
> *Tu ſi Furius ante dictus eſſes,*
> *Fur iſtâ ratione diceris.*

CINNARUS, vir quidam Selinuſius, qui arte lenoniâ ad ſummas opes pervenit. Is, quoad vivebat, pollicebatur ſe omnes facultates Veneri conſecraturum. Moriens autem populo diripiendas expoſuit; Unde natum proverbium: *Rapina rerum Cinnari*.

CINNIANA, Hiſpaniæ urbs ad radices Pyrenæi montis, *Antonino*. Eſt & Luſitaniæ urbs, civium ſuorum fortitudine celebris. Valer. Max. *l.* 6. *c.* 4. *ex. ext.* 1.

CINNUS, Græcè *συγχυσμὸς*; Latinis aliter *Commiſſio* & *Confuſio*, diverſarum rerum conjunctio eſt: aliquando cum diſtributione & oppoſitione contrariorum. Veluti ſi dicas, Deprecatur timidus ut lædat: precatur fortis, ut juvet. Poëta pulchrè loquutus eſt, in *undecimo Æn. v.* 442.

> --- *ſolum Æneas vocat & vocat oro.*
> *Nec Drances potiùs, ſive hæc eſt ira Deorum,*
> *Morte luat: ſive eſt virtus vel gloria, tollat.*

Quibus carminibus nihil ſimplicius ſimul atque elaboratius. Nam quidem talia videntur, ſed non ſine fabrica naturæ. Attribuit Dranci imbelli & ſibi forti, vel fortunam ad moriendum, quam ille explere nequeat: vel virtutem ad ſuperandum, quæ cum illo nihil habeat neceſſitudinis, atque ita duabus perſonis ſimul junctis, atque confuſis, adhibet diverſos eventus ex diſtributione. Ibi autem ſimplicior & manifeſtior, *l.* 6. *Æn. v.* 660.

> *Hic manus ob patriam pugnando vulnera paſſi,*
> *Quique Sacerdotes caſti, dum vita manebat,*
> *Quique pii Vates, & Phœbô digna loquuti.*
> *Inventas aut qui vitam excoluêre per artes*
> *Quique ſui memores alios fecêre merendo.*

Et in contrariam ſententiam, quæ ibidem dicuntur de ſceleratis: Jul. Cæſ. Scaliger, *Poëtic. l.* 3. *c.* 47. Propriè verò *Cinnus*, idem quod *κυκεὼν*, potionis genus, de quo vide ſuprà in voce *Adonis potio*.

CINOLIS, vide *Cimolis*.

CINOTUS, Doridis urbs ad Bubeſſium ſinum. *Ptol.*

CINSTERNÆ, Africæ propriæ urbs. *Ptol.* Aliis *Ciſterna*, nunc vicus tenuis regni Tripolitani, in ora maris Mediterranei contra promontor. Mezaratam & Syrtim minorem.

CINTHUS, vide *Cynthus*.

CINTHYLIA, oppidul. Hiſpaniæ Tarraconenſis intra montes, *Chinchilla*, 5. leuc. à Sucrone fluv. paulo minus à confinio regni Murciæ. In Caſtella nova.

CINUS, & CILLUS, vide infrà *Oſcilla*.

CINXIA, quod nuptiis præeſſet, Juno dicebatur, Initô enim conjugiô, ſolutio cinguli fiebat, quô nova nupta erat præcincta. *Feſtus.*

CINYPS, ſeu CINYPHUS, *Ptolemæo*, Africæ fluv. prope Garamantas. Hircis olim plurimis abundavit. Virg. *Georg. l.* 3. *v.* 312.

Nec minus intereà barbas, incanaque menta
Cinyphii tondent hirci. —— ——

Silius, *l.* 3. *v.* 275.

Tum primum caſtris Phœnicum tendere ritu
Cinyphii didicêre Macæ, ſqualentia barbâ
Ora viri, humeroſque tegunt velamina capri.

Fertilitate etiam celebrabatur. *Scylax*, Ἔξω τῆς Συρτίδος ἐστι χωρίον καλὸν, καὶ πόλις, ὄνομα Κίνυψ, Mela, *l.* 1. *c.* 7. *Ultra eſt Oea oppidum & Cinyps fluvius per uberrima arva decidens.* Ovid. *Ponticor. l.* 2. *Eleg.* 7. *v.* 25.

Cinyphiæ ſegetis citiùs numerabis ariſtas.

Claudian. *l.* 1. *in Eutrop. v.* 405.

Cinyphiiſque ferax Aroris fœcunda ariſtis.

Herodotus, *in Melpomene*, de terra circa Cinypem: Αὕτη δὲ ὁμοίη τῇ ἀρίστῃ γέων Δήμητρος καρπὸν ἐκφέρειν. Idem de Cinype ipſa, Ἀγαθὴ γῆ, καὶ τὴν Εὐεσπερῖται νέμονται, ἐπὶ ἑκατοστὰ γὰρ ἐπεὰν αὐτὴ ἑωυτῆς ἀρίστη, ἐκφέρει, ἡ δὲ ἐν τῇ Κίνυπι, ἐπὶ τριηκόσια. De nominis origine vide Bochart. *de Phœn. col. l.* 1. *c.* 24. *Nic. Lloydius*. Nunc *Macer*, Oritur in regione Biledulgerid, in Fezzano deſerto, & in mare Mediterraneum ſe exonerat, in regno Tripolitano & provinc. Ezzaba, inter Tripolim novam & promontor. Mezratam, prope Leptim. *Baudrand.*

CINYRAS, vir quidam ditiſſimus, cujus opes abiêre in proverbium, *Cinyræ opes*. Vide infrà. Item Phœniciæ Rex, cujus regia *Byblos* civitas fuit, teſte Strab. *l.* 16. Tertius Rex Cypri, Ciliciis filius, qui cum Myrrha filia ſua, nutricis aſtutiâ, ignarus concubuit, à quo illa *Cinyreia* dicta. Ovid. *l.* 10. *Met. fab.* 9. & 10. *v.* 369.

—— At virgo Cinyreïa pervigil igne
Carpitur indomito. ——

Fabulam fuſiſſimè tractat ingenioſus Poëta, ubi ſuprà. Fuit autem adeò potens & opulentus, ut *Cinyræ opes*, in proverb abierint, Eraſm. *Adag. tit. Divitiæ. Heſych* Κινύρας, Ἀπόλλωνος ἢ Φαρνάκης παῖς, βασιλεὺς Κυπρίων. *Suidas*: Κινύρας ἀπὸ τῆς παροιμίας τῆς κινύρας, ab inſtrumento muſico ſcilicet.

CINYRIA, Cypri oppid. olim, nunc pagus, *Gendinar Luſignano*.

CINYRUS, mons in Piceno. *Vib. Sequeſter.*

CIOIFA, urbs Armeniæ, in confinitio Turciæ, ad fluv. *Araſſe*, vaſtata à Rege Perſarum Abbas vel Habas, à rebus geſtis Magni cognomen adepto. Item unum ex tribus ſuburbiis Aſpahani, regiæ in Perſia ſedis: quò ex priore tranſtulerat victor Armenios: qui ſoli ferè mercaturam in regno exercentes, opulentiſſimi ſunt, idemque Regi ſuo, quod Genuenſes Regi Hiſpaniæ præſtant De horum more ſepeliendi mortuos, Choreis, Feſtis, qualia ſunt Feſtum *Cacciuwan* ſeu Baptiſmi crucis, Trium Regum, &c. Jejuniis triduanis, perſecutione graviſſima ſub præfato Rege, aliiſque vide prolixè & accuratè diſſerentem P. de Valle *autor. vbo. inter. tom.* 2. & 3. Dioſcuri errores ſequuntur, & ab iis, qui in Arabia degunt, multum diverſi habent. *Idem.*

CION, nomen Tibicinis apud *Hippocratem*, de quo Proverb. Κίων ἢ Βάθων αὐλεῖ apud Scaligerum, *l.* 1 *Poët. c.* 20.

CIONITA, cognomen Simeonis, qui aliàs *Stylita*, de quo pluribus egêre Allatius *Diatr. de Simeonibus*, *Bolandus*, *Raderus*, *alii*. Unde *Cionita*, Græcè Κιονῖται, qui & *Stylitæ* dicti ſunt Monachi, inſtitutum ejus ſequentes & dies noctesque ſuper columnam vitam exigentes, quorum meminit Anctor *Hiſtoriæ Miſcellæ*, *l.* 22. *Adeò ut omnes Monachos & Incluſos atque Cionitas, qui Deo placere noſcebantur, ſub tributo redigeret*, ex Theophane, p. 361. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque *Stylita*.

CIOS, emporium Phrygiæ, à Cio, Herculis comite. Item fluv. ejuſdem nominis, de quo Dionyſ. v. 806.

Ἠχὶ καὶ ἱμερόεντα Κίος προχέει ῥέεθρα.

Plin. *l.* 5. *c.* 32. *Cios cum oppido ejuſdem nominis, Phrygiæ emporium, à Mileſiis quondam conditum.* Item Bithyniæ civitas, *Pruſias* poſteà vocata.

CIPERANUM, vel CEPERANUM, locus Calabriæ ad Lirim, ubi Concilium, tempore Paſchalis II. A. C. 1114. quô Archiepiſcopus *de Cozence*, qui à Rogerio Siciliæ Comite pulſus fuerat, reſtitutus: Guilielmus Dux Apuliæ & Calabriæ creatus; Landulphus autem condemnatus eſt. P. Diac. *Chron. Caſſ. l.* 4. *c.* 51. Falco *Chron. Beneventi*.

CIPHRÆ, characteres ſunt occulti, quibus arcana & quæ ab aliis ignorari intereſt, ſolent perſcribi ac ſignificari. Illarum varias ſpecies, *Ciphras ſimplices*, *non ſignificantibus characteribus mixtas*, *duplices literas unô charactere complexas*, *Ciphras rotæ*, *Ciphras clavis*, *Ciphras verborum*, enumerat illuſtris Verulamius; quibus longè plures facilè addi poſſent. Virtutes in illis requirit tres: Ut ſint expeditæ, non nimis operoſæ ad ſcribendum; Ut ſint fidæ & nullô modô pateant ad decipherandum: Denique, ut, ſi fieri poſſit, ſuſpicione vacent. Si enim alitermodi Epiſtolæ in manus eorum devenerint, qui in eos qui ſcribunt, aut ad quos ſcribuntur, poteſtatem habeant, tametſi *Ciphra* ipſa fida ſit, mox examini ac quæſtioni tis ſubjiciatur, ſicque arcanum vi eliciatur. Quod ut evitetur, habeat quis duo Alphabeta, unum literarum verarum, alterum non ſignificantium: & ſimul, duas epiſtolas evolvat, unam quæ ſecretum deferat; alteram, qualem verſimile fuerit ſcribentem miſſurum fuiſſe abſque periculo tamen. Quòd ſi quis tum de *Ciphra* ſeverè interrogetur, porrigat ille Alphabetum characterum Non-ſignificantium, pro veris literis: Alphabetum autem verorum, pro Non-ſignificantibus. Hôc modô incidet Quæſitor in Epiſtolam illam exteriorem, quam cùm probabilem invenerit, de interiori Epiſtola nihil ſiniſtri ſuſpicabitur. Idem alium *Ciphra* gradum propoſit, nimirum ut omnia per omnia ſignificari poſſint: ita tamen, ut ſcriptum quæ involvitur, quintuplô minor ſit eâ, cui involvitur. Quod hôc modô fieri poteſt: Primo univerſæ literæ Alphabeti in duas tantùm literas ſolvantur, per earum tranſpoſitionem; quæ ſi fiat per locos quinque, prodibunt differentiæ 32. quæ multò magis 24. qui numerus Alphabeti eſt, ſufficient. Cùm dein ad ſcribendum accingeris, Epiſtolam interiorem in Alphabetum hoc biliterarium ſolves: præſto ſimul ſit aliud Alphabetum biforme, quod ſingulas Alphabeti communis literas, tàm capitales, quàm minores, duplici formâ, prout cuique commodum ſit, exhibeat. Tum demum Epiſtolæ interiori, jam factæ Biliteratæ, epiſtolam exteriorem biformem literatim accommodabis, & poſteà deſcribes &c. In ejuſmodi *Ciphris* decipherandis multam operam inſumit ingenium humanum, in Aulis imprimis Principum, quorum arcanis dicata eſt laborioſa ſimul ac ingenioſa hæc ars; ſed *Ciphra* bonæ ac fideles facilè operam Decipheratoris eludent &c. Vide Fr. Baconem de Verulamio, *l.* 6. *de Augm. Scientiarum*, *c.* 1. & infrà quoque ubi de modo *Occulte ſcribendi*.

CIPIUS, cognomen ἀρχιμάγειρον, apud Feſtum: *Citius*, apud Ciceronem, in membranis antiquiſſimis, apud Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio.*

CIPPARIUS, *in LL.* Guil. Nothi, *c.* 4. *Ceper* vel *Cepier*, Carcerarius eſt à voce *Cippus*, Græcè κύφων, qui priſcis inſtrumentum, quô reorum pedes conſtringebantur, recentioribus carcerem ipſum notat. Unde in *Conſuetud.* Meldenſi *Art.* 290. furcæ patibulares, *Cippus* (Gall. *Cep*) & *Piliorium*, dicuntur eſſe ſigna ſeu argumenta majoris Juſtitiæ. Pro *Cippario Cypiacus* dicitur in Eccleſia S. Quintini in Veromanduis, dignitas Eccleſiaſtica, cui *Cippi* ſeu Carceris Eccleſiaſtici, cura incumbit, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* &c. Vide quoque infrà *Lignum*, *Nervus*, *Tranſverſaria trabes*. Sed & *Cippus*, ligni truncum perforatum denotat, in quo Minorum Ordinis Religioſorum, in Communione Romana peculium conſervabatur. *Clement. cap.* 116. *quoniam quæſtus omnis pecunia, de verb. ſignif.* apud Macrum in *Hierolex.* De *Cippo* vero lapideo, in tumulo erigi olim apud Græcos ſolito, vide infrà in voce *Stele*. uti de *Cippis*, in urbium oppugnatione adhibitis, voce *Oppugnatio*.

CIPPIDUM, municipiolum Galliæ, vulgò *le Cheppe*, ad rivulum in Vidulam effluentem. *Hadr. Valeſ. Notit. Gall.*

CIPPUS, nobilis Romanus, qui fuſis hoſtibus ad urbem rediens, cum cornua ſubito animadvertiſſet; reſponſumque accepiſſet ab aruſpicibus, fore ut Romæ regnaret, ſi urbis mœnia ingrederetur, Senatum Populumque extra urbem convocavit; quos cùm rem omnem edocuiſſet, ſponte ſe exiliô multavit, unicô terræ jugerô contentus, in quo reliquam vitæ partem peregit. Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 565.

Aut ſua fluminea cùm vidit Cippus in unda.

Ubi vetuſti codices magnâ ex parte *Cypus*, vel *Cipus*. *Genucius Cipus* eſt Val. Maximo *l.* 5 *c.* 6. *ex.* 3. Ita enim membranæ nomen illud exhibent, ut & apud Plinium, *l.* 11. *c.* 37. Extant apud me denarii argentei, cum hâc inſcriptione M CIPI. M. F. unde Cipiam gentem Fulvius Urſinus, vir de literis inter primos optimè meritus, conflavit, perperam, ut puto, cùm ejus nulla apud antiquos extet mentio. *Nic. Heinſius.*

CIRANUS, corruptè pro Cœranus, de quo ſuô locô.

CIRCA, apud Recentiores vigiliæ, excubiæ, Ital. *Cerchia* Gallis *la Ronde*: Cujuſmodi *Circas* etiam fecîſſe in Monaſteriis Monachos, horis illis, quibus vacare lectioni Fratres conſuevêre, dicitur in *Regula* S. Benedicti. Hinc qui *circas* faciebat Monachus, *Circa* quoque appellatur, apud Lanfrancum in *Statutis*, *c.* 4 Item *Circator* apud Joachimum Vadianum *de Offic. Monachorum*. Cujus officium ita deſcribitur in *Libro Ordinis* S. Victoris Pariſ. *MS. c.* 40. *Circator eligatur de totius Congregationis religioſioribus & ferventioribus ---- ad ejus officium ſpectat, officinas Monaſterii circuire & obſervare negligentias fratrum & Ordinis prævaricationes. Quotiens circam facit, adeò religiosè & ordinatè debet incipere, ut terrorem incutiat ſpectatoribus ſuis, & exemplum religioſitatis oſtendat. Adeò autem tacitè & ſeverè debet facere circam, ut nulli unquam loquatur vel ſignum faciat, ſed tantummodo ſtudioſè ſcrutari debet & inſpicere offenſas & negligentias. Omni tempore poteſt facere circam, exceptâ horâ Capituli & Collationis, quando ſcilicet oſtia clauſtri jam firmata ſunt ---- debet attendere, ne unquam aliquis ſine cauſa horis regularibus deſit, & ne quiſquam loquatur, ubi vel quando non debet.* Sed & eorum munus erat, *Fratres ad horas Canonicas colligere, ſignô pulſatô*, ut eſt apud Ekkehardum Junior. *de Caſibus S. Galli*, *c.* 3. cui *Exactores* ſeu Ἐπιστάται dicuntur, *c.* 6 Monachos verò ad vigilias mediâ nocte in Eccleſiis obeundis excitare, Canonarchæ officium fuiſſe, diſcimus ex Dorotheo *doctr.* 11. Præterea *Circator*, officium fuit in Eccleſiis Cathedralibus, Gall. *Cercheur*: quô olim videtur donatus Adventius Eccleſiæ Metenſis Epiſcopus, qui *Epiſt.* ad Nicolaum Pontif. apud Baronium *A. C.* 863. ſcribit ſe, priuſquam Epiſcopatum adipiſceretur, *in Excubiis templi Beati Stephani Protomartyris occupatum fuiſſe*. De excubiis, quæ fiebant in Eccleſia Pariſina in feſto Aſſumtionis Deiparæ, vide *Chartam* Joannis Regis apud Car du Freſne in *Gloſſar.* Denique *Circatores*, in *Vita* S. Gilberti Sempringham. aliiſque, dicuntur, qui vice Generalis totius Ordinis domos & mona-

naſteria viſitabant, aliàs *Viſitatores* dicti. Quemadmodum, qui nomine Epiſcopi Eccleſias viſitabant, περιοδευταὶ, *Circitores* ſeu *Circuitores* (quâ voce utitur, *l. 6. §. 1. D. de Excuſat.*) vocant Concilium Laodic. & Juſtinianus, *l. 42. §. 9. Cod. de Epiſc. & Cleric.* Ipſis id Epiſcopis tribuit Concilium Cabilonenſ. *A. C. 650. can. 11.* unde cenſus Epiſcopo, aut Archidiacono, pro viſitatione, ab Eccleſiis pendi ſolitus, *Circada* ſeu *Circata*, dictus occurrit, apud Hincmarum, *Epiſt.* ad Ludovicum II. Regem, *c. 9* &c. Vide Car. du Freſne *l. cit.*

CIRCÆI, Urbs fuit Volſcorum, in Latio, inter Aſturam & Terracinam, in ora littorali maris Tyrrheni. Nunc diruta jacet propter paludes Pomptinas. In ejus ruderibus eſt pagus *S. Felicita*, cum turri, ad radices Circæi montis, 10. milliar. à Terracina in Occidentem.

CIRCÆUM, promontor. olim Latinorum in Italia, *Ptol.* nunc Campaniæ Regio hodie *monte Circello Leandro*; in mare Tyrrhenum excurrit, prope Circæi rudera, cum uno aut altero vico tantum; propter cœli gravitatem & paludes Pomptinas, quibus circumcingitur verſùs Boream, ita ut eminus Inſula videatur. Procopius, *Gothicor. l. 1. Circeium haud modicè tractu in mare porrectum, inſulæ ſpeciem fert, adeoque videtur inſula tam prænavigantibus, quàm terreſtri itinere prætereuntibus.* Quam Strabonis libro quinto, deſcribitur Κιρκαῖον ὄρος νησίζον θαλάττῃ τε καὶ ἕλεσι. Nec multo aliter Servius, in *l. 3. Æn. v. 386. Qui nunc Circeius mons, a Circe dicitur, aliquando, ut Varro dicit, inſula fuit; nondum ſiccatis paludibus, quæ eum dividebant a continenti.* Sed & multò antè Theophraſtus, *Hiſt. Plant. l. 5. c. 8.* poſtquam in Latino agro Circeium promontor. deſcripſit robore, myrtô, ac laurô conſitum, addit, Λέγεσι τοὺς ἐγχωρίους, ὡς ἐνταῦθα ἡ Κίρκη κατῴκει ... ἐν τούτῳ εἶναι τὸ Κιρκαῖον, καὶ ... [illegible] ... ὀγδοήκοντα σταδίων. Virg. *l. 7. Æn. v. 10.*

Proxima Circææ raduntur litora terræ,
Dives inacceſſos ubi Solis filia lucos
Aſſiduè reſonat cantu. — —

Nic. Lloydius.

CIRCASSI, populi Tartariæ, in Aſia, juxta mare Caſpium. Perſæpe in ſylvis degunt, & prædas agunt. Inter mare Caſpium & fluv. Kham & Tanaim ex parte. Proprios habent Principes. Subſunt tamen Magno Moſcoviæ Duci. Eorum Urbs præcipua *Terki*. Ibi aliàs Albania quibuſdam. Vide *Olear. Herbertum*, &c.

CIRCATOR, vide *Circa*.

CIRCE, Solis & Perſes nymphæ, Orpheo Apollinis & Aſteropes, filia, veneficiorum peritiſſima, quæ Sarmatarum Rege, cui nupſerat, venenô ſublatô, regnôque per ſcelus partô, cùm crudeliùs imperaret, ab incolis pulſa in Italiam profugit: *Apollonius* eam ab Apolline patre raptam & in Italiam curru vectam canit: & in Circæo monte (qui antiqui olim Latii terminus erat, & efficaciſſimis herbis abundabat) ſedem ſibi delegit, ubi eùm Glaucum marinum Deum adamaret, Scyllam puellam, quam ille deperibat, infectis fontibus, in monſtrum marinum commutavit: Ulyſſem item vi tempeſtatis ad ſe delatum hoſpitiô ſuſcepit, ſtellis coram illo de cœlo deductis, ſociosque ejus, quos ob intemperantiam in porcos commutaverat, ei, cùi ob prophylacticum quoddam, à Mercurio communicatum, nocere non poterat, reſtituit, cui & Telegonum filium peperit. Virg. in *Damone*, *Ecl. 8. v. 70.*

Carminibus Circe ſocios mutavit Ulyſſis.

Idem, *l. 7. Æn. v. 20.*

Quos, hominum ex facie, Dea ſæva potentibus herbis
Induerat Circe, in vultus ac terga ferarum.

Horatius, *l. 1. ep. 2.* ubi de Ulyſſe, *v. 23.*

Sirenum voces, & Circes pocula noſti;
Quæ ſi cum ſociis ſtultus, cupiduſque bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet turpis & excors;
Vixiſſet canis immundus vel amica luto ſus.

Poſtremò & Picum Latinorum Regem, quòd uxorem ſuam nomine *Canentem* ſibi præferret, in avem ſui nominis commutavit. Quam fabulam prolixiùs ab Ovid. *l. 14. Met.* relatam Virg. in 3. verſus contraxit, *l. 7. Æn. v. 190.*

Picus equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aureâ percuſſum virgâ, verſumque venenis
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas.

Cicero in *Verr. Divinat. c. 17. Repentè ex homine, tanquam aliquo Circes poculo factus eſt Verres.* Significatur autem per Circen voluptas, quâ in belluas & ſues immundas homines mutantur, quemadmodum Socratem docuiſſe, Xenophon tradit, *l. de dictis & factis Socratis.* Horat. *l. 1. ep. 2. meretricem* interpretatur. Stellæ de cœlo cadentes; etiam præclaros viros voluptatum illecebris nonnunquam abripi, niſi ſupernaturalis quædam vis velut herba à Mercurio porrecta, impediat, ſignificare videntur. Cur autem ſparſa ſit hæc fama in Græciam, Circen fuiſſe veneficam, adeoque vicinas terras, Latium puta, & Tyrrheniam ſcatere herbis veneficis, rationem reddit vir magnus, *de Phœn. Col. l. 1. c. 33.* Si quidem hoc veteres conſtanter docent. Æſchylus *capite 33. in Elegus*,

Τυῤῥηνὸν γενεὰν φαρμακοποιὸν ἔθνος,
Gens Tyrrhena ſuis clara veneficiis.

Theoph. *Hiſt. Plant. l. 9. c. 15.* Φαρμακώδεις δὲ δοκοῦσιν εἶναι τόποι μάλιστα ἥ τε Ἰταλία καὶ Ἑλλὰς ... οἱ περὶ Τυῤῥηνίαν καὶ τὴν Λατίνην. Ariſtot. in *Mirabil.* Λέγεται δὲ περὶ τὴν Ἰταλίαν, ἐν τῷ Κιρκαίῳ ὄρει φάρμακον ... θανάσιμον. Schol. Apollonii ad *l. 3. Argon.* Περὶ τὴν Ἰταλίαν φασὶν εἶναι ἡ Κίρκη, ὅθεν ὄρος Κιρκαῖον, ἀπ᾽ αὐτῆς πολυφάρμακον. Strabo, *l. 5.* Φασὶ δὲ καὶ πολύῤῥιζον εἶναι τὸ Κιρκαῖον ὄρος. Iis nempe radicibus abundat, quarum in veneficiis uſus eſt: id enim tradidiſſe veteres ſuſpicatus, τῷ μύθῳ περὶ τῆς Κίρκης ..., *ut fabulæ de Circe accommodarent.* At verò tam Circes fabula, quæ ſuis incantamentis fertur immutâſſe rerum ſpecies, quàm quod φαρμακώδης volunt fuiſſe Latinum ſolum, confictum videtur à Phœnicibus, qui *Latinum*, & *Latinos* dici putaverint ἀπὸ τῶν φαρμάκων, *ab incantationibus.* Quia Phœnicio ſermone לט *Lat*, cujus plurale לטים *Latim*, vel לטין *Latin* eſt *incantatio.* Simile Græcorum commentum, de Circe ſepulta, in una de Pharmacuſis Atticæ inſulis, non procul à Salamine; Strab. *l. 9.* Ἐνταῦθα δὲ καὶ αἱ Φαρμακοῦσαι, δύο νησία, ὧν ἐν τῷ μείζονι Κίρκης τάφος δείκνυται. Nempe aliud non ſuccurrebat, cur *Pharmacuſa* dicerentur. *Bochartus. Nic. Lloydius.*

CIRCEJUM, caſtrum in finibus Perſidis, ubi Gordianô occiſô milites ſepulchrum fecerunt, memoratur Capitolino, *in Gordiano III. c. 34.* Græcis Κιρκήσιον. Latin. *Circenſe*, quòd in morem Circi aquâ circaretur, ut oſtendit *Zoſimus*, qui ab Abora & Euphrate circumdari narrat. *Circeſſum caſtrum* dicitur *Feſto Ruffo*, Vide Salmaſ. *ad Capitolin. loc.*

CIRCELLIONES, apud Auguſtinum in *Pſalm 132.* Κυκλάριοι, in *Synodicis* Orientalium ad Theophilum Imperatorem, iidem cum *Circumcellionibus*, quos vide.

CIRCENSE Spectaculum, apud Æl. Spartian. in *Didio Juliano, c. 4. unde ad Circenſe ſpectaculum itum eſt*; ipſe Circus eſt & locus ſpectaculorum. In *Circo* enim maximè ſolebat populus ἐκκλησιάζειν, ut ait Herodian *l. 2. c. 7. 9. l. 8. c. 6.* Apud quem cave accipias hoc verbum eâ notione, quâ Græci paſſim uſurpant, cùm dicunt, Populum Athenienſem vel alium è Græcis, in theatro ἐκκλησιάζειν. Nullum enim jus habuit populus Rom. conveniendi in circum, ut de Republ. deliberaret: Sed ſpoliati jure Conventus habendi in Comitio, in circis & theatris, turbatis rebus, congregabantur, uti ſub Juliano factum. Caſaubon. *ad loc.*

CIRCENSES Ludi, certaminis curulis genus erat, in honorem *Conſi*, conſiliorum Dei inſtitutum, ita dictum, quòd in *Circo* perageretur. Horum 7. erant, ut ex Varrone Gellius, *l. 3. c. 10.* notat. Cæterùm de Circo, de pompâ, ludisque Circenſibus videndus eſt, Dionyſ. Halicarn. *l. 7.* & Solin. *c. 45.* ubi plura notavit Salmaſ. quæ ad eorum explicandam Hiſtoriam pertinent. Scripſit *de Circenſibus ludis* & peculiarem librum Caſaubonus, cujus ad Suetonium & Athenæum meminit, ſed hactenus editus non eſt. *Nic. Lloydius.* Alias dicti *Romani*, ob antiquitatem ſuam, utpote ab ipſo Romulo inſtituti: item *Magni*, tum ob impenſas ingentes ac celebritatem, tum quòd in honorem magni illorum Dei Neptuni, quem *Conſum*, velut conſiliorum præſidem, appellabant, celebrari ſolebant. Quòd enim in Cereris honorem illos exhibitos ſunt qui doceant, id inde ortum, quòd Cereales ludi in Circo quoque habiti: In Solis quoque illos inſtitutos qui contendunt, *pompam Circenſem* cum *ludis Circenſibus* confundunt. Cùm enim decurſio equeſtris equorumque pompa inter præcipuas feſtivitatis hujus ceremonias fuerint, illa in honorem Neptuni, qui equitandi inventor artis Ἵππιος dictus eſt, ab Euandro primùm inſtituta, dein à Romulo, quòd hujus Dei conſilio in ludis illis Sabinæ raptæ, reſtaurata: iſta in Solis honorem celebrata eſt. Unde dum generum equi in Circum adducti leguntur, Πομπικοὶ, qui ſpectaculi ſolùm causâ producebantur, & hi Soli dicati erant: Unde de talibus legimus in Sacris 2. Reg. c. 23. v. 11. ſuperſtitione ad Judæos derivatâ à Perſis, apud quos celebris inprimis *Equus Solis*: & Δρομικοὶ, quibus ad decurſiones utebantur, primò eorum Neptunô inventore. Habebantur autem hi Ludi primùm in Tiberina inſul. nullô ad id certô conſtitutô locô, ſed ab altera parte Tiberis pro meta erat, ab altera enſes ponebantur, teſte *Servio*: donec Tarquinius Priſcus Circum Maximum erexit, Liv. *l. 1. c. 35.* Exercitationum in iis genera varia: Prima erat pugna, cum pugnis, ceſtibus, gladiis, fuſtibus, haſtis, pilis ſimilibuſque armis certabatur: quô & Gladiatura ſpectabat, & certamen cum beſtiis &c. Altera curſus: Tertia ſaltatio: Quarta jaculatio diſcorum, ſagittarum, telorum omniumque armorum cujuſcunque generis, quæ longè projiciuntur: & hi ludi erant ferè pedeſtrium. Quinta decurſio equeſtris: Sexta eaque primaria aurigatio, i. e. certamen bigarum aut quadrigarum inter duas primò factiones, *Albam* & *Ruſſam*; poſteà inter 4. *Praſinam*, *Venetam*, *Albatam* & *Ruſſam*, vide ſuprà in voce *Aurigatio.* Septima Naumachia, ſeu navale certamen, quum in mari, fluvio, ſtagno, lacu, forma navalis pugnæ repræſentabatur. Pompa vocabatur totus ille apparatus, qui ludicro certamini præmitti ſolebat: In ea Deorum imagines & nobiles matronæ carpentis ſuis vectæ, clarorum item virorum ac Imperatorum circumferebantur ſtatuæ, vide infrà *Lauratum*; equi item oſtentationi deducebantur &c. præcedentibus ordine pueris puberibus, de quibus vide infrà, in voce *Ludi.* Ovid. *l. 1. de Arte Am. v. 147.*

At cùm pompa frequens certantibus ibit ephebis &c.

Hâc procedente favos, ſtudia & ſponſiones ſpectatorum, huic vel illi factioni addictorum, ſe exercebant &c. Ludos porrò Reges initiò, dein Conſules ediderunt: creatis poſteà Ædilibus, horum id munus fuit, Curulium inprimis, namque Plebeji ludos plebejos curabant. Sed & ad Prætoris urbani officium pertinuit, ſignum mittendis quadrigis dare: quô bellis fortè occupatô atque abſente, dictus Dictator fuit, qui vices ejus ſubiret. Tandem omni Reipubl. poteſtate in unum translatâ, Imperatores id munus ſibi ſumſêre, ut ex Suetonio, Hiſtoricisque ſequentibus videre eſt, vide Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l. 2. ſect. 3. c. 6.* Joh Roſin. *Antiqq. Rom. l. 5. c. 4. & 5.* cum Thom Dempſteri *Paralipom.* & infrà de Circo. His ludis Græcorum Olympici ac Gymnici reſpondebant. Verùm, *Circenſes Olympiæ*, à *Circenſibus* Romæ, qui in

re

ſe diſcreti fuerint, vide apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 915. De *Circenſium* inſania ita Lactantius, *l.* 6. *c.* 20. *Circenſium quoque Ludorum ratio quid aliud exhibet, niſi levitatem, vanitatem, inſaniam. Tantô namque impetu concitantur animi in furorem, quantô illic impetu curritur, ut jam plus ſpectaculi exhibeant, qui ſpectandi gratia veniunt, cum exclamare, & efferri & exſilire cœperint.* Et generatim, *Spectaculis neminem intereſſe potuiſſe, ſine animi paſſione, ira, dolore, bile, furore, concuſſione Spiritus*, pulchrè inducit mirus argumentandi Artifex Tertullianus, *de Spectac.* c. 15. qui *ſequenti c.* Circi præcipuè inſaniam mirô acumine proponit & exagitat. Duravit autem is furor, uſque ad extrema Rei Romanæ tempora, ut ex optimo caſtigatore Salviano patet. Vide quoque Onuphrium *de Circo*, Deſid. Heraldum, Jacobum Pamelium, Ludovic. de la Cerda, *Commentat. ad Tertullianum*, *Apologet. c.* 38. Jul. Cæſarem Bulengerum, alios; De prœliis vero, factionibus Circenſium Agitatorum Populique ſtudiis, ut & aliis huc pertinentibus hic paſſim, ſupremis in vocibus, *Agitatores*, *Factio*, *Miſſus*, *Pannus* &c. De *Circenſi Ludicro*, in necem Chriſtianorum, à Nerone edito, vide Tacitum, *l.* 15. *Annal. c.* 44

CIRCESIUM, etiam *Conſtantina*, oppid Meſopotamiæ ad confluentes Chaboræ in Euphr. 20. circiter milliar. infra Thapſacum, è regione Arabiæ deſertæ, quibuſdam nunc *Alchabur*. *Baudrand.* Hic Gordiani Imperator. tumulus eſt. Eutropius, *l.* 9. *c.* 2. Oſrhoënæ regionis oppid. *Lub. Notit.*

CIRCESTRIA, oppid. Angliæ, in Comitatu Glocestriæ, 10. milliar. à Glocestrio in Ortum juxta amnem Corinium.

CIRCI urbis Romæ. *Maximus*, in valle inter Palatin. & Aventinum collis, apud Velabrum. *Flaminius*, ubi nunc palatium Mathæorum, & monaſter. S. Catherinæ, Capitolio proximus, ſic dictus, quòd eſſet in Campo Flaminio. *Agonalis*, ubi nunc *Piazza Navona*, platea pulcherrima & oblonga in meditullio urbis. *Neronis*, ad radices montis Vaticani, ubi nunc platea S. Petri. Hic obeliſcus *la Guglia*, ut & in aliis Urbis locis. Vide & *Circus*.

CIRCIDIUS, Corſicæ inſul. fluv. *Ptol. Pavello & Bavaro* hodiè *Leandro. Baudrando le Ripe.* Oritur prope Cruzanum vicum, & in mare Mediterraneum ſe exonerat juxta Sipeum, inter Calvium ad Boream & Sagonæ rudera ad Auſtrum verſus Caſalum ſinum.

CIRCISSARII, in Concilio Arelatenſi I. ſub Sylveſtro, *De Circiſſariis agitatoribus, qui fideles ſunt, placuit eos, quandiu agitant, à communione ſeparari:* Venatores ſunt Circenſes ſeu Aurigæ, qui in Amphitheatris ac circis curſus agebant. Vide ſupra, ubi de *Agitatoribus.*

CIRCITOR ſeu CIRCUITOR, apud Hieronym. *ad Pammachium, l. adv. errores Johannis Hieroſol.* Officium militare, cuſtos exercitus eſt, qui caſtra circuibat, ne quid detrimenti milites reciperent. Cujuſmodi *Circitores*, *Gloſſæ Baſil.* Κερκιτόρας vocant; Περιοδευτὰς *Gloſſæ Græco-Latin.* Κυκλευτὰς aliæ: Gall. *qui faiſoient la Ronde & la Sentinelle avance.* Deligebantur ii ex Equitum ordine, qui duobus equis, vel ſaltem uno cum ſervo merebant: quorum dignitas *Circitoria* dicitur, *l.* 2. *Cod. Theodoſ. de Filiis militar.* At *Circitorium*, apud Leonem Oſtienſem *Chron. Caſin. l.* 3. *c.* 57. pannus videtur eſſe, quô tempore Quadrageſimæ, tegebantur ac velabantur Altaria. Vide infrà *Velum*, & plura hanc in rem apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

CIRCIUS, Tauri montis pars. Plin. *l.* 5. *c.* 27. Item inſula Myſiæ. Sed legendum *Cyzicus*, teſte *Ferrario.*

CIRCIUS, ventus Galliæ Narbonenſ. peculiaris, reliquis cœli partibus ignotus, inter Corum & Aparctiam ſpirans, nulli ventorum violentiâ inferior, quippe qui & onuſta percellat plauſtra, & ædium tecta ſecum rapiat. *Circius* vero *à vertigine* dictus putatur, eo quòd in urbem circumagatur. Lucan. *l.* 1. *v.* 408.

—— —— Solus ſua littora turbat
Circius; & tutâ prohibet ſtatione Monœci.

Nic. Lloydius. Huic Auguſtum ſacrificâſſe templumque feciſſe, docet L. Seneca, *Natur. Quæſtion. l.* 5. *c.* 17. *Galliam infeſtat Circius, cui ædificia quaſſanti, tamen incolæ gratias agunt tanquam ſalubritatem cœli ſui debeant ei. Divus certè Auguſtus templum illi, cùm in Gallia moraretur, & vovit & fecit.* Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 1. *c.* 1. Non verò eſſe ventum Narbonenſis provinc. ſed unum ex principalibus & authenticis, nomine purè putè Græco ſive Siculo Κιρκίαν dictum, docet Salmaſ. ex Theophraſto de Ventis, ubi Argeſten Siculis Κιρκίαν dici refert. quamvis alii Thraſciam, vicinum Argeſtæ, hoc nomine inſignitum fuiſſe, malint. Vide eum, *ad Solin. p.* 1257. & 1258.

CIRCUITIONES Equitum, ad explorandas viſendaſque vigilias, indigitantur Papinio Statio, *Theb. l.* 10. *v.* 387.

—— —— monitu Ducis acer agebat
Amphion equites, noctem, vigilataque caſtra
Explorare datus, primuſque per avia campi
Uſque procul (nec dum totas lux ſolverat umbras)
Neſcio quid viſu dubium, incertumque moveri
Corporaque ire videt. Subitus mox fraude repertâ
Exclamat: cohibete gradum quicunque, ſed hoſtes
Eſſe patet. Miſeri pergunt anteire, timentque
Non ſibi, tunc mortem trepidus minitatur, & haſtam
Expulit &c. —— ——

De quibus vide Juſtum Lipſium, *de Militia Rom. l.* 5. *c.* 9. Apud Athenienſes olim, ab anno 18 ad viceſimum uſque, quilibet Ephebus cogebatur, περιπολεῖν, *circumire excubando ſeu cuſtodire*, τὰ περὶ τὴν πόλιν φρούρια, urbana & ſuburbana caſtella, lege Solonis, cujus meminit Ulpianus, *ad Cujuſmodi* 5. quò fine accipiebat à Populo pro concione ſcutum & haſtam, uti diſcimus ex Ariſtotele *de Athenienſium Republ.* Hinc Terentius in *Eunucho*, *Act.* II. *ſc.* 2. *v.* 58. de Chærea adoleſcentulo,

Sed video herilem filium minorem huc advenire,
Miror quid ex Piræeo abierit: nam ibi cuſtos publicè eſt nunc.

Vide Sam. Petitum, *Commentar. in LL. Atticas*, *l.* 8 *tit.* 1. De *Circatore* conſimili in Monaſteriis, dictum ſuprà in voce *Circa*. Sed & *Circuitio* facet titus, vide infrà *Nundinæ.*

CIRCUITORES, vide *Circumcelliones.*

CIRCULATOR, & Circumforaneus Medicus, vide ſuprà *Charlatanus*, & infrà, in voce *Periodeuta*: ut de *Circulatoribus Cybelæ*, infrà *Cybele.*

CIRCULI, de multitudine congregata, paſſim apud Auctores. Hinc C. Nepos, *Epaminonda*, c. 3. *Quum in Circulum veniſſet, in quo aut de Republ. diſputaretur, aut de Philoſophia ſermo haberetur, nunquam inde prius diſceſſit, quàm ad finem ſermo eſſet deductus.* Ubi *Circulus* eſt cœtus vulgo cotrantium ac fabulantium, qui collatis capitibus videntur veluti orbem facere, ut *Lipſius* explicat. Diſputabant autem ii aut de Republ. aut in iis diſſerebant ac philoſophabantur Sophiſtæ, quos in hominum frequentia, in Foro Circuliſque, ἐπιδείξεις ſuas recitare in more habuiſſe, inde diſcimus. *Circulari* id Seneca vocat, *l.* 1. Circulis ſe venditare, aut Circulos quærere faceréque; de cujuſmodi gerronibus Sophiſtis, eloquentiam ſuam per urbem circumferentibus, vide Creſoll. *Theatr. Rhetor. l.* 3. c. 3. adde quæ Bœclerus adfert *ad Nepotis locum.* In Militia quoque, *Cohortes* alias. Cum enim rotundæ olim in vallis cohortes eſſent, de quibus dicemus infrà; ab hac rotunditatis forma certus numerus militum in legione, *cohortis* nomen accepit, ſicut σπεῖρας appellavêre Græci. Quippe hæc confertæ multitudinis natura, ut in *Circulum* ſe ſtipet, & conglobet in orbem. Hinc multa in militia Nomina ἄγημα, ἴλαι, σπεῖραι, στρατηγίαι, Latinè, *globi*, *drungi*, *cohortes*, quod tamen in minore fermè numero videntur obtinuiſſe. Nam & σπεῖρας, *manipulos*, vocat *Polybius*, & hujuſmodi *in circulum* conglobatio ferè frequentiùs notatur in minori multitudine congregata, quam in majore turba. Salmaſ. *ad Solin. p.* 311. Vide quoque infrà *Haga*, *Hringus*. Aliàs *Circulus* & *Corona* in diverſum abeunt; cum corona ita corrotundata ſit, ut, cùm humano capiti aptatur, eadem ſit inſigne eorum, quorum cauſa aſſumitur. Nempè *Circulos* Natura ſæpiùs, quam homo; Coronas frequentius homo, quàm Natura nectit: eſtque in rerum Natura circulus veluti ἀρχέτυπον, ad cujus ſpeciem formatur Corona. Et quidem in Cœlo *Circuli* ſunt, ingentes illi quinque ductus per quos volvitur Sol, univerſum redimientes mundanum faſtigium. Item is cui nomen ἅλως, *Circulus ſiderum*: Et lacteus orbis, & Zodiacus ſignifer, aliaque. Ipſum quoque Solem verè nominaveris *Circulum*, qualis ab Ægyptiis ſuit pingi ſolitus, & in imaginibus appellatur. Cui adde Lunam, vel potius Lunæ cinctum, noctu ſplendentem, & in Aere, Iridis ambitum, & illa quæ dicuntur παρήλια. Sunt & circulares nonnunquam ſeu coronati vapores conſpicui, ut & ignes, de quibus Claudian. *in Apono*, *v.* 45.

Viva coronatos abſtingit ſcena vapores.

Et Statius, *Theb. l.* 10. *v.* 604.

Ille coronatos jamdudum amplectitur ignes,
Fatidicum ſorbens vultu flagrante vaporem.

Cujuſmodi *Circuli* miraculô nonnunquam fiunt prope homines & hominum cauſâ. Ut fuit aurea illa nubes, quâ Pallas circumſepſit caput Achillis, *Iliad.* Ζ. Flamma item viſa, ſuper caput Aſcanii, *Æn. l.* 2. ipſius Æneæ, *l.* 10. Servii Tullii, apud Livium, *l.* 1. *c.* 35. Maſiniſſæ dormientis, apud Silium Italic *l.* 16. Quibus adde ſimulachrum ſideris criniti, quod Cæſaris capiti in Foro conſecratum, apud Plin. *l.* 2. *c.* 25. Solis orbem, qui ſuper caput Auguſti urbem intrantis conſpectus eſt, apud Vellejum, *l.* 2. duos illos radios, qui natum Neronem tempore matutinô circumplexi ſunt: Circulum, de quo Bebianus.

Flammantem video luminis ambitum,
In quem nulla venit fœmina circulum &c.

Cujuſmodi *Circulos* imitati ſunt illi, qui inter cornua bovis Ægyptiæ aureum & rutilantem circulum effigiârunt, teſte Solinô, *c.* 35. hodieque imitantur, qui Sanctorum capitibus iſtiuſmodi orbes radioſos circumfundunt, qua de re vide hîc Infrà, ubi de *Circulis Sanctorum.* Ut de terra hoc unum addam, *Circulus* in ſardonyche gemma inprimis notatus Plinio, qui nomine hôc appellat zonam vel limitem candicantem, quô medietas hujus gemmæ cingitur; hanc cùm fundit ſe & ſpargit colorem in proximum, *mennium*, cùm verò ſeſe colligit, nec ſpargitur, certôque ſic limite diſtinguitur, *Circulum* propriè dici tradunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 564. Sed & *Circuli*, in doliis, in foribus, cornei æneique, κρίκοι Græcis & κορῶναι, in ornatu muliebri, quæ *Brachialia* aliâs &c. de quibus alibi dicemus. Quamvis autem aliud *Circulus*, aliud *Corona*, occurrit tamen apud medii ævi Scriptores, *Circulus* Aureus, ſimplicioris Coronæ ſpecies, quæ ſub Imperatorib. Occidentis Patriciatus apud Romanos erat inſigne. Leo Oſtiens. *l.* 2. *c.* 79. *Eidem Henrico V. Patriciatus honorem Romani contribuunt eumque, præter Imperialem coronam*, aureô circulô in decernunt. Hinc *Corona Circuli Patricialis*, apud Petrum Diaconum *Chron. Caſin. l.* 4. *c.* 119. ubi de Lothario Imperatore. & de Friderico Imperatore tradit Acerbus Morena, *Hiſtor. Rerum Laudenſ. p.* 17. eum à Paſcali Pontifice primò quidem *Circulo aureô*: poſteà verò Coronâ Imperiali, coronatum fuiſſe. Sic *Circulum*, non *coronam*, Reginæ tribuit Autor *Chronici Montis Sereni A.* C. 1134. ubi Magnum Danorum Regem. Halberſtadii ab Imperatore *Circulum aureum* in ſignum delati Regni accepiſſe, ſcribit. *A.* C. 1154. ubi de

Suanone

Suenone Daciæ Rege & *A.* C. 1158. ubi de Bohemiæ Duce &c. Sed & *Circulis aureis* Auguſtas Occidentis, non coronis, uſas eſſe, diſcimus ex Arnoldo Lubecenſi, *l.* 6. *c.* 2. ubi de uxore Philippi Suevi Imperatoris. *Ibi quoque Regina, regio diademate, non tamen coronata, ſed circulata, proceſſit*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà, ubi de *Corona Ducali*; uti *de Circulis ludicris*, voce *Cricelaſia* it. *Petaurum* & *Trochus*. & de *Circulis aureis*, uti *de Inauribus laborum* voce *Labra*.

CIRCULI Ferrei, in pœnitentiam, ab Epiſcopis aut Presbyteris olim imponi ſoliti iis, qui enormia quædam crimina commiſerant, eoſque poſteà pœnitentiam acturi in brachiis induebant, nec deponebant, donec poſt multas peregrinationes ad Sanctorum ſepulchra & memorias miraculô aliquô ſolverentur, occurrunt apud varios Scriptores Communionis Romanæ, laudatos magnô numerô Carolo du Freſne *Gloſſar.* E quo unum hoc ſubjungatur ex *Libro Mirac.* S. Floriani & Florentii M S. *Conſuetudine antiquâ partibus interioris Franciæ uſque hodie mos inolevit, ut quiſquis propinquiorem ſibi parentem, gladiô jugulârit & poſteà pœnitentia ductus, ad Pontificem crimen admiſſi facinoris detulerit, ipſo decernente Pontifice ex ipſo gladio ferrei nexus componantur, & collum peccatoris, venter atque brachia ſtrictim innectantur ex ipſis ferreis vinculis ſicque de propria Patria & ſolo patrio pellatur: interim quouſque divina pietas eadem vincula ſolvi præcipiat, primum Romæ, dehinc per diverſa Sanctorum loca veniam criminis efflagitando peregre proficiſci cogatur, &c.*

CIRCULI Sanctorum, circa capita Conſtantii ac Conſtantis, Theodoſii item Junioris ac Placidii Valentiniani, in eorum nummis Conſularibus, conſpicui, & cum Conſulibus quoque communicati indigitabant, divinitatis ſpeciem quandam illos ſibi aſſerere, cùm nimbis ſeu claris nubibus Deos ſuos ita in picturis ac tabellis Gentiles olim ambirent. Hinc tam frequens *Divinitatis*, *Numinis*, ac *Æternitatis*, ab iis uſurpata vocabula atque epitheta, quibus Imperatorum Leges plenæ ſunt. Quæ tamen veniam aliquam mereantur in Auguſtis, quorum adeò ampla fuit poteſtas: ſi recentiorum Byzantinorum expendatur ambitio, qui hominum omnium vaniſſimi, ac omni facinorum genere contaminati, provinciis etiam cunctis fermè exuti, & intra Urbis mœnia paucorumque circumjacentium oppidorum limites coërciti, *Sanctos* ſeſe à ſubditis atque adeò ab ipſis Patriarchis Conſtantinopol. cæteriſque Pontificibus compellari voluerunt. Unde formula compellationis vulgata, *Δέσποτά μου ἅγιε*, *Domine mi ſancte*, quam obſervare eſt non ſemel in *Rationali* Peræquatorum, ſub Alexio Comneno exarato, Codino, Aliis. Contra quam Conſtantinus Magnus, qui *Sanctum* ſe vel *Divum* appellari, penitus renuit, apud Juvencum, *Hiſtor. Evangel. l.* 4. *extremo.*

Hæc mihi pax Chriſti tribuit, pax hæc mihi ſecli,
Quàm fovet indulgens terræ regnator apertæ
Conſtantinus, adeſt cui gratia digna merenti:
Qui ſolus Regum Sacrum ſibi nominis horret
Imponi pondus, quo juſtis dignior actis
Æternam capiat divina in ſecula vitam.

Jure proin Iſaacium Angelum ſuggillabat Fridericus I. Imperator ejus Legatos alloquens: *Dominus veſter Sanctum ſe appellat: mirabilis eſt ſanctitas quæ ſanctos viros, honeſtos, religioſos, benignè, utpote fideles nuntios, in oſcula Paris exceptos ---- ſubitò conſuevit incarcerare & fame ac nuditate uſque ad mortem macerare. Longè faciat à nobis Deus talem ſanctitatem*, apud Tagenonem Patavinum, laudatum Carolo du Freſne *in Diſſertatione de infer. ævi Numiſm. num.* 15. Vide quoque infrà, in voce *Nimbus*, item *Sanctiſſimi*, nec non ubi de *Pileo*.

CIRCUMCELLIONES, aliàs *Scotopitæ*, Donatiſtarum propago. Dicti ſunt ab eo, quòd domos, vicos, urbeſque obeuntes, ſe vindices publicos jactabant, datâ libertate ſervis, impunitate debitoribus alienis, &c. Primi illorum auctores fuêre, Maxidas & Faſer; & ab initio quidem baculos geſtabant, quos *baculos Iſraëlis* dixêre: dein omni armorum genere uſi ſunt, contra Orthodoxos: Donatus capita Sanctorum illos appellavit, eorum miniſteriô contra Chriſtianos uſus. Pſeudo-Martyrii acre deſiderium illos ad *αὐτοχειρίαν* adegit. Unde modò è rupibus in præceps ibant, modò ſe flammis immittebant, modò jugulum proprium petebant: eouſque inſaniæ provecti, ut ab illorum Epiſcopis ad hanc ſævitiam compeſcendam Magiſtratuum auctoritas fuerit implorata. Idem furor uxores illorum agitavit. Auguſtin. *Hær.* 69. Baron. *A.* C. 335. *Philaſtrius*, &c. Habitâſſe in Cellulis agreſtibus, & genus hominum agreſte ac famoſiſſimæ audaciæ fuiſſe, latrones etiam militibus magnô jure coërcendos, ex Auguſtino *contra Gaudent.* obſervat Leydeckerus *ad Georg. Hornii Hiſtor. Eccl.* Plura de iis apud Baronium *ad A.* C. 398. Spondanum *ad eund.* Alios: è quibus Spondanus illos, quòd Auguſtinum dicerent, ut ſeductorem & lapſum, occidendum, *quoties ad viſitandas plebes iret*, vias armatos obſediſſe, addit. *Circitores* vocat eos Philaſtrius in *Catal. Hær.* Sed & *Circumcelliones* dicti ſunt Papiæ, qui *παραμονάζοντες* in Cod. Canon Eccl. Afric. *c.* 93. *Κυκλαμεσοψευδόμοναχοι*, in *Synodica* Orientalium ad Theophilum Imperator. qui videl. ſub habitu Monachorum uſque quaque vagabantur, de quibus intelligendus *can.* 24 Synodi Trullanæ, & multis agit Hieronym. *Epiſt.* 22. laudati Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Vide quoque de illis Joan. Forbeſium *in Inſtructionibus Hiſtorico-Theologicis*, *l.* 14. *c.* 4. *num.* 4.

CIRCUMCISIO, ex ordinariis V. T. Sacramentis priùs, geminam habuit periodum: unam ab Abrahamo ad Moſen, alteram à Moſe uſque ad Chriſtum, Joan. *c.* 7. *v.* 22. in quarum illa fuerunt Eccleſiæ circumciſæ incunabula, in hac illius *ἀκμή*. Primus qui illam accepit, divinô juſſu, Abrahamus fuit, Gen. *c.* 17. *v.* 4. 5. 7. 11. 12. A. M. 2107. ante exitum Iſraëlitarum ex Ægypto annis 406. ætatis Abrahami annô 99. In qua prima ſua inſtitutione *Circumciſio* fuit Sacramentum domeſticum familiæ Abrahami: donec poſt quatuor ſecula, rejectis gentibus & emortuis piorum inter eas reliquiis, Eccleſia concluſa fuit inter Abramidas, ſicque Circumciſio facta eſt publicum totius Eccleſiæ illius temporis Sacramentum, à Moſe Judæis datum, Joann. *c.* 7. *v.* 22. à quo tempore nemo Eccleſiæ membrum eſſe poterat, niſi circumciſus, Exodi, *c.* 12. *v.* 48. Vide infrà quoque, ubi de *Proſelytis*. Adminiſter ejus quivis erat Paterfamiliâs, Gen. *c.* 17. *v.* 23. Inſtrumentum, culter lapideus, ſeu acutus, Exodi *c.* 4 *v.* 25. Illius legi ſubjecti omnes Iſraëlitæ mares, ſervique tum empti, tum vernæ, exceptis ſolùm mercenariis, Gen. *c.* 17. *v.* 26 & 27. Tempus, octavus à nativitate dies *Ibid.* *v.* 12. fortè, quia mater à partu recens, octo diebus impura erat, Levit. *c.* 12. *v.* 2. & 3. nec ſine dolore peragebatur, ad quem ſuſtinendum infanti aliquot dierum intervallô opus erat. Idque tempus adeò strictè obſervatum, ut diem anticipare omittereque nullâ causâ liceret. Sacramenti contemtori additâ exciſionis comminatione, Geneſ. *c.* 17. *v.* 14. Circumciſionem autem comitabatur nominis impoſitio, ut in circumciſione Iſaaci, Gen. *c.* 21. *v.* 3. 4. Joannis Baptiſtæ, Lucæ *c.* 1. *v.* 59. & Chriſti, Lucæ *c.* 2. *v.* 21. Cui accedebant etiam teſtes, Eſaiæ *c.* 8 *v.* 2. & Lucæ *c.* 2. *v.* 58. & 59. Vide quoque infrà *Compatres*. Quibus omnibus quid ſignificari voluerit Deus, vide apud Franc. Burmannum, *Synopſ. Theolog. Chriſt. Part. Prior. l.* 5. *p.* 6. § 20. *& ſeqq.* Verbô, Circumciſio obſignabat fœdus Dei cunctaque ejus beneficia, eratque ſigillum ejus à Deo traditum, quod durare debebat, uſque ad præſtitum in carne Meſſiam, ſub quo illud abrogandum, & Baptiſmus in ejus locum ſubſtituendus erat. Nempè ante adventum Chriſti, *Circumciſio* neceſſaria erat: poſt Chriſti adventum cœpit languere, per mortem ejus; mortua eſt & antiquata, poſt mortem Chriſti, quanquàm aliquandiu in Eccleſia uſurpata, propter infirmos, Baptiſmô veluti geminum ſigillum, paulatim tamen cœpit abrogari, primuſque Cornelius in præputio baptizatus eſt, Actor. *c.* 10. *v.* 44. 47. Quô tempore intermediô, quô illa aliquandiu retenta eſt, ut videl. pretioſiùs exſpirantis funus eſſet, magnâ fuit opus prudentiâ, ob Judæos Chriſtianos, qui patrii ritus tenaces, ejus abrogatione ſcandalum patiebantur. Poſt Templi verò deſtructionem, quô veluti velô ablatô Eccleſia plenè in libertatem aſſerta eſt, unà cum reliquo Templi apparatu, abolita & tandem mortifera facta eſt Circumciſio. Interim per cacozeliam apud varias nationes, pro luſtratione Græcis Romaniſque uſitata, luſtricô die, infantibus adhibita eſt. Quod inſtitutum divinum, ut corporis ſignaculum, Judæis primò proprium fuit, uti vidimus, qui *recutiti* hinc dic. ut ex Petronii *Satyr.* & Martial. *l.* 7. *Epigr.* 29. *v.* 5. patet, aliquando ab Adriano aliiſque ſublatum. Inde ad alias gentes tranſiit, aliquando ſimplici vice, aliquando iteratò adminiſtrata Circumciſio: Ad Samaritanos ſcil. in nomine columbæ *circumciſos*; Æthiopes, (qui *Circumciſionem* cum Baptiſmo conjungunt, ut ſic diſcernantur, tanquam filii credentis Abrahami, à cæteris nationibus) Ægyptios, Colchos, Phœnices, Troglodytas, Macrones, Edomitas, Ammonitaſque, quorum omnium meminêre, præter alios, Herodotus, *l.* 2 Diodor. Sic. *l.* 2. & 4. Strabo, *l.* 16. & 17. Arabes quoque per experimentum acquiſiverunt: Chriſtiani inſuper veteres & Epiſcopi quidam, ut adhuc *Κόφτοι* dicantur Ægyptii, vide Kircherum, *Prodom. Copt.* *c.* 1. Inter Hæreticos Ebionitæ quoque tenuêre. Sed nec apud Græcos & Romanos incognitam planè fuiſſe, ſuſpicio eſt. Dies octavus erat uti dictum, quia tum purgatæ erant puerperæ & unum tranſierat Sabbathum. Vide Cunæum *de Rep. Hebr.* Mahometanis (quibus ex civili potiùs, quàm religioſo inſtituto, inter Orientales populos celebrata *Circumciſio*, deinceps apoſtaſiæ Impoſtoris illius facta eſt Symbolum) octavus annus, Syris tertius decimus, aliis alius. Pars ſcindenda principium eſt genitalium ſeu *ἀκροβυστία* ערלה Hebræis, ſuperfluum luxurianſque (Magis totum corpus) ſignum, quod renaſci non poſſit. Aliæ tamen gentes iterum adducebant præputium, qua de re vide Thom. Bartholin. *Comm. de Morbis Bibl.* *c.* 26. & aliæ quædam novum fecerunt. Utriuſque diverſus modus diſquiritur fuſiùs. Maſculus Judæis, Ægyptiis etiam fœminæ clitoris, unde *Nymphas Ægyptias exſcindere*, dicit Galenus *Introduct.* & hodieque hoc in Ægypto ſervari, quia ea plerumque nimis excreſcat, teſtatur *Alpinus*. Illis verò lex, his honor, illi totam amputant pellem & reliquum unguibus abradunt; hi Arabeſque incidunt tantùm, ut iterum conſolidetur. Nec inſtrumenta unius generis ab omnibus adhibita: Teſta ſubinde & ſilex, ut in ſacris Cybeles, vide Plin. *l.* 35. *c.* 12. Novacula pleriſque, cujus incommoda prævidentes, alii forcipem maluerunt, alii bipennem. Catino autem inferebant & ad morbos ſervabant præputium. Miniſtri quivis: totumque actum conviviô clauſerunt Arabes, ſicut verò Judæi; nomina deni quoque imponebantur &c. Vide Thom. Bartholin. *de Puerperio Veter.* prætereque alios plurimos Cunæum inprimis *Opere cit. l.* 3. *c.* 5. Quod verò ſupra dictum, de *Circumciſione Judæorum* ab Imperatorib. ſublata, ſic habet Fuit illa legibus Domitiani, Nervæ, Hadriani, interdicta, Reſcriptô poſteà Divi Pii iterum permiſſa. Unde de Hadriano Spartian. *c.* 14. *moverunt eâ tempeſtate & Judæi bellum, quòd vetabantur mutilare genitalia.* Etſi enim magnum diſcrimen inter *ἀποτέμνειν* & *ἐκτέμνειν*, *circumcidere* & *caſtrare*; videtur tamen LL. Imperatorum prædictorum, quibus *εὐνουχία*, *i. e. marium evíratio*, vetita, etiam *circumciſioni* fibula eſſe impoſita, quod cùm impatientiſſimè ferrent aut potiùs cùm non ferrent, à Pio tandem auxiliarem legem impetrârunt. Modeſtinus *libro Regular.* *Circumcidere Judæis filios ſuos tantùm, reſcriptô Pii permittitur: in non ejuſdem Religionis qui hoc fecerit, caſtrantis pœna irrogatur.* Caſaubon. *ad Spartian. loc. cit. &c.* *Circumciſionis* à Joſua adminiſtratæ memoriam ſervat nummus vetuſtiſſimus, in Muſæo Kircheriano, de quo vide infrà voce *Semiſsidus*.

CIRCUMCISIO Domini, Feſtum ad Kal. Januar. ab Eccleſia celebratum, ut ſuperſtitioni Gentilium hôc die ſervens opponeretur, ut dictum ſuprà in *Cervula*, ex Auguſtino in *Pſalm.* 68. & Ambroſio, *Serm.* 2. *de Kal. Januar.* Proinde eô die *Alleluja* omiſſum, ex ordinatione Concilii Tolet. *c.* 10. munera quoque & ſtrenæ prohibitæ ſunt. Cumque ad imitationem Gentilium larvas quoque eôdem feſtô nonnulli Chriſtianorum ſumerent, increpat eos acriter Petrus Chryſologus, *Serm.* 155. &c. Vide Macrum *Hierolex.* Idem primum eſt ex VII. majoribus Coptitarum feſtis, quod illi celebrant die ſextô menſis *Bramo*, qui eſt Maii Juliani 31. quòd illô, utpote octavô à Nativitate Chriſti, Dominum circumciſum fuiſſe, ajunt. Joh. Seldenus, *de Synedriis*, *l.* 3. *c.* 15.

CIRCUMDUCENDI Urſos, aliaque animantia mos ſuperſtitioſus, damnatus *can.* 61. Synodi Trullan. Vide infrà voce *Minatores*, it. *Urſus*.

CIRCUMFORANEI, vide hîc paſſim *Agyrta*, *Charlatani*, *Circulator*, *Periodeuta*, *Pharmacopola*, *Propola*, *Tratanti*. At *Circumforaneæ hoſtiæ* dictæ olim hoſtiæ piaculares, quibus portentorum expiabantur minæ, & loca omnia adverſis Numinis iram minitantia lustrabantur. A *circumferendo*, quòd per plateas circumferrentur, uti diſcimus ex Apulejo, *Mileſia* 4. *Tandem pererratis plateis omnibus, & in modum eorum qui luſtralibus piamentis minas portentorum hoſtiis circumforaneis expiant, circumductum angulatim, forum ejuſque tribunal adſiſtimus.* Vide Deſid. Heraldum *Animadverſionib. ad Arnobium*, *l.* 6.

CIRCUMGYRATIO, in ſacris Turcarum, vide infrà *Gyrovagi*. Aliarum, hîc paſſim, inprimis voce *Orcheſtica*, & *Salii*, & *Sonanterum*.

CIRCUMITIO, vide ſuprà *Circuitores*.

CIRCUMLUSTRATOR, titulus Roman. Eccleſ. Archidiaconi peculiaris, qui etiam *Diaconus Perſcrutator* dicebatur, quòd ad illum totius cleri cura ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſervantia ſpectaret, apud Dominic. Macrum in *Hierolex.*

CIRCUMPEDES, apud Romanos, ſervi dicebantur, qui aliàs *Pediſequi*, *à Pedibus*, *ad Pedes*, quibus *Anteambulones* oppoſiti. Agrœcius de Orthogr. *Circumpedes ſunt obſequia ſervorum; Antepedes amicorum*, apud Salmaſ. *ad Pollionem in Claudio*, *c.* 14.

CIRCUMTEXTUM, Latinis idem, quod *prætextum* vel *præclavum*, item *prætextum* vel *prætexta*. Varroni *purpura circum*, Græcis περιϕερὴς πορφύρα ſeu περιπόρφυρον & recentioribus περίσημον, περιχάρακτος, παράσημον, παραγαύδιον &c. Cujuſmodi veſtium ornaturæ ſeu *circumtexturæ* aliæ latæ, aliæ rotundæ, aliæ ex veſtibus circa pendentes; rurſus aliæ monolores, aliæ trilores, tetralores, pentalores tunicas efficientes, quòd ſimplices, triplices, quadruplices, quintuplices eſſent, apud Scriptores, paſſim occurrunt. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano*, *c.* 46. & infrà paſſim, inprimis in vocibus, *Clavus*, *Lorum*, *Pannus*, *Prætexta* &c.

CIRCUMTONSI, olim fuêre non pueri ſolùm ingenui apud Græcos, ſed & omnes elegantiæ ſtudioſi, inprimis qui in gymnaſiis verſabantur, tam ſenes, quam juvenes. Unde Euripides in *Phœniſſis* longam comam non eſſe ex palæſtræ more dicit.

> Πλόκαμόν γάρ τοι ἁβρόν, ὦ παῖδες ὅπως
> Γοῦν ποτ' ἀνεῖσθε παλαιστρικόν.

Circumdare vel *circumradere capillum* id vocat Tertullian. *l. de cultu fœmin. Proprieſque præſtigias formæ & hoc ſexus ſibi agnoſcit, barbam acrius cædere, intervellere, circumradere, capillum diſponere, etiam colorare canitiem.* Accuratius idem hoc tonſuræ genus deſcribit, *l. de Pallio*, *c.* 4. *Unde — juxta cutem tonſor, & cultri vertex ſolum intonſus*, Nempe, verba ſunt Salmaſ. *ad h. l. hôc tondendi modo vertex intonſus & cultri immunis manebat, ſub vertice omnia circumtonſa ſtrictim & juxta cutem.* Quæ capillatura, ad inſtar coronæ, in orbem hôc modô attonſa erant, item σκάφιον, ipſum verò hoc tonſuræ genus σκαφοειδὲς dicebatur. Atque hôc habitu comarum ingenui & palæſtrici adoleſcentes ac juvenes in Comœdia introducebantur, cùm milites cæſariati eſſent, ut ex *Milite glorioſo* Plauti colligere eſt. Iidem σκαφίων dicebantur, quòd, quâ parte tondebantur, juxta cutem raſi eſſent: σκαφίον enim & περισκάφιον genus tonſuræ idem: quod cùm ex palæſtra & à Græcis ad Carthaginenſes tranſiiſſet; hinc Tertulliano invectivæ occaſio. Aliter radebantur Philoſophi, Stoici præſertim, qui totum caput, atque etiam verticem deraſum habebant, hinc ἐν χρῷ κουρίαι dicti: quod utrumque tonſuræ genus apertè *Euſtathius* diſtinguit, Κείρονται [illegible] ἐν χρῷ [illegible] Ἀλκαῖοι, οἱ [illegible] &c. Xyſticas munditias paulo pòſt Tertullianus vocat illud *circumtondendi* artificium, quò cùm uterentur ephebi Græci qui xyſto & palæſtræ operam dabant, uti dictum. Ariſtodemus Cumanorum Tyrannus, qui pueros puellarum habitu & muliebribus comis comtos, incedere volebat, puellas ephebôrum in morem *circumtonſas* atque ephebicis chlamydibus amictas juſſit &c; apud Plutarchum *de Mulierum Virtutibus*. Vide quoque infrà *Francs*, *Palæſtrici juvenes*.

CIRCUMVEHI, apud Virg. *l.* 3. *Georgic.* *v.* 264.

> *Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus,*
> *Singula dum capti circum vectamur amore.*

Et in Culice, vel Ceiri,

> —— —— circumvehar omnia verbis?

Ad verbum eſt περιηγεῖσθαι, *dicendo circumvehi*, & ſingula enarrare, ut illi ſolent, qui, ut omnia curioſè contemplentur, per ſingula eunt. Unde περιήγησις, exacta & moroſa deſcriptio, præcipuè locorum, ſed & rei cujuslibet. *Herodoto* namque phœnicis avis deſcriptio περιήγησις τοῦ φοίνικος· ἐς τὰ μάλιστα αἰετῷ περιήγησιν ὁμοιότατος καὶ μέγεθος. Ubi περιήγησις eſt *formæ deſcriptio*: Sed quia in ſingulari partium deſcriptione, non eſt ſimilis aquilæ phœnix, nam & de colore multùm diſſimiles; περιήγησις, eſt potiùs *formæ circumſcriptio*, quam *circumcæſuram* Latinè dicerimus. Lucret. *l.* 3. *v.* 220.

> *Extima membrorum circumcæſura tamen ſe*
> *Incolumem præſtat; nec defit corporis hilum.*

Et Arnob. *l.* 3. *At verò nos Deus parum eſt, quid ampliſſimi mentionem, ſibi & adorationis honorem: & quod indignius multo eſt, terrenorum corporum circumcæſurâ ſinxit.* Ubi *circumcæſura* magnitudinem ſpectat, ut περιήγησις in loco Herodoti. Unde περιηγεῖν eſt ζωγραφεῖν, *lineis circumſcribere*, ut Pictores ſolent, *formarum magnitudines*. *Heſych.* περιηγεῖ, ἐζωγράφει. περιηγὴς χιτών; *purpura circumtexta tunica*, ὁ περιπόρφυρος, περιηγής, *rotundus*, κυκλοτερής, in Parmenidis verſu, apud Stobæum, qui in *Phyſicis* ejus ait. περὶ [illegible] ſitus,

> Ἀλλ' ἥ γε πάντοθεν ἴσος ἑοῖ, ἐν πείρασι κύρει·
> Σφαῖρος, κυκλοτερὴς, μονίῃ περιηγέϊ γαίων.

Quem alii Empedocli tribuunt. Igitur *omnia latiùs dicendo circumvehi*, ἐν παντὶ ἐξ πλάτους περιηγεῖσθαι, nihil in dicendo omittere & circa patulum orbem morari, κύκλῳ λέγειν καὶ περιϊλλειν [illegible] τοῦ λόγου; cui opponitur, τὸ τέμνειν. Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 97. Vide quoque infrà *Periegeſis*.

CIRCUS, vide ſuprà *Accipiter*, it. infrà *Milvus*.

CIRCUS Maximus, locus in urbe Roma ampliſſimus ac pulcherrimus, ſpectaculis olim deſtinatus. Eum Tarquinius Priſcus non extruxit ſolùm ſed & exornavit, Liv. *l.* 1. *c.* 35. *Tum primùm Circo, qui nunc maximus dicitur, deſignatus locus eſt: loca diviſa Patribus Equitibuſque, ubi ſpectacula ſibi quiſque facerent; Fori appellati; ſpectavêre furcis duodenos ab terra ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes.* Aſ Dionyſ. *l.* 3. *Idem Tarquinius Priſcus in Circo Maximo, inter Palatinum & Aventinum montes ſito, primus circumquaque operta ſubſellia fecit. Nam antea ſtantes ſpectare ſolebant furcis tabulata ſuſtinentibus. Locos ſpectaculorum in* 30. *curias diſtribuit, ut Curialium quiſque ſpectaturus, ſuâ loci ſederet: quod opus & ipſum procedente tempore annumerandum erat, inter ſpectacula totius urbis pulcherrima. Longitudo ejus trium ſtadiorum cum dimidio, latitudo* 4. *jugerum, à duobus majoribus lateribus, & unâ minore, cingitur Euripo, qui aquas accipiat, decempedali profunditate ſimul ac latitudine. Poſt Euripum extructa ſunt triporticus; ima habent lapidea paulum ſcandentia ſedilia, ſuper duplici contignatione ſunt lignea, duas majores porticus tertia minor conjungit tranſverſim lunatâ ſpecie appoſita, ut ex tribus una conficiatur amphitheatralis* 8. *ſtadiorum amplitudine C. paſſ. centum quinquaginta millium hominum capax. Reliquum è minoribus latus, quod ſubdiale eſt, habet fornicatos carceres, unde equi emittuntur, omnes unô clauſi repagulô. Exterè ambit Circum ſimplex conclaſa porticus, habens officinas & ſuperne cellas, per quas ſpectatores intrant, & aſcendunt per officinas ſingulas, ut nulla confuſio oriatur inter tot hominum millia, tum venientia, tum diſcedentia.* Nomen an à *Circe*, quæ prima in honorem Solis ludicrum hîc agi ſolitum excogitavit, an à *circuitu*, quod rotundus eſſet, vel quòd *circum metas ferretur pompa*, vel quòd *circum ſpectacula ædificaretur*? Varro, *l.* 4. *de Ling. Lat.* Certè ut *Circum* Latini, ſic Græci Κύκλον, dixêre, nam, *Circus* eſt Κύκλος: adeoque; quòd circa metas in eo currerent equi, ſeptemque circulos facerent, inde *Circus* appellatus. *Apollonius* de loco Certaminis curulis,

> —— εἰς τέρμα πέλει ἀγῶνος,

Sed & ἀγὼν inde dictum Grammatici argutantur, quaſi ἀγώνιον, quòd rotundus & *ſine angulo* eſſet &c. Soli autem ſacer fuit, Corippus Africanus, *l.* 1. *num.* 17.

> *Solis honore novi grata ſpectacula Circi*
> *Antiqui ſanxêre Patres.*

At ludi, qui hîc celebrati, partim Neptuno, partim Cereri. Vide ſuprà in *Circenſes ludi*. Forma oblongiorem referebat *Circulum*, ovemque, quali & Amphitheatri forma, repræſentabat: Ni mallis fuiſſe ad inſtar *fundæ*, quæ in medio latior eſt, utrinque ſtrictior. Certè ſic dicta in Circo Conſtantinopolitano ultima meta eſt, Græcè σφενδόνη, quòd eâ parte Circus in anguſtias, ad inſtar fundæ, cogeretur. Quemadmodum Terrarum Orbem, qui ad Ortum & Occaſum in arctum ſtringitur, σφενδόνῃ [illegible] Dionyſius eſſe dixit. Unde *Circum claudi utrinque in teretem orbem*, ait Corippus. Et quidem pars Circi ubi metæ ultimæ, *ſuperior* dicta eſt, in quâ aræ tres, Saturni, Jovis & Martis, [illegible], ut habet *Jo. Lydus*, i. e. *ſupra obeliſcum*, qui ſtabat in medio: pars illa, ubi carceres, *inferior*, in qua aræ itidem tres, Veneris, Mercurii & Lunæ. Media verò pars, *Spina*, in qua ingens obeliſcus erectus ſtabat; *Infima* tandem dicta, in qua primæ metæ. Ulterius tribus porticibus triſtegis, ut dictum, cinctus, foſſis quoque circumdatus eſt & Euripis, quæ Nero ſuſtulit, habuitque ſuum podium & cancellos. Carceres item, & binos ordines oſtiorum, è quibus emittebantur quadrigæ, certantesque, qui *commiſſi* dicebantur. Statius, *Theb.* *l.* 6. *v.* 372.

> —— —— *Quiſnam iſte duo fideliſſime Phœbo,*
> *Nomina commiſit Deus in diſcrimine Reges?*

ex Homerico ξυϐλῆτες μάχην *Il.* ν. occaſione ſumptâ; fiebatque hæc *commiſſio* nominibus certantium in urnam conjectis atque inde à Prætore eductis. Virg. *l.* 5. *Æn.* *v.* 132.

> *Tum loca ſorte legunt.* —— ——

Claudian. *de* 6. *Honorii Conſul.* *v.* 5.

> —— —— *Campus ſolemnis & urna*
> *Luditur in morem.*

In Circo hoc, memorat porrò Tertullianus, Ova Caſtori: Delphinos Neptuno: Obeliſcum Soli: Euripum Cybeli: locum apud metas ſubterraneum Conſo: ædem quoque Murciæ, dicata, *l. de Spectaculis*. Cæterùm Carceres primùm ex topho, ligno que, dein ſub Claudio Imperatore ex marmore fuêre, qui idem metas inſigniores inauratas voluit: ſolum minio & chryſocolla ſtravit Caligula;

aum argentique ſcobe conſpergi mandavit Heliogabalus, dolens quòd non poſſet etiam electri. Et ne quis non ſederet mollius, non ſolùm Magiſtratibus ac honoratioribus tomentum, quod *circenſe* & *gnaphalium*, ſed & multitudini ſubſternebant, quòd è concaſis arundinibus factum, nomine propriò *Circenſe* dictum eſt. Ne quoque unus alteri moleſtus eſſet, cancellis ſedilia diſcernebantur. Exornabant quoque locum Deorum ſub Imperatorib. Ethnicis; Principum ſub Imperatorib. Chriſtianis (vide infrà *Lavratus*) imagines gypſeæ, ac ſpolia hoſtibus detracta: ſolebantque ſervi nuces & fractum cicer per illum clamando circumferre, ac in cortinis aquam portare, quam eſurienti ſitientique plebi vendebant. Sub Circo in cellis meretriſque impudicæ proſtabant fœminæ, & res furtò ablatæ vendebantur: unde Horatio, *l.* 2. *Sat.* 6. *v.* 113. *Circus fallax* dictus eſt, &c. Nec priſca ſolùm Roma ſuos *Circos* habuit, ſed & nova, Conſtantinopolis videl. Mediolanum item, aliæque urbes, ad Romæ imitationem. Sed *Circi* Conſtantinopolitani & Romani; ut & Romani, ac Olympiaci veteris, ad cujus exemplum Romanus Circus inſtitutus eſt, ratio non in omnibus eadem fuit, uti docet Salmaſ. *ad Solin.* p. 901. *&* 902. quem vide: Plura verò hanc in rem, apud Joann. Roſin. *Antiqq. Rom.* *l.* 5. *c.* 4. & Thom. Dempſter. *in Paralipom.* nec non, in voce *Circus* Inprimis verò apud præfatum Salmaſ. *d. l. paſſim*, Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 6. *c.* 15. ubi de [illegible], *Circenſibuſque Olympicis* pluribus agit, ut & hic in vocibus, *Agon*, *Balbis*, *Carceres*, *Circenſes*, *Creta*, *Euripus*, *Herma* [illegible], *Meta*, *Miliaria*, *Miſſus*, *Oſtia*, *Ova*, *Panicus*, *Proceſſio*, *&c.*

CIR HARESETH, i. e. *murus lateris*, urbs Moab.

CIRIADA, vicus Atticæ.

CIRICSETUM, vox Saxonica, h. e. *Eccleſiæ frumen*, aliis *primitiæ ſeminum*, vectigal fuit Eccleſiaſticum, quod Britones Angliqque, ſecundùm veterem Moſis legem *primitiarum* nomine, quotannis, in Feſto S. Martini, pendere tenebantur, ſub pœna 60. ſolidorum, & decupli perſolvendi. Vide Fletam, *l.* 1. *c.* 47. §. 27. *LL.* Inæ Regis Weſtſaxon. *c.* 4. *LL.* Henrici I. *c.* 11. Ingulfum, *p.* 894. Radulfum de Diceto, *A. C.* 1032. Wilhelm. Malmesbur. *de Geſt. Angl. l.* 2. *c.* 11. & Florentium Wigorn. p. 621. laudatos Car. du Freſne *in Gloſſar.*

CIRILUM, oppid. Calabriæ inferioris.

CIRIS, dicitur Scylla, Niſi Regis filia, in avem Cirim transformata. Ovid. *l.* 8. *Met.* v. 151.

> ----- *In avem mutata vocatur*
> *Ciris, & à tonſo eſt hoc nomen adepta capillo.*

A'πὸ τ͂ κείρειν à *tondendo* ſcilicet. *Cirin* autem *alaudam* interpretes exponunt, *Ciphum Geſnerus*. Duo verò *Scaligeri* eam avem faciunt, quæ vulgo *Egretta* vocatur, Galli Taurini *Garzeta*. Vide ſis ipſos, Patrem quidem *Exoter. Exercit.* 232. & ad Ariſtot. *de Hiſt. Animal. l.* 2. *Sect.* 29. Filium vero ad *Carm. Virgilianum*, quod *Ciris* vocatur, niſi Catullus ejus poëmatis ſit author. *Nic. Lloydius.*

CIRIS, meliùs *Siris*, Lucaniæ fluv. trans Apenninum. Nunc *Sino*, in provinc. Capitanatæ. Oritur ex Apennino, & paulo infra Turſiam urbem in ſinum Tarentinum ſe exonerat. Ad ejus oſtia fuit etiam antiquitus oppid. *Siris*, ubi nunc turris S. Baſilii.

CIRNA, Africæ propriæ mons. *Ptol.*

CIRNI, vide Cyrni.

CIROLA, Epiſcopus Arrianus, in Africa, Hunderici favore nixus, Orthodoxos crudeliſſimè perſecutus eſt. Titulum Patriarchæ ſibi ab hiſce negatum verberibus, ademtione bonorum, ſævitiàque incredibili ultus: aliquem pecuniâ ſubornavit, ut cæcitatem mentitus, tactu ejus, uſum recepiſſe ſe diceret, ſed miſer non fictâ cæcitate divinitus punitus eſt. Victor Utic. *l.* 2. *&* 3. *de perſ. Van.* Gregor. Turonenſ. *Hiſt. l.* 2. *c.* 3. Æn. Gazæus, *de immort. animæ.* Marcellin. *in Chron.* Procopius, *de bello Vandal. l.* 1. Gregor. *dial.* 32. *l.* 3. Iſidor. *Hiſt. Vand.* Baronius *A. C.* 484.

CIRPHIS, urbs Phocidis, *Strabo*. Lege *mons*, ſic enim vocabatur [illegible] Parnaſſo adjacens, teſte Pindari *Scholiaſte*.

CIRPI, manſio in Pannonia.

CIRPIS, Valeriæ Ripenſis urbs. *Lib. Notit.*

CIRRATÆ militares, apud Jul. Capitolin. *in Pertinace*, *c.* 8. aut intelliguntur fimbriatæ aut villoſæ, & hirtæ. *Cirri* enim fimbrias ſignificant, per extremam veſtis oram dependentes: unde *Tunica cirrata*, Phædro Auguſti liberto, in jocis, *l.* 2. *Fab.* 2. *v.* 12.

> *Ex alticinctis, unus atrienſibus,*
> *Cui tunica ab humeris linteo Pelusio*
> *Erat deſtricta, cirris dependentibus.*

Ubi tunicam intelligit non aliam quàm fimbriatam: cujuſmodi linteis ſuccincti Atrienſes erant & lautiora miniſteria. [illegible] & [illegible] Græci dixêre, ut videre eſt apud Arrian. in *Periplo maris Erythræi*: unde [illegible], *veſtes fimbriatæ* vel *cirratæ*. *Cirros* enim [illegible] interpretatur vetus *Magiſter*. Sed & *cirratas* poſſumus *villoſas* interpretari, Græc. [illegible] & [illegible]. *Veteres Gloſſæ* [illegible], *cirra*, *villus*: [illegible], *villoſus*. Hinc *veſtes bicirres*, quæ ab utraque parte *cirros* habebant ac villos, & [illegible] hirtæ villoſæque, &c. Verùm *Cirratas militares l. c.* ſatius eſt accipere fimbriatas: tales enim lacernæ militum ac pænulæ erant; lineæ quoque militares non aliæ. Ut autem *cirros* pro veſtium fimbriis & extremis oris, ſic contrà *fibras* vel *fimbrias*, pro capillorum *cirris* dixêre. Cicero *in Gabinium pubrica cirrorum madentes*. Ubi Servius legit *fibras*: *fibras* enim Latini veteres dixêre, quidquid eſſet extremum aut in extremitate poſitum &c. Salmaſ. *Notis ad Jul. Capitolin. loc. cit.* de *Cirris* Germanorum vide ſuprà in *Cimbaris*, & hic infrà.

CIRRHA, vel CYRRHA, oppid. Phocidis ad radicem Parnaſſi, in quo Apollo religioſiſſimè colebatur. Lucan. *l.* 3. *v.* 172.

> *Phocaicas Amphiſſa manus, ſcopuloſaque Cyrrha.*

Martial. ad Val. Flaccum, *l.* 1. *Epigr.* 77. *v.* 11.

> *Quid tibi cum Cyrrhâ? quid cum Permeſſidos undâ?*

Juvenal. *Sat.* 7. *v.* 63.

> *Qua locus ingenio, niſi cum ſe carmine ſolo*
> *Vexant, & dominis Cyrrha Nyſaque feruntur.*

I. e. Apollini & Baccho. Sita eſt in ora ſinus Corinthiaci, qui hinc Sinus Cirrhæus, nunc *Golfo di Lepanto*. 30 milliar. ab ora prope Peloponneſi in Boream. *Baudrand.* Delphis ſtadia 30. diſtabat. *Moſchopulus*, [illegible] quod in verbarum ſubduxit Harpocrationi. Plin. *l.* 4. *c.* 3. *Ultra Cirrham Phocidos campi, oppidum Cirrha, portus Chalæon, à quo VII. millia paſſuum introrſus liberum oppidum Delphi, ſub monte Parnaſſo, clariſſimum terris oraculo Apollinis.* De quo Oraculo, quia in Cyrrha monte os antri fatidici, vide Lutatium *ad Statium*, *Theb. l.* 7. *v.* 333. *Phœbados antrum* vocat alibi Scholiaſtes, *unde hauſto afflatu docebant futura.* Hinc Lucan. *l.* 5. *v.* 95.

> *Totius pars magna Jovis Cirrhæa per antra*
> *Exit.* ----- ----- -----

Fuit porrò Delphorum navale, *Cyrrha*, ab Delphis 60 ſtadiis diſſeretum, uti refert Pauſan. *l.* 1. Quò pactò autem fluviò averſò & helleboro infectò reſtitutòque Cirrhæi ſubjugati ab eiſdem fuerint, docet idem, *l.* 10. Vide Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Papinium Statium*, *Theb. l.* 2. *v.* 63.

> ----- ----- ----- *Jamque ardua Cirrha,*
> *Pollutamque ſuo deſpectat Phocida luſtro.*

Et, *Theb. l.* 3. *v.* 473.

CIRRHADIA, Indiæ extra Gangem regio. *Ptol.*

CIRRHÆI, gentes olim prope Athenas habitantes, unde *campus Cirrhæus*. Æſchines *contra Cteſiphontem*.

CIRRHUM, vide *Cyrrhus*.

CIRRI, apud Juvenal. *Sat.* 13. *v.* 165.

> *Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam*
> *Cæſariem, & madido torquentem cornua cirro?*

Et Tertullian. *de Virgin. vel. Debebunt & ipſi aliqua inſignia ſibi defendere, aut pennas Garamantum, aut ſtrupulos Barbarorum, aut cicadas Athenienſium, aut cirros Germanorum*, non ſunt capilli criſpi, qui rectæ comæ opponuntur, ſed nodi crinium, cincinni, [illegible]. Græcum eſt [illegible], quò nomine durities omnem nodoſam ſignificant, aut durum tumorem: inde Æolicè [illegible], & Latinè *Cirrus*. Unde *Cirri Germanorum*, crines in nodum torti & coacti aliter torti crines Æthiopum, qui naturâ criſpi implexi flexique ac veluti nodati; quam ob rem & *cirros* de hujuſmodi etiam crinibus uſurpârunt; quemadmodum & *cirros ſepiæ ac polypi* dicunt, quas Græci [illegible]. Niſi malis vocem deducere, à [illegible] vel [illegible], quô nomine *capillum in vertice* notant Græci: quorum aliqui ſuperciliorum, alii temporum eſſe volunt. Inde *cirri*, crines in verticem nodò ſubſtricti; in plurimum enim verticis crines [illegible] & contorti eſſe ſolent: Et porrò, pro cincinnis & implexis capillis, ſeu extremitate crinium, quæ naturaliter implexa in ſe reflectitur. Sed & in capillis nodò ſubſtrictis, ac etiam Germanorum, extremitas implexa & cirrata eſt: quare vox propriè de Germanorum crinibus uſurpata. Idem verò *cirrus* in pueris Græcorum quoque, quibus hic nodò collectus crinis [illegible] dicebatur & [illegible]. Ut & in pueris pueliſque Romanorum, unde *Cirrati pueri & puellæ*, quòd nodò religatam in vertice comam haberent. Horat. *Epod. od.* 11. *v. ult.*

> ----- ----- *aut puellæ candidæ*,
> *Aut teretis pueri longam renodantis comam.*

I. e. virginis cirratæ, & pueri cirrati. Ammianus, *Et licet quocunque oculos flexeris, fœminas affatim multas ſpectare cirratas, quibus, ſi nupſiſſent, per ætatem ter jam nixus poterat ſuppetere liberorum.* Vide quoque Tertullian. *d. l.* Tales enim virgines erant, at mulieres cum crinibus, iiſque à fronte diviſis, ut ſuprà diximus, ubi de *Capillo*. Accuratius concamulatio hæc crinium, apud Græcos, in viris [illegible], in virginibus [illegible] & [illegible], in pueris [illegible] dicebatur, *Heſych.* Hinc verò *Cirri* in veſtibus, villi ſcil. plures in nodum collecti & ad extremitate veſtis deſcendentes, Gall. *Houpes*: qui in hoc à fimbriis, Gall. *franges*, differunt, quòd villi hi recti ſunt ac diſcriminati, circa extremas veſtium oras, nullò nodò conſtricti &c. Salmaſ. *ad Solin.* p. 762. *&* 763.

CIRTHA, vel CIRTA, Numidiæ urbs, Plin. *l.* 5. *c.* 3. *Ptol.* Strabo, *l.* 7. munitiſſimam fuiſſe ait, & optimè ſtructam, Micipſæ potiſſimum operâ, qui Græcos in eam habitatum deduxit, ac tantum effecit, ut decem equitum millia, & peditum viginti emitteret. Hodiè *Conſtantina*. In Algeriæ regno, juxta Ampſagam fluv 6. milliar. ab ora maris Mediterranei, 70. à Cullo in Auſtrum totius illius tractus nunc regis & Principis ſedes. *Baudrand.* Hic Adherbal, Micipſæ fil. à Jugurtha occiſus, Salluſt. *Bell. Jugurth. c.* 21. 26. Sedes fuit ſub Chriſtianis Epiſcopalis. Ibi concilium, A. C. 303. contra illos, qui Gentilibus libros ſacros comburendos tradiderunt. Vide Auguſtin. *l.* 3. *contra Creſcon. c.* 26. Optat. *l.* 1. *contra Parm.* Deìn, A. C. 412. Vide Auguſtin. *ep.* 152.

CIRTISA ſeu CERTISSA *Brirtio*, aliiſque eſt caſtrum *Cernick*. in colle, juxta amnem cognominem inter Gradiſchiam & Poſegam, Urbes recentes in Sclavonia, 7. milliar à Savo fluv. in Boream. Aliis eſt vicus *Ezech*, inter Poſegam & Savum. Sub Turcis.

CIRVELLUS Petrus, vide *Petrus*.

CIS, filius Abel, pater Saulis Regis. 1. Sam. c. 9. v. 1. Latin. *durus*, aut *ſtipula*, vel *cucumerarium*. Α'ρις οὐ γυλονὸς, ἡ ἀγαθὸς δὲ ἄθ- dicitur Joſepho, *l. 6. Jud. Ant. c. 5.*

CISA, fluvius Galliæ, quem *prope caſtrum Bleſenſe Ligeri confluere*, ſcribit auctor *Vitæ Ludovici Pii Imperator.* hodie forſan *le Conſſon*, qui in ſiniſtrum Ligerim contra caſtrum Bleſenſe influit. Aliud eſt eſt *Cuſilla* amnis: item *Sicera*, vulgò *la Ciſſe*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Sicera* & infrà in *Cuſilla*.

CISALPINA Gallia, quæ & *citerior*, & *Gallia Togata* dicitur, fluviô Rubicone finitur, cujus baſin Alpes efficiunt.

CISAMUS, urbs Cretæ. *Ptol. Chiſamo*, vel *Chiſamopoli.* Nunc caſtrum in ora Boreali Inſul. verſùs Occaſum, prope Cimarum promontor. quod *Capo Chiſamo* dicitur. 10. milliar. in Occaſum, à Cimo promontor. & totidem à Celio promontor. *Capo Baſo* dicto.

CISAPENNINA, ea Italiæ pars, quæ cis Apenninum montem eſt.

CISARA, urbs ſic dicta, à *Ciſa* Dea in *Norici* finibus, ubi duo rapidiſſimi amnes confluunt, Colonia Romanorum. An legendum *Ciſa Ara?*

CISERUSSA, inſula non longè à Cnido diſtans, cujus meminit Plin. in deſcriptione inſularum ante Aſiam, *l. 5. c. 31.*

CISIA, mater Memnonis, à qua Suſorum cives *Ciſii* dicti. *Stephan.*

CISIANTHI, populi Scythiæ vicini. Plin. *l. 6. c. 13.* Scribitur & *Cicianthi.*

CISIPADES, Africæ propriæ populi. Plin. *l. 5. c. 4.*

CISIUM, vehiculi biroti genus fuit, ut & carpentum. Ejus meminit Auſonius, *Ep. 14. ad Paulum*, quando is Amico cuidam ſeni & à morbo reſurgenti, ſcribens, monet, *Ciſiô & veredo tarde vehatur, rhedas, petorrita & equorum veloces motus fugiat*: cum ait, *v. 11.*

> *Pelle ſoporiferi ſemnum, nubemque veterni:*
> *Atque alacri mediam carpe vigore viam.*
> *Sed Ciſium, aut pigrum cautus conſcende veredum,*
> *Non tibi ſit rheda, non amor acris equi &c.*

Hinc *Ciſiarii*, quorum mentio, *l. 13. ff. locat.* Vide Pignorium *Com. de Serv.* & Hieron. Mercurialem, *de Arte Gymnaſt. l. 4. c. 10.*

CISOMAGUS, locus Galliæ, ad Carum flumen vulgò *Chiſſeau*: ejus meminit Gregor. Turonenſ. *Hiſt. Franc. l. 10. c. ult.*

CISON, vel **KISHON**, torrens Galilææ juxta montem Thabor; ab antiquitate laudatus. Judic. c. 4. v. 7.

CISORI, populi, de quibus Plin. *l. 6. c. 30.*

CISPII, Æthiopiæ populi. Plin. *ibid.*

CISPIUS, mons Romæ in regione Exquilina, de nomine *Ciſpii* hominis dictus, teſte *Feſtô*. Varro, *l. 4. de L. L. Exquilinum eſt Ciſpius mons ſexticeps apud ædem Junonis Lucinæ*: unus à collibus montis Eſquilini Romæ reliqui ſunt Oppius ac Septimius, teſte Varrone, *loc. cit.* De hoc Feſtus ex eodem *rer. hum. l. 8. Oppius*, inquit, *appellatus eſt ab Opita Oppio Tuſculano, qui cum præſidio Tuſculanorum miſſus ad Romam tuendam, dum Tullus Hoſtilius Vejos oppugnaret, conſederat in Carinis, & ibi caſtra habuerat. Similiter Ciſpium, à Lævo Ciſpio Anagnino, qui ejuſdem rei causâ eam partem Eſquiliarum, quæ jacet ad vicum Patricium verſus, in qua regione eſt ædes Mephitis, tutus eſt.* Meminit ejuſdem A. Gellius, *Noct. Attic. l. 15. c. 1.*

CISSA, fluv. Ponti Cappadocici. *Ptol.* vulgò *Quiſa.* Item inſula juxta Iſtrorum agrum. Plin. *l. 3. c. 26.* Item urbs Thraciæ Cherſoneſi.

CISSANUS Cous, gregibus pecuariis ſupra modum dives, unde Proverb. *Ciſſanus Cous.*

CISSE, Mauritaniæ Cæſarienſis urbs. *Ptol.*

CISSENE, Thraciæ mons. *Suidas.*

CISSEUS, Thraciæ Rex, pater Hecubæ, quæ inde *Ciſſeis* dicta. Virg *l. 7. Æn. v. 320.*

> —— *Nec face tantùm*
> *Ciſſeïs prægnans ignes enixa jugales.*

CISSI, populi circa Trapezuntem Cappadociæ. *Ptol.* Supra Babylonem *Dionyſio Afro*, ubi tamen ejus interpres Avienus *Coſſi* legit, fortè rectius. Sunt forſan *Ciſſæi* apud Val. Flacc. *l. 6.*

CISSIDES, alter Dionyſii Dux, in 9. triremibus Lacedæmoniis ſubſidio miſſis, ab Iphicrate & Timotheo interceptus. Diodor. Sic. *l. 15.*

CISSII, vel **CISII**, vide *Suſa*.

CISSUS, adoleſcens erat, & Bacchi ſaltator, qui, quum coram Deo tripudiaret, ad terram prolapſus eſt & interiit. Terra autem in honorem Bacchi hederam produxit juveni cognominem, quæ, ubi ex terra progreſſa eſt, vitem amplecti ſolet. Autor Geoponicûn, *l. 11. c. 30.*

CISSUS, mons Macedoniæ, & urbs Thraciæ. *Lycophron, Heſychius.*

CISSUSA, fons ubi Bacchus infans lavabatur. Plut. *in Lyſandro.*

CISSYBIUM, Græcè *κισσύβιον*, inter pocula menſaria apud Græcos, quod *hedera* ambibat, Græcè *κισσὸς*, unde nomen. Fuit autem adeò vernaculum, ut factum fuerit *ἀγροικικὸν ποτήριον*, *agreſte* ſeu *agricolarum calix*. Vide Etymologum in voce *Κισσύβιον*. Certè multus olim hederæ in convivis uſus, neque homines ſolùm eâ coronati, ſed & pocula illâ cincta, imò quædam planè hederacea fuêre. Hinc Hercules apud Euripidem, *Alceſt. Actu 4.*

> *Ποτήριον δ' ἐν χείρεσσι κίσσινον λαβὼν,*
> *Πίνει μελαίνης μητρὸς εὔζωρον μέθυ.*
> *Poculum verò in manibus hederaceum accipiens,*
> *Bibit nigræ matris purum vinum.*

Et apud eundem, *Cycl. Act. 3.* ſcyphus Cyclopis *κίσσινος*, *hederaceus* eſt, latus tres ulnas & profundus quatuor &c. Vide Car. Paſchalium, *Coronar. l. 2. c. 17.* & infrà, ubi de *Hedera*. Becmannus hôc poculi genere vinum explorari conſueviſſe ait, an eſſet permixtum aquâ, in *Origin. L. L.* At vas hederaceum non continere vinum, traditur apud Catonem, *de R. R. c. 111.*

CISTA, à *κίστη*, quod in ea aliquid *reponatur*, in ſacris Gentilium, ut in Cybelæ myſteriis, Bacchi orgiis, Cereris initiis, paſſim occurrit, ut in qua myſteria abſcondita jacebant. Inprimis celebris olim de *vimine Ciſta*, in qua

> *Pallas Erichthonium, prolem ſine matre creatam,*
> *Clauſerat ——*
> *Virginibuſque tribus gemino de Cecrope natis*
> *Servandam dederat ſed enim inconfeſſa quid eſſet;*
> *Et legem dederat, ſua ne ſecreta viderent,*

apud Ovidium, *Metam. l. 2. v. 553.* ubi, è tribus ſororibus Aglauros ac Herſe ciſtam reſignant, *v. 561.*

> *Infantemque vident exporrectumque draconem:*

Pandroſus ſola fidem ſervat hincque Minervæ conjugium Athenis templum nanciſcitur. Quò facit Cretenſium numiſma, in quo ſerpens ciſtulam vimineam ſemiapertam ingreditur, apud Joh. Marſhamum *Canone Chron. Sec. IX.* & nummus, quem percuſſit *Κοινὸν Μακεδόνων νεωκόρων*, in honorem Alexandri, ubi Serpens viſitur exporrectus in ciſta itidem ſemiaperta, apud Goltzium *Tab. 34.* Sed & in Bacchicis ſacris non modò *ciſtulæ* verùm etiam ſerpentes. Sic enim Bacchantium:

> *Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant,*
> *Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis,*

apud Catullum *Epithalam. Thet. Epigr. 65. v. 258.* Hinc inter ſymbola Sacrorum Eleuſiniorum *ciſta* quoque, apud Clementem, ubi totam hanc illorum ſcenam pluribus traducit: *Ipſa denique ſymbola, quæ rogati ſacrorum in acceptionibus reſpondent: jejunavi atque ebibi cyceonem, ex ciſta ſumpſi & in calathum miſi: accepi rurſus, et ciſtulam tranſtuli &c.* Porro & *ciſtæ* adhibitæ, in quibus ſervarentur ſacrificio neceſſaria: quas ſertis redimitas & coronatas fuiſſe, conſtat ex Euripide, *Ion. Actu 5.*

> *Ὁρᾷς τόδ' ἄγγος ὑπ' ἀγκάλαις ἐμαῖς;*
> *Ἴων. ὁρῶ παλαιὸν ἀντίπηγ' ἐν στέμμασι.*
> *Vides hanc ciſtam ſub brachio meo?*
> *I. Video antiquam arcam ſertis implicatam & floribus.*

Sic Tibullus ſe & caniſtra (quod ſuprà vide) coronat myrtô, *l. 1. El. 10. v. 27.*

> *Hanc puro cum veſte ſequar, myrtoque caniſtra*
> *Vincta geram —— ——*

Et Ovid. *l. 2. Met. v. 711.*

> *Illâ fortè die caſtæ de more puellæ,*
> *Vertice ſuppoſito feſtas in Palladis arces*
> *Pura coronatis portabant ſacra caniſtris.*

Vide Paſchalium ubi ſuprà, *l. 4. c. 19.* & infrà *Ciſtophori*, *Nyctelia* &c. Porrò in *ciſtis* panis cibuſque delatus, ut videbimus voce *Sitarcha*: Etiam in *ciſtas* ſuffragiorum tabellæ miſſæ, vide infrà *Sitella* &c. Quænam verò *ciſtarum* materia optima ſit, docet Plin. *l. 16. c. 40. Leviſſima ex his ficus & ſalix, ideò utiliſſima. Omnes autem etiam ad ciſtas quæque flexili crate tonſiat. Habent & candorem rigoremque & in ſculpturis facilitatem.*

CISTENA, urbs Æolidis. Mela, *l. 1. c. 18.* *Ciſthene* Plinio, *l. 5. c. 30.* Inſula item & oppid. Lyciæ. *Strabo.*

CISTERNA, Græcè *Δεξαμενή*: *receptaculum*, ſcil. aquarum, quam ab *Ὑδρεία* diſtinguit his verbis Strabo, *l. 17. Νυνὶ δὲ καὶ ὑδρεῖα κατεσκευάσαντο ὀρύξαντες πολὺ βάθος, καὶ ἐκ τῶν ὑετίων ὑδάτων ὅσαι ἀσκεῖν ὑπὸ δεξαμενὰς πεποίηνται.* *Nunc autem & hydrea ſeu aquaria fecerunt, profundè fodientes & pro aquis cœleſtibus, quamvis raris, ciſternas.* De illis ſic Plin. *l. 36. c. 23.* Et *Ciſternas* *harena pura & aſpera quinque partibus, calcis quam vehementiſſima duabus conſtrui convenit, fragmentis ſilicis non excedentibus libras. Ita ferratis vectibus calcari ſolum, parieteſque, ſimiliter. Utilius geminas eſſe, ut in priore vitia conſidant aquæ, atque per colum in proximam tranſeat maximè pura aqua.* Earum tectorium *λάκκον* dictum eſſe Græcis recentioribus, diſcimus ex Salmaſio, *ad Solin. p. 1099.* *Faviſſas* vocat locum, *in quo aqua erat incluſa circa Templa*, apud Paulum *Feſtus*: quæ propriè *Ciſterna*. Sed & infrà terram *Ciſterna*: Ideò & ſubterraneum locum, ut erant theſauri Templorum & faviſſæ, fortè quod ad illud inſtar ſtructæ eſſent, *Ciſternam* appellârunt. Paulus *Ciſterna dicta, quod cis ſit infra terram.* Gloſſæ, *ciſterna, λάκκος*: Græcis propriè fovea vel puteus ad concipiendam aquam & retinendam in terra cavatus ac munitus. Unde, quas Varro *Ciſternas* vocat, *cellas* nempe & faviſſas *in Capitolio, ubi repoſita erant ſigna ea quæ in Templo vetuſtate erant facta inutilia*, apud Paulum *Ciſternæ ſimiliter* dicuntur. Vide infrà in voce *Faviſſæ*, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *d. l. p. 1210.*

CISTERNA Bethlehem, fons circa portam Bethlehem aquæ perennis, in tribu Juda.

CISTHENE, *Κισθήνη*, Inſularum Lyciæ maxima, apud *Strabonem*, ubi de Lycia: Sed *Μεγίστη* legendum, docet idem Salmaſ. ubi ſuprà, *p. 785.*

CISTERO, urbs Epiſcopalis Galliæ Narbonenſis, antiqua admodùm, Latin. *Siſtero, Siſtaricum, Sequeſtero, Segeſtero* & *Segeſtero. Itiner.* Antonin. *Tabul. Peutinger.* Olim Comitatus, hodie una ex Provinciæ præcipuis, cum ſortalitio & ſede Seneſchalli, ab A. C. 1635. Ducheſnius, *rech. des antiq. des villes.* Bouch. *Hiſt. Prov.* Columbi, *in Ep. Siſt.* Vide *Segeſterorum urbs.*

CISTERTIUM, ſeu **CISTERCIUM**, in territorio Divionenſi, 5. leuc. à Divione in Auſtrum, totidem à Belna. 2. ab Arari fluv. & à Fano S. Joannis de Ladona. *Baudrand.* In finibus Æduorum, ſeu in Diœceſi Cabillonenſi pagoque Belnenſi, locô nemoroſô ac ſilveſtri: lacubuſque ac fontibus abundante. Nomen Latinum eſt *Cyſtella*, Hadr. Valeſ. Hic Abbatia regularis celeberrima, cujus Abbas eſt Præpoſitus Generalis totius Ordinis Ciſtercienſis, qui inſtitutus eſt, A. C. 1098. à Roberto Abbate Moliſmenſi, in diœceſi Lingonenſi, eoque auctoritate excrevit, ut intra ſeculum in ſpiritualibus & ſecularibus fermè toti Europæ leges daret. Sigeb. *in Chron.* Gall. Chr. *tom.* 4. *p.* 974. Miræus, *de Rel. l.* 5. Vulgò *Ciſteaux*, vel *Cıteaux*. Ejus propagines ſunt Firmitas, Pontiniacum in pago Autiſſiodor. quod A. C. 1114. ſtatutum eſt, Clara Vallis, Morimundus in finibus Lingonum.

CISTOBOCI, Daciæ populi. *Ptol.*

CISTOPHORI, ſeu **CISTIFERI**, apud Martialem, *l.* 5. *Epigr.* 17. *v.* 3.

> *Dum te poſſe negas, niſi lato, Gellia, clavo,*
> *Nubere, nupſiſti, Gellia, ciſtifero:*

Dicti ſunt abjectiſſimi Cybeles ſacrificuli, qui *Ciſtulam*, in qua religionis Iſiacæ arcana recondita jacebant, ferre ſolebant, vide ſuprà in voce *Ciſta* & plura hanc in rem, apud Hadr. Turnebum, *Adverſarior. l.* 3. *c.* 21. & Baptiſtam Pium *Annotat. prior.* Calderinus tamen de Judæo intelligit,

> ——— ——— *cui cophinus fœnumque ſupellex.*

Hinc *Ciſtophori*, in *l. Publ.* §. *Titius ff. depoſiti*, monetæ genus Aſiaticæ, quòd in illis *Ciſtiferi*, qui ſacrorum myſterioſorum ciſtis incluſorum arcana geſtabant, ſculpti eſſent, dicti. Horum ſeptem cum ſemiſſe, quatuor denarios Romanos valuiſſe, *Feſtus* ait. Vide Cœl. Rhodig. *Antiqq. Lection. l.* 11. *c.* 2. & Hadr. Turnebum, *Adverſarior. l.* 3. *c.* 5. Mentio & eorum apud Livium frequens, vide *l.* 37. *c.* 46. & 58. *l.* 39. *c.* 7.

CITADELLA, oppid. agri Patavini, occupatum à Solimanno, irruptione in Italiam factâ, A. C. 1532. Hujus civis erat miſer ille Franciſcus Spiera, qui ob religionem delatus apud Johannem Caſam, Archiepiſcopum Beneventanum, Legatum Pontificium Venetiis tum agentem, A. C. 1548. cùm periculum ſibi imminere cerneret, ejuravit Euangelicum, quod amplexus fuerat, dogma: ſed mox cum horrenda deſperatione conflictari cœpit. Ex conſilio igitur amicorum Citadellâ Patavium delatus, ut & Medicorum operâ, & doctorum hominum conſolatione frui poſſet, quum omnia fruſtra eſſent, in natalem relatus locum, paulò pòſt ibi obiit. Hujus tentationum Patavii ſpectator fuit, inter alios, Petrus Paulus Vergerius, Epiſcopus Juſtinopolitanus, qui poſteà & ipſe, an Spieræ exemplô permotus? ad Euangelicos tranſiit. Vide Sleidan. *Comm. l.* 21. Bucholcer. *in Ind. Chron.* & in voce *Spiera.*

CITAMUM, Armeniæ majoris oppid. *Ptol.*

CITANOS, inſula, una Cycladum, olim clariſſima.

CITARII, populi Siciliæ. Plin. *l.* 3. *c.* 8.

CITARIS vel **CIDARIS**, Græcè *Κίταρις* & *Κίδαρις Polluci*, ex *Herodoto*, diadema Regibus Armeniæ peculiare, nec niſi nomine ferè diſtinctum à Perſarum Tiara. Unde *tiaram rectam*, quam non niſi Regibus hujus gentis ferre licuit, *κίταριν ὀρθὴν* vocat Plutarchus *in Artaxerxe*, ubi hunc Dario, uni è liberis ſuis, poſtquam eum Regem renuntiâſſet, conceſſiſſe tradit, [illegible] *ὀρθὴν φέρειν. Heſych.* Citarin vocat pileum regium, aut, ut *Suidas* addit, [illegible], *circumpoſitionem capitis.* Nempè pannus fuit aut pileus contextus, è pilis, qui cenſetur idem fuiſſe cum tiara, id quod *Suidas* videtur indigitare his verbis, [illegible] *Quidam vero Cidarim dicunt pileum vulgarem, aut coronam, aut faſciam, aut pileum Regium Perſarum aut ſtrophium, quod Sacerdotes ferunt*, vide ſuprà Cidaris.

CITARIUS, Macedoniæ mons. *Ptol.*

CITHÆRON, Rex, à quo monti nomen impoſitum, memoratur Pauſaniæ, *l.* 9.

CITHÆRON, vulgò *M. di Stives*, mons Bœotiæ clariſſimus, cujus radicem Aſopus amnis alluit. Servius, in *l.* 10. *Æn.* credidit alterum eſſe ex jugis Parnaſſi, quod omnium Geographorum judiciô ſecus ſe habet. Eſt enim à Parnaſſo diſcretus, ab eo plus quàm 30. mill. paſſ. diſſitus, clade Penthei, & Actæonis, Cadmi nepotum, nobiliſſimus, quorum illum Bacchæ, hunc canes ibi diſcerpſiſſe narrantur. Nomen ei fecêre [illegible] *Cithara* petræ ſcil. ut & Cytheri inſula Laconica, de qua deinceps, quia Cithæron eſt vel maximè ſaxoſus & confragoſus, unde eſt, quod in eo Nonnus paſſim deſcribit [illegible], *Dionyſiac. l.* 5. & 45. Et apud Ariſtoph. *in Bacchi orgiis*,

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

I. e. *Echo Citheronia, & nigris foliis opaci montes & petroſi Citheronis clivi fremunt.* Et in *Bacchis* Euripidis, *v.* 38. Bacchæ per Cithæronem oberrantes [illegible], *ſedent in excelſis petris*, Et *v.* 703. non ſine alluſione ad miraculum Moſis. Numeri c. 20. *v.* 11.

> [illegible]
> [illegible]
> *Thyrſumque ſumens una percuſſit petram,*
> *Et inde aquarum roſcidus fluxit latex:*

Et *v.* 589. Pentheum deprehendunt in inſidiis [illegible], *à lævi petra.* Et *v.* 1095. cum impetum lapidibus, [illegible] [illegible], *conſcenſâ rupe oppoſitâ.* Et *v.* 1135. diſcerptus jacet Pentheus, [illegible], *ſub cæcis ſaxis.* Sic apud Theocritum, *Idyll.* 26.

> [illegible]
> *Cuncta videt celſa rupe de vertice Pentheus*

Et Ovid. *l.* 3. *Met.* canes in Cithærone ſequuntur Actæonem, *v.* 226.

> *Per rupes, ſcopuloſque, aditûque carentia ſaxa.*

Et apud Senec. Oedipus ita loquitur, *Phœniſſ.* vel *Theb. prod initio*: *v.* 12.

> *Ibo, ibo quà prærupta prætendit jugo*
> *Meus Cithæron, qua peragrans celer*
> *Per ſaxa montis jacuit Actæon, ſuis*
> *Nova præda canibus.* ———

Propert. *l.* 3. *El.* 1. *v.* 43.

> *Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem*
> *Sponte ſuâ ad muri membra coiſſe ferunt.*

Fuit Bacchi ſacrificiis hic mons notiſſimus. Virg. *l.* 4. *Æn. v.* 301.

> ——— *Qualis commotis excita ſacris*
> *Thyas ubi audito ſtimulant trieterica Baccho*
> *Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cithæron.*

Ovid. *l.* 3. *Met. v.* 702.

> ——— *Feſtis facienda ad ſacra Cithæron.*
> *Cantibus & clarâ bacchantum voce ſonabat.*

Juno Cithæronia quoque dicta eſt, à Cithærone quodam, qui ſuaſit Jovi, ut alias ſimularet nuptias, quò Junonem Zelotypam ad ſui amorem revocaret. Plut. *in Ariſt.* Auſonius *in Gripho, v.* 32. ſecundam corripuit, & per *e* ſcribit:

> *Sed Citheron totiens ternas ex are ſacravit.*

Vide Scalig. *Auſon. Lect. l.* 1. *c.* 17. *Nic. Lloydius.* Nunc etiam Citherone, *Brietiô* teſte, inter lacum Copaïdem, Megaram & Thebas, verſûs confinia Atticæ. *Baudrand.*

CITHARA, Amphionis inventum Plinio, *l.* 7. *c.* 56. *Citharam Amphion* (invenit) *ut alii, Orpheus, ut alii, Linus. Septem chordis primum cecinit Terpander, octavam Simonides addidit, nonam Timotheus. Cithara ſine voce cecinit Thamyras primus: cum cantu Amphion: ut alii Linus. Citharœdica carmina Terpander.* Ubi quod de Timotheo habet, confirmatur edictô Ephororum Lacedæmone contra eum editô, quò condemnatus eſt, quòd undecim (habet Salmaſius) pro ſeptem chordis citharam intendendo, veterem Muſicam corruperit: [illegible] apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 121. Alii, uti Lyram Mercurio: ita Citharam Apollini tribuunt. Quòd ſi ita eſt, quærendum prætereà, inquit Scaliger, quare Apollinis ſignum arcum dextrâ, lævâ Charitas habuerit, quarum una lyram gereret, non citharam; altera tibias, tertia fiſtulam ori admoveret. Figura ejus apud Græcos primùm conſummata Cepionis tempore, qui Terpandri fuit diſcipulus: & appellata Aſias, propterea quod à Lesbiis fuiſſet importata: Idem, *Poetices l.* 1. *c.* 48. Vide quoque infrà, ubi de *Cithara* Davidis, ut & in voce *Cythara.* Certè à Lyra & chely aliam fuiſſe *Citharam* liquet, quamvis non rarò Poëtis confundantur. Interim & ea teſtudinem habuit, ad recipiendum edendumque fidium ſonum. Favonius Eulogius *in Somnium Scipionis, Terra nona, immotâ ſemper ſede conſiſtens, nullô cantore concinitur & velut fundamentis vice circum ſe aliis octo curſibus deſixa libratur. Atque ut in Cithara teſtudo, ſic ipſam mundanæ harmoniæ velut machinam præbet.* Hinc *cava Teſtudo*, Virgilio *de Orpheo, l.* 4. *Georgic. v.* 464.

> *Ipſe cavâ ſolans ægrum teſtudine amorem.*

Ubi ejus inventæ lepidam hiſtoriam affert *Servius*, vide quoque infrà in voce *Teſtudo.* Plectrô percuſſam eſſe, docet Scholiaſt. Martial. *ad l.* 14. *Epigr.* 167.

> *Fervida ne trito tibi pollice puſtula ſurgat,*
> *Exornent docilem garrula plectra Lyram &c.*

Uti autem Apollo chelyn ſuam laurô coronavit, uti Statius habet, *Theb. l.* 6. & *Sylv. l.* 4. de quo ritu ſuprà diximus, *in voce Chelys*: ſic exemplô ejus Citharistæ in ſolennibus pompis *Citharas* ſuas donare ſolebant. Cujus rei mentio eſt apud Athenæum, *l.* 5. in pompa Ptolemæi, in qua trecenti Citharœdi auratas citharas pulsârunt cum aureis coronis &c. Apud Hebræos memorabilis imprimis fuit, *Cithara Davidis*, Hebr. כנור *cinnor*, unde Græcis *κινύρα*: quam Joſephus ſic deſcribit, *Jud. Antiqq. l.* 7. *c.* 10. [illegible], *Cinyra quidem, decem chordis inſtructa, plectrô pulſatur.* E quibus dubitat Bochartus, an Hebr. *cinnor*, rectè reddatur *cithara*; quam Auctor *Epiſtolæ* ad Dardanum, ſub Hieronymi nomine, in modum *Delta* literæ, i. e. triangularem deſcribit, cum chordis viginti quatuor, quæ per digitos Pindari varia vocibus ſingulis ictibus diverſis modis concrepantur &c. Vide hunc Bochartum, *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 44. & infrà quoque voce *Cythara*: uti de more Cretenſium *ad Citharam* pugnandi infrà, voce *Tuba.*

CITHARISTA, vel **CITHARISTES**, Plin. *l.* 3. *c.* 4. Mela, *l.* 2. *c.* 5. Galliæ Narbonenſ. promontor. teſte *Molenô* & *Aunond.* Alii ſcribunt *Citariſta.* Hodiè *Cap de S. Sigo* nonnullis dicitur, *Beleferrſtio*, autem *Cap de Garcel* vocatur. *Baudrando* urbecula fuit

Galliæ

Galliæ Narbonenſ. in Provinc. media inter Maſſiliam & Telonem, 18 mill. paſſ. ab utraque, *Ceſariſta Ptol. Anton. Merula*. Nunc pagus *Ceireſte*, prope Arannum amnem, 1. leuc. ab ora maris Mediterran. & ab urbe dicta Civitate, *la Ciotat*, quæ ea ejus ruinis crevit. Promontor. autem *Citharistes* in eo tractu eſt *Cap de Laigle*, prope Civitatem. Valeſio Ceireſta inter Taurentum & Carſicos poſita eſt, qui ſitus *Cithariſtæ* non convenit, magis Taurento & Carſicis, vulgò *Carſis* aut *Caſſis* ad Maſſiliam accedenti: inter Carſicos & portum Mines, *Portmion*, nomine nunc obſcurò. *Notit. Gall.*

CITHAROEDUS, ſeu Cithariſta, qui citharâ canit. Horum apud veteres habitus cultuſque notabilis fuit. Lacerna aurata, non multùm chlamydis diſſimilis, illis peculiariter tribuitur, à Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 212.

Et quibus aurata mos eſt fulgere lacernâ.

Iiſdem Auctor, *l. ad Herenn.* pallam dat auratam & chlamydem purpuream: *Ut Citharœdus cùm prodierit optime veſtitus, pallâ inauratâ indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta, cum corona aurea, magnis fulgentibus gemmis illuminata.* Hinc Ovid. de Arione, *l.* 2. *Faſt. v.* 107.

Induerat Tyrio biſtinctam murice pallam,

Ita eorum habitus fuit tunica talaris & chlamys: quæ tunica etiam *palla* dicta videtur. Hæc enim, quamvis priùs fœminarum propria, poſteà ad *Citharœdos*, Tragœdos ac Saltatores tranſlata eſt. Cornificius, *l.* 4. *ad Herenn. verbis retro citatis*: Unde Apollo quoque pallâ indutus à Poëtis producitur. Ovid. *l.* 1. *Amor. eleg.* 8. *v.* 59.

Ipſe Deus vatum pallâ ſpectabilis aureâ
Tractat inaurata conſona fila lyra.

Quòd autem ea tunica talaris eſſet, cum ſtola Orpheum induit Varro, *de re Ruſt. l.* 3. *c.* 13. *Quem Orphea vocari juſſit, qui cum eò veniſſet cum ſtola & Cithara & cantare eſſet juſſus.* Ea diſcincta Ὀρθοστάδιον Græcis dicta eſt. Dio de Neronis habitu Citharœdico, *l.* 63. *Nam cum ſtatuiſſet ad citharam canere, non ſuſtinuit a Corbulone videri* τὸ ὀρθοστάδιον ἔχων. Diſcincta itaque fuit & fluens, ut mirum ſit Bathyllum Citharœdum, cum tunica cincta induci. apud Apuleium, *Florid. l.* 2. Nec tunica ſolùm talaris fuit, ſed & chlamys longum ſyrma trahens. Horat. *de Arte*, *v.* 215.

—— —— Traxitque vagus per pulpita veſtem.

Quô habitu in nummis Neronem videmus. Vide Octav. Ferrarium, *de re Veſtiaria, Part.* 2. *l.* 3. *c.* 52. Sed & *Citharœda*, quoque in miniſterio olim, ut antiqua marmora indicant. Extat Romæ monochia ſcriptura (ita liceat appellare in quo mulier ſedens *Citharam* pulſat) confirmatque id vetus elogium Auxeſis & Neriti minùs ingenuorum nominum: muliebria nempe hæc ſtudia pſallendi & oblectandi aures, viguiſſe olim aut placuiſſe. Mentio utique apud Horat. *l.* 4. *Carm. Od.* 13. *v.* 6.

—— —— ille virentis &
Doctæ pſallere Chiæ:

miniſteria hæc propiùs tangit. Ut & *ſcitiſſimi utriuſque ſexus canentes, & pſallentes, quos adoleſcens e terra Aſia* habuiſſe apud Gellium ſcribitur, *l.* 19. *c.* 9. pueri nimirum ac puellæ. Et quidem elogium Auxeſis ſic habet.

D. M.
AUXESI CITHAROEDÆ
CONJUGI OPTIMÆ
C. CORNELIUS NERITUS FECIT
ET SIBI.

Has alii Pſaltrias, Fidicinas, Cithariſtrias appellant &c. *Citharæ* autem ſpecies enumerat Iſidorus, *Orig.* *l.* 3. *c.* 21. Pſalteria, Lyras, Barbita & alias quadratâ formâ, nec non & trigonali: quarum aliquas, rariores illas quidem, ſed Studioſis antiquitatis adjumento futuras ad cognoſcendas teſtudinis partes, *cacumina, brachia, humeros, ſcapulas, pectines, modulum, tympanum*, exhibet Laur. Pignorius *Com. de ſervis*. Ut hoc addam: *Citharœdi* nomos & cantica, quæ Poëta Lyricus aut Dithyrambicus ipſis compoſuerat, ſicut erant ab Autore facta, ad *Citharam* canebant. Vide ſuprà in voce *Nomi*. Iidem in Triumphis ſpectaculiſque coronati erant, uti ex triumphali pompa Scipionis Africani & Auctoris ad Herennium *loc. cit.* patet. Quam prorſus coronam Nero uſque adeo concupivit, ut omnes hujus generis coronæ ad eum delatæ fuerint, teſte Xiphilinò *in eo*. Vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 8. *c.* 9. De *Citharœdorum* verò clauſula, voce *Diaz.*: de fibula, infrà, ſuô locô; ut & plura hanc in rem apud Gerh. Joh. Voſſ. de *Muſica*.

CITHRUM, *Straboni Citron, Chitro Sophian.* ſed *Leunclav. Zetriphus.* oppid. Theſſaliæ. Item, oppid. Macedoniæ. *Ferrar.*

CITIUM, Cypri inſul. oppid. Plin. *l.* 5. *c.* 31. adhuc Chite dictum, nunc pagus: *Citium Straboni.* Item urbs Miſniæ, *Ceitz* vulgò dicta.

CITIZUM, vulgò *Zeitz*, urbs Miſniæ in Saxonia ſuperiore olim ſede Epiſcopali clara, quæ poſt Naumburgum eſt tranſlata. Sub dominio Epiſcopi Naumburgenſis 3. leuc. Germanic. à Lipſia in Auſtrum.

CITOLA, Inſtrumenti Muſici ſpecies, apud Guil. *Gujart. A. C.* 1214. laudatum Car. du Freſne in *Gloſſar.*

CITREA Arbor, eadem cum Aſſyria & Medica, in Aſſyria ſolùm Mediaque naſcebatur, ſi Plinio credimus, qui verboſè de illa diſſerit, *l.* 12. *c.* 3. unde è Perſide poma citrea in Græciam illata indeque in Italiam. Nec ut eſui eſſent aut menſarum uſui, ſed ut odoris gratiâ inter pretioſa κειμήλια reconderentur, aut veſtibus interjicerentur. Plinii certè ætate nondum mandebantur, nec gignebantur in Italia, refertque Plutarchus, avorum duntaxat memoriâ manducari cœpiſſe. Videtur autem in Italiam arbor perveniſſe, paulo ante Palladii tempora, ubi mutatô ſolô, ab ea quæ in Aſſyria naſcebatur, eò receſſit, ut cùm omni tempore anni in Aſſyria fructum ferret, in Italia tantum certis temporibus poma ederet. Ex Italia poſtmodum in Hiſpaniam, Galliam, aliaſque regiones propagata. atque hæc eſt, cujus poma, *Citrea*, propriè dicimus. Antequàm autem hæc arbor Græciæ innoteſceret, jam pridem Heſperia arbor, quam *Citrum* Plinius antiquitus dictam eſſe ait, vulgaris erat, domibus decorandis expetita, & veſtibus odore pomi, quod nec ipſum tum eſitabatur, imbuendis. Quæ mala modò *Heſperia*, modò *Aurea*, modò *Citrea*, appellata ſunt, donec Medica mala in Græciam Italiamque è Perſide invecta, ob ſimilitudinem, quam habere viſa ſunt, cum aureis malis & Heſperiis. *Citrea* etiam dici cœperunt. Unde diſcordiis Auctorum natis, cùm alii aſſererent, *Citrea* eadem cum Medicis eſſe, alii diverſa facerent: uſu demum invaleſcente, factum eſt, ut *Citreorum* nomen Medicis & Aſſyriis pomis veluti proprium maneret, Heſperidum autem mala, *Aurea*, *Aurantia* & *Inaurantia* dicerentur, quod uſque ad noſtram ætatem obtinuit, quâ idem hoc nominum diſcrimen inter *Citrea* & *Aurantia* ſervatur. Eſt autem *Citrea* ſeu *Medica* Arbor parva, neque altè extollitur. At Citrus,

Ipſa ingens arbor, faciemque ſimillima lauro.

Sed & ſigna ac color pomi aliaque diverſa in utraque, ut pluribus diximus ſuprà, ubi de *Aurantiis*. Sic itaque, cum *citrum*, de Aſſyrio pomo dici cœpit, Græci mediæ ætatis (quod nemo ante Jubam fecit) κιτρίον & κιτρόμηλον fecerunt: hodieque *Citronem* Hiſpani, Itali Germanique vocant, quibus non odore ſolùm, ſed & cibò commendatur. In Citreorum porro ſpecie, multæ aliæ ſpecies deprehenſæ, ut quas *Limas* appellant, & *Limones* & *Poncera*, quaſi *poma cerea* &c. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 952. *& ſeqq.* Hodie circa Genuam *Mala Citrea* optimæ notæ habentur, ſed & in Hiſpania non multum deteriora, quibus proin, ut & malis aureis puniciſque, Hollandi naves ibi onerant, aliarum mercium defectu, Auctor Anonymus, *Hiſtoriæ Orbis Terr. Geogr. & Civ. c. de Commerciis*, vide quoque infrà *Girrada*. De illis ſic Auctor, *Sinæ & Europ. c.* 35. *Theophraſti ætate pomum hoc nequaquam erat veſcum, ſed nec Plutarchi quidem, ut Athenæus commemorat. Parthorum Proceres grana ejus duntaxat eſculenta ſolebant miſcere, commendandi halitus gratiâ. Venenis adverſum veteres omnes aſſerunt, quod Athenæus celebri exemplô aſſerit —— Ex ejus hinc ſucco Serapium paratur, inter Italos, adverſus malignas & peſtiferas febres præſtantiſſimum remedium & cordis affectibus valde conveniens. Caro etiam eſui, ſed ignei eſt ſaporis, niſi ſacchare condiatur, inde in deliciis habetur. Cortex verò aromaticum quid ſpirat, ſtomacho & cordi amicum &c.*

CITRON, civitas in tribu Zebulun. Judic. *c.* 1. *v.* 30.

CITROSA Veſtis, apud *Nævium*,

—— pulchram ex auro veſtemque citroſam:

Græcè Θυώδης eſt. Verſiculus enim hic ex Homerico iſto eſt expreſſus, *Od.* ε. *v.* 264.

Ἐ ματα δ᾽ ἀμφιέσασα θυώδεα, νηλέωσα.

Nempe non à criſpitudine citri, ex quo menſæ citreæ fiebant, ſed ab odore *citrei* mali, quod in arculis veſtimentorum condebatur, ut à tineis ea defenderet. *Theophraſtus*, Κἂν εἰς ἱμάτια τεθῇ τὸ μῆλον ἄκοπα διατηρεῖ, *unde interjectum veſtis tineas arcet*, & bonô odore impleret. *Athenæus* de Citreo malo, Καὶ ὥς ἐν μεγάλῳ κειμηλίῳ ἀποτίθενται εἰς τὰς κιβωτοὺς, μετὰ τῶν ἱματίων, *Et tanquam ingens cimelium, reponunt in arcis, juxta veſtes.* Unde Plin. *l.* 12. *c.* 3. de eodem, *Pomum ipſum non manditur, odore præcellit, foliorum quoque, quæ tranſit in veſtes una conditum & arcet animalium noxas.* Vide Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 950.

CITRUS, nomen quô diverſiſſimæ arbores duæ Veteribus indigitatæ ſunt, à θύα ſcil. κα ἡ Μηδικη μηλεα, *thya & Medica, ſeu Citrea malus*, de qua modo dictum. Et quidem thya ſeu *Citrus* Veter. peculiaris Cyrenaicæ & Hammoniacæ Libyes arbor, juxta *Theophraſtum*, in Græcia nuſquam viſa fuit niſi invecta ex Africa. Unde Romanis major, quàm Græcis, ejus notitia, quippe Africæ vicinioribus; quibus tamen non ex Cyrenaica provinc. ſed ex Mauritania afferebantur menſæ citreæ, ubi & *Citrum* naſcebatur. Confines certè Atlanti Mauros arborem citri ferre ipſe Plinius, *loc. cit.* fatetur. Unde *Atlantica munera* vocantur citreæ menſæ Martiali, *l.* 14. *Epigr.* 89.

Accipe felices, Atlantica munera, ſylvas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Ex *Maura ſilva ſilvæ*, eodem *Epigr. ſequent.* 90. Sed & ſuſpicatur Salmaſius, incognitum illud genus arborum & Atlantis montis peculiare, cujus Plinius meminit, *l.* 5. *c.* 1. ex relatione Suetonii Paulini, qui primus Romanorum Atlantem tranſgreſſus eſt, tradentis arbores eſſe in eo ſpectabilis proceritatis, enodi nitore, & frondes habere cupreſſi ſimiles, citri arbores videri. Certè omnia conveniunt, præcipuè foliatura cupreſſina: quam cùm tribuat & cedro Vitruvius, *l.* 2. *c.* 9. pariſus videtur *cedrum* & *citrum* confundere; quod ab aliis quoque factitatum, Italiſque auctoritate, qui cedro appellant citreum pomum, quod Veteres *citrum* dixêre. Nempè ex *Citro* menſæ fiebant, magnopere Romanis expetitæ, poſtquam circa Ciceronis tempora illa Romanis innotuit. Hinc Plin. *l.* 13. *c.* 16. *Theophraſtus —— magnum jam hinc arbori honorem tribuit, memorans ex ea neſcientes Templorum Veterum contignationes, quandamque immortalitatem materiæ in tectis, contra vitia omnia incorruptæ. Radice nihil criſpius, nec aliunde pretioſiora opera. Præcipuum*

 autem

autem eſſe eam arborem, circa Ammonis delubrum ---- de Menſis tamen tacet: & aliàs nullum ante Ciceronianam vetuſtior memoria eſt. Ubi quod de pretio menſarum, *c. præc. c. 3.* variis exemplis confirmat: *Menſarum* (hinc) *inſania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt. Extat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum eſt, illo ævo emta H. S. XI. Memorantur & Galli Aſinii H. S. XI. venundatæ. Sunt & duæ à Juba Rege pendentes: quarum alteri pretium fuit H. S. XII. alteri paulò minus. Interiit nuper incendiô atteguo deſcendens H. S. XIV. permutatâ latifundii taxatione &c.* uti quidem Budæus legit, *de Aſſe, l. 3.* Idem de magnitudine paulo pòſt, *Magnitudo ampliſſima adhuc fuit, unius commiſſæ ex orbibus dimidiatis duobus, à Rege Mauritaniæ Ptolemæo, quatuor pedum & ſemipedis per medium ambitum, craſſitudine quadrantali &c.* De diſcrimine pergit, *Menſis præcipua dos in vena criſpis, vel in vertice variis. Illud oblongè evenit diſcurſu, ideoque tigrinæ appellantur: hoc intortè, & ideò tales pantherinæ vocantur. Sunt & undatim criſpæ, majore gratiâ, ſi pavonum caudæ oculos imitentur. Magna verò poſt has gratia extra prædictas criſpis, denſa velut grano congerie, quas ob id à ſimilitudine apiatas vocant &c.* Quam ob cauſam meritò ſubjungit, *Inter pauca mitdioris vitæ inſtrumenta* hanc arborem fuiſſe: cùm ante eam cognitam *Nucinæ Menſæ* in pretio eſſent. Uel verò ex radice hujus arboris menſæ, ſic ex reliqua materia coagnationes fiebant, uti de Templis vidimus ſuprà. At procedente luxu, Citrum dedignari cœperunt Romani, niſi pretioſius fieret, quàm naſcebatur: itaque citri colore picta teſtudo ſecta. Plin. *l. 16. c. 43. Hæc prima origo luxuriæ arborum, aliâ integi & viliorum ligna è pretioſiore corticem fieri ---- Nec ſatis: cœpêre tingi animalium cornua .... placuit deinde materiam & in mari quæri. Teſtudo in hoc ſecta. Nuperque ---- principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderetur, imitata lignum. Sic lectis pretia quæruntur, ſic terebinthum vinci juvat, ſic citrum pretioſius fieri, ſic acer decipi.* Scilicet, teſtudo picta terebinthini ligni colore, terebinthum ipſam vincebat, eadem citri inſtar picta, facticium erat citrum, verò pretioſius ſiequè citrum fiebat pretioſius quàm naſcebatur &c. Quia autem *Citrus* arbor menſarum, apud Mauros Atlanti confines, naſcebatur, haud longè ab Heſperidibus: in iiſdem verò regionibus arbor Citrea mala ferens, Græcè κιτρέα (quam cum Aſſyria ſeu Medica quoſdam eandem feciſſe ſuprà diximus) creſcebat plurima, indeque primum fructus ex ea allatos viderunt Romani, adeoque ex iiſdem locis alterius arboris fructus, alterius lignum ad menſas Romanas veniebat: hinc rudi illô ſeculô exiſtimâſſe videntur arboris illius, ex cujus materia menſæ & alia opera fierent, fructum eſſe poma illa, quæ indidem efferebantur, & *Citrea* appellâſſe, ac Citra, quaſi citri mala. Nam *Citrus* arbor, *Citrum* fructus. Poſteà compertò diverſas eſſe arbores, idem tamen nomen utrique adhæſit, uti diximus &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 949. & ſeqq.* De triumpho Cæſaris ex Citro, mentionem facit Vellejus Paterculus, *l. 2. c. 56.* ubi de Cæſaris triumphis, *Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini teſtudine, Africi ebore, Hiſpanienſis argentô raſili conſtitit.* Ubi quòd Terentius *Cedrum* ſubſtituit, quaſi *Citri* uſus tum nondum fuiſſet apud Romanos, refellitur illô Catonis apud Feſtum, ex oratione, Ne quis iterum Conſul fiat: *Dicere poſſum, quibus illa, atque ædes ædificata, atque expolita maximô opere,* citro *atque ebore, atque pavimenta Pœnica ſtent.* Nimirum Africa Romanorum jugum jam tum induere cœperat. Sed omnem dubitationem eximit Lucanus, ubi de convivio ejuſdem Cæſaris ac Cleopatræ, *l. 10. v.* 144.

> *Dentibus hic niveis, ſectos Atlantide ſylva*
> *Impoſuêre orbes, quales ad Cæſaris ora*
> *Nec capto venêre Juba. Pro cæcus & amens*
> *Ambitione furor, civilia bella gerenti*
> *Divitias aperire ſuas, incendere mentem*
> *Hoſpitis armati ----*

Vide & quæ de Cicerone ſuprà dicta, Voſſiumque *ad loc. Vellejii.* Nec omittendum, quòd, uti *Citri* nomine diverſi generis arbores à Veterib. indigitari diximus, ſic non defuerint, qui *Citrum* cum *Agallocho* confunderent, inter quos Auctor Anonymus περὶ ξύλων καὶ γῆς, qui in Atlantis pede Agallochum naſci tradit. Cauſa erroris fortè, quòd Agallochum maculas ſimiles habet Citri ligno, de cujus maculis ſuprà diximus ex *Plinio.* Vide iterum Salmaſ. ubi ſuprà p. 1056.

CITTADELLA, urbecula Minoricæ præcipua, vide *Jamna.*

CITTARIS, Græcè Κιτταρις, apud *Heſychium,* faſcia eſt ſeu diadema, quale Cypro portabant, unde κιτάριον, *parva faſcia.* Sed & de mitra qualis erat Phrygia vel pileo incurvo vox accepta, quæ etiam Κίδαρις dicebatur, uti vidimus ſuprà in voce *Cidaris.*

CITUORUM, inſula in Danubio perampla. *Ptol.* in Hungaria inter Poſonium ad Boream, & Arrabonem ad Auſtrum. Gemina eſt: Major & præcipua, quæ verſus Boream & Ortum, *l'isle de Schut,* Circuitus eſt 20. leuc. circiter, longa 9. leuc. lata 4. Ibi est Komara permunita, cum valido præſidio contra Turcas, & Sumaria, oppid. Minor autem inſul. *le petit Schut,* eſt verſus Auſtrum, è regione Altemburgi & Arrabonis urbium, ubi Danubius recipit Arrabonem: Oblonga, lata autem vix 2. leuc. Alter *Schona Inſul. Bambrand.*

CITURÆ, minora erant Maurorum ſcuta, ex orygis pelle, Schol. Juvenalis *Sat. 11.*

CIVARO, vel CIVARON, urbs Allobrogum, Sabaudiæ caput: *Chambery,* teſte *Canali.* In planitie, ad amnem *Laiſe,* inter montem Melianum, ad 3. leuc. in Auſtrum, & lacum Burgetum in Boream ad 2. leuc. 3. leuc. à confinio Franciæ verſus arcem Barranam, 18. à Lugduno in Ortum, 9. à Gratianopoli in Boream, 14. à Fano S. Joh. in Maurianæ valle.

CIVES Novi, à Republ. ſemoti, lege Peſcennii Nigri. Cùm enim omnes facti eſſent cives lege Antonini, diſcrimen ſtatus cœperunt *Veteres,* qui non ſolùm nati in Urbe, ſed quorum patres quoque & majores cives fuiſſent Romani; & *Novi,* qui ne ad *Rempubl. regendam aſcenderent,* intimâſſe dicitur Peſcennius præfatus, apud Spartian. *c. 7.* Quibus autem gradibus *Civitatis Romanæ* jus eouſque extenſum fuerit, vide apud Lipſium *de Magnitud. Rom.* Dicam hîc ſaltem, *Jus Civitatis* nonnunquam cum ſuffragii latione & aditu ad honores, nonnunquam ſine illo, conceſſiſſe Romanos: quorum illud pertinaciter Sociis negârunt, donec poſt crudeliſſima bella, *victis afflictiſque ipſi exarmati, quàm integri auverſis, dare maluerunt,* uti loquitur Vellejus Paterculus, *l. 2. c. 17.* illud Coloniæ ſemper habuerunt, aliaque quædam gentes, jam ab antiquo. Vide Freinshemium & Salmaſ. *ad Florum, l. 1. c. 14.* ut de *Civibus Originariis* & *Aſſumtis*; *Extraneis* item ac *Honorariis,* quales olim apud Athenienſis fuêre, hodieque apud Helvetios aliosque ſubinde occurrunt, nihil addam. Quâ cautione advenas εἰς ποιητοὺς πολίτας ſuſceperint Athenienſes, dicemus infrà, voce *Opifices.* Mores Civium quod attinet, *optimo Civi,* inquit Scaliger, *ejuſmodi animum dabis, ut mori pro Patria velit. Quapropter Anchiſes, exciſâ Trojâ, negat ſe velle eſſe ſuperſtitem. Habes & illa verba maximi momenti* apud Virg. *l. 2. Æn. v. 317.*

> *---- Pulchrumque mori ſuccurrit in armis.*

Laocoontis verba audies, qui nihilo minore affectu inflammatus eſſe videbatur, & mulieres Laurentes, apud eundem, *l. 11. Æn. v. 893.*

> *---- primæque mori ſub mœnibus ardent.*

CIVICA, patruus Veri Imperatoris, cujus mentio apud Capitolin. in *Macro, c. 9.* ſub Hadriano Conſulatum geſſit cum L. Cejonio Commodo Vero, qui poſteà dictus eſt Cæſar. Nominatur in Lapide antiquo, SEX. VETULENUS. CIVICA. POMPEIANUS. Caſaubon. *ad Hiſtor. Aug.*

CIVICA Pompejanus, Conſul, collega L. Cejonii Commodi an. Urb. Cond. 888. Item Africæ Proconſul, à Domitiano ſublatus. Tacitus, *Agric. c. 42.*

CIVICA Corona, inter omnes militares nobiliſſima, illi uni ſeponi ſolebat, qui è manibus hoſtium civem Romanum eripuiſſet, quippe *Civis,* ut ait Seneca, *de Ira, l. 2. c. 31. eſt pars Patriæ.* Dabatur autem veteri Republ. manu illius, qui ſervatus eſſet, A. Gellium, *l. 5. c. 6.* quemadmodum apud Græcos ὁ σώτηρ, ſive σωθείς, ſervati liberatoribus ſuis dabant. Nec ſolùm eum, qui dabat, ſed & eum, qui accipiebat, *civem* eſſe oportuit. Neceſſe autem fuit, civem ſervando, hoſtem occidere, ut de Coriolano memorat Plutarchus in eo. Inſuper ut eum locum, in quo id eſſet actum, *hoſtis obtineret eô die, utque ſervatus fateretur. Aliàs teſtes nihil proderant,* Plin. *l. 16. c. 4.* &c. Sed & hanc coronam Seneca Principi tribuit, Reipubl. Servatori, *l. 1. de Clem. c. 26.* unde eam Cæſari decretam poſt bella civilia, veluti Patriæ Servatori, memorat Appianus Alex. *de Bell. Civ. l. 2.* Quò exemplô Auguſtus, *ob eadem merita, cùm roſtratam Agrippæ dediſſet,* civicam *à genere humano accepit ipſe,* apud Sueton. *Certè aſpicientibus domum Auguſti hæc corona prima ſeſe offerebat, ut quæ eſſet in ejus faſtigio collocata.* Unde Ovid. *l. 3. Triſt. El. 1. v. 35.*

> *En, domus hæc, dixi, Jovis eſt quod ut eſſe putarem,*
> *Augurium menti querna corona dabat.*

Cui ſimilem in veſtibulo coronam Tiberius recuſavit, apud eundem Suetonium. A domo Principis ad ædes privatorum ſenſim tranſiit is mos: ut ſuper foribus cujuſque Civica corona ſtatueretur. Certè ibi picta aſpiciebatur, aut quâvis aliâ ratione effigiata, proſſus eôdem modô, quò hodie honeſtiſſimus quiſque ſcutum, inſignia Principis aut Principatus continens, ſuis foribus ſuperponit, velut conſpicuum decus & præſentem ſibi ſuiſque rebus tutelam. Unde idem Ovid. *l. 1. Faſtor. v. 614.*

> *Augeat Imperium noſtri ducis; augeat annos,*
> *Protegat & noſtras querna corona fores.*

Id quod in publica inprimis lætitia fiebat, uti docet Tertullian. *de Idolol.* additâ nonnunquam lauru & palmâ. Hinc, inter honores Germanico decretos, hunc quoque memorat Tacit. *l. 2. Annal. c. 83.* ut *ſedes curules ſacerdotum Auguſtalium locis, ſuperque eas querneæ coronæ ſtatuerentur* &c. Verùm ab illo tempore, beneficium Principis eſſe cœpit, non judicium ſervati, corona hæc, ac ne à Duce quidem exercitus conferebatur, Idem, *l. 15. Annal. c. 12.* Hinc Oſtorius pater & filius, fortibus eam factis meriti, non illico nec in Britannia, ubi eam meruerant, ſed poſteà demum Romæ à Principe indepti leguntur, apud eundem, *l. 12. Annal. c. 31.* Materiam quod ſpectat, *Samnitium* bellô, ait Plin. *l. 16. c. 4. ilignea primò fuit; poſteà magis placuit ex æſculo Jovi ſacra. Variatumque & cum quercu eſt; ac data ubique quæ fuerat, cuſtoditô tantùm honore glandis.* Hinc quoties dabatur corona quercea, rem divinam ad quercum faciebant, ut colligere eſt ex Val. Max. *l. 2. c. 8.* Sed & hederacea nonnunquam fuit, ut de Domitiano habet Martialis, *l. 8. Epigr. ult. v. 7.* quandoque etiam oliva quercui mixta, ut videre eſt apud Statium, *Sylvar. l. 5.* &c. Porrò alii honores hanc coronam meritis additi: *Acceptâ licet uti perpetuò. Ludos ineunti ſemper aſſurgi, etiam ab Senatu, in more eſt. Sedendi jus in proximo Senatui. Vacatio munerum omnium ipſi patrique & avo paterno,* Plin. d. *l.* &c. Eorum verò qui id honoris adepti veteri Republ. Siccius inprimis Dentatus celebris, qui quatuordecim coronas civicas ſe impetrâſſe, apud Dionyſ. Halicarn. memorat *Antiq. Rom. l. 20.* quem numerum mirum in modum auget Solin. *c. 6.* Et Capitolinum, ſex meritum, Plinius addit, *l. 16. c. cit.* Nec minora de M. Sergio narrat Solinus, *ibid.* Ut taceam Africanum, qui de Patre accipere noluit, apud Trebiam, de Sulla Dictatore, aliis. Vide Car. Paſchalium, *Coronar. l. 7. c. 8. & ſeqq.* Prudentius, ubi Laurentium Martyrem celebrat, ex omnibus coronis civicam, utpote æſtimatiſſimam, eligens, illâ eum donat in cœlis degentem, his verbis, *Periſteph. Hymn 3. v. 549.*

Sic, Sancte Laurenti, tuam
Nos paſſionem quærimus,
Eſt aula nam duplex tibi,
Hic corporis, mentis polo.
Illic inenarrabilis
Allectus urbis municeps,
Æternæ in ara Curiæ
Geſtas coronam civicam.

CIVILIS, nomine *Julius*, præpotens inter Batavos, ab Inferiore Germanico Lacteim periculum vitæ adiit, ſed exemptus, ne ſuppliciò ejus ferox gens alienaretur. Tacit. *Hiſt.* l. 1. c. 59. *Claudius* vocatur, l. 4. c. 13. Ingenio ſolers, & Sertorium ſe aut Annibalem ferens ſimili oris dehoneſtamento.

CIVILIUS, ſive CLIVIUS, Volſcorum Imperator à Genucio victus an. Urb. Cond. 323. Vide & *Capus*.

CIVILIUS Tullus, Tribunus Milit. an. Urb. Cond. 348.

CIVILONIUM, oppid. agri Taruiſini.

CIVITAS, apud veteres Scriptores Romanos, totum agrum vel totos fines alicujus Gentis, nec non urbem, Gentis caput, deſignavit. *Civitas Æduorum*, apud Cæſ. l. 2. *Bell. Gall.* c. 31. ſunt omnes Ædui. *Civitas* Helvetica, omnes Helvetii, &c. Sic apud Plin. l. 3. c. 4. Vocontiorum *Civitas* Fœderata, ſunt Vocontii: Aurigonum decem *Civitates* ſunt decem populi. Sed & iidem ſcriptores nihilominus non raro pro Urbe vel Oppido *Civitatem* dixerunt. Cicero, *Philipp.* 9. Maſſiliam modò Urbem, modò *Civitatem* fideliſſimam ſæpius vocavit. quam & Val. Max. l. 2. c. 1. nunc *Civitatem* Maſſilienſium, nunc oppidum, nunc urbem, & abſolutè *Civitatem* nuncupat: & quam modò Urbem & Oppidum, modò *Civitatem*, in l. 1. & 2. à Cæſare *de bello civ.* appellari reperies. Apud Plin. ſecundum, in Thracia, Abdera *Civitas*, eſt oppidum Abdera &c. Hodie, cùm in pluribus Galliæ regionibus, tum maximè in Burgundia, urbs non quælibet, ſed Epiſcopalis modo ac Caput Gentis propriè dicitur *Civitas*, vulgò *La Cité*, qualis eſt Lutetia in Civitatem, Univerſitatem Urbemque diviſa. Adeò ubicunque *Civitas* eſt, ſine dubitatione affirmata licet, ibi majorem Eccleſiam, ibi veram Epiſcopatus ſedem, eam denique unam & ſolam veterem urbem eſſe, cui poſteà cæteræ partes acceſſerant. Apud *Ptolem.* Urbes in tres ordines dividuntur, in *ἐπισήμους*, *ἀδόξους* & *ἀσήμους*. Hadr. Valeſ. *Præfat. in Notit. Gall.*

CIVITAS, vulgò *la Ciotat*, Urbecula Galliæ in Provinc. Cujus vina celebrantur, Gaudet portu commodo & capaci, in ora maris mediterranei. Unde multi petunt mare. Media inter Maſſiliam & Telonem. Commercii celebris & opulenta. Hic inter alia, Fonti, in monaſterio Patrum Servitarum, qui æſtum maris imitatur. Vide *Citheriſta*.

CIVITAS, vide *Septa*.

CIVITAS Caſtellana. Vide *Feſcennium*.

CIVITAS Caſtelli, vide *Tifernum*.

CIVITAS Ducalis, urbs eſt Aprutii ulterioris, juxta Velinum fluvium, nunc vulgò *Città Ducale*. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Theatino, in regno Neapolitano, 7. milliaribus à Reate in ortum, & 15. ab Aquila; eſtque parvi circuitus, in confinio ditionis Pontificiæ.

CIVITAS Legionum *Antonin.* in Albione duplex eſt, una, quæ & Deva ſeu Ceſtria, Legio 20. victrix, *Cheſter*. Vide *Deva*. Alia, quæ Iſca Silurum, Legio 2. Auguſta, *Caerleon*. Vide *Iſca Silurum*.

CIVITAS Nova, Provinc. Roman. *Neuſtat*, urbs Germaniæ, in Auſtria, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Salisburgenſi ab A. C. 1468. Sedet ad amnem *Biſcham*, 6. leucis à Vienna in meridiem, & 12. ab Arrabone in occaſum. Vide *Neoſtadium*.

CIVITAS Nova, *Civita nova*, oppid. amplum Italiæ, in Marchia Anconitana, in monte, non procul à mari Adriatico; eſtque Ducatus titulò inſignitum Cæſarinorum, 6. milliaribus diſtat à Lauretio Firmum verſus, à quo 9. milliaribus tantum abeſt.

CIVITAS Plebis, *Città della Pieve*, urbs Italiæ, in ditione Pontificia, & in agro Peruſino, 5. milliaribus à Cluſio in ortum, 6. à lacu Traſimeno, & 16. à Peruſia. Paucis conſtat incolis; eſtque parvi circuitus.

CIVITAS Regalis, *Città Reale*, urbs regni Neapolitani, in Aprutio ulteriori, prope fontes Velini fluvii, quatuor milliaribus à confinio ditionis Pontificiæ, 15. autem ab Aquila urbe, ad radices Apennini montis.

CIVITAS Regia, *Ciudad Reale*, urbs ampla Hiſpaniæ, in Caſtella nova, prope Anam fluvium, in Campo Calatravæ dicto. Deficit tamen in dies. Diſtat à Calatrava 3. leucis in Auſtrum.

CIVITAS Regum, *los Reyes*, aliò nomine *Lima*, urbs Americæ Meridionalis, caput Peruviæ, Archiepiſcopalis facta A. C. 1547. Condita autem fuit à Franciſco Pizarro A. C. 1535. in Limana Valle, vix unò milliari ab ora maris Pacific., ubi portum habet munitum, *Callao* dictum. In ea degit Prorex Peruviæ nomine Regis Hiſpaniæ: diſtatque centum circiter leucis Hiſpanicis à Cuſco urbe in occaſum. Vide *Lima*.

CIVITAS Roderici, *Ciudad Rodrigo*, urbs Hiſpaniæ. Vide *Mirobriga*.

CIVITAS Solis, *Città di Sole*, urbs Italiæ munita, in ea parte Romandiolæ, quæ magno Duci Hetruriæ paret, ad amnem *Fagone*, in ipſo limite Romandiolæ Pontificiæ, 4. milliaribus à Foro Livio, & 8. à Britinorio in occaſum, 40 autem à Florentia verſus Boream & Ravennam, à qua diſtat tantùm 16. milliaribus.

CIVITAS Vetus, *Civitavecchia*, oppid. Italiæ, in ditione Pontificia, 40. milliaribus à Roma, in ora maris Mediterranei. Vide *Centumcellæ*.

CIVITAS Vetus, *Città vecchia*, ſeu *Medina* incolis, urbs Africæ. Melitæ inſulæ aliàs præcipua, & in meditullio inſulæ, in colle, probè munita ab equitibus Melitenſibus, & aliàs obſeſſa à Turcis irritò conatu.

CIUN, Arabicum Nomen, cujus meminit Amos, c. 5. v. 26. ubi Hebr. eſt *Chiun*, quam vocem retinuit Chaldæus Paraphraſtes, item Aquila & Symmachus: Vulgata reddit *Imaginem*. Saturnum exponunt plurimi præeunte Aben Eſrâ, ſed Molochi mentio, qui Saturnum antecedit, cui proximè ſubditur *Ciun*; aliud itaque nomen erit à Saturno, h. e. Sole. Nempe uti Bel & Nabo, ita Moloch & *Ciun* ſe habent, qui ut loco ſubduntur, ita dignitate conſequuntur. Utroque igitur Luna ſignificabitur. Quod ſi in maſculo Numine perſiſtendum erit, non Saturni erit ſtella *Ciun*, ſed Heſperi ſive Luciferi, cui in cultu ſemper potior, quam Saturni ſtellæ, honos fuit. Lunam verò intelligi mavult Voſſius, tum quia is Lunæ honos magis convenit; tum maximè, quia Arabes non alios agnovère Deos, quàm Dionyſum, h. e. Solem, & Uraniam, h. e. Lunam. Vide eum *de orig. & progr. Idolol.* l. 2. c. 23. ubi ô unque de voce *Rempham*, quam LXX. in Amos & eos ſecutus Lucas in Actis, c. 7. v. 43. pro *Ciun* habent: ut & ſupra in voce *Chiun*.

CIUS, aliàs CIO, fluv. Bulgariæ. Oritur ex Rhodope monte, & in Danubium influit, prope Doroſtorum oppid.

CIZARA, Paphlagoniæ caſtellum apud Amiſum urbem; Strabo, l. 12.

CIZYA, Thraciæ urbs. *Sozom.* l. 6. c. 13.

CIZYCENUS, Athenienſis, inſignis Geometra. Voſſ. *de Scient. Mathem.* c. 13. §. 4. p. 49.

CIZYCUM, urbs Aſiæ, ad Propontidem. Olim Metropolitæ ſedes, ſub Patriarcha Conſtantinopol. Hodiè clara ob inſulam ruderibus ſuis oppoſitam, unde marmor Cyzicenum eruitur. Olim portum Erdos Græcis, Thucyd. l. 8. Pinet. *Coſmogr. Ptol.* Plin. l. 5. c. 32.

CLABULARE, l. 2. *Cod. Theodoſ. de Curſ. Hi verò pervigili cuſtodientià providebunt, ne quis iterum evectionis auctoritatem moveri carpum vel amplius poſtulet, quam conceſſa evectio; ne habens unius copiam rhedæ, flagitet duas: aut rhedam uſurpet, cui birotum, vel veredum poſtulet, cui clavulare* præſtitum eſt: carri genus eſt, quod *clabulas* habet; adjectivum ſubſtantivè ſumptum, pro *Clabulari carro*. Continentur enim verbis his omnia, quæ in publico curſu movebantur vehicula, rhedæ, birota, veredi & *clabularia* vel carra, quæ aliàs *angaria* dicebantur. Senſuſque eſt, ne veredum poſtulet, ſeu ne velocem curſum uſurpet, cui angaria tantùm permiſſa fuerit, *Clavularem* enim curſus angarias tantùm habuit, h. e. plauſtra vel carra ferendis oneribus & impedimentis, tranſvehendiſque ſpeciebus publicis, deſtinata, quæ non multum celeriter ibant, utpote à bobus tracta; unde velocem & *Clavularium* curſum diſtingui legimus paſſim. Dicebatur autem *Clabulare* vel *Clavulare* carrum, quod undique *clavulis* erat confixum & contextum, capſumque ex clavulis factum habebat, ad res, quæ imponerentur, retinendas ne defluerent. Quod hodieque in carris onerariis fieri videmus, quæ undique vallantur & ſudibus, vel clavulis muniuntur, ut onera impoſita detidant. Latini *Capſum* vocabant. Iſidorus, *Capſum carruca undique contexta*: nam *capſum* eſt *χαράκωμα*. Verùm in carris publicis & quæ *Clavularia* dicta ſunt, ordine fixæ videntur fuiſſe clavulæ, ut in carris hodiernis videmus, non craticiò opere contextæ & invicem complicatæ, qualia ſunt, quæ vulgò *Tumberella* Galli dicunt, & quæ propriè *ſirpea* Latinis vocata, &c. Vide Salmaſ. ad *Capitolin. in Pio*, c. 12. Valeſ. ad *Marcellin.* l. 20. & Jac. Gothofredum, *ad l. 24. Cod. Theodoſ. de Curſu Publ.*

CLADEUS, Elidis fluv. in Peloponneſo. *Strabo*.

CLADINUS, Sultanus Iconienſis, ob Tartaros, è regno fugiens, Ortugarelem primò Carmaniæ præfecit, dein filium ejus Ottomannum Regem Carmaniæ creavit, ſicque Turcicæ potentiæ fundamenta jecit. A. C. 1296. Calviſius, *in Chron.*

CLADUS, Græcè *Κλάδος*, apud Martialem, l. 2. *Epigr.* 57. v. ult.

— modò modò ad Cladi menſam
Oppignoravit annulum, unde cœnaret:

nomen proprium Trapezitæ. Aliàs *Κλάδοι* Græcis, *rami* ſunt arborum, inprimis in palma, rami è trunco, qui *στέλεχος* dictus eſt, enati. Unde *Clava* Latinis, h. e. baculus ex ramo cum nodis præciſo: nam *κλάδος* quoque *ramus*, & Æolicè *κλάδα*. Tralatitiè *κλάδοι* iiſdem dicuntur *brachia* ſeu *rami* fluviorum: item in cornibus cervorum corniculа, quos *ramos* quoque Latini appellaverunt. Habere autem hi cornua ramoſa in trimatu incipiunt, tuncque *κλαδίαι* dicuntur: & ſexennes uſque ad ſedecim ramos capite geſtant, à quo tempore ramulorum ceſſat augmentum. Unde patet, deceptum eſſe Plinium, l. 8. c. 32. cùm *ſingulos tantum quotannis ramos adjici cervorum cornibus*, ſcribit. Salmaſ. *ad Solin.* p. 221.

CLÆON, Fons Phrygiæ apud Celænas, ſaxa egerens. Plin. l. 31. c. 2. Dictus à *fletu*, ut fons illi vicinus *Gelon* à *ridendo* appellatur.

CLAGEFURTIUM, quibuſdam *Claudia*, Carinthiæ, ſive potius Carinthiæ regio, Sclavonicæ urbs ampla, cujus cives furibus ſunt inexorabiles. Levis enim ſuſpicio graviſſimè nocet huic, qui rem furtò parare putatur, nam inauditus rapitur ad crucis ſupplicium, nec defenſioni, aut purgationi locus datur. Poſt diem tertium ſupplicii de mortuo judicant, quem ſi inſontem fuiſſe cognoverint, ſplendidè ſepeliunt, ſin verò ſontem & reum, pendere ſinunt, 2. milliar. diſtat urbs à Savo fluv. Sedes olim Carinthiæ Ducum. *Cluver. Merc.*

CLAMARE, in *L. Salica*, *Si quis alterum vulpeculam clamaverit*, & apud Luxurium, *ad convivium clamare*, pro vocare eſt. Statius, *Theb.* l. 3. v. 169.

Nec

Nec minùs intereà digeſtâ ſtrage ſuorum
Hinc Chelonium conjux, hinc mater Penthea clamat
Aſtyoche ——

pro *deplorare* ac lamentari. Unde *Conclamati*, jam exurendi, quo de ritu vide Servium *ad Virgilium*, *Æn. l. 6.* Apud eundem Statium, *Thebaid. l. 6. v. 15.*

—— *quoties annoſa reſumunt*
Leucothoë gemitus, & amica ad litora feſſi
Tempeſtate venit, planctu conclamat uterque
Iſthmos ——

pulchrè exprimit ſonitum undæ illiſæ cautibus; quem Accius elegantiſſimis his anapæſtis imitatur,

Atque ubi curvo littore latrans
Unda ſub undis labunda ſonat.
Simul & circum magnisonantibus
Excita ſaxis, ſæva ſonando
Crepitu clangente cachinnat.

Sed diviniùs Homerus inimitabili illô, *Il. ε. v. 265.* ἠϊόνες βοόωσιν: quod Platonem, Poëſi intentum, eam relinquere coëgit & ad Philoſophiam animum applicare, ut apud *Euſtathium* legimus, eò quòd vim dicendi Homericam aſſequi ſe poſſe deſperaret. In Eccleſia Romana *Clamare* & *Clamari*, Monachi dicebantur, in Capitulo, quoties de delictis alios accuſabant, aut ipſi accuſabantur: *Statuta* Ordinis Sempringham. *Diſtinctè prohibemus, ne aliqua Monialis in Conventu exiſtens, ad Corpus Chriſti accedat Dominica, niſi ordinatè clamaverit in hebdomada, privatim vel publicè, ſi delictum privatum vel manifeſtum viderit, unde regularis clamatio fieri debeat, exceptis valde juvenibus, vel valde vetulis.* Quod quô modô fieri debeat, ſic docet Liber Ordinis S. Victoris Par. *MS. c. 33. Dum clamores fiunt, nemo loquatur, niſi qui clamorem facit & Abbas & qui clamatur. Qui clamorem facit, imprimis ſic dicat:* Clamo *me de fratre illo; qui autem clamatus fuerit, mox ut audierit nomen ſuum, nihil prorſus in ſede ſua reſpondeat, ſed veniens coram Abbate, prius inclinans, poſtea erigens ſe, coram ipſo ſtet, patienter expectans hoc, quod frater ſuus ſuper ipſum clamare habet. Qui autem clamat, non exaggeret clamorem ſuum, nec quærat circuitiones verborum, ſed apertè dicat, Ille fecit hoc. Audito clamore, ſi culpabilem ſe cognoverit ſtatim veniam petens, humiliter culpam ſuam confiteatur. Si autem ſe culpabilem non recognoverit, dicet breviter ſtans, Domine, non recordor me hoc feciſſe aut dixiſſe, quod Frater dicit. Tunc ille, qui clamavit eum, ipſam clamationem non repetat: ipſe verò prius, inclinans jubente Abbate, eat ſedere. Quòd ſi aliquis videt, Fratrem ſuum negare, quod verum eſt, bene licet ei de re, quod videt, vel audivit, teſtimonium perhibere. Sciendum verò eſt, quòd ille, qui clamorem facit, non faciat clamorem ſuper illum, qui clamavit* &c. Plura in hanc rem vide apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Hinc formula Gallis frequens, *Crier quelqu'un* &c. Nec omittendum, quod clamare contrà, pro *plaudere* quoque occurrit, apud ſæpius prædictum Statium, *Theb. l. 8. v. 750.*

Qualis ab Arcadio rediit Tirynthius antro,
Captivumque ſuem clamantibus *intulit Argis,*
Erigitur Tydeus ——

Ubi Lutatius, *cum admiratione faventibus*; & alter Scholiaſtes, *Clamore ſibi faventibus.* Sic *Clamor*, pro plauſu, eidem *v. 722. ejuſd. libri*

Clamorem Aonii tollunt gemitumque Pelaſgi &c.

Vide quoque infrà paſſim inprimis ubi de *Voce.*

CLAMATOR Angliæ Principalis, cum ſuis *Subclamatoribus*, in Parlamentis Anglicis: cujus officium *Clamatoria* dictum, olim ſolebat eſſe omnium Oſtiariæ ſeu Oſtiarii officio, ut eſt in libro *de modo tenendi Parliamentum*: ubi de munere *Clamatoris* iſta habentur, *Clamator Parliamenti ſtabat contra oſtium Parliamenti, & Oſtiarius denuntiabit ſibi clamationes ſuas. Rex ſolebat mittere Servientes ad arma ad ſtandum per magnum ſpatium extra oſtium Parliamenti, ita quòd nullæ impreſſiones nec tumultus fierent, circa oſtium, per quod Parliamentum ingreditur, ſub pœna captionis corporum ſuorum: quia de jure oſtium Parliamenti non debet claudi, ſed per Oſtiarium & Servientes Regis ad arma cuſtodiri.*

CLAMATULICORUM Regio, memoratur Plinio, *l. 3. c. 4.* ubi Narbonenſem Provinciam deſcribit, *At in ora Maſſilia Græcorum Phocenſium fœderata, promontorium nomine Citbariſta, regio Clamatulicorum, dein Suelteri, ſupraque Verucini: in ora autem hac* &c. Quos *Clamatulicos* vel *Clamatulicos* nomen dediſſe loco inter montes poſito & mari proximo, atque etiam à Suelteris Forojulioque non multum diſtanti, qui hodieque à nomine gentis, detractâ primâ literâ, *Ramatuelle* dicatur, quaſi *Lamatulica*, contendit Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Suelteri.*

CLAMECIACUM, oppid. Gall. in Nivernenſi provinc. ad Icaunam fluv. 9. leuc. ab Altiſſiodoro in Auſtrum, totidem circiter à Chariteate in Ortum. Ibi reſidet Epiſcopus dictus Bethlehemenſis. Vulgò *Clamecy.*

CLAMOR, in prœliis, apud pleraſque bellicoſas gentes in uſu ſemper fuit. Romanis certè, militarium rerum, ſi qui alii, peritiſſimis, cum Livius tribuit, ut cùm Marcellus Hannonem & Epicidem *primò clamore* & impetu fudit, *l. 25. in fin.* & alibi paſſim. Pœnis item, quorum ne clamorem quidem atque impetum primum, exercitum Fulvii ſuſtinere potuiſſe, *eid. l. c. 21.* memorat. Sic de Germanis Tacitus, *de Mor. Germ. c. 3.* ituros in prœlia canere & eſſe illis carmina, quorum relatum *Barditum* vocaverint (an *Blarritum*, quòd *Althamerus* mavult, hodieque enim *blarren* Germanis clamare eſt) eòque non tàm vocis, quàm virtutis concentu, affectare præcipuè aſperitatem ſoni & fractum murmur, objectis ad os ſcutis, quò plenior & gravior vox repercuſſu intumeſceret, ſcribit *c. 3. §. 1.* Idem de Perſis ſimul, ac Macedonibus: Indis quoque Curtius memorat, *l. 3. c. 10. & l. 9. c. 4. & 8.* de Britannis, rurſus Tacitus, *l. 14. Annal. c. 35.* Sed & Gallis, cantus incuntium prœlium & ululatus & tripudia & quatientium ſcuta in patrium quendam morem horrendus armorum crepitus, tribuitur apud Livium præfatum, *l. 38. c. 17.* De Hiſpanis Silius, *Punicorum l. 10. v. 230.*

—— *ritu jam moris Iberi*
Carmina pulſata fundentem barbara cetrâ.

De Luſitanis Diodor. Sic. *l. 5. In bello ad numerum incedunt & carmina canunt, cùm aggrediuntur hoſtem.* De Parthis Plut. in *Vita* Craſſi, Poſtquam prope hoſtem perventum eſt, datumque à Duce ſignum, illico gravi ſonitu, terribilique fremitu tota remugit planities. De Hibernis Stanihurſtus, *Rer. Hibernic. l. 1. Quoties ad manum & pugnam veniunt, altâ voce* Pharro, Pharro, *inclamant.* De Turcis Conſtantinopolim obſidentibus, *Illalla, illalla, Mahometh Ruſſolalla*, h. e. Deus eſt & ſemper erit, & Mahometh eſt ſervus ejus, altâ voce clamâſſe, more buccinarum tympanorumque ſtrepitum, refert Leon Chienſis: quem clamorem eos hodieque in prœliis ſolennem ſervare, notum eſt. De ipſis verò Iſraëlitis, Jerichuntem invaſuris, legimus apud Joſuam, *c. 6. v. 5. ſ.* Deum ipſos juſſiſſe, *cùm inſonuiſſet vox tuba longior & concisior, & auribus eorum increpuiſſet, conclamare omnem populum vociferatione maximâ.* Rationem ſuppeditat Cæſar, *de Bello Civ. l. 3. c. 92.* ubi Pompeji conſilium, qui id omiſerat, damnans, *Non fruſtra*, inquit, *antiquitus inſtitutum eſt, ut ſigna undique concinerent, clamorem univerſi tollerent: quibus rebus & hoſtes terreri & ſuos incitari exiſtimaverunt.* Unde & Cato Sen. *Verba plus, quam gladium, & voces plus, quam manum, hoſtes fugare attonitoſque reddere, ſibique invIſum eſſe militem, qui clarius ſtrenuè, quàm inclamaret*, dicere ſolitus fertur, apud Plutarchum in *Vita* ejus, *c. 3.* Vide Matthiam Berneggerum, *Quæſtion. ad Taciti Germ. c. 8.* ut & ſuprà, in voce *Cantio*, item *Chriſtus vincit*, qui Chriſtianorum Græcorum Latinorumque militaris fuit clamor, alibique paſſim. In Gallia, *Clamor* de Haro, ſeu *Harou*, in Normannia potiſſimum obtinet, & inclamari ſolet, dum crimen aliquod capitale perpetratur, v. g. furtum, incendium, homicidium &c. Tum enim ii, quorum aures vox hæc verberat, ad reum perſequendum forâs exire tenentur eumque detinere, ſi potè eſt, ac Judicibus tradere: quòd ſi id negligant, Principi, aut domino feudali, qui jus gladii habet, in cujus territorio crimen commiſſum eſt, emendam præſtant & exſolvunt. Igitur jus habere dicitur *clamoris de Harou*, qui altâ, ut ajunt, juſtitiâ gaudet. Cujuſmodi autem fuerit vel ſit *Clamor* hic ejuſque cognitio aut juriſdictio, docet pluribus Car. du Freſne ex veter. *Conſuetud.* Normanniæ MS. 1, *Part. 5. diſtinct. c. 3.* Atque hunc *Haro* interdum uſurpatum de quovis clamore, qui in tumultibus excitari ſolet, apud Froiſſardum paſſim: Imò & in prœlio Bovinate inclamata vox hæc à Fecialibus legitur. Origo *Clamoris* probabili conjecturâ Rolloni, primo Neuſtriæ Duci, adſcribitur, qui voluit, ut ſi in ditione ſua quiſpiam inveniretur, vel homicida aut incendiarius, aut gravioris alterius criminis reus, ſtatim clamore ſublatô *Ha Raol* (quaſi auxilium Rollonis imploraretur) indigenæ ac vicini in eum irruerent, captumque Judici exhiberent &c. Vide Car. du Freſne in voce *Haro.* Quis verò *clamorem militarem* edidiri conſueverit, dicemus infrà voce *Interſignum*, it. *Vexillum Regale.*

CLAMOVENTA, Angliæ oppid. *Antonin.*

CLAMPETIA, locus Italiæ in Brutiis. Plin. *l. 3. c. 5.* Mela, *l. 2. c. 4.* à freto Siculo verſùs Galliam & Varum flumen progrediens; *Hinc*, inquit, *in Thuſcum mare eſt flexus, & ejuſdem terræ latus alterum Medama, Hippo, nunc Vibon, Temeſa, Clampetia, Blanda, Buxentum,* &c. Apud Livium, *l. 40.* corruptè *Dampetia* legitur. Latini omnes hanc *Clampetiam* vocant, additâ literâ tertiâ initiali, ut in multis aliis vocabulis, cùm Græci Λαμπέτειαν illam appellârint. Sic Stephanus ex *Polybio.* Lycophroni verò eſt Λαμπέτης Poëticè pro Λαμπέτεια. Malè vulgò Λαμπέτης. In ſitu ejus quoque omnes ferè conveniunt, ut ſit *Manta* ſive *Amantea* hodierna. *Nic. Lloydius.*

CLAN, apud Skenæum *ad Statuta* Wilhelmi Scotiæ Regis, *c. 28.* ubi de Lege, quam Scoti vocant *de* Clan *Makduff*, priſcis Scotis, qui montani & ſylveſtres dicuntur, tribum ſignificat ſeu multitudinem hominum, ab uno communi parente ſeu ſtipite deſcendentium. *Idem* Car. du Freſne, in voce *Clan.*

CLANCULARIA, à Celſo per convitium Chriſtiana Doctrina appellata eſt, ob varia ejus Myſteria, quæ olim ſacro ſilentio involvebantur, neque eum Catechumenis aliiſque, niſi probè prius inſtitutis, communicabantur, uti dicemus paſſim infrà, inprimis in voce *Nivum Fidelet.* Contra quem pro ſe ſic Origenes, *Quod verò quædam eſſent* (in Religione nimir. Chriſtiana) *quæ non communicantur quibuſvis, id non ſolùm Chriſtianæ doctrinæ proprium eſt, verùm etiam Philoſophicæ. Nam & illi Exotericam & Acroaticam doctrinam habeb. ut, & alii Pythagoram audiebant, contenti ipſius autoritate: alii ſecretè diſcebant rationes non evulgandas in profanas nondum purgatas.* Quam eandem rationem etiam Ægyptiorum, Perſarum, Syrorum, Indorum, plurimorumque aliorum populorum Sapientes, tenuiſſe, paulo pòſt indicat. Vide Tob. Pfannerum, *Syſtem. Theol. Gentil. purior. in Addendis*, p. 519. 520.

CLANCULARII, ex Anabaptiſtis illi dicuntur, qui fidei confeſſionem minimè neceſſariam judicant. Iidem quod in hortis convenire ſoliti, *Hortulani* dicti, Florimond. Raimondus, *l. 15. c. 3. &c.*

CLANES, fluv. à Vindelicis ortum habens, à quibus per valles excurrit, & Iſtri alveum intrat. Strabo, *l. 4. Lacus Clan* dicitur.

CLANGOR, à Clamore differt, quòd hic ſemper aliquid ſignificet. Unde apud Statium, *Theb. l. 4. v. 789.*

At

At puer in gremio vernæ telluris, & altò
Gramine, tunc faciles ſternit procurſibus herbas
In vultum nitens caram modò laſſus egeno
Nutricem clangore *ciens* ----

ait vetus Schol. *Cujus nullus ſenſus. Ideò noluit clamorem dicere, ut videretur, nihil intelligi potuiſſe, nam & clamor ordinariè aliquid dicit.* Eſt autem *Clangor* ſonus acutus cum magno. Unde tubis præcipuè datur. Virg. *l.* 8. *Æn.* v. 526.

Tyrrhenuſque tubæ mugire per æthera clangor.

Et Val. Flaccus, *l.* 3. v. 348.

---- --- *ter inhorruit æther*
Luctificum clangente tubâ ----

Hinc Fortunatianus, *Dialect. Donec perveniatur eò, ut res cum ſono verbi aliqua ſimilitudine conveniat, ut cum dicimus æris tinnitum, equorum hinnitum, ovium balatum, tubarum* clangorem, *ſtridorem catenarum. Perſpicis enim hæc verba ita ſonare, ut ipſæ res, quæ his ſignificantur.* Transfertur dein ad alia, ut ſonitus maris rupibus cavis illiſi. Accius, d. *l.* ſuprà in voce *Clamore*. At prope ſigillatim vocem gruum clamorem notat. Quomodo legit Barthius ex membranis priſcis apud Lucretium, *l.* 4. v. 183.

Parvus ut eſt cygni melior canor, ille gruum quam
Clangor, *in ætheriis diſperſus nubibus Auſtri.*

Sic Claudianus, *de Bello Gildon.* v. 475.

Ingenti clangore *omnes æſtiva relinquunt.*
Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo.

Nempe à *κλάζω* eſt, quod verbum de gruibus propriè, ſicut *κρώζειν* de corvis, uſurpârunt Græci, uti videre eſt apud Euſtathium, *ad Homer. paſſim.*

CLANIS, vulgò *le Clain*, fluv. Galliæ in Pictavienſi regione Pictavium rigat, & in Vigennam poſteà ſe exonerat paulo ſupra caſtrum Heraldi. *Clanus* aliis.

CLANIUS, qui & *Clanis*, fluv. Campaniæ prope Neapolin juxta Acerras urbem, *L'agno*, teſte *Ambroſio Leone*. Virg. *l.* 2. *Georg.* v. 225.

--- *Et vacuis Clanius non æquus Acerris.*

Silius Italic. *l.* 8. v. 536.

--- *Clanio contempta ſemper Acerra.*

CLANOS, maris Ægæi inſula.

CLANUM, urbs Galliæ Narbonenſ. inter Agendicum, & Auguſtobonam. *Antonin.*

CLANUS vel CLANIS, Etruriæ fluv. *La Chiana* hodiè. Silius, *l.* 8. v. 454.

Et Clanis & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Baudrando eſt palus oblonga, & per aliquot milliaria extenſa, inter ditionem Pontific. & Hetruriam; Cujus pars Auſtralis verſùs Cluſium & Civitatem Plebis efficit amnem *Clanum*, qui in Peliam fluv. ſe exonerat paulo ſupra Herbanum, in ditione Pontificis, Pars autem Borealis, quæ & major, verſùs montem Politianum & Aretium in Arnum fluv. labitur, in ditione Magni Hetruriæ Ducis.

CLARA à Tettingen, virgo nobilis, à Friderico I. Electore, Comite Palatino, Cœlibatus, quem Philippo ex fratre nepoti promiſerat, pertæſo, ejuſdem & agnatorum conſenſu, Procerumque conſcientiâ, cùm æquales nuptias contrahere non poſſet, ob conventionem, præſentibus Philippô Epiſcopô Wormatienſi, Georgiô Spirenſi & aliis A.C. 1462. ducta, duos ei filios peperit: quorum prior Fridericus, Eccleſiarum Wormatienſis ac Spirenſis Canonicus, obiit A.C. 1474. inſigni epitaphiô Heidelbergæ ornatus: alter Ludovicus, fratre mortuô, à Patre in poſſeſſionem miſſus eſt, dominiorum *Scharfeneck*, *Weinsberg*, *Newenſtatt*, *Meckmühl*, *Utberg* & *Umbſtatt*, cum titulo Comitatus, à Maximiliano I. Imperatore collato: quas dynaſtias omnes Fridericô mortuô, exceptâ Scharfeneciâ, ad ſe recepit, Philippus Elector & permutationis nomine Comitatum *Lewenſtein* ſubſtituit: Hinc itaque Comites Leonſteinii, Wertheimii, Virneburgii ac Rupifortii originem trahunt.

CLARA Auguſta, filia Auguſti Ducis Brunſvicenſis, illuſtre familiæ ornamentum, nupſit Friderico, Duci Wirtenbergico, nato A. C. 1615. ex eo mater Friderici Auguſti, Alberti, Friderici Wilhelmi, Antonii Ulrici, Sophiæ Dorotheæ & Eleonoræ Carolæ.

CLARA Æmilia, mater Didii Juliani Imperatoris apud Spartianum, c. 1.

CLARA Iſabella, filia Leopoldi Archiducis Auſtriæ, ex Clara Medicea, nupſit Carolo, nupero Mantuæ Duci caſtitate & in maritum fide inclyta.

Iſabella CLARA Eugenia, vide *Iſabella*.

CLARA, oppid. Angliæ in Suffolciæ Comitatu prope Sturam fluv. & Comitatum Eſſexiæ, 13. milliar. à Cantabrigia. Aliis *Clarentia*; Ducatus titulô inſignitum.

CLARA, Urbs Hiberniæ Epiſcopalis Comitatus cognominis caput, in Connaciæ regione in receſſu Sinei fluv. 18. milliar. à Limerico in Occaſum, ſitu commodiſſimô.

S. CLARA, ordo ſacer Virginum, in Communione Romana S. à Franciſco inſtitutum, A.C. 1212. dictus à nomine primæ Præſtitæ. Dividuntur autem hæ moniales in Damianiſtas & Urbaniſtas. Luc. Vuadingus, *Annal. S. Franc.*

CLARÆ, ſeu inclytæ memoriæ, vide *Bonæ memoriæ*.

CLARANUS, Grammaticus, cujus meminit Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 21. v. 1.

Scribere te, quæ vix intelligat ipſe Modeſtus,
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, juvat?

Auſonius, *Ep.* 18. ad *Urſulum Grammaticum*, v. 26.

Hermenio, quem Claranus, quem Scaurus & Aſper,
Quem ſibi conferret Varro, priorque Crates.

CLARASCUM, oppid. Pedemontii, notum pace ibi confectâ, A.C. 1631. Ad Tanarum fluv. ubi Sturam recipit. Aliis eſt Carrea. Vide ibi. Vulgò *Cherasco*.

CLARAVALLENSIS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

CLARAVALLIS, Gall. *Clairvaux*, Monaſterium celeberrimum Ordinis Ciſtercienſis, S. Bernardi pietate clarum, A.C. 1115. in Campania Gallic. ad Albulam fluv. 5. leuc. à confinio Burg. medium inter Calvomontium ad Ortum, & Barrium ad Sequanam in Occaſum, in Valle, quæ anteà *Vallis Abſinthia* dicta, vel ob abſinthii ibi creſcentis copiam, vel quia olim ſpelunca latronum. Dicitur filia Ciſtercienſium, caput ordinis in provincia, in Diœceſi Lingonenſi, fundatum à Bernardo, precibus Comitis Camp. Theobaldi impulſo. Habuit ultra 800. monaſteria, ſub ſe: 700. monachos hic Bernardus reliquit. Pet. de Celles, *Ep.* 12. *l.* 5. Vinc. Belg lovacenſis, *l.* 26. *c.* 24. Chron. Claravallenſe. Adde his Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CLARENI Fratres, ex Franciſcanorum Ordine, qui aliàs *Fratres ſpirituales* dicti, à Fratre Angelo de *Cingulo Clareno*, ſuo inſtitutore nuncupati, qui uſque ad Pii V. ætatem perſeverârunt. Vide de iis Waddingum, *A.C.* 1317. *num.* 16 18.

CLARENNA, oppid. Vindeliciæ, nunc *Rain*, prope confluentes Lici in Danubium, in Bavaria, inter Donawerdam & Noviburgum. A Sorcis malè habitum.

CLARENTIA, vulgo CLARENCE, Angliæ oppid. in Suffolcia regione juxta Eſſexiæ confinia. *Camdeno* & aliis idem cum *Clara* oppido ad Sturam fluv.

CLARENTIA, urbs Peloponneſi, Ducatus titulô aliàs clara, nunc regiunculæ caput, ad mare Ionium, aliàs *Dyme*. Vide ibi. *Strator Nigro.*

CLARIACUM, vulgò CLERY, oppid. Galliæ in provinc. Aurelianenſi, inter Aurelias ad Ortum & Balgentiacum ad Occaſum. Hic ſepultus Ludovicus XI. Francorum Rex. Ducheſnius, *ant. urb.* c. 5. *de Ballivatu Aurelian.*

CLARIACUM, vulgò CLERAC, urbs Galliæ olim munita, in Aquitania & Aginnenſi tractu, ad Oldum fluv. qui paulo infrà in Garumnam cadit, 4. leuc. ab Aginno. 3. à Neraco. Ibi Abbatia celebris.

CLARIACUM ſeu CLARIACUS VICUS, vulgò *Clery*, locus eſt Galliæ, cujus mentio in *Vita* Litardi, ubi tribus diſtare millibus ab oppido Magdunenſium traditur, quod *Mehun ſur Loire*, Gallis dicitur. Vide Hadr. Valeſ. in voce *Magdunum ad Ligerim.*

CLARIÆ, Thraciæ populi. Plin. *l.* 4. *c.* 11.

CLARIGATIO, apud Livium, *l.* 8. *c.* 14. *In Veliternos* --- *quòd toties rebellaſſent, graviter ſævitum* --- *juſſique trans Tiberim habitare: ut ejus, qui cis Tiberim deprehenſus eſſet, uſque ad mille pondo* clarigatio *eſſet: nec priuſquam ære perſolutô, is qui cepiſſet, extra vincula captum haberet*; Budæo eſt, quam Græci *ἀνδροληψίαν* vocavêre, de qua vide Pollucem, *l.* 8. *c.* 1. *Pigneratio* etiam vocatur: Interpretes barbari, *repreſaliam* dicere maluerunt. *Vet. Gloſſ.* [illegible], & *Novell.* 52. [illegible] & [illegible], uti reddere nolentibus, vi pigneratio ſeu *repreſalia* fiebat. Et poſſet Clarigatio, *pigneratio* Latinè dici, niſi pigneratio res potiùs, quàm perſonam, reſpiceret: Clarigatio verò, ſicut androlepſia, potiùs perſonas, quàm res. At Clarigationem fuiſſe perſonarum potiùs, quàm rerum prehenſionem, ex Livii verbis clarum eſt; quæ tamen prehenſio ceſſabat, ſolutâ pecuniâ: quò pactò reſpectu prehenſionis perſonarum *Androlepſia*, reſpectu verò redemtionis & ſolutæ pecuniæ, *Pigneratio* non malè dicitur. Marcellus Donatus *ad loc. Livii.* Aliàs ſolennis belli denuntiatio ſic Romanis dicta eſt, Græcè *καταγγελία τοῦ πολέμου* [illegible]: quòd *clarâ* voce fieret. Non verò quævis belli denuntiatio, ſed quæ cum rerum repetitione conjuncta. Plin. *l.* 22. *c.* 2. *Et legati cum ad hoſtes clarigatum mitterentur, i. e. res raptas clarè repetitum, unus utique Verbenarius vocabatur: à verbena*, de qua agens idem, *l.* 25. *c.* 9. *Hæc eſt, quam Legatos ferre ad hoſtes indicavimus.* Cum itaque Romani vellent bellum indicere, Pater patratus proficiſcebatur ad hoſtium fines, & præfatus quædam ſolennia clarâ voce dicebat, Se bellum gerere propter certas cauſas: ut, *clarè repeto ablata: Androlepſia jure utor: Bellum indico negantibus juſta.* Cujus rei vetus exemplum in *Supplicibus* Euripidis, ubi Theſeus caduceatori hæc dat mandata ad Creontem Thebanum,

Vicina Theſeus quæ tenet regni ſola,
Humare poſcit mortuos: quod ſi datur,
Sit amica ſiet gens Erechthidarum tibi.
Hæc ſi probantur, tum refer retro pedem?
Sin nemo paret, verba ſint hæc altera:
Jam mox ut arma pubis expectes meæ.

Vel, ut Papinius, in ejuſdem rei narratione,

Aut Danais edice rogos, aut prælia Thebis.

Vide quoque Homerum in *Batrachom.* & Plautum, *Amphitruone*, *ſub init.* Græci, *ῥῆσιν καταγγελτικήν*. Romani veteres *condicere*, appellavêre. Atque hæc denuntiatio belli *conditionata* vocatur Hug. Grotio: *pura* verò, quæ ſpecialiter *Indictio* aut *Edictum*, ubi aut bellum jam alter intulit, aut ea deliquit ipſe, quæ pœnam merentur. Interdum autem conditionatam pura ſubſequebatur. Hinc illud carmen: *Quarum rerum, litium, cauſarum condixit Pater Patratus Populi Romani, Quiritium Patri Patrato populi Priſcorum Latinorum,*

tiorum, hominibuſque Priſcis Latinis: quas res nec ſolverunt, nec dederunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri, ſolvi oportuit, puro pióque duello quærendas cenſeo, conſentio conſciſcoque. Vide Dionyſ. Halicarnaſſ. *Excerpt. Legat. l.* 11. Adjuncta *Clarigationis* fuêre, apud Græcos caduceus; ſagmina & haſta ſanguinea, apud Æquicolas primùm, & horum exemplô, apud Romanos, haſtæ immiſſio, alia. Vide præfatum Grotium, *de Jure Belli & Pacis*, *l.* 3. *c.* 5. §. 7. & 8. nec non ſuprà ubi de *Bello*, ac infrà voce *Denunciatio*.

CLARISSIMATUS, dignitas *Clariſſimorum l.* 74. 180. & 185. Cod. *Theodoſ. de Decurion.* & apud Amm. Marcellin. *l.* 21. *c.* 31. *Honor Clariſſimatus*, *in l.* 8. & 10. *eod. Cod. de Domeſt.* Senatorum potiſſimùm erat, qui *Clariſſimi*, & Ordo *Clariſſimus* paſſim apud *Hiſtoriæ Aug.* Scriptores, Ammianum Marcellin. in Utroque Cod. alibi, dicuntur. Unde Alexander Severus, *Præfectis Prætorio ſuis Senatoriam addidiſſe dignitatem*, *ut Viri Clariſſimi & eſſent & dicerentur*, legitur apud Æl. Lamprid. in *Vita* ejus, *c.* 21. Sed & uxores eorum *Clariſſimæ fœminæ* dictæ ſunt. Idem in *Heliogabalo*, *c.* 4. *Solus omnium Imperatorum fuit, ſub quo mulier quaſi* Clariſſima, *loco Viri Senatum ingreſſa eſt.* Nolebat nempe fœmininô genere vocem *Senator* uſurpare, neque *Senatrix* dicere, coactus proin eſt circumlocutione uti. Ita namque Senatorum conjuges appellatæ, apud Tertullian. *ad Scapulam*, Auguſtin. *de Civ. Dei*, *l.* 22 *c.* 8. & in multis *LL.* Codicis. Paulinus, in *Vita* Ambroſii, *Per idem tempus trans Tiberim, apud quandam* clariſſimam *invitatur, ut ſacrificium in domo offerret.* Caſaubon. *ad Lamprid. loc. cit.* Vide quoque Salmaſ. *ad Vopiſcum in Aureliano*, *c.* 18. & infrà *Præpoſitus*.

CLARISSIMUS, nomen proprium Militis, apud Æl. Spartian. in *Didio Juliano*, *c.* 2

CLARITAS, apud Solin. *c.* 31. ubi de Lychnite gemma, *Duplex ei facies: aut enim purpureâ emicat* claritate, *aut meracius ſuffunditur cocci rubore*; purpuræ velut propria tribuitur, cocco adempta, quod mirum. *Claritas* enim in omnibus coloribus ſplendor eſt mixtâ luce perfuſus: unde *clara purpura*, Græcè ὀξεῖαι, quæ plus habent luminis, quàm coloris; ut contra *ſatura* & *meraca*, quæ plus coloris, quàm luminis. Quod utrumque de cocco ſimiliter dici poteſt: Nam & coccum eſt clarum & acutum, plurimô lumine vegetum, ὀξυφοίνικον & ὀξυκόκκινον Græcis; eſt & ſaturatius & meracô rubore ſuffuſum, eoque obſcurius & auſterum magis. Idem in aliis coloribus evenit. Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis p. 200. & 1104 nec non infrà in voce *Clarus*. Sed & *Claritas*, inter dictionis ideas; quarum ſeptem eſſe Hermogenes ſtatuit, Græcè σαφήνεια, uti Trapezuntius interpretatur: ſicuti *Perſpicuitatem* Quintilianus, & Cicero, *l.* 2. *Academ. c.* 6. ἐνάργειαν atque *evidentiam*, vide Jul. Cæſ. Scaligerum, *Poëtices l.* 4. *c.* 1. ubi de *Charactere*. Mediô ævô *Claritas*, titulus fuit honorarius Proconſulis, in *Actis* Claudii Aſterii, & aliorum Martyrum, apud Baronium *A. C.* 285. *num.* 4. In Privilegio à Synodo Sueſſion. conceſſo Monaſterio Solemmacenſi *A. C.* 866. *Claritudo Regia* occurrit, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

CLARIUS Iſidorus, vide *ibi*.

CLARIUS, Cypri fluv. Plut. *in Solone*.

CLAROMONS, oppid. Siciliæ ſat lautum, intra montes, in Valle Netina, olim *Gulpbus*.

CLAROMONTANI, Gallis *Clermont*, nomen illuſtris in Gallia Familiæ: Baron. *de Clermont en Dauphiné* ſeu *en Viennois* & Vicecomit. *de Clermont en Trieves*. Celebris eſt jam ab A. C. 1180. quô Guilielmus floruit: cujus filiorum alter Amedeus Dominos *de Hauterive*, *de la baſtie d'Albanois*, & *de M. S. Jean* ex ſe procreavit. Majori natu Siboldo originem reliqui *Claromontani* ſeu Domini *de Clermont* debent. Seculô XIV. novæ diviſioni datus eſt locus, in filiis Aimari & Agathæ Pictavienſis. Nam à Gothofredo primarius ramus continuatus eſt, ſed ab Aimaro Dn. *de Hauterive* (ad quem etiam Surgeria & Dampetrina ſucceſſio delata eſt) deſcendunt Dni *de Surgeres* & *de Dampierre*, quorum illi Fonſecas, hi Gondios Radeſianos (*de Retz*) habuêre hæredes. Gothofredi filii fuêre, minor Carolus Dn. *de Vauſerre*, cujus progenies in abneptibus defecit: major autem Aimarus, continuavit primogenitorum lineam; ſed necdum diviſionis finis. Nam ab Antonii filiis, ſecundo Claudio, Domini *de Montoyſon* derivantur: major Antonius rerum ex filiis Ludovico & Bernardino diverſam habuit poſteritatem. Illâ brevi extinctâ, hæc, præter Barones *de Toury*, à Bernardini filio Juliano deſcendentes, conſiſtit in illis, qui à primogenito Bernardini Antonio trahunt originem. Hic enim ex Franciſca Pictavienſi genuit Henricum *de Clermont* Vicecomit. *de Tallard*: quô & Dianâ *de Marck*, genitus Carolus Henricus *Comes de Clermont & Tonnerre Vicecomes de Tallard*, *Primus Baro Delphinatus*, ex Catharina Maria *d'Eſcoubleau de Sourdis*, numeroſam prolem ſuſcepit: in qua eminent Franciſcus Comes *de Clermont* & *de Tonnerre*, Rogerius Marchio *de Cruſy*, Carolus Henricus Dux *de Luxenburg* &c. Præter honorem enim illum, quòd *primi Delfinatus Barones* nuncupantur, acceſſit etiam hôc ſeculô *Luxenburgicus* titulus, qui tamen iterum per filiam Magdalenam Bonam Thereſiam Franc. Henrico Montmorencio Buteviliо nuptam, ex hac domo ad Montmorencios migravit. Phil. Jac. Spenerus, *Theatro Nobil. Eur. Tom.* 1. Magdalenæ autem præfatæ Pater Carolus Henricus, ex Carola Margaretha Duce Luxenburgica & Pinæa, titulum Ducis *de Luxenbourg & Piney Principis de Tingri* acquiſiverat, cum illa filia eſſet Henrici Ducis Luxenburg. & Piney, extincti *A. C.* 1616. Vide eundem, *Tom.* 5. *p.* 81. *ut & in Indice*.

de CLAROMONTE Franciſcus, vide *Franciſcus*.

CLAROMONTIUM, Urbs Galliæ, Arverniæ primaria Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Bituricenſi, ampla & bene culta. In colle, ad radices montium, in tractu *Limania*, ad amnem *Artier*, qui pòſt in Elaverim cadit. Ex ruinis Gergoviæ crevit: primò *Gergovia*, dein *Auguſtonemetum* tandem *Arvernum*, *Arverna civitas*, & *Clarus Mons* dicta, an ab arce editiſſima? Hanc fruſtra obſedit Cæſar, *Comm. l.* 7. Turrim hîc, è larice, incombuſtibilem tum fuiſſe, refert Cœlius Rhodiginus. Sub Gothis, Alanis, Wandalis, aliis, plurima paſſa; S. Auſtremonium, primum habuiſſe Epiſcopum, ſub Decio & Grato Conſulib. dicitur. Inter cujus ſucceſſores Sidonius Apollinaris eminet. Hic à Carolo V A. C. 1374. Comitia regni habita. Monaſterium S. Illidii magnificum eſt, quod irrigat rivulus, olim *Scatern*, nunc Tiretaine dictus, ſuper quem pons ex aqua petrificata. Vide Ptol. *l.* 2. *c.* 7. Sidon Apoll. *l.* 4 *Ep.* 21. Gregor. Turonenſ. *l.* 3. *c.* 9. Joh. Savaronem, *de origine hujus urbis*, Ducheſnium, Sanſonem, *de Gallia antiqua*, ut & in voce *Clarus Mons*. Hic Concilia A. C 535. ſub Theodoberto, Auſtraſiæ Rege. Porro A. C. 549. 586. 1075. 1095. cum Urbanus II. Henrici IV. Imperatoris iram fugiens, in Gallia exularet: quô Philippus I. excommunicatus, donec, Bertradâ omiſſâ, legitimam reciperet uxorem. & Godofredus Bullionæus Dux belli ſacri electus. Item A. C. 1124 1130. ab Innocentio II. exule, eôdemque ſeculô ab Alexandro III. itidem exule, &c. *Moreri*.

CLAROMONTIUM, oppid. Galliæ in Bellovacenſi agro, Comitatus titulô clarum, 5. leuc. à Bellovaco, in ortum, à Sylvanecto in Boream. 7 à Compendio.

CLAROMONTIUM, urbecula Galliæ aliàs munita, in Ducatu Barenſi, Comitatus cognominis caput, in colle. Vulgò *Clermont en Argonne*. Mœnia nunc disjecta; ad amnem *Ayr*. 6. leuc. à Virduno in Occaſum, 3. à Fano D. Menehildis. Nunc ejus dino regno Franciæ annexa eſt.

CLAROMONTIUM Lutevenſe, Urbecula Occitaniæ Inferioris cum caſtro ad amnem *Lergue*, inter Piſcenas & Lutevam.

CLARUS, vulgò CALAMO, Ioniæ civitas, Apollinis oraculô nobilis, juxta Colophonem. Hanc Manto Tireſiæ filia condidit, fugiens Thebanorum victores Epigonos. Quæ cùm patriæ cladem lugeret & ſuam, manantibus ubertim lacrymis fontem fecit, unde *Claros*, ἀπὸ τ͂ κλαίειν, lacus appellatus, cujus hauſtus vaticiniorum, ſed & lethalium morborum cauſa. Strab. *l.* 14. Pauſan. *l.* 7 Nearchus verò autor eſt, inde hinc urbi nomen factum, quòd Apollini per ſortem Claros obtigit. Nam ſortem Græci κλῆρον, Dorici Κλᾶρον vocant. Hinc Apollo *Clarius* dictus eſt, qui illic & fanum habuit, in quo reſponſa epotâ aquâ edebantur. Eſt & *Clarus* inſula montoſa, in mari Myrtoo, & ipſa Apollini ſacra, hodie *Calamo*. Plin. *l.* 5. *c.* 31. Davity, *deſcr. Aſia*, *p.* 52. de qua nonnulli intelligunt illud Ovidii, *l.* 1. *Met. v.* 515.

> *--- Mihi Delphica tellus*
> *Et Claros & Tenedos, Pataræaque regia ſervit.*

Idem, *l.* 2. *de Arte*, *v.* 80.

> *Et Paros & Claro Delos amata Deo.*

Nic. Lloydius.

CLARUS, in celebritatibus orta vox, quum victores per Præconem *calabantur*, exemptâ vocali. Unde verbum Horatianum *clarare*, *Carm. l.* 4. *Od.* 3. *v.* 3.

> *Illum non labor Iſthmius*
> Clarabit *pugilem: non equus impiger*
> *Curru ducet Achaicò.*

Quo etiam Papinius utitur, *Theb. l.* 5. *v.* 286. ſed ſenſu tralatitiô,

> *--- --- ita ſomus in aëra turſus*
> *Solvitur: & noſtrum viſat arcentibus umbris*
> *Mitis iter longa claravit limite flamma.*

Hoc eſt, *clarum*, *lucidum fecit*, uti Lutatius & vetus Enarrator exponunt. Sed & eôdem uſus Paulinus Benedictus *de Vita Martini*, *l.* 2. *v.* 76.

> *- - --- præſenſque probatur*
> *Judicium*, *clarante Deô. Sententia Chriſti*
> *Obruit adverſam verborum turbine partem.*

Vide Caſpar. Barthium, *Animadverſ. ad Statium*, & *Paulinum d. l.* Hinc *Clarus* color, Latinis, qui aliàs *excitatus*, *vegetus*, *vividus*, *acutus*; Græcis ὀξύς, item λαμπρὸς: cui oppoſitus *ſaturus*, *plenus*, *adſtrictus*, *preſſus*, *nigricans*, Græcè κατακορὴς &c. Unde *clariſſima purpura*, apud Lamprid. in *Vita Alex. Sever. c.* 40. ὀξεῖαι πορφύραι, apud *Suidam*; φοινικὶς ὀξεῖα, apud *Ariſtophanem*, h. e. *excitati ac vegeti luminis*, oxyblatta in Cod. &c. Sed & Latini preſſum & ſaturum de *clariſſimis* & excitatiſſimis coloribus uſurpârunt, intenſiſſimum quemque in ſua ſpecie colorem, & qui diluto pallidoque maximè contrarius eſſet, ita vocantes, uti docet Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*, *c.* 3. quem vide: uti de *clara* voce profitendi Chriſtum, item *precandi* officio, infrà voce *Negatores*, it. *Precari*, & *Vox*.

CLARUS Fons, *Shirburn* ſeu *Sherborne*, oppid. Angliæ in Comitatu Dorceſtriæ, ad fontes amnis *Il*. in confinio Somerſetenſis provinc. 12. milliar. Anglic. à Dorceſtria in Boream, 24. à Bathonia in Auſtrum.

CLARUS Julius, vide *Julius*.

CLARUS Mons, Metropol. Arvernorum; primò *Auguſtonemetum* dicta, nomine ex duobus vocabulis, Latino, & Gallico, compoſitô: qualia Auguſtodunum, Cæſaromagus, &c. an ab Auguſto ſic dicta? cùm, teſte *Strabone*, *Nemetum* à Gallis vocaretur. Poſteà depoſitâ *Auguſtonemeti* appellatione, Gentis, cujus caput erat, nomine deſignari & *Arverni* dici cœpit, Plin. *l.* 34. *c.* 7. Demum, quòd arte naturâque munita, & in celſo, idcircoque monte poſita eſſet, *Caſtrum Clarum montem* appellavêre recentiores Hiſtorici, ante ann. 1000. circiter. Niſi quis malit *caſtrum*, i. e. arcem urbis Arverniæ, fuiſſe *Claromontem*, à ſitu ita dictum, unde poſteà urbi toti nomen: ſicuti Forum Cornelii, urbs Æmiliæ, ab arce ſua, vel, ut tum loquebantur, *Caſtro*, Imolæ nomen accepit. Aliam eſſe à Gergovia Arvernorum, Joſ. Scaliger, Maſſonus & Savaro aſſerunt;

runt; & aliquot ſtadiis ab urbe Arvernis diſtare: certè mons viciniis altiſſimus, in quo antiquitatis quædam veſtigia, etiamnum *Gergoye* vocatur, & Strabo Metropolim Arvernorum Nemoſſum ſeu Nemetum, à Gergovia Arvernorum urbe in celſo monte poſita, apertè diſtinguit. Hodie *Clermont*, & à caſtro Monte Ferrandi proximo, *Clermont Ferrand* dicitur. Ibi hodieque eſt Moneta, *la tour de la Monoye*, in qua olim moneta percutiebatur: Ibi & Capitolium, qualia Treviris, Toloſæ & Narbone, ut etiam Remis fuêre. Libri cenſuales Urbis Arvernorum Capitolium memorant, quam domum publicam alii vocant, ubi pondera & menſuræ reponebantur. Inter Epiſcopos Bituricenſi Metropolitano ſuffraganteſ *Claromontenſem* primò locò conſtituunt, Gervaſius Tiſlebertenſis & quædam eò recentiores Notitiæ. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Claromontium*.

CLASIA, vulgò *la Claiſe*, fluv. Galliæ, in ſaltu Brionæ *Brenne*: Alluit Vendoperam *Vanteuvre*, Barſam, Macerias in Briona, *Mezieres en Brene*; Longoretum vel S. Sigiranni Cœnobium in Briona, *S. Siran en Brene*; S. Michaëlem in Brionis ſaltu, *S. Michel en Brene*; Blionem *le Blinon*, Bolciacum *Boſſay*, Prulliacum *Prully*, ac demum decurrit in Croſam. Hadr. Valeſ. in voce *Longoretum*.

CLASMA, Græcè κλάσμα, vide infrà ubi de *Pane fracto*.

CLASMATICA, pars Statices, de qua ſuò locò.

CLASSICA Corona, vide infrà *Navalis*.

CLASSICI, Milites qui in claſſibus militant, ſeu navibus armatis, de quibus titulus eſt in *Cod.* Juſtinian. & Theodoſ. *Claſſiarii milites*, apud Lamprid. in *Commodo*, c. 15. qui *Lembarii*, apud Vopiſc. in *Aureliano*, c. 38. Duo enim genera *Claſſium* apud Romanos fuiſſe, ſcribit Vegetius, *l.* 4. *c.* 31. 32. *ſ. Liburnas* & *Lembos* ſeu *Luſorias*: illis in mari utebantur; iſtis in fluminibus, quæ eos à Barbaris dividebant; in utriſque Milites erant *Claſſiarii*, quos juſtorum militum operam munuſque præbuiſſe & in campo & in caſtris, apud Veteres diſcimus ex Hygino *de caſtrametat*. *Alæ milliariæ vel quingenariæ; Mauri equites; Pannonii veredarii*: Claſſici *omnes ideò prætendunt, quòd ad vias muniendas primi exeant, & quò ſint tutiores, à Mauris equitibus & Pannoniis veredariis operantes proteguntur*. Idem alibi *Claſſicos* Miſenates & Ravennates numerat, inter Mauros equites, Pannonios exploratores, Palmyrenos, Dacos Getacos & reliquas nationes, quæ Romanis militabant. Primum autem *Claſſiarios* ex remigibus juſtos milites feciſſe Neronem, legimus apud Suetonium; qui idem excalceatos currere juſſos eſſe notat, in *Veſpaſ.* c. 8. Vide Salmaſ. *ad Vopiſc. loc. cit.* uti *de Claſſicis Auctoribus* hîc infrà, ut & *de Claſſico milite*.

CLASSICIANUS, vide *Julius*.

CLASSICUS, nobilitate opibuſque ante alios, alæ Treverorum præfectus, cui genus regium & pace bellóque clara origo: ipſe è majoribus ſuis hoſtis populi Romani quàm ſocius eſſe jactabat. Tacit. *l.* 4. *Hiſt.* c. 55.

CLASSIS, oppid. prope Ravennam, cujus meminit Æl. Spartian. *in Didii Juliani vita*, c. 6. hodiè ejus nihil extare, præter monaſterium D. Apollinari dicatum, *Hieron. Rubeus*, & *Leander* auctores ſunt. Ibi *Candiano* amnis in mare Adriaticum ſe exonerat. Nunc etiam *Claſſe*. *Baudrand*.

CLASSIS, propriè vox nautica vel ἀπὸ τῶν κάλων, à lignis: vel à voce κάλως, rudens, vel quaſi *Calaſſis*, ab antiquo *Calare* congregatio enim eſt. Impropriè ordinem civium denotat; quales *Claſſes* à Servio Tullio Romæ inſtitutas ſex legimus, quæ 193. civium centurias ſub ſe continebant. Primam fecit eorum, quorum maximus cenſus erat, nec minor centum mini, i. e. 10000. librarum Turonicarum: Hos arma habere imperavit, clypeum, arginum, loricam ex ære galeamque & ocreas, tela, haſtam & gladium; diſtinxitque in 40. centurias juniorum, qui primum ſemper locum tenebant in acie, & totidem ſeniorum, quibus urbis cuſtodia erat commiſſa. Secundæ *Claſſis* cenſus erat rotra 10000. drachmarum uſque ad minas 70. Ex his conſcriptæ 20. centuriæ: qui arma eadem geſtare juſſi, loricis ſolùm carentes, ſcuta pro clypeis habebant; iterum diviſi in 10. centurias juniorum & totidem ſeniorum, quorum ætas 45. annos exceſſit. Tertiæ cenſus, ut ad 7500 drachmas non perveniebat, ita 50. minis major erat. His non loricæ ſolùm, ſed & ocreæ ademtæ erant, diviſique ſimiliter in 20. centurias, in acie proximum poſt ſecundæ Claſſis cives ordinem tuebantur. Qui porrò minus 5000. drachmarum poſſidebant, uſque ad 10. minas, quartam conſtituêre, totidem centuriis, in ſeniorum pari cum prioribus modo ac juniorum centurias diſtinctis conſtantem: His arma imperata, ſcuta, haſtæ, & gladii, locuſque in poſtrema acie imperatus eſt. In quintam *Claſſem* rejecti ſunt, quorum facultates cenſerentur inter 25. minas & duodecim cum dimidia; Eorum 30. erant centuriæ, pro ætatis ratione ſimiliter diviſæ. His imperatum, ut cum fundis & jaculis militarent extra ordines. Juſſæ etiam armatos ſequi quatuor inermes centuriæ, duæ ad armorum & machinarum fabricam; totidem Cornicinum, Tibicinum quique aliis inſtrumentis ſigna canerent. Opifices in ſecunda claſſe cenſebantur, adſcripta ſenioribus una ejuſdem ætatis centuria; altera juniorum ſtipendia faciebat cum juvenibus. Tubicines & Cornicines quartæ pars erant, pari ætatis diſcrimine: Equitum delectus ex opulentiſſimis fuit. Sexta *Claſſis* ac ultima eorum civium erat, quorum cenſus minor erat duodecim minis ac dimidiâ: Hi, licèt numerò reliquas omnes claſſes ſuperarent, in unum ordinem congeſti immunes fuêre à tributis ac militia. Vide Dionyſ. *l.* 4. & ſuprà in vocibus *Cenſus*, item *Centuria*. Addam ſolùm, primæ tantùm *Claſſis* cives, per excellentiam *Claſſicos* fuiſſe dictos, unde hodieque optimæ notæ ac auctoritate digniſſimos Auctores *Claſſicos* vocamus; A. Gellius, *l.* 7 *c.* 15. *Claſſici*, inquit, *dicebantur non omnes, qui in claſſibus erant ſed primæ tantum claſſis homines: qui centum & viginti quinque millia æris ampliùsve cenſi erant*. Facimus autem centum millia æris, inquit Anthon. Thyſius *in hunc locum*, 3000 florenorum Hollandicorum: juxta Thom. Godwynum ducentas libras Sterlingas, *Anthol. Rom. l.* 3. *ſect.* 2. *c.* 4. Ab eadem voce orta phraſis, *Claſſicum canere*, Germanicè *Larmen blaſen*: Fiebat illud, non primò unius ac ſingularis tubæ ſonò, qui Primipili fortaſſe haud longè ab Imperatore nutu incinuit; nec ſecundò aliquot aliorum; qui in loco quodam tabulato ac fortaſſis altiore ſtabant ad ſigna & Aquilas: ſed tertiò omnium aliorum per cohortes, per turmas, qui pariter jam *Claſſicum* canebant. Vide Lipſium *de Mil. Rom.* & Stewechium, *ad Vegetium*, ut & infrà in voce *Tuba*. Olim verò *Claſſicum* buccinâ ſeu cornu cani ſolebat, & convocationis militum ad bellum inſtans ſignum erat: ſed prælii conferendi ſignum tubâ dabatur. Buccinam autem comitabantur vel præcedebant ituul. Lucan. *l.* 7. v. 475.

> *—— —— ſtridulus aër*
> *Eliſus lituis, conceptaque* Claſſica *cornu*:
> *Tunc auſæ dare ſigna tubæ ——*

Apertè etiam Iſidorus, *Origin. l.* 17. *c.* 4. *Buccina inſonans ſolitudinis ad bella denuntiabat. Virg. l.* 7. *Æn.* v. 519. quâ buccina ſignum Dira dedit — *Tuba autem prælia indicabat*, ut *l.* 9. *Æn.* v. 503. At tuba terribilem ſonitum dedit ære canorò. *Cujus ſonitus varius eſt; nam interdum canitur, ut bella committantur, interdum ut inſequantur eos, qui fugiunt, interdum receptui, nam receptus dicitur, quò ſe exercitus recipit: unde & ſigno receptui canere dicuntur. Claſſica ſunt cornua, quæ convocandi causâ erant facta, & à calando claſſica dicebantur, de quibus Virgilius, l.* 7. *Æn.* v. 637. Claſſica namque volant. *Apud Amazonas autem non tubâ, ſed ſiſtrò, à Regina, vocabatur fœminarum exercitus. Gloſſar.* Græco-Latinum, ἀεςοφόρος σάλπιγξ. *Claſſica*. Vide de *Claſſicum incinendi modo*, etiam apud Dionem Caſſium nonnulla, *l.* 47. ubi tamen tubæ & *Claſſici* differentiam confundit &c. Delrius, *ad Thyeſtem. Sen.* v. 574. Joann. de Janua *Claſſicum* propriè eſt *Concentus & concordia omnium inſtrumentorum ſimul ſonantium, ſive ſint tubæ vel cornua in bello, ſive ſint campanæ* omnes alicujus Campanilis: quod Galli *Glas*, Occitani Claſſes dicunt, quis, ut ait Honorius Auguſtodun. in *Gemma Animæ, l.* 1. *c.* 71. *cùm campanæ ſonantur, quaſi per* Claſſica *milites ad prælium incitantur*. Hinc in *Vit.* Abbatum S. Albani, *Pulſatô ſolenni claſſicô*. Florent. Wigornienſis *A. C.* 1139. *S. Oſwaldi reliquias, albis indutis, totâ ſonante claſſe extulerunt*. Gail. Brito, *Philippidos l.* 12.

> Claſſica *per vicos reſonant, ut multiplicatô*
> *Concentu majore ſonô ſe vota revelent.*

Fortunatus, *l.* 3. *Poem.* 4. *de Dedic. Eccl.*

> *Nunc Domini laudes, inter tua* Claſſica, *canto;*
> *Et Trinitatis opem machina trina ſonet* &c.

apud Car. du Freſne *Gloſſar*. De *Claſſibus*, in quas Athenienſes olim diviſi, dicemus aliquid infrà, voce *Naucrari*.

CLASSIS Alexandrina, ab Auguſto conſtituta, frumenta Romam ex Ægypto devehebat, ut diximus alibi: ad cujus æmulationem Commodus inſtituit, ut per certos homines, impenſâ publicâ, *Africana* quoque curaretur, & *Commodiana Herculea* appellaretur, apud Lamprid. *c.* 17. Vide de utraque Lipſium in *Electis*. De *Claſſe* Miſenate & Ravennate verò, ſuprà in *Claſſici*, item in voce *Cataplus*.

CLASSITÆ, Aſſyriæ populi, *Ptol.*

CLASSIUS, Galliæ Narbonenſ. amnis. *Sext. Avienus*.

CLASTIDIUM, Italiæ oppid. *Chiaſtegio Leandro* Strabo, *l.* 5. Τινὲς δ' Πλακεντίας, ἀπὸ μὲν τοῦ ὄρους τ' Κοτίου τῦς Τίκινος ἐις πόλεις, ἢ Κλαστίδιον ἢ Δέρθων, ἢ Ἄκουιαι Στατιέλλαι. *Κώμην* vocat Plut. in *Marcello*, i. e. *vicum*, ita Livius quoque appellat, *l.* 21. *c.* 48. *l.* 29 *c.* 11. At Polybius horum temporum æqualis, in eadem Hiſtoria, *l.* 3. πόλιν, i. e. *urbem* vocat. *Nic. Lloydius*.

CLASTON, forſan Caſtulo antiquorum. Vide ibi.

CLASTRIS, munimentum olim Galliæ, in pago Veromanduo, vulgò *Clary*, ad flum. Summam, prope Parronam, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CLATERNA, ſeu CLITERNA Plin. *l.* 3. *c.* 15. hodiè *Quaderna*, oppid. fuit Æmiliæ medium ferè inter Bononiam, & Forum Cornelii, ubi adhuc fluviolus, & locus nomen retinet. Mela, *l.* 2. *c.* 4. *Claternam* in Piceno deſcribit. Altera *Claterna* oppid. fuit Apuliæ Dauniæ, nunc *Campo marmo* locus appellatur, teſte *Nigrô*. *Baudrando* vicus Apuliæ ad oſtia Fortoris fluv. in provinc. Capitanata, in confinio Aprutii citerioris. Melius *Cliterna*. 2. milliar. ab ora maris Adriatici. Ceterùm de *Claterna* vide Cluver. *Ital. Ant.* p. 289.

CLATHRI, in Gloſſis *ligna volubilia in caveis*, aliàs *rutuli*, & *repagula verſatilia*, Græcè ϰιγϰλὶς & ϰυλινδρος, de quibus vide hîc paſſim, inprimis in voce *Rutuli*. Inter Inſignia Comitum Manderſchehdiorum in Circulo Weſtphalico *Clathri rubei, in auro*, Dominii *Dhaun*, unde & Dhaunii Comites eoſdem gerunt, teſſera ſunt: ſitum autem illud eſt in Archiepiſcopatu Trevirenſi. Et quidem *rubeos in auro ternos* Domini in *Dhaun* olim habuêre; addidit Richardus Junior Seculò XIV. illis 2. argentea, in cœruleo, aliaque diſcernicula alia, ſic tamen ut *Clathri* manerent ſemper, hodieque in Dhaunio ſcuto rubeant. Sed & *Clathri*, in galeis ſeu caſſidibus Virorum Illuſtrium, quæ proin *Clathratæ* dicuntur, German. *Thurnier-helm*, vel *Offene-helm*, quibus opponuntur *clauſæ*, German. *Stechhelm*, quæ non per *clathros*, ſed minuta foramina lumen admittunt, & olim nonnunquam à magnis etiam Principibus promiſcuè ſunt uſurpatæ, atque etiamnum à quibuſdam Illuſtribus adhibentur. Franciei verò ſcuti apex, galea eſt aurata, directa, ac aperta, ſed ſine *clathris*. Vide Cl. Speneruni, *Art. Herald Part.* 2. *paſſim*.

CLATOS, urbs Cretæ Mediterranea. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

CLATOVIA, oppid. Bohemiæ, ubi in Huſſitas ſævitum, circa A. C. 1461. Lætus, *Compend.*

CLAVA, *ramus* ex utraque parte præciſus, & ſic pro fuſte & baculo eſt; ex Græco κλάδα, quod idem cum κλάδος, *ramus*, apud *Heſych.* unde κλάβαν Æoles fecêre, Latini *Clavam*. Hinc Clavam Herculis, *ramum* etiam vocant Latini Poëtæ. *Propert.*

Ille etiam Eleo percuſſus tempora ramo.

Ut Græci ὄζον & ὄζος. Philippus in *Epigramm.*

—— ὁ βαρύστος ὄζος ὁ δωδεκάθλος.

Fuit autem illa ex oleaſtro. Vide infrà in *Cotinus*. At Poëticâ licentiâ *Pineam ſtipitem* vocat Statius, *Theb. l. 4. v. 155. tenax enim hæc materia nec gravis*, ut habet *Gloſſa MS.* Vide de pinu *Theophraſtum* & *Plinium*. Certè arboris hujus nodoſa ligna duriſſima & durabiliſſima eſſe notum. Adeò autem *Clava* illa Herculi addicta, ut ſocium ejus dicat Val. Flaccus, *l. 3. v. 161.*

Nec pharetram, aut acres ultra Tirynthius arcus
Exercet, ſocia ſed deſpicit omnia clavâ.

Simile armorum genus Theſeo adſcribit Euripides:

Αὐδᾷ δ' ὅπλισμα τοῦτ' ἰδοῦσ' ἔχειν λαβεῖν
Δεινῆς κορύνης, ἀμφιδέξιον ἰσοῤῥοπον,
Ὁ μῦ σταχύλλης ναιτοιοφόρον κάρα
Κοπτον θερίζον, ναιτοδωδεκίζον ξύλον.
Μάλα δὲ ποις ἔθρεψεν οἷς φοινὶ πόδα.

Quam *quercum Marathonida*, item *arborem ferratam*, vocat Statius, *Theb. l. 12. v. 730. & 769.* Eam autem aſſumſiſſe geſtandam, exceſſô, qui latrocinia tali telô faciebat, Periphete Corynete, ſcribit Plutarchus. Vide quoque Apollodorum, *ſine l. 3.* ubi à voce κορύνη, i. e. *clava*, hunc Κορυνήτην, dictum fuiſſe, ait. Sed & aliorum *Clava* antiquiſſimum in pugnam telum fuit. Unde Virg. *l. 7. Æn. v. 506.*

—— hic torre armatus obuſto.

Papinius Statius, *Thebaid. l. 4. v. 64.*

—— —— robora flammis
Indurata ——

Alii. Cujuſmodi *clava mannaria*, mediô ævô, in uſum redierunt. Paulus Warnefridus, *Hiſtor. Longobardic. l. 6. c. 3. Ratchis Dux, cum Slavi ſubitò ſuper eum irruiſſent & ipſe adhuc lanceam ſuam armigero non abſtuliſſet, eum qui primus ei occurrit, clavâ, quam manu geſtabat, percutiens ejus vitam extinxit &c.* Imò hodieque *Clava fortis*, ex America Septentrionali, aſſervatur in *Muſeo* Kircheriano. Ex duriſſimo eſt æruginei coloris ſaxo, more lentium opticarum, ex duorum circulorum ſegmento elaborata, ſic ut circumcirca in acutiorem aciem vergat, in medio verò, ob corporis craſſitiem, ictûs vibrationem augeat & ſoliditate robuſtior ſit. In medio foramine exciſo tripalmaris baculi manubrio inhaſtatur. Venerabilis eſt Auctori, quòd aliquot Societatis ſuæ eâ interemti, ingenioſô Barbarorum furore &c. Georg. de Sepibus, *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſeo, p. 34.* De *Clavarum* ingeſtis verberibus, in Martyrum ſuppliciis, vide infrà voce *Tympanum*. Paſtores verò *Clavam* quoque, atque illam ex myrto tuliſſe, docet Scholiaſtes Papinii, *ad Theb. l. 4. v. 301.*

Et paſtorali meditantur prælia truncô.

I. e. *Clavâ*, inquit, *ſeu robore, ſtipite curvô de myrto, id quod firmiſſimum lignum eſt, qualibus Paſtores utuntur in Italia.* Myrtum certè haſtilibus electam, Virgilius docet, *Georgic. l. 2. v. 447.*

At myrtus validis haſtilibus & bona bello
Cornus —— ——

Qui parem Camillæ tribuit, ſed ſpiculo præfixam *ſine, l. 7. Æn.*

—— Lyciam ut gerat ipſa pharetram
Et paſtoralem præfixâ cuſpide myrtum &c.

De Peruanis, tonitru, quod inter ſua Numina habent, in figura hominis effingentibus, cum *clava* & funda, vide infrà, voce *Tonitru*; de ritu medii ævi *vigilias cum clava notificandi*, itidem infrà ubi de *Vigilis*. Inde diminutivum *Clavula*, *Varroni* talea vel ramus ex arbore deciſus, unde *Clabularis* vel *Clavularis* curſus, de quo ſuprà. Sed & *Clavas* Latini vocabant κοῖλα ξύλινα, ſeu κολόβαθρα, quæ κλαυαι quoque Græcis: h. e. *ſoleas vel gallicas*, *lignea* nempe *ſandalia*, quæ in balneis geſtabantur; item *grallas*: A quo *Clavator*, pro grallatore, apud Plautum, *Pœnul. Actu 3. ſc. 1. v. 27.*

Cervum curſu vincere, & Clavatorem *gradu*.

Voce *Clava* vel κλαῦα poſteà ad quemvis ligneum calceum ſignificandum extensâ, Salmaſ. *ad Capitolinum in Pio, c. 12.* & *Spartian. in Antonino Caracalla, c. 4.*

CLAVARE Veſtem purpura, idem quod *oculare* eſt; παρυφωμένη in *Gloſſis*: h. e. notis, ſigniſque exornare. Variis enim figuris, quâ rotundis, quâ quadratis, Veter. luxuria luſit in veſtibus aurô purpurâve illinendis; quarum quæ rotundæ erant & in circulum flexæ, *plumas* vocitârant Latini, item *Oculos* & *Clavos*, (quorum capita rotunda Græci ἀστερίσκους, σφραγῖδας, ὀμμάτια, πίγχους &c.) Quæ quadratæ fiebant & intertexebantur veſtibus, itidem *Clavos* appellârunt Latini, ut & *teſſeras*; recentiores Græci τάβλα vel ταβλία, h. e. *tabulas*, quô tamen nomine etiam Latiniores Auctores etiam orbiculos illos ligneos vel eboreos vocârunt, quibus in tabula luditur. Sic *tabula* & ταβλία in veſtibus, rotundi clavi fuerunt: cujuſmodi tabularum & orbiculorum, quibus veſtes aut vela *clavabantur*, meminit ſæpiſſimè Anaſtaſius in *Vitis Pontificum.* Ταβλία certè χρυσᾶ & πορφυρᾶ, pro *clavis aureis* & *purpureis* occurrunt in *Faſtis* Græcis, &c. Non parvum autem inter veſtium paragaudes ac plumas ſeu *clavos*, πλουμία quoque recentioribus Græcis, diſcrimen fuit. Paragaudis, h. e. loris auratis veſtes circumtexebantur, plumis autem ſeu clavis aureis aut purpureis intexebantur: unde veſtem purpureis clavis intertextam, Græci πλουμοφόρον; loris vero purpureis ſeu paragaudis circumtextam, περιπόρφυρον, Latini *prætextam*, vocabant; ſimili diſcrimine inter μονολώρους & πεντηκλώρους χιτῶνας, apud Eliſiam, *c. 3.* &c. Et quidem communes Romanorum tunicæ albæ erant, purpurâ *clavatæ*; at triumphales, purpureæ totæ, aurô clavatæ, quas à *clavorum* latitudine *palmatas* vocabant: à quibus *pallæ* diſtinguendæ, quæ non unius formæ clavos ſuis locis inſertos inſutoſque habebant; ſed diverſis coloribus erant intextæ ac varias rerum animaliumque formas acu expreſſas oſtendebant. Porrò in Senatorum tunica conſuti erant multi latiores clavi, ziquequadrati, unde πλατύσημος dicta, quam ante Cæſarem nemo Senatorum cingebat: Equitum verò tunica *clavos* anguſtiores inſutos habebat, στενόσημος & ψιχόσημος hinc vocata, ſuper quam illi cingebantur, uti Quintilianus docet, *l. 11. c. 3.* &c. Sed & ſigillatæ non confundendæ cum *Clavatis*: ita autem dicebantur in quibus figuræ vel hominum vel beſtiarum aurô vel purpurâ expreſſæ erant, Græc. hinc ζωδιωταί. cujuſmodi ſigilla σκοῦλα vocat Aſterius, uti oſtendit Salmaſ. *ad Trebellium Pollionem in Herode, c. 25. XXX. Tyrann.* Vide ſuprà in voce *Belluata*: plura autem de hac *clavandi* ſeu plumandi arte, apud eundem Salmaſ. ad *Vopiſc. in Carino, c. 20.* & hîc infrà, in voce *Clavus*, item ubi de *Oculis veſtium* &c.

CLAVARIUM, apud Tacit. *l. 3. Hiſtor. c. 50. Ipſos* (Veſpaſiani Duces) *in regione bello attrita, inopia & ſeditioſæ militum voces terrebant*, Clavarium, *donativi nomen eſt, flagitantium*

CLAVARIUS, Italis *Cinavalo* & *Chiavolo*, apud Provinciales *Clavaire*, nomen dignitatis, cui *claves* Fiſci communis commiſſæ ſunt. Vide Joan. Danetum, *Hiſtor. Balearici Regni, p. 87. 92.* At *Clavicarii* in *l. 1. Cod. de Excuſ. artif. lib. 10.* in *Baſilicis*, Κλειδοποιοί, clavium contextores: *Clavicularii* verò apud Jul. Firmicum, *Math. l. 3. c. 6.* carceris cuſtodes ſunt, Κλειδοφύλακες, & κλειδοῦχοι, in *Synaxariis*, Κλειδοκράτορες Græcis recentioribus dicti: Car. du Freſne *Gloſſar.*

CLAVASIUM, vulgò *Chivaſo*, oppid. Pedemontii ſat munitum, juxta Padum, ubi Orcum recepit, 12. milliar. infra Taurinum, 13. ab Eporedia in Auſtrum.

CLAUDA, inſul. ſpectans Cretam inter meridiem, & occidentem. Actor. *c. 27. v. 16.* Κλαύδην *Atheneo*, Κλαῦδος *Ptolemæo*, Γαῦλος & Γαῦδος aliis, *Gaulos* Solino, *c. 29. Ex parte, qua Cretæ eſt, accepimus Gaulon inſulam, in qua ſerpens neque naſcitur, neque vivit invecta.* Plinio *Gaulos*, *l. 5. c. 7.* &c. Melite Africanâ, quæ *Malta* hodieque, octingenta octo μίλια diſtare, tradit *Strabo*, ex Geographi ſententia: ubi μίλια non eſſe *ſtadia*, ut reddidit Interpres, ſed *milliaria* docet Salmaſ. *ad Solin. d. l.*

CLAUDÆ Victimæ, rejectæ à Deo, Deuteron. *c. 15. v. 21.* Vide quoque Malach. *c. 1. v. 8.* Quod & in ſacris ſuis Græci Romanique accuratè obſervârunt, ut nempe hoſtiæ lectæ & eximiæ eſſent, neque *Claudæ* & vitioſæ. Unde Poëta, *l. 4. Æn. v. 57.*

—— mactant lectas de more bidentes.

Et Alexander ab Alex. *Genialium dier. l. 3. c. 12. Lecta*, inquit, *dicuntur hodie majores & uberius depaſtæ, quæ* claudæ, *morboſa aut vitioſa non ſunt* &c. Vide hanc in rem Bochart. *Hierоz. ſeu de Animalibus ſacræ Scripturæ, Part. prior. l. 2. c. 46.*

CLAUDERE, vide infrà *Ligare*.

CLAUDERE ſpatham capulô, apud Æl. Spartian. in *Hadriano Cæſ. c. 10. ut capulô vix eburneô ſpatham clauderet*: eſt eburneum capulum, vel clauſulam ſpathæ addere; quomodo Græci dicunt καθηλοῦν τὸ ξίφος, de enſe, cui capulus additur. Græci ἐλεφαντόκωπον ἄορ iſtiuſmodi ſpatham vocant: item ἐλεφαντόδετον, h. e. *eboreis clavis fixum capulum habentem*, ſeu *ebore clauſum*, aut *vinctum*. Capuli enim enſium aurô, argentô, ebore vincti, ſunt clavis iſtiuſmodi confixi, vel etiam aurati aut argentati. Uti *auro vincta*, pocula ſimpliciter deaurata appellavêre, ut & *aurô clauſa*, Græcis χρυσόκολλητα: quamvis propriè ſic dicta fuerint, quibus aurum incluſum eſt, per Artem ἐμπαιστικήν, quæ & χρυσοκόλλησις. Unde *Cluſores* & *Incluſores*, de quibus infrà. De Capulis verò enſium retro dictum.

CLAUDI, Numidiæ locus. *Antonin.*

CLAUDIA, gens Romana patricia à Sabinis venit, cognomina ſibi Neronis ac Druſi uſurpavit, quòd Nero linguâ Sabinâ vir ſtrenuus & fortis dicatur; Druſi verò à Claudio Druſo, qui hoſtium Duce Gallorum Druſô cominus trucidatô, ſibi ac poſteris nomen indidit. Tranquillus, *Tiber. c. 1.* Fuit & altera plebeja. Vide *Claudii*.

CLAUDIA, virgo Veſtalis, quæ cùm in ſuſpicionem ſtupri veniſſet, & ſimulacrum matris Idææ in vado Tyberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam ſuam, fertur cingulô duxiſſe navem, quam multa hominum millia trahere nequiverant. Aliô tempore Tribuno Plebis patrem de triumphali curru detracturo, generosè obſtitit. Valer. Max. *l. 5. c. 4. ex. 6. Plut.* Aurel. Victor. *de Viris Ill. c. 46.*

CLAUDIA, privigna Antonii, Fulviæ ex Pelodio filia, vixdum nubilis, uxor fuit Auguſti, quam dimiſit intactam adhuc, & virginem, exortâ ſimultate cum Fulvia ſocru: moxque Scriboniam accepit. Sueton. *in Aug. c. 62.*

CLAUDIA, Claudii II. Imperatoris ex fratre Criſpo neptis, juncta Eutropio, nobiliſſimo gentis Dardanæ viro, ex eo mater fuit Conſtantii Cæſ. teſte Trebelliô Pollione, in *Vita* Claudii, *c. 13.*

CLAUDIA, uxor Papinii Statii, ad quam extat ejus carmen, *l. 3. Sylv. 5.* cujus initium,

Quid mihi mœſta die, ſociis quid noctibus uxor
Anxia, pervigili ducis ſuſpiria cura?

Filiam

Filiam fuiſſe Citharœdi, colligit Fred. Morellus ex v. 64.

Sive chelyn complexa petit, ſeu voce paternâ
Diſcendum Muſis ſonat ----

Eandem ſaltâſſe poëmata, *verſ. ſeq.*

Candida ſeu molli diducit brachia motu.

Qui tum mos receptus inter Virgines Romanas, ut ex Horatio diſcimus. Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium d. l.*

CLAUDIA, filia Ludov. XII. ex Anna Britannica, A. C. 1499. matre invitâ, Franciſco I. nupſit, A. C. 1506. 1514. Fœminæ defectum prudentiâ ſarcit, mater Henrici II. Magdalenæ, Jacobo V. in Scotia nuptæ, Margaretæ, Emanuel. Philiberti Sabaudiæ Ducis uxoris, &c. Bouchet Sam-Marth. *Geneal. Gall.* Mezeray, *hiſt. Franciæ tom* 2. p. 597. Item filia Henric. II. quæ Carolo III. Lotharingiæ Duci nupſit.

CLAUDIA Bectozia, dicta *Scolaſtica*, ex Delphinatu, ob eruditionem, à Franciſco I. magni habita. Latinè Gallicéque pluſima verſu ſcripſit, Academicorum opiniones ſecuta, Obiit A. C. 1547. Lud. Dominicus, *de nobilitate fœm.* Fr. Auguſtin. *Theatro fœmin. ill.* Hilario Coſtus, *elogio fœm. ill. tom.* 2. *part.* 8. *p.* 755. Cl. Juvenalis de Urſinis, *&c.*

CLAUDIA Quinta, Appii Cæci filia, cujus ſtatua in veſtibulo templi matris Deûm poſita, bis ea æde incendiô conſumptâ, priùs P. Naſicâ Scipione, L. Beſtiâ: item M. Servilio & L. Lamiâ Conſulib. in ſua baſi flammis intacta ſtetit, Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 64. Val. Max. *l.* 1. *c.* 8. *ex.* 11.

CLAUDIA Pulchra, ſobrina Agrippinæ, à Domitio Afro accuſata, crimine impudicitiæ, adulterii cum Furnio & veneficiorum in Principem Tiberium, ac devotionum; licèt multùm renitente & fremente Agrippinâ, cum Furnio damnata eſt, Tacit. *l.* 4. *Annal.* c. 52.

CLAUDIA Sacrata, mulier Ubia, cum qua Petilius Cerealis creditus eſt conſuetudinem ſtupri habuiſſe. Tacit. *l.* 5. *Hiſt.* c. 22.

CLAUDIA, urbs Norici, Plin. *l.* 3. c. 24. *Claudinium* Ptol. *Clagenfurt*, teſte Lazio. Vide ibi.

CLAUDIA, & Claudia Caſtra urbs Angliæ ad Sabrinam fluv. vulgo *Gloucester*. aliis *Glevum*. Vide ibi.

CLAUDIA, eſt CLAUSEN, vicus Bavar. prope *Marquartſtein*, in lacu *Chiemſee*, forſan *Claudium*, *Ptol. Cluverius.*

CLAUDIA Lex, lata à C. Claudio Conſule cum Tib. Sempronio, an. Urb. Cond. 576. voluit: *Ut qui ex ſociis ac Latini nominis ipſi, majoresve eorum, M. Claudio, T. Quinctio Cenſoribus, poſtque ea apud ſocios nominis Latini cenſi eſſent, ut omnes in ſuam quiſque civitatem ante Kal. Novembris redirent*, Vide Liv. *l.* 41. *c.* 9. Alia lata à M. Claudio Conſule cum Serg. Sulpicio Rufo an. Urb. Cond. 702. *Ne in Magiſtratuum Comitiis abſentium ratio haberetur*, Sueton. in *Cæſ.* c. 28. Alia, cujus auctor Q. Claudius, Tribun. Pleb. P. Corn. Scipione, T. Sempronio Longo Conſulib. an. Urb. Cond. 535. *Ne quis Senator, quive Senatoris pater fuiſſet, maritimam navem, quæ plus quàm 300. amphorarum eſſet, haberet*, Liv. *l.* 21. *c. ult.* Hanc Legem Cæſar Dictator poſteà in Juliam de repetundis transtulit. Alia à M. Claudio Marcello Conſule cum Serg. Sulpicio Rufo an Urb Cond. 702 lata voluit, *Ut colonis, quos rogatione Vatinia Novicomum Cæſar deduxiſſet, civitas adimeretur: quòd per ambitionem & ultra præſcriptum eſſet*, Sueton in *Cæſ.* c. 28. Alia à C. Claudio Imperatore ſancita eſt, *Ut ne agnati mulierum tutelam legitimam recipere cogerentur*, Ulpianus, *tit.* 2. *Inſtit.* & Imperator, *l.* 3. *Cod. de legitimis tutoribus.* Alia eôdem auctore, ab Athenienſibus deſumpta, *Credentibus ne in mortem parentum pecunias filiis familiarum fœnori darent*, interdixit, Tacit. *l.* 11. *Annal.* c. 13. Alia tandem fuit de Scribarum negociationibus, quam Claudiæ de Senatorum quæſtu partem fuiſſe, ſcribit *Hottomannus.* Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 1. 2. 3. *paſſim*

CLAUDIA Tribus, à Servio Tullio inſtituta eſt, in quam cùm Actius Clauſus, cui poſteà Appio Claudio fuit nomen, cum clientibus ſuis Regillo profugus & civitate donatus, ſcriptus eſſet, Tribui de ſua appellatione nomen impoſuit, Liv. *l.* 2. *c.* 16. & Halicarn. *l.* 5. Vide & Virg. *Æn. l.* 7. & Pedianum *ad Oration.* Cicer. *pro Scauro.*

CLAUDIA Via, quæ à Milvio ponte inchoata Flaminiæ jungebatur. Ovid. *Pont. l.* 1. *El.* 8. *v.* 44.

Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ.

CLAUDIÆ Aquæ, fontes duo Romæ, *Cæruleus*, & *Curtius.*

CLAUDIANA Tonitrua dicebantur, quæ Claudius Pulcher inſtituit, ut ludis factis poſt ſcenam conjectus lapidum ita fieret in circumactam pelvim, ut veri tonitrui ſpeciem repræſentaret.

CLAUDIANISTÆ, ſecta Donatiſtarum, à Claudio auctore, Pſeudoſynodum habuerunt in Caverna Suſis. Vide Auguſtin. in *Pſalm.* 36.

CLAUDIANUS, Poëta inſignis, Theodoſii & Honorii temporibus floruit, à quibus ſtatuam meruit in foro Romano cum hac inſcriptione: TRIBUNUS: NOTARIUS: INTER CÆTERAS INGENTES ARTES PRÆGLORIOSISSIMUS POETARUM. Quidam Florentinum faciunt, ſed falsò; nam Alexandrinum fuiſſe, ex eo rectè colligebat Crinitus, quòd ipſe epigrammate ad Gennadium Proconſulem ſcribat, v. 3.

Graiorum populis, & noſtrô cognite Nilô,

Gentilis fuit, & quidem pervicax, ut ex Auguſtino, *de Civ. Dei*, *l.* 5. c. 26. & Oroſio, *l.* 5. c. 35. conſtat. Nec obſtat Carmen de Chriſto, quod Claudiani nomen præfert; nam Damaſo Papæ adſcribitur. Sed, ut Claudiani eſſet, non hujus fuerit, ſed Claudiani Mamerci, qui ſub Zenone vixit. Suidas, Κλαυδιανὸς Ἀλεξανδρεὺς ἐποποιὸς νεώτερος γέγονε ἐπὶ τῶν χρόνων Ἀρκαδίου καὶ Ὁνωρίου τῶν Βασιλέων. *Maximus Poëta* (inquit Jul. Scal. *Poët. l.* 6 *p.* 834.) *Claudianus, ſolô argumentô ignobiliore oppreſſus, addit de ingenio quantum deeſt materiæ. Felix in eo calor, cultus non invîſus, temperatum judicium, dictio candida, numeri non affectati, acutè dicta multa ſine ambitione.* Raptus Proſerpinæ. Item contra Rufinum & Eutropium, flos carminum ejus. Proſper *Chron.* &c. Fuit alter *Claudianus* Mamercus Vienneſis, ex Galliâ, A. C. 460. quem miris laudibus effert Sidonius Apollinaris, *l.* 4. *epiſt.* 3. 11. Eum enim excelluiſſe ait, cùm in omni Poëtica, tum etiam in omni Philoſophia & Theologia. Vide notam Sirmondi, Gennad. *c.* 83 Trithem. *in Cat Tom* 4. *Bibl. Patrum edit.* A. C. 1624. &c. & de utroque Lil. Gyrald. *de Lat. Poët. Dial* 4. Voſſ. *de Poët Latin. c.* 4. &c *Nic. Lloydius.*

CLAUDIAS, Laviniensis præfecturæ urbs in Aſia minore *Ptol.*

CLAUDICANTES, dicti ſunt ex Huſſitis olim illi, qui & *Calixtini*, & *Sub utraque* quòd *Calice in* S. Cœna uſi, nec non *vernaculo* in Sacris *ſermone* retentô, quoad cætera, ſchiſmate & ſeceſſione à Taboritis factâ, ad communionem Eccleſiæ Romanæ redierunt, annuente imprimis Rokyzanâ, Archiepiſcopatum Pragenſem affectante. Facta autem illa reconciliatio eſt, in Concilio Baſilienſi. A quo tempore Taboritæ ab illis graviter afflicti ſunt: uſquedum, cùm Rokyzana ſpe ſuâ excidiſſet, ac ſeceſſionem ab Eccleſia Romana denuo moliretur, ſpes quædam illis affulſit; quæ tamen ipſis non aliam viciſſitudinem, quàm liberum in Montanis Sileſiæ vicinis locum habitandi, à Georgio Podiebradio Bohemiæ Rege conciliavit, cùm prius undique eſſent exagitati. Sed nec iſta malacia diu duravit, perſecutione contra illos de novo ſuſcitatâ à Rokyzana, *Calixtinorum* capite, qui tandem deceſſit A. C. 471. Georgiô Rege prius ad Dei tribunal citatô, qui etiam alterô ſecutus morientem eſt menſe. Vide Regenſvolcium, *Hiſtoria Sclavon.* Mutium, *Chronico*, Hornigerum, *Sec.* XV. Alios.

CLAUDII poſt Reges exactos annô ſextô Romam venerunt, quorum gentis Princeps fuit Actius Clauſus, pòſt Ap. Claudius vocatus. Is ex Regillo Sabinorum oppido Romam cùm commigrâſſet, à populo inter patricios allectus eſt, à quo gens Claudia Romæ nobiliſſima manavit, Sabini, Regillenſis, Craſſini, Cæci, Pulchri, Caudicis, Centhonis, Neronis, Hortatoris & Rufi cognominibus diſtincta. Fuit & alia *Claudia* gens plebeja, à quodam Claudiæ gentis Patriciæ cliente procreata, nec potentiâ nec dignitate minor, quæ Marcelli, Glitiæ, Æſernini, Flaminini & Aſelli cognomina tulit.

CLAUDIOMERIUM, Artabrorum urbs in Hiſpan. *Ptol.*

CLAUDIOPOLIS, Cappadociæ urbs. Plin. *l.* 5. *c.* 24. Item Daciæ perampla & celebris civitas cum arce Samhuco, hodie incolis *Coloſwar*, & Germanis *Clauſburg* dicta. 14. milliar. à Varadino in Auſtrum, ad amnem *Kleyn Samos.* Caput Comitatus Coloſcenſis, Ibi omnes Tranſylvaniæ Conventus & judicia provincialia à Principe exercentur. 9. leuc. ab Alba Julia, Boream versùs, totidem à Biſtricia.

CLAUDIOPOLIS, urbs fuit Ponti ad Elatem fluv. Etiam *Bithynium*; *Caſtamona* nunc *Caſtaldo.*

CLAUDIOPOLIS, urbs Ciliciæ, ad radices Tauri, inter Comanam urbem & Cydnum fluv. Nunc quid ſit, ignoratur.

CLAUDIOPOLIS, vide *Clodia Foſſa.*

CLAUDIUS I. Tiberius Druſus Nero, filius Druſi ſecundogeniti Liviæ, *Cæſar*, interfectô Caligulâ ſucceſſit in imperio, A. C. 41. vir inauditæ credulitatis. Lugduni natus eſt eô ipsô die, quô à 60. nationibus ara Auguſto ſacrata. A matre Antonia pro monſtro habitus eſt, unde reprehenſura quempiam, illum filio ſuo Claudio ſimilem dixit. Sub Caligula Conſul, omnibus ludibrio fuit. Hôc occisô Imperator, prioris memoriam omni modô abolere conſtituit, honores impenſos recuſavit, urbis præcipuâ curâ, quam aquæductibus, &c. ornavit. De M. Britannia triumphavit, poſtmodum libertis rerum ſummâ permiſsâ, qui ſtupris, exiliis, cædibus omnia miſcuêre, uxorem Plautiam Urgulanillam repudiavit, ut & Æliam Petinam. Meſſalinam, libidinis monſtrum, occidi juſſit, &c. Tandem ab Agrippina, peremtus, ſucceſſorem habuit Neronem. A. C. 54. ætat. 63. Imperii 13. Vide Dion, *l.* 60. Tacit. *l.* 11. 12. *Annal.* Aur Victor. Suetonium in *Claudio*, qui addit, eum adhuc juvenem Hiſtoriam exorſum eſſe, à cæde J. Cæſaris: Durante Imperiô 8. *libris vitam ſuam, aliô Ciceronis apologiam contra Aſin. Gallum* ſcripſiſſe, tres tandem literas excogitâſſe. Boletô obiit. Juvenal. *Sat.* 5. *v.* 146.

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino, ſed qualem Claudius edit
Ante illum uxoris, poſt quem nihil amplius edit.

Idem, *Sat.* 6. *v.* 610.

— Minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus: ſiquidem unius præcordia preſſit
Ille ſenis, tremulumque caput deſcendere juſſit
In cœlum & longam manantia labra ſalivam.

Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 21. *v. ult.*

Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Boleti quidem per ſe non occidunt: Τινὲς τῶν βωλητῶν μόνοι (inquit Galenus) ἀδεῶς ἐσθίονται. At Claudio boletus venenatus fuit Suetonius *de Agrippina, c.* 44 *in Claudio. Quæ boletum medicatum avidiſſimo ciborum talium obtulerat.* Ptolemæus Hephæſtionis filius: Ὡς Κλαύδιος ... Κλαύδιος ... Vide Senecam in *Apocolocyntoſi*, ubi ait *Claudium in cœlum aſcendiſſe, ſed decretô Deorum ad inferos fuiſſe detruſum. Nic. Lloydius.*

CLAUDIUS II. Dalmata, M Aurelius, vel Flavius Vale-

rius

ritus, Dux Romanus, Imperator Papiæ proclamatus eſt, A. C. 268. Galienô & Valerianô occiſis. Gothos, Scythas, Herulos, &c. terrâ marique vicit prius Aurelio, poſtmodùm Germanus ſuperatis. Princeps laudatiſſimus, niſi in Chriſtianos ſævisset. Peſte hinc in Pannonia correptus, poſtquam in imperio biennium non implevisset. Ipſi Clypeus aureus, ut & ſtatua ex conſimili metallo à S. P. Q. R. in Palatio & Capitolio dicata: eô inter Deos relatô. Eutrop. *l.* 9. Trebellius Poll. *in Claudio*. Oroſ. *l.* 7. *c.* 20. Euſeb. *Hiſt.* & *Chron. l.* 7.

CLAUDIUS, ſeu ASNASAGHETUS, Rex Æthiopiæ, poſt patrem Davidem. Luſitanorum opem contra Turcas imploravit, occiſus in prœlio A. C. 1559. Maffæus, *Hiſt. Ind. l.* 11. & 15. Hiſt. Æthiop. &c.

CLAUDIUS, primus Guiſiæ Dux, filius minor natu Renati II. Lotharingiæ Ducis: In prœlio Marmiano, graviſſimè vulneratus, à Franciſco. I. fortitudinis elogium reportavit. Fontarabiæ capiendæ inter primos auctores, A. C. 1521. quam ſolô æquari fuiſſet, obnitente Admirali Bonnivetô, qui ſententiâ victor, in pluſquam tricennale bellum Gallos conjecit. Obiit. A. C. 1550. ex Anton. Borbonia numeroſæ prolis parens. Avila, *l.* 1. Bellaj. *l.* 2. 3. 8. Godofr. *Gen. Loth.* &c.

CLAUDIUS, Archiepiſcopus Viennenſis, pietate & doctrinâ inclytus, ſeculô 4.

CLAUDIUS, cognomine *Scotus*, Benedictinus, diſcipulus Bedæ, Alcuini commiliro, ſeculô 9. Plurima proſâ verſuque ſcripſit, variorum commentar. in S. Script. auctor. Trithem. *Catal.* Th. Dempſter.

CLAUDIUS, Hiſpanus, Epiſcopus Taurinenſis. Conciliô Francofurtanô Neſtorianiſmi, quem ex Felice Epiſcopo Urgellenſi hauſerat, convictus, ſi verum eſt, quod quidam ſcribunt. Cæterum Vir inſignis, aulicus etiam priùs Ludovici Pii concionator. Subalpinas gentes imaginum cultui deditas videns, cunctas Baſilicas ſuæ diœceſeos picturis atque imaginibus nudavit. Reprehenſus à Theodomiro, Monachorum præfecto, Apologeticum conſcripſit, cui Jonas Aurelianus Epiſcopus reſpondit, Circa A. C. 820. Walafr. Strab. *de Off. Eccl. c.* 8. Thom. Waldenſ. *tit.* 20. *c.* 160. P. Martyr *in* 1. *Reg.* 1. 7.

CLAUDIUS, mons Pannoniæ Plin. *l.* 3. *c.* 25.

CLAUDIUS Agathemus, Medicus Lacedæmonius, cujus convictu apud Cornutum uſus eſt Perſius Poëta.

CLAUDIUS d'Angennes, frater Cardinalis Rambouilleri, Epiſcopus primò Noviodunenſis, dein Cœnomanenſis, ab Henrico III. Romam miſſus eſt, veniam Cardinal. Guiſii occiſi rogatum. Obiit. A. C. 1601. San-Marth. *Gall. Chr. tom.* 2. *p.* 519. 520. & *Tom.* 3.

CLAUDIUS Apollinaris, vide *Apollinaris*.

CLAUDIUS Arabianus, inter Nobiles Romanos, ſine cauſæ dictione, occiſos, juſſu Severi Imperatoris recenſetur Ælio Spartiano in *Severo*, *c.* 13.

CLAUDIUS Balſamo ſeu *de La Baume*, Archiepiſcopus Veſontionus, A. C. 1541. Concilium Tridentinum in diœceſin introduxit, literatorum fautor. Purpuram à Gregorio XIII. nactus, A. C. 1578. mortuus eſt, A. C. 1584. cùm Vice-Regis Neapolitani dignitatem obiturus eſſet. Ciacconius, & Auber. *Hiſt. Cardin.* Friſo, *Gall. Purpur.* Chiffletius, *de Ep. Veſontinis*. Guicheno, &c.

CLAUDIUS Caninius, vide *Cajus*.

CLAUDIUS Capellianus, memoratur Vopiſco in *Floriano*, *c.* 6. ubi Epiſtola ejus ad Cerejum Mecianum patruum. *Sapilianus* habet vetus editio & Palatinus codex, *Salmaſ.*

CLAUDIUS, cognomentô *Caudex*, Carthaginenſes Meſſanâ expulit; Hieronem prœliô victum ad Syracuſas in deditionem accepit.

CLAUDIUS Centianus, quem nonnulli *Centumalum*, alii *Centemanum* minus rectè ſcribunt. Is librum in Jure Civili tertium à P. Papyrio ſcripſit, & *r* literam introduxit, ut qui prius *Fuſii*, deinde *Furii* dicerentur. *Valerius*.

CLAUDIUS Cento, vide *Cajus*.

CLAUDIUS Cinna, vide *Cajus*.

CLAUDIUS Clemens, natione Scotus, Alcuini quondam in fundatione Academiæ Pariſinæ collega, tempore Caroli M. Epiſcopus Taurienſis in Subalpinis; Scripſit in *ad Galatas Enarrationem*, *Labbeus*.

CLAUDIUS Coſſus, Helvetiorum ad Vitellium legatus, notæ facundiæ, ſed dicendi artem aptâ trepidatione occultans. Tacit. 1. *Hiſt.* 1. 69.

CLAUDIUS Craſſus, vide *Marcum*.

CLAUDIUS Demianus ob flagitia, à Vetere Aſiæ Proconſule victus; quem Nero exſolvit in præmium accuſationis, Tacit *l.* 16. *Annal.* 1. 10.

CLAUDIUS Domitius, Romanorum Imperatorum nequiſſimus. Vide Nero.

CLAUDIUS Eſpencæus, Dr. Theologiæ Pariſin. Theologus eruditus præteriti ſeculi, natus Catalauni, paternô genere, ex clariſſima Eſpencæorum in Campania; maternô illuſtri Urſinorum in Latio & regno Neapolitano familiâ, ortus; ſed pietate, candore & omnigenâ eruditione illuſtrior. Thuan. *Hiſt.* Interfuit colloquio Poſſiaceno, poſtquam Bononiæ, in Italia, Gallici nominis gloriam facundè tuitus eſſet. Quô tempore purpura ipſi interversa ab æmulis, quòd cum Beza commercium fovere diceretur, vide hujus epiſtolam 43. alii, quòd *Legendam*, quam vocant *auream*, dixiſſet *ferream*. In Juventute inſignis concionator, provectiorem ætatem ſcriptis impendit, æternam famam promerentibus. Ejus inter alia extant, *Comm. in Pſ.* 130. *in utramque ad Tim. in ad Titum*: inter opera in fol. Lutet. Pariſ. & alibi. De auctoritate Conciliorum & inprimis de Tridentino, quid ſentiat, *in Comm. ad Titum* aperuit, dicens: *Meritò in Concilio Baſil. Ludovicum Arelatenſem queſtum eſſe, in Conciliis id demum fieri, quod nationi placeat Italicæ*: & *hæc illa eſt Helena, quæ nuper Tridenti obtenta*. Obiit Lutetiæ, A. C. 1571. ætat. 60. *Theologorum ſui ſeculi facilè Princeps*, Gerhardo Ejus ſtatua ex marmore, cum elogio hodieque viſitur. San-Marth. *in elog. l.* 2. Verderius, *Biblioth. Gall. p.* 170. Thuan. *Hiſt.* & Anton. Teiſſier, *Elogiis*, *Parte* 1.

CLAUDIUS Euſthenius, Diocletiano à ſecretis & epiſtolis, ejus, ut & Maximiniani, Galerii & Conſtantii adeoque IV. Imperatorum vitam libris 4. ſcripſit, Vopiſc. *in Carin. c.* 18.

CLAUDIUS Faber, Dn de Vaugelas, Baro. Vertit *Curtium*, labori 30. annis impenſis. Obiit A. C. 1649. Idem varia edidit.

CLAUDIUS Fabius, Dictator Roman. an. Urb. Cond. 419.

CLAUDIUS Falo, Aquitanus, conſiliarius Henrici III. *de bellis in Gallia civilibus*, *Poëma* compoſuit. Obiit A C. 1601.

CLAUDIUS Fauchetus, ſcripſit *de antiquitatibus Galliæ*, traduxit *Tacitum* & *Regum Galliæ Hiſtoriam*, uſque ad Hug. Capetum, compoſuit.

CLAUDIUS Faventius, Centurio, per ignominiam à Galba dimiſſus, claſſem Miſenenſem ad defectionem traxit, fictis Veſpaſiani epiſtolis, pretium proditionis oſtentans. Tacit *l.* 3. *Hiſt. c.* 57.

CLAUDIUS Fuſcus Salinator, collega Hadriani II. Conſulis, ex filia Julii Serviani, pater Fuſci fuit, qui, quòd Serviani cædem tuliſſet iniquiùs, Hadriani juſſu ſimiliter interfectus eſt. Æl. Spartian. in *Hadriano*, *c.* 23.

CLAUDIUS Gaſp. Bachetus, Sebuſianus, ſtirpe nobili. Linguarum, Græcæ inprimis, peritus, in Algebra aliiſque artibus curioſis egregiè verſatus. Sentiens deſtinari ſe præceptorem Ludov. XIII. Pariſiis Avaricum ſe recepit. Scripſit *Poëmata*, &c. Obiit A. C. 1638. Guicheno, *hiſt. de Breſſe*. Peliſſon. *Hiſt. d' Acad. Fr.*

CLAUDIUS Guichardus, Hiſtoriographus Ducis Sabaudiæ, Poëta excellens. *Livium Gallicè* reddidit. Mortuus A. C. 1607.

CLAUDIUS Herminianus, Cappadociæ Præſes, infenſiſſimus Chriſtianorum hoſtis, cùm à vermibus corroderetur, occultans judicium Dei, *Nemo ſciat*, inquiebat, *ne gaudeant Chriſtiani*, A. C. 208. Tertullian. *in l. ad Scapulam*.

CLAUDIUS Julianus, vide *Julianum*.

CLAUDIUS Julius, *de rebus Phœniciis* librum concinnavit, è quorum primo teſtimonium uſurpat Stephanus in A'πη. Niſi verum nomen ſit *Jolaus*, prout nominatur eidem in Iudæa. Vide Voſſ. de *Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 343.

CLAUDIUS Labeo, vide *Labeo*.

CLAUDIUS Marcellus, vide *Cajus*: it. *Marcum*.

CLAUDIUS Marius Victor, vel Victorinus, Rhetor Maſſilienſis; Poëta celeberrimus. Habemus ejus 3. *libros hexametrorum* ad Ætherium filium, quibus *Hiſtoriam Geneſeos* exponit uſque ad Sodomæ deſtructionem: dein *epiſtolam ad Salmonium*, de moribus ſeculi ſui corruptis. Circa ſecul. 5. Obiit ſub Theodoſio & Valentiniano, *c.* 60. *Tom. VIII. Bibl. Patrum*, *edit.* 2. vide *Appen.*

CLAUDIUS Maximus Philoſophus Stoicus, inter Præceptores Marci Imperatoris cujus non ſemel hic in *libb. de Vita ſua* meminit, ut & Secundæ uxoris ejus, *librô tertiô*.

CLAUDIUS Nero, Conſul, Livii Salinatoris collega, qui advenientem ex Hiſpania cum auxilio Aſdrubalem interfecit. Horat. *l.* 4. *Carm. Od.* 4 *v.* 37.

> *Quid debeas, ô Roma, Neronibus,*
> *Teſtis Metaurum flumen, & Aſdrubal*
> *Devictus.* — —

CLAUDIUS Nero, Tiberii Principis pater, Quæſtor C. Cæſaris in bello Alexandrino, ac deinde Pontifex Max. in Scipionis locum ſuffectus. Vide & *Cajus*, & *Titus*.

CLAUDIUS Paradinus, *genealogias Gall.* &c. perſcripſit.

CLAUDIUS Pethus, Dictator an. Urb. Cond. 442.

CLAUDIUS Phirricus, trierarchus Liburnicarum in Corſica navium à Decimo Pacario Procuratore, quòd contradicere ipſi auſus eſſet, nolletque Vitellii partes ſequi, interfectus. Tacit. *l.* 2. *Hiſt. c.* 16.

CLAUDIUS Pollio, Hiſtoricus, Plin. *l.* 7. *ep.* 31.

CLAUDIUS Pompejanus, Conſul, Collega Severi, an Urb. Cond. 976. gener M. Aurelii Antonini Philoſophi, Capitolin. *in Antonino*, *c.* 20. *Commodo*, *c.* 4. *Pertinace*, *c.* 4.

CLAUDIUS Pontius, Samnitum Imperator Romanos ad Furcas Caudinas ſub jugum miſit. Liv. *l.* 9. *c.* 1. 2. 3. *ſ.*

CLAUDIUS Pulcher, vide *Cajus*, it. *Publius*.

CLAUDIUS Puteanus, Turnebi, Lambini, Cujacii diſcipulus. Peregrinatione, commerciô doctorum, filiis inprimis egregiis inclytus. Obiit A C. 1594. à Thuano, *Hiſtor*. Achille Harlæo, *Orat. fun.* coram toto Parlamento, cujus is præſes erat. Scævola Sanctæ Marthæ *Elog*. Nic Rigaltio, *vita Petri Puteani*, Aliis magnificè laudatus. Fratrem habuit Clementem Jeſuit. in filiis excelluit Petrus, de quo ſuô locô. Vide & Anton. Teiſſier, *Elog. Part.* 2.

CLAUDIUS Quadrigarius, Hiſtoricus veteribus ſæpius laudatus. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 10. *p.* 44.

CLAUDIUS Rubius, *Hiſtoriæ Lugdunenſ.* conditor.

CLAUDIUS Rufus, in numero fuit Nobilium Romanor. quos, ſine cauſæ dictione, Severus Imperator juſſit occidi. Spartian. in *Vita* Severi *c.* 13.

CLAUDIUS Sabinus, vide *Cajus*.

CLAUDIUS Sanctius, Epiſcopus Ebroicenſis, concionator egregius, Theologus eruditus: nomine Academiæ Pariſienſis, interfuit Concilio Tridentino, de quo quid ſenſerit, hinc patet, quòd quoties ſolenne carmen, in Concilii primi Apoſtolorum clauſula uſurpatum, *Viſum eſt Spiritui S. & nobis*, repeteret, dicere ſolitus ſit, *in Tridentina Synodo plus nobis, quàm Spiritui S. tributum*. Ex authent. Thuani incaſtr. Interfuit porrò Colloquio

Poſ-

Poſſiaceno, conventui Ordinum Bleſis indicto, & Concilio Rotomagenſi, A. C. 1581. quod publicè edidit. Obiit A. C. 1591. Genebr. *in Chron.* Turrian. Verderius, *in Bibl.* San-Marth. *Gall. Chr. tom. 2. p.* 577.

CLAUDIUS Sanctus, Gallorum Dux, effoſſo oculo, dirus ore, ingenio debilior. Tacit. *l.* 4. *Hiſt. c.* 62.

CLAUDIUS Severus, ab Helvetiis, de cæde Galbæ ignaris, & Vitellii imperium abnuentibus, contra Cæcinæ vim, Dux lectus. Tacit. *l.* 1. *Hiſt. c.* 67. *&* 68.

CLAUDIUS Severus, Philoſophus, Peripateticæ ſectæ, inter præceptores Marci Imperatoris memoratur Julio Capitolino, *in M. Antonino Philoſopho, c.* 3.

CLAUDIUS Seyſelius, Sabaudus, à conſiliis Ludovic. XII. *cujus Hiſtoriam* condidit, ab A. C. 1498. uſque ad A. C. 1515. Legatus ad Concilium Lateranenſe, dein Epiſcopus Maſſiliæ, tandem Archiepiſcopus Taurinenſis, ubi prius Jus docuerat. Obiit A. C. 1520. Scripſit *contra Valdenſes, de Providentia, de Monarchia Galliæ, de dignitate Regis, de 3. ſtatibus viatoris, commentarios in Lucam Evang. & Jus Civile.* Gallicè tranſtulit *Euſebium, Thucydidem, Appianum, Trogum, Diodorum, Xenoph. Senecam,* &c. Chaſſanæus. Part 10. *Catal. de gloria Mundi.* Ughel. *de Archi. Taurinenſibus*, &c.

CLAUDIUS Sulpitianus, Pertinacis Imperatoris ſocer, indictâ cauſâ à Severo occiſus. Spartianus in *Severo*, c. 13.

CLAUDIUS, Sulpicius Longus, Conſul, Collega Qu. Ælii Cæcitani an. Urb. Cond. 431.

CLAUDIUS Theon, Hiſtoricus Græcus. Hieronym. *in Dan. præf.*

CLAUDIUS, Tiberius Nero Cæſar, 3. Roman. Imperator Octavii Cæſaris privignus, gener, & adoptione filius. Vitam ejus pete ex Tranquillo. Vide *Nero*.

CLAUDIUS Timarchus, vide *Timarchus*.

CLAUDIUS Venatus, vir doctiſſimus, Alexandro Imperatori à conſiliis, an. Urb Cond. 976.

CLAUDIUS Verderius, fil. Antonii, Proſopographi, ſcripſit *cenſuram de Anna Viterbienſi, aliaque verſu & proſâ*, &c.

Ap. CLAUDIUS, Orator. Cicer. *in Bruto*.

Ap. CLAUDIUS Cæcus, extremâ ſenectute in Curiam delatus Senatum jam jam inclinatum, à Pyrrhi pace revocavit. Ab hoc *Appia via* dicta, quam Brunduſium uſque lapidibus ſtravit. Ab eo quoque *Appia aqua* in urbem ducta. Liv. *l.* 9. *c.* 29. Filios habuit Claudium Neronem, & Claudium Pulchrum.

Ap. CLAUDIUS Regillanus, Decemvir, legibus ſcribendis ſummâ inter collegas authoritate, poſtremo ob Virginiæ judicium in carcerem conjectus, ſibi manum intulit. Liv. *l.* 3. *c.* 33. 44. 47. 49. 56. 58.

CLAUDUS, & CLAUDOS Cretici maris inſula. *Ptol. Gozo Mercatori.* Contra *Criumetopon*, promontor. Cretæ in Auſtrum, parvi circuitus.

CLAVENNA, Helvet. oppid. non incelebre, ſub Rhætis. *Cleven* incolis, *Chiavenna* Italis dicitur. Caput Comitatus cognominis ad amnem Mairam: Ab ea etiam dicitur, vix 5. milliar. diſtans lacus Clavennæ, 18 milliar. à Rheno fluv. 38. à Curia. 46. à Como. A' *Clave* dictum, ob tranſitum in Italiam. Ejus Præfectum *Commiſſarium* vocant Rhæti, cujus poſt Sondrienſem ſumma eſt auctoritas. Meminêre hujus loci P. Diaconus, *Longob. l.* 6. Antoninus, qui illud ſupra caput Larii 10. mill. paſſ. à lacu diſtare docet, Simlerus, *de Republ. Helvet.* Joh. Bapt. *Helv. Nov. Ant.* &c.

CLAVERINUM ſeu CLAVARUM, oppid. ſatis cultum in ora Genuenſi Orientali parum à mari diſſitum, ad oſtia fluv. Anthellæ, vulgò *Lavagna*, in planitie, 25. milliar. à Genua; *Chiavari*. Anteà *Burgus longus*. Civem habuit Innocentium III.

CLAVES Inſulæ, in Inſul. Mannia, quinam olim dicti? vide infrà, voce *Mannia*.

CLAVES S. Petri, quibus ſcil. illius confeſſio ſeu ſepulchrum, claudebatur, memorantur Eginhardo in *Annalibus*, *A. C.* 796. *Sed & ſuper claves B. Petri Apoſtoli præſtitiſſent corporale juramentum.* Item Poëtæ Saxonico, *de Geſtis Caroli M. l.* 3. *anno eod.*

> *Confeſtim claves, quibus & Confeſſio Sancti*
> *Servatur Petri, vexillaque miſerat Urbis*
> *Romuleæ Carolo, pariterque decentia dona.*

Solebant nempe Pontifices Romani, de limatura catenarum, quæ S. Petri fuiſſe creduntur, & religioſè Romæ aſſervantur, ad Reges & Principes, alioſque Viros primarios, ingentis loco muneris mittere, quam in aurea *clave*, inſtar illarum, quibus *Confeſſio S. Petri* claudebatur, effictâ, & ab Altari S. Petri acceptâ includebant. Eam autem, ad quos illa tranſmittebatur, de collo, velut factum contra imminentia mala amuletum, ſuſpendebant. Cujuſmodi *Clavium* tranſmiſſarum meminêre Gregorius M. Gregorius Turon. Fredegarius, Aimoinus paſſim. Vide Theod. Senditam, *de Imag.* & Nic. Alemannum, *Diſſertat. de Lateranenſibus parietinis*, c. 14. laudatos Car. du Freſne, *Gloſſar.* De *Clavibus* verò Petro à Chriſto datis, vide Theologos.

CLAVES remittendi ritus, in ſignum divortii & renunciationis curæ familiæ, apud Romanos in uſu, memoratus Ambroſio, *Ep.* 47. *ad Syagrium.* Vide infrà, ubi de *Divortio*. Nempe *Claves* Sponſæ Mariti domum intranti tradebantur; quod Repotiorum die factum eſſe, Scaliger docet, *Poetic. l.* 3. *c.* 101. *Is dies* (Repotiorum) *novæ nuptæ initium erat juris, quod in familiam eſſet habitura; quam ob cauſam claves dabantur ei, ad dominium poteſtatis, atque poſſeſſionem, quam, ad deſignandam, ut ajunt, partus facilitatem.* Hanc itaque, vel has *claves*, poſtmodum, remittebant &c. Apud Gallos ſolent hodieque viduæ *claves* & cingulum ſupra mariti defuncti corpus projicere, in ſignum, quod bonorum communioni nuntium mittant, ne debitis exſolvendis teneantur. Vide Paſchaſium, *Diſquiſitionum Francicar. l.* 4. *c.* 20. alioſque Auctores, laudatos Car. du Freſne in *Gloſſar.* Vide quoque infrà *Cove*.

CLAVESIGNATI, Pontificii milites, quòd in vexillis veſtibuſque *claves* Eccleſiæ depictas gererent, memorantur Odorico Raynaldo A. C. 1228. *num.* 13. *& ſeqq.* apud Dominicum Macrum in *Hierolexico*.

CLAVETINATII, Vindeliciæ populi, *Strab.* Eoſdem eſſe cum Cæenatibus Plinii ſcribit Simlerus, qui utrimque ad Ænum habitant ſupra eum locum, ubi Danubium ingreditur.

CLAVICYMBALUM, inſtrumentum Muſicum, de quo ſic Scaliger, *huic & Simi commentum illud, quod ab eo Simicum appellatum, quinque & triginta conſtabat chordis: a quibus eorum origo, quas nunc monochordos vulgus vocat. In quibus ordine digeſta plectra ſubjeſtionis reddunt ſonos. Additæ dein plectris corvinarum pennarum cuſpides: ex aere plus expreſſiorem eliciunt harmoniam, me puero Clavicymbalum & Harpichordum, nunc ab illis mucronibus Spinetam nominant.* Vide eum, *Poetices l.* 1. *c.* 48.

CLAVIGER, epitheton Petri Apoſtoli, apud Domnizonem, *de Vita Mathildis, l.* 1. *c.* 1.

> Clavigeri *Petri normam, ſancti quoque Cleri*
> *Semper amaverunt.*

Pro quo *Claviculariu* vocatur, apud Cummianum Hibernum, *de Controv. Paſchali.* Etiam Officii id nomen eſt Eccleſiaſtici in Communione Romana, idemque cum *Archiclavi*, h. e. Eccleſiæ Theſaurario. Sic Savaricus *B. Hilarii Claviger*, memoratus Beſlio, p. 292. Wilhelmus Wallingford *Clavigeratus*, h. e. *Clavigeri officiò functus*, in *Monaſtico* Angliæ. *Tom.* 1. *p.* 184. At in *Charta* A. C. 1335. apud Schefferum, *ad Chronicon Upſalienſe*, *p.* 160 *Claviger* idem qui Cuſtos eſt. In *Foro* porro Oſcæ Jacobi I. Regis Aragoniæ A. C. 1247. Politicum officium hæc vox notat. Richardo tandem de S. Germano, *in Chron.* A. C. 1229. qui à parte Gregorii Pontificis Romani contra Fridericum II. Imperatorem ſtabant, *Clavigeri* dicuntur, ob *claves* in Pontificiis vexillis effictas. Vide ſuprà in *Clavesignati* & Car. du Freſne in *Gloſſar.* ut & *Clidüchus* infrà.

CLAVIS, Græcè κλεὶς, Ionicè κληΐς, unde κλεῖθρον & κλεῖδες, & hinc Romanum *Clavis*, modo *clauſtrum*, modò *clavem* notat. *Aratus*,

> ----- κληῗδε θύρης ἔπεδ' ἀρηρῶς
> [illegible].

Ubi κληῒς, *clauſtrum* eſt, τὸ ἀνακάλυμμα τῆς θύρας, adeoque idem quod ὀχεύς. At apud Homerum, *Odyſſ.* φ. v. 47. ubi de Penelope thalamum ædium intimum ultimumque aperiente, in quo pretioſa ejus cimelia recondita, legimus,

> Ε'ν δὲ κληῗδ' ἧκε, θυρέων δ' ἀνέκοπτεν ὀχῆας
> Α'ντα τιτυσκομένη.

Ubi κληῒς, *clavem* ſignificat, quô ſenſu vocem communiter ſumimus. Sic *Clavis* pro *clauſtra* & *ſera*, apud Tibullum, *L.* 1. *El.* 6. *v.* 34.

> ----- *fruſtra* clavis *ineſt foribus.*

Et Plautum, *Caſin. Actu* 5. *ſc.* 2. *v.* 7.

> *Ubi intus hanc novam deduxi, viâ rectâ clavem*
> *Abduxi.*

Et certè multo rationabilius, ut κλεὶς ſignificet *clauſtrum*, & id quod januam claudit, quàm clavem, cujus munus aperire. Quamvis enim hodiernæ quædam *Claves* ſint, quæ & claudunt & aperiunt, adducendo, reducendoque clauſtri peſſulo: aliæ tamen quam plurimæ tantummodo aperiunt. Laconicæ quoque aperiebant ſolùm, ut & ὁ βαλανάγρα Veterum, de quibus paulo infrà. Fuit autem *Clavis* Laconum inventum, Euſtath. in *Od.* θ. v. 447.

> Α'υτίκ' ἐπήρτυε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλε
> Ποικίλον, ὅν ποτέ μιν δέδαε φρεσὶ πότνια Κίρκη.
> *Statim aptavit operculum; celeriter autem vinculum ligavit*
> *varium,*
> *Quod olim docuit ingenio veneranda Circe.*

Παλαιὸν, inquit, ἔθος ἦν κατασφαλίζεσθαι δεσμοῖς. ἡ κλεὶς γὰρ νεωτέρων καὶ Λακώνων εὕρημα. [illegible]. *Antiquus mos fuit ad aliquid bene obſerandum vinculis uti. Clavis enim recentiorum & quidem Laconum inventum eſt. Et certò nonnò licèt vinculorum ſirtu tutior clavis.* Unde δεσμὸς Ὀδυσσεῖος olim celebris, quem ab ingenioſiſſima Circe ei monſtratum fabulatur Poëta, quemadmodum alibi peritus venator à Diana, jaculator inſignis ab Apolline, textrinæ gnara à Pallade edocta fingitur. Hinc de iis, quæ obſignata ἀσφαλῶς, *Ulyſſis vinculum noduſque*, Proverbialiter uſurpari cœpit. Sic ciſta, in qua Erichthonium, cum dracone incluſum, Pallas tribus Cecropis filiabus cuſtodiendum commiſerat, nodô ſolùm religata legitur, apud Ovidium, *Met. l.* 2. *Fab.* 8. Unde Aglauros, videre volens, quid intus lateret, v. 560.

> ----- *nodoſque manu diducit: at intus*
> *Infantem videt* -----

Ita ergo & januas & ciſtas olim occludi obſerarique mos erat; quod cùm non ſatis eſſet ad furum effractorumque conatus eludendos, *clavium* uſus increbuit. Meminit item Homeri Commentator iſtiuſmodi priſcæ clavis, in Homeri, *Od.* φ. v. 6.

> Εἵλετο δὲ κληῗδ' εὐκαμπέα χειρὶ παχείῃ
> Καλὴν, χαλκείην· κώπη δ' ἐλέφαντος ἐπῆεν:
> *Accepit autem clavem bene flexam manu forti*
> *Pulchram, æream, manubrium autem eboris inerat.*

In quæ verba ſic ſcribit ὁ Παρεμβολίτης : Α᾽ρχαϊκὸν εἶδος κλειδὸς φησί, κἀὶ ὡς ὕστερον τετρημένον εἰς πολλὰς ὀπάς, *Antiquum clavis genus recenſet, non in varia foramina, ſicut ſequentibus temporibus factum eſt, pertuſum*. Interim & clavium iſtiuſmodi ſuô quoque tempore uſum aliquem fuiſſe ibidem docet, quibus per januæ foramen immiſſis funis ad aperiendam illam intus circumagebatur. Erant autem tales claves δρεπανοειδεῖς, *falcata* ſeu falcis figuram habentes; & vulgò ligneis manubriis, hæc verò, cujus Homerus meminit, eburneô ornata &c. Thom. Dempſterus in *Joh. Roſini Antiq. Rom. l. 5. c. 38.* Quæ ut paulò accuratiùs exponamus, ſciendum duo habuiſſe priſcos mortales *Clavium* genera, quorum unum commune, Βαλανάγρα dictum, unicô dente conſtans; alterum magis artificis & ſubtilioris ſolertiæ, *Clavis Laconica* peculiariter, item *Carica* appellata, in qua tres dentes erant. Et quidem Βαλανάγρα in iis utplurimum foribus locum habebat, quæ in publicum exibant, primis nempe domuum januis & Urbium portis, quæ vecte ac ſerâ ligneâ, h.e. μοχλῷ productô muniebantur: cui ſeræ balanus immiſſa non ſinebat eam ab oſtio tolli. At balano inſerta βαλανάγρα, i.e. *clavis*, eam e a foramine extrahebat, & ſeram removeri ac tolli facilem præſtabat, ut ſuprà latius diximus, in voce *Balanagra*, item *Balanus*. At interiorum conclavium & cœcorum fores obicibus clauſtriſque ferreis concludi ſolitæ, alias claves requirebant; quarum originem aperit Poeta Comicus Θεσμοφοριαζούσαις, ubi quiritantus mulieres uſum Laconicarum clavium, quas viri tum geſtarent, multum ſibi & furtis ſuis incommodare: Cùm enim anteà ſolerent de facili cellaria & apothecas viris inſciis aperire, & inde quæ vellent depromere, hoc ſibi nunc non licere propter illas claves Laconicas; quæ fraudibus minùs eſſent obnoxiæ, quàm cœteræ communes βαλανάγραι. Nempe Lacones, cùm viderent non ſatis tutò communibus clavibus cœcos firmari, alias excogitârunt, ingeniô ſolertiori elaboratas. Habebant illæ τρεῖς γομφίους, ut Ariſtophanes habet *h. l.* h. e. *tria crucis cornua*, & ὁπλίδες dicebantur, quaſi *duplices* vel *gemina claves*. Cùm enim communes unâ modò virgâ ferreâ conſtarent, quæ in balanum injecta eam è clauſtro eximebat: in Laconicis velut duæ claves ſeſe invicem decuſſabant in formam crucis. Atque hæ totæ intra clauſtrum immerſæ latebant, hinc κρυπτάς, illudque turſum cum impetu levatæ ſuccutiebant, hinc ἀνακρουστικαὶ dictæ: ſicque protinus fores aperiebant, uti claves illæ, quibus hodie Carthuſianorum familiæ in ſui Monaſterii conclavibus utuntur, quas & *Carthuſianas* propterea quidam appellant. Similes certè facturâ illis Veter. claves illæ κρυπτάς, quæ ſcapum habebant rectum & supernè tranſverſariam virgulam, ad inſtar tridentis, inciſam, ut videre eſt ea icone earum, quam Salmaſius exhibet nuſia laudandus. Ab his dein Laconicis clavibus reliqua omnia clavium genera arteſque & formæ diverſæ productæ. E quibus illæ inprimis memoratu dignæ, quas in Batavia erutas Lipſius, Commentariô ſuô *ad Tacit. l. 2. Annal.* illuſtravit. Sunt illæ facturâ planè ſimiles noſtris, quæ & annulum habent, ut digitô teneri poſſit: ſed ſcapô, qui inſtar manubrii ſit, deſtitutæ. Hæ itaque, exceptô annulô, totæ intra clauſtrum abſconditæ quoque mergebantur, ſed non *ſuccutiendo* ac dejiciendo, ut Laconicæ, verùm *reducendo* & *adducendo*, quæ intus erant ferrea repagula, aperiebant. Verùm cùm nec Laconicæ omnem fraudem averterent: factô enim digitulô ferreô ſeu uncinô triobolari, δακτύλιον, τριωβολιμαῖον, ut Ariſtoph. *ibid.* ait, adeoque etiam ſine clave non difficulter admodum reſerari poterant illæ quoque fores, quæ clavibus illis ἀνακρουστικαῖς aperiebantur: unde Plato Comicus in Μεθύσαις, ὑποβαλλόμενον, *clavis adulterina*, meminit. Hinc non contenti Veteres Clavibus & Clauſtris, in aſſervandis rebus iis, quas cariores habuêre, ſignacula, *Euripide* auctore, inpoſterum adhibere cœperunt, quibus noſci poterat, an fraus clavi eſſet facta, qua de re vide aliquid ſuprà, ubi de *Annulis ſignatoriis*. Imò cùm ne ſic quidem ſatis fiderent; conchâ ipſa ſignacula inſuper texerunt, vide infrà *Clavicula*. Porrò in Laconica aperiendi & claudendi ratione ſera intus erat, i. e. peſſulus, *Clavis* verò ab exteriore parte immiſſa, peſſulum ſuccutiebat: quemadmodum hodieque omnes claves οἰκίας ἔσω, utpote quæ ab exteriore forium parte immittuntur clauſtrô. At βαλανάγρα, ſeu clavis communis in interiore parte, ubi & ſera erat: namque in ſeram ipſam demittebatur, ad βάλανον extrahendam. Quam in rem foramen in oſtio relinquebatur, per quod manus poſſet immitti à foris ſtantibus, inſerendæ clavi in ſeram & βάλανον evellendæ &c. Vide omninò Salmaſ. *ad Solin. p. 925. & ſeqq.* nec non hîc, ubi de *Aperiendi ratione*, de *Clauſtris*, item de *Carica*, & *Laconica Clavi*, ut & voce *Clidum*.

CLAVIS, in Computis Eccleſiaſticis, *eſt numerus variabilis datus anno ad inveniendum principia quinque mobilium feſtivitatum, ſcil. Septuageſima, Quadrageſima, Paſchatis, Rogationum & Pentecoſtes: & ideò ſunt quinque claves & qualibet prædictarum feſtivitatum habet 30. dies, in quibus ſemper celebrantur — & dicitur* clavis *per ſimilitudinem; quia ſicut per claves oſtia reſerantur, ita per talem numerum principia dictarum feſtivitatum nobis denotantur* &c. Durandus, *Ration. l. 8. c. 12.* apud Car. du Freſne in *Gloſſario*.

CLAVIUM Poteſtas, vide hîc paſſim, *Anathema*, *Cherem*, *Diſciplina*.

CLAVIUS Chriſtophorus, vide *Chriſtophorus*.

CLAVIUS Martinus, Victoriâ Cantaber, Jeſuita, primus Theologiam Thomæ Aquinatis in Collegio Romano publicè profiteri incepit, A. C. 1553. Romæ defunctus A. C. 1556. die 28. poſtquam Ignatio Ordinis auctori parentâſſet. Petrus Ribadeniraa *Catal. Scriptorum Societatis Jeſu.*

CLAUSA, ſeu COVELIACUM, Tirolenſis Comitatus caſtrum, in alta rupe exciſum, ad Eyſocum amnem, inter Bolſanum & Brixinonem; *Clauſen.*

CLAUSA Vallis, *Petrarcha* non ſemel memorata, locus collibus circumcluſus, atque abditus, fonte admirabili, & capite Sorgæ fluminis nobilis. Vulgo *Vaucluſe*, aliàs *Valcluſe* Provincialibus. Paſchalis II. meminit *Vallis Cluſæ* monaſterii in Epiſcopatu Veſontienſi. Eſt & *Vallis Clauſa*, in Cavaribus provinciæ Viennenſis, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CLAUSARII vinearum Monaſterii, memorantur in *Necrologio* Victorino Pariſ. *Kl. Sept.* apud Eundem Car. du Freſne, *ibid.*

CLAUSENTUM, Angliæ oppid. littorale. *Antonin. Southampton* Camdeno, ad Triſantonis fluv. oſtia, cum portu percelebri & capaciſſimo, in ora muris Britannici medium inter Ventam Belg. ad Boream & Vectum inſul. in Antonia provinc.

CLAUSTRA apud Veteres, in firmandis foribus alia lignea fuerunt; ſeræ videl. vel vectes tranſverſi, alia ferrea, quæ *verrouils* hodie Gallis dicuntur. Et quidem illa, ab interiore ædium parte foribus prædncebantur, quibus balanus immiſſa, ferrum videl. *glandis* facie ac cavum, illa januæ ſic committebat, ut niſi extractô eô removeri ac repelli non poſſent, uti vidimus ſuprà ubi de *Balano*. Firmabantur autem hoc pactô αἱ αὔλειοι præſertim ſeu januæ in publicum reſpicientes, ac urbium portæ: & βαλανάγρᾳ per foramen in ipſo oſtio ſatis grande ſupra locum ſeræ immiſſâ, aperiebantur: ut videre eſt quoque in voce *Foramen*. Iſta verò, nempe ferrea, conclavium & interiorum domus membrorum foribus claudendis muniendiſque inſerviebant. Præter peſſulos enim, quibus injectis occludebantur ab intus manentibus, alios etiam obices ferreos aſſiros habuêre, qui immiſſâ forinſecus clavi removerentur ac ſuccuterentur, uti ex *Odyſſ. φ.* ubi de Penelopes thalamo, conſtat. Cujuſmodi peſſulos duos fermè ſingulis foribus addi conſueviſſe, in ſuperiore parte unum, in inferiori alterum Plautus indigitat, *in Aulul. Actu 1. ſc. 2. v. 26. Oſtium intus ambobus occlude peſſulis.* Vide quoque Apulejum, *Metamorphoſ. l. 3.* ubi *duorum* itidem *peſſulorum & uncini*, cui injiciebantur, mentio eſt. Atque hi nullâ clave poterant removeri, ab iis qui foris adſtabant. Ut proin ab his, qui foris veniebant, reſerari fores, & diſcedentibus inde iterum obſerari poſſent, clave opus erat, quâ vel ſuccuteretur ferreum veruculum, quô oſtium intus vinctum tenebatur & poſti junctum, vel illud adduceretur ac reduceretur. Quorum illud Laconicæ claves, iſtud aliæ poſtmodum inventæ (de quibus ſuprà) præſtiterunt, facturâ noſtris planè ſimiles. Namque & *Clauſtrorum* noſtrorum (quæ foribus obfiguntur quadratâ ut plurimum figurâ, ea duplici ferro compacta, intra quæ parva repagula & ipſa ferrea adductionibus ac reductionibus moventur, & adducta quidem in poſtem ineunt, reducta verò eum laxant ac aperiunt) notitiam fuiſſe Veteribus, ex clavibus antiquis colligas, quarum iconem operi ſuo inſeruit J. Lipſius, *ad Annal. Tacit. l. 2.* & Salmaſ. *ad Solin. p.* 931. Vide quoque hîc ſuprà *Aſſarium*, alibique paſſim, inprimis infrà, in voce *Obices*, *Peſſulus*, *Sera*.

CLAUSTRA Canonicorum, Monachorum, occurrunt paſſim. *Clauſtra Clericorum*, i.e. Canonicorum, in *Capitulo* Caroli C. *tit. 41. c. 9. Ut Epiſcopi in civitatibus ſuis proximum Eccleſiæ clauſtrum inſtituant, in quo ipſi cum clero ſecundum Canonicam regulam Deo militent: & Sacerdotes ſuos ad hoc conſtringant, ut Eccleſias non relinquant, & alicubi habitare præſumant.* Quod ipſum ſtatuitur in Synodo Rom. ſub Eugenio II. *c. 7. Neceſſaria res exiſtit, ut juxta Eccleſiam clauſtra conſtituantur, in quibus Clerici diſciplinis Eccleſiaſticis vacent. Itaque omnibus ſit unum refectorium ac dormitorium &c.* Ubi morem, qui diu in Eccleſiis obtinuit, obſervat Car. du Freſne, cùm in *Clauſtris* lectioni vacarent Monachi, ut eſt in *Epitome* Ludovici Imperator. in *Regulam S. Bened.* in *Concordia* S. Dunſtani, *c. 5.* & in *Actis* S. Wolfgangi, *c. 7.* Hinc *Studium Clauſtri* ſeu Scholæ, in veter. *Charta*. Et Petrus Bleſenſis, *Serm. 25.* varias Monaſticas functiones, in ſingulis *Clauſtri* lateribus exactas, annotans, *Inde eſt*, inquit, *quòd in Clauſtro Conventuum quatuor loca cum propriis deputantur officiis: in latere clauſtrali occidentali eſt ſcholaris ſubjectio: in eo, quod contingit Eccleſiam, lectio moralis: ad Orientem in Capitulo materialis &c.* Forma namque *Clauſtrorum* quadrata erat, uti præterea diſcimus, ex Adamo Bremenſi, *c. 103.* Sed & in *Clauſtris* certis horis, fratribus invicem, confabulandi copiam dandam eſſe docent Lanfrancus in *Conſtitut. Sect. 3.* Petrus Venerabil. in *Statutis* Cluniac. *c. 5.* &c. Unde *Prior Clauſtri* creatus eſt, qui diſciplinæ Clauſtri ageret curam, de quo infrà. Prælectiones tandem Scholaſticas in *Clauſtris* iſtiuſmodi factas eſſe, videtur innuere Herimannus, *de Reſtaurat. S. Martini Tornac. c. 3.* &c. Aliàs *Clauſtrum*, Monaſterium ipſum notat, Germanis *Kloſter*: unde *Clauſtrales*, Monachi, & *Clauſtrales*, Moniales: apud Autores, laudatos Car. du Freſne *Gloſſar.*

CLAUSTRA Juba, vide *Julia*.

CLAUSTRA Montium, quæ recentioribus *Cluſæ*, *Cluſuræ* & *Clauſuræ* dicuntur, olim *Portæ* dictæ ſunt, vide in hac voce: unde *Puertos* ſeu *Portus* hodieque Hiſpanis. Sic *Clauſtra Pyrenæorum* occurrunt apud Oroſium, *l. 7. c. 40.* *Clauſtra Italiæ* apud Warnefridum, *de Geſtis Langobard. l. 5. c. 2.* *Clauſtra Provinciæ*, apud Senatorem, *l. 7. Epiſt. 4.* *Clauſura Auguſtana*, apud Eund. *l. 2. Ep. 5.* *Clauſuræ Vulgariæ*, apud Anonymum Barenſem in *Chron. A. C.* 1097. *Clauſura Volerni*, apud Corn. Urſperg. &c. Hinc Guntherus, *Ligurini l. 4.*

Ventum erat ad fauces, anguſtaque clauſtra viarum,
Quæ ſe ſubſtrictis horrendæ nubibus Alpes,
Exiguo tantùm penetrandas limite præbent,
Uniuſque capax ſcopuloſo ſemita calle,
Arcta laboranti pandit veſtigia turbæ, &c.

Κλεισοῦραι, quoque vocant Græci exteriores. Vide eundem ubi ſuprà. *Clavula & Clavulorum Curſor*, vide ſuprà in *Clabulare*.

CLAUSTRARII, apud Æl. Lamprid. *in Alexandro Sev. c.* 24. Vide infrà *Plauſtrarii*.

CLAUSTRINI, gens Hunnica. Hunnos enim & Avares, qui extructis novem *Hagis*, h.e. Circulis, in Pannonia habitaverant; octennali bellô Carolus M. edomuit excidítque. Horum ac natio-

mnonem unam, cui Ugrorum & Ungarorum nomen (nam multos ſecum è Scythia populos adduxerant Hunni) velut nihil nociturum, illis extinctis, ſubmovit tantum, & valló quodam obſtruxit. Arnulphus verò Imperator belló contra Zuendebaldum Sclavinorum Principem, ſubmotam hanc gentem reſeratis aditibus in illum emiſit, unde Ungaris occaſio in vicinas terras erumpendi. Erant autem ſubmoti intra anguſtias quaſdam, quales erant anguſtiæ Thraciam dirimentes & Daciam, ut notatæ Marcellino, *l.* 27. quales etiam Succuſanorum apud eund. A quibus proin *Clauſtra* illi *Clauſtrini* dicti, B. Rhenanus, *Rer. Germ. Nov-Antiqq. l.* 1. ubi Cl. Ottonis *Notas* vide.

CLAUSUS, Rex Sabinorum, Turno adverſùs Æneam ſuppetias tulit. Ab hoc Appius ille Claudius originem traxit, qui paucis poſt exactos Reges annis cum 5. millibus clientum ſe Romam contulit, ubi ſque partem habitandam accepit, Claudiamque familiam propagavit. Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 707.

> *Ecce Sabinorum priſco de ſanguine magnum*
> *Agmen agens Clauſus, magnique ipſe agminis inſtar,*
> *Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens.*

CLAUTOMON, locus flentium, *Judic. c.* 2. *v.* 5. à planctu nomen accepit. Hieron. *in loc.* eſt in tribu Benjamin.

CLAVUM figendi ritus, in parietibus ædium ſacrarum, per ſingulos annos (unde is *annalis* dictus) quò per eam numerus annorum colligeretur, apud veteres Romanos, memoratur Livio, *l.* 7. *c.* 3. his verbis: *Repetitum ex ſeniorum memoria dicitur, peſtilentiam quondam clavó ab Dictatore fixo ſedatam. Eâ religione adductus Senatus Dictatorem clavi figendi causâ dici juſſit ---- Lex vetuſta eſt priſcis literis, verbiſque ſcripta, ut qui Prætor maximus ſit, Idibus Septembribus clavum pangat. Fixus fuit dextro lateri ædis Jovis optimi maximi, eâ ex parte, quâ Minervæ templum eſt. Eum clavum, quia raræ per illa tempora literæ erant, notam numeri annorum fuiſſe ferunt; eoque Minervæ Templo dicatam legem, quia numerus Minervæ inventum ſit. Volſiniis quoque clavos indices numeri annorum, fixos in Templo Nortiæ Etruſcæ Deæ --- Cincius affirmat. M. Horatius Conſul, ex lege Templum Jovis optimi maximi dedicavit; anno poſt Reges exactos. A Conſulibus poſteà ad Dictatores, quia majus imperium erat, ſolemne clavi figendi translatum eſt. Intermiſſo deinde more, digna etiam per ſe viſa eſt res propter quam Dictator crearetur.* Et, *l.* 8. *c.* 18. *Neque de veneficiis ante eam diem Romæ quæſitum eſt. Prodigii ea res locó habita; captiſque magis mentibus, quàm conſceleratis, ſimilis viſa. Itaque memoria ex Annalibus repetita, in ſeceſſionibus quondam Plebis, clavum ab Dictatore fixum, alienataſque diſcordiâ mentes hominum eó piaculo compotes ſui feciſſe. Dictatorem clavi figendi causâ creari placuit.* E quibus diſcimus ritum hunc, primò civilem, annis deſignandis; poſteà in religionem veriſſe, & in graviſſimis Reſpubl. neceſſitatibus, piaculi causâ, fuiſſe adhibitum, vide Gronov. *ad Liv. l. cit.* & infrà in voce *Clavus Annalis*. Alia *Clavos figendi* ratio, in præcipitiis ſcandendis, de qua idem Liv. *l.* 28. *c.* 20. ubi de Caſtulone à Romanis obſeſſo: *Transfugæ Afri, qui tum inter auxilia Romana erant ---- conſpexerunt ediſſimam urbis partem, quæ rupe prealta tegebatur, neque opere ullo munitam, & ab defenſoribus vacuam. Levium corporum homines & multâ exercitatione pernicium, clavos ſecum ferreos portantes, quà per inæqualiter eminentia rupis poterant, ſcandunt ſicubi nimis arduum & leve ſaxum occurrebat, clavos per modica intervalla figentes, quum velut gradus feciſſent, primi inſequentes extrahentes manu, poſtremi ſublevantes eos, qui præirent, in ſummum evadunt &c.*

CLAVUS, præcipuum apud Romanos tunicæ ornamentum, ſed Equeſtris tantùm & Senatoriæ: Et quidem illius *Clavi* anguſtiores, hujus latiores fuêre, unde ad diſcrimen ordinum *lati Clavi* & *anguſti* dicti. Hos Scaliger *ad Varronem* non fuiſſe partem tunicæ, ſed de collo ſuſpenſos & ad libitum ſublatos, ut amuleta & numiſmata, quæ in pectus demittuntur, exiſtimat: Manutius verò *Clavos* purpuræ fuiſſe fragmenta docet, tunicis inſuta ſolita, unde detrahi quoque & reſui poſſent. Similiter Quintilian. *l.* 8. *c.* 5. eos veſtibus inſutos fuiſſe aſſerit. Nec obſtat Horat. *l.* 1. *Sat.* 6. *v.* 27.

> *Nam, ut quiſque inſanus nigris medium impediit crus*
> *Pellibus, & latum demiſit pectore clavum;*

Senatores enim, quibus *lati Clavi* jus erat, tunicam laticlaviam cingere non conſuevêre; Atque ita clavi purpurei, cùm zonâ non conſtringerentur, cadebant in pectus, ſive, ut Horatius loquitur, *pectore demittebantur*. Secus in Equitibus, qui cùm tunicam cingerent, anguſti clavi non deſcendebant in pectus, ſed in ſinu, quem zona ſuccincta efficiebat, ſuprà ipſam zonam conſpiciebantur. Qui verò ex Equitibus in Senatum allegebantur, ſolvebant tunicas & latiores clavos itidem demittebant, atque in pectus fluxa ſinebant. Unde idem Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 7. *v.* 10.

> ---- ---- *Clavum mutabat in horas.*

Ubi *Clavus* eſt tunica laticlavia, quam Priſcus ille inæqualis ac inconſtans ſæpiſſimè mutabat: Hinc *latum clavum tribuere* vel *adimere*, pro Senatorem facere & Senatu movere. Vocata autem ſunt hæc purpuræ ſegmenta ſive fruſta purpurea *Clavi*, quia, ut ſunt capita clavorum, rotunda erant, & ſic in pectore tunicæ aſſuebantur. Fuiſſe eorum plures, patet ex Varrone, *l.* 8. *de LL.* qui illos *plagulas* appellat, quod iis tunica, ut rete plagis, diſtingueretur &c. Nec veſtibus modo clavi purpurei latiores inditi, ſed & ſupellectili lectorum ac menſarum, leguntur, ut *ad Lamprid.* notavit Caſaubonus: Hinc *laticlavia mappa* Petronio: & *Lato variata mappa clavo*, Martiali, *l.* 4. *Epigr.* 46. *v.* 17. & *clavata lintea* Lampridio, *in Alex. Sev. c.* 37. *lintea item toralia duos clavos latiſſimos habentia* Ammiano. Vide Octav. Ferrarium, *de Re Veſtiar. l.* 3. *c.* 12. & *ſeqq.* qui idem in tunica triumphali ſive palmata aureos clavos fuiſſe docet, Ibid. Vide & ſuprà in voce *Clavare*: uti *de clavis, arboribus ſinalibus infixis*, ſupra Pileum *clavatum* habes infrà in *Veſtiarius*.

CLAVUS Annalis, dictus eſt, qui figebatur apud Romanos in parietibus ſacrarum ædium per annos ſingulos, ut per eos numerus colligeretur annorum, Sext. Pompejus, *l.* 3. Hunc ritum primus diſcuſſit Caſſellius Durantius, *ver. lect. l.* 1. *c.* 5. & obſcuriſſimis tenebris facem prætulit. Petronius *Satyr.*

> *At paries, circa palea ſatiatus agreſti,*
> *Fortuitóque luto: clavos numerabat & annos,*
> *Et viridi junco gracilis pendebat arundo.*

Solemnitas Septembri menſa celebrata. Vide Thom. Dempſter. *in Joh. Roſin. Antiqq. Rom. l.* 4. *paralipom. c. ult.* & ſuprà ubi de ritu *Clavum figendi*, nec non infrà, ubi *de Genutia lege* & *Plaum.*

CLAXENDIX, concha dicta eſt, qua olim ſigna, rebus ſolienè cuſtodiri ſolitis impreſſa, tegebantur atque abſcondebantur, fortean ne vel per imprudentiam violarentur, vel alii in fraudem ſimilia ſculperent. Priſcianus, *Claxendix ſignificat concham, quâ ſignum tegitur*. Plaut. *Vidularia*: *Appoſita eſt claxendix, at ego ſigni dicam quid ſit*. Vide Joh. Kirchmann *de Annulis*, *c.* 10. & ſuprà, in voce *Annulus*; ut & infrà ubi de *Signandi ritu* agemus.

CLAZOMENÆ, urbs Ioniæ, in ora maris Ægæi & ſinus Smyrnæi, media inter Smyrnam ad Ortum, & Chium ad Occaſum quam Paralus condidit, an. 98. Urb. Cond. 31. Olymp patria Anaxagoræ, *Gryna* poſteà dicta, Colophoni vicina. Strab. *l.* 14. Plin. *l.* 5. *c.* 29. Horat. *l.* 1. *Sat.* 7. *v.* 4.

> *Perſius hic per multa negotia dives habebat*
> *Clazomenis. ---- ----*

Apud Melam *Clazomena* ſingulari numerò legitur, *l.* 1. *c.* 17. Vide *Abdera*.

CLAZOMENIA, inſul. à qua *Clazomenii*, quos in Merona ſitos eſſe conſtat. Inde vina *Clazomenia*, quæ olim apud Romanos in pretio fuêre. Vide *Marathuſa*.

CLC. in nummo Conſtantii, eſt *Caſa Lugdun*, interprete Car. du Fraſne, vide eum *Diſſertat. de infer. ævi Numiſmatibus*.

CLEADAS, Pater Chilonidis. Polyæn. *l.* 8. *c.* 34.

CLEÆNETUS, qui ſua lituus prodegit. Alii dicunt, eum decretum compoſuiſſe, ne Ducibus publica cibaria præſtarentur. Schol. *Ariſtoph.* 322.

CLEANDER, unus ex Alexandri Magni Ducibus, per quem Parmenionem interfecit. Ipſe tandem ob avaritiam & libidinem, quâ nobilem virginem conſtupratam ſervo ſuo pellicem dederat, ab Alexandro ſuppliciò affectus. Curt. *l.* 10. *c.* 1.

CLEANDER, primus Gelæ tyrannus, qui commutatâ Oligarchiâ, ſibi dominatum ac ſingulare imperium ſtabilivit. Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 12.

CLEANDER, Cubicularius Commodi Imperatoris, Perennô occiſô, Principi gratus. Quô favore impotenter abuſus, è mancipio Prætorio Præfectus munera Imperii venum expoſuit, Libertos in Senatum allegit, unóque annô 26. Conſules deſignavit. Exules revocatos promovit, legitimos Magiſtratus depulit, apud Imperatorem, quos vellet, reddens ſuſpectos. Sic Byrrhus, Commodi affinis, periit, pluriminque alii in extremum diſcrimen adducti. Tandem à Commodo occiſus eſt, in gratiam plebis ad ſeditionem ſpectantis. Lamprid. *in Commodo*.

CLEANDER, vates Arcadicus, apud *Herodotum*.

CLEANDRIA, Troadis locus, unde Rhodius amnis fluit. *Strabo*.

CLEANDRIDAS, Dux Laconum. Vide Polyænum, *l.* 2. *c.* 10. 2. 2. ubi *Thurinum* eſt. Paulò poſt ab eodem vocatur *Cyrenæus* vitiò librariorum, ut rectè cenſet Caſaubonus, qui perſuaſum habet, hunc Callicratidem eſſe eum, qui Lyſandro ſucceſſit in præfectura Aſiæ.

CLEANDRIDES Pericles, Ephoris Lacedæmoniorum Cleandridæ & Pliſtianacti multum pecuniæ largitus aſt ob proditionem. Cùm ab eodem rationem exigeret civitas, nolens ſe ipſum & Lacedæmonios rubore confundere, reſpondit ſe in neceſſaria expendiſſe. Quô auditô Lacedæmonii Cleandridem morte, Pliſtianactem quindecim talentis mulctârunt, exiſtimantes ipſos corruptos, ut parcerent reliquæ Atticæ regioni, ex hoſtico exceſſiſſe.

CLEANTHES, Stoicus Philoſophus, Cratetis primus diſcipulus, Zenonis Citticnſis ſucceſſor. Hic Phaniæ Aſſii filius, egregius pugil, cùm Athenas veniſſet, Zenoni adhærens generosè philoſophatus eſt, & in iiſdem dogmatibus permanſit. Tantâ fuit in tolerandis laboribus alacritate, ut *alter Hercules* dictus ſit. Nam cùm non haberet, unde ſe alere poſſet, noctu quidem in hortis aquam hauriebat, per diem verò in ſermonibus exercebatur, unde *Phreantles* appellatus eſt, quaſi *puteos hauriens*. Tradunt illum, quæ à Zenone audierat, oſſibus boum, teſtiſque fictilibus perſcribere ſolitum, cùm pecunia non ſuppeteret ad chartas emendas. Patria ei Aſſus fuit, ubi & ſtatua ei dicata eſt, magnificentiæ Romani Senatûs ſpecimen, ut *Simplicius* refert, qui & vidit. Antigonum Regem, ut & Chryſippum ſucceſſorem ſuum diſcipulos habuit. Recitat ejus verſus quoſdam non inelegantes Clem. Alex. *l.* 5. *Strom.*

> *Μὴ αὐτὸς δόξαν ἄγε ἰδίαν σοφὸς εἶναι σπεῦδε,*
> *Μηδὲ φοβοῦ πολλῶν ἄκριτον καὶ ἀναιδέα δόξαν,*
> *Οὐ γὰρ πλῆθος ἔχει συνετὴν κρίσιν, οὔτε δικαίαν,*
> *Οὔτε καλήν, ὀλίγοις δὲ παρ' ἀνδράσι τοῦτο κεν εὕροις.*

Alios ejus verſiculos à ſe Latinè verſos producit Seneca, *Ep.* 107. quos diſertiſſimos vocat. Sunt autem iſti:

> *Duc me Pater, ſummique moderator poli,*
> *Quocunque placuit, nulla parendi mora eſt:*
> *Adſum impiger: fac nolle, comitabor gemens,*
> *Maluſque patiar quæ pati licuit bono.*

Laudat eos quoque, ſed Senecæ quaſi auctori tribuens Auguſtin. *de Civ. Dei*, *l.* 5. *c.* 8. Græcos ipſius Cleanthis habes Epicteti Enchiridio, *c.* 77. quos licet ſine auctore alleget, Cleanthis tamen eſſe, cui & Seneca tribuit, Simplicius quoque, *in commentario ad eum locum*, notat. Vide Laërtium, *l.* 7. Hic cum morbò laborans biduum integrum cibò abſtinuiſſet, adeò convaluit, ut Medici ipſi omnes conſueta promitterent: quod ille contemnens, inediâque mori cupiens, extinctus eſt. Inde adjectivum *Cleantheus*. Perſius, *Sat.* 5. *v.* 63.

Cultor enim es juvenum, purgatas inſeris aures
Fruge Cleanthea. —— ——

Nic. Lloydius.

CLEANTHES, Hiſtoricus quidam laudatus à Schol. in Ariſtoph. *Equites.*

CLEARCHUS, Heracleæ Ponticæ tyrannus, feſtò Dionyſiorum die ad ſpectaculum progreſſus, à Chione & Leonida, Platonis auditoribus, ſublatus eſt, cum tyrannidem annos duodecim tenuiſſet, Olymp. centeſimæ ſextæ annò quartò. Juſtin. *l.* 16. *c.* 4. 5. Diodor. Sic. *l.* 18. *&* 20. *&c.*

CLEARCHUS, Dux Lacedæmoniorum, dictabat Imperatorem plus quàm hoſtem metui oportere: ſignificans eos qui in prœlio mortem expaveſcerent, certum ſibi, ſi deſeruiſſent, expectare debere ſupplicium. Frontin. *l.* 4. *Strategem. c.* 1. *ex.* 16. Miſſus ad Byzantinos pacandos, illorum tyrannidem invaſit; à Lacedæmoniis revocatus non paruit, victus ad Cyrum Juniorem confugit, plurimiſque prœliis interfuit. Diodor. Sic. *l.* 14. Xenoph. *Hellen. l.* 1.

Fl. CLEARCHUS, Conſul, collega Richomeri, an. Urb. Cond. 1137.

CLEARCHUS Solenſis, Senior, Ariſtotelis diſcipulus, ut ſcribit Joſeph. *l.* 1. *contra Apionem*: ubi & eum *Peripateticum* vocat nulli ſecundum. Adfert quoque egregium fragmentum ex libro ejus de ſomno. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 9.

CLEARCHUS Junior, Ponticus, Athenas profectus, ut operam daret Platoni, in ſomniis admonitus à ſtudiis literarum receſſit. *Suidas.*

CLEARTUS, Marmaricæ palus. *Ptol.*

CLEEMPUS, Medicus fuit, cui Pythagoræ liber *de magicis herbis* à nonnullis adſcribitur.

CLEMA, Græcè κλῆμα, ſpecies vitis, ut ait *Ammonius*, ſive palmes, pampinus ſeu potiùs ſarmentum erat, Centurionatus apud Romanos inſigne. Hinc κλῆμα ἑκατοντάρχιον Plutarcho, *in Galba* dictum. De quo ſic Euſeb. *Hiſtor. Eccleſ. l.* 7. *c.* 14. *Marinus unus ex his, qui in exercitu Romano magnum decus & honorem fuiſſent conſecuti —— propter teſtimonium Chriſti —— capite damnatus fuit. Eſt quidem honos apud Romanos, qui κλῆμα appellatur: quem qui adipiſcuntur, eos Centuriones fieri aiunt.* &c. Vide infrà in voce *Vitis.*

CLEMANGIS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

Pontifices Romani.

CLEMENS I. Romanorum III. Epiſcopus, auditor Divi Petri, ut quidam volunt. D. Dionyſium Areopagitam miſiſſe Pariſios, dicitur Niceph. *l.* 2. ſucceſſit Anacleto, A. C. 91. quò tempore Domitianus 2. perſecutionem excitavit. Conſtituit, ne Sacerdotes religionis prætextu uxores dimitterent, neve Clerici ſecularibus curis impedirentur. Sub Trajano tertiam perſecutionem movente, in Cherſoneſum Tauricam deportatus, & alligatâ ad collum anchorâ mari merſus eſt, A. C. 100. Polyd. *l.* 5. *c.* 3. *Platina.* Extat ejus ad Corinthios Epiſtola prima, quam omnes ferè pro genuina agnoſcunt. Edidit eam Doctiſſ. Vir Patricius Junius Oxon. A. C. 1633. Anglicè reddidit, notiſque non ineruditis illuſtravit Gul. Burton. Londini A. C. 1647. *Nic. Lloydius.* Addo quòd Compresbyterum eum cum Lino & Cleto fuiſſe, Viri eruditi docent: nonnullis eundem eum cum illo, cujus mentionem facit Apoſtolus, ad *Philipp. c.* 4. *v.* 3. cenſentibus. Inter ſcripta, quæ ei tribuuntur, *Conſtitutiones* ſunt *Apoſtolicæ* ſeu *Præceptiones* 8. *libris* comprehenſæ; Item *Canones Apoſtolorum*: quos *ὡς νόθους* ex Pontificiis & Proteſtantibus Viros complures eruditos meritò damnare, docet multis Gerh. von Maſtricht, *Hiſt. Juris Eccl. num.* 107. *& ſeqq.* Ei ſucceſſit Cletus, ſecundùm alios, qui Lini illum ſucceſſorem faciunt.

CLEMENS II. cognomine *Suiger* vel *Schmidger*, Saxo, Epiſcopus Bambergenſis, Papa ab Henrico III. Imperatore electus eſt, Gregoriò VI. depoſitò, A. C. 1046. *Eccleſia quippe Dei graviter jam prope per* 200. *ann. ægrotans & multa, & ea valida remedia requiſivit, uſque adeò ut ne ignem atque ferrum repudiaret.* Sigon. *l.* 8. *ad A.* C. 1047. Contra Simoniacos concilium Romæ inſtituit, Henricum Imperatorem cum uxore à ſe coronatum, in Germaniam ſecutus eſt. *Volaterran. Sigebert. Onuphr. Genebr. Ciacconius*, &c. Eum excepit Damaſus II.

CLEMENS III. Romanus, priùs *Paulinus*, Gregorio VIII. ſucceſſit, A. C. 1188. Bellum contra Saracenos decrevit, cum Philippo Auguſto Galliæ Rege hinc tributa, ſeu *decimas Saladinas* exigens. Siciliæ turbas poſt Guilielmi Regis obitum ſedare conatus eſt. Cælibatum in Polonia juſſit, Cromer. *l.* 7. *Hiſt. Pol.* Obiit A. C. 1191. Succeſſorem habuit Cæleſtinum III.

CLEMENS IV. Gallus, excepit Urbanum IV. A. C. 1265. priùs *Guido Groſſus* vocatus, arma tractaverat, dein Juri operam dedit: Uxore mortuâ, Cardinalis, in Angliam miſſus, abſens Papa electus, & Viterbii coronatus eſt. Carolum in Siciliæ regno confirmavit, Conradino macello expoſito, cùm Viterbium cum prætervehi videret, *Hæc optima victima ad aram agitur*, dicens, & quæſitus, *Vita Conradini mors Caroli &c.* reſpondens, & à Carolo viciſſim XL. aureorum M. quotannis ſtipulatus. Platina & Ciacconius, *in Clemente IV.* Obiit A. C. 1268. illi ſucceſſit Gregorius X.

CLEMENS V. Vaſco, priùs *Bertrandus Agoutus*, Archiepiſcopus Burdigalenſis, ſucceſſit Benedicto XI. poſt undecim menſium diſſenſionem, A. C. 1305. coronatus Lugduni, ubi muri ruinâ Johannes Dux Britanniæ, Galhardus Papæ frater, &c. oppreſſi, Philippus Pulcher & Carolus Valeſius, læſi: diadema Pontifici excuſſum eſt, ingentis pretii gemmâ amiſſâ. Hic ſedem Papalem Româ Avenionem tranſtulit, ubi per 72. poſtmodum ann. manſit. Franciſcum Dandulum, Venetorum Ducem, qui excommunicationem deprecaturus venerat, ad pedes ſuos provolutum, canis inſtar, ferreâ catenâ revinctum, ſubter menſam ſuam jacere eſt paſſus. Mox Viennæ Conciliò indictò excidium Templariorum decretum, etiam in Valdenſes aſſumta, Reformatio Eccleſiæ, ſed fruſtra; tentata. Tandem, à Jacobo Burgundione, Ordinis Templariorum principe, Lutetiæ cremandò, ad Dei tribunal citatus, dictâ die 40. deceſſit, cùm paulo antè nepotem ſuum, quem multum diligebat ſenſualiter, Magò quòdam ſacris operante, in locis inferni cruciari vidiſſet. *Libri Clementinarum* congeſtor, Joh. Balæus, *Clem. V.* P. Æmylius, *l.* 8. Drexelius, *in tribunali*, *l.* 2. *c.* 2. &c. Vide & Morn. *myſt. iniq. p.* 965. Eum Excepit Johannes XXIII.

CLEMENS VI. priùs *Petrus Rogerius*, Benedicti XIII. ſucceſſor, literatus, memoriæque planè invictæ. Petrarcha, *rer. fam. l.* 8. *& l.* 2. *rerum memor. c.* 2. Jubilæum ad 50. annum reduxit, liberalis Indulgentiarum promus condus. Sed notatum, vix 10. ex millenis, qui Romam confluxerant, ob ingentem peſtem, rediiſſe. Has dein indulgentias publicò ſcriptò Academia Pariſienſis refutavit. Ludovicum Bavarum perſequutus, poſt Andreæ Regis mortem Legatum Neapolim miſit, Græcos cum Armenis conciliare ſtategit. Idem Galliæ Regibus *ſub utraque* communicare permiſit. Obiit Avenione A. C. 1352. ſedis 10. an. Ejus cadaver cum Clementis V. bellò civili erutum. Lemovix fuit. Abr. Golnitzius, *in Avenione*. Platina, *in vita ejus*. *Mornæus*, *&c.* Illi ſucceſſit Innocentius II.

CLEMENS VII. Antipapa, priùs *Robertus*, fil. Amadei, Comitis Genev. à Cardinalibus Cis-Montanis, vim ſibi illatam à populo Romano queſtis, Urbano VI. oppoſitus eſt, A. C. 1378. Gallis, Hiſpanis & Apulis ipſi adhærentibus. Quod ſchiſma 50. ann. duravit; utròque ſe verum Petri ſucceſſorem venditante, & alterum diris devovente, plurimis Principibus, ut Rege Arragoniæ, Duce Britanniæ, Comite Hannoniæ, Republ. Leodienſi neutrum agnoſcentibus; ipſâ quoque Galliâ per 5. annos Papæ eclipſin facilè ferente. Obiit Avenione, A. C. 1394. ſedis 16. Ciacconius, *in vita ejus*. Onuphr. Genebr. *Chron. Platina*, &c. ſucceſſorem habuit Benedictum II.

CLEMENS VIII. Antipapa, priùs *Ægidius*, Arrago, à ſolo Arragoniæ Rege agnitus, A. C. 1429. paulo pòſt ſponte ceſſit.

CLEMENS VII. fil. Juliani Medicei, Adriano VI. ſucceſſit, A. C. 1523. ab Æthiopum Rege, per legatum ſalutatus eſt. Carolum V. Imperatorem literis paulò durioribus irritavit, à Pompejo Columna Cardinali ad Concilium Spiræ indicendum, citatus. Hinc Caſtro S. Angeli ſe incluſit. Mox bella ciens, per Borbonium Ducem oppugnatus, imo Româ miraculò expugnatâ & direptâ, in eadem arce ad incitas redactus eſt, inde ingenti lytrò liberatus clàm aufugit. Poſtmodum pacem petiit, nuptiiſque Alexandri Medicei, cum Margareta Caroli fil. Catharinæ item cum Henrico Franciſci Regis fil. ſedem firmavit. Nimium largus fulminum evibrator, Henricum VIII. repudiatâ Catharinâ Auſtriacâ, excommunicavit, qui exinde Papæ auctoritate in ſuo regno abolitâ, ſe Caput Eccleſiæ dixit. Obiit, Paulò III. ſucceſſore. A. C. 1534. Sedis 11. vitæ 56. P. Jovius, *in elog. & Hiſtor.* Ciacconius, Maſſon. Onuphr. *in vita ejus*. Genebr. *in Chron.* &c.

CLEMENS VIII. Florentinus, priùs *Hippolitus Aldobrandinus*, ſucceſſit Innocentio IX. A. C. 1592. Henricum IV. Galliæ Regem regnò primò excuſſurus, mox cùm eum prævalere, & conſilia de Patriarcha in Gallia creando vigere animadverteret, anathemate exſolvit, Fœdus ſanctum inter Monarchas & Principes, ad exſtirpandos Euangelicos inſtituit, cui omnes, Galliæ Rege, & M. Duce Hetruriæ exceptis, nomen dederunt. Ducatum Ferrariæ, Alphonſò mortuò, vindicavit. Jeſuitis, editò ſcriptò, *Clementem VIII. credere legitimum eſſe Petri ſucceſſorem*, non eſſe articulum fidei, aſſerentibus, ſuccenſuit: illis nihilominus veniâ in Galliam redeundi impetratâ. Controverſiam *de Auxiliis*, inter Jeſuitas, auctore Molinâ, & Dominicanos, Auguſtini ſententiam contra Pelagianos defendentes, non decidit. Obiit tandem A. C. 1605. ætat. 69. ſedis 13. experientiâ rerum inclytus, ſed faſtu & perfidiâ infamis: ut qui Henricum IV, contra Eliſabetham incitaturus, non veritus ſit dicere: *Poſſe Principes à fœderibus reſilire, ſine famæ periculo, poſſe mentiri, prodere, &c.* Thuan. *Hiſt. l.* 113. 131. 132. Speculum Conſil. Hiſp. Rivetus, *in Jeſuita vapul. c.* 4. Eum excepit Leo XI.

CLEMENS IX. priùs *Julius Roſpiglioſus*, Piſtorienſis, poſt Alexandrum VII. Papa, A. C. 1667. commerciò cum omnibus Europæ literatis inclytus. Luſitaniam Epiſcopis inſtruxit, Candiæ auxilia ſummiſit, &c. Obiit A. C. 1669. ſucceſſit ei.

CLEMENS X. priùs *Æmilius Altieri*, Romanus.

CLEMENS, natus Athenis, ſed dictus Alexandrinus, quòd ibi Lectorem S. Scripturæ ageret, Panthæni diſcipulus, Origenis Præceptor, floruit ſub Severo: Scriptis editis inclytus. De quibus reſtant nobis 8. *libri Stromatum*, 3. *de Pædagog.* &c. Caſſiodor. *Inſtit. div. l.* 1. Phot. *in Bibl. num.* 109. Hieronym. *de Script. Eccl. c.* 38. Euſeb. *Hiſt. l.* 5. *c.* 11. *&* 13. *& in Chron.* A. C. 197. *Tom.* 1. *Biblioth.* Patrum *Colon.* 561. *edit.* A. C. 1624. Hieron. & Euſeb. *Inexhauſtæ doctrinæ virum* vocat Caſaubonus, *Exercit.* 1. *ad Baron. apparat. Feruntur ejus inſignia volumina, plenaque eruditionis, & eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, quàm de ſecularis literaturæ inſtrumento*, Hieron. *de Script. Eccleſ.* Ei prænomen fuit, *Titus Flavius*, Sixt. Sen. *Titus Fabius*, Labbe. Claruit ſecundùm Bellarminum ex Baronio A. C. 204. ſecundùm Sixtum Senenſem A. C. 200. Opera ejus Græcè cum notis Sylburgii, Canteri, Arcerii, Heinſchelii & aliorum prodit-

prodiiſſe, in fol. Heidelbergæ A. C. 1594. Græc. Latin. in fol. Lugdum Batavorum A. C. 1616. Pariſiis A. C. 1641. in fol. Latin. ibidem A. C. 1612. &c.

CLEMENS Conſul, collega Tertulli, an Urb. Cond. 947.

CLEMENS Hiſtoricus, ſcripſit *de Regibus & Imperatorib. Romanis*: & ad Hieronymum, *de figuris Iſocratis*. *Suidas*.

CLEMENS, Poſthumi Agrippæ ſervus, qui comperto fine Auguſti Agrippam ferre ad exercitus Germanos concupivit: ſed, cæde ejus patrata, furatis cineres, ſe ignotis locis abdidit, donec crinem barbamque promitteret. Tum ipſe ſe Agrippam, quia ætate & forma haut diſſimili in dominum erat, mentitus eſt. Verum aſtu Criſpi Salluſtii per duos ſive milites, ſive clientes, comprehenſus, ac in ſecreta palatii parte, Tiberii juſſu, eſt interfectus.

CLEMENS, ſcriptor verſu *vitæ Alexandri*. Item Anglus presbyter, A. C. 1170. ſub Henrico II. *commentariis in S. Biblia & ſcriptis Aſtronomicis* clarus. Voſſ. *de Scient. Mathem.* c. 35. §. 23.

CLEMENS archipirata, Daniam infeſtat parteque Chriſtierni II. captivi, poſt Friderici I. Regis obitum, tuitus, in Chriſtiani III. manus pervenit merito affectus ſupplicio, ſeculo præterito.

CLEMENS Jacobus, Monachus Dominicanus, admiſſus ad Regem Galliæ Henricum III. ſub ſpecie arcanorum, Regem literas ab eo acceptas legentem, ultro interfecit, in caſtris: Nihilominus tantum adhuc virium ſauciato Regi erat, ut ſicam extractam parricidæ infigeret, quem aulici accurrentes illico trucidârunt. A. C. 1589. Vide Thuan. *Hiſt. l.* 96. Lud. Lucium, *Hiſt. Jeſuit, l.* 4. *c.* 3.

CLEMENS Marotus, Franciſco I. a cubiculo, homo facetus, & natura ad Poëſin factus. Partem Pſalmorum Davidis metro reddidit, aliaque ſacris ingenioſe ſcripſit. Obiit Taurini. SanMarth. *in elog. l.* 1. Strada, *de bello Belg. l.* 3. Verderius, *Bibl.* p. 220.

CLEMENS Robertus, vide *Robertus*.

CLEMENS Scotus, ſeculo 8 S. Canones rejecit, fratris demortui viduam duci poſſe cum Judæis credidit, J. Chriſtum deſcenſu ſuo ad Inferos damnatos liberaſſe aſſeruit, &c. Baron. *A. C.* 742. 745.

CLEMENTIA, nunquam numen ab antiquis colebatur, unde Plutarchus ſcribit, *in Cæſare*, ejus *Clementiæ* templum non ab ejus moribus abhorrens decretum fuiſſe. Simile quid de Athenienſibus legimus, quos in Foro Urbis aram *Miſericordiæ* erexiſſe, ad quam non Attici ſolum, ſed & omnes omnino homines confugiendi poteſtatem haberent, dicemus infra in voce *Miſericordia*. Vide ſupra ubi de *Hillis*. Et certe Demoſthenes *contra Midiam*, virtutem hanc Athenienſibus velut propriam aſcribens, eximit ſolum inde ſuum Adverſarium. Vide Ulpianum *ad l.* Cumprimis autem perpetua iis conſuetudo adſignabatur, vi oppreſſos in libertatem vindicandi. Ulpianus, *ibid.* Ὅτι τὸ σώζειν ἐστὶ τοὺς ἀδικουμένους ἐλευθέρους ἀεὶ σπουδάζουσι. Cujus Clementiæ exempla, in totam Græciam redundantia, pluſima indicat idem Demoſthenes, *de Corona*. Vide quoque Libanium multis locis. Cæterum Numinis hujus effigiem nullam fuiſſe, indicat Statius, *Theb. l.* 12. v. 491.

Nulla autem effigies, nulli commiſſa metallo
Forma Deæ, mentes habitare, & pectora gaudet.

Ubi Schol. *A nullo pictore, ſculptore, plaſta, ſtatuario, fuſore, cæſore, aut alio Artifice forma huic Numini aſſignata eſt, quia nuſpiam habitat, niſi in corde humano.* Et Claudianus, ubi de eodem ac Stilicone ſuo, *l.* 2. v. 12.

Hæc Dea pro Templis, & thure calentibus aris
Te fruitur, poſuitque hoc pectore ſedes.

Ad quem locum conſule Caſp. Barthium, quæ *Secunda Recenſione* notavit, item, *Adverſar. l.* 60. *ad Auguſtinum de Civ. Dei, l.* 1. *c.* 30. nec non ejuſdem *Operis, l.* 42. *c.* 28. Similia ſunt in Sixti quoque *Sentent.* 40. Quibus adde Fr. Lindenbrogium ad P. Warnefridum, *Hiſtor. Longobard. l.* 5. Thom. Dempſter. *Antiqq. l.* 2. *c.* 2. Alios.

CLEMENTIA Andegavenſis, uxor Ludov. Hutini Galliæ Regis, filia Caroli Martelli Hungariæ Regis ex Clementia Habſpurgica: marito mortuo filii poſthumi Johannis mater. Budæ orphanotrophio erecto, &c. obiit, A. C. 1328.

CLEMENTIA Bourgeſia, Lugdunenſis, Poëſeos & Muſices perita. Audito ſponſum in primo bello civili interemptum, dolore confecta, diem obiit.

CLEMENTIA Iſaura, Tholoſana, inſtituit ludos dictos *Floraux*, liberalitate & doctrina inclyta. Verderius, *Bibl. Gall.* p. 218. 219.

CLEMENTIANUS Honorius, vide *Venantius Fortunatus*.

CLEMENTINÆ, nomen libri Septimi Decretalium, a Clemente V. Pontifice Romano compilati. Hic enim ſede Pontificia Avenionem tranſlata novo augmento Pontificium Jus locupletaturus libris iiſdem 5. iiſdemque titulis (quibus compilationes Gregorii IX. & Bonifacii VIII. conſtant) incluſit ſuas & Concilii Vienneniſis conſtitutiones, ſed præpropere mortuus vulgare non potuit, imo moriens vetuit, ut Aventinus refert, *Annalium, l.* 7. Qua prohibitione non obſtante Johannes XXII. qui eum excepit, librum publici fecit juris; de qua editione ſic Aventinus. *Septimum Juris Pontificii librum, quem Clemens V. deceſſor ejus compoſuerat, ſed quod multa, quæ ſimplicitati Chriſtianæ, libertati Religionis repugnarent, ibi continerentur, publicare ſuperſederat, atque animam agens aboleri juſſerat* (Johannes XXII.) *edidit, omnia, quæ ibidem ſcripta erant rata fore conſtituit, quæ a Benedicto, qui Joanni ſucceſſit, rurſus antiquata ſunt.* Noluit autem has vocari *librum VII.* Joannes, ſed *Clementinas* inſcripſit, miſitque ad Univerſitatem Bononienſem, cum *Præfatione* ſua, anno 2. ſui Pontificatus, qui eſt Chriſti 1317. *Gloſſas* ad eas addidit Fr. Zabarella, qui & in *Decretales* ſcripſit, vide Gerh. von Maſtricht, *Juris Pontif.* ſeu *Eccleſ. Hiſtor.* p. 371.

CLEMENTINUS, Conſul, collega Probi, an. Urb. Cond. 1267.

CLEMMATER, vide infra *Cymbalum*, it *Tympanum*.

CLENARDUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

CLENUS fluv. oritur in confinio provinciæ Marchiæ Lemovicenſis, vide *Clanis. Baudrandus*. Vulgo *le Clanc*. Hunc Vigenna recipit, paulo poſt Croſam *la Creuſe*, minore Croſa & Vartimpa *Gartempe* auctum accepturus, ac tum demum in Ligerim lapſurus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CLEO, Siculus, inter comites Alexandri M. adulator, qui Alexandro cœlum aperiebat, Herculemque & Patrem Liberum & cum Polluce Caſtorem novo Numini ceſſuros eſſe jactabat. Curt. *l.* 8. *c.* 5.

CLEOBIS, Argiæ Sacerdotis filius. Herod. *l.* 1. Val. Max. *l.* 5. *c.* 4. *ex. ext.* 4. Plut. *in Solone*. Cicer. *Tuſcul. Quæſt. l.* 1. *c.* 47. *Argiæ ſacerdotis Cleobis & Biton filii prædicantur. Nota fabula eſt. Quum enim illam ad ſolenne & ſtatum ſacrificium curru vehi jus eſſet, ſatis longe ab oppido ad fanum, moraventurque jumenta, tunc juvenes ii, quos modo nominavi, veſte poſita, corpora oleo perunxerunt, ac jugum acceſſerunt. Ita ſacerdos advecta in fanum, cum currus eſſet ductus a filiis, precata a Dea dicitur, ut illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari poſſit a Deo. Poſt epulatos cum matre adoleſcentes, ſomno ſe dediſſe, mane inventos eſſe mortuos.*

CLEOBULA, Amyntoris uxor, Phœnicis mater. Tzetzes, *in Lycophron.*

CLEOBULINA, Cleobuli filia, ingenio, judicio animi magnitudine inclyta, hexametris ænigmatica quædam perſcripſit, quorum unum adhuc extare fertur.

Εἷς ὁ πατὴρ, παῖδες δὲ δυώδεκα, τῶν δὲ ἑκάστῳ
Παῖδες τριήκοντα, διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι,
Αἱ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν, αἱ δ' αὖτε μέλαιναι,
Ἀθάνατοι δ' ἐοῦσαι ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.

Ita habet Laërtius, *in Cleobulo*. Atqui *Stobæus*, Κούρας ἑξήκοντα. Et certe ut taceam primam in τριήκοντα eſſe brevem, dici non poteſt ea 30. diebus menſis, alios eſſe albos, alios nigros; Sunt enim omnes albi ſimul, ac nigri, aut nigri ſimul, & albi, ſed ea 60. menſis filiabus aliæ ſunt albæ ſcil. 30. dies, aliæ nigræ videlicet 30. noctes. lege itaque:

Παῖδες δὶς τριήκοντα.

vide Plut. *in Convivio* 7. *Sap. c.* 4. Diogen. *in Cleobulo*. Athen. *l.* 10. *c.* 15.

CLEOBULUS, Euagoræ fil. Lindius, unus e 7. Græciæ ſapientibus robore, & pulchritudine corporis eximius. E Lindo Ægyptum, philoſophandi gratia, petiiſſe fertur, extat ejus *ad Solonem epiſtola*. Ænigmatum conditor, infidelitatem & ingratum animum ſanguine viperino cautius vitavit. Et amicis, ut conſerventur, & inimicis, ut concilientur, bene faciendum dixit, &c. Obiit 70. Olymp. 70. ætat. Diogenes, *in ejus vita*. Plut. *in convivio* 7. *Sapient.*

CLEOBULUS, Hiſtoricus *apophthegmata* collegit, ut Stobæus indicat, *Serm.* 3. *& alibi*. Plin. *l.* 5. *c.* 31. tradit ex Cleobulo, ut Chios prius dicta ſit Chia a Chione nympha, quam alii a nive hoc nomen habere arbitrantur.

CLEOCHARES, ab Alexandro M. miſſus, poſtulatum a Poro deditionem. Curt. *l.* 8. *c.* 13.

CLEOCRITUS, apud Comicos taxatur, ut mulieroſus, & cinædus, & obſcurus, Cybeles filius. Nam in myſteriis Rheæ molles tantum interſunt. *Suidas*. Vide Eraſm. in *Adag.* & Schol. *in Ran.* Item *Aves*, ubi traducitur tanquam κουδάκων i. e. μεγαλόκων.

CLEODÆUS, Hylli fil. Herculis nepos. Herodot. *l.* 7. poſt patrem ſingulari certamine ab Echemo interemptum, Peloponneſum recuperare conatus irrito fruſtra fuit. Eum excepit, in regno Dorienſium & ſpe redeundi in priſtinas ſedes fil. Ariſtomachus, quem vide.

CLEODAMAS Thaſius, Philoſophus, Platonis tempore in Geometria floruit.

CLEODAMAS, Achenus (Ache autem civitas Theſſaliæ eſt) ſcripſit *de cura equorum*. *Stephan.*

CLEODAMUS, & Athenæus, Byzantii, a Gallieno Imperatore Scythis Iſtrum ingreſſis & multa gravia in ſolo Romano facientibus *inſtaurandis urbibus muniendiſque præfecti ſunt*, apud Trebellium Pollionem in *Gallienis duobus*, c. 13.

CLEODAMUS Malchus, hiſtoriam fecit ad imitationem Moſaicæ, qua de re apud Joſeph. loquitur Alexand. Polyhiſtor, *Jud. Antiquit. l.* 1. *c.* 16.

CLEODORA, nympha, mater Parnaſſi, a quo Parnaſſus mons nomen accepit. Cœl. Rhodig. *l.* 16. *c.* 19. quæ duos habuit patres. Pauſan. *l.* 10.

CLEOGENES, Sileni filius, eques inſignis. Pauſan. *l.* 6.

CLEOLAUS, Herculis fil. ex ancilla Jardani Lydi, Omphales parentis, cui ex Oraculo, venditus triennium ſervire cogebatur. Diodor. Sic. *Erat Herculi, κατὰ τὴν δουλείας καιρὸν tempore ſervitutis, natus Cleolaus ex ancilla* ſcil. Jardani, *l.* 4. Pater Alcæi, quo Argon natus eſt, primus Dynaſtiæ in Lydia II. Regum, Heraclidarum nempe, qui Atyadis ſucceſſerunt auctor. Herodotus, *l.* 1. *c.* 7. *Heraclidæ, ex ancilla Jardani & Hercule geniti, regnum ex Oraculo adepti. Horum primus fuit Argon*, de quo diximus. Quemadmodum Agelaus ſeu Lamon, ejuſdem Herculis filius ex Omphale, Jardani filia, progenitor fuit Mermnadarum, qui poſt Heraclidas, III. Dynaſtiam erexêre, auctore Gyge. Vide Joh. Marſhamum, *Canone Chron. ad Sec. XVII.*

CLEOMACHUS, Magneſius pugil, qui cinædi cujuſdam, & ancillæ amore captus, quæ a Cinædo alebatur, Cinædorum & orationes, & mores eſt imitatus, *Strabo*.

CLEOMANTIS Clitorius, vicit ſtadium, Olymp. 118.

Reges Spartani.

CLEOMBROTUS I. Rex vel Dux Spartan. fil. Anaxandridæ, murum in Iſthmo Corinthiaco, contra Perſarum in Peloponneſum incurſiones, extructurus, Eclipſi ſolis abſterritus eſt, Olymp. 73. Obiit, Pliſtarchô Leonidæ fil. ſucceſſore, quô minorenni Pauſanias regnum adminiſtravit. Herodot. *l.* 9. Dux erat filiam Leonidæ, de qua vide Plut. *in Agide & Cleomene*. Item ſuprà in voce *Chelonis*.

CLEOMBROTUS II. Pauſaniæ fil. Lacedæmoniorum Rex, fratri Ageſipolidi I. ad Olynthum morbô extinctô, ſuffectus eſt. Olymp. 100. an. 1. Hic timens, ne videretur cum Epaminonda hoſte ſentire, temerè cum eo, jam duplici expeditione contra Thebanos, infelix, pugnavit, ſeque & patriam in præceps dedit, nam ex vulnere occubuit, & exercitus deletus eſt. Regni an. 9. Succeſſit ei fil. Ageſipolis II. Prælium hoc ad Leuctra commiſſum eſt an. 2. Olymp. 102. Mundi 3683. Urb. Cond. 382. Xenoph. *l.* 5. & 6. Polyb. *l.* 1. Diodor. Sic. *l.* 15. Pauſan. *l.* 3.

CLEOMBROTUS, gener Leonidæ Spartæ Regis ex Euryſthenidis penultimi, Socerô pulsô, aliquandiu regnum uſurpavit: donec, eô ab Ephoris depoſitô, Leonidas in regnum revocatus eſt, Olym. 133. Vide *Leonidas* Rex.

CLEOMBROTUS, adoleſcens Ambraciota, qui cùm ei nihil accidiſſet adverſi, è muro ſe præcipitavit, lectô Platonis librô de immortalitate. Quod Callimachus epigrammate 26. celebravit. Vide Cicer. *in Tuſcul. l.* 1. *c.* 34. Ovid. *in Ibin.* v. 493.

Vel de præcipiti venias in Tartara ſaxo,
Ut qui Socraticum de nece legit opus.

Plut. *de def. Orac.* meminit Philoſophi cognominis.

CLEOMEDES Aſtypalæenſis, de quo portentoſa quædam memorantur. Hic robore ac magnitudine eximiâ, quum Iccum Epidaurium pugil interfeciſſet, victoriæ præmiô fraudatus, præ dolore in furorem incidit, atque Aſtypalæam reverſus, cùm ibi multa temerè ac violenter feciſſet, poſtremò ludum puerorum ingreſſus, apprehenſam manu columnam, quæ tectum ſuſtentabat, concutiens mediam fregiſſe, ac tectum dejeciſſe dicitur. Interfectis autem pueris, quum quæreretur ad ſupplicium, in ſepulchrum magnum ſe conjeciſſe, & clauſum intus injectum operculum tantâ vi tenuiſſe, ut ne à multis quidem ſimul admitentibus, ullô modô evelli poſſet; Concisô igitur eôco locô, neque vivum hominem, neque mortuum eſſe compertum ferunt. Qua de re miſſis Delphos legatis reſpondiſſe Pythium,

Ultimus heroum Cleomedes Aſtypalæus.

Suid. & Plut. *in Romulo*, ubi hanc fabulam comparat credulitati Romanorum, de Rege hoc in cœlum rapto. Addo, quòd ſumma in veneratione illum civibus ſuis fuiſſe, auctor nobis eſt Pauſanias in *Eliac.* & ex eo Cyrillus, *contra Julian. l.* 6.

Reges Spartani.

CLEOMENES I. Rex Spartæ, ex Euryſthenidis XVI. poſt patrem Anaxandridam, vicit Argivos, Athenis à Piſiſtratidarum tyrannide liberatis. Demaratum, alterius familiæ Regem, quòd impediſſet, quò minus Æginetarum, qui ad Darium ſe applicuerant, perfidiam ulciſceretur, illegitimum pronuntiavit, Leutychide ſurrogatô, & ipsâ Pythiâ corruptâ. Sic Æginetas ultus, mox ex inſania propria viſcera diſſecuit. Herodot. *Musâ* 5. & 6. Succeſſit fil. Leonidæ, ejus ex fratre nepos, Pliſtarchus, poſt Cleombroti I. fratris breve regnum. Vide & *Cliſthenes*.

CLEOMENES II. ſucceſſit Ageſipoli II fratri, qui poſt Cleombrotum annum regnaverat. Præfuit diu & feliciter, Acrotati & Cleonymi pater. Succeſſorem habuit Areum I. Acrotati demortui filium. Unde diuturnum bellum. Diodor. Sic. *l.* 15. Pauſan. *l.* 3. *Lacon.* Regnavit annos 34. Helvicus, *Theatrô Chronol. p.* 67.

CLEOMENES III. Lacedæmoniorum Dux, Leonidæ patri ſucceſſit, sed tyrannicè eùm præfuiſſet, Spartanis exoſus evaſit; hinc turbæ, at ille victor Ephorum 4. necavit, agros diviſit, æs alienum abrogavit, peregrinos civitate donavit, in locum Eurydamidæ collegæ, veneno ſublati, Epiclidam fratrem ex ſua familia ſuffecit, priſtinamque Laconum diſciplinam reduxit. Dein Achæos acie vicit, unde ab Arato contra ipſum Antigonus ſuſcitatus eſt, à quo prœliô victus, annô 16. ad Ptolemæum Evergetem I. ſe recepit, benigneque primùm exceptus, mox Nicagoræ cujuſdam calumniâ apud Regem Ptolem. Philopatorem ſuſpectus, cuſtodiæ cum aliis quibuſdam traditus, cum illis mutuis vulneribus periit; Mortuus autem pelle nudatus cruci affixus eſt, Matre, uxoribus & ſobole ejus extinctâ, A. M 3835. Olymp. 140. Polybius, *l.* 2. Juſtinus, *l.* 28. *c. ult.* Plutarchus, *in Agide & Cleomene*. Poſt eum, Euryſthenidarum ultimum, Lacedæmoniorum regnum novi tyranni arripuerunt, Machanidas primùm, exin Nabis, quibus & ipſis extinctis, Spartani libertatem receperunt. Vide *Machanidas* & *Nabis*.

CLEOMENES, vectigalibus Ægypti & Africæ, quæ Ægypto juncta eſt, ab Alexandro Magno poſt deditam Ægyptum præpoſitus. Curt. *l.* 4. *c.* 8.

CLEOMENES, Hiſtoricus, librum fecit *de Heſiodo*, teſte Clem. Alexandr. *l.* 1. *Strom.* quem Voſſius, *de Hiſtor. Græc. l.* 3. *p.* 343. commentarium eſſe in Heſiod credit. An idem cum illo, qui tractatus Empedoclis de ſacrificiis in unum collegit, apud Diog. Laërt. *in Empedocle*, *l.* 8. Alius ab hoc videtur *Cleomenes* Rhegius dithyramborum Poëta, de quo Athen. *l.* 9.

CLEOMENES Siculus, C. Verris nequitiæ adminiſter. Cicer. *Orat.* 4. *Verr. c.* 26.

CLEON, Dux Athenienſium, in Reipubl. adminiſtratione adverſari ſolitus Niciæ Nicerati filio; Philoſophus inſuper inſignis, quem contra Plutarchum plures egregii ſcriptores tuentur. Cepit Toronem in Thracia, Amphipolim obſeſſurus, ſed à Braſida, Lacedæmoniorum Duce impeditus, cum illo acie conflixit, utrôque Duce occiſô. Olymp. 89. *an.* 3. *Mundi* 3632. Thucyd. *l.* 4. & 5. Diodor. Sic. *l.* 12. Plut. *in Nicia*, &c. Eum inſectatur Ariſtoph. *in Equitibus*. Vide *Cleonymus*.

CLEON, Meſſeniorum Dux, cui cum Ariſtodemo lis, de regno. Pauſan. *l.* 4. Item Statuarius nobilis, & alius Thetidis ſacerdos eidem.

CLEON, Poëta *Argonautica* ſcripſit, à quo argumentum Apollonius Rhodius mutuatus eſt, in ejus Enarratione ſchol. 1.

CLEON, Halicarnaſſæus orator, Lyſandro Lacedæmonio orationem compoſuit. *Suid. Plut.*

CLEON, Magneſius, commentarios fecit, quibus res portentoſas explicuit, citatur à Pauſania, *l.* 10. Alius ab hoc eſt *Cleon* Syracuſius, qui librum ſcripſit *de portubus*, Stephano memoratum, in voce *Aſpis*. Alius quoque eſt *Cleon* Curienſis, ex quo Apollonii *Schol. in l.* 1. refert, unde nomen acceperit Sicinus inſula. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 344.

CLEON, Siculus, Alexandrum M. adorari ſuaſit. Curt. *l.* 8. *c.* 5.

CLEONÆ, ſeu CLEONA Melæ, *l.* 2. *c.* 2. *Cleonæ* Plinio, *l.* 4. *c.* 6. hodie *Sanvaſili*, teſte *Nigrô*, oppidum olim, nunc pagus Argiæ regionis in Peloponneſo, inter Corinthum 10. & Argos 13. mill. paſſ. Mantineæ urbi finitimus. Ovid. *l.* 6. *Met.* v. 417.

Meſſeneque ferax, Patræque humileſque Cleonæ.

Ibi verſabatur Leo miræ magnitudinis, quem Hercules interfecit. Claudian. *l.* 1. *in Rufinum*, v. 287.

Una Cleonæum paſcebat ſylva leonem.

Lucan.

Ille Cleonæi projecit terga leonis.

Seneca, *in Hercule Oetæo*, *Actu* 5. v. 1891.

Flete Argolicæ, flete Cleonæ,
Hic terrentem mœnia quondam
Veſtra leonem fregit noſtri
Dextera nati. -----

Silius, *l.* 3. v. 32.

In foribus labor Alcidæ Lernæa recisis
Anguibus Hydra jacet, nexuque eliſa leonis
Ora Cleonæi patulo exlantur hiatu.

Val. Flaccus, *l.* 1. v. 33.

--- Cleonæo jam tempora clauſit hiatu.
Alcides ---

Apud Statium, *l.* 4. *Sylv.* 4. v. 28. *ſydus Cleonæum* eſt ſydus Leonis;

Sed tu, dum nimio poſſeſſa Hyperione flagrat
Torva Cleonæi juba ſyderis, exue curis
Pectus. ----- -----

Fuit & *Cleone* oppid. Macedoniæ, inter Athon & Pallenen. *Nic. Lloydius.*

CLEONIDAS, vir Thebanus.

CLEONICUS, nomen liberti Senecæ, qui patrono ſuo à Nerone venenum parare juſſus, id ipſum prodidit. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 45.

CLEONYMUS, Rex Spartanorum, qui Trœzenem, præſidiô Crateri occupatam arte, excitatis intus diſcordiis, invaſit & liberavit. Polyæn. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 1.

CLEONYMUS, fil. Cleomenis II. nepotem ex fratre Areum I. ſibi in regno prælatum, ægrè ferens, Pyrrhum accivit, vindicaturus ſimul contumeliam uxori ſuæ ab illius filio illatam. Plut. *in Pyrrho*. Pauſan. *l.* 3. Vide ſuprà ubi de *Acrotato* I. & II. Filium habuit Leonidam, qui Areo II. in regno ſucceſſit.

CLEONYMUS, *ῥίψασπις*, i. e. *deſertor ordinis*, & *qui abjecto clypeo* fugit, dictus eſt. Unde proverb. *Cleonymô timidior.* Hunc inſectatur Ariſtophanes *in Nubibus*, ut timidum, mollem, paraſitum. *Suidas*. Item unus ex Imperatoribus externis, quos ſibi acceſſierunt Tarentini. Strabo, *l.* 6. Ab Æmilio Conſule victus. Diodor. Sic. *l.* 20. Liv. *dec.* 1. *l.* 10.

CLEONYMUS, ſumptuoſus, luxurioſus ac rapax in comœdiis traductus. Vide Schol. 345. *F. in Equit. Ariſtoph.*

CLEONYMUS, habuit Athenis officinam ſervorum coriariorum, pater Cleonis: ſed hunc Thucydides, *l.* 3. *Cleænetum* vocat.

CLEOPATRA, neptis Attali, Philippo Macedoni, repudiatâ ob faſtum Olympiade, deſponſata: mox ſponsô à Pauſaniâ occisô, ab Olympiade ad ſuſpendium adacta eſt. Diodor. Sic. *l.* 17. Juſtin. *l.* 9. *c.* 7. Plut. *in Philippo*. Freinshem. *ſupplem. in Curt. l.* 1.

CLEOPATRA, ſoror germana Alexandri Magni ex utroque parente. Uxor fuit Alexandri Moloſſi, ſeu Epirotæ avunculi, & poſt ejus mortem, Ægis enim, in ingreſſu theatri, à Pauſania obtruncatus eſt, Diodor. Sic. *l.* 16. à Perdiccâ ambita, qui illam priori uxori Nicææ ſuperinduxit, ad propriòs ſuis deſtinatis reddendos Macedonas.

Idem,

Idem, *l.* 18. deinde & à Ptolemæo. Tandem verò ab Antigono arcta, dum Sardibus ad Ptolemæum in Ægyptum ire tentat. Vide Diodor. Sic. *l.* 17. 18. & 20. & Juſtin. *l.* 9. *c.* 6. & *l.* 13. *c.* 6. *l.* 14. *c.* 1. Ad eam Cteſiphon Athenienſis miſſus eſt legatus, ut eam ſuper mortem Alexandri Moloſſi mariti ſui ſolaretur, ut ait Æſchines, *in oratione contra Cteſiphontem.*

CLEOPATRA, filia Ptolemæi Philometoris, nupſit Alexandro Balæ, Syriæ Regi, dein Nicanori, conſobrino. Sed auditò, hunc in Perſia captivum Rhodogynen duxiſſe, Antiochum Nicanorem maritum ſuſcepit. Quô occiſò, Seleucum filium, quòd ſe invitâ thronum conſcendiſſet, ſagittâ transfixit: Subſtitutô Antiochô VIII. Grypô, qui, cùm ſenſiſſet, ſibi à Cleopatra venenum parari, ipſam virus haurire coëgit. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 13. Appian. *de Bell. Syr.* Juſtin. &c.

CLEOPATRA, uxor ſororque Ptolemæi Phyſconis ſeu Evergetæ, cùm optionem haberet, quemcunque vellet ex liberis, ad regnum evehendi, Alexandrin minimo regnum deſtinavit: ſed Ptolemæus Lathurus grandior natu à populo prælatus eſt. Aſſentire ſe ſimulans mater, cogit eum repudiatâ uxore & ſorore Cleopatrâ, Seleucam vel Selenam, juniorem natu ducere. Mox Alexandrum evehit, quâ à matre indignè tractatus, poſtquam aufugiſſet, revocatur, & novas inſidias ſibi paratas matricidiò exit, Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 13. *c.* 20. 21. Juſtin. *l.* 39. *c.* 3. 4. Cleopatra autem, Ptolem. Lathuri uxor, nupſit Antiocho Cyziceno, occiſa in templo, à ſorore Gryphina ſeu Tryphæna, quæ Antiocho Grypho, matris ſuæ utermo fratri nupſerat. Juſtin. *loc. cit.* &c.

CLEOPATRA, Ægypti Regina, Ptolem. Auletæ filia, ſoror & uxor Ptolem. Dionyſii ultimi, mulier impudiciſſima, à Jul. Cæſare primum adamata, cui filium Cæſarionem peperiſſe dicitur; deinde ab Antonio juſtæ uxoris locô habita eſt. Quod cùm ægrè ferret Auguſtus, cujus ſororem Antonius duxerat uxorem, bellò Antonium ſuperatum inſecutus, ad necem ſpontaneam compulit: ejus exemplum imitata Cleopatra, ne viva in hoſtis poteſtatem veniret, & per ludibrium in triumpho circumduceretur, aſpidibus corpori admotis, extremum vitæ diem clauſit, an. Orb. Cond. 723. Mundi 4024. *Salian.* regni 24. Pulchritudine, plurium linguarum peritiâ, magnificentiâ, & luxu, ſupra omnes fuit ævi, Appian. *l.* 5. *bell. civ.* Plut. *in Pompejo & Antonio.* Florus, *l.* 4. *c.* 11. & 6. Horat. *Carm. l.* 1. *Od.* 37. *v.* 21.

Fatale monſtrum, quæ generoſius
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit enſem, nec latentes
Claſſe citâ reparavit oras.
Auſa & jacentem viſere regiam
Vultu ſereno fortis, & aſperas
Tractare ſerpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum.
Deliberata morte ferocior,
Sævis Liburnis, ſcilicet invidens
Privata deduci ſuperbo
Non humilis mulier triumpho.

De ea Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 688.

—— Sequiturque (nefas) Ægyptia conjux.

Stat. *l.* 3. *Sylv.* 2. *v.* 120.

Altas Auſonias fugit Cleopatra catenas.

Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 108.

Quod nec in Aſſyria pharetrata Semiramis urbe,
Mæſta nec Actiacâ fecit Cleopatra carinâ.

Nic. Lloydius. Strabo verò eam vel ſic, vel venenô illitô periiſſe, memorat, *l.* 17. Dioque multos de acu comatoria memoraſſe ſeribit, venenô illita, quæ ejus fuerit naturæ, ut ſanguine tactô ilicò ſine dolore hominem perimeret. In eo tamen conſentiunt omnes, venenô mortuam. Et Auguſtus quidem opinionem de aſpidum morſu pratulit, propterea que talem ejus effigiem in triumpho traduxit, auctore *Plutarchô.* Mauſoleum ejus, in & amatoris Antonii, adhuc ſuô tempore fuiſſe ſuperſtes, innuit Statius, *loc. cit.*

Duc & ad Æmathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblæo perfuſus nectare durat,
Anguiferamque domum, blando quâ morſa veneno
Altas Auſonias fugit Cleopatra catenas.

Hinc *Cleopatrana* vaſa, apud Trebellium in *Zenobia*, *c.* 30. quæ ſe è *Cleopatrarum Ptolemæorumque* ſtirpe oriundam jactabat, *Uſa eſt vaſis gemmatis ad convivia, uſa & Cleopatranis.* Sic infrà, *c.* 32. *Hac omnia Cleopatranos habuiſſe perhibetur.* Mentioque eſt apud Achmetem Onirocritem βαυκάλιον τῆς Κλεοπάτρας, i.e. *baucalis Cleopatrana*, *c.* 198. Εἰ δὲ ἴδῃ ὅτι μετὰ βαυκαλίου τῆς Κλεοπάτρας πίνει οἶνον, εὑρήσει τὴν τῶν γυναικῶν ἀναλογίαν τῆς παιδὸς τῆς ἀγγείου. Salmaſ. ad *Trebellium Pollionem*, *d. l.*

CLEOPATRA, altera pellicum, cujus corpori Claudius Cæſar maximè inſueverat; quæ à Narciſſo inducta eſt indicare, quòd Meſſallina Silio nupſiſſet. Tacit. *l.* 11. *Annal. c.* 30.

CLEOPATRIS, quæ & *Arſinoë*, *Suas* teſte *Cyllio*, urbe maritima Ægypti in intimo ſinûs Arabici receſſu, à Peluſio 125. mill. paſſ. in Ortum diſtans. Strabo, *l.* 16. Gaudet portu percommodô. *Barraeum.* Aliis viſum eſt, Arſinoën nunc *Aziron* dici, & diſtare 90. mill. à *Suez*, in Auſtrum; *Baudrand.*

CLEOPATRUS, præfectus quidam apud Corinthios. Plut. *in Arato.*

CLEOPHANES, orator quidam ex Myſia. Strabo, *l.* 12.

CLEOPHANTUS, Themiſtoclis fil. quem pater in equeſtri facultate tam ſtrenuum effecit, ut equis rectus inſiſteret. Plato, *in Menone.* Et Cœl. Rhodig. *l.* 14. *c.* 18. Item Medicus, qui vini rationem illuſtravit, pæoniique ſemen paſtinacæ erraticæ dyſentericis prodeſſe expertus eſt. Plin. *l.* 20. *c.* 5. *l.* 24. *c.* 16. Item pictor Corinthius. Plin. *l.* 35. *c.* 3.

CLEOPHAS, Chriſti diſcipulus, qui proficiſcentem in Emmaunta, Chriſtum alloquebatur in itinere, Luc. *c.* 24. *v.* 18.

CLEOPHES, Aſſacani mater, in India gentis Aſſacanæ Regina; quæ triginta millibus peditum tuta eſt urbem non ſitu ſolum, ſed etiam opere munitam. Sed deſperatâ urbis tutelâ legatos ad Alexandrum miſit veniam petituros. Quâ impetratâ Regina cum magno nobilium fœminarum grege aureis pateris vina libantium proceſſit. Ipſa genibus advoluta præſtinæ fortunæ impetravit decus. Creditur quoque puerum nomine Alexandrum, ex eo Macedone peperiſſe. Curt. *l.* 8. *c.* 10.

CLEOPHON, Poëta Tragicus Athenienſis, cujus fabulæ fuerunt *Actæon, Achilles, Telephus*, & aliæ, quas *Suidas* recenſuit.

CLEOPHON, calceorum opifex, matre Threſſâ natus, Dux Athenienſium; in quem Plato Drama compoſuit, eodemque Cleophonta denominavit. Traducitur à Comicis, ut peregrinus, inductus, nugax, ignobilis, qui tamen Principatum Athenis affectavit. Vide Schol. in *Ranas Ariſtoph. Act.* 2. *ſc.* 6.

CLEOPIDIANA, Sarmatiæ Europææ urbs. *Ptol.*

CLEOPOMPUS, Athenienſis, Thronium cepit, Locros vicit, Æginetas è ſedibus ſuis ejecit. Thucyd. & Plut. *in Pericle.*

CLEOSTRATUS, Ephebus ille fuit, cui ſorte obtigit, ut Draconi apud Theſpienſes ſævienti immolaretur: cujus vicem dolens Meneſtratus, thorace æneô indutus cum dracone dimicaturus, prodiit in medium, ac belluam interfecit, atque ita Cleoſtratum & civitatem liberavit. Item Philoſophus antiquiſſimus, Tenedius, qui primus *de ſignis cæleſtibus* ſcripſit, Olymp. 61. atque imprimis de Ariete & Sagittario. Plin. *l.* 2. *c.* 8. 12. annorum apud Græc. erroribus correctis. Hygin. *in Poetic. Aſtronom. c.* 13. & Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 33. §. 13. Ab hoc, uti ab Eudoxo Cnidio (de quo infrà) primum inſtitutam Ὀκταετηρίδα (quæ, quia primus ejus annus nonò quoque annò redibat Ἐννεαετηρὶς quoque vocitata eſt) traditum. Sed Magnus iſte annus jam ante utrumque uſitatus fuit: & Minos II. non tantùm Leges ſuas κατ᾽ ἐννεαετηρίδα promulgavit, verùm etiam tributum, eodem annorum circuitu ſolvendum, Athenienſibus conſtituit. Joh. Marſhamus, *Canone Chron. Sec. XI.* unò & diu anteà Cadmus ἀΐδιον ἐνιαυτὸν ἐθήτευσεν Ἄρει. ἦν δὲ ὁ ἐνιαυτὸς τότε ὀκτὼ ἔτη, Apollodor. *l.* 3. Emendavit autem illam *Cleoſtratus* poſteà, accuratiore Aſtronomiâ inſtructus: quâ verò intercalationis diſpoſitione ille Neomenias ad Lunares motus accommodaverit, quâque Olympiade ſcripſerit, non conſtat. Eum ſequuti alii aliter hunc Cyclum tractârunt, quorum celeberrimus Eudoxus Cnidius, cum Platone in Ægyptum profectus, ibi moratus eſt annum & 4. menſes ac pube ſuperciliiſque raſis ubi Ὀκταετηρίδα ſuam ſcripſit, hinc primus Cycli hujus auctor creditus. Floruit is annô 1. Olymp. 97. *Tamdiu apud Græcos ignorabatur Annus*, Strabo, *l.* 17. Quæ verò diſpoſitio Eudoxianæ fuerit Octaëteridis, exponit illuſtris Marſhamus præfatus, *ibidem Seculô XII.* ubi de *Anno Attico*, & Ὀκταετηρίδι. Cæterùm ab Ida monte annum, ſeu *obſervationes* ſuas faciebat. Sicut Matricetas in Lesbo inſul. ex monte Lepetymno; Phainus & Meton Athenis, ex monte Lycabetto ſidera ſpeculati leguntur. Qui omnes Aſtronomiam ſuam parapegmatis conſignârunt, uti dicemus infrà, in hac voce. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 822.

CLEOTIMUS, Chalcidenſium colonis inductis & corruptis tyrannidem molitus eſt. Videatur Ariſtotel. *l.* 5. *Polit. c.* 6.

CLEOXENUS, & DEMEOCLITUS, *de rebus Perſicis Hiſtoriam* condidêre, quam Polybius, ut ipſe refert, exornavit. *Suidas.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. *p.* 510.

CLEPH, ſeu CLEPHIS, Longobardorum in Italia Rex II. poſt Alboinum patrem, A. C. 571. annò poſt, à ſervo occiſus. Secutum interregnum eſt decem annorum. Triginta enim ex præcipuis, urbes Italiæ captas inter ſe diviſerunt, impotenti imperiò uſi. Quô tempore Chriſtiani non minus, quàm ſub Ethnicis Imperatoribus afflicti ſunt. Vide S. Gregor. *Dialog. l.* 3. *c.* 26. 27. & *ſeqq.* Paul. Diaconum, *Hiſt. Longob. l.* 2. Baron. *A. C.* 571. 573. Succeſſit tandem *Autharis* vel *Autharit* fil. Clephonis.

CLEPIDAVA, oppid. Barbarorum, *Kamnice Cluver.* urbs Poloniæ munitiſſima, in edito ſaxo, in regno Poloniæ. Vide *Camenecia.*

CLEPSYDRA, ſcortum Eubuli Comici, quæ propriô nomine *Metiche.*

CLEPSYDRA, ab *aqua furto* dicta, hoc enim Græcè eſt κλέπτειν τὸ ὕδωρ (quòd aquâ primitus hâc fini Veteres uſi eſſent) quatenus ab Horologio hydraulico, cujus Cteſibius auctor fuit, teſte Plinió, *l.* 7. *c.* 37. differat, docet Vitruvius, *l.* 9. *c.* 9. & dicemus infrà, ubi de *Horologiis.* Fuit illa olim in Foro adhibita, ut cauſis dicendis certum tempus duraret: Quod ut ſine fuco vel errore fieret, conſtitutus apud Athenienſes fuit aliquis, Ἐφ᾽ ὕδωρ ab officio appellatus, ὁ ἐφεστηκὼς τῷ ὕδατι τῆς Κλεψύδρας, *qui aquæ dilationem Clepſydræ obſervaret.* Pollux, *l.* 8. ut videl. eadem temporis menſura Reo, quæ Actori, concederetur. Ultra hanc itaque perorare non erat permiſſum, unde illud toties apud Patronos repetitum, Ὕδωρ μου ἐπείγει, *Aqua defluens urget.* Quare temporis anguſtiis conſtricti aut præterire ac omittere multa cogebantur, aut rogabant, aquam ſufflaminari, id quod in Legum recitatione ac rebus gravioris momenti fiebat. Hinc apud Demoſthenem σὺ δὲ λαβὲ. Σὺ δ᾽ ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ, eôdem ſenſu dictum, quô apud Ariſtophanem, *in Pluto*, ῥῖνα ἐπιλαμβάνειν, *naſum obturat*: Et Apulejus, *Apolog. At tu, interea dum legit, aquam ſuſtine.* Pancirollus, *Ne, ſi interea aqua effluxiſſet, amplius ſibi dicendi ſpatium ferret facultas.* Aliquando unus alteri, aquâ ſuâ adhuc fluente, facultatem dicendi indulge-

dulgebat; unde iterum apud Demoſthenem, ἐν τῷ ἐμῷ ὕδατι λαλεῖν: quod tamen ipſi liberum erat, cùm enim id concedere nolebat, Præconem rogare fuit ſolitus, Ἔμβαλε τὸ ὕδωρ, Ulpian. τοῦ λιϑου ἐκχέαντα, effunde aquam. Hinc in Proverb. dicere ad Clepſydram, Cicer. Tuſc. quæſt. l. 2. in fin. Vide Franc. Roſſæum, Archæol. Attica, l. 3. c. 9. & infrà in voce Cotyla. De Clepſydris, ſic Georgius de Sepibus, Clepſydræ, ſunt inſtrumenta, quibus temporis continuatio in æqualia & arbitraria ſpatia dividitur, per æqualem portionem aquæ vel arenæ, quæ continuò per proportionata horis metiendis ſpatia & per foramina labitur, ut aqua depleta, inſtrumento revoluto, denuo per tempus æquale priori temporis ſpatio defluat. In horum fabrica requiruntur duo vaſa vitrea, quæ ligneò aut metallinò ſcypò conſervantur, æqualitas arenæ aut aquæ, proportionatum foramen & juſta quantitas: qualitas arenæ illa optima eſt, quæ ſiccioris & gravioris eſt ponderis; aqua verò ſit defæcatiſſima. Cujuſmodi machina, quæ non ſolum horas demonſtrat, ſed & inſuper in altam fontis aſpergineṁ erumpit, viſitur in Muſæo Kircheriano, in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo, p. 54. De Clepſydra verò Magna Platonis, quâ ad nocturna tempora dividenda is utebatur, ſicut diurna, per ombrarum dimenſionem, quæ pedibus fiebat, ſolebant eum dividere, vide Salmaſ. ad Solin. p. 638.

CLEPSYDRA, in Argivis fons, etiam ita dicitur fons in arce Athenarum, cujus Iſtrus, l. 12. meminit, & ex hiſtoricis omnia de hoc fonte collegit. Sic verò eſt dictus, quòd Eteſiis flare incipientibus abundet, iis deſinentibus ſiccetur, quemadmodum & Nilus & fons quidam in Delo. In hunc dicunt injectam phialam iterum conſpectam in Phalarico, viginti ſtadia diſtante: præterea immenſæ eſſe profunditatis & aquam ſalſam mittere. Vide Scholia, in Ariſtophanis Aves 617. Cœl. Rhodig. l. 18. c. 39.

CLEPSYDRA, fons in arce Meſſeniorum in Arſinoën influens.

CLERI, Atticæ populi. Diodor. Sic. l. 13. ac Cizycorum terræ, Polyæn, l. 1. c. 40. in Alcib. Com. 9.

CLERICI, propriè qui de clero ſunt: Clerus autem Græcè κλῆρος, à Petro Apoſtolo vocantur omnes Chriſtiani, 1. Petri c. 5. v. 3. ubi monet Preſbyteros, μὴ κατακυριεύειν τῶν κλήρων, ne dominentur Cleris; & ne quis credat, Miniſtris ſolùm Eccleſiæ vocem convenire, mox eandem eam facit cum voce ποίμνιον, gregis, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου, ſed exemplaria ſiant gregis. Poſteà Populo Laicorum, Miniſtris Clericorum nomen dari cœpit, quaſi Miniſtri non eſſent τοῦ λαοῦ, populi Dei, 1. Petri, c. 2. v. 10. aut populus non pertineret ad κλῆρον, h. e. ſortem hæreditatis Domini, i. e. Ordinem & plebem Latini dixêre, Tertullian. Exhortat. ad caſtit. Nonne & Laici ſacerdotes ſumus? Scriptum eſt, Regnum quoque nos & ſacerdotes Deo & patri ſuo fecit. Differentiam inter Ordinem & Plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas &c. Acceſſit dein tertius ordo Monachorum, qui olim non inter Clericos, ſed inter Seculares ac Laicos reputabantur, poſteà verò Clericorum appellatione interdum quoque donati. Sequiori itaque ævò Clerici dicti ſunt, omnes qui in Eccleſiaſtici Miniſterii gradibus ordinati ſunt, Iſidor. Eccleſ. Offic. l. 2. c. 1. h. e. qui Eccleſiis in quocumque munere ſerviebant; Quorum alios vocabant Clericos generali nomine, ut Apoſtol. Can. 15. 31. 85. & 1. Conſtant. Syn. can. 6. è quibus rurſum nonnulli Ἱερατικοὶ vocabantur, item Primi Clerici, ſcil. Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, quos Ordines majores dein appellârunt: Alii Clerici ſpeciali nomine dicti ſunt, Apoſtolic. Can. 17. & Laodic. Syn. can. 24. 27. 30. Cæteri verò ſic à Laicis diſtinguebantur, ut non eſſent quidem connumerati in κλήρῳ quoniam χειροϑεσίαν ſeu manuum impoſitionem, non habebant, ut loquitur Concil. Chalcedon. can. 2. generali tamen appellatione τοῦ τοῦ Κανόνος, eorum qui in Catalogo Eccleſiæ ſcripti eſſent, comprehenderentur. Strictiùs porrò vox ſumi cœpit. cùm de Canonicis, maximè Regularibus, qui in Eccleſiis Cathedralibus ſerviunt, eam inprimis uſurpatam legimus, in Capitulis Caroli C. tit. 31. c. 30. Sed & Clerici nudè, in Capitulari 1. annô 802. c. 23. dicuntur, qui Clerici parochiarum vocantur, in Concilio Emerit. can. 18. & ſæpius Scholares Clerici, item Clerici, ſeculares (ad diſcrimen Clericorum Monachorum) qui in ſingulis Eccleſiis Curionibus in ſacris Officiis deſerviunt & Scholas tenent, &c. Quia autem Clericos potiſſimùm literatura ac eruditio ſpectabat, quippe ad Clericatum non promovebantur, γραμμάτων ἀνεπιστήμονες, Juſtin. Nov. 6. cap. 4. & Nov. 123. cap. 12. hinc Clerici dicti ſunt etiam omnes ii, qui literis imbuti erant, viri literati ac docti, Order. Vitalis, l. 2. Unde Joan. de Garlandia, in Æquivocis:

Fur aurum, virgo flores, mare nautaque libros
Clericus, æquivocè ſingula quiſque legit.

In ſpecie ii, qui vulgò Scholares, apud Auctorem, de Diſcipl. Scholar. quomodo olim appellati Scholaſtici in Academia Pariſienſi: unde etiamnum manſit ibi nomen Prati Clericorum, quod prædium fuit ſeu ager eidem Academiæ proprius. M. Robertus de Sorbona, Serm. de Conſcient. Ille qui frequentat magis Scholas, & diligentius Magiſtrum audit, debet melior Clericus reputari. Atque hinc Scribæ, Actuarii & Amanuenſes Judicum vel Officialium Regiorum, aut qui ſumtus quotidianos, ad officia ac munera ſpectantes, in acta referunt, aliaque obeunt munia, quæ ſine qualicunque doctrina præſtari nequeunt, cujuſmodi erant Chartularii, in ſingulis Judicum vel Officiorum ſcriniis, eâdem appellatione inſigniri cœperunt. Unde tot Clericorum genera, de quibus Car. du Freſne in Gloſſar. qui inter alia de veſtibus Clericorum notat, earum colorem videri fuiſſe olim violaceum ſeu caſtaneum: irrepſiſſe autem colorem nigrum in Clerum, poſtquàm & Monachiſmus in nonnullis Eccleſiis à Clericis receptus eſt, & ex Monachis Epiſcopi ſunt creati; reliquos autem Clericos aliô uſos eſſe colore, ut diſtinguerentur etiam à Laicis, qui atrati incedebant, ex Baronio, ad A. C. 393. num. 48. qui pullas Monachis proprias fuiſſe, contendit ex Hieronymo, Epiſt. 22. &c. Hinc Clerica, tondendi genus Clericis in Romana Communione in uſu: Corona Clericorum alias &c.

CLERICUS Jacobus, vide Jacobus.

CLERICUS Johannes, vide Johannes.

CLERICUS Johannes, Meldenſis Gallus, mechanicus, Eccleſiæ Metenſis initia ſanguine ſuô jecit. Hic cùm, propter deturbata idola, crudeliter excarnificaretur, ſui ſecurus, ex Davide. Pſ. 115. v. 4. Idola gentium ſunt aurum & argentum, opus manuum, ſæpe repetiit. A. C. 1525. Beza, in Icon.

CLEROMANTIA, Græcè Κληρομαντεία, ratiocinatio per ſortes, genus quoddam divinationis, in varias ſpecies diffuſum: Inter quas Ῥαψῳδομαντεία nobilis fuit, de qua vide infrà ſuô locô, ut & in voce Sortes.

CLEROPROXIMI, Cypriano, Ep. 24. dici videntur, qui ad Clericalem ordinem, tanquam idonei, deligebantur ab Epiſcopo et totius Cleri conſenſu, ut, cum neceſſitas emergeret, Diaconum aut Subdiaconum in Eccleſiis ordinari, ex eorum cœto aliquem idem Epiſcopus ad id muneris promoveret. Vide Car. du Freſne, Gloſſar.

CLESIDES, pictor nobilis, qui Reginæ Stratonices injuriam, à qua nullô honore fuerat exceptus, depinxit, voluptatemque ejus cum piſcatore, quem amare credebatur.

CLESIPPEA ἀνϑέμιον, memorata Gronovio, de Pecuniâ vet. à Cleſippo nomen habuit. Fuit is fullo, praviſſimô corpore, qui additus eſt candelabro Corinthio pretioſo coemtionalis, in auctione, Theonis præconis juſſu. Quod candelabrum, cum appendice homuncionis, cùm ſibi comparâſſet quinquaginta millibus Gegania, vidua nobilis ac locuples: eam emtionem dum frequenti convivio oſtentat, productus quoque, & ut vitia corporis manifeſtiora jocos præberent, nudari juſſus Cleſippus, impudentiâ libidinis receptus in thorum, mox teſtamentum, prædives Numinum vice illud candelabrum colens & hanc Corinthiis fabulam adjecit, vindicatis tamen moribus nobili ſepulchro, per quod æterna ſuper terras Geganiæ dedecoris memoria duraret, ut ait Plinius, l. 34. c. 3. Nempe Cleſippum manumiſit, maritum, hæredem ſumſit Gegania. Ille verò Corinthium, cui niſi adhæſiſſet adplicitus impar à domino præcone, nunquam ad res tam opimas perveniſſet, non ſecus ac fatum ſuum veneratus, obtinuit inter poſteros, ut, mentione hujus generis vaſorum ortâ, Cleſippea quoque memoraretur ἀνϑέμιον: Quam in rem vide plura apud præfatum Gronovium, uti ſuprà, l. 4. c. 8. ut & retro ubi de Candelabris.

CLESIS, vulgò Chieſe, fluv. Italiæ. Vide Cluſius.

CLETA, Chonixæ regionis Italiæ locus. Lycophron. Petramola hodie, Gabr. Barria.

CLETABENI, Arabiæ Felicis populi. Dionyſ. Perieg. Vide Catabeni. Locus enim eſt corruptus, ut olim oſtendimus. Nic. Lloydius.

CLETHARRO, Arabiæ Petrææ oppid. Ptol.

CLETHUS, uxorem habuit Pallenem Sithonis filiam, quæ Thraciæ urbi nomen dedit. Stephan.

CLEVUM, Angliæ urbs, Antonin. Dobunorum fuit. Glocerſter Camdeno. Ducatus titulô clara, & caput regionis cognominis; Claudia olim quoque. Epiſcopalis facta eſt ſub Henrico VIII. Caer Glove Britann. 18. milliar. à Vigornia in Auſtrum, 26. à Bathonia in Boream urbs ampla & elegans. Baudrand. Aliis potius exciſum oppid. eſt apud Glovernian, vel Glocestriam, & locus adhuc Cleve dicitur.

CLEZUS, locus, mons, & fluv. Lydiæ. Nicander.

CLIBANARII, apud Æl. Lamprid. in Alex. Severo, c. 56. Centum & viginti millia equitum fudimus: cataphractarios, quos illi Clibanarios vocant decem millia in bello interemimus: cataphracti fuere equites clibano ſeu thorace tecti. Eſt autem vox Clibanus vel Clibanum vox Romana, vel Græca potiùs, quos ſic dictos putabat auctor Gloſſarum κλίβανον, quaſi καλύβανον, quòd hominem totum contegerent, more καλύβης. Gloſſæ Baſilica, Κλιβανάριοι, ὁλοσίδηροι, κλίβανα γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὰ σιδηρᾶ καλύμματα καλοῦσι, ἀπὸ τοῦ καλύμμα, Clibanarii, ſoliferrei: Clibana enim vocant Romani ferrea tegumenta: Cujuſmodi erant Perſicæ loricæ. Romanorum enim Græcorumque non ſoliferreæ erant, ſed ſquamis contextæ, h. e. ex multis particulis ferreis in modum ſquamarum compoſitæ: at Clibani illi Perſici erant ex ſolido ferro, ideirco ſic nominati, quòd clibanorum, (quô nomine inſtrumentum indigitatur ex opere figlino, aut potiùs ferro, confectum, ſub quo non panis ſolùm ſed quidvis aliud coquebatur) ſpeciem referrent: Ideò Amm. Marcellin. l. 16. c. 16. ſimulacris manu Praxitelis illos comparat Clibanarios, Galli hodiè curaſſas tales thoraces vocant: ſiquidem illis Auctor Anonymus, de Re Bellica, in expoſitione Thoracomachi: Hoc enim veſtimenti genus, quod de coactili ad menſuram & tutelam pectoris humani conficitur, de mollibus lanis, timoris ſolicitudo ſolertia Magiſtra compoſuit: ut hoc induto primùm lorica vel clibanus — fragilitatem corporis, ponderis aſperitate non læderent &c. Salmaſ. ad Lamprid. loc. cit. qui tamen addit, clibanos etiam nominatos eſſe quaſlibet loricas, ſive ex hamis ſuccuſæ eſſent, ſive ex ſquamis ferreis, quas Græci ἁλυσιδωτὰς & φολιδωτὰς appellent. Quæ verba ad verum vocis etymon nos manu ducunt. Squama namque Chaldæis eſt קלפתא & קלבנא unde Clibanarios nomen accepiſſe conjecturâ admodum probabili ſtatuit Bochart. Hieroz. Parte prior. l. 1. c. 6. De tympanis olim Parthorum hodieque Maurorum poculis item veter. in quibus annonam ſuam diſſolvebant ac clibani inſtar factis, vide infrà voce Tasbata.

CLIBANUS, mons in extremis Italiæ finibus, non procul à Lacinio promontorio. Plin. l. 3. c. 10. Item oppid. Iſauriæ. Idem, l. 5. c. 27

* CLIDEMIDES, ſecundùm Calliſtratum, Sophoclis fil. at ſecundùm Apollonium, actor Scenicus. Vide Schol. in Ranas, Act. 3. ſcen. 1.

CLIDEMUS, ſcriptor antiquiſſimus fuit, cujus opus de Plantis ſæpe

ſæpe citatur à *Theophraſto*. Scripſit & *Protogeniam*, quæ citatur ab *Athenæo*. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 344.

CLIDEMUS, *de Bello Amazonico* in Attica ſcripſit, accuratiſſimus omnium, qui de eo litteris aliquid prodidêre, Barthio, *Animadverſion. ad Papin. Statium*, *l.* 12. *v.* 637.

CLIDES, promontor. Cypri in ora orientali, *Capo di S. Andrea*, ubi 4. Inſul. parvæ, ejuſdem nominis ſunt, teſte *Thevetd.*

CLIDICHUS, Æſimedæ fil. XVI. Athenienſium princeps, à Medonte numerando, τῶν Δεκαετῶν ſeu *Decennalium* III. regnavit ann. 10. *Sigon.* Eum excepit Hippomanes, quem vide.

CLIDIUM, apud Plinium, *l.* 9. *c.* 15. *Thynni, membratim caſi, cervice & abdomine commendantur atque* clidio, *recenti duntaxat*: Feſto, ex Nævio, pecimen piſcium, quod eſt inter duos armos ad pectus: *Jugulum* alii. *Claviculas* Medici vocant, hinc Athen. *l.* 6. orcynos Gadibus pinguiſſimos eſſe tradens, propterea ſcorſum *clidas* illorum ſale condiri, ut antacæorum palatum & maxillas, ex iiſdemque parari melandrya, ait. Idem paulò antè laudatas fuiſſe thynnorum κλεῖδας, teſtatus, citatò Ariſtophane. Ad piſces vox tranſlata ab homine, in cujus corpore quid κλεῖδες ſint, ex *Rufo* & *Polluce* notum. A cujus partis ſimilitudine τὰς κλεῖς dictas eſſe idem ait, quæ σιδηρᾶ μοχλία, *ferreos obices*, alii appellent. Nempe vocem κλεῖς, *clauſtrum* notare, ſeu id quod januam claudit potiùs, quàm *clavem*, ſuprà diximus. Unde κλεῖθρα & κλεῖθρα, clauſtra, è ferro duplici compacta & quadrata, cum ferreis intus veruculis ſeu peſſulis, qui modo adducerentur & reducerentur, modò ſuccuterentur, de quibus aliquid diximus retrò in voce *Aſſerum*, item in *Clauſtra*. Vide Dalechampium, *Not. ad Plin.* & Salmaſ. *ad Solin. p.* 934.

CLIDUCHUS, ex Græco Κλειδοῦχος, i. e. *Claviger*, inter opera ex ære Phidiæ, memoratur Plinio, *l.* 34. *c.* 8. *Fecit & Cliduchum, & aliam Minervam, quam Romæ Æmilius Paulus ad ædem Fortunæ dedicavit.* Euphranoris item, *in ſeqq. circa finem c. Fecit & quadrigas bigaſque, &* Cliduchon *eximia forma*. Quò cognomine quis deſignetur, haud liquet. Pauſan. in *Eliacis* picturæ meminit, in qua fuêre Pluto, Liber Pater, Proſerpina & Nymphæ duæ, quarum altera phialam tenuit: altera *clavem*. Addit, Plutonis clavem inſigne eſſe, quòd Inferorum ſedes ita clauſa ſit, ut reditus nemini pateat. Unde Κλειδοῦχον vocari aut Nympham illam aut Plutonem clavigerum, colligit Dalechampius, *Not. ad l.* Melius quid ſuggeretur infrà, ubi de voce *Columna*.

CLIENTES, Græcis Δημόται ſeu *Populares*, dicti ſunt apud Romanos tenuioris ſortis homines ſub potentiorum protectione conſtituti. Diviſò enim univerſò populò in Patricios & Plebejos arctiſſimò eos Romulus vinculò colligavit. *Commendavit*, inquit *Dionyſius*, *Patriciis Plebejos, optione cuique è vulgo datâ, ut quem vellet, Patronum ſibi legeret*: more à Theſſalis ac Athenienſibus mutuatò. Patronorum talium erat, *Clientibus* reſpondere de jure, & abſentium curam gerere: ſuſtinere porrò, circa pecunias & contractus, accuſatoris impetum, & quietem iis, quâ maximâ opus haberent, parare à privatis publiciſque negotiis. Viciſſim *Clientum* erat, Patronos juvare elocantes filias, ſi his pecuniæ parum eſſet; ab hoſte captos redimere; privatarum litium perditarum æſtimationes & mulctas publicas pecuniarias pro iis ſolvere; publicorum quoque impendiorum, quæ Magiſtratuum honorumque causâ fiunt, eſſe participes, non ſecus, quam genere conjunctos. Utriſque commune erat, nefas eſſe alteris accuſare alteros, aut adverſum dicere teſtimonium, ferreque ſuffragium aut cenſeri inter inimicos: quòd ſi quis deprehenſus eſſet aliquid horum facere, tenebatur lege de Proditoribus, quam ſanxit Romulus, convictumque ejus criminis licebat cuivis, ut Diis inferis devotum, interficere. Nec tantum in ipſa Urbe plebs nixa erat Patriciorum favore, ſed & coloniarum & ſociarum ac amicarum civitatum & bellô ſubactarum, quæque ſuos habebat Patronos, quem vellet à Romanis civibus. Quibus inſtitutis firma adeò Romanis concordia coaluit, ut per 630. ann. nunquam ad cædem & ſanguinem ventum ſit, multis licèt ac magnis inter plebem & honoratos exortis de Republ. controverſiis: ſed partim docentes & monentes mutuùm, & partim concedentes, partim impetrantes à volentibus per expoſtulationes civiles componebant negotia: Hæc ex *Dionyſio*. Addit Thom. Dempſterus, in *Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 16. *paralipom.* frequentia: Cùm dignam Patronis facundiæ mercedem exhibere non poſſent *Clientes*, januam ipſorum coronâ impoſitâ honeſtabant. Martialis, *l.* 7. *Epigr.* 27. *v.* 5.

> *Sic fora mirentur, ſic te palatia laudent,*
> *Excolat & geminas plurima palma fores!*

Iidem Kalendis Januariis munuſcula quædam tenuia, grati animi indicium, Patronis offerebant; omneque obſervantiæ genus, fidem inprimis invictam, exhibebant, cujus rei celebre exemplum habes apud Sueton. *in Julio*, *c.* 72. Dicti Longobardicâ dictione *Vaſſalli*, quod Patronorum ſuorum tanquam vaſa cenſeantur. Contrà qui rem *Clientis* prodidiſſent, *Prævaricatores* ſunt dicti; neque minùs ſacri habiti ſunt, quàm hi, cùm Patronos fefellêre. Adumbravit hoc flagitium Virg. *l.* 6. *Æneid. v.* 609.

> *Pulſatuſve parens, aut fraus innexa clienti, &c.*

Ulterius *Clientes* cœnam popularem Dominis ſuis in æde ſacra inſtituebant, Plaut. *in Trinummo*, *Act.* 2. *ſc.* 4. *v.* 69.

> *Appoſita ſit cœna, popularem quam vocant,*
> *Si illi congeſta ſunt epulæ à clientibus.*

Privatò quoque nomine ſtatuas Patronis ſuis ſumtibus erigi collocarive curabant. Quò alludens Claudian. *de Conſulat. Manlii Theodoſii*, ſic canit, *v.* 24. *ſ.*

> *Hinc te pars Libyæ moderantem jura probavit,*
> *Quæ nunc tota probat, longo ſed pignus amoris*
> *Exiguo peperêre mora: populuſque clientem*
> *Publica manſuris reſtantur vocibus æra.*
> *Inde tibi Macetum tellus, & credita Pella*
> *Munus, quæ famulum quondam ditavit Hydaſpen.*

Apud Theſſalos *Peneſtæ*, apud Athenienſes *Thetæ* dicti; niſi quòd mitius clementiuſque ſuos *Clientes* Romani habuêre. Sed & Perſis Armeniiſque ſuos fuiſſe *Clientes*, ingenſque Procerum in *Clientelis* robus, diſcas ex Curtio, *l.* 7. *c.* 4. & Tacito, *l.* 13. *Annal. c.* 37. Aliis paulo videntur fuiſſe, *togati Clientes*, qui limina potentiorum obſervabant, ut deducerent ac reducerent, quod officium diutiſſimè Romæ duravit, etiam poſt Imperium Byzantium tranſlatum. Hi primò ſtatim manè Patronis ac magnis amicis præſtò erant, illis *Ave matutinum* portantes, & ad balnearum cœnæque horam rogati tranſigebant; unde etiam poſtquam Toga in deſuetudinem abiit, hi tamen in officiis iſtiuſmodi occupati ejus uſum ſervabant. Unde Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 125.

> *Si matutinos facile eſt tibi rumpere ſomnos,*
> *Attrita veniet ſportula ſæpe toga.*

Et, *l.* 10. *Epigr.* 18.

> *Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,*
> *Nec ſpondet, nec vult credere, ſed nec habet.*
> *Turba tamen non deeſt, ſterilem quæ curet amicum,*
> *Eheu quàm fatuæ ſunt tibi Roma togæ?*

Vide Octav. Ferrarium, *de re Veſtiar. l.* 1. *c.* 33. Apud medii ævi Scriptores *Salvamentum* dicitur præſtatio, à *clientibus* facta, pro tutela ac protectione ſui rerumque ſuarum, alitèr *Commendatio*. Qua de re ſic Salvian. *Gubern. Dei*, *l.* 5. *Tradunt ſe ad tuendum protegendumque majoribus & deditiones ſe divitum faciunt —— nec tamen grave hoc eſſe aut indignum arbitrarer, imò potius gratularer hanc potentium magnitudinem, quibus ſe pauperes dedunt, ſi patrocinia iſta non venderent —— Illud grave ac peracerbum eſt, quòd hac lege pauperes tueri videntur ut ſpolient*, &c. Vide quoque inſrà *Commendatio*, *Patronus*, *Suſcepti*, & ſuprà ubi *de Applicationis jure*.

CLIGENES, in Republ. Athenienſium inebator, partes divitum ſectatus in opprimendis tenuioribus, cæteroqui peregrinus & barbarus, & perpuſillô corpore. Civitati exoſus ambulavit ſcipionem geſtans, quò ſe adverſus irruentes vindicaret. Vide Schol. *in Ariſtoph. Ranas*, *Act.* 2. *ſc.* 6.

CLILIPENUS ſinus, maris Baltici inter Livoniam & Curlandiam excurrens ad Rigam. Unde *Golfo di Riga*, recipitque flüv. Dunam.

CLIMACHUS Thurius, ante alios ſcripſit *de decem elementis*, & pronunciatis (Καθυγορίαι, & ἀξιώματα à Græcis dicuntur) cæteriſque ejuſmodi.

CLIMACIDES, Græcè Κλιμακίδες, dicebantur mulieres, quæ dominabus ſuis vicem ſtapedis aut ſcalæ, quoties equum conſcenſuræ erant, præſtabant: de quibus *Athenæus*, ἀρματοφόρους, inquit, ἀπὸ μελαινοπόρφυρας αὐτὰς ἐνδόξους γυναῖκας κλίμακας ἐξ ἑαυτῶν ἵστασιν, ὥστε ἐπὶ νώτων αὐτῶν ἀναβαίνειν γίνεσθαι καὶ καταβαίνειν ἀπὸ τῶν ὀχημάτων. Quò miniſterii, vel potiùs contumeliæ genere, Valerianum Imperatorem à Sapore Perſarum & Bajazethem Imperatorem Turcarum à Temirlanco Tartarorum Rege affectos eſſe, legimus. Vide Salmaſium, *Not. ad Trebellium Poll. in Valeriano utroque*. Sed & κλιμακίαι, h. e. *ſcalares*, verſus dicuntur: in quibus ab uno creſcunt ſyllabatim voces, quaſi per *gradus* aſcendentes. Qualis ille apud Homerum, *Il.* γ. *v.* 182.

> *Ὦ μάκαρ Ἀτρεΐδη μοιρηγενὲς ὀλβιόδαιμον.*

Qualis item ille apud Virgilium eſſe potuiſſet, *l.* 1. *Æn. v.* 76.

> *Ex quibus inſignis pulcherrima Deiopea.*

Vide Jul. Cæſ. Scaligerum, *Poetices l.* 2. *c.* 28.

CLIMACIUS Johannes, vide *Johannes*.

CLIMATARCHÆ, Græcè Κλιματάρχαι, apud Simocattam, *l.* 3. *c.* 9. *l.* 4. *c.* 7. & Conſtantinum Manaſſem, *p.* 139 & 168. Præfecti ſunt *Climatum*, h. e. provinciarum ſeu regionum: quam vocis hujus notionem ab Arabibus mutuati ſunt Græci Byzantini. Aliàs de *Climatibus*, eorumque variatione ac mutatione vide egregiam *Exercitationem* Salmaſii, *ad Solin. p.* 663. *& ſeqq.*

CLIMAX, mons Phœnicis apud Byblum urbem à Tyro 100. ſtad. diſtans, *Pallo di Cane* incolis dictus, teſte *Nigro*. *Climax* quoque, apud Strabonem, anguſtia eſt Montis Tauri, apud Selgam urbem Piſidiæ. Mons quoque Pamphyliæ eidem, *l.* 4. Item Galatiæ vicus maritimus, & Arabiæ Felicis mons. *Ptol.* mons etiam, qui Ægypto inferiori à meridie eſt, *Oroſius*. Apud *Ptol.* etiam eſt Libyæ nomi vicus.

CLIMBERTUM, Galliæ urbs inter Aginum & Lugdunum, *Antonin.*

CLIMENUS, Arcadis fil. ab Hercule Idæo oriundus, qui ex Creta in Græciam venit, & certamen renovavit, ſtatuitque aram Herculi avo. Pauſan. *l.* 5.

CLIMITON, Anglus, ſub Eduardo III. circa A. C. 1350. Aſtrologicum quoddam opus ſcripſit. *Geſner.* Voſſ. *de Scient. Mathemat. c.* 35. §. 39.

CLINAS, Muſicus & Philoſophus ſectæ Pythagoreæ, ſi quando ad iram provocaretur, ſumptâ ſtatim citharâ, motus animi leniebat, exclamans, *jam lenior*. Ælian. *Var. Hiſt. l.* 14. *c.* 23. Athen. *l.* 14. *c.* 10. lege *Clinias*.

CLINIAS, fueritne Hiſtoricus, haud tam apertum eſt, quàm Hiſtoricos ejus ſententiam ſequi in cauſa nominis, quod Perſiæ, & mari Rubro impoſitum eſt. Eum commemorat Agatharchides initiò libri *de mari Erythræo*. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 344.

CLINICI, Græcis Κλινικοί, Latinis *Lectuales*, dicebantur, qui diuturnò, difficili ac tabificò morbò afflicti, lectum ſervare tenebantur.

bantur. Sic in *Vita* Caroli M. apud Caniſium legitur, uxorem eum ſuam quondam repudiâſſe, quod eſſet *clinica*, h. e. morboſa &c. Salmaſius, *ad Spartian. in Hadriano Cæſ. c.* 23. Præterea ſic dicti ſunt à quibuſdam, qui ob ægritudinem ſacro lavacro non immergebantur aut intingebantur baptizandi, ſed aquâ ſolùm baptiſmali aſpergebantur, ſeu perfundebantur, Cyprian. *Ep.* 76. A quo more fluxit occidentalis Eccleſiæ conſuetudo, quæ hodieque obtinet ob teneritudinem infantium recèns natorum, cùm jam rariſſimus eſſet adultorum Baptiſmus, vide quæ hanc in rem annotavit Joann. Frebeſius, *Inſtructionum Hiſtorico-Theolo. l.* 10. *c.* 5. *num.* 55. ut & infrà in voce *Superfuſus*, item ubi de *Lectuali* morbo. Mercurialis verò, *Clinicorum* nomen non ipſis ægrotantibus à veterib. tributum, qui potiùs κλινήρεις & κλινοπετεῖς ſunt dicti, ſed Medicos ſic vocatos eſſe, à Chirurgis & Empiricis eô modô, atque etiam magis antiquitùs ſejunctos, quô hodie *Phyſici* nuncupati ab iiſdem Chirurgis & *Circitoris* vocatis ſeparantur, contendit *Variarum Lection. l.* 3. *c.* 22. Quò facit *Epigramma* 31. Martialis, *l.* 1.

Chirurgus fuerat, nunc eſt veſpillo Diaulus:
Cœpit quò poterat Clinicus *eſſe modò*.

Ubi Commentator, *Adſpirabat*, ait, *Chirurgus Diaulus ad nobiliſſimam Medicinæ partem, ut* Clinicus *tandem Imperatores lecto affixos viſeret curaretque: deſperans tandem, neſcio qua de cauſa, ſe ad Libitinam contulit, è chirurgo veſpillo factus, nec minùs interea* Clinicus. *Eſt enim argutia in voce* κλίνη, *qua & lectum & feretrum ſignificat.* E quibus verbis apparet, *Clinicos* fuiſſe olim Medicorum nobiliores, qui Imperatores imprimis τῇ κλίνῃ, *lecto* affixos, inviſerent, eorumque convaleſcentiæ invigilarent. Quod idem de ambiguitate vocis addit, ita omnino ſe habet: Inprimis verò ſic dicebantur ſingulorum cadaverum thecæ vel arcæ, quæ una καμάρᾳ vel fornice ſeu hypogæô ſepulchrali conditæ habebantur. Totius enim alicujus familiæ unum commune monumentum ſubterraneum apud Græcos aliosque olim (qui mortuos non cremabant) erat; in quo mortui ex eadem familia jacebant in ſuis quiſque κλίναις ſeu *lectulis*. Philodemus μονόκλινα πυελίδα vocat, in *Epigram.*

Οὐκ ἄλλης ἀνθρώπῳ ἔσεαι γλυκύς, ὦ μονόκλινε
Δεῖ σ' αἰῶνα τάλαν κεῖσθαι ἐν πυελίδι.
Nonne audis ô loculo, in lectulo
Oportet te æternum jacere infelix ſexus.

Hinc Nonnus λιθίνην χηλὸν appellat ſepulchrum Domini noſtri, ad hos lapideos lectulos reſpiciens &c. Vide hic paſſim, ut & plura apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1207. de *Clinicis* verò Medicis, etiam infrà aliquid, voce *Medici*.

CLINIUS Cous, 7000. Græcorum, mercede Nectanebo, Ægyptiorum Regi militantium, Dux, cum omnibus copiis ferè, à Nicoſtrato & Argivis, in primo Nili tranſitu, occiſus. Diodor. Sic. *l.* 16.

CLINODIA Imperii, vide infrà *Regalia*.

CLIO, una, & prima Muſarum apud Heſiod. *in Theog.* à κλέος, i.e. *Gloria*, quòd Poëtis gloria ex carmine naſcitur. Alii ἀπὸ τοῦ κλείειν, h. e. à *celebrando* dictam putant, propterea quòd Hiſtoriæ inventrix eſſe putatur, cujus proprium eſt virorum fortium laudes celebrare, eorumque geſta ad poſteritatem tranſmittere. Ovid. *l.* 1. *Art. Am. v.* 27.

Non mihi ſunt viſæ Clio, Cliûſque ſorores.

Pingitur coronata lauru, dextrâ tubam, ſiniſtrâ librum tenens, cui inſcriptum *Thucydides*. *Nic. Lloydius*.

CLIPIACUM, Gall. *Clichy*, exiguus vicus, prope Lutetiam, primis Galliæ Regibus in deliciis. Hic Dagobertus I. juſſu Clotarii II. patris, duxit Commenetuden vel Gomatruden, quam poſteà ob ſterilitatem repudiavit. Johannes Rex Ordinem Equeſtr. Stellæ ibidem inſtituit: ibi quoque Synodus, ſub Clodovæo II. A. C. 659. Tilletus, Haillan. *Conc. Fr. tom.* 1. Chenæus, *de antiq. urb. c.* 6.

CLISSA, arx Dalmatiæ in monte, valde munita, olim *Andetrium*, Johan. Lucios. 20. milliar. à Spalato in Boream, tendens ab ora maris Adriatici. Ante aliquot annos à Venetis capta.

CLISSONUS Olivier, vide *Olivier*.

CLISTHENES, ultimus Sicyonis tyrannus, quam tyrannidem diutiùs tenuit, ſiquidem bellicoſus erat & valde popularis. Nam quendam, qui in judicio victoriam, quam alii ipſi tribuerant, & ademerat, & ſibi reſcripſerat, ultrò ipſe ut victorem coronavit. Vide Ariſtot. *l.* 5. *Polit. c.* 12. Primus hic unô temone currum fecit ac medios tantùm duos jugo junxit, eiſque ſingulos adjunxit ex utraque parte lorô vinctos h. e. funales, cùm ante ipſum in quadriga quatuor equi ſic jungerentur, ut duplici temone equis interjectô, perpetuum jugum omnibus conjiceretur, ſicque omnes jugales, nullus funalis eſſet, uti refert *Iſidorus*. Unde datur intelligi, cur Græci Grammatici in expoſitione τῶν ζυγίων, interpretentur τὸν μέσον δεξιὸν καὶ τὸν μέσον ἀριστερὸν, *medium dextrum & medium ſiniſtrum*. Equi nempe ζύγιοι, *jugales*, ab illo tempore medii inter utrumque funalem eſſe cœperunt; è quibus dexter funalis ad dextram fuit dextri jugalis, ſiniſter funalis, ad lævam jugalis ſiniſtri. Idem Salmaſ. ubi ſuprà, p. 897.

CLISTHENES, ex Alcmæonidûm familia, civis Athenienſis, cum Iſagora de principatu contendit an. 1. Olymp. 66. populô in 10. tribus diviſô, & inſtitutâ republ. Iſagoram urbe expulit. Ab eodem Demarchi, Phylarchi, Apodectæ, & Oſtraciſmus eſt inſtitutus, primuſque eô exilii genere (ut quidam volunt) ipſe mulctatus eſt. Iſagoras inde à Cleomene Spartæ Rege reducitur; Cliſthene, & reliquis ſociis urbe ejectis. Poſt autem Cleomene ex arce, quam cum Iſagora occupavit, ab Athenienſibus dejectô, Cliſthenes reſtituitur. Plut. *in Ariſtide & Pericle*. Cœl. Rhodig. *l.* 21. *c.* 44. Herodot. *l.* 5. ubi avi ejus materni, Cliſthenis, Principis Sicyonis meminit, poſteà tyranni Corinthii, Pauſan. *l.* 2. Vide & *Megacles*.

CLISTHENES, tanquam mollis, effeminatus ac Cinædus, ab Ariſtoph. & Cratino traducitur. Symburtii fil. lævi mentum, & Eunucho ſimilis Parlucus. Schol. in Ariſtoph. *Ranas & Crabr.*

CLISTHENES, Orator apud Cicer. *in Bruto*, *c.* 7.

CLISTHENES, Polyæn. *l.* 5. *c.* 5.

CLITA, in *Vita* Caroli M. machina bellica, ad ſaxa eminus explodenda, adhibita: apud Dominic. Macrum in *Hierolex.*

CLITÆ, Bithyniæ urbs Mediterranea. *Ptol.* Cilicum natio. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 55. Et locus, circa Athon montem. Liv. *l.* 44. *c.* 11.

CLITAGORA, mulier Theſſala Poëtria, de qua Schol. in Ariſtoph. *Veſp.* 519. & 520.

CLITARCHUS, Eretrienſium tyrannidem, opibus Philippi Macedonis adeptus, à Phocione Athenienſi, Olympiadis centeſimæ nonæ annô quartô ejectus. Diodor. Sic. *l.* 16. vide an is ſit, cujus meminit Polyænus, *l.* 5. *c.* 24.

CLITARCHUS, Hiſtoricus & Alexandri comes in expeditionibus fuit, ejuſque res geſtas ſcripſit, Curt. *l.* 9. *c.* 5. Plut. *in Alex.* Diodor. Sic. *l.* 2. A. Gell. *l.* 4. *c.* 11. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 10. *p.* 55. 56. Hujus in Hiſtoriâ ingenium probatur, fides infamatur, ut ſcribit Quintilian. *l.* 10. *c.* 1.

CLITE, nata Cyzici, Meropis Percoſii Pityeæ Regis filia, ut narrant Deilochus & Ephorus, quæ cùm virum extinctum videret, doloris impatientiâ ſuſpendiô vitam finivit, ut & Apollonius, *l.* 1. & Orpheus, *in Argonauticis* & *Euanthes* & *Deilochus* ſcribunt.

CLITERIUM, Arcadiæ urbs. *Phavorin.*

CLITERNIA, Italiæ oppid. ad montem Garganum. Pomp. Mela, *l.* 2. *c.* 4. *Cliternum Ptolemæo*, vulgò *Celano*. Vide Clover. *Ital. Ant. p.* 1207. populi *Cliternini*. Fuit oppid. Marſorum, prope Apenninum. *Sanſoni* oppid. Æquorum, verſùs Anienem. Quid nunc ſit, incertum. *Baudrand.*

CLITIS, fluv. Galliæ *Sidonio*, *Clenus* à Gregor. Turonenſi dictus. Eſt in Pictavis, & vulgo *Le Clain* dicitur. Vide *Clenus*.

CLITO, apud ſcriptores Latinos medii ævi, filius Regis vel Imperatoris, à Græco κλυτὸς, i. e. Inclytus. Etiam qui in regnum ſucceſſurus eſt, ut in Imperium Cæſar Anglo-Saxonibus *Adelingus*, Gallis *Domicellus*, Britannis *Urchriched*. Sed & Regni magnates *Adelingi* dicti Saxonibus præfatis. Vide Henr. Spelmann. *Gloſſ. Archæol.*

CLITO, κλειτὼ appellatur Euripidis mater, ab Auctore Scholiorum, *in Ariſtophanis Acharn. p.* 384. *A.*

CLITODEMUS, antiquiſſimus eorum eſt, qui *res Atticas* conſignavit, teſte *in Phocicis* Pauſaniâ. Perperam pro eo Κλειτόδημος eſt apud Heſych. *in Aldina*. Quædam ex eo quoque refert Etymologus in ἐπὶ Παλλαδίῳ. Meminit etiam Michaël Apoſtolius, *cent.* 8. *prov.* 42.

CLITOMACHUS, linguâ Punicâ *Aſdrubal*, Carthaginenſis Philoſophus, Athenas conceſſit ad capiendum ingenii cultum 40. annos natus, audivitque Carneadem: brevi quoque tempore adeò profecit, ut 40. volumina ſcripſerit, ſucceſſeritque Carneadis Scholæ. *Suidas*. Dicitur perfectam habuiſſe Academicæ, Peripateticæ & Stoicæ ſectæ peritiam. Diogenes, *in ejus vita*. Audiverat Thurius, diſcipulus Euclidis.

CLITOMACHUS Athleta, Pancratiaſtes nobilis. *Suid.* Pudicitiâ tantâ fuiſſe dicitur, ut canes ſi fortè coëuntes vidiſſet, ſtatim vultum averteret: In convivio ſi quis ſermo laſcivus incideret, ſtatim ſurgens abiret. Ælianus, *Var. Hiſt. l.* 3. *c.* 30.

CLITON, Arcadiæ fluv. *Heſychius*.

CLITONYMUS, *Italica* prodidit, quæ Plut. citat *Par. Min. c.* 10. Idem *Sybaritica* edidit, ut conſtat ex ejuſdem, *c.* 21. Item *tragica*, quorum tertium advocat idem Plut. *de flumin.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 345.

CLITOPHON, Athenienſis, qui modò à Comicis ut ignavus, modò ut iners verſutus ac verſipellis Theramenique ſimilis traducitur. Vide Scholia in Ranas *Ariſtophanis*, *Act.* 4. *ſc.* 1.

CLITOPHON, Rhodius, *Indica* conſignavit, quorum decimum citat Plut. *l. de flum. c. ult.* *Gallicas* etiam res conſcripſit, nec non *Italicas*. Ad hæc libros etiam τῶν κτίσεων, ſive *Originum*. Vide Voſſ. *Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 345. 346.

CLITOR, oppidum Arcadiæ Mediterraneum, à quo vicinus fons *Clitorius* appellatur, ei, qui guſtaverit, vini faſtidium inducens. Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 321.

Clitorio quicunque ſitim de fonte levavit
Vina fugit, gaudetque meris abſtemius undis.

Nic. Lloydius. Nomen accepit à *Clitore*, Azanis filio, quô nemo potentior Rex tum vitam habuit. Vide Pauſan. *l.* 8. In Stephani *Epitome* pars bona literæ K. periit, cum qua & urbis & amnis & Herois hujus memoriam excidiſſe, putat Barthius *ad Statium, Thebaid. l.* 4. *v.* 289.

CLITORIA, uxor Cimonis Athenienſis, quæ cùm unô partu geminos edidiſſet, Cimon alterum, amore in Lacedæmonios, nuncupavit *Lacedæmonium*.

CLITUMNUS, agri Faliſci fluvius, *Le Vene* hodie, cujus aquæ potæ candidos faciunt boves. Teſtantur id abundè Poëtæ. Horum agmen ducat Virg. *l.* 2. *Georg. v.* 146.

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacrô
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.

Propert. *l.* 2. *El.* 19. *v.* 25.

Qua formoſa ſuo Clitumnus flumina luco
Integit, & niveos abluit unda boves.

Statius,

Statius, *l. 1. Sylv. 4. v. 129.*

Aut præſtant niveos Clitumna novalia tauros.

Silius, *l. 4. v. 547.*

- Patulis Clitumnus in arvis
Candentes gelido perfundit flumine tauros.

Idem, *l. 8. v. 451.*

---- Perfundens flumine ſacro
Clitumnus taurum. ----

Juvenal. *Sat. 12. v. 13.*

Læta ſed oſtenderet Clitumni paſcua ſanguis
Iret & à grandi cervix ferienda miniſtro.

Claudian. *l. in 6. Conſul. Honorii, v. 506.*

Quin & Clitumni ſacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Viſere cura fuit. ---- ----

Idem, *in Epigramm. 4. v. 5.*

Non tales Clitumnus lavat in gurgite tauros,
Tarpejo referunt quos pia vota Jovi.

Hactenus Poëtæ, quibus addo Plinium. Sic enim ille, *l. 2. c. 103. In Falisco Clitumni amnis aqua pota candidos boves facit.* Cæterùm Clitumnus quoque Jupiter dictus fuit. Vibius, *Clitumnus Umbriæ, ubi Jupiter eidem nomine eſt*, Plin. Jun. *l. 8. Ep. 8. Adjacet templum priſcum & religioſum. Stat Clitumnus ipſe, amictus, ornatusque prætexta. Præſens Numen, atque etiam fatidicum, indicant ſortes. Sparſa ſunt circa ſacella complura, totidemque Dei Simulachra. Sua cuique veneratio, ſuum nomen, quibuſdam verò etiam fontes.* Nic. Lloydius. Sequitur, *Nam præter illum, quaſi parentem cæterorum, ſunt minores capite diſcreti; ſed flumini miſcentur, quod ponte tranſmittitur. Is terminus Sacri profanique. In ſuperiore parte navigare tantum, infra etiam natare conceſſum.* Clitunno etiam nunc. Oritur in loco *Vene*, ex tribus fontibus in clivo, infra vicum Campello, 2. milliar. à Trebia, Spoletum verſus. Mevaniam rigat & in Tineam fluvium ſeu Topinum ſe exonerat, cumque ipſo poſt in Tiberim labitur. *Baudrand.*

CLITUS, inter præcipuos Alexandri M. familiares fuit, eidemque chariſſimus, tum quòd filius eſſet nutricis ipſius, tum quòd ab illo in vitæ diſcrimine fuiſſet ſervatus, reciſo Roſacis lacerto, quem jam ad ictum Alexandro infligendum, in prælio ad Granicum, ſuſtulerat Barbarus. Hunc tamen in convivio quodam liberiùs in Perſicos mores invectum, Rex jam temulentus ſpiculo trajecit; cujus facti eum poſtridie tanta cepit pœnitentia, diſcuſſâ jam ebrietate, ut totum triduum cibò abſtinuerit, decreveritque omninò inediâ ſibi mortem conſciſcere, ac amicum optimè de ſe meritum ad inferos perſequi. Tandem ægrè admiſſâ amicorum conſolatione, ſumptuoſiſſimè eum funere ſepelivit. Plut. *in Alex.* Curt. *l. 4. & 8.* Vide & *Clytus.*

CLITUS, 240. navium imperio, ab Antipatro, contra Athenienſes præfectus, inſigni victoriâ hoſtes fregit, ad Echinades Inſul. Olymp. 114. an. 2. Diodor. Sic *l. 18.* Ejus quoque meminit Polyæn. *l. 4. c. 6. in Antig. num. 8.*

CLITUS, Mileſius, diſcipulus Ariſtotelis, Hiſtoricum quoddam opus conſcripſit. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 1. c. 10. p. 57. & l. 4. c. 10. p. 464.*

CLITUS, proluſoris cujuſdam nomine traductus in Comœdia. Ariſtoph. *Nub.*

CLITUS, vide *Clitus.*

CLIVENSIS Ducatus, à *Clivis* dictus, ut creditur, German. regio à Rheno bipartita, à Rhenoberca ad Moſam & Vahalim uſque extenditur. Subeſt Electori Brandeburgenſi. Ibi urbes præcipuæ, Clivia, caput provinc. Veſalia, Calcerſa, Emmericum, Geneppum, & Duisburgum. Vide infrà.

CLIVIA, urbs princeps Ducatus Clivenſis, in Galliæ Belgicæ finibus, non procul à Rheni ripa, & ob ejus diverticulo, ubi expandere ſuos ramos, & Batavos in inſulam incipit ſubigere: Cujus amplitudo magna fuit quondam, ficut ex ruderibus in agro vicino paſſim apparentibus colligitur. Nomen antiquum Clivos ei eſt, quòd in tribus clivoſis collibus, in quibus à Cæſare condita dicitur, pendula verſus Rheni ripam penderetur. Quapropter à nonnullis etiam *Clivi* nuncupatur, Latinò protſùs nomine. Diſcrepat unius duntaxat vocalis mutatione lingua popularis, quâ *Cleve* nunc oppidum, ut & clivus omnis appellatur. *Merul.* Reliquæ urbes ſunt *Santen, Calcar, Greſhuſen,* cis. *Duisburg, Emmerich* trans Rhenum. Mortuo Joh. Gulielmo, ultimò Duce liberorum beliorumque materies fuit hic Ducatus, ab A. C. 1609. Elector Brandeburgenſis non exiguam partem occupat, quandam Princeps Neoburgicus tenet, &c. Cluver. Munſter, *l. 3.* Hujus Dux penultimus Wilhelmus (cujus Familiæ origo, ſecundum vulgares traditiones, refertur ad Theodoricum, qui circa A. C. 700. ultimus caſtri Clivis & adjacentis regionis comes fuit, uxorem Beatricem, Comitis Teſterbandæ filiam & hæredem: Quæ priori maritò defunctò, nupta Ælio Gracilis Caroli Martelli fido ſocio, in ejus familiam jura titulosque Comitum Cliviæ & Toſterbandæ intulit: unde Duces Cliviæ, Montium, Juliaci & Comites Marcæ, Limpurus Emeri. *l. 3. c. 24*) cùm antè tantò fervore Reformationem in ditionibus ſuis incepiſſet, ut Georgio Caſſandro, difficultates objicienti, non eſſe *conſilia contra Dominum*, reſponderit: tamen in Comitiis Auguſtæ celebratis A. C. 1566. Maximiliano II. Imperatori quem Legatus Pontificius Commendonus contra Evangelicos incitabat, obſiſtere non auſus, Miſſam frequentavit: Mox, in eodem conventu, ipſi morte ademta, & 26. annis ad mortem in furore tranſactis, quibus illius violentiâ filius Joh. Wilhelmus correptus eſt, ut includi neceſſe haberent, ne in ſuos ſæviret, Ever. Reid. *Annal Holl l. 3. p. 2 2.* Hinc inter Principis ſenectutem, & emptâ potentium ſtudia, Cliviæ urbibus inſidiatus eſt Parmenſis, A. C. 1589. Obiit Princeps A C 1592. Rapta dein ſubitâ morte juſſum Ducis uxore, A. C. 1596 novis ſuſpicionibus omnia turbata. Mendoza poſtmodum in Clivicos & Juliacenſes exercitum duxit, A. C 1598. contra quem à Sibylla, quæ Ducis ſoror erat, prudentiæ virilis fœmina, undique auxilia concita ſunt. Nihilominus is varia Cliviæ juris oppida præſidiis occupavit, Bericum, Alpam, Murſam, &c. Tandem extinctâ familiâ, A. C. 1609. ut dictum, inter Joh. Sigiſmundum Electorem Brandeburgenſ. cujus uxor filia erat Alberti Friderici Boruſſiæ Ducis & Mariæ Eleonoræ Ducisſæ Juliacenſ. ac Phil. Ludovicum Comitem Neoburgicum, cui uxor Anna Juliacenſis, lis orta: & Clivia à Mauritio Princ. expugnata eſt. Vide ſuprà. Addo, quod originem referunt Antiquitatis ſcrutatores priſtam ad fabuloſum quendam Grabium prænomine Eliam, qui *Cliviam* hæredem duxerit. è quorum poſteris vixiſſe dicitur tempore Caroli M. Balduinus Comes Cliviæ & Teſterbanti, pater Eberhardi Comitis Cliviæ, cujus poſteri *Comites Cliviæ* demum defecerunt A. C. 1368. & Roberti. Hic Ludovicum, Teſterbantenſium reliquorum ſatricem, Robertum Heuldanorum dynaſtarum, qui per plura ſecula ſuperfuêre, utrumque atque Theodoricum genuit, qui Comes ab *Altena* dictus eſt, ſed ejus nepos Adolphus *Marcæ* titulum aſſumſit. In hujus deſcendentibus diviſione factâ, fratres Engelbertus Bergenſem vel Montanum Comitatum, & Eberhardus Marcanum nacti ſunt A. C. 1147. quorum priore poſteritate extinctâ hæreditas ad Juliacenſem eſt delata. Eberhardi verò trinepotes Adolphus ac Eberhardus iterum novos ramos cœpêre. Prior etiam à conjuge Margareta ſive Maria *Clivia* jus ſucceſſionis Cliviæ domui intulit: unde & filius Comitatum hunc ab Imperatore, nepos Ducalem titulum pro eo aſſecutus eſt. Acceſſit deinceps aliò matrimoniò Juliacenſis ac Montanus Principatus: ramo præcipuò ac directò in Joh. Wilhelmo A. C. 1609. extinctò. Ex minoribus filiis deſcendêre lineæ Ravenſteinia & Niverneuſes, quæ utraque etiam extincta: quæ verò ab Engelberto Marcano Adolphi, ut dictum, fratre derivatæ ſunt lineæ, vide ſub titulo *Marcanus*, & plura hanc in rem apud Phil. Jac. Spenerum, *Theatr. Nobilit. Europ. tom. 2. p. 82. & in Indic. ut & tom. 3. p. 5. ac iterum in Indice.*

CLIVIUS Martinus, vide *Martinus.*

CLIVUS, in *Gloſſis*, ἀνάβασις. Unde Proverb. *adverſus clivum equum agitare*, i. e. contra aſcenſum, in quo laborant equi. Ovid. *Remed. Amor. v. 394.*

In clivo noſter ſæpe laborat equus:

de re ardua ac difficili, quæ emenda eſt. Inde *arduum*, pro difficili &c. Atque ita communiter hâc voce Latini uſi ſunt. Alias quàm *clivus* tam aſcenſum, quàm deſcenſum, ſignificat. Nam præclivata montium latera propriè vox deſignat. ex Græco κλίτυς, quæ ſi declivitatem montis notat, Æolicè κλίτυς, unde *clivus*: quemadmodum apud eoſdem Æoles, ex λόφος factum eſt λόφος, quò nomine Antonum indigitarunt, Salmaſ. *ad Solin ibid. p. 774.*

CLOACÆ, publica ſordium receptacula, ſicut *Latrina* (de quibus infrà) privata; inter Gentilium *cloacæ* memoratæ Clementi Romano, *Recogn. l. 5.* quem locum ſupra adduximus voce *Ælurus*; non tenuis operæ nec levioris impenſæ Romanis fuêre. Harum ſtruendarum initium fecit Tarquinius Priſcus; quò nemo Regum plura aut meliora: Is enim montibus ſuffoſſis ac urbe penſili fornicibus ſuſpenſâ receptaculum omnium urbis ſordium *Cloacam* fecit, inque tres ductus diviſit, Plin. *l. 36 c. 15.* Poſt urbem deinde à Gallis captam incenſamque veterum nullâ ratione habitâ, neque civitate, ut periit, in certas regiones diviſâ, privatorum quiſque ſuis uſibus peculiarem ſtruxit: manſêre tamen Tarquiniane inexpugnabiles ad Plinii uſque ætatem, per annos 800. qui memorat Agrippam in Ædilitate per meatus corrivatos ſeptem amnibus curſuque præcipiti torrentium modò rapere omnia atque auferre coactos, urbem ſubtus navigabilem feciſſe. Erant autem tam magnæ, ut vehem fœni onuſtam largè tranſmitterent, non anguſtiores proin oppidorum portis, lapidibus ſectis & ad normam poſitis ſuffultæ. *Marlianus*, qui dimenſus eſt, prodidit pedum ſenûm denûm latitudinem ſe repeiſſe; nec altitudo minor fuit. Interim licèt firmi fuerint operis, reparatæ tamen non ſemel leguntur Unde *Livius* ait, *Cenſores detergendas cloacas & in Aventino, atque aliis partibus, quà nondum eſſent, faciendas locaviſſe.* Quantò ſumtu, dicat C. Aquilius apud *Dionyſium*, *Neglectis*, inquiens, *aliquando cloacis & non defluentibus, Cenſores in earum inſtaurationem mille talenta impendiſſe*, h. e. ſexcenta millia Philippæorum. De iiſdem Caſſiodorus, *l. 3. Ep. 30. l. 8 Ep. 29. Splendidæ Romæ civitatis cloacæ, tantum viſentibus conferunt ſtuporem, ut aliarum civitatum poſſint miracula ſuperare*, apud Adam. Preyelium, *Smit & Europæ c. 29.* Idem paulò inferiùs, *Sua fuit cuivis Templi Hieroſolymitani in torrentem Cedron, & magnus fuerit apud Sinas circa canalium, ad eluendas urbes. Cedet de pulchritudine utriuſque ſtructura, de ſumptibus & neceſſitate non cedet Romæ.* Hinc laudati Romani trium maximè rerum gratiâ, quæ à Græcis videbantur neglecta, *Viarum, Aquæductuum & Cloacarum.* Harum cura primum penes Cenſores fuit, poſteà publici earum Curatores ab Auguſto inſtituti ſunt. Vide Dionyſ. Halicarn *l. 3.* Plin. *l. 36. c. 15.* Barthol. Marlianum, *l. 3. c. 18.* Liv *l. 1. c. 56.* Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 7. c. 12. &c.* In eas ſervos ab Ædile deprehenſos mergi conſueviſſe, dicemus infrà voce *Lacus.* Vide quoque *Jallantes*, it. *Monitores*, ut & ubi de canalium *Naribus.*

CLOACINA, Dea quæ cloacis præerat, eam in cloaca repertam Tatius Roman. Rex conſecravit

CLOCCA, apud recentioris ævi Scriptores, campana eſt, Gall. *Cloche*; à German. *Clocken*, vide ubi de *Campana* Item toga Equitum Melitenſium, quam Conſilium habituri ſumunt. Idem Macer *ibid.*

ibid. Sed & eôdem nomine veſtis venit, in Concilio Londin. A.C. 1342. can. 2. de Cler. in Concilio Andegav. A.C. 1365. can. 20, alibique, quæ videl. equitantium ac peregrinantium propria, campanæ aut circuli, uti apud Græcos *Cyclas*, ſpeciem referebat, in ſuperiori parte ſtrictior, in ima largior: *Rotundella can.* 19. Concilii Andegavenſ. præfati, dicta, cujuſmodi veſte Flandricæ Domicellæ etiamnum utuntur. Hodieque certè Anglis *Cloake* pallium eſt, vide Car. du Freſne in *Gloſſario*.

CLOCHERIA, ſeu CLOGERIA, urbs Hiberniæ in Comitatu Monaghano, in colle, juxta amnem *Blakwater*, 20. milliar. Anglic. ab Armacho. Paucorum nunc incolarum.

CLODIA, Romana copioſa & locuples fœmina. Cicer. *l.* 12. *ad Att. Ep.* 22.

CLODIA Foſſa, vel *Claudiopolis*, veterib. Venetorum hodiè ditionis oppid. in Adriatici maris litore, quod *Chioggia* & *Chioza*, *Blondo* & *Leandro* dicitur. In Inſul. parva maris Adriatici cum portu, 25. milliar. à Venetiis Loredium verſus, prope Brendulum Inſul. Crevit ex ruinis Metamauci. Salis fodinis celebre, & victoriâ Genuenſium, A.C. 1380. Volaterr. *l.* 4. Sabell. 3. Leandr. *deſcr. Inſ. Ital.*

CLODIA Lex, à P. Clodio Tribuno Pleb. lata, L. Calpurnio Piſone Cæſonino Conſulib. an. Urb. Cond 695. voluit: *Ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſervaret: Ut omnibus faſtis legem ferre liceret*, Dio, *l.* 38. Quare Cicero toties queritur Clodium propugnacula & muros tranquillitatis atque otii evertiſſe, Cicer. *pro Seſtio*, *in Piſonem*, *alibi*. Alia eôdem annô, eôdemque auctore lata eſt, *Ne quem Cenſores in legendo præterirent, neque qua ignominiâ afficerent, niſi qui apud eos accuſatus & utriuſque Cenſoris ſententia damnatus eſſet*. Quâ lege Cenſoriæ poteſtatis jus, quod 400. ano. in Reipubl. viguerat, imminutum eſt. Vide Cicer. *in Piſonem pro Milon. pro Sextio* &c. Alia ab eodem voluit, *Ut libera & ſoluta in ferendis legibus Tribunorum Pleb. poteſtas eſſet, neque intercesſione impedirentur*, Cicer. *pro Seſtio*. Alia, cujus idem eôdem annô Auctor, *Ut Gabinio Syria, Babylon, Perſa, Piſoni Macedonia, Achaja, Theſſalia, Græcia omniſque Bœotia, Proconſulari imperio manderetur: iiſque cum exercitu in eas provincias ituris pecunia ex ærario attribueretur*, Cicer. *pro Domo* & *in Sextiana*. Tulit idem, *Ut Cyprus Inſula in provinciæ formam redigeretur*, &c. Vide Vellejum, *l.* 2. *c.* 45. Plut. *in Catone*, Cicer. iterum *pro Domo ſua*, *pro Sextio*, *de provinciis Conſul.* &c. Alia, *Ut de eo, qui cives Romanos ſine judicio populi, indictaque causâ necaſſet, quæſtio haberetur*; ab eodem lata, ob Ciceronem & alios, à quibus necati erant Catilinarii. Vide Dionem, *l.* 38. Cicer. *l.* 3. *ad Atticum*, Vellejum, *loc. cit.* Alia tandem ab eodem ſancita, an. Urb. Cond. itidem 695. fuit, *Ut collegia*, i. e. *Conventus artificum à Numa inſtituti & magna ex parte, partim legibus, partim Senatuſconſultis ſublati reſtituerentur multique alii conſtituerentur*. Cicer. *pro Sextio*, *in Piſonem*, *pro Domo*. Dio, *l.* 38. &c. Fuit & *Clodia*, ſeu *Claudia* lex, *Ut victoriatus nummus, qui ex Illyrico advectus mercis loco habebatur, Romæ percuteretur, & eadem victoriæ notâ obſignaretur*, Plin. *l.* 33. *c.* 3. Vide Joh Roſin. *Antiqq. Rom. paſſim.*

CLODIA Via, inter Lucam & Romam. *Antonin.*

CLODIANA, Macedoniæ oppid. circa Dyrrhachium inter Apolloniam & Scampin. *Antonin.*

CLODIANUS, Hiſpaniæ Tarraconenſis fluv. *Ptol.* & Mela, *l.* 2. *c.* 6. *Fluvius* hodie *Varverio*. *Baudrando Llobregat*, amnis Cataloniæ. Oritur ex Pirenæis montibus prope Juncariam oppid. & in mare Mediterraneum ſe exonerat, prope Rhodam arcem. *Briet. Sanſon.*

CLODII Forum, Italiæ oppid. in octavâ regione. Plin. *l.* 3. *c.* 15.

CLODIO, cognomine *Comatus*, ſeu *le Chevelu*, ſecundus Galliæ Rex Pharamundo ſucceſſit, A.C. 428. *Chlogius*, Gregorio Turonenſi. *Cloia*, Sidonio Apollinari. Legem de Coma regali ſanxit. Rhenô trajectô, A.C. 432. ut in Gallias irrumperet, ab Ætio repulſus eſt. Nihilominus iterum fortunam tentans, Hannoniam, Cameracum, Tornacum, &c. occupavit. In Arteſia ab Ætio rurſus victus, illam tamen, mox viribus reſumtis, ſub jugum miſit, Ambianô quoque captô, ubi ſedem regni fixit. Nobilis & ſtrenuus. Gregor. Turonenſ. *l.* 2. Aimoin. *l.* 1. Pauſper *in Chron.* Regnavit ann. 20. ſucceſſore relictô Merovæô, quem quidam filium, quidam ejus filiorum Clodebaldi & Clodomiri tutorem dicunt. *Mezeray.*

CLODIORUM Familia, à *Clodio* Æneæ ſocio dicta. *Feſtus.* Verius tamen eſt *Clodios*, qui & *Claudii* dicuntur, à Sabinis ortum traxiſſe, nominiſque originem cepiſſe ab Appio illo Claudio, qui primus ex ea familia, cum 5. clientum millibus, ſe Romam contulit.

CLODIUS, claris parentibus ortus, juvenis quidam audax, inceſtuoſus ac ſeditioſus, cum amore Pompejæ Cæſaris conjugis flagraret, clàm ejus domum ingreditur, veſtem ac habitum Pſaltriæ indutus: ſpeque latendi mulieres abductus ob adoleſcentiæ formam, genaſque nondum pubentes turbæ earum, quæ tum in æde Cæſaris ſacrum inacceſſum viris agebant, immiſtus, ad Pompejam ingreditur: deprehenſus ac agnitus, etiam Cicerone teſte, accuſatur. Verùm judices tum metu, tum largitione, tum favore eum abſolvunt. Fit deinde Tribunus plebis & factione ſuâ Ciceronem in exilium agit, quod ut facere poſſet, plebejo homini ſe adoptandum dederat, A. M. C. 3906. ante Chr. nat. 56. Ejus dein domum ac villas incendit, reliqua bona haſtæ ſubjicit, attamen nemo emit. Tandem à Milone Clodius occiditur, accuſatur Milo, patronumque habet Ciceronem, jam ante ab exilio revocatum. Vide Plut. *in Cicer.* Appian. *de civ. Rom. bell. l.* 2. Cicer. *Orat. pro domo*, *pro Milone* Dion. &c. Hine Proverb. *Clodius accuſat Mœchos*. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 345.

—— Sed nunc ad quas non Clodius aras?

Seneca, *Omne ævum Clodios fert, ſed non omne tempus Catones producit.*

CLODIUS, vir quidam, cujus meminit Plut. *in Numâ*, qui *temporum argumentum* ſcripſit.

CLODIUS Dux, apud Trebellium Pollionem *in Gallieno duobus*, c. 5. & 7. his dictus Claudius ille, qui poſtea Imperium obtinuit. At ibi ſemper *Claudius* & Græci quoque Κλαύδιος, non Κλώδιος, eum vocant Caſaubon *Not. ad Pollionem*.

CLODIUS Albinus, Dux exercitus in Gallia, poſt mortem Pertinacis Principis, ab exercitu Imperator ſalutatus, perditæ gulæ fuiſſe traditur. Herodian. Item Conſul, Collega Æmiliani, an. Urb. Cond. 917.

CLODIUS Celſinus, Adrumetinus & affinis Albini Imperat. *de quo laudando quæ facta ſunt aliâ, irâtus Senatui Severus, quaſi hoc Albino Senatus præſtitiſſet, Commodum inter Divos referendum eſſe cenſuit, quaſi hôc genere ſe de Senatu poſſet ulciſci*, Spartian. in *Severo*, c. 11.

CLODIUS Licinius, ſcripſit Hiſtoriam Roman. Liv. *l.* 29. c. 22.

CLODIUS Macer, turbans poſt exitum Neronis in Africa, à Trebonio Garuliano Procuratore, juſſu Galbæ, occiſus eſt. Tacit. *l.* 1. *Hiſt.* c. 7.

CLODIUS Pulcher, Romæ orator, inter patronos ſimul cum Cicerone, in cauſa Scauri. *Aſcon. Pedianus.*

CLODIUS Quirinalis, Arelatenſ. Rhetor, Romæ docuit circa Neronis tempora. Præfectus remigum, qui Ravennæ habebantur, quòd Italiam luxuriâ ſævitiâque afflictaviſſet, venenô damnationem anteverrit, Tacit. *l.* 13. *Annal.* c. 30.

CLODIUS Rufus, in numero fuit Nobilium Romanorum, quos ſine cauſæ dictione occidi juſſerat Severus Imperator uti legimus apud Æl. Spartian in *Vita ejus*, c. 13.

CLODIUS Sextus, *de Diis* opus compoſuit. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4 *p.* 510. 511. *de Hiſt. Lat. l.* 1 *p.* 35.

Sextus CLODIUS, Rhetor è Sicilia, Latinæ Græcæque eloquentiæ Profeſſor, malè oculatus, familiaris ac præceptor M. Antonii Triumviri, cujus meminit Cicero, *in Philip.* & Tranquillus, *de Claris Rhetorib.* c. 5.

CLODOALDUS, vulgò *S. Cloo*, fil. Clodomiri, Regis Aurelianenſ. Poſt cujus obitum, apud Clotildem aviam Pariſiis educatus, cum fratribus, his perfidiâ Clotarii patrui occiſis, aliorum ope incolumis evaſit. Hinc Monaſticam vitam amplexus. Ejus Epitaphium & tumba hodieque viſitur, in vico *S. Cloo*, prius *Nogent* dicto. Gregor. Turonenſ. *l.* 3. *c.* 18. Aimoin. *l.* 2. *c.* 12. *Saſſum.* &c.

CLODOMIRUS, ſecundogenitus Clodovæi, ex Clotilde, Aurelian, Biturigum &c Princeps. Quâ hæreditate non contentus, Sigiſmundo fil. Gundebaldi bellum movit, Burgundiamque invaſit, junctus Theodorico, Childeberto & Clotario fratribus, ob ſucceſſu, ut fratre Gondemarô, qui Burgundis favebat, devictô, ipſum cum uxore liberiſque vivum caperet. Quos Aurelianum miſſos, paulò poſt, in puteum præcipitari juſſit. Dein cum Theodorico fratre Gondemarum prope Viennam denuo vicit, ſed dum nimis fervidè victoriam proſequitur, ab hoſtium globo occiſus & capite truncatus eſt, A.C. 524. ætat. 30. relictis ex Gondiocha, Theodebaldô, Gontarô, & Clodoaldô. Viduam mox frater Clotarius duxit, duobus filiis occiſis, tertiô fugâ elapsô. Gregor. Turonenſ. *l.* 3. Aimoin. *l.* 2. &c.

Veterum Gallorum Duces.

CLODOMIRUS I. ex veter. Galliæ ante Pharamundum Ducibus, f. Baſami fil. regnavit ann. 18.

CLODOMIRUS II. fil. Antenoris II. regnavit ann. 20. tempore obſidiæ à Scipione Numantiæ.

CLODOMIRUS III. fil. Marcomiri III. regnavit ann. 12. bellô contra Romanos & Gallos celebris.

CLODOMIRUS IV. fil. Marcomiri IV. regnavit ann. 7.

CLODOMIRUS V. fil. Clodii II. Ducatum Franconiæ inſtituit, cujus frater Genebaldus Romanis fortiter reſtitit. Regnavit ann. 18. Mouſtrelet. *Coſmogr. l.* 3. Dupleix, *præf. in Hiſt. Gall.* c. 6.

Francorum Veterum Reges.

CLODOVEUS I. Ludovicus, vel Ludovicus, ſucceſſit A.C. 481. patri Childerico, an. ætat. 15. Bellum intulit Syagrio, filio Ægidii, in patris locum ſurrogato, quem victum occidit. Clotilde, quam conjugem duxit, fidem Chriſtianam amplecti pollicitus, cum Germanis, prope Tolbiacum, acie conflixit: ubi copiis ejus jam ad fugam ſpectantibus, promiſſi memor, Deo votum fecit, baptiſmô ſe abluturum, ſi victor evaſiſſet. Quô factô, à S. Remigio, Epiſcopo Remenſi in fide inſtitutus, & cum omnibus Francis baptizatus eſt, A.C. 496. Hic Sanctum oleum, per columbam allatum, clypeus liliis inſignis & Auriflamma cœlitus demiſſa dicitur, ſcrofulas ſanandi donô inſuper conceſſô. Quidquid horum ſit, Gundebaldum Burgund. Regem quòd fratrem Chilpericum, patrem Clotildis, necâſſet, punit: in Armorica res præclarè geſſit, Alaricum Viſigothorum Regem Arianum, prope Pictavium propriâ manu, in pugna occidit, A.C. 507. auditô prius bono omine loco, à Legatis ejus Pſ. 18. *v.* 43. & capreâ vadum monſtrante in loco, qui hodieque *Le Pas de la Biche* dicitur. Ob res tam præclarè geſtas, ab Anaſtaſio Imperatore coronâ aureâ palliôque purpureô donatus, Conſul & Patritius appellatus eſt: Sedemque Romam miſit, quam in hæc uſque temporum *Regnum* vocant. Tandem, contra Theodoricum, Oſtrogothorum Regem, non uſquequaque felix, obiit A.C. 511. regni 30. vitæ 45. Relictis filiis, Theodoricô ex concubina, Clodomirô, Childebertô & Clotariô, ex Clotilde conjuge. Gregor. Turonenſ. *l.* 2. Aimoin. *l.* 1. Hincmar. *in vita S. Dionyſii*.

CLODOVEUS II. fil. Dagoberti, ex Nantilde, ſub tutela Magiſtrorum palatii, qui tum rerum ſummam ad ſe trahere incipiebant, ſucceſſit, ann. ætat. 11. Non ſine prudentiæ laude præfuit, pacis & Juſtitiæ cultor. Fame preſſos ſubditos, argenteis laminis, quibus pater Templum S. Dionyſii intexerat, venditis ſublevavit. Ex Bathilde Angla, pater Clotarii III. Childerici II. & Theoderici I. Obiit A. C. 660. ætat. 27. Aimoin. *l.* 4. *Hiſt. Gall.*

CLODO-

CLODOVEUS III. fil. Theodorici I. ſub Pipini Heriſtelli Majoris Domus tutela, regnavit ann. 4. A. C. 694. obiit ætat. 14. Eô vivente Sueui & Saxones rebelles, à Pipino domiti. Aimoin. *l.* 4. *c.* 48. *Fredegarius &c.*

CLODOVEUS, fil. Chilperici I. ex Audovera, videns fratres ſuos ex Fregedonde mortuos, ſeque ſucceſſorem auguratus, imprudens hancce, quòd matrem Audoveram indignè tractâſſet, verbis paulo aſperioribus irritavit. Prom à noverca apud Patrem accuſatus fratricidii, mox arbitrio ejus Fregedondi permiſſus eſt, quæ miſerum ſtrangulari & in torrentem projici curavit. Cadavere ex euſdem poſtea à piſcatore quodam agnitô. Gregor. Turonenſ. *l.* 5. *c.* 39.

CLOELIA, gens Patricia à *Clœlio*, Æneæ comite ſic dicta, *Feſtus* & Dionyſ. *l.* 2. Fuit cum magiſtratibus annis plus minus 63. Albana fuit. Hinc foſſæ Cloeliæ, à Cloelio Albanorum Duce dictæ. Patricia quoque, ſed minorum Gentium, Siculi cognomen tulit.

CLOELIA, nobilis virgo Romana, quæ cum aliis virginibus Porſenæ Hetruſcorum Regi obſes data, deceptis cuſtodibus, incolumis ad ſuos per Tiberim tranavit. Quamobrem Romani novam in fœmina virtutem, novô honoris genere ornandam rati, ſtatuam ei equeſtrem in ſumma Sacra via poſuerunt, Liv. *l.* 2. *c.* 13. Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 649.

—— Pontem auderet quòd vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.

Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 264.

Quod mirarentur cum Coclite Mutius, & quæ
Imperii fines Tyberinum virgo natavit.

La Mothe le Vayer in judicio de *Hiſtoricis Græcis*, inprimis de Dionyſio Halicarn. fabuloſam judicat hanc narrationem. Certè non unô modò ab omnibus peritatur. Vide Dionyſ. *l.* 5. Aur. Victor, *de Viris Ill.* *c.* 13. Flor. *l.* 1. *c.* 10. *Plut. in Publicola & Juſtin. illuſtr. Rom.*

CLOELIUS Gracchus, Volſcorum & Sabinorum, adverſus Roman. Dux; contra quem L. Quinctius Cincinnatus, Dictator creatus eſt: à quo, victis hoſtibus, in deditionem acceptus, & triumphi die ante currum eſt actus.

CLOGIO, vel **CLODIO**, Franci fil. Francorum Rex, A. C. 451. Vide ſuprà.

CLOJA, vulgò **CLAYE**, locus Galliæ, prope Montem Gajum *Montjay*; Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Ledia ſylva.*

CLONA, urbecula Hiberniæ, in Momonia provinc. & Comitatu Corcagienſi, 4. milliar. à littore maris Vergivii, 15. à Liſmora in Auſtrum, totidem à Corcagia in Ortum.

CLONAS, Elegiacus Poëta fuit, & Epicus, qui tibicinas, regulas, & concentus conſtituiſſe primus memoratus, ſicut Terpander citharœdicas leges primus ornatum pervestigâſſe narratur. Cœl. Rhodig. *l.* 9. *c.* 3.

CLONFERTIA, urbs Hiberniæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Thuamenſi. In Connacia provinc. & Comitatu Gallivenſi, ad Sineum fluv. qui paulo ſuprà Sukiam recipit. 28. milliar. Angliæ, à Gallava in Ortum, & 9. ab Atlona.

CLONIA, Libyæ interioris lacus. *Ptol.*

CLONIUS, unus ex quinque Ducibus Bœotorum, qui cum 50. navibus ad Trojam navigaverunt, Homer. *Il.* 2.

CLOPINELLUS Johannes, vide *ibi.*

CLOSDERUS Fridericus, vide *Fridericus.*

CLOSTER, fuſus in lanificio repertus, vide *Arachne.*

CLOSTRA, Latii oppid. inter apud Circeios, & Nymphæum fluv.

CLOTA, ſeu **GLOTA** Tacito, *Agric. c.* 23. poſteà *Cluda* Scotiæ Meridionalis fluv. ex Grampio monte in Occidentem per Glaſcoum urbem fluens, *Clud*, & *Clyd* teſte *Hect. Boetio.* *Baudrando* oritur in *Cludesdalia* provinc. quam bifariam ſecat. Claſgoviâ rigatâ, dein inter Lenoxiam & Cuninghamiam provinc. labitur, & in mare Hibernicum ſe exonerat, ad Clotæ ſeu Glottæ æſtuarium.

Reges Francorum.

CLOTARIUS I. filius minor natu Clodovei I. Soeſſionum primò, dein poſt fratres & nepotes mortuos, totius Franciæ Rex. Is in Burgundiam bellum geſſit, Clodomiris fratris filios perfidè occidit. Theodorico fratri Thuringiam invadenti præſtò fuit, prædâ & captivis onuſtus. Dum cum Childeberto, altero fratre ære conflictatur, tempeſtate prohibitus eſt: Hinc pax, & utriuſque in Hiſpaniam expeditio felix. Poſt obitum Theodorici & Theobaldi ejus filii, jam etiam Auſtraſiæ Rex, ad Viſurgim Saxones & Thuringos rebelles cecidit, A. C. 555. Quam felicitatem iniis aſpiciens ejus Childebertus, Saxones denuò ad turbas excitavit, filiumque ejus Chramnum corrupit, paulo poſt interitus. Hinc Clotarius, totius Galliæ Monarcha, Chramno ignovit, mox eum ad ingenium redeuntem, cum uxore combuſſit. Annô poſt, in venatione febre lethali correptus, A. C. 561. ætat. 61. regni 50 Suevorum, largus & prudens, ſed ſævus ac ſuperbus. Hujus ultima vox: *Helas, quel penſez vous que ſoit le Roy du Ciel, qui fait ainſi mourir de ſi grans Roys ſur la terre!* Maritus fuit plurium uxorum, binarum unâ vice ſororum, Ingondes & Chonegundes, pater Chereberti, Gontrani, Sigeberti, Chilperici Regum, &c. Hic Gualterô d'*Yvetot* occiſô, ab Agapeto I. excommunicatus, regiunculam ejus in regnum erexiſſe dicitur, *Gaguin. Haillanq. &c.*

CLOTARIUS II. cognomine Magnus, ſucceſſit Chilperico I. menſe ætat. 4. Huic mater Fregedonde, timens Brunechildis artes, Gontrami Burgundiæ Regis fidei commiſit, à quo baptizatus eſt A. C. 591. Mox, Tutore mortuô ipſa contra Childebertum Auſtriaci Regem mira eſt, hôc in Sueſſionibus ingenti prœliô devictô, cùm filium in ulnis militibus oſtendiſſet. Mortuâ matre A. C. 596. filios Childeberti, Theodebertum & Theodoricum infeſtos habuit, quibus deìn inter ſe colliſis, totam Galliæ monarchiam nactus eſt. Domuit poſteà Saxones, Duce illorum propriâ manu occiſô, punivit Brunechildem, & porro regno ſuo exornando incubuit, inſignis Juſtitiæ cultor. Obiit tandem A. C. 628. ætat. 45. ex Bertrude, pater Dagoberti III. ex Sichilde vero Chariberti. Gregor. Turonenſ. *l.* 7. 8 &c. Aimoin. *l.* 3. & 4. *Fredegarius*, *P. Æmilius*, &c.

CLOTARIUS III. fil. Clodovei II. regnavit ſub tutela matris Bathildes: quæ ab Ebroino Majore Domus pulſa eſt, hôc rerum potitô. Obiit A. C. 674. an. regni 14. Vide Fredegar. Gregor. Turonenſ. *c.* 93. Continuat. Aimoin. *l.* 4. *c.* 44. &c.

CLOTARIUS fil. Theodorici III. vel, ut alii Dagoberti II. à Carolo Martello Rex proclamatus & Childerico, quem Reinfredus erexerat, oppoſitus eſt. Obiit annô poſt. A. C. 719. Mezeray, *Hiſt. Gall. tom.* 1.

CLOTHO, una Parcarum, quas Heſiodus *in Theogon.* Jovis, & Themidos filias facit, humanæ vitæ ſtamina diſpenſantes; dicta *Clotho* [illegible], quod neraſignificat. Fingunt enim Poëtæ hanc colum geſtare, & nendo humanæ vitæ ſtaminum præſidere. *Stat.*

Quid bona ille Deûm ſtatuit, quid ferrea Clotho.

Seneca.

Utinam, antè manu grandæva ſuâ
Mea rupiſſet ſtamina Clotho.

[illegible], altum thronum habens dicitur Pindaro, in *Iſthm.* Nic. *Lloydius.*

Fœminæ Principes.

CLOTILDIS, vel **CHROCTILDIS** Burgundica, fil. Chilperici, neptis Gondebaldi, Godegiſili & Gondemari, Burgund. Regum. Horum primus Gundebaldus cum ſecundo fœdus init, ad reliquos pellendos. Sic Gondemarus in turri uſtulatus, Chilpericum cum filiis occiſus, uxore ejus in Rhodanum præcipitatâ. Sed filiabus vitæ data. Quarum junior Clotildis, apud Gundebaldum educata, nupſit Clodoveo I. eumque ad fidem perduxit. Quô mortuô, filios diſſenſione diſtractos dolens, quos tamen tempeſtate miraculosè obortâ mox conjunxit. Obiit A. C. 553. ætat. 70. Clotarii II. Childeberti & Theodeberti, &c. mater. Sigebert. in *Chron.* Gregor. Turonenſ. *l.* 3. 4. & 10.

CLOTILDIS, fil. Clodovei, ex Clotilde, nupſit Almerico, Viſigothorum Regi Ariano, à quo ob religionem crudeliter tractata, Childebertum fratrem vindicem invocavit, qui maritô ejus devictô, ſororem in Galliam reduxit. Vide Gregor. Turonenſ. *l.* 3. *c.* 10. 21. & 29. Aymoin. *l.* 2. *c.* 8. & 9. Aliter paulò rem narrant Jornandes Gothus, & Iſidorus Hiſpalenſ.

CLOTILDIS, ſeu **CLOTA**, vel **CROTILDIS**, uxor Theodorici I. Galliæ Regis. An alia *Doda*, ob pinguedinem. Mezeray, *Epit. Hiſt. Fr. tom.* 1. *p.* 111.

CLOVESHOVIA, urbs Angliæ. Ibi concilium A. C. 742. & 747. ſub Ethelbaldo, Merciorum Rege libertatis Eccleſiarum causâ. Item A. C. 800 & 803. ſub Chenulfo. Porrò A. C. 822. & 824. Vulgò *Cliff* vel *Cliffverbe.*

CLUACA, Mediæ urbs. *Ptol.*

CLUACINA, Venus ſic dicta eſt à *cluendo*, i. e. *pugnando*, cujus ſimulacrum poſitum fuit eô locô, ubi pax inter Sabinos & Romanos, cùm propter captas virgines pugnarent, facta eſt.

CLUANA, urbs in ora Piceni. Plin. *l.* 3. *c.* 13. Vide ſis Cluver. *Ital. Ant. p.* 753.

CLUDA, vide *Clota.*

CLUDESDALIA, aliàs **GLOTTIANA**, provinc. Scotiæ Meridionalis in Mediterran. Ibi urbs præcipua Glaſcovium, Archiepiſcopalis ad Cludam fluv. qui eam mediam ſecat.

CLUENSE Caſtrum, memoratum Aimoino, *de mirac. S. Benedicti*, locus eſt Galliæ, in Biturigibus Cubis, Lemovicibus proximum, vulgo *Clin*, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CLUENTII, gens plebeja Romæ, nulliſque clara honoribus, à *Cloantho*, Æneæ comite dicti.

CLUENTIUS, civis Romanus, ex municipio Latino, accuſatus à matre Saſſia, quòd Oppianicum vitricum interfeciſſet, defenſus fuit à Cicerone, cujus adhuc extat longè optima oratio pro Cluentio. *Cluentiorum* familiam à *Cloantho* dictam affirmat Virg. *l.* 5. *Æn. v.* 121.

Sergeſtuſque, (domus tenet à quo Sergia nomen)
Centauro invehitur magnâ: Scyllâque Cloanthus
Cæruleâ, genus unde tibi Romane Cluenti.

CLUNA, in *Gloſſ.* ubi vulgò *Clura*, [illegible], primum ſimiarum genus eſt, caudas capers, adeoque ab atteriis *clunibus* nomen nactum, ut *Feſtus* auctor eſt. Vide Ariſtotelem, *Hiſtor. Animal. l.* 2. *c.* 8. Et [illegible], h. e. ſimia caudata, hinc [illegible] quoque, opponitur. Vide ſuprà *Cebus*, it. *Cercopithecus.*

CLUNDERA, oppid. Belgii permunitum, in Brabantia, ſub Hollandis. Via 1. leuc. à mari & à Guilielmiſtadio, 2. à Breda in Occaſum in inſul. Ruggenillenſi.

CLUNIA, urbs olim præcipua, ac conventus juridicus Hiſpaniæ Tarraconenſ. in Arevacis, nunc pagus apud Durium Arandæ oppido finitimus. *Corunna del Conde* Cluſio & Floriano. Populi *Clunienſes.*

CLUNIACENSIS Hugo, vide *Hugo.*

CLUNIACENSIS Petrus, vide *Petrus.*

CLUNIACUM, Abbatia Galliæ perecelebris, caput Ordinis Cluniacenſis, in Matiſconenſi agro, ad amnem *Grofne*, 4. leuc. à Matiſcone in Occaſum, 6. à Cabilone, 13. ab Auguſtoduno in Auſtrum. Fuit autem hic ordo inſtitutus A. C. 910. à Bernone Abbate Guilelmi I. Ducis Aquitaniæ & Comite Alverniæ favore mox, deditque Gregor. VII. Urbani II. Paſchalem II. &c. Hic Innocentius IV. hoſpitatus eſt cum 2 Patriarchis, 12. Cardinalibus, 3. Archiepiſcopis, 15. Epiſcopis, &c.

ut & eôdem tempore Ludovicus IX. cum Duce Armeſiæ, Balduino Imper. &c. A. C. 1243. unde amplitudo loci colligenda. Rod. Glaber, *Hiſt. l. 3. c. 5.* aliique apud *Morerium*.

CLUNIUM, Corſicæ urbs. *Ptol.*

CLUPEA, ſive CLYPEA, civitas Africæ propriæ, à figura *Clypei* dicta. Lucan. *l. 4. v. 586.*

> *Inter ſemirutas magnæ Carthaginis arces*
> *Et Clupeam, tenuit ſtationis litora nota.*

Hanc Solinus Græcô nomine *Aſpidem* vocatam tradit, *c. 30.* Quod & ipſum non obſcurè affirmat Sil. Italicus, *l. 3. v. 244.*

> *In Clypei ſpeciem curvatis turribus Aſpis.*

Ptol. verò duas urbes propinquas collocat in Africa, quarum unam *Clypeam*, alteram *Aſpidem* vocat. Sed ſolenne id Ptolemæo, ubi ejuſdem urbis aut loci duo nomina occurrunt, Græcum ſcilicet & Latinum, duo inde loca diverſa condere. *Clupeam* autem videtur vocatum fuiſſe hoc oppidum, quod Græcè eſt Α᾿σπὶς. Τὰ Κλύπεα Cæſari: *Clupea* quoque *Ennio*,

> *Omnibus at Clupea præſtat Muſtela marina.*

Ubi *muſtela Clupea* eſt, ut *boſſes Zacynthi*. Originem vocis hanc reddit Salmaſ. Α᾿σπὶς aliter κύκλος, unde Κυκλιον & tranſpoſitione literarum, Romanis & aboriginibus ſuis Æolibus familiari, Κλύπευς, unde *Clupeus*: ut ex λύκος *lupus*, ex σηκος, *ſepes*, facta eſt. Vide eum, *ad Solin. p. 321.*

CLUSA, locus eſt Galliæ, ad fluvium Arvam, in Faucinineo Sabaudiæ parte, cum caſtro non ignobili, proximo Alpibus, vulgò *Cluſe*. Item vicus ad Rhodanum flumen, Juraſſibus rupibus proximus; vulgò *la Cluſe*: ubi eſt *le pas de la Cluſe*, h. e. tranſitus *Cluſæ*. Ab alterutra harum *Vallis Cluſa*, cujus in diviſione Regni Lotharii A. C. 870. facta mentio, nomen accepit. Eſt tamen & *Vauclauſe* vicus in Sequanis, qui ad *Vallem Cluſæ* propius accedit. Cæterum quid *Cluſa* propriè ſint. Vide in voce *Cluſa*.

de CLUSA Jacobus, vide *Jacobus*.

CLUSÆ, vocantur Gallis & Germanis, anguſtiæ per Sequanos, in quibus perquam munitum propugnaculum in præruptis & altis Rhodano imminentibus ſaxis poſitum Bernates ſolô æquavêrunt A. C. 1536. quando Sabaudorum perfidiâ & juriſjurandi religione, quod Genevenſibus civibus ſuis dederant, coacti ſunt Imperatore & auſpice prudentiſſimô ac fortiſſimô Virô Franciſcô Negelinô expeditionem in Allobroges facere. In qua quicquid cis Rhodanum eſt & paulò ultra *Cluſam*, in ſuam ditionem Dei virtute redegerunt; idque menſe Januariô cœptum & Februarii exitu finitum eſt. Vide *Clauſulæ*.

CLUSIA, Tuſci Regis filia pudiciſſima, quam cùm Val. Torquatus Imperator Romanus vidiſſet, uxorem à Tuſco petiit, eamque minimè conſentiens, ejus oppid. diruit. Cluſia verò ſeſe è turri dejiciens, tumefactis ventô veſtibus ſoſpes ad terram delata eſt. Plut. *in Paral.*

CLUSINI, populi Hetruriæ. Plin. *l. 3. c. 5.*

CLUSINI Fontes, Tuſciæ balnea in territorio Cluſino, *Bagni di S. Caſſiano*, teſte Andreâ Bacio. Horat. *l. 1. Ep. 15. ad Valam*, *v. 8.*

> *Qui caput & ſtomachum ſupponere fontibus audent*
> *Cluſinis, Gabioſque petunt, & frigida rura.*

CLUSINUS, dictus eſt Janus, quia in pace templi ejus portæ claudi ſolebant.

CLUSIOLUM, oppid. Umbriæ quod interiit, Plin. *l. 3. c. 14.*

CLUSIUM, olim *Camers ſol*, Leandr. *deſcr. Ital.* oppid. Tuſciæ Mediterraneum, olim caput Hetruriæ, ſub quo ſepultus eſt Porſenna. *Chiuſi Leandro*. Prope Clanim paludem, in dominio M. Ducis Hetruriæ; in confinio ditionis Pontific. & agro Peruſino, 9. milliar. à civitate Plebis, 20. à Peruſia in Occaſum, 10. à lacu Traſimeno, in regiuncula *Val de Chiana*, à Clani palude ei adjacente. *Baudrand.*

CLUSIUM, novum caſtrum Hetruriæ, ad radices Apennini, propè fontes Tiberis fluv. 4. milliar. tantùm ab Arno, in colle.

CLUSIUS, inter Jani cognomina, vide infrà.

CLUSIUS, fluv. Gall. Ciſalpinæ, Polyb. *l. 2.* hodie *Chieſe*. Ortus in Tridentina regione per Edrinum lacum & Brixianum agrum fluit, ubi rigatis aliquot minoris notæ locis, in Ollium fluv. labitur, juxta Canetum, oppid. ditionis Mantuanæ, quod aliàs Bedriacum dictum.

CLUSOR, vide infrà *Incluſor*.

CLUSOR Statarius, apud Sidonium, *l. 8. Ep. 6.* qui feras caſſibus includit: verbum Venatorum, de quo vide Savaronem, *ad eum*.

CLUSTIMENA, uxor Dryantis, Statio memorata, *Theb. l. 9. v. 842.* mater ex eô Lycurgi, ſi Boccatio fides, *Genealog. Deor. l. 11. c. 21.* de quo vide judicium Caſp. Barthii, *Animadverſion. ad Statium*, *d. l.*

CLUTINUS Reginaldus, vide *Renaldus*.

CLUVERIUS Philippus, Gedanenſis, edidit A. C. 1616. *Germaniæ libros 3.* ad hæc *Vindeliciam & Noricum*; exinde luſtratâ Italiâ & Siciliâ veterem utriuſque deſcriptionem emiſit. Poſt obitum ejus, prodiit *Introductio in univerſam Geographiam tam veterem quam novam*, quæ omnibus penè linguis loquitur. Geographorum ſuâ ætate facilè Princeps. Obiit Lugdun. Bat. A. C. 1623. ætat. 43. Vide Dan. Heinſium, *Orat. fun.* & voce *Philippus*.

CLUVERUS Johannes, Crempis Stormariæ natus, Poëſin Roſtochii publicè docuit A. C. 1613. in Academia dein Sorana Theologiæ Profeſſor, A. C. 1621. Dithmarſiæ Eccleſiarum Superintendens Regius conſtitutus eſt, A. C. 1630. Obiit A. C. 1633. ætat. 40. menſ. 10. Auctor *Catecheſeos min. Lutheri illuſtratæ*, *Epitomes Hiſtoriarum totius mundi uſque ad A. C. 1630.* *Computi Chronologici*, *Harmoniæ Evangeliſtarum*, *Orthotomiæ Apoſtolicæ*, *Tubæ Sionis*, *Diluculi Apocalypſeos*, *Proœmii Hæreſeologiæ*, &c. ex *Vita* ejus à fil. Michaële deſcripta.

CLUVIA, locus in Samnio. Liv. *l. 9. c. 31.*

CLUVIDIENUS Quietus, poſt conjurationem Piſonianam, incertum ob quam cauſam, in inſulas Ægæi maris permiſſus. Tacit. *l. 15. Annal. c. 71.*

CLUVIUS, municeps Tarracinus, ordinem primipili daturus, poſt Helvidii Priſci. Tacit. *l. 4. Hiſt. c. 9.*

L. CLUVIUS, eques Roman. cujus filia fulmine tacta, obſcœnum in modum nudâ jacuit, linguâ paululum exertâ, equô etiam cui inſidebat exanimatô, quæ res equeſtri ordini & virginibus infamiam, quæ mox ſecuta eſt, portendit. Veſtales enim nobiliſſimæ cum aliquot equitibus Romanis inceſti pœnas ſubierunt. Jul. Obſequens, *c. 97.* *Helviam* vocat, Oroſius, *l. 5. c. 15.* *Ælium*.

CLUVIUS Rufus, Conſul, vir facundus & pacis artibus egregius, belli inexpertus, Hiſpaniæ tempore Galbæ præſes. Tacit. *l. 1. Hiſt. c. 8.* Poſtquam ex Hiſpania accitum, juſſiſſe in Othonem provinciam, laudatus eſt per edictum. *Ibid. c. 76.* Scripſit res, *ſub imperio Neronis, geſtas*, Tacit. *l. 13. Annal. c. 20. & l. 14. Annal. c. 2.* Plin. *l. 9. ep. 19.* Sueton. *in Nerone*, *c. 21.*

CLUVIUS Rufus, Quæſtor, an. Urb. Cond. 693. ſub Piſone Calpurniano & Val. Meſſala Nigro Conſulib. Cicer. *epiſt. fam. l. 13. ep. 56.* ad Atticum, *l. 6. ep. 2.* Vide quoque Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 1. c. 27. p. 144 145.*

CLYDESDALIA, provinc. Scotiæ Meridional. à Clyda fluv. quaſi bifariam ſecta. Vide *Cluidsdalia*.

CLYLIPENUS Sinus. Vide *Clilipenus*.

CLYMENE, Oceani ac Tethyos filia, Japeti uxor. Heſiod. *in Theog.* Virg. *l. 4. Georg. v. 345.*

> *Inter quas Clymene curam narrabat inanem*
> *Vulcani, Martiſque dolos, & dulcia furta.*

CLYMENE, quæ Apollini Phaëthontem peperit, ejuſque ſorores Heliadas, quæ & *Clymeneides* vocantur: Auctor filio, ut paterni currus moderamen ſibi peteret. Ovid. *l. 2. Met. circa fin. & l. 4.* De illa idem *ad Liviam*, *v. 111.*

> *Sic flevit Clymene, ſic & Clymeneides altæ,*
> *Cum juvenis patriis excidit ictus equis.*

Inde *Clymeneus*, ut *germana Clymenea*, i. e. *populorum germana*. Stat. *l. 1. Sylv. 2. v. 122.*

> *—— Queritur jam Seras avaras*
> *Anguſtum ſpoliare nemus, Clymeneaque deeſſe*
> *Germina, nec virides ſatis illacrymare ſorores.*

Item *Clymeneius* aliud adjectivum. Ovid. *l. 2. Met. v. 19.*

> *—— Proles Clymeneia*, pro Phaëthonte.

Vide Lloydium.

CLYMENE, miniſtra Helenes, particeps conſiliorum dominæ, furtorumque ejus internuncia, quæ etiam Trojam illam eſt ſecuta. Homer. *Il. 3.* Ovid. *Ep. 17. Heroid. v. ult.*

> *Cætera per ſocias Clymenen Æthramque loquemur,*
> *Quæ mihi ſunt comites, conſiliumque duæ.*

CLYMENUS Pluto dicitur, quam ob cauſam Etymologi Auctor docet. *Clymenus*, inquit, *propterea nomen Herm* [illegible]. Subdit, [illegible]. Antholog. *l. 3.*

> Εἰς Ο᾿ρφέα.
> [illegible]
> Καὶ [illegible]

CLYPEA, vide *Clupea*.

CLYPENUS, mons Germanici ſinus Plinio, *l. 4. c. 13.* qui *Menedicus Ptol.* dicitur, Germanis *Friſchaff*, teſte Ortelio, aliàs *Ranterwick*.

de CLYPEO S. Georgii, Societas militaris, *Chron. Elwag.* 1440.

CLYPEUM vibrare, ſeu quatere ac jactare ſcutum, militum olim exercitium erat, qui in Armaturæ exercitatione hoc primùm diſcebant, quomodo tractandum jactandumque eſſet ſcutum. Græci [illegible] dicebant. Vide quæ ſuprà de *Armorum exercitio*.

CLYPEUS, Caſaubono ad *Trebellium*, *in Divo Claudio*, *c. 3.* duo ſignificat, ſcutum ſive ἀσπίδα & imaginem: Prima, inquit, inventio fuit ad neceſſitatem, ut corpus defenderet; dein acceſſit decoris & elegantiæ ſtudium, competenterque pingi ſcuta; unde nominis hujus diverſa notio, ut Plinius cenſet, *l. 35. c. 3.* At Grammaticis hîc libuit eſſe ſubtilibus, *clypeum* enim ſcripſerunt ἀσπίδα, *clypeum* verò imaginem, &c. Imò hujuſmodi imaginum clypeos, ὅπλα etiam Græcos antiquiſſimè dicta eſſe, ὅπλον autem eſſe *clypeum*, notat Salmaſius. Sic enim Latini veteres etiam *arma* propriè ſcuta appellârunt: quemadmodum Θώρακα χάλκεον, h. e. *clypeum aureum*, Timomacho à Thebanis, victoriæ ergo, poſitum ὅπλον Thebanis vocatum eſſe, legimus apud Scholiaſtem Pindari, *ad Iſthmionicas*. Hinc natum eſt, unde Latini didicerunt vocare *clypeos*, imagines thorace tenus depictas: nam ὅπλον, ut dictum, *clypeus* eſt; idem autem Lacedæmoniis erat Θώραξ, quod Thebanis ὅπλον. *Clypeos* verò iſtos imaginum, ſeu imagines clypeatas, Græci Θώρακας etiam vocârunt, propter clypeorum diſcorumque ſimilitudinem. Quâ factum, ut Vitellius patinam illam ſuam ingentem, *Clypeum Minervæ*, appellârit &c. Vide infrà in voce *Cyclus*, item *Diſcus* & *Thoracida*. Uti autem Timomacho æreus, ſic Claudio II. poſt mortem *Clypeus aureus —— in Romana Curia Senatus judicio collocatus eſt cum expreſſa thorace vultus ejus imago*. Hadriano quoque

quoque Antoninus Pius *Clypeum magnificentiſſimum poſuit*, apud Julium Capitolin. c. 9. Sed hac de vocis notione quoque infrà in *Strongyle*. Priore verò ſenſu *Clypeus*, cum umbone, parma, ſcuto, vox eadem, niſi quòd formâ differunt. Diverſa namque *Clypeorum* genera. Iſidoro tamen *Clypeus*, ſcutum majus eſt, *Origin.* l. 18. c. 12. Sed cùm addit, *quòd clupet*, h. e. *tegat corpus*, dictum ait, ſuaviter fallitur. Ex Græco κλύπεσθαι, quâ ratione potiùs originem ejus Salmaſius arceſſat, diximus ſuprà, in voce *Clupea*. De inventore eorum quædam habet Plin. l. 7. c. 56. Magnitudo Heroicis imprimis temporibus tanta, ut totum corpus tegerent. Unde *clypeis ſuis* defenſos remiges, ſæpe picturâ repræſentatas naves videmus. Quò facit illud Statii, *Theb.* l. 5. v. 382.

> *Illi quippe ſimul bello pelagoque laborant*
> *Pars clypeis munire ratem.* ——

Sed & Romani talibus uſi. Egeſippi Scriptor, l. 3. c. 13. *Progrediuntur in bellum munita undique. Tegitur galeâ caput, loricâ pectus, tamenque clypei corpus.* Imò & ratem ſeu navem clypeis munitam, habet Val. Flaccus, l. 3. v. 27.

> —— *poſtquam Æmonium, tanta non immemor ira,*
> *Æſonium de monte ratem, præfixaque Regum*
> *Scuta videt.* ——

Vide quoque infrà, voce *Paviſarii*. Fortibus ii variis picti erant, ſuerant tironibus ac tyronibus puri. Unde Virg. l. 9. *Æn.* v. 548.

> —— —— *Parmaque inglorius albâ.*

Et de Camilla tyrocinia ponente, l. 11. *Æn.* v. 711.

> —— —— *Puraque interrita parmâ.*

Contrà de viro forti ac bellicoſo Capaneo, Stat. l. 10. *Theb.* v. 929.

> *Et clypei niger umbo cadit.* ——

Solebant verò in *Clypeis* eorum, quorum eſſent, vel etiam Avorum, imagines quoque effingi: Inprimis autem magnificis ſuis factis illos exornâſſe Veteres, conſtat. Nemeſin, *in clypeo pictam*, geſſit Polynices, auctore eod. l. 2. *Theb.* v. 445.

> —— —— —— —— *Nam vos*
> *Haud humiles tanta ira decet, generiſque ſuperbi*
> *Magna per effuſum clareſcunt ſigna cruorem.*

Unde ſuperbiam ejus apud Æſchylum exagitat Eteocles, & inde iracundiâ motus ſingulare cum eo certamen concipit. Hinc hodieque mos, ab alta antiquitate oriundus, *terribiles facies clypeis præferendi* ſervatur. Sed & cùm nondum cohortibus ſigna vel vexilla eſſent, *clypeis* Ducum notæ quædam inſcribebantur, uti ex Æſchylo docet Barthius *ad Statium*, *Theb.* l. 4. v. 503. Aquilas plerumque in iis pictas, Ulyſſem verò delphinum habuiſſe dicemus infrà, ubi de eo. Porrò Templis figebantur Heroum clypei, ad perpetuam rerum geſtarum memoriam, etiam vetuſtiſſimis moribus. Joſeph. *fine* l. 6. Ἀρχαιολ. [illegible] ex l. 2. Sam. c. 21. v. 20. Horat. *Carm.* l. 1. Od. 28. v. 9.

> —— —— —— *habentque*
> *Tartara Panthoiden iterum Orco*
> *Demiſſum, quamvis Clypeo Trojana refixo*
> *Tempora teſtatus.*

Et res pervulgata eſt, Euphorbi *Clypeum* detraxiſſe ſummo Templi poſte Pythagoram, ſe eundem ſub ejus perſonâ illic Trojanis temporibus fuiſſe memorantem. Sic *aurei Clypei* honoris ergò Numinibus dedicabantur, ob res feliciter geſtas, ut in libris Maccabæorum legere eſt. Ex bellô Achaicô confectô *Clypeos XXI*. dedicâſſe in Templo Jovis Olympii L. Mummium, ſcribit Pauſan. l. 5. Idem de Lucii & Caji Cæſarum clypeis obſervat Xiphilinus, ex Dione. Vide quoque Liv. l. 34. c. 52. l. 35. c. 10. & 41. l. 38. c. 35. &c. In eorundem dedicationibus epulas datas civibus, docent *Inſcriptiones* aliquot *vett.* 441. 7. 496. 4. Neque verò, ſolùm intra Fanum, ſed & extra, ſub cœlo nimirùm, alibique ſub tecto, illos pependiſſe deprehendimus, apud eundem *ibid.* ut & Statium, *Theb.* l. 2. v. 256.

> —— —— *geſſam ſubeuntibus arcem*
> *In gradibus ſummi delapſum culmine templi*
> *Arcadis Evippi ſpolium cadit æneus orbis* &c.

Ut verò glorioſum fuit clypeum multis vulneribus habuiſſe perfoſſum, ſummamque dedecus in pugna illum abjeciſſe: Ita unicus occiſorum in acie Ducum honor erat, in *Clypeo* ſuo efferri; quò pertinet præceptum Lacænæ matris, armantis filium in bellum proficiſcentem, ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς, *Aut hunc, aut ſuper hoc Fili*; h. e. ut vel vivum integrum à conflictu referret, vel in eo ad ſuos referrentis mortuus. Virg. l. 10. *Æn.* v. 506.

> —— *At ſocii multo gemitu lachrymiſque*
> *Impoſitum ſcuto referunt Pallanta* &c.

Lapſâ dein Republicâ etiam conſuetudo invaluit, ut Imperatores quoque inaugurati *Clypeo* inſiderent, elevatique in eo Centurionum aut militum humeris, toti exercitui ſe preberent videndos. Capitolin. *in Maximo & Balbino*, c. 14. *Inter hæc*, inquit, *Gordianus Cæſar ſublatus a militibus, Imperator ſalutatus eſt.* Idem de Græcis Imperatoribus, narrant Curopalates, *de Offic. Aulæ Conſtantinop.* Jan. Zonaras, *Annal.* 3. Niceph. Gregoras, *Hiſt. Rom.* l. 3. & 4. Niceph. Choniates &c. etiam de Caninefatibus Tacit. l. 4. *Hiſt.* c. 15. *Impoſitus ſcuto, more gentis & ſuſtinentium humeris vibratus*, Dux eligitur. De Gallis Ado Viennenſis, *in Chron. ætat.* 6. *Sigebertus contra Chilpericum patrem, more gentis clypeo impoſitus, Rex conſtituitur*: quod de Clodovéo quoque habet Gregor. Turonenſis, *Hiſt. Franc.* l. 11. &c. Imò & virorum Nobilium tumulis jam olim ſcuta, ac prout eorum, quibus illi decorati ſolebant, armorum inſignia, appendi conſueviſſe, quod hodieque fit, diſcimus ex *LL.* Henrici I. Angliæ Regis, ubi *Clypeus ſepulchris Militum appenſus*, occurrit, c. 83. Hinc Baldrici diſtichon in *Sepulchro Roberti*,

> *A domino viduata ſuo jam parma quieſcet,*
> *Cui par Roberto nullus erat dominus.*

Sed &, ut arma mortuis ſepulchro imponerentur, antiquiſſimis temporibus fuiſſe in uſu, notum ex illo, l. 6. *Æn.* v. 232.

> *At pius Æneas ingenti mole ſepulchrum*
> *Imponit, ſuaque arma viro* &c.

Unde *Clypeus*, pro prærogativa ac dignitate, *in Speculo Saxon.* l. 1. art. 3. §. 2. Item pro familia nobili, apud Matthæum Pariſium, A. C. 1245. & Car. du Freſne, *Notis ad Cinnamum*, p. 431. &c. Porrò inter præmia *Clypei* fuêre, ut videmus apud Statium, *Theb.* l. 6. v. 644.

> *Fauni curſus, operumque inſigne piaſſô,*
> *Arcas equum dono, Clypeum gerit improbus Idas.*

Eaque tenuiora, exemplô Virgilii, qui artificiosè licèt elaboratum pellis leonis poſtponit, l. 5. *Æn.* In Junoniis præſertim Ludis, qui Argis celebrabantur, *Ærei Clypei* donabantur victoribus, unde Ἀσπίδα χαλκῆν [illegible] dicebantur, & agon ipſe Ἀσπὶς ἐν Ἄργει. Vide quoque infrà *Orbes aënei*. Etiam in Sacris adhibiti Magnæ Matris, à Corybantibus & Curetibus, quos enſibus pulsâſſe *Clypeos* aut alia arma, diſcimus ex Claudiano, *de Proſerpinæ Rapt.* l. 1. v. 209.

> *Poſtquam viſa Ceres, mugitum tympana frangunt,*
> *Conticuêre chori. Corybas non impulit enſem,*
> *Non buxus, non æra ſonant* —— ——

Cujuſmodi ſonitus voces Dæmonum eſſe, æri conjunctorum, opinabatur Pythagoras, uti habet Porphyrius, nomine *Malchi*, in ejus *Vita* &c. Quam in rem vide plura, apud Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Papinium Statium paſſim*, Thom. Dempſterum, *in ſuppl. Roſini Antiqq. Rom.* l. 10. *paralipom. ad* c. 10. Alios. Nec omittendus mos veterum militaris *haſtis clypeos quatiendi*, apud Macedonas, uſitatus, teſte Curtii *Supplem.* l. 10. c. 7. Romanos apud Polybium, l. 15. c. 12. ubi hunc patrium morem vocat, alios. Vide Amm. Marcellin. non unô locô, inprimis, l. 14. c. 8. ubi Lindenbrogium vide. Ad terrorem ſeil. faciendum, ut indicat ex Polybio Liv. l. 28. c. 29. Quem proin ut irritum redderent Perſæ, equos ſuos adſuetudine ad ſtrepitum hunc fragoremque audiendum condocefecêre, teſte Æliano, *Hiſtor. Animal.* l. 16. c. 25. qui & venationibus elephantorum eundem concrepandi arma morem in uſu fuiſſe, docet, l. 8. c. 10. apud Freinſhemium *ad Curt.* d. l. Fuit autem *Clypeus*, non quadratus, quemadmodum ſcutum, ſed rotundus, ex ære factus, minor ſcutô, de quo videre eſt Ald. Manutium, *de quæſitis per Epiſt.* l. 2. *Ep.* 6. nec apud Romanos aliis, quàm ex prima Claſſe civibus, *Clypeum* in bello geſtare licebat, cùm ſecundariis ſcutum ejus vicem ſuppleret. Adde Car. du Freſne, *Gloſſar.* & quæ hic paſſim, de *Cetra*, *Parma*, *Peltâ*, *Scuto* &c. item voce, *Arma plena*, *Aſpis*, *Buccula*, *Cendri*; porrò ubi *de Clypeos detrahendi more*: uti de *Clypeo* Arthuri Britonum Regis infrà voce *Prewen*. &c.

CLYPEUS *Æreus*, in balneis Romanorum, catenâ pendebat ex orbiculari feneſtra fornicis Laconici ſeu Caldarii, per cujus deductionem ac reductionem modò augebatur calor, modò minuebatur, uti ex *Vitruvio* diſcimus. Vide Hieron. Magium *de Tintinnabulis*, c. 5. & infrà, ubi de *Lavatro*.

CLYPEUS *Verſus*, nunciorum belli ſeu Fecialium geſtamen, apud Turpinum, *Hiſtor.* c. 9. Vide quoque ſuprà *Arma inverſa*.

CLYSMA, præſidium in Ægypto, ad ſinum Arabicum. *Ptol.*

CLYSTER, Ibidis inventum, vide *Ibis*.

CLYSTRUS, Ciliciæ oppid. *Ptol.*

CLYTÆ, Macedoniæ populi. *Plin.*

CLYTEMNESTRA, Tyndari Spartæ Regis & Ledæ filia, uxor Agamemnonis, quæ belli Trojani tempore, mutuô Ægiſthi amore capta, turpiſſimis cum eo voluptatibus ſeſe implicuit, virumque captâ jam Trojâ, in patriam redeuntem, ab adultero adjuta per inſidias interfecit; idem Oreſti filio factura, niſi eum Electra ſoror citiſſimè neci eripuiſſet, & ad Strophium Regem clàm miſiſſet educandum, qui poſteà adultus Argos rediit; ubi unà cum hoſpitibus Phocenſibus (quos Strophius ad Ægiſthum miſerat, tanquam Oreſtis mortem nunciaturos) ad Clytemneſtram intromiſſus, unà cum adultero eam necavit, Vellej. Patercul. l. 1. c. 1. Euſeb. *in Chron.* Sophocl. *in Electra.* Eurip. *in Oreſte.* Ovid. l. 3. *Amor.* El. 7. v. 9.

> *Et vindex in matre patris malus alter Oreſtes,*
> *Auſus in arcanas poſcere tela Deas.*

Propert. l. 3. El. 18. v. 27.

> *Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris*
> *Iram natorum cæde piavit amor?*
> *Quidve Clytemneſtra, propter quam tota Mycenis*
> *Infamis ſtupro ſtat Pelopæa domus.*

Horat. l. 1. Serm. Sat. 1. v. 99.

> —— *At hunc liberta ſecuri*
> *Diviſit medium fortiſſima Tyndaridarum.*

Juvenalis, *Sat.* 6. v. 656.

> *Mane Clytemneſtram nullus non vicus habebit.*
> *Hoc tantum refert, quòd Tyndaris illa bipennem*
> *Inſulſam & fatuam dextrâ lævâque tenebat.*

Nic. Lloydius.

CLYTIA, ſive CLYTIE, una ex Oceani nymphis aliquandiu ab Apolline adamata, donec illa Apollinis cum Leucothoe concubitum Orchamo patri ejus indicavit. Quare iratus Apollo graviſſimô odiô eam proſecutus eſt. Illa verò amoris impatientiâ, cibô & potu abſtinens, Solem quâcunque iter faciebat, oculis ſequebatur, tandem fame, & dolore conſumpta, mutata eſt in Heliotropium. Ovid. *l.* 4. *Met. fab.* 5. & 6. Fuerunt & duæ aliæ *Clytiæ*, altera Amphidamantis filia, uxor Tantali, mater Pelopis, cujus meminit Euripid. Schol. Altera verò Amyntoris concubina, cujus calumniis Amyntor filium Phœnicem excæcavit, qui poſteà à Chirone cæcitate levatus Rex Dolopum factus eſt.

CLYTIUS, filius Laomedontis, Priami frater. Homer. l. 20. *Il.* Item juvenis quidam à Cydone adamatus. Virg. *l.* 10. *Æn.* v. 324.

> *Tu quoque, flaventem primâ lanugine malas*
> *Dum ſequeris Clytium, infelix nova gaudia Cydon.*

CLYTUS, in cenſu Centaurorum, nuptias Pirithoi turbantium. Ovid. *l.* 6. *Metam.* Val. Flacc. *l.* 3. *Argon.* v. 314.

CLYZÆI, nomen popul. qui medii ponuntur, inter Ænianas, & Dolopas, à Diodor. Sic. *l.* 18. Alii legunt *Cyzæi*.

CLYZOMENE, oppid. Bithyniæ, *ſecun. Leun. Lenuclav.* inter Nicæam & Nicomediam.

CNACADIUM, mons in Laconica regione. Pauſan. *l.* 3. Aliis *Cnacalon.*

CNACALUS, mons Arcadiæ. Pauſan. *l.* 8. Inde *Cnacalyſia* Diana.

CNÆUS, ab aliqua inſigni re, quaſi γνωστὸς, vel à γονῆς, generatione futurâ dictus, teſte *Feſto*. Val. Max. *l.* 10. *in medio*, à nævo tractum putat, quòd eô prænomine præcipuè nominarentur, qui nævum aliquem naſcentes habuiſſent. *Nævum* autem antiqui, præpoſito C. Cnævum dicebant, atque literam G. ſonô pronunciabant, tradente *Diomede*. A Cnæo ſeu *Neo Naviorum* gentis nomen deductum. *Cnæorum* quoque familiam ab hoc prænomine ortam quidam exiſtimant. Ea porro Domitiorum familia, cui Ahenobarbi fuit cognomen, ex qua Neronem genus duxit, nulla alia prænomina præterquam *Cnæi* & *Lucii* uſurpavit, eaque ipſa notabili varietate. Nempe continuantes unum quandoque per ternas perſonas, modò alternantes per ſingulas. Primum enim, ſecundum ac tertium Ahenobarborum Lucios, rurſus ſequentes tres in ordine Cnæos, reliquos nonniſi viciſſim tum Lucios tum Cnæos, auctore Suetonio, *in Nerone*, c. 1. *Nic. Lloydius.*

CNAGIA, Diana dicta eſt à *Cnagio* Spartiano, qui in bello à Caſtore & Polluce in Aphidnam geſto captus eſt, & à Cretenſibus venditus, cum Deæ ſimulacro in patriam aufugit. Paulo aliter rem narrat Pauſan. *Lacon. l.* 3.

CNECEJUS, Laconiæ fluv. *Lycophr.*

CNECUS, Græcè Κνῆκος, herbæ nomen, quam *Carthamum* vocant officinæ: Ejus flos luteus ſive croceus, ſemen verò candidum. Unde κνηκὸς modò pro *luteo*, modò pro *albo* colore, ſumtum Græcis. *Heſychius*, Κνηκὸς ὁ πυῤῥίζων χρῶμα ἐστι τὸ ἄνθος, ὅτι ἐστὶ κιῤῥὸν ὁ λευκὸς. Dioſcorides tamen ejus ſemen albo & rufo mixtum eſſe tradit, σπέρμα λευκὸν καὶ πυῤῥόν. Ideo κνακὸς *Heſychius* idem interpretatur ψαρὸς ἵππος· quô nomine equi indigitabantur, rubeis vel nigris maculis ſparſi, qui *guttati* Latinis, i. e. albi nigris intervenientibus punctis, unde Κνακίας quoque dicti, Doricè pro Κνηκίας. Sed & κνηκὸς, pro *albo*, multi dixêre. Hinc κνὴξ, *prodalis*, in Symbolica veterum Theologia, verbis, quæ leguntur apud Clementem, *l.* 5 *Strom.* Βεδὺ, Ζάψ, χθὼν, πλῆκτρον, σφίγξ, κνὴξ, Ζὴψ, Σμικρὸς, Φλεγμὸς, δρώψ. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 895. Atque hæc de Cneco ſativo. Fuit verò aliud ſylveſtre, cujus ſemen nigrum eſſe Theophraſtus ait. *Illius duæ ſpecies, una mitiori ſimili caule*, verba ſunt Plinii, *tamen rigido. itaque & colo antiquæ utebantur ex illo: Quare quidam atractylida vocant*, l. 21. c. 15. Ubi *fuſo* mavult Salmaſ. αἱ δὲ γυναῖκες namque his caulibus uſas fuiſſe priſcas mulieres, iterum *Theophraſtus* tradit. Ἄτρακτοι autem ſunt *fuſi*. Epigramma antiquum,

> —— καὶ ὁ τρηχαίη
> Ἠλάκατη.

Catullus, *Epigr.* 65. v. 327.

> *Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.*

Sed & ἀτρακτυλίδα diverſam à Cneco ſylveſtri facit *Theophraſtus*, quamvis ἀτράκτυλλος idem quod κνῆκος. Vide Salmaſ. ubi ſuprà.

CNEMIS, it. CNEMIDES Melæ, *l.* 2. *c.* 3. & *Ptol.* oppid. Bœotiæ cum monte cognomine in ora, Opuntii ſinus imum, ex quo Locri *Epicnemides* dicantur. *Erenia* hodiè nonnullis eſt.

CNEMUS, Dux Lacedæmonius, contra Acarnanas nauticâ expeditione infelix. Thucyd. *l.* 2.

CNEORUM, Græcè κνέωρον, herba coronaria, apud Plin. *l.* 21. c. 9. *Ergo in coronamenta foliô venêre melothron, ſpireon, trigonon, cneoron, quod caſiam Hyginus vocat.* Ubi Dalechampius, *Cneorum album Anguillara lavendula noſtra utraque, mas & fœmina: Cneorum nigrum, libanotis coronaria, ſive roſmarinum, cujus nuſquam ſub alio nomine Theophraſtus meminit.* Salmaſio Κνέωρον propriè folium thymelææ, quod κνῶρον etiam dicebatur, item κνεστὸν ἀπὸ τοῦ κνᾶν, i. e. *vellendo*, *tundendo* enim erat, ut fibræ ex illo tollerentur. Hinc planta ipſa, apud Theophraſtum, qui cùm duo ejus genera faciat, nigrum & candidum, candida folia oleagina eſſe tradit, unde Θυμελαίαν dictam eſſe, evincit vir eruditus. Uſus ejus in Theſmophoriis quoque & καθάρσεσι, ut legimus apud *Heſychium*: Κνέωρον φρύγανον ὃ ἐν ταῖς Θεσμοφορίοις ὑποστρῶν, καὶ εἰς τοὺς καθαρμοὺς χρῶνται. Nempe matronæ, quæ in caſto Iſidis aut Cereris erant, concubitu abſtinebant: & per eos dies, quibus caſtum obſervabant, ſecubabant à lectis ſuis ac maritalibus, & in ipſo Templo, in quo pervigilia quoque celebrarent, incubabant ſtramentis, quæ ut plurimum ex herbis ac foliis facta fuêre, quæ caſtitati conducere exiſtimabantur. Hinc vitice, quæ Græcis ἄγνος, hinc thymeleâ, utebantur; cujus folium κνέωρον appellatum, inimicum eſſe generationi & fœtus in utero necare appoſitum, dicebatur. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 403.

CNEPH, Ægyptiorum Deus, quem unicum mundi opificem putaverunt. Quod ex Plut. cognoſcere eſt, *de Iſide & Oſir.* Sed apud eum in Aldina, Stephanica, & poſtrema Pariſina Κνηφὴν legas. Sic enim locus iſte emendandus ex ſententia Voſſii patris: Θνητὸν νομίζοντες οὐ θεοὺς εἶναι θεὸν τοιοῦτον. αὐτοὶ δὲ καλοῦσιν αὐτοὶ Κνὴφ ἀγέννητον ὄντα, καὶ ἀθάνατον. Teſtis quoque Porphyrius apud Euſeb. *in l.* 3. *Præp. Evang.* c. 11. ubi ſimiliter traditur, Ægyptios unum ſtatuiſſe Deum, puta τὸν δημιουργὸν, ſive opificem mundi, atque eum vocitâſſe Κνὴφ, ejuſque ſimulachrum ex ore ovum effudiſſe, ut mundi eſſe opificem ſignificaret, nam ovum Mundi ſymbolum Ægyptiis fuit. Videtur autem *Cneph*, idem ac *Cnuphis*, de quo Strabo, *l.* 17. cujus templum ait eſſe in Syene, ea autem Thebaidos pars. *Nic. Lloydius.*

CNEUS, cognomen apud Romanos, quod idem à *nævo* deducitur, præpoſitâ C. literâ. Cùm autem id proferebant antiqui, inquit *Priſcianus*, G pro C. efferebant. Vide *Cnæus*.

CNEUS Aquilius, Comicus inſignis. Varr. *de LL. l.* 5. A. Gell. *l.* 3. c. 3.

CNEUS Aufidius Oreſtes, Conſul, Collega P. Corn. Lentuli, an. Urb. Cond. 683.

CNEUS Bæbius Pamphilus, Conſul cum L. Æmylio Paulo, an. Urb. Cond. 615.

CNEUS Calphurnius Piſo, Conſul cum M. Popilio Lenate, an. Urb. Cond 579.

CNEUS Calphurnius Piſo, Conſul cum C. Cæſare Octaviano, an. Urb. Cond. 731. Secundo cum Cl. Tiberio Nerone, an. Urb. Cond. 747.

CNEUS Cinna Magnus, Conſul cum L. Valerio Meſſala, an. Urb. Cond. 757

CNEUS Cornelius Aſina, Conſul cum C. Genucio Clepſinâ, an. Urb. Cond. 483.

CNEUS Cornel. Blaſius, Conſul cum M. Atilio Regulo, an. Urb. Cond. 406.

CNEUS Cornelius Cethegus, Conſul cum Cl. Minucio Rufo, an. Urb. Cond. 557.

CNEUS Cornelius Coſſus, Tribun. Militum, an. Urb. Cond. 342.

CNEUS Cornelius Coſſus, Conſul cum L. Furio Medullino, an. Urb. Cond. 347.

CNEUS Cornelius Coſſus, Conſul cum M. Tullio Decola, an. Urb. Cond. 673.

CNEUS Cornelius Gallus, Poëta, Virgilio amiciſſimus, vide *Gallus*.

CNEUS Cornelius Lentulus, Conſul cum P. Ælio Pæto, an. Urb. Cond. 553.

CNEUS Cornelius Lentulus, Conſul cum P. Cornelio Lentulo, an. Urb. Cond. 736.

CNEUS Cornelius Lentulus Clodianus, Conſul cum P. Licinio Craſſo, an. Urb. Cond. 657.

CNEUS Cornelius Scipio Aſina, Conſul cum C. Duilio, an. Urb. Cond. 493.

CNEUS Cornelius Scipio Calvus, Conſul cum M. Claudio Marcello, an. Urb. Cond. 532.

CNEUS Cornelius Scipio Hiſpalus, Conſul cum Q. Petilio Spurino, an. Urb. Cond. 578.

GNEUS Domitius Ænobarbus, Conſul cum C. Quintio Flaminio, an. Urb. Cond. 562.

CNEUS Domitius Ænobarbus, Conſul cum Lucio Fannio, an. Urb. Cond. 639. & cum C. Caſſio Longino, an. Urb. Cond. 658.

CNEUS Domitius Ænobarbus, Conſul cum Cajo Soſſio, an. Urb. Cond. 722.

CNEUS Domitius Ænobarbus, Conſul cum Fur. Camillo Aruncio Scriboniano, an. Urb. Cond. 784.

CNEUS Domitius Calvinus, Conſul cum L. Corn. Scipione, an. Urb. Cond. 423.

CNEUS Domitius Calvinus, Conſul cum M. Valerio Meſſala, an. Urb. Cond. 701. & cum C. Aſinio Pollione, an. Urb. Cond 714.

CNEUS Domitius Calvus, Conſul cum P. Corn. Dolabella, an. Urb. Cond. 470.

CNEUS Fabius Vibulanus, Conſul cum L. Quintio Capitolino, an. Urb. Cond. 335.

CNEUS Fulvius Centumalus, Conſul cum P. Sulpicio, an. Urb. Cond 543.

CNEUS Fulv. Centumalus, Conſul cum L. Cornelio Scipione, an. Urb. Cond. 455.

CNEUS Fulv. Centumalus, Conſul cum L. Poſthumio Albino, an. Urb. Cond. 525.

CNEUS Gellius, Hiſtoricus Latinus, Annalium conditor. A. Gellio & Dionyſ. Halicarnaſſ. ſæpe laudatus. Vide etiam Plin. *l.* 7. c. 56. Macrob. *l.* 1. *Saturn.* c. 16.

CNEUS Genutius Pauſa, Tribun. Milit. an. Urb. Cond 357.

CNEUS Julius Mento, Conſul cum Q. Cincinnato Penno, an. Urb. Cond. 323.

CNEUS Lentulus Augur, Conſul cum M. Licinio Craſſo, an. Urb. Cond. 740.

CNEUS Lentulus Gætulicus, Conſul cum C. Calviſio Sabino, an. Urb. Cond. 778.

CNEUS Lentulus Marcellinus, Conſul cum L. Martio Philippo, an. Urb. Cond. 498.

CNEUS Manlius Capitolinus, Conſul cum M. Popilio Lænate, an. Urb. Cond. 397. & cum C. Martio Rutilio, an. Urb. Cond. 399.

CNEUS Manlius Cincinnatus, Conſul cum M. Fabio Vibulano, an. Urb. Cond. 274. miſſus, ut Scipioni Aſiatico ſuccederet, triumphi deſiderio actus, Galatis bellum intulit, quòd Antiocho adhibiſſent: Quò Ortiagontis devicti Regis uxor, contumeliam ſibi à Centurione illatam egregiè ulta eſt. Aurelius Victor, c. 55. Vide Chiomara.

CNEUS Manlius Vulſo, Conſul cum M. Fulvio Nobiliore, an. Urb. Cond. 565.

CNEUS Octavius, Conſul cum T. Manlio Torquato, an. Urb. Cond. 589.

CNEUS Octavius, Conſul cum T. Annio Ruffo, an. Urb. Cond. 626.

CNEUS Octavius, Conſul cum L. Corn. Cinna, an Urb. Cond. 667. & cum Scribonio Curione, an. Urb. Cond. 678.

CNEUS Papyrius Carbo, Conſul cum L. Corn. Cinna, an Urb. Cond. 669. Secundo Conſul cum eodem, an. Urb. Cond. 770. Denique cum C. Mario C. Filio, an. Urb. Cond. 972.

CNEUS Pompejus Magnus, vide *Pompejus*.

CNEUS Pompejus Strabo, Conſul cum Q. Sempronio Blæſo, an. Urb. Cond. 560.

CNEUS Pompejus Strabo, Conſul cum Lucio Porcio Catone, an. Urb. Cond. 765. Picentes Marſoſque in poteſtatem redegit.

CNEUS Servilius Cæpio, Conſul cum Cn. Servilio Gemino, an. Urb. Cond. 551.

CNEUS Servilius Cæpio, Conſul cum Cn. Pompejo Nepote, an. Urb. Cond. 613.

CNEUS Servilius Fidenas, Tribun. Milit. an. Urb. Cond. 370.

CNEUS Servilius Geminus, Conſul cum C. Quintio Flaminio, an. Urb. Cond. 537.

CNEUS Servilius Geminus, Conſul cum C. Servilio Cæpione, an. Urb. Cond. 551.

CNEUS Veturius Geminus, Conſul cum T. Ebutio Helva, an. Urb. Cond. 255.

CNIDINIUM, nomen monimenti circa Epheſum. Diodor. Sic. l. 14.

CNIDUS, vel GNIDUS, Plinio, l. 5. c. 28. & aliis, *Stadia*, *Capo Crio* teſte *Sophiano*, *Chio* aliis, Doridis in Caria urbs, & promontor. quod inter ortum auſtralem & occiduum in mare velut peninſula excurrit contra Niſyrum inſulam. *Bandrando* inter Ceramicum ſinum & mare Carpathium, 70. milliar. ab Halicarnaſſo in Occaſum. Hic erat Veneris imago, opus Praxitelis, inæſtimabile, ubi & ipſa Venus colebatur. Horat. l. 1. Carm. 30. v. 1.

O Venus Regina Cnidi Paphique.

Ovid. l. 10. Met. v. 531.

Piſcoſamque Cnidon, gravidamque Amathunta metallis.

Hodie miſer vicus eſt Cap-Chio vel Crio. Coloniam olim Lacedæmoniorum fuiſſe, & incolas Iſthmum perfodere conatos Oraculò deſtitiſſe, refert Herodot. l. 1. Vide *Gnidus*. Addo ſaltem, quòd hinc *Cnidios calamos*, apud Plin. l. 16. c. 36. ad ſcribendum optimos habitos, juxta Ægyptium: *Chartiſque ſerviunt calami Ægypti, maximè cognatione quidam papyri. Probatiores tamen Cnidii, & qui in Aſia circa Anaiticum lacum naſcuntur.* Et *Cnidia harundo*, paſſim apud Poëtas Græcos Latinoſque, de calamo ſcriptorio. *Epigr.* veteris in ſupellectile librarii,

Καὶ ὠτόγλυφον καλάμων ἐξ ἄκρας ἀπὸ Κνίδου,
Et ſpongiam quâ calamos abſtergemus Cnidii.

Erant autem hæ arundines, ex genere τῶν συριγγίων, quæ multum habebant cartilaginis atque carnis, vide ſuprà ubi de *Calamo Scriptorio*. Indidem *Cnidius Senex*, apud Avienum, *in Arato*,

Hinc primum Cnidii vadum ſenis intulit aſtra:

de Eudoxo, ſtellarum novarum fabricatore, vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium*, l. 1. v. 102.

CNOPIUS Albertus, vide *Albertus*.

CNOPUPOLIS, urbs Ioniæ, à *Cnopo* quodam. Steph. in *Erythra*.

CNOPUS, ex Codri poſteris, Dux Coloniæ Ionicæ deducendæ. De quo Polyæn. l. 8. c. 43.

CNOPUS, flumen, idem qui *Iſmenus*.

CNOSSUS, in primo γεωγραφικῶν τῆς Ἀσίας citatur ab Apollonii Scholiaſte, *in l. 4.* ubi ait, Ægyptios eſſe omnium antiquiſſimos, Voſſius, *de Hiſt. Græc.* l. 3. p. 346.

CNOSSUS, vide *Gnoſſus*.

CNOXUS Johannes, Scotus, cùm domi hæreſeos damnatus, in Angliam ſe recepiſſet, & Eduardò mortuò Genevam ſe contuliſſet, in patriam reverſus, A. C. 1559. Euangelium ibi annuntiavit. Obiit A. C. 1572. ætat. 57. poſtquam in Eccleſia Edinburgenſi Euangelium docuiſſet annos 13. Scripſit res Patriæ.

CO, Ægypti urbs, *Ptol.*

CO, ſeu COOS, vel COS, inſula in mari Ægæo, ſeu, ut quidam ajunt, in Icario, Rhodo proxima, & Cariæ oppoſita, quæ olim magna fuit, & optimè habitata, & aſpectu jucundiſſima iis, qui eò navigabant. Ambitus ejus quingentis & quinquaginta ſtadiis clauditur, tota fertilis, & vinò optimò abundans, proinde olim opulenta. Patria Hippocratis, Apellis, &c. Notum in illa veſtes ſericas, ſeu bombycinas ex bombyce vernaculo à mulieribus texi ſolitas. Id quidem de Coa, vel Cea inſula Attica prope Eubœam, poſt Varronem, nonnulli credunt. In his Plinius, qui l. 4. c. 12. hæc habet in Cei deſcriptione: *Ex hac profectam delicatiorem feminis veſtem, auctor eſt Varro.* Et rurſus, l. 11. c. 22. de bombycibus: *Telas aranearum modo texunt, ad veſtem luxumque feminarum, quæ bombycina appellantur. Prima eas redordiri ruſuſque texere invenit in Ceo, mulier Pamphila, Latoi filia, non fraudanda gloriâ excogitatæ rationis, ut denudet feminas veſtis.* Et Plinii ſimia Solinus, c. 13. *Ceos, quæ, Varro teſtis eſt, ſubtiliore veſtis amicula arte lanifica ſeriensa prima in ornatum feminarum dedit.* Sed docti pridem obſervarunt, Pamphilam Latoi filiam, quæ inveniſſe dicitur id genus texturæ ſubtilioris, *Coam* fuiſſe, non *Ceam*. Ita habet Ariſtot. *de Hiſt. Anim.* l. 5. c. 19. Πρώτη δὲ λέγεται ὑφῆναι ἐν Κῷ Παμφίλη Πλάτεω θυγάτηρ: Nimirum τὰ βομβύκια bombycina, de quibus eò locò res eſt. Et verò bombyces, unde texuntur, in Cô inſulâ naſci vel ex Plinio conſtat, qui id refert pluribus, l. 11. c. 23. Unde eſt, quòd *Coæ veſtes*, paſſim celebrantur apud Poëtas, *Cea* nuſquam, quod quidem ſciam, verba ſunt Viri Magni, *de Phæn. Col.* l. 1. c. 7. Tibullus, l. 2. El. 4. v. 29.

—— Coa puellis
Veſtis, & è rubro lucida concha mari.

Et, El. 3. v. 37.

Illa gerat veſtes tenues, quas femina Coa
Texuit. ——

Propert. l. 1. El. 2. ad Cynthiam, v. 2.

Et tenues Coâ veſte movere ſinus.

Et, l. 2. El. 1. ad Mæcenatem, v. 5.

Sive togis illam fulgentem incedere Cois,
Hoc totum è Coâ veſte volumen erit.

Et, l. 4. El. 2. in fabula Vertumni, v. 23.

Indue me Cois, fiam non dura puella.

Et, l. 4. El. 5. v. 23. ad Lenam,

—— Coæ texturæ Minervæ.

Ibidem, v. 54.

Coa dederit nec munera veſtis.

Ovid. l. 2. de Arte, v. 298.

Sive erit in Cois, Coa placere puta.

Horat. l. 1. Sermon. Sat. 2. v. 101.

—— Cois tibi pæne videre eſt
Ut nudam. ——

Ubi Acron, *Perlucidâ utitur veſte, ut ita nuda conſpici poſſit. Hæc enim veſtis in Co inſula conficitur, per cujus nimiam ſubtilitatem, quæ ſunt interiora tranſlucent.* Ex utraque ſententia conflata ſunt hæc Iſidori, l. 14. c. 6. *Coos inſula adjacens provinciæ Atticæ, in qua Hippocrates Medicus natus eſt, quæ, ut Varro teſtis eſt, arte lanificii prima in ornamentum feminarum excluſit.* Plinium enim & Solinum ſequi videtur, cum eam inſulam facit vicinam Atticæ, quaſi de Ceo agatur. Sed ad inſul. Cariæam planè pertinet, quod ibi natus traditur Hippocrates. Is enim *Cous* fuit, non *Ceus*. His ita obſervatis facile erit eruere Coi etymon. Hebræis קו *cau tenue filum* eſt, vel *funiculus*, LXX. σπαρτίον exponunt, & Symmachus χορδή, Job. c. 38. v. 5. Rurſus ex קו *cau* eſt מקוה *micum*, vel *opus ſubtiliſſimum* ex Ægypto advectum, 1. Reg. c. 10. v. 28. & 2. Paral. c. 1. v. 16. ubi vulgatus *de Coa*, quaſi ſit loci nomen: Nec multò aliter Græci interpretes. Denique huc pertinet, quod קו Co, vel קוה Coa vocata eſt à Phœnicibus inſul. texturæ delicatioris artificiò nobiliſſima. Phœnices enim, Coam aliquando tenuiſſe, vel inde apparet, quòd urbs inſulæ cognominis olim dicta eſt Aſtypalæa. Strab. l. 14. Ἡ δὲ τῶν Κῴων πόλις ἐκαλεῖτο τὸ παλαιὸν Ἀστυπάλαια. Nempe ab illa ipſâ Aſtypalæa Phœnicis filia. Hinc Stephanus, Ἀστυπάλαια πόλις μία τῶν Κυκλάδων, &c. Ἀστυπαλαία πόλις ἐν Κῷ. *Nic. Lloydius.* In hac inſula porrò templum Æſculapii famoſum, & pulcherrima Veneris ſtatua, quâ Auguſti tempore Romam allatâ, Imperator Inſulanis 100. talenta annui reditus remiſit. Strabo, l. 14. Ariſtot. *Hiſt. anim.* l. 5. c. 19. *Plin. Ptolem.* Hodie Turcis *Stanco* vel *Stan Kou*, *Niger*.

COA, oppidum in Arabia Felice. *Ptol.*

COA Bombyx, texebat aliter & multò ſubtiliorem texturam dabat, quàm Aſſyria: unde mulieres ex Aſſyrio bombycino gerebant veſtes, viri ex Coo tantùm, Plin. l. 11. c. 23. Proin Coa veſtis, quâ denudabantur mulieres, non ex eo dicta, ſi Plinio credimus, quòd è bombyce Coa conficeretur; ſed quòd in Coo Inſul. texeretur ex Aſſyria bombyce. At verò ſimile hoc neutiquam: Loquitur enim, c. 22. ejuſdem libri, de inventione bombycinæ veſtis, quàm in Co prima texuit Pamphile quædam: quæ invenit ex bombyce bombycinum ſtamen evolvere & tenuiſſimam veſtem inde texere; ex bombyce utique indigena, & quæ in ipſa inſula naſcitur non quæ ex Aſſyria illuc afferebatur. Unde enim Aſſyria bombyx in Coo? non ex Aſſyria bombyces ipſæ in Europam afferebantur, ut nec ex India aut Serica, ſed tenia tantùm. Præterea Aſſyria bombyx ſi quæ fuit, non alia fuerit, quàm ex qua ſibi veſtes Aſſyrii, Medi & Perſæ conficiebant: quæ eadem omnino cum Serica. Veſtem itaque illam tenuem & pellucidam, quâ ſolâ mulieres utebantur, non etiam viri, ex Aſſyria bombyce textam eandem cum Serica eſſe oportet. Sed multa ſæpe miſcet Auctor: ut qui ex bombyce Aſſyria, uti vocat, quæ è veſparum, apumque genere erat, veram bombycem facit, quæ inter erucas reponenda, & ſola bombycinum fundit. Unde patet, nullam jam Aſſyriam bomby-

cem

cum eſſe, ſed Coam, quæ in Co Inſul. naſcebatur: ubi cùm artifices non prius ex bombyce ſtamen bombycinum eliquarent, quàm evolâſſet inde papilio, ut idem *Plinius* refert; non mirum, ſi non optimæ notæ bombycinum illud erat, ità ut veſtes ex eo textas viros etiam uſurpare non puderet. Necauda enim bombyx eſt, priuſquam papilio prorumpat, ut optima habeatur & deliçatiſſima metaxa: quod hodieque noſtri Artifices faciunt, qui ardentiſſimo Soli expoſitas ſic interficiunt in nido ſuo ac folliculo, aut in furno torrendas curant. Neque alia fuit natura aut origo Coarum bombycum atque Sericarum aut Indicarum, diſcrimen Artificum ſolùm majore minoreve peritia facit, & Aſſyria bombyx, uti *Plinius* vocat, non alia à Serica fuit &c. Vide de his accuratè agentem Claud. Salmaſium, *ad Tertullian. de Pallio*, c. 3. & *ad Solin.* p. 143. ubi diſcrimen faciens inter veſtem Coam & Coam, illam ingenio Pamphilæ, quæ veſtes ex Aſſyria bombyce textas redordiri ruſuſque texere invenerit, delicatiorem fœminarum veſtem, eandem cum Aſſyria, ſeu potiùs Serica, iſtam ex Cois bombycibus, etiam viris uſurpatam, fuiſſe contendit. Vide quoque in voce Co.

COACTILIARIA Taberna, apud Jul Capitolin. *in Pertinace*, c. 3. *Nam Pater ejus tabernam* coactiliariam *in Liguria exercuerat*: Meliùs *Coactilaria* ſcribitur, Salmaſiô judice; de qua vide infrà. *Coactiliaria* enim πιλοποιητικὴ eſt & *Coactiliarius* πιλοποιὸς, cujus mentio in vetere lapide: M. L. LARISCUS. LANARIUS. COACTILIARIUS. Aliquando enim talis *Lanarius Coactiliarius*, aliquando ſimpliciter *Coactiliarius* dicitur, qui *coactilia* videl. operatur ac vendit. Salmaſ. *ad Capitolin. loco cit.* ut & *in vita Maximini & Balbini*, c. 5. Plin. *l.* 8. *c.* 48. de itiuſmodi operibus: *Lanæ*, ait, *& coactæ veſtem faciunt & ſi addatur acetum, etiam ferro reſiſtunt, imò etiam ignibus*: Meminitque *Coactilium*, *l.* 25. §. 1. *ff. de Auro, Arg. legat* &c. Vide quoque Jac Cujatium, *Obſervation. l.* 5. *c.* 2. & Car. du Freſne in voce *Cambeſo*, nec non infrà voce *Filtrez*, item *Lana*, & *Nacca*.

COADJUTOR, in Eccleſia Romana dicitur, qui Epiſcopô etiamnum vivente, ad ejus Eccleſiam promovetur Epiſcopus, illius futurus ſucceſſor, ut munia Epiſcopalia obeat, propter alterius infirmitatem aliaſque cauſas, cujus moris exempla congeſſerunt Petr. Marca, *de Concordia Sacerd. & Imp. l.* 6. *c.* 8. *num.* 10 11. Altaſerra, *Diſſertat. Juris Canonici*, *l.* 1. *c.* 2. 3. *& ſeqq.* Alii, laudati Carolo du Freſne in *Gloſſar.* in hac voce, ut & ubi *de Epiſcopis vacantibus*.

COAMA, vulgò COAME, & CUAME, fluv. Africæ meridionalis in regno Monomotapæ. Oritur ex lacu *Zachaf*, & in Oceanum Æthiopicum ſe exonerat, prope Zofalam Urbem in Cafreria regione.

COAMANI, Aſiæ populi. Mela, *l.* 1. *c.* 2.

COANCA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

COANZA, fluv. Africæ meridionalis in parte meridionali regni Congi, verſùs regnum Angolæ Exit ex lacu *Zaire*, & in Oceanum Æthiopicum ſe exonerat, prope urbem S. Pauli de Loanda.

COASTRÆ, ſeu COACTRÆ, populi Coatram montem, inter Aſſyriam, & Mediam incolentes. Lucan. *l.* 3. *v.* 246.

Æthera tangentes ſilvas liquêre Coaſtræ.

COBÆ, Æthiopiæ emporium in Avalite ſinu. *Ptol.*

COBALI, dæmones erant in comitatu Bacchi. Ariſtoph. Schol. *in Plut.* Κόβαλοι δαίμονές εἰσὶ τινες σκληροὶ περὶ τὸν Διόνυσον ἀναγωγεῖς. Atque hinc Κοβαλεία eſt *verſutia*, & *aſtus*. Origo vocis eſt חבל *Chebel*. Hebræi, Syri, ac Arabes, *funes*, *laqueos*, & *pedicas* ſic vocant Unde ſecundariâ ſignificatione eſt *techna*, *machinatio*, ſic Pſal. 119. v. 61. *Funes impiorum circumplexi ſunt me*, id eſt *doli*.

COBALTUM, ex quo fit marcaſita artificialis, memoratur Georgio de Sepibus in *Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo*, p. 40.

COBANDI, Germaniæ gens, *Ptol.*

COBARES, Medus, magus celebris, quô tempore Alexander bellum movebat in Bactrianos. Curtius, *l.* 7. *c.* 4.

COBILUS, Bithyniæ fluv. videtur, apud Val. Flaccum, *l.* 5. *Argon.* v. 102. Hunc Hermolaus putat ab Apollonio *Crobialum* appellari. An idem à Livio *Cobulatus*, dubium eſt.

COBIOMAGUM, nunc *Cabargnes*, locus prope fontes amnis *Giron*, in Occitania, inter Toloſam & Carcaſſonem, in Auracenſi tractu, 3. leuc à Pontiopoli in Occaſum.

COBLIUS, vicus in Libyæ nomo. *Ptol.*

COBORIS, Arabici Sinus Inſul. Plin. *l.* 6. *c.* 28.

COBRYS, urbs Thraciæ *Steph.*

COBUELA, Mauritaniæ Tingitanæ locus. *Steph.*

COBUM, vel COBUS, Colchidis fluv. è Caucaſo erumpens, & aureis arenis abundans, unde velleris aurei fabula à Poëtis tantopere celebrata originem duxit.

COBURGUM, oppid. Franconiæ, Ducatus titulô clarum, in dominio Principum ex Saxonica familia. Habitavit hîc Joh. Erneſtus, qui diviſâ cum Fratre Joh. Fridericô Electore A. C. 1542. hæreditate paternâ partem Franconicam nactus, bellô Smalcaldicô Cæſari Wittebergam tradidit, ut fratris vitæ conſuleretur. Dein Johanni Wilhelmo, Joh. Friderici II. fratri, filio Joh. Friderici Electoris juniori ceſſit: à quo Aldenburgica, & Vinarienſis hodierna, familiæ ortæ ſunt. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hiſtor.* Diſtat 6. leuc. à Bamberga in Boream, eratque olim pars Comitatus Hennebergenſis. Vide *Melocabus*.

COCABA, Baſanitidis regionis, vicus circa Palæſtinam. *Epiphan.*

COCALA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.* Item locus Carmaniæ regionis in litore maris *Arrian.*

COCALIA, Ponti Cappadocici urbs *Ptol.*

COCALUS, Siciliæ Rex, qui Dædalum Minois iram fugientem hoſpitiô ſuſcepit, quem cùm Minos illuc uſque proſequeretur, à Cocali filiabus fuit interfectus Ovid *l.* 8 *Met.* Stephanus *Cocalum*, Dædali filium, in Camico imperâſſe ſcribit Euſeb verò *an.* 726. *Abrahami*, & Diodor Sic *l.* 4 Dædalum in balneo Cocali juſſu ſuffocatum referunt, mero Minois.

COCALUS, Ariſtophanis fabula, de qua Jul. Cæſ. Scaliger, *Poetices l.* 1. *c.* 8. *Ortam ex antiqua* (Comœdia) *novam ſunt apparet ex iis, quæ Veteres memoriæ prodiderunt. Ajunt enim Ariſtophanem ſcripſiſſe fabulam* Cocalum, *cujus filum fuerit amuſſis & regula Menandro atque Philemoni, ad novam Comœdiam commuſcendam.*

COCANICUS, Siciliæ lacus, ex quo *ſalem Cocanicum* nominamus Plin. *l.* 31. *c.* 9.

COCCEJANUS, vide *Salvius*.

COCCEJUS, viri nomen. Horat. *l.* 1. *Sat.* 5. *v.* 27.

Huc venturus erat Mæcenas optimus, atque
Cocceius —— ——

Ibid. v. 32.

—— *Interea Mæcenas advenit, atque*
Cocceius ——

Et v. 50.

Hinc nos Coccei recipit pleniſſima villa.

COCCEJUS Johannes, Bremenſis, in Academia Lugduno-Batava, Theologiæ Profeſſor celeberrimus. Scripſit in *Johum*, *Pſalmos*, τὸ *Δωδεκαπρόφητον*, in *ultima Moſis*, in *Epiſt ad Romanos*, aliaque quamplurima, quæ omnia aliquot Voluminib in fol. junctim nunc prodeunt Lugdum Batavor. Obiit haud pridem. *Excitatus divinitùs eſt, ad provehenda altius Linguarum Oriental. ſtudia, & reſeranda nobis Judæorum ſacraria. Nullus enim Chriſtianorum tantum in Thalmudicis unquam præſtitit, quantum ille eruditiſſimè, & de quo non niſi eruditiſſimi judicabunt, ſcripſit.* Amama *in epiſt. ad Martinium.*

COCCEJUS Nerva, Imperator, vide *Nerva*.

COCCEJUS Nerva, Juriſperitus, Conſulatu functus, Tiberio in ſeceſſu Campaniæ comes. Tacit. *l.* 4. *Annal.* c. 58. Sergio Galbâ, L. Sullâ Conſulib integrô ſtatu, corpore illæsô moriendi conſilium cepit: Ac fruſtra à Tiberio revocatus, abſtinentiam cibi conjunxit, *l.* 6. *Annal.* *c.* 26.

COCCEJUS Nerva, cui, poſt conjurationem Piſonianam detectam, Prætori deſignato, Nero triumphale decus tribuit; de quo Tacit. *l* 15. *Annal.* *c.* 72.

COCCEJUS Proculus ſpeculator, cui de parte finium cum vicino ambigenti, univerſum vicini agrum, ſuâ pecuniâ emptum dono dedit Otho jamjam ſpes imperii agitans. Tacit. *l.* 1. *Hiſt.* *c.* 24.

COCCEJUS Verus, inter Nobiles Romanos, ſine cauſæ dictione occiſos à Severo, apud Spartian. *c.* 13.

COCCIA, dicitur in Inſul. Melita ritus ille, quo in exequiis frumentum coctum, cum amygdalis, uvis paſſis, nucleis, granis mali punici, foliiſque apii aliquantum tritu populo exhibent, pauperibus inprimis, ritu a Græcis mutuatô, de quo vide Macros Fratres in *Hierolex.* voce *Agape*. Moſci verò *Cocia* panem appellant benedictum, quem in Eccleſia pro ſuffragiis mortuorum diſtribuunt, *Ibidem*.

COCCIUS Thomas, Medicinæ D. & Ethices in Academ. Baſileenſi Profeſſor. Obiit A. C. 1610. Academiæ tantùm non fatali.

COCCO Clavata, h. e. purpurâ, mentilia, occurrunt apud Lamprid. in *Severo*, *c.* 37. Et quidem *vermis cocci*, Moſi minimùm triginta locis memoratur: pro quo *coccum vermis*, per hypallagen, Levit. *c.* 14. *v.* 4. legitur. Imò quandoque *vermis* per ſe *coccum* ſignificat, ut Eſaiæ, c. 1. v. 18. & viciſſim *coccum* nonnunquam ſolùm occurrit, ut Joſuæ, *c.* 2. *v.* 18. 21. Hebr. שני quod proprie *dibaphum* eſt: cujus meminit Horat. *l.* 2. *Od.* 16. *v.* 35.

—— *Te bis Afro*
Murice tinctæ
Veſtiunt lanæ &c.

Uti igitur Græci *Δίβαφον* appellârunt, quod purpurâ; Ita Hebræi *ſani*, quod coccô bis tinctum fuit. Nec obſcurum eſt, cur *coccum vermis*, aut *vermem cocci* aut ſolùm *vermem* iidem appellarent. Apud Dioſcoridem, *l* 4. Κόκκος βαφική, *Coccum tinctorium eſt frutex parvus ſurculoſus, cui grana ut lentes adhærent. Coſculum* vocat Plin. *l.* 16. *c.* 8. i. e. κοκκίδιον, quia è cortice eraduntur Porrò, ut magnus Auctor in *Solinum* aſſerit, ea grana ſcatent intus parvis vermiculis, quorum ſanies coccino tingendo præclarum eſt & eximium illum colorem, quem nos miramur & adorârunt Veteres efficit. Hinc vermiculum, pro ipſo cocco, dixerunt: & *emblemate vermiculatum* Lucilio, coccineô colore tinctum; *pelles item vermiculatæ* Hieronymo, coccineæ. Apud recentiores quoque Græcos σκώληξ paſſim pro *cocco*: Arab. *Kermez* vel *Kermez*, unde Gallorum *cramoiſi*, quemadmodum iiſdem *vermeil*, ex *vermiculo* &c. Vide Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 4. *c.* 27. Tribuit autem Cocco meracum & ſuffuſum colorem, ſeu colorem acutiſſime rubri, ad quem accedat purpuræ rubræ lumen, idem Auctor in *Solin.* Salmaſ. p. 1330 *Cocci color pendens, hoc eſt, coloris rubri acutiſſimi. Purpura quoque rubræ tale lumen ad cocci ardorem accedens. Eam purpuram dicit Pollux* ἀνθοῦσαν *ἐκ τοῦ ἥλιου αὐγῆς, i. e. ſplendorem cocci recipere ex alto, dum radiis Solis accenditur.* Interim non in omnibus locis, quibus naſcebatur, unius generis colorem habuiſſe, idem docet. Sic coccô tincta rurſus Tyriô tingebant, ſi *Perſianæ* credimus, ut fieret hyſginum: quemadmodum videtur propterea Galatici grani (quod primum repertum) color fuiſſe, quem *ἀργὸν* Galatæ vocabant, cùm coccum aliis in locis proveniens magis ruberet. Sed de hocce alii aliter ſentiunt, uti infrà videbimus. Porrò *coccum*, *propterea* ali-

alteram tributi pauperibus Hiſpaniæ donare, Plin. ſcribit, ubi de Cocco. Nempe duplex tum in illa provinc. fuit tributum, alterum capitis, alterum ſoli; quorum hoc ſaltem illi pendebant, quibus ager eſſet. Ut illud autem ſolverent, etiam qui nihil omnino in cenſu habebant, invenire tamen cogebantur. Pauperes itaque in Hiſpania Coccum paſſim naſcentibus fruticibus decerpebant, atque inde corradebant, unde capitationem ſolverent, vide omnino illum, *l.* 9. *c.* 41. ubi totam tingendi cocci rationem exponit, *l.* 27. *c.* 9. *alibique*. Idem tamen perperam ilicem arborem, quæ præter glandem baccam quandam fert puniceam, ſed quæ nihil confert infectionibus & in totum à cocco diverſa eſt, confundit cum ilice aquifolia frutice, cujus coccum ipſum fructus non eſt, ſed tanquam ſcabies fruticis & excreſcens tumor, qui cortici & ramis adhæreſcit inſtar lenticulæ. Hic enim frutex nunquam arboreſcit, ſed manet ſemper frutex, &, ubicunque provenit, coccum illud ſuum fert aptum tingendis lanis &c. Nec omittendum, quod idem adfert, *Imperatorum paludamenta coccô tingi conſueviſſe*, *l.* 22. *c.* 2. Quam in rem vide plura apud præfatum Salmaſ. *ad Solin.* p. 27. & *ſeqq.* De *Cocco* & *Murice*, amborumque diverſis coloribus, Martial. *l.* 5. *Epigr.* 24. *ad Baſſum*, *v.* 5.

> *Non niſi vel coccô madidâ, vel murice tinctâ*
> *Veſte nites. Et te ſic dare verba putas.*

COCCONAGÆ, Indiæ intra Gangem populi. *Ptol.*

COCCONAGORA, urbs Indiæ extra Gangem, ubi nunc forſan *Achem*, urbs inſul. Sumatræ præcipua, in orâ Boreali. *Sanſon.*

COCCONOGATA, urbs Sinarum, *Cangenor Mercatori.* Item urbs Indiæ extra Gangem. *Ptol.*

COCCYGIUS, Peloponneſi mons ad Inachum fluv. unde *Coccyx* dictus. Plut. *de Flum.* Coccyx à Pauſania, *l.* 2. dicitur; unde *Coccygius* Jupiter.

COCCYNUM, promontor. circa Siciliam. *Appian.*

COCCYUM, oppid. Angliæ in agro Lancaſtrenſi. *Cockley Camdeno.*

COCERMUTIUM, oppid. Angliæ in Cumbria, ad Cocerum amnem, 5. milliar. Anglic. ab ora maris Hibernici.

COCHE, Arabiæ deſertæ oppid. *Ptol.* Alter *Choche*, Græcis Κώχη vel Χώχη. Eam Recentiores omnes eandem cum Seleucia faciunt, *Gregorio* verò *Nazianzeno* ſunt diverſæ. Et meritò, Seleucia enim urbs ampliſſima, *Choche* verò vicus erat ab illa haud longè diſtans. Arrianus apud *Stephanum*, Καὶ βασιλεὺς ὁ ἐξελαύνει ἐκ Σελευκείας, ἐν ἀστέρι τῷ ποταμῷ τῷ Τίγρητος ἐς κώμην ᾗ ὄνομα Χώχη ὄνομα. Ad Tigridem fluv. ſicut & ipſa Seleucia; & quidem in Occidentali fluminis alveo, ſicut in Orientali Cteſiphon erat, à qua amne tantùm interfluô *Cochen* ſeparatam fuiſſe, ſcribit *Gregorius.* Unde errotis Ptolemæum arguit Salmaſius, quòd in Arabia deſerta Κώχην poſuerit. Quum enim nullam aliam Κώχην agnoſcat, de illa celeberrima *Coche* intellexiſſe putandus eſt, quam alii Κωχὴν, alii Χωχὴν dixêre. *Cochen* certè & Cteſiphontem, Parthici Regni celeberrimas urbes eſſe, tradit Sextus Ruffus, in *Breviario*. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1228. *alibique*. Inde *Chochæus* Apollo, quòd eximiâ ceremoniâ ibi coleretur. Vide ſuprà in hac voce.

COCHEBAS, vide *Barcochebas*.

COCHINILLA, Gallicè *Coquenille*, nomen grani, purpuræ tingendæ hodie adhiberi ſoliti: quod in Regno Indiæ Occident. Mexicano colligitur. Auctor Anonymus, *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c. de Commerciis.* Præter enim purpuram, quæ ex marinæ cochleæ ſanguine eliciebatur, arte ejus parandæ hodie penitùs amiſſâ; Purpuræ factitiæ plures ſpecies, jam apud veteres Auctores, occurrunt; putà ex vaccinîis, apud Plin. *l.* 16. *c.* 18. ex alga Cretica, apud Theophraſtum, *Hiſtor. l.* 4. c. 7. amorge herbâ, apud *Suidam*; purpureâ herbâ in Abaſenis, apud Stephanum, in Ἀβασηνοί; Iberâ ferrugine, apud Servium, *l.* 9. *Æn. v.* 582.

> ---- *ferrugine clarus Iberâ*,

Portò ex flore purpureo, ad pontes Hyparchi fluminis, apud Cteſiam, in *Indicis*, Indicâ ſandice, apud Vopiſcum, in *Aureliano*, *c.* 29. &c. Ita hodiernis tinctoribus *Cochenilla* imprimis hunc in uſum expetitur. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 5. *c.* 14.

COCHINUM, Urbs Indiæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Goano. Etiam *Cochi* & *Cottiara*. Vide ibi. Hic ingens vis Chriſtianorum S. Thomæ, quorum Præſul Chaldæâ linguâ ſacra facit. Caput eſt regni in ora Malabarica; Luſitanis recèns erepta à Batavis. Duplex eſt, Superior & Inferior quæ ad Mare. Oſor. *l.* 5. Linſchot. Jarric. Miræus, *Hiſtor. Eccleſiaſt.*

COCHLÆUS Johannes, Norimbergenſis, Eccleſiæ Pontificiæ & religionis auctoritatem ac veritatem variis in congreſſibus, Auguſtæ, Ratisbonæ, Wormatiæ, contra Lutherum, Bullingerum, Oſiandrum, Muſculum, Melancthonem, Pomeranum, Bucerum, Calvinum, tueri acriter conatus, obiit Uratiſlaviæ A. C. 1552. ætat. 73. Scripſit plurima, quorum Catalogum exhibet Anton. Teiſſier, *in Elogiis Part.* 1. Vide & *Johannes Cochlæus*.

COCHLEA, Græcè κόχλος, ex Hebr. חלזון, *chachla*, unde Græci κόχλην & κόλχην, pro *purpura*, hincque κόχλος & κογχύλιον, ſpeciatim de *purpuraria concha*, formaverunt. Perictyone Pythagorica, *l. de Continentiæ mul.* Διὸ ἀὰξ εἵματα λαμπρὰ ἄλλα τε ποικίλα ἀπὸ θαλασσίου βαφέντος κόχλου, μεγάλη μωρία, *Veſtes quærere valde ſplendidas & varias ex marino tinctas cochlea* (i. e. purpuræ ſeu conchylii) *inſigne eſt ſtultitia. Nam marinæ*,

> Εἵματα δ' εἰναλίας ἐρυθαίνεται αἵματι κόχλου,
> *Veſtes marina inficiuntur cruore cochleæ.*

Nonnus, *Dionyſiac. l.* 40.

> Καὶ Τυρίῃ πορφύρεια εἶδεν φάρεα κόχλῳ.
> *Et Tyria (regionis) cochleâ tinctas veſtes conſpexit.*

Et paulo pòſt, de cane Herculis,

> Χιονέας πορφύρε παρειὰς αἵματι κόχλου.
> *Niveas purpuravit malas ſanguine cochleæ &c.*

Qua de re vide Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l.* 5. *c.* 9. & infrà *Concha Purpuraria*. Aliàs vox latiùs extenditur, ut *Cochleas* quoque terreſtres ſignificet, quas rore victitare, ſi verò nihil illis de cœlo influat, propriô ſuccô ſuſtentari, tradit *Symmachus*. *Ajunt cochleas, cum ſitiunt aëra, atque illis de cœlo nihil liquitur, ſucco propriò victitare. Ea res mihi uſu venit, qui deſertus eloquii tui poſtu, meâ adhuc voce ſuſtentor.* At poſtquam Romanorum luxus etiam iiſce manum injicere cœpit, mox ſaginandi eas reperta ratio. Plin. *l.* 9. *c.* 56. *Quin & ſaginam earum commentus eſt ſapa & farre, aliiſque generibus, ut cochleæ quoque altiles ganeam implerent. Cujus artis gloria in eam magnitudinem perducta, ut calices quadrantes caperent ſingularum calices, auctor ſit M. Varro.* Ubi *ſagina*, ὁ σιτευτὸς, quæ altiles cochleas faciebat. Inprimis verò, *Cochlea* Solitanæ, in Africa, magni apud Veteres nominis, Varro, *de Re Ruſt. l.* 3. *c.* 14. *Mediocres, quæ ex Africa afferuntur; non quòd in his regionibus quibuſdam loca in magnitudinibus non ſint diſpariles. Nam & valde ampla ſunt quædam ex Africa, quæ vocantur Solitanæ; ita ut in eas LXXX. quadrantes conjici poſſint.* Plin. *l.* 30. *c.* 6. *Laudatiſſimæ autem ſunt Africanæ, ex his Solitanæ.* Quarum vivaria quis primus inſtituerit, idem exponit, *l.* 9. *c.* 56. *Cochlearum vivaria inſtituit Fulvius Hirpinus --- diſtinctis quidem generibus earum. Separatim ut eſſent albæ, quæ in Reatino agro naſcuntur: ſeparatim Illyricæ, quibus magnitudo præcipua: Africanæ, quibus fœcunditas: ex his Solitanæ, quibus nobilitas &c.* Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 4. *c.* 30. In Muſæo Kircheriano Romæ, *Cochleæ* pentadactylus cum 5. aut pluribus acutis appendicibus, quarum nonnullis turbinatæ teſtæ, aliæ cælaturâ inæquales, ſcabræ, rugoſæ; non paucæ clavicularim intortæ, umbilicatæ, cylindroides, aſſervari, refert Georg. de Sepibus, *in Deſcr. ejus* p. 28. A *Cochleis*, dicuntur Feſto *Cochleæ lapides, ex flumine rotundi, ad cochlearum ſimilitudinem*, è quibus parietes fieri, in quorum commiſſuris naſcatur ſcolopendrion, tradit *Dioſcorides*, apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1295.

COCHLEA, Græcè Κοχλίας, nomen machinæ, quâ Ægyptii aquam hauriebant, rigandis agris: ejus deſcriptionem vide apud Vitruvium, *l.* 10. *c.* 11. Item ſpecies ſortilegii, apud medii ævi Scriptores, Vide ſuprà in voce *Cauculatis*.

COCHLEA Archimedea, in *Muſæo* Kircheriano oſtenditur, quâ relictô elementô fluidô, locô ejus ſubſtituti ſunt tot metallini globi, quot convolutiones ſpiræ in totius cochleæ altitudine ſunt; Hujus ope continuò unus globulorum per extrinſeca circum cochleam convolutam ſemitam vagus labitur, donec præcipitatô fluxu in *cochleæ* tenaculam impingendo eam denuò caperet ac per integram circulationem convolvat. Quâ convolutione peractâ denuo novus globulus excurrit; prior verò ſe in cochleæ ſpiram infimam recipit, unde per novas convolutiones deſcendendo aſcendit, atque ſic jucundâ alteratione novi globuli excurrendo jucundum viſu præbet ſpectaculum. Cujus tamen machinæ ratio difficulter intelligitur, niſi ipſe videris. Georg. de Sepibus, *in Collegii Roman. Societatis Jeſu Muſæo*, *p.* 57. Vide quoque infrà aliquid, ubi de *Nautica arte*.

COCHLEAR, ſpecies menſuræ, de qua Salmaſ. *ad Solin. p.* 593. *Qui de menſuris ſcribunt, concham ajunt tria cochlearia facere, nonaginta ſex cochlearia ſextarium implebant: ex Africano*, καὶ ὁ ξέστης ἄγει εἰς κοχλιάρια ϟϛʹ, 96. Aliàs Cochlear, inter eſcaria ſupellectile, cujuſmodi inſtrumenta menſæ, ex conchis margaritiferis, ut & lanculas poculaque, ab elegantioribus, fabricari docet idem ibid. p. 1125. Iiſdem Sortes convivales inſcriptas nominaque deinde convivarum in urnam miſſa; vel etiam ipſa *Cochlearia* hujuſmodi inſcriptiones habentia, in eam conjecta, dicemus infrà ubi de *Sortibus Convivalibus*. Apud Flodoardum, *Hiſtor. Rem. l.* 2. *c.* 5. inter vaſa Eccleſiaſtica reponitur. Sic *Necrologium* Eccl. Pariſ. prid. Id. Nov. *Obiit B. M. Dom. Raynulfus, quondam Pariſienſis Epiſcopus, qui dedit Eccleſiæ noſtræ ---- Calicem aureum cum patena & cochleari pondere 5. marcarum & 5. ſterlingorum.* Græci λαβίδα vocant, corpus Domini & ſanguinem ſumentes de Calice, cum cochleari ad hoc deputatam, ut ait Reinerus, *in Catal. Hæret.* formam ejus exhibet Goarus, *ad Euchologium*, *p.* 152. Georgios Decapolita *de Mirac. S. Georgii Mart. num.* 47. Καὶ πάλιν ἰδὼν ὁ Σαρακηνὸς ἐν τρίτῳ τὸν Ἱερέα μεταδιδόντα ἐκ τοῦ σώματος τε καὶ αἵματος τοῦ παιδίου μετὰ τῆς λαβίδος τοῖς μεταλαμβάνουσιν, *Et rurſus vidit Saracenus tertiâ vice Sacerdotem diſtribuentem de corpore & ſanguine pueri ad communionem accedentibus*, apud Car. du Freſne, in *Gloſſar.* Vide quoque infrà *Forceps*, it. *Sumptorium*. *Cochlearia* Chinenſium, eburneæ virgulæ duæ ſunt, quarum quamlibet unâ manu contrectantes cibum capiunt Sinenſes; in *Muſæo* Kircheriano. Georg. de Sepibus, *in Colleg. Roman. Societatis Jeſu Muſæo*, *p.* 54. Vide quoque ſuprà *Apalar*.

COCHLEARIA, Sardiniæ locus. *Antonin.*

COCHLEARII, vide *Geneva*, it. *Cauculatores*.

COCHLIDES, dicebantur unionum conchæ: unde *Cochlis*, concha unionis, quæ pro fibula mulieribus erat olim. De Zenobia, Trebellius Pollio, *c.* 30. *Ad conciones galeata proceſſit, cum limbo purpureo, gemmis dependentibus per ultimam fimbriam, mediâ etiam cochlide, veluti fibulâ muliebri adſtrictâ.* Senſus eſt, Illius limbi purpurei per ultimam fimbriam, (h. e. τὴν πέζαν, ſeu *extremam vel ultimam veſtis oram*) dependebant gemmæ: media verò (quæ veſtis pars zona comprehendebatur in tunicis, veſtibuſque aliis, quæ cinctui erant aut fibulis adſtringebatur, ut in palliis, chlamydibus &c.) *cochlide ſeu fibulâ muliebri adſtringebatur.* Cùm aliàs fibulæ muliebres ut plurimùm ex gemma eſſent. Claudianus,

> ---- *& fulvâ mordetur iaſpide pectus.*

Sed & *cochlites* refertur à Plinio, *l.* 37. *c.* 12. inter gemmas vulgatiſſimæ famæ, quam factitiam veriùs, quàm nativam dicit fuiſſe. Vide Salmaſ. *Notis ad Pollion. loc. cit.* & ſuprà in *Cochlea*.

COCHLUSA, inſul. juxta Lyciam à *cochleis*, quæ ibi inveniuntur. *Stephanus.*

COCHOME, vide *Chochome*.

COCHRYNNA, Thraciæ fluv. quem ab ovibus potam, nigros facere fœtus ſcribit Antigonus *in Mirabil.*

COCILLUM, Myſiæ oppid. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

COCINCHINA, regnum Aſiæ, in India ulteriori ubi aliàs Sindi populi juxta ſinum magnum, nunc Cocinchinæ ſinum. Hunc habet ab Oriente, à Meridie regnum Ciampæ, ab Occaſu Cambojam & Laos populos; à Septentrione regnum Tunchina. Dividitur in provincias ſex; & aliquando Cocinchina cum Tunchino unâ voce, *regnum Amanum* ſeu *Annamiticum* dicitur. Incolis *Cachu* vel *Kachochin* vocatur. Sedes regia *Kebue*, aulâ Principis magnificâ & numerô Nobilium celebris eſt; commercium hîc ingens, auri, argenti, ſerici, Smecdrum fictilium ſeu vaſorum porcellaniorum, &c. Alex. Rhodius, *Itiner.* Mendoza, *part.* 2. *l.* 3. *&c.*

COCINTOS, vel **COCINTUM**, inter Leucopetram, & Lacinium promontorium. Vide Plin. *l.* 3. *c.* 5. De nomine Bochartus, *Phaleg*, *l.* 3. *c.* 5. *Eidem refero*, inquit, *quòd Cocinthum quaſi* כתים קץ *Choque Cittim*, *terminum Cittæorum*, *veteres appellârunt extremum Italiæ promontorium*, *de quo Polyb. l.* 2. Τὸ ἀκρωτήριον διαιροῦν τὸ Ἰόνιον εἰς τὸν Σικελικὸν πόρον ὃ προσαγορεύεται Κόκυνθος. Videtur eſſe, quod vocant hodiè *Capo di Stilo*. Plin. *l.* 3. *c.* 10. *Cocinthum eſſe longiſſimum Italiæ promontorium aliqui exiſtimant.* Et in Antonino Cocinthum oppid. XXII. Mill. paſſ. diſtat à Scylace, vel Scylacio hodiè *Sinlaci*. *Nic. Lloydius.*

COCIONES, priſcis & ætatis mediæ Scriptoribus dicti, qui Fora venalium & nundinales Mercatus ſectantes, dum *contractum* (unde nomen) licitantur & de pretio cum mercatoribus contendere ſe ſimulant, merces ipſas ſubripiunt auferuntque; cujuſmodi ſunt, qui Gallis vulgò *Coquins* vocantur: Quos non pauci hactenus à *Coquina* nuncupatos putârunt, quod iſtius farinæ homines tabernas & popinas circumeant, quò aut locis ipſis inſerviant, aut obſonii particulis potiantur. Et *Cozzoni* etiamnum Italis dicuntur, quos *Maquignons* appellant Galli. Neque alii videntur, quos *Coquinos* appellavit inferior ætas. *Vita* Clementis VII. apud Boſquetum, *Carcaſſonæ & Tholoſæ populares*, *quos vulgariter nuncupabant* Coquinos, *contra Nobiles inſurrexerunt.* Autorque eſt Chapeavillus, in *Erardo à Marca Epiſc. Leod. c.* 26. extare Leodii Hoſpitale, quod *Coquinorum* vocant. *Coquos* porro pro furibus habitos, Autor eſt Plautus in *Aulularia*, *Actu* 3. *ſc.* 6. *v.* 16.

> —— *Mihi omnes angulos*
> *Furum implevisti in ædibus miſero mihi,*
> *Qui mihi intromiſiſti in ædes quingentos cocos.*

Idem in *Pſeud. Actu* 3. *ſc.* 2. *v.* 1.

> *Forum* coquinum *qui vocant, ſtultè vocant,*
> *Nam non coquinum, verùm furinum eſt forum* &c.

ut & infrà in *Collio*, in voce *Puteus*, ubi de furacitate coquorum apud Veteres poema. Uſos autem hâc voce *Cocio* Laberium apud A. Gellium, *l.* 16. *c.* 7. & Plautum, *in Aſin. Actu* 1. *ſc.* 3. *v.* 51. pridem obſervârunt viri docti. Vide Joſ. Scaligerum *ad Feſtum*, in voce *Arilator*, namque iidem ab arra, quâ datâ tales ſibi credi poſtulant, *Arilatores* quoque dicti: Caſaubon. *ad Athen. l.* 14. *c.* 22. Car. du Freſne *in Gloſſar.* &c. Hinc *Cocionari* verbum, de quo vide infrà *Lites*.

COCLES, vir Roman. qui, Porſennâ Rege per Sublicium pontem tranſire conante, ſolus hoſtium impetum ſuſtinuit, donec à tergo pons à ſociis frangeretur; quô factô, ſe cum armis præcipitavit in Tyberim; Et licèt vulnus accepert in coxa, fluvium tamen tranando ad ſuos pervenit, unde eſt illud ab eo dictum, cùm ei in comitiis coxæ vitium objiceretur, *Per ſingulos gradus admoneor triumphi mei.* Valer. Max. *l.* 3. *c.* 2. *ex.* 1. Virg. *l.* 8. *Æn. v.* 650.

> *Illum indignanti ſimilem ſimilemque minanti*
> *Aſpiceres, pontem auderet quod vellere Cocles.*

Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 264.

> *Quod miraretur cum Coclite Mutius, & quæ*
> *Imperii fines Tiberinum virgo natavit.*

Eſt autem *Cocles*, idem quod *unoculus*. Originem ponit Varro, *l.* 6. *Ab oculo*, inquit, *cocles*, *quaſi ocles dictus*, qui unum haberet oculum. Verùm omninò corruptum ex Græco κύκλωψ, quod notat μονόφθαλμον: *Cocles* verò *unoculum* notare, præter Varronem docet Plaut. *Curcul. actu* 5. *ſc.* 1. *v.* 22.

> Ly. *Unocule ſalve*, Cu. *Quæſo deridesne me?*
> Ly. *De Coclitum proſapiâ te d'eſſe arbitror.*

Ubi per Coclites non Romanorum familiam intelligit; ſed Arimaſpos, ut notat Turnebus, *l.* 23. *Adverſ. c.* 26. Idem judicium eſto de illo Ennii apud Varron. *l.* 6. *de LL.*

> —— *Decem coclites, quos montibus ſummis*
> *Ripeis fodere.* —— ——

Nam Arimaſpos in Ripheis montibus ponunt Herodotus & alii. Addam & Plinii locum, *l.* 11. *c.* 37. *Qui alterô lumine orbi naſcerentur, coclites vocabantur.* *Nic. Lloydius.* Vide hîc infrà, & voce *Cyclops*.

COCLITES, nomen popul. apud Solin. *c.* 5. *Gentem Coclitum teſtantur vaſti ſpecus*; ita enim in ἀρχετύποις Autoris legitur, cùm editio vulgaris habeat *Cyclopum*. Nempe veteres Latini *Coclites* vocârunt, quos *Cyclopes* Græci. Et ſanè *Cocles* ex Græco Κύκλωψ factum eſt; κύκλωψ, *coclits*. Nam λ & ρ invicem apud Æoles mutabantur, Salmaſ. *ad Solin. p.* 110.

COCLUZABALA, vide *Coduzabala*.

COCODONES, monetæ Gallicæ ſpecies reproba, apud Thomam Walſinghamium, *in Eduardo I.* ſub A. C. 1300. Aliter *Crocardi* dicti, quos cum Pollardis atque *Roſariis* ſenſim locô ſterlingorum irrepſiſſe, refert. Vide infrà in *Crocardus*.

COCOSSATES, Aquitaniæ populi.

COCOSSII, Mauritaniæ Tingitanæ gent. *Ptol.*

COCTANA, apud Martialem, *l.* 4. *Epigr.* 89. *v.* 6.

> *Antipolitani nec quæ de ſanguine thynni*
> *Teſta rubet, nec quæ coctana parva gerit.*

Ficus ſunt parvæ ex Syria. Unde cum eodem epitheto iterum occurrunt, *l.* 7. *Epigr.* 52. *v.* 7.

> *Parvaque cum canis venerunt coctana prunis.*
> *Et Lybicæ ficus pondere teſta gravis.*

Quomodo autem afferri ſolerent, idem refert, *l.* 13. *Epigr.* 28. cujus lemma, *Coctana*, vel *Vas coctanorum*.

> *Hæc tibi quæ tortâ venerunt condita metâ,*
> *Si majora forent coctana, ficus erant.*

Ubi *torta*, eſt è tortis juncis contexta ſporta, vel teſta turbinata in metæ formam. Palatinus tamen codex, pro *tortâ*, legit *coctâ*; & pro *metâ*, alii *mentâ*, habent.

COCTIÆ, ſeu **COTTIÆ**, dictæ ſunt Alpes à *Coctio* Rege Gallorum domitore, qui in amicitiam Octavii receptus eſt. Incipiunt à Seguſia oppido & Tacito, *l.* 4. *Hiſt. c.* 68. *Cottianæ* appellantur. Vide *Alpes* & *Cottiæ*.

COCTILICIA Taberna, apud Jul Capitolin. *in Pertinace*, *c.* 3. *Nam Pater ejus tabernam* coctiliciam *in Liguria exercuerat. Sed poſtquam in Liguriam venit, multis agris coemtis, tabernam paternam, manente famâ priore, infinitis ædificiis circumdedit, fuitque illic per triennium & mercatus eſt per ſuos ſervos*: eſt quæ *coctilibus* lignis erat inſtructa, in qua *coctilia ligna* venderentur. Differebant autem *coctilia* à carbonibus, quòd cocta quidem eſſent ligna, ſed non ad plenum, neque ita ut carbones videri poſſent: item à titionibus, ut videre eſt apud Ulpianum, *leg.* 167. *de verborum ſignific.* ubi ea appellat *ligna cocta*, *ne fumum faciant*: vulgò *Acapna*. Apud Trebellium tamen *in Claudio*, *c.* 14. ubi ait, *Coctilium quotidiana batilla quatuor*, pro carbonibus videtur ea vox accipi: aut non multum acapna à carbonibus differebant. Nam brevia admodum fuiſſe, nec manu, ut ligna, ſed batillis tractari ſolita, hic locus declarat. Vide Caſaubon. & Salmaſ *Not. ad Capitolin. & Pollion. loc. cit.* & ſuprà *Acapna*.

COCTIO, apud poſteriores dictus eſt, qui *Hermeneus* olim, Gallis hodie *Machinon*, quaſi *machinator*, Italis quibuſdam in locis *Senſale*. Erat is inter Servum Comicorum genera, cujus interventu & tractatu merces diſtrahi conſuevêre. Facies illius talis: Obtutus acer, protenſa ſupercilia, barbatus, recalvaſter. Alter ejuſdem operæ, diverſâ facie, cuneatâ barbâ, Græcè σφηνοπώγων &c. Jul. Cæſ. Scaliger, *Poetices l.* 1 *c.* 14. &c. Vide quoque ſuprà *Cociones*.

à **COCTO** & Viſo ſuſpendi, pœnitentiæ ſpecies, apud Joannem VIII. *Ep.* 302.

COCULA, ſeu **COCCULA**, ſagulum Hibernicum villoſum, abſque ſutura, & quod marginem inferiorem planam exhibet, ſuperiorem arenatam, cirriſve ſeu limbis laneis fimbriatam, in *Vita* S. Cadoci Cambrenſis, & *Ep.* 74. Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini apud *Spelmannum* & *Car. du Freſne*.

COCUNDÆ, Indiæ populi. Plin. *l.* 6. *c.* 20.

COCUS, vide infrà *Coquus*.

COCUTIA, vel **CUCUTIA**, apud Treb. Pollionem in *Claudio*, *c.* 17. *Cucutia villoſa duo* pro *Concutia*, à *concutio*. Sunt autem *Concutia* vel *Concutes* veſtes, quas Græci κρουστὰς & σπαθητὰς vocant; item πυκνοϋφεῖς, *pavidenſes* ſcil. & *bene condenſatas*. Nam *concutere* κρούειν eſt vel σπαθᾶν: unde *concus*, radius erat vel pecten, quô veſtes percutiebantur. *Gloſſæ*: *Concus*, κερκίς, ita enim ſcribi jubet Salmaſ. κερκίς radius textorius eſt, *concutere*, κερκίζειν; pro quo *decutere* etiam dicebant. Gloſſæ eædem, *decutit*, κερκίζει. *Percutere*. Juvenalis, *Sat.* 9. *v.* 30.

> *Et bene percuſſas textoris pectine Galli.*

Bene itaque percuſſæ veſtes *Concutes* & *Concutia*, quæ etiam *craſſa*, vide infrà.

COCYNTHUM, vide *Cocinthum*.

COCYTUS, fluv. Epiri. Pauſan. *in Attic.*

COCYTUS, fluv. Campaniæ exiguus, in Lucrinum lacum influens: Poëtis eſt unus ex quatuor inferorum fluviis à Styge profluens, nomen habet ἀπὸ τοῦ κωκύειν, h. e. à *gemendo*, & *lamentando*. Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 323.

> *Cocyti ſtagna alta vides, Stygiamque paludem.*

Claudian. *de Rapt.*, *l.* 1. *v.* 87. Non ſine nominis alluſione:

> —— *Preſſo lacrymarum fonte reſedit*
> *Cocytus, tacitis Acheron obmutuit undis.*

Horat. *l.* 2. *Carm. Od.* 14. *v.* 18.

> *Viſendus ater flumine languido*
> *Cocytus errans.* ——

De eo paſſim Poëtæ. *Nic. Lloydius.*

CODANE, Gedroſiæ inſula *Ptol.*

CODANIA, Daniæ Metropolis, *Hafnia* Latinè, vulgò *Coppenhagen*. Vide *Haphnia*.

CODANONIA, inſul. maris Baltici in regno Daniæ, teſte Ortelio, quæ & *Selandia* dicitur in ſinu Codano, à quo nomen accepit. Totius Daniæ præcipua, inter Scaniam ad Ortum, & Fioniam Inſul. ad Occaſum, ubi Haphnia totius Daniæ primaria, juxta Sundicum Fretum. Vide *Selandia* & *Zelandia*. *Baudrand.*

CODANUS Sinus, mare quod ex Oceano Germanico terras ingreditur, longè lateque inter Cimbricam Cherſoneſum & Scandinaviam, rigatque oram littoralem German & Poloniæ, & appellatur ab aliis *mare Balticum*, vulgò *Belth*. Alii *de Sundt* indigitant. *Nic. Lloydius.* Item *Oſtzee*: Cujus partes ſunt Botnicus ſinus Finnicuſque,

Alias

Aliiseſt illa tantùm maris Baltici pars, quæ eſt inter Jutiam, Scaniam & Norvegiam, ubi Inſul. Codanonia. *Baudrand.*

CODATE, vide *Codute*.

CODEX, propriè idem quod *truncus*, qui Græcè κορμὸς & τόμος; atque inde pro libro ſeu volumine. Forte ex Græco κώναξ, unde *caudex* & *codex*, extritò *n*. Eſt autem Græcis κώναξ diminutivum à κῶνος, i. e. *ſcapus*, atque hâc voce illis volumen chartæ, ſicut Latinis *ſcapo* vel *codice*, venit, vide Salmaſ. *ad Vopiſc. in Firmo*, c. 3. ubi totam Chartariam rem fusè & prolixè explicat. Libris enim arborum ſucceſſêre tabellæ ligneæ, quæ ſchedæ erant, vel tabellæ ceratæ, quibus veteres, quæ viſa erant, inſcribebant. Schedæ erant tabellæ nudæ, ſive non inductæ cerâ, Plin. *l.* 13. *c.* 11. Hæ, ſi ſimplices, craſſiores erant, ut è quibus pueri diſcerent. Plautus, *Bacch. Act.* 3. *Sc. Nunc experiar*, v. 37.

Exemplo puer pedagogo tabulâ dirumpet caput.

Sin plures jungi opus foret, ſecabantur in tenues laminas. Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 3. *lemm. pugillares Citrei*

Secta niſi in tenues eſſemus ligna tabellas,

Præterea dolabantur, ut faciliùs in iis ſcriberetur. Iſidorus, *l.* 6. *c.* 8. *Ante uſum chartæ & membranarum, in dolatis ex ligno codicillis epiſtolarum colloquia ſcribebantur*, &c. Voſſ. *de Arte Gramm. l.* 1. *c.* 38. Hinc *Codices*, quo nomine appellat Leo Imperat. *l.* 3. *de agent. in reb. l.* 32. *Cod.* tabulas continentes notitiam dignitatum & adminiſtrationum civilium mandatorumque Principalium, & promotionum & conſuetudinum, quod & *Marianus* docet. Erant & *Codices*, *Argentariorum ſcriptura*, quibus eorum rationes continerentur, *l. quædam* 9. §. *pen. ff. de edendo* Erant & *Nummulariorum*, & *Rationum*, Poëta:

Cùm venit ad dubium grandi cum Codice *nomen.*

Et Propert. *l.* 3. *El.* 22. *v.* 19.

Me miſerum! his aliquis rationem ſcribit avari,
Et ponit curas inter Ephemerides &c.

Fiebant autem ex membranis, chartis, ebore, aliave materia, ut conſtat ex *d. l. libr.* Unde & Conſtitutionum Imperatoriarum volumina *Codices* appellati ſunt. Erant autem horum, ante Juſtinianum, tres, *Gregorianus*, *Hermogenianus* & *Theodoſianus*, quos commemorat Imperator, *l. unic. Cod. de novo Cod. faciendo.* & *l. unic.* §. 2. *Cod. de Juſtinian. Cod. confirmand.* Iſidorus quoque, *Etymol. l.* 5. & Auguſtin. *de Adul. Conjug. l.* 2. Præterea apud Joannem Calvinum, *Lexic. Jurid.* Edidit Sirmondus ad *Codicem Theodoſianum* appendicem, quam ſuppoſititiam eſſe eruditè demonſtravit Jac. Gothofredus, *Not.* & *Commentar.* ad *Codicem Theodoſ. Tom. VI.* p. 303. & *ſeqq.* Iisdem *Codicilli*, vide infrà in hac voce: ut de ſceptro Imperatorum Conſtantinopolit. ad *Codicis* inſtar facto, ſuprà in *Acacia*.

CODEX, ſupplicii apud Romanos genus, ligneus videl. ſtipes quem alligati ſervi, qui deliquerant, trahebant, cuique inſidebant vincti: Idque in privatis, ut videtur, ædibus. Vide Turneb. *Adverſar. l.* 23. *c.* 21. Cujus meminit Juvenalis, *Sat.* 2. v. 57.

Horrida quale facit reſidens in codice pellex.

At Codex *robuſtus* ſeu *Cuſtodia lignea*, ſeu *Italum robur*, altera pars carceris apud Romanos, quæ aliàs *Robur*. Vide *ibi*.

CODEX Canonum, dicta eſt Collectio Canonum, à Conciliis ſancitorum, quæ poſt habitam Nicænam Synodum inchoata & uſque ad Concilium Chalcedonenſe, Oecumenicum IV. continuata eſt. Habuit autem primus Codex Canones non niſi CXXXVIII. 20. nempe Nicænos; 25. Ancyranos; 14. Neocæſarienſes; 59. Laodicenos & 20. Gangrenſes: poſteà verò crevit ad tempora Concilii Chalcedonenſis; à quo, ut & Juſtiniani Imperatoris *Novellâ* 131. confirmatus eſt, ad Canones CCVII. accedentibus Antiochenis 25. Conſtantinopolitanis 7. Epheſinis 8. & Chalcedonenſibus 29. Quorum ordo Conciliorum in Concil. Conſtantinopol. in Trullo, *Can.* ἐπισφραγίζομεν eſt idem, qui in Codice univerſæ Eccleſiæ invenitur obſervatus. Sunt quidem alia Concilia Synodique & in iis ſcripti Canones, antiquiores relatis: qui tamen *Codici Canonum* Eccleſiæ univerſæ illati non ſunt. Poſt tempora itaque Synodi Nicænæ I. Eccleſia duplici jure regi cœpit; *Divinè*, quod in ſacris literis; & *Canonicè*, quod in Codice Canonum continebatur. Qui *Codices* ambo in Conciliis, in medio conſeſſus, ponebantur, ut ex iis dogmata pietatis explorarentur, obortæ hæreſes refutarentur, & controverſiæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam, ſacramque politiam pertinentes dirimerentur. Vide Concilium Chalcedon. *Act.* 4. Atque hujus *Codicis Canonum* tribus Exemplaribus *MSS.* ex Vaticana Bibliotheca depromtis, uſos ſe teſtantur in *Præfat.* selecti ſeculô anteriore Viri ad Emendationem Gratiani. Græcè verò primus ex antiquiſſimo Eccleſiæ Hilarianæ Pictav. codice eum edidit Lutetiæ, A. C. 1540. Joh Tilius. (Verſionem antiquam, quam uſque ad Chalcedonenſem Synodum Eccleſia Romana habuit, Juſtellus *in Biblioth. Juris Canon. vet. Tom. I. p.* 277. repræſentavit. Aliam dein inſtituit Dionyſius Exiguus, qui interpretationi ſuæ addidit Canones, qui vocantur *Apoſtolorum*, Sardicenſe Concilium, item Africana quædam: ultraque decreta quoque Pontificum Roman. à Siricio orſus, ſubjunxit; cùm Collectores eò antiquiores, decretales Pontificum Epiſtolas, Synodorum contenti regulis, omiſiſſent, &c.) Et hic fuit Codex Eccleſiæ Univerſæ ſeu Catholicæ, quô uſus Oriens, & quem Occidens in Latinum vertit: à Juſtello vulgatus A. C. 1610. & reſtitutus; iterumque publicatus à filio ejus A. C. 1661 additis Canonibus Epheſinis & Chalcedonenſibus. Lumen ejus aliquantum obſcuratum, poſtquam Græci habitâ Synodô Trullanâ ediderunt alium Codicem, qui fuit Codex *Eccleſiæ Orientalis*, pauló diverſus à *Codice Eccleſiæ Univerſæ*. Quod diſcrimen cùm non adverteret Cardinal. Perronius malæ fidei ſine cauſa Chriſtophorum Juſtellum arguit, quòd in Codicem Univerſ. Eccleſ. non admiſerit Sardicenſes Canones; hi enim in primario illo Codice extitêre nunquam, poſteà demum additi. Sequenti tempore *Corpus Canonum*, item *Corpus Codicis Canonum*, & *Liber Canonum* appellari cœpit: unde *Juris Canonici* origo. Vide ſuprà ubi de *Canonibus Conciliorum*. Sed & aliæ Occidentis Eccleſiæ, præter Romanam, de qua dictum, ſuum habuêre *Codicem Canonum*, de quibus ſtrictim hæc ſubjungo, ex Gerb. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccleſ.*

Codices Canonum, Eccleſiarum variarum.

Africanæ Eccleſiæ *Codex* duplex fuit, alter Univerſæ Eccleſiæ, de quo ſuprà: alter particularis, ex Synodis Africanis compilatus, & in Concilio Carthaginenſi poſt Conſulatum Honorii XII. & Theodoſii VIII. A. C. 419. confirmatus, auctoritate CCXVII. Epiſcoporum Africæ, publicéque receptus in tota provincia & Actis Concilii inſertus. Scriptus eſt autem Latinè primùm, poſteà verò Græcè verſus eſt, ſicque ſub titulo *Concilii Carthaginenſis*, Codici Eccleſiæ Orientalis inſertus. Idem in Codicem Canonum Eccleſiæ Roman. relatus eſt, à Dionyſio Exiguo: utraque in lingua editus à Chriſt. Juſtello Pariſiis A. C. 1614. cum *Notis*.

Britannicæ Eccleſiæ *Codex*, qualis fuerit, an ille Eccleſiæ Univerſæ an particularis, hærent Eruditi. Præiatus von Maſtricht eundem fuiſſe cum *Codice Eccleſiæ Romanæ, veriſimile eſſe judicat.

Carolinus *Codex*.

Catholicæ Eccleſiæ *Codex*, quæ initia habuerit, quibuſque acceſſionibus creverit, diximus: Poſtquàm à Juſtiniano Imperatore confirmatus eſt, pars Juris Civilis eſſe cœpit: indeque Imperator paſſim depromſit Eccleſiaſticas ſuas Conſtitutiones, quæ in *Novellis* ac Codice extant.

Dionyſii Exigui *Codex*, vide infrà.

Gallica Eccleſia, ſub Carolo M. ab Hadriano Papa *Codicem Dionyſii Exigui* accepit; ſed præter hunc, jam anteà habuit Codicem peculiarem, Gallicorum Conciliorum Canones complectentem: in quem ſucceſſu temporis adoptati etiam Canones cæterorum Conciliorum, putà Africani: item Decretales quædam Epiſtolæ Pontificum.

Germania, quô *Codice* Canonum primis temporibus uſa ſit, incertum eſt. Temporibus Riculfi Epiſcopi Moguntini eò pervenit Compilatio Iſidori Mercatoris, de qua ſuô loco.

Hiſpania duplici quoque *Codice* uſa eſt, alterô Eccleſiæ Univerſæ, quem à Romanis accepiſſe probabile eſt; alterô Speciali, è Conciliis potiſſimum Hiſpaniæ collecto; quibus addita quædam ex Conciliis Galliæ, item Epiſtolis Decretalibus Pontificum Romanor.

Orientalis Eccleſiæ *Codex* ſextô Oecumenicô Trullanô A. C. 681. confirmatus, conſtat ex Codice Canonum Eccleſiæ Univerſ. & additionibus iis, quas *Canon* 2. Synodi Quiniſextæ refert. Acceſſerunt nempe Canones Pſeud-Apoſtolici, Sardicenſes, Africani; Item Epiſcoporum, Patrum, Patriarcharum quorundam Canones & Epiſtolæ. Vide editionem Pariſienſem hujus Codicis A. C. 1620. cum Balſamonis *Commentar*.

Romanus *Codex*, à Codice Eccleſiæ Catholicæ diverſus. Non diu etenim contenta Eccleſia Romana Canonibus Nicænis, & qui cum Nicænis pari ambulabant paſſu, eôdem cum Orientalibus ſtudiô Canones colligere cœpit: eoſque conquiſivit ex Oriente & Latinè tranſtulit. Et quidem antiquam Codicis Canonum verſionem habuit, uſque ad ætatem Dionyſii Exigui, qui aliâ Codicis verſione adornatâ Decretales primus addidit, meruitque, ut Collectio ejus ſtatim Romæ recepta, *Corpus Canonum* ſimpliciter appellaretur, & Carolo M. à Pontifice, in uſum Eccleſiæ Gallicanæ traderetur. Præter hunc verò *Codex Romanæ Eccleſiæ*, editus primum Moguntiæ A. C. 1525. poſteà Lutetiæ, in uſu quis fuerit, & in quibus à Codice Dionyſii & Codice Eccleſiæ Univerſæ diverſus, pluribus vide apud laudatum ſuprà, *Hiſtor. Juris Eccl.* Auctorem.

Eccleſiæ Univerſæ ſeu Catholicæ *Codex*, à Juſtiniano confirmatus *Nov.* 131. vocatur ὑπὸ τῶν τεσσάρων ἁγίων συνόδων ἐκτεθέντα, *A ſanctis* 4. *Synodis conſtituta* &c. Vide quæ dicta retrò.

CODEX Euangeliorum, ab Imperatoribus geſtatus. Proſtat enim nummus aureus Baſilii Imperatoris apud Octav. Stradam, in quo Euangeliorum Codicem dexterâ & globum crucigerum ſiniſtrâ geſtat. Alium idem deſcripſit aureum, Conſtantini Pogonati, ubi Imperat. *Codicem* perinde ſiniſtrâ ad pectus gerit, niſi volumen id ſit, ut in nummo Theophili aureo apud eundem deſcribitur. Certè Imperatores interdum cum Euangeliorum Codicibus effictos, tanquam conſtantis in fidem Chriſtianam animi argumentô, conſtat. Scribit quippe Porphyrogenitus in *Vita Avi*, in quodam Magni Palatii triclinio à Baſilio exædificato, quod Καινούργιον appellabant, expreſſum opere Muſivô in throno ſedentem Imperatorem, operis conditorem, conjugemque Eudoxiam, imperatoriis indumentis amictos & coronis redimitos, cum communibus liberis; quorum maſculi βίβλους θεοπροφήτους conſpiciebantur ἐν ταῖς χερσὶν, αἷς τὰς ἐντολὰς ... ἐπεστάλκασιν, *libros divina præcepta, quibus ipſi inſiſtere docebantur, continentes*: fœmineæ verò & ipſæ libros quoſdam tenebant νόμων θείων ἔχοντας περιοχὴν, *in quibus divinarum legum argumenta deſcripta erant*. Quaſi, inquit Auctor, in animo habuerit Artifex utramque progeniem ſacris literis initiatam & divinæ ſapientiæ participem eſſe, demonſtrare. Qui quidem libri non alii videntur fuiſſe, ab Euangeliorum codicibus, in quibus Chriſti præcepta continentur. Narrat quoque Autor, *Chronici Alexandr.* Juſtinianum, excitatâ Victoriatorum ſeditione, in Circum progreſſum, ſediſſe in tribunali geſtantem manu ſanctum Euangelium; p. 780. In manus ſcilicet ſumpſerat Imperator Euangelii

Codicem, quò forſan ſeduloſæ multitudini fidem faceret indultæ iis veniæ, tactis ſacroſanctis Evangeliis, quæ ſacramentorum apud Chriſtianos formula ſolemnis verbis his concepta jam olim fuit: *Μα τὰς ἁγίας γραφὰς ταύτας καὶ τὸν Θεὸν τὸν λαλοῦντα ἐν αὐταῖς*, *Per ſanctas Scripturas iſtas, & Deum loquentem in iis*, ut eſt in VI. *Synodo* & alibi paſſim. Evangelium tamen geſtare ſolius Presbyteri fuiſſe, neque id Juris habuiſſe Imperatorem, contendit olim Maximus Monach. in *Collat.* habita in Secretario, cum Principibus, apud Anaſtaſium in *Collectan. p.* 123. & Baronium, *A. C.* 656. Vide Car. du Freſne, *Diſſertat. de Numiſmatibus poſterioris ævi*: uti de *Codice Evangel.* in Conciliis in medio poſito, cufrà voce *Synodus*; aliquid etiam retrò, ubi de *Canonico jure*.

CODEX Ludovicianus, Gall. *Code Louis*, nomen libri, in quo norma exercendorum hodie in Gallia judiciorum continetur. Hactenus enim Jus Gallicum duûm generum fuit, *Scriptum* & *Conſuetudinarium*, hincque à Galliæ Jureconſultis Regnum illud diviſum in *Provincias Juris Scripti*, quæ Jure Romanò utuntur, & *Provincias Conſuetudinarias*, quæ moribus conſuetudinibuſque propriis reguntur. Quarum illæ ſunt omnes, quæ territoriis Parliamentorum Tholoſani, Burdegalenſis, & Gratianopolitani comprehenduntur. Hæ reliquæ, in quibus Conſuetudinarii Juris prima origo à Francis, Vandalis, Burgundionibus arceſſitur, qui variis in Galliæ partibus egerunt. Quibus poſtmodum Reges Francici ſuas addiderunt Conſtitutiones pro regimine Gallorum, quæ omnes generali nomine *Lex Salica* dictæ ſunt. Hanc deinde auxit Carolus M. ſuis Capitularibus, ipſique XXIII. articulos addidit. Sed ſecurô Capetinorum regimine ea in deſuetudinem abiit, Regibus novas Conſtitutiones, pro Majeſtate ſua, ſancientibus, quarum quidem priores pleræque temporum injuriâ periêre; eæ verò, quæ poſt Ludovicum IX. & ab A. C. 1228. prodierunt, conſervatæ & editæ apud Gallos habentur, quæ in immenſum numerum ſucceſſu temporis excreverunt. Unde factum, ut poſteri Reges de Jure Gallico inde formando ſæpe cogitaverint: inter quos Henricus III. in Conventu Ordinum Bleſenſi id muneris Barnabæ Briſſonio, aliiſque primariis Galliæ JCtis, demandavit, ut ex Conſuetudinibus Provinciarum & Conſtitutionibus Regum Corpus ejus concinnarent. Sed obitu Regis Briſſoniique conatus irritus fuit. Felicius res hodierno Regi Ludovico XIV. Magno ſucceſſit, cujus auctoritate ac juſſu *Codex ita dictus Ludovicianus*, in normam exercendorum judiciorum introductus eſt A. C. 1667. de quo, cùm alia ad manus non ſint, videre poteris Auctorem *Diarii Europ. Continuat. XVII. p.* 671. Cæterum inter celebriores *Conſuetudinum Gallicarum* Scriptores ſunt: *Le grand Couſtumier general, contenant toutes les couſtumes generales & particulieres du Royaume de France & des Gaules, par* Charle du Moulin: *Pandectes du Droit François, par* Louis Charondas le Caron JCtum, *Paris. Tom. II. La Bibliotheque ou Threſor du Droict François, par* M. Laurens Bouchel, *Advocat en la Cour de Parlement* &c. Auctor Anonymus, *Hiſtor. Orbis Terr. Georg. & Civ. c.* 3. *de Regno Galliæ*, §. 16.

CODICARII, qui *caudicariis* navibus, ex tabulis nempe craſſioribus confectis, quibus allatum claſſe ex Sicilia, Sardinia, Africa, Ægypto aut Gallia frumentum per Tiberim in urbem inferebatur, præerant. Lapis antiquus ad Smetium *Inſcr. Menſores portuenſes, quibus vetus fuit cum Caudicariis diuturnumque certamen.* Vide Thom. Dempſter. in *Joh. Roſini Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 38. *Paralipom.* Navium verò *Codicariarum* mentio, apud Varronem, de *Vita Pop. Rom. l.* 3. *Quod antiqui plures tabulas conjunctas codices dicebant, a quo in Tiberi naves* Codicarias *appellamus.* Cujuſmodi naves *πάκτωνας* Græci vocabant, à verbo *πηγνύναι*, quòd ea pluribus lignis inter ſe alligatis compingerentur; *Ratelles* vel *Radelles* Galli hodierni: Similéſque erant *διαπλοκίνας* Straboni memoratis, quæ erant navigia ex papyro texta, quibus in Nilo Ægyptii utebantur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1116.

CODICILLI, apud Iſidorum, *l.* 6. *c.* 8. *Ante uſum chartæ & membranarum, in dolatis ex ligno* codicillis, *Epiſtolarum colloquia ſcribebant*: diminuendi formâ à voce *codex* dicti ſunt etiamque tabellæ è ligno, & quidem dolatæ, ut faciliùs in iis ſcriberetur. *Erat enim indecorum*, verba ſunt Caſſiodori, *l.* 11. *doctos ſermones committere tabulis impolitis & in veternoſis ramalibus imprimere, quod ſenſualis poterat elegantia reperire.* Succeſſêre autem Codicilli ſeu Codices libris arborum, & ab illis in eo differebant; quòd in libro ſcriberetur, nec deleretur: in *Codicillis*, quæ ſcriberentur, poſteà inducerentur. Ipſos verò membranæ exceperunt, qua de re vide hic paſſim, & plura apud Gerh. Joh. Voſſ. *de Arte Grammatic. l.* 1. *c.* 38. Manſit poſtmodùm nomen, etiam poſt chartam inventam; & modò pro *Literis* ſive Epiſtolis; modò pro *Pugillaribus tabulis*; modò pro *Diplomatibus* Principum ſumi cœpit. Unde *Codicillaris*, ὁ ἀπὸ τῶν *ὑπατειῶν*; *Codicillaris Conſul*, idem cum Exconſule, ſeu Conſule Honorario, & qui titulum tantùm, non vim dignitatis habet. Vide Lamprid. *in Alexandro*, *c.* 49. ut & aliquid infrà, ubi de *Manûs impoſitione*, it. voce *Officium* & *Vacans*. Apud Juriſconſultos ſpeciatim ſcripturam, ſeu literam notat, in qua Teſtator ſuam ſiguràs voluntatem. Quô ſenſu vocem capit Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 53. *v.* 1, 5.

Hic qui libelli prægravem gerit lævam,
Notariorum quem premit chorus levis,
Qui Codicillis hinc, & inde prolatis,
Epiſtoliſque commodat gravem vultum &c.

Ad quem locum vide Salmaſ. ut de more *per Codicillos* adeundi Cæſarem, licèt præſentem, apud Romanos recepto, Tacitum, *l.* 4. *Annal. c.* 39. ubi Sejani ad Tiberium Codicillos, quibus Liviam Juniorem in uxorem petebat, habes.

CODINUS Georgius, vide *Georgius*.

CODOVALLADIUS, ultimus Britonum Rex, cùm Bellum appararet, ſomnió abſterritus, desertâ patriâ Romam conceſſit, A. C. 690. Vide Polydor. Virgil. *l.* 3.

CODDURA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptolemæo. Gordovari Caſtaldo.*

CODOMANNUS Laurentius, vide *Laurentius*.

CODON, Græcè *Κώδων*, propriè cymbalum eſt, vel parva potiùs ex ære nola. Hinc & tubarum orificia, quà ſpiritus emittitur, quòd eam referant formam, ſenſimque ſeſe in exitu dilatantia repandis per ambitum labris aperiantur, *Codones* quoque appellati: quos & hodiernas tubas habere videmus. *Κωδωνοφόρους αὐλοὺς* vocat *Euſtathius*, quòd labra in ambitu ſic repanda & replicata habeat. Porrò, ad inſtar tubæ, tibiis Phrygiis, quæ ex buxo, aut etiam ex oſſibus fiebant, hujuſmodi *κώδωνες* ex cornu facti addebantur, ut clarius & acutiùs ſonarent: cujuſmodi ſunt hodieque tibiæ, quas *alaboecias* Galli vocant. Cæteræ tibiæ his carebant & eâ parte ſimiles erant, illi generi fiſtularum, quas *dulces* iidem vocant. Sed & plagiaulos, i. e. Libyca tibia, *codonem* ſimiliter è cornu habebat: verùm illa incurva erat, Phrygia recta. Unde eam *adunco cornu tibiam* vocat Ovidius, *l.* 3. *Met. v.* 533. in Bacchi ſacris, de plagiaulo accipi par eſt. Virg. *l.* 11. *Æn. v.* 737.

Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi.

Utramque in antiquis monumentis implexas videre eſt, ubi ſacra Deûm matris inſculpta habentur, & utramque quidem cum *codonibus* ſeu *cornibus*, namque & ſic *codones* tibiarum dicebantur. *Pollux, κέρας δὲ ἑκατέρῳ τοῖν αὐλοῖν ἀνανεύον, καὶ αὐλοῦντι τῷ Φρυγίῳ ἴδιον*. Hinc *Ceraula* & *Ceratauls*, de quibus ſuprà. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 123. ut & infrà *Nola* it. *Papaver*, *Plagiaula*, *Tintinnabulum*.

CODORLAHOMOR, vide *Chodorlahomor*.

CODRAVA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

CODROPOLIS, Illyriæ oppid. *Appianus. Joh. Lucio* locus in Carnis, nunc *Codroipo*, in Foro Julii, juxta amnem Stellam, 18. millias. à Palmanova in Occaſum, 12. ab Utina *Baudrand.*

CODRUS, XVII. & ultimus Rex Athenienſium fuit, Melanthi filius; qui cùm Heraclidæ, inſtigantibus maximè Corinthiis & Meſſeniis, gravi bellô Atticos premerent, reſpondiſſetque Pythia, *Quorum Dux ab hoſte eſſet occiſus eos futuros ſuperiores*, depoſitâ veſte Regiâ, paſtoralem cultum indus, immiſſuſque caſtris hoſtium de induſtria rixam ciens interemptus eſt, an. regni 21. Davidis 5. Mundi 2985. ante Chriſtum Natum 1068. alii circa tempora Elon & Abdon Judicum. Secuti ſunt *Archontes*, ut narrat Paterculus, *l.* 1. *c.* 2. quorum primus Medon, quem vide. Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 19. *v.* 2.

Codrus, pro patriâ non timidus mori.

Hôc factô Peloponneſii, digredientes finibus Atticis, Megaram condiderunt & incolas ex Ionibus fecerunt Dorienſes: aboleverunt etiam *στήλην* Cippum, quem Ionibus à Peloponneſiis diſcernendis, Theſeus pridem in Iſthmo collocaverat, cùm ad agrum Megaricum Attico adjeciſſet, adeò ut de Megarenſibus deinceps dictum ſit, *ἐν οὐ λόγῳ οὐτ᾽ ἐν ἀριθμῷ*, Strabo, *l.* 9. Pauſan. *l.* 1. Joh. Marshamus, *Canone Chron. ad Sec. XIII.* Ab eò tempore Dorienſes in Atticam non veniſſe, uſque ad Piſiſtratidarum tyrannidem, notat Herodotus, *l.* 5. *c.* 76. Ab hoc proverbium, *Codrô generoſior*, vide Juſtin. *l.* 2. *c.* 6. Val. Max. *l.* 5. *c.* 6. Cicer. *l.* 1. *Tuſcul. c.* 48. Apud Virg. *Ecl.* 5. *v.* 11. *Codrus* paſtoris nomen eſt, perinde ut *Alcon*:

—— ——— Si quos aut Phyllidis ignes;
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

Ubi malè Servius ad Codrum Athenienſem refert, quem ob nomine Scaliger notavit, *animadverſionib. Euſeb. Nic. Lloydius.*

CODRUS, Echeanacti fil. qui, ope fratrum Anaxagoræ & Diodori, Hegeſiam Epheſi tyrannum interemit, vide Diodor. Sic. & Polyæn. *l.* 6. *c.* 49.

CODRUS, Poëta Latinus cujus Virg. meminit, in Bucolicis. *Ecl.* 7. *v.* 22.

Nymphæ, noſter amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite.

CODRUS, Poëta quidam pauperrimus, ſub Domitiano, cujus paupertas proverbio locum fecit, ut dicamus *Codrô pauperior*, Juvenalis, *Sat.* 3. *v.* 203.

Lectus erat Codro Proculâ minor ——

Martialis, *l.* 3. *Epigr.* 15.

Plus credit nemo, quam totâ Codrus in urbe,
Cùm ſit tam pauper, quomodo cæcus amat?

Malum Poëtam fuiſſe Codrum è Juvenale diſcimus, *Sat.* 1. *v.* 2.

Vexatus toties rauci Theſeide Codri.

Vide Eraſmi *Adag. Titul. Paupertas. Nic. Lloydius.*

CODUTAE, populi Indiæ extra Gangem. *Ptol.*

CODUZABALA, Armeniæ minoris urbs. *Antonin.*

COECILE, Turdulorum urbs in Bætica. *Ptol.*

COECILIUS, prænomine *Titus*, Primi pili centurio, cecidit ex Afranianis ad Ilerdam. Cæſar, *l.* 1. *de Bello Civ. c.* 46.

COECINUM, oppid. in ſinu Scyllaceo.

COECULUS cognomento Saturnus Junior, regnavit apud Aborigines annô ante Urb. Cond. 807.

COEDAMUSII, Mauritaniæ Cæſarienſis gens. *Ptol.*

COEFFETEAU Nicolaus, vide *Nicolaus*.

COEL, Rex M. Britanniæ, patruô Aſclepiodotô occiſô. Pater Helenæ, avus Conſtantini M. Item, filius & ſucceſſor Marii. Item, alius à Fregusio Scoto devictus. Polydor. Virg. Ducheſnius, *Hiſt. Angl.*

COELA, Atticæ regioncula, Miltiadis & Thucydidis ſepulcris nobilitata, Marcel. *in vita Thucyd.*

COELA, ſinus Euboici locus Liv. *l.* 31. c. 47. Apud Val. Max. *l.* 1. *c.* 8. *ex.* 10. tractus quidam hôc nomine deſcribitur inter Rhamnunta, nobilem Atticæ ſoli partem, Caryſtumque, prope Chalcidicum fretum. Strabo, *l.* 10.

COELALETÆ, Thraciæ populi, Tacit. *l.* 3. *Hiſt.* c. 38. Plinio, *l.* 4. c. 11. *Celetæ*; Livio, *l.* 38 c. 40. *Cœletæ*; Dioni, *l.* 54. corruptè *Staletæ*, ut annotat *Lipſius*. Plinius autem *loc. cit. Celetas* diſtinctos habet. *Majores Hæmo; Minores Rhodopæ ſubditos.*

COELE, Græcè Κοίλη, locus Atticæ, ad tribum Hippothoontidem pertinens, uti docet Sponius ex marmore veter. XIII. Tribuum Atticarum memoriam ſervante, in quo mentio hujus demi his verbis continetur, ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ (qui ſub hac tribu ibi locatur) ΕΚ ΚΟΙ, h. e. ΕΚ ΚΟΙΛΗΣ: uti integra vox occurrit, apud Æſchinem, *in Cteſiph.* Α᾽ρχῖν⊕ ὁ ἐκ Κοίλης. Fuiſſe celebrem hunc locum ſepulchrô Miltiadis & Thucydidis, dictum in voce *Cœla*: & quidem in hujus tumulo, inſcriptionem hanc ſepulchrali cippo incluſam fuiſſe, ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ ΟΛΟΡΟΥ ΑΛΙΜΟΥΣΙΟΣ, narrat Marcellinus, in ejus *Vita*. Vide Jac. Sponium, *Itinerar. Græc. part.* 3. *ubi de Populis Atticæ*, & infrà voce *Cœla*.

COELE, fauces montium Theſſal. & Epiri, circa Pindum & Oeten. Liv. *l.* 32. *c.* 4.

COELEMBA, *Ptol.* Gedroſiæ Urbs, hodie videtur Cambaja, regni caput. Legitur *Cœlambe*, *Coambe*, *Baambe*.

COELERINI, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi. *Ptol.*

COELESTIS Dea, ſive Οὐρανία, Carthaginenſibus olim in veneratione, à Didone Phœniſſa accepta legitur, apud Herodian. *l.* 5. c. 6. qui Lunam credi vocarique aliter Α᾽στροάρχην addit. Sic enim Græculi, corrupêre vocem Α᾽στάρτην, quæ ex *Aſtaroth*, faciendo inde Α᾽στροάρχην, quaſi *Siderum rectricem*. Ut verò Græci *Uraniam*, ſic Latini reddidêre *Cœleſtem*. Tertullian. *Apologet. Unicuique etiam provinciæ ac civitati ſuus Deus eſt, ut Syriæ Aſtartes, ut Arabiæ Dyſares, ut Noricis Belenus, ut Africæ Cœleſtis.* Ejuſdem meminit Capitolin. *in Pertin.* c. 4. *Deinde Proconſul Africæ factus eſt, in qua proconſulatu multas ſeditiones perpeſſus dicitur vaticinationibus earum quæ de templo Cœleſtis emergunt.* Idem in *Macrin.* c. 3. *Vates Cœleſtis apud Carthaginem Deo repleta ſolebat vera canere.* Pepli Deæ *Cœleſtis* mentionem facit, illâque Celſum Imperatorem appellatum, ab Afris ornatum fuiſſe, docet Trebellius Pollio, *in XXX. Tyr.* Uti autem *Lunum* & *Lunam* dixêre Carrent, teſte Spartianô in *Carac.* c. 6. 7. ita & *Cœleſtem* Afris Dei Deæque nomen fuiſſe, colligunt quidam ex Salviano, qui *de Gubern. Dei*, *l.* 8. *Cœleſtem illum, Afrorum Dæmonem*, & Ulpiano, qui *tit.* 22. *Regul.* hoc Africanum numen *Cœleſtem Salinenſem* vocat. Addit prædictis Ammianus, *l.* 22. ut Aſclepiades Philoſophus circumferre ejus ſolitus ſit figuram ex argento, ſic Deam magis ſibi propitiam fore arbitratus: quemadmodum alii, ſi Alexandri M. figuram geſtitarent, in cunctis, quæ agerent, ſe ab eo adjutum iri, ſperabant, teſte Trebelliô, *in XXX. Tyr.* c. 14. Eadem ergo hæc Dea cum *Regina ſeu Fortuna cœli* Judæorum, Phœnicum Aſtarte, Perſarum Mitra, aliorum Urania, Venere, Junone, Diana, h. e. Luna: nec obſtat, quòd *Cœleſtem Virginem* Tertull. vocat in *Apologet.* ubi eam *pluviarum pollicitatricem* appellat; & Auguſtinus, *l.* 2. *de Civ. Dei* c. 4. eam cum Berecynthia Deorum matre, conjungit. Nam & Diana ſemper virgo, quæ tamen & Juno Lucina ac Ilithyia & Γενεθλία θεὰ ſive *Genitalis* fuit. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idololatriæ*, *l.* 1. *c.* 14. *ſub finem*. Templum ejus à Chriſtianis poſteà vero Deo conſecratum, *Cœleſtis* tamen nomen retinuit; unde Africana nonnulla Concilia *in Templo Cœleſtis* celebrata legimus Sed & *Cœleſtis* nomine omnes Ædes ſacras Chriſtianorum veniſſe, item *Aula Cœleſtis*, invenias apud Macrum utrumque in *Hierolex.*

COELESYRIA, vel **COELOSYRIA**, tota eſt regio ultra Seleucidem in Ægyptum & Arabiam recedens. Sed propriè quæ Libanô, & Antilibanô terminatur. Nomen ſortita eſt à *concavitate*, quam Græci κοιλότητα vocant: Inter Libanum namque & Antilibanum, tanquam in valle ſita eſt, ubi originem habet Orontes fluv. hodiè *Pherphoro* dictus. *Natal. Metel.* populi Κοιλόσυροι. *Dionyſ. Perieg.*

> Ἣ Κοίλην οἰκεῦσιν ἐπώνυμον, οὕνεκ᾽ ἄρ᾽ αὐτὴ
> Μέσσην καὶ χθαμαλὴν ὄρεα δύο πρῶνες ἔχουσι.

Sunt & quibus Syrophœnices iidem ſunt cum Cœleſyris. Res patet ex his Eunapii, *de Libanio*, Ὅ πάντες οἱ Συροφοίνικες ἔχουσι κατὰ τὴν κοινὴν διάλεξιν ἡδὺ καὶ πιχαρίεν, τοῦτο παρ᾽ ἐκείνου λαβόντες μετὰ παιδείας ἔχειν. *Quod ſuave & jucundum habent in vulgari colloquio omnes Syrophœnices, hoc ab illo cum eruditione petere licet.* Idem Eunapius, Λιβάνιον ἡ Α᾽ντιόχεια μὲν ἤνεγκεν, ἡ δὲ Κοίλης καλουμένης Συρίας πρώτη πόλεων, *Libanium quidem produxit Antiochia, Cœleſyriæ quam vocant Metropolis*. *Baudrando* pars eſt Syriæ, inter Syriam propriam, Phœniciam, & Palæſtinam. In hac parte Syriæ Damaſcus, Cæſarea Philippi & Heliopolis Urbes ſunt. Antiochia in Syria propria eſt. Nunc ſimul cum Syria *Souriſtan* dicitur.

COELIBATUS Lex, Apoſtolorum ævô prorſus ignota, quippe *cujus propugnatores ejuſmodi ſtatorem Diaconum illum apoſtatam habere*, aſſerit Ignatius, *ep. ad Philadelph.* occaſione loci, 1. Timoth. *c.* 4. v. 1. 2 3. à Siricio Epiſcopo Romano primùm inter ſuos introducta legitur, circa A. C. 393. malè intellectô dictô Pauli, Rom. c. 8. v. 8. *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Poſtquàm jam ante Concil. II. Conſtantinopolitanum, Euſtathius, Monachatu in Armeniam introductô, inter cæteris ipſos *prohibuiſſet contrahere matrimonium*, Socr. *l.* 3. *c.* 14. & Sozom. ac poſt Concilium in Oriente Epiphanius dictitâſſet, *Sanctam Dei Eccleſiam non ſuſcipere ad Sacerdotium adhuc liberos gignentem.* In Occidente Ambroſius & Hieronymus contra Jovinianum, eandem promoverunt: quibus adjutoribus ſuffultus præfatus Siricius legem promulgavit, A. C. 395. quæ nihilominus per annos 200. in Hiſpania, Gallia, &c. locum non invenit, Mart. Chemnitius, *exam. de Cœlib. part.* 3. Salvianus, *l.* 5. *de Provid.* Gregorius M. poſteà, circa A. C. 590. *Cœlibatus* decretum cùm pluſquam 6000 infantum capita extracta ex piſcinula vidiſſet, minimè ſalutare eſſe agnovit. Chemnitius, *ibid.* In Synodo etiam Toletana 4. circa A. C 638. Clericis legitimum conjugium, damnatô ancillarum conſortiô, conceſſum eſt. Imò in Hibernia uſque ad Bernardi ætatem, 7. Epiſcopi, in ſede Armachana, uxorati præſedêre, qui ne ad hanc legem adſtringerentur, ordinationem à Pontificibus Romanis petere noluerunt, Idem, Baron. *in Annal.* Græca quoque Eccleſia, à Leone IX. per Legatos, revocata, A. C. 1054. conjugia Sacerdotum nihilominus tuita eſt. Gregorius poſt hæc VII. in Germania Cœlibatum vehementer urſit, à Clericis proptereà maledictis inceſſitus: Epiſcopus quoque Moguntinus, Erphordiæ ob id Synodo coactâ, deſiſtere tamen neceſſe habuit: Moguntiæ dein cùm id ipſum ſuis impoſiturus iret, in vitæ diſcrimine rurſus fuit. A. C 1074. 1076. 1078. Sigon. *l.* 9. Joh. Nauel. *Gener.* 36. Contrarium ſuadente ſuit Guidone Archiepiſcopô Mediolanenſi, qui celebratô Epiſcoporum conventu, *Clericis uxores habere*, permiſit, circa A. C. 1061. Sigon. *l. eod. ad an.* 58. quô victô tamen Pontifex illos quoque ſub hoc jugum redegit. Anſelmus exin Cantuarienſis, Synodô Londini vocatâ, A. C. 1103. *Sacerdotes uxores habere* prohibuit, etſi multa teſtarentur, locô conjugii prohibiti, totâ Angliâ Sodomiam graſſari, Polydor. *l.* 9. In Lateranenſi Conciliô à Calixto roborata ita, & in Germaniam Magiſtratus brachiô introducta eſt, A. C. 1120. 1122. Johannes quoque Cremonenſis Legatus Pontificius, Synodô Londini celebratâ, A. C. 1125. conjugium ibi Sacerdotum iterum damnavit: ipſe tamen, in meretricio paulo pòſt interceptus, confuſione plenus domum rediit. Idem, *l.* 12. *Hiſt.* Primus in Hiberniam Epiſcopus Malachias Legem Cœlibatus invexit, circa idem ferè tempus, S. Bern *in vita Mal.* In Polonia Clemens III. eum per Petrum Capuanum Cardinalem promulgari iuſſit, A. C. 1190. quod cùm in Bohemia ſimiliter tentaret, parum abfuit, quin à Sacerdotibus occideretur. A. C. 1196. Sic & Dani cum ſuos Sacerdotes uxores habere juſſerunt, idcirco à Papa excommunicati, M. Cromer, *l.* 7. *Hiſt. Pol.* Ipſe Pius II. crebrò in ore habuiſſe legitur: *Sacerdotibus magnâ ratione ſublatas nuptias, majori reſtituendas videri.* Joh. Baleus, *in vit.* Dreteliius *in Nicetæ*, c. 3. Imo & jam antè, Conciliô Baſilienſi, A. C. 1439. definitum, *Non ſolùm uxorem qui habuit, ſed & qui habeat, in Pontificem aſſumi poſſe*: electuſque tum Felix V. qui uxoratus erat. Morn. *in Myſter.* p. 1248. Toleratum tamen utcunque hoc jugum eſt, uſque ad tempora Reformationis, ubi Lex Pauli Hebr. *c.* 13. v. 4. quâ *Honorabile eſſe conjugium apud quoſvis* pronuntiavit, humanæ Cœlibatus traditioni oppoſita, & cum priùs laudato Conciliô ſtatutum eſt: *Conſultius fore, ſi plures Sacerdotes uxorati eſſent; quoniam multi ſalvarentur in conjugato Sacerdotio, qui ſteriles in Presbyterio damnantur.* Plura hanc in rem vide apud Auctores retrò memoratos.

COELICOLÆ, in *Vita* S. Benedicti Abbatis Anian. *num.* 42. *Nec mirum inde potentis comarum fieri poſſet eſt . qui . . . auri textu depoſitis veſtibus, Chriſticolarum induit habitum, ſeſe Cœlicolarum aſcriſci numero quantocunque congaudens*: Monachi dicuntur, propter ſanctum & Angelicum, ut ajunt, vitæ inſtitutum. Ε᾽ν τοῖς ὄρεσιν οὐρανοπολῖται, *in Montibus Cœlicolæ*, Davidi Monacho. Vide Car. du Freſne, *Not. ad Alexiadem*, p. 264. Item Hæretici, qui *Cœlum* pro Deo colebant: quorum ſecta Honorii Imperatoris ævô extitit, ut patet ex *titulo* Codicis Theodoſ. & Juſtinian. *de Judæis, Cœlicolis & Samaritanis.* ex Judaica & Chriſtiana religione permixta. Vide Jac. Gothofredum, *add.* 19 *d. tituli.* Præfectos habuiſſe, *Majorum* nomine, habes apud Macrum in *Hierolex*.

COELII, à Vibenna Cœle Etruſco, qui ſe Romam, regnante Romulô, contulit. Hæc gens poſteà plebeja & Conſularis fuit, *Caldi* cognomine inſignita.

COELIMONTANA, porta urbis Romæ. Junioribus *Aſinaria* vocatur. Hodiè *S. Joannis* nonnullis dicitur. Marlianus *in ſua Roma*.

COELINA Veſtis, apud Cyprianum, à colore *cœlino*, qui cum *aërino* idem: cujuſmodi colorem deſcribit Ovid. *l.* 3. *Art.* v. 173; hiſce,

> *Aëris ecce color, tum cùm ſine nubibus aër,*
> *Nec pluvias tepidas concitat Auſter aquas.*

Οὐρανοειδῆ χρῶμα Græci vocant. *Heſych.* Κυανός, εἶδ⊕ χρώματ⊕ οὐρανοειδὲς, ubi de *cœrulei* pigmento loquitur. Sic *algaſcuro* l'*azurro* & *celino*, eadem quæ hodie *Turkeſia* dicitur. Vide ſuprà in voce *Aërinus*.

COELIOBRIGA Celerinorum, *Barcelos*, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis, aliàs Callaicorum Braccariorum, nunc oppid. Portugalliæ, Ducatus titulô clarum, ad Cavadum fluv. medium inter Bracaram Auguſtam, & Oceanum Occidentalem.

COELIOMONS ſeu **COELIUS MONS**, urbs Vindeliciæ olim, nunc vicus *Keinmitz*, prope fluv. Clarum, & oppid. Munchrot, in Suevia, *Cluver.* 3: leuc. à Memminga in Boream Ulmam verſùs.

COELIS, gens Attica. *Heſych.* Κοιλὶς, δῆμ⊕ Α᾽ττικῆς, ubi nonnulli Κοίλη legendum volunt. Vide *Coile*.

COELIUS, à Cicerone defenſus. Item duo fratres Terracini, qui accuſati patrem Titum noctu in contiguo cubiculo ſopitum necâſſe, abſoluti ſunt proptereà, quod ambo tum profundô ſopore obruti deprehenſi ſint. Valer. Max. *l.* 8. c. 1. *ex.* 13.

COELIUS Balbinus Imperator, apud Onuphrium in nummo, IMP. CÆS. D. COELIUS. BALBINUS. quem *Clodium* vocat Capitolinus in *Maximinis*, c. 10. & *Gordiano III.* c. 10. Victor *Cœlium*, Caſaubon. ad *Capitolin. loc. cit.*

COELIUS Calcagninus, vide *Cœlius*.

COELIUS Curſor, Eques Romanus, quòd, fictis Majeſtatis criminibus, Magium Cæcilianum prætorem ſuaſiô Conſiliô Æquô

perviſſet, auctore Tiberiô ac decretô Senatûs punitus eſt. Tacit. *l.* 3. *Annal. c.* 57.

COELIUS Mantuanus, conſumptis opibus ac prædiis venditis; cùm ſolum ſepulturæ locum excepiſſet, tribus ulnis, h. e. duodecim pedibus latum, tetigit eum Virg. *Ecl.* 3. *v.* 104. eô ænigmate, quô crucem Grammaticis ſe fixiſſe, ipſe profeſſus eſt;

> *Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,*
> *Tres pateat* Coeli *ſpatium non amplius ulnas.*

Ubi lepidè luſit Poëta in ambiguo ejus *Cæli*, quod à *Cælio* eſt, & *Cæli* quod fit à *cælo*. *Cæli* autem, pro *Cælii*, etiam in proſa Veteres ſcripſerunt. Unde & Plauti Comœdiæ, quod PLAUTI inſcriptæ eſſent, pro *Plautinis* pleræque habitæ ſunt, quum *Plautianæ* forent, uti videre eſt apud A. Gellium, *l.* 3. *c.* 3. Cæteræ itaque interpretationes ænigmatis hujus, de orificio putei Syenenſis, de clypeo Ajacis, de ſpecu Siciliæ, de mundo in Cereris ſacro &c. mentem Auctoris non attigêre. Sed & Horatius meminit *Cælii* cujuſdam latronis, illô tempore notiſſimi, *l.* 1. *Sat.* 4. *v.* 69. ubi itidem *Celi*, pro *Cælius*, ſcriptum,

> *Ut tu ſis ſimilis* Coeli, *Birriique latronum,*
> *Non ego ſim Capri.* ----- -----

Certè hanc mentem Poëtæ fuiſſe, Cornificium & Aſconium ab ipſo audiſſe, teſtes ſunt antiqui Grammatici, Servius & Junius Philargyrius: quibus cur non credamus, cauſæ nihil eſt, præſertim quum nihil melius poſſit afferri, ut nemo id inventurus aut divinaturus fuerit, niſi ipſe Auctor indicâſſet. Spatium nempe loci, quem ſibi *Cælius* ad ſepulturam reſervabat, non amplius patebat, quàm tres ulnas, h. e. ſex pedes, ſi ulnam pro cubito accipimus, & cubitum pro duobus pedibus, ut multis placuit. Quod ſpatium quinque aut 6. pedum legitimum fuit loci aut ſepulchri, apud Veteres etiam plurium condendis reliquiis, ubi urnæ tantum cineres continentes reponerentur vel infoderentur. Tibullus,

> *Et ſim quod digitis quinque levatur onus.*

Val. Probus, *In fronte ſex pedes, in Latitudine ſeptem* &c. Quidam ulnam duûm cubitûm faciunt, quomodo menſura duplicaretur. Et ſanè duodecim pedes pro legitimo ſepulchri modo in antiquis Inſcriptionibus invenire eſt. Quòd verò, qui fundum vendebat, ſæpenumero locum ſepulchri exciperet, quo ipſe poſterique inferri poſſent, notum eſt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1222. At ſimpliciorem veroque propriorem ænigmatis ſolutionem invenias in mox ſequent. antænigmate:

> *Dic quibus in terris naſcantur nomina Regum*
> *Inſcripti flores.*

In metalli fodinis enim, in quibus auri argentique flores naſcuntur, quibus in nummos conflatis nomina inſcribuntur Regum, ſi ſurſum per montium anfractus reſpicias, vix per foramen 3. ulnarum lumen Solare videbis.

COELIUS Pollio, caſtello Gorneas in Armenia præfectus. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 45. avarus ac flagitioſus.

COELIUS Rhodiginus Ludovic. ob eruditionem inſignem, à Ludovico XII. Mediolanum vocatus, ibi docuit Græcam Latinamque literaturam. Idem poſteà Patavii fecit. Libris editis, inprimis *Lectionum antiquarum egregiô opere*, inclytus. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10. *p.* 814. Vixit ſeculô 15.

COELIUS Sabinus, cum Flavio Sabino Conſul. Tacit. *l.* 1. *Hiſt. c.* 77.

COELIUS Secundus Curio, Cyriaci Subalpinæ gentis apud Italos oppidô natus, & in Taurinenſi Gymnaſio, egregiis artibus imbutus, cùm ob ſinceram Chriſti doctrinam, quam ab ineunte juventa amplexus fuerat, varias perſecutiones, carceres & vincula paſſus eſſet: ſemper tamen poſt tot Eporediæ, Taurini Lucæque intentatas mortes atque flammas, præſentiſſimâ Numinis ope ereptus, evaſit. Tandem, licèt in aliquot Italiæ oppidis eruditionis ſuæ famâ ſparsâ, multorum ſibi gratiam conciliâſſet, majoris ſecuritatis ergô, trans Alpes ſeſe Lauſannam primùm, poſt A. C. 1547. Baſileam recepit, ubi Oratoriam nactus profeſſionem, talem ſe præſtitit, ut è remotiſſimis regionibus illius audiendi gratiâ innumeri convolârint. Cum liberis à Magiſtratu Baſileenſi jure civitatis donatus. Obiit A. C. 1569. ætat. 67. Pater Auguſtini, *Saracenicæ Hiſtoriæ* Scriptoris, & Rhetoricæ Profeſſoris in eadem Academ. cujus paulo antè mortui memoriam alabaſtro vivens inſcripſit: Horatii, Imperatorum gratiâ inclyti, &c.

> *Quid mihi divitiæ, quid honos, patriique penates?*
> *His potior cunctis me tibi Chriſte rapis.*

Vide quoque in voce *Curio*.

COELIUS, mons unus è ſeptem urbis Romæ, quem Tiberius Imperator teſte Suetoniô, *c.* 48. *Auguſtum* appellari juſſit. Tacitus, *l.* 4. *Annal. c.* 65. ait eum primò *Querquetulanum* vocatum. Eundem *Thuſcum vicum* poſteà dictum ſcribit Varro, *de L. L. l.* 4. *Maſtarna* olim appellatum à Tuſcis, ex vetuſta quadam inſcriptione patet. Hunc à *Cæle* Vibenna Hetruſcorum Duce, qui Tarquinio Superbo ſuppetias tulit, denominatum volunt.

COELOS Thraciæ portus, ſive urbs, Cherſoneſi Thraciæ, ubi poſteà oppid. Alopeconneſus, prope Inſulam cognominem in ora maris Ægæi. *Baudrand.* vide *Cœla*.

COELOSSA, mons non procul à Phliunte oppido. Strab. *l.* 8.

COELUM, Dei ſedem eſſe, conſenſu Gentium creditum eſt: cujus cùm triplex ſit conſideratio, pro triplici modo, quô in terris res fiunt, ratione, fortunâ, neceſſitate; hinc triplex olim Numen introductum, *Minerva*, *Fortuna*, & *Fati* ſive *Parcarum*. Imò Soli, Lunæ & Stellis litatum eſt, & ab aliis quidem cogitari cœpit de divino honore, ipſi Ætheri ſive *Cælo* præſtando, ab aliis autem de eodem Elementis exhibendo. Ac priores primùm, ut adeò magnificè de *Cælo* ſentirent, impulit corporis ætherei ſublimitas, quia nihil eò viderent excelſius; magnitudo, quia omnia complexu ſuô contineret; pulchritudo, quia intermicantibus aſtrorum luminibus velut floribus eſſet pictum, ac tanquam gemmis diſtinctum; perennitas tandem ejus ac immenſa operationis utilitas, cùm inferiora omnia virtute regantur cœleſti. Cultum autem eſt apud varias gentes. Latinis antiquè *Cælus*, Saturni pater eſt habitus. Unde Ennius, *Annal.*

> *Saturnus, quem Cœlus genuit:*

ac habes quoque in antiqua Inſcr. Romæ in monte Cœlio effoſſa: OPTIMUS MAXIMUS COELUS ÆTERNUS, vide Aldum, *in Orthogr.* & *Inſcr.* Gruter. Idem Græcis *Uranus*, Οὐρανὸς: unde Saturnus Οὐρανίων, quaſi *Cæli filius*, quod cum Ennii verbis modò adductis optimè convenit. Quò referendum, cum idem apud Simmiam Rhodium, *in Alis* Ἀκμονίδης, i. e. *filius Acmonis*, dicitur. Ἄκμων enim *Cælum* eſt, quaſi ἀκάματος ſive ἀκάμαντος, *indefeſſus*, niſi malis ipſum *Cæli* patrem ſic dictum, namque *Cælus Acmonis filius*, *Heſychio* dicitur. Interim pro diverſa conſiderandi ratione, unum idemque numen nunc Saturnus, nunc *Cœlus* dictus eſt. Unde & Jupiter, non modò Κρονίδης, i. e. *Saturnius*, ſed etiam Ætheris filius, ut legere eſt, apud Clem. Alexandr. *Admonit. ad Gent.* Sed uſitatiùs Græci Romanique per Jovem intellexêre *Cœlum*: idque Orientis imitatione, Perſarum inprimis, qui *omnem Cæli gyrum* vocârunt Jovem, teſte Herodotô, *l.* 1. & Strabone, *l.* 16. In qua opinione non modò vulgus Græcorum ſtultè cum Perſis ſapiebat, ſed etiam magnus Pythagoras; quippe & illi *Cœlus* ſive Æther, Deus erat, ſideraque ejus eſſe Numinis oculos judicabat, Epiphan. *adv. Hæreſ. l.* 1. *Hær.* 3. ita quidem, ut ſtatueret Deum νοῦν, quem ſymbolicè τετρακτὺν ſive *Quaternarium* dicit, omnium rerum conditorem, & αἰσθητὸν, *Cælum* à ſummo illo productum, & ſicut ille ſolâ mente percipitur, in ſenſus incurrentem. Imò fortaſſe Pythagorei, quod hunc ſenſibilem Deum ſtatuerent, vulgo tantummodo dederunt: quicum loquendum, non ſapiendum, judicabant. Sanè ſic Plato ſenſit olim; & conſtat, Pythagoræos *Cœlum* potiùs habuiſſe pro Muſico Deorum organo: quò reſpexit Varro, *Sat.* ὀνοΛύρα, ubi Cœlum *Divûm Lyram* nuncupâſſe legimus. Cùm verò fabulati ſint Poëtæ, *Cœlum* genitalibus privatum eſſe à Saturno, eò videntur reſpexiſſe, quòd Cœlum vel tempore vel naturâ ſaltem prius ſit ſideribus: ſidera autem ſint cœli pars eoque quaſi progenies Cœli cenſeantur; cui utpote ſiderum parenti, non abſurdè genitalia ſeu vis aliquid ex ſe producendi, attribuuntur: quæ cùm productis ſideribus deſierit (ut communis enim opinio eſt, in Cœlo nihil gignitur) genitalia ipſi reſecta videntur. Et certè hæc, ſi rem potiùs, quam involucrum fabulæ ſpectes, magnam conveniunt partem Hiſtoriæ Moſaicæ: quæ narrat, primô die conditum eſſe Cœlum, ſed inornatum; die autem quartô ſtellis eſſe exornatum ac diſtinctum, quæ longè potiori jure *Cæli filii* dicantur, quàm quidquid in terris aquiſque vi cœleſti quotidie generatur, &c. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Idol. l.* 2. *c.* 37. Cæterùm, *Cœlum* σφαιροειδὲς eſſe, primùm intellexit Anaximander, apud Laërtium, in *Vita* ejus: quod Atlanti tribuit Plin. *l.* 2. *c.* 8. *Cælo excidiſſe*, dicebantur Viri inter mortales inſigniores. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 40.

> *Tertius è cælo cecidit Cato* ----

Idem, *Sat.* 11. *v.* 27.

> ----- *Cælo deſcendit* Γνῶθι σεαυτόν.

Hinc Tertullianus, *Apolog. c.* 10. *Quis enim non cœlum & terram Matrem ac Patrem, venerationis ac honoris gratiâ, appellet, vel ex conſuetudine humana, qua ignoti vel ex inopinato apparentes de cœlo ſupervenisse dicuntur.* Porrò illud quærere & oſtimum contueri morientes ſolent, ut notavit Plinius in Didone moriente, *l.* 4. in quo libro ſummam omnium humaniorum Operum conſummatam dicere ſolitus eſt Caſp. Barthius:

> --- --- *infixum ſtridet ſub pectore vulnus*
> *Ter ſeſe attollens, cubitoque innixa levavit,*
> *Ter revoluta toro eſt, oculiſque errantibus alto*
> *Quæſivit cælo lucem, ingemuitque reperta.*

Eodem recipi animas eorum, qui ſecundùm virtutem vixiſſent, etiam Ethnicis creditum. Martianus Capella, *l.* 2. *Animæ Beatorum, quæ jam Cœli templa merebantur, greſſus Maja genæ ſequebantur.* Quod fortibus inprimis animabus largitur Manilius, *l.* 1.

> --- *fortes animæ, dignatique nomina cælô,*
> *Corporibus reſolutæ ſuis, terraque remiſſæ,*
> *Huc migrant ex Orbe; ſuumque habitantia cælum,*
> *Æthereos vivunt annos, mundóque fruuntur.*

Et Nemeſianus, *Ecl.* 1.

> ------ *ſublimes animæ cæleſtia templa*
> *Sidereaſque colunt ſedes* ---

Vide præfatum Barthium, *Animadverſion. ad Stat. Theb. l.* 2. *v.* 63. & *l.* 10. *v.* 659. Sed & omnia, quæ inopinatò & præter ſpem contingebant, de cœlo miſſa iidem dicebant. Minutius Octavio, *Subito derepente inopinatò viſos, cœlô miſſos; ignobiles & ignotos terræ filios nominamus.* Plautus, *Perſa*, *Actu* 2. *ſc.* 3. *v.* 5.

> *Quod ego non magis ſomniabam, neque opinabar, neque cenſebam,*
> *Eam fore mihi occaſionem: ea nunc quaſi decidit de cælo.*

Vide quoque Lactantium, *l.* 5. *c.* 2. & plura hanc in rem apud Politianum, *Miſcellaneor. c.* 18. Muretum, *Var. Lect. l.* 15. *c.* 17. Deſid. Heraldum, *ad Tertullianum, Apologetico, c.* 10. Minucium, *d. l.* &c. De Cœlo tactis, infrà ubi de *Fulgure*: uti de *Cæli ſiderumque viribus, compoſitione & ſtructura*, ubi de *Inerrantibus*.

COELUM Vitreum, vide infrà *Vitreum.*

COEMETERIA, urbis Romæ, *Strab. Martyrol. Rom.* plura fuêre: in quibus 1. Calepodii, via Aurelia, apud S. Pancratii templum. 2. Commodillæ, via Oſtienſi, apud Baſilicam S. Pauli. 3. Domitillæ, via Ardeatina, apud Eccleſiam ſanctæ Petronillæ. 4. Priſcillæ, in eadem via, ubi etiam cœmeterium Baſilei. 5. Balbinæ quoque in eademmet via. 6. Prætextati, in via Appia, apud S. Januarium. 7. Calliſti, extra portam Capenam, ad Baſilicam S. Sebaſtiani. 8. Cyriacæ, via Tiburtina, apud Baſilicam S. Laurentii extra muros. 9. Praxedis, via Salaria, apud ſacram ædem S. Sylveſtri. 10. Inter duas lauros, via Lavicana, apud ædem ſanctæ Balbinæ, cœmeterium ad Urſum pileatum dicebatur. 11. Ad Inſalatas quoque via Portuenſi, apud Eccleſiam S. Felicis. Vide *Catacumbæ*, & hîc infrà.

COEMETERIUM, Græcè Κοιμητήριον, vox apud medii ævi Scriptores Eccleſiaſticos recepta pro ſepulchro, à κοιμάω, *dormire*: ſomno enim Fidelium mortem in Sacris comparari, tralatitium eſt. Hæc omni tempore benedicta & Fidelium ſepulturæ conſecrata fuiſſe, notum. Cùm enim Gentiles quoque ſepulchra religioſa eſſe agnoverint, quatenus humanum corpus in iis condèretur, Celſus, *ff. Lib.* 11. *tit.* 7. Majori longè jure Fideles *Cœmeteria*, poſtquam mortuorum in Chriſto corpora, quæ Templa Spiritus S. fuerant, recepiſſent, pro ſacratis habuerunt. Et quidem in primitiva Eccleſia, cùm commodioribus locis adhuc destituti eſſent Chriſtiani, illuc ad Deum invocandum ejuſque Verbum audiendum, convenerunt. *Conſtitut. Apoſtolic.* quæ ſub Clementis nomine circumferuntur, *l.* 6. *c.* 30. *Congregamini in Cœmeteriis, legite libros ſacros, ac ad mortuorum tumulos Pſalmodias canite.* Poſtmodum, cùm laxiùs habitare inciperet Eccleſia, *Cœmeteria* foris, Templis verò ſacrorumque Conventuum locis, intra muros Urbium locus fuit. Sentim tamen ſuperſtitio glìſcens *Cœmeteria* Templis adjunxit primùm; mox creſcens & adulta, cumque turpi lucro (quod ex ſepulchrorum & honoratiorum locorum venditione, ſub beneficii ſpecie, captabatur) conjuncta, ex Templis *Cœmeteria* fecit. Quorum prius inter provincias prima fecit Africa, ut ex Auguſtino, *Cœmeteriorum Templis viventium*, ſæpius mentionem faciente, diſcimus. Poſterius, ſequenti tempore fieri cœpit, quod Concilium Bracharenſe corrigere hôc Can. conabatur: *Placuit, ut corpora defunctorum nullô modô intra Baſilicam Sanctorum ſepeliantur, ſed, ſi neceſſe eſt, deforis circa murum Baſilicæ, uſque adeo non abhorret. Nam ſi firmiſſimum hoc privilegium uſque nunc retinent civitates, ut nullô modô intra ambitum murorum cujuſlibet defuncti corpus ſit humatum, quantò magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere?* Sed & Conſtitutio Caroli M. Anſegiſo in *Capitulari* memoratur, *ut nullus deinceps in Eccleſia mortuum ſepeliat*, quæ à Durantio *religioſa aut pia Majorum conſtitutio* vocatur, *de Ritibus Eccl. l.* 1. *c.* 23. Derivat autem eam idem ab Optati Milevitani tempore, his verbis: *Nec ſepultura in domo exhiberi conceſſa eſt.* Cumque oſtendiſſet, olim Imperatores magno honori duxiſſe, in Templorum veſtibulis ſepeliri: *At hodie*, inquit, *ibid. receptâ conſuetudine, præter Majorum leges & inſtituta, Chriſtiani, nedum Imperatores & Sacerdotes, quibus id poſtea indultum fuit, ſed etiam Laici, paſſim intra Eccleſiam ſepeliuntur.* Digni prorſ, qui audiant Cyrilli, ad Gentiles, verba, *l.* 10. ubi illis exprobrat, *Templa eorum celebria nominata fuiſſe ſepulchra & ſepulchra fuiſſe templa.* Certè non apud Iſraelitas ſolùm, extra urbis pagoſque ſepulturarum loci deſignabantur; ut apparet ex Gen. *c.* 25. *v.* 9. ubi de Abrahamo; Marc. *c.* 5. *v.* 2. 3. ubi de Gadarenis; Lucæ *c.* 7. *v.* 12. ubi de vidua Naimitica; Johann. *c.* 11. *v.* 38. ubi de Lazaro; Joann. *c.* 19. *v.* 41. ubi de Joſepho Arimathæenſi. Sed & apud alias gentes, Romanos, de quibus vide XII. *Tabb.* Græcos, vide Platonem, *de LL. l.* 2. Alios. Hinc Chryſoſtomus de ſuo tempore, *Serm. de Fide & Leg. Nat. Omnis civitas, omne caſtellum ante ingreſſum ſepulchra habet, ut contendens intrare in civitatem —— videas primum quod ſit. Ante portas ſunt ſepulchra —— ubique ante oculos eſt noſtra humilitatis ſchola.* Et ſanè Templa, in quibus quotidie magnus hominum numerus ad Dei cultum confluit, mortuis repleri è re neutiquam eſt: quum eorum exhalationes ſæpius vivis damnum inferant; nec religioni id convenire, Concilium prædictum cenſuit. Uti verò priſci Patriarchæ ſepulturis fidem ſuam de Dei promiſſionibus teſtabantur, ita etiam Chriſtiani in iiſdem locis, quibus in fide Chriſti morientium corpora condebantur, ſepeliri ſummoperè deſiderarunt. Hinc carpit Cyprianus in Martiali Epiſcopo, *Ep.* 78. *edit. Pamel.* quòd, cùm reliquis fidelibus cum commodè jungere licuiſſet, in Gentilium ſepulchris condi maluerit. Ab Hæreticorum verò & Schiſmaticorum Chriſtianorum tumulis non adeò abhorruêre tum Fideles, ut, cùm neceſſitas poſtularet, in illis ſepeliri recuſaverint. Unde graviſſimè conqueritur Optatus Milevitanus, *contra Parmen. l.* 6. de Donatiſtis, ea *Cœmeteria* ſibi vindicantibus, ut Catholicos non admitterent. Vide plura hanc in rem apud Andr. Rivetum, *Summa Controv. Tr.* 2. *Qu.* 42. & hîc paſſim, inprimis voce *Polyandrium.*

COEMPTIO, unum fuit ex tribus Nuptiarum apud Romanos generibus, indigitatum Virgilio, *l.* 1. *Georg. v.* 31.

Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis.

Ubi Servius, *Tribus*, inquit, *modis apud Veteres nuptiæ fiebant. Uſu; ſi verbi gratiâ mulier anno uno cum viro, licèt ſine legibus, fuiſſet. Farre; cùm per Pontificem Maximum & Dialem Flaminem, per fruges & molam ſalſam conjungebantur, unde Confarreatio appellabatur —— Coëmtione verò atque in manum conventione, cùm illa in filiæ locum, Maritus in Patris veniebat, ut ſi quis prior defunctus eſſet, locum hereditatis juſtum alteri faceret.* In quibus verbis quòd *Coëmtionem* cum *in Manum Conventione*, eandem videtur facere, arguitur à Seldeno, docente, etiam eam, quæ uſu erat uxor, & quæ farre, in *manum conveniſſe*, ſicque non has legitimas in manum Conventiones nuptiales fuiſſe. *Coëmtioni* autem pretium interveniſſe, indicat ipſa vox; quemadmodum & Sponſalibus apud Hebræos, nummo ejuſque valore minis, atque in Nuptiis, iteratis. Hinc Varro, de *Vita Popul. Roman. l.* 2. apud Nonium, *Nubentes, ait, veteri lege Romanâ aſſes tres ad maritum venientes ferre ſolitas; atque unum, quem in manu tenerent, tanquam emendi causâ Marito dare, alium, quem in pede haberent, in foco Larium familiarium ponere; tertium in ſacciperio cùm condidiſſent, compito vicinali ſolere reſonare;* alii *reſignare.* Quomodo emebat, aut quaſi, Sponſa Sponſum. Sicuti apud Indos, pari boum, Sponſas mercabantur, teſte Strabone, *l.* 15. Et de Germanis Tacitus, *c.* 18. *Dotem non Uxor Marito, ſed Maritus Uxori offert. Interſunt Parentes & propinqui, ac munera probant —— In hæc munera Uxor accipitur &c.* De phiala Sponſo Sponſæve, ex Græcorum, aliorumque in Oriente populorum, more, dari ſolita, multa adnotavit Caſaubonus, *ad Athen. l.* 13. *c.* 34. Equum item armis inſtructum, peractis nuptialibus Sacris, dabat Sponſæ Sponſus, apud Theſſalos, teſte Æliano, *de Animal. l.* 14. *c.* 34. Quam in rem plura, ubi de *Dote.* Sed & emptas pariter Uxores, in ipſis Sponſalibus Nuptiiſque, docent ex LL. veteribus Burgundionum ac Saxonum, Briſſonius, *de Ritu Nupt.* Vide quoque Jac. Gutherium, *de vet. Jure Pontific. l.* 2. *c.* 6. Qui ritus etiam in Chriſtianiſmo ea parte retentus eſt. Sanè *Coëmtionis* veteris reliquiæ manifeſtiſſimæ ſunt, in arrhis Sponſalitiis ac pecunia pro more in ipſo nubendi actu memorata: ut pluribus docet Briſſonius, *l. cit.* & Joann. Seldenus, *Uxor. Hebraic. l.* 2. *c.* 20. & 25. Vide quoque infrà *Materfamilias*, it. *Solidus.*

COEMTIONALIS Senex, apud Plautum, *Bacchid. Act.* 4. *Sc.* 9. *v.* 52.

Nunc Priamo noſtro, ſi quis eſt emptor, Coëmtionalem Senem
Vendam ego, venalem quem habeo, extemplo, ubi oppidum
expugnavero.

Senex eſt, ex eo genere, in quibus ſinguli via quiſquam facit pretium, ſed qui auctioni aliorum accedunt. Sic ſervus apud Ciceronem, *Famil. Epiſt. l.* 7. *Ep.* 29. Curius, *ſum*, inquit, χρήσει *μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici noſtri, ergo fructus eſt tuus, mancipium illius; quod quidem ſi inter ſenes* Coëmptionales *venale proſcripſerit, egerit non multum.* Hoc eſt, ſi mihi inter cœtera iſtiuſmodi mancipia titulum in venalitio pinxerit, vendideritque me, parum rei fecerit. Quare, quia inutiles ſumus & nullius pretii: uti de ſe moleſtè Theodoro Ad. Siberti γέρων ὀνομαζόμενος, ἀνωνόμενος eſt. Nempe in venalibus, quantumvis viles, morbos, effœtos, locum inveniſſe, indicat Seneca, *Ep.* 47. *Stare ante Calliſti limen dominum ſuum vidi, & eum qui illi impegerat titulum, qui inter rejicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi. Retulit illi gratiam ſervus ille in primam decuriam conjectus, in qua vocem præco experitur.* Ubi *Decuriam* vocat illum gregem, uti Columella, *l.* 1. *c. ult. Claſſes verò non majores quam decem hominum faciendo, quas decurias appellaverunt antiqui.* Sic *surdorum decuria* vel *corona*, apud Martialem *in Xeniis*, lemma eſt *Epigrammatis* 49. Quæ enim ſingula licere aſpernabantur homines, ea plura in unum pretium miſcebantur, aut addita deſideratioribus, ſive mancipiis, ſive rebus, venum exponebantur: quemadmodum quoque videmus & in auctionibus, majoris pretii quæ ſunt, ſingula, viliora acervatim protrudi. Cujuſmodi *Coëmtionalis Servi* exemplum planè lepidiſſimum, præbet Plinius, *l.* 34. *c.* 3. in Cleſippo fullone, qui juſſu Theonis præconis acceſſio candelabri Corinthii factus eſt: vide ſuprà in voce *Cleſippea Ἀνάθημα*, & plura hanc in rem, apud Joh. Frider. Gronov. *de Pecun. vet. l.* 4. *c.* 8.

COENA, quaſi κοινὴ; *quia antiquitùs ſeorſum ſolebant prandere Romani, cœnare cum amicis*, Plut. *Symp. l.* 8. *c.* 6. Comeſſationem antecedebat & Prandium primò, dein Merendam ſequebatur. Olim *Veſperna* dicta, à veſpertino, quo ſumebatur, tempore, hora enim ejus apud Romanos diei nona erat, communiter; At horâ quinta, vel ſexta, cùm convivia *tempeſtiva*, diebus feſtis ac ſolennibus agitarentur. Juvenalis, *Sat.* 11. *v.* 205.

—— —— Quamvis ſolida hora ſuperſit
Ad ſextam.

Tertullianus, *in Apologet. Saturnalibus non lavor diluculò; ſed honeſtâ & ſalubri hora &c.* Quemadmodum apud Atticos legitimum *Cœnæ* tempus fuit, cùm δεκάπουν aut δωδεκάπουν eſſet στοιχεῖον; uti loquitur Lucianus, *in Saturnalibus*: Sed diebus feſtis, quibus maturius itidem ſolebant inire convivium, τὸ ἑξάπουν obſervabant aut ἑπτάπουν; quorum illud, *umbra videl.* 10 vel 12. *pedum*, horæ 9. vel 12. iſtud, nempe *umbra* 6. *pedum*, horæ quintæ vel ſextæ Romanorum reſpondet. Horâ unâ verò antè lavabant Romani, quàm *Cœnam* auſpicarentur &c. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 648. *Cœna* autem erat ſemper in uſu etiam cum prandia nondum invaluiſſent: Lautiores enim mutuim olim prandia obibant, idque ſine ulla ferculorum pompa aut ſplendido apparatu, ad magnificas & exquiſitas epulas amicis in cœnam conductis. Imò erat cùm *Cœna* idem, quod *Prandium*, ſignificabat, *Heſſus.* Hinc tam frequens cœnarum, prandiorum nulla, certè raro mentio, in magnifici alicujus apparatus deſcriptione; Horat. *l.* 2. *Carm. od.* 14. *v. ult.*

Abſumet hæres Cæcuba dignior,
Servata centum clavibus: & merò
Tinget pavimentum ſuperbò,
Pontificum potiore cœnis.

Auſonius, *Ep.* 9. *v.* 1.

Oſtrea nobilium cœnis, ſumtuque nepotum
Cognita, &c.

Unde de nepotum, in noctem moleſtam, imò in alterum Solem convivia extendentium luxu, querela M. Tullii, *Orat.* 2. *in Catil.*

Liv.

Liv. *Dec.* 3, *l.* 3. Æl. Lampridi, *in Commodo* &c. Diſtinxêre autem *Cœnam* antiqui in tres partes, ſeu miſſus: Antecœnium ſeu Guſtum ſeu Promulſida, *Cœnam* ipſam, cujus quod præcipuum ferculum erat, *Cœnæ caput* dicebatur, & Bellaria, ſeu Menſam pomorum ſeu Menſas ſecundas. In Antecœnio mora ponenda eſſe, voluit Galenus: At Metellus Pontifex echinos, oſtreas crudas, peloridas, ſpondylos, turdum, aſparagos; ſubtus gallinam altilem, patinam oſtrearum pelorydum, balanos nigros, & albos: Iterum ſpondylos, glycomaridas, urticas, ficedulas, lumbos, capragines, aprugnos, altilia ex farina involuta, murices & purpuras ante cœnam appoſuit, apud Macrob. *Saturn. l.* 3. *c.* 13. Ipſius *Cœnæ* initium priſcis fuit lactuca, ova & lucanicæ: at prædictus gurges in cœna appoſuit ſumina, ſyncipue aprugnum, patinam piſcium, patinam suminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia aſſa, amylum, panes Picentes, Idem *ibidem*. Secundæ menſæ dicebantur *Menſa pomorum*, cum ſcil. apponerentur bellaria, quô vocabulô omne genus ſecundæ menſæ ſignificatur, putà nuces, pyra, poma, ficus, oleæ, uvæ & alia, de quibus multa apud eundem Macrob. *Saturnal. l.* 3. *c.* 18. 19 & 20 & Varronem, *in Satyra Menippea*, apud A. Gellium. Vide quoque infrà *Epidipnides*, it. *Menſa Secunda*. Luxuriâ poſtmodum immenſum creſcente, Leges Sumptuariæ latæ ſunt, è quibus Licinia lex cùm non plus centuſſibus, præter terrâ nata, in cœnas impendi juberet, *Cœna centenaria* inde ortum traxêre. Foris autem cœnâſſe Romanos, neque menſam omnino tollere, ſed ſemper aliquid ſuper ea relinquere conſuevisse, docent Macrob. Plut. *in Quæſt. Rom & Sympoſ.* &c. Porrò *Cœna Adjicialis*, quibuſdam eadem eſt cum *Pontificia*, quæ lautiſſima eſſe ſolebat: Lipſius autem *de Magnif. Rom. l.* 4. *c.* 9. vult *Aditialem* legi, eam enim intelligit, quæ *in aditu honorum* ſeu muneris inauguratione à Magiſtratibus exhibebatur. *Cœna Dubia* dicebatur, cum menſa omnis generis exquiſitiſſimis ferculis erat inſtructa, ut in tanta copia ambigerent convivæ, quò potiſſimum manus porrigerent. Eadem *Recta* quoque nuncupata eſt, oppoſita ſportulæ, quâ voce indigitabant munus, quod Romani clientibus, Principes populo in ſportula dabant, velut obſonium: cujus vicem aliquando pecunia ſupplevit. Budæus, *Liberaliores divites ſalutatoribus ſuis rectam Cœnam exhibebant, ſordidi ſportulam tantùm*. Hinc factum, ut Sportula, pro viliore Cœna, aliquando caperetur. Martial. *l.* 8. *Epigr.* 50. *v. ult.*

Promiſſa eſt nobis Sportula, recta data eſt, &c.

Plura vide apud Plinium paſſim, Stuckium, *de Conviviis*, *l.* 2. *c.* 35. Pancirollum, *l. rer. deperditar. c. de cibi capiendi modo*, Turnebum, *Adverſ. l.* 5. *c.* 10. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 59. cum Thom. Dempſteri *Paralipomenis* &c. Ut & ſuprà in voce *Cibus*, ac infrà in *Convivia*, *Fora*, *Hora*. Atque hæc de *Cœna* communi, ſed & in multis paganicis Sacris epulæ agitabantur, uti notum, quæ Δεῖπνα itidem plerumque, h. e. *Cœnæ*, appellatæ ſunt. Unde in Oſchophoriis Athenienſium, inter alia Miniſteria mulieres fuerunt Δειπνοφόροι dictæ. Iſaac. Caſaubonus, *Exercit.* 16. *num.* 31. De Chriſtianorum verò *Cœna Myſtica*, vide hîc infrà, ut & de alio eorum Convivio ſacro, quod Tertullianus, *Apologetici c.* 39. ubi illud fusè deſcribit, etiam *Cœnam* appellat, quodque à priore toto genere diverſum poſtmodum ob varios abuſus Templis ejectum, ac tandem penitus ſublatum eſt, ſuprà in voce *Agape*.

COENA Cerea, apud Æl. Lamprid. *in Heliogabalo*, *c.* 25. *Paraſitis in ſecunda menſa ſæpe ceream cœnam, ſæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam vel marmoream vel lapideam, exhibuit: ita ut omnia illis exhiberentur videnda de diverſa materia, quæ ipſe cœnabat, quum tantum biberent per ſingula fercula & manus, quaſi comediſſent, lavarent.* Vide ſupra *Cerea cœna*.

COENA Collatitia, vide infrà *Convivia*.

COENA Domini, Græcè Δεῖπνον Κυριακὸν, 1. Corinth. *c.* 11. *v.* 20. quæ alibi Εὐλογία, *Benedictio* 1. Corinth. *c.* 10. *v.* 16. Εὐχαριστία, *Gratiarum actio*, Matth. *c.* 26. *v.* 27. Καινὴ Διαθήκη, *Novum Teſtamentum*, Luc. *c.* 22. *v.* 20. Τράπεζα Κυρίου, *Menſa Domini*, 1. Corinth. *c.* 10. *v.* 21. Κλάσις ἄρτου, *Fractio panis*, 1. Corint. *c.* 10. *v.* 16. Κοινωνία, *Communio*, 1. Corinth. *c.* 10 *v. eod.* & Σῶμα τοῦ Χριστοῦ, *Corpus Chriſti*, appellatur ex verbis inſtitutionis Matth. *c.* 26. *v.* 26. ut Eccleſiaſticas ejus appellationes, quarum 24. collegit Burmannus, prætercam: alterum eſt Chriſtianorum Sacramentum, ſacris veter. Iſraëlitarum epulis ac conviviis reſpondens, uti in priſcis inundationibus ac lotionibus Baptiſmi quædam imago fuit. Ejus *Auctor* & Inſtitutor Dominus noſter, unde *Domini cœna* dicitur; *Adminiſtri* Apoſtoli, ac qui illos ſecuti ſunt, Eccleſiæ rectores ac præſides, quibus peculiarem ſacrorum curam ac miniſterium dedit, ne promiſcuô uſu contaminentur, ac inter tractantium manus paulatim viteſcant. *Convivæ* in prima cœna fuêre Apoſtoli: In Eccleſia poſtmodum Chriſtiana, univerſi ad Menſam hanc accedebant, nullis de Fratrum cœtu, qui Sacris intererant, exeuntibus, niſi qui ipſius Eccleſiæ judiciô *ἀμύητοι* adhuc erant, vel ob crimen arcebantur, Catechumenis videl. & Pœnitentibus, quibus & Energumenos, ſi fortè adeſſent, adjungebant. Qui Chriſtianorum fervor labente dein diſciplinâ, dum Fideles ſocordiæ ſeſe dedunt & dignos ſe S. *Cœnæ* facere laborem exiſtimant, ac ſacris Symbolis carere malunt, non parùm refrixit. Unde factum deinceps, ut multi, qui Sacris intererant, nihilominus communione abſtinerent. Inſtituit autem Servator Convivium hoc ſacrum, commemorandæ ultimæ ac emortualis cœnæ, utque triſtiſſimæ noctis illius imago, atque univerſæ paſſionis & ſacrificii ejus memoria de Eccleſia nunquam deperiret. Ac, ſicut in Baptiſmo ritum quendam Judæorum imitatus eſt, quem in novæ Eccleſiæ Sacramentum conſecravit: ita hæc *Cœna*, ad menſam Paſchalem primùm cœpta, cujus vel pars vel appendix erat, in N. T. Sacramentum commutata eſt, ac nobiliorem in uſum dedicata; unde dein in Paſchatis locum ſucceſſit ac in Eccleſia obtinuit. Poſtquam enim verus Agnus veniſſet, qui ipſe in ultimo epulo præſens erat, ac luce ſuâ umbram illam explebat, ſacrificalibus Agnis opus non amplius erat. Elementum ergo, uti in Convivio ſacro, hîc duplex *Panis* & *Vinum*. Et quidem *Panis*, quô Chriſtus in prima Cœna uſus eſt, fuit azymus: quod accidentarium erat, ex lege Paſchatis, quæ fermentô omni abſtinere per eos dies jubebat. Unde vetus Eccleſia quotidianô ac cibariô uſa eſt, planè ad ſenſum Domini, qui panem, quô in communibus epulis veſcimur, ad concinniorem myſterii ſignificationem, inſtituit: Quô & Apoſtoli tum in Judæa, tum inter Gentes, poſtmodum uſi ſunt, Actor. *c.* 2. *v.* 42. & *c.* 20. *v.* 7. coll. cum 1. Corinth. *c.* 10. *v.* 16. 17. & *c.* 11. *v.* 26. cùm azymus ad V. T. ceremonias potiùs pertineret. *Vinum*, Matthæi, *c.* 26. *v.* 29. *Vitis genimen* dicitur, cujus locô in regionibus, ubi vini penuria eſt, illud, quod vini vicem ibi præſtat, uſurpatur; quod idem de pane quoque intellectum vult Auctor præfatus. Utriuſque copia ſolebat apud Veteres à Fidelibus ſpontaneâ liberalitate conferri, atque ſic ex collatitia dape S. Cœna inſtrui. Unde *oblationis*, *oblatarum* ac *ſacrificii*, nomina: ac reprehendit Cyprianus, *Serm. de Eleemoſyna*, mulierem, quæ in Dominicum ſine ſacrificio veniebat, ac partem ex ſacrificio, quod pauper obtulerat, ſumebat. Addebant & alia dona, ad *Agapen* inſtruendam, de qua dictum ſuô locô. Porrò *Conſecratio* Symbolorum à Domino facta eſt, precibus, gratiarum actione, & expreſſis verbis, quibus voluntatem ſuam teſtatus *Panem corporis*, & *Vinum* ſanguinis ſui pignus Eccleſiæ tradidit. Quod Servatoris exemplum vetus Eccleſia ſanctè imitata eſt: ut in qua audiebatur primùm ſacra Lectio, tum Concio vel Sermo; inde Preces concipiebantur &c. atque ſic ad SS. Myſteriorum participationem accedebatur. Peractis enim precibus, poſt oſculi collectationem, quod *Orationis ſignaculum* Tertullianus vocat, & dextræ congreſſum, quod ipſi eſt *pacem miſcere*, afferebantur Præſidi à Miniſtro vel Diacono oblatarum partes. Quibus ille acceptis, poſtquam nomina offerentium fauſtâ commemoratione proſequutus eſſet, Panem & Vinum, clarâ voce audiente & *Amen* acclamante Populô, benedixit primùm, dein Panem fregit, more à Cœnis Judaicis deſumtô, poſteà ipſe de eo guſtavit, ea eodem more, diſtribuitque ſacris convivis, additô accipiendi & comedendi mandatô. Similiter Poculum benedixit, vinum infudit, tradidit & omnes ex eo bibere juſſit, ſecundùm Marc. *c.* 14. *v.* 23. Cui S. Symbolorum uſui poſtmodum alii uſus ritúſque extra S. Cœnam acceſsêre. Proceſſu enim temporis deferri ſacratus panis non ſolùm ad abſentes, ſed etiam ad infirmos; quin imò vinô intinctus moribundis in os ingeri cœpit; Unde *commeatum* & *viaticum* dixêre. Domum etiam perſæpe ſecum adferebant fervente prætertim perſecutione, quò quotidie Chriſtum guſtare atque ad certamen ſeſe præparare poſſent. Denique & alium præterea panem habebant Veteres, ſacrum quidem, ſed non ſacramentalem; quem, communis Fidei teſtandæ causâ, Epiſcopi ad diœceſeos ſuæ Presbyteros, vel ad alios Corepiſcopos, miſſitabant: vocabant autem iſtas micas *Eulogias*. Qui tamen ritus, ac nonnulli alii, Conciliorum auctoritate non ſemel compreſſi leguntur &c. Clausit *Cœnam* Dominus *Hymnô* paſchali, ac porro ſermonibus ſanctiſſimis extremam illam noctem tranſegit. Cujus exemplô & Veteres gratiarum actione ad extremum defungi, & datâ ex more pace populum dimittere ſolebant, ſolenni formulâ, *Ite in pace*. Unde, quod concio tum miſſa eſſet, *Miſſæ* nomen exortum eſt. Reſiduæ autem micæ, in Agaparum uſum, quod S. Cœnæ, ut olim antecœnium, ita deinceps, mutatô ordine, perdiu velut corollarium fuit; vel, iis abolitis, Clero aut Catechumenis, aut pueris de ludo redeuntibus, aut denique pauperibus, cedebant. *Locus* primò privatæ ædes, in quibus tamen Fratrum conventus; deinde Templa fuêre. *Tempus* quod attinet, prima *Cœna* celebrata eſt Feriâ V. ante feſtum Paſchatis; quem diem annuatim Eccleſia vetus quoque ſervavit: cæteroquin & aliis diebus communicabant, præſertim Dominicô die, uti Juſtinus teſtatur. Quod *Horam*, veſpertinô tempore Chriſtus convivatus eſt, ob Paſchatis ſolenne, quod aliô diei tempore fieri erat nefas. Servâruntque illud diu Veteres, quorum nocturnas & deinde antelucanas Cœnas ſæpe legimus. Quanquam & aliæ cœnandi horæ ipſis poſtmodum uſurpatæ fuerint. Nam ubi jejunia vel ſemijejunia agitabant, quâ horâ illâ ſolvebantur; vel ubi jejunare non licebat, matutinô tempore Cœnam faciebant. Plerumque autem jejuni eam celebrabant; unde deinceps nata Latinorum lex, quâ Euchariſtiam niſi jejunantes non ſumunt &c. Plura hanc in rem, utpote *de Convivii hujus Myſterio, & re ſignificata, de ejus efficacia & uſu, de erroribus circa eam tum veter. Aquariorum, Artotyritarum, Cataphrygum, Gnoſticorum, Marcoſiorum, Semidalitarum, aliorum, tum hodiernorum non paucorum, aliiſque huc pertinentibus*, vide apud Eccleſiaſticæ Rei Scriptores, inprimis qui jam ſub prœlo ſudat, Jo. Caſp. Suicerum *in Theſauro Eccl.* ut & hîc paſſim, in vocibus *Dona*, *Euchariſtia*, *Eulogia*, *Nôrunt Fideles*, *Panis fractus Synaxis* &c. Nec omittendum, in Communione Roman. hodieque ſic dici quintam Feriam ultimæ hebdomadis Quadrageſimæ, quòd eâ, uti dictum, myſterium Dominicæ Cœnæ à Chriſto fuerit inſtitutum. Vide Iſidorum, *de officiis Eccleſ. l.* 1. *c.* 28 & Honorium Auguſtodun *l.* 3. *c.* 84. In ea omnes Sacerdotes totumque, uti vocant, Clerum, ex decreto Soteris Papæ ad ſacram Synaxin. accedere teneri, dicitur *can. in Cœna Domini de conſecrat. diſt.* 2. idque cum ſtola in collo, *Concil. Bracar.* 3. *can.* 3. Excommunicatio inſuper recitatur &c. Vide Dominicum Macrum *in Hierolex.* voce *Feria V. in Cœna Domini*, ut & infrà, *Notalis calicis*, it. *Partes*, ubi de ritu utrâque manu S. *Cœnam* ſumendi inter alia.

COENA Eburnea, paraſitis exhibita ab Heliogabalo, vide infrà *Ebur*.

COENA Feralis, apud Appulejum. *Floridorum l.* 4. *Procul igitur faces abigerent; Procul ignis amolirentur; Cœnam feralem à tu-*

mulo

mulis ad menſam referrentur inter Veter. parentalia indigitata Arnobio, *l.* 7. in hic, *Nam pultacula, thura cum carnibus rapacium alimenta ſunt ignium, & parentalibus conjunctiſſima mortuorum.* Nempe quia quemadmodum iſta in rogum injiciebantur, ſic & in ſacrificiis in aram accenſam conſumenda imponebantur. Primum enim, quum mortuus cremaretur, *Cœna ferali* in rogum inferebatur. Catullus, *Epigr.* 60.

Uxorem Meni, ſæpe quam in ſepulchretis
Vidiſtis ipſi rapere de rogo cœnam,
Quum devolutum ex igne proſequens panem,
Ab ſemiraſo tunderetur uſtore.

Quem ritum falsè ridet Tertullian. *de Reſurr. Carn. c.* 1. *At ego magis ridebo vulgus tunc quoque, cum ipſos defunctos atrociſſimè exurit; quos poſtmodum guloſiſſimè nutrit, iiſdem ignibus & promerens & offendens.* Idem dein in parentalibus quotannis factum, menſe Februario, & ad epulas illas propinquorum animæ invitatæ. Unde ſcribit Artemidorus, memoriam ejus, qui laqueò vitam ſibi abrupiſſet, tantâ ignominia adflictam fuiſſe, ut nec in parentationibus inter cæteros propinquos nominaretur, *l.* 1. *Oneirocrit. c.* 5. Ritum certè docet Auſonius, *Carm. pen. Profeſſor.* ubi de primis ei inſerius ſermo,

Grammatici in ſtudio, vel Rhetoris, aut in utroque,
Quos memoraſſe mihi morte obita ſatis eſt.
Viventum illecebra eſt laudatio. Nomina tantùm
Voce ciere, ſuis ſufficiet tumulis.

Atque hi, qui ſic prætèribantur, *nomina non habere*, ὄνομα οὐκ ἔχειν dicebantur. Ut verò quiſque ſciret, ubi ſitus eſſet is, cui parentare, maneſque ejus placare volebat, tumuli inſcribi ſolebant: buſtum quoque ipſum nonnunquam ſtipite ſignari, & ne moveretur ſtipes, concremati nomen addi. Quod utrumque diſcimus ex Lucano, & quidem prius, *l.* 8. *v.* 771.

Interea parvo ſignemus littora ſaxo,
Ut nota ſit buſto. Si quis placare peremptum
Fortè volet, plenos & reddere mortis honores,
Inveniat trunci cineres, & norit arenas
Ad quas Magne tuum referat caput ----

Poſterius, *eid. l. v.* 791.

Namque ne buſtum religatâ fune moveret,
Inſcripſit ſacrum ſemiuſto ſtipite nomen:
Hic ſitus eſt Magnus ----

Utque haberent inferiæ, quò inferrentur, in parentalibus quoque rogi extruebantur. Ovid. *l.* 2. *Faſtor. v.* 534. ubi de iis,

Parvaque in extructas munera ferre pyras.

Aras Arnobius vocat ubi ſuprà: docetque idem apertiſſimè Lucianus Ἐπιτομαῖς. Unde *Gloſſa, parentat,* [illegible]. Vide Deſid. Herald. *Animadverſion. ad Arnobium d. l.* nec non hic paſſim, ubi Funebria tractamus, imprimis infrà voce *Regia* & *Parentalia.*

COENA Hecates, vide infrà *Trivium.*

COENA Imperatoria, vide infrà *Paſcere.*

COENA Libera, in *Paſſione S. Perpetuæ & Felicitatis*, *Pridie quoque, cùm illa Cœna, quam Liberam vocant, quantum in ipſis erat, non cœnam liberam, ſed agapen cœnarent, eadem conſtantia ad populum verba iſta jactabant*: dicebatur illa quam cœnabant in publico, qui ad ludum, vel ad beſtias damnati erant, pridie antequam pugnarent: ſic nuncupata, vel quòd apponeretur ipſis, quidquid poſtulâſſent; vel quod ſumma cum libertate & licentia peragerètur. *Liberalia* vocat Tertullian. *Apologet. c.* 42. *Non in publico liberalibus diſcumbo, quod beſtiariis ſupremam cœnantibus mos eſt.* Ubi videmus etiam Cœnam *ſupremam* appellari. *Ultimam* vocat vetus Interpres Juvenalis, ad illud, *Sat.* 11. *v.* 20.

---- *Sic veniunt ad miſcellanea ludi:*

Grumi, inquiens, *miſerabile ferculi miſcellanea, cibus gladiatorum, id eſt ultima cœna. Ideo miſcellanea, quia omnia, quæ apponuntur, miſcent & ſic manducant*: Car. du Freſne, *Gloſſar.* & Salmaſ. *ad Trebellium Pollionem in Claudio, c.* 5.

COENA Marmorea, vide infrà *Marmorea.*

COENA Nuptialis, vide infrà *Eruca.*

COENA Popularis, vide infrà *Patronus.*

COENA Pura, ſexta dies quæ eſt in Paraſceve, Iren. *l.* 1. *c.* 9. & *l.* 5. *c.* 23. Dicta, quòd juxta legis præſcriptum, puros veſtimentis, cibis, corporibus & animis Judæos eſſe decebat, qui ſacrum Paſcha eſſent celebraturi, unde proditores Chriſti non intraverunt Prætorium Pilati, ne contaminarentur. Joh. *c.* 18. *v.* 28. Vide Fevardentium, *notis in Iren. locum priorem, num.* 53. Auguſtin. *tract.* 120. *in Joh.* Bedam *in c.* 19. *Joh.* &c. *Nic. Lloydium.* Vide hic infrà.

COENA Pura, paraſitis ab Heliogabalo exhibita, apud Lamprid. in *Vita ejus, c.* 27. *Exhibuit paraſitis cœnas & de vitreis, & nonnunquam tot picta mantilia in menſam mittebat his edulibus picta, quæ apponerentur, quot miſſus eſſet habiturus, ita ut de acu, aut de textili pictura exhiberentur. Nonnunquam tamen & tabulæ illis pictæ exhibebantur, ita ut quaſi omnia illis exhiberentur, & tamen fame macerarentur.* Vide quoque ſuprà, *Cœna cerea*, & *Cœna eburnea*: uti de gemina acceptione vocis, infrà voce *Paraſceve.* Sed & in Communione Romana Cœna Pura, dicitur feria ſexta majoris hebdomadæ Veter. ſeu Paraſceve, modò loquendi à Gentilibus acceptò. *Ad puram, & ſine animalibus, cœnam*, Appulej. Vide quoque Plut. *de eſu Carnis.* Sic autem dicebatur, quod religionis & dieì causâ inſtituta, ut vult Car. du Freſne: contra quam Scaliger, *ad Feſtum* & *de Emendat. Temp. p.* 533. 569. Vide ſuprà.

COENA Suprema, item *Ultima*, vide ſuprà *Cœna libera.*

COENACULUM, Græcè Ὑπερῷον, propriè locus ad cœnandum idoneus: Sic autem vocabant Romani, teſte Feſtô, *poſtquam in ſuperiore parte cœnare cœperant.* Hinc ſuperioris domus univerſa. Et quidem in iſtiuſmodi Ὑπερῴοις, Virgines apud Græcos educari conſueviſſe, dicemus infrà, ubi de Græcorum *Oecuria*: quòd hujuſmodi loca aditu difficiliora & inſidiis minùs obnoxia eſſent. Figura illis ovalis, unde nomen, & fabulæ de Helena ex *ovo* genitæ origo. Apud Judæos fideles primoſque Chriſtianos, ſacri Conventus ibidem habebantur, ob perſecutionem hoſtium, & Ædium ſacrarum penuriam: uti liquet ex Actor. *c.* 1. *v.* 13. ubi memoratur τὸ ὑπερῷον, *Cœnaculum*, in quod Apoſtoli & Diſcipuli, Secretorum ſuorum gratiâ, aſcendebant, velut in locum Conventus ſacri ſatis notum; & ex Paulo 1. Corinth. *c.* 11. *v.* 2. ubi ſingulorum domos diſertè, ut habitationis locum, diſtinguit ab Eccleſia, quò nomine nonnullis locus Conventus ſacri ſuum videtur. Quò ſpectant illa, quæ ſuprà diximus, in voce *Aurata Domus.* Vide plura apud Seldenum, *de Synedriis veter. Ebræorum, l.* 3. *c.* 15. § 2. & hic paſſim. Imò & quoties ſine arbitris volebant agere Veteres, in editum locum aſcendebant: interdum peculiarem locum in ſuperiori domus parte huic rei habebant. Sueton. *Aug. c.* 72. *Si quando quid ſecretò aut ſine interpellatione agere propoſuiſſet, erat illi locus in edito ſingularis.* De Tiberio Tacit. *l.* 6. *Annal. c.* 21. *Quotiens ſuper negotio conſultaret editâ domus parte utebatur.* C. Nepos *edito conclavi* eidem ſuit, meminit *ei Dione, c.* 9. *quibus in conclavi edito recubuiſſet* &c. Sed & , ut aquam unuſquiſque in *Cœnaculo* haberet, curâſſe olim in Urbe Vigilum Præfectum, dicemus infrà, ubi de eo, ex Paulo JCto.

COENALIS Robertus, vide *Robertus.*

COENATIO, idem. Vide quoque ſuprà, *Accubita*, infrà *Mica*, *Nidus*, *Zeta.*

COENATOR ſeu COENARIUS, Officium Monaſticum, cui incumbebat cura reficiendorum Fratrum æſtivis diebus veſpere. Apud S. Dionyſium, in Francia in Clauſtri latere, quod eſt ſecundùm Templum, viſitur tumba cum hac Inſcr. Gall. *Hic ſitus eſt Dominus Johannes Montmorencius, olim* Cœnator *hujus loci.* Horum Primicerii mentio in *Inſcr.* Romæ ad D. Pauli extra muros: *Hic jacet nomine Matrona C. F. in pace, uxor Cornelii Primiceri Cœnatorum, filia Porphyrii Primiceri Monetariorum* &c. apud Car. du Freſne, *Gloſſario.*

COENATORIA, ſeu accubitoria veſtis apud Romanos *Syntheſis* erat. Conviviis tamen maximè publicis ac ſolemnibus, Togam quoque fuiſſe adhibitam docet nos Cicero, qui Vatinium reprehendit quòd in epulo Q. Arrii cum toga pullâ accubuerit, cùm tot hominum millia accumberent, cum ipſe epuli Dominus albatus eſſet. Salluſtius item, qui apud Macrobium, *l.* 3. *Saturnal. c.* 13. Metelli luxum in Hiſpania carpens inter cætera, ait, *Togam pictam plerumque amiculo fuiſſe accumbenti*: Spartianus denique, apud quem, *c.* 22. *Adrianus ad convivium venientes Senatores ſtans excepit, ſemperque aut pallio tectus diſcubuit, aut togâ ſubmiſſa*, i. e. demiſſâ. Qui enim togati accumbebant, partem togæ ſiniſtrô brachiò contractam defluere ſinebant ad pedes, tum ipſum brachium, quod ſinui ac rugis ſuſtentandis occupabatur, per ſuperiorem togæ oram, ut & dextrum, exerebant. Cæterùm Imperatoriæ cœnæ nemini licuiſſe accumbere, niſi togato, oſtendit idem Spartianus *in Severo.* Ita quidem in epulis publicis, ac Imperatoriis: domi autem privatis conviviis togas cœnatoriis mutabant, quas, ut dictum, *Syntheſes* nuncupârunt, vide infrà in voce *Syntheſis.* In antiquis Tricliniorum figuris homines ſeminudi cubant, ſolò linteò, quod fortaſſe *Syntheſis*, ſemiamicti: hinc ſindonem, quâ *indutus ſuper nudo adoleſcens*, CHRISTUM à Judæis captum ſequebatur, veſtem cœnatoriam quidam fuiſſe exiſtimant. Fuêre & *Cœnatoria* muliebres, quarum meminit Pomponius, *l.* 33. *ff. de auro argento legato.* cùm ait: Q. *Mutius ait, ſcire ſe quendam Senatorem muliebribus cœnatoriis uti ſolitum.* Has colore fortè à virilibus diſtinctas fuiſſe, indigitare videtur Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 29. *v.* 1.

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem,
Miſiſti Dominæ, Sextiliane, tuæ.
Et quam donabas dictis à Marte Calendis,
De noſtra Praſina eſt ſyntheſis empta toga.

Quaſi dicat, pretiò, quò emere ſolebas togam, quam mihi natali meò mitteres, emiſti viridem cœnatoriam amicæ. Vide Octav. Ferrarium, *de Re Veſtiaria, l.* 1. *c.* 30. & 31.

COENEUM, Eubœæ promontor. Mela, *l.* 2. *c.* 7: lege *Cenæum.*

COENICA, regio Thraciæ cis Rhodopen, à Cœnis populis dicta. Aliis eſt *Caenica.*

COENOBIUM, Græcè Κοινόβιον, dicta eſt converſatio eorum, qui ex collatis opibus vivebant. Inſtituti auctor Pythagoras, qui domi ſuæ plurimos habebat juvenes, quos hôc pactô alebat; Unde apud A. Gellium, *l.* 1. *c.* 9. & Laërtium, *l.* 8. legimus, omnes ſimul, qui à Philoſopho hoc in cohortem illam diſciplinarum recepti erant, quod quiſque pecuniæ familiæque habebat, dediſſe in medium. Juſtinus, *l.* 20. *c.* 4. de Pythagoreis loquens: *Trecenti*, inquit, *ex juvenibus, cùm ſodalitii jure ſacramenti quodam nexi ſeparatam à cæteris civibus vitam agerent, quaſi cœtum clandeſtinæ conjurationis haberent, civitatem in ſe converterunt; quæ eos, cum in unam domum conveniſſent, cremare voluit.* Vide quoque Ciceronem, *l.* 2. *de Leg.* & infrà *Sacramentum ſeu Sodal.* item *Conſortium herctô non cito, Familia.* Hunc morem Κοινοβίων apud Judæos imitati ſunt Eſſeni, qui omnia itidem communia habebant; Quæſtore conſtitutò, qui neceſſaria procuraret, Euſeb. *l.* 8. *Præp.* *c.* 4. ex *Philone Judæo*: Idem de Platonicis legimus. Sed quæ Pythagoricorum communio, quæ Eſſenorum ſocietas, quæ Platonicorum jactantia, cum innocua & ſancta illa Apoſtolorum primorumque Chriſtianorum communione paria fecit? *Qui omnes erant eodem loci, & habebant omnia communia; & poſſeſſiones & facultates vendebant, & diſpertiebant ea omnibus, prout cuique opus erat: & quotidie perdurantes concorditer in templo, ac frangentes domatim panem, capiebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis*, vide Actorum *c.* 5. *v.* 32. & *ſeqq.* Nec multùm ab hac conſuetudine abluſerunt Collegia Doctorum qui publicô ſumtu alebantur, Alexandriæ olim

inſtructa, ubi Marcum Evangeliſtam cœtus atque agmina Philoſophantium, lectionibus, diſputationibus, meditationibus & interpretationibus S. Scripturæ totos dies incumbentium coegiſſe, referunt *Euſebius* ac *Hieronymus*. Propiora vitæ Collegiatæ quoad ſacra ſenata ſunt deinceps exempla inter Chriſtianos, etſi inſtitutô non tam perfectô, inter Monachos, quorum antesignanus Paulus Thebæus, poſt illum Antonius, quem Hilarion excepit, fuêre: occaſione perſequutionum ſub Decio & Valeriano, deinceps ſub Diocletiano, Licinio ac ſociis in Ægypti Syriæque ſolitudines multis fidelium abactis; ubi caſulas erigebant, aut ne deprehenderentur ſedes ſubinde mutabant & remittente poſtmodum perſecutionis furore, tranquillæ vitæ aſſueti, uſque ad mortem quandoque morabantur. *Cœnobitarum* enim primi auctores Eremitæ hi fuerunt. Ita ergo *Cœnobia*, quæ & Monaſteria, & poſtquam muris claudi cœpêre, *Clauſtra* dicta ſunt, originem habuêre. Quod inſtitutum porro ex neceſſitate, ut diximus, natum, mox alii imitati ſunt; quidam ex zelo pietatis, mundive tædio; alii ob Eccleſiarum diſſidia, Epiſcoporum factiones & faſtum; nonnulli ex otii meditationumque amore; aliqui etiam ex exercitia Virorum illorum eximiorum, qui primi vitæ hujus auctores extitêre. Nec defuere, qui ex faſtu hoc genus vitæ ſectati ſunt, ut humilitatem & vitam Angelicam amplecti viderentur &c. Dein tepeſcente pietate ac fervore, in urbes commigrârunt, quod inſtitutum Ambroſius tribuit Euſebio, Epiſcopo Vercellenſi, qui ab illo dicitur circa A.C. 360. primus in Occidente Monaſteria in urbes introduxiſſe. Præcipuam autem in vitâ *Cœnobiticâ* ordinandâ navârunt operam, in Oriente quartô ſeculô Baſilius: in Occidente duobus ſeculis poſt Benedictus; poſt quem circa decimum ſeculum in plures familias hic ordo Benedictinorum diviſus eſt, unde plures alii ordines emerſêre, apud quos non eadem facies manſit. Quantum enim ab hac differt, videre Serapionem ſub ſe habentem decem *Cœnobitarum* millia eoſque omnes laborantes & meſſis tempore metentes! Videre in Ægypto ac Oriente quotidie ad Patrem ſuum audiendum verbumque Dei hauriendum concurrentes eorum ad tria millia! Videre in eorum conventu Patrem diſputantem, quô loquente tantum erat ſilentium, ut nemo alium reſpiceret, nemo excreare auderet: ubi dicentis laus erat in fletu audientium: quô peractô conventum ſolvebatur. Et hanc profeſſionem amplectentibus res manebat integra, habebantque facultatem remigrandi ad ſuos vel commigrandi quo vellent, ſi quos inſtitutum tæderet. Jejunia erant libera, nec iiſdem omnes aſtringebantur legibus. Nec à Pontifice Roman. ordinis approbatio petebatur, nec regularum, titulorum, colorum, veſtium, characterum erat diverſitas: Nec Clerici tunc erant, exceptô unô Archimandritâ, *habebantque non docentium, ſed plangentium officium*, Hieron. Vide quoque Auguſtinum, *de Opere Monachorum*. Unde ex his *Cœnobiis*, velut jejunii, vigiliarum, precum, beneficentiæ, charitatis, laboris, ſimiliumque virtutum officinis: Scholis inſuper Studioſorum ac phrontiſteriis, ad Rempublicam Eccleſiamque præclariſſimi Viri prodierunt. Unica Schola Alexandrina Pantænum, Clementem, Origenem, Tryphonem, Heraclam, Dionyſium, Anatolium, Pierium, Theonem, Athanaſium, Didymum, Ambroſium, Maximum Philoſophum Epiſc. Conſtantinopolitanum, aliosque innumeros orbi dedit, Franc. Burmannus, *Orat. inaugur. de Collegiis*. Vide quoque infrà in *Collegium*, ut & in voce *Monaſterium*.

COENOENUM, German. urbs. *Ptol.* ad Albim, Ducatus caput. Vulgò *Lawenburg*, teſte Villanovanô. Eſt autem in Saxonia inferiore 8. leuc. ab Hamburgo in Ortum, Bertiô teſte, olim *Lauiburgium* Anglorum, ſub Vindilis fuit.

COENOMANI vel CENOMANI Aulerci, populi Galliæ, memorati Cæſari, *Commentar. l. 7. c. 75.* quibus à Gallis ad Aleſiam liberandam imperata ſcribit hominum V. Mill. Eoſdem *Aulercos* ſimpliciter eôdem librô vocat: Turonibus & Andibus proximos. Sed *Cenomanos* Livius, Aulercos, *l. 5. c. 34.* vocat, qui partem Italiæ cum Lingonibus & Boiis occupavêre. Vulgò *les Manceaux*, quaſi Mancelli. Horum caput *Subdinnum* vel Suindinum *Ptolemæo*, vulgò *le Mans* dicitur. Ager finisque *Cenomanicum* abſolutè, vel pagus Cenomanicus, vulgò *le Maine* appellatur. Olim quoque Ducatus Cenomanicus, qui jam inde à Chlodovæi M. filiis inſignis habebatur. Unde *Eginhardus* ſcribit, Griſonem, more Ducum ex Comitatibus à Pipino fratre donatum eſſe, in partibus Neuſtriæ, vel *Chronicon S. Arnulfi* habet, et Cenomanicam urbem cum xi. Comitatibus dedit. Turris *Cenomanica* memoratur Orderico Vitali, quam & *regiam*, i. e. præcipuam appellat. In eadem urbe mediis Barbatus, & more Barbatulus monumenta erant, ab Anglorum Regibus Normanniæ Ducibus condita: è quibus Richardus Henrici Andegavenſis fil. Cœnomanos ac Turones, auxiliô Galliæ Regis ſibi ſubjecit, patris mox in regno ſucceſſor, circa A.C. 1181. Præter hos Cœnomanos Aulercos, ſunt quoque Aulerci Diablintes & Eburovices, de quibus ſuô locô. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. & in voce Cenomani*.

COENOPHRURIUM, ſuprà *Cœnophrurium*.

COENOTAPHIUM, melius, *Cenotaphium*, Græcè Κενοτάφιον, tumulus dictus eſt, in honorem peregrè defuncti, domi extructus. Poſtquam enim ejuſmodi demortui anima ſolenni ritu ter vocata eſſet, quod ἀνακαλέσαντες [illegible] dixêre,

> —— —— *Manes ter voce vocare:*

Unde Virg. *Ecl. 6. v. 44.*

> —— *Hylam nautæ quô fonte relictum*
> *Clamâſſent, ut littus Hyla, Hyla, omne ſonaret.*

Imaginarium ipſi fecêre funus, quod Κενήριον, & ritum Κενοτάφιον vocavêre, Euripides, in *Helena*, v. 1562.

> Ὃν Τυνδαρὶς παῖς ἥδ᾽ ἀπόντα κενοτάφει,
> *Quem Tyndaris puella hæc abſentem imaginario tumulo honorat.*

Meminit hujus moris Poëtæ modò laudati Scholiaſtes, in *Hecuba*: *Ειώθασιν*, inquiens, οἱ Ἕλληνες [illegible], *Soliti ſunt Græci in viris bene meritis, licet abſentis, honorem, Cenotaphion erectare, ad nominis memoriam immortalitati conſecrandam.* Nonnus Κενήριον iſtiuſmodi monumentum vocat; Virg. *Tumulum inanem*, loquens de Ænea, *l. 6. Æn. v. 505.*

> —— *Tumulum Rhœteo in littore inanem*
> *Conſtitui.*

Ovid. *Sepulcrum inane*, de Progne, *l. 6. Met. fab. 8. v. 568.*

> —— —— *Et inane ſepulchrum*
> *Conſtituit.*

Idem honorem exhibuêre Athenienſes olim, omnibus in mari mortuis; Pythagoræi iis inprimis, qui *e Philoſophia ſua deſciviſſent*; tales enim, velut peregrè mortuos, judicârunt à patrio ſolo aberrâſſe. Eôdem honore dignabantur Græci illos, quorum in prælio occiſorum cadaver reperiri non poterant. Funebri enim pompâ in locum deſtinatum geſtabatur inane feretrum, & columnis Epitaphiiſque vel potius *Cenotaphiis* magnificè extructis memoria defuncti honorabatur. Hinc iterum Ovid. *l. 11. Met. fab. 10. v. 429.*

> *Et ſæpe in tumulis ſine corpore nomina legi.*

Vide Franc. Roſſæum, *Archæol. Attic. l. 5. c. 19.* & hîc in voce *Monumentum* &c.

COENOTROPHIUM, Græcè Κοινοτροφεῖον, vide infrà *Pandocheum*.

COENREDUS, Rex Merciorum, poſt Edilredum patrem, A.C. 704. ſextô poſt annô ſponte regnô ceſſit, Romæ mortuus. Alius, A.C. 716. Beda, *Hiſt. Angl. l. 5.*

COENUM, vide ſuprà *Cœnum*.

COENUS, ſecundus Macedoniæ Rex, regnavit ann. 12. an. ante Urb. Cond. 385.

COENUS, Prætor Alexandri M. Parmenionis gener, in regreſſu ex India, ad Aceſinum fluv. morbô extinctus. Curt. *l. 9. c. 3.*

COEPISCOPUS, apud Paulin. *Epiſt. 46. ad Romanianum*, idem cum *Coadjutore*, vide ſuprà, ut & in voce *Chorepiſcopus*; Namque & hi ſic appellati videntur. Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COEQUOSA, Galliæ Aquitanicæ oppid. Antonin. in *Itiner.* *Sanſoni* Taſta, ſeu Dax, ad Aturum fluv. vulgò *Acqs*, unde populi Cocoſates.

COERANUS, Philoſophus Stoicorum placitorum, ut videtur apud Tacit. *l. 14. Annal. c. 59.* Plin. Indice, *l. 2.* inter auctores, quos delibavit, recenſet *Cœranum*.

COERANUS, fluvii nomen. Steph. in *Adana*. Item viri nomen ab Ulyſſe interfecti. Ovid. *l. 13. Met. v. 257.*

> *Cœranon, Iphidaten, & Alaſtoraque Chromiumque.*

Idem *Cœranus* naufragus à Delphino ſervatus; vide Hiſtoriam apud Plutarch. in *l. Utrum terreſtria, an aquatilia plus ſapiant?*

COERCERE Lucum, vide infrà *Conquerere*.

COERULEUS Color, Græcis κυάνεος, nihil aliud, quàm purpura dilutior & pallidior eſt, Salmaſ. ad *Tertullian. de Pallio*. Aliàs apud Poëtas, pro atro ſeu nigro. Statius, *Theb. l. 4. v. 449.* ubi de Infernalibus ſacris,

> *Tum fera* cœruleis *intexit cornua ſertis*,

i.e. nigris, omnia enim in illis Sacris nigra. Idem *l. 1. Sylv. 6 v. 85.*

> *Et jam cœrula nox olebat orbem.*

Servio verò *proprium cæruleum eſt nigrum viridi mixtum*, ad *l. 7. Æn.* *Ferrugineum* & *cæruleum*, eoſdem colores agnoſcit Cyrillus Gloſſographus. Hinc omni rei terribili aut belluæ color hic adſcribitur. Statius, *l. 1. Theb. v. 562.*

> —— —— *animos advertite, pandam:*
> *Poſtquam* cœrulei *ſinuoſa volumina monſtri,*
> *Terrigenam Pythona* —— ——

Ovid. *l. 3. Met. v. 38.*

> —— *longô caput extulit antrô*
> Cœruleus *Serpens* ——

Val. Flaccus, *l. 1. Argon. v. 651.*

> —— —— *pontum pater & turbata repoſuit*
> *Littora, depellitque Notos; quot cœruleus horror,*
> *Et madidi gravis unda ſinus, longoque ſecutus*
> *Imber ad Æolia tendens ſimul aſpera porta* &c.

Inprimis mari & rebus marinis: Hinc *Cæruleus*, pro Neptuno & *Cæruleum agmen*. i.e. omnia marina, apud eundem *Papinium*, aliosque Poëtas paſſim. Unde & talis Rhapſodorum olim habitus, cùm Ulyſſis errores, quos mari imprimis paſſus eſt, repræſentarent &c. Vide Caſpar. Barthium, *Animadverſion. ad Papinium Statium*, *Part. 1. p. 159. 204.* & 291. *Part. 2. p. 541.* 1087. & 1088. *Part. 3. p. 185.* & 1743. uti de *Cæruleis* in luctu matronarum Romanar. *veſtibus* infrà aliquid lemmate *Pingere veſtes*, de calceis ejuſdem coloris, Sebaſtocratis olim in Aula Conſtantinopolit. dein Franciæ Regum, voce *Tzanca*. De *Cærulea* verò purpura, ſuprà in *Cæruleum*. Vide quoque infrà *Indicum*.

COESFELDIUS Henricus, vide *Henricus*.

COESTOBOCI, Sarmatiæ Europææ populi. *Ptol.*

COESYRA, fœmina Eretrienſis, nobilis & dives, ſed luxu molli-

mollitieque diffluens, nimiumque compta. Inde κοισυρῶδης apud Comic. pro luxurioſè ornati. Nupſit Piſiſtrato. Vide Schol. in *Ariſtoph. Acharn. Nic. Lloydius.*

COESYROPOLIS, meminit Schol. in *Nuber.*

COETES & COETUS, Græcè Κοίτης & Κοῖτος, libertus Veri Imperatoris apud Capitolin. à Marco Imperatore ſub ſpecie honoris remotus. Cum mentio in veter. *Inſcr.* Vide Salmaſ. *ad Capitolin. c. 9.*

COETI, Aſiæ populi ad Pontum Euxinum circa Tibarenos. *Xenoph.*

COETNUS, fluvius Galliæ, qui Normanniam à Britannia minore, Abrincatuos à Dolenſibus dividit, & Fulgerias ac Pontem Urſionis alluens, paulo infrà in Oceanum effluit, vulgo *Coeſnon*, aut *Coynon*. Ejus meminit Wilhelmus Britto, *l. 8. Philipp.*

> —— —— —— *Abrincos*
> *Finibus à Britonum quos ſeparat unda Coetni.*

Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

COEUS, gigas, Cæli & Terræ fil. Virg. *l. 1. Georg. v. 279.*

> *Coeumque Iapetumque creat, ſævumque Typhoea.*

COEUS, Meſſeniæ fluv. Electram urbem præterfluens. Pauſan. *l. 4.*

COFFRARIUS, in Fleta, *l. 2. c. 14. §. 3.* Arcarius eſt, qui *coffra* (uti recentiores dicebant, ex Cambro Britannico *coffr*) ſeu arcas regias ſervat. Anglis *the Cofferer of the kings houshold*, Magni Oeconomi ſeu Diſpenſatoris Regis Contrarotulator, Vicarius, cujus munus eſt aliis Familiæ Regiæ Officiariis ſua ſalaria ſeu ſtipendia erogare. Steph. Skinnerus, in *Etymolog. Angl.*

COFIA, vide infrà *Cuphia.*

COGAMUS, Lydiæ fluv. Plin. *l. 5. c. 29.*

COGEDUS, vide *Congedus.*

COGGESHALUS Radulphus, vide *Radulphus.*

COGIDUNUS, Rex Britanniæ, fidiſſimus Romanis. Tacit. *in Agricol. c. 14.*

COGIENSES, populi Marchiæ Tarviſinæ, quorum oppid. *Conelianum*, juxta amnem Muricam, 6. milliar. à Ceneta. Sub Venetis.

COGITOSUS, ſcripſit *de miraculis S. Brigittæ in Scotia.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 3. p. 699.*

COGNABANDA, & COGNABARA, Indiæ intra Gangem urbes. *Ptolem.*

COGNACUM, oppid. regale Ducatus Inculiſmenſis. *Merul.* Vide *Conacum.*

COGNATI Regis, genus militiæ Perſicæ. Curtius, *l. 3. c. 3.* ubi de acie Darii: *Proximi ibant, quos Perſæ Immortales vocant — — longo intervallo, quos Cognatos Regis appellant, decem & quinque millia hominum. Hæc vero turba muliebriter propemodum culta, luxu magis, quam decoris armis conſpicua erat.* Quò elogiû honoris camâ appellati ſunt. Vide Briſſonium, *l. 1.* ubi de convivio *Cognatorum*, quod συγγενικοὺς ἄρτους Athenæus appellat. Qui idem, *l. 3. c. 28.* συγγενικὸν vocari panem tradit, quò ſoli *Cognati* veſcebantur. Uni *l. 1.* ῥαιβὸν ... nominat, quæ juxta Caſaubonum, *c. 23.* ſolis Magni Regis generis propriè competebat. Fieri tamen poteſt, ut hi revera *Cognati Regis* primitùs eſſent & dicerentur; itaque etiam præcipuis honoribus & emolumentis gauderent: Poſteà veró in eorum nomen & veluti gradum, honoris & virtutis causâ adſciſceretur magnus aliorum numerus, qui dicerentur *Cognati Regis*, non eſſent. Certè, cùm hîc *Cognatorum* honoratâ appellatione uſus eſſet Curtius, mox ſubjicit: *dextra lævaque Regem decem ferme nobiliſſimi propinquorum comitabantur.* Ex quibus etiam fuiſſe videntur decem illi Legati, quos *Cognatorum principes* appellat, *l. 4. c. 11. num. 1.*

COGNI, Germaniæ populi.

COGNIDIUM, Papiæ *genus potionis*, apud Ægyptios, vel ſaltem Alexandrinos, in uſu. Ejus meminit Gregor. M. *l. 6. Ep. 37. ad Eulogium Epiſc. Alexandr. Suſcepi autem benedictionem S. Euangeliſtæ Marci, juxta breve veſtræ Epiſtolæ inſertum. Sed quia Collatum ac Zurithum non libenter bibo, præſumens Cognidium requiro, quod in hac urbe, poſt multa tempora, veſtra innoteſcere tranſactâ anno Sanctitas fecit. Nam nos hîc à negotiatoribus nomen Cognidii & non ſubſtantiam comparamus*, apud Car. du Freſne, *Gloſſario.*

COGNITOR, qui cauſam præſentis defendit: vel qui noſceret alios, *Aſcon. Pedianus.* Vide A. Gellium, *l. 2. c. 7.* Feſto eſt, *qui litem alterius ſuſcipit, coram eo, cui datus eſt*, & quidem ſpontè ſe offerens. Horat. *l. 2. Sat. 5. v. 27.*

> *Magna, minorve foro ſi res certabitur olim,*
> *Vivet uter locuples ſine gnatis, improbus ultro,*
> *Qui meliorem audax vocet in jus, illius eſto*
> *Defenſor.*

v. 37.

> —— —— *ire domum, atque*
> *Pelliculam curare jube, ſi Cognitor ipſe.*

Hôc diſcrimine à Procuratore, qui abſentis, nec ſine mandato, cauſam alicujus ſuſcipit, diſtinguebatur. Aſconius alibi & Donatus *in Adelphos Terentii* addunt, potiſſimùm, *in cauſa ſtatus, quum quis patitur controverſiam, an ſit è civibus.* At interdum à Prætore dabatur: Nam à *Verre*, *l. in eum. 2. c. 65.* datum Sthenio abſenti *Cognitorem*, ſcribit Cicero. Ovidio, *l. 1. Amor. El. 12. v. 24.*

> —— *Durâ cognitor ore*,

lanius dicitur. Cicer. *pro Cæcina*, *Mulierum adſectatoris, cognitoris viduarum, defenſoris nimium litigioſi, conciti ad rixam.* Idem *pro Roſcio*, *Quid intereſt*, inquit, *inter eum, qui per ſe litigat, & qui Cognitor eſt datus? Qui per ſe litem conteſtatur, ſibi ſoli petit; alteri nemo poteſt, niſi qui Cognitor eſt factus.* Liv. *l. 39* elegantiſſimè, *Ne ſuas quidem ſimultates pro Magiſtratu exercere boni exempli eſſe; alienarum vero ſimultatum tribunum plebis Cognitorem fieri, turpe & indignum Collegii ejus poteſtate & ſacratis legibus eſſe.* Ab hâc ſignificatione factum eſt, ut Delatores, & Quadruplatores & Εἰσαγγελεῖς honeſtiore vocabulo dicerentur *Cognitores*, tanquam qui cauſas Ærarii ac Fiſci, atque ita Populi & Principis, ſuſciperent ſpontè ac tuerentur, quorum operæ pretium partes de proſcriptorum bonis conſequebantur: Et quia huic lucro adjungebant ex illis plurimi, ut & ab haſta, quam erexerant, emerent, ideo perſæpe iidem *Cognitores*, qui Sectores: quod etſi non facerent, tamen erant cognati & ſocii participeſque manubiarum & lucri ex alienâ calamitate. Suntque hi propriè, *quos haſta Prætoris infami lucro & quandoque ſuppuraturo exercebat*, ut loquitur Seneca *de brevitate vitæ*, *c. 11.* Vide Joh. Freder. Gronov. *de Pecunia vet. l. 4. c. 3.* & infrà *Εἰσαγγελεῖς*, it. *Sector.*

COGNITOR, in Conciliis dicebatur, qui quod ad pacem & concordiam inter congregatos Patres ſpectaret, curæ habebat, Macro in *Hierolex.* qui retractandis & recognoſcendis Epiſcoporum ſententiis, datâ occaſione, intendebatur, Car. du Freſne in *Gloſſar.* ubi hanc in rem laudat Morinum, *de Exercitat. Eccleſiaſt. l. 2. c. 20.* Cujuſmodi Miniſtros Ἐπιγνώμονας vocat Concilium Sardicenſe, *can. 3.*

COGNOMEN, vide infrà *Nomen*, it. *Nomen proprium*, & *Signum.*

COGO, apud recentiores, navigii genus, vide Thom. Walſinghamum, Vinc. Belvacenſem, Jac. Vitriacenſem, paſſim. A voce Gall. *Coque*, i.e. *Concha* ſeu teſta, quòd ejuſmodi navigia conchaturn formam referrent, *Spelman.* Certè ab ejuſmodi navium figura vel uſu, curans Gallorum publicos viminibuſque contextos appellationem accepiſſe, probabile eſt, inquit Car. du Freſne: vel quod non ut hodiè in longum porrecti, ſed rotundi quodammodo eſſent: vel quia, ut *Cogones* ad tranſvehendos itinerantes, ita & curros illiuſmodi publici potiſſimùm addicti eſſent. Sed alia de voce Gall. *Coche* commentantur Lud. la Cerda *in Adverſariis*, *c. 125. num. 12.* & Menagius in *Orig. Gall.*

COGURETUM, vicus Ital. in ora Occidentali Genuenſi, C. Columbi patria, qui A. C. 1492. primus Europæorum Americam detexit. 10. milliar. à Savona.

COHIBENTIA Sacerdotum, in *Præfat.* Concilii Francofurtenſis, a Carolo M. habiti, occurrit. Cujus Operis ſumma huc redit: Neque probandum eſſe rigorem illius Synodi ſub Conſtantino V. celebratæ, quæ Imagines in hiſtoricum uſum poſitas prorſus abolendas cenſuit, & multo magis rejiciendam eſſe Synodi ſub Irene habitæ impudentiam, in adoratione imaginum. Paucis enim rejectâ priore Synodô, in *Præfat.* reliquum opus in quatuor libros diſtinctum prolixè impendit refutationi poſterioris in Bithynia celebratæ: contra quam Carolus ait, ſe opus hoc aggreſſum eſſe, *cum cohibentia Sacerdotum in Regno a Deo ſibi conceſſo, Catholicis gregibus prælatorum, non arrogantiæ ſupercilio, ſed zelo Dei & veritatis ſtudio.* Ubi *Cohibentia*, eſt unanimis conſenſus. An quaſi *Convenientia*, à *convenendo*, pro quo *cohevere* & *cohovere*, nonnullos dixiſſe, Salmaſ. docet, *ad Solin. p. 874.* Sed & in *Gloſſar. cohibet*, ... *Syneo*, ... & *cohibentias*, ..., ... &c.

COHIBUS, fluv. Aſiæ, circa Pontum, Tacit. *l. 3. Hiſt. c. 48.* forte Plinii *Cobus*, *l. 6. c. 4.* ſeu *Cochus* Agathiæ. Quod melius videtur, cùm & Arrianus, *in Deſcriptione Ponti Euxini* Χῶβον appellet.

COHORS, αὐλὴ ... eſt, quâ plurima ædificia continentur. Varro, *Cohors, quod, ut in villa ex pluribus tectis conjungitur ac quoddam fit unum, ſic hæc ex manipulis copulatur Cohors.* Unde & *cohortem* pro villa dixêre. Addit, à *coercendo* dictam. Sed aliter Salmaſius: Ex voce, inquit, Græca χόρτος, facta eſt Latina *Hortus*, quò nomine Villam Veteres appellabant, ut videre eſt apud Plin. *l. 19. c. 4.* Hinc *Cohortem* dixêre, aream cum horto, i.e. cum villa junctam. Nam *Cohortes* propriè, areæ muró & ædificiis cinctæ, ad villam adjunctæ: eæque duplices, *Exterior* ac *Interior*, ut Gallis hodieque, quam *altam* & *baſſam curtem* vocant; *cohortes* cum poſteà *curtes* & *cortes*, vide ibi. Plura videl. ædificia cum horto juncta ſic dicebantur, & σύγχορτα. Erant autem rotundæ hujuſmodi in villa cohortes: à qua rotunditatis forma, certus numerus militum in legione *Cohortis* nomen accepit, ut mox dicemus. Quemadmodum Græci ab eadem ratione σπεῖρας vocârunt, quas Latini *Cohortes.* Hæc namque confertæ multitudinis natura eſt, ut in circulum ſe ſtipet & in orbem conglobet. *Cohortibus* porrò villarum ſimiles fuiſſe, quoad figuram, *Mapalia* Pœnorum, ait Cato: quæ Saluſtius ædificia fuiſſe oblonga lateribus incurvis, quaſi navium carinas, adeoque ovalis figuræ, ſcribit. *Attegias* vocat Juvenalis, *Sat. 14. v. 196.* Soſipater Βαλβαῖα, quod idem eſt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 310 & 311.* E villis ad caſtra vox tranſiit, uti dictum. Fuit autem *Cohors*, ex majoribus legionis partibus: quemadmodum enim equeſtres copiæ in Turmas & Decurias: ita pedeſtres in *Cohortes* & Centurias erant diviſæ. Et quidem erant Roſino in juſta Legione *Cohortes* decem, quarum quælibet tres manipulos, manipulus duas militum centurias continebat: Sic *Cohors* ſexcentis militibus conſtiterit. Salmaſius vero illas quingenarias facit, h. e. hominum quingentorum, *ad Solin. p. 717.* Illarum prima reliquas & numerô militum & dignitate præceſſit, utpote Aquilæ cuſtos & Imperatorum imaginibus inſignis. Vide *Modeſtinum* ac *Vegetium.* A C. Mario *Cohortes* primùm inſtitutas volunt Eruditi, eo quod nulla earum apud Livium mentio. *Cohors militaria* dicta eſt prima, Legionis totius caput: *Pilata*, à pilis, telorum genere Romanis uſitato nomen habuit: *Prætoria*, dicta eſt militum Prætorianorum, quos in corporis ſeu tentorii ſui cuſtodiam Prætor elegit. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 10. c. 5.* ac infrà *Turma.* Sed & *Cohors* in Theatro locum habuit: Uti enim per cuneos diſpoſuit Cæſar, quos *Præfectos cuneorum* appellabat, qui excitarent de ſede, quam quis contra Legem occupaſſet: ita ad ſeditiones & rixas cohibendas, ſtatio *Cohortis* erat in Theatro

à Principibus poſita: quam Nero poſtmodum ad ſpeciem libertatis ſuſtulit. Ante Principum verò imperia, ei muneri præpoſiti fuerant Lictores atque Viatores: quos in eodem officio apud Græcos, Ῥαβδοῦχοι appellatos novimus. J. C. Scaliger, *Poëtices l. 1. c. 21.* Tandem pro quacunque hominum congregatione, apud probatos Auctores, vox accipi cœpit. Unde *Cohors Pythagoræ*, apud A. Gellium, *l. 1. c. 9. Socratis*, apud eundem, *l. 2. c. 18.* &c. pro Collegio diſcipulorum, ut clarius patet, ex eodem, *l. 13. c. 5. Ariſtoteles Philoſophus annos jam ferè natus duo & ſexaginta, corpore ægrò affectóque ac ſpe vitæ tenui fuit. Tunc omnis ejus ſectatorum cohors ad eum accedit* &c. Inprimis verò celebris *Cohors amicorum*, apud veteres Principes. De Alexandro Curtius, *l. 6. c. 7. Cebalinus — operiens aliquem ex prima cohorte amicorum, quo introduceretur ad Regem.* Ubi primæ habet, quia plures fuêre *amicorum cohortes* & quaſi gradus, tum apud priſcos Reges, tum, imitatione eorum, apud Imperatores poſtmodum Romanos ut Lipſius docet ad illa Taciti, *l. 6. Annal. c. 9. quem Druſo fratri percarum, in Cohortem ſuam tranſtulerat*: & nos ſuprà vidimus, voce *Amici*. Ejus autem gradus amicos τοὺς μεγίστους φίλους vocat Plut. *Alexandro, c. 83.* Ἑταίρων meminit Arrian. de eodem Alexandro agens, *l. 3. c. 2.* eorumque equitatui Philotam præfuiſſe, addit. Ubi Interpretem, vocem Græcam *Sociorum* reddentem, pro *Amicorum*, refellit Freinshemius, tum ex Curtio, *l. 6. c. 9.* ubi *Principes nobiliſſimæ juventutis* illos vocat, quibus præfectus Philotas; tum ex ipſo Arriano, qui poſt Ἑταίρων mentionem, τῶν ὁμαιχμῶν, i. e. *Sociorum*, meminit. Vide quoque infrà voce *Pagus*. Ab his itaque *Cohortibus* nomen diu poſt invenerunt *Cohortalini*, de quibus mox.

COHORTALINI & COHORTALES, inter Oſtenſionales Milites Caſaubono, *ad Lamprid. in Alexandro Severo, c. 33.* dicti primùm ſunt Officiales Prætorio Car. du Freſne ex *L. 1. Cod. Theodos. de Cohortal.* & *L. 4. eod. Cod. de diverſ. Offic.* Poſtmodum Rectorum Provinciarum Officiales, ex *L. ult. de Cohort.* ubi *Apparitores cohortales*: *l. 1.* ubi *Cohortalis militia*, dicuntur & *l. 26. 28. hoc tit.* de quibus plenè *eodem tit.* Κορτάλιοι eos vocat Marcianus Imperat. *in Edicto contra Eutychem part. 3.* Concilium Chalcedon. *c. 2.* Ὑπασπισταὶ τῆς κόρτης, *Defenſores curtis*, Auctor *Vitæ S. Georgii Epiſcopi Amaſtreni, num. 29.* Chlamydem iis, utpote militibus, tribuit Paulinus, *Ep. 7. ad Severum*: qui illorum nomen inde arceſſit, quòd in *Curti*, h. e. Prætorio vel Palatio militarent. Præerat iis Κόμης τῆς κόρτης, *Comes Curtis*, de qua Gloſſæ Baſilicæ in voce Δομέστικος, vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* ut in voce *Curtis*, & infrà *Cortinarii*. Addam hîc ſaltem, vocis originem, à *Cohortibus amicorum*, de quibus paulo ſuprà, arceſſere Freinshemium *ad Curtium* ubi ſuprà, his verbis: *Ab his Cohortibus nomen diu poſt invenerunt* Cohortalini — *quod ſcil. in Præſidum cohortibus miniſtrarent. Eſt enim ea rerum humanarum mutabilitas, ut & nomina ſummi rerum honoris tributa, tractu temporis, ſenſim devolvantur ad infimos* &c.

COHORTANUS, Rhoxanis Pater, Curt. *l. 8. c. 4.* quem tamen *l. 10. c. 3.* Oxatrem Perſam vocat.

COHUA, porticus nundinaria: item Forum ipſum placitorum, apud rerum Gallicarum Scriptores: Gall. *Halle.* In cujuſmodi porticibus quòd ut plurimum Judices pedanei judicia ſua exercerent, factum eſt, ut in pleriſque Normanniæ, & Pictonum viciniarumque regionum municipiis, Judicum Auditoria *Cohua* vocentur. Nominis origo à voce *Chaos*: eſt enim *Cohua*, indiſcreta hominum & promiſcua multitudo. Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COIANCA, vulgò *Valencia*, teſte *Marianâ*, oppid. olim nunc pagus Hiſpaniæ Tarraconenſis in finibus Aſturum, apud Ovetum urbem, in ejus agro.

COINQUERE, propriè dicebatur in ſacris ſylvis, vetuſtô ad hanc rem verbô; quod Feſtus *deputare*, & Cato in precatione ſacrificii, quod fieri ſolebat ad conlucandas arbores ſacras, *coërcere.* Ita autem illa habet apud Plinium, *l. 17. c. ult. Si Deus, ſi Dea es, cujum illud ſacrum eſt, uti tibi jus ſiet porro piacula facere, illiusve ſacri coërcendi ergò.* Idem nempe quod *conlucare* eſt, h. e. non penitus ſuccidere, quod Græci ἀποκόπτειν dicunt, ſed frondes ſuperfluas, ab afflatu aut à Sole obſtantes ac lumini etiam officientes, deputare & decidere, quod in ſylvis ſacris ſeu lucis non fiebat, niſi ſacrificiò prius factò, tantùm abeſt, ut totos evertí ac ſuccidi fas eſſet. Ovid. *l. 4. Faſtor. v. 753.*

Seu mea falx ramo lucum ſpoliavit opaco,
Unde data eſt ſeveræ fiſcina frondis ovi.

Incædui nempe prorſus luci erant, nec ramum aut frondem fas erat inde decidere, niſi factò ſacrificiò, facinus iſtud expiarent; ut totus verò lucus exſcinderetur, nullô piaculô poterat fieri ſatis, quô tantum ſcelus purgaretur. Hinc coërcendi tantùm ſacri nemoris venia precatione hâc petita, quod *Coinquere* dicebatur, item *conquare*, quod *purgare* exponit *Soſipater*. Sed falsò; Propriâ enim ſui notione contrarium planè ſignificat hoc verbum: vidal. *contaminare, violare, impurum facere*; quemadmodum κοινῶσαι unde *coinquinare*, quod *contaminare*, violare & impurum facere itidem denotat. Interim reâpſe & effectu idem *coinquere*, quod *deputare* vel *purgare* eſt, licèt contrariam ſignificationem habeat. Quod enim in profanis arboribus & ſilvis *putare* dicebant & *purgare*, hoc in religioſis & ſacris arboribus *coinquere*, i. e. contaminare, vocabatur. Quippe cùm nihil omnino ex his liceret amputari, aut recidi, quæ religione ſacræ & intactæ eſſent; ſi quando ferrô tangerentur, piaculum committebatur, ideoque non erat permiſſum eas conculare, niſi piaculari ſacrò prius factô, ei Deo ſive Deæ, cui ſacræ haberentur. Sed & neceſſe aliquando fuit, totas arbores in lucis ſuccidere, quando nempe fulguritæ erant, quæ & ipſæ *coinqui* dicebantur, ut patet ex *veter. Inſcr. Earumque arborum adoleſcdarum & coinquendarum & in eo luco aliæ ſint repoſitæ &c.* Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p. 583.*

COINTA, nobilis mulier ſub Decio apud Alexandriam martyriô coronata, A. C. 251. Euſeb. *l. 6. c. 40.* lege *Quinta.*

COINTISÆ, vox Gallica *Cointiſes*, apud Match. Pariſium, *A. C. 1252. Mille enim milites & amplius veſtiti ſerico, ut vulgariter loquamur,* Cointiſes, *in nuptiis ex parte Regis apparuerunt.* Veſtes ſunt elegantiores & tenuiores, ut ſaga militaria ex ſerico vel panno ſubtiliore & vittæ tenuiores aut lemniſci, quibus caſſides, haſtæ & equi ipſi exornabantur. Galli enim *coints* dicebant cultos, ornatos, elegantes, *Comptos*, unde vocis origo. Car. du Freſne, *Gloſſar.* & Dominic. Macer in *Hierolex.*

COINTUS, ſive *Quintus Smyrnæus.* Vide *Calaber.*

COIX, Græcè κοῖξ, item αἴγειρ; unde Latin. *ero*, de qua voce in diximus, ſporta vel fiſcina eſt, quâ aliquid tollitur, & fertur: Infima Græcia ἀνθοφόρον vocavit. Heſychius interpretatur πλέγματα, ἐν τοῖς πλέγμασιν φοίνικος ὅμοια, φορμοὶ; unde & *phormio*, apud Donatum, *ab hujuſmodi phormione ſporta.* Namque & κοῖξ Græcè, *fiſcum ſparteum.* Eſt autem κοῖξ, vox Attica, pro qua Κοὶς dicebant Dores. *Epicharmus*,

Ἦ θύλακον φέρειν, ἢ Κοὶς φέρων;
Ἦ Κορυκίδα.

Origo illi, non quòd ex *Coice* Æthiopico, de quo mox, texerentur, unde enim *Coices* illi mediæ Græciæ? ſed à verbo antiquo Græco κοῖος, quod *cavitatem* ſignificat. Inde Latinum *covum* pro cœlo, & hinc κοῖξ, vas ſparteum & concavum, pro quo alii κοῖξ dixêre. Antiqui Comici de phormione vel ſporta uſurpârunt paſſim. Pherecrates Κραπάταλοις,

—— —— πᾶς δ᾽ ἀνὴρ
Πίνακα τρίχιον, ἢ κοῖκ᾽ ἢ κανίσκιον.

Antiphanes,

—— —— ἄγλισιν ἀλφιτεῖον
Κοῖκ᾽ ἐν ἴσῳ,

Sed & genus palmarum Æthiopicarum κοῖκες appellatæ ſunt. Plin. *l. 13. c. 4. In ipſa quidem Æthiopia friatur hæc (tanta eſt ſiccitas) & farinæ modò ſpiſſatur in panem, gignitur autem in frutice ramis cubitalibus, foliò latiore, pomô rotundô, ſed majore, quam mali amplitudine, Coecas vocant*, i. e. κοῖκας. His κοῖκες, planta Ægyptiaca, non abſimilis, è cujus foliis & cortice etiam ſportæ vel phormiones texebantur, κοῖκες dictæ; unde κοίκινα πλέγματα Straboni, *l. 17.* Mentio quoque apud Plinium, *l. 12. c. 9. At è diverſo cuci in magno honore, palmæ ſimiles, quando & ejus foliis utuntur.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 817.*

COLA, ſeu COLENA, Inſul. parva & oblonga maris Scotici, inter Æbudas, prope Mulam Inſul.

COLA, Urbs & Emporium Ruſſiæ ad mare Septentrionale. Fluvium habet cognominem & lacum, in Lappia Moſcovitica, inter Wardhuſium & mare Album.

COLABA, Æthiopiæ promontorium ad ſinum Arabicum. Mela, *l. 3. c. 8.*

COLADA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

COLAENE, Diana cognomentò Sardibus culta, cujus templum magnæ religionis eſſe *Strabo* ait. Vide Scholiaſt. *in Ariſtoph. Aves.*

COLÆNUS, Mercurii ex poſteris unus. Schol. *in Aves.*

COLAJA, viri nomen. Nehem. *c. 11. v. 6.* i. e. *vox, aut elevatus Domini.*

COLAICUM, Taprobanæ inſul. promontor. Plin. *l. 6. c. 22.* Quibuſdam eſt Malacca, urbs aureæ Cherſoneſi, verſùs Sindas inſul. Aliàs quid ſit, non conſtat. *Baudrand.*

COLANA, Armeniæ majoris oppid. *Ptol.*

COLANCORUM, Longobardorum Suevorum, ſub Vindilis, in German. urbs. *Ptol. Fridwalde Villanovano.* Alius forſan *Berlinum. Baudrand.*

COLANIA, & COLDANA, poſterioribus, oppid. Albionis Damniorum. *Coldingham* Camdeno. Nunc in meridionali parte Scotiæ, inter Tinnæ & Tuæſæ fluviorum oſtia, in Merchia provincia. *Baudrand.*

COLAPHI Judæorum, ignominiæ genus, quô Judæi olim in Urbibus Chriſtianorum paſſim afficiebantur, ut idem, quod Domino noſtro fecerunt, ipſi paterentur, aut exſolutô tributô hanc moleſtiam redimerent: cujus *colaphizationis* originem pluribus indicat Auctor *Vitæ* S. Theodardi Archiepiſcopi Narbonenſ. apud Catellum, *Rerum Occitanic. l. 3.* ubi inter alia *Chartam* quoque exhibet Amelii Epiſcopi Toloſani, in qua iſta habentur: *Leddam etiam, quam à feſtivitate omnium Sanctorum ad Feſtum B. Saturnini — pro* Colaphis Judæorum *datam injuſtè Canonicis auferebat, abſolvo, reddo, dimitto Clericis S. Saturnini præſentibus & futuris.* Apud eundem remittit Guilielmus Epiſcopus Biterrenſis A. C. 1160. Judæis in urbe Biterris commorantibus, *illum impetum & inſultum & lapidationis bellum*, quod incolæ Judæis facere ſolebant, *à prima hora diei Sabbathi ante Ramos palmarum, uſque ad extremam horam ſecundæ feriæ poſt Paſcha, die vel nocte*, pro ducentis ſolidis Melgorienſibus, quos à Judæis accepiſſe ſe fatetur, &c. Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COLAPHUS, vide ſuprà *Alapa.*

COLAPIANI, Pannoniæ populi. Plin. *l. 3. c. 25.* juxta quos Colapis fluv. in Saum influit, unde & nomen acceperunt.

COLAPIS, & CALAPIS, *Strab. Culp* & *Kup*, Lazio, fluv. Liburniæ, in Saum, ad Segeſticam, ubi Siſcia urbs antiqua & Zagabria, quæ illi in Epiſcopatu ſucceſſit, influens. Plin. *l. 3. c. ult. Dionyſ. &c.*

COLARBASUS, diſcipulus Valentini, an idem cum Baſſo? Religionem in Alphabeto Græco conſtituit, &c. Iren. *l. 1. c. 10.* Tertull. *de præſcr. c. 33.* Auguſtin. *Hær. c. 14. 15.* Epiphan. *Hæreſi 35.* Philaſtrius, Theodoret. Joh. Damaſcenus, Baron. *A. C. 173.* Vide & *Colorbaſus.*

COLARNI,

COLARNI, Luſitaniæ populi. *Plin. l.* 4. *c.* 22.

COLASSIS, Lyſippi diſcipulus, qui Coloſſum fecit.

COLATIO, locus fuit in Norico, ad Sanam fluv. prope Celejam, inter *Altenburg* & *Presberg* vicos, *Cluver.* In ſuperiore Carniola. Vix rudera ſuperſunt.

COLATORII Equi, ſeu *Colatarii*, item *Colutarii*, ut alii legunt, memorati *Vegetio*, *Inter colatorios eum & eos, quos guttonarios vulgus appellat, ambulatura eorum media eſt* Salmaſio iidem ſunt, cum iis quos Græci *ὑπομένοντας* vel *ὑπομενετικούς* vocant. Elegantèr nempe *ὑπομενετικοί* dicebantur aſturcones & tolutares equi, quorum gradus in ambulando perinde minutus ac creber, quaſi ſaccô *colatus* eſſet & eliquatus: liquores enim per ſaccum dum exprimuntur, crebris & minutis guttis eunt. Cui haud abſimili, imo prorſus eâdem metaphorâ, de minutiſſimo & ſpiſſiſſimo gradu dixit Plautus, *in Pœnul. Actu* 3. *ſc.* 1. *v.* 10. eum *ſuccretum eſſe cribrô pollinario.* Hos autem *Colatorios* à guttonariis diſtinguit Vegetius, qui iidem cum trepidariis, & ipſi quidem minutò gradu incedunt, ſed non tam minutim ſuccretò colatóque, quàm aſturcones. Vide Salmaſ. *ad Capitolin. in Maximinis duobus*, *c.* 3. & *infra*, *ubi de Trepidariis*, *alibique paſſim.*

COLATORIUM, vide infrà *Colum.*

COLAX, apud Raymundum Agilæum, de Arce Antiochena: *In colle autem Septentrionali Caſtellum quoddam eſt & in medio colle caſtellum aliud, quod Græcâ linguâ colax vocatur*; Acropolis eſt, caſtellum, arx, Græcis Barbaris, hoc enim Raymundus intelligit, *Καλᾶ*: Sic enim prædictam arcem vocat Anna Comnena, *Alexiados l.* 11. ut & Scylitzes *in Nicephoro Phoca.* An à Latino *Colle*, quia in editioribus locis arces extrui ſolitæ? An Saracenorum vox fuit: nam hodieque Heptapyrgium Conſtantinopol. *Heptagulades* ſeu *ἑπταγουλάδων*, voce hybrida ſeu ſemibarbarâ appellant: ubi per *Gulades*, turres intelliguntur, unde & *Gulette* Africanæ nomen? Sed & hæc vox *Gula* ſeu *Cula* Latinam habuerit originem, à *collo* fortè; quod vocabulum, pro jugo montis, etiamnum notum eſt, in Alpibus & Pyrenæis. Vide Car. du Freſne, *Not. ad Annam Comnenam*, & in *Gloſſar.* in vocibus *Colax*, item *Colatum.*

COLAXES, Jovis & Oræ filius. Val. Flaccus, *l.* 6. *Argon. v.* 48.

> —— *Ductorque Colaxes*
> *Sanguis & ipſe Deûm.* ——

Ubi tamen Lamp. Alardus *Coraxes* legere maluit.

COLBERGA, Urbs Pomeraniæ ulterioris in ora maris Baltici, cum arce munita, ſub Electore Brandeburgico, antea ſub Epiſcopo Caminenſi. In Caſſubia, ad oſtia fluv. Perſanti. Salis coſturâ celebris. 6. leuc. à Coſlino in Occaſum, 3. à Treptavia in Ortum.

COLBI, Æthiopiæ ſub Ægypto gens. *Ptol.*

COLCÆ, vulgò COUCHES, locus Galliæ in Lingonibus, ad Scaram fluv. haud procul Divione Lingonum caſtrô, ad eundem amnem, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Arar.*

COLCAS, vel CULCAS, hodie Ægyptus dicitur, nobiliſſima & regioni illi maximè familiaris planta, quam Veteres *Colocaſium* dixêre, de qua vide infrà.

COLCESTRIA, Urbs Trinobantum, in Anglia in Eſſexia, ad amnem *Colne.* Urbs ampla, D. Helenæ natalibus cladeque ſuâ nobilis, 6. milliar. Anglic. ab ora maris German. Antea *Colonia* dicta.

COLCHE, inter Oceani Orientalis oppida & Indica, apud Æthicum *in Coſmogr.* *Sigoton*, *Palibothra*, *Alexandropolis*, *Adiamta*, Colche, *Patale*: uti in duobus antiquiſſimis Regiæ Bibliothecæ codicibus ſcriptum. At in alio longè vetuſtiſſimo Thuanæo, qui ſub nomine *Julii Oratoris* eadem omnia habet, pro *Colche*, ſcriptum *Colice*, hôc modô,

Palibothra	*oppidum.*
Alexandropolis	*oppidum.*
Sallentes	*oppidum.*
Colice	*oppidum.*
Patale	*oppidum.*

Ubi Colice eſt Κωλικὴ, vel Κωλιακή: quæ poſteà Κόλχοι. Auctor *Peripli*, Κόλχοι πόλις; hodiè *Cochinum*, quod vide; ut & in voce *Colchi.* Incolæ Κωλιακοὶ olim & Κωλικοὶ, qui poſteà *Colchi*, cognomine *Indorum*, à Caucaſeis Colchis diſtincti. Ab iis nomen accepit promontorium, circa quod habitabant, *Coliacum* dictum, Græcè Κωλιακὸς & Κωλὶς, Dionyſio & Melæ, *l.* 3. *c.* 19. Κωλιὰς ἄκρη, & Κωλιὰς παλαιὴ Dionyſio, in *deſcription. Inſularum*,

> Κεῖθεν ἢ ϛρεφθεὶς πολλῆς ἀντ᾽ ἀγχόθι καλέουσι
> Αἰψά κε Κωλιάδ᾽ μεγάλην ἐπὶ νῆσον ἵκοιο,
> Μητέρα Ταπροβάνην Ἀσιηγενέων ἐλεφάντων.

Et alibi,

> —— ἐπὶ Γαγγήτιδα χέρσον
> Πρὸς νότον —— ἀνεχούσῃ, ὅπῃ τέρμα Κωλιάδ᾽ ἄκρης,
> Η᾽ δέ οἱ ἀντέλλουσα ἐπ᾽ Ὠκεανὸν βαθυκόλπον
> Η᾽λίβατ᾽ ἐσχατόωσι δυσιμβαλ᾽ οἰωνοῖσι.

Quos poſteriores verſus *Feſtus Avienus* ſic reddit,

> *Nec nimis hi campos meraunt Gangetidos oræ,*
> *Quæ per ſlabra Noti ſurò diſtenditur agrò,*
> *Uſque in celſa jacens conſurga Colidis arcis.*

Promontorium nempe hoc eſt Indiæ intra Gangem maximè meridionale, cui ex adverſo reſpondet Septentrionale, promontor. Inſulæ Taprobanes, quod *Boreum* Græci dixêre. Plinius de Taprobanes altero amne, *l.* 6. *c.* 22. *Alterum ad Septentriones Indiamque verſum Cydara nomen. Proximum eſſe Indiæ promontorium, quod vocetur*

Coliacum, *quatriduo navigationi* &c. Vide hanc in rem plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1114. & 1115. & infrà in voce *Coliaci*, it. *Promontor.*

COLCHI, incolæ Colchidis, aliàs *Lazi*, horum Rex Zathus, cùm religionem veram amplexus eſſet, Conſtantinopoli baptizatus, conjugióque nobiliſſimæ virginis, à Juſtino Imperatore ornatus eſt. A. C 522. Cedrenus, *in Hiſt.* Vide *Colchis.*

COLCHI, Caſcorum Emporium in India intra Gangem. *Ptol.* Vide Bochart. *de Anim. Bibl. l.* 2. *p.* 489. *Cochin* hodiè. 25. leuc. Hiſpan. à Calecuto in Auſtrum, 44. à promontor. Comorino in Boream. Vide *Cochinum.*

COLCHINIUM, Dalmatiæ oppid. à Colchis conditum, quod poſteà *Olchinium* dictum eſt. Plin. *l.* 3. *c.* 22.

COLCHIS, *idis*, regio Aſiæ juxta Pontum, regnum Æetæ Regis, & Medeæ patria, Caucaſo monte (qui eſt Tauri pars) à ſeptentrione, ab ortu Iberiâ, à Meridie Phaſide, ab occidente Euxinô Pontô clauſa. Huc ferunt Iaſonem cum Argonautis navigâſſe, Medeæque artibus adjutum, aureum vellus inde emuliſſe. Eſt autem hæc regio venenorum feraciſſima, quæ res videtur locum feciſſe fabulæ, quam de Medeæ veneficiis comminiſcuntur Poëtæ. Horat. *l.* 2. *Carm. Od.* 13. *v.* 8.

> *Ille & venena Colchica*
> *Et quicquid uſquam concipitur nefas,*
> *Tractavit.* —— ——

Idem, *Epod. Od.* 5. *v.* 21.

> *Herbaſque quas & Colchis atque Iberia*
> *Mittit venenorum ferax.*

Colchos autem Ægyptiæ originis eſſe, conſtans fama eſt apud veteres. Dionyſ. *v.* 689.

> Πὰρ᾽ ἢ μυχὸν αὐτὸν ὑπὸ χθόνα Τινδαρίδαν
> Κόλχοι ναιετάουσι, μετήλυδες Αἰγύπτοιο.

Herodot. *l.* 2. Φαίνονται μὲν γὰρ ἐόντες οἱ Κόλχοι Αἰγύπτιοι. Diodor. Sic. *l.* 1. Φασὶ τῶν Αἰγυπτίων ἐκεῖ τινας καταλειφθέντας ὑπὸ τὴν Μαιώτιν λίμνην συστήσασθαι τὸ τῶν Κόλχων γένος. Strabo etiam, *l.* 1. meminit Ægyptiorum in Colchos *μετανάστας.* Et Ammian. Marcellin. *l.* 22. Colchos appellat *Ægyptiorum antiquam ſobolem.* Bochart. Vide quoque Marſhamum Equit. *Canone Chron. Sec.* XIV. ubi de Seſoſtre. Incolas hujus veteres Lazios & Mantalios, ex Ptolem. *l.* 5. vocat *Moreri.* Urbes præcipuas *Sebaſtopolin* & *Petras* Montes Caucaſum & Coraxem, fluvios Phaſin & Cyanum habet, ex Nigro, *deſcr. Aſia.* Oen. ml. Cluver. Davity, *tom.* 1. *Aſia.* Inde *Colchis* ponitur pro Medea. Horat. *Epod. Od.* 16. *v.* 57.

> *Non huc Argoô contendit remige pinus,*
> *Neque impudica Colchis intulit pedem.*

Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 643.

> *Credamus tragicis quicquid de Colchide torvâ*
> *Dicitur,* —— ——

Propert. *l.* 2. *El.* 1. *v.* 53.

> *Seu mihi Circæo pereundum eſt gramine, ſive*
> *Colchis Colchiacis urat ahena focis.*

Martialis, *l. Spectacul. Epigr.* 29. *v.* 7.

> *Ignipedes poſſet ſine Colchide vincere tauros.*

Nic. Lloydius. Nunc *Mengrelia* dicitur; eſtque pars Georgiæ. Ibi incolæ majori ex parte Chriſtiani, ſub proprio Principe, ſed aliàs ſub clientela Turcarum. *Baudrand.* Vide imprimis P. de Valle, *Itiner. tom.* 2. & 3.

COLCHICON, Græcè Κολχικὸν, genus bulbi veneneti, in Colchide frequentis. Dioſcorides, Κολχικὸν, οἱ δὲ ἐφήμερον, οἱ δὲ βολβὸν ἄγριον: & in *Proœmio*, *l.* 6 ἐφήμερον, ὃ ἔνιοι Κολχικὸν, διὰ τὸ ἐν Κολχίδι γίνεσθαι, Ubi quod *ephemerum* quoque dictum ait, de ephemero venenato capiendum eſt, aliud enim eſt ephemerum, quod inter Medicas herbas ab eodem, ut & Plinio, reponitur. Idem verò Κολχικὸν, Ἴσις ἀγρία, quoque appellatum eſt. Cauſtica ei vis & quidem tanta, ut eôdem die jugularet, hinc ἐχθόμενον πῦρ Μηδείης Κολχίδος dictum *Nicandro*: non quod idem eſſet cum oleo Medico ſeu Medeæ, naphtha videl. ſed quia Medea, quæ ex hac regione oriunda erat, hôc venenô ſæpe uſa fuit, ut quæ omnium venenorum, patriæ imprimis, notitiam eximiam habebat. Meminit *Colchorum venenorum*, Ovid. *de Arte Amandi*, *l.* 2. *v.* 89.

> *Non facient, ut vivat amor Medeïdes herbæ,*
> *Mixtaque cum Magicis* Colcha *venena ſonis.*

Traditque Lucanus pro re mira, tales herbas in Theſſalia Medeam offendiſſe, quas non advexiſſet è patria Colcho, *l.* 6. *v.* 441.

> —— —— *terris hoſpita Colchos*
> *Legit in Æmoniis, quas non advexerat, herbas.*

Legebantur autem in locis abditis, unde de hujuſmodi venenis loquens Statius, *Theb l.* 9. *Secreta aurea* dicit, ſicut Plinius *magnarum Colchidos ſolitudinum* mentionem facit, *l.* 6. *c.* 10. Huic & ſanum ſeu aras Hecates, in ſecretis ibi locis fuiſſe, docet Ovid. *l.* 7. *Met.* Quàm verò Colchides fœminæ veneficiis ac incantationibus fuerint infames, notiſſima Argonauticis & Tragicis Scriptoribus cantilena eſt. Vide plura de Colchico ſpectatim ſic dicto, apud Plinium, *l.* 28. *c.* 9. Salmaſ. *ad Solin. p.* 242. & 243. Alios adde Caſp. Barthium, *Animadverſ. ad Statium d. l.*

COLDINGA, Urbs Jutiæ Meridionalis cum arce *Arensburg* & portu, in receſſu maris. Vix 2. leuc. German. à Fionia Inſul. 4. ab Hadersleba. Ibi vectigal exigitur, propter equos boveſque, qui

qui maximò numerò per pontem; in Holſatiam & ad Albim aguntur.

COLDULI, German. populi, quorum oppid. *Holetal* dicitur, teſte *Laxio*, in Bohemia. Κολδοῦοι in veteream. libris legi annotavit *Caſaubon*. Vide Ortonem *ad Rhenan*.

COLDUNUM, vulgò *Coudun*, locus Galliæ in Bellovacis, Hadr. Valeſ. in voce *Bellovaci*.

COLEMANNUS, Paſtor Londinenſis, auctor *Eraſtianorum* ſeu *Colemannianorum*. Dum enim proximis temporibus in Anglia, inde Presbyteriani, hinc Independentes, pro ſuo quiſque regimine contenderent, factum eſt, ut intereà florentiſſimas Eccleſias Hæreticorum & Schiſmaticorum lues devaſtaret, atque inſuper tertia factio utriſque omnia eriperet. Idque ab *Eraſtiana* factione, quam factionem Politici excitârunt, ejus ope regimen ſibi ſolis vindicaturi. Colemannus itaque, videns paratos novaturientibus ſectatores, inſtinctu Politicorum, tertiam viam Regiminis Eccleſiaſtici aperuit, ea Eraſti lacunis hauſtam, *fruſtra longè peti regimen Eccleſiæ*, clamans, *cùm ab adminiſtratione civili non ſit divellendum*. Is igitur, concione ad Parlamentum habitâ, regimen Eccleſiæ Magiſtratui dedit, qui per *Intermiſticos Commiſſarios Eccleſiam gubernaret*, Scotorum ſimul ad Synodum legatos, quaſi diſſidiorum cauſas, exterminatus. E quorum numero ſe ipſi oppoſuit G. Gilleſpy Theologus Edinburgenſ. & Sam. Rhetherfortius, acer Arminianiſmi hoſtis, qui ambo omnem Eraſtiani commenti iniquitatem doctè refutârunt. Politicorum nihilominus conſilia prævaluerunt, & *Eraſtianum regimen* ſtabilitum, unde ingentia mala orta, de quibus alibi. Nempe Myſterium ſectæ hujus erat, ut *omne Regimen Eccleſiæ ad Magiſtratus civile arbitrium deferretur*: quò pactò non tantùm Presbyteriani exarmati, ſed Independentium quoque regimen ſublatum eſt. Et quidem durante hôc Politicorum dominiô gravia paſſus præfatus Rhetherfortius in vinculis aliquamdiu languit, illô verò iterum mutatô ac abbolitô, Profeſſor Theologiæ Aberdonenſis, contra Jeſuitas, Arminianos, Familiſtas, Antinomos, Independentes, varia ſcripſit. G. Hornius, *Hiſtor. Eccleſ. Periodo III. Artic.* 3. Vide etiam hîc paſſim, inprimis voce *Independentes*.

COLENDA, Hiſpaniæ urbs in Celtiberis. *Appian*.

COLENIS, Diana nominata eſt, à *Coleno*, qui ante Cecropem regnavit.

COLENTES, appellabantur, qui ab Idololatria ad Judaiſmum tranſibant, Beda in *Acta*, c. 13. v. 43. laudatus Macro, in *Hierolex*.

COLENTIUM, Illyrici inſula, *Scardona* Ptolemæo, aliàs *Celentum* legitur, populi *Colentini*. Plin. *l.* 3. *c.* 22.

COLEPHIA, Græcè Κωλήφια, item κωλῆνες, cibus athletarum. Juvenalis, *Sat.* 2. *v.* 53.

— Comedunt colephia *pauca*.

h. e. paucæ pugilatum & Athleticam exercent. Martialis de Muliere pugile, *l.* 7. *Epigr.* 66. *v.* 12.

Et colephia *frudeniti comedit*.

Vox diminutiva eſt à κωλῆν: interpretatur autem κωλήνια *Suidas*, τὰ ὀπίσω τῶν γονάτων μέρη: nempe partes illas animalium ad victum aſſumebant Athletæ, quæ minimum ſucci & pinguedinis habent, quæque maximè aridæ ſunt & ſiccæ; cujuſmodi ſunt pedes bubuli & ſuilla acrocolia, κωλήνια & κωλῆνες Græcis. Vide ſuprà in voce *Arida ſaginatio*: uti de anterioribus victimæ partibus, quæ κωλαῖ dictæ, apud Athenienſes, cum pelle, Sacerdotibus cedebant, aliquid infrà voce *Victima*.

COLERUS Chriſtophorus, Francus, ſummæ ſpei juvenis, obiit in Auſtria A. C. 1604. auctor *Commentarii in Taciti Germaniam*, aliorumque complurium ſcriptorum, de quibus vide Ant. Teiſſier, *in Elogiis Erudit. Gallicè editis*, *Part.* 2.

COLERUS Matthias, vide *Matthias*.

COLETIANI, Pannoniæ ſuperioris gens. *Ptol.* Aliis *Coletani*, medii inter Vindobonam, ad Boream & Pœtovionem, ad Auſtrum, ad pedes montium, verſùs fontes Arrabonis fluv. ubi nunc Auſtriæ Stiriæque confinium. *Baudrand*.

COLI, populi juxta Caucaſum. Inferiores autem Caucaſi partes *Colici montes* vocantur, Regio *Colica Stephano*.

COLIACI, in Praſia gente & totius Indiæ intra Gangem maximè Meridionales, Græcè hinc Νοτιώτατοι dicti *Straboni*, promontorio *Coliaco*, circum quod habitabant, nomen dedêre. Diſterminabat autem hoc promontor. duos ſinus, Colchicum & Argolicum, & ſequenti tempore Κῶρυ appellatum eſt. *Marcianus Heracleota*, Τῷ ἀκρωτηρίῳ τῆς Ἰνδικῆς τῷ καλουμένῳ Κῶρυ ἀντίκειται, τὸ τῆς Ταπροβάνης νήσου ἀκρωτήριον, τὸ καλούμενον Βόρειον, *Promontorio Indiæ, dicto Cory, oppoſitum eſt Taprobanes Inſulæ promontorium, Boreum appellatum*. Vide ſuprà in voce *Colche*.

COLIADOS Veneris Templum ſic vocatur in Attica, ab Adoleſcente quodam Attico, à piratis Tyrrhenis capto: qui cum vinctus eſſet, κῶλα, i. e. manus ac pedes & à Principis piratarum filia amatus ac liberatus, reverſus Athenas Veneri templum vovit ac dedicavit διὰ τὸ τὰ κῶλα λελύσθαι, quòd membra ſua vinculis eſſent ſoluta. Scholia Ariſtophanis, *in Nubes* & *Suid. Nic. Lloydius*.

COLIAS, promontorium vel litus Atticæ in vico Phalereo, ubi & Venus Colias. Vide ſuprà. Dionyſius Perieg. Taprobanem *Coliada* vocat:

Αὐτὰρ γε Κωλιάδος μεγάλην ἐπὶ νῆσον ἵκοιο,
Μητέρα Ταπροβάνην Ἀσιηγενέων ἐλεφάντων.

Vide & illic Scholiaſten.

COLICANTII, vide *Colycantii*.

COLICARIA, locus inter Bononiam & Veronam. *Antonin*.

COLIDEI, vide *Culdei*.

COLIMPHA, apud Hieronymum, *Ajunt enim in ipſas colimphas ipſum Alexandrum introiſſe & profundum conſcendiſſe & uſque ad imum, ut ſciret Oceani profundum & differentiam maris & abyſſi*: quaſi *Colymba*, à Græco verbo κολυμβᾶν, *natare*, navicula eſt urinatoria, in qua qui foret, etiam aquis obrutâ, non indigeret lumine, quia ſpeculi electrini vel vitrei beneficiò pellucebat. Voſſ. *ad h. l.*

COLINIUS Caſparus, Amiralis Franciæ, quem cum Ludovic. Principe Condæo, vocat *les deux premieres intelligences du Siecle*, Silnn. in libro, cui titul. *Miniſtre d'eſtat*, poſt fortitudinis egregia ſpecimina in prœliis *de Ceriſoles*, Carimano, S. Quintino, &c edita, Reformatæ religionis acerrimus vindex, quem virtute non poſſet, perfidiâ victus eſt, prima & princeps Laniena Pariſinæ victima, cum paulo antè ſclopetô vulneratus ad Maurum, concionatorem Joh. Albretanæ Reginæ Navarr. matris Henrici IV. dixiſſet, *Hem mi frater, nunc ſentio me a Deo diligi, quando propter ſanctiſſimum ipſius nomen, has plagas acceperim*. Vide Thuanum, *Hiſtor.* & *Memoires de Colligny*.

COLINIUS Franc. Andelotus, dictus Imperterritus, Gall. *le Chevalier ſans peur*, Præfectus Lugdun. Primus, ex nobilitate Gallicana, puriorem doctrinam publicè profeſſus, eam ad ultimum vitæ halitum ſtrenuè tuitus eſt. Admiralis Frater.

COLINIUS Odetus, Cardinal. Caſtellionæus, Epiſcopus Bellovacenſis, cum fratribus prædictis, Evangelii egregius aſſertor, Legatione apud Eliſabetam Angliæ Reginam, de Eccleſia Gallicæ Reformata optimè meritus. Vide modo laudatum Jacobum Auguſtum Thuanum.

COLIPPO, Luſitaniæ oppid. Plin. *l.* 4. *c.* 21.

COLIS, apud Melam, *l.* 3. *c.* 7. *ab Indo ad Gangem Palibothri: à Gange, ad Colida Nyſi*, Græcè Κωλὶς & Κωλιὰς: promontor. eſt Indiæ intra Gangem νοτιώτατον ſeu maximè Meridionale; cujus quoque *Feſtus Avienus* meminit,

Colis & ipſa dehinc celſi vergit in æquor
Oceani, tantòque jugò ſubit æthera avras,
Arceat alitum ſubducta ut rupe volatum.

Idem cum promontor. *Coliaco*, de quo ſuprà in voce *Colche*, item *Coliaci*.

COLISEUM, ſeu **COLOSSEUM**, Amphitheatrum Titi Romæ dicitur, de quo vaticinium Bedæ *in Excerptis* ſeu *Collectaneis* ejus tale extat: *Quamdiu ſtabit* Colyſeus, *ſtabit & Roma: quando cadet* Colyſeus, *cadet & Roma: quando cadet Roma, cadet & Mundus*. Stetiſſe in hoc loco imaginem Romæ, tenentis pomum aureum, & circa eam imagines provinciarum Romano Imperio ſubditarum, quotieſque provincia aliqua defectionem moliebatur, imaginem ejus inſurrexiſſe contra imaginem Romæ eique dorſum obvertiſſe, nugatur Ugutio, apud Car. du Freſne in *Gloſſar*. Vide quoque ubi de *Pyramidibus*.

COLIVERIUM, oppid. agri Tarviſini.

COLIUM, in veter. *Inſcr.* apud Tertullian. *de Spect. Et nunc ara Conſo illi in Circo defoſſa eſt, ad primas metas ſub terra cum inſcriptione ejuſmodi*, CONSUS CONSILIO, MARS DUELLO, LARES COLIO POTENTES; ubi legit Salmaſius, pro COMITIO, quod vulgò habetur; *domus* eſt ſeu *habitaculum*. Lares enim domuum præſides fuêre habiti, unde & *Familiares* & *Domeſtici* cognominati ſunt. *Gloſſa*, *Lares*, Θεοὶ κατοικίδιοι. Nempe *colere*. Antiqui abſolutè dixerunt, pro habitare. A. Gellius, *l.* 9. *c.* 4. *Sauromatas, qui ultra fluvium longè colunt*. Et Varro, *ædes poſſideo & colo*. Unde *coligo*, apud Arnobium, pro domo, *l.* 2. *In penetralibus coligenis perpetuos fovetis focos* Et *Colium*, pro eodem. *Lares igitur colio potentes* ſunt lares familiares ac domeſtici. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 913. & 914.

COLLACTANEI, qui unam habuêre Nutricem, quod eandem *Nutricem ſimul habere*, vocat Appulejus, *Metamorph.* l. 2. memorantur B. Hieronymo, *ad Fur. Nec Procurator calamiſtratus, nec* Collactaneus *formoſus, nec candidulus & rubicundus aſſecla adhæreat lateri tuo*. In veter. monumentis *Collactii* & *Colactii* appellantur. Parmæ deſcripſit Pignorius,

D. M.
KALOCERUS
PUBLICUS
ELÆNO
COLACTIO
B. M.

Collactius habes apud Gruterum, *Inſcr. p.* DCLXI. Romæ in hortis Cyriaci Matthæi, legitur:

COMMUNIO VERNA
ANTONIÆ AUGUSTÆ
V. A. II. MENS. X.
COLLACTEUS DRUSI
BLANDI F.

Ibidem apud Lapicidas D. Petri, ex Grutero, *p.* MCXIX. *Collactaneam* legas,

D. M.
P. ÆLI. PASTO
RIS. VOLUSIA
L. F. SALVIANÆ
COLLACTA
NEO &c.

Juvenalis & Marcianus Capella *Collactea* admittit: hic quidem, *l.* 2. *Sed quid ſororis ejus* Collactea *& indiſcretò amica fœdere videretur*. Ille verò, *Sat.* 6. *v.* 306.

Tullia quid dicat notæ Collactea *Mauræ* &c.

De cujuſmodi miniſteriis an Ulpianus intellexerit, *leg.* 17. §. 2. *ff. de uſufr. Si ſervi*, inquiens, *ujus uſusfructus legatus eſt, cujus teſtator quaſi miniſterio vacuo utebatur* &c. diſquiritur: Alumni certè ac *Collactanei* quaſi miniſtrare dici poterant. Et hujus demum generis miniſteria, longè poſt abolitos omnino ſervos, diu perſeveraverunt, unde, licèt ſervi Bartoli JCti ætate penitus deſiiſſent, vide eum ad *Leg. Hoſtes de capt. & poſtl. rev.* citatum à Genebrardo A. C. 1216. *Collactanei* tamen in uſu erant, quod patet ex P. Paulo Vergerio, ubi de Ubertini cujuſdam ſervo hæreditario Lougetto elegantem refert hiſtoriam, ut videre eſt apud Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, cùm hoc Vergerii ſcriptum adhuc ineditum ſit. Vide quoque de *Collactaneis* Thom. Bartholinum, *de Purp. Veter.*

COLLADUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

COLLARE, Græcè *ἀυχενιστήρ*, armaturæ ſpecies, quâ ſcil. *collum* militis tegitur, Gall. *Collier*, Guil. Brito, *Philippidos l.* 11. Vide quoque infrà ubi de *Inſcriptis & Stigmaticis*.

COLLASTIS, vide infrà *Cyllaſtis*.

COLLATERII, apud Vitalem, Epiſc. Oſcenſem, *Forinſecos etiam quandoque Villanos, qui Collaterii dicebantur, qui tam crudeli erant ſubditi ſervituti, ut etiam inter filios dominorum ſuorum ducerentur gladio dividendi*: Anglis & Gallis *Cotarii*, *Cotiers*, *Gens de Cotr*; ſic dicti videntur: quòd *collatis*, h. e. tributis, eſſent obnoxii. Vide Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COLLATIA, oppid. in prima Italiæ regione, ad Anienem fluv. in via Tiburtina, ab Albanis, ut creditur, conditum, prope confinium Sabinæ, & à Tarquinio Superbo inſtauratum, collatâ eam in uſum à Populo Romano pecuniâ, unde & nomen petatur accepiſſe, ut refert Servius, enarrans illud Virg. *l.* 6. *Æn. v.* 773.

Hi tibi Nomentum & Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces,
Laude pudicitiæ celebres. ----

Ex hac enim orbe ortum traxit Tarquinius Collatinus, Lucretiæ maritus. Sil. *l.* 8. *v.* 360.

Quos Caſtrum, Phrygibusque gravis quondam Ardea miſit,
Quos celſâ devexa jugo Junonia ſedes
Lanuvium, ac diræ caſta Collatia Bruti. Vide *Egeriam*.

Livius hoc oppid. interiùs in agro Sabinorum collocare videtur, *l.* 1. *c.* 57. 58. ubi pugnam Tarquinii Sabinorumque ad ſiniſtram Anienis ripam recenſet. Verùm aliter alii tradiderunt auctores, quorum ſententiâ in Latio cis Anienem fuerit. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Et Servius, *ad præſcriptum Virgilii locum*. Ciceronis tempore adhuc extitiſſe Collatiam ipſe teſtis eſt, *in Orat. prima contra Rullum*. Sed & Strabo poſt eum, *l.* 5. teſtatur, ſuò ævò extitiſſe etiam, verùm *κώμην* factum, id eſt, *vicum*. Nunc vix rudera apparent. *Nic. Lloydius*. Erat forſan, ubi nunc Caſale dictum *Cervara*, *Baudrand*.

COLLATINA, Romæ porta. Item Dea, quæ collibus præſidebat.

COLLATINUS L. Tarquinius, nepos ex ſorore Superbi, maritus Lucretiæ, à Sexto Superbi filio violatæ, hâc occaſione, pulſiſque Tarquiniis, cum Bruto Conſul deſignatus, ſed paulò poſt, quòd ex familia Regum tantopere populo exoſâ eſſet, depoſitus eſt. Vide Liv. *l.* 1. *c.* 56. & *l.* 2. *c.* 2. Flor. *l.* 1. *c.* 3. & 9. Aurel. Victor. *de Viris Ill.* Item, in voce *Collatia*.

COLLATINUS, unus ex 7 Romæ collibus.

COLLATIO, apud Honorium Auguſtodun. *l.* 2. *c.* 63. Durandum, in *Rationali*, *l.* 5. *c.* 9 §. 11. Hæftenum, *Diſquiſitiòn. Monaſtic. l.* 9. *tract.* 5. Alios, divinæ ſacrorum Librorum lectio apud Monachos præſertim, quæ ſtatis horis, maximè poſt cœnam, coram iis fiebat. Quaſi Collocutio ſeu Confabulatio, inquit Smaragdus in *Regula*, c. 42. *quòd de Scripturis divinis aliis conferentibus interrogationes, conferunt alii congruas reſponſiones, & ſic quæ diu latuerunt occulta, conferentibus pateſiunt perſpicua.* Cujus facti ritum originem aperit Honorius, *l. c. Quod Religioſi ad Collationem conveniunt, hoc à ſanctis Patribus acceperunt, qui in Veſperis ſolebant convenire & de Scripturis inſimul conferre, &, quæ ipſi tunc invicem contulerunt, Collationes dicebantur* &c. Vide quoque infrà *Homilia*, it. verbo *Tractare*. A *Collatione Scripturæ*, itum eſt progreſſu temporis ad *Collationem Patrum*, ad quam tribus in hebdomade vicibus, poſt celebratam Tertiam, dato ſignô, conveniri conſueviſſe, legis in *Regula* S. Iſidori, c. 8. Quia verò à *Collationibus* iſtiuſmodi Monaſticis ſurgentes ad bibitionem ſe accingebant, hinc feſtivitæ cœnæ *Collationum* appellationem videntur ſortitæ. Udalricus, *Conſuetudinum Cluniac. l.* 1. *c.* 13. *De collatione ſurgunt ad Charitatem, & de vino, quod tunc propinatur, nullus omnino præſumat abſtinere; ut non aliquantulum guſtet.* Quomodo porrò *Collationes* fierent, docet *Liber Uſuum* Ordinis Ciſtercienſis, *c.* 81. Scripſère ejuſmodi *Collationes* Caſſianus & Odo Cluniac. laudati Carolo du Freſne, quem vide in *Gloſſario*, in vocibus *Collatio*, item *Collecta*: ut & infrà, voce *Silentiarius*.

COLLAUM, provinciæ de Lima regio, in Peruviæ regno, inter montes Cordilleros. Fertilis & exigua, Herrera, Luiſchot, Acoſta, &c. *deſcr. Amer.*

COLLECTA, vox inferioris ævi, variè ſumitur. Collatam in commune pecuniam ſignificat, apud Ottonem Friſing. *de Geſtis Friderici Imperat.* l. 2. c. 11. aliiſque; in ſpecie, Eleemoſynarum collectionem, apud Leonem M. *Homil. de Collectis*: Item Conventum Gall. *Aſſemblée*, apud Anaſtaſium Bibliothecar. in *Vita* S. Joannis Eleemoſynarii, *num.* 68 Inprimis populi, ad reſiſtendum vimque faciendam, coacti armatique, in *Capitulis* Ludovici Imperator. *c.* 78. Caroli C. *tit.* 12. *c.* 3. aliis. In Eccleſia Romana, ſic vocatur Miſſæ, ut ajunt, ſacrificium, ad quod populus coit, & colligitur, *σύναξις*; imò & quodvis aliud Officium Eccleſiaſticum: vocaturque *Major Collecta*, cùm omnes Fratres ſimul congregati officium divinum perſolvunt in Oratorio *Minori*, quæ in ſingulis claſſibus ſeu domibus, à Fratribus ejuſdem claſſis ſeu domus, in ipſis domibus fit. Porrò, Oratio, quam is, qui Clero vel Monachis præeſt, finitò & explctò quolibet Canonicô officiô, veluti omnium adſtantium vota & preces in unum colligens, publicè & clarâ voce recitat, apud Rupertum, *de divin. Offic. l.* 1. *c.* 19. Alcuinum, Alios. Hinc *Collecta*, in *libro Sacram.* S. Gregorii, ad 3. Non. Febr. ubi inſcriptio eſt, *ad Collectam*, oratio eſt ante Miſſam dici ſolita, juxta ſententiam Caroli du Freſne: cenſente Baronio, Miſſam eô die ſic vocari, quòd tunc eleemoſynas colligi publicè mos. Hujuſmodi autem *Collectas*, Græcis *συναπτάς*, à Gelaſio & Gregorio M. compoſitas eſſe, auctor eſt Berno Augienſis, *de Miſſa*, c. 1. &c. Vide hanc in rem plura, apud præfatum Car. du Freſne in *Gloſſar.* inprimis verò, apud Macros Fratres in *Hierolex.* & infrà, *Synapta*. In *Vitis* Abbatum S. Albani, *In feſtis verò & profeſtis diebus omnes Horas, excepta Prima & Completorio, per magiſtram Collectam, quam tempus & hora exegerint, terminari inſtituit. In Quadrageſima tamen dicatur Collecta ad Veſperas*: *Collecta* Magiſtra, Watſio dicitur, quæ diei aut feſti eſt propria. Vide ſuprà, unde *Collectaneum* & *Collectarium*, liber Eccleſiaſticus, *Collectas*, ad quodvis officium pertinentes, continens, apud Udalricum præfatum, *l.* 1. *c.* 31. *Collectarii* verò apud Actionem in *Henr.* & Symmachum, *l.* 10. *Ep.* 49. iidem, qui *Coactores* ſunt, qui ſcil. mercede conducti, ab Argentariis ſive Menſariis, rerum, quæ ſub haſta vendebantur, præfecti, pecunias ab his, quibus quid addictum fuerat, cogebant colligebantque &c. Vide quoque infrà *Compulſ.*

COLLECTIO Canonum, quando inſtitui cœperit, & quibus auctibus pertexerit, vide ſuprà ubi de *Canonibus* & *Canonico Jure*.

COLLECTOR, vide infrà *Proſcholus*. At *Collectores*, apud Baronium ad *A. C.* 397. *num.* 65. Exactores ſunt, qui à Pontifice Romano ad vindicandas ex bonis Eccleſiæ partas ac malè congeſtas opes, per provincias mittebantur, ut vult Car. du Freſne in *Gloſſar.*

COLLECTUS Infans, pro expoſito, in *Canonib.* Hibern. *l.* 42. *Gloſſa Græco-Latina*: *Collectitius*, *συλλεκτὸς*, *χαμαιριφής*. *Collecti* nempe dicebantur infantes expoſiti, cùm ab aliquo nutriendi ſuſciperentur: tum enim illius erant, qui eos collegerat, niſi intra 10. dies quæſiti agnitique eſſent, ut eſt in Synodo Arelatenſi II. *can.* 22. Vaſenſi, ſub Leone I. *can.* 10. & in *Capitulis* Caroli M. *l.* 6. c. 142. Vide Jac. Gothofredum, *ad Cod. Juſtin. & Theodoſ. tit. de Expoſitis*. Hinc *Collectionis Epiſtola* in veterib. Formulis, Diploma eſt, quod dabatur illi, qui infantem expoſitum, ad oſtia Eccleſiæ, & à Matriculariis collectum, certò pretiò ab iiſdem emerat, ſecundùm Legem Romanam: in quam formulam Bignonianam vide, laudatam Carolo du Freſne.

COLLEGA, vel Conlega Conſul. an. Urb. Cond. 845.

COLLEGÆ Principis, iidem qui *Amici*, item *Comites*, *Palatini*, *Contubernales*. Erat enim quoddam quaſi *Collegium* & Corpus ſummorum Virorum, quos Princeps ipſe aſſumebat & deligebat, ut ſibi à Conſiliis eſſent, & quibuſcum agenda conſultaret deque maximis quibuſque tractaret rebus. Treb. Pollio in *Vita* Macriani, c. 12. *Huc accedit, quod habet juvenes filios, Romanâ dignos Collegiô, noſtrâ dignos amicitiâ.* Hi conſiliis Principis intererant & judicanti aſſidebant, ex Conſularibus Viris, & Prætoriis & Senatoribus; interdum etiam ex Equitibus pro Imperatoris arbitrio lecti: non unâ atque eâdem omnium conditione. Horum enim alios adhibebat Princeps, cùm de negotiis ac jure tractaret, vel Romæ & in provinciis cauſas audiret. Quo in numero Juriſconſulti fuêre. Alios in ſecretius atque interius Conſilium admittebat, in quo de ſumma Reipubl. agitabatur, Legati audiebantur, aliaque majora negotia de Imperii ſtatu tractabantur: Qui proin *Comites intra Conſiſtorium* & *Comites S. Conſiſtorii Conſiſtorianique* ſub poſterioribus Imperatorib. dicti ſunt &c. Vide Salmaſ. *Not. ad Pollionem*, *in XXX. Tyran. loc. cit.* & hîc paſſim, inprimis in vocibus *Amici*, *Comites*, *Parentes*, *Romanum Collegium* &c.

COLLEGIATI, inter ſervos ponuntur & eos qui Curiæ addicti ſunt, in *Edicto* Theodorici Regis, c. 69. *Quiſquis curialem, aut collegiatum, aut ſervum, per* 30. *annos poſſederit* &c. Neque alii videntur, quorum mentio in Cod. *Theodoſ. tit. de Collegiatis*; Hi enim ſic appellantur, qui publico mancipiariam aliquam operam, artem & miniſterium præbebant, ac ſæpe plus æquô & quidem ita nonnunquam prægravabantur, ut e civitatibus profugerent, quod iis minimè licebat. Filii parentum conditionem ſequebantur, proindeque non modò ſervilis & obnoxiæ conditionis, ſed etiam ut plurimùm nativitate ſervi erant, *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Collegiatis*, ad quam *tit.* vide Jac. Gothofredum. Aliàs *Collegiati* dicuntur *Corporati*, alicui Collegio addicti: præſertim verò in veteri urbe Conſtantinopoli. *Deſcriptione* ita appellantur, qui è diverſis corporibus Artificum ordinati, incendiorum caſibus ſubvenire tenebantur, quos 560. fuiſſe, ibidem traditur; vel 563. *l. pen. Cod. Juſtin. de Commerc. & Mercator.* apud Car. du Freſne. E XXXV. Artificum *Collegiis* ſeu Corporibus electos, ac per XIV. Civitatis Regiones diſtributos, unòque eorum extinctô alium in locum ejus, à Præfecto, ſurrogatum fuiſſe, legas apud Car. Macrum in *Hierolexico*: qui addit, ab omni tributorum genere eos fuiſſe liberos, ſimileque Vigilum *Collegium* Romæ quondam à Cæſare inſtitutum &c. De Epulis Collegiatorum magnificis, vide infrà *Epulæ*, Septem in *Viralium*. In Eccleſia Romana, *Collegiatæ Eccleſiæ* dicuntur quæ *Collegiô Canonicorum* gaudent, de quibus ſolis *Collegii* nomen hodie propriè uſurpari, ait præfatus Car. du Freſne.

COLLEGIUM, Græcè *Ἑταιρεία*, Latinis aliter *Sodalitas*, *Societas*, aliquando *Cohors*, eſt legitima trium pluriumve perſonarum ejuſdem conditionis & poteſtatis conſociatio: in qua qui fuit primus eſt, olim dicebatur *Primicerius*, reliqui ordine *Secundicerius*, à tabulis ceratis, quibus tum collegarum nomina inſcribebantur.

tur. Hæc primùm Romæ inſtituit Numa Pompilius, qui, teſte *Plutarchô*, univerſam multitudinem ſecundùm artificia diviſit, ut ſuum peculiare corpus haberent Tibicines, ſuum Aurifices, Architecti, Tinctores, Sutores, Coriarii, Fabri ærarii, Figuli &c. horum unicuique ſuos peculiares conventus & religiones præſcribens. Habebant hi, ad Reipubl. exemplar, res communes, Arcam & Actorem ſeu Syndicum, per quem, quod communiter fieri oportebat, expediretur eſt: Itaque poterant iſtiuſmodi *Collegia* manumittere, legatum capere & leges ſibi ferre, dummodo ne quid ex publicis legibus corrumperetur. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 8. c. 6.* De illorum cœtu, qui ſtudiis vacant, cùm vox ſumitur, idem valet, quod *Κοινόβιον* Pythagoræ, de qua voce vide ſuprà in *Cœnobium*. Iſtiuſmodi *Collegiorum* hiſtoriam, à condito mundo, uſque ad principatum Caroli M. pertexui ſuprà, in voce *Canonicorum cætus*, reliqua hîc ſubtexturus. Itaque Carolus M. uti univerſam ferè Europam implevit Epiſcopatibus Academiiſque, ita & de Monaſteriis *Collegiiſque* illi proſpexit, quæ ſcilicet Eccleſiarum ſeminaria eſſent: conſtituitque ut in ſingulis Monaſteriis ac Epiſcopiis Scholæ eſſent, ubi juventus Grammaticam, Muſicam, & Arithmeticam, Scripturam imprimis ſacram, doceretur. Simul variis *Collegiis*, Academiarum Scholarumque jam fundatarum additamentis ac complementis, ortum ea ſecula dedêre. Hinc celebre in Anglia Banchorenſe illud Cœnobium, in quo Philoſophorum Chriſtianorum *Collegium* erat, quorum in numero Columbanus & Gallus recenſentur. Et quot non ejuſmodi *Collegiis* jam à multis ſeculis, in eodem regno fulſit Oxonium, ut de aliis taceam? Jam ab A. C. 1200. *Sorbonæ Collegium* Robertus Sorbona Theologus, Ludovici VII. Regis, ut quidam volunt, frater, Pariſiis primus inſtituit, pro Scholaſticis Theologiæ vacaturis: cui tot alia ſuperacceſſerunt deinceps, ut jam quinquaginta & quatuor Collegia una numeret Lutetia, *Genebr.* Eôdem modô Bononiæ, Salmanticæ, Valliſoleti, Compluti, alibi, inſtituta *Collegia* caput extulêre. Inter ipſos Barbaros, Tuneti multa florere dicuntur, in quibus Studioſi Artibus, Medicinæ Legibuſque operantur. Feſæ unum præ ceteris nobile, in quod extruendum Habu Henon 480000. aureûm expendiſſe dicitur, &c. Interim, creſcentibus opibus, quibus iſtiuſmodi Muſarum receptacula pii Principes locupletârunt, zelus ac diligentia remiſit, laboris tædium ſubire, & ſtudiorum corruptioni anſa dari ſenſim cœpit. Quod ſingus, circa annum millesimum imprimis initium ſumpſit, & circa 1200. fatali quôdam afflatu literas tantùm non penitùs extinxit. Ab eo tempore Philoſophia Theologiæ permiſceri, & *Collegia*, quæ prius Theologica fuêre, Philoſophica fieri, ac itaque *Theologia Scholaſtica* nomine doceri cœpit: Apud Græcos Johanne Damaſcenô, apud Latinos Petrô Lombardô Auctoribus; quorum hic illum imitatus, circa A. C. 1145. Theologiam in novam methodum redegit, tum Ariſtoteli & Philoſophiæ, tum Patribus ac Doctoribus Eccleſiæ, eiſque non optimæ ſæpe notæ nimium tribuens, quô pactô S. Scripturæ auctoritas deprimi ſenſimque è manibus hominum excuti cœpit. Succeſſit ſequior ætas ſub Alberto M. Epiſcopo Ratisbonenſi, qui circa A. C. 1220. Philoſophiam Ariſtotelis non Patribus modò, ſed & Scripturæ ipſi æquiparavit: A quo tempore Ariſtoteles in Religionis judicem adſcitus, & textus ejus S. Scripturæ vicem in concionibus ad populum non uno in loco ſubiit. Inſecutâ hanc ætatem tertiâ, à Durando de S. Portiano ab A. C. 1320. uſque ad Gabrielem Biel Spirenſem, neque finis neque modus commentandi fuit in Magiſtrum ſententiarum Petrum Lombardum & Ariſtotelem: donec ſuperiori ſeculô in prædicto Biel id docendi genus ex parte expirare cœpit. Hæc ante Reformationem cùm *Cœnobiorum Collegiorumque* facies eſſet, non defuêre, qui non votô ſolùm, ſed & præſagiô, futuram eorum reſtaurationem præciperent. Johannes Hilten Iſenacenſis, Franciſcanus, qui ſeculô 15. floruit, inter alios, prædixiſſe fertur: *Cœnobium Vinarienſe fiet armamentarium, Wittenbergenſe Granarium, Magdeburgenſe Schola juventum*; cui prædictioni etiam ſuô tempore eventus reſpondit. Cum Reformatione enim renatis divinis pariter humaniſque literis, Monaſteria ac *Collegia* otioſis erepta ventribus, veræ pietatis doctrinæque exercitiis, artium literarumque Scholis ac infucatæ juventutis culturæ, aliiſque bonis uſibus, qui primævus fundatorum ſcopus erat, iterum deſtinata ſunt. Teſtis inter alia, Monaſterium Auguſtinianorum Heidelbergæ, quod in *Collegium Sapientiæ*, ad imitationem *Collegii Romani*, auctoritate Julii III. aliud hîc agentis, à Friderico II. Electore mutatum eſt, unde hactenus tot inſignes Sapientiæ myſtæ prodiêrunt. Sic Cœnobium Fratricellorum, quod Lugduni Batavorum erat, A. C. 1592. in Theologiæ Collegium Eccleſiæque Seminarium verſum: Sic Philippus Magnanimus Haſſiæ Landgrav. in bonarum Artium Collegium ſeu Scholas ac Xenodochia, quidquid antea in tota ditione ſua Monaſterii veniebat nomine, convertiſſe legitur; ſimiliter & alibi factum &c. Ita Franc. Burmannus, *Orat. inaugur. de Collegiis*. Vide & ſuprà in voce *Abbas*, it. *Canonicorum Cœtus*, ac infrà in *Corporati*, item *Monaſteria*, & ubi de *Sacramento Juris Sodal.* it. voce *Synodi Archierea*.

COLLENTUM, urbs Dalmatiæ, verſùs oram maris Adriatici, nunc *Varcevo*. Media ferè inter Jaderam ad Occaſum & Scardonam ad Ortum, ſub Venetis.

COLLENUTIUS Pandulphus, Piſaurô oriundus, JCtus celebris, à Duce Ferrariæ, ad Maximilianum I. Imperatorem miſſus. Scriptis proſâ verſuque, Latinè & Italicè editis, inclytus. Vide Angel. Polit. *l.* 7 *ep.* Lil. Girald. *dial.* 2. Leaod. In vinculis ſtrangulatus, juſſu Joh. Sforzæ, tyranni Piſaur. Pier. Valerian. *l.* 2. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 3. c. 11.* Scripſit inter alia, *de inventione ignivomorum tuborum*, & *Hiſtoriam Neapol.*

COLLIBERTI, dicuntur in Jure Civili, qui ab eodem domino ſeu patrono, cujus ſervi fuerant, libertate donati ſunt. Apud Francos verò, nec inter omnino liberos, nec inter omnino ſervos, cenſebantur; ſed mediam inter utroſque conditionem tenentes, ad hos tamen propiùs accedebant: cùm eorum inſtar eſſent in commercio; dominos haberent, quibus cenſum de more exſolvebant & ab iis in libertatem, non ſecus ac ſervi, aſſerebantur. Ebrardus Bethunienſis, *Græciſmi c. 7.*

> *Libertate carens* Collibertus *dicitur eſſe*
> *De ſervo factus liber, Libertus: at ille*
> *Libertinus erat, quem Libertus generavit.*

Adeoque ejuſdem fuiſſe conditionis ac ſtatûs videntur, cum his, quos anterior ætas *Colonos* appellavit: Nempe ſervi erant, in libertatem, non quidem plenariam, ſed conditionalem, aſſerti; unde etiam *Conditionales* dicuntur ejuſmodi homines, alicui conditioni, vel ſervituti, obnoxii, à qua rurſum aſſerebantur interdum in priorem libertatem. Nec multùm differebant, ab *Hominibus de Capite*, uti docet Car. du Freſne ex vet. *Not.* in Tabular. Burgulienſi, Formulam manumiſſionis idem hanc exhibet, ex Tabulario Vindocin. *Quicumque in nomine S. Trinitatis quemlibet ſuorum ex ſervili, vel collibertina familia, ad libertatis honorem, pro Dei amore, diſponit accedere, ſciat ſibi veraciter ejus miſericordiam acquirere. Ego igitur Radbertus de Marcilliaco te Durandum & tuam mulierem atque tuos pueros, & Fulcaginum fratrem tua mulieris, quas teneo ex Hilgodo Giſleberti filio, à vinculo ſervitutis abſolvo. Ab hac ergo die quidquid Deo & vobis in bono placito fuerit, liberi francique in reliquum tempus vitæ veſtræ, abſque ullius donationis inquietudine, tanquam ab ingenuis parentibus nati, licenter agatis. Peculiare vero, quod nunc habetis, vel quod deinceps aſſequi potueritis, ſicut vobis placitum fuerit, abſque calumniâ poſſideatis, & quietè, prout volueritis, diſponatis. Hæc autem libertatis auctoritas ut in perpetuum firmior habeatur, propriis manibus eam firmari curavi &c.* Meminit quoque *Colliberrorum*, tanquam certi alicujus hominum generis, Petrus Malleacenſis, *l.* 1. *c.* 1. *In extremis Inſula, unde agitur, ſupra Separis alveum, quoddam hominum genus piſcando quæritans victum, nonnulla injuria confecerat, quod à Majoribus* Colliberrorum *vocabulum contraxerat ---- qui, ubi inundantia pluviarum Separis excreſcere fecit fluvium, relictis quibus incolebant locis (hæc enim procul habitabant nonnulli) properabant illo causâ piſcium.* Sed & *Colliberti* nonnunquam accipiuntur, pro hominibus ejuſdem conditionis ac pagi, ut apud Gregorium M. *Dial. l.* 3. *c.* 24. & in *L.* Longobard. paſſim &c. Vide omnino præfatum Car. du Freſne in *Gloſſario*.

à COLLIBUS Hippolytus, Tigurinus, fil. Pauli Colli in territorio Mediolanenſi Alexandriæ nati (unde is ob Euangelii doctrinam in Rhætiam primo, inde Tigurum conceſſerat) inter primarios Juris Profeſſores Heidelbergæ locum obtinuit, A. C. 1588. poſtquam Baſileæ, ubi Doctoratûs axioma nactus eſt, eandem cathedram aliquamdiu tenuiſſet. Inde Baſileam revocatus, Reipubl. illius Syndicus fuit. Exin Cancellarius Anhaltinus, Chriſtiano Principi exercitum in Galliam Henrico IV. ſuppetias ducenti comes & à conſiliis militaribus: Legatus poſteà in Angliam ad Eliſabetham Regin. ac porrò ad Ordines Imperii præcipuos miſſus. Conſiliarius denique intimus Friderici IV. Electoris Palatini factus, Paci inter Hiſpanos & Belgas Fœderatos conſtituendæ, Principum Germanorum nomine, interfuit. Obiit A. C. 1612. ætat. 51. taciturnus & munerum contemptor. Edidit *Conſiliarium Principis*, *Harpocratem ſeu de ratione ſilendi*, *de Nobilitate poſitiones*, *Palatinum*, *de Incrementis Urbium Tract.* Melch. Adami, *Vit. Juriſconſultor.* & ex eo Paul. Freherus, *Theatrô Virorum eruditione clarorum.*

COLLICIÆ, vide infrà *Elices*.

COLLIGERE Crines, apud Ovid. *l.* 1. *Amor. Eleg.* 11. *v.* 1.

> Colligere *incertos, & in ordine ponere, crines*
> *Docta, nec ancillas inter habenda, Nape.*

Idem quod *legere* eſt, apud Statium, *l.* 4. *Theb. v.* 743. de Hypſipyle,

> *---- Illi quamvis & ab ubere Opheltes*
> *Non ſuus, Inachii proles infauſta Lycurgi*
> *Dependet, nec lecta comam, nec dives amictu,*
> *Regales tamen ore notæ ----*

Dicebatur autem *legi coma*, quæ in verſus quoſdam componebatur aut orbes, quo in genere curioſiſſimas fuiſſe veteres tam Græcas, quàm Romanas Veneres, multa Auctorum loca teſtantur. Hinc *dociles capilli*, i. e. legi conſueti, eidem Ovidio, *ibid. Eleg.* 14. *v.* 13.

> *Adde, quòd & dociles, & centum flexibus apti,*
> *Et tibi nullius cauſa doloris erant.*

Iidem & *digeri* dicebantur, *Ibid. v.* 19.

> *Sæpe etiam, nondum digeſtis manè capillis,*
> *Purpureo jacuit ſemiſopora toro.*

Idem mox *compoſitos capillos* ait, *v.* 35.

> *Quid malè compoſitos quereris periiſſe capillos?*

Et, *l.* 2. *Eleg.* 8. *v.* 1. *Ponere in mille modos capillos*, eadem ſententia eſt. Quia legendis, ponendis, collocandis capillis, conſiliarias habuiſſe Romanas fœminas, & tanquam in re magna, magnam operam poſuiſſe, auctor eſt Juvenalis, *Sat.* 6. *v.* 490.

> *Diſponit crinem laceratis ipſa capillis,*
> *Nuda humeros Pſecas infelix ----*

Videlicet, ut cædi commodè poſſet, ſi peccâſſet. Miſerè enim hujuſmodi ornatrices cædi conſuevîſſe, patet ex illo Ovidii, ubi puellam ſuam laudans, ait, *l.* 1. *Amor. El.* 14. *v.* 16.

Ornatrix totô corpore ſemper erat.
Ante meos oculos ſæpe eſt ornata, nec unquam
Brachia direptâ ſaucia fecit acu.

I. e. non vulneravit ornatricem. Quin deformare miſeras ſectis capillis ſolebant, uti patet ex Martiali, *l.* 2. *Epigr.* 56. &c. Vide Caſp. Barthium, *Animadverſ. ad Stat. d. l.* ut & ſuprà, ubi de *Capillis*, ac infrà verbo *Componere*.

COLLIMITIUS Georgius, vide *Georgius*.

COLLINA, Dea collium Præſes. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 20.

COLLINA, Romæ porta in colle Quirinali ſita (unde & nomen accepit) non procul à Veneris Erycinæ templo. Ovid. *l.* 4. *Faſt. v.* 871.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet; à Siculo nomina Rege tenent.

Eadem & *Salaria* vocata, propterea quòd per eam *ſalem* ferebant Sabini. Tacit. *l.* 3. *Hiſtor. c.* 78.

COLLIS, urbs Thuſciæ, 15. milliar. à Sena, à Poggio Bonitii, in colle, prope fontes Elſæ fluv. in agro Florentino, ſub magno Duce. Eſtque parvi circuitus.

COLLIS, in veter. *Epigrammate, de Tabula,*

Contorquet varios alternans teſſera miſſus,
Fataque ludentum collis *& ima probant.*

Ubi alii legunt, *colus & urna*, intelligentes τ̀ ἄμβωνα κ̀ τ̀ πύργον: ſed peſtor lectio temerè mutanda non eſt. Nam & *Collis* in tabulæ ſitu mentionem facit vetus cenm *de Alea*,

Quæ loca, quæve habeant gentes, ubi ſiſtere detur
In ſummo collem*, qui plurimus, alter ab illo*
Eſt locus.

Idem *imum fundum* appellat, quæ *ima* dicuntur Auctori veter. Epigrammatis,

Oſſa minutatim fundo volvuntur ab imo.

Et *aliô locô*,

Terna tibi hæc primùm fundo volvuntur ab imo.

Imum tabulæ fundum, ut Salmaſio videtur, intelligens; per *collem* autem pyrgum. Nam pyrgum tabulæ τ̀ ὕψ@- τ̀ οὐρανοῦ, *altitudinem cœli*, ſignificare tradunt, qui hunc ludum allegoricè exponunt. Per *ima* itaque & *collem* fata ludentium probari dixit, quæ per pyrgum & tabulam probabantur. De pyrgo enim in tabulam jaciebantur teſſeræ, in quibus ludentium fata conſiſtebant. Vide Salmaſ. *ad Flav. Vopiſc. in Proculo*, c. 13. Aliàs, quid *Collis*, notum.

Colles varii, apud Veteres celebres.

COLLIS Ciſpius, vide *Ciſpius*.

COLLIS Hortulorum, vel *Hortorum*, nomen accepit ab hortis Salluſtii et proximis: Poſteà *Pincius* dictus, quòd in eo Pinciorum domus eſſet, quæ familia in Urbe claruit, circa tempora Conſtantini. Hic antiquitus extra urbis mœnia erat, ideoque extra ſeptem montium numerum, ſed Aureliani principatu pomeriô inclusus eſt: Celebris tum Neronis tumulô, tum Candidatorum ceremoniâ, qui in hoc colle conſiſtere, unde ab univerſis videri poſſent, & inde in Campum Martium, petitum Magiſtratum, deſcendere ſolebant. Joh Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 1. *c.* 11.

COLLIS Latiaris, unus è tribus montis Quirinalis collibus, Idem, *l.* 1. *c.* 6.

COLLIS Martialis vel *Mutialis*, alter è collibus montis Quirinalis, Idem, *ibid.*

COLLIS Oppius, unus è tribus montis Eſquilini collibus. Idem, *l.* 1. *c.* 8.

COLLIS Quirinalis, vide *Quirinalis*.

COLLIS Salutaris, unus fuit è montis Quirinalis collibus, Idem, *l.* 1. *c.* 6.

COLLIS Septimius, unus fuit Romæ è montis Eſquilini collibus, Varro *de L. L. l.* 4.

COLLIS Aquæ ductus, ex adverſo vallis Giah juxta Gabaon, ubi Aſaël frater Joab confoſſus fuit ab Abner. Eſt in tribu Benjamin.

COLLIS Muſtus, oppidulum agri Tarviſini.

COLLISTRIGIUM, pegma infamiæ, ad ſupplicium falſariorum jam olim inventum, quaſi *collum ſtringens* vel comprehendens. Angl. *Haelsfange*. Henr. Spelmann. *Gloſſ. Archaeol.*

COLLITIANI, Hæretici, à quodam *Collitio* ſeu *Colitho*, unde *Colithianos* Iſidorus vocat, nomen adepti, malum triſte, ſeu pœnam, negabant à Deo eſſe: quibus oppoſiti Floriani, malum turpe ab eodem profluere, blaſphemârunt. Iidem Chriſtum in Patre, tanquam vas minus in majori contentum fuiſſe, delirârunt, hinc *Metangi* & *Metangiſmonitæ* appellati Auguſtino, *ex quaeſt.* 24. *can.* 5. *quidam autem Hæretici* &c. Car. Macer, in *Hierolex.* Vide quoque *Metangiſmonitæ*.

COLLO ſuo, uſque ad mercatum, maleſactorem, quem quis occuluerit, deportandi ritus, occurrit in *Capitular. de Militar. Palat. edit. Baluzianæ*, c. 3. At *brachiô in collum poſitô & per comam capitis ſui*, in dominium alterius tranſibat medio ævô, qui ei aliquid ſuffuratus fuerat, vide infrà *Obnoxiatio*, uti de more de *collo* reorum tintinnabula ſuſpendendi, voce *Tintinnabulum*; ſervorum venalium titulum appendendi, in *Titulus*, it. *Veniam*, Judicis ſupremi apud Ægyptios, Veritatis ſimulachrum eôdem geſtandi, voce *Veritas*; & plura voce *Collum*.

COLLOCARE, unde Gallorum *Coucher*, vox pronubis propria. Terentius in *Eunucho*, *Dein in lecto eam collocant.* Catullus, in *Epithalam. v.* 187.

Vos unis ſenibus
Cognitæ bene fœminæ
Collocate *puellulam* &c.

Hinc apud recentiores *Collocare* in genere uſurpatum, ſeu noſmetipſi in lecto *collocemus* ſeu ab aliis collocemur. De Sole quoque in *L. Salica tit.* 40. *Nec Solem ſecundùm legem collocaverit*; & *tit.* 52. *Ut per ſingulas admonitiones vel* Solem collocatum, *terni ſolidi accreſcant.* Nempe, ubi quis vendicabat rem aliquam, poſſeſſorem in jus vocabat, eique Solem ſeu diem occaſum vel *collocatum* aut *culcatum*, quod idem valet, præfigebat, intra quem juri ſtare ad reſpondendum deberet; quô elapsô certum numerum noctium ſeu inducias in jure reſpondendi, rurſum reo interdum concedebat: Non enim per dies, ſed noctes, Franci ejuſmodi terminos dinumerabant. Proinde actor reo Solem *culcabat*, i. e. Solem occaſum præfigebat ſeu diem integrum, quô elapsô reus, ſi juri non ſtetiſſet, cauſâ cadebat: ut actor perinde, ſi defeciſſet, nullâ ſcil. miſſâ excuſatione. Quod diſertè indicat Gregor. Turonenſis, *l.* 7. *c.* 23. *Impetroſus tamen ad placitum in conſpectu Regis Childeberti advenit, & per triduum uſque ad occaſum Solis obſervavit. Sed cùm hi non veniſſent, —— ad propria redut.* Et *Conſuetudo* Inſulenſis *tit.* 1. *artic.* 45. ubi Submonitionum Juridicarum inducias ad Solem occaſum, ſeu *a heure d'eſtoilles*, i. e. *cum ſtellæ apparere* incipiunt, terminatas eſſe, indicatur. Atque hunc *Culcatum Sol*, pro unaquaque admonitione, *tit.* 52. §. 2. & *tit.* 60. §. 2. 3. *d. l.* Hodieque Occitani *Couca*, & *Coucha*, pro *Coucher*, ac *Soulel Couc*, Solem occaſum, dicunt. Neque ægrè jam conjicias, unde dicti ſint *Exculcatores*, apud *Vegetium* & in *Not.* Imp. de quibus vide ſuô locô; plura autem hanc in rem, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* & Macros Fratres in *Hierolex.* Sed & *Collocare*, apud Martialem, *l.* 5. *Epigr.* 67. *v.* 10.

Quot tua Mænalius collocat *haſta ſues?*

Interficere eſt: tralatione ſumptâ ab antiquo *collocandi* cadaveris more, quem Græci πρόθεσιν dixêre; cùm non ſolùm in veſtibulo ædium, inde ad locum ſepulchri efferendum, verùm & in loco publico, ut pro Roſtris Romæ, ubi & laudatio peragebatur, illud *collocari* ſolebat; quam in rem multa congeſſit Lipſius, *Electorum l.* 1. *c.* 6. & nos quædam diximus ſuprà, ubi de *Cadaverum cura*, dicemuſque voce *Funus*, it. voce *Poſitus*. Atque hæc fortè ratio, cur ad Solem occaſum vox tranſlata, niſi illam notionem malis à ſitu nuptam *collocandi*, quod veſpere fiebat, arceſſere: Sed & nuptiales ritus cum funebribus non pauca habuiſſe communia, alibi oſtendemus.

COLLODIS, inſul. Sardiniæ adjacens. Plin. *l.* 3. *c.* 7.

COLLONSA, quibuſdam *Colonſa*, Inſul. maris Scotici, inter Æbudas prope Ylam Inſul.

COLLOPS geminus, magnus, & parvus, urbs Africæ littoral. in Mauritaniæ confinio. Magnus, idem cum *Cullu*: Parvus, oppid. eſt orientalius, nunc *Larobe*, teſte Moletiô.

COLLOQUIA, in Conviviis olim, præter Cantus, de quibus ſuô locô, adhibita, lepida erant & venuſtate appetibilia & ſine affectatione arguta; non accerſita, ſed, ut ſeſe res dabant, opportunè naſcentia; qualia progignit hilaritate mixta doctrina & gravibus inſerta mores ſuaves & jucundis temperata ſeria. Cujuſmodi ſermo doctus interdum ipſi lyræ Apollinis prælatus eſt, Plutarch. *Sympoſ.* 2. *Probl.* 7. Agitabantur autem inprimis quæſtiones, quibus nomen γρῖφοι & αἰνίγματα; enthymemata videl. quædam lepida, minuta, arguta, atque, ut Gellius ait, florentem vinô animum laceſſentia. Et hæc quidem auctore Polluce, *l.* 6. *c.* 19. duûm fuêre generum, αἴνιγμα & γρῖφ@-: quæ qui ſolviſſet, huic pateræ è carnibus dabantur, qui ſolvere nequiret, is poculum muriæ ſeu ſalſuginis ingeſtus ebibebat. Porrò hæ quæſtiones erant ſuper qualibet re: plurimùm ſuper cibis & eduliis, cujuſmodi ſunt pluſimæ illæ, apud Athenæum & Xenophontem *Conviv.* Sæpe ſuper amore & amica cujuſque, cujuſmodi hæc apud Athenæum, *Cur amator dominæ fores coronis ornet?* Item, *Cur roſam, aliosque flores ei afferat?* & viciſſim. It. *cur ancillæ dominæ ſimiliter ſedeamus?* apud Plutarch. Ἐρωτ. ut alia omittam. Vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 2. *c.* 4. & 5.

COLLUCIANISTÆ, cognomen Arianorum. Arius namque Lucianum Presbyterum Antioch. Martyrem, hæreſis ſuæ auctorem (quid, dum in Sabellium fervidius ferretur, lineam rectæ ſententiæ tranſiliiſſe viſus eſſet, materiamque hæreſeos Ario ſubminiſtraſſe) jactitabat ſectatoreſque ſuos ab eo cognominare amabat. Vide in voce *Lucianus Presbyter Antioch.*

COLLUM, pars animalis, pluribus deſcripta Plinio, *l.* 11. *c.* 37. ubi inter alia: *Gula nervis & carne conſtat. Cervix oſſibus, niſi quibus hoc utraque.* (arteria & gula) *Cæteris Collum, quibus tantùm gula. Sed quibus cervix, è multis vertebratiſque orbiculatim oſſibus flexilis ad circumſpectum, articulorum nodis jungitur. Leoni tantum & lupo & hyænæ, ex ſingulis rectiſque oſſibus rigens. Cæterò ſpinæ annectitur —— Quibus longa crura, iis & longa colla. Item aquaticis —— Quibus ſanguis non ſunt, ut ſtomachus quidem eſt, nec colla* &c. In humano genere, magna pars fœmineæ ſuprimis ſpecioſitatis, ut infrà videbimus, voce *Teres*: cui Serpyllinum unguentum olim deſtinatum videbimus voce *Unguentum*. De hujus ornamentis, ac ignominia multiplici, dicimus hîc, paſſim: uti de brachiorum circa *collum* implicatione & ſtrangulatione, ſchematis palæſtrici genere, infrà voce *Nexus*; & de more *Sponſorum colla* candidô velô cingendi, ubi de *Nuptialibus moribus*. Fugitivorum verò pallium in collum conjiciendi, voce *Pallium*. De more item Cancellariorum, majus Sigillum Principis *collo* ſuſpenſum geſtandi, ubi de *Sigillo*. Saltem de Coronis hîc aliquid ut addam, non capiti ſolùm, frontique, ſed & *collo* illæ in conviviis impoſitæ. Unde triplicis coronæ mentio, apud *Anacreontem*;

Στεφάνους δ' ἀνὴρ τρεῖς ἕκαστος εἶχεν
Τοὺς μὲν ῥοδίνους, τὸν δὲ Ναυκρατίτην.
Coronas verò unuſquiſque tres habuit,
Quaſdam roſeas, aliam naucratitem.

E quibus una capiti imponebatur, altera *collum* vinciebat, tertia frontem redimiebat. Cui inſtituto ne ratio deeſſet, dixerunt id fieri, διὰ τὸ ὑγιαίνειν τ̀ ἀρτηρίας τ̀ γαργαρεῶνος ψύχειν, propter oblectationem

tionem vertutis anima ſeparetur. Vide Scholiaſtem *Apollonii Rhodii*, l. 2. Clemens verò Alex. graviter in hunc morem invectus, rem eſſe evidentiſſimæ ebrietatis ait, atque adeò dementiæ ſingularis ſignum, ſi quis coronas, capiti evinciendo ornandoque inventas, *collo* circumponat, *Pædagog.* l. 2. c. 2. Ο'ρῶ γὰρ ἐπὶ αὐτοῖς ἕνους ἀμέμφως, περιθεμένους αὐτοὺς τοῖς τραχήλοις ἔχοντας ἐκ τούτου. Quamvis ad ſimplicem uſum *floribus & ſparſis uti ac foliis, & ſertis colla* Chriſtianos quoque *complecti* ſolitos, diſcamus ex Minucio Fel. *ſub fin.* Origo moris inde, quod priſcô tempore coronæ compingebantur è floribus indiſtinctis, h. e. indiſtinctè coacervatis, qui per *collum* fluebant. Propert. l. 4. El. 6. v. 71.

Candida nunc molli ſubeant convivia luco,
Blanditiæque fluant per mea colla roſæ.

Et Horatius de Polemone, *l. 2. Serm. Sat. 3. v. 255.*

—— —— potus ut ille
Dicitur ex Collo *furtim carpſiſſe coronas.*

Duæ itaque ut plurimùm fuêre coronæ conviviales, quarum una caput ac frontem, altera collum vinciebat, ad pectus uſque deſcendens: quem utrumque luxum M. Tullius Verri exprobrat, *Verr. 7. Nam, ut mos fuit Bithyniæ Regibus, lecticâ octophorô ferebatur, in qua pulvinus erat pellucidus, Melitenſi roſâ fartus. Ipſe autem coronam habebat, unam in capite, alteram in collo.* Qui luxus eò uſque proceſſit, ut, inter dona Regum, coronæ hæ mitti mox inciperent: uti de Perſis legimus, ad Ageſilaum, munera mittentibus. Quò videtur pertinere κόσμος ille χρυσοῦ περιδέραιος, *circulum autem circa collum*, quem Rex Ægypti Joſepho dedit, præter regium annulum & ſacram veſtem: namque & ipſas has coronas aureas gemmatasque fieri conſuevisse, ex Philone patet, & Plut. *in Arato.* Inprimis verò celebres fuêre coronæ *Hypothymides*, quæ, è collo pendulæ, & ad pectus demiſſæ, à fragrantia mirifica nomen adeptæ ſunt: ὑποθυμίδες ὑποτραχήλιοι Heſychio, ἀνθέων περιδέραια Sappho dictæ. Vide infrà in hac voce. Neque ſolum hæ coronæ ad pectus, ſed & ad manus extenſæ; ut diſcimus è Pindaro, *Od. 2. Olymp.* ubi de floribus aureis, qui ſunt in Inſula Beatorum,

Ὅρμοισι τῶν χέρας ἀναπλέκοντι καὶ στεφάνοις.
Quorum monilibus manus implicant atque coronis.

Quod coronarum genus fuiſſe videntur longæ illæ, quæ Diis quoque appendebantur, Æſculapio potiſſimum. Ariſtides, *Orat. ſacr.* Εἶδον στέφανον πέμπειν τῷ Θεῷ τῶν μακρῶν, οἳ εἰσιν ὡς ἰδίᾳ τῷ Ἀσκληπιῷ κομίζουσι. *Videbam coronam mittere Deo ex iis, quæ dicuntur longæ, & propriè Æſculapio offerebantur* &c. Vide Car. Paſchalium, *Coronar.* l. 2. c. 3. In bello autem defendendo ab ictibus *collo*, catenulæ à galea dependebant, uti diſcimus ex Statio, *Theb.* l. 9. v. 697.

Vaginæque ſonum, tremulumque audire pharetræ
Murmur, & à cono miſſas in terga catenas.

Ad quæ verba Lutatius, *A parte enim galeæ*, inquit, *deſcendunt catenæ, quæ ab ictu colla ſrientia defendunt.* Et Barthius, *Animadverſion. ad locum, Memini in picturis quibuſdam priſcis, vel galeam, vel pileum talibus catenulis aptum conſpexiſſe, ſed non ſuggerit memoria vel locum vel auctorem. Suſpicarer de Perſis, ſed eam gentem pileatam in aciem uſplurimum prodiſſe, obſervatum recordor.* In eodem victores Reges *colla* hoſtium calcare conſueviſſe, ad oſtentationem perfectæ victoriæ, diximus ſuprà, ubi de *Calcandi ritu* &c. Plura de hac parte corporis, quam maximè attendiſſe Veteres conſtat, vide apud Franc. Junium, *de Pictura*, l. 3. c. 273. Caſp. Barthium, *Animadverſionibus ad Statium, Part. 1. p. 172.* alibique & hic paſſim, inprimis ſuprà in voce *Cervix*, it. *Collo*. De *collo* vaſorum, pulegiô redimiri ſolitis infrà.

COLLUMBAR, ſupplicii genus, apud Romanos, quô *collum*, unde ei nomen, maximè infeſtabatur. Sicut *Nervus* ferreum erat vinculum, quò pedes impediuntur, quanquàm Plautus eô etiam cervices vinciri ait, vide Taubmannum *in Plaut. Aulularium, Act. 4. Scen. 1.*

COLLUMERIUS Petrus, vide *Petrus.*

COLLUSOR, vide infrà *Sempecta.*

COLLUTHUS, Presbyter Alexandrinus, ſchiſmatis auctor, Arrii tempore, Deum malos creâſſe negavit, &c. Damnatus conciliô Alexandrinô, A. C. 319. ab Oſio habitô. Athanaſ. *Apol. 2.* Epiphan. *Hær. 69.* Auguſtin. *Hær. c. 65.* Philaſtr. *Hær. c. 8.* Ejus ſectatores ſeſe appellârunt *Collythianos*, Κολλυθιανοί; quorum tamen ſecta diuturna non fuit, teſte Epiphaniô. Alius ab eo videtur fuiſſe *Colluthus*, cujus hæretica doctrina, de una Chriſti voluntate & una ejuſdem operatione, commemoratur, in Synodo Lateranenſi Martini I. Epiſcopi Romani Secretario quinto, Concilior. *Tom. 4. edit. Pariſ. p. 726 & 737.* ubi recitantur Colluthi hæretici verba ex ipſius libro, *de Sanctificatione*, pro tomo Theodoſii Hæretici facta, qui Theodoſius ſub Juſtiniani Imperio ſedem Alexandrinam obtinuiſſe videtur. Vide Joann. Forbeſium, *Inſtructionum Hiſtorico-Theolog.* l. 1. c. 38. & l. 3. c. 4. ac 18.

COLLYRA, ſeu COLLYRIS, Græcè Κολλύρα, & Κολλυρίς, paſtillus, ſeu parvus panis, in cinere coctus, atque inde cineribus ſordidus. *Heſychius*: Κολλύρα, ψώμισμα ἐπὶ τῶν ὀπτώμενων ἐγκρυφίας. Aliter κόλλιξ &c. Hinc κολλύρια, ocularia medicamenta, quæ ſive ex metallicis fierent, ſive ex ſuccis & ſeminibus, in mortario trita, eâ formâ redigebantur ac ſervabantur. Antyllus, c. *de Collyriis*, ἀναπλάσσειν δὲ χρὴ μετὰ τὸ ἀναπλάσαι τὰ κολλύρια ἐν ἀγγείῳ χαλκῷ. Ubi ἀναπλάσσειν eſt, in paſtillos conformari. Nempe ὀφθαλμικὰ hujuſmodi medicamenta κολλύρια dicta ſunt, quòd in panes rotundos eſſent formata, vel à colore cineris, quô plerumque panes hos obſcuros dixerim: unde & κολλύριον avis. Cum his non confundenda κολλύρια, h. e. rotunda, oblonga vide. medicamenta & rotunda, fiſtulis, naribus, etiam ano, immittenda, quibus nomen à columnis dimidiatis & rotundis pilaſtris, quæ Græci κολλύρια dixêre. Unde & Sidonius, l. 2. *Ep. 2. Mox rotundata fulta columna, quam columnis invidioſa valvatorum.* Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim, inprimis p. 1322. & ſeqq.* Porrò & κολλύριδες dicebantur hæ placentæ, ſeu panes rotundi, qui alias κολλικες & κολλάβοι: cujus formæ cùm eſſent ſcutum in umbilico, & ſuggeſtus comarum, matronis Romanis in uſu, hic quoque nomen id adeptus eſt, ut videbimus. Cum enim crinibus & vittâ Matronæ inſignitæ præcipuè eſſent, crinium ſpiræ in orbem convolutæ & aliæ aliis ſuperſtructæ formam galeri efficiebant, *tutulique* Veterib. dictæ ſunt, item *galerus* & *galea*, *caſaries* quoque, *Gaulois Peliers*, *perruca* hodiè Gallis. Neque verò uno omnes modô ornabantur: ſiquidem præter illam capillorum conſtructionem, quæ ad inſtar galeri totum capitis verticem contegebat, quamque *vaginam & operculum capitis* vocat Tertullianus; aliquando & ponè cervices comarum ſuggeſtum in modum umbonis aut *collyridis* cujuſdam ſive popani formatum gerebant. Tertullianus, *de cultu Fem. Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum. Mirum quòd contra Domini præcepta contenditur. Ad menſuram neminem ſibi adjicere poſſe, pronuntiatum eſt. Vos planè adjicitis ad pondus*, Collyridas quaſdam, *ſcutorum umbilicos cervicibus adſtruendo.* Cujuſmodi ornatum, in mulierum cervicibus, multi veteres nummi exhibent. Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio.*

COLLYRIDIANI, à Græca voce Κολλυρίδες, quæ libi quoddam genus notat, dicti, qui B. Virgini, tanquam Deæ, iſtiuſmodi liba offerebant, cultu à fœminis peractô, in Arabia. Epiphan. *Hær. 78. 79.* Baron. *A. C. 373. n. 30.* Nempe eôdem tempore, quò in Arabia Antidicomarianitæ orti ſunt, qui Mariæ Virginitati uſque eo contradixerunt, ut aſſererent, eam, poſt natum Dominum, liberos ex marito ſuſcepiſſe; viciſſim alii ſurrexêre, in eadem provincia, qui B. Virginem divinis honoribus afficiendam eſſe, ſtatuerent. De illis inter alia Epiphanius, *Hæreſ. 69. §. 1. Quædam*, inquit, *mulieres currum quendam ſive cellam quadratam ornantes, expanſô ſuper ipſum linteô in die quodam illuſtri anni, per aliquot dies, panem proponunt & offerunt in nomen Mariæ. Omnes autem de pane participant* &c. Plura apud Jo. Forbeſium, *Inſtruction. Hiſtorico-Theologic.* l. 4. c. 8. §. 4.

COLLYTUS, Græcè Κολλυτὸς, pars erat urbis Athenarum, ad Tribum Ægeidem pertinens, ubi infantes menſe citiùs olim loqui dicebantur, quàm in aliis urbis partibus. Nam ibi Plato Philoſophus, & Timon μισάνθρωπος; proxima ei pars urbis erat, *Melites* dicta. Nomen quod attinet, Meurſius Alciphronem Poëtam & Diog. Laërtium, per geminum Λ illud efferentes, reprehendit, Heſychii, Æſchinis & Strabonis auctoritate nixus. Sed priorem ſententiam firmant lapides antiqui; quorum unus Athenis ſuperſtes habet,

Ο ΚΟΣΜΗΤΗΣ ΤΩΝ ΕΦΗΒΩΝ
ΜΑΡΚΟΣ ΙΟΥΛΙΟΣ ΖΗΝΩΝ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ ΚΑΙ Ο ΑΝΤΙ
ΚΟΣΜΗΤΗΣ ΟΦΙΛΛΙΟΣ ΑΡΙΣ
ΤΩΝ ΚΟΛΛΥΤΕΥΣ κτλ.

Alius ibidem, prope Iliſſum,

ΓΙΛΟΣ ΚΑΡΡΕΙΝΑΣ
ΔΙΟΥΜΗΔΗΣ
ΚΟΛΛΥΤΕΥΣ
ΚΑΡΡΕΙΝΑ
ΤΙΑ ΦΙΛΗΤΗ.

Sic alibi legitur, ΛΙΚΙΝΝΙΟΣ ΠΟΛΥΑΙΝΟΣ ΚΟΛΛΥΤΕΥΣ, apud Jac. Sponium, *Itinerar. Græciæ Part. 3. ubi de Demis Athenienſium*, p. 146. & 147.

COLMA, Flandriæ fluv. Pars Agnionis fluv. per Vinocbergam oppid. labitur, dein in Oceanum German. ſe exonerat.

COLMANNUS, cognomine *Sapiens*, ſcripſit *Chronologiam*, *Catalogum Angliæ Regum*, *Dialogum de bellis Danicis*, &c. Anglus, vixit ſeculô 14. Voſſ. *de Hiſt. Lat.* l. 2. c. 56.

COLMARIA, urbs Alſatiæ, vulgò *Colmar*, ad Hellelam fluv. Civitas Imperialis, cui originem dedit excidium Coloniæ Argentoratis urbis *Arburg*, ſub Valentiniano III. Hanc poſteà vallô cinxit Wolfelmus, Præfectus Hagenoæ Cæſareus, cùm anteà mediocris eſſet vicus, ſub Friderico II. Imperatore. Ab hoſtibus vicinis, Rodolfo I. & Adolfo Imperatoribus, multùm vexata, obſeſſaque eſt, quod auctore Prætore urbicô, contra fidem datam, ab ipſo receſſerat, cujus pœnam exhibet *Caſſiodorus*. Eſt una ex 10. civitatibus Alſatiæ ad Præfecturam Hagenoënſem pertinentibus. Auguſtanæ Confeſſioni adhæret. Vide *Columbaria*.

COLMARTIUM, oppid. Galliæ in *Provincia*, ſatis munitum, ad Verdonem fluv. verſùs Alpes, & confinia Comitatus Nicienſis, 6. leuc. à Dinia in Ortum. *Colmars.*

COLO, integrô nomine *Junius Colo*, Procurator Ponti, per quem Mithridates victus Romam ad Claudium vectus eſt; ideoque conſularia inſignia eſt adeptus, Tacit. l. 12. *Annal.* c. 21.

COLOA, Æthiopiæ urbs, & ejuſdem palus. *Ptol.*

COLOBA, Africæ promontor. ad Arabicum ſinum, *Mela*, l. 3. c. 8.

COLOBASUS, Hæreticus, qui vitam omnium hominum in 7. ſideribus conſiſtere affirmabat. *Euſeb. Tertull.*

COLOBATHRARII, Nonnis *Graſſatores*, à *colobathris*, quâ voce ab Auctoribus Græcis Latiniſque appellantur ſoleæ vel gallicæ, lignea nempè ſandalia, quæ, vocabulô minus notô Græcis κάλοπες dicta, in balneis olim geſtabantur. Κωλοβάθρων meminit apud Ariſtophanem, & in *Notis* Scaliger, ubi *Colobathra* κωλοβάθρα quoque dicuntur,

cuntur, ſicque vocantur propriè, quibus innitebantur *οἱ γέρανοι*, Poll. *l.* 4. *c.* 14. Latinis *Clava* quoque, ut vidimus. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Antonino Caracallo*, c. 4. Geſtabantur autem grallæ vel crura hujuſmodi lignea, ad ſimulanda crura Ægipanum, quæ *μικροσκελῆ* erant & arida, utpote cruribus caprarum ſimilia. Hinc *pedaneæ* quoque hujuſcemodi ligneæ perticæ, cum furculis, dictæ auctori Gloſſarum. Vide eundem *ad Solin. p.* 413. & infrà, ubi *de Grallis*.

COLOBIUM, tunica demiſſior, ſine manicis, cui Græci *ἐφαπτὶς* ſeu *ἐπωμὶς*, i. e. ſuperius veſtimentum, induebant. Gall. *Tabarre*. A' Græco *κολοβὸν*, *mutilatum*, *decurtatum*, quòd inſtar Romanæ tunicæ juxta humeros deſinebat. Sub veteribus Romanis non in uſu fuit, mox tamen ſub Imperatorib. innotuit: etiam ſanctionibus eorum honeſtatum. Servis interdictum, Servio *in l.* 1. *Æn.* teſte, nec militibus uſitatum. Eò jubentur in urbe uti Senatores, Cod. Theodoſ. *l.* 4. *Titul.* 10. *l.* 1. In Epiſcoporum dein irrepſit veſtium, tantique aliquando factum eſt, ut Eutychianus Papa, circa A. C. 275. neminem martyrum ſine dalmatica aut *colobio* purpureo ſepeliendum eſſe, ſanxerit: quod tamen Gregorius M. uti ſuperſtitioſum, abrogavit, *Regiſt. l.* 4. *Ep.* 48. Demum in promiſcuum uſum venit, monachis, eremitis, militibus, colonis. Militibus verò inter ſanctiora veſtimenta, dum huic virtutis inſignia appingebant, ut videre eſt in ipſorum tumulis antiquis, & Heraldorum veſte, quam *Cottam armorum* vocat *Budæus*. Plura de hac voce vide apud Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Ægyptiorum *Colobia* deſcribit Caſſian. *l.* 1. *c.* 5. cùm ait: *Colobiis quoque lineis induti, quæ vix ad cubitum uſque pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus.* Et *c.* 11. *Nam neque tabgu nos, neque Colobiis, ſeu unicâ tunicâ eſſe contentos, hyems permittit aſperitas.* Veterum Romanorum itaque tunicæ *Colobia* fuêre, quibus manicæ quidem, ſed quæ ad cubitum tantùm pertinerent, & non cum brachiis magnam quoque manus partem cooperirent: quas eleganter Tertullianus, *de Pallio*, appellat *nec manibus arctas, nec brachiis parcas.* Exomides verò, quibus ſervi utebantur & quales antiquiſſimorum Romanorum tunicas fuiſſe docet A. Gellius, prorſus manicis carebant, ut etiam humeros renudarent: unde patet *Colobia* olim ingenuorum fuiſſe; quæ proin à ſervis poſteà geſtari cœpta, queritur Appianus. Vide Octav. Ferrarium, *de re veſtiar. l.* 3. *c.* 24. ut & infrà Lebitonarium, in voce *Lebes*. Inſignibus & veſtimentis Regum Aragonenſium accenſeriut, in *Geſtis* Innocentii III. Pontif. *p.* 235. & in *Epiſt.* Martini IV. Pontif. *Tom.* 5. *Hiſtor. Franc. p.* 872. Sed & cucullum, ſive humerale illud, quò Servientes ad Legem in Anglia induuntur, ſic appellari, legas apud Forteſcue *in Encomio LL. Angliæ*, *c.* 51.

COLOBON Sinus, Æthiopiæ promontor. ſub Ægypto. *Ptol.*

COLOBONA, Hiſpalenſis conventûs in Bætica urbs. Plin. *l.* 3. *c.* 1.

COLOBROSSUS, Ciliciæ Aſperæ in Pamphylia oppid. *Ptol.*

COLOCASIA, ſeu *um*, Græcè *Κολοκασία* ſeu *κολοκάσιον*, quaſi *κάλος κάστος* ſeu *κασοῦ*, i. e. *parva lucerna*, ob foliorum latitudinem, nomen eſt, multis herbis latifoliis commune, Aro Ægyptio, Fabæ Ægyptiæ ſeu Ciborio, Loto & Nymphææ: proprium verò *Colocaſiæ bulbaceæ*, quæ herba Ægypto atque etiam Cyrenæ familiaris, hodieque Ægyptiis *Colcas*, Bæticis *Manium noſtra Dominæ*, Hiſpanis *Alcolcas* dicitur, & Plinio deſcribitur his verbis, *l.* 21. *c.* 15. *In Ægypto eſt nobiliſſima Colocaſia ---- Hanc è Nilo metunt, caule, cùm coctus eſt, araneoſo in mandendo; thyrſo autem, qui inter folia emicat, ſpectabili, foliis latiſſimis, etiam ſi arboreis comparentur ---- Adeoque Nili ſuor dotibus gaudent, ut implexis colocaſiæ foliis, in variam ſpeciem vaſorum, potare gratiſſimum habeant. Seritur jam hæc in Italia.* Nempe tum foliorum amplitudine, tum radicis ſapore, commendabilis hæc planta; floribus inſuper uſui fuit. Et quidem folia, quæ petaſi, pilei Theſſalici, magnitudinem æquant, unde & *petaſitis* ea dicta, vaſorum uſum præbuêre ad potandum. *Strabo* de ejus foliis, *Καὶ ἡ Ἀλεξάνδρεια πανταχοῦ ἐπὶ τῶν ἐργαστηρίων, ὡς ἀγγείοις χρωμένων*. *Plena his foliis Alexandria per tabernas & officinas, quæ his utuntur pro vaſculis.* Replicatas enim oras in circuitu habent, unde uſum catinorum & vaſculorum facilè exhibere poſſunt. Quare idem, magnum reditum ex his foliis eos in uſus comparatis per totam Ægyptum fieri, adeò ut agri etiam hôc potiſſimùm reditu cenſeantur, narrat. Hæc vaſa *κιβώρια* dici *Nicandro* ſunt qui velint. Sed *κιβώρια* propriè appellata eſſe, calices ipſos ſive capita *Colocaſiæ*, ſuprà diximus. Radicem quod attinet, illa in cibis lautiſſima fuit; quemadmodum & thyrſus. Unde Martialis *de Colocaſia*, *l.* 13. *Epigr.* 57.

Niliacum ridebis olus, lanaſque ſequaeris,
Improba cùm morſu fila, manuque trahes.

Araneoſus is namque erat & filis nervoſus in mandendo. Unde idem, *l.* 8. *Epigr.* 33. *v.* 13.

Lenta minus gracili creſcunt Colocaſia *filâ* &c.

Hodie ſuum *Colocaſium* edunt Ægyptii raporum vel naporum vicem, & ſapore ſubamarô eſſe ajunt, cum acri viſcoſitate, ſed, ubi coctum eſt, ſatis dulce exiſtere. Sed & flores *Colocaſiæ*, ad coronas viendas expetiti, nondum tamen Alexandri M. ætate, cùm nullam eorum mentionem Theophraſtus faciat. De illa Virg. *Ecl.* 4. *v.* 20.

At tibi prima puer nullo munuſcula cultu
Errantes hederas paſſim cum baccare tellus,
Miſtaque ridenti colocaſia *fundet acantho.*

Nempe cùm primitus peculiaris hæc Ægypto eſſet, in Italiam inde adlata, poſt devictam ab Auguſto Ægyptum, ibidem ſeri cœpit. Similiter in Luſitania, indidem advectam, circa rivos naſci, ferunt incolæ &c. Plura de celebri hac planta, vide apud Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, *præcipuè p.* 970. & *ſeqq.* uti de flore inprimis infrà, voce *Lotos*. Hinc *Colocaſiæ*, cognomen Minervæ, quæ Sicyone colebatur, ſecundùm nonnullos. At non ab herba hac Ægyptia illud cognomentum invenit Minerva, ſed à curta ac ſuccincta veſte, quâ amictum fuit ejus ſimulachrum. Vide quæ ſuprà diximus.

COLOCASIÆ, Minervæ templum fuit in Sicyone. Cœl. Rhodig. *l.* 9. *c.* 12.

COLOCASIRIS, inſul. in Arabico mari. Plin. *l.* 8. *c.* 29.

COLOCAURUM, German. urbs. *Ptol.*

COLOCIA, ſeu COLOZA, anteà *ad Statuas Coloſſas*, Urbs Archiepiſcopalis Hungariæ, cui 8 ſubſunt Epiſcopi. Ad Danubium, infra Uriam Inſul. Sub Turcis. Deficit indies. 6. leuc. à Quinque Eccleſiis. Vide *ad Statuas Coloſſas*.

COLOE, Æthiopiæ palus *Ptol. Barcena Mercatori.* Hujus nominis 3. urbes in Æthiopia, *Ptol.* & *Arrian.* enumerant. Item locus Lydiæ 40. ſtadiis à Sardibus diſtans, juxta quem & Dianæ templum fuit cognomentô *Colæna*. Strabo, *l.* 13.

COLOEPHRYX, Bœotiæ mons. *Heſychius*, *Κολοίφρυξ Ταναγραῖος ἀλεκτρυών, καὶ ὄρος Βοιωτίας.* In *Etymologico Magno* ſcribitur *Κολοίφρυξ*, ſed in *Phavorino Κολοίφρυξ*. Et in *Stephano Κολοίφρυγες*, pro loco Bœotiæ, qui alias *Ἀλεκτρυών*. Ita Steph. ex Ariſtotelis libro, *de Bœotia Limitibus*. Nomen ex Phœnicia lingua deſumptum tradit Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 16. Galli ſiquidem Tanagrici *Colephryges* dicebantur ab hoc monte, in quo alebantur, qui ideo dictus eſt propter כלוא אפרחים *Kelo ephrochim*, h. e. *claustrum pullorum*, i. e. nobile *ὀρνιθοτροφεῖον* in eo conſtitutum. *Nic. Lloydius*.

COLOMA, urbs Ruſſiæ nigræ in Pocutia regiuncula ad amnem *Prut*, verſùs confinia Moldaviæ. 9. leuc. ab Halicia in Auſtrum, ad pedes montium. Vulgo *Colomey*. A Coſaccis malè haud pridem habita.

COLOMANNUS, Rex Ungariæ, fratrem ac nepotem occæcavit, ut regiæ dignitatis redderet impotes, itemque nepoti, cùm adhuc infans eſſet, teſtes eximi mandavit, ne qua hinc proveniret propago, ſed divina non defuit ultio. Nam Colomannus morbô repentinô correptus eſt, adhibitóque cataplaſmate ejus temporibus, eductum eſt cerebrum, certum lethi ſignum. Munſter. *l.* 4. *Coſmogr.*

COLOMERIÆ, oppid. Galliæ in Bria, ad Morinum amnem, cum palatio Ducis Longovillani. 6 leuc. à Meldis in Auſtrum, Provinum verſùs.

COLONÆ, Troadis locus eſt, non procul à Lampſaco, Mileſiorum colonia; ſunt & aliæ *Colonæ* ad exteriorem partem Helleſponti, ſtadiis 140. ab Ilio diſtantes. Strab. *l.* 14.

COLONE, urbs in Phocide, in Erythræa, in Theſſalia, in Meſſenia. *Strabo*, *Ptol.*

COLONE, ſcopulus Aſiæ ad Boſpori Thracici litus è regione Cyanearum, teſte Apollonio *in Argonaut.* nunc Cranium vocant teſte *Gyllio*.

COLONI, vicorum incolæ, *ἐνάπογραφοι*, apud Recentiores, licèt non omnino eſſent ſervi, adſcriptitii tamen ac ſervilis conditionis fuêre, culturæ agrorum ad certa loca addicti. Unde, apud Bignonium, *p.* 197. aut. 202. ubi variæ Formulæ proſtant, diſertè *franci* ingenuiſque opponuntur; & perinde ac ſervi, ſi de *Colonis* ſuis ſe ſubtraxerint, judiciô evindicationis ad colonatum redacuntur: quod etiam præcipitur in *Conſtitut.* Juſtin. Imperat. *de Filiis liberarum in* Africam directa, in *Pragmatico* Tiberii Imperat. de Filiis Colonor. & in *Edicto* Theodorici Regis, *c.* 84. cujuſmodi evindicationis exemplum profert Flodoardus, *Hiſtor. Rem. c.* 19. *initio*. Imò non modò cum ſervis junguntur paſſim, ſed & *ſervi* nonnunquam appellantur: quin etiam iiſdem, quibus illi, pœnis coërciti, fuſtuario nempe & flagellis, *L. Burg. tit.* 39. §. 3. alibique. Unde S. Remigius Epiſcopus Remenſis in Teſtamento ſuo, apud Flodoardum, *Hiſtor. Rem. l.* 1. *c.* 18. alios Eccleſiæ *colonos* libertate donâſſe, alios ut in ſervitute permanerent, decreviſſe legitur. Interim inter liberos plerumque habebantur, ſeu potiùs medii inter liberos & ſervos, ferme iidem cum *Conditionalibus Originalibus*, & *Tributalibus*: de quorum variis conditionibus copiosè egit Jac. Gothofredus *in Parat. tit. de fugitivis Colonis*, *lib.* 5. *Cod. Theodoſ.* & *ad l.* 3. *de Cenſu* &c. Inter varia autem *Colonorum* genera, præcipuè occurrunt *Coloni Eccleſiaſtici*, qui, Eccleſiarum ac ædium ſacrarum proprii, agros eorum colebant, ab omni ſeculari juriſdictione ac ſervitio ſoluti: & *Coloni Fiſcales*, qui, Fiſci prædia excolentes, *Coloni Regii* dicuntur, in *L.* Alemann. *tit.* 23. Sic in Regno Cyprio, Luzinianis ibi regnantibus, plebs in *παροίκους* & *ἐλευθέρους*, quorum illi conditione ſervi, hi verò libertate donati quidem, ſed ratione tributi tamen Dominis obnoxii manebant: diviſa legitur, apud Thom. Porcacchium, *nella Deſcritt. dell' iſole del mondo*, & Leunclavium, *in Pandectis Turc.* Hinc *Colonia*, habitaculum ruſticum, cum ſufficienti prædio, ad alendum colonum vel familiam ruſticam; verbô, *Coloni* ædes, prædium, apud Gregorium Turonenſ. *de Gloria Confeſſor. c.* 15. Hincmarum, *Opuſc.* 6o. *p.* 832. Flodoardum, *Hiſtor. Rem. l.* 2. *c.* 5 6. 11. 17. 18. 19. Alios, magnô numerô laudatos Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Synonyma ejus *Colonica*, *Colonatus* &c.

COLONIA, oppidum fuit, in quod Romani Magiſtratus ex urbe cives traduxêre, vel quod ſine traductione colonorum jura donatum erat. Coloniarum autem hujuſmodi ratiô erat: Quum in urbe Roma multos ex veteribus, noviſque incolis paupertate premi intellectum erat, ut cenſui ſolvendo non ſufficerent, Triumviri à Senatu creabantur, qui locis primùm confœderatis, in quibus Reſpubl. expediret propugnaculum conſtitui, nova edicta proponebant, danda eſſe nomina ab iis, qui novam coloniam deduci vellent. Sicque & urbs pauperibus exonerabatur, & rei familiaris pondere gravati, ad novas quibus indigerent divitias gratis datas, cum familia accedebant. Accipiebant enim duo, quatuor, aùt 6. aut 7. agri jugera, & quandoque plura. Duo item genera coloniarum fuêre Romanæ, & Latinæ. Omnes

conſtabant è Civibus Romanis in colonias exeuntibus. Romanæ dicebantur eæ, quæ jura civitatis Romanæ poſſiderent. Itaque Cives Romani ſemper erant, & ferendi ſuffragii poteſtatem habebant, cujus generis erant Coloniæ multæ in Gallia Togata. Cicer. *ep.* 1. *l.* 1. *ad Att. Videtur in ſuffragiis multum poſſe Gallia.* Latinæ coloniæ dicebantur eæ, quæ jus Latii haberent, quod intra jus Romanæ civitatis erat. *Nic. Lloydius.* In his Romani porro, ſicut Græci in ſuis *Coloniis*, Diis patriis templa moliri, opera publica, ac præcipua ibi loca earum urbium, ex quibus orti eſſent, ſtructuræ exprimere, patriiſque nominibus unà cum fluviis & montibus appellare; nonnunquam etiam novam urbem veteris urbis & matris ſuæ appellatione honorare, ne patriæ deſiderio torquerentur, conſueverant. Hinc apud Virgilium Helenus in Epiro *Pergama Iliacamque arcem ad undam falſi Simoentis*, dicitur condidiſſe, *l.* 3. *Æn.* v. 302. Ejus moris tenaces fuêre Romani, proin Colonia Agrippina Ubiorum Capitolium, Arelate Circum, Amphitheatrum, Palatium, Monetam: Auguſta Trevirorum Circum Maximum, Amphitheatrum, Capitolium ad ripam Moſellæ, Horrea publica, Baſilicas, Monetam, Campum Martium: item Palatium duplex, Palatium vetus & Horreum vel Palatium Dagoberti: Nemauſus Amphitheatrum & Baſilicam Plotinæ, cum aquæ ductu: Lugdunum Amphitheatrum, Theatrum, Forum Vetus, Monetam, Palatium, &c. Vienna Amphitheatrum, Palatium ſuccamuratum, Montem Quirinalem: Toloſa, præter cœtera, Capitolium altiſſimum, Jovi, Junoni ac Minervæ ſacrum, ut de aliis taceam, ad morem veteris Romæ, habuerunt. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. in præf.* Quid Colonia à municipio differat, Gellius, *l.* 16. *c.* 13. tractat: *Municipia*, inquit, *quid & quo jure ſint, quantumque à Colonia differant, ignoramus, exiſtimamuſque meliore conditione eſſe colonias, quam municipia.* Cœterùm de *Coloniis* vide S. Julium Frontinum. Modus *Colonias* deducendi, ex Joh. Roſino, *Antiqq. Rom* *l.* 7. *c.* 47. hic fuit, Cùm lege aliquâ à plebe ſcitum, aut Senatuſconſultò decretum eſſet, Coloniam aliquam deduci, & numerus colonorum ſcriptus eſſet, creabantur Comitiis Tributis, modo per Conſulem, modò per Prætorem urbanum Curatores, qui illam deducerent, interdum tres, interdum plures, qui inde *Triumviri* vel *Quinqueviri* vel *Septemviri*, vel *Decemviri* vel *Vigintiviri Coloniæ deducendæ*, aut agris dandis attribuendiſve appellabantur. Hi poſtquam creati erant, Colonos in locum deſtinatum ſub vexillo, quaſi exercitum aliquem, deducebant, Duce è Curatoribus agrariis delectô. Ubi verò colonos in agris, quò deducendi erant, collocârunt, tum aratrô urbem agrumque circumſcribebant, quò factô agri diviſionem ac ſuæ cuique partis aſſignationem ſunt aggreſſi; Unde *agros coloniarum diviſos & aſſignatos* dici notavit *Frontinus*. Fuit autem hoc munus difficillimum, ac moleſtiæ ſæpe pleniſſimum, propter odium colonorum quod illi facilè poterant, non pro voto cuique aſſignando, incurrere: Fiebant verò omnia auſpicatò, quò fine Curatoribus illis Pullarius adjungi ſolitus eſt. Idem, *l.* 10. *c.* 23. & 24. de Republ. Coloniarum prolixè agit, docetque inter alia, præter *Colonias* & Municipia, Præfecturas fuiſſe inter Italicas civitates, quarum conditio duriſſima fuerit, vide in voce *Præfectura*. Porrò Fœderatas civitates, quæ aliquid ex fœdere populo Romano debentes, in cœteris liberæ erant: Reliqua omnia provinciarum nomine veniſſe. Plura de *Coloniis* vide apud Marc. Velſerum, *l.* 4 & 5. *Rer. Aug. Vindelicarum*: de *Coloniis militaribus* inprimis Sigonium, de *Antiq. jure Italiæ*, *l.* 3. *c.* 4. &c. Adde Salmaſ. *ad Solin. p.* 674. & *ſeqq.* ubi de *Coloniarum metatione* & *limitatione*, de *Coloniarum* item *deducendarum ratione*, varia.

COLONIA, urbs aliàs Allobrogum, nunc vicus Galliæ ad Rhodanum, in Breſſia, & reguncul. Geſſia, ad radices Juraſſi, prope Clauſulas, è regione Sabaudiæ. 5. leuc. infrà Genevam. Vulgò *Coulogne*.

COLONIA, Angliæ oppid. apud *Antoninum*, quæ etſi ex diſtantia videatur eſſe *Sudbury*, nomen tamen *Colne* illi magis convenire ſcribit *Talbotus*. Vide *Colceſtria*.

COLONIA, urbs Cappadociæ in Armeniæ minoris confiniò, *Taxata* hodiè. Item oppid. parvum Hetruriæ, *Colona* dicta. Eſt etiam oppid. amplum Venetiæ in agro Veronenſi, hodiè *Cologna*.

COLONIA, vulgò COULEINE, villa Galliæ, prope urbem Cenomanorum, ubi conventus A.C. 844.

COLONIA Agrippinenſis, Ubiorum civitas præſtantiſſima, Imperialis, Anzeatica, ſui Juris, totius Germaniæ maxima, proin altera Germaniæ *Roma* dicta: cis Rhenum fluv. ſita, ita dicta ab *Agrippina* Neronis matre, quæ ut ſociis quoque nationibus potentiam ſuam oſtentaret, in hoc oppidum, ubi genita erat, Coloniam ex veteranis militibus deduci imperavit, Tacit. *l.* 1. & 4. *Hiſt.* Alii ab Agrippa ſic dictam, à quo Ubii, qui illam condiderunt, unde *Ubiopolis* priùs appellata fuerat, in protectionem Roman. recepti, putant. Una eſt ex quatuor Hanſeaticis præcipuis, nec ingens ſolùm, ſed & populoſa ac munita. Formam præ ſe fert dividuæ Lunæ. Academiâ ab Urbano VI. A.C. 1388. 11. Kal. Junii fundatâ inclyta. Inter quatuor Imperii ruſticos recenſetur, unde in medio nigræ crucis colonus cum flagello depictus eſt. Poſt Romanos, à tempore Childerici, ſub Francis, uſque ad Otton. I. Quo tempore Archiepiſcopos habere cœpit; quum primus Maternus Evangelium hìc, ut & Argentorati, annuntiâſſet, circa A.C. 69 ex cujus ſucceſſoribus Hermannus Mœrſenſis & Gebhardus Truchſeſſius, præteritô ſeculô Evangelium iterum amplexi ſunt. In militaribus ſuis ſignis acies triangulares initiò habuit, ubi verò Magorum corpora accepit, acies mutatæ ſunt in tres coronas, ſervatô Francorum colore, albô & rubrô. Exercuerunt hìc olim Comites Arnſbergii poteſtatem gladii, quæ poſtmodum in Archiepiſcopum, qui Elector eſt & Cancellarius Imperii per Italiam, translata eſt: inter quem & Civitatem, cùm ingens olim lis vigeret, permiſſu Rodolfi I. Imperatoris conflictus de dominio clavium portarum urbis inſtitutus eſt, in quo victrix civitas libertatem in poſterum obtinuit. Benthemios Comites Advocatos habet hæreditarios, quibus proiu ſemper in urbe vicarius eſt, *Erbvogt*: Regimen civitatis democraticum eſt. Valdenſium olim propagine urbs referta fuit, quibus inde Mediolanum uſque proficiſcentibus omni nocte apud ſuos hoſpitium erat, Munſter. *Geogr.* *l.* 3. circa A.C 1250. Etiam circa A.C. 1313. magnus ibi eorum numerus, Abbas Hirſaug *in Chron.* Hìc de pace fruſtra actum, inter Batavos & Hiſpanos, A.C. 1579. ut & inter Batavos & Gallos, A.C. 1673. In Archiepiſcopatu ſub Gebhardo, de quo ſuprà, reformavit Zach. Urſinus præteritô ſeculô. Vide Ptol. *l.* 2. *c.* 9 Plin. *l.* 4. *c.* 17. Ammian. Marcellin. *l.* 15. 16. Zoſim. *l.* 1. Tacit. *Annal.* *l.* 14 *Hiſtor.* *l.* 1. & 4. Thuan. *de moribus Germ.* Ibi Sigebertus, fil. Clotarii I. Auſtraſiæ Rex ſedem habuit. Gregor Turonenſ. *l.* 2. Adde Steph. Brœlmann. *de antiq. Coloniæ.* Jac. Middendorp. *in tr. de Academiis*. Georg. Braw. *in deſcr. Coloniæ.* Ægid. Gillenium, *Hiſt. Col.* P. Cratepolium, *de Elector. Eccl.* De juribus & officiis mutuis Archiepiſcopi & Civitatis, Limn. Enucl. *l.* 4. *c* 10. Hìc Concilium A.C. 782. à Carolo M. habitum. A.C 870. 887. 1056 ubi Balduinus & Godofradus, Flandriæ Comites, cum Henrico IV. German. Rege reconciliati. A.C. 1158. contra Imperat. Henric IV. A C. 1225. 1260 1310. contra Templarios. 1452. 1470. 1536. 1549. &c. Vulgò Germanicè *Colln am Rein* Gallicè *Cologne ſur le Rhin.* 8 leuc. German ab Aquiſgrano, in Ortum, 18. à *Magontia*, 16. à Treveri in Boream, 5. à Juliaco in Ortum. Habuit alias pontem ad Rhenum. Regio adjacens cis Rhenum, cujus caput eſt Bonna, ſubeſt aliquatenus Archiepiſcopo. Vide *Agrippina Colonia.*

COLONIA Allobrogum, vide *Geneva*.

COLONIA Brandeburgica, oppid. in media Marchia Brandeburg. ad Spreham fluv. ex adverſo Berlini, cujus veteris pars eſt, ſeu ſuburbium amplum ad Auſtrum. Vulgò *Colln an der Spree*.

COLONIA Flavia, vide *Cæſarea Palæſtinæ*.

COLONIA Trajana, & *Colonia Ulp. Traj.* in nummo Ulpii Trajani Aug. ab Auctore ſuo dicta, aliàs quoque *Ulpia caſtra*. Hìc legio Triceſima Ulpia Victrix, *Dion* & veter. inſcriptionibus ac *Ptolemæo* etiam iterà hyemavit, ſub Conſtantino M. quæ antea in caſtris Veteribus fuerat: unde & ipſa hæc urbs *Triceſima* appellata eſt, & *Obtriceſima* Ammiano Marcellino, *l.* 18. & 20. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall* Nunc vicus Clivenſis eſt Ducatus *Kellen*, mill. paſſ. ab oppid. Clivio, Emmericum verſùs, 1. milliar. à Rheno, 10. leuc. infra oppid. *Keyſerſweert* in Boream. *Cluver.*

Coloniæ Romanæ, in Italia, quò tempore deductæ ſunt.
Exceſſis præponitur *.

* Antennæ in Sabinis.	* Cruſtumerium in Sabinis.
* Cænina in Latio.	

Deducta ſub Romulo annò urbis conditæ 4.

* Medullia in Latio.	* Cameria prope Albam in Latio.
Colonia.	

Deductæ an. 5.

* Fidenæ in Latio *an.* 13.	* Circæi in Latio.
* Oſtia in Latio.	Signia in Latio.

Deductæ ſub Anco Marcio an. 259.

Velitræ in Latio *an.* 260.	Cales in Campania *an.* 420.
* Norba in Latio *an.* 262.	Tarracina vel Anxur in Latio *an.* 425.
* Antium in Latio *an.* 268.	Fregellæ in Latio *an.* 426.
* Vitellia in Latio *an.* 295.	Luceria in Apulia *an.* 440.
* Ardea in Latio *an.* 312.	Sueſſa in Campania.
Lavicum vel Labici in Latio *an.* 336.	* Saticula in Samnio.
* Satricum in Latio *an.* 370.	Pontia in inſula cognomin. Latii.
Sutrium in Tuſcia *an.* 371.	
Nepeta in Tuſcia *an.* 381.	

Deductæ an. 441.

Interamna in Latio vel Samnio.	* Caſinum in Samnio.

Deducta an. 442.

Sora in Latio.	Alba in Latio.

Deductæ an. 451.

* Carſeoli in Latio *an.* 452.	* Sinueſſa in Campania.
Narnia in Umbria *an.* 455.	* Minturnæ in Latio nova.

Deductæ an. 458.

Venuſia in Apulia *an.* 463.	Hadria in Piceno.
Sena in Semnonibus in Umbria.	Firmum in Piceno.

Deducta an. 465.

* Coſſa in Tuſcia.	Ariminum in Æmilia.
* Pæſtum ſeu Poſidonium in Lucania.	Beneventum in Hirpinis, vel Samnio.

Deductæ an. 481.

* Caſtrum novum in Tuſcia. *an.* 489.	Alſium in Tuſcia.
Eſernia in Samnio *an.* 491.	* Æſulum in Latio,

Deducta an. 507.

* Fregeniæ in Tuſcia *an.* 508.	* Valentia in Brutiis *an.* 515.
Brundiſium in Salentinis *an.* 510.	Placentia in Gallia togata.
Spoletium in Umbria *an.* 523.	Cremona in Cenomanis.

Deductæ an. 536.

Puteoli in Campania.	Salernum in Picentibus.

* Buxen-

* Buxentum in Lucania.
Vulturnum in Campania.
* Liternum in Campania.
* Sipontum in Apulia.
* Tempſa in Brutiis.
Croton in magna Græcia.
* Pyrgi in Tuſcia.

Deductæ an. 560.

Bononia in Æmilia *an.* 565.
Piſaurum in Semnonibus, vel Umbria.
* Potentia in Piceno.

Deductæ an. 570.

Mutina in Gallia Togata.
Parma in Æmilia.

Deductæ an. 571.

* Saturnia in Hetruria.
* Aquileia in Carnis.

Deductæ an. 573.

* Graviſcæ in Tuſcia.
Piſæ in Hetruria.

Deductæ an. 574.

Luca in Tuſcia.
Auximum in Piceno.

Deductæ an. 577.

* Fabrateria in Latio.
Tarentum in magna Græcia.
Scyllacium in magna Græcia.
* Neptunia in magna Græcia.
Dertona in Liguria.

Deductæ an. 630.

Nola in Campania *an.* 631.
Aricia in Latio.
Lavinium in Latio.
Abellinum in Hirpinis.
Ferentinum in Hernicis.
* Tarquinii in Tuſcia excis. in bello Marſico.
Eporedia in Salaſſis.

Deductæ an. 636.

Alba Pompeja in Liguria *an.* 664.
Verona in Cenomanis.
Ateſte in Venetia.
Brixia in Cenomanis.
Comum in Inſubria.
Laus Pompeja in Inſubria.

Deductæ ſub Pompejo Strabone.

Aretium in Hetruria.
* Feſulæ in Hetruria.
Bovillæ in Latio.
* Sueſſula in Campania.
* Pompeji in Campania.

Deductæ ſub Sylla.

Capua in Campania *an.* 69. 5.
Bovianum in Samnio.
* Veji in Tuſcia.
Aufidena in Apruzio.
Caſilinum in Campania.
* Calatia in Campania.
* Lanuvium in Latio.
Forum Julii in Carnis.
Hiſpellum in Umbria.

Deductæ ſub Caſare Dictatore.

Pola in Iſtria.
* Aquinum in Latio.
Faliſca in Hetruria.
Florentia in Hetruria.
* Formiæ in Latio.
* Teleſia in Samnio.
Tuder in Umbria.
Venafrum in Samnio.
* Aquaviva in Samnio, vel Campania.
Volaterræ in Tuſcia.
* Vlubræ in Latio.

Deductæ ſub Triumviris.

Rhegium in Brutiis.
Acerræ in Campania.
* Alatrium in Latio.
* Atella in Campania.
Auguſta Taurinorum in Gallia ſub-Alpina.
* Thurii in magna Græcia.
Fanum Fortunæ in Umbria.
Nuceria in Piceno.
Privernum in Latio.
Ravenna in Æmilia.
* Tergeſte in Carnis.
Teanum Sidicinum in Campania.

Deductæ ab Auguſto.

Atina in Latio, *à Nerone Claudio.*
Anagnia in Latio, *a Druſo.*
Abella in Campania.
Æſis in Piceno.
Ancona in Piceno.
Aſculum in Piceno.

Deductæ à Veſpaſiano.

* Capitulum in Latio.
Aſta Pompeja in Liguria.

Deductæ à Tito.

Brixellum in Gallia Togata.
* Concordia in Carnis.
* Gabii in Latio.
Hiſtonium in Frentanis.
* Lucis Feroniæ in Hetruria.
* Lupiæ in Salentinis.
Neapolis in Campania.
Præneſte in Latio.

Deductæ ſub Hadriano.

Regium Lepidi in Æmilia, *à Lepido.*
* Ruſellæ in Thuſcia.
* Caſentinum in Hetruria.
Sæpinum in Samnio.

Deductæ ſub Claudio Nerone.

* Salpis in Hetruria.
Sena in Tuſcia.
Tolentinum in Piceno.
Verulæ in Latio.

Deductæ ſub Nerva.

Coloniæ Romanæ extra Italiam ordine regionum.

In Britannia.

Camalodunum.
Devana.
Eboracum.
Londinum.

In Luſitanica.

Auguſta Emerita.
Metallinum.
Pax gemina, Julia, & Auguſta.
Norba Cæſarea.
Scalabis.
Vlyſſipo.

In Bætica.

Acci.
* Aſta Regia.
Aſtigi.
* Atubi.
Corduba.
Hiſpalis.
* Italica.
* Ituci.
Marcia.
Tucci.
Urſo.

In Tarraconenſi.

Aſturica.
Barcino.
Cæſarauguſta.
Carthago nova.
Celſa.
* Clunia.
Emporiæ.
Gracchuris.
* Juliobrica.
Salaria.
Tarraco.
Valentia.

In Aquitania.

Lugdunum.
* Lotaiburgium.

In Belgica.

* Auguſta Rauricorum.
Auguſta Trevirorum.
Equeſtris.
Julionum.
Trajana colonia.

In Narbonenſi.

Acuſio.
Aquæ Sextiæ.
Arauſio.
Arelate.
Avenio.
Biteræ.
Cabellio.
Forum Julii.
Maritima.
Narbo.
Nemauſum.
* Ruſcino.
Toloſa.
Valentia.
Vienna.

In Celtica.

Cabilonum.
Lugdunum.

In Corſica.

* Aleria.
* Mariana.

In Sardinia.

* Turris Libyſſonis.

In Sicilia.

Catina.
Syracuſæ.
Tauromenium.
Thermæ.
* Tyndaris.

In Rhætia & Vindel.

* Auguſta Quintanor.
Auguſta Rhætiorum, quæ & Auguſta Vindelicorum.
Auguſta Tiberii.
Auguſta Vindelicorum.
* Conſtantia.
* Curia.

In Norico.

Æmonia, *Japodum.*
* Aurelianum.
Celeia.
* Laureacenſis.
Ovilabis.
* Solva.

In Pannonia.

* Aquavia.
* Carnuntum.
Murſia.
Pœtovio.
Sabaria.
* Sirmium.
* Siſcia.

In Dacia.

Apulum.
* Porendaneſii.
Ulpia Trajana.
* Zarmiſegethuſa.

In Illyrico & Dalmatia.

Æquum.
Epidaurus.
Jadera.
Narona.
* Salonæ.

In Macedonia.

* Bullis prope Aulonem.
Caſſandrea.
Dyrrachium.
* Oreſtias.
Pella.
* Philippi.

In Epiro.

Buthrotum.
Nicopolis.

In Græcia.

Corinthus.
* Dyme.
Megara.
Patræ.

In Thracia.

Apros.
Develtus.
Flaviopolis.

In Aſia minore.

Adramyttium.
Alexandria Troas.
Ancyra.
Antigonia Troas.
Antiochia Piſidiæ.
Apamea.
Archelais.
Cremna.
Germa.
Melitene.
Parium.
* Selinus, quæ Trojanop.
* Sinis.
Sinope.
Troas, quæ Alexandria & Antigonia.

In Syria & Palæſtina.

Ælia Capitolina.
Antiochia.
Berytus.
* Cæſarea, quæ Turris Stratonis.
Damaſcus.
Emiſa.
* Germanicia.
Heliopolis.
Laodicea.
Palmyra.
* Ptolemais.
* Sebaſte.
* Sidon.
* Turris Stratonis, quæ Cæſarea.
* Tyrus.

In Meſopotamia.

Niſibis.

In Arabia.

Boſtra.

In Ægypto.

Heliopolis.
Pharos.

In Mauritania Tingitana.

Abyle.
Babba.
Banaſa.
Lixos.
Ruſardir.
* Silda.
Tingi.
Zilis.

In Mauritania Cæſarienſi.

* Aquæ Calidæ.
Arſenaria.
* Bida.
Cartennæ.
Gilva.
Gunugi.
Icoſium.
Igilgili.
Iol, quæ Julia Cæſarea.
Oppidum novum.
Quiza.
Ruſazus.
Ruſconia.
Ruſuccoræ.
Saldæ.
Siga.
* Siniſi.
* Succubar.
Tipaſa.

In Africa propriè dicta.

Admedera, vel Ammædara.
Adrumetum.
Aphrodiſium.
* Carthago.
Cirtha.

Cuina.
Culcua.
Culla.
Gits.
Hippon regius.
* Lares.
* Leptis magna.
Maxula.
Neapolis.
* Ocea ſive Oia.
Pontezita.
Ruſicada.
Sabrata.
* Sicca.
* Simittu.
Tabraca.
Tacape.
Tebeſta.
* Thænæ.
* Thyſdrus.
* Tiba.
* Tuburbis.
Tuburnica.
Tynudrumum.
* Vchina.
Zama.

Coloniæ Romanæ in Italia ordine Alphabeticô, (ſigno * non exſtantibus præfixô) ex *Livio*, *Paterculo*, *Frontino*, & aliis. De quibus vide Lexicon hoc noſtrum Univerſale, ut & *Epitomen Geographicam* Ferrarii, ſi ſitum & uberiorem explicationem deſideras.

Abella in Campania.
Abellinum in Hirpinis.
Acerræ in Campania.
Æſernia in Samnio.
Æſis in Piceno.
* Æſulum in Latio.
* Alatrium in Latio, Dicitur & Aletrium.
Alba in Latio, quando Sora.
Alba Marſorum.
Alba Pompeja in Liguria.
Albingaunum Liguriæ.
Albintemelium Liguriæ.
Alſium in Hetruria.
Anagnia in Latio à Druſo.
Ancona in Piceno.
* Antennæ in Sabinis.
* Antium in Latio.
Anxur in Latio.
* Apuleſium.
* Aquaviva in Samnio.
* Aquileia in Carnis.
* Aquinum in Latio.
Ardea in Latio.
Aretium in Hetruria.
Aricia in Latio.
Ariminum in Æmilia.
Aurunca. Vide Sueſſa.
Aſculum in Piceno.
Aſta in Liguria.
* Atella in Campania.
Ateſte in Venetia, quando Verona.
Anna in Latio.
Atria. Vide *Hadria*.
Aufidena in Samnio, vel Caracenis.
Auguſta Prætoria in Gallia Subalpina.
Auguſta Taurinorum in Gallia Subalpina.
Auximum in Piceno.
Beneventum in Samnio.
Bononia in Æmilia.
Bovianum in Samnio.
Bovillæ in Latio.
Brixellum in Gallia Togata.
Brixia in Cenomanis, quando Ateſte.
Brundiſium in Salentinis, cum Fregenis.
* Buxentum in Lucania, cum Puteolis.
* Cædina in Latio, cum Sinueſſa.
* Cænina in Latio.
* Calatia in Campania.
Cales in Campania.
* Cameria in Latio.
* Capis in Latio.
* Capitulum in Latio.
Capua in Campania.
Carſeoli in Latio.
Caſilinum in Campania.
* Caſinum in Samnio, quando Interamna.
* Caſſentinum in Hetruria.
* Caſtrum novum in Hetruria.
* Celena in Sabinis.
* Circæi in Latio.
Colonia.
Compſa in Lucania.
Comum in Inſubria.
* Concordia in Carnis.
Cortona in Hetruria.
Cuſa in Lucania.
* Coſſa in Hetruria.
Cremona in Cenomanis, cum Placentia.
Croton in magna Græcia, cum Siponto & Tempſa.
* Cruſtumerium in Sabinis.
* Cumæ in Campania.
Dertona in Liguria.
* Ecetræ in Latio.
Eporedia in Gallia Subalpina.
Eſernia. Vide *Æſernia*.
* Fabrateria in Latio.
* Fæſulæ in Hetruria.
Faliſca in Hetruria.
Fanum Fortunæ in Umbria, quæ Colonia Faneſtris.
Ferentinum in Latio.
* Ferentium in Hetruria.
* Fidenæ in Latio.
Fidentia in Æmilia à Tiberio, quæ Colonia Julia Fidentia ſcribitur.
Firmum in Piceno, quæ Colonia Aug. Firmanorum ſcribitur.
Florentia in Hetruria.
* Fœdatura, quando Florentia.
* Formiæ in Latio.
Forum Julium in Carnis.
Fregellæ in Latio.
* Fregenæ in Hetruria, quando Oſtia.
* Gabii in Latio.
* Graviſcæ in Hetruria.
Hadria in Piceno, quando Sena.
* Helvia Ricina in Piceno.
Hiſpella in Umbria.
Interamna in Samnio, ſeu in Latio.
Iſtonium in Frentanis.
Julia Fidentia. Vide *Fidentia*.
* Lanuvium in Latio.
Lavicum vel Labici in Latio.
Lavinium in Latio.
* Laurovinium in Latio.
Laus Pompeja in Inſubria.
* Linternum in Campania quando Vulturnum.
Luca in Hetruria.
Luceria in Apulia.
* Lucus Feroniæ in Hetruria.
* Lupia in Salentinis.
* Medullia in Latio.
* Minervium, quando Scyllacium in magna Græcia.
* Minturnæ in Latio novo, quando Sinueſſo.
Mutina in Gallia Togata quando Parma.
Narnia in Umbria.
Neapolis in Campania.
Nepeta in Hetruria.
* Neptunia in magna Græcia.
Nola in Campania.
* Norba in Latio, cum Setia & Priverno.
Novocomum in Inſubria.
Nuceria Picentinorum.
Nuceria in Umbria.
* Orientium.
* Oſtia in Latio, à Martio Rege, cum Fregenis, Caſtro novo, Pyrgis, Antio, Tarracina, Minturnis, & Sinueſſa.
* Pæſtum, ſeu Poſidonia, in Lucania, quando Coſſa.
* Pampia in Latio.
Parma in Æmilia, quando Mutina.
Piſæ in Hetruria.
Piſaurum in Umbria.
Placentia in Gallia Togata.
Pola in Iſtria, quæ & Pietas Julia.
* Pompeji in Campania.
Pontia in Latio, cum Sueſſa.
* Potentia in Piceno, cum Piſauro.
Præneſte in Latio.
Privernum in Latio.
Puteoli in Campania.
* Pyrgi in Hetruria, quando Antium & Caſtrum novum.
Ravenna in Æmilia.
Regium Lepidi in Æmilia.
Rhegium Julium in Brutiis.
* Ruſellana in Tuſcia.
Sæpinum in Samnio.
Salernum in Picentibus.
* Salpis in Hetruria.
* Saticula in Samnio, cum Sueſſa.
* Satricum in Latio.
* Saturnia in Hetruria.
Scyllacium in magna Græcia.
Sena in Hetruria.
Sena in Umbria, apud Senones.
* Senuiſſa in Latio.
Setia in Latio.
Sidicinum. Vide *Teanum*.
Signia in Latio, à Tarquinio, cum Circæis.
* Sinueſſa in Campania.
* Sipontum in Apulia, cum Buxento.
Sora in Latio.
Spoletium in Umbria, poſt Brundiſium.
Sueſſa in Campania, cum Pontia.
* Sueſſula in Campania.
Sutrium in Hetruria.
Tarentum in magna Græcia, quando Capua.
* Torquinii in Tuſcia.
Tarracina. Vide *Anxur*.
Teanum Sidicinum in Campania.
* Teleſia in Samnio.
* Temeſa in Brutiis, quando Sipontum.
* Tergeſte in Carnis.
Thurii in magna Græcia.
Tuder in Umbria.
* Veji in Tuſcia.
Velitræ in Latio.
Venafrum in Samnio.
Venuſia in Apulia.
Verona in Cenomanis.
Verulæ in Latio.
* Vibo Valentia in Brutiis.
* Vitellia, in Æquis Latii.
* Vlubræ in Latio.
Volaterræ in Tuſcia.
Vulturnum in Campania.

Coloniæ Romanæ extra Italiam ordine Alphabeticô.

Abyle & Abyla, poſteà Septa, Mauritaniæ Tingitanæ.
Acci, Hiſpaniæ Bæticæ.
Acuſio, Galliæ Narbonenſis.
Admedera, & Ammædara, Africæ.
Adramyttium, Phrygiæ.
Adrumetum & Hadrumetum, Africæ.
Ælia Capitolina Palæſtinæ, quæ Hieroſolyma.
Æmonia, Iapodum.
Æquum Dalmatiæ.
Agrippina Ubiorum, in Germania inferiore.
Ala Flaviana Norici, in confinio Pannoniæ.
* Aleria, Corſicæ.
Alexandria, quæ & Troas & Antigonia, Phrygiæ.
Ammædara. Vide Admedera.
Ancyra, Galatiæ.
Antigonia. Vide Alexandria.
Antiochia, Piſidiæ.
Antiochia, Syriæ ad Orontem.
Antipolis, Galliæ Narbonenſis.
Apamea, Bithyniæ.
Aphrodiſium, in Africa apud Hipponem.
Apollonia, Macedoniæ.
Apros, Thraciæ.
Apulum, Daciæ.
* Aquaviva, in Pannonia.
* Aquæ Calidæ, in Mauritania Cæſarienſi.
* Aquæ Regiæ, Africæ.
Aquæ Sextiæ, in Gallia Narbonenſi.
Arauſio, Galliæ Narbonenſis.
Archelais Cappadociæ.
Arelate, Galliæ Narbonenſis.
Arſenaria, Mauritaniæ Cæſarienſis.
* Aſta Regia, Hiſpaniæ Bæticæ.
Aſtigi & Aſtigis, Hiſpaniæ Bæticæ.
Aſturica, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
* Asubi, quæ & Claritas Julia, Hiſpaniæ Bæticæ.
Avenio, Galliæ Narbonenſis.
Aventicum, Galliæ Belgicæ.
Auguſta Aſturica. Vide *Aſturica*.
Auguſta Bracarum. Vide *Bracara*.
Auguſta Emerita, Hiſpaniæ Luſitaniæ.
Auguſta Firma. Vide *Aſtigi*.
Auguſta Gemella. Vide *Tucci*.
* Auguſta Quintanorum, Vindelicæ.
* Auguſta Rauricorum, Germaniæ ſuperioris.
Auguſta Rhætorum. Vide *Vindelicorum*.
Auguſta Tiberii, Vindeliciæ.
Auguſta Trevirorum, Germaniæ ſuperioris.
Auguſta Vindelicorum, Rhætiæ.
* Aurelianum Norici, apud Lentiam.
Babba, quæ & Julia Campeſtris, Mauritaniæ Cæſarienſis.
Banaſa, quæ & Valentia, Mauritaniæ Tingitanæ.
Barcino, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Berytus Phœnicis.
* Bida, Mauritaniæ Cæſarienſis.
Biteræ, Galliæ Narbonenſis.
Boſtra, Arabiæ petrææ.
Bracara. Luſitaniæ.
* Bullis, Macedoniæ.
Buthrotum, Epiri.
Cabellio, Galliæ Narbonenſis.
Cabilonum, Galliæ Celticæ.
Cæſaraugusta, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
* Cæſarea, quæ turris Stratonis, Palæſtinæ.
Cæſarea Philippi, quæ & Paneas
Camalodunum, Britanniæ.
* Capitulum, in Syria.
* Carnuntum, Pannoniæ ſuperioris.
Cartennæ, Mauritaniæ Cæſarienſis.
* Carthago magna, Africæ.
Carthago nova, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Caſſandrea, Macedoniæ.
Catina, Siciliæ.
Celeia, Norici.
Celſa, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Cirtha, Africæ.
* Clunia, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Conſtantia, Meſopotamiæ.
Conſtantia, Rhætiæ.
Conſtantia, Zili. Vide *Zilis*.
Corduba, Hiſpaniæ Bæticæ.
Corinthus, Peloponneſi.
Cremna, Pamphyliæ.
Cuina, Africæ.
Culcua, Africæ.
Culla, Africæ.
* Curia, Rhætiæ.
Cyrene, Cyrenaicæ.

Damaſcus

Damaſcus Cœleſyriæ.
Devana Britanniæ.
Develtus Thraciæ.
* Dyma ſeu Dyme Achajæ in Peloponneſo.
Dyrrachium, Macedoniæ.
Eboracum, Britanniæ.
Emerita. Vide *Aug. Emerita.*
Emeſa & Emiſa, Syriæ.
Emporiæ, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Epidamnus. Vide *Dyrrachium.*
Epidaurus, Dalmatiæ.
Equeſtris, Galliæ Belgicæ in Sequanis.
Felicitas Julia. Vide *Olyſſipo.*
Flavia. Vide *Cæſarea Philippi.*
Flaviopolis, Thraciæ.
Forum Julii, Galliæ Narbonenſis.
Genua Urbanorum. Vide *Urſo.*
Germa, Galatiæ.
* Germanicia Syriæ ex nummo, quæ & Auguſta.
Gilva, Mauritaniæ Cæſarienſis.
Giri, Africæ.
Gracchuris, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Gunugi, Mauritaniæ Cæſarienſis.
Hadrumetum, Africæ.
Heliopolis, Ægypti.
Heliopolis altera, Syriæ ex nummo argenteo.
Hippon Regius, Africæ.
Hiſpalis, quæ & Romulenſis, Hiſpaniæ Bæticæ.
Jadera, Liburniæ.
Iconium, Mauritaniæ Cæſarienſis.
Igilgili, Mauritaniæ Cæſarienſis.
Illici, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
* Indicia, Cyrenes.
Jol, & Julia Cæſarea, Mauritaniæ Cæſarienſis.
* Italica, Hiſpaniæ Bæticæ.
* Ituci, quæ & Virtus Julia, Hiſpaniæ Bæticæ.
Juliacum, Galliæ Belgicæ.
* Juliobrica Flavia, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Julium præſidium, Hiſpan. Luſit.
Laodicea, Syriæ.
* Lares, Africæ.
* Lauriacum, in Norico.
* Leptis magna, Africæ.
Lixos, Mauritaniæ Tingitanæ.
Londinium, Britanniæ.
Lugdunum, Aquitaniæ.
Lugdunum, Galliæ Celticæ.
Lutarburgum, Tarbellorum.
Marcia, Hiſpaniæ Bæticæ.
* Mariana, Corſicæ.
Maritima, Galliæ Narbonenſis.
Muſtula, Africæ.
Megara, Atticæ.
Melitene, Armeniæ minoris.
Metallinenſis, Hiſpan. Luſit.
* Miſenum, in Syria.
Murſa, Pannoniæ.
* Naeonenſis, in Syria
Narbo Martius, Galliæ Narbonenſis.
Narona, Illyrici.
Neapolis, in Africa.
Nemauſus, Galliæ Narbonenſis.
Nicopolis, Epiri.
Niſibis, Meſopotamiæ.
Norba Cæſarea, Hiſpan. Luſit.
* Ocea, Africæ.
Olyſſipo, Hiſpan. Luſit.
Oppidum novum, Mauritaniæ Cæſarienſis.
* Oreſtias, Macedoniæ.
Ovilabis, quæ & Aurelia Antoniniana, Norici.
Pacenſis, ſeu Pax Auguſta, Hiſpan. Luſit.
Palmyra, Syriæ.
Parium, Helleſponti.
Patræ, Achajæ Peloponneſi.
Pella, Macedoniæ.
* Perendaneſis, in Dacia.
Petovio, ſeu Pœtovio, Pannoniæ.
Pharos, Ægypti.
* Philippi, Macedoniæ.
Ponteraſa, Africæ.
* Ptolemais, Phœniciæ.
Quiza, Mauritaniæ Cæſarienſis.
Ruſardir, & Ryſſadirum, Mauritaniæ Tingitanæ.
Ruſazus, Mauritaniæ Cæſarienſis.
* Ruſcino, Galliæ Narbonenſis.
Ruſconia, Mauritaniæ Cæſarienſis.
Ruſicada, Africæ.
Ruſuccoræ, Mauritaniæ Cæſarienſis.
Ryſſadirum. Vide Ruſardir.
Sabaria, Pannoniæ.
Sabrata, Africæ.
Salaria, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Saldæ, Mauritaniæ Cæſarienſis.
* Salonæ, Illyrici.
Scalabis, Hiſpan. Luſit.
* Sebaſte, quæ & Samaria, Palæſtinæ.
* Selinus, quæ & Trajanopolis, Ciliciæ.
* Sicca, in Numidia.
* Sidon, Phœniciæ.
Siga, Mauritaniæ Cæſarienſis.
* Silda, Mauritaniæ Cæſarienſis.
* Simitta, Mauritaniæ Cæſarienſis.
* Sinis, Armeniæ minoris.
Sinope, Paphlagoniæ.
* Sirmium, Pannoniæ.
* Siſcia, Pannoniæ.
* Siniſi, Mauritaniæ Cæſarienſis.
* Sittaci ſive Sittianorum colonia Mauritaniæ Cæſarienſis.
* Solva, & Solvenſis colonia Norici.
* Succubar, Mauritaniæ Cæſarienſis.
Syracuſæ, Siciliæ.
Tabraca, Africæ.
Tacape, Africæ
Tarraco, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Tauromenium, Siciliæ.
Tebeſſa, Africæ.
* Thænæ, Africæ.
* Thermæ, Siciliæ.
* Thyſdrus, Africæ.
* Tiba, Africæ.
Tingi, Mauritaniæ Tingitanæ.
Tipaſa, Mauritaniæ Cæſarienſis.
Toletum, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Toloſa, Galliæ Narbonenſis.
Trajana colonia, Belgii.
Troas. Vide *Alexandria.*
* Turburbis, Africæ.
Tuburnica, Africæ.
Tucci, quæ Aug. Gemella, Hiſpaniæ Bæticæ.
* Turris Libyſſonis, Sardiniæ.
* Tyndaris, Siciliæ.
Tynudrumum, Africæ.
* Tyrus, Phœniciæ.
Valentia, Galliæ Narbonenſis.
Valentia, Hiſpaniæ Tarraconenſis.
Vienna, Galliæ Narbonenſis.
Ulpia Trajana, in Dacia.
Ulyſſipo. Vide *Olyſſipo.*
Volubilis, Mauritaniæ Tingitanæ.
Urſo, Hiſpaniæ Bæticæ.
Uſellis, Sardiniæ.
* Uthina, Africæ.
Utica, Africæ.
Zama, Africæ
* Zarmiſegethuſa, Daciæ.
Zilis, quæ & Aug. Conſtantia, Mauritaniæ Tingitanæ.

Si quæ in his Catalogis minùs vel inter ſe, vel ipſi Lexico, Coloniarum præſertim deductionis aut erectionis nomine, videantur convenire; nulli Auctoris hujus incogitantiæ imputandum hoc est; verùm ſcriptorum variorum diſſonantiæ, quos in hoc opere variè, dum præ oculis poſuit, ſecutus eſt.

COLONIS, inſula in ſinu Argolico contra Hermionem urbem. Plin. *l. 4. c. 12.* Et Cœl. Rhodig. *l. 21. c. 21.*

COLONIUM, ſeu HARLEIUM, oppid. Angl. in Vallia regione & Merviniæ provinc. ad æſtuarium magnum, *Thraeth Mawr*, in ora maris Hibernici, ubi aliàs Ordovices populi, *Britan.* Vide *Harlecum.*

COLONOS, agger, ſive locus editus, non procul ab Athenis, in quem Oedipus Thebis exulans dicitur commigrâſſe: Unde Sophocles Tragœdiam, de Oedipi calamitatibus conſcriptam, *Oedipum Coloneum* appellavit. Erat autem hic locus Neptuno ſacer, ubi etiam equeſtris ejus ſtatua fuit, quemadmodum Theſei, & Pirithoi, & Oedipodis. In hoc aggere fuit & Timonis turris, qui à ſolitudine, hominumque odio μισάνθρωπος cognominatus eſt. Pauſan. *in Attic.* Pollux verò, *l. 7* author eſt, duo hujus nominis loca in Attica fuiſſe, alterum ἱππεῖον appellatum, in quem confugit Oedipus; alterum in foro juxta Euryſacium, ἀγοραῖον cognominatum. Cœl. Rhodig. *l. 28. c. 20.* Et quidem *Colonon Hippion*, ſeu *Equeſtrem*, quod attinet, locus erat editus 1900. paſſ. ab urbe diſtans, in quo olim templa Veneris, Neptuni, Promachi & Furiarum. Ibidem rhedarii & aliis vehicularis rei inſervientes magnâ copiâ habitabant. *Colonos* vero *Agoræus*, collis erat in urbe, ubi qui herum, cui operam addicerent, quærebant, ſolebant convenire, prope Forum & Ædem Vulcani ac Euryſacis. Alterutrò horum locorum oriundus erat Menecrates, & filius ejus Conon, quorum mentio in duobus cippis hodieque ſuperſtitibus, Salamine, in vico *Ambelachi*, hodie appellato:

ΜΕΝΕΚΡΑΤΗΣ
ΘΕΟΓΕΝΟΥ
ΚΟΛΩΝΗΘΕΝ

Et,

ΚΟΝΩΝ
ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥ
ΚΟΛΩΝΗΘΕΝ.

apud Jac. Sponium, *Itiner. Græcia Part.* 3. ubi de *Demo Athenienſ.* p. 148.

COLONUS Chriſtophorus, novi Orbis inventor, vide infrà *Columbus.*

COLOPENA, Cappadociæ pars. Plin. *l. 6. c. 3.* Eſt etiam urbs Æolidis in Aſiæ minore. *Ptol. Altoboſco Alet. Sardo.*

COLOPHON, urbs Ioniæ, nobilis oraculò Apollinis. Patria Homeri quibuſdam. Hodie *Belvedere.* Vide *Colophonii.*

COLOPHONII, navales opes ſatis amplas habuêre, & in equeſtribus certaminibus tantum excelluêre, ut victoriam ſibi certam pollicerentur, quibus Colophonius acceſſiſſet equitatus. Unde Proverb. *Colophonem addere*, cùm ſumma manus operi imponitur. Ex hac urbe nonnulli Homerum ortum volunt. Unde & *Colophoniacus* vocatur à Virg. *in Ciri*,

Quæ Colophoniaco Scyllæ dicuntur Homero.

Cicer. *pro Archia Poeta, c.* 8. *Homerum Colophonii civem ſuum eſſe dicunt.* Fuit & Nicandri Poëtæ patria, ut patet ex *Epigram. l.* 3. *Anthologiæ:*

Καὶ Κολοφὼν, ἀγλαὸς σοὶ ἐνάλιος τόπος,
Δοιοὺς θρεψαμένη παῖδας ἀγακλέας.
Πρωτότοκον μὲν Ὅμηρον, ἀτὰρ Νίκανδρον ἔπειτα,
Ἀμφοτέρους Μούσαις οὐρανίαισι φίλους.

Nic. Lloydius.

COLOPHONE, in Apollinis Clarii ſpecu lacuna eſt, cujus potu mira redduntur oracula, bibentium breviore vita. Plin. *l. 2. c. 103.*

COLOPIANI, Pannoniæ populi.

COLOPS magnus. *Ptol.* Zeugitanæ provinciæ urbs, hodie *Gegen* regno cavitana.

COLOR, primò ante in Pictura. Plin. *l. 35. c. 8.* *Apparet multo vetuſtiora (Artis hujus) principia eſſe, eoſque qui monochromata pinxerint, (quorum ætas non traditur) aliquando ante fuiſſe, Hygiænontem, Dinian, Charmadam, & qui primus in pictura marem fœminamque diſcreverit, Eumarum Athenienſem, figuras omnes imitari auſum, quique inventa ejus excoluerit, Cimonem Cleonæum.* Deni quatuor in uſum venêre. Idem, *c.* 7. *Quo contemplatione tot colorum tanta varietate, ſubit antiquitatem mirari. Quatuor coloribus ſolis immortalia illa opera fecêre, ex albis melino, ex ſilaceis Attico, ex rubris Sinopide Pontica, ex nigris atramento, Apelles, Echion, Melanthius, Nicomachus, clariſſimi Pictores, cum tabulæ illorum ſingulæ oppidorum venirent opibus.* Poſtmodum innumeri adhibiti, non tamen meliore picturâ. Idem *ibid. Nunc & purpuris in parietes migrantibus, & India conferente fluminum ſuorum limum & draconum & elephantorum ſaniem, nulla nobilis pictura eſt. Omnia ergo meliora tunc fuêre, cum minor copia ---- quoniam ---- rerum, non animi pretiis excubatur.* Vide infrà, ubi de *Pictura.* Aliud autem Color, aliud *lumen* & *fulgor*, tum in picturâ, tum in gemmis. Idem, *c.* 5. *Tandem ſe Ars ipſa diſtinxit, & invenit lumen atque umbras, differentiâ colorum alterna vice ſeſe excitante. Dein adjectus eſt ſplendor alius hic, quam lumen: quem, quia inter hoc & umbram eſſet, appellarunt tonon: commiſſuras verò & tranſitus colorum, armogen.* Hinc ubi plus coloris, quàm luminis, pleniorem, ſaturatum, mœſtum, preſſum, aſtrictum, triſte, auſterum, amarum &c. Græcè [illegible], ubi verò plus luminis, quàm coloris, hilare, excitatum, vegetum, floridum, acutum, gratum, ſuave &c. Græcè [illegible], dictum reperimus: quamvis coloris una eademque ſpecies, aliàs florida, aliàs auſtera poſſit dici, vide quæ hîc paſſim in his vocibus, ut & ſuprà, ubi de [illegible], colligere conabor ac infrà voce *Harmoge.* In gemmis color eſt, quem gemma [illegible] exhibet;

exhibet, quo aut viridis, aut rubra, aut cœrulea dicitur; *fulgor* verò, qui in ſuſpectu, vel deſpectu, luce aliter & aliter acceptâ, nunc igne, nunc Sole, nunc inclinatione, excitatur & radiat. Sic ſyrtiæ color melleus, fulgor croceus, ſelenitis gemma candida eſt, ſed quæ melleô fulgore tranſluceat, Choaſpis lapis viridis eſt, ſed colore aurei &c. Vide de *Coloribus tum nativis, tum factitiis*, Plin. *l.* 35. *c.* 6 quive horum quôvis in Pictura primatus uſi, eundem, ubi de Metallis: de *Coloribus* verò Factionum Circenſium, Familiarium, Veſtiumque, hic ſuô locô: & plura hanc in rem, apud Salmaſ. ad *Solinum paſſim*.

COLORATI Etruſci, apud Martialem, de Muliere, *l.* 10. *Epigr.* 68. *v.* 3.

> Deque coloratis *nunquam lita mater Etruſcis*;

Salmaſio ſunt ἀλιόκαυτοι, *Sole adusti*: quod ne fieret, medicamina delicatiores adhibebant, δέρματα προσωπεῖα περιθεῖναι, Auctoribus τὰ κοσμητικὰ dicta, quæ præſtabant, ne Sole facies læderetur. Hinc Martialis ibi *mulierem nunquam litam* vocat, quæ iſtiuſmodi medicamentis faciem nunquam induxerit, ad candorem ſervandum & Solem cuti defendendum, ne coloraretur: Salmaſ. *Not. ad Spartian. in Hadriano*, *c.* 4. Vide infrà ubi *de Lavandi faciem more*. Alia notio vocis apud Senecam, *de Beata Vita*, *l.* 2. uti infrà videbimus, voce *Pauperes*.

COLORATI Solidi, vide infrà *Prætextati*.

COLORATOR, in *Gloſſ.* Ἰνδικοπλάστης; Sic autem dicti ſunt, qui parietes pingebant & colores tectoriis inducebant, inter quos colores aut præcipuum aut unum de præcipuis locum obtinebat Judicum, quod ex India veniebat, harundinum ſpumæ adhæreſcente limo. Vide infrà, in voce *Indicum*. Ab *Indico* igitur, quod parietibus illinebant, Ἰνδικοπλάσται Græcis hi *Coloratores* dicti ſunt. Iidem verò στιλβωταί, namque & tectoria in parietibus ſplendorem habebant & tectoriis colores inducti ſunt, ut videre eſt apud Vitruvium paſſim. Vide Salmaſ. *Notis ad Flav. Vopiſc. in Firmo*, *c.* 3.

COLORBASUS & Marcus, Hæretici, Baſilidis, Carpocratis, Saturnini, Valentini, Cerdonis, Marcioniſque erroribus magnam partem adſtipulati, ſeculô à Chr. Natu ſecundô, quô nullum magis ejuſmodi Zizaniorum fertile fuit: μελιμψύχων inter alia admiſerunt. Conſule veteres Hæreſiulogos, & ſuprà *Colarbaſus*.

COLOREÆ Veſtes, apud Vopiſc. *in Aureliano*, *c.* 46. *Idem conceſſit, ut blatteas matronæ tunicas haberent cùm antea coloreas habuiſſent, & ut multùm oxypæderotinas*: non ſunt *variò colore tincta, modò hôc, modò illô*; ſed *quæ variorum ſunt colorum* & plures colores intextos habent. Græci ποικίλα ἱμάτια vocant & ποικιλόχροα. Latini quoque *varias veſtes* & *varii coloris veſtes*. Terent. *in Eunucho*, *Actu* 4. *ſc.* 4. *v.* 16.

> —— —— *Ita viſus eſt*
> *Dudum quia tum variâ veſte ornatus fuit.*

Unde *coloratos leones* vocat Tertullianus, coloreis palliis indutos, h. e. palliis varii coloris, *l. de Spectac.* Quomodo in *teſtam. Auguſt. coloreæ lodices* accipiendæ: *gauſapes purpureas & coloreas meas* &c. *Coloreis* igitur veſtibus uſæ Matronæ Romanæ, cùm purpurearum uſu eis eſſet interdictum: Nam poſt purpureas, *colorea* in pretio fuêre, quæ vel acu vel pectine pluribus eſſent coloribus intextæ. Unde *veſtes pingere coloribus* dixit *Servius*, de acupictilibus. *Colorium* in eodem ſignificatu Veteres acceperunt, ut ex *Feſto* diſcimus, qui lemniſcos coronarum *colorias faſciolas* interpretatur, quæ Græcis ποικίλαι ζῶναι vel ποικίλα διδήματα. Item *Colorinum*: Sic antiquus Auctor libelli *de Cœna Domini* veſtem Thamar appellat *colorinum*, quam Hieronymus *polymitam & variam*, Græci Interpretes ποικίλον χιτῶνα, Jonathan Paraphraſtes *paragodam*, h. e. veſtem pannis & inſititis verſicoloribus prætextam &c. Aliud verò *verſicolor* eſt, ſic namque veſtis dicitur, quæ colorem ſubindè mutat, & aliô modô refulget, cùm aſpicitur, aliô cùm ſuſpicitur, atque etiam aliô, cùm deſpicitur & colores alternat, uti columbarum colla; cujuſmodi colorem ἀλλάσσον χρῶμα Græci, *Couleur changeant* Galli vocant: At *Coloria* ſimpliciter vocantur, quæ variis coloribus pictæ ſunt aut de variantibus licii in figuras animalium effigiatæ, aut diverſis clavis intextæ aut limbis picturatis prætextæ. Quamvis non rarò voces hæ confundantur, &c. *Colores* verò Libertinarum & earum mulierum, in quibus non impermiſſa Venus, recenſet Ovid. *l.* 3. *de Arte*, *Cæruleum*, *galbinum*, *undulatum*, *croceum*, *myrteum*, *amethyſtinum*, *rhodinum vel roſeum*, *gruinum*, *caſtaneum*, *amygdalinum cerinum*: qui ferè colores aliique ex variis herbis tincturæ apti, Libertinarum aliarumque mulierum infimi loci atque ordinis veſtibus erant deſtinati. Vide Salmaſ. ad *Vopiſc. loc. cit.*

COLORES, pro ipſis Factionibus Circenſibus, quæ ſuis coloribus diſtinguebantur, *Venetâ*, *Praſinâ*, *Ruſſeâ* & *Albâ*, apud Senatorem, *l.* 1. *Ep.* 20. Vide hic paſſim, imprimis in voce *Factio*.

COLORINA, Arabiæ Deſertæ urbs. *Ptol.* Item, vicus Lombardiæ Tranſpadanæ.

COLOSSE, ſive COLOSSIS, Strab. *l.* 12. oppid. Phrygiæ prope Laodiceam in confinio Cariæ medium inter Sardes & Cabyram, 60. milliar. ab Apamea in Occaſum. *Baudrand.* Hic Eccleſia, quam Paulus Apoſtol. inſigni epiſtolâ dignatus eſt. Hanc commentariis ſuis illuſtrârunt, Althoferus, *Obſervat.* Brentius, *Commentar* Caliatus, Dalæus, cujus proſtant *conciones*, in Volum. 3. in octav. Genevæ Gallicè. Davenantius, *in Coloſſ. expoſitio*, in fol. Cantabrigiæ A. C. 1627. 1639. Amſtelodami A. C. 1646. Crocius, Gerhardus, *Annotationes*. Gomarus *Explic. Locorum ſelectorum*, inter opera. Grynæus, *Explanatio Aphoriſtica*, in *octav. Baſil. A.* C. 1586. Martinus. Meelfuhrerus, Maſculus, Origenes, Polanus, *ad Coloſſ.* in octav. Baſileæ, A. C. 1607. Quiſtorpius, Rollocus, *Comment.* in octav. Genevæ, A. C. 1602. Scultetus, *Idea Concionum in ep. ad Coloſſ.* in quarto Witeb. A. C. 1624. Wigandus, *Explicationes in ep. ad. Coloſſ.* Witeb. A. C. 1586. Zanchius, *Commentar. in ad Coloſſ.* inter opera ejus, &c. Plures vide apud Guiliel. Growæum, *Elencho Scriptorum in S. Scripturam*. Hoc oppid. teſte Oroſiô, temporibus Neronis cum Laodicea, & Hierapoli urbib. Aſiæ terræ motu occidit. Incolæ *Coloſſenſes*: πόλιν μεγάλην vocat *Herodotus*.

COLOSSEÆ Statuæ, omnium honoratiſſimæ. Quò plurium enim pedum ſtatuæ eſſent, eò fuiſſe magis honorificas, diſcimus ex Plinio, *l.* 34. *c.* 6. unde *Coloſſea*, quæ quidem in uſu rariſſimè fuêre, honorificentiſſimæ. Nam Deorum ſtatuæ legitimam ſtaturam hominis ter ferè continebant: Heroum bis: Regum & Imperatorum illis erant breviores; Cujuſmodi ea, quæ Claudio II. à Senatu collocata legitur, apud Treb. Pollionem, pedum 10. ſeſquialteram proportionis rationem non multùm ut videtur excedens, cùm eſſet Claudius digitos aliquot ultra 6. pedes longus. Caſaubonus, *ad Pollionem in Claudio*, *c.* 3. Ælio Vero autem Adrianus, *ſtatuas per totum orbem coloſſeas*, *poni juſſit*, *templa etiam in nonnullis urbibus fieri*, apud Spartian. *c.* 7. Nempe *Coloſſea* ſtatuæ Deorum propriæ, horumque eorum qui inter Deos relati, vide Salmaſ. ad *h. l.* Cæterùm celebres, apud Scriptores, *Coloſſi* Apollinis, Domitiani, Galieni, Herculis æreus, Jovis, qui poſt Judæam devictam erectus, Junonis, Neronis, Rhodius, Solis, alii, de quibus Barthium vide *ad Statium paſſim*. Vocis originem quod attinet, in eandem digitum Poeta hic intendere videtur, *l.* 1 *Sylv.* 1. *v.* 87. ubi de Equo Max. Domitiani;

> —— —— – — *vix lumine feſſo*
> *Explores, quàm longus in hunc deſpectus ab illo.*

Feſſi, ait, fient oculi, priuſquam ab altitudine ejus ad hujus humilitatem perveniant & deſcendant. A qua proin oculorum laſſatione non inſcitè *Coloſſos* denominatos arguitatur Matth. Raderus, *Comm. ad Martialis Spectacula*, quod debetur tamen Parrhaſio *ad d. Statii*, *l. Ep.* 57. Vide quoque in voce *Coloſſus*; ut & *Moles* infrà; plura verò apud Plinium, *l.* 34. *c.* 7.

COLOSSEROS, in *Hiſt. Auguſta*, Græcè ὁ Κολοσσέρως, vir quidam *grandis*, ut coloſſus, ſed venuſtus, & amabilis, ut *amor* ipſe. Sic Παιδέρως, idem quod Ἀντέρως, puer æquè amabilis & venuſtus, ac *amor*, ſeu contra amorem pulcher. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 565.

COLOSSUS Lyſippi, ut quidam ajunt, diſcipulus, *coloſſi* Rhodii author, quem tamen à *Caleto*, vel *Coleta* artifice ſic dictum fuiſſe tradit *Feſtus*. Sed hæc ſunt mera ſomnia. Author enim ejus fuit vel Chares, vel Laches. Plin. *l.* 34. *c.* 7. *Ante omnes autem in admiratione fuit Solis Coloſſus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, Lyſippi diſcipulus.* Simonides in hunc Coloſſum, *l.* 4. *Anthol.*

> Τὸν ἐν Ῥόδῳ Κολοσσὸν ὀκτάκις δέκα
> Λάχης ἐποίει πηχέων ὁ Λίνδιος.

Niſi & hic pro Λάχης legere malis Χάρης, ut cum Plin. Euſtathioque conveniat. Sed hôc pactô & pro ὀκτάκις, ſubſtituere poſſis ἑπτάκις, ut in hoc quoque conſentiat cum Plin. Straboneque qui 70. faciunt cubitorum. Verùm hoc utut eſt, de *Coloſſo*, vel *Coleto*, altum apud veteres ſilentium eſt. Quare rectiùs *Etymologus*, qui *coloſſum* ſic dici ſcribit, quia, ob nimiam altitudinem, oculorum fruſtraretur aciem, Κολοσσός, inquit, παρὰ τὸ κολούειν (ὃ ἐστιν ἐλαττοῦν) τὰ ὄσσε, διὰ τὸ μέγεθος. Cujus ſententiam confirmat Papinius *l.* 1. *Sylv. carm.* 1. *v.* 87.

> —— *Vix lumine feſſo*
> *Explores, quam longus in hunc deſpectus ab illo*

Loquitur de equo Domitiani, qui coloſſo impoſitus erat, unde initiô carminis *molem* vocat *geminatam*:

> *Quæ ſuper impoſito moles geminata Coloſſo,*
> *Stat Latium complexa forum?* ——

Fuit autem hic Coloſſus Rhodius ſtatua ex ære, virum repræſentans, in Solis honorem, à Rhodiis erecta. Inter ſeptem mundi veteris miracula. Poſt 56. annos, terræ motu corruit. A. C. 677. à Saracenis Rhodô occupatâ & direptâ 900. camelorum onus: Pollex amplexu humanô amplior, per crura mare tranſmiſſum, &c. Magnitudinem Coloſſorum innuit Plin. ubi ſuprà: *Moles excogitatas videmus ſtatuarum, quas Coloſſos vocant, turribus pares.* Ac proinde *Etymologus* κυρίως Κολοσσοὺς λέγεσθαι) οἱ ὑπερμεγέθεις ἀνδριάντες. Stat. *l.* 1. *Sylvar. Carm.* 3. *v.* 51.

> —— *Enormes manus eſt experta Coloſſos.*

Romæ Coloſſum Nero, capite ſuô ei impoſitô, erexit, cujus locô Solis caput ſubſtituit Veſpaſianus: Commodô iterum ſuum ſurrogante. Lamprid. *in Commodo*, *c.* 17. *Nic. Lloydius.*

COLOTES, vir Tejus, pictor. Quintil. *l.* 2. *c.* 14. Phidiæ diſcipulus fuit. Plin. *l.* 35. *c.* 8. *Colotes, Phidiæ diſcipulus, ejuſdem Minerva fecerat, ejuſque in faciendo Jove Olympio fuit adjutor.* Fuit & *Colotes*, Epicureus, adversùs quem extat Plutarchi liber. Nomen à lentiginibus ſtellionis: Κωλώτης enim Græcis, & Γαλεώτης & Ἀσκαλαβώτης, idem. Ovid. de Aſcalabo, *l.* 5. *Met. Fab.* 7. *v.* 461.

> —— *ſtellatus corpora guttis.*

Stephanus γαλεὸν aſcalabotem interpretatur: eundem *Colotem* Græcis vocari, Plinius ait, *l.* 29. *c.* 4. Ita ergo vir *Colotes*, ut γαλεώτης γέρων, apud Menandrum, *in Eunucho lentiginoſo*,

> —— ὕτος ἔστι γαλεώτης γέρων.

h. e. *ſenex muſtellinus*, uti locum hunc Terentius exprimens, verba reddidit. *Eunuch. Actu* 4. *ſc.* 4. *v.* 22. Quam in rem vide Salmaſ. ad *Solin. p.* 757.

COLO-

COLOTES, *Epicteti* diſcipulus primarius, cujus dogmata Plut. libro edito ſolide refutat.

COLOTES, ſculptor fuit eximius, cujus opus Æ culapii ſimulacrum ex ebore factum, aſpectu ſane mirandum, in quodam Bœotiæ vico aſſervari tradit Strabo, *l.* 8.

COLPE, Ioniæ civitas. Ejus meminit Plin. *l.* 5. *c.* 29. *Intercidere inter Daphnus & Hermeſſa & Sipylum, quod antea vocabatur Tantalis; caput Mæoniæ, ubi nunc eſt ſtagnum Sale. Obiit & Archæopolis ſubſtituta Sipyli, & inde illi* Colpe, *& huic Lebade.* Nempe, uti in locum Sipyli Archæopolis, ſic in hujus locum *Colpe*, in Colpes autem Lebade ſucceſſit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 863.

COLPITE, vide *Phœnica.*

COLRANUM, caſtrum Hiberniæ in Ultonia, *Colrane*, Comitatus cognominis caput, ad fluv. Bannum, 24. milliar. Anglic. ab Altrimo in Boream, 40. à mari. Paucis conſtat incolis.

COLSA, Armeniæ majoris urbs. *Ptol.*

COLTA, Carmaniæ locus ad mare Rubrum. *Arrian.*

COLTHENA, Armeniæ majoris urbs, & regio ad Araxem *Ptol.*

COLUBÆ, populi Indiæ. Plin. *l.* 6. *c.* 19.

COLUBER, quaſi κολοβὸς, *cauda mutilus*, Gelen. à *Chelydro* ſeu *Cherſydro*, Geſnero, vide ſupra in vocibus *Chelydrum* & *Cherſydrum.*

COLUBRARIA, maris Mediterranei inſul. Hiſpan. ſerpentibus ſcatens. Pompon. *l.* 2 *c.* 7. Plin. *l.* 3. *c.* 5. Græci *Ophiuſam* dixere, vulgo *Dragonera. Baudrando Mont Colubre*, velut ſcopulus ſita, inter Majoricam & oram Cataloniæ, 7. leuc. Hiſpan. ab oſtio Iberi fluv. in Auſtrum.

COLVEKERLI, h. e. *clavam gerentes ruſtici*, dicti ſunt Comitatus Ghiſnenſis incolæ, uti habet Auctor Chron. Abbatiæ S. Bertini, de Rodolfo Guinarum Comit. *Qui in terra ſua ſervitutem induxit, quæ Colvekerlia vocatur, per quam populares adſtrinxit, ut arma nullus, niſi clavas, deferret & inde Colvekerli dicti ſunt, quaſi Ruſtici cum clava. Nam — Colve clavam & Kerli ruſticum ſonat.* Vide quoque Lambertum Ardenſem, *Hiſt. Comit. Ghiſn.* laudatum Carolo du Freſne, in *Gloſſar.*

COLUM ſeu **COLATORIUM**, in Eccleſia Romana accenſetur vulgo ſacris miniſteriis, eſtque vaſculum quoddam ſubtiliſſimis foraminibus ab imo fundo perforatum, per quod vinum in Miſſæ, ut vocant, ſacrificio, ex amulis in calicem refundi conſuevit. Ordo Roman. *Archidiaconus ſumit amulam Pontificis cum vino de Subdiacono & refundit ſuper* colum *in calicem.* Infra, *Archidiaconus — accipiens Calicem ab Acolyto Archidiacono apportat vinum per colum, quod ſiniſtra manu Romanus Ordo Archidiaconum auriculari digito ferre jubet purgandum. Quod utique vas in id opus ex aliquo metallo firmatum, in medio ſui plurima quaſi acu foramina, ad excolandum vinum, oſtendit & illud Archidiaconus per totum Miſſæ officium in ſiniſtra manu, illo quo prædiximus digito, annulo ſuſpenſum portaturus eſt*, apud Macrum.

COLUMBA, Veneris apud Poëtas ſymbolum. Sed & Semiramis nomen habuit à Syriaca *columba* appellatione, ita enim *Heſych.* Σεμίραμις περιστερὰ ὑπὸ Σύρων, *Semiramis, columba montana Græcis*: Et credebat Rabbi Azarias, id nomen ab avium eſſe pipitu, & cantillatione mutuata. Nempe ut Semiramis ſit aa ... , hoc vero ex Chaldæo, ... quod avium illud *μονῳδητικὸν* ſignificat. Idem proin Babylonios & Aſſyrios ob ea, quæ de Semiramide, figura *columbæ* culta, diremus, pro ſymbolo in vexillis militaribus columbam habuiſſe, atque inde Jeremiam dicere, *c.* 25. *v.* 38. *Facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ* cenſet. Nempe, ſecundum hunc Rabbinum, per *Columbam* hic ſignatur Babylonius Nabuchodonoſor. Vide eundem Prophetam, *c.* 46. *v.* 16. *c.* 50. *v.* 16. & Sophoniam, *c.* 3. *v.* 1. Etiam Rabbini Thalmudici in *tract. Cholin*, *ſect.* 1. narrant, tempore Rabbi Meir, in jugo montis Garizim *Columbæ* ſimulachrum fuiſſe inventum. De Semiramide vero res ita habet, teſte Diodor. Siculo: Ea à matre, cui *Derceto* nomen, priuſquam in aquas ſe daret præcipitem, delata in locum deſertum, ubi columbarum viſu nutriretur, ibi occulte educata eſt, uſque dum eam domum recepit Simma, qui liberis carebat. Regiorum is jumentorum Magiſter erat, à quo dein ad Ninum pervenit. Etiam Lucianus eam à columbis in deſerto nutritam tradit, quod interpretatur Voſſius *columbarum carne paſtam.* Niſi fabulæ occaſionem præbuerit vocabulum Semiramis, quod Syra lingua, ut dictum, *columbam* deſignat. Cur enim fœminæ minus ejuſmodi nomen datum credamus, quam viro impoſitum eſt nomen *Jona*, quod Hebræis idem notat. Hinc certe non obſcure elucet, cur, ut mater in piſcem, ita filia in *columbam* dicatur commutata. Sic enim Ovid. *l.* 4. *Met. v.* 44. *ſ.*

> — — *Et dubia eſt, de te, Babylonia, narret,*
> *Derceti, quam verſa, ſquamis velantibus artus*
> *Stagna Palæſtini credunt coluiſſe figura.*
> *An magis, ut ſumtis illius filia pennis,*
> *Extremos altis in turribus egerit annos.*

Atque inde eſt, quod originem arceſſunt, cur Syri & piſcibus abſtineant & *columbis*: nam honori hoc datum ajunt Dercetus & Semiramidis; quia illa piſcis, hæc *columbæ* figura coleretur. Hygin. *fab.* 197. *Ob id Syri piſces & columbas ex Deorum numero habent, non edunt.* Tibullus, *l.* 1. *Eleg.* 7. *v.* 17. de columbis.

> *Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes*
> *Alba Palæſtino ſancta* Columba *Syro?*

Vide quoque Xenophontem, *Expedit. Cyri*, *l.* 1. Philoſtratum, ... alios: Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idololatriæ*, *l.* 1. *c.* 23. Cæterum *Columba*, Hebr. יונה *Jona*, non ab *opprimendo*, ... , ut volunt, neque à *vino*, ut *οἶνος*, quæ Syris *charmime*, unde Χαρμίον, una ex illuſtribus Cleopatræ ancillis: ſed à *Javan* ſeu *Jonia*, i. e. Græcia, eſt, ubi *columbæ* jam olim frequentes, cum in Aſia eas adventitias eſſe, *Theophraſtus* tradat. Namque nota Dodonæa columba, apud Herodot. *l.* 2. Item Deucalionis illa, *quam ex arca emiſſam, tempeſtatis ſignum fuiſſe, cum eodem rediit, & ſerenitatis, cum avolavit*, Plut. refert, *l. utra anim.* ubi veſtigium Hiſtoriæ ſacræ habemus. Sic *columbæ* Jovem dicuntur aluiſſe, cum in Creta vagiret, ambroſia ex Oceano allata, apud Mœronem Byzantiam Athenæi, *l.* 11. Apud eundem in Ægio, Achajæ urbe, in *Columbam* mutatus Jupiter, cum Phthia virgine concubuit. Argonautæ quoque inter coëuntes Symplegadas trajecturi, à Phineo vate moniti, *columbam* emiſerunt, cujus volatum ſequerentur. Porro Cteſilla, Alcidamantis Cei filia, in partu mortua, columba à ſandapila evolavit, apud Nicandrum, Ἑτεροιουμένων, *l.* 3 Et apud Ovidium, *l.* 13. *Met. Fab.* 4. Oenotropæ Anii filiæ, ut pater Anius Aucluſæ narrat, *v.* 673.

> — — *pennas ſumſere; tuæque*
> *Conjugis in volucres niveas abiere columbas.*

Quæ utut fabuloſa, evincunt tamen, *Columbas* in Græcia ſemper fuiſſe. Quid quod Bœoticam Thisben & Lacedæmoniam Meſſenen, à copia columbarum, Homerus vocat πολυτρήρωνας, *Il. β. v.* 502. Et juxta Smyrnam ſeptem inſulas Periſterides, i. e. *Columbarias*, recenſet Plin. *l.* 5. *c.* 31. Adeoque *Columbas* poſt diluvium primo in Græciam & vicina loca contendiſſe, veriſimile eſt, atque inde paulatim in reliquum orbem eſſe diſperſas. Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 1. *c.* 1. At *alba columba*, in Græcia ſero viſæ, nec niſi poſtquam Xerxis copiæ ad montem Atho profligatæ ſunt, ut diſerte in *Perſicis* tradit Charon Lampſacenus, qui tum vivebat, apud Athenæum, *l.* 9. Ælianum, *in Variis*, *l.* 1 *c.* 15. &c. Idem Bochartus ubi ſupra, *c.* 2. Plura de *Columbis* apud Euſeb. ſeperies, *capp. ſeqq.* Apud Hebræos, neque in loco habitato, aut intra quatuor milliaria, *Columbas* aucupio ſectari licuiſſe, quoniam in bonis fuerint alicuius, & vel in ſacrificia, vel victum nutritæ ſint: neque *Columbarium* extrui licuiſſe in agro alicujus, niſi ſolum haberet cubitorum 50. in quamlibet plagam circumjacens, ex Seldeno diſces. De more autem *Columbas* ante Reginas perferendi, legendus Galfridus Monemuthenſis, *l.* 7. *c.* 4. Uti de *Columbarum* in Epiſtolis perferendis miniſterio, iterum Voſſ. *l.* 3. *c.* 98. de earum voce, vide in *Gemitu*; ut & plura infra. Nec omittendum, quod veteres Chriſtianos *Columba* quoque ſignare conſueviſſe legimus, apud Clem. Alexandrinum, *Pædag. l.* 3. *c.* 2. Unde ſcalpturam *Columbæ*, ſed olivæ ramum roſtro ferentis, addita, ſupra Iride, infra autem arca Noëtica, ut plane Chriſtianum hominem agnoſcas, exhibet Gorlæus, *Dactyliotheca ſua*, *num.* 118.

COLUMBA, in Eccleſia Romana dicitur vas, in *Columbæ* ſpeciem effictum & ſuper Altare appenſum, in quo pyxis, ubi Eucharisticus panis ad infirmorum viaticum aſſervari ſolet, includitur. Vide Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COLUMBA, Ordo militaris à Johanne I. Caſtellæ Rege inſtitutus, A. C. 1379. Segoviæ. Alii hoc filio ejus Henrico III. A. C. 1399. tribuunt. Columba ordinis inſigne, qui minime diuturnus fuit. Favinus, *l.* 6. *p.* 1229.

COLUMBA Allectatrix, memoratur *Suidæ*, ubi illam παλεύτριαν vocat. Nempe columba adeo ſimplex eſt, ut retia non evitet neque laqueos ſibi paratos, cum ſe demittit ad cibum: non tamen omnis, ſed quæ allectatrici aſſidet, unde ἁπλοῦν πελειάς, *ſedem columba* Proverb. apud eundem, ἐπὶ τῶν ἀπλουστάτων, *de ſimpliciſſimis*. Alia ratio columbæ eſt, qua abutuntur Aucupes ad cæteras alliciendas. Ariſtophanes *in Avibus*,

> Τὰς περιστερὰς δ' ὁμοίως ξυλλαβὼν εἴρξας ἔχει,
> Κἀπαναγκάζει παλεύειν δεδεμένας ἐν δικτύῳ.
> *Columbaſque ſimiliter correptas coërcens detinet*
> *Et ligatas in reti cogit alias allicere.*

Ad quem locum *Scholiaſtes*, Εἰώθασι, inquit, ... τὰ ἐν τοῖς δικτύοις, ὅπως τῇ φωνῇ προσκαλοῖτο τὰ ὁμογενῆ, *Solent excæcatam avem in laqueo detinere, ut voce congeneres advocet.* Et *columbas* in hunc uſum eſſe adhibitas, præter Ariſtophanem, Philoſophus quoque aſſerit, *Hiſtor. l.* 9. *c.* 7. Αἱ περιστεραὶ ζῶσι καὶ ὀκτὼ ἔτη αἱ τυφλωθεῖσαι ὑπὸ τῶν παλευτριῶν τρεφόμεναι αὐταῖς, *Octo annos vivunt columbæ, quæ excæcatæ aluntur, ut ſint allectatrices.* Vide Sam. Bochart. *Hierozoici*, *Part. poſter. l.* 1. *c.* 4.

COLUMBA Architæ, vide ſupra.

COLUMBA Noæ, in Sacris celebris. Noahus enim in arca incluſus, cum ex corvo non didiciſſet, quod ſcire avebat, quouſque decreviſſent aquæ diluvii, *Columbam* quoque emiſit, avem domeſticam, & homini amicam, quæque diu ac procul volat, Pſalmo 55. *v.* 7. & libenter humi paſcitur, quia eſt ἐκ τῶν σπερμολόγων, hocque habet à natura ſua inſitum, ut ad nidum ſuum redeat undequaque, etiam è locis remotiſſimis. His igitur de cauſis columba à Noacho emiſſa eſt; ſed rediit non multo poſt, quia quietis locum non reperit, impote terra adhuc λιμνάζούσης, ut ait Joſephus, i. e. adhuc *ſtagnante* vel lacunoſa ſaltem & uliginoſa, in qua nihil tum erat firmum. At eadem, ſeptiduo poſt rurſus emiſſa, rediit ſub veſperam ramum olivæ in ore geſtans; non ex monte oliveti decerptum, aut Paradiſo terreſtri, ut quibuſdam viſum; ſed ex Aſſyria forte, olearum feraciſſima, 2. Regum, *c.* 18. *v.* 32. Noæ ſcil. arca ſubſtiterat in montibus *Ararat* ſeu Gordyæorum, quibus Aſſyria verſus Auſtrum vicina eſt, in quam proin partem cœli columbam, ea arca avolantem, invitante Auſtri calore & vento etiam impellente, devolaſſe credibile eſt. Vero enim conſentaneum, ventum illum, quem excitaverat Deus, ut aquas exſiccaret, Geneſ. *c.* 8. *v.* 1. ea Aquilone flaviſſe in Auſtrum. Ut apud Ovidium, in Deucalionis diluvio, pacatus Jupiter, *l.* 1. *Met. v.* 328.

Nubila disjecit: nimbiſque Aquilone remotis,
Et cœlo terras oſtendit & æthera terris.

Sic redim ſuô columba anxium Noahi animum recreavit, & eum excitavit in ſpem proximæ liberationis. Sed poſt aliud ſeptiduum tertiò emiſſa, non reverſa eſt ampliùs, in arcam, quia tum aquis magis ac magis decreſcentibus, neque victus illi defuit, neque nidus, in quo lateret. Unde aquas deſtitiſſe, animadverſum. Cujus Hiſtoriæ veſtigia in Abydeni *Chaldaicis* occurrunt; apud Euſebium, *Præpar. l.* 9. & Cyrillum contra *Julian. l.* 1. Ille enim tertiò die, poſtquam pluere deſiiſſet, aliquas aves dimiſiſſe Xiſuthrum (ſic ille Noam vocat) quæ pedibus lutoſis ad illum redierint, ſcribit. Græci id ipſum ita referunt, ut in iis vix quidquam deſideres, niſi quòd Noæ ſubſtituunt Deucalionem ſuum. Vide Plut. in *l. utra animalia.* Item in more Veterum quos navigationem auſpicaturos, *columbam* è navi emittere ſolitos eſſe, dicemus infrà, voce *Navis.* Onirocritici Arabes ſq *warſen*, i. e. palumbi tribuunt idem; eamque columbæ præferunt, fortè quia Mahumeti creditur Deus ſub palumbi ſpecie apparuiſſe & multa inſpiràſſe, uti refert Vartomannus, *Navigat. l.* 1. *c.* 18. &c. Quam in rem vide plura, inprimis de morali ac myſtico ſenſu hujus *Columbæ*, nec non de *Columbæ* ſpecie, quæ in Baptiſmo Chriſti apparuit, apud Sam. Bochartum, *l. præfatâ*, c. 6. uti *de Samaritanis in Columba nomine circumciſis* ſuprà.

COLUMBA Stellæ, memoratur Martiali, *l.* 1. *Epigr.* 8.

Stellæ delicium mei Columba,
Veronâ licèt audiente dicam,
Vicit, Maxime, paſſerem Catulli.
Tantò Stella meus tuô Catullô,
Quantò paſſere major eſt columba.

Fuit autem is Stella prænomine Aruntius Patavinus, Poëta Elegiographus, qui uxoris Violantillæ, quam *Ianthida* idem Poëta vocat, *l.* 6. *Epigr.* 21. columbam inſigni carmine deflevit; quemadmodum nequitiam obitumque paſſeris Lesbiæ ſuæ Catullus carmine exequiali fuerat proſequutus. Atque illud quidem huic antefert Martialis, repugnante doctorum judiciò: niſi dicas Martialem aliter ſenſiſſe, aliter ſcripſiſſe. Quod verò hic Stellæ, id Violantillæ conjugi illius, idem Poëta adſcribit, *l.* 7. *Epigr.* 13. *v.* 5.

Vel Stellæ cantata meo, quem flevit, Ianthis,
Cujus in Elyſio nigra columba volat.

Vide de hac Stellæ Columba Claudium Maſambertium, uti nominari vult, *ad Martialem*, *l.* 1. *Epigr.* cit. Alioſque: quibus, ſi placet, adde inprimis Joannis Livinei *Commentaria poſthuma ad Propertium*, *l.* 3. *Eleg.* 3. quorum meminit Barthius *ad Statium*, *l.* 1. *Sylv.* 2.

COLUMBÆ, in multiplici Sacrificiorum apud Hebræos olim uſu fuêre. Non enim ſolùm ad eſum hi columbas, ſed etiam ad ſacrificia exquirebant, quæ multorum erant generum. Sic Levit. *c.* 1. *v.* 14 agitur de ſpontaneo holocauſto è turturibus, aut pullis columbarum. Levit. *c.* 5. *v.* 7. qui blaſphemantem alium non correxerat, aut ipſe temerè juraverat aut immundæ rei contactu ſe polluerat, jubetur offerre par turturum, aut columbarum, unam pro peccato, alteram pro holocauſto. Levit. *c.* 12. *v.* 6. à puerpera, poſt expletos dies purificationis, Deus agnum anniculum in holocauſtum exigit, & pullum columbæ, vel turturem, pro peccato; aut ſi agnum offerre non poſſit, duos turtures, aut duos pullos columbarum. Eaſdem quoque oblationes præſcribi videas ei, qui à lepra ſanatus eſt, Levit. c. 14. v. 22. Illi item, qui à profluvio ſuo mundatus eſt, Levit. *c.* 15. v. 13. & 14. Et, ἐν τῷ τῆς αἱμοῤῥοίας καθαρισμῷ, Levit. *eod.* 1. v. 27. 28. 29. Et in purgatione Nazaræi, qui mortui contactu ſe contaminavit, Numer. *c.* 6. *v.* 10. In quibus ſacrificiis Deus *columbas* & turtures cæteris avibus prætulit, propter puritatem, caſtitatem, ſimplicitatem, manſuetudinem & reliquas virtutum umbras, quæ in illis obſervantur. Sed turtures adulti, *Columbarum* non niſi pulli in Altari oblati, quòd in hac ætate maximè præſtant: idque plerumque non niſi à tenuioribus, Levit. *c.* 3. *v.* 7. Itaque vel hinc colligere eſt, quàm pauper fuerit B. Virgo, quæ, poſt purificationem, non obtulit agnum, ſed turtures, aut pullos columbarum, Lucæ *c.* 2. *v.* 24. Quô ritu autem columbas mactaverint Judæi, breviter docet Moſes, Levit. *c.* 1. *v.* 15. 16. 17. & *c.* 5. *v.* 8. pluribus verò Maimonides, *De Sacrificiis offer. c.* 6. & 7. Hic ſaltem addimus, alias quidem victimas Hebræos ferrô mactâſſe, at aves ungue ſolô, quô, capite versùs alas reflexô, guttur eis diſcerpebant. Id quod Hebræis eſt pho, Græcis ἀπονυχίζειν, h. e. *ungue lacerare* vel *abſcindere* Levit. *d. l.* Vide Kimchium in *Lexico* in hac voce. Ne verò victimæ deeſſent, in prima Templi parte vendebantur boves, oves & columbæ, Joannis, c. 2. v. 14. uti dicemus infrà in voce *Parbar.* In quorum venditores meritò irritatus Dominus noſter, *evertit eorum cathedras, qui columbas vendebant*, Marci, *c.* 11. *v.* 15. *Et columbarum venditoribus dixit, Auferte iſta hinc. Nec facite domum Patris mei domum emporii*, Joannis, *c.* 2. *v.* 16. &c. Sed & Gentile *Columbarum* hæc ſacrificia pravâ quâdam cacozeliâ uſurpâſſe legimus. Propert. *l.* 4. *Eleg.* 5. *ad Lenam*, *v.* 63.

Sed cape torquatæ, Venus ô Regina, columbæ
Ob meritum ante tuos guttura ſecta focos.

Ovid. *l.* 1. *Faſt.* v. 452.

Ergo ſæpe, ſuo conjux abducta marito,
Uritur in calidis alba columba focis &c.

Quô tamen Veneris myſtis interdictum fuiſſe, videtur colligi ex Martiali, *l.* 13. *Epigr.* 66.

Ne violes teneras perjurô dente columbas,
Tradita ſi Gnidiæ ſunt tibi ſacra Deæ &c.

Vide iterum Bochart. *ubi ſuprà*, *c.* 5.

COLUMBÆ, vulgò *Coulons*, locus Carnutinæ diœceſeos, ubi Monaſterium Benedictinorum. Item pagus agri Pariſini ad Sequanam ſiniſtram, *Coulombes.*

COLUMBÆ Internunciæ, olim hodieque adhibitæ. Perniciſſimus enim earum volatus; *cumque reliquæ omnes aves, volando feſſæ, ſuper petram aut ſuper arborem, fugiant & capiantur. ſola columba, cùm feſſa eſt, alarum unam comprimit, & alterâ volat, ſicque evadit*, uti habet Kimchius, *ad Pſalm.* 55. *v.* 7. Hinc Aben Ezra, *ad eund. Menimit columba, quia illa degit cum hominibus; & literas per eam mittunt Reges.* Nempe ſeculò poſt Chriſtum duodecimô, quô is ſcripſit, multo id in uſu fuit. Vide Paulum Æmyl. *de Geſtis Francorum*, *l.* 4. ubi de Haſarchi, Syriæ oppidi præfecto; & ubi de Hieroſolymis per Chriſtianos obſeſſis: Item, *l.* 3. ubi de Tyro obſeſſa, Marmolium, *Africa ſua l.* 2. *c.* 32. Jac. Vitriacum, *Hiſtor. Or. l.* 1. Arnoldum Lubec. *Hiſtor. Slavor.* Wildebrandum ab Uldenberg & *Itinerarium* Hieroſolym. Sed & vetuſtiores Hiſtoriæ ejuſdem artis ſpecimina nobis exhibent. Namque Tauroſthenes Olympionices, victoriam ſuam eòdem die patri ex Olympia Æginam ſignificâſſe, per columbam, quam à teneris ſuis pullis avulſam ſecum Piſas deportaverat, legitur apud Ælianum, *Var. l.* 9. *c.* 2. Quale quid in obſidione Mutinenſi eveniſſe, Plinius, *l.* 10. *c.* 37. & Frontinus, *l.* 3. *Strategem*, *c.* 13. *ex. ult.* referunt, quamvis inter illos parùm conveniat. Et ad hanc columbarum induſtriam ſæpe alludere Poëtas videas. In quibus Anacreon, *Ode* 9. columbæ ſuæ hæc affingit,

Ἐγὼ δ' Ἀνακρέοντι	*Egoque Anacreonti*
Διακονῶ τοσαῦτα,	*In talibus miniſtro,*
Καὶ νῦν οἷας ἐκείνου	*Ejuſque nunc videte,*
Ἐπιστολὰς κομίζω.	*Quales fero tabellas.*

Vide quoque Pherecratem, *in Piſtoribus*, apud Athenæum, *l.* 9. Martialem ubi de columba, in Aretullæ ſinum delapſâ, *l.* 8. *Epigr.* 32. & Heinſium, de columbis Leidenſibus, *l.* 3. *Eleg.* 10. Hanc enim artem intermortuam, Patrum memoriâ, Belgæ excitârunt. Imò & Turcæ, quorum Imperatorem ſcribit Linſchotius, in *Armeniæ deſcriptione*, *c.* 6. per columbas brevi addiſcere, quid fiat in remotiſſimis Imperii ſui partibus, qua de re vide plura apud P. de Valle, *Itiner. Part.* 1. ubi multa de his Columbis, Aleppenſibus inprimis, quas maximè ad iſta dociles, ſextiduí iter, via unius diei ſpatiô, facilè emetiri, refert. Quod enim de tribus paraſangarum millibus die unô confici ab illis ſolutis, Alkazuinus habet, & Damir, Scriptores Arabes, ſuprà fidem eſt. Epiſtolium, autem, quod ſic columbæ alligatur, Arabicè ſpeciali nomine *vittaka* vocatur, i. e. *pittacium*: quemadmodum *Zagiala*, eſt columbam in hunc finem emittere, & columba ſic emiſſa, *Zagial* &c. Vide Sam. Bochartum, *ubi ſuprà*, *c.* 2. ut & infrà, ubi de docentibus *Columbas volare*, item ubi de *Curſoribus.*

COLUMBANUS, ex oppido Hiberniæ Columba ortus, adjunctis ſibi 12. comitibus in Galliam propagandi Evangelii, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtaurandæ causâ profectus eſt, & à Sigiberto Rege clementer exceptus, monaſterium Luxonienſe in Burgundia condidit. Præceptor S. Galli & S. Leodegarii fuit. Pulſus in exilium à Theodorico Rege Galliæ, Sigiberti nepote, cujus libidines vagas taxaverat, ad fratrem Theobertum fugit. Is ei prope lacum Brigantinum, ubi nunc urbs S. Galli eſt, hoſpitium præbuit. Captô autem Theobertô ad Theodelindam in Italiam diſceſſit, relictô in Suevia S. Gallô. Obiit in monaſterio Bobienſi ad Trebiam fluv. A. C. 598. die 23. Novembris.

COLUMBARIA, inſul. in mari Tuſco. Vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 2. *p.* 503.

COLUMBARIA, vulgò *Colmar*, urbs quondam Imperialis & libera Alſatiæ, aliàs *Argentuaria*, media fermè inter Argentoratum & Baſileam. 3. leuc. à Briſiaco in Occaſum A. C. 1673. à Gallis capta, & mœnibus nudata eſt. Vide B. Rhenanum, *Rer. Germ. Nov-Antiq. l.* 3. cum *Notis Cl. Otton.* nec non vocibus *Colmaria* & *Argentaria*

COLUMBARIA, vicus quondam Galliæ, in ſilva pagoque Brigenſi, ad Mucram fluv. nunc municipium, vulgò *Coulomiers* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

COLUMBARIUM, vel *us*, locus Galliæ, in Arvernis, ubi Præjectus Epiſcopus Arvernorum xenodochium extruxit, ubi 20. perpetuò ægroti curarentur. *Idem.*

COLUMBAS volare docentes, Talmudicis מפריחי יונים, apud Hebræos infames erant. Scilicet quatuor hominum genera à teſtimonio & judiciis ob infamiam arcebant, *Aleatores*, *Feneratores*, *quæſtum facientes ex anni Remiſſionis ſeu ſeptimi frugibus* & demum eos, qui *Columbas volare* docebant: quòd horum nemo ad bonum publicum ſeu vitæ humanæ commodum, ſpectaret. Et quidem, *Columbarum* nomine ſignanter uſurpatô (quia forſan aut illæ frequentiùs ſic edoctæ aut cariùs præ cæteris habitæ) qui cætera animalia pariter docerent, innuuntur à Talmudicis, perinde ac ſi Angli, nomine eorum, qui gallos in certamina nutriunt, etiam eos, qui urſos, canes, tauros, ſimili curant inſtitutô, vellent complecti. Id verò genus fortè fuêre illi, qui ex cœleſtis oloris, in themate ſuo Genethliaco, virtute, ut ait Manilius, *Aſtronomic. l.* 5. clauſas,

—— —— culmine ſummô
Paſcere aves gaudent, Veneris & reddere tacas,
Aut certis revocare notis, totamque per Urbem
Qui geſtant caveis volucres ad juſſa paratas.

Ad juſſa paratæ volucres etiam ſunt, tum quæ in pugnam, tum quæ in certamina nutriuntur volatûs reditusve celerioris. Quemadmodum hodieque Memphi, Damaſcô, Tripoli, alibi in Oriente, *columbæ* quaſi hominum nuntiatrices, novarum rerum eventus, pacis bellique ſucceſſus mirâ velocitate denuntiare ſolent. Atque inter Africæ Muhamedanos, conſimiles memorat Leo Afer. Sed & ludus quibuſdam intelligitur in illo Magiſtrorum interdicto,

ctis, quò de columbarum celeritate pignore certabatur. Item mos iſte, cum *columbas* ſic inſtituebant, ut exeuntes alias retraherent & ſic cumulatiores domum redirent: quod facere ea Majorum ſcitis vetitum eſt furtumque ſic committi conſtitutum, &c. Vide Joh. Seldenum, *de Jure Nat. & Gentium juxta Diſcipl. Ebraeor. l. 4. c. 5. & l. 6. c. 11.*

COLUMBINUS Johannes, vide *Johannes.*

COLUMBUM, urbs Indiæ exterioris cum arce probè munita, in inſul. Ceylan, à Luſitanis extructa, nunc ſub Hollandis, à paucis annis. In Occidentali inſul. parte, 18. leuc. à Candea urbe, in Africum 43. à Commaria promontor. in Ortum.

COLUMBUS, melius *Colonus* Chriſtophorus, Genuenſis. Hic Geographiæ & Aſtronomiæ apprimè peritus, quô pactô novum Orbem, quem, quia in veram Indiam, h. e. Orientalem ſe delatum eſſe ſuſpicatus fuerat, *Indiam* appellavit, poſtmodum *Americam* & *Indiam Occidentalem* dictam, detexerit, vide in voce *Chriſtophorus Columbus.* E primis autem, quæ ab illo inventæ ſunt, Americæ inſulis, Hiſpaniola & Cuba fuêre. Ita impletum illud Senecæ in *Medea*, *Act.* 2. v. 375.

> *Venient annis ſecula ſeris,*
> *Quibus Oceanus vincula rerum*
> *Laxet, & ingens pateat tellus,*
> *Tiphyſque novos detegat orbes,*
> *Nec ſit terris ultima Thule.*

Alii tamen, qui Columbo aliquid detractum eunt, referunt ipſum à Navarcho, quem Alphonſum Sanchez de Huelva, item Aldretem Hiſpanum & Garciam Vegam nuncupant, primam hujus rei notitiam habuiſſe; qui cùm commerciis Africæ occupatus fuiſſet, tempeſtate ad incognitas haſce terras ejectus fuerit, noniſque dein tractibus redditus, apud Columbum in inſul. Madera diverterit, ac paulò pòſt morte abreptus ipſi, quos confecerat, navigationis ſuæ commentarios reliquerit: quorum beneficiô illum in cogitationes de quærenda America dicunt incidiſſe, vide Acoſtam, Grotium & Comtæum, *de orig. Gentium Americ.* Verùm relatio hæc non immeritò quibuſdam ſuſpecta videtur, quippe quæ ex Hiſpanorum, gloriam tantæ inventionis viro extraneo invidentium, æmulatione oriri facilè potuit. Anglorum quoque nonnulli Madocum filium Guyneth, fratrem Walliæ Principis laudant, qui circa A. C. 1170. colonias in Floridam & Canadam eduxerit. Vide Auctorem, *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. ac Civ.* & de *Columbo* plura, apud Ferdin. Columbum *in vita Patris.* Illius ſucceſſio ac nomen delapſa hodie ad gentem Portugallicam & quidem ramum Comitum de Gelves, è quibus Duces *de Veragua* & *Jamaica*, ita habet. Ejus filius Didacus *Columbus*, ex Maria filia Ferdinandi Toletani, Dn. *de Villera*, pater fuit Iſabellæ quæ nupta Georgio *de Portugal*, Comiti *de Gelves*, genuit Alvarum Portugallum Comitem *de Gelves*: quô & Leonorâ Cordubenſi, natus Nunius Portugallus *Columbus* Dux de Veragua, ex Aldoncia Portocarrera, ſuſcepit Petrum Nunnezium *Columbum de Portugal* Ducem *de Veragua* & *de la Vega*: qui, maritus Iſabellæ *Fernandez de la Cueva*, filium habuit Petrum Nunnezium *Columbum de Portugal Marchionem de Jamaica.* Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theat. Nobil. Europ. Tom. 3. p. 72.* & ſuprà *Colonus.*

COLUMELLA, apud Ciceron. *Tuſculanâ* 5. ubi de Archimedis ſepulchro, *columellam è dumis eminentem*: στήλη eſt, parva columna, ſeu cippus ſepulchralis, ſtela mortui tumulo impoſita; propriè στήλη olim vel μνημεῖον, *monumentum*, quòd ad memoriam defuncti poneretur. Continebat enim *columella* hujuſmodi nomen & elogium defuncti, τὸ ἐλεγεῖον: unde & ipſi cippo id nominis tributum. Virg. *in Culice*, v. 409.

> —— —— *Tum fronte locatur*
> *Elogium* ——

Quemadmodum idem *titulus* quoque, & apud Corn. Nepotem, *Epaminonda*, c. 8. *periculum* dictum occurrit, uti dicemus infrà, in voce *Monumentum*, item *Stela ſepulchralis*. Exemplum hujus moris Lucillius affert, in hoc diſticho,

> *Servus neque infidus domino, neque inutilis cuiquam*
> *Lucili* columellâ *hac ſitus Metrophanes.*

H. e. ſub *Columella* hac ſitus eſt Metrophanes Lucillii ſervus. Ubi Donatum, ea in Lucillii verſu notantem, principales & primos familiæ ſervos *Columellas* vocatos, ἀδελφίας arguit Salmaſ. *ad Solin.* p. 1220.

COLUMELLA L. Junius Moderatus, Gaditanus genere, ſcripſit abſolutiſſimos libros *de Re Ruſtica*, temporibus Claudii Principis.

COLUMEN, loci nomen, apud Livium, *l. 3. c. 23. Aliquot menſes Tuſculi bellatum, parte exercitus Conſul caſtra Æquorum oppugnabat — Victor ad* Columen (*id loco nomen eſt*) *exercitu relictô, caſtra locat. Et alter Conſul, poſtquam mœnibus Romanis jam pulſô hoſte periculum eſſe deſierat* &c. Aliàs *Columen* materia ſuſpenſa, quæ totius ædificii faſtigium percurrit ac ſuſtinet, *Varro.* Quod eleganter oſtendit Rutilius Numatianus, *l. 1. v. 348.* ubi propter verſum *culmen* voce utitur:

> *Parvula ſubrectis facimus tentoria remis,*
> *Transverſus ſubitô culmine contus erat,*

Ubi malè interpres, contum navalem erectum, cuſpide in terram fixâ ſubitarum ædificio culmen fuiſſe ſcribit. Ex columine columnam, ea vara vibiam. Imò remorum ordo pronorum ac faſtigatorum cum ordine contrario ita junctus, ut ſupremis in partibus leviter decuſſati eſſent, atque in terram ſtatutus eſt. Huic ſuperimpoſitus contus, ad quem revincirentur & contextum inter ſe opus hæreret, Gronov. *ad Thyeſtem Senecæ*, v. 54.

COLUMNA, Græcè στῦλος, item κιών, in multiplici olim uſu. Neceſſitati enim & ornatui inſerviebant, de quibus Plin. *l. 36. c. 23. Columellæ in æde denſius poſitæ craſſiores videntur. Genera earum quatuor. Quæ ſextam partem altitudinis in craſſitudine ima habent, Doricæ vocantur: quæ nonam, Ionicæ, quæ ſeptimam, Thuſcanicæ. Corinthiis eadem ratio, quæ Ionicis. Sed differentia, quoniam capitulis Corinthiarum eadem eſt altitudo, quæ collegitur craſſitudine imâ, ideoque graciliores videntur. Antiqua ratio erat columnarum altitudinis, tertia pars latitudinum* (MS. habet *altitudinum*) *delubri. In Epheſia Dianæ æde — primum columnis ſpiræ ſubditæ & capitella addita. Placuitque altitudinis octava pars in craſſitudine & ut ſpiræ haberent craſſitudinis dimidium, ſeptimæque partes detraherentur ſummarum craſſitudini. Præter has ſunt, quæ vocantur Atticæ columnæ: quaternis angulis pari laterum intervallô.* Nempe quod in Ædibus, tum ſacris tum profanis, *culmina* ſuſtinerent, hinc nomen illis ſecundùm nonnullos. Neque verò ad neceſſitatem ſolùm, ſed & ad magnificentiam & cenſum oſtentandum, plurimas eas habebant ædificia nonnunquam, Romana inprimis, cum paucæ ſuſtinere faſtigia poſſent. Papinius Statius, *l. 1. Sylv. 2. v.* 152.

> *Pendent innumeris faſtigia nixa columnis,*
> *Robora Dalmatico lucent ſatiata metallô* &c.

Nec tantùm ea vili lapide, ſed è marmore eoque peregrino, quod L. Craſſus primùm uſurpavit, Idem Plin. *l. 36. c. 3. Jam enim L. Craſſum Oratorem illum, qui primus peregrini marmoris columnas habuit in Palatio, Hymettias tamen, nec plures ſex aut longiores duodenum pedum, M. Brutus in jurgiis ob id Venerem Palatinam appellaverat.* Poſtmodum creſcente luxu, ex onyche, quatuor modicas in theatro ſuo Balbus poſuit. *Nos ampliores triginta vidimus in cœnatione, quam Calliſtus Cæſaris Claudii libertorum potentiâ notus, ſibi exædificaverat*, idem Plin. *l. d. c. 7. extr.* Adde & floram nimirum, quòd hæ in domibus columnæ quoque coronabantur. Lucianus *Nig.* Ἔνιοι δὲ κελεύουσι καὶ ςέφειν τοὺς κίονας ἄνθεσι, *Nonnulli verò jubent & coronare columnas floribus* &c. Quam in rem vide plura apud Joann. Meurſium, *de Luxu*, c. 12. Sed & porticus ac ambulacra *Columnis* interſtinguebantur. Statius, *l. 3. Sylv. 5. v.* 90.

> *Quid nunc magnificas ſpecies, cultuſque locorum,*
> *Templaque: & innumeris ſpatia interſtincta* columnis
> *Et geminam molem nudi tectique theatri* &c.

Quibus quô pactô à Veteribus ornatæ fuerint Civitates, ubique legimus; & ea parte hodie quoque conſpicitur. Vide aliquid hinc loco collatum, apud J. Paſſeratium, *Commentar. Propert. l. 2. El. 31.* &c. Memoriæ *Columnas* inſerviiſſe diſcimus ex Columnis Sethi duabus, apud Joſephum, *l. 1. Jud. Ant. c. 3.* quibus is præcipua Aſtronomiæ optimarumque artium arcana inſculpiſſe, quò ſic ad poſteros memoria eorum propagaretur, dicitur. Quem eundem in uſum, poſteriori ævô, columnas adhibuiſſe Aſtronomos, docent *Analemmata* eorum & *Parapegmata*, de quibus vide ſuô locô. Iiſdem Leges inciſæ, & Fœdera, quò teſtatior omnibus eorum memoria eſſet. Et quidem de Legibus vide ſuô locô; de Fœderibus, inſignis eſt Livii locus, *l. 2. c. 33. extr.* ubi de Fœdere cum Latinis, *Ita fuſi Volſci Antiates, Corioli oppidum captum, tantumque ſua laude obſtitit famæ Conſulis Marcius, ut niſi fœdus cum Latinis, columnâ æneâ inſculptum, monumento eſſet, ab Sp. Caſſio uno — ictum; Poſtumum Cominium bellum geſſiſſe cum Volſcis, memoria ceſſiſſet.* Eòdem facit devotio Alcibiadis, *in pila lapidea exciſa*, apud Corn. Nepotem in *Vita* ejus, c. 4. Nec noſtri ævi exempla deſunt. Cippi inprimis & *columnæ* ſepulchrales, de quarum triplici uſu, vide infrà aliquid, voce *Kachel* &c. Honori præclarorum virorum nuper *Columnæ* dicatæ; quas & ungi & coronari conſueviſſe legimus. Certè Alexander M. cùm Ilium tranſgreſſus Minervæ ſacrificaſſet & Heroibus, *Columnam Achillis*, hoc eſt, ejus ſtatuam (de qua aliquid ſuprà diximus) pingui inunxit oleô; dein una cum ſociis nudus ad eam cùm ineſtatô curſu perreaſſet, eam coronavit, teſte Plutarchô, in *Vita* ejus. Idem diſcimus ex verſibus Clement. *l. 1. Strom.* citatis,

> Καλλιθόη κλειδοῦχος Ὀλυμπιάδος βασιλείης
> Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι καὶ θυσάνοισι
> Πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.
> *Callithoa clavem Regina geſtans Olympiæ*
> *Junonis Argivæ, quæ ſertis atque corollis*
> *Prima exornavit* columnam *longam Reginæ.*

Qui mos ſtatuas columnaſque præclariſſimorum virorum, etiam ſuperſtitum, coronandi, Romæ quoque ſub Principibus viguit, ut è Tacito liquet, *l. 4. Annal. c. 23. Jamque tres laureatæ ſtatuæ in urbe & adhuc raptabat Africam Tacfarinas.* His porrò eorum, quos honoratiſſimos volebant, ſuperponebant ſimulachra. Sueton. *Galbâ*, c. *ult. Senatus, ut primum licitum fuit, ſtatuam ei decreverat roſtratæ columnæ ſuperſtantem, in parte fori, quâ trucidatus eſt.* Arnob. *l. 7. Et in altioribus* columnis *ſigna quædam & ſimulachra ſunt conſtituta.* Alii. Imò primis temporibus *Columnas* pro ſimulachris erectas eaſque ſimulachrorum locô cultas, ſcribit Clemens, *l. 1. Strom.* & Euſeb. *de Præpar. Evang. l. 1.* Inprimis hic indigitandæ *Columnæ Triumphales*, de quibus, inter alia Triumphi ornamenta, agunt Plinius, *l. 34. c. 5. 6. & 7.* & Val. Max. *l. 2. c. 5. ex. 2. & c. 8.* Vide etiam, ubi de *Triumpho* & *Tropæis* &c. Tandem ignominiæ quoque & ſupplicio *Columnæ* deſtinatæ leguntur. Sic ad *Columnam Mæniam*, in jus vocabantur Romæ, obærati ac decoctores: unde *Columnarii* appellati, Cælio *ad Ciceronem, l. 8. Ep. 9.* Apud eandem, fures & ſervos nequam, coram Triumviris Capitalibus, puniri ſolitos, monet Aſconius, *Commentar. in 2. Verrin.* Hinc in Mænam Pompejanum Horat. *Epodon Ode 4. v. 11.*

> *Sectus flagellis hic Triumviralibus,*
> *Præconis ad faſtidium.*

Etiam qui in crucem agebantur, priùs flagris cædebantur ad iſtiuſmodi columnam, uti infrà videbimus, ubi de *Cruce*, *Flagellatione*, *Verberibus* &c. Nec omittendus *Columnarum* ſanctior uſus. Uti enim in mediis ædibus erectas habuêre Romani: Sic apud Hebræos quævis Synagoga, in medio *Columnam* habuit, in quam aſcendebant Doctores verba ad populum facturi. Quò alludere prorſus viſus eſt divinus Parœmiaſtes, c. 9. v. 1. cùm *ſeptem Columnis exciſis Sapientia domum ædificâſſe*, ab illo dicitur. Quò eôdem ſenſu & ipſa Eccleſia Apoſtolo dicta videtur, *στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας*, *Columna & ſtabilimentum veritatis*, i.e. *Columna* ſeu cathedra, è qua Veritas ſacra prædicatur, publicaturque, 1. Timoth. c. 3. v. 15. Fr. Burmannus, *Orat. Inaugurali de Collegiis Theologicis ac Philoſophicis*. Plura de *Columnis*, vide hîc paſſim, imprimis paulò infrà, ut & in voce *Coliria* (quæ tamen propriè erant pilæ, ex multis lapidibus compoſitæ, non columnæ,) Item *Monolitha Columna* & *Stela*. etiam in voce *Cronia*.

COLUMNA Guido, vide *Guido*.

COLUMNA Hieronymus, ex poſteris Cardinal Pompeji Columnæ Siciliæ Viceregis, Græcè Latinèque doctiſſimus, ſcripſit varia, quæ inter eminent *Commentarii in Fragmenta Annalium Ennii*, Merulæ, Barthio & Auctori *Bibliothecæ Neapolit.* magnoperè laudati. Pater Johannis, Pompeji & Fabii, quorum hic in Naturali Hiſtoria verſatiſſimus varia edidit. Obiit A. C. 1586. ætat. 54. Vide *Elogia* Anton. Teiſſier, *Part.* 2. ex Thuano, præfatiſque Scriptoribus collecta.

COLUMNA Johannes, vide *Johannes*.

COLUMNA M. Antonius, vide *Marcus Antonius*.

COLUMNA Pompejus, vide *Pompejus*.

COLUMNA, urbs Moſcoviæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Moſcovienſi. Ad confluentes Moſcuæ fluv. in Occam. 38. mill. paſſ. à Moſcovia urbe in Ortum; *Kolom.*

COLUMNA, vicus in Carnutibus, ubi ſecundùm quoſdam juſſu Chlodomeris Francorum Regis Sigiſmundus Burgundiæ Rex cum conjuge & duobus filiis jugulatus ac in puteum dejectus eſt, A. C. 524. hodie forſan *Coloumelle*, in pagi Aurelianenſis Belſiæque confinio: vel *Coulmiers*, Eccleſia cum vico huic proxima. Sed prior ſententia potior. Valeſius *puteum S. Sigiſmundi*, hodie *S. Simond*, in quem hic præcipitatus eſt, diverſum à Columna vico pagi Aurelianenſis eſſe oſtendit, in hujus tamen vicinia: *Notit. Gall.*

COLUMNA Nubis & Ignis, Dei ante caſtra Iſraëlitarum procedentis ſedes auguſtiſſima, memoratur, Exodi c. 13. v. 21. & 22. *Jehova vero antecedebat eos* (Iſraëlitas) *interdiu in columna Nubis ad deducendum eos viâ illâ & noctu in columna Ignis, ad afferendum eis lucem, ut progrederentur interdiu ac noctu. Non amovit columnam illam nubis interdiu, aut columnam illam Ignis noctu à conſpectu ipſius populi.* Vide quoque Pſalm. 105. v. 39. Nempe in vaſtiſſimo illo Deſerto, ubi nec viæ, nec veſtigia hominum viſebantur, alii quidem illac iter facientes, velut in mari navigantes, ad ſtellarum curſum greſſus ſuos dirigebant: Iſraëlitas verò ipſe Filius Dei, in viſibili *Columnæ* ſigno, præivit, viamque quâ pergendum eſſet monſtravit. Quæ columna quamvis una eſſet, geminum tamen uſum præbuit, nimium Solis ardorem de die umbrâ ſuâ infringendo, & noctis caliginem lumine ſuô minuendo. Factum autem id, quam primùm ex Ægypto exierant Iſraëlitæ. Poſteà, quô die erectum Tabernaculum eſt, operuit nubes ipſa Tabernaculum interdiu, verſus tentorium Teſtimonii: veſperâ autem erat ſuper Tabernaculum, quaſi ſpecies ignis uſque mane. Prout autem efferebat ſe nubes illa ſupra Tentorium illud proficiſcebantur, ita poſtmodum proficiſcebantur filii Iſraëlis & in loco, ubi reſidebat, ibi caſtrametabantur, uti videre eſt Numer. c. 9. v. 15. & *ſeqq.* Tumque fiebat illa precatio, *Surge Jehova & diſpergantur inimici tui, fugiantque oſores tui à facie tua.* Item, *Da quietem Jehovæ myriadibus, millibus Iſraëlis*, quæ habetur, c. 10. *ſeq.* v. 35. & 36. Præibat verò columna hæc, quandiu peregrinatio illa durabat, uti patet ex c. 9. *cit.* &c. Quibus omnibus ſignificabatur Angeli vindicis præſentia, qui iſtâ nube vehebatur, ac circùm Iſraëlitarum caſtra metabatur. Vide Eſajam, c. 63. v. 9. Perpetua item Eccleſiæ protectio, ac illuminatio, quam, tanquam caſtra ſua, per mundi hujus manſiones, præſenti curâ ambit ac incingit, Eſai. c. 4. v. 5. Præcipuè verò Angeli Fœderis incarnatio, qui, ſicut tunc in nube habitabat, èque eo ſigno ab Eccleſia videbatur: ita olim in humano corpore hoſpitaturus erat iſtâque veſte Majeſtatem ſuam diſſimulans ſeſe eidem populo olim videndum contrectandumque præbiturus, Johann. c. 1. v. 14. Vide Franc. Burmannum, *Synopſ. Theol. Chriſt. Part.* 1. *l.* 4. *c.* 32. §. 2. & *Commentar. in Exodum*, ad d. l. nec non infrà voce *Nubes*.

COLUMNA Regia, civitas in Brutio. Mela, *l.* 2. *c.* 4. Græci *Στυλίδα* vocant, i.e. *Columellam*, hodie *la Cothona*, aliis *Stylarion*, unde ſolvitur in Siciliam. Vide Cluverium, *Ital. Antiq. l.* 4. *p.* 1295.

COLUMNA Trajani, ingens Romanæ magnificentiæ monumentum. Hæc in medio Fori Trajani, poſt bellum Dacicum ab hoc per Apollodorum ædificati, ſita fuit, hodieque adhuc apparet, alta, ut habet *P. Victor*, pedes 128. Præter enim arcus triumphales columnaſque plurimas *gigantea contextio*, ut loquitur Amm. Marcellinus, *ſtatua ipſius Trajani in medio porticus atria columnæ altiſſimæ ſuperpoſita, pro cæteris verò in foro medio Cochlis columna marmorea erecta fuit*, Anton. Thyſius, *in A. Gellium*, *l.* 13. *c.* 24. De qua ſic Dio Caſſius, *In foro ingentem columnam ſtatuit* (Trajanus) *ſive ut ea pro ſepulchro eſſet, ſive in oſtentationem ejus operis, quod ille circa forum egit. Clivus ſurgebat, quem effoſſa quoque verſus terrâ ita complanavit, ut undique columna conſpiceretur, forumque deinde in area modum æquatum manſit.* Baſis 12. pedum eſt, lapidibus conſtat viginti quatuor tantæ vaſtitatis, ut opus videatur non ab hominibus ſed à gigantibus perfectum: Horum quilibet gradus octo, per quos aſcendimus, habet. Lumen præbent feneſtellæ quadraginta quatuor: Cælatæ ſunt in circuitu res geſtæ Cæſaris Trajani bellô Dacicô, aliiſque militaribus expeditionibus. Inſcriptio autem talis:

SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS.
IMP. CÆSARI. DIVI NERUI. F. NERVÆ.
TRAJANO. AUG GERM. DACICO.
PONTIF. MAXIMO. TRI. POT. XVII. IMP. VI.
COS. VI. P. P. AD. DECLARANDUM.
QUANTÆ. ALTITUDINIS. MONS. ET.
LOCUS. TANTIS. EX. COLLIBUS. SIT. EGESTUS,

Unde apparet, *Columnam* rebus Dacicis inſculptam, non, ut voluit ſuprà Dio, à Trajano ipſo, ſed à Senatu P. Q. R. Imperatori erectam eſſe: Factum enim hoc eſt, Trajanô bellis Aſiaticis implicitô, qui etiam in reditu Seleuciæ Syriæ moriens columnam ne vidit quidem, interim cineres ejus in urbem relati intra auream pilam, in ejuſdem ſummitate reconditi ſunt. Vide præfatum Thyſium, *loc. cit.* Adam. Preyelium, *Sina & Europa c.* 17. A. Ciacconium imprimis, qui columnæ hujus delineationem, quemadmodum hodie ſupereſt, æri inciſam edidit, additâ ſimulachrorum in ejus extima ſuperficie inſculptorum, quæ hiſtoriam utriuſque belli Dacici continent, explicatione.

COLUMNÆ, parvæ inſulæ Rubri Maris, Plin. *l.* 6. *c.* 11.

COLUMNÆ Altaris, quibus in Communione Romanæ Altare ſuſtentatur & quas prehenſare ſolebant, qui fugiebant ad Eccleſiam (ſicuti in Vet. Teſt. cornua Altaris) occurrunt *in Epiſtola Clericorum Italiæ* Concil. Gall. *Tom.* 1. *p.* 196. *Quò verò ſanctus Papa columnas Altaris complexus eſt.* Sic apud Aimoinum, *Hiſtor. Franc. l.* 2. *c.* 32. *in Baſilicam S. Euſemiæ confugit, tenuitque columnam Altaris*, &c. Vide quoque Eadmerum, *in Vita* S. Wilfridi, *c.* 16. Theophanem, *an.* 20. *Juſtiniani*, Pachymerem, *l.* 7. *c.* 17. *p.* 31. Alios. Erant autem hæ *Columnæ* numerò quatuor, uti docet Honorius Auguſtodun. *l.* 3. interdum quinque, uti Car. du Freſne refert, ex *Vita* S. Theodardi Archiepiſcopi Narbonenſis, apud Catellum, *p.* 761. Vide omnino eum in *Gloſſar.* ut & in *Deſcript. S. Sophiæ*, *c.* 55.

COLUMNÆ Delphinorum, apud Juvenalem, *Sat.* 6. *v.* 588. ubi de Circo,

Plebejum in Circo poſitum eſt, & in aggere Fatum.
Quæ nudis longum oſtendit cervicibus aurum,
Conſulit ante Falas Delphinorumque columnas:

dicebantur, quæ inſculptos habebant delphinos, de quibus infrà, vel quibus delphini pro baſi erant. Suſtinebant autem illæ Seſſias, Meſſias & Tutelinas, i.e. ſimulachra Dearum, Seſſiæ, Meſſiæ & Tutelinæ, Tertullian. *de Spectac.* Vide quoque Plin. *l.* 18. *c.* 2. Ibique viles & triviales Aſtrologi à mediocribus & plebejis fœminis conſulebantur. Eas *Neptuni delphinas vomere*, idem Tertullianus eleganter dixit, quòd circa epiſtylia vel baſin ſculptos eos præferrent, ſed magis eſt, ut circa capitella ſculpti fuerint. Salmaſ. *ad Solin. p.* 912. ubi in ea Circi parte, quæ inter utraſque metas interjacebat, in modum aggeris ſatis altè è terra elata, & *Euripus* vocabatur, has columnas conſtitutas fuiſſe, addit.

COLUMNÆ Herculis duæ eſſe perhibentur, in Occidente, quia ex Oceano mare noſtrum intrantibus duo montes occurrunt, quorum alterum in Mauritania *Abylam vocant*, alterum in Hiſpania Bætica *Calpen*. Hos quondam junctos perpetuo jugo fuiſſe finxerunt, ſed ab Hercule diruptos; inter quos nunc Fretum Gaditanum: cujus latitudo 4. leuc. Hiſpan. longitudo ab Ortu in Occaſum 12. leuc. ab Abyla ad Cotem promontor. Aliqui tamen hos montes procul ſpectantibus geminas columnas videri dicunt. Alii aſſerunt, Columnas Herculis in Gaditana inſula fuiſſe ex ære octo cubitorum, ad quas proficiſci ſolebant, qui navigationem abſolviſſent, tanquam Herculi ſacra facientes. Hic etiamnum oſtenduntur turres 2. dictæ *Torres di Ercole*, prope Gades.

COLUMNÆ Sepulchrales, apud Athenienſes olim in uſu, quas trium cubitorum altitudinem excedere Leges vetabant: His vel icon defuncti impoſita, vel hieroglyphicon aliquod additum fuit. Sic Diogenes, utpote Cynicus, canis imagine honoratus eſt: Iſocratis, tanquam Oratoris, columna, Sirenem in apice oſtendit &c. Vide hîc paſſim, in vocibus *Columella*, *Monumentum*, *Stela* &c. uti de *Columnato ore* Nævii infrà, ubi de eo.

COLURI, duo ſunt circuli in Sphæra ſe mutuo ad angulos rectos ſphærales ſecantes, ad polos mundi, & Zodiacum ita tranſeuntes, ut alter per principia Arietis & Libræ feratur, alter per principia Cancri, & Capricorni, ita dicti ab imperfecta ſui converſione, à *κόλον mutilo* & *οὐρὰ cauda*, quòd imperfecti omnibus qui ſub Æquinoctiali non ſunt, & tanquam caudâ præciſâ appareant. Vide Scalig. *in Manil.*

COLURI, etiam Salamis dicta eſt, vide ibi.

COLURIA, apud Sidonium, *l.* 2. *Ep.* 2. *Ab ortu lacum porticus intuetur, magis rotundatis fulta coluriis, quàm columnis invidioſa volubilibus*, ſemicolumnia ſunt, ab una parte in acumen deſinentia. Vocis origo à medicamentis rotundis, & oblongis alterâque parte craſſioribus, quæ *κολλύρια* appellata ſunt, quod muris caudâ truncatæ ſimilia eſſent. Inde enim nomen *κόλλυρα*, *cui cauda curta eſt*, à quo *κολλύρια*; quæ, ut fiſtulis immitti poſſent & naribus, aliiſque *συστρεφόμενα*, eâ formâ fiebant: cum *collyriis* neutiquam confundenda, uti diximus ſuprà in voce *Collyra*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 257. & 914.

COLUS, cum lana, & fuſus cum ſtamine, in pompa nuptiali, apud Romanos olim, Sponſæ præferri ſolebant à duobus, ad lectum uſque, tanquam operis, in quo futura eſſet, auſpicia, atque ſic ſedulitas futuræ Matrisfamilias deſignaretur. Sicuti apud Græcos etiam cribrum præferebatur, & ante thalamum peſſulum alligabatur, uti videre eſt apud Scaligerum, *Poetices l.* 3. *c.* 101. & infrà, ubi de *Nuptiis*. Sed & olim Tanaquillæ, Priſci uxori,

xori, ſtatua à Romanis poſita, lanam, fuſum & *colum tenens in probitatis ac virtutis muliebris argumentum*, uti teſtatur Feſtus, Plinius, *l.* 8. *c.* 48. & Plut. *Problem.* 30. Priſci moris veſtigiis etiam recentiori ævô perdurantibus: Sepulchro enim filiæ Ottonis 3. Imperatoris cognomine *Magni*, Conrado Franconiæ Duci nuptæ, *fuſum argenteum* honoris memoriæque ergo appenſum fuiſſe, diſcimus ex Dietmaro, *l.* 2. *p.* 25. Vide quoque infrà in voce *Fuſus.*

COLUTHUS Thebanus, Scriptor ſeculi 5. Coccius, *tom.* 1.

COLYCANTII, Aſiæ propriæ gens, quæ interiit. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

COLYMBARIUM, Sardiniæ promontorium. *Ptol.*

COLYMBUS, apud Prudentium, *l.* 6. *περὶ στεφ.* v. 36. de fonte,

Nunc pretioſa ruunt per marmora lubricatque clivum,
Donec virenti fluctuet colymbo.

Et Lamprid. *in Heliogab. c.* 23. *Marina aqua* colymbos *exhibuit.* Græcè *κόλυμβος in Epigrammat.*

----- ----- *οἱ δὲ κόλυμβον*
Ἦσαν χίζας.

Natatio eſt ſeu piſcina: pro *κολυμβήθρα*. Vide infrà, ubi de *Natatione* & *Piſcina.*

COLYTTUS, *δῆμος* eſt Athenienſium τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς. Strab. *l.* 1.

COM, in nummo Theodoſii, eſt *Conſtantinopolitana Moneta* interprete Car. du Freſne, *de infer. ævi Numiſmatibus.*

COMA, olim libertatis inſigne, apud Gallos præſertim: unde *Regalis capillitii jus* priſcis Francis, adeò celebre, apud Hottomannum, *Francogallia, c.* 9. Aimoinum, *de Geſtis Francorum, l.* 3. *c.* 61. &c. Certè omnes Galliæ Reges uſque ad Pippinum Caroli M. patrem, *longis capillis ſemel tantum in anno conſpiciebantur*, P. Faber Sanjorianus, *Semeſt. l.* 2. *c.* 20. Originem ritus hanc affert, Ado Vienenſis, *Chron. æt.* 6. *Poſt Pharamundum, Franci Chlodionem filium ejus ſibi Regem ſtatuunt: abhinc Franci in finibus Thoringorum habitantes crinitos Reges habere cœperunt.* Quæ *Coma* tanta fuit in reverentia, ut illam tetigiſſe ſanctiſſimi juramenti vice fuerit. Vide Idacium, *l.* 3. ubi de Clodovæo & Alarico loquitur. Hinc *in præf. legis Salicæ*, Chlodovæus *Comatus* dicitur. Claudianus, *de* 4. *Honorii Conſulatu*, Sicambros cum Francis confundens, ait, v. 446.

Ante Ducem noſtrum flavam ſparſere Sicambri
Cæſariem, pavidoque orantes murmure ſtantes
Procubuere ſolo. ----- -----

Et *de laudibus Stiliconis, l.* 1. v. 202.

----- ----- *Ingentia quondam*
Nomina, crinigero flaventes vertice Reges, &c.

Nec Gothi minùs comati fuère; ut adnotavit Savaro ex Procopio, *l.* 4. Caſſiodoro, *l.* 4. *Ep.* 49. *ad Sedonium* &c. Prudentius de Roma à Gothis capta, *l.* 2. *contra Symmach.* v. 692.

----- *Non armis, veſte comiſque*
Ignotus capta paſſim vagus errat in urbe.

Claudianus iterum, *de bello Getico*, v. 481.

Crinigeri ſedêre patres, pellita Getarum
Curia.

Vide etiam infrà voce *Norvegia*, ubi de regia Hartagerorum, i. e. *Comatorum*, familia. Apud priſcos quoque Romanos viri incomi *comatique* incedebant, unde ſtatuæ illis capillis demiſſis collocabantur. Horat. *l.* 1. *Od.* 12. v. 41.

Hunc, & incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit. -----

Juvenalis, *Sat.* 5. v. 30.

Ipſe capillato diffuſum Conſule potat,

i. e. vinum valde vetus. Sed poſteà mos ille exolevit, ita ut non niſi in ſqualore & luctu barbam comamque promitterent: Hinc Sueton. *de Aug. c.* 23. *Per quatuor*, inquit, *continuos menſes barbâ capilloque ſummiſſo*: & ante eum Liv. *l.* 27. *c.* 56. de Marco Livio, & *l.* 6. *c.* 16. de Manlio, quem vide. Eôdem pactô Græci promiſſas alebant *comas*, *καρηκομόωντες* propterea perpetuò Homero dicti, neque capillum hunc niſi maximô urgente periculô exuebant. Unde celebris apud Ariſtotelem lex, *l.* 1. *Rhetor. Crinitus ſervile officium ſubire non poteſt.* Idem Philoſophorum ornamentum fuit; unde Lucianus, Cynicô: *Quid tu tandem barbam quidem habes & comam, tunicam non habes* &c. Hanc calamiſtrô criſpare molliores ſolebant, meritò Poëtis irriſi: *Quò enim ſpectant flexa pectine comæ?* Petron. *Satyr.* Unde Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 36. v. 1.

Flectere te nolim, ſed nec turbare capillos,
Splendida ſit nolo, ſordida nolo cutis.

Muliebris enim hic luxus, quibus hûc fini inſerviebant ancillæ, *Ornatrices* dictæ, quæ miniſterium ſuum in capillis diſponendis, digerendis, criſpandis ac torquendis adhibebant. Cujus obſequii meminit Ovid. *l.* 2. *Amor. El.* 7. v. 17.

Ecce tuum ſolers caput exornare Cypaſſis.

Et *El.* 8. v. 1.

Ponendis in mille modos perfecta capillis,
Comere ſed ſolas digna Cypaſſi deas.

Idem præter hanc Cypaſſidem, Napen obdem miniſteriô inſignem, laudat, *l.* 1. *Amor. El.* 11. & de capillis amicæ ſuæ agit iterum *ejuſd. l. El.* 14. Extat quoque in lapide quodam Romæ inſcriptio: CINERIBUS. CAMILLÆ. ALPIONILLÆ. QUIRITÆ. ORNATRICI. FESTUS. M. SEPTIMI. GALLIS. DISPENSAT. &c. Porro *Comam* olim, iter aliquod periculoſum aggreſſuri, vovebant alicui Deo. Val. Flaccus, *l.* 1. v. 379.

Tectus & Eurytion ſervatô colla capillô,
Quem pater Aonias reducem tondebat ad aras.

Eâdem mente Papinius Achillem, ad Trojam euntem *e* Sperchio *comam*, ex Homero, ſervâſſe ſcribit, *l.* 3. *Sylv.* 4. *in Comam Earini*, v. 84.

Hunc & purpurei cedat coma ſaucia Niſi,
Et quam Sperchio tumidus ſervabat Achilles.

Unde eidem Creonti *intactus comis*, *l.* 5. *Theb.* v. 221. Sed & in luctu abſciſſæ ſunt. Idem, *l.* 12. *Theb.* v. 489.

----- ----- *non thurea flamma, nec altus*
Accipitur ſanguis, lachrymis altaria ſudant,
Mœſtarumque ſuper libamina ſecta comarum
Pendent, & veſtes mutatâ ſorte relictæ.

Quem lugentium morem ſuô jam ævô notat Homerus, *Il.* ψ. Aut ſaltem turbatæ, vide Barthium ad Statium, *Animadverſion. l.* 3. p. 157. Aliis quoque occaſionibus vel *coma*, vel *crinis*, pars nempe comæ, abſciſſa eſt, uti diximus ſuprà, ubi de *Capillis*, item *Cæſariei*; dicemuſque infrà, ubi de *Coma Earini*, *Crinibus*. De triplici verò *Coma* ornandæ apud Veteres more, vide hîc paſſim, inprimis in vocibus *Apochyma*, *Diſcrimen*, *Spatalium* &c. & plenè de eorundem circa hæc luxu, non mulierum ſolùm, ſed & Virorum, Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 1. *c.* 5. Ab homine ad arbores tranſlata vox apud Poëtas paſſim. Unde Horat. *l.* 4. *Carm. Od.* 7. v. 1.

----- ----- *redeunt jam gramina campis*
Arboribuſque comæ.

Sicut & *Capilli*. Sed aliud *Coma* in illis, aliud *Capillus*, *κόμη* καὶ *θρίξ*. *Comoſum* eſt *πολύφυλλον* & *πολύκομον*; *capillaceum*, τὸ *τριχῶδες* quod inſtar eſt capilli tenue ac gracile. In vitibus *Comas* Poëtæ appellant frondes, quæ amputantur. Virg. *l.* 2. *Georgic.* v. 368.

----- ----- *tunc ſtringe* comas, *tunc brachia tonde.*

Et de alia, *l.* 12. *Æn.* v. 209.

----- ----- *poſuitque* comas, *& brachia ferro.*

Hinc *κόμαι* Græci *χλοηφορεῖν* interpretantur. Salmaſ. *ad Solin. p.* 581. ubi pluribus de *Coma* & *capillis* balſami fruticis. Vide quoque ſuprà *Capillacea coma.*

COMA Aſcititia, Latinis olim *Galerus*, meretricibus inprimis in pretio fuit, & quidem flavi coloris: Unde vetus Schol. Juvenalis *Sat.* 6. v. 120. *Crine*, inquit, *ſuppoſititiô rotundô, muliebri capitis tegumentô, in modum galeæ factô, quô utebantur meretrices flavô; Nam nigrô tum matronæ uſæ ſunt.* De Meſſalina, Juvenal. *ibidem loci.*

Et nigrum flavô crinem abſcondente galerô.

Hos crines è Germania petitos, indigitat Ovidius, *l.* 1. *Amor. El.* 14. v. 45.

Nunc tibi captivos mittet Germania crines,
Culta triumphatæ munere gentis eris.

Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 70.

Arctoa de gente comam tibi Lesbia miſi.

Vide Thom. Dempſter. *in Joh. Roſini Antiq. Rom. l.* 5. *c.* 37. & *l.* 10. *c.* 29. Joh. Laurentium, *Not. in Phædrum, l.* 4. *fab.* 5. Sed & matronis uſurpati ſutiles hi, textileſque & aſcititii capilli. Non enim illæ nativam comam irrufare, aliiſque coloribus inficere contentæ; cui luxui *Coronæ* nomen inditum, ut apud Tertullian. *de Coron. mil.* videre eſt: adoptitiam quoque adhibuêre. Idem, *Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum.* Utrumque dedecus expreſſit Hieronymus, *l.* 2. *Ep.* 18. *Quando eram in ſeculo, ea quæ erant ſeculi diligebat, polire faciem purpuriſſo & depingere, ornare crinem & alienis capillis turritum verticem ſtruere.* Quæ res uſque eo proceſſerat, ut ad hoc peritiſſimi capillaturæ ſtructores adhiberentur; uti diximus retro in voce *Capillatura*, item *Collyra*. Et hinc galeatus ille vertex, illi coronæ affinis, quâ Prudentius redimit *Superbiam in Pſychom.* v. 185. his verbis.

Turritum tortis caput accumulârat in altum
Crinibus, extructos augeret ut addita cirros
Congeries, celſumque apicem frons ardua ferret.

Quæ exprimunt Græcum illud *πυργωτὸς*, *turritum nempe verticem*, de quo infrà. Quippe hic omnino ille eſt ornatus aſcititius adjutor formæ & comes inceſſus faſtuoſi ac cerviculæ tumidæ, qualem *Syneſius* tribuit illi, quam vocat *πυργοφόρον τὴν Κυβέλην*, *turritam ſicuti Cybelen*: cui Virgilius aſſimilat Romam, *l.* 6. *Æn.* v. 785.

----- ----- *qualis Berecynthia mater*
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes.

Aliô longè ſenſu quàm quô Mariam Magdalenam *turritam* Hieronymus vocat *in Epitaphio Marcellæ Virg.* ob ſedulitatem videl. *&*

ardorem ſidei; Quam in rem vide plura, apud Car. Paſchalium, *Coronar.* *l.* 1. *c.* 5. & infrà paſſim, inprimis ubi de *Comam ſtruendi* more, ut & in voce *Lampadion*.

COMA Conſecrata, h.e. τετελεσμένη. Vide infrà *Conſecratio*.

COMA Coacta, vide infrà *Coma Soluta*.

COMA Earini, nomen carminis, quò Flavii Earini Comam, primâ tonſione poſitam, proſequutus eſt Papin. Statius, *l.* 3. *Sylv.* 4. cujus initium:

Ite Comæ, facilemque precor tranſcurrite pontum:
Ite coronato recubantes molliter auro:
Ite, dabit curſus mitis Cytherea ſecundos &c.

Nempe Capilli primùm poſiti, tam verticis, quàm genarum, ſueti Diis à Gentilibus dedicari; & ita commendari ipſis ſequentium annorum proſperitas, talibus velut ætatis aut corporis libamentis, de quo retrò diximus. Vovebantur autem & in pueritia certis Numinibus, quibus depoſiti poſteà ſacrabantur. Hinc Earini, Domitiani Catamiti, hi capilli hîc primâ tonſione Pergamum mittebantur, in Fano Æſculapii conſecrandi: eo quòd Ephebus is ex ea civitate eſſet oriundus, ut indicant vidrini hoc excellenti carmine. Mittebantur autem in pyxide auro factâ & ſertis coronatâ, quod indigitant verba, *v.* 2.

——, *coronato recubantes molliter auro.*

Ubi illa explicat Joann. Bourdelotius, *ad Petronium*, *p.* 162. magis ad ſenſum Poëtæ, quàm ea ſunt, quæ Paſchalius affert *ad h. l. Coronar.* *l.* 2. *c.* 5. Niſi malis circulum hic aureum & gemmatum intelligi, de quo infrà qui & ipſe cum capillis fuerit pyxidi inditus &c. Ex eodem carmine diſcimus, quomodo pueri iſtiuſmodi ornatam habuerint frontem, quòque cum capilli ſoliti ſint incidi. Ita enim Poëm, *v.* 86.

Ipſi, cùm primùm niveam decerpere frontem
Decretum eſt, humeroſque manu nudare nitentes,
Accurrunt teneri Paphia cum matre volucres,
Expediuntque comas, & ſerica pectore ponunt
Pallia, tunc junctis crinem incidere ſagittis,
Atque auro, gemmiſque locant ——

Tales enim, frontem, erectis calamiſtrô capillis vittatiſque ornatam, gerebant: cujuſmodi effigiem propoſuit Laur. Pignorius *de Servis*, *p.* 75. *prima edit.* Additum capillis mittendis ſpeculum, habes *in ſeqq.* nec ſine precibus, quas Auctor in fine ſubjungit, *v.* 99.

At puer egregius, tendens ad ſidera palmas:
Hic mihi pro domo, hominum mitiſſime cuſtos,
(Si merui) longâ dominum renovare juventâ,
Atque Orbi ſervare velis &c.

Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad hoc carmen*, & plura hanc in rem præter ea, quæ ſuprà diximus, apud A. Hottomannum, *l. de Barba*, Hadr. Junium, *de Coma*, *l.* 4. Barthium modò dictum, *Adverſarior.* *l.* 24. *c.* 13. Achillem Statium, *ad Catullum*, *p.* 195. Math. Raderum, *ad Martialem*, *l.* 9. *Epigr.* 17. Bourdelotium ubi ſuprà, Alios.

COMA Hyacinthina, apud Poëtas frequens. Sic apud Longum, ubi deſcribitur forma decuſque Daphnidis, *Coma* ei adſcribitur, hyacinthino flori ſimilis, Ὀφῶς ὡς ὑακίνθῳ μὲν τὴν κόμην ὁμοίαν ἔχει; imitatione ſcil. Homeri, qui, ut Ulyſſes Nauſicaæ gratior eſſet, ait Palladem è capite ejus demiſiſſe comas, hyacinthino flori ſimiles, *Od.* ψ. *v.* 157.

—— —— κὰδδὲ κάρητος
Οὔλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας.

Quem verſum alicubi citat *Ariſtænetus*. Et de muliebri capillo Lucianus, *de imag.* Καὶ ἀναβαλεῖν, inquit, μὲν ὅσον τὸ περιέχον τὸ κεφαλῆς ἐλικας ὑακινθίνοις τὸ καλὸν ἀνθοῦντι ὅμοια περιθεμένης, *Et longa capillorum cavita textura perinde ac ſuaviter floreſcentes hyacinthi nigricantes.* De Nymphis quoque Philoſtratus, *in imag.* Αἱ δὲ ἀνθοῦσαν τὰς χαίτας ἐπιτιθέναι ὑακίνθοις εἴκελας ἄνθεσι, *At florentes comâ exibant, hyacinthinis ſimiles floribus.* Et Himerius, in comitatu Apollinis, lyram pulſantis, tum Gratiarum & Cupidinum colludentium, facit Venerem ſtrinxiſſe comam ſuam hyacinthô; etſi hîc dici poteſt, hyacinthum lapidem fuiſſe. Certè hyacinthus adeò pulcher & amabilis flos eſt, ut ejus pulchritudini formoſiſſimus quiſque adoleſcens comparetur à Poëtis, & *Hyacinthus* quoque vocetur. Lucianus, *in ep. Sat.* παῖδας δὲ αὐτῶν τοὺς ὡραίους καὶ κομήτας, οὓς ὑακίνθους, ἢ Ἀχιλλέας, ἢ ναρκίσσους ὀνομάζουσι, *Pueros ipſorum ſpecioſos & comatos, quos Hyacinthos, aut Achilles aut Narciſſos vocant* &c. Quam in rem vide plura apud Car. Paſchalium, *Coronar.* *l.* 3. *c.* 11. Cùm autem omnes hyacinthi vulgares cærulei ſint coloris, ſed dilutioris, raroque imbuantur purpurâ ſaturatiore ac nigrâ, non ab illis *Comam* cognominatam eſſe certum eſt. *Nigricantem* enim ſic vocatam, diximus ſuprà ex Luciano; & nigros crines Indorum lucenteſque Dionyſius Hyacinthi flori comparat:

—— —— Εἰδόμενοι δ' ὑακίνθῳ
Πλοκάμοις φορέουσιν ἴσας περὶ κράατι θείρας.

Quod de noſtro hyacintho neutiquam accipi poteſt: nec enim eſt ejus nigroris, ut commodè ſumi queat ad comparationem nigri capillitii. Sed & apud Homerum comas ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας, Grammatici μέλαινας, i.e. *nigras*, exponunt: μέλαν γὰρ, inquiunt, τὸ ἄνθος, *niger enim* (qui color eſt atræ purpuræ, ſaturatioris videl. & meracæ) *flos eſt*. Unde Theocritus,

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.

Ubi γραπτὰ ὑάκινθος nigram eſſe dicit, ut ſunt violæ nigræ. Quem proin ſequutus Virgilius ait, *Ecl.* 10. *v.* 39.

Et nigræ violæ ſunt & vaccinia nigra.

Nam *vaccinium* Latini vocant Græcorum hyacinthum &c. E quibus omnibus colligit Salmaſius, hyacinthum illum Veterem à quo *Coma hyacinthina*, gladiolum eſſe noſtrum & veterum Romanorum, qui, ξυφὶς, vel ξίφιον *Dioſcoridi*, florem habet purpureum, in medio rubrum & puniceum, adeoque inde *purpureos* & *rubentes* hyacinthos Poëtis appellari. Vide eum *ad Solin.* *p.* 1225. Aliter tamen de Hyacinthi colore Bochartus, *Hieroz. Part. poſter.* *l.* 5. *c.* 10. quem vide, ut & infrà ſuô locô.

COMA Maſſalianorum, memoratur Epiphano, *Hær.* 80. ubi eos aluiſſe comas muliebrem in morem promiſſas referens, id alienum eſſe monet à doctrina Apoſtoli 1. Corinth. *c.* 11. *v.* 14. Vide ſuprà in voce *Caſariati*, &c.

COMA Soluta & libera, priſcis temporibus quoddam velut inſigne Virginitatis fuit, unde Virgines in priſcis monumentis plerumque tales deſcribuntur. Virg. de Venere, *l.* 1. *Æn.* *v.* 319.

Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis.

Quo de more *Comam* ornandi, vide ſuprà in voce *Apochyma*. Poſtmodum comas Virgines in vertice concumulatas, abſque ulla ἀσκήσει, nodò ſubſtringebant, de quo ornatu, vide infrà, in voce *Spatalium*, ut & hîc paſſim in vocibus, *Botronatus*, *Corymbus* &c. At *Coma coacta* & coronata argumentum habebatur inſtantis, aut jam præſentis, lætitiæ conjugalis. Et quidem tum *cogi* & *frenari* coma dicebatur. Claudian. *de Raptu*, *l.* 2. *v.* 148.

Nec, quæ Parthenium canibus ſcrutatur odorem,
Aſpernata choros; libertatemque comarum
Injectâ tantum voluit frenare coronâ.

i. e. virginitate cupiit tranſire ad vota conjugalia. *Ibid.* *v.* 140.

Nunc ſocias flores, ſeſeque ignara coronat,
Augurium fatale thori ——

Unde apud Euripidem *in Aul.* Clytemneſtra, alloquens Achillem, *Tibi*, inquit, *adduxi Iphigeniam natam meam & quidem coronatam, in hoc ut nubat*,

—— —— —— ἀλλ' ὅμως
Σοὶ παῖδα στέψας' ἦγον ὡς ἄγων, ὡς γαμουμένην.

Ipſæ quoque Virgines, cùm ducebant choreas, corollis redimitas habuêre *comas*, velut haud multo pòſt coronas nuptiales ſumpturæ, apud Homerum, *Il.* σ. *v.* 593.

Ἔνθα μὲν ἠΐθεοι καὶ παρθένοι ἀλφεσίβοιαι
Ὠρχεῦντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες.
Ibi quidem adoleſcentes & virgines Alpheſibœa
Tripudiabant, invicem in vola manus habentes.

Et paulò pòſt,

Καί ῥ' αἳ μὲν καλὰς στεφάνας ἔχον ——
Et hæ quidem pulchras coronas habebant &c.

Vide Car. Paſchal. *Coronar.* *l.* 2. *c.* 15. & infrà ubi de *Nuptialibus coronis*.

COMACINA, inſul. Lacus Comaceni, vide *Larius* hîc infrà.

COMACINUS, & *Magiſter Comacinus*, in *L.* Longobard. *l.* 1. *tit.* 9. § 9. & 10. videtur appellari, qui vulgò *Matio*, Gallis *Maçon*: fortè à *Comacina* Inſul. in Romandiola, ubi periti eô ævô fuere architecti. *Gloſſarium* apud Lindebrogium, laudatum Car. du Freſne.

COMACULA, ſeu COMACLUM, Comacchio urbs Ducatus Ferrarienſis in ditione Pontific. inter paludes *Valli di Comacchio*, 5. milliar. ab ora littorali maris Adriatici 20. à Ravenna in Boream, 12. à Volana in Auſtrum. Parva, & ob cœli gravitatem à paucis, iiſque majore ex parte piſcatoribus, inhabitata.

COMACUM, apud Plin. *l.* 12. *c. ult.* *In Syria gignitur & comacum, quod Caryopon appellant*, Græcè Κώμακον; aromatis ſpecies eſt, cujus cum caſia & cinnamomo meminit *Theophraſtus*, inter eas ſpecies, quæ ex Arabia & India afferebantur: Οἷον αὐτὸ τὸ κιννάμωμον καὶ τὴν κασίαν καὶ κώμακον, ἕτερον δὲ εἶναι τὸ κώμακον καρπὸν, τὸ δὲ ἕτερον συντίθεσθαι εἰς τὰ ἀκριβέστατα τῶν μύρων. Ubi duo genera facit *comaci* unum quod eſt ſemen vel fructus, alterum quod pretioſis unguentis admiſcebatur. Quòd fuerit Plinii *comacum*, ſuccus ſcil. ex nuce expreſſus. Sed *Cumanum* is fortè pro *comacum* legit, *Comacum* certè fructus vel ſemen, *cubebæ* eſt noſtra, hodieque in Java, ubi plurimum naſcitur, *Cumuc vocatur*; in reliqua India *Cubac* & *Cubab Sini*, h. e. *Cubabum Sinenſe*, Arabibus *Cubebe*. Vide infrà, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin.* *p.* 1208.

COMAGENA, Syriæ pars, ſupra Ciliciam in Ortum ſita, trans Amanum montem excurrens uſque in Meſopotamiam, à qua Euphrate fluviô dirimitur. A Romanis in provinciam redacta. Cujus Metropolis Samoſata, ad Euphratem, patria Luciani Athei, & Pauli Patriarchæ Antiocheni, hæretici. Vide Strab. *l.* 11 & 17. Nigr. *deſcr.* *Aſiæ* Populi Comageni haruſpicinæ olim peritiâ præ ceteris nobilitati. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 548.

Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Teſtamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato: Armenius, vel Comagenus Aruſpex.

COMAGENA, locus Norici, nunc vicus *Langenleber*, ad confluentes amniculi *Anzeſpach* in Danub. in Auſtria. *Cluver.*

COMAGENUM, vulgò *Haynburg*, oppidul. Auſtriæ inferioris

ſerioria ad Danubium, in confinio Hungariæ, 5. leuc. à Poſonio, 6 à Vienna in Ortum, & è regione Moravæ fluv. in Danubium labitur. Vide Trebell. Poll. *in Claudio*, c. 10. *ibique* Gruterum & Salmaſ.

COMAM diſſipare, apud Senec. *Troadib. actu* 5. *v.* 468. ubi de Aſtyanacte,

Cervice fuſam diſſipans latâ comam:

Jactare eſt. Natura enim hoc affert, ut homines comati levi motu & jactatione cervicis crinem inæqualiter circumfuſum & aliquâ in parte conglobatum diſcutiant, ac in ſuum locum redigant. *Quatere crinem*, vocat Seneca, *Nat. Quæſt. l.* 3. *c.* 17. *Compoſitum quidem manu crinem ille, quem effundere olim mos viris fuit, attrectabatur; ſed illum ſibi ſine ullo artifice formoſi quatiebant, non aliter quàm jubam generoſa animalia.* Ita namque in *Hercule Fur. Actu* 4. *v.* 948. apud eund. leo *rutilat jubam cervice jactans.* Et apud *Petronium* Theſſali quadrupes ſolet *altas quatere jubas.* Et Silio bellator equus *excuſſa cervicis aptare jubas* dicitur. Citata igitur verba Senecæ pronuntiantur cum geſtu Aſtyanactis motâ paulum cervice comam diſjicientis: quod in puero alacritatis ſignum eſt. Idem, *Hippolytô*, *Actu* 2. *v.* 394. *Sic temere jacta colla perfundant coma.* Ab eodem geſtu Διῤῥιπτεῖν τὰς τρίχας Grammatici antiqui, οἱ σεισοχαῖται τὰς τρίχας διὰ τὸ ἐργασίας ποιοῦντες. Joh. Fred. Gronov. *ad loc. Troad. cit.*

COMAM ſtruere, apud Tertullian. *de Pallio*, c. 4. eſt, eam multis gradibus ac ſpiris convolutam in altitudinem exſtruere. Sic enim ſolebant mulieres multis compagibus capillaturam extructam olim gerere. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 502.

—— —— Tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. —— ——

Idem *Suggeſtum comæ* alibi vocat, *Lucianus* [illegible], Latini *tutulos*. Iſtæ autem convolutiones crinium muliebrium *ſpiræ* vocabantur. Inde *ſpiroſus capillus* Apulejo in ſpiram cumulatus & convolutus, *Metam. l.* 2. Ex alienis autem & aſcititiis capillis ſtruebantur hæ ſpiræ, Hieronym. *ad Marcellam*: cujuſmodi crinium adſcititiorum compoſitio, quòd in modum galeæ fieret, *galerus* appellatur paſſim, & unà cum *vitta*, inter Matronarum apud Romanos, privilegia fuit. Val. Max. *l.* 5. *c.* 2. *ex.* 1. *Sanxit uti feminis ſemitâ viri cederent, confeſſus, plus ſalutis Reipubl. in ſtola, quàm in armis fuiſſe, vetuſtiſque crinium inſignibus novum vittæ diſcrimen adjecit.* Ubi *crines*, Græcis ἐμπλόκια, ſunt rotundus ille comarum ſuggeſtus; de quibus capiendus Plautus. *Uti gerundum morem cenſeo & capiundos crines.* Nam quæ nubebant, crines capiebant, quô diſcrimine Matronæ à Meretricibus diſtinguebantur. Feſtus, *Senis crinibus nubentes ornantur, quòd is ornatus vetuſtiſſimus fuit.* I. e. ſenis crinium ſpiris, quæ in orbem convolutæ & aliæ aliis ſuperſtructæ tutulum ſeu galerum efficiebant. Græci [illegible], item [illegible] aut [illegible] vocârunt. *Pollux* in eadem re Φενάκας appellat, Galli hodie *perrucas*. Sic itaque galerum & vittam matronæ gerebant: non unô tamen omnes modô ornabantur. Siquidem præter illam capillorum conſtructionem, aliquando & ponè cervices comarum ſuggeſtum, in modum umbonis, aut collyridis cujuſdam ſive popani formatum gerebant, qua de re diximus retro, in voce *Callyra*, &c. Cùm autem & Meretricibus galerum iſtiuſmodi, ſeu fictitiorum crinium concumulationem tribuant Veteres, annotat Vetus Scholiaſtes *ad Juvenal.* ad diſcerniculum, Matronas nigros, Meretrices flavos ſumſiſſe: quod Servius confirmat *ad l.* 4. *Æn. v.* 698.

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat. —— ——

Qui tamen eodem in loco verba hæc Catonis adducit, de crinibus matronarum: *Comas flavô cinere unguabant, ut rutila eſſent*, &c. Qui verò iſtiuſmodi capillorum ſtruices formabant, *Structores capillaturæ* Tertulliano dicuntur *de Cultu Femin.* quos *Perrucarios* vulgò Galli vocant. Vide Salmaſ. *ad Tertullian. loc. cit.* ubi addit, galeris talibus etiam viros, qui calvitiô erant deformes: item veteres Comœdiarum actores priuſquam larvas geſtarent, uſos fuiſſe, ex Suetonio in *Othone* & *Diomede Gramm.*

COMANA, *orum*, nunc *Com*, & *Tabachzan* incolis, civitas eſt in convallibus Antitauri montis, inſigni Bellonæ fanô celebris. Inde *Comani* dicuntur ſacri ſervi Bellonæ, quorum Strabo, *l.* 12. ſuâ ætate, ſupra ſex millia fuiſſe tradit, qui omnes ſacerdotis imperio parebant, & ſtatis quibuſdam Bellonæ feſtis ſeſe mutuis vulneribus laniabant. Val. Flaccus, *l.* 7. *v.* 636.

—— Exſectos lacerat Bellona Comanos,

COMANA, civitas in Armenia minore. *Procop.* Cappadociæ, *Baudrando*, ad fontes Sari fluv. alter Comana Cruſa, verſùs montem Taurum Cilicium. *Armenacha* vulgò, & *Cappadocia*, ut diſtinguatur ab alterâ *Pontica* dictâ, ſitâ ad Sarum, ubi in Irim labitur. P. *à Via.*

COMANA, Taprobanæ inſul. oppid. *Ptol.* Alia item in Phrygia, & Piſidia *eidem*.

COMANIA, Aſiæ regio circa Hyrcaniam. *Xenoph.* Inter Georgiam & Tanaim fluv. ubi etiam Circaſſi populi, ſui penè juris, quidam tamen ſub clientela Turcarum; & alii ſub Moſcis.

COMANI, populi à Ladiſlao Ungariæ Rege apud lacum *Hood* victi, A. C. 1279. populi circa Margianam, Plin. *l.* 6. *c.* 16.

COMARA, urbs munita Hungariæ in extrema parte Inſul. *Schutt.* cum arce triangulari, quæ aliàs Brigætio dicta, in Pannonia ſuperiore. Caput eſt comitatus cognominis *Komora*; 4. leuc. German. à Javarino in Ortum, 2. à Neuheſelio in Auſtrum, 5. ſupra Strigonium.

COMARI, Aſiæ populi ſuper Scytharum deſerta ad Caſpium ſinum, Mela. *l.* 1. *c.* 2. Vide ſis *illic* Voſſium.

COMARIS, Græcè Κόμαρος & Κόμαρον, Chemiæ Auctoribus Græcis dictus planta, quæ aliàs *Halimum* ſeu frutex *Chali*: fortè à ſimilitudine foliorum cum foliis κομάρου, *unedonis arboris*; de qua vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 515. de *Comari* vero Chemiſtarum, *ibid. p.* 1098. ut & hic in vocibus *Chali*, & *Halimum*.

COMARUS, portus eſt ad ſinum Ambracianum juxta Nicopolim, Iſthmum ſtadiorum 60. efficiens. Strabo, *l.* 17.

COMASTUS, locus Perſidis, ubi vicorum inſignis frequentia. Polyæn. *l.* 7. *c.* 40.

COMATA Gallia, vide *Gallia*. Lucan. *l.* 1. *v.* 443.

Crinibus effuſis toti prælate Comata.

COMATI, propriè dicebantur Bellonarii, qui nigris induti veſtibus atque atrô vellere caput tecti, in Templo Bellonæ mentis exceſſum patiebantur. Val. Flacc. *l.* 7. *v.* 636.

—— Bellona vetus incitat ira Comatos

Ubi perperam *Comanos* legunt, à Comania Cappadociæ Urbe, in qua vetuſtiſſimum ac celeberrimum Bellonæ Templum fuit. *Capillatus Bellonæ*, legitur in *veter. Inſcr.* Utrâque autem voce inſigniti ſunt, quòd capillum promitterent, ut omnes fanatici & harioli ſolent. Sic ἀνέτην κόμην Bellonariis tribuit *Lucianus*. Vide Salmaſium, *ad Tertullian. de Pallio*, c. 4.

COMAZON, Conſul cum Antonino Aug. an. Urb. Cond. 982.

COMBA, urbs Lyciæ Mediterranea. *Ptol.* *Comba* adhuc.

COMBADAXI, Japonenſium Sanctus. Vide ſuprà *Bonzii*.

COMBANA, Carmaniæ urbs. *Ptol.*

COMBE, Aſopi filia, quæ prima æneam armaturam dicitur invenîſſe, unde & *Chalcis* eſt cognominata. De hac nonnulli intelligunt hoc Ovid. *l.* 7. *Met. v.* 382.

Adjacet his Pleuron, in qua trepidantibus alis
Ophias effugit natorum vulnera Combe.

Polyzelus & Ariſtias aſſerunt hanc marito quondam plures filios peperiſſe. Unde videtur Proverb. natum eſſe ὥσπερ Χαλκιδικὴ τέτοκεν ἀνὴρ γυνή: Velut Chalcidica peperit nobis uxor: de muliere plurimùm fœcunda dici conſuetum. *Nic. Lloydius.*

COMBI, ſeu OMBI *Antonino*, urbs Ægypti ſuperioris ad Nilum fluv. populi *Combitæ*, qui, ut *Steph.* ſcribit, crocodilum adorabant, ſicut Lycopolitæ lupum. Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 33.

Inter finitimos, vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus,
Ardet adhuc Combos & Tentyra. ſummus utrinque
Inde furor vulgo, quòd numina vicinorum
Odit uterque locus, cùm ſolos credit habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit. ——

COMBINÆ, Græcè Δοπλαῖ, Diplomata, tractoriæ, quæ dabantur curſu publicô utentibus, evectiones: i. e. literæ, quæ dabantur à Principe ad *combinanda* publica animalia & curſum uſurpandum. *Combina* igitur, pro *Combinatio* eſt, Græcè κόμβινα, συνδυασμός: unde κομβινάζειν, *ordinare*, diſponere in rebus Circenſibus, apud Chryſoſtomum *de Circo*. Nam κομβίνα etiam dicebatur ſignum vel mappa, quam mittebat Prætor committendis Ludis; hinc κομβινάζειν, propriè ſignum emittendis quadrigis dare & κομβίναν mittere. Item συμβινίζειν. Namque κομβινάσματα illa aliquando de ſponſionibus & compactis accipiebantur, quæ depoſitô pignore à ſpectatoribus fieri ſolebant, in ludis Circenſibus, quum pars hæc agitatorum illum, pars illa iſtum fore victorem contenderent. Quâ vocis notione etiam Balſamo utitur, apud Salmaſ. *ad Jul. Capitolin. in Pertinace*, c. 8. Vide Meurſium, *Gloſſar.* in κομβίνα & Phil. Priorium, *Diſſertat. de Literis tractoriis*, *num.* 10. infrà quoque *Tractoria*. Apud Car. du Freſne, *in Gloſſar. Combinale*, dicitur in libro quodam Grammaticæ pars de combinatione dictionum, ſub forma congruitatis.

COMBINATORIA Ars, vide ſuprà *Ars Combinatoria*.

COMBRALIA, vulgò COMBRAILLE, pagus Galliæ, in convallibus montium circumcirca poſitus. Ibi mons acutus *Montegu*, caſtrum nobile, ad caput Bubulæ fluv. qui Cantiliam villam & caſtellum alluit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

COMBREA, urbs circa Pallenem. *Herodot.*

COMBRETONIUM, Angliæ urbs. *Antonin.* Icenorum olim, nunc pagus *Bretenham* in agro Suffolcienſi, *Camden.* 25. milliar. Anglic. à Sitomago in Auſtrum, 50. circiter à Londino in Cæciam, *Baudrandus*.

COMBRETUM, floris ſpecies apud Plinium, *l.* 21. *c.* 19. ubi de Baccare, *Simillimum ei combretum appellatur, foliorum exilitate uſque in fila attenuata, & procerius, quam baccar, nexui tantùm*, uti legit Salmaſius, cùm aliàs haberetur, *Nec hæc ſunt tantum*. Dicit, *nexui tantùm eſſe*, i. e. ad corollas necti: uti *veſtis amictui, indutui, linteum extergendis* &c. Cum enim coronæ aliæ necterentur, aliæ ſuerentur; qui flores vel folia proceriore ſurculô ſunt, ea nectebantur invicem: quæ verò nimis brevem habent, funiculis inter ſe juncta ſuebantur, unde *ſutilium corollarum* nomen. At *Combretum*, propter exilitatem folii in fila penè adtenuati ſui non poteſt; ideo tantùm nectebatur. Vide Plinium, *eodem l.* 21. *c.* 8. *de Floribus*. Combretum autem libri aliquot *Cobretum* vocant, unde Gallos ſuum feciſſe *Cabaretum*, quod aſarum eſſe quidam Herbarii volunt, refert Salmaſ. *ad Solin. p.* 1068. Aliàs *Volubilis*.

COMARCHUS, vide hîc infrà *Come*.

COMBUSTA, urbs Galliæ Narbonenſis, circa Pyrenæos montes, *Antonin.*

COMBUSTA, vide ſuprà *Ambuſta*. Hinc *Combuſtio*, apud Burchardum Epiſcopum Wormacienſem *in Lege Familiæ*, ſtigma notat, cùm rei facies ferrô calidô notatur. Car. du Freſne in *Gloſſario*. Aliàs *Combuſtio*, capitalis pœna, Hebræis olim duplicis generis,

generis, ut infrà videbimus, ubi de illorum *Pænis*. Vide quoque ubi de *Igne*, & *Vivicomburio*; uti de *Combuſtione Vulpium*, veterum Romanorum feſto, voce *Vulpes*, aliquid etiam ubi de *Vulcanalibus*.

COME, Græcè Κώμη, locus, ubi ædificia poſita ſunt; minus eſt, quàm Κωμόπολις. Ita enim dicitur κώμη ſeu *vicus* mœnibus ſeptus, quales multæ in Babylonia & Aſſyria fuêre, *Cteſiphon* inprimis: uti videre eſt, ex Iſidoro *in Manſionibus Parthorum*. Πόλις verò plus erat, quàm κωμόπολις. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1227. Hinc *Comarchus*, de qua voce aliquid infrà voce *Pentecomarchus*.

COMEDÆ, Sacarum gens. *Ptol.*

COMEDIA & *Tragœdia* villæ duæ, *Plin* ad lacum Larium, apud Bellaſium pagum, & promontorium, à ludis, qui ibi recitabantur, dictæ. *Vercat.*

COMENII, Illyridis populi. *Ptol.*

COMENSES, vide *Comum*.

COMENSIS Lacus, vide *Larius*.

COMERE, apud Statium, *l.* 1. *Achilleidos*, *v.* 339. *ſ.* ubi de Thetide, Achillem filium ornante,

> —— *ſic ergo gradus, ſic ora manuſque,*
> *Nate, feres, comiteſque modis imitabere fictis.*
> *Ne te ſuſpectum molli non miſceat aulæ*
> *Rector & incepti pereant mendacia furti,*
> *Dixit, & admoto non ceſſat comere tactu.*

Pro *ornare*. Nam *comere generale verbum eſt*, Vetus Schol. Fortè id dictum, quia capillorum in puellari capite cura omni corporis ornatu habebatur potior. Appulejus, *l.* 2. *Si cujuſlibet eximiæ pulcherrimæque feminæ caput capillo ſpoliaveris & faciem nativâ ſpecie nudaveris, licet illa cœlô dejecta, mari edita, fluctibus educta, licèt, inquam, Venus ipſa fuerit, licet omni Gratiarum chorô ſtipata, & totô Cupidinum populo comitata & balteô ſuô cincta, cinnama fragrans & balſama rorans, ſi calva proceſſerit, placere non poterit nec Vulcano ſuo.* Et poſt non pauca, *tanta denique eſt capillamenti dignitas, ut quamvis aurô, veſte, gemmis, omnique cætero mundô exornata mulier incedat, tamen, niſi capillum diſtinxerit, ornata non poſſit haberi.* Vide quæ de cura hac *Comæ Capillorumque* ornandorum, retro diximus.

COMERIUM, oppid. agri Tarviſini.

COMERUS Gallus, duxit colonias in Italiam, nomen regioni à ſuo nomine impoſuit, legem ac juſtitiam docuit. Beroſus, *l.* 3.

COMERUS, Scytha, more Scythicô, unde venerat, docuit Italos urbem curribus componere, hinc *Veji* appellati ſunt, vocabulô Sagô, quô *Veias* Plauſtrum vocant an. ante Urb. Cond. 136e.

COMES, apud Papin. Statium, *l.* 5. *Sylv.* 2. *v.* 60.

> *Hæc iterent* Comites *præcepta ſeneſque paterni.*

Et *l.* 9. *Thebaid. v.* 580.

> *Sæpe novos nati belli rediiſſe triumphos*
> *Armaque, & aliquidem notum,* Comiteſque *videbat.*

Moderator, inſpector eſt: Græcè Παιδαγωγὸς, Athenienſibus Α᾿κόλουθος, antiquioribus Α᾿οιδὸς, item Εὐνοῦχος, *Cuſtos* quoque & *Pædagogus* Latinis. Α᾿κόλουθοι certe apud *Platonem* ſæpè tales dicuntur. Hinc Alcibiades *in Convivio*, negat ſe, quòd formoſus eſſet, abſque Α᾿κολούθῳ, primò Socratem adire auſum fuiſſe. Nempe ab antiquiſſimis temporibus, Poëtæ Viri que ſapientes vitæ hominum adhibiti ſunt, ut minores ingeniis, qui modum vitæ nondum poterant habere, inſtituerent, & temperantiam eos ante omnia docerent. Ideoque ingenuorum liberis ante pubertatem ſtatim ſolebant præfici, ut viderent ne auderent τι τῶν αἰσχρῶν χαρίζεσθαι. *Comites* iiſdem dicit Virg. *l.* 5. *Æn. v.* 545.

> *At pater Æneas, nondum certamine miſſô,*
> *Cuſtodem ad ſeſe comitemque impubes Iuli*
> *Epytiden vocat* —— ——

Iidem Heroës ad bellum euntes ſequebantur: uti de Phœnice Pyrrho dato legimus apud *Homerum*, & ex eo Statium præfatum, *Propemptico Criſpini*. Vide Caſp. Barthium *in Adverſariis*; item *Animadverſionibus ad Statium paſſim*. Similes his erant, quibus Matronæ κὴ ἡ Γυναικωνῖτις committebantur, qualis celeberrimus ille Homeri fuit Od. γ. qui Α᾿οιδὸς ab illo dicitur, quo de miniſterio fusè diximus ſuprà, in voce *Cantor*. Nec defuêre puellis Virginibuſque ſui *comites* cuſtodeſque, de quibus dicemus aliquid infrà, ubi de Athenienſium *Occursia*. Hodie *Comes*, dignitatis nomen eſt de qua, in voce *Comites*.

COMES, vide *Comites*.

COMES, ſeu *Liber Comitis*, Papiæ vocatur *congregatio cœleſtium Lectionum*. Quibus verbis innuitur *Lectionarium*, cui id nominis inditum jam A. C. 471. probat. Car. du Freſne ex *Charta* Donationis Eccleſ. Cornubianæ hôc annô ſcriptâ, & editâ à *Suareſio*, *Item Codices*, *Euangelia* 4. *Apoſtolum*, *Pſalterium & Comitem*. Sic autem appellatus is liber, vel quia Eccleſiaſtici eum ut *comitem* ſemper habere debent, ut loquitur Phocas Grammat.

> *Te longinqua petens Comitem ſibi ferre viator*
> *Ne dubitet; parvô pondere multa vehes.*

Vel quòd ad *Comitem* ſcriptus dicitur in antiqq. MSS. in aliis *liber Comitis* inſcribitur. Servatur in Bibliotheca Eccleſiæ Bellovacenſ. Codex Euangeliorum MS. 9. ſecul. quibus ſubditus legitur *Comes*, hôcce titulô: *In Chriſti nomine anni circuli liber Comitis incipit, dictus à Theutincho, indigno Presbytero, rogatu* —— *Herlbardi Comitis Ambianenſis: Ita tamen, ut ſancta Euangeliſtarum dicta, nec non & Apoſtolorum & Prophetarum immota atque inconcuſſa ſerventur* &c. Vide Car. du Freſne in *Gloſſar.* & infrà in voce *Lectio*, item *Lectionarium*.

COMES Natalis, vide *Natalis*.

COMES Stabuli, apud Gallos idem, quod olim equitum Magiſter, apud Romanos. Tranſiit dignitas ab ultimis Imperatoribus, ad Galliæ Reges primos: quæ poſtmodum adeo aucta eſt, ut, Regibus minorennibus, Principes ſanguinis hi ſtatim ſequerentur. Huic, poſt Regem, omnes obedire tenebantur, huic ſoli Regni commiſſa cuſtodia, huic in bello omnia ordinandi, delicta puniendi, prædam dividendi, aliaque ad rem militarem pertinentia obeundi ſumma poteſtas. A Ludovico XIII. Galliæ Rege A. C. 1627. ſuppreſſa, poſtquam Franciſcus Diguierius Dux rei bellicæ ſub Henrico IV. gloriâ inſignis, eâ ultimò functus eſſet. Tillet. Haillan. Paſquier. in libro: *Recherches de la France*, *l.* 2. *c.* 11. & 12. Vigenerius, Ecronius, Sau-Marth. Godofredus, Moreitus, *Diction. Hiſt.* &c. Vide quoque in voce *Conſtabularius*.

COMESSATIO, meliùs COMISSATIO, ſecundùm Aldum Manutium Junior. *in Orthogr. ratione*, Leonardum Malaſpinam & alios, quintus erat apud Veteres cibi capiendi modus, quô poſt cœnam antequam cubitum irent, utebantur. Anglicè fortè *a night drincking* dicas. De ea Feſtus: *Comiſſatio*, inquit, *à vicis quos Græci κώμας dicunt, appellatur. In his enim habitabant, priuſquam oppida conderentur, quibus in locis alii alios convivii cauſa invitabant.* Alii à *comedendo* vel *comeſſando* vocem deducunt &c. Hoc certum eſt, *Comeſſationes* antiquis probatas non fuiſſe. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 27. Hinc *Comiſſator*, qui poſt cœnam in multam noctem convivium protrahit. A. Gellius, *l.* 4. *c* 14. *Manilius ad Tribunos Pleb. provocavit, apud eos dixit,* Commiſſatorem *Mancinum ad ædes ſuas veniſſe, eum ſibi jus recipere non fuiſſe, ſed quum irrumperet, lapidibus depulſum.* Et Liv. *l.* 40. *c.* 7. & *ſeqq.* ubi de hoc more à convivio *comeſſandi*, prolixè. Ibi enim poſt exercitum de more à Philippo Macedonum Rege luſtratum, & ſimulachrum pugnæ peractum, cui, Regii Juvenes, Perſeus & Demetrius, præerant, convivium eô die ſodalium, qui ſimul decurrerant, uterque habuiſſe narratur. Demetrius dein, *Quin comiſſatum*, inquit, *ad fratrem imus? & iram ejus, ſi qua ex certamine reſidet, ſimplicitate & hilaritate noſtrâ lenimus.* Quod cùm per ſpeculatores nunciatum Perſeo eſſet, *etſi cauſa apparebat* —— *tamen infamanda rei causâ januam obſerari jubet: & ex parte ſuperiore ædium, verſiſque in viam feneſtris, comiſſatores, tanquam ad cædem ſuam venientes, arcet.* Quæ inde ſequuta triſtia, vide apud eundem in *ſeqq.* Certè *Comeſſari* ſeu *Comiſſari*, Græcis Κωμάζειν eſt, *per vicos vagari animi gratiâ*. Theocritus, Κωμάσδω ποτὶ τὰν Α᾿μαρυλλίδα. Id à cœna faciebant, ut remitterent animum poſt negotia diurna. Jentatione enim præparcâ ac minimâ contenti, haud largiùs merendabant: prandium non magis lautum erat, ſaltem ut ſuo quiſque in opere vires ſufficerent. Quò perfectô in ſero dici largius ſeſe accipiebant, tum uberiore epularum apparatu, tum familiarium atque affinium ſocietate: unde Cœna dicta, quòd κοινῇ veſcerentur: non privatô demenſô diurnô. Tum igitur juventus vacui temporis otiô atque licentiâ noctis abuſa, ſecura imperiorum vel heri vel patrum vel parentum per κώμας, *i. e. vicos* diſcurrere: qui mos cum ipſo nomine ad Latinos tranſiit. Atque inde ii luſus, quos vicatim exercerent, ὠδαὶ τὰς ᾄδειν κατὰ τὰς κώμας, aptè *Comœdiam* dixêre: quoniam non in paſcuis, aut in arvis, aut ad tumulos aut ad aras canerent. Hæc *Comœdiæ* mitra. Durabant autem iſtiuſmodi *Comeſſationes* non nunquam per totam noctem, uti de intempeſtiva incontinentia Philippi Macedonis habet Theopompus, *Hiſtor. l.* 4. Καὶ ποίαν ἢ τὴν νύκτα πάσαν, καὶ μεθύοντες αὐτὸς ἰσάγειν σύνωμαζεν. Vide de Acerra facetè canentem Martialem. Hinc Lucian. in *Diſcategorumeno*, Lunam an ſplendere ὅτι κωμάζουσι. Adhibuiſſe verò & pueros, qui funali prælucerent, notiſſimum, uti obſervat Gronov. *ad Senecæ illud*, *Hippolytô*, *v.* 444.

> *Mentem relaxa, noctibus feſtis facem*
> *Attolle, curas Bacchus* &c.

Itaque pro re nova miratur *in Curculione* Plauti Palinurus, quod Phædromus ipſe facem ferret, *Actu* 1. *ſc.* 1. *v.* 9.

> *Tute tibi puer es, lautus luces cereum.*

Vide quoque Petitum, *Obſervat. l.* 1. *c.* 2. &c. Vocis porrò notionem Græci expreſſêre, per aliud verbum βακχίζειν, de quo vide ſuprà. Ne verò ſuô Numine careret hæc intemperantia, Κῶμος, *Comum*, ei præfecêre: quam vocem legimus quoque apud Apoſtolum Galat. *c.* 5. *v.* 21. &c. Vide Scaligerum, *Poëtices l.* 1. *c.* 5. uti de *Comeſſatione Bacchi cum Bacchis & Satyris bacchantibus ſaltatâ*, à Pylade, infrà ubi de eo.

COMESTIO de Victima, inter ritus ſacros V. T. memoratur paſſim, inprimis Levitici, *c.* 6. & 7. de qua vide infrà, in voce *Victima*.

COMESTOR, vide *Petrus Comeſtor*.

COMESTORES, apud Francicos Scriptores, dicti ſunt milites, vel potiùs apparitores & *ſervientes*, quos Creditores ex Judicis decreto, in debitorum ædes immittebant, qui illorum ſumtibus alerentur, donec debita ſua exolviſſent, *Mangeurs*, *in Conſuetud.* Turnac. *tit.* 27. *artic.* 17. Quòd cùm moleſtum admodum Debitoribus, neque multum utile Creditoribus eſſet, reſtrictum id ad certos caſus eſt, in *Areſtis* Parlam. A. C. 1585. *Poni tamen poterunt tantummodo, pro enormi facto, vel in caſu criminis, vel ſi aliquis vellet ſubterfugia quærere & bona ſua abſcondere ſeu diſtornare, ſeu ad alienum dominium transferre, vel eſſet ita inobediens juſtitiæ, quòd non poſſet commodè aliter juſtitiari* &c. apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* Vide quoque eum, *Diſſertat.* 19. *ad Joinvillam*.

COMETES, pater Aſterionis, unus ex Argonautis, Val. Flaccus, *l.* 1. *v.* 355.

> —— *Celer Aſterion, quem matre carentem*
> *Criſtatus geminô fovit pater amne Cometes,*
> *Segnior Apidani vires ubi ſentit Enipeus.*

Ubi

Ubi ad verbum ferè, ut ſolet, expreſſit Apollonium, *l.* 2. Sic enim ille:

> *Η'λυθε δ' Α'ϛερίην αὐτοχεδὸν, ὅν ῥα Κομήτης*
> *Γείνατ' ἐπιὰτος ἐφ' ὕδασιν Α'πιδανοῖο.*

Quòd autem *criſtatum* vocat *Cometem* Flaccus, adluſum eſt ad nomen *Cometæ*. Nam (ut ait Plin. *l.* 2. *c.* 25.) *Cometas Græci vocant, noſtri crinitas, hoc eſt, horrentes crine ſanguineo.* Haud abs re forſan fuerit hic notare, quæ de Cometarum præſagiis antiqui tradidère, adeò ut in Proverbium abierit Senarius iſte,

> *Οὐδεὶς Κομήτης ὅϛις οὐ κακὸν φέρει.*

Nil enim Poëtis præcipuè magis perſuaſum eſt, quàm cometas denunciare magna mala. Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 488.

> *Non aliàs cœlo ceciderunt plura ſereno*
> *Fulgura, nec diri toties arſère Cometæ.*

Tibullus, *l.* 2. *El.* 5. *v.* 71.

> *Hæc fore dixerunt belli mala ſigna Cometen*

Lucan. *l.* 1. *v.* 529.

> —— *Terris mutantem regna Cometen.*

Stat. *l.* 1. *Theb. v.* 708.

> —— *Mutant quæ ſceptra Cometæ.*

Silius, *l.* 1. *v.* 461.

> *Crine ut flammifero terret fera regna Cometes*
> *Sanguineum ſpargens ignem, vomit atro rubentes*
> *Fax cœlo radios, & ſævâ luce coruſcum*
> *Scintillat ſidus, terriſque extrema minatur.*

Et *l.* 8. *v.* 638.

> —— *Nec unus crine coruſcô*
> *Regnorum everſor rubuit lethale Cometes.*

Val. Flaccus, *l.* 6. *v.* 608.

> —— *Iratoque vocati*
> *Ab Jove fatales ad regna injuſta Cometæ.*

Claudian. *l. de bello Getico*, *v.* 241.

> *Et nunquam cœlo ſpectatum impune Cometem.*

Et in *Epigr.* 5. *de Magnete*, *v.* 4.

> *Non fruſtra viſi ferali crine Cometæ.*

Ac de *Raptu Proſerp. l.* 1. *v.* 232.

> —— *Augurium, qualis laturus iniquum*
> *Praeceps ſanguineo dilabitur igne Cometes,*
> *Prodigiale rubens, non illum navita tutò,*
> *Non impune vident populi, ſed crine minaci*
> *Nunciat aut ratibus ventos, aut urbibus hoſtes.*

Nic. Lloydius.

COMETES, fil. Oreſtis, frater Tiſamenis & Penthili.

COMI, Bactrianæ populi. *Ptol.*

COMIAS, Servi nomen, Ariſtoph. *Veſpis*, quod factum à κώμῳ. Vide Schol.

COMICUS, abſolutè Ariſtophanes dicitur. Euſtathius, *in Dionyſium*, ad v. 345. Ἔϛι δὲ καὶ ἐν Α'θήναις τεῖχος πελαργικὸν, ἤτοι πελαργικὸν, ὡς ὁ Κωμικὸς δηλοῖ ἐν τοῖς ὄρνισιν. *Eſt autem & Athenis murum Pelaſgicum, an Pelargicum, uti in Avibus* Comicus docet. Quem tamen honorem, Barthius animò, dignius Menandro tribuunt alii. Tatianus pro Barbaris, contra Græcos. Καὶ τὸν Κωμικὸν, δεῖν ἐπιφωνεῖσθαι καὶ κωμῳδουμένοις, & cætera, quæ nemo neſcit Menandri eſſe &c. Vide Caſp. hunc Barthium, *Animadverſion. ad Statium*, *Part.* 1. *p.* 1099. In Eccleſia Romana *Comicus*, nomen eſt libri Eccleſiaſtici, qui aliàs *Comes* dictus eſt, uti vidimus.

COMIDAVA, Daciæ oppid. *Ptol. Dces Lazio.*

COMINÆUS Philippus, vide *Philippus*.

COMINI, populi ex Æquicolis, qui interière. Plin. *l.* 3. *c.* 12.

COMINIUM, Samnitum urbs.

COMINIUS, prænomine Quintus, eques Romanus, probroſi in Tiberium carminis convictus; quem poſteà Cæſar precibus fratris, qui Senator erat, conceſſit. Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 31.

COMINIUS Auruncus, vide *Poſthumius*.

COMINSENA, Parthiæ regio. *Ptol.* Vide infrà.

COMISENA, Armeniæ majoris provincia. *Comiſene*, Græcè Κωμισηνὴ, inter Parthiæ Satrapias numeratur *Iſidoro Characeno*. Ita enim is in Indice, Κωμισηνὴς σχοῖνοι νε' Υ'ρκανίας σχοῖνοι ξ'. Straboni Κωμισηνὴ vocatur, *l.* 11. ubi illam unà cum Choarene, partem facit Parthyenes. *Ptolemæo* Κωμισηνὴ, qui tam eam, quàm Choarenem, à Parthyene ſeparat, & ſub Parthia, h.e. ditione Parthorum collocat: nempe brevioribus ſpatiis Parthyenem includens. Sed lege utrobique Κωμισηνὴ. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1196.

COMISSATOR, pro bibone, & gulone immodico. Vide ſuprà *Comeſſatio* Martialis, *l.* 4. *Epigr.* 5. *v.* 3.

> *Vir Bonus & pauper linguâque & pectore verus,*
> *Quid tibi vis, urbem qui, Fabiane, petis?*
> *Qui nec leno potes, nec Comiſſator haberi,*
> *Nec pavidos triſti voce citare reos &c.*

COMISTÆ, qui in urbe Lombardiæ *Como* Valdenſium doctrinam amplexi, dicuntur in *Conſtitut.* Friderici Imperatoris *de Hæretic.* Vide Matthæum Paris. *p.* 589.

COMITATENSIS, qui in ſacro Principis *Comitatu* militat, vel qui ad Sacrum *Comitatum* ſpectat, ut *Comitatenſis fabrica* apud Ammianum, *l.* 18. *c.* 8. *Comitatenſe auxilium* apud eund. *Comitatenſe exercitum*, apud Ennodium, *l.* 4. *Ep.* 13. ubi Senarium *virum Comitatenſis exercitus* appellat, qui inter Exceptores merebat. Inprimis verò *Comitatenſes* appellabantur Palatini, qui ſcil. in officio erant utriuſque Comitis Largitionum; quorum è numero eligebantur, qui in provincias mitterentur: hinc *Mittendarii* quoque dicti. *Comitatenſes Milites*, *Comitatenſes Numeri*, qui *Numeri* ſimpliciter dicuntur, apud Vopiſc. *in Probo*, *c.* 14. Legiones tunc vocabantur; uti docet Salmaſ. de quibus *Cod. Theodoſ. de Tironibus*, *l.* 8. *Completis quinque annorum ſtipendiis, qui Comitatenſibus numeris fuerit ſociatus, patris quoque & matris, nec non & uxoris ſuæ capitationem meritis ſuffragantibus excuſabit. Iis verò qui infra &c.* Nempe *Comitatenſes* in Caſtris erant, limitanei verò & ripenſes in ripâ, ubi per centeos conſtituebantur. Unde *numeri* & *limitanei milites*, apud Vopiſcum, *l.c. Comitatenſes & ripenſes*; *Cod. Theodoſ. de Veteranis*, *l.* 4. *Comitatenſes & limitanei l.* 17. *tit. de Cohortal.* ſibi invicem opponuntur. *Comitatenſium* quoque *Legionum* mentio eſt, in *Notit. Imper.* nec ad ripenſem militiam eadem in milite ſtaturâ, idemque corporis robur, exigebatur, quod in *Comitatenſi* vel legionaria, ex *l.* 8. *Cod. Theodoſ.* &c. Erant verò milites hi ſub diſpoſitione Magiſtrorum utriuſque militiæ, Salmaſ. *ad Vopiſc. loc. cit.* De *Pſeudocomitatenſibus* infrà.

COMITATUS, Aula Imperatoria, Palatium, locus ubi Imperator morabatur, ſeu, ut definit Anianus, *ad leg.* 20. *Cod. Theodoſ. de Decurion. Ubi rerum Dominus fuerint*: à *Comitibus* dictus, h. e. Curiæ Proceribus, ſeu Amicis interioribus. Sic enim *novum Comitem* Apollinis appellat Thyamantem Statius, *l.* 10. *Theb. v.* 163. Idem Comites *proximam Regum turbam*, vocat, *l.* 11. *v.* 257.

> *Non deſunt Regni Comites* ——

Et de iiſdem mox, *v.* 262.

> —— —— *ſic proxima turba.* ——

Nempe, cadente Româ, cùm Principes à Proceribus *Domini* appellarentur, eos viciſſim dicebant, honoris ergò, *Comites*, non ſervos, aut miniſtros aut aliud denique quod hodie uſurpatur. Cujus rei exemplum illuſtre in Majorano & Sidonio, apud iſtum, *l.* 1. *Ep.* 11. ubi Auguſto ajenti, *Audio*, Comes *Sidoni*, *quòd Satyram ſcribas*: reſpondet Sidonius, *Si quis eſt iſte*, Domine *Imperator*, *publicè accuſet.* Ita namque capiendus is titulus; cùm alii neſcio quem *Comitatum* ſive Conſulatum Arvernæ Sidonio ex malè capta voce adſcripſerint. Vide Caſp. Barthium, *Animadverſ. ad Statium*, d. *l.* & *Adverſ. volum.* II. Κομιτάτον Palladio in *Vita* Chryſoſtomi paſſim. Item Comitis ſeu Judicis dignitas, diſtrictus, territorium, juriſdictio, apud Guil. Apulum, *de Geſtis Normann. l.* 1.

> —— —— *Numerò cum verbis auctô*
> *Omnes conveniunt & bis ſex nobiliores,*
> *Quos genus & gravitas morum decorabat & ætas,*
> *Elegêre Duces: provecti ad Comitatum*
> *His, alii parent. Comitatus nomen honoris,*
> *Quo donantur, erat.*

Inde pro quovis territorio, ſeu cujuſvis loci juriſdictione ſuis finibus circumſcriptâ; in *Charta* Dagoberti Regis apud Freherum, *le de Lupodino.* Quam quidem vocis notionem à Longobardis fluxiſſe, tradit Otto Friſingenſis, *de Geſtis Friderici*, *l.* 2. *c.* 12. *Cumque tres inter eos Ordines*, *i. e. Capitaneorum*, *Vavaſſorum & plebis eſſe noſcantur* —— *de ſingulis prædicti Conſules eliguntur & ſinguli penè annis variantur. Ex quo fit, ut tota illa terra intra civitates fermè diviſa, ſingula ad commanendum ſecum diœceſanos compulerint, vixque aliquis nobilis* —— *inveniri queat, quin Civitatis ſuæ ſequatur Imperium: conſueverunt autem ſinguli ſingula territoria ex hac commanendi poteſtate*, *Comitatus ſuos appellare.* Unde hodieque villam, pagum, rus, Itali *Contada*; & ruſticos *Contadini*, vocant. Apud Anglos *Comitatus* locus eſt publicus, in quo Vicecomes uniuſcujuſque provinciæ, quæ *Comitatus* nomen apud eoſdem obtinent, juriſdictionem ſuam exercet. Conventus item Juridicus, qui in *Comitatu* ſeu Provincia fit, vulgò *Aſſiſa*, *County*, apud Cowell. Ingulfum *de Alvredo R.* in *LL.* Henrici I. *c.* 51. &c. Plura vocis ſignificata vide apud Car. du Freſne, in *Gloſſar.*

COMITES, dicti ſunt, qui florente Republ. Romanâ publici negotii cauſâ, Proconſules & Præſides, in provincias euntes, comitabantur. Cicer. *Act.* 4. *in Verr.* In Imperio *Comites* olim vocabant, quotquot è *Comitatu* Principis erant: *Comitatum* verò ipſam Aulam & familiam Principis, Tacit. *l.* 2. *Hiſt. c.* 65. Ammian. Marcellin. *l.* 17. *ſect.* 10. Herodian. *in Commodo.* Item Senatum Imperatoris domeſticum, & judicium, quò lites ad palatium ductas decernebat: recentioribus *Baronagium*, Caſſiod. *l.* 4. *c.* 46. & *l.* 5. *c.* 15. Diſtinguebantur autem *Comites* tum ratione ordinum & dignitatum, tum ratione munerum & generum. De prioribus, quos inſtituiſſe fertur Conſtantinus M. Euſebius *in hujus vita*: *Comitum verò*, inquit, *alios in primo ordine collocavit, alios in ſecundo, alios in tertio.* Horum primi in *Illuſtrium* claſſem conſtituti: Secundi inter *Clariſſimos* numerati; qui & *Spectabiles* poſteà dicti ſunt: Tertii ordinis *Perfectiſſimorum* titulô honeſtabantur. E quibus duobus ſolùm prioribus Ordinibus Senatus conſtabat. Perfectiſſimi Senatum quidem non ingrediebantur, interim variis cum prioribus gaudebant privilegiis. *Egregii* quarta & ultima Magiſtratuum, ſub adulto Imperio, erat claſſis. Genera *Comitum* quod attinet, plurima habentur: qui omnes partim ſuper terra, partim ſuper mari merebant. Horum præcipuus *στρατηγὸς* in inferiori Imperio nuncupatus eſt. *Hæc è Notitia Imper. Caſſiodoro*, *Cedrino*, *Juris ſcriptoribus*, *aliis* concinnata prolixè habes apud Spelmannum, *Gloſſar. Archæol.* Indicant autem, nomen *Comes*, non ſemper honorarium fuiſſe, ſed de Magiſtratu ſæpe inferiori, ſæpe de Miniſterii infimi præfecto, dictum: Præfectum paſſim ſignificare. *Heſychius*, Κόμης, ἄρχων, ἡγεμών. *Suid.* ἀπὸ τοῦ ἄρχειν, dictum ſine dubio de Provin-

Provinciarum *Comitibus*, qui populum & juſtitiariâ poteſtate gubernabant, & armatâ manu tuebantur; ſic à Præſidibus provinciarum differentes, quod hi tantùm civiles eſſent Magiſtratus. A *Comitibus* his, inferiorum ætatum *Comites* orti ſunt, qui in ſuis item provinciis, civilem juſtitiam armorum terrore adminiſtrabant. Sæpe tamen *Comes* pro Judice ſimpliciter dicitur, in legg. Ripuar. *Tit.* 55. §. 1. pro Judice Fiſcali; *Papiniano* verò pro Aſſeſſore judicis, quod ad Conſularia ſecula referendum: nec malè ad priſcos Germanorum *Comites*, de quibus *Tacitus*. Hinc *Comitiva*, dignitas & munus *Comitis*, inferioribus *Comitatus*: vox Caſſiodoro frequens. *Comitatenſes*, qui in *Comitatu* Imperatoris, ſeu Aula degebant. Legiones *Comitatenſes*, quæ à Comitatu erant, Satellitium crebrò in *Notit. Imper.* Vide *Palatinus*. Deſcendo ad Inferiorum ætatum Comites. Ex more Imperii, *Comitem* appellabant Galli, Itali, Hiſpani, quem ad regendam urbem aliquam, vel territorium, Reges è Comitatu ſuo miſerunt judicem, ipſumque inde territorium ac munus, *Comitatum*. Vide Gregor. Turonenſ. mox poſt 5. ſecul. Et *Hiſt. l.* 4. *c.* 13. *ac* 36. Apud Germanos *Comites* dicti, qui Principibus jura per pagos & vicos reddentibus à comitatu erant, & tanquam Aſſeſſores. *Tacit.* Hos, patrii magiſtratus appellationem admirati, quos alii *Comites*, ipſi *Greven*, recentiùs *Graffen* appellârunt. Hujuſmodi verò Judicem ſingulæ urbes & regiones ab Imperatore vel Regibus datum, accepêre. Vide Seb. Munſter. *Coſmogr. l.* 3. *c.* 20. Speculum Saxoniæ, *Artic.* 52. Quos autem Tacitus *Comites*, eos inferiores *Pares* dixêre. Vide quoque originem & officium *Comitis* è Spartiano, *in Adriano*, *c.* 18. Munus igitur *Comitis* juſtitiarium fuit: Vim & injuriam prohibere, latrocinia compeſcere, pacem regiam, non ſolùm legum tramite, ſed etiam armis promovere: jura regia & vectigalia curare, colligere, fiſco inferre. Et quidem de cauſis Magnatum & potentiorum non cognovit *Comes*, nam hæ ad Aulam regiam pertinebant. Pauperum tantùm & minus potentum judicabat. Hieron. Bignonius *ad Marculſi l.* 1. *c.* 8. Apud Bedam, cùm in Britannia Inſul. tum in Hibernia, reperiuntur *Comites*, ante A. C. 700. ſed an tituló ſolùm, ex Danorum more, vel urbe aliquâ & diœceſi inſignes, non liquet. Dani videntur *Comites* vocâſſe, qui in conſortio Regis militabant ductores. Ideo A. C. 871. Aſſer Menevenſis, Auctor coætaneus, nunc eoſdem *Comites*, nunc *Duces belli* appellavit. Certum autem eſt Anglo Saxones illô ævô *Comitis* titulum cum præfectura urbis alicujus, aut regionis conjunxiſſe, etiam nondum diſtributô in Comitatus, quod Alvredo attribuitur, regnô. Sed fluctuans adhuc appellatio, nec recepta paſſim ab Anglicis Auctoribus. Fluxit Angliæ *Comitum* origo à Saxonum *Grevis* & *Aldermannis*: quibus Latini interpretes, ob muneris & eminentiæ ſimilitudinem, nunc Principis & Ducis, nunc *Comitis* appellationem uſitatiùs (ut Dani poſteà Eorlæ,) indidêre: Sed hi ipſi *Heretochium*, i. e. Ducem & præfectum Exercitus, Comitem etiam ſæpe vertebant. Erant ſub his ſeculis, ſummi prorſus ſui Comitatus juſticiarii, & legum ideo ſcientiâ imbuti: nec perpetui tum quidem magiſtratus, ſed vel ad certum tempus (ut Romani illi apud Caſſiodorum, *per indictionem*) vel ad placitum Regis, locum poſſidentes. Gregor. Turonenſ. *l.* 4. *c.* 24. *l.* 5. *c.* 36. & *l.* 8. *c.* 18. Hinc *Ex-Comes* apud eundem. Apud Germanos vero Feudales cœperunt fieri Comitiva & illuſtria munera, ſub Othonibus, i. e. ſub fine decimi ſeculi: ut apud Gallos, ſub exceſſu Merovinæ ſtirpis. Torpente enim jam ſplendore regiô, potentiores quidam hæc invadebant hæreditariò: & licèt à Carolinis poſteà Principibus ejecti pleriqne eſſent, nonnulli tamen longè in confiniis diſſiti, impune retinebant. Loyſeau *de Seign. c.* 5. *p.* 107. Demum Hugo Capetus, cùm novum regnum novis beneficiis ſtabilire ſatageret: Ducatus & Comitatus, maximaque regni officia in feudo tenenda Magnatibus permiſit, homagiô ab iiſdem ſuſceptô. Quod exemplum ſequutus Gulielmus primus, idem in Anglia fecit. Accipiebat olim *Comes*, cùm inter Saxones, tum inter Anglo-Normannos, tertium Comitatus denarium, h. e. mulctarum & emolumentorum Regi ex placitis accreſcentium. Idem in uſu fuit apud Gallos, Caroli Magni ævô. Obtinuêre quoque tum caſtrum Comitatus, quod cùm Regibus & Reipubl. tutiſſimum deprehenderetur eſſe, caſtra, ubi capita Comitatuum, Coronæ Regiæ inſeparabiliter unita ſunt. Comitis creandi mos ævô Conſtantini Magni hodieque in Anglia codicillis & arbitriô Principis: item traditione vexilli, quod Germanicam ſapit originem: vel cinctiurâ gladii, ex more veterum Imperatorum. Hodie *Comitiva* candidatus paludamentô coccineô induitur à Rege ipſo, gladiô ab humero ſuſpenſô, & pileô coronulâ aureâ radiatô inſigni, porrectumque regiâ manu creationis ſuæ diploma genu nixus accipit. Antiquiorem conſtituendi Comitis formulam Marculfus recenſet: Antiquiſſimam verò Caſſiodorus habet, *Var. l.* 7. *form.* 1. Quæ omnia prolixè enarrat Spelmannus, *Gloſſar. Archæol.* Neque vero Judicum duntaxat obiêre officium Comites, ſed & populares ſuos in prœlia eduxerunt, Car. du Freſne *Gloſſar.* Apud Burgundos, *Comitis* nomen nullus habebat *niſi qui Ducis honorem poſſideret*, Ditmarus, *l.* 7. *p.* 92. Sic *Comites* promiſcuè ac *Duces* ſeſe inſcripſiſſe Armoricæ Principes, conſtat, ut & interdum Normanniæ Dynaſtas. In Anglia *Comites* Ducum appellantur filii, ut *Vicecomites*, filii Comitum. Apud Græcos recentiores hôc nomine veniunt Centuriones, qui centuriis, & turmis militaribus in Exercitu præerant. Conſtantinus Porphyrog. *l.* 1. *de Them. c.* 1. Κόμητας τὰς τῶν ϑεμάτων. Leo in *Tact. c.* 3. §. 10. Κόμης ἐστὶν ὁ τῆς ἴλης ἄρχων, ἤτοι βάνδου ἀφηγούμενος, *Comes eſt unius turmæ ſeu bandi Dux*, &c. Item, qui turmis ac navigiis bellicis, claſſe, præeſt. Ital. *Comito*, Gall. *Comite*. Sic *Comites galearum*, in *Actis* Alexandri III. Pontificis. Vide quoque *LL.* Alfonſinas *Part.* 2. *tit.* 33. *leg.* 4. Et οἱ τῶν βασιλικῶν πλοίων Κόμητες, *Imperatoriæ Claſſis Comites*, apud Nicetam, in *Iſaacio*, *l.* 1. *c.* 6. Vide Leonem in *Naumachicis*, Annam Comnenam, alios. Quorum præcipuus πρωτοκόμης Admiralio ſuberat: Δρουγγάριος verò Κόμης poſt Protocomitem erat, memoratus Annæ prædictæ, *p.* 290. Vide Rigaltium, Meurſium, Car. du Freſne. Imò & *Comitum* nomen interdum Advocatis Eccleſiarum Cathedralium tributum: ejuſmodi fuêre *Comites Cameracenſes* & *Virdunenſes*, quarum civitatum Epiſcopis ab Imperatoribus data eſt facultas *eligendi Comitem: abſque hæreditario jure*, ut eſt in *Charta* Virdunenſi, ſeu *eligendi Comitem*, ut eſt in *Charta* Henrici Imperatoris pro Erlwino Epiſcopo Cameracenſe, A. C. 1007. apud Colvenerium, *Notis ad Baldericum*. Neque fortè alii fuêre *Comites*, qui ratione Comitatuum ſuorum Eccleſiarum & Epiſcoporum erant vaſſalli. In Lugdunenſi Eccleſia Canonicum Cathedralem, *Comitis* tituló eſſe inſignem, contra Canones, qui ſtatuunt, deſinere aliquem Comitem eſſe, quamprimùm fiat Clericus, legas apud Car. Macrum, in *Hierolex.* ubi addit, Epiſcopum Ravennæ abuſivè *Comitem* appellari *can. quo auſu* 23. *quæſt.* 8 &c. Varia alia *Comitum* genera hîc ex Car. du Freſne aliiſque breviter ſubjungemus. Addam ſaltem, *Comitum coronam*, conſtare è circulari lamina, cui hærent tres lapilli. Supra laminam ut plurimùm eminent tres uniones magnitudine conſpicui; Aut certè continua ſeries minorum unionum, qui & in extremitatibus laminæ & ſuper ipſa media duplicantur aut triplicantur, cæteriſque eminentiores aſpiciuntur. Eadem fermè Marchionum eſt, cùm Barones non laminam integram & latam, ſed tenuiorem ac reſtrictiorem ac veluti circulum ſive gracile vinculum aureum, quò priſcum illud *torquem* repræſentari videtur, geſtent, ut pluribus exponit Car. Paſchalius, *Coronar. l.* 9. *c.* 22.

Varia Comitum genera, quæ apud Autores occurrunt.

COMES Ægypti, ſub Imperatorib. poſterioribus dici cœpit, qui *Præfectus Ægypti*, provinciam illam regebat, ab Auguſto primùm impoſitus. Regebat autem eam, ſub *prima Comitiva* honore. Vide Salmaſ. ad *Trebellium Pollionem*, *in Marciano*.

COMES Ærarii, ſacri ac privati, in *l. un. Cod. Theodoſ. Qui à præbit. Tiron. & Eq.* idem cum *Comite ſacrarum ac privatarum Largitionum*.

COMITES Alani, in *Notit. Imper.* una ex Vexillationibus, quæ erant intra Italiam. Cujuſmodi *Comites*, ſub Magiſtris militum militantes, diverſis cognominibus appellabantur: alii enim *Comites Juniores*, alii *Seniores*, alii *Sagittarii*, alii aliter dicebantur, uti docet Henr. Valeſ. *ad Ammianum*, *l.* 15.

COMES Annonæ, in *Chron. Alexandr.* Κόμης τῆς ὀψωνίου, curam annonæ in Urbem transportandæ habebat.

COMES Aquarum ſeu *Aquaticus*, Robertus Friſius, quód Citeriorem Friſiam, quam expugnârat A. C. 1070. Zeelandiam item & vicinas regiones, quas undique aquæ alluunt, obtineret, dicitur Galberto in *Vita* S. Caroli Comitis Flandriæ, *num.* 130.

COMITES Archiatrorum ſacri Palatii, de quibus *titulus* eſt in *Cod. Juſtin. & Theodoſ.* Apud Gothos Comitis hujus ſententiâ Medicæ lites dirimebantur.

COMES Capellæ, occurrit in *Charta* Ludovici Hungar. Regis, A. C. 1358.

COMES Caſtrenſis, idem cum Germanorum Burggravio, vide P. de Andlo, *de Imp. Germ. l.* 2. *c.* 12.

COMES Caſtri, in *Geſtis* Innocentii III. idem.

COMITES Cataphractarii, una è 10. Vexillationibus Comitatenſibus, quæ erant ſub diſpoſitione V. I. Magiſtri Militum per Orientem, in *Notit. Imper.*

COMES Civitatis, qui in Civitate Judicis munus implet eique præeſt. Senator, *l.* 6. *c.* 22. & 23. &c. Sic in Dalmatia & Croatia Prætores caſtanei, quos ſingulæ civitates ſub titulo *Priorum* eligebant, ſequiori ævô *Comites* dici cœperunt. Fuerunt autem ut plurimùm annui, in Italia *Poteſtates* dicti. Vide Jo. Lucium, *de Regno Dalmatiæ*, *l.* 3. *c.* 12. &c.

COMITES Clibanarii, vexillatio ſic dicta, ſub diſpoſitione V. I. Magiſtri Militum Præſentalis, *Notit. Imper.*

COMES Comitum, titulus Comitum Loretelli, in Regno Neapolit. ſub Normanniæ Regibus: qui interdum etiam *Palatini Comites Loretelli* inſcripti leguntur. Videntur eandem in Regno Siculo dignitatem obtinuiſſe, qualem Comites Palatini Rheni apud Germanos, Comites Campaniæ apud Francos, Comites Lomelli apud Italiæ Reges & Comites aliquot Palatini apud Anglos. Vide Ughellum, *Tom.* I. VI. VIII. *paſſim.*

COMITES Commerciorum, in Imperio Orientali ſub diſpoſitione Comitum ſacrar. largition. plures recenſentur in *Notit. Imper. l.* 1. *c.* 73. *per Orientem & Ægyptum*, *per Myſiam*, *Scythiam & Pontum*: in Occidente, unicus *per Illyricum*. Munus eorum erat, ne ultra civitates deſtinatas commercium cum Barbaris eſſet, neve privati illicitas ſpecies emerent. At ne illicitæ ſpecies ad Barbaros exportarentur, Curioſi cavebant.

COMITES ſacri Conſiſtorii vel *Conſiſtoriani*. Vide infrà.

COMES Contariorum, ſeu Præpoſitus militibus, qui contis utebantur: Κόμης κονταρίων, in *Paſſione* S. Baſilii Presb. *n.* 15.

COMES Cubiculariorum, dignitas in Palatio Regum Gothicarum in Hiſpania.

COMES Curiæ ſeu *Curialis*, apud Croatiæ Reges, præcipuum olim locum tenebat: à quibus Hungariæ Reges dignitatem hanc hauſerunt. Eadem ejus functio, quæ *Comitis Palatii* apud Germanos & Francos. Vide Lucium, *de Regno Dalmat. l.* 2. *c.* 8. & *l.* 3. *c.* 4.

COMES Curtis, Cohortalibus præerat, vide ſuprà.

COMES Diſpoſitionum, qui Diſpoſitionibus Principis præerat. Vide infrà *Diſpoſitio*.

COMES Domeſticorum, qui equitibus vel peditibus prætorianis præerat: quà dignitate Diocletianus, Juſtinianus & Michaël Balbus, antequam impera-

imperarent, functi leguntur. Hujus muneris Marcellinus meminit paſſim. Titulus eorum Honorarius fuit *Magnificus*, quod vide.

COMES Domeſticus ordinis primi, in *veter. Inſcr.* apud Gruterum, 406. 8.

COMES Domorum, qui præerat poſſeſſionibus ac prædiis ad Principem ſpectantibus: occurrit non ſemel in *Cod. Theodoſ. & Notit. Imper.*

COMES & DUX, titulus quorundam in *Charta* Rudeſindi Epiſcopi Dumienſis æræ 930. apud Ant. Yepezium, *Chron. Ord. Bened. Tom. V.*

COMES Equorum Regiorum, *τῶν βασιλικῶν ἵππων Κόμης*, apud Pachymerem, *l.* 1. *c.* 11. Vide *Comes ſtabuli*.

COMES Excubitorum, vide *Excubitores*.

COMES Fœderatorum, apud Anaſtaſium in *Hiſtor. Eccl. Κόμης τῶν Φοιδεράτων*, *Cedreno*, *Theophani*, *aliis*, poſtmodum Ἑταιρειάρχης dictus, qui præerat cohorti Fœderatorum, in Palatio Principis militanti.

COMES Formarum, qui aquæductibus publicis inſtaurandis vel extruendis præfectus erat. Romæ potiſſimum recenſetur ſub diſpoſitione Præfecti Urbis, in *Notit. Imperii.*

COMES Franciæ, vide ubi de *Palatinis Comitibus*.

COMES Galliæ ſeu *Galliarum*, occurrit in *Vita* Lupicini Abbatis Jurenſ. *num.* 8. & in *Charta* Caroli Calvi apud Car. du Freſne.

COMES Gildoniaci patrimonii, ſub diſpoſitione Comitis rerum privatarum, bona publicata Gildonis in Africa curabat, vide *Notit. Imper.*

COMES Hirſutus, apud Anonymum, *de Fundat. Monaſter. Germ. Le Comte pelu*, in *Chron. Flandr. vernaculo*, idem qui *Comes Sylveſter*. Vide infrà, German. *Wildgraff*.

COMES Horreorum, *in l. un. Cod. de Piſtor. l.* 14. Piſtrini Principis curator.

COMITES Inferiores, *l.* 2. *Cod. Theodoſ. ne Comit. & Tribun. lav. præſt.* iidem cum *Comitibus minoribus*, à ſecundi Ordinis Comitiva dicti, ut Tribuni militum. *Gloſſa*, *Κόμης ὁ τοῦ Τρίτου*.

COMITES Italiciani & Galliciani, *l. un. Cod. Theodoſ. de Conſular.* ſunt Comites Largitionalium titulorum, Reique tributariæ & theſaurorum, per Præfecturam Prætorianam, Italiæ & Galliæ. Aliàs *Comites Diœceſeon* vel *Largitionum per Diœceſes*.

COMITES Largitionum Comitatenſium, i. e. theſaurorum, qui in Comitatu Principis unà cum ipſo Comite verſabantur. Hinc *Largitionales Comitatenſes*, in *l.* 6 *Cod. Theodoſ. de Diverſ. Offic.* dicuntur Officiales Comitis Largitionum Comitat.

COMES Largitionum privatarum ſeu *Rei privatæ*, idem cum eo, qui dein *Privati Ærarii Præfectus*, ſeu *Rei privatæ Procurator*; habebat ſub ſe omnes rei privatæ Rationales, qui in ſingulis provinciis fiſcum Principis procurabant. Salmaſ. *ad Vopiſc. in Probo*, *c.* 23.

COMES Largitionum Sacrarum, qui prius *Sacri Ærarii Præfectus* ſeu *Procurator* aurum, argentum, quod ex provinciarum tributis cogebatur, veſtes omnes, ſpecies publicas, quidquid denique ſanctiori Principis ærario inferretur, curabat. Adeoque ſub ejus diſpoſitione erant veſtium omne genus Textores, Murileguli, Tinctores &c. Vide Salmaſ. *ad Lamprid. in Antonino Diadumeno*, *c.* 4. & ſuprà, ubi de *Ærario majori ſeu ſacra*.

COMES à Latere, vide *Comes Palatinus*.

COMES Legum ſeu Profeſſor in Jure, *Epitaph.* Rebuffi JCti Magalonæ A.C. 1418.

COMES Liber, ut Frangipani, Urſini &c. apud Sambucum in *Gloſſis ad LL. Hungariæ*.

COMES Limitum vel *Limitaneus*, qui limitibus Imperii Romani præerat. Vide Pancirollum *in Notit. Imper. Orient.* *c.* 139. & in voce *Marchio*.

COMITES Littoris Saxonici per Britanniam, *in Notit. Imper. Occid. c.* 72. littoris per opportuna loca præſidiis, ad Barbarorum latrocinia compeſcenda, communiendi, curam habebant primùm: poſteà, cùm magna Britanniæ pars in Saxonum poteſtatem perveniſſet, contra hos Romani limitem Britannicum, qui ſupererat, per eum tueri, ſat habuêre, vide Cod. *Theodoſ.* & *Juſtin. tit. de Litt. & Itin. cuſtodia*.

COMITES Majores, iidem cum *Comitibus primi Ordinis*, erant e. g. *Magiſtri Officiorum*, *Magiſtri Militum*, *Magiſtri ſacrarum Largitionum* & ſimiles. Salmaſ. *ad Trebellium Pollionem in Macriano*, *c.* 12.

COMES Manſionarii, in *Annal. Francorum Meteuſ. A. C.* 895. *Adalongum Comitem ſui Manſionarii* &c.

COMES Manſuariorum, apud Nithardum, *l.* 3. idem fortè cum *Manſionario* in Franciæ Regum aula, Car. du Freſne, de quo ſuo locò.

COMES Marcarum, idem cum *Marchione*.

COMES Mareſcallus, dignitas in Anglia, quæ in Penbrochiæ Comitum familia primùm hæſit, poſteà aliis quoque Comitibus collata eſt. Vide Thom. Walſinghamum.

COMITES Maritimæ, qui ad *cuſtodiendam maritimam deputati erant*, occurrunt in *Capitulis* Caroli M. *l.* 4. *c.* 5. Iis ſuberant *Vicecomites Maritimæ* qui hodie *Vicomtes de Marennes* in Santonibus dicuntur.

COMES Maritimi tractus in Britannia, apud Ammianum, *l.* 27.

COMES Metallorum per Illyricum, ex auro in metallis invento portionem Principum debitam exigebat, in fluminibus etiam vel fodinis aurum legentes: ſub diſpoſitione Comitis ſacrarum Largitionum, *Notit. Imper.* Vide *l.* 1. *Cod. de Metallar.*

COMITES Minores, iidem cum inferioribus apud Salmaſ. *l. c.* ubi *minimam & infimam*, tertii Ordinis Comitivam vocat. Vide ſuprà.

COMES Notariorum, dignitas in aula Regum Gothicorum in Hiſpania, *Concil.* Tolet. VIII. Fortè idem cum *Primicerio Notariorum*.

COMES Novellus, dictus Bertrandus de Balcio Comes Montiſcaveſi & Andriæ, apud Joann. Villanium, *l.* 9. *c.* 72. &c.

COMES Numeri ſeu Cohortis, eidem præfectus. Sim. Metaphraſtes *in Martyr. S. Georgii*, *n.* 2.

COMES Obſequii, qui *obſequio* & Comitatui Imperatoris præerat, in *Epiſt.* Gregorii II. Vide infrà *Obſequium*.

COMES Officiorum, in *Clementina Epiſt.* de Geſtis S. Petri *c.* 164. idem fortè cum *Magiſtro Officiorum*.

COMITES Ordinis primi, præcipui erant ex Magiſtratibus Palatinis, quorum quidam *Comites Ordinis primi intra Palatium* dicebantur, quòd ſcil. in Palatio militarent: vel *Comites primi Ordinis in Conſiſtorio*; erat enim iis Conſiſtorium Principis ingredi fas, ſi vocarentur. Vide Salmaſ. *ad Pollionem*, *loc. cit.*

COMITES Ordinis ſecundi, dicebantur, qui his proximi erant, & è quibus ad Comitivam primi Ordinis aſſumebantur. Vide Senatorem, *l.* 9. *Ep.* 26.

COMITES Ordinis tertii iidem Car. du Freſne videntur, qui *Comites Inferiores & Minores*, in quorum numero Tribuni. Salmaſius verò ſecundi Ordinis Comitivâ eos donat, ubi ſuprà: *minimam & infimam* tertii ordinis Comitivam vocans.

COMES *ὀψωνίων* ſeu *obſoniorum*, in *Chron. Alex.* idem cum *Comite Annonæ*.

COMES Pagi, h. e. provinciæ vel Civitatis, vide ſuprà.

COMITES Palatii, vide infrà *Palatini*.

COMES Parochialis, apud Hungaros dicitur proprius regionis cujuſque præfectus: qui cum ſuo *Vicecomite*, qui *Judex Nobilium* dicitur, judicandi jus habet, in ſuo Comitatu.

COMES Patrimonii, quod *privatum* Imperatoris dicitur, *l.* 8. *Cod. Theodoſ. de Jure Fiſci*: apud Gothos etiam, patrimonium Regis ac menſam procurabat. Cujus Comitivæ formulam exhibet Senator, *l.* 6. *Ep.* 9.

COMES per utramque Germaniam, apud Ammianum, *l.* 27.

COMES per Illyricum, per Orientem &c.

COMES Perpetuus apud Hungaros dicitur, cum dignitate natus, qui ſolius Regis judicio nititur.

COMES Piloſus, apud Alemannos, idem cum *Sylveſtri* ſeu *Hirſuto*. In *Chronico* Flandriæ, *c.* 14. *le Comte Pelu*, & *c.* 21. *le Pelu du Rhin* dicitur, & inter Electores ſeculares primus recenſetur: quò pactò is fuerit Comes Palatinus Rheni, vide infrà *in Piloſus*.

COMES Portûs Romæ, ſub diſpoſitione Præfecti Urbis, navibus frumentariis præerat. Formulam hujus dignitatis exhibet Senator, *l.* 7. *Ep.* 9.

COMES Præſenti, *Κόμης Πραισέντου* apud Theophanem, *p.* 241. qui militibus in *Præſenti* præerat, vide infrà *Præſens*.

COMES Provinciæ ſeu *Rector Provinciæ*, qui provinciæ, Comitivâ primi ordinis decoratus, præfuit, Senator, *l.* 6. *Ep.* 1. Vide infrà *Provinciæ Comes*.

COMES & Rationalis ſummarum Ægypti, ſub diſpoſitione Comitis ſacrarum Largitionum in *Notit. Imper.* Vide infrà *Summa*.

COMES Regalis, apud Odonem Foſſatenſem in *Vita* Burchardi Comitis Corbolienſis, *i. e. clientela jure Regi obnoxius*.

COMES Rei caſtrenſis, apud Ammianum, *l.* 30.

COMES Rei Militaris, qui cum certo militum numero provinciam defendebat, *l.* 3. *Cod. Theodoſ. de Comitib. Rei milit.*

COMES Rei privatæ, vide ſuprà.

COMES Rerum nitentium, vide infrà *Tribunus rerum nitentium*.

COMES Riparum & Alvei, ſub diſpoſitione Præfecti Urbis, curam habebat aquarum & alvei Tiberis: priùs *Curator alvei & riparum Tiberis et cloacarum urbis* dictus, quod officium Auguſtus inſtituit, Sueton. *c.* 43.

COMES ſacrarum Largitionum, vide ſuprà.

COMES ſacrarum Remunerationum, *Idem*.

COMES Sagittarii Armeni; una è 6. Vexillationibus Palatinis, quæ erant ſub diſpoſitione VI. Magiſtri Militum Præſentalis, in *Notit. Imper.*

COMITES Sagittarii minores, una è 3. vexillationibus Palatinis, ſub diſpoſitione ejuſdem. *Ibid.*

COMES Scanciarum, in *Concil.* Toletano VIII. XIII. iidem cum Scancione, Gall. *Eſchançon*.

COMES Scholarum, qui Scholis Palatinis præerat, de quibus *Notit. Imper.* & Jac. Gothofredus *ad Cod. Theodoſ. & Juſtin. tit. de Comitibus & Tribunis Scholarum*.

COMITES Seniores, una è 6. vexillationibus Palatinis, ſub diſpoſitione Magiſtri Militum in Præſenti, *Notit. Imper.*

COMITES Siliquaticorum; ponderibus & menſuris præerant. Vide infrà *Siliquaticum*.

COMES Sylveſter, Gall. *le Comte Sauvage du Rhin*, idem cum *Hirſuto* & *Piloſo*.

COMES Solemniorum, apud Ammianum, *l.* 25. ubi *Comes Somniorum* reſtituit Vir doctus.

COMES Spathariorum, dignitas Palatina in Aula Regum Gothicorum Hiſpaniæ. Vide *Spatharius*.

COMES Stabuli, vide in voce *Comeſtabilis*, *Conſtabularius* & infrà in *Stabuli Comes*.

COMITES Taifali, una è vexillationibus Palatinis ſub diſpoſitione Magiſtri Militum Præſentalis, *Notit. Imper.*

COMITES de Tertio denario, dicebantur in Anglia Comites, quòd Comitatuum reditûs pars tertia ad illos pertineret ab ipſo jam Caroli M. ævo. Quod & in Hungariâ obtinuit.

COMES Theſaurorum, in provinciis theſauros Principis ſervabat, *l.* 14. & 22. *Cod. Theodoſ. de diverſ. Offic. & Appar.* Dignitas etiam in Palatio Regum Gothicorum Hiſpaniæ uſitata, ut ex *Concil.* Toletano XIII. patet.

COMITES Vacantes, qui poſt officium aliquod geſtum, Comitivam primi Ordinis naƈti ſunt. Vide J. Gothofredum ad *l. un. Cod. Theodoſ. de Comit. Vac.*

COMES Veſtiarii, in *Notit. Imper. Occidental.* ſub Comite ſacrarum Largitionum, pro quo in Oriente *Magiſter lineæ veſtis*, & *Magiſter privatæ* ponuntur. Vide infrà in voce *Veſtiarii Comes*.

COMES Veſtis ſacræ, inter Illuſtres recenſitus, præerat Principis ipſius veſti.

COMES Urbanus, *in Vita S. Adalberti*, c. 25.

COMES & *Magiſter utriuſque militiæ in veterib. Inſcr.* &c. Adduntur quædam in ſpecie de Comitibus Palatinis.

COMITES Palatini, aliàs *Comites Palatii*, German. *Pfaltzgraven*. Vide B. Rhenan. *l.* 3. *p.* 135. qui Palatinum, à Palas regione ducit. Dicti olim, qui officia in Palatio Principis adminiſtrabant, inprimis κατ' ἐξοχὴν *Comes Palatinus* dictus eſt, quem ſub Carolo Magno luculenter deſcripſit Hincmar. Remenſis Archiepiſcopus, *Ep.* 3. *c.* 16. *& ſeqq.* Ubi inter alia: *Poſt eos* (Apocriſiarium & Cancellarium) *ſacrum Palatium per hos miniſtros diſponebatur, per Camerarium videlicet, & Comitem Palatii, Seneſcallum, Buticularium, Comitem Stabuli, &c.* Item *Apocriſiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatii cuſtos, de omnibus negotiis Eccleſ. vel miniſtris Eccleſiæ; & Comes Palatii de omnibus ſecularibus cauſis & judiciis ſuſcipiendi curam inſtanter habebant, ut nec ſeculares priùs dominum Regem abſque eorum conſultu inquietare neceſſe haberent.* Porro: *Comitis autem Palatii, inter cætera penè innumerabilia, in hoc maximè ſolicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ, propter æquitatis judicium, Palatium aggrediebantur, juſte ac rationabiliter determinaret, &c.* Tranſiit hoc officium dein in Capitalis juſtitiarii, Cancellarii & aliorum. Spelmannus, *Gloſſar. Archæol.* Sed in oculis omnium illuſtrior eſt *Comes Palatinus*, non tam perſonali munere, quàm hæreditariâ dignitate inſignis. Utpote, qui in territorio ſuo, plenitudine jurium regalium fretus, omnem juſtitiam ſui ipſius nomine, ſuis ipſius Officialibus adminiſtrat. Et indicat Speculum Saxon. *Art.* 53. Seb. item Munſter. *Coſm. l.* 3. *c.* 20. Palatinos Principes fuiſſe aliquando in Germania Reges: devictoſque eoſdem à Romanis, adminiſtrationem priſtinam, ſed mutato titulo, obtinuiſſe. Sic apud Anglos Gulielmus I. Hugonem ex ſorore nepotem, Comitem Palatinum Ceſtriæ creavit: Eduardus III. Lancaſtriæ Comitatum in Palatinatum erexit, &c. Plura vide apud Spelmannum, *Gloſſar. Archæol.* & in voce *Palatium*. Diſtinctiones *Comitatuum* in Britannia Inſul. ſub Alvredo, circa A.C. 871. apud exteros, ſub Berengariis & Othonibus, vel ſub Carolo M. factæ videntur. Idem Spelmannus. Vide & infrà.

COMITIA, *orum*, plural. numer. conventus populi ad creandos magiſtratus, leges ferendas, & alia cum populo agenda; à *coeundo* appellata, ita enim veteres loquebantur, vel à *comeundo*. Leguntur autem Comitia *Conſularia*, *Prætoria*, *Quæſtoria*, *Tribunitia*, *Ædilitia*; quibus ſcil. Conſules, Prætores, Quæſtores, Tribuni, Ædiles creabantur. Tria fuerunt Comitiorum genera; *Curiata*, *Centuriata*, *Tributa*; nam quæ *calata* Comitia legimus, ea ſunt vel curiata, vel centuriata; ea eo, quòd priſtinis temporibus *calandi* verbum pro *vocandi* uſitatum erat. Curiata Comitia erant, quum curiatim κατὰ φυλὰς populus Romanus ſuffragia ferebat. Centuriata quum centuriatim, ſive per centurias; Tributa, quum tributim ſive per Tribus. Dionyſ. *l.* 7. ſcribit, in comitiis Curiatis omnem poteſtatem creandi magiſtratus fuiſſe penes populum; in Centuriatis autem penes divites. Inde *Comitium*, *i. e. locus comitiorum*. Cæterùm de Comitiis plura vide apud Manutium, *libro de Legg. Roman.* Fuit autem inter eminentiſſima ſummi imperii jura, jus *Comitiorum* & electio Magiſtratuum. Itaque Mæcenas, Conſiliator verè regius, apud Dionem, *l.* 52. Auguſtum monet, ut ex ratione ſtatus Monarchici ad ſe trahat tantam poteſtatem. Intellexit facilè vim ejus conſilii Auguſtus, ſed exemplum moderandi Julius jam dederat; quod ſecutus, partitus eſt cum populo *Comitia*, ſive veriùs, videri voluit partitus, exceptâ Conſulum creatione, quam ſibi Senatuive reſervavit in ſolidum. Poſteà Tiberius, ſive conſiliô Auguſti inſtigatus, ſive quod ſponte vim Principatus omnibus modis intendere deſtinaverat, totum jus Comitiorum populo ademptum ſibi vindicavit, niſi quod ſimulacbri causâ cum Senatu id voluit communicatum, vide Tacitum, *l.* 1. *Annal.* c. 15. Lipſium *meum*, Clapmarium, *l.* 6. *Arcan.* 7. Bœclerum, *in Vellej. l.* 2. *c.* 124. verba, *Primum principalium ejus operum fuit ordinatio Comitiorum: quam manu ſua ſcriptam D. Auguſtus reliquerat*: Roſinum &c. *Comitiorum* & Conciliorum diſcrimen Lælius Felix, apud *A. Gellium*, *l.* 15. *c.* 27. hoc conſtituit, ut *Comitia* dicantur univerſi populi conventus, ad aliquid ſuffragiis ſuis decernendum: Concilia verò partis populi conventus ad aliquid jubendum, cujus generis erant, quæ à Tribunis Pleb. indicebantur *Comitia*. Habebant enim jus vocandæ plebis, non univerſi populi. Interim diſcrimen hoc antiè non obſervat Livius. Sic enim ille, *l.* 5. *Judicii die tum excuſaretur ſolum vertiſſe exulis causâ, inſtantem Virginio Comitia habente, collega appellati dimiſere Concilium.* Alibi, ubi de judicio Manlii, quod Centuriatis Comitiis peractum fuit, diſſerit: *In lucum*, inquit, *Petilinum Concilium populi indictum eſt.* Cicero tamen de *Legg. l.* 2. *c.* 12. eos diſtinguit: *Quid enim majus eſt*, ait, *ſi de jure quærimus, quam poſſe a ſummis imperiis & ſummis poteſtatibus Comitatus & Concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere.* Et poſt reditum in Senatu. *Tribunus Pleb. tulit, ne obnuntiare Concilio aut Comitiis liceret* &c. Apud Athenienſes Comitia Prytanes indicebant; idque 4. vicibus, intra 35. dies, Pollux, *l.* 8. *c.* 9. *Sect.* 7. Inprimis, in Magiſtratus inquirebatur, bene ne an ſecus officiò functi ſint, idque die 11. Prytaneias: In ſecundis, quæ cogebantur die 20. cuilibet, licitum erat, de publicis privatiſque negotiis verba facere: In tertiis, die 30. audiebantur exterarum Gentium Legati. Ultima tandem, quæ die 33. haberi erant ſolita, expediebant res ſacras & ad Deorum cultum ſpectantes. Græc. Κύριαι Ἐκκλησίαι dicebantur, quia in iis ſolebant κυροῦν τὰ ψηφίσματα, *condere decreta ſeu plebiſcita*, ut loquitur Scholiaſtes Ariſtophanis in *Acharn.* Cum verò, ob ſubitum quiddam, extra ordinem convocari populum neceſſitas poſtulabat, dicta ſunt illa Comitia Σύγκλητοι Ἐκκλησίαι, *Convocationes*, ſeu *Comitia calata*. Aliud *Comitiorum* genus apud eoſdem fuit Κατακλησία, cùm ex agro quoque populus coibat: *Pollux* tamen Σύγκλητον quoque Κατακλησίαν dici contendit. Ut ad Κυρίας promtiùs accederent, Præconis voce monebantur; quò alludere videtur Ariſtophanes. Ἐκκλησιαζ. cùm ait: *Adeſtote in concionem.* Imò quia ſegniter admodùm in conciones *populares* conveniebant, itaque ſolebant duo miniſtri fune rubricatò extentò per forum turbam in Concionem compellere, quò qui intincti erant, mulctam ſolvebant. Unde Ariſtophanes, *Acharn.* [illegible], *ſupra atque infra funem fugiunt rubricatum.* In quæ verba addit Scholiaſtes, [illegible] *Inſuper occludebant vias, non ducentes in concionem, & quæ venum exponebantur in foro tollebant ne circa ea morarentur.* Ab his porrò nemo civis arcebatur, exceptis iis qui infamiâ erant notati. Sed nec ſervis, nec peregrinis nec fœminis à Cecropis tempore, licebat ἐκκλησιάζειν. Triobolus autem dabatur τοῖς ἐκκλησιάζουσι, quem tamen ſerò venientes non accipiebant: itaque lucelli hujus gratiâ in Comitia maximè conveniebant οἱ θῆτες, Athenienſium proletarii atque capite cenſi, unde jocus Comici *Plut.*

> Ἐκκλησία δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον γίνεται;
> *Concio nonne hujus gratiâ erit?*

Divites verò, ne mulctarentur, veniebant. Primus dediſſe τὸ ἐκκλησιαστικὸν commemoratur Agyrrhius, cujus meminit Græcus Ariſtophanis interpres, alii Calliſtrato cognomine *Parnyti* id tribuentibus, ſed hic obolum primus conſtituit, Agyrrhius verò τὸ ἐκκλησιαστικὸν auctius reddidit, circa Olymp. 97. Vide Diodor. Sic. *l.* 14. Numerus τῶν ἐκκλησιαζόντων, videtur debuiſſe ad minimum eſſe ſex mille qui ſuffragia ferrent, ut rata forent decreta: unde toties numeri hujus in Legibus mentio, & exempla paſſim obvia. Facilè autem is iniri poterat, initò illò calculorum quos in urnas miſerant, vel ἐν χειροτονίαις, omnes numerando manus, quod τῶν χειροτονιῶν munus erat; quemadmodum Lexiarchi cavebant, ne quis concioni intereſſet, cui id non licebat. Convocatò populò, ſi ſiniſtrum apparuiſſet omen, concio in proximam diem differebantur; ſin minus, peractis ſacris, quæ Εἰσιτήρια & Καθάρσια dicebantur, Præco ſolenni formulâ, ex Lege, adprecabatur omnia fauſta ac proſpera toti Athenienſium populo, oratque jubebat, quibus licebat. Dein recitabat προβούλευμα Senatus Quingentorum, ſecundum quod rogandus & in ſuffragia mittendus erat populus, quò recitatò, jubebat in medium conſulere qui vellet. Vide Ariſtophanem, graphicè hunc ritum deſcribentem *Θεσμοφοριαζούσαις*: ubi non preces ſolùm concipi, ſed etiam diris devoveri τὸν ἐπιβουλεύοντα τι τῷ δήμῳ κακόν, *male Reipubl. conſulentem*, inter alia, docet. Primi dein ad populum verba faciebant ſeniores, quos minores pro ætatis uniuſcujuſque ratione atque ordine excipiebant, idque ex Solonis lege; ad quod invitabantur Præconis voce: Τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων; λέγειν τῶν ἄλλων Ἀθηναίων τὸν βουλόμενον, οἷς ἔξεστι, *Quis major quinquagenariò orationem ad populum habere vult? Quis aliorum Athenienſium, quibus licet, orationem habere vult?* Intererant verò Juvenes, ex quo inſcripti fuerant Lexiarchico, anno ætat. 25. Dicturi pro concione apud populum, coronas capiti imponebant; Unde *Ariſtoph.*

> Φέρε τὸν στέφανον· ἐγὼ γὰρ αὖ λέξω πάλιν,
> *Cedo coronam, ego enim rurſus orabo.*

At cui aures commodare nolebant Prytanes, ſilentium imperabant: etiam è ſuggeſto deturbabant per apparitores, ut iterum teſtis eſt Ariſtoph. *Acharn.* Poſteà ubi omnes, qui vellent, dixerant, Proëdri populum in ſuffragia mittebant, niſi fortè intercederent Nomophylaces, qui Proëdris adſidebant, de quibus vide Pollucem, *l.* 8. *c.* 9. aut ipſe, qui Pſephiſma ſcripſerat, ſententiam mutaret, Plut. *in Ariſtide.* Inter Proëdros autem partes erant maximè Epiſtatæ, Demoſth. *in Androtiana.* Populo in ſuffragia eunti Prytanes calculos dabant, quos unuſquiſque mittebat in cados, qui deſtituti erant in parte loci, ubi conveniebant, cancellis undique ſeptâ. Quò factò Prytanes concionem dimittebant per Præconem ſolenni formulâ, in ſequentem concionem τῶν νομίμων· nec licebat Plebiſcitò ſeu Pſephiſmate factò Prytanibus populum denuo mittere in ſuffragia de re, de qua jam Pſephiſma ſcriptum eſſet, juxta Legem· Τοὺς πρυτάνεις μὴ ἀναψηφίζειν, cujus meminit Nicias apud Thucydidem, *Hiſtor. l.* 6. &c. Vide Sam. Petitum, *Commentar. in Leges Atticas*, *l.* 3. *tit.* 1. Locus in quo Comitia Athenienſium ſeu concio habebatur, Πνὺξ *Pnyx* dictus eſt, διὰ τὸ πυκνοῦσθαι [illegible], *quòd viri conferti inibi convenirent.* Ariſtophani πέτρα *rupes* dicitur, ἄκρα γὰρ ἦν, *in clivo enim erat.* Vide Franc. Roſſæum, *Archæol. Attica*, *l.* 3. *c.* 1. Hinc *Comitiales* dies, à Faſtis, Comperendinis ac Statis diſtincti, erant quibus cum populo agi licebat: De quibus vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 3. Berſmannum, *in ſuis Annotat in Rom. Cal. ad finem Ovid. Faſt.* &c. *Comitialis* morbus, de quo vide infrà *Sontes*, ſic dictus, quòd ſi quis eò correptus in Comitiis concidiſſet, *Comitium populi labes horrenda dirimit*, ut ait Serenus Sammonicus. Homo verò *Comitialis* dictus eſt, litium ſectator & perpetuus cauſarum concatenator, Angl. *a wrangler in the law or a litigious perſon*, Thom. Godwyn. *Antholog. Rom. l.* 3. *Sect.* 1. *c.* 1. Item *Comitiatum*, celebratio Comitiorum: Unde *Comitiatum & concionem avocare*, apud A. Gellium, *l.* 13. *c.* 16. eſt, impedire ne Comitia habeantur. In Legg. XII. Tabb.

De

De capite civis, niſi per maximum Comitatum, ne ferunto, i. e. per Centuriata Comitia, in quibus populus deſcriptus cenſu, ordinibus, ætatibus, plus adhibebat in ſuffragium conſilii, quàm fuſè in Tribus vocatus. Mentionem legis facit Cicero *de Legg. l.* 3. & *Orat. pro Sextio*. Vide quoque infrà voce *Privilegium*, & plura apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 6. De *Comitiis* veterum Francorum, dicemus infrà, voce *Malbergium*, it. *Mallus*, *Placita* &c. Vide quoque *Parlamentum*, *Roncalia*.

COMITIATUS, dignitas, cujus formulam exhibet Senator, *l.* 8. *Ep.* 23. & *l.* 7. *Ep.* 32. Erat is Vicarius *Principis* (officialis ita dicti) in urbe Roma. Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COMITIANI, in *l.* 18. *Cod. Theodoſ. de Cohortal.* dicuntur Officiales Comitis Orientis. In *Nov. Juſtin.* 30. *c.* 1. & 2. Comitis Domorum Officialibus idem nomen tribuitur, apud *Eund.*

de COMITIBUS Natalis, vide *Natalis*.

COMITIVA, Comitis dignitas. Sic *Comitiva utriuſque Ærarii*, *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de quæſtionibus Mag. offic.* appellant ſacri & privati ærarii præfecturam &c. *Comitiva* autem titulus omnibus ferè dignitatibus aulicis ſemper adfixus atque adjunctus fuit, quaſi quoddam honoris incrementum, iiſque tantùm tribui ſolitus, qui dignitatis alicujus aut Magiſterii Præfecturæque meritò pollerent; adeò, ut poſteriorum Imperatorum ævo, nulla planè inveniretur in Aula dignitas, quæ non *Comitiva* honore eſſet ornata. Fuêre tamen & quidam ſolò honore *Comitivæ* præditi, abſque ulla alia dignitate aut Præfectura: qui *Comites in Palatio* vel *intra Palatium*, dicebantur, meminitque *Cod. Theodoſ.* tit. *de Comitibus Vacant.* *Qui poſt probatos labores in noſtro Palatio Comites eſſe meruerunt.* De *Comitivæ* triplici gradu, diximus ſuprà. Quando autem cœperit hæc *Comitum* honoraria appellatio, ſingulis quibuſque in Aula dignitatibus attribui ſolita, ut diximus, & cujus Imperatoris inventum fuerit, non facilè decerni poteſt. Plerique à Conſtantino M. id primum inſtitutum contendunt. Sed certum eſt, non ejus tantùm ævò, ſed omnium omnino etiam retro Principum Comites Amicoſque Imperatoris in varias claſſes fuiſſe ſemper diſtributos. Erant Amici primæ, ſecundæ & tertiæ admiſſionis, Lamprid. *in Alexandro*, *c.* 4. ptinde & Comites. Omnes namque, qui cum dignitate in comitatu Principis erant, *Comites & Amici Principis* appellati ſunt; ſoliſque his dignitatibus *Comitis* nomen invenitur datum, quæ Principis comitatum obſervarent, aut ab eo ordinarentur, adeoque omnes, hâc appellatione donati erant de domo Auguſta. Reliqui Magiſtratus, qui Auguſtum non comitabantur, aut qui ab ipſo non ordinabantur, *Amicorum* quidem nomine honorabantur ab Auguſto, ſed non *Comitum*, &c. Salmaſ. *ad Treb. Pollionem in Vita Macriani*. Plures vocis *Comitiva* ſignificationes vide apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COMITORES, apud Catalanos dicuntur qui ordine Militiæ ſeu Vaſſallatus, poſt Vicecomites & ante Vavaſſores, recenſentur in *Actis* antiqq. Hinc in *Uſaticis* Barcinon. MSS. *c.* 70. *de Curia Principis*, dicitur: *Sunt in ea Principes, Epiſcopi vel Abbates, Comites & Vicecomites*, Comitores *& Vavaſſores, Philoſophi & Sapientes, atque Judices*, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COMIUS, Atrebas, quem Cæſar Atrebatibus Regem conſtituerat. Cæſ. *l.* 4. *Comm. c.* 21.

COMMAGENA, vel *æ*, urbs Pannoniæ ſuperioris 24. mill. paſſ. Vindobonâ diſtans, in *veter. Itiner.* Vide *Comagenum*.

COMMANDINUS Fridericus, Urbinas, Mathematicus celebris, primus quædam Græcorum Auctorum ad ſcientiam hanc pertinentia, Latinè vertit; Euclidem in vernaculam linguam tranſtulit ac eruditò *Commentario* illuſtravit, pluraque alia ſcripſit, apud Franc. Mariam Ducem gratiâ florens. Obiit A. C. 1575. ætat. 66. vide Thuanum, Voſſium, *de Scient. Mathemat. c.* 15. §. 1. *c.* 16. §. 16. *c.* 49. §. 23. *c.* 65. §. 42. Anton. Teiſſier, *Elogue*, *Part.* 1. &c.

COMMANI, populi circa Margianam. Plin. *l.* 6. *c.* 16.

COMMEATALIS Miles, cui *commeatus* dabatur: cujuſmodi *Commeatalem* qui ex milite faciebant Tribuni, pecuniam ab eo auferebant; quod prohibuit Juſtinianus, *Cod. de Offic. Pr. P. Africæ*, *l.* 2. *Et nullum audeant Duces vel Tribuni* commeatalem *de ipſis dimittere, ne dum ſibi lucrum ſtudent conficere, incuſtoditas noſtras relinquant provincias.* Idem lege cavit Anaſtaſius, *Cod. de erog. mil. ann.* E quibus colligimus, eorum quos dimittebant, aut quibus *commeatum* dabant militum, ſtipendia Tribunos in ſinum convertiſſe, aut aliquid eò nomine ab illis extraſiſſe, unde fortè *ſtellatura*, [illegible], dicta eſt, quam Tribunis milites pro *commeatu* dabant: nam [illegible], *mittere* eſt, hinc στόλος Græcis, qui Latinis *commeatus*. Aliam tamen, nominis rationem Salmaſius reddit, vide infrà in voce *Stellatura*. De *Jure* verò *commeandi*, aliiſque huc pertinentibus, vide Hug. Grotium, *de Jure Belli & pacis*, *l.* 3. *c.* 21. *num* 14. *& ſeqq.*

COMMELINUS Hieronymus, Gallus, an Duacenſis, doctiſſimus poſt Henr. Stephanum Typographus, Heidelbergæ plurimos Auctores Græcos, hactenus ineditos, typis mandavit. Obiit A. C. 1597. Vide *les Eloges* Ant. Teiſſieri, *Part.* 1.

COMMEMORATIO Laudum, olim in funeribus uſitata, indigitatur Statio, *l.* 8. *Thebaid. v.* 108.

Talia fatidico peragunt ſolemnia Regi.
Cen flammas ac dona rogo, triſteſque rependunt
Exequias, molleſque animant tellure reponunt.

Cujuſmodi *Commemorationes* Parentalium locô habebantur. Auſonius, *præfat. Parental. v.* 5.

Nania funereis ſatis officioſa querelis.
Hoc ſatis & tumulis, ſatis & telluris egenis.
Voce ciere animas funeris inſtar habet.
Gaudent compoſito cineres ſua nomina dici;
Ille etiam mæſti cui defuit urna ſepulchri
Nomine ter dictô pene ſepultus erit.

Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Thebaid. d. l.* & infrà, ubi de *Parentalibus*, aliiſque paſſim. Hinc *Commemoratio*, in Communione Romana, dicitur recitatio nominum eorum, quos *Fideles* vocant, in Miſſæ Liturgiis. Vide Avitum Vienn. *Ep.* 4. & 11. Radulfo, *Memoria Sanctorum*, item *Suffragia Sanctorum*. Quæ *Commemorationes de Cruce; de B. Maria, de Titularibus totius Eccleſiæ Petro & Paulo, ac pro Pace, ſerè fieri ſolent*, ut ait Dominic. Macer, in *Hierolex.* Omittuntur autem in Adventu, tempore Paſſionis & Paſchatis. Id. De *Commemorationibus Defunctorum*, quorum mentio in Concilio Bracar. *can.* 39. Vide infrà in voce *Deptycha*, item *Funebre Officium*.

COMMENASES, Indiæ fluv. in Indum fluens, *Arrian.*

COMMENDA, prædium eſt, ſeu beneficium Eccleſiaſticum, vel Monaſticum, ſecularibus vel aliis fiduciariò jure conceſſum, Luitprandus, *l.* 4. *c.* 3. *Commendavit illi, ſeu, quod verius eſt, in eſcam dedit Eccleſias.* Cujuſmodi *Commendarum* auctorem fuiſſe ajunt Leonem IV. in gratiam Epiſcoporum ac Clericorum, qui ſuis Eccleſiis, propter irruptionem & invaſionem Saracenorum ac deprædationem Siciliæ maximæque partis Italiæ, pulſi erant, abuſu hôc poſtmodum latiùs propagatò. Hinc *Commendare*, h. e. *dare in Commendam*, de quo ritu pluribus agit Car. du Freſne, in *Gloſſario*, vide infrà quoque in voce *Commendati*, it. *Mittio*.

COMMENDARE Diis vel *Commendare* ſimpliciter, apud Æl. Spartian. *in Adriano*, *c.* 26. *Natali ſuò ultimò, quum Antoninum commendaret, prætexta ſponte delapſa caput ejus operuit*: eſt εὔχεσθαι ὑπὲρ τινός. Nempe rem divinam faciens Adrianus, vota pro Antonino, recèns in filium adoptato, nuncupavit: quod die Natali olim ſolenne erat; quem proin cognati & propinqui communi religione celebrabant. Extat Adriani ejuſdem Schedium, die ejus natali ad Matrem miſſum, quò ipſam & ſorores ſuas invitat ad cœnam, ut communibus votis pro mutua ſalute Deos orent, apud Salmaſ. *Not. ad Spartian.* Unde phraſis, *Natalem alicujus commendare*, apud Spartian. in *Geta*, *c.* 3. & Æl. Lamprid. in *Alexandro*, *c.* 13. Hinc *Commendationes*, in *Statutis* Ordinis de Semptingham, vide Order. Vitalem, *l.* 5. uti de more *Commendandi Senatus filios*, cùm togam ſumerent virilem, infrà voce *Tyro*: de more moribundorum *neceſſitudines ſuas aliaque amicis commendandi*, Barn. Briſſonium, VII. *Formul.*

COMMENDATI, apud Recentiores, dicuntur Liberti, qui Patroni, ſeu Manumiſſoris patrocinio poſt libertatem impetratam ſe *commendabant*. Quippe per *Chartam ingenuitatis*, ſervò in libertatem aſſertò, facultas dabatur, ſeu Eccleſiæ, ſeu alterius cujuſdam, qui ejus ingenuitatem tueretur, patrocinio ſe commendandi, ut patet ex Marculfo, *l.* 2. *Form.* 32. Legibus verò Scaniæ editis ab Andr. Suenonia Archiepiſcopo Lundenſi, *l.* 6. *c.* 5. ſervum, ſtatim atque libertatem conſecutus erat, *ingenuorum aliquis ſuo generi conjungebat, eum in ſuum conſanguineum eligendo, & qui pro ſactis ejus ſe ſponderet reſponſurum, & hoc facto pro parte tertiâ præſtandæ ſatiſfactionis onus ſuſtinebat, vel pro parte tertia recipiendæ ſatiſfactionis lucrum percipiebat cum Liberto, dupla minore ſemper liberto, quàm ingenuo, ſatiſfactione pro homicidio manente.* Neque verò Libertini tantùm, ſed & quivis villarum incolæ, qui ſub Dominorum tutela & protectione vivebant & in ſignum ejuſmodi protectionis, certam præſtationem annuam vel ſervitium iis exſolvebant, *Commendati* dicuntur, in *LL.* Wiſigoth. Longobard. alibique paſſim. Interdum tamen ita clientelæ ac patrocinio domini alicujus ſe *commendabant*, ut obnoxiæ conditionis cenſerentur, & tanquam ſervi, ſi fugitivi eſſent, retraherentur, ut eſt in *L.* Ripuaria, *tit.* 72. §. 5. Hâc enim lege alterius ſe commendabant poteſtati, ut, quoad viverent, de victu ac veſtitu ſibi ab illo caveretur, cui *ingenuili ordine*, h. e. abſque ingenuitatis ac libertatis præjudicio, ſervitium ac obſequium ſeſe præſtituros profitebantur; additò, quòd ab eo ſe ſubtrahendi poteſtatem non haberent, ut eſt in *Formulis ſecundùm L. Rom. c.* 44. Vide Car. du Freſne in voce *Affidati*. Nonnunquam verò ſervis ipſis *Commendati* hujuſmodi accenſebantur &c. Non multùm abſimile fuit *Jus applicationis* apud Romanos, ab Athenienſibus ortum, apud quos peregrini ſe alicui opulento civi in clientelam dabant dicabantque. Hinc *Commendare ſe in clientelam*, apud Terentium, *Eun. Actu* 5. *ſc.* 8. *v.* 9. &c. Vide quæ hanc in rem congeſſit Hadr. Turneb. *Adverſar. l.* 14. *c.* 32. & Car. du Freſne, in *Gloſſario*, ut & hîc paſſim, ubi de *Clientibus*, *Manumiſſione*, *Patronis* &c.

COMMENDATITIÆ Literæ ſeu Epiſtolæ dicebantur, quæ ab Epiſcopis dabantur ad alios Epiſcopos, quibuſcunque ſuæ diœceſeos peregrinaturis, ut in ſacris ſynaxibus, tanquam fideles, admitterentur, vel ad munus aliquod ſacrum promoverentur, vel ut ſubſidiis viaticiſque inſtruerentur, aliaſque ob cauſas. Συστατικαὶ Græcis. Cujuſmodi Literarum formulæ atque exempla proſtant apud Fortunatum, *l.* 5. *Poem.* 19. & *l.* 10. *Poem.* 19. in *Formulis* veterib. apud Bignonium, apud Pithœum in *Gloſſis* ad Julian. Anteceſſ. alibi. Apud Rainardum Abbatem Ciſtercienſem, *Commendatitiæ literæ* Abbatum, Monachis ad aliam Eccleſiam tranſire volentibus datæ occurrunt, in *Inſtitut. c.* 11. Epiſtola verò *Commendatitia* ab Epiſcopis, pro Clericis ſuis, ad Principes & Viros illuſtres ſcripta, ut euntibus ac redeuntibus res neceſſarias illi ſubminiſtrent, *Commendatitius Indiculus* dicitur, cujus Formulas binas Lectori exhibet Marculfus, *l.* 2. *formul.* 50. & 51. apud eundem Car. du Freſne, in *Gloſſar.*

COMMENDATOR, in Eccleſia Romana dignitas ſeu officium eſt in Ordinibus Militar. Religioſ. verbi gratiâ, S. Joannis Hieroſolym. *Magiſter ſive Commendator*. *Commendator Domorum*, in Militia B. Jacobi, apud Innocentium III. *Ep.* 11. *Preceptor*, in Militia Templi, apud Car. du Freſne, ubi *ſuprà*. Vide quoque infrà voce *Præceptores*, it. ubi de *Templariis*.

COMMENDONUS Joh. Franciſcus, Cardinal. à Pio IV. ad Proteſtantes Germaniæ Principes miſſus, laudatur, quòd Pontifice ſuò moderatior fuerit. Ejus curâ Concilium Tridentinum in Germania publicatum, & Evangelicis in Auſtria concionandi libertas adempta. In Polonia coronationi Henrici III. interfuit. Spond. *Annal. Eccleſ.*

COMMENSALIS Ducis, apud Perardum in *Burgundicis*, vide infrà *Conviva*.

COMMENTACULA, virgæ dicebantur, quas Flamines portabant, pergentes ad ſacrificia, ut populum à ſe amoverent, *Feſt.* Similem virgam tenens æditimus ſeu famulus ſacrorum, Sacerdoti in templum pergente, ipſum præcedebat, populumque his verbis affabatur, *Hoc age*, ut infrà videbimus, voce *Victima*.

COMMENTARIENSIS, Plin. *l.* 7. *c.* 38. dicitur, cuſtos quidam carceris, qui Triumviro capitali, cujus ſumma carceris ac animadverſionis cura fuit, parebat: teſte Valerio Max. *l.* 5. *c.* 4. ex. 7. qui, cuſtodem carceris pietatem filiæ, in carcere matrem lacte ſuô ſuſtentantis, ad Triumvirum detuliſſe narrat. In caſtris *Commentarienſes* Sigonius fuiſſe ait, qui obſequia militum, excubias commeatuſque perſcriberent. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 9. *c.* 17. & *l.* 10. *c.* 8.

COMMENTIOLUS, ex Ducibus Mauritii Imperatoris, cujus operâ contra Hormiſdam Perſarum Regem feliciter ſemel atque iterum uſus eſt. Circa A. C. 583. Vide Niceph. *l.* 18. *c.* 8. 11.

COMMERCIA, generi humano perquàm neceſſaria, abundantiâ unius regionis alterius inopiam penſant, & quæ ad vivendum vel ſaltem commodè vivendum cuique neceſſaria ſunt, largè ſuppeditant. Qui enim Athenæ olim, cui τὸ λεπτόγεων Thucydides, *l.* 2. tribuit: & ſimilis hodie Athenis tàm ſterilitate terræ, quàm ingeniorum fertilitate Norimberga: Decus item mediterranei maris Venetiæ, ſine *Commerciis*, unquam tales tantæque evaſiſſent? Quin etiam, ſi vel maximè fertili agri ſita ſit civitas, multa tamen utilia, multa quoque neceſſaria deſint oportet; Cùm ſecundùm Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 54. 57.

> —— *Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ,*
> *India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.*

Quare Emporia conſtituta, Nundinæ conceſſæ, electa quoque ſunt pro *Commerciis* ſtabiliendis Oppida, quibus Stapulæ jus concederetur, eoque vectores cogerentur, non prius cum mercibus alorſum pergere, quàm expoſitis per aliquos dies in Stapulæ foro ſuis mercibus. Vide apud Limnæum, *Jur. Publ. l.* 2. *c.* 9. *num.* 31. Hinc jure gentium non tantum perſonis, ſed & *mercibus*, de tranſitu per alienas terras cautum eſt. Nam quo minùs gens quæque cum quavis gente ſepoſitâ commercium colat, impediendi nemini jus eſt: id enim permitti intereſt ſocietatis humanæ; nec cuiquam damno id eſt. Quam in rem Philo, *Leg. ad Cajum*, Πᾶσα δὲ θάλαττα φορτηγοῖς ὁλκάσι διαπλεῖται ἀδεῶς, [illegible] *Mare omne navibus onerariis tuto ſatis navigatur, eô commercio, quod ex naturalis ſocietatis deſiderio inter nationes intercedit, dum mutuo aliarum copia aliarum inopiæ ſuccurrit. Nam invidia nunquam uni orbem univerſum, aut magnas ejus partes invaſit.* Et apud Florum eſt, *l.* 3. *c.* 6. *Sublatis* commerciis, *rupto fœdere generis humani.* Euripides quoque *Supplicibus* Theſeum inducens loquentem, his, quæ humana ratio in commune bonum reperit, navigationem propterea annumerat, his verbis:

> Πόντου τε ναυστολήμαθ' ὡς διαλλαγὰς
> Ἔχοιμεν ἀλλήλοισιν ὧν πένοιτο γῆ.
> *Et cuique terra quæ ſuum ingenium negat,*
> *Supplere ratium pelagus diſcurſibus.*

Quoniam autem tranſeuntibus mercibus ſecuritas præſtatur, aliaque ob hoc onera ſuſtinentur, ad ea compenſanda vectigal aliquod mercibus imponi permittit idem Jus, dum modus cauſæ non excedatur. Sic vectigal equorum & æris, quæ Iſthmum Syriacum tranſibant, accepiſſe Rex Salomo legitur, 1. *Regum, c.* 10. *v.* 28. & *c.* 12. *v.* 14. De thure Plin. *l.* 12. *c.* 14. *Evehi non poteſt, niſi per Gebanitas. Itaque & horum Regi penditur vectigal.* Sic ditati Maſſilienſes ex foſſa, quam ex Rhodano in mare Marius duxerat, τελώνιοι τοὺς ἀναπλέοντας καὶ τοὺς καταγομένους. *Vectigal exigentes ab iis, qui navibus aſcenderent aut deſcenderent*, ut Strabo narrat, *l.* 4. Idemque, *l.* 8. nos docet, Corinthios ab antiquiſſimis uſque temporibus vectigal percepiſſe, de mercibus, quæ ad vitandum Maleæ flexum, terrâ de mari in mare transferebantur. Quemadmodum pro Rheni tranſitu pretium accipiebant Romani. *Etiam in pontibus pro tranſitu datur*, inquit Seneca: & de fluminum tranſitu pleni ſunt Jurisconſultor. libri. Sed frequens eſt, ut æquus modus non ſervetur, cujus rei Phylarchos Arabum incuſat Strabo, *l.* 16. hôc additô: Χαλεπὸν γὰρ ἐν τοῖς τραχέσι καὶ τοῖς αὐθάδεσιν [illegible] τὸ τῷ ἐμπόρῳ ἀλυσιτελές, *Difficile enim eſt, ut inter validos & feroces definiatur modus mercatori non gravis.* Vide de iiſdem Phylarchis, Petrum de Valle, *Itiner. Tom.* 4. & plura hanc in rem, apud Hug. Grotium, *de Jure Pacis & Belli, l.* 2. *c.* 2. *num.* 13. & 14. Auctorem Anonymum, *Orbis Terr. Geogr. & Civ. c. de Commerciis*, Sprengerum, *in der kurtzen Wechſel-Pratick, p.* 12. & *ſeqq.* Jo. Baptiſtam Taverner, *Itiner.* & hic paſſim, ubi de *Comite Commerciorum, Foro, Mercatura, Stapulis* &c. item ubi de mercium qualibet, ſuô locô.

COMMERCIUM, vulgò *Commerci*, ex vico caſtrum, dein urbecula Galliæ in Barenſi Ducatu ad Moſam fluv. via 3. leuc. ſupra Fanum D. Michaëlis, & 5. à Tullo in Ortum: in finibus Leucorum. Vide Valeſ. *Notit. Gall.*

COMMILITONES, ſæpe milites ab Imperatorib. Romanis appellari ſoliti, ut de Julio aliiſque legimus ferè omnibus, præter Auguſtum. Addit Maximinus vocem *ſacratos*, apud Capitolin. in *Gordianis* tribus, *c.* 14. ut eos ſacramenti militaris admoneat, cujus erat religio maxima; idque præcipuum fidei vinculum. Illud verò, quod ſequitur, *Συστρατιῶται*, *imò etiam mei conſecranei*, quod idem eſt, ac *Commilitones*; ſive eorundem ſacrorum participes &c. Caſaubonus *ad l.* Sed *Conſecraneus* majus aliquid eſſe, quàm *Commilitones*, hinc colligit Freinshemius, quod aliàs ridiculus fuiſſet Maximinus, idem bis dicendo. Suſpicatur ergo eos ſic vocâſſe, ut revocaret in mentem, ipſos ſe conſecraſſe, feciſſeque Imperatorem, *Not. ad Curtium, l.* 9. *c.* 2. Quod an ſubſiſtere poſſit, videbimus infrà voce *Conſecranei*. Cæterum de compellatione hac Briſſonium inprimis vide *de Formulis, l.* 4. rationem verò habes apud Clapmarium, de *Arcanis, l.* 6. *c.* 16.

COMMINELLI, ſeu **COMMUNELLI**, in *Conſtitut.* Friderici II. Imperatoris *contra Catharos & Patar.* Hæretici fuêre, quod omnia communia haberent, ſic dicti, apud Waddingum in *Annal. Minor. A. C.* 1254. *num.* 16. laudatum Carolo du Freſne in *Gloſſar.*

COMMISSI, apud Caſinenſes dicuntur, qui aliis *Converſi*: Haefrenus, *Diſquiſit. Monaſt. l.* 3. *tract.* 2. *Diſquiſit.* 8. In *Regula* Benedictinarum Monialium, *Commiſſa* dicitur Monialium famula, apud Macrum in *Hierolex.*

COMMITTERE pugnas, apud Statium, *l.* 6. *Theb. v.* 143.

> Cui *Superûm noſtro* committere *ſanguine pugnas*
> *Dulce fuit!*

Ordiri eſt, verbum à Circenſibus (vide ſuprà *Circus Max.*) deductum. Nonius Marcellus, *Committere dicitur initiare.* Virg. *l.* 5. *Æn. v.* 113.

> *Et tuba* commiſſos *medio canit aggere ludos.*

Varro *Endymionibus*, *Diſcumbimus menſatim Dominus maturè ovô cœnam commiſit.* Vide quædam notata Jac. Rævardo, *ad c.* 14. *de Regulis Juris*, Fr. Duarenum, *ad idem c.* J. Robertum, *Animadverſ. l.* 3. *c.* 18. Joſ. Scaligerum *ad Varronem, de Re Ruſt. l.* 3. &c. Alioqui *committere*, committeri eſt, quô ſenſu verbum occurrit apud Cæſarium Arelat. *Homil.* 38. Vide quoque eoſdem Jureconſultos. Quia autem grandi, ſed conciſô ſonô, *committebant* illos ludos tubæ, non aliò atque aliò, ſed eôdem ſemper tenore, hinc anſam habuit Senecæ eloquentiam *Commiſſiones meras* dicendi Cajus Princeps, uti videmus apud Sueton. *Calig. c.* 53. Cui intellectui non obſiſtit, quod lenius continuſque dicendi genus in eodem Scriptore, ex ſuo ſenſu, agnoſcere videatur Suetonius. Diverſô enim modô utrumque verum: affectavit enim comptum quid Seneca, & tamen ubique oſtentat Declamatorios floſculos, ſententias vibrantes, ſecundùm Petronium, & quandam vehementiam non cohærentem, ſed ſimilem tubæ clangori, iterato ſæpius, & quodammodo tumultuanti. Sed & *Commiſſiones* altercationes ſeu liticulæ perhiberi poſſunt; qualibus Senecæ ſcriptio accedere videatur: Ita conciſus eſt periodis, & removet, quodammodo ſemper iraſcendo, tàm malos mores, quàm adverſarios Philoſophos. Sic *committere*, in lites conjicere, diſſidere facere eſt, eidem Suetonio paulò pòſt, *c.* 56. *ejuſd. libr.* Quô ſenſu Homerus, *Il.* α. *v.* 8. ait.

> —— ξυνέηκε μάχεσθαι &c.

Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium, d. l.* Quot autem in diem fuerint Circenſium commiſſiones, dicemus infrà in voce *Miſſus*. De *Commiſſionibus* verò *Artificum* annuis, in feſto Χαλκείων, Athenis inſtitui ſolitis, vide infra ubi de *Manuariis Artibus, & Opificibus*. De aliis, ubi de *Agonibus, Certaminibus* ſeu *Ludis Gymnicis, Seras ſcriptis, Verrio Flacc.* &c.

COMMODA Diæta, nova methodus, & Inquiſitione potior viſa ad Proteſtantium doctrinam è Bohemia profligandam; de qua ſic Cl. Heideggerus, *Experientiâ edocti*, fortiores illas purgationes, *ſanguinis effuſiones, vivicomburia, præcipitationes in fodinas Cutenbergenſes*, ad hæreſeos morbos pellendos hactenus adhibitas, parùm profuiſſe. Tentandum eſſe jam, utrum Commodâ Diætâ (*ſic loquebantur cùm Eccleſiis Paſtores, uxoribus mariti, parentes liberis, bona ſingulis eriperent & miſeram vitam poſtea ſuperpondii locô, nullô juris proceſſu, ſed per milites ſpoliatis, longôque & tetrô carcere maceratis vel adimerent, vel in exilium, quod* Diætam *vocabant, expellerent*) curari poſſint Hæretici, itaque non mortibus afficiendos (quibus illi tanquam martyriis exultarent) ſed aliis viis fatigandos & ad obedientiam reducendos eſſe. Proinde & odioſum illud ac durum nomen Inquiſitionis, in mollius Reformationis commutandum eſſe. *Hoc decretum in ſecreto ſacroque Conſilio Romæ A. C.* 1617. *inter medios belli apparatus, initum concluſumque eſſe, certis indiciis poſt innotuit, & eventu ipſô comprobatum eſt — Primò igitur omnium imbelles — Anabaptiſtas proſcripſerunt: inde Evangelicos variis artibus aggreſſi, ſenſim eos tum minùs exactionibus, tum oppreſſionibus, promiſſis, minis, etiam tormentis & carcere, partim ad apoſtaſiam, partim ad fugam & exilia compulerunt: talique, ſi Diis placet,* Diætâ, *univerſam Bohemiam, Moraviam & Auſtriam poſtliminiò Pontifici Roman. ſubjecerunt.* Vide eum, *Hiſtoriâ Papatus Period. VI.* §. 256. ex Authore *Perſecutionum Bohemicarum*, teſte αὐτόπτῃ, *c.* 45. & *ſeqq.* Haud pridem in *Diætæ* hujuſmodi locum *Hoſpitationes dimachorum* ſeu *draconum*, in alio Europæ regno, ſucceſſerunt, ut cuique notiſſimum.

COMMODA Publica quicumque ultimâ auxit, quique effecit, ut Reſpubl. vitatâ invidiâ, miſeriâ, calamitate, honorem, fauſtitatem, felicitatem adipiſceretur, is, velut malorum præclariſſimus victor, coronâ ſolebat donari. Cujuſmodi, præter alios illuſtres viros, Lycurgus fuit, à Populo ob eam cauſam ſæpius coronatus, ſtatuamque adeptus; Demoſthenes item, qui primò quidem à Democle Ariſtonico Hyperide, ultimò à Creſiphonte, coronatus eſt. Certè in decreto, quod factum eſt ſuper Lycurgo Butade, poſt-

quam

quam ejus in Rempubl. benefacta commemorata ſunt, additur, *cùm autem viſus eſſet omnia hæc juſtè adminiſtraſſe, ob eam rem corona ei data eſt*, vide Plut. in *Lycurgo* & *Demoſthene*. Ad quod exemplum quâ re quiſque Reipubl. maximè prodeſſet, ob eam rem coronâ donabatur. Et verò Æſculapium uſque eò conſtat fuiſſe coronatum, ut is nunquam effigietur, ſine corona, veluti Victor morborum. Quæ corona index fuit clariſſimæ Artis; cùm multùm diſſimiles illæ, quas coquis talibuſque voluptatum lenonibus, perditiſſimos Sybaritas dediſſe, legimus apud Athenæum, *l.* 12. Itemquam, propter longiorem compotationem, præmii loco accepit Xenocrates, apud Laërtium, *l.* 4. quamque calumniæ doliquemali crimine convicti, cum per urbem circumvectarentur, è myrica geſtâſſe leguntur, Spartæ, apud Diodorum Siculum, *l.* 12. &c. Vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 7. *c.* 6. & plura de præmiis *Bene de Publico merentium* ſuprà, in voce *Benemeriti*. it. infrà *Veteranus*, ubi etiam alia vocis notio. Addo hoc unum in libello *de Re milit.* qui adjici ſolet *Notitiæ utriuſque Imperii*, *Commoda auctoritate varia priſcarum moneta: Commodas monetas*, eſſe integrô margine, ſeu, ut Procopius vocat, *κονδαμίου δαπανήματος*, *de Bello Gothico*, *l.* 3. Apud Plautum, *Rud. Actu* 3. *ſc.* 2. *v.* 31. *Commodum talentum*, *ἰσόσταθμον*, *Commoda mina μνᾶ ἰσόσταθμος*. At *Commodum talentum magnum*, talentum *ὑπερσήκωμα*, Joh. à Wowee, *Not. ad Minucium.*

COMMODÆ Idus, in lapide Lanuvii,

IDUS COMMODAS
ELIANO COS.

Auguſtæ ſunt, *Commodum* enim hunc menſem dici voluit, Commodus Imperator. Quemadmodum idem appellavit Romam *Kommodianam*, & *Commodiana caſtra* apud *Dionem*; *Coloniam Commodianam*, apud Lamprid. *c.* 8. Et claſſem Africanam, quam æmulaturus Auguſtum inſtituit, *Commodianam Herculeam*, *c.* 17. &c. Vide Caſaubon. & Salmaſ. *Not. ad Lamprid.*

COMMODUS L. Aur. Antoninus, M. Antonini filius, patri diſſimillimus, cui etiam in imperio ſucceſſit. Sub Onesicrito, Attejo & Amiſtio, humaniores artes didicit. Sub Philoſophis, morum magiſtris, nihil profecit, naturâ in omne ſcelus pronâ; Alter Nero, Hercules vocari voluit, clavâ & leoninâ inſignis. Imo aras & delubra ſibi popoſcit, Senatu turpiter adblandiente. In Chriſtianos, in proceres ſævus. Moribus perditiſſimis, nonniſi conſimiles evexit: Cum gladiatoribus & feris in arena colluctatus. Tandem Marciæ, Læto & Electo mortem parans, ab illis præventus, venenum primo hauſit, mox ab athleta quodam ſtrangulatus eſt. A.C. 192. ætat. 31. Imperii 13. Vide Lamprid. *in ejus vita*. Eutrop. *Hiſt. Rom. l.* 8. Onuphr. *in Chron.* imprimis Herodianum, *l.* 1. De hoc Auſonius, *Cæſarib. Epigr.* 18.

Commodus inſequitur, pugnis maculoſus arenæ,
Thræcidicis princeps bella movens gladiis.
Eliſo tandem perſolvens gutture pœnas,
Criminibus faſſus matris adulterium.

Vide & *Lucius Antoninus.*

COMMODUS, Conſul cum Priſco an. Urb. Cond. 831. Item alius Conſul cum Cereali an. Urb. Cond 858.

COMMONE, inſula Epheſo urbi adjacens. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

COMMONI, Galliæ Narbonenſis populi. *Ptol.* In Provincia juxta littus maris Mediterranei, olim pars Salyorum, ubi urbes Maſſilia, Telo Martius, Olbia, & Forum Julii, *Baudrand.*

COMMONITORIA, in Communione Romana dantur à Pontificibus Legatis, ut vocant, Apoſtolicis, uti *Mandata* ab Imperatoribus olim iis, qui ad provincias adminiſtrandas aliâque causâ ab illis ablegabantur. *Gloſſæ Baſil.* Κομμονιτώριον, ἐντολὴ δοθεῖσα παρὰ τῶν ἀποστειλάντων, & *Suid.* Κομμονιτώριον, ἐντολὴ ἀποστελλομένω δίδοται παρὰ τῶν χειρῶν. Cujuſmodi *Commonitorii* formulam exhibet Caſſiodorus, *Variar. l.* 7. *c.* 22. vel potiùs Codex Eccleſiæ Africanæ, *can.* 93. cujus inſcriptio eſt Κομμονιτώριον, ὅπερ ἔλαβον οἱ κατὰ τῶν Δονατιστῶν ἀποσταλέντες, *Commonitorium, quale acceperunt legati contra Donatiſtas*. Poſteà latè inſtruuntur, Theaſius & Evodius, quid apud Imperatores agere debeant, vide & *Commonitorium* Zozimi Papæ, quod dedit Legatis ad Concilium Carthagin. *in princip. ejuſdem Codicis*, *in Biblioth. Juris Canon. vet. p.* 330, & Juſtelli *Notas*, p. 419. aliudque bene longum *in Annal.* Baronii, *Tom.* 10. *ad A.C.* 859. *n.* 6. *& ſeqq.* & plura de hac materia, apud Franc. Bernardinum, *de Antiquo Eccleſ. Epiſtolarum genere*, *l.* 2. *c. ult.* ut & Joann. Savaronem *ad Sidonium*, *l.* 8. *Ep.* 9. *p.* 503. *inſin.* Ex his *Commonitoriis* etiam excerpi Canones conſueviſſe, docet Gerh. von Maſtricht, *Hiſt. Juris Eccleſ.* §. 403. 404.

COMMORANTES, Monachorum genus, vide infrà *Eceta.*

COMMOSICUS, Getarum Rex & Pontifex, an. ab Urb. Cond. 719.

COMMUNE, ſeu COMMUNIA aut COMMUNITAS, apud Recentiores, eſt incolarum alicujus univerſitas, dominô vel Rege concedente, ſacramento invicem certiſque legibus adſtricta. Cujuſmodi *Communias* in Francia primus Ludovicus VII. Rex multiplicavit auxitque. Cùm enim regnante Philippô patre, in omnibus ferè provinciis Procerum invaluiſſet tyrannis, ſubditis Regique pariter gravis, *Ludovicus ---- auxilium totam per Galliam depoſcere coactus eſt Epiſcoporum. Tunc ergo Communitas in Francia popularis conſtituta eſt a Præſulibus, ut Presbyteri comitarentur Regi ad obſidionem vel pugnam, cum vexillis & parochianis omnibus*, Order. Vitalis, *l.* 11. *p.* 836. Unde crebrò legitur, in prœliis adfuiſſe & dimicâſſe urbium *Communias*, quibus prævii erant ipſi Presbyteri ſeu Curiones, cum vexillis Eccleſiæ, apud *Eund.* & Sugerium, in *Vita* Ludovici VI. *c.* 18. Ita quæ in Oppidis Regi ipſi obnoxiis duntaxat primitus *Communiæ* erant, poſtmodùm Regum conceſſu in aliis quoque, quæ Epiſcoporum erant, introductæ ſunt. Ipſe verò Ludovicus VII. novas ſtatuit in iis, quæ ſui juris erant, quibus & leges dixit. Poſt quem etiam Regii Vaſſalli in ſuis oppidis idem inſtitutum imitati ſunt, eò promtiora Regum adſenſu, quòd in bellis opem ab iis expoſcere licebat. Sed & in plurimis in Vaſſallorum Civitatibus & Oppidis ſupremô jure, & Vaſſallis inconſultis, *Communias* inſtituêre Reges abſtuleréque, ſi incolæ peccâſſent, ut Laudonenſibus, poſt cæſum Galdricum Epiſcopum fecit Ludovicus VI. Ad id porro inſtituebantur *Communiæ*, ut & dominorum ſuorum & ſua propria jura ſubditi tuerentur: uti legitur in *Charta* A.C. 1204. Alienoræ Reginæ Angliæ & Ducis Aquitaniæ, apud Car. du Freſne. Inter *Communiæ* vero jura præcipua, recenſentur *Scabinatus*, *Collegium*, *Majoratus*, *Sigillum*, *Campana*, *Berfredus & Juriſdictio*. In *Chartis* præterea earum deſcribebantur Leges, quibus delinquentes incolæ ſubdebantur, & penſitationes, quas præſtare dominis vel Regi debebant, ut docet Guibertus, *de Vita ſua*, *l.* 3. *c.* 7. Quâ ratione cum ab omni jugo ſervitutis harum incolæ eximerentur & ſibi invicem confœderati & juramentô adſtricti ſua jura tuerentur, conſtitutiones ejuſmodi Communitatum *Libertates*, ipſæ quoque Communiæ *Juratæ* & incolæ *Jurati*, ſunt dicti, &c. Car. du Freſne, in *Gloſſar.* ubi diplomata, præſertim quæ *Communiæ* titulum præferunt, à Regibus Proceribuſque Galliæ, variis Oppidis conceſſa, ſecundùm literas Alphabeti, ordine enarrat: Plura vocis *Commune* vel *Communia* ſignificata, vide apud *Eund.*

COMMUNES, dicti Imperatores & Principes, qui cum privatis ex æquo viverent: quam virtutem Græcos vocâſſe *κοινότητα*, ex *Xenophonte* diſcimus. *Ex æquo* id vocat Plinius, *l.* 6. *c.* 25. ubi de Scythis, ad quos pertinebant Parthi; quod perperam interpretatus eſt, *concorditer* Solinus, p. 55. Cæteræ enim nationes, quæ Parthis parebant, nec rebellabant, concorditer cum his agebant, at non *ex æquo*, ut Scythas degere cum iis Plinius ſcribit, i. e. *pari jure*. Namque & Scythæ liberi erant, nec Perſarum dominationi obnoxii. Laudat imprimis hanc virtutem in Trajano ſuo Plinius *in Præfat. Hiſt. Natural. Sciantque omnes, quam ex æquo tecum vivat Imperium, Triumphali & Cenſorio, ſexieſque Conſule & Tribunitiæ poteſtatis participe, & quod his nobilius feciſti, dum illud Patri pariter & Equeſtri ordini præſtas Præfecto Prætorio ejus, omniaque hæc Reipublicæ. Et nobis quidem, qualis in Caſtrenſi Contubernio.* Quaſi diceret, ut ſciant omnes, quam ex æquo vivat Imperium, id eſt, qui tibi ſubjecti ſunt, quàm pari jure tecum vivant, qui Triumphalis & Cenſorius, & ſexies Conſul & cætera. In Theodoſio, Probus,

Communis Cunctis hominem ſe regna tenere
Sed meminit: vincit hinc magis ille homines.

In Attico C. Nepos, *c.* 3. *Hic autem (Athenis) ſic ſe gerebat, ut communis infimis, par Principibus, haberetur* &c. *Popularitatem* ibidem appellant &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1197. & infrà *Senſus Communis*. Cæterum colebant Athenienſes imprimis admodùm ſanctè commune jus humanitatis, quò Civis Civi eſſet communis, ut *Cicero* ait. Unde Apulejus, *Apolog. Athenienſes, propter commune jus humanitatis* &c. Vide quoque Sidonium, *in Concione*, *l.* 7. & ad eum Savaronis *Notas*. Quinam verò *Communes Dii* olim habiti, vide ſuprà *Æqui Dii*: uti de *Communibus Diebus* infrà voce *Dies*.

COMMUNICALES, apud Anaſtaſium, in *Leone III. Fecit verò Communicales ex argento puriſſimo per ſingulas regiones, qui præcederent per ſtationes, per manus Acolythorum num.* 24. *penſi ſimul lib.* &c. Vaſa ſunt argentea vel aurea, quorum inter communicandum uſus fuit, Dominic. Macer, in *Hierolex.* Vide infrà in voce *Communio*.

COMMUNICANTES, Anabaptiſtarum ſecta, qui veteres Nicolaitas imitantur, communia omnia habentes. Gautier. *Secul.* 16.

COMMUNICANTES, in Communione Romana, oratio in Canone poſita, de qua vide Macrum in *Canon Miſſæ*. Variant in aliquibus feſtivitatibus hæ preces, ut & Præfatio: aliquandò tamen diſtinguitur & ſeparatur præfatio ab oratione. Si enim v. g. feſtum S. Philippi & S. Jacobi ſeu Inventionis S. Crucis occurrerint, infra Octavam Aſcenſionis: tunc præfatio Feſti occurrentis & *Communicantes* de octava dicuntur; licet de octava non fiat commemoratio, Idem ex *Congr. Rit.* 24. *Aug.* 1627.

COMMUNICATORIÆ Literæ, Κοινωνικαὶ, item Κοινωνικὰ γράμματα, Palladio in *Vita* Chryſoſtomi, *p.* 24. dicebantur eæ, quas Epiſcopi lapſis dabant, poſtquam exactâ pœnitentiâ ad *Communionem* ſunt recepti. Item fidelibus interdum peregrinaturis, ut ab aliis fidelibus in Communionem reciperentur. Neque enim licebat quem fidelem ab aliquo ſuſcipi, ſine literis Epiſcopi ſui, Concil. Carthag. 1. *can.* 5. Vide Bernardinum, *de antiquo Eccleſiaſticarum Epiſtolar. genere*, ubi *Communicatorias* ſpeciem facit Epiſtolarum Formatarum. Iis affines *Confeſſoria*, de quibus vide infrà, voce *Confeſſor*.

COMMUNIO, Græcè Κοινωνία, inter nomina S. Euchariſtiæ, reperitur 1. Corinth. *c.* 10. *v.* 16. quæ, ut alias rationes omittam, ſic dicta eſt Pachymeri, διὰ τὸ τότε κοινωνεῖν τὸν ἄξιον πάντας τῶν μυστηρίων, *Quia primis temporibus omnes, qui digni erant, myſteriis (h. e. Cœnæ Domini) participabant.* Poſteà verò ubi deficiente zelô populus Chriſtianus *communicare* deſiit, niſi ſemel in anno, ut toties queruntur Joann. Chryſoſtomus, Joann. Caſſianus, alii: quæ prius dicebatur & erat *Communio*, fieri cœpit θέαμα καὶ ἀκρόαμα, *ſpectaculum & acroama*, Iſaac. Caſaubonus, *Exercit.* 16. §. 30. ubi accuratè de hac voce pluribus agit. Similiter ſeqq. ſeculis, ſeparatô à Clericis populô, *Communio* diſtingui, & alia *Sacerdotalis*, alia *Laica* dici cœpit: Quarum illa Sacerdotum erat, hæc Plebis, cui Presbyteri etiam ac Clerici accenſebantur, ſi quid levioris delicti commiſiſſent. Unde apud Sanctum Cyprianum, *Ep.* 52. *Admiſſus eſt Trophimus, ut Laicus communicet, non ---- locum Sacerdotis uſurpet.* Et in Canonibus, qui *Apoſtolici* dicuntur, *c.* 14. jubetur Presbyter, qui in aliena parochia inſciô Epiſcopô commoratur, κοινωνεῖν ὡς λαϊκὸς,

uter

inter Laicos communicare. Si verò culpa gravior eſſet, interdum ne *Laicâ* quidem donabantur *Communione*, ſed ad pœnitentiam relegabantur, i. e. in Claſſe pœnitentium conſiſtere jubebantur, ad Ædium ſacrarum fores, donec Eccleſiæ reconciliarentur: Concil. Sardic. *can.* 1. Clericis verò exauctoratis & excommunicatis, *Communio* hæc in fine tantùm vel ne in fine quidem concedebatur: quod poſtremus idem Concilium, *can.* 2. ſtatuit in Epiſcopos, qui artibus fraudibuſque plebem alienam concitâſſent, quò Epiſcopi poſtularentur, &c. Vide Car. du Freſne, *Gloſſar.* & hîc ubi de *Cenſura Eccleſiaſt. Excommunicatione* & *Reconciliatione.* In *Communione* verò hac ſacra, Juſtini tempore Diaconi ſacras partes populo diſtribuebant, & ad abſentes quoque deferebant. Clemens, in Alexandrina Eccleſia, ipſum populum de patina conſecratas offas accepiſſe, ſcribit. Tertullianus ſuâ ætate, non de aliorum, quàm de præſidentium manu, eas ſumi dixit. Non enim ubivis aut omni tempore, uniformis Cœnæ ritus erat. Poſteà autem frequentius Epiſcopi Presbyteris, Presbyteri Diaconis, Diaconi ferè Laicis & reliquæ Eccleſiæ plebi, ſacra ſymbola miniſtrabant. Ordine quoque aliquô *Communio* peragebatur, ut primùm communicaret Clerus, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi &c. atque hi deinceps ſanctiori Eccleſiæ loco, intra ipſa *Altarium*, ut vocabantur, ſepta: tum extra illa Populus, primò Viri, deinde Mulieres, & hæ non niſi velatæ, unuſquiſque ordine ſuô. Unde *Communionis Eccleſ.* atque *Laicæ* diviſio, retro indigitata, originem habuit. Sed optimus procul dubio *communicandi* modus eſt, quem Chriſtus uſurpavit, de quo, ut & plura hanc in rem, vide ſuprà in voce *Cœna Domini.* Sed & *Communio*, in Eccleſia Romana Antiphona vel Cantus Eccleſiaſticus, qui, dum populus communicat, decantatur à Cantoribus, inventus a Gregorio M. ut habet Honorius Auguſtodun. *l.* 1. *c.* 90. Auctor *Chronici* Reichersperg. *A.C.* 424. Cardin Bona, *Rerum Liturgic. l.* 2. *c.* 17. *num.* 1. Alii. In ritu Ambroſiano *Tranſitorium* dicitur, *quia tunc ad Epiſtolæ cornu fit tranſitus, quemadmodum in ritu Romano etiam obſervatur*, ut ait Dominic. Macer in *Hierolex.* Porrò *Communio* Paſſiva, in *Concil.* Carthaginenſi dicitur, quæ ſine diſcrimine omnibus conceſſa eſt. At *Communio* Peregrina, quæ peregrè cum Formatis advenientibus Eccleſiaſticis vel Laicis concedi ſolebat: ita ut ſi Epiſcopus peregrinus cum Metropolitani Formatis in alienam diœceſin veniret, nullô quidem in ea dignitatis ſuæ munere fungeretur, ſed in conſeſſu Presbyterorum, ſeu, ut vocabant, Presbyterio, ante Presbyteros ſederet, & ab Epiſcopo civitatis, cum cæteris Presbyteris Diœceſanis ſacram Euchariſtiam ſumeret, ſicut in *can.* 18. Nicenæ Synodi dicitur. Quod idem contingebat peregrinis Presbyteris & Diaconis, qui intra Cancellos ſedebant, ut peregrini tamen ab officio ceſſabant; communicantes tantùm tum in oratione, tum in Euchariſtia, cum aliis Presbyteris, &c. Atque hâc notione *Communionem peregrinam* accipi in Concil. Regienſi, A.C. 439 *can.* 3. contendit Sirmondus. Poſteà verò, pœnalis quædam Communio *peregrina* dici cœpit, quòd inſtar *peregrinæ* propriè dictæ eſſet. Quoties videl. Epiſcopo adimebatur Epiſcopatus, ad quem ordinatus erat, adminiſtratio; nomen verò, ordo & dignitas relinquebatur: ſic ut ſederet & communicaret cum Epiſcopis, abſtineret tamen ab officio dignitatis, atque *communicaret ut peregrinus.* Quod Baſſiano & Stephano, qui contra Canones Epheſinam comparaverant ſedem, accidiſſe legimus, in *Concil.* Chalcedonenſi, *Act.* 12. & 13. Unde conficit Car. du Freſne, leviorem fuiſſe Communionis hujus, quàm *Laicæ*, pœnam: cùm hac poſtrema Clerici gradu ſuô carerent in perpetuum; priori verò, ſi reſipiſcerent, locum recuperarent ſuum, ut eſt in *Concil.* Agathenſi, *can.* 2. Vide Sirmondum, *Hiſtor. Pœnitentiæ publ. c. ult.* alioſque auctores præfato Carolo du Freſne, in *Gloſſar.* laudatos; ut & Macros Fratres, in *Hierolexico*: de inveſtitura verò per *Communionem*, ſuô locô.

COMMUNIS Deus, dictus Mercurius eſt, de quo infrà vide.

„COMOB. in nummis Arcadii, Jovini, Placidiæ, Valentiniani, Majoriani, Severi, eſt *Conſtantinopoli Moneta obſignata*, Car. du Freſne, *Diſſertat. de infer. ævi Numiſmatibus.*

COMOEDIA, drama eſt, civiles & privatas actiones exitu lætô repræſentans, ſeu Poëma eſt dramaticum, negotioſum, exitu lætum, ſtylô populari, Scalig. *Poët. l.* 1. *c.* 6. Ejus origo hæc: Cum Apollini Nomio, i. e. Paſtorali, ob frugum proventum, feſtum agerent agricolæ, in compitis & vicis comeſſatum convenire ſolebant, & circum aras choreas ducere, ad tibiam canentes, poſteà convitiis etiam inceſſere meritos. Ea conſuetudo deinde tranſiit in civitates, ubi cives improbos ſimili pompâ, ſaltantes ac canentes, ſunt inſectati. Unde ἀπὸ κωμῶν, i. e vicis, vel ἀπὸ τοῦ κωμάζειν, i. e. à comeſſando, ſeu per vicos animi gratiâ vagando, Κωμῳδία dicta fuit: & ludos, quos vicatim exercerent, *Comœdias* dixere, *Ael.* Donatus, & Scalig. *l.* 1. *c.* 5. Vide quoque ſuprà. Ariſtoteles non à comeſſando, ſed inde dictum hoc dramatis genus vult, quòd Agricolæ oberrantes per pagos, inſectarentur urbanos, eiſque facinora ſua exprobrarent: quod cùm ob infamiæ metum efficax eſſet ad maleficia coërcenda, poſteà ad elegantiorem carminum cultum ab ingenioſis hominibus redactum fuit, & ſalibus conditum, fabuliſque in ordinem digeſtis contextum, ut gratiam eò faciliùs inveniret: Itemque conſtituta loca & tempora, in quibus agerentur, Scaliger, *dicto loco.* Erat autem initiò carmen ſimplex, ſicut & Tragœdia, quod Chorus circa aras fumantes cum tibicine concinebat: Dehinc una perſona atque altera addita eſt, quæ reſpondens alternis Choro, locupletavit variavitque rem Muſicam: Ad poſtremum, creſcente numerô perſonarum, materia ipſa locupletata fuit, donec in juſtum Poëma excreſceret. Tum certâ ornamenta adjungi cœpêre, Cothurni, Socci, cæterique habitus Scenici, &c. Fuit verò *Comœdia* triplex, *Vetus*, *Media* ac *Nova.* E quibus prima ſumma cum libertate, perſonas probrô dignas nominatim carpſit. Horat. *l.* 1. *Sat.* 4. *v.* 1. *ſ.*

Eupolis atque Cratinus, Ariſtophaneſque Poëtæ,
Atque alii, quorum Comœdia priſca virorum eſt:
Si quis erat dignus deſcribi, quòd malus, aut fur,
Quòd mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabant.

Suſarion Megarenſis eam inchoâſſe, Cratinus expoliſſe, Ariſtophanes perfeciſſe dicitur. Sed cùm Poëtæ abuti licentius ſtylô & paſſim lædere quoſvis etiam bonos cœpiſſent, lege latâ à 30. Athenienſium Tyrannis, cohibiti ſunt.

— — — *Choruſque*
Turpiter obticuit, ſublatô jure nocendi,

ut loquitur Horat. *de Arte*, *v.* 283. Vide quoque Ciceronem, *de Republ. l.* 4. Hinc Satura ſumſit exordium, quæ in peculiare genus fabulæ abiit, poſtquam & ipſa in ſuſpicionem ſiniſtram apud potentiores pervenit. Vide infrà in voce *Satura.* Dein *Media Comœdia*, in qua nullum apertè traducere fas erat, orta eſt, non tamen ad novæ acceſſit modeſtiam, cùm jus quoddam reprehendendi retineret, & Chori locô parabaſes quaſdam aſpergeret, rectius civium peccata coarguentes, Scaliger, *loc. cit.* Tandem temporibus Alexandri M. *Nova* obtinuit, quæ argumentô planè fictô fictiſque perſonis, citra amarulentiam, Lectus jucundis, ad delectandum comparata, vitam communem & vulgatos mores ſpectandos proponeret: ut ſalubria monita in mentes animoſque hominum, cum audiendi quadam illecebra, illaberentur. Unde Piſcator apud Plautum, *in Rudent. Act.* 4. *ſc.* 7. *v.* 23. conqueritur, non flecti mores populi ad virtutem Comœdiis,

Spectavi quidem Comicos ad iſtum modum
Sapienter dicta dicere, atque iis plaudier,
Cum illos ſapientes mores monſtrabant populo;
Sed cùm inde ſuam quiſque ibant diverſi domum,
Nullus erat illô pactô, ut illi juſſerant.

Hæc Iambicis & Trochaicis verſibus contenta erat, cùm antiqua plurimis carminum formis uteretur: Neque Chorum admittebat. Hodierna tamen eos interdum ſaltantes aut concinentes παρέργως adhibet, non verò loquentes. Excoluerunt eam Plautus, Terentius, Accius, Nævius &c. inter Latinos: Menander verò princeps ejus eſt habitus. Vide Scaligerum, *Poët. l.* 1. *c.* 7. Utra prior fuerit, Tragœdia, an *Comœdia*? quærunt Eruditi: Sed Ariſtoteles innuere videtur, Tragœdiam prius fuiſſe excultam: unde Horatius Tragœdiæ veterem Comœdiam ſucceſſiſſe docet, *in arte Poët.* Ex utraque mixta oritur *Tragico-Comœdia*, quæ introductis auguſtioribus perſonis exitu lætô abſolvitur, qualis eſt Plauti Amphitruo: *Comico-Tragœdiæ* verò exemplum haud extat. Partes *Comœdiæ*, omniſque Dramatis, ſunt vel *Primariæ*, vel *Acceſſoriæ*, vel *Circumſtantes*, ſeu *Accidentales.* *Primariæ* ſunt quatuor, *Protaſis*, *Epitaſis*, *Cataſtaſis* ac *Cataſtrophe*: quæ uno nomine dicuntur *Actus*, & tum Choro, qui pars erat veteris Comœdiæ, itemque Tragœdiæ opponuntur. Hæ enim duas partes, Actum & Chorum habuerunt. Aliter diſtinguebatur Drama in *Actus*, ſumptô vocabulô, non ut ſuprà, de actione tota, ſed de parte quadam ejus præcipua: & hi rurſus in *Scenas.* Actuum non plures quinque erant, ſed nec pauciores. Horatius, *de Arte Poët. v.* 189.

Neve minor quinto, neu ſit productior actu
Fabula. — —

Qui Chorô vel Muſicâ diſtinguebantur. In Scena plures quinque perſonis non introducebantur loquentes, niſi fortè conſultatio eſſet inſtituenda: mutas verò perſonas plures adeſſe non prohibet. Apud Romanos tamen plures tribus non loquebantur. Horat. *ibid. v.* 192.

— — *Nec quarta loqui perſona laboret.*

Partes *Acceſſoriæ*, quæ extra Actum, intellectus aut delectationis causâ, adhibentur: ſunt *Argumentum*, ante actum ab initio: ut & *Prologus*: In medio, inter actum & actum, *Chorus*, vel Diludia. Horat. *l.* 1. *Ep.* 19. *v.* 48.

Diſplicet iſte locus, clamo, & Diludia poſco.

Idem, *l.* 2. *Ep.* 1. *v.* 185.

— *Media inter carmina poſcunt*
Aut urſum, aut pugiles. —

Quarta pars acceſſoria *Mimus* eſt, *Satura*, & aliquando *Epilogus*: quæ olim duobus ad ſummum verbis abſolvebatur, *Valete* & *Plaudite*: hodie juſtum ſæpe carmen explet: E quibus acceſſoriis partibus ſolum Chorum ſibi Tragœdia vindicat. Partes tandem *Circumſtantes* dramatis ſunt, *Titulus*, *Cantus*, *Saltatio* & *Apparatus*: qui in Tragœdia columnis ſtatuiſque & magnificorum palatiorum picturis Scenam exornabat; in Comœdia verò, ſylvarum, rurium ædiumque privatarum imaginibus eandem ſplendidiorem reddit &c. Vide Auctores *Poëticæ Gieſſenſis*, Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *ſect.* 3. *c.* 2. Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 8. &c. Ratione habitus, adde & gentis, Comœdiæ olim aliæ fuerunt *Palliatæ*, ſeu Græcæ, aliæ *Togatæ* ſeu Latinæ: quia in illis pallium, Græcorum geſtamen, in his toga, Romanorum veſtis adhibita eſt. Unde vetus Interpres Juvenalis, *ad illud Sat.* 1. *v.* 3.

— — *Recitaverit ille togatas.*

Togatæ ſunt, inquit, *Comœdiæ Latinæ: Palliatæ Græcæ, quales Afranius fecit*: Ubi verba hæc poſteriora retrahenda, & Togatis ſubjicienda eſſe, (Afranium enim Togatas dediſſe notum eſt) monet Ferrarius. Togatarum porro aliæ nobiliores fuêre, quæ *Prætextatæ* dictæ,

dictæ, quòd in iis introducti Magiſtratus, qui in prætextis, fortaſſe etiam pueri vel puellæ prætextatæ: Aliæ minùs nobiles, in quibus viliores perſonæ compariturunt. E quibus illæ ſeriæ totæ, graves omnique turpitudine vacuæ fuêre: illæ laſciviores erant. Prioribus affines fuêre Comœdiæ *Trabeatæ*, quod novum genus Togatarum edidiſſe dicitur Meliſſus, ab Auguſto præfectus bibliothecæ in porticu Octaviæ, apud Sueton. *de claris Grammaticis*, c. 21. Poſteriores *Tabernariæ* dictæ ſunt, quòd in iis introducerentur homines in tabernis habitantes; opifices, inſtitores ac ſellularii. Cæterum Togatarum auctores ab Acrone recenſentur, Ælius Latoia, Antonius Rufus, Meliſſus, Afranius, Pomponius: qui omnes, magnô literarum damnô, præter Afranii fragmenta interciderunt. Primum autem Stephanionem Togatas ſaltare inſtituiſſe, auctor eſt Plin. *l.* 7. *c.* 48. Vide Octav. Ferrarium, *de re Veſtiar. Part.* 2. *l.* 4. *c.* 2. Comicos porrò, ut pedeſtris ſermo, ita humiles calcei, *Socci* vocati, ornabant, Plin. junior. *l.* 9. *ep.* 7. Quare *Planipedes* appellati ſunt; item *Excalceati*, à Seneca, *Ep.* 8. Claudianus, *de Conſul. Manlii Theod.* v. 313.

> *Qui plectro pulſanda chelys, qui pulpita ſocco*
> *Perſonat.*

Auſonius, *Edyll.* 4. v. 59.

> —— .... *Percurrit pulpita ſocco.* &c.

Thom. Dempſter. *in Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 8. *paralipom.* Apud Athenienſes porro inſtitutum primùm fuit ad 3. Olymp. 93. Archonte Callia, ut Antheſteria Dionyſia celebrarentur agone Comicorum. Quem morem poſteà renovavit Lycurgus Rhetor, lege latâ: Τὸν ἀγῶνα τῶν Κωμῳδῶν ἀγώνα τοῖς Χύτροις ἐπιτελεῖν ἐφάμιλλον ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ τὸν νικήσαντα εἰς ἄστυ καταλέγεσθαι, *Comœdiam Antheſteriis fabulas docento, atque committunto in Theatro: Victorem civitate donanto.* Nullus autem hiſtrio poterat in ſcenam prodire, minor annorum 30. ex hac lege: Μὴ ἐξεῖναι ὑποκριτῇ ἀγωνίσασθαι πρὶν ἢ τριάκοντα ἔτη γεγονέναι, *Hiſtrio fabulam ne agito annorum triginta minor*: Erantque Athenis hi omni notâ vacui, itaque etiam Poetæ ipſi cives Attici in ſcenam prodibant, cùm Romæ contrà hiſtriones infamiâ notarentur. Unde Laberii querela, quem aſperæ libertatis Equitem Roman. Cæſar invitavit quingentis millibus, ut prodiret in ſcenam & ipſe Mimos ageret quos ſcriptitabat,

> *Ergo bis tricenis annis actis ſine nota*
> *Eques Romanus, Lare egreſſus meo,*
> *Domum revertor Mimus. Nimirum hôc die*
> *Uno plus vixi mihi, quam vivendum fuit.*

Hincque factum eſt, ut *Scenici* ſpectaculorum deberentur obſequiis, eaque *Scenici* nati non poſſent detrectare, ſed vel inviti ad ea præſtanda adigerentur. Proin primus Valentinianus Princeps A. C. Dionyſ. 371. conſtituit, liceret Scenicos in extremo vitæ periculo conſtitutos baptizare. Excipiebantur tamen, qui Atellanas agebant: qui ſoli inter hiſtriones ab infamia immunes erant. Agebantur autem *Comœdiæ* Athenis in foro, ubi pegma ex arbore populo mox extruxerat: non è lapide enim antiquitus, ſed è ligno ſcenæ erant, quas Ἴκρια appellabant. Ariſtoph. *Theſmophor.*

> —— Ἀπὸ τῶν ἰκρίων
> Ὑποβλέπουσ' ἡμᾶς.
> —— *è pegmatibus*
> *Suſpiciunt nos.*

Erant illa extrui ſolita ab iis, qui Θεατρῶναι dicebantur, Caſaubon. *in Theophr.* p. 245. ubi, quia de ſede magna ſæpe contentio, conſtitutum eſt à Senatu, ut duobus obolis quiſque ſibi pararet, (Archonte Diaphantô drachma fuit) quam pecuniam Θεωρικὸν vocârunt, quia ejus beneficiô θεατροπωλεῖν ſolebant. Quapropter Pericles poſteà, popularem captans auram, iis qui inopes erant, è publico illam dari voluit, quam qui plebi diſtribuebant, οἱ ἐπὶ Θεωρικῷ nuncupabantur: nec profecit quidquam Apollodorus, cùm neceſſitate exigente pecuniam hanc in belli uſum deſtinâſſet, contrà nitente Eubulô, qui vulgi favori inhiabat. Sed dum ſcenica ſpectacula libertati ac imperio Græciæ poſthabebant, tandem facti mollitie Macedonicum ſubiêre jugum. Unde Juſtin. *l.* 6. c. 9. *Siquidem amiſſô, quem æmulari conſueverant, (*Epaminondâ*) in ſegnitiem torporemque reſoluti, non ut olim in claſſem exercitusque, ſed in dies feſtos, apparatusque ludorum, reditus publicos effundunt: & cum actoribus nobiliſſimis Poetisque theatra frequentant, ſæpius ſcenam quàm caſtra viſentes: Verſificatores Oratoresque meliores quam Duces, laudantes. Tunc vectigal publicum, quo ante milites & remiges alebantur, cum urbano populo dividi cœptum eſt. Quibus rebus effectum eſt, ut inter otia Græcorum ſordidum & obſcurum antea Macedonum nomen emergeret.* Locus tandem ubi Senatores ſpectabant, Βουλευτικὸν: ubi juvenes, Ἐφηβικὸς dicebatur. In parte Scenæ Orcheſtra fuit, ubi Θυμέλη, vel Tribunal, vel Altare: In omnibus enim ſcenis altare Baccho factum erat, teſte *Donato*. Erat & ibi menſa ſcenica, Ἐλεὸς dicta, in quam, antequam Theſpis viveret, aliquis aſcendens Choro reſpondebat, &c. Vide Sam. Petitum, *Comm. in Leges Atticas*, p. 74. & *ſeqq.* Franc. Roſſæum, *Archæol. Attica*, *l.* 2. *c.* 11. Pollucem, *l.* 4. *c.* 19. & Meurſium, *Atticar. Lect. l.* 4. *c. ult.* De *Comœdorum* inprimis ſcutula, Salmaſ. *ad Solin.* p. 769.

COMOPOLIS, Aſſyriæ oppid. *Ptol.* Imò appellativa vox eſt, & vicum propriè notat mœnibus ſeptum, οὐ pluſquàm κώμη, ſic minus, quàm πόλις: Cujuſmodi Κωμοπόλεις multæ olim in Babylonia & Aſſyria fuêre, uti videre eſt, apud Iſidorum, *in Manſionib. Parthicis*. Sic in Babylonia, Εἶτα Βασιλεία Ἀρτέμιδος ἱερὸν Δαφνίτιδος κώμη κωμόπολις. Paulo poſt, εἶτα Ἀπάμεια κωμόπολις. Item κεῖνται δὲ ἐν τῇ Ἐρατικῇ κωμοπόλεις Ναάρδα. Inprimis verò Cteſiphon olim celebris fuit pagus in Aſſyria ad Tigrim fluv. de quo Strabo ſcribit, eum urbis potentiâ & magnitudine eſſe, abſque Parthorum Reges hyemare ſolitos, Seleuciæ urbi parcentes. Hodie in Hollandia Haga Comitis, pro pago quidem haberi ſolet, ſed verè *Comopolis* eſt, de qua pauca tantùm & infra dignitatem ejus ferè adhuc ſunt, quæ Ortelius ſcripſit, *Theatr. ad Tab.* 44. Hic enim pagus Guicciardino creditur amplitudine, opulentiâ, venuſtate & amœnitate cæteros omnes univerſæ Europæ pagos longè antecellere, ut qui duo millia domorum; & inter cæteras Regiam ædem, in qua Principis ſummum tribunal, habet. Prope nemus eſt opacum, avium cantu & ferarum aſpectu, oculis auribusque jucundum. Dignus omninò, qui cum Cteſiphonte, adeò apud veteres Scriptores celebri, conferatur. Auctor Anonymus, *Hiſtor. Orbis Terr.* c. 8. *de Urbibus*.

COMPACTATA, ſic dicti quatuor Articuli Huſſitarum, quos Sigiſmundus Imperator pace factâ Bohemiâque receptâ, unà cum Concilio Baſilienſi, admiſit, & Latinè, Germanicè ac Bohemicè promulgari, inſuperque marmori aureis literis incidi curavit: *Bohemos communicantes ſub duplici ſpecie, panis & vini, legitimos & germanos Catholicæ Eccleſiæ filios eſſe.* A. C. 1433. 1434. Hiſt. Bohem. Lætus, *Comp. Hiſt. Univ.* Vide quoque in voce *Iglava*.

COMPAGNIA, ex Italico *Compagnia*, Κομπανία apud Nicetam, *in Alexio*, *l.* 1. *num.* 1. militum centuria eſt: an inde, quòd communi pane ac diſtributione buccellati ſodalitium ſecum foveant milites; an quaſi *compaganea*, quòd ex eodem pago, an à voce *compages*, dicta? Peculiariter appellatione hâc Galli *Ruptarios* donabant ſeu militares turmas, cujuſmodi erant eæ, quas anathemate non ſemel ferierunt Romani Pontifices, uti patet ex Bullis eorum, quas in Chartophylacio Regio, in ſcrinio, cui titulus, *Contra magnas ſocietates & compagnias*, aſſervari, tradit Car. du Freſne, potiſſimùm eas ſub Carolo V. Franciæ Rege floruiſſe, docens: inde autem in Caſtellam à Gueſclino traductas ubi à candida cruce, quâ inſigniri nomen ſumpſerint *de Compagnie blanche*. Vide Matth. Villaneum, *l.* 9. *c.* 109. *l.* 10. *c.* 84. & 92. Auctorem *Chronici* Petri IV. Regis *Aragon. l.* 6. *c.* 10. Aliter. *Societates & Comitiva* Latinis potiſſimum Scriptoribus vocantur. Thomas Walſinghamus A. C. 1357. *His diebus ſurrexit in Francia illa famoſa ſocietas, quæ Gens ſine capite vocabatur; quæ primò parva, poſteà magna aggreſſa, magnam Franciæ partem occupans ſine legibus, expulſis vel ſubactis locorum dominis, ſubjugavit, eratque non tantum de una gente vel natione, ſed de pluribus regionibus congregata.* Henricus Knyghtonus A. C. 1361. *Eodem tempore crevit quædam ſocietas virorum fortium vocata Societas ſecunda & per quoſdam vocata eſt* La Gran Compagnie: *& adunati ſunt de diverſis partibus non habentes unde vivere* &c. apud eundem Car. du Freſne, in *Gloſſar.*

COMPAR, conjux, in veter. *Inſcr. Manilia Paulla de patrimonio ſuo ſibi & Aretio Paullino compari ſuo domum æternam.* Alia. *Julia Matrona Aur. Aquilino comp. cum quo vixit* &c. Vide infrà in voce *Par*. Apud Catellum verò, *Rerum Occitanic. l.* 4. *Compares*, certum genus *Leudæ*, ſeu penſitationis eſt, Narbonenſibus Vicecomitibus exſolvi olim ſolitum. Cujus vocis notionem videtur indicâſſe *Suidas*, cui Κόμπαρ eſt, ὁ ἐνοχλῶν ἤτοι ἐν ὑπηρεσίᾳ τινὶ ἴσος τῷ ἑτέρῳ ὢν χρεῶν, *qui ſcil. in aliqua penſitatione alteri compar eſt.* Idem, *ibid.*

COMPARATUM, par Ducum, apud Juſtin. *l.* 6 c. 11. verbum Gladiatorum, de quo vide Lipſ. *Saturn. l.* 2. & Berneccerum, *ad Cæſarem & Suetonium*. Ita Liv. *l.* 30. c. 28. §. 6. *Scipio & Annibal, velut in ſupremum certamen comparati Duces*. Petronius *paria componere* vocat, *in Satyrico*. Vide infrà *Componere*.

COMPATRES & COMMATRES, vulgò appellantur, Sponſores, ſeu Suſceptores, baptizando dati. Quod ferventibus olim perſecutionibus uſurpatum, ut aliqui Baptiſmo teſtes adeſſent, poſteà in Eccleſia retentum eſt, more infantibus utili, & amicitiæ mutuæ officiisque charitatis inter Chriſtianos firmandis. Quia enim infantes Chriſtianorum recèns nati, ſibi ipſis proſpicere nequeunt, vel de ſuo Baptiſmo cogitare; expedit, ut ab aliis ſuſcipiatur hæc cura. Sic Chriſto *oblati ſunt pueri, ut manus illis imponeret*, Matthæi c. 19 v. 13. Quod ab ipſis Parentibus quidem fieri debet; Sed quia liberorum educationem in vera fide ſpondent, de ſubſidiis aliorum fidelium opera prudenter etiam ſibi liberiſque proſpiciunt, tum ut viventes communi huic officio commodiùs vacent, tum, ut alterutrô ſublatô, infans directore non careat, A. Rivetus, *Summa Controv. Tract.* 1. *q.* 9. §. 21. ubi hunc morem ex Judæorum in Circumciſione, cui Baptiſmus ſucceſſit, ritibus continuatum vult. Habuiſſe enim parentes pueri circumcidendi etiam ſuos Suſceptores & Compatres, idque etiamnum obſervare Judæos, notat Buxtorf. *Synag. Jud.* c. 2. Ab his porrò nomen baptizando imponebatur & in Eccleſiæ tabulas referebatur: utque illi *Compatres* & *Patrini*, ſic infantes ab iis ſuſcepti *Filii*, item *Filioli*, dicebantur, item *Filii Spirituales*. *Vetus Inſcr.* apud Selden. *ad Marmora Arund.* ΙΩΑΝΝΗϹ ΡΟΥΦΙΝΟϹ. ϹΜΥΡΝΑΙΟϹ. ϹΥΜΒΟΛΑΙΟΓΡ. ΑΦΙΕΡΩϹΑΝΤΟ. ΚΗΠΙΟΝ. ΤΟΥΤΟ. ΘΕΟΔΩΡΩ Τῷ. ΕΜῷ. ΓΝΗϹΙΩ ΥΙῷ. † ΚΑΙ. ΠΝΕΥΜΑΤΙΚῷ. Υῷ. †. Et propterea ferè ſemper à Suſceptoribus, filiolis ſuis poſt Baptiſmum munera in ſignum adoptionis collata eſſe, vi cujus bonorum ſuorum partem aliquam iis deberi exiſtimaverint, ex mediæ ætatis Scriptoribus palàm eſt. Hinc Gudro Regi Paganorum, Alvredus Rex *multa & optima ædificia*; Ædilwacho Regi, Wifhere Rex, *duas provincias*; Adelwoldo Regi Sudſexiæ A. C. 994. Angliæ Rex, *inſulam With* &c. donâſſe leguntur, poſt Baptiſmum, è quo illos ſuſceperant, apud Aſſerem A. C. 878. Bedam, *Hiſt. l.* 4. *c.* 13. Henr. Huntindon. *Hiſt. l.* 2. *p.* 318 &c. Vide hîc paſſim, inprimis voce *Filius*, item *Paranymphus*, *Patrinus*, *Suſceptores*.

COMPEDES, pedum vincula, ſicut manuum *catenæ*, Plin. Cæcilius, *l.* 7. *Ep.* 27. *Adex apparebat idolon: Senex macie & ſqualore confectus, promiſſâ barbâ, horrendus capillis, cruribus compedes, manibus catenas gere-*

gerebat, *qua trahebatque*. His namque captivorum pedes conſtringebantur, uti de Joſepho legimus, Pſalmo 105. v. 18. *Cujus pedes affixerunt compede, ferrum ſubivit ipſe.* Servorum item, in ergaſtulis; ubi *compeditos* illos fuiſſe, Juvenalis docet, *Sat.* 11. v. 79.

Ipſe focis brevibus ponebat oluſcula, quæ nunc
Squalidus in magna faſtidit compede *Foſſor.*

Quia enim reditus agrorum non rarò lapidicinis, cretifodinis, arenariis, auri, argenti, ſulphureis venis conſtabat, ideo adhibebantur huic operæ homines vincti, qui cæderent, *foderent*, eruerent. Plaut. Captiv. *Acta* 3. *ſc.* 5. v. 75.

Abducite iſtum actutum ad Hyppolitum fabrum;
Jubete huic craſſas compedes *impingere.*
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum
In lapidicinas facite deductus ſiet.

Ad ejuſmodi ſervitutem duram, ſub primis Imperatoribus Chriſtiani frequenter damnati ſunt. Clemens certè Epiſcopus Romanus & Martyr Cherſonam deportatus, duo millia Chriſtianorum & amplius ibi ad ſecanda marmora damnatorum reperiſſe legitur, in *Vita* ejus, apud Laur. Pignor. *de Servis*. Et hæ quidem *Compedes* ex ferro fuêre. At Artaxerxes Cyrum fratrem, *accerſitum ad ſe, compedibus aureis vinxit*, apud Juſtin. *l.* 5. *c. ult.* Ne ſcil. familiæ Regiæ honos non haberetur. Quemadmodum & Darium ultimum, Beſſi & Nabarzanis conſpiratione prehenſum, *aureis compedibus vinctum fuiſſe*, ſcribit Curtius, *l.* 5. *c.* 12. §. 20. & idem Juſtin *l.* 11. *c.* 15. § 1. Vide Dionem Chryſoſt. *Orat. ult.* Poſtquam verò libertatem adepti Servi, *compedes* ſuas Saturno conſecrabant. Unde in Zoilum, qui ex ergaſtulario elatus fuerat ad Equeſtrem dignitatem, ſic Martial. *l.* 3. *Epigr.* 29.

Has cum gemina compede *dedicat catenas,*
Saturne, tibi, Zoilus, annulos priores.

Ubi *geminam* vocat, quia illis utrumque crus ligari ſolebat. De Saturno, res ſic ſe habet: Quoniam is in compedes olim à Filio conjectus erat, inde adeptus libertatem, ſervos in clientelam ſuam accepiſſe creditus eſt; cujus proin cauſa Romæ in *compedibus* viſebatur. Sed lanea erant hæc vincula, quibus cùm toto anno ligatus eſſet, ad diem ſibi feſtum menſe Decembri ſolvebatur: quô tempore quoque ſervos dominatus eſſe, conſtat. Hanc ob cauſam ſervi vinculis ſoluti, *Compedes* Saturno, velut anathemata dedicabant. De *Compedibus argenteis fœminarum*, apud Romanos, vide ſuprà ubi de *Argento*, & infrà, voce *Plebeji*: de *Compeditis*, infimo apud eoſdem ſervorum genere etiam aliquid leminare *Quales quales*; uti de *Compedium nervorumque* diſcrimine, voce *Vinculum*.

COMPENDIA Alimentaria, apud Capitolin. *in Pertinace, c.* 9. *Alimentaria etiam compendia, quæ novem annorum, ex inſtituto Trajani, debebantur, obdurata verecundia ſuſtulit*: ſunt ἀφελείας, inquit Salmaſius; ita enim Græci vocant; & idem penè quod *Impendia*. Caſaubono videtur hîc dicere Capitolinus, non omnibus alimentariis debita fuiſſe alimenta, ſed iis ſolùm, qui beneficiô Trajani primùm ad perceptionem frumentariam pervenerant, i. e. quinque illis millibus puerorum ingenuorum, quibus frumenta dari primus Trajanus inſtituit. Vide Lipſium, *Diatribâ de Frumentatione*, & ſuprà ubi de *Alimentariis*. Propriè autem *Compendium* idem, quòd *Interpendium* ſeu *Interpretium* eſt, quum videl. utrinque in lance æqualia ſunt pondera. Tum enim fit compenſatio, i. e. συνάλλαξις, quum nempe, quod ſummæ deeſt, vel ponderi, in ſummam redit, & ponderi adjicitur. Atque inde vox pro lucro. Et opponitur Intertrimentum, quum de pondere detrahitur, unde minus fiat &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1007. & infrà *Interpendium*.

COMPENDIA Scriptionis, vide infrà *Monogramma*, *Nota*, *Sigla*: uti de iis, qui totam Philoſophiam & Eloquentiæ artem per præcepta in *Compendium* & libellos exiguos redacta tradebant, infrà voce *Technici*.

COMPENDIUM, à Romanis, aut certè à Gallis, qui ipſi Romani dicti, conditum, vel quod erat ad Axonæ & Iſaræ confluentem & quaſi compendium poſitum; vel quòd per compendium, urbes & caſtra ripæ Suminæ petentibus occurrebat, ſic dictum: Sub Chlodovæo M. liberis villa fuit Regia, venationis gratiâ delecta. Sub Pipino Synodus ibi habita. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Hodie vulgo *Compiegne*, ſatis ampla & culta urbs Galliæ Belgicæ in Picardia provincia, alias *Carolopolis*, quòd ipſam Carolus Calvus Francorum Rex A. C. 876. reparârit, auxerit, præſidiiſque munierit, Annales Franciæ. Idem Monaſterium in B. Mariæ honorem ibidem condidit, quod *Regium* dici voluit, centumque Clericis attribuit. Hodie Monaſterium S. Cornelii. Capta eſt à Carolo IV. bellô contra Burgundiæ Ducem, qui eam ann. 15. poſteà, per Johannem Lucemburgicum iterum tentavit. Hîc Puella Aurelianenſis infelici eruptione factâ in Anglorum venit poteſtatem. Flodoard. Glaber, Nangius, Albericus, &c. Ducheſnius, *antiq. Urb. part.* 1. *c.* 7. *de Ducatu Valeſio.* Concilium ibidem celebratum, A. C. 757. 833. quô Ludovicus Pius Rex depoſitus A. C. 1085. 1201. 1277. &c. *Baudrando* in provinc. Inſul. Franciæ eſt, ad Oeſiam fluvium, ubi recipit Axonam, in region. Valeſia 8. leuc. à Sylvanecto, 18. à Lutetia in Boream, 5. à Novioduno in Auſtrum, gaudetque aliquando Regis receſſu.

COMPENSI, in Concil. Antiſiodorenſi, *can.* 9. *Non licet* Compenſos *in domibus propriis, in feſtivitatibus Sanctorum facere, nec pervigilias in feſtivitatibus Sanctorum* &c. quid ſint, hærent Viri docti. Sunt enim, qui *Compenſos facere*, ſic explicent, ut ſit ſerotinos cœtus habere, quibus mulieres certum lanæ aut ſtaminis penſum, in votum Sancti alicujus nendo, texendove conficiunt, quod penſum ſubinde Altaribus offertur; quem quidem morem adhuc in nonnullis provinciis Galliæ perſtare ajunt. Hoc autem fit in pervigiliis Sanctorum, & Natalis Chriſti. Alii *Compenſos in domibus facere*, nihil aliud eſt, quàm ſtare domi in otio certis diebus, Majô menſe præſertim, quô ſuperſtitiosè feriari ſolebant veteres Galli, & liquet ex *Sermone* Ægidii Noviomenſis, qui refertur inter tractatus Auguſtini, *tract.* 20. Nonnulli *Compenſos* oblationes interpretantur, quæ in domibus privatis fiebant, in quibus & vigilias quaſdam in Feſtis Sanctorum, derelictis Ædibus ſacris, peragebant: quod vetitum Synodi Laod. *can.* 58. &c. Vide Nicol. le Maiſtre, *de Decimis & Oblat. l.* 1. *c.* 41. Innocent. Cironium, *Obſerv. Jur. Can. l.* 3. *c.* 8. Laudum *ad h. Can.* alios, laudatos Carol. du Freſne, in *Gloſſar.*

COMPERNIS, apud *Lucilium*,

Compernem aut varum vidiſſe Amphitrionis acoetin:

eſt, qui juncta habet genua καὶ συμβεβηκότα. Feſtus, *Compernes nominantur homines genibus plus juſtâ conjunctis.* Cujuſmodi fuiſſe volunt Ἀρκάδας, ex nominis ipſius ſono, quod non poſſent διαβαίνειν, i. e. *crura aperire* & varicare, dum incederent. Unde & σκνιπόποδας etiam appellârunt. Strabo, *l.* 16. καλοῦνται δὲ οἱ Ἀρκάδες, καὶ Σκνιπόποδες, *Appellantur autem Adjabeni etiam Saccopodes*, quaſi ambos pedes intra ſaccum conditos habentes καὶ συμβεβηκότας. Talia olim ante Dædalum ſimulachra fiebant, indiſcretis ſcil. cruribus & pedibus: ipſe verò primus διαβεβηκότα ea, h. e. *diſtinctis ac diſpoſitis cruribus pedibuſque* feciſſe proditur. Iis contrarii *vari*, qui crura multùm aperta & in diverſum expanſa habent, quos Græci διαβεβηκότας dixêre. Quamvis enim multi vari ſint, qui junctis genibus & *compernes* incedunt, ut plurimum tamen ii diverſa, non conjuncta genua habent. Varus grandes facit gradus; contrà *compernis*, junctis incedens genibus, *gradus grandire* nequit, uti Plautus, *in Aulul. Actu* 1. *ſc.* 1. v. 10. diceret &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* 944. Vide quoque infrà, ubi de *Varis*, & *Vatiis*.

COMPESCERE, propriè greges eſt in unum conducere, ad paſcendum; quod & *compellere* dixerunt. Virgil. *Ecl.* 2. v. 30.

—— *Viridique gregem compellere hibiſco.*

Cicero *in Piſonem*, *omni grege compulſo* &c. Hinc pro regere, temperare & ſedare, poſitum eſt. Gloſſæ, *compeſcit, temperat.* Ita contrarium *Diſpeſcere*, paſcentem gregem diſpellere ac dividere: atque hinc, disjungere. Quam in rem vide eundem Salmaſium, ubi ſuprâ, *p.* 811.

COMPETENTES, in priſca Eccleſia dicti ſunt Catechumenorum ii, qui jam eruditi ac inſtructi in capitibus Chriſtianæ Religionis, ad Baptiſmum admitti poſtulabant: quòd *una* & ſimul Baptiſmum *peterent* idque temporis, quô is conferri ſolebat, Sabbathum nempe, quod Paſcha aut Pentecoſten præcedit, exſpectarent, nomen adepti. Vide ſuprà *Catechumenus*, item *Capitulavium*, infrà voce *Regenerandi*. De illis Auguſtin. *l. de Fide & Operibus*, *c.* 6. *An uſque adeò diſſimulamus à ſenſibus noſtris, ut vel nos ipſos non recordemur, quam fuerimus attenti atque ſolliciti, quid nobis præciperent, à quibus catechizabamur, cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc* Competentes *vocaremur?* ---- *quid autem aliud agit totum tempus, quô Catechumenorum locum & nomen tenent, niſi ut audiant, quæ fides & qualis vita debeat eſſe Chriſtiani* — *quod autem fit per omne tempus, quod in Eccleſia ſalubriter conſtitutum eſt, ut ad nomen Chriſti accedentes Catechumenorum gradus accipiant; hoc fit multò diligentius & inſtantius his diebus, quibus* Competentes *vocantur, cùm ad percipiendum Baptiſmum ſua nomina jam dederunt.* Et *l. de Cura pro mort.* *Paſcha jam appropinquabat, dedit nomen inter alios Competentes.* Nempe ſollicitè erudiebantur Catechumeni, ut magna cum aviditate Communionem *peterent*; quam in rem extant Patrum, quà Græcorum, quà Latinorum, *Homiliæ* plurimæ *ad Catechumenos*, in quibus ad excitandam hanc in illorum animis cupiditatem complura dicuntur. Etiam mos fuit, ut in publicis ſacræ Liturgiæ precibus, Sacerdos pro Catechumenis Deum oraret, ut *iis deſiderium regenerationis inſpiraret.* Atque ab hoc Catechumenorum *Competentiumque* deſiderio Sacramentorum participationis, quæ ipſorum ἐποπτεία erat, Baptiſmus *Deſiderata* dictus eſt: voce ex ritibus paganorum depromptâ, qui totô quinquennii ſpatiô præparari ſolebant, & ardentiſſimô deſideriô ac cum ſuſpiriis epopliæ diem expectare, docebantur, uti diſcimus ex Tertulliano, *initiò libri adv. Valentinian.* &c. Vide Caſaubon *in Baronium*, in voce *Deſiderata*.

COMPILATIO, nomen Juris Canonici Collectoribus uſitatum, quô collectiones ſuas inſignire conſuevêre: inprimis poſtquam Decretales à Canonibus cœperunt ſeparari & ſingulatim colligi. Quam operam, quamvis privatam, cùm primus ſumſiſſet Bernardus Circa Papienſis Præpoſitus; circa tempora Cæleſtini III. eam *Compilationem primam* Henricus Oſtienſis, Joannes Andreæ & Ægidius Bellamera: ipſe *Breviarium Extra* vel *Extravagantium* appellavit; *Librum primum*, qui Scholia ſcripſerunt. Quemadmodum & ſequentes *Compilationes* quinque (quarum ſecundam Gilbertus Alanus & Joann. Valenſis; tertiam Bern. Compoſtellanus; quartam Innocentius III. quintam Tancredus Bonon. ſextam Raimund. de Pennaforti, fecêre) modò *Compilationum*, modò *Librorum* nomine, apud Auctores veniunt. Vide Gerh. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccl. num.* 338. & *ſeqq.*

COMPITA, caſtrum Æmiliæ, in Romandiola; *S. Archangelo*, vel *Savignano*.

COMPITALIA, feſta quæ in compitis Larium honori peragebantur, & *Compitalitius* dies, in quo celebrantur. Gellius, *l.* 10. *c.* 24. Nullum certum diem præſtitutum fuiſſe his ſacris, ex loco Varronis ad Suetonium, rectè obſervavit Caſaubonus, confirmatque Auſonius, *Edyll.* 23. *in his*,

Et nunquam certis redeuntia feſta diebus,
Cum ſua per vicos compita quiſque colit.

Non longè tamen à Saturnalibus celebrata perſuadet Dionyſ. *l.* 4. Inſtitutio eorum à Servio Tullio eſt, ut idem Dionyſ. itemque Plin. *l.* 36. *extremô*, docet: Auguſtum bis ea celebrare per annum, quæ ſemel antea tantùm peragerentur, ejus vita ſignificat apud Sueton. *c.* 31. *Nic. Lloydius*, vide & hîc infrà.

COM-

COMPITALITII Ludi, ante Urbem deſignatam, à vicorum *compitis*, in quibus agitabant agreſtes, & facti & dicti: intermiſſi dein ad Servium uſque Regem, ac per vicorum Magiſtros inſtaurati in Larium honorem: quemadmodum à L. Piſone iterum curatum eſt, ut per eoſdem Magiſtros, qui tum Præfecti nominati ſunt, reſtituerentur. Tandem ſublatis Collegiis ipſi pariter aboliti ſunt, Jul. Cæſ. Scaliger, *Poetic. l. 1. c. 28.* Formula, quâ utebatur Præco, hos ludos aperiens, erat: *Die noni poſt Calendas Januarii Quiritibus Compitalia erunt.* Ad quæ verba notat A. Gellius, *loc. cit. Die noni Prætor dicit, non die nonô: neque Prætor ſolum, ſed omnis vetuſtas ſic locuta eſt.* Meminit quoque horum ludorum Sueton. *loc. cit.* &c. vide etiam infrà voce *Pilæ*, it. *Viales Dii*. Dictum eſt autem *Compitum*, quaſi *Competum*, à *competo*, i. e. concurro, definiturque Trebatio, apud Junium Philargyrium, *locus ex pluribus partibus in ſe, vel in eaſdem partes ex ſe vias atque itinera dirigens, ſive ei contra, ſive ſine ara, ſive ſub tecto, ſive ſub divo ſit, ubi agreſtes buccinâ convocati, ſolent certa inire conſilia, hinc & Lares Compitalitii & feriæ Compitalitiæ.* Nempe in triviis & quadriviis ædes erant poſitæ, in tres partes, ſi trivium eſſet, in quatuor, ſi quadrivium, apertæ: ad quas conveniebant pagani ex locis vicinis ſacra facturi. Hæc & *Compita* dicebantur: unde *pertuſa Compita* Perſius, *Sat. 4. v. 28.* pervia & in plures partes patentia. Vetus Scholiaſtes *Compita* interpretatur, *loca in quadriviis quaſi turres, ubi ſacrificia, finita agricultura, ruſtici celebrabant.* Hinc τρίοδον Herodis in via Appia, (de quo infrà) ſic appellatum, quod in triviis conſtitutum, in tres partes pateret, & tres haberet ὄψεις. Nam, ut idem vetus Interpres notat, *Compita non ſolùm ſunt in urbe intra, ſed etiam viæ publicæ ac diverticula aliquarum confinium, ubi ædiculæ conſecrantur patentes.* Apud Solin. *p. 37. Compita ſemitarum*, loca ſunt ubi multæ *competunt* & concurrunt ſemitæ. Ita enim is de pantheris, quæ in Hyrcania numeroſæ, *c. 17. Sed Hyrcani, ut hominibus inimicatum nihil eſt, frequentius eas veneno, quàm ferrô, necant. Aconitâ carnes illinunt, atque ita per compita ſpargunt ſemitarum.* Apud eundem, *Compita concurrentium ſemitarum* habes, *c. 27.* &c. Ad quæ loca vide Salmaſ. *Exercit. Plin. p. 212. & 328.* De [illegible] in *Compitis*, apud Veteres uſitata, alibi dicemus: ut de ritu medii ævi magico ligneos pedes in illis ſuſpendendi, infrà voce *Pes* & de Phariſæorum in iis concionibus, ubi de ſecta hac.

COMPITUM, pagus exciſus Latii, nunc Capona, ſub Anagnio: *Oſteria d'Anagni*.

COMPLERE, in Eccleſia Romana dicitur is, qui officium quodvis Eccleſiaſticum *collecta* ſeu oratione concludit & complet. Unde *Completa*, *Completa* & *Completorium*, officium Eccleſiaſticum, quod cætera diurna officia complet & claudit, ſub noctis prorſum initium recitari ſolitum. Amalarius, *de Eccl. Offic. l. 4. c. 8.* Hinc Iſidor. *in Regula*, *c. 7. Ante ſomnum autem — peractô Completoriô, valedictis invicem fratribus — quieſcendum eſt, uſquequo ad Vigilias conſurgatur.* Trium Pſalmorum dictione *Completorium* terminari, dicitur *in Regula S. Benedicti*, *c. 7.* Cum autem ſignum pulſabatur ad *Completas*, Janitorem confeſtim portas Monaſterii clauſiſſe & claves Abbati retuliſſe, legitur *in Vita S. Agili Abb. c. 19.* apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* Variis verò nominibus hoc officium apud Scriptores venit: Dicunt enim *Initium noctis*, *prima noctis hora*, *duodena* ſeu *duodecima*, *ſomnus*, paſſim Latinis; Græcis vetuſtioribus αἴτησις, i. e. *petitio*, recentioribus Ἀπόδειπνον, i. e. *poſt cœnam*. Habent autem hi Ἀπόδειπνον μέγα, *Completorium majus*, quod in Quadrageſima recitatur, & Ἀπόδειπνον μικρὸν, *Completorium minus*, pro totius anni curſu. Et quidem in Eccleſia Occidentali, ultimæ hujus Canonicarum horarum partis inſtitutorem communiter S. Benedictum faciunt; aliis, id inventum ex Ambroſio, *de Virgin. l. 3.* & Prudentio, antiquius eſſe, contendentibus. In Eccleſ. Oriental. jam ante Baſilium in uſu fuiſſe, colligunt nonnulli ex *Reg.* ejus *interrog. 37.* ubi Completorium his verbis deſcribi ajunt: *Tum primùm jam noctis ſe intendentibus tenebris ſequitur αἴτησις (petitio) ut quies, quam ſumus capturi, inoffenſa ac vitiô libera ſit, quâ hora etiam neceſſariò nonageſimus Pſalmus recitari debet.* Qui Pſalmus incipiens, *Qui habitat* &c. omnino in *Completoria* poſitus eſt, quemadmodum verbis illis, *jam noctis ſe intendentibus tenebris*, noctis principium & recitationis hujus tempus indigitatur: quod hodieque Maronitæ Monachi, in monte Libano, exactè obſervant. Latini verò tempus anticipant, ut alii quoque intereſſe poſſint, &c. Plura hanc in rem vide apud utrumque Macrum, in *Hierolex*.

COMPLEXUS duorum puellorum, mutuò ſeſe oſculantium, ſeu duorum colluctantium, Græcè Σύμπλεγμα, inter nobiliſſima ex marmore opera Cephiſidori, & Heliodori, memorantur Plinio, *l. 36. c. 5.* Vide quoque infrà in voce *Symplegma*. De *Complexibus* verò Pancratiaſtarum, infrà in hac voce, ut & ubi de pugna *Voluntaria*.

COMPLICES Dii, iidem cum Conſentibus, Arnobio, *adv. Gentes*, *l. 3. Hos Conſentes & Complices Hetruſci ajunt & nominant.* De quibus cùm alibi nil occurrat, exiſtimari poſſet, gloſſema eſſe hôc locô: ut imperitus aliquis Conſentes interpretari voluerit *Complices*, quaſi ſcil. ejuſdem criminis ſocios, quod voce eâ notari ex Iſidoro novimus. Unde Prudentius, *Romani Martyr. v. 822.*

Quid differo, inquit ille, utrumque perdere,
Puerum ac Magiſtrum Complices *ſectæ impiæ.*

Sed quod addit Arnobius, *quod unà oriantur & occidant unà*, lectionem confirmat; ut ſint videl. *Complices*, quaſi ſimul conjuncti & arctiſſimis nodis colligati, Deſid. Heraldus ad *l.*

COMPLUTICA, *Ptol.* olim oppid. nunc vicus Hiſpaniæ Tarraconenſis in finibus Callaicorum, hodie *Compludo*, teſte *Mover.*

COMPLUTUM, Carpetanorum urbs, & nobilis Academia à Franciſc. Ximenio Cardinali erecta, cujus curâ Biblia Complutenſia edita ſunt, A. C. 1515. ubi textui Hebræo, Chaldæa, Latina, & Græca verſio additæ, in Hiſpania Tarraconenſi ſeu Caſtella nova; vulgò *Alcala de Henares*. In planitie ſita. Onuphr. Gomez. *l. 2.* Biblioth. Hiſp. *t. 1. c. 2.* Hic Synodus provincial. A. C. 1320.

COMPONERE, Gladiatorum verbum, qui poſtquam in arenam ducti ſunt, *paria inter ſe compari dicebantur*. Lucilius, *cum Placidiano hic componitur*. Petronius, *Ego ſic jam paria compoſitum ſui, ſi depugnandum fuiſſet, ipſe cum Quartilla conſiſterem* &c. Auſon. *Technopægn.*

Quis Myrmillonem componitur? æquimanus Thrax.

Aliter comparare. Terent. *Adelphis*, *Act. 2. Sc. 2. v. 3. 4.*

— — nunquam vidi iniquius
Concertationem comparatam, quàm hæc hodie inter nos fuit.

ubi *Donatum* vide. Hinc *Gladiatorum compoſitiones*, apud Cicer. *ad Famil. l. 2. Ep. 8.* Vide quoque infrà, phraſi *Paria componere*. At in *L. Baiwar. c. 2. tit. 7. §. 3.* alibique, eſt delictum tranſactione & compoſitione interveniente expiare ac luere & cum læſo, aut ejus hæredibus, de mulcta ac pœna propter illud irroganda, paciſci. Quævis enim delicta apud veteres Germanos certâ pecuniæ ſummâ æſtimabantur, neque homicidia morte luit lex erat, niſi in Majeſtatis crimine: uti jam Tacito obſervatô, *de Moribus Germ. c. 21.* Quòd ſi partes de *compoſitione* inter ſe non convenirent, criminique in judicium vocaretur, Judex reum cum accuſatore *componere* cogebat, Gregor. Turonenſ. *Hiſt. l. 7. c. 2.* Quandoque mulctam ipſe definiebat, pro delicti vel criminis modo, niſi mulcta à lege definita eſſet. Tunc enim mulcta lege præſcriptâ reo irrogabatur, quæ *Legalis Compoſitio* dicitur, in *Capitulis* Caroli Calvi. Interdum verò ea pro criminis atrocitate, intendebatur ac multiplicabatur, quod *Bannum dupliciter aut tripliciter componere*, *Bannum aut legem in triplum componere*, dicunt Capitularia. *Quadrupla ſatisfactionis* mentio eſt apud Gregor. Turonenſ. *Hiſt. l. 4. c. 58.* Quòd ſi crimen delictumve, de quo mulctam pecuniariam lex ſtatuit, publicum eſſet, i. e. legem vel Principem ſpectaret; tunc reus *cum Fiſco* vel *Ærario componere* tenebatur, mulctâ à lege definitâ vel à Judice ſtatutâ. Si verò compoſitionem complere reus haud poſſet, *ſemetipſum inwadiare tenebatur, uſque dum plenam compoſitionem adimpleret*, ut eſt in *L. Longob. l. 1. tit. 14. §. 10.* Neque autem læſum ſemper vel occiſi hæredes, ſed & agnatos, cognatoſque ejus *compoſitio* ſpectabat, inter quos eam diſtribui conſueviſſe, ex Tacito diſcimus: *Luitur homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem univerſa domus*, *loc. cit.* Modum diſtributionis ſic exponit Andreas Sueno, *Leg. Scanic. l. 5. c. 5. Sit facienda, ut unaquaque* (pecuniæ perſolutæ) *tertiâ principali, in tres tertias principales diviſâ, per ſingulas vices una ſemper portionum cadat in commodum hæredis occiſi & agnatis ſecunda cognatiſque tertia debeatur. Si per agnatos omnes & cognatos diſtributio pecuniæ facienda, ut ſemper prior gradus duplo majorem partem, quam poſterior, conſequatur* &c. At *L.* Longobard. compoſitio ad propinquiores agnatos cognatoſve, tum demum ſpectabat, ſi filia ſolum occiſi ſupereſſet. Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COMPONERE Capillos, apud Ovidium, *l. 2. Amor. El. 14. v. 35.*

Quid malè compoſitos *quereris periiſſe capillos?*

quid ſit, vide ſuprà, in voce *Colligere*. At *Componere mortuum*, ſepelire eſt. Horat. *l. 1. Sat. 9. v. 28.*

Omnes compoſui, *felices! nunc ego reſto.*

Auſonius, *Præfat. Parentalibus, præmiſſa*, *v. 11.*

Gaudent compoſiti *cineres ſua nomina dici* &c.

Vide ſuprà, ubi de *Cadaverum cura*.

COMPOSITOR Gemmarum, vide infrà, ubi de *Gemmis & Nectendi coronas artificio*.

COMPOSTELLA, urbs, Archiepiſcopalis primaria Gallæciæ, in Hiſpania Tarraconenſi crevit ex ruinis Iriæ Flaviæ. Hic Baſilica, illatis reliquiis Apoſtoli Jacobi S. Jacobo dedicata eſt, A. C. 816. Baron. *Annal.* capta & direpta ab Almanſore, campaniſque aſportatis incenſa eſt, A. C. 993 peſte ſacrilegos ſubſequente. Mariana, *de rebus Hiſpan.* Vide *Iria Flavia*. De nomine ſic Voſſius, *ad Melam, l. 3. c. 1. v. 60. Poſtquam*, inquit, *Hiſpani ſibi perſuaſerant illa quæ de S. Jacobo narrantur, cœpit iſtud oppidum appellari Ad Jacobum Apoſtolum. Poſterioris ævi Hiſpani dixêre Giacomo Poſtolo*, unde contractum *Compoſtella*. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 3. c. 7.* de quodam Bernardo, qui Bullas Papales & veterum Regum Hiſpaniæ ſtatuta collegit. Diſtat 9. leuc. à Corunna in Auſtrum, 13. à promontorio *Finis Terræ* in Ortum, prope amnem Sarelam. Hic Concilium A. C. 1056. & Univerſitas.

COMPOSTELLA, urbs nova Americæ Septentrionalis in nova Hiſpania & provinc. Xaliſci, non longè à mari Auſtrino, 100. circiter milliar. ab urbe Guadalaxara in Occaſum.

COMPOSTELLANUS Bernardus, tertiæ Decretalium Collectionis Auctor. Poſtquam enim ſecundam earum compilationem adornâſſent Gilbertus & Alanus Epiſcopus Antiſiodorenſis, quibus Jo. Gallenſis vel Vallenſis acceſſit, illam & Scholiis ſuis illuſtrans: his poſteà Hugo Ferrarienſis Epiſcopus, ab Innocent. III. ſæpe relatus, & Bernard. Major *Compoſtellanus* Archidiaconus, ſuas Interpretationes addiderunt. Tertiam dein idem Bernardus aggreſſus eſt, ex regiſtris Innocent. III. quæ Collectio *Romana* dicta; quia verò uſu Judiciorum minùs recepta referebat, offenſi Romani, impetrârunt ab Innocentio, ut Pontificiâ auctoritate alia Collectio ederetur, quod factum: primuſque Innocentii Notarius Petrus Beneventanus, A. C. 1210. publicâ auctoritate Juris Pontificii collectionem edidit. Vide Gerh. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccl. num. 348. 349.* ut & voce *Bernardus*.

COMPRESSIO turbæ, apud Petr. Chryſologum, *Serm. 86. Poſteaquam vidit Dominum in inquiſitione perſiſtere, & diſcipulis occaſionibus &* turbæ compreſſionem *opponentibus, venit in medium.* Indigitatur Statio, *l. 4. Theb. v. 798.*

Illi per dumos & opaca virentibus umbris
Devia pars cingunt, pars arcta plebe ſequuntur,
Præcelerantque ducem &c.

Plebs enim ſine reſpectu arctat concurſibus inconſultis ipſos Duces: quam ob cauſam formicis & ſuibus aptè comparantur, in pompam ſpectandam proruens, è Theocrito, *Adoniazuſis*,

Ὦ θεοὶ ὅσσος ὄχλος· πῶς καὶ πόκα τοῦτο περᾶσαι
Χρὴ τὸ κακόν; μύρμακες ἀνάριθμοι καὶ ἄμετροι
—— ἄγριος ὄχλος ὠθεῦνθ' ὥσπερ ὕες.

Eôdem ſenſu idem Statius, *Epithalamiô Violantillæ*, *l.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 233.

Omnis honos, cuncti veniunt ad limina faſces,
Omnis plebejo teritur prætexta tumultu.
Hic Eques, hic juvenum queſtus, ſtola mixta laborat.

Cujuſmodi *Compreſſiones*, periculoſæ Apulejo, *Metam. l.* 3. noxiæ viro eidam Tianco, qui hinc θλιβείς ἐν παιδιᾷ fuit, apud Strabonem, *l.* 13. imò non paucis perniciosæ extiterunt, ut videre eſt, 2. *Reg. c.* 7 *v.* 20. & ex Hiſtoriis profanis palàm fit. Hinc *Lictores* apud Romanos inſtituti, qui incónditam turbam Conſuli præcedenti undique circumfuſam ſummoverent &c. Vide Caſp. Barth. *Animadv. ad Statium*, *d. l.* Interim gaudent populoſæ Urbes hôc copiæ ſuæ fœcunditatiſque argumentô, unde Maria Medicæa Galliæ Regina vix quidquam Amſtelodami magis mirata eſt *feturque dixiſſe, ſe neque in Italia, neque in Gallis, ne quidem Lutetia Pariſiorum, urbe populoſiſſima, tantam mortalium vim, loci tam anguſti coactam, conſpexiſſe*, uti legimus apud C. Barlæum, *in Medicea*. An in Templo Salomonico miraculô factum ſit, *ut ſtarent arctati & adorarent dilatati*, quod Magiſtri tradunt, viderint alii. De *Compreſſione manus*, infrà voce *Gymnaſtica*.

COMPROMISSUM, inter modos vitandi belli, ne controverſiæ in nervum erumpant, memoratur Politicis: ſpreta plerumque potentioribus via. Vide Coneſtagium, *de Conjunct. Regnor. Caſtellæ & Portugall.* digna tamen, quam inſiſtant æqui & pacis amantes Principes. Ἐπὶ γὰρ τὸν δίκας διδόντα οὐ νόμιμον ὡς ἐπ' ἀδικοῦντα ἰέναι. *In eum enim, qui arbitrium accipere paratus eſt, nefas eſt in injurioſum ire*, *Thucyd.* Hinc fecêre id magni Reges ac Populi. De Regno Argivo, Adraſtus & Amphiaraus Eriphylæ judicium permiſerunt, narrante *Diodor.* De Salamine, inter Athenienſes & Megarenſes, lecti tres Judices Lacedæmonii. Apud eund. *Thucyd.* Corcyrenſes ſignificant Corinthiis, paratos ſe diſceptare controverſias, apud Peloponneſi civitates, de quibus inter ipſos conveniſſet. Et Periclem laudat Ariſtides, quod, ut bellum vitaretur, voluerit δίκας διαλῦσαι περὶ τῶν διαφόρων, *de Controverſiis arbitros ſumere*. Iſocrates quoque *contra Cteſiph.* Philippum Macedonem, quod, quas habebat cum Athenienſibus controverſias, de iis paratus eſſet, ἐπιτρέπειν πόλει τινὶ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, *arbitrium permittere alicui civitati æquæ utrique parti*. Sic olim Ardeates & Aricini, poſteà Neapolitani & Nolani, controverſias ſuas arbitrio Populi Rom. permiſerunt, apud Livium, *l.* 8. Et Samnites, in controverſia cum Romanis, ad communes amicos provocant. Cyrus ſibi & Aſſyrio arbitrum fert Regem Indorum, apud Xenoph. *Pæd. l.* 2. Pœni, in controverſiis cum Maſiniſſa, ſimiliter ad judicia provocant. Romani ipſi de controverſia cum Samnitibus, ad communes ſocios, teſte Liv. *d. l.* ut alia, ex recentiori inprimis ævo petenda, omittam. Et hoc fecialium Rom. præcipuum munus ait fuiſſe Plut. ὅπως ἐπὶ πόλεμον ἐλθεῖν, ἢ πάσαν ἐλπίδα δίκης ἀποκοπῆναι, *Ne ſinerent prius ad bellum veniri, quàm ſpes omnis judicii obtinendi periiſſet*. De Gallorum quoque Druidibus, Strabo, *l.* 4. οὗτοι καὶ πολέμους διῄτων πρότερον καὶ παρατάττεσθαι μέλλοντας ἔπαυον, *Olim & inter bellantes erant arbitri, ac ſæpe jam acie congreſſuros diremerunt.* Quô officiô in Iberia quoque Sacerdotes functos, idem teſtis eſt, *l.* 11. &c. Vide Hug Grot. *de Jure Belli & Pacis*, *l.* 3. *c.* 20. §. 46. ut & infrà ubi de *Duellis*. In Eccleſia Roman. per *Compromiſſum* electio, memoratur inter electionum in Epiſcopos aut Abbates formas in *Decret.* Gregor. IX. *tit. de Elect.* Sic autem vocatur, cùm diſſidentes invicem Electores tranſferunt poteſtatem eligendi in tres vel plures, juramentô plerumque adſtrictos, qui omnium vice virum eligant idoneum & ſecundùm Concilii Generalis formam: Cujuſmodi electionis exemplum extat apud Sidon. *l.* 7. *Ep.* 9. in *Geſt.* Innocentii III. alibique paſſim, vide Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COMPSANI, Hirpinorum populi in Italia. Plin. *l.* 3. *c.* 11. Eorum oppid. *Compſa*, *Ptolemaus*, cui Græcè ſcribitur Κόμψα, perperam Lucanis illud attribuit. Vellejus, *l.* 2. *c.* 68. *Milo Compſam in Hirpinis oppugnans*, ubi Cluver. *Coſſanum* legem mavult, vide Authorem longè doctiſſimum, & laborioſiſſimum, *de Ital. Antiq. l.* 4. *c.* 8. Nunc urbs eſt regni Neapolitani in Principatu ulteriore prope fontes Aufidi fluv. ad radices montis Apennini, in confinio Principatus citerioris, 18. milliar. à Melphi in Occaſum, parva eſt, ſenſimque deficit *Baudrand.*

COMPSATUS, Thraciæ fluv. in Biſtonidem lacum influens. Herodot. *l.* 7.

COMPULSORES, apud Ammian. *l.* 22. Senatorem, *l.* 5. *Ep.* 39. Ennodium, *l.* 7. *Ep.* 10. in *l.* 7. *de Executoribus* &c. ſunt, qui Græc. Ἐπίκται καὶ Ἐκβιβασταὶ, in *Baſilicis*; Ἐκβιβαστὴς τῶν Βασιλικῶν, apud Cedrenum, *in Leone Philoſ.* Καταναγκασταὶ, apud Libanium, *Orat. contra Florent.* Fiſcalium videl. onerum exactores, qui multis functionibus obnoxios ad ſolutionem *compellebant*. Apud Caſſianum, ſic in Monaſteriis dicuntur, qui officii Canonici Horas indicabant, Monachoſque ad Eccleſiam cogebant, *de Cœnob. Inſtit. l.* 3. *c.* 2. In *L.* Wiſigothorum, *lib.* 9. *tit.* 2. § 1. *Compulſores Exercitus* occurrunt, quô nomine veniebant apud Gothos, qui milites in hoſtem exire *compellebant*, apud Eund. in *Gloſſario* &c.

COMPUSA, Bithyniæ oppidum, ad Thraciæ Boſpori anguſtias ſitum, non procul à Chalcedone. Plin. *l.* 5. *c. ult.*

COMPUTISTA Rogerius, vide *Rogerius*.

COMPUTUS, apud Scriptores, *Eccleſiaſticus* potiſſimùm intelligitur, qui definitur à Durando, *Rational. l.* 8. *c.* 2. *Notitia curſus Lunæ ac Kalendarum*, *ſeu ſcientia cernſpeciendi tempus, ſecundum Solis & Lunæ progreſſum.* Quæ quidem methodus à Græcis ψῆφος τοῦ ἁγίου καὶ μεγάλου πάσχα dicitur, Hebræis *Embolismus* ſeu *Myſterium emboliſmi*, à parte totum. In *Computo* autem præſertim docentur, tempus Paſchatis, Cyclus decennovennalis, Epactæ, Biſſextus, ſaltus Lunæ, 4. tempora, Kalendæ, Idus &c. Concurrentes, aliaque hujuſmodi: Et cenſuêre Veteres Presbyteris Clericiſque hujus Computi notitiam adeò neceſſariam eſſe, ut Statuta Eccleſ. ſeu Epiſcoporum pro ſuis diœceſibus penè omnia, illum iis magna cum ſollicitudine ediſcendum præſcribant, uti pluribus docet Car. du Freſne, *d. l.*

COMUM, Colonia, & urbs Epiſcopalis Inſubriæ ad Lacum Larium, quod inſtauratum *Novocomum* dictum eſt, vulgo *Como*. Patria Plinii Junioris, Pauli Jovii, & Cæcilii Poetæ, de quo Catullus, *carm.* 36.

Poetæ tenero, meo ſodali
Velim, Cæcilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque litus.

Antiquitatem ejus oſtendit Juſtinus, *l.* 20. *c.* 5. *Gallis in Italiam cauſa veniendi, ſeditio domi diſſenſiones fuêre, quarum tædio, cum in Italiam veniſſent, ſedibus Tuſcos expulêre, & Mediolanum, Comum &c. condiderunt.* Paulo aliter Plinius. Strabo, *l.* 5. Κῶμον δ' ἦν κατοικία μετρία. Πομπήϊος δὲ Στράβων ὁ Μάγνου πατὴρ κακωθεῖσαν ὑπὸ τῶν ὑπερκειμένων Ῥαιτῶν συνῴκισεν, &c. Vide eundem quoque, *l.* 4. Deinde C. Scipio ad 3. colonorum millia adjecit, quibus iterum D. Cæſar 5000. addidit, de quibus 500. fuerunt Græcorum nobiliſſimi. His & jus civitatis dedit, & inter colonos eorum nomina retulit, qui tamen ibi ſedes non tenuerunt, ſed Coloniæ nomen reliquerunt. Νεοκωμῖται γὰρ ἐκλήθησαν ἅπαντες, τοῦτο δὲ μεθερμηνευθὲν Νοβουμ Κωμουμ λέγεται. Vide Ammian. Marcellin. *l.* 15. Liv. *l.* 33. *c.* 22. *Ptolem.* Leandrum Alberti, *in deſcr. Ital.* Cluver. *Ital. Ant. p.* 248. Hinc Lacus nomen, vulgò, *Lac. Lloydius.*

COMUS, Deus apud Ethnicos habitus commeſſationum, nocturnarumque ſaltationum præſes: In cujus militia authorabantur juvenes, qui coronati noctu cum facibus, Muſiciſque inſtrumentis, ad amicarum fores ſaltandi, canendique gratiâ concurrebant, procaciterque laſciviebant, ut fores nonnunquam effringerent, quod optimè deſcribit Philoſtratus περὶ κώμου, *Imagine tertiâ*. Hinc *Crepalocomus*, vinolentorum hymnus, apud Ariſtoph. *in Ranis*. Cæterum, roſeâ coronâ inſignis fuit, tum quia hæc convivis olim propria: Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 19. *v. ult.*

Hæc hora eſt tua, dum furit Lyæus,
Cum regnat roſa, cum madent capilli.
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Tum, quia Sponſis aderat, in thalami foribus conſtitutus, velut utriuſque Sponſi conciliator & conjugalis commercii auctor: Roſæ autem Veneri in deliciis. Certè hunc *Comum*, aut quempiam munia ejus obeuntem, deſcribit Oppianus his verſibus, *l.* 1.

Ὡς δέ τις ἠΐθεος τὸν νυμφίδιον ποτὲ κῶμον
Εἵμασιν ἀργεννοῖσι καὶ ἄνθεσι πορφυρέοισι
Στεψάμενος, πνοιῇσι παλαιστινοῖο μύροιο
Ἐς θάλαμον βαίνησιν ἄγων ὑμέναιον ἀοιδήν.

Quomodo aliquis juvenum à juvenibus muliebribus,
Veſtibus candidis & floribus purpureis
Redimitus, ſpiranſque Palæſtinum unguentum,
In thalamum aſcendit vehit hymenæum canens.

Fingiturque & pingitur ferè in comitatu amantium, ut videre eſt apud Philoſtratum, *Imagin.* è quibus ὁ μὲν ἀναγελᾷ, ὁ δὲ χορεύει· ὁ δὲ ... [illegible] καὶ ὁ Κῶμος αὐτὸς ... [illegible] Ἀσελγοκωμον eum vocat, h. e. *perdite amantem*, Lucianus, *Amor.* &c. Vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 2. *c.* 16. & *l.* 3. *c.* 5. & 6, nec non ſuprà in voce *Comeſſatio*.

CON. in nummis Conſtantini M. Joviniani, Valentis, Theodoſii & Anaſtaſii, *Conſtantinopoli* ſignificat: uti & **CONA.** in Mauricii, interprete Car. du Freſne, *Diſſertat. de inſcr. ævi Numiſmatibus*.

CONACUM, urbs Aquitaniæ in provincia Inculiſmenſi, ad Carentonum fluvium Franciſci I. natalibus clara. Quibuſdam *Conpinacum*.

CONADIPSAS, Scythiæ intra Imaum regio. *Ptol.*

CONADIUM, urbs Epiſcopalis Hungariæ, *Chonad.*

CONÆ, populi apud Solinum, qui *Cicones* Plinio, *l.* 6. *c.* 13. Vide ibi.

Reges & Duces Aremoricæ.

CONANUS, M. Britanniæ Rex, Conſtantino patruô occiſô, thronum conſcendit, vitiis infamis. Obiit pauló poſt, Polydor. Virg. Beda, Chetinus, *Hiſt. Angl.* Sed & primum minoris Britanniæ ſeu Aremoricæ Regem eodem nomine inſignem circa A. C. 380. & ab eo longâ ſerie, uſque ad A. C. 900. in Britannia Gallica regnaviſſe, eâ tamen conditione, ut hi Reges Vaſalli eſſent Regum Franciæ, addit Georg. Hornius, *Orb. Imp.*

CONANUS I. Armoricæ Dux, poſt Drogonem, Hoëlô & Guerecô, filiis ejus nothis, necatis: prius Comes Redonenſis, è Salomonis poſteris. In prœlio, A. C. 992. contra Fulconem, Comitem Andegavenſem occiſus. Godofridus fil. ſucceſſit.

CONANUS II. obiit improlis, A. C. 1066. maritô ſororis Hoëlô ſucceſſore, cujus filius.

CONANUS III. cognomine Craſſus, obiit A. C. 1148. Ei ſucceſſit Odo gener, Comes Pontoniacenſis.

CONANUS IV. cognomine Parvus, contra patrem Odonem inſurrexit, Ducatum ſibi, ob jus maternum, vindicans. Obiit A. C. 1166.

CONAPSENI, Sarmatiæ Aſiaticæ gens. *Ptol.*

CONARUS, Scotorum Rex 20. necis Mogaldo patri illatæ conſcius, & omnium primus, qui à Scotis tributum, & vectigal exegit, ob id in carcerem truſus, miſerrimè vitam cum morte commutavit. *Hiſt. Scot.*

CONCÆDES, vide infrà *Limes*, it. *Stipites*.

CONCAMERATIONES, vide infrà in voce *Voluta*.

CONCANA, Hiſpaniæ urbs in Aſturia. *Ptol.* Populi *Concani*. Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 4. *v.* 34.

Et lætum equino ſanguine Concanum.

Silius, *l.* 3. *v.* 360.

Nec, qui Maſſageten monſtrans feritate parentem,
Cornipedis fuſa ſatiaris, Concane, venâ.

CONCANGIUM, Britanniæ oppid. *Lib. Notit. The Barony of Kendal* Camdeno. Cujus verba ſunt, *Concangios olim* (de Candalia in Weſtmaria loquens) *ſtationem fuiſſe opinatus ſum*, ſed jam rectiùs docent. Alibi enim de *Haulton*, vel *Holton*, oppido in confinio Ceſtrenſis & Lancaſtrienſis Comitatus verba habens, ait, *Nec ego alibi quærere auſus ſum, quam in hoc tractu ſtationem illam Concangios, ubi Numerus vigilum, &c.*

CONCANI, populi fuêre pars Cantabrorum; quorum oppid. Concana nunc fortè *Santillana*, urbs Aſturiæ verſus oram litturalem ex primis regionis. 15. milliar. à confinio Biſcajæ. *Bructon, Saxſon.*

CONCARNEUM, oppid. Britanniæ minoris cum arce, in Cornubiæ tractu, 4. leuc. à Coriſopito in Auſtrum.

CONCEPTA Verba, ſunt à Seniore aut honoratiore parte præſtituta, præſcripta, ab altera probata, & ſic tandem in certam fœderis formam redacta. Hinc Statius, *l.* 2. *Achill. v.* 226.

—— *An nos humiles tibi, degeneresque videmur?*
Non teneo. Junge ergo manum & concipe fœdus,
Atque ignoſce tuis ——

Uti Virg. *l.* 12. *Æn. v.* 13.

—— *Fer ſacra Pater, & concipe fœdus.*

Petronius tamen & Seneca etiam uni, ſine deliberatione cum altero, *conceptis* & quidem *conceptiſſimis* alios, verbis juramentum adſcribunt. Vide Caſp. Barthium, *Animadverſ. ad Statium d. l.*

CONCEPTIO, Ordo ſacer Virginum, in communione Romana à Beatrice de Sylva, Luſitana, inſtitutus. Ab Innocentio VIII. approbatus, A. C. 1489. Miræus, *orig. relig. l.* 3. *c.* 13. Spond. *A. C.* 1484. Item ordo militaris, à Ferdinando Mantuano Duce Carolo Gonzaga Nivern. & Adolfo Comite Allano, &c. fundatus, A. C. 1619.

CONCEPTIO, civitas Americæ meridionalis in ora maris Pacifici, cum portu capaci, ipſa totius Caleæ ex primis. Sedes Præfecti. Probè munita, ſub Hiſpanis.

CONCEPTIO, oppid. Americæ in Paraguaja, ubi amnis Urvaigus in Argenteum fluv. ſe exonerat. In ditione Hiſpanica.

CONCEPTIO B. Mariæ Virginis, Feſtum celebre in Communione Romana jam A. C. 1136 viguiſſe Lugduni Galliæ, refertur Baronio, *ad annum hunc num.* 14. Quod officium à Leonardo de Nogarolis Veronenſi, Notario, ut vocant, Apoſtolico, compoſitum & à Sixto IV. confirmatum eſſe, legas apud Macros Fratres, in *Hierolex.* Apud Græcos Σύλληψιν feſtivitatem hanc vocari, & die feſtivitatem Latinorum ſequente, ab iis ex Emanuelis Imperatoris conſtitutione celebrari: in Sfortianæ quoque Bibliothecæ MSS. Leonis Imperatoris de hac ſolemnitate Sermonem aſſervari, iidem referunt. Non fuiſſe autem Feſtum illud ſuô tempore in Eccleſia Romana communiter acceptum, tradit Durandus Mimatenſis Epiſcopus, *Rationalis l.* 7. *c.* 7. qui vixit A. C. 1280. Petrus quoque de Natalibus *in Catal. Sanctor. l.* 1. *c.* 42. non ex generali Eccleſiæ conſtitutione, ſed ex privata quorundam devotione, ſuô tempore celebratum, docet. Quin in Concilio Oxonienſi A. C. 1224. exceptum fuiſſe idem, à reliquis neceſſariò celebrandis, colligas ex Concilior. *Tom. II. p.* 1005. *edit.* P. Crabbe & *Tom. III.* Binnii, *Part. II. A. C.* 1222. Nec Dominicanos, ſub nomine *Conceptionis*, ſed *Sanctificationis*, illud recoluiſſe uſque ad tempora Pauli V. docet Rivetus. Poſtmodum verò majori curâ hæc res tractata eſt, uti patet ex libro Lucæ Waddingi Hiberni Minoritæ, cui titul. *De legatione Philippi III. & Philippi IV. ad Paulum V. & Gregorium XV. pro definienda Controverſia, de Conceptione Virginis* & *Obſerv.* ad eum A. Riveti, *Apolog. pro SS. Virgine, l.* 1. *c.* 5. & *ſeqq.* Nec omittenda numiſmata ab Hiſpanis, qui *Conceptionem immaculatam* hôc Feſtô celebrari, cum Franciſcanis, ajebant, contra Dominicanos (qui hâc celebritate annuâ voluiſſe ſaltem Eccleſiam recolere divinum illud beneficium, quô factum eſt, ut *conciperetur* Illa, ex qua Salvator naſci debuit, docuêre) cuſa, ſub initium hujus ſeculi, lite hâc in Eccleſia Romana maximè fervente. Habebant illa ex una parte corporis & calicis Chriſti effigiem, cum verbis: ALABADO SIA EL SANTISSIMO SACRAMENTO, h. e. *Laudatum ſit ſanctiſſimum Sacramentum.* Ab altera verò parte ferebant imaginem hieroglyphicam *Conceptionis* hujus, cum Inſcr. CONCEPTA SINE PECCATO ORIGINALI: adjectâ chordâ Franciſcanâ, ambiente figuram, ut pateret hanc eorum doctrinam eſſe &c. De quibus & ipſis ingentem litem obortam vide apud eundem Waddingum, ubi ſuprà.

CONCEPTIO S. Johannis Baptiſtæ, Feſtum itidem Latinorum, quod reperiri in quibuſdam *Martyrologiis* antiquis, die 24. Septembr. & in quodam *Miſſali* Equitum Melitenſium A. C. 1405. Argentorati impreſſo, ac in Brancacci Cardinal. Bibliotheca aſſervari ſolito, ſcribunt Macri.

CONCEPTIO de la Vega, urbs Epiſcopalis Hiſpaniolæ.

CONCEPTIVÆ Feriæ, vide infrà *Feriæ*.

CONCEPTUS Coronatus. De Regibus, in infantia quoque coronatis, non in puerili ſolùm, aut adultiore ætate, obvia exempla ſunt. De eo verò, qui nondum natus, ſed adhuc in utero erat, ſingulare extat illud apud Agathiam, *l.* 4. Nam Vararane Perſarum Rege defunctô, relictâ uxore prægnante, Magiſque firmantibus, fore potioris ſexus quod naſceretur, nullô, ne breviſſimi quidem temporis, interjectu, cidaris ventri Reginæ imponitur; & ille, qui vix dum *conceptus* erat, Rex renuntiatur. Vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 10. *c.* 7. ut & in voce *Varanes*.

CONCHA, nomen generale, multas ſub ſe ſpecies comprehendens. *In illis enim magna ludentis naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidiò orbe caſis, in dorſum elatis, lævibus, rugatis, denticulatis, ſtriatis, vertice muricatim intortò, margine in mucronem emiſſo, foris effuſo, intus replicato: jam diſtinctione virgulata, crinita, criſpa, canaliculatim, pectinatim, imbricatim undatâ, cancellatim reticulatâ, in obliquum, in rectum expanſâ, porrectâ ſinuatâ, brevi nodô ligatis, totô latere connexis, ad plauſum apertis, ad buccinam recurvis. Navigant ex his Veneriæ, præbentesque concavam ſui partem & auræ opponentes per ſumma æquorum veliſicant. Saliunt pectines & extra volitant ſeque ipſi carinant*, verba ſunt Plinii, *l.* 9. *c.* 33. Earum multiplex uſus, in vita humana. Nam *Concha*, olim ſigillis appoſita eſt, uti diximus ſuprà in voce *Clearchus*. Pictoribus olim, hodieque, pro vaſculis pigmentariis, inſervit: Colores enim ſuis infundere conchis videmus, ut chamarum & mytilorum teſtis, idque partim, quia colores iis non immutentur, partim, quia teſtæ nulli ſint oneri, dum manu ſuſtinentur. Etiam antiquis pro tuba fuit *Concha* turbinata, dicta στρόμβος, quaſi στρεπτὸς. *Heſych.* & *Varin.* Στρομβίζειν τῷ κόγχῳ, ἢ βυκανίζειν, *Strabelo*, conchâ, *quâ buccinæ inſtar canebant.* Idem *Heſychius* ante tubas inventas, conchis marinis uſos fuiſſe, alibi docet. Vide Theocritum, Διοσκούροις & Lycophronem, *Caſſandrâ*, nec non infrà *Prælium*. Hinc & Tritones in antiquis videas marmoribus cum conchis oblongis, ore rotundô amplôque; ſed paulatim amittentibus magnitudinem, donec per ſinuoſitatem devexam deſinant inferiùs in mucronem: cujuſmodi *concham* ferè deſcripſit Ovid. *l.* 1. *Met. Fab.* 7. Porrò & in ſuffragiis ferendis, concharum minutarum, pro calculis, uſum fuiſſe, quæ χοιρίναι dictæ, legimus apud Jul. Pollucem, *l.* 8. *c.* 5. & Scholiaſt. Ariſtoph. *Equit.* Ad quam formam poſteà calculi ex ære facti, quos & σπονδύλους dixerunt, antiquô nomine retentô: nam σφόνδυλοι iidem cum χοιρίναις, quæ ſunt conchæ marinæ. *Id. Pollux*, Αὗται δὲ αἱ χαλκαῖ ὕστερον ἐγίνοντο, σφόνδυλοι δὲ ἐκαλοῦντο αἱ ψῆφοι δικαστικαὶ χαλκαῖ κατεσκευασμέναι, *Poſteà verò & areos fecerunt ad imitationem, ſpondylia quoque vocabantur calculi Judicum, ex ære facti.* In menſuris quoque iis uſi ſunt: unde obtinuit, ut *Concham* dicerent pro tribus cochlearibus, nempe ſextarius valuit conchas 32. quod eſſet 96. cochlearia. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 4. *c.* 49. Imò ad luſum adhibitæ. *Conchis* enim illis minutis & rotundis, quæ cum lapillis, in littore maris inveniuntur, luſitâſſe olim puellas, docet Tzetzes his verſibus:

Λείας λίθους εὑρίσκονται καὶ μάλιστα εἰς ἄκρον
Ὅμοιας καλαλαῖγξι, αἷς παίζουσι αἱ κόραι.

Quas imitatus Caligula; *contractis ad unum legionibus, ſpecie in Germaniam transgrediendi*. Conchas *umbilicoſque in ora maris Oceani legi juſſit, cum ipſe nunc ſerico cultu Venerioque intereſſet, nunc armatus, ſpolia à ſe non ex hominibus, ſed cæleſtium capi dictitaret* &c. uti habet Victor, *inco*, *c.* 3. Vel, ut Sueton. *c.* 46. *Poſtremo quaſi perpetraturus bellum, directa acie in littore Oceani, ac baliſtis machinisque diſpoſitis, nemine gnarò ac opinante, quidnam cœpturus eſſet, repentè ut conchas legerent, galeaſque & ſinus replerent, imperavit. Spolia Oceani vocans; Capitolio Palatioque debita.* Vide quoque infrà ubi de Ocellis. Abuſus verò ad luxum graviſſimus, de quo iterum Plin. *l.* 6. *c.* 34. *Sed quid hæc tam parva commemoro, cùm populatio morum atque luxuria non aliunde major, quam e* Concharum *genere, proveniat? Jam quidem ex tota rerum natura, damnoſiſſimum mare eſt, tot modis tot menſis, tot piſcium ſaporibus, quibus pretia capientium periculo fiunt.* Ubi inprimis digitum intendit, in *Conchas Margaritarias*, *Purpurarias*, *Venerias*, de quibus infrà dicetur.

CONCHA, vulgò *Cuenca*, urbs Hiſpaniæ in Montana regione vulgò *la Sierra*, cujus caput eſt ad Sucronem fluv. vix 10. leuc. à confinio Aragoniæ in Occaſum, 9. à Tago fluv. in colle, inter duo flumina & montes. Capta eſt ab Alphonſo Rege, A. C. 1166.

CONCHA, urbs fuit Romandiolæ, in ora maris Adriatici, jamdudum aquis obruta.

CONCHA, Græcè Κόγχη, apud medii ævi Scriptores, eò nomen dicitur, quò tegebatur Sanctuarium vel Adytum Templi, quòd inſtar *Conchæ* ſtructum eſſet, nomen adeptum. Habebat enim dimidiati hæmiſphærii figuram, vel quartæ partis ſphæræ. Paulus Silentiarius in Ἐκφράσει Templi S. Sophiæ,

—— ὕψι δὲ μέσσ' ὄρθιον αὐχένα βίχων
Σφαίρης τετρατόμοιο λόχος ...
Οἷα ... ὑψόθι ...
Σχῆμα ...
Κόγχας ...
Ἀνέρες ...
Εἰσαλίω ...
Αὐτοὶ ...

Conſtabat autem tribus concavitatibus intus recedentibus, quibus diſtinguebatur. *Idem*,

Τρισσαὶ μὲν ... ἴνδαλμα ...
Ἠμιτόμων, ὕψι δὲ μέσσ' ὄρθιον αὐχένα βίχων
Σφαίρης τετρατόμοιο λόχος κλ.

Ubi σφαίρα ἔνδον αὐλῶν ἐκτέτμηται ſunt tres receſſus concavi Conchæ, qui ab invicem circulis dimidiatis prominentibus diſtincti erant. Ipſa verò tota in exteriori parte ſphæræ, uti dictum, quartam partem referebat. Paulinus, *Natali* 10.

> *Eſt etiam interiore ſinu majoris in aulæ*
> *Inſita cella procul, quaſi filia culminis ejus;*
> *Stellatâ ſpatioſa tholô, trinóque receſſu*
> *Diſpoſitis ſinuata locis ------*

Aliquando ipſa Conchâ major hôc modô, tribus voluturum ſinibus diſtincta; duas alias conchulas dextrâ lævâque adjunctas habebat. Idem, *Ep.* 12. *Cum duabus dextra lævaque conchulis, intra ſpatioſum ſui ambitum abſis ſinuata laxetur.* Idem enim *Apſis*, quod *Concha*, uti apud Paulum quoque præfatum videre eſt; hodie *Chorus*. Porrò *Concha* cameratum habuit culmen, quod non tàm altum, quàm reliquum Baſilicæ ſpatium, & laqueatum erat: cum reliqua Baſilica lacunar haberet pro camera. Aliquando tamen & totum Templi tectum, non minùs, ac Sacrarium ipſum cameratum erat, ſed hôc diſcrimine, ut Sacrarii culmen conchæ formam haberet, i. e. cameræ concham referentis: cætera Baſilica, ſemicylindri ſpecie, fornice nempe oblongâ; præterea cætera Baſilica laqueata, i. e. tabulis ſubtecta; at Concha Sacrarii ea ſtructura, i. e. lapide ſtructo eſſet &c. Quia verò *Concha* Templi ſeu apſis *ſpeluncæ* modô camerata erat, hinc & *Spelunca* appellata eſt. Unde illa Græcorum θεωρία, de ſepulchri Domini comparatione, cum Eccleſiæ concha: Κόγχη ἐςὶ τὸ ὡς ἐν Βηθλεὲμ σπήλαιον ὅπου ἐγεννήθη ὁ Χριςὸς, καὶ τὸ σπήλαιον ὅπου ἐτάφη, apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1251. & *ſeqq.* De *Concha*, Car. du Freſne, *in illa*, inquit, *ſacra Myſteria peraguntur & ubi ſitum Altare; ſic dicto, quòd qua parte ſit θυσιαςήριον ſeu Βῆμα, quidam in hemicylindri formam effingatur receſſus, qui ſuperne in* Conchæ *figuram clauditur.* Græci vero juxta *Concham* iſtiuſmodi ſolent præter Altare, ubi Eucharistiam peragunt, aliud altariolum erigere, ubi multis ceremoniis panem & vinum præparant, quem ritum προσκομιδὴν, i. e. *advectionem*, vocant: Inde enim tempore conſecrationis, ſolenni proceſſione panem & vinum ad Altare deferunt, ac eòdem, peractâ communione, Sacerdos reſiduum Euchariſtiæ refert & conſumit, vaſaque purificat, vide Martos Fratres, in *Hierolex.* & Car. du Freſne in *Deſcr. S. Sophiæ* n. 50. nec non infrà, voce *Receſſus*. Sed & *Concha* ſpecies navigii eſt, in *conchæ* formam efficta, ad inſtar gondolarum Veneticarum, in *Ep.* Jacobi Aragoniæ Regis ad Carolum Regem Franciæ A. C. 1326. alibique. In Eccleſia Romana recenſetur vulgò inter vaſa ac miniſteria ſacra, cujus varii fuêre uſus. *Concharum ad chriſma*, meminit Gregor. M. *Sacrament.* p. 72. 73. edit. Menardi. *Concharum*, h. e. candelabrorum Bernardus in *Conſuet. Cluniacenſibus MSS.* Κογχίσμος vocat Paulus Silentiarius in *Deſcr. S. Sophiæ. Concha ad Baptiſmum* occurrunt, in *Concil. Eliberit.* can 48. *Hi qui baptizantur, nummos in concham non immittant, ne Sacerdos quod gratis accepit, pretio diſtrahere videatur.* Item in *Reſponſis* Stephani II. *c.* 11. *Cum concha aut cum manibus infanti in infirmitate poſito aquam ſuper caput fundere & ſic baptizare* &c. Alium indigitat uſum Anaſtaſius Bibliothecar. *in Paſchali*, *Pariterque & concham ad ſpongiam pro noctarum diligentiis ibidem ex argento conſtituit* &c. apud eundem Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CONCHA Margaritaria, non unius generis eſt. Pinnæ, pectines & myaces, diverſæ certè concharum ſpecies, in quibus margaritum gigni Veteres prodidêre. Nec hodiernô tempore una concha lapidem hunc generat. Omnium præſtantiſſimæ ad gignendas margaritas habentur hodie, quæ leves & candidæ ſunt, quas pinnis ſimiles, aut pinnas, Veteres dixêre. De his Androſthenes intelligendus, qui λεῖον ὄςρακον καὶ δασὺ Conchæ margaritiferæ tribuit, *teſtam levem & hirſutam*. Unde πίννινον dictum margaritum, & πίννινον ἔριον, *lana*, quâ concha illa comas & *hirſuta* eſt: hodieque *Cheripo* id genus lævis conchæ Perſis eſt Indiſque. Alia eſt ſpecies, quam vulgò μαργαριτοῦτα, i. e. *matrem perulacum* appellant, quæ major eſt & exteriori parte ſcabra, impolita ac rugis infecta, *Chanque* indigenis, pectini ſimilior, quàm pinnæ, unde κτένα eam *Procopius* vocat. Sed & *Myes* ſeu *Myaces* margaritam ferunt, quæ nomen invenêre, ἀπὸ τοῦ μύειν, quòd claudant ſe atque aperiant, quoties lubet, ut faciunt omnes conchæ duplices aut bipatentes. Unde quia ejuſmodi conchis ligulæ fiebant & cochlearia, inde μύςρον, pro ligula occurrit. Roſcidô autem conceptu gravidas fieri margaritarias Conchas & pro qualitate roris, quem acceperint, aut candeſcere partum aut turbidum eſſe, aut palleſcere, ait Plin. *l.* 9. *c.* 35. quem rorem *aſpergines Lunaris* nomine deſignat Solinus, *c.* 53. Et æſtatis tempore noctu præcipuè oſcitare & pandi has conchas, ut humorem hunc recipiant, per diem verò comprimi, tradit *Iſidorus Characenus*. Sed quomodo conchæ in medio maris totæ intra aquam conditæ rorem illum cupitum, qui de cœlo labitur, haurire queant? pleræque enim earum ſaxis ac ſcopulis adhæreſcunt, fixæque radices agunt, totô mari tectæ. Imò adeò in penitis ac profundis marium ſedes ſibi collocant nonnullæ, ἐμβύθιοι hinc & πελάγιαι dictæ, ut ad eas exquirendas urinatores ſæpe in mare deſcendant, 24. orgyarum altitudine: cùm tamen illæ, quæ ῥιζοβολοῦσι, plurimum & maximum nutriant margaritum. Scribit idem *Iſidorus*, per tonitrua frequentia & imbrium effuſionem, magis parere concham, & plurimum gigni margaritum: quod non inde fit, quòd imbres illos conchæ hauriant, ſed quâdam occultâ naturæ vi ac proprietate: quâ videl. & tubera tum maximè naſci, ac grandeſcere, traditum eſt, cùm fuerint imbres autumnales, & maximè, cùm tonitrua. Contrà Plinius, tonitrua concharum partui officere, dicit. Etenim pavore attonitas, abortivos fœtus edere, ſpecie tenus inania & inflata quædam margaritarum ſimulachra ſine corpore, φυσήματα Græc. Fulguratione verò comprimi conchas & minorem margaritam edere, idem addit, quia compreſſæ jejunant, & pro modo jejunii, fœtus minuitur. Hoc certum conchis majorem, cœli pacati ac quieti ſocietatem eſſe. Sed & tradit Plinius, craſſeſcere in ſenecta margaritas conchiſque adhæreſcere, nec his avelli poſſe ſine lima: contrà *Iſidorus*, principiô conchæ margaritam adhæreſcere, & quamdiu adhæreſcit, incrementum capere per ſubſidium conchæ; poſtmodum carne ſubnaſcente ad ipſam radicem & molliter reſectam à concha margaritam ſeparante, ubi eam completa eſt totam, non ampliùs alimenta capere & augeſcere margaritam, ſed lucidiorem fieri & leviorem acquirere. Quod utrumque de nonnullis verum. Et quidem quæ conchis adhæreſcunt margaritæ atque inde limâ avelluntur, quia alteram faciem planam habent, τυμπάνια nomen apud Græcos habuêre &c. Cæterum *Conchæ*, in quibus pretioſus hic calculus naſcitur, ex earum genere ſunt, quas Græci δίθυρα vocant & κοῖλα, i. e. *clauſiles* ſeu *apertiles & concavas intus*, hincque *duplices* dictas, ita ut dimidiatæ formam lancis vel diſci ſatis bellè referant, à qua figura μάργαρα dictæ videntur, μάργαρα enim pro *lance*, vox Græciæ vetus eſt. Inde periculum margaritarum piſcatoribus, *concha*, *quum manum vidit, comprimente ſe, eamque ſi præveniat abſcindente*, ut idem habet *Iſidorus*. Partes earum, ſicut & purpuræ aliarumque oſtrearum, infima πυθμὴν, media μήκων vel μηκώνιον, ſuprema τράχηλος ſeu σπόνδυλος. Inter quas μήκωνος fibra ſunt, vel *fimbria*, Martiali, *l.* 7. *Epigr.* 19. v. 7. *cirri*: quos purpureus crinis ambit, à quo pinnarum capillitio & molli lanoſitate tenuis veſtis πίννινον quoque appellata eſt. Namque & neri hinc vellus & inde veſtes texi conſueviſſe, dicemus infrà, in voce *Papaveracea*, item *Pinnicum*. Ex ipſis autem conchis cochlearia hodieque ac lancellas poculaque fieri, nemini ignotum. Vide plura hanc in rem, apud Plinium, *l.* 9. *c.* 35. & Salmaſ. *ad Solin.* p. 1125. & *ſeqq.* nec non hîc paſſim, inprimis ubi de *Margaritis*, in voce *Penium*, de *Perlis* & *Unionibus*.

CONCHA Purpuraria, Hebr. חלזון *chilzon* (quæ vox aliàs in genere *Cochleam* denotat,) Deuteronom. *c.* 33. *v.* 19. *In Paraphraſi* Jonathanis dicitur, quod cochlea concham hanc incolens ſimillima ſit cochleæ terreſtri. Uti teſtatur Bellonius, qui Cochleas purpurarias adhuc vivas ſæpius viderat his verbis: *Ejus concha cochleam terreſtrem penitus referret, niſi clavata eſſet, & canalem ad latus, quâ linguam exerit, haberet. Cornua limacum more attollit, atque eôdem pactô ſerpit, iiſdemque cornibus iter ſibi prætendit.* Hæ quamvis in petris frequentiùs, tamen etiam in arena proveniunt, Oppianus, *Halieutic.* *l.* 1. *v.* 314.

> Πολλὰ μὲν ἐν πέτρῃσι, τὰ δ' ἐν ψαμάθοισι νέμονται
> Νηρεῖται, ςρόμβων τε γένος, καὶ πορφύρῃ αὐτή.
> *Multa quidem cochlearum genera in petris, alia autem in arena paſcuntur,*
> *Neritæ, ſtromborumque genus & ipſa purpura.*

Unde inter *theſauros abſconditos arenæ*, Zabulonitis promiſſos, d. *l.* etiam purpuram numerant Magiſtri. Purpurarium certè Judææ littus, à Tyri ſcalis uſque ad Chaipham extenſum eſſe, diximus retrò in voce *Chaipha*. Quamdiu etiam Cochlea hæc purpuraria, tamdiu & concha ejus ſeu theca creſcit, quæ cùm ſex aut 7. annos vivat, in concha, tot orbes habet, quot annos agit. Ariſtot. *Hiſtor.* *l.* 5. *c.* 5. Ζῇ γὰρ ἡ πορφύρα περὶ ἔτη ἕξ, καὶ καθ' ἕκαςον ἐνιαυτὸν φανερά ἐςιν ἡ αὔξησις, τοῖς διαςήμασι τοῖς ἐν τῷ ὀςράκῳ τῆς ἕλικος. In quem ſenſum Plin. *l.* 9. *c.* 36. *extr.* purpuram, cum buccino conferens: *Clavatum eſt* (purpuræ roſtrum) *ad turbinem uſque aculeis in orbem ſeptenis ferè, qui non ſunt buccino: Sed utriſque orbes totidem quot habeant annos.* Piſcatio ejus, in Mari Mediterraneo fieri ſolita eſt, non in lacu Aſphaltite, ut ſcribit Maimonides, *ad locum Numer.* c. 15. v. 38. ubi de Judæorum fimbriis, quibus vittam purpuream jubebantur aſſuere, agens, quomodo in illius cochleæ ſanguine lana tingatur, ſic docet: *Cùm fimbriarum purpuram inſecturi ſunt, lanam ſumunt, quam in calce maceratam & ſubinde lotam, donec ſit nitida, in ſapone elixant, atque aliis hujuſmodi --- ut lana colorem imbibat. Quo factô ſanguinem* τοῦ chilzon *afferunt --- atri ſanguinis, inſtar atramenti, qui in Mari ſalſo reperitur. Et ſanguinem in cortina ponunt cum pigmentis variis, cimolia putà, atque aliis hujuſmodi, pro more infectorum. Et poſtquam elixat eſt, lanam in eam immergunt, donec cœlo fiat concolor.* Cùm verò capiebantur hæ conchæ, dabatur opera, ut vivæ contunderentur. Philoſophus ubi ſuprà, Συνδάζουσι δὲ ζῶσας κόπτοντες. Ἐὰν γὰρ πρὶν κόψαι ἀποθάνῃ, συνεξεμεῖ τὸ ἄνθος. Nempe ſi repetitis ictibus percuteretur, ſucci florem (quem in mediis faucibus, ἀνὰ μέσον τῆς μήκωνος καὶ τοῦ τραχήλου, *inter cirrum & ſpondylum* habent hæ cochleæ) amittebat, ſive is prorſus efflueret, aut in maſſam corporis ſpargeretur, atque eâ ratione ad lanarum infectums fieret inutilis. Unde Euſtathius, *Il.* ε. mortem ab Homero vult *purpuream*, πορφύρεον θάνατον, vocari, non ſolùm propter ſanguinem, qui coloris eſt nigri ſeu purpurei, ſed & τὸν ἐκ πληγῆς, *mortem ab ictu inflictam*, qua de re, ut & plura huc pertinentia vide apud Plin. *l.* 9. *c.* 35. & *ſeqq.* Sam. Bochartum, *Hieroz.* *Pars priore*, *l.* 5. *c.* 2. & *ſeqq.* nec non hic paſſim, ubi de vocibus *Argavan*, *Purpura*, *Thecheles* &c.

CONCHA Venerea, in indice cœnæ Pontificalis, à Metello exhibitæ, memoratam, apud Macrob. *Saturnal.* *l.* 3. *c.* 13. & Senecam, *Ep.* 95. deſcribitur Plinio his verbis, *l.* 9 *c.* 25. *Muticnos invenio eſſe latiorem purpurâ, neque aſperô neque rotundô ore, neque in angulos prodeunte roſtrô, ſed ſimplici conchâ utrôque latere ſeſe colligente.* Subjungit dein, *Quibus inhærentibus, plenam ventis ſtetiſſe navem portantem nuntios à Periandro, ut caſtrarentur nobiles pueri, conchaſque quæ id præſtiterint, apud Cnidiorum Venerem coli*: Unde *Veneream* idem vocat, *l.* 9. *c.* 33. *Navigant Veneriæ, præbentesque concavam ſui partem & alteram auræ apponentes, per ſumma æquorum veliſicant.* Martialis Cytheriacam, *l.* 2. *Epigr.* 47.

> *Lævior & conchis Galle Cytheriacis.*

Hodie

Hodie eædem *porcellana* dicuntur, à *porcella*, ut Græci etiam eas vocant χοιρίνας, quia χοῖρος & χοιρίον id in muliere ſit, quæ mulier eſt: quam partem illæ referunt, Gerh. Joh. Voſſius, *l. c. c.* 35. Vide quoque Rondeletium, *l.* 19. *c.* 12. & Bellonium de *Aquatilibus*, *l.* 2. *c.* 10. Idem Voſſius, *conchis* iſtiuſmodi uti vulgò ad polienda lintea, quia nihil in iis aſperum; ut & in chartæ politurâ, tradit, *ejuſd. lib. c.* 47. *ſub fin.* Atque hactenus quidem ex ſententia receptâ, quâ creditum eſt, ex contuſis conchulis marinis præparari materiam, è qua iſtiuſmodi vaſa fiant. Hodie autem, ex terra quadam apud Sinenſes fieri, figlinâ arte, compertum eſt, & latiùs dicemus infrà, ubi de *Porcellana*.

CONCHÆ, aliàs *Caſtellio*, cœnobium Benedictinorum Galliæ, à Rogerio de Toënio conditum, vulgò *Conches* & *Chaſtillon*, non procul à Mediolano Aulercorum Eburovicum. Item monaſterium antiquiſſimum, ſeu Abbatia Galliæ in Rutenis, *Conches* quoque. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CONCHARIS, Rex veteris Ægypti inferioris Regum XXV. & ultimus ſucceſſit Rameſſe-Vephri, dum Iſraelitæ in Ægypto multiplicarentur valdè, apud Thebanos verò Ægyptios regnaret Thyoſi-Mares. Præfuit annos 5. thronô deturbatus à Paſtoribus, qui, irruptione in regnum ejus factâ, gentem longâ pace imbellem ἀμαχεὶ oppreſſerunt, atque novem ibi Paſtorum Regum ſeu *Hycſos* dictorum Dynaſtiam excitârunt ſub Salate primo ſuo Rege, quem vide: ut & voce *Paſtores*.

CONCHE, nomen loci, apud Treb. Pollionem in *Vita Zenobiæ*, *c.* 30. *extr.* *Fertur vixiſſe cum liberis ---- data ſibi poſſeſſione in Tiburti, quæ hodieque Zenobia dicitur, non longè ab Adriani Palatio atque ab eo loco, cui nomen eſt Conche.* Ubi Palatinum Cod. habere *Concha*, monet *Salmaſius*. Apud Martialem verò, *l.* 5. *Epigr.* 41. *v. extr.*

> *Craſſo divitior licèt fuiſſem,*
> *Irò pauperior forem, Carine,*
> *Si conchem toties meam comeſſes.*

Conchis eſt, faba viridis. Vult enim dicere Poëta, paupertimum fore, ſi non mellitâ placentâ, ſed vili cibô fabarum in ſiliquis coctarum Carinum (à quo hæredem ſe ſcriptum fingit) paſcere cogeretur, quoties ille ſignaret vel tuſſiendo mortis ſpem ipſi faceret.

CONCHUS, oppidum Normanniæ. 4. leuc. ab Ebroicis, in tractu *Ouche*. Ejus ſuburbium vulgò *Caſtellionum* cuamnum, ubi Abbatia celebris. Vide ſuprà.

CONCHYLIUM, ſtrictè cùm accipitur, purpuræ ac buccino opponitur, apud *Dioſcor.* Interdum & buccinum ſolum *conchylii* nomine intelligitur: quomodo eædem hæ *veſtes conchyliatæ*, &, quas Maro, *l.* 4. *Æn. v.* 262. appellat, *Tyrio murice infectas*. Eô pactô autem opponi ſolent veſtis *conchyliata* & *purpurea*. Nempe apud Romanos ſic uſus erat, ut conchyliatus color eſſet dilucidior ac pallidior: purpureus vegetior florentiorque: qualis Tyrius, ut Plinius ait, *l.* 9. *c.* 38. *extr.* *concreti ſanguinis nigricans aſpectu idemque ſuſpectu refulgens*. Vide ſuprà, *Cæruleus color*. At hodie, tam purpureus, quàm conchyliatus color, ab herbis eſt, ut videbimus infrà, ubi de *Purpura*: cùm olim iſte honos aquarum eſſet ac piſcium. Ambroſius, *Hexaem. l.* 5 *c.* 2. *Quid etiam purpuræ memorem, quæ ornant Regum convivia, amictus imbuunt? Aquarum eſt igitur, quod in Regibus adoratur.* Ubi *aquarum honorem* appellat, quia & purpura & buccinum aquatilia ſunt. De tincturæ *Conchyliorum*, idem ſuprà laudatus Plinius, *l.* 9. *c.* 36. *Sed, unde conchylia, inquit, pretium? quis virus grave in fuco, color auſterus in glauco, & iraſcenti ſimilis mari?* Vide Voſſ. *de Idolol. l.* 4. *c.* 47. & 48. & Bochart. *Hieroz. Parte poſter.* ubi ſuprà, nec non infrà, ubi de *Lotis*, in Tinctorum officinis, uſu.

CONCIA, vulgò *Miranda*, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis, in finibus Vectonum, ad Durium fluvium, in Portugallia, *Ferratiæ*.

CONCILIA, apud Romanos dicta ſunt, partis populi conventus, ad aliquid jubendum: Cujus generis erant, quæ à Tribunis Pleb. indicebantur Comitia. Illi enim jus quidem vocandæ plebis, non tamen univerſi populi, habuerunt. Nihilominus indifferenter *Concilii* Comitiorumque, ubi univerſus populus conveniebat, nomine utitur Livius, *l.* 3. &c. Vide ſuprà in voce *Comitia*. Hinc *Conciliabulum*, de qua voce A. Gellius, *l.* 1. *c.* 7. *Quali C. Gracchus verbô uſus eſt in ordinatione, cujus titulus eſt*, De Quinto Popilio circum Conciliabula, *in qua ita ſcriptum eſt* &c. Nempe *Conciliabula* erant loca juxta *Feſtum*, ubi in Concilium conveniebatur. In iis quoque jus dictum: hinc eò frequens populi confluxus, ſed Foris inferiora erant. Per *Conciliabula* Livius intellexit extra Urbem majora ac minora oppida & loca, in quibus jus dicebatur. *Frontinus* etiam ea municipiorum jus aſcendiſſe, commemorat: Sed pro conventu quocunque etiam accipiuntur. Onomaſticum, *Conciliabulum*, ϖοιόδριον: & *Gloſſa Cyrilli*, ὀψὶς ἡ ϖόλεων *Conciliabulum*, Ant. Thyſius, *in A. Gellii locum prædictum*. Quomodo Coloniæ, Municipia, Præfecturæ, Fora, *Conciliabula* diſtinguantur, vide Turnebum, *Adverſar. l.* 2. *c.* 11. In Eccleſia, *Concilia* quid ſint, vide infrà, ubi de *Synodis*. De *Canonibus* eorum, quando colligi cœpti, & quâ auctoritate in Eccleſia ſemper habiti, ſuprà ubi de *Canonibus*. De editionibus variis eorum hîc quædam aſpergam. *Conciliorum Generalium Provincialiumque* operoſa proſtant volumina, editionesque variæ, quarum hæ præcipuæ. Prima prodiit Coloniæ A. C. 1530. poſteà Petrus Crabbe excudit A. C. 1551. duobus voluminibus: quem inſecutus Surius quatuor voluminibus illa complexus eſt, A. C. 1567. Dominicus Nicolinus quinque: Severinus Binius Canonicus Colon. 8. voluminibus eadem vulgavit Coloniæ, A. C. 1606. & 1618. Sed & Romæ *Conciliorum Generalium Eccleſiæ Catholicæ*, facta collectio eſt editioque Græco-Latina, juſſu Sixti V. A. C. 1608. Noviſſimè verò *Collectio Regia* Lutetiæ Pariſiorum prodiit, 37. voluminibus, cum Indice ſeparatim excuſo, A. C. 1636. cui cum *Decretalibus* Romanorum Pontificum *Epiſtolis* inſerta ſunt *Concilia* Gallica J. Sirmondi, Hiſpanica Garſiæ Loayſæ, Anglicana Henr. Spelmanni, Lemovicenſe, è Bibliotheca Thuana, Florentinum, Horatii Juſtiniani &c. Gerh. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccleſiaſtici num.* 144.

CONCILIATOR, olim honeſtum nomen; Imò Romanis LL. adeò ſanctum officium habitum eſt, ut nec præmii ergò aliquid facere *Conciliatores*, ſeu *Proxenetas*, voluerint; quod ſi omnino eô nomine aliquid capere, circumſcripſêrunt rem certis regulis. Vide Harmenopulum ϖρόχρης, *l.* 4. *t.* 3. & Jac. Cujacium, *Obſervat. l.* 11. *c.* 18. Fuêre autem *Conciliatores*, qui animos ad Conjugale fœdus, quô nullum aliud in rebus humanis ſanctius, jugumque Matrimonii ſubeundum, componebant. Unde *conciliare* propriè de Nuptiis, apud Poëtas. Statius, *l.* 2. *Theb. v.* 229.

> *Interior ſacris calet, & ſonat aula tumultu*
> *Femineo. caſtâ matres cinxêre coronâ*
> *Argolides: pars Virginibus circum undique fuſæ*
> *Fœdera conciliant nova -----*

Muliebre autem inprimis hoc munus. *Feſtus*, *Conciliatrix dicitur, quæ viris conciliat uxores & uxoribus viros.* Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium d. l.* Sed vox poſteà ad turpe Lenonum miniſterium denotandum adhiberi cœpit. Vopiſc. in *Carino*, *c.* 16. *Præfectum Prætorii ---- occidit: in ejus locum Matronianum, veterem* Conciliatorem *fecit.* I. e. *veterem lenonem*. Hinc *Conciliatrix*, lena. Lucilius apud *Nonium*,

> *Ætatem & faciem, ut ſaga & bona conciliatrix:*

Sic *conciliare*, pro *lenocinari* & *lenonem agere*, apud Claudian. *in Eutropium*, *l.* 1. *v.* 283.

> *Te magis ah demens, veterem ſi reſpicis artem,*
> Conciliare decet, &c.

Quemadmodum contrà, *lenones*, flagitii propudiique miniſtros, ad rem honeſtam Trogus uſurpavit, pro Fecialibus & Legatis. Juſtinus, *l.* 1. *c.* 3. *Primus Scythis bellum indixit, Vexores ---- miſſis primò lenonibus, qui hoſtibus parendi legem dicerent.* I. e. *Legatis* quos *Ambaſciatores* infima ætas dixit, Salmaſ. *ad l.*

CONCILIUM, vide ſuprà *Concilia*. Fœmineum, indigitatum Statio, *l.* 5. *Theb. v.* 90. *ſ.*

> *Cùm ſubitò horrendas ævi maturæ Polyxo*
> *Tollitur in furias, thalamiſque inſueta relictis*
> *Evolat -----*

v. 97.

> *----- clauſaſque domos, & limina pulſans*
> Concilium *vocat, infelix conatum eunto*
> *Hærebant nati* &c. -----

Fingitur Poëtæ, ad imitationem ejus, quod Romæ fuiſſe arguit P. Victor in *Deſcr.* ejus, ubi Senatus Muliebris velut quædam Curia legenda dame. *Senaculum* certè, h. e. Mulierum Concilium ſeu Senatum, inſtituiſſe Antoninum Alagabalum, memorat Lamprid. *c.* 4. de quo vide infrà.

CONCILIUM Martyrum & Sanctorum, in *Actis* Stephani III. apud Baronium, *A. C.* 259. *num.* 24. & apud Anaſtaſium in *Damaſo* ϖυνάξεις Μαρτύρων, in Concilio Gangrenſi, *can.* 20. alibi *Confeſſiones*, loca ſunt, ubi multorum Martyrum Sanctorumque oſſa requieſcunt. Unde nomen Baſilicæ inditum, apud Gaudentium Brixianum, in *Tract. de Dedicat.* 40. *Martyrum*. Auſonius in *Parentalib. n.* 4. *v.* 19.

> *Et modò Conciliis animarum mixta piarum*
> *Fata tui certè nota nepotis habes*, &c.

Quæ quomodo adornari conſueverint, docet ad *Heliodor.* Hieronymus, *Hoc idem poſſumus & de iſto dicere, qui Baſilicas Eccleſiæ & Martyrum conciliabula diverſis floribus & arborum comis vitiumque pampinis adumbravit*, apud Dominic. Macrum, in *Hierolex.* Vide quoque Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CONCINUS Florentinus, Marchio Ancræus, incantamentis acquiſitâ Mariæ Reginæ gratiâ, Mareſcallus Franciæ creatus, regnum totum in poteſtate habuit; dedit id anſam Henricô Condæo & aliis Principibus, indignè potentiam ejus ferentibus, civilis belli, ſed quod terminatum captivitate Condæi & exitiô Ancræi. Hic, turbante plebe, ob carcerem illius, tot turbarum auctor, juſſu Regis in cuſtodiam ducendus, tùm reſiſtere vellet, à Vitrio Prætorii Præfecto occiſus eſt. Mors approbata, atque tantô gaudiô plebis excepta, ut cadaver exhumatum per plateas raptaret, laceraret, & exureret. Uxor Leonora veneficiorum rea, capite plexa, & igne combuſta eſt. A. C. 1814. 1613. 1616. 1617.

CONCIO, Græcè Ἐκκλησία, ſæpe cum Comitiis confunditur: *Feſto* tamen propriè eſt *Conventus, qui à Magiſtratu, vel à Sacerdote publico per præconem convocatur.* Unde verba illa A. Gellii, *l.* 13. *c.* 15. *& Comitiatum & Concionem avocare*, ſic explanat Thyſius: *Comitiatum avocare, eſt impedire, ne Comitia habeantur: Avocare verò concionem eſt; concionem à Magiſtratu, qui eam advocavit, abducere.* Hinc Cicer. *Conciones ſæpe exclamare vidi*, h. e. cœtum, *in Oratore*. Et *l.* 15. *Ep. ad Attic.* 1. *Brutus noſter miſit ad me orationem ſuam habitam in concione Capitolina*, h. e. in cœtu hominum, qui in Capitolio aderant. Gellius vocem hanc tria ſignificare ait, *l.* 18. *c.* 7. *locum ſuggeſtumque*, unde verba fierent: teſte Tulliô *contra conc. Metelli*, ubi ait: *Eſcendi in concionem, concurſus eſt populi factus.* Dein cœtum *populi aſſiſtentis*: Tandem *orationem ipſam* &c. Ad quem locum vide *Notas* Jac. Oiſelii JCti. Hinc *Concionari*, verba in *concione* facere. Quod qui facturi erant, *ſurgebant*, ut ex Homero

&

& Ciceroꝛe conſtat: & *coronam* capiti imponebant, uti docet Lucianus, *in Demonacte*. Hic enim magnó animó & coronâ redimitus, & nitidâ veſte amictus, cum calumniatoribus reſponſurus, in concionem cùm veniſſet, illos hiſce allocutus: *Ἐπεὶ μὲν ὁρῶντες ἐστεφανωμένον ὑμεῖς ἤδη καὶ με καταθύετε, cùm me ſertis coronatum videatis, quin me jam ſacrificatis:* utrumque ſimul morem repræſentavit, nempe & coronandi victimas & illos qui in concione verba faciebant. Accipiebat autem, qui dicturus ſurgebat, coronam ab eo qui proximè dixiſſet. Unde Praxagora mulier, Ariſtophanem apud *Ἐκκλησιαζ.* poſtquam verba feciſſet, inquit,

> Πρ. Τίς ἂν οὖν λέγειν βούλοιτο; Γυ. ἐγώ.
> Πρ. Περιθοῦ δὴ τὸν στέφανον.
> Pr. *Eſtne alia aliqua, quæ velit dicere?* Mul. *Ego.*
> Pr. *Age dum coronator.*

Et in *ſeqq.*

> Γυ. Φέρε τὸν στέφανον· ἐγὼ γὰρ αὖ λέξω πάλιν,
> Mul. *Cedò coronam. Ego enim rurſus dictura ſum.*

Quo de ritu fuſiùs dictum ſuprà, in voce *Caput Coronatum*. Neque veró ii ſolùm *Coronam* ferebant, qui verba ad concionem faciebant: ſed & coronæ virtutis aureæ, in *Concione* dari ſolebant. Quem morem exprimit Ariſtides *Iſo. Orat* 4. ubi ait, victorem, qui aureâ coronâ donandus erat, poſtquam à ſacro Præcone ea res renunciata eſſet, primó nominari, deinde coronari in Concione conſueviſſe. Vide quoque Liv. *l.* 13. & Val. Maximum, *l.* 1. *c.* 8. Plura veró hanc in rem, apud Car. Paſchal. *Coronar. l.* 7. *c.* 2. ubi de Corona *militari aurea*: nec non ſuprà ubi de *Comitiis*, & de formula *Concionis dimittendæ*, apud Romanos infrà verbo *Diſcedite*.

CONCIO Legum, apud Cont. Urſpergenſem in *Lothario* Imperatore, loci prope Auguſtam nomen eſt, forte ejus, quem *Campum Martium* vocabant; ubi Imperatores & Imperii Proceres convenire ac de ſanciendis Legibus conſultationes inſtituere ſolebant. Vide Velſerum, *in Auguſta Vindelicorum.*

CONCLAMANDI defunctos ritus, occurrit apud Statium, *l.* 2. *Sylv.* 6. cui titul. *Epicedion Pileti Urſi*, v. 5.

> ----- ----- *miſerum eſt primæva Parenti*
> *Pignora, ſurgenteſque nefas accendere natos:*
> *Durum & deſertis, prærepta conjuge, partem*
> Conclamare tori -----

Et *l.* 9. *Theb.* v. 355.

> *At genitrix cœtu glaucarum cincta ſororum*
> *Protinus illa malô, vitreo de valle ſolutis*
> *Exilit furibunda comis, ac verbere crebrô*
> *Oraque, pectoraque & viridem ſcidit horrida veſtem,*
> *Utque erupit aquis, iterumque iterumque trementi*
> *Ingeminat, Crenæe, ſono. nuſquam ille* -----

Duplex autem *Conclamatio* obſervata Eruditis. Statim enim cùm expiravit aliquis, ſequebatur propinquorum & amicorum ejulatus: uti de Alceſtide uxore Admeti, legimus apud *Euripidem*,

> Ἀδ. Βλέψον πρὸς ἡμᾶς, βλέψον. Ἀλ. οὐκέτ' εἰμὶ δή.
> Ἀδ. Τί δρᾷς; προλείπεις; Ἀλ. χαῖρε.
> Ἀδ. ἀπωλόμην τάλας.
> Χορ. Βέβηκεν, οὐκέτ' ἔστιν Ἀδμήτου γυνή.
> Εὐμ. Γυμναῖς χερσὶ μαῖα δὲ κάτω βέβηκεν.

Dein deponebatur humi, & ſic depoſito lachrymæ porró dabantur ac oſcula. Atque hæc prima erat *conclamatio*, *ὡς οἰμωγὴ ἀναβοήσεως* Herodiano, *l.* 2. Quum poſteà, diebus aliquot exactis, pararetur pompa funeris, ultimò *conclamabatur*. Servius *ad l.* 6. *Æn.* *Servabantur cadavera octo diebus, & calidâ abluebantur: & poſt ultimam conclamationem comburebantur.* Atque hæc *conclamatio* ſolennis erat, *& mater crine ſolutô* exigebat *ad ſævos famularum brachia planctus*, Lucan. *l.* 2. v. 21. Tandem igni impoſitus deflebatur, ac *defletus* dicebatur, quod cum *Conclamatus* non confundendum. Deſid. Herald. *ad Arnob, l.* 5. Hinc itaque *Conclamatio*, velut conſummatio luctus eſt, de qua vide porró Kirchmannum, *de Funeribus Rom. l.* 1. *c.* 13. & hic paſſim, imprimis ſuprà, ubi *de Cadaverum cura*.

CONCLAMATOR, vide ſuprà *Adminiculator*.

CONCLAVE, Romæ vocatur locus, ubi Cardinales Pontificem electuri coëunt. Cujuſmodi *Conclave* primum inſtitutum Viterbii eſſe dicunt, poſt Clementis IV. mortem. Cùm enim purpurati illi Patres in Æde prius ſacra, vel Sacriſtia aliqua ſoliti eſſent convenire indeque quotidie ad proprias ædes redire: occaſione interregni, quod poſt dicti Clementis obitum biennium integrum, & novem inſuper menſes duraverat, circa A. C. 1271. tranſactis ſeptemdecim in deliberatione hacce menſibus, Bonaventura, inter ſuos pro Sancto habitus, & tunc Ordinis ſui Generalis, Civibus Viterbienſibus perſuaſit, ut in Epiſcopali Palatio Collegium Cardinalium concluſum, ad Pontificis electionem vi adigerent: Quibus cùm ne ſic quidem conveniret ullatenus, Capitaneus Civitatis Rainerius Gattus, *Conclavis Cuſtos*, tectum aulæ, in quo clauſi illi degebant, demolitus eſt, ut ſi ſub dio moraridiutius illis grave eſſet, expedirent tandem negotium, cujus causâ tantum temporis nequicquàm jam inſumtum erat. Manentque ad hodiernum uſque diem cellularum veſtigia ibi loci & in Archivo Civitatis Bulla etiamnum viſitur, quâ Cardinali Oſtienſi, infirmitatis causà, facultas exeundi conceſſa erat, &c. Alii tamen Cardinales loco huiuſpoute ſeſe incluſiſſe narrant, ex Blondo, *Dec.* 2. *l.* 8. neque id primum *Conclave* fuiſſe; ſed & jam antè in Honorii III. Gregorii IX. Cæleſtinique electione idem factitatum eſſe contendunt. E quibus Pallavicinus primum à concluſis hoc modô Cardinalibus Pontificem electum fuiſſe Gelaſium II. ait A. C. 1118. *de Elect. Pontif. quaſt.* 22. *num.* 3. &c. Gregorius poſteà X. in Viterbienſi *Conclavi* electus, A. C. 1274. de *Conclavi* bullam ſancivit: quæ cum effectu aliquamdiu caruiſſet; abſque *Conclave* enim poſt Adrianum V. electi ſunt Nicolaus III. Martinus II. Honorius IV. Nicolaus V. & Cæleſtinus V. ab hoc ea renovata, ac tandem à Bonifacio VIII. confirmata eſt: à quo tempore uſque ad noſtram ætatem mos obtinuit. Quamdiu autem Cardinales in *Conclavi* ſunt, tria Ordinum capita Reſcripta ſirmant. Cùm veró Papa jam declaratus eſt & novum, pro more, nomen recepit, feneſtrali foramine fractô primus Diaconus Cardinalis crucem populo oſtendit, altà voce exclamans: *Annuntio vobis gaudium magnum, Papam habemus; Reverendiſſimus Dominus Cardinalis N. electus eſt in Summum Pontificem & elegit ſibi nomen N.* Antiquitus veró, *Scriniarius ---- aſcendens in altum, voce magnâ clamavit ad populum, dicens: Audite cives Romani & cæteri Reipublicæ; Secundâ feriâ pater noſter Adrianus mortuus eſt & proximô ſequenti Sabbatô Dominus Octavianus Cardinal. S. Cæciliæ electus eſt nominatus. Placet ne vobis? Reſpondit Clerus & Popul. Placet. Secundô & tertiò vice interrogatus, ſi placeret? clarâ voce reſpondit, placet. Deinde cum bandis & aliis Papalibus inſignibus Papa cum laudibus in Palatio deductus eſt*, Radevicus Fiſing. *in vita Friderici Ænobarbi*, *l.* 2. *c.* 67. ubi de electione Victoris III. apud Macros Fratres, in *Hierolexico*. De *Conclaviſtarum* privilegiis, vide eoſdem in voce *Protonotarius*: uti de capſâ, quâ cibi illis afferuntur, infrà in *Cornuta*.

CONCORDENSES, in *Conſtitut.* Friderici Imperatoris *de Heret.* dicuntur, qui aliàs *Valdenſes* à Concordia Lombardiæ oppido.

CONCORDES, nomen quô Turcæ ſuperbiunt, vide infrà *Iſlami*.

CONCORDIA, Dea apud Romanos, cui ædem Cn. Flavius conſecravit in area Vulcani, ſummâ invidiâ nobilium, teſte Livió, *l.* 9. *c.* 46. Ovid. *l.* 6. *Faſt.* v. 637.

> *Te quoque magnificâ Concordia dedicat æde.*

Juvenal. *Sat.* 1. v. 116.

> *Quæque ſalutato crepitat Concordia nido.*

Ubi vetus Commentator, *Templum Concordiæ vetus in quo ciconia nidus eſt.* Item, Cæſar & Tiberius, Deam *Concordiam* effingebant antiqui, juvenculam, dextrâ craterem tenentem, lævâ nunc Cornu copiæ, nunc ſceptrum, ex quo fructus exire videntur, ſed & imaginibus duabus dextram dextræ jungentibus, in nuptiis. Etiam olim veteres poſt Hymenæum Corniucem invocare ſoliti erant, hocque ſolebant Concordiæ ſignum dare iis, qui liberûm quærendorum gratiâ convenirent. Etiam pingebatur, floribus cincta, dextrâ pateram cum corde, lævâ faſciculum virgarum, tenens. Nerva in nummo expreſſit, dextrâ lanceam, lævâ clypeum geſtantem. Item proram, cum duabus manibus junctis, & lemmate, *Concordia exercituum*, S. C. Angelum. *in Hiſtoria Cæſarum*, p. 102. In aliis nummis duo cornua copiæ juncta unâ manu tenet, alterâ vas ignibus plenum. Item poma granata, ut in Fauſtinæ & Corneliæ nummis. Invicta per Geryonem repræſentatur Liv. *l.* 9. Plutarch. *in Coriolio Graccho.* Sueton. *in Tiberio.* Balduin. *Iconologia.* Nec omittendum, quod Eam lauró coronat Ovid. *l.* 6. *Faſtor.* v. 91.

> *Venit Apollineâ longas* Concordia *lauro*
> *Nexa comas, placidi Numen opuſque diem.*

Non enim olea ſolùm, ſed & laurus *pacifera eſt*, uti ait Plinius: qua de re vide Car. Paſchal. *Coronar.* l. 8. c. 10. Inter Abronis, celeberrimi ſuô ævô Pictoris, opera *Amicitiam* & *Concordiam* memorat Plin. *l.* 35. *c.* 11.

CONCORDIA, Colonia, Fori Julii quondam urbs, cujus hodie nihil extat præter pauciſſima tuguria *Sabellicus*. Inter Altinum & Aquilejam in 10. regione Italiæ Venetia, urbem & Coloniam cognomin. ponit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CONCORDIA, German. urbs inter Argentoratum & Bingium. *Antonin. Kocheberg*, Rhenano, *Rer. Germ. l.* 3. cum Nomiis Ottonis JCti, & Simlero Cluverio *Druſenheim*, oppid. ad confluentes Moteros in Rhenum, in Alſatia inferiore 2. leuc. ab Hagenoa in Ortum, 3. infra Argentinam. *Baudrand.*

CONCORDIA, Hiſpaniæ Bæticæ civitas, *Ptol.* populi *Concordienſes*. Plin. *l.* 4. *c.* 22.

CONCORDIA, urbs Epiſcopalis inter flumina Liquentiam & Tilaventum propius mare accedens, eôdem nomine & Epiſcopalis titulô, hodieque clara. *Ptolemæus* perperam Carnis eam attribuit, & Mela longè imperitius inter Tergeſte, & Aquilejam, oppida Carnorum, eandem poſuit. Nomen ejus apud Strab. *l.* 5. ſcribendum per *Omega* cenſet Cluverius in prima ſyllaba, non veró per *Omicron*, ut eſt apud Ptol. & Zoſimum. Vide eum, *de Ital. Ant.* p. 167. Blond. *l.* 2. & 3. Melam, *l.* 2. *c.* 4. *Leand. Ptol.* &c. Attilæ furorem experta eſt.

CONCORDIA, oppidul. Longobardiæ, Comitatus ſub Duce Mirandulano prope Secium amnem, 6 milliar. in Occaſum à Mirandula Vaſtata ab Attila, A. C. 452. Item oppid. German. ad Rhenum inter Broenmagum & Noviomagum Nemetum, vulgò *Kocherſberg*, quaſi *Concordia montana*. Simlerus & Cluverius. Vide ſuprà.

CONCORDIA, nomen libri, quô Euangelicorum illi, qui à Luthero appellari gaudent, mentem ſuam, circa Religionis Articulos, diſertius expreſſerunt. De quo ita Lætus: In Germania, mortuô Melanchthone, Joh. Brentius, Jac. Andreæ, Matthias Flacius, Alii, dogma *de Ubiquitate corporis Chriſti*, introduxêre A. C. 1560. quod cùm inter alia ab Academia Wittebergenſi & Lipſienſi oppugnaretur, primò colloquium eſt inſtitutum Aldenburgi, A. C. 1568. præſidente Joh. Wilhelmô Saxone. Dein Dreſdæ, ſed fruſtrà. Conventum ergo Torgæ & ex opinione Flacianorum,

rum, *Formula Concordiæ* conſcripta, Theologis ad eam approbandam carceris, exiliique metu adactis: Scriptaque Melanchthonis iteratò ibidem conventu, condemnata ſunt, A. C. 1576. Tandem moderamine adhibitô, in Bergenſi Monaſterio, à Smidelino, Muſculo, Selneccero, Chemnitio, Chytræo & Cornero, A. C. 1577. promulgata Formula eſt, Eccleſiæque Proteſtantes, quæ contrarium ſenſerent, damnatæ ſunt. Caſimirô Palatinô Francofurti, cum Legatis variorum regnorum, de cenſura conquerente, Fridericô quoque Daniæ Rege ſub pœna exilii ſubſcriptionem ſuis interdicente. Ex Hoſpin. *in præf. ad l. Conc.* Item c. 2. 3. &c. qui addit, *eo noctis, quo Theologi præfati Bergam venerint, in terram intremuiſſe, templumque ruinæ proximum fuiſſe viſum*. Poſteà Flacius, ob hæreſin, quâ docebat *Originale peccatum ſubſtantiam eſſe*, ab Eccleſiis ejectus, vagam vitam diu duxit. Ab eo tempore in Formulam hanc à Lutheranis ſic dicti volentibus juratum. Vide Lætum, *in Compend. Hiſt. Univ.*

CONCORDIA Canonum, dicitur Canoniſtis, cùm in collectione & digeſtione Canonum, Canones diverſorum Conciliorum unius tenoris & ſententiæ, ſub uno titulo aut rubrica non digeruntur, ſed citantur tantùm, ut quis ſciat eſſe *concordantes* (quem colligendi modum *Breviationem Canonum*, & ipſas collectiones *Breviaria* dixêre Veteres) ſed & cùm verba *concordantium Canonum* ipſa recitantur: cujuſmodi collectionis exempla Maſtricht JCtus exhibet. Gratianus *Concordia diſcordantium Canonum* ſuum opus inſcripſit: eò quòd, cùm videret Eccleſiaſtica Decreta & Canones ſibi invicem contrarios, diverſos, diſſentientes non rarò, inter eos concordiam inſtituere ſibi propoſuit, &c. Vide Gerh. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccl. poſtim*, inprimis *num.* 306. ut & infrà, in vocibus, *Creſconius* & *Gratianus*.

CONCORDIÆ Regio, pars terræ Auſtralis in ultima parte Oceani Indici, à Batavis inventoribus, A. C. 1618 ita dicta. Qui tamen in regionem ipſam non penetrârunt, orâ tantum littorali luſtratâ.

CONCORDIÆ Salres, Burgus in Ducatu Biturienſi, arce munitus. Vulgò *Concreſſault*. *Merel.*

CONCUBIENSES, Umbriæ populi Plin. *l.* 3. *c.* 14.

CONCUBINA, vide *Abra*, *Dos*, *Pellex*; it. *Pallium* & *Zona*.

CONCURCALLUM, vulgò *Concreſſant*, vel *Concreſau*, vetus caſtrum Galliæ. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* & in voce *Concordiæ Saltus*.

CONCURRENTES, in Latino Computo dicuntur Epactæ Solis, quas Æthiopicus Græcô & vetuſtô nomine *ἐπακτὰς* dicit. Scaliger, *Canon. Iſagog. l.* 2. *Concurrentes, eſt numerus dierum nunquam excedens ſeptenarium, qui cum regularibus compoſitus, componunt feriam datum.* Dionyſ. Exiguus, *de rat. Paſchæ*, *Concurrentium hebdomadarum ratio, de Solis curſu quæ provenit, ſeptenô annô jugi circuitu terminatur* &c. Vide Computiſtas laudatos Car. du Freſne, *in Gloſſar.*

CONCUS, vide infrà *Percuſſa*

CONCUTIENDI Faces ritus, vide infrà *Fax*, *Frondes*, *Oſanna*.

CONDABORA, Celtiberorum in Hiſpania oppid.

CONDÆUM, oppid. Normann. in Bajocenſi tractu, ad Norallum amnem, inter Falæſam & Viram.

CONDALUS, Mauſoli Cariæ Regis in Lycia præfectus, mirus pecuniæ emungendæ artifex, de quo tradit Ariſtot. *in Politicis*, quod cum Lycios maximô comæ nutriendæ ſtudiô teneri animadverteret, occaſionem ſibi eam oblatam ratus, quâ auri plurimum & ſibi poſſet congerere, & ad Regem mittere, literas ſibi à Mauſolo allatas ſimulârit, quibus illi juberentur comam tondere & ad Regem mittere, ſi tamen mallent aliquantulæ pecuniæ jacturam facere, ſe daturum operam, ut in Græcia comæ coëmerentur & pro Lyciis ad Regem mitterentur. Quam conditionem Lyciis avidè accipientibus, mirum dictu, quantam eô commentô pecuniæ vim corraſerit.

CONDAPOLIS, urbs Indiæ, in regno Golcondæ, cum arce permunita, in ſummo monte, 10. leuc. ab urbe Golconda in Ortum, 40. à ſinu Bengalæ in Occaſum.

CONDASCE, alterum cacumen montis in India tricipitis, quem Bacchus ob torridum regionis aërem cepit, inque eo exercitum ſuum peſtilentiâ laborantem refecit. Ortelius neſcio quô auctore legit *Condaſbe*. *Nic. Lloydius*.

CONDATÆ, Angliæ urbs. *Antonin.* Cornaviorum, nunc vulgò *Congleton*, oppid. in Ceſtriæ Comitatu ad amnem Danum, in limite Comitatus Stafford. 16. milliar. Anglic. ab urbe Stafford.

CONDATE, oppid. Galliæ ad Ligeris & Nojani, amnis ignobilis, confluentes, in diœceſi Autiſſiodorenſi, in finibus Senonum, vulgò *Coſne ſur Loire*. Eſt autem *Condate*, vetus nomen Gallicum, confluentes deſignans, quod nunc *Conde*, *Condé*, *Coſne*, *Condac*, *Connac* ac *Cognac* Galli dicunt. Aliud *Condate* memorat *Æthicus*, inter Mecletum & Agedincum, vulgò Montereau *Fautyonne*: item inter Noviomagum Lexoviorum, ac Durocaſim, quod eſt *Condé*, ad Itonem fluv. prope Britolium. Item Vicus in Turonibus, *Conde*, ad Vingennam fluv. proximus Montiſorelli; niſi quòd rivus aut amniculus, à Fonte Ebraldi veniens, inter hæc duo loca medius decurrit: unde de utroque vico dicitur:

Entre Conde & Montſoreau
Ne repaiſt brebis ne veau.

Morte Martini illuſtris eſt. Item aliud in Andicavis, ad Mandiaci rivi & Erdræ confluentes non procul à Monte Revelli, Ligere interfluente, quoque *Conde* dictum. Item Rhedonum caput, *Ptol.* vulgò *Rennes en Bretaigne*. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CONDATE, vulgò *Chana*, locus eſt ad lacus Burgulenſis in Rhodanum decurſum, haud procul Seſſelô & Petræ caſtellô, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Rhodanus*. Item locus Galliæ in Aquitania, ad confluentes Duraniæ & Inſulæ *Liburnus* hodie, apud Auſonium, *Ep.* 4. & Paulinum, *Ep. ad Eund. v.* 156. Item locus ejuſdem Regionis, in Bitrigenſi agro, Principum Borbonenſium nobiliſſimus Principatus, ad confluentes Marronæ & alterius fluvii, qui Bilgarienſem ſaltum perluit. *Id.* Item in eodem Regno locus, in diœceſi Ebroicenſi, ad confluentes Itonis fluv. quò locô inſulam efficit, vulgò *Conde*. Tandem locus in Ceſtrenſi M. Britanniæ agro, hodie *Congleton*, ad confluentes Dani & alterius cujuſdam fluvioli. Camdenus, *in Britann. p.* 486. *Edit.* 3. apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CONDATE, Belgii civitas in Hannonia ad Scaldim fluv. hodie *Condé*. Cum titulo Principatus. Tranſiit in familiam Borboniam, per nuptias Franc. Vindocini, cum Maria Luxemburgica, quæ obiit A. C. 1547. Hujus fil. Carolus, primus Dux Vindocinus, pater fuit Antonii, Navarræ poſtmodum Regis & Ludovici, Condæi Principis, qui *pro patria & religione dulce periculum*, ratus, obiit in prælio Jarnacomo, A. C. 1569. Huic natus Henricus I. Princeps Condæus, qui obiit A. C. 1588. pater Henrici II. qui obiit A. C. 1646. ex Carlota Margareta Montmorantia relictô filiô, Ludovicô Principe Condæô, &c. Expugnata à Ludovico XIV. Galliæ Rege, A. C. 1676.

CONDATESCENSE Monaſterium, Jurenſium Monaſteriorum nobiliſſ. & vetuſtiſſimum: cui poſteà Lupicinus frater Romani Lauconnenſe monaſterium & Balmenſe Monacharum cœnobium in eremo Jurenſi adjunxit. Dein à S. Augendo Abbate nomen accepit, dictumque eſt S. Augendi, *S. Oyen*, vel *S. Oyan de Joux*, Poſtremò à Claudio Veſontionenſi, Epiſcopo Monaſterium S. Claudii appellari cœpit, hodieque *le Monaſtere de S. Claude* appellatur. Eſt in diœceſi quidem Lugdunenſi, ſed in Comitatu Burgundiæ poſitum. Alterum quoque in Jura monte cœnobium eſt, cum Abbatiæ titulo, & nomen Montis ſervans, *Joux* vel *Jou*. Eſt & vicus ad Dubim fluv. & ad Juranum montem ſimiliter *Joux*, i. e. Jura dictus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

de CONDELMERIIS Franciſcus, vide *Franciſcus*

CONDEMNARE Terram, *L. Sal. tit.* 71. eſt fructus ejus excidere: *domum ſeu caſtrum*, illud à fundamentis ſubruere. Iterum olim invaluerat mos, ut non corporis modo pœnâ vel morte mulctarentur rei, ſed eorum agri vaſtarentur, vineæ arboreſque exſcinderentur, & domus ſolô æquarentur. Rogerus Hovedenus, *p.* 804. *Captus eſt Thomas Præpoſitus, captique ſunt complices ſui quidam —— Rex quidem Franciæ iratus fecit domus illorum demoliri; & vineas, arboreſque illorum fructiferas extirpari.* Hinc diruta Judicis ſententiâ domus, *in qua Virgines aut mulieres violenter oppreſſæ aut poſt factum introductæ*, dicitur *condemnata*, *in Speculo Saxonico*, *l.* 3. *artic.* 1. § 1. Guntherus, *Ligurini l.* 8.

Qui pacis juvare modum, formamque tenere
Improbus abnuerit, quæ poſſidet omnia, vulgo
Diripienda patent, evertendique Penates, &c.

Quod damnum tamen pecuniâ redimi potuiſſe, patet ex *Charta* Philippi Aug. Galliæ Regis A. C. 1195. pro Communia Sanquintin. *Si quis forisfactum fecerit —— Major judicio juratorum ſuper hoc emendationem accipiet talem, quòd domus forisfactoris diruetur, ſi eam habeat, aut pro domo ad voluntatem eorum pecunia accipietur. De redemptione vero domorum diruendarum, muri & firmitates villæ reficientur.* Interdum quoque privilegiô ſpeciali urbium incolas ab hac ædium *condemnatione* exemptos fuiſſe, docet Car. du Freſne pluribus, in *Gloſſar.* Viget hodieque in Gallia *condemnandi terras, domos, caſtra, facultateſque* mos, in crimine læſæ Majeſtatis: cujus veſtigia in ipſis Sacris deprehendes &c.

CONDEMNATIO, apud Æl. Lamprid. *in Alexandro Severo*, *c.* 51. *ubi de variis militum pœnis*, *Si quis de via in alicujus poſſeſſionem deflexiſſet, pro qualitate loci, aut fuſtibus ſubjiciebatur in conſpectu ejus, aut condemnationi*: quibuſdam eſt pecuniaria mulcta. ſed hôc ſenſu vocem *condemnationis* abſolutè poſitam nullibi reperimus. Potiùs, cùm varia hîc militarium pœnarum genera recenſeat Lampridius, videtur à minoribus ad majorem aſcendiſſe, & *condemnationis* vocabulô, gravius pœnæ genus fuſtium ictu & virgarum caſtigatione intellexiſſe. Cùm itaque fuſtes priores poſuerit, tanquam leviores; mox virgas, tanquam graviores; *condemnationem*, tanquam graviſſimam, ſubjunxit. Quia autem, exceptô ſuppliciô capitis, nulla major inter militares pœnas quàm militiæ mutatio aut gradus dejectio, hæc omnino nomine iſtô intelligenda videtur. Salmaſ. *ad loc.* qui ex verbis Lampridii fuſtibus quidem aut virgis ſubjectos, qui in infimo gradu militabant: gradu verò pulſos & in ultimum detruſos, qui alicujus eſſent in militia loci, cenſet. &c.

CONDERCUM, oppid. Albionis, aliàs Brigantum, nunc diœceſis Dunelmenſis in Angliæ & Scotiæ confinio, apud Vallum; ſive potius apud Vedram fluv. *Cheſter upon the ſtreet*, i. e. urbecula ad viam publicam, teſte Camdenô.

CONDERE, apud Statium, *l.* 10. *Theb. v.* 451.

Imò, ait Amphion, Regem ſi tanta cupido
Condere, quæ timidis belli mens ulla; *Pelaſgi*
Quid fractis exſanguesque parent! ——

omnem ſepulchralem honorem notat, uti apud Auſonium ſæpius *Parental.* Idem Papinius, *eod. libr. v.* 787.

—— *Cadmum atque Amphiona ſupra*
Conditur. —— ——

Hinc *Conditus*, apud eundem, *l.* 8. *Theb. v.* 6. *de Amphia*.

—— —— *neque enim ignibus artus*
Conditus, aut mæſtâ niger adventabat ab urna.

Compoſitus eſt, uti Horatius habet, *l.* 1. *Serm. Sat.* 9. *v.* 28.

Omnes compoſiti felices! nunc ego reſto.

Seu ſolenni ritu ſepultus, de quo ſuprà ubi de *Cadaverum Cura*. Quid verò ſit *Condere fulgur*, dicemus infrà voce *Fulguritum*.

CONDIANUS & Maximus Quintilii, par Fratrum nobiliſſimorum & magnæ dum viverent, optimæque famæ, Commodi juſſu interfecti, ſicque *domus Quintiliorum omnis*, verba ſunt Lampridii, c. 4. *extincta eſt*, *quòd Sextus Condiani filius ſpecie mortis ad defectionem decretus evaſiſſe*. Ubi à Lampridio *Dio* Hiſtoriam hanc fusè narrans diſſentit, *Condianumque* hunc *Sextum* Maximi filium fuiſſe ſcribit &c. Sed & Faſti *Condianum* nominant, quem Onuphrius Conſulem facit cum Præſente II. annô, quô exceſſit Marcus: unde corrigendus *Dio*, qui *Κοδιανὸν* habet, & Lampridius, apud quem *Codicianus* vulgò legitur. Fuêre autem *Condianus* & Maximus Conſules triginta circiter, priuſquam occiderentur, annis, annô videl. Pii decimô quartô: habuitque *Condianus* cognomen *Sexti*, unde è fratre nepos Lampridio memoratus ſine dubio idem cognomen nactus eſt. Opes eorundem magnas fuiſſe docet Hiſtoria, quam narrat *Dio*, de illo plano, qui Pertinace imperante in *Sexti Condiani* nomen invaſit fortunis inhians, quæ illius fuerant. Sed de his plura infrà, ubi de *Quintiliorum domo*. Addam ſaltem, *Condianum* præfati, qui cum Præſente ſecundum Conſul fuit annô, quô Marcus obiit & Commodus à Germanico exercitu Romam rediit, poſteà memoriam damnatam, ipſum hoſtem appellatum condemnatumque, & nomen ejus ex Actis eraſum eſſe, ut idem Lamprid. narrat in *ſeqq.*

CONDICTUS, nomen Canticorum. Scribit enim Henr. à Gandavo, Monachum S. Quintini in Inſula, ediſſe *Antiphonas* & *Reſponſoria*, pro feſto S. Eliſabethæ Turingicæ, uſque Hymnos adjeciſſe Petrum Canonicum S. Autberti Cameracenſ. & compoſuiſſe etiam *Cantica quæ vulgo* Condictus *vocant*, apud Car. du Freſne, *Addend. ad Gloſſarium*.

CONDIENDI Cadavera mos, vide ſuprà ubi de *Ægyptiaca Ξηραχοινή*, & *Cadaverum cura*: nec non infrà, vocibus *Cera* & *Mum*, ut & ubi de *Melle*.

CONDIGRAMMA, Carmaniæ oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 23.

CONDIMENTUM, vide *Hedyſma*.

CONDITA Militaria, apud Æl. Spartian. *in Hadriano Caſ. c.* 11. *Laborabat præterea, ut condita militaria diligenter agnoſceret* &c. ſunt quæ Græcis *ἀποθέτα*, annonæ videl. in horreis reconditæ, ad militarem uſum, dicuntur, de quibus, præter Symmachum, Capitolinum, Gregorium M. Ammianum, Arnobium, alios, apud quos frequens eorum mentio, vide *titulum Cod. Theodoſ. de Conditis in publicis horreis* & *Ep.* 16. inter Francicas *Hiſtor. Franc. Tom.* 1. Annonariæ nempe illæ ſpecies, militibus erogandæ, aſſervabantur in limitaneis civitatibus, & prout magnæ aut parvæ illæ urbes eſſent, plurium aut paucorum menſium habebant *condita*. Eligebantur autem huic fini limitaneæ potiſſimùm urbes, quod longè major pars militum in limitibus conſtituta eſſet, quibus annona eroganda promebatur, ex horreis publicis, quæ ibi erant. Unde tam frequens mentio in Cod. *Theodoſ. primipilariorum ad paſcendos milites ad limitem ſolemniter deſtinatorum*. Ex limitibus vero, vel limitaneis urbibus ad caſtra deferebantur ſpecies annonariæ, per viciniores limitis provinciales, militeſque in limitaneis caſtris conſtituti, duas alimoniarum partes ibidem de *conditis* ſumebant, tertiam ipſi vehere cogebantur, *l.* Juliani *Cod. Theodoſ. de erogat. milit. ann.* Erantque illæ, præter frumentum, vinum, acetum, lardum, hordeum, fœnum, paleæ, quæ *conditorum* appellatione potiſſimùm veniſſe, docet Capitolinus in *Gordiano* III. *c.* 28. Cùm itaque per provincias iter faciebat Imperator, totius militaris annonæ ratio coràm illi exponebatur, atque etiam *δείγματα* oculis ejus ſubjiciebantur: quæ poſterior ætas appellavit *probam*: & h. e. quod de Hadriano refert Spartianus: ad quem vide Salmaſ. ac Caſaubon. & infrà, ubi de voce *Horrea*: Hinc, apud recentiores *Condita* dicitur locus certus, territorium, villa: fortè quòd ibi militaris annona olim recondi ſolita fuerit, Car. du Freſne, *Gloſſar.* &c.

CONDITIO, apud Arnob. *adv. Gentes*, *l.* 3 *Libertatem ingenuam abrogare, & ſervitutis* conditionem *imponere*: propriè & è Juriſconſultorum loquendi more. Zeno Veron. *Sermone de Avaritia* 2. *Sed hæc non ad vos Fratres, quorum largitas provinciis omnibus nota eſt. A vobis multi redempti: multi edictis ſeralibus liberati: multi* conditionibus *exuti gratias agunt: veſtra domus peregrinis omnibus patent*, & quæ ſeqq. Unde *Conditionales*, qui certis conditionibus operas ſuas locârunt. Tertullian. *de Idolol. c.* 12. *Opera & Conditionalis eram*: ubi *Conductionalis* legentes alios refellit Deſid. Heraldus, *Animadverſ. ad Arnobii locum*. Occurrit vox apud eundem Auctorem infrà, ubi Neptunum & Apollinem quondam Ilium muris *conditione adjunctâ* cinxiſſe ait. Aliter verò idem eam uſurpat, *l.* 7. ubi ridens Gentilium in ſacris ſuis cautam nimis & conditionibus certis limitatam erga Deos agendi rationem, *Nonne inſigniter*, ait, *dicendum eſt ludi, qui honorem accipere cum conditione cogitur?* Nempe, quum conſecrabant quidquam, leges ſemper & conditiones expreſſè addebant, quibus pietas ſua circumſcriberetur, ut ex pluribus *Inſcr.* conſtat: quarum una hæc apud Deſid. Heraldum, *ad Arnobii loc.* JUPITER. OPTIME. MAXIME. QUANDOQUE. TIBI. HODIE. HANC. ARAM. DABO. DEDICABOQUE. OLLIS. LEGIBUS. OLLISQUE. REGIONIBUS. DABO. DEDICABOQUE. QUAS. HIC. HODIE. PALAM. DIXERO. Vide quoque infrà ubi de *Inferio Vino*.

CONDITOR, pro Auctore. *Conditor gentis*, apud Statium, *l.* 5. *Theb. v.* 712.

—— —— tu gentis conditor *Euan.*

Conditor Urbis, in titulis Romanorum, quô appellari ſummæ laudi ducebatur, Plut. *in Camillo*, *l.* 4. Barthius, *ad Claudian. Manl.* Alii. Non enim ſolùm Auctor, ſed & Inſtaurator Servatorque imò talis aliquando potius, ſic dictus eſt. Statius, *l.* 10. *Theb. v.* 785. de Menœceo,

—— —— ſubit agmine longô
Colla inter Juvenum, lætiſque favoribus omnis
Concinitur vulgò, Cadmum atque Amphiona ſupra
Conditor *.. hi ſertis, hi veris honore ſolutô*
Accumulant artus ——

Ubi *Scholiaſt. Inſtaurator, Servator. Qui ſervando urbem condidit.* Neque aliter *Lutatius*. Sic omnino de Roma Manlius præfatus, à Camillo ſervatâ, qui & *alter* ejus *Conditor* laudabatur, *l.* 1.

—— —— Romanique Camillus
Servando poſuit, Brutuſque à Rege receptæ
Conditor, *& Pyrrhi per bella Papyrius ultor*

Pariter *ſervando* Syracuſas condidiſſe Marcellum, canit Silius Italicus, *l.* 14. *v.* 682.

—— —— æmulus ipſi
Ingenii Superûm, ſervando condidit urbem.
Ergo exſtat ſeclis, ſtabitque immane tropæum.

Et de Timoleonte Corn. Nepos, *c.* 3. *Civitatibus leges libertatemque reddidit, & maximè bellô tantum otii inſulæ conciliavit, ut hic* Conditor Urbium *earum, non illi, qui initiò deduxerant, videretur.* Hinc Eunuchum Eutropium *Tertium Conſtantinopolis* Conditorem proclamatum, dolet Claudianus, *l.* 2. *in Eutr.*, *v.* 83.

—— —— Quòd tertius Urbis
Conditor: *hoc Byzas Conſtantinuſque videbant!*

Ad quem vide Barthium, nec non eundem, *Animadverſion. ad Statium*, *l.* 5. *p.* 1253. ut & infrà, in voce *Soter*. Sed & *Conditor*, *αἰσυμνήτης ἵππων*, in veter. *Gloſſar.* habuit enim & Circus ſuos alytas, quos *Conditores factionum* Latini vocant. A *condiendo*: quomodo de Gallieno Trebellius ait, *c. ult. Gallienus cum ſuis ſemper flavo crinem condiit*, pro eo, quod paulo antè dixerat, *Crinibus ſuis auri ſcobem adſperſit*. Vide Salmaſium, *Not. ad Treb. Pollionem in Gallienis*, & Vopiſcum, *in Saturnino*.

CONDITORIUM, apud Sueton. *Aug. c.* 18. *Per idem tempus conditorium & corpus Magni Alexandri, cum prolatum* (Alexandriæ) *e penetrali ſubjeciſſet oculis* (Auguſtus) *coronâ aureâ impoſitâ & floribus aſperſis veneratus eſt*: quibuſdam eſt, quam Strabo, *l. ult.* *πύελον* vocat, arca videl. olim ex auro, poſteà è vitro, in qua ſervatum Alexandri corpus. Caſaubono potius, quem *περίβολον* Strabo idem appellat, locus ſcil. urbe mediô ſepulturæ Regum deſtinatus, quem *Σῆμα* vocatum eſſe, ex eodem diſcas, ut & Didymo *in proverb.* *Βοῦς ἐν Σήματι*. Quô ſenſu Petronius, *Jacuerunt*, ait, *ergo una præcluſis conditorii foribus*. Certè media urbe Alexandriæ fuiſſe *conditorium* Alexandri, etiam ex hodierna ſpecie illius ſemirutæ urbis poteſt conſtare, ſi fides adhibenda Leoni Africano, qui illud magnô concurſu peregrinorum Mahumedanorum & frequentibus eleemoſynis hodieque celebrari, refert, *l.* 8. Apud Marcellinum, *l.* 31. *c.* 18 ubi de Thracia loquitur, *Conditoria frugum occulta*, ſcrobes ſunt ſubterraneæ, vel ſpeluncæ, vel cryptæ, vel putei, in quibus triticum etiam ad 50. annos incorruptum poterat ſervari. *Σειροὺς* Thraces ac Cappadoces vocavêre, teſte Varrone, *de Re Ruſt.* *l.* 1. *c.* 57. Vide quoque Vitruv. *l.* 6. *c.* 8 Columellam, l. 1. *c.* 6. Plin. *l.* 18. *c.* 30. Athenæum, *l.* 4. *c.* 3. ibique Caſaubonum, *Heſychium*, nec non infrà voce *Siri*. Hodieque in Hungaria vina frumentaque ſic recondi, uſitatiſſimum, Freinshemius *ad Curtium*, *l.* 7. *c.* 4. ubi de Bactrianis hic loquens, *Siros* ita ſolertes abſcondiſſe Barbaros, ut, niſi qui defoderent, inveniri non poſſent, ait.

CONDITUM, apud Lamprid. *in Heliogab. c.* 21. *Conditô piſcinas & ſolia temperavit*, vini ſeu potionis genus eſt, aromatibus & aliis odoriferis fragrantibuſque rebus variis concinnatum, Car. du Freſne. Caſaubono vox hæc modò latiùs patet, & roſatum, abſinthiatum, ac quod propriè *conditum* dicebatur, comprehendit, aliquando anguſtius, ut peculiarem ſpeciem denotet. Et quidem *Conditum* hôc modô acceptum idem, aut penè idem, ac mulſum eſt. Cæl. Aurelianus, *Tardar. Paſſion. l.* 4 *c.* 1. *Diocles probat* conditum *bibendum, quod plerique Latini mulſum vocant.* Differunt tamen, ſi rem ſpectes diligentiùs, tria hæc, *Conditum*, *melitites*, *vinum* & *œnomeli* ſive *mulſum*. Vide infrà *Mulſum*. Sed veteres Latini appellationem *Conditi* cum re ignorârunt: ut videntur Medici, qui Romæ faciebant Medicinam, id nomen excogitâſſe, ut quorum in libris *Κονδίτου* frequens mentio, cujus multiplex compoſitio, ad diverſas morborum ſpecies, exhibetur inprimis, *l.* 5. Aetii & in *ſect.* 29. Nic. Myrepſi. Vulgò autem Latinis & Græcis conditæ potionis appellatio, eſt *conditum*. Notum Epigramma Palladæ, cujus initium, *Κονδῖτον μοι δός*. Etiam apud Hebræos, qui eò eſt *Διάκονοι* ſcripſerunt inter Græcos & Romanos, קונדיטון *Conditum*, delicatiſſimæ potionis ſpecies eſt. Citat enim Nathan Juſtus, ex antiquo Paraphraſte, *verba Legis ſimilia ſunt condito*: ſicque interpretatur, *Quid eſt conditum? quod fit ex melle, vino & pipere*. Rectè: nam & in 8. *Γεωπονικῶν* conficitur ſimilliìmè ex pipere, melle Attico & vetere vino atque albo. Vide Caſaubon. *Not. ad Lamprid.*

CONDITURA Veneta, apud Lamprid. *in Eod. c.* 24. *Piſces ſemper quaſi in marina aqua, cum colore ſuo coctos*, conditurâ venetâ, *comedit*. Quibus verbis ſingulare quoddam artificium denotatur Cocorum, qui Alagabalo miniſtrabant. piſces enim ita paraſſe, ut non aliô colore menſis inferrentur, quàm quô eſſent vivi, cùm in aquis maris verſarentur. Atque hanc vocat Lampridius *Condituram Venetam*, ſic dictam à colore veneto, qui idem eſt vel affinis admodum colori maris ſive *τῷ θαλασσοειδεῖ*. Caſaubon. *ad l.* De *Conditura* herbarum & fructuum, vide infrà in voce *Hedyſma*.

CONDIVINCUM, vulgò *Nantes*, Urbs Epiſcopalis Britanniæ minoris. *Ptol.* & *Cæſar*. Ad Ligerim fluv. versùs oſtia, ampla, munita, cum caſtro. Vide *Nannetæ*.

CON-

CONDOCHATES, Indiæ fluv. in Gangem erumpens. *Arrian.*

CONDOMUM, urbs Aquitaniæ Epiſcopalis ampla, ſed nequaquam populoſa, unde *Condomumque inhoſpitum*, *Scalig.* Bellis civilibus vaſtata. *Dupleix*, *Chenæus*, &c. ad Baiſam fluv. Caput agri Condomenſis, inter Vaſatenſem tractum & Comitatum Armeniacum. *Moreri.* *Condomium* aliàs, ad Baliſam fluv. *Baiſe.* Gallis *Condom* dicitur, ponitur que in Vaſconia, in *Notit.* Epiſcopatuum Galliæ, ſcriptâ paulo poſt A. C. 1322. Situm enim eſt in parte pagi Aginnenſis trans Garumnam, quô flumine Vaſconia ab Aquitania ſecunda provinciæ Burdigalenſi dividitur. Tractus vicinus, *le Condomois* appellatur. Hadr. Valeſ. in voce *Malliacum.*

CONDORA, provinc. Moſcoviæ, in Ortum extenſa, versùs Perzoram & Tartariam deſertam. Ibi regio tota ſylvis obſita.

CONDORMIENTES, Hæretici, ſecul. 13. in Germania. A Toletano quodam ſeducti, Luciferi imaginem adorabant, in loco prope Coloniam, reſponſa accipientes. Sine diſcrimine ſexus ætatiſque ſomnum capiebant, &c. Seductor in Angliam tranſiens profundô merſus eſt. Item ſecta Anabaptiſtarum, Gaotier. *in Chron.*

CONDOUNDUS, Alemanorum Rex, fines Gallorum cum Videmara vaſtavit. Ammian. *l.* 14.

CONDRIACUM, ſeu CONDRIEVIUM, oppid. ſeptentr. Galliæ ad radices collis, in provinc. Lugdunenſi ad Rhodan. 2. leuc. infra Viennam. Vinô ſuô celebre.

CONDRUSI, populi Belgii citra Moſam, incolentes. Trevirorum clientes dicuntur Cæſari, *l.* 4 *c.* 6. quos cum Eburonibus, Ceræſis & Pemanis ad bellum Roman. pollicitos eſſe armata millia XL. ſcribit, *l.* 2. *c.* 4. Silvæ Arduennæ proximi erant, circa Urtam fluv. Horum regio *Condrotz* dicitur, in ditione Leodicenſi, & urbs *Hoye*, *Huy & Huey*, prope quam hodieque locus *Condreux* vulgò vocatur; quemadmodum & pagus circa Urtam *Condroy*, *Aubertus Miræus.* Vide Cl. Ottonem JCtum, *Notis ad B. Rhenanum*, *l.* 1. & 3.

CONDUCTORES, apud Gauterium, *de Bello Antiocheno*, qui *conductum* præſtant, i. e. ſalvum incolumemque aliquem ad locum deſtinatum deducunt. Δουκάτορες & Ἀκουρσάτορες Conſtantino Porphyrogen. *de Adminiſtrat. Imp.* c. 7. Luitbprando in *Legat.* & Pachymeri, *l.* 10. *c.* 6. Unde Gallorum phraſis, *Conducere aliquem*, h. e. abeuntem deducere & comitari &c. apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* Quod *jus præſtandi ſalvum conductum* in Imperio Romano pars non minima Poteſtatis Communicatæ Statibus Imperii, ut poteſtatem nempe faciant tutò eundi & redeundi, per vias publicas ſui territorii, ſive ſint banniti, ſive per ditiones peregrinentur. Hinc qui *Conductu* hôc munitos offenderint, crimen læſæ Majeſtatis incidunt. Sed & ſi, qui ſalvum dedit conductum, ipſe offenderit, vel offendi, cùm prohibere poſſet, permiſerit, datæ fidei violatæ reus & communi omnium odiô dignus habetur. Quod accidiſſe Joanni Huſſo in Concilio Conſtantienſi, ex Hiſtoria ejus notum. Vide Limnæum, *de Jure Publ.*

CONDUS Promus Procurator peni, memoratur Plauto, *Pſeudolô*, *Actu* 4. *ſc.* 2. *v.* 14. citante Fulgentiô; quem imitatus eſt dubio procul Paul. Diaconus in *Diſtichis*,

> *Cur Prome Conde times ſtillam præbere Lecyti?*
> *Dolia certè ſunant, cur Prome* Conde *times* &c.

Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*, & infrà in vocibus *Penus* & *Promus.*

CONDYBA, Lyciæ urbs. *Ptol.*

CONDYLEA, Arcadiæ urbs, Pauſan. *l.* 8.

CONDYLUS, apud Martialem, *l.* 5. *Epigr.* 80. *v.* 19.

> *Sed, quod non grave ſit, nec inficetum,*
> *Parvæ tibia* Condyli *ſonabit*:

Græcè Κόνδυλος, pars eſt digiti eminens, in commiſſura pugni; quamvis alii nomen proprium Tibicinis hîc vocem eſſe volunt. Nempe quidquid in nodum protuberat, κόνδυλον Græci vocant, unde partes digitorum, quæ injuncturis, velut nodi, eminent, Κόνδυλοι. Sic & nodi crinium implexi ac calamiſtris intorti, κόνδυλοι τριχῶν vocantur Heſychio: Πλόκαμοι κόνδυλοι τριχῶν πεπλεγμένοι. Quô ſenſu nodos videtur dixiſſe de crinibus Germanorum, Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 39. *v.* 7. de Erotio puella,

> *Quæ crine vicit Bætici gregis vellus,*
> *Rhenique nodos aureamque nitelam.*

Solebant enim Germani crines ſuos obliquare & in nodum cogere, Idem, *de Spectac. Epigr.* 3. *v.* 9.

> *Crinibus in nodum tortis venêre Sicambri.*

Qua de re dicemus infrà, in voce *Nodus.* A' *Condylis* digitorum, κονδυλίζειν eſt, *talitrô* ſeu *talitrô* percutere: quô geſtu manum ſuam in tumolo ſculpi voluiſſe, legitur Sardanapalus &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 761.

CONE, in nummis Phocæ *Conſtantinopoli. E.* Monetarium notat, Car. du Freſne, *Diſſertatione de infer. ævi Numiſmatibus.*

CONE, inſul. exigua, non procul ab oſtiis Iſtri fluv. Lucan. *l.* 3. *v.* 200.

> —— *Et barbara Cone*
> *Sarmaticas ubi perdit aquas.* ——

CONE & Keye, ſeu, ut in Bractoni *MSS. Codd.* legi annotat Cowellus, *Kever & Key*, ad verbum ſignificat operculum & clavem: metonymicè autem res illas, quæ ſub operculo aut clave, à prudentioribus matribus familias cuſtodiri ſolent. Apud eundem Bractonum, *l.* 2. *c.* 37. §. 2. fœmina, in Sockmannis, dicitur eſſe plenæ ætatis, *cùm poſſit & ſciat domus ſuæ diſponere* — *ut ſciat quæ pertinent ad Cone & Keye* &c. Idem §. 3. *Quia in tali ætate poteſt diſponere domus ſuæ & Cone & Keye*, Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CONERIA, urbs Hiberniæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Armachano, in Ultonia & Comitatu Dunenſi, ad lacum *Cone*, nunc in vicum redacta.

CONETODUNUS & COTUATUS, Carnutes deſperati homines, quibus Ducibus Carnutes, auſô 7. arma ſumpſerunt. Cæſar, *l.* 7. *Comment. c.* 3.

CONFALO, Archifraternitas Pœnitentium in Communione Romana, à quibuſdam Romanis civibus inſtituta. A. C. 1264. Hi liberandi Chriſtianos, qui inter Barbaros captivi detinentur, curam gerunt. Huic fraternitati acceſſit ſocietas Lugdunenſis; cui Henricus tertius nomen dedit, ut Thuan. *in Hiſt. l.* 6. memorat. Vide Spondan. *A. C.* 1274. *n.* 15. 1376. *n.* 17. 1583. *n.* 10. Vide hîc infrà.

CONFALONIS Societas, à Clemente IV. Pontifice Romano inſtituta A. C. 1267. nomen habuit à vexillo, Ital. *Confalone*, in quo Mariæ Virginis imago depicta erat, cujus ſub umbra ſodalitas degeret. Unde in fundationis Bulla Confraternitas *Commendatorum Virginis* appellatur: Ejus inſtitutum erat, Chriſtianos apud infideles captivos redimere. Quod exemplum poſteà alii inſecuti, varias confraternitates alias, ſub variorum Sanctorum auſpiciis, inſtituêre, Domin. Macer, in *Hierolex.* Vide *Confalo*: in *Origin.* Murenſis Monaſter. *p.* 29. *Conſano*, ubi inter res Eccleſiaſticas 5. *conſanones* recenſentur. Alibi *Gonſano*, quod vide.

CONFARREATIO, modus connubiorum, apud Romanos, de quo ſic Servius *ad Virgilii Georgic. l.* 1. *Tribus modis apud veteres nuptiæ fiebant: Uſu, ſi verbi gratiâ, mulier annô unô cum viro, licèt ſine legibus, fuiſſet: Farre, cùm per Pontificem Max. & Dialem Flaminem, per fruges & molam ſalſam conjungebantur*, *unde* Confarreatio *appellabatur; ex quibus nuptiis, patrimi & matrimi naſcebantur, Coemptione verò atque in manum conventione, cùm illa in filiæ locum, maritum in patria veniebat* (Dionyſ. Halicarn. *l.* 2. illud de *Confarreatione* ſcribit) *ut ſi quis prior fuiſſet defunctus, locum hæreditatis juſtum alteri faceret.* Idem Dionyſius ſacras nuptias *Farracea* eſſe dicta ſcribit, quòd eôdem *farre* conjuges veſcerentur, quô etiam victimas reſpergerent. Ulpianus *tit.* 9. *Inſtitut. Farre*, inquit, *convenitur in manum certis verbis & teſtibus decem præſentibus & ſolemni ſacrificiô factô, in quo panis quoque farreus adhibetur.* Plin. *l.* 18. *c.* 3. *In ſacris nihil religioſius* Confarreationis *vinculô erat, novaque nuptæ farreum præferebant.* Nempe, uti benedictionum ſacrarum formulæ etiam Paganis in uſu olìm fuiſſe videntur, ex Plauti *Aulul.* ſic & ſacra Nuptiis habuêre propria, quod inprimis perſpicitur ex tertio hoc Nuptiarum apud Romanos genere, quod ex ipſis Sacris conſtabat. Ulpian. *in Fragm. tit.* 9. *de his qui in manu ſunt*, *Farre convenitur in manum certis verbis, & teſtibus decem præſentibus* &c. Ubi de 10. teſtibus in matrimonio loquitur, ut de ævo ſuo Ambroſius *ad Virgin. lapſam*, c. 5. Quamvis in conſuetudinem tunc prorſus *Confarreatio* abiiſſe videatur, vide infrà. Acceſſit autem aqua etiam & ignis atque ſacrificio huic Nuptiali, ſeu ipſis per ſe Nuptiis ſacris, præerant Pontifex Max. & Flamen Dialis, uti vidimus; cujus & Flaminicæ nuptæ eôdem ritu ut fierent neceſſe erat. Servius in *l.* 4. *Æn.* Nec niſi è parentibus confarreatis nati, Flamines ritè fiebant. Romulone autem an Numæ *Confarreationis* initia tribuenda, dubitant viri docti, qui interim Coëmtione vetuſtiorem volunt & *Sacrorum* item ſimpliciter nomine à Tullio dictam, *pro Mur.* In deſuetudinem poſtmodum abiit, Tiberii ævô; aut ſaltem rariſſima fuit; ut præter *l. cit.* Tacitus *Annal.* quoque, *l.* 4. docet. A' quo tempore Coëmtione & Uſu annuô, tum apud Romanos, tum apud Paganos Romani Imperii, plerunque acquiſitæ uxores: ita tamen, ut Coëmtioni ſolennius adhiberentur in poſterum etiam Sacra, quæ ex auſpiciis, auguriis, immolationibus, oblationibus, conſtabant. Quanquam autem Sacra, quæ fuêre in *Confarreatione* paganica, utpote Chriſtianiſmo planè adverſantia, ſub ejuſdem initia etiam apud Paganos ipſos evanuêre; nihilominus farris ipſius uſus aliquis ſolennis in libis conficiendis, diffringendis, communicandis, locis ſaltem in nonnullis ſemper obtinuit. Sic frequentiſſimus apud Anglos eſt ab antiquo liborum admodum grandium in Nuptiis uſus, quæ *Bride* — *cakes*, i. e. *Liba Sponſalitia* ſeu *Nuptialia*, appellitant; eaque tum à Sponſis ipſis confecta, tum à propinquis amiciſque ſolenniter muneri nuptiali data. Atque *in agro noſtro Alexandrino*, inquit Lancillotus Gallia, *perſeverant adhuc quædam antiquarum obſervationum veſtigia, velut in vico Villa fort Nuptiæ per* Confarreationem, *dum libo inter nubentes & affines atque cognatos partito fiunt*, *in Conſuetud. Alex.* Quin & in Græcorum Ritibus, compotatio eſt in Eccleſia nuptialis, quæ *Confarreationis* vicem præſtare videtur &c. Vide Joh. Seldenum, *Uxor. Ebraic. l.* 6. *capp.* 21. & 26. Hinc *Diffarreatio* apud *Feſtum*, diſſolutio matrimonii dicitur confarreatione contracti. Plura apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 37. Antun. Thyſium *in A. Gellium*, *l.* 3. *c.* 2. Thom. Godwyn. *Anthologia Rom. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 20. Alios.

CONFECTA Bruma, vide ſuprà *Bruma Confecta.*

CONFECTORES, *οἱ παραβόλοι*, qui ad beſtias pugnabant & illis *conficiendis* operam ſuam locabant. Sueton. *in Aug. c.* 43. *Confectores ferarum.* Quos prout hinc παραβόλους, i. e. *deſperatos*, appellabant: voce ad Chriſtianos poſteà extenſâ quòd ſibi non parcerent, atque animam libenter pro Deo ſuo ponerent, Lactantius *de Juſtitia*, *l.* 5. Vide quoque hîc paſſim, vocibus *Audaces*, *Beſtiarii*, *Pancarpum*, *Parabolarii*, *Speratus.* Sed & *Confectores*, tinctores dicti atque infectores. Dicebantur enim *confici* coria Latinis, quæ ſubiguntur. Nam & dum tinguntur, domari quoque ſolent & ſubigi, ut meliùs colorem accipiant & imbibant, quod munus eſt τῶν βυρσοδεψῶν, qui *Coriarii* Latinis dicti. Certè, quod δεύειν Theophraſtus, Plinius *conficere* vocat, *l.* 13. *c.* 6. *Etiam thus Syria maſcula fert, ſterili fœminâ, foliô ulmi paulo longiore & piloſô, foliorum ſemper inter ſe contrariis pediculis, gracili brevique ramô, pelles candidæ conficiuntur iis.* Ubi de *Rhu* loquitur, quam perperam Editores in *Thus* mutârunt. Hinc itaque *Confectores*, pro tinctoribus,

ribus, ut dictum & infectoribus, apud Vopiſc. *in Aureliano*, c. 29. *Miſſis diligentiſſimis confectoribus*: & apud veterem Juvenalis Interpretem, *Toga palmata Tyrio purpura confecta*, *i. e. Serrana*: quod à coriis traductum, Σκύψις δερμάτων, quoque id dicitur: eo quòd pleraque eorum, quibus conficiuntur pelles, aut lanæ inficiuntur, τῷ δεψεῖν συντελοῦντα ſint; vel potiùs, quòd premendo ac ſubigendo color affricetur pellibus. Sunt autem illa, folia τῆς ῥοῦ, alumen, malicorium, galla & ſimilia. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 465. & infrà verbum *Conficere*, it. *Strymma*.

CONFERNOVA, una è 12. ſpeciebus augurierum Michaëli Scoto *de Phyſiognomia*, c. 56. ſic deſcripta: *Confernova eſt augurium, quando prius invenies hominem vel avem euntem vel volantem, & ſe reponſet ante te in dextra parte tui, vidente te: & iſtud eſt tibi bonum ſignum ſuper negotio*, apud Car. du Freſne. Vide infrà *Venta*. At *Confervetus*, eidem Scoto ibid. *augurium eſt, quando prius invenis vel vides hominem vel avem ſe repauſantem in dextra parte tui, te vidente: & iſtud eſt tibi malum ſignum* &c.

CONFESSARII Sollicitantes, vide *Sollicitantes*.

CONFESSIO, Græcè ἐξομολόγησις, inter Pœnitentiæ actus, quâ peccatum ſuum lapſi publicè *confitebantur*, memoratur Cypriano, *l.* 3. *Ep.* 14. *Agunt pœnitentiam juſtô tempore & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſin veniunt, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communionis accipiunt.* Ubi ordinem diſciplinæ publicæ deſcribit & *Exomologeſin* vocat eam externæ pœnitentiæ partem, quæ in confeſſione conſiſtit. Mox ibidem queritur, ad communionem quoſdam lapſos perperam admitti, nondum pœnitentiâ actâ, nondum exomologeſi factâ, nondum manu iis ab Epiſcopo & Clero impoſitâ. Vide eundem, *l.* 5. *Ep.* 3. &c. Non ſolùm autem notoria crimina tùm in Eccleſia confitebantur, ſed etiam internam tanti criminis, putà abnegationis Chriſti, cogitationem, ad obtinendum conſcientiæ levamen, *confitebantur* Sacerdotibus, & re per Sacerdotes, quando expedire videbatur, publicatâ peractâque à peccatoribus illis publicâ pœnitentiâ, palam abſolvebantur & communioni reſtituebantur: quam idem *Exomologeſin Conſcientiæ* vocat, *l. de Lapſis*. Quod ipſum in aliis quoque flagitiis occultis fieri conſueviſſe, colligere eſt ex Tertulliano, *de Pœnit.* c. 10. ubi ea ſuadet confiteri non ſolùm Sacerdotibus, ſed & aliis Fratribus, ut palàm abſolutio in Eccleſia obtineatur. Ne autem petulantibus deriſorum linguis temerè exponerentur Fratres, viſum eſt permittere Sacerdotis judicio, an ea culpa, quam ei ſeorſim quiſpiam eſſet confeſſus, publicari deberet, ad accipiendam publicam medelam & ad cæterorum ædificationem, teſte Origene, *Homil.* 2. *in Pſalm.* 37. Quod cum progreſſu temporis ulteriùs proceſſiſſet, quàm ſcopus fuerat eorum, qui in Occidente inprimis iſtiuſmodi Confeſſionem velut neceſſariam primùm urgebant: Nectarius Epiſcop. Conſtantinopolitanus, Ambroſii ὁμόχρονος, privatam confeſſionem τῷ ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβυτέρῳ Sacerdoti Pœnitentiario, ſeu Confeſſario (uti hodie in Eccleſ. Romano dicitur) fieri ſolitam, (inſtitutam maximè, poſt Decianam perſequutionem, ut in illa lapſi faciliùs averterentur à Schiſmate Novatianorum, apud quos publicæ pœnitentiæ nullus erat uſus) abrogavit; ſequutis ipſum omnibus ferè Epiſcopis Orientis, uti diſcimus ex Socrate, *Hiſtor. Eccl. l.* 5. *c.* 19. & Sozomeno, *l.* 7. *c.* 16. Cui conſtitutioni ſuô adhuc tempore obſecundatum eſſe, teſtis eſt Nicephorus Calliſti, *Hiſtor. Eccl. l.* 12. *c.* 28. qui annis pluſquàm 900. Nectariô fuit poſterior. Manſit tamen ea conſuetudo Eccleſiis Occidentis, ut gravioris alicujus criminis conſcii id confiterentur Presbytero Pœnitentiario, vel, ut loquitur Auguſtinus, Antiſtitibus Eccleſiæ, eôque procurante, ſi ſcandali gravitas aut Eccleſiæ utilitas id poſtulare videretur, ad agendam publicam pœnitentiam admiſſi, locum Pœnitentibus aſſignatum in Eccleſia occuparent ibique ritus imperatos, qui à Sozomeno, *l.* 7. *c. cit.* & Nicephoro, *d. l.* deſcribuntur, obirent, donec palàm abſolverentur. Poſteà verò exoleſcente diſciplinâ publicâ, interdicta prorſus eſt Pœnitentiario patefactio auditæ *confeſſionis*, *de pœn. diſt.* 6. *Sacerdos*. Et cùm diſtinguat Auguſtinus peccata atrociora, excommunicationem merentia, à quotidianis, illa ſola Antiſtiti confitenda ſcribens, *Homil.* 50. & *Ep.* 108. Innocentius III. abſque ulla diſtinctione, ab omnibus confeſſionem omnium peccatorum, cum omnibus circumſtantiis fieri præcepit. Quod hodieque in Communione Romana obſervatur, ubi tamen inter Doctores de jure ac neceſſitate hujus ritus aliiſque ad eum pertinentibus non planè convenit. Certè aſſertio Petri Oxonienſis S. Theol. Prof. in Acad. Salmanticenſi, *quòd Confeſſio de peccatis in ſpecie, fuerit ex aliquo ſtatuto Univerſalis Eccleſiæ non de jure divino*, ut hæretica condemnata eſt A. C. 1479. in Concilio Complutenſi, cui Alfonſus Carillus Archiepiſcopus Toletanus præſedit, confirmante eam ſententiam Sixtô IV. Quam in rem vide plura apud Joann. Forbeſium, *Inſtruct. Hiſtorico — Theologic. l.* 12. *c.* 5. ut & quæ infrà dicemus, ubi de *Confitendi ritu*, nec non in voce *Exomologeſis*, it. *Pœnitentiarius*, &c. Sed & *Confeſſio peccatorum*, ſaltem graviorum, in Gentilium ſacris, ab initiandis exigi ſolita eſt, ut videbimus infrà, voce *Myſterium*. Imò non deſunt, qui *confeſſionem* omnium, quæ aut fanda aut nefanda unquam in vita perpetraviſſent, ab iis extortam velint. Quod, in religionis ſpeciem tractum, ideo reverâ fiebat, ut ſic ipſorum conſcientiis obligatis in perpetuo verſarentur metu, ne ſi aliquid enuntiarent illorum, quæ celata volebant Sacerdotes, hi illorum flagitiis in apricum productis eos famæ vitæque certiſſimo periculo objicerent. Quod naſutioribus probè ſuboluiſſe, docet reſponſum lepidum Antalcidæ, qui in Samothracia quum Sacris initiaretur, quærenti Sacrificulo τί δεινότατον ἐποίησας ἐν τῷ βίῳ; *ecquid gravius commiſiſſet in vita?* repoſuit, Εἴ τι μοι πέπρακται τοιοῦτον, αὐτοὶ οἱ θεοί. *Si quid tale ego, nôrunt ipſi Dii.* Item alius Laco ibi apud eundem, qui de confeſſione compellatus cum quæſiiſſet ex Sacrificulo, ipſi ne an Deo crimen indicandum eſſet, huicque dixiſſet, Deo: reſpondit, Σὺ τοίνυν ἀποχώρησον, *Tu ergò interim recede.*

CONFESSIO, præter commune hoc ſignificatum, varia notat in Eccleſia Romana. Namque in *Ceremoniali Epiſcop. l.* 1. *c.* 12. *Locus eſt, qui pleriſque Eccleſiis ſub majori altari eſſe ſolet, ubi SS. Martyrum corpora requieſcunt*; aliàs *Martyrium*, κατάβασις Theophani, *p.* 362. quod ad eam per gradus aliquot deſcenſus pateret. Vide ſuprà *Concilium Martyrum*, & infrà *Deſcenſiones*. Apud Anaſtaſium, pro ipſo *Confeſſionis* ſeu Altaris ornamento ſumitur, in *S. Hilario*: *Confeſſionem S. Johannis Baptiſtæ fecit ex argento* &c. Apud Joannem Archidiac. Barenſem *de Invent. S. Sabini*, c. 5. *Baſilicam* vel potiùs Oratorium deſignat. Porrò, orationem ſignificat, quæ à voce *Confiteor* vulgò incipit, de qua Card. Bona, *Rer. Liturgic. l.* 2. *c.* 2. *num.* 5. Item locum in æde ſacra, ubi Sacerdos, priuſquam ad Miſſam celebrandam accedat, *confeſſionem* ſeu exomologeſin pronuntiat, apud Beletum, *de Div. Offic.* c. 53. Cellulam quoque, in qua Presbyteri *confeſſiones* excipiebant, apud Hariulfum, *l.* 4. *c.* 27. Inſuper emolumentum, quod ex *confeſſionibus* Sacerdotibus obvenit, apud Goffridum Vindocin. *l.* 3. *Ep.* 40. Tandem pœnitentiam, quæ per *Confeſſionem* injungitur, maximè eam, quæ exigitur in Monaſteriis apud Sampirum Epiſcopum Aſtoricenſem, in *Ordonio II. Adelfonſo ærâ* 964. alibi. Vide Car. du Freſne, in *Gloſſar.* & Macros Fratres, in *Hierolex.* Hinc *Confeſſa*, in vetere *Epitaphio*, apud Ant. Yepezium, *Chron. præfato*, *Tom. VI. p.* 17. *In hoc verbuſto lapide requieſcit famula Dei Ilduntia defuncta*, Confeſſa, *ſeptimo Kalendas Septembris, ærâ centeſimâ primâ poſt milleſimam*, alibique: Monialis eſt, quæ *Confeſſionem* ſeu *pœnitentiam* egit in Monaſterio, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* In eadem Communione, *Confeſſiones dare*, dicebantur Monachi vel Canonici, qui ad Primam canendam in Eccleſia convenientes, completô ipſo officiô ante Pſalmum 50. viciſſim *donabant Confeſſiones ſuas*, dicentes: *Confiteor Domino, & tibi Frater, quòd peccavi in cogitatione & opere, propterea precor te, ora pro me.* illô reſpondente, *Miſereatur tui Omnipotens Deus* &c. Vide Chrodegangum Metenſem *in Reg. Canonic.* c. 18. Sed & *Confeſſiones dare* dicebantur, qui ad exomologeſin ad Presbyteros accedebant. Vide Car. du Freſne, *d. l.*

CONFESSIONES Pontificum Romanorum pars quoque Canonici Juris. Cùm enim ſolerent Pontifices, quando ad dignitatem hanc promovebantur, fidei profeſſionem edere, ut nos docet, *c.* 8. *Sancta octo. diſt.* 16. cujus inſcriptio eſt, *Item ex diurno libro Profeſſio Pontificis*, vide quoque infrà *Synodica Epiſtola*: etiam ex illis tandem Canones in Decretum relati ſunt. Hinc ad verba modò dicta Romani Correctores notant, *Integram profeſſionem fidei, quando quis in Pontificem Romanum promovebatur, refert Deuſdedit Cardinalis in collectione Canonum, quæ ſervatur in Bibliotheca Vaticana*, apud Gerh. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccl.* §. 405.

CONFESSIONIS Ritus, à Nectario, Presbytero Pœnitentiæ Præfecto ſublatus eſt, A. C 390. Conſtantinopoli, eo quòd matrona quædam nobilis, hâc occaſione, in templo à Diacono polluta eſſet: cujus exemplum mox totus Oriens ſecutus eſt. Manſit nihilominus in Occidente, & tandem in *Confeſſionem Auricularem* abiit. Vide Socrat. *l.* 5. *c.* 8. & 19. Sozom. *l.* 7. *c.* 16. &c.

CONFESSOR, apud Ambroſium, *l.* 2. *ad Imperator. Gratianum*, Paulinum, *Ep.* 28 *ſub fin.* &c. qui martyriô vitam pro Chriſto, quem palàm *confeſſus* erat, finiit. Apud alios, qui Chriſtum palàm coram fidei hoſtibus *confeſſi*, cruciatus quidem tormentaque varia ſuſtinuit, ſed iis ſuperſtes tranquillam obiit mortem, Cypriano. *de Simpl. Prælat. Serm. de Lapſis* 5. &c. Unde Epiſcopis, qui Nicænæ Synodo interfuêre, Alexander Monach. Ὧν οἱ πλείους ἦσαν ὁμολογηταί, καὶ τὰ στίγματα τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες, *Quorum plerique* Confeſſores *erant, & ſtigmata Jeſu in corpore ſuo circumferebant.* Obtinuit poſtmodum uſus, ut hoc elogiô inſignirentur, quotquot ſanctam vitam laudabili exitu terminaſſent, Egbertus Archiepiſcopus Eboracenſis *in Excerptis*, c. 28. Hodie in Communione Romana *Confeſſores* dicuntur Monachi, qui, pro expiandis delictis *confeſſionem* ſeu pœnitentiam, abdicatâ vitâ ſeculari Monaſticam ineunt. Item Cantores & Pſalmiſtæ, qui ſunt in inferiori Clericorum gradu, in *Orat.* Feriæ 6. majoris Hebdomad. *Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis, Confeſſoribus* &c. quibus id nominis datum hinc ait *Menardus*, quòd *confiteri* paſſim in S. Scriptura eſt, laudes Dei decantare, &c. A *Confeſſoribus* ſecundô locô recenſitis *Confeſſoriæ* literæ dicebantur, quas illi lapſis dabant, ut pacem ab Epiſcopis acciperent, juſque Communionis recuperarent, relaxatâ ſcil. iis pœnitentiâ præſcriptâ. Quâ Confeſſorum benignitate cùm lapſi abuti inciperent, ſtatuit Elibertanum Concilium, *can.* 25. ut pro *Confeſſoriis* darentur *Communicatoriæ*, de quibus ſuprà: plura vero in hanc rem vide apud Car. du Freſne & Macros Fratres. Duo autem *Confeſſorum* hujuſmodi genera habebantur olim, uti docet Auctor *libri de duplici Martyrio*: Alii namque tormenta patiebantur, alii etiamſi meti non eſſent, in minis tamen mortis confeſſi ſunt Dominum Jeſum, parati etiam ſubire tormenta & mori potiùs, quàm Chriſtum negare. Reliqui verò Chriſtiani, qui in perſecutione fidem ſervârunt, *Stantes* communi vocabulô dicebantur, at qui aliquô modô negaverant, *Lapſorum* nomine notati ſunt. Aliquando tamen & ad Stantes, *Confeſſorum* extenſa appellatio eſt. Sed & inter *Confeſſores* numerati, qui bonorum ſuorum jacturam, vel exilium vel contumelias, vel quamcunque aliam afflictionem, propter Chriſtum, æquô animô toleraverant, uti videre eſt, apud Cyprianum, *l.* 1. *Ep.* 5. Plura hanc in rem vide apud Forbeſium ubi ſuprà, *l.* 12. *c.* 3. §. 1. *& ſeqq.* & infrà voce *Extorres*. Quô vero tempore in *Confeſſorum* memoriam feſta initium cœperint, dicemus ubi de *Feſtis*.

CONFICERE, ſacra apud Romanos veteres vox. Hinc *confectum Latiar*, ſeu *Latinum ſolenne*, vel ſacrificium, in Albano monte, Latiari Jovi apud Ciceronem, *ad Q. Fratrem l.* 2. *Ep.* 4. *extr. Dies erant duo, qui poſt Latinas habentur religioſi: cæterum, quo confectum erat Latiar, erat exiturus.* Ubi ſignificat Cicero, ſe ſcripſiſſe hanc Epiſtolam prope occaſum Solem illô die, vel exeunte &

dece-

decedente illô die, quô Latinæ Feriæ erant confectæ. Sic confecta Latina, apud Lucan. *l.* 1. *v.* 550.

---- Et aſtendens confectas flamma Latinas.

Et *l.* 5. *v.* 400.

Nec non Iliacæ Numen quod præſidet Albæ,
Haud meritum Latio ſolennia ſacra ſubacto,
Vidit flammiferâ confectas nocte Latinas, &c.

Job. Frid. Gronov. *Obſervation. l.* 4. *c.* 25. Alias verbi notiones, vide ſuprà in voce *Confectores*, Item *Bruma confecta:* uti de verbo *conficere*, in S. Cœnæ inſtitutione adhibito, infrà ubi de *Pane Euchariſtica.*

CONFINIA, in tutela Numinum quoque olim fuêre: Mercurii inprimis, qui ſub nomine Ἑρμαίου, ſeu Ἑρμαίου λόφου, *cumuli nempe lapidum in via poſitorum*, tum cultus eſt. Tibullus, *l.* 1. *El.* 1. *v.* 11.

Nam veneror, ſeu ſtipes habet, deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florida ſerta lapis.

Sed & Jupiter aliquando regiones diſterminavit, uti patet ex fragment. Epigrammatis apud *Demoſth. Orat. de Halon.*

---- ---- ---- ὁμουρίας δὲ
Ἀνδρῶν ἀπάξ ... ἐστὶ μέτρον Κρονίδας.

Certè hominum exiſtimatio fuit, *Confinia* ſeu Limites, aut Collimitia, uſque eò eſſe in tutela Numinum, ut in iis Templa hinc inde ædificarentur. Ubi verò Templa non erant, hinc inde ſtatuebantur columnæ, quarum utramque vocabant ὅρον, ἐν ᾧ ἐπιγέγραπται χρέος, καὶ ὁ χρήστης, *in qua inſculptum erat debitum & fænerator*; ſicut locum inter utrumque medium ac liberum, ἄστικτον, i. e. *nullis punctis notatum*, aut nulli debito obnoxium. Sic memorat Strabo, *l.* 5. quarundam urbium Campanarum *Confinia* diſcriminari duabus ædibus Fortunæ, ex utroque latere viæ Latinæ. At cùm nec Templa, nec columnæ adeſſent, ſaltem ibi χειράδες cumulabantur, *h. e. cumuli minutorum lapidum*, quaſi in hoc aggeſtorum, ut eſſent termini, diſcriminarentque ac tuerentur, quod cuique proprium, ab alieno: qui quidem lapidum acervi vocabantur quoque ἑρμαῖοι, nempe λίθοι σεσωρευμένοι εἰς τιμὴν τοῦ Ἑρμοῦ, lapides aggerati in honorem Mercurii, de quo more vide hic paſſim: Plura autem hanc in rem, apud Car. Paſchal. *Coronar. l.* 4. *c.* 4. ut & infrà, ubi de *Terminis.* Cùm verò ſæpe in iſtiuſmodi Collimitiis prædonum licentia impunè vagaretur, promtô mox in alteram partem perfugiô: mos obtinuit apud Anglos Scotoſque, ut potenti alicui vicino utrique limitanei in clientelam ſe tradant, cujus auctoritate ac potentiâ ab iſtiuſmodi injuriis vindicentur: viciſſimque tributum ei pendant, quod, quia pro pendentium tenuitate ære vel obſcurius plerunque præſtatur, *Blackmale* appellatum eſſe, infrà dicemus, in voce *Malla.*

CONFIRMARE Populum, dicitur in Eccleſia Romana Archidiaconus, Diaconus aut Subdiaconus, dum poſt porrectam à Sacerdote Euchariſtiam, eidem Dominici ſanguinis ſymbolum hauriendum præbet, *Ordo* Roman. vide Rabanum, *de Inſtitut. Cleric. l.* 1. *c.* 29. & Amalarium in *Eclogis ſub fin.* In eadem Eccleſia *Confirmatio* unum eſt ex quinque Sacramentis, de quibus illis cum reliquis Chriſtianorum controverſia eſt. Subjungunt eam Baptiſmo illamque adminiſtrat Epiſcopus jam baptizatis, ſed ætate provectioribus: quorum frontibus certis verbis ac ritibus, olei vel balſami liquorem in Conſignatorio, vide infrà, aut Sacrario, allinit, inctoſque leviter alapâ cædit, in Chriſtianæ militiæ rudimentum. Ejus originem vetuſtiores ex Scholaſticis Concilio Meldenſi adſcribunt: alii autem Chriſma illud à Chriſto ipſo, vel ſaltem ab Apoſtolis inſtitutum aiunt. Sed ritus hujus vix ulla veſtigia ante ſeculum II. illudque jam præceps. Et quidem Veteres quod attinet, illorum Chriſma ritus erat, Baptiſmo adjunctus; quem in peculiare Sacramentum, quod multis poſt Baptiſmum annis plerumque miniſtratur, Eccleſia præfata commutavit. Dum nempe unctio illa paulatim à Baptiſmo ſeparari cœpit; cùm vel ab hæreſi venientes, non novô Baptiſmô, ſed unctione, vel manuum impoſitione, in Eccleſiæ communionem reciperentur, vel qui urgente neceſſitate à Laicis vel alioqui à Diacono aut Presbytero baptizati erant, poſteà ab Epiſcopo vel ungerentur vel manu ſimpliciter impoſitâ confirmarentur &c. Franc. Burmannus, *Synopſi Theol. Chriſt. Part.* 2. *l.* 7. *c.* 10.

CONFIRMATORES Teſtes, in Aragonia, recentiori ævô dici cœperunt Optimates, quos *Ricos hombres & Seniores* priſca ætas vocavit. Magiſtratus item & Sacrorum Præſules: cùm nomina ſua inſtrumentis, ab altero teſtium genere, qui *Viſores & Auditores* appellabantur, jam roborata, ad temporis notationem inducendam, ſubſcribebant. Quod cùm primum in ſolennibus tantùm Regum aut Principum privilegiis adhiberi conſueviſſet, poſteà paulatim ad privatorum quoque negotiorum contractus defluxit. Hier. Bianca, *Rerum Aragonic. Commentar. in Præf.* apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CONFISCATIO, vide *Publicatio Bonorum.*

CONFITENDI Presbytero Pœnitentiario conſuetudo, orta juxta Sozomenum & Socratem tempore Decianæ perſecutionis, circa A. C. 253. concitatæ. Tum enim Epiſcopi τοῦτον τῷ κανόνι προσέθεσαν, i. e. *hoc additamentum*, veteri Canoni adjiciendum pro tempore cenſuerunt, ut ait *Socrates*, quò lapſos in ea perſecutione facilius averterent à ſchiſmate Novatianorum, apud quos publicæ pœnitentiæ nullus fuit uſus. Finis erat, ut *confitentes* ad publicam hôc modô, ſi opus eſſet, pœnitentiam adducerentur & diſciplinæ hujus exemplô alii ſimilia admittere verecundarentur. Sed occaſione mulieris à Diacono pollutæ, & publici inde orti opprobrii, abolita illa eſt, à Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano, quem ferme omnes Orientis Epiſcopi ſecuti ſunt. Manſit tamen, apud Occidentales, ſalvâ fidei & charitatis compage, ut mos, ut graviores alicujus criminis ſibi conſcii id confiterentur Presbytero Pœnitentiario, vel (ut loquitur Auguſtinus) Antiſtitibus Eccleſiæ, eô fine quem diximus ſuprà ubi *de Confeſſione*: donec ab Innocentio III. ſancitum, ut non ſolum Auditores omnia ſua peccata confiterentur, ſed & Presbyteri confeſſionem excipientes, ea omnia celare haberent, ſub pœna depoſitionis ab officio & perpetuæ in arcto Monaſterio pœnitentiæ, vide Concil. Lateran. ſub Innocentio præfato celebratum A. C. 1215. *can.* 21. & plura de hoc ritu Veterum, apud Sozom. *l.* 7. *c.* 16. Socr. *Hiſtor. Eccl. l.* 5. *c.* 19. & Nicephorum Calliſtum, *Hiſtor.* itidem *Eccl. l.* 12. *c.* 28. Uti autem in Foro Eccleſiaſtico, ſic & in Politico, *Confeſſionem* reorum publica neceſſaria: quam proin ut è pertinacioribus eliciant, vel extorqueant Judices, varia excogitata ſunt, inter quæ tormentis nihil hodiè frequentius. Alium ſuppeditat modum Plinius, *l.* 24. *c.* 17. ſed Magicas præſtigiis deturpatum, ubi is ſic de herba Aglaophotide & Achæmenide, *Democritus ---- ille poſt Pythagoram Magorum ſtudioſiſſimus, quanto portentoſiora tradit? Aglaophotida herbam, quæ admiratione hominum propter eximium colorem acceperit nomen, in marmoribus Arabiæ naſcentem, Perſicô latere; quâ de cauſa & marmaritim vocari. Magos utique eâ uti, cum velint Deos evocare. Achæmenidem, colore electri, ſine folio naſci in Tradaſtilis India, cujus radice in paſtillos digeſtâ, in dieſque potâ, noxii per cruciatus nocte confiteantur omnia per varias Numinum imaginationes. Eandem hippophorbada vocat &c.* Vide quoque eum, *l.* 29. *c.* 7.

CONFLUENTES, tractus Comitatus Ruſcinonenſis, verſùs montes Pyrenæos & Ceretaniam, nunc Galliæ, ubi oppidum præcipuum Villafranca, ad amnem Tetium, decem leucis à Perpiniano in Occaſum. Item: locus in Lemovicibus, *Confolans*, ad Vigennæ & Baranæ concurſum. Item ad Iſaræ & Rhodani, *Confulens*: ad Sequanæ & Matronæ &c. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Inter Forum quoque Tiberii *Keyſerſtuel*, & Auguſtam Rauracor. ubi Arola multis fluviis auctus in Rhenum decurrit, vulgò *Coblentz* vel *Combelentz* Latin. *Confluentes* habemus: è quarum regione *Waldshut* oppid. Vide Guillimannum, *p.* 97.

CONFLUENTIA, urbs ſita in eo loco, ubi Moſella Rheno miſcetur, munita, & ſplendida, vulgò *Coblentz.* Sub Archiepiſcopo Trevirenſi. Ibi Concilium A. C. 860. ad Carolum Calvum cum Ludovico Germanico, & Lothario Lotharingiæ Rege conciliandum. A. C. 922. ab Henrico Aucupe & Carolo Simplici habitum. *Tom.* 8. & 9. *Conc.*

CONFLUENTIA, ſive CONFLUENTES, vicul. Helvetiæ, haud procul oppid. *Clingnow*, ditionis Epiſcopalis Conſtantienſis, ad quem tria Helvetior. flumina Limagus, Urſa atque Arola in Rhenum exonerantur.

CONFORMISTÆ, dicti in Anglia Puritanorum prudentiores, qui contra Arminianos, Socinianos, Pelagianos, Anabaptiſtas, Pontificios &c. Epiſcopalibus juncti, acriter pugnabant, ſe filios Eccleſiæ Anglicanæ profitebantur, & ceremonias antiquas, aliaque in Eccleſia & Epiſcopis minus probanda, utcunque inviti tolerabant, neque proin ſeceſſioni conſentire volebant. Quales magnæ animæ, Whitakeri, Perkinſii, Ramoldi, alii fuerunt. Vide Georg Hornium, *Hiſtoria Eccleſ. Novi Teſt. Period.* III. *Artic.* 31. §. 35. & infrà ubi de *Puritanis.*

CONFRACTORIUM, in *Miſſali* Ambroſiano, dicitur Oratio poſt fractionem hoſtiæ, ut vocant, in Eccleſia Romana recitari ſolita, Macer, in *Hierolex*

CONFRATERNITAS, vide infrà *Sodalitas*:

CONFRATRES, vide *Kalendarum fratres.*

CONFUTIUS, dictus *Socrates Sinenſis*, tum quia huic σύγχρονος, tum quia morum imprimis Doctrinam excoluit. Sententias veterum Philoſophorum 4. voluminibus collegit, quintô ipſemet de Moribus ſententiam ſuam expoſuit, tantâ cum nominis famâ, ut quicunque poſtmodum Doctores crearentur, Practicam eruditionem impriinis probare tenerentur. Hujus ſecta, ex tribus præcipua eſt, omneſque illi Magnates Imperii dant nomen. Neque ulli alii, quàm Mandarini, Loytiæ, vel Literati ejus Philoſophiâ imbuti, ad ſummas ſub Rege dignitates evehuntur. Agnovit unum Deum aliaque multa lumini naturæ ſanæque rationi convenientia docuit. Trigalt. *relat. Sinenſi l.* 1. Mota Vayerius, *de Virtut. Ethnicorum p.* 2. Kircherius, *Sinâ illuſtratâ*, &c. De illo ſic Georg. de Sepibus: *vulgò Pagodes dicitur famoſiſſimum Sinenſium idolum. Fuit is Philoſophorum Sinenſium princeps, cui maximè à literatis fana conduntur, quæ ſingulis plenilunus ac novilunus frequentiſſimi adeunt Bonzi, ſolitis adorationibus, ceremoniis & ſuffitibus ſuum Numen veneraturi. Idolum plenum eſt literis & ignotis quibuſdam characteribus, atque ad umbilicum ſignatum, ut videre eſt in eo, quod aſſervatur in Muſæo* Kircheriano Romæ. Vide Georg. de Sepibus in *Collegii Romani* Societatis *Jeſu Muſæo*, p. 7. ut & Auctorem, *Oedipi Ægyptiaci.* De vita ejuſdem *Confutii*, maximi Sinenſium Philoſophi, ejuſque diſcipuli Mencii, & utriuſque morali Doctrina: Opus, primò contextum ex priſcis omnium Sinenſium Scriptorum monumentis, à Proſpero Intercetta Siculo Jeſuita; collaborantibus, ex eadem Societate, Rugimontiô & de Complet Belgis, nec non Andreâ Herdrick Auſtriacô: aſſervatur in *Muſæo* Kircheriano Romæ. Idem in *Deſcript. ejuſdem p.* 63.

CONF. in nummo Phocæ, *Conſtantinopoli* notat, Car. du Freſne *de inferioris ævi Numiſmatibus.*

CONGA, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

CONGANUS, Abbas Hibernus, S. Bernardi coævus. *S. Malachiæ vitam* conſcripſiſſe. Simler. *auct. Biblioth Geſner.*

CONGAVATA vulgò *Roſe-caſtle*, teſte Camdenô, oppid. vel caſtrum Albionis in finibus Brigantium apud *Candebec*, juxta Carleolum, in Cumbriâ regione.

CONGEDUS, aliquibus *Cogedus*, Hiſpan. fluv. circa Bilbilim Martial. *l.* 1. *Epigr.* 50. *v.* 9.

Tepidi natabis lene Congedi vadum.

CONGELSHOVIUS Jacobus, vide *Jacobus.*

CONGELLUS, voce Græco-Latinâ appellabatur, vivente Patriarchâ, futurus deſtinatuſque ejus Succeſſor, Græc. Σύγκελλος, quaſi *Cellulanus* ſeu Contubernalis, apud Macrum, vide infrà in *Syncellus.*

CONGER piſcis, apud Gallos & Romanos in nullo, apud Hiſpanos aliquo in pretio, olim verò apud Græcos Deorum menſis dignus habitus eſt: poſtquam Euphron in *Adelphis*, Nireum quendam Chium Diis *congrum* elixâſſe ſcripſit. Quamvis enim & aſſus ſatis ſuaviter ſapiat, ut Coquus quidam apud Philemonem referente Athenæô, in hæc verba eruperit: *levaſſi me terrâ cœlôque narrare, quantam voluptatem ceperim ex egregio illo congro, quem paravi nullis conditum caſeis, nec ullis denique floribus aſperſum, ſed qualis vivus, talis aſſus erat, tener omnino & molli igne toſtus.* Et paulò pôſt, *Quòd ſi illi, qui vilioribus veſcuntur piſcibus, ſcarum haberent ---- aut è Sicyone* congrum, *quem Neptunus ipſe Diis affert, omnes ſanè eô guſtatô facti fuiſſent Dii; nam ſi vel mortui hunc odorentur, reviviſcunt.* Aſſo tamen elixus prælatus eſt Unde Diocles interrogatus, Conger an lupus præſtaret, *hic aſſus*, reſpondit, *ille elixus.* Et Antiphanes, Anguillam in aqua, ſale & origano conditam elixari jubet, eôdemque modô congrum. Majores porrò minutioribus præferebant, unde apud Terentium, *Adelph. Actu.* 3. *ſc.* 3 *v.* 23.

Congrum iſtum maximum in aqua ſinito ludere
Paulisper: ubi ego venero, exoſſabitur:
Prius nolo. ----

Quod Plautus, *Aulul. Actu* 2. *ſc.* 9. *v.* 2. *exdorſuare* fortè dixit. Solebant enim antiqui ſpinas & oſſa eximere, ut carnes expeditæ gratiores redderentur; idque fiebat binis bacillis utrâque manu comprehenſis, ut medios piſcis aſtringeretur detergereturque. Inprimis verò *congri* caput commendabatur, adeò ut Archedicus coquus illud ſeſe emiſſe quinque drachmis profiteatur, apud Athenæum ſuprà laudatum. Optimos in Italia capi tantumque præcellere cœteris quantum pinguis thynnus viliſſimis coracinis, eôdem teſte Archeſtratus ait gulo mirè ingenioſus. Plura de hoc piſce, inprimis de audacia ejus in piſcatores, vide apud Auctorem Anonymum *Sina & Europa*, *c.* 39.

CONGERIES Lapidum, in veneratione priſcis, vide ſuprà ubi de more *Acervandi lapides*, ac infrà *Lapis*, it *Scorpio*: plura verò apud Jac. Oiſelium, *Animadverſion. ad Minucium Fel. p.* 15.

CONGIARIUM, munus Principis, quô donabat populum. Vell. Paterculus de Tiberio Imperatore, *l.* 2. *c.* 129. *Quoties populum Congiariis honoravit: Sicut donativô* milites. Et quidem Tiberius *Congiarium* populo trecentos nummos viritim dedit: Caligula bis, trecentos ſeſtertios: Nero quadringentos nummos Populo diviſit &c. Ad hanc autem, ut & alias liberalitates, non admittebantur, niſi cives, aut ſaltem in tribum prius deſcripti: Unde appetente *Congiarii* die, plurimi patroni, ſervos manu mittebant, uſque tribum ſtatim emebant, quô pactô illi ad civium hæc commoda admittebantur, ac mox ad patronos ſuos omnia deferebant. Quam fraudem notat in Pompejana diviſione frumenti Dio, *l.* 49. in *Congiarii* ab Auguſto propoſiti hiſtoria, Sueton. *c.* 42. & ante utrumque Dionyſ. Halicarn *l.* 4 &c. Vide plura apud Suetonium eundem in *Vitis* præfatorum Principum, & ad eum Iſaac. Caſaubonum, qui inter alia, ad *Congiarium* accipiendum, quàm ad frumentationes, majorem hominum copiam, admiſſam fuiſſe, addit. Item quod Candidati per Diviſores ſeu Sequeſtros, ſolebant diſtribuere, ad benignitatem ſuam demonſtrandam & populum conciliandum, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 8. A` *congio*, genere menſuræ: Inter munera enim prima fuit oleum vinumque, in quorum poſteà locum alia quoque, inprimis aurum argentumque ſucceſſêre, manente ſemper *Congiarii* jam inolitâ voce. Fuit autem *Congius* Romanus, menſura liquidorum, octava pars amphoræ & ſenos quaquaverſum habebat pollices Romanos, capiebatque ſextarios Romanos ſex at pendebat libras Romanas novem, ſi oleô: decem, ſi vinô: tredecim & ſemis, ſi melle impleretur. Unde Cato, *de R. R. c.* 57. *Menſe quintô, ſextô, ſeptimô, & octavô, bibant ſervi indies ſextarium unum, in menſes congios quinque.* Apud Plinium, *l.* 14. *c.* 22. de ſtrenuis bibonibus legere eſt, qui *Bicongii* & *Tricongii* dicerentur; Ut de Ciceronis filio, qui binos congios ſimul haurire ſoleret, & de Novellio Torquato, qui ſpectante Tiberiô Imperatore unô impetu tres congios evacuâſſet, Anton. Thyſius in *A. Gellii Noct. Atticar. l.* 18. *c.* 1. Iſtiuſmodi *Congius*, ex aurichalco, pedem Geometricum altus, *Congii* veteris exactiſſimam formam referens, aſſervatur in *Muſæo* Kircheriano Romæ. Vas eſt antiquitate venerandum, in uſu, principatu Veſpaſiani & Auguſti fil. ut teſtatur *Inſcr.* vaſi inarata.

IMPER. CÆSARE
VESP. VI. COS.
T. CÆS. AUG. F. IIII.
MENSURÆ EXACTÆ IN
CAPITOLIO
P. X.

Vide Georg. de Sepibus, *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo*, *p.* 22. ut & de *Congiario Anteambulonum* apud Romanos Martialis memorato, *l.* 3. *Epigr.* 7. *v.* 2. infrà in voce *Quadrans.*

CONGREGATIONALES, una ex IV. præcipuis ſectis, quæ ex Independentiſmo ortæ, de qua vide Georg. Hornium, *Hiſtoriâ Eccl. Novi Teſt. Periodô III. Artic.* 3. §. 44. ut & infrà voce *Independentes.* Inprimis verò *Independentium* nomine rejectô, ſic proximis annis dici voluerunt, Independentium, ſeu novorum Puritanorum illi, qui cætera orthodoxi, ac in doctrina cum Presbyterianis conſentientes. Solâ *de Regimine* diſceptatione ab illis adhuc diverſi ſunt. Hi igitur, ne propter commune cum cæteris nomen, eorundem criminum ſuſpecti eſſent, nomen *Independentium* cum nomine *Congregationalium* commutârunt. Idem *ibid.* § 41. De prioribus ut aliquid addam: Burmanno *Congregationales* Eccleſiæ, ab *Independentibus* appellantur, quas definitô numerô, nec eô adeo magnô, uni Paſtori regendas traduot, ſicque illo ſepto ſe includunt, extra omne aliarum Eccleſiarum commercium. Qui enim vulgò ſe hôc nomine jactant, ubi crudiùs loquuntur, omnem Eccleſiarum unionem ac ordinem rejiciunt, Concilia ac Synodos, ut Antichriſti characterem, repudiant; ipſorum decretis audacter obnuntiant; in ſuis autem favis ac Eccleſiolis, quæ pauciſſimis hominibus vix denis aut duodenis perſæpe conſtant, ſeſe continent, omnemque Eccleſiam concludunt; nec vel cunctarum univerſi Orbis Eccleſiarum in ſeſe arbitrium atque judicium, niſi ad conſulendum, ferunt vel admittunt; ac nullô denique modô, ab ullo mortali, iſta ſua alvearia ac ceras, *Eccleſias* nempe illas *Congregationales*, conturbari ferunt. Qua de re vide Burmannum, *Synopſ. Theol. Chriſt. Part. pr. l. VIII. c.* 8.

CONGUM, ſeu **CONGO**, Regnum quod & *Manicongo* dicitur, ſitum in Africa, in Æthiopia interiora, cujus circuitus dimetiendus eſt lineâ rectâ à fluvio *Goanza*, verſùs Septentrionem, uſque ad fluvium *Rubrum*, qui ſcopolos rubros alluens talem habet colorem: Ea continet 375. milliat. hinc alia ducenda eſt linea obliqua verſùs Orientem, per confinia regni Anzicani, quæ ad 450. milliar. extenditur, à cujus extremitate linea ruſſus recta, verſùs Meridiem per montes Cryſtalli, non Angolanos, qui ab his longè verſùs Meridiem, ſunt remoti, & Nitri & Argenti per Verbelam fluvium uſque ad confinia Malembe ducenda, quæ 500. continet millias. ab hujus rurſum extremitate, ducta alia per lacum Aquelondam, verſus Occidentem, uſque ad oſtium fluvii Goanzæ, qui ex hoc lacu effluit in mare 360. eſt milliarium, atque ita totus regni Congiani circuitus continet 1685. milliaria. Latitudo ejus cognoſcetur, lineâ obliquâ ab Occidente verſùs Orientem ductâ, ab oſtio Zairi fluvii, quod adjacet promontorio Patraoo, à Luſitanis dicto, per montes Solis & Cryſtalli, uſque ad 105. milliaria à Nilo, 600. milliat. continens, quæ regni totius latitudo. Multò quidem olim fuit amplius, cùm circumjacentes regiones pleræque ſub uno regno comprehenderentur, ſed per Vaſallorum perfidiam, in terminos hos anguſtos, comparatione præteritorum eſt concluſum. Diviſum eſt hoc regnum in ſex provincias, nempe *Bambam*, *Sognum*, *Cundam*, *Pangum*, *Battam*, *Pembam*: Banza, nunc San-Salvador, ſedes regia, ſitu opportunô. Id *Mercator* ſic limitat, ut à promontorio S. Catharinæ, quod ſecondò gradu abeſt, ab Æquinoctiali, Auſtrum verſùs protendatur uſque ad pro montor. Ledo: habeatque ad Occaſum Oceanum Æthiopicum, ad Meridiem montes Lunæ, & Caferes populos, ad Ortum montem à quo fluvii emanant, qui in Nili fontes prolabuntur: & ad Septentrionem territorium regni Benin. *Natal. Metel.* Deтectum à Jacobo Cano, Luſitano, A. C. 1484. ſub auſpiciis Johannis Regis ſui. Hujus aliquot urbes ſubſunt Luſitanis, ut Loanda ſeu Civit. S. Pauli, Benguela & Embata, juxta Coanzam fluv. Joh. Barro. *l.* 3. *c.* 3. Maffæus, *in hiſt. Ind. l.* 1. Marmol. *l.* 9. *c.* 24. 25. Hornius de hoc regno ita: Hujus olim ſingulæ provinciæ cùm ſingulos haberent Reges, univerſæ tandem in unius Regis Bembæ poteſtatem conceſſêre: id quod dio ante A. C. 1400. factum eſt. Poſteà variis iterum deficientibus provinciis, in diverſa Regna *Congenſe* Imperium diſſilit, è quibus Angolæ Regnum potentiſſimum, de quo dictum ſuprà. Cùm deni Luſitani, in circumnaviganda Africa occupati, mercaturam cum *Congenſibus* exercere ac familiaritatem contrahere cœperunt, hâc occaſione fides Chriſtiana paulatim apud eos introducta, tantis mox auctibus crevit, ut ipſe Johannes II. Portugall. Rex eò navigaret, & Regem *Congi* converteret, qui A. C. 1491. baptizatus, *Joannis* nomen accepit: Secuta per totum regnum veſtitus quoque morumque Luſitanicorum imitatione. Quæ mutatio cùm ſuſpecta barbaris eſſet, primi Anziges defecerunt: ſecuti *Congenſes* ipſi, quorum pars longè maxima ab Alfonſo Rege, qui Joanni ſucceſſerat, itidem defecit. Quibus tamen ſuperior Alfonſus factus, ſucceſſores ordine habuit Petrum, Franciſcum, Jacobum, Henricum, & Alvarum I. ſub quo Agages ſive Jacchæ, populus interioris Africæ ferociſſimus, Regnum invaſerunt, A. C. 1560. illudque ingenti cæde exhauſtum occupârunt: pulsô Rege Alvarô, qui in exigua Inſul. *Zaire* fluminis delituit, donec à Sebaſtiano Luſitaniæ Rege pulſis viciſſim Jacchis, reſtitutus eſt. Ei ſucceſſit Alvarus II. A. C. 1580. &c. Georg. Hornius, *Orb. Imp. p.* 465. & *ſeqq.*

CONGUS, urbs regni Congiani, ejuſque Metropolis & regionis ſedes, olim ab incolis *Banza*, i. e. *Aula* dicta fuit, hodiernô die à Luſitanis mutatô nomine *S. Salvatoris* nominatur. Sita eſt 150. milliar. à mari in monte altiſſimo. *Natal. Metel.* Hic Rex Chriſtianus habitat. *Baudrand.*

CONGUSTUS, Galatiæ urbs. *Ptol.*

CONIACI, Hiſpaniæ populi circa Cantabros.

CONIADES, Græcus ſcriptor, cujus opus *de vini apparatu* citat Plinius, *l.* 14. *c.* 19.

CONICA, Paphlagoniæ urbs. *Ptol.*

CONICUM Speculum convexum, quô mirificè in plana tabula ſecundùm Artem deformatæ figuræ, in *conici* ſpeculi ſuperficie recollectæ, apparent. Unde variarum figurarum pro tabulæ diverſitate ſimulacra ibi repræſentantur; Regis phænomenon equô delatum, aut Imperatoria Majeſtas aut aliquid ſimile: in *Muſæo* Kircheriano Romæ, apud Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo*, *p.* 59.

CONJECTA, & **CONJECTUS**, contributio, ſymbolum, collecta inprimis quod Regis olim Miſſis in itinere à populis exſolvebatur. *Capitular. tertium* Ludovici Pii, *c.* 10. *Volumus, ut talem conjectum Miſſi noſtri accipiant, quando per Miſſaticum ſuum perrexerint: h. e. unuſquiſque accipiat panes* 40. *friſkingas duas.* Vide Car. du Freſne, in *Gloſſario.*

CONJECTOR, Hebr. מנחש, quis dictus, vide infrà voce *Divinatio*, Hinc *Conjectorium* Danielis, titul. Libri de Divinatione, cujus meminit Joann. Sarisburienſis, *Policrat. l.* 2. *c.* 17. Ὁράσεις ſeu *Viſiones* Danielis vocat Luithprandus in *Legat.* Vide Car. du Freſne, *Deſcr. Conſtantinop.* de Conjectionibus verò hujuſmodi, infrà ubi *de Divinatione.*

CONJECTUS Florum & Coronarum, in benè meritos olim frequens. Quâ fauſtitate excepmm fuiſſe Titum ob liberatam Senatus decreto Græciam, memorant Polybius, *Ecl. Leg.* & Appianus Alex. Ἑλλην. περὶ στεφ. Apud eundem Appianum, non coronas tantùm, ſed & tænias, in Titum Flaminium *conjectas*, legimus: Στεφάνους τε καὶ ταινίας ἐξέβαλον τῷ στρατηγῷ. Simili honore Curio, Cæſari favens, ſuperatô in ſuffragiis Pompejô cultus eſt, apud Plut. in *Vita* hujus, [Greek text illegible] &c. Idem Athletis victoribus factitatum: vocabaturque ille *Conjectus Foliorum Florumque* φυλλοβολία, unde φυλλοβολεῖν καὶ ἀνθοβολεῖν [Greek text illegible], *conjicere flores & folia in victores, è parata materia*, apud Xiphilinum, *Nerone*; idem στεφανοῦν, *coronare*, vocat *Ariſtides.* Imò ab Athletis mos ad alios tranſlatus. Unde iterum Plut. de Pompejo, *Multi*, inquit, *& coronati ſub lampadibus exceperunt & comitati ſunt* ἀνθοβολοῦντες i. e. *florum conjectu honeſtatum*: inſtar videl. Olympionicæ. Vide quoque de Alcibiade, apud Nepotem. *c.* 6. de Caliſthene apud Plut. eundem in *Alexandro*, de M. Agrippa, apud Philonem, [Greek text illegible] de aliis alios. Hôc nempe florum coronarumque conjectu multitudo ſtudia ſua in eum, qui fauſtitate tali excipiebatur, profiteri ſueverat: conjectum ſequente plauſu, uti de Curione præfato idem Auctor memorat. Pleruмque autem hæc ſive ſerta ſive corollæ coronæque dona multitudinis erant, quibus & plateæ & theatra & Templa quoque, ut & Numinum ac Principum ſtatuæ, domuſque honeſtabantur. Qua de re vide plura apud Car. Paſchal. *Coronar. l.* 2. *c.* 11. & *l.* 6 *c.* 22. Chriſtiani verò floribus quidem uti ſparſis, ſolutis ſertiſque ſoliti; ſparſis tamen ad ſimplicem uſum, non ad *aſpergines*, ut Tertullianus appellat, h. e. ſolennem hujuſmodi φυλλοβολίαν, à qua non minùs, ac ab aliis Gentilium ritibus, illos olim abſtinuiſſe, docet apud Minucium Fel. Octavius *ſub fin.* ubi de florum apud Chriſtianos uſu. Ut porrò flores, coronas, omne genus frugum alia, in illos jactabant Veteres, quos honoratos volebant, ita alios contumeliæ causâ lapidibus, rapis, cœnô, lutô, petebant. Quin de more dicemus, verbô *facere*, alibique uti de alia notione vocis *Conjectus*, infrà ubi de *Dominicis Miſſis.*

CONII, Hiſpaniæ populi ad Herculis columnas. *Polyb.* *Cunei* Appiano, *in Iberica.*

CONIMBRICA, Gall. *Coimbre*, urbs Luſitaniæ Epiſcopalis & Academiâ inſignis: à Johanne III. Luſitaniæ Rege inſtitutâ, ad Mundam fluv. inter Ulyſſiponem ad Meridiem & Bracaram ad Boream, 27. leuc. cum titulo Ducatus. *Antonin.* Plin. *l.* 4. *c.* 21. Eſt autem gemina, Vetus & Nova, illa *Condexa la Vieja*, oppid. olim Luſitanorum, nunc vicus, in provinc. inter Durium & Tagum, ex cujus ruinis iſta, 3. leuc. ab ea, crevit.

CONIPODES, ſenum calceamenta, ſicut & Proſchemata. Pollux, *l.* 7. *c.* 22. 32. Vide quoque infrà, ubi de *Phæcaſianis Diis.*

CONISALTUS, Deus apud Athenienſes, qui ſimili ferè ritu colebatur, quô apud Lampſacenos Priapus. Strab. *l.* 3.

CONISCI, Hiſpaniæ populi in Cantabria. *Strabo.*

CONISIUM, *Tetrania*, oppid. non procul à Caico fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

CONISSA, Umbriæ oppid. montoſô ſitu, admodum frequens.

CONISTERIUM, quinta Gymnaſii pars, propriè Alipterium ſeu Elæotheſium aut Unctuarium (unum enim hæ voces rem ſignant) Polluci Κονίστρα vocatur, à Græca voce κόνις, *pulvis*, quòd ibi poſitus pulvis conſervaretur, ut in Elæotheſio uncti ſtatim eô conſpergi poſſent. In quem uſum variis ex regionibus pulveres advectos legimus, duobus inprimis palmam obtinentibus, Puteolano & Ægyptio, de quorum illo, ita alicubi Sidonius Apollinaris,

Namque Dicarchææ tranſlatus pulvis arenæ.

Iſtum Romam hàc fini advehi ſolitum fuiſſe, refert Sueton. *Nerone*, *c.* 45. traditque Plin *l.* 35. *c.* 13. Patrobium, Neronis libertum, ex Nilo arenam tenuiſſimam, non multùm à Puteolano pulvere diſtantem, ad debellanda corpora palæſtræ ſtudiis advexiſſe, eandemque à Leonato, Cratero & Meleagro, Alexandri M. Ducibus cum reliquis militaribus mercibus allatam fuiſſe. Cui forſan haud abſimilis illa erat, de qua Ovidius, Acheloi deſcribens pugnam, *l.* 9. *Met. v.* 26.

Inque vicem fulvâ tactu flaveſcit arena.

Nam & Martialis, *l.* 7. *Epigr.* 66. *v.* 5. Philænim irridens, quòd Palæſtritarum exercitationes iniret, dicit ipſam *flaveſcere hàc arenâ* quam *haphen* alibi nominat: quoniam contrectationibus Exercitatorum inſerviebat. Ἁφὴ namque *tactum* ſignificare nemo ignorat. Seneca, *Ep.* 57. *à Ceromate nos haphe excepit*, vide Hieron. Mercurialem, *de Arte Gymnaſt. l.* 1. *c.* 8. ut & infrà ubi de *Haphe*, *Pulvere* &c.

CONISTORSIS, urbs Hiſpaniæ citerioris in tractu Celtico, Strabo, *l.* 3.

CONISUM, Myſiæ Aſiaticæ oppid. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

CONITIA, urbs Pruſſiæ regiæ ad amnem *Bro*, prope deſertum *Waldow*, in confinio Pomeraniæ, 8. leuc. à Culmia in Occaſum. Dicitur & *Choynicze.*

CONJUGIA immodica, Barbari Status indicia, & magnorum diſcriminum cauſæ. Quales Turcæ nunc, olim Afri, ſub Gildonis dominatu. Claudian. *de Bello Gildon. v.* 440.

----- non ulla fides, non agminis ordo,
Arma onerі, fuga præſidio, connubia mille;

apud Barthium, *Animadverſion. ad Statium l.* 4. *Theb. v.* 279. Vide quoque eum *ad Claudian.* & in *Characteribus.* Turcis verò præivêre Thraces, in quorum etiam locum ſucceſſêre. Ita autem de Thracibus Solinus, *c.* 10. *Uxorum numerô ſe viri jactitant & honoris locô judicatur multiplex matrimonium.* Quò faciunt elegantiſſimi verſus Menandri, apud *Strabonem*: quibus aliquis oriundo Geta ſic loquitur,

[Greek verse illegible]
Ducit tum noſtrum nemo niſi decem, aut
Undecim uxores, duodecim quoque aut plures, alii.
Si verò quis, qui quatuor ſolum, aut quinque duxerat fortè
Mortuus fuerit, ſine hymenæo, miſer,
Conjugii expers, hic vocatur inter illos.

Vide *ad h. l.* Salmaſ. *ad Solin.* p. 158. nec non infrà, *in Polygamia*: & de *Conjugio* plura hic paſſim, inprimis in vocibus *Connubia*, *Epithalamion*, ut & *Nuptiæ.*

CONIUM, oppid lepidum Galliæ in Nivernenſi provinc. prope Ligerim fluv. 22. leuc. infra Nivernum, 6. infra Charitatem.

CONJUNCTA, vide infrà *Contubernium.* Aliàs *Conjunctio* affinitatem cognationemve notat, apud Juſtin. *l.* 6 *c.* 3. Corn. Nepotem, *Attico*, *c.* 7. Alios. Vide Jan. Rutgerſium, *Var. Lect. l.* 2. *c.* 8.

CONJURATI, militum genus, vide infrà *Milites.* Sed & Chriſtianis *Conjuratio*, inter alia crimina, crebrò à Gentilibus objecta. Apud Minucium Cæcilius de Chriſtianis, *Qui*, inquit, *de ultima fæce collectis imperitioribus & mulieribus --- plebem profanæ conjurationis inſtituunt; quæ nocturnis congregationibus & jejuniis --- fœderantur.* Exiſtimabant enim *Conjurationes* ac factiones adverſus Deorum ceremonias, ipſamque adeò Rempubl. à Chriſtianis noctu ob metum plerumque convenire ſolitis iniri, atque hos idcirco ſolennibus jejuniis, inhumanis cibis aliiſque piaculis fidem ſuam invicem adſtringere, qua de re vide Deſid. Heraldum, *ad* Tertulliani *Apologet.*

CONLUCANDI Lucos ſylvaſque Numini alicui conſecratas ritus, qualis olim fuerit, vide ſuprà in voce *Colluquere.*

CONNA, Phrygiæ majoris urbs. *Ptol.*

CONNACIA vel **CONNACTIA**, ubi *Gangani* & *Concani Ptol.* *Coniaci* & *Coniſci*, *Strab.* Hiberniæ pars ad Occaſum vergens, in 6. regiunculas ſeu Comitatus diviſa, Senô flumine, Bannâ, & Oceanô incluſa: hanc antiquitus, Ptolemæi ætate, Auteri & Nagnatæ totam inſederunt: Anglis, ad quos ſub Henrico II. pervenit, dicitur *Connaght*, & Hibernis *Connaghts. Mercat. Atlas.* Ibi urbs præcipua Gallina. *Baudrandus.* Solum fertile, ſed incolæ ignavi adeò, ut mendicare, quàm laborare malint. Camdenus, *Britann.*

CONNANUS Franciſcus, vide *Franciſcus.*

CONNARUS Alexandrina, aliàs *Lotos Libyca* vel *Cyrenaica*, apud Alexandrinos, in ſecundis menſis plurimùm olim commendabatur: cujus Hiſtoria apud Athenæum, Agathoclis Cyziceni verbis depingitur, ubi ille inter alia δενδρον vocat, haudque inferiorem ulmô & piceâ, ramoſque ſpinulentos habere, prodit. De fructu ejus idem, Γλυκὺς δὲ πάνυ ὁ καρπὸς, inquit, [Greek text illegible], *Dulcis autem admodum fructus, magnitudine majuſculæ olivæ.* Curabatur is pari modô, et condebatur doliis, pedibus contuſus prius & in maſſas redactus, ut & lothi. Quod idem de ſuis prunis exſiccatis faciebant Ægyptii, referente Theophraſtô, [Greek text illegible], *ſiccatum tundunt & maſſas faciunt* &c. Hodie Ægyptiis ſuis *Nabca* dicitur, item *Oenoplia*, ut pluribus probat Salmaſ. *ad Solin. p.* 1037. Vide quoque infrà *Nabca.*

CONNAS, tibicen & temulentus, qui compotationes ſertô redimitus frequentabat. Extitit verò Olympiæ victor & aliquoties coronatus; pauper prætereà & nihil præter oleaſtrum habens, Ariſtoph. *Equitibus.* Cicero, *l.* 9. *Famil.* ad Pætum, *Ep.* 22 *nobiliſſimum* vocat *tibicinem, quique Socratem docuerit fidibus.* Scholia in Ariſtoph. *Veſp.* 478. *E.* 2. *Connum* quendam notant dilapidatô patrimoniô pauperem evaſiſſe adeoque contemptibilem, ut proverbio dederit locum, Κόννου ψῆφος.

CONNIACUM, vulgò *Cognac*, oppid. Galliæ, ad Carantoni & alterius fluvii. Confluentes, inter Encoliſmam & Mediolanum Santonum, priùs *Condate* dictum. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CONNIDAS, Theſei pædagogus, ab Athenienſibus cultus pro Numine: quemadmodum ipſi Theſeo fana in ea urbe complura; unum inprimis memorabile in Urbe media, in quo oſſa Theſei, vide Plutarchum, *Theſea.* Sic æqualis Theſei Hercules, ut & Hebe, quæ uxor ei data, eoſdem honores meruêre. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de Orig. & progreſſu Idolol. l.* 2. *c.* 13. *ubi de defunctorum Animabus à Græcis cultis.*

CONNOVIUS Rogerius, vide *Rogerius.*

CONNUBIA, apud Romanos, tribus modis fiebant: *Uſu*, *Confarreatione*, & *Coëmtione*, de quo ſuprà. *Uſu* fieri matrimonium dicebatur, cùm Tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conveniebat & cum viro ita conſueſcebat, ut cum juſto marito, adeò ut ſi uſus ille intra annum non interrumperetur, pro uſucapta jam haberetur. Uſum verò trinoctii abſentia interrumpebat, ut patet ex lege XII. Tabb. quæ annui hujus uſus interrumpendi interpellandique gratiâ, trinoctiò perfecto à viro uxorem abnoctare jubebat. Hanc legitimi connubii rationem antiquiſſimam fuiſſe & à raptu Sabinarum initium ſumſiſſe, arbitratur Jac. Ræverdus J.C. qui raptus quia feliciter Romulo ſucceſſerat, ideo inſtitutum ab eodem Rege fuiſſe ait, ut ſimulatò quòdam raptu omnia legitimi Connubii ritus peragerentur. Unde Feſtus: *Rapi ſimulatur virgo*, inquit, *ex gremio matris, aut ſi ea non eſt, ex proxima neceſſitudine, cùm ad virum trahitur, quod feliciter ea res Romulo ceſſit.* De *Confarreatione* dictum ſatis. *Coëmtione* qui initium fuerit conjugium, docet Varro: *Veteri Romanorum lege*, inquiens, *mulieres tres ad virum aſſes ferre ſolebant, atque unum quidem quem in manu tenebant, tanquam emendi cauſa marito dare, alium quem in pede habebant, in foco Larium familiarium ponebant; tertium in ſacciperio cùm condidiſſent, compito vicinali ſolebant reſignare.* Verùm alii tradunt, virum uxori & uxorem viro, adhibitis teſtibus & libripende, unum nummum mutuò tradidiſſe. Boëthius *in Topicis* in coëmptione a viro & muliere mutuas interrogationes fieri ſolitas, refert, an Mater-familiàs vel Pater familiàs eſſe cuperet, affirmantibus matrimonium fuiſſe initum. Tunc enim mulier in viri manum conveniebat, & vocabantur hæ nuptiæ *per Coëmptionem*, & erat mulier Materfamiliàs viro locô filiæ, vide paulo aliter hac de re differentem Servium ſuprà, in voce *Confarreatio*: & plura de inſigni hac materia, apud Barn. Briſſonium, *l. de ritu nuptiarum*, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 37. &c. ut & infrà in voce *Nuptiæ*.

CONOB, & **KONOB**, in nummis Conſtantinopolit. & quidem jam in ipſius Conſtantini M. qui urbem condidit & in ea publicam monetam inſtituit, quid denotet, diſſentiunt Eruditi. Inter quos cùm in confeſſo ſit, tribus literis *Con.* urbis nomen efferri, Cedrenus per literas *ob* verbum *obediant* notari vult; Antonius Auguſtinus vocem *obryzum* vel *obryzatum*, i.e. coctum, examinatiſſimum & puriſſimum, ut ſenſus ſit: *Conſtantinopoli obryzum*, vel *Conſtantinopolitanum obryzum*. At cùm ipſius Conſtantini M. nummis duntaxat argenteis ac æreis hæ literæ inſcriptæ conſpiciantur, ſententia hæc ſtare non poteſt; ſicut nec prior illa ſenſum habet. Pleríque igitur & tantum non omnes Scriptores, Ortelius, Occo, Greiſerus, Triſtanus, Chiffletius, alii, hiſce characteribus *Conſtantinopoli obſignatum* deſignari exiſtimant; ut CO*MOB*. *Conſtantinopoli moneta obſignata*. Sed & hæc ſententia ſuos patitur manes, cum vox ita alia ratione occurrat, quam pro *σφραγίζω* vel *ἐπισφραγίζω*. Adde, quod in nummis aliquot Imperatorum, vel Tyrannorum Occidentis eædem literæ CON. aut CONOB. appareant, in nummis nempe Honorii, Attali, Joannis, Aviti, Joviini, Petronii Maximi, Eugenii, Majorani, Romuli Nepotis, Anthemii, Severi, aliorum, quos nemo ſanus Conſtantinopol. cuſos dixerit. Quem ſcrupulum tamen ſic tollit Car. du Freſne, ut dicat, de Auguſtis quidem Roman. qui cum Conſtantinopolitanis, partitis illis provinciis, Romæ ſedem fixerunt, illud literæ augurari, amborum in utraque Urbe cuſa promiſcuè nomiſmata, in mutuæ benevolentiæ argumentum: de Tyrannis verò ita exiſtimari poſſe, quod cùm totius Imperii ſe compotes eſſe populis vellent perſuadere, vel quod is tum invaluiſſet uſus, ut characteres iſti pro nota Imper. monetarum præcipua haberentur, his etiam inſigniiſſe ſuam monetam, ne quid ſibi raderentur, ad ſupremæ dignitatis ſymbola defuiſſe. Unde eſt, quod è Francicis quoque Regibus primæ ſtirpis idem CONOB. ſuis nummis aureis nonnulli adſcripſêre, quò venerationem quandam *Mundi Domini* ſic perhiberent, ſeque dignitate ſe iis inferiores agnoſcerent: Theodebertus Auſtraſiæ ſeu Francorum Rex & Childebertus I. vel potius, quod de Childerici II. & Chlotarii III. nummis (quippe qui cuſi jam collabente Græcorum Imperatorum autoritate) dicit Car. du Freſne, quò pari modò dignitate nemini ſe cedere oſtenderent; cùm aliàs *aurum Gallicum minore æſtimatione taxaretur*, ut eſt in Majoriani *Nov.* Vide omnino Autorem hunc, *Diſſert. de infer. ævi Numiſm.*

CONOBER, Armoricæ Dux, Chramni fautor, in prœlio contra hujus patrem, Clotarium I. occiſus.

CONOLEUM, aliàs **CONALDUM** & **CUNALTUM**, vulgò *Cunaut*, locus Galliæ, in pago Andegavenſi. Hadr. Valeſ. in voce *Tinurtium*.

CONON, vel **CUNO**, Thrax, poſt Johannem V. Papa, A.C. 683. Schiſmati, quò Petrus à Clero, Theodorus à militibus, electi, finem impoſuit. Vix annum præfuit. Anaſtaſ. Baron. *A.C.* 686. 687.

CONON, Dux Juſtiniani Imperatoris, Neapolim primò, dein Romam, contra Totilam defendit. Item Legatus Paſchalis II. plurima contra Henricum V. Imperatorem, concilia celebravit, hic & ibi: Epiſcopus Prænestinus & Cardinalis. Aliàs *Cuno*. Circa A.C. 1119. Item frater Zenonis Imperatoris, &c.

CONON, Hiſtoricus, *ἐν Ἡρακλείᾳ* citatur ab Apollonio Scholiaſte *in l.* 1. Etiam Joſeph. *l.* 1. *contra Apionem*, Judæorum à Conone mentionem factam ait; *Cononis* quoque, qui Italiæ res literis perſecutus eſt, meminit Servius *in illud Maronis*, *l.* 7. *Æn. v.* 738. *Sarraſtes populos*, *&c.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 24. Item *l.* 3. *p.* 346.

CONON, inſignis Mathematicus, patriâ Samius, qui 7. *de Aſtrologia libros* edidit. Olymp. 120. Comam Berenices inter ſidera retulit. *Catull.* Virg. *Eclog.* 3. *v.* 40.

> *In medio duo ſigna; Conon: & quis fuit alter,*
> *Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem?*

Propert. *l.* 4. *El.* 1. *v.* 77.

> *Me creat Archytæ ſoboles Babylonius Orops*
> *Oron, & à proavo ducta Conone domus.*

Voſſ. *de Scient. Mathemat. c.* 55. §. 21. *c.* 33. §. 5. Item Athenienſium Dux, quem Reſpubl ſua omnibus inſulis præfecit. Poſt prœliô victus à Lyſandro Lacedæmoniorum Duce, ſponte abiit in exilium ad Euagoram Cyprium, dein ad Artaxerxem Perſarum Regem, cujus auxiliô patriam, cui ſervitutem attulerat, reſtituit in libertatem. Iſocr. *in Euagora*. Plut. *in Lyſandro*. Xenoph. *l.* 1. 2. 3. 4. *Hellen.* C. Nepos, *in Conone*. *Juſtin. Diodor. Sic.*

CONON Johannes, Norimbergenſ. monachus eruditus, rarâ linguarum cognitione ſuô tempore celebris. Hic Marci Muſuri Cretenſis & Scipionis Carteromachi Piſtorienſis, dum Græcas literas Patavii profiterentur, auditor; Baſilæam poſtmodùm veniens, à Joh. Amerbachio, Typographo, Hieronymi opera tum excudente, receptus eſt, & Brunonis, Baſilii ac Bonifacii filiorum ejus, Beati item Rhenani, Amerbachiis conjunctiſſimi, præceptor fuit, ab hoc Epitaphiô inſigni ornatus. Obiit Baſileæ, A. C. 1513. ætat. 50. Urſtiſ. *Hiſt. Baſil.*

CONONIENSES, populi provinciæ Narbonenſis. Plin. *l.* 3. *c.* 4.

CONONIS Aræ, in Æthiopia ad ſinum Arabicum. *Steph.*

CONONITÆ, ſecta errorum, ſecul. 6. Cononis cujuſdam Alexandrini, qui Severianorum, Theodoſianorum & Tritheitarum deliria conflavit, ſectatores.

CONOPAS, minimæ ſtaturæ nanus 2. pedum & palmi altitudine, quem Julia Auguſti neptis in deliciis habuit. Plin. *l.* 17. *c.* 16.

CONOPE, urbis nomen. *Suidas*. *Stephano* Acarnaniæ urbs eſt, civis *Conopæus*, *Conopites*, & *Conopeus*.

CONOPEUM, reticulum minutum, h. e. velum reticulatô opere confectum, dictum Spartiano, ubi de Æl. Veri lecto, *c.* 5. *Lectum eminentibus quatuor anclinteriis fecerat, minutò reticulô undique incluſum* &c. Ejuſmodi enim erant *conopea* etiam apud Ægyptios, unde in alias gentes eorum uſus manavit, hinc *ἀμφίκλινον* Herodoto. Ab Alexandrinis namque Romani ea accepêre: quæ cauſa, quòd Cleopatræ *conopeum* Poëtæ Romani inter ea cenſent, quæ peregrini erant moris. Propert. *l.* 3. de illo, *El.* 10. *v.* 41. *ſ.*

> *Auſa Jovi noſtro latrantem opponere Anubim,*
> *Et Tiberim Nili cogere ferre minas.*
> *Romanamque tubam crepitanti pellere ſiſtrô,*
> *Baridos & contis roſtra Liburna ſequi.*
> *Fœdaque Tarpejo* conopea *tendere ſaxo* &c.

Et Horat. *Epodon* Od. 9. *v.* 11. *ſ.*

> *Romanus (eheu! poſteri negabitis)*
> *Emancipatus fœminæ,*
> *Fert vallum & arma miles & ſpadonibus*
> *Servire rugoſis poteſt,*
> *Interque ſigna turpe militaria*
> *Sol aſpicit* conopeum, &c.

Erant autem *τὰ κωνωπεῖα*, Conopea, ad *τοὺς κώνωπας* ſeu pulices arcendos facta. Unde paluſtres Ægyptios, ob culicum vim, alios dormire in ſummis turribus: alios iiſdem retibus, quibus interdiu piſcantur, noctu cubile ſuum circumdare, & culices, qui ſindones & veſtes ipſas penetrant, retium metu continere, refert *Herodotus*. Vide Caſaubon. ad *Spartian. loc. cit.* & S. Bochart. *Hieroz. l.* 4. *c.* 17. *Part. poſter.* Aliàs *κώνωπας*, Strabo appellat, *l.* 11. animalia in igne ærariarum fornacum naſcentia, uti obſervat. Salmaſ. *ad Solin. p.* 177.

CONOPION, quidam è fæce Athenienſi, curandis funeribus quæſtum facere ſolitus: hic Phocionis cadaver ſepeliri prohibitum, mercede acceptâ in Eleuſinam deportavit, ibique igne ex agro Megarico ſumptô concremavit.

CONOPIUM, locus in Mæotide palude, ubi ajunt lupos (nimirum piſces) cibô à piſcatoribus accepto capturam iis cuſtodire; ſi quam verò injuriam ſibi fieri ſuſpicentur, retia, & piſces populari. Gentile, *Conopius* & *Conopites*. Antigonus *in Mirabilibus*. Item palus Paphlagoniæ juxta Halys fluv. oſtium.

CONOPON, quod & *Diabaſis*, inſul. parva Myſiæ inferioris ad oſtium Iſtri Pſeudoſtomum, apud Peucen inſulam.

CONOVIUM, Walliæ oppid. inter Alaphopolim, & Bangorium, cum fluv. cognomine, *Conway*, & *Aber-Conway*. *Baudrando* oppid ſub Ordovicum, in Anglia nunc proſtratum, ubi romanis nunc viculus *Caerhean*, i.e. urbs antiqua, ad Conovium fluv. in Arvonia Comitatu. Ex ejus ruinis crevit oppid. vicinum, 4. milliar. infra, *Aber Conwey*, i. e. Conovii oſtium.

CONQUESTOR, dicitur Gulielmus I. Angliæ Rex, Normanniæ prius Dux, quòd Angliam *conquiſiverit*, h.e. acquiſiverit. *Conqueſtum* enim & *Conquiſitum*, voces medii ævi, id ſignificant, quod à parentibus non acceptum, ſed labore, pretiô vel parſimoniâ comparatum poſſidemus. Goldaſt. *ad* Chart. 27. Vide Spelmann. *Gloſſar. Archaeol.* & in voce *Queſtus*.

CONQUESTUS, portus Gall. in Britannia minore cum urbecula ſat culta, prope Fanum S. Matthæi, in Finibus terræ dictum, 5. leuc. à Breſto in Occaſum, *le Conqueſt*.

CONQUINISCENTIS, jamjamque in genua conſeſſuri, elegans deſcriptio apud Statium eſt, *l.* 6. *Theb. v.* 850. ubi de lucta duorum,

> *Tum madidos artus alterno pulvere ſiccant,*
> *Colloque demerſêre humeris, & brachia latè*
> *Vara tenent, jam tunc aſtu deducit in æquum*
> *Callidus, & celſum procurvat Agyllea Tydeus*

Sam-

Summiſſus tergo, & genibus vacuans arena.
Ille autem, Alpem veniat Regina capreſſus
Viſtris, urgentes cervicem inclinat in Auſtros,
Vix ſeſe radice tenens terraque propinquat &c.

De cujuſmodi Artis Certaminiſque ingenio, diximus aliquid ſuprà in voce *Cadere*: Plura verò infrà, ubi de *Lucta*, *Palaeſtra* &c.

Viri Principes.

CONRADINUS, ſeu CONRADUS Junior fil. Conradi, nepos Friderici II. mortuò patre vix trimus, à tutore Manfredo Friderici notho, cui Siciliae adminiſtratio à fratre commiſſa, venenò petitus. Poſteà illò ad Beneventum, à Carolo Andegavenſi, acie ſuperatò & occiſò, A.C. 1266. comitatus Fridericò, Auſtriae Duce, agnato, cùm vix 16. annos impleviſſet, matre fruſtra diſſuadente, cum exercitu in Italiam venit. Veronae poſtquam hibernâſſet, Genuam pervenit, inde in Tuſciam tranſgreſſus, dum intereà Conradus Antiochenus, fermè totam Siciliam, Meſſinâ & Palermô exceptis, contra Carolum excitavit. Hôc Fortunae riſu illectus pugnae aleam experiri ſtatuit, & primò quidem Carolum ad Aretium profligavit, dein vero ad lacum Fucinum, A.C. 1268. praeliô victus, fugit, ſed ex annulo & liberali formâ agnitus, cum agnato, & è fuga retractus, unà cum illo, & aliis 11. Sueviae Italiaeque Proceribus, Neapoli, vix expletô annô aetat. 18. publicè ſecuri percuſſus eſt, Clemente IV. inclementem ſententiam ferente: *Vita Conradini mors Caroli, mors Conradini vita Caroli*, A.C. 1269. die 27. Octobr. pleſô ſimul carnifice, ne gloriari poſſet, tam nobilem ſanguinem à ſe fuſum eſſe. Moriturus chirothecam, proximo vindici, velut pignus inveſtiturae Regni, obtulit, ſublatum à nobili quodam, qui illam ad Jacobum Aragoniae Regem Manfredi generum detulit. Villan. *l.* 7. Ricord. *c.* 191. Collenutius, *l.* 4. *Hiſt. Neap.* Summonecta, *l.* 3. Fazell. *l.* 2. *dec.* 8 &c.

CONRADINUS, Imperatoris Conradi fil. cujus vita tam impudica fuit, ut uxorem Comitis Caſertani deperierit, quà ut poteretur, virum honoris ſpecie ablegavit, *Nic. Lloydius.*

Imperatores, & Reges.

CONRADUS I. Imperator, fil. Conradi, Ducis Franconiae. Factionem adverſam, quae Carolum Simplicem, Galliae Regem utpote heredem Caroli Magni & Ludovici Pii, mortuò Ludovicô III. Imperatore; qui ultimus ex ſtirpe Caroli M. ſine prole maſcula deceſſerat, ad Imperium vocabat, oppreſſit: ab Ottone Saxone, licèt hoſte, Proceribus commendatus, Germaniam ab Hungaris liberavit. Ab Henrico Saxoniae Duce inſidioſè *aureô monili Hattonis* offenſò, ad Merſburgum, tantâ clade victus eſt, ut proverbiô quaereretur, *An detur tantus infernus, qui tot capiat Francos?* Obiit ex vulnere quod in bello Bavarico acceperat, A.C. 918. Imperii ann. 7. & dimidiô. Morti proximus animô planè excelsô Henrico Saxoni, à quo fuſus fuerat, imperii inſignia per fratrem Eberardum obtulit, Viri virtutem admiratus, ſicque beneficium à Parente ejus Ottone acceptum generosè rependit. In Abbatia Fuldenſi ſepultus. Marian. Scotus, *in Chron.* Aventinus, l. 4. Otto Friſing. *l.* 6. *c.* 15. 16. 17. Urſperg. *in Chron.* Avent. *Annal. l.* 4.

CONRADUS II. cognomine *Salicus*, fil. Hermanni, Vormatiae Ducis, ſucceſſit Henrico II. Imperatori, A. C. 1024. Saxones, hâc electione non contentos, terruit. In Italiam tranſgreſſus, coronatus eſt Romae, A.C. 1027. Redux Hungariam, Stephanô Rege Bavariam ſibi vindicante, & Poloniam pacavit. Regem Burgundiae Tranſjuranae à Rudolpho ſibi legatum, fruſtrà reſiſtente Ottone Campaniae Comite Sororiô Rudolphi, Imperio adjecit. Dein in Italiam regreſſus, Tirinenſes rebelles domuit, Pandulphum, Capuae Principem, in ordinem coëgit: Seditionum Italicarum ſuſſionem Heribertum, Epiſcopum Mediolanenſem, qui *vexillô inſolenti, in ſtupendo curru, erectô*, uſus fuerat, Sigon. *l.* 8. *ad* A. C. 1038. exiliò multavit. Obiit Ultrajecti A. C. 1039. Spirae ſepultus. Crantz. *l.* 4. *c.* 17. Friſing. *l.* 6. *c.* 30. Bonfin. *dec.* 2. *l.* 1. Leo Oſtienſ. *l.* 2. *c.* 9. *& ſeqq.* Glaber, *l.* 4. & 5. Hermannus Contractus *in Chron.* &c.

CONRADUS III. fil. Friderici Sueviae Ducis ex Agnete, ſorore Henrici V. electus Imperator, poſt Lotharium II. A.C. 1139. Henricum Superbum, Saxoniae & Bavariae Ducem generum Lotharii, Imperium ſibi vindicantem, proſcripſit: Saxoniâ Alberto Urſo, Marchioni Brandeb. Bavariâ Leopoldo Auſtrio donatâ. Fratrem ejus Velphum, Henricô animi moerore mortuô, ad Vinsbergam victum occidit, Vinsbergenſibus, *cùm uxores maritos humeris exportare vidiſſet*, pepercit. Expeditione ſacrâ, ob perfidiam Graecorum calcem & gypſum farinae immiſcentium, ignaviam Orientalium, & ſociorum diſcordiam, infelici: Obiit in Germania, A.C. 1153. 15. Imperii, poſtquam in Italiam iter paraſſet, non ſine veneni à Rogerio ſummiſſi ſuſpitione. Bambergae ſepultus; Relictô ſucceſſore fratris filiò. Genuenſibus hic Conradus jus monetae cudendae conceſſiſſe fertur. Otto Friſing. *l.* 7 *c.* 23. Urſperg. & Spang. *in* Chron. Crantz. *l.* 6. *c.* 8 Helmol. *l.* 1 *c.* 57 58. *Naucl. Trithem. Sigon. &c.*

CONRADUS, fil. Friderici II. à Patre Romanorum Rex deſignatus, Landgravium victi, adversùs Patrem electum. Mortuô Fridericô, Innocentium IV. infeſtum ſenſit, qui contra eum ampliſſimas Indulgentias propoſuit, *ei qui contra eum ſignatus eſſet, ut & ſignatis parentibus, omnium peccatorum veniam* pollicebatur, Matth. Pariſ. *in Henr. III.* Primò armis in Italiam verſis, ipſe Siciliae Apuliaeque Rex. Papam reſiſtentem vicit, Neapolim recepit, &c. venenô, ſive à Pontifice, ſive à Manfredo, fratre nothô peremptus. Verba morituri: *Eccleſia, quae mater Patri & mihi eſſe debuit, potius novercatur.* Conradinô filiô ſucceſſore relictô, ſub Manfredi tutela. Sigon. *l* 19. Villan. *l.* 6. Blond. Nauclerus. Platina & Genebr. *in Innoc. IV &c.*

CONRADUS, Burgundiae Tranſjuranae Rex ſucceſſit Patri Rodolpho, A.C. 937. Obiit A. C. 993. Ei ſucceſſit Rudolphus fil. cognomine *Ignavus*. Item filius Friderici, nothi Friderici II. Imperatoris Princeps Antiochiae, ex Oriente in Italiam Conradino ſuppetias venit, à Carolo Andegavenſi victis partibus, ſtrangulatur. A. C. 1268. Item Abbas Benedictinus ſub Henrico Aucupe, continuavit *hiſtoriam Galli.*

Principes Viri.

CONRADUS, Henrici IV. Imperatoris fil. ab Urbano II. contra Patrem concitatus, in Italiam ſe recepit, paulo poſt mortuus.

CONRADUS, Sueviae Dux cepit Iconium, Dux Spoletanus factus.

CONRADUS, filius Marchionis Montferr. poſt egregia fortitudinis in Oriente edita ſpecimina, ad Regnum Hieroſolymitanum aſpirans, occiſus eſt.

Principes Viri.

CONRADUS, Archiepiſcopus Salisburgenſis, fil. Leopoldi II. cognomine *Sancti*: frater Leopoldi III. (qui primus, ex veterum Auſtriae Marchionum ſtirpe, Dux Auſtriae dictus eſt) Henrici cognomine *Jachſamer Gott*, ac Ottonis Epiſcopi Friſingenſis.

CONRADUS, fil. Thiemonis, Marchionis Miſniae ab Henrico IV. Imperatore deſignati, ſed à Bohemis adminiſtratione prohibiti, Miſniae Marchio confirmatus eſt, à Lothario Imperatore A.C. 1126. & Luſatiae A.C. 1136. poſt Wiperti cognati mortem: Pater ex filiis Henrico Wethinenſium, Theodorico Luſatorum, Friderico Bernenſium, Dedone tandem *Pingui* Rochlicenſium Satorum. Verùm hi omnes rami intra paucas generationes defecêre: Solus Otto *Dives*, Fribergae conditor, per filium Theodoricum genus produxit, hodiernorum Saxoniae Ducum conditor. Vide infrà in voce Otto.

CONRADUS, Dux partium Rhaeticarum & Jurenſium, Comes Lingonum, Regum Burgundiae conditor; filius fuit *Conradi* Comitis, cujus ſoror Juditha Ludovico Pio Imperatori nupſit. Fratrem ei tribuunt Auctores Ethiconem, vel Henricum, à quo propagata Comitum Altorfi gens, cui in Welfo Ducatus Bavariae acceſſit. Conrado autem Comiti patrem aſſignant Welfonem, Comitem Altorfi & Ravenſburgi, unum ex 12. *catulis* ſeu filiis Iſenbardi, quos unô partu editos Irmentrudis uxor, pro catulis exponere voluiſſe fertur.

CONRADUS, fil. minor natu Bertholdi II. Zeringiae Ducis, fratri Bertholdo III. in Ducatu ſucceſſit, A. C. 1122. Burgundiae quoque, nomine Caeſareô rector, unde ab aliquibus Rex Arelatis dicitur: & quidem hujus invaſorem Reinaldum compeſcuit ac cepit; Sed cùm poſteà *Conrado* III. Imperatori eſſet rebellis, vi ab illo ad obſequium, exutus Zeringâ & Tecciô, redactus eſt. Obiit A. C. 1152. Pater ex Clementia fil. Godofredi, Comitis Lucelburg & Namurcenſis, Rudolfi Epiſcopi Leodienſis & electi ad Archiepiſcopatum Moguntinum (in quo tamen obtinendo praevaluit *Conradus* Comes Palatinus) Bertholdi IV. Zeringiae, & Adelberti Teccenſis lineae, Auctorem.

CONRADUS I. ex poſteritate Adelberti praefati, fil. Lucelmanni fuit, frater Hermanni IV. Simonis & Ludovici II. Comes ſeu Dux Teccenſis.

CONRADUS II. prioris ex fratre Hermanno nepos, ductâ Agnete Hohenbergiâ, ſtemma produxit: Illô ornatus Epitaphiô, *Anno Chriſti 1292. obiit, Venerabilis Dominus Conradus de Teck electus in Regem Romanorum.* Eô geniti ſunt Simon II. & Ludovicus IV. Ludovico Imperatori pergratus: Quô nati Eberhardus, Simon III. Ludovicus V. Ulricus. I. &

CONRADUS III. cui ex Agatha Hohenbergia geniti ſunt Simon V. &

CONRADUS IV. quem in aedibus ſuis Monachii occidit, ob privatas ſimultates, Suicardus Dominus Gundelfingae, A. C. 1352. Hujus filii fuêre Fridericus VI.

CONRADUS V. Lucelmannus III. Ludovicus VII. Ulricus III. & bis clarior Fridericus VII. bellis exercitatus, apud Carolum IV. Imperatoris gratiâ florens.

CONRADUS VI. filius Friderici VII. modò memorati, cum Ulrico Wirtenbergico depulit Burgoviâ Bavaros, A C. 1378. Pater ex Hedwige Ateſtina Friderici IX. ultimi Teccenſium Ducis, cujus A.C. 1439. defuncti filia Beatrix ſeu Judita, nupta Eberhardo Comiti Wirtenbergico, Ducatum in ejus familiam intulit.

CONRADUS, filius tertius Johannis Electoris Brandenburgici, ex familia Aſcania, defuncti A. C. 1221. fratribus Johanni II. & Ottoni in Electoratu ſucceſſit, vixitque uſque ad A. C. 1304. Ei quatuor ordine uxores & plures filii: inter quos Johannes III. patris fata citò ſecutus, *Conradus* Magiſter Ordinis Teutonici eadem praeceſſit, Woldemarus etiam Elector, Otto Templarius, Hermannus Epiſcopus Havelbergenſis, ſolus Henricus *ſine Terra* dictus, filios genuit.

CONRADUS, fil. minor natu Caſimiri II. Poloniae Regis, mortui A. C. 1194. frater Leſci cognomine *Albi* Regis. Diſſedit cum Henrico *Barbato* Principe Vratiſlavienſi, ob Boleſlai cognomine *Pudici*, ex fratre nepotis tutelam: quâ diſſenſione turbatâ Republ. Tartari irruperunt ad Schydlovium, & ad Lignicium Polonos ac Sileſios gravibus cladibus affecerunt, Rege in Hungariam profugô. Inde de principatu cum Boleſlao Calvo contendit, ſed ſuis ob aſperius regimen inviſus, eô iterum excidit: nec tamen ad mortem uſque, quâ A C. 1247. oppreſſus eſt, Polonos vexare deſiit. Idem ut adversùs Boruſſos & Lithuanos ſe tueretur, Cruciferorum Ordinem, quidquid infidelibus erepturi eſſent illis permiſſô, advocavit. Obtinuerat autem à Patre Cujaviam & Mazoviam, unde filii ejus Caſimirus rami Lenciſcienſis auctor cum Lencicia Cujaviam tenuit, Ziemovitus autem Mazovium ortus eſt. Tertium Miſlaum, ob exactiones, à glirbus devoratum, divinitus immiſſâ ultione, tradunt.

CONRADUS, Dux Mazoviæ, filius Ziemoviti præfati, regnum Poloniæ, adverſus Boleſlaum Calvum & poſteà Leſcum Nigrum, ſibi vindicare conatus, ſpe ſuâ excidit: Frater Boleſlai Ducis Plocenſis, è cujus poſteris

CONRADUS, frater Januſſii, regnum adverſus Joh. Albertum affectantis, genuit Johannem ac Stanislaum, quibus ſine prole extinctis A. C. 1526. ſimul in Polonia omnis Piaſteus ſanguis deſecit, Regi ſucceſſione relictâ.

CONRADUS, cognomine *Laſconogus* ſeu *Longipes*, unus ex filiis Vladiſlai Poloniæ Regis à fratribus pulſi ac in Sileſiam profugi, tenuit Glogoviam, ſed valetudinarius fuit, & in ipſo vel Mieſconis filio terminata eſt linea. Fratres verò ejus Boleſlaus inferioris & Miciſlaus ſuperioris Sileſiæ Duces dedêre.

CONRADUS, fil. Henrici cognomine *Barbati*, Sileſiæ inferioris Ducis, Boleſlaô præfatô genitus, Saganenſem Principatum tenuit, adverſus fratres bellum movit, tandem equô præceps occubuit. Frater ejus Henricus cognomine *Pius* fuit, celebri illo prœliô prope Lignicium à Tartaris cæſus A. C. 1241. quô inter alios, ex Anna Bohema, genitus eſt

CONRADUS, qui Glogovienſem Principatum accepit, cum majores natu Henricus Vratiſlavienſem & Boleſlaus Lignicenſem nacti eſſent. Hic initiò ſacris & Epiſcopatui Bambergenſi deſtinatus, poſteà auxiliô Præmiſlai Poſnanienſis, cujus ſororem duxerat, atque Epiſcopi Vratiſlavienſis interpoſitione, Glogaviam, Croſnam, Saganum & Frauenſtadium obtinuit. Utrumque fratrem cepit, Boleſlaum etiam ſecundâ vice, ſed acceptô lytrô dimiſit. Cum nepote Henrico Lignicio, ob alterius Henrici Vratiſlavienſis hæreditatem, non multò ſucceſſu bellum geſſit, eum verò poſteà ab aulico ſibi captivum adductum crudeli carcere excarnificavit, & Olſnam aliaque, quorum partem liberis reſtituit, extorſit. Vide M. Cromerum, *l.* 10. Interim multum ſub eo Principatus crevit, quamplurimis in eo ſedem figentibus Germanis: Croſnam tamen, ut autem Brigittæ Miſnicæ ſecundæ conjugi reddere poſſet, vendidit Archiepiſcopo Magdeburgico. Obiit A. C. 1289. cùm ante 18. annos regimen tradidiſſet filiis, è quibus

CONRADUS, Dux Steinaviæ & Javeræ cùm Archiepiſcopatui Salisburgio deſtinatus, quòd patrium cereviſiam ibi non reperiret, illum recusâſſet, à fratre tanquam fatuus cuſtodiæ datus eſt; Sed à Steinavienſibus inde liberatus multa iis conceſſit privilegia, defunctus A. C. 1304. Fuêre autem fratres ejus Præmiſlaus Dux Sprotiæ ac Sagani, ante Patrem mortuus & Henricus cognomine *Fidelis*,

CONRADUS I. fil. minor natu Henrici cognomine *Fidelis* modò memorati, Olſnam & à fratre Johanne Steinaviam ac Javeram obtinuit, lineæ hinc Steinavico-Olſnenſis conditor, ſicut frater ejus major natu Henricus Sagano-Glogoviam accepit. Eum Boleſlaus Lignicius Patri adempta recuperaturus, A. C. 1310. adortus tantopere vexavit ut exhauſtô ærariô etiam veſtes vendere cogeretur. Unde tandem Boleſlaus ex miſeratione Wolaviam ei reliquit. Sed brevi pôſt Princeps prodigus, pecuniâ mutuô acceptâ, Olſnam & alia, quæ pignori tenerer, ei reſtituit. Poſt quæ Conradus etiam A. C. 1327. cum aliis ſe coronæ Bohemicæ obſequio, negotiis, quæ Clericos, ruſticos & Judæos concernerent, exceptis, ſubmiſit, & Johanni Regi fideliſſimus, ejus nomine cum Caſimiro Polono pactus eſt, nec minùs A. C. 1345. bellô Polonos ſtrenuè perſequutus. Eô genitus ex Eliſabetha Vratiſlavienſi

CONRADUS II. Jagellonis, in convertendis Lithuanis ſuis, comes, Olſnam à prædonibus, qui ob ignaviam Wenceſlai impunè graſſabantur, occupatam recuperavit. Obiit A. C. 1395. relictis 4. filiis, quibus omnibus *Conradi* nomen.

CONRADUS III. fil. maximus natu prioris, cognomine *Albus* vel *Senior*, à Polonis in Boruſſico bello captus eſt A. C. 1410. Huſſitis reſtiuit A. C. 1431. ſed Nimiſchium fruſtra obſedit. Inde A. C. 1442. Polonorum, qui Sileſiam vaſtabant, tum A. C. 1443. prædonum partes ſecutus. A. C. 1444. à fratre Epiſcopo Vratiſlavienſi raptus: cùmque dimiſſus antiquos mores reperteret, ope ſtatuum Sileſiæ, cum conjuge à filio *Conrado* iterum captus & ad ejurandum Principatum adactus, eandem privatus Vratiſlaviæ obiit A. C. 1451. Vide infrà, in voce *Conradus IV.*

CONRADUS IV. cognomine *Albus* & *Junior*, Patris *Conradi III.* & dein Fratris *Conradi* cognomine *Nigri junioris*, qui *Koſel* tenuerat, ſucceſſor A. C. 1465. cum hujus videri Georgii Bohemiæ Regis partes, adverſus Matthiam Hungariæ Regem ſequutus eſt, tandem ſibi timens, Principatum Saxonibus emendum obtulit: Matthias verò, pretiô repræſentatô, in fidem ſubditos, relictâ Principi adminiſtratione, ſuſcepit. Nihilominus *Conradus* poſteà à Ducibus ejus, eô colore, quòd Johanni Saganenſi adſtitiſſet, expulſus; ultimò receptam à Vladiſlao Rege Olſnam tenuit ad A. C. 1492. quô morte ſuâ lineam clauſit: Olſnenſi Principatu Henrico Duci Monſtesbergenſi ab Vladiſlao Rege, permutationis pro Podiebradio jure, conceſſo.

CONRADUS, filius ſecundò genitus *Conradi* II. Steinaviam & Volaviam tenuit, ſed ejus linea in filio Wenceſlao A. C. 1474. extincta eſt.

CONRADUS, cognomine *Niger*, filius tertiò genitus *Conradi* II. deceſſit A. C. 1452.

CONRADUS, fil. minimus natu *Conradi* II. Epiſcopus Vratiſlavienſis, prodigus, fratrem Conradum III. captivum tenuit, demum Epiſcopatu ſe abdicavit, &c.

Comites aliqui.

CONRADUS, fil. minor natu Ottonis Comitis Oldenburgici (cui à ſpectro mirabile cornu, quod adhuc aſſervatur, oblatum narrant) à matre Comes Alvenſlebenſis, genuit Theodoricum, cujus fil. Malo Comes Alvenſlebius Elmaro I. de hæreditate Friderici agnati, (Johannis, qui Conradi frater erat, Comitis Oldenburgici filiô geniti) controverſiam movit, obtinuit nihilominus Elmarus, à cujus poſteris varii *Conradi* geſſêre nomen. Filius enim Elmari I. Elmarus II. genuit Chriſtianum cognomine *Bellicoſum*, qui Oldenburgicos continuavit & Henricum I. qui Bruckhuſæ Comes novum ramum ortus eſt, in quo continuò ordine Henricus II. Thomas, *Conradus* I. Henricus, *Conradus* II. familiam propagârunt: ultimus *Conradus*, cæſus A. C. 1358. à Butjadis, filiam tantum reliquit Margaretam Johannis Comitis Diepholzani uxorem; unde hæreditas ad illam ſtirpem, donec ex eadem in Hojenſem migraret, eſt delata.

CONRADUS, fil. Johannis Comitis Oldenburgici, doctrinâ & pietate inclytus, Bremæ ſeditionem ortam ſedavit A. C. 1366. inde aliquoties victus, a Butjadis demum cæſus eſt A. C. 1368. cum Gerhardo filio. Qui reliqui erant filii,

CONRADUS, novam lineam per filium Mauritium habuit, à quo non niſi duæ filiæ & Chriſtianus Welsburgi habitans, anteà Colonienſis Canonicus, poſtea ſtemmatis propagator. Eorum Theodoricus cognomine *Fortunatus* genitus, linearum reliquarum bona collegit.

CONRADUS, Ulrici Beutelsbacenſis Dn. ex filia Wernerude gener ac hæres, pridem ejuſdem proximus agnatus, ab Henrico IV. Imperatore Wittenbergiæ Comes creatus dicitur. Pater fuit ſecundum quoſdam Henrici ac Ulrici Comitum Wittenbergicorum & Dominorum Beutelspacenſium: nec non Werneri Comitis Grœningenſis. Secundùm alios Ulricum, Eberhardum & Henricum progenuit: à quibus Ulricus filium habuit Johannem propagatorem ſtemmatis, & Wernerum Comitem Grœningenſem, è cujus poſteris *Conradus*, Eberhardus ac Ludovicus fratres, capti ab Eberhardo Illuſtri Comite Wittenbergico, Grœningenſem titulum relinquere coacti ſunt.

CONRADUS de Winſperg, vicarius Henrici VII. Imperatoris Eberhardum cognomine *Illuſtrem* vel *Rixoſum*, Comitem Wittenbergicum, quòd Imperatori negaret obſequium, univerſâ ferè ditione, caſtrô quoque Wittenbergâ deſtructô, exuit. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hiſtoricâ paſſim.*

CONRADUS de Brawiler, Monachus, *vitas quorundam Sanctorum* ſcripſit. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 46 *p.* 378.

CONRADUS Cantabrigienſis, Vicleſi diſcipulus, diſputavit publicè Pragæ, A. C. 1404. contra Tranſſubſtantiationem, Confeſſionem Auricularem, Ordinationem: junctus Jacobo, ejuſdem Doctoris diſcipulo: qui ambo inſuper Papam eſſe Antichriſtum docuerunt. Lætus ex Joh. Laſicio, *l.* 1. *de geſtis Fr. Boh. ex MS.*

CONRADUS Celtes, Sweinfurtenſis, primus Germanorum Poëta coronari meruit. In Coſmographia, Hiſtoria, Poëſi plurima ſcripſit. Lil. Girald. *Dialog.* 2. Obiit A. C. 1505. ætat. 49.

CONRADUS Daſypodius, Mathematicus Argentinenſis, explicatis *Euclidem*, ſcriptis Geometricis, Opticis & Aſtronomicis inclytus. Obiit A. C. 1600. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 26. § 27. *c.* 26. §. 13. *c.* 36. §. 12. Vide quoque Antonium Teiſſier, *in Elogiis.*

CONRADUS Egina, Legatus in Galliam contra Albigenſes.

CONRADUS Geſnerus, Medicus & Hiſtoriographus inſignis, Tigurinus. *Bibliothecæ* auctor, aliorumque operum. Obiit A. C. 1565. ætat. 49.

CONRADUS Halberſtadenſis, Dominicanus, *de regno Romanorum* ſcripſit, primus *Concordantiæ Bibliorum* auctor. Poſſevin. *Catal.* Leander Alberti, *l.* 4. *de Viris claris Ordinis Dominic. p.* 147.

CONRADUS Kôllinus, *contra Lutherum* ſcripſit, obiit A. C. 1536. *Simlerus*, &c.

CONRADUS de Lichtenau, Abbas Urſpergenſis in Diœceſi Auguſtana, ſecul. 13. *Chronicon*, orſus à Belo Aſſyriorum Rege uſque ad A. C. 1229. Imperii Friderici II. nonum, ſcripſit, ex plurimis auctoribus collectum, &c. Obiit A. C. 1240. in Pontifices liberior, quàm voluiſſent, imprimis Innocentium III. & Gregor. IX. Vide Voſſ *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 57. Cocceium *A. C.* 1215.

CONRADUS de Marburch, *S. Eliſabethæ Thuringæ vitam* ſcripſit.

CONRADUS de Marpurg, cum Roberto Bulgaro, rigidiſſimus in Germania inquiſitor, A. C. 1230. Examen Orthodoxiæ candens erat ferrum, quô innumeri innocentes perierunt. Tandem unà cum ſociô ob ſævitiam, interfectus eſt. A. C. 1238. Morn. *Myſt. p.* 369. Munſter. *Geogr. l.* 3.

CONRADUS Moguntinus, Poëta tempore Caroli VII. Galliæ Regis.

CONRADUS de Mur, primus Canonicus Tigurinus, ſcripſit *de Sacramentis*, *vitas Paparum*, &c. A. C. 1273. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 16.

CONRADUS Peutingerus, Advocatus Auguſtanus, *Antiquitates Germanicæ*, *diſcurſus convivales & tabulas Chronologicas* cum laude ſcripſit. Obiit A. C. 1547.

CONRADUS de Scheurn, cognomine Philoſophus Monachus, ſcripſit *Chronica*, ſub Friderico II. & plus quàm 50. volumina. *Aventino* laudatus. Item Sacerdos Saxo, *Auctor Chronici*, &c. An idem cum Conrado Lauterberg? Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *p.* 699.

CONRADUS de S. Uldarico, Hiſtoriæ univerſalis conditor. A. C. 1334.

CONRADUS Veccerus, Maximiliano Imperatori à ſecretis, ſcripſit *vitam Henrici VII. & ſede vacante duas Sæculorum*, A. C. 1517.

CONRADUS Vorſtius, Colonienſis Theologus, Socinianiſmo, de Socinianiſmo à multis annis ſuſpectus, ab Arminianis, Arminio Lugduni Batavor. ſurrogandus, venit, ſed Orthodoxis in contrarium nitentibus, Jacobô inprimis M. Britanniæ Rege fœderis renunciaturum ſe minante, in hæreticum dimiſerunt, fruſtra fuit. Diu tamen

inter alia, *Deum corpus, eundem mutabilem, minimè immenſum, aut omnipotentem eſſe, Providentiam negavit, in Deo accidentia dare ſtatuit.* Scripta ejus juſſu Jacobi Regis exuſta, &c. Vide Regis hujus opera.

CONRADUS Welliogus, cum fratre Ulrico, Benedictini ambo, continuârunt *Chronicon Henrici Stervini, ab A. C. 1300 uſque ad A. C. 1335.* Quibus addi poſſent 4. Magiſtri Ordinis Teuton. &c.

CONREDIUM ſeu CORREDIUM, vox recentioris ævi, quicquid ad alimentum, ad cibum, ad menſam datur, cibus, menſæ apparatus, convivium. In ſpecie, Præbenda Monachi vel Canonici, ut *Monaſtico Anglic. Tom. 1. p. 149.* Item procuratio ſeu convivium, quod dominus à vaſallis ex jure definito, quoties per illorum terras pergebant, præſtari conſuevit, ut *Diplom.* Ludovici VII. Regis Franciæ 1157. apud Hemereum, *de Academ. Pariſ. c. 3.* &c. Vide Car. du Freſne, *Gloſſar.* & Dominic. Macrum, in voce *Conradium.*

CONS. in nummis Conſtantini & Conſtantii: CONSA, in Juſtini, *Conſtantinopoli ſignata* denotat, uti *A.* Monetarii index eſt, Car. du Freſne, ubi *ſupra.*

CONSABRUM, oppid. inter Liminium, & Toletum. *Antonin.*

CONSABURENSES, populi Hiſpaniæ citerioris. Plin. *l. 3. c. 3.* eorum oppid. *Conſaburum*, vel *Canſaburum*, *Conſuegra Morali.* Oppid. Caſtellæ novæ 7. leuc. ab Ana fluv. & à Xiguela amne. Caput Prioratus Ordinis S. Joannis Hier. ſub quo 13. municipia.

CONSANGUINEI Populi Romani, vide infrà ubi de *Sociali bello.*

CONSCIA Murmura, apud Statium, *l. 9. Theb. v. 733.* ubi de Diana,

> *---- cantuſque ſacros & conſcia miſcet*
> *Murmura ----*

Sunt divina, Magica, rerum præſentium gnara, non voces nudæ, ſed conſortes potentiæ divinæ. Mox enim ſequitur, v. 734.

> *---- quæ Colchidas ipſa ſub antris*
> *Noſſe docet, monſtratque feras quærentibus herbas.*

At *conſcia agmina*, conjurata exponit Servius, *ad l. 2. Æn. v. 267.* *Conſcia* vero *Fama*, eidem Maroni loquacem, omnia indagantem & ſcientem denotat, *l. 10. v. 679.* Ubi ventos indignatus coactam fugam è prœlio, alloquitur Turnus, ſcaphâ ablatus, v. 676.

> *---- vos ô miſereſcite venti*
> *Ferte ratem ----*
> *Quò neque me Rutuli, neque* conſcia Fama *ſequatur.*

Id eſt, divinatrix velut & omnium rerum propalatrix. *Conſcia* quoque, ſacra, veneranda, *Templa* dixit Val. Flacc. *l. 2. v. 254.* ubi Hypſipyle Patrem, in Bacchi Fanum abſconditura, deducit.

> *---- tunc excipit artus*
> *Obnubitque caput, tacitumque ad* conſcia Bacchi
> Templa *rapit ----*

Hoc eſt, Numinis Bacchici partem participantia, ut *Conſcia murmura* ſuprà, ſunt poteſtatem Dianæ ſeu Hecates participantia. Quomodo *Conſcia Fati Templa* Amphiarao, apud eundem Statium ſpondentur, *l. 8. Theb. v. 206.*

> *Jamque erit illa dies, quâ Te quoque* conſcia *Fati*
> Templa *colant* &c.

Vide Caſp. Barthium, *Animadverſ. ad Statium, d. l.*

CONSCINDENDI pecora in Bacchi Sacris ritus. Vide *Pecora.*

CONSCRIPTI Senatores, dicti ſunt apud Romanos, qui ex Equeſtri ordine Patribus adſcribebantur, ut Senatorum numerus expleretur. Unde Freinshemius in *Florum, l. 1. c. 1.* ubi de conſilio Reipublicæ, inſtituto à Romulo, qui illud penes Senes eſſe voluit, loquitur: *Hæc enim*, inquit, *prima Senatus lectio, majorumque gentium: qui verò cum progreſſu temporis ſublecti ſunt*, Patres Conſcripti *nuncupabantur.* Meminit eorum Corippus, *l. 4. Num. 2.*

> *Inde Senatorum ſacro recitantur ab albo*
> *Nomina*, Conſcripti Patres, *quâ voce citati*
> *Accedunt hilares.*

Et *l. eôdem, Num. 5.*

> *Ante pedes Domini, ſicuti qui juſſa clientes,*
> *Adſtabant Loci, vultuque & veſte nitebant,*
> *Romani populi Patres. ----*

De iiſdem Joh. Roſinus ita diſſerit, *Antiqq. Rom. l. 7. c. 5. Patricios majorum gentium dictos fuiſſe ducentos Senatores à Romulo primùm lectos, eorumque progeniem, dubium non eſt. Eos vero, qui a Tarquinio Priſco ex plebejis in Patriciorum ordinem allecti, deinde Patrum numero adſcripti fuerant, Patricios minorum gentium appellatos, teſtis eſt Livius. Allectos autem in Senatum a L. Junio Bruto & P. Valerio Poplicola primo Conſulib. poſt pulſos Reges*, Patres Conſcriptos *vocitatos eſſe, Livius & Plutarchus docent.* Adde his Corn. Tacit. *l. 11. Annal. c. 25.* ubi ait: *Iiſdem diebus in numerum Patriciorum aſcivit Cæſar vetuſtiſſimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant. Paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus* majorum gentium, *L. Tarquinius* minorum, *Brutus* Conſcriptorum *appellaverunt.* Qui ex Conſcriptis hiſce Patribus ortum traxêre, *Patritii* quoque vocabantur; qui honor primùm legitimus erat, & dignitati uniuſcujuſque ſive generi conveniens, at temporibus Conſtantini Principis cœpit Patriciatus culmen concedi iis, quos dignos cenſuiſſent Imperatores. Thom. Dempſt. in *Roſini* *veteris laudatum caput.*

CONSECRANEI, apud Capitolin. in *Gordianis, c. 14. Hæc ubi comperit Maximinus, ſtatim cohortatus eſt milites hôc genere: commilitones: Sacrati commilitones; imò etiam mei conſecranei; & quorum mecum plerique* &c. idem eſt, ac Commilitones, ſive eorundem ſacrorum participes. Tertullian. *Apologet. c. 16. Sed & qui crucesmus religioſos putas, conſecraneus erit noſter, cùm lignum aliquod propitiatur.* Amavit medii temporis Latinitas hanc nominum formam. *Sacraneus* extat in veter. *Inſcr.* ubi SACRANEA. DEÆ CERERIS. pro *ſacrata* &c. Vide Caſaubon. *Not. ad loc.* & ſuprà *Commilitones.*

CONSECRARE & SACRARE, diverſa. *Sacrare* enim, cum de perſonis dicitur, eſt θεῖον & ἄσυλον, *divini aliquid attribuere*, ut olim in Tribunis factum, poſteà in Imperatoribus, qui propterea *Sacratiſſimi* dicebantur, ſed tantùm vivi. At mortuis Principibus, quos inter Cœlites retulerant, non divini aliquid, ſed Deitatem ineſſe cenſentes, non *ſacrare*, ſed *conſecrare*, de illis dicebant, Græci ἀποθεοῦν. Caſaubon. & Salmaſ. *Not. ad Capitolin. in M. Antonino Philoſopho, c. 18.* quorum hic, quid ſit *Conſecrare vultibus*, apud Vopiſc. *in Probo c.* (qua titus *index Romanus*,) pluribus exponit, *Not. in eum, c. 23.* Vide quoque ſuprà in voce *Clypeum.*

CONSECRATIO, vide ſuprà *Apotheoſis*, & infrà *Dedicatio*: quæ poſteriore ſenſu, voci *Reſacratio* & *Reſecratio* opponitur, de qua ſuo loco. Addam quædam ſaltem de animalium *conſecratione*, Suetonio indigitata, in *Julio, c. 81.* ubi de equorum gregibus, in trajiciendo Rubicone ab illo conſecratis: & Euſtathio, *Odyſſ. μ.* ubi apud Græcos in more fuiſſe integros animalium greges, volatilia quoque, in quibus pavones inprimis & anſeres, Diis ſuis conſecrare, illaque nemini tangenda aut violanda, dimittere, narrat. De piſcibus idem habet Athen. *l. 7.* Quod maximè factitatum in iis, quæ uſui aut voluptati fuerunt, quibus hoc quaſi præmium datum, ut ante obitum, ſervorum inſtar, manu mitterentur, & fierent *ἄφετα*. Solebant autem, antequam dimitterentur, unguentum plerumque illis affundere; quem luxum in mulieribus hirundines aliaſque aviculas, quibus diu oblectatæ fuerant, è poteſtate mittentes, notat Ariſtides, 3. *Platon.* Idem de delphino Octavii Avici, apud Plinium, *Ep. 33. l. 9.* de elephante alterius, apud Philoſtratum, in *Vita* Apollonii: de equis, apud Ælian. *Hiſtor. Anim. l. 11. c. 36.* legas. Monilia inſuper & inaures piſcibus hujuſmodi additas, habes apud eund. Vide Caſaubon. *ad Sueton. d. l.* Nec omittenda loca *θεοῖς ἀνειμένα*, *Diis conſecrata*, quæ ſubſtructionibus, aut aliô uſu profanò polluere grande itidem nefas fuiſſe, monet *ad Arnob. l. 7.* Heraldus.

CONSECRATIO Magica, multò olim in uſu apud Romanos: apud quos mos fuit Imperatoribus, ut ſacrificiis certis locis factis aut carminibus dictis vel ſtatuis poſitis, Barbarorum in ſolum Romanum ingreſſum & tranſitum, arceri poſſe putarent. Cujuſmodi *conſecratione*, (uti vocabant) inter alia Marcus uſus, adverſus Marcomannorum irruptionem. Spartian. *in Heliogabalo, c. 9. Dictum eſt à quibuſdam per Chaldæos & Magos Antoninum Marcum id egiſſe, ut Marcomanni P. R. devoti ſemper eſſent atque amici idque factis carminibus &* conſecratione: *quum quæreret, quæ illa eſſet aut ubi eſſet, ſuppreſſum eſt. Conſtabat enim, illum ob hoc* conſecrationem *quærere, ut eam diſſiparet, ſpe belli concitandi.* Sed videtur illa *conſecratio* Marci aut diſſipata ab aliquo fuiſſe, aut certè non perpetuò duraturas vires habuiſſe. Sub Aureliano enim, iterum ingruentibus Marcomannis, aliâ conſecratione opus fuit, ut Barbarorum tranſitus arceretur. Sic autem *Conſecratio* fiebat: Carminibus incantatis & ſacrificiis peractis, ſtatuæ quædam conſecrabantur & in eo loco defodiebantur, quem barbaros nolebant tranſire; quæ quamdiu manebant intactæ, res, cujus gratiâ defodiebantur, in integro manebat quoque. Græci τελεῖν vocabant, & ſimulacra ſic conſecrata τετελεσμένα, ut diſcimus ex *Olympiodoro*, qui, temporibus Conſtantii, cùm ſpe theſauri inveniendi iſtiuſmodi ſtatuæ tres refoſſæ eſſent, in Thracia, primò quidem Gothos, inde Hunnos, tandem Sarmatas, totam Thraciam pervaſiſſe, & Illyrium quoque, in cujus Thraciæque medio αἱ τελεσθεῖσαι poſitæ fuerant, depopulatos eſſe ſcribit. Atque hôc genere τετελεσμένον volunt Palladium, Memnonis item ſtatuam ſonantem, alia. Vim mitam iſtiuſmodi *Conſecrationis*, præter ex Olympiodoro modò allata, diſces ex Vopiſco, in *Aureliano.* Neque verò ſolùm contra homines, ſed beſtias quoque morboſque *Conſecrationes* adhibitæ. Sic enim Byzantiis adverſus ciconias, quibus infeſtabantur, erexit tres ciconias marmoreas τετελεσμένας, Apollonius Tyanæus, quæ ciconias ingredi urbem prohiberent, *Cedr.* Sic Charoneis ſtatuâ, τετελεσμένῃ erectâ, Antiochenſes peſte liberavit Lejus quidam Philoſophus, apud *Tzetzam.* Ut de ſtatua, ad ignem compeſcendum Ætnæ & Barbarorum incurſionem prohibendam, in Sicilia poſitâ: Niſi Regis comite Aſbaſio, inſigni Τελεστῇ, juſſu Placidiæ occiſo, nil addam. Ἀποτέλεσμα, *Taliſman* hæc omnia Arabibus vocari conſueviſſe, notum. Vide Salmaſium, *Not. ad Vopiſc. c. 18.* Quod autem de carminibus dictum, adeò illa hîc locum habuêre, ut nunquam ſine carminibus & præcantationibus hæ *conſecrationes* fierent. Unde propriò uſus verbô Solinus, *c. 37.* ubi de heliotropio gemma: *Etiam illud*, inquit, *poſſe dicitur, ut herba ejuſdem quod eſt nominis mixta, & præcantationibus legitimis conſecrata eum à quocumque geſtabatur, ſubtrahat viſibus obviorum.* Cujuſmodi *præcantationes* Græcis ἐπῳδαὶ & ἐπαοιδαί: unde *præcantationibus conſecrata*, iiſdem ἐπαοιδαῖς τετελεσμένα eſt &c. Vide Salmaſ. eundem, *ad Solin. p. 548.* & hîc paſſim, *ubi de Carminibus, Murmuribus Magicis* &c. item voce *Teleſtes.*

CONSECRATIO Virginum, aliarumque rerum, cultui divino deſtinatarum, in Eccleſia Romana. Vide Car. du Freſne, in *Gloſſario* & Macros Fratres, in *Hierolexico.*

CONSEDIE, vel COSEDIA, Belgii oppid. *Cuſſy Simlero. Bovilim Ortelio*, in Ducatu Lucemburgenſi. *Sanſoni & Brun* eſt

eſt Conſtantia, urbs Galliæ Lugdunenſ. nunc *Coutances*, in Normannia. Vide *Conſtantia caſtra.*

CONSENTES, Dii dicti ſunt, quaſi in eo quod gerendum eſt, *Conſentientes*. A' Cicerone aliâ nomine *Dii majorum gentium* dicti. Cui autem Diis hiſce à *Conſentiendo* nomen inditum ſit, docet hic locus Martiani Capellæ, *l.* 1. *Ac mox Jovis ſcriba præcipitur pro ſuo ordine, ac ratis modis, cælicolas advocare; præcipuèque Senatores Deorum, quorumque nomina, quoniam publicari ſecretum cæleſte non pertulit, ex eo quod omnia pariter repromittunt, nomen eis ex conſentione perfecit.* Aliis magis placet, ſic vocari, quaſi *Conſulentes*, quando eos Capella *Jovis Senatores*, Arnobius vero, *l.* 3. *Conſiliarios Jovis* vocat. Eſt & tertia Etymologia: Nam doctiſſ. Junius, ab antiquo verbo *Conſo*, *conſis* deducit, quod idem eſt ac συμβουλεύειν. Inde igitur *Conſentes*, ut & Deus *Conſus*. *Nic. Lloydius.* Locus Arnobii integer ſic habet: *Varro, qui ſunt introrſus atque in intimis penetralibus cæli, Deos eſſe cenſet, quos loquimur, nec eorum numerum, nec nomina ſciri. Hos Conſentes & Complices Etruſci aiunt & nominant, quòd unà oriantur & occidant unà; ſex mares & totidem fœminas nominibus ignotis, & miſerationis parciſſimæ: ſed eos ſummi Jovis conſiliarios ac principes exiſtimari.* Ubi quod Indigetes Samothracios paulo poſt commemorat, eoſdem verbis citatis quoque deſignatos, arbitratur, G. *Stewechius*. Certè Indigetes Deos fuiſſe, quorum nomina vulgari non licebat, ex *Feſto* diſcimus. Ex *Gloſſarum* vetus Indigetes interpretatur, Ἥρωες, Κουρῆτες. Idem de nominibus *Conſentum* ignotis, firmat Martianus Capella, *de Nuptiis Philologiæ*, *l.* 3. At Arnobio horum erant numero XII. ſex mares & ſex fœminæ, & Varroni de *Re R.* *l.* 1. eorum imagines auratæ ſtidem apud forum olim Romæ ſteterunt. Ennius que illorum & nomina hôc diſtichô complexus eſt:

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Quæ quomodo concilianda ſint, videtis ipſa Antiquitas, modò in hanc, modò in illam partem, ignantorum trahat, inclinans, & alia ac alia de rebus iiſdem dicere ac fabulam e tabula texere ſolita. Interim enumeratos jam XII. Deos Deaſque, in *Calendariis Ruſtico Rom.* quod ad Palatium novum Farneſianum quadrato in marmore Romæ repræſentat, ſingulos menſes anni, ut Tutelares, eſſe ſortitos legimus. Ex quidem, Junoni Januarius, Neptuno Februarius, Martius Minervæ; Veneri Aprilis, Apollini Majus, Junius Mercurio; Jovi Julius, Cereri Auguſtus, September Vulcano, Marti October, Dianæ November, December Veſtæ, ubi ad ea pti. Porrò *Ædes Deum Conſentium*, memoratur Varroni, *de L. L. l.* 7. Ex *Conſentia ſacra*, Feſto, *quæ ex multorum conſenſu ſunt ſtatuta.* Quô locô Joſ. Scaliger, Gentilium fuiſſe inter ſe *Conſentia ſacra*, & *Conſentes Deos*, ut *Corneliorum*, Valeriorum &c. adnotat. Vetus *Inſcr.*

I. O. M	I. O. M.
CETERISQ.	DIS. DEA-
DIS CONSENTIBUS.	BUSQ. PUB
M. OPELLIUS.	CONSENTIBUS.
ADIVTOR.	V. M. S.
II. VIR. COL.	

apud G. Elmenhorſt, *ad Arnobium*, *d. l.* &c. His alios addebant octo, qui cum iis *Selecti* appellabantur, vide infrà *in hac voce*, ut & voce *Synedri*. Apud Athenienſes quoque in præcipuo honore erant XII. Dii. *Jupiter*, *Bacchus*, *Hercules*, *Apollo*, *Mars*, *Pan*, *Diana*, *Iſis*, *ſeu Ceres*, *Sais*, *ſeu Minerva*, *Latona* &c. quorum cultum ab Ægyptus illos accepiſſe Herodot. *in Terpſichore* contendit. Sed contradicit Plut. περὶ Ἡροδότου κακοηθείας, ubi Orpheum Thracem θρησκείας Græcanicæ auctorem facit. Interim XII. Deos eximiè ab Athenienſibus cultos certum eſt, quos & imaginibus in Ceramico & Altari, cui nomen Βωμὸς τῶν δώδεκα θεῶν, *Altare duodecim Deorum*, honorârunt: in quo cùm paulo ante Siculum bellum lapide quidam ſeipſum mutilâſſet, ſiniſtrum omen habitum eſt. Per eoſdem jurare ſoliti ſunt, μὰ τοὺς δώδεκα θεοὺς, vide Ariſtophanem, *Equit.* His poſtheà alii additi ſunt, *Dii Aſcriptitii* dicti. Vide Pauſan. *Attica*, Plut *in Nicia*, Franc. Roſſæum, *Archæolog. Attica l.* 2. *c.* 1. &c. Certè ut Alexandrum M. [illegible], *decimum tertium*, ab Athenienſibus additum eſſe, legas apud Ælian. *Var. l.* 5. *c.* 12. qua de re vide Salmaſ. *ad Lamprid. in Alexandro Severo*, *p.* 63. infrà etiam aliquid, voce *Duodecim*. In aſtris Δωδεκαθεος [illegible] pro Diis conſiliatus τῶν μεγάλων φωστήρων, Solis & Lunæ, fuiſſe habita, dicemus infrà ubi de *Planetis*.

CONSENTIA, Brutiorum aliàs civitas, imò & caput. Nunc Calabriæ, in regno Neapolitano & ex præcipuis Regni. Cum caſtro munito, juxta Cranden fluv. ubi Baſentum recipit. Hic Alaricus, Viſigothorum Rex, poſtquam in Siculo mari naufragium paſſus eſſet, obiit, in Barentino amne, ſuperinductis rurſus aquis ſepultus, A.C. 411. Jornand. *c.* 30. Græcis Κωνσεντία & Κωσεντία, memoratus Livio, *l.* 8. *c.* 24. *l.* 9. *c.* 44. Straboni, Plinio, *l.* 3. *c.* 5. Appiano, *in Punic.* Ptolemæo, ac duobus Itinerariis, vulgò *Coſenza*. Diſtat 12. milliar. ab ora maris Tyrrheni, 30. circiter à Roſſana verſùs Auſtrum, penè circa declivitatem Apennini ſita, 7. colles amplectitur, quibus maxima pars ædificiorum Urbis impoſita eſt. Hinc & Collibus ſeptenis pro inſigni utitur. Oppidani *Conſentini*, præter alios, etiam Varroni & Ciceroni dicuntur, *l.* 1. *de Finib. c.* 3.

CONSENTIA, Sacra, quæ ex multorum conſenſu inſtituta. *Feſtus*. Ad quæ verba notat Scaliger, *Conſentia ſacra* Gentilium inter ſe fuiſſe, uti & *Deos Conſentes* e. g. Corneliorum, Valeriorum, &c.

CONSEPTUM, locus quiſpiam munitus, ubi Potitii Herculi ſacrificare conſueverant. Solin. *c.* 1. *Nic. Lloydius.* Locus ſic habet, *Suo quoque Numini idem Hercules inſtituit aram, quæ maxima apud Pontifices habetur, cùm ſe ex Nicoſtrata Evandri matre, quæ à vaticinio Carmentis dicta eſt, immortalem comperiſſet fore: Conſeptum etiam, intra quod ritus ſacrorum, factis bovicidiis, docuit Potitios.* Græcè περίβολος, propriè fuit certus agri modus, circum Templa vacans, vitibus aut arboribus conſitus & murô clauſus, Deoque, cujus id Templum erat, dicatus ac Sacerdotum uſibus proficiens. Περίβολον τοῦ νεὼ Auctores Græci frequenter dicunt. Ælian. *Hiſt. Anim. l.* 17. *c.* 47. [illegible], ut Latini *Templi conſeptum*. Appulejus, *l.* 11. *Ædibuſque conductis intra conſeptum Templi Larem temporarium mihi conſtituo.* Et Arnob. *l.* 6. *Darius & Immanarchus fratres, in Eleuſino conſepto, quod civitati ſubjectum eſt*, h. e. in Templi Cereris Eleuſinæ conſepto, quòd τὸ Ἐλευσίνιον περίβολον vocat *Clemens*. Idque ſine tecto. Feſtus, *Sacella dicuntur, loca Diis ſacrata, ſine tecto.* Idem autem *Conſeptum* & *Sacellum*. Sed apud Solin. *loc. cit.* idem quod templum vel ædes: quomodo & *Sacellum* nonnunquam ſumitur. Sic Græci περίβολον, pro ipſo Templo, plerunque ponunt, & ναὸν περιβολίζειν, *Templum inædificare*, vocant. Aliquando tamen *Conſeptum* & ſine templo. Unde apud Pauſaniam, *l.* 2. legimus, in agro Thebano, fuiſſe περίβολον [illegible] μέγαν καὶ κίονας ἐν αὐτῷ, h. e. ut reddit Salmaſius, *Sacellum in via non magnum, & columnas in ea*: ubi tamen nec Templum ejus fuit, nec Oracula reddebantur. Nempe in loco illo terrâ abſorptum eſſe Amphiaraum exiſtimârunt Thebani, quem proin locum murô ſepire & columnis ornare conſecratumque habere voluêre. Sed & locis fulguritis, *Conſeptum* circumdatum. Varro de Lacu Curtio in medio foro, *Ælius & Lutatius ſcribunt, cum locum eſſe fulguritum & ex Senatusconſulto ſeptum eſſe, idque factum eſſe à Curtio Conſule.* Intra cujuſmodi *conſeptum* ara erigebatur, ut videre eſt hic, in vocibus *Bidental* & *Puteal*. Vide plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solinum* paſſim, imprimis, *p.* 10. & 1141. Occaſio verò hujuſmodi *Conſepti* paganorum, uti cacozelia illorum nemini ignota, è Sacris: Ita enim de Deo, cùm in monte Sinai Legem populo ſuo daturus erat, legimus Exod. *c.* 19. *v.* 10. & *ſeqq. Dixit Jehova Moſchi -- Pones terminum huic populo circumquaque, dicendo, cavete vobis, ne aſcendatis in hunc montem, attingatiſve partem ejus: quicquid tetigerit hunc montem, omnino morte afficitor.* Et *v.* 21. *Dixitque Jehova Moſchi, deſcende conteſtare hunc populum, ne perrumpant terminum, aſcendendo ad Jehovam videndi animo, ut non cadant ex eo multi.* Sic ergo & Simia Dei ſacerdotiis ſuis ſacris, quæ inter Gentiles inſtituit, religionem circumdare *conſeptis* talibus ſeu περιβόλοις, conatus eſt. Vide inſignem Dilherri Tractatum de *Cacozelia Gentilium*.

CONSERENTES Dii, apud Arnob. *l.* 5. ubi de Laribus, qui Ocriſiam gravidam in Foco fecerunt, unde natus Rex Servius, *Sed & Conſerentes Deos pari more ac diſſimulatione taceamus, quos cum cæteris ſcribit Flaccus, in humani penis ſimilitudinem verſos obruiſſe ſe cineri, qui ſub olla fuerat ſacellus extorum:* à *conſerendo*. Lucretius, *l.* 4. *v.* 1100.

---- genitalia conſerit *arva.*

Et *conſerentes*, ab affectu in Ocriſiam, Lares dicti ſunt. Illam enim è Laribus prægnantem, adeoque Servium Laris familiaris fuiſſe filium, creditum eſt. Plin. *l.* 36. *c. ult. Non prætereo & unum foci exemplum Romanis literis clarum. Tarquinio Priſcô regnante, tradunt repentè in foco comparuiſſe genitale è cinere maſculini ſexus, eamque quæ inſederat, ibi Tanaquilis Reginæ ancillam, Ocriſiam captivam, conſurrexiſſe gravidam.* Quemadmodum de Cæculo Serviûs & Præneſtina Urbe: *Ibi*, ait, *erant Pontifices & Dii indigetes, ſicut etiam Romæ: erant etiam duo fratres, qui divi appellabantur. Horum ſoror dum ad focum ſederet, exiliens ſcintilla ejus uterum percuſſit; unde dicitur concepiſſe.* Ubi *divos fratres* appellat, quos ἀδελφοὺς, h. e. [illegible], Solinus, *c.* 1. h. c. Lares familiares. Ita nempe turpitudinem naturalium occultare Veteres ſolebant Numinum prætextu, ad quæ nihil ſcelerum uſquam fuit quod referre non fuerint auſi, ipſô hoc Platone deteſtante, ut in libris ejus *de Republ.* videre eſt. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 64.

CONSERVATOR, cognomen Jovis, à *conſervando*: conſecratus eſt à Domitiano Imperatore, quod ipſum in ſeditione Vitelliana à furore hoſtium conſervâſſet. Tacit. *l.* 3. *Hiſt. c.* 74. *Domitianus primâ irruptione apud æditum occultatus, ſolertiâ liberti lineo amictu turbæ ſacricolarum immixtus, ignaruſque apud Cornelium primum paternum Clientem, juxta Velabrum delituit. Ac potiente rerum Patre, disjectô æditui contubernio, modicum ſacellum Jovi Conſervatori, aramque poſuit caſuſque ſuos in marmore expreſſit.* Et extant nummi veteres, *Jovis Conſervatoris* ſimulacrum & nomen continentes. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 5. Idem nomen Æſculapio tribuit Arnobius, Græcum Σωτὴρ expreſſurus *adv. Gentes*, *l.* 7. Vide infrà *Soter*. At *Conſervatores*, in Concil. Herbipolenſi A.C. 1289. *c.* 39. ſunt, *qui perſonis religioſis & Monaſteriis maximè dari conſueverant, exempti per ſummum Pontificem aut Legatos ejus miſſos à latere* &c. Apud Matth. Paritium, *Conſervatores Libertatum* Angliæ, A.C. 1244 *p.* 433. dicti.

CONST. in nummo Arcadii: Conh. in Honorii, *Conſtantinopoli* notat. Γ. & *b.* Monetarium indicante Car. du Freſne, *d. l.*

CONSIDIUS Æquus, Eques Romanus, quòd cum Cœlio Curſore itidem Equite Romano ficta majeſtatis criminibus, Magium Cæcilianum Prætorem petiviſſet, auctore Tiberiô ac decretô Senatus punitus. Tacit. *l.* 3. *Annal. c.* 37.

CONSIDIUS Longus, prænomine *Cajus*, è partibus Pompejanis, qui Adrumetum, in Africa, unius legionis præſidiô tuebatur. Cæſar. *l.* 2. *de Bell Civ. c.* 23.

CONSIDIUS Nonianus, Conſularis, cui Gallia citerior decreta, avocatô Romam Cæſare. Hic *Conſidius* is eſt, qui in veteribus denariis, quos cudit notâ templi Veneris Erucinæ, deſcriptus eſt, additâ inſcriptione C. *Conſidii Noniani. Eruc.*

CONSI-

CONSIDIUS Proculus, nullò pavore Natalem diem celebrans, raptus in Curiam, pariterque damnatus interfectusque, poſtulante majeſtatis Q. Pomponiò. Tacit. *l. 6. Annal. c. 18.*

CONSIGNATUS, apud Tertullian. *Apologeticô*, *Talm initiatus & conſignatus vivos in ævum*: Græcè ὁ [illegible] ſeu [illegible], è ſacris Gentilium voce depromtâ. Solebant enim in myſteriis ſignari notaculis quibuſdam ii qui initiabantur. Idem, contra *Valentinianos*, c. 1. *Nam & illa Eleuſinia — quod tacent, pudor eſt. Ideirco & aditum prius cruciant, diutius initiant, quàm conſignant: cum epoptas ante quinquennium inſtituunt* &c. Fiebat id vel acubus re verâ & [illegible] vel aliâ ratione notabantur, ut ſic ſignati Deo, cujus initia ſumſerant, conſecrarentur. Inprimis autem ferrò inurebatur nota, [illegible], uti ait Philo, *de Monarchia*, [illegible]. Atque hoc *Sphragitidas accipere* vocat Prudentius in *Romani Martyrio*, v. 1076. ubi totam rem graphicè depingit hòc modò,

> *Quid? quum ſacrandus accipit ſphragitidas?*
> *Acus minutas ingerunt fornacibus.*
> *His membra pergunt urere; utque igniverint,*
> *Quamcumque partem corporis fervens nota*
> *Stigmârit, hanc ſic conſecratam prædicant.*
> *Functum deinde quum reliquit ſpiritus,*
> *Et ad ſepulchrum pompa fertur funeris,*
> *Partes per ipſas imprimuntur bractea,*
> *Inſignis auri lamina inſignit cutem,*
> *Tegitur metallô, quod peruſtum eſt ignibus.*

Tranſiit inde mos ad militiam, non paganam ſolùm, ſed & Chriſtianam: etiam Hæreticis uſurpatus, uti infrà dicemus voce *Notaculum*. Vide Deſid. Herald. *Animadverſion. Arnob. l. 3.* ubi de Sacramento Romanorum militari, *p. 129. & 130.* Alioque: uti de eodem ritu apud hodiernos Orientis idololatras etiamnum vigente, qui Itineraria condiderunt. Hinc quod & aliis vocibus compluribus, è Gentiliſmo deſumtis, & ad ſanctiorem uſum tranſlatis, contigit: *Conſignatorium*, apud Johannem Diaconum *in Epiſcopis Neapolit. in Joanne*, qui vixit A. C. 636. locus eſt, in quo baptizati, ut ajunt, *confirmabantur*, oleô ſignô crucis eorum fronti impreſſô. At Alcuinus, *de Divin. Offic.* recèns baptizatos in Sacrario confirmatos ait.

CONSILIARII Auguſtorum, in Inſcript. Romæ, PROC. AD. BONA. DAMNATORUM. PROC. AD. ALIMENTA. AUGG. aliter *in Conſilio Augg.* apud Capitolinum de Antonino Pio, c. 3. *Poſt Conſulatum in conſiliis Hadriani frequens vixit*: dicebantur primæ claſſis ſeu primi ordinis Comites ſeu Amici, quos in ſecretius interiuſque conſilium, in quo de ſummis Republ. agitabatur, Legati audiebantur & majora alia negotia tractabantur, ſolebant Imperatores admittere: *Comites intra Conſiſtorium* & *Comites Sacri Conſiſtorii Conſiſtorianique* ſub poſterioribus Imperatorib. dicti. Galli hodie *Conſiliarios Status* vocant. Vide Salmaſ. *ad Spartian. in Hadriano*, c. 18. & *Treb. Pollionem in Macriano*, c. 12. Sed & *Conſiliarios* habuêre Auguſtæ, legendis, ponendis, collocandis capillis, in quibus, tanquam in re magna magnam operam poſuiſſe, diximus ſuprà, ubi de *Capillis* & *Coma ſtruenda*. Cæterùm quiſquis antiquitùs bonô *Conſilio* Rempublicam juvit, *coronâ* quoque ſuâ redimitus eſt, uti de iis diximus retro, qui *Commoda* publica aliâ quâdam ratione promotum ivêre. Sic à matronis memoratur Diophantus in coronatus, qui conſilium Phocenſibus ſuggeſſit, ut uxores unà cum liberis in locum lignis circumdatum compulſas, ſi ipſi victi prœliò eſſent, cremarent, apud Plutarch. *de Virt. Fœm.* Et Ariſtophanes oleaginâ coronâ inſignitus eſt, quòd iuſſit eſſet firmare, Rempubl. *Athenienſium nullius eſſe in dominio, ſed per omnia ſui juris*, uti in *Vita* ejus legimus. Conſimilem coronam à Populo Athenienſi quibuſdam conceſſam, & à quibuſdam civitatibus urbi Athenarum ſe auctore datam, Demoſthenes gloriatur *de Corona*, *Ac multos*, inquiens, *jam à vobis verſatos in Republ. coronis eſſe donatos, ſcitis omnes. Propter quem autem alium Reſpubl. coronata ſit, Conſiliarium dico & oratorem niſi propter me, nemo omnium dicere queat.* Hinc Alcibiades apud Platonem, *in Alcibiad. l. 2.* ad Socratem ait, [illegible], *Atque hanc coronam, quando mihi videris præclare conſuluiſſe, tibi circum ponam* &c. Vide Car. Paſchal. *Coronar. l. 5. c. 10.*

CONSILINUM, Italiæ oppid. Tarento vicinum. Mela *l. 2. c. 4.* ubi libri ferè omnes *Conſentia*, in uno tamen *Conſentinum* ſe reperiſſe ait Voſſius, in nullo verò *Conſilinum*. Hoc poſtremum tamen verum eſſe apparet, ex Plin. *l. 3. c. 10.* Meminêre quoque hujus oppidi Auctores *de Coloniis* & Caſſiod. *Var. l. 8. 1. 33.* qui aliquanto fuſiùs de hoc loco agit.

CONSILIUM Magnum, in veterib. Tabb. Gallicis paſſim appellatur Conſeſſus Conſiliariorum intimorum, quod & *Privatum* intendum, ut hodie dicitur; item *Conſilium ſtrictum*, Gall. *Conſeil eſtroit*. Poſtmodùm appellatio hæc peculiaris eſt facta Curiæ, quæ hodie *le Grand Conſeil* nuncupatur, inſtitutæ à Carolo VIII. A. C. 1497. à quo *Magnum Conſilium* in Collegium redactum eſt, conſtans ex Cancellario, Magiſtris Requeſtarum, & XVII. Conſiliariis ordinariis, per trimeſtre tempus cum eodem Cancellario ſervientibus, qui cum eo de Cancellariæ negotiis & majoris momenti litibus, rum hæreditariis, tum beneficiariis, in *Magno Conſilio* priùs dirimi ſolitis, judicarent, Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CONSISTENTES, Græcè Συνιστάντες, quartum pœnitentium in Eccleſia priſca gradum tenuêre: Sic autem dicti ſunt, qui cum aliis fidelibus in Eccleſia *ſtantes* orabant quidem, nondum verò ad Sacramenta admittebantur. Vide Macrum, in voce *Hyemantes*.

CONSISTOR, in *Charta* Walteri de Gant, in *Monaſtic. Anglic. Tom. II. p. 848.* quæ ſic clauditur: *Teſtibus Roberto de Gant, Wilhelmo* Conſiſtore *Ceſtria* — *Lamberto* Conſiſtore: nomen dignitatis alicujus urbanæ, *Conſiliarii Conſiſtoriani* fortè. In Republ. Senenſi hodieque Magiſtratum eſſe, qui *Conſiſtoro* appellatur, tradunt Academici Cruſcani, apud Car. du Freſne.

CONSISTORIANI, ſub poſterioribus Imperatorib. ut & *Comites intra Conſiſtorium* & *Comites ſacri Conſiſtorii*, iidem dicti ſunt, qui *Conſiliarii Augg.* ſub prioribus, vide ſuprà. Qui nempe ſacro Auguſtorum *Conſiſtorio* intererant, maximæque erant apud Cæſares auctoritatis: ad quam dignitatem admittebantur ſolùm Præfecti Prætorio, Quæſtores, Magiſtri Officiorum, Comites ſacrarum Largitionum &c. appellatione poſtmodum ad *Comites ordinis primi* extenſâ. [illegible], *Illuſtri Comiti divini Synedrii*, ita enim Principum *Conſiſtorium* Græci exponunt, in *Concil.* Chalcedon. *Act. 1.* &c. Fuit autem *Conſiſtorium* propriè locus, in Palatio, Cubiculariis potiſſimùm addictus, in quo excubabant ii potiùs, quàm cubabant, ut ad Domini nutus paratiores eſſent, Sidonius, *l. 2. Ep. 9.* Unde Monachus Sangall. *de Carolo M. Geſtis*, *l. 2. c. 8.* quoſdam Legatos, priuſquam ad Imperatoris admitterentur conſpectum, *reperiſſe in Conſiſtorio Cubicularios Imperatoris, circa Magiſtrum ſuum*, ait. Cùm igitur in hoc interiori Palatii veſtibulo (è quo in Silentiariorum primùm, dein in ipſum Principis cubiculum ibatur) conſiſterent, qui Principis audientiam præſtolabantur, ipſeque Princeps ex interiori cubiculo in hoc exterius progrederetur, quò ſupplices audiret, & cauſas ac negotia ſubditorum dirimeret, in eo ſedebat pro tribunali, *inquirentibus in negotium & diſceptantibus Conſiſtorianis*, ut Ammianus ait, *l. 15.* Atque inde *Conſiſtorium* appellari cœpit generatim quivis locus, in quo de publicis rebus cum ſuis *Conſiſtorianis* Imperator deliberabat. Donec juri dicundo *novum Conſiſtorium* extruxit, Juſtinianus, extra Urbis partem, quam *Hebdomum* vocabant, de quo pluribus egit Carol. du Freſne, *ad Villhardunum*, *num. 85.* Steriſſe verò, non adſediſſe *Conſiſtorianos*, in Principum *Conſiſtorio*, videtur indicare Ambroſ. *Ep. 133.* & *l. 3. Cod. Theodoſ. de Fid. teſt.* Interdum tamen adſediſſe, conſtat ex Vopiſco *in Aureliano*, Ammiano, *l. 22.* *Procopio*, Aliis. Vide quoque infrà *Silentiarii*. In Eccleſia Romana *Conſiſtorium*, exedra eſt ædi ſacræ adjuncta, in qua fortè *conſiſtebant* Sacerdotes, de rebus ſacris cum Epiſcopo diſceptaturi: Unde poſtmodum ipſe Conſeſſus Epiſcoporum aut Presbyterorum, ad deliberandum de rebus magni momenti congregatorum, eâdem appellatione inſignitus eſt, uti obſervat Holſtenius *ad Synodum Roman. ſub Bonifacio II. p. 258.* quomodo etiamnum Cardinalium Conſeſſum coram Pontifice vocant. Vide de *Conſiſtorio Papali* inprimis, in *Ceremoniali Roman. l. 1. ſect. 9.* apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* & Macrum, in *Hierolex.* ubi Cardinales antiquitùs pileatos interfuiſſe *Conſiſtoria*, obſervant.

CONSIVUS, Jani cognomen, vide infrà.

CONSOLAMENTUM, apud Catharos, manus impoſitio & Baptiſmus appellatus eſt, cujus conferendi ritum, pluribus refert Ermengardus *contra Valdenſes*, c. 14. Hinc ipſi *Conſolati* dicti ſunt, qui aliàs *Paterini* in Lombardia *Boni Homines* in Germania, Car. du Freſne, *Gloſſar.* ex eod. & Reinero contra *Valdenſes*, c. 6. de quibus verò ſuô locô. At in Eccleſ. Roman. *Conſolatio*, Sermioa etena, quæ poſt *collationem* fiebat à Monachis, qui quòd vice *Conſolationis* & gratuitæ refectionis poſt impenſas orationi & lectioni horas complures, iis impertiretur, detortô illô vocabulô, *Conſolationem* hanc refectionem, pro collatione, appellârunt. Chrodegangus Metenſ. Epiſcop. *in Reg. Canonic.* c. 8. [illegible] quoque Græcis, in *Vita* Nili Junior. Vide ſuprà in *Caritas*.

CONSOLATI, genus Albigenſium, qui aliàs *Perfecti* quoque, quibus alii (alterum Albigenſium genus) fecerunt pactum, quod ipſi vocant *la Convenenſa*, i. e. *convenientiam*, quòd in fine vitæ per eos recipi vellent ad ſectam ipſorum: cujuſmodi receptio paſſim vocatur *hæreticatio*, factaque eſt in hunc modum Benedicto Molineriis, in quadam infirmitate: *Bernardus de Goch Albigenſis manus ipſius infirmi tenuit inter manus ſuas, & quendam librum tenuit ſuper ipſum infirmum, in quo legebat Evangelium B. Johannis, in principio erat Verbum; tradiditque eidem infirmo filum ſubtile, quò pro hæreſi cingeretur.* Circa mulierem autem infirmam ritus aliquantum variabat. Per abſtinentias verò quaſdam ad receptionem iſtam præparabantur: & quia receptio illa credebatur animam recepti ſalvare, vocata fuit *Baptiſmus ſpiritualis*, ſeu *Conſolamentum*. Unde & per eam credebantur ſanctificari, ita ut nullum ita receptum à muliere tangi fas eſſet. Qui porrò ita recipiebantur in ſua infirmitate, illis præſcriptum fuit, ut ſe ponerent in *Endura*, de qua voce infrà, plura verò hanc in rem, apud Phil. à Limborch, *Hiſtor. Inquiſit. l. 1. c. 8.* (ex *Libro Sententiarum Inquiſitionis Tholoſanæ*, primò ab ipſo in lucem edito) ubi de diſcrimine Albigenſium & Valdenſium prolixè agit.

CONSORANNI, populi Galliæ Aquitanicæ, quorum primus omnium meminit Plin. *l. 4. c. 19.* Horum regio *Conſerans*, juxta Sallam fluv. in confinio Occitaniæ, extenditur ad montes Pyrenæos, prope Aragoniam & fontes Garumnæ. *Baudrand.* *Valeſio* ab ora Sardonum, marique Gallicò non multùm abſunt, inter Areјam ac Garumnam fluv. ſiti, citra Garumnam tamen, quò provinc. Narbonenſis ab Aquitania dividitur. Eorum urbs inter provinciæ Novempopulanæ civitates 12. quarta, interdum ſexta numerantur, in veterib. *Notit.* *Civitas Conſerannorum*, aliquando, nomine Gentis, *Conſeranni*; nonnullis etiam *Auſtria*, quòd Auſtro, ab Hiſpania flatui, expoſita ſit, dicta. Hodie ab Epiſcopo quondam ſuo & Patrono, Fanum S. Licerii, vulgò *S. Lezer* nuncupatur, ut & nomine Gentis *Conſerans*, Vulgo *Coſerans*, & *Couſerans*, parva admodum, ad Salatum fluv. Pyrenaicum, qui in Garumnam, poſt Ciſtam & Nigellam, tertius effluit, vulgò *le Salle*, 12. leuc. à Tholoſa, totidem ab Auſcis 25. autem à Perpiniano.

 Epi-

Epiſcopus ejus, quartus inter Auſcitanæ Metropoli ſuffraganeos, recenſetur: Concilio Agathæ, ſub Alarico Rege & Meſſallâ Conſule habito Glycerius ſeu Licerius, unde urbi nomen, interfuit: ſicut à Theodoro Epiſcopo miſſus Eleutherius Aurelianenſi quinto. Primus Epiſcopus Valerius fuit, teſte Gregorio. Pagi cognominis urbs caput eſt, qui ad radices Pyrenæorum, quà Hiſpaniam ab Aquitania & provinc. Narbonenſi dividunt, inter Oceanum Aquitanic. & mare Gallicum, ſed huic propior, jacet. Hôc pagô dioeceſique continentur parœciæ vel vici 80. Oppida Caſtellio, S. Gerontii & Baſida ſeu Baſtita, *Notit. Gall.* Vide *Fanum S. Licerii.*

CONSORTIUM hercto non cito, apud A. Gellium, *l.* 1. *c.* 9. *Sed id quoque non prætereundum eſt, quod omnes ſimul, qui a Pythagora in cohortem illam diſciplinarum recepti erant, quod quiſque pecuniæ familiæque habebat, in medium dabant, & coibatur ſocietas inſeparabilis, tanquam illud fuit antiquum conſortium, quod jure atque verbo Romani appellabatur* Hercto non cito: Societas propriè fuit inter cohæredes qui à communione diſcedere nolebant. *Conſortes* enim dicebantur, quamdiu hæreditas diviſa non erat. Gloſſæ, *conſortes*, κοινωνοὶ, συγκληροι. Unde *Conſortium* iſtiuſmodi ſocietas & communio cohæredum: Contrà *diſſortes*, poſtquam diviſerant. Gloſſæ, *diſſortes*, διακληρωθέντες; ut *exſortes*, ἄκληροι, quaſi *exheredes*. *Herctum* autem, in antiqua illa Juris formula ac verbo, hæreditatem, patrimonium & bona ſignificat, ut latiùs infrà videbimus, in hac voce: *Citum*, diviſum, à *cio*, quod ortum eſt ex antiquo verbo Græco χίω, pro quo σχίζω poſtmodum dictum eſt, i. e. *divido*, *ſcindo*. De cohæredibus igitur, uſurpata hæc formula, qui *Herctum* inter ſe non *ciebant*, h. e. hæreditatem & bona defuncti non dividebant. Quod ſi verò qui à *Conſortio Hercti non citi* diſcedere volebant, & *Herctum citum* habere, i. e. hæreditatem diviſam, experiebantur actione *Familiæ erciſcundæ*, conſtitutâ ex *Legg.* XII. Tabb. Quô judiciô non ſola familia, ſed tota hæreditas dividi petebatur. Ubi obiter notandum, cùm *erciſci*, pro *dividere* à Triboniano poſitum, nihili verbum ſit & cœlo Latino ignotum, actionem illam XII. Tabularum, quæ dabatur *Hercto ciendo*, h. e. hæreditati dividundæ, ita conceptam fuiſſe, judicare Salmaſium, *Familiæ*, *hercti*, *ciendæ*, i. e. familiæ & reliquorum bonorum, quæ *hercti* nomine comprehenduntur, dividendorum. Quam in rem vide pluribus illum diſſerentem, *ad Solin. p.* 1163.

CONSP. in nummo Valentiniani: CONSPΓ. in Juliani: CONST. in Conſtantii, Conſtantis & Valentis, ſignificant *Conſtantinopoli*, vel *Conſtantinopoli percuſſa*. Γ. verò Monetarii nota eſt. Car. du Freſne, *Diſſertatione de infer. ævi Numiſmatibus.*

CONSPERSA Farina, apud Veteres Latinos, farina ſubacta eſt, Græcè ἄλευρον πεφυραμένον, *Heſychio* ἄλφιτον quoque, ita enim is interpretatur, ἢ ἀπὸ κριθῆς ἀλεύρου ἢ σίτου πεφυραμένον ἄλευρον, *farinam hordei aut tritici conſperſam*. Idem & μάζαν exponit, ἄλφιτα πεφυραμένα ὕδατι καὶ ἐλαίῳ. Perſius *polentam* appellat, *Sat.* 3. *v.* 55. ubi de Stoica juventute,

> —— *ſiliquis & grandi paſta polentâ.*

Sequens Latinitas *paſtam* vocavit, Græcô vocabulô, quod *conſperſam* ſignificat: namque πάσσειν idem, quod παλύνειν, *conſpergere*. Subintelligitur autem *aqua*; —— *Farina ſcil. conſperſa aquâ*: uti *pulverem conſpergere*, eſt aquâ ſparsâ de pulvere lutum facere & ſic pulverem ſedare. Phædrus, *l.* 2. *Fab.* 6. *v.* 15.

> *Alveolô cœpit ligneô conſpergere*
> *Humum æſtuantem:*

ſedando nempe pulveri &c. Vide eundem Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 227. & infrà, in voce *Polenta.*

CONSPICILLUM, vide infrà *Perſpicillum.*

CONSPUERE, extremi contemptus & contumeliæ ſignum: idem cum *Deſpuere*, apud Minucium Fel. *in Octavio*, ubi Cæcilius de Chriſtianis, *Deos deſpuunt, rident ſacra*: quod amplius eſſe, quàm *reſpuere*, monet Ouzelius *ad l.* Petronius, *Satyr. Nec contenta mulier tam gravi injuriâ mea convocat omnes quaſillarias, & familiæ ſordidiſſimam partem, ac me conſpui jubet.* Seneca, *de injur. Sapientis*, c. 1. *Tibi indignum videbatur, quòd illi diſſuaſuro legem, toga in Foro eſſet erepta, quodque à roſtris uſque ad arcum Fabianum —— voces improbas & ſputa —— pertuliſſet.* Vide quoque Hieronym. ad Domnionem. Nilum, *de Cauſis Diſſens. Eccleſ. l.* 1. Alios. Hinc in Euangelio cruci damnandus Salvator noſter, ne quid contumeliæ non pateretur, à nequiſſimis Judæis etiam *conſputus* legitur, Matth. *c.* 26. *v.* 67. Eôdem itaque fine Chriſtiani Gentilium Deaſtrorum ſimulacra ſputamentis obliniebant, quod Cæcilius apud Minucium innuit, ut ſcil. tantô magis eorum execrationem manifeſtiſſimis ſignis teſtarentur: quô fine & pedibus ea proturbabant. Templa quoque, aras, altaria & cætera hujuſmodi deſpuebant, quin & in ipſa Præſidum, à quibus ad idololatriam compellebantur, ora, ſputa conjiciebant, ut ex Prudentio, *in Martyrio Eulaliæ*, diſcimus. Qui tamen Zelus non omnibus probatus eſt. Certè cùm objiceret Celſus Chriſtianis, eos gloriari, quod Jovis aut aliorum Numinum ſimulachris impunè maledicerent, ac colaphos impingerent, negat Origenes de veris Chriſtianis id verè poſſe dici, ut qui ſciant, ſcriptum eſſe, Θεοὺς οὐ κακολογήσεις, *Diis non maledices*, *contra Celſum l.* 8. integrum locum, inſignem omnino, ut & plura hanc in rem habes apud Deſid. Heraldum, *Caſtigat. & Not. ad Minucium, loc. cit.* Uti verò *Conſpuere* alios, vilipendii ſignum, ſic inſputare ſe ipſum, inſaniæ; uti notum ex Davidis Hiſtoria facit, 1. Sam, *c.* 21. *v.* 13. Quod etiam Fanaticos ac Ariolos, furorem mentientes, factitâſſe, dicemus voce *Inſania.* Vide quoque infrà *Exſufflatio*, *Facies* &c.

CONSTABILITOR, in Charta Roberti II. Principis Capuani, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CONSTABULARIUS, Munſtero, *l.* 2. *c.* 15. *Conſtablius*, Sigeberto, *App. ad A. C.* 1165. *Conſtalus*, Germanis Rheni accolis *Conſtafolarius*, Gallis *Conneſtable*, Italis *Conneſtabile* & *Conteſtabile*, &c. à Latino *Comite ſtabuli*, qui ſtabulo ſuperiorum Imperatorum Præfectus, Amm. Marcellin. *in Conſtantio. & Julian. Sect.* 3. appellatur *Tribunus ſtabuli*: Græcis inferioribus Κονοσταῦλος, Κονοσταῦλος & Κοντοσταῦλος dicitur, à *Conto*, pro Comite, & *Stalle*, Saxon. ſtabulo. Mutatum autem nomen *Tribuni ſtabuli* in nomen *Comitis ſtabuli*, mox ab ævo Conſtantini ſejunctæ dein dictiones conjungi cœptæ videntur ſeculô decimô. Rhegino enim, qui floruit A. C. 1010. *Burchardum Comitem ſtabuli ſui*, inquit, *quem corrupte Conſtabulum appellamus, cum claſſe miſit in Corſicam.* Sed reperitur dici *Conſtabularius* à Tertulliano, pro *Curatore ſtabuli*: & *Conſtabulare* apud Columellam, pro *diverſa animalia eôdem ſtabulô ſervare.* Itali non ſolum *Comitem ſtabuli* dixêre de Præfecto ſtabuli Imperatoris, ſed etiam de Præfecto Equitum; mox de omni turmæ equeſtris Præfectu, ipſoque tandem peditum Centurione, quos hodie Capitaneos appellamus: quod etiam apud Græcos inferiores, Gallos & Anglos obtinuit: Niſi quod Græci exoticô vocabulô, de exoticarum tantummodo copiarum ductoribus uſi ſunt; & inde ὁ μέγας Κονοσταῦλος appellatus eſt, qui cæteris omnibus *Conſtaulis*, i. e. ductoribus auxiliarium copiarum imperabat, Codinus, *in Offic. Conſtant.* Saxonibus Anglis ſummus hic officialis Herelochius dicebatur, ſed auditâ voce tranſmarinâ ipſi quoque eundem *Stallarium* appellabant, *Con* pro Comite omiſſô. Anglo-Normannis dein recepta paſſim vox *Conſtabularius*. & ſub Guilielmo primo Walterus Glouceſtrenſis Angliæ *Conſtabularius* deſignatus eſt: cujus quoque filium Milonem. Mathildis Imperatrix annô 6. regni Stephani, Comitem Herefordiæ & *Conſtabularium* Angliæ conſtituiſſe dicitur. Et in paternum munus ſucceſſêre filii Rogerius, Walterus, Henricus, Guilielmus & Mahelus, quibus defunctis ſine prole, Comitatus Herefordiæ & *Conſtabulariæ* Angliæ, nuptiis Margaretæ, ſororis eorum, quæ obiit A. C. 1187. ad Humfredum de Bohun devoluta ſunt. E qua familia numerantur decem *Conſtabularii*, Humfredi omnes dicti, præter Johannem unum, ſub exitu Eduardi II. cujus filia Elianora hæres relictâ Thomam de Woodſtock, ſextum filium Eduardi III. maritum ſuum, Angliæ *Conſtabularium* ſalutavit. Hôc verò extinctô, ceſſavit hæreditario dignitas tranſire, ſucceſſêreque deinceps pro arbitrio Regis, alii ad terminum vitæ, alii ad placitum, hôc ordine:

Eduardus Plantageneta Dux Albemarlæ	21. R. 2.
Hen. Perſie Comes Northumbriæ.	1. H. 4.
Joh. Dux Bedford, fil. & frater Regum,	8. H. 4.
Humfred. Strafford Dux Buckinghamenſ.	8. H. 6.
Joh. Dom. Beaumont,	25. H. 6.
Joh. Tiptoft Comes Wigornienſis ad placitum	1. Ed. 4.
Ric. Widvill. Comes Rivers ad vitam,	7. Ed. 4.
Anthu. Widwill. Comes Rivers ad vitam	Ed. 4
Joh. Tiptoſt Comes Wigornienſis.	10. E 4
Georgius Plantageneta Dux Clarentiæ,	Ed. 4.
Ric. Plantageneta Dux Gloceſtriæ.	Ed. 4.
Henr. Stafford Buckinghamenſ.	
Tho. Stanley Dom. Stanley, 18. Nov.	1. H 7.
Edoundus Stafford Dux Buckinghamenſ.	1. H. 7.

quô ſecuri ſublatô annô 13. regni Henrici VII. apud Anglos deinceps diuturnus *Conſtabularius* non eſt conſtitutus. Fuit munus *Conſtabularii* arduum & ampliſſimum, nec bellô ſolùm ſed etiam pace: Populo autem grave aliquando, ideoque ſtatutô annô 13. Richardi II. coërcitum, ubi ejus juriſdictio ſic enarratur: Ad *Conſtabularium* pertinet de contractibus cognoſcere, facta armorum tangentibus, & de bello extra regnum, etiam de rebus ad arma ſeu bellum pertinentibus intra Regnum, quæ nec terminari, nec diſcuti poſſunt, per Communem legem, &c. Subjungitur etiam coërcitionis formula, ſi vel *Conſtabularius* vel Mareſcallus aliquid in contrarium attentaverit. Rem latiùs exhibet diploma hujus muneris annô 7. Eduardi IV. conceſſi, quod vide apud Spelmann. *Gloſſar. Archæol. ubi & de Conſtabulariis minoribus nota*, *Caſtelli*, *Hundredi*, *Villæ*, *Scaccarii*, &c. De Galliæ Conſtabulario vide in voce *Conneſtabilis*. Hic ſaltem Catalogum eorum ſubtexam, ex Moreno, *Diction. Hiſt.*

Conneſtables Galliæ.

Ebroinus & Rocco, ſub Theodorico Rege Metenſium.
Geillo, ſub Carolo M.
Guilielmus, ſub Ludov. Pio.
Lendegiſilus, ſub Guntrano, Rege Aurelianenſi.
Albericus Monmorantius, ſub Henrico I. A. C. 1060.
Baldericus, A. C. 1067.
Gualterus, A. C. 1069.
Adelinus ſub Philippo I.
Adamus A. C. 1079
Theobaldus Mommorantius, A. C. 1083.
Walo, mortuus A. C. 1097. in obſidione Antiochiæ.
Matthæus.
Gaſto, ſub Philippo I.
Hugo de Chaumont, ab A. C. 1110. uſque ad A. C. 1138.
Matthæus I. Mommorantius, uſque ad A. C. 1166.
Simon de Neaufle.
Rodolfus Comes Claromont.
Guilielmus Drocenſis ſub Philippo Aug. A. C. 1192.
Druis de Mellu, ab A. C 1204. uſque ad A. C. 1218.
Matthæus II. Mommorantius, hic dignitatem in faſtigium evexit, Obiit A. C. 1230.
Almericus III. Comes Montis fortis, uſque ad A. C. 1241.
Guichardus Bellovacenſis, ſub Ludovico IX. ut &
Ægidius le Brun, &
Imbertus Bellijocenſis.
Rodolfus Claromontanus occiſus in prœlio Curtracenſi A. C. 1302.
Ludovicus de Bellojoco.
Scævola Caſtellionæus, quinque Regibus ſervit, mortuus A. C. 1392.
Rodolfus Comes Euſius.
Rodolfus II. filius ejus, ſub Joh. Rege captus plexus A. C. 1351.
Carolus de la Cerda: occiſus A. C. 1353.
Scævola Brennenſis, occiſus in prœlio Pictav. A. C. 1356.

Jacobus

Jacobus Borbonius, occiſus in pugna *de Brignais*, A. C. 1361.
Robertus Fiennenſis.
Bertrandus Gueſclinus, ab A. C. 1368. uſque ad A. C. 1380.
Olivier Chiſſonus, obiit A. C. 1397.
Phil. Arteſius, A. C. 1402.
Carolus Albretanus, occiſus in prœlio Azincurtio, A. C. 1415.
Valeran Luxemburgicus ei oppoſitus.
Bernardus Comes Armeniacus occiſus à ſeditioſis A. C. 1418.
Carolus II. Lotharingiæ Dux.
Joh. Bouccanus, in prœlio ad Vernolium peremtus A. C. 1424.
Arturus Brito, uſque ad A. C. 1458.
Ludovicus Lucemburgicus, A. C. 1465. capite plexus A. C. 1475.
Johannes II. Borbonius Dux uſque ad A. C. 1488. poſt quem vacavit dignitas ann. 24.
Carolus II. Borbonius, à Franciſco I. hôc munere exornatus eſt A. C. 1515.
Annas Montmorantius, occiſus in prœlio San-Dionyſiano, A. C. 1567. poſt quem 27. ann. vacavit hæc dignitas.
Henricus Montmorantius fil. prioris ſub Henrico IV. Conneſtabilis eſſe cœpit, A. C. 1593. Obiit A. C. 1614. Poſt ſeptem à morte ejus annos
Carolus Albretanus, Dux Luinæus à Ludov. XIII. A. C. 1621. Conneſtabilis factus, obiit eôdem annô. Succeſſit
Franciſcus Deguierius Dux, qui obiit A. C. 1622. poſt quem à Rege dignitas abolita eſt.

CONSTAFFOLARII, Germanis ad Rhenum, *die Conſtoffler*, Aſſeſſores Judicii, Decuriones; à *Staffolo* Comitis ſeu Judicis Fiſcalis, ſeu Tribunali Judiciario, quod ſic vocabant à *gradibus*, per quos conſcendebatur. Erant autem olim ſub Francis omnes provinciæ, Comitum, qui Germanis *Grafiones* dicuntur, h. e. Judicum Fiſcalium, diſtrictibus diſtinctæ. Unde & Tribunal Prætoris Germanis *Staffelſtein* dicitur. Sic in antiquiſſimis privilegiis Novientenſis Abbatiæ quam Eibico Germaniæ I. Dux, aſſentiente uxore Berſuinde, non procul Seleſtadiô conſtituit, legitur. *Und ſoll der Hof haben zwyen Staffelſtein, und einen Stock.* Vide Joh. Calvin. *Lexic. Jurid.* & infrà, in voce *Staphilum*.

Imperatores Romani.

CONSTANS I. tertius Conſtantini M. ex Fauſta fil. Cæſar à Patre factus eſt, A. C 333. quô mortuô, Italia, Africa & Illyricum cum Græcia illi obtigit. Gallis devictis fratrem Conſtantinum, cui Gallia, Hiſpania & Britannia ceſſerat, ſibi Occidentem erepturum, ad Aquilejam prœliô ſuperavit, illique interfectô ſucceſſit. Ab Orthodoxis, contra Arianos ſtetit, Sardicum concilium inſtituit, Conſtantio fratri, hæreticorum contra Athanaſium fautori, minatus eſt, Donatiſtarum in Africa ſchiſma omni ope opprimere conatus. Poſt hæc morbô moroſior factus, evaſit Reipubl. negligens, & crudelis, unde milites abalienati Magnentium Imperatorem ſalutârunt, Rhætici limitis præſidem, qui per immiſſos percuſſores Dominum ſuum, in tentorio quieſcentem, Elnæ, in Comitatu Ruſcinonenſi, interfecit, A. C. 350. ætat. 30. Imper. 13. Athanaſius eum velut martyrem laudat. Vide Socrat. *l.* 2. Sozom. *l.* 4. Eutrop. *l.* 10. Aurel. Victor. *ep. hiſt.* Oroſ. *l.* 7. *c.* 29.

CONSTANS II. fil. Conſtantini III. nepos Heraclii, Heracleoni patruo ſucceſſit, A. C. 641. Monothelitarum fautor, Paulum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præfecit, ejus conſiliô edictum, cui *Typi* nomen, divulgans, quô utramque partem ſilere juſſit. Hoc ſtatim Theodorus Papa damnavit, Paulô excommunicatô, quod cùm & ſucceſſor ejus Martinus factitâſſet, captivus per Calliopam Exarchum Conſtantinopolim abductus, in Ponto exul obiit. Mox à Saracenis victus Imperator Africam, Cyprum, Rhodum, &c. amiſit, quibus tamen paulo poſt pacem & tributum extorſit, Muhaviâ Principe illorum, à quo magnâ quoque clade ad Lyciæ portum affectus fuerat, domeſticis turbis implicitô. Contra Romoaldum Beneventanum, in Longobardia, quoque infelix. Theodoſium fratrem primò Diaconum fecit, dein è medio ſuſtulit, nocturnâ poſtmodum ejus voce, *Bibe mi Frater*, territus. Româ ſpoliatâ Syracuſis reſidens, dum Siciliam, Africam & vicina loca exactionibus vexat, in balneo, ab Andrea Troilo, qui ipſi à cubiculo erat, ſitulâ interfectus eſt, A. C. 668. Imperii 26. Zonar. *tom.* 3. P. Diac. *l.* 5. & 10. Cedren. *Hiſt.* Aimoin. *l.* 4 *c.* 32. Anaſtaſius Bibliothecar. *in Vitaliano*. Theophanes, &c. Pater Conſtantini Pogonati.

CONSTANS, fil. Conſtantini tyranni, A. C. 407. à Patre Cæſar factus, & in Hiſpaniam miſſus eſt. Primò felix, mox miſerrimè periit, ex monacho Imperator. A Gerontio Viennæ occiſus. Blond. *l.* 2. Oroſ. *l.* 7. *c.* 40. Sozom. *l.* 6. &c.

Feminæ Principes.

CONSTANTIA, filia Conſtantii Chlori, ex Theodora, nupſit Licinio, contra Conſtantinum M. rebelli, ex illo Licinii mater. Maritô ultimô prœliô ab Imperatore devictô, veniam nacta: ille verò, non ceſſans cum Barbaris commercium habere, ſtrangulatus eſt. Ab Euſebio Nicomed. Ariano ſeducta, cùm moriturum fratrem rogaret, ecquid gratiæ peteret, hunc ei ultimis vocis commendavit. Hieronym. *ep. ad Cteſiph.* Rufin. *l.* 1. Theodoret. *l.* 2. Socr. *l.* 2.

CONSTANTIA, quæ & *Conſtantina*, nupta Gallicano, qui Scythis miraculoſè ſuperatis Chriſti fidem amplexus eſt. Filia fuit Conſtantini Imperatoris; Ut & altera, quæ Annibalini primò, dein Galli, qui Cæſar factus, uxor, ob mores *Megæra* dicta eſt. Amm. Marcellin. *l.* 21. Item, filia Poſthuma Conſtantii Imperatoris Gratiano nupta.

CONSTANTIA, filia Gulielmi V. Comitis Arelatenſis, &c. ex Blanca, pulcherrima, ſed ferox, terrica, intolerabilis, quam Robertus Rex Galliæ maritus fruſtra corrigere annixus eſt. Eô mortuô, cum Odone Campano aliiſque Proceribus, contra filium ſuum Henric. I. pro juniore Roberto, primo poſtmodum Burgundiæ Duce fœdus iniit. *Mezeray*. Item filia Alphonſi VIII. Caſtell. Regis alias *Elizabetha*, nupſit A. C. 1152. Ludovico VII. Galliæ Regi. obiit A. C. 1159 mater Margaretæ Francicæ, quæ primò Henrico Juniori, filio Henrici II. Angliæ Regis, dein Belæ III. Hungariæ Regi &c. nupſit.

CONSTANTIA, filia Rogerii I. Siculi jam provectâ ætate monialis, ut quidam volunt, nupſit Henrico VI. Imperatori A. C. 1186. A Salernitanis Tancredo prodita, aliquamdiu in carcere detenta eſt; inde libera, in publico Panormi theatro, jam quinquagenaria filium peperit: Maritum, partim ſævitiâ in Normannos, partim adulteriis ejus offenſa, veneno necavit Obiit A. C. 1198 Friedericô filiô relictô. Blond. *l* 6. Fazell. *hiſt Sic. l.* 6 Æmil. *l.* 6. Cui à Cœleſtino III. Siciliæ inveſtituram conciliare fruſtra conata eſt.

CONSTANTIA, filia Caroli Archiducis Auſtriæ, Styriæ ſeu Græcienſis lineæ conditoris, poſt ſororis Annæ mortem, (Jeſuitis inſtantibus & Pontifice annuente, contra non Proteſtantium modò, ſed & Catholicorum in Polonia, qui difficultatum in Sigiſmondi Auguſti exemplo ſimili memores erant, ſententiam) ducta à Sigiſmundo Poloniæ Rege, mariti afflictam in ſenectute valetudinem ſedulo curavit. Vide Phil. Jac. Spener. *Sylloge Genealogico-Hiſtorica.*

CONSTANTIA, filia Leopoldi V. cognomine *Honorabilis*, Ducis Auſtriæ, nupta Miſniæ Marchioni, ex eo filios ſuſcepit, inter quos, & Ottocarum Bohemiæ Regem, alterius ſororis Margaretæ maritum, de Friderici cognomine *Bellicoſi*, Auſtriæ Ducis fratris utriuſque A. C. 1246. extincti, hæreditate lis fuit: donec Rudolfus I. Imperator cæſô Ottocarô, Ducatum Imperio primum, dein ſuæ familiæ addidit. Vide Eundem, *in Famil. Palatino-Bavarica.*

CONSTANTIA d' Avalos, veteri ſtirpe, unde Ferrandus, *Franciſcus* & Alphonſus, ſub Carolo V. exercituum Dux fortiſſimus, prodiere. Hilario Coſtus, *de Fem. Illuſtr.*

CONSTANTIA de Carreto, Neapolitana, nobiliſſimô genere nata, virtute inclyta. *Idem.*

CONSTANTIA Francica, filia Philippi I. Hugonis primò Comitis Trecenſis uxor, dein Boëmundi I. Principis Antiocheni. Item, uxor Raymundi V. Comitis Tholoſani, filia Ludovici VI. cùm prius Euſtachio, Comiti Moritangiæ, filio Stephani Bleſenſis, Angliæ Regi nupſiſſet, hinc Reginæ titulô ſervatô.

CONSTANTIA Emanuelis, uxor Petri Juſtitiarii, Luſitaniæ Regis, filia Infantis Caſtelliæ, Johannis Emanuelis, Penafielii Ducis, &c.

CONSTANTIA, urbs libera Germaniæ ſub clientela tamen domus Auſtriacæ probè munita, ad lacum Conſtantienſem, ubi Rhenus ex eo effluit, verſus Acronium lacum. A Conſtantio Chloro dicta eſt. Obſeſſa fuit à Suecis, A. C. 1634. irritô conatu. 7. leuc. à Scaphuſia. Aliàs ſub dominio Epiſcop. In ea celebratum Concilium A. C. 1094. dein Concilium Oecumenicum Conſtantienſe, A. C. 1414. operâ Sigiſmundi Imperatoris coactum, ubi poſt hymnum, *Veni S. Spiritus*, charta in templum projecta, in qua ſcriptum, *Aliis rebus occupati nunc, adeſſe non poſſumus.* Hic Johannes & Benedictus Papæ depoſiti, Gregorius ultro ceſſit Martino V. electo, Calicis uſus fruſtra petitus, Johannes Huſſus & Hieronymus Pragenſis contra fidem datam, combuſti &c. *Later.* Blarrerus Evangelium docuit, A C. 1531. Vide *Gamodurum*. & Guilliman. *Helvet. l.* 3. *c.* 3. Georg. Braun. *tom.* 2. *de Urb.* Maximi, Palliriium, San-Marth. *in Francia Chriſtian*, *tom.* 2. *p.* 548. Joh. Baleum, *in Job.* 24. P. Simſon. *in Hiſt. Angl. Cent.* 13. *Concilia Luper. Binii*, *impreſſionis Rom.* &c. Epiſcopus primus Beatus fertur, Dominus eſt caſtrorum, vicorumque ultra centum, Princeps Imperii, obnoxius Archiepiſcopo Moguntino. In Diœceſi hujus Eccleſiæ, ſub Sigiſmundo Imperatore numerati ſunt Sacerdotes 17000. Boterus, *in Relat.* Plura apud B. Rhenanum, *Rer. Germ. l.* 1. cum Notis Cl. Ottonis, qui occaſione Caſtelli Bodma haut procul urbe diſtantis, unde *Lacus Potamico* nomen, de Familia Potamica vulgò *de Bodman*, longè vetuſtiſſimæ originis, ex Merovingis Galliæ Regg. quippe per Agilolfingos, Guelphoſque deducendæ, hodieque florente, plurima habet.

CONSTANTIA, Cypri urbs, prius *Salamis* dicta & aliis Britanniæ, à *Conſtante* nominata. Gentile *Conſtantiates*. Alia item inter Helvetios & Rhenum. Vide ſuprà.

CONSTANTIA Caſtra, quæ & *Coſedia*. *Ammian. Marcellin. Conſtance en Normandie* quibuſdam, melius *Coutance*. Urbs eſt Galliæ, Oceano propinqua, quæ muris & foſſis & aquis (nam tenui rivulo aſſidet) carere dicitur. Condita eſt à Flavio Conſtantio A Chloro & Paupere cognominato, patre Conſtantini M. ſi *Orderico* fides: Alii malunt arcu aliquô, aut aliô opere magnificô exornatam urbem & ob id *Conſtantiam* dictam fuiſſe à Conſtantio Aug. fratre Conſtantis Aug. Conſtantii Chlori nepote: vide Amm. Marcellin. *l.* 21. Quidquid ſit, vetus urbs eſt, caputque alicujus gentis nobis ignotæ ac ſedes Epiſcopatus. Et fortè *Unelli* illi vel *Venelli* fuêre *Conſtantiaque in Peutingeriana tabula Cruciatonum* prius dicta eſt, vel *Crociatonum Venelorum*, apud *Ptolem.* Ad amnem Bardum ſita, 2. leucis ab ora maris Britannici, 8. ab Abrincis in Boream diſtat. Caput eſt regiunculæ *Conſtantin* vel *Coutantin*, quæ longè lateque diffuſa à Septentrione Oceanum, à Meridie fretum Sagium, ad Occaſum Armoricum habet. Cum titulo Comitatus. Hanc ditionem Inſulam Conſtantiam *Walſinghamus* vocat, quia maxima ex parte Oceanô cingitur, more peninſulæ, cujus anguſtiarum termini ſunt hinc Carentonum, illinc Portus baſſus. Quidam ſeptum Conſtantienſe, *le Cloſet du Cotentin*, aliàs *la Hague de Coutantin* appellare malunt, voce Germanicâ ſilvam denotante: & certè tota peninſula hujus dimonia ſilvis abundat, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Eam Robertus Normannus, cum Godofredo Bullionæo, in Orientem iturus, oppigneravit fratri ſuo Gulielmo Roſſo. Quibuſdam porro urbs videtur *Auguſta Romanduorum* Polydor. Virg. &

Con-

Conſtantino vel Conſtantio poſtmodum vocata, quæ *Caſtra Conſtantini*, ut dictum, *Marcellin.* Alia eſt Britannis vet. *Moricini.* Vide Chennum, *de Urb.* Rob. Cenalem, *Hiſt. Fr. l.* 2. *periochâ* 5. San-Marth. *Gall. Chriſt. Part.* 2. *p.* 537. & *ſeqq.* & in voce *Conſilia.*

CONSTANTIENSIS Lacus, *Bodenſee*, inter Sueviam & Helvetiam, maximè à Conſtantia, quam rigat, dictus. Per eum labitur Rhenus. Longitud. eſt 40. mill. paſſ. Antea Brigantinus, Venetus, Podamicus. Rigat Lindavium, Uberlingam, Buchornam, Brigantium, & Merſburgum.

de CONSTANTIIS Gualterus, vide *Gualterus.*

CONSTANTINA, Soror Claudii II. Imperatoris nupta Tribuno Aſſyriorum, apud Pollionem in *Claudio*, c. 13.

CONSTANTINA, Marmol. *l.* 6 c. 28. Numidiæ Metropolis, priùs *Cirta*, Et Phœniciæ urbs. *Euſeb.* Eſt & oppid. parvum Hiſpaniæ in Vandalitia. Vide etiam *Nicephorium.* Prope montes Marianos, 12 leuc. ab Hiſpali, verſùs Calatravam, in Cæciam, totidem à Corduba in Occaſum. *Baudrand.*

CONSTANTINATI, nummi dicti ſunt aurei Byzantii, à Conſtantino Duca cuſi. Sic *Romanati*, *Michalati*, alii, ab Imperatorib. quorum erant, vel quorum imagines præferebant, nomen adepti. Car. du Freſne, *Diſſert. de Infer. ævi Numiſm.* Iidem & *Conſtantini*, quibuſdam.

CONSTANTINIANA, dicta eſt Romæ Lateranenſis Baſilica, à *Conſtantino* M. erecta, quæ & *S. Salvatoris* nomen habuit. *Cùm exirem ab Eccleſia, quæ vocatur Conſtantiniana* &c. Item, *Et ſumtâ mecum omni Clerô, privatim manſi in Eccleſia S. Salvatoris --- quæ* cognominatur Conſtantiniana, *quæ prima in toto mundo conſtructa & ſtabilita eſt, à bonæ memoriæ Conſtantio Imperatore, quæ eſt juxta Epiſcopium*, Martinus Papa, & Martinus in *Ep.* ad Theodorum, in *Collect. Anaſtaſii Bibl. a Sirmondo editâ*, *p.* 71. & 75. Quomodo verò *S. Johannis in Laterano* poſteà dicta ſit hæc ædes, fusè exponitur, apud Macros Fratres, in *Hierolex.*

CONSTANTINOPOLIS, priùs *Byzantium*, Thraciæ caput fuit; & cùm à Severo A. C. 197. direpta eſſet, à Conſtantino M. inſtaurata eſt, & Imperii ſedes conſtituta, *Nova Roma* dicta. In finibus Thraciæ ſita, tam commodô locô, ut nemo ultro, citroque trajectiones Aſiæ Europæque facere poſſit, invitâ Conſtantinopoli, cùm ſit, velut pons, & portus utriuſque orbis. Nunc Imperatorum Turcicor. ſedes, poſtquam à Mahumete II A. C. 1453. capta eſt. Unde opulentiſſima, frequentiſſima, Europæarum maxima & potentiſſima evaſit. Ambitus urbis 24. milliar. complectitur, & utriuſque ſexus 700000. numerantur. Portum habet commodiſſimum. Ipſa triangularis eſt, viæ anguſtæ & inæquales. 7. colles includit. Sita eſt juxta Propontidem & Boſporum Thracium, ex adverſo Aſiæ minoris. Ei adjacet ex parte Aſiæ *Scutaret*, aliàs Chryſopolis. Galata ſeu Pera ſuburbium eſt, quaſi ultra æſtuarium, ubi Latini ferè omnes commorantur. Vide *Cornu.* Palatium Principis vulgò *le Serrail.* Turcæ *Stamboul* dicunt, i. e. amplam, & regiam civitatem. Hujus deſcriptionem integram habes apud Petrum Gyllium, qui *rerum Conſtantinopolitanarum libros* 4. conſcripſit. & P. de Valle, *Itiner. tom.* 1. Hiſtoria Urbis paucis ſic habet: Conſtantinus, prope Ilium, novæ urbis fundamenta jacturus, tum ſomniô, tum omine aquilæ, monitus, Byzantium elegit. *Zonar.* quam omnibus modis exornatam, ſedem Imperii eſſe juſſit. Bibliothecâ inter alia inſigni collectâ, quæ à ſucceſſoribus ad 16000. voluminum aucta, ſub Conſulatu Baſiliſci, arſit. Dedicavit Martyrum Deo hanc novam Romam, A. C. 330. Urb. Cond. 1083. Sub Arcadio, fulmine peritura videbatur, A. C. 396. Peſte & fame afflicta eſt, A. C. 446. quô tempore magna incolarum vis Neſtorianiſmum fovebat. Annô pòſt ſemeſtri terræmotu concuſſa, à Cyro reparata: Sub Leone & Conſule Baſiliſco, tantum non incendiô deleta, A. C. 465. Horribili terræ tremore denuo ſub Juſtiniano territa, A. C. 557. qui Sophiæ templum, urbe reparatâ, inter alia extruxit, cujus deſcriptionem *Procopius* exhibet. Adverſus ſeptennalem obſidionem Saracenorum ſtrenuè defenſa eſt, à Conſtantino Pogonato, qui eorum claſſem igne Græcô operâ Callinici incendit, A. C. 673. Capta eſt ac direpta, à Theodoſio Quæſtore, Auguſto creato, poſt 6. menſium obſidionem, Artemiô, qui ex Secretario Imperator evaſerat, in Clericum tonſô, & Theſſalonicam deportatô, A. C. 716. Zonar. *tom.* 3. Cedren. *in Hiſt.* Sigonius, P. Diac. *l.* 20. Iterum à claſſe Solimanni obſeſſa graviter, Leonis Iſauri virtute defenſa eſt, illâ incenſâ ac diſſipatâ, A. C. 718. Rurſus obeſſa, à Ruſſis, A. C. 860. M. Cromer. *Hiſt. Pol. l.* 2. à Mich. Palæologo, fugienti, Balduino erepta eſt, A. C 1259. Denuò ab Amurathe obeſſa A. C. 1424. ſub Johanne Imperatore, Laonic. *l.* 4. 5. Georg. Phranz. *l.* 1. c. 31. tandem poſt varias porro, & quaſi ſeculares calamitates, in Mahumetis II. poteſtatem venit, ſub Conſtantino Palæologo, cognomine Dracoſe, filio Helenæ, ſicut à Conſtantino, filio Helenæ condita fuerat. Triduum integrum ab immiti victore, omni crudelitatis genere, vaſtata: Ab eo tempore Ottomannici imperii & Mahometiſmi Metropolis. Vide pluribus Euſeb. *in Conſtantini vita*, & *Hiſt. Eccl.* Idatium, Proſper & Marcellin. *in Chron.* Niceph. Cedrenum, Zonaram, Sozom. Zoſimum, *in Hiſt.* B. Egnatium, *de Cæſar. l.* 2. Chalcondylam, &c. P. Jovium, *in Mahom. II.* Cuſpinian. *de orig. Turc.* Scalig. *de Emend. Tempor. l.* 5. Petav. Pancirolli *Notit. dignit* &c. Ejus meminêre veteres nummi, quotquot notas haſce, COM. COMOB. CON. CONA. CONF. CONE. CONOB. CONS. CONSA. CONST. CONSH. CONSP. CONSPr. CONST. KONOB. KONSA. KONSAV. PCON. PCONST. SC. SCON. SCONS. SMNC. TCON. &c. præ ſe ferunt, vide hic paſſim. Porrò Metropolitana, ſub Chriſtianis Imperatorib. hæc urbs fuit, & Patriarchæ ſedes, cui Epiſcopus Romanus ſecundum locum in Concilio II. Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi ipſi tribuentium, ut & Epiſcopi Univerſalis titulum ambiguum fecit, donec à Phoca parricida deciſa lis, in gratiam veteris Romæ, poſtquam Gregor. M. illum ſuperbum, erroneum, ſchiſmaticum, imò blaſphemum judicaſſet. Poſt varias dein diſſenſiones, Photius contra Ignatium inſurgens, ſchiſma orſus eſt, quod ſeculô 11. ſub Patriarcha Michaële Cerulario, penitus eſt excluſum. Ab illo tempore tres reliqui Orientis Patriarchæ, Conſtantinopolitanum, pro Oecumenico Patriarcha agnoverunt. Ut nil dicam de calamitatibus, quæ Eccleſiæ huic à Neſtorianis, Eutychianis, & Monothelitis, Iconolatris, &c. illatæ ſunt, Aliquid de Conciliis adjiciam Concilium Conſtantinopolitanum I. quod II Oecumenicum eſt, à Theodoſio Imperatore celebratum, quô Macedoniani, Spiritus S. Deitatem negantes, & Apollinariſtæ, humanam Chriſti naturam animâ rationali carere aſſerentes, damnati; fides Concilii Niceni ſtabilita, lege à Theodoſio latâ, quam vide apud Sozom. *l.* 7. *c.* 9 Socr *l.* 5. 8. & 10. Epiſcopo Conſtant. ſecundæ tributæ, &c. Paulo poſt Confeſſio ſublata eſt Concilium II. quod erat Oecumenicum V à Juſtiniano Imperatore convocatum, A. C. 553. Quô priorum Conciliorum fide confirmatâ, errores damnati: rejecta tria capitula Theodorus Mopſveſtenus, Neſtorii Præceptor, Theodoretus Neſtorii auditor & Ibas, Maris Perſæ hæretici fautor Niceph. *l.* 17. *c.* 9. 26. 37. Vigilius Epiſcopus Romani. cùm altiori thronô collocari fruſtra petiiſſet, conſeſſu abſtinuit, jam tum arrogantiæ ſpiritu Roman. Præſules intumeſcere oſtendens, &c. Concilium III. quod erat Oecumenicum VI. in palatio, quod Trullus dicebatur, à Conſtantino Pogonato, convocatum eſt, A. C. 681 quô Monothelitæ, ſecta ex Eutychianis orta, damnati, ſtatutumque: *in Chriſto, ut duas naturas, ita & duas Voluntates eſſe.* Theophanes & Cedrenus *in Annalibus* P. Diac. *l.* 6. *c.* 4. &c. Iterum ibidem Synodô celebratâ, A. C. 691. inter alia decretum, Ne quis Presbyteros cogeret, à ductis legitimè uxoribus abſtinere, quod ſcriptum ſit: *Honorabile in omnibus conjugium & torus immaculatus.* Quod cùm Sergius Papa approbare nollet, periclitatus eſt, & Juſtinianus Imperator uſque adeò offenſus, ut ab Eccleſia Romana receſſerit. Anaſtaſ Bibliothecar *in vita Sergii.* Sigon *Hiſt. l* 2. Concilium IV quod Oecumenicum IX. eſt, à Baſilio Macedone celebratum, quô Photius, qui, à Barda, Ignatio Patriarchæ ſubſtitutus, Imperatorem excommunicaverat, depoſitus, Ignatius dignitati redditus, ſed Imaginum cultus confirmatus eſt. Baſiliô illos, qui earum invocationem ſuſceperant, miram in modum laudante. De aliis Conciliis, Synodiſque hic habitis vide Morerium, *in Diction. Hiſt* A. C. 1573. Colloquium inſtitutum eſt inter Hieremiam Patriarcham Conſtantinopolitan. & Jacobum Andreæ, ejuſque contubernales Theologos, qui Confeſſionem Auguſtanam græcè verſam ei tranſmiſerunt, quam humaniter acceptavit, impugnatis modeſtè nonnullis. Vices tum ſuſcepit Luc. Oſiander, A. C. 1575 Patriarchæque reſpondenti Wirtembergenſes Theologi ſcriptum oppoſuerunt, ad quod ubi repoſitum, illi officioſâ gratiarum actione Diſceptationem clauſerunt, A C. 1579. Thuan. *l.* 70. Cyrillus dein, Confeſſionem Fidei Eccleſiarum Orientalium, Reformatæ Religioni penè in omnibus conſentaneam, exceptô de Proceſſione Spiritus S. dogmate, edidit, in Anglia excuſam: proptereà à Jeſuitis mirè exagitatus: qui rem eò deduxerunt, ut deponeretur, A. C 1628 Sed revocatus, novas iterum ſenſit inſidias, martyriô tandem coronatus. Vide Andr. Rivetum, *in Jeſuita Vapul. c.* 21. *ſec.* 11. 12 13. ut & *Byzantium*, & Steph. in *Byzantion.*

CONSTANTINOPOLITANA, nomen ædis ſacræ Romæ, de qua vide infrà *Hodegetria.*

CONSTANTINOPOLITANI Solidi, in veterib. Tabb. quas paſſim profert *Ughellus*, dicuntur nummi, quos *Byzantios* pleri que Scriptores vocant. Sic Amatus Salernitan. Epiſcopus anno I. Gaimarii Princ. Ind. 3. circa A. C. 990. *Si talia omnia ſupradicta non adimpleverimus ---- componere obligavimus & meos ſucceſſores vobis veſtriſque heredibus, --- quatuor millia ſolidos Conſtantinopolitanos*, apud Car. du Freſne, *Diſſertat. de Infer. ævi Numiſmat. num.* 83. Vide quoque ſuprà, in voce *Conob.*

CONSTANTINOPOLITANUM Imperium, cujus caput Conſtantinopolis, vel *Vetus* vel *Novum* eſt. *Illud* Græcorum fuit, initiumque ſumpſit ſede Imperiali Româ Conſtantinopolim tranſlatâ, à Conſtantino M. Imperatore, qui *Nova Romæ* nomen urbi huic indidit, nec minora ipſi privilegia, quàm Veteris Romæ erant, conceſſit. Vide *L. un. Cod. de Privileg. Urb. Conſtantinop.* ſub finem ſect. 4. In ejus ſucceſſoribus notæ familiæ Angelorum, Comnenorum Palæologorum, in quarum ultima ad interitum pervenit. Horum complures nomen *Porphyrogeniti* geſſerunt, à *Porphyra* loco, in quem Auguſtæ partus proximæ concedere ſolebant; quaſi dicas *in Porphyra genitos.* Nomen item *Novi Conſtantini* multis commune erat, prout apud veteres in Hiſpania Reges Gothicos erat nomen *Flavii*: illôque in Annalibus Turcicis promiſcuè appellantur. Vide Leunclav. *Pandect. num.* 51. Tenuerunt & Latini aliquando hoc Imperium, Balduinus nempe Flandriæ Comes ſocii Venetorum armis eò promotus, qui & eôdem tempore Archipelagi inſulas ſibi adjecerunt. Ultimus Imperatorum fuit Conſtantinus Palæologus Dragoſes XV. hujus nominis, vitâ & imperiô exutus A. C. 1453. ipsô Pentecoſtes feſtô, non ſine occulto Dei judicio, quòd plus quàm duodecies à fide Spiritus S. cui ſacrum hoc feſtum, Græci receſſiſſent. Sic *Iſtud* quod *Novum* dici poteſt & Turcarum eſt, in apricum prodiit, potiente apud Turcas rerum Muhammede II Fuit autem Veteris iſtius Imperii non exigua amplitudo; Comprehendit quippe integras duas diœceſes imperii Romani, Illyrici nempe & Orientis, quarum nomine continebantur Macedonia, Dacia, Oriens in ſpecie ſic dicta, Ægyptus, Aſia, Pontus & Thracia: quas ſimul cum inferioribus earum provinciis enarratas habes, apud Pancirollum, *Notit. Imperii Or.* Vide Anonymum, *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 10. *de Imp Turcico, ubi Catalogum exhibet omnium Hiſtoricorum, qui de utroque hoc Imperio aliquid teri prodiderunt.*

CONSTANTINOPOLITANUS Obeliſcus, vide infrà *Obeliſcus.*

CONSTANTINOVIA, oppid. Poloniæ, in Volhinia ſuperiore ad Sluczum fluv. verſus Podoliam, 5 leuc. à Zaſlavia in Auſtrum, non ita pridem malè à Coſacis habitum.

Imperatores Romani.

CONSTANTINUS I. Magnus, Conſtantii Chlori Cæſaris & Helenæ fil. Criſpi & Minervæ pater, dein Fauſtæ, filiæ Maximiniani Herc. Maritus. A Galerio, Romæ in vinculis detentus, inde feliciter evaſit in Britanniam, ubi Imperator proclamatus eſt, Cæſaris tantùm titulô ſumtô. Maxentium, Maximiani Imperatoris filium, qui Romæ interea Imperator dictus eſt, conſortem Imperii allecturus, cùm id recuſaret, Maximianô Maſſiliæ ſtrangulatô, aggreſſus, ſignô in nubibus ad id animante, prope Romam devicit, illô in Tiberi merſô. A. C. 312. à S.P.Q.R. hinc arcu marmoreô ornatus, & *Liberator urbis & fundator quietis dictus*. Primus Romanorum Imperatorum Chriſti cultum ſectatus, aliquot annis cum ſororio Licinio, Chriſtianorum hoſte acerrimo, imperavit, per quem Maximinô Afric. occiſô, ipſe Francos Galliâ depulit. Donatiſtis obviam iturus, Synodum Romæ primò, dein Concilium Arelatenſe convocavit, Mediolani tandem ipſis damnatis. Interim Licinius, in Chriſtianos Orientis ſæviens, primo in Hungaria, dein in Thracia; mox pace violatâ, terrâ marique victus A. C. 325. & paulo pòſt ſtrangulatus eſt. Socrat. l. 1. *Cedren.* Hinc pax Eccleſiæ, quam legibus firmavit Imperator. Criſpô filiô injuſtè à noverca accuſatô & ciſô, hacque dein in balneo ſuffocatâ infelix. Pluſima extruxit templa, Anaſtaſ. Biblioth. *de magnificentia Conſtantini*. Concilium contra Arium Nicææ celebravit, A. C. 325. Sarmatas, Scythas, Perſaſque in ordinem coëgit. Imperium filiis Conſtantino & Conſtanti diviſit, Athanaſium revocavit, morbô correptus baptizatus eſt. Obiit A. C. 337. Imperii 31. Sozom. *l. 2. Zonar. Eutrop. Rufin.* &c. Multa hic Imperator præclara fecit, ſed nihil memorabilius, quàm quod Romani Imperii ſedem Byzantium tranſtulit, quam urbem à ſuo nomine *Conſtantinopolin* appellavit, *Nic. Lloydius*. Vitam ejus pariter ac res geſtas fuse tradit *Euſeb.* Adde hic, quòd Cherſonitis illum, inter alia laborum pro Imperio Romano exantlatorum præmia, etiam annulos aureos, in quibus imago ejus erat expreſſa, donâſſe, ut, quas per occaſionem ad ſe miſſuri eſſent, relationes ſupplicationeſque iis ſignatas, ipſeque earum auctores inde dignoſceret, narrat Conſtantinus Porphyrogenitus, *l. de adminiſtrat. Imperat. c. 53.* ubi ait, [illegible], vide Joh. Kirchmann. *de Annulis, c. 12.* Sed & in Familiæ præſertim hujus nummis, præclara interdum ænigmata, quæ ad horum temporum hiſtoriam illuſtrandam non minimùm conducunt, docet Car. du Freſne, qui varios hujuſmodi nummos, e. g. in quibus lemma GLORIA EXERCITUS GALLICANI; in quibus exaratum FRANCIA ET ALEMANNIA; in quibus vallum deſcriptum &c. eruditè exponit, *Diſſertat. de inferioris ævi Numiſmat. num. 43. & ſeqq.*

CONSTANTINUS II. cognomine Junior filius prioris, Cæſar A. C. 317. factus, patre mortuô, Gallias & Hiſpaniam, cum M. Britannia accepit, Athanaſium Patriarcham Alexandrinum, Treviris exulem, revocavit. Fratri Conſtanti ditiones erepturus, juxta Aquilejam, A. C. 340. acie victus & occiſus eſt, an. ætat. 25. Imperii 3. Zoſim. *l. 2.* Victor, *in epitome*. *Caſſiodor. Eutrop.* Oroſius. &c.

CONSTANTINUS III. fil. Heraclii ex Eudoxia, Patri ſucceſſit, A. C. 641. tertiô poſt menſe à noverca Martina, Pyrrhô Patriarchâ conſciô, venenô ſublatus. Paul. Diaconus, *l. 5.* Theophanes, &c.

CONSTANTINUS IV. cognomine *Heracleonas*, fil. Heraclii ex Martina, non diu Conſtantini III. cæde fruitus, Senatus conſultô, naribus mutilatus, cum matre in exilium miſſus eſt, A. C. 642. *Idem.*

CONSTANTINUS V. cognomine *Pogonatus*, fil. Conſtantis II. auditô patrem à Mizizio Armenio occiſum Syracuſis, illuc venit, ubique paritèr Imperator proclamatus eſt. Bellô contra Saracenos ſeptennali, terrâ marique felix, claſſe illorum, igne Græcô operâ Callinici, incenſâ. Concilium Oecumenicum VI. contra Monothelitas Conſtantinopoli, A. C. 680. celebravit, quod ne turbaretur, Bulgaris Myſiam conceſſit. In fratres Heraclium & Tiberium, quos naribus truncavit, virtutem eorum veritus, ſævus, obiit A. C. 685. Imperii 17. Juſtinianô filiô ſucceſſore relictô.

CONSTANTINUS VI. fil. Leonis Iſaurici, *Copronymus, Caballinus, Iconoclaſtes* ab æmulis dictus, coronatus eſt, A. C. 720. ſolus imperare, mortuô Patre, orſus, A. C. 742. Univerſali edictô invocationem Matris & Sanctorum, imaginumque cultum ſuſtulit, an ulterius proceſſerit, non liquet. Concilium Oecumenicum VII. convocavit, quô Monothelitæ iterum damnati, imaginum facturæ & cultus ſolemniter ſublatus, ſuperſtitioni huic adhærentes Eccleſiâ ejecti. Contra Bulgaros bellum geſturus, ab Aſſim Artavalda pulſus eſt, ſed biennio imperium recepit, captâ fame Conſtantinopoli, Artavaſdô cum filiis excæcatô & Anaſtaſiô Pſeudopatriarchâ ignominiosè habitô. Exarchatum amiſit, Saracenos fugavit, Bulgaros contrivit, in nova contra illos expeditione, excitus Telerichi perfidiâ, obiit. A. C. 775. Imperii 34. *Cedren.* Zonar. *tom. 3.* P. Diac. *l. 22.* Sigon. *l. 3. ad an. 741. 766.* Chemnitius, *in exam. de imagin.*

CONSTANTINUS VII. fil. Leonis IV. ſub tutela matris Irenes, imperare cœpit, quæ Conciliô Oecumenicô VIII. Nicææ indictô, rebus ita inſtructis, ut nemo diſputare auderet, ſubſtantiſque fundamenti locô momentis nugacibus, imaginum cultum reſtituit. Chemnit. *de Imag.* Imperium mox ipſe remotâ matre adminiſtrare aggreſſus, patruum Nicephorum rebellem, cum 4. ejus fratribus oculis linguâque mutilavit. Idem Alexio Patricio, imperium affectanti, fecit. Telerichum Bulgarum pulſum in fidei communionem ac affinitatem aſſumſit. Saracenos Arabaſque vicit, imaginibus deturbatis, à matre excæcatus, Cœlô per Eclipſin Solarem 17. dierum ſcelus deteſtante, obiit A. C. 797. Theophanes, Cedrenus, Genebr. *in Chron.*

CONSTANTINUS VIII. fil. Baſilii Macedonis, à Patre in ſocietatem imperii aſcitus. A. C. 868. Obiit ante Patrem, A. C. 878. *Theophanes.*

CONSTANTINUS IX. Porphyrogennetus, fil. Leonis Imperatoris ex Zoë, quæ à Romano claſſis Præfectô eò adacta fuit, ut filius pingendis imaginibus lucrum facere, vitamque inopem in ſua purpura tolerare neceſſe haberet, ſub matris tutela imperare cœpit, poſt Alexandrum patruum an. ætat. 7. A. C. 912. Contra Bulgaros, Thraciam depopulantes, felix, ni milites ſpontaneâ fugâ victoriam prodidiſſent: ab iiſdem poſt ductam Romani filiam, & ſocerum Auguſtum proclamatum, ſecundâ clade, ob Ducum imprudentiam, affectus, mox obſeſſâ Conſtantinopoli, pacem magno redemit. Aſcitus in conſortium imperii Romanus Lecapenus, datâ Imperatori filiâ Helenâ, Zoën removit, ipſe imperii negotia obiturus: Dein generi ſimplicitate abuſus, Chriſtophorum primò, A. C. 920. poſteà Stephanum & Conſtantinum, filios A. C. 928. Cæſares fecit. Sed à Stephano talus & exiliô mulctatus eſt, A. C. 944. quem tamen paulò poſt, cum fratre contendentem, cepit Imperator ambobus relegatis, ipſe iterum rerum Dominus. Hinc Tyrannos in Italia oppreſſit, Beneventum Longobardis eripuit, Turcas imperii limites depopulatos largitione conciliavit, pluſimis illorum Ducibus ad fidem perductis. A Romano filio; quem librô inſigni de negotiis Imperii, fœderibus aliiſque maximi momenti rebus fideliter inſtruxit, venenô peremtus, A. C. 959. ætat. 54. Imperii 48.

CONSTANTINUS X. fil. Romani, ex Theophania, Johanni Zimiſco ſucceſſit, cum Baſilio II. fratre juniore A. C. 975. per annos 50. huic rerum curâ relictâ, ipſe voluptatibus immerſus. Fratre mortuô, Conſtantinus Diogenes, Smyrnæ præfectus vicit Boſſinos, trans Iſtrum: Samii vero gubernator, claſſem Saracenorum, Cycladas infeſtantium, diſjecit. Obiit A. C. 1028. ætat. 70. Socer, per Zoën, Romani Argyropili Succeſſoris. Curopalates, Caſtren *Annal.*

CONSTANTINUS XI. cognomine *Monomachus*, juſſu Johannis, Fratris Michaelis Paphlagonis, exul, hinc revocatus, Zoën, Conſtantini IX. filiam duxit, Imperator, A. C. 1042. Ignavus, & Romani Scleri ſorori nimium deditus. Georgium Maniacen, qui in Sicilia Imperator dici voluit, occidit, Leonem Tornitium rebellem cepit & excæcavit, Roxolanis quoque & Boſſinis in ordinem coactis. Sed ex ſocordiâ, ex inopiâ ejus, Turcis in Aſia ſe diffundendi occaſio. Obiit A. C. 1054. Imperii 12. Curopal. B. Egnatius, *Hiſt. Rom.*

CONSTANTINUS XII. cognomine *Ducas*, fil. Andronici, ab Iſaaco Comneno Imperio admotus eſt. A. C. 1059. Hic prudenter immani conjuratione diſſipatâ, totum ſe Reipubl. dedit. Juſtitiæ, æquitatis, Orthodoxiæ amans, ſed in avaritiam pronus. ABUſiis, Scythiæ gente, incredibili numerô Imperium inundantibus, victis Bulgaris Romaniſque, infeſtatus, illos cœlitùs adjutus, jam peſte plurimum imminutos, cecidit. Græciâ poſtmodum à propriis incolis Turciſque vaſtatâ, & Conſtantinopolis aliarumque urbium tremore afflictus. Obiit A. C. 1067. ætat. 60. Eudoxiâ uxore, tutrice trium filiorum, fruſtrà ad viduitatem adactâ. Curopalat. Zonar. Glycas, *in Annal. Græc.*

CONSTANTINUS XIII. alius, Cæſares quoſdam numerantibus, XV. cognomine *Dragoſes*, fil. Emanu. Palæologi, Johanni fratri ſucceſſit, A. C. 1448. Turbatus à Demetrio & Thomæ fratribus, illis ditiones quaſdam in Peloponneſo, aliiſque conceſſit. Unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, à fratre Palæologo promiſſam irritam reddidit primò, dein, miſſô à Nicolao V. legatô, admiſit. Interim tardantibus auxiliis à Mahomete II. terrâ marique obſeſſus, captâ tandem Conſtantinopoli, poſt obſidionem 58. dierum, dum fortiſſimè pugnaret, in humero læſus, & populi multitudine oppreſſus obiit. Demortui caput reciſum & in lancea circumlatum, uxor liberique, partim occiſi, partim ludibrio victoris ſervati. Æneas Sylvius, *de Europa, l. 7.* Phranzes *l. 3.* Chalcondylas, *l. 8.* Monſtreletus, *Volum.* 1.

CONSTANTINUS, miles gregarius, ſub Honorio, Imperator in M. Britannia proclamatus. Galliam ingreſſus, aliquot provincias occupavit, Alaricô nixus cùm in Italiam moturus eſſet, impeditus, Conſtante filiô in conſortium aſcitô, Arelati ſedem Imperii fixit. Sed à Conſtantio, jam aliquoties victore, obſeſſus, Presbyterum ſe fecit: filiis Conſtantinô & Julianô occiſis, A. C. 411. Caſſiodor. & Proſper, *in Chron.* Oroſ. *l. 7. c. 40.* Sozom. *l. 9. c. 11. 12. & ſeqq.*

CONSTANTINUS Novus, titulus ſeu appellatio, Tiberio II. & Heraclio, Heraclii Imperatoris filio, potiſſimùm in nummis adſcribi ſolita, voce tamen *Novi* expunctâ, propter numiſmatum exiguitatem. Juſtinus nempe Junior, morbô correptus, adoptatum Tiberium cùm Cæſarem creâſſet, Νέον eum Κωνσταντῖνον, *Novum Conſtantinum*, appellavit, ut eſt in Chron. Alexandrino, ubi tamen interdum, ſuppreſſâ priori voce, undè *Tiberius Conſtantinus*, quomodò etiam in nummis ejuſdem Auguſti, dicitur. Eâdem poſteà nomenclaturâ donatus eſt à Patre Heraclio Imperatore Heraclius filius primogenitus: dictus etiam *Heraclius Novus Conſtantinus*, ut præ cæteris arguit ſubſcriptio *Novellæ* Heraclii. Neque tamen his duobus appellatio hæc peculiaris fuit, niſi quod cognominis vice propriè videatur iis indita, Tiberio quidem à Juſtino proſocero, Heraclio verò Juniori à parente. cum hanc cæteri quoque ferè omnes ambierint Auguſti. Marciano enim Aug. *Novo Conſtantino* non ſemel acclamatum legimus: ut & Juſtino, Juſtiniano, Conſtantino Pogonato & Conſtantino fil. Irenes

Idem de Michaële Palæologô, teſtatur *Inſcr.* in æde Deiparæ Peribleptæ Conſtantinop. Imò & Græci ea Francica gente Imperatores eandem appellationem ſibi vindicâſſe leguntur, ut paret ex *Ep.* Innocentii III. ad Comit. Namucens. ubi Balduinum *Conſtantinum* Imperatorem nudè vocat &c. Car. du Freſne, *Diſſert. præd. num.* 39.

Scotiæ Reges.

CONSTANTINUS I. Scotiæ Rex, fratri Dungardo ſucceſſit, A. C. 465. Contra Pictos & Saxones diu belligeratus, à quodam Hebridum incola, cujus filiam contaminaverat, ſtrangulatus eſt, A. C 482. Dempſter. *Hiſt. Scot.*

CONSTANTINUS II. fil. Kennetí II. ſuccedit Donaldo V. A. C. 860. Legum egregiarum lator, Huben. Cadani Daniæ Regis fratrem, Pictos reſtituturum vicit: poſteà ab eodem captus & occiſus, regni s. 15 Buchan. *Hiſt. Scot.*

CONSTANTINUS III. fil. Etheri, fratris Conſtantini II. ſucceſſit Donaldo VI A. C. 803. Iuinò felix, mox Northumbriâ & Cumbriâ amiſſis, acie inſuper victus, in monaſterium ſe recepit. An. regni 40.

CONSTANTINUS IV. cognomine *Calvus*, fil. Culeni ſucceſſit Kenneto III. ab hujus filio notho victus, & in duello occiſus, A. C. 1001. regni 2. vel 3. Dempſter. *Hiſt. Scot.*

Pontifices Romani & Patriarchæ.

CONSTANTINUS Papa, Syrus, Siſinno Syro, ſucceſſit A. C. 708. Felicem Archiepiſcopum Ravennatem, ſibi adverſantem, in Pontum relegavit & excæcavit, ope Juſtiniani Rhinotmeti, ab hoc in Græciam vocatus. Inde redux Philippicum Imperatorem imaginum hoſtem, excommunicavit, primus Pontificum, hæreſeos aſpectu, ſummæ in terris poteſtatis, obedire recuſans. Patres 6. priorum Conciliorum, tabellâ à Philippico abolitâ, Romæ in S. Petri Baſilica, denuo pingi curavit, &c. Obiit A. C. 714. Sedis 6. Anaſtaſ. & Platina, *in ejus vita.* Sigonius, *l.* 3. Cedren. Theophan. &c. *in Annal.*

CONSTANTINUS Antipapa, poſt Paulum I. A. C. 767. à fratre Totone, Duce Nepæ, in Tuſcia, cum exercito Romam ingreſſo, intruſus, occiſò A. C. 768. fratre, Româ profugus, electò Stephanô III. excæcatus eſt. Baronius, *A. C.* 767. *& ſequentibus.*

CONSTANTINUS I. Patriarcha Conſtantinopolitanus poſt Johannem V. A. C. 664. Obiit A. C. 666. Succeſſore Theodorô, hæreticô. *Nicephorus.*

CONSTANTINUS II, Patriarcha Conſtantinopolitanus A. C. 754. poſt Anaſtaſium, imaginum cultum damnavit, Neſtorianis promulgationem inhibuit, &c. Ab Imperatore Conſtantino Copronymo in exilium pulſus, hinc revocatus, raſus, poſt & ignominiosè in aſino circumductus, tandem capite truncatus eſt, ut *Theophanes* refert, & *Baron.*

CONSTANTINUS, cognomine *Licudes*, poſt Michaëlem Cerularium, Patriarcha Conſtantinopolitanus ab A. C. 1058. ad A. C. 1066. Item, alius, circa A. C. 1127. *Idem.*

Viri Celebres.

CONSTANTINUS, cognomine *Africanus*, Carthagine natus, circa A. C. 1070. Babylonem venit, ibique Linguis, Medicinæ aliiſque ſcientiis egregiè per 39. ann. operatus, in patriam rediit. Ubi inſidias popularium expertus, Salernum venit, à fratre Regis Babylonii, ibi Duci Roberto commendatus. Sed placuit ei ſolitudo, in qua Medicinam operibus egregiis illuſtravit. Vide Leon. Oſtiens. *Chron. l.* 3. *c.* 34. Trithem. de *Scriptor. Eccleſiaſt.* & *c.* 70. *de viris illuſtr. Ordinis Benedicti.* Genebr. *Chronic.*

CONSTANTINUS, Manichæus, Armeniorum ſeductor, ſeculô. 7 juſſu Conſtantis II. à Palatino quodam, nomine Simeone, qui ſe Titum, ſicut prior Sylvanum ferebat, occiſus, A. C. 655 Item ex Diacono Patriarcha Alexandrinus, in vincula conjectus. Baronius A. C. 686.

CONSTANTINUS Anclitzen, pyrii pulveris inventor.

CONSTANTINUS Harmenopulus, Auctor ſeculi 15.

CONSTANTINUS Manaſſes, circa A. C. 1156. ſcriptor non aſpernandus, præſertim in rebus Byzantinis; ſcripſit verſibus politicis σύνοψιν ἱστορικήν, quam Latinè vertit doctiſſimus Leunclavius. Chronicon eſt à condito mundo, uſque ad Alexium Comnenum, an. 1081. vixit, ſub Em. Comneno. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 27. *p.* 340.

CONSTANTINUS Pontius, Carolo V. à Confeſſionibus, purioris doctrinæ cultor, cum aliis, Hiſpali, poſtquam diriſſimum carcerem toleraſſet, ut exclamare cogeretur: *Mi Domine deerantne in mundo Scythæ, aut hi inhumaniores Cannibali, in quorum manus, ne in iſtorum ungues incidèrem, me conjeciſſes:* exuſtus eſt. Thuan. *Hiſt. l.* 23. Lib. *Inquiſ. Hiſp.*

CONSTANTINUS Robertus, Cadomenſis, profeſſione Medicus, intimus literæ amicus, Hebraicè, Græcè & Latinè doctus, docuit Humaniora Cadomi, Jul. Cæſaris Scaligeri, cujus domeſticus fuerat, *Commentar.* in *Theophraſtum* partem edidit, ac completa ipſe ſcripſit. Obiit A. C. 1605. ætat. 103. Simleros, *Biblioth.* Jos. Scaliger, *Ep.* 17. & lib. 1., *Biblioth.* Cur. Auton. Teiſſier, *in Elogiis Part.* 2.

CONSTANTINUS Solidus, moneta aurea Imperator. Conſtantinopolit. Vide ſuprà.

Imperatores Romani.

CONSTANTIUS I. *Chlorus*, fil. Flavii Eutropii ex Claudia, filia Fratris Claudii II. & Quintillæ, Princeps planè egregius. A' Maximiano Hercule, in conſortium imperii aſcitus, eâ lege, ut dimiſſâ Helenâ, ex qua jam Conſtantinum M. ſuſceperat, Theodoram filiam ejus duceret, ſicut idem Galerio Armentario à Diocletiano obtigit, Gallias nactus eſt. Alemannos has infeſtantes, primò victos, quinque poſt horis, immensâ ſtrage affecit, reliquis in gratiam receptis. Maximianô dein & Diocletianô, ſponte cedentibus, Conſtantius & Galerius ſoli imperare cœperunt, ſidentibus ab illo, in Gallia, Italia, Hiſpania & Africa benignè habitis. Obiit Eboraci, A C. 306. Imperii 2. Pater ex Theodora, Conſtantini, Dalmatii & Conſtantii, quem Zonaras *Annibalium* vocat, cum 3. filiabus. Socr. *l.* 1. *c.* 1. Euſeb. *l.* 8. Zonar *l.* 2. Caſſiod. Beda, Proſper, *in Chron.*

CONSTANTIUS II. fil. Conſtantini M ex Fauſta, Cæſar à Patre factus, A C. 324. Euſebiam, cæterà eruditam, ſed Arianiſmo infectam, uxorem duxit. Mortuò Patre Orientis Dominus. In conſanguineos, & Orthodoxos, uxoris inſtinctu, ſæviit, Athanaſium pepulit, contra Saporem bellô infelix; A' fratre Conſtantio rogatus, Conciliô Sardicenſi indictô, fraudes Arianorum ſuboleſcit, Præſuleſque exules reſtituit. Mox auditò, Conſtantem, à Magnentio occiſum, pœnitentiâ ductus, ſed externo inteſtinoque bello implicitus, huc curam omnem convertit, Gallò agnatò in conſortium imperii aſcitò Interea dum Vetranius in Pannonia Imperator proclamatur, Magnentiò alibi ſatagente, Conſtantius in Italiam moturus, publicò edictò, milites arcuit, qui non baptizati eſſent: ſed Paulô Patriarchâ Conſtantinopolitanò pulſò, egregium hoc contaminavit. Inde in Occidentem tranſgreſſus, Vetraniò in partes ſuas pertractò, Magnentium, biennió poſt, tertiâ vice victum, ſponte mortuum, audiit. Sic Imperator ſolus, ad ingenium rediit. Dominus mundi vocari voluit: quod dum intus facit, Julianus, poſt *Apoſtata* dictus, Imperator in Gallis proclamatur, A. C. 360. quò appropinquante Conſtantius à Perſis averſus, Antiochiæ hibernavit, ibique Euſebiâ mortuâ, Fauſtinam duxit, poſtmodum Gratiano nuptam. Hinc Tharſum, inde Mopſveſtiam Ciliciæ perveniens, Obiit A. C 361. ætat 44. Imperii 25. Sozom. *l.* 5 Ammian. Marcellin. *l.* 21 Eutrop &c. Ejus gemma eximia *Sapphirus*, Xiphiam in illius venationem exhibens, peculiari diatribâ expoſita eſt à Marquardo Frehero: quam ſuæ *Diſſertationi de Inſer. ævi Numiſmat.* ſubjunxit Car. du Freſne.

Viri Illuſtres.

CONSTANTIUS, fil. Conſtantii Chlori, ex Theodora, Pater Galli, quem Conſtantius Imperator Cæſarem fecit, & Juliani Apoſtatæ. Cum Dalmatio, juſſu Conſtantii, occiſus, quaſi ſeditionis auctor. Zoſim *l.* 2 Eutrop. *l.* 1.

CONSTANTIUS, Dacus, Dux Romanus, ſub Honorio, Imperii contra Tyrannos vindex, Conſtantinum, Conſtantem, Gerontium, Jovinum, &c. devicit. Gothos Galliâ pepulit, Attalum rebellem, victum ad Imperatorem miſit: qui ipſi ſororem Gallam Placidiam, Ataulphi viduam, uxorem dedit, & in conſortium Imperii aſcivit, A. C. 421. ſeptimò poſt menſe pleuritici dolore enectum. Pater fuit Valentiniani III. Sozom. *l.* 9. Proſper & Marcellin. *Chron.*

CONSTANTIUS, Presbyter Lugdunenſ. inſignis orator, *S. Germani vitam ſcripſit*, circa A. C. 488. poſtmodùm ab Errico Monacho metricè redditam.

CONSTITUTIONES Apoſtolicæ, quarum libri 8. ſub nomine Clementis Romani proſtant, quòd ignotæ fuerint Patribus trium primorum ſeculorum, neque Arriani aut Catholici quarti ſeculi, neque Laodiceni Patres, neque Baſilius, neque quintò ſeculò niſi decurrente Græci Latinique earum notitiam habuerint: ab Eruditis pro ſuppoſititiis habentur. Vide Dalæum, in *Pſeudepigraphis Apoſtolicis libb.* 3. & Gerh. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccleſ. num.* 105. & *ſeqq.*

CONSTITUTIONES Marchiæ Anconitanæ, *Ægidianæ* dictæ, in Statu Pontificis, pro jure generali habentur, extra eum non valent. Alber. Gentilis, *de libr. Jur. Can. c.* 3. *p.* 52. Vide quoque Gerh. von Maſtricht, ubi ſuprà num. 382.

CONSTRATA Navis, Græcè κατάφρακτος, vide infrà *Navis.*

CONSUALES Ludi, ſeu *Conſualia* inſtitum in honorem Neptuni, qui *Conſus*, item *Conſul* cognominatus eſt, eò quod arcanorum conſiliorum Deus haberetur: illuſtria erant equorum pompâ, cujus ipſe primus Auctor, hinc *Ἵππιος* cognomen tulit. Hanc feſtivitatem primus inſtituit Evander, ſub nomine Ἵππιος vel Equeſtris Neptuni, unde ἱπποκρατία Latinè *Equeſtria*, dicta eſt. Reſtauravit poſteà Romulus, in honorem *Conſi*, quòd is conſilium de rapto Sabinarum ſuggeſſiſſet. Val. Max. *l.* 2. *c.* 4. *ex.* 4. *Ad id tempus Circenſi ſpectaculô contenta erat civitas noſtra, quod primus Romulus raptis Virginibus Sabinis*, Conſualium nomine, *celebravit*, Tum enim Circenſes ludi non alii quàm *Conſuales* erant, alias & *Magni* & *Romani* appellati: Quando celebrati ſint vide in voce *Conſus.* Hôc feſtò equos aſinoſque coronabant Romani ac otiari ſinebant, vel quia feriæ iſtæ Conſo ſeu Equeſtri Neptuno agebantur, vel quia tum commoda navigandi maris tempeſtas exhibita jumentis qualemcunque quietem præbebat. Plutarch. *quæſt. Rom. quæſt.* 48. *Feſtus* ſcribit, Mulis celebrari ludos in Circo max. Conſualibus conſueviſſe, quia id quadrupedum genus primum putatur carrus vehiculoque adjunctum fuiſſe. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 4. *c.* 12. Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 2. *ſect.* 3. *c.* 6. &c.

CONSUANETES, populi inter Alpinas gentes. Plin. *l.* 3. *c.* 20. *Conſuanetæ Ptolemæo.*

CONSUARANI, populi in provincia Narbonenſi. Plin. *l.* 3. *c.* 4.

CONSUETUDINARIUM, in Eccleſ. Romana dicitur, liber in quo Monaſteriorum *Conſuetudines* annotatæ, Matth. Pariſ. *in Vita* Pauli Abb. *Hæc quoque conſuetudines approbavit & conſervari perſuaſit, quas qui videre deſiderat, in Conſuetudinario ſcriptas poterit invenire*, apud Macrum in *Hierolex.* Voce autem *Conſuetudo*, Regulam Monaſticam ſeu vivendi rationem Monachorum, ab alia diverſam.

ſæpe

ſæpe venire docet Car. du Freſne ex *Orig. Monaſterii Maur.* aliiſque Eccleſiæ Romanæ Scriptoribus. Hinc in *Statutis* antiqq. Ordin. Carthuſienſis, *Part.* 2. *c.* 14. §. 25. *Secunda die & tertia leguntur Fratribus Conſuetudines poſt Capitulum Monachorum* voce hac, intelliguntur Statuta ſeu Conſuetudines ejuſdem Ordinis, à Gugone II. deſcriptæ, quarum hic titulus eſt, *Incipiunt Capitula Conſuetudinum Domni Gugonis Prioris Carthuſiæ.* Ita *Cluniacenſes Conſuetudines*, dicuntur ejuſdem Ordinis Regulæ, editæ primitùs à Bernardo Monacho, poſtmodùm Archiepiſcopo Toletano; dein ab Udalrico &c. Vide plura hanc in rem, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* ubi inter alia ei *Conſuetudinarium*, eſt Ritualis liber, in quo Officiorum divinorum ritus formulæque deſcribuntur, in quo *Conſuetudines* Conventuales & Monaſticæ ſunt exaratæ, ex Bromptono de Oſmondo Sariſberienſ. Epiſcop. *Vita* Abbatum S. Albani &c. quâ poſteriore notione *Conſuetudinarium* Macro, ut viſum, dicitur de *Conſuetudinario* Gallorum Jure, vide ſuprà in voce *Codex Ludovici*; ut et jure ſimili Aragonum, infrà voce *fueros*: & de voce Conſuetudo notione alia ſuprà, in *Ambratus.*

CONSUL, tutor annuus erat Romanæ Reipubl. publici conſilii princeps, & exercitus Dux. Summum verò apud Romanos dignitatis faſtigium fuit poſt exactos Reges à Junio Bruto primùm introductum, an. Urb. Cond. 244. Conſulem perpetuum ſe Vitellius creavit, Sueton. *c.* 11. Dio. Tacit. Dicti autem ſunt *Conſules*, à *conſulendo*, h. e. *providendo ac judicando*, Quintilanò auctore, *l.* 1. *c.* 10. Hinc illud vetus apud Varronem; *Qui bene conſulat, Conſul cluat.* Diu autem hoc nomen Romæ ſanctum, ac ſummi magiſtratus proprium fuit: Tandem tamen & ad Proconſules & municipiorum Magiſtratus translatum eſt, quod Caſaubonus, *Notis ad Apul. Apol.* obſervat & plures Inſcriptiones apud Gruterum confirmant. A Juſtiniano Imperatore Triboniani inſtinctu A. C. 541. penitus ſublatum *Novell.* 105. à Juſtino reſtitutum, qui A. C. 566. Populi favorem aucupaturus ſe Conſulem fecit. Coripp. *l.* 2. De Conſulum officio, vide plura apud Feneſtellam, *l. de Rom. Magiſtratibus.* Apud Auctores medii ævi voces *Conſul* & *Conſulatus*, uſurpatæ reperiuntur pro Comite & Comitatu. Apud Orientales *Conſul* etiam dicitur, qui, in re mercatoria, legatione defungitur, Henr. Spelmannus *Gloſſar. Archaeol.* De Conſulib. Romanis adde: Erat penès *Conſules*, quorum duo erant, eadem primitus poteſtas, quam Reges antè habuerant, ſed ad anni ſolum ſpatium; Fueruntque primò *Prætores*, dein *Judices*, tandem verò *Conſules* dicti, Græcis Ὕπατοι. Vide infrà *Hypatus.* Creabantur Comitiis Centuriatis, eratque Magiſtratus hujus capiendi legitimus annus quadrageſimus tertius ætatis: Marco tamen Valerio Corvino, Tit. Flaminio Scipioni & Pompejo, ob merita, citiùs contigit. Abſentem creari *Conſulem* porrò non licuit, nec fas erat ſequente quoque annô eandem dignitatem tenere, quod tamen Mario, ob Cimbrici belli molem imminentem, conceſſum. Raró quoque bis aut ter in eundem id dignitatis collatum, fuitque unius Marii proprium, ſepties Conſulatum geſſiſſe: qui cùm antiquitùs non niſi Patriciis obtingeret, communicatus cum plebe eſt, poſt atrocem ſeditionem ingentiaque certamina an. Urb. Cond. 388. quô primus de plebe Conſul factus eſt L. Sextius princeps ſeditionis, & cujus lege partus erat, ut loquitur Liv. *l.* 7. Imò an. Urb. Cond. 622. eò res deducta legitur, ut tùm primùm ex tenore legis Liciniæ ambo Conſules Plebeji eligerentur: nihilominus plerumque obtinuit, ut Patricius Plebejo jungeretur. Poteſtatem illorum Polybius, *l.* 6 prolixè deſcribit, ſtrictiùs Cicero, *de Legg. l.* 3. *c.* 3. *Regio imperio*, verba Legis, *duo ſunto, iique præeundo, judicando, conſulendo, Prætores, Judices, Conſules appellantor: militiæ ſummum jus habento: nemini parento: ollis ſalus populi ſuprema lex eſto. Eum Magiſtratum niſi interveniant decem anni, ne quis capito* &c. Poſteà tamen poteſtas tanta ad Senatus auctoritatem alligata & maturè provocatio à Conſulibus ad plebem lege Valeriâ conſtituta eſt: inprimis poſtquam Tribuni Pleb. orti, non parum de illa deceſſit. Inſignia *Conſulum* fuêre, ſella Curulis regia ſeu eburnea, in qua jus dicebatur: Trabea ſeu purpurea prætexta, unde Poëta,

—— —— *Trabeati cura Quirini.*

Lictoreſque 12. qui alternis menſibus faſces præferebant; Cui primò menſe præferebantur, idque vel propter liberorum numerum, ex lege Julia, vel ob ætatem, vel quia ante Collegam in Comitiis proclamatus erat, *Conſul major* vel *Conſul prior* dictus eſt, Cœl. Rhodig. *l.* 12. *c.* 7. Fuit & hoc magnæ dignitatis, quod hic Magiſtratus ἐπώνυμος eſſet, ſicut, cùm priùs ab Urbe condita annos Romani, poſteà à Conſulibus, illos numerarent, hôc modô: *L. Valeriô M. Horatiô Conſulib.* Unde apud Suetonium, *c.* 1. Cæſar dicitur deſignatus, *ſequentibus Conſulibus*, h. e. ſequenti annô. Imò & vini cados *Conſules*, quô collectum erat, annô, unà cum regione, ubi ortum, obſignabant. Juvenalis, *Sat.* 5. *v.* 55.

—— —— *Cujus patriam, titulumque ſenectus*
Delevit multa veteris fuligine teſtæ.

Nec omittendum, olim ad Conſulatum deſignari ſolitos eſſe die 24. Octobr. ut Magiſtratum demum Kalendis Januarii ſequentibus inîſſe, ut intereà, an talis legitimè renuntiatus eſſet, nu mali artibus obrepſiſſet, exploraretur, Tiſtitur in Cicer. *Orat. pro Cælio*, P. Ramus *in Catil.* 1. &c. Et quidem hi, qui integrum in Conſulatu annum exegêre, *Conſules Honorarii*, item *Ordinarii* vocitati ſunt: reliqui autem, qui vel ſponte munus reſignârunt, vel depulſi, aut fatô ante tempus functi ſunt, vel aliam ob cauſam annuam non geſſêre dignitatem dicti *Non Ordinarii* & *Suffecti Conſules* leguntur. Quod inprimis cœpit, circa an. Urb. Cond. 708. cùm Cæſar, poſtquàm in Urbem venit, Conſulatu ſe abdicavit, Conſuleſque fecit Q. Fabium ac C. Trebonium, Fabioque extremâ Magiſtratus ſui die mortuo, ſtatim in reſiduas horas C. Caninium ſubſtituit; in quem notus Ciceronis jocus. Vide Dionem, *l.* 43. Auctum inſtitutum à Triumviris R. P. C. L. Marcio C. Calviſio Conſulib. ut ipſi gratiæ causâ multos in eundem annum Conſules deſignarent, qui in paucos menſes aut etiam dies Magiſtratum gererent, idem eſt auctor. Interim annorum numerus his, qui initio anni Conſules fuerunt, adſcriptus hique ſoli ordinarii cenſebantur ac honoratiores erant &c. Vide quoque infrà; ubi de Numdinis Conſulum, Relationis jure. A *Conſule* dicitur *Conſularis*, qui aliquando Conſulatum geſſerat: quod eximii honoris erat ſymbolum. Unde ex *Conſularibus* electi ſunt Dictatores, Magiſtri Equitum & Cenſores. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 9. Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 3. *ſect.* 2. *c.* 4. J. C. Bulenger. *de Imperatore*, *p.* 149. Theodor. Sitzmannum, *ad Rutilii Itinerar. l.* 1. *v.* 176. Caſp. Barth. *ad Papin. Statium, l.* 4. *Sylv.* 1. &c. In ſpecie de Candidatorum more, nocte quæ Comitia præcedebat, ſub dio extra urbem cubandi, dein in ſolida ſella ſedendi, dum ipſis Deus aliquis bonum ſignum mitteret, quod *augurium capere* dicebatur: de *Conſulari ſacro* in Capitolio Kal. Januar, à novis Conſulib. fieri ſolito: de more item Conſulum, de curuli deſcendendi, cùm in Senatu verba ad Principem facturi eſſent, Iſaac. Caſaubon. *ad Sueton. Aug. c.* 26. 95. & *Claudio, c.* 12.

CONSUL Oriens, apud Auſonium, *Idyll* 8. *v.* 40.

Ecce ubi ſe cumulat mea purpura, (mitibus audi
Auribus hoc Nemeſis) poſt me dignatur orirî
Auguſtus Conſul ——

Conſul eſt, qui Magiſtratum auſpicatur. *Oriri* enim verbum ſuis Conſulari Magiſtratui atque Celſitudini addictum, ex imperio veteris ſanctionis, *Oriens Conſul Magiſtrum populi dicat.* Cujus explicationis locuples eſt auctor Velius Longus, apud Caſp. Barth. *Animadverſ. l.* 137. *c.* 16. Ejuſdem rei titulus eſt, quem ſibi Perſarum Reges adrogabant: ὡς ἥλιος ἀνατέλλων; de quo, vide Choſdroës *Epiſt.* ad Varanum, penès Theophylactum Simocattam, *l.* 4. *c.* 8. & plura hanc in rem, apud eundem Barth. *Animadverſ. ad Papin. Statium, l.* 4. *Sylv.* 1. ubi de decimo ſeptimo Conſulatu Domitiani Imperatoris.

CONSUL Perpetuus, vide infrà *poſt Conſultum.*

CONSULARES, dicti provinciarum Rectores, quorum dignitatem & munus primitus invexiſſe videtur Hadrian. Imperator, quò ut auctor eſt Spartianus, *c.* 22. *quatuor Conſulares per omnem Italiam judices conſtituit* Sed altiùs arceſſendam eorum originem docet Salmaſius. Cùm enim ex provinciis, quæ populo aſſignatæ fuerant, in partitione per Auguſtum facta, aliæ fuerint Prætoriæ, aliæ Proconſulares; & duæ quidem Proconſulares, quibus qui præerant, *Proconſules* dicti ſunt, Africa nempe & Aſia: decem autem Prætoriæ, quas enumerat Strabo, *l.* 17. *ſub fin.* reliquas omnes Cæſar ſibi retinuit ad regendas ſuſcepit. Et in eas quidem modò *Conſulares* viros mittebat, modò *Prætorios*, modò *Equites*, quorum primi *Legati Conſulares*, it. *Conſulares* ſimpliciter; alteri *Legati proprætore*: ultimi *Præſides* ſeu *Procuratores* dicti ſunt. Hinc omnino illi *Conſulares*, qui paſſim in veterib. libris & antiquis ſaxis occurrunt, de provinciarum Rectoribus: in quibus proin quoties legis *Conſulatem provinciæ*, ſemper de legato Cæſaris Conſulari intelligere licebit. Strabo Ὑπατικοὺς ἡγεμόνας eos vocat, & Ὑπατικοὺς ἀνθυπάτους, *l.* 3 Sed pro arbitrio ſuo cùm provinciarum jura & adminiſtrationes ſæpe Imperatores mutârint, exemplum eorum ſequutus Hadrianus, novâ adminiſtratione inſtitutâ, *Conſulares* ſingulis Italiæ provinciis præpoſuit, qui jura redderent. Quos *Conſulares* Ἀνθυπάτους appellat *Appianus*, ſed malè: cùm ſecundùm illorum temporum conſuetudinem, multùm differrent *Conſulares* & *Proconſul*; ut & provinciæ *Conſulares*, ac ex quas Proconſules regebant. Cùm enim hæ liberâ Republ. eædem eſſent, Imperatorum ævô Proconſules erant, qui ſortiebantur provincias more modôque antiquô & poſt peractum tempus Magiſtratu decedebant: *Conſulares* autem vel *Legati* Cæſaris *Conſulares* ad arbitrium Cæſaris, in Cæſarianas provincias ibant, & ad ejuſdem arbitrium revocabantur. Cæſar autem in provinciis ſuis Prætorios plerumque jure Conſulari eſſe jubebat, quomodo *Conſulares* dicebantur, qui numquam Conſules fuiſſent. Sic Plinius Cæcilius *legatus Auguſti pro Prætore, in provincia Ponti, Conſulari poteſtate*, dicitur in veter. *Inſcr.* Quod ſub poſterioribus Imperatorib. paſſim uſurpatum, ut qui *Conſulatum* nunquam iniiſſent, inter *Conſulares* allecti, provinciis Conſularibus præponerentur &c. Præter hos autem provinciarum *Conſulares*, qui legati Cæſaris erant, occurrunt in veterib. *Inſcr.* *Conſulares Aquarum & Miniciæ*, qui alibi *Procuratores*; item *Curatores Aquarum & Miniciæ*; item *Conſularis rerum privatarum*, in alia *Inſcr.* quem omnes ſciunt *Procuratorem* appellari. Sic & in veterib. *Gloſſis*: *Conſularis*, Καθολικὸς exponitur: notum autem Καθολικὸν Cæſaris Procuratorem appellari. Nempe à Conſularibus ornamentis, quibus hi inſigniti, appellationem eam nacti ſunt, uti diſcimus ex Suetonio, in *Claudio.* Vide Salmaſ. *ad Hiſtor. Aug. paſſim, inprimis ad Spartian. in Hadr. loc. cit.* Per Orientem XVI per Occidentem XXII. provincias à *Conſularibus* gubernatas, recenſet *Notit. Imper.* Certè *Conſularis Paläſtinæ* occurrit, apud Hieronymum in *Hilar. Conſularis Creta* apud Dictym Cretenſem: *Conſularis Siciliæ* in *Vita* S. Agathæ &c. Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. in Eccl. c.* 21. ubi dignitatem hanc Veſpaſiani ætate nondum natam, Nicephori verò principatu jam intermortuam, contendit. Sed & à *Conſularibus* urbes præcipuas gubernatas eſſe, auctor eſt Conſtantinus Porphyrog. *de Them. l.* 1. Anaſtaſius item in *Adriano P.* ubi *Paulus Conſularis Ravennatium Urbis* memoratur, vide quoque Valeſ. *ad Ammian. l.* 14 Apud Jul. Anteceſſorem, *Conſtit.* 56 *c.* 206. reperias quoque *Conſulares honoratos*, ſeu codicillatos, quos ordinariis poſtponendos eſſe, ibidem dicitur &c. Dignitas horum *Conſularitas l. un. Cod. Theodos. de Conſular. & Præſid.* quam minorem fuiſſe Proconſulari, docet idem Salmaſ. *ad Trebell. Pollion. in Vita Claudii.* Addo ſaltem, *Conſulares* provincias, ferè omnes ſub diſpoſitione Vicariorum fuiſſe, ut & Præſidiales. Ita ſub diſpoſitione Vicarii Africæ, quinque provinciæ recenſentur in *Notit.* Imperii, Byzacium, Numidia, Tripolitana, Mauritania Sitifenſis, & Mauritania Cæſarienſis: è quibus Byzacium & Numidia Conſulares, cæteræ

 Præ-

Præſidiales. Imò nec provincias eas tantùm, ſed ipſos etiam Rectores, Vicario eadem Notitia ſubjicit: *Sub diſpoſitione Viri illuſtris præfecti prætorio Africæ ſeptem, Byzacium, Numidia, Mauritania Sitifenſis, Mauritania Cæſarienſis, Tripolis Præfectus Annonæ Africæ, præfectus fundorum Patrimonialium* &c. ex cod. Salmaſ. ad Solin. p. 807. De titulo honorario *Conſularium*, infrà aliquid voce *Laudabilitas*.

CONSULARES Fœminæ, quomodo ab Ulpiano Conſulum Uxores vocantur, eódem ac ſimili penè habitu uſæ reperiuntur, quò conjuges earum, uti colligere eſt ex iconiſmo, qui in vetuſtiſſimo Dioſcoridis Codice ſcripto habetur in *Bibl. Cæſar.* apud P. Lambecium: ubi Μεγαλοψυχία & Φρόνησις habitu muliebri illuſtriſſ. Julianæ aſſident; ipſa verò, faſciâ illâ ampliori collum & humeros amplectente & pectus attingente, exornata conſpicitur, in hoc tamen a Conſulari faſcia diverſâ, quòd iſta muliebris ſiniſtro brachio non apertus. Faſciæ colorem non diſtinxit Lambecius, contentus obſervâſſe, *in medio octogono ſedere, in throno duabus Aquilis ſuffulto, fœminam diademate regio, veſtitamque partim aureo, partim cæruleo, & calceis rubris, inſtar Imperatricis Conſtantinopol. exornatam*, *Comm. l. 2. c. 9.* Certè ex *Nov.* Juſtiniani 105. c. 2. idem apparet. Fuit autem Juliana hæc filia Olybrii Aug. & Areobindæ Conſul. uxor, Car. du Freſne, *Diſſert. de Infer. ævi Numiſm. num.* 8.

CONSULARES Nummi, dicti ſunt ea nummis Imperatoriis inferioris ævi illi, in quibus Imperatores aut Cæſares Conſulari habitu effinguntur, iis quibus Conſulatum geſſerunt annis cuſi. unicam enim *Conſulatus* dignitatem, tanquam Imperatoriæ Majeſtatis συνθρόνον, ut loquitur *Libanius*, ſemper ambiiſſe Auguſtos, notum eſt. Variè autem efficti occurrunt: Interdum enim *expreſſâ thorace vultus imagine*, ut *Pollio* ait, cum ſtola Conſulari, ſceptro aquiligero in dextra, & corona radiatâ, quâ caput cingitur, ut ſuoi nummi Aurelii Probi, Conſtantii Chlori, cui pro lemmate, VIRTUS. AUGG. & Conſtantini M. qui in cippo præfert, VOT. XX. Quibus adde nummum Criſpi Nobiliſſimi Cæſaris, aliquoſque ex Licinianis, licèt ſceptrum non præferant. Sed & ſimili figurâ exhibentur in nummis, non luſcâ quidem, ſed plenâ facie, protomæ Tiberii Conſtantini, & Mauritii Tiberii, dextrâ volumen, lævâ ſceptrum aquiligerum; Phocæ verò, locò ſceptri crucem, Philippici denique, locò voluminis, globum crucigerum tenentium. Nam etſi poſt Julianum in faſtis *Conſules* non deſcribantur, dignitas tamen adhuc longè poſteà obtinuit &c. Etiam aliquando paria *Conſulum* expreſſa ἐπὶ τῇ βήματι ſedentium, ut in nummo Conſtantis Imperatoris æreo; inprimis verò in nummo aureo Theodoſii Junioris (qui inter *Conſulares* inferioris ævi maximè inſignis eſt) in quo Theodoſius ipſe in ſella ſedet cum Placidio Valentiniano, Conſulari habitu uterque. Vide pluribus de his diſſertentem præfatum Car. du Freſne, *d. l. num.* 3.

CONSULARES Viæ, vide infrà ubi de *Via*.

CONSULARIS Habitus, non idem prorſus veteri Reipubl. Romanæ ævô, qui exteriori Imperatorum. Notum enim quidem ex Scriptoribus priſcorum Conſulum, veſtes fuiſſe togas pictas, palmatas ac trabeas: cujus nomenclaturæ indumenta etiam Conſulibus ſub Græcis Imperatorib. tribuuntur. Sed cùm veteres Conſulum imagines ſive in ſtatuis, ſive in numiſmatibus, dignitatis iſtius inſignium formam materiamque non ita prodant, ut res extra omnem controverſiam habeatur, incertum manet, an eadem fuerint, quæ numiſmata ac Diptycha Conſularia repræſentant. In iis quippe, maximè in Diptychis, Conſules tunicis palmatis & togis pictis induti apparent, cui ſuperfunditur faſcia latior collum ambiens; cujus pars dextera ſtrictior, à dextro humero rectà circa pectus ultra genua deſcendit, ipſumque humerum ac brachium dextrum circumvolvens, ſiniſtrum humerum amplectitur, explicans ſeſe, latiorque ſenſim effecta, ac circa dorſum delapſa, rurſum à dextro latere per umbilicum tranſverſim agitur & infimam ſiniſtri brachii partem, quâ manui illud conjungitur, involvit reliquâ faſciæ parte retrò pendulâ. Ita quidem Diptychon Leodienſe & Bituricenſe ab *Alex. Wilthemio* deſcripta &c. De ſceptro eburneo vel aureo, dignitatis Conſularis perinde in nummis ſymbolo, nota pleraque. Niſi quòd in Conſulis Anaſtaſii ſceptro, aquila corollâ laureâ ambitur & includitur, cui trina virorum capita imminent in eodem Diptycho Leodienſi. In Bituricenſi aquila alis expanſis circulum vel orbem amplectitur, in quo viri, Imperatoris fortè, effigies delineantur &c. Verùm deſiit ſeorſim geſtamen illud Conſulare, primuſque Phocas Imperator pro ſceptro aquiligero crucem aſſumpſit, ut ex nummis ejus docetur, in quibus Conſulari habitu effingitur & cum volumine, quod cæteri ferè deinceps Augg. ſervavêre: tametſi poſtmodùm idem ſceperum Philippicus in nummis iterum tenens videatur. Idem *ibid. num.* 4. & *ſeqq.* Vide quoque infra in *Faſcio*, *Lorum*, *Mappa* & *Volumen*.

CONSULARIS Locus, vide infrà *Locus*.

CONSULATUM edere in Circo, apud Vopiſc. in *Aureliano*. eſt Ludos pro Conſulatu edere ſolennes. Largitates enim hujuſmodi tum maximè exhibitæ ſunt, cùm Conſulatus iniretur, qua de re, præter Hiſtoricos, lege Juſtiniani *Nov.* 105. quæ eſt, *de Conſulibus*, & Leonis Imperator. *Conſtitutionem* 94. ubi magnifica iſtiuſmodi munera Populo pro Conſulatu ſuo rependere, vocat ὑπατικὴν πανήγυριν, quod idem ac δόσεις ὑπατικὰς, h. e. ſportulas & miſſilia aliaſque largitiones, quas Ὑπατείας, *Conſulatum*, dixerunt, Ludos item, populo *dare*, Caſaub. *ad Lamprid. in Heliogab. c.* 8. infrà *Largitio*: it. *Quadrata moneta*.

poſt CONSULATUM, formula literis vel actis adſcribi ſolita, à tempore Juſtiniani Imperatoris. Sub hoc enim Conſulum ordinariorum extinctâ dignitate, quum ſibi ſolis eam aſſererent poſtmodum Imperatores ipſi qui perinde, ac jam olim Vitellius hâc videntur ratione *Conſulis Perpetui* titulum ſibi arrogâſſe: poſt Conſulatum Baſilii Junioris, qui ſolus Magiſtratum init, ann. 14. Juſtiniani, Chriſti 541. nullus Conſul ordinarius creatus eſt, ſed anni numerari cœperunt ab ejus Conſulatu, hâc formulâ, *Poſt Conſulatum Baſilii Jun. anno* 1. 2. & ſic deinceps uſque ad 25. qui incidit in annum emortualem Juſtiniani. Tum enim Juſtinus Junior Conſulatum init, &, quoad vixit, hanc dignitatem ſibi ſoli aſſeruit, annis ita recenſitis, *anno* 2. 3. 4. &c. *Conſulatus Juſtin. Jun. Aug.* ut eſt apud Marium Aventic. vel, *anno* 1. *Juſtini, poſt Conſulatum Juſtini Jun. ſolius* ut eſt in Chron. Alex. &c. Quod imitatus Carolus M. eſt, qui recèns *Auguſtus* dictus, ut eâdem quâ Conſtantinopolis. Imperatores dignitate ſe donatum oſtenderet. *Conſulatus* titulum, quem illi Imperatorio ſemper adjunxêre, à tempore prædicto, ſibi quoque adjunxit, ut & Succeſſores ejus: Unde eadem formula in Occidente uſurpata, ut patet ex *Ep.* Hadriani II. ad Actardum Namnet. Epiſc. *Quintô Kal. Martias ---- imperante domino noſtro ---- Auguſto Ludovico ---- anno* 19. & poſt Conſulatum *ejus anno* 18. *Indict.* 2. Ubi obſerva annum Imperii, anno unô Conſulatûs annum præcedere, &c. Imò vero formula hæc adſcripta legitur, præſertim in Africanis Actis etiam ante Juſtinian. cùm ſcil. qui tum hôc annô, quô ſcribebatur, Conſules creati eſſent, ignoraretur, & necdum nuntius Conſtantinopol. ubi deſignari ſolebant, eò eſſet allatus: quæ poſteà, ut dictum, ſub Juſtiniano, abrogatis Conſulib. ordinariis, perpetuò fermè retenta eſt. Vide Car. du Freſne, in *Gloſſar.* paſſim, & in *Diſſert. de Infer. ævi Numiſm. num.* 15.

CONSULENS Baculum, vide infrà ubi *de Divinatione*.

CONSULERE Deos, apud Plin. *l.* 28. *c.* 2. *Quippe victimas cædi ſine precatione non videtur, referri ad Deos, vite conſuli*: eſt mentem eorum ſciſcitari, de rebus futuris & eventuris; quemadmodum contrà *referebatur ad Deos* de rebus, quæ jam acciderant, ut de portentis, & prodigiis aliiſque hujuſmodi, quomodo expianda eſſent ac depellenda. Utrumque ſine precatione non fiebat, uti videbimus infrà, ubi de ritu *Referendi ad Deos*, it. voce *Teraphim*. Aliàs Conſul *ad Senatum referebat* de Republ. qui & *conſulere Senatum* dicebatur. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 581. & infrà ubi *de Rolationis jure*.

CONSULES, in civitatibus, qui in aliis vulgò *Scabini* vocantur, antiquæ jam dignitatis. Auſonius in *Urbibus*, *Epigr.* 14. v. 39.

Diligo Burdigalam, Romam colo, civis in illa,
Conſul *in ambabus, cuna hîc, ibi ſella curulis* &c.

De quorum Juramenti formula, vide *Statuta MSS.* Monſpelienſia, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* Idem titulus iis hodieque tribuitur, qui in Emporiis ſeu portibus maris, mercatorum jura ac merces tuentur, *Charta* Jacobi Regis Arrag. *A. C.* 1268. *pro Barcin.* & in mercatores ſuæ nationis, exceptis tamen majoribus criminibus, juriſdictionem exercent: Dicti quoque *Regens dels mercaderes, que van per mar*, in *Charta* A. C. 1358. Eligebantur illi quotannis, & quum Magiſtratum inibant, Urbi, unde mittebantur, ſolenni ſacramentô ſeſe obſtringebant, vide de illis inprimis Librum Italicum, cui titul. *Il Conſolato del Mare*, editum Venetiis A. C. 1576. Porrò Codinus, *de Offic. c.* 7. *num.* 9. Pachymeres, *l.* 2. *c.* 32. & Gregoras, *l.* 4. Piſanorum quoque Magiſtratum, qui Conſtantinopoli degebat, & apud Venetos *Bajulus*, apud Genuenſes *Abbas*, dicebatur, *Conſulem* appellatum obſervant, apud eundem Car. du Freſne, *Gloſſar.* Admiralium item ſeu ſupremum rerum aut claſſium Præfectum, apud Saracenos, pari appellatione fuiſſe inſignitum, diſcas ex Eulogio Toletano, *Memorial. Sanct. l.* 2. & Wall. Riſhangero A. C. 1272. Nec omittendum, quòd in Eccleſia Romana Cardinales *perpetuos Conſules* cenſeri, legitur apud Dominicum Macrum, in *Hierolex.* Vide quoque infra *Prolocutor*.

CONSULUM Paria, vide infrà *Paria Conſulum*.

CONSUS, qui Neptunus quoque, Rex laticum & terrarum conditarum, *conſiliorum* Deus putabatur, qui ideò templum ſub tecto in Circo habebat, ut oſtenderetur tectum eſſe debere conſilium. Hinc *Conſualia* feſta, quæ fiebant in honorem *Conſi*. Liv. *l.* 1. *c.* 9. *Ludos ex induſtria parat Neptuno equeſtri ſolennes, Conſualia vocant.* Vide Plut. in *Romulo*, ubi docet Conſualia 18. die menſis Auguſti celebrari ſolita. Errat itaque Servius, *in l.* 8. *Æn.* v. 636. ubi ſic ſcribit. *Raptæ autem Sabinæ Conſualibus, h. e. menſe Martio.* Quod falſum eſſe, præter Plutarchum, *Dionyſius* teſtatur his verbis: Ἣν ἀγουσιν ... [illegible] Ῥωμαῖοι ... [illegible] Κωνσουαλίων ἑορτὴν ἄγοντες. Vide Voſſ. in *Conſualia*.

CONSYGNE, Nicomedis Bithyniæ Regis uxor, quæ ob laſciviorem cum viro jocum à cane lacerata eſt. Plin. *l.* 8. *c.* 40. Ubi *Coſingis* alii legunt.

CONTACOPÆCTES, Græcè Κονταποπαίκτες vel Κονδυλοπαίκτες, dictus eſt à voce κόνδαξ, vel κόνταξ, genus jaculationis denotante, quo hôc genere ludi ſeſe exercebat. Photius in *Nomocanone*, Μόνον δὲ παίζειν ἔξεστι μονόβολον καὶ κονδομονόβολον καὶ Κοντάκιον χωρὶς ... [illegible]. *Quintana luſum* hodieque Galli vocant: cujus mentio & in Codice. Eſt autem μονόβολον, *ſimplex jactus*: κονδομονόβολον, *jactus cum conto*. Ruſinus in *Epigrammate*. κόνδακα dixit παίζειν,

Τῇ ... [illegible] παῖζον κόνδακα ... [illegible]
Ἐξ ... [illegible] γελῶν ... [illegible].
Αὐτίκα σοι βούλομαι, καὶ ... [illegible] βαλῶ σοι
Ἢ πλέον, ἢ ... [illegible].

Et ſimilis luſus fuit κονδαλισμὸς, de quo ſuprà in voce *Cindaloparfter*. At alius erat κονδοπαίκτης, cujus meminit Diomedes Grammaticus, *Scholiis in Dionyſium Thracem*, vetuſtiſſimum Grammaticum, qui inter exempla ... [illegible] cum aliis thaumaturgis ... [illegible] recenſet. Vide infrà: Plura verò hanc in rem apud Salmaſ. *Exercit. Plin. ad Solin.* p. 1031. Cæterùm κόνδαξ, *parvus contus*, qui, cùm ſine ferro eſt, pali inſtar habet: hinc κόνδαξ ... [illegible], ut dictum:

dictum: Idem Doricè κονδὰξ vel κονδύλη, de quo juſu ſuprà. Inde & κονδακιον, ſcapus chartarum vel voluminis, ad inſtar baculi &c. *Ibid.* Vide quoque infrà *Hieromonius*.

CONTADESDUS, Thraciæ fluv. Herodot. *l.* 4. *c.* 90.

CONTARINUS Franciſcus, Venetus, Philoſophiam Patavii docuit, Legatus ad Pium II. Senenſibus contra Florentinos ſuppetias tulit, expeditionis hujus ſcriptor. *Voſſ. de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 7. Ex eadem Familia, *Ambroſius*, ad Uſuncaſſanem Perſam miſſus, itineris diarium confecit. *Gaſpar*, Cardinalis, contra Pomponatium, cujus auditor fuerat, *de immortalitate Animæ*, ſcripſit Ad Carolum V. miſſus, à Republ. dein in Germaniam, à Paulo III. Concilii Tridentini Præſes futurus, obiis A. C. 1542. Bononiæ. Joh. Caſa, *in vita ejus*. P. Jovius, *in elog.* Duces varii, ut *Dominicus*, A. C. 1044. qui reparatâ urbe Gradô, receptâ Zarâ, &c. obiit A. C. 1060. *Jacobus*, Iſtrianorum victor, Ducatu ſponte ceſſit, A. C. 1280. *Andreas*, prudentiæ laude inclytus, A. C. 1382. *Franciſcus*, A. C. 1623. *Nicolaus*, A. C. 1630. *Carolus*, A. C. 1655. Vide P. Juſtinianum, Balthaſ. Bonifacium, *Elog. Contar. &c.*

CONTEJUM, vulgò *Conty*, locus Galliæ in Bellovacis. Hadr. Valeſ. in hac voce.

CONTEMPLATIO, apud Solin. *c.* 37. *Siderites à contemplatione ferri nihil diſſonat*, ſimilitudo eſt, vel effigies: *Siderites enim ferro ſimilis eſt*, ait Plin. *l.* 35. *c.* 10. Sic in præcedent. de pantheris, *trahunt odore earum, & contemplatione armenta meré officit*, quaſi Græcè dixiſſet, τῇ ὀσμῇ καὶ τῷ εἴδει. Eâdem notione Θεωρίαν aliquando Græci dicunt, Latini recentiores *viſionem*, uti videre eſt apud Auctorem, qui ſub *Æthici* nomine vulgatur. Græcia Infimi ævi Θεωρίαν & Θεωρίαν ſimiliter pro *ſpecie* uſurpat: ut Θεωρία ἐδεῖται, βελτίων, εἶδος &c. Salmaſ *ad Solin.* p. 770. Cæterùm Contemplatio *ſuorum* inſatiabilis eſt; cujus rei infinita exempla in Amatoriis. Heliodorus, *l.* 2. Οὕτως ἄρα καίτοι ὑπερβολὴ καὶ ὡς μεγέθει ἱμερόεν Φίλη αὐτοῖς. καίτοι μὴ ἀχανὴς θεῖσιν ἀγνοίᾳ τε τῆς γεγονότων, καὶ ἀναγέρω διὰ τῆς ἐρωμένων. Et de Medea Val. Flaccus, *ſue l.* 6.

Semper inexpletum agnoſcit Jaſona caro.

Statius quoque, *l.* 8. *Theb.* v. 650. de Atye moribundo, & Iſmene, ſponſa ejus,

> ---- *quater jam morte ſub ipſa*
> *Ad nomen viſus, dejectaque fortiter ora*
> *Suſtulit: illam unam neglectô lumine cœli*
> *Aſpicit & vultu non exſatiatur amatô* &c.

Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad l.*

CONTENTIO, Græcè Ἔρις, inter Martis comites, apud Homerum, *Il.* ξ. Vide infrà *Mars*, it. voce *Eris*.

CONTENTIOSI, Græcè Ἐριστικοὶ, Philoſophorum genus, de quibus vide infrà *Megara*.

CONTESTANIA, Hiſpaniæ citerioris regio, in qua ſita eſt Carthago nova. Fortè hodiè *Cocentayna*. Plin. *l.* 3. *c.* 3. *Conteſtani* erant, ubi nunc maxima pars Valentiæ, inter Thuriam fluv. & Illicitanum Sinum, ubi Carthago nova Illicis, Alona, Setabis, Valentia & Dianium Urb. verſus oram littoralem maris Mediterranei. *Baudrand.*

CONTESTATIO, præfatio eſt ſeu oratio, in Eccleſ. Romana, quæ Canoni Miſſæ præmittitur, quâ diſponi Sacerdotem & populum, ad myſteriorum confectionem, ajunt; quod, ut eſt in Codice Thuano, *conteſtetur Sacerdos fixam ac veram profeſſionem Populi, i. e. gratias referre Deo dignum eſſe* &c. Vide Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CONTHYLE, in Attica, municipium tribus Ptolemaidis vel Pandionidis. Hinc Κονθυλεύς. Vide Schol. *in Ariſtoph. Veſp.*

CONTIACUM, municipium Picardiæ, in agro Ambiano Principatus titulô clarum. Hinc Condæorum Principum ſtirps dicta, 4. leuc. ab Ambiano in Auſtrum.

CONTINENS, apud Martianum, *Terracina prius inſula, nunc conjuncta: Rheginque ab Sicilia continenti ſeparata, eaque in compenſationem connexa tellure in inſulam relegata:* Ovidio, *l.* 15. *Met.* v. 289. *continens*,

> *Leucada continuam veteres habuêre coloni,*
> *Nunc freta circumeunt.* ----

Terra eſt, nullô mari interrupta, cui Inſula opponitur. Mela, *Aliàs inſula videntur, aliàs una & continens terra*, i. e. quæ continenter juncta eſt. Sic *continenter ſedere*, conjunctim & unô tenore:

> *An continenter quod ſedeas inſulſi*
> *Centum aut ducentos.*

Et *in continenti aliquid facere*, ſtatim ac nullâ interpoſitâ morâ. *De tenenti*, legitur in *Pervigilio Veneris*,

> *De tenenti tota nox eſt pervigilanda canticis.*

I. e. *continenter* tota nox pervigilanda, unô tenore, ac *de ſuo tenente*, ut vulgò Galli loquuntur &c. Salmaſ. *ad Solin.* p. 83. Apud Ciceronem *Continentia ſcripta* ſunt, quæ perpetuam Hiſtoriam complectuntur, ordine temporum ac rerum geſtarum ſerie continuâ expoſitam. *Ut à continentibus tuis ſcriptis, in quibus perpetuam rerum geſtarum Hiſtoriam complecteris, ſecernas hanc quaſi fabulam rerum eventorumque noſtrorum; habet enim varios actus, multaſque actiones & conſiliorum & temporum.* Ubi ſummus Orator alludit ad formam, quâ Poëtæ Tragici ab Epico Cyclo, perpetuam Hiſtoriæ fabularis ſeriem complexo, dramata ſecernebant & fabulas quaſdam, quas ornarent variis actuum & actionum epiſodiis. Cyclus enim Epicus perpetuam narrationem τῆς μυθικῆς complectebatur: uti pluribus dicemus infrà, in hac voce. Etiam *continuari*, pro proximè & individuè comitari, quod idiomate ſuô Galli dicunt, *joindre quelqu'un*, occurrit apud Siſennam laudatum Nonio, *Marius oſtio Libr evehitur, atque Æmariam ſpoi continuatur.* Et *continare*, pro continenter ire, apud Solin. *c.* 22 *prope Panchajam continat in Solis urbem*, ad quæ loca vide eundem Salmaſ. ubi ſuprà, p. 249.

CONTINENTES, Græcis Ἐγκρατεῖς, item Ἀσκηταὶ, vide ſuprà, ubi de *Aſcetis*. In Communione Romana in ſpecie ſic dicuntur, Fratres & Sorores Tertii Ordinis Fratrum Minorum, inſtituti ab ipſo S. Franciſco, qui & *de Pœnitentia* nuncupabantur, In *Bulla* Johannis XXII apud *Waddingum*. De priſtinis addo: Mentio eorum in Can. 30. Concilii Laodicenſ. *Quod non oporteat ſacris officiis deditos, aut clericos aut* Continentes, *vel omnem Laicum Chriſtianum lavacra cum mulieribus celebrare, quia hæc apud Gentes reprehenſio prima eſt.* In Græco Ἀσκηταὶ, Monachi ſunt, quos jam tum magna ex parte non optimæ notæ homines fuiſſe, *multoſque hypocritas ſub habitu illorum calidiſſimum hoſtem uſquequaque diſperſiſſe*, quæ Hieronymi verba ſunt, *l. de opere Monach.* vel hinc diſcas, imò & ex Can. 78 Concilii Trullani, ubi iterum *Continentibus* interdicitur balneis hujuſmodi. Quare non mirum, Zoſimum, *Hiſtoriar. l.* 5. tam acriter in illos invehi, hominem Ethnicum, eoſque ὑώδη βίον vixiſſe dicere. Cùm ſanè & ſordibus & immunditie prætereà ſæpe hi ſcaterent, non tam pietatis ſtudiô, quàm ambitione & hypocriſi. Notum, quid de Hilarione teſtetur idem Hieronymus. Eunapius verò, Rutilius horumque ſimiles hæc minimè talibus laudi ducebant. Unde Rutilius, *Itiner.* v. 525.

> *Inferni putat illuvie cœleſtia paſci,*
> *Seque premit læſis ſævior ipſe Deis.*

Nec ipſos Philoſophos Gentiles, à quibus Ἀσκησιν Chriſtiani ſordes ſuas mutuaverant, ob hæc bene inter ſuos audiviſſe, notum. Vide Anton. van Dalen *de Oraculis Ethnicorum, Diſſertat. I. p.* 138. & *ſeqq.*

CONTINUSA, inſul. Hiſpaniæ adjacens in freto Gaditano, aliis nominibus *Gadira* & *Tarteſſus* dicta. Plin. *l.* 4. *c.* 22. Lege *Cotinuſa*, idque authoritate Dionyſii Perieg. v. 455. de hac inſula loquentis:

> Καὶ τὴν μὲν προτέρως ὑπὸ κοτίνου ἐκάλεσσαν,
> Κλαζομένων Κοτινοῦσαν ἐρημίζουσι Λίβυες.

Ubi *Scholiaſtes* ſic dictam ait, ὡς πολλοὺς ἔχουσα κοτίνους οἱ ἄγριοι ἐλαῖαι οἷόν εἰσι, ut quæ agreſtes oleas multas haberet. *Nic. Lloydius.*

CONTIUS Antonius, Noviodunô Veromanduus, JCtus eximius, Biturigibus primùm, inde Aureliani Jus docuit: poſtmodum Bituriges revocatus, novâ editione Juris Utriuſque, pluribuſque aliis ſcriptis inclaruit. Obiit A. C. 1577. ætat. 60. circiter. Calvini agnatus, ſympatriota, at hoſtis acerrimus. Joſ. Scaliger, vide *Scaligerana*, indicem verò librorum, quos edidit, apud Anton. Teiſſier *in Elogiis, Part.* 2. Jac. Cujacio JCto celeberrimo magni æſtimatus, *Ibid.* ex *Thuano*.

CONTOBABDITÆ, Hæretici ſeculô 6. Theodoſianorum ſectatores. Niceph. *l.* 18. *c.* 49.

CONTOPÆCTES, Græcè Κοντοπαίκτης, apud Balſamonem in Can. 51. *Propter horum autem Canonum pœnas videntur extinguari ludi Imperiales*, Contopæctes *ſcilicet*, Haſtiludium eſt ſeu Trojæ ludus Macris Fratribus, in *Hierolex.* de quo paſſim in vocibus *Haſtiludium, Torneamentum, Tibia*. Sed aliud ſuadet ænigma Græcum, quod Juliano Apoſtatæ tribuit liber Regiæ Bibliothecæ, cum hoc lemmate;

> Ἰουλιανοῦ τοῦ ἀποστάτου εἰς Κοντοπαίκτην.
> Ἐστὶ τὸ δένδρον τῆς αἰσθήσεως μέσον,
> Οὗ ῥίζα καὶ ζῇ, καὶ λαλεῖ καρποῖς ἅμα.
> Μία δ' ἐν ὥρᾳ καὶ φυτεύεται ξένως
> Καὶ καρπὸν αὔξει, καὶ στρέφεται ῥιζόθεν.

Cui interpretationis vice inſerimus verba *Chryſoſtomi*, Τί ἂν εἴποι τις περὶ τῶν τὸ κόντον φερόντων, οἱ καθάπερ δένδρον ἐῤῥιζωμένον ἐπὶ τῆς γῆς, οὕτως ἀκίνητον διατηροῦσι, καὶ παιδία μικρὰ ἐπ' ἄκρου τοῦ ξύλου παλαίοντα ἀλλήλοις. Quid dicamus de hominibus illis, qui, contum in fronte gerentes, velut arborem in terra radicatam, ita immobilem tenent, ut pueruli exigui in ſummo ligno luſitent & luctentur ſecum invicem. *Præparant autem frontem ſolam, ut omni vinculô ſit tenacior.* Nempe radix homo eſt, qui conto ſubeſt, quæ vivit & loquitur. Fructus, pueruli ſunt in ſummo conto luſitantes, & luctantes, qui pariter cum radice loquuntur & vivunt. Intra unius horæ ſpatium arbor illa erigitur ac radicitus eruitur, poſt finem ſcil. ludicri, depoſitô contô & abjectô. Meminit ludi hujus quoque Diomedes Grammaticus *Scholiis* in Dionyſium Thracem, vetuſtiſſimum Grammaticum, qui intra exempla παιδικῶν, κοντοπαίκτην quoque cum aliis θαυματοποιοῖς recenſet. Alius erat κοντοπαίκτης, de quo ſuprà. Vide Salmaſ *ad Solin.* p. 1032.

CONTORNIATI, dicuntur Antiquariis nummi, ad Virorum Illuſtrium, qui prioribus ſeculis vixerant, revocandam memoriam cuſi ab Imperatorib. ſicut & *Revocati*, ſed ab his diverſi. Et quidem *Revocati*, multo plures habentur ab ipſomet Auguſto & Succeſſoribus cuſi; *Contorniati* primùm occurrunt, poſt Conſtantini M. ævum, atque adeò circa Honorii demum tempora: Is quibus primos tenet æreus ille Medallio, in cujus antica parte idem Auguſtus *majori habitu faciei* effingitur, cum hac Inſcript. HONORIO AUGUSTO; in poſtica, expreſſus conſpicitur Vir triumphali ſpecie; aureâ caput cinctus, dextrâ flagellum, ſiniſtrâ palmam tenens, curru quadrijugô vectus, cum Inſcript. EUTYMI NIKA, ita ut penè geminus ſit alterius Medallionis, qui à Nerone primùm cuſus eſt, in memoriam Euthymii ſeu Euthymi Pyctæ Locrenſis, de quo Plin. *l.* 7. *c.* 47. *Conſecratus eſt*, ait, *vivus ſentienſque.*

terriſque, ejuſdem Oraculi juſſu ---- ſemper Olympiâ victor & ſemel victus. Iſtum verò Neronianum Medallionem revocavit ſeu recudit Trajanus, levi diſcrimine à priore diſtinctum: utrumque poſteà Honorius præfatus, vide Car. du Freſne, *Diſſert. de Infer. ævi Numiſm.* & infrà in voce *Euthymus*, item *Homerus*.

CONTORQUERE Vitalia, apud Treb. Pollionem in Claudio, *c.* 13. *Nam vitam ejus, qui ſibi non balthenm, ſed vitalia, contorſiſſet*, terminus luctæ fuit Veterum, Græcis ἴγχμα δαιός. Statio, *illa implicare*, *l.* 6. *Theb. v.* 888.

> ---- *tergo nec operum inhæret,*
> *Mox latus, & firmo teſſit implicat illa nexu.*

Illa eſt firmò nexu implicare, ſeu vehementi nexu ſtringere: quò palæſtricò ſchemate intercepti, quia pleruſque veneris crepitum emittebant, μεσοπέρδιον etiam Græcis appellatum eſt. Hoc vero non ſemper fiebat, ſed tum ſolum, quum ſeverâ & exactâ lege luctabantur. Aliàs cùm ludicræ tantùm & exercitationis gratiâ lucta erat inſtituta, non tam ſeveris legibus illa peragebatur. Nam nec nudi luctabantur, ut mos erat in Græcia luctantium: nec *vitalia* ſibi ſed *balthenm* ſolùm, *contorquebant*. Baltheus autem, ut notum eſt, medium hominem cingebat: hinc & μεσολαβεῖν hoc ſchema dictum eſt. Atque inde elogium veteris Athletæ: ὃ μέσα ἄδοις ἴλαδος, *cujus vitalia nemo contorſit*: de quo vide Salmaſ. *ad Pollionem*, *loc. cit.*

CONTOSOLIA, Hiſpaniæ urbs 12. mill. paſſ. ab Emerita. *Antonin.*

CONTOSTAULUS, Comitis ſtabuli dignitas in Aula Imperatorum Conſtantinopolit. ex Κόντ☉, Ital. *Conte*, uti Cantacuzenus exponit, *l.* 1. *c.* 4. & voce Latinâ corruptâ *Staulus*, i. e. *Stabulum*, Car. Macer, *Hierolex.*

CONTRACTUS, vide infrà *Syngrapha*, it. *Shoterim*.

CONTRACTUS Hermannus, vide *Hermannus*.

CONTRAGINNUM, caſtellum ad Iſaram, Noviomago proximum, vulgò *Chauni*. quod Galli etiam *Calniacum* olim nuncupavêre: inter Iſaram & Noviomagum, cujus Epiſcopum agnoſcit. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CONTRARATIO Sanctorum, ſortilegii ſpecies, apud Haligarium Cameracenſem Epiſcopum *in Pœnitentiali*, *c.* 6.

CONTRAROTULATOR, Gallis dicitur, qui Græcis olim Ἀντιγραφεὺς, à voce *Rotulus* vel *Rutulus*, Gall. *roolle*, vide ſuprà in *Antigrapheus*, & in voce *Rotulus* ſeu *Rutulus* infrà.

CONTRASCRIPTOR, in *veter. Inſcript.* CONTRASCRIPTOR SUMMI CHORAGI, *idem*.

CONTRASIGILLUM, vide infra *Sigillum ſecretum*.

CONTRIBUTA Julia, Beturiæ oppid. in tractu Celtico, inter Betum & Anam fluvios. Plin. *l.* 3. *c.* 1. *Contrebia* forſan Livio, *l.* 40. *c.* 33.

CONTUBERNIUM, manipulus vocabatur militum undecim, qui ſub uno papilione degentes, Decano, i. e. *Contubernii* caput dicto, qui undecimus erat, parebant, Vegetius, *l.* 2. *c.* 13. Græc. Συσκήνιον: eratque Centuriæ in decem *Contubernia* diviſæ. Per tranſlationem, à cohabitatione ſervi cum ancilla, vox hæc etiam ſervilem conjunctionem ſignificat: unde non matrimonium, ſed *Contubernium* inter ſerviles perſonas contrahi dicitur. Sic *Prediſſequa Actori ſervo in contubernio tradita* proponitur, *l.* 39. *ff. de manum. teſtam.* Unde quæ à ſervis in contubernio habentur ſervæ, non Uxores aut Conjuges, ſed *Conjunctæ*, ut ait *Varro*, item *Contubernales* dicebantur: quò nomine ea quoque conjunctio venit, quæ inter liberas & ſerviles perſonas intercedit. Imò etiam libertorum, qui ex juſta ſervitute manumiſſi erant; & liberæ mulieris conſuetudo, non intercedentibus nuptiis: denique injuſta quælibet atque illicita conjunctio *Contubernii* nomine venit, Joh. Laurentius, *in Phædrum*, *l.* 3. *fab. ult.* Sed & dicti *Contubernales* ſunt adoleſcentes, qui rei militaris percipiendæ & provinciæ cognoſcendæ causâ Magiſtratus in provinciam ſequi ſolebant, Cic. Aliud quid eſt *Contubernium Imperatoriæ Majeſtatis*, apud Spartian. *Hadr. Cæſar.* *c.* 8. h. e. Conſilium, quod è Senatoribus primus inſtituit Auguſtus, ut cum iis, de negotiis ad frequentem Senatum referendis, antè tractaret, Sueton. *c.* 35. Vide ſuprà ubi de *Comitibus*, *Conſiſtorianis*, & infrà, voce *Senatores*. Nominis origo à *tabernis*, uti pluribus docet Jac. Ouzelius, *Animadv. ad Minucium Fel.* p. 3. & 4.

CONTUMELIÆ Scabellum, vide infrà, ubi de *Homicidio*, it. voce *Reus*.

CONTUMELIOSUS, Epiſcopus Rejenſis, A. C. 534. depoſitus miſſo à Johanne II. Viſitatore, qui Diœceſin ejus gubernaret, appellavit ad Agapetum Johannis Succeſſorem. Vide Concil. *tom.* 4. Sim. Barthel. *Hiſtor. Epiſcopor. Rejenſium*, San Marth. *Gall. Chriſt. tom.* 3. *p.* 936.

CONTUS, apud Papinium Statium, *l.* 2. *Achill.* *v.* 418.

> ---- *diditi quò Parnes armà rotatu,*
> *Quò Macetæ ſua geſta canunt, quò turbine contum*
> *Sarromatæ* ----

longa haſta eſt, veteri Scholiaſtæ. Certè *Contos* equeſtres fuiſſe haſtas Sarmatarum, docet Tacitus, *l.* 1. *Hiſtor.* *c.* 79. *Mirum dictu, ut ſit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipſos. Nihil ad pedeſtrem pugnam tam ignavum, ubi per turmas advenêre, vix ulla acies obſtiterit. Sed tum humido die & ſoluto gelu, neque conti, neque gladii, quos prælongos utraque manu regunt, uſui* &c. Val. Flaccus, *l.* 6. *v.* 161.

> ---- *Contumque celer mutatur equorum*
> *Maſſus; & ingentis frænator Sarmata conti.*

Vide quoque Claudian. *Stilic.* *l.* 1. *v.* 111. & plura hanc in rem apud Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium*, *Achilleidos loc. cit.* Sed & ad ludos contorum uſos. Illos enim *Σαυροματας* quoſdam in fronde portâſſe, alios illorum jactu detectiatem ſuam oſtendiſſe, diximus ſuprà in vocibus *Cindalopectes* & *Contopæctes*.

CONVALLIS illuſtris, quæ & *Vallis Save*, & *Vallis Regis*, Joſepho *Campus Regius* dicta, propter ſui fertilitatem & amœnitatem, eſt in tribu Manaſſe. Incipit è mari Galilææ à Bethſan, & extenditur per totum aſcenſum Jordanis uſque ad mare mortuum, eratque illuſtriſſima, priuſquàm Dominus ſubverteret Sodomam & Gomorrham, ut quæ mediâ Jordane irrigabatur ſicut Paradyſus Domini, & ſicut Ægyptus.

CONVALLIS Mambre, quæ & Vallis Hebron, in tribu Juda, fertilis & amœna valde, in qua habitabat Abraham in tabernaculo, ubi & tres Angelos hoſpitio excepit, pedes eorum lavit, & ſub ilice ſive quercu Mambre miniſtravit ad recubitum. Vide Gen. *c.* 18. *v.* 1.

CONVELLERE Signa, apud Livium, *l.* 3. *c.* 7. *Adeò enim nulla ſpes animos eorum cepit ---- at totis paſſim caſtris ſtratim otio, in vaſta ac deſerta agra, inter tabem pecorum hominumque ---- tempus tererent: quum integra loca ---- petere poſſent; ſigna repentè convellerent: tranſverſiſque itineribus, per Lavicanos agros in Tuſculanos colles tranſtent*: quid ſit, vide ſuprà in voce *Aquila Militaris*.

CONVENÆ, vulgo *Comminges*, quaſi *Commenenses*, populi Galliæ Aquitanicæ è ſaltu Pyrenæo, h. e. Hiſpaniæ & Aquitaniæ confinio oriundi, teſte Cæſare, *l.* 3. *de Bello Civ.* *c.* 19. qui fugitivos illos à ſaltu Pyrenæo & prædones vocat, quia veteri vitiô gentium Hiſpaniæ latrunculi erant, quales ibidem poſteà Bandularii exſtitêre. Hi igitur à Pompejo victore, ex Hiſpania reverſo, oppugnati, pacem hâc lege impetrârunt, ut omnes de ſaltu in plana Aquitaniæ deſcenderent, & in oppidum contribuerentur: quia itaque ex jugis Pyrenæis undique eò convenerant, *Convenæ* appellati ſunt, h. e. ut interpretatur *Strabo*, συνήλυδες. Sic idem Ligures olim, & Auguſtus Cæſar partem Cantabrorum è montibus in plana deduxit. Sedem ad fontes Garumnæ, eorumque urbs præcipua fuit Lugdunum Convenarum, à ſitu dicta: *dunum* enim Gallicâ linguâ montem ſignificabat. In vertice erat montis, trans Garumnam, unde in circumjacentem planitiem deſpiciebatur, valle præcipiti undique cincta. Fons ingens ad radices montis prorumpebat, munitiſſimâ turre circumdatus: quò oppidani per cuniculos deſcendentes, ſine periculo aquari conſueverant. Poſteà, nomine gentis aſſumtô, *Convenæ* dici cœpit. In *veterib. Notit.* inter provinc. Novempopulaniæ civitates duodecim, quartò, nonnunquam quintò locô poſita: nunc *Fanum S. Bertrandi* dicitur, vide infrà, 16. leuc. à Tholoſa. 12. ab Auſcis in colle. Urbs Epiſcopalis eſt totius tractus, quartò poſt Auſcos Metropolim, Aquas & Lactoram locô. Suavis ejus Epiſcopus Agathenſi, A. C. 506. Præſidius Aurelianenſi II. Amelius Aurelianenſi V. interfuêre. longitud. 21. 37. latitud. 42. 58. Titulum Comitatus habet, qui eſt inter Languedociam, Pyrenæos, Comitatum Fuxenſem & Armeniacum: in Super. & Infer. diviſus. Plin. *l.* 4. *c.* 19. Strabo, *l.* 4. &c. *Ptol.* &c. Urbs deſtructa eſt A. C. 585. à Gontrano Rege, quòd Pſeudo-Gundebaldo perfugium fuerat, cùm à Pompeji Magni ætate ad id tempus floruiſſet, & jacuit per ann. 510. donec à S. Bertrando vel Berthramno Epiſcop. unde ipſi nomen *S. Bertrand de Comminges*, in vertice collis ac in ipſis excisæ urbis veſtigiis, priori tamen multò minor, reparata eſt, A. C. 1085. ubi & clauſtrum ædificavit, & Canonicos regulæ B. Auguſtini ſervantes inſtituit: patria fuit Vigilantii. Cæterum Comitatus hic, à Parlamento Toloſano dependet, donatus à Johanna filia Comitis Convenîæ, & Bononienſis, Carolo VII. A. C. 1442. Aimoin. *l.* 3. *c.* 69. Gregor. Turonenſ. *l.* 7. Oihenart. *Notit. utriuſque Vaſconiæ*. Cheſnius, *Ant. urb. part.* 1. *l.* 1. *c.* 15. San-Marth. *Francia Chriſt. Tom.* 2. *p.* 547. quibus adde, inter primos dicendum Hadrian. Valeſium, *Notit. Gall.*

Urbes & oppida in diœceſi Convenica.

S. Amantii, *S. Amans*.	Genciacum, *Genſac*.
S. Beati, *S. Beat*.	S. Gerontii, *S. Geron*.
S. Bertranni, *S. Bertrand de Comenge*.	Granata, *Granade*.
	Inſula Dodonis, *l'Iſle Dodon*.
Caſtellio, *Caſtillon*.	Mons Regalis, *Montreal*: Lemaniæ nunc accenſus.
Caſtra, *Caſtres*.	
Frontiacum, *Fronſac*.	Riparia ad Garumnam regio.
S. Gaudentii, *S. Gaudens*.	Sammatanum, *Samatan*.

Ponit etiam in agro Convenarum, præter Lugdunum, Aquas Calidas *Aquas* Strabo. Vide *Caquem*.

CONVENNOS, Angliæ inſula Cantio adjacens apud Thameſis fluv. oſtia, *Ptol.* vulgo *Schepey*. Vide *Connos*.

CONVENTICULA, veterum Chriſtianorum, memorantur Arnobio, *l.* 4. *Nam noſtra quidem ſcripta cur ignibus meruerunt dari? Cur immaniter Conventicula diruta? in quibus ſummus oratur Deus*. Vide quoque Lactant. *l.* 5. *c.* 11. Oroſium, *l.* 7. *c.* 12. Amm. Marcellin. *l.* 27. ubi idem nomen occurrit. Græcis οἶκοι & ἐκκλησιαστήρια, appellatione generali, quòd nihil ab ædibus privatis cultu differrent, Euſeb. *Hiſt. Eccl.* *l.* 8. *c.* 14. Latinis quoque *Domus Dei*, Tertullian. *de Idolol.* *c.* 7. *Domus orationis*, Auguſtin. *Epiſt.* 64. &c. Nempe tenuioribus ac minùs adhuc ſtabilibus Chriſtianorum rebus, habebant illi ſua *Conventicula* tantùm, ubi congregarentur, eaque non fixa, ob perſecutionum ſævitiam, quâ durante latebras quærebant, ac in ædibus privatis, denique quibuſcunque poterant locis, conveniebant. Donec laxiora conventibus agendis ædificia ſtruere iis permiſſum, ut de Probo Imperatore legimus, & floreſcentibus eorum rebus Baſilicæ ſeu Κυριακαὶ erectæ, quæ, licèt non minùs ſuperbæ, ac pleraque Gentilium templa, eſſent, *Templa* tamen appellata non ſunt, nomine hôc Gentilibus relicto, ut disertè docet Hieronymus, *Ep. ad Riparium Presbyt.* Vide quoque voce *Eccleſia*. In his igitur *Conventiculis* quid Chriſtiani uſque

uſque ſexu, frequenter convenirent, precibus, jejuniis, auditioni verbi, ſacræque communioni vacaturi, idque noctu non raro, tempora perſequutionum videl. imminente, hinc Gentilium calumniis porta data. Inter quos Cæcilius apud Minucium Fel. de Chriſtianis, *Plebem*, inquit, *profanæ conjurationis inſtituunt: quæ nocturnis congregationibus & jejuniis ſolennibus & inhumanis cibis non ſacro quodam ſed piaculo fœderantur*, & quæ ſeqq. Putabant enim, ratione morte ſui, Chriſtianos humani corporis ſanguinem in ſuis *Conventiculis* lambere, & piacularibus hoſtiis ad fœdum ſilentiumque mutuum oppignerari, adeoque illis, quos fama erat, ſanguinem bibere in Communione Euchariſtica, illicitas conjurationes & ſacramenta objiciebant. Quamvis calumniam hanc aliaſque ſatis jam antea refutaſſet Plinius Junior, *Ep. de Chriſtianis ad Trajan.* Vide plura apud ejuſdem Minucii Commentatores, ubi & de reliquis criminibus, quæ *Conventiculis* Chriſtianorum Gentiles calumnioſe impingebant: adde Deſid. Heraldum, *ad Arnob. l. 6.*

CONVENTRIA, vide *Coventria.*

CONVENTRIUS Gualterus, vide *Gualterus.*

CONVENTUALES Fratres, apud Matth. Pariſ. A. C. 1233. Monachi, qui collegialiter in *Conventibus* vivunt. In Communione cum Romana vox *Conventus* ſpecialiter dicitur de Collegio Monachorum, apud Ebrardum in *Græciſmo*, c. 12. Ordericum Vital. *l.* 4. Alios. Item de loco, ſeu camera, ubi Monachi, de rebus ſuis ſecum invicem deliberaturi, conveniunt, in Chron. Fontanellenſi & Lobienſi, apud Car. du Fresne. Unde *Conventum tenere*, dicitur primus, qui inter Monachos, abſente Abbate vel Priore, in officiis divinis, vel in refectorio, occurrit, in libro *Uſuum* Ordinis Ciſterc. c. 81. &c. Hinc *Conventus S. Lucæ*, in Græcia, non procul Parnaſſo, in monte *Stiri*, memoratus Jac. Sponio, *Itiner. Græc. Part.* 2. *p.* 73. *& ſeqq.* Eſt id Monaſterium difficilis acceſſus totius Græciæ pulcherrimum, à Romano Imperatore Orientis, filio Conſtantini VII. & nepote Leonis, cognomine *Philoſophi*, fundatum, cui nomen à S. Luca Eremita, montis hujus incola; unde *Stiriotæ* ei cognomen. Plura de illo vide *dicto loc.* Cæterum *Conventum* & *Silentium* idem eſſe, videbimus infrà, voce *Silentiarius.*

CONVERSÆ, mulieres, quæ, à prava & diſſoluta vita, ad meliorem tranſeunt, vulgo Gall. *Converties.* His hinc olim deſtinatæ erant ædes Conſtantinop. quarum prior à Iuſtiniano M. extructa Μετάνοιας, h. e. *Pœnitentia*, ut docet Procopius, *de Ædif. Juſtin. l.* 5. altera Νέας Μετάνοιας, *Nova Pœnitentia*, nomen habuit, ut refert *Theophanes*: Gallis *Maiſons de Repenties*, vide Car. du Fresne, in *Conſtantinop. Chriſtiana.*

CONVERSANUM, urbs regni Neapolitani in provinc. Bariana, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Barenſi, gaudet titulo Comitatus Gentis Aquavivæ. 5. milliar. ab ora maris Adriatici 14 à Bario in Ortum, parvi circuitus. Leand. Albert *deſcr. Ital. p.* 245. Miræus, *Geogr. Eccleſ.* Vide *Cuperſanum.*

CONVERSI, dicti vulgò, qui à Judaica vel Mahometana ſuperſtitione, ad fidem Chriſtianam convertebantur. Hinc narrant Matth. Paris. & Matth. Weſtmon. ſub A. C. 1233. Henricum III. Anglor. Regem extruxiſſe Londini *Domum Converſorum*, pro errorem Judaicum relinquentibus, *in qua ſub honeſta vivendi Regula, certum haberent in tota vita ſua domicilium, tutum refugium & ſufficiens vitæ ſuſtentamentum.* Quam quidem, expulſis poſtmodum Judæis, Eduardus III. annô Regni ſui 51. in Scriniorum Cuſtodiam commutavit, ut auctor eſt Spelmannus. His autem primò ipſi Reges victum veſtitumque conferebant; poſtmodum creſcente numerô, & ingruentibus bellis, in Abbatias & Monaſteria ſingulatim illos amandabant &c. In Gallia, frequens quoque horum mentio, ubi *Baptizatorum* vulgò nomine veniebant & plerumque Regem Magnateſque patrinos habebant, qui ſimiliter illis certos attribuerunt reditus, qui *Burſa Baptizatorum* dicti ſunt, vide Car. du Fresne, *Not. ad Joinvill. p.* 112. Apud Salvianum, *ad Eccl. Cathol. l.* 4. alibique hôc nomine inſigniuntur Monachi, qui non ab infantia in Monaſteriis enutriti eſſent, hinc *Nutriti* dicti: ſed qui à ſeculari vita, quam aliquandiu profeſſi erant, ad Monachiſmum poſteà accedebant. In ſpecie verò *Converſi* in Monaſteriis, Gall. *Freres convers* dicuntur laïci Monachi, laïcis exercitiis & Monachorum obſequiis, addicti, eò quòd primitus viri laïci, pietatis, ſeu etiam quærendi victûs gratiâ, Monaſteriis totos ſe addicerent, operam ſuam eis ad vitam locantes: inde *Laïci*, *Oblati*, *Donati*, ſed & *Viatores* paſſim dicti. Vide Haëftenum, *Inquiſit. Monaſtic. l.* 3. *tract.* 1 *Diſtinct* 8. His inferiores eſſe *Redditos* dicemus infra in hac voce. In *Tabulis* tandem Eccleſiæ GP. ſub Hugone Epiſcopo. apud Car. du Fresne, in *Gloſſar.* occurrit crebrius quidam Guigo *Converſus*, item Guigo Converſus *Epiſcopi*, ferè ſemper primus in ſubſcriptionibus Chartarum ejuſdem Epiſcopi, &c.

CONVICTOLITANIS Æduus, florens & illuſtris Adoleſcens, qui ſummum Magiſtratum, quem illi *Vergobretum* appellant, in ſua civitate obtinuit. Cæſ. *l.* 7. *Comment. c.* 32. 33. 37. 42.

CONVITIA Gentilium, in Deos ſuos frequentia, cùm non è voto res ſucceſſerunt: quò caſu & ſtatuas eorum lapidatas, alibi diximus. Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium, Theb. l.* 1. *v.* 79 & *l.* 5. *v.* 611. Item in *Superſtitionum Commentariis*, & *Animadv. ad Lucanum.* De *Convitiatoris* verò Poetæ pœnis, vide Car. Paſchal in *Coronarum libris.* Sed & *Convitia*, de avibus occurrunt. Statius, *l.* 2. *Sylv.* 4. *v.* 55. de Pſittaco Atedii Melioris, cui ubi carmine parentavit Poeta,

> —— —— —— *vocat ille beatus*
> *Carcer, & anguſti nuſquam* convitia *tecti.*

Ubi *Convitia*, garrulæ hujus avis clangores ſunt. Ita Ovid. *nemorum convitia* picas vocat, *Metamorphos. fine l.* 5. *v.* 676.

> *Ære pendebant, nemorum* convitia*, picæ* &c.

Vide quoque ſuprà *Comadus*, it. infrà *Rana.*

CONVIVA Apoſtolorum & Martyrum conſors, cognomen Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi apud Eund. *Conviva Regis*, *l. Sal. tit.* 43. §. 6 *Si quis Romanum hominem*, Convivam Regis, *occiderit*, alibique paſſim, Jonam inprimis in *Vita* S. Columbani, c. 24. ubi Chrodoaldus, & c. 28. ubi Hagnericus, Regis Theodeberti Convivæ, item Pontanum, *Hiſt. Danic. l.* 5. ubi Blaco, S. Canuti Regis conviva, à quo Rex occiſus, memoratur: dictus eſt, qui non miniſter ſolum ſeu officialis domus Regiæ, ſed & intimam Regis familiaritatem, erat adeptus. *Conviva Regi* ſcil. ii erant, *qui honore menſæ regalis aliis anteponebantur: quos participes menſæ ſuæ effecit*, ut eſt in *Concilio* Tolet. XII. *Can.* 3. & *quos divinas epulas adhibere adorandi Principis facultatem habere* conſueviſſe, ait *l.* 2. *Cod. Theodos. de Comit. & Tribun. Scholar.* ubi Jac. Gothofredus plura congeſſit de honore Menſæ Regiæ, ut & Bignonius ad *L. Sal.* Savaro, *ad Sidonium Epiſtol. l.* 1. Alii. Cujuſmodi honorem Chimhamo & Mephiboſetho, à Davide Rege Iſraëlis exhibitum eſſe, in ſacris legimus, 2. Samuel. *c.* 9. *v.* 7. *c.* 19. *v.* 28. Simile quid *Hoſpes Regum* in Perſia hodieque, vide ſuo locô. Sed & eos omnium, qui ex familia & domo Regia ſunt, *Menſæ Regis*, Gallis vulgò *Officiers Commenſaux de la Maiſon du Roy*, dicuntur Car. du Fresne, *Gloſſar.* & *Diſſertat. ad Joinvill.* 2.

CONVIVIA, vide de iis jam aliquid ſuprà, in voce *Cibus*: item *Cœna.* In iis, Varro convivarum numerum incipere voluit à Gratiarum numero, & progredi ad Muſarum, quibus Apollinem quoque ſuum indulget Eraſmus. Vetitus tamen apud Macrob. *l.* 1. *Saturn. c.* 7. Muſas cum Gratiis conjungens, duodecim convivas adeſſe vult: ſcribitque Capitolio, *in Vero*, c. 5. eum primum fuiſſe, in cujus convivio duodecim accubuerint, cum vetus verbum eſſet, *Septem convivium, novem verò convicium.* Sed corrigens Capitolinum Caſaubonus, famoſiſſimam Octavii juvenis cœnam Δωδεκάθεον ſuggerit, in qua duodecim convivæ, duodecim Deorum nomine & ſpecie; quam haud dubiè Verus æmulari voluit. Archeſtratus, Poëta Syracuſanus, convivas eſſe aut tres, aut quatuor, aut non plures quinque vult, aliâs futurum conventum manipularium & raptô viventium, his verſibus, apud Athen. *Deipnoſophiſt. l.* 1.

> Ἔστωσαν δ' ἢ τρεῖς ἢ τέσσαρες οἱ ξυνάπαντες,
> Ἢ τῶν πέντε γε μὴ πλείους· ἤδη γὰρ ἂν εἴη
> Μισθοφόρων ἁρπαξισίτων σκηνὴ στρατιωτῶν.

Heliogabalus, memorante Stuckiô *de Convív. l.* 4. *c.* 2. invitavit *Octo calvos, octo luſcos, octo podagroſos, octo ſurdos, octo rauces, octo inſigniter nigros, octo inſigniter longos, octo præpingues, & octo naſutos*, delectatus illô Græcô proverbiô ὀκτὼ ὀκτώ. Horat. de convivarum numero ita, *l.* 3. *Od.* 19. *v.* 11.

> —— —— *Tribus aut novem*
> *Miſcentur cyathis pocula commodis.*
> *Qui Muſas amat impares,*
> *Ternos ter cyathos attonitus petet*
> *Vates. Tres prohibet ſupra*
> *Rixarum metuens, tangere Gratia*
> *Nudis juncta ſororibus.*

Qui non invitati acceſſere, Plauto, *Perſa. Actu* 3. *ſc.* 3. *v.* 77. *Muſcæ*, Horatio, *l.* 1. *Ep.* 5. *v.* 28. *Umbræ* dicuntur:

> —— —— —— *Locus eſt & pluribus umbris.*

Solebant autem Veteres eos, quos invitârant, aliquando aeriùs urgere pœnulam eorum prehendendo, neque dimittendo, donec condicerent; unde phraſis orta, *Pœnulam mihi ſcidit*, de iis qui ſedulò rogant: *& illius ego vix tetigi pœnulam, tamen remanſi*, de iis qui nimis faciles invitantem ſequebantur. Antequam accumberent, calcei, ne inquinarentur lectuli, detrahi ſolebant. Terentius *in Heautont. Actu* 1. *ſc.* 1. *v.* 72.

> *Accurrunt ſervi, ſoleas detrahunt,*
> *Video alios feſtinare lectos ſternere* &c.

Poſtquam accubuêre, priuſquam coronæ ex floribus, herbis ac auro in uſum venirent, tum ad dolores capitis ex cibo potuque averruncandos, tum ad ebrietatem compeſcendam, laneis & lineis vinculis tempora & frontem vinciebant: ſertis poſteà ex hedera, myrto ac roſa inprimis huic in finem uſi, quamvis & *ſymbolum plenæ libertatis* fuerunt. Prius autem domino convivii moris erat, ſchedam dari, quæ deſcripta ordine obſonia omnia haberet, ut jam tum ſcire poſſet, quid primum quid poſtremum coquus eſſet miſſurus. Epulæ à perito carptore diviſæ, de quo vide ſuprà in voce *Carptor*, ſimulque *Convivantium Magiſter* ſorte electus eſt, vide infrà in voce *Tapula.* Interim dum ſtructores carptoreſque muneribus functi, organa, tibiæ variaque alia inſonabant inſtrumenta, hydraulica inprimis, quorum frequentiſſimus in conviviis antiquorum uſus fuit. Unde Theodoricus Rex laudem meruit, quòd, dum epularetur, *organa* hydraulica non *ſonarent*, apud Sidon. Apollinarem, *l.* 1. *ep.* 2. At Cato in *Originibus*, & ex eo Cicer. *Tuſc. quæſt. l.* 4. *c.* 2. auctor eſt, *morem apud majores epularum fuiſſe, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes*; eademque repetuntur *in Bruto.* Id fiebat in principio naſcentis Reipubl. imò & temporibus Heroicis, *in heroorum virtutes*, ut loquitur Cœl. Rhodig. *Antiqq. lect. l.* 7. *c.* 2. Sil. Italicus, *l.* 6. *Punicor. v.* 667.

> *Cui nocturnus honos, funalia clara, ſacerque*
> *Poſt epulas tibicen,* —— ——

Horat. *l.* 3 *Ode* 11. *v.* 5. 6.

> *Tuque teſtudo reſonare ſeptem*
> *Callida nervis,*
> *Divitum menſis & amica templis.*

Et

Et diu ante ea ſecula, in convivio Didonis, apud Virg. *l.* 1. *Æn.* v. 774.

> —— —— *Citharâ crinitus Iopas*
> *Perſonat auratâ.* —— ——

Sed & priſcô Heroum ævô id receptum, docet Homerus in Phæacum convivio, *Od.* 8. v. 498. imò jam ante expeditionem Trojanam, in Argonautica profectione, apud Val. Flaccum, *l.* 1. v. 138.

> *Vinoque & æquoreus inter cum conjuge Divos*
> *Æacides, pulſatque chelyn poſt pocula Chiron.*

De Philippi Macedonis convivio idem docet Plut. *l.* 1. *de Fort. Alexandri* &c. Poſteà luxu omnia occupante, victâ jam Aſiâ, deliciæ ex Muſico concentu ambiri cœperunt. Unde Liv. *Dec.* 4. *l.* 9. *Tunc Pſaltria Sambucistriæque & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.* Duplex itaque in *Conviviis* Muſica in uſu fuit, una vocis, altera inſtrumentorum, dictique artifices *Thymelici* ſunt, qui in pulpitis canere ſolebant. Præter eos exquiſitæ aderant dicacitatis vernæ, qui non ſymphoniâ modò vocis ſuæ, ſed & petulantibus dicteriis convivas oblectarent ac inceſſerent, atque ii plerumque ex Ægypto petiti. Numerum verò hujuſmodi Symphoniacorum ingentem & plenè prodigioſum in Magnatum conviviis fuiſſe, diſcimus ex Cicer. *Act.* 6. *in C. Verrem*, Senec. *Ep.* 84. &c. Neque ſemper illi domeſtici erant, ſed ut gladiatores, à mangonibus alebantur collatâque mercede in privatas civium ædes, publicaque Principum trahebant palatia, teſte Plinio, *l.* 7. *c.* 12. Vide quoque Sueton. *in Aug.* c. 69. Macrob. *l.* 2. *Saturn.* c. 4. Solin. *c.* 5. &c. Quem luxum non reprehendit ſolùm acriter Hieronymus, *Ep. ad Furiam*, & in ſe correxit Theodoſius Senior, ſed jam olim ipſe carpſit A. Gellius, *l.* 1. *c.* 11. Nec pueri modò procaciores, ſed & puellæ his officiis adhibitæ ſunt, quæ plerumque Gaditanæ erant. Juvenal. *Sat.* 11. v. 162.

> *Forſitan expectes, ut Gaditana canorò*
> *Incipiat prurire chorô, plauſuque probatæ*
> *Ad terram tremulò deſcendant clune puellæ,*
> *Irritamentum Veneris* &c.

Utroſque conjungit Martialis, *l.* 3. *Epigr.* 63. v. 5.

> *Cantica qui Nili, qui Gaditana ſuſurrat.*

Interim ipſos viros principes Muſicæ operam dare, apud Romanos probroſum fuit; niſi fortè in privatum oblectamentum. Vide Ioh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 26. *& ſeqq.* cum Thom. Demptero *Paralipomenis*, Cæl. Rhodig. *l.* 27. *c.* 26. Alex. *Genialium dier. l.* 5. *c.* 21. Stuckium, *Antiqq. Convív.* Farnabium, *ad Phœniſſas Senec.* v. 175. ubi Laribus & familiæ Diis prima in feſtis *Conviviis* libamina fieri conſueviſſe, effuſô in terram vini pauxillô, ut & dapium parte in focum injectâ, notat &c. Apud Græcos tria erant *Conviviorum* genera, Ἔρανος ſeu *Cœna collatitia*, ad quam convivarum quiſque ſymbolam conferebat, cujus rei arrhabo plerumque annulus fuit, Terent. *Eun. Actu* 3. *ſc.* 4. v. 3. —— *Dati annuli, locus, tempus conſtitutum:* Γάμος ſive Πανδαισία, ad quam invitati ſimiliter οἰνόπται eſſe tenebantur, Ariſtoph. *in Pace*, & Εἰλαπίνη, convivium magnificè inſtructum; cui qui intererant, Εἰλαπιναστὰ dicebantur, vel quia κατ' εἴλας bibebant, vel quia in choreis ſuis εἴλας i. e. *ſpiras* faciebant: His mulieres apud illos intereſſe mos prohibebat. Contrà, *Quem Romanorum pudet uxorem ducere in convivium?* Corn. Nepos, *præf. Vitarum.* Numerus convivarum non erat ultra triginta, eratque conſtitutus peculiaris Οἰνόπτης, qui, quoties & quantum biberetur, obſervans, intemperantiores Areopago caſtigandos traderet: quam ob cauſam Græci ab iſtiuſmodi potoribus dicti ſunt Μονοφάγοι & Φιλοπόται. Convivæ poſtquam advenerunt, oſculô vel amplexu ſalutari & voce, Τιμῶ, *Vir honeſte*, compellati, antequam accumberent, moræ tædium ornamenta domus viſendo fallebant, ut patet ex Ariſtoph. *in Veſpis*; Magiſter deinde convivii ſeu Ἀρχιτρίκλινος à coquo Γραμματίδιον, ſeu catalogum miſſuum ferculorumque accipiebat: eligebatur poſt hæc more Romanorum, hodiernorumque etiam Italorum, ſorte Βασιλεύς, i. e. *Modiimperator, qui bibendi leges aliaſque præſcriberet*, cujus imperium tam deſpoticum fuit, ut juberentur convivæ ſæpiſſimè, ὑπὸ τῷ καταχεῖσθαι τῆς κεφαλῆς, *aut bibere aut caput perfundi*, Pollux, *l.* 2. *c.* 8. Suffitus intereà fiebant, tum ut nares quoque lautè epularentur juxta phraſin Athenæi, Ἑορτάζειν ῥῖνας, tum ut Deos hôc pactô honorarent, quibus ferculorum primitiæ ſacræ erant, in ignem conjici ſolitæ, Ut apparet ex illo Patrocli apud Homer. *Il.* 1. v. 220.

> —— —— Ὁ δ' ἐν πυρὶ βάλλε θυηλάς,
> *Is autem in ignem conjecit libamina.*

Ita epulabantur convivæ, coronati ſertis ex myrto plerumque confectis, unde Euripid. στέφει δὲ κρᾶτα μυρσίνοις κλάδοις, *incingit autem caput myrteis ramis:* quem Romanos imitatos docet Horat. verbis, *l.* 1. *Od.* 4. v. 9.

> *Nunc decet aut viridi caput impedire myrto.*

Etiam inungebant caput, Scholiaſtes. *in Ariſtoph. Aves*, quod & ipſum uſurpatum fuiſſe à Romanis, oſtendit illud,

> —— *Habent nullæ mollia ſerta comæ.*

Utrumque ad vini æſtum refrigerandum vaporeſque diſſipandos, laxatis, per quos faciliùs foras commearent, poris, quem in finem crambe conviviis frequenter adhibita, cujus naturali cum vino inimicitiâ ebrietatem præcavere ſtudebant. Duabus inſuper vicibus lavabant, ante epulas, quod ὕδωρ κατὰ χειρός, & poſt illas, quod ἀπονίψασθαι dicebatur. Quô geſtu cibum ceperint, quôque ciborum potuſque genere uſi fuerint, dictum eſt ſuprà in voce *Cibus*. Vide quoque in voce *Bibendi ratio*. Inter epulandum μυσχίζειν, *clare*, ut Quintilianus interpretatur, *excreare*, nobilioribus ſolùm: ungues verò reſecare nemini licebat. Cuilibet convivarum puer miniſtrabat, cui apophoreta, ſeu portiones quaſdam ferculorum domum deferendæ committebantur, more etiam apud Romanos uſitato, cui miniſterio Æthiopes plerumque adhibiti: Juvenal. *Sat.* 5. v. 52.

> —— —— —— *Tibi pocula curſor*
> *Gætulus dabit, aut nigri manus oſſea Mauri.*

Aliud quiddam μερίδες erant, portiones nempe vel ſacrificii, vel epuli, publicô nomine abſentibus amicis tranſmiſſæ: quales Arato obtigêre ab Antigono Rege apud *Plutarchum*: & à Sponſa, in nuptiali convivio, miſſas docet Ariſtophanes, *in Acharn.* quod apud Romanos quoque & Hebræos obtinuit. Bellaria eorum nuces erant, fructus, & placentæ, dicebanturque Ἐπαίκλια, τραγήματα, ἐπιδορπίσματα, δευτέρας τραπέζας, μεταδόρπια, *Epidorpia menſa.* Quibus omnibus acceſſêre σκολιά, Cantus & Chorea, Cantiones eorum convivales frequentiſſimæ erant, *Harmodius*, cujus initium, Φίλταθ' Ἁρμόδι', οὔ πω τέθνηκας, *Chariſſime Harmodie, nondum obiiſti*, &c. apud Ariſtoph. in *Acharn.* & *Veſpis*: & *Admetus*, cujus initium, Ἀδμήτου λόγον ὦ ἑταῖρε μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει, τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου &c. *Admeti narrationem quiſquis perceperis, ſtrenuos amplectere, cave à timidis* &c. Scolia quoque ibidem ſæpiſſimè narrata, de quibus vide inf. ſuô locô, ut & voce *Paganium*. Totam verò hanc lætitiam convivalem temperabant σκελετοί, ſive ſeu *oſcilla* vel *oſſicula*, qualia Romæ in feſto *Sigillaria* dicto, item ab Auguſto apud *Sueton.* adhibita leguntur; Hæc tam ingenioſè fabricata, ut pro ſitus diverſitate, facies alias atque alias oſtenderent, Fortunæ inconſtantiam & rerum humanarum vices epulantibus repræſentabant: quemadmodum apud Ægyptios, illatô in convivium ſceletô exclamare ſolebant, πῖνε καὶ τέρπου, ἔσῃ γὰρ ἀποθανὼν τοιοῦτος, *Bibe & lætare, mortuus enim talis eris.* &c. Plura vide apud Roſinum, *Archæologia Attica l.* 6. *c.* 1. *& ſeqq.* Communiter autem bis in die epulabantur ciburnque capiebant Græci: Unde ἄριστον, quaſi ab ἄριστα *manè*, prandium: & δεῖπνον ἀπὸ τοῦ πόνου διαπαύειν, *cœna*, quod à laboribus requiem præberet. Jul. Pollux, *Onom. l.* 6. *c.* 1. Hebræorum *cœna* ordinaria dicta fuêre *Aruchoth*, i. e. *Viatica*, ab ארח, quod *iter facere* ſignificat. Vide Jerem. *c.* 40 v. 5. Proverb. *c.* 15. v. 17. Reliqua, quæ extra ordinem habebantur, vocabantur *Miſchte*, i. e. *compotationes*, ſympoſia. Præter hæc illa, in quibus ſacrificiorum abſumebantur reliquiæ, חג *Chag*, vocitatæ ſunt, ad quorum imitationem, poſt S. Cœnam primi Chriſtianorum ſuas Agapas celebrârunt. Accedentes convivas ſalutabant verbis, *Dominus vobiſcum*, vel *Benedicat vobis Deus:* Ruth. *c.* 2. v. 4. vel *Pax vobis*, vide Matth. c. 10. v. 12 ſimul vel proſternebant ſe vel oſcula figebant pedibus, vide Lucæ *c.* 7 v. 38. vel ſimpliciter illos oſculabantur, Gen. *c.* 45. v. 15. Lotio dein ſequebatur pedum, Gentibus quoque uſitata, unde Plautus, *Perſ. Actu* 5. *ſc.* 2. v. 14. *Locus hic tuus eſt, hic accumbe, ferte aquam pedibus*, quô officiô ſervi fungebantur & viliſſimi è familia, cui fini inſerviebat vas aquâ plenum, quod ſemper erat in promptu, Νιπτὴρ dictum, Joh. *c.* 13. v. 5. aliàs ὑδρίαι dictæ: quales hydrias quoque illas ſex, quarum mentio Joh. *c.* 2. v. 6. quidam fuiſſe volunt. Poſt hæc oleum in convivantium capita effundi mos erat. Vide Lucæ *c.* 7. v. 37. 38. ut & Pſalm. 23. v. 5. Quibus peractis herus familiæ, poculum vinô plenum manu ferens, menſam his verbis conſecrabat: *Benedictus ſis tu Domine Deus noſter, Rex mundi, qui creas fructum vitis:* dein aliô libatô, in orbem convivis ſimiliter illud guſtandum tradidit, quem ritum ברכת היין *Bircath hajaim*, ſeu *benedictionem poculi* vocitabant, vide Lucæ c. 22. v. 17, 18. Panem poſt hæc ſcindebat, illumque ambabus tenens manibus ſic precabatur: *Benedictus ſis tu Domine, Deus noſter, qui panem producis è terra*; quam ceremoniam dictam fuiſſe *Bircath halechem*, i. e. *Benedictionem panis*, annotat Druſius, *in Nov. Teſt. part. alt. p.* 78. Utrâque ſic peractâ benedictione vel ipſe Paterfamiliâs, vel qui ejus locô benedixit, frangebat panem, ab hac ceremonia *Habotſeang*, h. e. *Fractor* cognominatus eumque epulantibus diſtribuebat. Sic epulabantur, utilibus ſimul ac jucundis colloquiis ſeſe mutuò oblectantes. Unde Tertullian. *Apologet. c.* 39. *Non tam cœnam cœnant quam diſciplinam.* Vide Lucæ *c.* 24. v. 7. & Iudic. *c.* 14. v. 12. Gratiarum poſtmodùm actio convivium finiebat: vel Paterfamiliâs, vel quôdam ex convivis inſignioribus dicente: *Benedicamus ei, qui nos bonis ſuis nutrit, cujus benignitate vivimus*, ac reſpondentibus reliquis, *Benedictus ſit, cujus benignitate vivimus*; quam ceremoniam appellârunt, *Bircath Hamazon.* Univerſi poſt hæc clarâ voce dicebant, *Timete Deum omnes ſancti ejus, quoniam non relinquit inopes timentes ſe; Catuli Leonum eſurient, ſed quærentibus Deum nullius boni inopia eſt.* Tandem, qui à conſecratione poculi convivium auſpicatus eſt, eôdem ritu idem clauſit: vocabant autem poculum hoc כוס הלל *Cos hillel*, i. e. *Poculum hymnorum* ſeu *laudis aut gratiarum actionis.* Hymni dein ac Pſalmi ſuccedebant. Vide Marci, *c.* 14. v. 26. & plura apud P. Fagium, *Comm. in Deuter. c.* 8. v. 10. Accumbebant autem Judæi, non minùs ac Græci, & Romani, licèt antiquioribus ſedendi ritus in uſu, vide ſuprà in voce *Accumbendi ritus.* Præter Patremfamiliâs, habebant quoque Hebræi Magiſtrum convivii *Baal miſchte*, Ἀρχιτρίκλινον, qui princeps Miniſtrorum, Patris familiâs ſeu *Baal habaith* Οἰκοδεσπότου capeſſebat juſſa. Quibus ſunt qui addant Præfectos morum, quales Athenis Οἰνόπται & in aula Ahaſveri *Orali convivii* erant, vide Eſther. *c.* 1. v. 8. ſed aſſenſum non ab omnibus impetrant. Pauperum curam miſſis ciborum portionibus teſtabantur, unde Gentilium ἀποφόρητα & μερίδες ortæ, quem morem graves ob cauſas Concil. Laodicenum tandem ſuſtulit Vide ſuprà, voce *Agape.* Cœnabant autem Judæi ſub veſperam, quô tempore lautiùs epulabantur, prandium eorum in horam diei ſextam, quæ in primam noſtram, incidit. Vide Gen. *c.* 43. v. 16. Act. *c.* 10. v. 9. 10. & & plura hanc in rem apud Thom. Godvvynum, *de ritibus Hebræorum*, *l.* 3. *c.* 2. De more verò factâ libatione exhilarandi convi-

convivas, apud Græcos Romanoſque uſitato, cujus in Commentariis Græcorum obſcurum veſtigium extat apud Athenæum, *l.* 13. Vide infrà in voce *Lucuatia*: uti de more Pontificum, poſt peracta Sacra, præcipuos è Clero & Laicis convivió excipiendi, in tricliniis, majoribus Templis adjunctis, ſuprà ubi de *Accubita-libus Tricliniis*.

CONVIVIA Imperatorum, vide in verbo, *Paſcere*.

CONVIVIA Publica, amicitiæ & æqualitatis inter cives conſervandæ inſtituta, vide infrà *Phiditia*, *Phratrica*.

CONVIVIA Tempeſtiva, dicebantur Veterib. quæ, ut temporis initi, ſic ſeriùs finem. moris erat: adeo quidem, ut etiam in multam noctem protraherentur, & uſque ad Gallicanum; quod feſtis ſupremis fiebat diebus. *De die* fieri dicebantur, Catullo, *Epigr.* 48. *v.* 5.

> *Vos convivia ſumptuoſa lautè*
> *De die facitis.*

N. e. Meridie, quintam enim ferè horam epularum iſtiuſmodi tempori conſtitutam, apparet ex Cicerone, *in Piſonem*. Martiale, Juvenale &c. Quibus proin à *tempeſtiva commiſſione* nomen. Cum aliàs tum liberâ Republ. tum inclinatâ decima horâ, vel etiam ſerius cœnarent homines actioni & rei ſuæ vel publica occupati. Martialis, *l.* 10. *Epigr.* 70. *v. ult.*

> *Balnea poſt decimam laſſo.* ——

Reliqui omnes, horâ noni aut decimâ. Philodemus, *Epigr. ad Piſon.*

> Αὔριον εἰς λιτήν σε καλιάδα, φίλτατε Πείσων,
> Ἐξ ἐνάτης ἕλκει μουσοφίλος ἕταρος.
> Εἰκάδα δειπνίζων ἐνιαύσιον.

apud Salmaſ. *Not. ad Flav. Vopiſcum in Floriano*, *c.* 6. ubi plura in hanc rem.

CONVIVIALES Coronæ, olim multo in uſu. Et primò quidem, antequàm luxus irrepſiſſet ſolennium epularum, ſuam quiſque coronam ad convivium ferebat; ut poſtquàm ſeſe pluſculum invitâſſent, eâ ſertô, tanquam annulô, munirent ſeſe adverſùs mala inſtantia ebrietatis. Sic de Centauris Euripides, *Iphegen. in Aulide*, *actu* 4.

> Ἀνὰ δ' ἐλάταισι, στεφανώδει τε χλόᾳ
> Θίασος ἔμολεν ἱπποβότας
> Κενταύρων ἐπὶ δαῖτα τὰν θεῶν,
> Κρατῆρά τε Βάκχου.
> *Cum abiegnis telis, coronariaque herba*
> *Turba venit equeſtris*
> *Centaurorum, ad convivium Deorum,*
> *Et craterem Bacchi.*

Poſtmodum *Corona* convivarum cuivis ab hoſpite exhibita, idque initiò epularum primum Euripides, *Io*, *actu* 3.

> —— —— εἰς δ' ἐπλήρωθη στέγη,
> Στεφάνοισι κοσμηθέντες ἀφθόνου βορᾶς
> Ψυχὴν ἐπλήρουν —— ——
> *Completis autem tabernaculis,*
> *Coronis ornati feſtis dapibus*
> *Animam explebant.*

Et apud Athenæum, *l.* 15.

> Ὡς γὰρ εἰσῆλθε ὁ γέρων, ὥστε εἰς δόμους
> Εὐθὺς ἀνεκλίθη. παρῆν ὁ στέφανος ἐν ὥρᾳ.
> *Domum ut ſenes ingreſſi veteuls,*
> *Statim accubuerunt, mox aderat corona.*

Dein ſub finem, ut hôc modô illi, quam parit ebrietas, gravitati & ſomnolentiæ moderentur. Id quod pluribus locis diſertum tradit Athenæus & Plutarchus *in Conviv. Sapient.* & Theognis in *Sententiis*; ubi hic de convivio, ad finem propegante, verſus hos poſuit,

> Χέρνιβα δ' αὐτίκα θύραζε φέροι, στεφανώματα δ' εἴσω
> Εὐειδὴς ῥαδινῇς χερσὶ Λάκαινα κόρη.
> *Gutturnium autem ſtatim foras ferat, coronas verò intrò*
> *Formoſa teneris manibus Lacæna puella.*

Geſtabantur autem hujuſmodi coronæ à convivis tantùm. & quidem ſic, ut illæ primò quidem caput, inde frontem, collum tandem redimirent. *Anacreon*,

> Στεφάνους δ' ἀνὴρ τρεῖς ἕκαστος εἶχεν,
> Τοὺς μὲν ῥοδίνους, τὸν δὲ ναυκράτιον.
> *Coronas verò unuſquiſque tres habebit,*
> *Quaſdam roſeas, aliam naucratium.*

Quo de more vide ſuprà ubi de coronis impoſitis Collo. Quòd ſi magnus hoſpes tectô excipi non poterat, ei mittebantur, ac tum cenſebantur inter hoſpitalia dona, uti legere eſt apud Tacitum, *l.* 14. *Annal.* Porrò Numini alicui dicatæ erant, ſiſiſque inſcriptæ, θεῖς ἀθανάτοις καλλινίκοις, uti habet Clemens Alexandr. *Pædagog. l.* 2. *c.* 8. Præter quas nonnullæ etiam inter medios convivas appendebantur oblectandis iis, qui & otioſi & ebrii intuebantur pendulas, uti videmus infrà ubi de *Cybiſtis* & *Encyliſtus*. Omnes autem ea floribus erant primum, & quidem è roſa inprimis: poſtmodum augeſcente luxuriâ etiam aureæ gemmatæque eſſe cœperunt &c. Quam in rem vide plura, apud Car. Paſchal. in *Coronarum libris* paſſim, inprimis, *l.* 2. *c.* 3. & infrà in voce *Diſſolutt.*

CONVIVIALES Leges, à Convivii præſide, quem talis aſtragaliſque ſorte miſſis electum nonnulli *Sympoſiarcham*, alii *Regem*, alii *Magiſtrum Convivii*, Varro *Modimperatorem* appellat, ferri ſolitæ ſunt, de modo bibendi inprimis: vide Plut. *Sympoſiacôn l.* 1. *quæſt.* 4. Harum meminit Cicero, *in Verrem*. *Iſte enim Prætor ſeverus ac diligens, qui populi Rom. legibus nunquam paruiſſet, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur, obtemperabat.* Idem *l. de Senectute*, *me verò & Magiſteria delectant a Majoribus inſtituta & is ſermo, qui more Majorum a ſummo adhibetur in poculo* &c. Aliæ fuêre Leges, quæ Conviviorum luxui modum poſuêre, de quibus ſuprà, in voce *Cibariæ leges*.

CONVIVIALES Quæſtiones, vide ſuprà *Colloquia*.

CONVIVIALES Veſtes, vel accumbentium erant, de quibus vide ſuprà in voce *Cœnatoria veſtis*, vel miniſtrantium, qui, ut expeditiores eſſent, in ſola tunica fuêre. Quò ſpectant Ammiani verba. *Stetit itaque ſubitò ubi nuſquam reperto paludamentô tunica aurô diſtinctâ, ut Regius miniſter indutus a calce in pubem, in pædagogiani pueri ſpeciem.* Alexander verò apud Lamprid. *c.* 34. *Auratam veſtem miniſtrorum nullum vel in publico convivio habere voluit.* Nec in publicis ſolum ſed in privatis quoque convivis Miniſtri tunicati: Seneca, *de brev. vitæ*, *c.* 12. *Cum videam, quam diligenter exoletorum ſuorum tunicas ſuccingant* Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 8. *v.* 70.

> *Præcincti et rectè pueri comtique miniſtrent.*

Hinc etiam Chriſtus Dominus, pedes Apoſtolorum ante convivium loturus, poſuit pallium, quia, ut Nonnus interpretatur, ſervile opus facturus erat: Servorum enim erat, ſive pallio, aut alia veſte exteriore, tunicatos ac cinctos, vel etiam linteô ſuccinctos, miniſtrare. Sueton. *de Calig. c.* 26. *Senatores ſummis honoribus functos decurrere ſibi modò ad pluteum, modò ad pedes ſtare ſuccinctos linteo paſſus eſt.* Contrà memorat Caſaubonus, in *Exercit.* de Eſſenis, illos mancipiorum uſu repudiatô, libertorum operâ in conviviis utentes, caviſſe, ne ullam habitus ſervilis ſpeciem inter miniſtrandum, præberent, & propterea diſcinctos, ac demiſſis tunicis in cœnationem ſolitos fuiſſe ingredi. Sub Flaviorum imperio miniſtri Regii albati inſervierunt, unde Domitianus apud Sueton. *c.* 15. *generum patris* (Sabinum) *indigne ferens & ipſum albatos miniſtros habere, proclamavit οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.* Vel ergo privatorum ſervi in tunicis pullis miniſtrârunt, quem veſtis ſervilis colorem Plautus & Artemidorus indicare videntur: vel ſi & illis alba tunica, quod conviviorum lætitia veriſimilius facit, præcipuè in lineâ veterula; regiorum miniſtrorum tunicæ candidatæ fuerunt, i. e cretâ candefactæ, vel non tantum hæ albæ erant, ſed & aurô diſtinctæ. Verùm nondum tunicis miniſtrantium additum tum aurum, ſed longò poſt tempore, cùm Iciliere paragaudes inſtitutæ, exiſtimat Ferrarius. Seneca, *locô ſuprà citatô*, etiam ali[...] in conviviorum miniſtris colores agnoſcit. *Qui vectorum ſuorum greges in ætatum & colorum paria diducit.* Etiam apud Petronium, *in aditu ipſo ſtabat oſtiarius praſinatus, ceraſino ſuccinctus cingulô*: qui mos ſervitia per varios colores, quos *Livreas* appellant, excolendi, à Circi factionibus & coloribus profluxiſſe videtur. Miniſtrantium ornatum cultumque ex antiqua tabula, quam Urſinus in *append. ad Ciaconii triclinium* dedit, exhibet Octav. Ferrarius, de *Re Veſtiar.* *l.* 3. *c.* 5. Vide quoque infrà *Miniſtri*.

CONVIVIALIA Munera, vide ſuprà *Apophoreta*.

CONVIVIUM Sacrum, vide hic paſſim *Cœna Domini*, *Epula*, *Menſa Domini*, *Menſa ſacra*, *Prandia* *Dei*, it. ubi de *Sacerdotibus*, *Sacrificium*, & voce *Victima*.

CONUPHIS, Ægyptius, Præceptor Eudoxi Cnidii, Clemens Alex. *l.* 1. *Strom.*

CONUS, apud Solin. *c.* 36. ubi de phœnice: *Apud eoſdem naſcitur phœnix avis, aquilæ magnitudine, capite honorato in conum plumis exſtantibus* &c. idem quod *apex*. Propriè autem apex eſt galeæ, ſeu in medio galeæ pars eminens è ferro vel ære, quæ ad ornamentum & inſigne variâ formâ fiebat, interdum facta, ut criſtæ & pennæ in ea ponerentur, interdum & ſine pennis. Multæ enim galeæ abſque *cono*, ut gregariorum militum: multæ cum cono quidem & apice, ſed ſine criſtis & pennis; aliæ cum utroque. Cujuſmodi *conorum* omnium exempla viſuntur in antiquis monumentis. Apud *Polybium* τριπέτηλος στέφανος, *plumea corona* ſeu criſta occurrit, è qua tres pennæ ſurgebant rectæ, cubitum altæ: Græci φάλους vocant lucidos clavos, vel aſteriſcos aut clypeolos, quibus ſumma pars galeæ pro apice inſignita erat. *Heſychius* φάλαρα, ἀστραγαλίσκους ἢ κωνοειδὴ expoint. Qui velut nodi ac clypeoli in ſummo ac medio galeæ, *conum* & *apicem* vocabant. Sed & *criſtæ* addebantur, pinnæ videl. *cono* galeæ aptatæ, ut & ex ipſô ferro laminæ eminentes & rectæ: quæ ornatus majeſtatem & amplitudinem videbatur addere. Exemplum pulchrum in virgine, cui caput ſuam galeam Dux quidam impoſuerat, egregiè quidem criſtatam. Quæ cùm illa ornata procederet è Templo, pro Dea habita, momentum grande mutandis rebus præſtitit, vide Plut. *Arato.* Sic Virg. de Turno, *l.* 9. *Æn. v.* 733.

> —— —— *tremunt in vertice criſtæ*
> *Sanguineæ.*

Et Tyrtæus, hortatus juvenes ad fortiter pugnandum, ait κινείτω δὲ λόφον δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς, *moveat autem* (unuſcuiſque veſtrum) *conum ſævum ſuper capite.* Et quidem hic *conus* interdum duplici, quandoque triplici & quadruplici criſtâ fuit inſignis. Unde illa apud Poëtas epitheta ἀμφίφαλος & τετραφάληρος κυνέη. item τετράφαλος, τρυφάλεια, &c. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 746. Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Papinium Statium*, *l.* 3. *p.* 1774. & Car. Paſchal. *Coronar. l.* 10. *c.* 19.

CONYZA, mas & fœmina, deſcribitur Heſychio, in voce Κόνυζα· ubi βολβοκάστανον vocat fœmineam, quòd tenuia & anguſta habeat folia, marem verò ait eſſe φύλλα ἀνέχουσα ἐντελῆ, *longiora*

ſoliatam. Unde & ſtramenta faciebant & ſcopas faciebant. Sed & imbricum vice tectis tegendis utebantur. Sunt autem imbrices tegulæ *σωληνοειδεῖς* & cibolatæ, quæ imbrem derivant in tectis. Uti ergo ulvâ paluſtri, frondibus, harundine, ſtramentis, ſic *conyzâ* quoque ſeu *cunilagine*, uti Latini appellabant, tuguria olim tegi conſuevêre. Idem *Heſychius*, *ἔςι δὲ ὅτε καὶ ἐπιβάλλουσι ἀπὸ ταῖς στέγαις αὐτῆ σωλῆνα* &c. Vide plura de hac herba apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1257. *& ſeqq.*

COON, primogenitus filiorum Antenoris, qui cùm Iphidamantis fratris mortem, ab Agamemnone illatam, vindicare vellet, medium ejus manum ſubter cubitum lanceâ transfixit, atque ita ab eo interfectus eſt. Homer. *Iliad.*

COOPERIENDI inſepulta corpora, pulvere ter injectô, ritus. Vide infrà, ubi de *Gleba ſepulchrali.* Hinc *Coopertorium*, inter veſtes ſacras, vel minſteria ſacra, recenſetur Anaſtaſio in *Sergio*: Gregorio item Turonenſ. *de vitis Patrum*, c. 8. *Dans coopertorium Sermaticum, quo altare Domini tegeretur.* Vide infrà *Palla* & *Pallium.*

COOS, ſive Coi, vel *Cea*, vel *Co*, inſul. parva Aſiæ minoris in mari Ægæo, ſeu, ut quidam ajunt, Icario, 100. milliar. à Rhodo, & Cariæ oppoſita, ab ea vix 20. milliar. diſtans in Occaſum, oblonga, quæ olim magna fuit, & optimè habitata, aſpectuque jucundiſſima eò navigantibus. Nunc *Lango.* Ambitus ejus 550. ſtadiis clauditur, tota fertilis ac optimò vini abundans. Aliàs ſub dominio Equitum Rhodienſ. nunc Turcarum. Solebant autem in hac inſula fieri veſtes tenuiſſimæ ex bombyce ad fœminarum ornamentum, quæ Coæ dicebantur. Propert. *l.* 1. *El.* 2. *v.* 1.

Quid juvat ornatò procedere, vita, capillô,
Et tenues Coa veſte movere ſinus?

Ovid. *l.* 2. *de Art. Am.* v. 297.

Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus,
Sive erit in Coïs, Coa decere puta.

Propert. iterum, *l.* 4 *El.* 2. v. 23.

Indue me Cois, fiam non dura puella.

Horat. *l.* 1. *Sat.* 2. v. 101.

—— Coïs tibi pene videre eſt,
Ut nudam. ——

Tibullus, *l.* 2. *El.* 3. v. 57.

Illa gerat veſtes tenues, quas fœmina Coa
Texuit, auratas diſpoſuitque vias.

Fuit in hac Inſula Æſculapii templum anguſtiſſimum. De Junonis autem æde nemo ignorat, adeò clara, ut de ejus inſignibus librum ſcripſerit Theodorus, authore Vitruviô, *in præfatione l.* 7. Eſt inibi pectunculus, piſcis inſigniter ſapidus, Varroni celebratus, uti teſtatur Gellius, *l.* 7. *c.* 16. Sed de Chio inſul. ibi loquitur. Item *Coos*, urbs in *Co* ejuſdem inſul. caput, quæ etiam *Lango*, versùs Ortum. Hinc adjectivum *Cous*, unde Hippocrates Medicus divinus & Apelles pictor egregius *Coi* dicti ſunt, *Nic. Lloydius.*

COPA, apud Sueton. *Nerone*, c. 27. *Quoties Oſtiam Tiberi deflueret, aut Bajanum ſinum prænavigaret, diſpoſita per littora & ripas diverſoria tabernæ parabantur, inſignes ganea & matronarum inſtitoria, copas imitantium, atque hinc inde hortantium, ut appelleret;* fœmina eſt, cauponariam exercens, unde etiam nomen. In paris veſaniæ Aviti Imperatoris narratione eas *πόρνας*, *ſcorta*, vocat *Dio*: nempe apud veteres Hebræos, Græcos & Romanos, inter *Copam*, & Meretricem, aut nihil, aut parum intererat. Notæ enim *blanditiæ iſtæ tabernariæ*, ut *Apulejus* vocat: quas *ἀπὸ τῆς ὁδοῦ τοὺς παριόντας ἀρπάζειν*, *e via prætereuntes rapere*, Theophraſtus ait *in Character. περὶ ἀπονοί.* Inſtitoriorum earum velum habuiſſe oppanſum, in quo *κρίκους*, *orbiculi*, ut adduci & reduci faciliùs poſſent, apud *Dionem* legas ubi ſuprà. De eodem accipiendum apud Juvenalem, *Sat.* 8. *v.* 167.

—— Lateranus ad illos
Thermarum calices, inſcriptaque lintea vadit &c.

De *Copa*, noto carmine, ejuſque Auctore alibi. Vide Cauſaubon. *ad Sueton. dicto loc.* Vide quoque infrà *Crotaliſtria.*

COPA. vide *Mapeia.*

COPÆ, locus in Græcia juxta Cephiſum amnem, qui facit lacum Copaidem, aliàs Leucoidem dictum. Plin. *l.* 4. *c.* 7. *Stephanus* à *Copeo* Apatelii filio dictum ſcribit, Apatelea autem Onchesti, hunc Neptuni filium eſſe. Vide Schol. in *Acharn. act.* 2. Polyæn. *l.* 7.

COPAIS Lacus, Græcè *Κωπαὶς λίμνη*, in Græcia, à circumjacentibus oppidis varia olim cognomina nactus eſt. Namque & *Haliarthius* & *Orchomenius* & *Alalcomenius* dicebatur, donec in nomen *Copaidis* totum conceſſit. In eum Cephiſum influere, diximus in voce *Copa.* Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 117. & 579.

COPAR, Arabiæ Felicis vicus, *Ptol.*

COPERNICUS Nicolaus, vide *Nicolaus.*

COPHANTA, Carmaniæ portus. *Ptol.*

COPHANTIS, mons Bactrianæ ſemper ardens. Plin. *l.* 2. *c.* 106.

COPHEN, civitas eadem quæ Arachoſia. Gentile *Cophenus*. *Stephan.*

COPHES, Artabazi fil. ab Alexandro, ad Arimazen Sogdianum, de Aorno Petra tradenda, miſſus. Curt. *l.* 7. *c.* 11.

COPHES, Indiæ exterioris fluv. in Indum influens. Dionyſ. *Perieg.* v. 1140.

Τοῖς δ' ἐπὶ καὶ Κωφῆς προῒσι ἐναργυροδίνης,
Tertius hos ſequitur ſplendenti gurgite Cophes.

Ubi in errore procul dubio verſatur, ſi Cophen ordine tertium, Ortum verſùs, inter fluvios in Indum ſe exonerantes, poſt Hydaſpen & Aceſinen hîc ſtatuat, nam *Strabo*, *Mela*, aliique Geographi, inter primos ad Occidentem, ante Indum ipſum, eum numerant: ſtatuendum igitur, Dionyſium non ad ordinem ſitus hîc reſpicere, ſed fluvios in Indum influentes confusè tantùm enumerare. *Nic. Lloydius.* Aliter *Cophen*, Græcè *Κωφὴν* vel *Κωφὸς* dictus eſt, poſteà *Suaſti*, *Σουάστος*, nomen accepit, uti ex *Ptolemæo* diſcimus. Choaſpem, non Perſicum illum, vel Suſianum, uti Dionyſius ſcripſit; ſed Indicum, cujus Strabo meminit, *l.* 15. recipit, & quatuor Satrapias ad Orientem includit, Gedroſios, Arios, Paropamiſadas & Arachotas, teſte Plinio, *l.* 6. *c.* 21. quæ alii omnes *Arianæ* nomine comprehendebant. Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 701.

COPHINUS, in Eccleſia Romana in miniſterio ſacris, *Anaſtaſio Bibliothecar. Macro* tabernaculum, in quo Euchariſtia aſſervatur, aliis *Armariolum.* Inter Decoctorum pœnas *cophinum* alicubi eſſe, diximus voce *Catamidiare*: In *cophinis* verò ac ſportellis pecuniam condidiſſe Veteres videbimus infrà, voce *Pecunia.*

COPHTÆ, ſeu COPHITÆ, in Ægypto Eutychis & Dioſcori ſectatores, ſub Patriarcha, qui ſe Patriarcham Alexandrinum vocat, cui ſedes in Monaſterio S. Macarii, 20. leuc. à Cairo. Ignorantiâ profundâ merſi, plerumque manuum operâ victum ægrè quærunt, ſolùm huic vacantes. His Abyſſini ſubſunt: in Ægypto, Hieroſolymis, &c. complura habent monaſteria. A Pio IV. ſollicitati, A. C. 1561. per duos Jeſuitas, cum Latinis conjungi renuerunt. Uxorum apud hos repudium frequens, die poſt nativitatem baptizant, trinâ immerſione, totuplicique verborum inſtitutionis repetitione uſi. Fidem, jejunium, & preces, loco conjugii, confirmationis & extremæ unctionis urgent. De Gabriele Patriarcha miſſo ad Clem. VII. ut & Matthæi Patriarchæ literis ad Urban. VIII. Vide eruditos, Thuanum imprimis: & hîc infrà, it. voce Coptos.

COPHTHI, quaſi *inciſi*, per contemptum à Mahumetanis dicti ſunt Chriſtiani Ægyptii ſeu Monachi aliique religioſæ vitæ ſectatores: adeoque diverſi à *Coptis*, de quibus ſuô locô. Vide Athanaſium Kircherum in *Prodromo Copto*, c. 1. ut & in voce *Ægyptus.* Addam ſaltem Feſta *Copitarum* ſeu Ægyptiorum Chriſtianorum, tum majora tum minora, quæ memorantur Scriptori perinſigni Mahumedano Abulabbaſu Achmed Calcaſendio, in Bibl. Seldeniana MS. *p.* 523. de quibus is procul dubio ab aliquo illic Chriſtiano edoctus eſt. Vide Johann. Seldenum *de Synedriis veterum Ebræorum*, *l.* 3. *c.* 15. & hîc paſſim. Series eorum iſta.

Feſta Copitarum, ſeu Ægyptiorum.
Majora VII.

I. Annunciatio die 29. menſis Ægyptiaci *Barmanath*, cui Martii Juliani 25. reſpondet.
II. Olivæ ſeu Olivarum, die Solis poſtremô jejunii ipſorum ſeu Quadrageſimæ; cui Dominica in Palmis reſpondet.
III. Paſcha.
IV. Feria quinta ☩ Quadraginta, ſeu Feſtum Aſcenſionis: quadrageſimâ die à Feſto Aſcenſionis.
V. Feſtum Quinque, ſcil. dierum decadum, ſeu Pentecoſte; incidit in diem 26. *Baſchnes*, i. e. 21. Maji Julianum.
VI. Nativitas Domini, in diem 29. *Chiak*, qui dies eſt 25. Decembris Julian.
VII. Immerſio, i. e. Baptiſmus Domini; aſſignatur diei undecimo menſis *Tuba* Copitarum, qui eſt ipſe Januarii Juliani dies ſextus.

Minora itidem VII.

I. Circumciſio Domini; die 6. *Beuna*, qui eſt Maji Juliani 31. Niſi, pro *Beuna*, legendum *Tuba.*
II. Quadrageſima, incidit in diem 8. *Muſe* menſis Ægypt. qui Auguſti Juliani primo reſpondet.
III. Feria quinta confœderationis ſeu teſtimonii mutui Diſcipulorum, quando Dominus pedes eorum lavabat, triduô ante Paſcha.
IV. Sabbatum Luminis, Sabbatum Sanctum & Sabbatum Paſchatis dici ſolitum, in quo cerei Paſchales benedicti.
V. Feſtum Claudens ſeu Terminans, eſt octiduô poſt Paſcha.
VI. Feſtum Transfigurationis Domini, die menſis *Meſore* 13. Auguſti Jul. 6. quô Græci & Occidentales illud recolunt.
VII. Feſtum Crucis incidit in diem 17. menſis *Thoth* ſeu Septembris 14. quô *Exaltatio Crucis* per Eccleſiam celebratur utramque, etiam Antiochenam. Addit ibidem Calcaſendius complura alia ſed breviuſculè feſta ac ſolennitates illic Chriſtianorum, quas quô pactô enumeret in menſibus Ægyptiorum, vide apud Seldenum ubi ſuprà.

COPIA, Dea ubertatis ac abundantiæ apud antiquos, Fortunæ comes, de qua Lactantius, vetus Statii Schol. *in* 4. *Theb.* Hæc fingebatur cornu gerere plenum uvis, malis, ac ſpicis, unde *Cornu Copiæ* proverbialiter, quaſi de abundantia celebratur, de quo vide Chiliadas. Horat. *l.* 1. *Od.* 17. *v.* 14.

—— Hinc tibi Copia
Manabit ad plenum benignô
Ruris honorum opulenta cornu.

Idem, *in Carmine Seculari*, v. 59.

—— Apparetque beata plenô
Copia cornu.

Aliî tamen hoc cornu ipſi Fortunæ tribuunt. Vide Plut. *de Fort. Rom.* ac Heinſium, *ad Heſiod.* c. 11.

COPIA, ſeu COPIÆ, vide *Sybaris*, it. *Thurii.*

COPIAPUM, oppid. Americæ meridionalis ad oſtia fluv. cognominis in agro Chilenſi, juxta confinium Peruviæ, cum portu utcunque capaci, ſub Hiſpanis.

COPIAS, Bœotiæ lacus, & fluv. quem Pauſan. *Cephiſſidem* appellat, *l.* 9. Item urbs in eodem tractu. *Suidas.*

COPIATÆ, apud Epiphanium, *Hæreſ. l.* 3. Κοπιαταί, οἱ ἐκ τῶν ἀποστελλόντων τὰ κοιμώμενα: Clericis accenſeri videntur *leg.* 1. *Cod. Theodoſ. de Luſtrali Collat.* quæ eſt Conſtantii, ubi recèns inſtituti dicuntur: iidem fortè cum *Foſſariis*, & *Parabolanis*, de quibus ſuô locô, ut & in voce *Laborantes*.

COPINUS & QUINTINUS, Libertinorum antesignani, in Brabantia & Hollandia. A.C. 1525.

COPKINUS, moneta argentea, in *LL.* Opſtalbomicis Friſicis, c. 21. apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COPON, civitas populoſiſſima juxta Thebas in Ægypto, à Diocletiano capta & ſolô æquata, an. Urb. Cond. 1045.

COPONIUS, prænomine *Cajus*, Prætorius claſſi Rhodiæ Dyrrhachii præfectus in partibus Pompeji. Videatur Cicero, *l.* 1. *de Divinat. c.* 32. *l.* 8. *Ep.* 12. *ad Attic.* Cæſ. *l.* 3. *de Bello civili. c.* 5. Vellejus, *l.* 2. *c.* 83. Appian. *in Parthico.* Vide quoque *Coponius.*

COPPATIÆ Equi in Circenſibus, ab ſigni inuſto Κόππα nomen habuêre. Duas enim præcipuè literas Græci imprimebant equis, *Sigma*, unde Σαμφόρας, & *Coppa*, unde Κοππατίας equi. Et quidem τὸ κόππα fuit Ρῶ inverſum, hôcque modô apud vetuſtiſſimos Græcos pingebant, ϙ. quæ forma eſt Latinæ *q*. Recentiores Græci paulo aliter eam pinxerunt, non clauſam, ad hunc nempe modum G. Et ſanè ex *cappa* Græcorum & formam & nomen literæ ſuæ *q*. Latini ſumſerunt, eundemque ordinem in alphabeto eorum obtinuit, quem apud Græcos κόππα: nam poſt Π ſtatim ſequebatur, ut ex Scholiaſte Ariſtophanis patet, Κοππατίας ἵππους ἐκάλουν, οἷς ἐγκεχάρακτο τὸ G. σημεῖον, & alibi ubi τὸ σημεῖον ἀρχαϊκῶς τὸ κόππα ſcribit, & proin character fuit numeri XC. Itaque κόππα vicem literæ olim apud Græcos fungebatur, poſteà ab uſu velut ſupervacuum rejectum eſt. Hinc τὸ κόππα οὐδὲ τὸ λάμβδα, pro re nullius momenti uſurpavit Callimachus. At Græci Grammatici recentiores adeò neſciverunt, quid eſſet Κόππα veterum, ut vulgò ἐπίσημον σημεῖον appellarent, &c. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 892.

COPPENHAGEN, urbs in inſul. Selandia, incolis *Copenhafen*, vel *Copinhafen*, regni Daniæ Metropolis. Hic Regum ſedes, Academia, à Chriſtiano A.C. 1474. fundata, & inſigne commercium. Cluverius, *introd. Geograph.* A Suecis ante aliquot annos obſeſſa, magnanimitate Regis Friderici, fide civium, & fortitudine Hollandorum, hoſtium conatus eluſit. Latinis *Hafnia* dicta. Vide ibi.

COPPONIUS, juſſu Auguſti Quirini, Judææ præfecti, Comes provinciæ curam geſſit. Joſeph. *de Bell. Jud. l.* 2. *c.* 7. *Jud. Ant. l.* 18. *c.* 1. 3. Torniel. *A. M.* 4060. *n.* 1. Vide quoque *Coponius.*

COPRANITZA, urbs Sclavoniæ, cum arce munita, ſub dominio Auſtriac. vix 2. leuc. à Savo fluv. & 5. à Caniſa in Auſtrum.

COPRAS, Monachus, divinum habuit donum ſanitatem conferendi, depulſis morbis, ac dæmonibus expellendi. Sozom. *l.* 8. *c.* 1.

COPRATAS, fluvius Aſiæ, poſt Choaſpem memoratus Straboni: Μετὰ δὲ τὸν Χοάσπην ὁ Κοπράτας ἐστὶ καὶ ὁ Πασιτίγρις, ὃς ἐκ τῆς Οὐξίας ῥεῖ καὶ αὐτός, *Poſt Choaſpen Copratas eſt & Paſitigris, qui & ipſe ab Uxia regione oritur.* Vide Salmaſ. ubi ſuprà, p. 702.

COPREÆ, Turnebo *Stercorarii*, ſcurræ erant, olim Romanis in deliciis. Ita enim is apud Sueton. *in Claudio*, c. 8. legi vult: *Et quoties poſt cibum obdormiſceret, (quod ei ferè accidebat) olearum ac palmularum oſſibus inceſſebatur, interdum ferulâ flagrove, velut per ludum excitabatur a Copreis, ſolebant & manibus ſtertentis ſoccos induci.* Vide illum *Adverſar. l.* 12. *c.* 32. ubi tamen qui *Copreæ* eſſent non explicavit; at Jul. Scaliger id expeditum dedit *in Feſt. l.* 17. in voce *Scurra*. Sunt tamen, quibus inſolens & penè incredibile videatur, in Convivium Virorum Principum, fœdiſſimos illos, impudicos & *Stercorarios* fuiſſe admiſſos. Itaque quidam, *a tropeis* excitabantur. quidam à *crepis*, alii aliter legunt. Vide Joh. Roſin. *Antiquit. Roman. l.* 5. *c.* 6. cum Th. Dempſteri *Paralipomenis*, ut & infrà ubi de *Nomiculatoribus*, *Scurris* &c. Hos enim Κοπρίας ἄνδρας & κοπρολόγους Græcis dictos, Latinis *Copreas*, fuiſſeque hanc vocem in aulis Principum Romanor. Iam inde à temporibus Triumvirorum in uſu, ex Dione. *l.* 50. docet Caſaubonus, lectionemque Turnebi ac Scaligeri tum in loco præfato tum in *Tiber. c.* 61. pluribus confirmat. *Animadverſion. ad h. l.* Vide quoque infra *Jaculatores*, *Mendaces*, *Vilis*.

COPRINIACUM, in diœceſi Burdigalenſi, ubi Synodus A.C. 1255. & 1260. An Compniacum eſt, Gall. *Cognac*?

COPRONYMUS, cognomen Conſtantini VI. de quo vide ſuô locô, ut & ſuprà, voce *Caballinus*.

COPTÆ, ſive placentæ, Græcè κοπτάκια, *Hierophilo*. Aliàs κοπτὴ ſimplex quid & ſic ſiccatum eſt, ut uvæ paſſæ, caricæ, palmulæ & ſimilia: κοπτὴ verò, compoſitum & coctum. Vide infrà in voce *Tragema*. Sed *Coptaria*, eadem cum paſtillis & turundis Chirurgorum, quæ formâ longiore & rotundâ plerunque fiebant, ut inſtar haberent dactyli vel balani. Unde κολλύρια quoque, item κόλλυρα ſτυπτικὰ [pro κολλύρια] Theomneſto Hippiatro, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1333. Κόπτειν verò verbum propriè uncatum eſt, unde κόμματα ἱμάτια, *veſtes tineis pertuſa*, κοπτὰ, *a tineis eſa*, Idem, p. 949. Erat autem *Copta* placentæ genus, cui contuſæ (unde nomen) ſpecies aut legumina commiſcebantur. Martialis, *l.* 2. *Epigr.* 85. *v.* 1.

> *Vimine clauſa levi niveæ cuſtodia coctæ.*
> *Hoc tibi Saturni tempore munus erit* &c.

Ita quidem Junius & Critici quidam, ſed Ramireſius *coctæ* legit hôcque nomine decoctam nivem refrigeratam intelligit. Idem de *Copta Rhodia*, *l.* 14. *Epigr.* 28.

> *Peccantis famuli pugnô ne percute dentes:*
> *Clara Rhodos coptam quam tibi miſit, edat.*

Ubi *coptam*, fuiſſe placentam ex ſiliquæ, amygdalis, nucleis, paſſulis &c. docent Eruditi. Rhodiam tamen adeò duram fuiſſe, jocatur Poëta, ut dentes, niſi firmos, penè eliderent ſicque colaphi vice ſervis mandenda poſſet porrigi: inſtar enim panis erat buccellati; Farnabius *ad loc.*

COPTOS, vel COPTUS, *Cana*, teſte Rhamuſiô, oppidum Thebaidis, commune Ægyptiorum, & Arabum emporium, vergens ad mare Rubrum, ubi cautes ſunt, ex quibus eruuntur ſmaragdi. Cum Ptolemaide, ab Aurelio Probo Imperatore barbaris ereptum, A.C. 279. Vopiſcus *in ejus vita*, c. 17. &c. Juvenal. *Sat.* 15. *v.* 28.

> *Geſta ſuper calidæ referemus mœnia Copti.*

Meminit illius Statius, *l.* 1. *Theb. v.* 265.

> —— *Melius votis Mareotica fumat*
> *Coptos, & areſſum lugentia flumina Nili.*

Ubi ſic vetus Schol. *Coptos civitas Mareotica Ægypti, in qua Io verſa in Iſidem colitur, cujus ſacris ſiſtrô celebratis, Nilus exæſtuat.* Hujus urbis vetuſtatem ex eo cognoſcimus, quòd Regina Iſis iſtic nuncium acceperit de nece mariti ſui Oſiridis; pràque dolore abſciderit capillos, quô exemplô Iſiaci erant calvi. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 533.

> *Qui grege linigerô circumdatus & grege calvô.*

Hinc urbi Κόπτος vel Κοπτὼ nomen eſſe datum putârunt Græci, quia κόπτειν ſignificat, ἀφαιρεῖν καὶ [illegible], ut ait *Euſtath*. Sed alii ex eo hoc vocabulum urbi impoſitum exiſtimant, quia, cum in ea degeret Iſis, privata ſit Oſiride, nam *Coptus* linguâ Ægyptiacâ privationem notat. De utroque ſic Plut. *l. de Iſid. & Oſir.* Τὴν δ' Ἶσιν πυθομένην κείρασθαι μὲν ἐνταῦθα τῶν πλοκάμων ἕνα, καὶ πένθιμον στολὴν ἀναλαβεῖν, ὅπου τῇ πόλει μέχρι νῦν ὄνομα Κοπτώ. Ἕτεροι δὲ οἴονται [illegible] [illegible] [illegible], τὸ γὰρ ἀποστερεῖν, κόπτειν λέγουσι. Voſſius autem planè iis aſſentit, quibus *Coptos* toti Ægypto crediunt nomen dediſſe, nempe ut Αἴγυπτος dicatur, quaſi αἶα Γύπτος, ſive Κόπτος, vel ἡ Κοπτώ. Atque hanc opinionem admodùm firmat Ignatius Patriarcha Antiochenus, vir reconditæ eruditionis *epiſtolâ ea, quam Arabicè ſcripſit ad ſummum virum Joſ. Scaligerum. Nic. Lloydius.* Vide P. de Valle, *Itiner. tom.* 1. Eſt & Armeniæ Zephyriticæ vicinum oppid. *Cedrenus*.

COPULA, apud Capitolin. *Maximino Juniore*, c. 2. *Dextrocherium cum copula de hyacinthis quatuor* &c. ea pars dextrocherii eſt, quâ jungitur & *copulatur*, vel extima potiùs utràque dextrocherii parte pendens, quâ dextrocherium alligabatur. *Gloſſ.* *Capula*, χειρὰ ἁλυσίδος, κλοιός, ἀρθρον, ubi legit Salmaſius, χειροαλυσίδιον, h. e. *manus catenula*. Ἁλύσεις etiam & ἁλυσίδια certè in mundo muliebri numerat *Pollux*. Aurea itaque & gemmis incluſa iſta dextrocheria, faſciâ vel lorô ſericeô ad manum ligabantur, quam *copulam* vocat Capitolinus, quamvis ea auro eandem fuiſſe nihil impediat. Salmaſ. *ad loc.* Quid verò *Dextrocherium* ſit, vide infra, ubi quoque de *Copula* plura. Sed & *Copula*, in genere vinculum, *ipsi*, C. Nepos, *Datame* c. 3. *Ipſe* (Datames) *agreſti duplicique amiculo circumdatus —— gerens in capite galeam venatoriam, dextrâ manu clavam, ſiniſtrâ* copulam, *vinctum ante ſe Thyum agebat, ut ſi feram beſtiam captam duceret.* Vide Caſp. Barthium, *Adverſar. l.* 8. *c.* 15.

COPUS Martinus, vide *Martinus*.

COQUENDI ad Tibiam mos, Tyrrhenis in uſu, occurrit apud Pollucem, *l.* 4. *c.* 7. ὑπ' αὐλῷ ὀψοποιοῦσι, meminitque ejus Stuckius, *Antiq. Convivial. l.* 3. *c.* 20. Et *Tibicines ad focos* indigitantur Ariſtophani, *Acharn. Actu* 3. *Sc.* 3. Nec aliam ob cauſam à Plauto plerumque Coqui & Tibicinæ conjunguntur: ut *Aulular. Actu* 3. *Sc.* 3. *v.* 3.

> *Ite ſanè nunc jam intrò omnes & coqui & tibicinæ:*
> *Etiam hanc introduce, ſi vis, vel gregem venalium.*
> *Coquite, facite, feſtinate nunc jam quantum libet.*

Ac proin Tibicines ad convivia olim in foro conductos, ubi obſonia emebantur, ex Theophraſti, *Characteribus* liquet. Unà cum Coquis, Plautus, *ibid. Act.* 2. *Sc.* 4. *v.* 1.

> *Poſtquam obſonavit herus & conduxit coquos*
> *Tibicinaſque hasce ad forum.*

Inde itaque Eubulus apud Athenæum moris ait fuiſſe, *ut, ſi quid peccaſſet Coquus, tibicen vapularet*, *l.* 5. Vide Caſp. Bartholinum, *de Tibiis Veter. l.* 2. *c.* 13.

COQUETA, Inſul. parva in ora Angliæ & littore Northumbriæ, oppoſita Coqueto, *Coket*, fluv. qui auctus aliquot rivulis, ibi ex adverſo in mare Germanicum ſe exonerat, juxta *Warworth* oppid.

COQUI ac Offarii, magni apud Romanos, ſequiori ævô, habiti ſunt. Plin. *l.* 9. *c.* 17. *extr.* *At nunc Coci triumphorum pretiis parantur, & Coquorum piſces: nullusque propè jam mortalis æſtimatur pluris, quam qui peritiſſimè cenſum Domini mergit.* Et Val. Max. *l.* 9. *c.* 1. *ex.* 2. *Inde ab Oceani litoribus abſtracti piſces; inde infuſa culinis arces; cenſibuſque edendis ac bibendis reperta voluptas eſt.* Quod quando primùm cœperit, exponit Livius, *l.* 39. *c.* 6. ubi de Cn. Manlii Vulſonis triumpho: *Luxuria peregrina origo ab exercitu Aſiatico in urbem invecta eſt: ii* (milites Vulſonis) *primum lectos æratos.* Tum coquus, *viliſſimum antiquis mancipi-*

um & æſtimatione & uſu in pretio eſſe, & quod minuſterium fuerat, ars haberi cœpta. Ideam Coqui expreſſit apud Athenæum, *l.* 3. Damoxenus Comicus, apud quem culinæ inſtrumentum, condimentorum indiculus, porcus Trojanus & Coqui glorioſa Magiſteria recenſentur: cujus artificis fuêre, Æſops nobilis patina, cœnæ Metellianæ, Apiciana decreta & alia hujuſmodi ſexcenta, excogitata in perniciem cenſuum & patrimoniorum, Appulejus, *Metam. l.* 10. *Hic erat dives admodum dominus, & illorum alter Piſtor dulciarius, qui panes & mellita concinnabat edulia; alter Coquus, qui ſapidiſſimis intrimentis ſuccum pulmenta condita vapore mollibat.* Eleganter Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 220.

Non ſatis ars eſt ſola Coco, ſervire palato,
Namque Cocus domini debet habere gulam.

Neque verò unicô tantùm contenti erant, Juvenalis, *Sat.* 9. *v.* 109. Archimagiri ſeu *Principis Coquorum* meminit.

—— —— —— Librarius, Archimagiri,
Carptores.

Et vetus Inſcr. *Vicarii ſupra Cocos,*

HIC. OSSA. SITA. SUNT
FAUSTI. ERONIS.
VICARII. SUPRA.
COCOS.

In ſcena *Coquorum* nomina, *Anthrax, Congrio, Machærio*: Veſtis duplex & rudis, ſeu fullonicæ expers, fuit. Jul. Cæſ. Scaliger, *Poetices l.* 1. *c.* 13. Ad tibiæ ſonum epulas apparabant. Idem, *l. eod. c.* 20. *Tyrrheni non uno genere* (tibiæ) *contenti. Singulari quidem canebant in ſacris eoque aucta, tanto apud eos in honore, ut, quemadmodum ſcripſit Ariſtoteles, non ſolum ad ejus ſonum pugiles certarent; verumetiam, quum in noxios flagris animadverteretur, tibia ſonum adpingerent. Quin etiam, quod mirere magis, coqui ipſi ad ejus ſonum epulas apparârent.* Apud perditiſſimos Sybaritas etiam coronabantur, uti diſcimus ex Athenæo, *l.* 12. ii imprimis, quos luxus erudierat ferculis & condiendis & apponendis. Vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 7. *c* 6 ſuprà *Coctiones* &c. Aliàs antiquitus idem *Coquus* ac Piſtor. Sed & in ruſtica familia, culinæ, quam in chorte conſtituit Vitruvius, adſcribit Pignorios mulieres, quæ pulmentaria ruſticis coquebant, item eos qui cibum familiæ conficiebant: ejuſdem loci dicit fuiſſe focarias, quarum meminêre Pomponius, Ulpianus & Paulus Jurecconſulti paſſim. Vide eum, *Comm. de Servis.* Et hi utrobique ſervi fuêre. Major dignatio *Coqui*, qui Hebraicè dicitur שר הטבחים, quales fuêre Potiphar, & Arioch, & Nebuſaradan, in Sacris: quem Joſephus & Græci reddunt Ἀρχιμάγειρον. Qualemque ex Euhemero Coo Cadmum quoque fuiſſe, tradit Athenæus, *l.* 14. Regis ſui μάγειρον. Sic in Hiſtoria Francica Johannes Caſtellionæus *Magnus Coquus Franciæ* repertus dictus, de quo vide ſuprà ubi de familia hac actum, & infrà in voce *Princeps Coquorum*: uti de *Coquis cœleſtis*, ſuprà voce *Cælare*. Vide quoque *Coctiones*: & de *Coquinaria*, Medicinæ famulâ, infrà voce *Medici*.

COQUILLIUS Vitus, Nivernus, Patavii ſub Mariano Socino Juri operam dedit primùm, inde Aureliani, alibique tantô ſucceſſu, ut patriæ ſuæ inſtar Oraculi fuerit. Scripſit de *Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, quod opus à Jeſuitis Nivernenſibus diu ſervatum & Præſuli Auſcienſi traditum, latuit annos 60. donec repertum, A. C. 1656. cum aliis ejus ſcriptis, in lucem prodiit, A. C. 1666. Obiit A. C. 1603. Thuanus, Auctor *Vitæ Coquillii*, Loiſelius, *Opuſc.* Antonius Teiſſier, *Eloges des Hommes Sçavants*, *Part.* 2. &c.

COR, princeps animalis pars, hicce deſcribitur Plinio, *l.* 11. *c.* 37. *Cor animalibus cæteris in medio pectore eſt, homini tantùm infra lævam papillam, turbinatô mucrone in priora eminens. Piſcibus ſolis ad os ſpectat. Hoc primum naſcentibus formari in utero tradunt: deinde cerebrum, ſicut tardiſſimè oculos. Sed hoc primum emori, cor noviſſimè. Huic præcipuus calor, palpitat certè & quaſi alterum movetur animal intrà præmolli firmoque opertum membranæ involucro, munitum coſtarum & pectoris murô, ut par erat —ſinuoſô ſpecu & in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino; ibi mens habitat —ſolum hoc viſcerum vitiis non maceratur, nec ſupplicia vitæ trahit: læſumque mortem ilico affert —Hirſutô corde gigni quoſdam homines produntur, neque alios fortiores eſſe induſtria, ſicut Ariſtomenem Meſſenium, qui CCC. occidit Lacedæmonios.* &c. Quô hieroglyphicô id Ægyptii repræſentârint, vide infrà voce *Ibis*. Quia verò pectus principis hujus partis ſedes; hinc in conviviis Veter. non ſolùm capiti & collo, ſed & pectori applicabantur coronæ, ut odorum fragrantiâ illud recrearetur. In ejuſmodi coronis illæ fuêre, quibus inditum nomen *hypothymidis* ſeu *hypothymiadis*, quæ collo appenſæ ad pectus deſcendebant. Vide infrà in hac voce. Earum meminit *Anacreon* in his,

Πλεκτὰς δ' ὑποθυμιάδας
Περὶ στήθεσι λωτίνας
Ἔθεντο.
Plectiles hypothymiadas
Circa pectus è loto
Poſuerunt.

De *Cordis* uſu in Extiſpicina Romanorum, ut aliquid addam, Plinius ubi ſuprà, ita pergit; *In corde ſummo pinguendo eſt quædam lætis extis. Non ſemper autem in parte extorum habitum eſt. L. Poſthumô Albinô Rege ſacrorum, poſt centeſimam viceſimam tertiam Olympiadem, cum Rex Pyrrhus ex Italia diſceſſiſſet, Cor in extis aruſpices inſpicere cœperunt. Cæſari Dictatori, quô die primum veſte purpurea proceſſit, atque in ſella aurea ſedit, ſacrificanti bis in extis defuit. Unde quæſtio magna —potuerintne ſine illo hoſtia vivere.* Vide quoque infrà ubi de *Extiſpicibus*. Sed & hòc ſeculô in Ducis Feriæ aperto corpore cor non apparuiſſe, ſed in pericardio aquas ſolùm repertas, traditur, qua de re extat lepidum Epigr. Caſp. Barlæi, *Poem. Part.* 2. &c. Hinc *Corculi*, apud Romanos dicti, Plin. *l.* 7. *c.* 31. Vide infrà.

COR Jacobus, vide *Jacobus*.

CORA, Jovis & Cereris filia, quæ & *Libera* & *Proſerpina*. Vide *Core*.

CORA, filia Aidonei & Perſephones; vide plura de dictione *Cora* apud Cœl. Rhodig. *l.* 7. *Antiqu. Lection. c.* 15.

CORA, oppid. Latii in finibus Volſcorum antiquiſſimum, ante urbem Romam à Dardanis conditum, ac de *Cora* Catilli & Tiburti fratris nomine dictum. Nunc in Campania Romana ad pedes collis, ſub dominio utili populi Romani 6. milliar. à Velitris in Ortum, verſus Anagniam, *Baudrand*. Populi *Corani*. Lucan. *l.* 7. *v.* 392.

—— Gabios Vejoſque Coramque
Pulvere vix tecta poterunt monſtrare ruinæ.

Longitud. 36. 38. latitud. 41. 37.

CORACA, Arabiæ Petrææ oppid. *Ptol.*

CORACES, fuiſſe locum apud Æoles, Arnam incolentes perhibent, in quem maleficos relegabant, unde dictum ἐς κόρακας. Alii locum hujus nominis in Theſſalia fuiſſe contendunt, in quem nocentes dabantur præcipites. Sunt qui hoc referant ad volatum corvorum: quoniam enim in deſertis volitare conſueverunt, voluiſſe ad corvos illi eſſe eundum, quem intelligunt in extremas ſolitudines publicitus deportandum.

CORACESIUM, ſeu CORACENSIUM, *Ptol. Scandeloro*, teſte *Nigro*, urbs Pamphyliæ litoralis, quæ à *Ptol.* & Livio, *l.* 33. *c.* 20. Ciliciæ aſperæ tribuitur. Vide Strab. *l.* 14.

CORACESIUS, pars Tauri montis. Plin. *l.* 5. *c.* 27.

CORACIÆ, Gall. *Curaſſes*, vide ſuprà, ubi de *Clibanariis*.

CORACICA Sacra, ſpecies Mithriacorum olim ſacrorum; quæ multiplicia fuiſſe conſtat: ſic dicta, quod ὑπηρετοῦντας, *miniſtrantes*, *corvos* vocabant. Eorum mentio apud Ambroſium & in veterib. *Inſcriptionibus*. Vide quoque infrà *Hyaenica* & *Leontica*, it. voce *Mithra*.

CORACII, regio in Æthiopia ſub Ægypto, ubi maxima Indicarum arundinum multitudo. *Strabo*.

CORACINA Vellera, Straboni κοράξα, dicebantur, quæ Romam afferebantur ex Hiſpania. Ita enim in *l.* 3. de Hiſpania, πολλὴ δ' ἐσθὴς πρότερον ἤρχετο, νῦν δ' ἔτι ἔρια μᾶλλον τῶν κοραξῶν. Ubi de lanis loquitur coloris *coracini* ſive corvini, quæ ex Hiſpania in Italiam importabantur, cum prius veſtes importari ſolitæ eſſent. Tales autem Hiſpanas fuiſſe lanas, ex Plinio diſcimus, *l.* 8 *c.* 48. *Hiſpania nigri velleris præcipuas habet.* Cujuſmodi colore lanas eximias fuiſſe habitas, idem Strabo docet, *l.* 12. Vide Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*, *c.* 3. Color hic à pullo diſtinguitur Vitruvio, *l.* 8. *c.* 3. *Quamvis ſint albæ, procreant aliis locis leucophæa, aliis locis pulla, aliis coracinô colore.* Nempe color κοράκινος aliquid luminis habet, cum pullus ſit ἀλαμπής, *ſplendoris expers*. Unde κοράκινον χρῶμα docti definiunt, *colorem cum aliquo ſplendore nigerrimum*. Qui priùs non in lanis ſolùm, ſed & in capillis, placuit. Sic de Sponſo Cantici Cantic. *c.* 5. *v.* 11. *Antiæ ejus pendulæ nigræ, ut corvus*: & Apulejo, *l.* 2. laudatur capillus *corvinâ nigredine cærulus*. Martial. quoque, *l.* 3. *Epigr.* 43. *v.* 1.

Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capillis:
Tam ſubitò corvus, qui modò cygnus eras.

Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 2. *c.* 10. Vide quoque Salmaſ. *ad Solin. p.* 876. de *Coracinis* verò piſcibus Niliacis, lacûs Æthiopiæ, *Ibidem p.* 134.

CORACINSII, Sardiniæ populi. *Ptol.*

CORACIUM, mons juxta Colophonem in Ionia. Item locus circa Byzantium.

CORACODES, Corſicæ inſulæ portus. *Ptol*

CORACONASUS, locus Arcadiæ, ubi Ladon fluv. in Alpheum excipitur. Pauſan *in Arcad.*

CORACONNESUS, inſula Libyca. *Steph.*

CORACOS petra, i. e. *Corvi ſaxum*, locus in Ithaca. *Steph.*

CORADUS Ludovicus, vide *Ludovicus*.

CORAGUS, vide *Histrio*.

CORALETÆ, Scythiæ Europææ gens. Ita veteres libri habent apud Val. Flacc. *l.* 6. *Argon. v.* 81. Ubi vulgò legebatur *Coralea*.

CORALIUS, Phrygiæ fluv. qui aliô nomine *Sangarius* dicitur. Plin. *l.* 6. *c.* 1.

CORALLI, populi Pontici immanitate inſignes. Ovid. *l.* 4. *Ponticarum*, *El.* 2. *v.* 37.

Hic mea cui recitem, niſi flavis ſcripta Corallis?

Idem, *El.* 8 *v.* 83.

Litora pellitis nimium ſubjecta Corallis.

CORALLIUM, recentioribus Græcis Κοράλλιον, antiquioribus Κουράλιον. *Dionyſ.*

Τόθι γὰρ λίθος ἐστὶν ἐρευθέος κουραλίοιο.

Unde & Ovid. *l.* 15. *Met. v.* 416.

Sic & Curalium, quò primum contigit auras
Tempore durescit. —— ——

Λιθόδενδρον eſt, i. e. *arbuſtum ſeu frutex ad lapidis naturam accedens*; cui quòd evellatur retibus, aut acri ferramentô præcidatur, ἀπὸ τῆς κουρᾶς, à *tonſione* nomen. In Mari Mediterraneo paſſim reperitur, ut & in Gallico ſinu circa Stœchadas Inſulas in Etruſco, apud Graviſcas, in Campano ante Neapolim, in Siculo, circa Helram & Drepanum & Pachynum promontor. in Africano, circa Erythra. Maximus verò ejus circa Siciliam inſul. proventus eſt. At in India rara mera, ideoque cara. *Gignitur quidem & in Rubro mari*, inquit Plinius, *l.* 32. *c.* 2. *item in Perſico vocatur jace, aut jacem potiùs*; nempe

quia

quia nigrius & pyxis viſus. Unde in Rubri Maris Muſam & in Arabiæ Felicis Metropolim Sabbatha, *corallium* ex Ægypto deferebatur, ut Arabici littoris corallio pretioſius, ut teſtatur Arrianus, in *Periplo*: qui idem corallii meminit ad Barbaricum emporium allati, in Sindi ſeu Indi amnis faucibus ſitum, ex Ægypto ſcilicet, æquè ac in Arabiam. Manſitque ingens in India *corallio* pretium, uſque ad ætatem Pauli Veneti, qui de Indiæ provinc. *Tebeth*, *Utuntur*, inquit, *ibi pro moneta corallis. Nam eſt is lapis apud eos magni in pretio. Et omnes feminæ cum collo deferunt, appenduntque quaſi rem pretioſam, ad colla idolorum*. At poſtquam reperta pyxis maria illa aperuit, *corallium* etiam in India paulatim cœpit viléſcere &c. Laudes ejus plus centum verſibus decantantur in ſuppoſitito Orphei libro *de Lapidibus*. Color optimus, cum rubet, ſandarachæque aut ſandicis ſaturæ ſimile eſt, *Dioſcor.* &c. Vide S. Bochart. *Hierozoici Part. poſterior. l. 5. c. 7.* Cæterum, *Corallia* plurima marina, cum rupe corallifera, ex Mari Mediterraneo in Muſæo Kircheriano aſſervantur. Ubi videre eſt, quanta cum providentia Natura fundum marinum coralliuis arboretis veſtiat & varia conchylia, oſtraceas exuvias, ſaxaque in monticulos congerat, unde rubra arbor exereſcens derivet ſuâ & rubore humani generis luxum auget. Horum monticulorum aliqui, intra Muſæi rara videntur: fragmenta verò ibi plurima ex ipſis conchyliis enata. Eſt enim proprium hujus plantæ, liquorem ſpermaticum ex ſe demittere, cujus guttæ, in quodcunque obvium corpus ceciderint, ibidem novæ coralliniæ plantæ ſobolem faciunt. Quod Naturæ arcanum didicit Auctor ex Arabici Maris Rubri urinatoribus, uti refert Georg. de Sepibus, *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo*, *p. 45.* Ut de uſu aliquid ſuperaddam, de eo ſic Plinius, *l. 32. c. 2.* *Aruſpices imprimis vates, quæ* (Indorum) *religioſum id geſtamen amoliendis periculis arbitrantur. Itaque & decore & religione gaudent. Priuſquam hoc noteſceret, Galli gladios, ſcuta, galeas adornabant eo. Nunc tanta penuria eſt vendibili mercis, ut perquam rarò cernatur in ſuo orbe* &c. Nec omittendum, *Corallis* elaborandi vix uſpiam præſtantiores officinas, quàm Maſſiliæ, eſſe, uti refert Jac. Sponius, *Itinerar. Græciæ Part. 1. p. 25.* ubi album quoque corallium ſolidum, & rubro album ſe vidiſſe addit.

CORAN, ſeu ALCORAN, vox Arabica, liber impietatis Muhammedicæ, à *Kara*, i. e. legere vel colligere: à *collectione* videl. ſuratarum ſeu capitum, quæ comprehendit; ſicut & *Furcan* eum vocant, quod in capita illa, variaſque partes ſit diviſus. Ejus originem à Deo arceſſunt Muhammedani, à quo cœlitus in Muhammedem dormientem hæc ſcriptura delapſa ſit. Alii illam non niſi poſt mortem ejus, ex chartis illius domi inventis in hanc formam redactam, dicentibus. Certè nomina ſucceſſorum & diſcipulorum Muhammedis, de Alcorani coagmentatione ac expoſitione diſſidentium à ſe invicem accuratè commemorat Ricoldus Arabs Chriſtianus, *Confut. legis Saracen. c. 13.* Nempe Muhammedi in Regno ſucceſſit Abubecar, indignante Hali, qui ad ſuum modum Alcoranum conſtruxit, alium poſtmodum edidit Eleage filius Nizef, alios alii additis detractiſque verbis, pro cujuſque arbitrio, & collectoribus mirè inter ſe altercantibus. Imò de Alcorano diſſentiendi finis non fuit, uſque ad tempus *Merpan* fil. *Elezen*, qui Alcoranum hodiernum, reliquis omnibus, quotquot haberi poterant, combuſtis, compoſuit. Manent tamen circa expoſitionem ejus hodieque rixæ acerrimæ, diſcordantibus Orientalibus ab Occidentalibus, & rurſus utriſque inter ſeſe. De Arabico in Latium indigeſtum hoc chaos tranſtulit Rob. Retenenſis Anglus, juſſu Petri Abbatis Cluniac. A. C. 1143. qui tranſlationem miſit ad Bernardum Abbatem Claræ Vallis, hortatus eum, ut contra Muhammedicos errores ſcriberet. Dividitur autem in *Capita*, ſeu *Suratas* aut *Azoaras*, uti Erpenius vocat, *Annotat. ſuis in Hiſt. Joſephi Abudacni*. ipſarum verò Suratarum aliæ inſcribuntur *Meccenſes*, quas nimir. diſcipulis ſuis tradidit Muhammedes in urbe *Mecca*, celeberrimo Arabiæ Emporio, ante ſuam inde fugam: aliæ *Medinenſes*, quas compoſuit in oppid. *Jatrib*, ad quod Muhammedes confugit, ubi etiam ſepultus eſt; cum Fatema filia, & aliquot ſuis Succeſſoribus. Impia dogmata libro contenta quod attinet, vide de iis eruditè diſſerentem Jo. Forbeſium, *Inſtruction. Hiſtorico-Theolog. l. 4. c. 4. & ſeqq.* ut & ubi de *Alcorano*.

CORANCALI, Indiæ extra Gangem populi. *Ptol.*

CORANI, Italiæ populi, vide *Cora*.

CORANITÆ, Arabiæ Felicis populi. Plin. *l. 6. c. 28.*

CORARIUS Anton. Cardinalis, nepos Gregorii XII. Venetus. Fundator Congregationis S. Gregorii, caſtitate & in pauperes charitate inclytus. Auctor hiſtoriæ ſui temporis manuſcriptæ, in Bibliotheca congregat. modò laudatæ. Obiit A. C. 1445. Ciaccon. *in Gregor. 12. Eugen. 4.*

CORAS, Catilli & Tiburtis frater, unde mons *Coras* & urbs *Cora* dicta. Virg. *l. 7. Æn. v. 672.*

Tum gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt,
Fratris Tyburti dictam cognomine gentem,
Catilluſque acerque Coras, Argiva juventus.

CORAS, lacus Tartariæ veræ, verſus partem Borealem in regione *Mongul*. Recipit Tartarum fluv. Eſtque valde extenſus, ut tradunt Geographiæ periti.

CORASENI, populi Aſiatici. Herodot. *l. 2.*

CORASIÆ, maris Ægæi inſul. *Curſie*, teſte *Nigro*.

CORASIBIE, vertex ſic nominatur, unius montis in India celſiores, quem Bacchus, ad vitandos immenſos æris vapores, cum ſuis expeditionis ſociis occupavit. Polyæn. *l. 1. c. 1.* ubi interpres tamen legit *Coraſibie*.

CORASIUS, mons imminens Antiochiæ, apud Xiphilinum, *in Trajano*.

CORASPHI, gens Scythiæ intra Imaum. *Ptol.*

CORAX, Sicyoniorum Rex, poſt Echireum: Regnavit ann. 30.

CORAX, antiquiſſimus Rhetor Siculus, circa Olymp. 89. primus artem dicendi, & præcepta conſcripſit. Cicero, *in Bruto*, *c. 12.* Primus etiam extitit, qui artem dicendi mercede profeſſus eſt, Tiſiamque eâ lege inſtituendum ſuſcepit, ut mercedis partem præſentem numeraret, reliquam tum demum perſolveret, quum in judicio, causâ peroratâ, victoriam reportâſſet. Quum itaque Tiſias non parum in arte profeciſſet, cauſam tamen nullam ſuſciperet, idque fraude facere videretur, ne reliquum mercedis præceptori perſolveret: Corax hominem in jus vocat, eumque omnem in hoc dilemma confert: *Diſce*, inquit, *ſtultiſſime adoleſcens, utroque modô futurum quod poſtulo, ſive viceris, ſive condemnatus fueris: Nam à victore merces mihi ex pacto debebitur, quum ita inter nos convenerit, ut quum primam ex judicio victoriam reportâſſes, reliquam mihi mercedis perſolveremur. Sin ego vicero, ablalominus judicii laqueis tenebere, utpote ſententiis judicum condemnatus.* Ad hæc Tiſias, *Imo*, inquit, *tu potius diſce, præceptor ſapientiſſime, utroquè modô futurum quod poſtulas. Nam ſi tu viceris, ex pacto nulla tibi debebitur merces, quandoquidem ita convenit, ut eam tum demum perſolverem, quum causâ peroratâ victor diſceſſiſſem. Sin ego vicero, quid quæſo expectes à victore, judicum calculis abſoluto?* Quibus auditis, Judices adoleſcentis ingenium admirati feruntur acclamâſſe, Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, i. e. *mali corvi malum ovum*, alludentes nimirum ad Coracis nomen, quod Latinis *corvum* ſignificat. Alii Protagoræ hoc adſcribunt. Vide Aul. Gellium, *l. 5. Noct. Attic. c. 10.* Dnuerunt ambo, in Sicilia, poſt mortem Hieronis: & poſterior quidem, cum Gorgia Legatus Athenas miſſus eſt, Voſſ. *de Rhetor. c. 9. §. 10. Nic. Lloydius*.

CORAX, interfector Archilochi Poëtæ. In bello quodam. Hic cùm fortè ſeſeſtatum Apollinis oraculum veniſſet Delphos, ab eo tamquam impius ac ſceleratus ejectus eſt. Verùm cùm diu multis verbis ſeſe excuſare conatus, culpam omnem in fortunam & varios bellorum eventus rejeciſſet, veniamque à Deo imploraſſet, ſicut numen, acceptóque ab Apolline reſponſo, juſſu ejus Tænarum profectus, manibus Archilochi parentavit, tanta erat eô tempore vatum, & Poëtarum majeſtas. *Perottus*.

CORAX, equus in Circenſibus, apud Plin. & ex eo Solin. *c. 46.* *Ingenia equorum etiam Claudii Cæſaris Circenſes probaverunt, excuſſo in carceribus aurigâ Albati equi* Corace *occupaverunt, primatum obtinuerunt, opponentes, effundentes omniaque contra æmulos — facientes.* A' nigredine pili corvina fortè dictus: quemadmodum & Κόραξ vocabatur unus equorum, quibus vicit Cleoſthenes Olympiadem 66. quorumque, uti & aurigæ, imagines dedicavit, apud Pauſan. *in Eliacis*. Fuit autem is Solino memoratus, equus ſiniſter in quadriga, funaliſque & præcipuæ in circumeunda meta operæ, ut infrà dicemus. Nota verò hic vocabula Artis Circenſis, *occupare*, *primatum obtinere*, de quibus vide ſuô locô: plura verò hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p. 900.* Sed & κόρακα dicebant Græci circulum corneum, vel æneum, qui foribus affigebatur, ad eas adducendas, quôque pertuti fores ſolebant, uti fit etiamnum. *Gloſſæ*, *repagulum*, κόραξ. Alibi, *uncinus*, κόραξ. Alii κόρακας, ἡ ὑπὸ τῇ θύρᾳ ἐπιλαβή. Idem, *ibid. p. 924.*

CORAX, vulgò *Algery*, urbs Sardiniæ, cujus portus olim *Corcacodes*, ſeu *Caracodes*, peramplus in ora Occidentali Inſulæ. Parva eſt ſed culta, in loco peramœno, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Turritano. 16 milliar. à Saſſaris in Auſtrum, totidem à Boſa in Boream, *Algara* hodiè.

CORAX, mons in Ætolia, & Sarmatia Europæa. Item urbs Tauricæ Cherſoneſi, & fluv. in Caucaſeis montibus originem habens. *Ptol.*

CORAXAS, mons, qui à Septentrione Colchidem claudit.

CORAXI, Colchidis regionis populi. Plin. *l. 6. c. 5.* Quorum lana à *Strabone* laudatur.

CORAXICI, montes, Tauri pars.

CORBACUM, oppid. Haſſiæ, caput Comitatus Valdeccii, medium ferè inter Paderbornam & Marpurgum, 6. leuc. German. à Caſſula in Occaſum, 3. ferè à Valdecco.

CORBÆ, & Herenachi antiquè in Hibernica Eccleſia Miniſtrorum genera: quorum illi, nempe *Herenachi*, terris, quas *Termonlandes* incolæ vocant, ad Eccleſiam pertinentes, atque ipſis colonis, ab Epiſcopo erant præpoſiti, qui & Archidiaconatus munus ac nomen obtinuerunt. Sunt autem *Termonlandes* terræ, non aliæ, quàm apud Juris Canonici ſcriptores, *Gleba Eccleſiæ*, *Termon* enim à voce Latina *Terminus*, quaſi limitatum & diſtinctum, (putà à prædiis Laicorum) quô ſenſu & in LL. Baiwar. *Tit. 1. § 4.* territorium Eccleſiæ *Terminus* appellatur: *Si quis ſervum Eccleſiæ, vel ancillam, ad fugiendum ſuaſerit, & eos foras terminum duxerit, & exinde probatus fuerit, revocare eum celeriter, &c.* Cùm autem terræ Eccleſiæ multorum Canonum vigore, liberæ eſſent & immunes à ſecularium poteſtate, & ſanctæ habitæ, dici etiam cœpit *Termon* pro loco ſancto, atque inde *Tearmum* pro ſanctuario. Sic *Termon-Fechin*, villa Armachani Archiepiſcopi, pro Sanctuario Fechini, patrii Divi: & Devonienſibus Angliſque Occidentalibus, gleba Eccleſiæ *Sanctuarium* vocatur. Sunt tamen, qui Termon juxta Gallicum *terre moine* ſonare intelligunt, quaſi dicas, Terram Monachorum. Horum erat, cenſum Epiſcopi, cæteraque Eccleſiæ debita colligere, & partem unam Epiſcopo, aliam templo reficiendo, tertiam fovendis pauperibus, excipiendiſque hoſpitio peregrinis, diſponere. In muneris ſtipendium, libera iis ceſſit ab omnibus præſtationibus terræ portio, quam *Honorem villæ* nuncupârunt. Poſtmodùm crevêre reditus, & munus ad hæredes tranſmiſſum eſt. Illi, videl. *Corbæ*, eminentioris fuêre loci, atque iidem qui Decani rurales, Plebani, Archipresbyteri, ſeu Chorepiſcopi, à quo & nomen fortè. Paruêre Epiſcopo iiſdem legibus, quibus *Erenachi* ſcil. viſitationibus, procurationibus, ſubſidiis, refectionibus, &c. *Erenachis* tamen ſuperiores, & qui multis in locis pluribus Erenachis imperabant. Munus iiſdem, ut prioribus, gentile, qui utrique

que miniſteria & patrimonium Eccleſiæ hæreditariò ingrediebantur, ſuaſque uxores habebant: nec mirum, cum & ipſum Archiepiſcopatum Armachanum, decurſis quindecim generationibus hæreditariâ ſucceſſione obtentum fuiſſe, tradat Bernardus, *in vita S. Malachiæ*: De *Corbanatu* ſic Hibernus quidam Borealis, *Dignitas Corbanatus ad Papam pertinebat, poſtea eam Rex ſibi vindicavit. In matrice Eccleſia debet neceſſariò eſſe initiatus ſacris ordinibus, omneſque decimas pertinentes ad hanc debet habere; & beneficia adjunctia huic, ipſum ſunt eorumque conferentiam habet & præſentationem,* &c. apud Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archaeol.*

CORBAN, in Tyriorum LL. pro Judæorum ſacramento ſumitur, ut ex Theophraſto Joſephus habet, *Ant. Jud. l.* 4. *c.* 4. & contra *Apion. l.* 1. cujus rei rationem exponit eruditus Seldenus, *ad locum Matthæi.* 15. *l.* 7. *de Jure Nat. & Gentium juxta diſciplinam Ebræor. c.* 2. Videquoque infrà *Juramentum*.

CORBANA, Perſa à Chriſtianis victus, fugatus, cæſuſque ingenti prœliô, in quo perierunt 100000. barbarorum. Blondus, *l.* 4. *dec. an. Dom.* 1099.

CORBARIA Vallis, aliis *Cervaria*, oppid. Cataloniæ, ad radices Pyrenæorum, in ipſo confinio Comitatus Ruſcinonenſis, in ora littorali maris Mediterranei 2. leuc. ab Illiberi in Auſtrum, Rhodam verſus. Vide *Cervaria*. Addo, hic quod dicatur vulgò *Corbiere*, prope Birtam fluvium; undè montes proximi *Corbarienſes* cognominantur *les Montagnes de Corbiere*. Nomen ſuum dedit Archidiaconatui cognomini, ad Eccleſiam Narbonenſem pertinenti. *Vallis Corbariæ palatium* memoratur in *Append. Chronici Fredegarii*. Hadr. Valeſ. in voce *Narbo*.

CORBASA, Pamphyliæ urbs. *Ptol.*

CORBEJA, cognomine *Vetus*, urbecula Picardiæ munita ad Somonam fluv. cum Abbatia celebri, à Batilde & fil. Clotario III. A. C. 662. inſtituta. 4. leuc. ab Ambiano, 8. à Perona. *Baudrand*. Nomen habet non a Corbeo, Bellovacorum Duce fortiſſimo, quem Jul. Cæſar interfecit, ſed ab amne Corbeja, ad cujus & Sumunæ confluentes ſedet in pago Ambianenſi: Vulgò *Corbie*. Hic Bathildis Chlodovei Junioris Regis uxor, mater Chlotarii, Childerici ac Theodorici, celebre extruxit Cœnobium Monachorum, in quo duæ Baſilicæ, major S. Petri, minor B. Johannis Evangeliſtæ fuêre. Ager *Corbejenſis*, vulgò *le Corbiois* dicitur. Fluvius autem *Corbeja* alluit vicos Divionem, *Divion*, Haramulum *Hamel* viculum, Altogilum *Auteuil*, lucram caſtrum *Eucre*, Helliacum: deinde in duos alveos diviſus, majore apud Corbejam oppid. minore apud Albiniacum in Suminam effluit. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CORBEJA, vulgò *Corvey*, Urbecula Weſtphaliæ, ad Viſurgim, cum Abbatia ſeu Monaſterio celebri, juriſdictionem habet ſatis amplam. Hoc nobiliſſimum Monaſterium, ab Adalhardo Abbate Corbejenſi extructum eſt, principatu & conceſſione Ludovici Aug. quod nomine Cœnobii ſui appellavit. verum ut id à Corbeja Gallica diſtingueretur, *Corbejam novam* Saxones ac plerique Hiſtorici cognominavêre. Eſt in pago veteri Auguenſi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* 7. leuc. à Caſſula in Boream, 9 à Paderborna in Ortum.

de CORBERIA Petrus, vide *Petrus*.

CORBEUNTUS, Tectoſagum urbs in Galatia regione, *Corbeus Antonino* vocatur, ut credit *Simlerus*.

CORBEUS, Bellovacus, Dux ſuæ gentis, in bello adverſus Romanos anno 8. unà cum Comio Atrebate. Ei Populi Romani nomen ſummo erat odio. *Hirt. l.* 8. *de Bell. Gall. c.* 6.

CORBIANA, Elymæorum provincia. *Strabo*.

CORBICULARIUS, in aliquibus Galliæ Eccleſiis dicitur Clericus *rochetô* indutus, quod *corbulam* vocant Galli, & inſervit illis Clericis, qui in officio Acolythi ceroferalia gerunt, uti etiam penes Dominicanos & Tereſianos obſervatur, Dominicus Macer *in Hierolex.* Car. verò du Freſne, *Corbelarios*, Gall. *Corbeliers* habet, ſicque vocari ait Canonicos ſemipræbendatos, in Eccleſia Andegavenſi, ex Renato Chopino, *de Sac. Politia, l.* 1. *tit.* 3. *num.* 4.

CORBILO, Galliæ emporium ſuper Ligerim. Strabo, *l.* 4. *Nantes* hodiè forſan. *Ferrar. Valeſio* eſt *Coiron* vel *Coëron*, locus ad Ligerim, Namnetas urbem inter, & S. Nazarium, à portu Namnetum ſeu Condivicino 3. leuc. Fuit olim una ex tribus opulentiſſimis Galliæ urbibus, cum Maſſilia & Narbone, Straboni priùs laudato, cui Genabum Carnutum emporium, ferè ad medium Ligerim conditum pridem ſucceſſerit, atque portus Namnetum ſeu Condivicinum. *Notit. Gall.*

CORBINIACUM, caſtrum Galliæ, in pago Nivernenſi, vulgò *Corbigny*, poſteà S. *Leonard* dictum: ad amniculum, qui in Icaunam defluit. *Idem*.

CORBIO, oppid. Æquorum in Italia, ſupra Algidum, 15. milliar. ab Urbe Roma, in Ortum, dirutum à M. Horatio Pulvillo. *Kœnius Stephano*.

CORBIS, nomen viri illuſtris, apud Liv. *l.* 28. *c.* 21. *Neque obſcuri*, inquit, *generis homines, ſed clari illuſtreſque*, Corbis & *Orſua, patrueles fratres, de principatu civitatis, quam Ibem vocabant, ambigentes, ferrò ſe certaturos, profeſſi ſunt.* Corbis *major erat ætate. Orſuæ pater Princeps proximè fuerat, à fratre majore, poſt mortem ejus Principatu accepto. Cum verbis diſceptare Scipio vellet, ut ſedare iras, negatum id —— Major uſu armorum & aſtu facilè ſtolidas vires minoris ſuperavit.* Vide quoque Val Max *l.* 9. *c.* 11. *ex. ext.* 1. qui alios Auctores ſecutus fratres facit, & Silium Ital. *l.* 16. qui fingit inſuper geminos fuiſſe, & mutuis vulneribus concidiſſe, ut Thebano pari ſimile hoc par redderet. Caſp. Barthius, *Animadv. ad Statium, l.* 3. *p.* 1375.

CORBITOR, ſeu CORVITOR, nomen ludiarum, apud veteres Romanos, de quibus vide infrà voce *Simpludiarea*.

CORBO, vulgò *Courbon*, pagi Corbonenſis in Capitulis Caroli Calvi memorati, uterque Turonicum & Sajenſem in Gallia poſiti caput, hodieque vicus in majore Pertico, inter Mortomam & Belliſinum. In pago Corbonenſi villæ Condati, ſuper Odanam fluv. mentiò fit in literis *Chlotarii*, penultimi Carolorum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

de CORBOLIO Petrus, vide *Petrus*.

CORBOLIUM, vulgò *Corbeil*, oppid. Inſul. Franciæ, cum ponte ad Sequanam, à quo biſecatur, 7. leuc. ſupra Lutetiam. Cum titulo Comitatus. Quorum unus, Eccleſiæ Spirenſis fundamenta jecit, collegiô Canonicorum ibi fundatô. Aimoin. Hugo Puiſetus Ludovico Craſſo jus ſuum conceſſit. A Duce Burg. fruſtra obſeſſum, A. C. 1418. Chenæus *de Urb.* Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* &c. Vide *Joſedum*.

CORBONACUM, villa olim Galliæ publica, ubi Carolus M. Rex ſalutatus ac auctus eſt A. C. 771 à Carolo poſteà Rege patre Ludovici Tranſmarini, Monaſterio Remenſi S Remigii data: Fuitâ hodie *Chirbonne* vel *Charbonne*, ad ripam Axonæ. An potius Vicus *S. Marcou*, à Prioratu ibi S. Marculphi dictus, inter Durocortorum & Laudunum, in diœceſi Laudunenſi. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

Reges Scotiæ.

CORBREDUS I. Rex Scotiæ, ſucceſſit Eveno III. A. C. 47. regnavit, ann. 18. Hunc Dardanus excepit. Cui

CORBREDUS II. ſucceſſit. Regnavit A. C. 35. Dempſter. & Buchan. *Hiſt. Scot.*

CORBRENÆ, Mediæ populi Polyb. *l.* 5.

CORBULO, Belgii præfectus, dein Syriæ proconſul, ſub Nerone Tiridatem Parthum fudit, fugavitque, Artaxata cepit, everſit, & ſolò adæquavit, Tigranem Armeniæ Regem deſignavit. Diſciplinæ militaris rigidus obſervator. Tacitus, *l.* 11. *Annal. c.* 18. & *l.* 13. *c.* 9. 35. 41. *Corpore ingens, verbis magnificus, ſuper experientiam, ſapientiamque etiam ſpecie inanium validus.* Vide *Domitius Corbulo*. Juvenal. *Sat.* 3. *v.* 251.

> *Corbulo vix ferret tot vaſa ingentia, tot res*
> *Impoſitas capiti.* —— ——

Ubi quidam athletam quendam eô nomine tunc temporis fuiſſe voluit. *Nic. Lloydius*.

CORBULO, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ *Carpio* quibuſdam in Vandalia.

CORBULONIS Foſſa, in Batavia, quæ à Lugduno Batavor. Delphos defertur, atque inde ad vicum *Sluys* Moſæ jungitur. Vulgò *de Vliet*, Cluverio, aliiſque.

CORCAGIA, urbs Hiberniæ Epiſcopalis in Momonia ſub Archiepiſcopo Caſſilienſi, vulgò *Corck*. Caput Comitatus ſeu provinc. cognominis ad Saverenum fluv. cum portu capaci & commodo. Parva ſed munita. 18. milliar. à Roſſia. 20. à Kinſalia. *Baudrand*.

CORCE, Armeniæ minoris urbs. *Ptol.* *Corne* videtur legendum.

CORCOBA, Taprobanæ urbs. *Ptol.*

CORCORAS, vulgò *Gurck*, fluv. Japodum, ubi Latobici populi in Carniolæ, & Croatiæ confinio non longè ab Æmona apud Nauportum oriens, & in Saum influens, ad Noviodunum.

CORCULI, apud Romanos, quinam olim dicti, docet Plin. *l.* 7. *c.* 31. *de Morum majeſtate*: *Reliquos autem bonos præſtitere ceteri mortales: ſapientiâ ob id Cati, Corculi apud Romanos cognominati* &c.

CORCYRA, inſul. maris Ionii non procul ab Epiro, à cujus ora via 6. milliar. ſicut 90. à Japygio promontor. Italico in Eurum, abeſt, Ulyſſis naufragiô & Alcinoi hortis nobilis, Plin. *l.* 4. *c.* 12, olim *Scheria* & *Phæacia* dicta, nunc eſt ſub ditione Venetorum, ab A. C. 1382. ac vulgò *Corfu* vocatur. Cum urbe cognomine Archiepiſcopali, & duabus fortiſſimis arcibus. Diviſa eſt Inſul. in quatuor Baronias, ſub totidem Nobilibus. Aër hic ſalubris, ſolum vitium olearumque ferax, citreæ arbores, &c. Incolas habuit olim, navigandi peritiſſimos. Cum Corinthiis geſtum bellum, deſcribit *Thucyd.* A Solimanno fruſtra tentata, vaſtata tamen, A. C. 1537 Thuan. *l.* 12. Ortel. Merc. Miræus, *pol. Eccl. l.* 1. & *Geogr. Eccl.* Boterus, *de Venet. Rep. l.* 1. Meminit illius Lucan. *l.* 2. *v.* 623.

> —— *Seu vela ferantur*
> *In portus Corcyra tuos, ſeu læva petatur*
> *Illyris Ionias vergens Epidamnus in undas.*

Unde dicatur, non ſatis conſtat. Græci ab ejuſdem nominis nympha Aſopi filia, quam Neptunus ibi compreſſit, vocatam volunt, Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 23. ab Arabico קרקר *carcara* deducit, quod *terram* ſignificat in qua tutò, ac pacatè vivitur. Proinde Judic. *c.* 8. *v.* 10. pro eo, quod in Ebræo eſt *Zeba*, & *Salmana erant* [illegible] *in Carcor*, Hieronymus habet *requieſcebant*; Quod Corcyræ quomodo quadret, docet Poëta, Od. Ζ v. 201.

> Οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνὴρ διερὸς βροτὸς, οὐδὲ γένηται,
> Ὅς κεν Φαιήκων ἀνδρῶν ἐς γαῖαν ἵκηται
> Δηϊοτῆτα φέρων. ——
> Οἰκέομεν δ' ἀπάνευθε πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ
> Ἔσχατοι, οὐδέ τις ἄμμι βροτῶν ἐπιμίσγεται ἄλλος.

Incolarum pars maxima Græci ſunt, aut Græcô more vivunt. *Nic. Lloydius*, Corinthiorum enim colonus occupata eſt inſula Olymp. 18. Euſebius, *Chron.* Corcyræi poſteà Duce Phaliô Corinthiô Epidamnum in Illyrico condiderunt, quod vide. Nihilominus bellô cum Corinthiis colliſi, mari cum illis conflixerunt, annô 1. Olymp. 29. *quod navale prœlium omnium quæ novimus vetuſtiſſimum eſt*, Thucydides, *l.* 1. Vide quoque ſuprà voce *Amenocles*: item *Anaxilas*. Hujus Inſulæ longitudo *Baudrando* eſt 45. milliar. dividiturque in quatuor partes. Urbem habet permunitam, cum duplici arce in colle,

colle, armamentario & portu capaciſſimo, in Cherſoneſo; Archiepiſcopali dignitate decoratam, etiam *Corfu* dictam. Vide ſuprà. Eſt & alia inſul. ejuſdem nominis *Melæna*, i. e. nigra dicta, 20. mill. paſſ. priori diſtans. Plin. *l.* 3. *c. ult.* *Curzola* Sophiano. *Karkar* Slavè *Job. Luc.* De lepido Venetorum ſtratagemate, quô ii *Corcyram nigram*, Raguſæis ereptam, in ſuam poteſtatem redegêre, vide Sponium, *Itiner. Part. I. p.* 112. ſicut de *Corcyra* ipſa, *p.* 120. *& ſeqq.*

CORCYRIS Ægypti urbs. *Steph.*

CORCYROPOLIS, Corcyræ inſul. oppid. *Niger.*

CORDA, Albionis urbs Selgovarum, *Ptol.*

CORDARUM tormenta, quibus quaſi ſuper equuleum reus tenſus torquetur, eliciendæ veritatis causâ, memorantur Gobelino Perſonæ in *Coſmodromio*, *p.* 258. Vide quoque infrà, ubi de *Funibus*.

CORDAX, Græc. Κόρδαξ, ſpecies ſaltationis Theatralis in Comœdia, ſolutiore licentiâ; ſicut in Tragœdia ἐμμέλεια erat, gravis ea ac compoſita, quemadmodum vox ipſa quoque declarat. Ex ea Bathyllus Alexandrinam poſtmodùm ſaltationem fecit, quam nominavit *Italicam*. Jul. Cæſ. Scaliger, *Poëtices l.* 1. *c.* 18

CORDELIERE, Ordo equitum ab Anna Britannica, Caroli VIII. vidua inſtitutus, cum lemmate: *J'ay le corps delié*. San-Marth. Julianus, *miſcell. hiſt.*

CORDES, fluv. qui Daram Perſarum urbem interfluit.

CORDILIO, Philoſophus Stoicus Pergamenus, omnium Principum ac Regum amicitias ſpernebat. Hunc Cato Uticenſis, in Macedoniam cum exercitu miſſus, precibus exoratum in caſtra ſecum duxit, magnam ſe putans adeptus palmam, quòd hominem ſeveriſſimum è ſententia dimoviſſet. *Volaterran.*

CORDILLA, filia Leiri, M. Britanniæ Regis, nupſit cuidam Neuſtriæ Regi, dote fraudata à parente, qui filiabus majoribus natu, Albaniæ & Cornubiæ Ducum uxoribus, ditiones ſuas diviſit. Patrem tamen à duobus hiſce pulſum, ope mariti, omnis injuriæ oblita, reſtituit, eique mortuo ſucceſſit. Sed ab Aſſinibus ſuis victa, in captivitate, obiit. Beda, Polydor. Virg. *Hiſt. Angl.*

CORDIVÆ, oppid. Foro-Julienſium.

CORDUBA, Bæticæ Hiſpaniæ urbs clariſſima, Epiſcopalis utriuſque Senecæ, Lucani, magni Capitanei Gonzales, Ivan Menæ, Poëtæ Hiſpani. Ambroſii Moralis, Hiſtorici patria, ad flov. Quadalquivir. Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 62. *ad Licinianum*, *v.* 7.

Duoſque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Quanquàm Tullius Cordubenſes Poëtas irridet, in oratione *pro Archia*. Fertilitas ejus, & dives cultus ſcriptoribus laudatur. Silius, *l.* 3. *v.* 401.

Nec decus auriferæ ceſſavit Corduba terræ.

Martialis, *l.* 9. *Epigr.* 62. *v.* 2.

Quâ dives placidum Corduba Bætin amat.

Hodiè *Cordova* Hic Averroes & Avicenna docuerunt. Mariana, Boter. *relat. Hiſp.* Plinius tradit, *l.* 3. *c.* 1. *Coloniam Patriciam* cognominatam, quod etiam *Ambroſius Moralis* ex ejus antiquis marmorum inſcriptionibus oſtendit. Sed & Auguſti Imperatoris æreus nummus videtur, cùm literis COLONIA PATRICIA. *Corduba*, inquit Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 34. *Arabicè dicitur* קורטבה *Corteba*, inſeriò R. (de quo vide in *Sardinia*) *Corteba* autem Syris eſt *trapetum*, ſeu *mola olearia*. Jam verò Cordubæ, & in vicinis locis magna vis fuit trapetorum. Statius in *Lucani Genethliaco*, *l.* 2. *Sylv.* 7. *v.* 28.

Quæ Tritonide fertiles Athenas
Unctis, Bætica provocas trapetis.

Bætica, i. e., ea pars Bæticæ potiſſimùm, quæ eſt circa Cordubam. Agitur enim de Lucani patria, quæ Cordubenſis erat. Nec aliò referenda hæc Martialis, *l.* 7. *Epigr.* 27. *v.* 3.

Nec Tarteſſiacis Pallas tua, Fuſce, trapetis
Cedat. —— ——

Idem enim de *Corduba* nominatim, *l.* 12. *Epigr.* 64.

Uncto Corduba lætior Venafro.

Ubi Cordubam cum Venafro confert, Campaniæ oppido, cujus ager eſt olei feraciſſimus, ut in *Venafro* poſteà videbimus. Erat hæc urbs, ſub Romanis & Mauris, quibus ibi Moſchea, poſt Mechanam, celeberrima, magni nominis. Ex his Ableramen, plurimos ob Chriſti fidem ſuppliciis affecit, A. C. 857. paulo pòſt ſubitâ extinctus morte, *Roderic. Toletan.* Ibi Concilium ab Oſio Epiſcopo habitum, A. C. 348. Pſeudoſynodus ſecul. 9. contra illos, qui pro defenſione Religionis Chriſtianæ, à Mauris interempti, Martyrio ſe offerebant. Eulog. *memor. Sanct. l.* 2. *c.* 9. *& ſeqq.* Baron. *A.* C. 851. *n.* 5. *&c.* Item *Corduba* mons Luſitaniæ, qui *Corvan* vulgò dicitur, teſte *Andr. Reſendio*, *Nic. Lloydius.*

de CORDUBA, illuſtris in Hiſpania Familiæ nomen, quæ in Gallæcia primùm floruit, ſub nominibus *de Temez* & *Chantada*, dein à Corduba Mauris erepta nomen ſortita eſt, ac in Andaluzia ſedem fixit. Rami ejus præcipui tres ſunt. Primus eſt *de Aguilar*, cujus auctor Conſalvus *Fernandez de Cordaba* Do. *de Aguilar* genuit Alfonſ. Do. *de Aguilar* & Didacum *Fernand.* Do. *de Baena.* Illius poſteri nomen *de Aguilar* retinuerunt, uſque ad Petr. Alfonſi abnepotem, Marchionis *de Priego* titulum nactum, quem filia Catharina domui Suareziæ *de Figueroa* intulit, nupta Alfonſo. Laur. Suarezii *de Figueroa*, C. *de Feria* filio. Sed & Marchionis hujus frater Franc. Pachecus de *Corduba*, Dom. *de Almenar* in Granata dedit: ac patruus Conſalv. *de Corduba*, celeberrimus ille bellicus Imperator titulis *Ducis Seſæ*, *Ter. novæ Sanctangeli*, *March. Bitonti atque Principis Squillacii*, ſuperbivit, quos paulo pòſt filia Elvira agnato Comiti *de Cabra* attulit. Hos Comites alter Conſalvi ſuperioris fil. Didacus progenuit (eorum quoque Auctor, qui ſub nomine *de Rozas* aliquandiu Pozam tenuêre.) Nepos enim ipſius Didacus Ferdinand. axioma illud Comit. *de Cabra* nactus eſt, A. C. 1455. in cujus liberis diverſæ lineæ cœperunt. Martinus Dominos *de la Campana*, cum cognomine. *Ponce de Leon*, Sancius Dominos *de Caſapalma* his verò prior Didacus Comites Cabræ propagavit: iterum per poſteriores filios, Ignatium, Dominorum *de Guetor de Santillan*; & Antonium, Domin. de *Torrequebradilla* auctor. Primus vero, Didacus Patri ſucceſſit, atque Ludovicum ultimæ lineæ primariæ Comitis de Cabra ac Duc. de Seſa Conſalvi improlis, atque hæredis Beatricis Fernando *de Corbuda*, nuptæ patrem, Petrum Dominorum *de Zarrah*, atque Alvarum Dominorum *de Valenzuela*, ſatores genuit. Alter ramus eſt Dominorum ac Comitum *de Alcandete*, qui *Velaſcorum* cognomen, ob Alfonſi Ferdinand Cordubenſis atque Mariæ Velaſcæ connubium aſſumſerunt. Ex cujus lineæ poſtgenitis aliæ novæ quoque ortæ ſunt. Tertius eſt Marchio *de Comares*, qui prius Domini *de los Donzeles* fuerant, donec Didacus *Fernandez* Marchionis impetraret axioma. Huic à Johanna Polcina *de Cardona* & *Aragonia* Duc. *de la Cardona & Segorbia* Com. *de Prades*, Didaco *Fernandez de Corduba M. de Comares* nuptâ, etiam ſucceſſio illata eſt. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theat. Nob. Europ. tom. II. in Ind. & ejuſd. tami p.* 74. geneſin Marchionum *de Priego* ex ramo primo: *p.* 156. Velaſcorum, ex ſecundo: & *p.* 57. Marchion. *de Comares*, ex tertio. Idem *tom. III.* Alfonſum Ferdinand. *de Corduba Marchion de Priego Ducem de Feria*, ex Johanna Henrici *de Ribera*, ſuſcepiſſe Ludovicum Ignatium Ferdinand. *de Corduba Figueroa Aguilar Marchion. de Priego Ducem de Feria Marchionem de Montalvan & Villalva*, habet: cui nupſit Maria Anna Cordubenſis d'*Aragon*, *p.* 78.

CORDUBANARII, in *Diplom.* Lodov. VII. Regis Franciæ A. C. 1144. Sutores ſunt, hodie Gall. *Cordoniers*; à *Cordubenſibus* pellibus, quæ Cordubæ Hiſpaniæ oppidô celeberrimô, alutariorum arte eximiè præparari conſuevêre. Rebuffus, *Tract. de Mercat. mun. vend. Gloſſ.* 11. *Ab ea urbe deportari ad cæteros ſolent pretioſi corii ſpecies.* Hinc *Calcei de Corduba*, apud Gilbertum, *de Vita ſua*, *l.* 1. *c.* 11. & Theodulfum, *l.* 1. *Carm. p.* 138.

Iſte tuo dictas de nomine Corduba pelles.
Hic niveas, alter protrahit inde rubras &c.

CORDUENI, ſeu CARDUCHI *Xenophonti*, Aſiæ populi inter Armeniam, Meſopotamiam, & Mediam, *Curdi* hodiè.

CORDULÆ, portus Themiſcyrenæ regionis ad mare Euxinum. Plin. *l.* 6. *c.* 4. Ibi templum S. Phocæ primi Pontici Epiſcopi fuiſſe, Chalcocondylas, *l.* 9. teſtatur. Sic autem fortè hic portus appellatus eſt à cordylis piſcibus, quorum ibi magna copia. *Bandrando* portus Colchidis, ad Mare Euxinum, circa Ceraſum oppid. Alius eſt oppidul. Heniochorum, ad Ptiianis fluv. oſtia, 10. milliar. à promontor. Athenarum in Ortum, 25. ab Apſorri oſtiis in Occaſum, *Sanſone* teſte, 100. ultra Trapezuntem.

CORDUS, nomine *Julius*, Aquitaniæ Præſes, à quo Provincia in verba Othonis adſtricta non diu manſit. Tacit. *l.* 1. *Hiſt. c.* 76.

CORDUS, inter præceptores Alexandri Mammeæ nominatur.

CORDUS Ælius, vel Junius, Hiſtoricus, qui *Imperatorum vitas* conſcripſit, cui vitio vertitur, quòd eorum, qui obſcuriores eſſent, minima etiam proſequeretur. Vixit ſub Maximinis & Gordianis. Laudatus Jul. Capitolino, *in Clodio Albino. c.* 5. & 11. Item, *in Maximinis*, *c.* 4. 6. 12. *Macrino*, *c.* 1. *&c.* Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 3. *p.* 179.

CORDUS Cremutius, declamator nobilis. Sueton. *in Calig. c.* 16. Vide in voce *Cremutius*, *&c.*

CORDUS Julius, vide *Julius*.

CORDYLUS, urbs Pamphyliæ. *Steph.*

CORDYLUSA, inſul. circa Rhodum. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

CORE, apud Xenophontem, *Hiſt. Græc. l.* 2. ubi refert, Cyrum duos filios Xerxis neci dediſſe, *quòd, cùm ei occurriſſent, manus intra Core non continuiſſent*: vox Perſica eſt, deſignans quiddam, quô manus coërcebatur, ne quid agere poſſet. Sic manus intra pallium continuiſſe apud Græcos modeſtiæ ſignum erat, & junioribus conveniebat, uti diximus de *Toga*. Ad Principes imprimis Orientis accedentibus liberas habere manus nec licebat olim, nec etiamnum licet. Unde ſpecie honoris etiam exterorum Principum Legatos, cum ſuo comitatu, utrinque à Magnatibus Turcicis brachio comprehenſos, deduci conſueviſſe, ad Imperatores Turcarum, docent *Itinerariorum* Auctores, vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 9. *c.* 27.

CORE, Cereris filia, à κόρος i. e. *ſatietas*, dicta; Feſta ejus *Corea* dicebantur. Schol. Pindari, *Olymp. Od.* 7. πολλοὶ δὲ ἄγονται ἀγῶνες ἐν Ἀρκαδίᾳ, Λύκαια, Κόρεια, Ἀλέαια *Heſych.* Κόρεια, θεογάμια καλοῦσι, ἡ θυσία τῆς Κόρης τελουμένη Ejus quoque meminit Plut. in *Dione*, Ceres enim producit materiam, quâ nutrimur & ſatiamur.

CORE, vel CORAH, fil. Izhar, filii Caath, ob ſeditionem contra Moſen excitatam, hiatu terræ cum tabernaculo abſorptus eſt. Joſeph. *l.* 4. *Jud. Ant.* Tornìel. Salian. *in Annal.* circa A. M. 2548. Numer. *c.* 16. *v.* 1. *ſ.* Item. fil. Hebron. 1. Paral *c.* 2. *v.* 43. Item filius Eſau ex Oolibama uxore, Gen. *c.* 36. *v.* 5. Latinè *calvus*, *cranities*, *glacies*, vel *gelu*.

CORE, fil. Jemma. 1. Paral. *c.* 9. *v.* 9. Latinè *volans*, *legens*, aut *perdix*.

COREA, regio ampla, oblonga, cum regno cognomine in Oceano Sinenſi, inter oram Orientalem Sinarum & Japoniam. De qua omnia nobis incerta. Vide *M. Martinium.*

CORESA, Græciæ inſul. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

CORESIA, Minerva ab Arcadibus nominata. Cicer. *l.* 3. *de Nat. Deor. c.* 23.

CORESSUS, mons altiſſimus ab Epheſo 40. ſtad. Diodor. Sic. *l.* 14. Aliis *Coreſus*, quibuſdam *Coriſſus*.

CORETAS, paſtor, qui omnium primus ex afflatu vaticinatus eſt. Cœl. Rhodig. *l.* 8. *c.* 16. Vide tuſiâ *Delphi*.

CORETUS, Mæotidis lacûs ſinus, in quem alveô naturali per Nomadas, & Hylæos influit Hypanis. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Prope Zenonis Cherſoneſum, in Taurica regione & Bugem lacum in Sarmatia Europæa. *Baudrandus*.

CORSINIANUM, in Senenſi territorio Tuſciæ urbecula *Pientia* à Pio II. dicta, qui ibi natus eſt, Patre exulante, & ab ipſo Epiſcopalis facta ſub Archiepiſcopo Senenſi. In colle, 9. milliar. ab Ilcino in Ortum, 3. à monte Politiano.

CORFINIUM, Pelignorum Metropolis, vulgò *Pentinia*, a *campo di Santo Pelino*. Strabo, *l.* 5. Κορφίνιον τὴν τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν vocat. *Ptol.* Πελιγνῶν, Κορφίνιον, Σουλμών. Lucan. *l.* 2. *v.* 478.

At te Corfini, validis circumdata muris,
Tecta tenent pugnax Domiti. ——

Sil. *l.* 8. *v.* 521.

Corfini populos, magnumque Teate trahebat.

Diodor. Sic. *l.* 37. ἰταλικόπολις dicitur; populi *Corfinienſes*. Aliis *Pentima*, vicus Aprutii citerioris inter Sulmonem & Populeum, quod crevit ex ejus ruinis, prope Apenninum. *Baudrand.*

CORIA, Albionis oppid. in Damniis. *Ptol.*

CORIBANTES, vide *Corybantes*.

CORICÆ, inſulæ duæ ante Peloponneſum. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

CORICONDAME, prope Sinopem eſt, unde palus *Coricondamitis*. *Steph.*

CORILISUS, pagus Galliæ, in *Capitul.* Caroli Calvi, Bajocaſſino & Otlingæ Saxonicæ medius, à coryleto forte aliquo, inter Bajocaſſinum & Oximenſem pagos poſito, nomen nactus eſt, ignotus nunc. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CORINÆUM, Mimantis montis promontorium in India. *Ptol.*

CORINDIUS, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

CORINEA, Armeniæ majoris regio. *Ptol.*

CORINIUM, vulgò *Caer-Cory* Britannicè, Anglicè *Cicester* teſte *Lhydio*, urbs Albionis in Anglia. Sed *Camdeno* ſcribitur *Cirenceſter*, oppid. Dobunorum olim, nunc Gloceſtrienſis Comitatus, inter Oxonium & Briſtoliam Antonino *Durocornovium*, i. e. Cornovium aqua, ad 15. à Gloceſtria lapid. in Ortum. Olim amplum, nunc ægrè inhabitatur. Alluitur fluv. Corinô, nunc *Churne*, 50. milliar. ab Oxonio in Occaſum. Alter *Cireceſtria*, quod vide.

CORINIUM, oppid. Illyriæ in Liburnia, hodie *Carino*. *Nigro* autem *Glinba* dicitur. *Joh. Lucio* oppid. Dalmatiæ, ſub Turcis, in monte, 4. milliar. à Novigrado in Ortum, 20. à Jadera, 6. à Nadino, inter hoc & Obrovacium.

CORINNA, Corinnæ tres fuêre, prima Thebana ſeu Tanagræa, Acheloдori filia, Myrtidis diſcipula, quæ Lyricorum Principem Pindarum quinquies viciſſe, quod quidam, non tam ingenio, quàm formæ ejus adſcribunt, aliis, hunc Doricâ linguâ loquentem minus intellectum fuiſſe, dicentibus, Pauſan. in *Bœot.* & *Epigrammatum* 50. *libros* edidiſſe fertur. Olymp. 76. An. 278. Urb. Cond. De quâ Propert. *l.* 2. *El.* 3. *v.* 21.

Et ſua cùm antiquæ committit ſcripta Corinnæ.

Stat. *l.* 5. *Sylv.* 3. *v.* 158.

Sophronaque implicitum, tenuiſque arcana Corinnæ.

Ælian. Suid. Plut. *de Muſica.* Secunda fuit Theſpia, veterum monumentis plurimùm quoque celebrata. Tertia floruit Ovidii temporibus, ipſi Poëtæ dilectiſſima. An Julia Auguſti? De quâ Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 10. *v.* 10.

Nôrat Naſonem ſola Corinna ſuum.

CORINNUS Ilienſis, Palamedis Thebani diſcipulus, ante Homerum *Iliada* ſcripſit, belli Trojani tempore, ex quo Homerus putatur omnem hauſiſſe ſui operis materiam. Voſſ. *de Hiſt. Græc.* *l.* 4. *c.* 5. *de Poët. p.* 88. ex Suida voce Κόριννος. Vide quoque Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec. XV.* ubi de *Heſiodo Poëta*, & hic paſſim, vocibus *Dares*, *Dictys*, *Helena Muſæi filia*, *Palamedes Theb.* *Phantaſia*, *Pronapides* &c.

CORINTHIA, nobilis mulier, ſub Decio, apud Alexandriam, martyriô coronata. A. C. 251.

CORINTHIACA, Græcè, Κορινθιακά, titulus Operis metrici à Poëta Hiſtorico Eumelo conſcripti, quô univerſam Hiſtoriam Corinthiacam complectebatur, ab ea diviſione orſus; quæ inter filios Solis facta eſt, Æeten & Aloëum, uſque ad reditum Iaſonis & Medeæ, nuptiaſque ejuſdem cum Creontis filia, & quæ ſequuntur. Quæ omnia ad *Corinthi* pertinent Hiſtoriam; illa enim, tunc *Ephyre*, ceſſerat Æetæ Medeæ Patri; ſed eam ſervandam Buno conceſſit & ipſe ſeceſſit in Colchos, urbem ibi ex Oraculo conditurus. Itaque Κορινθιακὰ illi operi titulum fecit Eumelus, quô etiam Argonautarum expeditionem comprehendit. Scholiaſtes certè Apollonii eum laudat ἐν Κορινθιακοῖς. Pauſanias verò *in Corinth.* συγγραφέα appellat Κορινθίων, quaſi proſâ oratione ſcripta fuerit, ejuſque in *Corinthiacis* ſuis meminit. Sed idem alibi verſibus ſcripta eſſe Corinthiaca liquido tradit, ut etiam videre eſt ex Scholiaſte Pindari, *ad Olympionicas*, & Tzetze, *Commentar.* in *Lycophronem*. Quidquid autem ſit, Poëſis certè fuit ἐπικὴ, quæ in urbem & carhemi κυκλικῶς conſcripta & congregata eſt: cujuſmodi extitit poëſis omnium Poëtarum Cyclicorum, uti infrà dicemus latiùs. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 858.

CORINTHIÆ Columnæ, quænam dictæ, vide ſuprà in voce *Columna*. Illarum originem ex his Vitruvii diſcimus, *l.* 4. *c.* 1. *Virgo civis Corinthia, jam matura nuptiis, implicita morbo deceſſit. Poſt ſepulturam ejus, quibus ea viva poculis delectabatur, nutrix collecta & compoſita in calatho pertulit ad monumentum & in ſummo collocavit; & uti ea permanerent diutiùs, ſub divo tegula texit. Is calathus fortuitò ſuprà acanthi radicem fuerat collocatus. Interim pondere preſſa radix acanthi media folia & cauliculos circa vernum tempus profudit. Cujus cauliculi ſecundum calathi latera creſcentes & ab angulis tegulæ ponderis neceſſitate expreſſi flexuras in extremas partes volutarum facere ſunt coacti. Tunc Callimachus, qui propter elegantiam & ſubtilitatem artis marmoreæ ab Athenienſibus catatechnos fuerat nominatus, præteriens hoc monumentum, animadvertit eum calathum & circa foliorum naſcentem teneritatem. Delectatuſque genere & formæ novitate, ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit, ſymmetriaſque conſtituit ex eoque in operum perfectionibus Corinthii generis diſtribuit rationes.* De vaſis verò & ſignis *Corinthiis*, tanti olim apud Romanos habitis, vide ſuprà in voce *Æs Corinthium*, Item *Candelabrum*. Hinc à *Corinthiis*, item *Corinthiarius*, ſervus apud Romanos, cujus erat adſervare vaſa Corinthia & Deliaca, ex ære, quæ ſupellectili adnumerant Juriſconſulti. Romæ, TI. TALUS. PARATUS. A. CORINTHIS. Et, CALLITYCHÆ. ZOILI. CORINTHIAR. AGRIPP. Unde ſuſpicatur Pignorius, illum qui ad ſtatuam Auguſti apud Suetonium, *c.* 70. (qui tamen valide repugnat) tempore proſcriptionis. PATER. ARGENTARIUS. EGO. CORINTHIARIUS. Iudere in hac etiam vocis notione voluiſſe, ut patrem & filium notaret, velut minùs ingenuæ conditionis. Eodem pertinet, *Faber à Corinthiis*, cujus mentio in *inſcr. veteri*, *Romæ* iterum:

P. LUCRINUS. P. L. THALAMUS.
A. CORINTHIS FABER.

Vide Pignorium, *Comm. de Servis*, atque Caſaubon. *ad Sueton. d. l.*

CORINTHII, cœtus fidelium in urbe Corintho, de qua infrà. Ad hos duas ſcripſit Epiſtolas Canonicas Paulus Apoſtolus, quarum prior 16. poſterior verò 13. conſtat capitib. In *Utramque Ep.* ſcripſerunt: Calixtus, *Expoſitio literalis* in 4. Brunſvigæ, A. C. 1653. Eraſmus, *Commentariorum Homiliæ*, Baſileæ, A. C. 1522. Gorranus, inter opera ejus. Heshuſius, Hunnius, Huſſus, *Commentarii* in *Epiſtolas Canonicas*, inter opera ejus. Lightfoot *in prior.* *Horæ Hebr.* Latin. in 4. Cantabr. A. C. 1664. Lutherus *Explicatio c.* 7. *prior Epiſt.* Martyr *in prior. epiſt.* in fol. Teguri, A. C. 1572. 1579. Mortonus *in prior. Commentar.* in 8. Londini, A. C. 1596. Muſculus in *Utramque Comment.* in fol. Baſileæ, A. C. 1566. 1611. *Paraphraſe ſur les Epiſtres aux Cor.* A. C. 1644. Rungius, *in utramque Diſputation.* 15. in 4. A. C. 1606. Sixterus. *Explicatio Anal. cum Scholiis*, Oxonii A. C. 1633. in 4. Weinrichius 2. *Vol.* in 4. Lipſiæ A. C. 1609. 1610. 1618. *in utramque*; Zuinglius, &c. Plures ſuppeditabit Guil. Crowæi *Elenchus Script. S. Scr.*

CORINTHUS, Jovis filius, Rex Corinthi: unde Proverbium natum, *Jovis Corinthus*, de iis qui acriter minantur & poſteà graviter mulctantur. Megara eſt colonia Corinthiorum, quæ ob potentiam urbi majori omnem honorem habuit & obedivit. Sed cùm Corinthii onera majora ac plura imponerent, & ſi quis Bacchiadarum vitâ functus eſſet, ipſis res civitatis ſuæ adminiſtrantibus, oporteret Megarenſium viros & fœminas venire Corinthum, ad componendum mortuum Bacchiadarum; ut nihil contumeliæ relictum à Corinthiis, Megarenſes ſuis rebus validis defecerunt, ſpe nihil gravius paſſuros, ſed impunè habituros eſſe; ad quos legati miſſi à Corinthiis expoſtulatum Megaram. Legati in concionem progreſſi multis incuſârunt defectores, & in fine addiderunt, *Jure Jovis Corinthus* gemiti, niſi de ipſis pœnas ſumpſerit. Hôc auditô Megarenſes irati ſaxa in Legatos jacere cœperunt. Et pauló poſt Corinthios, quamvis aliorum auxiliô adjutos, prœliô vicerunt. Fugientes aſſecuti & cædentes inter alia *Jovis Corinthum* pulſare juſſerunt.

CORINTHUS, à Siſypho, Æoli fil. circa A. M. 2616. condita, urbs Achajæ ferè medio Iſthmi Peloponneſiaci ſita, ab Ortu Saronicum, ab Occaſu Criſſæum ſinum habens, qui & *Corinthiacus* dicitur, duobus inclyta portubus, quorum Lechæus Ionio, Schœnus Ægæo imminet mari. Hinc *bimarem* Corinthum Poëtæ peculiari epithetô appellârunt. Horat. *l.* 1. *Carm.* 7. *v.* 1.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Epheſum, bimariſve Corinthi Mœnia.

Inde *mari cincta* dicitur, *Anthol. l.* 3.

Αὐδὴ ἔχω πολλοῖσιν ἀλιζώνοιο Κορίνθου.

Et *Nonno* ἀλιστέφανος, & ἰσθμιάς. Dicta autem putatur Corinthus, à *Corintho* Marathonis, ſive (ut alii putant) Pelopis filio, qui illam everſam inſtauravit, cùm anteà Ephyre diceretur. Hæc Græcarum omnium urbium clariſſima fuit, atque, ob ſitûs opportunitatem, in immenſam excrevit potentiam, utriuſque terrâ, utrinque mari commercia exhibens: unde tanta ei fiducia, ut ne Romæ quidem cederet, tantumque in faſtum evaſit, ut Corinthii populi Romani legatos injurioſiùs appellare, &, ſi *Straboni* credimus, etiam ſordibus perfundere non dubitârint. Quare commoti Patres, cùm etiam anteà creſcentem indies urbis potentiam ſuſpectam haberent, bellum illi inferendum cenſuerunt. Miſſum itaque in Græciam L. Mummios, Corinthum obſedit, tandemque captam incendit, ſolôque æquavit, adeo ut vix ullum tantæ urbis reliquerit veſtigium. Quô incendiô confuſis metallis, inventa eſt miſtura æris pretioſiſſimi, quod ab urbis hujus nomine *Corinthium* appellârunt. Arcem habuit editam, quæ *Acrocorinthus* veteri nomine dicta fuit, cujus erat mira altitudo. Strab. *l.* 8. ὄρος ὑψηλόν vocat. Ideo Liv. *l.* 45. *c.* 28. ubi de Corintho: *Arx inter omnia in immanem altitudinem edita.* Papin. *l.* 7. *Theb.* *v.* 105.

Jam prono Gradivus equos Ephyræa premebat
Littora; quà ſummas caput Acrocorinthus in auras
Tollit, & alterna geminum mare protegit umbrâ.

Hinc

Hinc proverbium, Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς. de rebus arduis, & aditu periculoſis. Unde hoc natum docet Strabo, *l.* 8. Horatius ſic extulit, *l.* 1. *Epiſt.* 17. *v.* 35.

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Cicero totius *Græciæ lumen* vocat, *in Orat. pro Pompejo.* & Florus *decus Græciæ*, *l.* 2. *c.* 16. Strabo, *l.* 8. Ὁ δὲ Κόρινθος ἀφνειὸς μὲν λέγεται διὰ τὸ ἐμπόριον, ἐπὶ τῷ ἰσθμῷ κείμενος, καὶ δυοῖν λιμένων κύριος, ὧν ὁ μὲν τῆς Ἀσίας, ὁ δὲ τῆς Ἰταλίας ἐγγύς ἐστι. Homer. *Il.* β. *v.* 570. Ἀφνειόν τε Κόρινθον. *Thucydides*, ubi de Corinthiis: χρήμασί τε δυνατοὶ ἦσαν, ὡς καὶ τοῖς παλαιοῖς ποιηταῖς δεδήλωται· ἀφνειὸν γὰρ ἐπωνόμασαν τὸ χωρίον. Thucydidis autem locum reſpiciebat Ariſtides, hæc ſcribens: καὶ τοῦτ' οὖν οὐδ' ὁ ἐν τοῖς παλαιοτάτοις ἀφνειὸν ὀνομασθῆναι χωρίον ὑπὸ τῶν ποιητῶν. Ἰσθμ. Εἰς Ποσειδ. *Apollodorum* author eſt, fuiſſe & alias hujus nominis civitates, quarum una fuit in Theſſalia, altera in Epiro, tertia in Elide. *Stephano* hæc quondam nuncupata fuit *Epope*, *Pagos Ephyra*, *Heliopolis* & *Acrocorinthus*, hodiè adhuc *Corintho*, ut *Sophianus*, vel *Coranto*, ut *Moletius* tradit, appellatur. Celebris olim inſuper Iſthmiis ludis, ſub Siſypho, & poſteris ejus, donec Heraclides, Ducibus Temenô, Creſphonte & Ariſtodemô, Peloponneſu potiti, 80. ann. poſt captam Trojam, Aletes, pulſis Doridâ & Hyanthidâ, ibi rerum ſummam adeptus eſt. A. M. 2951. Huic, poſt 53. ann. ſucceſſit Ixion, cujus poſteri 12. Reges per 324 ann. præfuerunt, uſque ad Automenem, quô ſublatô, A. M. 3275. annuus Magiſtratus, Prytanis dictus, ſubrogatus eſt. Cypſelus poſteà & fil. Periander tyranni, per annos 44. *Cicer. de L. Agr.* Deſtructa, ut dictum, à Mummio, an. 3. Olymp. 158. M. 3908. Urb. Cond. 607. ante Chr. Natum 146. A Julio Cæſare reparata, à Paulo, Euangelii luce colluſtrata, & duabus divinis epiſtolis beata eſt. Vide ſuprà. Poſtmodum Metropolitæ facta ſedes, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano, vide Strab. *l.* 8. Pauſan. *in Corinth.* Plin. *l.* 4. *c.* 5. *&* *l.* 34. *c.* 2. Flor. *l.* 2. *c.* 16. Plut. Eutrop. Oroſ. Zonaram, Euſeb. *l.* 5. *c.* 9. Palmerium, *in Chron.* Chalcondyl. *l.* 9. aliosque innumeros. Hodierna urbs Corinthus, & nunc latis ampla, at ſine muris eſt. Paruit anteà Venetis, ea conceſſione Deſpotarum, ſed iis erepta à Mahumete II. A. C. 1458. etiamnum Turcis ſubeſt, cum toto tractu, nunc *Duche de Clarence. Baudrand.* Hinc *Corinthius*, & *Corinthienſis* adjectiva, quæ id habent inter ſe diſcriminis, ut *Corinthii* ſint, qui Corinthum inhabitant, aut qui ex Corintho nati ſunt; *Corinthienſes* autem, qui aliàs nati ſunt, ſed Corinthi negotiantur. Et quidem ex Corinthiis Amenocles Græcorum primus *triremes* Corinthi & Samii ædificavit: cùm priùs Græci πεντηκοντόροις καὶ πλοίοις μακροῖς, *navibus* 50. *remigum & navigiis longis* uſi ſint, quali primus Danaus vectus in Græciam venit. Exinde Græci rebus maritimis operam ſtudioſiùs navârunt, ac latrocinia ſuſtulerunt. Circa annos 40. poſtquam Amenocles ad Samios venerat, *Navale prælium (omnium quæ novimus antiquiſſimum) inter Corinthios & Corcyræos commiſſum eſt, à quo ad finem belli Peloponneſiaci effluxerant anni* 260. Thucydid. *l.* 1. Id bellum autem finem habuit Olymp. 94. an. 1. Circa idem tempus etiam Anaxilas Rex Rhegii Zanclæos navali prœliô ſuperavit. Iſtis autem prior erat Salmanaſari & Tyriorum naumachia memorata in Tyriorum archivis, apud Joſeph. *Jud. Ant. l.* 9. *c. ult.* Joh. Marshamus, *Canone Chron. ad Sec.* XVII. Inde etiam *Corinthiacus.* Ovid. *L.* 1. *Triſt. El.* 9. al. 11. *v.* 9.

Illa Corinthiacis primùm mihi cognita Cenchreis.

Denique *Corinthiarius* à Suetonio poſitus eſt, pro amatore nimiis Corinthiorum vaſorum. Cœl. Rhodig. *l.* 21. *c.* 25.

CORIOLANUM, vulgò *Corigliano*, oppid. præclarum Calabriæ citerioris apud oram ſinus Tarentini, 6. mill. paſſ. à Roſciano, 8. verò à Thurio.

CORIOLANUS C. Martius, vir illuſtris Romanus, quem Cicero multis in locis cum Themiſtocle confert. Siquidem uterque, cùm civis egregius fuiſſet, populi ingrati pulſus injuriâ, ſe ad hoſtes contulit, conatumque iracundiæ ſuæ morte ſedavit. Patriæ, à Volumnia matre motus, pepercit: proptereà à Volſcis, velut proditor, occiſus: conditô in loco, ſanguine ejus tinctô, templô Fortunæ fœmineæ. Vitam ejus habes *in Plutarcho.* Vide & Liv. *l.* 2. Dion. Hal. *l.* 7. *&* 8. Aurel. Vict. *de Vir. Ill. c.* 19. Flor. *l.* 1. *c.* 22.

CORIOLI, vel CORIOLLA, oppid. in Latio, in finibus Volſcorum. Populi *Coriolani.* Plin. *l.* 3. *c.* 5.

CORIOS, circa Carmaniam fluv. Mela, lege *Coros*, *l.* 3. *c.* 8. *Sabis per Carmanos, ſub Paſargadis Coros effluunt*, vide Voſſ. *ad loc.*

CORIOVALLUM, oppid. Germaniæ inferioris in Belgio inter Juliacum ac Trajectum. *Antonin. Valckenburg Simlero.* Vide infrà.

CORIOVALLUM, oppid. Eburonum in Ducatu Limburgenſi, *Falckenburg* vulgò, ſub Batavis, *Simlerus* & *Cluver.* At Goteſridus Wendelinus *in legg. Salicis illuſtratis*, pro *Drelenborg*: Aubertus Miræus, pro Aquiſgrani habet. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CORIPPUS, Grammaticus Poëta Afer, ſub Juſtino II. de quo ſcripſit *Poëma hiſtoricum*, 4. *libr.* à Mich. Ruizio primùm editum. Adulatorium ejus ſtylum carpit Nic. Alemannus, *in præf. Hiſt. Procop. l.* 9. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 3. *p.* 748. *& de Poët. Lat. c.* 5.

CORIS, mons Theſſaliæ, ſerpentes producens, Dipſades dictos.

CORISOPITUM, Cæſari *Coriſopitum Curioſolitarum*, Gall. *Quimper*, urbs Cornubiæ, quæ pars Occidentalis Britanniæ minoris. Ad Oderam amnem, 3. leuc. ab Oceano, inter Breſtum ad Boream 12. leuc. & Venetos ad Ortum 23. à Rhedonibus 40. in Occaſum. Dicitur etiam *Cornoüaille*, aliquando *Quimpercorentin*, à Kemper, oppido & S. Corentino Epiſcopo. *Baudrand.* olim Comites habuit.

CORSINIUS Petrus, Epiſcopus Florentinus & Cardinalis, quorum *Paparum vitas* condidit. Secul. 14. tempore Boccatii & Petrarchæ.

CORISSUS, urbs Ioniæ Strabo, *l.* 14.

CORISSIA, & CORISSUS, oppid. ac navale Coi inſul. *Steph.*

CORITANI, Albionis inſulæ populi Lincolnienſes *Lhuydo.* Fuêre inter Brigantes, ad Boream, Cornavios ad Occaſum, Catteuchlanos & Icenos ad Auſtrum, Oceanumque Germanic. ad Ortum: Ubi nunc Northantonia, Liceſtria, Rutlandia, Lincolnia, Nottinghamia & Darbia. Horum præcipua Lindum. *Baudrand.*

CORITUS, mons Umbriæ. Item Hetruriæ à Corito Rege Electræ viro, & Dardani patre, unà cum oppido in eo exſtente denominatus. Lege *Corythus*, ac vide Cluver. *Ital. Ant. l.* 2. *c.* 3.

CORIUM, locus Cretæ ἀπὸ κόρης τινός, id eſt, à quadam puella dictus. Civis *Corieſius.* Vide *Steph.*

CORIUM Crudum, pectorale Veteribus. Statius, *l.* 12. *Theb. v.* 774.

---- venit ecce Creon: ſic fatus & auras
Diſſipat haſta tremens, tunc quem ſubtemine duro
Multiplicem tenues ſtrant thoraca catena,
Incidit.

Ubi ſubtemen eſt *corium* crudum, quod loricæ ſuberat & corpus tegebat intra illam; *Pectorale* vocat *Varro.* Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad l.* Sic ævô rudiore crudæ pelles conficiendis calceis materiam ſubminiſtrabant. Xenophon, *Anabas l.* 4. *Cùm defeciſſent veteres calcei, habebant ex recentibus coriis bubulis Carbatinas confectas.* Vide in hac voce. Deinde verò, ut in dies paſſim creſcunt artes atque perficiuntur, in ævô ſequenti commodiutis honeſtioriſque uſus atque elegantiæ ſtudium, concinnandarum tingendarumve pellium artificium docuit. Unde *Coriarii* opifices, qui detracta cæſis animalibus coria depilare, tingere, concinnare ac polire cœpêre. Quomodo præparare *corium*, dicêre *conficere* Latini, unde *Confectores*, vide ſuprà, οἱ βυρσοδέψαι, *coriarii*: quibus ad depilandum coria lac ex frutice hoaſer efficaciſſimum fuiſſe docet Salmaſ. *ad Solin.* p. 1312. Et hi quidem olim quòd morticinia tractarent, ab urbibus fuêre ſubmoti. Artemidorus, *l.* 1. *c.* 53. Τὸ δὲ βυρσοδεψεῖν πᾶσι πονηρόν. νεκρῶν γὰρ ἅπτεται σωμάτων, ὁ βυρσοδέψης. καὶ τῆς πόλεως ἀπῴκισται. *Coriariam exercere, malum omnibus: Corpora enim mortua tractat Coriarius. Ideoque ab urbe ſecluditur.* Sed & alia ratio habitationis illius ſuburbanæ reddi poteſt; quod ſcil. ejuſmodi opificium fœtidos odores exhalet: unde juſſi videntur quoque extra portas habitare, quò puriore cœlô reliqui cives uterentur. Hinc domum Simonis *Coriarii*, apud quem in Joppe Petrum Apoſtolum hoſpitatum, Apoſtolorum Acta commemorant, *c.* 9. *v.* 43. & *c.* 10. *v.* 6. Urbis iiſdem ambitu fuiſſe excluſum, ſunt qui colligere conentur, ex verbis παρὰ θάλασσαν, *juxta mare.* Certè Petronius, *Haud melius*, inquit, *olere poſſunt, quam qui in Coriariis habitant*, apud Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 1128. Porrò, in bello, baliſtis, catapultis & toti generi levium telorum, unicum ferè obſtaculum olim & oppoſitio fuêre, *Coria*, Cilicia, vela, Curtius, *l.* 4. *c.* 3. ubi de obſidione Tyri, *Igitur Rex munientibus coria velaque juſſit obtendi, ut extra teli ictum eſſent.* Nempe hæc vim excipiebant & frangebant, molliter ita ſuſpenſis, imò & ignita jacula repellebant. In urbe, extra urbem utebantur, quâcunque ſcil. periculum & metus ab ipſis. Commodum inventum & ab hodierna militia non alienum. Lapides quoque baliſtarum ſic ſiſti ſolitos, Diodor. Sic. docet, *l.* 17. *c.* 45. Πρὸς δὲ ταύτας βύρσας, καὶ διπλᾶς διφθέρας τεθραμμένας κατεσκεύασε, ὅπως τὰς ἀπὸ τῶν πετροβόλων πληγάς. Contra ignes, autem & ignita, quò minus concremerentur aut corrumperentur, aquâ humectabantur: vel acetô potiùs, quod propriè huic rei habebatur. Lipſius *de Militia Rom.* Vide quoque hîc ubi de *Centonibus*, *Ciliciis* &c. Aliter vox ſumitur apud Vitruvium, pro cruſta nempe & ſuperficie, *l.* 2. *c.* 3. ubi de lateribus, *Quæ cum per Solſtitium parantur, ideo vitioſi ſunt, quod ſummum corium Sol acriter quum percoquit, efficit ut videatur aridi.* Item pro cruſtis & inductionibus tectoriorum, *l.* 7. *c.* 3. *Quum ab arena præter trulliſſationem non minùs tribus coriis fuerit deformatum.* Sic Cato pro pavimenti cruſta *corium* poſuit, de *R. R. c.* 18. *De calce arenato primum corium facito, id pilis ſubigito, idem alterum corium facito.* Aliud eſt *Chorus* vel *Chorium*, laterum videl. ordo ſeu lapidum, qui in ſtructuris ordinariis conſpicitur: Quâ de re vide eundem Salmaſ. *ibid p.* 1233. Imò & de libro *Corium* dicitur. Plin. *l.* 13. *c.* 12. ubi de confectione papyri, *Igitur è ſecundo corio*, inquit, *ſtamina facta ſunt è primo ſubtemine. Primum* enim is *corium* vocat primam philuram, primam membranam vel primum librum, qui è medio papyri acu ſcindebatur, adeoque bonitate & tenuitate præcipuus erat. Iterum de tectoris inductione, apud Vitruvium, *l.* 7. *c.* 3. *Grandi inducto & mareſcente, alterum corium dirigatur; id cum ſubactum fuerit, & bene fricatum, ſubtilius inducatur. Ita cùm tribus coriis arenæ & item marmoris ſolidati parietes fuerint, neque rimas, nec aliud vitium in ſe recipere poterunt.* Vide ſæpiùs laudatum Salmaſ. *Notis ad Flav. Vopiſc. in Firmo*, *c.* 3. De Homine quoque: *Corio ſuo pretium domino reddere*, in ſignum manumiſſionis, in *LL.* Henrici Angliæ Regis, *c.* 78. Vide infrà in voce *Decorticare.* Sic *corio carere*, *corium perdere*, in *LL.* Kanuti, *c.* 71. eſt, ad verbera damnari, vapulare, quæ ſervorum erat pœna. *Corium redimere*, eſt componere de flagello, in *L.* Friſonum, *t.* 3. § 4. *Corio verò componere*, in *LL.* Ethelredi, *c.* 2. virgis videm cædi eſt, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* &c. Cœterùm, de corona Regis Sinenſium ex *corio* duriſſimo, vide Georg. de Sepibus in *Deſcr. Muſæi Kircher.* & infrà, voce *Diadema*: de *frontali coriaceo* Judæorum, quô frontem circumligant Synagogam ingreſſuri, in-

frà in voce *Frontale*, de *veſtibus ex corio*, infrà in *Diphthera*, item ubi de *Pelle*, ac *Scorteis*, de *haſtis miſſilibuſque ex corio hippopotami* infrà, in hac voce &c.

CORIUNDI, populi Hiberniæ, ubi nunc pars Comitatus *Caterlog.* & agri Kilkenniensis pars non minima, atque etiam, ubi tractus Oſſiriæ ſuperioris & Ormondia, in Lagenia provinc. *Camden.*

CORIUS, Bernardinus, Mediolanensis *Chronicon Patriæ*, *vitas Imperatorum*, uſque ad Fridericum Barbaroſſam, aliaque Latinè & Italicè ſcripſit: Quibuſdam non uſquequaque fidelis Historicus. Obiit A. C. 1499. ætat. 40. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 8. *p.* 617. Geſner. Simlerus, &c.

CORLINUM, urbs Pomeraniæ ulterioris cum arce, olim ſub Epiſcopo Camminensi, nunc Electore Brandeburgenſi, ad Perſantam amnem, 3. milliar. à Coſlino in Occaſum, paulo minus à Colberga in Auſtrum.

CORMA, fluv. circa Aſſyriam aut Armeniam. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 14.

CORMALOS, fluv. Troadis in conventu Adramyteno. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

CORMANUM, Jazygum Metanaſtarum urbs. *Ptol.*

CORMASA, urbs Pamphyliæ. Liv. *l.* 38. *c.* 15.

CORMILIÆ, vel CORMELIÆ, à ſorbo arbore Gall. *un Cormier*, dictæ, vici in Gallia complures, in Velocaſſibus, non procul à Briva Iſaræ, *Cormeilles*: in confinio Pariſiorum & Silvanectum; item prope Auguſtam Sueſſonum, *Cormeille*. Potro in Pertico, in agro Pariſienſi, &c. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CORMIUM, urbs Britann. alias *Claudiana Caſtra*, nunc *Cloceſtria*.

CORNA, Cappadociæ urbs. *Ptol.*

CORNABUI, ſeu CURNABII, populi Albionis in Scotia, quorum regio *Cathnes*, & *Sutherland*, teſte *Lhydio*. Illorum veſtigium *Cernico*, vel *Gernico* arx eſt, teſte *Buchanano*. In parte Septentrionaliori region. verſus Tarvedrum promontor. & Orcades Inſul. Ubi nunc pars Borealis Comitatuum *Strathnaveren* & *Cathnes*, ex *Camdeno Baudrand.*

CORNACUM, Pannoniæ inferioris oppid. *Antonin.* *Zara Simlero*, *Karoſca* Lazio, *Baiba* Nigro, ad Danubium, ubi recipit Valponem amnem, paulò infra Confluentes Dravi in Danub. 5. leuc. German ab Eſekio in Ortum; vulgò *Zatha*, ſub Turcis. *Baudrand.* longitud. 43. 16. latitud. 46. 30.

CORNARIUS Janus, vide *Janus.*

CORNARUS Aloyſius, Venetus, rarum ſobrietatis & longævitatis exemplum, Patavii obiit A. C. 1566. ætat. 100. Scripſit *Diſcorſi della vita ſobria*, *un libro della Laguna di Venezia*, & *la ſua propria vita.* Pater Claræ, Joh. Cornaro, ex ſtirpe Cornarorum Cypriensium, nuptæ. Anton. Teiſſier, *in Elogiis*, *Part.* 1.

CORNAVII, Angliæ populi in meditullio fermè Angliæ, inter Brigantes ad Boream, Coritanos ad Ortum, Dobunos ad Auſtrum, & Ordovices ad Occaſum, *Ptolem.* Ubi nunc Comitatus Warvicensis, Vigorniensis, Staffordienſis, Salopienſis & Ceſtrienſis, *Camden.* Longè à Cornubia in Boream. *Baudrand.*

CORNAX Matthias, vide *Matthias.*

CORNAZANI Antonius, vide *Antonius.*

CORNE, collis ſuburbanus agri Tuſculani, qui olim lucum habuit faginum, antiquâ religione Dianæ conſecratum. Plin. *l.* 16. *c.* 5. Item Armeniæ minoris urbs. *Ptol.*

CORNEATES, Pannoniæ populi. Plin. *l.* 3. *c.* 25.

CORNELIA, matrona nobiliſſima, eademque eloquentiſſima, Sempronii Gracchi uxor & Tiberii & Caji Gracchorum mater, & majoris Africani filia. A Val. Maximo, *l.* 4. *c.* 4. *ex.* laudatur, quòd matronæ cuidam Campanæ, ornamenta ſua pulcherrima oſtentanti, non aurum, non gemmas, non denique veſtes oppoſuerit, ſed liberos, quì maxima ſuos matronarum ornamenta. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 167.

Malo Venuſinam, quàm te Cornelia mater
Gracchorum, ſi cum magnis virtutibus affers
Grande ſupercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum precor Annibalem, victumque Syphacem
E caſtris & cum totâ Carthagine migra.

Epiſtolas ejus Cicero laudat, *in Bruto c.* 58. Quintilian. *l.* 1. *c.* 1. Fuit & *Cornelia* alia P. Seſtii uxor. Cicer. *l.* 5. *Fam. Epiſt.* Plura vide in Franciſci Nannii *libello peculiari*, *de claris Corneliis Romæ.* *Nic. Lloydius.*

CORNELIA, omnium Romanarum gentium maxima & ſummis honoribus geſtis nobiliſſima, cognomina tulit Coſſus, Maluginensis, Scipio, Aſina, Arvina, Naſica, Rutilus, Lentulus, Caudinus, Rufinus, Dolabella, Sulla, Cinna, Lupus, Africanus, Aſiaticus, Calvus, Cethegus, Serapio, Corculum, Hiſpallus, Æmilianus, Felix, Maximus, Blaſio, Scapula, Merenda, Barbatus, Clodianus, Augur, Getulicus, Iſauricus, Magnus, Sura, Merula, Fronto, Numantinus, Spinther, Salutio, Sileana, Mammula, Mamercus, Scaurus & Marcellinus. Hanc verò gentem inter patricias L. Tarquinii Superbi ſaltem fuiſſe ex eo liquet, quòd Cornelii cujuſdam ſacerdotis, ſub Rege Ser. Tullio, apud *Dionyſium* mentio eſt. Hæc una gens omnes reliquas Romanas omnium bonorum multitudine ſuperavit.

CORNELIA, Cinnæ filia, Julii Cæſaris uxor, ex illo Juliæ Pompeji uxoris mater. Hanc Cæſar ipſe patenavit, fratre ejus Cinnâ ob exilio revocatô. Item, Veſtalis, ex Coſſorum familia, in Lelia locum, ſurrogata, ſub Nerone. Tacit. *l.* 15. *Annal. c.* 22.

CORNELIA, Urbs Sueviæ libera, ad Nicrum, inter Hallam & Heidelbergam media 5. leuc. à Spira 6. in Ortum proxima Helpruna, vulgò *Wimpfen.*

CORNELIA, vulgò *Imola*, urbs Æmiliæ. Vide *Forum Cornelii.*

CORNELIA Lex, de Sicariis. Item contra falſos teſtes, Sueton. *in Aug. c.* 33. de qua aliuſque iſta habe. *Cornelia* Lex, de crimine falſi, Lata à L. Corn. Sulla Dictatore, & Conſule cum Q. Cæcilio Metello an. Urb. Cond. 673. qui etiam certum huic crimini Prætorem addidit, memoratur *ff. ad l. Cornel. de falſis*, item apud Cicer. *de Nat. Deor. l.* 3. & Sueton. *in Aug. loc. cit.* De honorumque Candidatis, ab eodem ſancita eôdem annô: *Ut ſi quis Magiſtratum peteret, quem antè geſſiſſet, niſi decennium interjectum eſſet, ejus ratio non haberetur*, vide Appian. *l.* 1. *de bellis civ.* De iis qui legibus ſolvuntur, lata à C. Corn. Tribuno Pleb. C. Piſone & M. Glabrione Conſulib. an. Urb. Cond. 676. *Ne quis in Senatu legibus ſolveretur, niſi CC. adfuiſſent* &c. Aſcon. *in Cornelianam*, Dio, *l.* 36. &c. Alia de Municipiis, à L. Cornel. Sulla lata, *Ut municipiis omnibus jus civitatis agrique adimeretur.* Alia de Prætorum juriſdictione, eôdem auctore, quâ omnia judicia de repetundis uſque ad primum Cæſaris Conſulatum peracta ſunt: Capita legis habes apud Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 50. De imperio retinendo lata à C. Corn. Sulla Dictatore, an. Urb. Cond. 672. *Ut qui cum imperio in provinciam profectus eſſet, tamdiu illud retineret, quoad in urbem eſſet reverſus.* Item, *ut* 30. *tantum dies, poſtquam ſucceſſor miſſus eſſet, Magiſtratui ad decedendum concederetur*, Cicer. *ep.* 9 *ad Lent.* & *l.* 3. *ad Appium. ep* 6. De Teſtamentis, eundem auctorem habet, lata an. Urb. Cond. 671. *Ut eorum teſtamenta, qui in hoſtium poteſtate eſſent, perinde eſſent rata, ac ſi in hoſtium poteſtatem non perveniſſent.* De viginti Quæſtoribus, annô eôdem lata, *Ut viginti Quæſtores ſupplendo Senatui crearentur, cui judicia tradiderat*, Tacit. *l.* 11. *Annal. c.* 22. Fuit quoque lex *Cornelia*, lata an. Urb. Cond. 581 à P. Corn. Scipione Naſica Conſule cum M. Acilio Glabrione, *Ut, ni Perſeus Phil. fil. Maced. R. Populo Rom. ſatisfeciſſet, bellum cum eo inferretur*, Liv. *l.* 42. Item an. Urb. Cond. 670 à L. Corn. Sulla Dictatore & Conſule II. cum Q. Cæcilio Metell. Pio, *Ut judicio equeſtri ordini adempto, in ſolum ordinem Senatorium transferrentur*, Florus Epitom. Alia, *Ne quis in pecuniam luderet ſponſionemve ejus rei ergò, niſi qui corporis exercendi causâ ſuſpectus eſſet, faceret.* Marcianus, *l.* 3. *ff. de alea.* Alia iterum à L. Corn. Sulla Felice an. Urb. Cond. 670. condita, de Majeſtate, cujus capita vide apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 8. *c.* 23. Fuit tandem lex *Cornelia*, quæ Genutiam, item quæ Semproniam legem repetiit ac confirmavit, vide *ſuo locô*, & plura hanc in rem, apud Scriptorem modò laudatum, *paſſim.*

CORNELIA Tribus, XIII. ordine inter Tribus Roman. antiqua à Servio Tullio inſtituta, veteri nomine omiſſô, ſic appellata eſt, à gente Cornelia omnium nobiliſſima atque ampliſſima; Meminit ejus Liv. *l.* 38. *c.* 46.

CORNELIANUS, Conſul, Collega Perpetui an. Urb. Cond. 989.

CORNELIUS, fil. Caſtini, Romanus, Epiſcopus Romanus A. C. 251. poſt Fabianum, ſede ultra annum vacante. Eruditione, virtute, humilitate inclytus. Hujus electio à Novatiano turbata, qui ſchiſma hæreſi cumulans, Cornelium, Cypriano junctum, acrem vindicem ſenſit. A' Gallo & Voluſiano Centumcellas relegatus, paulo pôſt, cùm revocatus idolis ſacrificare nollet, martyrium ſubiit. A. C. 253. Plurium ſcriptorum auctor, laudatur Hieronymo, *c.* 66. *de Auctor. Eccleſ.* Cyprian. *ep.* 52 55. 57. &c. Ei ſucceſſit Lucius.

CORNELIUS, IV. Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus. A. C. 124. Euſeb. *Chron.*

CORNELIUS, Centurio Romanus, qui à D. Petro Apoſtolo ſacroſanctô lavacrô Cæſareæ tinctus fuit. Actor. *c.* 10. *v.* 47. Et ibi primus Epiſcopus, omniumque gentium, qui crediderint, meritò exitit primitiæ, quòd primus Spiritu ſanctô repletus fuerit. Origen. *ſuper Numeros.* Hieron. *ep.* 27. Baron. *A.* C. 41.

CORNELIUS Arvina, vide *Publius.*

CORNELIUS Aſina, cùm fundum emiſſet, ſponſorque pretii ab eo expeteretur, poſterô die Aſinam ſacculis pecuniâ plenis onuſtam in forum adduxit pro ſponſore, unde cognomen accepit. Macrobius, *l.* 1. *Saturn. c.* 6. Vide & *Cneus*, It. *Publius.*

CORNELIUS Aurelius, Goudâ Batavus, Præceptor Eraſmi, ſcripſit de ſitu & laudibus Bataviæ. Poëta non indoctus. Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10. *p.* 815.

CORNELIUS Balbus, genere Gaditanus C. Cæſaris familiaris, & præfectus fabrûm, quem, cùm de civitate in periculum vocaretur, Cicero & Pompejus defenderunt. Item Lesbius, cognomine Theophanes. Sueton. *in Cæſare*, *c.* 78 81. A. Gell. *l.* 17. *c.* 9. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 23.

CORNELIUS Balbus, memoratur Spartiano *in Peſcennio Nigro*, *c.* 4. ubi Marci ad eum epiſtola.

CORNELIUS Benignus, Viterbienſis, cum tribus amicis, Ptolemæi Geographiam correxit, A. C. 1507.

CORNELIUS Blæſus, vide *Cneus.*

CORNELIUS Blaeu, Amſtelodamenſis, Tychonis Brahæi diſcipulus inſignis. Voſſ. *de Scient. Mathem. c.* 44. § 40.

CORNELIUS Bocchus, Auctor Latinus, Plin. *l.* 16. *c.* 40. *l.* 37. *c.* 7. 9. Solin. *c.* 6. 8.

CORNELIUS Cethegus, vide *Cneus* & *Marcus*, it. *Servius.*

CORNELIUS Centumalus Conſul, Collega Sulpitii Galbæ.

CORNELIUS Cinna, vide *Lucius.*

CORNELIUS Coſſus, Tribun. Milit. Volumnium Lartem Vejentium Regem occidit, ſecundaque opima ſpolia Jovi Feretrio retulit. *Coſſos* autem eos, qui rugoſi ſunt, & aſperâ facie, à ſimilitudine vermium, qui in ligno nutriuntur, *Feſtus* vocari tradit. Item Conſul, apud Tacit. *l* 14. *Annal. c.* 20. Vide & *Caput*, & *Cneus*: it. *Publius.*

CORNELIUS Dolabella Conſul, Domitiani Collega, ſub quibus Antoninus Pius natus eſt, Capitolin. *c.* 1. Vide & *Caput*, *Publius*, *Servius.*

CORNELIUS Epicadius, L. Corn. Syllæ Dictatoris libertus, librum, quem Sylla de ſuis rebus geſtis imperfectum reliquit, ſupplevit. Tranquillus, *de Illuſtr. Gramm. c.* 12.

CORNELIUS Falco, vide *Publius.*

CORNELIUS Flaccus, legatus in Armenia Corbulonis. Tacit. *l.* 13. *Annal. c.* 39.

COR-

CORNELIUS Fronto, Orator Latinus, inter Præceptores Marci Imperatoris ut & Veri, apud Eund. *c.* 2.

CORNELIUS Fuſcus, vigens ætate, claris natalibus, primâ juventâ, quietis cupidine Senatorium ordinem exuerat. Idem pro Galba, Duæ Coloniæ ſuæ, eaque operâ procurationem Dalmatiæ adeptus, ſuſceptis Veſpaſiani partibus, acerrimam facem prætulit. Tacit. *l.* 2. *Hiſt. c.* 86.

CORNELIUS Gallus, Poëta Elegiographus, Forojulienſis, primùm ſummus Octavii amicus, ab eo Ægypto præpoſitus eſt, ſed poſteà ſuſpicione conjurationis, cum in ejus odium impegiſſet, ſibi ipſi mortem conſcivit, annô ætatis 44. Ovid. *l.* 3. *Amor. El.* 9. *v.* 64.

Sanguinis atque animæ prodige, Galle, tuæ.

Euphorionem Græcum tranſtulit in Latinum ſermonem, & amorum ſuorum *de Cytheride* libros 4. conſcripſit. Fuit autem amicus Virgilii, adeò ut quartus liber Georgicorum, à medio uſque ad finem, ejus laudem teneret, quas poſteà, jubente Auguſtô, in Ariſtæi fabulam commutavit. Amavit, uti diximus, Cytheridem meretricem, libertam Volumnii, quæ, eô ſpretô, Antonium euntem in Gallias eſt ſecuta, propter quod amorem Galli videtur conſolari Virg. *in Bucolicis*, *Eclog.* 10. Cytheridem autem, quam deperibat, mutatô nomine, Lycorim vocavit. Ovid. *l.* 1. *Amor. El.* 15. *v.* 29.

Gallus & Heſperiis, & Gallus notus Eois,
Et ſua cum Gallo nota Lycoris erat.

Parthenius ei ſua ἐρωτικὰ dedicavit. Vide Euſeb. *Chron. an.* 1. *Olymp.* 188. Crinit. *de Poëtis.* Voſſ. *de Poët. Lat. c.* 2. & ſuprà voce *Corn. Nic. Lloydius.*

CORNELIUS Gallus, in bello Peruſino mortuus, neceſſarius Propertii, *l.* 1. *El* 21 Vide Plin. *l.* 7. *c.* 53.

CORNELIUS Gemma, Lovanienſis, ſcripſit *de Cometa*, A. C. 1574.

CORNELIUS Janſenius, primus Epiſcopus Gandavenſis, à Philippo II. ad Concilium Tridentinum miſſus, plurima ſcripſit, inprimis *Harmoniam Evangeliorum.* Obiit A. C. 1576. Valer. Andreas *Bibl. Belg.* Raiſſius *Belg. Chriſt.* Sanderus, *de Illuſtr. Gand. &c.*

CORNELIUS Janſenius, Epiſcopus Yprenſis, natus A. C. 1585. in obſcuro Belgii loco, *Leerden.* Ultrajecti primò, dein Lovanii literis incubuit, hinc Doctor, & S. Scripturæ Profeſſor, ter in Hiſpaniam Academiæ nomine legatus. Epiſcopus, die natali, A. C. 1635. factus, poſt inſignem in reformanda Diœceſi curam, & egregia ſcripta; peſte obiit, A. C. 1638. Scripſit *commentarios in Pentateuchum, Eccleſiaſtem, Evangelia,* &c. S. Auguſtini ſtrenuus ſectator, *de Gratia* librô editô, Jeſuitas adverſarios habuit. Unde ingentes turbæ, quas quô pactô compeſcere conatus ſit Innocentius X. à Thoma Anglo, *de cenſura 5. propoſ. Janſenii*, accipe: *Laborabat Eccleſia diſſidiis; Pars altera veritate, & SS. auctoritate ſuburra ſtabat: altera multitudine Principum, plebiſque tumultu blandientium humanæ imbecillitati rerum circumventorum ſtipata, ingentes tollebat animos. Quid faceret Eccleſiæ Pater? Turbulentiorem partem, concedendo illi voces ſuas, compeſcuit: Obſequentiorem blandè ſolatus eſt, ſenſa ſua illis commendando. Prior dicti pars publicô inſtrumentô firmata eſt. Poſterior, (ſi qua fides tenera conſcientia viris) coram Oratore Chriſtianiſſimi Regis peracta eſt. Sectione* 9. Quid ſub Clemente IX. & Ludovico XIV. porro actum, apud alios quære. Sander. *Flandr. Illuſtr.* San-Marth. *Gall. Chriſt. tomo* 2.

CORNELIUS à Lapide, Jeſuita, ſcripſit *in S. Scripturam commentarios.* Obiit Romæ, A. C. 1657. ætat. 71. P. Freherus, *Theatrô Viror. erudit. clarorum.*

CORNELIUS Lentulus Cethegus, Conſul, Collega M. Bæbii Pamphili an. Urb. Cond. 573. Vide & *Cneus* & *Lucius*: it. *Publius.*

CORNELIUS Macer, ex familia Macrianorum, *qui cum cœnam in Herculis templo daret, pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri* (Magni, Macrianis ſpeciali veneratione culti) *haberet & in circuitu omnem hiſtoriam contineret ſignis brevibus & minutulis, Pontifici propinavit* apud Treb Pollionem in *Vita* Quieti. *c.* 14

CORNELIUS Malugimenſis, vide *Lucius*, & *Marcus*, it. *Publius*, & *Servius.*

CORNELIUS Marcellus, in Hiſpania à Galba interfectus. Tacit. *l.* 1. *Hiſtor. c.* 37. Ejus quoque meminit idem *l.* 16. *Annal. c.* 8. Vide & *Marcellus.*

CORNELIUS Marcus, vide *ibi.*

CORNELIUS Martialis vide *Martialis.*

CORNELIUS Merenda, vide *Servius.*

CORNELIUS Merula, Conſul, contra Bojos in Galliam miſſus 14000. hoſtium cecidit. Liv. *l.* 35. *c.* 5.

CORNELIUS Merula, ſuperioris nepos, Flamen Dialis partium Syllanarum, ingreſſô urbem Mariô, in Jovis æde, venis ſucciſis ſe necando, mortis contumelioſæ damnationem effugit. Val. Max. *l.* 9. *c.* 12. *de Morte ex.* 5. Vide & *Lucius.*

CORNELIUS Muſſus, Placentinus, Epiſcopus Bituntii, inſignis Concionator, plurimas homilias edidit, Gallicè verſas, A. C. 1584.

CORNELIUS Naſica, vide *Publius.*

CORNELIUS Nepos, vir diſertus, Ciceronis tempore, & Julii Cæſaris, uſque ad 6. annum imperii Auguſti, vixit. Hieron. *in Chr.* in Padi vicinia natus, an Veronenſis? *Leand. Alb.* Romam ubi venit, Ciceronis & Attici favorem mox ſenſit. *Vitas illuſtrium virorum* ſcripſit, quarum tantùm *Pomponius Atticus* extat. Libris illis non modò de excellentibus Imperatoribus, ſed etiam de Scriptoribus claris egit, Catone ſcilicet, Cicerone, Terentio, aliiſque. Vide Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 14. *De Homero* locum, ex primo Chronicorum ejus, adfert Gellius, *l.* 17. *c.* 21. *De Cicerone* quoque ſcorſim eum egiſſe, innuit idem Gellius, *l.* 15. *c.* 28. *Cornelius Nepos & rerum memoriæ non indiligens & M. Ciceronis, ut qui maximus, amicus familiaris fuit, atque is tamen in primo librorum, quos de vita illius compoſuit, erraſſe videtur.* Ipſe autem Cicero inter Philoſophos numerari vult: Κεκίγωσι ὁ φιλόσοφ☉ ἦ παλαιοῖς Τὸν ἀναιδέζονται, inquit Cicero ipſe, *l.* 2. *ad Attic. ep.* 8. Et Philoſophis ab aliis accenſetur. Macrob. *l.* 2. *Saturn. c.* 24. *Tullius, qui non minus profeſſus eſt philoſophandi ſtudium, quam loquendi.* Lactantius, *l.* 3. *c.* 15. *M. Tullius; qui non tantum perfectus Orator, ſed etiam Philoſophus fuit.* Vide quæ ipſe, *in Dione*, de Philiſto, ait, unde patet, illum vitas quoque Hiſtoricorum Græcorum: & *in Catone & Annibale*, unde Ducum & Hiſtoricorum Latinorum inſuper hiſtoriam conſignâſſe, colligitur. Sed hæc omnia, ævi ludibrium: Solæ Imperatorum Græcorum Romanorumque ſuperſtites manſerunt vitæ, quas Æmilius quidam Probus, nomine ſuô, edidit, Theodoſio ſe commendaturus. Poſtmodùm tamen, detectô plagiô, verus auctor ab eruditis erutus. Huic Valerius Catullus Veronenſis opus ſuum dedicat, ut indicat epigramma totius operis Catulliani primum,

Cui dono lepidum novum libellum?
Corneli tibi. — ...

Vide Lambin. *Præfat. ad notas ſuas in Æmilium Probum*, & infrà in voce *Nepos. Nic. Lloydius.*

CORNELIUS Orphites, Conſul. Tacit. *l.* 12. *Annal. c.* 41. *l.* 16. *c.* 12. Vide & *Lucius*, it. *Servius.*

CORNELIUS Panſa, Conſul cum Aciolo Aciola, an. Urb. Cond. 874.

CORNELIUS Repentinus, gener Didii Juliani, præfectus Urbis, apud Spartian. *c.* 4.

CORNELIUS, Rufinus, Rufus, Scapula, vide *Publius*, it. *Servius.*

CORNELIUS Scipio Aſina, vide *Cneus.*

CORNELIUS Scipio Calvus, vide *Cneus.*

CORNELIUS Scipio Hiſpalus, vide *Cneus.*

CORNELIUS Scipio, vide *Cajus*, it. *Lucius*, it. *Scipio.*

CORNELIUS Secularis, Conſul, collega Jun. Donati an. Urb. Cond 1015.

CORNELIUS Severus, ſub Auguſto, inter Poëtas epicos ab antiquis authoribus relatus eſt. Ingeniô fuit magnô, & in ſcribendis verſibus facili. Conſtat eundem fuiſſe in declamationibus verſatum, quâ in re ingenium ſuum, atque eruditionem maximè probavit. Quintiliano, *l.* 10. *c.* 1. *verſificator, quàm Poëta melior* habitus eſt. Scripſit inter alia multa, *de Ætna*, quod Virgilio tributum, Item *de bello Siculo*, an *Civili*? Vide Scalig. *animadverſiones in Euſeb.* quod opus ab eo abſolutum non eſt, propter immaturam mortem. Quod ſi abſolvere potuiſſet, meruiſſe ſibi ſecundum locum vendicâſſet, ut ait Fabius. Extat ejus carmen, quô eleganter deflevit Ciceronis mortem. Vide *Cicero.* Item, Senec. *Suaſ.* 6. Ao & Ovid. *de Ponto*, *l.* 4. *& ult. Nic. Lloydius.*

CORNELIUS Sylla, vide *Lucius.*

CORNELIUS Syllanus, vide *Lucius.*

CORNELIUS Tacitus, Hiſtoricus eximius. Vide *Tacitus.*

CORNELIUS Thuſcus, delatione Mamerci Scauri, in quo Scaurorum extincta familia eſt, famoſus, homo quàm improbi animi, tàm infelicis ingenii, Seneca Pater, *Suaſoriâ* 2. Idem, quia pecuniam à Vario Ligure omittendæ delationis ceperat, in Inſul. interdictô igni atque aquâ, demotus eſt. Tacit *l* 6. *Annal c.* 30.

CORNELIUS, tandem de Jod, Kempi & Valerius, Mathematici inſignes, &c. Voſſ. *de Scient. Mathem.* Item

CORNELIUS Victorinus, Præfectus Prætorio, ſub Antonio, Pio, apud Capitolin. *c* 8.

CORNENSIS, Sardiniæ popul. *Ptol.*

CORNEOLA, vel CORNALINA, gemma ſic Gallis dicta, doctiſſimis quibuſdam Viris Veterum onyx videtur eſſe. At *Onychem veram plurimas variaſque cum lacteis zonis habere venas, omnium in tranſitu colore inenarrabili*, ait Plin. *l.* 37. *c* 6. *Corneola* verò unius ſemper coloris eſt. Nam vel ad rubrum inclinat, vel prorſus alba eſt, & hæc vulgò carior: abſque ulla varietate utraque. Et quidem, quæ multum rubet, licèt *corneolam* vulgò vocitent, ſardam eſſe Veterum pluſquam certum eſt, quæ dilutius rubet, ſarda eſt fœmina. In omnibus namque gemmis, dilutioris utique coloris fœminæ, quàm mares & omninatim in ſarda, teſtatur *Theophraſtus. Marbodeus Corneolam* aquæ colorem habere dicit, in qua carnes ablutæ ſunt. At *Cornalina* alba nihil minus eſt, quàm onyx, cùm nullam ex iis notis habeat, quas onychi gemmæ Veteres tribuunt, ut Plinium præfatum legenti patebit facilè. Verſicolor enim ea & multicolor: quæ varietas & ποικιλία in Onychite marmore quoque eſt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 564.

CORNETA, in *Concil.* Rotomagenſi A. C. 1345. *can.* 32. *Item inhibet, ne Clerici præſertim in ſacris Ordinibus conſtituti longas & amplas* cornetas *in ſuis capuciis deferant, ſed breves & decentes*, bireti ſpecies eſt, in coron figuram deſinens, quomodo hodie Ducum Venetorum: ex Gall. *Cornette*, quæ voa etiamnum uſurpatur pro tegumentis capitis nocturnalibus mulierum, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* At *Cornetum*, Gallis *Cornet*, pyxis vel turricula dicitur, quâ teſſeras in tabulam fundi mos, quod ut plurimum ea cornu fiat. Scholiaſtes Juvenalis, *Fritillus, pyxis cornea, quæ φιμὸς dicitur Græcè.* Salmaſ. *ad Vopiſc. in Proculo*, *c.* 13. & hic paſſim.

CORNETUM, vide *Corvetum.*

CORNETUS, campus in agro Faliſco viâ Campanâ. Vitruvius, *l.* 9.

CORNEUS Color, quem in Onychite lapide improbat Plinius, candidus eſt & ſimilis vitro, qui tamen color lapidi nomen dedit, ut & gemmæ. Utrumque enim à *corneo* unguis candore dictum, ὀνύχιον gemma, ὀνυχίτης λίθ☉. Epiphanius ἐξ ὕδατ☉ ἀέναου σκληρυνθέντα talem, creditum vulgò ait, h. e. *ex aqua glaciali concretum* more videl. cryſtalli, cui ſimile vitrum eſt. Optimum verò & præſtan-

ſtantiſſimum quam maximè mellei, nec tranſlucidi coloris eſſe, idem Plinius docet, quem vide ſi placet, *l.* 37. *c.* 6. & plura ad hanc rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 162.

CORNI, Italiæ populi. *Halicarnaſſ.*

CORNIASA, Galatiæ urbs. *Antonin.*

CORNICULA, inter formationes digitorum ad deridendos homines. Et quidem Viri, quorum uxores mœchabantur, *corniculorum oſtenſione*, h. e. duobus digitis ad corniculorum inſtar erectis, deridebantur: κερατίζειν δοκεῖ vocant *LL.* Longobardor. Græcè verſæ in codice MS. Regiæ Biblioth. quam contumeliam *damnatoîs* ἰξ rependi volunt. Vide Lucillii *Epigramm.* εἰς κερατοφόρους Γραμματικούς apud Salmaſ. *ad Pallium Tertullian.* & infrà, ubi de *Manuum geſticulatione.*

CORNICULARIORUM munus, quorum frequens mentio in *Notit.* Imperii & apud alios Scriptores, Salmaſio *ad Solinum* militare fuit, qui eosà *corniculo*, ſeu apice galeæ, qui κεράτιον Græcis nuncupatur, dictos adeoque cum κεραμάρχοις *Heſychii* eoſdem fuiſſe, contendit. Carolo verò du Freſne Exceptores fuêre & Commentarienſes, ex Firmico, *l.* 3. *c.* 6. *Erunt Exceptores earum frumentarum, quæ de hominum capitibus proferuntur, aut Cornicularii aut Commentarienſes.* A' *corniculis* appellati, i. e. atramentariis: quam appellationis rationem attigit Senator, *l.* 11. *Ep.* 36. ubi *de Corniculario. Præſunt enim cornibus Secretorii Prætoriani unde et nomen.* Eorum autem munus fuit, ad *Cornua* Secretarii ſtare & miniſtrare Judici agenti, loquenti, ſcribenti, reſcribenti, cujuſmodi fuit *Cancellorum* officium apud Byzantinos. Antiquum fuiſſe illud, colligunt ex *l.* 8. Cod. *Theodoſ. de div. offic.* Vide quæ de dignitate eorum annotat. Jac. Gothofred. *ad l.* 10. *Cod. Theodoſ. de Cohort.* & Juretum *ad Symmach. l.* 10 *Ep.* 36. Sed ſi poſterior vocis notio recentiori ævô obtinuit, nil impedit quò minùs prior genuina fuerit. Certè præter alia galearum inſignia, etiam *cornicula* fuiſſe, veram nempe cornuum ſimilitudinem ære vel ferrô expreſſam, clariſſimè colligitur ex Plinio, *l.* 10. *c.* 43. *Nec non & recens fama Crateri Monocerotis cognomine, in Erizena regione Aſiæ, corvorum operâ venantis, eo quod devehebat in ſylvas eos inſidentes corniculo humeriſque*: nec non ex Plauti *Cornicularia*, in qua miles *corniculis* inſignem galeam geſtans traducebatur, memoratâ Varroni, *de L. L. l.* 4. & 6. Atque ab hoc galeæ paraſemo, in Militia antiqua Romana *Cornicularii milites* dicti, honeſtum ſcil. militum genus, beneficiarii ut plurimum Tribunorum aut Centurionum. Val. Max. *l.* 6. *c.* 1. *ex.* 11. Cui (M. Lectorio Mergo) *Tribunus Plebis diem dixit ad populum, quòd Cornicularium ſuum ſtupri causâ appellâſſet.* Eoſdem *corniculô merere* Sueton. ait, ubi de Orbilio N. Grammat. *c.* 9. quemadmodum *pedibus merere* dicit Mela, qui pedites militant, *l.* 1. *c. ult. de Jaxamatibus*. Vide Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 548. nec non Sigonium, Roſinum, *Antiqq. Rom. l.* 10. *c.* 8. *extr.* Alios. ut & infra aliquid, voce *Ungulus*. Inde *Corniculum* pro quolibet apice; vide de phaſianis Plin. *l.* 10. *c.* 37. &c.

CORNICULARIUS, ut Sigonius exiſtimat, fuit miniſter Tribuni Milit. qui vigiliis ejus locô circumibat, atque ejus imperia Corniculô edebat. Val. Max. *l.* 6. *c.* 1. *ex.* 11. *de Pudicitia. M. Letorio Tribuno Militum Cominus Tribunus plebis diem ad populum dixit, quòd Cornicularium ſuum ſtupri causa appellâſſet.* Frontinus, *Stratagem. l.* 3. *c.* 14. *ex.* 1. *Tanquam tribuni Cornicularius vigilias excitavit.* Vide ſuprà.

CORNICULUM, Latii oppidum. Halicarnaſſ. *l.* 1. *Steph.* Κορνίκλος, πόλις Λατίνων. Et *Corniculi Montes* inter Ficuleam & Tibur.

CORNIFICIA, memoratur Capitolino, cui Pertinax Imperator *infamiſſimè dicitur adhæſiſſe*, vide eum in *Vita* hujus, *c.* 13.

CORNIFICIA, vide *Cornificius.*

CORNIFICIUS, Poëta & Dux, Auguſto charus, iiſdem temporibus in poëtica floruit, quibus in ſcribenda hiſtoria Salluſtius, Lucceius, & Corn. Nepos. Ingeniô eleganti ac lepidô fuit, atque in ſcribendis epigrammatis verſatus. Reprehenſor Virgilii. Donat. *in vita hujus.* An idem, cui Herennius Rhetoricam inſcripſit: Cujus Catullus meminit, *Epigr.* 39. & Macrob. *l.* 1. *Saturn. c.* 9. & *l.* 6. *c.* 5. Sororem habuit *Cornificiam*, ut ſcribit Euſeb ad annum 1976. cujus carmen in magno pretio habebatur. *Cornificium* Vincentio Bellov. *de mir. nat. l.* 32. *c.* 51. Voſſ. *de Philolog. c.* 2. §. 3. Solam ſcientiam ſuprà Fortunæ ictum eſſe, dixit. Fuit etiam *Cornificius* amicus Ciceronis paternus & collega, ad quem extant multæ Ciceronis ipſius *Epp. l.* 12. *Fam. Ep.* Vide & *Lucius.*

CORNIFICIUS ager Samnii regionis. *Lib. Coloniarum.*

CORNIGER, Græcè Κερατοφόρος, Bacchus dictus eſt, quòd nimiô vini potu truces homines reddantur, & tunc, ut ait Ovid. *l.* 1. *Art. v.* 239.

—— Sumit cornua pauper.

Eôdem ſenſu Horat. *l.* 3. *Carm. Od.* 21. *v.* 18.

Viresque & addis cornua pauperi.

Alii, quia Bacchus idem cum Sole eſſe cenſetur. Radii autem ſolares inſtar cornuum ab antiquitate expreſſi ſunt. Vide & Macrob *in Saturnal. l.* 1. *c.* 19. Imò & apud Ebræos radii cornua vocantur. *Nic. Lloydius*, vide & voce *Mitra.*

CORNIX, caſtitatis ac concordiæ in conjugio Magiſtra habita eſt olim: unde ſolitariæ *Cornicis* occurſus, in nuptialibus auſpiciis mali ominis fuit. Hinc illud, Ἐκκόρει κόρη κορώνην. *Everre ſive eliminæ Virgo cornicem*, quod habes apud Orum, *Hieroglyph.* & Pindari Scholiaſten *in Pyth.* Vide & Ælian. *de Animal. l.* 3. *c.* 9. ubi narrat, ut non temerè miſceantur, niſi cum compare ſua, eâque mortuâ viduam vitam degat ſuperſtes; atque idcirco in nuptiis, poſt Hymenæum, *Cornicis* nomen invocari proque ſigno haberi concordiæ in iis, qui liberûm quærendorum gratiâ ſocientur. Adi quoque Politianum, *Miſcellan. c.* 67. & Hadr. Junium, *Miſcellanear. l.* 1. *c.* 1. ſed perperam Politianus de concordia Cornicis, intellexit illud Juvenalis, *Sat.* 2. *v.* 116.

Quæque ſalutato crepitat concordia nido.

Nec enim roſtrô cornix crepitat, ſed ciconia: unde *Crotaliſtria* dicitur Publio Syro; eaque non minùs concordiæ ſymbolum erat, cum mas & fœmina ferè in nido ſimul conſpiciantur. Voſſ. *de Idolol. l.* 3. *c.* 86. De eadem ave narrat Ælian. *de Animal. l.* 6. *c.* 7. ut Rex Ægyptius Marres operâ *Cornicis* uſi fuerit ſolitus in literis, quò terrarum vellet, mittendis; cui proin mortuæ ſepulchrum, ſtatuerit quod ad lacum Myridis, prope Crocodilorum oppidum, ſoleat oſtendi. Ægyptiacæ vanitati tribuendum, quod ibidem dicitur, Cornicem, ſimul ac audiſſet, quò perferenda eſſet epiſtola, quæ regiones tranſeundæ, ubi quieſcendum, eo prout acceperat, ire direxiſſe: *captum hoc mutæ animantis excedunt*, verbatim Voſſii, *loc. cit. c.* 98. *Sed ſolent homines de magnis loqui majora, ut magis ſint admirationi. Etſi non ignorem, aliquos & his fidem habere; ſed putare, malim Grammaticum hanc alitem duxiſſe.* Simile quid de Rangiferis, notiſſimæ celeritatis in Septentrione animali, afferemus infra. Apud Poſidippum κορώνη πανδοκική, *cornici cauponariæ*, h. e. in taberna cauponis educatæ, comparatur Paraſitus edax, in *Epigramm.* ſepulchrali, cujus initium,

Θρεψάμενος τὸν παῖδα Φαρὼν βόρον, οἷα κορώνην
Πανδοχικήν, αὐτῷ φάγον ἔχει κατὰ, ὡς κλ.

Cujuſmodi aves hodieque ſolent in tabernis cicuratæ nutriri, vorax ſuàpte naturâ animal, & quidquid obtuleris, deglutiens. De quo Epigrammate, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1220. adde quæ dicemus infrà, ubi de *S. Martini ave.*

CORNU, propriè de quadrupedibus. Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Cornua multis quidem & aquatilium & marinorum & ſerpentum variis data ſunt modis: ſed quæ jure cornua intelligantur, quadrupedum generi tantùm —— Nec alibi major natura laſcivia luſit animalium armis. Sparſit hæc in ramos, ut cervorum. Aliis ſimplicia tribuit —— aliorum finxit in palmas, digitoſque emiſit ex iis —— dedit ramoſa capreis —— convoluta in anfractum arietum generi, ceu ictus daret; infeſta tauris. —— Rupicapris in dorſum adunca, damis in adverſum. Erecta rugarumque ambitu contorta & in leve faſtigium exacuta ſtrepſicerotis, mobilia eadem, ut aures, Phrygiæ armentis: Troglodytarum in terram directa —— Alias ſingula, & hæc medio capite, aut naribus. Jamque aliis ad incurſum robuſta, aliis ad ictum, aliis adunca, aliis reducta, aliis ad jactum pluribus modis, ſupina, converſa, iuncta, omnia in mucronem migrantia* &c. Ab his ad Lunam vox tranſlata, quæ facie aſpicitur cornutâ, Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 645.

Tertia jam Lunæ ſe cornua *lumine complent.*

Inde ad Numina: quibus Gentilitas ea paſſim velut dignitatis, potentiæ & auctoritatis ſymbola, tribuit; Hinc Jupiter *corniger*, apud Silium Italic. *l.* 16. Bacchus *tauricornis*, ταυρόκερως, apud Euripidem, *Bacch. act.* 2. Ammon κερασφόρος, κριόκερως, *corniger* & *alticornus*, apud eundem Silium, *l.* 14. &c. A' quorum ultimo, lapidi nomen, *Ammonis cornu*, de quo Solinus, *c.* 30. *Nam ita tortuoſus eſt & inflexus, ut effigiem reddat cornu arietini, fulgore aureô eſt. Prædivina ſomnia repræſentare dicitur ſubjectus capiti incubantium.* Nec verò ſolus Ammon in ſua ſede fuit cornutus: utpote circumfuſus minoribus Numinibus itidem cornutis, quæ, eâ gente debellatâ, Romam advecta fuiſſe, docet Prudentius contra *Symmach. l.* 2. Hinc & fluvii, qui inter Numina Gentilium erant, *cornuti* fingebantur. Vide Inacho, Statium, *l.* 2. *Theb.* de Ocinaro Lycophronem, de Tybri, Virg. *l.* 8. *Æn.* de Achelo, Sophoclem, *Trachin.* de aliis alios. Omnes certè fluvios ab Oceano defluos, & in Oceanum refluos, vocari *cornua*, leges apud Etymol. voce Κέρας. Vide quoque infrà *Keren-happuch.* A' Diis ad Reges *Cornua* tranſlata ſunt, utpote Diis proximos. Cujus generis fuêre quæ Haruſpex, viſa in capite Cippi, regnum Latii ei portendere dixit, vide Ovid. *Metamorph.* Ut & illud, è media arietis unicornis fronte prominens, quod Pericli ex agro allato, Lampo vates futurum eſſe dixit, ut penès illum remaneret Athenis rerum ſumma, apud Plut. *Pericle.* Hinc Jocorнota, dicitur peperiſſe Reges Thebanos, apud Euripidem, *in Phœniſſ. Actu* 1.

Σοὶ δ', ὦ κερόεσσα αἰθυμάνας,
Καδμείων βασιλῆας ἐγείνατο.

Ipſi Moſi non pauci *cornua* attribuunt, ſimilitudinem videl. cornuum ex radiis faciei ejus aſſurgentium in altum, de quibus *Drepanius*,

Legiſerum nobis monſtrat & ipſa frontem,
Flammea cornutô vibrantem lumina vultu,
Geſtantemque ſacris jura ſuperna libris.

Vide ſuprà in voce *Arietina cornua.* Propriè autem de quadrupedibus, ut dictum. Et quidem *Cornu bubulum* imprimis in conviviis, apud Veteres frequens; de cujus uſu pluribus agit Athenæus, *Dipnoſoph. l.* 11. ubi idcirco ait, Bacchum fingi κερασφόρον, à multis etiam Poëtis *taurum* vocari. Inde κεράσαι, i. e. *temperare vinum aquâ*, ἀπὸ τῶν κεράτων, è cornibus, dictum eſt. Poſteà eadem aurô & argentô exornari cœperunt. Tandem, quam è *cornibus* hiſce bibere deſitum, forma tamen reſervata eſt, teſte Pindarô, apud eundem, ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες, *argenteis bibentes cornibus*, ſicque ad veterum imitationem, aurea facta ſunt atque argentea, eundem in uſum. Unde notum illud Hiſtoricis poculum, Κέρας Ἀμαλθείας, *cornu copiæ*, dictum, cujus meminit Euſtathius *in Iliad.* ι. & de Philippo Rege idem narrat, κέρατι amicis propinare ſuiſſe ſolitum: qui mos nec hodie penitus exolevit, apud Tartaros inprimis. Vide Petrum de Valle, *Itiner. tom.* 3. Aliosque. Et celebre eſt *aureum Cornu* Danæ Regis, regnante Chriſtianô IV. A. C. M. DC. XXXIX. die 20. Jul. à puella Dana Chriſtina Svenonis filia,

filia, in Ripenſi Cimbriæ diœceſi, in itinere caſu repertum: quod conflatum ex obryzo puriſſimo, rotundum & incurvum, pronâ parte pedes duos Romanos & quinque pollices longitudine æquat, ſupinâ parte pedes 2. & unum pollicem, tam capax ut liquoris duos ſextarios cum ſemiſſe capiat, de quo vide infrà. Barbaræ verò gentes præcipuè ad Septentrionem diutiſſimè morem retinuêre. Plin. l. 11. c. 37. *Urorum cornibus Barbari ſeptentrionales potant; urnaſque binas capitis unius cornuo implent.* Quod quantum ſit, docet *Fannius*; qui amphoram ait capere duas urnas, urnam quatuor congios, congium ſex ſextarios. Nec omittendum mirabile *Cornu* à ſpectro Ottoni Comiti Oldenburgico oblatum, quod hodieque aſſervari & in illuſtrioribus epulis propinari, legimus. Vide quoque infrà *Crater*, item ubi de *Poculis*. Sed & antiquitus bubulum *Cornu* in uſu erat ad convocandos boves, unde *βυκάνη* Græcè, *buccina* Latinis; qui mos hodieque permanet, Columella, *l.* 6. *c.* 23. *Id ſemper crepuſculò fieri debet, ut ad ſonum buccinæ pecus, ſi quod in ſylva ſubſtiterit, ſepta repetere conſueſcat.* Hinc adhibita ad convocandos cives, unde Propertius de temporibus Romuli, *l.* 4. *Eleg.* 1. v. 13.

Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites.

Quod ne à Poëta confictum putes, ſimiliter Dionyſ. Halicarn. *l.* 2. Τοὺς δημότας, inquit, *κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον*, *Plebejos miniſtri quidam cornibus bovilis inſonantes* (quaſi dicas *buccinantes*) *ad cœtus cogebant.* De eorundem in bello uſu, vide Vegetium, *l.* 2. *c.* 22. Ovid. *l.* 1. *Metam.* Juvenalem, *Sat.* 2. v. 118. &c. quæ quidem poſteà ex ære, at priùs boum fuêre cornua. Certè inter Signa vocalia, quibus in militia opus, *Cornu* dicitur, quod ex uris agreſtibus vinctum argento, temperatumque arte ac ſpiritu canentis flatum emittit, Joh. Roſin. *Antiqq. Rom.* *l.* 10. c. 5. Eorum meminit A. Gellius, *l.* 1. *c.* 11. cùm ait, *Lacedæmonios non cornuum tubarumve ſignis, ſed tibiarum modulis, in prœliis uſos eſſe.* In quæ verba notat Ofelius ex Varrone, *l.* 4. *Cornua* dici, *quod ea quæ nunc ſunt ex ære, tunc facta fuerint ex bubulo cornu.* Fuêre igitur inflexa, ſicut contra tubæ rectum tubum ſive canalem habebant. Ovid. *l.* 1. *Met.* v. 98.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Hæc qui inflabant, *Cornicines* vel *Æneatores* appellati ſunt &c. Inſuper ad arcus adhibita ſunt: Maro, *Eclogâ* 10. v. 59.

—— Libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula —— ——

Idem, vel alius, in *Ciri*,

Gnoſia Neæpaſſo contentus ſpicula cornu.

Ac ſimiliter, Papinius non uno in loco, Aliique. Quid quòd inter VII. Orbis miracula memoretur Delii Apollinis *κερατῶνος βωμός*, ſive *ara ex cornibus*; de qua illud Ovidii, *Ep. ult. Herоid.* Cydippes *ad Acontium*, v. 99.

Miror & innumeris ſtructam de cornibus aram.

Ac Martialis, aliiſque, *Spectacul. Epigr.* 1. v. 4.

Diſſimuletque Deum cornibus ara frequens.

Compacta autem illa erat, *κεράτων ἀπάντων*, *ex ſiniſtris omnibus.* Vide Callimachum, *Hymnô Apollin.* Plut. *de Theſeo & Compar. terr. atque aquatil.* item Diogenem in *Vita* Pythagoræ. Alia fuêre *Cornua Altaris*, quorum mentio Pſalm. 118. v. 27. Nempe Altare æreum in Tabernaculo primùm, dein in Templo Salomonico, quatuor ſuos angulos habebat ære munitos, qui paulo altiùs extra Altaris limbum extabant. Hæc *Cornua Altaris* dicebantur, ſanguinis libationi & victimarum alligationi deſtinata. Eadem ſupplices tenebant &c. Exod. *c.* 27. v. 1—8. Nec omittendus *Cornuum* ſacer uſus, in inaugurationibus olim Regum Sacerdotumque ſummorum, in Iſraëlitica gente frequentatus, qui memoratur 1. Samuel. *c.* 16. v. 1. *Dixit Jehova Samueli —— imple cornu tuum oleô & abi —— ad Iſchajum* &c. Vaſe enim corneô ſervabatur ſacrum oleum, quô Reges Sacerdoteſque inungi ſolebant. Ubi obſervantes Judæi in Saulis & Jehu inauguratione, *lenticula* ſolùm *olei*, in Davidis verò *cornu oleo pleni*; fieri mentionem, illâ utpote magis fragili Regnum minùs diuturnum illorum duorum Regum; iſtô verò Regni Davidici perpetuitatem indigitatam eſſe, ajunt &c. In exercitu porrò vox, ut & de his pauca addam, partem illius notat, unde *dextrum cornu Nabarzanes*, in Darii exercitu, tutus dicitur, apud Curtium, *l.* 3. *c.* 9. qui idem *Levi* mentionem facit, *l.* 4. *c.* 16. ubi ait, *Darium lævum fuiſſe tutum, Beſſumque admonuiſſe, ut Maſſagetas equos in lævum Alexandri cornu à latere invehi juberet.* Imò pro quavis eminentia ſeu extremitate apud probatos Auctores vox ſumitur: *Cornu jugi*, apud eundem Curt. *l.* 3. *c.* 4. apud Florum, *l.* 4. *c.* 2. *Cornua ſinus*: apud Cicer. *ad Atticum*, *utrumque portus cornu*, apud Tacitum, *l.* 1. *Annal. c.* 75. *Cornu tribunalis.* In libris Veterum, qui circùm ligneum teretem ſurculum vel oſſeum convolvebantur, hinc *Volumina* dicti; ſurculus ipſe ſeu ſurculi capitula, *Cornua* dicebantur, quæ argentô, aurô atque ebore ornari conſuevêre; eadem lætiori fortunâ candida, triſtiori atrata erant. Unde Ovidius, in Ponto exul, *l.* 1. *Triſt. Eleg.* 1. v. 7. ad librum ſuum, ait,

Nec titulus minio, nec cedrô charta notetur,
Candida nec nigrâ Cornua *fronte geras*, &c.

Vide quoque infrà in voce *Cornua.* De *Cornibus tibiarum*, vide ſuprà in voce *Ceraulæ*, & plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 120. & *ſeqq.* De *Cornibus Crinium*, longis videlicet eorum ſertis, *Ibid. p.* 762. &c. Inprimis verò adi de *Cornibus* Car. Paſchal. *Coronar.* *l.* 10. *c.* 4. & 5. Adjiciam ſaltem, *Cornu* quoque recenſeri inter vaſa Eccleſiaſtica, apud Romanæ Eccleſiæ Scriptores; hâcque etiam voce Feſtum Nativitatis Domini indicari, apud veteres Danos, conſuevisse, quòd id temporis lætitiæ & exhauriendis poculis idoneum habitum ſit, uti obſervat Wormius *in Faſtis Danicis.*

CORNU Arietinum, vide ſuprà *Arietina cornua*, & infrà *Jubilæus.*

CORNU Aureum, ſeu *Cornu aurei promontor.* Vide ſuprà in voce *Ceras.*

CORNU Aureum, Daniæ Regis Sereniſſ. ſcriptis Olai Wormii Antiquitatum Septentrionalium vindicis clariſſ. celebre eſt. Regnante enim in Dania Chriſtianô IV. A. C. 1639. puella Dana Chriſtiana Suenonis filia, in Ripenſi Cimbriæ Diœceſi, *Cornu Aureum* in itinere caſu invenit. Conſtat illud ex duplici lamina, quarum interior ſolida eſt & integra, lævis utraque ſuperficie, exterior verò non continua eſt, uti prior, ſed ex undecim conflata contiguis quaſi latis annulis, ſuis internodiis diſtinctis, qui tamen omnes ejuſdem nec ſunt latitudinis, nec craſſitiei: Conflatum eſt ex obryzo puriſſimo, rotundum & incurvum, pronâ parte duos pedes Romanos & quinque pollices longitudine æquat, ſupinâ parte pedem duos & unum pollicem. Linea recta ab una extremitate tranſverſim ad aliam ducta, pedem unum continet & pollices novem. Orificium majus, ex quo bibitur, in circumferentia, pedem unum implet, in diametro pollices quatuor. Minus orificium in ambitu quatuor pollices, in diametro pollicem unum cum ſemiſſe. Totum *Cornu* tam capax eſt, ut liquoris duos ſextarios cum ſemiſſe capiat. Pendit uncias 99. & drachmas duas, abſque globo cochleato octangulo noviter addito, qui *Chriſtiani* IV. nomine inſignis eſt. Continentur autem emblemata Circulis illius ſeptem varia. Et quidem in primo, *Homo nudus manibus pedibuſque expanſis*, conſtitutus eſt *inter ſerpentes duos.* Item *Beſtia* conſpicitur *humanô capite*, *cui utrinque aſſidet homo manibus in cœlum porrectis.* Ibidem *avis* ſculpta eſt *piſcem roſtrô petens.* In ſecundo, *honeſta corporis exercitio Eques exhibet, cum homine utraque manu gladios ventilante, & alio adhuc, qui arcu & ſagittis inſtructus feram petit.* Ibidem, *Vir grandævus, barbatus & Sacerdotali habitu cornu multô repletum habens.* In tertii Circuli initio, *homo eſt alium mactans, & crebris vulneribus afficiens*, ut vult Wormius: vel *mulier venefica, ex capitis necati cute vaſternens*, ut Licetus. Item *Centaurus, & duo homines, quorum unus lupina, alter canina facies: ille gladiô falcatô, hic ſecuri armatus.* Quô emblemate atrocitas bellorum indigitari videtur. Pacis verò commoda quarti circuli cælatura adumbrat, per *paſtorem armenta paſcentem.* In quinto Circulo, *homo viſitur in belluinam formam redactus, aſtantibus ſerpentibus.* In ſexto, *caput grande oculis deſtitutum, quaſi aures quaſdam prægrandes habens & inferius duas divaricationes inter bellum duas conſtitutum.* Adſunt præter illum, *quinquies terna puncta & duplicis crucis figura*; unde colligit Licetus, ſub Haraldo Rege, Cornu hoc factum eſſe. Tum namque Chriſto Dania nomen dedit. In ſeptimo ultimoque circulo, *duo ſunt mortuorum oſſa & ab utriuſque medio dependens vexillum quadratum geminum.* Ibidem 9. *corda punctulis notata.* Quæ hieroglyphica pluribus explicat Wormius laudatus in *Monument. Danic.* ut & Fortun. Licetus, *Commentar. de Annulis Antiqq. c.* 36. Qualem uſum olim præſtiterit, tubæ vel litui in bello, an buccinæ in ſacris, an vaſis in Regum inunctionibus, an poculi in feſtivis conviviis, incertum; hodie

—— dicatus Bromio cyathus
Regis ad menſas exhilarandas
Omine fauſtô
Tranſlatus eſt,

Jac. Pighettus JCtus Venetus, apud Thom. Bartholinum *in Append. Schedii de Armillis veter. edit. Amſtelod.* A. C. 1676. *ubi & effigiem habes.*

CORNU Bubulum, vide ſuprà *Cornu.*

CORNU Byzantii, ſeu Byzantiorum, quod & *Chryſoceras* Plinio, *l.* 4. *c.* 11. & Solino, *c.* 16. *Pera* noſtratibus, *Galata* Turcis, ſuburbium Conſtantinopoleos, ab eâ, portu, ſive ſinu maris anguſtô diviſum. *Gyllius* verò in ſuo *Boſporo Sycas*, & *Sycodes* appellatum ait. *Baudrando* eſt ſinus parvus maris, ſeu potius pars Boſpori Thracii, inter Conſtantinopol. & Galatam ſe extendens, ubi regium navale Turcicum à parte Galatæ. In eum ſe exonerant Barbyſes & Cydaris fluvii.

CORNU Copiæ, vide ſuprà *Æquitas.*

CORNU Crucis, Græcis Κέρας quoque, Juſtino *contra Tryph.* Καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ξύλον ὡς κέρας καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστίν, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι. *Et illud in medio* (crucis) *defixum lignum, ut cornu ipſum etiam eminet, in quo feruntur & quaſi invehuntur qui crucifiguntur*: pars fuit crucis apud Veteres ſedile nempe, ſeu lignum, quod, à medio ſtaticulo eminens, inſidentem ſuſtinebat cruciarium. Unde ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται, *invehi*, ſeu *inequitare illi* crucifixos ait; *requieſcere in eo.* Irenæus, *l.* 2. *c.* 42. *Ipſe habitus crucis fines & ſummitates habet quinque: duos in longitudinem & duos in latitudinem, & unum in medio, ubi requieſcit qui clavis configitur.* Quæ duo loca Lipſium, *de cruce l.* 2. *c.* 10. non bene de ſuppedaneo expoſuiſſe, cùm ex hoc in ſedile ſeu cornu aſcenderint, crucifigendi, docet Salmaſ. ut videbimus infrà voce *Suppedaneum.*

CORNUA Victimarum deaurandi mos, ut gratiores eſſent Numinibus, apud mortalium antiquiſſimos obtinuit. Certè Neſtor ille Homericus, divinam rem Palladi facturus bove, ait ad eam *Odyſſ.* γ. v. 382.

Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἤνιν εὐρυμέτωπον,
Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.
Τήν τοι ἐγὼ ῥέξω χρυσὸν κέρασιν περιχεύας.
Tibi autem ſacrificabo juvencam, latâ fronte
Indomitam, quam nullus ſub jugum duxit vir.
Hanc tibi ego ſacrificabo, aurum cornibus circumfundens.

Et paulo pòſt de hac ipſa victima,

> *Εἷς δ' αὖ χρυσοχόον Λαέρκεα δεῦρο κελέσθω*
> *Ἐλθεῖν, ὄφρα βοὸς χρυσὸν κέρασιν περιχεύῃ.*
> *Unus iterum aurificem Laerceum huc jubeat*
> *Venire, ut bovis aurum cornibus circumfundat &c.*

Quem locum videtur Plutarchus imitatus in triumpho Æmilii Pauli, ubi loquitur de centum viginti bobus, qui in pompa ſunt ducti. Etſi ibi deauratis cornibus more receptiſſimò, additæ ſunt coronæ, Μετὰ δὲ τούτους ἤγοντο χρυσόκερῳ τροφίες βοῦς, ἑκατὸν εἴκοσι, μίτραις ἠσκημένοι καὶ στέμμασιν. *At poſt hos ducebantur auratis cornibus boves, centum viginti mitris ornati & coronis.* Unde *aurata* ac *auratiores* hoſtiæ dicebantur. Tertullian. *de Idol. Negat te quod facis, colere? Sed illi non negant, quibus hanc ſaginationem & aurationem & majorem hoſtiam cadit.* Qui idem de hoc ritu, de Coron. mil. *Ecce annua, inquit, votorum nuncupatio quid videtur? Prima in principiis, ſecunda in Prætoriis ---- Hunc ubi Jupiter bovem cornibus auro decoratis vovemus.* Vide quoque Joſeph. *Antiqq. Judaic.* ubi de dono Alexandri M. Judæis facto, poſtquam Jaddus Sacerdos ſummus Regis iram mitigâſſet: Antiochi item &c. Obſervatum autem hoc tantùm fuiſſe in majoribus hoſtiis ſive Superorum ſacris, Plinius tradit, *l.* 33. *c.* 3. Itaque cùm Val. Flaccus de Inferorum ſacris ac minoribus hoſtiis agens *Argonautic. l.* 1. *v.* 89. inquit,

> *---- dabit auratis & cornibus igni*
> *Colla pater, alterique greges altaria cingent.*

Item, *l.* 3. *v.* 432.

> *Ibat agens lectas auratâ fronte juvencas:*

Poëticæ condonandum eſſe licentiæ, judicat Jac. Omelius, *Animadverſionib. Miſcellaneis*, *p.* 208. quem vide, ac plura hanc in rem apud Car. Paſchal. *Coronar. l.* 4. *c.* 16. & Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 32. uti de *Cornibus tauri*, quibus tauroboliati fecerunt, *conſecratis*, aliquid dicemus infrà ubi de *Taurobolio*.

CORNUBIA, regio Angliæ occidentaliſſima, vulgò *Cornwall*, olim cum titulo Regni. Solum habet fertile, ſtanni inprimis fodinis, aurô, argentô, plumbô, ære, adamantum copiâ, &c. inclyta. Incolæ rudes, idioma priſcum retinent. Primus ejus Comes fuit Robertus, frater Guil. Conqueſtoris. Richardus Comes A. C. 1257. Roman. Imperator electus & Aquiſgrani coronatus eſt, A. C. 1258. Periculoſam Cornubienſium rebellionem, primò ob tributorum exactionem excitatam, Duce Joſephô fabrô; deìn à Perkino fotam, A. C 1498. ſedavit Henricus VII. cujus Hiſtoriam ſcripſit Verulamius, quem vide. Sita eſt regio inter Oceanum Britannic. & Virginium, versùs Antiveſtæum promontor. ubi olim pars major Damnoniorum populorum. Habet ad Ortum Devoniam provinc. Ibi aliquot oppida parvi momenti, Paſtovia, Bodmania, Fanum S. Stephani, Uxella, & portus Volemuthum. *Baudrand.*

CORNUBIA, regio Britanniæ minoris versùs Occaſum, cujus Caput Coriſopotum, quod vide.

CORNVETUM, urbs Epiſcopalis in parte Hetruriæ, quæ dicitur provinc. Patrimonii D. Petri, ad Martam fluv. inter rudera Tarquinii, & Graviſcæ, Urbium vicinarum, prope limites Ducatus Caſtrenſis. Sub Pontifice aër hîc inſalubris, &c.

CORNUS, Sardiniæ urbs Mediterranea, *Ptol.* quæ *Cornoſa* dicitur *Antonino*, ut annotat *Simlerus*. *Corneto* hodiè *Ortelio*.

CORNUS arboris genus, de quo ſic Plin. *l.* 16. *c.* 40. poſtquam de larice, abiete, ebeno, buxo, loto, robore, terebintho, aliiſque quibus ſpiſſa firmitas, diſſeruiſſet, *Ab his proxima eſt cornus: quanquam non poteſt videri materies, propter exilitatem, ſed lignum non aliò penè, quàm ad radios rotarum, utile: aut, ſi quid cuneandum ſit in ligno claviſque figendum, ceu ferreis.* Sed & in bello ejus uſus, quippe haſtilibus aptæ. Unde *bona bello* dicitur Virgilio, *l.* 2. *Georgic. v.* 448.

> *Viminibus ſalices fecundæ, frondibus ulmi,*
> *At myrtus validis haſtilibus & bona bello*
> Cornus ----

Et *Itala cornus*, pro telo de Italo cornu facto, *l.* 9. *Æn. v.* 698. ubi de Turno,

> *Conjectò ſternit jaculò, volat Itala cornus*
> *Aëre per tenuem, ſtomachoque infixa ſub altum*
> *Pectus abit* ------

Achiva item *cornus*, apud Statium, *l.* 7. *Theb. v.* 647.

> *---- ---- ---- arma jacentis*
> *Jam rapiebat Abas.* cornu *deprenſus Achivâ*
> *Dimiſit moriens clypeum* ------

Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion.* ad *h. l.* & infrà voce *Sibyna*, ubi παλτοῦ κρανείνου, *pili è corno*, Xenophontem meminiſſe videbimus, *Cyrop. l.* 7. uti de *corneis facibus*, in nuptiis apud Romanos adhibitis infrà, voce *Nuptiæ*.

CORNUTA, in *Ceremoniali* Roman. *l.* 2. *c.* 4. *Prælati cuſtodes cornutam aperiant, fercula & omnia, quæ intus ſunt, diligenter perſcrutentur, ne quid literarum inſit:* capſa eſt, quâ tempore Conclavis Cardinalibus cibi afferri conſuevêre; à binis *cornibus* ſeu anſis, per quas haſtâ trajectâ commodiùs à ſervis geſtatur, dicta. Alii tamen *Carnutam* legunt, à carnibus in ea inferri ſolitis, apud Marcum in *Hieroleæ*.

CORNUTI parvi, *petits Cornus*, dicti ſunt in Galliis Pariſienſes, pond. 20. gran. leg. 9. den. 12. gr. pretii 1. den. Par. & Turonſes nummi, pond. 21. gr. legis 3. den. 18. gr pretii 1. den. Tur. cuſi ſub Philippo IV. de quibus vide Car. du Freſne, *Gloſſar.* in voce *Moneta*.

CORNUTIUS Vicus, Gregor. Turonenſi memoratus, cùm ait, Britannos pagum Redonicum vaſtantes uſque ad *Cornutium* vicum perveniſſe: Fortè hodie eſt *S. Aubin le Cormier*, vel *de Cormier*. Hadr. Valeſius, *Notit. Gall.*

CORNUTUS, Leptites genere (eſt autem Leptis Africæ civitas) Stoicus Philoſophus, quem à Nerone, propter liberiorem de ejus carminibus vocem, multatum exiliô referunt, Dio & Euſebius *in Chronico*. Multa de eo falſa & inepta Suidas, cui fidem habere caveant tirones. Perſii præceptor fuit, ut non obſcurè in penult. *Sat. v.* 30. 32. 36. ipſe teſtatur:

> *Cùm primùm pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,*
> *Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit,*
> *Me tibi ſuppoſui, teneros tu ſuſcipis annos*
> *Socraticò, Cornute, ſinu.* ---- ----

Multa eum in philoſophicis ſcripſiſſe, conjicimus ex Hieronymi *ad Magnum oratorem epiſtola*; putamus enim, hunc eſſe Cornutum illum, de quo multa Origenes in Stromateas ſuos tranſtuliſſe dicitur. Fuiſſe vero non ſolùm philoſophiæ cognitione clarum, ſed & aliis ſtudiis, hiſtoria arguit, quam Dio narrat, de adhibito illo à Nerone in conſilium, ſuper inſtituto carmine de rebus geſtis Romanorum. Nam Neronem ab omni philoſophia fuiſſe alienum conſtat, neque verò cauſæ quicquam erat, cur de pangendis verſibus Stoicus conſuleretur; niſi etiam eruditionis laude, & diſciplinis humanioribus excultus fuiſſet Cornutus. Quare Dio illum ait, ἐπὶ παιδείᾳ εὐδοκιμοῦντα τότε, (*eruditionis opinione claruiſſe*) non autem, ἐπὶ φιλοσοφίᾳ. Vide A. Gell. *l.* 2. *c.* 6. & *l.* 9. *c.* 10. Euſeb. *in Chron.* Cùm igitur in utroque genere excelluerit Cornutus, quæſtionis eſt, idemne hic, an alius ab hoc diverſus fuerit Annæus ille Cornutus Grammaticus, quem in Virgilium & alios Poëtas commentarios edidiſſe conſtat, & paulo ante Gellii memoriam Romæ Grammaticam eſſe profeſſum, ex Macrobio, *l.* 5. *Saturn. c.* 19. De hoc igitur ſtudioſi quærant ampliùs: nobis quidem non videtur. Multa quoque Porphyrius, *in* Εἰσαγωγῇ *in Categorias*, de Cornuto quodam: ubi inter alia eum ſcripſiſſe τὰς Ῥητορικὰς τέχνας & γεγραφέναι πρὸς Ἀθηνόδωρον Stoicum, auctor eſt. De hoc quoque quis ille fuerit cognitemus, *Caſaubonus*. Fuit & coævus æmuluſque Livii, quem præceptoris Perſii patrem fuiſſe, probabile eſt. *Sued. Voſſ. de Hiſt. Lat. l.* 1. *c.* 26. *Nic. Lloydius*.

CORNUTUS, Prætor urbanus Romæ, Ciceronis tempore de quo ſic ipſe ſcribit, *l.* 10. *Ep.* 12. *Placuit nobis, ut ſtatim ad Cornutum Prætorem urbis literas deferremus, qui, quod Conſules aberant, Conſulare munus ſuſtinebat more majorum.*

CORNUTUS, vide *Cæcilius*. Item *Gualterus*.

CORNUTUS Pileus, vide infrà *Mitra*.

COROCONDAMNE, Sarmatiæ Aſiaticæ oppid. ad fauces Boſpori Cimmerii prope Hermonaſſam. *Coloracorca* Moletio. In ora Ponti Euxini. Hinc Lacus adjacens *Corocondamnis*, eſſluit ibi in Euxinum 50. ſtad. à Phanagoria in Auſtrum, Sanſone teſte.

COROCOTTA, apud Jul. Capitolin. in *Antonino Pio*, *c.* 10. *Edita munera, in quibus elephantos & corocottas, & ſtrepſicerotas & crocodilos etiam atque hippopotamos, & omnia ex toto orbe terrarum, cum tigridibus, exhibuit:* animal eſt, de quo Plinium conſule. Ante Severum Imperatorem Romæ *corocottas* viſas, negat Dio: ſed ita ut pudori ſuo conſulat; ait enim, ὅσα καὶ ἐγὼ ἐπίσταμαι, *quantum quidem ſcio*. Aliud hîc docet Capitolinus. E leæna & hyæna gigni in Æthiopia, dicit Solin. *c.* 27. hinc quia leænæ canibus, hyænæ lupis ſimiles, κυνόλυκον vocant Græci, quaſi mixtam ex lupo & cane formam habens, non verò, quòd ex cane & lupo concipiatur, ut alii dicunt. Hinc vetus Auctor ludicri teſtamenti, cognomen porcelli finxit, *Grunnii Corocottæ*: nec abs re, alluſione factâ ad hyænæ nomen, quâ corocotta generatur. Imò corocottam hyænam eſſe Indicam, tradit Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. Eſt autem ὕαινα ab ὗς, imò idem ferè quod ὗς, ut enim μύρμηξ & μυρμήκιον, ſic ὗς & ὕαινα. Et videtur hyæna dicta ἀπὸ τῆς λοφιᾶς, quod porcinæ ſimilem habeat: nam & piſcis ὕαινα ſimiliter λοφιὰν, *ſetam*, habet. Salmaſ. *ad Solin. p.* 337. Aliud eſt, *Leucrocotta*, de quo infra.

CORODAMUM, Arabiæ Felicis promontor. *Ptol.* vulgò *Capo Razalgate*. 150. leuc. Hiſpan. à Syagro promontor. *Baudrand.*

COROEBUS, Archon Athenienſis.

COROEBUS, Mygdonis fil. qui Caſſandræ amore incenſus, quam Priamus ei deſponderat, poſtremis belli Trojani temporibus ad Trojam venit, ſocero & Phrygibus auxilium laturus, fruſtra ei ſuadente ſponsâ, ut in patriam reverteretur, certiſſimóque exitiô, quod tunc ibi imminebat, ſeſe eriperet, cujus verbis cùm fidem non adhiberet, poſtremâ illâ nocte, quâ Ilium cecidit, à Peneleo Græco quodam fuit interfectus. Virg. *l.* 2. *Æn. v.* 341.

> *---- Juveniſque Corœbus*
> *Mygdonides, illis qui ad Trojam fortè diebus*
> *Venerat inſano Caſſandræ incenſus amore.*

Hinc proverbium: *Stultior Corœbo*.

COROEBUS, Curſor optimus Elidenſis, qui primus in Olympicis ludis coronatus, A. M. 3278. ante Chriſtum Natum 766. coquinariam aliàs artem profeſſus, Athenæo, & à Neoptolemo interfectus eſt. Pauſan. *l.* 5. & 8. *Nic. Lloydius*. Nempe is *ſtadium vicerat*, annô Atticô 807. Olympiade Iphiteâ XXVIII. Phlegon *Fragm.* Æſchylô Archonte Athenis. Hinc nec primus fuit Olympionices, nec ejus Olympias prima: ſed eorum fuit primus victorum, ἐξ οὗ τὸ συνεχὲς τοῖς μνήμαις ἐστὶν ἐπὶ τοῖς Ὀλυμπιονίκαις, *Ex quo continuatio eſt in actis publicis Olympiadum*, Pauſanias, *Eliac.* I. Cùm igitur ſerò conſcripta ſint Olympionicarum nomina, & illorum ſeries in chronologiam aſſumpta fuerit, non niſi ampliùs DC poſt Olympia ab Iphito inſtaurata, nihil mirum, ſi deſiderentur vetuſtiſſima Victorum nomina. Quare cùm nulla Hellenodicarum aut Chronolo-

Chronologorum ſolertiâ inveſtigari potuerit, quiſnam ille fuerit, qui proximè ante *Coræbum* victoriam adeptus eſt, is primus, & Olympias ejus prima haberi cœpit. Syncellus, p. 196. c. *Principio certamen in ſtadio tantum fuit, & nullius Victoris nomen inſcribebatur, ipſis id negligentibus: XXVIII. autem Olympiade Corœbus —— inſcriptus eſt, ejusque Olympias prima conſtituta, à qua Græcis tempora exactè numerare placuit.* Sic Corœbus Victorum, quorum nomina catalogo diu pòſt inſcribi cœperunt, Coryphæus fuit. Qualiſcunque autem fuerit hæc Ὀλυμπιάδων ἀναγραφὴ (namque & ipſa ſuos patitur manes) tantô tamen favore & ſtudiô à Græcis recepta eſt, ut Corœbus, tanquam Mercurius biſtons, *Fabuloſi temporis Verique Index* collocetur, &, quidquid ejus victoriam præceſſit, Μυθικὸν habeatur, nihil Ἱστορικὸν, niſi poſt primam hanc Olympiadem: conſenſu Chronographorum errorem protegente & Epocham ab omni controverſia vindicante, ut quorum nihil intereſt, utrum Corœbi Olympias ſit verè prima, an ſit poſtulatitia; dummodo ſtabilis figatur terminus, à quo petentur tempora. Vide Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. XVI.* ubi *de Prima Olympiade Vulgari.*

COROEBUS, ſeu *Chorebus*, apud Statium, *l.* 6. *Theb.* v. 286.

Et gravis Acriſius, ſpeciſque horrenda Chorebi,
Et Dymas culpata ſinus —— ——.

Lutatio eſt, *qui monſtrum Apollinis interemit, & pro omnibus ſe devovit. Ideo addit horrenda, i. e. venerabilis, aut horrendi ſpecie, i. e. terribilis, quaſi contemnat vita mortiſque.* Ejus ſignum lapideum, omnium, quæ per totam Græciam fuerint, vetuſtiſſimum ſibi obveniſſe, ſcribit Pauſanias. Qui utinam elegiam eam poſteritati adſcripſiſſet ſuis Commentariis inditam, quam Pſamathes & Heroïs hujus rem complexam, eam ſuper ſepulchrum ejus conſpicuam fuiſſe, memorat, *l.* 1. Caſp. Barthius, *Animadverſion. ad Statium Theb. l. c.*

COROLAMUS, Bojorum Regulus, Marcelli copias fudit, an. Urb. Cond. 558.

COROLIA, Arabiæ Felicis oppid. in Rubro litore. Plin. *l.* 6. c. 28.

COROLLA, Græcè στεφάνιον, quaſi tenuis, ſive gracilis corona. Plin. *l.* 21. *c.* 2. *Sic coronis e floribus receptis —— Paulatim & Roma ſubrepſit appellatio* corollis *inter initia propter gracilitatem appellatis:* eaque ut plurimum florea aut herbacea. Palladius, *Epigr.* 4.

Ver placido varium nectit de flore corollas.

E' ſubitario opere facta ex eo flore, qui vigeret. Cujuſmodi corollas plerunque imponebant ſtatuis Numinum, quæ domi ſervabantur, ac ſi illô quotidianô & qualicunque cultu ea ſibi irent propitiatum. Appulejus, *Metam. l.* 3. *Reſpicio Hipponæ Deæ ſimulachrum —— quod accurate corollis roſeis equidem recentibus fuerat ornatum.* Aliquando tamen & è metallo fuiſſe, idem Plin. docet *d. l.* mox & Corollaria, *poſtquam è lamina tenui æræ inaurata & inargentata dabantur.* Nempe è *corolla*, alterum diminutivum eſt *Corollarium*, de iſtiuſmodi lamina. Qui ſignificatus poſtmodum tranſlatus eſt, ad quamlibet additiunculam ſive auctarium, fortè non debitum, ſed additamentum ad totam ſummam. Sic *corollarium nummorum*, apud Ciceronem, 3. *Verr. c.* 79. *Corollarium Cleopatræ*, apud Plinium, de unione hujus Reginæ, *l.* 9. *c.* 35. &c. Vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 1. *c.* 7. uti de *Corollariis hiſtrionum* aliquid infrà, voce *Scenici*. Addam ſaltem, Gallos alioſque barbaros, ſignum amicitiæ præclarum olim *floream corollam* habuiſſe, teſte *Polybiô*, uti obſervavit, *ad Cæſarem, Bell. Gall. l.* 2. Johann. Rhellicanus. Vide Caſp. Barthium, *ad Statii l.* 3. *Theb.* v. 417.

COROMANDELA, regio Indiæ citerioris in regno Biſnagaræ, juxta ſinum Gangeticum, versùs Narſingam, & Negapatanum, è regione Taprobanæ, ubi quædam Coloniæ & fortalitia Anglorum & Batavorum, in ora littorali. Et quidem Littus *Coromandelicum*, à Cap. Comerio uſque ad fluvium Gangis in Bengalæ ſinum ſeſe extendens & littori Malabarico ad Ortum objacens, Ptolemæo *Caligardamus* vocatur: celebriſque eſt hic tractus Braminum, ſeu, ut Veteres vocabant, Brachmanum frequentia, item Chriſtianorum S. Thomæ, cujus ſepulchrum in vico *Meliapour* oſtenditur. Reliquæ urbes ſunt Negapatanum, Armagona &c Herbertus, *Itiner. p.* 153. & *ſeqq.* Eôdem pertinet regnum Narſinga, cum urbibus ſuis nobilioribus Narſinga & Biſnagaria, cujus Rex olim totius littoris *Coromandelici* Dominus erat; nunc ad 12. circiter grad. Elevat. Boreal. extenditur; Cætera è Belgis maximam partem tenentur. Vide *Itiner.* Pauli van Caerden *part.* 2. Autorem Anonymum, *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ. c.* 6. *ſect.* 2. &c.

COROMANE, vel COROMANIS, urbs ad ſinum Perſicum. *Steph. Carmon*, vel *Carman Moleta.*

CORONA, Urbs Daciæ mediterranea forſan *Palmiſſa* antiqu. Nunc urbs Tranſylvaniæ ad Burciam amnem, *Stephanopolis* & *Braſſovia* etiam: munita in regiuncul. *Bareza*; ubi 3. ſuburbia, quorum unum Bulgari, 2. Hungari, 3. Saxones incolunt. 12. leuc. German. è Cibinio in Ortum. German. *Kronſtatt.*

CORONA, portus Gallæciæ capaciſſimus. Vide *Coronium.*

CORONA, dignitatis, perfectionis ac plenitudinis ſymbolum. Unde apud Homer. *Od.* α. v. 149.

—— —— Κοῦροι κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.
Crateres magnos ſtatuunt & vina coronant.

Hoc eſt, crateres ad ſumma labra replent. Inter Jani bifrontis ponitur inventa & uſurpata eſt olim in ſacrificiis, apud Athenæum, *l.* 15. & Q. Fabium Pict. *l.* 1. qui idem farris & vini inventor perhibetur. Nempe utrumque præbuit, non tam cibo aut potui, quàm divino cultui & ſacris inſtaurandis, in priſcorum enim ſacrificiis hæc duo jungi conſueviſſe diſcimus, ex Lactantio, *l.* 7. c. 6. Plinius *primum hominum Liberum patrem coronam impoſuiſſe capiti ſuo ex hedera*, ſcribit, *l.* 16. *c.* 4. Tertullianus primum caput coronatum fuiſſe à Charitibus tradit, *de Coron. mil.* Apud eundem Pherecydes Saturnum primum coronatum refert &c. Hoc certum, Janum in Italia, ſicut Liberum in India & Aſia, præclariſſimæ cujuſque rei auſpicem facere ſolitos Veteres itaque ratem & coronam ei locò præmii ſculpſerunt. Et meritò inventor farris & vini, *Coronæ* quoque auctor cluet, quia far & vinum ab altaribus Deorum tranſlata ſunt ad menſas hominum, apud quos, gravedini capitis ex vino minuendæ natæ primum coronæ ſunt. Sed nomen nondum tum uſurpatum; *ſtruppos* vel *ſtroppos* vocabant vincula ex duabus aut tribus ramis invicem tortis Romani; nondum invento coronas è floribus texere, unde *Strophiola* nata, de quibus ſuô locô. Dein rami adhibiti. Plin. *l.* 21. *c.* 2. *arborum ramis coronari in ſacris certaminibus, mos fuit primùm.* Quibus flores acceſſêre: Cujuſmodi coronæ è ramis floribuſque textæ *Serviæ* & *Serta* dici cœperunt. Tandem ipſum *Coronæ* vocabulum *communicatum eſt, inter ſacra tantum & bellicos honores coronis ſuum nomen vindicantibus*, Plin. *d. l.* Nectebantur autem iſta prima ſerta ſeu coronæ è floribus, è gramine, ſalice, arundine, lana, lino, hedera, omnique adeò materia plectili, nexili, plicatili, tortili, flexili. Unde *plectiles* coronæ, Græcè πλεκτοί, florales nempe, quæ propriè dicebantur *plexiles*: eædem *pactiles*, Græcè πηκτοί, quaſi è floribus artificioſè mixtis compactæ, cujuſmodi coronæ ſummam auctoritatem fuiſſe, ait Plinius, *l.* 21. c. 3. Sed & *nexiles* dicebantur, item *tortiles*, Græcis πλεκτοί; quibus proximè acceſſerunt *cyliſta*, ſive *encyliſta*; *ſutiles* quoque aliæ, de quibus hic paſſim. Et prima quidem illa corona, quæ unum vinculi uſum præbuit, ex *Amerina ſalice* plectebatur: quali Megiſthen totos 10. menſibus fuiſſe evinctum, tradit Anacreon, *Carm. l.* 2. Vel ex *arundine vernacula*, quâ Lacedæmonii feſtis Promachiorum diebus ſeſe coronâſſe leguntur. Poſtmodùm ex herbis & floribus in hoc lectis, ut vim vini compeſcerent, coronæ factæ, inter quas [illegible] inprimis celebres, *ex roſa, ſmilace, ſemine albæ ſpinæ, herba hirſuta, gramine dactyli, ibeti & quinquefolio, è pulegio, amethyſto, thymagine, è capee, ex hedera, ex filo cui hæreret folium oleæ, in quo ſcriptum eſſet nomen Minervæ* &c. In conviviis autem coronas triplices habuêre Veteres quæ caput primò, dein frontem, tandem collum redimirent: iis addita unguenta. Præterea calices, januæ, miniſtri coronabantur. Nec ſine coronis ullius convivii apud Veteres mentio. A privata lætitia ad publicam mos tranſiit, unde *Coronæ feſtæ*, quæ conjiciebantur in eum, qui univerſorum ſtudiis excipiebatur. Vide ſuprà ubi de *Conjectu florum.* Ut verò hi flores primitus indiſcriminatim legebantur, ita ex indiſtinctis corollam ſibi quiſque plectebat, nullô aut exiguô coloris, odoris, nitoris, judiciô. Unde χύδην dixêre, quaſi *confuſè plexas.* At temporis proceſſu accuratè corona plexa ἔρον dicta eſt. Vide Athenæum, *l.* 15. & *Etymolog.* voce ἔρον. Quod nectendi coronas artificium, à Sicyoniis manaſſe, Plinius eſt auctor, *ex* 2. *cit. Hi dicuntur accendiſſe odores & colores, ex ingenio Pauſiæ pictoris, & Glyceræ coronariæ, dilectæ admodum illi.* Vide quoque eum, *l.* 35. *c.* 11. Conſiſtebat autem id, in floribus, foliis, herbis, ramulis invicem nectendis: quod fiebat eo filo, aut ſcirpo, Tertullian. *de coron. milit.* ſeu philyra, *Etymolog.* φιλύρα, & ſimilibus. Eratque hæc philyræ ſimplices primùm, h. e. nullâ arte fucatæ, aut diſſimulatæ, Plin. *l.* 21. *c.* 3. Publ. Claudius Pulcher primus bracteas addidit, i. e. bracteatas fecit. Acceſſerunt poſtmodùm lemniſci, ſeu faſciolæ è coronis pendulæ: quæ pro ratione coronarum, laneæ, lineæ, aureæ, cælatæ &c. fuêre. Porrò *corona* fiebat vel ex uno flore, ut *hypoglotto, iſthmia, Antinoia, lotina, pyiro, pacche, è palma, melilotina, cyliſton, ſtruthia, pothos è ſerpyllo, è myrto, tiliacea* &c. vel ex pluribus. Quorum locô pinnas alarum, Muſæ, apud Pauſan. *l.* 9. ſagittas Indi & Bactriani uſi, apud Prudentium, *Hamartig.* Atque hæ propriè *Coronæ convivales lautæ*, ſive privatæ, ſive publicæ, de quibus vide plura hic, ubi de *Convivialibus* & *Nuptialibus Coronis.* A' menſis ad ſacra uſu tranſlatô, ſimulachra ipſa Numinum coronari cœperunt. Inter quæ, Bacchus è *vite, corymbis, racemis, pampiniſque*; Juno ſimiliter è *vite*; Dioſcuri, ex *arundine*, ut & Fluronia; Apollo ex *arundine* primùm, inde *lauro*; Saturnus, è *ficis recentibus*, Jupiter è *floribus*; Hercules è *populo*; Pan, ex *pinu* & *ebulo*; Lucina è *dictamo*; Horæ, è *fructibus* unicuique tempeſtati anni propriis; Gratiæ ex *olea canis*; ut & Minerva; Venus ex *roſis*; Ceres è *ſpicis*; Lares è *myrto* & *rore marino*; Alii ex aliis, coronas habuêre. Quid? quòd luci, arbores, ſpinæ, termini, pari modô ornati fuêre? Sed & ſacris annumerandæ, quæ mortuis olim imponebantur, auctore Lycurgô; quod inſtitutum Lacedæmone Athenas, hincque Romam, migravit. Hæ Lacedæmoniis ex *olea*, apud alias gentes nunc ex *olea*, nunc ex *lauro*; quandoque è *liliis*, factæ ſunt. quarum locô Regibus mortuis, diademata impoſita, legimus. Hinc & mortuis ἐδίδοτο ὁ στέφανος, inquit Suidas, ὡς τὸν βίον διηγωνισμένοις, *data eſt mortuis corona, tanquam vita hujus agonem decertâſſent.* Quò alludens, apud Euſtathium, *Iſmen.* pater filii obitum acerbè deplorat, hiſque verbis proſequitur: πῶς σε νυμφοστολήσω τοῖς δάκρυσι, *quomodo te coronabo fletibus!* Eôdem modô Aſtyanacta nepotem Hecuba componit, apud Euripidem, *Troad.* Imo & urnæ mortuorum coronatæ, rogi item & ſepulchra, *apio, hyacinthis, liliis, ſertis* & *taxis*, vide infrà, inprimis in ultima has voce. Ut de *Coronis Diis dicatis* & inter ἀναθήματα in templis ſuſpenſis, nihil dicam: de quibus videre poteris, inter alios, Livium, *l.* 32. *c.* 27. ubi de *Corona aurea* ab Attalo Rege in Capitolio poſitâ, 246. pondo: Item, *l.* 36. *c.* 35. ubi de alia 100. pondo à Legatis Philippi ibidem dedicata &c. Certè, pars nulla divini cultus apud Gentiles coronis carebat, imò in ſolis coronis nonnunquam conſtitit; quomodo Dianam Epheſiam cultam eſſe, diſcimus ex Plinio, *l.* 21. *c.* 3. Neque verò Dii ſolum, ſed & homines, qui Diis ſacra faciebant, *coronati*, vittati, infulati, fuêre: Sacerdotes vidil. & Sacrificantes, quorum corona *oleagina* vel *aurea* fuit. Flamen autem *laureatus* erat. Etiam qui quidpiam Deo dedica-

dedicaret, liberetque; Flaminicæ quoque, Bacchæ, Veſtales, coronas geſtavêre. Porrò qui ab Oraculo Delphico, quod non niſi lautò coronati adibant, acceptò reſponſò, revertebantur, coronam unam capiti, alteram fronti, tertiam collo adhibuiſſe, Athen. ait, *l.* 15. Et in Supplicationibus, majores annis duodecim coronatos fuiſſe apud Romanos, idem Livius docet, *l.* 40. *c.* 47. Ipſas victimas fuiſſe coronatas, notiſſimum, *cupreſſo* inprimis & *pino*. Sed & domus coronabantur, ſacrò durante: alveiſtem, liutres, naves, vehendis ſacris adhibitæ; nec non equi & aſini, eidem uſui adhibiti: Aræ tandem, vide infrà *Cupreſſus*, nec non Altaria, Sacella, Ædiculæ, Templa, Vaſa, & Ciſtæ, in quibus ſacrificio neceſſaria condebantur. Sacris proximæ coronæ ſunt, quibus legimus coronati Magiſtratus, quæ apud Athenienſes ex myrto fuêre; Legati item, quibus verbena aut olea adhibita, Supplices, quibus myrtus itidem placuit; Vates, Viri fortes, bene meriti de Republ. &c. quorum omnium & ſtatuas coronari mos. Inprimis Hieronicarum celebris corona, quam illi in ſacris Ludis victores reportavêre. Vide ubi de hujuſmodi Ludis paſſim. Et quæ ex his notæ, Militares, *caſtrenſis* ſcil. *vallaris*, *civica*, *muralis*, *navalis*, *equeſtris*, *obſidionalis*, *ovalis*, *triumphalis* &c. Cujuſmodi coronas non ſinguli tantum adepti ſunt, verùm etiam interdum tota cohors, populus, publici Ordines, univerſi, totæ urbes: ut de Rhodiorum populo, apud Livium, *l.* 21. de urbe Athenarum, apud Ariſtidem, *Panathen.* de aliis apud alios legimus. Multum his diſſimiles illæ, quæ datæ ſunt coquis talibuſque voluptatum lenonibus, apud Sybaritas, Athen. *l.* 12. potoribus, apud Diogenem Laërtium in *Xenocrate*; ſycophantis, apud Diodorum Sicul. *l.* 12. & Magis, apud Scholiaſtem *in Theriac. Nicandr.* quæ plerumque ex myrica erant. Sed & ſervorum captivorumque venalium ſignum *Corona* fuit, de qua alibi. Inter Magiſtratus, ſuprà indigitatos, Imperatores, Reges, Duces, Comites, hodieque *Diademata* & *Coronas* geſtant, de quibus vide hîc paſſim, inprimis ubi de *Cidari*, *Diademate*, *Tiara*, item ubi de *Imperatoribus*, *Regibus* &c. Ut *Coronas*, quarum in ſupellectile quoque mentio, aliaque prætercam. In luctu contrà coronam nefas habitum, atque proin Æſchylus ἱκετ. ἐπὶ Θῆβ.

> *Πέπλων τε στέφη*
> *Πότ', εἰ μὴ νῦν, ἀμφὶ λιτὰς ἕξομεν*,
> *Coronas & pepla*
> *Ecquando potius quàm nunc, converſa ad ſupplices preces præ-*
> *ſiciamus?*

Uti Scholiaſtes interpretatur. Qui titus Polluci eſt *ἀναῤῥήγνυσθαι στεφάνους*: Nam tunc temporis, ſi coronæ jam eſſent allatæ, frangebantur, lacerabantur & abjiciebantur. Sic qui de hominis capite cognoſcebat, capiti detrahebat coronam, teſte Tulliò, *ad Attic.* Idem faciebant Romani, tempore quò Reſpubl. turbata eſſet, Plin. *l.* 22. *c.* 3. Bacchæ quoque, indignatione accenſæ, apud Oppianum, *Cynegetic.* *l.* 4. Tandem adimebantur iis lacerabanturque coronæ, qui indignos ſe muneribus honoribuſque, in quibus verſabantur, reddidiſſent; uti legimus apud Auctores paſſim. Sed & Chriſtiani olim *coronas* reſpuebant, eo quòd, ut prædictum, iis in Sacris inprimis ſuis ac idolorum cultu Gentiles uterentur; qui proin capitibus Chriſtianorum, cùm eos ad Sacra ſua compellerent, eaſdem omni ratione ingerebant. Hinc Cyprianus *de Lapſis*, *Ab impio, ſceleratoque velamine quò illic velabantur ſacrificantium capita captiva, caput veſtrum liberum manſit. Frons cum ſignò Dei pura, Diaboli coronam ferre non potuit.* Vide quoque Clementem Alex. *Pædagog.* *l.* 2. *c.* 8. Neque hoc ſolùm, ſed, ne quidquam cum Gentilium moribus commune haberent, etiam mortuos coronandi ritum repudiabant. Sic Tertullian. *de Coron.* *Quid tam indignum Deô, quàm quod dignum idolô? quid autem tam dignum idolô, quam quod & mortuò? Nam & mortuorum eſt ita coronari, vel quoniam & ipſi idola ſtatim ſiunt & habitu & cultu conſecrationis, quæ apud nos ſecunda idololatria eſt.* Vide iterum Clementem, *d. l.* Utrumque complexus, apud Minucium, Octavius Cæcilio objicienti, Chriſtianos capiti & ſepulchris coronas denegare, *Sanè*, reſpondet, *quod caput non coronamus, ignoſcite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitiò capilliſve ſolemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis —— non ſentienti coronam: cum & beatus non egeat, & miſer non gaudeat floribus. At enim nos exequias adornamus eâdem tranquillitate, quâ vivimus: nec adnectimus areſcentem coronam, ſed à Deo æternis floribus vividam ſuſtinemus.* Interim *floribus & ſparſis uti ac ſolutis, & ſertis colla complecti*, conſueviſſe, addit *ibid.* Plura hanc in rem, vide apud Plin. *l.* 21. *c.* 1. & *ſeqq.* Joh. Roſinum, *Antiqq. Rom. paſſim*, & Car. Paſchalium, *Coronarum libris*; uti de inveſtitura *per Coronam*, ſuô locô. Hinc *Coronaria* mulier nectendarum corollarum artifex, item quæ illas vendit, Græcè *στεφανοπλόκος*, ſeu *στεφανόπωλις*, vide infrà *Stephanoploros*. *Coronarium aurum*, vide ſuprà in voce *Aurum*, ut & pauló infrà: *Coronata luſtra*, apud Statium, *l.* 4. *Sylv.* 1. quibus ob *coronas* certabatur, ſingulis quinquenniis evolutis, vide M. Raderum, *Commentar. ad Martial.* *l.* 4 *Epigr.* 1. J.C. Bulengerum, *de Imper.* *l.* 3. &c. Adde quæ dicemus infra vocibus *Stemma*, *Stephania*, *Stephanomata*, *Stephanos*, *Stephuſa*, *Tænia*.

Coronarum, apud Priſcos, genera celebriora.

Antinoëæ *Coronæ*. Vide ſuprà.

Auguſtales, vide Paſchalium præfatum, *l.* 10. *c.* 7.

Aureæ, militibus ac Triumphatori datæ: quod primò à Poſthumio Dictatore ſactum refert Plin. *l.* 33. *c.* 2.

Caſtrenſis, ſeu Vallaris, quòd valli inſigne haberet: donata ei eſt, qui primus hoſtium caſtra pugnans intravit. Fuit ex auro, vide ſuprà.

Cereæ, apud Artemidorum, *l.* 1. *c.* 79. ubi illas omnibus, maximè verò ægrotantibus, malum portendere, ait. Contineri illis aliquid Magicæ ſuperſtitionis ſubintum videtur. Paſchal. *l.* 4. *c.* 4.

Chydæa, vide ſuprà.

Civica, è quernа fronde; item ex ilice, præmium ſervati in prælio civis. Talium 24. accepit Sicc. Dentatus.

Claſſica, dabatur Ducibus, ob rem mari egregiè geſtam. Vide infrà *Roſtrata*, item *Navalis*.

Cyliſtiæ, vide *Encyliſtia*.

Donaticæ, vide infrà.

Ellotis, vide infrà *Ellotia*, & *Myrtea corona*.

Encyliſtiæ, vide infrà ſuô locô.

Ἔρως dicta eſt corona, quæ non ex floribus indiſtinctis fiebat, ut Chydææ; ſed in quibus pro ratione coloris, nitoris, odoris, flores artificiosè ſeligebantur. Vide Car Paſchal. *l.* 2. *c.* 12.

Exploratoriæ, à Caligula inventæ, quas ipſe Solis, Lunæ, ſiderumque ſpecie diſtinxit, Sueton. *in eo*, *c.* 4. & 5. Vide quoque Paſchal. *l.* 9. *c.* 10.

Ferales, quæ geſtantem necent, de quibus vide Plin. *l.* 21. *c.* 3.

Feſtæ, dictæ ſunt, quòd *more Romanò feſtis ludis omnis ætas coronata ſpectabat*, Serv. *Æn.* *l.* 5.

Floreæ, antiquiſſimæ & honoratiſſimæ fuêre: de quibus vide Paſchal. *l.* 2. *c.* 13. &c.

Funebres, vide ſuprà: item ubi de *Cadaverum cura*.

Graminea, in re militari, maximæ honorationis. Vide *Obſidionalis*, & Car. Paſchal. *l.* 4. *c.* 11. & *l.* 7. *c.* 16.

Hederacea, vide infrà ubi de *Hedera*.

Hetruſcæ, aureæ erant & gemmatæ, vide Paſchal. *l.* 2. *c.* 12. & *l.* 8. *c.* 6.

Hiſtrionicæ, vide eundem, *l.* 9. *c.* 1. & infrà, in voce *Cotinus*.

Hypoglottis, in fine convivii data, vide Paſchal. *l.* 2. *c.* 4.

Hypothymides, *Ibid.*

Imperatoria, vide *Diadema*.

Inverſa, non minùs ac lapſa, aut rupta, mali ominis erat, de qua vide Paſchal. *l.* 4. *c.* 13.

Lanea, in expiatorìis & Magicis ſacris receptiſſima; apud Plin. *l.* 21. *c.* 3. Propert. *El:* 5. *l.* 3. &c. Eâdem nova Nupta coronabat januam mariti, apud Paſchal. *l.* 2. *c.* 16. Homerum Plato, *ibid.* Sed & adulteri hâc alicubi cincti &c. Vide quoque Barthium, *Animadverſion. ad Statium*, *l.* 2. *p.* 112. & *l.* 3. *p.* 724.

Laureæ, Imperatorum, Poëtarum, aliorum, vide infrà.

Lemniſcata, vide itidem infrà.

Lineæ, vide Paſchal. *l.* 2. *c.* 12.

Longæ, quarum mentio in XII. Tabb. dictæ ſunt ad differentiam rotundarum, qualibus buſta, ſepulchra, ſellæ curules, theatra & currus triumphales exornari conſuevêre.

Ludicræ, vide infrà.

Martyrum, è floribus. Paſchal. *l.* 2. *c.* 15.

Militares, vide ſuprà aliquid, & plura infrà, ubi de *Militibus*, & *Militari corona*.

Muralis, velut muri pinnis decorata, dari ſolita eſt ab Imperator. ei qui primus hoſtilem murum ſubiit. Talium tres meruit Sicinius Dentatus.

Myrtea, non conviviis ſolùm, ubi tum capiti ornando, tum, flabelli locò, muſcis abigendis, ut apud Athenienſes, adhibita eſt; ſed bellicis quoque ſa rebus inſervit, Plin. *l.* 15. *c.* 29. Ovationis inſigne, Poſthumio Tuberto primùm collata. Vide infrà ubi de *Myrto*.

Navalis, vide infrà.

Nuptialis, itidem.

Obſidionalis, quam ii, qui liberati erant ab *obſidione*, Duci liberanti dare ſolebant. Harum unâ donatus eſt ſuprà memoratus Sicin. Dentatus, miles fortiſſimus; è gramine fuit.

Oleagina, præmium erat in Olympicis ludis victorum.

Ovalis corona myrtea fuit, quâ Imperatores, qui ovantes introibant urbem, donati ſunt. Vide ſuprà *Myrtea*.

Pactilis, vide in hac voce.

Pampinea, vide ubi de *Pampino*.

Pancarpiæ, vide Paſchal. *l.* 2. *c.* 13.

Corona è panibus, vide ſuprà *Buccellatum*, & infrà *Corona Oblationis*, *Panis*.

Plectilis, dicta eſt corona ex integra fronde lauri plexa, apud Plautum, in *Bacchid. Actu* 1. *ſc.* 2. *v.* 37. & A. Gellium, *Noct. Attic*, *l.* 18. *c.* 2. Vide quoque infrà.

Plumea, cum pennis tribus puniceis aut nigris, longitudinis ferè cubitalis, militibus conceſſa eſt, ut aſpectu pulchri, hoſtibus verò terribiles evaderent. Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Papinium Statium*, *l.* 2 *p.* 936.

Plicatiles, apud Paſchal. *l.* 1. *c.* 13.

Pontificia, vide infrà *Regnum*, *Triregnum*.

Pſilinæ, *Ibid.* *l.* 6 *c.* 21.

Quercea, eadem cum *Civica*.

Radiata, Diis majorum gentium, & præcipuè Soli, Jovi & Baccho attributa eſt: ad cujus ſimilitudinem Viri Principes, qui Dii haberi volebant, ſimilem geſtabant, ut de Auguſto, aliiſque legimus. Vide Car. Paſchal. *l.* 9. *c.* 13.

Refrigerantes, vide ſuprà.

Regia, vide infrà *Regnum*.

Roſea, vide infrà.

Roſtrata, itidem.

Rutilæ, vide Paſchal. *l.* 8. *c.* 5.

Sacerdotalis, *Ibid.* *l.* 4. *c.* 13.

Sacræ, vide infrà.

Salutis, vide infrà *Liberati*.

Spicea, Cereris fuit; vide *Spicea* infrà.

Spinea, infauſta. Vide Paſchal. *l.* 7. *c.* 15.

Stellata, *Ibid.* *l.* 9. *c.* 14. Vide quoque *Radiata*.

Subtiles quæ... dictæ, vide infrà.

Tonſa, ſeu *Tonſilis*, plectili oppoſita, texebatur è foliis detonſis & ex mero folio faniculis ſuebatur. Vide Salmaſ. *ad Solin.* Serviumque *ad iſtum Virgilii verſum*, *l.* 3. *Georg.* *v.* 21. *Ipſe caput tonſæ foliis ornatus olivæ.*

Tortiles ſeu *Volubiles* aut *Volventes ſe*, dictæ ſunt in quas tantùm admiſſæ ſunt, res orbiculares, poma, & fructus ii, qui dentiſcali erant, præ herbis & foliis, quæ molliora à volvendo. Vide Paſchal. *l.* 2. *c.* 13.

Triumphales ex auro fuêre, quæ à ſociis & amicis gentibus mittebantur Imperatoribus, atque in triumpho præferebantur, numerò ſæpè admodum frequenti. In Scipionis Aſiatici triumpho *aureas coronas ducentas triginta quatuor* Livius: in Cæſaris, *duo millia octingentas viginti duas* Appianus, numerant. Id vulgò *aurum Coronarium*: olim ex lauro erant, propter

propter paupertatem; ut *Feſtus* affirmat. Vide A. Gellium, *l.* 5. c. 6. & Paſchal. *l.* 8. c. 1. & *ſeqq.*

Vallaris, valli habebat inſigne, dabatque militi ſolita eſt, qui hoſtile vallum pugnam intrоit: eadem cum *Caſtrenſi*, de qua ſuprà.

Virginea, partim Junoni, partim Baccho, in uſu erat, ut diximus retrò.

Volubiles dictæ, quæ volvi poſſunt, utpote ex pomis fructibus fructibusque duris nexæ, vide ſuprà *Tortiles* &c. & quarundam *Coronarum* præfatarum icones apud Roſinum *in Antiqq. Rom.* De *Coronis* verò illis, de quibus prolixiùs dicendum erat, hîc infrà.

CORONA, ſignum cœleſte ſupra humerum Arctophylacis eſt, novem ſtellis conſtitutum in orbem diſpoſitis, cum Scorpione exoriens, occidens autem exoriente Cancro, Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 221.

Antè tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Gnoſſiaque ardentis decedat ſtella Coronæ.

Manilius, *Aſtron. l.* 1.

At parte ex aliâ clarô volat orbe Corona,
Luce micans variâ, nam ſtellis vincitur una
Circulus in medio radiaus, quæ proxima frontem
Gnoſſia deſertæ fulgent monumenta puellæ,
Candidaque ardens diſtinguit lumina flammâ.

Vide *Ariadna.*

CORONA, ornamentum quod in ædibus ſacris pendebat, apud Anaſtaſium Bibliothecar. cujus typum ex *Martyrologio* quodam membranaceo Bibliothecæ Vaticanæ, & Templo S. Clementis Romæ, exhibet Domínic. Macer in *Hierolex.* Addit frater Carolus, ante Imperatorem Græcorum lampades duas coronatas, *στεμματα*, i. e. *coronas*, Baliamoni dictas, olim deferri conſuevisse, ut indigitaretur, ad Majeſtatem Imperialem ſeu *coronam* rerum divinarum ac humanarum curam ſpectare: unicam verò, ante Patriarcham, quòd ſola ſpiritualia ad ipſum ſpectarent; ante Imperatricem ſimiliter unicam, quòd non niſi humanarum rerum ei cura eſſet &c. Idem nomen eſt nummi aurei Francici, apud Car. du Freſne in voce *Moneta.* Item candelabri, in modum *coronæ* ac circuli, variis lucernis inſtructi, à Templorum laquearibus dependentis, apud Anaſtaſium in *Sylveſtro Pontif.* &c.

CORONA Clericalis, in Communione Romana, dicitur tonſura Clericorum eorumque, qui ſacris Ordinibus initiati ſunt, in modum *coronæ* facta, *παπαλήθρα* Græcis recentioribus. cujus inventionem Petro Apoſtolo videtur tribuere Gregorius Turonenſ. *de Mirac. l.* 1. *c.* 28. è quo colligitur, fuiſſe illam olim talem, ut ſuperior omnis capitis pars nudaretur, circulus in infima capillitii parte coronam formaret. At poſterioribus ſeculis coronulam ſub fronte detuliſſe Clericos, auctor eſt Ethelvredus, *l.* 4 *c.* 9. &c. De *Corona* Athletarum, ad cujus imitationem fortè hæc excogitata, vide ſuprà, ubi de *Circumtonſis*, it. voce *Campio.* Hinc, quia in eadem Eccleſia inſigne hoc Clericatus ac Sacerdotii præcipuum, *Corona* ipſa dignitas Clericalis, Sacerdotalis, Epiſcopalis, imò & *Pontificalis*, dici: atque hâc voce, ut illuſtri honoris titulô, ipſi Epiſcopi atque Pontifices compellari cœperunt Vide Synodium, *l.* 4. *Ep.* 22. *ad Symmachum*, alios, quâ notione Græcos Patres *στέμμα* uſurpaſſe, diſcimus ex Concilio Epheſ. *part.* 2. *Act.* 3. *initiô.* Unde *Coronati* quoque, pro Clericis, Hiſp. *Clerigos de Corona*: quemadmodum Gentilium etiam Sacerdotes dicuntur, Innocentio *Lyriſ. ad Epiſc. in Synodo Tholoſ.* & Firmico, *Matheſ. l.* 3. *c.* 4. *c.* 7. *c.* 14. &c. De *Benedictione Coronæ*, quæ ad Abbates pertinet, ſeu *prima Tonſura*, vide Auctores Car. du Freſne laudatos, & plura hanc in rem infrà paſſim, imprimis in vocibus, *Papalethra*, *Platta*, *Tonſura*: Adde Macros Fratres in *Hierolex.*

CORONA Honoris, memoratur Corn. Nepoti, *Thraſybulo*, c. 4. *Huic pro tantis meritis, honoris Corona a populo data eſt, facta duabus virgulis oleaginis: quæ quod amor civium, non vis, expreſſerat, nullam habuit invidiam magnaque fuit gloria.* Nempe in Græciæ civitatibus, maximè autem Athenis, ſi quis de Republ. bene eſſet meritus, huic corona ex duabus virgulis oleaginis, præmium dari ſolita eſt, quæ ejus capiti imponebatur, cùm vel ſacrorum, vel ludorum cauſâ, maxima undique hominum turba conveniſſet. Accedebat Præconis elogium, & ut ita dicam, ſuperdictum, proclamantis habere *τῷ δεῖνα* hunc honorem: *Εἵνεκα ἀρετῆς τῆς ἑαυτοῦ*, Caſaubonus, *ad Nepotis loc.* vide & Meurſium in *Arboreta ſacro*, præter Paſchal. *Opere Coronar. l.* 6 *c.* 9. & 16. Uti de *Coronis aureis æneiſque*, quibus à populo Alcibiades donatus, apud eundem Nepotem, *in eo*, c. 6. Gebhardum, alioſque: de *Corona* itidem *aurea*, Damaretæ Gelonis uxori à Carthaginienſibus donata, Diodor. Siculum, *l.* 11.

CORONA Natalitia, præ foribus die tertiô apud Romanos quintô apud Græcos ſuſpenſa, publicè teſtabatur gaudium ob recens natum infantem. Juvenal. *Sat.* 9. *v.* 85.

---- *Foribus ſuſpende* coronas,
Jam Pater es. -- -

Quam ob cauſam, notante Meurſiô, *Attic. lect. l.* 4. *c.* 10. Puerperæ domus *coronata*, *εὐστεφής*, dicta eſt. Ad eaſdem *coronas* alludit Nonnus, *Dionyſ. l.* 25.

Βακχίῳ *τίκτουσα* *ἔθηκα* *λεχωΐδα*, *ταῦτα* *Λυαίῳ*.
Bacchi coronas haſce puerperis condecentes, haſce Lyæi.

Fuêre autem hæ *Coronæ* eædem ferè, quibus Nuptialium feſtô frontem crineſque haſtâ compoſitos cinxerat nova Nupta, in honorem Laris familiaris, foribus præſidentis. Ita enim aliàs quoque in nuptiis poſtes *coronati*, vel ad arcendum faſcinum, ex Hetruſca ſuperſtitione, quomodo & anterior lecti pars ornabatur, vel potiùs ad Veſtam, cui poſtes ſacri, placandam, quæ in puerperio viſa ſibi erat læſa & alioquin, ut Junonis ſoror, ad puerperium aliquid conferat; vel denique in amoris victoriam, qua de re pluſibus hîc infrà. Addendum hoc, Athenis maſculis oleagineam coronam ſuſpenſam, laneam fœmellis, uti apud *Heſychium* legimus. Romanis laurea, ob generis perpetuitatem & hedera apiumque certarumque herbarum fragrantium corollæ ſolebant adhiberi. Vide Thom. Bartholin. *de Puerperio Veterum*, *cum Notis eruditis* Caſpari filii.

CORONA Nuptialis, olim celebris in uſu. Apud Hebræos, in ipſa deductione ſeu nuptiis, Sponſos antiquiſſimis jam temporibus *coronari* ſolitos fuiſſe, *in Miſna* legimus. Et quidem Sponſi *Corona*, ſive aurea, ſive argentea, ſive ex ſale toſto formata, atque ſulphure depicta, ſive roſea, ſive myrtea, ſive oleagina: Sponſæ aurea ſeu aurata, ſcilicet formâ עיר של זהב *urbis aureæ* ſeu turritâ, qualem Deûm Matri vulgo tribui conſueviſſe, *ſuô locô* dicemus, erat: pro varia nempe Neogamorum conditione. Qui mos duravit, uſque ad ſecundi Templi excidium, a quo tempore, uti ritus ramorum myrti ac palmarum, cum cantu, præferendorum, ita & *coronæ* hæ prohibitæ ſunt; Job. Seldenus, *Uxor. Hebr. l.* 2. *c.* 15. Nec minùs, apud veteres Paganos, frequens *Coronarum nuptialium* mentio. Bion certè *Epitaph. Adonidis* *στέφος* *γαμήλιον* memorat. Et Clytemneſtra apud Euripidem Achilli, de Iphigenia, inquit:

---- ---- ---- *Ἀλλ' ὅμως*
Σοὶ κατεστέψασ' ἐγώ νιν ἦγον ὡς γαμουμένην.
Attamen
Ego coronans eam adduxi, tanquam nupturam.

Vetus quoque apud Ciceronem, *de Orator. l.* 3. Poëta.

Sed mihi cùm retulit coronam, *ob collocandas Nuptias,*
Tibi ferebat, tum ſimulabat ſeſe alteri dare;
Tum ad te, ludibunda doctè & delicatè detulit.

Vide quoque Lucanum, *Pharſal. l.* 2. ubi de Marciæ nuptiis agens; eandem ſimiliter ſuccinctam facit, Libanium, *Declam.* 8. Artemidorum, *Oneirocrit. l.* 1. *c.* 79. Alios. Apud Adolphum Occonem nummus Adriani Aug. idem repræſentat, cujus parte alterâ, CONJUGIUM AUG. alterâ, M. P. T. NOB. in *Corona.* Nec conjectora deeſt, duplicem fuiſſe Sponſæ *Coronam*, ex illo Valerii, *Argonaut. l.* 8. *v.* 235.

---- *Ipſa ſuam* duplicem *Cytherea* Coronam
Donat. -- -

Materies ita adhibita pro arbitrio, ut videtur, & variâ Sponſorum conditione. Et lixorarum coronas hujuſmodi ex *ἀσφαράγου* (an aſparago?) fuiſſe, ſcribit Plut. *in Præc. Conjug.* Atque ſiſymbriô coronari ſolitos ſponſos, eliciunt aliqui ex illo Ariſtophanis, *Act.* 6. ubi cùm Epops dixerat, ſuis in hortis paſcere alba ſeſama, myrta, papavera, & ſiſymbria: reſpondet Euelpis,

Ὑμεῖς μὲν ἄρα ζῆτε νυμφίων βίον.
Vos igitur vivitis Sponſorum vitam &c.

Vide de his fusè agentes Auctores, apud præfatum Seldenum *ejuſd. lib.* c. 25. Sed & idem mos in Occidentali Eccleſia, non tamen circa Digamos, retentus; Unde inter ritus Eccleſiæ hujus matrimoniales priſci recentiorique ævi, quorum aliqui ſummarim deſignantur in illo Nicolai I. Pontif. ad Bulgaros *reſponſo*, ſub A. C. 860 poſt ſponſalia, arras, annulum, dotem dictam, benedictionem in Templo & velamen, memorata, iſta habentur: *Poſt hæc autem de Eccleſia egreſſi* Coronas *in capitibus geſtant, quæ ſemper in Eccleſia ipſa ſolitæ ſunt reſervari. Et ita, feſtis nuptialibus celebratis, ad ducendam individuam vitam, Domino diſponente, de cætero diriguntur.* Formulam benedicendi in Nuptiis tum annulum, tum *Coronam* hujuſmodi, ex veter. Liturgiis hanc obſervavit Laur. Pignorius, *Ep.* 8. & 19. *Benedic Domine annulum iſtum*, & Coronam *iſtam, ut, ſicut annulus circumdat digitum hominis, & corona caput, ita gratia Spiritus S. circumdet Sponſum & Sponſam, ut videant, filios & filias, uſque ad tertiam & quartam generationem* &c. In Orientali non minus idem viguit, qua de re, ut & aliis Paganiſmi ritibus Nuptialibus, rectè Antonius Gibertus JCtus, *l. de Sponſal.* 4. *de Ritu Nupt.* §. 34. *Cùm pietate*, inquit, *& induſtria Conſtantini idolorum cultus ubique gentium exoleviſſet, ritus Nuptiarum indifferenter, qui magis ad ornatum & celebritatem earum, quàm ad ullum impium cultum, vel jam abactam Idololatriam pertinebant, Chriſtiani in uſum revocamus, atque ideo nubentium coronas.* Vide iterum Seldenum, *c.* 25. *loc. cit.* atque infrà ubi de *Nuptiis.* De *Corona* baptizatis ex myrto vel palma aliiſque ſimilibus, apud Æthiopes, imponi ſolita, Vide Severum Alexandrinum, *de Rit. Bapt. ſub fin.* & Anſelm. Solerium de *Pileo ſect.* 4. &c.

CORONA Oblationis, in Roman. Eccleſia, dicitur panis benedictus, in modum *Coronæ* ſeu formâ rotundâ confectus: quâ panes gradiles olim fuiſſe, dicemus infrà. Vide & infrà in *Oblata.* In eadem Communione, *Coronam de Racemis*, quam annuatim debebant Abbates & Conventus Humolarienſis, memorat *Charta* Ludovici Galliæ Regis A. C. 1203. apud Car. du Freſne. Ut de *Corona linea Laicorum Militum*, quarum mentio in *Conſtitut.* Petri Epiſcop. Ruthenenſis, Legati Apoſtolici ut vocant, in Cypro A. C. 1313. de *Corona cum delphinis & liliis*, de quibus Car. du Freſne in *Deſcr. S. Sophiæ num.* 48. de variis monetis Francicis, quibus *Corona* expreſſa, inter quas eminent *Denarii aurei cum corona*, Gall. *Deniers d'or fin à la couronne*, & ſimpliciter *Couronnes* & *Couronnes de France* Froiſſardo *Tom. VI. capp.* 26. 64. 66. ſub Carolo VI. cuſis &c. nihil addam. Non tamen omittendæ, *Coronæ*, quæ apud Vitruv. *l.* 3. *c.* 3. ſubjiciebantur cameris, tenuis ſubtiliſque operis, ac aliquando ex cupro, aliquando ex marmore Cretico producebantur, & modò puræ, modò cælatæ fiebant: Quem ornatum cum laquearibus quidem malè confuderunt; cùm trulliſſatis politiſque cameris ſubjicerentur. *Ὑποχείρωσις* dici iſtiuſmodi *Coronarum* opus quibuſdam

videtur, *Ep. 6. Pontif.* idque à chartæ tenuitate ac ſubtilitate, & idem eſſe, quod ὑποπαλαίωτοι. Aliud tamen ſentit Salmaſ. quem vide omnino *ad Vopiſc. in Aureliano*, *c.* 46. ut & Philandrum ad *Vitruvium*, ac infrà voce *Gypſum*, item *Hypochartoſis*.

CORONA Regia, Ordo Equeſtris à Carolo M. inſtitutus, cujus inſigne *Corona*, cum lemmate, *Coronabitur legitimè certans*. Favin. *theatr. Eq. l.* 3. *p.* 528. *Mart. Antonius*.

CORONÆBURGUM, arx permonita Daniæ, in Zeelandia Inſul. juxta Helſingoram, *in* anguſtiis Sundici Freti, ex adverſo Helſinburgi Scaniæ, cum palatio ſuperbiſſimo. Illic vectigal in ſingulos malos. Extructa à Friderico II. A. C. 1577. capta eſt à Suecis A. C. 1659 ſed reddita Danis.

CORUNÆUS Sinus, inter eos, quibus ora Peloponneſi alluitur, memoratur Plinio, *l.* 4. *c.* 5. ubi eorum decem enumerat, Corinthiacum primum, ad Iſthmum ipſum, Chelonatem ſinum, Cypariſſium, Aſinæum, *Coronæum*, Laconicum, Ægylodem, Gytheatem, Argolicum & Saronicum, addens: *Tot ſinus Peloponneſi oram laciniant*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 140.

CORONARIUM Æs, memoratur Plinio, *l.* 33. *c.* 9. & *l.* 34. *c* 8. *extr.* ubi inter alia, *In Cyprio* (ære) *coronarium & regulare eſt utrumque ductile*. Coronarium *tenuatur in laminas, taurorumque felle tinctum ſpeciem auri in coronis hiſtrionum præbet*. Nempe hiſtrionicæ coronæ regias formâ quidem imitabantur, ſed materia differebant, illæ quippe ex auro, hæ ex ære: quod æs pars fuit æris Cyprii tenuiſſimi. Ocyſſimè autem illud æruginem contrahebat, recrementis in acetum additis. Hinc inter σκευοποιΐα ſeu *indumenta* Hiſtrionum apud Pollucem, *l.* 4. *c.* 18. connumerantur ..., ... ; quibus redimiebantur illi hiſtrionici Atridæ, Agamemnones, Ulyſſes, taleſque alii. Quanquàm & hiſtrionibus quandoque coronæ datæ ſunt, non ex auro hujuſmodi ementito, ſed, uti Olympicæ, ex vero: quales Favonium Ædilem Pleb. Romæ in ſpectaculis exhibuiſſe, Plutarchus eſt auctor *in Catone*. Vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 9. *c.* 5.

CORONARIUM Aurum, de quo ſic A. Gellius, *l.* 5. *c.* 6. *Triumphales coronæ ſunt aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. Id vulgò dicitur* aurum coronarium: *hæ antiquitùs è lauru erant* &c. Verùm non tantùm coronæ, ſed aurum poſtea ad coronas miſſum, etiam cum gravi exactione, in aliis cauſis, vide *tit. Cod. l.* 10. *de Auro coronario*, Lipſium, *de magnitud. Rom. l.* 2. *c.* 9 &c. Hoc non decreſcebat, in probatione obruſſæ: *Id enim quod voluntate offertur, non debet conſequi neceſſitatis injuriam*, *l.* 4. *de auro Coron.* i. e. non debet ſubjectum eſſe illi acerbitati, quæ adhibetur in illo, quod neceſſariò præſtatur: quæ acerbitas in collatione voluntaria pro injuria eſſet. Idque meritò, *Nam quæ domi contingunt, minus ſcrupuloſè probantur*, ut ait Columella, *l.* 9. *c.* 8. Peccavit ea in re Nero, quum parans expeditionem adverſùs Vindicem, exigit ingenti faſtidiô & acerbitate nummum aſperum, argentum puſtulatum, aurum ad obruſſam: ut pleriique omnem collationem palàm recuſarent. Galba non minùs, quum oblatâ ad conflandum à Tarraconenſibus è vetere Templo Jovis coronâ aureâ librarum quindecim, tres uncias, quæ ponderi deerant, juſſit exigi, teſte Suetonio. Vide Joh. Frider. Gronov. *de Pec. Vet. l.* 4. *c.* 13.

CORONAS bibere, quid apud Veteres vide infrà voce *Flos*.

CORONAS in Deorum pulvinar jaciendi ritus, indigitatur Capitolino in *Marco*, *c.* 4. *In Saliatu omen accepit Imperii, coronas omnibus in pulvinar ex more jacientibus, aliæ aliis locis hæſerunt, hujus, velut manu, capiti Martis aptata eſt*. Ubi quod de Saliis ſolus hic Auctor habet; de reliquis etiam Divis alibi legimus, in eorum ſcil. pulvinaria & ſtatuas jaci coronas & flores omne genus, diebus præſertim feſtis, conſueviſſe. Unde in Deorum cultu στέφανος etiam ponit Juſtinus *Apologetico*, ubi ... στεφάνων, i. e. *ſutilium coronarum*, quas ... vocat *Heſychius*, meminit. Salmaſ. *ad locum*. Vide quoque ſuprà in voce *Conjectus*.

CORONATI, militum genus, quorum cohortis meminit Theophanes, *p.* 43. ubi de Valentiniano, poſtmodùm Imperatore, Τριβοῦνος τότε ὢν τάγματος Κορνουτῶν λεγομένων ..., *Tribunus tunc cohortis Coronatorum*. At Κορνούτων reſtituunt Viri docti, Car. du Freſne, *Gloſſar.* Sed & *Coronatus*, pro *Sacerdote*. Licèt enim Joſephus, *Antiqq. l.* 3. *c.* 8. ſoli Pontificiæ cidari *coronulas* adſcribere videatur, Lyranus tamen *in c.* 39. *Exod.* in Sacerdotali quoque eas agnoſcit; non quidem aureas, quales Pontificum erant, ſed byſſinas, quò trahit is locum Exod. *c.* 39. *v.* 25. Et ab his, apud Auguſtin. *Serm.* 53. *de Temp.* Simeon inter alia *coronatus* appellatur; quod licèt quidam de multis ejus operibus bonis accipiant, alii tamen ex ſententia, de corona Sacerdotum Judaicorum capite, denominationem arceſſunt. Namque & ſuam Sacerdotio quoque Coronam fuiſſe, etiam Rabbi Simeon in *Capitul. Patr.* teſtatur: *Tres ſunt coronæ, corona Legis, Sacerdotii & Regni: corona autem boni nominis aſcendit ſuprà omnes*. Sed & apud ipſos Ethnicos, *Coronatum* idem ſonare, quod gerentem Sacerdotium, probat Car. Paſchal. *de Coron. l.* 4. *c.* 13. ex eo, quòd Theopur, apud Plutarchum *de Socr. Dæmon.* jugulans Cabirichum Sacerdotem, Tyrannorum fautorem, dixit: *Jace cum his, quibus es adulatus: Neque enim liberis Thebis ita coronaberis*, i. e. *Sacerdotium geres*. Mox enim addit: *Neque poſt hac ſacrificés illis Diis, quorum Numina perjuriò violaſti, dum ſæpe pro hoſtibus vota feciſti*. Tertullianus item, *l. de Idol.* memorat aureas provincialium Sacerdotum coronas: & Prudentius *coronâ retexam aureâ* Sacerdotem ſcribit. *Periſteph. Hymn.* 14. *v.* 1014. Ita ergo apud Hebræos omnes Sacerdotes coronati: ſi non ex auro, quod Pontifici proprium, ſaltem ex byſſo vel lana. Pontificem autem aureâ ſplendere par fuit, utpote reliquorum caput, & veri Pontificis noſtri JESU CHRISTI inſignem typum. Celebrat magnificè eam cidarim, Siracides, *c.* 45. *v.* 14. ubi tegmen illud vocat *gloriam honoris, opus virtutis* ſeu *fortitudinis, deſideria oculorum ornata* &c. Vide etiam Proſp. Stellartium *de Coronis*, & Anſelm. Solerium *de Pileo*, *ſect.* 13. Imò & *Coronati dicti*, in Eccleſ. Oriental. in Nuptialibus ſacris Sponſi, vide infra.

CORONATOR, apud Anglos, officialis Coronæ perveruſtus, ad tuendam pacem & dignitatem regiam, in quovis Comitatu, populi ſuffragiis conſtitutus. Olim non minor Equite auratô, ſed diminutâ hodie poteſtate, quatuor plerumque eliguntur, qui in exquirendis homicidis operam præſertim navant. Univerſis præeſt Capitalis Juſticiarius Banci Regis, qui hinc *Summus Angliæ Coronator* habitus eſt. Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.*

CORONATUS, nummi genus. Hic ſive aureus, drachmâ aurei cenſetur; ſive argenteus, ſuperat uncialem, quem *Thalerum* vocitamus, duabus drachmis, & propterea decem habet denarios, proportione Romæ & Athenis bonis temporibus obſervatâ. Aliàs *Scutatus* dictus: quem ſtuferis ſexaginta æſtimat Fridericus Gronov. *de Pec. Vet. l.* 3 *c.* 7. Vide eundem, *l. eod. c.* 8. Sed & *Coronatus*, nummus aureus Ducum Burgundiæ & Comitum Flandriæ fuit, apud Froiſſardum, *Volum.* 4 *c.* 27.

CORONE, hodie vocatur, urbs Tranſylvaniæ, quæ olim *Samozageuſa*. Vide *Corona*.

CORONE, olim Colonia Thebanor. Urbs Peloponneſi Meſſeniorum, *Plin. l.* 4. *c.* 5. Sita ſub monte Thermatio. Oppid. Achajæ, à quo *ſinus Coronæus*, Strabo, *l.* 8. *Corone urbs eſt mari vicina, & hanc nonnulli Pedaſum a Poeta nominatam eſſe inquiunt*. In Provinc. *Belvedere*, egregiè munita cum portu capaci: Venetis erepta eſt à Bajazete II. *Baudrand.*

CORONE, pars Salaminis in Cypro. Item urbs Bithyniæ. *Steph.*

CORONEA, urbs Bœotiæ à *Corono*, Therſandri filio. *Steph. Byzant.* In hac talpa nulla apparet, cùm alioqui per totam Bœotiam talpæ ſint. Et ſi quis aliunde in Coroneam regionem inferat, vivere non poſſunt. Sita eſt locô editô, prope lacum Copaidem, ubi Cephiſſum fluv. recipit, inter Chæroneas ad Occaſum, & Copas ad Ortum, 20. milliar. à Theſpiis in Boream, 10. ab Orchomeno in Auſtrum. Nunc parvi momenti; Sub Turcis. Altera civitas eſt Peloponneſi, Sicyonis & Corinthi, alia Phthiotidis; eſt etiam Ambraciæ caſtellum, & Cypri civitas. Plin. *l.* 4. *c.* 7. Strab. *l.* 9.

CORONIA, vulgò *Landskron*, urbs Scaniæ provinc. in ora littorali Freti Sundici, cujus portu, è regione Huenæ Inſul. Nunc Suecis paret.

CORONIS, Dea fuit, quæ in Sicyone colebatur, cujus tamen ſimulachrum peculiare templum nullum habuit, ſed, cum ſacrificii tempus acceſſit, id in Palladis ſacrarium transferebant, honoreque proſequebantur.

CORONIS, quæ & Arſinoë, Phlegyæ, vel, ut alii tradunt, Leucippi filia; quæ, cùm formâ eſſet non inelegantis, Apollini placuit, à quo & vitiata & gravida facta eſt. Verùm cùm poſteà Iſchidi cuidam Theſſalo, mutuò ejus amore capta, ſui copiam faceret, à Corvo, cui ob nuntium candor pennarum in atrorem tranſiit, deprehenſus eſt, ex quo cùm Apollo amicæ perfidiam cognoviſſet, telis eam confodit, puerumque (qui poſteà Æſculapius dictus eſt) ex utero ejus exemptum Chironi Centauro tradidit educandum. Alia, Coronæ, Phocidis Regis filia, vim Neptuni fugiens, in cornicem à Minerva transmutata, garrulitate ſuâ paulò poſt, gratiâ excidit. Ovid. *Met. l.* 2. *fab.* 7. 8. & 9.

> *Pulchrior in totâ quàm Lariſſæa Coronis*
> *Non fuit Æmoniâ.* ——

CORONIS, nota quam Veteres in fine librorum ſuorum ſubjungere ſolebant: *Hanc lineam brevem ab inferiore parte flexam fuiſſe*, annotavit Cœl. Rhodig. *l.* 15. *c.* 20. Alii Romanis priſcis in uſu poſitum dicunt, ut non minùs frontiſpicia librorum, quàm finem, creſcente Lunæ imagine ſignarent. Unde lux adagio, ἀπὸ τῶν ἀρχῶν μέχρι τῆς Κορωνίδος, *a principio ad Coronidem*. Schrevelius in Martialem, *l.* 10. *Epigr.* 1. *v.* 1.

> *Si nimium videor ſeràque coronide longus*
> *Eſſe liber; legito pauca, libellus ero.*

Ait: *Coronide*, i. e. *fine*, *ſignô abſoluti operis in calce libri poſitô, hâc figurâ V. vel 7. ala ſcilicet cornicis: tranſlatione ab ædificio, cujus jam abſoluti faſtigia apponitur cornix*. Vide plura apud Cœl. Rhodig. *loc. cit.* Hanc notam quidam eandem faciunt cum alia, quæ *Cornu* Latinis dicitur; cujuſque meminit Ovid. *l.* 1. *Triſt. El.* 1. *v.* 8.

> *Candida nec nigrâ cornua fronte geras.*

Sed aliud quiddam hoc eſſe notant Eruditi; per *Cornua* ſuperiorem & inferiorem chartæ partem, *frontem* verò ipſam paginam intelligentes. Scribebant enim antiqui in altera tantùm paginarum facie, perpetuò ductu ad extremum uſque folium: in quo firmitudinis gratiâ cylindrum ſeu bacillum teretem cedrinum ſeu eburneum agglutinabant, pro modo latitudinis membranæ præcisè, eundemque nominabant *Umbilicum*, quòd, ſicut umbilicus in medio ventre, ſic ille librô jam circumvolutô medius eſſet. Hujus bacilli capita ſupernè & infernè eminentia, argentô, aurô aut ebore, ornatus causâ præmuniebant, quæ *Cornua* dicebantur. Poſteà paginas inſtar ſpiræ convolutas complicabant, unde *Volumini* nomen à volvendo. Pont. *in Martial.* Vide & Paul. Manutium *in Ep. famil.* 7. *l.* 3. Pierium, *Hieroglyph. l.* 34. Thom. Godwyn. *Anthol. Rom. l.* 3. *ſect.* 1. *c.* 2. Sed & Κορωνὶς per excellentiam Græcis corona dicta eſt, è violis plexa, Etymol. in hac voce, vide & infrà *Viola*.

CORONTA, urbs Acarnaniæ Thucyd. *l.* 2.

CORONUS, fil. Lapithæ. Alius Therſandri filius. Item Aſiæ mons. *Ptol. Baſaraſi Caſtaldo*

CORO-

COROPÆ, provinc. Americæ meridionalis in Guajana regione inter lacum Parymæum, & Amazonum fluv. prope Coropatubam fluv.

COROPASSUS, Lycaoniæ pagus in Aſia minore. *Strabo.*

COROPE, urbs Theſſaliæ, ubi *Coropæi* Apollinis oraculum, cujus meminit *Nicander*, ſed videtur legendum *Oropæi*. Oropeorum Eubœæ civitas eſt Apollinis templo clariſſima. *Steph.*

COROS, apud Melam, *l.* 2. *c.* 8. *Sinbu per Carmanos, ad Paſagardas* Coros *effluens*: & *Strabonem*, Κῦρος περὶ Πασαργάδας ῥέων, vide infrà *Corus.*

COROZAIM, inclyta Galilææ civitas eſt in tribu Manaſſe, quæ inter 10. celebriores urbes decapoleos numeratur. Sita eſt è regione Capharnai ad mare Galilææ, in ulteriori, h. e. in Orientali Jordanis ripa, atque contra Meridiem à civitate Sueta, & contra Occidentem ab urbe Cedar, à ſingulis 4. milliar. diſtat, verſus Orientem verò à Capharnao in ſecundo lapide abeſt. Luc. c. 10. v. 13. Matth. c. 11. v. 21.

CORPICENSII, Sardiniæ popull. *Ptol.*

CORPILLI, populi Thraciæ. Plin. *l.* 4. *c.* 11. Græcè Κορπίλλοι. *Steph.* Κορπίλοι, Θρᾳκικὸν ἔθνος. ἡ χώρα Κορπιλική. ὁ γὰρ Αἶνος ὑπ᾽ αὐτοὺς ἐκαλεῖτο Ἀψινθιάς, νῦν δὲ Κορπιλικὴ λεγομένη. *Colpili, Thraciæ gens, regio Colpilica. Ænum enim jacet ad Abſynthiada prius, jam Colpilicam dictam.* Meminit eorum quoque Solinus Polyhiſtor, c. 10. ubi *Corpilos* vocat. *Hebrum Odryſarum ſolum fundit, qui fluvius excurrit inter Priantas, Dolancos, Thynos,* Corpilos, *aliosque barbaros tangit & Cicones.*

CORPORALE, ſeu *Corporale Pallium*, aut *Corporalis Palla*, *Chriſmale* item, Græcis Καλυμμάτιον, Ἀὴρ, & recentioribus Ἀ'ειλήματα, dicitur in Communione Pontificia, *palla*, quâ *Sacrificium*, ut vocant, in Altari contegitur: quam *lineam* debere eſſe, docet Alcuinus, *de Div. Offic.* & *Liber.* Ord. S. Victoris Pariſ. *MS.* c. 20. Corporalia *autem de puriſſimo & nitidiſſimo panno præparari oportet, & in capſulis mundis vel lineis ſacculis diligenter complicata reponi.* De ritu ea abluendi, vide Durand. *Ration. l.* 4. *c.* 29. *n.* 2. In medio ejus Græci, contra conſuetudinem Latinorum, acu pingunt montem Calvariæ cum cruce ſuperpoſita: ſubter verò Chriſtum effigiant mortuum jacentem, atque Angelis circumdatum: in quatuor autem veli angulis quatuor illa animalia, Evangeliſtarum ſymbola, efformant, eique applicant burſam, in qua reliquias SS. Martyrum incluſas, ſigillis, maſtiche ac cerâ, occludunt &c. Antiquitus latius erat, ſic ut etiam calicem operire poſſet, quod hodieque Carthuſiani obſervant: hodie tamen adhibetur eò ſini exiguum *Corporale*, quod *Palla* ſeu *Animetta* dicitur, & unà cum *Corporali* benedicitur. Explicatur autem ante offertorium, in Miſſa ſolenni, à Diacono, poſtquam Chorus cecinit, *Et incarnatus eſt*: apud Dominicanos verò poſt Epiſtolam &c. Vide Car. du Freſne, *Gloſſar.* & Dominicum Macrum in *Hierolex.* ubi de *Corporali Feſto* varia adjicit, A. item Rivetum, *Summa Controv. Tr.* 2 *Qu.* 13.

CORPORATI, incolæ Urbium, qui ex certis *corporibus* erant, Artificum præſertim: quippe, ut eſt apud Lamprid. *c.* 33. Alexander Severus Romæ *Corpora* conſtituit penè omnium omnino Artium: Quod in Provinciis quoque factitatum eſſe, patet ex *L. un. Cod. de Alexandr. Pleb. Primat.* ubi *Corporatorum Civitatis Alexandriæ*, mentio eſt. Erant autem *Corpora publicis obſequiis deputata*, *Nov.* Severi 2. cujus meminit Papinian. *tit.* 46. &c. Vide Car. du Freſne, *Gloſſar.* & ſuprà *Collegiati*, *Collegium*; ac infrà *Opifices*. Deſcripta fuêre hæc Collegia per decurias, ut & officia Domus Auguſtæ. Hinc in veter. *Inſcr.*

V. F.
CULTORES. HERCULIS.
SOMNIALIS. DECURIA. I.
DIS. MANIBUS.
SIBI. ET. POSTERISQUE. SUIS. &c.

Apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 351. integram exhibebimus, infrà, in voce *Somnialis.* Vide quoque infrà *Credentia.*

CORPORECUSTODES ſeu **CORPORIS CUSTODES**, aliàs *Protectores Principis*, item *Domeſtici*; & poſteriori ævô *Buccellarii* ac *Scurræ*, Germani olim fuêre. Duplex enim cuſtodia Imperatoribus cùm eſſet, alteram milites Prætoriani, alteram Germani, obiêre, uti pluribus docet Salmaſ. *ad Lamprid. in Severo, c.* 61. Vide infrà, in voce *Scurræ*: uti de Σωματοφύλαξι Perſiæ Regum, infrà ind. voce *Doryphori*: cujuſmodi *Corporis cuſtodum* etiam in *Datame* C. Nepos meminit, *c.* 9. Alexandri M. Σωματοφύλακας numerò VII. quibus poſt victoriam Indicam Peuceſtes, qui priùs *Hypaſpis*, i. e. clypei gerulos fuerat, additus eſt, enarrat Arrian. *de Rebus Alexandri, l.* 6. *extremo.*

CORPORIS Dominici Feſtum, in diœceſi Legionenſi celebrari ſolitum, memoratur Ioanni Ciappeaviſco *de vero orig. Feſt. Corp. Dominic. c.* 2. laudato Marris Fratribus in *Hierolexico.*

CORPUS, præter ſignificatum commune, Latinis opus quoque notat, quod in multas eſſet digeſtum partes pluresque libros contineret, ſicut corpus animalis plura membra. Sic Firmicus opus ſuum de Matheſi quod multis libris explicatur, *Corpus* appellat & ſingulari libro opponit, *l.* 4. *c.* 14. his verbis: *Quæ omnia, licèt in hoc* Corpore *ſparſim dicta ſint, ſpecialiter tamen in ſingulari libro, quem de domino geniturae atque chronocratore ad Mavortium noſtrum ſcripſimus & comprehenſa ſunt & explicata.* Sic *Corpus Theodoſianum*, in Codice Theodoſii, *Corpus Juſtinianeum* in Codice, hodieque *Corpus Juris Civilis* quod *Pandectis*, *Codice* & *Novellis*, quibus acceſſêre *Inſtitutiones*, abſolvitur: cui ut reſpondeat *Corpus Juris Canonici*, *Gratiani Decretum*, Pandectas, *Decretales* Codicem, *Sextus*, *Clementina* & *Extravagantes*, Novellas repræſentant, quibus additæ ſeculò XVI. *Inſtitutiones*, à Paulo Lancelotto, & M. Antonio Cuccho. Vide Gerh. von Maſtricht, *Hiſt. Jur. Eccleſ. paſſim*, inprimis n. 384. & hic ſuprà, in vocibus *Canones*, *Canonicum Jus*, *Codex*. Græci σωμάτιον ſimiliter vocant: ut σωμάτιον Ἰατρικὸν & σωμάτιον Ὀ'ρθογραφίας; apud Longinum σωμάτιον. Neque verò *Corpus* ſolùm, de libro ſeu opere: ſed & *Corpuſculum*, inde de indice occurrit. Solin. *Ep.* 1. *operi præfixâ*, *Quoniam quorundam impatientiùs potiùs, quam ſtudioſiùs, Opuſculum, quod moliebar, intercipere properarunt ---- ne fortè rudis & imperfecta materia ---- in manus tuas deferretur*, Corpuſculum *ſententiâ meâ digeſtum, ut noſceres, miſi.* Ubi per *Corpuſculum* intelligit digeſtam capitum & in unum corpus collectam ſeriem, editioni ſecundæ à ſe præmiſſam & Adventio dedicatam. Et Juſtin. in *Præf.* *Et omiſſis his, quæ nec cognoſcendi voluptate jucunda, nec exemplo erant neceſſaria, breve veluti florum corpuſculum feci.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 4.

CORPUS exercendi, varii modi apud Veteres viguêre. Et quidem, ut de exercitationibus Gymnaſticis nil jam dicam, ut de quibus infrà: obſervant Eruditi, Veteres *in exercendo corpore*, etiam extra morbi neceſſitatem, volutâſſe ſe ſuper candente arena, ut *corpus* ferendo calori aſſuefacerent; contrà, ut ad tolerandum frigus ſe præpararent, vel in nive ſe verſâſſe, vel ſtatuas nive obductas nudos fuiſſe amplexatos, uti de Diogene Cane apud *Laert. l.* 3. *c.* 23. de Antincho Cilice Philoſ. Cynico, caſtra Severi Imperatoris ſecuto, apud *Suidam*, legimus, reprehendente morem hunc graviſſimô Auctore Epictetô, apud Arrianum, *Diſſert. l.* 3. *c.* 12. Vide infrà in voce *Harena*: & hanc in rem plura apud Caſaubon. *ad Auguſt. Suetonii, c.* 82. uti de more veterum Britannorum *corpus glaſto tingendi*, infrà: *inſcribendi*, voce *Inſcripti.*

CORRADUS Sebaſtianus, Italus, Bononiæ Græcè & Latinè docuit, Bapt. Egnatio, P. Victorio, M. Ant. Flaminio & P. Manutio magni habitus. Obiit A. C. 1556. Auctor complurium ſcriptorum, de quibus vide *Elogia* Anton. Teiſſier.

CORREARII, Gall. *Courriers*, Matricularii Confraternitatum dicuntur Lugdunenſibus, Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CORRECTOR, munus & dignitas erat apud Romanos: qui provinciis à Principibus dabantur & in Hiſtoria Auguſta ejus ævi Scriptoribus memorantur. Sic Treb. Pollio, *in Tetrico Seniore, c.* 23. *Aurelianus --- cum quem triumphaverat*, Correctorem *totius Italiæ fecit, i. e. Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Hetruriæ atque Umbriæ, Piceni & Flaminiæ, omniſque annonariæ regionis.* Et Vopiſcus in *Aureliano, c.* 39. Pollionem corrigens, *Tetricum triumphatum* Correctorem *Lucaniæ fecit*: cui *uterque Victor* conſentit, & cum his Eutropius, *l.* 9. *c.* 9. De iiſdem Salmaſ. *ad Solin. p.* 806. *In Imperio quoque Occidentali, ſub Vicariis Præfectorum Prætorio multæ provinciæ fuêre, quæ ſpeciales habuêre Rectores, Conſulares*, Correctores, *& Præſides.* Ad hanc itaque dignitatem munuſque reſpiciens auctor carminis *de Sodoma*, ſive is Cyprianus fuerit, ſive Tertullianus, Lothum *Correctorem Sodomorum* vocat,

Tranſvena, Corrector *Sodomorum, duplicat iras.*

Joh. Frid. Gronov. *Obſerv. in Eccleſ.* 1. 22 &c. *Corrector litterarum Apoſtolicarum* occurrit apud *Innocentium III.* Pontificem Roman. *l.* 10. *Ep.* 86. Vide *Vorſtium*: uti de *Correctore fratrum ordinis Grandimontis* infrà, voce *Curioſi.*

CORREGIUM, oppid. Longobardiæ ſat amplum & cultum, cum arce munita. Aliàs Principes habuit proprios, nunc ſubeſt Mutinæ Duci cum ditione ejus, inſerta agro Regienſi, 10. milliar. à Regio Carpium verſùs, 13. à Mutina in Occaſum.

CORRHA, Armeniæ majoris oppid. & urbs Perſidis. *Ptol.*

CORRHAGIUM, Macedoniæ urbs. Liv. *l.* 31. *c.* 27.

CORRIGIA, inter calceandum, rupta, infauſtum olim omen, ut diſertè teſtatur *in Divinat. l.* 2. Cicero, ubi ait: *Quæ ſi ſuſcipiamus, pedis offenſio nobis & abruptio* corrigiæ, *& ſternutamenta erunt obſervanda* &c. Unde quibus, cùm calceamenta pedibus inducerent, eaque preſſiùs adſtringerent, *corrigia* fortè effringebatur, ſuſcepta negotia deſerere vel differre conſuevêre. Hoc enim omine Veteres portendi credebant, rem ſuſceptam haud feliciter progreſſuram, aut ſiniſtrô aliquô caſu impeditum iri, quemadmodum iis, quibus in itinere corrigiam calceamenti abrumpi contingit, non parum id impedimenti eſt, in illo continuando. Hinc qui Sacram paginam *Gloſsâ*, quam dicunt, *ordinariâ*, illuſtravit, illud Eſaiæ c. 5. v. 27. *Non rumpetur corrigia calceamenti ejus*, ſic interpretatur: *Non impedietur in itinere Dominus.* Et eandem ob cauſam veteres Tabellarii atque Curſores excalceati munia ſua obiiſſe leguntur. Muſonius Philoſ. apud Stobæum: *Sine calceis valde expediti & agiles ſunt pedes, præſertim ſi adſit uſus. Unde Tabellarios videre eſt non uti calceamentis in itineribus; atque ex Athletis curſores celeritatem eandem non ſervare, ſi currere ipſos oportet in calceis.* Ubi quod de Tabellariis & Athletis Curſoribus, idem de Claſſiariis (qui remiges erant ſeu milites maritimi) teſtatur Sueton. *Veſpaſ. c.* 8. *Claſſiarios verò, qui ab Hoſtia & Puteolis Romam pedibus per vices commeabant, petentes aliquid ſibi calciarii* nomine conſtitui, *quaſi parum eſſet ſine reſponſo abegiſſe juſſit poſthac excalceatos curſitare: & ex eo ita curſitant.* Fuit autem *Corrigia* lorum calcei, *Nicet.* & quidem Patricii calcei carum habebant 4. quæ ad medium uſque crus perveniebant, implexæ inter ſe: unde Zonaras, *Annal. l.* 2. calceos eorum inſignes fuiſſe ait τῇ τε ὑπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος: *patricia lora* vocavit Seneca, *de Tranquill. Anim. c.* 11. Sic, & in antiquo marmore, prope Numentanam portam, Prætor, qui mappam mittit, calceos habet cavos, quorum corrigiæ inter ſe implexæ uſque ad ſuras aſcendunt. Nec aliter Conſulares, namque Diptychon Leodienſe, quod Anaſtaſium Conſulem latoclavô, togâ pictâ, tunicâ palmatâ, ſubarmali profundô, mappâ Circenſi, ſcipione eburneô & ſellâ curuli inſignem exhibet, calceos ei ſimiliter tribuit, quatuor *corrigiis* tranſverſim ſupra pedem & mediô crure tenus adſtrictos. Vide figuram apud Jul. Nigronium *de Calig. edit. Amſtelod. A. C.* 1667. *p.* 184 Totidem & Senatorii habebant, & quidem hi omnes ex nigra aluta, ut ex Horatio diſcimus, *l.* 1. *Sat.* 6. *v.* 27.

Nam ut quiſque inſanus nigris medium impediit crus Pellibus.

Plebeji verò unicâ tantùm ligulâ ſive *corrigiâ* utebantur, quæ in eorum

eorum calceis extrema erat. Unde explicari poteſt difficilis locus Martialis, *l. 2. Epigr. 29. v. 7.* ubi in Sugmatiam, calceos Patricios quatuor corrigiarum geſtantem, invehens, inter alia ait:

Non extrema ſedet lunatâ ligula plantâ,
Coccina non læſum cingit aluta pedem.

Hic enim Alb. Rubenius *de Calceo Senat. c. 3.* à Martiale exiſtimat ligulam illam, quæ in pede ſedet, *non extremam* dici, quia in ejus calceis ligula illa intima, quæ pedem tangebat, haudquaquam extrema erat, ſicut in Plebejis ſolebat eſſe ut qui alias non haberent, vario impleχu ad medium crus aſcendentes &c. Plura vide apud Auctorem hunc, ut & apud Balduin, de Calceo, infrà etiam voce *Lorum*, &c. *Corrigiam ſibi in collo ponendi*, in ſignum ſervitutis, ritus, memoratur Joanni Villanco, *l. 6. c. 65.* Vide infrà ubi de *Investitura.* Super tumulum verò projiciendi, hócque ſignô bonis defuncti renuntiandi, Pithœo, in *Conſuet. Trecenſ. tit. 2. art. 12.* apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* At *Corrigiuncula*, apud Anonymum, *Kerrlas. l. 6.* nola eſt ſeu campanula, quæ in Monaſteriis percutitur, cum *diſciplinæ* dari debent: à *correctione* dicta, *Id.*

CORRIGIA Antonius, vide *Antonius.*

CORRUPTICOLÆ, Hæretici. Corpus Chriſti adhuc, perinde ac noſtrum, detrimenta pati, hincque eſurire, opuſque habere cibô, & quiete, deliranres. De quibus vide Liberatum Diaconum in *Breviario, c.* 9. 19. 20. Joann. Garnerium, *ad idem caput* 19. & Forbeſium, *Inſtruction. Hiſtorico-Theolog. l. 15. c. 18.*

CORS vel CHORS, ſæpe pro villa, cujus membrum erat, ac dein tam pro toto vico, qui villæ alicui magnificæ acceſſerat, apud Hiſtoricos veteres imprimis Gallos reperitur. Unde Betionis Cortis *Betancourt*, Alemannorum Curtis *Aumincour*, Haircortis *Harcour*, Curtis Nova *la Cour Neuve*, &c. Galli enim priſcum vocabulum corrumpentes, nomina iſtô è Genitivo factô *Chortis* vel etiam *Curtis* id dixêre. Erat autem Cohors vel Chors pars villæ, quam hodie inferiorem Chortem appellant *la baſſe Court*, in qua aves domeſticæ & pecora aluntur; Unde pro villa, ut dictum. Hinc *Curtes Dominicæ* non rarò apud Gallos Hiſtorie. appellantur villæ publicæ ſeu Regiæ. Quinetiam ſicut villam pro vico, ſic & *Curtem* ſæpe dixêre. *Curtem* quoque appellavêre Regiam, propterea quòd Reges priſci in villis Regalibus aut publicis hyemare, & ibi palatia magnifica habere conſueverant. Iidem pro *Curtis*, Curiam etiam quandoque dicunt. Hadr. Valeſius, *Notit. Gall.* Pro *Aula* quoque vox ſumitur, à corte ſeu cohorte Principis, Gregor. Turonenſ. *Hiſt. l. 10. ſect. 16* Hinc *Cortmanni* & *Cortalini*, pro Aulicis, *Courtiſans*, qui Curiæ ſeu *Curtis* Principis ſunt addicti. Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* Vide quoque in voce *Curtis*.

CORSÆ, locus Ciliciæ, unde *Corſæus hircus. Heſych.*

CORSALIUS Andreas, vide *Andreas.*

CORSEÆ, inſul. Ioniæ è regione Sami. Apud Herodianum *Corſia* ſcribitur. *Steph.*

CORSEOLIS, oppid. in Libro de *Coloniis*, pro *Corſeolis*, de quo loquendi modo medii ævi Scriptoribus uſitato, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 777.

CORSI, Sardiniæ populi ex *Corſica* oriundi. Pauſan. *l.* 10. *Corſii* dicuntur *Ptolemæo.*

CORSIA, Bœotiæ oppid. Pauſan. *l.* 9. Diodor. Sic. *l. 16.* [illegible] vocat, & recenſet inter 3. urbes, quas Phocenſes occuparunt, atque ex illis vicinas populati ſunt.

CORSICA, Inſul in mari Liguſtico, inter Sardiniam & Italiam ſita. A *Cyrno*, patre Batti, Herculis filio dicta fuit Κύρνος, ut placet *Fabio Pictori*, cùm anteà *Therapne* vocaretur. A *Corſica* verò muliere, forſan ἀπὸ κόρσης, [illegible] dicta, cujus taurus ex continenti in eam inſulam tranaverat, nomen quod habet, retulit. *Strabo* ſcribit, Corſicam malignè coli, aſperam, & plurimis in partibus inacceſſibilem, adeò ut, qui ejus montes habitant, ex latrociniis vitam degant, immaniteteque feras ſuperent. *Athenæus* tradit, Corſicæ incolas ideo longævos eſſe, quod mellis cibô, quô plurimum abundant, aſſiduè utantur. Martial. *l. 9. Epigr.* 27. *v.* 4.

Hyblæis apibus Corſica mella dabit,

Quod tamen alicui mirum videri poteſt, cùm ejus inſulæ mel, ob taxi copiam, venenatum ſit. Unde Ovid. *l.* 1. *Amorum, El.* 12. *v.* 10.

Melle ſub infami Corſica miſit apis.

Martialis, *l. 11. Epigr. 43. v. ult.*

Mella jubes Hyblæa tibi vel Hymettia naſci;
Et thyma Cecropiæ Corſica ponis api?

Quaſi noxia thymæ apponerentur api bonæ. Vide Commentatores, *in illud Virgilii, Eclog. 9. v. 30.*

Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos.

Dicitur & *Corſis Stephano.* Utrumque verò nomen, *Cyrnus* & *Corſica*, inquit Bocharrus, *l. 1. Chanaan, c.* 32. eſt Phœnicium. Primum Κύρνος ab Ebræo קרן *Keren*, *cornuum* ſonat, quia *multis promontoriis angulosa* ſit hæc inſula, teſte Iſidorô, *l. 14. s. 6.* Poſterius inſulæ nomen *Corſica*, ſeu *Corſis* Punicè diceretur [illegible] *Chorſi*, quaſi *ſylveſtrem locum* diceris, quia ex omnibus inſulis non alia eſt eâ ſylvoſior, dicente Dionyſiô, *v.* 458. [illegible] Item Diodorô, *l.* 5. [illegible] Et apud Polybium, *l.* 12. paſtores paſcentia ſequi pecora nequeunt [illegible] Buxus utique nullibi craſſior, quàm in Corſica. Plin. *l. 16. c. 76. Buxus Pyrenæis ac Cytorus montibus & Berecynthio tractu, craſſiſſima in Corſica.* Et apud Theophraſtum, *Hiſt. Plant. l. 3. c. 15.* Ἐν Κύρνῳ μέγισται [illegible] buxi arbores dicuntur. Denique Diodor. Sic. *l.* 5. [illegible] Hæc Inſula primùm à Tyrrhenis occupata, deinde à Carthaginienſibus, his eam eripuerunt Romani, qui eâ potiti ſunt uſque dum Saraceni ſecul. 8. eos expulerunt, quos ex ea profligârunt Genuenſes: tandem capta à Piſanis, Pontificibus Romanis ceſſit. Ultimò ad Genuenſium jura rediit, quibus nunc obedit, atque in eam ſingulò biennio Gubernatorem generalem mittunt. Plinius in hac inſula 33. civitates fuiſſe teſtatur, *l. 3. c. 6.* (*Strabo* verò non civitates fuiſſe, ſed caſtella potius putat: nam ſuô ævô 4. tantùm civitates enumerat) inter quas duæ coloniæ Romanorum fuerunt; Mariana nempe, à Mario miſſa, & Aleria à Sylla Dictatore, quæ nunc Epiſcopali dignitate decoratæ ſunt, licet Aleria deformis penè jaceat. Cætera Barbari tenuêre: ſed cùm Romani in eos irruerunt, magnum ſervorum gregem captum Romam abduxerunt, ubi cum admiratione obſervatum fuiſſe tradit *Strabo*, eos multum feritatis ac indolis planè belluinæ habere, nam aut vitam fugiebant, aut impatientiâ ac ſtupiditate dominos obtundebant ita, ut impenſæ quantumvis exiguæ pœniteret, ſi quis emiſſet. *Nic. Lloydius.* Nunc bifariam in duas partes eam diſtinguunt Plagam quæ orientem ſolem reſpicit, *Latus interius*: partem huic obverſam, Occidental. *Latus exterius* vocant. Pars Borealis quæ Italiæ propior eſt, *Ciſmontana*, & Meridionalis, quæ verſus Sardiniam excurrit, *Ultramontana* dicitur. Sunt in hac inſula hi Epiſcopatus, Marianæ, Nebii, Ajaccenſis, Marienſis, Sagonenſis, & Civitatenſis, qui ſunt Suffraganei Archiepiſcopi Piſani in Tuſcia. *Metel.* Separatur hæc Inſula a Sardinia Fretô Taphros, 6. mill. paſſ. A Genua 100. circiter milliaria in Auſtrum. 50 à Liburno. Longa eſt 106. mill. paſſ. lata 50. Ejus ambitus eſt 300. milliar. *Baudrand.* Corſi boni milites, ſed ſævi, vindictæ cupidi, rudes: unde Crequii Ducis Legati Gallici miniſtris durius habitis Romæ, turbæ haud pridem, nonniſi miſſâ ad Ludovicum XIV. ſolenni legatione, pyramide in rei memoriam erectâ, & Corſorum ab aula Pontificia exiliô perpetuô, ſopitæ. Inſulæ hujus pleramque partem, auſpiciis Henrici II. Galliæ Regis, Sampetrus Ornanus occupavit, quibus locis redditis A. C. 1559. pace initâ, ipſe à Vitellio proditorie interemptus eſt. fil. ejus Alphonſus Galliæ Mareſchallus ab Henric. IV. creatus eſt. Plin. *l. 3. c.* 6. Strabo, *l. 2. & 5.* Mela, *l. 2. c.* 7. Davity, *Europa tom. 3. p. 41.* &c. Hic facium promontorium *Capo Corſo*, vel *Punta di Marono*: & Promontorium Granacum, ſeu Capo di Manza. Addo, quod *Corſi* optimi fuêre ſervi, unde meritò Caſaubonus miratur, infamari ſervos *Corſos* à Strabone, *l.* 5. quos contrà impensè laudat Diodorus Siculus, teſtatus mancipia Corſica [illegible] *excellere videri reliquos ſervos, quoad vitæ hujus miniſteria, ut ſua indole ad id facta.* Unde vel error hic Strabonis, de Sardis loqui volentis, quos peſſimè ſerviiſſe, teſtatur Euſtathius Dionyſii Scholiaſtes, vel nævi aliquid exemplaria habent. Vide Jo. Frid. Gronov. *de Pec. Veter. l.* 4. *c.* 10. Sed eo proclivior Strabonis error, quod Pauſanias, *l.* 10. refert, ex Cyrno inſul. non parvam manum ſeditione pulſorum in Sardiniam transfretâſſe, montibuſque occupatis ſibi oppida muniiſſe, & ab Sardis patriô ipſorum nomine *Corſos* appellatos eſſe. Id. *ibidem.* Vide quoque in voce *Corſi.*

Corſica urbes præcipuæ:

Adiacium, *Ajazzo.*	Calvium, *Calvi.*
Baſtia, caput inſul.	Curia, *Corte.*
Bonifacium, *Bonifacia,*	Fanum S. Florentii, *S. Fiorenze.*

CORSINIANUM, aliis *Corſinianum*, quod vide.

CORSNED, In *Gloſſario* Sax. tempore Eduardi III. exarato, *panis conjuratus.* Anglo Saxonibus nempe in more erat, panem certis quibuſdam deſtinatiſque ſententiis conſecratum reo guſtandum offerre: quem panem ejuſmodi ceremoniis dedicatum credebant firmiter deglutire non poſſe, ſi criminis teneretur. Cujuſmodi purgationis exemplum Ingulphus exhibet, p. 898. *Cùm Godwinus Comes, in menſa Regis, de nece ſui fratris impeteretur, ille poſt multa ſacramenta, tandem per buccellam deglutiendam, abjuravit & buccellâ guſtatâ continuo ſuffocatus interiit.* Addit Phil. Mouskes in *Hiſt. Franc. MS.* buccellam hanc cum aliquot precibus ſignô crucis fuiſſe à Rege ſignatam, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* Panem autem hunc hordeaceum potiùs, quàm album, eſſe debuiſſe, patet ex Lindenbrogio, apud quem, poſt veter. *Formulas*, habetur *Exorciſmus panis hordeacei --- ad probationem veri*, p. 107. Orationes in hoc Judicio recitari ſolitas, vide hic paſſim, imprimis ubi de *Ordalio.* Addo ſaltem, Concil. Autiſſiodorenſ. A. C. 578. *can.* 4. ubi *ſortes de pane & igne vetantur*, hanc divinationis aut ſortis ſpeciem videri fuiſſe intellectam. Vide quoque *Euchariſtia.*

CORSOA, urbecul. Daniæ, in ora Occidental. Zeelandiæ. Juxta fretum *die Belt*, ex adverſo Fioniæ Inſul. & Neoburgi urb. Gaudet arce ſatis munitâ. Huc primùm cum claſſe appulit Carolus Guſtavus Sueciæ Rex, A. C. 1658.

CORSOIDES, Græcè Κορσοειδής, *gemma hominis canities ſimilis*, memoratur Plinio, *l. 37. c.* 12. quod tamen ex nomine non colligas, quum κόρση ſimpliciter *capillum* ſignificet: unde κορσεὺς & κορσώτης, *tonſor.* At *polia* gemma, à canitie, cui ſimilis erat. Nam πολιαὶ, *cani*, & πολιὰ, *canities*, ſeu ſenectus. Sunt autem κόρσαι & κόρσαι & κόρρη, propriè verticis crines, qui ut plurimùm ſolent eſſe [illegible] & *contorti*, Latinè *cirri*, voce ex Græco ortâ. Unde *cirros* pro cincinnis quoque & implexis capillis poſuêre, & extremitatem ſinuum, quæ naturaliter implexa in ſe reflectitur, ita vocârunt. Salmaſ. *ad Solin. p. 762. & ſeqq.*

CORSOTE, urbs magna Armeniæ, à Maſca fluvio circumdata, *Xenophon.*

CORSTOPITUM, Angliæ oppid. *Antonin.* Ottadinorum olim, *Morpet Camdeno*, Caſtrum Northumbrorum, ad amnem *Wanſbeck*, *Corbridge* autem Talboto, ſuper Tinam fluv. in Northumbria.

COR-

CORSUNUM, urbs Tauricæ Cherſoneſi. Vide *Cherſoneſus*.

CORSURA, inſul. in medio ſinu Carthaginenſi. *Strabo*.

CORTENÆUM, urbecul. inſul. Franciæ, in tractu Vaſtinenſi, inter Senones & Montargium. Hinc dicti Principes noti in Hiſtor. Gall. ex quibus etiam Imperatores extitêre Conſtantinopol. Vide & *Curtiniacum*.

CORTERATE, obſcurus Galliæ olim in Petrocoriis locus, victoriâ Henrici Magni, tum Navarræ adhuc ſolùm Regis, de Anna Duce Gaudioſæ, Regiarum copiarum ductore, obtentâ, emerſit. Vulgò *Coutras*, vel *Coutrat*, ad Dronam fluvium, qui ter Ellam decurrit. Vide Iac. Aug. Thuan. *Hiſt*.

CORTEREALIS Ora, vide *Eſtotilandia* & *nova Britannia*.

CORTERIACUM, urbs Belgii in Flandria ad Legiam fluv. vulgò *Cortryk*. Inter inſulas, Tornacum, Ypram, & Oudenardam, ſub Nerviis & Tornacenſibus, *Cæſ*. ſiti arcem extruxit Phil. Audax, Galli victi, A. C. 1302. urbs direpta & exuſta, A. C. 1382. reparata poſtmodùm, mercimoniis florentiſſima. Guicc. *Belg*. Capta à Gallis, A. C. 1667 populi *Corteriacenſes*. *Baudrando* & [illegible] *Corteriacum*, alias *Cortoriacum*, urbs vetus, nobilis & [illegible] intra Flandriæ eſt, ad flum. Legiam, Turnacenſis Diœceſeos. Legioni in Gallia olim militanti nomen dedit; Intra Galliæ enim cum V. I Magiſtro equitum Galliarum *Corteriacenſes* memorat *Notit. Imper. Roman.* ante annos 1250. cum arce. Hic Normanni caſtrum ad hiemandum conſtruxiſſe leguntur, A. C. 880. Gallis *Courtray*, German. *Cortrick*. Incolæ *Courtreſiens*. Diſtat 5. leuc. ab Inſulis. Sub Gallis, ab A. C 1667. Territorium habet ſatis amplum, & Gandavum verſùs extenſum, vulgò *le Courtreſis*. Hujus urbis *Cultor* i. e. Epiſcopus, Eligius dicitur, apud Audoënum, *l. 7 de vita Elig*. In *capitulis* Caroli Calvi pagus Curtricinſis, i. e. Cortriacenſis à Flandria diſtinguitur, unde patet olim non tam amplos Flandriæ fines fuiſſe. Vide prædictum Valeſ. *Notit. Gall.*

CORTESIUS Ferdinandus de *Monroy* Marchio *del Valle de Guaxaca*, è celebri Aragoniæ familia editus, Medellinum Eſtramaduræ patriam habuit, geſtiſque in America & obtentô titulô Marchionis atque ſupremâ novæ Hiſpaniæ præfecturâ inclytus, obiit A. C 1547. Filius is fuit Martini Corteſii (ex Catharina Pizarra) cujus pater Rodericus Perezius *de Monroy*, filius erat Roderici *de Monroy* Dn. *de la Villa*. Ipſe autem ex Johanna de Zuniga & Arellano, genuit Martinum Corteſium Marchion. de Valle Guaxaca, patrem ex Anna Arellana, Ferdinandi Corteſii Marchionis de Valle (cui nupſit Mencia *de la Cerda*) Hieronymi Petri Corteſii Marchionis de Valle (ux. Anna de la Cerda & Lariloya, fil. Alfonſi Telles Gitoni) Annæ *de Arellano* (cui maritus obtigit Petrus *Carrillo de Mendoza* Comes *de Priego*) Angelæ (uxoris Ludovici Benavidii Marchion. *de Flomeſta*) Annæ & Catharinæ Monialium, Franciſcæ tandem. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatr. Nobilit. Eur. tom. 2 p. 70* Præter Martinum autem præfatum, ex legitima uxore ſuſceptum, alios etiam Ferdinandus ille novæ Hiſpaniæ Præfectus ex Iſabella, filia Motezumæ, magni novæ Hiſpaniæ Imperatoris, liberos ſuſtulit, à quibus etiam progenies ſuſcepta eſt. Idem *Ibid*.

CORTESIUS Gregorius, vide *Gregorius*.

CORTESIUS Paulus, Protonotarius Apoſtolicus, ſcripſit *in IV. libros Sententiar. Lombardi*, & librum *de Officio Cardinalium*. Floruit ſeculò præteritò. Naudæus eum malè confudit cum priore. Anton. Teiſſier, *Elogies*, *Part. 1.*

CORTEX, apud Indos olim, in calceum aptatus. Philoſtratus enim ritum deſcribens Apollonii, inter cætera, quæ de gentis hujus moribus ediſſerit, eos, *ex arborum corticibus*, ibi calceos conficere ſolitos eſſe teſtatur, *l. 2. c. 9.* A' quibus, ut credere par eſt, ligneorum calceorum uſus ad alios poſteà tranſlatus eſt; ita ut alii rudioribus & omnimodè ligneis ſint uſi: alii paulò eruditioribus, quorum nempe ſoleæ tantùm ligneæ eſſent, cætera è corio vel quavis alia molliore materia. Germani veteres, referente Cluveriò, & agreſtes Poloni hodieque, ſoleas ex arboris libro fabrefactas & funiculô in planta pedis adſtrictas, geſſêre, de quibus vide Cluverium, *German. Antiq. l. 1.* & figuram earum, apud Ben. Balduinum, *de Calceo Antiqq. c. 5* ut & infrà, ubi de *Ligno*. Nec calcei ſolùm, ſed & veſtes integræ ex *cortice*, vide infrà *Veſtis*. Porrò plauſtra Scytharum *corticibus* tecta habes apud Juſtinum, *l. 2. c. 2.* & Ammian. *l. 22. c. 19.* qui & Alanos vagari *ſuperſidentes plauſtris quæ operimentis curvatis corticum* (tanquam imbricibus) *per ſolitudinem conferant*, ait, *l. 31. c. 2.* Plura verò de *Corticibus* arborum, apud Plin. *l. 16. c. 31.*

CORTHACA, vel CORGATHA, Indiæ extra Gangem urbs. *Ptolem*. Eſt autem ad ſinum magnum, ut *Mercator* habet, qui eam *Tanaba* vocat.

CORTICATA, Hiſpaniæ inſula circa Artabrum promontor. Plin. *l. 4. c* 20. Eſt etiam Turditanorum in Bætica urbs: *Ptol*. In Andaluſia verſùs montes. Nunc *Cortegana*, in confinio Extremaduræ, verſùs fontes *Odier* fluvii, 6. leuc. à confinio Portogalliæ. *Baudrand*

CORTINA, vel CORTYNA', vide *Gortyna*. Aliàs *Cortina* eſt *lebes*, ſive *vas*, in quo tingitur lana, aut decoquitur, ſive recipitur aliquid. Cato *de R. R. c. 66 Cortinam plumbeam in lacu ponito, quò oleum fluat*. Virgil. autem in *l. 3. Æn. v. 92.* & *l. 6. Æn. v. 347.* tripodem illum, in quo Phœbades ſedentes oracula reddebant, *Cortinam* vocat. Val. Flacc. *l. 1. v. 6.*

Phœbe mone; ſi Cumæa mihi conſcia vatis
Stat caſtâ cortina domo. —— ——

Namque & tripos vas rotundum erat. *Vet. Gloſ. Cortina*, Δελφικὸς τρίπους Ἀπόλλωνος. Prudentius tamen Cortinam à tripode diſtinguit. Ita enim *Apotheoſi*, v. 306. ſcribit,

Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra,
Non tripodas Cortina tegit. —— ——

Vide Voſſ. in *Cortina*. *Nic. Lloydius*. Scaliger *Cortinam*, appellatum eſſe tripodem Pythicum, à *corio* Pythonis, quò Apollinis operâ fuerit obductus, ait in *Poetices libris*; de cujuſmodi *cortinarum* frequentiſſimo olim uſu, in ornandis Deorum templis, Apollinis præſertim & Bacchi, vide Caſaubon. *ad Auguſt. Sueton. c.* 52. & infrà *Tripus*, et *Quindecimviri*. De *cortinis* verò *fullonis*, vide Salmaſ. ad *Solin*, *p.* 391.

CORTINARII, qui & *Cortelini*, apud Pachymerem, *l.* 4. *c.* 29 videntur dicti primitùs *Cohortales*, de quibus *ſuprà*: Qui nempe *Cortem* ſeu tentorium Principis ſervabant & tuebantur, inter *dirlum*: ac αὐλῆς receſſiti, Conſtantino, *de Themat. l.* 1. *c* 5. & in *Gloſſis Baſilic.* Κορτιλίων, τῆς αὐλῆς. Κορτινάριοι, αὐλῆς, *Scogoi* τῆς πραιτωρίου, *Janitores Prætorii*. Nam his locis eoſdem eſſe cum *Cortinariis*, ex Codino *de Offic. c.* 3. *num.* 50. probat Car. du Freſne: ſiquidem, ut *Cortinarii*, miniſtrabant ad Tabernaculum Imperatoris, & in ſymbolum viliſſimæ conditionis, ex veterib. Tabernaculi pannis veſtes confectas habebant. Aliter tamen ſentit *Meurſius*, quem vide. A' voce *Cortina*, de qua prolixè agit idem Car. du Freſne in *Gloſſar.* è quo hoc ſaltem aſpergam: *Cortinas Regias*, apud Ambroſium, *Ep.* 33. ſigna dici vel vela Regia, quæ bonis debitorum Fiſco addictis ſolebant appendi.

CORTISIANI Flandriæ, ex Curtriaca gente, mentio eſt in Fæcialium libris, ut appellant, *Provincialibus*, inter Flandrenſium nobiles familias, cui pro inſignibus tres cantherios miniatos in campo aureo adſcribunt. Idem fortè cum eo, qui *le Sire de Cortiſitiis* dicitur non ſemel Gulielmo Gujarto. A voce *Cortiſianus* ſeu *Cortiſanus*, quâ eum, qui *cortem* curat vel colit, indigitant paſſim citimæ ætatis Scriptores, laudat Car. du Freſne, in *Gloſſar*

CORTIZA, urbs Ruſſiæ magnæ, ſeu Moſcoviæ.

CORTON, urbs Theſſaliæ à Cranone 100. ſtadiis diſtans. *Steph.*

CORTONA, à Miſcello condita, urbs Hetruriæ antiquiſſima, ſub Magno Duce in confinio dition. Pontificis. & agri Peruſini, ſatis munita, Epiſcopalis; olim *Corton*. Liv. *l.* 9. *c.* 37. *Itaque a Peruſia & Cortone, & Aretio, quæ ferme capita Hetruriæ populorum erant, &c.* Silius, *l.* 8. *v.* 475.

Lectos Corti viros, lectos Cortona ſuperbi
Tarchontis domus, & veteres miſere Graviſcæ.

Cyrtonium Polybio, à Pelaſgis Umbris erepta. 12. milliar. à Peruſia in Occaſum, 8. à Clanis palude, 4. à lacu Traſimeno. *Baudrand.*

CORTONENSES, Hiſpaniæ Tarraconenſis populi. Plin. *l.* 3. *c.* 3.

CORTRACUM, vide *Corteriacum*.

CORTUOSA, Tuſcorum urbs. *Liv.*

CORTUSIUS Guil. abſolvit Ticini, *patriæ ſuæ Hiſtoriam*, ſub Henrico VII. & Ludovico V. Imperatorib. Scardonius, *Hiſt. Ticin. l* 2.

CORTYRA, parva regio Laconica. *Steph.*

CORVINUS, cognomen Matthiæ Hungariæ Regis, ei inditum, non à vico hujus nominis, ut *Calviſio* placuit, ſed à *corvo*, qui ſponſalitium annulum matri ejus eripuit, ſagittâque impetitus, iterum dimiſit, quâ velut notâ natalitiâ Matthias poſtmodum à patre Joanne Huniade agnitus eſt. Cujus rei fidem fecit ipſe, *Corvini* cognomine adoptatô & nummô aureô cuſô, (quem Hungaricum ducatum vulgò vocant) cujus clypeo inſeruit *corvum roſtro annulum tenentem*. Acceſſit ſuperſtitio popularis, ut in difficillimo niſu laborantibus, per Hungariam, hodieque applicentur ducati illi *Corvini* per crura, vulgoque credantur opitulari multùm. Diffuſa in Wetteraviam uſque, Germaniæ regionem, quæ Haſſiam, Herbipolenſem & Moguntinum interjacet agrum, ubi certum tenere mulierculas, auri *Corvini* abraſum pulviſculum, in vino propinatum, parturientibus præſens auxilium enitendi præſtare, refert Autor Anonym. *Sinæ & Europ.* qui hanc de *Corvino* Hiſtoriam latè perſequitur, c. 37. Vide infrà.

CORVINUS Clemens, vel Celer, amicus Apuleji, ſub Antonino Phil. Hiſtoricus & Poëta. Cuſpinian. in *Comment. de conſulata Caſſiodori. An. Urb. Cond.* 1145. *Crinit. Lilius* Giraldus.

CORVINUS Laurentius, Novoforenſis, Cracoviæ floruit, A. C. 1491. Condidit *Geographiam* inhabitati orbis, excuſam Baſileæ, A. C. 1557. Vide & *Laurentius*.

CORVINUS M. Valerius, dictus à corvo, victoriæ omine, in duello contra Gallum quendam: Militum, qui Capuam obſederant, æs alienum diſſolvit. Aur. Victor *de viris Illuſtr.* c. 29. A. Gell. *noct. Attic. l.* 9. *c.* 11. Vide & *Valerius*.

CORVINUS Matthias, Rex Hungariæ. Vide *Matthias*.

CORVITOR, vide *Simpludiaria*.

CORULA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol. Coloram Caſtaldo.*

CORUM, urbs Americæ meridional. primaria provinc. Venezuelæ. Ad oram litteralem Oceani Borealis, ſub Hiſpanis; *Coro*.

CORUNCALA, Indiæ intra Gangem urbs, *Ptol.*

CORUNCANII, gens quanquam plebeja, nobilis tamen & Reipubl. utilis. Cameriô, ut Claudius Imperator apud Tacit. *l.* 11. *Annal. c.* 24. vel ut Cicero tradit, Tuſculô oriunda.

CORUNCANUS, prænomine Titus, primus de plebe Pontifex Maxim. factus, teſte *Liviô*, Cicero in *Orat. pro domo ſua* ad Pontifices, ſapientiſſimum & peritiſſimum fuiſſe dicit. Is, cùm legatus ad Teucum Illyricorum Regem miſſus eſſet, in reditu contra jus Gentium interfectus eſt. Statuam meruit. Plin. *l.* 34. *c.* 6. *Livius*, &c. *Coruncanus* alter, adverſùs Amilcarem Barcham, in Siciliam miſſus eſt. Polybius. Vide & *Titus*.

CORUNNA ſive **CRUNNA**, illuſtris in Hiſpania Familiæ nomen: in qua primus *Comes Corunnæ* creari meruit, Laurentius I. Suarezius de *Mendoza* & *Figueroa* Vice-comes *de Torya*, filius tertius Inici Lopezii Mendozæ Marchionis *de Santillana*, ex Catharina, filia Laurentii Suarezii *de Figueroa*, ſub Henrico II. Johanne I. & Henrico III. Regibus, rebus egregiè geſtis inclytus, extinctus A. C. 1469. His itaque parentibus genitus Laurentius præfatus, ex Iſabella Borbonia, Bernardinum I. genuit; quô & Mariâ Mauriciâ *de Sotomajor* genitus Alfonſus, ex Johanna Ximenia, ſuſcepit Laurentium II. qui obiit A. C. 1583. ex Catharina *de la Cerda*, patrem Bernardini II. qui extinctus A. C. 1592. ex Maria Bazania, reliquit Laurentium Alvarum, Laurentium III. Comitem *de Corunna*, (extinctum A. C. 1616.) Sebaſtianum Vicecomitem *de Torya*. Johannam (uxorem Petri *de Zuniga* Marchionis *de Flores Davila*) Mariam Bazaniam (uxorem Johannis *de Torres & Portugal*, Comit. *del Viliar Dompardo*) Catharinam (uxorem Martini Valerii *de Frangorza*) Marianamque Monialem, omnes nominis *Suarez de Mendoza*, ex Comit. *de Crunna*, in Epiſcopatu Oſmenſi. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatrô Nobilit. Europ. tom. II. p.* 54.

CORVO, exigua inſula in Atlantico mari, à Luſitanis habitata, à *Flores* exiguô milliari diſtat, in circuitu tria aut duo milliaria continet. Circa hanc & inſulam Flores, aut circa eas, Anglorum naves ferè continuo verſantur, expectantes claſſes Indiæ Occidentalis, nam illis hæ ex Flandricis inſulis primùm apparent. Incolæ paſsim inde feliciter vivunt, objectis prædationibus ac bonis ſæpe exuti. *Merel.*

CORVORUM Antrum, montis nomen in Cilicia. *Nicetas.*

CORVORUM Inſula, in Arcadia, quâ Ladon in Alpheum erumpit. Pauſan. *l.* 8.

CORUS Bernardinus, vide *ibi*.

CORUS, Arabiæ fluv. magnus in mare Rubrum influens *Herodot.* Græcè Κόρος vel Κόραθος, amnis Perſicus, in Carmania *Salmaſio*, qui in Perſicum ſinum ſeſe exonerat: alius à *Cyro*, contra quàm *Strabo* ſentit. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 702. & 703.

CORUS, ventus ſpirans ab Occaſu ſolſtitiali. Plin. *l.* 2. *c.* 47. Seneca *in Thyeſte*, *Actu* 3. *v.* 578.

Brutium Coro feriente pontum.

Lucano dicitur, *l.* 4. *v.* 66.

—— Cæli fuſcator Eoi.

Idem, *l.* 7. *v.* 125.

—— Velut violento navita Coro
Dat regimen ventis. ——

Stat. *l.* 7. *Theb. v.* 791.

Non aliter Cæco nocturni turbine Cori
Stat peritura ratis, cum jam damnata ſororis
Igne Therapnæi fugerunt carbaſa fratres.

Silius, *l.* 1. *v.* 468.

Qualis ubi Ægæô ſurgente ad ſidera pontô,
Per longum vaſto Corus cum murmure fluctus
Suſpenſum in terras portat mare, frigida nautis
Corda tremunt, ſonat ille procul flatuque tumeſcens
Curvatis pavidam tranſmittit Cycladas undas.

Aliàs Caurus dicitur. Virg. *l.* 3. *Georg. v.* 356.

Semper hyems, ſemper ſpirantes frigora Cauri.

Ideo Martinius ſic dici putat ab Ebræo קר *car*, i. e. *frigus*. Certè Virgilio, *l.* 5. *Æn. v.* 126. *Hyberni Cori* vocantur. *Nic. Lloydius.*

CORUS, Hebræorum maxima menſura, continuit 10. batos, ut batus tria ſata; ſatum 6. cabos, cabus 4. logos, logus ſex ova. Hebr. *Chomer*, quod ad חמור *chamor*, i. e. *aſinum*, revocant nonnulli Hebræorum, quaſi fuerit onus aſini. Sed alii eorum ſeriùs contendunt duplô fuiſſe graviorem, adeoque camelum oneraviſſe. Fuit autem granorum menſura, cujus decima pars *epha*, centeſima *gomor*. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 2. *c.* 15. Ab Hebræis vox tranſiit ad Anglos & Germanos, apud quos menſuræ annonariæ ſpeciem hôc nomine memorat Bractonus, *l.* 2. *c.* 16. §. 7. Vide quoque Iſidorum, *l.* 14. *c.* 26.

CORUSCATIO, vide infrà *Fulgetrum*.

CORUSIA, Sarmaſia Aſiaticæ urbs, *Ptol.*

CORVUS, pro Numine Ægyptiis fuit, ut colligunt quidam, ex Ambroſii *Comm. in ad Rom. c.* 1. ubi *Coracina*, inquit, *ſacra habuerunt pagani*. Ac continuo ſubdit: *Harum omnium rerum, quas memoravi, ſimulachra coluerunt Ægyptii*. Et fortè hæc ſacra prope Coptum fuêre, urbem tanti nominis; ut inde Ægypto appellatio ſit: Circa eam enim bini duntaxat Corvi conſpiciebantur; nec militibus Romanis, qui ſmaragdi metalla ibi cuſtodiebant, viſi ſunt plures. Atque ibidem Apollinis erat ſimulachrum, cui *corvi* ſacri erant, teſte Ælianô, *de Animal. l.* 7. *c.* 18. Verùm non tam hinc conſequitur, Corvos illos potiùs fuiſſe Deos, quàm ſymbolum Numinis: namque & à ſymbolo ſacra illa κοράκεια, ſeu *Corvina*, appellari potuerunt, Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 100. qui alibi, inter caſtitatis quoque, & fidei conjugalis, hieroglyphica, non avem hanc minus, quàm cornicem & columbam, reponit. Cæterùm *Corvorum* auſpicia Arabes ſecutos, ſcribit Porphyrius. In illis autem non alius magis memorabilis illô, Plinii verba ſunt, *l.* 10. *c.* 43. qui *Tiberiô Principe*, *ex fœtu ſupra Caſtorum ædem genitus pullus, in oppoſitam ſutrinam devolavit, etiam religione commendatus officinæ domino. Is mature ſermoni aſſuefactus, omnibus matutinis evolans in Roſtra, in Forum verſus, Tiberium, deinde Germanicum & Druſum Cæſares nominatim, mox tranſeuntem populum Rom. ſalutabat; poſteà ad tabernam remeans, plurium annorum aſſiduô officiô mirus. Hunc, ſive æmulatione vicinitatis, manceps proxima ſutrinæ, ſive iracundiâ ſubitâ, ut voluit videri, excrementis ejus impoſita calceis maculâ, exanimavit: tanta plebis conſternatione, ut primum pulſus ex ea regione, mox & interemptus ſit.* Addit deinde, ut huic Corvo, ea in urbe, in qua multorum Principum nemo duxerat funus, neque vel major Africanus habuit ſepulchrum, nec minor repertit ultorem, innumeri exſequias celebraverint, duobus Æthiopibus humeris conſtratum lectum deferentibus, prælatis omnis generis coronis, præcedente etiam tibicine, ut in funeribus mos erat, contigiſſeque ea ad diem 5. Kal. Aprilis, M. Serviliô & C. Ceſtiô Conſulib. h. e. an. Urb. Cond. 788. Vide Kirchmannum, *de Funer. l.* 2. *c.* 5. De hoc non inficeta Voſſio conjectura eſt illa Gilberti Genebrardi *in Chron. ad Ann.* 4016. *funere corvi celebribus exequiis, novo & inſolitô ſtatinore à Populo curatô, ſignificâſſe Spiritum Sanctum*, Corvum, *id eſt, atrum illum Satanam, mox extinctum iri Romæ, ubi præcipuas ejus mox ſedes ac gerritur*; apud Voſſium, *l.* 3. *c.* 89. Nec omittendum, in aucupio quoque Corvos adhiberi conſueviſſe: primumque in venando in uſum legi apud Ulyſſem Aldrovandum, *Ornitholog. l.* 12. *c.* 1. [illegible] Ludovicum Galliarum Regem. Sed nec hoc venationis [illegible] veteribus ignotum fuiſſe, docent illa Plinii, *l.* 10. *c.* 43. *Nec non & recens fama Crateri Monocerotis cognomine, in Erizena (alias Trœzena) regione Aſiæ, corvorum operâ venantis, eo quod devehebat in ſylvas eos inſidentes corniculis humeriſque: illi veſtigabant, agebantque, eò perductâ conſuetudine, ut exeuntem ſic comitarentur & feri.* Vide iterum Voſſ. *l. cit. c.* 97. Plura verò de hac ave, apud Plinium, *l.* 10. *c.* 12. &c. Atque hic niger eſt, unde Apollini olim ſacer, uti diximus. Certè *Corvos* tripodibus aſſidentes cum Phœbi rebus, demonſtrant nobis nummi veteres, & notat Scaliger *ad Manilium*. Hinc *comes obſcurus tripodum* Statio, *l.* 3. *Theb. v.* 506.

Non comes obſcurus tripodum, non fulminis ardens
Vector adeſt, flavaque ſonans avis uncta Minerva.

Nempe *Corvus eſt niger*, *Phœbo ideò conſecratus, quòd & is obſcura det reſponſa*, habet *MS* optimæ notæ, apud Caſp. Barth. *Animadverſion. ad l.* Ex nova Zembla verò albi afferuntur, cujuſmodi binos haud pridem aluit Elector Moguntinus. At *Corvus* Braſiliæ, incolis *Quaracici* dictus, purpureus eſt & totô corpore nitentiſſimè rubet, uti videre eſt in Muſæo Kircheriano, Romæ, & apud Georg. de Sepibus *in Deſcr. ejus p.* 53. De *Corvo ſellatore*, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 458. ut de *Corvi* imagine, in galeis Veter. infrà, in voce *Galea*. in vexillo veterum Britannorum, voce *Reafan*.

CORVUS, inter inſtrumenta bellica tuendis urbibus excogitata, memoratur Curtio, *l.* 4. *c.* 2. ubi de Tyri obſidione. Fuere autem *Corvorum* diverſa genera, diverſæ formæ. Hunc Diades invenit, illum Tyrii, alium Cn. Ovellius. De primo Vitruvius agens, eum *Corvum demolitorem*, ſeu, ut alii legunt, *depradatorem*, vocat, *l.* 10. *c.* 19. nonnulliſque *Gruem* appellari addit. C. Duillius, adverſus claſſem Carthaginenſium κόρακα ſeu *corvum* invenit, prorſus ab hoc & Curtiano diverſum, quem Polybius deſcribit. *l.* 1. Vicinus Curtiano lupus Livianus, *l.* 28. & Vegetianus. Et quidem Curtiani è mœnibus in naves tormentô, tanquam baliſtâ emittebantur ſine milite naveſque lacerabant & propugnatores intra mœnia trajiciebant, ut videre eſt, *c. ſeq.* Dion *Severo* propriis accedit, qui Byzantinos affirmat habuiſſe harpagones, quos emittebant & reducebant celeriter. Proximè Tacit. *l.* 4. *Hiſtor. c.* 30. *Præcipuum terrorem intulit ſuſpenſum & nutans machinamentum, quo repentè demiſſô, præter ſuetum ora, ſinguli pluresve hoſtium ſublime rapti verſo pondere intra caſtra effundebantur.* &c. Raderus *ad Curtium d. l.*

CORY, maris Eoi inſula in ſinu Argarico. *Ptol.* *Nivocat Mercatori.* Item promontor. Indiæ citerioris auſtraliſſimum. *Ptol.*

CORYBANTES, Cybeles ſacerdotes, qui ſacrô furore correpti, cymbala pulſabant, capitaque inter ſaltandum jactantes alios in ſimilem rabiem agebant. Homerus βητάρμονας vocat, *Od.* θ. *v.* 250. & 383. Hi primum Idam Phrygiæ montem tenuiſſe dicuntur, poſteà autem in Cretam navigâſſe, & montem quendam incoluiſſe, quem à nomine relictæ ſedis etiam Idam appellarunt; ubi & Jovem infantem aluerunt, tympana jugiter pulſantes, ne Saturnus (qui cum Titane fratre convenerat, ut ſobolem omnem maſculam interficeret) puerum vagientem audiret. Sunt qui *Curetas* & *Corybantas*, & *Cabiros*, ac *Idæos Dactylos* eoſdem putent. *Diodor. Sic.* Corybantem ſcribit Iaſonis & Cybeles filium fuiſſe, ac ſimul cum Dardano ſacra Matris Deûm in Phrygiam detuliſſe, eoſque qui in ſacrificiis ejus Deæ incumbere voluerunt, de ſuo nomine *Corybantes* appellâſſe. Singularis numeri nominativus eſt *Corybas*, quô uſus eſt Claudian. *de* 4. *Conſulat. Honor. v.* 130.

Non te progenitum Cybeleius ære canorô
Luſtravit Corybas. ——

Heſych. Κορύβας, Ῥέας ἱερεύς. Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 16. *v.* 8.

—— Non acuta
Sic geminant Corybantes æra.

Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 111.

—— Corybantiaque æra.

Hinc κορυβαντιᾷν eſt *inſanire*, & *mente captum eſſe*. *Heſych.* Κορυβαντιῶντες, μαινόμενοι, ἢ ἐνθουσιῶντες. Strabo, *l.* 10. ſic dictos ait, ἀπὸ τοῦ κορύπτοντας βαίνειν ὀρχηστικῶς, *quia cum ſaltatione incederent*. Ait idem Corybantes vocari τοὺς μανιωδῶς κινουμένους, *furiosè ſe moventes*; cùm autem non ſit ulla corporis motio μανιωδεστέρα, quàm quæ ordine naturæ inversô capite incedit, putat Palmerius ab eo dictos Κορύβαντας, nam κόρυ vox antiqua *caput* ſignificabat. Ergo ἀπὸ τοῦ ἐπὶ τὸ κόρυ βαίνειν dicti Κορύβαντες. *Nic. Lloydius.* Vide quoque Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec.* IX. & X. ubi Idæos Dacty-

Dactylos Jovis in Creta, cum Idææ Matris *Corybantibus* in Phrygia, comparans utroſque in armis ſaltaſſe, utroſque Curetas dictus eſſe docet.

CORYBANTIASMUS, Græcè Κορυβαντιασμὸς, morbi genus, quàm πολλὴν ἀνάγκην vocat Orpheus, in *Thymiamate Corybantum*,

> Κλῦθι μάκαρ φωνῆς, χαλεπὴν δ' ἀποπέμπεο μῆνιν,
> Παύων φαντασίας ψυχῆς ἐκ πάθης ἀνάγκης.

In eo morbo phantaſmata & imagines oculis obverſantur, & ſonitus ſemper in auribus tinniunt. Ideò inſomniis tales maximè laborant, & ſi quando quietem capiunt, oculis id faciunt apertis. Plin. *l.* 11. *c.* 37. de oculis, *Quin & patentibus dormiunt lepores, multique hominum, quos κορυβαντιᾷν Græci dicunt.* Nempe, ut vigilare ſemper & ſomnum oculis non capere Corybantes credebantur, unde ἦθος ἀκοίμητον Κορυβάντων: ſic κορυβαντιᾷν dicebantur, quibus mentis vani metus atque terrores à *Corybantibus* credebantur immiſſi. Imo & ii poſtmodùm, quibus idem naturâ contingeret. Vide quæ de *Halicacabi radice*, & *Strychno*, infrà dicemus, nec non in voce *Phantaſia*, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 1086.

CORYBAS, Nicomachi diſcipulus, pictor. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

CORYBISSA, civitas in agro Sceptio ad fluv. Eurientem. Strabo, *l.* 10.

CORYBUS, Cretæ promontorium. Strabo, *l.* 8.

CORYBUTUS, Jagelonis Poloniæ Regis patruelis, hujus in Poloniam ex Bohemia Eccleſiaſtas evocantis, qui vulgari linguâ Sclavonicâ Cracoviæ in templo S. Crucis ſacra adminiſtrarent, zelum, cum magna nobilitatis parte imitatus, armatâ quoque manu Bohemos propugnavit: circa A. C. 1431. Laſicius, *l.* 1. *de geſtis Fr. Sym.* Turnovius *in ſpec. Ver.* Lxius, *Comp. Hiſt. Univ.*

CORYCEON, Mimantis promontor. apud Plinium, *l.* 5. *c.* 29. ubi alii *Corynæon* legunt; Strabo Κορύνειον appellat, *l.* 14. an Κορακαῖον, ut idem promontorium appellatum ſit à *corvis* vel *cornicibus*. Niſi potiùs à *Coryna* nomen habuerit promontor. *Corynæum*. Meminit certè in illis locis *Corynæ*, apud Pomponium Melam, *l.* 1. *c.* 17. ubi de Sinu Smyrnæo, *Inde latiùs abit in peninſulæ faciem. Super anguſtias hinc Teos, illinc Clazomenæ, & quà terga agunt conſerto adnexæ muris, adverſis frontibus diverſo maria proſpectant. In ipſa peninſula eſt Coryna.* Ad quem locum vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 861. & 862.

CORYCEUM, tertia Gymnaſii pars, denudandis hominibus, qui vel exerceri, vel lavari, vel utrumque agere volebant, inſerviebat, aliàs Græcis Ἀποδυτήριον, & Galeno Γυμναστήριον, dictum. Mercurialis mavult *Coriceum*, neque illorum probat ſententiam, qui *Coryceum* in Vitruvii textu legendum contendunt, à *Coryco*, pilæ ſpecie, quaſi ibi ludus talis ageretur, aut *Conisterium*, pro ſordiſſima, aut *Coryceum*, tanquam in illo puellæ & virgines, κόραι & κόρη Græcis, exercerentur. Vide eum de *Arte Gymn.* *l.* 1. *c.* 8. & infrà, ubi de *Spoliario*.

CORYCIA, nympha fuit, quæ filium habuit Lycorum, Cœl. Rhodig. *l.* 16. *c.* 19. Item promontor. Cretæ, & portus Æthiopiæ. *Steph.*

CORYCUS, luctator nobilis, qui cùm neminem reperiret priorem, aut parem, cujuſque viribus ſuccumberet, proverbio fecit locum, *Lucian cum Coryco*, de his, qui ſupra vires aliquid moliuntur.

CORYCUS, ſeu CORYCIUM, urbs Ciliciæ, nunc *Churco*, in Caramania, prope promontor. cognomin. 50 milliar. à Tarſo, 25. à Pompejopoli in Occaſum ex adverſo Cypri. Sub Turcis, cum portu capaci.

CORYCUS, mons Ciliciæ altiſſimus, cum oppido ejuſdem nominis, optimi croci ferax, quod ab eo *Corycum* dicebatur: Strabo, *l.* 14. Ὑπὲρ Κωρύκου ἄκρας ἐν εἴκοσι σταδίοις ἐστὶ τὸ Κωρύκιον ἄντρον, ἐν ᾧ ἡ ἀρίστη κρόκος φύεται. *Dioſcorides*: Κρόκος ἐστὶ κράτιστος ὁ ἐν ... Κωρύκῳ. Meminêre quoque Plin. *l.* 4. *c.* 12. Solinus, *c.* 41. & Poetæ paſſim. Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 4. *v.* 68.

> *Corycioque croco ſparſum ſtetit.* ——

Martialis, *l.* 11. *Epigr.* 9. *v.* 2.

> *Ultima Corycio quæ cadit aura croco.*

Ad montis hujus radices, antrum erat Corycium Muſis ſacrum, unde etiam illæ paſſim à Poëtis *Corycides* nymphæ appellantur. Ovid. *l.* 1. *Met.* *v.* 320.

> *Corycidas nymphas & numina montis adorant.*

Nic. Lloydius.

CORYCUS, mons Ioniæ latrociniis olim infeſtiſſimus fuit, unde locus proverbio, *Corycæus auſcultavit*; in eum, qui rem diſſimulat, & occultat deprehenſam tamen. Lege Strabonem, *l.* 13. Cicer. *ad Att.* *l.* 10. *ep. ult.* *Poſthac non ſcribam ad te, quid facturus ſim, ſed quid fecerim. Omnes Κωρυκαῖοι videntur auſcultare quæ loquor.* Hodie *Cambruſſa* dicitur *Negro. Baudrando* Mons & promontorium Cretæ, in parte Occidentali in territorio Caneæ. Quibuſdam *Cormeu*, ut & oppidulum vicinum, cum portu ei adjacente. Aliis eſt portus *delle Gorobſoe*, prope Ciſamopolim, in ora Boreali, ubi & Corycæ inſul. Brietiô teſte, aliquot milliar. ab ora, cum arce munita. Sub Turcis, à paucis annis. Eſt etiam Æthiopiæ portus *Stephano*, & Lyciæ litus *Straboni*.

CORYCUS, Græcè Κώρυκος, unum ex quatuor pilæ apud Græcos generibus, quod quid eſſet, & quomodo is ludus perageretur, clariſſimè expreſſit Antyllus apud Oribaſium. *Corycos*, inquiens, *in corporibus imbecillioribus granô ficulneô, aut farinâ, in robuſtioribus arenâ impletur: ejus verò magnitudo ad vires corporis & ad ætatem accommodatur: Suſpenditur autem in Gymnaſiis ſupernè è culmine, tantumque à terra diſtat, ut fundum ad ejus, qui exercetur, umbilicum pertineat. Hunc utriſque manibus tenentes qui exercentur, primum quidem quietè, poſtea verò vehementiùs geſtant, ita ut ipſum recurrentem conſequantur & iterum redeuntis cedant violentiâ compulſi, poſtremò verò cùm è manibus rejicientes emittunt, ut, cùm revertitur, vehementiùs corpori adventu ſuô occurrat: ad extremum in ſedem ſuam ſuppreſſione reſtituendo dimittunt, ut ex congreſſu, ſi non valde advertant, retrocedat; ex quo fit, ut quandoque manibus occurrant, dum propinquat, quandoque verò pectore manibus paſſis, quandoque verò ut ad terga revolutus.* E quibus, licèt figuram *Coryci*, utpote omnibus tunc notam, non expreſſerit Antyllus, colligi tamen poteſt & ipſum ſphæricum, aut ſaltem rotundum, & quidem è materia coriacea, fuiſſe: alioqui, ſi angularis fuiſſet, in occurſu & manus & pectus non ſine læſione percuſſiſſet. Et de hoc intelligendum illud, ἀσκὸς Κωρύκιος μάχεται, quô certaminis genere *Appulejo* in Theſſalia certatum eſt. Exercitationem ipſam Κωρυκομαχίαν dixêre, quam inter veloces enumeravit Paulus, *Chrono.* *l.* 1. *c. ult.* ad diminuendam πολυσαρκίαν aptiſſimam judicavit Cæl. Aurelianus, imitatus Hippocratem, qui *Corycomachiam* & chironomiam idem præſtare, quod luctâ, tradidit, *de Diæt.* *c.* 2. *circa fin.* muſculoſum corpus reddere, roburque afferre, & prætereà univerſo corpori aptam eſſe, nec non ob plagas, quas infligebat, omnibus viſceribus conducere, tradidit Antyllus: In Elephantiacis quoque κωρυκοβολίαν *Aretæus* laudavit. Interim, ſi quis plagas in pectore à *Coryco* fieri ſolitas conſideret, facilè ſentiet, iis, qui debili vexantur pectore, exercitium hoc minùs conveniens fuiſſe. Vide Hieron. Mercurialem, *de Arte Gymn.* *l.* 2. *c.* 4. &, *l.* 5. *c.* 4. ut & infrà, ubi de *Pilæ luſu* & *Sphæriſtica*.

CORYDALLA, urbs Rhodiorum. *Steph.* Pagus etiam circa Athenas. *Athenæus.*

CORYDALLUS, vicus Atticæ in tribu Hippothoontide. *Steph.* Eſt etiam Lyciæ oppid. *Ptol.*

CORYDEUS, *Heſych.* Κορυδεὺς, ἥρωος ἀγρίου, ἐπίθετον ὀνομασθεὶς ἐκ κορυδῶν ... Vide Diogen. p. 224. & Barth *Adverſ.* p. 251. *Nic. Lloydius.*

CORYDON, paſtoris nomen à Theocrito & Virgilio celebratum. Vide de la Cerda *ad Virg. Ecl.* 2.

CORYLA, vel *Corylum*, Paphlagoniæ pagus inſignis. *Xenophon.*

CORYLON, urbs Æcanorum in Italia. *Steph.*

CORYLUS, facibus nuptialibus adhibita apud Romanos, Plinii ævô. Ita enim is, *l.* 16. *c.* 18. *Spina, nuptiarum facibus auſpicatiſſima. Nunc carpinus & corylus familiariſſima.* Vide infrà ubi de *Nuptiis*.

CORYMBI, in fronte Bacchi. Tibullus, *l.* 1. *El.* 7. *v.* 43.

> *Non tibi ſunt triſtes curæ, nec luctus Oſiri,*
> *Sed chorus, & cantus levis, & aptus amor.*
> *Sed varii flores, & frons redimita corymbis.*

Et Silius Ital. *l.* 7. *v.* 195.

> *Lumine purpureô frontem cinxêre corymbi;*
> *Et fuſa per colla coma* ---

Quid autem *Corymbi*, docet Plin. *l.* 16. *c.* 34. de Hedera: *Ejus duo genera*, --- *quorum ſpecies tres* --- *quæ etiamnum dividuntur in alias, quoniam eſt aliqua fructu tantum candida, alia & folio: fructum quoque candidum ferentium aliis denſus acinus, & grandior, racemis in orbem circumactis, qui vocantur corymbi.* Vide infrà ubi de *Hedera*: ut & in voce *Corymbifer*. Aliàs Scaligero *Corymbus*, quidquid in paniculam, vel ſtrobilum aſſurgit. Hinc *Corymbium capillorum*, atque inde *Corymbiorum diſcus*, apud Treb. Pollion. in *Claudio*, *c.* 17. qui à *Corymbio* nomen accepit. Eſt autem *Corymbium*, ſuggeſtus crinium muliebrium: in ſpeciem *corymbi* vel racemi contextus, quem aliô nomine *botrynatum* dixêre. Vide Petronium & ſuprà in voce *Botronatus*. Cùm nempe variis argumentis, in cælandis vaſis, luſerit Veterum luxuria, in diſco hoc *corymbia* illa mulierum & crinium ſtructuræ, cælaturâ videntur fuiſſe expreſſæ. Niſi malis ſic dictum, quòd ad *corymbi*, generis herbæ coronariæ, quam aliô nomine λυχνίδα appellabant Græci, ſpeciem eſſet formatus: ſicut *filicata patera*, à filice &c. Salmaſ. *ad Pollionem*. Vide quoque eum *ad Solin.* p. 763. & *ſeqq.*

CORYMBIFER, Bacchi epitheton à *corymbo*, i. e. *hedera*, quâ Deus iſte ebrius delectabatur, quâque ſacerdotes ejus in Orgiis coronabantur. Ovid. *l.* 1. *Faſt.* *v.* 393.

> *Feſta corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi.*

CORYNA, Ioniæ urbs. Mela, *l.* 1. *c.* 17. *Hinc Teos, hinc Clazomenæ: & quà terga agunt conſerto adnexa muris, adverſis frontibus maria proſpectant. In ipſa peninſula eſt Coryna.* Nempe Smyrnæus ſinus latiùs in peninſulæ faciem abit, cujus anguſtias ſive iſthmum hinc Teos; inde Clazomenæ tenebant: in ipſa peninſula *Coryna* fuit, ſicut in ſinu Smyrna, quam cum Coryna alii malè confundunt. Hinc *Corynæum* promontor. quod *Coryceon* dicitur Plinio, uti vidimus ſuprà, in hac voce. Aliàs κορύνη, vox appellativa, idem quod ῥόπαλον eſt, uti diſcimus ex Damogerunte in *Geoponicis*, Latin. *ramus*, item *clava*; atque hinc *baculus ex ramo cum nodis præciſis*. Unde *Coryneta*, nomen latronis, de quo ſuô locô. Vide quoque ſuprà in voce *Clava*.

CORYNE, Elidis urbs. *Ptol.* Niger *Antibodum* vocat.

CORYNETA, vel CORINETES, latro famoſiſſimus, Vulcani filius, cùm juxta Epidaurum hoſpites clavâ quâdam, quæ Græcis κορύνη dicitur, trucidaret (unde & hoc nomen ſibi ſumpſit, cum priùs Periphatus vocaretur) à Theſeo fuit interfectus. *Suid. Plut.* Item *Areithoi* cognomen. Homer. *Il.* 7. *v.* 137.

> Τεύχε' ἔχων ὤμοισιν Ἀρηϊθόοιο ἄνακτος,
> Δίου Ἀρηϊθόου, τὸν ἐπίκλησιν Κορυνήτην
> Ἄνδρες κίκλησκον, καλλίζωνοί τε γυναῖκες,
> Οὕνεκ' ἄρ' οὐ τόξοισι μαχέσκετο, δουρί τε μακρῷ,
> Ἀλλὰ σιδηρείῃ κορύνῃ ῥήγνυσκε φάλαγγας.

CORY-

CORYPHÆUM, mons in Epidauro, ubi colitur Diana Coryphæa. *Steph.*

CORYPHÆUS, Græcè, Κορυφαῖος, Ariſtoteli *Chori Princeps*, alias χορηγός, cantum incipiebat, quem proximè παραστάτης ſequebatur, ſicut hunc τρίτοστάτης. Et quidem *Coryphæus* altiore vocis ſono utebatur, quem cæteri mediocri excipiebant atque ſubſequebantur. Vide Jul. Cæſ. Scaligerum, *Poetic. l.* 1. *c.* 9. & 11. Uti autem remigibus perticâ remigandi ceſſandique ſignum dabat hortator, ſic *Coryphæus ἐνδόσιμον*, h. e. *canendi ſignum*, pede dabat: uti dicemus infrà paſſim, inprimis in vocibus *Menſuram percutere*, *Meſochorus*, *Scabellum* &c.

CORYPHANTIS, pagus in littore Adramytteno. *Strabo.*

CORYPHAS, Troadis oppidum. Plin. *l.* 5. *c.* 30.

CORYPHASIUM, promontor. Peloponneſi, in ora ſinus Cypariſſii prope Pylum Meſſeniacam, è regione Sphateriæ inſul. medium inter Electram fluv. & Methonem. Plinio, *l.* 4. *c.* 5. eſt quoque urbs Argiæ regionis, alias *Inachia*.

CORYPHE, mons Gangi finitimus. *Plut.* Item alius Syriæ inter Antiochiam & Berrhœam. *Theodoret.*

CORYPHENSES, Tegeatarum curia in Arcadia. Pauſan. *l.* 8.

CORYTHUS, oppid. Tuſciæ. Vide *Corithus*.

CORYTOS, apud Papinium Statium, *l.* 4. *Theb. v.* 269.

—— tunc lævâ ſonat arcus & aſpera plumis
Terga, Cydonea corytos arundine pulſat:

pro *pharetra*, uti capit Lutatius. Et ſic Maro, *l.* 10. *Æn. v.* 169.

Corytoque leves humeris, & letifer arcus.

* Aliàs *theca arcus*. Ita enim idem Lutatius *ad Statium*, *l.* 9. *Theb. v.* 730. *Corytos, theca arcus ſolius dicitur, ſicut faretra ſagittarum & ſagum ſcuti; Nunc vero Coryton pro faretra poſuit.* Servius *ad Æn. loc. Coryti propriè ſunt arcuum thecæ, dicuntur tamen etiam ſagittarum, quas & faretras nominamus.* Joan. Diaconus, *Comm. in Heſiodi Scutum Herculis*, Γωρυτὸς καλεῖται τὸ ὅπλον, ἐν ᾧ ἐμβάλλεται τὰ βέλη, ἤτοι ἡ θήκη τῶν βελῶν, καὶ τὸ τόξον. ἢ ἰδιαίτερον —— Ὀμφάριον Græcis, de quo & in quo vide *Lexicon Tacticum* Rigaltii; ſicut de ſagmate prædicto, P. Leopardum, *Emendationum l.* 12. *c.* 6. Certè *Coryton* à *pharetra* manifeſtè diſtinguit idem Papinius, *l.* 7. *Theb. v.* 660.

Quam ſuper à tergo velox corytus & arcu
Penduntſque ſonant auratâ lynce pharetra.

Imò non arcuum ſolùm, & ſagittarum, ſed & aliquando telorum theca corytus eſt, uti notat Barthius, *Animadverſ. ad Statium d. l.* Rectè autem *Coryton* ſcribi, non ſolum ex Heſiodi modò producto Enarratore liquet, ſed & ex Homero, initio *Od.* Φ. ubi Scholiaſtes γωρυτὸν θήκην τῶν τόξων pariter exponit. Uſum hujuſmodi τοξοθήκης Hetruſcos habes apud Virgilium; Getas & Sarmatas apud Ovidium. De Scythis, Seneca, *Hercule Fur. v.* 112.

—— jam tamen auſi
Telum Scythicis leve corytis
Miſſum certâ librare manu.

Ubi Gronov. alioſque vide &c.

COS, i. e. *ſpina*, aut *æſtus*, ſive *tædium*, pater Anab & Soboba. 1. Paral. *c.* 4. *v.* 8.

COS, inſula in mari Ægæo, una Cycladum.: Græcè Κῶς, per contractionem, non ex Κίως aut Κόως ſed ex Κόος. Unde malè Auctores, qui τὴν Κῶ ſcribunt, & non *Coam*, ſed *Ceam* intelligunt. Certè antiquiſſimi Græci dixerunt, ἐν Κίῳ, ut *Theophraſtus*, de Cea; at ἐν Κῷ, *de Coo*, ut *Ariſtoteles*. Tertullianus Co unicâ ſyllabâ inſulam Coon vocat, quod eſt Græcanicum Κῶ: *In Apologet. c.* 40. *Legimus Hieram Napæam & Delon & Rhodon & Co inſulas multis cum millibus hominum peſſum abiiſſe.* Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 144. & 145. Fœderis *Coorum* cum Mileſiis memoriam, ſervat nummus Antonini Pii, in quo Æſculapius & Venus, culti in his urbibus, ut videre eſt apud Jac. Sponium, *Itinerar. Græcia Part.* 3. *p.* 179. Quia verò nonnulli etiam inſul. Ceam Κῶ dixerunt, hinc Κῶς Μεροπὶς cognominari cœpit Inſula Cous, ad Atticæ Inſul. Ceæ diſtinctionem, uti idem Salmaſius notat, ubi ſuprà.

COS, urbs Ægypti, *Steph.* in Inſula cognomine, è cujus adverſo Cynopolites Nomus & Metropolis Cynopolis ſunt, uti docet ex *Ptolemæo* Salmaſius, contra illos, qui Co Metropolim ſtatuunt Cynopoliticæ præfecturæ. *Ibid. p.* 452.

COS, inter operarios lapides, memoratur Plinio, *l.* 36. *c.* 22. *Nunc ad operarios lapides tranſire conveniat, primumque* cotes *ferro acuendo. Multa earum genera; Cretica diu maximam laudem habuerunt: ſecundam Laconica ex Taygeto monte, utraque oleò indigentes. Inter aquarias Naxia laus maxima fuit, mox Armeniaca —— ex oleo & aqua Cilicia pollent, ex aqua Arſinoitica. Repertæ ſunt & in Italia aqua trahentes aciem acerrimè effectu* &c. Nempe *aquariæ cotes* dictæ, quæ aquâ aſpergi inter acuendum poſtulant; Aliæ fuere *oliariæ*, quæ oleò tangebantur: Omnes attritu ferrum acuebant; Sed & mortaria ex *cote* lapide fiebant, vel *cos* mutuatis vice terendis collyriis adhibebatur; ut marmora ſunt, quibus colores terunt ac miſcent Pictores, Plinius idem, *l.* 36. *c.* 22. Inprimis verò in Romana Hiſtoria *Cos* celebris eſt, quam Attus Navius Augur novaculâ diſſecuit, in Comitio, eâdem religione, ſub ara quadam, defoſſa & ſacrata, ac fulgurum reliquiæ vel lapides fulminum, de qua vide pluribus diſſerentem Salmaſ. *ad Solin. p.* 1137. *& ſeqq.* ut & infrà, in voce *Navia Ficus*.

COSA, urbs Hetruriæ, in ſublimi colle, ad mare cum ſubjecto ſinu, vicina portui Herculis, quæ *Coſſa Straboni*, & Plinio, *l.* 3. *c.* 5. *Coſſe* verò *Ptolemæo*. Videtur tamen cum ſimplici *s*. ſcribendum, Poëtæ enim primam corripiunt. Rutilius *in Itinerario*, *v.* 285.

Cernimus antiquas nullo cuſtode ruinas,
Et deſolata mœnia fœda Coſa.

Virgilius *Coſas* dixit, *l.* 10. *Æn. v.* 168.

Quique urbem liquêre Coſas ——

Coſſa, cujus *Stephanus* meminit, alia eſſe videtur. Vide *Coſſa*.

COSA, eſt *Caſſano*, urbs Calabriæ, in regione aſpera, ſub ditione Princip. Biſiniani. 6. milliar. ab ore ſinus Tarentini, in Occaſum, totidem à confinio Baſilicatæ. *G. Barrius*. Dicitur & *Caſſanum*.

COSA, urbs Iglio & Dianio inſul. objecta.

COSA, in *tabul. Peutinger.* Galliæ Aquitanic. locus. An *Caſinum* Auſonii & *Coſa Ptol. M. Vaſerus*.

COSACI, populi Poloniæ, qui primùm extitiſſe dicuntur ex inſul. Boryſthenis, in cujus etiamnum oſtiis vivunt. Turcis terribiles, ſub nomine Ruſſorum: Ducem habent proprium ſub dominio Poloniæ Regis. Claſſe ad Pontum Euxinum excurrentes, Conſtantinopolim obſederunt, A. C. 860. ſub Michaële Imperatore, ſed re infectâ inde diſcedentes, ex captivis religionem Chriſtianam didicerunt, M. Cromer. *Hiſt. Pol. l.* 2. Ab iiſdem Achmetes Imperator Turcicus durè vexatus eſt, A. C. 1616 Thraciâ, Bithyniâ, Paphlagoniâ, Trapezunte, Sinope, &c. devaſtatis. Contra Uladiſlaum IV. rebelles, ab illo fortiter, repreſſi ſunt, A. C. 1629. Habitant in Volhinia inferiore, aliàs *Ucrania*: Eorumque pars nunc ſub clientela Muſcovii. Ritus græcos ſervant, dicti à voce Ruthenica *Coſac*, i. e. miles vagus. Vide P. de Valle, *Itin. tom.* 2. & 3. Hominum colluvies eſt ex Polonis, Lituanis, ac Ruſſis collecta, qui, cum vel capitale facinus admiſêre, vel nimiâ ſervitute à Dominis oppreſſi ſunt, in patentes vaſtuſque ad Boryſthenem campos ſe recipiunt, tum ab aliorum invaſionibus, & omnium circum circa gentium terror. Ducem ex ſuis præſtantiſſimum eligunt, qui plenò in eos imperiò utitur. Quomodo perpetui in armis, ex præda undique congeſta vivunt: venalis exercitus, & modò Moſcis, modò Polonis graves, præſertim cùm Tartaris Precopenſibus junguntur. Numerus ad 100000. Equitum aſſurgit, Turcis inprimis formidabiles. Vide eum in *Orbe Polit.* & in voce *Ucrania*.

COSÆ, vide *Coſa*.

COSAM, pater Addi, patris Melchi, Luc. *c.* 3. *v.* 28.

COSAMBA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol. Satignam* Caſtaldo.

COSAN, idolum Idumæorum, cujus ſacra ſemper cuſtodiebat illuſtris in ea natione *Coſtobarorum* familia: donec eos Hyrcanus religionem ac ceremonias veri Numinis ſuſcipere coëgit. Vide Cunæum, *de Rep. Hebr. l.* 1. *c.* 16.

COSANUM, vulgò CASSANO, vide *Coſa*.

COSAS, Latii fluv. juxta Fruſinonem urbem præterlabens. Strabo, *l.* 5.

COSCINUS, oppid. Apamiæ in conventu Alebandico. Plin. *l.* 5. *c.* 29.

COSCONIUS, Auctor Latin. Solino, *c.* 7. Hiſtoricus, & Grammaticus, Varro *de L. L. l.* 5. Item infelix Epigrammatiſtes. Martial. *l.* 2. *Epigr.* 77.

Coſconi qui longa putas, &c.

COSCULIUM, apud Plinium ubi de cocco, *l.* 16. *c.* 8. *Gramen hoc, primoque ceu ſcapus fruticis parvæ aquifoliæ ilicis: coſculium vocant, penſionem alteram tributi pauperibus Hiſpaniæ donat.* Græcè κοκκύλιον eſt; à κοκκύζειν, quod propriè ſignificat *minutias excreſcentes præſecare*. Inde κοκκύλματα, & κοκκυλμάτια *præſegmina pellium*, quæ Sutores è corio reſecant. Et proin κοκκύλια dicta grana illa, veſicarum more in fruticis cortice extumeſcentia, quæ ad tingendas lanas abradebantur. Grana autem illa, ſive κόκκοι, ſcatent intus parvis vermiculis, quorum ſanies coccino tingendo præclara eſt & eximium illum colorem, quem nos mirantur, & adorârunt Veteres, efficit: unde *vermiculum* pro ipſo cocco dixerunt, uti vidimus ſuprà ubi de *Cocco*. Vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 272.

COSCYNTHUS, fluv. Italiæ. *Lycophron*.

COSENTIA, civitas Italiæ, Archiepiſcopalis Brutiorum Metropolis. Græcis Κωνσεντία, & Κωσεντία, vulgò *Conſenza*. Oppidani *Conſentini Tullio & Varroni*.

COSENUS, Mauritaniæ fluv. Plin. *l.* 5. *c.* 1.

COSFELDIA, urbecula agri Monaſterienſ. munita, ad fontes Borchelii fluv. ubi Epiſcopus ſæpe moratur. 6. leuc. à Monaſterio, totidem à Belgii confinio.

COSIANA, caſtellum Palæſtinæ in maritima Syriæ parte. *Steph.*

COSINGAS, Scæboeorum & Cerrheniorum in Thracia Dux, ſimulque ex more gentium iſtarum Junonis Sacerdos. Qui ut refractarios ſibi populos ad obedientiam redigeret, talem intendit dolum: ſcalas plurimas ingenteſque è ligno excitavit, aliaſque aliis junxit: dein in populum famam ſparſit, ſe in cœlum ad Junonem aſcenſum moliri, accuſaturum immodeſtiam atque inobedientiam Thracum. Thraces ſtupore ſtupidi & rationis impotes, metuentes Dorsi ad Junonem in cœlum aſcenſum, juramentò ſe obſtrinxerunt, quòd promptè imperata facturi eſſent. Polyæn. *l.* 7. *c.* 22.

COSLIACUM, oppid. Iſtriæ ſub Auſtriac. German. *Kertſchon*, ad lacum cognomin. qui Arſiam fluv. effundit, 2. leuc. à Petina in Boream, 3. à Vitopoli.

COSLINUM, urbs Caſſubiæ, in Pomerania ulteriore ſub Electore Brandeburg. Sedes antea Epiſcopi Caminenſis. 2. leuc. à mari Baltico, 4. à Belgardia in Ortum.

COSLOVIA, Emporium Cherſoneſi Tauricæ.

COSMANATES, Liguriæ populi. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

COSME, Κώμη Ægyptiaca prodendo memoriam ſui extendit. Eorum ex primo Schol. Apollonii in *l.* 4. variorum adfert ſententias de quæſtione ea, *Quænam gens ſit antiquiſſima?*

COSMETA, ornator, ſervus in familia, cui domini, dominæve exornandi cura incumbit. Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 477.

---- Ponunt
Coſmetæ tunicas. ---- ----

I. e. ancillæ, quæ mundum, & veſtes dominæ curant, & ornatum ejus cuſtodiunt & purgant, deponunt tunicas, & veſtes exuunt, ut nudæ virgis cædantur. Ita enim *ponere* ſumitur, pro *deponere*, ut apud Propert. *l.* 2. *El.* 2. *v.* 13.

---- Quas paſtor viderat olim
Idæis tunicam ponere verticibus.

COSMETA Ephéborum, in *veter. Inſcr.* 79. 6. 317. 3. dignitas apud Græcos, quâ qui inſignis erat, κοσμητὴς dicebatur. Vide *eád. p.* 317. 1. ut & infrà ubi de *Gymnaſiis*: aliam notionem, voce *Medici*, it. *Ornatrices*.

COSMITES, Ædis ſacræ navis, in formam crucis facta, quòd 4. mundi, qui κόσμος Græcis, plagas repræſentet, dicta à S. Germano. Sed & *Coſmedin*, nomen aliquot Templorum, Romæ alibique, ab eadem origine arceſſendum. Sic Romæ hodieque extat in Regione Ripæ Ædes, tituló Diaconiæ, quæ dicitur *S. Mariæ in Coſmedin*: alia item eódem nomine priùs veniebat, quæ nunc *S. Annæ* appellatur. *Ædis S. Valentini in Coſmedin*, meminit Flórav. Martinellus, *Rom. Sacr. c.* 11. Vide quoque Hieron. Fabrum, *Memor. Sacr. Ravennæ antiqq.* laudatum Car. Macro in *Hierolex.*

COSMOGRAPHIA, vide infrà *Geographia*.

COSMOS, Judææ oppidum, *Ptol.*

COSMOPOLIS, vide *Argoum Portus*.

COSMOSANDALUS, Pauſaniæ, *l.* 2. flos idem cum hyacintho, utpote cui magnitudine ſit perſimilis & eaſdem literas luctus indices habeat. Ejuſdem ſic meminit Cratinus, *in Effeminatis*, apud Athenæum, *l.* 15. [Greek], *Omnigenis caput chamæmelis molle paſcitur, leriis, roſis, liliis, coſmoſandalis.* Et Ariſtophanes, eódem *eod. libr.* citatus, coronam è coſmoſandalis purpureis, vocat *purpureum reticulum*, his verſibus,

[Greek]
[Greek]
Non tumebant olim Spartani, ut expugnabiles!
Nunc autem purpureó reticuló caput ut vincitur et obſidebur.

Porrò idem paulo antè citatus Pauſanias, in Chthoniis diebus feſtis, pueris ſolenne fuiſſe Cererem cum pompa deducere, veſte albâ ut plurimum indutis & redimitis è *coſmoſandalo* coronis, memorat &c. Vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 3. *c.* 10. ubi de Hyacintho flore multa.

Principes

COSMUS de Medicis, cognomine *Magnus*, frater Laurentii, & fil. Johannis, Rempublicam Florentinam feliciter gubernavit, opibus immenſis congeſtis. Hinc invidia, & exilium. Sed revocatus, *Patris populi & Patriæ liberatoris* elogium meruit. Literatorum, literatorumque Fautor, liberalitate ſuâ undique viros doctos allexit, inſigni Bibliothecâ comparatâ, cujus partem in Galliam Catharina Medicæa ſecum attulit, ob Græca Manuſcripta magni pretii. Obiit A. C. 1464 ætat. 75. Relictó Petró filió, patre Laurentii II. ex quo Leo X & Julianó, ex quo Clemens VII. nati. Ex Laurentio III. ſecundó filió Catharina Medicæa, & Alexander Dux Florentiæ. A. C. 1537. occiſus, prodierunt. In quo ſtirps Coſmi hujus deſiit.

COSMUS I. fil. Johannis II. nepos Johannis I. abnepos Petri Franciſci, cui Laurentius, prioris Coſmi frater, genitor contigit, Dux Florentiæ. Alexandro ſucceſſit. Ordinem S. Stephani inſtituit, A. C. 1554. Ad Regium titulum fruſtra aſpirans, Magnus Dux creatus eſt, A. C. 1569. à Pio V. hoc increpito à Maximiliano II. Imperatore minante: *Si Pontifex alterius Imperii jura invaderet*, Bodinus *de Rep. l.* 1. *c.* 9. Univerſitatis Piſanæ fundator, obiit A. C. 1574 ætat. 55. principatûs 38. Ex Eleonora Toletana, Franciſcó, & Ferdinandó, magnis Ducibus, relictis. Nothus ejus fil. Johannes, in Hungaria, re bene geſtâ, Princeps Imperii dictus eſt. Joh. Baptiſta Adrianus, *l.* 19 *to.* 11. & Spondan. *Annal.*

COSMUS II. ſucceſſit Patri Ferdinando, A. C. 1609. ex Magdalena Auſtriaca, Ferdinandi II. parens, &c. Obiit A. C. 1621.

COSMUS III. hodie regnans, duxit A. C. 1661. Aurelianenſis Ducis filiam.

Patriarchæ, Epiſcopi, Viri Clari.

COSMUS I. Patriarcha Conſtantinopolitan. Hieroſolymis oriundus, ſucceſſit Xiphilino, A. C. 1080. uſque ad A. C. 1086.

COSMUS II. A. C. 1147. Michaeli ſucceſſit, paulo pòſt mortuus. Curopalat. Nicet. Baron. *Annal.*

COSMUS Hieroſolymitan. cognomine Hagiopolita, Epiſcopus in Palæſtina, Johannis Damaſceni ſocius, ſecul. 8. *Hymnos* compoſuit, tomó 8. *Biblioth. Patrum*, 2. *edit.* Alius, *Chryſoſtomi vitam* ſcripſit. Cognom. *Veſtitor*, Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4. p. 511. &c.

COSMUS, Hiſtoricus Græcus res Ægyptiacas compoſuit.

COSMUS Italus, homo literatus, ſed arte Magicâ, cujus ope futura prædicebat, inſtructus, prorſus Atheus, obiit in Armorica, A. C. 1615. *Supplem.* Thuan.

COSMUS, unguentarius nobilis, Martial. *l.* 11. *Epigr.* 9. *v.* 9.

Quod Coſmi redolent alabaſtra focique Deorum.

Juvenal. *Sat.* 8. *v.* 85.

---- Canet licèt oſtrea centum
Gaurana, & totó Coſmi mergatur ahenó.

Ubi vetus Schol. *Coſmus luxurioſus fuit, qui ſolium, in quod deſcendebat, multis diverſorum unguentorum odoribus miſcebat.* Hinc unguentum Coſmianum. Martial. *l.* 12. *Epigr.* 55. *v.* 7.

Aut libram petit illa Coſmiani.

Petronius: *Affert vobis alabaſtrum Coſmiani.* Vide Rader. *ad Martial. l.* 14. *Epigr.* 100. *Nic. Lloydius.*

COSMUS Laurus, Brixiacenſis, *Præſidum & familiarum ſuæ urbis hiſtoriam* condidit.

COSNA, oppid. Ducatus Nivernienſis: cujus pars una Regem, altera Ducem agnoſcit Dominum. *Merel.*

COSOAGUS, fluv. navigabilis in Gangem influens. Plin. *l.* 6. *c.* 18.

COSOBUS, qui & *Caſſovius*, & *Campus Merulæ*, latiſſimus Hungar. ad Savum campus.

Reges Perſarum.

COSROES I. Perſarum Rex, cognomine *Magnus*, Cabadi ſucceſſit, A. C. 534. Agathias, *l.* 4. Hic tyrannus nonaginta millia Chriſtianorum interfecit, ac partem crucis Dominicæ ſecum aſportavit. Æn. Sylv. regnavit ann. 48. Eum excepit Hormiſda I.

COSROES II. parricida, regnavit ann. 39. à fil. Siroë ſimiliter necatus. Zonaras in *Mauritio*, Theophylactus, *l.* 4. *c.* 7. Vide *Choſroes*.

COSSA, urbs Tuſciæ in ſublimi colle poſt Populoniam. *Strabo.* Item Umbriæ oppid. Plin. *l.* 3. *c.* 5. hodie *Orbitello*. Item urbs Oenotriorum. *Steph.* *Conſano* eſt hodie, Calabriæ regionis, uti docet *Barrius*.

COSSA & COSÆ, urbs fuit Hetruriæ ex cujus ruinis crevit Anſedonia, à Carolo Magno everſa, quæ nunc vicus eſt, in agro Senenſi, ſub Magno Duce Hetruriæ in maritimo tractu, in colle, ad oram littoralem & oſtia Peſciæ fluv. 6. milliar. ab Urbatello in Ortum, paulo minus à Portu Herculis, 18. à Tarquiniis in Occaſum, 70 à Roma. In confinio ditionis Pontific. *Baudrand.*

COSSE de Geneſte, Ordo equit. à Ludovico IX. in nuptiis cum Margareta Provinciali, inſtitutus. Cum lemmate: *Exaltat humiles.* Guil. Nangius, *in vita S. Ludovici.* Favin. *theat. Hon. & Eq. l.* 3. *p.* 581.

COSSEA, para Perſidis, Stephano. *Coſſæi* populi, Mediæ montem inhabitantes *Polybio* & *Diodoro.* *Ptolemæo* in Suſiana ſunt, finitimâ regione. Hi ſunt Uxiis vicini, teſte Arrianó *in Indicis.* Horum quoque excidió parentavit Alexander Magnus Hephæſtioni. Vide Diodor. Sic. *l.* 17. Polyæn. *l.* 4 *in Alex. com.* 31.

COSSEA, Thraciæ oppid. *Steph.*

COSSÆI Autlun (quod illuſtris in Gallia Familiæ nomen eſt) ex antiquis *Coſſeis* Cenomanis oriundi ſunt, in qua familia, quamvis ea primogenita linea dominium *de Coſſe*, ad familiam Comitum *de Sanzay* delatum ſit, altera tamen linea Dominorum, dein Comitum, jam Ducum Briſſaci, ſuperſtes floret. Carolus enim *de Coſſe* Comes *de Briſſac*, ex Carola *d' Eſquetot* Dn. *d' Eſtellan*, Carolum genuit Duc. Briſſaci axioma primum metitum: quó & Juditâ Acignæâ, natus Franciſcus ex ... *de Ruellan Rocheportail* pater fuit Ludovici Coſſei Ducis Briſſaci extincti A. C. 1661. Qui ex Franciſca Gondia Comite *de Chemille*, reliquit filium Henricum Albertum Coſſeum Ducem Briſſaci & *de Beaupereau*, ex Gabriele de Luiſa de S. Simone, prole ſuſceptâ. Vide Speneruin, *Theatr. tom. III.*

COSSETANIA, Hiſpaniæ Tarraconenſ. regio apud Plin. *l.* 3 *c.* 3.

COSSI, antiquis dicebantur, naturâ rugoſi corporis homines à ſimilitudine vermium, quos, in ligno editos Phryges & Pontici maris accolæ pro delicatiſſimis cibis ſumunt. Plin. *l.* 11. *c.* 33. & *l.* 17. *c.* 24. *Coſſus* antiquitus cognomen tantùm *Corneliorum* fuit.

COSSINI, vide *Hoſtiones*.

COSSINITUS, Thraciæ fluv. Ælian. *de Animal. l.* 15. *c.* 25.

COSSIUM, Vaſatum in Gallia Aquitanica oppid. primarium, *Ptol.* & *Auſon.* Unde *Bazas* Vinetó eſt, inter Burdigalam, & Aquas Auguſtas, juxta amnem *Lavaſane*, 3 leuc. à Garumna fluv. in Auſtrum 12. à Neraco. Hinc regio adjacens, *le Bazadois*, Vaſatenſis tractus, in Vaſconia provinc. *Baudrand.*

COSSOANUS, Indiæ amnis in Gangem influens. *Arrian.*

COSSUS, prægrande vermium genus quod in roboribus naſcitur, Romanis olim in deliciis; quos, proin farinâ ſaginatis gula invenit. Plin. *l.* 17 *c.* 24. Vide quoque infrà *Vermis*.

COSSUS Claudius, vide *Claudius*.

COSSUS Cornelius, vide *Cornelius*.

COSSUS Corn. Lentulus, Conſul cum M. Aſinio Agrippa, an. Urb. Cond. 777. Alius collega L. Calphurnii Piſonis, an. Urb. Cond. 753. Tertius Conſul cum Claudio Cæſare Nerone an. ab Urb. Cond. 812. Denique Coſſus Tribun. Milit. de quo Virg. *l.* 6. *Æn.* v 841.

Quis te magne Cato tacitum, aut te Coſſe relinquat?

Eſt & hôc nomine hæredipeta celebratus Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 202.

Ut captatori moveat faſtidia Coſſo.

COSSUTIANUS, accuſatoris nomen ſub Claudio, Tacit. *l.* 11. *Annal. c.* 6. à Cilicibus accuſatus, maculoſus fœduſque & idem jus audaciæ in provinciâ ratus, quod in urbe exercuerat. Sed pervicaci accuſatione conflictatus poſtremò defenſionem omiſit ac lege repetundarum damnatus eſt Nerone ſecundùm, L. Piſon. Conſulib. Totum nomen eſt *Coſſutianus Capito.* Ibid *l.* 13 *Annal. c.* 33. P. Marió L. Aſinió Conſulib. Senatorium ordinem precibus Tigellini Soceri ſui recepit. Tacit. *l.* 14. *Annal. c.* 48. Eundem cum Tigellino grandi pecuniâ Annæus Mela in codicillis donavit, quò cætera manerent. *l.* 16. *Annal. c.* 17.

COSSUTIORUM Familia, apud Roman. ex qua *Coſſutia uxor* Cæſaris. Sueton. *c.* 1. Sic *Coſſutius*, & *Coſſutianus*.

COSTA, Roderici frater, Hiſpan. Rex, an. ab Urb. Cond. 1452.

COSTA, apud Plin. *l.* 11. *c.* 37. *Coſtæ homini tantùm oblonæ; ſuibus denæ, corrigeris tredecim, ſerpentibus triginta*: quod ſic, notum. Apud Pauſaniam verò, *l.* 1. Protophani Magneſio in Olympia eodem die pancratiû & luctâ victori, *coſtæ*, ut in aliis hominibus, diſcretæ non fuerunt, ſed os unum continuum, à jugulo ad ſitum uſque poſtremæ nothæ coſtæ. Dalechampius *ad h. l.* Ex *coſta Adami* Evam formatam, habemus Gen. *c.* 2. *v.* 21. *& ſeqq* ad quem locum multæ Eruditi quærunt, an illa ſupernumeraria fuerit in Adamo, an una ex coſtis ejus neceſſariis? Reſpondet Rivetus, ſupernumerariam ſuperfluamque illam non fuiſſe colligi hinc, quòd Adam, poſtquam è ſomno excitatus Evam conſpexit, dixit illam fuiſſe *os ex oſſibus ſuis*: ſuperflua autem coſta naturale ejus proprium que os non fuiſſet. Sed & erat ad ſignificandam conjunctionem arctiſſimam Adami & Evæ, ac mulieris ex viro naturalem originem & dependentiam conveniens magis, ut formaretur Eva ex aliqua parte neceſſariâ virilis corporis, quam ſi ex ſuperflua materia fuiſſet conſtructa. Nec propterea mancus poſtmodum Adamus fuit, Deus enim *deſumtâ unâ de coſtis ejus, incluſit carnem pro illa*, h. e. unâ coſtâ neceſſariâ ablatâ aliam ejus in locum ſubſtituit: quod ei facillimum fuit, & in momento, quandoquidem nihil hîc naturali modò, ſed per omnipotentiam Creatoris, factum eſt &c. Vide præfatum Auctorem *in Geneſin, Exercit.* 24. Ab animalibus tranſiit ad naves vox. Plinius, de Acantho Ægyptia, *Ob id utiliſſima navium coſtis* &c. Virg. *l.* 2. *Æn. v.* 16.

——— Intexunt abiete coſtas.

Quæ Græcis itidem *ἐγκοίλια*, uti de corpore humano. *Interamenta* Livius vocat &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1110.

de COSTA Blanca Maria, vide *Maria*.

COSTABALLENE, Liguriæ locus, *Antonin.*

COSTA-RICA, provinc. novæ Hiſpan. Cujus præcipua urbs Carthago, præter hanc Aranueſia, mercimoniis florentes. Herrera, *l.* 13.

COSTOBARI, illuſtris olim inter Idumæos familia, de qua vide aliquid ſuprà, voce *Coſan*.

COSTOBOCÆ, ſunt *Ammiano* Scythæ, circa Daciam, ad Pontum Euxinum. *Coſtoboci Ptolemæi* ſunt.

COSTOBOCI, Sarmatiæ Europææ populi, Capitolinus. Iidem, Salmaſio.

COSTULATI Balthei, apud Trebellium Pollionem *in Gallienis duob, c.* 2. *Saloninum puer hos auratos conſtellatoſque*, (ſeu *Coſtulatos*, ut legit Salmaſius) *baltheos rapuiſſe perhibetur*: ſunt balthei, regulis quibuſdam & virgis argenteis, in modum *coſtarum* poſitis, diſtincti. Quo pacto *coſtulæ* argenteæ dicuntur in baltheorum ornatura, ut laminæ & bacilli iiſdem ornandis & gladiorum vaginis, apud *Plinium*, memorantur. Vide Salmaſ. *ad loc. dict.* Galli *Coſtelée* dicunt, *coſtulis* iſtiuſmodi *diſtinctum*, vel in *coſtularum* ſpeciem diſpertitum, Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COSTUM, radix jucundi odoris, de qua ſic Plin. *l.* 12. *c.* 12. *Radix coſti guſtu fervens, odore eximio, frutice alias inutilis. Primò ſtatim introitu amnis Indi in Patale inſula, duo ſunt ejus genera, nigrum, & quod melius, candicans. Pretium in libras XVI. Dioſcorides* hoc coſtum *τὸ χρῶμα λευκὸν*, *colore luteum* ait: quod non in India ſolùm, ſed in Arabia quoque naſci obſervat Salmaſ. *ad Solin.* Ejus in ſacris olim uſus, Plin. *l.* 22. *c.* 24. *thure ſupplicamus & coſto*. Unde Propertius ſibi ſacra facienti ob navale Actiacum prœlium, *coſtum* dari vult. Propert. *l.* 4. *El.* 6. *v.* 5.

Coſtum *molle date, & blandi mihi thuris honores.*

Certè inter pretioſos frutices habitum eſſe conſtat, ex Horatio *Carm. l.* 3. *Od.* 1. *v.* 41.

Quod ſi dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum ſidere clarior
Delenit uſus, nec Falerna
Vitis, Achæmeniumque coſtum.

I. e. Perſicum. Sociatur cinnamis, apud Ovid. *l.* 10. *Met. v.* 307.

——— ſit dives amomo,
Cinnamaque, coſtumque ſuum, ſudataque ligno
Thura ferat &c.

Vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 3. *c.* 16.

COSYRA, inſula ſterilis in mari Libyco, non procul à Melite; cujus incolæ *Coſyræi* dicuntur. De qua ſic Bochartus, *l.* 1. *Chanaan, c.* 26. *Non debet hîc Coſyra omitti, inſul. cum oppid. media inter Siciliæ Lilybæum, & Clypeam Africæ, a Melite diſtans ſtadiis* 500. Nomen à *brevitate* ſumptum, ſi Punicè fuerit קוצרא *Koſora*, quomodo apud Arabes. Breve autem hîc idem quod parvum, ut cùm Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 73. dicit:

——— Brevibus Gyaris, & carcere dignum.

Verùm hoc, ſive de urbe acceperis, quam Polyb. *l.* 3. *Πολισμάτιον oppidulum* vocat, ſive etiam de tota inſula, cujus ambitus, teſte Strabone, non patet ultra ſtadia 150. i. e. ſex aut ſeptem leucas noſtrates. Hinc Silius, *l.* 14. *v.* 273.

Et bellare Tabar docilis Coſyraque parva.

Aliter Coſyræ nomen ab Ebræo חוסר *Choſer*, i. e. inopia deducatur, unde Ovid. *l.* 3. *Faſtor. v.* 567.

Fertilis eſt Melite, ſterili vicina Coſyræ
Inſula, quam Libyci verberat unda freti.

Strabo, de Conſol. ad Helviam, c. 6. *Deſerta loca, & aſperrimas inſulas, Sciathum, & Seriphum, Gyarum & Coſyram pete.* Ideo tamen habitatur, quia aquis eſt irrigua, & portum habet commodum, oliviſque ſcatet, & capris, ut Arabs Geographus teſtatur *Clim.* 4. *part.* 1. *Nic. Lloydius. Baudrando* Inſula eſt Africæ, in mari Mediterraneo, verſus Hermææ promontorium, a quo 45. milliar. in Ortum abeſt, à Melita 90. recedit in Occaſum, à Clupea 58. in Ortum, à Sicilia 90. in Auſtrum. Urbeculam habet & caſtrum, cum portu ſat tuto. Olim ſub Tunetano Rege nunc à Sicilia pendet. Circuitus eſt 15. mill. paſſ.

COSYRI, Indiæ populi. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

COSYRUS, inſula juxta Selinuntem. Item Siciliæ fluv. & urbs ejuſdem nominis. *Steph.* Tres ibi hodie ſunt inſulæ, *Treſontane* dictæ.

COSYTE, Umbriæ urbs. *Steph.*

COTA, ſeu COTTA, in Concil. Moguntiacenſi, apud Reginonem, *l.* 1. *c.* 335. & Bernhardum, *l.* 2. *c.* 208 tunica eſt Clericis propria, Gall. *Cotte*, German. *Cott.* Vide infrà *Cottus*, *n. Sertorum.* Saxonibus priſcis tugurium, latibulum, ſpelunca; unde ruſticorum manſiunculæ eodem nomine inſignitæ. Car. du Freſne, *Gloſſar.* Vide in voce *Coterellus*.

COTACE, Ariæ oppidum.

COTÆA, Armeniæ minoris regio. *Ptol.*

COTÆNA, Armeniæ minoris urbs. *Ptol.*

COTAMBA, Perſiæ oppid. *Ptol.*

COTARDIA, cotæ, ſagi vel tunicæ ſpecies, viris perinde ac fœminis familiaris, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COTARELLUS, vide *Coterellus*.

COTBUSIUM, oppidum Luſatiæ inferioris ad Sprehara fluv. ſub Electore Brandeburgic. Aliter Cotwitz. Medium ferè inter Dreſdam & Francofurtum ad Oderam.

COTENSII, Daciæ populi. *Ptol.*

COTERELLUS, idem cum *Cotario*, habitator *Cotæ*, quæ vox apud medii ævi ſcriptores caſam viliorem notat, ex Græco *κοίτη*, tugurium, latibulum. Unde *Coterelli* videntur dicti homines viliores, Gall. *Cotereaux*, vel *Coſtereaux*, qui ſub Anglo militantes Gallis admodum erant infeſti. De his Rigordus, *de geſtis Philippi Aug. Quidam ibi*, inquit, *Ricardus Comes Pictavenſis multitudinem Cotarellorum ad Caſtellum Radulphi pro ſuccurſu miſerat.* Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Marca vero *Hiſtor. Bearn. l.* 6. *c.* 14. eos ſic dictos eſſe cenſet, quod majoribus *cultellis* (de quibus infrà) armati & inſtructi eſſent, *cotterels* Toloſanis vulgò dictis, adeoque cum *Cultellariis*, de quibus in *Statutis* Raymundi Comitis Toloſani *A. C.* 1152. eoſdem facit. Fuêre autem prædones militares, qui aliàs *Ruptarii*, ex agricolis & ruſticis, qui bellorum abuſi licentiâ prædationi ſeſe addixerant, collecti; quos à Philippo Aug. deletos A. C. 1183. narrant, præter Rigordum, Guil. Brito, *Philip. l.* 1. Albericus *A. C.* 1183. Guil. Armoricus in *Philippo Aug.* Alii.

COTES, aliis COTTES, Africæ promontorium in Mauritania Tingitana, in extremo freto ſitum, ut conſtat ex his *Strabonis*, poſtquam de freto actum: Ἐντεῦθεν δὲ ἀπιοῦσιν ἔσω ... *Maurusiorum, οἱ Κώτεις ἀκρωτήριον*, i. e. *Inde progreſſis quædam objacet, Mauritaniæ pars ad occaſum extrema, Cotes vocant.* Proinde Ptolemæus eodem habet, *Κώτης ἄκρον*, *Cotes promontorium.* Putat Bochartus, *l.* 1. *Chanaan, c.* 37. Pœnos ſcripſiſſe כותש *Cotes*, i. e. ... *vindemiale*, quia Mela, *l.* 1. *c.* 5. *Ampeluſiam* exponit. Verba ſunt; *Caput ejus extremum (Africæ) eſt promontorium, quod Græci Ampeluſiam, Afri aliter, ſed idem ſignificante vocabulo appellant.* Plinio quoque, *l.* 5. *c.* 1. id promontorium *Ampeluſia* dicitur; ſed Cotes eſt vicinum oppidum. *Promontorium*, ait, *Oceani extimum Ampeluſia nominatur à Græcis. Oppida fuêre Lixa, Cotis ultra columnas Herculis*, &c. At in *Scylace* Cotes eſt ſinus in ipſo freto inter Columnas & *Ἑρμαίαν ἄκραν*. *Nic. Lloydius.* Nunc *Capo Spartel*: Hiſpaniæ obverſum, prope Oceanum Atlanticum, ubi major eſt Herculei Freti latitudo. 5. leuc. Hiſpanic. à Tingi, in Occaſum, *Baudrand.*

COTES optimæ, in Naxo, & in Armenia & in Cypro, Salmaſ. *ad Vopiſ. in Aurelian. c.* 7. Vide ſuprà *Cos*.

COTHENA, oppid. Anhaltinorum, in Germania ſuperiore ſub proprio Principe, è familia Aſcania. Ortus eſt olim *Cothenſium* ramum Albertus III. Claudus, fil. Johannis, ſicut frater ejus Sigiſmundus Serveſtanum inchoavit: qui ambo pro Marchia Brandeburgenſi, quam Sigiſmundus Imperator Norimbergenſi Burggravio conceſſerat, accepêre 60000. aureos. Reliquit Albertus filios Woldemarum, Albertum & Adolfum, patrem Wilhelmi, qui dein, cùm ſe Minoritarum ordini addixiſſet, Ludovici nomen aſſumpſit; & Adolfi, Epiſcopi Merſburgenſis, cui Lutherus theſes ſuas de Indulgentiis dedicavit. Iterum incepit hunc ramum Ludovicus, minimus natu filius Joachimi Erneſti, qui unus poſt plura ſecula totius Principatus fuerat poſſeſſor, mortuus A. C. 1586. Fuit autem Ludovicus Oeconomicâ laude & literis, Societate imprimis, quam *Frugiferam* vocant, fundatâ clarus, obiit A. C. 1650. relicto ex Sophia Lippienſi filio Wilhelmo Ludovico, nato A. C. 1638. Vide Phil. Jacobum Spenerum, *Syll. Geneal. Hiſtor.*

COTHIA, Moſcis dicitur panis benedictus, quem, pro defunctorum ſuffragio, in Ædibus ſacris diſtribuunt. Vide ſuprà in *Agapa*, & Dominic. Macrum in *Hierolex.*

COTHOCIDÆ, Græcè *Κωθωκίδαι*, demus Athenienſis, cujus tribus, incertum, patria Æſchinis. Jac. Sponius, *Itiner. part.* 3. *p.* 145.

COTHON, Carthaginis tres erant partes, *Κώθων*, *Μέγαρα*, & *Βύρσα*. Cothon vatiè definitur. A Strab. *l.* 17. ... *Ἐπίκειται δὲ τῷ στόματι τοῦ λιμένος νησὶς περιφερὴς ...*, *Inſula parva, rotunda, Euripo circumdata, utrinque habente in orbem navalia.* Portum fuiſſe muro cinctum, cujus pars una rotunda fuit, altera quadrangula, colligere eſt ex Appiano, in *Libyc. p.* 79.

Cujus

cujus verba ſunt: [illegible] Καθῶνι, *portum Cothonem nomine eſt aggreſſus.* Item ὁ δὲ Ἀσδρούβας [illegible] τοῦ Κώθωνος [illegible] *Aſdrubal noctu mendis partem Cothonis quadrangulam.* Item [illegible] τοῦ Κώθωνος [illegible] *Ad alterum Cothonis latus, nempe ad partem ejus rotundam aſcendens.* Et rurſus, [illegible] τοῦ Κώθωνος [illegible], *occupato muro qui Cothonem cingebat.* Diodor. Sic. *l.* 3. De portu Charmuthâ, in Arabum Thamudenis: [illegible] Καρχηδόνι λιμένι, [illegible] Κώθωνι, *Simillimus eſt portus Carthaginis Cothoni nomine.* In margine ea libera ſcriptum *Kώθων.* Hirti, *l.* 5. ſive *de Bell. Afric.* c. 62. nominatur aliquotics Cothon, non Carthaginis, ſed Adrumeti urbis Africæ in hoc eodem litore notiſſimæ: *Varus* (inquit) *Adrumeti ex Cothone egreſſus. Feſtus* ſcribit, *Cothones appellari portus in mari interiores arte, & manu factos.* Et Servius in illud Poetæ, *l.* c. *Æn.* v. 431. *Hic portum alii effodiunt, id eſt, Cothona faciunt. Cothona ſunt portus in mari non naturales, ſed arte, & manufacti. Eſt autem & maſculini, & neutrius generis.* Vocem Africanam, aut Punicam eſſe oportet, cùm neque apud Græcos neque apud Romanos ſcriptores uſpiam pro portu occurrat, niſi quibus locis agitur de urbibus Africanis. Radix קטם *Katam*, vel Phœnicio more *Katham* apud Talmudicos eſt *incidere*, unde קטום *Kathum inciſus.* Græcis, qui nullam habent deſinentem in *M*, pro *Kathum* dictus eſt *Kathon* vel *Kothon*, & leviculâ hâc mutatione factum, ut barbara vox Græcâ civitate donaretur. Bochartus, *l.* 1. *Chanaan.* c. 24. *Nic. Lloydius.*

COTHON, Græcè Κώθων, poculum fictile, Laconicum, & militare, quod in pera geſtabant milites. Athen. *l.* 11. Xenophon, *Pæd. l.* 1. Alii. Unde *Cothonem* inſul. parvam Carthaginis, quæ vicem portus præbebat & navalia habebat, quòd inſtar *cothonis* poculi rotunda eſſet, nomen accepiſſe ſuſpicatur Salmaſ. *ad Solin.* p. 1128. Sed de hac Inſul. jam ſatis dictum, in hac voce.

COTHONEA, Eleuſini Regis uxor, Triptolemi ex illo mater, Hyginus *in Fab.* 147.

COTHURNUS, diſcipulus Prodici, ex triginta tyrannis, à Lacedæmoniis, devictis Athenis, impoſitis. Quare ita dictus ſit, vide Scholia *in Ariſtophanis Nubes.*

COTHURNUS, ut Tragœdiis uſitatus, calceamentum erat quadrangulum, quod utrivis pedi æquè accommodari poterat, adeò ſuberatum ac craſſum, ut ejus acceſſione Heroum magnitudinem æquare quis videretur; cùm contrà Comici ſoccô, calceamentô humili, uterentur. Claudian. *de Conſul. Manlii Theodori*, v. 314.

— — Aliò graditur majore cothurno.

Fallitur tamen Iſidorus, *l.* 19. c. 34. qui ſolis Tragœdiis id calceamenti genus conveniſſe contendit; Namque & puellæ, quæ grandiores videri volebant, & viatores, ut à luto defenderentur, & venatores uſi: ſoterum frequentius à Tragicis adhibitum eſſe, conceditur. Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Roſini Antiqq. l.* 5. c. 8. & Scaligerum, *Poetic. l.* 4. c. 13. Hodie Itali *Cothurnos* vocant majores perdices rubras, quæ [illegible], h. e. [illegible] ſæpius iterant, cùm aliarum ſit [illegible]. Cujuſmodi [illegible] diſcrimen in Bœotiis olim Atticiſque perdicibus notavit *Theophraſtus*, vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 150.

COTIA Sylva Gall. inter Creſpiacum Valeſiom, & Sueſſiones, verſus Firmitatem Milonis. Aliis eſt in eo tractu; ubi nunc vicus *Soiſſe*, ad Axonam fluv. ubi influit in Oeſiam, prope Compendium. Gall. *la Foreſt de Villers Collerez*, à ſuperbo illic Villerio caſtro excitato. *Baudrand. Hadriano Valeſio* ſilva hæc vico ſeu villæ *Cotiæ* nomen dedit, quod ipſa à cotibus accepiſſe videtur: *Cuiſe* aut *la foreſt de Cuiſe.* A quibuſdam ſilva Compendienſis, *la foreſt de Compiegne*, quia Compendio villæ olim publicæ ſeu Palatio Regio proxima, dicitur. In illa *Cotia*, ut dictum, villa hodieque veteris Palatii in ſilva reliquias oſtentans, vulgò *Cuiſe*: vici S. Petri *S. Pierre en Chaſte*, Exartum *l'Eſſart*, S. Nicolai *S. Nicolas de Courſe*, S. Johannis ad ſilvam *S. Jean au Bois*, Bruetiæ *Bruyeres*, à ericarum copia, ſic enim illas Galli vocant: Brolium tandem *Breu*, quæ vox ſilvam cæduam ſeptamque Gallis ſignificat, & Caſnum *Cheſne*, aliis *Chene Herbelot*, prope Cotiam villam. Poſita eſt ſilva inter Axonam, Iſaram & Ottentam amnem, qui apud Verimbream aut Vermanam palatium in Iſaram effluit. *Queſa* Brittoni, *Philipp. l.* 2. pro *Cuiſia* ſilva: *Notit. Gall.*

COTILIA, inſula, ſive lacus apud *Feſtum*, vide *Cutiliæ.*

COTINÆ, locus circa Bætim, in quo æs aurumque naſcitur. *Strabo.*

COTINUS, Græcè κότινος, occurrit apud Plin. *l.* 16. c. 18. & *oleaſtrum* notat, è quo Olympionicis olim corona plectebatur. Nempe non ex quovis oleaſtro id fiebat, ſed ex illa ſingulari tantùm arbore, quæ in hoc ſummâ curâ aſſervabatur, ut materiam præberet hujuſmodi coronis texendis, nec eque κότινος propriè dicebatur [illegible], ut videre eſt apud Pauſan. *l.* 5. [illegible] *Sic* Alpheus, apud Philoſtratum *in imag.* oleaſtri coronam dat Pelops, veloi olympicam & omnium excellentiſſimam. Solon quoque Anacharſidi, quænam vobis ſunt præmia, interroganti, reſpondet, *olympus quidem corona è cotino*, apud Lucianum *de Gymnas.* Et Nero, è Græcia reverſus, Romam intravit [illegible], *cotinô coronatus*, & laurum manu tenens, apud Dionem *in Nerone.* Ex aliis verò κοτίνοις, qui proveniebant circa ripas Alphei, quamvis eſſent pulchri, ut qui quàm proximè accederent ad criſpitudinem apii, hæ coronæ non magis nectebantur, quàm ex olea, ut perperam voluit Scholiaſtes Ariſtophanis, *Pluto.* Cæterùm ſuper hujus ſingularis *cotini* origine diſcrepant Auctores. Et *Ariſtoteles* quidem eam ab Hercule Olympus plantatam ait, à fonte Iſtri ab eo allatam, uti dicit Pindarus, *Olymp. Od.* 3. *Pauſanias* verò ex Hyperboreis in Græciam ab eodem delatam, narrat. Certè tantæ dignitatis fuit, ut vocata ſit *ſacra olea.* Ita enim apud Plut. *in Solone* Epimenides, donis, quibus colebatur ab Athenienſibus, repudiatis, nil quicquam petiit, niſi ramum ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας, *ab ſacra olea.* Et verò ſicuti ſacra religioſè ſervabant. Plin. *l.* 16. c. 44. *Olympiæ oleaſter, ex quo primus Hercules coronatus eſt. Et nunc cuſtoditur religione. Ariſtoteles* addit locum ejus, ubi cuſtodiebatur, nempe circa Iliſſum fluv. Atticæ, à quo diſtabat 60. ſtadia, muro circumdatum fuiſſe, magnamque mulctam tangenti dictam. Idem arboris hujus tum folia, tum ramos ſingulares facit. Folia enim intus, non foris, viridiſſe, inſtar myrti; ſimiliterque ramos ejus myrtis ſimiles, & εἰς τοὺς στεφάνους [illegible], h. e. eâ longitudine, quæ capiti evinciendo ſatis eſſet, docet. Unde colligitur, coronam Olympiam non fuiſſe contextam è duobus ramulis, ſed ex uno continuo: ad cujus exemplum laurea poſtmodùm triumphantium facta eſt. Antiquitus tamen è quolibet oleaſtro coronas Athletis plexas, dici poteſt e Etymol. in κότινος, ubi folia cotini primitus conjecta fuiſſe, in victores, ex illis capta, quæ ſpectatoribus ſubſtrata erant vice lecti. Indeque coronam Olympicam ſumſiſſe exordium, refert. Neque verò coronæ ſolùm Olympionicarum, ſed & ſceptra Regum, Heroumque clavæ, ex hac arbore conficiebantur: uti legimus de Amyco Rege Bebrycum alibique: eo quod durior vix ulla arbor ad [illegible] inſeparabilis eſſet, Imò & donariis in templis Deorum affigendis adhibitus. Ariſtophanes, *loc. cit.*

[illegible]

Uti autem primitus ex qualibet oleaſtro; poſtmodùm ex *Cotino* per excellentiam ita dicto; ſic tandem ex auro fuêre Olympicæ coronæ, uti docet Car. Paſchal. *Coronar. l.* 6. c. 20. quem de *Cotino* pluribus agentem, vide *capp. præcedd.* 18. & 19. adde, quæ dicemus infrà voce *Ruſus.*

COTINUSA, quæ poſt *Gades*, ob multitudinem oleaſtrorum, vide Schol. *in Ariſtoph. Plut.* & in voce *Cotinuſa.*

COTISO, Dacorum Rex, cujus exercitus, cùm Pannonias invaſiſſet, à Cornelio Lentulo, Duce Auguſti Cæſaris victus eſt. Horat. *l.* 3. *Carmin. Od.* 8. v. 18.

Occidit Daci Cotiſonis agmen.

Abrahamus Mylius, *l. de linguâ Belgica*, c. 26. *Cotiſon*, quaſi *Gotes ſon*, i. e., linguâ Belgicâ *Dei filius.* Sic nempe Dux ille dictus eſt, quia Optimates ſe, ſuoſque liberos pro Deorum progenie ab aliis haberi volunt.

COTOMANA, Armeniæ majoris oppid. *Ptol.*

COTONEA Mala, memorantur Plinio, *l.* 15. c. 11. *Hi* (ſpineis tucibus) *proxima amplitudine mala, quæ vocamus* Cotonea & *Græci Cydonea, ex Creta Inſula advecta. Incurvatos trahunt ramos prohibentque creſcere parentem. Plura eorum genera, chryſomela, inciſuris diſtincta, colore ad aurum inclinatô. Quæ candidiora — odoris præſtantiſſimi ſunt. Eſt & Neapolitanis ſuus honos. Minora ex eodem genere ſtruthea odoratius vibrant, ſerotinô proventu, præcoci verò muſtea* &c. Coquebantur ea in muſto, & alii etiam odores adjiciebantur; de qua conditura Plautus agit *Perſâ*, *Act.* 1. *Sc.* 3. v. 7.

Commiſce muſtum, ſtruthea coluteaque appara,
Bene ut inſcutris concalcat, & calamum inſice.

Vide Columellam, *l.* 12. c. 19. & 41. [illegible] Græci vocant, & γλεῦκος in eadem conditum uſurpant. Sunt autem Struthea, uti viſum *Plinio*, minora cotonea: aliis tamen majora, in quibus *Dioſcorides* eſt, qui [illegible] vocat minora Cydonia, h. e. *vera*, & à majoribus, quæ *Struthea* ille appellat, *Cotonacea* hodie Galli, diſtinguit. Et quidem parva illa Cydonia, rotunda & odorata ſunt, *Pommes coin* vulgò Gallis, è quibus hodieque Genuenſes delicatiſſimum ſuum *cydoniatum* parant. Sed & alius horum malorum uſus fuit. Plinius, *d. l. Omnia jam & virorum ſalutatoriis cubilibus incluſa, ſimulachris noctium conſcia impoſita.* Ubi cubicula *ſalutatoria* vocat, in quibus divitem, è dormitorio ſuo prodeuntem, *convenire amicum*, ut inquit Manilius, *l.* 7. ſalutabat, vide Hadr. Turneb. *Adverſ. l.* 13. c. 28. Ad cujuſmodi cubiculorum ornamenta erectas & comparatas imagines, *ſimulachra noctium conſcia* appellat, Dalechampius. *Not. ad loc.* Vide quoque Caſaubon. *ad Sueton.* p. 70. & infrà *Cydonia.* De *Cydoniis* vero *Malis* Sinenſium, aliquid ſuprà, in voce *Banjama.*

COTONEUM, vulgò *Codogno*, oppid. Ducatus Mediolanenſis, in limite agri Placentini; Gaudet titulò Comitatus Trivultiorum.

COTONIS, inſul. circa Echinadas. Plin. *l.* 4. c. 12.

COTRADES, Iſauriæ urbs. *Steph.*

COTRIGURI, Hunnorum gens. *Agathias.*

COTTA, Orator, qui cum Sulpitio æquali diſſeruit, apud Ciceronem *in dialogo de Oratore.* Legem tulit, ut liceret Tribunis plebis alios recipere magiſtratus, quod lege Syllæ iis erat ademptum. Singularem ejus dicendi facultatem ac dexteritatem multis nominibus laudat Tullius, *l. de Oratore ac in Bruto.* Alter Cotta, contra Mithridatem infeliciter pugnavit, Syllam Cæſari conciliavit. Tertius, Legatus Cæſaris in Galliâ, inſidiis circumventus, ab Ambiorigis Ducis exercitu interficitur. *Aſcon. Pedianus.* Totum nomen eſt *T. Aruntulejus Cotta.* Cæſ. *l.* 5. *Com.* Cottæ cuidam Ovidius dedicavit, *ep.* 8. *l.* 2. & *ep.* 5. *l.* 3. *de Ponto.* Cottæ Poëtæ meminit idem *ep. ult. l.* 4. An idem ſit cum eo, cujus 3. *eleg. l.* 3. meminit? Plurium aliorum Faſti Conſulares, &c. meminerunt. *Nic. Lloydius.*

COTTA Aurelius, per luxum avitas opes diſſipavit: huic tamen Nero annuam pecuniam ſtatuit. Tacit. *l.* 13. *Annal.* c. 34.

COTTA Johannes, vide *Johannes.*

COTTA Meſſalinus, imperante Tiberiô, Senator, adulandi

fœdiſſimâ arte famoſus Meſſallæ Oratoris, Patris optimi, degener proles. Tacit. *l.* 2. *Annal.* c. 9. Promptiſſimus cum atroci ſententiâ, de quibus Cæſar ad Senatum retulerat. Ibid. *l.* 3. *Annal.* c. 3.

COTTA, Italis corruptâ voce, fortè à *Crocota*, dicitur tunica talaris ac manuleata olim, poſteà brevior facta, ſciſſis & laxè fluentibus manicis, alibi ſtricta corpori, & brachiis preſſa; quales Cardinalium & Clericorum Auguſtinianorum: alibi etiam ad inſtar involucri tonſorum, quod totum corpus involvit, & hinc inde brachiis in humeros rejicitur, ut veteres Caſulæ ſive Planetæ. Hinc ſacris operantium amictum lineum, quod tenuis eſſet ac mollis ad inſtar Crocotarum, *Crocotam* primò, dein contractâ voce *Cottam* videntur appellaviſſe. Quæ tamen vox non ita antiqua, ut pro veſte ſacrorum Miniſtrorum accipiatur. Scriptores enim Hetruſci *Cottam*, pro muliebri fermè veſte, interdum pro virili, uſurpant: nonnunquam pro veſte, quæ armis injicitur. Venetiis ſanè adhuc eſt in uſu; ubi muliebres tunicas *Cottas* appellant, Octav. Ferrarius, *de Re Veſtiaria*, *l.* 3. *c.* 5. Vide quoque ſuprà Cota, & infrà *Superpellicium.*

COTTABUS, vide infrà *Gotta.*

COTTÆOBRIGA, Vettonum in Luſitania urbs.

COTTANA, ficorum genus: Plin. *l.* 15. *c.* 19. *Ex hoc genere ſunt, ut diximus*, Cottana *&* Caricæ, *quæque conſcendenti navim adverſus Parthos omen fecêre M. Craſſo, venales prædicantis voce*, Cauneæ. Et Martialis, *l.* 13. *Epigr.* 28. cui titul. *Cottana.*

Hæc tibi quæ tortâ venerunt condita metâ,
Si majora forent cottana, ficus erant.

Nempe ficus erant parvæ, quæ è Syria afferebantur. Idem, *l.* 4. *Epigr.* 89. *v.* 5.

Antipolitani nec quæ de ſanguine thynni
Teſta rubet, nec quæ cottana parva gerit.

Et, *l.* 7. *Epigr.* 52. *v.* 7.

Parvaque cum canis venerunt cottana prunis, &c.

Veniebant autem in maſſam compoſita, unde *torta meta*, h. e. è tortis juncis textæ ſportæ, vel teſtæ turbinatæ in metæ formam, mentio ſuprà. Statius *globum* vocat, *l.* 4. *Sylv.* 9. *in Saturnal.* v. 28.

Nuſquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus atque cottanorum.

Græci *παλάθην* dixêre, item *μάζαν*, unde Latini fecêre ſuam *maſſa*. Hinc *παλάθη Συριακὴ*, *cottanorum maſſa*, quæ ex *Syria* in alias regiones ferebantur &c. Vide hanc in rem Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, & ſuprà in voce *Cottana.*

COTTIA, locus Galliæ Ciſalpinæ inter Ticinum, & Taurinos. *Antoninus.*

COTTIÆ Alpes, *Montcenis* Leandro, *Mon Genebre* Jovio, montes excelſi inter Galliam & Italiam divortia facientes, ac Taurinos ab Allobrogibus, ſeu à Delphinatu potius ſeparantes. Has *P. Diaconus* Dertonam, & Bobium uſque extendit, ſed malè, partemque illas Apennini facit; Extenduntur à monte Veſulo ad montem Cenſium. Harum præcipui montes, *Genebra*, *Cenſius*, *Veſulus*; habentque ad Auſtrum Alpes maritimas, ad Boream Grajas. *Baudrand.* Valles Lucernam & Peruſiam, ex parte Italiæ, comprehendentes. *Morer.* Plin. *l.* 3. *c.* 20. Strab. *l.* 4. Tacit. *l.* 1. *Hiſt.* c. 87. Ammian. Marcellin. Aur. Victor, *Epit. c.* 5. Leander Albert, &c. Hæ Alpes 12. civitates continebant olim, regnum componentes. Hinc Cottii Regis mentio, apud Sueton. *in Tiberio*, c. 37. qui etiam *in Nerone*, c. 18. memorat, hunc Regnum Ponti Polemone Rege conſentiente, & Alpium, poſt Cottium mortuum, in provinciam redegiſſe. Has dein Alpes Aripertus Italiæ Rex ut ſcelera elueret, Pontifici donavit A. C. 704. P. Diac. *l.* 6. *c.* 28. quam donationem renovavit Luitprandus, A. C. 725. Sigon. *l.* 3. &c.

COTTIÆ, vel COTIÆ, *Cozzo*, pagus Ducatus Mediol. in agro Vigevanenſi, 2. milliar. à Seſia fluv. & à confinio Montisferrati. *Cutia* quibuſdam.

COTTIARA, Indiæ intra Gangem urbs, in ora, *Ptol.* *Cochin* Caſtaldo, *Calecut* nonnullis, *Porto* in *Travancor*, 28. leuc. Hiſpan. à Cocino in Auſtrum, 10. à promontor. Comorino in Boream. *Baudrand.* Corruptè pro *Cottonara*, ut videtur *Salmaſio*, quam *Βλίγκαν ἐμπόριον*, *Blincorum emporium* vocat *Ptol.* Unde piper, quod optimum & plurimum ibi naſcitur, lintribus monoxylis, per fluvium, in maritimum emporium nomine Becareo, quod erat ſitum contra oſtia fluvii, convehi ſolitum, ait Plin. *l.* 6. *c.* 23. Hodie Calicutum eſt eadem Salmaſio, quem vide *ad Solin.* p. 1187.

COTTIARIS, Sinarum fluv. *Ptol.*

COTTIS, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

COTTIUM, *Straboni* Galliæ Narbonenſis locus, circa Alpes Cottias.

COTTOBARA, Gedroſiæ oppid. & Indiæ intra Gangem.

COTTON, urbs Aſiæ Propriæ. Liv, *l.* 9. *c.* 57.

COTTONA, Indiæ regio, unde piper monoxylis lintribus Becarem convehitur. Plin. *l.* 6. c. 23. Melius Cottonara, vide *Cottiara.*

COTTONA, portus Æthiopiæ, ad ſinum Arabicum. Solin. c. 57.

COTTONUS Johannes, Anglus, Vir pius & doctus, corruptum à Robinſono Independentiſmum, abſolvit, circa A. C. 1635. Cum enim ſub Carolo I. M. Britan. Rege Epiſcoporum in Anglia auctoritas, annitente inprimis Præſule Cantuarienſi Laudô, ad apicem perveniſſet, pars Eccleſiæ Robinſonianæ (fuit autem Robinſonus Semiſeparatiſtarum auctor, ut dicemus *infra*) Lugduno-Batav. quò A. C. 1634. ex Anglia conceſſerat, Plymoutham Nov-Anglicam migravit. Eodem paulò poſt *Cottonus*, aliique Non-Conformiſtæ ex Anglia, metu perſecutionis Epiſcoporum profugi, venerunt. Et hi ſtatim in viam Robinſonianam conſenſerunt, quæ tum inter candeſtilos admodum invaluit. Difficile eſt non incidere in Scyllam, ubi Charybdim effugeris: Epiſcoporum faſtum ac rigorem quòd tolerare non poſſent, quo longius quid ab illis diſtabat, eo gratius erat. Placuit igitur Robinſonas: & quanquam *Cottonus* antehàc Separatiſtis adverſaretur, tamen Semiſeparatiſmi auctor & fautor eſſe cœpit, circa annum præfatum, eaque dogmata facundè interpolare aggreſſus eſt. Statim itaque miſſis in Angliam literis novam hanc Eccleſiæ formam deprædicans in partes ſuas Thom. Godwinum, virum egregiè doctum, mox pertraxit, quem magna Anglorum colonia, in Novam Angliam ſecuta eſt. Cùm vero progreſſu temporis obſervaret *Cottonus* nimiam & intolerabilem populi poteſtatem ſupra Presbyteros, Johnſono contra Ainſworthum (qui interea circa poteſtatem Presbyteriorum & Congregationis acriter ſecum invicem diſceptabant) adhærere & Presbyterii auctoritatem ſupra *Fraternitatem* (ut loquuntur) extollere ac defendere cœpit: novô commentô diſtinctionis *inter poteſtatem authoritatis ac libertatis* partes conciliaturus. Donec tandem, familiaritate Hutchinſoniæ, cum pluribus aliis, ad horrendos errores, Antinomiſmum, Libertiniſmum, ipſumque novæ Separationis præceptioni ſeduci ſe paſſus eſt. Vide Georg. Hornium, *Hiſtoriâ Eccl. Novi Teſtam. Periodo* III. *Artic.* 3. §. 18. *& ſeqq.*

COTTONUS Johannes, fil. prioris, Paſtor Plymmontenſis, in eadem Orbis parte, linguæ Americanæ apprimè peritus, Indorum converſionem magno cum zelo, nec minore ſucceſſu, promovit. Creſcens Matherus, *Epiſt. ad Joh. Leuſden data Boſtonii*, die 12. *Jul.* *A.* C. 1687.

COTTONUS Petrus, Jeſuita, vir aliàs doctus, ex dæmone obſeſſæ puellæ Hadrianæ, inter alia, de ſalute Regis Henrici M. & compoſitione animorum inter Reges & Magnates: Item de evidentiſſimo Scripturæ Sacræ loco, pro Purgatorio & Invocatione SS. probando, ſciſcitatus dicitur, Thuan. *Hiſt.* c. 133. Lætus, *Compend. Hiſt. Univ.* Vide & *Petrus.*

COTTUS, Gigas centimanus, Heſiod. *in Theogon.* v. 147.

Ἄλλοι δ' αὖ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο,
Τρεῖς παῖδες μεγάλοι καὶ ὄβριμοι, οὐκ ὀνομαστοί,
Κόττος τε Βριάρεώς τε, Γύγης θ', ὑπερήφανα τέκνα,
Τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο
Ἄπλαστοι, κεφαλαὶ δὲ ἑκάστῳ πεντήκοντα
Ἐξ ὤμων ἐπέφυκον ἐπὶ στιβαροῖσι μέλεσσι.

Vide Palæphatum, c. 20.

COTTULA, urbs circa Ticinum. *Strabo.*

COTTUANTII, Rhætorum gens. *Strabo.*

COTUATUS, vide *Conetodunus*: Quod nomen corrupit Cæſar, Gallicè *Gutwat*, qui eſt egregius furis, *κλέπτης*.

COTULOSUS Campus, in Provincia ad Rhodanum, qui vulgò *la Crau* dicitur, quòd inſpergatur *lapidibus cotuloſis*, qui quaquaverſum latera habent acuminata, fortè in modum *coſtæ*, uti vocem *coin* Galli uſurpant, in veter. *Charta*, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

COTURNIX, Græcè *ὄρτυξ* avis parva & migratoria. De qua ſic Plin. *l.* 10. *c.* 23. *Coturnices ante etiam ſemper adveniunt, quam grues, parva avis, & cùm ad nos venit, terreſtris potius, quam ſublimis. Advolant & hæ ſimili modo, non ſine periculo navigantium, cùm appropinquavêre terris. Quippe velis ſæpe inſidunt, & hoc ſemper noctu, merguntque navigia. Iter eſt his per hoſpitia certa. Auſtro non volant, humido ſcilicet & graviore vento. Aura tamen vehi volunt, propter pondus corporum viresque parvas. Hinc volantium illa conqueſtio labore expreſſa. Aquilone ergo maximè volant, ortygometrâ duce. Primam earum terræ appropinquantem accipiter rapit. Semper hinc remeantes comitatum ſollicitant: abeuntque unà perſuaſæ glottis & otis & cychramus* &c. Vide quoque Solin. c. 12. ubi is in clariſſima Cycladum, inde *Ortygia* dictâ, primùm has aves viſas & in Latonæ tutela conſtitutas fuiſſe addit. Quando autem præcisè illarum migratio fiat, Ariſtoteles docet *Hiſtor. Animal. l.* 8. *c.* 12. [illegible] Βοηδρομιῶνος, τινὲς δὲ Μαιμακτηριῶνος. *Semper autem prius migrant infirmiora, circa utrumque exceſſum, ut ſcombri prius, quam thynni, &* Coturnices *quam grues. Quarum illæ migrant Boedromione, hæ Mæmacterione.* Ubi de utraque migratione loquitur, ſive ea frigidis locis migrent, ſive ex calidis. Æquè enim nimium æſtum fugitant, ac nimium frigus, adeoque circa Æquinoctium vernum migrantes frigidiora loca petunt propter imminentes graviores æſtus, Autumnale verò, in calidiora loca ſe conferunt, propter vim hyemis ingruentem, quòd uno menſe maturiùs, quàm grues, faciunt. Vide Salmaſ. *ad Solin. l. cit.* Damnatas menſis fuiſſe, idem refert Plinius ubi ſuprà, *Coturnicibus veneni ſemen gratiſſimus cibus: quam ob cauſam eas damnavêre menſæ, ſimulque propter comitialem morbum deſpui ſuetæ, quem ſolæ animalium ſentiunt præter hominem.* Cæterùm mirum in modum multiplicari conſtat, cùm ova ſedecim, & ſingulis annis quater parere dicantur: unde abundantia in Sacris earum tanta memoratur, ut illæ ſtoperuiſſe Iſraelitarum caſtra & populo completa luſtra paſcendo ſuffeciſſe dicantur, qua de re vide ſuprà in voce *Chemma*: ut de ludo, à *Coturnicibus* nomen nacto, Græcè *Ὀρτυγοκοπία*, infrà voce *Ortygas.*

COTUS, Æduus, antiquiſſimâ familiâ natus, homo ſummæ potentiæ & magnæ cognationis. *Vergobretus* in ſua civitate renunciatus. Cæſ. *l.* 1. *Comment.* c. 32.

COTYÆUM, Galatiæ oppid. *Ptol.* & Plin. *l.* 5 *c.* 32.

COTYÆUM, Phrygiæ magnæ urbs. *Strab.* In Bithyniæ confinio. Nunc ex primis totius Regionis, Præfecti Turcarum ſedes. 65. milliar. à Pruſa in Ortum, 70. ab Adramyto. Dicitur *Cutaige* ſeu *Chiutaye.*

COTYLA, menſura liquidorum, continens quartarios duos, urnas menſurales novem, Græcè κοτύλη. Aliquando pro hemina; nonnunquam etiam pro libra menſurali. Cujuſmodi quinque *Cotylarum* aquæ menſura unicuique litigantium Athenis olim dabatur, ad quam cauſam oraret ſuam, ex lege Harpocrationi memorata. Ad clepſydram enim cauſas, quæ magni momenti erant, agi conſueviſſe legimus, ὡς αἱ τῶν ἀδικημάτων ἐπιτροπῶν, qualis inprimis ἡ κακώσεως τῶν γονέων δίκη, cauſa malæ tractationis Parentum; item cauſa abdicationis: de qua præſertim intellecta vult Harpocrationis verba Petitus: *neque enim omnibus in cauſis totidem eademque menſuræ aquæ dabantur*, addens. Vide eum Comm. in LL. *Attic.* l. 3. tit. 4.

COTYLÆUM, Eubææ mons. *Steph.*

COTYLÆUS, Æſculapius apud Eurotam Laconiæ fluv. cultus, cujus templum ab Hercule poſitum eſt, cùm ea vulnere in *cotyle*, i. e. in manus concavitate ſanatus eſſet. Pauſan. *l.* 3.

COTYLIUS, Arcadiæ mons. Pauſan. *l.* 8.

COTYLUM, collis in Ida monte 120. mill. paſſ. à Sepſi diſtans, in quo Scamandri, Granici, & Æſepi fluv. origo, ἀπὸ τῆς κοτύλης, à *cavitate* vel *receptaculo* dictus.

COTYORA, vide *Cytorum.*

COTYRGA, Siciliæ Mediterraneæ urbs. *Ptol.*

COTYS, fil. Manei, primi Mæoniæ Regis ex Callirrhoë Oceani filia, patri ſucceſſit: ex Halia Tullii indigenæ filia, ſuſcepit Aſiem, à qua *Aſia* dicta, & Atym, Lydi patrem *Atyadarum* ſeu primæ Regum Lydorum Dynaſtiæ conditorem. Dionyſ. Halicarn. *l.* 1. Vide ſuprà *Atys.*

COTYS, Latinâ terminatione Cotus, Thraciæ Regum nomen. Nepos in *Iphicrate*, c. 3. *Mnesthea filium reliquit, ex Threſſa natum, Coti Regis filia.* Idem in *Timotheo*, c. 1. *Cotyn* Græcâ ratione vocat. Cotyn Thraciæ Regem in Pompejana militia, commemorat Cæſar. *l.* 3. *de bello Civili*, c. 4. ubi vide Ciacconium. Pompejanas partes fovet. Lucan. *l.* 5. v. 54.

---- Fortemque Cotyn, fidumque per arma
Dejotarum. ---- ----

Hic, cùm naturâ eſſet iracundior, & aſper eorum, qui in miniſteriis deliquiſſent, caſtigator, vaſa fictilia, tenuia quidem & fragilia, ſed cælaturis quibuſdam & ſculpturis eleganter elaborata, ſibi ab hoſpite allata, ſimul omnia confregit, ne in eos, qui illa fregiſſent, aſperius animadverteret. Plut. in *Apophth.* Alius Regis Thraciæ hôc nomine, qui regnum cum patruo ſuo Reſcupori diviſit, ab hoc deìn per proditionem occiſus, mentio eſt apud Tacitum, *l.* 2. *Annal.* c. 64. &c. Hic ille Cotys eſt, literis, & Poëſi excultus, an alius Getarum Rex? ad quem Ovid. *l.* 2. *Eleg.* 9. *de Ponto*, v. 1. ſcripſit, exul ſcil. in ejus regno,

Regia progenies, cui nobilitatis origo
Nomen in Eumolpi pervenit uſque Coty.

Coti Odryſarum Regis meminit Liv. *l.* 42. c. 29. & 31. Alius Coti Ædui Cætat, *l.* 7. *de bell. Gall.* c. 32. Vide *Cotus.*

COTYS, Armeniæ minoris Rex, ſub Claudio, Mithridati bellum movit, Tacit. *l.* 11. & 12. *Annal.*

COTYTTO, ûs, Dea impudicitiæ, cui Athenis à Baptis (eô nomine vocabantur ejus ſacerdotes) nocturna ſacra fiebant, quæ ab illa vocantur *Cotyttia.* Hanc Probus ſaltatricem fuiſſe exiſtimat, unde etiam ſacerdotes ejus laſcivis ſaltationibus mores ejus referebant. Juvenal. *Sat.* 2. v. 91.

Talia ſecretâ coluerunt orgia tædâ,
Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotytto.

Horat. *Epod.* 17. v. 58.

Inultus ut tu riſeris Cotyttia
Vulgata, ſacrum liberi Cupidinis.

Vide Politian. *Miſcellan.* c. 10.

COTZIANUM, Phrygiæ civitas. *Jornandes.*

COVALIA, vulgò *Kile*, provinc. Scotiæ meridionalis inter Carrictam, Cunninghamiam & Cludeſdaliam provinc. ubi Aera, urbs primaria, mercibus affluens, cum portu ſatis commodo.

COVARRUVIAS Antonius, JCtus, fratrem Didacum, de quo mox, juvit in editione *Variarum Reſolutionum*; atque ipſe *de Jure Portugalico* librum edidit.

COVARRUVIAS Didacus, Toletanus, JCtus famigeratiſſimus, docuit Jus Canonicum Salmanticæ, inde Corrector & Auditor Burgis ac Granatæ, poſtmodùm Archiepiſcopus Inſul. S. Dominici A. C. 1549 interfuit Concilio Tridentino, Decreto Reformationis componendo adhibitus: tandem Epiſcopus Segovienſis, & Præſes Conſilii Regii, obiit Madriti A. C. 1577. ætat. 65. Edidit plurima quæ vide in *Elogiis* Ant. Teiſſier, Part. 1.

COUBELA, Arx Indiæ Orientalis in Amboina, una ex Moluccis, in ditione Hollandorum.

COUCHIN, unum ex maximis Indiæ promontoriis. Garzias ab Ort. *l.* 1. *Hiſtor. aromat.* c. 27.

COUCINUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

COUCUM, regnum parvæ Barbariæ, in Africa cum urbe cognomine in mediterran. inter montes, inter regna Algerii & Bugiæ. 60. milliar. ab ora maris Africi.

COVELIACÆ, vulgò *Kochel*, locus Bavariæ ſuperioris non longè ab Iſaro fluv. *Cluver.* 8. leuc. Germanic. à Monachio in Merid. 6. à Schonga in Ortum.

COVENTRÆUS Guilielmus, vide *Guilielmus.*

COVENTRIA, urbs Angliæ media inter Herefordiam, & Lincolniam ad 50. milliar. à Vigornia 20. Londinum verſùs. *Baudrando* ſita in Comitatu Varvicenſi, 20. milliar. à Lichfeldia, 5. à Warvico in Boream. Vide *Conventria.*

COVETUS Jacobus, Pariſienſis, acris judicii Theologus, obiit Baſileæ. A. C. 1608.

COUGIUM, Hiſpaniæ Tarraconenſis urbs in Vaccæis. *Ptol.*

COVINUS, vehiculi genus, quô Britanni & Galli in præliis utebantur. Lucan. *l.* 1. v. 426.

Et docilis rector roſtrati Belga Covini.

Silius, *l. ult.* v. 421.

Cærulus haud aliter cùm dimicat incola Thules,
Agmina falciferò circumvenit arcta Covinò.

Inde *Covinarius eques*, apud Tacitum in *Agricola*, c. 35. 36. Mela, *l.* 3. c. 6. *Dimicant non equitatu modò, aut pedite, verum & bigis, & curribus, Gallicè armati: Covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* De Britannis.

COULANUM, urbs cum regno cognomine in Malabariæ ora, ubi alias forſan Elancorum, in duas partes diviſa. Sub Rege proprio, cui ſubeſt & regnum Travancoris in illo tractu. Ibi arx & emporium celebre cum portu, nec exigua vis Chriſtianorum, 18. leuc. Hiſpanic. infra Cocinum, in Meridiem 24. à Camorino promontorio in Boream Maff. *l.* 2. Jarric. *l.* 6. c. 17. Barboſa, &c. Hic 2. arces Luſitanis. *Moreriùs.*

COUNOS, Angliæ inſula, *Convey*, teſte Camdenô, in Eſſexia, ad Tameſis æſtuarium in Boream, ubi pars Trinobantum aliàs. Vix 10. milliar. Anglic. à Londino, in Ortum, 7. à Roffa in Boream, licèt aliis *Shepey.*

COVORDIA, oppid. permunitum Belgii in provinc. Tranſiſal. caput Drentiæ tractus, ſub Batavis. Quibus id A. C. 1592. Mauritius Princeps Hiſpanis ereptum, ſubjecit. Difficili ſitu, ac priſcâ nobilitate, poſtremò ab Hiſpanis firmatum. Tranſiſſorum & Groningæ propugnaculum ſimulque iter in Germaniam. A' bovum tranſitu in Bentheimum Germaniæ agrum, per unicum inter humida & teneſtri limitem, nomen adeptum. Hugo Grotius, *Hiſtor.* *l.* 2. Prope paludes, in confinio Weſtphaliæ & ditionis Monaſterienſ. 13. leuc. à Groninga in Auſtrum. A. C. 1672. ab Epiſcopo Monaſterienſi, Gallicis viribus ſubnixo, per proditionem captum, ſed ſubinde A. C. 1673. per Præfectum Groninganum, Rabenhaupt, fortiſſimè receptum eſt.

COUS, vide *Coos.*

COUS, in teſſerarum ludo ſenionem notat, ſicut Chius unionem: Suidas, ὁ μὲν γὰρ Χῖος ἐδύνατο ἕν, ὁ δὲ Κῷος ἕξ. Hinc notum Græcorum Proverb. Κῷος πρὸς Χῖον, cum magna parvis, gigas pygmæo confertur. Aliter *Venus* dicebatur, pro jactu fortunatiſſimo. Vide Thom. Godwyn. *Anthol. Rom.* *l.* 2. *ſect.* 3. c. 13.

COUUNA, vulgò *Kowno*, urbs Lithuaniæ, ad Chronum fluv. ubi Viliam recipit, in confinio Samogitiæ & in Palatinatu Trocenſi 8. leuc. à Troca, 13. à Vilna in Occaſum.

COXA, an ex Syro *ſuca*, aut Hebræo שוק, an à *coarctando*, quod femur ibi ſuperiori parti jungatur & arctetur? Græcis ἰσχίον, magis, κοχώνη dicitur, quô tamen poſtremò propriè intelligit Galenus commiſſuram *coxendicis*, quæ eſt ad ſedem, propter quam tota circa ipſam regio eô nomine vocatur. Ejus vitium cùm in Comitiis opponeretur Horatio Cocliti, *per ſingulos*, regeſſit is, *gradus admoneor triumphi mei.* Auguſtus quoque *coxendice* & femore & crure ſiniſtrô, non perinde valens, remediô harenarum atque arundinum uſus eſt, Sueton. in *eo*, c. 80 Nempe roboris hic ad inceſſum ſedes, unde Jacobus Patriarcha, cum ei *motum femur coxæ*, ut habet Vulg. ſeu ut eſt in Hebr. כף ירך *caph jerec*, i. e. curvatura femoris, cavitas nempe illa, in qua ſumma pars femoris eſt, ubi *coxendix* iſchiu jungitur & duo oſſa connectuntur, mota eſſet ab Angelo, cum eo colluctante, Gen. c. 32 v. 25. *ipſe claudicabat ſuper femur ſuum*, v. 32. à quo tempore nervos mutuos, qui ſunt ad acetabulum femoris, comedere inter vetita habuêre Judæi. Vide Rivetum *ad l.* & plura infrà, in voce *Femur.* Cæterum *Coxendicibus* cymbala Veterum fuiſſe ſimilia infrà dicemus: in Sacris autem veter. Romanorum, coxendices hoſtiarum Umbricô nomine *ſtrebulas* fuiſſe dictas, docet ex *Plauto Feſtus.* Vide etiam Arnob. *l. ult.* & ad hunc Stewechii *Electa.*

COYACUM, locus in diœceſi Ovetana in Hiſpan. ubi concilium, A. C. 1050. à Ferdinando I. Caſtellæ Rege marito Sanctiæ, Alfonſi Legion. Regis filiæ celebratum, ad regnum Eccleſiamque bonis legibus inſtruendam. Baron. *A.* C. 1050.

COYLUS, fil. Marii, nepos Arviragi, Britanniæ Regum, patri ſucceſſit, per annos 45. Circa A. C. 93. Polydor. Virgil. *l.* 2. & 3. Eum excepit filius Lucius, qui impetratis ab Eleutherio Epiſcopo Romano Evangelii præconibus, cum tota domo, & univerſo populo baptizatus eſt, A. C. 18. Idem *Ibid.*

COYMASENI, Corſicæ populi, *Ptol.*

COZALA, Armeniæ majoris oppid. *Ptol.*

COZBI, Latinè *mendax*, aut *ceſſans*, ſive *quaſi fluens*, aut *quaſi fluxus*, Madianitis filia Suri, quæ cum Zimbri deprehenſa, à Phinees filio Eleazari Sacerdotis occiſa eſt. Numer. c. 25. v. 18. Torniel. *A. M.* 2581. n. 19.

COZISTRA, Ciliciæ præfecturæ in Cappadocia urbs. *Ptol.*

COZMINGA, oppid. Poloniæ minoris, ubi Synodô indictâ, A. C. 1554. ex utraque Polonia, & Pruſſia, Miniſtri Evangelii convocati, & unio cum majoris Poloniæ Eccleſiis inita eſt: Mox tamen fraude Arianizantium turbæ obortæ. Joh. Bielſcius in *Chron. Pol.* *l.* 5. p. 600. Lætus, *Comp. Hiſt. Univ.*

CRABASIA, urbs Iberorum. *Ptol.*

CRABRA, vulgò *la Marana*, fluviolus oritur in Latio, ex agro Tuſculano, paulo ſupra Cryptam Ferratam, poſteà in 2. brachia partitur. Pars major in Anienem ſe exonerat, via 3. milliar. à Roma: minor per urbem labitur, ibique in Tiberim fluit.

CRABRO, vide infrà *Veſpa*.

CRABUS, Deus Ægyptiorum, cui ſalſamentis ſacra facere ſolitum erat. Cœl. Rhodig. *l.* 12. *c.* 1.

†CRACA, in *Tabul. Peutingeriana*, ubi iter à Daſcuſa Melentenis (quomodo corruptè vocat *Melitenen*) deſcribit:

Daſcuſa, *Hiſpa*. XVIII.
Arangas, IX.
Craca. XXVIII.
Melentenis. VIII.

in *Itinerar.* Antonini *Ciaca* dicitur, *Ptolemæo* Κίακα. Unde reponi vult *Ciaca*, pro *Craca*, in Tabula, Salmaſ. *ad Solin. p.* 625.

CRACEA, Maga quædam apud Saxones, quæ appoſitas dapes in aliarum rerum formam commutabat, ludificatiſque Idiotarum mentibus divinitatis faſtigium ſibi arrogabat.

CRACOVIA, quaſi *Gracchopolis*, Poloniæ caput, in Polonia majore ampliſſima, ad Viſtulam fluv. tribus urbibus conſtans, à Craco condita, de quo infrà. Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Gueſneuſi, olim ſedes Regum, qui nunc plerumque Varſaviæ degunt. Hic Academia, fundata à Caſimiro I. A. C. 1364. *ſive Sorbona*, ſicut ipſa urbs Roma Poloniæ, dicta. Inſtitutus Epiſcopatus eſt, à Miecziſlao Duce, qui cum Daumbrouca fidem Chriſtianam eſt amplexus A. C. 965. Cromer. *l.* 3. Incenſa eſt à Tartaris, ſub Boleſlao Pudico, A. C. 1241. Idem, *l.* 9. Ejus regimen Teutonibus, ob fidem ſervatam, collatum eſt, à Leſco Nigro, A. C. 1288. Idem, *l.* 10. Diſputatione hic à Jagelone Rege cum Huſſitis inſtitutâ, A. C. 1431. Rex paulo poſt è Bohemia miniſtros evocavit, qui in templo S. Crucis Sclavonicâ linguâ concionari diu ſunt, uxorque Hedvigis Biblia S. Polonicè verti curavit. Laſicius *de geſtis Fr. l.* 8. Legato Pontificis A. C. 1448. advenienti Academia nihil honoris exhibuit, Concilio Baſilienſi adhærens. Poſteà verò A. C. 1591. Proteſtantium templum à ſtudioſis deſtructum eſt, quod iterum A. C. 1615. factum. Academiæ graviſſimam litem moverunt Jeſuitæ, ubique ſanguine innocentium pluſimò repleta eſt, ut infremuerit tota Polonia, quæ verba ſunt Academicorum *in epiſt. ad Lovanienſes*: qui inter alia librum emiſerunt, cum titulo *Gratis*: quô juſſu Regis combuſtô, decretum in Comitiis A. C. 1626. Jeſuitæ Scholam ſuam in urbe claudant, & Academiæ in poſterum moleſti eſſe deſinant. Capta urbs bellò Sueticò & recepta eſt. An *Carrodunum* Ptol. Cromer. *de ſitu Polon.* Cluver. *Inv. Geogr.* Payen. *itiner. Polon. p.* 115. & *ſeqq.* vulgò *Cracovv*. Cum arce permunita. 9. leuc. à confinio Sileſiæ in Ortum, 12. à confinio Hungariæ in Boream, 40. à Varſavia in Auſtrum, 23. à Sendomir, in Occaſum.

CRACOVIENSIS Matthæus vide *Matthæus*.

CRACUS, Poloniæ Dux, poſtquam XII. Palatini, quos extinctâ Lechi ſtirpe Poloni elegerant, ad tyrannidem eſſent prolapſi, creatus eſt, A. C. 700. Hic in Viſtulæ ripa Cracoviam condidit. Crom. *l.* 1. Vide ſuprà.

Poloniæ Principes.

CRACUS I. primus Poloniæ Princeps, à Palatinis electus, A. C. 700. Vide ſuprà. Ei filius

CRACUS II. ſucceſſit, fratre Lecho, paulò poſt in venatione occiſus. Cellar. *nova deſcr. Pol.* Cromer. *l.* 1. Michov. *l.* 8.

CRADE, Cariæ urbs. *Steph.*

CRAGUS, mons Ciliciæ, Tauri pars. Plin. *l.* 5. *c.* 27. ex oppoſito habens montem Anticragum. Alius eſt mons Lyciæ. Sic dictos à Crago Tremiletis (aliàs Termiletis) & Praxidicæ nymphæ filio. Ovid. *l.* 9. *Met. v.* 645.

Jam Cragon, & Lymiren, Xanthique reliquerat undas.

Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 21. *v.* 7.

Nigris aut Erymanthi
Sylvis, aut viridis Cragi.

Dionyſius, *v.* 849.

Ἔνθα καθυπερτάτοιο φαείνεται ἄκρα Ταύρου
Παμφύλων καὶ μέχρι. Κράγον δ' ἐς φοινίκων.

Hîc ferunt eſſe Deorum agreſtium antrum, & incolas Cragi immortales fieri. Gentile *Cragius*. *Steph. Nic. Lloydius*. Cæterum malè *promontorium* Plinio dicitur, cùm ſit mons ἐν τῇ μεσογείῳ, *in mediterraneo*, & quidem Lyciæ, ut *Strabo* & *Ptol.* eum ponere videntur. Nec obſtat, quod his ipſis ἄκρα dicitur, hæc enim vox non ſemper ἀκρωτήριον, ſeu *promontorium*, ſignificat, ſed *ſummum* quoque *jugum* montis cujuſlibet aut verticem. Sic Arrianus Aſpendum, ἐν ἄκρᾳ ἀποτόμῳ, ſitam dicit, h. e. *in edita ac prærupta rupe*. Et Strabo ſcribit, *Cragum* montem habere ὀκτὼ ἄκρας, h. e. *octo vertices* vel *octo capita*, quod Plinium fefellit. Sed & impropriè Livius, *l.* 21. *c.* 33. excelſum in Alpibus jugum *promontorium* vocat, ubi Hannibalem *in promontorio quodam, unde longè ac latè proſpectus erat, conſiſtere juſſis militibus, Italiam oſtendiſſe memorat.* Latini verò *promontoria* tantum dicunt de prominentibus in mare ſaxis. Interim & *Scylax* Cragum promontor. reverâ Cariæ facit, cujus παράπλουν à Mæandro fluv. auſpicatur, & Cragô promontoriô terminat. Et *Dionyſius* uſque ad mare montem hunc porrigit. Quô pactô aut non erravit Plinius aut alios errantes ſequutus eſt. Salmaſ. *ad Solin p.* 785.

CRAMA, Græc. κρᾶμα, Græcis orichalcum dicitur; Stephanus in voce Ἄνδειρα: Ἄνδειρα πόλις, Τρωική, ἐν ᾗ λίθος, ὃς καιόμενος σίδηρος γίνεται, εἶτα μετὰ γῆς τινος καμινευθεὶς ἀποστάζει ψευδάργυρον, ἣ προσλαβοῦσα χαλκὸν ὀρείχαλκος γίνεται. *Andira urbs neutrius generis in qua lapis reperitur, qui ignis vim ſentiens in ferrum indureſcit; poſtmodum terra quadam mixtus diſtillat pſeudargyrum, inde temperatus ære orichalcum gignit.* Clarius Strabo, *l.* 13. qui iſtiuſmodi orichalci genus κρᾶμα diſcertè appellat. Unde κραμάτιον, quod ex aurichalco factum eſt, apud Autorem veter. *Gloſſarii*, laudatum Salmaſio, *ad Lamprid. in Alex. Severo. c.* 25.

CRAMALDUS Simon, vide *Simon*.

CRAMBUSA, inſula Ciliciæ apud Corycum promontor. & Calycadni fluv. oſtia. *Steph.* Item urbs Lyciæ. *Strabo*.

CRAMBUTIS, urbs Ægypti. *Steph.* Κραμβοῦτις *Herodoto*.

CRAMERUS Thomas, vide *Thomas*.

CRAMESINUM, à voce *Kermes* Arab. Vide ſuprà ubi de *Cocco*.

CRANAE, inſul. Laconica, quæ nunc *Helena*, ante *Gythium*: ſic etiam vocatur Attica à *Cranao* Rege. Gentile, ſi de Inſulâ Laconicâ accipiatur, eſt *Cranaites*, ſi de Atticâ, *Cranaus*, *Steph.* Sunt qui Cranaën inſulam eſſe velint adjacentem Sunio Atticæ promontorio.

CRANÆA, cognomen Minervæ, de qua infrà.

CRANAUS, Athenarum Rex II. qui Cecropi in regno per annos 9. ſucceſſit, à quo Atquilini *Cranai* dicti. Sub eo *judicium in Areopago* inſtitutum, de quo vide Joh. Marshamum, *Canon. Chron. ad Sec.* IX. & *Diluvium Deucalioneum* contigit, Epochæ Marmor. apud *eund.* Succeſſit Amphictyon. Euſeb. *Chron. Jul. Afric.*

CRANAUS, Cariæ oppid. Plin. *l.* 5. *c.* 29.

CRANDA, Æthiopiæ ſub Ægypto oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

CRANE, teſte Ovid. *l.* 6. *Faſt.* nympha fuit Helerni lucô oriunda, venationi addicta, quæ cùm à multis procis nequicquam ſæpe petita fuiſſet, omneſque deluſiſſet, tandem à Jano occupata, & compreſſa fuit, cui pro virginitate ereptâ dedit, cardinibus præeſſe, & ſtriges ab infantium cunis abigere. Unde poſtea *Carna* dicta eſt. Vide *Carna*, & *Cardea*.

CRANE, Arcadiæ urbs, ubi arbores plurimùm naſcuntur. *Theophraſtus*.

CRANEA, parva regio Ambraciotarum. *Steph.*

CRANEUM, gymnaſium apud Corinthum. *Cicero* & Diog. Laërtius, *l.* 2. *c.* 58. Vide *Gymnaſium*.

CRANEUS, primus Macedonum Rex, cujus ſucceſſores uſque ad Alexandrum, annis fere quingentis regnârunt. *Volaterran.*

CRANGANORA, urbs Indiæ citerioris cognominis regionis caput, cum portu in ora Malabarica, 25 Milliar. a Cochino, antea ſub Luſitanis, nunc ſub Hollandis. Ibi perſæpe moratur Archiepiſcopus Angamalæ, incolæ plerumque Chriſtiani. Jarric. *l.* 6. *c.* 24. Govea, *de progr. Eccl.* l. 2. c. 19.

CRANIA, Tarſus Ciliciæ ſic olim vocabatur. *Steph.*

CRANIDE, urbs à Thaſiis habitata, quæ poſteà *Philippi* dicta eſt.

CRANDES, vicus juxta Pontum. *Steph.*

CRANION, Cephalleniæ civitas. Thucyd. *l.* 5. pluralis numeri eam facit.

CRANIONIUS Craxidas, eques inſignis. Pauſan. *in Eliac. prioribus*.

CRANON, ſeu CRANNON Livio, *l.* 42. *c* 64 *Ceres*, *teſte Bellonio*, urbs Theſſaliæ in Macedoniæ confinio, Plin *l.* 4. *c.* 9. Val. Max. *l.* 1. *c.* 8. *ex. ext.* 7. & alii, vide *Steph.*

CRANOSTAVIA, urbs Polon. parva, ſed munita in Ruſſia nigra, ad amnem *Wieprz*, ubi ſtagnum efficit. Sedes olim Epiſcopalis Chelmenſis, à Chelma 5. leucis, ut & à Lublino.

CRANTOR, Solenſis, Academicus Philoſophus, Platonis auditor, & Xenocratis condiſcipulus ac Palæmonis, qui novis opinionibus Academiam Platonicam repleverunt, *Nic. Lloydius*. Diſcipulus Xenocratis, Cratetis, Philemoniſque condiſcipulus, *Morer.* Commentarios ſcripſit ad 30000. verſuum, plurimaque poëmata, quæ, ſigillô ſuô obſignata, in fano Minervæ repoſuit. Vocum inventor admirabilis. Inprimis concinnavit librum *de Conſolatione*, quem Cicero æmulatus eſt, & de quo hoc reliquit elogium: *Eſt ille quidem non magnus, ſed verè aureolus, & ad verbum ediſcendus libellus.* Periit aquæ intercutis morbô. Taxavit Stoicorum indolentiam, quæ eſſe nullò modô poteſt, niſi planè hominem ferreum eſſe velimus, & omni ſenſu planè carentem. Diog. Laërt. *de vit. Phil. l.* 4. Cum Chryſippo eum conjungit Horatius, ubi de Homero, *l.* 1. *Ep.* 2. *ad Lollium*, *v.* 3. 4.

Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius, ac melius Chryſippô, & Crantore dicit.

Item *Crantor* Pelei armiger, à Demoleonte Centauro interfectus. Ovid. *Met. l.* 12.

CRANTZIUS Albertus, Decanus & Profeſſor. Theolog. Hamburgenſis, Obiit A. C. 1517. Scripſit *Hiſtoriam Eccleſ. à tempore Caroli M.* Hiſtoriam Saxoniæ. 13. libris, Vandalicam 14. cum Chronico, Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ: ab eodem Imperatore orſus, uſque ad A. C. 1504. Georg. Fabric. *Hiſt. Sax. l.* 1. Simler *epit. Bibl. Geſner.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 3. *c.* 10. Vide & *Albertus*.

CRAON Petrus, vide *Petrus*.

CRASERIUM, Siciliæ regio. *Steph.*

CRASNOSTAVENSIS Arx, in Poloniæ regno, in qua Maximilianus Auſtriæ Archidux poſtquàm à Joh. Zamoiſcio victus eſſet, A. C. 1588. per biennium detentus eſt. Vide Thuan. *l.* 96. *Hiſtor.*

CRASPEDITES, Phrygiæ ſinus. Plin. *l.* 5. *c. ult.* à Græca voce κράσπεδον, quæ *laciniam* ſignificat. *Gloſſæ*, κράσπεδον, *lacinia, fimbria*. Propriè de veſtibus, inde ad alia uſu tranſlatò. Hinc Peloponneſum *laciniatam ſinibus alliis quamplurimis*, legas, quia multis eam locis incurrunt & laciniant ſinuſque. Et ob eandem rationem *Craſpedites Sinus*, uti docet Salmaſ. *ad Solin. p.* 14.

CRASPISCIS, in *LL.* Æthelredi Regis, *c.* 13. *Qui ad pontem veniebat cum batto, ubi piſces ineſt, 1 obolum dabat in teloneum, & de*

majori

majori operi 1. *demar.* *Hommes de Rothomago, qui vendunt cum vino vel* craſpiſce .... *monſtrabunt res ſuas & extolerabunt*: eſt qui aliàs *Piſcis graſſus*, Gallis & Anglis, *Grampos* Spelmanno, quaſi *gran poiſſon*, *Poiſſon a Card*, in *LL.* Maris Oleron *art.* 17. 38. 44. quique, ſicut balæna, ad Regem peculiari & regiâ jure pertinet, hinc *Piſcis Regius* vulgò dictus. Aliquando tamen jus hoc dominis feudalibus peculiare privilegiò indultum fuiſſe, probat Car. du Freſne in *Gloſſar.* quem vide.

CRASSA, locus Galliæ, in diœceſi Narbonenſi, Monaſteriò veteri clarus, vulgò *la Grace*, pro *la Graſſe*. Ejus meminit Petrus, Hiſtor. *Albig.* c. 34.

CRASSETUS Nicolaus, vide *Nicolaus*.

CRASSITIUS Lucius Surrentinus, aliàs Tarentinus, ordinis Libertum, cognomentô *Panſides*, Romæ ludum Grammaticæ aperuit, docuitque inter alios Jul. Antonium, M. Antonii Triumviri filium, totus poſtmodum Philoſophiæ ſe dedit. Sueton. *de ill. Grammaticis*, c. 18.

CRASSUS, Craſſi divitis avus, nunquam riſiſſe fertur: ob id *Agelaſtus* eſt vocatus. Plin. *l.* 7. *c.* 19.

L. CRASSUS, an. fil. P. Lic. Craſſi, qui Conſul & Pontifex, de quo infrà: Orator, qui cum Antonio à Cicerone introducitur, in *libris de Oratore*, accuſavit C. Carbonem eloquentiſſimum hominem admodùm adoleſcens. Summam ingenii non laudem modò, ſed etiam admirationem eſt conſecutus. Defendit poſteà Liciniam virginem, cùm annos 27. natus eſſet. *In Bruto* Ciceronis, eſt elegantiſſima ipſius Craſſi cum Antonio, & Scævolâ comparatio. Deploratur multis verbis ejus mors à Tulliò in exordio, *l.* 3. *de Oratore*. Vixit an. 90 ante Chriſt. Natum.

P. CRASSUS, Oratoris frater, Juris peritiſſimus, in dominatione L. Cinnæ Marianarum partium, ne incideret in manus inimicorum, ſeipſum interemit. Cæterùm de morte ejus, & patris ſui variant authores. Lucan. *l.* 2. *v.* 124.

---- *Truncos laceravit Fimbria Craſſos.*

Vide Appianum & Florum, *l.* 3. *c.* 21. itemque Livii Epitomatorem.

M. CRASSUS, P. Craſſi Cenſorii filius, Romanorum omnium ditiſſimus: Negavit quempiam divitem habendum, qui annuò reditu exercitum alere non poſſet. Hic ſub Cinna Marioque, in Hiſpaniam ſe recepit, ubi apud Vibium octo menſes latuit, hinc in Africa, ſub Sullâ, meruit. Ad bellum Servile miſſus, adverſus Spartacum gladiatorem, qui fugitivorum ingentem contractâ manu, Varinium, Gellium, ac Lentulum Roman. Imperatores fugaverat, 12. millibus hoſtium unà cum eorum Duce cæſis, apud Rhegium, juxta Leucadis paludem, victoriâ potitus eſt, urbemque ovans intravit, laurô, novò exemplô coronatus, cùm cæteri ante eum non niſi myrteam coronam accepiſſent. Dein Conſul & Cenſor, cum Pompejo & Cæſare, Triumvirum egit. Poſtremo cùm ei Syria forte obtigiſſet, templum Hieroſolymitan. diripuit, totâ Judæa emunctâ: Hinc profectus ad bellum Parthicum, ibi cum filio Publio à Surenâ Regis Præfectô captus, atque interfectus eſt. Et quoniam auri cupiditate expeditionem ſuſcepiſſe credebatur, Barbari liquefactum aurum in os ejus infuderunt, jubentes, ut ſaltem mortuus ſeſe aurò ſatiaret, cujus famem vivus nunquam ſedare potuiſſet. Plut. *in ejus vita*. Flor. *l.* 3. *c.* 11. Joſeph. *Jud. Antiq. l.* 14. Lucan. *l.* 1. *v.* 104.

---- Poſtquam crudeli funere Craſſus
Aſſyrias Latio maculavit ſanguine Carras.

Vide & *Marcus*.

CRASSUS, M. Craſſi divitis fil. Cæſaris legatus fuit in bello Gallico: in Cæſarianis tandem partibus adoleſcens occubuit. Fuit autem diſcipulus Ciceronis, de quo ille *in Oratore*. Fratrem habuit *P. Craſſum*, qui & ipſe bellò Gallicò militavit ſub Cæſare, immaturâ quoque morte raptus. Patrem enim in Parthos ſecutus interiit, vide ſuprà.

CRASSUS Frugi, prænomine *Marcus*, Conſul fuit cum C. Lecanio Baſſo, DCCCXVI ſub Nerone, qui ipſe è Calpurnia Frugi, in Liciniam gentem, adoptione tranſiit. Pater Piſonis Liciniani, à Galba adoptati.

CRASSUS P. Licinius, ante ætatem Pontifex Max. factus, quod nunquam anteà contigit. Conſul profectus eſt contra Ariſtonicum Eumenis filium, in quo prœlio, profligato exercitu, ipſe, ne in manus hoſtium veniret, baculò Barbarum quendam in acie oculò converberatò, in ſui necem provocavit. Doctiſſimi, nobiliſſimi, eloquentiſſimi & Juris peritiſſimique elogium meruit. Liv. *l.* 59. Strabo, *l.* 15. Juſtin. 36. Vellejus, *l.* 2. Flor. Val. Max. &c. Vide & *Licinius*.

CRASSUS Papyrius, vide *Papyrius*.

CRASSUS Paulus, vide *Paulus*.

CRASTINUS, Dux Roman. adverſus Vandalos miſſus. A.C. 424.

CRASTINUS, Evocatus in exercitu Cæſaris, in Pharſalicis campis occubuit, gladiò in os adverſum conjectò. Cæſar, *l.* 3. *Bell. Civil. c.* 99. Videatur Plutarchus & Lucan. *l.* 7. *v.* 471.

CRASTUS, urbs Sicanorum in Sicilia, Epicharmi Comici patria & Laidis meretricis: Gentile *Craſtinus*. Herodoto *Craſtus* vocat.

CRATAIS, mater Scyllæ, ut quidam volunt.

CRATÆUS ſive CRATÆVUS, quem Diodor. Sic. *l.* 14. *Craterum* vocat, ab Archelao ſtupratus & nuptiis promiſſis in matrimonium alterutrius filiæ fruſtratus, in necem ejus conjuravit. Ariſtoteles, *l.* 5. *Polit. c.* 10.

CRATANDER Andreas, Typographus Baſilienſis celebris, ſecul. præterit. Johannem Oecolampadium, A.C. 1522. Auguſtâ Baſileam reverſum hoſpitiò excepit: apud quem ille Chryſoſtomi nonnulla Latinè vertit. Urſtis. *Epit. Hiſt. Baſil. c.* 9.

CRATE capiendi aves artificium, indigitatur Senecæ, *Octav. Act.* 2. *v.* 409. ubi de ferrei ſeculi moribus,

Alios inquietum, quod ſequi curſu feras
Auderet acres; fluctibus tectos graves
Extrahere piſces rete; vel calamo, aut levi,
Decipere volucres crate, cervos & leves &c.

Ubi *brevem* vocat, quia quam alioqui Crates in opere ruſtico, aut in militia appellantur, ut infrà videbimus, ampliores animò fingimus, Gronov. *ad Senec. d. l.* Plura de hoc aucupii genere, apud Brodæum, *Miſcellan. l.* 1. qui ejus jam apud Comicum mentionem extare contendit, in verbis, *Cuncinnatum avem, effundas album*. Aimar *Allo* 1. *ſc.* 5. *v.* 64. ubi anum diverſum, quod poſt paulo, non natos ponunt &c.

CRATEAS Macedo, Pater Pythonis.

CRATEIS, fluv. Bruttiorum in Calabria ulteriore, *Fiumara le Merocedie*.

CRATER, ſinus Campaniæ inter Miſenum & promontor. Minervæ, qui & *ſinus Puteolanus* dicitur. Strabo. *l.* 5. Hodiè *Golfo di Napoli*.

CRATER; ἀπὸ τοῦ κέρατος, quaſi cornu, quoniam *in cornua potio olim fundebatur*; cujus rei veſtigia certiſſima in antiquis inſcriptionibus. D. Ambroſius, *l. de Elia et jejunio*, *c.* 17. *Per cornua etiam flumina in fauces hominum vina decurrunt, & ſi qui defeſſi fuerint, commiſſum ſingultum, ſolita accipi, loco mentis habetur.* Athenæus, Dipnos. *l.* 11. *Priſcos fama eſt, atque homines cornibus olim bibiſſe bovum; liquet hoc ex eo, quod adhuc, dum aqua vinum permiſcent, miſcere dicunt, & vas in quo vinum miſcetur, craterem appellant, manet etiam mos communis ad hunc uſum fabricata quædam ejuſmodi pocula Rhyta vocant, Poëtarum quoque multi antiquos bibentes cornibus inducunt.* Xenophon, *l.* 6. *exped. Cyri*, Κατακείμενοι ἐν ... *Quum in grabatis inter ea cumbentes diſcumberent, ac biberent è poculis cornu factis.* Idem, *l.* 7. hanc *Thraciam legem* vocat. Alluſerunt ad eundem ritum Poëtæ. Pindarus,

Ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες.
Ex argenteis poculis biberunt.

Æſchylus *in Perrhæbis*, ἀργυρηλάτοις κέρασι, *argento ductis factis cornibus* &c. Primum autem hoc poculi genere uſum Bacchum ferunt, quem cornutum fingi pueruli quoque Grammaticorum ſciunt, Unicus Ovidius ſufficiet, *Epiſt.* 15. *Heroid. v.* 23.

Sume fidem & pharetram, fies manifeſtus Apollo,
Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

Indi talibus quoque poculis uſi, ut ex Cteſia Photius annotavit *in Bibl.* Ita autem ille, *Aſinos ſylveſtres habet India, neque exiguos, cornu habent in media fronte*; & paulo poſt, *... conficiunt enim ex his pocula.* In conviviis tertium poculum Jovis Servatoris fuit (ſicut primum, ut Franc. Luſinus ait, *l.* 1. *Parerg. c.* 7. Jovis Olympii, alterum Heroum erat) Κρατὴρ Διὸς σωτῆρος, *Crater Jovis Servatoris* Polluci dictum, in memoriam pluviæ derepentè irruentis, quâ pocula vinô ſemiplena, cùm temperata eſſent, ſalutarem ipſius uſum homines didicerunt: priùs enim merum bibebant, non ſine noxa, Euſtath. *in Homer*. Vide Thomæ Dempſteri *Paralipomena in Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 30. Quâ ætate verò luxus maximè invaluit, ut coronarum & unguentorum miſſus præibat ſecundæ menſæ, ſic Crater ſtatuebatur in medio, qui ebibendus erat. Plutarchus Συμποσ. ... Ἀλλ' ... &c. Et quidem coronatus, ut & alia pocula, de quo more Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 728.

Crateras ſtatuunt plenos & vina coronant.

Non ſolùm eò ſenſu, quòd vinò implerentur, ſed & quòd plerumque cælatâ coronâ redimirentur. Certè Athenæus, *l.* 5. in quadam pompa meminit *Crateris argentei* amphorarum ſexcentarum, qui vehebatur quatuor rotarum curru, quem ſexcenti viri trahebant. Sub ejus labris, anſis & baſi imagines ſiſebant animalium ornatè ſculptæ. Ipſe verò aureâ gemmatâque coronâ præcingebatur. Quamvis aliquando crateribus poculiſque addita corona fuit, non decoris, ſed utilitatis gratiâ. Quemadmodum collum vaſis coronâ pulegii ſive calaminthæ, ne inde vinum effluat, redimiri conſueviſſe, tradit Conſtantinus Cæſar, *l.* 6. *c.* 14. &c. Vide quoque infrà *Lanea corona*. Verùm etiam in uſum Lethos ſcyphis pugnavêre Thraces, & *Crateres* pro telis jacti Centauris leguntur. Statius, *l.* 1. *Achill. v.* 114.

---- Hic hominum nullas expertas crateras
Spicula, nec truncos bellis genialibus ornos,
Aut conſanguineos fracti crateras in hoſtes.

Et Ovid. *l.* 12. *Met. v.* 236.

Antiquus crater, quem vaſtum vaſtior ipſe
Suſtulit Ægides, adverſaque miſit in ora.

Inter quos Pholus inprimis immani cratere mira hoſtibus vulnera intulit, apud eundem Statium, *l.* 2. *Thebaid. v.* 564. quod ſocio ejus Hylæo tribuit Virg. *l.* 2. *Georgic.* Sed & ipſe Pholus aliò cratere ab Æſone ſtratus eſt, apud Val. Flaccum, *l.* 1. *v.* 337.

---- ---- ---- ſed fortior Æſon
Attollens dictis animos: ô ſi mihi ſanguis
Quantus erat, cum ſigniferum cratera minantem
Non ſemel Pholum manus hæc compeſcuit ora.

Vide de hoc Pholi cratere, inprimis olim celebri, Apollodorum, *l.* 2. Scholiaſtem Theocriti *ad ſuum Thalyſior.* Lucanum, *l.* 6. &c. Porrò abuſus, cùm Inferis rem divinam facientes priſci, *Crateras* ipſos

cum

cum libamentis in flammas conjiciebant, quo de more vide Servium ad Virg. l. 6. *Æn.* Statium, ubi de Achemori ſepultura, & ad hunc Caſp. Barthium, *Animadverſion. Part.* 3. *p.* 426. uti de Helenæ cratere non minus, ac iis de quibus diximus, claro, aliquid infrà, voce *Helena*: de Neſtoris, voce *Neſtorem*: & de more inſignia avita crateribus inſcribendi, ubi de *Inſignibus*. De more verò, minoribus poculis remotis, majuſculum *Cratera* poſcendi, cùm ad cantum accederent Græci, voce *Scolium*. *Crateras* vertendi, in lemmate, *Vertendi crateras mos*, ut alia omittam, paſſim hic, ubi de *libendi* more, *Pocula*, *Scyphus*, jam dicta decendave. Sed & vide hic infra in *Craterra*, ut & voce *Patera*.

CRATER Aureus, in cæruleo ſolo, cruciculis brachiatis & ſpecularis aureis conſito (Compoſtellanæ peregrinationis indició) Galiciæ, unius ex Hiſpaniæ Regnis, inſigne eſt. *Crater* ſcil. ſeu *Calix* *ſtellis*, aliquâ nominis alluſione, quamvis Gallicia ſeu Gallæcia, non à *calice*, ſeu *Gallaeis*, ſed *Callaicis*, aut *Callaecis*, dicta ſit. Inter apices Reinecci ſenti, ſimiliter *Craterem aureum cum operculo*, obſervat Cl. Spenerus, *Artis Herald. Parte* II. ubi de *Famil. Comitum de Sintzendorf*.

CRATERRA, apud Nævium, *Lycurgô*, *Nam ut ludere lætantes inter ſe vidimus propter amnem*, *craterris ſumere aquam ex fonte*. Varronem, *de Vita Pop. Rom.* l. 3. *Ad Sybariticam prædam*, *in qua ſunt tripodes*, *craterræ*, *amaeca*, *à Populo nobilium Tarentinorum*, & Ciceronem, *de Nat. Deor.* l. 2.

In medioque ſinu fulgens craterra *relucet*;

Nonio Marcello ſitula eſt. Barthio verò idem cum *Cratere* ſeu *Craterra*, nam & fœmininó genere *Crateras* Romanos dixiſſe notum. Perſius, *Sat.* 2. *v.* 52.

Si tibi crateras argenti, *incuſaque pingui*
Auro dona feram. --- ---

Servius, *l.* 2. *Æn.* v. 728. *Græcum eſt*, *hic crater*. *Nam Latinè hæc cratera dicitur*. Vide quoque Iſidorum, *Origin.* l. 20. *c.* 5. Nec certè Nævii & Varronis loca ad Nonii ſitulam faciunt, optimè ad *crateras* Latinas; Ciceronis verò verſus penitus in os homini contradicit. Erant autem *Crateres* ingentia vaſa, quæ in medio convivio rum loco ſtatuebantur, ut inde minoribus poculis hauriretur, uti ſuprè videre eſt. Quamvis & minuiora nonnumquam ſic appellata legamus, apud Val. Flaccum, *l.* 5. *v.* 615. Prudentium *in Diptochæa*, Alios. Nonium tamen abſolvat Onomaſticon priſcum quod ὑδρίαν, *creterram* (uti Docti cum MSS. legere malunt) interpretatur; & *Cratera* illum cœleſtem Urnam aquariam facit Scholiaſtes Germani. Vide Caſp. Barthium ad *Statium*, *Part.* 2. p. 300.

CRATERUS, Macedo è comitibus Alexandri, qui etiam ejus res geſtas conſcripſit. Rei militaris & literatæ gloriâ florentiſſimus. Ejus ad Ariſtopatram matrem epiſtol. de admirandis, quæ vidiſſet, citat Strabo, *l.* 15. Vide Plut. *in Alexandro*. Curt. *l.* 5. *c.* 9. *l.* 4. *c.* 3. 13. *l.* 5. *c.* 4. 6. &c. Arian. *l.* 4. *Expedit. Alex.* Voſſ. *de Hiſt. Græc.* l. 3. *p.* 347. *&* *l.* 4. *c.* 9. *p.* 462.

CRATERUS, Macedo, Hiſtoricus, quem laudant Schol. *in Ariſtoph. Aves*. *Stephanus* citat tertium & nonum, è Cratera libris, *περὶ ψηφισμάτων*.

CRATERUS, Medicus inſignis, quò T. Pomponius Atticus uſus. Cicer. *l.* 12. *ad Attic. ep.* 13. 14. Hujus ſervum ſcribit Porphyrius Tyrius morbô inuſitato affectum, quum medicamenta non prodeſſent, viperâ piſcis in formam figuratâ & ab eo devoratâ ſanum factum. Crateri meminit etiam Horat. *l.* 2. *Serm. Sat.* 3. *v.* 161.

Non eſt Cardiacus (*Craterum dixiſſe putato*)

Itemque Perſius, *Sat.* 3. *v.* 65.

Et quid opus Cratero magnos promittere montes:

CRATERUS Pictor, qui Comœdos Athenis in Pompejo pinxit. Plin. *l.* 35. *c.* 11.

CRATERUS, Statuarius nobilis, quem probatiſſimis ſignis Palatinas domus Cæſarum repleviſſe, author eſt Plin. *l.* 36. *c.* 5.

CRATES, Athenienſis, Poëta Comicus, antiquæ Comœdiæ, auditor Polemonis Philoſophi. *Suidas*.

CRATES, fil. Aſcondi, circa 113. Olymp. Thebanus, Philoſophus Cynicus, Diogenis diſcipulus, Hipparchiæ maritus, qui, *Suidâ* ac *Diogene Laertiô* teſtibus, in pecuniam omnem ſubſtantiam redigens, apud Trapezitam depoſuit, hâc lege, ut, ſi filii Philoſophi eſſent, eam indigentibus civibus diſtribueret, nihilô Philoſophos indigere exiſtimans, Si autem idiotæ, eis redderet, ut, vacui virtute, ſaltem opes ampularentur. Philoſtratus autem *in vita Apollonii*, & Diocles, eum ſubſtantiam ſuam ajunt in mare projeciſſe, ut liberiùs philoſopharetur, atque dixiſſe, *Abite peſſum malæ cupiditates*, *Ego vos mergam*, *ne ipſe mergar à vobis*. Neque enim putavit ſe poſſe, & virtutes, & divitias ſimul poſſidere. A Nicodromo citharœdo, alapâ acceptâ, iſtâ Epigraphe, *Hoc Nicodromus fecit*, illum notavit. Emicuit autem Demetrii Poliorcetæ temporibus, ad quem Thebas obſidentem miſſus legatus, ſuâ authoritate, eum ab obſidione patriæ removit. *Plut.* Diogen. Laërt. *l.* 6.

CRATES, cognomine *Mallotes*, fil. Timocratis, Stoicus & Grammaticus ſub Ptol. Philometore, æqualis Ariſtophanis Grammatici, cognominabatur *Criticus*, ſive *Homericus*. Scripſit in Iliadem & Odyſſeam *libros* 59. Comment. *Suidas* Studium Grammaticæ Romam primus intulit, teſte Suetoniô, *de Illuſtr. Gramm. c.* 2. miſſus enim ad Senatum ab Attalo Rege, ſub ipſum Ennii mortem plurimas acroaſes fecit, aſſiduoque per omne tempus legationis diſſeruit. Plin. *l.* 4. *c.* 12. Varro, *l.* 8. *de L. L.* Strab. *lib.* 1. *p.* 13. *&* 14. Voſſ. *de Hiſt. Græc.* l. 3. *p.* 347. *de Poet.* c. 8.

CRATES, Pergamenus, res mirandas de variis gentibus literis prodidit. De quo Plin. *l.* 7. *c.* 2. & Ælianus *de Animalibus*, *l.* 17. *c.* 9. Item Orator, ex familia Iſocratis. Voſſ. *loc. cit.*

CRATES, ſub Alexandro M. machinariæ rei artifex. Item Philoſophus Peripateticus: Item Philoſophus Academicus, Tarſenſis. Item Epigrammatiſta. Geometra tandem, &c. Diog. Laërt. *in Cratete Academica*, *l.* 4.

CRATES Æratæ, apud Statium, *l.* 4. *Theb.* *v.* 110. ubi de luctâ Acheloi cum Hercule.

Omnibus æratæ propugnant pectora crates,
Pilaque ſævâ manu --- ---

Ære ſcil. ſeu ferrô obducta, ut vetus Scholiaſtes. Quæ mens ſuis dubia tamen Lipſio *de Mil. Rom.* l. 3. *c.* 6. Certè non alia, quàm de ligneis cratibus *laminis ferreis obductis*, Papinio, pro illo videl. ævo, armaturæ ad tela ſolidioris nondum vulgatò uſu. Quare & ſingularem notam hanc iis populis adſcribit. Pari ſenſu illa ſunt capitoda, apud Virg. *l.* 7. *Æn.* *v.* 632.

Tegmina tuta cavant capitum, *flectuntque ſalignas*
Umbonum crates. --- ---

Saligna enim *crates*, *umbones* ferrea harum munimenta deſignant. Nam quid ad ligneas ſolum crates, quod ſequitur.

--- --- *alii thoraces ahenos*
Aut leves ocreas lentò ducunt argentô.

Nec ſatis circumſpectè Servius, qui coria iis inducta de Salluſtio accerſit. Tales verò & thoraces intelligi vult Papinius. Vide ad *loc. cit.* Barthium. Non autem pectori ſolùm muniendo, ſed & in urbium oppugnationibus, *Crates* adhibitæ, uti ex Curtio diſcimus, *l.* 5. *c.* 3. *caſa materia cratibus & pluteis faciendis*, *ut*, *qui turres admoverent*, *extra teli ictum eſſent*. Nempe antelatæ hæ tegebant. Imò & foſſas iis explebant, ac mixtô aggere quaſi per pontes ibant. Verùm hæ non fuerunt elaboratæ, ad modum ſtabilium, quas in obſidione defigebant, ſed leviores; fortaſſe nec tectô aut lateribus, ſed ſimplici textu vimineô, quem ante ſe ferebant, iterum Lipſium, quem omninò vide hanc in rem, uti & de pluteis, qui, ex *cratibus coria intentis*, recentioribus fiebant, aliquid etiam infrà in *Teſtudo*.

CRATES Contabulatæ, pontis genus, apud Solin. *c.* 56. *Aſcitæ Arabes*, *quibus è re nata datum nomen*: *nam bubulis utribus contabulatas crates ſuperponunt*, *vectatique hic tali genere prætereuntes aſſiſſunt* &c. Sed hic de *tabulata* agitur; vocat enim Plinius, quem Solinus exſcribit, *pontem* tabulas junctas & utribus ſuperſtratas: nec *utres ponte ſternere* aliud eſt, quàm utribus junctis tabulas ſtratas ſuperponere. Unde *pontiles ſtratas*, apud Vegetium, de tabulatô, quò ſtabuli pavimentum conſtratum eſt. Et πόντιλα Græci recentiores uſurpârunt pro quibuslibet tabulatis, etiamſi ad ſpeciem pontis ſtrata non eſſent, ſed ſuſpenſa. At *Crates* textaciæ ſunt & diverſæ utique à tabulatis, quæ non aliud ſunt, quàm tabulæ ſtratæ junctæque, uti vidimus. Niſi ſortè ſcripſerit Solinus, *Bubulis utribus contabulatos ſtratos ſuperponunt*. Ceterùm pontium ex utribus factorum uſus olim apud diverſos ſuis populos, fluviis tranſnatandis, & præcipuè in bello. Cujuſmodi pontem Ἀσκογέφυρον vocat Auctor Anonymus *de Rebus Bell.* Vide ſuprà in voce *Aſcogefri*, & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1266. & 1267.

CRATES Harundineæ, Græcis ταρσοί, dicebantur viminea texta, ſuper quibus ſiccabantur caſei, uti videre eſt ſuprà, ubi de *Caſeo*. Aliud quid erant ταρσοὶ καλάμων, apud Herodot. *Muſâ* 1, texta videl. *cannarum ſeu cannicia*, quæ, in Babylonis muris, ſingulis laterum ordinibus interpoſita erant & bitumine oblita, ad continendam ſtructuram. *Heſychius*, ταρσοὶ καλάμων, πλέγματα καλάμων. De *Craticiis* enim *parietibus* ibi ſermo eſt, quibus lutô indictis cùm cannarum duplex ordo vulgò adfigeretur, ut tectorium ſuperinductum firmiùs adhæreſceret: in muris Babylonis inter ſingulos ordines laterum texta cannarum ſtipata erant & bitumine agglutinata, vide de huſuſmodi parietibus Vitruvium, *l.* 7. *c.* 3. Ut fruſtra ſint, qui ταρσοὺς illos καλάμων Herodoti expoſuêre de *cratibus*, quibus impoſiti lateres ſiccabantur. Licèt enim non caſei ſolùm, ficuſque & alii fructus, qui ſiccabantur, exponi ſolibus ſuper crates aut vimineo texto ſolerent, quod ταρσώσαι propriè dicebatur: ſed & lateres ſic ſiccarentur; id tamen de crudis tantum accipiendum. At lateres, quibus ſtructi muri Babylonis, igne cocti erant: hinc jam præceſſit de eorum coctura, ὤπτησαν ἐν καμίνοισι; cujuſmodi lateres nihil opus habent ſiccoſcere & areſieri. Ταρσοὺς igitur illos καλάμων interpoſitos conſtat lateribus, in muri ſtructura: quod clarè oſtendit verbum διαστοιβάζειν, in eodem loco. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1267.

CRATESIPOLIS, mulier factioſa, quæ Acrocorinthum Ptolemæo aſtutè tradidit. Polyæn. *l.* 8. *c.* 58.

CRATEVAS, Medicus Plinio, *l.* 24. *c.* 17. & alibi aliquoties memoratus, thapſi inventor apud Cœl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 9.

CRATHIS, paſtor, qui capræ amore deprehenſus, infantem ſuſtulit, qui cruribus matrem, facie verò patrem referebat, Deorum numero mox aſcitus, & Hylæum numen Napeumque nominatur. Cœl. Rhodig. *l.* 25. *c.* 32.

CRATHIS, nomen duorum fluviorum, quorum alter eſt in Achaja propriè dicta, prope Ægas, in ſinum Corinthiacum influens. Strabo, *l.* 8. Alter in Magna Græcia juxta Sybarim oppid. cujus aqua barbis, comiſque flavum colorem inducere traditur. Ovid. *l.* 15. *Met.* *v.* 315.

Crath.

Crathis & hîc Sybaris noſtris conterminus oris,
Electro ſimiles faciunt, auroque capillos.

Schol. Theocriti, *Idyl.* 5. ex Nymphodoro, & Theophraſto, ait Κρᾶθιν ὅλως ξανθίζειν. Euripides *in Troadibus*, ὁ ξανθὰν χαίταν πυρσαίνων Κρᾶθις, non ut perperam legitur Κρᾶθις. Vibio Sequeſtri *auream comam facit*. Denique Strab. *l.* 6. ξανθοτριχεῖν, καὶ πολιοτριχεῖν λέγει tradit. *Nic. Lloydius.* Vide infrà.

CRATHIS, ſeu CRATIS, fluv. Calabriæ citerioris. Conſentiam rigat, & prope Biſinianum labitur. Hinc auctus Buſento, Turbido, Cochi aliiſque minoribus fluviis in ſinum Tarentinum influit. *Baudrand.* Vulgò *Crate.*

CRATIA, Urbs Bithyniæ. Vide *Flaviopolis.*

CRATICULA Dureri, inter inſtrumenta Geometrica admirandi operis, in Muſæo Kircheriano, apud Georg. de Sepibus, *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo*, p. 17.

CRATICULÆ, & Equulei ardentes inter ſuppliciorum genera, quibus olim in Chriſtianos ſævitum, uti apud veterem Prudentii Scholiaſtem videre eſt, qui *Cataſtas* hôc modô exponit. Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Stat. l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 72. Sed & *ſub Crate* necatorum, à Tarquinio, mentio apud Feſtum. Vide infrà ubi de *Novendiali ſacro* ſc. voce *Submerſio.*

CRATINUS, Poëta Comicus, clarus apud Athenienſes, qui primus in Dionyſiis Athenis Satyricam fabulam induxit. Horat. *l.* 1. *Serm. Sat.* 4 *v.* 1.

Eupolis atque Cratinus, Ariſtophaneſque Poëtæ.

Perſius, *Sat.* 1. *v.* 123.

—— *Audaci quicunque afflate Cratino.*

Scholiaſt. Ariſtoph. Κρατῖνος ὁ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ποιητὴς ἀνδρωδέστερος λοιδορίας ἦν. Οὐ γὰρ ὥσπερ Ἀριστοφάνης ἐπιτρέχουσαν χάριν τοῖς σκώμμασι ποιεῖ, ὃ φορτικὸν ποιούμενος ... ἀλλ' ἁπλῶς κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῇ τῇ κεφαλῇ τίθησι τὰς βλασφημίας κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων. Hinc nec Pericles ab ejus cenſura immunis, Plut. *in Pericle.* Scripſit 21. comœdias, novies victor. Obiit ſub initium belli Peloponneſiaci, circa 87. Olymp. Vixit ann. 95. *Ariſtoph.* Fuit ſupra modum gulæ ac omni voluptatum generi deditus, & præcipuè ebrietati, ad quod alludit Horat. *l.* 1. *Ep.* 19. *v.* 1.

Priſco ſi credis, Mæcenas Docte, Cratino,
Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus. ——

Nic. Lloydius.

CRATINUS, inſignis luctator. *Pauſan.* Item ſtatuarius, omniumque formoſiſſimus, cui, poſtquàm alios in lucta ſuperâſſet, exercendorum puerorum officium demandatum eſt. Pauſan. *l.* 6.

CRATINUS, oſtentator quidam atque audax Athenis, quem utpote furioſum & ebrioſum Ariſtoph. *Acharn.* traducit. Vide *Antiſtrophen Act. IV ſc.* 7.

CRATINUS, Aſiæ fluv. à lacu Sicyone in Oceanum fluens, juxta quem nonnulli fabulati ſunt electrum naſci. Plin. *l.* 37. *c.* 2.

CRATIPPUS, Mitylenæus, quem Athenis docentem audivit Marcus filius Ciceronis, ut eſt *in proœmio librorum de Officiis.* Hic Pompejum poſt Pharſalicam pugnam fugientem, apud Mitylenem, conveniens ultro ſolatus eſt verbis philoſophicis, ad ſpemque hortatus, cùm quædam de Providentia differuiſſet, reſque Romanas tandem labi eſſe neceſſe affirmaret. Plut. *in Pompejo.*

CRATIPPUS, Hiſtoricus, Thucydidi σύγχρονος, hujus omiſſa ſolicitè annotavit. Dionyſ. Halicarn. Marcellinus, *in Thucydidis vita.*

CRATIS, in *Regula* Monialium Damianitarum, c. 9. *Nolli ceat Sororibus loqui ad locutorium, vel ad cratem, ſine licentia Abbatiſſæ.* Mox, *Ad cratem verò pannus interiùs apponatur, qui non removeatur, niſi cum proponitur verbum Dei, vel aliqua alicui loqueretur:* repagulum eſt ferreum, in modum cratis, quo Sanctimonialium locutoria clauduntur, Gall. *la Grille.* Sed & in *Regula* Clariſſarum occurrunt *Crates ferrea*, per quas Communio accipitur, *quibus apponitur pannus interiùs, ita ut nulla inde valeat exterius in Capella aliquid intueri*, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CRATO Johannes, Vratiſlaviâ Sileſius, Philoſophus & Medicus excellens. Melanchthonis & Lutheri diſcipulus, hujuſque per ſexennium domeſticus, edidit *Sermones Convivales Lutheri*: inde Veronæ ſub Joh. Baptiſta Montano Medicinæ operam dedit, atque in patriam reverſus, Ferdinandi I. Maximiliani II. ac Rudolfi II. Imperatorum Medicus fuit, horum medio ſæcle ſimillimus. Cæterùm religionis, quam ſub iantis Magiſtris hauſit, tenaciſſimus. Obiit A. C. 1585. ætat. 67. Scripſit plurima, quorum ſeriem exhibet *in Elogiis* Anton. Teiſſier, *Part.* 2.

CRATOR, libertus Aurelii Veri Imperatoris Conſulum reliquorumque Magiſtratuum, per 453. ann nomina temporaque accuratè notavit. Theophil. Antioch. *l.* 3 *ad Autolycum*, Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 2. *c.* 14. & *l.* 4. *c.* 17.

CRATOVITIUS Marcus, vide *Marcus.*

CRATYLUS, Philoſophus, Platonis Præceptor, poſt Socratem, cui Plato, *librum de ſignificatione nominum*, inſcripſit. Diog. Laërt. *in Platone*, *l.* 3.

CRATZIA Familia, in Germania illuſtris. Inter Equeſtres Rhenanas diu eminuit, donec Johannes Philippus primùs axioma Comitis de *Scharpfenſtein* meruit. Fuit is filius Antonii *Cratz de Scharpfenſtein*, nepos Friderici, pronepos Philippi, abnepos Caſpari, omnium nominis *Cratz de Scharpfenſtein*; & ex priore conjuge Maria *Metternich* genuit Joh. Antonium Cratz Comitem Scharfenſtenium, partem ex N. *de Soeteren* N. Comitis moderni: ex ſecunda verò conjuge, familiæ *de Welz*, pater fuit Eleonoræ, quæ nunc etiam in thoro Joh. Auguſti Comitis Solmenſis vivit. Phil. Jac. Spenerus, *Theatr. Nobil. tom. III.*

CRAVALIDÆ, vel CRAVAGALIDÆ, Phocidis regio prope Cirrham. *Suidas.*

CRAUCASIS, vel CRAUCASUS, Caucaſus Indicus, à Scythis dictus eſt, quaſi *nivibus candidus*. Plin. *l.* 6. *c.* 17. *princip. de* Scythis, *Perſæ illos Sacas in univerſum appellavêre à proxima gente, antiqui Aramæos, Scythæ ipſi Perſas Chorſaros: & Caucaſum montem* Croucaſum, *hoc eſt, nive candidum.* Inde Macedones, cùm in illis locis eſſent, pro *Craucaſo* vel *Craucaſi*, ut ab indigenis vocabatur, *Caucaſum* nominaverunt, ob affinitatem ſoni de proximo inflectentes in notiſſimi montis Pontici vocabulum. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 788. Hodieque certè *Grau* Germanis canum notat. Unde inter alia colligit Grotius, Scythicam linguam matricem fuiſſe Germanicæ. *Credi enim id jubent*, inquit, *primum ipſum Scytharum nomen, ſag. ...ios ſignificans — deinde Mæotis palus à Scythis, quæ accolebant, dicta Temerinda, id eſt, maris ſuus & Caucaſus mons dictus ipſis à candore Graucaſus, Proleg. ad Hiſtor. Gothor. Vandal. & Longobard.*

CRAUGIÆ, Peloponneſi inſulæ duæ, Spiræo promontorio objacentes. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

CRAUSIUS, nomen viri proprium, qui Britanniam annos octo obtinuit. *Eutrop. Oroſ.* Inſidiis Alecti ſocii ſui occiſus eſt, an. Urb. Cond. 1046.

CRAUXIDAS Crannonius, Olymp. 41. equô celete victoriam adeptus eſt, quanquam ſiorquis velint equos celetes Olymp. demum 85. introductos eſſe. Verùm aliter cenſet Pauſan. *in Eliacis, & Arcadicis.*

CRAZZACUM, caſtrum Galliæ, in Bituricenſi agro, à Philippo Auguſto Rege captum A. C. 1196. Vulgò *Gracay*, nunc locus obſcurus, non procul ab Exolduno. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CREATORES, in *l. ult. Cod. Theodoſ. de Decur.* & *l.* 1. *de Curator. Kal.* dicuntur, qui ad publica munera alios nominant: in Gloſſis Græco-Latinis Χειροτονηταί. Car. du Freſne, *Gloſſar.* Vide infra, ubi de *Deputis* & *Manu.*

CREBENIA, vide *Cribenna.*

CREBENNUM Senonum, vulgò *Crevan*, oppid. Galliæ ad Icaunam fluv. non procul ab ejus & Choræ confluentibus, in finibus Autiſſiodorenſium. Nonnullis *Crevennum*, *Carpennum*, *Creſſians*, *Creſſantum*. &c. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CREBRATA Tela, apud Plin. *l.* 11. *c.* 24. ubi de araneorum telis, *Quam non ad hæc videtur pertinere crebrata pexitas tela & quadam politura arte, per ſe tenax ratio tramæ*: eſt tela densè texta & multô ſubtemine facta, quæ ſic pexitatem floccorum facit. Ideò veſtes, quæ ad hiemem & frigos parantur, denſo ſubtemine texi jubet Heſiodus in Ἔργοις, v. 536. quò molliores ſint calidioreſque:

Στήμονι δ' ἐν παύρῳ πολλὴν κρόκα μηρύσασθαι.

In ſolo enim ſubtemine eſt mollities illa lanuginoſa, quæ paulò ſupereminet, & quam pectit ac polit ſpina fullonia. Quam in rem elegantè facit locus Platonis *in Politico*, ... Quæ ſpina fullonia tractat & politura accommodatam habent mollitiem, ea poſtquam neta ſunt, *ſubteminis nomine vocamus* &c. Senſus eſt, in ſubtemine nendo ita haberi rationem floccorum excitandorum, ut poſſint commodè pecti & poliri fullonis ſpinis. Cùm itaque ſubtemen ſit mollius ſtamine, quò denſius ſubtemen & crebrius, eò veſtis mollior & pexior atque *ἀγναμπτον floccum*, in ſubtemine, quod malacam veſtem facit, ita & pexitas, quæ arte politura conſummatur, h. e. τῇ γναφῇ. Porrò ab uno tantum latere pexi illi flocci; unde *pexa*, *pexa tunica* in *Gloſſar.* cui opponitur *invexa* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 391. & plura de voce *Crebreſcere*, apud Barthium, *Animadverſ. ad Statium Part* 2. *p.* 883.

CRECIACUM Ambianorum, villa olim Regalis Galliæ, ſub Merovei poſteris in pago Pontivo, ad Alicjam fluv. *Creci en Ponthieu*, ſilvâ cognomine inſignis, quam Ebroinus olim armatus invaſit. Theodoricum Regem ac Leudeſium Majorem domûs perſequens. Ibidem Philippus Valeſius Rex ab Anglis ſuſcepit maximam accepit cladem. Dicitur vulgò ſilva *la foreſt de Crecy*. Aliud *Creciacum* vel *Criſciacum* eſt in pago Briegio *Creci en Brie*, non procul ab urbe Meldis, ad Mucram flumen in Matronam decurrens: à quo ſilva proxima nomen quoque habet. Vide Eundem & infrà in voce *Criſciacum.*

CRECIACUM Remorum, ad Saram, *Crecy ſur Sere*, villa quondam Regia Galliæ, in agro Laudunenſi, poſteà è villa dominica caſtrum facta eſt. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CREDENTES, in Lombardia dicti, qui *Valdenſes* in Gallia & Germania vocati ſunt. Circa A. C. 1260. Mornæus *in Myſter.* p. 891. Quòd *crederent* hæreticorum erroribus & hæreſibus, vel quòd judicarentur ipſis credere, & id judicabatur ex illorum verbis ac factis. Quia verò initiô delegatæ Inquiſitionis valde dubitatum fuit, ex quibus factis aliqui *Credentes hæreticorum* judicari poſſent, declaravit id Concilium Narbonenſe, c. 29. in cujus explicatione diſtinguunt Pontificii, inter facta, in quibus error exprimitur manifeſtè, & facta, ex quibus violentæ oriuntur ſuſpiciones, item in quibus de ipſa infidelitatis nihil apparet. Quorum priora hæreticum demonſtrabant, ultima ſaltem hæreſeos ſuſpectum. Phil. à Limborch, *Hiſtor. Inquiſit. l.* 3. *c.* 7. *de Credentibus hæreticorum & Schiſmaticis.*

CREDENTES, nomen quod ſibi ipſis ſumunt, qui perniciabilem Muhammedis ſectam amplectuntur, propriô idiomate *Moslim* ſeu *Muſulmanni*, quos vide infrà. Sic *Credentium Princeps* ...

Fidelium Dominus, communis titulus Sultanorum inter Saracenos olim, hodieque Arabiæ Regulorum. Vide infrà voce *Miramolinus*. Sed & in Gentilium Sacris ſoli οἱ πιστεύοντες τῷ Θεῷ, *Credentes Deo* admiſſi olim, ut videbimus voce *Prorrheſis*.

CREDENTIA, Italis *Credenza*, & *Credentiera*, abacus eſt ſeu tabula vel menſa, in qua menſaria ſuppellex ad convivia reponitur. Item in Communione Romana menſula, quæ vaſa Altaris continet. *Ceremoniale Rom. l. 1. ſect. 3. Credentiam appellant menſam, ſupra quam vaſa argentea, ſive aurea ad convivium opportuna præparantur: & ſimiliter in divinis —— Dicitur & Credentia abacus ipſe prægustationis cibariorum & aliarum rerum.* Vide *Ceremoniale* Epiſcop. *l. 1. c. 12. de Credentia Eccleſiæ*, ubi pluribus deſcribitur. Sed & fidem datam interpoſitamque vox notat, Gall. *Creance*, Ital. *Credenza*, quibus etiam *Far la credenza*, eſt ſecuritatis gratiâ cibos prægustare ſicque fidem facere nihil illos nocituros, ut obſervat Scipio Ammiratus *in Stemmat. Neapolit. Tom. I. p. 53.* Portò idem eſt, quod *Creditum*, Italis iterum *Credenza*, Gallis *Credit* & *Creance*, apud Matth. Pariſium *A. C. 1247.* Quâ notione *Credentiam* vel *Creditionem* habere dicebantur domini, jure quôdam peculiari in rebus pleriſque ad victum neceſſariis, quas emebant à ſubditis, quaſve ab illis mutuo ſumere iis fas erat, qua de re vide prolixè diſſerentem Car. du Freſne, *in Gloſſar.* Tandem Italis ſic dicitur publicus civium Conventus, de publicis rebus, deliberandi causâ coactus. Quippe cùm in civitatibus Conſules eſſent, qui curam Reipubl. gererent, liteſque ne controverſias civium dirimerent, ſi quando res majoris momenti agenda incumberet, ex ſingulis Artificum corporibus eligebantur, qui Conſiliis iſtis publicis intereſſent, ſuaſque in iis ſententias rogati expromerent; quos inde *Credentiarios* appellabant, quòd in Secretiorum Reipubl. partem adhiberentur, cùm eorum fidei prudentiæque publica negotia à concivibus *crederentur*. Unde Sigonius, *de Regno Ital. l. 7. A. C. 995.* *Credentiæ* nomine appellatos dixit, reliquos cives, *qui artes opificiaque tractabant*. Vide Otton. Morenam *Hiſtor. Rerum Laudenſium, p. 5.* Felicem Oſium, *Not. ad eam*, aliosque laudatos Carolo du Freſne, *in Gloſſario*.

CREDILIUM, caſtrum Galliæ in Bellovacis ad Iſaram, vulgò *Creil*. Vide *Creolium*.

CREDITOR, in debitorem quid juris habuerit, apud Romanos, indigitat iſta Decemvirorum lex: ÆRIS. CONFESSI. DEBITI. Q. JURE. JUDICATIS. TRIGINTA. DIES. JUSTI. SUNTO. POST. DEINDE. MANUS. INJECTIO. ESTO. IN. JUS. DUCITO. NI. JUDICATUM. FACIT. AUT. QUIS. ENDO. EM. JURE. VINDICET. SECUM DUCITO. VINCITO. AUT. NERVO. AUT. COMPEDIBUS. QUINDECIM. PONDO. NE. MINORE. AUT. SI. VOLET. MAJORE VINCITO. SI. VOLET. SUO. VIVITO. NI. SUO. VIVIT. QUI. EM. VINCTUM. HABEBIT. LIBRAS. FARRIS. IN. DIES. DATO. SI. VOLET. PLUS. DATO. Erat autem jus interea paciſcendi; ac niſi pacti forent, habebantur in vinculis dies ſexaginta; inter eos dies trinis nundinis continuis, ad Prætorem in Comitium producebantur, tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregrè venum ibant. Sed eam capitis pœnam, ſanciendæ fidei gratiâ, horrificam atrocitatis oſtentu, noviſque terroribus metuendam reddiderunt. Pergit enim lex; TERTIIS. NUNDINIS. PARTIS. SECANTO. (ſi videl. plures Creditores eſſent) SI. PLUS. MINUS. VE. SECUERUNT. SE. FRAUDE. ESTO. Quo tamen via unquam perventum: addici ſaltem & vinciri conſueviſſe legimus, diſſectum quem antiquitus non legimus. Vide A. Gellium, *l. 20 c. 1.* & *ad eum Notas* Oiſelii JCti, necnon infrà, ubi de *Debitoribus* ac *Nexis*. it. verbô *Proſcribere*. Quia verò *Creditores* jure illô trahendi & ad operas ſerviles adigendi debitores ſuos frequenter abutebantur, & in terga miſerorum crudeliſſimè ſæviebant, hinc querela illa obæratorum, apud Livium, *l. 2. c. 23. Se foris pro libertate & imperio dimicantes, domi à civibus captos & oppreſſos eſſe: tutioremque in bello, quàm in pace, inter hoſtes, quàm inter cives, libertatem plebis eſſe.* Quam invidiam ſuâ ſponte gliſcentem, inſignis unius calamitas accendit, ut ibidem legere eſt &c. Plura infrà ubi de *Fœnore* & *Uſura*.

CREDO, vulgò *Croon*, amnis Galliæ, in finibus Andium, nomen oppido vel caſtro cognomini dediſſe videtur *Maſſono*: ſed nullus eſt ejus nominis fluv. in Andibus; & *Credo* ad ripam Oldæ jacet, qui *Oudon* vulgò dicitur, & aliquot fluviolis auctus, in Meduanam delabitur, ad Novam Villam *Neuville*. Caput agri Credonenſis, *le Craonois*. Ejus meminit Wilelmus Brito, de Amalrico Guillelmi de Rupibus genero ac hærede unico, ſic canens *Philipp. l. 10.*

> *Ejuſdem lateri genere illius unicus heres*
> *Hæret Amalricus, qui de Credone trahebat*
> *Et genus & nomen & erat dominator eorum.*

Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CREDULITAS, inter opera Ariſtophontis clari Pictoris, memoratur Plinio, *l. 35. c. 11. Ariſtophon Ancæo (laudatur) vulnerato ab apro cum ſocia doloris Aſtypale: numeroſaque tabula in qua Priamus, Helena*, Credulitas, *Ulyſſes, Deiphobus, Dolon.* Vide Dalechampium *ad loc.*

CREFENNÆ, Scandiæ populi. *Jornandes. Scritifinni Procopio, ibid Scritfinni Ortelio.*

CREJUS, Argiæ mons. *Schol. Callimachi.*

CRELLIUS Nicolaus, Chriſtiani Saxoniæ Electoris Cancellarius, poſt decennii carcerem, datô ei crimine, quòd Calviniſmum, ut vocant, in Saxoniam introducere voluerit, capite plexus eſt, A. C. 1591. Fuit alius Johannes, Francus gente, ſide Socinianus, qui obiit A. C. 1642. Pluribus ſcriptis orbi gravis. Vide Bibliothecam Unitariorum, ubi Socini, Crellii, Schlichtingii, Volzogenii opera ſimul edita prodierunt Irenopoli A. C. 1654. &c.

CREMA, oppidum Lombardiæ Tranſpadanæ, caput Cremenſis agri, ſub Venetis, olim ViceComit. Placentin. & Cremon. dein Mediolan. Duc. ob loci ſitum quò forum Diguntinorum à Ptolemæo memoratum exiſtit. Inter Cremonenſes & Mediolanenſes belli occaſio, A. C. 1140. Sunt qui exiſtiment Paraſinos cives eam extruxiſſe, quorum Mediolanenſium Epiſcopus Paraſium, urbem hæreticam, deſtruxiſſet A. C. 1151. Addunt Cremam appellatam, quod eô locô Paraſium eſſet crematum. Exciſa à Friderico Barbaroſſa. A. C. 1160. Alluitur Serió fluv. à Cremona 24. milliar. in Occaſ. modicis circiter à Brixia. Epiſcopalis eſt, ſub Archiepiſcopo Bononienſi. Merula, *de Vicecomit. Cremenſibus, l. 4. 6. 7.* & Blond. *l. 14.* Leand. Alb. *deſcr. Longobardiæ.* Miræus, *Geogr. Eccl.* Olim villa ſeu caſtellum ſimplex, ſed inter tria Italiæ præcipua, & urbium æmula, numerabatur: *Barletta in Puglia Prato in Toſcana, Crema in Lombardia.* Jam palatio inſigni, arce & munitionibus inclytum oppidum.

CREMA, Auſtriæ oppid. ubi plurimi Valdenſium cremati, circa A. C. 1312. Ad 80000. enim, illis in locis excreverant, hinc in Bohemiam effuſi. Lætus, *Comp. Hiſt. Univ.*

CREMA, alius CREMÆ, urbs Ponti. Gentile *Cremenſis*. *Steph.*

CREMANDI Cadavera conſuetudo, plures apud gentes olim recepta fuit, qui, quod in nobis divinum eſt, igneô velut hôc vehiculô cœleſtibus inferri putabant ſedibus, ſubſidentem terrâ. Apud Romanos L. Syllam auctorem habuit, qui metuens, ne idem ſibi accideret, quod hoſti ſuo C. Mario ipſe fecerat; cujus cadaver erutum in Anienem fluv. juſſerat abjici, poſt mortem cremari voluit, Plin. *in eo, c. 74.* A quo tempore manſit Romanis ritus, ſequenti modô peractus. Poſtquàm cadaver per integrum ſeptiduum lotum, unctum & à proximis agnatis conclamatum fuit, tandem ſolenni pompâ (de qua, vide aliquid ſuprà, in voce *Cadaver*) ad pyram deferebatur, quæ, quamdiu ardebat ignis, dicebatur *Rogus*, *quod tunc temporis rogari ſolerent Manes*, Servius, *l. 5. Æn.* poſtquàm autem deflagraverat, *Buſtum quaſi bene uſtum.* Hic cremando digitus incidebatur ab amicis, ut poſteà ei juſta de novo fierent, quanquàm, ne id ſemper liceret, XII. Tabb. legibus cautum fuerit, niſi quis in bello vel peregrè mortuus eſſet. Tum cadaver curatum ad Pyram efferebatur, quæ in modum aræ lignis conſtructa erat, cui laricem, piceam, taxum aliaſque arbores inferebant, circa eam conſtitutis cupreſſis, ne odore offenderetur populi circumſtantis corona. Jacebat cadaver ſupinum, oculis cœlum verſùs erectis, nummumque Charontis ore tenebat; quibus ritè peractis, qui defuncto neceſſitudine proximus erat, averſus rogo facem inferebat, quô ardente cadaver liquoribus quibuſdam pretioſis perfundi & aurum multaque alia pretioſa, veſtes, arma atque alia, quæ defuncto dum viveret chara erant, injici moris erat, quod ne fieret XII. Tabb. ſanxêre. Intereà turba circumſtans Præficæ, id eſt, planctuum principi, reſpondebat, ſanguiſque humanus, teſte Serviô, vel captivorum, vel gladiatorum, qui *Buſtuarii* hinc dicti, effundebatur, velut in ſacrificium Infernalibus Diis, quod *Inferias* vocabant. Horum copia ſi non erat, lanientes genas ſuum fundebant cruorem, ut, ſanguine oſtenſô, Inferis ſatisfieret, quemadmodum *Varro* loquitur, quod tamen lege XII. Tabb. iterum interdictum fuit: *Mulieres genas ne radunto.* Mox ubi uſtulatum cadaver erat, cineres & oſſa, lota prius lacte ac vinô à proximis, urnâ colligebantur, Ovid. *l. 4. Met. v. 166.*

> —— —— *Una requieſcit in urna.*

Quô factô à Sacerdote ter aquâ purâ aſperſis luſtratiſque, Præfica noviſſimum verbum illud altâ voce pronunciabat, *Ilicet*, i. e. ire licet: Tum, qui comitati funus erant, domum abituri, extremum vale altâ voce pronunciabant, hôc modô. *Vale, vale, vale, nos te ordine, quô Natura permiſerit, ſequemur.* Tandem cineres & oſſa ſepulchro inferebantur, ante quod ara conſtituta erat, quam *Acerram* Feſtus vocat, in hac odores adolebantur. Vide Virg. *l. 6. Æn. v. 212. ubi de funere Miſeni ſic canit:*

> *Nec minùs interea Miſenum in littore Teucri*
> *Flebant, & cineri ingrato ſuprema ferebant.*
> *Principiò pinguem tædis & robore ſectò*
> *Ingentem ſtruxêre pyram: cui frondibus atris*
> *Intexunt latera, & ferales ante cupreſſos*
> *Conſtituunt, decorantque ſuper fulgentibus armis.*
> *Pars calidos latices & ahena undantia flammis*
> *Expediunt, corpuſque lavant frigentis, & ungunt.*
> *Fit gemitus: tum membra toro defleta reponunt,*
> *Purpureaſque ſuper veſtes velamina nota*
> *Conjiciunt: pars ingenti ſubiêre feretro,*
> *Triſte miniſterium, & ſubjectam more parentum*
> *Averſi tenuêre facem, congeſta cremantur*
> *Thurea dona, dapes, fuſo crateres olivô.*
> *Poſtquam collapſi cineres, & flamma quievit:*
> *Reliquias vino, & bibulam lavêre favillam:*
> *Oſſaque lecta cadô texit Chorinæus ahenô.*
> *Idem ter ſocios purâ circumtulit undâ,*
> *Spargens rore levi, & ramô felicis olivæ:*
> *Luſtravitque viros, dixitque noviſſima verba.*
> *At pius Æneas ingenti mole ſepulchrum*
> *Imponit, ſuaque arma viro, remumque tubamque*
> *Monte ſub aërio &c.*

Fiebant hæc omnia nocturnô tempore, ad funalium lucem, unde & Funeri, teſte Serviô in *l. 11. Æn. v. 143.* nomen. Vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 5.* Salmuth *in Pancirollum, l. rer. deperditarum* de

decerpſit, Alex. *Genialium dier. l.* 3. &c. Magi apud Perſas, mortuos *cremare* ἀνόσιον &, *profanum quiddam*, habebant, Diogenes Laërtius, *l.* 10. ob puritatem ignis, quem Dei inſtar colucrunt. Apud Græcos utróque modò curabantur defuncti, ſed potior habebatur Crematio: unde infantibus, ἀωροθάνοις, uſque qui fulmine interempti, hic honos negatus. Primus Hercules Argis, belló contra Laomedontem intereemti, corpus uſtulâſſe dicitur, ut, ſaltem oſſa cineresque ad patrem ejus Licymnium mittendo, fidem utcunque exſolveret de reducendo ei filio datam. Ritus talis erat: Pyrâ extructâ, cadavereque impoſitò, ignem accendebant: Homer. *Il.* ω. *v.* 787.

[illegible]

Struebatur autem pyra vel ex quercu, ut apud Eurip. *in Herc. furente*, vel ex olea, apud Sophoclem in *Trachiniis*, vel ex pinu, ut apud *Aſtbranum*, quod inprimis, cùm virgo cremabatur, erat in uſu: ſi naufragiò periiſſet mortuus, ex tabulis rogus fiebat. Manilius, *l.* 4.

——— Ut corpus ſepeliret naufragus ignis,
Et collectâ rogum facerent fragmenta carina.

Circa eum lugentes ventos invocabant, ut largius afflantes ignem ampliorem redderent, quemadmodum de Patrocli funere apud Homer. legimus: qui ſi fortè fortiùs flabat, optimi ominis erat locò. Intereà Pixeo, ne oſſa legerentur, obſervabat: quæ poſtquam cadaver crematum, unà cum cineribus, ſolicitè à propinquis aſſervabantur, in rogum, ne ulteriùs arderet, vinò effuſò. Tum oſſa diligenter abluebant aquâ in χύτραις, allatâ fœminæ ad id deſtinatæ, & poſtquam unguentis & lardò inunxère, linteò involuta in ciſta quadam, quam θήκην ſeu πύελον ſeu σορὸν appellârunt, recondebant. Homer. *Il.* ψ. *v.* 91.

[illegible]
Ut autem & oſſa noſtra eadem ciſta tegat.

Urnam hanc Lycophron σορὸν: Moſchus, *Idyll.* 4. Χρύσεον σοροῖο, Plut. *in Numa* λίθινον σορὸν vocat; plerumque tamen ex ligno, & quidem cedrò conſtabat, quæ quoniam putredini minimè obnoxia, νεκρῶν ζωή, *mortuorum vita*, dici conſuevit. Unde apud Eurip. *in Alceſte*, *v.* 365. optat Admetus, ἐν ταῖσιν αὐταῖς κέδροις, *in iiſdem credris*; i. e. *cedro confectis loculis*, cum uxore ſua quieſcere. Quod de Monica quoque, Auguſtini matre, legimus. Hinc Ovid. *l.* 4. *Metam. fab.* 4. *v.* 156.

—— Quos certus amor, quos hora noviſſima junxit,
Compoſiti tumulò non invideatis eòdem.

Urnæ ergo hæc in ſepulchris reponebantur: apud Athenienſes plerumque unius ſolùm hominis, apud Megarenſes verò, ut Pauſan. *l.* 1. auctor eſt, quatuor quoque virorum oſſa continentes. Hæc λείψανα poſteà, ſeu *reliquiæ* dicebantur, quas religioſè aſſervari mos erat, ne, ut Schol. Euripidis *in Oreſte* ait, hoſtibus in prædam cederent. Quòd ſi peregrè defuncti corpus crematum erat, oſſa ejus cineresque magnâ cum pompa, in urna floribus exornatâ, referebantur in patriam. Unde Ovid. *iterum*, *l.* 3. *Triſt. El.* 3. *v.* 65.

Oſſa tamen facito parva referantur in urna,
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

In via, quoties ad trivium veniebatur, à propinquis *Compitalia* celebrabantur, *[illegible]*, *vet. Gloſſ.* Tandem, poſt Manes ter vocatos, in tumulo toti familiæ communi urna reponebatur. Soli prodigi λειπόσορος erant, Diog. Laërtius, vide Franc. Roſſæum, *Archæologia Attica l.* 5. *c.* 29. & hic paſſim. Ceſſâſſe verò Antoninorum imperiò mortuos *cremandi* morem hunc, dicemus infrà voce *Humatio*.

CREMENECA, Urbs Polon. in Volhinia ſuperiore in colle, ad amnem Ikuam, 8 leuc. à Leuceoria in Auſtr. verſùs Ruſſiam nigr. Haud pridem malè à Tartaris habita.

CREMENSIS Guido, vide *Guido*.

CREMERA, fluv. parv. Tuſciæ, 360. Fabiorum clade nobilitatus, qui Vejentum inſidiis circumventi, ad fluvii ejus ripas ad unum omnes trucidati ſunt: unde & dies ille inter atros annumeratus eſt, & porta, quâ egreſſi ſunt, ſcelerata dicta. Ovid. *l.* 2. *Faſt. v.* 205.

Ut celeri paſſu Cremeram tetigere rapacem,
Turbidus hibernis ille fluebat aquis.

Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 155.

Quid Cremera legio, & Cannis conſumpta juventus.

Vide ſis Cluver. *Ital. Antiq. l.* 2. *c.* 3. Nunc *la Varca* ſeu *la Valca*: in Tiberim fluv. ſe exonerat, 5. milliar. ſupra Romam, prope vicum *la Valca* ex adverſo caſtri Jubilei. Quibuſd. etiam *Baccano Brandrand.*

CREMIA, ſeu Fomites, Græcè Φρύγανα ſeu Φρύγανα ſunt, igni excipiendo. Hunc enim eliciebant Veteres, lignum lignô terentes & inter ſe vertentes: unde πυρογόνον dictum veteri *Gloſſarum* Auctori ignitabulum. Aſſulæ dein ambuſtæ, ſeu ligna arida adhibita, quibus ignis foveretur, quæ *cremia* dicta, unde *arbores cremiales*, è quibus ad ignem faciendum cremia deſumuntur. Vide infrà in voce *Ignitabulum*, it. *Phryx*, & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 780.

CREMMA, Lyciæ urbs apud Strab. *l.* 12. Piſidiæ verò colonia eſt *Ptolemæo*.

CREMMIA, urbs Cretæ inſul. quæ *Cortyn* poſteà dicta eſt, apud *Stephanum*.

CREMMYON, ſive CROMMYON, oppid. non procul à Corintho, juxta quod Theſeus incredibiliſs magnitudinis ſuem occidit. Ovid. *l.* 7. *Met. v.* 435.

Quodque ſuis ſecurus arat Cromyona colonus,
Munus, opuſque tuum eſt.

Vide Strab. *l.* 8. cui ſuntiſta *Crommyonis* dicitur.

CREMNI, vel CREMNOS, emporium paludis Mæotidis circa Tanaim fluv. *Herodot. Ptol.*

CREMNISCUS, oppidum circa Iſtrum in Sarmatia. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

CREMONA, ad Padum, Epiſcopalis urbs Galliæ Ciſalpinæ, non procul à Mantua, quæ etiam hodiè nomen retinet: Illuſtris colonia Romanorum, caput agri Cremonenſis. Liv. *Epit. l.* 20. & *l.* 21. *c.* 56. Tacit. *l.* 3. *Hiſt. c.* 19. & *l.* 4. *c.* 67. 72. Plin. *l.* 3. *c.* 19. Strab. *l.* 5. Annibalis primò in Italiam tranſitu plurima paſſa. Dein ejus cives cùm contra Auguſtum cum Antonio conſenſiſſent, Cæſar victus veteranis ſuis eorum agros aſſignavit, qui cùm non ſuffeciſſent, adjecit etiam Mantuanorum agros, nullam aliam ob culpam, niſi quòd Cremonenſibus vicini eſſent. Hinc Virgil. *Ecl.* 9. *v.* 28.

Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.

Martialis *de Virgilio*, *l.* 8. *Epigr.* 56. *v.* 7.

Jugera perdiderat miſeræ vicina Cremonæ.

Poſteà ſub Vitellio, ſub Gothis, ſuſſeiè afflicta, ab Agilulpho ſubacta, A. C. 593. à Dalmatis & Longobardis deſtructa, A. C. 630. Sabell. *l.* 3. *Enn.* 7. Paul. Diac. *l.* 4. Blondus, *l.* 9. Cort *p.* 1. Reparata A. C. 1284. à Friderico Barbaroſſa cum turre totius Europæ celſiſſima: Hinc ſub Vicecomitibus propriis, Gallis, Venetis, Ducibus Mediolanenſibus fuit. Leand. Alb. *deſcr. Italiæ*, p. 405. Græcis autoribus ejus formatio variatur. *Polybio* ſiquidem Κρεμώνη dicitur, *Ptolemæo* Latinâ terminatione Κρεμῶνα. Reliquis, *Appiano* videl. & *Dioni Caſſio*. Κρεμώνα [illegible] appellat Strabo, *l.* 5. longitud. 32. 30. latitud. 44. 20.

CREMONENSIS Johannes, vide *Johannes*.

CREMONENSIS Stephanus, vide *Stephanus*.

CREMONIS Jugum. Alpium pars, quâ nonnulli putant tranſgreſſum Annibalem. Liv. *l.* 21. *c.* 38.

CREMPA, urbecula munita, Holſatiæ, in Stormaria regione prope Sturam fluv. vix 2. milliar. German. ab Albi fluv. paulo amplius à Glucſtadio, ſub Daniæ Rege.

CREMSA, urbs Auſtriæ ad Danub. ubi ponte trajicitur. Alias Moraviæ. Hic Huſſitarum, ubi primum animum congregationis factum eſt, alii ejecti, alii in carcerem compacti, alii diſſecti, alii ubbilati ſunt: inter quos Benedictus Tlumacenſis paſtor, cujus mors tanto dolori fuit, ut ad 8. milliaria homines confluerent, ad tumulum ejus: Jodocò Epiſcopò, *non eſſe tales cremandos*, *rem non conſiderâſſe tamen*, dictitante. Circa A. C. 1460. Camerar. *Hiſt. Fr. Bohem.* Laſicius *de geſt. Fr. l.* 2. *Latin.*

CREMUM, civitas Tauricæ Cherſoneſi, ſeu Tartareæ minoris munió antiquiſſimò, maximò ac præalto, magnitudine ac celebritate reliquis civitatibus Tauricæ Cherſoneſi Mediterraneæ præſtans. ea eſt quæ Ptolemæo *Taphros*, Plinio verò *Taphra* dicitur. *Miecb.* Alias eſt *Cremna*, vulgo *Krim*.

CREMUTIUS Cordus, accuſatus eſt à Satrio Secundo Pinario Natta Sejani clientibus, quòd editis annalibus laudatóque M. Brutò C. Caſſium *Romanorum ultimum* dixiſſet. Quod Cæſar Tiberius pro crimine ſtatim admiſit ac truci vultu Cordi defenſionem accepit. Verùm hic tali modò vitam reliquit. Uſus eſt balneò, & quò plus imponeret, in cubiculum ſe quaſi guſtaturus contulit: & dimiſſis pueris, quiddam per feneſtram, ut videretur ediſſe, projecit. A cœna, quaſi jam ſatis in cubiculo ediſſet, abſtinuit. alteróque die & tertiò idem fecit. Quartò ipſâ infirmitate corporis faciebat indicium. Cognitò conſiliò ejus accuſatores, Sejanò auctore, adeunt Conſulum tribunalia: queruntur mori Cordum, ut interpellarent quod cœperant. Dum deliberatur, dum accuſatores iterum adeuſit, ille ſe abſolverat. Libros per Ædiles cremandos cenſuère Patres. Tacit. *l.* 4. *Annal. c.* 34. 35. Sueton. *in Auguſto*, *c.* 35. *in Caligula*, *c.* 16. &c. Sed hic curioſitatis ergò colligi legique permiſit, T. Labieni, Cremutii Cordi, & Caſſii Severi ſcripta, licet Senatuſconſultis damnata. Vide potiùs Senecam, *in Conſol. ad Marciam filiam ejus*, *c. ult.* & elogium, à Cicerone ipſi tributum, *Controv. ſuaſ.* 6. Plin. *l.* 20. *c.* 26. Solin. *c.* 43. *Nic. Lloydius.*

CREMYON, vide *Cremmyon*.

CRENEUS Cyzicenus, ab Argonautis, in acerrimo conflictu, interemptus.

CRENI, apud Silium Italicum, *l.* 8. *v.* 504. ubi de Marſya,

.. — Phrygias jugantes cum Marſya Crenos.

Græcè οἱ Κρῆνοι, regio illa, in qua habitavit Marſyas, ſic dicta à duobus fontibus Mæandri & Marſyæ amnis, qui ibi ex eodem loco oriebantur. Niſi potius legendum *Crenæ*. Certè & Αὐλοκρήνης convallis & regio inde nomen invenerit. Salmaſ. *ad Solin. p.* 855.

CRENIDES, urbs Siciliæ, quam Philippus poſteà *Philippos* nominavit. *Steph.* Item Bithyniæ locus ad Pontum Euxinum. Arrian. *in Peripl.*, & locus circa Heracleam Ponti. *Steph.* Vide *Philippi*.

CRENIS, nympha. Ovid. *Met.*

CRENKINARII, apud Chapeavillum *in Erneſto Epiſc. Leod. c.* 14. dicuntur *Juſtitiæ Miniſtri*, apud Leodienſes *Cranequiniers*, in *Stylo Leod. c.* 12. *artic.* 5. ſic nuncupati ab arcubaliſta, quam deferebant, quamque *Kranick* *Kilianus* vocat. Apud *Froiſſardum* certè, *Monſtrelletum* & *Comineum* paſſim, *Cranequiniers* ſunt milites arcubaliſtâ inſtructi, ut plurimùm Equites: de cujus vocis origine agit Fauchetus *de Milit. Francica*, quem Car. du Freſne, *Gloſſar.* laudat.

CRENOPHYLAX, Græcè Κρηνοφύλαξ, nomen leonis ex ære, Athenis juxta fontem olim collocati, unde & nomen; dictus enim quaſi *Fontis cuſtos*, apud Pollux. Similis figura è marmore, in via, quæ Athenis Eleuſinem ducit, hodieque viſitur, cum rictu aperto, quò aquam evomuiſſe olim videtur. Vide Jac. Sponium, *Itiner. Part.* 2. p. 190. Certè *leone ſpecie* repræſentatum, apud Ægyptios, Nili acceſſum & λεοντοκεφάλους canales fontium ſacrorum fabricari conſueviſſe, habes apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 431.

CREOLIUM, melius *Credulium*, vulgò Creil, urbecula Gallica in Valeſia, ad Oeſiam fluv. cum ponte, vix 2. leuc. à Sylvanecto, 3. à Claromonte in Auſtrum prope tractum Bellovacenſem.

CREON, *ōnis*, mons Lesbi Plin. *l.* 5. *c.* 31. *extr.*

CREON, *ontis*, Corinthiorum Rex, prædonis Siſyphi fil. qui Jaſoni poſt Medeam repudiatam filiam ſuam natu minorem, nomine *Creuſam*, uxorem deſpondit, quam rem iniquò animò ferens Medea, coronam naphthâ illitam ſponſæ donò miſit, quæ ſub noctem, luminibus accenſis, conceptô igne, non modò illam, verùm etiam ſponſum, & ſocerum cum tota regia concremavit.

CREON, Thebanorum Rex, Menœtii fil. & Jocaſtæ frater, qui Laiô, ab Oedipo filio occiſô, regni adminiſtrationem arripuit. Verùm cùm Sphinx, Typhonis & Echidnæ filia, Thebanum agrum crudeliſſimè vaſtaret, neque aliud tantæ calamitatis remedium oſtenderetur, quam ſi quis ænigma ab illo propoſitum diſſolviſſet, Creon, propoſitô per univerſam Græciam edictô, ſi quis id præſtare poſſet, Jocaſtam, Oedipi matrem viduam, illi ſe uxorem daturum pollicitus eſt, regnôque Thebanorum ultro ceſſurum. Quibus præmiis illecti non pauci cùm propoſitum ænigma diſſolvere non poſſent, à Sphinge occiſi, temeritatis ſuæ pœnas dederunt, donec ad rei famam excitus Oedipus, Laii & Jocaſtæ filius, ænigma explanavit. Quam rem tam ægrè tulit fera, ut protinus ſeſe ex prærupto monte dederit præcipitem. Hâc itaquè via Thebanorum regnum adeptus Oedipus, matrem imprudens uxorem duxit, cùm paulò antè etiam patrem occidiſſet. Quibus flagitiis poſteà cognitis, tantum ex iis animô dolorem concepit, ut lucis pertæſus, utrumque ſibi oculum erueret, Antigonæſque filiæ ductu, Athenas ſeſe in exilium contulerit, regnô Eteocli & Polynici filiis ſuis, eâ conditione, relictô, ut alternis annis imperarent. Cum autem Eteocles (cui, quòd major natu eſſet, priores vices Polynices conceſſerat) exactô jam annô fratrem non reciperet, graviſſimum eâ occaſione inter Argivos & Thebanos bellum eſt exortum. In quo cùm fratres ambo mutuis vulneribus ceridiſſent, Creon denuo regni gubernacula recepit. Verum, cùm præter alia complura inclementiæ ſuæ exempla, Antigonam & Argiam interficiendas curaſſet, quod illa fratres, hæc virum ſupremô ſepulturæ honore eſſent proſequutæ, cumque occiſorum Thebanorum propinquos funeris officiô prohiberet, Theſeus Thebanarum matrum querelis commotus, Creonti bellum indixit, prœliôque victum vitâ exuit. Statius, *in Thebaide*.

CREON, primus Archon annuus Athenienſium. Vellejus, *l.* 1. *c.* 8. *Ex annuis (Archontibus) primus Creon.* Euſebius *in Chronic.* Ἔδοξεν αἱρεῖσθαι ἄρχοντας κατ' ἐνιαυτόν, καὶ πρῶτος ἐγένετο ἐνιαύσιος ἄρχων Κρέων, ἐπὶ τῆς εἰκοστῆς τετάρτης Ὀλυμπιάδος. Ejuſdem mentio in Marmore Arundel. Ἀφ' οὗ κατ' ἐνιαυτὸν ἦρξε Κρέων. Poſtquam nempe Medontidæ VII. ſingula ſua decennia (vel mirâ eorum fortunâ, vel Chronologorum conſenſu) impleverant; viſum eſt Athenis annuos creari Archontas, & quidem numerò IX. quorum primus eſſet ὁ τῶν ἐπωνύμων ἐπώνυμος, reliqui ὁ βασιλεὺς Rex, ὁ πολέμαρχος *Belli ſummus* Dux, & VI. Theſmothetæ. Itaque primus ἐπώνυμος Creon factus eſt, annô Atticô 899. Olymp. 24. annô I. Horum autem Eponymorum Archontum nominibus ſignabant inſtrumenta publica, ut Ephororum Lacedæmonii: atque primùm Ἀρχοντογραφία hæc politica, demum Chronologica eſſe cœpit, à tempore Demetrii Phalerei, qui ipſe Archon ann. 4. Olymp. 117. Primus contexuit τὴν τῶν Ἀρχόντων ἀναγραφήν, in uſum, ut videtur, chronologicum. Marmor præfatum Diogneto Archonte exaratum ann. 4 Olymp. 128. Epochas Græcas Athenienſium Archontibus ſignat, nec vetuſtior quiſquam extat, qui in chronologiam illos adhibuit. Unde etiam conſtat Archontes in Chronologorum auxilium prius acceſſitos eſſe, quàm Olympionicas, quos Marmor omnino non agnoſcit. Cùm verò non ſatis fixa hæc Archontum Chronologia eſſet, prudenter Timæus Archontes cum Olympionicis contulit. Vide inprimis Diodor Sic. cujus *Decas* II. locuples Archontum theſaurus eſt. Africanus à *Creonte* primo Archonte numerat ad Philènum uſque ἀρχόντας DCCCCIII. ad Olymp. 250. annum tertium Antonini Elagabali, quò Chronicon in ſuum perduxit. Alter Dionyſius, alter Pauſanias. Sed nec nomina omnium illorum ſuperſunt: eò quod à Chronographis ſerò congeri cœperunt. Solonis tempore, IX. Archontes annui, poſt datam Magiſtratus geſti rationem, in Senatum Areopagiticum conſcribebantur: ipſeque primus, cùm anteà iis unà jus dicere non liceret, juſſit illos συνεδρεύειν, *ut ſimul decerent*. Conceſſis autem Populo judiciis, auctoritas illorum ac poteſtas ſenſim evaluit. Quam in rem vide plura apud Joh. Marſhamum, *Canone Chron ad Sec.* XVII. & XVIII. Creonti ſucceſſit *Tieſias*. XXXVIII. Olymp. erat *Draco* Legiſlator, ann. 4. Olymp. XLV. *Cylon*, qui affectavit tyrannidem Olymp. ſequente. *Solon* Legiſlator, ann. 3. Olymp. LIV. *Piſiſtratus*, ob tyrannidem ejectus, an. 3. Olymp. LV. reverſus, an. 3. denuo pulſus Olymp. LVI. an. 4 Olymp. LIX. iterum redux. Olymp. LXV. *Hipparchus* fil. ejus ab Ariſtogitone & Harmodio interfectus. Olymp. CXX. *Lachares* tyrannidem arripit, Athenæ capiuntur à Demetrio & præſidiô muniuntur ann. 1. 2. 3. quô ejectô *Diphilus* Archon de novo conſtituitur, Olymp. CXXII. annô 4. poſt Pytharatum dein, qui præfuit Olymp. CXXVIII. annô 1. Athenas cepit Antigonus Gonatas &c. Helvicus *in Chronol.*

CREONIUM, oppid. Macedoniæ fuit, apud Lychnidum lacum & urbem.

CREONTIADES, Herculis fil. ex Megarâ Creontidis Thebanorum Regis filiâ, quem pater cum Therimacho fratre ab inferis rediens, & in furorem verſus, à Junone, quod Lycum interfeciſſet, interemit.

CREOPHAGI, Æthiopiæ ſub Ægypto populi. *Strabo.*

CREOPHILUS, Samius, quem aliquando tradunt, ſuſceptô hoſpite Homerô, accepiſſe ab eo donum, inſcriptionem poëmatis, quod *Oechaliæ expugnationem* vocant. Sed *Callimachus*, per epigramma quoddam, contrarium ſtatuit, quòd, quanquam Creophilus opus compoſuerit, Homeri tamen dicatur propter dictum hoſpitium. Quidam hunc Homeri magiſtrum tradunt, alii verò non hunc, ſed Ariſteam Proconneſium. Vide Strab. *l.* 14. *Suid.* Voſſ *Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 347. *& de Poët. c.* 2. Item Hiſtoricus, Athen. *l.* 8.

CREPACORIUM, oppidul. Italiæ ſic munitum, in agro Vercellenſi, ſub Princ. Maſſerano, cum arce.

CREPEREJUS Gallus, familiaris Agrippinæ, noctô navis ſolutilis periit ac ſtatim exanimatus eſt. Tacit. *l.* 14. *Annal.* *c.* 5.

CREPHAGENETUS, corruptè pro *Kephagenetus*, illud etiam corruptè pro Κνὴφ ἀγένητος. Vide *Cneph.*

CREPI, Luperci dicti ſunt à crepitu pelliculárum, quem verberantes faciunt. Mos enim erat Romanis nudos diſcurrere in Lupercalibus, & obvias quaſque fœminas flagris ex pellibus confectis ferire. *Feſtus.*

CREPIACUM, vulgò CRESPY, oppid. Gall. Valeſiæ primarium in provinc. Inſul. Franciæ, 15. leuc. à Lutetia in Circiam, 7. à Meldis in Boream, 5. à Compendio in Meridiem

CREPIDÆ, pallio peculiares fuère, ſicut togæ calcei. Liv. de Scipione in Sicilia otiante, *l.* 29. *Ipſius etiam Imperatoris non Romanus modo, ſed ne militaris quidem cultus jactabatur: cum pallio crepidiſque inambulare in Gymnaſio.* Quod imitatus in Ægypto Germanicus eſt, *qui*, ut Tacitus, loquitur, *l.* 2. *Annal.* c. 59. *pedibus intectis inceſſit, & pari cum Græcis amictu.* Dio quoque Caſſius, *l.* 16. Claudium tradit Neapoli tanquàm privatum egiſſe, atque in ludis Muſicis ἱμάτιον καὶ κρηπῖδας, *pallium & crepidas*, geſtâſſe. Idem calceamenti genus Βαυκὶς fuit, de qua vide ſuprà. È corio crudo bubulo primitus fiebant, adeoque *Carbatinæ* dictæ ſunt: Καρβατίνη μὲν ἀγροικῶν ὑπόδημα, ἀπὸ τῶν Καρῶν, *Carbatina quidem ruſticorum calceamentum, à Caribus nomen trahens.* Jul. Pollux, *l.* 7. *c.* 22. Unde Catullus, *Epigr.* 99. *v.* 3.

> *Iſta tamen linguâ, ſi uſus veniat tibi, poſſis*
> *Culos, & crepidas lingere carbatinas.*

Dein ex aluta coccina, ex pelle hædina, ex ferro, ex ære fiebant. Unde de Empedocle Tertullian. *de Pall.* *æratus crepidam inceſſit.* Etiam purpurâ & aurò diſtingui cœperunt; unde idem auctor, *ſi Philoſophus* (loquitur de Ariſtippo) *in purpura, cur non & in baxea Tyria. Niſi aurum minime Græcatos decet: atquin alius ſericatus & crepidam auratus inceſſit.* Vide Thom. Dempſter. *Paralipom. in Joh Roſini Antiqq. Rom. l.* 5. c. 36. Octav. Ferrarium, *de re Veſtiar. Part.* 2. *l.* 4. c. 10. &c. de Cothurnis item Crepidiſque varii coloris, Cæſarem Bulengerum *Collectan. de Imperatore*, *l.* 2. *c.* 8.

CREPIDO, apud Statium, *l.* 1. *Theb. v.* 304.

> —— —— —— *contrà importuna crepido*
> *Oedipodionidæ domus alitis.* ——

Saxum eminens, *Luxatio* eſt. Sed & firmitatem ſaxi voxa denotat. Idem, *l.* 1. *Silv.* 1. *Equo Max. v.* 58.

> —— *teneat quamvis æterna crepido,*
> *Quæ ſuperinjecti portaret culmina montis,*
> *Cœliferique attrita, genu duraſſet Atlantis.*

Et Virgil. *l.* 10. *Æn. v.* 653.

> *Fortè ratis celſi conjuncta crepidine ſaxi*
> *Expoſitis ſtabat ſcalis* ——

Ubi Servius, *Crepido eſt abrupta ſaxi altitudo. Crepidines etiam templorum dici ipſos ſuggeſtus, in quibus ædes ſunt collocatæ, & crepidines viarum, id eſt, ipſa eminentia dextra ſiniſtraque.* Hinc pulchre *littorum crepidines* dixit Prudentius loca, quæ undæ tundunt, non tamen imminuunt, *Cathemer.* 9. *v. ult.*

> *Fluminum lapſus & undæ, littorum crepidines,*
> *Imber, æſtus, nix, pruina, ſylva, & aura, nox, dies,*
> *Omnibus te concelebrent ſeculorum ſeculis.*

Rupem in mari. Val. Flaccus, *l.* 4. *v.* 44.

> *Fluctus, ab undiſonæ ceu fortè crepidine ſaxi,*
> *Cùm legit Alcyones miſeros fœtumque laremque,*
> *It ſuper ægra parens* ——

Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. in Statium Part.* 2. *p.* 353. De *Crepidine* verò Circi, h. e. margine vel pulvino vel ſepto, è ligno facto, non tantùm longo, ſed etiam lato, infrà in voce *Euripus*, item *Spina*. Sed & κρηπῖδας ſubſelliorum, in eodem, à Tarquinio factas, videbimus in voce *Fori*.

CREPITACILLUM, quô infantum ploratus coërcetur, memoratur Martiali, *l.* 14. *Epigr.* 54.

> *Si quis plorator collo tibi vernula pendet,*
> *Hæc quatiat tenerâ garrula ſiſtra manu.*

Sunt illa è ligno, & *crecerelle* hodieque Gallis vocantur, è Latino factâ dictione. Quemadmodum iidem eòdem nomine tintinnabulum

ſum avem inſigniunt, à voce, quam edit inter volandum, quaſi *crepitaculum*. Salmaſ. *ad Solin.* p. 340. Vide quoque infra, ubi de *Exponendi more*. Aliàs Crepitaculum, in Gloſſis [illegible], h. e. *ſcabellum*, quò ſaltantes olim Pantomimi, ad crepitum faciendum uſi, vide infrà in voce *Crupezium*, item *Scabellum*. Præter quæ, teſtarum etiam crepitus iis adhiberi conſuevit. Vetus Juvenalis Interpres *ad illud*, *Sat.* 11. *v.* 170.

—— —— *Audiat ille*
Teſtarum crepitus; —— ——

Teſtis enim, inquit, *antea percutiebant ſaltantibus Pantomimis, quia tunc non erat, ut Meſochori percuterent manibus*. Quomodo autem hi manibus percuterent, dicetur infrà. Sed & Crepitus æris in bello adhibitus, ad terrorem hoſtibus incutiendum. Hinc in oppugnatione Capuæ apud Livium, *l.* 26. *c.* 5. *Prælium non ſolitò more & clamore ceptum eſt, ſed ad alium virorum, equorum, armorumque ſonum, diſpoſita in muris Campanorum multitudo tantum cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ, ſilenti nocte, cieri ſolet, edidit clamorem, ut averteret etiam pugnantium animos*. Vide quoque ſuprà in voce *Æs*. De Crepitibus obſcænis, inter Numina relatis, apud Ægyptios olim, dicemus infrà voce *Flatus*.

CREPSA, Inſul. maris Adriatici una Abſyrtidum, Liburniæ proxima. Vide *Creſſa*.

CREPUNDIA, dicta ſunt quibus infantes expoſiti vel adulti ludebant. Iis enim, qui exponebantur, *Crepundia*, quibus agnoſcerentur grandes, addi ſolebant, ſeu [illegible], raro nudis relictis. *Monumenta* Terentio, *Eun. Act.* 4. *Sc.* 6. *v.* 15. In quæ verba Donatus: *Monumenta*, inquit, *quæ Græci dicunt* [illegible] *ſeu* [illegible]. Addita fuiſſe, tanquam fortunæ viatica, ut, qui in infantulos incidiſſent, haberent, unde alimentum præſtare poſſent, notum. Sed & præter hæc recenſet Longus [illegible], *Chlamydulam purpuream, fibulam auream, enſiculum eburneum*, item (de fœmellis loquens) *mitram auro pictam, crepidas inauratas, & crotales ex auro faſcias*, *Pœmenic.* *l.* 1. Alia iterum Parthenius, Trallianus, alii, ut grandiores facti infantes noſcitarentur, ex Plauto colligitur, *Ciſtellaria*, *Act.* 5. *ſc.* 1. *v.* 5.

Nam hic Crepundia *inſunt*; *quibuſcum te illa olim ad me detulit*,
Quæ mihi dedit: *parentes te ut cognoſcant facilius*.

Et huc trahit Bartholinus Ciceronem in *Bruto*, *Quoniam tamen me non nævo aliquo aut* Crepundiis, *ſed totò corpore videris velle cognoſcere*. Erant autem illa vel annuli, in ſignum libertatis, & ne ab hæreditate viderentur excluſi, vel monilia matrum, quorum hic ornatus & brachialia, promiſcui tunc uſus, nonnunquam faſciæ ipſæ ſeu tæniæ, quibus utriuſque parentis inſculptum nomen, involuti, & fibulæ conjunctæ. De Annulis Terentius, *Heautont. Act.* 4. *ſc.* 1. *v.* 1.

—— —— *Hic profectò eſt annulus, quem ego ſuſpicor*,
Is, qui cum eſt expoſita gnata —— ——

De faſcia ſeu tænia, Heliod. *Æthiop.* *l.* 4. [illegible]. *Quamobrem tempus eſt omnino, ut mihi faſciam oſtendas, quam cum ſis expoſitam te cum cæteris indiciis recepiſſe dicebas*. Vide Thom. Bartholinum, *de Puerp. Veter.* Cæterùm Crepundia de collo geſtata, diſcas ex Plauti *Milite glor. Act.* 5. *v.* 6.

Ut faciam quaſi puero in collo pendeant crepundia.

Crepitacilla vocat Martialis, ut vidimus ſuprà, Græci [illegible]. Cujuſmodi crepitacula, ſiſtra, crotala, ſub eodem nomine, in ſaltationibus adhibebant Veteres maximè Orientales, uti notat *ad Juſtin.* *l.* 30. *c.* 1. Cl. Berneggerus. Vide quoque Scaliger. *ad Copam Commentar.* *p.* 355. ut & de utriuſque generis *Crepundiis* aliquid infrà quoque ubi de *Exponendi ritu*.

CREPUSCULUM, à *crepus*, & hoc à Græco [illegible], caligo, indigitatur Papinio Statio, *l.* 10. *Theb.* *v.* 115. ubi de Somni aula,

—— —— *ſtabilis qui circuit aulam*
Invalidiſque vibor:

Ubi reponit Barthius,

Noxhumiliſque vapor ——

Ut dicat mixtam noctem & lucem, quò fiat *Crepuſculum*. Ovid. *l.* 11. *Met.* *v.* 595.

—— —— *nebulæ caligine mixta*
Exhalantur humo, dubiæque crepuſcula *lucis*.

Duplex autem illud, uti videbimus infrà, ubi de *Die*. Vide quoque voce *Iuter*. [illegible], *primum crepuſculum*, cujus colore nihil in Orbe pulchrius, quò pacto repræſentabant Ægyptii, vide infra *Lotus*.

CRES, primus Cretenſium Rex. Gnoſſum condidit, Cybelæ templô dedicatô. Euſeb. *in Chron.* Item Cretæ incola.

CRESA, vel CRESSA, Plinio, *l.* 5. *c.* 28. Cariæ oppid. *Ptol.* *Porto Maiſetan Sophiano*.

CRESCENS, cognomen Jovis. Vide *Jupiter*.

CRESCENS, patricius Romanus, qui cùm Romæ principatum ſibi vendicaret, ab Othone eſt interfectus. Euſeb. An *Creſcentius*? Vide ibi. Item vir a nomine à D. Paulo memoratus. 2. *Timoth. c.* 4. *v.* 10. Baron. *A. C.* 110.

CRESCENS, libertus Neronis, qui Africam in partes Othonis traduxit. Tacit. *l.* 1. *Hiſt.* *c.* 76.

CRESCENS, Cynicus, vitiis infamis, cujus calumnias contra Chriſtianos S. Juſtinus *ſecundâ Apologiâ* egregiè retudit, hinc Martyr. Euſeb. *in Chron.* An *Creſcentius*? Vide infra.

CRESCENS, Philoſophus Cynicus, cum aliis ejuſdem farinæ, Eccleſiæ Dei, apud Antoninum Phil. & Lucium Verum Imperatores ingens odium, & 4. perſecutionem conflârunt: Deorum contemtores, Reipubl. turbones, familiarum, ſub caſtitatis ſpecie, ſciſſores eſſe, Chriſtianos calumniati. Vide Petr. Halloixum in vita *Juſtini*. Idem cum priore.

CRESCENS Tarquinius, vide *Tarquinius*.

CRESCENS, Ordo Equeſtris A. C. 1464. inſtitutus, à Renato Andegavenſ. Rege Siciliæ, & Provinciæ Comite. Symbolum erat ex auro Creſcens Luna, cum logogripho *Los*, quò indigitabatur, Laudem acquiri virtute creſcentibus. Conſtabat ex equitibus 36. ut alii volunt, ex 50. ſub Duce capite. Vide Favin. *theat. hon.* Bouchetum, *Hiſt. Prov.* *l.* 9.

CRESCENTINUM, oppidul. Pedemontii, albàv munitum, prope Padum, è regione Verucæ; 20. milliar. infra Taurinum.

CRESCENTINUS Hubertinus, vide *Hubertinus*.

CRESCENTIUS Numentanus; Conſul Roman. occupatâ mole Adriani, tyrannidem intolerabilem Romæ exercuit, A. C. 985. pulsô Johanne XV. cum quo tamen mox redeunte ipſi ſatis benè convenit. Hôc mortuô, Gregorio V. Johannem Calabrum oppoſuit: ſed Otto III. Imperator Antipapâ occiſô, Creſcentium, aſino averſâ facie vinctum, unà cum 12. aliis, contra datam fidem, ſuſpendiô necavit, ab hujus viduâ, per venenatam chirothecarum munus, ſublatus, Glaber Rodolphus, P. Damianus, Leo Oſtienſ. *l.* 2. *c.* 18. *Hiſt. Monte Caſſin.* Sigon. *l.* 9. *A. C.* 996. Blond. *decad.* 2. *l.* 3. Fabricius *in Chron. Dunmar.* *l.* 4.

CRESCENTIUS, Philoſophus quidam Cynicus, Juſtino Martyri infenſus. Tatianus *contra Græcos*. Alii *Creſcens*.

CRESCONIUS, Epiſcopus Afer, ſub Leontio Imperatore Auctor *Collectionis Creſconianæ*, & hiſtoriæ, de progreſſu Johannis Patricii, contra Saracenos in Africa. Circa A. C. 696. *Collectio canonum* impreſſa Pariſiis eſt, A. C. 1609. cum *Epitome Fulgentii Ferrandi*. Duplex ejus in Jure Canonico opus ſtatuit docente Gerh. von Maſtricht JCto ſeu potiùs unius operis duæ partes, quarum altera *Breviarium Canonum*, altera *Concordia Canonum* vel *Liber Canonum* nominatur. E quibus tamen prius opus non tam ipſius Creſconii, quàm ex ipſius opere prolixo nimis excerptum ab aliquo videtur; cujus cum variæ ſint editiones, commendatur inprimis ea, quæ eſt in *Bibliotheca Juris Canonici veteris* quamque Petrus Fr. Chiffletius Jeſuita Divione cum ſuis *Notis* emiſit, A. C. 1649. Poſteriùs verò, in quæ Canones ipſi integri recenſentur, in publicam lucem Editores Bibliothecæ modò dictæ, in *appendice Tom.* I. ex MS antiquo Bibliothecæ Collegii Claromontani, beneficiô Caroli Labbæi, primum protulerunt & contulerunt cum MS. Bibliothecæ Thuanæ, circa A. C. 1661. Nec omittendum, *Creſconium* hunc primum Romanorum Pontificum Epiſtolas inter Canones retuliſſe & eas eò canonizâſſe ſeu canonicam iis auctoritatem addidiſſe, quæ antea non majoris fuerant valoris, quàm aliorum Epiſcoporum Reſponſa, vide infrà in voce *Decretales* & plura hanc in rem, apud Gerh. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccleſ.* *num.* 181. & *ſeqq.*

CRESCONIUS, Epiſcopus Todienſis, cum Germano, legatus ab Anaſtaſio Papa ad Anaſtaſium Imperatorem, A. C. 497. ab Eutychiano ad Eutychianum, quem Papam, ut Arium, viſcera effudiſſe quidam ſcribunt. Theodor. *Lect.* *l.* 2. Niceph. *l.* 16. *c.* 35.

CRESIUM, urbs Cypri. *Steph.*

CRESIUS, collis in Arcadia. Pauſan. *l.* 8.

CRESPA, Liburniæ urbs. *Ptol.* *Creſſa* Plinio, *l.* 3. *c.* 21. An *Crepſa*, quod vide.

CRESPHONTES, alter Ariſtomachi Heraclidæ fil. unà cum Temeno & Ariſtodemo fratribus recuperatâ Peloponneſô, in diviſione ejus, *Meſſenen* nactus eſt: è qua pulſi Neſtoris poſteri, Alcmæon, Paonis filii & Melanthus, Athenas conceſſerunt. Pater Æpyti, de quo ſuprà, ex Merope Cypſeli Arcadum Regis filiâ: quâ affinitate, immutatô rerum Peloponneſiacarum ſtatu per Heraclidarum reditum, ſolus Cypſelus tutus manſit. Pauſan. *Arcad.* Vide & eum *Meſſeniacis*. Populari tandem ſeditione interemptus; *Ibid.*

CRESSA, vide *Creſa*. Item urbs Paphlagoniæ quam condidit Meriones. *Steph.* Item mulier ex Creta.

CRESSEA, regio Palleniæ vicina. Herodot. *l.* 7.

CRESSIACUM, meliùs *Creciacum*, Gall. *Crecy*, vel *Creſſy*, oppid. Picardiæ, in Tiraſcia regione ad Serram amnem, 2. leuc. à Lauduno in Boream, 4. à Fara in Ortum. Item, vicus in Ponthivio, tractu Picardiæ medius inter Abbavillam & Hedinum, ubi Franci ab Anglis memorabili clade victi, ſub Phil. Valeſio, A. C. 1346 die 26 Auguſt. Ceciderunt tum duo Reges, Johannes Bohemiæ & Rex Balearium. Item Carolus Alenconius, frater Philippi, Dux Lotharingus, Ludov. Comes Flandriæ, alii. Verbô 11. Principes, 80 Barones, 1200 Equites, militum 30000. Rexque poſtquam fugâ ſibi conſuluiſſet, vix in arcem intromiſſus eſt, vigili cum inclamanti, quis adeſſet, reſpondens, *La Fortune de France*. Froiſſardus, *l.* 1. Ducheſnius *de orb. Comit. Pontivienſis*, Mezeray *Hiſt.* Concilium A. C. 849. ſub Carolo Calvo, contra Godeſcalcum Monachum *Tom.* 8. *Concil.* Uſſer. & Celliot. *Hiſt. Godeſcalci*. Paradin. *Hiſt. Lugdun.* *l.* 2. *c.* 24. Moreri. Vide *Godeſcalcus*. Item *Humanus*, & ſuprà in voce *Creciacum*.

CRESSIACUM, oppid. Galliæ in Bria, ad Morinum amnem, 3. leuc. à Meldis, 4. à Lagniaco.

CRESTA Segalaunorum, caſtrum Galliæ, in agro Valentino, inter Drunam fluv. & montem, fortè à *Criſta* Latin. quod inſtar

inſtar criſtæ emineret. Vulgò *le Creſt*. Obſeſſum eſt à Comite Montis fortis, bellô Albigenſi, vide Petrum Mon. *Hiſtor. Albig.* c. 84.

CRESTIDIUM & CRESTUM, urbs Delphinatus, in agro Valentino, ad amnem cognominem: Aliis *Creſta Araldi*. 5. leuc. à Valentia. 6. à Dia in Occaſum. Vide ſuprà.

CRESTON, Thraciæ oppid. quod *Stephanus Creſtonen* vocari putat ab *Herodoto*. *Lycophron*,

Ὀρχηστοῦ τε Κρηστώνης θεοῦ.

Cives *Creſtonæos* vocat *Pindarus*, *Creſtonæos Rhianus*, *Creſtones* verò *Hecatæus*. Poſſeſſivum *Creſtoniticus*. *Steph.* Item nomen Regis Bithyniæ.

CRESCONES, populi ſunt, qui ſinguli plures habent uxores: cùm autem vir aliquis moritur, tunc oritur magna diſceptatio inter fœminas, quænam illum charius adamârit viventem. Id ubi compertum eſt, quæ benevolentiæ & amoris palmam tulerit, ad mortui tumulum ducitur exornata, ibique à propinquis mactatur, & cum viro humatur.

CRETA, inſul. maris Mediterranei maxima, vulgò *Candia*, à Rege Crete quibuſdam dicta. Aliàs, *Aëria*, *Curetis*, *Hecatompolis*, *Macaros*, & *Macaroneſos*, Solin. c. 17. Longa 270. mill. paſſ. lata 50. à Sicilia 562. in Ortum à Malea promontor. Peloponneſi 80. à Phycunte promontor. Cyrenes 263. in Boream. Caret cervis, apris, & erinaceis, ficut Africa cervis & urſis, Arabia ſuibus, &c. Urbes olim claræ, Gnoſſus, & Gortyna: inde Cydon, Lyctos, Lycaſtos, Phæſtos, Dictynna, &c. Quarum 12. fuêre Epiſcopales, nunc 9. tantùm, ſub Archiepiſcopo. Primus Epiſcopus ejus Titus fuit, Pauli Apoſtoli diſcipulus, circa A. C. 94. Olim Regnum *Cretenſe* veterum Græcorum maximum fuit, de quo tamen nihil certi, ante Minoa. In Euſebiano quidem Canone, *Cres indigena*, *Cydon*, *Apteras*, *qui urbem condidit*, & neſcio quis *Lapergus* pro Regibus habentur, *num.* 56. 328. 435. 515. 554. quæ tamen dubiæ fidei ſunt. *Apteram urbs ab homine Delpho condita eſt.* Pauſan. *Phocic.* *Cydon*, Minois nepos erat, *Steph. Kvd.* A Minoë ergo ſeriem Regum ordiemur, vide ſuprà *Minos* I. Poſteà inſula fuit ſub Romanis. Occupata deinà Saracenis, A. C. 823. Duce Achapſô. Cedren. *in Hiſt.* quæ victis, A. C. 879. Hinc rediit ad Imperatores Conſtantinopolitan. ex quibus Conſtantinus eam infeliciter tentavit: Romanus per Nicephorum Phocam expugnavit, A. C. 960. 961. Balduinus verò Flandriæ Comes dedit Marchioni Montisferrati. Ab iſto vendita eſt Venetis, ſub Dandulo Duce, A. C. 1194. magnô auri pretiô. Sed ab A. C. 1645. à Turcis bellô tentata, iis, poſtquam fortiſſimè per annos viginti & plures reſtitum eſſet, A. C. 1670. unà cum Metropoli Candia, quæ diuturnæ graviſſimæque obſidionis mala conſtantiſſimè pertulerat, tandem ceſſit. Exceptis paucis quibuſdam locis, quæ pace factâ in Venetorum ditione manſerunt. Vide ſuprà. Homer. *Od.* 2. v. 172.

Κρήτη τις γαῖ᾽ ἔστι μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ,
Καλὴ, καὶ πίειρα, περίῤῥυτος. ----

Virg. *l.* 3. *Æn.* v. 104.

Creta Jovis magni medio jacet inſula ponto.
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula noſtra,
Centum urbes habitant magnas uberrima regna.

Inde ἑκατόμπολις dicebatur. Seneca Tragœdus, *Troad.* *Act.* 3. v. 820.

Urbibus centum ſpecioſa Creta.

Has *urbes* Horatius *oppida* vocat. Sic enim ille, *l.* 3. *Od.* 27. v. 32.

Quæ ſimul centum tetigit potentem
Oppidis Cretam. ---- ----

Ac proinde D. Paulus Titum, c. 1. v. 5. monet, ut Presbyteros in ea conſtituat κατὰ πόλιν, i. e. *per civitates*, vel, ut Eraſmus, *oppidatim*. *Nobilem inſulam* vocat Florus, *l.* 3. c. 7. quod ibi Jupiter natus credebatur. Fertilitatem ejus quod attinet, Virgil. *l.* 3. *Æn.* v. 106. *uberrima regna* vocat. Homero, *Od.* 2. v. 172. πίειρα dicitur. Dionyſ. v. 500.

---- Ἐγγύθι δ᾽ αὐτῆς (Carpathi ſcil.)
Κρήτη ἐπήρατος ἀκτὴ μεγάλοιο Διὸς,
Πολλὴ τε λιπαρή τε καὶ εὔβοτος. ----

Solinus, c. 17. *Larga vitis, mira ſoli indulgentia.* Plin. *l.* 25. c. 8. ubi de dictamno: *Præcedente perſuaſione illâ, quicquid in Creta naſcatur, infinito præſtare cæteris ejuſdem generis alibi genitis.* Magnitudinem ejus innuit Homer. *Il.* 2. v. 256. 260. 455.

Κρήτη ἐν εὐρείῃ.

Idem, *Od.* ξ. v. 199. π. v. 62.

---- Κρητάων γένος εὔχομαι εὐρειάων.

Seneca,

O magna vaſti Creta dominatrix freti.

De nomine Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, c. 15. Ut apud Phœnices, inquit, כרתי *Crethi* vel *Creti* dicebatur Sagittarius è Palæſtinâ: ita ab iiſdem כרתים *Crethim*, i. e. *Cretes*, dicti ſunt in Græcorum, qui eandem artem maximè calluerunt. Porrò nemo eſt, qui neſciat, hæc eadem fuiſſe Cretenſium arma perpetua, h. e. arcum, & ſagittas. Lucanus, *l.* 3. v. 184.

Jam dilecta Jovi centenis venit in arma
Creta vetus populis, Gnoſſiſque agitare ſagittas
Docta, nec Eois pejor Gortyna ſagittis.

Idem, *l.* 7. v. 229.

---- *Creta Cydones*
Miſit, Ituræis curſus fuit inde ſagittis.

Virgilius, ſive Catullus, *in Ciri*, v. 115.

Attica Cretæis ſternebat rura ſagittis.

Max. Tyrius, *Serm.* 7. Παιδεύματα Κρητικὰ θήραι, δρόμοι, τόξα. Inde eſt, quòd Iſacius, *in Lycophronem*, Herculem ſcribit didiciſſe τοξικὴν à Cretenſi Rhadamantho. Quin & Pindarus, *Pyth.* 4. Cretenſes τοξοφόρους vocat, & in bellorum hiſtoriis nihil tam frequens, quàm τοξόται Κρῆτες. Hinc Proverbium apud antiquos: *Cretenſes ſemper mendaces*. Epimenides, citante S. Paulô, c. 1. *Ep. ad Titum*, v. 12. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, Ovid. *l.* 3. *Amor. El.* 10. v. 19.

Cretes erunt teſtes, nec fingunt omnia Cretes.

Idem, *l.* 1. *Artis*, v. 297.

---- *Non hoc, centum quæ ſuſtinet urbes,*
Quamvis ſit mendax Creta negare poteſt.

Lucanus, *l.* 8. v. *ult.*

Tam mendax magni tumulo quàm Creta Tonantis.

Habuit ex Callimacho, cujus hæc ſunt,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δ᾽ οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Nec ſolùm falſitate famoſi Cretenſes, ſed etiam turpi amori deditì. Servius in illud, *l.* 10. *Æn.* v. 325.

Dum ſequeris Clytium infelix nova gaudia Cydon.

De Cretenſibus, inquit, *accepimus, quòd in amore puerorum intemperantes fuerunt. Quod poſteà in Lacones ac in totam Græciam tranſlatum eſt.* Athenæus, *l.* 13. c. 87. Κρῆτες γοῦν, ὡς ἔφην, καὶ οἱ ἐν Εὐβοίᾳ Χαλκιδεῖς περὶ τὰ παιδικὰ δαιμονίως ἐπτόηνται. Ἐχέμενος γοῦν ἐν τοῖς Κρητικοῖς, οὐ τὸν Δία φησὶν, ἁρπάσαι τὸν Γανυμήδην, ἀλλὰ Μίνωα. *Nic. Lloydius.* Primi mari potentes, claſſe ſuâ vicinos ſubjecêrunt, equorum formandorum artem tradiderunt, Leges ſcriptis mandârunt, Muſicam, ſecundùm quoſdam, invenerunt, &c. Apud illos Labyrinthus Minois, ex Dædali arte. Priſcis temporibus Reges, dein Duces habuerunt: à Q. Metello, Romanis ſubjecti. Dein ſub Imperatorib. Romanis fuerunt, uſque ad annum 823. quô Cretà à Saracenis occupatà, Candia ab his condita eſt, à qua in poſterum Inſulæ nomen His ereptâ à Nicephoro Phoca, A. C. 926. fides Chriſtiana denuo inter Cretenſes ſtabilita eſt. Vide ſuprà. Hodie Veneti nobiles, & priſci incolæ Latinam Eccleſiam ſequuntur, reliqui omnes Græcæ religioni adhærent. Vide præter auctores prædictos Plin. *l.* 4. c. 12. Strab. *l.* 10. Pompon. Melam, *l.* 2. c. 7. Cedrenum, Zonaram, *Annal.* Gr. Juſtinianum, *Hiſt. Ven.* *l.* 2. 3. 4. & *ſeqq.* Sabellicum, *l.* 2. &c.

Urbes Cretæ hujus temporis:

Agium, cujus ſedes Cydonienſi juncta.	Lappa.
Arcadia.	Ledrenſis urbs, vide Matium.
Camara, *Camera*.	* Matium, *Candia*.
Caſtrum vetus, *Paleo caſtro*.	Milopotamos, olim Pantomatrium, *Milopotamo*.
Cherſoneſus, *Spinalonga*.	* Rhitymna, *Retimo*.
Ciſamus, *Ciſamopoli*.	Subrita.
* Cydon, *la Canea*.	Suda arx, *la Suda*.
Cytæum, *Setia*.	
Hierapetra, *Gerapetra*.	

Sed pagi potiùs, exceptis tribus aſteriſmô ſignatis, reliquæ.

CRETA, nomen luci, apud *Pauſan.* Item oppid. Scythiæ, cujus meminit Val. Flaccus, *l.* 1. v. 331.

---- *Scythica metuens, Panteaque, Cretamque.*

CRETA, Herodoto, *l.* 2. ubi de more Ægyptiorum Sacerdotum, quem in probando bove ſacrificiis apto ſolebant uſurpare, γῆ σημαντρὶς dicta eſt, quòd eâ literas ſignari antiquiſſimis temporibus in uſu fuit, Servius, *ad illud l.* 6. *Æn.* v. 321. *Longæva Sacerdos*, ait: *Sibyllam Apollo pro amore dilexit, & ei obtulit poſcendi, quod vellet, arbitrium. Illa hauſit arenam manibus & tam longam vitam popoſcit. Cui Apollo, reſpondit, poſſe fieri, ſi Erythræam (in qua habitabat) inſulam relinqueret, & eam nunquam videret. Profecta igitur Cumas tenuit, & illic defecta corporis viribus, vitam in ſola voce retinuit. Quod cùm cives ejus cognoviſſent, ſive invidiâ, ſive miſeratione commoti, ei Epiſtolam miſerunt, cretâ antiquô more ſignatam: quâ viſâ, quia erat de ejus inſula, in mortem ſoluta eſt.* Ejuſdem meminit Cicero, 4. *Verr.* *Cùm Valentio ejus interpreti Epiſtola Agrigento allata eſſet, caſu ſignum eſſe animadvertit in cretula:* Item pro Flacco, ubi Aſiaticos præſertim hôc modô literas ſignâſſe docet, *Hæc quæ à nobis prolata laudatio, obſignata erat cretâ illâ Aſiaticâ, quâ ferè eſt omnibus nobis nota, quâ utuntur omnes non modò in publicis, ſed etiam in privatis literis.* Nec id mirum, cùm creta quædam ſit pinguis, lenta, glutinoſa: non illa modò, quæ ex Creta advehitur, indeque nomen obtinet: ſed & quæ locis vicinis, ut ex Cimolo maris Cretici inſul. quæ ipſa magis glutinat terrâ Samiâ, de ejus enim pinguedine ac lentore, etiam *Dioſcorides* & *Galenus* teſtes ſunt. Et ſanè quia creta quædam ſit pinguis, eò Britanni etiam tali agros ſuos uberes reddunt ac pingues. Interim mos annulo in cera cretave ſignum imprimendi, tardè obtinuit apud pleraſque Orientis ipſius gentes, de quo alibi. Vide Gerh. Joh. Voſſ. *de orig. & progr. Idolol.* *l.* 4. c. 91. & Johannem Kirchmannum Lubec. *de Annulis*, c. 7.

Sed

Sed & Creta, in omni Togarum lotione à Romanis adhibebatur, nec ars Fullonia ſine illa fuit. Titinnius apud *Nonium*,

Terra hæc eſt, non aqua,
Ubi tu ſolitus argutarier pedibus,
Cretam dum compeſcis, veſtimentaque lavas.

At Togæ petitorum jam lotæ, *cretâ* inducebantur, ut candeſceret magis ac poliretur. Certè Plinius, *l.* 35. *c.* 17. Cimoliam *cretam* abluendis veſtibus in uſu eſſe ſcribit: Umbricam autem, quæ & *Saxum* vocabatur, non niſi poliendis veſtibus aſſumi ſolitam. Imò poſtquam Umbricâ expolitæ erant, prælo ſubjectæ fuêre, ut meliùs candeſcerent: unde facilè intelligitur, quid ſibi velit illud Perſii, *Sat.* 5. *v.* 177.

— — Quem ducit hiantem
Cretata ambitio.

Ut & illud Plauti in *Aulularia*, *Act.* 4. *ſc.* 9. *v.* 6.

Qui veſtitu & cretâ ſe occultant, atque ſedent quaſi ſint frugi.

Ubi Lipſius homines deſignari vult tenuiores, quibus cùm togæ mutandæ copia non eſſet, tamen ut apparerent nitidi, ſub dies ſolidorum togulam ſuam incretabant; vel ſervos, qui, ut liberos mentirentur, fortaſſe cretam addebant in veſtem, ut in cavea fallerent. Sed hæc veſtis *alba* dici, *candida* dici non poterat. Vide Octavium Ferrarium, *de re Veſtiar. l.* 2. *c.* 21. Cicero *Aſiaticæ cretæ* mentionem facit. *Orat. pro Flacco*, intelligitque illam, quâ Publicani merces, poſt vectigal ſolutum, ſignare conſuevêre. Nec ad hæc ſolum Cretæ uſus; ſed & Cimoliâ, Chiâ vel Samiâ fœminæ ad cutem emendandam uſæ leguntur. Unde Martialis, *l.* 6. *Epigr.* 93. *de Thaide*, *v.* 9.

Pſilothro viret, aut aceto latet abdita cretâ;

i. e. *aceto macerata*. Porrò *cretâ*, eâque viliſſimâ, *pedes venalium trans mare advectorum denotare conſtituerunt majores. Talemque Publium mimicæ ſcenæ conditorem & Aſtrologiæ conſobrinum ejus Manilium Antiochum, item Grammaticæ Tabernam Eroten, eâdem nave advectos videre proavi*; Plin. *loc. cit.* Unde Juvenalis, *Sat.* 1. *v.* 111. illorum pedes *albos* vocat. Signabantur autem ſigillo domini, ſi privati eſſent; Reipublicæ, ſi publica mancipia, vide Brodæum, *Miſcell. l.* 1. *c.* 27. & infrà, *Gypſati*, it. ubi de *Servis ac Venalitiis*. Eâdem *Cretam prælucere, ad victoriæ metam*, moris fuit, quæ Græcis λευκὴ dicta eſt. Hic finis curriculorum, ad quam terminabatur ſeptimum ac noviſſimum ſpatium, atque ubi victrices quadrigæ, quæ metam ſeptimò circumagere anticipâſſent, præmium accipiebant. Unde *locum palmæ* Solinus appellat. Erat is non longè à carceribus; Hinc βαλβίδα Græci vocant tam finem, quàm initium curſus, quia ad carceres, unde exierant, revertebantur & curſum ibidem terminabant coronandi; Uti pluribus probat Salmaſ. *ad Solin p.* 914. *& ſeqq.* Vide quoque ſuprà in voce Calx. Sed & meminit Martialis *cretatæ mappæ*, i. e. candidæ, *l.* 12. *Epigr.* 29. *v.* 9.

Cretatam Prætor cum vellet mittere mappam,
Prætori mappam ſurripit Hermogenes.

Quæ in ſignum Circenſium committendorum ſolebat mitti, mos, auctore Nerone, qui, populô miſſus flagitante, mappam per feneſtram juſſit abjici, Caſſiodorus, *l.* 3. *Var.* Et *cretati bovis*, Juvenalis, *Sat.* 10. *v.* 66.

— — duc in Capitolia magnum,
Cretatumque bovem —

qui & apud *Lucretium*, adducente vet: *Scholiaſte*, quòd candidi boves Superis immolarentur, ſicut fuſvæ hoſtiæ Inferis. Vide quoque infrà *Plaſtice*.

CRETÆ, inſulæ quædam appellantur in Mœſia contra Liburnos populos. Plin. *l.* 4. *c.* 22.

CRETÆUS, Poëta quidam apud Propertium, *l.* 2. *Eleg. ult.* *v.* 29.

Aut quid Cretæi proſunt tibi carmina lecta?

Ubi alii *Tyrtæi*, alii *Lucretii*.

CRETÉ, Heſperidis filia vel Heſperis, Inſulæ Cretæ nomen dediſſe, memoratur Solino, *c.* 11. *Doſiades eam à* Crete *nympha Heſperidum ſitra, Anaximander à Crete Rege Curetum dictam ... prodiderunt.* Scripſerat autem Doſiades τὰ Κρητικὰ. Salmaſ. ad *Solin. p.* 169.

CRETEA, regio Arcadiæ circa Lycæum mont. in qua incolæ Jovem educatum ferunt, non autem in Creta inſula. *Pauſan.* *l.* 8.

CRETENIA, locus Rhodi, ubi Althemenes habitabat; qui, cùm ex oraculo patrem ſe occiſurum accepiſſet, dum fugit, ne hoc perpetret, noctu in navigium incidit, in quo piratas eſſe ratus patrem occidit. *Steph.*

CRETERRA, vide *Craterra*.

CRETHEUS, Æoli fil. qui ex Tyro Salmonei fratris filia Æſonem genuit. Inde *Cretheïa proles*, apud Val. Flaccum, *l.* 8. *v.* 112. pro Helle, Crethei nepte.

CRETHON, Dioclis fil. qui cum fratre Orſilocho ad bellum Trojanum profectus eſt, Græcis auxilium laturus. Verùm cùm duo hi fratres nimiùm ſuis viribus freti cum Ænea congredi non dubitarent, ab eodem interfecti temeritatis ſuæ pœnas dederunt, vixque eorum cadavera à Menelao & Antilocho ex hoſtium manibus eripi potuerunt. Homer. *Il.* 5.

CRETICA Cupreſſus, apud Plinium, *l.* 24. *c.* 11. nonnullis dicta eſt, quæ aliàs *Herba Sabina*, eadem cum Brathy arbore Claudii Cæſaris, quam Arabes in Elymæos petiiſſe, ad ſuffitus faciendos, idem alibi docet. Cùm enim duo eſſent herbæ hujus genera, altera Tamarici folium habebat, altera cupreſſi quæ in Elymaïde proveniebat. Hodieque in multis hortis conſpicitur inſtar pumilæ cupreſſi & in latitudinem potiùs fuſæ, quàm in altitudinem elatæ. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 568. & infrà in voce *Sabina*.

CRETICUS, Oratoris nomen, ponitur autem pro quovis Judice. Juvenal. *Sat.* 2. *v.* 67.

— — Sed quid
Non facient alii cùm tu multitia ſumis
Cretice? — —

Idem ibidem, *v.* 77.

Acer & indomitus, libertatiſque magiſter
Cretice pelluces. — —

CRETICUS Silanus, è Junia famil. ſed adoptione in Cæciliam transferat. Itaque nomina illi *C. Cæcilius Metellus Creticus Silanus*. Conſul fuit Anno urbis DCIX. cùm Nerva Silano, poſteà Syriæ Proconſul: ſed quia Germanico per affinitatem connexus erat, provinciâ demotus, eique Cn. Piſo ſubrogatus eſt à Tiberio.

CRETICUS Sinus, apud Solin. *c.* 10. *Omnis Africa a Zeugitano pede incipit exeunte in duas promontoria, quarum altera promontorium candidum dicitur, alterum, quod eſt in Cyrenaica regione, Phocomon vocant. Ea per Sinum Creticum oppoſita Cretæ inſulæ, contra Tænaron Laconicæ excurrit.* A Creta Inſula nomen habet, & deſcribitur Plinio, *l.* 2. *c.* 88. & *l.* 4. *c.* 12. Hodie Gallis *Mer de Candie*. Vide *Mare Creticum*, & ad *l.* Solini citatum, Salmaſ. *Exercit. Plin. p.* 212.

CRETINEORUM Regio eſt juxta Epheſios. Parthenius, *Erotic. c.* 5.

CRETINUS Magneſius, bellô Mithridaticô adverſus ipſum Mithridatem delegit Imperatorem Hermiam, quocum tamen privatas gerebat inimicitias, profectus ſe interim iturum in exilium; ne quis tumultus ob illam factionem ſuboriretur. Quòd ſi patria mallet Cretinum Imperatorem quàm Hermiam, oravit, ut interim exularet Hermias. Adverſarii modeſtiâ permotus Hermias, ſponte exulavit.

CRETOPOLIS, Pamphyliæ urbs, Diodor. Sic. *l.* 18.

CREVANTIUM, oppid. lepidum Ducatus Burgund. in tractu Antiſſiodorenſi, ad Icaunam fluv. 4. leuc. ſupra Antiſſiodorum. Ibi A. C. 1423. acris pugna inter Gallos & Anglos.

CREUGA, pugil inſignis. Pauſan. *l.* 2.

CREUSA, Creontis Corinthiorum Regis filia, quam Iaſon, repudiatâ Medeâ, uxorem accepit: Quamobrem Medea indignata, carminibus ſuis ignem inextinguibilem ſcriniolo incluſum per filios ſuos illi miſit. Eos verò præmonuit, ut ſtatim oblatô munere diſcederent. Creuſa igitur videndi cupida, nihilque mali ſuſpicans, ſcriniolum aperuit, & continuò evolavit ignis, Creuſamque & totam Creontis regiam exuſſit. Vid. Ovid. *l.* 7. *Metam. fab.* 20. & *l.* 1. *de Art. Am. v.* 335.

Cui non defleta eſt Ephyræa uſta Creüſa.

CREUSA, Erechthei filia, uxor Xuthi, ex eo Achæi & Ionis mater. Euſeb. in *Chron.* Alia Cecropis filia. De quibus vide Meurſium *de Reg. Athen. l.* 2. *c.* 13. & 14.

CREUSA, Priami & Hecubæ filia, Æneæ conjux, cui Aſcanium filium peperit. Hanc in excidio Ilii ab Ænea, qui fugiens patrem humeris geſtabat, filiumque manu ducebat, perditam fuiſſe in itinere, dum vias notas excuſſiſſet, tradit Virgilius, *l.* 2. *Æn.* Sed nonnulli eam ab ipſo Ænea, ex pactione cum Græcis facta, occiſam volunt, ne quis ex ſemine Priami ſupereſſet; Alii rurſus non occiſam, ſed deſertam tradunt, idque eô conſiliô, ne novas ſedes, novaque fœdera (quæ ferè nuptiis ſolent coaleſcere) longinquis in regionibus quæſituro uxor obeſſet.

CREUSA, Bœotiæ oppid. *Prob.* Theſpienſium navale, ut *Strabo* ait. *Creuſia Straboni*, *Creuſis* dicitur *Stephano*. *Livadio* hodie, teſte *Negro*. Intra littorali Sinus Corinthiaci, in confinio Megaridis, 20. milliar. à Theſpiis in Auſtrum 30. à Megara in Occaſum. *Baudrandus*.

CREXA, vide *Creſſa*.

CRIARIA, in *Charta* Philippi Aug. Regis in *Regeſto* Herouvalliano apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* officium eſt eorum, qui hodie Lutetiæ Pariſiorum *les Crieurs de corps & de vin* dicuntur. Latini *Clamatores*, *Præcones* &c.

CRIASUS, Argivorum Rex quintus, Argeo patri ſucceſſit, ei verò poſt regnum annorum 54. ſucceſſit Phorbas frater. Julius Africanus, *Chron.* Quartum illum conſtituit Marshamus, utpote Inachô, quem primum Argivorum Regem communiter conſtituunt non hominem ſed fluviô exiſtente: & Callithyiam Peranthi filiam, primam Junonis Argivæ ſacerdotem fuiſſe, ex Euſebio adnotat. *Peranthum* autem vocat Hyginus, quem Πείραντα *Pauſanias*, Κρίασον *Caſtor*. Vide præfatum Marshamum, *Canon Chron. ad Sec.* VI.

CRIBRUM, an à *creber*, quod πολύτρητον, i. e. *crebris pertuſum foraminibus*, frumentis purgandis excogitatum eſt. *Illorum genera Galli è ſetis equorum invenêre. Hiſpani è lino excuſſoria & pollinaria, Ægyptus è papyro & junco*, Plinius, *l.* 18. *c.* 11. Et quidem *cribri pollinarii* occaſione lepidè jocatur Plautus, *in Pœnul. Act.* 3. *ſc.* 1. *v.* 10. in hominem minutis ſpiſſiſque gradibus incedentem;

Nam iſte quidem gradus ſuccretus'ſt cribrô pollinariô,
Niſi cum pedicis condidiciſtis ſic graſſari gradu hoc

Quod de Perſicis equis Vegetius ait, *Perſiſve — ſolius ambulaturæ quadam gratiâ diſcernuntur à cæteris. gradus eſt minutus & creber* &c. Cujuſmodi equos greſſibus minutiſſimè cribratis incedentes, *Tritonarios* dixêre olim, quod in ambulando greſſus intricarent & crura volubiliter implicarent explicarentque: *Traquenarios* unde

Galli

Gallihodie appellant. Vide infrà In divinationibus Veterum Cribri quoque uſus fuit, quæ ſpecies Κοσκινομαντεία dicta: Suſpendebant ſemper *cribrum* filô, vel forficis cuſpide, illudque celeri motu circumagentes nomen ſimul edebant ejus, qui furtô aliquid abſtulerat, aut aliud quiddam commiſerat, ut videre eſt apud Theocritum, *Idyll.* 3. &c. Inter ritus item Græcorum nuptiales, vide ſuprà *Colus.*

CRICILASIA, Græcè Κρικηλασία, quaſi *Circuli impulſus*, exercitationis olim delectabilis genus, memoratum Oribaſio, *Collectan. l.* 6. *c.* 26. ubi iſta leguntur: Ἐλάττονα δὲ χρὴ ὁ κρίκ[illegible] [illegible] *Habeat vero circulus diametrum hominis longitudine minorem, ita ut ipſius altitudo uſque ad mammas pertingat, neque ſecundum longitudinem, ſed in tranſverſum impellatur; ſit autem impulſor ferreus, ligneam anſam habens. Nonnulli tenues annulos rota circumpoſitos ſuperVacaneos eſſe putarunt, at hoc minimè ita ſe habet. Quin etiam ſonus ab ipſis genitus relaxationem atque voluptatem animo parit.* Ex quibus patet, in hac exercitatione homines circulum quendam magnum, cujus circumferentiæ annuli parvi infixi erant, quâdam virgâ ferreâ anſam habente in tranſverſum latus impellere conſueviſſe; à quo ductâ metaphorâ M. Cicero *Ep.* 9. *ad Attic. l.* 2. *Feſtive*, inquit, *mihi crede, & minore ſonitu, quàm putaram, orbis hic in Republ. converſus eſt.* Sed cùm hâc ætate in uſu non ſit, poſſumus ſanè aliquid divinare, at ejus figuram & conditiones penitus cognoſcere minimè licet. Quod enim trochus fuerit, de quo Horatius, *l.* 3. *Od.* 24. *v.* 57. *Seu Græcò jubeas trochô*: fieri quidem poteſt, at hic ipſe nobis æquè ignotus eſt. Et quidem trocho hoc luſus genus non diſſimile fuiſſe, patet ex Martiali, *l.* 11. *Epigr.* 22. & *l.* 14. *Epigr.* 68. ubi in trocho videmus fuiſſe circulum, & in circulo annulum, qui ſonô ſpectatoribus voluptatem afferebat; adfuiſſe etiam impulſorem cum anſa, Propertio, *l.* 3. *El.* 13. *v.* 6. *clavis* dicta: quæ omnia in ſua *Cricilaſia* apud Oribaſium præfatum Antyllus depinxit. Interim circulo tenus annulos, non annulum, circumpoſitos hic dici; præterea *Cricilaſiam* in virorum eſſe, cùm Martialis puerilem quendam luſulo trochum fuiſſe ſignificet. Vide infrà *Trochus.* At hoc certum, inter magnas exercitationes fuiſſe, de cujus facultatibus portò ſic Antyllus, *i. e. Cricilaſiam*, ait, *interna corpora mollire & quæ locò ſtabiliri non poſſunt, tum revolutionibus tum etiam figurarum corporis varietate ſic parare, ut facilè flectantur & ſtabiliantur; nervoſque imbecillos firmare & laxare, calorem excitare & intelligentiam, quæ de via deſierit & atrâ bile agitatur, ad ſtatum ſuum revocare*, apud Hieron. Mercurialem, *de Arte Gymnaſt. l.* 3. *c.* 8. & *l.* 6. *c.* 7.

CRIECHINGENSIS Stirps, Gall. *Crehanges*, in Auſtraſia ab aliquot ſeculis jam florens, in qua duæ nunc lineæ ſunt, quarum unius Chriſtophorus, alterius Albertus Ludovicus, auctores extitêre. Et quidem Albertus hic Ludovicus Baro de *Criechingen*, filius Petri Erneſti & Annæ Sibyllæ Naſſoviæ, ex Agatha Rhingravia genuit Caſimirum Ottonem, Georgium Ottonem, (extinctum A. C. 1665.) Johannem Ludovicum, Erneſtum Caſimirum (maritum Annæ Eliſabethæ Rhingraviæ, defunctum itidem A. C. 1665.) & Annam Dorotheam (uxorem Edſardi Ferdinandi Friſiæ Orientalis Comitis) Chriſtophorus verò, filius Wirichii Baronis de *Criechingen* & Antoniæ Comit. Sylvanæ ac Rheni, ex Anna Beyeria de *Boppart*, pater fuit Lotharii Baronis de *Criechingen*, quô & Annâ Magdalenâ Hanoicâ natus ſupereſt Franciſcus Erneſtus Comes Criechingæ, cui uxor obtigit Maria Eliſabetha Montfortia, filia Hugonis Comitis. Ex eodem ramo quoque adhuc vivit Johannes Franciſcus Canonicus. Vide Phil. Jacobum Spenerum, *Theatr. Nobil. Europ. tom. I. p.* 52. & *tom. III. p.* 19. ac utrobique in *Indic.*

CRIENTIO, fluviolus, in loco humili & paludibus obſito, urbi Atrebatis proximo. Ejus meminit Alcuinus *in vita S. Vedaſti.* Vulgò *le Crinchon*, *Crientius* quoque dicitur. Alluit monaſterium S. Vedaſti, quod civitati Atrebatis ita demum acceſſit, ut muris tamen & portis ab ea divideretur, & alterius urbis inſtar efficeret: quæ *la Ville*, ſicut civitas ipſa, *la Cité* dicitur. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* in voce *Nobiliacum Piſſonum.*

CRIMÆA, quæ Tartaria minor, ab urbe *Krim*, in Taurica Cherſoneſo, continet totam hanc Cherſoneſum. Urbes præcipuæ Theodoſia, Cherſoneſus, Crimæa, Precopia, unde etiam Tartaria Precopenſis dicitur & Baciaſaraium. Sub Turcis partim verſus Meridiem, partim ipſis tributaria. Conditor *Crimenſis* ſeu Precopenſis Imperii fuit Azi Kirai, qui Schicachmetô Zare, filio Tuckamiſche Imperatoris Tartariæ deſertæ (à Tamerlane everſi) pulsô ea Taurica ſeu Crimeâ, ſe totius eum Regem Tartarorum appellavit. A quo tempore Crimenſes perpetuis excurſionibus Lithuaniam, Poloniam Ruſſiamque infeſtârunt: tributarii a Selymo facti circa A. C. 1584. & obnoxii redditi Imperio Turcico, quod in hanc diem agnoſcunt. Vide Georg. Hornium, *Orb. Imp. p.* 415. & Johann. Baptiſtam Tavernier, *in deſcr. Serralii.*

CRIMÆA urbs. Vide *Cremnum.*

CRIMISA, Lucanorum urbs Κρίμισσα, *Lycophroni.* Nunc vicus *Lo Ciro*, teſte *Gabr. Barrio.* In ora Calabriæ citerioris, 50. milliar. à Cariathi in Auſtrum, 6. à Strongylo in Boream. Et adjacet ad 2 milliar. promontor. Crimiſſa, *Capo dell' Alice*, in ſinum Tarentinum excurrens, 4. milliar. à Japygio promontor in Occaſum, *Baudrand.* Ibi etiam *Crimiſſa* fluv. juxta oppid. decurrens, in ſinum Tarentinum, vulgò *Fiumica.*

CRINAS, Charmidis contemporaneus, Maſſilienſis Medicus, qui ad ſyderum motus ex ephemeride Mathematica cibos dabat, horaſque obſervabat. Sub Nerone. Plinius ſcribit hunc 100. ſeſtertia reliquiſſe, muris patriæ non minore ſummâ extruendis, *l.* 29. *c.* 1.

CRINES tonſoti, vide infrà *Decalvatio*, item *Crinis.*

CRINILE, ſerium eſt, apud Alb. Argentinenſem in *Chron. p.* 114. *Prandentibus autem illis cum Rege ejuſque filiis, Rex cuilibet filiorum & Johanni Duci unum crinile roſarum poſuit ſuper caput.* In *Conſuetud.* terræ Cracovienſis occurrit *Crinile nuptiarum Virginum*, pro quo ex reformationem dotis non habentibus ſolvi ibidem dicuntur marcæ 30. (maritô mortuô) aut poſſeſſio, ubi 3. marcarum ſit proventus: cùm indotatæ mulieres 30. marcæ ſolvantur, apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CRINIPPUS, alter Dionyſii majoris Dux, in novem triremibus Lacedæmoniis ſubſidio miſſis, ab Iphicrate & Timotheo interceptus. Diod. *l.* 15. *ſ.* 482. *p.* de quo vide quoque Polyænum, *l.* 3. *c.* 9. *in Iphicrate; com.* 55.

CRINIS, Sacerdos Appollinis, qui cùm ſacra Dei neglexiſſet, atque ob hoc nihil penitus fructuum eô annô collegiſſet, omnibus rebus à muribus corroſis, tantô detrimentô commotus, ſacra Deo peregit; quô factô Deus illico mures omnes ſagittis ſuis perdidit, atque ea cà re *Smintheus* Apollo dictus eſt. Cretenſes enim mures *Sminthas* vocant.

CRINIS, Philoſophus quidam Stoicus, cujus meminit. Diog. Laert. *in Zenone*, & Arrian. *in Epictet. l.* 3. *c.* 2.

CRINIS, ἀπὸ τοῦ κρίνειν, non ὁ θρὶξ ſimpliciter Latinis eſt aut pilorum, ſed coma plexa & in plures *crines*, *funiculos*, Gall. *treſſes* diviſa, hinc [illegible] veterib. Grammaticis: Unde *Crines* in fluminibus, diverticula fluminum & rami, quibus ab uno alveo ſeſe dividunt & pluribus brachiis in mare evolvuntur. Sic *ſenis crinibus ornatas* olim matronas, legimus apud *Feſtum*, quod ſignificat, ſenis comarum nidindibus in funem vel ſertam nexis; qui vetuſtiſſimus ornatus fuit: & proin novis nuptiis uſitatus, ut infrà videbimus, ubi de veter. *Nuptiis.* Abbreviator Feſti Paulus, *Crines à diſcretione dicti, quam Græcè Διάκρισιν appellant.* Sed Διάκρισις, propriè aliud quid erat, genus videl. ornatus, quô capillus, in duas partes æqualiter diſcriminatus, duas ſertas faciebat, uti dicemus infrà in voce *Diſcrimen.* Vide Salmaſ. *ad Solin p.* 479. & 759. *ac ſeqq.* Πλόκαμος etiam *crinis* Græcis dictus eſt, & πλοχμός, quamvis vox πλόκαμος paulò latiùs fuerit extenſa, ut alibi dicetur. Manipulum *crinium*, ſeu de capillo aliquid, Virgines jam deſponſatas moxque maritandas, Minervæ poſuiſſe olim in Græcia, diſcimus ex Papinio Statio, *l.* 2. *Thebaid. v.* 253. ubi de Argivorum Virginibus.

> —— —— *hic more parentum*
> *Iaſides, thalamis ubi caſta adoleſceret ætas,*
> *Virgineas libare comas, primoſque ſolebant*
> *Excuſare thoros* ——

Ubi Scholia antiqua, *Morem fuiſſe monent, ut jam vestas ſumtura & matrimonium ſubitura virgines Argivorum accederent templum Palladis, ibique manipulum crinium deponerent, virginitatis ponenda indicium, quodque jam coronis opus non haberent.* Quod idem de puellis Atticis, ad Iphinoës Heroidis tumulum, quæ virgo obierat, refert Pauſanias, *l.* 1. Non aliter atque Deliades puellæ ſolitæ fuerunt Hecaërgæ facere in Delo. Sed & pari ratione Virgines Veſtales jam futuræ tondebantur, capilluſque earum loto arbori, *capillata* hinc dictæ, offerebantur, apud Romanos, Plin. *l.* 16. *c.* 44. Eundem morem indicat etiam Maro, ubi de Lavinia & Baccho, *l.* 7. *Æn. v.* 390.

> —— —— *etenim molles tibi ſumere thyrſos,*
> *Te luſtrare choros, ſacrum tibi paſcere crinem.*

Et Hippolyto ante nuptias *crinem* Virgines Trœzenias ſucciſum conſecraſſe, auctor eſt Pauſanias, *l.* 2. Hinc eſt, quod cum hoſpite aufugiens Medea matri ſignum aut monumentum Virginitatis reliquit, *longum capillum evulſum*, *Argon. l.* 4.

> —— —— [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

E quo loco diſcimus, ſuperſtitionem in ea ne fuiſſe. Nam addit clarè mox, *pro ſe relinquere capillum* matri,

> [illegible]
> [illegible] &c.

De more verò puerorum adoleſcentum dedicandi primam Diis locisque ſacris comam aut barbam, ut & de *Crine* alias *votivo*, diximus ſuprà, ubi de *Cæſarie*, *Capillis*, ut & in *Coma Earini.* Etiam memoriæ causâ mortuis *Crinem* clariſſimis ſervandum commiſêre. Idem Papinius Statius, *l.* 9. *Theb. v.* 900. ubi de Bryante, procul à patria moriturо,

> *Hunc tamen, orba parens, crinem (dextraque ſecandum*
> *Præbuit) hunc toto capies pro pulvere crinem.*

Porrò *inculti* manebant *crines*, in luctu, quibus profuſis etiam Templorum limina verrere olim conſuevêre mulieres. Idem, *Thebaid. l.* 4. *v.* 203. de Argia,

> —— —— *nec miſeræ placeant inſignia formæ*
> *Te ſine. ſas dubium certe ſolante timorem*
> *Pallere, & incultos aris adverrere crines.*

Quod etiam ſupplicantes feciſſe legimus. Vide Lipſium, *Electorum l.* 2. *c.* 5. Imò & evulſos aut deciſos *Crines* projiciebant in luctu, ut maximè miſerabiles viderentur: in illis enim præcipua pars formæ. Quam in rem, præter alios, vide Euſtathium, *l.* 10. ubi habes inſignem locum, lugentium Parentum liberorum jacturam, pictô lenociniô verborum, totum luctum repræſentantem. Vel ad tumulos charorum ponebant, de quo more multa Jonn. Ber-

neritius

partiis, *ad l. 6. Theb.* Namque non decoris ſoldùm magna pars, ſed & nobilitatis olim indicia in *crinibus* geſtata, ut vidimus ſuprà in voce *Cicada.* Vide hanc in rem plura, apud Caſpar. Barthium, *Animadverſion. ad Statium paſſim*, inprimis *ad loca cit.* Lipſium, *Elect. l. 2. c. 6.* Heinſium, *ad Silium Ital. l. 8.* Claud. Dauſquerium, Deſ. Heraldum, *ad Arnob. l. 1.* Beiſſonium, *de Formulis l. 2.* eundem Barthium *ad Claudian. de Laud. Serena*, & *Adverſarior. l. 43.* Martin. Roam *Libris Singular.* J. Gebhardum *ad Tibullum*, Alios: nec non hic paſſim.

CRINIS, in gemma, ut *Veneris crine*, comam ſimpliciter ſignificat, ἢ πλόκαμα. Ut in illo Ovidii, *l. 3. Amor. v. 250.*

Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Et apud Tacitum, *German. c. 38. Inſigne gentis crinem obliquare & nodò ſubſtringere.* Adeoque non de crine tantum muliebri, diſcriminato & plexo, quem Græci πλοκάμους vocant, vox ſumitur. Sed & præter Veneris crinem multas alias gemmas, quæ *crinium* effigiem repræſentent, legere eſt. De Achate Salmaſii, ruforum criniculum globum graphicè repræſentante, diximus ſuprà. Meminit Plinius, *l. 37. c. 10. & 11. corſoïdes*, quæ capillum humanum, *polia* gemmæ, quæ canitiem, referat: ut alias omittam. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 765.* De *flammarum Crinibus*, aliquid ſuprà. Occurrunt verò & *ignium Crines.* Unde *Crinita incendia* apud Marium Victorem, *l. 2.*

Scintillamque ſilex, ſicco quæ fomite nata
Exilit in flammam, & crinita incendia latè
Extendens, tota jam ſylva ardebat adepta.

Et *Crinita miſſilia*, apud Statium, *l. 5. Theb. v. 387.*

—— —— vaſtaque ſudes ſtridentque molares,
Spiculaque & multâ crinitum miſſile flammâ.

Ubi ea exponitur *ſtuppa contecta tela*, Lutatio, nec malè. Nisi enim in meditatum aliquod bellum fœminæ ipſæ procedebant, ut *uſtas ſudes* jaculaque hujuſmodi, quod voluit Lipſius, præparare potuerint, ſed in tumultu obvia quæque capiebant. Barthius *ad l.* &c. Imo & veros *Crines* in bello uſui fuiſſe, diſcimus ex Cæſare, *Bello civ. l. 3. c. 9.* de iis, qui obſeſſi erant Salonis: *Præſectis omnibus mulierum crinibus tormenta effecerunt*, vide quoque Ariſtidem *in Rhodiaca*, Dionem *in Severo*, ubi in obſeſſa Byzantio rudentes, & Capitolin. in *Maximino Jun. c. 7.* ubi in obſidione Aquilejæ, nervos ſagittarum, *de crinibus mulierum* factos eſſe, memorat &c.

CRINISUS, meliùs CRIMISUS, Siciliæ fluv. in parte occidentali Inſul. Segeſtæ urbi vicinus, in valle Mazaræ, nunc *Belici deſtra*, Claver. de quo Servius in locum mox citandum Virgilii, fabulam hujuſmodi refert: *Cùm Laomedon Neptuno & Apollini mercedem, pro ædificatione murorum Ilii, denegaret, Neptunus iratus, Trojæ cetum immiſit, ut eam vaſtaret. Quâ de re conſultus Apollo, hoc unum tantæ calamitatis remedium fore oſtendit, ſi virgines Trojanæ belluæ objicerentur. Hippotes itaque nobilis Trojanus, metuens ne & Hegeſta filia ſua in eandem calamitatem incideret, navi eam impoſitam ventis fluctibuſque commiſit, tolerabilius nimirum ratus, ſi illa ſe abſente mergeretur, quam coram à teterrimâ belluâ crudeliſſimè dilaniaretur. Verùm ita Diis viſum eſt, ut illa ſalva in Siciliam deferretur, ubi amore ejus captus Crimiſus, in canis, ſeu, ut alii malunt, in urſi effigiem converſus eam compreſſit, ſuſcepitque ex ea conſtabium Aceſtem Siciliæ Regem.* Virg. *l. 5. Æn. v. 38.* de *Aceſte*,

Troja Criniſo conceptum flumine mater
Quem genuit, —— ——

Cæterùm ſciendum, variè à variis hoc flumen vocari. Apud Virg. nunc *Crimiſus*, nunc *Crinniſus* dicitur, aliquando autem *Criniſus.* Servius, in *l. 1. Æn. v. 554. Heſiona ad Siciliam delata, à Crimiſo fluvio, quem Criniſum Virgilius poëticâ licentiâ vocat, compreſſa, edidit Egeſtum.* Apud Vibium *Crimiſos*; apud Probum *in vita Timoleontis, c. 2. Crimiſſus*, quod apud Plut. *in eodem Timol.* Κριμησσός, & apud *Diod. Sic.* Κριμισσός, apud *Lycophronem* denique Κριμισσος dicitur. *Nic. Lloydius.* Oritur 23. circiter milliar. à Panormo in Merid. aliquotque fluviis auctus, in mare Africum ſe exonerat, in ora littorali Inſulæ inter Mazaram & Saccam. Vulg. *Freddo. Ferrar. Baudrand.* Videtur Cluver. *de Sicil. Ant. l. 2. c. 2.*

CRINITI, ſemper erant olim Francorum Reges, & Regiâ ſtirpe oriundi, reliqui verò tonſi. Agathias, *l. 1. p. 9. Solenne eſt Francorum Regibus, nunquam tonderi, ſed à pueris intonſi manent. Cæſaries tota decenter eis in humeros propendet, anterior coma è fronte diſcriminata in utrumque latus deflexa. Neque verò, quemadmodum Turcis & Barbaris, impexa iis & ſqualida ſordidaque eſt coma, vel complicatione indecenter tirrata ſed ſmigmata varia adhibent, diligenterque curant: idque velut inſigne quoddam, eximiaque honoris prærogativa Regio generi apud eos tribuitur. Subditi enim orbiculatim tondentur, neque iis prolixiorem comam alere facilè permittitur.* Meminit quoque hujus moris Gregor. Turon. *l. 2. c. 9.* Ado Viennenſis, *p. 149.* Otto Friſing. *l. 4. c. 32.* &c. Sed & Saxones *Criniti* erant. Witikind. *de geſtis Saxonum, l. 1. p. 5. Illis* (Saxonibus) *hoc loquentibus, mirati ſunt Franci præſtantes corpore & animo viros, mirati ſunt & novum habitum, arma quoque & diffuſam ſcapulis cæſariem.* Quæ eadem in Abbate Urſperg. leguntur. Vide quoque in vocibus *Capillati* & *Clodio.* Sed & *Criniti* præcipuè ex nobilitate: cujuſmodi in Regibus generis hujus priſcis *crinium flagella* intueri licet in Portali Eccleſiæ S. Germani Pra: Lutetiæ, vide *Anaſtaſim* Childerici apud Chiffletium. Cæteri è plebe tonſi erant, ut auctor eſt Agathias, *l. 8.* Vide Savaronem & Sirmondum, *ad Sidon. l. 1. Ep. 2.* Bignonium ad *L. Sal. tit. 26.* Hottomann. & Matharellum in *Franc. Gallia. c. 7.* Nempè viguit is mos ſub Merovingis Regibus, ſeu prima Regum Francorum ſtirpe: Sub altera verò Reges, non promiſſos ac in flagella digeſtos, ſed decurtatos *crines*, atque adeò cæteri è plebe, geſſêre: quod potiſſimùm colligi datur ex Caroli M. & Ludovici Pii ſigillis & Lotharii Caroliique Calvi imaginibus, quas delineari curavit Baluzius. *Not. ad Capitular. Regg. Franc.* Sed & de Theodorico Gothorum Rege Sidonius ait, *l. 1. Ep. 2. aurium legulas (ſicut mos gentis eſt) crinium ſuperjacentium flagella operiunt*, &c. Car. du Freſne, *Gloſſar.* Vide quoque infrà, ubi de *Tondendi ritu.*

CRINITUS Petrus, Florentinus, *de honeſta diſciplina*, & *Latinorum Poëtarum vitis* ſcripſit: Pramiſſo etiam *de Grammaticis* opere. Memorabilis ejus mors. P. Jov. *elog.* Ugolin. Verinus, præceptor ejus, *l. 3. Ill. Fl.* Lil. Girald. *de Poët.* Geſner. *tom. 2. Bibl. tit. 7. p. 6.* Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 3. c. 12.*

CRINONIA, pilei genus, quô, ſicut & tetraphyllô, Imperatores Conſtantinopolitani in ſolennitatibus uſi ſunt; à ſpecie *lilii* nomen adeptum eſt, ut exiſtimat Gretſerus ad *Codinum de Offic. Conſtantinopol. Comm. l. 3. c. 1. § 8.*

CRIOA, vicus in tribu Antiochide. *Steph.*

CRIOBOLIUM & TAUROBOLIUM, paſſim in vetuſtis monumentis juncta occurrunt: quorum iſtud Matri Deûm fiebat, illud Atti, quem eundem cum Sole eſſe credebant. Ritus utriuſque ſacri & ſigna erudité exponuntur Salmaſio, *Not. ad Lamprid. in Heliogabalo, c. 7.* Vide quoque infrà in voce *Taurobolium.* Utriuſque meminit ſuperius *Inſcr.* iſta, apud eundem.

M. D. M. I.
ET ATTIDI SANCTO
MENOTYRANNO
Q. CLODIUS FLAVIANUS.
V. CL. PONT. MAJOR
XV. VIR. S. F. SEPTEM
VIR EPULONUM
TAUROBOLIO. CRIOBO
LIOQ. PERCEPTO.
MATRI DEUM MAGNÆ
IDEÆ. SUMMÆ. PA
RENTI. HERMÆ. ET ATTIDI
MENOTYRANNO. INVICTO
CLODIUS HERMOGENIANUS
CÆSARIUS V. C. &c.

CRIOLII, unum ex tribus Hiſpanorum generibus, quæ Americam incolunt. Præter enim Hiſpanos & Meſtecios, *Crioli* ibi dicti habitant, qui ex Hiſpanis quidem Parentibus, ſed in ipſa America, nati ſunt. Hi numerò quidem & multitudine prævalent, ſed nunquam pervenire poſſunt ad aliquam majoris momenti dignitatem. Unde implacabile odium, inter Hiſpanos Europæos & Hiſpanos hos Americanos, quod euſque proceſſit, ut *Crioli* quamcunque gentem Europæam admitterent, dummodo ab oppreſſione Hiſpanorum Europæorum poſſent liberari. Neque aliunde acrior Hiſpaniæ Regi amittendæ Americæ metus eſt, quàm ne *Criolis* aliquando caput rectorque contingat, Hiſpanicum jugum omnes, ſi Ducem haberent, excuſſuris. Georg. Hornius, *Orb. Polit.*

CRIOLIUM, vulgò CRIEL, caſtrum Galliæ, in Chartario Fiſcamnenſi celebratum, prope quod Euta, Caletorum fluvius, in Oceanum devolvitur, 2. à caſtro milliaribus, Hadr. Valeſ. in voce *Caleti.*

CRIOS, Latinè *aries* dicitur, quô nomine dictus eſt Æginetæ quidam luctator decantatiſſimus, apud Græcos.

CRISA, vide *Criſſa.*

CRISÆ, urbs Troadis.

CRISCIACUM, vide *Creſſiacum.*

CRISIPHON, primus Architectus Templi Epheſini, memoratur Plinio, *l. 7. c. 37. Laudatus eſt & Criſiphon Gnoſius æde Epheſiæ Dianæ admirabili fabricata.* Vitruvio non uno in loco *Creſiphon* dicitur, vide Salmaſ. ad *Solin. p. 812. & ſeqq.*

CRISON, Himeræus ſtadiô vicit, Phiniſcô Archonte ao. 1. Olymp. 83. teſtibus Dionyſ. Halicarnaſſeô, *l. 11.* Diodor. Siculò, *l. 12.* Pauſaniâ, *Eliacis prioribus*, itemque Euſebiô, apud quem Κρίσων ſcribitur, quemadmodum etiam apud Platonem *de Legg. l. 8.* [illegible] Clemens, *l. 5. Strom.* [illegible] Apud Ariſtophanem, in quadam fabula, corruptè Γρίσων ſcriptum fuerat, unde eſt Heſychius *Gloſſis*, Γρίσων [illegible] *Nic. Lloydius.*

CRISPEIUM, vetus Galliæ, in Silvanectibus caſtrum, ſede Comitum & Prioratu S. Arnulfi veteri inſigne. Vulgò *Creſſi en Valois.* Ejus Comites modo Comites Vadenſes, ab agro, modo *Criſpiacenſes*, à capite agri ſeu pagi, apud Hiſtoricos appellantur. Solidi *Criſpiacenſes* monetæ memorantur in veteribus tabulis. Vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CRISPINA, Antiſtii Burri, de quo Capitolin. in *Pertinace*, c. 3. ſoror, uxor fuit Commodi Imperatoris, ut quidem *Onuphrius* ſcribit; ſed idoneum rei teſtem quærit Salmaſ. *ad Lamprid. in Commod. c. 6.*

CRISPINA, Brutii Præſentis filia, qui Collega fuit Pii ſecundùm Conſulis, nupſit Commodo, Jul. Capitolin. *in M. Antonino Philoſopho, c. 27.*

CRISPINA, T. Vinii cum Galbâ Conſulis filia, patrem in conſpiratione Othonianâ occiſum quæſitô redemptôque capite, quod venale interfectores ſervaverant, compoſuit ac ſepelivit. Tacit. *l. 1. Hiſt. c. 47.*

CRISPINA, Pannoniæ urbs. *Antonin.*

CRISPINIUM, vetus Monaſterium in Hannonia, Benedi-

ſtrnatum, cum titulo Abbatiæ, à B. Landelino extructum. Vulgò *Creſpin*. Hugo ex ejus Abbatibus, interfuit A. C. 1059. conſecrationi Philippi Galliæ Regis. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CRISPINUS, centurio in inferiore Germaniæ exercitu, quòd ſe ſanguine Capitonis cruentâſſet, à militibus, ſub Vitellii imperii initium, occiſus Tacit. *l.* 1. *Hiſt. c.* 58.

CRISPINUS, Præfectus Prætorii Domitiani Principis, celebratur à Statio, *l.* 5. *Sylv.* 2. qui patre illum Vectiô Bolanô, quem comitem habuit in Armenia Corbulo, prognatum ſcribit. At à Juvenale, *Sat.* 1. *v.* 26. proſcinditur, tanquam

Pars Niliacæ plebis & verna Canopi.

Et rurſum, *Sat.* 4. *v.* 1. adulter & inceſtu notatur:

Ecce iterum Criſpinus, & eſt mihi ſæpe, vocandus
Ad partes, monſtrum nulla virtute redemptum
A vitiis, &c.

Item *Criſpinus* Conſul, Collega Juventii Celſi, an. Urb. Cond. 865. Alius Collega Æliani, an. Urb. Cond. 939. Tertius Conſul cum Juliano, an. Urb. Cond. 976. Item, auctor vitæ S. Parthenii, Epiſcopi Lampſaceni, Latinè verſæ à Simeone Metaphraſte.

CRISPINUS & Menophilus, Viri Conſulares, à Senatu Romano Aquilejam miſſi ſunt, urbi, quam Maximinus obſederat, tuendæ, apud Capitolinum in *Maximino*, c. 22. à quibus Maximinum victum eſſe, & obſidionem ſolvere coactum, idem refert in *Maximo & Balbino*, c. 12.

CRISPINUS, vide *Rufus*.

CRISPITIA, Daciæ urbs. *Lib. Notit.*

CRISPUS F. Julius, Conſtantini M. fil. ex Minervina, à Patre Cæſar appellatus A. C. 317. cum fratre Conſtantino Juniore ex Fauſta, filio: cujus libidini cum parere nollet, apud patrem inceſtus novercæ intentati delatus eſt. Qui egregium Juvenem, & ipſi Juliano laudatum, venenô ſuſtulit, A. C. 326. negante factum Evagriô, & Euſebiô prætereunte. *Idatius.* Alii mortem ejus concil. Nicænum præceſſiſſe volunt. Oroſius, *l.* 7. *c.* 28. necis hujus cauſam in occulto ponit. Certum eſt, Fauſtam poſtmodùm, Criſpi innocentiâ cognitâ, à Marito neci datam. Ediderat hic Criſpus egregia jam fortitudinis ſpecimina, in bello contra Alemannos, Lactantiô Firmianô præceptore uſus Hieron. *catal.*

CRISPUS Joh. Baptiſta, vide *ibi*.

CRISPUS Paſſienus, quô nihil ſe cognoviſſe ſubtilius in omnibus rebus, maximè in diſtinguendis, curandiſque vitiis, Seneca ſcribit, *Præf. in l.* 4. *Nat. Qu.*

CRISPUS Salluſtius, Hiſtoricus Latinus, Thucydidi ex Græcis opponitur à Quintiliano, *l.* 10. *c.* 1. elegantiâ dicendi, Atticâ brevitate, ſententiarum crebritate. Taxatur autem à Pollione, ut nimis antiquarius, & ex Catonis Originibus verba mutuatus, à Trogo autem, quod orationibus nimis longis uſus ſit, ſicuti & Thucydides. Elogium ejus habes apud Martialem, *l.* 14. *Epigr.* 191.

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romanâ Criſpus in hiſtoriâ.

Ciceronis acerrimus inimicus fuit, ut ex mutuiſque invectivis orationibus (modò eorum ſint) conſtat. M. autem Varro Criſpum Salluſtium, in adulterio deprehenſum, ab Annio Milone loris benè cæſum dicit; & cùm dediſſet pecuniam, dimiſſum. Gellius, *l.* 17. *c.* 18. Horatius, *l.* 1. *Sermon. Sat.* 2. *v.* 47. dicit,

Tutior at multo merx eſt in claſſe ſecundâ
Libertinarum dico; Salluſtius in quas
Non minus inſanit, quàm qui mœchatur.

Qui tamen Horatius alibi eum laudat, tanquam liberalem, *l.* 2. *Od.* 2. *v.* 1.

Nullus argento color eſt avaris
Abdito terris, inimice lamnæ,
Criſpe Salluſti, niſi temperato
Splendeat uſu.

E contrario Aſotiam ejus Lenæus Cn. Pompeji M. libertus perſtrinxit, *Laſtaurum, lurconem, nebulonem, popinonem* appellans. Sueton *de Illuſtr. Gram. c.* 15. Et clamator ille quaſi Tullius, Salluſtio reſpondens, decoctorem eum depingit & *patrimonium* ei objectat *non comeſum ſed devoratum*. Noteavit & Acro, *in Sat.* 2 *l.* 1. *Quòd Caſſii Nomentani coquum Damam centum millibus æris conductum habuerit.* Blanditur tamen ei, ob amicitiam Cæſaris, de qua rectè Acro & Porphyrio. Et L. Seneca, *l.* 1. *de Clem. c.* 10. ponit Salluſtium in Auguſti *cohorte prima interioris admiſſionis*. Deceſſit ex hac vita, quadrienniô ante bellum Actiacum, compluribus Hiſtoriæ Romanæ libris perfectis & abſolutis, ſed quorum præter *Conjurationem Catilinæ*, & *Bellum Jugurthinum*, atque *fragmenta quædam*, temporum injuriâ nihil ad nos pervenit. *Vide Salluſtius. Mr. Lloydius.*

CRISPUS Vibius, Orator, ore compoſitus ac jucundus, privatis tamen cauſis quàm publicis melior. Quintilian. *l.* 10. *c.* 1. Vide & *Vibius*.

CRISSA, vel CRISA, Phocidis oppid. maritimum, à *Criſſo* Phoci filio conditum, ad ſinum Corinthiacum, qui ex eo ibi *Criſſæus* nominatus, *Claveri*. ex *tabul. recent.*

CRISSA, oppid. Brutiorum in Calabria ulteriore *Rocha d' Angitola*, teſte *Barr.*

CRISTA, in *veter. Inſcr.* in aliis *Creſtum*, in Monumentis urbis *MSS. Criſta Arnaudi*, caſtrum Galliæ, in agro Valentinenſi, ad Druntiam fluv. *la Drome*, primùm fuit, ad Comites Dienſes & Valentinos pertinens, jam oppidulum, 4. leucis Valentiâ diſtans: cujus reditus, ut & ipſius Valentiæ, locorumque *Chabeuil*, *Grane* & *Montelimar*, Galliæ Regis conceſſu, ad Principem Monaci ſpectant Turris ibi conſpicua, cujus in hiſtoria mentio frequens, ubi de litigiis Comitum præfatorum cum Delphinis Viennenſibus, ibidem eorum ſepulchra viſuntur, in Franciſcanorum Monaſterio. Memorabilis imprimis *Inſcriptio* hæc, quæ in Æde Cathedrali hodieque extat.

Annô ab Incarnatione Domini M. C. LXXXVIII. menſe Martiô, indictione ſeptimâ: Ego Ademarus de Pictavis Comes Valentinenſis, dono, laudo atque concedo plenam libertatem omnibus hominibus meis de Criſta, qui nunc ſunt & futuri ſunt, ut nullo deinceps tempore à me vel ab alio ſucceſſorum meorum violentas ſive injuſtas exactiones perſare cogantur, ſide juſſores ſive obſides præter ſuam voluntatem non ſiant, ſalvis legibus & juſtitiis meis bannis & expeditionibus & officio omnium militum: & quod omni tempore vitæ meæ conceſſam libertatem conſervem, jurejurando reliogiôſe confirmo. Hoc autem factum eſt in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Criſta, præſente Dominô Rotbertô Dienſi Epiſcopô, Dominô Euſtachiô Valentinenſi præpoſitô patruô meô &c.

apud Jac. Sponium, *Itinerar. Græcia Part.* 1. *p.* 6. & *parte* 3. *p.* 15. & 16. ubi etiam alteram addit *Inſcriptionem*, ſuprà indiguatam, quæ *Teſtamentum de banno vini Petri Dienſis Epiſc. & ejus nepotum, & Guilielmi Creſti* complectitur. Vide quoque in voce *Creſta*.

CRISTA, apud Virgilium, *l.* 9. *Æn. v.* 732. ubi de Turno,

— — tremunt in vertice criſtæ
Sanguineæ —

ornatus galeæ eſt, qui illam admirabilem reddit, ut loquitur *Etymologicon*, [illegible]. Super cono, qui ſuprema & eminentiſſima galeæ pars Græcis λόφος, ſeu [illegible], item [illegible], omnia galeæ additamenta, pinnas, aves totas, horribilium ferarum effigies, ſpolia, Gorgones, juxta caudas equorum, adeoque *criſtas* varii generis, ſuſtinebat. *Criſta* itaque addebatur cono, & ſupra eum collocabatur, ſive exibat ex ipſo, ut apud Silium Italic. *l.* 16. *v.* 555.

— — — criſtâ nitenti
Exſurgens cono, ſpolia curvaque Libyſſa.

Atque proin non quidem neceſſaria erat ambiendo muniendove capiti, ſed altiùs aſſurgebat, ac præ ſe ferebat neſcio quod inſigne generoſitatis & fortitudinis. Græcè etiam λόφος nonnunquam, ut conus; ſed propriè φάλος, quòd ſuper cono *ſplenderet* & exiret in ſuperiora: & magis ſignanter φάλος [illegible], Inveniſſe *Criſtas* in galeis, ſicut ſigna in clypeis, & anſas clypeorum, Cares, Herodotus tradit, *Muſâ* 1. Iiſdem Poëtæ eximium quemque bellatorem donant, ut Virgilius Achillem, *l.* 8. *Æn.* Romulum, *l.* 6. Æneam, *l.* 8. Turnum, *l.* 9. juventutem Rutulam, *ibid.* Pandarum & Bitium, Mezentium item, *l.* 10. de quo poſtremo inquit, *v.* 869.

Ære caput fulgens, criſtâque hirſutus equinâ.

Eaſdem hoſtibus detractas inter inſignia ſpolia ſtatuebant. Virgilius iterum de Regia Latini, *l.* 7. *Æn. v.* 185.

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures,
Et criſtæ capitum —

Sic Euryalus Meſſapi galeam *criſtatam* aufert, apud eundem, *l.* 9. Aſcanius Niſo pollicetur *criſtas* Turni, *ibid.* Vide quoque de *criſtis* Mezentii, *l.* 11. *Æn.* E quibus locis colligit Paſchalius, univerſum illum galeæ ornatum quandoque fuiſſe dictum [illegible], h. e. *utrinque criſtatam*, ſeu duplici criſtâ conſpicuam galeam. Interdum verò hic ipſe ornatus conſtituit [illegible] ſeu [illegible], *triplici vertice criſtatâ galeâ*, ut videre eſt apud Plutarchum, in *Arato*. Sic Ariſtophan. τρεῖς λόφους nominat hoc verſu *Acharn.*

[illegible] λόφων,
Thecam offer trium criſtarum.

Et Ajacis galeam [illegible] propterea vocat Euripides, *Oreſte*. *Alii ſic Trigeminæ* quoque *criſtæ* in Palladis picturis obſervantur, ut docet Caſp. Barthius *ad Statium*, *l.* 2. *Thebaid. v.* 242. Imò & *Quadruplicatâ criſta*, τετράφαλος, occurrit apud Homerum, *Iliad.* λ. & Apollonium Rhodium, *l.* 3. Ariſtophanes [illegible], *quadrupennem*, vocat, ubi de Geryone,

[illegible],

Vide Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 10 *c.* 19. Sed *tres criſtarum ordines*, in Heroum galeis frequentiſſimæ: Fuitque rata & ſtatuta quaſi Romanis moribus hæc triplicitas, recte um in[illegible] *criſtarum* quæ hominem terribiliorem & altero ſere tanto facerent altiorem. Unde *ter ſcandens* [illegible]ba, apud Statium, *l.* 4. *Thebaid. v.* 130 & *triplex juba*, apud Virg. *l.* 7 *Æn. v.* 785. tribus mirum gradibus circumvolutis criſtis & demum in jubam erectis. Vide quæ ad [illegible], *cor*[illegible] *meam* Polybii, commentatur Barthius *ad Statium*, *d. l.* Colit *novem* communiter. Silius Ital. *l.* 2. *v.* 398.

— *galeamque*

--- --- galeamque coruſcis
Submiſſam criſtis, *vibrans cui vertice coni*
Albentes nivea tremulò nutamine pennæ.

Vide Lipſium, *de Militia Rom. l.* 3. *c.* 5. Sed & *ruber*, Heroibus imprimis priſcis. Statius, *l.* 2. *Thebaid. v.* 130.

--- Criſtaſque *videt rutilare comantes.*

Purpureus enim color magni animi geſtamen, fermè omnibus affectatur. Romanis tamen Polybius *nigrum* placuiſſe notat; qui color ad terrorem augendum aptus, firmus item, nec variabilis faciei. Ad magnitudinem *Criſtarum* ſpectat locus ejuſdem Statii, *Theb. l.* 9. *v.* 262.

Spicula jam clypeoſque leves arcuſque remiſſos
Unda vehit, galeaſque vetant deſcendere criſtæ.

Cùm enim galeæ veterum Heroum minimè leves fuerint, quantas eſſe criſtas oportuit, quæ illas mergi non paterentur &c. Vide plura hanc in rem apud laudatum Barthium, *Animadverſ. ad Papin. Statium paſſim, imprimis ad loca citata.* De *criſtis* verò Turcarum, Indiæque Regulorum hodiernis, vide Joann. Baptiſtam Tavernier in *Deſcr. Serralii*, ut & infrà in voce *Manucodiata*. Addam ſaltem, ſicut *criſtas* ſumsêre Duces olim, ut conſpicui eſſent ſuis: ſic cùm ii latere volebant, uſos fuiſſe galeâ ſine cono & criſtâ, quæ ἄλοφος Græcis & ἀφαλὸς, Homero καταῖτυξ, dicta eſt, *Il.* κ. *v.* 258. de qua vide eundem Paſchalium ſuprà laudatum, *l.* 10. *c.* 20. Sed & obſervat Salmaſ. *Criſtas* etiam dictas eſſe, non tantùm pinnas galeis aptatas, ſed etiam ex ipſo ferro laminas eminentes, & rectas, quæ medium galeam dividebant, ex Vegetio & monumentis antiquis: quales hodieque paſſim, *Exercitat. Plin. ad Solin. p.* 547. De *Criſtis* verò avium, unde ad galeas appellatio tranſlata, vide inſignem locum Plinii, *l.* 11. *c.* 37. Addam hoc unicum, quòd *Criſtæ* gallorum gallinaceorum in deliciis Veteribus fuêre. De Heliogabalo Æl. Lamprid *c.* 19. *Comedit*, inquit, *ſæpius ad imitationem Apicii calcanea camelorum & criſtas vivis gallinaceis demptas.* Quem hodieque imitari eos, qui palatum habent eruditum, docet Salmaſ. *ad loc.* Vide quoque infrà *Gallina*.

CRISTONEI, populi Scythis vicini. *Stobæus*. Vide *Creſtones*.

CRITALIS, Cappadociæ oppid. *Herodot.*

CRITENSI, Aſiæ populi à Memnonibus & Davellis dierum 20 intervallò diſcreti. Plin. *l.* 6. *c.* 30.

CRITHEA, vulgò *Critia*, oppid. Cherſoneſi Thrac. in Mediterran. apud Madyton urbem, *Ferrar.*

CRITHEIS, ut ex Ephoro refert Plut. *in vita Homeri*, filia Atellis, quam moriens in Mæonis fratris tutela reliquit. Hic autem cùm puellam vitiâſſet, gravidamque feciſſet, atque ob id facti vereretur infamiam, Phemio eam Smyrnæo, Grammaticæ præceptori in matrimonium dedit. Illa verò non multò poſt Homerum peperit, qui *Meleſigenes* priùs dictus, & poſteà *cæcus* factus *Homeri* nomen cepit. Ariſtoteles autem, *l.* 3. *de poëtica* longè aliter hæc narrat, ut & Pauſanias, *ubi de Meleta*.

CRITHO, civis ex Oeantis princeps, cujus filiam Themiſto in matrimonium petitam cùm à patre non impetraret filio ſuo Philoni Phricodemus tyrannus, in conſpectu ipſius filios trucidari juſſit. Vide Polyæn *l.* 8. *c.* 46.

CRITHOPHAGUS, cognomen Macedonii Eremitæ, memorati Theodoreto, *Hiſtor. relig. c.* 13. ſic Græcâ voce dicti, quaſi *hordei comeſtor*: quòd quadraginta annorum ſpatiô nihil, præter *hordeum*, comederit, nec casâ, nec tabernaculô uſus; ſed in foſſa manens, unde & *Gubba* idem Syriacè appellatus eſt. Vide A. Rivetum, *Summa Controv. Tract.* 2. *Quæſt.* 23. *num.* 22. Apud *Polybium* verò κριθοφάγοι dicuntur milites, quibus *hordei* eſus ignominiæ pœnæque locô injunctus eſt, uti dicemus infrà, ubi de *Hordeo*.

CRITHOTE, urbs Helleſponti, 80. ſtad. à Cardia diſtans. Eſt & promont. Acarnaniæ. *Stephano* Κριθώτη *dicitur.*

CRITI-TU-BILU, apud Anonymum Barenſem in *Chron.* A. C. 1012. i. e. Κριτὴς τοῦ βήλου, h. e. *Judex veli*, nomen dignitatis, apud Byzantinos, de qua vide Car. du Freſne *ad Cinnamum*, *p.* 485.

CRITIAS, unus è 30. Tyrannis Athenienſibus, à Lacedæmoniis impoſitis. Cicer. *l.* 2. *de Orat.* Scripſit *elegiam ad Alcibiadem*, à Platone in Dialogis ſuis introducitur, ejuſque egregium fragmentum citat Sextus Philoſophus.

CRITIAS, Philoſophus, dixit animam eſſe ſanguinem.

CRITIAS, *ἐν ταῖς πολιτείαις* citatur à Julio Polluce, *l.* 7. *c.* 21. Egit eô opere, de variis rebuſpubl. ac inter alias de republ. Lacedæmoniorum, cujus libri bis meminit Athen *l.* 11. Illuſtre hujus ſcriptoris teſtimonium adducit Clemens *penè initiô Sexti Stromateon.* Putat Voſſius, *l.* 3. *de Hiſt. Græc. p.* 348. eundem eſſe, cujus Plut. meminit *in Lycurgo & Solone.* Alius fuit *Critias*, Callæſchri fil. Poëta, cujus verſus recitat Plat. *in Alcibiade*, & Athenæus, *l.* 1. *c.* 13.

CRITICE, in *emendatione* Auctorum & *judicio* conſiſtens ars, inter ſpecies Grammaticæ artis nobiliſſima eſt: Unde *omnium maximarum artium ſcientiam complexa* dicitur, à Quintiliano, *l.* 1. *c.* 2. & , *l.* 2. *c.* 4. Ejus geminum munus, cujus paulo antè meminimus, agnoſcunt Varro apud Diomedem, *l.* 2. & Marius Victorinus. Nimirum *emendationis* eſt, quod falsò inſerta tollat, ac corrupta à librariis, corrigat: *Judicii*, ratione quidem univerſi operis, quòd ſcripta ſpuria diſcernat, à legitimis; ratione autem particularium locorum, quod iis, quæ perperam dixiſſent, vel ſcripſiſſent Auctores, Θ. vel obelum, ſive ut Fabius, *l.* 1. *c.* 4. vocat, virgulam cenſoriam apponat, vel aliam culpæ indicem notam. De cujuſmodi librorum notis egêre olim Diogenes Cyzicenus & Suetonius Tranquillus, ſed quæ illi hac de re ſcripſerant, periêre. Utcunque tamen notas has diſcere eſt ex Laërtio, *in Platone*, Epiphanio, *περὶ μέτρων* & Iſidoro, *l.* 1. *Orig. c.* 20. E junioribus, à Caſaubono *ad Laërtium* & Woweirn, *Πολυμαθίας c.* 17. Vide quoque infrà, voce *Nota*, it. *Obelus*, *Pataplaſmata*; & ſuprà *Chroemeta*. Hinc *Critici*, Græcis Κριτικοὶ, Latinis quoque *Judices*, Horat. *l.* 1. *Sat.* 10. *v.* 37. aliter *Grammatici* dicti, ſed priorem *Critici*, quàm *Grammatici*, appellationem eſſe, ex Dione Chryſoſtomo diſcimus *Orat.* 53. quæ *περὶ Ὁμήρου*: & docet Voſſius Grammaticum non exercere judicium niſi in Grammaticis, *Criſin* verò illam, quæ de aliarum diſciplinarum ſubjecto eſt, ad illas pertinere. *Criticorum* in Græcia antiquiſſimis temporibus primus habetur Piſiſtratus, qui Homeri libros priùs confuſos, in eum ordinem, quem hodieque ſervant, digeſſiſſe dicitur. quod tamen alii filio ejus Hipparcho adſcribunt. Poſteà Plato, Ariſtoteles ac Zeno artem excoluerunt, Ariſtoteles imprimis; qui proin *Critices inventor* eidem Chryſoſtomo dicitur, & *Critici* elogium primus adeptus eſt. Hic circa Alexandri M. tempora Iliadem; ſicut Calliſthenes & Anaxarchus Odyſſeam, emendavit; quæ Homeri editio ἐκ τοῦ Νάρθηκος ſeu *Narthecina* dicta eſt, quòd eam Alexander ſic emendatam in Darii narthecem depoſuiſſet. Idem omnes Philoſophos antiquos, uno ipſo quidem Platone exceptô, omnes Poëtas, Reſpublicas, leges ſub cenſuram vocavit. Vide Heinſium *in Prolegom. ad Ariſtarchum.* Eô paulò juniores fuêre Philetas Criticus & Demetrius Phalereus, quorum hic Alexandrinæ præfuit Bibliothecæ, illius auditor fuit Zenodotus poſt Demetrium Bibliothecæ præfectus. Eâdem ætate claruit Callimachus, cujus diſcipulus Eratoſthenes ὁ πένταθλος fuit, præceptor Ariſtophanis Byzantii, qui Ptolemæi Epiphanis principatu magno in pretio habitus eſt. Ariſtophanem vero audiit Ariſtarchus, à quo Homeri verſus, quos nothos putaret, confixi ſunt. Ejus diſcipuli fuêre Dionyſius Thrax & Apollodorus, quem primùm *Critici* nomen retuliſſe, ait Clemens, *l.* 1. *Strom*, ſed addit, *alios hoc tribuere Eratoſtheni.* Imo & ſunt, qui Ariſtoteli id vindicent, ut dictum. Apollodori æqualis fuit Crates Mallotes, qui novem Homericarum emendationum libros reliquit, teſte *Suidâ*, legatuſque ab Attalo Romam miſſus, primùm Grammatices ſtudium urbi intulit. Poſt eum multi Criticorum Græcorum in urbe vixerunt, uterque Tyrannio inprimis. Græcorum exemplum itaque ſecuti Romani ſunt in ſuæ linguæ Scriptoribus, L. Ælius Stylo, Santra, Varro, Nigidius Figulus, Verrius, Flaccus, Palæmon, Aſconius, pluréſque alii. Imo Valerius Probus, ut de eo Sueton. *c.* 24. *de Illuſtr. Gramm.* ſcripſit, *multa exemplaria contracta emendare ac diſtinguere, & adnotare curavit, ſoli huic, nec ulli præterea Grammatices parti deditus.* Cicero correxit Lucretium, teſte Euſebiô *in Chron.* Ennium Lampadio emendavit, ut ex A. Gellio ſcimus, *l.* 18. *c.* 5. Calliopus ſeu Calliopius Terentium recenſuit, Jul. Celſus Cæſarem emendare conatus eſt, Salluſtius Rhetor Tacitum correxit, Gallus Avienus A. Gellio manum Medicam admovit, alii aliorum Scriptorum judices fuêre, quos è codd. MSS. cognoſcere eſt. Utrique tum Græci, tum Latini, nomen libris appoſuêre: unde memorat Galenus, in Ptolemæi Bibliotheca inventum eſſe librum tertium Hippocratis Ἐπιδημιῶν, cum inſcriptione hujuſmodi: τῶν ἐκ πλοίων κατὰ διορθωτὴν Μνήμονα Σιδήτην. Poſtquàm autem diu *Critica* quaſi ſepulta jacuit, per non unam barbaræ ignorantiæ annorum centuriam, lacertos iterum movit præteritô ſeculô circa Reformationis initia ſub Eraſmo Roterodamo; eum ſucceſſêre Scaligeri ambo, Lipſius, Caſaubonus; ſed in Salmaſio ac Heinſio defeciſſe videtur, paucis quibuſdam ſuperſtitibus, verba ſunt Georgii Hornii *præfat. in Hiſtor. Philoſophicam.* Vide plura apud Voſſium *in Ariſtarcho*, *l.* 1. *c.* 6. De *Critica* vero *Hebræorum*, infrà voce *Maſora*, it. *Synagoga magna*.

CRITO, Rugiorum Princeps, fil. Grimini familiæ conditoris. Lubecam extruxit, Chriſtianorum crudelis perſecutor, Buthueque Principe Obotritorum occiſô, regnum uſurpavit, ab illius fratre Henrico viciſſim, poſtquàm ejus aliquoties victor tandemque in ſocietatem ab illo receptus ſibi inſidias ſtrui is cerneret, fraude uxoris Slavinæ occiſus, quam poſteà ſibi Henricus junxit. Ei ſucceſſit ut filius, ut agnatus Razo, Princeps belliccoſus, Ruzeburgi conditor: circa ſeculum 12. Vide Phil. Jacobum Spenerum, *Syll. Genealogico-Hiſtorica in Fam. Vandalica.* Item Gothæarum rerum Scriptor. *Suidas.*

CRITO, Acronis Agrigentini diſcipulus, Coſmeticæ primus Author, apud Reges fœminaſque illuſtres Medicinam fecit. De eo, ſcriptiſque ejus vide Galen. *l.* 1.

CRITO, Athenienſis, Socratis familiaris, quem ex opibus juvit, & cum quo uſque ad extremum vitæ philoſophatus eſt. Ejus filii Critobulus, Hermogenes, Cteſippus & Epigenes, Socratis diſcipuli. *Dialogos* compoſuit 17. Vide Diog. Laërt. *l.* 2. Alius Pieriotes, (Pieria autem eſt orbis Macedoniæ) Hiſtoricus, ſcripſit *res Perſicas, Siculas & Macedonicas.* Alius genere Naxius Hiſtoricus quoque. *Suidas.* Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 349.

CRITOBULUS, Medicus. Plinius, *l.* 7. *c.* 37. *Magna & Critobulo fama eſt, extractâ Philippi Regis oculo ſagittâ, & citra deformitatem oris curatâ orbitate luminis.* Fortè is ipſe eſt, qui apud Curt. *l.* 9. *c.* 4. Alexandrum, vulnere ingenti in Oxydracarum urbe acceptô, feliciter curavit.

CRITOBULUS, fil. Critonis, diſcipulus Socratis. Diog. Laërt. *in Critone.*

CRITODEMUS, res veteres memoriæ prodidit Aſtrologus inſignis, Epigeni & Beroſo conjungitur, apud Plin. *l.* 7. *c.* 56. Vide *Beroſus*, it. *Epigenes.*

CRITOGNATUS, ſummô in Arvernis natus locô, & magnæ habitus auctoritatis, Aleſiæ ſummam imperii tenuit. Suaſit, ut qui ad bellum inutiles eſſent, eorum corporibus oppidani vitam tolerarent. Cæſ. *l.* 7. *Comm. c.* 77.

CRITOLAUS, Achæorum Dux, qui Corinthum conſiliis ſuis evertit. Cicer. *l.* 3. *de Nat. Deor. c.* 38. Sororem interfecit, quod ſibi è victoria redeunti non gratularetur, quum tamen cæteri omnes ei applauderent. Poſtremò à Qu. Cæcilio Metello victus, apud Thermopylas, venenô ſibi mortem conſcivit.

CRITOLAUS, Athenienſis, nobilis Peripateticus, Romam ab Athenienſibus miſſus legatus cum Carneade ac Diogene Stoico, ut ſcribit Cicero, *l.* 2. *de Oratore*, de quo idem Cicero in *Tuſc. Qu. l.* 5. *c.* 17. *Quo loco*, inquit, *quæro*, *quam vim habeat libra illa Critolai*, *qui cum in alteram lancem animi bona imponat*, *in alteram corporis*, & *externa*, *tantum propendere illam bonis lancem putat*, *ut terram & maria deprimat*. Macrob. *l.* 1. *Saturn. c.* 5. Aul. Gellius, *l.* 9. *c.* 5.

CRITOLAUS, Hiſtoricus, ſu libris extulit *rerum Epiroticarum*, quorum tertium citat Plutarchus *in Paral. c.* 4. Vulgavit & libros *Φαινομένων*, ex quorum quarto quædam adducit, *eodem libro* Plut. *c.* 9. Vide eundem *in Pericle* & Aul. Gellium, *l.* 11. *c.* 9. Inprimis Voſſ. *de Hiſt. Græc. p.* 349.

CRITON, Hiſtoricus, vide *Crito*. Reliquit *Pallenica*, *Syracuſarum originem*, *Perſica*, *Sicula*, &c. Suidas. *Meſſenia* ejus celebrat Jul. Pollux, *l.* 10. *c.* 17. *Getica* etiam conſignâſſe ex Stephano diſcimus, in *Ttiba*.

CRIU METOPON, i. e. *Arietis frons*, promontor. geminum. Unum Cretæ in ora Auſtrali ad Occidentem, *Capo S. Jano Nigro*, *Capo Leone* Pineto. *Capo Crio*, prope vicus eſt *S. Giovanni de Capo Crio*. *Baudrand*. Dionyſ. v. 87.

> —— Ἥ τ' εἰς ἅλα πουλὺ νένευκε
> Πὰρ δ' ἱερὴν Γόρτυνα καὶ ἠπειρῶτιδα Φαιστὸν
> Προὔχουσα, κριοῖο κατ' ἀντίον ἰσχανόωντα,
> Τόσσον μὲν καὶ κριοῦ ὑπερνείκων μέτωπον.

Alterum Tauricæ Cherſoneſi, in ora meridionali, Carambi Paphlagoniæ promontorio oppoſitum; Nunc *Ian Keroun*, in Pontum Euxinum excurrit. 100. ferè milliar. à Theodoſia, 120. à Carcina urbe in Auſtrum. *Baudrand*. de quo idem Dionyſ. v. 150.

> Μέσσῃ δ' ἴθυνα καὶ ἴθυνα διὰ ἀνέχουσι κολώνας
> Ἡ μὲν ὑπὲρ ..., τήν τε καλέουσι Κάραμβιν,
> Ἡ δὲ βορειοτέρη γαίης ὕπερ Εὐρωπείης.
> Τήν ῥα περικτίονες κριοῦ καλέουσι μέτωπον.

CRIUS, municipium Atticæ. *Suidas*. Tribus Antiochidis, à κριῷ, i. e. *Ariete* quodam dictum. Vide Schol. in Ariſtoph. *Aves*. Item Achajæ fluv. Pauſan. *l.* 7.

CRIXIA, Liguriæ pagus. *Antonin. Croſetta*, & *Cruſera*. *Baudrando Coſſeria*, nunc in Montisferr. prope fontes Bormiæ min. fluv. & ad radices Apennini, in confinio ditionis Genuenſis. 2. milliar. à Milleſimo, 10. à Savona in Boream.

CROATIA, German. *Krabaten*, Latin. *Corbavia*, provinc. Europæ, à quibuſdam in vetere Liburnia, à *Cedreno*, in regione Corbatum collocata. A Chrovatis, hîc ſibi ſedem legentibus, dicta, A. C. 886. Sigon. *l.* 5. Hîc magnus fidelium numerus, circa A. C. 1230. ſub Bartholomæo Superintendente. Vide Matth. Pariſ. *in Henr. III.* à Carolo Hungariæ Rege occupata eſt, A. C. 1310. Hodie dividitur in Imperialem & Turcicam, in quarum illa urbes, *S. Vit*, *Segna*, *Aſſangrad*, &c. In iſta, *Wihitz*, *Caſtanowitz*, *Cliſſa*, *Corbavia*, &c. Incolæ regni hujus egregii milites, & ſaltatores, inprimis Uſcoki. Nobiles verò obnoxii, ſuperbi, importuni. Soranz. *part.* 2. Marc. Fretſch. *de Croat.* Briet. *Geogr. part.* 2. *l.* 2. *Hungar. c.* 1. §. 2. Miræus, &c. Præfectus regionis *Bannus* vocatur. Unde legimus Bannum Croatiæ, ut Caroli Apuliæ Regis ab Eliſabetha in Hungariæ regnum acciti primitùs, dein interfecti, necem ulciſceretur, Eliſabetham in fluvio ſubmerſiſſe, Mariâ captivâ abductâ: poſtmodum verò à Sigiſmundo, hâc liberatâ, ſupplicio affectum eſſe. A. C. 1386. apud Dubrav. *Hiſt. Bohem. l.* 23. Vide quoque in voce *Bannus*, & *Liburnia*. Addo ſaltem, quod cùm Dalmatia olim proprios habuit Reges, quorum ultimus fuit Zeſimiros, qui ductâ Ladiſlai Hungariæ Regis ſorore ipſi moriens legavit Regnum: hæc Ladiſlao fratri, circa A. C. 1080. Hodie pro acceſſione potius Hungarici Regni, quàm propriis Regnis, habentur ambæ. Pfannerus *de Præcip. Germ. Princ. gentibus*, *c.* 2.

CROBIALUS, oppid. non longè à Seſamo in Paphlagonia, quod abluit Parthenius amnis, Dianæ virgini admodum gratus. Apollon. *l.* 2. Val. Flacc. *l.* 5. v. 102.

CROBYLUS, leno quidam omnium ſceleſtiſſimus, qui duo ſcorta domi alebat, quorum lenocinus quamplurimos adoleſcentes in perniciem alliciebat, nec his contentus eoſdem illectos furtò compilabat, unde Proverbium *Crobyli jugum*. Item Poeta Comicus.

CROBYLUS, apud Tertullian. *de Virginibus vel.* *Debebunt & ipſi aliqua inſignia ſibi defendere*, *aut pennas Garamantum*, *aut Crobylos barbarorum*, *aut cicadas Athenienſium*, *aut cirros Germanorum*: nonnullis cincinnus eſt aureus vel argenteus ex capillis dependens, aliis crinium plexus, in acumen deſinens, iſque propriè in viris. Unde Salmaſius, *In pueris Græcorum*, *ſimiliter hic cirrus erat*, *nodo collectus crinis in vertice* — *ſed in mulieribus propriè κόρυμβος dicebatur*, *in viris κρωβύλος*, *in pueris σκόρπιος*, *ad Solin. p.* 762. Qui promus, cùm *Crobyli* unà cùm *cicadis* Athenienſium proprii fuerint, legi vult apud Tertullianum, *ſtropulos Barbarorum*, de qua voce vide infrà: aliquid etiam voce *Reticulum*.

CROBYZI, populi juxta Iſtrum. *Steph.* Myſiæ inferioris gens. *Ptol.* Thracum popul. *Herodot.*

CROCA, pro *Cracovia*, à Polonis Poëtis poni ſolet, ut *l.* 7. *Itiner.*

> *Pandet & celſis ubi Croca tectis*
> *Regia ſurgit.*

CROCALA, inſul. arenoſa circa Indi fluv. oſtia, Plin. *l.* 6. *c.* 21.

CROCARDUS, reprobum nummi genus, apud Pembrigium A. C. 1300. quod unà cum pollardis & roſariis, qui ſimiliter locò ſterlingorum irrepſerant, *obolum primò valere fecit*, dein omnino exterminavit Eduardus I. H. Knyghtonus apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CROCEA, urbs Laconicæ, una ex centum. Pauſaniæ, *l.* 3. vicum eſſe dicitur & plurali numero *Croceæ*.

CROCEA, Auctor Ceremonialis Rom. *l.* 1. *ſect.* 2. *genus eſt chlamydis longæ ad terram uſque à parte anteriori apertæ*, *à ſummo ad imum rugoſæ*, *in formam capparum Prælatorum*, *ſi demas cucullum*: Addit Macer, cappam eſſe nigri coloris, magnis Græcorum Epiſcopis ſimilem, niſi quòd habeat ex poſteriori parte exiguum caputium, ſicuti in mozetta, refertque Cardinales illâ in Conclavi uti. Idem ſimiliter *Croceæ* formam, ab antiquis Rhodiorum Equitum Magiſtris ferri ſolitam, ære incidi & operi ſuo inſeri curavit, vide eum *Hierolex*. Dubitat tamen Car. du Freſne, annon in *Ceremoniali* præfato legendum ſit *Clocca*, nam *Cloccas* ſeu *Cloches*, Gallis vocatas eſſe, in *Gloſſar.*

CROCEUS, nomen piſcis, apud Sinenſes ſub Quantonia, in provinc. *Hoechen*, incolis, *Hoangtioya*, qui nec piſcis tantum, nec avis, ſed utrumque eſt. Per æſtatem ſcil. totam avis eſt *croci coloris*, per montes volitans; Autumnò ferè abſolutò Mare petit ac rurſum piſcis evadit. Eum hibernò tempore tantùm capiunt & ſuaviſſimi ſaporis eſſe dicunt Sinenſes, Auctor Anonymus, *Sina & Europa c.* 41. De *Croceo fluvio* eorundem celeberrimo, vide infrà in voce *Hoang*. Utrique nempe à colore nomen eſt. Eſt autem *Croceus* color, luteus, ſed in rubrum vergens, & quidem melino, *à malorum colore dicto*, magis rutilans & acutior. Hinc Poetæ Latini *rubrum crocum* vocant.

> *Nec fuerant rubri cognita fila croci.*

Et Græci ξανθόκροκον &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1155.
cum **CROCIA**, Abbatis inveſtitura, vide ſuô locô, uti de nota Judæorum *croceis* coloris, infrà, ubi de illis.

CROCIATONON, Unellorum fuit in Gallia Lugdunenſi urbs. *Ptol.* Nunc forſan *Carentan*, oppid. Normanniæ in Conſtantienſi territorio, vide *Carentonium*: à Bajocis 11. leuc. in Occaſum. *Baudrand*.

CROCILIACUM, *le Croiſil*, oppidul. Galliæ in Britannia ſuperiore cum portu capaci & turri; prope Guerandam urbem, & oſtia Ligeris fluv. 6. leuc. à Venetiis, in Meridiem.

CROCILLUS, nomen paſtoris apud *Theocritum*.

CROCINUM Unguentum, memoratum Plinio, *l.* 13. *c.* 2. *Crocinum in Solis Ciliciæ diu laudatum*, *mox Rhodi*: etiam Romanis inter luxuriæ fuit delitias, nec prorſus medelis aptum modò, ut quidam volunt, ſed etiam naribus gratum. Propert. *l.* 3. *Eleg.* 9. v. 21.

> *Sit menſæ ratio*, *noxque inter pocula currat*,
> *Et crocino nares murreus ungat onyx.*

Græcis item. Philodemus, *Epigrammat.* ἐρωτικῷ,

> —— καὶ κροκίνοις χρίσαι τὰ μέλη.
> *Et crocino ungere membra cadis.*

Sic Athenæus, ubi de Ptolemæi Philadelphi pompa, Ἦσαν δέ, inquit, ... χρυσαῖ ... καὶ ... μύρου. Et *l.* ubi de Antiocho, ... χρυσοῦν ... μύρῳ, καὶ ... καὶ ... : utrobique unice pretioſa & delitioſa unguenta id nominans. Conſtabat illud non ſolò *croco*, ſed ex multis aliis ſpeciebus componebatur, in quibus & myrrha. Interim præſtantiſſimum id *Crocini* genus (non enim una ejus σκευασία) ait *Dioſcorides*, quod crocum maximè ſuperet: ... Secundæ notæ fuiſſe, τὸ ... , *quod myrrham referebat*. Tertium genus ſolebat fieri. ... , *cerâ*, & *croco* & *medulla*, & *oleo duplo*. Cujuſmodi *crocini* genus, quàm modicatæ ſuavitatis eſſet, præcelſe Cicero apud Plinium: Ita enim hic, *In Marci Ciceronis*, ait, *monumentis*, *invenitur*, *unguenta gratiora eſſe*, *quæ terram*, *quam quæ crocum ſapiunt*, vide ipſum Ciceronem *de Oratore*, *l.* 3. & plura hanc in rem apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 1063. & *ſeqq.*

CROCIUS Johannes, Theologus celebris, Marpurgi docens; ſcripſit *Antibecanu*, *Antiweigelii*, *Commentar. in Jonam*, in *Epiſtolas Pauli minores*, &c. melyius. Obiit A. C. 1659. ætat 69. Miniſterii 47. Pater ei Paulus fuit Theol. itidem Doctor, Eccleſiæ Laſphenſis in Comitatu Witgenſteinio Paſtor & vicinorum Inſpector. Filium verò habuit cognominem, in Academia Marpurgenſi ſimiliter Theol. D. & Prof. jam pridem defunctum. Vide Paul. Freherum, *Theatrô Viror. eruditione clarorum*.

CROCIUS, Theſſaliæ campus prope Thebas Phthioticas, per quem Amphryſus fluit.

CROCOCALANA, *Crocolana*, vel *Corolana*, oppid. Angliæ in agro Lincolnienſi, *Antiquitates Camdeno*.

CROCODILOPOLIS, urbs Thebaidis in Ægypto ad Nilum. *Steph.* Item oppid. Phœnices in Paleſtinæ confinium, apud Carmelum montem. Plin. *l.* 5. *c.* 9.

CROCODILUS, Ægyptô perdomitâ, in Auguſti nummis ad palmam arborem catenâ revinctus, cum Inſcr. *Nemo antea religavit*: docent, Romano Imperio Ægyptum ſub jugum mittere, non minùs fuiſſe difficile, quàm piſcatori arduum eſt opus, crocodilum vinculis conſtringere. Crocodili enim venatio ſemper difficillimas ſemper habita eſt, unde etſi ... Nilum & lacus adjacentes his ſcatuiſſe, tamen raros admodùm fuiſſe qui caperent, eoſque non hamis, ut olim *Herodoti* referente, ſed retibus ferreis uſos, ſcribit *Diodorus*. Occaſione nummi prædicti *Heſychio* fortaſſe, Ἀμφιάραος ὁ κροκόδειλος, *Arbiteus Crocodilus*, quòd in illo ad arborem religatus eſſet, dictus eſt. Cæterùm *Crocodilus*, animal amphibium eſt, hinc *quadrupes malum & terrâ pariter ac flumine infeſtum*, Plinio, *l.* 8. *c.* 25. ubi illum pluribus deſcribit. Nec aliud

animal ex minori origine in majorem magnitudinem excedit; quippe natus ex ovo, anſerinó non majore, ad duodeviginti cubita plerunque excreſcit. In aquis, ubi noctibus quieſcit, ſeporis gratiâ, nihil videns; in terra, ubi diebus verſatur, acerrimi viſus eſt: in terra namque potiùs, quàm in aqua victum quærit. Quatuor tamen hibernis menſibus, quos mediâ tranſigit, φωλεύει, latet, οὐδὲν σιτέεται Nili: ſunt autem illi duo menſes ante Brumam, November videl. ac December & duo poſt illam Januarius ac Februarius. Dentes pectinatim coëuntes habet, oſque ampliſſimum, ſed elinguis: Cutem contra ictus invictam, δέρμα ἄῤῥηκτον, eamque ſquamatam, φολιδωτόν. Ovis edendis metatur locum, præſtivinatione quâdam naturali, quò Nilus non eſt aſcenſurus. Numinibus Apis nominem inſeſtâſſe, creditum olim, &c. Cum verò in *Crocodilo* major ſit peſtis, quàm ut unô ejus hoſte natura contenta eſſet, huic ichneumona in eum armavit, qui per dormientis fauces, ut telum aliquod, immiſſus, alvum erodit. Sed &, cùm in ventre mollis ſit tenuiſque ei cutis, delphini immeantes Nilo, quorum dorſo tanquam ad hunc uſum cultellata ineſt pinna, *ſe, ut territ, mergunt, ſubeuntesque alvum eadem ſecant ſpinâ.* Idem Plin. *l. 8. c. cit.* Quin & *gens hominum eſt*, pergit, *huic belluæ adverſa in ipſo Nilo Tentyrita ---- Adverſum eos ſoli audent. Quin etiam flumini innatant: dorſoque equitantium modò impoſiti, hiantibus reſupinô capite ad morſum, addita in os clavâ, dextra lævaque tenentes extrema ejus utrinque, ut frenis, in terram agunt captivos; ac voce etiam ſolâ territos, cogunt evomere recentia corpora ad ſepulturam.* Atque hi erant, qui, cùm Romæ Crocodili ſpectandi exhiberentur, ex piſcina in pegma quoddam eos extraherent viſendos, & poſt ſpectaculum tutius è pegmate in piſcinam retraherent, Strabo, *l.* 17. Pegma autem illud excitari ſolebat, ut crocodilus ἀπρόσβατος eſſet, quos inſolicularii amare norunt; ſicque faciliùs ſpectarentur. Quod primum factum M. Scauri Ædilitatis ludis, quibus is alteram Nili belluam hippopotamum, & quinque *Crocodilos* Romæ temporario Euripô oſtendit. Uti verò Tentyritæ inſectabantur Crocodilos & necabant; ſic in reliquis pleriſque ferè Ægypti urbibus contrà hi, Numinum inſtar, colebantur. Arſinoë inprimis, quæ hinc *Crocodilopolis* priùs audit, ubi *Crocodilum* cicurem, nomine *Suchon*, à Sacerdotibus magnâ veneratione haberi, & carne cibiſque aliis ac vinô ab advenis honorari ſolitum, tradit Strabo, *l.* 3. Herodotus quoque in *Euterpe* ab iis, qui circa Thebas & Mœridis lacum habitarent, eximiè belluam hanc cultam, ſinguloſque eorum crocodilum aluiſſe manſuefactum, & auribus ejus gemmas auroque fuſiles inaures appendiſſe: denique catenam prioribus ejus pedibus inneauiſſe, aliaque, quæ vel honorem ejus facere videbantur, ex more peregiſſe, ſcribit. Addit *ibid.* ut cùm mortui eſſent, eos ſale condirent inque ſacris urnis ſepelirent. At univerſæ Ægypto non peræque cultus *Crocodilus*. Juvenalis non quoque laudandus, de illis, *Sat.* 15. *v.* 2.

> ---- *Crocodilon adorat*
> *Pars hæc* ----

De incolis certe circa Elephantinem urbem idem Herodotus crocodilum adeò non exiſtimâſſe ſacrum, ut etiam iis veſcerentur, narrat. Sic licèt ab Ombitis non aliter iidem honorarentur ac à Græcis Romaniſque Dii Olympii: Apollonopolitæ tamen, Tentyritarum pars, ſummô illos odiô habuerunt, Ælian. *de Animalibus*, *l.* 10. *c.* 21. Unde & bellum internecinum inter Ombitas & Tentyritas, narrante Juvenali, *loc. cit. v.* 33.

> *Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,*
> *Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus,*
> *Ardet adhuc, Ombos & Tentyra.* ----

de quo vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 447 Duas autem cultus rationes adducit Diodorus, *l.* 1. priorem arceſſens ex eo quòd *Crocodilus* Ægypto munimenti locô eſſet, prohiberetque ne prædones Arabes Afrique Nilum tranſnatare poſſent: alteram apud ipſum lege. Contrà odii cauſam cæteris eſſe, vel quod Typhon crocodili formam induerit, vel quòd Pſammytihi Regis juſtiſſimi filiam crocodilus rapuerit apud Ælian. legas, ubi ſuprà. Sed & Tentyritis vim quandam naturalem contra crocodilos, uti Pſyllis contra ſerpentes, eſſe, ſic ut nihil damni ab ipſis accipiant, adeoque intrepidè Nilum tranent & urinentur, ſubdit *Strabo*. Vide Jac. Outzelium, *Animadverſion. ad Minucium Fel. p.* 170 & *ſeqq.* infrà de *Tentyrita*: Plura verò de celebri hoc Nili incola, apud Bochartum, *in Hieroz. paſſim, inprimis Part. poſter. l.* 5. *c.* 16. & *ſeqq. ubi Crocodilum, nomine Leviathanis, apud Hebræos, intelligendum eſſe, pluribus eruditè demonſtrat*: ut de *mira* ejus, abdominis inprimis *fragrantia*, ipſos quoque Arabicos odores ſuperante, infrà voce *Zobochade*, *de ſtercore ejus pro fuco* adhibito, *ind.* infrà in *fucus*: *de veſpis, an ſcorpionibus ex crocodilo naſcentibus*, voce *Veſpa*. Nomen quod attinet, Κροκόδειλος Græcis *lacerta maceriarum* dicta propriè eſt, cui quòd hæc Nili bellua ſimilis eſſet, idem ei nomen ab illis tributum, cùm aliàs χάμψαι eam appellarint Ægyptii Unde errandi occaſio Plinio, qui non unô locô *Crocodilum* reddidit, quum *lacertam* vertere debuiſſet. Idem Salmaſ. ubi ſuprà, *p.* 873. Vide quoque infrà *Memphites*.

CROCÓDILUS, mons Ciliciæ, Plin. *l.* 5. *c.* 27.

CROCOLYCUS, Græcè Κροκόλυκος, recentioribus Græcis dictus eſt Lycii ſuccus, quò capillos olim mulieres tingebant, quòque etiamnum lanas elegantiſſimô colore luteô inficî tradunt. Eſt autem Lycium priſcis arbor ſpinoſa, in Lycia præcipuè, quæ corticem habet pallidum & coloris buxei; ſuccum etiam itidem *Lycium* dictum, crocei coloris. *Pyxacanthos* nonnullis à foliis buxi & quòd *ſpinoſa* Salmaſ. *ad Solin. p.* 1164.

CROCONUS, fluv. Brutiorum, in quem ſi quid conjiciatur, lapideô cortice dureſcit.

CROCORUS, campus juxta Theſſaliam ad Amphryſum fluvium. *Steph.*

CROCOTA, animal, aliis *Crocotta* ſeu *Crocutta*, quod vide. Item veſtis genus, de quo mox.

CROCOTULA ſeu CROCOTA, inter muliebres veſtes numerata, Plauti *Epidico*, *Act* 2 *ſc.* 2 *v.* 47. & proin non niſi mollioſum ac effœminatorum geſtamen fuit. Unde Cicer. *de Aruſp. reſponſis*, *c.* 21. *Clodius*, inquit, *à crocota, à mitra, à muliebribus ſoleis purpureiſque faſciolis factus eſt repente popularis.* Gallis matris Deûm effœminatiſſimis idem genus veſtis tribuit Apulejus, *l.* 11. *Met.* Idem alibi, *Sericam*, inquit, *pilo textis, crocotiſque Phrygiis catamiſi paſtoris ſpecie.* Meritò proin apud Ariſtophanem ridet Hercules, Bacchum *Crocota* fœmineam ſuperinduiſſe; Ridet inquam,

> Ὁρῶν λεοντῆν ἐπὶ κροκωτῷ κειμένην.

Ubi Scholiaſtes, *Crocotam Bacchicum geſtamen & muliebre indumentum* interpretatur. Ita Lucianus *Baccho*, Silenum inducit vehementem aſinô ἐν κροκωτῷ, *in Crocota*. Inde ea ſaltatorum ac Pantomimorum propria, ut viri docti monuerunt. Ita Duris Samius apud Athenæum, *l.* 4. inducit Polyſperchontem ſaltantem ἐνδεδυμένον κροκωτόν; Sic Lucianus *de Hiſtoria*, Herculem apud Omphalem κροκωτὸν ἐμπεπορπημένον penſa trahentem introducit. Athenienſibus etiam Bacchanalia agitantibus *Crocotæ* adſcribuntur, à Philoſtrato, *l.* 4. *c.* 7. Imò omnium Bacchantium, Gallantium & hujuſmodi cæterorum μεταμφιεννυμένων, communis veſtis: ut qui in purpureis & ſericis veſtibus incedebant ſaltabantque. Ex ſerico enim *Crocota* fuit. Verùm hinc Scholiaſtes *ad verſum cit.* ἀπὸ τινὸς ἐνδύμα, *ſericum indumentum*, κροκωτὸν interpretatur. Et Poëta,

> ---- *amictus ſuccincta crocotâ.*

Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*, *c.* 4. Quoniam verò Crocotam appellatam Græci tradiderunt, quòd *croceò colore eſſet infecta*; hinc *Infectores Crocotarii* apud Plautum, *Aulul. Actu* 3. *ſc.* 5. *v.* 47. Eâdem Turnebus illud Virgilii, *l.* 9. *Æn. v.* 614. de Teucris,

> *Vobis picta croco & fulgenti murice veſtis,*

de *Crocota* interpretatus, quam effœminatorum & ſemivirorum propriam fuiſſe, diximus. Eandem quoque intellexiſſe videtur Ovidius, *de Arte Am. l.* 3. *v.* 179.

> *Ille crocum ſimulat, croceô velatur amictu,*
> *Roſeos luciferos cùm Dea jungit equos* &c.

Vide Octav. Ferrarium *de Re Veſtiaria*, *l.* 3. *c.* 20. & ſuprà in *Cotta*.

CROCUM, ſeu CROCUS, inter præcipua hortorum pratorumque decora, ἀπὸ τοῦ ἐν κρύει θάλλειν, *quod in frigore floreat*, nomen nonnullis invenit. Floret enim ſub Pleiade & paucos dies, Theophraſt. *de Plantis*, *l.* 6. *c.* 6. Virgilio vero ſive verius eſt, *hinc neque ſaniores caloris*, in *reſ.* appellatur. Coloris eſt flavi. Theocritus *Eid.* 18. *v.*

> *Αἱ δ' αὖτ' ἐν ξανθῷ κρόκῳ ἄνθεα δρέπον*
> *Ἀγλαὰ ἐστεφανοῦντο* ----
> *Aliæ porrò flavi croci odoratam comam*
> *Decerpebant certantes* ----

Ovidius vocat puniceum, *l.* 3. *Faſtor. v.* 318. Sophocli χρυσαυγής eſt, *aurei coloris*, Tryphiodoto *aureus*. Certè, *Nemo*, ait Salmaſius, *pallidum crocum rectè nuncuparet. Rubeum & rubentem appellant. Inde croceus color, qui non eſt pallidus, niſi ſit dilutior*, ad Solin. *p.* 1154. Quod verò Crocum Corycium *colore plus aureô eſſe*, dicit Solinus, *c.* 38. aſſenſum non impetrat, ab eodem, *p.* 773. Neque verò ſolùm coloris, ſed & odoris nobiliſſimi eſt, hinc inter odoratiſſima aromata habitus, Theophraſto, *de Plant. l.* 9. Virgilio, *l.* 1. *Georg. v.* 56.

> ---- *nónne vides, croceos ut Tmolus odores,*
> *India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi?*

Et Papinio Statio, *l.* 2. *Sylv.* 4 *v. ult.*

> *Et tenues Arabum reſpirant gramine ſylvæ,*
> *Sicaniſque croci* ----

Imò inter odorum delicias. Unde Crocum in Theatro olim ſparſum. Spartian. in *Hadr. c.* 19. *In honorem Trajani balſama & crocum per gradus Theatri fluere juſſit.* κροκοῦ ῥάνσιν optimæ *Gloſſæ* vocant & *ſparſionem* ſimpliciter, eo quod ut plurimum è *croco* tanotùm hæ ſparſiones fierent. Vino autem admiſcebatur, ut ſic dilutiorem faciliùs ſpargi in ſpectatores poſſet. Plin. *l.* 21. *c.* 6. non ſine bonorum querela, vide Senec. *Ep.* 90. & *L.* 2. *Nat. Quæſt. c.* 9. &c. Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 26. *v.* 3.

> *Hoc rogo, non meliùs, quàm rubro pulpita nimbo*
> *Spargere, & effuſô permaduiſſe croco?*

Cujus ritus cauſam Lucretius ad odoris fragrantiæque ſuavitatem refert, *l.* 2. *v.* 416.

> *Nec ſimili penetrare putes primordia formâ;*
> *In nares hominum, cùm tetra cadavera torrent;*
> *Et cùm ſcena crocô Cilici perfuſa recens eſt;*
> *Araque Panchæos exhalat propter odores.*

Hadrianus verò etiam balſama indidit, ſpargique juſſit aquam *balſamô & crocô* φαρμακευθεῖσαν: hæc enim per Græciſmum illum, *balſama & crocum*, intelligit Spartianus, Caſaubonus *ad loc.* Sed & Suetonius tradit, incedenti Neroni paſſim Romæ victimas cæſas, ſparsô per vias identidem crocô, *c.* 25. Quem morem vetuſtiſſimum eſſe, diſcimus è loco Tryphiodori an. ubi mulieres Trojanas terram perfudiſſe vinô odoratô, nempe quod croco mixtum eſſet, refert. Porrò lecto nuptiali ſpargebatur. Martianus Capella, *l.* 9.

Conſcia jam Veneris nova ſerta parate Napeæ,
Crocumque lecto ſpargite.

Sic Homero, inter flores, quos terra continuò effudit, ut ſubſternerentur Jovi & Junoni, mutuis amplexibus ineuntibus, *crocus* quoque memoratur *Iliad.* ξ. Hincque inter delicias matronarum recenſetur Strepſiadis, apud Ariſtophanem, *Nubib.*

Ἡ δ' αὖ μύρου, κρόκου, καταγλωττισμάτων.
Hæc verò (olet) unguentum, crocum, oſcula &c.

Vide quoque ſuprà, ubi *de Crocino unguento.* Cùm autem variis in locis naſcatur, Croco Cilicio primatum aſſignat *Dioſcorides*: quod *ſpica Ciliſſa* dicitur Ovidio, *l.* 1. *Faſt. v.* 77.

Et ſonet accenſo ſpica Ciliſſa focis.

Non propter bulbum vel radicem, uti viſum viro docto, ſed quia in Croco fila lutea de medio ſurgunt, quaſi quidam mucrones ſeu cuſpides & tanquam in ſpica ariſtæ, Græci γλωχῖνας appellant, alii τρίχας. Unde κρόκος ξανθόθριξ, Poëtis, imò & ταχύθριξ. Secundus *Corycio*, prope Lyciam. Præter quæ Croci genera memorantur, *Aeginum, Centuripinum*, cujus in Theatris uſus fuit, διὰ τὸ πολύχυλον καὶ εὔχρουν, *ob multum ſuccum & præſtantiam coloris*, Dioſcor. *Cyrenaicum, Siculum, Theræum* &c. Sed & ejus cultura in Anglia inſtituta eſt ſucceſſu admodum felici, adeò ut ingentia arva Autumnali tempore eo videre poſſis repleta, & commendatur inter optima hodie croci genera *Crocus Britannicus*, cujus ratio in natura plantæ ſita, quæ quò pinguius Septentrionalibus Regionibus adducitur, eo majora virium incrementa ſumit. Vide Auctorem Anonymum *Hiſt. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* ubi *de Inſulis.* Optimæ notæ apud Oribaſium, πλήρης, εὔχρωμος, ἀλευκής, βάπτεσθαι τῷ ἀναμαλαχθῆναι τὰς ἀναπλάσεις χειρῶν, quæ ultima verba ſic reddit Dioſcorides, *ò βάπτον ἐν τρίψει τὰς χεῖρας, qui manus tingit, dum premitur.* Qua de re vide plura apud Plin. *l.* 21. *c.* 6. 7 & 20 & Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis, *p.* 107. 773. & 1063. Coronis olim flos ejus adhibitus frequenter, quòd ebrietatem arceret. Idem Plin. *l.* 21. *c.* 20. *Qui crocum prius biberint, crapulam non ſentiunt —— Coronæ quoque ex eo mulcent ebrietatem.* Sociabatur autem hyacintho. Homerus, *Hymno* 18. *in Panem, v.* 23.

—— —— τόθι κρόκος ἠδ' ὑάκινθος
Εὐώδης θαλέθων καταμίσγεται ἄκριτα ποίῃ,

Item narciſſo, liliis & calthæ, apud Virgilium *in Ciri.*

—— —— aut ſuave rubens narciſſus,
Aut crocus alterna conjungens lilia calthâ.

In eorum numero creditus, quos terra produxit, è ſanie hepatis Promethei, Scholiaſt. Apollon. Rhodii, *l.* 3. Vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 3. *c.* 14. ut & in voce *Crocus juvenis*: *de Croco* verò κροκωτῷ & τραχίνῳ, infrà voce *Trochus.*

CROCUS, venator, precibusque Muſarum in aſtra relatus, Sagittarii nomen accepit. *Sidonius.*

CROCUS, puer formoſiſſimus, qui cùm Smilacem puellam deperiret, amoris impatientiâ verſus eſt in florem ſui Nominis, illâ in taxum conversâ. Ovid. *l.* 4. *Met. v.* 283.

Et Crocon in parvos verſum cum Smilace flores.

CROCUS, vide *Chrocus.*

CROCUS, in *Charta* Henrici III. Angliæ Regis apud Car. du Freſne, ubi Clerici, *crocos capillorum ſuorum deponere jubentur*, cincinnus, quem *Croc* Galli dicunt, retortus.

CROCUTÆ, cum tigribus exhibitæ, ab Antonino Pio, apud Capitolin. *c.* 10. adeoque jam ante Severum Romæ viſæ, quod negat Dio. Hyænæ autem ſpeciem *Crocutam* eſſe, docet Bochartus ex Diodoro, qui juxta alios in Æthiopia reperiri & μεμιγμένην ἔχειν φύσιν λύκου καὶ κυνὸς, *mixtam habere naturam ex lupo & cane*, ſcribit. Unde Plin. *l.* 8 *c.* 21. *Crocutas velut ex cane lupoque conceptas Æthiopia* (generat:) hincque Κυνόλυκος Græcis. Vide Bochartum hunc in erudito opere, *de Animalibus S. Scripturæ ſeu Hieroz. Part. poſter. l.* 3. *c.* 12.

CROCYLEUM, ſeu **CROCYLIUM**, Æoliæ urbs. *Stephanus* Ithacæ inſulæ eam adſcribit, auctoremque laudat Thucydidem, *l.* 3. apud quem tamen eâ de re nec vola, nec veſtigium. Vocatur & *Demos*, vide Stephanum in Δῆμος.

CROCYLUS, vir Athenienſis. *Plut.*

CROCYPHANTIA, apud Ulpianum in *l.* 25 §. *Ornamenta* 10. *ff. de aur. argento legat.* nonnullis videntur eſſe muliebria ornamenta villoſa, quæ ſub reticulis contexta per eorum plagulas apparent, Græcè κροκύφαντα. Turnebus ornamenta ſine ullo ſtamine contexta interpretatur, *Adverſar. l.* 28. *c.* 23. Aliqui *Crocotia* malunt ſcribi ſeu *Crocotula*, cujusmodi veſtium meminit Plautus, *Epid. Actu.* 2. *ſc.* 2. *v.* 42. *Patagiatam caltbulam aut crocotulam*, &c. Vide Johann. Calvin *Lexic. Jurid.* ut & ſuprà.

CRODOLDUS, fluv. Gall. *le Crou*, quibuſdam Gauniſſenſis fluvius dictus, *la riviere de Goneſſe*, ortus in finibus Pariſiorum, attingit Luperas, *Louvres en Pariſis*, Gunſanævillam, *Gonſanville*, Tilliolum aut Telletum *Tilloy*, Caſtellionem *Chaſtillon*, Gauniſſam, *Goneſſe*, Bonogilum *Bonneul*, & Bigargiom *Garges*: ibi fluviolum Rodonum recipit, vulgò dictum *Rone*, è Cerſilla *Cerſelle*, atque Ermenovilla *Armenville* venientem. Tum alium amnem admittit, qui per Trimilidum vel Trembletum *Tremblay*, perque Villampictam *Villepente*, & Sabiniacum *Savigny* decurrit, auctuoque rivô Ceuronum *Cevran*, Fontanetum *Fontenay*, atque Alnetum *Aunay* alluente, per Albamdomum Blancum-Manſionile vulgò dictam, *Blanc-Meſnil*, & per Pontem-Iblonem in Crodoldum labitur. Nec his contentus incrementis Crodoldus, infra vicum Duniacum vel *Dugni* duos rivos ut ſi mavis amniculos capit, alterum è Graulido vel Groolaio *Grébay*, à Darentiaco *Drancy*, & Burgulo *le Bourges*, alterum ex Balbiniaco *Bobigny*, Aquilbonâ *Eaubonne*, & Curte-nova *la Court-neuve* deſcendentes. Demum poſtquam Caroliacum Regiò Monaſteriô S. Dionyſii nobilem olim vicum, nunc oppidum irrigavit, adjunctô ſibi Mardretò Alberti villaris rivulô, ac flexuoſis recurſibus pererravit, in Sequanam influit contra inſulam S. Dionyſii Martyris nomine illuſtrem, aſperam rupibus, & piſcatorum cafulis infeſſam. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CRODUS, vulgo Krodo, inter Saxonum olim Numina: Saxo Gramm. *l.* 1. *Saxonum Dii*, Crodus, *Hama*, *Irmus*, *Flinnus*, *Siba*. Hartesburgi inprimis in veneratione, Crantzius, *Saxoniæ l.* 2. *c.* 12. quò nomine Saturnum indigitatum fuiſſe, ſunt qui contendant. Et certè Saturno temporis Præſidi *Crodi* ſeu *Crodonis* effigies non malè convenit, à Georgio Fabricio, *Origin. Saxonic. l.* 1. his verbis propoſita: Qui gentis Annales addiderunt, Numen memorant, Crodum quendam, meſſoris ſpecie, qui cinctum lineum geſtat, dexterâ ferens vaſculum roſis impletum, ſiniſtrâ erectâ rotam currus. Pedibus nudis inſiſtit piſci ſquamoſo & aſpero, quem percam vocamus. Accepiſſe verò Saxones à Græcis hoc idolum videntur, Iſtri accolis; atque ut Irmus eorum videtur eſſe ex Ἑρμῆς, ita & nomen *Crodi* corruptum eſſe ex *Crono*. Κρόνος enim ſive Saturnus, quò tempus ſignatur, Græcis etiam ac Romanis eſt Deus falciger: & ut cætera mittantur, rota currus optimè exprimit, quàm volubile ſit tempus, unde & vitam humanam ſuaviſſimus Anacreon rotæ comparavit:

Τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα,
Βίοτος τρέχει κυλισθείς.
Rota nam velut curulis,
Properat volucris ætas.

Carolus poſteà Magnus, ut aliorum Numinum, ſic & hujus, ſtatuam dejecit, Gerh. Joh. Voſſ. *de Idolol. l.* 2. *c.* 53.

CROESUS, Rex Lydorum, ex Mermnadis, quæ Dynaſtia fuit III. quintus, & ultimus, Alyattæ fil. omnium, quos hominum memoria celebrat, ditiſſimus. Unde etiam hodie, cùm immenſas opes ſignificare volumus, *Crœſi Divitias* dicimus. Ovid. *l.* 4. *De Ponto, Ep.* 3. *v.* 37.

Divitis audita eſt cui non opulentia Crœſi?

Unde pauperi Iro opponitur, à Propertio, *l.* 3. *El.* 4. *v.* 5.

Lydus Dulichio non diſtat Crœſus ab Iro.

Martialis, *l.* 11. *Epigr.* 6. *v.* 5.

Ardua res hæc eſt opibus non tradere mores,
Et cùm tot Crœſos viceris, eſſe Numam.

Primus Græcos, ademtâ libertate, tributarios reddidit. Subjugavit Phrygas, Myſos, Paphlagones, Thracas, Cares &c. omnibus formidabilis, & nominis ſui famâ, etiam remotiſſimas gentes implevit. Hinc, cùm ſe omnium Mortalium feliciſſimum crederet, monitus eſt à Solone, *Neminem ante cineres beatum dicendum*, quòd quoad vivimus, periculum ſit, ne inſtabilis hujus mundi felicitas dolore aliquô contaminetur. Juvenal. *Sat.* 10. *v.* 273.

Feſtino ad noſtros, & Regem tranſeo Ponti
Et Crœſum, quem vox juſti facunda Solonis
Reſpicere ad longa juſſit ſpatia ultima vitæ.

Quam Solonis ſententiam veriſſimam eſſe Crœſi calamitas poſteà declaravit. Victus enim à Cyro, Sardibus, regni Metropoli, captis, an. regni ejus 14. M. 3510. Olymp. 59. Urb. Cond. 209. ab Argonaut. primo ex Heraclidis Lydorum Rege. 675. à Gyge 170 pyræque impoſitus, tandem ſalubre Solonis conſilium agnovit, ejuſque nomen ſæpius inclamavit. Unde admiratus Cyrus, quiſnam eſſet Deorum, hominumve, quem ille in extremo periculo ſolum invocaret, remque totam edoctus, humanæ viciſſitudinis memor, Crœſum ab incendio liberavit, ſummoque ſemper apud ſe in honore habuit. Herodot. *l.* 1. Plut. *in Solone.* Juſtin. *l.* 1. *c.* 7. Horat. *l.* 1. *Ep.* 11. *v.* 2.

Quid Crœſi regia Sardis?

Nic. Lloydius. Sic ergo florentiſſimum illud Lydorum Regnum, quod ſub *Atyadis*, *Heraclidis* & *Mermnadis* diu cum gloria ſteterat, jam corruit, & Perſici Regni acceſſio facta eſt. Vide hic paſſim.

CROJA ſeu **CROVIACA**, nomen Familiæ perilluſtris, quam ex antiquis Hungariæ Regibus, Attilæque ſtirpe deducunt. Ajunt enim Andream tertiogenitum Andreæ II. Regis filium Belâ fratre à Tartaris captô, ad Venetos profugum, ibi ex Sibylla Petri Comani Senatoris filia ſuſcepiſſe Marcum filium, qui mercaturam peroſus, circa A. C. 1266. in Franciam lares tranſtulerit, atque in aula Philippi Regis conjugem meruerit Catharinam hæredem Baronis Araines & *Croja*. Ex hujus poſteris Johannes duarum linearum auctor fuit, genitis Antonio & Johanne: quorum iſte priores Comites & Principes *Cimacenſes*, Comites *de Solre*, Dominos *de Sempy* & *de Quievran*; ille, per ſecundum filium Johannem Dominos *de Crecy*, Comites *de Reux*: per primum autem Philippum Comitem *de Porcean*, & ex materna hæreditate Dominum Arſchotti, reliquos dedit, quibus illi tituli. Atque in his Philippus primus Arſchotti Dux extinctus A. C. 1568. ex Anna Lotharingica Gulielmi Marchionis Rentiacenſis, Caroli Principis Cimarenſis, Philippi Ducis Arſchottani (cujus filia Anna, fratris Caroli hæres, titulos & bona Carolo Lignæſio Aremberge Principi marito acquiſivit) & Caroli Philippi Marchionis Havrechi pater fuit. Quorum ultimus ex Diana Dammartina genuit Carolum Alexandrum, avum Ducis Havrechi moderni, & Erneſtum Crojæ Ducem defunctum A. C. 1620. quô, & Annâ Pomeranâ, extinctâ A. C 1660. genitus eſt Erneſtus Bogiſlaus A. C. 1650. Dux Crojæ & Arſchotti Epiſcopus Caminenſis &c. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Theat. Nobil. Europ. Tom. III. p.* 10.

CROJA, olim *Antigonia*, ſeu *Eribæa*, Albaniæ caput. Ad Leſ-

Liſonam fluv. antea permunita, in qua, captâ priùs, ab Amurathe Turcarum Imperatore cum Johanne Principe Epirotarum & ejus filiis, A. C. 1434. horum unus, A. C. 1442. illâ receptâ, nomine Georg. Castriotus, Scanderbeg dictus, Turcarum potentiam diu ſpreverat. Sed illô mortuô à Turcis rurſus capta A. C. 1477. ipſis etiamnum ſubeſt, cum toto tractu. 15. milliar. à Dyrrachio, 45. ab ora proxima maris Adriatici in Ortum. Epiſcopalis olim ſub Archiepiſcopo Dyrrhachino. Cuja Chalcondylæ. Vide Leunclav. *Pand. Turc. c.* 126. Miræum, *Geogr. Eccl.* *Volaterran.* &c.

CROIS, Arabum urbs. Steph. in voce Κρωις.

CROLANDUS Felix, vide *Felix.*

CROMERUS Martinus, vide *Martinus.*

CROMITIS, Regio in Peloponneſo ſupra Alpheum.

CROMMYON, Cypri inſulæ promontorium. 64. milliar. in Auſtrum, ab Anemurio promontorio Ciliciæ, 30. à proximo littore ejuſdem regionis. *Baudrand.* Item Libyæ urbs. *Steph.* Locus in Attica, *Xenophon.* Eſt & Corinthii agri vicus. Pauſan. *l.* 2. & *Thucyd.* *Strabo* vero Megaridi non Corinthiacæ regioni attribuendum putat. Crommyon Ovid. *l.* 7. *Met. v.* 435

Quaque ſitum ſecum erat Crommyona colonis.

CROMMYONESUS, inſul. ante Smyrnam. Plin. *l.* 5. c. 31.

CROMNA, in confinio Paphlagoniæ oppid. Bithyniæ. Strabo, *l.* 12. Val. Flacc. *l.* 5. *v.* 103.

Alex etiam Cromnam atque jugô pallente Cytorum.

Vide *Steph.* & *Heſychium.* Vix 20. milliar. à Cytoro in Occaſum, Seſamum verſus. *P. à Vit.* Conditum eſt a Mileſiis. Plin. *l.* 6. *c.* 2. Oppidum *Maſtya Mileſiorum*, deinde *Cromna.* Unus fuit ex quatuor pagis, è quibus Amaſtrim civitatem compoſitam tradit *Strabo*, ab Amaſtri Dionyſii Tyranni Heracleæ uxore, Darii ſorore, quem vicit Alexander. Salmaſ. *ad Solin. p.* 889.

CROMNYON, vide *Crommyon.*

CROMWELLUS Oliverius, Anglus, bellicâ laude & prudentiâ politicâ clarus, ſed perfidiâ in Regem infamis, cunctis diſcordiis civilibus feſſa, *Protectoris* nomine ſub imperium accepit, A. C. 1653 quod confirmatum A. C. 1657. ſtatuto novi Parlamenti, quod ipſe, priori abolitô, ut moriente libertatis manerent veſtigia, novum ex amicis obnoxiiſque ſibi conflaverat; additis etiam inaugurationis ceremoniis, & cuſâ monetâ; in quâ ſcriptum: *Has niſi periturus mihi adimat nemo.* Id ſemper omni conatu egit, ut alius videretur, alius eſſet, religionem inter inſtrumenta dominatus numerans, *Politicus ſine exemplo* dictus: Subjugavit Hiberniam, adhuc pro Rege ſtantem, ſub jugum ſua redegit Scotiam, ejectô Carolô II. cum Belgis bellum feliciter geſſit, pacta cum Gallo inita, Dunkerkam Hiſpano ereptam Anglico Imperio adjecit: Obiit A. C. 1658. die 3. Septembr. die Anglis fatali. Hâc enim Scotos profligaverat, ad Dumbarum A. C. 1650. & Vigorniam A. C. 1651. Eâdem Londinum conflagravit, A. C. 1666. Ei ſucceſſit fil. Richardus, ſed ad breve tempus, revocatô in regnum Carolô II. Rege A. C. 1660. Vide pro eo Vitam ejus Germanicè editam Norimbergæ A. C. 1663. in 12. & Panegyric. Londini A. C. 1656. in fol. Contra eum, Elench. motuum. Batei part. 2. Nec. Politic. in vitam ejus, &c. Adde Becmannum *de regno Angl. in hiſt. Orbis Terr.*

CRONBERGIA, Familia in Germania illuſtris. Inter priſca decora ſua Rodolphum numerat, qui filius Welphonis Ducis Norici & Judithæ Auguſtæ, ex qua Ludovicus Pius Imperator Carolum Calvum Francorum Regem genuit, frater atque Cancellarius Franciæ A. C. 866. fuerit; hunc enim ex Cronbergia gente fuiſſe ex veter. *Inſcr.* quæ Lutetiæ Pariſiorum extet, probare contendunt: de quo tamen aliorum alia eſt ſententia. Porrò in duos inprimis ramos ſtirps diſtincta eſt, quorum alter ſcutum five coronâ & galeam alis vel auribus aſininis ornatam geſtabat, alter ſcuto coronam inſcribere & caſſidi uvam piceam imponere ſolet. Ille iterum ſubdiviſus in duos ſurculos, abiit, qui tamen jam terminati ſunt ambo: & quidem alter in Eliſabetha Johannis Comitis Solmenſis conjuge, quæ ei Roedelhemium attulit. Hic nunc quoque durat. Illuſtribus autem connumeratam olim Familiam fuiſſe, arguunt matrimonia ex ſtirpibus, Hanovicâ, Naſſovicâ, Wanſpergicâ, Iſenburgicâ aliiſque obtenta. Inde Equeſtri dignitate contenta eſſe maluit: donec Adamo Philippo (cujus patruus Johannes Suicardus Moguntinus Archiepiſcopus fuit) Baronis, dein Comitis dignitas ab Imperatore collata & feuda aliqua Geroldſeccia conceſſa ſunt. Hic, filius Johannis Georgii ex Anna Margareta Cameraria *de Worms*, dicta *de Dalberg* extinctâ A. C. 1629. Generalis Vigilum Præfectus, ex Maria Sidonia Comite Falckenſteinia, ſuſcepit Crafonem Adolphum Ottonem (cui uxor obtigit Maria Franc. à Com. Oetingenſis) & N.N. uxorem Emanuelis Maximiliani Wilhelmi Comitis *de Schoenberg.* Spenerus ubi ſuprà.

CRONCIADES, unus ex præſtantioribus Herculis filiis ex Megara *Pezottus.*

CRONEA, prom. ntor. propè mare Caſpium. Plin. *l.* 4. c. 5.

CRONENBURGUM, Latin. *Coronæburgum*, arx fortiſſima in Zeelandia, ad Fretum Sundic. 5 leuc. Hafniâ diſtans, propè Elſenorum oppid. à Friderico II. ex ægre munita, ut tranſitus, five is ab Oceano, five à mari Baltico illuc tentetur, impediri poſſit. Ultimô bellô à Suecis capta, ſed reddita.

CRONIA, *orum.* Saturni feſta erant, quæ Romæ celebrabantur 14. Calend. Jun. Ita dicta ἀπὸ τοῦ Κρόνου, i. e. *à Saturno*, Latinè *Saturnalia* vocantur. Horum Macrobius latè meminit, *l.* 1. *c.* 6. 7. *etc.* citatâ etiam antiqui Poëtæ authoritate, apud quem legitur:

Maxima pars Grajûm Saturno: & maxima Athenæ
Conficiunt ſacra, quæ Cronia appellantur ab illis

CRONIUM, mons Peloponneſi. *Ptol.* Urbs Elidis, Diodor. Sic. *l.* 15. Siciliæ oppid. ab Amilcare captum. *Polyæn.*

CRONIUM, ſeu CHRONIUM mare, nonnullis *Concretum*, vel *Congelatum* appellatur. Plin. *l.* 4. *c.* 13. *Dionyſ.*

Πόντον μιν καλέουσι πεπηγότα τε Κρόνιόν τε.

Apollonius tamen, in *Argonauticis*, *Cronium mare* pro Adriatico poſuit (ſi Interpreti ejus credemus) quod Italiam alluat, quam olim Saturnum tenuiſſe volunt. Porro *Cronium* dicitur mare Septentrionale, teſte Euſtathiô à Κρόνος *Saturno*, qui ab Aſtrologis frigidum aſtrum, & frigidis præeſſe putatur, & cùm tardi ſit motus, pigris etiam rebus & tardis præeſſe judicatur. Orpheus in *Argonauticis.*

Ἔνθεν δ' Ὠκεανῷ, Κρόνιον δέ ἑ κικλήσκουσι
Πόντον, ὑπερβόρεοι μέροπες νεκρήν τε θάλασσαν.

Tzetzes,

Ὃ κατὰ βορέαν δὲ Κρόνιον καὶ πεπηγὸς καλεῖται.

Nic. Lloydius. *Baudrando* eſt pars Oceani Septentrional. inter Rubeam promontor. & Scythiam veram, fluviumque Paropamiſum. ex *Plin.* etiam pars Maris Concreti ſeu Glacialis ſupra Aſiam. Nunc *Pigriticum* ſeu Tranquillum, vulgò *Mare morto.*

CRONIUS, unus ex Centauris. Item Philoſophus, de principiis Philoſophiæ Platonicæ & Pythagoricæ ſcripſit, Voſſ. *de Philoſ. Sect. c.* 2. §. 19. Item mons Elidis.

CRONO Arvernorum, locus Galliæ, ubi Monaſterium *Cronenſe*, Gregorio Turonenſi, *Hiſt. Franc. l.* 4. memoratum, 6. milliar. ab urbe Arvernorum: Vulgò *Cornon* vel *Cournon.* Ab hujus loci Abbate tonſus eſt Gallus, futurus Arvernorum Epiſcopus. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CRONUS, vulgò *Niemen*, fluv. Lithuaniæ. Vide *Chronius fluv.*

CROPIA, vicus in tribu Leontidis. *Steph.*

CROPIDAE, municipium in Attica, Leontidis tribus. Vide Schol. in Ariſtoph. *Ran. Act.* 1. *Sc.* 2.

CROS, urbs Ægypti. *Steph.*

CROSA, flumen Galliæ *la Creuſe*, ab altitudine ſua nomen videtur inveniſſe. Croſum enim Galli id quod altum ac profundum eſt dicunt, *creux.* Oritur in finibus Lemovicum, & Vartimpam accipit, *la Gartempe.* Utriuſque fluminis, in *Vita Sabiniani & Cypriani Martyrum*, fit mentio. Et duo quidem ſunt *Croſæ*, major alter ſupradictus, qui Vingennam auget. minor alter cognominatus, qui in majorem influit. Croſa major attingit Albuciorem *Aubuſſon*, Agedunum *Ahu*, Varactum *Gueret*, Glenicum, Cellam Dunenſem à Duno proximo oppidulo cognominatam, *Celle-dunoiſe.* Mox Croſâ minore augetur: tum Argantomagum *Argenton*, & Oblincum Biturigum *le Blanc en Berry*, ac Iciodorum vicum Turonum, *Iſeure*, vel *Iſerre*, præterlapſus. Vartimpam admittit: inde Rupem Poſeji *Roche de Pozay*, Liciniacum *Leſigny*, Guircaam *la Guerche*, Ripas *Rives*, Hagam Turonum, *la Haye en Touraine*, Portum Pilæ, *le Port de Pile*, memoratum in *Geſtis Conſulum Andegavenſium*, alluit, ac demum Vingennâ recipitur. *Croſia* dictus, in *Geſtis Epiſcoporum Turonicorum.* *Croſam* alium fluvium, & *Guſtam*, vel *Guſtam* (*la Guze*) ei proximum amnem in Burgundia, memorant priſcæ tabulæ Patriciaci Monaſterii. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CROSNA, urbs Ruſſiæ nigræ in Caſtellania Premiſlienſi, juxta Jaſioldam & Viſlocam fluv. verſus Carpathos montes, in confinio Poloniæ majoris.

CROSSA, urbs Sileſiæ, Ducatus cognominis caput, ſub Electore Brandeburgico juxta Oderam fluv. ubi Boberam recipit, 5 leuc. ſupra Francofurtum, in Auſtrum totidem infra Saganum in Boream 3. à Guba. Arcem habet elegantem & forum ampliſſimum. Melius *Croſna*. Ducatum hunc Henricus Glogoviæ Croſnæque Dux Barbaræ, Alberti Brandeburgici filiæ, matrimoniô ſibi junctæ, legaverat: quem tamen illô mortuô A. C. 1476. Johannes Saganenſis Dux, hujus patruelis, tanquam agnationis jure ſibi delatum, cùm vindicaret, lis inde, & ex lite bellum ortum, cujus finis is erat, ut redditô Joanni Glogoviæ Ducatu, *Croſna* dicto cum aliis quibuſdam, pro dotalitio Barbaræ pignoris nexu teneretur, A. C. 1482. Quas poſteà Joachimus Elector Brandeburg. à Ferdinando I. Imperatore & Bohemiæ Rege tanquam Sileſiæ Principe, plenô atque hæreditariô jure obtinuit, A. C. 1538 ex quo primum *Croſnæ* nomen titulis familiæ additum eſt. Tob. Pfannerus *de præcipu. German. Principp. Genealog. c.* 4.

CROSSA, urbs juxta Pontum. *Steph.*

CROSSEA, Græciæ regio. *Herodot.*

CROTALISTRIA, ſic deſcribitur Maroni ſeu potiùs incerto Auctori in *carm.* cui titul. *Copa*,

Copa Syriſca caput Grajâ redimita mitellâ
Criſpum ſub crotalô docta movere latus:
Ebria famoſâ ſaltat laſciva tabernâ,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

Ubi eadem illa Syriſca *movere* ait, quæ ante tabernam ſuam ſub crotalo ſaltat; crotalum quoque manu quatit & brachiô criſpante areos calamos excutit, qui raucum concuſſu crepitum edebant. Mulieres enim *crotaliſtriæ*, ſaltabant geſticulabanturque & crotalum ſimul quatiebant. Conſtabat autem hoc ex duabus æneis laminis aut virgulis, quæ manu agitatæ ex colliſione ſonum edebant argutum: ἄζυγα hinc χαλκὸν Græcis Poëtis vocantibus. Sed & ſimiliter fiebat ex arundine per medium fiſſa, cujus duæ partes ſic movebantur, ut ex colliſione ſonarent: unde Græci Grammatici κρόταλον σχιζόμενον κάλαμον interpretantur. Idem hodieque fieri videmus ex duobus oſſibus, quæ digitis agitata & invicem colliſa crotalum efficiunt. Ipſa certè ciconia, roſtri ſui ſuperiorem partem cum inferiori colludendo, mera *crotaliſtria* eſt, &c.

A' cro-

A' *crotalo* verò quàm differat ſiſtrum, vide ſuô locô. Interim *crotalum* etiam de ſiſtro nonnullos dixiſſe, certum eſt: & fortè Virgilius ſuprà de ſiſtro non incommodè accipiatur, qui *calamos tantos* vocârit virgulas illas ferreas, quæ per laminam ſiſtri mediam, in modum balthei recurvatam, trajiciebantur, quæque brachiô criſpante concuſſæ tergeminis ictibus reſonabant. Salmaſ. *ad Flav. Vopiſc in Carino*, c. 19. in veterib. marmoribus, *Crotala* videri cum affinis tintinnabulis, dicemus infrà, voce *Tintinnabulum*.

CROTALUS, ſeu CORAX, *Corace*, Italiæ fluvius navigabilis. Plin. *l.* 3. *c.* 10. In Sinum Scyllaceum ſe exonerat, 4. milliar. à Scyllatio in Boream, oriturque ex Apennino, in confinio Calabriæ citerioris *Baudrand.*

CROTON, civitas Italiæ, olim Brutiorum, celeberrima & ſaluberrima, ad Æſarum fluv. In ora maris Ionii, Democede, Medicô Polycratis & Daris, Herodot. *l.* 3. Alcmæone, ſimiliter Medicô, Pythagoræ diſcipulô, cujus *Favorinus* meminit; Orpheô Poëtâ, &c. ut & Milone athletâ ſexies in Olympia victore, Olymp. 62. memorabilis, qui Pythagoræ diſcipulus fuit, cui addere placet Iſchomachum, Tiſicratem, Aſtolum, aliosque celeberrimos athletas. Peritiſſimus fuit rei bellicæ nec parvam operam exercendis athletis dedit. Hinc in uno Olympico certamine victores omnes 7. Crotoniatæ fuerunt. Strab. *l.* 6. Jure itaque dici viſum eſt: *Qui Crotoniatarum poſtremus eſt, is reliquorum Græcorum primus eſt.* Vetus quoque adagium fuit, *Crotone ſalubrius*, quod inde ortum eſſe ajunt, quòd locus ipſe ad ſalubritatem & bonam corporis habitudinem, propter athletarum multitudinem, plurimum conferat. Vide Plin. *l.* 2. *c.* 96. Πόλιν *Acræam* appellat *Stephanus*. Unde Theocriti Schol. *in* 4. *Idyll.* *Excellebat Croton, inquit, omnes Italiæ urbes fortitudine, & omnium rerum affluentiâ*, ὅθεν καὶ εἰς παροιμίαν ἐλθεῖν,

Μάταιον τ᾽ ἄλλα πρὸς Κρότωνα τ᾽ ἄστεα.

Non longè fuiſſe à Metapontiis, innuit Dionyſ. v. 368.

Τοῖς δ᾽ μετ᾽ ἐξείης Μεταπόντιον, ἐγγύθι δ᾽ ἄλλο
Γαίης Ὠμαλίωνος ἐϋστεφάνου Κρότωνος,
Ναιόμενον χαρίεντος ἐπ᾽ Αἰσάρου προχοῇσι

A' *Crotone* quodam ſic dicta. Ovid. *l.* 15. *Met.* v. 54.

Invenit Æſaris fatalia fluminis ora,
Nec procul hinc tumulum, ſub quo ſacrata Crotonis
Oſſa tegebat humus, juſſâque, ibi mœnia terrâ
Condidit, & nomen tumulati traxit in urbem.

Petronius *in Satyrico*: *Donec à villico quodam Crotona eſſe cognovimus, urbem antiquiſſimam; & aliquando Italiæ primam.* Silius, *l.* 11. v. 18.

—— Patefecit amicas
Alta Croton portas. ——

Ab Achæis, & quidem à Diomede, vel Meliſſo, 3. an. 10. Olymp. condita dicitur. Euſebius ad ann. 2. Olymp. 19, *Croton*, inquit, *& Sybaris conditæ*. At *Myſcelus*, ait Dionyſius Halicarn. *l.* 2. *Crotonam condidit an.* 3. *Olymp.* 17. Strabo verò et Antiocho, *Archiam, qui Syracuſas condidit, Myſcello Achæo in condenda Crotone adjumento fuiſſe refert.* Vide Strab. *l.* 6 Livium, *l.* 24. Thucyd. Melam, *l.* 2. *c.* 4. Ptolem. Leandrum Alberti, *deſcr. Ital.* p. 220. *edit. Venet.* A. C. 1581. Fuit olim perampla, circuitu 12. milliar. ante Pyrrhi in Italiam adventum, *Liv.* Nunc adhuc ampla eſt, cum arce valida; ad oſtia Æſari fluv. 7. milliar. à Necto fluv. & à confinio Calabriæ citerioris, 12. à Strongilo in Meridiem. *Baudrand.* Vide quoque Joh. Marshamum, *Canone Chron. Sec.* XVII. ubi *de Magna Græcia*, ejuſque urbibus agens, *Urbs gigantum*, addit, *unus Pythagoras, qui floruit Olymp.* LX. *Pythagoreorumque multitudo —— Romani tandem, deductâ an. Urb. Cond.* 560. *Coloniâ, Crotonem appellârunt.* In nummis occurrit ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΝ, apud *eund.*

CROTOPUS, Rex Argivorum fil. Agenoris, pater Pſamathes, quæ ab Apolline compreſſa, Linum peperit, quem cùm inter vepres abſcondiſſet, canes extractum dilacerârunt. Ovid. *in Ibin*, v. 480.

Quique Crotopiaden diripuêre Linum.

Succeſſit Triopæ, per 21. ann. Jul. Africanus: an Agenori Patri, an Iaſo patruo? ut Pauſanias habet, *l.* 2. Eum excepit fil. Sthenelus, quem vide

CROTUS, ſive CROTON, Euphemes, Muſarum nutricis, filius.

CROVIACUM & CROICIACUM, vicus Galliæ, hodie vulgò *Crouy*, prope Monaſterium Sueſſionicum S. Medardi, ad quod pertinet: pars villæ Regalis fiſcaliſque olim *Croiciaco*, in qua, unà cum Baſilica Monaſterium S. Medardi extructum & Antiſtes hic ſepultus fuit. *Valeſius.*

CROVVÆUS Gulielmus, Sudovolgienſis Anglus, Ludimagiſter Croydonienſis, ſcripſit: *Elenchum Scriptorum in S. Scripturam*, qui Londini prodiit, A. C. 1672. In hoc exhibentur eorum Gens, Patria, Profeſſio, Religio: Librorum Tituli, Volumina, Editiones variæ. Quô tempore claruerint vel obierint. elogia item aliquot Virorum Clariſſimorum: quibus omnibus præmiſſa ſunt S. Biblia, parteſque Bibliorum, variis linguis & vicibus editæ.

CRUCCEJUS Annibal, Mediolanenſis, Achillem Statium vertit, plurimaſque Literas Latinô idiomate, ad Pontifices, Imperatores, Cardinales, Principes, Reſpublicaſque nomine Senatus Mediolanenſis exaravit, ac *Poematum* quoque *Latinorum volumen* luci dedit. Obiit A. C. 1577. ætat. 60. Anton. Teiſſier, *Elog. Part.* 1.

CRUCE ſubſcribendi ſeu ſignum Crucis, ſubſcriptionis vice chartis & inſtrumentis apponendi, ritus, paſſim occurrit apud Scriptores medii & citerioris ævi. De Imperatore, & penè omnibus Germaniæ Galliæque Principibus, id docet Concilium Tribur. *A. C.* 851. *can. ult.* de Philippo Galliæ Rege *Charta* ejus, A. C. 1076. in *Chron.* Abbatiæ S. Joannis de Vineis: de Henrico Angliæ Rege & Mathilde Regina, *Charta* Henrici II. *in Monaſtico Angl. Tom. III.* p. 7. de Eduardo. Ingulfus, qui *auream cruces* effingi in ſubſcriptionibus conſueviſſe, refert &c. Sed & apud Græcos obtinuit mos: Unde in *Synodo* VIII. *act.* 10. ſubſcribunt Imperatores Conſtantinus, Baſilius ac Leo, προτάξαντες ἰδιοχείρως ἐν ταῖς ὑπογραφαῖς τὸν τίμιον σταυρὸν τοῦ —— γεγράφαμεν ... Hincque transgreſſor τῆς ἰδιοχείρου σφραγῖδος, *tranſgreſſor crucium propria manu ſubſcriptarum*, dicitur apud Joan. Damaſcenum, in *Synodica* ad Theophilum Imperator. p. 134. perjurus, vel qui fidem ſcriptô conſignatam fallit, quem σταυροπάτην alii appellant, *Nicetas*, *Scylitzes*, Auctor incertus poſt Theophanem. Et quò ſolemnius ac firmius eſſet pactum, ipſæ *Cruces* nonnumquam exarabantur calamô, in ſanguine (qui pro Chriſti ſanguine habitus) intinctô, cujus rei exempla produnt Theophanes, *ſub Ann.* 20. *Heraclii*, p. 275 Leo Gramm. *in Michaële Theophili fil.* &c Atque hinc origo vocis *ſignum*, pro *ſubſcriptione*, petenda, quod qui ſubſcriberent, *ſignum Crucis* non modo exararent, ſed & in iiſdem ſubſcriptionibus *ſignum ſanctæ Crucis* imprimere, vel *ſignô ſanctæ Crucis* chartas firmare teſtarentur: quod quidem Chriſtiani eorum temporum uſpiturium, tanquam ſymbolum juramenti ſeu ſacramenti adhibuêre: nam, ut ſacramentum corporale fiebat tactu, ſic tale fiebat, appoſitione & impreſſione Crucis, Car. du Freſne, *Gloſſar.* Quod confirmat ex Phranze, *l.* 3. *c.* 4. Joannes Kirchmannus, ubi ait, *Præter hanc ſubſcriptionem* (nominis cinnabari factam) *tres quoque in fronte cruces ejuſdem coloris addebant, per quas ſcil. tacitè jurabant, rata ea ſe velle, quæ ſcriberent; de Annulis*, c. 8. &c. De *Cruce* verò *ſuper caput poſitâ*, jurandi ritu, vide infrà.

de CRUCE Franciſcus, vide *Franciſcus*.

CRUCEM aſſumere, dicebantur qui ad ſacra bella profecturi Crucis ſymbolum palliis ſuis aſſuebant affigebantque, in ſignum votivæ illius expeditionis, cujus originem Concilio Claromontano ſub Urbano II. adſcribunt Hiſtorici: hinc Cruciger, *Crucesignati* &c. ſicut ipſa expeditio *Cruciata* dicta, vide in his vocibus. Accipiebant autem Cruces, ab Epiſcopis, Abbatibus, & majoris dignitatis Prælatis; & eas variè veſtibus ſuis affigebant. In expeditionibus Hieroſolymitanis poſuêre illas in dextris ſcapulis: & quidem ut plurimum ſericas vel auro textas, ac denique ex quolibet panno in *chlamydibus*, *aut birrhis*, *ſive tunicis*, *ſeu in veſtibus ſuperamictis*. *aſſutas*, ut habet Guibertus, *l.* 2. *c.* 5. Inprimis verò colore coccineô gaudebant, ut eſt apud Annam Comnenam, *Alexiadis*, *l.* 10. Poſtmodum tam, quam Philippus Franciæ & Henricus II. Angliæ Reges, inierunt, Hieroſolymitana expeditione, Galli *rubeas*, Angli *albas*, Flandri *virides* cruces geſtavêre, teſte *Hovedenô*, & aliis, quos laudat Car. du Freſne, *Notis ad Alexiad.* p. 350. In expeditione contra Manfredum Siculum, tanquam hæreticum (namque & hæc inter ſacra Latinorum bella) decretâ, A. C. 1264. crucem detulêre Peregrini (ut vocant) *partitam ac diviſam*, cujus pars una albi altera rubei erat coloris. In aliis quibuſdam, ad diſcrimen Hieroſolymitanarum, non in ſcapulis, ſed alibi, aſſutæ Cruces occurrunt. Sic in expeditione contra Albigenſes, in pectore eas detulêre, ut obſervat Rigordus, *A. C.* 1213. In prœlio contra Mauros Hiſpanos A. C. 1212. Chriſtiani idem ferêre, teſte Ughellô *in Epiſc. Sabin.* p. 191. In ea, quam Saxones adverſus vicinas quaſdam gentes idolorum cultui adhuc deditas ſuſcepêre, expeditione, Cruces ii aſſumſerunt, quæ *non ſimpliciter veſtibus aſſutæ erant, ſed à rota ſubterpoſitâ in altum protendebantur*, uti refert Otto Friſing. *de Geſtis Friderici*, *l.* 1. *c.* 40. &c. Vide & infrà *Stadingi*. Ut porrò *Cruceſignatos* (namque & ſic tales vocabantur, uti dictum, quemadmodum & *Fratres Crucis* & *Crucifratres*) domô exeuntes, ſolemni ritu cum Eccleſiaſtica Proceſſione deduci conſueverint, extra Parochiæ fines, vide infrà in *Peregrinatio*: de Privilegiis verò eorum, quæ multiplicia erant, pluribus diſſerentem adi Car. du Freſne, in *Gloſſar.* ubi & de *Crucem* bajulandi in ſupplicationibus ritu, Italis inprimis tributo, à Radevico *de Geſtis Frider.* *l.* 4. *c.* 5. Vide quoque Conradum Urſperg. & Glabrum, *Hiſtor.* *l.* 5. *c.* 1. *extr.* Hinc Guntherus, *Ligurini l.* 8.

—— —— Ex omnibus undique multi
Urbibus ac vicis aderant, queruloque ferebant
Innumeras clamore Cruces: *hoc quippe querelas*
More ſolent aperire ſuas. —— ——

ad CRUCEM ſtare, in *Capitul.* ann. 779. *can.* 10. & *Addit.* 4 c. 189 ſeu *Cruce contendere*, in *Capitul.* 4. ann. 803. c. 3. dicebantur, qui *Crucis Judicium* ſubibant, quô quis reus cujuſpiam delicti factus ſeſe purgare ſolebat; cujuſmodi per Crucem purgationis mentio frequens eſt, apud medii ævi Scriptores. Quale autem illud fuerit examen, non uſque adeò liquet. Nonnulli enim, genus hoc fuiſſe purgationis ajunt per ſortes, quibus ad Crucem aliquam manus imponens vel eam amplectens, ſeſe aliquis expurgabat; Et certè *ad Crucem* juramenta exigi conſueviſſe, teſtantur paſſim Scriptores. Quô pactô examen illud fortè fuerit, quod in *LL. Friſon.* c. 14 deſcribitur, & fit per duos ramuſculos ſeu *teins*, uti vocantur, quorum alter cruce inſignitur, Altari impoſitos. Alii putant, hanc Crucis explorationem factam, ipſô Crucis lignô in ignem conjectô, ut, ſi illæſum permanſiſſet reus abſolveretur, ſin minùs, damnaretur. Sed phraſes illæ, *ad Crucem ſtare*, vel *Cruce contendere*, utrique ſententiæ repugnant. Hæ enim planè docent, eos, qui hujuſmodi ſubibant examen, in pedes ſteriſſe: quamvis nondum exactè hinc, quale judicium hoc fuerit, diſcarus. Nodum videtur ſolvere Rudolfus Fuldenſis *in Vita S. Liobæ* Abbatiſſ. Biſchofsheim, c. 15. Cum enim infantulus recèns na-

rui in ſtagno Monaſterio vicino inventus fuiſſet, crimenque uni è Sanctimonialibus adſcriberetur. Lioba *praecipit omnibus Oratorium ingredi & extenſis in Crucis modum brachiis ſtare, quoad uſque ſingula Pſalterium totum ex ordine pſallendo complerent, & deinde per tres vices in die, h. e. tertiâ horâ, ſextâ & nonâ, vexillo Crucis elato, cum Litaniis monaſterium circumire & pro purgatione ſua divinam miſericordiam invocare. Quod cum feciſſent & in hoc ordine jam bis impleto, horâ 9. omnes Eccleſiam intrarent, cunctuſque populus pariter congregatus adeſſet — Lioba perrexit ad Altare & ſtans ante Crucem, quae jam tunc tertio portanda parabatur, extenſis manus in caelum — dicens: Domine Jeſu Chriſte, Rex Virginum, integritatis amator, invictiſſime Deus, oſtende virtutem tuam & libera nos ab hac infamia. Hoc cum dixiſſet, puerpercula illa, antiqui hoſtis & captiva pariter & miniſtra, daemoni repletur & quaſi flammis circumdata nomen invocat Abbatiſſae, crimenque — confitetur &c.* E' quibus percipitur, eos qui Cruce judicium ſubibant, expanſis in Crucis formam brachiis, ad Crucem peverà ſtetiſſe certò ac definitò tempore, & donec recitarentur vel Evangelium vel Oratio Dominica &c. qui, ſi immobiles permanerent, innocui; ſi verò divinò quodam judiciò caderent aut crimen fateri ultrò cogerentur, rei habebantur. Quam examinationis judiciique ſpeciem, poſteà abrogatam eſſe à Ludovico Pio Imperatore habetur in *Capitular.* Aquiſgran. *A. C.* 816. *c.* 27. in *L. Longob. l.* 2. *tit* 55. §. 32. & in *Capitul.* Caroli M. *l.* 5. *c.* 302. Sed &, *ad Crucem expanſis brachiis ſtare vel ſe proſternere*, poenitentiae ſpecies fuit, uti legere eſt in *Canonibus* Saxon. Edgari Regis, *c. de Magnatum Poenit.* §. 3. inter Monachos inprimis uſitata, ut docet Yepezius *ad Vitam S. Auſtrebertae*, apud eundem Car. du Freſne, *Gloſſar.* ubi plurima hanc in rem habet: ut & de ritu *Crucem figendi* ſeu σταυροπήγιον, in dedicationibus Eccleſiarum: *Crucem de Chriſmate faciendi*, in parietibus Eccleſiarum, cùm eas conſecrarent Epiſcopi: *Crucem ex cinere & aqua ſuper pectus infirmi faciendi*: *Crucem ferendi*: *Crucem erigendi* in Magnatum funeribus iis locis, quibus pauſabant, qui feretrum deducebant: *Cruces ligneas vel lapideas, ad locorum portas ſeu ad bivia ponendi*, aliiſque in Eccleſia Romana paſſim uſitatis. Cui ſi placet, adde Macros Fratres in *Hierolex.* De uſu verò *Crucis*, in inveſtituris, vide infrà ſuô locô.

in CRUCEM tollebantur, olim vivi, mortuique. De vivis vide infrà in voce *Crux.* Mortuos quod ſpectat, Tarquinium Priſcum *crucibus* fixiſſe eorum corpora, qui necem ſibi conſciſſent, notat Plinius, ut ſaevum & uni illi uſurpatum. Sub Imperatorib. verò factum ſaepius, ut amputata ſontibus capita in crucem tollerentur, cujus exemplum in Nigro, apud Xiphilinum *in Severo*: & in Albino, apud eundem, & Herodianum. Simile eſt, quod de Cleomene Plutarchus memorat, quem ob ἀνασταυροῦν crucifigi juſſit Ptolemaeus *ungventis ſartum*, ut eò diutiùs integrum maneret corpus & facies ſemper agnoſci queat. au *in culeum capite tectus inſutum*? prout vel ἀνασκολοπισμὸς in textu, ut Caſaubonus vult, vel ἀνασταυρισμὸς, ut al., legendum eſt. Vide Caſaubon. hunc *Animadverſion. ad Suetonii in Julio* illa, c. 74. *Sed et ulciſcendi natura leniſſimus: piratas — quoniam ſuffixurum ſe cruci ante juraverat, jugulari prius juſſit, deinde ſuffigi.*

CRUCES, in Communione Romana appellantur Litaniae publicae ſeu Proceſſiones Eccleſiae, in quibus *Cruces* proferri mos. Hinc in *Areſto* A. C. 1260 *in 8 Regeſta Parlam.* apud Car. du Freſne, *Dominum de Caumont Dominum de Bailleul feciſſe ſubmoneri quolibet anno, ad bonas Cruces*, legitur, i. e. Proceſſiones, quae fiunt die S. Marci 25. April. nam *ſtrictiùs* ſunt, quae in Rogationibus. Hodieque Proceſſiones in Andaco & vicinis locis, in Ducatu Luxemburgico, *Cruces* appellari, auctor eſt Joann. Robertus *ad Vitam S. Huberti*, c. 4. Sic *Cruces Nigrae*, apud Durandum, *Ration. l.* 6 *c.* 102. *num.* 1. 10. Litania major ſeu Gregoriana dicitur, quòd, cùm agebatur, aedes ſacrae, altaria, atque adeò populus ipſe, nigris ornamentis & veſtibus induerentur. Vide infrà *Nigra proceſſio.* *Cruces Bannales* alibi, peregrinationes dicuntur & proceſſiones, quae intra Parrociarum ſeu Eccleſiarum *bannum* & diſtrictum peragebantur; vel potiùs proceſſiones diſtrictus cujuſlibet paroeciae, ut docent *ad Joinvillam* Car. du Freſne. Hincque *Schola crucium* ſeu *Schola Crucis*, ſeu eorum, qui in Proceſſionibus *Cruces* deferunt, occurrit apud Cencium Camerarium *in Ceremonial.* &c. Sed & vice terminorum in agrorum confiniis, *Cruces* non ſemel uteruntur. Unde *Fidantiam de prima, ſecunda & tertia Cruce*, appellant Fori Aragonenſes, cùm quis idoneum fidejuſſorem dare tenebatur, qua de re vide eundem Car. du Freſne, *in Gloſſar.* & Hieron. Blancam *in Commentario Rer. Aragon.*

CRUCESIGNATI, vide *Cruciferi.*

CRUCIATA, Gall. *la Croiſade*, ex Romana conſuetudine, expeditio vocatur, non ſolùm quae in Turcas & Saracenos, ſed etiam, quae contra Haereticos, ut eos vocant inprimis, qui Papae ſubjectionem negant, paratur. Sic Innocentius III. poſtquam Albigenſes colloquiò Carnanii primùm, dein Apameae A. C. 1207. inter illos & miſſos ab eo Didacum Epiſcopum, Dominicum Monachum ac Abbatem Ciſtercienſem habitò, de ſententia cedere nollent, *crucem in eos ſumi* juſſit, pares indulgentias ac contra Turcas, largitus A. C. 1208. Unde Dominicò incentore, Simone verò Montfortiò belli Duce, ultra centum millia miſerorum hominum neci data, uſque ad A. C. 1218. Morn. *in Myſter.* Papyr. Maſſon. *Hiſt. Gall. l.* 3. P. Aemil. *l.* 6. Girardus de Haillan, &c. Simonque *Chriſtianiſſimi* titulum à Sixto IV. impetravit. Vide praeter modò dictos, Philip. inprimis de Limborch, *Hiſtoria Inquiſitionis*, *l.* 1. *c.* 11. ubi *de Bello contra Raymundum, patrem & filium, Comites Toloſanos* prolixè agens, eos qui militiae illi nomen dabant, *Crucem* veſtibus ſuis propè humeros impoſuiſſe, hincque *Cruciatos* illos dictos fuiſſe, monet. Innocentius quoque IV. contra Conradum Friderici II. Imperatoris filium indulgentiis ampliſſimis propoſitis, *ſi qui contra eum ſignarentur*, & ipſi, & ejus patri & matri omnium peccatorum veniam pollicitus eſt, A. C. 1252. Matthaeus Pariſ. *in Henr. III.* Itemque in Valdenſes *crucem* aſſumi juſſit Clemens V, qui proin miſerè in Italia tractati, praerupta montium petiêre: in quibus Eugenii IV. tempore centum poſt annos viviſſe agnoſcit Antoninus Florentinus, *part.* 3. *tit.* 22. *c.* 10. In Auſtria etiam, quorum ibi numerus ad 80000. excreverat, quidam cremati ſunt, reliquis in Bohemiam ſeſe diffundentibus. Abbas Urſpurg. *in Chron.* Similiter cum Bohemi, irritati inprimis Johannis Huſſi & Hieronymi Pragenſis vivicomburiò, potiùs primaevae Eccleſiae, quàm qualis tunc Romae erat, adhaerere obfirmarent, miſſus eſt in Germaniam Legatus Julianus Cardinalis titulò S. Angeli, ut *Cruciatam* pararet in rebelles Bohemos: ratus, gentem hanc facilè à Germanis ſuperatum iri: Sed ſaepiùs victi hoſtes, tantuſque terror victis incuſſus eſt, ut Germanis pacem anhelare cogerentur: Hinc Concordia formata, quam *Compactata* vocant, Iglaviae in Moravia inita eſt, A. C. 1436. &c. Vide quoque infrà.

CRUCICOLAE, per convicium olim Chriſtiani, à Gentilibus appellati ſunt. Anſelmus *de Virgin. Temporibus Diocletiani & Maximiani Olympiade* 67. *edicto crudeliſſimo Catholicae fidei cultores, quos Chriſticolas & Crucicolas nuncupabant, ad thurificandum ſtatuis Daemonorum cogebantur.* Vide quoque Iſidorum Pelus. *l.* 4. *Ep.* 29. Euſebium *de Vita Conſtant.* Alios. Rationem innuit Caecilius, apud Minucium, ubi Chriſtianos *hominem ſummò ſupplicio pro facinore punitum* colere ait. Gentiles nempe inſultare & velut probrum objicere Chriſtianis ſolebant, quod hominem *crucifixum* adeoque morte maximè infami defunctum colerent, uti paſſim diſcimus ex Lactantio, *l.* 4 *c.* 16. & 26. Auguſtino, *de Converſione Pauli. Serm.* 1. & 7. aliiſque: & praedictum legimus ab Apoſtolo 1. Corinth. c. 1. v. 18. Vide Jac. Ouzelium, *Animadv. ad Minucium Fel. p.* 55. & 56. Aliam ſiquidem Caecilius mox ſubjungit, *Et crucis ligna feralia eorum ceremonias fabulatur — ut id colant, quod merentur.* Sed longò ſermone hoc Athenagoras refellit *adv. Gentes*, uti Jo. à Wower *ad eundem Minucium* adnotat.

CRUCIFER, apud Pandulfum in *Actis Gelaſii* II. qui Crucem ante Papam defert. Papae enim id jus vindicat Anaſtaſius in *Leone* IV. quod erux ei ubique praeferatur: cum majores Patriarchae ubique quidem, exceptâ tamen Urbe Româ, vel locô, ubi Pontificis Legatus praeſens, Primates, Metropolitani & qui jus pallii habent, non niſi intra Primatus ſui limites, & quidem cùm nullus Cardinalium praeſens eſt, hoc privilegiò gaudeant &c. Sed & *Cruciferi* Ordo Monaſticus eſt, ſic dictus, quod Monachi *cruces* in baculis deferrent: cujus primus auctor B. Quiriacus Hieroſolymitanus Epiſcopus, renovator Innocentius III amplificator Innocentius IV. fuiſſe dicitur. Certè ſub Innocentio hoc apud Lugdunum inagnopere crevit, & privilegiis ab illo donatus eſt, circa A. C. 1248. Primum verò totius Ordinis monaſterium in Hojo, dioeceſ. Leodienſis, ab Joanne Epiſcopo Leodienſi, aedificatum eſſe, A. C. 1233. refert Aub. Miraeus, *Originum Monaſtic. l.* 2. *c.* 22. 23. & 24. At Ordinem ipſum ab Alexandro VII. ſuppreſſum, legas apud Macrum in *Hierolex.*

CRUCIFERI, ſeu CRUCIGERI, *Crucesignati* ſunt, qui militiam Terrae Sanctae profitentes, crucem profeſſionis ſymbolum, veſti in humero dextro, appingebant. Sic olim non, qui, praedicatâ cruce, ſe militaturos voverant Hieroſolymis. Vide Rigord. *de geſtis Philippi Aug. in an.* 1187. Matth. Paris. *in ann.* 1095. & 1096. Guil. Tyrius, *l.* 1. *c.* 6. &c. Eſt autem *Crucem praedicare*, periclitantem rem Chriſtianam apud fideles conqueri, eoſdemque adverſus hoſtes Eccleſiae concionandò ciere: quod ab Urbano II. circa A. C. 1096. inchoatum eſt, qui non ſolùm humeros, ſed & frontes juſſit cruce ſignari: Propriè adverſus Saracenos & infideles, ſed quâ Pontifices contra ipſoſmet Chriſtianos non rarò uſi ſunt. Sic Alexander IV. contra Manfredum Siciliae Regem A. C. 1255. ut refert ibidem Matth. Pariſ. Vide Guil. de Nanges *de geſtis Ludov. p.* 420 & ſupr. in voce *Cruciata.* Imò ab ipſo Conſtantino repetit *Crucigerorum* militiam Spelmannus: Ille enim, inquit, caeleſtis monitis non ſolùm crucem pro labaro adhibuit, ſed & militum armaturis eandem dedit inſigni, ex Nicephor. *l.* 7. *c.* 29. Hinc & Prudentius.

— — Summiſque micat crux addita criſtis.

Sub initio Regni Hieroſolymit. exorti ſunt quatuor ſpeciales *Crucigerorum* ordines, ſcil. Canonicorum S. Sepulchri Dominici, Johannitarum, qui poſtea Rhodii, nunc Melitenſes, Templariorum & Teutonicorum, de quibus poſtremis vide infrà. Sed & Italis *Crucigeri* dicuntur, qui crucem manibus ferentes, querelam profitentur, apud Radericum *de geſtis Friderici I l.* 2. *c.* 5. Aliud genus *Crucesignatorum*, occurrit apud Campegium *in Zanchinum, c.* 9 ubi nomen id Confraternitatis eſt à Dominico praefato inſtitutae & certis LL. firmatae, ad vitam ſic inſtituendam, ut acerrimè Haereticos inſectentur, & impetu quàm poſſint maximò (cùm opus eſt) in eorum perniciem irruant. Hi, verò in Inquiſitorum manibus emiſſò fidem Catholicam etiam cum rerum & vitae diſcrimine tueri promittunt: à Pontificibus viciſſim quàm plurimis gratiis, indulgentiis atque favoribus illuſtrati. Ritus, quibus *Cruce ſignari* tales ſolent, accuratè deſcribit praefatus Camill. Campegius *Tr. fr. tom XI. part.* 2. *fol.* 269. *verſo.* Officium, Inquiſitoribus etiam de neceſſariis providere; unde cùm Inquiſitores indigent pecuniâ, pro officio Inquiſitionis & petenti dare recuſant, excommunicationem incurrunt. Bern. Comenſis, *Lucerna Inquiſitor.* Fuerunt itaque olim tantum Inquiſitoribus uſui: verùm cùm labente tempore armis ad ſubigendos Haereticos opus non eſſet, reditus quoque Inquiſitionis ex confiſcatione reorum augeri coepiſſent, militiae nomen cum armis deponentes, nonnulliſque Conſtitutionibus mutatis, *de S. Dominici paenitentia* hodie nuncupantur Ludov. à Paramo *de Orig. & progr. S. Offic.*, *l.* 2. *t.* 3. *c.* 3. *n.* 7. In Italia Familiares Inquiſitorum vulgus *Crucesignatos* vocat, qui Officiales ſunt deſtinati vel ad denuntiandos vel ad ca-

pravos Hæreticos, etiam ad comitandum Inquiſitorem, ſi & quando ab ipſo fuerint requiſiti. Hi arma portant die noctuque non obſtante quâcunque lege, niſi auctore ejus velles, velut Impeditor Officii Inquiſitionis, puniri: & in pompa Actionis Fidei, ut vocant, equis inſidentes, Patres fidei è veſtigio ſequuntur. Vide Phil. à Limborch, *Hiſtoria Inquiſit.* l. 2. c. 10. & 15. nec non hic aliquid ubi *de Familiaribus ſeu Stipatoribus Inquiſitionis*.

CRUCIFRATRES, ſeu *Fratres Crucis*, hæretici, in Marchionatu Germaniæ Miſnenſi, oppid. *Sangerhuſenſes*, exorti, ſub A. C. 1414 qui etiam *Fratres Flagellatores* dicebantur; de quorum erroribus conſule Gobelinum Perſonam in *Coſmodromio*, *æt.* 6. c. 93. diverſi à *Fratribus Crucis*, qui aliter *Cruce ſignati*, de quibus ſuprà, ubi de *Crucem aſſumendi ritu*.

CRUCIGER Globus, inter inſignia poſteriorum Imperatorum ante Valentiniani temporâ, via occurrit: in Valentiniani verò nummo aureo, ſedet figura ſtolatâ & galeatâ, Romæ forſan, aut Conſtantinopoli ſiniſtrâ haſtam, dextrâ globum tenens, cui crux inſiſtit. Ex quo *Crucigeros* in artubus Theodoſii, aliorumque nummis, conſpicere eſt. Quin & Equeſtris Juſtiniani in Auguſtæo poſita ſtatua, ſimilem globum ſiniſtrâ continuit, teſte *Procopio*. A' Byzantinis Auguſtis tranſiit ad Occidentales globus hic: unde Carolus C. tametſi formò needum Imperator, ſiniſtrâ eum geſtat, in imagine ejus Stephano Baluzio delineatâ: Et Henrico II. ſimilem globum è Benedicto VIII. vel inventore, vel architecto, oblatum eſſe, refert Glaber Rodolfus, ſub A. C. 1013. narratque Conr. Urſpergenſis, Henricô V. in Imperatorem electô, tradidiſſe Patrem, *Regalia ſeu Imperialia inſignia, Crucem ſcil. & lanceam & ſceptrum & globum atque coronam*: quem quidem *Globum Crucigerum* tenendi munus ac Imperatori, cum inauguratur, porrigendi, Comiti Palatino Rheni, ex Bullæ Aureæ tenore, incumbit. Cùm itaque Globus Cruciger pro Imperatorio præſertim ſymbolo hactenus fuerit habitus, Franca ſeu Regiarum puellarum commutatione factâ A. C. 1614. cum coronam *Globô Crucigerô* in apice decoratam, Hiſpaniæ Regis armorum inſignibus appoſitam, in Hiſpanorum tabernaculis, conſpexiſſent, in auguſto illo commercio ulteriùs progredi recuſârunt, donec amoverent; ne hôcce ſymbolô prærogativam aliquam ſupra Francos ſibi arrogare Hiſpani viderentur. Interim *Crucigeros* quoque detuliſſe Hieroſolymitanos Reges ſcribit Coquillius; Poloniæ, Cromerus; Hungariæ, Jeſſenius & Daniæ, Hogembergius, apud Car. du Freſne, *Diſſertat. de Infer. ævi Numiſm.*

CRUCIGERI, in Specie Ordo Equeſtris Teutonicus celebris. Hi, contra Pruſſos, Maſoviam infeſtantes, à Conrado hujus Principe evocati, A. C. 1217. Culmenſis tractus, & quicquid inter Viſtulam ac Druentium fluv. ceſſit, qui mox ad ripam Viſtulæ Thorunium condidêre A. C. 1234 Naucler. *generat.* 41. Horum dein potentiam veritus Præmiſlaus Rex, Dantiſcum contra illos munivit, A. C. 1295. M. Cromer. *l.* 11. Cujus incertâ, proditâ poſtmodum Marchionibus Brandeburgic. à Petro Pomeraniæ Cancellario, Uladiſlao Loctico ſuccenſenti urbe, volente Rege occupârunt, A. C. 1310. quâ cùm cedere nollent, niſi immenſâ pecuniæ vi acceptâ, ipſam urbem inſuper, plurimô ſanguine fuſô, expugnârunt. Idem *ibid.* Ab eo tempore cùm immaniter in Polonos ſævire pergerent, inprimis ſub Sufrido Commendatore, neque à Pontifice etiam moniti mores mutarent, à Rege fœdere cum Gedemino Lithuano facto, victi ſunt XXM. cæſis, A. C. 1333. Idem, *l.* 10. & 12. Ad eos, ſub Uladiſlao Jagellone, patruelis hujus Vitauldus defecit, A. C. 1405. quô Rex, ut pacem provinciæ daret, Magnô Lituaniæ Duce creatô, M. Cromer. *l.* 15. & 16. mox illos cruentiſſimô prœliô ſuperâvit, LM. trucidatis, XIVM. captis. A. C. 1410. Idem, *l.* 16. & 18. Sub Caſimiro M. dein Prutenica nobilitas & urbes mutæ crudelitate libidineve Equitum, jugum excuſſerunt, unôque die 70. circiter oppida & arces defecêre, Caſimiro ſe ſubjicientes, qui non parum Crucigeros atrivit. A. C. 1454. 1466. Idem, *l.* 22. Alexander poſtmodum, Magiſtrum Ordinis, in verba ſua jurare nolentem, ejecit, A. C. 1506. Salomon Neugeb. *Hiſt. Pol.* l. 7. Sigiſmundus tandem Albertum in anguſtias redactum, ex Ordinis Magiſtro Pruſſiæ Ducem creavit, Pruſſiâ cum eo diviſâ, A. C. 1525. Cromer. *in Orat. fun. Sigiſm. I.* Salomon Neugeb. qui Evangelicam poſteà religionem amplexus, Fratres quoque è Bohemia proſcriptos ad ſe invitavit: in qua Pelle ad A. C. uſque 1574. vixerunt. Vide quoque *Boruſſia* & *Pruſſia*.

CRUCINIACUM, oppid. Palatinat. Rheni, ad Nabum, ſeu Nabam fluv. cum caſtro ſatis modico, ferè 8. leuc. a Wormatia in Occaſum, *Creutznach*.

CRUCIS Inimici, Hæretici Apoſtolo notati, Philipp. c. 3. v. 18.

CRUCIS Judicium, ex generibus criminis olim explorandi purgandique: cujus formulam è Friſionum legibus Tit. 14. *de homine in turba occiſo* hanc exhibet Spelmannus, *Gloſſar. Archæol.* Reus primùm duodecimâ manu, h. e. totidem compurgatoribus, objecti criminis ſe purificabat ſacramentô. Ad Eccleſiam deinde, vel diſtante longius Eccleſiâ, ad reliquias SS. deductus erat, præciſiſque de virga particulis, duabus paribus, quas *talos* & *tenos* vocabant, unam crucis charactere inſigniebant, alteram puram dimittebant. Lanâ dein mundâ, ne interniſci poſſent, ſortes iſtas ſeorſim obvolvebant, & in Eccleſia ſuper altare, ſeu ſuper reliquias ponebant. Exoratô tunc ſolenniter Deô, ut ſignô evidenti oſtenderet, utrum accuſatus verè juraverit, nec ne, presbyter vel ſi abeſſet, puer aliquis innocens, ſortium unam tollebat, quæ ſi cruce ſignata erat, inſontem pronuntiabant accuſatum: reum verò, ſi puram. Hanc ex deciſæ virgæ particulis vaticinandi formulam, inter paganos, antiquiſſimam fuiſſe, infrà patebit in voce *Teni*. Capitul. Ludovic. Imperat. *ad L. Salic.* c. 1. *In ſecalari cauſa hujuſcemodi teſtium diverſitas, Campô comprobetur: in Eccleſiaſtica autem negotiis, Cruce judiciô rei veritas inquiratur.* Hinc in Legg. Longob. *Campô vel Cruce contendere.* Vide quoque l. c. tam. Caroli Magni, c. 8. Bignonii *Formul. veter.* c. 31. & Interdictum hoc judicium Genoue, Lothario Imperatori adſcriptô, *Longobard. lib.* 2. *Tit.* 55. *l.* 32. *Sancitum eſt, ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere præſumat, ne Chriſti paſſio, quæ glorificata eſt, cujuslibet temeritate contemptum habeatur.* Solemne etiam morem fuiſſe, labarâ cruce jurare, teſtatur Beda *de remed. peccator.* c. 4. Vide Henr. Spelmannum, ſuprà laudatum.

CRUCIS Signum, vide ſuprà.

S. CRUCIS templum, Cracoviæ, à Jagellone Poloniæ Rege Eccleſiaſtis è Bohemia vocatis, ut vulgari Sclavonicâ linguâ in eo ſacra adminiſtrarent, conceſſum eſt, A. C. 1411 quod diu ſic obtinuit. Laſicius, *l.* 8. *de geſtis Fratr.* apud Laetum, *Compend. Hiſt. Univ.*

CRUCIUM Geſtatio in veſtibus, in Eccleſia Romana partim honoris & officii, partim ignominiæ ſignum eſt. Prior uſus ex dictis paulò ſuprà aliquatenus liquet. Poſterior, ex iis, quæ diximus retrò, voce *Autodafe*. Et quidem duæ, tres, parvæ, magnæ, pro ratione delicti, veſti pœnitentiali perpetuò, ad tempus, quotidie, vel diebus ſaltem dominicis, aut feſtis, geſtandæ: aſſignantur. In Actione Fidei, ut vocant, cujus initium fit a remiſſione pœnæ, quibuſdam paucis contingente, aliis demuntur Cruces, ipſiſque imponitur pœnitentia quædam arbitraria: aliis educantur è metu, & ipſis imponuntur cruces, quæ levior pœna eſt. Sequuntur ſententiæ, primò *Crucéſignatorum*, quibus imponuntur *Cruces* geſtandæ in pectore & dorſo; aliis, quorum delicta ſunt graviora, cruces duplices imponuntur. Si verò pareat, quoſdam levius deliquiſſe, illis injungitur pœnitentia arbitraria ſine crucibus. Tum ſequuntur ſententiæ immurandorum, poſtea Impœnitentium ac Relapſorum &c. Phil. a Limborch, *Hiſtoria Inquiſit.* l. 4. c. 41. & hîc paſſim: uti de *Redemptione* hujuſmodi pœnitentiarum ſuô locô.

CRUDA, de fructibus, Græcè ὠμά, quæ *immatura* ſunt, quibus opponuntur *Cocti fructus*, apud *Hygin.* At linum *crudum*, Græcè ὠμόλινον, quod *nondum maceratum* eſt, cui opponitur λευκόλινον, h. e. *linum aquâ maceratum* & lavacrô candidum factum. Nempe noſtrô more linum vulſum ſiccatur, in aquam mergitur & maceratur, deinde tunditur, mox pectitur, poſteà netur, ultimò texitur textumque adhuc flavum eſt, donec frequentibus lotionibus & aſperſionibus aquæ candorem ſibi conciliet. At Veteres netum linum in filo poliebant & ſilici crebro illidebant cum aqua, textumque ruſſum clavis tundebant, Plin. l. 19. c. 1. Omolina itaque lintea ex *crudo* impolito & adhuc flavo lineo filo texta: & *crudum linum*, quod maceratum, politum & aquâ deſbatum non eſt, iidem ὠμόλινον Græcis. Et quidem et hujuſmodi lino funes fiebant: id verò peculiare Xerxis, quòd ex λευκολίνου rudentes ei facti eſſent, quorum & pulchritudinem propterea commendat Herodotus, l. 7. Sed & ὠμόλινον, ut dictum, linteum ipſum ex *crudo lino* textum eſt, apud *Pollucem*, qui inter res balnei & gymnaſii convenientes ὠμόλινον recenſet, utpote quo ſudorem in balneis extergebant. Quô ſenſu ὠμόλινον ſemper accipiendum apud Galenum, Aëtium, Paulum: Latini *Crudarium* dixere. Ex eodem uſplurimum μοτοὶ fiebant, ſeu *linamenta*, vulneribus inmittendis ſolita: qui duorum generum, ἐκλυτὰ, *carpeſtres*, & ξυστοί, *raſiles* erant; quorum illi ex linteorum crudorum filis carpeti, hi ex raſa lanugine, fiebant &c. Salmaſ. *ad Solin.* p. 765. & 766. Vide quoque infrà *Omolinum*. De cibis, vide infrà in voce *Semicocta*, uti de *Carnis crudæ* diſtributione, in ſolenni olim feſtivitate fieri ſolitâ, infrà ind. voce *Viſceratio*, quam magni honoris locô fuiſſe habitam *ibid.* dicemus.

CRUDARUM Carnium eſus. Græcè Ὠμοφαγία, apud veteres Idololatras in uſu. Maimonides id interdictum *de membro animalis viventis* non comedendo inter alia. *Reges Gentium eô ſoliti facere ſolitos, idololatriæ causâ, ſcilicet abſciſsiſſe animalis membrum aliquod, illudque comediſſe*, ſcribit *Moreh Nebochim*, Part. 3. c. 48. Certè de Bacchanalibus Clemens, *Protreptico*, Bacchi orgia celebrare Dionyſium Mænolem, *crudarum carnium eſu* ſacram inſaniam agentes, & cæſarum carnium divulſionem peragere, coronatos ſerpentibus. Et de *Crudivoris illis feſtis* Arnob. *contra Gentes*, l. 5. *Caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis.* Atque hinc Bacchus Ὠμάδιος, h. e. *crudis gaudens*, cui in Chio ſacrificâſſe, hominem membratim diſcerpentes, apud Porphyrium legimus, *de Abſtin.* l. 2. §. 55. ubi idem in Tenedo obtinuiſſe, addit. Cujuſmodi ἀνθρωποφαγίαν Stoica quoque Chryſippi diſciplina docuit, teſte Sextô Empiricô, *Pyrrh. Hypot.* l. 3. c. 25.

CRUDA Salutatio, apud Tertullianum, *de Penit.* c. 12. dicta eſt, ſalutatio antelucana Candidatorum, apud veteres Romanos, de qua *ſuo loco*.

CRUMATA, apud Martialem, *l.* 6. *Epigr.* 71. v. 1.

Edere laſcivos ad Bætica crumata *geſtus.*
Et Gaditanis ludere docta modis.

Alii, *Cruſmata*, Græcè κρούματα, tympanorum ſunt & cymbalorum pulſus, cum digitorum crepitu, cujuſmodi ſaltationes Hiſpanis hodieque in uſu eſſe docet Jul. Cæſ. Scaliger, *Poetic.* l. 1. c. 18. tres earum modos enumerans, *Chironomiam*, *Halma* & *Laſ[illegible]*, de quo ultimo ſuprà aliquid dictum eſt, ubi de Calce. Hinc *improba Gades*, apud Papin. Statium, l. 1. *Sylv.* 6. v. 71. & *canori chori Gaditanorum*, apud Juvenalem, cujus vide Scholiaſtem *Pithœanum* ad *Sat.* 11. v. 162.

CRUMAVIA, urbs Moraviæ, Ducatus titulô clara, cum arce ſplendida. 3. leuc. à Brinna in Auſtrum, totidem à Znoymo, in Boream. Dicitur etiam *Crumlaw*. Intercepta à Boquojo, A. C. 1618.

CRUMENA, vide *Funda*, *Loculi*, *Marſupium*, *Sellus*.

CRUMERUM, *Alanum*, quod & *Legio prima adjutrix*, Pannoniæ inferioris oppid. Comiti Sanleto. Sed Comaria urbs Hungariæ ſuperioris aliàs *Brigetio* dicta eſt. *Baudrand.*

CR . NOS, Thraciæ portus, & urbs in Myſia inferiori cognomine, vide *Κρουνοὶ*. Item oppid. Peloponneſi cum fluv. cognomine inter Pylon & Chalcim. Vide Melam, *l.* 2. *c.* 2. Sic dictum *ab aquis ſcaturientibus*, quæ Κρουνοὶ dicuntur.

CRUPEZIA, Græcè *κρουπέζια*, à verbo κρούειν & nomine πέζα, dicebantur ligneæ ſoleæ, quas ſub pedibus habebant ad hunc ſolum uſum factas, qui in Theatris pede pulpitum percutiebant, ad incentivum dandum, quò clarius ſonus eſſet & ab omnibus melius intelligeretur. Ligneis enim ſandaliis percutiebant, qui choro ſignum dabant. Imò cùm multi eſſent, qui ſaltantibus Pantomimis pede ſtrepeſcerent, ut major ſonantiorque ederetur crepitus, ferreis quoque ſoleis poſtea leguntur uſi. Vide ſuprà in voce *Crepitaculum*, & infrà *Sabota*.

CRUPFIA, villa, vulgò *Cronchera*, ad Alifontanam fluv. Luxemburgenſem. Vide *Aliſontia*.

CRUPPEA, haſta ſolida, inſtar venabuli, tota ferrea, quâ uſi olim Galaulæ, populi Africæ, quorum mentio apud Prudentium, *l.* 2. *contra Symmach.* & Scriptorem ignobilem, hôc verſu,

> *Marmaridæque leves & cum Garamante Galaulæ.*

Hinc Cruppellarii milites Tacito, Georg. Tribucius Commentat. ut Poëtas Chriſtian. Aſt locus Taciti, eſt in *l.* 3. *Annal. c.* 43. de *continuo ferri tegmine* vocem capit, quod *cataphractam* appellare videtur, de Roxolanis Sarmatica gente agens, *l.* 1. *Hiſtoriar. c.* 79. Vide & ſuprà *Clibanarii*.

CRUPTA, in *Gloſſis* Biret, quod Græci interpretantur ἀδύτον ἱερὸν, h. e. *adytum*, ſeu interiorem Ædis ſacræ cellam, ſive concham aut aſpidem templi, ſpeluncæ modò cameratam. Ad ſimilitudinem namque ſpeluncæ Dominici ſepulchri illiuſmodi olim Conchæ fiebant. Nempe gentes illæ, quæ mortuos non cremabant, ſubterranea quæſivêre loca, illis recondendis, ne cadaverum odor putreſcentis in ſuperius ſentiretur. quæ Cryptæ dictæ. Unde *Crypta Martyrum* toties, in Patrum Scriptis. Hodieque Procerum monumenta, &, ſi qua alii gentilia ſepulchra habent, *Cryptæ* veræ ſunt, ſpecus videl. defoſſi & ſubterranei fornices, in quibus aut terrâ obruta ſunt corpora, aut marmoreis & plumbeis, utique etiam ligneis arcis condita, ſuprà extante ad memoriam ex marmore aut lapide ſtructâ aliquâ maſſâ & inſcriptâ, quod propriè *monumentum* vocatus. Nec alia fuêre Judæorum monumenta, ſed Cryptæ omnino, uti eas paſſim Auctores vocant, Σπήλαιον Græci dixêre. Notu certè Abrahami *ſpeluncæ duplex*, h. e. *διπλοῦν*, *duplicem habens aperturam & ex duabus partibus ingreſſum*; & Lazari μνημεῖον ſeu σπήλαιον, quod ita deſcribit Nonnus, ut fuerit ſpecus ſubterraneus lapide ſtructus & cameratus cum foramine deſuper, ad demittenda cadavera, quod lapide vero operculi claudebatur. Cujuſmodi generis aut formæ Græcorum quoque hypogæa fuiſſe, liquet. Atque in hæc, corpora, ſicut erant pollicta & involuta linteis, tæniaſim ſciſſis, per oſtium ſuperum, immiſiſſe Judæi ſicque illa, in nudo *Cryptarum* ſolo jacuiſſe, non in ſarcophagis condita fuiſſe, videntur. Cavos in pariete monumenti excavatos, in quos veluti tradeſectus cadaver, vicem lectorum vel arcularum, quarum in Græcia uſus, præbuiſſe, tradunt Magiſtri. Sic itaque & Dominus noſter in *Crypta* ſepultus eſt, ad cujus ſimilitudinem apſides poſtmodùm Templorum factas, ſuprà diximus. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1208. & *ſeqq.* & infrà in voce *Crypta*, it. *Vas*.

CRURA, vaticandi ac diſparandi modi duo, quorum alterum Dædalus in ſimulacris primus expreſſit, vide infrà in voce *Vatia*. Illa, uti pedes, tibias, ac femora, faſciis involvebant Antiqui, Hebræi, Græci, Romani, interque eos ægroti primùm & imbecilles, dein homines delicati & molles. Et quidem de cruralibus *faſciis* Quintilianus, *l.* 11. *c. ult. Palliolum*, inquit, *ſicut faſciam, quibus crura veſtiuntur, & focalia & aurium ligamenta, ſola excuſare poteſt valetudo.* Unde Pompejo inter alia objectum, quòd *candidâ faſciâ crus haberet alligatum*, apud Val Maximum. Quod tamen ille, quaſi tegendo ulceri id faceret, excuſare ſolitus eſt, teſte Amm. Marcellin. *l.* 17. Clodius verò etiam purpureas geſſit, quod nequitiæ ſolitum tribuerim, Cicer. *de Haruſp. Reſp.* Unde, inter alia nequitiæ inſtrumenta, Herculi apud Omphalem agenti, etiam *crurales faſciæ* adſcribuntur, in *Hippolyto* Trag. *Actu* 1. *v.* 321.

> *Crura diſtinctâ religavit aurô,*
> *Luteô plantas cohibente ſoccô* &c.

Poſteà promiſcuè uſurpari cœperunt, & quidem de puellis nota res ex *Menandro*, apud *Pollucem* & *Horatio*: quam ob cauſam ſceleſtiſſimas Poëtis *φασκιώδεις*. Διὰ τὰς ἐνδέτους τῶν μηρῶν dictas, inquit Paſſ.... De viris, ex aliis paſſim. Quod factum imprimis, poſtquàm in frequenti uſu calcei cœpêre eſſe. Interim, Trajanô imperante, faſcias hujuſmodi mediocris adhuc fortunæ homines ignoraſſe, Dio Chryſoſtomus docet *Serm. de Tyrannide*. Tandem verò inter ordinarias veſtes & hæ numeratæ ſunt, uti patet ex Ulpiano, *l.* 25. *ff. de aur argent mundo legat.* Περισκελίδας autem illas, ſicut pedules faſcias ἀρβυλίδας, Græci dixêre. Unde *Periſcelidis* Ordo in Anglia, adeò celebris, de quo ſuô locô. Vide Iſaac. Caſaubon. *ad Sueton. Aug. c.* 82. & infrà voce *Faſcia*: item *Hoſa*, *Pedale*, *Tibiale*, uti de *Crurum gracilitate*, inter corporis vitia olim habita, infrà ubi de *Gracilitate*. & de Gothorum gentiliſſimo more *nudis cruribus & ſinu*, nudoque poplite incedendi, aliquid voce *Pero*, de tibiis item Veterum, ex *crurum oſſibus*, hinnulcorum atque capreolorum, infrà, voce *Tibia*: de tribus verò hominis cruribus, in nummis quibuſdam Siculis, ad deſignanda tria ejus inſulæ promontoria, infrà itidem voce *Triſcelis*: nec non de unguento Mendeſio, quô crura pedeſque Veteres inungebant, voce *Unguentum*, & de ſcamnis, quæ evellendis cruribus deſtinata, σκελοκοπία hinc Græcis dicebantur, infrà voce *Uſtricula*. At *Crurifragium*, ſervorum olim ancillarumque pœna. Sueton. *ibid. c.* 67. *Thallo ... crura effregit.* Vide & in *Tiberio*, *c.* 44. Publicum idem maleficorum hominum ſupplicium fuit: ut delatorum, ſub Commodo. Vide Euſebium, *l.* 5. agyrtarum, manticulariorum, aliorum, apud Agathiam, *l.* 4. In Chriſtianos poſtmodum ſæpe exercitum; ut in *Martyrologiis* videre eſt. Caſaubon. iterum *ad Suetonii locum*.

CRUSA, inſula Aſiæ adjacens in ſinu Ceramico. Plin. *l.* 5. *c.* 31.

CRUSÆI, populi Mygdoniæ, apud Dionyſ. de quibus vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 162.

CRUSERIUS Hermannus, Campenſis, Duci Clivinco à Conſiliis, Græcè doctiſſimus, variis hujus Linguæ auctores, Plutarchum imprimis, in ſolatium filiæ ſibi præmaturâ lethô ereptæ, vertit, aliaque complura ſcripſit. In comitatu tandem Eleonoræ Clivincæ, Alberto Friderico Pruſſiæ Duci nuptæ, obiit Regiomonte A. C. 1574. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* Melch. Adami, *Vita Medicor.* Anton. Teiſſier in *Elogiis Part.* 1.

CRUSIANUS, Medicus Florentinus, diſcipulus Matthæi, ſeu Thadei illius, qui Bononiæ tantâ cum famâ docuit, ut quinquagenos aureos quotidie mercedis locô caperet. Carthuſianus factus. Trithem. Volaterran. *Trajectum* Petrejo, *Bibl. Carthuſ.* p. 49. & 294.

CRUSIS, pars Mygdoniæ. *Steph.*

CRUSIUS Martinus, vide *Martinus*.

CRUSMATA, vide ſuprà *Cromata*.

CRUSNA, ſeu CROSINA, apud Ughellum in *Epiſcopis Vercellenſ.* & in *Charta* Ottonis M. apud *Meibomium*, tunica eſt ex ferinis pellibus. Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CRUSTA, apud Ciceronem, 6. *Verr. Quæ probârant, iis cruſtæ aut emblemata detrahantur*, de vaſis argenteis cælatis dicitur. Nempe cum hæc modò cælarent figuris totis extantibus, modò dimidiatis; illa *emblemata*, ſignaque *ἐμβλήματα* & *ἐκτυπώματα*; hæc *ἐμπαίστρα* & *cruſtæ* dicebantur, cum ſcil. velut adfixæ imagines unum tantùm latus oſtenderent. Utræque figuræ exemptiles erant; & plerumque aliunde revulſæ vaſculis puris immittebantur; unde ab anaglyphis diverſæ. Qui proin vaſcula faciebant, *Vaſcularii*, qui emblemata iis illigabant, *Cælatores*, vel *Toreutæ* dicti ſunt: quibus acceſſit tertium genus *Cruſtariorum* Artificum, qui *cruſtas* ex argento cælatas argenteis ſcyphis inducebant. Horum meminit Plin. *l.* 33. *c.* 12. *Habuit & Teucer Cruſtarius famam: ſubitoque ars hæc ita exolevit, ut ſola jam vetuſtate cenſeatur* &c. Operiebantur autem *cruſtis* illis *cælatæ* ſcyphi, calices, alia vaſa. Salmaſ. *ad Solin.* p. 1046. & 1048. De more parietes *vermiculatis* ad effigies animalium *cruſtis* depingendi vide infra voce *Paries*.

CRUSTÆ Veſtes, Græcè *κρουσταί*, dicebantur illæ ex ſericis, quarum trama quidem erat purpurea, ſubtemen autem aliô colore infectum. Cujuſmodi veſtium uſum privatis paſſim permiſſum, ſolæ tenuiæ & minuæ uſurpare vetabantur. Cod. *Theodoſ. l.* 11. *de Senat. Hi quoque veſtibus noverint abſtinendum, quas Græcè nomine Latinis cruſtas vocant, in quibus alii admixtus colori purpureæ color muricis inardeſcit.* Nomen illis à denſitate texturæ, quòd benè ſcil. eſſent percuſſæ. Iatin. hinc quoque *Conchæ*: à quibus quid differrent Holoveræ, vide ſuô locô, ut & aliquid, ubi de *Pereſſis brevi veſtibus*.

CRUSTULUM, in tetrapharmaco, ſeu potiùs pentapharmaco Hadriani, memoratus apud Spartian. *in Vero*, *c.* 3. De *Cruſtulorum diviſione*, Natali die olim factâ, vide infrà voce *Diviſio*.

CRUSTUMERIUM vel CRUSTUMERIA, oppid. Sabinorum, Albanorum colonia. Plin. *l.* 3. *c.* 5. prope Tiberim, ubi Alliam recipit. Nunc vicus *Marcigliano Vecchio*, 9. milliar. à Roma in Boream, Eretum verſùs, à quo vix 4. milliar. abeſt. *Baudrand.* Virg. *l.* 7. *Æn.* *v.* 631. *Cruſtumeros* vocat:

> *Ardea, Cruſtumerique & turrigera Antemnæ.*

CRUSTUMINUM, oppid. Thuſciæ juxta Vejos, forſan ad oſtia ſuæ Cruſtumii fluv. quod Coma, urbs aquis abſorpta. *Baudrand.* à quo incolæ *Cruſtumini* dicti, & *Cruſtumina tribus*, & *Cruſtuminum vinum* laudatiſſimum. Item *Cruſtumina pyra*, quæ Virg. *l.* 2. *Georg. v.* 88. *Cruſtumia* vocat.

> --- *Nec ſurculus idem*
> *Cruſtumiis, Syriiſque pyris gravibuſque volemis.*

Plin. *l.* 15. *c.* 15. *Cunctis autem Cruſtumina gratiſſima.* Et, *l.* 23. *c.* 7. *Decocta verò ſalubria, & gratè præcipuè Cruſtumina.* Et Columella, *l.* 5. *c.* 9. cùm multa genera conſtituat, primô locô ponit *Cruſtumina*, adhuc ante regia. *Nic. Lloydius.*

CRUSTUMIUM, ſeu CRUSTUNUS, & CRUSTUMENIUS, *Conca*, fluv. ex Appennino monte oriens, Ariminumque prætarlabens. Lucan. *l.* 2. *v.* 405.

> *In lævum cecidêre latus, veloxque Metaurus*
> *Cruſtumiumque rapax, & junctus Iſapis Iſauro,*

Baudrando oritur in Ducatu Urbini, prope Fanum S. Leonis, & auctus aliquot rivis, per Romandiolam, in mare Adriaticum fluit, 6. milliar. ab Arimino in Ortum, 4 à vico *Catolica*.

CRUSZVICIA, urbs Poloniæ, ſedes olim Regum; in cujus arce Popielus II. cum conjuge & filiis à muribus devoratus legitur, A.C. 823. Cromer *Hiſt. Pol. l.* 2. Sedem dein Piaſtus, poſt interregnum ſatis diuturnum, Rex electus, Gneznam tranſtulit, A.C 861. Idem, *l.* 2.

CRUX, pro cruciatu & interitu in ligno, barbaris *Gabalus*, ex Hebr. *Gabal*, i. e. *terminus*, *ſtipes erectus in agro*; in carminis hor-

rendo apud Livium, *l. 1. c. 26. Arbor infelix*. Seneca *Infelix lignum*, Græcis Σταυρὸς & Σκόλοψ, quorum tamen illud frequentius &c. vel *Simplex* fuit, idque primitus, cùm in uno ſimplicique ligno facta eſt affixio aut infixio, quorum poſterius hoc ſupplicii genus Græcis Σκολοπίζειν & Ἀνασκολοπίζειν dictum eſt: vel *Compacta*, quæ manu facta eſt, idque duplici è ligno, Ξύλον δίδυμον, à LXX. in libro Joſuæ verſa. Hæc plena & vera *Crux* fuit, in qua brachia etiam explicabantur, atque ideo *Patibulum* non ſemel dicta. Ejus ſpecies triplex: *Decuſſata*, in qua duo ligna directa & æqualia inter ſe obliquantur, ad formam literæ X. *Andreanam* vocant, quòd is vulgò in ea cruciatus dicitur: *Commiſſa*, cùm ligno erecto brevius alterum ſuperne & in ipſo capite committitur, ſic ut nihil exiret, quæ forma eſt examuſſim literæ T. Hanc Ægyptiis olim inter ſigna ſacra fuiſſe docet Ruffinus: & *Immiſſa*, cùm ligno erecto tranſverſum alterum injungitur atque immittitur, ſed ſic ut ipſum ſecet: in qua forma CHRISTUS JESUS mortuus creditur. Habet eminentiam aliquam & capitellum, aliter quam in Commiſſa: unde ob 4. ejus angulos, Sedulius de cruce CHRISTI ſic canit, *l. 5.*

> *Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.*
> *Splendidus Auctoris de vertice fulget Eous,*
> *Occiduo ſacra lambuntur ſidere plantæ.*
> *Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem.*

Fuêre autem *Cruces*, ubique ferè gentium receptæ: Oriens quidem pleruſque uſurpavit, idque jam olim. De Syris vide Eſtheræ *c. 7. v. 9.* de Judæis Joſuæ *c. 8. v. 29.* ut & in Numeris, *c. 25. v. 4.* de Ægyptiis, apud Thucyd. *l. 1.* & Juſtinum, *l. 30. c. 2.* de Perſis, apud Herodotum, ubi de Polycrate agit: de Afris, quibus omnium creberrimè, neque ſolùm in homines viles, ſed etiam Duces id ſupplicii exercuerunt: apud Val. Max. *l. 2. c. 7. ex. ext. 1.* de Græcis apud Plutarch. *in Alexandro* & Herodotum *in Calliope*, ubi de Xantippo Athenienſi agit. Romani ſtatim ſub primis Regibus uſurpârunt, unde vetus *terribiliumque ſupplicium* Victoris, & exemplum in Horatio, cui id ſub Tullo parabatur, Liv. *l. 1. c. 26.* Liberâ quoque Republ. ſtatim Cruces in uſu, ſed vix tamen niſi in homines viliores, & ſervos ferè. Juvenalis, *Sat. 6. v. 219.*

> *Pone Crucem ſervo.* ——

Unde nomine *Servile ſupplicium* capienda Crux venit, apud Tacitum, *l. 4. Hiſt. c. 11.* & Livium, *l. 3.* Nec tamen ob levem aut quotidianam noxam, Horat. *l. 1. Serm. 3. v. 80.*

> *Si quis eum ſervum, patinam qui tollere juſſus*
> *Semeſos piſces, tepidumque ligurrierit jus,*
> *In cruce ſuffigat; Labeone inſanior inter*
> *Sanos dicatur.* ——

Verùm ob graves & extremas, quales ſunt: Delatura domini, vide Capitolin. in *Pertinace*, *c. 9.* Herodian. *l. 5.* ubi de Macrino Principe ſermo eſt: Et in genere, omnis machina contra dominicam ſalutem, vide Paulum, *l. 5. ſent. tit. 22.* Item Fuga diuturna aut repetita, vide Cicer. *de Dejotaro* &c. In liberis hominibus apud Romanos rara Crux, ſed vilioribus ac provincialibus. In quibus hæc crimina cruciaria fuêre: Latrocinium, apud Senec. *Ep. 7.* & Petronium *in Satyr.* Sicariatus, Paulus, *l. 5. ſent. 23.* Crimen Falſi, vide Firmicum, *l. 6.* Furtum tandem, ſed non Romæ, apud Lamprid. *in Alexandro*, ut alia omittantur. Seditionem tamen & innovationem præterire non licet, cujus prætextu damnatus eſt innoxius noſter AGNUS: *Namque Romanâ lege Auctores ſeditionis aut tumultus, pro qualitatis dignitate aut in Crucem tolli, aut beſtiis objici*, auctor eſt Paulus, *l. 5. tit. 22.* In hos ergo tales ex ordine & more Crux uſurpata, interdum regnum et largius, & præſertim apud Reges. Alexander M. *duo millia Tyriorum*, qui hoſtes erant, *crucifixit*, Plutarch. *in eo*: Turbidos Judæos ad 800, in crucem egit Minutius Alexander in Judæa, Joſeph. *Ant. Jud. l. 13. c. 22.* bis millia Quinctilius Varro, apud eundem, *l. 2. Excidii*, *c. 5.* quingenos & plures in ſingulos dies Titus, *l. 5. c. 28.* Chriſtianorum decem millia unô tempore, unô locô ſic interfecta eſſe, docet Martyrologium 22. *Jun.* Nec fœminis parcitum: Namque Tiberius, ob adulteratam in templo Iſidis Paulinam, τούς τε ἱερεῖς ἀνεσταύρωσε καὶ τὴν Ἴδην ἀπελεύθερον γενομένην αἰτίαν, *& Sacerdotes crucifixit & Idam* (*ancillæ* nomen) *quæ corruptelæ cauſa fuerat*, Joſeph. *Jud. Ant. l. 18. c. 6.* &c. Duplex autem in Cruce figendi modus, vulgaris & rarus. In illo flagellatio ſolennis anteceſſit, & rarò in crucem dati ſunt niſi ſic purpurati. Unde horrendi carminis apud Livium, *l. 1. c. 26.* diſerta lex, *Verbera intra aut extra pomœrium*: & tum denique ſuccinebat, *Arbori infelici ſuſpendito*. Idque potiùs flagris, quàm virgis, quæ honeſtiores. Uſque adeò autem aſpera flagella erant, ut ſub iis multos interiiſſe, ſcribat Ulpianus, *l. 8. ff. de pœnis.* Quod magis fuit, cùm ea inſitis talis aut oſſiculis exaſperabant: quod flagrorum genus Ἀστραγαλωτὰς μάστιγας dici notat *Euſtathius*. Quô REDEMTOR cæſus eſt flagrô, Γριφόεσσαν, i.e. *horrendum flagellum* appellat *Nonnus*:

> *Γριφόεντι Χριστοῖο δέμας φοινίξεν ἱμάσθλῃ,*
> *Horrificâ Chriſti corpus rubeſcit habenâ.*

Fiebat hæc flagellatio, vel ante deductionem, idque domi aut in Prætorio, quod in SERVATORE factum: vel in ipſa deductione, per viam; quod moris fuit magis priſci. Si domi, ligabant interdum ad columnam. Plautus, *Bacchid. Actu 4. ſc. 7. v. 24. 25.*

> —— —— —— *Abducite hunc*
> *Intro, atque adſtringite ad columnam fortiter.*

Si per viam ſub furca id factum. Cum deducebantur, miſeri crucem lignum aut certè ejus partem ipſi ferre ſunt coacti. Unde Johannes, *c. 19. v. 17.* Βαστάζων τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, *Bajulans ſuam crucem*, nempe totam; Alii, qui ritu inprimis veteri ſub furca cæſi ducebantur, non niſi iſtam ferebant. Porrò trahere, dilaniare & ſtimulis agere tales moris erat, ut patet ex Plauti *Moſtellar. 1.* Simul ad *Crucem* ventum, ſpoliati veſtibus in eam agebantur, quod idem in CHRISTO obſervatum; funibuſque adſtringebantur, vel quod frequentius, clavis affigebantur, qui in manibus pedibuſque ſuêre. *Nonnus* de SERVATORE,

> *Καὶ ποσὶ καὶ παλάμῃσι σιδήρεα κέντρα πεπαρμένος,*
> *Et pedibus manibuſque ferreis ſtimulis ferratus.*

Horum ternos quidam, alii quaternos fuiſſe volunt. Imò per ſævitiam multiplicati ſæpe clavi. Quò ſupplicii vero tam acerbi juſtitia omnibus innoteſceret, cauſa illius ſeu crimen, Romanis *Titulus*, item *Elogium*, Matthæi Evang. *c. 27. v. 37.* Αἰτία dictum, in tabella ſcribi & damnatis anteferri, vel appendi aut apponi ſolebat. Dio, *l. 54.* de ſervo, quem dominus agi in crucem, idque per forum juſſit, μετὰ γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως δηλούντων, *Cum literis* (ſeu Titulo) *quæ cauſam mortis aperirent*. Sæpe tamen eô neglectô ac ſpretô, contenti fuêre Superdictione, i. e. ut Præconis præeuntis voce populo id nuntiaretur. Sic fixis mors lenta, moleſta, & vel à ſtillante paulatim ſanguine, vel à fame, vel ab avium ferarumque laniatu. Certè in *Cruce* fixi beſtiis, in publicis inprimis ſpectaculis, ſæpe objecti, apud Euſebium, *l. 5. c. 1.* Martialem, *l. 1. Epigr. 7. v. 3. de Laureolo*, Sueton. *in Nerone*, *c. 49* &c. Interdum etiam lanceis transverberatos legimus, ut ad accelerandum Fatum, ut in Marcelliano & Marco; Martyrol. 18. Junii, an ad explorandum, ut in noſtro DOMINO factum eſt, cui miles jam mortuo lanceâ latus aperuit, ſcil. periculum facturus an bonâ fide obiiſſet. Crura affixis non fracta, niſi apud Judæos; ut ſatis legi fieret, quæ juſſerat ad Solem occaſum ſuſpendioſos deponi. Apud reliquas vero gentes, non depoſiti ſic mortui ſunt, ſed tabo illic diffluentes, à Sole pluviaque fuêre corrupti, ſepulturæ carentes. Unde Theodorus Cyrenæus Tyranno minitanti, reſpondit: *Sua nihil intereſſe, humi, an ſublime putreſceret*, apud Ciceronem, *l. 1. Tuſcul. Quæſt. c. 43* & Val. Max. *l. 6. c. 2. ex ult.* Quare ne quis deponeret, miles & cuſtodia aſſidit, Petronius *in Satyr.* Plutarch. *in Cleomene* &c. quò poſſis referre vocem Pilati ad Judæos, Matth. *c. 27. v. 65.* Ἔχετε κουστωδίαν, ὑπάγετε, *Habetis cuſtodiam, abite*. Hactenus vulgaris crucifigendi modus: Rarus vel ævô ſepoſitus vel ſchemate aut fine inuſitatus fuit. Ævô ſepoſita *Furca* eſt, de qua vide infrà *ſuô locô*. Schemate à vulgari diverſus fuit, cùm aliò atque aliò habitu hominem affigebant, ut ingenioſa in pœnas crudelitas eſt. *Alii capite converſo in terram ſuſpendêre*. Senec. *Conſol. ad Marciam*, *c. 20.* quod in Petro factum Chryſoſtomus refert, *Orat. in Petr. & Paulum.* Obliquum jacentíque Eunuchi corpus tribus ſtipitibus ſive crucibus infixit Paryſatis, apud Plut. *in Artaxerxe*. Inter duos palos diſpeſſis manibus pedibuſque alligatos, reperias in Martyrologiis: Videas & inter arbores appenſos, & iis reductis ſciſſos, apud Propertium, *l. 3. El. 21. v. 19.*

> *Arboreaſque cruces Sinis & non hoſpita Grajis*
> *Saxa, & curvatas in ſua Fata trabes.*

Tertius figendi modus rarior, fine à vulgato divertit, cùm *Cruces* hominem capiebant moriturum non per ipſas, ſed in ipſis: vel fumô flammâque, vel beſtiarum morſibus; Item cùm non vivi, ſed mortui in ea appenſi, apud Orientales inprimis; nec cadavera ſolùm, ſed imagines quoque: ut in Celſo factum, *cujus corpus à canibus conſumtum eſt, & novô injuriæ genere imago in crucem ſublata*, auctore Pollione *in XXX. Tyrannis*, *c. 19.* Vide quoque ſuprà *in Crucem*. Fuit autem Crux ex obvio quovis ligno conſtructa, è quercu Servatoris cenſetur. Silius quoque in ea crucifigit, *l. 1. v. 165.*

> *Quem poſtquam dirô ſuſpenſum robore vidit.*

Locus ei incertus & pro arbitrio, tamen plerumque conſpectus aliquis ac juxta vias: In monte Calvariæ SERVATORIS fuit: *in excelſiſſimo Mycalenſis montis vertice* Polycratis, Val. Max. *l. 6. c. ult. ex. ext. 5.* quin ipſa ſæpe alta, præſertim in noxio aliquo inſigni. Sed ſatis de his: Suſtulit *Crucis* ſupplicium Conſtantinus M. ſub Imperii ſui extrema, poſtquam jam à primordiis ejus Crux in honore eſſe cœpit, à quo Maxentium aggreſſurus figuram ejus in cœlo vidit, cum verbis: Ἐν τούτῳ νίκα, *In hoc vince*, Zonaras *in Conſtant.* Tum enim militaribus eam ſignis inſeruit, & maximè Labaro, quod inter ea primum: in ipſis etiam militum armis, & quidem galeis mox effulgere cœpit. Imò in ſuum caput & ad Diadema Imperator tranſtulit: ſtatuam quoque ſibi erigi fecit Romæ in urbe media, quæ manu hoc teneret ſignum, cum inſcriptione, quam apud Euſebium, qui volet, leget, *de Vita Conſtantini*, *l. 1. c. 23.* quod exemplum ſequuti ſunt Imperatores alii, (ut ex nummis illorum apparet, vide infrà) etiam non Chriſtiani, quemadmodum Occo in Galieno & Romulo Auguſtis notat: A quo tum etiamnum crucifer ille globus, inter Imperii Inſignia. Hactenus Lipſius, *l. de Cruce.* Rivetus verò ſignum, quod Conſtantino apparuit, non fuiſſe *Crucem* ejus formæ, prout fingitur vulgò, ſed literam Græcorum P. literæ X. inſertam, quam obliquè interſecabat hôc modô ☧. quæ primæ nominis CHRISTI initiales literæ, nomen ipſius ſignificabant, oſtendit. Vulgare enim *Crucis* ſignum potiùs literam T. retuliſſe, ſuprà viſum, & docet Tertullian. *contra Marcionem*, *l. 3.* Nec Euſebius, qui viſionem hanc *de Vita Conſtant. l. 1. c. 23.* refert, nec Zonaras retro laudatus, aliam memorant inſcriptionem, quam ἐν τούτῳ νίκα, *in hoc*, vel *per hunc*. (cujus initiales literas Imperator vidit) *vince*: ut verba ad ipſum CHRISTUM commodiſſimè referri poſſint. De Labaro idem docet, non tum primùm in crucis formam fuiſſe converſum, ſed

jam

jam antea eam imitatum eſſe, ut Pamelius poſt Tertullianum *in Notis ad Apologet. c. 15. num. 245.* agnoſcit. Sic itaque Conſtantinus Labaro nihil adjunxerit, niſi quòd auro intextum CHRISTI nomen velo impoſuit, ut teſtatur Prudentius *contra Symmachum, l. 1. v. 488.*

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum &c.

Vide Andr. Rivetum, *Summa Controv. tract. 1. quaſt. 19 & 20.* Joann. Forbeſium, *Inſtructionum Hiſtorico-Theolog. l. 7. c. 2. 5. & 8.* inprimis verò Joan. Caſp. Suicerum, *Theſaur. Eccleſ.* in voce Σταυρός, nec non infrà in voce *Monogramma*, it. ubi de *Suppedaneo* & compoſitis ex Græco Σταυρός, Jac. Ouſelium, cæteroſque Commentatores Minucii Fel. ad illa verba, *Cruces nec colimus, nec optamus*, ut et qui Tertulliani *Apologet.* & Athenagoræ *Admonit. ad Gentes* Notis ſuis illuſtrârunt, J. Matth. Walkerium, *Syntagm. de Cruce.*

CRUX, in Nummis Imperator. poſterioris ævi paſſim, quos inter præcipuus eſt aureus ille Olybrii Auguſti, in quo is exhibetur ſectô vultu, cum ſtemmate gemmato & crucigero, addità *Inſcr.* DN. ANICIUS OLYBRIUS AUG. in aversæ verò partis medio, *Crux* nuda conſpicitur, cum lemmate, SALUS MUNDI, infrà CONOB. Cum duplici verò tranſverſario ſtipite *Crucem* primùm conſpicere eſt in aureo nummo Conſtantini & Irenes matris: quâ ſanè formâ deinceps effictas à Græcis, ſatis declarant cùm figuræ Græcanicæ veteres, tum quæ reliquias Crucis ſervant Phylacteria, ut creditur. Sed & triplici effictam figuram *Crucis* apud Græcos obſervare eſt, ex pictura Græcanica Gazophylacii Canonicorum S. Genovefæ Pariſ. quæ cùm conſtet 4. tabellis, in harum una effinguntur S. Paraſceve, S. Barbara, & S. Martina, ſingulæ dextrâ crucem tenentes, ſed diverſâ formâ. Nam S. Paraſceve Crucem, ut vulgò dicitur *recruciatam*, ſeu in cruciculas in ſingulis brachiis deſinentem; S. Barbara crucem cum duplici ſtipite tranſverſario, S. denique Martina crucem nudam, niſi quòd ſub extrema globulis exornatur. in altera verò tabella S. Thecla & S. Æcatharina cruces recruciatas perinde geſtant: quas inter medius ſtat S. Stephanus Diaconi habitu &c. apud Car. du Freſne *in Diſſertat. de Inſcr. ævi Numiſmatibus num. 23.*

CRUX, apud Ruſſos, ſolemni oſculô tacta, fidei pignus in illa gente maximè ſolenne habetur. Quemadmodùm de Pelagio ſcribit Sigebertus, ad A. C. 552. illum coſimulatum mortis Vigilii Epiſcopi Romani tenentem ſancta Euangelia & *Crucem*, publicè ſatisfeciſſe, & addit Anaſtaſius *in eod.* ipſum Euangelium & Crucem ſuper caput extuliſſe & tenuiſſe, qui mos poſtea ſenſim exolevit, unde ſolorum quatuor ſanctorum Euangeliorum mentio fit *Nov.* IIX. *circa finem.* Ritum autem illum, ab ipſo Magno Duce Michaële Fedorovitio, in confirmationem Articulorum Stolbovvenſium, (quibus Suecis conceſſæ urbes & caſtella Ivanogrodia, Jamſia, Coporia, & Nöteburgum; Magna Novogardia autem aliæque urbes Ruſſis redditæ A. C. 1617.) peractum, ſic deſcribit Petrus Petreſus, *Chron. Rer. Moſcovitic. Part. 2. p. 522. Poſt reverentiam à Legatis exhibitam, & orationem à Magni Ducis Cancellario habitam, Litera oſculationis Crucis prælecta & in paropſide aurea, imagini cuidam, ſupra quam Crux auro gemmiſque ſplendens, impoſita ſunt. Tum Magnus Dux & ipſe brevi oratione defunctus, quâ pacem ratam ſe habiturum pollicitus eſt. idem viciſſim à Rege ſtipulatus, caput inclinabat, duobuſque præcipuis ſuis Miniſtris, Principibuſque----coronam & ſceptrum tradebat. Quo facto monuit Cancellarius Legatos, attenderent diligenter, quo pacto Magnus Dux Crucem oſculaturus, eſſet. Sic Magnus Dux de throno ſurgens, unumque gradum promovens, faciem Cruci admovit, illamque, uti videbatur, magnâ devotione oſculatus eſt. Quod cùm feciſſet, ipſemet Magnus Dux Legatis, Vidiſtis, ajebat, Crucem nos oſculatos eſſe, fidemque ſic facere, nihil eorum fore irritum, de quo inter Nos & Dominum veſtrum, Potentiſſimum Regem Guſtavum Adolphum Sueciæ, conventum eſt----Reſumebat inde coronam & ſceptrum &c.*

S. CRUX, caſtrum eſt, quod Græci monachi inhabitant: in quo juxta majus altare, ait *Saligu.* arbor quædam dicitur ſteriſſe, de cujus ligno crux Chriſti facta fuerit. Eſt cœnobium munitiſſimum, propter incurſus infeſtantium Arabum.

CRUX Pectoralis, quam in Communione Romana Epiſcopi ad pectus appenſam deferunt, vide *Encolpium.*

CRUX Sepulchralis, in proditorum apud veteres Athenienſes hoſtiumque tumulis. Vide infrà *Proditor.*

CRYA, urbs Lyciæ. Vide *Steph.*

CRYASSUS, urbs Cariæ. *Steph.*

CRYNIS, Bithyniæ fluv. Plin. *l. 5. c. 32.*

CRYON, Aſiæ minoris fluvius, per Lydiam in Hermum defluens. Plin. *l. 5. c. 29.*

CRYPTA Ferrata, cœnobium percelebre, in Latio, ſub Pontifice 15. milliar. à Roma, prope Tuſculum. Antea *Villa Luculli*, juxta aquam Crabram.

CRYPTA Neapolitana, via manu facta ſub monte Pauſilypi, quâ itur Cumâ Neapolim, mille paſſ. in longitud. protenditur, 12. pedes lata, ac totidem alta, uti eam deſcribit Leander. *Grotta di Napoli* vulgò dicitur.

CRYPTA Sacra, apud Petronium, *Ego ſum ancilla Quartillæ, cujus vos ſacra ante cryptam turbaſtis*: eadem ſunt cum iis, quæ paulò poſt ibidem, *Secreta*, item *nocturna Religionis*, Valerio *operta ſacra*, Græcis, ἀπόῤῥητα dicuntur, qualia erant Eleuſinia, Samothracia, Mithriaca, Cotyttia. & alia id genus, in quibus ἐποπτεῖαι & oſtenſiones illæ inter memoratæ locum habebant. Qui enim iis initiabantur, ea *accipere & inviſere*; qui verò initiabant, ut Pontifices & Sacerdotes, ea *tradere & oſtendere* dicebantur. Vetus Inſcr. AURELIUS VICTOR. AUGENTIUS. V. C. P. P. FILIO. SUO. ÆMILIANO. CORFONI. OLYMPIO. C. P. ANNO. TRICESIMO. CONSECRATIONIS. SUÆ. TRADIDIT. CORACICA. Et poſteà, OSTENDERUNT. CRIPHIOS, apud Salmaſ. *Not. ad Spartian. c. 13.* Vide & infrà *Sacra cryphia.*

CRYPTÆ, plurimæ in Orbe celebres. E vivo alabaſtro excisæ ac variis concamerationibus, velut ingentibus aulis, diſtinctæ, in Ægypto Mumiarum ſeu medicatorum corporum receptacula ſunt. Earum nobiliſſimam juxta Memphim hodiernam ſeu *Cairo*, deſcribit Petrus de Valle, *Itiner. epiſt.* 1. & ex eo Kircherus, *Tom. 3. Synt. 13. c. 4.* Aliam ejuſmodi Ichnographiam delineante, qui coràm *Cryptas* tales luſtravit, Tit. Liv. Burrattinô Regis Poloniæ Architectô, apud eundem. Imò in iſtiuſmodi *Cryptis*, velut integris civitatibus ſubterraneis, homines ſæpe confertim habitare, produnt Hiſtorici. In Melita inſul. iſtiuſmodi *Cryptam* ingreſſus Gaffarellus A. C. 1617. integram nulla hominum Rempubl. deprehendit, qui in utroque ſexu prægrandi ſtaturâ & longævi, pane, caſeô, lacte, cæpis, alliô herbiſque vivere ſolis, tantô Cryptarum ſuarum tenentur deſideriô, ut, ſi quando eos vel vendendi res ſuas vel comparandi alia neceſſaria Melitam adeundi neceſſitas urget, ibidem tanquam exiliô damnati ægrè retineri poſſint. Hanc ſub terra habitationem Arabicâ linguâ indigenæ Inſulæ familiari vocant *Ghar Kebir*, i. e. ſpeluncam magnam, ut proin fides non deroganda omnis ſit illis, quæ de Troglodytis ad Mare Erythræum infra terram habitantibus, admiratione digniſſima, ſcribunt *Plinius*, *Solinus* & *Ælianus*. Melitæ inſul. vicina eſt Gaulos, vulgò *Gozzo*, in qua ſimilem prorſus Cryptam hominibus refertam idem Gaffarellus reperit; docetque, in utraque Inſul. linguâ Arabicâ purâ, ſine ulla Italicæ alteriusve mixtura, incolas uti; unde Maronitæ in montem Libanum reduces, dum Melitæ opportunitatem expectant, ſæpe eos adeunt, ut ſic Arabicè concionentur. Similiter in Hetruria, in agro Viterbienſi, pagus iſtiuſmodi ſubterraneus eſt, cuniculis, ſedilibus, loculis in vivo ſaxo exciſis, multò Melitenſi ampliuribus, cujus indigenæ omnes Agriculturæ dediti; Nomen ei *Meonano*, ſub dominio Principis Camilli Pamphylii. In Occidentali quoque Angliâ 4. aut 5. milliar. à nobili monaſterio S. Edmundi ſpeluncas iſtiuſmodi antiquiſſimas, quas homines incolant, reperiri, annotavit Guil. Neubrigenſis *in rerum Angliæ. revolutionibus*, *l. 1. c. 27.* quæ vulgari linguâ, *Wolfpittes*, quaſi *Luporum latibula*, vocitantur. Nec alias regiones talibus *Cryptis* deſtitui, Geographi paſſim teſtantur. In Idalcanis regno Indiæ plerosque tum Brachmanes in monte Pagodum, tum plebejos in ſubterraneis meatibus habitare, referunt teſtes oculati. In Africa ad montes Lunæ, in intimis montium receſſibus, homines contra Solaris æſtus vim vitam degere, P. Petrus Pais narrat: quod idem de maris Caſpii montibus refert Marcus P. Venetus. De ſubterraneis Romæ urbis *Cryptis*, ubi tot Martyres cum Pontificibus olim perſecutionis tempore delituerunt, vide librum cui *Roma ſubterranea* titulus: & plura de iſtiuſmodi hominum ſive vivorum receptaculis, ſive mortuorum conditoriis ſub terra. apud Gaffarellum, *l. de Cryptis celebribus*, ut & ſuprà in voce *Crypta.*

CRYPTÆ, trichilæ, porticus & topia, conjunguntur Spartiano *in Vita Hadr. c. 10.* ubi in æſtivis caſtris milites luxuriâ diffluentes ea uſurpâſſe, ab Hadriano verò diruta eſſe tradit. In quibus *Cryptæ* hypogæa erant, quæ per ſummum æſtum milites frigoris capiandi gratiâ ſubibant Salmaſ. vide quoque infrà voce *Refugia*. Apud Scriptores Eccleſ. Roman. *Cryptæ* potiſſimùm appellantur Oratoria & Sacella ſubterranea, cujuſmodi plurima etiamnum occurrunt in vetuſtioribus ædibus ſacris, quæ in quibuſdam Galliæ provinciis adhuc *Crouptes* dicuntur, Car. du Freſne, *Gloſſar.* ubi in in *Cryptis* condita olim ac ſepulta Martyrum aliorumque corpora, refert ex Hieronymo *in Ezech. l. 12. c. 40.* & Gregorio Turonenſ. *Hiſtor. l. 1. c. 139.* Vide quoque ſuprà.

CRYPTUS, Arabiæ Felicis portus, Ptol. Item portus Æginæ Inſul. Pauſan. *l. 2.*

CRYSSA, Troadis fluvius. Plin.

CRYSTALLINA Pocula, apud Statium, *l. 3. Sylv. 4. in Coma Earini, v. 57.*

------ hic pocula magno
Prima duci, murraque graves, cryſtallaque portat
Candidiore manu ------

maximo olim in pretio, ut & alia ex eo vaſa. Solinus, *c. 16. extr. Illic (in Scythia) & cryſtallum, quem licet pars major Europæ & particula Aſiæ ſubminiſtrent, pretioſiſſimum tamen Scythia edit. Multis ad pocula deſtinatur, quamlibet nihil aliud, quam frigidum pati poſſit. Sexangulum invenitur. Quo eligunt, puriſſimum captant, ne quid rufum, neve nubilum vel ſpumis obſitum arceat perſpicuitatem: tum ne duritia juſto propenſior obnoxium fragilitati magis faciat --- Livia Auguſti ad magnitudinem 150 librarum inter Capitolina donaria cryſtallum dicavit.* Atque hi calices puriſſimi erant, quos ἀκτινώτους dixère, uti diximus ſuprà in voce *Acerata*. Cælabantur etiam tantùm vitioſi, qui videl. capillamentum habebant rimæ ſimile; unde fiebant Calices diatreti, qui &, cùm cælarentur, ſæpe frangebantur, præcipuè ſi nimia cryſtalli duritia eſſet, quæque cælo reſiſteret. Neque verò κρυσταλλινα ſolùm, ſed & κρυσταλλοφανῆ, h. e. *vitrea, ſed inſtar cryſtalli candida*, pocula cælabantur: quorum uſus ad potandum, pulſô aurô & argentô, magnopere apud Romanos fuit frequens. *Cryſtalla* iidem vocavit Martialis, *l. 12. Epigr. 75. v. 2.*

Quam tibi Niliacus portet cryſtalla cataplus;
Sunt mihi de Circo pocula Flaminio.

Conficiebant nempe iſta in Alexandria & pretioſa magnopere erant; cùm, quæ Romæ fierent, aſſe venderentur. Hinc Strabo vitri, quod in Ægypto conficiebatur, πολυτελοῦς κατασκευῆς appellat & πολυχρόου. At idem Vitriarios Romanos multa adinveniſſe tradit ad facilitatem vitri conficiendi vilitatemque. Hodie Veneti vitrarii, ex cineribus herbæ *Kali* ſeu *Vitraria* cryſtallina nitidiſſima ac pretio-

cioſiſſimas efficiunt &c. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 203. *& ſeqq.* nec non 1092. & *ſeqq.* De vitro autem illo, quod in candido tralucens cryſtallum quam proximè imitabatur, cuique inter vitri genera ac colores maximum honorem atque pretium fuiſſe, vel inde patet, quod calices hi tam carè venderentur, adi Plin. *l.* 36. *c.* 26. Idem etiam *cryſtallum*, quò tinctò adulterabantur gemmæ Indiæ, vitrum nempe [illegible], *ſeu in candido tranſlucens*, apud eund. *l.* 37. *c.* 5. *de Smaragdis* &c.

CRYSTALLINÆ Sphæræ duæ tornatu edentes, aſſervantur in Muſæo Kircheriano Romæ. Globi ſunt trium digitorum in diametro ex rupea cryſtallo ſingulari arte in perfectam ſphæram elaborati: qui tranſluſum Solarem radium in punctum colligunt, illudenique appoſitum fomitem e veſtigio accendunt; objecta verò omnia ſormæ catoptricâ provectione exhibent. Quos itidem effectus alias lentes præſtare experimentò demonſtratur. Serviunt & ad cauſtica horologia concinnanda, quibus horâ monſtratâ accendunt ignes magno cum ſtrepitu & campanellæ pulſu horam monſtrat. Quam in rem vide plura apud Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo*, *p.* 39. *&* 40. Ibidem *Cryſtalliſerae* petras cernis, dicitur *p.* 42.

CRYSTALLO, Soli oppoſito, admotum facem accendi, legimus apud Ariſtophanem in *Nub.*

> ΣΤΡ. Ἤδη παρὰ τοῖσι φαρμακοπώλαις τὴν λίθον
> Ταύτην ἑόρακας τὴν καλήν, τὴν διαφανῆ,
> Ἀφ' ἧς τὸ πῦρ ἅπτουσι; ΣΩ. τὴν ὕαλον λέγεις.
> STR. *Vidiſtine apud pharmacopolas pellucidum*
> *Illum lapidem pulchrum, pellucentem,*
> *Quo ignem accendunt?* SOCR. *Cryſtallum dicis.*

Ad quæ verba Scholiaſtes, *Cryſtallinum*, inquit, *inſtrumentum eſt rotundum, denſum, ad hoc factum: cui oleô inunctô & ad Solem calefacto ellychnium admovent atque ita ignem accendunt.* Meminit etiam Theophraſtus circa finem, *l. de Igne*. Et Plin. *l.* 37. *c.* 2. Medicos quosdam ait, *optima fieri urendo corporum, non aliter utilem id ſervi putare, quam cryſtallinâ pilâ adverſis poſita Solis radiis.* Apud Baronium ad *A. C.* 751. §. 14. Zacharias Papa à Bonifacio conſultus, an liceret eò igne in ſacris uti, ita reſpondet, *De igne verò, qui ex cryſtallis ſumitur, ut aſſeruiſti, nullam habemus traditionem* &c. Vide Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 6. *c.* 16.

CRYSTALLUS, Græcè κρύσταλλος, propriè eſt, τὸ [illegible] ὕδωρ ὑπὸ ψύχους, *Heſych.* *aqua concreta frigore*, unde & vox Latinorum *Cruſta*, & κρυσταλλῶδες ὕδωρ *Epiphanio*, *aqua glaciata*, ad differentiam κρυστάλλου λίθου, *cryſtalli lapidis*; ad quem tranſlata vox, ut quem omnes Veteres, Solinò exceptô, frigore & longævâ nive durari ſcribunt. Plin. *l.* 37. *c.* 2. poſtquàm de murrhinis diſſeruit, *Contraria*, inquit, *cauſa Cryſtallum facit, gelu vehementiore concretò. Non aliubi certè reperitur, quam ubi maximè hyberna nives rigent, glaciemque eſſe certum eſt, unde & nomen Græci dedêre.* Et paulò poſt, *Non reperitur in aquoſis, quamquàm in regione prægelida, vel ſi ad vada uſque glaciantur amnes. Cœleſti humore, puraque nive id fieri neceſſe eſt: ideo caloris impatiens, niſi in frigido potu, abdicatur.* Statius, *l.* 1. *Syl.* 2. *v.* 126.

> *Raraque longævis nivibus cryſtalla gelari.*

Idem *perſpicuas nives* alibi pro eodem dixit,

> *Perſpicuaque nives, Maſſylaque robora & Indi*
> *Dentis honos, uni patent commiſſa magiſtro:*

Τὰ κρυστάλλινα intelligens, de quibus retro. Calvus quoque,

> *Atque inuſtata nives lucens liquetur cryſtallus* &c.

Qua de ſententia vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 205. *& ſeqq.* & p. 1092. Thom. Dempſterum *ad Corippum*, *l.* 3. Caſp Barthium, *Commentar. poſter. ad Claudian.* Alios. Certè in ingentibus locis *Cryſtallus*, inter cautes, Alpium præcipuè, naſcitur. Idem Plin. d. *l.* *Nos liquido affirmare poſſumus in cautibus Alpium naſci, atque adeò inviis, ut plerumque fune pendentes eam extrahant. Peritis ſigna & indicia nota ſunt.* In Scythia quoque Solinus, *c.* 20. *Hæc & cryſtallus, quem licèt major pars Europæ ſubminiſtret* — *pretioſiſſimum tamen Scythia edit.* Contra mentem Plinii, qui inter cryſtalli patrias Scythiam non numerat. Sed & idem *Indicam cryſtallum* agnoſcit, experientiâ repugnante. Fortè vitrum accepit κρυσταλλοειδές, pro *cryſtallo*, ſed nec hoc in India repertum. Certè Auctor *Peripli*, qui mercium Indicarum omnia genera, quæ in Arabicis Indicisque emporiis ac portubus venales reperiebantur, ſtudioſè recenſet, nuſquam meminit Cryſtalli; vitri quidem ſæpe mentionem faciens: ſed quod ab Ægypto in Indiam exportabatur à Mercatoribus, ut mercimonia Indica reveherent inde. Quod verò Strabo Indiam *Cryſtalla* generare ſcribet, *l.* 15. per κρύσταλλα intelligit, *cryſtallina ſacre gemmas*, & candicantes, inter quas adamantes primas tenent: quibus ἀνθρακας opponit, h. e. *gemmas ardentes*, inter quas principatum tenet, qui ἄνθραξ propriè dictus eſt. Ejuſmodi κρυσταλλους λίθους intelligit quoque Diodorus, *l.* 2. cùm ait eos in Arabia caloris divini vi cogi ac congelari [illegible], [illegible]: quæ omnia Cryſtallo, de quo nobis ſermo, neutiquam conveniunt. Namque fragilem eum eſſe conſtat, idemque uniformis eſt, nec pluribus coloribus naturâ imbuitur, cùm in candido tantùm tranſluceat. Neque Indicos inprimis & Arabicos adamantes indigitat, qui & ſexangulis lateribus naſcuntur ut cryſtallus, & colore tralucidò non differunt &c. Cæterum *Cryſtallum* cælabatur argenti modò, uti diximus ſuprà illa *de Cryſtallinis Poculis* inprimis qui vitiô aliquô laborabat. Plinius ubi ſuprà, *infeſtantur plurimis vitiis, ſcabrô, ferragine, maculoſa nube, occulta aliquando vomicâ, prædurô fragilique centro & ſale appellatò. Eſt & inſa aliquibus rubigo: aliis capillamentum rimæ ſimile. Hoc artifex cælaturæ occultant. Quæ verò ſine vitio ſunt, putat eſſe maluut.*

Atque hujuſmodi vaſa maximo in pretio fuêre. Unde Neronem [illegible] rerum nuntiô acceptô, duos calices cryſtallinos in ſupremâ ira fregiſſe illiſos legitur apud Eund. *Hoc fuit ratio ſeculum ſuum puniendi, ne quis alius ex his biberet.* Sed & vas amphorale vidiſſe, Xenocrates auctor eſt, & aliqui ex India cryſtallum ſextarios quatuor. Magnitudo ampliſſima Plinio viſa, quam in Capitolio Livia Auguſta dicaverat, *librarum circiter quinquaginta*. Solinus habet, *centum quinquaginta*. Vide plura hanc in rem apud præfatos Auctores, Salmaſium inprimis, *loc. cit.* ubi & de opinione multis ſeculis inveterata, cui Solinus anſam dedit, quaſi *Adamas in quodam Cryſtalli genere inveniretur*, multa eruditè addit. Nec omittendus Agricola, qui *Cryſtallum* è lapideſcente perſpicuo ſucco, quem ſub terris aut inter gelidas rupium venas frigiditas vehemens glaciet duretque, generari contendit *Foſſil. l.* 6. &c. Georg. Fabricius *Cryſtallum* nunc Magorum ſpeculum, cujus locô Inuiturde uſos Chaldæos, apud Pſellum legitur. Vide eum *Commentar. in Poetas Chriſtianos*.

CTEATUS, pater Amphimachi, unus ex 4. Ducibus Epeorum, qui cum 40. navibus ad expeditionem Trojanam profecti ſunt. Homer. *in Catalogo*.

CTEMEME, urbs Theſſaliæ à Peleo Phœnici data, cujus cives Homerus *Dolopes* vocat.

CTENARIÆ, Græcè Κτεναρίαι, dictæ ſunt Græcis regiæ, h. e. portæ primariæ Ædium ſacrarum, quod cancellatæ eſſent, & inſtar κτενός, *pectinis*, effictæ. Anonymus *in Feſtum Reſtitut. Imagin. p.* 741. Κατῆλθον λιτανεύοντες μέχρι τῶν βασιλικῶν πυλῶν τῶν καλουμένων Κτεναρίων. Ubi Interpres, *Deſcenderunt litaniam canentes ad uſque palatii portas*, quæ Ctenariæ *dicuntur* perperam de *Regiis Palatii* verba hæc accipiens, vide Car. du Freſne, *Deſcript. Ædis Sophianæ num.* 80.

CTENOS, aliis *Eupatorium*, Tauricæ Cherſoneſi portus. *Strabo*. In ora ſinus Carcinitis, prope Cherroneſum, 40. mill. paſſ. à Criumetopo promontor. *Baudrand*.

CTESIÆ, duo fuerunt: Unus Cnidius, alter Epheſius. Utriuſque meminit Plut. *l. de Flum.* Ac Cnidio quidem tribuit libros περὶ ὀρῶν, quorum è ſecundo teſtimonium promit in *Caico*, ut & Stobæus facit ſermone περὶ νόσου. Eſtque hic nobilis ille Hiſtoricus, qui *hiſtoriâ Aſſyriorum, Perſarum*, &c ex ipſis Perſicis Archivis conſcriptâ Artaxerxis tempore vixit, de quo Voſſius *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 5. Captus enim (ſub Xenophonte militans) in prœlio, quô Cyrus junior à fratre Artaxerxe Mnemone victus erat, hunc à vulnere quod acceperat, ſanavit: hinc per 17. ann. Medicinam in Perſide fecit, Diodoro, *l.* 2. *&* 14. Strab. *l.* 14. Phot. *cod.* 72. Trogo etiam Pompejo, laudatiſſimus Hiſtoricus, nec non & aliis, qui prius eum ſequi maluerunt, quàm *Herodotum*. Ille enim Herodotò junior, [illegible] Ἡροδότῳ ἱστορῶν, *fere in omnibus Herodoto repugnantia, narrat*, Photius *ibid.* Vide & Joh. Marshamum, *Canon Chron. Sec. XVII.* ubi de *Aſſyriorum Regibus, juxta Cteſiam, juxta Herodotum* & *de Medorum Regibus*, agens, Cteſianæ chronologiæ non multum fidendum eſſe, judicat. Epheſio autem, cujus ætas neſcitur, idem Plutarchus adſcribit libros *de Perſeo illo*, qui Meduſam interemit: [illegible] Κτησίας Ἐφέσιος ἐν α Περσηΐδος. Meminit & eodem libellô librorum Cteſiæ περὶ πολέμων, unde ſecundum citat, ſed utrius ſint, non addit. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 3. *p.* 349 350.

CTESIAS, Athenienſis, Sycophanta celeberrimus, de quo Ariſtoph. *Acharn.* 3. *ſc.* 4.

CTESIBIUS, Hiſtoricus, ex quo Hermippus Smyrnæus quædam de Demoſthene citavit, ut cognoſcimus ex Plut. *in Demoſthenis vita*. Demoſthene igitur junior fuit, grandior verò Hermippô, qui ſub Ptol. Euergete vixit. Appollodorus *in Chronicis* narrat, eum annos vixiſſe 104. teſte Phlegonte Tralliano περὶ μακροβίων *c.* 2. Sed Lucianus, *in Longævis*, vixiſſe ait ann. 124 niſi locus corruptus, & ex Phlegonte emendandus, quod cenſet Meurſius. Vide Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 15. At junior hic *Cteſibius* Alexandrinus, qui pneumaticam rationem, & hydraulica organa reperit. Vide Sueton. *in Nerone*, *c.* 41. Is enim vixit tempore. Ptol. Euergetæ, ſecundi ejus cognominis, qui aliter Phyſcon. Vide de hoc Cteſibio Vitruvium, *l.* 9. *c.* 9. Plin. *l.* 37. *c.* 37. Athen. *l.* 4. Poſterm. [illegible] & Voſſ. *de Scientiis Mathematicis*, *c.* 48. §. 9. *&* *c.* 28. §. 7. *de Arte* [illegible] *c.* 4. §. 31. Hydraulidis nempe tibiæ vel fiſtulæ, cujus canales aquâ inſpirabantur, inventor extitit. Item Horologia ex aqua compoſuit, quæ dividerent horas æquè noctium & dierum: cùm Solaria horologia jam eſſent reperta, & dies in horas XII diviſus. Sed & meminit Athenæus, *l.* 11 vaſis cujuſdam, quod ῥυτὸν dicebatur, ab eodem facti, & in Templo Veneris Arſinoës dedicati, quæ Arſinoë Ptolemæi Philadelphi uxor fuit, poſt mortem *Venus Zephyritis* nomine culta: quemadmodùm *Cteſibiacam* machinam ad hauriendam & altiſſimè extollendam aquam accommodatam Vitruvius deſcribit. Ei autem mentem hydraulici organi, vel potius Horologii ex aqua conficiendi ſuggeſſiſſe dicitur Plato, factô Horologiô nocturnô, velut Clepſydrâ ex aquâ, uti videre eſt apud Athenæum, *l.* 4. Atque hinc, ex Cteſibii videl. inventis, aquarium Horologium profluxit, quô primò uſi ſunt Romani. Vide Vitruvium, *l.* 9. *c.* 9. & plura hanc in rem, apud Salmaſ. *ad Solin p.* 589. 63 *& ſeqq.*

CTESIBIUS, Athenienſis paraſitus, qui aliquando interrogatus, quid illi ex philoſophia ſupereſſet, reſpondit ἀσυμβόλως δειπνεῖν, *ſine ſymbolo cœnare*, nam cùm jocis ſcateret, ſæpius vocabatur Cœl Rhodig. *l.* 27. *c.* 24.

CTESICLES, ab Athenienſibus Dux Zacynthiorum exſulum conſtitutus. Diodor. Sic *l* 15 *ſ* 480. *ſ.* Deinde ſubſidio Corcyræis miſſus noctu clam hoſtibus quingentos milites ad obſeſſos introduxit, ſeditionem civium ſedavit, felici eruptione hoſtes terruit, occiſo Mnaſippô Lacedæmoniô denique obſeſſores quaſi obſidione clauſit & tandem caſtra omittere coëgit, Ibid. *ſ.* 481. *ſ.*

CTESICLES, Archon Athenis, Olympiadis 110. an. 3.

CTESI-

CTESIDEMUS, nobilis pictor, Antiphili Magiſter, *Plin. l.* 35. *c.* 10. 11.

CTESILLA, Alcidamantis Ceïſiſſa in columbam verſa fingitur, *Ovid. l.* 7. *Met. Fab.* 12. Fortè quod Sacerdos facta, tales enim *Columbarum* nomine Poëtæ vocare, dicemus infra voce *Promeneus*, it. *Omoirape*.

CTESILOCHUS, pictor nobilis, qui Jovem Bacchum parturientem, & ingemiſcentem muliebriter inter obſtetrices, Dearumque clamorem depinxit. *Plin. l.* 35. *c.* 11.

CTESIPHON, Athenienſis, decreto Athenienſibus perſuaſit, coronari oportere Demoſthenem aureâ coronâ in theatro, probitatis, & virtutum omnis gratiâ ergo. Ob id ab Æſchine, Demoſthenis inimico, tanquam pernicioſi decreti author accuſatus, defenditur à Demoſthene præclarâ illâ, atque omnium optimâ oratione quæ *ὑπὲρ Κτησιφῶντος* inſcribitur, *Cicero*.

CTESIPHON Gnoſius, Architectus, aliàs *Cherſiphron*, *Chriſippus*, & *Creſiphon*, qui templum Dianæ Epheſiæ traditur extruxiſſe, opus mirabile, ac toto orbe celebratum; quod poſteà ab Heroſtrato quodam incenſum fuit, & hac tantum de cauſâ, ut ob aliquod facinus nominaretur. Vitruv. *in præf. l.* 7. Plin. *l.* 7. *c.* 37. & *l.* 36. *c.* 14.

CTESIPHON, quidam Athenienſis, quem tanquam craſſum & ventroſum traducit Ariſtoph. *Acharn.* 4 *ſc.* 4.

CTESIPHON, pagus Aſſyriæ ampliſſimus, in Tigridis altera ripa, è regione Seleuciæ urbis, à Parthis extructus; ibi Parthorum Reges in hyeme propter aëris temperiem degere ſolebant, æſtatem verò in Hyrcania, & Ecbatanis agebant. Contra hos movens Trajanus Imperator Euphratem ponte junxit, ac Adiabenorum gente domitâ, Aſſyriâque occupatâ, Babylonem & Cteſiphontem intravit, A. C. 115. Quin & Cteſiphontem Babylonici regni caput fuiſſe Plinius ſcribit, *l.* 6. *c.* 26. vide & Strab. *l.* 15.

CTESIPPUS, Chabriæ fil. quem Phocion, mortuo Chabriâ amico, diligenter ac perhumaniter collegit, quò impuros adoleſcentis mores componeret. Ejus tamen cùm durû, tùm minimè liberali ingenio nuſquam adduci potuit, ut curam, & laborem in illo inſtituendo dimitteret; cujus ineptias non modò pertulit patienter, verùm etiam ſtudioſè regebat. Quanquam ſemel ajunt, Phocionis conſtantiam importunitate leviſſimi hominis fuiſſe ſuperatam. Nam cùm ille Imperatorum quoddam munus ſtudiò accuratiore obiret, Cteſippus, ut erat futilis, delirusque, graviſſimum, periturumque Imperatorem crebris fatuis quibusdam interrogatiunculis obtundere. Tum ſtomachatum Phocionem dixiſſe fama eſt, *O Chabria, Chabria, cumulatam tibi pro amore noſtro gratiam nunc perſolvo, qui tua tui deliramenta ſuſtineo*. Plut. *in Phoc.*

CTESIPPUS, Hiſtoricus, *Res Scythicas* compoſuit. Plut. *de Fluv.*

CTESIUS, Jupiter dictus apud Athenienſes, in cujus dedicatione ambroſia ferebantur, i. e. omnis generis fruges cum oleo, & lacte, Cœl. Rhodig. *l.* 18. *c.* 25. Hujus ſtatuam in ærario ponebant, *Suidas*. Conſecrationem ejus hiſce deſcribit Athenæus, *Deipnoſ. l.* 9. *Jovis Ctesii ſigna ita ſtatuenda, Cadiſcum novum utrinque deauratum operculò tegendum. Simulachri auribus coronam è lana alba imponito. Ex humero ejus dextro lanam ſuſpendito coloris crocei: amicito etiam, ut erit tibi commodum, deinde Ambroſiam illi affundito. Eſt autem Ambroſia aqua pura, oleum & fructuum omne genus: hæc omnia miſce ad Ambroſiam*, vide Caſaubonum *ad loc.* & Ant. van Dalen *Schediaſmate de Conſecrationibus Ethnicis*.

CTHONIA, meliùs *Chthonia*, Creta olim ſic dicta. *Steph.*

CTHONOPHILE, meliùs *Chthonophile*, ex Baccho Phliuntem peperit. *Steph.*

CTIMENUS, Frater Antiphi, de quo ſuprà.

CTYLINDRINE, Indiæ intra Gangem locus. *Ptol.*

CTYPANSA, caſtellum. Strab. *l.* 8. *Stephanus* docet nos, legendum eſſe *Tympania*, ſic enim ſcribit: *Τυμπανία, πόλις Τριφυλίας*. Apud *Polybium* ſcribitur hodie *Tympaneum*, apud *Ptol. Tympanæum*; *Caſaubon.*

CUAMA, fluv. nobilis Africæ, è lacu Zambre ortus, verſùs montes Lunæ tendit, & cum fluv. S. Spiritus vel Magnici, Regis Monomotapæ ditionem comprehendit. Vincentius Blancus, in *Relat. ſuâ*, ſe ad ipſum lacum, ubi ſcaturigo Nili collocatur, qui inde naves Alexandriam Ægypti defert, hôc adverſò fluviò navigaſſe refert. Sic duo illa maria conjungerentur, hôc pactô, quod priſcis ignotum; & quia Nilo, à ſcaturigine ſtatim, deſcenditur, cataractæ quæ ſaltem in aliquibus ejus ramis contingerent, reliqui navigabiles eſſent. Sed Blancus ſe ſatis non explicat. Vide Sanut. *l.* 12. Pigafettum, *l.* 2. *Magin. Linſcot*, &c.

CUARIUS, fluv. prope Coronæam, quem Alcæus *Coralium* vocat. Bochartus à Syro כורי *Cavari* deducit, quod *piſcoſum* ſonat, *l.* 2. *Chanaan*, *c.* 16.

CU-AXARES, I. Medorum Rex, urbem Ninum, quæ ſub Saosduchino, aut Chyniladano Babylonis Regibus, Principibus ignavis, defeciſſe videtur, propriò ſibi Rege lectò, expugnavit, opitulante Nabuchodonoſore II. affine, Annô Nabonaſſ. 145.

CU-AXARES II. prioris, ex filio Dario Medo, nepos. Vide de utroque infrà voce *Cyaxares* ſeu *Cyaxares*.

CUBA, Dea apud antiquos, quæ præerat *cubantibus*. Nempe *Cuba*, Dea apud Romanos, & cum Eduſa ac Potina, puerorum Præſes: de qua ſic Thom. Bartholinus *de Puerper*. *Veter. Finità ablactatione epulæ inſtructæ & pro ciborum auſpicio Eduſæ, potionis Potinæ, ſacra fiebant, porcellis lactentibus & pane ſuffarraceo, ubi ſimul Cubæ immolabantur, ſicut apud Chriſtianos ſieri. Exportati denique in agros ad Dianam tamque matrici* [illegible] &c. At Cuba, apud Adelmum *de laudibus Virginum*.

En iterum [illegible] ſtrofa ſimulante [illegible]
M[illegible] et in tabas [illegible] *ſumite furſas;*

pro *cupa* eſt, de qua vide infrà.

CUBA, inſula, ex majoribus & præcipuis Americæ Septentrional. inſulis, ſub dominio Hiſpanico ab 172. annis circiter; ab Oriente ad Occidentem vergit, in ſinu Mexicano, in mari Boreali. Ab Oriente fretò ab Hiſpaniola ſecernitur, à qua 14. leuc. diſtat; Occidens Jucatanas terras, Mexicanum & Guſtacanum fretum deſpectat; Septentrio Cancri Tropicum attingit; Meridies Jamaicam terram, à qua 29. leuc. abeſt. Deinde firmam Indicam, quantumvis longô intervallô, reſpicit: Dicta fuit etiam *Ferdinanda* & *Joanna* ab Hiſpanis, poſtquam a Chriſtoph. Columbo detecta eſſet. Sunt etiam qui *A. & Ω.* vocatam dicunt; qui eam vidêre, falcis ſolio aſſimilant, eo quod longior quam lata ſit. Ejus longitudo extenditur ad 200. leuc. Hiſpanic. triginta habet in latitudine, ubi maxima hæc eſt. Regio montibus aſpera & ſylvis horrida: ſed fluminibus irrigua, eſt aurifera, nam & montes affatim auri præbent generoſi ſecturæ, & flumina aureas paſſim arenas fluunt. Sex urbibus habitatur, quarum Metropolis, S. Jacobi Colonia in parte Auſtrali flumine portuque inſignis. Havana in parte Septentrionali e regione Floridæ, capaciſſimum habet portum. In inſulæ circuitu multi paſſim ſcopuli navigantibus formidabiles cernuntur: nam à Septentrione ingens Charybdis urget, æquatum incertis verticibus metuenda, & Auſtrale latus quod Jamaicam aut Jucatanum littus ſpectat, Jardinorum ſcopulis infeſtatur. Miraculo eſt convallis quindecim paſſuum millibus à S. Jacobi fano diſtans, ingentibus ſaxiſque globis repleta, ita ludente naturâ, ac ſi mancipiorum operâ eò converſi eſſent. Ulterius Orientem verſùs progrediendo apud portum Principis fons bituminoſus aſſiduè picem evomit. *Merul. Baudrand.* Linſchot. *c.* 4. Herrera, *c.* 6. Oviedo, *l.* 17. &c. Populoſiſſima fuit hæc inſula ante Hiſpanorum adventum, ſed una cum aliis Inſulis S. Johannis nempe, Jamaica, Lucajis, &c. per ſummam avaritiam & crudelitatem, ab illis tantum non vacua habitatoribus reddita eſt. A. C. 1530. Et certè, Cayeus hujus Inſulæ Dynaſtes, cum audiret, appropinquare Hiſpanos, convocatò populò, eum monuit, ſi evitare crudelitatem eorum vellent, Deum eorum colerent: unoſque caſpulâ auro refertâ, *iſte eſt*, inquit, *Hiſpanorum Deus: Celebremus in ejus honorem choreas & feſtivos dies*. Sed miſer, ab hoſtibus poſteà ad vivicomburium condemnatus eſt: quam mortem ſubiturus, ex Monacho, ſe hortante, ut fidem Catholicam reciperet, quò vitam impetraret æternam, cùm audiviſſet, etiam Hiſpanis illam patere: negavit *ſe cœlum velle, ne ſibi commune cum his hominibus manſio eſſet*. Thuan. *Hiſt. l.* 1. Bartholomæus Caſaus, *Ep. in Narr. crudel. Hiſp. Ind.* &c.

CUBA, Indiæ intra Gangem urbs. *Ptol.*

CUBAGUA, Inſul. Americæ Meridionalis à Chriſtophoro Columbo detecta, Orientali littori Pariæ & Cumanæ adjacens; nullô frugum proventu beata, lignorum & aquæ dulcis emptionis penuriâ premitur. Ligna ex Margarita inſula, aquam ex Cumanæ regionis oſtiis petunt. *Merul.*

CUBANS, cognomen Herculis, vide infrà.

CUBARE, propriè de Cubicularibus lectis: uti *accubare* de Tricliniaribus, quæ & *accubita* dicuntur & *accubationes*. Sed & de Lucubratoriis lectis id dicitur, de quibus vide Caſaubon. ad *Sueton.* De veterum verò Romanorum in *Cubando* mollitie, infrà ubi de *Pulvillis*.

CUBEBA, ſeu CUBABUM, veterib. Latinis *Cumanum*, Græcè *κώμακον*, cum caſia & cinnamomo memoratur *Theophraſto*, inter eas ſpecies, quæ ex Arabia & India afferebantur, hodieque in Java, ubi plurimum naſcitur, Cumar dicitur. Fructus eſt vel ſemen, Græcis veteribus *μυρτίδανον* quoque, a *myrti* ſimilitudine dictum: quod illud piper eſt, quod paſſim ita exponi legimus, in *Lexicis* Græcorum. Genus certè eſſe piperis Cubebam, non antiquis modò, ſed & Neotericorum multis perſuaſum eſt: ſic & myrtidanum genus piperis apud Hippocratem eſt; cui ſimile & aliud genus piperis, quod *caudatum* dicitur. Unde liquet, falli *Avicennam*, qui *Cubebam* Arabum noſtramque, *carpeſium* interpretatur Galeni: hoc enim genus aromatis eſt, ſurculis cinnamomi virtute prædicum. Cubeba verò non feſtuca eſt ſeu ſurculus, ſed fructus &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 1306.

CUBI, Galliæ Celticæ populi, qui *Bituriges* vocantur, vulgò *Cress de Berry*, Plin. *l.* 4. *c.* 19.

CUBICULARES, Gladiatorum genus, vide infrà, ubi de veterum *Gladiatoriis Ludis*.

CUBICULARIUS, *Papia* ex Soſipatro, Cuſtos Cubiculi; Græcè *Εὐνοῦχος*, namque etiam *cuſtodire*, *τὸ ἔχειν* ſignificat. Leo, *Nov. de Eunuchis* 98. *Καὶ τοὺς ἔσω δεσποτείας φύλακας εἶναι, οὗτοι γὰρ οἱ κλῆσιν ἔχουσι*. Vide Cujacium, *in l. ff. de lib. & poſth.* Ambroſ. *Ep.* 5. ubi Gallicanus, cubiculi Præpoſitus, *Eunuchus regius* dicitur. Apud Socratem Eutropius, *εὐνοῦχος πρεσβύτης τοῦ βασιλικοῦ κοιτῶνος*, *Eunuchus præpoſitus Cubiculo regis* & primus Eunuchorum Conſul factus, dicitur Evagrius quoque, *l.* 4. *Οἱ τοῖς βασιλικοῖς ἐξυπηρετούμενοι κοιτῶσι τοὺς εὐνούχους ὀνομάζουσι*, inquit, *Qui regiis cubiculis inſerviunt, Eunuchi vulgò dicuntur*. Claudian. *l.* 1 *in Eutrop. v.* 417.

Præfecti ſed adhuc geminis, veſtique dabantur
Cuſtodes, ſacroque adhibere ſilentia ſomno.
Aſſiduis Eunuchi numquam tranſgreſſa cubile.
Non vita ſpondente fidem: ſed inertia tutum,
Adventus pignus erat. ſecreta monilia ſervent,
Ornatus curent Tyrios. — —

Hôc enim habitu naturæ fuit Eutropius is, quò Conſule omnia monſtra ceſſiſſe, ſcitè idem Claudianus ait: quemque in Cyprum inſul.

inſul. relegatum, facultatibus ejus in fiſcum coactis, teſtatur, *l.* 17. *de pœn.* in *Cod. Theodoſ.* Unde apparet, caſtratis cubiculariis, qui vulgari appellatione *Eunuchi* audiunt, poſtmodùm Principes, ad cubiculi tutelam, plerumque fuiſſe uſos, more à Barbaris Principibus mutuatô. Hinc Imperatores *Eunuchorum ſacri cubiculi miniſteriis adhæſorum*, dixêre in *l.* 4. *C. de præpoſ. ſacr. Cubic. l.* 12. Vide Joh. Lauterenum J Ctum, *notis in Phædrum. ſub.* 5. *l.* 4. & de *Cubiculariis* veter. Perſiæ Regum ſuprà aliquid voce *Chiliarchus*. In Imperio Romano Electus Brandeburgicus Imperii Archicamerarius dicitur, nomine a Camera, quæ Germanis *Cubiculum* deſignat, deſumtô. Imperatorum enim Romani olim ſuos *Cubicularios* ſeu *ſacri Cubiculi præpoſitos* habebant, inter quos Primicerius erat, cujus officium cum hoc quadantenus coincidit. Limnæus Enucleat. *l.* 2. *c.* 10. Vide de *Cubiculariis* Regum Franciæ, infrà. Infra quoque *Parachœmomenus*, ubi de Imperatorum Conſtantinopolit. Cubiculariis, ut & aliquid voce *Præpoſiti* it. *Præpoſitus. Imperator.* Interdum idem, qui *Camerarius* ſeu Theſauri Regii cuſtos eſt. Vide ſuprà *Bibliotheca.* Namque & *Cubiculum* idem nonnumquam quod *Camera* eſt, Ærarium, Theſaurus Principis ſeu locus, ubi reconditur: quâ notione etiam vox occurrit apud Ann. Comnenam, *Alexiad. l.* 2. *p.* 56 Sed & iidem aliquando *Cubicularii*, cum Capellanis ſuis, Sacellorum ſcil quæ & ipſa Cubicula dicuntur, Cuſtodes, &c. Vide Car. du Freſne, *Gloſſar.* & ſuprà in voce *Cantor*:

Cubicularii Regum Franciæ I. & II. ſtirpis.

Ebero, ſub Childeberto, Auſtraſiæ Rege.	Auſtrapius ſub Dagoberto I. in vetere *Charta.*
Fataulfus, ſub Chilperico I	Adalgiſus, ſub Carolo M. apud *Eginhardum.*
Eberulfus, ſub eodem.	Reginſiedus, ſub eodem, *Ibid.*
Chundo, ſub Gunthranno, apud Gregor. Turonenſem, *l.* 7. *c.* 13. 18. 21. & *l.* 10 *c.* 10.	Rothbertus, ſub Carolo Calvo A. C. 852. Vide Audradum in *Revelat.* &c.
Bertharius, ſub Theodorico II. apud Fredegarium, *c.* 38.	

CUBICULARIUS Novæ Romæ, apud Ughellum, *Italia Sacra Tom. V. p.* 1505. *Hilarius Sacerdos & Monachus & magnæ Eccleſiæ novæ Romæ Cubicularius*: dignitas fuit Eccleſiaſtica eadem fortè, cum illa, quam Κουβικουλάριον appellat Pachymeres, *l.* 12. *c.* 2. quâque etiam donatus fuit Romanus quidam Κουβικουλάριος τοῦ Θεοῦ ἁγίας καὶ μεγάλης Ἐκκλησίας, Προϊστάμενος τοῦ [illegible] τῆς Μοναδικῆς καὶ [illegible], cujus liber, ἀεὶ ἄξιον laudatur P. Lambecio, *Comm. de Bibliot. Cæſar. l.* 6. *p.* 141. ut & Joannes Cameniatam, cujus Narrationem de Excidio Urbis Theſſal. edidit Leo Allatius, in Epigraphe illius Κληρικὸς dictus & Κουβικουλάριος. Ejuſdem dignitatis meminit quoque Balſamon *ad Concil. VI. c.* 7. Sed quæ propriè ea fuerit, definire haud omnino promptum eſt, cùm de ea ſileat Codinus in *Catalogo Dignitatum Eccleſiaſticarum.* In Concilio Nicæno *act.* 1 & 4. memoratur Coſmas Diaconus, Νοτάριος καὶ Κουβικουλάριος τοῦ ἱερωτάτου Πατριάρχου: qui in *Act.* 5. Κουβικουλείσιος dicitur. An eadem dignitas, quæ ὁ Κουβουκλεισιὸς appellatur in *Catalogo Dignit. S. Sophiæ* Meldomano, ubi ejus officium ſic deſcribitur, ut *Cubiculeſius* videatur fuiſſe Capellanus Patriarchæ, &c. Car. du Freſne, in *Gloſſario.*

CUBICULARIUS Tonſuratus, in *Ordine* Roman. memoratus, in familia Pontificis Romani ſic dicitur, ad diſcrimen *Cubicularii Laici*, cujus idem quoque Liber meminit. Munus ejus circa veſtes Eccleſiaſticas, ut Laici circa quotidianas erat. Et quidem *Laico*, ut ibi habetur, *hæc cura eſt præſcripta, ut ſella Pontificis in ſacrario ſit parata, donec ille veniat celebraturus divina Myſteria.* De Tonſurato ibidem aliô locô: *Pontifex autem per manus Subdiaconorum mutat veſtimenta hoc ordine: defert ei plicata Cubicularius Tonſuratus accepta de manibus Oſtiarii*, &c. Eligebantur autem Cubicularii iſti Pontificii ex Scholâ Cantorum, ut videre eſt *ibid.* ut & in *Ceremoniali Rom. l.* 1. *ſect.* 2. apud eundem Car. du Freſne. Vide quoque Macros Fratres *in Hierolex*

CUBICULATA Navis, apud Senecam, vide infrà *Thalamegos.*

CUBICULUM, apud Suetum. *Nerone*, *c.* 12. *Icarus primo ſtatim conatu juxta* Cubiculum *ejus decidit*: Græcè Ὀρχήστρα eſt Polyb. *l.* 5. *i.* e. *pulpitum magnificum*, principibus primo Viris in Aſia, cùm ad jus dicendum, vel ad ſpectandos ludos, vel etiam ob cauſam aliam propalam ſederent, olim in uſu; ut de Phocione ex Plutarcho, de Alexandro aliiſque Regibus, ex aliis diſcimus. Vide de eorum fabrica & magnificentia Athenæum, *l.* 12. Inde ſimilem *ſuggeſtum* ſeu tentorium Principibus ſuis Ludos ſpectantibus Romani in Orcheſtra extruxêre, Sueton. *Julio*, *c.* 76. Cum naſcente enim Principatu hic mos apud eos cœpit. Vocatur *Cubiculum* à forma, quoniam hi *ſuggeſtus* in modum parvi cubiculi facti ſunt. Utrôque modô & *ſuggeſtum* & *cubiculum* nominat Plin. *Panegyr. c.* 51. *Polybius* etiam [illegible], Græci inſuper [illegible], *Nicetas* quoque τὸ Βασιλικὸν ἑδώλιον. Caſaubon. *ad loc. Suetonii cit.*

CUBILE, apud Plinium, *l.* 36. *c.* 14. ubi de Æde Dianæ Epheſiæ, *Id conſecutus eſt ille* (Cherſiphon Architectus) *arenâ plenis molli clivô, ſuper capita columnarum exaggeratô, paulatim exinaniens imos, ut ſenſim moles in cubili ſederet*: ſedes eſt, cui imponitur moles, & cum qua coagmentatur. Unde *Cubilia* & *coagmenta laterum ac lapidum*, apud *Vitruv.* Ὀπαὶ, Græci dixêre iſtiuſmodi tignorum cubilia & aſſerum, Latine quoque *cava* & *columbaria*. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 858 Apud Plinium *Cubile ſalutatorium*, locus eſt ædium, in quo quiſque olim ſuos Penates habebat. Ita enim is, *l.* 35. *c.* 11. ubi de malo conneo: *Omnia jam & vitrorum ſalutatoriis* Cubilibus *incluſa, ſimulachris noctium conſcio impoſita.* Vide Hadr. Turnebum, *Adverſar. l.* 13. *c.* 28. Caſaubon. *ad Sueton. p.* 78. & ſuprà in voce *Corona.* De *Cubiculariis* verò *Imaginibus* Veter. *Miniſteriis indict., Filiis* &c. infrà, ubi de *Imaginibus, Servis, Velis.*

CUBILE Solis, vide infrà *Solis cubile.*

CUBISTICA, prima ſpecies, triplicis ſaltationis Veteribus uſitatæ, cujus *Homerus* meminit; *Xenophonte* ac *Suida* teſtibus: ars fuit, quâ homines variis modis pedes ac manus contorquentes in caput ſaltabant. Quemadmodum noſtrâ etiam nunc ætate circulatores faciunt, qui, lucri gratiâ hominum decipiendo, varias urbes Comœdiis recitandis pererrant. Κυβιστικὴν eam vocat Lucianus & in *Gloſſ.* reperitur *Cernulus*, quam vocem etiam Seneca uſurpat, *Ep.* 8. etſi *cernuus* plures codices habeant. Vide Mercurialem, *Artis Gymn. l.* 2. *c.* 5. & ſuprà in voce *Cernuus*, nec non infrà ubi de *Orcheſtica.*

CUBITI, Græcè πήχεις. Alexandrinis vocitati fuerunt pumilii pueri vix cubitum alti, teſte Lucianô in *Pœnop. ſive Amor.* & Philoſtratô in *Nilo*: quales facie & garrulitate amabiles undique conquiſiſſe Auguſtus dicitur Suetonio in *eo*, *c.* 83. Iiſdem matronas etiam ſolitas oblectare, legas apud Dionem, *l.* 58. Imò & inter viros eruditos hujuſmodi delitias eſſe verſatas, Philoſtratus auctor eſt in *Herode.* Inter eos excelluêre garrulitate pueri Syri, Alexandrini & Mauri, ut diſcimus ex *Luciano cod. Petronio, Martiale, Statio.* Nudos à veſte habeti, interim multô aurô gemmiſque exornari ſolitos, legas apud Dionem *ubi ſuprà*, Herodianum *in Commodo*, & Philoſtratum in *Sophiſtis*, qui [illegible] inde eos vocat. Alii ab iis pumili ſeu nani fuêre, de quibus infrà. Vide Caſaubon. *ad Sueton.* d. *l.* & infra in voce *Deliciæ*

CUBITOR Bos, apud Columellam, *l.* 6. *c.* 2. eſt qui in medio ſulco decumbit: quod vitium quomodo ei corrigi velit, docemus infrà ubi de *Vitulo.*

CUBITORIA veſtis, apud *Petronium*, vide infrà *Noctiurna*, it. *Sindon.*

CUBITORIUM, memoratum Cencio Camerario in *Ceremonial.*, *l.* 2. fuit lectus, qui Pontifici ſternebatur ſub Tribunali nempe ſummo triclinii, in quo cum Clero & Proceribus epulari ſolebat, loco, quaſi fortè *Accubitorium*, Alemannus in *Diſſertation. de Lateranenſibus Parietinis*, *c.* 4.

CUBITUS, & CUBITUM. Græcè πῆχυς, quòd in ſumendo cibo Veteres in eo *cubabant*, uti vidimus ſuprà, ubi de *Accumbendi ritu.* Idem ægri faciebant, vel collocuturi cum amicis: Corn. Nepos *in Attico*, *c.* 21. *Hos ut veniſſe vidit in cubitum innixus*; vel poſitionem acceperit, Curtius, *l.* 3. *c.* 6. *Qui viſô Alexander levato corpore in cubitum — accipit poculum*, etiam qui repentè à ſomno erant excitati, in cubitum erigebantur, Homerus, *Iliad.* κ. *v.* 80. ὀρθωθεὶς δ' ἄρ' ἐπ' ἀγκῶνος. Porrò, qui gravi labore defuncti quieſcebant. Hinc Hercules ſic depingi ſolitus, Lucianus *Lapithis* [illegible] ἐπ' ἀγκῶνος, οἷον τὸν Ἡρακλέα γράφουσι *Incumbens cubito, qualem Herculem depingunt.* Quô eôdem modô fluviorum idola picta cernimus, ut inter alia videre eſt infrà voce *Tiberis* &c. Inprimis verò celebris hic accumbentium ſitus, ut diximus. Unde apud Martialem Zoilus, in medio lecti loco poſitus, ut laxius recumberet, neque veſtes diſturbarentur, *cubitô* ſummovebat convivas, *l.* 3. *Epigr.* 82. *v.* 5.

> *Jacet occupato galbinatus in lecto:*
> *Cubitiſque trudit hinc & inde convivas*
> *Effultus oſtrô, ſericiſque pulvinis.*

Eôdem per confertam multitudinem eluctantes turbam obviam repellimus, quod Græci [illegible], ac [illegible] dixêre ut infrà videbimus voce *Umbo*, vide quoque infrà voce, *Regyrare* it. *Phariſæi*, ubi de eorum *cubitaliter lavandi ritu*: ac *Pila*, ubi de illo luſus genere, quô *cubitor cubitis* immiſcebant. Inde genus menſuræ, habens duas ſpithamas & 2 pedes: juxta Ælianum, qui hanc longitudinem aſcribit chelidoniæ aſpidi, omnium nocentiſſimæ, ut videre eſt apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 442. Solino *duo cubita*, ſunt quatuor pedes, *c.* 52. ubi de Monocerotis cornu. Aliis *duo cubita* tres tantùm pedes ſunt; cujuſmodi *cubitus* λιθικὸς & ξυλοπριστικὸς dictus eſt, Heroni *in Iſagoge*: eô enim ligna, quæ ſerrâ ſecabantur, & lapides, menſuram accipiebant. Apud Scholiaſtem quoque Pindari, *Iſthmion.* 4. ubi de Hercule, [illegible], *Herodorus in Oedipode ait, reliquos ſuperâſſe, utpote cujus totum corpus fuerit quatuor cubitorum & pedis*: ſeptem pedes faciunt 4. *cubita* & unus pes; quam proceritatem plerique Scriptores Herculi tribuunt. Unde *ſeptipedem hominem*, pro maximo dicebant, quod menſura iſta longiſſimi hominis eſſe crederetur. Atque inde *Septipedes homines* perpetuô epithetô dicuntur Sidonio Apollinari Burgundiones, quaſi longiſſimi ac proceriſſimi. Porus verò Indorum Rex, quô poſt Trojana tempora, nemo procerior Philoſtratô habitus, *quinque cubitos implevit*, ſi Curtio fides, *l.* 8. *c.* 24. ubi Freinshemium vide. At plura de hoc menſuræ genere, *de Cubito vulgari, Babylonio* ſeu *Regio* aliiſque huc pertinentibus, apud Salmaſ. ubi ſuprà. *p.* 42 & 1233. nec non infrà aliquid, voce *Nemeſis.* De *cubitis* verò fluviorum, h. e. *incrementis* illorum ſeu *curvaturis ibid. p.* 622.

CUBRICUS, puerulus ſeptem annorum, à vidua Boddæ, (quæ à Scythiano Saraceno errores hauſerat, ipſo pejor Magiſtrô) adoptatus ac in artibus inſtitutus eſt, Boddæ fortunarum ſcriptorumque hæres. Hinc adultus in Perſidem abiit, & *Manetis* aſſumtô nomine, libros Boddæ, de Manicheiſmo, ſub ſuo nomine vulgavit, ſectamque Manichæorum pernicioſiſſimam orſus eſt. A. C. 275. Socr. *l.* 1. *c.* 17. &c. Vide *Manes* & *Manichæi.*

CUBUCLARIUS, in *veter. inſcr.* Romæ, IIII. 1 M. Livius AUGUSTÆ. L. AMARANTHUS. SUPRA CUBUCLARIOS Alia, DIS. MANIBUS POLYBI. CUBUCULARI pro *Cubicularius*, Græci enim recentiores Κουβουκλεῖον dixêre, quod Latini Cubiculum.

Cubiculum. Salmaſ. ad Solin. p. 323. Vide ſuprà in voce Cubicula-tus.

CUBULTERINI, Italiæ populi. Plin. l. 3. c. 5.

CUBUS, vide Cybus.

CUBUS, apud Arnob. l. 2. *Quadrigenarium iſtum ad ſe vocas & ex eo pronunciare non abſtruſum aliquid, non involutum, non de triangulo, non de quadrato, qui ſit Cubus aut dynamis*: ut & dynamis, nomina ſunt quadratorum numerorum. Vetus Auctor Græcus de *Numeris*, [illegible] In Geometria verò ſ [illegible], quod longitudinem & latitudinem habet tantùm, δύναμις, at quod βάθος præterea habet, Κύβος appellatur. Quam in rem vide Salmaſ. ad *Solin.* p. 437. & 699. de Eratoſthene *duplicatione Cubi* inventore, infrà aliquid voce *Perſeus*. Aliàs κύβος, pro *teſſera*, qua de vocis notione, vide infrà.

CUBUS Canopi, vicus fuit prope Conſtantinopol. ad regione tum Chryſoceram ſinum, juxta amnem Cidon; poſteà *Sebaſtocratum*, nunc *Agros Paraſceve*.

CUCADMA, Sarmatiæ Aſiaticæ oppid. *Ptol.*

CUCASBIRI, Thraciæ urbs. *Procop.*

CUCCHUS M. Antonius JCtus Ticinenſis, ſcripſit *Inſtitutiones Juris Can.* quas edidit A. C. 1564. *Notis* verò eruditis illuſtravit Sam. Marchius, Gerhard. von Maſtricht, *Hiſtor. Juris Eccl. num.* 389.

CUCCI, ſeu CUCCIUM, Pannoniæ inferioris urbs. *Antonin.* Scordiſcorum populi in Savia regione prope Danubium, nunc *Kerofka*, ſub Turcis. *Baudrand.*

CUCHENILLA, vulgò *Cuchenille*, inter merces Americæ pretioſiores. *Accedit (Hiſpanis) haud minus lucrum (quam ex Mexicanis & Peruvianis metallis hauriunt) ex præſtantiſſimis quibuſdam mercimoniis, quæ ex ſola America inde in reliquam Europam deferuntur, inter quæ principem locum obtinet vermiculus quidam, ex quo conficitur præſtantiſſimus & ſummi pretii color purpureus, quem vocant Cochenille*. Georg. Hornius, *Orb. Polit.* Vide ſuprà *Cochenilla*.

CUCULLATÆ Veſtes, dictæ vulgo, quæ cucullos habebant. Iſidorus, *Caſula eſt veſtis cucullata dicta per diminutivum a caſa, quòd totum hominem tegat, quaſi minor caſa*. Sic *Lorica cucullata*, quæ cum cucullis erant & totum hominem à capite contegebant uſque ad pedes, &c. Salmaſ. ad *Vopiſc. in Bonoſo*, c. ult. A' cucullo ſeu cucullâ, veſte Scriptoribus Latinis notâ, quâ ſcil. caput operiebatur. Poſterioris vero ævi Scriptoribus plerumque Monaſticam veſtem notat, quæ aliàs *caſula* quoque & *cappa* dicta eſt, & duorum digitorum menſuram non excedere jubetur, apud Ardonem in *Vita* S. Benedicti Abbat. Anianæ num. 40. à Flocco verò, Gall. *Froc* diſtinguitur, in Concil. Vienuenſi, apud Haëftenum. In ſpecie verò *Cuculla memorialis* dicitur Innocentio III. l. 2. *Ep.* 12. ca, quam deferre jubebantur Canonici Regulares, qui Ordinem Regularem Canonicorum, ſine Abbatis licentia, deſeruerant & Monaſticum ſuſceperant: ii enim in Choro ultimi ſedere, in *memoriam*, & pœnam deſertionis, jubebantur. Quippe id erat contra Sanctiones Eccleſ. *Concilium Aquiſgran. Ne Canonici cucullas Monachorum induant*, &c. Vide Car. du Freſne, in *Gloſſar.* & Macron Fratr. in *Hierolex.* quorum is *Cucullatos* S. Æmilianum Confeſſorem & Petrum Abailardum, aliquot Scriptoribus appellatos, obſervat.

CUCULLI, vulgò *Kuchel*, oppid. Norici, ad fluv. Juvavum, 14. mill. paſſ. ſupra oppid. Jovavum; nunc vicus, in ditione Salisburgenſi inter Gollingam & Helichum oppid. *Cluverius.*

CUCULLOPEDONES, vide hic infrà, item ubi de *Solis lavatis*.

CUCULLUS, Græcæ notationis, teſte Salmaſiô: *Κύκκος* enim eſt *galea*, vel galerus, *Heſych.* unde *Cucus*, diminutiv. *Cucullus* & *Cucullio*, apud Capitolin. in *Vero*, c. 4. tegmen fuit capitis acuminatum in ſummo, uti vocis origo innuit; *nomine* enim *Κόκκος* proprie ſeu *apicem* ſignificat. Hinc meminit vocis Poëta,

> *Sic interpoſito vilis contaminat uncto*
> *Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.*

quòd nempe hic apex bardocucullorum retro inflexus eſſet, non ſic ante, ut in Perſicis & Phrygiis tiaris, vel etiam rectus. Ubi apponit *vilem* appellat. Tale enim hoc tegmen. Martialis, l. 10. *Epigr.* 76. *viole*.

> *Pullo Mævius alget in cucullo,*
> *Cocco mulio fulget Incitatus?*

Non tamen ſolorum fuit ſervorum, licèt hi verè *cucullati*: ſed & liberi eô uſi, unde idem Poëta de Mannejo, qui non modò ingenuum, ſed etiam pro equite ſe venditabat, l. 5. *Epigr.* 14. v. 6.

> *Illinc cucullo proſpicit caput tectus,*
> *Oculoque ludos ſpectat indecens uno.*

Ita autem caput texit, ut & partem humerorum velaret, quales à Monachis hodieque geſtari videmus. Tegmen porro erat denſum ac villoſum, ad frigus atque imbrem arcendum, & ipſi lacernæ cùm opus eſſet injiciebant; cum hâc enim ſumebatur, (ſed & pænulæ cucullatæ erant, at quamdiu togati fuêre Romani, nudo inceſſiſſe capite leguntur) quapropter ipſis lacernis pro *Cucullo* & capitis tegumento ſtuntur, apud Horatium, l. 2. *Serm.* Sat. 7. v. 55.

> *Turpis odoratum caput obſcurante lacerna.*

Et quia lacerna ac birrhus eadem res fuit, unde birrhus quoque pro *Cucullo*. Juvenal. *Sat.* 7. v. 145.

> ——— ——— *Quid te noſturnus adulter*
> *Tempora Santonico velas adoperta cucullo?*

Ubi vetus Interpres *Birrum Gallicum* explicat: Nam apud Santonas Galliæ oppid. conficiebantur. Plerumque vero apud Romanos latendi causâ *Cucullus* ſumtus eſt, adeo noctu frequens in diſcurſationibus & ad diſſimulandum perſonam. Prout de Meſſalina lupanar petente Juvenal. *Sat.* 6. v. 118.

> *Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos &c.*

Et Capitolin. de Vero, c. 4. *Vagabatur nocte per tabernas & lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio*, &c. Sed propter priorem uſum antiquum Aſceticæ ac Monachis id veſtis genus adhiberi cœpit, quod illi nunc *Caputium* à capite tegendo vocant; Veteribus verò alia hæcce res fuit, teſte *Varrone*. Apud omnes porrò non eadem *Cuculli* forma, alius acuminata, alius rotunda eſt. Veterum vero cuculli oblongi erant, in acumen, ut diximus, deſinebant; quæ forma hodieque (oblonga enim adhuc & in acumen plerumque involuta eſt) obtinet. Hinc per ſimilitudinem *Cucullos* appellaverunt involucra, quibus thus, piper & alia odoramenta tegebantur. Martialis, l. 3. *Epigr.* 2. v. 1.

> *Cujus vis fieri, libelle, munus?*
> *Feſtina tibi vindicem parare.*
> *Ne nigram cito raptus in culinam*
> *Cordyllas madidâ tegas papyro:*
> *Vel thuris, piperiſque ſis cucullus.*

Liburnici *cuculli* dicti ſunt, quòd Liburnicâ lanâ conficerentur, de qua Plin. l. 8. c. 48. Bardaicus *Cucullus* ſeu bardus, militum erat è craſſiore lanâ, ſive ex caprarum pilis ac cilicio confectus. Ejus meminit Capitolin. in *Pertinace*, c. 8. an idem cum *Bardocucullo*, de qua voce vide ſuprà *ſuô locô*? & pictura de *Cucullo*, apud Octav. Ferrarium, *de re Veſtiaria*, part. 1. l. 1. c. 20. 21. & 23. nec non *part.* 2. l. 2. c. 7. ubi figuram pænulæ cum cucullo, & quidem acuminato exhibet, tum in Mercurii imagine, tum in iconcula Ægyptiaca. Sed & *Cuculli pedum* occurrunt, in Notis Tyronis & Senecæ, de quibus vide Salmaſ. ad *Martial.* l. 4. *Epigr.* 4. ut & infrà aliquid, ubi de *Solis lavatis*.

CUCULUM, oppid. Marſorum in Latio, *Scurcola*, teſte *Leandro*.

CUCULUS, Jupiter dictus eſt, quòd Junonis deſideriô in hanc avem fuerit transformatus, de qua vide hîc infrà.

CUCULUS, Græcè κόκκυξ, Plinio ex accipitre *videtur eſſe, tempore anni figuram mutans, quoniam tunc non apparent reliqui, niſi perquam paucis diebus: ipſeque modicô tempore æſtatis viſus non cernitur poſteà*, l. 10. c. 9. Sed non ſolum Accipitrum id genus, *Emouchet* Galli vocant, cui ſimilem *Cuculum* Ariſtoteles tradit, *Hiſtor.* l. 5. c. 7. verum nec reliqui accipitres ſunt videntur, utpote ovis edendis occupati incubandisque. Æſchylo idem cum upupa eſt. *Cucullus* enim vere procedit, æſtate diſcedit, quô tempore upupa apparere incipit. Verſus ejus ſunt.

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

apud Ariſtotelem ſuprà laudatum. Ad quos verſus vide notas inſignes Salmaſii, *ad Solin.* p. 238. & 239. Sed tam falſum ex *cuculo* fieri upupam, quàm falſum ex ſycallide vel ficedula melancoryphum, uti docet idem *ibid.* Cæterùm *Cuculi* proprium eſſe hoc multi putant, ut alienis ovis incubet. Unde eſt, quòd hodieque vulgato ſermone Galli ſic eum per convitium appellent, cujus uxor mœcha eſt, quia alienos liberos fovet & nutrit inſciens. Veriùs non aliena ova incubare, ſed in alieno nido parere *Cuculum* & aliis avibus ova ſua incubanda excludendaque tradere, diſcimus ex Ariſtotele, l. 9. *Hiſtor.* c. 29. Theophraſto, *de Cauſ. Plantar.* l. 2. c. 24. Plinio, d. l. Oppiano, *Ixeutic.* l. 2. Aliis. Itaque Romanâ linguâ *Cuculus* non dicitur, qui ab uxore contumeliam patitur, ſed qui facit: mœchus videl. qui inſtar cuculi cubat in lecto non ſuo. Hinc Artemona mulier, in *Aſinaria* Plauti, Demænetum virum ſuum, in lupanari cum ſcorto deprehenſum, hôc convitiô excipit, *Actu* 5. *ſc.* 2. v. 73.

> *Etiam cubat cuculus* ——

Item, v. 84.

> *Cano capite te Cuculum uxor ex luſtris domum rapit.*

At eum, quem Galli *cuculum*, Romani *currucam* appellabant, Juvenalis, *Sat.* 6. v. 276. quòd in hujus avis nido *Cuculus* plerumque pariat. Aliàs tamen & in palumborum, & turturum & alaudarum, & chloridum & papporum & paſſerum, & ſcolopacum (quam avem quidam intelligunt voce Hebr. *Kore* Jerem. c. 17. v. 11.) ὠοτοκεῖν cuculum, diſcimus ex Antigono, *Mirabil.* c. 109. Æliano, l. 3. *Hiſtor.* c. 30. Iſidoro, l. 12. c. 7. &c. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſter.* l. 1. c. 12. & infrà *Cugui*, plura verò de hac ave, apud Autores præfatos.

CUCUMELLUM, inter ſacra miniſteria reponitur, apud Baronium, *A.C.* 303. *num.* 12.

CUCUMIS, Græcè Σίκυος, inter naſcentia in hortis, *mirâ voluptate Tiberio Principi olim expetitus. Nullô quippe non die contigit ei, penſiles eorum hortos promoventibus in Solem rotis olitoribus; rurſuſque hibernis diebus intra ſpecularium munimenta revocantibus*, Plin. l. 19.

l. 19. *c.* 5. *princip.* Græcis recentioribus ἀγγουρ@ dicitur, unde *ac-graγγουρ@*, *citrinus cucumis.* Eorum enim alii ſunt viridiores, alii pallidiores, & *citrei* coloris, alii nigri. *Cereos cucumeres* memorat idem Plinius, *ibid. Creſcunt, qua coguntur forma. In Italia virides & quam minimos, in provinciis quam maximos & cereos aut nigros placent, copioſiſſimi in Africa, grandiſſimi in Aſia, ubi enim magnitudine exceſſêre, pepones vocantur.* Sed & *melopepones* unde. Idem, *Ecce enim maxime nova forma eorum in Campania provenit, mali cotonei effigie. Forte primo natum ita audio unum: mox ſemine ex illo genus factum, melopeponas vocant. Non pendent hi, ſed humi rotundantur. Mirum in his præter figuram coloremque & odorem, quod maturitatem adepti, quanquam non pendentes, ſtatim à pediculo recedunt* &c. Salmaſio verò in totum differunt melopepones, vel σικυοὶ σπερματίαι, *cucumeres ſeminoſi*, ut Græcia vocabat, à vulgaribus cucumeribus, nec alter ex alterius ſemine provenire poſſunt. Eorum tamen è Græcia in Campaniam primùm eô tempore, quô Plinius ſcripſit, allatum eſt. Unde & Plutarchus paulo ante ætatem ſuam *Sicyopeponem* in cibos receptum memorat. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 958. & 959. Plura vero de hoc fructu, apud Plinium, *d. l.* Dioſcoridem, Theophraſtum, Alios; infrà etiam aliquid, voce *Melones.*

CUCURBITA, apud Autorem *Moreti*,

Et gravis in latum demiſſa cucurbita *ventrem:*

ſimilis cum cucumeribus naturæ eſt, duntaxat in naſcendo. *Vires ſine adminicula ſtandi non ſunt, velocitas pernix levi umbrâ cameras ac pergulas operiens. Inde hæc duo prima genera, camerarium & plebejum, quod humi repit. In priore mirè tenui pediculô libratur pondus immobile auræ — quoque uno modò faſtigiatur — creſcit, quâ rapiuntur forma, plerumque & draconis intorte figurâ. Libertate verò penſilis conceſſa, jam viſa eſt novem* (alii legunt 5. alii 8.) *pedum longitudinis*, Plinius ubi ſuprà. Uſus earum in cibis. *Et primus caulis in cibo — Cortex viridi tenui deraditur nihilominus in cibis. Cibus ſaluber ac lenis — Cibus quò longiores, tenuioreſque, eo gratiores. Et ob id ſalubriores, quæ pendendo crevêre, Ibid.* Hinc inventa ratio eſt, *quâ* (non ſemina ſolùm, ſed) *cibus quoque ſervarentur — & id quidem in maria fit. Sed & ſcrobe, opaco in loco, harenâ ſubſtrato, fænôque ſiccô opertas, ac deinde terrâ, virides ſervari tradunt, Ibid.* Ob quam cibi hujus ſalubritatem, proverbio jactatum, *Cucurbitâ ſalubrius.* Atque inde *lilium* quidem priſci ſuper mortuo, at Cucurbitam ſuper ſano ſtatuerunt, apud Auctorem Παροιμιῶν, ubi de Proverb. ἢ κράνον, ἢ κολοκύνθην: quâ *Diphilus* quoque illud citat, Ἐν ἡμέραισιν ἑπτὰ σοὶ γέρων ἐγὼ παρέξω κολοκύνθην ἢ κρίνον, *In diebus ipſe ſeptem tibi ſenex volo præbere* cucurbitam *aut lilium.* Ac ſi dicat, Intra hoſce proximos ſeptem dies tu quidem aut convaleſces, aut morieris. Vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 4. *c.* 5. Sed & alius earum uſus: *Nuper in balnearum uſum ventre urceorum vice, jampridem verò etiam cadorum, ad vina condenda*, iterum Plin. Imò, ſi eidem fides, veſtitui quoque inſerviêrunt. Arabes enim lanium ex *Cucurbitis laniferis*, in arboribus genitis, colligere tradit, *l. eod. c.* 2. *de Lino.* Idem de arboribus Indiæ laniferis, *Ferunt*, inquit, *mali cotonei amplitudine*, cucurbitas, *quæ maturitate ruptæ oſtendunt lanugini pilas, ex quibus veſtes pretioſo linteô faciunt.* Quâ de re quid ſentiendum, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 196. *& ſeqq.* De *Cucurbitis* verò *Medicinalibus*, vide iterum Plinium, *l.* 32. *c.* 10. In *Muſæo* Kircheriano Romæ, è *Cucurbitis Mexicanis* ſcutellæ excavatæ, figurâ ſat amplæ, ſed pondere leviſſimô, diverſis figuris & tractibus ſubtiliſſimis variè effigiatæ, ut etiam colorum multiplicitate depictæ ac demum vernice Sinicô magni ſplendoris ſuperinductô, aſſervantur, uti docet Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo, p.* 34.

CUCUSSUS, urbs Armeniæ minoris D. J. Chryſoſtomi exiliô clara. *Cocuſſa* Athanaſio. *Ferrar.* Vide Sozom. *l.* 8. *c.* 21.

CUCUTIA ſeu COCUTIA, vide ſuprà in *Coccus* & *Cruſta.*

CUDA, vulgò *Coa*, Luſitaniæ fluv. *Ferrar.*

CUDO, Græcè πῖλ@, utrumque ſignificat, & galerum ſeu pileum, & pedule: quemadmodum & *Cucullus*, quod ex Græco κώνος i. e. *galea vel galerus*, ortum videtur, Nomen ei à *cudendo*, i. e. feriendo & fundendo; *udo* tamen pro *cudone*, de pedulibus dictum: Sic *Aulon* & *Caulon*, *Coſtroena* provinc. & *Oſroena* &c. Fiebant nempe ex coactili non lana, ſed hircorum pilo & quaſi ſuccudebantur: quomodo etiam *Cudones* concinnabantur ſive galeri. De pelliceo tamen galero *Cudonem* Silius dixit, *l.* 16. *v.* 59. Vide Salmaſium, *Not. ad. Capitolin. in Pertinace*, c. 8. & *Lamprid. in Alexandro Sev.* c. 40.

CUDUM, Indiæ promontor. ſive oppid. Mela, *l.* 3. *c.* 7 populi *Kudoi* Ptolemæo dicuntur, vicini Sinis, ultra Colum, vel Colicum promontorium, Eoo adſiti litori.

CUENCA, Urbs Epiſcopalis Caſtellæ novæ, in Serramontana. Veterib. *Valeria* fortè, quæ à Mauris deſtructa, ab Alphonſo IX. reparata eſt. Miræus, *Geogr. Eccl.*

CUEVA, nomen Familiæ in Hiſpania illuſtris, cujus origo adſcribitur civitati Uzbedæ. Ex ea; ſub Petro & Henrico Regibus, floruit Johannes Sanctius *de la Cueva*, Guil. Martinezii Pater & Didaci Fernandezii Vice-comit. *de Huelma*, avus. Hôc geniti ſunt Beltramus & Johannes; ex quibus hic Dominus Soleræ fuit, & ejus ex filio Ludovico ac nepote Johanne proneptis Iſabella *de la Cueva*, nupta Franciſco Benavidio Comiti de Sancto Stephano, dominium ac nomen gentile poſteris intulit. Eô enim matrimoniô natus Didacus, ex Leonora *de Toledo*, Franciſcum Benavidium *de la Cueva* Comit. *Sancti Stephani* ſeu *de Santiſteven del Puerto* Dn. *de las Navas*, *Caſtellar*, ac *Solera* (maritum Briandæ Bazaniæ & Benavidiæ, filiæ Alvari Marchionis Santacrucii) & Iſabellam *de la Cueva*, genuit. Ex ejuſdem Johannis Dn. Soleræ filio Ludovico natus eſt Alfonſus *de la Cueva* & *Benavides* Dn. *de Vedmar*, reliquorum Dominorum & Marchionum *de Vedmar* ſator. Beltramus verò, alter Didaci Fernandezii filius, à Rege Comes Ledeſmæ A. C. 1462. biennio poſt Dux Albuquerquii creatus eſt. Ejus e primo thoro filius Franciſcus Fernandezius, ultra titulos patrios Marchio *de Cuellar* ſalutatus eſt reliquoſque Duces protulit. Interim Beltramus ex Mencia Mendoza fuit Franciſci *de La Cueva*, Ducis *de Albuquerque* quô & Franciſcâ Toletanâ genitus Didacus, è Maria *de Caracnas*, ſuſcepit Beltramum Ducem Albuquerquæ, extinctum A. C. 1612. Qui pater fuit, ex Iſabella *de la Cueva* Ducis *de Albuquerque*, Franciſci Fernandezii, qui ex Anna Henricia de Mendoza prolem ſuſcepit. Tertio matrimonio Beltramo vitam debuit Chriſtophorus *de la Cueva* & *Velaſco*, qui ductâ Leonorâ *de Velaſco* Comite, Comes *de Servela* factus eſt & reliquos hujus tituli ex ſe dedit, qui nomina *de la Cueva* & *Velaſco* conjunxêre. Sed & præter Chriſtophorum eâdem matre natus eſt Antonius *de Lodraña*, cujus poſteri Marchionum axioma obtinuêre, ſed per matrimonium ad Cardonos Medinæſchios Duces tranſierunt. Phil. Jac. Spenerus, *Theatro Nobilit. Europ. Tom. I. p.* 84. & *Tom. III. Indice.* In ſcuto gentilitio hujus familiæ, inter alia, ſplendent aurea lilia tria, ab Hugone, è Comitibus Toloſanis oriundo, nominis *de la Cueva* inſtauratore, qui in memorabili prœlio *de Salado*, contra Maurorum Reges, vexillum, cruciatum, Avenione a Pontifice benedictum, prætulit, jubentibus Alfonſis Caſtellæ XI. & Luſitaniæ VII. Regibus A. C. 1340. In iiſdem jam antè octo decuſſes erant aurei, poſt pugnam celebrem A. C. 1227. quâ civitas *Baeza*, à Maurorum jugo liberata eſt die S. Andreæ feſtô &c. Porro Bartholemæus, Ducis Albuquerquii filius, A. C. 1543. à Paulo III & Alfonſus, ab Urbano VIII. purpuram meruêre. Claud. Chifletius, *Praſ. de Num. antiqq.*

de la CUEVA Bartholemæus, vide *Bartholomæus.*

CUFA, Urbs Chaldææ, ad Euphratem nunc ſub Turcis. In confinio Arabiæ deſertæ, 60. milliar. à Bagdata in Occaſum. Alias ampla, & aliquando Califarum ſedes.

CUFA, & TUFA, idem quod Birrus, veſtimentum vel pallium caput operiens: unde *Coſia*, Gallis *Coiffe*, galerus & pileus nocturnus; ſeu tegumentum capitis, quod ſupremam capitis partem ſeu cerebrum tegit, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Aureliano.* c. 45.

CUGERNI, vide *Gugerni.*

CUGNERIUS Petrus, vide *Petrus.*

CUGUS, in *Uſatkis* Regni Majoricæ. A. C. 1248 *Si quis dixerit alicui* Cugus *vel Renegat, & ſtatim ibi aliquid damnum acceperit, non teneatur reſpondere autem domino vel ejus locum tenenti:* Gallis *Cocu*, vel *Coucou*, *Cornard*, Occitanis *Curyoul*, olim *Coux*, convitium eſt, quô illi aſperguntur, quorum uxores, iis tacentibus, mœchantur, *Arga* hinc dicti Lacedæmoniis. An à *cuculis* avibus, quos inferior ætas *cucos* dixit, quique in aliarum avium nidis, ponâ curucæ, palumbi, turturis, alaudæ, chloridis, paſſeris, luſciniæ, motacillæ, rubeculæ & ruticillæ ova ponunt. Sed ita non qui ab uxore contumeliam patitur, ſed qui facit, *Cuculus* dicendus: quæ etiam vocis apud veteres Latinos notio fuit. Artemona certè mulier, in *Aſinaria* Plauti, Demænetum virum ſuum, in lupanari cum ſcorto deprehenſum, hôc convitiô excipit, *Act.* 5. *ſc.* 2. *v.* 73.

Etiam cubat cuculus.

Item, *v.* 84.

Canô capite te cuculum uxor ex luſtris domum rapit.

Cùm contrà, quem Galli *Cuculum*, Romani *curucam* appellarent. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 276. de viro ſtolido, falſas adulteræ uxoris lachrymas miſerante,

Tu tibi nunc curruca places, fletumque labellis
Exſorbes.

An à vulgi errore, quô etiam Acron Grammaticus inſignis in *Horat. l.* 1. *Sat.* 7. abreptus eſt, putantis *cuculi* proprium hoc eſſe, ut alienis ovis incubet, Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. poſter. l.* 1. *c.* 12. Verum Gallos olim non *Cocu*, ſed *Coux* dixiſſe, ita ut *Cocu* vox ſit *Coux* repetita, contendit Car. du Freſne, quamvis ejus etymon planum haud eſſe fateatur, *in Gloſſar.*

CUJACIUS Jacobus, Tholoſanus, celeberrimus JCtus ſui temporis. Biturigibus inprimis docuit, ubi obiit A. C. 1590. Operibus editis immortale nomen adeptus. Pap. Maſſon. eum laudavit, proſâ & verſu. Sam-Marth. *Elog. l.* 4. *Scaligerana.* 1. 2. Verderius, *Proſopogr.* Corn. Toll. *Adult. ad P. Valer. de Infelicitate Literatorum*, Keckermannus, *Conſil. Log. de Locis Commun. faciend.* Alii: Anton. verò Faber non parùm ejus famæ detrahit *in Rational.* Catalogum ſcriptorum ejus habes *in Elogiis* Anton. Teiſſier, *Part.* 2.

CUJAVIA, provinc. Poloniæ inter Pruſſiam ad Boream & Poloniam inferiorem, ad meridiem cum Mazovia à Leſco Rom. Conrado fratri conceſſa eſt. A. C. 1205. Hic Uladiſlavia & Breſtia Urbes. Vide ibi.

CULARO Allobrogum, urbs Galliæ, Cn. Planco *Ep.* 10 *ad M. T. Ciceronem*, memorata; ferè ad Draci & Iſaræ confluentes, ſeu ad Iſaram, mox Draci aquis augendum. Hujus muris cum interioribus ædificiis perfectis, Diocletianus & Maximianus Imperatores portam Romanam Joviam, portam verò Viennenſem Herculiam appellari voluerunt. Poſtea à Gratiano Aug. *Gratianopolis* dicta: Epiſcopum habet, quartum inter Aſſiſtentes Viennenſi Burgundiæ Archiepiſcopo, poſt Valentiam, Vivarium ſeu Albam & Deam ſuffraganeos. Prima *Gratianopolis* mentio fit in Concilio Aquileiæ habito, annô 13. Imp. Gratiani, cui tum Dominus Epiſcopus interfuit: quemadmodum Victurus Epaonenſi Urſolus Aurelianenſi 3. Valeſius Presbyter, miſſus à Syagrio, Lugdunenſi 2. Heſychius vel Eſicius Pariſienſi 4. Matiſconenſi 1. & 2. & Lugdunenſi 3. Clarus Cabillonenſi, &c Vulgò *Grenoble*. Caput eſt agri cognominis Vulgò. *le Greſivodan*, vel *la vallée de Greſivodan.* Ab urbe 2. leuc. fons eſt, Auguſtino, *de Civ. Dei*, *l.* 21. *c.* 7. memoratus, quô ignem alii, certùs ſe ſcire aſſerit Franciſcus

Salvſius

Saleſius Epiſcopus Genev. Ab aliis ardere adhuc dicitur, ab aliis ante annos centies 30. ardere deſiiſſe, ſed flammam è vicino fonte ſolo evilitere udò tantum ac pluviò cœlo, quâ etiam ova coquuntur. Eò ſonte palea accenditur & comburitur. Hadr. Valeſ. Notit. Gall. Fuêre & aliæ Gratianopoles: In concilio ſiquidem Epheſino Epiſcopus Gratianopoleos memini ſit: & Thalaſſius Grattanopolitanus Epiſcopus in Mauritania Cæſarienſi à Rege Vandalorum, & Alanorum Hunerico, cum cæteris, relegatus olim dicitur. Idem. Vide quoque Gratianopolis.

CULCITRÆ Subalares, apud Lamprid. in Heliogabalo, c. 19. Nec cubuit in accubitu facilè, niſi iis, quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum, ſubalares culcitras ſæpe mutavit Sunt pulvini, quibus undique fulciebantur delicatiores, cum accumberent, [illegible] dicta Græcis. Lucianus in Somnio ſive Gallo, [illegible] Poſtquam accumbendi tempus inſtabat, primum ſublimem repoſuerunt Theſmopolin, non adeo facilè per ſuvem, quinque puto, juvenes ſatis magni, ſubalares culcitras undique ei ſuffarciebant, ut in hoc ſitu diu perdurare poſſet. Aliter tamen Lampridii locum legit Lectius, quem vide apud Caſaubonum, Not. ad loc. cit. Sed & in Sacris mentionem ſtiuſmodi culcitarum à Prophetis fieri notum. Aliàs Culcitræ communiter farciebantur tomentis & purgamentis lanæ, quæ ex polițione veſtimentorum detrahebantur. Item foliis candidis & mollibus herbæ, quam tomentulam Latini, Græci [illegible], quaſi tomentum, ob hunc ipſum uſum, dixêre &c. Vide ſuprà. Locò culcitræ verò segetem uſurpaviſſe pauperes, vel ſaga Gallica, notat Caſaubonus ad Trebell. De Culcitrarum exactionibus, quæ fiebant à vaſſallis & tenentibus, ad commeatum exceptionem, cum peregrè ibant, quæque Comitibus vel Tribunis aliiſque Magiſtratibus fieri vetantur, leg. 2. 3. Cod. Theodoſ. de Salgamo hoſpitibus non præbendo, vide Car. du Freſne, Gloſſar. ubi Culcitrarum quoque uſum & nomen à Gallis primum promanâſſe, probari nonnullis ait, ex Plinio, l. 19. c. 1. Sicut in culcitis præcipuam gloriam Cadurci obtinent, Gallicarum hoc & tomenta pariter inventum. Sed fruſtra, cùm Græcis nominibus ex antiquis tomenta hôc modò inculcata [illegible] appellâta eſſe conſtet, Salmaſ. ad Solin. p. 398. Vide quoque ſuprà in verbo Cubare. & infrà Pulvinus, it. Pluma, & Subalares.

CULCUA, Numidiæ Colonia. Ptol. Cucmina, teſte Marmolô.

CULCUL, nomen granorum, quæ in deliciis Conſtantinopoli, præſertim recentia, ex Ægypto illuc adferri dicuntur. Ea Matthiolus naſci vult in Plinii ſtaphylodendro, ſed hoc ſiliquas fert, & in his nucleos ſapore nucis avellanæ. Bellonius nucem eſſe geminæ pugni amplitudine ſcribit, quæ illa grana ferat. Sed nec hæc conveniunt. De faba colocaſia, ſeu etiam vero legumine Ægyptio nonnulli accipiunt. Serapio Habel culcul, i. e. magnum ſemen Culcul, Avicena Hab Alkalchel vocat, c. 309. Ger. Cremonenſis granum Alkulkul. Idem Rhazi Kelkel dicitur. E quibus Avicena, illud ſemen eſſe, ſicut piper album, majus cartamò ſeu cnici ſemine, non planè rotundum & ſuavis odoris, dum frangitur, unctuoſumque eſſe, tradit. Quoſdam autem addit docere, ſemen eſſe granati ſylveſtris, ſed eos refellit, c. 466. de Adngalb, quæ radix eſt hujus arboris, quæ ſemen id fert atque hôc argumentô, quod ea radix (quam nonnulli ſylveſtris quoque granati radicem eſſe volunt) Venerem juvaret: quod tamen de ſemine quoque fertur. Non pronuntiat verò idem Scriptor, ex qua arbore, vel frutice vel herba fuerit illud ſemen, ut planè videatur neſciviſſe. Unde nec hodie, quid Culcul ſeu Caul caul ſit, ignorari, mirum. Salmaſ. ad Solin. p. 1181 & in Addendis ad h. p.

CULDEI, ſeu COLIDEI, Monachi & Sacerdotes, apud Scotos Hibernoſque olim, de quibus vide Hect. Boethium, Hiſtor. l. 6. ubi ait, illos, quod ſedulò prædicationi vacarent, eſſentque in oratione frequentes, ab incolis Cultores Dei eſſe appellatos: invaluiſſeque id nomen apud vulgus in tantum, ut Sacerdotes omnes vulgò Culdei, i. e. Cultores Dei dicerentur. Idem addit, Pontificem inter ſe communi ſuffragiò delegiſſe, penes quem divinarum rerum eſſet poteſtas, eumque multos deinceps annos Scotorum Epiſcopum eſſe vocatum. Sed & extra Albaniam hoc nomen auditum eſſe, refert Jac. Uſſerius Archiepiſcopus Armachanus, qui ait, in Enlih ſive Berdſeya inſul. Monachis, & in Hibernia presbyteris ſecularibus, id nominis eſſe attributum. Illam enim ſuô tempore à Monachis religioſiſſimis inhabitatam ſcripſit Geraldus Cambrenſis, quos Cælibes vel Colideos vocaverint, Itiner. Cambr. l. 2. c. 6. In majoribus quoque Ultonienſium Eccleſiis, presbyteros, qui Choro inſervientes divina celebrabant officia, Colideos, eorumque Præſidem Priorem Colideorum appellatum eſſe, ſcribit Henr. Spelmanus. Gloſſar. Archæol.

CULEMBACHIUM, oppidum Franconiæ ad Mœnum fluv. qui ſuprà oritur. Emit hoc, cum Blaſſenburgo & aliis, ab Orlamundanis Johannes, filius Friderici II. Comitis Zollerenſis, pater Friderici IV. apud Carolum IV. Imperator. non parum gratioſi. Arcem habet Plaſſenburg, & territorium latè amplum Marchionis, è familia Brandeburg. 6. leuc. à Bamberga in Ortum, Culmbacenſem lineam hodiernam ortus eſt Chriſtianus, ſecundus filius Joh. Georgii Electoris, mortui A. C. 1598. & ex ſucceſſione Georgii Friderici agnati, nactus eſt in Franconia tractum montanum & ad Ayſſum, A. C. 1603. Obiit A. C. 1655. relictô ex Filiorum majore Erdmannô Auguſtô, qui defunctus erat, A. C. 1651. nepote Chriſtianô Erneſtô, & aliô filiô Georgiô Albertô, qui nonnisi A. C. 1669. adhuc cum nepote ſupereſt. Alias jam olim Culmbacenſis, ſeu Berruthini tamè onctus Caſimirus fuit, fil. Friderici, nepos Alberti Electoris Achillis Germanici dicti. Hic Caſimirus, auſpiciis patris, Norimbergenſes vicit, A. C. 1506. ruſticam ſeditionem oppreſſit, A. C. 1525. Generalis belli exercitus Dux in Ungaria A. C. 1527. obiit; Pater Alberti, qui Alcibiades Germanicus dictus, conjunctis ſtudiis cum Mauritio Saxone, æquali ſuo, Cæſari militavit, A. C. 1544. in bello Gallico, inde Smalcaldico: Dux poſteà ſæderis contra Saxonem & Philippum Haſſium initi, Miſſus A. C. 1547. in ſubſidium Mauritii à Joh. Friderico preſſi, captus eſt: Dimiſſus Magdeburgum, A. C. 1550. cum Mauritio obſidit, hunc mox contra Cæſarem quoque ſocius. Bona variorum Epiſcoporum ditionibus miſerè vaſtoris, Pallaviciniʹ tractatu comprehendi noluit. Tum Lucemburgenſi Ducatu & Lotharingiâ vexatâ, adverſus Gallici Regis potentiâ. Tandem cum Cæſare pactus, ad Muſſipontem Aumalium profligavit & cepit: Mox iterum graſſatus per Franconiam bellum à Ferdinando Rege Romanorum, & Mauritio denuntiatur, quò ad Sivershuſam victus A. C. 1553. nihilominus cum Brunſuicenſi, Epiſcopis ac Norimbergenſibus rem habuit. Demum prope Brunſuicum rurſus profligatus, moxſ ſuccubuit. Inde in Galliam profugus, cum in Germaniam publicâ fide acceptâ rediiſſet, Phorchemi deceſſit, A. C. 1557. Vide Thuan. Hiſtor. l. 19 Spenerum, Sylloge Geneal. Hiſt. &c. A Maria Ungariæ Regina pecuniâ adjutus fuiſſe creditur.

CULEMBURGUM, oppid amplum Geldriæ, cum arce, ad auſtralem Lecciæ ripam, ſub dominio olim Comitis ſui; & in 3. partes diviſum eſt, in ditione Hollandorum. Seculò proximè elapsò, ſub initium turbarum, Culemburgicus Comes, cum Ludovico Hornbergenſi & Henrico Brederodio, caput fuit fœderatorum in Belgio, A. C. 1566. cujus prout ædes Bruxellis, poſtmodum Albani juſſu, dirutæ. Vide Grot. Annal. Belg. Strâdam, &c.

CULEUS, & eum, Græcè [illegible], Æolibus, pro [illegible], ſaccus eſt ex lino, corio, vel cannabe. Sed corio imprimis. Hincque pœna ſacrilegorum primò, dein parricidarum apud Romanos: apud quos parricida ſanguineis virgis verberati, Culeo, ex corio vel bovis vel aſini facto, cum cane, ſimia, gallo & ſerpente, ſimiliſimus huic monſtro feris, incluſi in mare conjiciebantur. Vide infrà, ubi de Parricidis. Ad quorum exemplum poſteà & alii longè aliis perditiores, quique maturius exoſi, vel ante vel poſt ſupplicium, culeo inſuti coripiebant, quod coriis involvere Vitruvius, Græci [illegible], item [illegible] dixêre. Quomodo Cleomedem ſuſcidam, in culeum capite tenus inſutum cruci affigi apud Plut. Ptolemæus juſſit. De adulteris, vide ſuprà, uti de culeis in peccatis puniendis uſu apud Hebræos, infrà ubi de Pœnitia. Sed & liquidorum menſura fuit apud Romanos maxima, amphoras 20. continens. Plin. l. 14. c. 4. Cato denos culeos reddere ex jugeribus ſcripſit (vinearum) efficacibus exemplis, non maria plus ſeniata conferre mercatori, non in Rubrum littus Indicaſve merces petitas, quam ſedulum rurio laborem. Et paulo antè, Annæo Seneca — tanto prædii ejus amore captus, ut non puderet — tradere palmam eam emptis quadruplicato pretio — intra decimum ferè curæ annum: digna opera, quæ in Cæcubis Setinuſque agris proficeret: quando & poſtea ſæpenumero ſeptenos culeos ſingula jugera, hoc eſt, amphoras centenas quadragenas muſti dedêre &c. Sed in prioribus verbis ſeptenas urnas, habet Columella, l. 3. c. 3. Quindenos culeos legit Fulv. Urſinus ad Varronem de Re Ruſt. l. 1. c. 2. p. 15. uti notat Dalechampius, Not. ad Plinium.

CULEX, apud Græcos generale nomen non habuit olim. Nam [illegible] recens eſt & ex Arabibus ſumtum: [illegible], eſt vinarius culex, de quo notus ille verſus Hadriani,

Ambulare per popinas,
Culices pati rotundos.

Vide quoque infrà voce Vinum. [illegible], culex in aquoſis locis naſcens, ut Hebr. [illegible] jatthus cujuſmodi culicem, Titi ingreſſum nares, ejus cerebrum totò convulſiſſe ſeptennio, fabulantur Judæi; quod idem de ſocaina, Nimrodi culice, Arabes memorant. [illegible], culex eſt leonis metum incutiens, Hebr. Maphgia, ab occurrendo vel incurrendo, quia illum acrius impetit, in oculos irruens: nec ſolò motu ſed & voce terreat & in fugam compellat; cujuſmodi culicum olim magna vis fuit in Rhizophagis & Meſopotamia. [illegible], in pinu naſcitur, [illegible], in caprifico & palma; [illegible] in ulmo, quercu & ficu, &c. Quantam ſæpè cladem culicum multitudo intulerit, vide de Myuſiis Pauſan. in Achaicis, de Atamitis, eundem paulo poſt; de Sapore, qui Niſibin obſidebat, Theodoretum, Religioſa Hiſtor. c. 2. laudatos Bochartô, Hieroz. Part. poſter. l. 4. c. 13. Quare cùm ex lacu circa Tiberiadem multi orirentur culices, Hebræi timentes, ne per naſum aut aures in infantium capita penetrarent, notò infante, maſſam ei ſubigebant ex ovis immaturis & cerebrum ejus mungebant, ne morderet illud jatthus, in Bereſith Rabba, fol. 34. De paluſtribus verò Ægyptiis, quo pactô illi ab hoſte hoc ſe defenderent, diximus ſuprà in voce Conopeum. Vide plura hanc in rem, apud Bochart. modò laudatum, l. 4. c. 27. Sed & Culicum operâ ficus juvantur & palmæ fructus matureſcit. E caprificu enim exeuntes culices, qui ex ſemine ejus naſcuntur, Græcis [illegible], item [illegible], dicti, ad maturitatem ficus eas pertundendo & aperiendo, perducunt, uti videmus ſuprà, ubi de Caprifico. Simili prorſus modò curari palmas fœmineas, ait Herodotus, Muſa 1. Culices enim evolantes è maris palmæ fructibus inire fructus fœmineæ palmæ, eoſdemque maturare ac, ne decidui fiant, præſtare, hincque ſinni fructum è maſculis in arbore fœminæ alligari. Theophraſtus verò, id quidem in ficubus fieri Culicum operâ concedit, at in palmis id perficere ſexus rationem & veluti coitum maris cum fœmina docet: nullos in mare palma [illegible], ut in caprifico, agnoſcens. Quod & ipſum tamen, ob analogiam & ſimilitudinem effectûs [illegible] dicebatur. Salmaſ. ad Solin. p. 1334.

CULIACANA, Regio Americæ Septentrionalis, in nova Hiſpania, verſus mare Auſtrale, & novum regnum Mexican. pertinens ad novam Galiciam, nomen habet ab urbe hujus nominis: jacet autem inter fluvium Piatila, & fluvium Sancti Sebaſtiani, qui antequàm ſe in mare exoneret, à terra abſorbetur; Metropolis ejus eſt *Culiacanum*, ubi Hiſpani fundârunt coloniam Divi Michaelis. *Merul. Mercat. Baudrand.*

CULIACANUM, oppid. Americæ Septentrionalis cum provinc. cognomine in nova Hiſpania, verſus mare Auſtr. & novum regnum Mexicanum ſub Hiſpanis.

CULINA, in veter. *Inſcr.* quæ hodieque ſupereſt Tibure.

> HERCULI SAXANO SACRUM SER SULPICIUS TROPHIMUS ÆDEM ZOTHECAM CULINAM PECUNIA SUA A SOLO RESTITUIT IDEMQUE DEDICAVIT K. DECEMBR. L. TURPILIO. DEXTRO M. MAECIO RUFO COS. EYTYCHICUS SER. PERAGENDUM CURAVIT.

Significat locum Ædi ſacræ vicinum, in quo funebres olim epulæ haberi ſolebant. Jac. Sponius, *Itinerar. Græcia, Part. III. p.* 47. & 58. Vide Ger. Jo. Voſſ. *Etymologic.* in hac voce: uti de Matrone Poëta Græco, qui aliquot millia verſuum Homericorum ad *culinam* & macellum invertit juſtô poëmate, infrà aliquid voce *Parodia*.

CULIPILARIUS, in *Gloſſis*, fœdi miniſterii apud Romanos olim nomen: de quo Tertullian. *de Pallio*, c. 4. *Unde apud aliquos Nomades, etiam equos caſtratos, juxta cutem tonſor ---- unde apud hirtos & hirſutos tam rapax à culo reſina, tam furax à mento volſella?* Ubi Afrorum mollitiem increpat, ex Aſia illuc tranſvectam, quæ deliciis infamis habita. Inde enim in Græcorum gymnaſia atque hinc ulteriùs depilandi iſte ac vellendi mos tranſlatus; quos mulieres *Xyſticas* paulo pòſt idem vocat, quòd hunc morem haberent homines xyſto & palæſtræ dediti, qui in medio etiam gymnaſio ſub omnium oculis depilari devellique conſuevêre. In quos proin graviter invehitur Clemens, *Pædagog. l.* 2. *c.* 3. ubi etiam partem illam pſilothrô Veteres accurâſſe, docet: [illegible], quaſi partes è diametro ſibi oppoſitas, ibi memorans. Idem Perſius innuit, *Sat.* 4. v. 38.

> *Quinque palæſtritæ licèt hæc plantaria vellant,*
> *Elixaſque nates labefactent forcipe aduncâ,*
> *Non tamen iſta filix ullô manſueſcet aratrô.*

Nempe Palæſtritæ, non ſolùm athletas ungebant in Gymnaſiis, hinc Γυμνασταὶ & Ἀλείπται dicti, ſed & eorum partem mento oppoſitam vellebant ac reſinâ levigabant, ut docet Salmaſ. ad *Tertullian. d. l.*

CULLA, idem quod *Cuculla*, *Joanni de Janua.* Certè in Ordine Ciſtercienſi Moniales amplum & latum pallium, quô in majoribus Feſtis utuntur, etiamnum *Coulle* in Gallia vocant, Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CULLENCUM, vulgò *Culant*, caſtrum Galliæ, in Biturigibus Cubis à Philippo Auguſt. captum, A. C. 1188. apud Rigordum in *Geſtis* ejus.

CULLU, quæ & *Collops magnus*, *Ptolem.* urbs Africæ. Nunc in regno Bugiæ, *Baudrand.* purpurâ celebris, teſte Solinô, c. 30. *Col* Marmolio, *Alcol* Caſtaldo, & *Collo Nigro*: in Numidia ad amnem cognominem in confinio Mauritaniæ Sitifenſis, in ora littorali maris Mediterranei cum portu capaci. *Baudrand.*

CULMEN, titulus honorarius ſummorum Magiſtratuum, in utroque *Codice*. Aliàs propriè ædes paſtoralis & ruſtica, quòd illæ culmô integi conſuevêre. Virg. *Ecl.* 1. v. 83.

> *Et jam ſumma procul villarum* culmina *fumant.*

Manilius, *l.* 4.

> *At niſi Fata darent leges vitæque necisque;*
> *Roma caſis enata foret, pecudumque Magiſtri*
> *In Capitolinos auxiſſent* culmina *montes.*

Prudentius in *Diptochæo*, n. 4. v. 13.

> *Hoſpitium hoc domini eſt, illex ubi frondea Membra*
> *Armentale ſenex protexit culmen &c.*

Inde ad aliarum quoque ædium faſtigia, Templorum inprimis denotanda, tranſlata vox. Papin. Statius, *l.* 9. *Theb.* v. 194.

> *---- ---- ſeu jam ſub* culmine *fixus*
> *Excubat, antiquo ſeu pendet gloria luco.*

Et ædificiorum præcipuorum. Unde idem de incendio Romæ verba faciens, à Nerone patrato, *l.* 2. *Sylv.* 7. v. 60. ait:

> *Dices* culminibus *Remi vagantes,*
> *Infandos domini nocentis ignes.*

Ubi quid *culminum* nomine intelligat, docet Sueton. in eo, c. 38. *Tunc præter immenſum numerum inſularum, domus priſcorum Ducum arſerunt, hoſtilibus adhuc ſpoliis adornatæ, Deorumque ædes ab Regibus, ac deinde Punicis et Gallicis bellis votæ dedicatæque & quidquid viſendum atque memorabile ex Antiquitate duraverat.* Hinc porrò ad hominum præcipuos extenſa, ut diximus. Eſt autem *Culmus*, unde *Culmen* nomen eſſe diximus, ab Æolico κάλαμος pro κάλαμος, propriè qui ſpicam fert, quidam verò ſic ſtipulam cum ipſa ſpica vocant, ut contrà alii *ſpicam* appellant, cum ipſo culmo. At hodie *Culmum* dicimus ſtipulam, quæ in ſegete remanſit, è quo deſectæ ſunt ſpicæ. Unde verbum *culmare*, de his qui culmum cum radice evellunt. Salmaſ. *ad Solin. p.* 362. Vide quoque infrà in voce *Stipula*.

CULMIA, urbs Epiſcopalis Pruſſiæ regionis ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi, 5. leuc. Polonic. à Turunia Urbe in Boream, paulo minus à Graudentio. Deficit indies. Hinc tractus adjacens *Culmergeria.* Micræus, *Geogr. Eccl.*

CULMISCIACUM, vulgò *Cormicy*, villa Epiſcopatus Remenſis, in Gallia, non longè ab urbe Remis. Aliud eſt *Calmiciacum*, vulgò *Chermizy*, propè eandem Urbem. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CULMO ſubnixa Poteſtas, Charta, Actus, Pactum. In Marculfi formulis paſſim occurrit *ſtipulatione ſubnixa* & hoc ex jure Romano petitum, ut notat *Bignonius*. Dicitur autem *Culmo ſubnixa*, quaſi pacti vinculum & ſolennitas, traditione culmi ſive ſtipulæ conſummata aliquando fuiſſet, & *Stipulatio* à ſtipula deſcendiſſet. Vide *Stipulatio*.

CULPA, apud Papin. Statium, *l.* 2. *Theb.* v. 233.

> *---- ---- tacita ſubit ille ſupremus*
> *Virginitatis amor, primæque modeſtia* culpa.

Et, *l.* 2. *Achilleidos*, v. 273.

> *Aſt ego vel primæ pueriles fabula* culpæ
> *Narrabor famulis ----*

concubitus primus eſt, uti Scholiaſtes exponit, illud Maronianum Didus loquentis introducens, *l.* 4. *Æn.* v. 19.

> *Huic uni forſan potui ſuccumbere culpæ.*

Namque & legitimi amplexus conjugem illâ non omni vacant. Majori jure de ſtupro: apud eundem Statium, *l.* 9. *Theb.* v. 617.

> *Nec mihi ſecretis* culpam *occultare ſub antris*
> *Cura fuit.*

Et Ovidium, *l.* 2. *Met.* v. 451. de Caliſto à Jove vitiata,

> *Et niſi quòd virgo eſt, poterat ſentire Diana*
> *Mille modis culpam ----*

Unde *culpata ſinus*, h. e. prægnans, de Danaë, apud eundem Statium, *l.* 6. *Theb.* v. 286.

> *Et gravis Acriſius, ſpecieſque horrenda Choroebi,*
> *Et Danaë culpata ſinus &c.*

Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium*, *d. l.*

CULTELLATÆ Veſtes, h. e. Veſtes in ligulas ſubinde inciſæ, quales Franci olim gerebant, damnatæ paſſim Scriptoribus. *Chron. Vozienſe*, *Dehinc reperta ſunt preſſoſa ac nova veſtes deſignantes varios hominum mores, quæ quidem, in ſphærulas & ligulas minutiſſime ſtrepentes, poſt Diaboli formam aſſumunt*, &c. Cæſarius Heiſterbach. *Miracul. l.* 4. *c.* 45. *Dæmonem in ſpecie viri, tunicâ cultellatâ contra ſe ſtare conſpexit*: ut alios omittam. Huc de ejuſmodi Veſtibus ſic ſtatuit Jacobus I. Rex Aragon. in *Conſtitut. Catalan. MSS. Item ſtatuimus, quod nos, vel aliquis ſubditus noſter, non portet veſtes inciſas, liſtatas vel tropatas &c.* Et Clericis earum uſu interdictum legimus, in Concilio Melfitano, *can.* 13. & Remenſi *can.* 2. apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* Alia voce *Cultellare*, apud Agrimenſores, notio, quibus eminentiam ad planum redigere ſignificat. Unde *Cultellatus ager*, liberatus eſt & ad planitiem ęquatam reductus. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 689. *& ſeqq.* nec non infrà in voce *Culter*, it. *Perpendiculum*.

CULTELLUS, inter arma bellica, memoratur Rigordo, *A. C.* 1214. *Habebant* cultellos *longos, graciles, triacumines, quolibet acumine indifferenter ſecantes à cuſpide uſque ad manubrium, quibus utebantur milites pro gladiis.* Gall. *couſtille* vulgò. Unde *Cultellarii*, milites ejuſmodi cultellis inſtructi, apud Catellum *Comitibus Toloſanis.* Vide ſuprà *Cotterellus*, & infrà *Miſericordia*, *Pugio*, *Sena*, *Sica*, *Trenchant*: uti de cultellis aſſis, quibus balſamum frutetum incidi ſolitum, diſcimus ex Tacito Pliniòque, infrà voce *Plinius*. Diminutivum autem eſt à voce *Culter* & propriè ſignificat cultrum exiguum, qualis inter crepundia infantum, uti docet Thom. Bartholinus de *Puerperio*, atque inter Inveſtiturarum olim ſymbola: ſeu gladii, qui poteſtatis ſignum eſt, vicem præberet, ut qui magis ad manum eſſet, ſeu hocce ſymbolô ſignificaretur, eum, qui rei dominium ſubibat, jus habere evertendi, diſpiciendi, ſuccidendi, tuerendi &c. in eo prædio, quod ipſi conferebatur. Vetus Charta, apud Auguſtinum du Pas, in *Stemm. Armoric. p.* 246. *Quæ omnia --- gratuitâ voluntate cum quodam* cultello *obtulit.* Nonnunquam, ut & alia Inveſtituræ ſymbola, quoque *Cultelli* frangebantur, ut furtò ſurripi non poſſet. Tabularium Vindocin. apud Car. du Freſne, A. C. 1075. *Quâ de re propriâ manu poſuit ipſe dictus Comes ex-ſtinctionem, videlicet per unum* cultellum, *ut mos eſt, fractum, ſuper Altare Trinitatis.* Cum duo pluresque feudum conferrent, omnes ſimul imponebant *cultellum* Altari. Ibidem in Charta *A.* C. 1080. *Ego & duo filii mei* cultellum *unum ſuper Altare Domini manibus noſtris concorditer impoſuimus.* Vide plura apud præfatum Autorem ubi de variis *Inveſtiendi modis*.

CULTER, apud Plinium, *l.* 18. *c.* 18. pars aratri: *Iam enim is. Vomerum plura genera. Culter vocatur prædenſam, priuſquam proſcindatur, terram ſecans, futuriſque ſulcis veſtigia præſcribens inciſuris, quas reſupinus in arando mordeat vomer.* Nempe reſupinus vomer terram in arando mordebat. At Culter rectus, inciſuris eam notabat. Unde alia locutio, in *Cultrum collocare*, de iis, quæ rectò ſitu ad perpendiculum poſita ſunt. Sic *Tympanum in cultro collocatum*, apud Vitruvium, *l.* 10. *c.* 14. quod plano oppoſitum. Aliud paulo *cultellare* eſt, de quo verbo ſuprà. Nempe media Locorum eminentium vetuſ-

vomerem, etiam planum ac reſupinum, *Cultrum* dicere cœpit; unde *cultellare*, non tantùm in cultrum collocare, ſed & planitiem adigere ſignificat, apud Agrimenſores. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 810 & infrà *Vomer.* Aliàs *Culter*, quid ſit notum: Et quidem, in ſacris ejus uſus inſignis fuit. Popa enim, ſeu victimarius, ad Sacerdotis nutum, *cultro* jugulabat victimam, ſubinde dicens *Agon*? Unde *Agonali* feſto nomen ſuſpicatur eſſe Ovid. *l.* 1. *Faſtor.* v. 319.

> *Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter,*
> *Hoſtia Cœlitibus quo feriente cadit.*
> *Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros*
> *Semper agatne rogat, nec niſi juſſus agit.*

Hinc Virg. *l.* 6. *Æn.* v. 248.

> *Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem*
> *Suſcipiunt pateris* --- ---

Nec ad jugulandum ſolùm victimam, ſed & diſſecandum, adhibebatur. Dionyſ. Halicarn. *l.* 7. Οἱ δὲ ὑπηρέται [illegible]. Vide infrà ubi de victimas *Diſſecandi ritu.* Ad avium verò ſacrificium *Culter* non adhibitus: Sed ſacerdotis pollice caput illarum diſſectum eſt, uti legimus Levit. c. 1. v. 14 --- 17. Vide quoque infrà *Lancea*, ubi de *Cultri* in Eccleſia Græcæ uſu. Sed & *Cultros* aſſumendi, cùm ad rem divinam irent, Genolium ritus, indigitatur Spartiano in Hadriano, c. 13. *In Achaja quidem illud obſervatum ferunt, quod cùm in ſacra multi* cultros *haberent, cum Adriano nullus armatus ingreſſus eſt.* Quò ſpectat Proverb. [illegible], Vide Caſaubon. *ad loc.* & infrà *Seceſpita*, ut de Jugulo *Cultro* incidendo, infrà verbo *Jugulare*. Nec omittendum, quòd *Culter* inter Inveſtituræ quoque ſymbola fuerit, in *Chron.* S. Sophiæ Beneventanæ, p. 718. *Per unum* cultrum, *quem manu tenebam, dedi*: quemadmodùm *Cultellum plicatum*, in Tabulario Vindocin. ſuprà memorato ad *A.* C. 1079. &c. Vide ſupra *Cultellus*. De *Cultro venatorio* ſic Martialis, *l.* 14. *Epigr.* 31.

> *Si dejecta gemes longò venabula roſtrò,*
> *Hic brevis in grandem cominus ibit aprum* &c.

Hodie commendantur *cultri*, qui Novigenti Rotroci in Gallia fiunt, de quibus vide infrà.

CULTUS, apud Papinium Statium, *l.* 2. *Sylv.* 1. v. 127.

> --- --- *Sed adhuc infamia mixta,*
> *Jam tamen & validus greſſus, menſuraque major*
> Cultibus, *& viſa puero dereſcere veſtes*:

honeſtior aut pretioſior veſtitus; de qua vocis notione, vide Barthium, *Animadverſion. ad h. l.* nec non *Commentar. ad Claudianum.* Abuſivè itaque de Tiſiphone idem Statius, *l.* 1. *Theb.* v. 110. vocem uſurpat.

> --- --- *riget horrida tergo*
> *Palla, & cærulei redeunt in pectore nodi.*
> *Atropos hos, atque ipſa novat Proſerpina* cultus.
> *Tum geminas quatit illa manus* ---

At Cultus Divinus, vide infrà *Majorum Religio.*

CUMA, urbs in Locrenſi agro, qui eſt Ioniæ minoris. Fuit autem hæc Æolicarum urbium maxima, & ferè Metropolis cæterarum, quæ numerò erant circiter 30. Ab ea nominata eſt *Cumæa* Sibylla, quam aliqui à vicinitate loci *Erythræam* appellârunt, quæ profecta in Italiam, multa de Romanis vaticinata eſt. Patria fuit Ephori, viri doctrinâ clari, Iſocratis diſcipuli. Sed & ante ipſum, Heſiodus quoque Cumæus fuit. *Cuma Æolica* ante Lesbum ſita, nomen habet à *Cyme* Amazone, quare etiam *Amazonum* dicta; gentile Κυμαῖος (Κυμανὸς enim ab urbe Italiæ fit) Hæc & Lesbos ſtoliditatis notantur. Eſt & alia Phriconitis dicta. Quarta, Elidis, Quinta Eubϙæ, & Pamphyliæ. Item Inſula prope Siciliam. *Steph.* Hujus oppidi incolæ *Cumæi* dicti ſunt, qui ſtupiditatis nomine malè audiêrunt. Olim enim vulgatum erat in totâ Aſiâ proverb. *Cumæi ſerò ſapiunt*, ὀψὶ αἰσθάνονται Κυμαῖοι. De cujus origine duæ afferuntur ſententiæ. Sunt enim, qui dicant, Cumæos cùm ad mare urbem opportunam haberent, & tamen nullum ex ea reciperent proventum, vix demum trecenteſimô ab Urb. Cond. annô intellexiſſe, ex portorio reditum non contemnendum poſſe confici. Alii, pecuniâ fœnori acceptâ, ampliſſimas eas porticus tradunt ædificâſſe: quam pecuniam cùm conſtitutô die non exſolviſſent, creditores in ipſarum porticuum poſſeſſionem fuiſſe miſſos, qui deinde cives à deambulatione arcebant. Verùm cùm ingens pluvia repentè ingruiſſet, creditores ſtatim edictum promulgâſſe, ut Cumæi ſe in porticus reciperent. Præcone itaque identidem acclamante; *Subite porticus vos Cumæi*, qui tunc aderant hoſpites, rem in jocum verterunt, tanquam non intellexerint Cumæi, niſi juſſi, pluviæ tempore porticus eſſe ſubeundas. Hæc Strabo *l.* 14. Vide *Steph. Nic. Lloydius.*

CUMACATUM, Urbs Arabiæ Felicis apud Syagrum promontor. Vide *Macatum.*

CUMÆ, it. CUME *Ptol.* Cyma Livio, *l.* 37. *c.* 11. *Cyme* Melæ, *l.* 2. *c.* 18. Civitas Epiſcopalis Campaniæ ad mare juxta Puteolos. à Cumæis Aſiæ populis & Chalcidenſibus, colonia ex Eubœa inſul. jam ante bellum Trojanum, ſi Virgilio fides deducta, communiter condita, plurimis antiquitatis veſtigiis inclyta. *Caſtel hodiè Sophano. Foia nova* Nigro. Virgil. *l.* 3. *Æn.* v. 441.

> *Huc ubi delatus Cumæam acceſſeris urbem.*

Silius Ital. *l.* 8. v. 532.

> *Linternum, & quondam fatorum conſcia Cume.*

Vide Leandr. Alberti *deſcr. Italiæ p.* 189 *edit. Ital. Venet.* A. C. 1581. Cluverium. Habuerunt autem *Cumani agrum Campaniæ fertiliſſimum & portus circa Miſenum opportuniſſimos*, Strabo, *l.* 5. Eorum navale fuit Dicearchia quam vide, poſtquàm Neapolis *Cumanorum Colonia*, idem *ibid.*

CUMÆ, ſeu CUMA, urbs Æolidis, in ſinu maris Smyrnæi. Nunc *Foia nuova*, cum portu capaci & arce. 28 milliar. à Pergamo. 34 à Smyrna in Boream. Ibi Turcæ à Venetis malè habiti, Duce Jac. Riva. A. C. 1650.

CUMÆA Sibylla, dicta *Italica*, quia in Italia vaticinata, è Cimmeriis oriunda, loci propè Cumas Italiæ. Poſt Trojam captam vixit, ſi Virgilio fides, qui illam *Deiphobem* vocat *l.* 6. *Æn.* v. 36. Lactant. Firm. *div. Inſtit. l.* 1. *c.* 6. Onuph. *de Sybillis*, *Cumana*, aliàs *Demophile* & *Amalthæa*, Sibylla fuit, quæ Tarquinio ſuperbo libros vatum expoſuit. Solin. *c.* 7. Euſeb. *Chron.* Pauſanias in *Phocicis*, Hyperochum Cumanum Sibyllæ illi nomen *Demo* fuiſſe tradere, ſcribit. Additque Cumanos urnam oſtendere in Apollinis Templo, in qua dicerentur oſſa Sibyllæ fuiſſe, huic urnæ poſtmodum inſcriptum fuiſſe nomen *Demo.* Qua de ſententia, ut & Juſtini Martyris, Sibyllam Babyloniam, Beroſi filiam, *Sabbam* nomine, cum Sibylla Cumana eandem facientis, vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 847.

CUMANA, Regio Americæ meridionalis, à Chriſtophoro Columbo detecta, unionum margaritarumque piſcatione perquàm celebris. *Merel.*

CUMANUS, Judææ procurator, annô Salutis 52. Vide & *Ventidius.*

CUMANUS Raphaël, vide *Raphaël.*

CUMBÆ villa, vulgò *Con la ville*, aliàs *Combs la ville*, villa agri Pariſini, ad flumen Ederam, in Briegio: ad Monaſterium olim S. Germani pertinens. Nomen accepit à *Combellis*, quod diminutivum eſt ea *Combis*, quâ voce concædes ſignificâſſe Gallos, docent Geſta Francorum, *c.* 25. Hinc in Sabaudia *Comba*, vulgò *Combe* & *Alta Cumba*, Monaſterium inter duos montes ſive in convalle, non procul à Rhodano, *Haute Combe.* Hadr. Valeſi *Notit. Gall.*

CUMBRIA, Comitatus ſeu provinc. *Angliæ*, vulgò *Cumberland.* In confinio Scotiæ, quæ ei inſidet à Septentrione. Ab Ortu habet Weſtmariam provinc. Ab Occidente & Meridie alluitur mari Hibernicô. Ibi primaria Urbs Carleolum *Baudrand.* Erepta fuit Scotis ab Adelſtanô, cum Veſtmaria. A. C. 929. Polydor. *Hiſtor. l.* 6. &c.

CUMERUM, ſeu CYMERIUM, Piceni mons & promontorium, *Monte d' Ancona* Leandro, Aliis *Monte Sancto*, propter frequentes Eremitarum habitationes: Nunc *monte S. Cyriaco*: Arcem habet ſatis munitam, à Pio V. extructam, Supra Anconam in mare Adriaticum excurrit. *Baudrand.*

CUMERUM, vaſis genus, de quo ſuprà voce *Camill.*

CUMI, Æthiopiæ ſub Ægypto oppid. in Nili ripa. Plin. *l.* 6. *c.* 30.

CUMILLUM Magnum, Italiæ urbs, inter Pariſium & Dertonam. *Antonin.* hodiè *Cigognola Sandero.* *Cumillomagum* conjunctim legit *Sigonius.*

CUMINIORUM Factio, in Scotia, ab Alexandro III. oppreſſa. A. C. 1249 Buchan. *Hiſt. l.* 7.

CUMINUM, Inſul. parva maris Siculi inter Melitam & Gaulum Inſul. ſub dominio Equitum Melitenſium, ubi arx excitata à Vignacurtio Gallo, magno Magiſtro.

CUMINUM, in embammatis locum habebat olim, quæ ad *lavandum* parabantur, & os ſuave facere conſuevêre. Quemadmodùm Veteres agallochi quoque lignum eôdem fine mandebant & decoctô ejuſdem os colluebant: hodieque lignô caſiæ utimur ad eundem uſum. De illo Plin. *l.* 20. *c.* 12. *Cuminum ſylveſtre eſt prætenue, quaternis aut quinis foliis velut ſerratis. Sed & Sativo magnus uſus, in ſtomachi præcipuè remediis* --- *Veruntamen omnem pallorem bibentibus gignit.* Hinc ejus ad fraudes abuſus. Pergit enim, *Ita certè ferunt, Portii Latronis clari inter Magiſtros dicendi adſectatores ſimilitudinem coloris ſtudiis contracti imitatos: & paulo antè, Julium Vindicem adſertorem illum à Nerone libertatis, captatione teſtamenti ſic lenocinatum.* Nempe cùm Vindicis, qui pro Prætore Galliam regebat, teſtamentum ac hæreditatem Nero captaret, ejus cupiditati & voluntati ſic obſecutus ille eſt, ut frequenti *cumini* uſu contractô pallore ſimularet, adverſâ ſe valetudine premi, quâ brevi periturus eſſet: quâ arte & Neronem eluſit bonis ſuis inhiantem, & inſuper ejus amicitiâ ac benevolentiâ ſummos honores aſſecutus eſt. Poſtmodùm verò primus omnium, qui exercitibus præerant à Nerone defecit, Dalechampius *Not. ad l.*. De convicio *Cumini ſectoris*, *Cumini ſectoris*, quô Hadrianus Cæſar olim adſperſus, res notiſſima. Non omittendus verò modus *Cumini* excutiendi. Veteribus uſitatus. Nempe cùm Veteres quatuor modis grana excutere vel exterere conſueverint, Judæi debiliora ſemina, atque inter ea *cuminum*, virgis ſolùm & flagellis, ex folliculis excuſsêre. Unde Hieronymus in *Eſai. Gith & cyminum, quæ infirmiora ſunt ſemina, non rotis plauſtrorum teruntur* --- *ſed virgâ excutiuntur & baculô, quæ vulgò flagella dicuntur*: quæ ex ipſo Propheta ſumta, *c.* 28. v. 27. Græci [illegible] dixêre. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 42. & infrà ubi de Veterum *Trituratione.*

de CUMO Gulielmus, vide *Gulielmus.*

CUMUC, aromatis ſpecies, in Java Inſul. ibi plurimum provenit, ſic dicta, olim *Comacum* Latinis ſive *Cumanum*, Arabibus *Cubeba*, quod vide.

CUMULUS, apud Solinum, *c.* 32. in [illegible], de Nilo exundante, *Emenſis omnibus cumulis totam fluctuationem erumpere*, idem quod *tumulus*, *agger*, *moles*, Græcè χῶμα: cujuſmodi aggeres in Nilo ad emittendas aquas aut arcendas fieri conſueviſſe, diximus ſuprà, & docet Diodor. *l.* 1. Τοῦ γὰρ ὕδατος [illegible]

 [illegible]

ῥαδίως ἀποσχίζοντο αὐτῶν μικροῖς χώμασι, ἢ πάλιν ἐπαγαγόντες χηχῶν ... ὅπου δοκῇ ... Certè Cumulus etiam χῶμα γῆς, aggeſtum terræ. Sed melius Salmaſiô Judice dixeris Auctor Cumulos de aquarum ipſarum ponderibus, ut alibi vocat. Namque à κῦμα, fluctus, Latinum cumulus. Unde Virg. l. 2. Æn. v. 109.

--- Inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.

Et l. 2. Æn. v. 498.

Non ſic aggeribus ruptis cùm ſpumeus amnis
Exiit, oppoſitasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, *camposque per omnes*
Cum ſtabulis armenta trahit.

Inde vox ad modii aliarumque rerum abundantiam denotandam tranſlata: quarum illa Chriſti verbis præcepta, iſta ſimiliter in Sacris Deo magnopere placuit ſemper. *Hilarem* enim *datorem gratum* is *habet*, ut ait Apoſtolus. 2 Corinth. c. 9 v. 7. Quod & Gentiles ſenſiſſe, diſcimus ex Virgilio, l. 8. Æn. v. 284. ubi de ſacrificio Herculis à Potitiis facto,

Jamque Sacerdotes, primusque Potitius ibant
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
Inſtaurant epulas & menſæ grata ſecundæ
Dona ferunt, cumulantque *oneratis lancibus aras.*

Quæ ultima verba repetis, l. 12. v. 215. ubi de ſacrificio, quô fœdus Latinorum cum Trojanis firmatum &c. Quam in rem vide plura hic paſſim.

CUNABULA Græcorum. Poſtquàm materfamilias *partu viri familiam fundavit*, ut loquitur Apulejus, *Metam. l.* 10. 1. c. poſtquam maſculum enixa eſt, quales δόμων στύλους, *domorum columnas*, vocant *Lycophron* & *Pindarus*, nec immeritò,

Στύλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες.
Domi columnæ namque nati maſculi.

Recens à matre aquâ (apud Lacedæmonios vinô Plutarch. *in Lycurgo*) lavari eſt ſolitus. De quô ritu ſic in *Amphitruone* Plautus, *Actu* 5. *ſc.* 2. v. 50.

Poſtquàm peperit pueros, lavare juſſit, nos accepimus,
Sed puer ille, quem ego lavi, ut magnus eſt, ut multùm valet!

Lotus oleô inungebatur, quod in vaſe χύτλον dicto aſſervari moris erat; unde ritus χυτλοῦσθαι dictus: qui quoniam lotionem è veſtigio inſequebatur, verbum hoc non raro apud Auctores de illa uſurpatur. Callimachus, *hymnô in Jovem,*

--- Ἔνθα σε μήτηρ μεγάλων ἀπεθήκατο κόλπων,
Αὐτίκα δίζητο ῥόον ὕδατος, ᾧ κε τόκοιο
Λύματα χυτλώσαιτο ---

Eandem ob cauſam Bacchi ἀχύτλωτον λοχείην appellat *Dionyſ. l.* 9. lutione enim non opus ei, qui è femore prodibat Jovis. Poſt hæc infans involvebatur faſciis ſeu veſti, quam mater virginitatis tempore hunc in uſum paraverat: Huic Erechtidæ intexebant imaginem Gorgonis colubros locô crinium gerentis, cum ægide Minervæ, cujus beneficiô Perſeus monſtrum confecit. Juxta duos ex auro dracones, in memoriam Erichtonii, qui à Pallade duobus draconibus commiſſus eſt cuſtodiendus. Euripides in *Ione.*

--- --- ὅθεν Ἐριχθονίδαις αὐτοῖς
Νόμος τις ἐστὶν, ὄφεσιν ἐν χρυσηλάτοις
Τρέφειν τέκνα.
--- --- *Unde Erechtheidis ibi*
Lex eſt, ſerpentibus in auro pictis
Nutrire prolem.

A' quibus dein ad reliquos conſuetudo, fluxit. Sed nil aliud Dracones hi, quàm emblemata, fuiſſe videntur, quibus ſignificarum, vigili curâ tam teneræ ætatis opus eſſe: Autore *Feſtô* enim: *Dracones dicti ſunt* ἀπὸ τοῦ δέρκειν, *quod eſt, videre: clariſſimam enim habent aciem, quamobrem incubantes eos theſauris, cuſtodiæ causâ, finxerant.* Et quid aliud ſunt ii quibus commiſſa infantia eſt, quàm Dracones Heſperidum poma cuſtodientes, ſi ex fide munere ſuô fungi velint. Involutus hôc modô infans, *cunarum* vice aut clypeo impoſitus eſt, in omen bellicæ fortitudinis (quod de Hercule legimus, Lacedæmoniis inſuper ac Celtis quoque, apud Strabonem, l. 7.) aut vanno ſeu vannô, *quod alimentorum copiæ & bonitatis ſymbolum conſpiciebant*, ut loquitur Cœl. Rhodig. Cùm quintum attigit vitæ diem, circa focum geſtatus & ſic Laribus initiatus eſt, ac membrum familiæ factus: quô tempore manus lavare obſtetricibus in uſu fuit. Intereà floribus ſertiſque coronabatur domus mittebanturque à gratulantibus cognatis polypodes ac ſepiæ, munerum locô, quæ γενέθλιοι δόσεις dicuntur Æſchylo *in Eumenid.* Vide *Athenæum*: totaque hæc ſolennitas *Amphidromia*, & Genius ſeu γενέθλιος θεὸς, θεὸς Ἀμφιδρόμιος, ab hac curſitandi ſeu ſaltandi circa focum ceremonia appellatus eſt: ubi obiter addendum, à nudis eam peragi fuiſſe ſolitam, unde *focalium intentio* oportuit fuiſſe, *Heſych.* Nominis impoſitio ſequebatur ſeptimô à nativitate die, quem ἑβδομάδα habuêre: vel potiùs decimô die, an magis decimâ nocte, feſtivitas enim iſta Δεκάτη, iique, qui ſacrificium obibant præmitti ſoliti, Δεκάτην θύειν, vel Δεκάτην ἑστιᾶν dicebantur: conveniebant tum omnes cognati, ut teſtes, quemadmodum apud Romanos in Nominalibus fieri erat moris. Ariſtoph. in *Avibus,*

Οὐκ ἀρτίως θύω τὴν δεκάτην ταύτης ἐγώ
Καὶ τοὔνομ' ὥσπερ παιδίῳ νῦν δὴ 'θέμην.

Nomen quod accipiebat infans, in arbitriô parentis erat, communiter tamen primogenitus ab Avo nominari conſuevit, Euſtath. in Il. 1. interim non rarò nomina pro variatione ſortis conditionisque poſteà mutata. Sic Proeti filia, poſtquàm adolevit, Thonoës nomen accepit: Leucippe, cùm enita eſt, Lacæna: Timenus, in ſervitutem redactus, Atrates eſt nominatus. vide Euripidem, Hel. v. 13. Achillem Tatium, l. 5. Euſtath. *Ismen. l.* 9. & plura hanc in rem, apud Franc. Roſſæum, *Archæologia Attica l.* 1. *capp.* 2. 3. 4. 5. uti & infrà in voce *Nominalia*. Cæterùm Cunæ, rurſum verſum trahi aptæ inter obſcœnas res recenſentur & cum σπαργάνοις ſeu faſciolis confuſæ. Has Nutrices movebant vel ſervi *Cunarii*, qui poſteà forſan puerorum eorundem Pædagogi, & ancillæ *Cunariæ*. Forma varia. Modò clypeus, modò cribrum & vannum, de quo Callimachus, *Hymn.* 1.

--- --- Σὲ δὲ πίονος Ἀδρήστεια
Λίκνῳ ἐνὶ χρυσέῳ.
--- --- *Te ſopivit Adraſtea,*
Vanno in aureo.

Vide quoque Homerum, *Hymnô in Mercur.* Aliàs navigioli ſpeciem habuêre, eæque vel tectæ ſpinis vel apertæ fuêre: nonnunquam verſatilibus fulcris huc illuc moti infantes vel annulis penſilibus ad ſomnum compoſiti, & voluptatem, etiam grandiores, ex Gymnaſticorum præcepto. Vide quoque ſuprà *Bercialum*. Puerorum autem *Cunæ* ad latera, Medicorum verò etiam ſurſum deorſumque duci poterant. Magnatibus ſegmentatæ, non tam vermiculatâ picturâ, quàm ſtragulis purpureis, quibus flores acceſſêre, & pelvis excrementis puerilibus recipiendis deſtinata. Præerat iis & pueris ipſis intra cunas *Cunina* Dea, de qua *Inſcr.* apud Gruterum, p. 96.

CUNINÆ. FELICI.
SACR
CLAUDIA. HELPIS.
D. D.

lacte placari ſolita. Juxta eas verò congeſtæ aviculæ, quibuscum luderent, item ſpecula adjunctique catelli & dracunculi nec non cymbala: apud Septentrionales cultelli; aliis nummi à Nutrice accepti, à quibus etiam mobilibus curribus circumagebantur &c. In cujus rei, initiô nempe acceptæ vitæ per motus *cunarum*, memoriam, per Feriarum Latinarum dies, *Oſcillatione* Romanos veteres uti conſueviſſe, dicemus infrà, voce *Oſcilla*. Repoſitus in *Cunis* hic infans involucra ſua habuit: quæ vel faſciæ ſive panni totô corpore circumducti vel incunabula, quibus *Cunis* alligabatur, ne motu exturbaretur. De faſciis, dicemus infrà, de *cunabulis* ſeu *incunabulis* omnino accipiendus eſt Plautus, *Amphitr. Actu* 5. *ſc.* 2. v. 52.

Nunc eum colligare quivit incunabula.

Erant hæc illuſtriorum ex purpura, interdum ſtrophium mammarum virginale matris, purpurâ tinctum: & tranſiêre ſubinde ad mortuos, ſicut μοῖρα mortuorum ad *cunas*. Annum verò ſuperârunt in iis infantes nunquam &c. quique, ante *Cunas*, obſtetricum ſubjacebant curæ, pòſt ad Nutrices tranſibant, de quibus *ſuô locô*. Puerilis Veterum *Cunas* repræſentat elegantiſſima tabella antiquiſſimi codicis manuſcripti Geneſeos, apud Lambecium, *Comm. Biblioth. Cæſar. l.* 3. è quo codice fragmentum, c. 39. *Geneſ.* ita is delineat. *Hic præter varia ad Gynæcea Veterum, tum veſtiarium & lanificium, ſpectantia, obſervatu digniſſimæ Cunæ infantiles rurſum verſum trahi aptæ, in quibus jacentem puerum nutricula arte ſopire ac crepundiis vel aliis adhibitis crepitaculis deliniri geſtit Cunaria, eodem planè modô, quô hæc deſcribit Arnobius, l* 4. *adv. Gentes.* Facit autem *Cunariæ* mentionem vetus lapis.

D. M.
TEIÆ. THREPTE. SO
ROR. PIISSIMÆ. CUNA-
RIÆ. RUFINÆ. V. V.
GLYPTUS. FRATER. QUI
ET. FELIX. VIVOS. VIVÆ
POSUIT.

Cunarii verò ſervi, Martialis meminit, *l.* 11. *Epigr.* 14. &c. Vide Thomam Bartholinum *de Puerperio veter.* & Laurentium Pignorium *de Servis*. De uſu verò *Cunarum* in ægris curandis, Hier. Mercurialem, *de Arte Gymn. l.* 3. *c.* 11. & *l.* 6. c. 11. uti de more in *Cunis* infantes Monaſteriis offerendi, in Eccleſia Romana uſitato, infrà voce *Oblati*.

CUNÆUS Petrus, vide *Petrus*.

CUNEA Martinus, vide *Martinus*.

CUNAXA, locus Aſſyriæ, ubi inter Artaxerxem Regem, & Cyrum ejus fratrem dimicatum eſt, à Babylone 500 ſtad. *Plut.*

CUNEGUNDIS, Palatina, Henrici II Imperatoris uxor, ſemper virgo, quod aliquoties ignitis carbonibus, & ferrô ardente marito probavit. Baron. *A. C.* 1014. 1024. 1025.

CUNEGUNDIS, filia Welfi III. Bavariæ Ducis, ſoror Welfi IV. in quo Guelforum ſeu Welforum familia defecit, nupta Azoni Ateſtino ſeu Eſtenſi, in hanc gentem Welficum nomen & jus intulit: ex eo natus Welfi cognomine Robuſti, qui avunculi hæres, Comes Altorfii & ex eo Henrici IV. Imperatoris beneficiô Dux Bavariæ factus eſt. Eadem quibusdam creditur mater Azonis Eſtenſis ſeu Ateſtini Marchionis, a quo longâ ſerie reliqui Marchiones, hodieque tandem Mutinæ ac Rhegii Duces orti: ſed alii Azonem hunc, ex Judita Conradi II Imperatoris filia, quam poſt Cunegundis obitum ſecundis nuptiis ſibi Azo à junxit, ſuſceptum volunt.

Vide

Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syllog. Geneal. Hiſtor. in Famil. Gueſſica.*

CUNEI, Hiſpaniæ populi quorum urbs ampla Cuniſtorgis dicitur. *Appianus.*

CUNETIO, urbecula Belgarum in Anglia. *Antonin Marlborough* ſeu *Marlingesborow* Camdeno & Lhuydo: In Vultonia provinc. in colle declivi, cum fluvio cognomine *Kennet* vulgò ſodaliſtias. à Verlucione, 14. ab Oxonia in Auſtrum. *Spenius.*

CUNEUM, vulgò *Com*. Urbs Italiæ probè munita, in colle, in Pedemontio. ad confluentias Geſæ in Sturam fluv. A. C. 1641. à Gallis, Harcurtiò Duce, capta. Subeſt dominio Sabaudiæ Ducis 12. milliar. à Foſſano in Auſtrum, 12. à Salutiis.

CUNEUS, ſive *Sphen, Straboni* regio eſt. Plin. *l.* 4. *c.* 22. promontorium vocat. Mela, *l.* 3. *c.* 1. agrum nominat, Luſitaniæ locus eſt inter Sacrum promontorium, & Anam fluvium. *El Fara* hodiè *Cinſio. Baudrando* in ea parte Luſitaniæ meridional. ager hic erat, ubi nunc Algarbia: tractus exiguus, regiò titulò inſignis; ſub Portugalliæ Rege. Inter Portugalliam & provinc. inter Tagum & Anam dictam ad Boream, Anam fluv. & Oceanum Atlanticum. Ubi nunc urbea Silvis, Pharus, Lagium & Tavira. *Cuneum* autem promontor. eſt *Cabo de S. Maria*, in eadem Algarbia, prope Farum urbem: Rationem nominis reddit Mela dictò locò: *Quia lata ſede procurrens, paulatim ſe ac ſua latera faſtigiat, Cuneus ager dicitur.* Verùm in eo egregiè falli putat Iſ. Voſſius, quòd promontor. hoc à cunei forma dictum putat. Quod autem magis mirere, etiam *Straboni* perſuaſum hoc eſt à Romanis, ait enim ille: Καὶ δὴ καὶ τὴ συγκειμένη ταύτῃ χώραν τῷ Λατίνῃ φωνῇ καλοῦσι Κούνεον, σφῆνα σημαίνειν βουλόμενοι. Idem habet *Avienus.* Atque vox corrupta eſt ex Græca Κυνος, cujus accolæ dicuntur *Herodoto* Κυνῆται & Κυνησιοι. *Nic. Lloydius*, vide etiam Cyneſii.

CUNEUS, aliquando totam Theatri machinam apud Romanos denotabat, quam ſpectatores tenuère; *Cunei* enim, quò ligna finduntur (quæ propria vocis notio eſt) formam habebat, ſcenam versùs in acumen deſinens, retro latiſſima. Aliquando peculiarem ſignificabat circa Theatrum locum, quem aliàs *Popularia*, eò quòd ibi vilior ſederet turba, dixère: Unde *inter Cuneos reſidere* dicimus Proverbialiter, de plebe ima hominum, Cœl. Rhodig. *l.* 8. *c.* 8. In quo poſteriori ſignificatu apud Martialem voxa reperitur, *l.* 3. *Epigr.* 27. *v.* 4. In Scatilianum, in Spectaculo bibentem,

> --- --- *bibis, quantum ſubſellia quinque*
> *Solus* --- ---
> *Nec conſeſſorum vicino nummata tantùm,*
> *Æra ſed a Cuneis ulteriora petis.*

Ubi Sedilium ordines ſunt, à cunei figura. *Cùm enim excurrerent ab anguſto ſpacio ad ambitum extimum: ſtrictiores erant neceſſario quò propius accederent ad caveam*, Jul. Cæſ. Scaliger, *Poëtices l.* 2. *c.* 21. Unde Scholiaſtes *ad l. Martialis, Nec ad vinum*, inquit, *nummos ſolùm corrogas ab aſſidentibus tibi in eodem gradu vel cuneo ſed & petis æra ulteriora à cuneo, id eſt, ab iis qui à fronte infrà, vel à tergo ſuprà ſedent in eodem cuneo, ſeu ulteriore cunei gradu, vel in aliis atque cuneis.* Salmaſio, *Cunei* ſpatia erant in Theatris, in quibus ſubſellia componebantur. *Viæ per ambitum & in deſcenſu invicem diſtinguebantur per ambitum viæ cardines dictæ. Quod inter eas vias & cardines comprehenſum eſſet*, Cuneum vocabant, *ad Solin.* p. 919. Quia itaque multis verſuris *Cuneos* interſecarent viæ, *Cardines* dictæ ſunt: cùm in Circo limites, quia verſuras non faciebant, perpetui ac rectà ferè currerent. *Gloſſæ cuneum* vertunt τὸ κερκίδα τ̃ θεάτρου. Et ſanè, ut *cuneus* in cacumen deſinit, ita & κερκίς: Nam & ſummum pini cacumen & populi ab eadem cauſa κερκίς vocarunt Græci. Nominat autem inter partes etiam Theatri Attici Κερκίδα *Pollux*, ex hoc *Alexidis* verſu,

> --- ἐνταῦθα δὲ περὶ τὴν κερκίδα
> Ὑμᾶς καθιζόντας θεωρεῖν ὡς ξένας.

Quod in Romano utique *Cuneus* fuit. Circa hos viæ erant ſeu cardines, quibus ſeparabantur cunei & in ambitu & in deſcenſu: unde qui in *Cuneis* locum non habebant ſedemque, in via ſtabant, h. e. *ἐν τῇ κερκίδι circa cuneum*. Tertullianus *de Spectac. Apud ſpectacula in via ſtatur.* Atque hi *excuneati* inde dicebantur, uti ex Apulejo in *Florid.* diſcimus &c. Sed & φυλὰς θεάτρου cuneum interpretatur veter. *Gloſſarii* Auctor: an quòd κατὰ φυλὰς ſpectarent, & ſuus cuique tribui cuneus aſſignatus eſſet? Ita certè videtur. Cuneus, ut *Suidæ*, certum σχῆμα dicitur. Hinc viæ in Theatro, *diſcrimina popularium per proclivum* dicuntur, eidem Tertulliano, quia Cunei popularium viis per deſcenſum diſcriminarentur: at cardines baltheorum propriè viæ per ambitum. Propter quam multifidam viarum in Theatro ſectionem, proclive fuit à cuneis elabi ac reſurgere cum cui junctus eſſe volles: at in Circo id ſedilibus, utpote longâ ſerie porrectis, & nullis interverſuris intercitiſque viarum diſtinctis, non ita facile fuit. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. ubi ſuprà: item Lipſium, *de Amphith.* c. 13. & Bulinger. *de Circo.* Porrò militaris vox *Cuneus* fuit, ſignificans aciem, quæ, literæ Græcorum Δ. aſſimilata, frontem habebat anguſtam, ſed paulatim ſe pandens in maximam longitudinem deſinebat. Vegetius, *de re militari*, *l.* 3. *c.* 19. *Cuneus*, inquit, *dicitur multitudo peditum, quæ juncta acie primò anguſtior, deinde latior procedit & adverſariorum ordines rumpit: quia à pluribus in unum locum tela mittuntur. quam rem milites appellant caput porcinum.* A quo diſtinguit Iſidorus: *Nodus, ajens, propriè eſt denſa peditum multitudo, ſicut turma equitum. Dictus autem N dus pro difficultate, quod vix poſſit reſolvi. Cuneus eſt collecta militum multitudo &c. eo quod in unum omnes cogantur militibus.* Vide quoque Agathiam, *l.* 2. & Ammianum, *l.* 17. Aliquando *Globi* quoque dicuntur; nam *Cunei*, peditum ſunt globi, ut vexillationes equitum turmæ, Globos autem etiam *Drungos* vocitatos, Vegetius ſuprà laudatus ſcribit, *l.* 3. *c.* 16. Meminit hujuſmodi *Cuneorum*, Virg. *l.* 12. *Æn.* v. 457.

> --- --- *denſi cuneis ſe quiſque coactis*
> *Agglomerant* ---

Et Statius, *l.* 10. *Theb.* v. 740.

> *Corona nunc equitum, cuneos nunc ille pedeſtres.*

Ubi Schol. *Cuneatum*, inquit, *compoſitum agmen, ut hoſtem facilius invadant*: quæ ſunt Servii verba *ad Virgilii l. cit.* Sed & turrium moles *Cunei*, apud eundem, *lib. eod.* v. 877.

> --- *ſimul inſultans, greſſuque manuque*
> *Molibus obſtantes cuneos, tabulataque ſævus*
> *Deſtruit* ---

Moles nempe alia ſuper aliam elevatæ, à gradibus Theatralibus voce mutuatâ. Tandem *Cuneus*, Gall. *Coin*, in *Lexico* Græco M.S. Ἀργυροκοπεῖον, item νομιστρον, ſigillum ferreum eſt, quò nummi cuduntur: à *cunei* figura. Hinc pro ipſo monetam cudendi jure, in *Aſſiſis* præſertim Hieroſolym. *MSS.* paſſim. Etiam ſpecies vel forma panis, in *Chron.* Windeſhem. Buſchii *l.* 2. *c.* 41. Sic hodieque Picardi *Cuignet* appellant, panem lacte ſubactum & in varios angulos formatum, Car. du Freſne, *Gloſſar.* De *Cuneo Theatri*, vide quoque Caſaubon. *ad Sueton. Aug.* c. 44. & de *Cunei* propria ſignificatione aliquid infrà, lemmate *unca manus*, ubi de *Cuneorum pluvia*, quâ Galli, Delphicum fanum direpturi, territi ſunt, apud Juſtin. *l.* 24. *c.* 1.

CUNI, Cedroſiæ oppid. *Ptol.*

CUNIBERTUS, fil. Bertaridi, Longobard. Regis in Italia XIII. et conſors imperii, quò mortuò A. C. 693. regnavit uſque ad A. C. 705. *P. Diac. Hiſt. Longob.* Sigonius, *Hiſt. Ital.* Juſtiniano II. coævus, dives, munificus, ſubditis gratus, bellicoſus. Eum excepit fil. Luitbertus, quem vide.

CUNICI, urbs Baleaudis majoris. Plin. *l.* 3. *c.* 5.

CUNICULARIÆ Inſulæ, ſunt *Iſole del Pollo Cluver. Brittaniæ*, in ora Sardiniæ Orientali verſus mare Tyrrhenum, in parte Auſtrali Sinus Calaritani. Ibi etiam *cunicularium* promontor. Corruptè, *Cuneum* vulgò, *Capo del Pollo*, in parte Orientali Sardiniæ, 16. milliar. à Calari in Auſtrum.

CUNICULUS, animal olim Hiſpaniæ peculiare, unde et nomen forte ex Hebr. שפן *ſaphan*, quò *cuniculum* denotari jam à multis annis, notum eſt. Certè è Græcis illud ſoli noverant Maſſilienſes, qui ferè ſunt in Hiſpaniæ confinio, & in Hadriani nummo, pro Hiſpania, habetur mulier ſedens cum oleæ ramo in manu & *cuniculo* ad pedes; Bochart *Hieroz. Part. prior. l.* 3. *c.* 33. Certè veteres Græcos animalis hujus vix ullam habuiſſe notitiam vel inde patet, quòd non habeant nomen, quò id à leporibus diſtinguant. Ideò & Hiſpani nomen illi fecère. Plin. *l.* 8. *c.* 55. *Leporum generis ſunt & quos Hiſpania* Cuniculos vocat. Ab effodiendis ſcil. ſub terra *cuniculis*, juxta illud Martialis, *l.* 13. *Epigr.* 60.

> *Gaudet in effoſſis habitare Cuniculus antris,*
> *Monſtravit tacitas hoſtibus ille vias.*

Unde *Strabo* γεωρύχους λαγιδεῖς vocat, quia vocem Græcam, quâ eos uno verbò vocaret, non habebat. Polybius κούνικλον, Hiſpanicâ retentâ, appellavit, *Hiſtor. l.* 12. Medii verò ævi Græci Scriptores, cuniculum tum cognitum *δασύποδα* quidem aut λαγίδιον unâ voce nuncupârunt, ſed utrâque valde impropriâ. Δασύπους Attica enim & antiqua vox τὸν λαγωόν, *leporem*, ſignificat; λαγιδεῖς autem *fœtus leporis* eſt: quò tamen nomine Cuniculum inſigniêrunt, quòd parvo lepori ſimilis eſſet. Atque hoc ſequutus Plinius *daſypoda* & *leporem* ſic diſtruxit, ut daſypus ſit cuniculus. Quàm id fœcunditatis animal, idem indigitat: *Fœcunditatis*, inquiens, *innumeræ, famemque Balearibus Inſulis, populatis meſſibus afferre*. Et paulo pòſt, *Certum eſt, Balearicos adverſus proventum eorum, auxilium militare à Divo Auguſto petiiſſe.* Vide quoque Solinum, p. 23. De venatione eorum Idem, *Magna propter venatum eum viverris gratia eſt. Injiciunt eas in ſpecus, qui ſunt multifores in terra --- atque ita ejectos ſuperne capiunt.* Cæterùm & *Cuniculi* in cibos recepti, fœtus inprimis eorum in deliciis. *Fœtus ventre exciſos vel uberibus ablatos, non repurgatis interaneis, gratiſſimo in cibatu habent: Laurices vocant*, *Ibid.* Nempe ex Græco λαύριξ: quod propriè eſt concha levis vel ſuperficies ſerpentis, & quidquid denique pili caret & nudum eſt; unde fœtus cuniculi adhuc impilis nomen &c. Salmaſ. *ad Solin.* p. 82. & 183 Vide infrà *Saphan*, it. *Viverra.*

CUNICULUS, vox Militaris, meatus eſt ſubterraneus, ſuffoſſius *Feſto*, Nomen et aut ab animali cognomine, quod ſubterfoſſâ terrâ latere eſt ſolitum: aut vice verſâ & à canalium ſimilitudine, qui in omnem materiam intrant finduntes. Eorum agendorum rationem qui primus invenerit, Vegetius docet, *l.* 4. *c.* 20. cùm ait. *Cum Rhodiorum civitas oppugnaretur ab hoſtibus, & turris ambulatoria ſuper murorum altitudinem ac turrium pararetur: mechanici ingenio inventum eſt tale remedium. Per noctem ſub fundamento muri Cuniculum fodit, & illum, ad quem die poſterò turris fuerat promovenda, nullo hoſtium ſentiente, egeſtâ terrâ cavavit introrſecus & cùm rotis ſuis moles impulſa fuiſſet, tantò ponderis ſolo cedente ſubſedit, ut nec jungi muris, nec moveri alteriùs potuerit: ita civitas liberata eſt dejectaque machina.* Vide ibi Stewechium. Hinc Cæſar, *l.* 7. *de bello Gall.* c. 22. *Aggerem cuniculis ſubtrahebant*, & *l.* 8. *c.* 41. *Eodem tempore tectos cuniculos agere, ad caput fontis.* Item Proverb. ὑπονόμοις πολεμίζειν, *cuniculis oppugnare*, quod de iis, qui non apertâ vi, ſed diſſimulanter ac dolis agunt, dicitur. Quemadmodum Catullus Luctatius in Senatu de Cæſare, apud Plut. *in vita Cæſ.* Οὐκ ἔτι ὑπονόμοις, inquit, Καῖσαρ ἀλλ' ἤδη μηχαναῖς αἱρεῖ τὴν πολιτείαν, *Cæſar non jam cuniculis, ſed Machinis tollit Rempubl.* Meminit ejuſmodi *Cuniculorum* Claudian. *de Rapt. Proſerp. l.* 2. *v.* 163.

At

Ac veluti occultum ſtructuram prodit in hoſtem
Miles, & effoſſis ſubter fundamina campis,
Tranſilit incluſos arcanò limite muros,
Turbaque deceptas victrix erumpit in arces,
Terrigenas imitata viros ——.

Et Statius, *l. 2. Theb. v. 418.*

—— —— ceu ſepta novus jam mœnia laxet
Foſſor —— ——

Ubi tamen ſubfoſſores murorum Barthius intelligit potiùs, quod artificium ita conficiebat, ut ſubfoſſos muros fulcirent ligneis tignis aut trabibus erectis, quibus materiam igni opportunam circumgerebant, ignem à longè fomentis graſſantem ponebant, ipſique abſcedebant. Ita palis illis aut deſtinis flammâ adeſis ruebant moles. Quomodo *Cuniculum* ſub mœnia Cumarum egit Narſes apud Agathiam, *l. 1.* Vide quoque Guil. Tyrium, *Hiſtor. Palaſt. l. 3. c. 10. l. 12. c. 28.* & *l. 16. c. 5.* Guil. Britonem, *l. 2. Philippidos, v. 328.* Rigordum *ad A. C. 1191.* Alios. Sed & *Cuniculorum*, de quali Claudiani ſuprà laudata verba loquuntur, celebris jam apud Curtium mentio, *l. 9. c. 8. Valentiſſimam gentis urbem cuniculo cepit. Barbaris ſimile monſtri viſum eſt —— quippe in media fere urbe è terra exiſtebant, nullo ſuffoſſi ſpecus antè veſtigio facto.* Vide quoque Quintilian. *Declam.* 255. E quibus duo *Cuniculorum* apud Veteres genera fuiſſe, colligimus. Hodierni *Cuniculi militares*, quibus immiſſus pulvis tormentarius atque accenſus disjicit propugnacula, arces, maximaſque montium rupes, à Franciſco Georgio Senenſi inventi ſunt; cujus diſcipulus Petrus Navarrus Cantaber primus eorum experimentum fecit, prope Neapolim, in arce Luculliana, quæ Ovi dicitur, uti obſcurum non eſt, ea conferenti, quæ de Senenſi quidem Georgio Cardanus, *Subtilit. l. 2.* at de Cantabro Petro Guicciardinus retulit, *Hiſtoriar. l. 6.* Quemadmodum in *Pyrotechnia ſua* duas has ſententias conciliat Vannotius Biringucius Senenſis, & ex eo Gerh. Joh. Voſſius, *de Idolol. l. 2. c. 63.* Nomen eis, ut & veterum *Cuniculis*, ab animali cognomine, de quo M. Varro ſcribit apud Plinium, *l. 8. c. 29. à cuniculis ſuffoſſum in Hiſpania oppidum.* Tanta nempe eorum fœcunditas ac copia: quam idem Plin. *l. 8. c. 55* confirmat: *Leporum generis ſunt, & quos Hiſpania cuniculos appellat fœcunditatis innumeræ, famemque Balearibus Inſulis, populatis meſſibus afferentes.* Et mox, *Certum eſt, Balearicos, adverſus proventum eorum, auxilium militare à Divo Auguſto petiiſſe.* Cujus rei & Strabo teſtis (qui *l. 3.* cuniculos λεβηρίδας vocat) ſubvertiſſe Balearium domos atque arbores, ut propterea armatam Romanorum opem implorare cogerentur, ſcribit. Vide Voſſ. præfatum, *l. 3. c. 72.* & ſuprà. Hinc *Cuniculatores* ſeu *Cunicularii* Lutatio *ad Statium, d. l. Foſſores dicuntur in exercitu, qui Cuniculos faciunt, per quos introgreſſi milites murorum fundamenta convellunt* &c. quos *Minatores* dixit citerior ætas, uti infrà videbimus, voce *Minare*.

CUNICULUS, quoque pro canali, ut *Cuniculus, per quem vapor trahitur, in balneariis vaporibus, l. 3. §. hoc interdict. ff. de rivis.* Ad vulpium foveas, transfert Phædrus, *l. 4. fab. 29.*

Vulpes cubile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures altiùs cuniculos,
Pervenit ad draconis &c.

Etiam in auraria μεταλλεία *Cuniculi* uſurpati. Plin. *l. 33. c. 4. Tertia ratio (fodiendi Auri) opera vicerit gigantum, cuniculis per magna ſpatia actis cavantur montes ad lucernarum lumina. Eadem menſura vigiliarum eſt, multiſque menſibus non cernitur dies, arrugias id genus vocant.* Sic *Strabo* ὀρυκτὸν vocat aurum, quod in Arabia *cuniculis* effodiebatur: ὑπονόμους itidem *Agatharchides* & *Diodorus* vocant. Ita quoque eruebatur in Ægypto Æthiopiæ conterminia. *Agatharchides*, ὑπονόμους διὰ γῆς πέτρας ὑπονόμους πλαγίους &c. Qua de re vide Salmaſ. *ad Solin. p. 1076.*

CUNILA, nomen eſt pluribus herbis deſignandis, pro diverſitate formæ, è quo procedit. *Cunila* enim *origanum* eſt, ex Græco κονίλη; *conyza* eſt, ex Græco κόνυζα & *Cunila*, ἡ θύμβρα, ſpecies nempe thymbræ, quam Græci κεφαλωτὴν θύμβραν, h. e. *capitatam thymbram*, Sammonicus *cephaloten* vocat:

Et thymbræ ſpecies, quam commemorant cephaloten.

Plinius *Cunilam capitatam* appellat, *l. 21. c. 10.* Atque ea thymbra eſt, quæ *Cunila* nomen ex re ſibi velut proprium, apud Latinos, vindicavit; à *cono* ſcil. ſic dicta, quod ejus capitula coni vel ſtrobilis ſimilia ſint, in acumen pariter deſinentia ac turbinata, & ex multis velut ſquamis compacta. Vide de his omnibus vocis hujus ſignificatis, ut & de *Cunilagine*, herba ſimili, fusè diſſerentem Salmaſium, *ad Solin. p. 1276. & ſeqq.*

CUNIMUNDUS, vel GUIMUNDUS, Rex Gepidarum, ab Alboino victus, A. C. 571. qui filiam ejus in uxorem ductam ex cranio occiſi patris bibere cogens, ab illa interfectus eſt. P. Diaconus, *de geſtis Longob. l. 2.* Sigonius, *Hiſt. Ital.*

CUNINA, Dea, quam priſci coluerunt, quæ *cunis* infantium præſidere putabatur. Cœl. Rhodig. *l. 22. c. 34.*

CUNINGHAMIA, provinc. Scotiæ meridional. inter Covaliam & Levinium, in ora Glottæ æſtuarii, ubi *Renfreum* & *Irwinum* oppida præcipua.

CUNION Charion, Sardiniæ promontor. *Ptol. Cabo Ferrato*, teſte *Nigro. Baudrando Capo del Pulo.* Vide *Cunicularia*.

CUNISTORGIS, vide *Cunei*.

CUNITÆ, Hæretici in Anglia, circa A. C. 1147. quorum auctor *Cuno* quidam M. *Chron. Belg.*

CUNO, fil. Egonis Comitis Auracenſis, ex Agnete filia Bertholdi IV. Ducis Zeringenſis, à Bertholdo V. Duce ejuſdem familiæ, avunculo ſuo, ob electionem ſui ad Imperium, cum fratre Bertholdo, Electoribus oppignoratus eſſet, qui cùm repræſentare promiſſa non poſſet, ambo in captivitate detenti votum fecerunt, ſi liberarentur, ſaccum ordinem ſuſcipiendi, & liberati, viribus Eberhardi I. Comitis Wirtenbergici ope, voto ſatisfecerunt. Unde *Cuno* quidem Monachus Eſlingenſis (aliqui factum Epiſcopum ac Cardinalem volunt) aliqua Eſlingenſi Monaſterio reliquit, quæ tamen permutatione tandem ad Eberhardum delapſa ſunt. Circa A. C 1240. Phil. Jacobus Spenerus, *Sylloge Geneal. Hiſtor. in Fam. Wirtenbergica.*

CUNRADUS Caſparus, auctor *Proſopographiæ Melicæ*.

CUNUSITANI, Sardiniæ populi. *Ptol.*

CUPA, genus navis. Item, arca ſeu area ſepulchralis. Vetus *Inſcr.* Romæ: D. M. D. *Apuleius, Ionicus fecit Eutychiæ ſorori ſuæ & Eutycheti filio ejus, in hac cupa mater & filius poſiti ſunt*, vide ſuprà *Cuba*. Porrò, vas ad reponendam Euchariſtiam, in *Necrologio* Eccleſiæ Pariſinæ. Propriè vas grande ligneum, rotundum, transportando vino, Gall. *cuve*, hodieque. Quæ vaſa, cum erant majora, ſecta ſtatuebantur & operculis tegebantur, ut *Nonius* ex *Varrone* docet. Neque vero vinum ſolum iis ſervabant, ſed etiam triticum ſimiliaque, ut ex Juriſconſultis diſcimus. Minora, doliis ſimilia, utrimque clauſa, apta deferendo huc illuc vino, ut ſcribit Herodian. *l. 8. c. 4.* Atque his utebantur quoque olim in pontibus contexendis & tumultuariis tabulatis extruendis. Jul. Capitolin. *in Maximino, c. 22. Ponte itaque cupis facto, Maximinus fluvium tranſiit, & de proximo Aquilejam obſidere cœpit.* Lucanus de ponte à Baſilo confecto, *l. 4. v. 420.*

Namque ratem vacuæ ſuſtentant undique cupæ:
Quarum porrectis ſeries conſtricta catenis
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos &c.

Vide quoque infrà voce *Pons*. Sed & majores illæ *cupæ*, ab altera parte apertæ, uſum navium aliquando præbebant. *Heſych.* κύπαι εἶδος πλοίου, & in veterib. *Gloſſis*, *cupa* exponitur γαυλὸς, ibidemque vertitur βουτίον μεγάλο. Inter quæ tamen id diſcriminis eſt, quòd hæc major, quàm illa: præterea *cupa* ab inferiore parte latiùs patebat, anguſtius à ſuperiore; contrà butis, quam Hero ſic deſcribit, ut in ſuperiori parte dimetiens illius fuerit pedum 4. in inferiore 8. altitudo totius vaſis, pedum 10. &c. Aliud verò *Cuppa* eſt, à Græco κύβη, quod ex κύπη, ſcyphus videl. aut patera. quod proin cum *cupa* nonnulli malè confundunt. Caſaubon. & Salmaſ. *ad Spartian.* Ut verò *Cupa*, ſic utres, pontibus conficiendis inſervivisse, diximus ſuprà, in *Aſcogephi*. Hinc *de cupa vinum petere*, apud Cicer. *in L. Piſonem*, *Piſtor domi nullus, nulla cella, panis & vinum à propola atque de cupa.* Quod apud Veteres viliſſimorum tantùm hominum fuit, cùm reliqui in cellis ſuis vinum haberent, neque è taberna peterent. Vide Plut. *in Timoleonte*, ubi de Dionyſio Juniore Corinthi in ſumma tenuitate agente. Aliud eſt *vinum petere de cuppa*, apud B. Auguſtin. *Confeſſ. l. 9. c. 8.* De inveſtitura *per Cupam auream*, dicemus ſuo loco.

CUPERIUM, *Leuncl. Cupri* vel *Tzupri*, locus Thraciæ, apud Byzantium.

CUPERSANUM, vulgò *Converſano*, urbs nunc agri Bariani, in regno Neapolitano dorſo montis affixa, 9 milliar à Monopoli in Occaſum, 5. ab ora maris Adriatici. Olim Apuliæ Peucetiæ Vide *Converſanum*.

CUPHA, celebris olim Aſiæ urbs, in Arabia Deſerta, haud procul ab Euphrate, Caliphorum ſedes, Georg. Hornius, *Orb. Polit.*

CUPHE, Libyæ interioris urbs. *Plin.* Apud *Cedrenum* verò fluv. Sarmatiæ Europææ videtur.

CUPHIA, apud *Papiam*, alioſque recentioris ævi Scriptores, tegmen capitis eſt, quod totum caput ambiebat. olim virorum maximè, nunc mulierum, Gallis *Coiffe*. Σκουφίας dixit Codinus *de Offic. c. 2. num. 52.* meminitque *Coſiarum ferrearum* Froiſſardus, 4. *volum. c. 38.* Hoc porrò tegumento Clerici caput operiebant, præſertim cum itineri ſe committerent: nam aliàs id iis vix indultum, ut patet ex *Conſtitutione* Ottoboni apud Lindwodum ſeu *in Concil.* Londin. A. C. 1268. *can. 5. de Hab. Cleric.* &c. Vide Car. du Freſne, *Gloſſar.* A forma κυφῆς, i. e. *cucurbitæ*, etymon arceſſit Dominicus Macer *in Hierolex.* Vide quoque ſuprà in voce *Cufa*.

CUPIDIUS Celerinus, Senator Roman. cujus ſententiam, de cradendo Maximinorum nomine, appellandis Divis Gordianis, ſtatuiſque cum elephantis Maximo, Balbino & Gordiano ſtatuendis, refert Capitolin. *in Maximinis, ſub fin.*

CUPIDO, Amoris Deus, quem *Heſiodus* natum vult ex Chao & Terra, *Simonides* ex Marte & Venere, *Arceſilaus* ex nocte & Æthere, *Alcæus* ex Lite & Zephyro, *Sappho* ex Venere & Cœlo, *Seneca* ex Venere & Vulcano. Quidam ex ſola Venere progenitum tradunt, citantes illud Virgilii, *l. 1. Æn. v. 668.*

Nate meæ vires, mea magna potentia ſolus.

Duplex autem eſt, Ovid. *l. 4. Faſt. v. 1.*

Alma fave, dixi, geminorum mater Amorum,

Seneca *in Hippolyto, Actu 1. v. 275.*

Diva non miti generata ponto,
Quam vocat matrem geminus Cupido.

Honeſtus videlicet & turpis; illumque ex Venere & Jove patre natum volunt, hunc autem Noctis ac Erebi filium eſſe, quod ipſum refert Cicer. *l. 3. de Nat. Deor.* Pingitur à Poëtis flammis armatus, ac duobus diverſiſſimæ naturæ ſpiculis, altero videlicet aureo, altero plumbeo, quorum illud vim habet amorem conciliandi, hoc pellendi fugandique. Ovid. *l. 1. Met. in Fab. Apol. ac Daphnes*, Apud Theſpienſis tamen *Cupidinis* ſignum vetuſtiſſimum erat ἀργὸς λίθος, *rudis lapis*, Pauſan. *l. 9.* cujuſmodi lapidibus informibus ſeu

ſon inſpolitis ſtatuis, Cretenſes Α'θροδίτην [illegible] vocat, ante Dædali ætatem, divinos honores exhibere Gentiles ſolitos fuiſſe, diximus ſuprà, ubi de *Betylis*. Ejus potentiam ſuprà vidimus in *Amore*, quam hic ulterius ex Poëtis Græcis oſtendemus. Anacreon, [illegible] canit,

> [illegible]
> [illegible]

Theocritus in *Pharmaceutria*:

> --- [illegible]
> [illegible]

Idem, *Idyll.* 3.

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

Idem, *Idyll.* 11.

> [illegible]
> [illegible]

Heſiodus, *Θεογον.* v. 121. de Cupidine,

> --- [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

Tyrannum virorum vocat Euripides in *Hippol.* [illegible] Moſchus,

> [illegible]
> [illegible]

Oppianus, *Halieutica l.* 4.

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

Idem, *Cynegetic. l.* 2.

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

Nic. Lloydius. Cæterum non minus ac Venus, apud Athenienſes, in veneratione fuit, qui vitulum ei, quemadmodum matri vaccam, ſacrificaſſe ſunt ſoliti. Theocritus,

> [illegible]
> *Faciam vitulò Cupidini, ſed ipſi bove Veneri.*

Nec in Veneris ſolùm templo egregiè à Zeuxide pictus, admirationem ſui movit, ſed in ipſa ad Academiam via [illegible] & [illegible] templum habuit proprium, cognomine [illegible] inſignis. Franc. Roſſæus, *Archæol. Att. l.* 4. *c.* 1. Ambo autem *ovorum progenies Deæ Syri*, Arnobio, *l.* 1. quod de Venere & Cupidine intelligendum, docet Salmaſius. Venerem certè cum filio in Syriam ad Euphratem, metu Typhonis, veniſſe, & figuram piſcium formâ mutaſſe, ſcribit *Hyginus*. Unde Germanicus, Arati Interpres, piſcium cœleſtium par, *duo Syra numina* vocat:

> --- *& Syria duo Numina piſces.*

Quaſi piſces illi duo cœleſtes, Veneris & Cupidinis inſtar reſerantur, quos fabulæ volunt piſcium figuram ad Euphratem ſumpſiſſe, Typhonis metu. Atque *ovorum progenies* inde dicti videantur, quia piſces ex ovis naſcuntur. Unde à piſcibus Syri, ſed & à *columbis* (columbam enim ovum piſcis foviſſe, è quo nata Dea Syria, habet incertus in *Germanici Phænomena*) abſtinuere. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 281. plura verò hanc in rem apud Jo. Seldenum, *de Diis Syris*. Cæterùm ingens Cupidinum populus circa Venerem. Claudian. *loco mox citando*

> *Mille pharetrati ludunt in margine Fratres.*

Imò exercitum univerſum eorum Veneri adſcribit Papinius, *l.* 6. *Theb. v.* 235.

> --- *Ille Cytherea laudans*
> *Cupidines & multa dedaleam lampade Fratrum,*
> *Marmoream* ---

Vide eundem Comd. *Ebrgui* &c. Quorum tamen unum ſolum ex illa, cæteros à Nymphis genitos, ait Claudianus laudatus, *Epithalam. Honorii*, ubi poſt verſum paulo antè citatum 71. pergit, v. 73.

> *Ore pares, ævo ſimiles, gens mollis Amorum*
> *Hos Nymphæ pariunt, illum Venus aurea ſolum*
> *Edidit. Ille Deos, cœlumque & ſidera cornu*
> *Temperat, & ſummos dignatur figere Reges,*
> *Hi plebem feriunt* ----

Pingebatur porrò Cupido ſeu Amor Veterum, humi fixis oculis, Bion, *Idyllio* 3.

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

Qualem omnino pudorem in adoleſcentulo facit Papinius, *l.* 4. *Theb. v.* 318. *Ille ad humum pallens* ---. Qua de re vide Barthii *Animadverſiones ad l.* Inprimis verò celebris fuit *Cupido* Praxitelis, objectus à Cicerone Verri, propter quem Theſpiæ viſebantur, poſteà Romæ in Octaviæ ſcholis poſitus: item alter ejuſdem nudus in Pario, coloniâ Propontidis, *par Veneri Gnidiæ nobilitate & injuriâ*, Plin. *l.* 36. *c.* 5. De cupidinis coronamento, vide Calliſtratum [illegible] ut & plura, hanc in rem, apud Car. Paſchalium, *Coronar. l.* 1. *c.* 5.

CUPIDO Horatius, vide inſrà *Horatius*.

CUPIENUS, pro *Pupienus*, conſtanti errore, apud Aur. Victorem ſcribitur. Salmaſ. ad *Vopiſc.* in *Aurelian. c.* 42.

CUPPA, vide ſupra *Cupa*.

CUPPEDINARIUS, apud Lamprid. in *Heliogabalo*, c. 30. *Prænt ſe ut, cuppedinarium*: Coquus eſt, à foro *Cuppedinis*, quod Varro perperam à *Cuppedio* quodam dictum autumat. *Cuppedo* enim veterib. Latinis idem, quod *Cupido* fuit. Lucretius, *l.* 4. v. 1083.

> *Tam magis ardeſcit dirâ cuppedine pectus.*

Et, *l.* 5. v. 46.

> *Quantæ conſcindunt hominem cuppedinis acres*
> *Sollicitum curæ?*

Sic Cicero *cuppediam*, pro *cupiditate*, dixit *Tuſcul. l.* 4. *c.* 11. *Ambitio, mulieroſitas, pervicacia, ligurritio, violentia, cuppedia.* Eſt autem Cuppedia & Cuppedo [illegible]: hinc *Forum cuppedinis*, eſt forum [illegible], & *cuppedioſus*, [illegible]: *Cuppedinarii*, qui res cuppedinis vendunt. Vide Salmaſ. *Not.* ad *Æl. Lamprid. in Heliogabalo*, loc. cit.

CUPRA, oppid. Piceni in Mediterraneis. *Ptol.* [illegible], *Cupra Montana*, unde Plinio, *l.* 3. *c.* 13. oppidani *Cuprenſes* vocantur cognomine *montani*; ad diſcrimen alterius, quod in litore *Cupra maritima* dicebatur, de quo Silius, *l.* 8 v. 433.

> *Et queis littoreæ fumant altaria Cupræ.*

Ubi Dauſquerius, *Junonis*, inquit, *eo ab cognomentum*. Strab. *l.* 5. [illegible] Hæc le *Grotte*, altare *Ripa Tranſone* hodiè dicitur, urbs recens Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Firmano. *Nic. Lloydius*.

CUPRESSUS, Græcè [illegible], arbor eſt *natu moroſa*, *fructu ſupervacua*, *baccis torva*, *folio amara*, *odore violenta*, *ac ne umbrâ quidem gratioſa*, *materie rara*, *ut penè fruticoſi generis*, Plinio, *l.* 16. *c.* 33. Hinc Diti ſacra, juxta eundem, ut & *Feſtum*; at Proſerpinæ, juxta *Servium*: tum quòd ſterilis, tum quia præciſo capite moritur, & non renaſcitur ſubſecta, præterquàm in Ænaria Inſul. Atque ideo *funebri ſigni ad domos poſita*, *Ibid.* & adhibita luctuoſis ſacris & funeribus Procerum Romanorum, privilegio quodam Lucan. *l.* 3. v. 442.

> *Et non plebejos luctus teſtata cupreſſus.*

Et Statius, *l.* 4. *Theb. v.* 460.

> --- *ſtantis atque omne cupreſſus*
> *Intexit plorata latus* ---

Nonnunquam tamen & aliorum. Vide Servium, *ad l.* 3. *Æn.* Sed & Varro adhiberi rogis ait, propter gravem uſtrinæ nidorem, ut odoris ſui jucunditate eum leniret. Unde *invisa cupreſſus*, Horatio, *l.* 2. *Carm. Od.* 14. v. 23. *mœſta* Statio, *l.* 5. *Sylv.* 1 v. 156.

> --- *tempus tunc ſpargere frondes*
> *Phœbe tuas, mœſtaque comam damnare cupreſſo* &c.

Interim lætâ fronde viret ſemper. Hinc eidem, *l.* 6. *Theb. v.* 99.

> --- *Brumæ illæſa cupreſſus.*

Et cariem non ſentit lignum ejus. Quæ cauſa fortè, quòd in Agone gymnico, qui in Creta olim agebatur, Victor è *cupreſſu* coronam nactus eſt, Plut. *Sympoſ.* 1. *Probl.* 2. Quòd item victimæ eâ coronabantur. Prudentius, *Apotheoſi*, v. 531.

> *Pontificum feſta ſerie do ſacribus illic*
> *Agmina vaccarum ſteterant, vitulaſque tenerâ*
> *Fronte coronatas umbrabat torta cupreſſus.*

Aræ quoque. Virg. *l.* 3. *Æn. v.* 63. ubi de funere Polydori,

> *Aggeritur tumulo tellus, ſtant manibus aræ*
> *Cæruleis mœſtæ vittis, atraque cupreſſu.*

Et Statius *ubi ſuprà*. Ob eandem materiæ firmitatem, eorum, qui in bello ceciderant, corpora *arcis è cupreſſo* condi ſolita, ſcribit *Thucydides*: & Plato leges publicas ſacrorumque ritus in *tabulis cupreſſinis* deſcribi voluit, *de LL. l.* 5. Veneris etiam

ſimulachrum ex hoc ligno Romæ, mance, duravit, ab anno Urb. Cond. 551. uſque ad Plinii tempora, *l.* 16. *c.* 40. Ipſum Jovis ſceptrum inde adulatum, docet Hermippus, ut alia omittam. Pythagoreos tamen arcis aliiſque utenſilibus cupreſſinis abſtinuiſſe, Laërtius refert, *l.* 8. *c.* 10. quòd ad funeſtos arbor uſus adhiberetur. Porrò, pulchritudo ejus, quæ è proceritate eſt, mirè oblectat. Certè in Arcadia, apud Pſophidem, tantæ proceritatis *Cupreſſi* fuêre, ut proximus mons inumbraretur: dictæ *παρθένοι*, quia ferrò intactæ & Alcmæoni ſacræ; quòd eò is matre Argis necatâ ſe receпiſſet. Ob quam formam & elegantem imprimis venuſtamque comam, etiam *χαρίεις* appellatæ ſunt, inter præcipua hortorum ornamenta. Plin. *ubi ſupra*, *Meta demum reſpecta non repudiata, diſtinguendis tantum pinorum ordinibus: nunc vero tonſilis facta in denſitate parietum, coërcitaque gracilitate, perpetuò teres.* Quod fieri ſolitum duobus modis ait Dalechampius, aut cùm in ſingulis ordinibus duabus pinis cupreſſum unam interponebant, aut cum duobus pinorum ordinibus cupreſſorum unum interſerebant. Cætera de eadem apud Plinium ſic habent. *Trahitur etiam in picturas opere hiſtoriali: venatus claſſeſve & imagines rerum, folio brevique & virenti ſuper veſtiens — Utraque* (mas & fœmina) *mittitur in perticas aſſereſque amputatione ramorum, qui* XIII. *annò denarius ſingulis veneunt. Quæſtuoſiſſima in ſatus ratione ſylva: vulgoque dotem filiæ antiqui plantaria appellabant.* In quo loco Salmaſius pro *opere hiſtoriali*, legi vult *operis topiarii*, & pro *plantaria*, *plantare*. Ut ſenſus ſit, tam quæſtuoſam illam rationem Cupreſſorum ad aſſeres & perticas plantandarum fuiſſe, ut, cùm eas pangebant, vulgo dictitarent antiqui, *dotem filiæ ſe plantare*, vide eum *ad Solin. p.* 173. Patria arboris Creta Inſul. Plin. *ibid.* Vide & ſuprà, ubi de phraſi Pliniana, *Appellare e ſponſo*: De memorabili verò *Cupreſſo*, quæ hodieque viſitur Patris in Achaja, Sponium, *Itinerarii Græcia, Part.* 2. *p.* 22. Similia *Cupreſſo* citri folia, de qua arbore diximus ſuprà. Fabulas de *Cypariſſa*, filia Boreæ: item *Cypariſſarum*, Eteoclis gnatarum. *Cypariſſi* porro à Telepho geniti, prolixè exſequitur Hadr. Junius, *l.* 1. *c.* 20. & diximus de iis ſuò locò.

CUPRIMONTIUM, vulgò *Koperberg*, oppid. Sueciæ, jure municipii donatum. Cupri fodinas habet præſtantiſſimas. Non longè à lacu, in Geſtricia provinc. 50. milliar. à Gevalia urbe, in Occaſum, paulò ampliùs à mari Baltico.

CUPRUM, apud Solin. *c.* 52. *Tertius* (adamas) *invenis cupri apparet propior ad æream faciem. Quartus in metallis ferrariis legitur* &c. Seu Cyprum, ut Cyprium ejus ævô appellatum eſt. Sic cùm ait paulò pòſt: *Nam & hi, qui in cypro deprehenduntur, frangi queunt*: non de Inſul. *Cypro*, ſed de *cypro*, vel *ære Cyprio*, intelligendus eſt. Apud Innocentium Agrimenſorem, *acumen Cyprinum*, clavus æreus: *Cyprum clavi*, Palladio. Plin. *l.* 36. *c.* 26 de vitro ſcribit, coqui ſolitum, *addito ære Cyprio ac nitro*. Quem locum *Iſidorus exſcribens* habet, *cupro & nitro*. Apud Trebellium quoque, *in Claudio*, *c.* 14. *Acus cyprea*, & *cyprum* apud Spartian. *in Antonino Caracalla*, *c.* 9. *Nam ex ære vel cypro cancelli ſuperpoſiti eſſe dicuntur*. Etiam *Cyprini metalli* mentio, apud Anaſtaſium in *Leone* III. *Nec non & feneſtras ipſius Eccleſiæ ex metallo Cyprino decoravit.* Sed pro *cyprino*, legendum ibi *gypſina* eſſe, monet Salmaſius. Poſtmodùm & pro omni ære vox accepta: quemadmodum *Chalybs*, pro ferro primùm Chalybico, mox & pro omni ferro. Quod verò locum Solini ſpectat, non cepit is mentem Plinii, quem exſcribit; hic enim disertè adamantem *Cyprium*, à ſolo natali, *Cypro* Inſul. vocat, adeoque non de venis *cypri* vel *cupri* id intellectum voluit. Vide Salmaſ. *ad Solin.* paſſim, inprimis, *p.* 1294. 1295. & ſuprà, ubi de variis *Æris* generibus. In Corcyræ Inſul. urbe Caſſiope, jam ſemiruta, Græcos *Ædem* ſacram habere *Panagiæ*, i. e. S. Virgini, dicatam, in qua viatores, admotò Dalmaticò vel Corcyræô *cupreò* nummô ſtatuæ Virginis, explorare ſoleant, an, quos domi reliquerint charos, in vita ſint an non, refert Sponius: Si enim nullò aliò adminiculò laminâ adhæreat imagini, adhuc in vivis eſſe, de quo agitur; ſin ſoluta cadat, obiiſſe, inter illos creditum. Vide eum, *Itinerar. Græcia Part.* 1. *p.* 121. Hodieque *Cupri* plumbique magna vis è Suecia affertur, in qua ditiſſimas *cuprifodinas*, Hollandorum quorundam induſtriâ, haud pridem in uſum excitatas notum eſt. Nec omittenda vis *cuprifica* unius alteriuſque in Hungaria fluvioli, cui ferramenta vetera immerſa, menſtruò ſpatiò, in optimum cupreum vertuntur, è quo Auſtriæ Hungariæque Magnates ad bibendi delicias pocula ſibi fieri curant. Cujuſmodi integram equi ſoleam *cuprificatam*, eâque parte, quâ extra aquam extabat, adhuc ferream, ipſe oculis meis uſurpavi. Vide quoque in voce *Hungaria*.

CUQUENI, vel CUCUENI, Aquitanicæ Galliæ populi. *Ptol. Biernenſes Villanovani.* Aliis *Convenæ*, in Aquitania, verſùs montes Pyrenæos & fontes Garumnæ. Vide ibi.

CURA, maſcul. pro *Curatore*. Treb. Pollio *in Claudio*, *c.* 14. *Venatores — duas, Carpentarium unum, Curam Prætorii unum.* Quemadmodùm enim in aulis Imperatorum & militia Palatina fuit, qui è re dicebatur *Cura Palatii*, quòd omnium fabricarum Principis curam gereret, ſicut docet formula apud Caſſiodorum, *l.* 7. ſic in majorum Magiſtratuum comitatu fuit, qui dicebatur *Cura Prætorii*; quòd illa omnia curaret, quæ ad prætorium ejus Magiſtratus, cui fuerat attributus, pertinerent, Caſaubon & Salmaſ. *ad h. l.* Sic *Cura Domus*, in *Capitul.* Caroli M. *l.* 6. *c.* 127. *Cura Epiſtolarum*, inter officia Præfecti Urbis, in *Notit. Imper.* *Cura boum*, pro ſubulco, apud Ovid. *Ep.* 1. *Heroid.* v. 104. *ad Penel.* *Cura pacis*, apud Amanum *ad l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Pignor.* qui Græcis *Εἰρηνάρχης* &c. Inprimis verò celebris fuit *Cura Palatii*, poſtmodùm *Curopalates* dictus, dignitas Palatina, quam ſuprà tetigimus, quâque qui dignatus à Principe fuerat, *aureâ virgâ decoratus inter obſequia numeroſa, ante pedes Regios, primus incedebat*, apud Senator. *l.* 7. *Ep.* 5. (Cujuſmodi dignitas eſt apud Franciæ Reges, *Intendant des baſtimens du Roy*) apud Gothicos nempe Italiæ Reges. Alia verò videtur dignitatis hujus fuiſſe functio, apud Auguſtos Byzantinos, quantùm conjecturâ licet aſſequi, quâ donatos Apollinarem & Saturninum ſub Conſtantio tradit Ammianus, *l.* 14. & 22. Tribunum item Æquitium, *l.* 31. cujuſque meminit Sidonius, *carm.* 23.

> *Intra aulam ſoceri mei expetitus*
> *Curam cum moderatus es Palatî.*

In *Cod.* certè Theodoſ. jungitur *Tribuno* & *Comiti Stabulorum*, *l.* un. *de Com. & Tribun. Schol.* & *l.* 1. *Qui a præbit. tyr. exim.* Sed quod illius potiſſimùm fuerit munus, non omnino conſtat: etſi probabile ſit eoſdem fuiſſe hos Officiales, cum iis, qui poſtmodùm *Curatores Palatiorum*, vel qui *Præpoſiti Palatii* appellati ſunt. At Alamannus hôc nomine *Præfectum Prætorianorum* indigitatum fuiſſe, contendit ex Procopio in *Hiſt. Arc.* ſcribente, Juſtinum Principem, Cuſtodem Palatii conſtitutum ab Anaſtaſio Auguſto, quæ quidem dignitas eadem fuit, quæ *Curopalata*; cum cæteri Scriptores eum hâc paſſim donatum tradant, Evagrius, Vigilius Pontif. Alii. Certè maximam ejus fuiſſe dignitatem & tantùm Auguſtali minorem, docet, præter alios, Corippus, *l.* 1.

> *Par extans curis, ſolô diademate diſpar*
> *Ordine pro rerum, vocitatus* Cura Palatî.

Unde viros primarios & qui proximâ Auguſtos attingebant neceſſitudine ac affinitate, eâ potiſſimùm donatos legimus, in *Chron. Alexandrino*, apud Luithprandum *in Legat.* *Zonaram*, alios. Car. du Freſne, *Gloſſar.* Vide quoque in voce *Curopalates*. Dominic. Macer *Curopalatam* Majorem Domûs exponit & *Curopalatiſſam*, uxorem ejus dictam fuiſſe, annotat in *Hierolex.*

CURÆUS Joachimus, vide *Joachimus*.

CURAGENDARII, qui & *Curioſi*, in *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Curioſis*; Vide infrà in hac voce. Ejuſdem originis vox eſt recentioris ævi *Curagulus*, in *Charta* Edmundi Regis *Monaſtici Angl. Tom. II. Egô Edmundus — Rex Anglorum & Curagulus multarum gentium*, apud Car. du Freſne.

CURALIUM, antiquioribus dictum, Græcè *Κουράλιον*, quod aliàs *Corallium*, vide ibi.

CURALONENSES, vel CULARONENSES, populi Allobroges, forſan *Gratianopolitani*, ob vet. inſcr. marm. ibi repertam. Vide ſuprà in voce *Cularo*.

CURAPORINA, Indiæ intra Gangem oppid. *Ptol.*

CURARE, apud Spartian. *in Hadriano Cæſ.* *c.* 4. *Corrupiſſe eum Trajani libertos, curâſſe delicatos, eoſdemque ſæpeliſſe — opinio multa firmavit*: quibuſdam eſt *ψαλίζειν*, *pſilothro curare*, uti dixit Lamprid. in *Heliogabalo*, *c.* 31. Caſaubono eſt *θεραπεύειν*, i. e. *colere*, quod Galli dicunt *faire la Cour*. Ita enim is legit apud Martialem, *l.* 6. *Epigr.* 50. *in Teleſinum*, v. 3.

> *Obſcænos poſtquam cœpit curare cinædos,*
> *Argentum, menſas, prædia ſolus amat.*

Salmaſius verò *[illegible]*; *curâſſe* enim illud ad cultum corporis'is refert, ut comendis & ornandis delicatis operam dediſſe Hadrianum intelligamus. Nec movetur Martialis locô, apud quem *ſervare* legendum monuerit ſicque ediderit Gruterus, pro *obſervare*. Confirmat tamen lectionem Gronovius, ex Plinio Sec. *l.* 1. *Ep.* 5. *Nec me præterit, eſſe Regulum, δυσκαθαίρετον. Eſt enim locuples, factioſus, curatur à multis, timetur a pluribus.* Et eodem Poëta, *l.* 10. *Epigr.* 18. v. 3.

> *Turba tamen non deeſt, ſterilem quæ curet amicum.*

Vide eum *Notis ad l.*

CURASSOA, Inſul. Americæ meridionalis in ora littorali Venezuelæ, Hiſpanis erepta ab Hollandis A. C. 1632.

CURATIONES per Somnia, inter notas divinitatis olim habitæ. Hinc Dii illi *παρέδρoι*, novitii & aſcriptitii, qui beneficiò Principis alicujus, aut propter virtutis merita, Numinis dignitatem erant adepti; ut aliquâ divinitatis auctoritate cenſerentur, ſomniis & oraculis reſponſa dare & *curationes* facere dicebantur: quod in Æſculapio, Amphiarao, Trophonio, Aliis, ſtulta credidit antiquitas. Idem de Antinoo finxerunt, qui Hadriano; & jam olim de Hephæſtione, qui Alexandro M. adulabatur. De quo poſtremo inſignis eſt locus *Luciani*, [illegible] Ubi tres divinitatis notæ recenſentur, *ὀνείρατα*, *ſomnia*; *ἰάματα*, *curationes* & *μαντεῖαι*, *oracula*, quibus etiam *ἐπιφάνειαι*, *apparitiones* adſcribi poſſunt. Sed *Curationes*, per ſomnia plerumque præſcriptæ, ut in Æſculapii Fanis & Templis, uti videre eſt infrà, ubi de *Meletis*, quibus cum conſulturi incubabant. *Ἐπιφάνειαι* quoque frequentes in ſomniis, quum Divus apparere viſus per ſomnium hæc aut illa præcipiebat, ad ſanitatem tuendam, aut ex morbo recuperandam. Cujuſmodi remedia *ὀνείρατα* dicta ſunt. Atque hinc illud in antiquis monumentis adeò frequens, SOMNIO MONITUS. Quales Divi prom *ἀλεξίκακοι* præcipuè habiti &c. De quibus vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 331. & *Not. ad Spartian. in Hadriano Cæſ.* nec non infrà in voce *Somnialis*.

CURATIUS, vide *Andrias*.

CURATOR, in *Gloſſis* S. Benedicti *cap. de Magiſtr.* *Φροντιστὴς καὶ λογιστής*, nomen erat Magiſtratus, cujus erat in civitatibus rebus venalibus pretia imponere, Curialibus præeſſe, vectigalibus ac tributis perſolvendis invigilare, ut eſt in *Curatoris Civitatis* formula, apud Senatorem, *l.* 17. *Ep.* 12. è quo potiſſimùm *Curatores* civitatibus, à Principibus datos, docemur. De Marco certè Capitolinus, *c.* 11. *Curatores*, inquit, *multis Civitatibus e Senatu dedit, quo latiùs Senatorias tenderet dignitates.* Iidem verò & reditus civitatum colligebant, hinc *Λογισταί* dicti, ut viſum &c. Sic memorantur

atur Curator *Alexandriæ*, Pollioni in *Aemil.* c. 22. *Curator Aquarum* Spartiano in *Peſcennio*, *Curator celſæ Carthaginis*, in *Collat.* 1. *contra Donat.* c. 1. *Flamen perpetuus Curator Coloniæ Cirtenſis*, Auguſtino eidem contra *Creſcon.* l. 3. c. 29. &c. In Aula vero Byzantina *Magnus Curator*, qui & ſimpliciter nonnunquam Κουράτωρ, dignitas erat admodum illuſtris, cujus imperio milites quodammodo ſubjectos fuiſſe, diſcimus ex Gregorio M. l. 8. *Ep.* 7. Eadem fortè cum *Curatore Imperialium Domorum*, Κουράτωρ τῶν βασιλικῶν οἴκων, in *Hiſt. Miſc.* l. 18. τῶν θείων οἴκων, Theophani, &c. quorum hic tradit p. 412. Nicephorum Imperatorem præcipua ſubditorum prædia εἰς τὸ βασιλικὸν κουρατωρικὸν redegiſſe, i. e. *Magno Curatori ſubjeciſſe*, qui eorum reditus fiſco inferret. A quo *Summus Curator*, qui occurrit in *veter. Inſcr.* 451. 1. alius fortè fuit. Sed & Curatores Auguſtorum Palatiorum, non ſemel reperiuntur apud Scriptores Byzantinos: *Curator Palatii Hormiſdæ*, in *Chron. Alex.* *Curator Palatii Mangænorum*, apud Leonem Grammat. *Curator Palatii Antiochi*, in eodem *Chron.* &c. qui non quidem ipſorum Palatiorum, ſed ærariorum, quæ in iis repoſita, curam habebant, uti docet Henr. Valeſ. *ad Evagrium*, l. 5. c. 18. apud Car. du Freſne in *Gloſſar.* ubi variorum aliorum *Curatorum* mentio fit. Imo & jam olim *Curator Aquarum*, quæ primùm fuère ſub tutela Conſulum & Ædilium, interdum quoque Cenſorum, primus ab Auguſto nominatus eſt Meſſala Corvinus. Joh. Roſinus, *Antiqq. Rom.* l. 3. c. 14. In lapidibus, *Curatores operum publicorum* memorantur, ut & apud Sueton. *in Aug.* c. 37. cùm inquit: *Quoque plures partem adminiſtrandæ Reipubl. caperent, nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum & aquarum alvei Tiberis, frumenti populo dividendi, præfecturam urbis, Triumviratum legendi Senatus, & alterum recognoſcendi turmas equitum, quotieſcunque opus eſſet.* Officium *Curatorum alvei Tiberis & cloacarum* fuit, curare ne quid detrimenti cloacæ caperent, & ut purgarentur, aquamque tranſmittere poſſent. *Quatuorviri viarum curandarum* primitus creati ſunt, ſed creſcente viarum numero, quùm hi non ſufficerent ſingulis vel duabus aut tribus pluribuſve viis reſtituendis, ſarciendiſque, prout temporis exigebat neceſſitas, ſinguli Cives præpoſiti fuerunt, qui *Curatores viarum* appellabantur. Qui Magiſtratus cum priùs incertus eſſet, nec niſi ad tempus crearetur, tandem perpetuus factus eſt, à Cæſare Auguſto, Sueton. in *ejus vita*, c. 37. Meminit eorum Cicer. l. 1. *ad Attic. Ep.* 1. Plin. jun. & Plutarchus in *Gracchis*, ut & Tacitus. Vide Joh. Roſin. *opere ſupra laudato*, l. 7. c. 31. Præter hos, diviſâ in 14. regiones Urbe, per ſingulas eas duos *Curatores*, & duos Denuntiatores conſtitutos. Priorum munus erat, procurare apud Principem commoda regionum, decorem & elegantiam viarum ac vicorum urbis, ne à privatis novis ædificiis interturbarentur, providere, & alia hujuſmodi obire. Idem, l. 7. c. 35. *Curatorem Minutiæ* habes infrà voce *Frumentum*. Tandem *Curatores Tribuum* erant, qui Tribuum procurarent commoda, perinde atque in vicis vicorum Magiſtri. Eorum meminit Terentius Varro, *de Ling. Lat.* l. 5. Ut addam aliquid de *Curatore viæ Latinæ*, ſæpius is memoratur, in *veterib. Inſcriptionibus*, quarum unam appoſuit Georg. Fabricius *in Roma*, c. 5. Id officii inſtituiſſe Victorium Marcellum, ad quem habemus Epiſtolam Papinii Statii, l. 4. *Sylv.* 4. colligimus ex iſtis, v. 56.

At tu, ſi longi curſum dabit Atropos ævi,
Detque precor, Latiæque Duces ſic Numina pergant,
Quem tibi poſthabito ſtudium eſt coluiſſe Tonanti,
Quique tuæ alio ſubtexit munere faſces,
Et ſpatia obliquæ mandat renovare Latinæ:
Forſitan Auſonias ibis &c.

Ad quem locum vide *Animadverſiones* Caſp. Barthii: de *Aquarum Curatore*, apud Athenienſes, vide ſuprà: de *Curatoribus* verò *locorum publicorum judicandorum*, item *operum publicorum aliiſque*, Cauſaubon. *ad Sueton. Octavio*, c. 32. & 37. &c.

CURBACULUM, Petro de Creſcentiis *de Agricult.* l. 10. c. 28. inſtrumentum eſt, ad capiendas aves, tempore nivium, ex paucis virgulis confectum, interiùs concavum & in parte poſtrema acutum, habens oſtiolum, quod in terra jacet, coopertum paleâ, quod cum uno vimine in terram infixo elevatur & poſteriùs percutit avem ad eſcam intrantem, quæ inius eſt, quam aliunde accipere nequit, cùm ſit undique terrâ tectum, apud Car. du Freſne, in *Gloſſar.*

CURBICUS, nomen genuinum hæreſiarchæ Manis, cùm ſervus eſſet. Vide *Manes*.

CURBIO, vel CURBIONENSE Monaſterium à S. Lauromaro Abbate extructum, circa A. C. 495. ad Curbionem amniculum, in Gallia, vide Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CURCARUM, oppid. Lucaniæ.

CURCAS, nucleus Ciborii Ægyptii, de quo ſic Garcias ab Orto, l. 2. c. 21. *Naſcitur in Malavar fructus quidam, magnitudine avellanæ, cum ſua putamine, non tamen ita eſt rotundus: candidus eſt, guſtu, qualis ſunt tubera cocta: hunc Chuniquinga vocant, id eſt, exiguum inhame. In Cairo, ubi frequens eſt, & quibuſdam Malavar locis, Curcas, in Cambaja Carpata. Dependet ex ramis cujuſdam plantæ, quæ ſeritur.* Ubi licèt non dicat, qualis illa planta, & quomodo fructus ille naſcatur, certum tamen eſt, de faba Ægyptia Veterum debere intelligi. Certè *Curcas* nomen depravatum eſt ex κολοκασία: & Fabam Ægyptiam in Indiæ amnibus etiam naſci, tradit *Strabo*. Quòd verò *Curcas* in Cairo pariter vocari ſcribit, confundit illud *Curcas Indicum* cum Ægyptio hodierno *Colcas*, quæ mera eſt radix caule & fructu carens. Idem nucleum iſtum *Curcam*, ab Indorum aliis vocari *Chuniquelenga* ait, & *exiguum inhame* interpretatur; quò indicat, majus eſſe inhame ob exiguo iſto diverſum. *Inhame* porro Luſitani *Maniequa* vocant, radicem colocaſio bulbo parem, quam à Barbaris ajunt vocari *Alcolcas*, i. e. *Colocaſium*. Parvum ſic & magnum Inhame, *Colocaſium* olim, ab amplitudine foliorum appellatum: quod utrumque etiam *Colcas* & *Curcas*. Sed Colocaſio bulbo nec caulis nec flos, nec fructus. Faba verò Ægyptia colocaſia, & caulem & florem edit & mox fructum in calice, qualem nobis Garcias depinxit. Verùm & jam olim Fabam Ægyptiam colocaſiam, cum Aro colocaſio, ſeu bulboſa illius radice, hodie *Culcas Ægyptus* dicta, paſſim confudère Auctores. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1310. & 1311.

CURCELLÆUS Stephanus, Genevenſis, fil. Firmini Ambianenſis (in ſede Præſidiali Advocati & ob eloquentiam vulgò *Bouche d'or* dicti) Paſtor Fontiſbellaquæi, A. C. 1614. Ambiacii, A. C. 1621. quòd Canonibus Dordracenſibus ſubſcribere nollet, munere ſe abdicavit. Vitriaci dein in Campania Eccleſiaſten egit uſque ad A. C. 1634. inde in Belgium ſe recepit & Remonſtrantium partes apertè amplexus, prælo aliquandiu, vitæ luctandæ ergò, ſubſervit; Hugoni inprimis Grotio in Adnotatis in IV. Evangelia, & C. Barlæo in deſcriptionibus quibuſdam Geographicis emendandis, utilis. Poſt quæ Epiſcopio ſurrogatus, varia edidit: extinctus A. C. 1657. ætat. 71. Paul. Freherus, *Theatro Viror. claror.*

CURCUBA ſeu CURCUMA, mediæ & infimæ Latinitati lorum vel funis eſt. Lexicon Arabico-Lat. *Curcuba lorum*. Unde *Curcubæ Iſidoro* ſunt Ipræ funium; atque hinc cypero *Curcubæ* vel *Curcumæ* nomen inditum, quod funes ex eo in Græcia torquerentur. *Heſych.* Κύπειρος σχοινία, *funes ex Cypero torti*. Niſi fortè σχοῖνον is ſumſit pro quolibet junco, ſpeciem pro genere uſurpans. Putat itaque Salmaſius veriùs ita vocitatam vulgò cyperi radicem, ab inæqualitate ejus, qualis in lupatis equorum cerneretur. Namque multis nodis ferreis olivatum inſtar, ac ſibi cohærentibus, lupata olim facta eſſe hodieque fieri notum. *Curcuma* autem frænum vel lupatum propriè ſignificat. Heſych. idem; ἀσκηρά, ἐν κημοῖς. Vegetius *de Arte Veterin.* *Curcumam conſtrictam oportet imponi, ut depravet dentes & labia.* Achmes, ... Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1001. Auctor Anonymus *Hiſtoriæ Orbis Terr. Geogr. & Civ.* *Credunt Indicum, radicem eſſe* Curcumæ *nomine alias notam*, addit. c. *de Commerciis* §. 8. ubi de *Aromatibus*.

CURCUM, Liburniæ mediterraneæ oppid. *Ptol.* vulgò Crack, Vegiæ tamen in ora & Argyruntu finitimum, *Ferrar.*

CURCURA, maris Adriatici inſula.

CURDI, populi Aſiæ majoris ea parte ſub Turcis, in confinio Perſiæ. Eorum regio vulgo *Churdiſtan*, eſtque ampla admodum & fertilis. Vide de his egregiè diſſerentem Petr. de Valle, *Itinerar. Tom.* 1. & 2.

CURENA, Mediæ urbs. *Ptol.*

CURENSES, populi in 4. regione Italiæ. Plin. l. 3. c. 12.

CUREOTIS, tertius dies Apaturiorum, ſic dictus ἀπὸ τῆς κουρᾶς ἢ τῶν κούρων, *a tonſura, aut a pueris.* Nam à parentibus pueri ad Tribules adducebantur, ibique tondebantur, ac Sodalitatibus, ſive tribubus adſcribebantur. Quod reſpondet, opinor, Romanorum mori, quò virilem togam adoleſcentes ſumebant, & primam barbam ponebant, de quo Sueton. in *Calig.* c. 10. & *Nerone*, c. 12. Igitur & apud Græcos, adoleſcentes ad annos pubertatis, in honorem alicujus Dei, capillum alebant, quem propterea ...... vocabant. Eum deinde, ubi tondebantur, in ejus Dei templo conſecrabant, in cujus honorem ſe geſtâſſe profeſſi fuerant. Quod quia Apollini frequenter accidebat, illum ideo κουροτρόφον appellârunt. Demoſthenes in *provocat. contra Eubulidem*, ... Nulla tamen Religio certo numini eos aſtringebat; nam puellæ Atticæ, teſte Pauſaniâ, l. 1. primitias comarum ad ſepulcrum Iphinoes deponebant. Eleæ virgines Opi, & Hecaërgæ dicabant, Athenienſium vulgus Herculi. *Heſych.* ...... Nobiliores autem & qui ſupra vulgus exiſtimari volebant, antiquô inſtitutô, cujus meminit. Plut. *in Theſeo*, comam ſuam Apollini Pythio vovebant, ac Delphos proficiſcebantur, cùm deponendi tempus adveniſſet. At Κουρεῶτιν die conſecrâſſe Dianæ comam expreſſè docet *Heſych.* ...... Vide Caſtellanum *de Feſt. Græc.* in Ἀπατούρια. Nic. Lloydius. it. ſuprà voce *Apaturia*.

CURES, plurali numerô Sabinorum oppid. cui imperabat Tit. Tatius, cujus cives *Quirites* dicebantur; conveneruntque Romulus & Tatius in hanc ſententiam; ut à duobus populis unus efficeretur, & Sabini Romam migrarent, Romaque nomen retineret, ſed *Romani* & *Sabini* Quirites appellarentur. Liv. l. 1. c. 13. Hinc etiam populi Cures, Virg. l. 8. *Æn.* v. 638.

Tatioque ſeni, Curibuſque

Item l. 6. *Æn.* v. 811. *parvis Curibus*, i. e. *pauperes*; ſcribitur enim *paupere terra*. Fuit olim urbs illuſtris, teſte *Strabone*. Numæ Pompilii patria. Caput gentis vocat *Halicarnaſſeus*. Κύρις *Stephano* eſt. *Turre* hodie dici ſcribit *Leander*. Alius eſt *Veſcovio*, urbs primar. Sabinæ anteà, nunc oppid. ubi etiam fuit Epiſcopatus Sabinenſis Manleanum tranſlatus. Prope Himellam amnem, 3. milliar. à Reate in Occaſum, 12. ab Interamnia in Auſtrum, in ditione Pontificis. *Baudrand.* Populi *Curenſes* Plinio, l. 3. c. 12.

CURETES, populi Cretæ, qui & *Corybantes*, & *Idæi Dactyli* appellati ſunt, ex Ida Phrygiæ monte (ut quidam volunt) oriundi. Dicti Κουρῆτες Straboni, l. 10. ἀπὸ τῆς κουρᾶς, h. e. *a tonſura*, anteriorem enim capitis partem detonſam geſtabant, ne hoſtes eos cæſarie apprehenderent. Euſtath. *in Iliad.* 23. Κουρῆτες χαλκάσπιδες ...... ὄπιθεν κομόωντες, ...

Alii ſic dictos volunt ἀπὸ τοῦ κουρίζειν, eò quòd Jovem aluiſſe dicantur. Lucret. *l. 2. v. 633.*

Dictaeos referunt Curetas, qui Jovis illum
Vagitum in Creta quondam occultaſſe feruntur.

Virg. *l. 4. Georg. v. 151.*

Nunc age naturas apibus quas Jupiter ipſe
Addidit, expediam, pro qua mercede canoros
Curetum ſonitus, crepitantiaque æra ſecutæ,
Dictæo cæli Regem pavêre ſub antro.

Strabo, ubi ſuprà, Curetas quoque in Græciam commigrâſſe refert, tandemque conſediſſe trans Achelonum fluv. ibique cùm intonſa ſervarent capita, *Acarnanas* vocari cœpiſſe. Hos Ovidius ex imbre natos fabulatur, *l. 4. Met. v. 282.*

--- - Largoque ſatos Curetas ab imbre.

Horum meminit Lucianus in *Nigrino*. Τοιαῦτα χεῖρας ἢ ὅπλα, ἄνω ἰὼ, καθάπερ οἱ Σκύθαι, ὥσπερ καθάπερ οἱ Κρῆτες. Ubi *Palmerius*, Mirum eſt, inquit, Lucianum tribuere hôc locô Curetibus ſagittandi artem, quam nullus alius antiquorum illis tribuit, licèt plures de illis plura dixerint. Omnes illis gravem armaturam, ſcutum, & haſtas tribuerunt, & ἐνόπλιον ὄρχησιν. Orpheus, ſeu Onomacritus *Hymn. 1 & 3. in Curetas*, mille illis epitheta dedit, nullum tamen, quod ſagittandi peritiam ſignificet. Imò contra eos ὁπλοφόρους φύλακας vocat, & χαλκοκρότους ἔργοις τεύχε' ἔχοντας. Callimachus etiam *Hymnô in Jovem*:

Οὖλα δὲ Κούρητές σε περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο
Τεύχεα πεπλήγοντες. ----

Idem ait Apollodorus, *l. 1.* Οἱ δὲ Κούρητες ἔνοπλοι ἐν τῷ ἄντρῳ τὸ βρέφος φυλάσσοντες τοῖς δόρασι τὰς ἀσπίδας συνέκρουον. Dionyſ. Halicarnaſſ. *l. 7.* Ὅτι δὲ διὰ Κουρήτων ἐπιχώριον κρότον ὅπλων τε καὶ κινήσεως μελῶν. Strabo, *l. 10.* ubi de Creta: Τούτους δὲ ὀνομάσαι Κούρητας νέους τινὰς ἐνόπλιον κίνησιν μετ' ὀρχήσεως ἀποδιδόντας, προστησαμένους μῦθον τὸν περὶ τῆς τοῦ Διὸς γενέσεως. Plin. *l. 7. c. 56 Saltationem armatam Curetes docuere, Pyrrichen Pyrrhus, utramque in Creta.* Idem ait & Pindari *Schol. ad Pyth. 2.* & , ne te moret, lector, innumeris citationibus, quicumque de Curetibus ſcripſerunt, iis tympana, & armorum ſtrepitum & ſaltationem in armis tribuerunt, nullus ſagittarum inſectionem. Ætoli certè, qui priùs Curetes, & à quibus ortos Cretenſes Curetas volunt, fundâ, non ſagittis gloriabantur, & eorum Dux Pyræchmes Degmenum Elæum ſagittarium fundâ proſtravit. His ductus auctoritatibus apud Lucianum hôc locô, pro Κρῆτες, lego Κᾶρες minimâ mutatione. Nec mihi Diodori locus, *l. 5.* ubi de novem illis Cretenſibus Curetibus, ſcrupulum injicit, & ab ea lectione inhibet, ubi inter plurium rerum & artium inventionem, quam Curetibus tribuit, addit: Τὰ περὶ τὰς θήρας καὶ τὰς κυνηγίας εὑρεῖν. Nam ultra quòd Diodori auctoritas contra omnium antiquorum turbam & conſenſum mihi parùm valere videtur, recantat ipſe Diodorus, & contra ſe ipſum pugnans ait, ex Cretenſium traditione, Apollinem in Creta natum, πρῶτον δὲ τὴν τοξικὴν διδάξαι τοὺς ἐγχωρίους ἐπὶ τῶν θηρίων. At certè ſi Apollo primus fuit arcûs & ſagittarum inventor, & ejus uſum docuit Cretenſes, non erat notus arcus Curetibus, qui ante Apollinem natum, & ipſo Jove antiquiores in Cretâ habitabant. Hæc ille. *Nic. Lloydius.* Vide quoque Joh. Marſhamum, *Canone Chron. Secul.* X. tit. *de Idæis Dactylis* Jovis in Creta, quos cum Idææ Matris in Phrygia Corybantibus, *Curetum* communi nomine comprehendi docet.

CURÆUS Joachimus, Sileſius, Melanchthonis diſcipulus, Medicus inſignis. Scripſit *de Coloribus, Sonis, Odoribus, Saporibus & Qualitatibus Tangibilibus, Deſcriptionem Sileſiæ, Gentis illius Annales* &c. Obiit A. C. 1573. Melch. Adami *Vitis Medic.* Placcius *de Scriptor. Anonym.* Teiſſier in *Elogiis.*

CURIA, ſic dictæ primò Romanis XXX. illæ portiones, in quas populum diviſit Romulus: dein partium illarum ædes publicæ, quibus & convenire ſolebant ſingulæ Curiæ, & ſacra peragere. Tertiò locus, in quo Senatus Rempubl. curabat: atque inde quartò, locus etiam, cui ſuam quiſque domum Senator contulit. Athenis Κυρία dicebatur & ipſa concio & concionis locus, ubi convenire ſolitus eſt Magiſtratus & cetera. Item dies rei alicui conſtituta, vadimonii ſiſtendi, vel juris dicendi gratiâ: nec non ſententia, quæ in ſuffragiis vincit, unde Proverb. Ἄκυρα Κυρία. Tandem poteſtas & dominium. Et certè Romana dictio à Græca profecta videtur, licèt Varro à *Cura*, Canoniſtæ à *Cruore* derivent. *Curia* pro foro juridico, apud Scriptores Eccl. & in Jure Civ. antiquè nonnunquam reperitur. Exin pro poteſtate & brachio, ut ajunt ſeculari: atque aliàs pro omni populo ſeculari: Sic ut Curia & Eccleſia inter ſe diſtinguantur, modò quò Eccleſia & Regnum. Vide Jureti *Obſervationes in Epiſt. 53. Ivonis ad Sanchonem Epiſc. Aurel.* Apud Germanos autem, Francos, Anglo-Saxones, & gentes Boreales, non veniſſe in uſum, *Curiam* pro foro juridico, ſed communiter *Mallum, Placitum, Gerontum, &c.* recepta fuiſſe vocabula, demum poſt acceſſum Normannorum, introductam eſſe, exiſtimat Spelmannus, *Gloſſar. Archæol.* Dicebatur autem *Curia* primò de Regia ſeu Palatio Principis, unde de familia & judiciis in ea habitis. Ritu vetuſtiſſimô, ut oſtendit Virg. *l. 7. Æn. v. 174.*

----- ----- Laurentis regia Pici:
Hic ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Regibus omen erat; hoc illis Curia templum.

Jam de omnibus foris judicariis effertur, *Idem. Curiarum* verò XXX. in quas populus Roman. diviſus, origo hæc. In tres partes diſtributâ univerſâ multitudine, Romulus ſingulis præclarum aliquem virum Ducem præpoſuit: dein unamquamque rurſum in decem partitus, totidem viros fortiſſimos illis præfecit, haſque *Curias*, illas Tribus vocari voluit. Cuique dein *Curiæ* ſacra ſua partitus eſt, aſſignatis in ſingulas Diis ac Dæmonibus, quos perpetuò colerent, ſumtu in hæc ex ærario publico attributò. Hæc quoties celebrarentur, aderant Curiæ ſuis vicibus epulumque diebus feſtis præbebatur *Curialibus*, in aula cuique illarum propria. Vide Dionyſ. Halicarn. *l. 2.* Unde ſingulis *Curiis* fuiſſe aram alicujus Numinis, ut in Julia Victoriæ, de qua multa Dio, *l. 51.* & Suetonius, *Aug. ſub fin.* rectè cenſet Caſaubonus. Appoſitè ad hanc rem Symmachus de illa ara ad tres Augg. qui tolli eam juſſerant: *Illa ara concordiam tenet omnium: illa ara fidem convenit ſingulorum: nec aliud magis auctoritatem facit ſententiis noſtris, quàm quòd omnia quaſi juratus ordo decernit.* Vide Caſaubon. ad Sueton. *Aug.* 35. Nomina *Curiis* à raptis Sabinarum virginibus indita, ſtatuit Livius, *l. 1. Dec. 1* adſtipulante *Feſtô*: ſed *Varro* priùs, quàm raperentur Sabinæ, à Romulo *Curias* inſtitutas, atque partim à Ducibus partim à veteribus patriis, nomina fuiſſe impoſita contendit: è quibus præter octo, de quibus infrà, reliqua intercidere. Licèt autem primitùs Tribuum partes eſſent *Curiæ*, poſtea tamen creſcente Tribuum numerô, eadem ratio obſervata non eſt. Qui ſacris unicuique peculiaribus præerant, *Curiones* dicti ſunt: illis hodie in Urbibus pleriſque Parœciæ reſpondent &c. *Curiam*, ubi Senatus habitus, primus ædificavit Tullus Hoſtilius Rex in monte Cœlio, quæ ab auctore *Curia Hoſtilia*, nonnunquam per excellentiam *Curia* audit: huc nemini, præter Senatores, conſidere fas erat, qui ibi de negotiis domeſticis deliberabant. In *Curia Pompeja* verò, ita à Pompejo nomen, non Senatoribus modò, ſed & aliis Magiſtratibus civicis coire permiſſum erat. In *Curia Julia* tandem, quam Jul. Cæſar condidit, extranea negotia, ut Legationes aliaque expedita ſunt. Vide Alex. *Genialium dierum l. 1. c. 16.* Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l. 6 c. 2. & l 7 c. 9.* &c. non infrà, in vocibus *Curiata* & *Curio*: ut de Φρατρίαις Athenienſium, quæ *Curiis* Roman. reſpondebant, infrà ubi de *Demarchis*, item voce *Phratria.*

Nomina 8. Curiarum, quæ ad nos pervenêre.

Calabra Curia, ubi tantùm ſacrorum ratio geſta eſt; *Varro.*

Faucia, vel, ut alii malunt, Saucia; cujus initium duobus inſignibus cladibus captæ Urbis & pacis Caudinæ memorabile fuit, Liv. *l. 9.*

Forienſis, cujus mentio apud *Feſtum*, una ex 4. quarum ſacra in veteribus curiis fiunt, *Feſtus.*

Rapta, cujus eadem cum priore ratio.

Teſata, à loco juxta Capuam cognomine dicta.

Titia, à prænomine Tatii Regis appellata videtur.

Vallenſis, *Feſto* memorata, una ex 4. quæ è veterib. Curiis ad novas, utpote ampliores, cùm evocandæ eſſent, religio obſtitit: itaque ejus ſacra in veteri loco peracta ſunt.

Velitia, cujus apud eundem *Feſtum* mentio, ſimilis cum priori rationis fuit.

Recentiori ævô, *Curia*, Senatus Civitatis, cujus Magiſtratus *Decuriones* & *Curiales* dicuntur, in *Cod. Theodoſ.* & *Juſtinian. de Decur.* paſſim. Fuerunt autem iſtiuſmodi *Curiæ* inſtitutæ, in municipiis Senatus Roman. exemplô, εἰς τὴν τῆς βασιλευούσης πόλεως μίμησιν, ut eſt in Juſtiniani *Nov. 38.* unde & *Senatus* nomen iiſdem inditum, Vide Jac. Gothofredum *ad tit. C. Theodoſ. de Decur. & Juriſconſ.* Item Regius comitatus, Gall. *la Cour.* Guntherus, *Ligurini l. 4.*

Nec tamen emiſſâ tantorum plebe virorum
Vel Principi vacuus, vel Curia ſola remanſit.

Aliquando undè, pro Papali, Gall. *la Cour de Rome.* Rythmi antiqui *de orig. Monaſterii Pratenſis in Flandria,*

Iter perrexit ad Curiam, ſirmam ſequens habere,
Paucam habebat monetam, nihil poterat præbere,
Et qui nihil poteſt dare, non eſt opus in Curia &c.

Ut alias vocis ſignificationes omittam. In plurali *Curiæ*, dicti ſunt ſolennes illi Regum Conventus, quos in præcipuis anni feſtivitatibus celebrabant, advocatis omnibus Regni Magnatibus atque Prælatis, quorum lites ibi ac controverſiæ, ut & alia majoris momenti negotia ut plurimum diſceptabantur. Indicebantur iſtæ banno ſeu edictô publicô Magnatibus, Prælatis & Civitatum totius Regni Nunciis ad eas ſubmonitis. Quò fine ob anguſtias interdum Urbium, eligebantur nonnunquam amplæ planities, in quibus & tentoria & ædes & Palatia, ex lignis, tumultuariô opere erigebantur, ut factum in illa *Curia ſolenni*, quam ad Moguntiam tenuit Fridericus I. A. C. 1182. apud Arnoldum Lubec. *l. 3. c. 9.* ubi multa de hujuſmodi Curiarum habet magnificentia, ut inter alia, quid *officium Dapiferi ſeu Pincernæ, Camerarii ſeu Marſcalli non niſi Reges, vel Duces aut Marchiones, adminiſtraverint.* Vide quoque Richardum de S. Germano in *Chron. d. l.* 1231. Anonymum, *de Geſtis Friderici II. Imperatoris*, Ditmarum, *l. 4. p.* 36. & Albertum Argentin. *A. C.* 1356 & infrà, *Placita Principum*, it. *Sedes Curiæ Gen.* ut de phraſi Gallorum *tenir Tinel* huc pertinente, ubi de *Tintinnabulis*. In iis autem Reges ac Principes coronati procedebant, ſacriſque liturgiis ac conviviis, eidem ornatu inſignes, intererant: imponebatur verò illa eis, inter Liturgiæ ſolemnia ab Archiepiſcopis vel Epiſcopis. Unde *Coronatæ Curiæ*, iſtiuſmodi Regum Conventus dicti ſunt. Vide quæ de duabus coronis aureis, coronandis Regi & Reginæ olim in Francia factis & coronulâ aureâ, quam conſueverunt Rex die coronationis ſuæ in prandio deportare, Abbati & Conventui S. Dionyſii cuſtodiendis traditis, habet, aliaque plura hanc in rem congeſſit, Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CURIA.

CURIA, urbs primaria Rhetiæ, inter Mediolanum & Brigantium. *Chur* hodiè *Germ.* Gallis *Coire*, Italis *Cura*. Sita eſt hodie ad pedes trium montium, ad dexteram ſluv. obſtrepere, *Pleſſura* nomine, qui ex valle Scanavina, in Rhenum, hic demum nomen ſuum merentem, infra Curiam 2. mill. paſſ. influit. Olim *Imburg* dicta, teſte Guillimanno, *p.* 430. Alii *Ptolemæum*, qui ſub Adriano & Marco Imperatorib. vixit, ejus meminiſſe, & *Ebrudunum*, aut *Ebodurum* nominâſſe affirmant. Guillim. *Ibid.* Sprecherus, *Pallad. Rhæt.* *l.* 8. Antoninus non amplius Ebodurum vocat, ſed *Curiam Rhætorum*, quam a Brigantio 50. mill. paſſ. & à Timpetione 20. mill. paſſ. diſtare ait. *Onuphrius* Colonias Rhætiæ recenſet quinque, quæ ſunt: Auguſta Quintanorum, Auguſta Tiberii, Auguſta Rhætorum, Colonia Conſtantia, & *Curia*. Hujus originem ad Conſtantii Conſtantini fil. tempora refert Munſter. *l.* 3. circa A. C. 357. Nomen urbi à Corvantiis, populo Rhætiæ petolantiſſimo, teſte Strabone, *l.* 4. qui Celtarum priùs hanc regionem incoluerunt. Hos feroces & in arcibus ac naturâ munitis locis degentes ſocios & cives aſſumſerunt Rhæti, Tuſcorum progenies, in hos montes ex Italia profugi. Sprech. *l.* 1. 2. *&c.* Cùm Hadriani temporibus Rhætia in primam & ſecundam dividerent, utrique Præſides dati à Romanis. Quorum ſecundæ quidem Auguſtæ Vindelicorum: primæ verò in duobus caſtris Marſoila bene der Hof, & Spinoila, ſedem habuit: ab his ſucceſſiva incrementa urbs cepit, tum etiam ab arce egregia Planterra *Imburg*, quæ jam centrum civitatis, emporiò ibidem extructò. Aucta dein fuit Curia, cùm in campis Caninis Conſtantinus Imperator, A. C. 355. contra Alemannos hiberna ſua haberet. Vide fuſiùs Munſterum, Sprecherum, Stumpfium, &c. In templo S. Lucii, ubi Epitaphia antiqua viſuntur, quæ vide apud Plantinum, *Helvet. nova antiqu.* Epiſcopi Curienſis adhuc ſedes, ſed Euangelicæ doctrinæ addicta: primus Epiſcopus Aſimo fuit, circa A. C. 451. cui Puſinus ſucceſſit. &c. quorum reditus poſt Comitum Curienſium familiam extinctam, magnoperè aucti, & inſignia quoque horum ab illis in poſterum uſurpata ſunt. Fœdere cum Tigurinis unitò A. C. 1419. in jus civitatis illius recepti ſunt. Caput eſt autem hæc urbs, fœderis Rhætorum Cathedralis, eòdemque ferè modò, quô Tigurina Reſpubl. adminiſtratur, a duobus Conſulibus quorum annuum per vices imperium eſt. De quo plura vide apud eund. Simler *de Rep. Helvet.* Incendium ingens A. C. 1674. paſſa, ſenſim in priſtinum nitorem redit, &c. Inter Clavennam 4. leuc. Helv. ad Meridiem, Brigantium 6. ad Boream & Conſtantiam 8. Similiter 8. leuc. à Tiguro diſtat in Eoum. *Baudrand.*

CURIA, vel CORTA, Otadinorum oppid. Angliæ in Northumbria, *Corbridge*. Camdeno. Ad Tinam fluv. in ditione Diœceſis Dunelmenſis, aliquot milliar. ſupra novum Caſtrum, in Occaſum.

CURIA, vulgò *Corte*, urbs in meditullio Corſicæ, ſatis culta & ſaxo impoſita, prope Golum fluv. ubi perſæpe commoratur Epiſcopus Aleriensis, 18. milliar. ab Aleriæ ruinis, in Occaſum, 25. à Calvio in Ortum.

CURIA Picta, *Corbetta*, pagus Inſubriæ. *Alciat.*

CURIALES, inter alia iidem qui *Decuriones*, vide ſuprà. *Magnus Curialis*, dignitas in Civitatibus eſt. *Grand-Curial de Bauge, & Yenne*, apud Guichenon. *in Probat Hiſtor. Breſſ.*

CURIANDRA, Bactrianæ oppid. *Ptol.*

CURIANUM, Galliæ Aquitaniæ promontor. *Ptol. Bertio &* *Sanſon Cap de Buch*, illa in Aquitaniæ parte, quæ nunc Guienna propria, in ora Oceani Aquitan. 18. leuc. ab oſtio Garumnæ in Auſtrum, 12. à Burdegala in Occaſum. Aliis eſt *la pointe d'Arcachon*, ad oſtium ſinus Arcaſſonis, 4 leuc. à Burgo in Occaſum in ora Oceani. Vinetus *Cordon* eſſe mavult, ſcopulum in Oceano Medulico.

CURIAS, Cypri promontor. Plin. *l.* 5. *c.* 31 oppid. verò *Ptol.*

CURIATA Comitia, in quibus populus Curiatim ſuffragium ferebat, hoc eſt, in quibus populi per Curias diviſi Sententia rogabatur, ut quod plures curium ſciviſſent, id ipſum populi juſſum eſſe diceretur. De iis ſic A. Gellius, *l.* 15. *c.* 27. *In eodem libro ſcriptum eſt: Quum ex generibus hominum ſuffragium feratur, Curiata Comitia eſſe; quum ex cenſu & ætate, Centuriata; quum ex regionibus & locis, Tributa.* Fuêre autem Curiata omnium Comitiorum antiquiſſima, ita ut primis illis temporibus omnia, quæ populi ſuffragiis fierent, non niſi Comitiis fierent Curiatis. Fiebant intra pomœrium, & ut plurimùm in foro, in loco, qui inde *Comitium* dictus, ut teſtis eſt Varro, *de L. L. l.* 4. Et poſt ejectos Reges, duabus potiſſimum rationibus habebantur: una fuit legum ferendarum, altera Sacerdotum quorundam creandorum. Differebant à Tributis, quòd in his ſimul vocentur, qui ejuſdem regionis ſunt, ut quiſque ſuam dicat ſententiam, in Curiatis verò ſinguli vocentur, qui ejuſdem Curiæ ſunt. Itaque ſi contigiſſet quoſdam, qui nomina profeſſi erant in aliqua Curia, domicilium mutare & in alterius locum commigrare, hi non cum iis, inter quos primùm nomen ſuum profeſſi erant, ad Comitia Curiata, ſed cum vicinis ſuis ejuſdem regionis ſive tribus, ad Tributa Comitia vocabantur. Dein, ut docet Dionyſ. Halicarn. *l.* 10. *Curiata* ſuffragia tum demum rata habebantur, ubi & Senatusconſultum præceſſiſſet, cum ad populum id promulgari oporteret, ſuffragiis curiarum collectis, nullóque vindice augurns vel oſtentis obnuntiatò: Tributa verò ſine Senatusconſulto vel Sacerdotum aut Augurum approbato fiebant, oportebatque ea intra unum diem confici, Olſelius *in A. Gellii locum ſupra citatum.* Indicebantur *Curiata* Comitia per triceenos Apparitores, quorum ſingulos ſingulæ Curiæ habebant, in iis, cùm ritu præſcriptò propoſitio facta placebat, ad electionem procedebatur, ſin minùs, intercedebat Tribunus Pleb. ſicque Comitia ſolvebantur. Convocandi habendique hæc Comitia jus primùm penès Reges erat; Poſteà Magiſtratibus quibuſdam Patriciis, Conſulibus, Prætoribus, Dictatoribus & Interregibus: Pontificibus etiam id conceſſum fuit, nec non Flaminibus. Suffragium in iis inierunt cives Romani ſed ii tantùm, qui in Curias erant deſcripti, quales ſaltem fuêre, qui in urbe habitabant, &c. Plura vide apud Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 6. *c.* 2. 3. 4. 5. 6. 7.

CURIATII, gens antè Albana, poſt Romæ Patritia minorum gentium, Albâ exciſâ à Tullo Hoſtilio, Romam cum aliis traducta. Romæ Conſularis fuit & Tergemini cognomen, quemadmodùm *Horatia*, tenuit. Curiatiorum gens à Curia fortaſſè manavit.

CURIATII, tergemini fratres Albani, in pugna, contra totidem Horatios, fratres Roman. occiſi. Florus, *l.* 1. *c.* 3. Liv. *l.* 1. *c.* 24. Dionyſ. Halicarn. *l.* 3. &c.

CURIATIUS, cognomen Jani, vide ſuprà.

CURIATIUS Maternus, Poëta Latinus, ſub Veſpaſiano. Ejus nihil reſtat, præter Medeam tragœdiam. Auctor *de cauſis corr. Eloq. dial. c.* 5. Voſſ. *de Poet. Lat. c.* 3.

CURIATIUS Philo, vide *Philon.*

CURICA, urbs vetus inter Bætim fluv. & Emeritam. *Antonin.*

CURICTA, inſul. Illyrici objacens. Plin. *l.* 3. *c.* 21. *Vegia* hodiè *Hermolao* dicitur. *Kurikta* Straboni, *l.* 7. & *Kurikton*, *l.* 11 quod minus probat *Caſaubonus*, *Kueruma Ptolemæo*, *Baudrando Vegia*, Inſul. in intimo receſſu ſinus Flanatici, paucis milliar. ab ora littorali Liburniæ. Circuitus eſt 55. milliar. circiter, à Senia Urbe in Occaſum 5. milliar. Habet Abſyrtides Inſul. in Occidentem, Arbam in Auſtrum. Ejus primaria eſt *Curicum*, *Vegia*, in parte Occidentali Inſul. Alia loca ſunt *Veſka*, *Beſcha* & *Verbenica*. Sub Venetis à multis annis. Melius *Vegia* dicitur.

CURICUM, ſeu CURICTUM, Curictæ Inſul. Urbs primaria. Gaudet arce & portu; contra Albiorum, ab ea 4. leuc. Germanic. in Ortum, Seniam verſus, à qua totidem leuc. diſtat. Vide *Curicta.*

CURIFUGIA, nomen villæ Nicolai Perotti, quam in agro Seminati habebat, inter 2. fluenta, Sentinum & Nevolam, ubi eſt ſaluberrima cœli temperies.

CURIGA, oppid. Hiſpaniæ Bæticæ. Vide *Urſilonetum.*

Qp. CURIO, pater, Orator egregius, hinc opulentus, ſed nullâ memoriâ fuit. Hic in quadam oratione, Cæſarem *omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem* vocavit. Tacit. *l.* 18. *Annal. c.* 7. Sueton. *in Cæſare, c.* 49. Cicer. *in Bruto.*

C. CURIO, filius, Tribun. plebis, Cæſarianas partes ſecutus eſt, vir luxu & audaciâ ſingularis. Sexcenties enim H S debebat uti Val. Max. *l.* 9. *c.* 1. *de luxu ex.* 6. ſcribit. Is itaque, ut ſe ære alienò liberaret, atque emergeret, Cæſarem ad bellum Civile impulit. De eo Lucan. *l.* 1. *v.* 268.

Hos jam mota ducis, vicinaque ſigna petentes
Audax venali comitatur Curia lingua:
Vox quondam populi; libertatemque tueri
Auſus, & armatos plebi miſcere potentes.

In Africam miſſus, contra Varum fortiter pugnans, eum in fugam conjecit: Sed à Juba ſubitò oppreſſus, ſponte mortem ſubiit. Plut. *in Pompejo, & Cæſare.* Florus, *l.* 4. *c.* 2. *&c.* Hic *Theatra duo juxta fecit ampliſſima è ligno cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſa libramento: in quibus utriſque, antemeridiano ludorum ſpectaculo edito, inter ſeſe averſis, ne invicem obſtreperent ſcenæ, & repente circumactis ut ſtarent, poſtrema jam die deſcendentibus tabulis & cornibus inter ſe coeuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum ſpectacula edebat, ipſum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Quid enim miretur quiſque in hoc primum? inventorem, an inventum? artificem, an auctorem? auſum aliquem hoc excogitare, an ſuſcipere? parere an jubere? ſuper omnia erit populi furor, ſedere auſi tam infidâ, inſtabilique ſede. En hic eſt ille terrarum victor, & totius domitor orbis, qui gentes & regna diribet, jura exteris mittit, Deorum quædam immortalium generi humano conceſſa portio, in machinis pendens, & ad periculum ſuum plaudens. Quæ vilitas animarum iſta, aut quæ querela de Cannis, quantum mali potuit accidere! Hauriri urbes terræ hiatibus, publicus mortalium dolor eſt. Ecce Populus Romanus univerſus, velut duobus navigiis impoſitus, binis cardinibus ſuſtinetur, & ſeipſum depugnantem ſpectat, periturus momentò aliquò, luxatis machinis,* &c. Vide Plin. *Nat. Hiſt. l.* 36. *c.* 15. Integrum nomen ei ſuit, C. Scribonius C. F. Pop. Curio. Nam Curio Scriboniæ familiæ cognomen eſt. *Nic. Lloydius*

CURIO Cœlius Secundus, illuſtri in Taurinis locò natus, Philoſophus doctiſſimus, ob purioris cultus amorem, multa paſſus & è carcere ſqualido aliiſque graviſſimis periculis miraculoſè liberatus, cum familia Baſileam conceſſit: ibique Philoſophiæ & Eloquentiæ ſtudia propemodum ann. 23. profeſſus, obiit A. C. 1569. ætat. 67. Scripſit, *Dialogum Probum*, *Araneum ſeu de Providentia*, *Forum Romanum*, *&c.* Pater *Auguſtini*, Saracenicæ Hiſtoriæ Scriptoris, *Horatii*, qui annò ætat. 20. Piſis Phil. & Medicinæ laureâ impetratâ, à Maximiliano II. Imperatore ad Selimum Turcarum Imperatorem legatus, Sebenici obiit, juſſu Cæſaris magnificò ibi epitaphiò honoratus *Leonis*, cujus filii Principibus grati, & filia Margareta, Johanni Buxtorfio, Hebrææ linguæ Doctori incomparabili, nupſit: *Angela*, virginis eruditæ, &c. Vide de his omnibus Anton. Teiſſier in *Elogiis*, *Part.* 2. *p.* 357. 358. Suprà quoque aliquid, lemmate *Cœlius Secundus Curio.*

CURIONES, German. populi *Ptol.*

CURIONES, apud Romanos dicti ſunt, qui pro Curia quiſque ſua ſacra curabant. Inſtituit id Sacerdotium Romulus, populò in 3. Tribus Curiaſque 30. diviſò: confirmavit Numa Pompilius, Dionyſ. Halicarn, *l.* 2. Hi ſinguli à ſingulis Curiis eligeban-

eligebantur, quorum is, qui reliquis omnibus præſidebat, *Curio Maximus* dictus eſt. Hujus auctoritate cæteri regebantur, nec is, niſi omnium Curiarum ſuffragiis, Curiatis Comitiis creabatur. Sacra, quæ in Curiis fiebant, *Curionia*: & æs quod dabatur Curioni ob Sacerdotium, *Curionium*: ipſi Curiones quoque *Flamines Curiales* dicebantur. Domus tandem publica, in qua ſacris peractis quælibet *Curia* ſolebat convivari, *Domus Curialis*, nonnunquam ſimpliciter *Curia* vocitata eſt, vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 3. *c.* 13. Binos ſingulis Curiis, adeoque 60. *Curiones* habet Thom. Godwyn. *Anth. Rom. l.* 2. *ſect.* 2. *c.* 5. Meminit *Curionum* quoque Martialis, *Præfat. l.* 2. *Epigr. ad Decianum*, *Quid nobis*, inquit *cum Epiſtola? parum ne tibi præſtamus, ſi legimus Epigrammata? --- Video quare Tragœdi epiſtolam accipiant, quibus pro ſe loqui non licet. Epigrammata Curione non egent, & contenta ſunt ſuâ, id eſt, malâ lingua.* Ubi notat Turnebus, *Curionis* hujuſmodi officium fuiſſe, omnia, quæ in Theatro, vel Principis mandatô, vel Magiſtratus juſſu edictôve, vel alicujus poſtulatô pronuntianda erant, proclamare, uti quaſi præconem Theatralem ſic egerit Curio, vide eum *Adverſar. l.* 25. *c.* 8. Sic itaque Tragœdi, ſi quid eſſet, quod Principem vel populum, monitos togatoſque vellent, epiſtolam exhibebant, quem vocalis aliquis *Curio* clarâ voce legebat, quoniam iis in Dramatico poëmate, quæ extra ſcenam & argumenta eſſent, loqui non licebat &c. Vide quoque infra *Plebani*.

CURIOPOLIS, Urbs Cariæ. *Steph.*

CURIOSI, Palladio, in *Vita* Chryſoſt. *Κουριοσοὶ*, in *Gloſſ. Baſilic. Κουριόσοι*, dicebantur, qui delecti ex *Memorialibus*, atque etiam ex *Agentibus in rebus*, ab Imperatore per ſingulas provincias, modo bini, modò ſinguli, annuum munus obituri, mittebantur, qui & curſui publico invigilarent, ne videl. citra evectionem quis eô uteretur, & omnia, quæ geri in Republ. viderent, ad Principis notitiam deferrent. Dicti, quod *curis* agendis & evectionibus curſus publici inſpiciendis operam darent, *l.* 13. *Cod. de curſ. publ. Lib.* 12. *l.* 2. C. *de curios. l.* 1. C. *de offic. Magiſtr. officior.* ad eoſque cura vehicularis curſus pertineret, ut loquitur *l. ult* §. 4. *ff. de muner. & honor.* Eoſdem crimina Judicibus nuntiâſſe, indicat *l.* 1. C. *de curioſ.* Tertullian. *l. de fuga in perſec. In matricibus beneficiariorum & curioſorum. In paſſionibus B. Memnæ*, Heliodori cujuſdam mentio fit, qui Curioſi officiô fungebatur. Eôdem pertinent, quæ à Suida in verbo *Κουριόσος* referuntur, *ἐκ τῦ βίυ Χρυσοστόμυ*. Ea ſunt hujuſmodi, *Ἐλαύνετο ὑπὸ τῦ Κουριόσυ τῆς πόλεως ἐν μέσῳ τῆς πόλεως*, *Trahitur à Curioſo urbis in media in urbe.* *Curioſos* etiam *Publicanis* vectigalium redemptoribus conjungit Julius Firmicus, *l.* 3. *Curioſos litorum* invenies, *in Nov. un. Theodos. & Valent. de trib. fiſcal.* Et Primos *Scholarum Curioſos*, *in l.* 6. *ff. de curioſ. in Cod. Theodoſ.* Vide Joh. Laurentium JCtum *notis in Phædrum*, *l.* 4. *Fab.* 21. *v.* 12.

--- --- Quidam curioſior
Simonide, in ex opibus nihil ſumo tuis.

Ubi ſic vocari communiter notat eos, qui ſolliciti ſunt de aliis, ex Plauto, *Stich. Act.* 1. *Sc.* 3. *v.* 44.

Sed curioſi ſunt hic complures mali,
Alienas res qui curant ſtudio maximo.

Specialem dein vocis in antiquitate ſignificatum, de quo retrò ſubjungit. Similes in Gallia *Contrarotulatores diſpoſitorum equorum*, Gall. *les Controlleurs des Poſtes*, facit Scaliger ad *Manilium*, *l.* 5. In *Notit. Imper.* occurrunt *Curioſi curſus publici præſentalis*. Et *Curioſi per omnes prov.* in *Nov.* Theodoſ. & Valent. *de Tribut. Fiſcal.* &c. Qui cum multiplici concuſſione & nequitiâ infames eſſent, ſublati demum ſunt à Juliano Imperatore. Vide Jac. Gothofredum *ad tit. Cod. Theodoſ. de Curioſis*, apud Car. du Freſne indignatum, qui *Curioſos & Correctores Fratrum ordinis Grandimontis* quoque memorat, ex *Arreſto* Parlam. Paris. 15 Jan. A.C. 1312. Vide quoque infrà, ubi de *Frumentariis*, & *Stationariis*. Sed & hâc voce per dicterium appellari homines graciles & macilentos, apud Plautum legimus *in Aulul. Acta* 3. *ſc.* 6. *v.* 26. tanquam qui *curis* ſe caederent ac maceraret; quemadmodùm *Incurioſi* contrà pingues ſunt. Unde *Agnus incurioſus*, apud Apulejum, *Flor.* Eôdem ſenſu *Curio Agnus*, pro macro, apud eundem Plautum, *ibid. v.* 27. repetimt &c.

CURIOSI Naturæ, nomen Societatis in Germania illuſtris, inter præſtantiſſimos Medicos, certis legibus inſtitutæ, auctore Joann. Laur. Bauſchiô Medicô celeberrimô, qui Suinfurti, in Franconico Circulo, liberâ Imperii Civitate communicatô cum aliis Medicis conſiliô, deprehendit, Rei Medicæ optimè conſultum iri, ſi ſingulari curâ præcipuorum Naturalium, in triplici Regno, *Minerali*, *Vegetabili* & *Animali*, indoles, differentiæ, vires, remedia, accuratè enarrarentur. Cui negotio quod unius hominis vires ætaſque non ſufficeret, eôdem Annô MDCLII. initium factum fuit Collegii hujus, & ſub certarum Legum præcepta aliquot Medici in unam Societatem coiverunt, Bauſchiôque præſide Præſide electô duos ipſi *Adjunctos*, Jo. Mich. Fehr, & Georg. Balth. Mezgerum itidem Suinfurtenſes aſſociârunt. *Argonautica expeditionis* nomen Societati, Bauſchio *Iaſonis*, cæteriſque ſimilia, dare placuit, quibus cùm ſenſim alii ſeſe adjunxiſſent, primus *Vitem Viniferam* ſeu *Ampelographiam Curioſam* edidit Phil. Jac. Sachs à Lewenh. Vratiſlavienſis A. C. 1661. Annô ſequente promulgata fuit *Epiſtola invitatoria*, ad quoscunque Medicos directa, quibus in hæc Naturæ & Societatis caſtra deſcendendi prolubium ſubiret, unâ cùm Legum tum temporis obſervatarum teſſera & teſtimoniis variorum præcellentium Medicorum, Tabulâ item cum Archivô inſcriptorum membrorum, quod ſcriptum ſub nomine *Salve Academicum*, Typis vulgatum eſt. Poſtmodum ipſe Præſes germanum tractatum emiſit, de *Lapide Hæmatite & Ætite*, A. C. 1665. Secutus eſt Fehrius, qui de *Scorzonera* ſcripſit, & ſimul D. Bauſchii *Unicornu foſſile* erui. Eôdem verò annô, hôc defunctô, Sachſius præfatus, *Gammarus* ſeu Cancer ergonotheſitus, *Gammarologiam Curioſam* emiſit, & Fehrius in Præſidis defuncti locum electus eſt A. C. 1666. Idem de *Abſinthio* librum vulgavit A. C. 1667. Poſt quem *Elaphographiam* Jo. Andr. Graba, Erfurtenſis Medicus, & *Carduum Benedictum* Georg. Chriſtoph. Petri Electoris Moguntini Archiater: ipſe Fehrius *Cæruleum* & *Chryſocollam*, ea Bauſchii ſcrinii, edidêre. Quô factô conſtitutum, ut Societatis Regiæ in Anglia aliarumque quarundam in Gallia exemplô, quotannis *Ephemerides* Germanorum, h. e. *Miſcellanea Curioſa Medico-Phyſica* ederentur, & quidquid in Anatomicis, Botanicis, Phyſicis, Pathologicis, Chymicis, Chirurgicis, vel ab Exteris, vel Germanis, per commercium literarum communicaretur, vel etiam à Germanis ipſis fidâ experimentorum veritate inventum fuiſſet, Erudito Orbi, quaſi in una Tabula, delineatum exhiberetur. Quod ut feliciùs effectui daretur, Leges priſtinæ partim mutatæ, partim auctæ, & ut *Fautores* nonnulli, alii ut *Collegæ* recepti: *Collectores* quoque in Urbe Vratiſlavia Sileſiorum inſtituti ſunt, ad quos ea omnibus otii literæ dirigerentur. Ipſi verò Societati nomen S. ROM. IMPER. ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM impoſterùm eſſe juſſum eſt: cui cùm ipſe Imperator Leopoldus patrocinium ſuum indulſiſſet, ab eo tempore magnis auctibus Societas crevit, & indies celeberrimorum Virorum acceſſione, non ſine maximo Publicæ Rei emolumento, locupletatur. Vide *Ephemeridum Medico-Phyſicarum Germanic. annum ſecundum A.* C. 1671. *editum Jenæ*

CURIOSOLITÆ, populi inter Celtas ex Maritimis civitatibus Oceanum attingentibus, quæ *Armorica* appellantur, proximi Andegavenſibus. Hos *Coriſopitenſes* eſſe pleriſque placet. Primò memorantur Jul. Cæſari, *Comm. de bello Gall. l.* 3. *c.* 6 & 11. ubi illos, cum aliis Galliæ populis à P. Craſſo cum ſeptima legione miſſo, in ditionem populi Romani redactos eſſe: & *l.* 7. *c.* 75. ubi illos 6000. armata in bellum contuliſſe ſcribit. Eorum, ut & Venetorum regiones à Britannis, Anglorum Saxonumque potentiam fugientibus occupatam eſſe, A. C. 786. refert Eginhardus, in *Annal.* Hinc Cornubia à ſitu, & quaſi Cornu *Galliæ*: *Cornavalle* civitas eorum dicitur, teſte *Marliano*, in Britanniæ Ducatu. *Baudrando* tractus horum, Cornubia recenti nomine, volgo *Cornouaille*, dicitur, urbs *Coriſopitum*, vulgò *Kemper* Britann. Gallis *Quimper Corentin*, i. e. civitas Corentini, ab Epiſcopo quondam ſuo & patrono: Caput inferioris Britanniæ verſùs oram. Sedet inter Gobæum promontor. ad Boream, & Venetos ad Ortum. Epiſcopus ejus, inter Antiſtites Turonenſi Archiepiſcopo Metropolitano ſuffraganeos, quintum obtinet locum. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.* Vide *Coriſopitum*.

CURISTIS, oppid à terra abſorptum. Plin. *l.* 2. *c.* 91.

CURIUM, urbs Cypri, à *Cureo* Cyniræ filio. In ora Occidentali Inſulæ ubi in Auſtrum tendit, nunc *Audimo*, 9 milliar. à promontor. Albo in Auſtrum, 16. à Curia promontor. quod nunc *Capo delle Gatte*, maximè tendens in Auſtrum verſùs Ægyptum, *Baudrand.* Eſt etiam urbs Ætoliæ, *Steph.*

CURIUS Dentatus Marcus, Romanus civis, exactiſſimæ frugalitatis, & perſpectæ fortitudinis. Hic cùm, in ſcamno ſedens, rapas in foco torreret, & Samnitum legati magnum auri pondus publicè miſſum attuliſſent, invitarentque, ut eô uti vellet, reſpondit, M. Curium malle imperare locupletibus, quàm locupletem fieri, & qui acie vinci non potuiſſet, eum pecuniâ corrumpi non poſſe. Hunc omnium primum de Sabinis triumphâſſe, author eſt *Livius.* Idem etiam Pyrrhum, Epirotarum Regem, acie victum Italiâ expulit, populoque viritim quaterna agri jugera diviſit, ſibique nihilò plus ſervavit, docens, Neminem eſſe debere Ducem, cui non tantum eſſet, quantum militi ſufficeret. Poſtremo de Lucanis ovans urbem intravit. Vide Plut. *in Catone Cenſore.* Aurel. Victor. *de Viris ill. c.* 33. Florum, *l.* 1. *c.* 15. & 18. Horat. *l.* 1. *Carm. Od.* 12. *v.* 41.

Hunc, & incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit. --- ---

Juvenal. *Sat.* 11. *v.* 78.

--- Curius parvô quæ legerat hortô,
Ipſe focis brevibus ponebat oluſcula, &c.

Claudian. *de IV. Conſulat. Honor. v.* 413.

Pauper erat Curius, Reges cum vinceret armis.

CURIUS, præfectus Equitatus Cæſaris, ad quem in via Numicia ſex cohortes Pompejanæ tranſierunt. Cæſ. *l.* 1. *de Bello Civ. c.* 24. ubi *Bivius* appellatur mendoſè, fortè pro *Vibius*. Vide Fabrum, *l.* 6. *c.* 4. Cicer *l.* 9. *Epiſt. ad Attic.* 6.

CURIUS, Alexandriæ Presbyter fuit, tantæ doctrinæ famâ, ut *Origenis Junior* appellaretur. *Hieron.*

CURIUS Fortunatianus, Hiſtoricus, ſub Gordiano & Philippo Arabe. Jul Capitolin. *in Maximo & Balbino*, *c.* 4. Scripſit Maximi vel Pupieni vitam, quæ in Bibliotheca Imperatoris aſſervatur Voſſ. *de Hiſt. Lat. l.* 2. *c.* 3. Locus Capitolini hic eſt; *Priusquam de actibus eorum loquar --- quamvis Curius Fortunatianus, qui omnem hanc hiſtoriam perſcripſit plura congerit*, h. e. pauca eorum admodùm tetigit. Salmaſ. *ad l.* Vide in voce *Curius*.

CURLANDIA Ducatus, olim Livoniæ pars, nunc ſui juris. Sub proprio Duce. Inter Livoniam ad Boream, & Samogitiam ad Meridiem. Ejus præcipuæ urbes, Goldinga, Mitavia, Ducum ſedes, *Wenden*, ſeu *Kies*. Habet ab Occaſu mare Balticum, ad Septentrionem, Sinum Rigenſem, ab Ortu Semigalliam, quæ eidem Duci paret, & à Meridie Samogitiam provinc. Poloniæ: in feudum tamen regni Poloniæ *Baudrand.* Familiæ hujus illuſtris auctor eſt, Gothardus Ketlerus, ex generoſa inter Equites

Weſt-

Weſtphaliæ Familia, Magiſter Ordinis Livonici, ac à Rege Poloniæ Sigiſmundo Auguſto Dux *Curlandiæ ac Semigalliæ* creatus, cujus progenitores ſic habent. Gothardus *Keiler* Eques, ex Maria *de Ratenberg*, genuit Gothardum Equitem Auratum, cujus ex Sibylla *de Neſſelrode* filius fuit Gothardus I. Dux Curlandiæ & Semigalliæ prælatus: quô & Anna Megapolitanâ, genuit Guilielmus Dux maritus fuit Sophiæ Brandenburgicæ, extinctæ A. C. 1610. quô matrimoniô editur Jacobus Dux ex Luiſa Carola Brandeburgica, filiâ Georgii Wilhelmi Electoris ſuſcepit numeroſam utriusque ſexus prolem, vide Phil. Jac. Spenerum, *Theatr. Nobil. tom. II. p. 61. & in Indic.* nec non infrà voce *Keſſelers.*

CURMA, homo mancipii Tullienſis, non longè ab Hippone, cujus mirabilem viſionem refert Auguſtinus, *Tom. IV. de Cur. pro mort. ger. c. 12.* ubi viſionis hujus monitu poſteà ab eo ſe baptizatum eſſe, inter alia addit. Tob. Pfannerus, *Syſtem. Theol. Gent. c. 19. §. 4.*

CURMEN, Κοῦρμι, Dioſcoridi, *l. 2. c. 110.* potus ex hordeo, zytho ſimilis. Vide Salmaſ. *ad Inſcr. Herodis Attici, p. 51.* & Camdenum *in Agro Durbienſi.*

CURNONIUM, ſeu CURNOVIUM, oppid. Vaſconum in Hiſpania, *Baudr.* Alius eſt nunc *Eſtella*, Urbs Navarræ, ad Egam fluv. 5. leuc. ab Ibero fluv. & à confinio Caſtellæ, 12. à confinio Arragoniæ, 7. à Pompelone in Occaſum.

CUROBIS, urbs in ora Africæ, inter Clupeam & Hermæam promontor. *Curobis* Plin. *l. 5. c. 4. Calibia Marmol.*

CURONENSIS lacus, *Curiſch Haff*, in Pruſſia Ducali in longum protenſus, juxta Balticum mare, ubi ſe exonerat, prope Memeliam arcem, recipitque Ruſſam & alios minores fluvios.

CUROPOLATES Johannes, auctor Græcus ſcripſit epitomen *Hiſtoricam* ab A. C. 811. ubi Theophanes deſiit, uſque ad A. C. 1078. *Cedrenus*, qui uſque ad Iſacum Comnenum habet, hunc deſumſiſſe videtur. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l. 2. c. 26.* Nomen aulæ ſeu palatii miniſtrum denotat. Corippus African. *l. 2.*

Succeſſit Socero factus, mox cura palatî eſt.

Putat idem, hunc fuiſſe Johannem Scylitzam Thraceſium, quem Cedrenus ſe exſcripſiſſe fatetur: qui apud Imperatorem primo armamentarii præfectus, dein Curopalates fuit. Vide Baron. *A. C. 811. n. 11. & A. C. 850. n. 4.* nec non infra voce *Palatium.*

CUROPOLIS, urbs Cariæ. *Steph.*

CURRATERIUS, Gallis dicitur, qui *Conciliator* ſeu *Proxeneta* Latinis, ab *intercurrendo*, Salmaſ. *ad Vopiſc. in Carino, c. 16.* Vide Car. du Freſne, in *Curraterius*. At apud Italos *Corraria* dicitur genus prædæ, quæ procul ab exercitu (extra 10. mill. paſſ. dicebant Romani) in liberis & injuſſis excurſibus agitur, & quam illi a *butino* diſtinguunt. Vide Hug. Grotium, *de Jure Belli & Pacis, l. 3. c. 6. §. 12.*

CURRERE, de venis arborum, apud Plinium, *l. 16. c. 39. Communia his* (larici, abieti & ſapino) *pinoque ut quadripartitos venarum curſus biſidoſque habeant, vel omnino ſimplices.* Unde Græcis τετράοζος, δίοζος, & μονόοζος arbor, quæ *quadrifidos* habet venarum curſus, vel *binas* utrinque ἀποφύσεις, vel *ſimplices*. Latini *ſinuus* appellârunt quoque, & *ſinuoſas* arbores, quæ ſic venis diſtinguerentur. Dicuntur autem ὀροδίνες & venæ in arbore *currere*, ut purpura Melibœa, in veſtis extrema ora, *currit* apud Poëtam, *l. 5. Æn. v. 251.*

— chlamydem auratam, quam plurima circùm
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Et apud Homerum χαλκὸς θέε, *æs currit*, circa clypei ambitum. Unde *cuſvenium*, genus aceris, apud eundem Plinium, quod Theophraſto ὀρθόφλοιον: utrumque ex correctione Salmaſii, quem vide *ad Solin. p. 1034.* At, *Currere*, in *Charta* Regis Abbatis Caroff A. C. 1308. apud Car. du Freſne dicitur, qui ob crimen per urbem traducebatur, quod *trotari* ejusmodi ætatis Scriptores vocant: Cujusmodi pœnæ genus adulteræ apud Francos uſitati ſolenne, quemadmodum olim apud Piſidas, ut idem docet in verbo *Trotare.*

CURRETSA, vulgò *Correze*, fluv. Lemovicum. Oritur 10. milliar. ab urbe Tutelenſi, & irrigatô ſtatim oppidulô Curretiâ, Tutelam prælabens, Brivam quoque præterfluit, demum in Veſeram fluv. ſe exonerat.

CURRICULUM, apud Horatium, *Ode princip. v. 3.*

Sunt quos Curriculô *pulverem Olympicum*
Collegiſſe juvat, metaque fervidis
Evitata rotis

An pro ſtadio & hippodromo? ut apud Ciceronem, in *Catone maj. c. 9. Quum Milo Crotoniates athletas ſe in* Curriculo *currentes videret.* An pro ipſo curſu curruque? Vide Chabotium, *ad l.* Certè *Curriculum* propriè, breviſſimum vehiculi epirotici genus, dictum eſt, quò in ludis olim uſi: Græcè ἁρμάτιον. Ad Olympiacum autem Certamen, Circenſeque ludicrum reſpicit Poëta ubi viciſſe olim maximæ gloriæ erat. Nutriebantur verò præcipuè ad hunc uſum equæ. Virg. *l. 1. Georgic. v. 59.* ubi de Epiro; *mittit*

--- Eliadum palmas Epirus equarum.

Et Horatius idem, *l. 2. Carm. Od. 16. v. 34.* de Groſpho Equ. Romano

.. tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa. ---

Erantque ſolennia *Curricula* ſeptem, totieſque meta circumagenda, antequàm palmam impetrarent quadrigæ. Propert. *l. 2. El. 25. ad Cynthiam, v. 25.*

Aut prius infectô depoſcit præmia curſu,
Septima quam metam triverit ante rota.

Vide infrà, voce *Meta*, item *Miliaris agitatores*, *Miſſum*, *Oſtia*, *Palma*. Circa quem ſpatiorum numerum decurrendorum, cùm ſæpius errare videret Agrippa, τῶν δὲ ἀνθρώπων ... ἀναδεικνύων), *Delphinas & ovales fabricam conſtituit, quibus circuitus Curriculorum oſtenderentur ac numerarentur*, apud Dionem. Imo & ante Agrippam Ova fuiſſe in Circo, quibus Curricula numerarentur, diſcimus ex Livio, *l. 41. c. 27.* ubi ait Cenſores locâſſe carceres in Circo faciendos, *& ova ad notas curriculis numerandis*, id quod factum an. Urb. Cond. 581 Meminitque Varro illius ovi, quod *ludis Circenſibus noviſſimi curriculi finem faciebat quadrigis*. Fuêre itaque tot ova, quot *Curricula*, & primô Curriculo peractô, unum ovum è medio tollebatur, atque ita deinceps, uti ex verbis hiſce Varronis colligere eſt, an ſingulis ſpatiis peractis, unum ſubinde ovum producebatur in medium, ut videtur innuere Caſſiodorus? Vide hîc ubi de Circi *ſalis ac Ovis*. Porrò Latinis, unde emittebantur quadrigæ, *Carceres* dicti & *Oſtia*, circa quas in curſu flectebant, *Meta*. ubi ſtabant ad palmam accipiendam, poſt *Curricula* peracta, *Calx* ſeu *Creta*, quod locus ille cretâ præductus eſſet. Erat autem is à Carceribus non procul. Nempe victrices quadrigæ, quæ metam ſeptimò circumagere anticipâſſent, quod ſupereſſet ſpatii ad primas metas abſolventes, ibi præmium accepturæ conſiſtebant. Vide Salmaſ. *ad Solin. p. 911. & ſeqq.* ut & hic paſſim.

CURRU vehi, cum aliquo Procerum, magnus honor habitus. Vopiſcus, *initiò Aureliani*, *Hilaribus, quibus omnia feſta & fieri debere ſcimus & dici, impletis ſolennibus, vehiculô me ſuô & judiciali carpento Præfectus urbis, Vir illuſtris, Junius Tiberianus accepit.* Epiſtola Smyrnenſium, ſanè inſignis, de martyrio Apoſtolici Viri Polycarpi, apud Euſeb. *Hiſtor. Eccleſiaſt. l. 4. c. 14.* Καὶ ὑπήντα αὐτῷ ὁ Εἰρήναρχος Ἡρώδης, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Νικήτης, οἳ καὶ μεταθέντες αὐτὸν εἰς τὸ ὄχημα, ἔπειθον παρακαθεζόμενοι καὶ λέγοντες, τί γὰρ κακόν ἐστιν εἰπεῖν, Κύριος Καῖσαρ, καὶ θῦσαι καὶ διασώζεσθαι. Sic Honorium Imperatorem primores Senatorum curru ſuô inveiſſe Romæ, arguunt illa Claudiani *in VI. Conſul.* ubi vetitos eos currum de more præcedere, canit *v. 548.*

Teruntur priſca ſenes, & in hunc ſibi proſpera fata
Gratantur duraſſe diem, moderataque laudant
Tempora, quod clemens aditu, pro tempore ſolus
Romanos vetuit currum præcedere Patres.

Ipſi Honorio, quòd eôdem curru cum Patre Theodoſio urbem eſſet invectus, idem Poëta, ut inſignem honorem, adſcribit, *in III. Conſul. v. 126.*

Quanti tum juvenes? quantæ ſprevêre pudorem
Spectandi ſtudio matres? Puerisque ſeveri
Certavêre ſenes! cum tu genitoris amico
Exceptus gremio, mediam veherere per urbem!

Ut ad remotius ævum aſcendamus, Adraſtus Hypſipylam; Thetin Neptunus, *invitat curru*, apud Statium, *l. 5. Theb. v. 699. & l. 1. Achill. v. 79.* Imò in Sacris, Jehu Rex Iſraëlis juſſit *Jehonadabum*, honoris ergò, *conſcendere ad ſe in currum*, 2 Regum c. 10. v. 15. Pharao verò *juſſit* Joſephum, qui ſecundus ab illo futurus erat, inſidere *currui ſecundario*, Geneſ. c. 41. v. 43. Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Statium, d. l.* ut & infrà.

CURRUCA, Græcè ὑπολαΐς, avicula eſt, in cujus nido cuculus plerumque paris. Philoſophus de cuculo, *Hiſtor. l. 6. c. 7.* τίκτει δὲ ἐπὶ τῇ τῆς ὑπολαΐδος νοττιᾷ, ἰδὲ ἐκλέπει καὶ ἀνατρέφει; unde eſt, quòd Theophraſtus, *de Cauſ. plantar. l. 2. c. 24.* cuculorum genus extare poſſe negavit, εἰ μὴ διὰ ὑπολαΐς, ... *niſi curruca eſſet, in cujus nido ova poneret.* Quod haud uſquequaque verum: cum præter currucam etiam alias aves memorent Auctores, in quibus cuculus ὠοτοκεῖ: palumbes nempe & turtures, Ariſtoteles *in Mirabil.* alaudas, chloridas & pappos. Idem, *Hiſtor. Animal. l. 9. c. 29.* & Ælian. *Hiſtor. l. 3. c. 30.* paſſeres, Iſidor. *l. 12. c. 7.* luſcinias, motacillas, rubeculas, & ruticillas, Geſnerus: avem denique קרא *Kore*, quæ ſcolopaci ſeu ruſticulæ propior, Jeremias, *c. 17. v. 11.* Interim plerumque id in Currucæ nido fieri certum. Unde, ſicut cuculus apud veteres Romanos, de mœcho uſurpari conſuevit, uti ſuprà vidimus ex Plauti *Aſinaria*; ita *Currucam* iidem appellavêre, qui ab uxore contumeliam patitur. Sic Juvenalis, *Sat. 6. v. 276.* de viro ſtolido falſas adulteræ uxoris lachrymas miſerante,

Tu tibi tunc, curruca, *places, fletumque labellis*
Exſorbes &c.

Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poſter. l. 1. c. 12.* & ſuprà *Cuculus ac Lagot*, nec non infrà, *Latiis alapis dignus*; etiam ubi de *Ancillariolis*, & voce *Licentia.*

ad CURRUM, equos jungendi mos verus ie fuit, ut in quadriga quatuor equos ita jungerent, ut, duplici temone equis interjectô, perpetuum jugum omnibus conjiceretur. Tum nullus in curru funalis equus fuit, ſed omnes jugales, quorum duos ſiniſtros temo unus interjectus continebat, duos dextros alter temo. Primus Cliſthenes Sicyonius ratione hâc immutatâ, unô temone *currum* fecit, ac medios tantùm duos jugô junxit, eiſque ſingulos adjunxit ex utraque parte lorô vinctos, quos παρηόρους Græci, *funales* Latini dixêre; ſicut alteros ζυγίους illi, *jugarios* vel *jugales* iſti: Atque ſic in Circenſibus jugales duo fuêre inter utrumque funalem, ſic ut omnes quatuor equi æquatâ fronte irent, quemadmodum in antiquis monumentis, nummis, annulis, paſſim videre eſt. Ex illis autem quatuor equis funales dextri

dextri potiſſimi, utpote qui ducatum cæteris præberent, nempe in bellicis & aliis ſi fortè curribus: funales vero ſiniſtri, in agoniſticis & Circenſibus. Quia namque ad ſiniſtram meta eſſet circumflectenda, in eoque poſita victoria, maximam ad palmam adipiſcendam momentum attulerunt ſiniſteriores funales. Quamobrem præſtantiſſimus quadrigæ equus & apprimè flexu facilis, ac cæteris doctior, ad funem ſiniſter locabatur: uti imprimis diſcimus ex Silio Ital. *l.* 16. ubi de ludis Scipionis in Africa celebratis, & videbimus infrà, in voce *Funale*. At hodie ad Currum ſic quatuor equi junguntur, ut non omnes conquaternati æquatâ fronte procedant; ſed bini funales conjuncti præcedant ſubſequentibus funalibus. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin. p.* 897. & *ſeqq.*

CURRUS, an Erichthonii inventum, qui turpitudinem crurum hâc ratione abſcondere fuerit conatus, vide in voce *Erichthonius*: an Minervæ? *Suidas*, Ἱππία Ἀθηνᾶ. Ταύτην Ποσειδῶνός φασι θυγατέρα καὶ Πολυφῆς τῆς Ὠκεανοῦ, ἅρμα δὲ πρώτην κατασκευάσαι διὰ τοῦτο Ἱππίαν κληθῆναι. *Pallas Equeſtris; hanc Neptuni dicunt eſſe filiam, ex Polyphe Oceano genita: Currum autem primam fabricâſſe, atque ob id Equeſtrem nominatam.* Unde Statius, *l.* 2. *Theb. v.* 713, de illa,

> — — *ſive Aonia devertis Ithome*
> *Læta choris, ſeu tu Libycâ Tritone repexas*
> *Lota comas, quâ te bijugo temone frementem*
> *Intemeratarum volucer rapit axis equarum.*

Ad varios uſus homini inſervit: de quorum primo, pulchrè Corippus, *l.* 3 rectè emendatus doctiſſimo Savaronio, *ad Carmina Apollinaris Sidonii*; reliquos infrà ſubjiciemus paſſim, inprimis ubi *de Curuli vectatione*, quò pleraque huc ſpectantia rejicere placuit. Antiquiſſimis certè temporibus, non ex equis ſed ex *curribus* pugnatum, uti apud Homerum videre eſt, ubi binos in uno *Curru* fuiſſe, Heroa & Aurigam, unum ex fidiſſimis amicorum, legimus paſſim. Fuêre autem *Heroum currus* tantis impenſis, tantò opere, tamque durabili materiâ fieri ſoliti, ut in longam ſobolis ſucceſſionem ſufficerent, nec facilè prioribus amiſſis potuerint in poſteriores inveniri copiæ, uti notat vetus Expoſitor *ad Statium*, *l.* 6. *Theb. v.* 346.

> *It Chromis Hippodamusque alter ſatus Hercule magno,*
> *Alter ab Oenomao, dubiates, alter effera preſſet*
> *Fræna magis. Getici pecus hic Diomedis, at ille*
> *Piſæi juga patris habet, crudelibus ambo*
> *Exuviis, utróque imbuti ſanguine currus.*

Inſignium enim & imaginum locô à poſteris imprimis aſſervati. Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 11.

> — — *Hic illius arma,*
> *Hic* Currus *fuit* —

Et Juvenalis, *Sat.* 8. *v.* 3.

> — — *quid prodeſt, Pontice, longo*
> *Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus*
> *Majorum, & ſtantes in* Curribus *Æmilianos?*

Etſi namque imagines fictæ, veri tamen utique *Currus* fuêre cuſtoditi. Hinc Scholiaſtes vetus, *ad Statium*, *l.* 1 *Theb. v.* 68. de Lajo,

> *Ut verò excelſis ſuamet juga nexa columnis*
> *Vidit & infectos etiamnum ſanguine* currus.

Ad memoriam, inquit, *Heroum Currus conſervatas in atriis domorum, exemplô Laji memorat* &c. Iidem vero Veteres & devictorum Principum *Currus*, cum armis in tropæa ſuſpendebant. Virg. *l.* 7. *Æn. v.* 184.

> *Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,*
> *Captivi pendent* currus, *curvæque ſecures,*
> *Et criſtæ capitum & portarum ingentia clauſtra,*
> *Spiculaque clypeique ereptaque roſtra carinis* &c.

Neque verò Duces ſolùm exercituum Heroëſque curribus in bello uſi: Sed & poſtquàm equorum uſus increbuit, ingens exercitus robur *Bellici Currus* habiti nihilominus fuêre. Unde in ſacra phraſi, *Currus Iſraëlis & equites ejus*, junguntur, 2 Reg. *c.* 2. *v.* 12. Quam in rem, vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 9. *ubi de Salomonis equitatu*, & infrà aliquid, ubi de *Curribus Falcatis*.

CURRUS Falcatus, inter præcipua Veterum militaris apparatus genera: de quo ſic Curtius, ubi Darii aciem deſcribit, *l.* 4. *c.* 9. *Ingens* — *terror hoſtium, ducenta falcata quadrigæ, unicum illarum gentium auxilium ſequuta ſunt. Ex ſumma temone haſtæ præfixa ferro eminebant: utrinque a jugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura ſpicula eminebant in adverſum: aliæ deinde falces ſummis rotarum orbibus hærebant; & aliæ terram demiſſa, quidquid obvium concitatis equis fuiſſet, amputaturæ.* Prima verò hujuſmodi Curruum mentio in libris Judicum occurrit, *c.* 1. *v.* 19. ubi *ferrati* appellantur: inde apud Livium, *l.* 37. *c.* 41. Diodorum, *l.* 17. *c.* 58. Xenophontem, Παιδ. *l.* 6. ubi Cyro inventionem eorum, ut quidem poſteà a Perſis uſurpati ſunt, attribuit, & currus hos optimè deſcribit; Vegetium, *l.* 3. *c.* 24. Lucretium, *l.* 3. *v.* 643. ubi *falciferos currus* vocat. Alios. Vide omnino Briſſonium, *l.* 3 *p.* 308. & *ſeqq.* & Dempſterum, *ad Roſini Antiqq. l.* 10. *c.* 10. Quomodo vero in exercitu diſtribui diſponique conſueverint, idem Curtius paulò exactius exponit *lib. cit. c.* 12 Cum fremitu ingenti Barbarorum emiſſos in hoſtem, habes, *c.* 13. quo effectu, *c.* 15. *Pauca tamen evaſêre quadrigæ in ultimam aciem, iis, quibus inciderant, miſerabili morte conſumptis. Quippe amputata virorum membra humi jacebant.* Sic magnam horrendamque ſtragem in exercitu Romanorum edidiſſe eos, docet Appianus, *de Bello Syriaco & Mithrid.* Contra tantum itaque malum prudentiâ opus fuit. Et quidem Alexander præcepit. *Ut ſi falcatos currus cum fremitu Barbari emitterent, ipſi laxatis ordinibus impetum occurrentium ſilentio exciperent: haud dubius, ſine noxa tranſcurſuros, ſi nemo ſe opponeret. Sin autem ſine fremitu emiſiſſent, eos ipſi clamore terrerent, pavidoſque equos telis utrinque ſuffoderent.* Aliam rationem adversùs eos currus pugnandi Romani habuerunt, uti diſcimus ex Vegetio, *l.* 3. *c.* 24. & Frontino, *l.* 2 *c.* 3. 17. 18. Nempe pali quoque in terram altè defixi, intra quos ſe miles reciperet adventantibus quadrigis. Vel tribulis objectis, in quos incurrentes quadrigæ debebantur: quibus factum, ut uſus hujuſmodi curruum ſenſim exoleſceret. Et quidem curribus ſe è ad bellum uſi Aſiatici omnes, teſte Xenophonte, Παιδ *l* 6 falcatas autem quadrigas unicum diu Perſarum ſolatium Curruss ſupta. Alios *Currus Falcatos* deſcribit Anonymus, *de Rebus bell.* apud Cl. *Notarum in Currum* Auctorem, *l.* 3 *c.* 1. Ut de numero *Falcatarum Bellicarumque* in genere *Curruum* aliquid addam: Mithridates centum habuit in ſuo exercitu. Plut. *in Lucullo*. Darius ducentos, Arrian. *l.* 3. Antiochus Eupator trecentos 2 Maccab. *c.* 13. *v.* 2. ut & Zera Chuſæus 2 Paralip. *c.* 14. *v.* 9. Pharao ſexcentos, Exodi 14. *v.* 7. Syri trans-Euphrateuſes ſeptingentos 2 Sam. *c.* 10. *v.* 18. Siſara nongentos, Judic. *c.* 4. *v.* 3. 13. Sobacorum Rex Adarezerus millenos, 1 Paralip. *c.* 18 *v.* 4. Seſacus Ægypti Rex, mille ducentos, 2 Paralip. *c.* 12 *v.* 3. At Salomon Iſraëlis Rex hos omnes ſupergreſſus, mille & quadringentos, 1 Regum *c.* 4 *v.* 26. & 2 Paralip. *c.* 9. *v.* 25. quos ille, ne tot currus ac equites urbi Regiæ eſſent oneri, per Judææ oppida, hinc *Curruum urbes* dicta, diſtribuiſſe legitur 1 Reg. *c.* 10. *v.* 26. Sicubi verò major *Curruum* numerus occurrere videatur, ea loca de mendo eſſe ſuſpecta, judicat Bochartus, quem vide omnino *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c* 9 Nec omittendum, quòd Deum, qui equis curribuſque ſuos confidere non vult, Joſuæ in mandatis dediſſe legimus, ut *equis hoſtium devictorum ſuffragines ſuccidat, & currus eorum igni comburat*, Joſuæ *c.* 11. *v.* 6. quod à Joſua factum, uti Dominus præceperat, narratur *v* 9. ad quem locum Vide *Meditationes* Fram. Burmanni.

CURRUS Olympici, quadrijuges fuêre: & quidem etſi in omnibus ludis omnis generis ſpectacula edebantur, tamen ludorum Olympicorum quadrigæ fuêre propriæ. Olympiæ inquam, quod ibi tantùm ludos actos eſſe, non Elide, firmat Strabo, *l.* 8. contra id, quod diſertim ab Hygino traditum eſt, Elide, Peloponneſi urbe, certamina quadrigarum primùm fuiſſe inſtituta. Meminit hujuſmodi Curruum Virg. *l.* 3. *Georgic. v.* 18.

> *Illi victor ego, & Tyrio conſpectus in oſtro*
> *Centum* quadrijugos *agitabo ad flumina* currus.

Et Statius, *l* 6 *Thebaid. v.* 368.

> *Haud procul Herculeam Nemeen clamore reducunt*
> *Africa, atque illic ingens certaminis oſtat*
> *Quadrijugi* — —

Quem priorum *Quadrigatum furorem* Tertullianus alicubi vocat. At quanto magis inſanii Nero, quem Suetonius memorat *Olympiæ aurigaſſe curru decemjugi*, *c.* 24. Dicebantur autem hi *Currus* proprio vocabulô Ἁρματηλασία, cùm beſtiæ ἁρματηλάται appellarentur: eratque ingens quoque eorum celebritas. Cujuſmodi inprimis ille fuit, quem Argis Alcibiades emit, *quæ deinde*, inquit Plut. *in ea*, *extat oratio Iſocratis* &c. Itaque cum equos legimus victores, quadrigarios accipimus, ἀγωνιστὰς ἵππους, quos Poetæ vocant ἀεθλοφόρους, *certaminis ſtrenuos, ac tandem præmiis donatos.* Apud Strabonem, *l.* 8.

> Τῷ Νηλῆϊ χρεῖος μέγ' ὀφείλετ' ἐν Ἤλιδι δίῃ
> Τέτταρες ἀθλοφόροι ἵπποι — —
> *Neleo multum debita in Elide dia*
> *Certantes quatuor pulli* — —

Sed hac de re paſſim hic, vide inprimis ſuprà ubi de more *ad Currum jungendi* equos, & plura apud Car. Paſchal. *Coronar. l.* 6. *c.* 15. & Salmaſ. *ad Solin.*

CURRUS Secundarius, occurrit Gen. *c.* 41. *v.* 43. *Et poſuit* (Pharao) *eum* (Joſephum) *inſidere currui ſecundario.* Ubi Arabs interpres *edit. Pariſ. lateralem equum ſecundum* Pharaonis vult intelligi. Namque *currum*, pro equo, paſſim reperias. Et notum, non Regibus ſolum, ſed & privatis binos, aut plures equos ſæpè præſtò fuiſſe, ut altero de via feſſo, deſilirent in recentem. Vide quæ de Barbaris ad Iſtrum, Ælianus in *Tactico*, de Mœſis Val. Flaccus, *Argonautic. l.* 6. de Quadis & Sarmatis, Ammian. *l.* 17. de Romanis Feſtus, in *Paribus equis*, de hodiernis Tartaris Jo Bapt. Tavernier, de aliis alii referunt. Sed Hebræa *d. l.* diſertè habent, *Et ſedere fecit eum in Curru ſuo ſecundario.* Nempe Reges etiam in bello, præter primarium Currum, alium habebant ſecundarium. Quo pertinet, quod de Joſia legitur, 2 Paralip. *c.* 35. *v.* 24. A curru demiſſum ſervi ejus impoſuerunt על רכב המשנה אשר לו *ſuper currum ſuum ſecundarium.* Ubi Kimchius, *Quia ſolebant Reges duplici curru vehi, quorum primus erat principalis, & in altero ſedebant, cùm opus erat.* E quo ipſo colligere eſt, tam licuiſſe Regi vacuum equum, quàm vacuum *Currum* ducere; contra quod è Magiſtris nonnulli ne unum quidem equum ſuperfluum Regi divinâ Lege conceſſum fuiſſe, contendunt. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Part. prior. l.* 2. *c.* 9.

CURRUS Solis, 2. Regum *c.* 23. *v.* 11. *Et ceſſare fecit* (Joſias) *equos, quos Soli dederant Reges Juda, ab ingreſſu domus* — *ad domum Nathan-melechi Eunuchi, qua erat in Parvaim & Currus Solis combuſſit igni*: quibuſdam quadrigæ fuêre, in quibus ſculptæ equorum effigies aureæ vel argenteæ vel æneæ Soli curru vecti. Sed veros hic equos intelligi, docet Bochartus, quos à *curribus* diſertè diſtinguit Scriptura. Nempe & Equi Soli conſecrabantur, & Currus, illi, ὡς ἐποχήσεις ὑπερτάτῳ, iſti, quia in curru fingebantur

bente totum orbem circumvolo. Ita de Rhodiis Festus, voce October, *Quotannis Soli quadrigas consecratas in mare jaciunt, quod is tali curriculo fertur circumvehi mundum.* At apud Dionem Chrysostomum, *Orat. Borysthen.* Οἱ Μάγοι τῷ Διὶ τρέφουσιν ἅρμα Νισαίων ἵππων, Ἡλίῳ δὲ ἕνα, *Magi Jovi currum concinunt Nisaeorum equorum, Soli autem unum equum.* Currum vero etiam Soli sacrum apud Persas, Xenophon habet, *Institut. Cyri*, 8. ubi Cyri è Regia, in publicum, egressum describens, memorat in pompa ductos fuisse, *Currum album Jovi sacrum*, χρυσόζυγον αὐτῷ ζυγῷ, ἐστεμμένον coronatum, tum *Solis currum album, itidem coronatum.* Quâ superstitione imbuti Judaeae Reges Manasse & Ammon currus itidem & equos Soli dicârunt, quod à pio Rege Josia abolitum est *d. l.* Eorum statio fuit à loco *Parvar* in dicto, qui Templo vicinus erat, usque ad Templi fores, ut ibidem habetur. Vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 10. De *Curruum* verò in pompis Sacrorum apud Romanos usu, hic passim in voce *Armamaxa*, *Thensa* &c. cujus ritus vestigia apud Indos Idololatras observavit ἀυτόπτης P. de Valle, quem vide *Itinerar. Tom. IV.*

CURRUS Triumphalis, inter Triumphi praecipua ornamenta, apud Romanos fuit, ritu ab Heroicis fortè temporibus desumptò, namque apud Homerum magnos illos Duces, quadrigis protulum inulte, & victum Hectorem ab Achille triumphabundô curru raptatum esse, legimus. Idem mos Persis; Unde Curtius, *l.* 4 *m itinere*, ait: *Darius, qui modo non bellantis more, sed triumphantis, curru sublimis vehebatur.* Plin. *l.* 28. *c.* 4. & *l.* 35. *c.* 10. *facit & Alexandrum curru triumphantem*: de Romanis res notissima. Fuit autem *Currus triumphalis* neque cisium, neque petoritum, neque carruca, nec carpentum, nec plaustrum, nec rheda, nec sarracum, nec epirhedium, nec covinus, nec arcirma, nec arcera, ac ne thensa quidem, quae omnia Veteribus celeberrissima sunt *Curruum* nomina, neque denique falcato currui similis erat; *sed rotunda ad instar turris*, ut ex Joh. Zonara annotavit Turnebus *Adversar. l.* 6. *c.* 16. Ex ebore cum factum fuisse, innuit Ovid. *l.* 4. *Trist. Eleg.* 2. *v.* 63.

--- --- *Currus spectabat eburnos.*

Fastigium bracteis decorabatur aureis; Hinc Paulus Aemilius devicto Persèo, *in curru aureo triumphasse* dicitur, apud Eutropium, *l.* 4. Sic Constantinum *insedisse aureo solum carpento*, refert Ammian. *l.* 16 &c. Nec minus coronis, ac Imperatores ipsi militesque, ut & equi, micare solebat. Claudian. *de laudibus Stiliconis*, *l.* 3. *v.* 20.

--- --- --- *Currumque secutus*
Laurigerum.

Idem, ut victoriae aliquas notas populus oculis usurparet, sanguine respergebatur, L. Seneca, *de Clem. l.* 1. *c. ult. in fin. Nullum*, inquit, *ornamentum Principis fastigio dignius, quam illa corona ob cives servatos: non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bellô spolia.* Virg. *l.* 12. *Aen. v.* 88.

Ducunt & tutilô perfusos sanguine currus.

Ducebatur à quatuor equis albis, cujus ritus originem Plut. *in Camillo* & Livius, 1. *Dec. l.* 5. à Camillo arcessunt: memorat Ovidius, *de Arte l.* 1. *v.* 214.

Quatuor in niveis aureus ibis equis.

Idque stante Republ. Mutatis postea moribus, & pro equis leones junxit primus M. Antonius, civili bellô, post pugnam Pharsalicam, Plin. *l.* 8. *c.* 16. Pompejus M. elephantes primò hunc in finem Romae usus est, Idem *l.* 8. *c.* 2. Quem secuti sunt Cajus Caesar Gallicô triumphô, Sueton. *c.* 37. Claudius, Sueton. *c.* 11. Domitianus, Alexander Severus &c. ritus auctore Bacchô, quem de Indis triumphaturum, quatuor elephantos jugo submisisse, narrat Diodor. Siculus, *Biblioth. l.* 4. Auson. Heliogabalus triumphavit *tigribus, ut Bacchum referret: leonibus, ut Matrem: canibus, ut exemplo careret*, apud Ael. Lamprid. *c.* 28. Aurelianus Aug. *ad hostium tenuitatem expromendam cervis vehebatur*, Fl. Vopiscus, *c.* 33. Denique Nero *novô & portentosô exemplô equas Hermaphroditas junxit.* Plin *l.* 11. *c.* 49. At insolentius multo Sesacus, seu Sesostris, Aegypti Rex, *devictos bellô a se Reges curru, cui insidebat, subjungere solitus est*, Lucan. *Pharsal. l.* 10. *v.* 276.

Venit ad Occasum, mundique extrema Sesostris,
Qui Pharios Regum currus cervicibus egit &c.

CURRUS Velivolus, genus currus non minus admirandum fuit, quô Mauritium Nassovium, rebus pro Foederati Belgii libertate & gloria gestis inclytum, usum legimus; qui quod ventis ageretur, *Velifer* dictus est, & *Velivolus*, propriô nomine *Seventina.* Hujus laudi integrum *l.* 2. *Epigrammatum* dedicavit Hugo Grotius; è quo unicum hoc depromam.

Aura pegasei & quadriga ventorum,
Aut patentes qua per aetis campos
Vastumque inane, spatiane vagô cursu
Servas Batavae gentis imperatori;
Ite, ite ad astra sede fulta sublimi,
Collegioque mutatae caelestis;
Nassavianum stirpis inclitum germen;
Vicisse fortis Martis impetu terras;
Vicisse fluctus, atque jura Neptuni;
Nunc & jubalis patris Aeoli regni
Dictare leges impotentibus flabris.
Flammata caeli templa, & aureos ignes
Repiare tantum: namque & illa debentur.
At nos precamur, civitas Batavorum,
Ne jura Olympi vendicet, nisi sera;
Sed hic moretur, differatque continuo
Cepisse caelum mente, dum vias Phoebi,
Lunaeque motus, sidereumque perantiqus
Ausus profundas aemulatur Euclides,
Solertisque acumen Archimedea,
Pelasgosque subjicit sibi fastus:
Hic voce mala plebis & Senatorum
Princeps paterque Patriae salutari:
Hic saepe suâ genus Assertum manu,
Victrice laeti vincitis coma frondem,
Ipsoque Curru gaudeat triumphali.

Quis *Currus* hujus inventor, idem hôc tetrastichô indigitat.

Ventivolam Tiphys deducat in aequora navem,
Jupiter in stellas, aetheraque domum.
In terrestre solum virtus Stevinia: nam nec
Tiphys tuum fuerat, nec Jovis istud opus.

Sinenses quoque ingeniolos, *Currus* habere *ventivolos*, quos velis per terram divigant, creditum nonnullis est, sed fabulam hanc inde ortam suspicatur Martinius, in *Atl. Sinico*, quòd in provinciam *Peking* plaustrô unicâ rotâ instructô utantur, quod, unô illius medium occupante, atque eidem aliis duobus ab utroque latere assidentibus, vir mediocris roboris ligneis vectibus non minus securè, quàm velociter, promovet. Vide Auctorem Anonymum, *Sina & Europ. c.* 43

CURRUTICULI, Haeretici iidem cum *Severianis*, apud Macrum, *Hierolex.* Lege *Corrupticola*, quos vide.

CURRUUM seu Bigarum Oppida, 2. Paralip. *c.* 8. *v.* 6. oppida erant, Salomonis *curribus* destinata. Josephus, Τὰς δὲ πόλεις αὐτὰς ἁρμάτων στρατηγίδας, *Has autem* Curruum Urbes appellavit. Nempe partem equorum curruumque secum servavit, partem, ut Regiae usui essent oneri, per Judaeae oppida distribuit. Et quidem, si Josepho credimus, equitum dimidia pars Hierosolymae cum Rege commorabatur, at τῶν ἁρμάτων αὐτῶν ἔπαινος ἠγάπα τότε, *prope se servavit currumum partem.* Fuêre autem oppida illa, per quae currus suos equosque Salomon dispersit, nova; & in id ipsum ab eo condita ut Scriptura diserte asserit, 2. Paralipom. *d. l.* In eadem pabulum equis, quantum erat necesse, comportatum. 1. Regum *c.* 4. *v.* 28. ubi Septuaginta perabiunde, Τοῖς ἀρμάσι, καὶ τῷ ἁρμάτων, οὗ ἐὰν ᾖ, καὶ οὗ ἂν ᾖ ὁ βασιλεύς, vide Sam. Bochart. *Hieroz. Parte prior l.* 2. *c.* 9. nec non supra, ubi de *Curribus Falcatis.*

CURSOLIUM, oppidul. Vivariensis prius, cum castro nunc dejecto juxta Rhodanum, vix 2. leuc. infra Valentiam, Melius forsan *Crussolium.*

CURSOR, vide *Papyrius.*

CURSOR, nomen servi apud Veteres, cujus operam indicat ipsum nomen. Horum meminit Paulus JCtus, *l.* 99 §. 5. *ff. de Legat.* 3. Seneca, *Ep.* 123. Sueton. *Neron. c.* 30. Vopiscus, *Aurelian. c.* 49. Lamprid. *Alexandro*, *c.* 42. Apulejus, *Metamorphos l.* 10. Martialis, *l.* 3. *Epigr.* 100.

Cursorum *sextâ tibi, Rufe, remisimus horâ*, &c.

Iidem à *Pedibus* dicebantur, Cicer. *ad Attic. l.* 8. *Ep.* 5. *Ad pedes*, vide supra, quibus hodieque similes Gallicô vocabulô, à familiaribus levitis, appellantur *Laquais.* Tit. Popma, *de operis Serv.* Eorum praecurrere atque praecedere fuit. Martialis, *l.* 3, *Epigr.* 47. *v. ult.*

Nec feriatus ibat ante carrucam,
Sed tota fano Cursor ova portabat.

Item praenuntiare, Apulejus, *l. c. Adsequor protinus Cursorem, qui* *vicatis mortem domus expugnationem nuntiaret.* Vide quoque Tacitum, *Jul. Agricol.* & Sueton. *Neron. c.* 49. Imo & epistolas perferre, Suetonius *ibid.* quidquid & Epistolas comitabatur, Martialis, *l.* 3. *Epigr. cit.*

Cursorem *sextâ tibi, Rufe, remisimus horâ,*
Carmina quem madidum nostra tulisse reor.
Imbribus immodicis caelum nam forte ruebat,
Non aliter mitti debuit iste liber.

Vide plura in voce *Mazyes*: ubi dicemus, ex hac potissimum gente id genus servorum fuisse, dixeremusque de phaleris, quarum Sueton. *Neron.* . 30. meminit, aliquid etiam in *Symmachi.* Sed & *Cursorum Augustianum* meminit Augustin. *de Civ. Dei*, *l.* 5. *c.* 26 quibus albam vestem attribuunt Sueton. *Domit. c.* 12. & Atilides, *Sat. Serm.* 1. lienem inuri consuevisse vel potione extingui scribit Plin. *l.* 11. *c.* 37. quod de *cursoribus* in Turcia regis quoque scribit Menavinus, *l.* 4. *c.* 15. &c. Et hi Dominum, uti diximus, praecedebant, sicut Machaerophori subsequebantur, Cicer. *ad Q. Fratr. l.* 2 *Ep.* 10. Asconius *in Milonian.* Juvenalis, *Sat.* 7. *v.* 8. &c. Vide Laur. Pignorium, *Comm. de Servis* & hic infra. de Tabellariis autem, quorum officium *Cursores* etiam nonnunquam subière, agemus *suo loco.*

CURSORES, in imperio Constantinopolitano, idem planè quod *Viatores* prisci Romanis fuère. Non quidem qui in aciem hostilem excurrentes impetum facerent, ut notat Adr. Turnebus, *Advers. l.* 24. *c.* 12. sed qui ad Principum ministeria essent idonei. Curopalates, *de officiis aulae Constantinop.* Πρωτοστάτορες δὲ τῶν δεσποτῶν ἀνεγραφοντο, οὗτοι γὰρ μόνον ταῦτα ἔχοντες, μήτε φλάμουλον *idem. Protostrator est etiam Defensor Cursorum, horum quidem neque ordinem habentium, neque flammulum suum.* Corippus, *l.* 3. *num.* 5.

--- --- --- *Jamque ordine certô*
Turba Decanorum, Cursorum, in Rebus agentum.

Præcedebant hi Imperatoris Comitatus agmen, & in Palatio cum Decanis, Lampadariis, Menſoribus aliiſque militabant. Lampadarius certè iidem junguntur *l. ult. Cod. de mv. offic.* de quibus iterum modo dictus Poëta,

- - - - - præcurſor antè
Signa dedit Curſor poſitâ de more [illegible] *veniâ.*

Similes omnino iis, qui in Galliæ Regum Palatio dicti *les Garder des Chemins*, comitatum Regum præcedunt, ne quod in via impedimentum obſtet, quibus qui præeſt, *Ce[illegible] des Gardes* dicitur: iſti qui *Curſoribus Palatinis* præerat, PRÆPOSITUS CURSORUM appellatur in veter. Elogiis. Ita enim inter alia habet *vetus Inſcr.* SEP. AUG. LIB. ZIBI. PRÆP. CURSOR [illegible]. &c. Ut verò paulo latius in hiſtoriam *Curſorum* hic me diffundam: Certè antiquiſſimos illos fuiſſe, docemur è Livio, *l.* 31. *c.* 24. *Hemerodromos vocant, ingens uno die ſpatium conficientes* quantum illud, docet variis exemplis Lipſius, *Cent. Singul. ad Italos & Hiſpan. ep.* 59. ubi *Curſorum* tria facit genera, hominum *Pedeſtrium*, *Equitum* & *Jumentorum*, de quibus omnibus pauca ſubjungam. *Curſores Pedites*, quos *Hemerodromos*, Græci, *Diurnos Curſores* Latinè dixeris celebrem fuiſſe Philippides, qui bello Perſico ab Athenienſibus Lacedæmonem, auxilii petendi cauſa, miſſus, *confecit bidui ſpatio mille ducenta ſexaginta*, Plin. *l.* 7. *c.* 20. & Corn. Nepos, *l.* 2. *c.* 4. ea ſunt Romana milliaria 157. leucæ hodiernæ, quæ horario ſpatio definiuntur, 40. Euchidas, ignis ſacri petendi causâ, ab iiſdem Delphos miſſus, uno die ibit rediitque ſtadia 1000. emenſus, i. e. Romana milliaria 125. leucas hodiernas 31. & quod excedit. Anyſtis Lacedæmonius & Philonides Alexandri M. curſor à Sicyone Elin uno die 1200 ſtadia cucurrerunt, ſunt leucæ 36. & ſemis. Imo de eodem Philonide ſcribit Plin. *l.* 2. *c.* 71. *Ab Sicyone Elin* 1200 *ſtadia novem dies confeciſſe horis: ibique quamvis dextro nomine, tertia noctis hora remenſum:* additque, *Nunc quidem in Circo quoſdam* 160 *mill. paſſ. tolerare non ignoramus*, uno die 40. leucas, ut illis Græci ſpatiis remetiendis, præmio cauſâ quondam confeciſſe oſtendens. Idem notat, *Fonteio & Vipſanio Conſulib. annis* 8 *genitum puerum, à meridie ad veſperam* 45. *mill. paſſ. cucurriſſe.* Poſteriore quoque ævo, ſub Leone Imperatore: *Indacum quidam fuit, qui in omnium conſpectu* (veteris ſcriptoris verba apud Suidam) *ſubitò evaneſcebat fulguris inſtar, nec curriculo equo, quam volanti aſſimilis.* *Certè quod nec homo mutatis equis uno die conficere non poterat, hoc ipſe ſuis pedibus & ſine moleſtia conficiebat.* De Philippo nobili Juvene, in cohorte Alexandri, qui loricâ indutus ac arma geſtans, pedes per 500. ſtadia Regem comitatus eſt, vide Curtium, *l.* 8. *c.* 2. Et haud pridem Reges Incæ in Peruano tractu *Curſoribus* ſed aliâ ratione uſi ſunt, qui per publicas regni vias, in diſpoſitis caſulis habitantes, tantâ celeritate per totum regnum juſſa clamore nunciavêre, ut omnium equorum curſum ab iis ſuperatum ferebant Hiſpani. Neque diſſimilis ratio veterum Gallorum, ubi per ejuſmodi homines *clamore ſignificata & proximis tradita, quæ Genabi oriente Sole erant geſta, ante primam confectam vigiliam, in finibus Arvernorum audita ſunt*, *quod ſpatium eſt* 160. *mill. paſſ.* Cæſar, *l.* 7. *Bell. Gall. c.* 3. extr. Sed magis mirandum, quod Diodorus Siculus tradidit: cùm Eumenes milites & arma expediret, *quoſdam Perſarum qui* 30. *dierum ſpatio aberant, eadem illâ die hoc cognoviſſe*, *l.* 19. &c. Quibus adjunguntur Turcarum *Peichi*, qui cum ſecuricula in manu & phialâ odoratæ aquæ Byzantio Hadrianopolim die ac noctu pervenire dicuntur, quod intervallum eſt milliarum Romanor. circiter 160. Diverſum genus videtur, quod *Lamecus* deſcribit, & *Vlacklos* appellat, de quibus vide infrà *ſub loco*. Verus prorſ Imperator apud Æl. Spartian. *c.* 5. *Curſoribus ſuis exemplo Cupidinum alas addidit, eoſque ventorum nominibus vocitavit, Boream alium, alium Notum, item Aquilonem aut Circium appellans.* Ad *Curſores Equites* tranſeo, qui equis vecti publicos & celeriter ſubinde mutatis mandata deferebant, quod miniſterii genus Theodorico Regi apud Caſſiodorum, *l.* 5. *Ep.* 5. *Curſuale miniſterium*, hodie Gallis *la Poſte* dicitur. Hujus invento auctorem Cyrum facit Xenophon, *l.* 8. Vide quoque Herodot. *l.* 8. Iumque iſta, quos Perſæ *Angaros*, item *Aſtandas* appellârunt: ſed in eo ratio diverſa ab illa quæ hodie in uſu, quod ſicut per horas hodiè diſponuntur, olim per dierum ſpatia olim Equitia talia, inque iis equi & *Curſores*, conſtituti ſunt. An Græci id genus uſurpârint, incertum: Memorat tamen Livius, *T. Sempronium Gracchum per diſpoſitos equos prope-incredibili celeritate, ab Amphiſſa Pellam tertio die perveniſſe*, *l.* 37. *c.* 7. Romanos quod attinet, ſcribit Cæſar, *l.* 3. *Bell. Civil.* 1, 21. *Vibullium, omnibus oppidis, mutatis ad Celeritatem jumentis, ad Pompejum contendiſſe.* Et infrà, *Nuntios per diſpoſitos equites, de victoria Cæſaris, Meſſanam allatos.* Sed ad tum nondum publicè functa aut curâ: primum demum Auguſtus curſum publicum inſtituavit, docente Suetonio in eo, *c.* 49. verum in vehiculis, ſingulaſque verò equi ac veredi poſteà acceſſiſſe. Et de vehiculis quidem ut de Catone, cujus Liv. *l.* 36. de Julio Cæſare, cujus Sueton. *c.* 57. Mithridate, cujus Appianum, meminere, ad adjiciam: Icelos, Galbæ libertus, a^ pacemonia Imperii nunciô, & cæde Neronis primus lætificaret, *ſeptimo ab Urbe die Cluniam* (ferè ſub modernam Hiſpaniam) *pervenit*. Plut. Annibal, apud *Appianum* victus à Scipione *Adrumetum uno cum nocte venit*, *bidui & noctibus tria admodum ſtadiorum millia*, *h.* *i.* 375. milliar, adeoque in diem noctemque 187. & ſemis, *emenſus*. Sed quod magis eſt, nuntius à Maximo Romam miſſus, ut cædem nunciaret Maximini, *tantâ celeritate* (verba Capitolini, *in Maximino duob. c.* [illegible]) *mutatis animalibus cucurrit, ut quartâ die ab Aquileja Romam veniret*, quod ſpatium eſt 788. milliar, Ita in noctem diemque imputes 200. ferè milliar. quæ ipſa juſta continet Tiberius Cæſar pro exemp. (Plinio judice) [illegible] curſus, [illegible]. 7. De equis, qui ut dictum antè & ex Procopio aliiſque liquet, ſucceſſêre: Narrat Socrates in *Hiſt. Eccleſ.* ſub Theodoſio Imperatore Palladium quendam tribuni ſpatio ab urbe Conſtantinopoli ad fines Perſiæ [illegible] rediiſſe, quæ ſunt milliar. 700. in diem paulo minus milliaria 60. quod poſſunt ne *Curſores* hodierni, dubitatur merito cùm tamen iſta horaria mutationes percommoda eſt & maximè curſui apta. Cui auctor Ludovicus XI. Rex Gall. dum Carolô Audace cæſo, Atrebia & reliquo Belgio imminens, nuntium rerum in horas expectaverit, fertur. *Curſorum* quoque vicem non raro animantes præſtant. Regi Ægyptio Marthæ cornix ſuis literas huc illuc doctà ferre: cui mortuæ ſepulchrum Rex condidit, *Ælian*. Columbarum ſupplices uſus olim hodieque frequens, Exempla Tyri à Chriſtianis, & Lugduni Batav. ab Hiſpanis obſeſſis nobiliſſima, quibus internuncia columbæ cum ſucceſſu interviêre. In Oriente uſitatum hunc mandata deferendi morem, per columbas, quæ uno die id ſpatii conficiunt, quod expeditus eques integro ſextiduò ægre emetiatur, obſervavit ac deſcripſit P. de Valle, *Itin. tom. II.* quem vide, non deerit pretium operæ. Mauſius, Arzilæ præfectus, auditô Feſſæ Regem Tingim properare, ut eam Chriſtianis eriperet, catellam (quam forte Arzilæ per obliviorem civis Tingitanus reliquerat) literis illigavit ad Præfectum illum, & ſub noctem delituit in littore, acriter verberatam, quæ litera, quantum potuit, Tingim curſum intendit, litteraſque mane pertulit: quod ſpatium eſt milliarium circiter 75. Vide Oſorium. *Luſit. Hiſtor. l.* 3. uti de *hirundinibus* infrà. Hæc omnia tamen ſuperat ignium, per certa loca, conſpectus ſpiculatur, quò pactò Helvetii, ingruente neceſſitate, dictô citius per tantam ſuam terram, periculum imminens nunciare ſolent, pinu excelſiore loco per intervalla flagrante. Quod idem de Anglis memoratur, qui ingruente turbarum metu altiſſimis palis, *Beakons* illi vocant, faces imponunt, quò, velut edictô, brevi omnes incolæ ad arma concurrunt, pro aris ac focis dimicaturi. Thom. Dempſter. in *Joh. Roſini Antiq. Rom. l.* 7. [illegible]. *Paralipom.* Sed & *Curſores* nonnunquam Auctoribus vocantur οἱ Ταχυγράφοι, Notarii, qui notis verba curſim expediebant, de quibus infrà. Apud Nic. Upertonem *de Milit. officio*, *l.* 1. *c.* 9. *Curſores* dicuntur *Nuntii pedeſtres Imperatorum, Regum & Principum, quorum officium eſt pedibus transire, qui inſuper portant arma dominorum ſuorum in pendulis depicta, pendentibus in ſuis cingulis ſive cincturis ſupra tenes* [illegible] *poſſunt eſſe milites propter peritiam in officiis habitam, non tamen ſunt nobiles & vocantur Milites Caligati*, in *C. de Nuptiis* [illegible] *A.* [illegible] *tos per Accurſium* vide infrà *Proſecutor*. In Eccleſia porrò Romana officium Eccleſiaſticum *Curſoris* nomine veniebat: cujus erat Epiſcopis Epiſtolas deferre. Baron. *A. C.* 44. *num.* 79 & *A. C.* 58. *num.* 102. durantque etiamnum Romæ *Papæ Curſores*, qui deferunt mandata ejus bullaſque divulgant. Sed & in aliis Eccleſiis *Curſores* ſatellitum ſunt Epiſcopalis Curiæ apud Dominic. & Carolum Macros, in *Hierolex.* Plura vide apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CURSULA, oppid. Sabinorum, ad montem Corettum, nunc *Caſſin* ſeu *Caſſi Leandro*. *Ptolem.*

CURSUS, in Olympicis Ludis, tertiò, vel etiam quartò certaminum locò, poſt Pugilatum videl. Luctam & Jaculum, recenſetur Veteribus, uti ordine poſtremum, ac in maxima laude poſitum. Hinc apud Homerum Neſtor, poſtquam Clytomedem pugnis, Ancæumque luctâ ſe viciſſe narravit, addit quaſi extremum hoc, *Il.* ψ. *v.* 636.

[illegible Greek verse] - -
Iphiclum autem pedibus præcurri - -

Vide quoque de Antilocho *Ibid.* de Orſilocho *Odyſ.* ϑ. de Atalanta *Ovid. l.* 10. *Met.* de Polymneſtore Mileſio puero Athleta Solin. *c.* 6. de Critone, Platonem in *Protagora* &c. Inſtituti origo an ab Apolline, qui Mercurium de *curſu* lectum certamine prævertiſſe ſcriptum, apud Pauſan. *l.* 5. an ab Hercule, poſtquam Æliam Amazonem curſu ſuperaſſet apud Diodorum Sic. [illegible] 4. *Antiqq.* Erat autem *Curſorum* in [illegible], præcipuum munus, [illegible] (*ſe Antagoniſtam*) & *longiſſimè* (*ab eo*) *diſcedere*, Plut. *Sympoſiac. l.* 2. *Problem.* 4. Quod ut facilius aſſequerentur, nudi certabant, primitus quidem non planè, ut qui membris ſegnioribus certa habebant indumenta. Quorum Suncyranum, *Thucydidem*. 4.

[illegible Greek verse]

Cujuſmodi ſubligacula ζώματα *Homerus* [illegible] & Διαζώματα alii dixerunt. Uſque ad Olymp. 32 [illegible] Orſippus, quod ſolutis ζώμασι in curſu impeditum eſſet, effecit, ut poſtmodum nudi currerent. Idem verò & [illegible], quod in *Agonibus* [illegible] notavit P. Faber, *l.* 2. *c.* 12. Unde apud Papinium, *Lib. Theb. v.* 575. curſitum,

- - - Palladios non inficiata liquores
Incubuit; [illegible] *que cutem* [illegible] *olivo.*

Ad quem locum vide Barthium, *Agonaſt.* [illegible]. & plura hanc in rem, apud Car. Paſchal. *Coronar. l.* [illegible] 14. [illegible] *armatis* infrà voce *Hoplita*. [illegible] *Curſum* [illegible] ſingebat in Ludis Olympicis, quorum Cor[illegible] *Equoram*, cujus coronam primus Iolaus accepit. Dict[illegible] autem certamen hoc eſt [illegible], ejuſque ſpatium [illegible], quod erat 4 ſtadiorum ſicut omnium prioris curſus unum ſuit ſtadium. Et primum quidem unicô equô certabatur, cujus [illegible] equi K[illegible] dicebantur Græcis. *Deſultores* Latinis. Poſtmodum quad[illegible] ut ſuprà vidimus, ubi de Curru [illegible] corona fuit ex oleaſtro aut ſimili fronde: aliquando [illegible] juvencæ & vitulæ, ut apud Q. Calab[illegible], *l.* 4. &[illegible] apud Pindarum, *Nem. od.* 2. Tulerunt [illegible] licet [illegible] Curſui non interceſſere. Sic Capaneus [illegible] hos quadrigas ſolum mihi

miſſe & per Aurigam non confectæ. Sed & equi nonnunquàm, excuſſo aurigâ, palmam obtinuiſſe legimus, apud Plinium, *l.* 8. *c.* 42. Artes quadrigarii hujus Certaminis variæ erant. Namque, (ut Magicas omittam, in Circenſibus frequentes) canis Agitatores in primis ſpatiis ſuſtinebant equos ſpiritumque ac vires eorum diſpenſabant, priuſquàm ad finem venirent, ut integri ac indefeſſi prægreſſos jam defeſſos præverterent, in ſeptimæ metæ flexu. Nec velocitate ſolum præveniebant, ſed & curſus ſuos opponebant ac effundere æmulorum quadrigas conabantur. Quæ omnia conjungit Plin. d. *l. Claudii Caſ. ſecularibus ludorum Circenſibus excuſſo in carceribus Auriga, albati equi palmam occupavêre, primatum obtinuêre, oppoſita effundentes, omnia quæ contra æmulos debuiſſent* — *facientes* — *per* [illegible] *legitimo curſu ad metam ſtetêre.* Vide Silium Italic. *l.* 6. & hîc paſſim, imprimis in vocibus, *Occupare, Succedere* &c. Neque vero quadrigæ ex equis tantùm conſtiterunt, ſed & è mulis & mulabus, uti legimus apud eundem Pindarum, *Olymp. od.* 6. huicque mulorum certamen, qui eſſent cinellati, [illegible] bigarum, [illegible] dictum. Currentibus porrò non defuêre ſui [illegible], uti pluribus docet Paſchalius laudatus, *c. ſeq.* Nec omittendum, uti in pugilatu *ter* oportebat viciſſe antagoniſtam, quod [illegible] dictum; ita in *curſu*, ter circuita neceſſe fuiſſe, ut plena victoria obtineretur. *Suidas in* [illegible], [illegible] Vide quoque ſuprà in voce *Ter*, item hîc infrà, ubi de *Equis*, nec non de *Curulis Vectatione.* Plura verò de *Curſu* Antiquorum, tum in Ludis Publicis, tum in Gymnaſiis, apud Hier. Mercurialem *de Arte Gymnaſtica, l.* 2. *c.* 10. & *l.* 6. *c.* 7. nec non infrà, in *Diaulus.*

CURSUS, in *l.* 5. *Cod. Theodoſ. de Curioſis, in his damnatus, in quibus curſus a provincialibus exhibetur*, vide quoque *l.* 3. & 4. *eod. tit.* eſt, qui aliàs *Curſus publicus* dictus, & Auguſtum auctorem habuit, *quo celeriùs ac ſub manum cognoſci poſſet, quid in provincia quaque gereretur, hâc enim ſuis juvenes, primò modicis intervallis, per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit*, apud Sueton. *loc. cit.* utilitate inventi pace belloque palàm maximâ, ſed calamitate non minore illorum, quorum poſſeſſionibus ſive patrimoniis indicebantur angariæ aut veredi, ut ſcribit Arcadius JCtus. Conatus ex parte mederi æquiſſimus Nerva, qui durum munus remiſit, ſub Italis. Hinc nummi extant cum Inſcr. VEHICULATIONE ITALIÆ REMISSA S C. Trajanus vero ſeverè, ſi minus ab Italicis, certè à provincialibus iſtud præſtationis genus exegit, teſte Aureliô Victore, qui *morem hoc poſteriorum inſolentiâ avaritiâque in peſtem Romani Orbis vertiſſe*, addit. Cujus querimonia etſi ad ipſius tempora propriè ſpectat, certum tamen eſt, jam inde à principio angariarum onere civitates & provincias multimodis ſemper eſſe vexatas: unde tot *LL.* tot Principum conſtitutiones, ad ſublevandum curſum publicum promulgatæ. Cùm autem in *Curſu* hoc etiam eorum, qui illum uſurpabant, ſumtus intervenirent, videtur illorum commodis conſuluiſſe Hadrianus, qui *curſum fiſcalem inſtituit, ne Magiſtratus hôc onere gravarentur*, Æl. Spartian. *c.* 7. Magiſtratus nempe, qui in provincias irent, aut per provincias ſuas iter facerent, non propriis ipſorum, ſed Fiſci impenſis, uti publicis equis juſſit. Quò ſubſidiô ante Octavium Magiſtratibus provinciarum nihil erat opus: cum præſtò ipſis adeſſent præbendorum mancipes, qui equum, mulos, tabernacula, & quidquid ad iter neceſſarium de publico exhiberent. Poſteà verò quàm mutata eſt per Auguſtum ratio vetus & cuique eorum, qui in provincias deſtinarentur, certum quid fuit attributum, pro cujuſque dignitate, tum corpóre illi vecturæ ſumtum expertes. Neque aliis ante Hadrianum vehicularium illum curſum uſurpare licitum, quàm qui ex provinciis ad Principem deſtinabantur, aut qui à Principe in provincias mittebantur, aliquid annunciaturi. Interim manſêre gravati provinciales, donec Antoninus primùm Pius eorum rationem habens, *Curſum publicum* ſublevavit, diplomata pauca largiendo ac non niſi in publicis ac neceſſariis cauſis evectiones fieri ſinendo, apud *Capitolinum*: Severus dein, ut ſe hominibus commendaret, planè à privatis ad Fiſcum traduxit, ut videre eſt apud Spartian. in *Vita ejus.* Poſt hunc Alexander Severus, jus antiquum revocaſſe viſus, *præbuit Provinciarum Præſidibus mulos binos, equos binos*, apud Lamprid. ſed non propterea minùs illis publicus curſus fuit neceſſarius: Extatque in Cod. lex Arcadii, Honorii & Theodoſii A. A. A. quâ vetantur provinciarum Duces, poſtquàm in illas venerint curſu atque angariis uti; quâ conſtitutione videtur beneficium illis collatum, partim confirmatum, partim abrogatum. Fuiſſe autem Hadrianum in iſta facilem, teſtis illorum temporum hiſtoria: è qua inſuper diſcimus, omnium qui hoc à Principe beneficium impetrâſſent, nomina in latercuIo fuiſſe deſcripta &c. Caſaubonus *ad Spartian.* Vide quoque Salmaſ. *Not. ad eum*, ut & *ad ceteros Scriptores ſuprà cit.* ſicut de *Logotheta Curſus*, in aula Conſtantinopolit. infrà, voce *Logotheta.* Sed & *Curſus*, in Eccleſia Romana dicitur officium Eccleſiaſticum ſeu ſeries Orationum, Pſalmorum, Hymnorum & cæterarum precationum, quæ quotidie in Eccleſia decantamur, quàm à D. Hieronymo Damaſi Epiſcopi Romani rogatu diſpoſitam ſcribit Honorius Auguſtodunenſis, *l.* 3. *c.* 1. Hinc *Curſarius* ſeu *Curſinarius*, liber Eccleſiaſticus, continens *Curſum* ſeu Officium Eccleſiaſticum, in *Actis* Murenſis Monaſterii, *p.* 10. apud Car. du Freſne, *Gloſſar.* Vide quoque Macros fratres, *Hierolex.*

CURSUS, Græcè [illegible], in Ægyptiorum templis, dictum eſt in ingreſſu eorum pavimentum, Latitudine jugeri aut paulo minus, Longitudine triplâ, aut quadruplâ, apud *Callimachum.* [illegible] vocat Strabo, *l.* 17, poſt quam partem erat [illegible] ſeu [illegible], tria enim veſtibula, idem enumerat, ſequebatur, [illegible], *Atrium* & Naos ſeu [illegible], *Delubrum*, vide infrà.

CURSUS Globularis ſeu *Clavularis*, ſpecies fuit Curſus Vehicularis ſeu Publici. Nam ab initio inſtitutionis vehicula tantùm, h. e. rhedæ, in uſu cùm eſſent, item birota & veredi, quem curſum veloci nomine inſignit *l.* 61. *Cod. Theodoſ.* poſteà angariæ quoque acceſſêre, quem modò *clavularium*, modò *angarias*, videmus dici paſſim, & à priori diſtingui. Vide *l.* 5. *Cod. Theodoſ. de Curioſis* & quæ diximus ſuprà in *Clabulare.*

CURSUS Equorum, [illegible], in *Libertatibus* conceſſis Villæ Franchæ ab Archembaldo Duce Borbon. A. C. 1217. *Domnus Archembaudus & Agnes ejus uxor conſtituerunt Curſum equorum, apud Villam Francham, in traſlatum nundinarum, quæ ſunt in octavis Pentecoſtes, & dederunt illi, qui curſum lucraretur, unam marcham argenti & illi qui eos equaret ad pontem de Barres 5. ſol.* Vide Thomaſſerium in *Conſuetud. Bituric. l.* 1. *c.* 100. & 101. laudatum Car. du Freſne, *Gloſſar.* In Angliâ quotannis magnâ celebritate huiuſmodi *Curſum* fervere, notum.

CURSUS Fiſcalis, apud Æl. Spartian. in *Hadrian.* *l. c.* Salmaſio idem eſt, quod *Curſus Publicus*, ſic dictus, non quod eum Fiſcus exhibere teneretur; hoc enim primus Severus demum inſtituit: ſed quòd iis *fiſcales* tu tranſveherentur, aurum & argentum ſacrarum Largitionum, cum ad comitatum Principes deſtinabantur, veſtes & aliæ ſpecies, *fiſcales* appellatæ, &c. Vide hîc infrà.

CURSUS Publicus, jam ſuprà indigitatus, dicebatur, non quòd omnibus eſſet publicus, aut paſſim omnibus licentia foret ejus uſurpandi. Nam non privatis ſolùm eò interdictum, ſed nec omnes Magiſtratus ejus uſurpationem ſibi vindicare audebant, ſed illi tantùm, *quos ſublimiſſima adminiſtratione illuſtraverat indeptos & quos Magiſtro Equitum ac peditum pompa ſublimaverat, qui tamen omnes in actu poſiti Reipubl. providiſſent, non hi, quos honorarii tantùm nominis ſuffragia proſequerentur*, ut ſcribit *l.* Grat. Valent. & Theodoſ. A. A. A. In alia *L.* Illuſtrium evocatio meritò eſt, quorum honori hæc facultas defertur: Senatui conceditur *L.* 52. *eod. tit. de Publ. Curſu*: at *l.* 54. omnibus Judicibus interdicit ejus uſu, exceptô Præfecto Prætorio: *L. vero* 43. etiam illuſtres Magiſtros pedeſtres & equeſtres illius uſurpatione abſtinuiſſe oſtendit, &c. varie, pro temporibus moderata publicæ evectionis ratione, & modò latius, modò arctius diſpenſata. Verum ſic appellatus eſt, quod nemini privato, nec niſi iis, de quibus dictum, quoſque vel ad ſe Princeps evocabat, vel à ſe dimittebat, ejus uſus eſſet conceſſus: nec niſi in publicis cauſis evectiones fieri liceret, aut ad tranſmittendos Largitionales titulos &c. Neceſſitatem ejus exhibendi ex antiquo incubuiſſe Curialibus ſeu Decurionibus, diſcimus ex *l.* item Auguſtorum ſuprà laudata: a quibus ad Fiſcum eam tranſduxiſſe Hadrianum nonnulli volunt, ex verbis Spartiani *l. cit.* quem tamen locum aliter accipi a Caſaubono & Salmaſio vidimus. Severus certè tandem illos hôc onere ſublevavit, ut ſuprà dictum, ubi etiam de *Curſus* hujus inſtitutione. Vide quoque hîc infrà.

CURSUS Vehicularius, idem cum *Publico*: quâ generali appellatione rhedæ, ceſia, veredi, angariæ, & omnia, quæ in curſu publico uſurparentur, ſive vehicula, ſive animalia, comprehenduntur. Dictus io *velocem* & *clabularium*, quò nomine angarias veniſſe, viſum eſt. Claud Salmaſ. *ad Capitolin. in Antonino Pio, c.* 12. Sed & *ad Curſum* naves adhibitas, ut infrà videbimus voce *Dromones.* Vide quoque infrà *Poſta.*

CURTA, Pannoniæ inferioris oppid. nunc pagus ad Danubium, medius inter Comaromum, ad Occaſum & Strigonium ad Ortum, 3. leuc. *Ferrar.*

CURTANA, aliis *Curtein*, Eduardi Confeſſoris gladius, qui in inauguratione Angliæ Regum cæteris præfertur, à Comite Ceſtriæ. Matth. Pariſ. *in Henrico III. ſub A. C.* 1236. Sic Arthuri Regis gladius *Caliburn* & *Ron* dictus ferunt. *Spelmannus.* Cæterum *Curtana* enſis fuit Cuſpide acieque retuſus, in ſignum miſericordiæ populum à Rege præſtandæ, unde & nomen: Id vero etiam jure ſpectâſſe Ducem Lancaſtriæ docet Edw. Cokus *ad Littleton. ſect.* 35. Sic regii enſis Danici, *Laws* nomine, quô Biarco uſus; aliùs *Serep* dicti, in eadem gente, duorum porro aliorum, qui Haldeni erant, *Lufonge* & *Hvyntinge*, meminit Saxo, *l.* 2. 4. & 7. Vide Garaſſum in *Sacris Remenſibus c. de Enſe Regio* & infrà in *Durandal.*

CURTI, Aliæ populi *Chilenae* an idem cum Turcis, quomodo vocem hanc uſurpat Albertus Argentin p. 141. Vide Car. du Freſne, *Hiſtor. Byzantina, l.* 8. *c.* 6.

CURTICULÆ vel CURCELLÆ, quaſi parvæ villæ, ſeu exigui vici à *Curte*: multa ſunt ejuſdem nominis in Gallia, è quibus nunc notiſſimæ *Curcellæ* in Velliocaſſibus, ad ſitam ſua, Danguitum inter & Giſortium. Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CURTILARIUS, Gallis *Curtillier*, Officium Monaſticum, cujus curæ potiſſimum incumbebat, ex *curtolo* Monaſterii aut aliunde olera & pulmentaria Monachis ſubminiſtrare, quod poſteà in beneficium & feudum Eccleſiaſticum Romano Pontifici obnoxium tranſiit, ut docet Doublètus, *Hiſtor. Monaſter. Sandionyſ. l.* 1. *c.* 59. Interdum tamen nuncupantur iis, qui Domini ſui principalem ſeu capitalem Curiam ſequi tenentur & ejus placita interéſſe, Car. du Freſne in voce *Curtis.*

CURTILIUS Mancinus, ſuperioris in Germania Exercitu Dux, Q. Voluſiô, & P. Scipione Conſulib.

CURTINETUM Senonum, caſtellinum Senonum finibus, Prioratu SS. Petri & Pauli illuſtre, vulgò *Courtenay*: cujus caſtri hærede ductâ unus è Ludovici Craſſi Regis filiis Petrus Curtinacenſium Principum familiæ originem dedit. *Idem.*

CURTIS, & CURS, apud mediæ ætatis ſcriptores, idem quod *Curtis* & *Cors*: palatium, aula Principum, Nobilium, &c. A græco Κύρτος, fiſcella, qualus, cavea, ad aſſervandas aves. Cui ſimile Latin. *Cors* vel *Cohors.* Unde Martialis, *l.* 7. *Epigr.* 30. *v.* 1.

Rancæ cortis aves.

Et Ovid. *l.* 4. *Faſt. v.* 704.

Abſtulerat multas illa cohortis aves.

Duo Cotterel dicebant, quod in domo ruſtica locô atrii fuit; etiam ſpatium intra maceriam: Hortum quoque, & caſam: Villam poſteà, ubi habitaculum alicujus Nobilis: tandem Aulam, Palatium & familiam Principis · Vide Jornand. *de rebus Get.* c. 34. Aſſer. Meneveuſ. *de geſtis Aelfredi*, Henr. Spelmann. *Gloſſar. Archæol.* & ſuprà in voce *Cors*.

CURTIS Nova, *la Cour Neuve*, villa agri Pariſiñ, proxima Monaſterio S. Dionyſii, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

CURTISANÆ, quænam dicantur in Italia, docet celebris Doctor Sorbonicus Claud. Eſpenſæus *de Continentia*, l. 3. c. 4. ubi poſtquam de inſtituto Pauli III. qui Cardinales quoſdam & Viros alios graves delegerat, ad Eccleſiam emendandam A. C. 1538. diſſeruiſſet, dixiſſetque conſuluiſſe illos, *corrigendum & hunc turpem abuſum, quod illic* (Romæ) *meretrices, ut matronæ incedunt, aut mulâ vehuntur, aſſectantibus eas de media die nobilibus familiaribuſque Cardinalium atque Clericis, habitant etiam inſignes ædes*, Addit, *Mirum certè tales tantoſque viros conſuluiſſe, minimùmdum modò ſcortorum faſtum & luxum, non etiam ſemel ejicienda, an verò propter tam multos ibi cælibes retinenda? o rem horrendam! nihil ſané hic eos ſenſiſſe docere religio ſit. Nos Gallos ſtolidos, ſtilicet ac ſimplices (ſic enim nos illi vocant homines ſcilicet ſubtiles atque ſapientes) non poſſe non graviter offendi tot mille luparum in iiſdem muris, una in urbe, ſub eodem propè (quod ajunt) tecto quotidiano conſpectu, ac velimus nolimus, occurſu. Non enim jam, ut olim, ſub mœnibus habitant, aut ſub Summœnia Circenſibus, Martiali ob id Summœnianæ dictæ. Quæris Q. Fabius, l. 7. c. 4. An in lupanari cum aliena deprehenſus adulter ſit? non quæſiturus, niſi olim ſuus locô fuiſſent diverſata. Nunc verò ſub Chriſti Vicariis ac Petri ſucceſſoribus, ut alius quidam cecinit,*

> — *Urbe eſt jam tota lupanar,*
> *Mater Aurea regnat in urbe ſuâ.*

Quodque in Solone Plutarchus ſcribit, Athenienſes mitibus nominibus urbanè immutando rerum atrocitatem mitigâſſe, meretrices hetæras, ſocias, amicas nuncupâſſe. Ita Romanenſes ſua Nundinalia pudoris prodigia, Curtiſanas vocant. *ô Italicum acumen!* Hæc Doctor ille Sorbonicus. Quanto puriora caſtra Balduini Flandriæ Comitis qui Imperator Conſtantinopolitanus ſalutatus eſt, A. C. 1204. De quo etiam hoſte, memorat Nicetas Choniates, adeò fuiſſe continentem, ut ne adſpectu quidem impudicô mulierem intuitus ſit, quamdiu à propria uxore abfuit: & bis quâlibet hebdomade veſperè proclamari curaverit, ne quis in ſuo Palatio cubaret, qui alienam mulierem attingeret. Aula item veterum Imperatorum, de quibus refert Johannes Chryſoſtomus Epiſcopus Conſtantinopolit. ſuô tempore (circa A. C. 400 regnantibus Honorio & Arcadiô Augg.) lege cautum eſſe atque obſervatum, ut in Regiis ſeu Palatiis Imperialibus ſi quis introductam meretricem cognoviſſet vel ebrietate aliâve hujuſmodi turpitudine ſeſe maculâſſet, ultimô afficeretur ſuppliciô, vide Jo. Forbeſium, *Inſtructionum Hiſtor. Theologic.* l. 4. c. 10. § 5.

CURTISIUS prænomine Titus, quondam prætoriæ cohortis miles, Tiberii Imperii annô decimô tumultûs ſervilis per Italiam auctor: qui primò cœtibus clandeſtinis apud Brunduſium & circumjecta oppida; mox poſitis propalam libellis ad libertatem vocabat agreſtia per longinquos ſaltus & ferocia ſervitia: cùm fortè tres biremes adpoluêre ad uſus commeantium illô mari. Et erat iiſdem regionibus Curtius Lupus quæſtor, cui provincia vetere ex more Calles evenerat. Is diſpoſitâ claſſiariorum copiâ, cœptantem cùm maximè conjurationem disjecit: Miſſuſque à Cæſare properè Staius tribunus cum validâ manu Ducem ipſum & proximos audaciæ in urbem traxit. Tacit. l. 4. *Annal.* c. 27.

CURTIUS, CURTIA gens Romæ conſularis & patricia minorum gentium Romam cum T. Tatio commigraſſe ſub Romulo.

CURTIUS, prænomine Marcus, adoleſcens Romanus nobilis, qui ſe pro ſalute patriæ Diis manibus devovit. Nam cùm terra in medio foro ingenti hiatu deſediſſet, reſponſumque eſſet, non coituram terram, niſi quiſquam ex primæ ſpei adoleſcentibus ſeſe in hiatum dejeciſſet, Curtius acceptam à patria vitam eidem impendere non dubitavit, conſcenſoque equô, ſine mora ſe in ſpecum præcipitavit. Unde etiam *Curtius lacus* nomen creditur ſervâſſe. Ariſtid. *apud Plut. in Paral.* Liv. l. 7. c. 6 Val. Max. l. 5. c. 6. ex 2.

CURTIUS, cujus meminit Cicero, l. 3. *ad Quintum fratrem*, ep. 2.

CURTIUS, Eques Romanus deliciis diffluens, quum apud Auguſtum cœnaret, turdum macrum è patina attollens, cumque manu tenens, interrogavit Cæſarem, num mittere liceret? Quumque is reſpondiſſet, quidni liceat? Ille protinus eum per feneſtram miſit. Princeps ambiguitate verbi deluſus factum æquô animô tulit. Macrob. l. 2. *Saturnal.* c. 4.

CURTIUS Atticus, illuſtris, Eques Romanus, Tiberio in ſeceſſum Campaniæ comes. Tacit. l. 4. *Annal.* c. 58. Subverſus arte Sejani; ad quem Ovidius *Elegia IV. & VII. libri ſecundi de Ponto.*

CURTIUS Jacobus, vide *Jacobus*.

CURTIUS Matthæus, vide *Matthæus*.

CURTIUS Montanus, Orator & Poëta, ſub Veſpaſiano: cujus verſus non adeò laudat. Accuſavit Regulum, Tacit. l. 4. *Annal.* c. 28. 29. Plin. jun. ipſi epiſtolam 29. inſcripſit, l. 4. Alius eſt à Julio Montano, morum elegantiâ, carminis ſuavitate, & converſationis amabilitate Tiberio, grato qui *de ortu ſolis* ſcriptum edidit. Senec. *Ep.* 122. Ovid. l. 4. *de Pont. El.* 16. v. 11.

CURTIUS Montanus, Senator, qui referente Domitianô, de reſtituendis Galbæ honoribus, cenſuit, ut Piſonis quoque memoria celebraretur, irritâ ſententiâ. Tacit. l. 4. *Hiſt.* c. 40.

CURTIUS Nicias, Grammaticus, Pompeji & Memmii amicus intimus. Cicero, *ep. ad Dolabellam*, & alibi. Sueton. *de Illuſtr. Gramm.* c. 14.

Q. CURTIUS, temporibus Tiberii floruit, in quem eſt ejuſdem Principis dictum, natalium ejus dedecus velantis: *Curtius mihi videtur ex ſe natus.* Orator inſignis. Ex ſectatore Quæſtoris in Africa, conſulare imperium, provinciam Africam, & triumphi inſignia meruit. Tacit. l. 11. *Annal.* c. 20. 21. De eodem Plin. *Ep.* 27. l. 7. *ad Suram.* An idem cum ſequente? Grandis ejus ætas non refragatur. Vide & *Quintus.*

Q. CURTIUS Rufus, nobilis Hiſtoricus, *de rebus geſtis Alexandri Magni* ſcripſit hiſtoriam. Ætas ejus colligitur ex loco ipſius, l. 10. c. 9. ubi de *novo ſydere* loquitur. Quod alii de Auguſto Cæſare intelligunt, Lipſius de Claudio, Nonnemo quoque de Trajano. Voſſius autem optimè ad Veſpaſiani tempora eum refert, quem vide *de Hiſt. Lat.* l. 1. c. 28. Motha Vayerius, *Jud. de Hiſtoricis*, Raderus, *Comm.* &c.

CURTIUS Fons, inſignis aquæ ductu memorabilis, ut qui à quadrageſimo lapide in urbem fuerit perductus opere arcuato tantæ altitudinis, ut in omnes urbis montes facilè diſtribueretur. Plin. l. 36. c. 15.

CURVA Porticus, apud Spartian. camerata eſt: *in qua pictum de muſivo Peſcennium Nigrum, inter Commodi amiciſſimos, ſacra Iſidis ferentem*, legas ibid. Vide Salmaſ. *ad Peſcennii Vit.* c. 6.

CURVA Via, *Courbe Voye* vicus agri Pariſini, ad trans Sequanam, prope Columbas. Sic *Curva* Villa, in Carnutibus, *Courville*

CURVA Villa, *Courville*, adde: Municipium eſt, Ivoni non indictum, quod Autura fluv. qui in Pertico oritur, primum alluit, Hadr. Valeſ. in voce *Autura.*

CURUBIS, vide *Curubis.*

CURVENNÆ, Vicus Galliæ, in Briegio, non procul ab amne & Monaſterio Edera: vulgò *Couvres* aut *Curve.*

CURULIS Magiſtratus, apud Romanos, dictus eſt, cui jus erat Sellæ Curulis, ut Dictator, Conſul, Cenſor, Prætor, Ædilis Curulis. His orti *Nobiles* dicebantur, ob imagines Majorum, qui Magiſtratus Curules geſſerant: quemadmodùm ii *Novi* appellati ſunt, quorum non Majores quidem, ipſi verò Magiſtratus Curules geſſerant: ii verò *qui* nec ipſi, nec Majores id dignitatis tenuêre, *Ignobiles* nuncupari ſoliti ſunt. Fuit autem *Curulis ſella* ex ebore, unde Horatio *Curule ebur*, l. 1. *Ep.* 6 v. 53. 54. cujus forma in nummis crebrò expreſſa: nec diſſimilis ſellis iis, quas Belgæ *Hiſpanicas* appellant, & quarum in aulis uſus. Deſcribit Plutarchus *in Mario*, & incurvis pedibus eas fuiſſe oſtendit. Itaque in *Gloſſis* priſcis Sella Curulis explicatur, Ἀγκυλόπους θρόνος ἐλεφάντινος. Sicuti autem Senatorum humiles erant ſedes, ita hæ Sellæ ſublimes & excelſæ fuêre. Silius, l. 8. v. 487.

> *Hos altis ebore decoravit honore Curulis.*

Et Lucan l. 3. v. 26.

> *Lentulus è celſa ſublimis ſede profatur.*

Non quòd ſellæ ipſæ altiſſimæ, ſed quòd adjunctis plures gradus Caſſiodorus, *Ep.* l. 6. *Sellam curulem pro ſua magnitudine multis gradibus curſus aſcendit.* Nec ex ebore ſolum, unde Græci *ἐλεφάντινον θρόνον* aut *δίφρον* talem ſellam vertunt, factæ ſunt, ſed cælatæ inſuper ac ſculptæ: Unde Lipſius, *in iis, ornatus cauſâ, ſigna fuiſſe.* Ovid. *de Ponto*, l. 4. *Eleg.* 9. v. 27.

> *Signa quoque in ſella niſſem formata Curuli,*
> *Et totum Numida ſculptile dentis opus.*

Earum auctor apud Romanos Tarquinius fuit Priſcus, origo ab Hetruſcis, teſte Liviô, l. 1. c. 8. Nomen à curru, *quòd in curru, qui honoris gratia in Curiam vehebantur Magiſtratus Curules, ſella erat, ſupra quam conſiderent*, A. Gellius, l. 3. c. 18. Iſidorus verò ſellas poſt currus vehi ſolitas refert, cùm ait: *Conſules enim & Prætores, ob longinquitatem viæ curru in forum provectos: ideoque & ſellas, quæ poſt eos vehebantur, in quibus ſedentes jura redderent, Curules dictas.* Verius Lipſius à Curibus, Sabinorum oppido, nomen deducit. Curru autem in Curiam vehi L. Cæcilio Metello honoris causâ primùm conceſſum fuiſſe, verus marmor in ejus elogium ſculptum oſtendit: L. CÆCILIUS L. F. METELLUS PONT. MAX. COS II. DICTATOR. MAG. EQ. XV. VIR. AGRIS. DANDIS. QUI PRIMUS. ELEPHANTOS. PRIMO. PUNICO. BELLO. DUXIT. IN. TRIUMPHO. PRIMARIUS BELLATOR. OPTIMUS. ORATOR. FORTISSIMUS. IMPERATOR. AUSPICIO. SUO MAXIMAS. RES. GESSIT. MAXIMO. USUS. HONORE. SUMMA. SAPIENTIA. MAXIMUS. SENATOR. EX. ÆQUO. PECUNIAM PARTAM. SINGULIS. LIBERIS. RELIQUIT. CLARISSUMUS. IN CIVITATE. FUIT. TRIBUTUM. EI. UT. QUOTIENS. IN. SENATUM IRET CURRU. VEHERETUR. AD. CURIAM. QUOD. A. CONDITO. ÆVO. NULLI. ALII. CONTIGIT apud Ofelium, *Notis in A. Gellii locum ſuprà citatum.* Bellô Gallicô ſellas has, quæ dignitatis aliàs inſigne fuerant in funeſtum uſum eſſe verſas, docet Florus, l. 1. c. 13. Fuſô enim ad Alliam Romanorum exercitu, jamque appropinquantibus Urbi Gallis Senonibus, *Majores natu ampliſſimis uſi honoribus, in forum: ibi devovente Pontifice, Diis Manibus ſe conſecrant: ſtatimque in ſuas quiſque ædes regreſſi, ſicut in trabeis erant & ampliſſimo cultu, in* Curulibus ſellis *ſeſe poſuerunt: ut, cùm veniſſet hoſtis, in ſua dignitate morerentur.* Et paulo poſt, *Ubi ſedentes in Curulibus ſuis prætextatos ſenes, velut Deos geniosque venerati, mox eoſdem, poſtquam eſſe homines liquebat, aliàs nihil reſpondere dignantes, pari vecordiâ* (Galli) *mactant.* Sed & aliquando vox *Curulis* ſubſtantivè ſumitur, notante Scadeô *in Florum*, l. 1 c. 3. & tum percipitur aliquem Magiſtratum officiumque deſignat.

CURULUS Vectatio, jam antiquiſſimis temporibus in uſu: ſiquidem,

ſiquidem, ut Arati vetuſtus Interpres teſtatur, primus qui equos junxerit, fuit Erichthonius, apud Plinium, l. 7. c. 56 quem ob id inter cœlitum imagines relatum ſcribit. Manilius, *Aſtronom. l. 1.* Sed forma & modus *Curruum* diverſa fuêre. Nam idem Plin. *l. 16. c. 42.* materiem curribus faciendis idoneam abietem probat, tutarum verò axibus ilicem, fraxinum atque ulmum: unde Veteres ex hujuſmodi lignis currus fabricâſſe eluceſcit, qui, prioribus illis ſeculis, duabus tantùm rotis conſtruebantur, quibus alias duas, iterum Plinio teſte, *l. 7. c. 56* poſteà addidêre Phryges. Deinde Scythæ ſex etiam rotis *Currus* conſtruxêre, ut ex Hippocrate diſcimus, *l. de aere, aquis & loc.* Et quidem rotæ hæ Homeri ærè ſtannô ornabantur, at poſterioribus ſeculis non rotæ modò, ſed tota vehicula ebore excalta legimus, apud Plautum, *Aulul. Act. 2. ſc. 2. v. 46.* ſicuti Plinii ætate tota eſſeda atque vehicula aurô ac argentô inſigniâ conſpiciebantur, *l. 34. c. 17.* Variis præterea rebus cooperta fuêre, ſed plerumque pellibus, Plut. *Probl. Rom.* atque aliquando equis, aliquando mulis, aliquando bobus, interdum viris agi ſolebant. Quin Heliogabalum non modò varia, eaque monſtroſa animalia, ſed etiam mulieres nudas vehiculis *curribuſque* junxiſſe, ſicque vectum eſſe, tradit Lamprid. in eo, c. 29. Geſtatio porrò iſta Romæ olim, inter mulieres imprimis, maximis in deliciis fuit, eoque luxus aliquando pervenit, ut eas ipsâ uti, SCtô vetare coacti ſint Romani: cujus rei gratiâ cùm mulieres irâ percitæ inter ſeſe conſpirâſſent, ne qua eorum conciperet neque pareret, atque ita viros ulciſcerentur, Romanos mutâſſe ſententiam atque legem ſuſtuliſſe ſcribit *Plutarchus*. Marcus tamen poſteà Aurelius Antoninus Philoſ. matronarum conſulens modeſtiæ, ne in iis deinceps ſederent, neque equis per urbes veherentur, denuo prohibuit. Neque minùs apud Gymnaſticos hæc ipſa geſtatio æſtimata reperitur: quando, ſive ludos & ſacra certamina ſpecies, ſive Medicorum attendas præcepta, in omnibus ea uſitata apparebit. Nonâ certè & nonageſimâ Olympiade *Curruum certamen* in Olympicos invectum eſt ludos, frequenteſque ſynorides, quibus animas noſtras Plato *in Phædro* elegantiſſimè aſſimilavit, nec non bigæ quadrigæque, curruum genera, in publicis ſacris certârunt. Quod poſtea ſtudium ita apud Romanos excultum auctumque eſt, ut pauca vel nulla ferè publica ſpectacula ederentur, quin *Curruum* certaminibus honorifica præmia propoſita ſpectarentur, qua de re alibi dicetur. Nec a bellicis exercitationibus hoc ſtudium abhorruit: ab Homeri namque ætate uſque ad Xenophontis tempora, imò & poſterioribus ſeculis perduraviſſe morem, è curribus quoque in bello dimicandi, notum eſt. Similem vectationem Medicos Gymnaſticos, tam ſanis conſervandis, quàm ægrotis ſanitati reſtituendis, adhibuiſſe, teſtantur *Galenus*, *Antyllus* apud *Oribaſium*, *Herodotus*, alii: è quibus Galenus duo ejus genera fecit *de tuend. valet. c. 11.* alterum, in quo homines vecti ſedebant; alterum, in quo jacebant: quæ utraque rarò in Urbe, frequentiſſimè per vias & extra urbem peragi conſueviſſe, colligitur ex Plut. *Problem. Rom.* ubi tradit, in Septimontii feſto Romanos coactos fuiſſe prohibere, *ne ea die vehiculis uti liceret*, ne urbs & feſti ſolennitas relinqueretur. Nunquid autem ſani ſimul ac valetudinarii in iiſdem vehiculis exercerentur, indicâſſe videtur *Herodotus*, apud quem legimus, febricitantes curribus, qui manu ducebantur, nec non bigis geſtari ſolitos, atque illos à principio per 30. ſtadia moveri, dein illa duplicare; hos à ſtadiis 30. aut 40 initium ducere & uſque ad ſpatium alterô tantô majus progredi conſueviſſe. Sanos verò omnibus *curribus* & tectis & apertis, ſine ullo diſcrimine, uſos eſſe, veriſimile eſt: etſi fortaſſe Principes tectis potiùs vectos eſſe credi par eſt, quando refert Dion Hiſtoricus, *l. 60. ſub init.* Claudium Cæſarem dum proſperâ uteretur valetudine, caputque tremulum & manus ac linguam titubantes haberet, primum omnium Romanorum vehiculô undique obtectô geſtatum fuiſſe, ſicut Plinius Jun. ob oculorum infirmitatem, eôdem ſe aliquando uſum teſtatur, *l. 7. Ep. 21* &c. Vide Hier. Mercurialem, *de Arte Gymnaſt. l. 3. c. 10. 15. & l. 6. c. 10.* ut & in voce *Currus*.

Varia Curruum apud Veteres genera.

- Arcĕrma, ſeu Arcera.
- Baſterna, ad quas Matronæ ſe receperunt, cum iis carpentorum uſu interdiceretur. Vide ſupra.
- Bigæ.
- Birotum.
- Cantherinum.
- Carpentum, Auguſtarum & Magiſtratuum Roman. vehiculum.
- Carruca, quâ Matronæ vehebantur.
- Ciſium, vehiculi bìroti genus.
- Covinus
- Epirhedium.
- Petoritum.
- Pilentum.
- Plauſtrum.
- Rheda.
- Sarracum.
- Synoris.
- Thenſa, vehiculum ſacrum, in quo Deorum imagines, in ludorum Circenſium pompa, vectabantur, uti diximus *ſuo loco*, &c. Et hæc omnia, quod rotis agerentur, erant ſimilia, diſtabant vero formâ, materiâ, magnitudine, modô, aliis, ut præter Mercurialem, videre eſt apud Job. Lau rent. *de re Vehicul.*

CURZOLA, Inſula in mari Adriatico, *Ptol.* & Plinio, *l. 3. c. 26.* *Corcyra Melana* dicta. Longa eſt 40. milliar. ampla 90. paucam mittit frumenti copiam: tamen vinum optimum fert. Incolæ navigationi ſtudent, multaſque conficiunt naves. Ejuſdem nominis oppido Epiſcopus præeſt. Oppidum muris probe inſtructum, multi mercatores inhabitant, qui navibus magnum quæſtum faciunt. *Mutel.* Vide *Corcyra*.

CUSA, vide *Nicolaus Cuſa*. Item urbs Nubiæ.

CUSA, Mauritaniæ Tingitanæ fluv. *Ptol.* *Umarabea Marmolio*, *Omarabi* aliis.

CUSANTIA, vulgò *Cuſance*, Familia in Gallia illuſtris, quæ ante 4. & quod excurrit ſecula florens, à matrimonio Iſabellæ *de Vergy* Baronatum *de Beauvoir* & deſin S. *Julien* titulis adjecit. Acceſſit ipſa hæreditas domus Vergiacæ atque ita Comitatus *de Champlite* oculus, ſed extincta eſt, A. C. 1635. in Claudii Franciſci filio, cujus progenitores ita habent. Fridericus B. *de Belvoir* Dn. *de Cuſance*, ex Luiſa Balmia Comite *de Monte rebello* filia, pater fuit Theobaldi: quô & Peronâ Sevoiſiâ natus Claudius, ductâ Iſabellâ *de Chaſtelvirey*, filium habuit cognominem, maritum Philibertæ *de Lugny*, & ex ea genitorem Vandelini Simonis: cujus ex Beatrice Vergiaca filius fuit, Claudius Franciſcus præfatus B. *de Belvoir* Dn. *De Cuſance*, quô & Erneſtinâ *de Witten & Berghes*, genitus eſt Clerialdus *de Cuſance* & *de Vergy*, Comes *de Champlite*, Marchio Bergenſis, qui obiit improlis A. C. 1635. Reliqui Vandelini & Beatricis liberi fuêre Ermentrudis B. de S. Juliano (cujus uxor Dela de Rye etiam ſine prole deceſſit) & Johannes Baptiſta Abbas *de Bellevaux*. Habuit verò Clerialdus ſororem Beatricem, quæ nupta primo Eugenio Leupoldo *d'Oyſelet*; poſtea Caroli Lotharingiæ Ducis uxor fuit, ex eo mater Principis *de Vaudemont*. Vide Phil. Jacobum Spenerum, *Theat. Nobilit. Europ. Part. II. p. 71.*

CUSCO, Metropolis, & præcipua civitas, in ea novi orbis parte, quæ Meridiem magis reſpicit, quam Hiſpani Terram firmam appellant, & quæ Braſiliam, Peruviamque comprehendit. In planitie, prope colles, cum palatio ſuperbiſſimo. Olim totius Peruviæ primaria & regia Incarum ſedes. Hæc civitas cum pulcherrimis Galliæ, & Hiſpaniæ urbibus, amplitudine, invictâ arcis munitione, & hominum potiſſimùm nobilium frequentiâ, ædificiorum ferè, ſituſque amœnitate contendit. Delectantur incolæ rebus depictis; panno, plumbi, ſtannique fodinis abundant; Argenti apud eos vis magna non item. Sub Hiſpaniæ Rege. Inter fluv. Incayum & Apurimam. Nunc ſenſim deficis, terræ motibus, A. C. 1650. peſſimè habita. Vide Novi Orbis deſcriptores. Epiſcopalis eſt ſub Archiepiſcopo Limenſi.

CUSCULIA, apud Plinium, *l. 16. c. 8.* ex Græco Κοσκύλιον, grana ſunt κόκκου βαφικοῦ, *cocci tinctorii*, quæ cum ſcateant intus parvis vermiculis, quorum ſanies coccino tingendo præclara eſt, & carminum illum colorem, quem nos miramur & adorârunt Veteres, efficit, unde factum, ut *Vermiculum* pro ipſo cocco dixerint, vide ſuprà ubi de Cocco, nec non in voce *Coſculum*.

CUSCULIS, Thraciæ urbs. *Procopius*.

CUSCUTA, Arabibus *Caſuth*, Veteribus *Caſytas*, nonnullis eſt ſemen illud, quod circa ortum Caniculæ in Spina Babylonia ſatum, eôdem die ſurgere & creſcere legitur, ad eam amplitudinem ut ſpinam ipſam amplectatur totam, apud Plinium, *l. 13. c. 24.* Sed *Cuſcuta* ſponte naſcitur, nec ſpinis tantùm, verùm etiam aliis herbis & arboribus circumvolvitur. Unde epithymon potiùs & quod ſtoebæ ſpinæ innaſcitur, eô nomine venire poſſit. Certè *Theophraſtus* κασύταν, quæ *Cuſcuta* eſt vulgaris, ab illo ſemine ſeparat, [illegible] *Syriaca hæc herba dicta Caſytas & arboribus & ſpinis innaſcitur* &c. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 291.

CUSI, Pannoniæ inferioris urbs, *Antonin.*

CUSILLA, vulgo *Choiſille*, amnis Galliæ, *inter quem & Ligerim, arcem in monte Budelli extraxiſſe*, legitur Fulco Comes Andicavorum. Iſte mons Budelli nuncupatur hodie *Membrole* vel *Montbrole*, locus aut vicus inter Ligerim & *Cuſillam*, qui paulò infrà Turonos in dextrum Ligeris labitur. *Choſiacum* fluv. vocant *Geſta* Dominorum Ambaceníium; *Caſelum*, *Geſta* Epiſcoporum Turonicorum, apud Valeſ. in voce *Secera fluv.*

CUSIS, filius Abdi, 1. Paral. *c. 6. v 28.* i. e. *durus*, aut *certamen eorum*.

CUSPATORES, in *Gloſſis* Baſilic. [illegible] *cuſtodes* ſunt, *cuſpos* enim *lignea ſandalia* vocant. Cippus nempe, ſeu *Cuſpus* lignum erat, quò pedes reorum vincti in carcere tenebantur, annuli habens ſignum, ut *Euſtathius* docet. Unde *pedes ſervorum annulati*, Apulejus. Ex Græco κύφος & κυφὸν, quò lignum appellabatur, quò cervix aut pedes noxiorum vinciri mos erat. Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*, c. 5. Vide quoque Meurſium, *Gloſſar.* & Fabrotum, *ad Cedrenum*.

CUSPINIANUS Johannes, Suinfurtô oriundus, Poëta & Medicus, Maximiliano Imperatori gratus. Scripſit *commentarium Conſulum, Cæſarum & Imperatorum Romanor. Hiſtoriam Auſtriæ, de origine Turcarum*, &c. De eo conqueritur Spondan, quod ſcripſerit, Cunigundem fil. Friderici III. quæ Alberto Bavaro nupſit, prius deſponſatam fuiſſe Mahometi. A. C. 1487. n. 7. Calviſius idem habet, *in Chronol.* p. 890. Nicol. Gerbelius, *in vita Cuſpiniani*: Voſſ. *de Hiſt. Lat. l. 3. c. 10.*

CUSPIS, propriè haſtæ ferrum, Græcè αἰχμὴ, item σαυρωτὴρ, in una parte acutum, cui haſtile vel haſtæ lignum immiſſum erat. Hanc in occludendis foribus βαλάνου vicem aliquando uſumque præbuiſſe, ſcribit alicubi *Thucydides* laudatus *Polluci*. [illegible] Nempe uti hoc ferrum concavum erat, ut haſtili indueretur: ſic clavis demiſſa in βάλανον ſeſe induebat, eamque ab imo ſurſum trahebat, quemadmodùm haſtæ lignum cuſpidi immittitur. Qua de re vide ſuprà in voce *Balanus*. Apud Sueton. *Julio*, c. 62. ubi de prœlio ad Dyrrhachium, *Aquilifer morantí cuſpide comminatus eſt*: haſtilis, quô aquilæ geſtabantur, pars eſt poſterior mucronata, quâ terræ infigebatur. Vide Caſaubon. *ibi*. Pro ipſa haſta, apud Poëtas, paſſim. Hinc Statius, *l. 10. Theb. v. 210.*

——— Vade ipſe, ubi ſortem ferrô
Nec ſaltem dixit. neque hæc ad limina viſus
Cuſpide ſublata totique impellere currus.

Claudianus de Minerva, *l. 2. Rapt. Proſerp. v. 19.*

Et Pandioniæ quæ Cuſpide temperat arces &c.

Tingi conſueviſſe *Cuſpides* in præliis olim, ut nocentiores eſſent, Plinius tradit, veneno, quod inde *doryenion* dictum, *l. 21. c. 31.* de Strychno, *Hoc eſt venenum, quod innocentiſſimi Auctores ſimpliciter doryenion appellavêre, ab eo quòd cuſpides in prælio tingerentur illo paſſim naſcente.* Vide Plut. *Opuſc. adverſ. Colotem*, & infrà ubi de *Sagittis*, item *Veneno.*

CUSPIUS Fadus, Procurator Iudææ, A. C. 45. Theudam impoſtorem ac Pſeudo-Joannem debellavit. Ei ſucceſſit Tiberius Alexander, A. C. 46. Joſeph. *Jud. Ant. l. 20. c. 2. & 3. &c.*

CUSRUDES, Rex inferioris Ægypti ſecundus, Menem ſeu Meſtraim, totius Ægypti primum Regem excepit, eô adhuc in reliqua Ægypto regnante: præfuit annos 63. ſucceſſore Ariſtarchô. Joh. Marshamus, *Chron. Canon.* ex Syncello.

CUSSINUS, in Eccleſ. Roman. pulvinar ſeu pulvillus, ſuper quem in Altari ponitur Miſſale, Macer, *Hierolex.* Vox Germanica eſt & *pulvinum*, ſeu *pulvillum* notat, vide infrà.

CUSTODIA, pagus Vicentini agri, ſextò à Vicentia lapide, jacet ad montis altiſſimi pedem, in ſolis exortum ſpectans, poſtea noſtra ad occaſum latere: Mons hic cavernas habet, inter alias unam memorabili vaſtitate, nam in circuitu ferè mam illam paſſuum continet, ovatâ formâ.

CUSTODIA, Imperatoribus olim duplex, ex militibus Prætorianis, & Germanis, quos *Corporis Cuſtodes*, *Scutarios*, *Buccellarios* &c. dictos eſſe, docet Salmaſ. *ad Lamprid. in Alex. Severo. c. 61.* At *Cuſtodia* in *Vita S. Arcadii Abbat. Gemetic. c. 28.* idem qui *Cæca*, de quo ſuprà. Eôdem nomine Monaſterium ſuum, ſeu *Cuſtodes* Monaſterii dignitatem, inſigniunt Franciſcani; quomodo Græcis *φυλακαὶ* dicuntur Mulierum Monaſteria, apud Palladium in *Hiſtor. Lauſiaca capp. 14. 39. & 144.* Aliquando vox carcerem notat. Sic *Cuſtodiæ* Reorum, apud Romanos, vel *Liberæ* erant, in quas ante confeſſionem tradebantur, vel apud Magiſtratus domi, vel apud privatos Nobiles cuſtodiendi, quemadmodum de indice Bacchanalium, ſcripſit Liv. *l. 39. c. 10.* & de conjuratis Salluſtius, *c. 50.* Vide quoque de Hebræis infrà, voce *Pœna*: Vel *Arcta* & Pœnales, in quas poſt confeſſionem illos conjici mos erat. *Cuſtodia lignea* pars carceris erat, in qua cervices captivis frangebantur, aliàs *Robuſtus Codex*, & *Robur*. Vide infrà *ſuo locô*. Hinc *Cuſtodiarum elogia*, apud Sueton. *Calig. c. 27. Cuſtodiarum ſeriem recognoſcens, nullius inſpectô elogio — duci imperavit*, ſunt quæ Græci Jureconſulti vocant *ὑπομνημάτα* Judicum inferiorum, ut pedaneorum atque etiam Prætorum, vide *l. 6. ff. de cuſtodia & exhibit. reor.* At apud Tertullian. *Apologet.* Commentarienſis pittacia ſunt, quibus Judici breviter exponebat, quid de reis comperiſſet. Ita enim moris fuiſſe, docet ex *l. Impp.* Gratiani, Valentiniani & Theodoſii A. A. A. Caſaubon. *ad Sueton. d. l.* &c.

CUSTOS, frequens apud Romanos nomen, denotabat Viros ſapientes, qui pueritiæ regendæ erant præfecti. Virg. *l. 5. Æn. v. 546.*

Cuſtodem ad ſeſe comitemque impubis Iuli
Epytiden vocat. — —

Horatius, *l. 1. Serm. Sat. 4. v. 118.*

Dum Cuſtodis *eges.*

Et *in Arte*, *v. 161.*

Imberbis juvenis tandem Cuſtode remotô, &c.

Hi aliô nomine ab eodem *Reges* vocantur, *l. 1. Carm. Ode 36.* Alias *Comites* Latinis, Græcis antiquioribus Ἐπιστάται & Ἀοιδοί, inſequentibus Ἀγωγοὶ & Παιδαγωγοὶ, quorum præcipuum munus erat, temperantiam docere: unde ingenuorum liberis ante pubertatem ſtatim præfici ſolebant, ut viderent, ne τὸ ἄγαν χαρίζεσθαι auderent. Inprimis verò antiquitus matronæ & τῶν γυναικείων illorum fidei committebatur, qualis celeberrimus ille Homeri fuit *Odyſſ. γ.* qui Ἀοιδὸς ab aliô dicitur: ab aliis Εὐνοῦχος, non ob corporis labem, ſed ob munus quod ſuſtinebat; pudicitiæ enim Clytemneſtræ cuſtodiendæ admotus erat, à marito ejus abſente: Hodie *Cuſtodem* exponeremus. *Eunuchi* enim iidem dicebantur olim, qui *Cuſtodes* poſteà. Sic de *Menœte*, Argiæ comite ac cuſtode, Papinius Statius, *l. 11. Theb. v. 205.*

— *Virginei* cuſtos *moniterque pudoris.*

Vide quoque eum, *l. 7. & 12.* ubi de Phorbante & Actore, ejuſdem Argiæ cuſtodibus. Horum vice Barbari, quia ſuſpicioni locus non eſſet, caſtratos poſtmodùm ferè & *Eunuchos*, hôc ſenſu dictos, adhibuerunt. Qui cum *γυναικωνίτιδι* non modò occuparentur, ſed & pudorum curæ præficerentur, manifeſtam integris gentibus tuniam invexerunt. Qua de re vide querelam Platonis *de Legg. l. 3.* Corruptela ad Græcos inde & Romanos manavit, uti diſcere eſt ex Ovidio, Propertio, Aliis. Vide Dan. Heinſium, *Introduct. in Heſiodi l. c. 6.* & ſuprà in voce *Cantor*, uti de alia vocabuli notione infrà, *Nomenti*, it. *Torcular*, *Tyre*, *Veſtibulum*. Apud C. Nepotem, *Cimone*, *c. 4.* occurrit *prædiorum hortorumque Cuſtos*, & apud Cicer. *pro Flacco*, Hermippus *Cuſtos in frumento publico dicitur* poſitus. Alii terrarum *Cuſtodes*, apud Cæſarem *de Bell. Gall. l. 1. c. 20. Dumnorigi* Cuſtodes *ponit, ut, quæ agat quibuſcum loquatur ſcire poſſit.* Et Cicer. *Philipp. 2. Quoties te Pater tuus domô ſua ejecit? Quoties* Cuſtodes *poſuit, ne limen intrares?* Hodie in Eccleſia Romana *Cuſtos* dicitur, Presbyter aut Clericus, cui Templi cura incumbit, æditu*us*, qui *Cuſtos Eccleſiæ* in *Ord. Roman.* alibi *Cuſtos Altaris.* Ejus eſt, *ſignum quoque dare in veſpertinis nocturniſque officiis, vela, veſteſque ſacras ac vaſa ſacrorum, codices quoque, inſtrumentaque cuncta, oleum in uſum Sanctuarii, ceram & luminaria, curare*, Iſidorus *in Regula, c. 19.* Vide quoque ſuprà, *Ab acer*. it. *Acerra.* In Monaſteriis Fœminarum *Cuſtrix* vocatur, quæ id officii gerit, apud Wolfardum Monach. *de Vita S. Walburgis, l. 3. c. 2.*

CUSTOS Angliæ, qui aliàs Gubernator, Rege abſente, Gallis *Regent*, apud Florentium Wigorn. & Sim. Dunelmenſem *A. C. 1067.* Sic Henricô III. in Vaſconia agente, Regina & Richardus Cornub. Comes, *Regni Cuſtodes* fuêre, apud Matth. Weſtmonaſterienſem *A. C. 1254.* Henricus Knyghton Com. Cornubiæ *Gardianus terræ Angliæ*, quod idem, ab Eduardo I. in Vaſconiam proficiſcente conſtitutus legitur A. C. 1284. apud Eund. &c. Sed & Hiberniæ Prorex, *Cuſtos Hiberniæ*, & dignitas ejus, *Hiberniæ Cuſtodia*, ſtylô ſolenni, Joannis & Henrici III. Regum maxime ævô, dici conſuevit. Imò & apud Gallos, *Cuſtodes Regni* dictos eſſe olim, qui poſteà *Regentes*, docet *Charta* Philippi III. A. C. 1270. data in caſtris, juxta Carthaginem, apud Car. du Freſne, *in Gloſſario.*

CUSTOS Capellæ, apud Eadmerum, *Hiſtor. Novor. l. 4. p. 88.* ubi de crinibus aliquot Deiparæ Virginis (uti credidimus) Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo ab Ilgyro quodam conceſſis, verba facit: *Mihique utpote qui capellæ illius Cuſtos eram, atque diſpoſitor, cuſtodiendos commendavit*: Capellanus eſt, ad quem ſacri Miniſterii ſeu rerum ad rem ſacram peragendam neceſſariarum, quas inter ſacra phylacteria habita, rium cura ſpectavit. A qua *cuſtodia* proin ſimpliciter *Cuſtodes* Capellani dicti videntur, Anaſtaſius Biblioth. *in Leone I.* item *Cuſtodes Martyrum.* Et Apocriſiarius, qui & Capellanus, *Palatii* huic *Cuſtos*, apud Hincmarum *de Ordine Palatii, l. 16.* non quod revera Palatii cuſtodia penès eum fuerit, ſed quòd eſſet *Cuſtos Palatinæ Capellæ*, in qua vaſa Sanctor. ipſiſque, quæ Capellani cuſtodiebant, atque in prælia nonnunquam deferebant &c. Vide ſuprà, ubi de *Capellanis.*

CUSTOS Crucis, apud Victorem Tunnenſem *in Anaſtaſio*, *Elias Epiſcopus Hieroſolymitanus exilio traditur & pro eo Johannes Crucis* Cuſtos *Epiſcopus ordinatur*: dictus eſt, cui S. Crucis Chriſti, ut vocatur, Hieroſolymis in S. Anaſtaſi (vide ſuprà) ſervandæ cura incumbebat, ut in aliis Eccleſiis reliquiarum Martyrum cuſtodia penès eos erat, qui *Cuſtodes Martyrum* & *Martyrarii* nuncupati ſunt. Sanè Francis Hieroſolymis. Regnum obtinentibus, hôc titulô Crucem ſervabat Canonicus S. Anaſtaſeos, Car. du Freſne: quem etiam de aliorum generum *Cuſtodibus*, inprimis *de Cuſpide Laborum*, in Monaſteriis, *Cuſtodibus Ordinis*, quomodo appellantur Decani in Ordine Ciſter. *Cuſtodibus Pacis*, in Anglia, *Cuſtode Palatii*, qui idem fortè, quod Cura Palatii, *in Charta* Lotharii Imperatoris A. C. 1138. de *Cuſtode* tandem *Puerorum*, infantium ſeu eorum, qui adhuc pueri Monaſteriis oblati erant, pluribus vide.

CUSTOS Gregis, apud Virg. *Ecl. 10. v. 36.*

Atque utinam ex vobis unus, veſtrique fuiſſem
Aut Cuſtos gregis, *aut maturæ vinitor uvæ.*

Et *Cuſtos* ſimpliciter, *Ecl. 3. v. 5.*

Hic alienus oves Cuſtos *bis mulget in horas*

quibuſdam nomen eſt Paſtori mercenario ſpeciale. Quemadmodum colligunt, ex 1. Samuel. *c. 17. v. 20.* ubi David oves legitur reliquiſſe שׁמר על *penès cuſtodem.* Sed ne putetur ad perpetuam; Pana etiam ita compellat Poëta *Georgic. l. 1. v. 17.*

Pan, ovium Cuſtos, *tua ſi tibi Mænala curæ.*

Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l. 2. c. 44. & infrà Paſtor.* Ut alia quædam *Cuſtodum* genera ſtrictim attingam: Apud Curtium *l. 5. c. 1.* Tiridates *pecuniæ Cuſtos* dicitur, i. e. ærario regio præpoſitus, Γαζοφύλαξ, uti vocat Diodor. Siculus, *l. 17.* Vide ſuprà in voce *Ærarium.* Apud Senecam *in Hippolyto*, *in initio* ἀρχαίου, *Retium Cuſtodis* fit mentio: qui nempe inter venandum retibus præpoſitus ſedebat, ſeu verſus ſtabat. C. Plin. *l. 1. Ep. 6. Erant in proximo non venabulum & lancea, ſed ſtylus & pugillares & Cuſtor ſtatarius, qui ad retia ſedet.* Sidonius Apoll. *Subſeſſorem* vocat, *l. 2. Ep. 2.* Sed & *Cuſtodes coronarum*, in Ludis publicis partarum, clariſſimæ familiæ olim fuêre dictæ. Hinc Pindarus, *Nemeor. od. 6.*

— — σὺν δὲ θεοῦ τύχᾳ
ἕτερον οὔ τινα οἶκον
ἀπεφάνατο πυγμαχίᾳ ταμίαν
στεφάνων μυχῷ Ἑλλάδος ἁπάσας.
— — *cum Dei favore,*
aliam nullam familiam
pronuntiat pugilatu cuſtodem
coronarum, in ſinu Græciæ univerſæ.

Et Ariſtophanis Scholiaſtes *in Argum. Nubil.* ex *Herodoto* vocat Alcmæonidarum familiam τεθριπποτρόφον, *quadrigarum altricem*: ut quæ multas victorias eſſet adepta. Nempe eâdem ratione numerabantur coronæ, quâ ſtatuæ, ut ex eodem Pindaro liquet, ubi modò bis, modò ter, modò ſepties, modò ſedecies, modò ſexagies ad coronam itum eſſe, refert, vide Car. Paſchal. *Coronar. l. 5. c. 15* &c.

CUSTOS Panis, vide infrà *Panis.*

CUSTOS Salutis, apud Curtium, *l. 3. c. 6. Erat inter nobiles Medicos è Macedonia Regem ſecutus Philippus, natione Acarnan — puero comes & Cuſtos ſalutis datus, non ut Regem modò, Sed etiam ut alumnum — diligebat*: eſt, non qui armis Alexandrum defenderet, ſed qui ſanitatis ejus curam ageret, & verbis Tacit. *l. 6. Annal. 50. valetudinis ejus regeret.* Quales antiquitus hodieque Magnates alere conſueverunt, Freinshem. *ad Curtium loc. cit.* Vide & infrà ubi de *Medicina* ac *Medicis.*

CUSTRINUM, oppid. Marchiæ Brandeburg. permunitum, cum arce, intra paludes, ad Oderam fluv. ubi recipit Vuartam. Vix 4. leuc. a Francofurto in Boream paulo plus a Landſperga in Occaſum.

CUSUETANI, Italiæ populi. Plin. l. 3. c. 5.

CUSUS, ſeu CHRYSIUS [illegible], Daciæ fluv. Keres [illegible] Lazio. Nunc Tranſylvaniæ, cujus fontes [illegible] [illegible]chopolin, regatque Varadinum [illegible] auctus aliquot fl[illegible] in Tib[illegible]um labitur ad Csongradum oppid. 4. leuc. ſupra Segedinum. Sanſoni Seres [illegible]; Cluverio autem eſt Waz fluv. in Danub. ſe exonerans ſupra Comaram arcem.

CUTELETOS, inſul. circa Syrtim majorem, Mela.

CUTHA, regio Perſidis, à fluv. C[illegible] ſicut Joſephus Jud. Ant. l. 9. c. 13. ſcriptum reliquit, vocata. Inde Cut[illegible], de quibus idem, l. 11. c. 2. hi à Rege Aſſyriæ in Samariam tranſportati, cùm non parum moleſtiæ faceſſerent Judæis, ut ipſorum religionem convellerent, inde factum, ut nomen hoc latiore ſignificatu uſurparent pro quolibet ſchiſmatico hæreticoque. Vide Bochart Phaleg. l. 4. c. 12. & V[illegible]ſtium ad Chronol. Rabbi Ganz.

CUTHBERTUS, Monachus Anglus, ſub Egberto, Northumbriæ Rege Beda præceptore vitam ſcripſit. Hic non à barba tonſa, ſed à ſcientia clara nomen accepit; unde verſus:

Quoque gerit certum Cuthbert de luce vocamen.

Cuth eſt ſcientia: ut [illegible] ignorus. Cuthwin, peritus victor; Cuthred, ſcienter dare conſilium. Camdenus, Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 29.

CUTHLUMUSES, ortus ex patruelibus Togrul Beki, occupavit Armeniam, Cappadociam, Pontum, alias Imperii Græci provincias, Regiò titulò, A. C. 1060. Georg. Hornius, Orb. Imper.

CUTILIA, agri Reatini lacus eſt, in quo ſylvoſa inſula innatat, quæ nunquam die & noctu eodem locò permanet. Ejus aquæ ſtrumis medentur. Vitruvius, l. 8. c. 3. *Eſt aqua frigida genus nitroſum, uti Pinnæ Veſtinæ, Cutiliis* [illegible] *ſimilibus, quod potionibus depurgat, per alvumque tranſeundo etiam ſtrumarum minuit tumores.* Idem tradit Plin. l. 31. c. 3. Item & Strab. l. [illegible] Sed ita aquas eas eſſe dicit ἐν Κωτιλίαις. Verùm certum eſt Κο[illegible] reſcribi oportere: Nam & ſic Solinus vocat, *ſic* [illegible] *aquarum*, ac Dio, l. 66. & Latini etiam [illegible] nominant Varro, de L. L. l. 4. Senec. Nat. Qu. l. 3. c. 25. Tranquillus in Veſpaſiano, c. 24. Macrob. l. 1. Saturnal. c. 7. quanquàm non contenderim, ſi Κοτύλαι malis, ut eſt apud Dionyſ. Halicarn. l. 1. Ant. ubi & ibidem Κοτύλαι legas, imo Cotyle quoque eſt apud Feſtum Pomp. Voſſ. [illegible] Leander.

CUTILIUM, oppid. Sabinorum ad aquas Cutilias. Liv. 26. c. 11. Hodiè Con[illegible] dici ſcribit Leander.

CUTIS, delicat[illegible] [illegible] curata, faciei imprimis Hinc de Trajano debet [illegible] Spartianus, *ſæpe* [illegible] conſuevìſſe, tradit; tum ad nitorem candoremque [illegible] cuticulandum, tum ne cito barbati eſſent. Martialis vero de muliere, l. 10. Ep. 68. v. 3.

Deque coloratis nunquam lita mater Etruſcis.

Mulierem nunquam l[illegible] vocat, quæ faciem medicamentis eò fine nunquam induxerit. Et quidem medicamina, quibus nitor aut candor parabatur, dicebantur Græcis ἐπιχρίσματα [illegible], item [illegible]. Præter illa [illegible] adhibebantur, quibus Cutis tendebatur, hinc [illegible] veterib. Lacunis dicta. Priora indigitat Tibullus, l. 1. El. 8. v. 11. ubi ait,

Quid fuco ſplendente genas ornare ——

Poſteriora Juvenalis, Sat. xiv. 107.

Et preſſum in facie digitis extendere panem.

Et, Sat. 6. v. 462

Interea fœda aſpectu ridendaque multo
Pane tumet facies.

Ubi vetus Interpres, *Medicamen*, inquit, *ad tendendam faciem vel cutem magis*. A[illegible] [illegible] erant [illegible], alia [illegible], quibus ad c[illegible]tem pol[illegible] utebantur, quorum illis ſublatis, hæc adhibebant. Ut obſervat Juvenalis Sat. adverſus ſequiorem ſexum, ubi elegan[illegible] cataplaſ[illegible] [illegible] vocat; panem videl. quò madidò faci[illegible] [illegible]nentes, [illegible] poſtea abſtergebant ſmegmate ex aſinino lacte, cum ad mœchos irent. Hinc idem, ibid. Sat. 6. v. 464.

Ad mœchum lota veniunt cute ——

Vide Athenæum, l. 7. ubi [illegible]numerat omnia illa ex Chryſippo genera & nominat [illegible] & alias ſimiles ſaponum & lomentorum ſpecies, quibus [illegible] [illegible], tam ad faciem, quàm ad reliquum corpus, [illegible] [illegible] [illegible] propriè dicebantur, Salmaſ. [illegible] Spartian. [illegible] Hadriano [illegible] 4. Namque & reliquam cutem po[illegible] & [illegible] ſſe eff[illegible]minatos diſcimus ex Firmico de E[illegible] pro[illegible] [illegible], *hoc* [illegible] *eſt*, *quod in viro fœmina* [illegible], *cui* [illegible] [illegible] *dorum* [illegible] *non poteſt*; *niſi effœminati* [illegible] [illegible] *& viriſtus ſexum ornatu mulieribus dedecorent*. [illegible] [illegible]are, inter reprehenſa Arnobio, adv. Gentes l. 2. [illegible] quo[illegible] factum, docet idem Firmicus, Mathe. [illegible] [illegible] *per corpus ſuum in fœminas* [illegible] [illegible]. Et Athenæus Sardanapali mollitiem depingens, l. 12. ubi [illegible] ait [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Sc. In Comœdiis olim perſonis, adoleſcens frugi corpore deligebatur exercitatò, colore viridiore; addidère & rugas aliquot fronti, quod indicium Phy-

ſiognomones opinati animi ſtatuunt: *Non deſſecta in fronte Cutis remiſſa vita et* [illegible] *indicium eſt*. Jul. Cæſ. Scaliger, Poetic. l. 1. c. 14. &c. De Cutis in luctu incidendæ more, vide inf. à Lugendi ritus.

C[illegible]NENSES Putei in Bohemia, in quos 3000. Huſſitarum ab hoſtibus vivi præcipitati ſunt, A. C. 1418. Laticius, l. 1. de [illegible] Fratr. Boh. Dau[illegible] [illegible] Hiſt. Boh. In Comitiis dein Cutnbergen[illegible] A. C. 1485. decretum: *Itaque* [illegible], *ſuam fidem*, & *uſurpationem Sacramentorum ſequi*, *ſecundum conſcientia cujuſque judicium*, ſub Rege Vladiſlao. Lucius, Comp. Hiſt. Part.

CUTRACUM, oppid. Aquitaniæ in agro Petrocoriensi, ad confluentes Illæ & Dronæ fluv. prœlio inclitum inter Gallos A. C. 1587. quo Navarræ Rex, qui poſtea Henricus IV. Galliæ Rex dictus, ingenti ſtrage Ligiſtarum aciem fudit, memorabile. 4. leuc. à Liburnia in Arctoum 9. a Burdigala in Cæcium. Vide Thuan. Hiſt.

CUYA, vulgò CUYO, provinc. Americæ meridionalis inter Chilem & Paraguaviam regionem in longum extenſa, prope montes Andium, ſub Hiſpan. Quibuſdam Chiquito. Hic oppidum præcipuum Mendoſa.

CUZUBA, CUZUBICA ſeu CUZUBITA, nomen Monaſterii Donatiſtar. apud Baron. A. C. 125 [illegible] 19 & 20. Hinc Cuzupita, apud Auguſtin. Ep. 165. qui Donatiſtæ aliàs, item, Montenſes & R[illegible]tani, quos vide.

CUZUPITÆ, Montenſes, Rupitani Romæ olim, qui aliàs Donatiſtæ, appellati ſunt. Vide infrà.

CYALUS, urbs Lydiæ à Jove condita. Steph.

CYAMITA, templum Heroi ſacrum, qui fabæ ſerendi modum primus Græcis tradidiſſe memoratur Pauſaniæ, l. 1. [illegible] cum faba eſt, a mill. paſſ. Eleuſino, in agro Attico: cujus hodieque rudera ſupereſſunt. Jac. Sponius, Itiner. Græciæ Part. 2. p. 178. Certè & Cyamus Plinio, l. 21. c. 15. faba Ægyptia ſive lotos dicitur, Græcà voce retentà. Nempe nucleos radicis coloeaſiæ ſive bulbos videntur ſi fortè & [illegible] appellaſſe Græci in Ægypto [illegible] [illegible], quod hæ plantæ ſeri ac propagari ſolerent hincque ut ſtirpi nomen id dediſſe. Quod poſtea & huic leni generi [illegible] & coloeaſiæ. Cùm enim utraque planta ſit [illegible], à foliorum amplitudine, eòque nominum errore eandem fecerunt utramque, nomen [illegible], quod radici coloeaſiæ ob ſimilitud[illegible] ejus conveniebat, etiam al[illegible] coloeaſiæ, ob appellationis confuſionem, attribuer[illegible]. Salmaſ. ad [illegible] p. 910. Ut ad Heroa præfatum redeamus: Κυαμίτης ipſe Græcè dictus eſt, Latin. Cyamites: cui illa ædes ſacra erat. Quem cum Baccho eundem facit He[illegible]chius, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] *Heros*, *cujus & ædes in* [illegible] *& ſtatua*; *quidam eundem Bacchum vocant*. Sic fuerit [illegible] chius ille, non Cereris puer, ſed indigena Atticus, ſilii Herois, & Baubus filius. Et fortaſſe Κυαμίτης dictus eſt, inquit Salmaſius, non à faba ſatione, quam invenerit, ſed à muliebris membri Baubus contrectatione, cujus Orphica apud Clementem (ubi de exhilarata [illegible] Baubo Cerere hiſtoriam perſequitur) meminerunt. Κύαμος namque Græcis etiam pars illa eſt, quà ſexus muliebre cenſetur, [illegible] [illegible] [illegible]. Sed & [illegible] referre ajunt, quò factum, ut Pythagoras hoc leguminis genere abſtinere voluerit. Sunt tamen, qui [illegible] viriles ajunt eſſe teſticul[illegible], apud A. Gellium. Certè Fabam nominari in ſacris Eleuſiniis fas non erat &c. Vide præfatum [illegible] Salmaſ. ad Solin. p. 751.

CYAMON, Cretæ promontor. Ptol. Capo Spada Sophiano. Cluſio Mercatori. Vide Cyamum [illegible].

CYAMOSORUS, Siciliæ fluv. circa Centoripam urbem. Polyb.

CYANE, virgo Syracuſana, violatam ab ebrio patre pudicitiam ægrè ferens, apprehenſum capillis ſtupratorem ad aram trahit, mactavitque ac ſe ſuper cum necandam injecit, ad ſedandam peſtem, quà propter facinus iſtud laborabant. Plut. in Parall.

CYANE, nympha Sicula, quæ cùm Proſerpinæ adverſus Plutonem opem ferre conaretur, ab illo commutata dicitur in fontem ſui nominis, Piſma Sinai vulgò, qui in agro Syracuſano oſtenditur, ubi Anapo mixtus, non procul ab Ortygia inſul. illabitur in mare, Ovid. l. 5. Metam. fab. 6. v. 411.

Inter Sicelides Cyane pulcherrima nymphas.

Et, l. 2. Ep. 10. ex Ponto, v. 26.

Quæque ſuis Cyanen miſcet Anapus aquis.

CYANE, oppid. Lyciæ Plin. l. 5. c. 27.

CYANEÆ, inſulæ duæ, ſive potiùs ſcopuli ad os Thracii Boſpori, pro[illegible] Eux[illegible]m, modicò ſpatiò inter ſe diſtantes. Una Eu[illegible], [illegible] Thracia, juxta Punicum promontor. Altera Aſiæ, in littore Bith[illegible]iæ, prope Ancyræum promontor. Baudrand. Unde factum ſit loc[illegible] Poëtarum fabulis, qui Cyaneas inter ſe concurrere tradiderunt, quòd ex adverſo [illegible] intrantibus geminæ cernebantur, nave verò p[illegible] m[illegible] alterum latus deflexà, una tantùm videbantur. Apollonius Arg. [illegible].

[illegible]

Dionyſius, v. 144.

[illegible]

Val. Flac. l. [illegible] Argonaut. v. 60.

—— Certam Scythicò concurrere Ponto
Cyaneas.

Idem, l. 4. v. 562.

—— Errat-

-- Errantesque per altum
Cyaneas, ---- ----

Ovid. *l.* 1. *Triſt. El.* 9. *v.* 33.

Hac precor evictas, propulſaque fortibus auſtro
Tranſeat in ſtabiles ſtrenua Cyaneas.

Nic. Lloydius. Vide *Symplegades.*

CYANEE, vel CYANEA, nympha quædam, Mæandri fluv. filia, quæ ex Mileto, Phœbi filio, Byblidem & Caunum gemellos peperit Ovid. *l.* 9. *Met. v.* 449.

Hic tibi, dum ſequitur patriæ curvamina ripæ
Filia Mæandri toties redeuntis eodem,
Cognita Cyanee, præſtanti corpore nympha,
Byblida cum Cauno prolem eſt enixa gemellam.

CYANEUS, Plin. *l.* 6. *c.* 4. Cyanos, qui & *Glaucus*, Cirubo *Negro*, magnus Colchorum amnis, ex montibus Coraxicis in Phaſidem influens. *Ferrarius.*

CYANEUS, vulgò *Siagne*, amnis Galliæ, torrens ac piſcoſus inter Neapolem *la Napole*, pertiis *Aveniortum* dictam, & Cannas Canes, olim *Caſtellum Marcellinum*, quæ duo maritima ſunt caſtella ad ſinum maris, inter Caput Rubeum & Cap. Galupe interceptum. Hadr. Valeſius *Notit. Gall.* in voce *Leronus.*

CYANEUS, Græcè [illegible], *cæruleum* Latinè redditur. Certè Græci [illegible] exponunt, qui color aërinus dilutior eſt & extinctior, quàm purpura nigra, de qua alii vocem exponunt. Unde & Solinus *cæruleum nitorem* in hyacintho vocat, purpuram dilutiorem. Interim, ut in omni colore gradus ſunt, ſic & [illegible], *cyaneum valde ſaturum*, purpuræ nigræ proximæ. Hinc [illegible] Græci mi[illegible] tarò [illegible], *pro nigro*, ponunt. Sic Dionyſius Periegetes de Indis, *corpus eos cyaneum* habere ait:

[illegible]
[illegible] ....

Et Plinius *cyaneas ſapphiros* ab iis diſtinguens, quæ *cæruleæ* ſunt *cum purpura*, [illegible] intelligit, Theophraſto [illegible] dictas. Aliàs [illegible] & [illegible] Græci ſæpè confundunt & alterum pro altero ponunt, ut de *Cyano* flore infrà videbimus, vide Salmaſium *ad Solinum p.* 151. *& ſeqq.* Nomen coloris à *Cyano* gemma, de qua jam; addam priùs apud Veter. *veſtibus cyaneis*, molliori ſigno & fuſcis, totam familiam, præſertim matres & ſorores luxiſſe funera infantium grandiorum natu, quorum corpora integra ſarcophago condi ſolebant, ex Th. Bartholino, *de Puerperio Veter.*

CYANIPPUS, Syracuſanus, qui cùm Bacchi ſacra contemneret, ab irato Deo tantà perfuſus eſt ebrietate, ut filiæ Cyanæ in tenebris, quamvis reluctanti, vitium intulerit. Peſte mox obortâ, oraculum inceſtuoſi mortem petiit, qui, à filia eò perductus, ſe ipſum ſacrificavit. Plut. *in Parall.* Vide *Cyana.*

CYANIPPUS, Theſſalus, cùm frequentiſſimè venatum ire conſuevillet, nova ejus ſponſa, ob magnam viri in ſylvis conſuetudinem, alterius mulieris concubitum ſuſpicata, euntem Cyanippum poſt tenuem ſubſecuta eſt, cumque inter denſa delituiſſet arbuſta, rerum præſtolatur eventum. At ramis fortè commotis, feram adeſſe canes ſuſpicantes, impetu facto, amantiſſimam viri puellam, tanquam brutum animal dilacerârunt. Id verò inſperatum adeò facinus, cum Cyanippus inſpexit, mortem ſibi conſcivit. Plut. *in Parall.*

CYANOS, nomen gemmæ, apud Plin. *l.* 37. *c.* 9. *Redditur & per ſe Cyanos, accommodatâ paulo antè jaſpidis nomine, colore cæruleo. Optima Scythica, dein Cypria, poſtremo Ægyptia. Adulteratur maxime tinctura, idque in gloria Regi Ægypti adſcribitur, qui primus eam tinxit. Dividitur autem &* [illegible] *fæminaſque.* Ubi Salmaſius, *accommodatâ gratiâ è paulò antè nominato colore cæruleo*, repoſuit. Nempe color cœruleus vel cœruleum pigmentum eſt quod Græcis [illegible] dicitur, eòdem cum gemma nomine. [illegible] recentiores Græci vocàrunt, noſtri *Azurium.* Hujus mentionem facit Plin. *l.* 33. *c.* 13. Nunc ait, *Cyanon* gemmam per ſe reddere accommodatà illi gratià ex illo antè nominato pigmento. Sed &, quòd tria ejus genera Plinius facit, quodque de tinctura addit Ægyptii, de *Cyano colore*, non de gemmis, prodidit Theophraſtus: ubi Ægyptium cyanum, quia factitium eſt, optimum eſſe vult, [illegible], *ad politiones in parietibus, quæ meraciores & ſaturiores coloris ſunt.* Vide eum *Hiſt. l.* 9. *c.* 22. uti hodieque *lapidem lazoli* vocantes Arabes gemmam eum colore confundunt. Cæterùm *Cyanon* gemmam nonnulli eandem faciunt, cum ea, quam vulgò *Turcoſiam* vocamus. Sed *Cyanos* è tranſlucidis, & ſapphiro ſimillima, unde à Germanis utraque gemma indiſcreto nomine ſapphirus appellatur. Tractica autem gemma Jaſpidis potiùs ſpecies fuerit Ut vero [illegible] ſapphirum aureis punctis collucere, ſic *Cyanum*, aliquando aureò pulvere ſparſum inveniri, tradit ibidem Plinius. Quæ duo male confundit Solinus, c. 15. *punctis interlucentibus aureis; pulvere C*[illegible] *majorum variari* dicens. Piis [illegible] autem guttæ ſunt [illegible] ac diſtinctæ [illegible] notæ & quaſi ſtellæ interſparſæ, quali erat ſapphirus [illegible]. pulvis verò grana ſunt minutiora ſpiſſiuſque, & quaſi continuatim ſparſa, in modum pulveris aqualia in *Cyano* apparent. A *Cyano*, aliæ gemmæ *cyaneæ* dictæ ſunt, ob coloris affinitatem. Sic inter Jaſpides una fuit ſpecies cyanei coloris; inter ſapphiros quoque mares exiſtimabantur ejuſdem coloris &c. Salmaſ. *ad Solin. p.* [illegible]. *& ſeqq.*

CY[illegible], flo[illegible] nomen: apud Plin *l.* [illegible] 8. *Inſuper Cyani color* [illegible] *item helichryſo: omnes autem hi flores non ſi* [illegible] *fu, Aiea. Mentre.* Quem [illegible], *i.e. purpureum*, vocat Meelager in *Corona Epigr.*

[illegible]
[illegible]

Jeſuita verò Pomey ſic facundè deſcr[illegible]: [illegible] *flos coloris* [illegible] *cum indicat nomen (Bluet) quem Latinum.* [illegible] *cognominatur Cyanus, oculorum* [illegible], *nihil enim cadere ſub aſpectum poteſt æque cyaneum ac ip*[illegible] *Molle porro eſt tam exiguo, ut vix* [illegible] *colorem.* [illegible] *eſt* [illegible] *cæruleam* [illegible] *foliola denticulata* [illegible] *radice.* *Odor* [illegible] *exoticus.* [illegible] *ſi add*[illegible], *agreſtis herbæque flo*[illegible] *blum, quam* [illegible] *eſſet dignus, quo hortenſes* [illegible] *parentes,* [illegible] *flores conſer*[illegible]. Vide eum *Deſcript.* [illegible].

[illegible]YAN[illegible], [illegible] fluv. [illegible] juxta Acam oppid. in Phaſim influit. Plin *l.* 6. [illegible] 4. Vide [illegible]

CYARA[illegible]S, vel CYAXARES I. Phraortis Regis Perſarum ac Medorum fil[illegible] ei ſucceſſit, A. M. 3419. O[illegible]mp. 36. quibuſdam [illegible] q[illegible] ajunt. Eum Numen obedidiſſe, è Scythis ad [illegible] de[illegible] unde a[illegible], [illegible] ejus à Media, Ducem eorum, [illegible]: Poſtmodum verò [illegible] præcipuos ad conv[illegible] invitatis ſublatiſque, reliquos facilè dejectos eſſe. *Nic.* [illegible] poſt annos 28 Ni[illegible] ſeu Niniven [illegible], quæ fermè ſola [illegible] gentium defectionem. Alii [illegible] rat, à Patre infeliciter tentatam expugnavit, ſicque Aſſyrios ſubegit, excepta Babylonicâ portione, A[illegible] Darii Medi, cui & ipſe [illegible], pater. Primus Aſiæ populos in provincias diſtinxit, primus in ſuum quoſque ordinem diſtribuit, haſtatos, ſagittarios, e[illegible], cùm priùs omnia promiſcua eſſent, atque impl[illegible]ata. Cum Lydis porrò, quorum Rex tum Alyattes, [illegible] bellum geſſit, apud quos perfugium Scythis, ac omnem trans Halym fluv. Aſiam ſibi ſubjecit. Poſt res præclarè geſtas, & regnum inſigni acceſſione auctum, obiit anno regni 40. Diodor. Sic. *l.* 2. Euſeb. *Chron.* Herod. *l.* 1. *c.* 103. & 106. Vide & *Alyattes*, [illegible] *Aſtyages*: nec non *Nebucadnezar II.*

CYARDA, urbs Cariæ, à *Cyarda* Rege Bargaſi filio. *Steph.*

CYATHUS, Æoliæ fluvius. Cœl. Rhodig. *l.* 28. [illegible]

CYATHUS, Græcè, [illegible], à [illegible], quod eſt *fundere*, quaſi [illegible], an à [illegible], quod antiquum [illegible], unde & [illegible], ut vult Salmaſius *ad Solinum, p.* 981. an à [illegible], *i.e. occultare*, genus menſuræ fuit, continens cochlearia quatuor, ſextarii partem duodecimam, apud Atticos ſeſcunciam. *Suidas* duas et uncias tribuit. Unde ad poculi genus ſignificandum tranſlata vox. Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 72.

Nævia ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.

Nempe priſci moris fuit, in compotationibus, in honorem abſentis amicæ, amici vel Imperatoris, tot *Cyathos*, quot in eorum nomine eſſent literæ, haurire, quod vel apertè profitebantur, vel ſodalibus ariolandum relinquebant. Itaque vel totidem poſcebant *Cyathos*, vel poculum, quod tot cyathos caperet. Et quidem poculum 6 cyathorum *Sextus*, ſeptem *Septunx*, quatuor *Triens*, dicebatur. Apud eundem poculi 8 cyathorum fit mentio nomine *Be*[illegible] 11. *Epigr.* [illegible] *v.* 6. &c. Idem *quadrantem duplicem* vocat poculum ſex cyathorum [illegible] 9. *Epigr.* 95. *v.* 2.

Quadrantem duplicem de ſeniore cado.
Nunc mihi, dic, quis erit, cui te, Calocisſe, Deorum
Sex jubeo cyathos fundere?

Inde *ad Cyathos*, nomen officii; apud Sueton *in Cæ*[illegible] *c.* 49. quod *ad Cyathum* vocat Horat. *l.* 1. *Carmin. Od.* 29. *v.* 7.

Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum ſtatuetur unctis? &c.

Vide infrà, ubi de *Pocillatore.* Sed & *Cyathus*, divinationibus adhibitus, quod genus [illegible] dictum: cujuſmodi divinandi medio Hilarionem Monachum, Italico cuidam, qui in ludicro [illegible] à contraria factione, non equorum virtute, ſed Magicis artibus, victus erat, opem tuliſſe, legimus in Græcorum *Men*[illegible] *logio*, vide infra ubi *de Speculo in Divinatione.* Non diſſimile [illegible] *ſimpulum* fuit, vas in Sacris olim uſurpatum, de quo vide [illegible] loc.

CYAXARES II. etiam nomen Darii Medi fuiſſe videtur. Vide ibi, *Nic. Lloydius.* Marſhamo, Darii Medi, qui & *A*[illegible] fil. fuit, Cyaxaris vel Cyaxaris I. nepos, alii *Aſſuer*[illegible] [illegible] theræ maritus, ex Scaligero, *Cyaxarem eſſe Aſſuerum*, docente. Hic Mandanes frater, adeoque Cyri avunculus Medo Perſarum Regum ſecundus, urbem Suſa inſtauravit, ac VII. provincias paterno regno adjunxit, ſic ut regni ejus limites eſſent Indi flum & T[illegible] [illegible] ſtia; ac ultra Perſidem Carmaniæ & Gedro[illegible] [illegible]peraret: ſede regni Suſ[illegible] con[illegible]ituta. Contra A[illegible] bellum ge[illegible] c[illegible] tum nepos ex ſorore [illegible] ex[illegible] m[illegible] Xenophon, [illegible] 8. 2. 4. quò reſpe[illegible] detur He[illegible] 185 ubi de Nitocridis Reginæ præmunitione, contra cre[illegible] Med[illegible] Perſarum potentiam, varia habet. Victo dein Aſtyage a[illegible] magnò, Crœsò Lydò, & Nabonnedò Bab[illegible], compoſitiſque Babylone rebus, in patriam profect[illegible] [illegible] culi filiam unicam & hæredem in matrimonium duxit, acceptâ dotis nomine Regni Medo-Perſici hæreditate [illegible] poſt diem ſuum obire ſiceret [illegible] pacto [illegible] anno [illegible] Babylon. 3 annô Nabonaſſari 211. [illegible] ſucceſſit, quod ab India u[illegible] ad Ara[illegible] & in provincias 127. diviſum erat [illegible] theræ. [illegible]. Mars[illegible] *Canone Chron. ad Sec.* [illegible], *ubi de Medo-P*[illegible] Vide quoque *Cu*[illegible], [illegible]

CYBAIZON, Mercurius apud Lacedæmonios: *Heſych.* Κυβαίζων, Αὐτονυ τ̃ ἐνδυτοπύσιον, ὁ τ̃ Ἑρμοῦ.

CYBALE, ancilla pauperis cujuſdam Symili, cujus paupertatem deſcribit Virg. *in Moret.*

CYBASSUS, quæ & *Cabaſſus*, urbs Cariæ. *Steph.*

CYBEBE, mater, quam dicebant Magnam, ita dicta, quòd ageret homines in furorem, quod Græci κυβηβᾶν dicunt. Sic *Feſtus.* Nec eſt quod quis Cybelen legendum putet, cùm continuò ſubdit, *Cybele verò eadem dicta eſt à loco, qui eſt in Phrygia.* Etiam Cybebe agnoſcit Euſtat. *in Odyſ.* β cui ἡ Ῥέα dicitur. *Heſych.* Κυβήβη, μήτηρ Θεῶν, ubi perperam vulgò Κυβήκη, uti & apud eum legas κυβήβειν, θεοφορεῖν, κορυβαντιᾶν, ubi malim κυβηβᾶν. Sanè apud eundem eſt Κύβηβος Γάλλος, ἀλκανδρ☉. Vide Voſſ. *de Theol. Gent.* *l.* 2. *c.* 52. *Nic. Lloydius.*

CYBELE, Cœli ac Terræ filia, Saturni uxor, aliis nominibus Ops, *Rhea*, *Veſta*, *Magna mater*, *Dindymene*, & *Berecynthia* appellata. *Cybele* autem dicta putatur à *Cybelo* Phrygiæ monte, ubi ejus ſacra, quæ Tertullianus, *Apolog.* ridet, primum creduntur inſtituta. *Heſych.* Κυβέλη, ὄρος Φρυγίας, Κυβέλη μήτηρ θεῶν. Quanquam *Feſtus* ἀπὸ τ̃ κυβιστᾶν τῇ κεφαλῇ dictam malit, quod Græcis ſignificat *in caput ſaltare*, quô genere ſaltationis Galli, Deæ hujus ſacerdotes, peculiariter in ſacris utebantur. Aliquando a. ſyllaba corripitur. Martialis, *l.* 1. *Epigr.* 71. *v.* 10.

Et Cybeles pictô ſtat Corybante tholus,

Claudian. *l.* 2. *de Rapt. Proſerp. v.* 180.

Turrigeramque petit Cybelen. ——

Quandoque verò producitur. Propert. *l.* 3. *El.* 16. *v.* 33.

Vertice turrigera juxta Dea Magna Cybele.

Lucanus, *l.* 1. *v.* 600.

Et lotam parvo revocant Almone Cybelen.

Buxus ei inter arbores ſacra. Virg. *in Ciri*, *v.* 165.

Sæva, velut gelidis Ciconum Biſtonis in oris,
Ictave barbaricâ Cybeles antiſtita buxo,
Infelix virgo totâ bacchatur in urbe.

Claudian. *l.* 1. *de Rapt. Proſerp. v.* 210.

Non buxus, non æra ſonant, blandique leones
Submiſêre jubas: ipſius gaviſa Cybele
Exilit, & pronas intendit ad oſcula turres.

Quanquàm ea quoque Bacchi ſacrificiis in uſu. Papinius, *l.* 9. *Theb. v.* 479.

—— *Cùm Bacchica mugit*
Buxus, & inſanæ maculant trieterida matres,

Mythologia paucis ſic habet: Cybele, ſeu à monte ſeu à Cubo dicta, terra eſt: Corona ejus turrita, mœnibuſque onuſta, quid denotet, in aperto. Clavis in manu, indigitat, ſemina hyeme humò condita, ſub vernum tempus, velut recluſo ſinu, prodire. Toga variegata floribus eſt, à quatuor Leonibus, i.e. anni tempeſtatibus, currus ejus vehitur. Saturnus, ejus maritus, tempus eſt. Diodor. Sic. *l.* 3. ut & Euſeb. *præpar. Evang.* Cybelen credit medicamenta infantibus ſalubria noviſſe, & hinc originem fuiſſe fabulæ. *Nic. Lloydius.* Vide Natal Com. Roſæum, *in Myſtagogo Poëtico.* Cæterùm Infans expoſita in monte *Cybelo* ibique à feris nutrita, poſtmodùm à paſtoris cujuſdam uxore reperta eſt, unde ei nomen. Tympana, fiſtulas & cymbala invenit; hinc ærea tympana in ejus ſacris locum habuêre, buxuſque. Claudian. *de Raptu, l.* 1. *v.* 210.

Non buxus, non æra ſonant.

Ubi æra, non tantùm tympana, ſed etiam nolas campanaſque indigitant, ſecundùm Dempſterum. Auſon. *Ep.* 25. *v.* 20.

Cymbala dant flexu ſonitum, dant pulpita ſaltu,
Icta pedum, tenero reboant cava tympana tergo.
Iſiacos agitant Mareotica ſiſtra tumultus,
Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni,
In numerum quoties radiis ferientibus icta
Reſpondent dociles moderatâ verbere pelves.

Pinus eidem dicata fuit, propter Atym, puerum ei in deliciis, ſub iſta arbore jacentem. Unde *Cybele* Jovem ſic alloquitur, apud Virg. *l.* 9. *Æn. v.* 85.

Pinea ſylva mihi multos dilecta per annos
Lucus in arce fuit ſumma. —— ——

Hinc Firmicus, *de errore profanar. Relig. in ſacris*, inquit, *Phrygiis quæ matris Deûm dicunt, per annos ſingulos arbor pinea cæditur, & in media arbore ſimulachrum juvenis ſubligatur.* Aut. Prudentius *in Romano Mart. v.* 196.

An ad Cybelles ibo lucum pineum?
Puer ſed obſtat Gallus ob libidinem,
Per triſte vulnus, perque ſectum dedecus,
Ab impudica tutus amplexu Deæ,
Per multa matris ſacra plorandus ſpado.

Atys videlicet, qui quòd fidem Deæ non ſervâſſet, furore ab hac immiſſo ſeipſum ſub pinu caſtravit, unde hic pinui honor. Alii ipſummet in pinum à Cybele converſum fingunt. Utriuſque venerationem in his ſacris uſitatam, multis proſequitur Catullus, *Epigr.* 62. unde *Taurobolii* & *Criobolii* mentio, apud Jul. Firmicum, *libro Epigr. ſuprà laudatô*, & in inſcr. à Joh. Wowerio annotatâ,

DIS. MAGNIS.
MATRI. DEUM. ET. ATTIDI. SEXTILIUS. AGESILAUS.
ÆDISIUS V. C. CAUSARUM. NON. IGNOBILIS.
AFRICANI. TRIBUNALIS ORATOR. TAURIBOLIO.
CRIOBOLIOQUE. IN. ÆTERNUM. RENATUS.
ARAM. SACRAVIT. DD. NN. VALENTE. V.
ET. VALENTINIANO. JUNIOR. AUGG. COSS.

Quando ejus ſacra in urbem Romam recepta ſint Peſſinunteque miſſi, qui Deam arceſſerent, vide Strab. *l.* 10. Liv. *Dec.* 3. *l.* 9. Sueton. *in Tiber. c.* 2. Sil. Ital. *l.* 17. *Pun.* &c. Sacrificabant autem ei porcâ Prætores quotannis, per ſacerdotem utriuſque ſexus è Phrygia, ubi primitus culta fuit. Hi ritu patriô amictu variegatô ſeu ſynthesi induti, imaginem Deæ per plateas vicoſque uſbis ferebant, palmis pectora ferientes, cymbaliſque pulſantes, magnâ populi inſequente turbâ, inter eundum autem vel ſaltandum potiùs, ab obvio quovis ſtipem petebant, hinc Μητραγύρται & *Circulatores Cybeles* dicti: qui quòd ebrietate aliiſque ſceleribus inſames erant, nomina hæc in Proverb. abiêre, de hominibus nauci & nullius penitus pudoris; nec libero prorſum homini id officii ſubire licebat. Dicti verò ſunt *Cybeles* ſacerdotes communiter Galli, ſub capite Archigallo, qui primus cymbala (unde & pocula illis in tympani formam) prælata pulſabat. Vide in voce *Galli.* Iidem *Corybantes* nonnullis vocitati ſunt, ut & *Curetes*, *Idæi*, *Dactyli* ac *Lares*, it. *Telchines*, de quibus vide *ſuis locis.* Hi *in caput ſaltantes*, vel *illud rotantes*, Serv. ſacra peragebant: apud Apulejum, *Meteſiat. l.* 8. *dein capite demiſſô cervices lubricis intorquentes motibus, crineſque pendulos rotantes in circulum, & nonnunquam ſuos incurſantes muſculos; ad poſtremum ancipiti ferrô, quod gerebant, ſua quiſque diſſecabant brachia,* vide Joh. Roſin. *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 4. & Thomæ Dempſteri *Paralipom.* Adde Barthium *ad Statium.*

Nomina Cybeles varia.

Berecynthia, à monte Berecyntho in Phrygia.	Ops.
Dea Syria.	Peſſinuntia Dea, à Peſſinunte Phrygiæ oppido.
Dindymene.	Phaſiana, vide infrà.
Idæa mater.	Rhea.
Magna mater.	Tellus.
Mater Deûm.	

CYBELE & CYBALA *Apollod.* Urbs Phrygiæ magnæ, apud Celænas, ubi Cybele colebatur.

CYBELEA, urbs Ioniæ. Alia Phœniciæ *Herodian.*

CYBELUS, mons Phrygiæ, in quo Cybele mater Deorum colebatur.

CYBERNESIA, feſta à Theſeo ex Creta redeunte inſtituta, in honorem Nauſithoi gubernatoris. Cœl. Rhodig. *l.* 18 *c.* 17.

CYBIARII, apud Arnobium, *l.* 2. *Quid cybiarios, ſalinatores, bolonas, unguentarios, aurifices, aucupes, vannorum ſirpearumque vinctores?* ſunt qui Cybia vendebant, rectè proin *ſalinatoribus* juncti. Eſt autem *Cybium*, Græcè κύβιον, quadratum ſalſamenti fruſtum, quod proin inter genera piſcium referens perperam Plinius, eodem errore pelamidem eſſe putavit, *l.* 32. *c.* 11. *Cybium ita vocatur pelamys, quæ poſt quadraginta dies à Ponto in Mæotim revertitur.* Nempe, cum moris haberent Græci, ut partes ſalſamentorum magnorum eodem nomine appellarent, quô piſcem, *pelamides* vocârunt λιπαρὰ τεμάχη ſeu *fruſta grandiora & ſelectiora*, ex iis confecta. Quæ poſtmodùm in *Cybia quadrata*, unde nomen, panicellatim iterum conſcindebantur: unde quod ὠμοτάριχον ex pelamide ita in formam cubi parterent, hinc & cybiis ipſis *pelamidas* nomen datum. Docet id certè idem, *l.* 9. *c.* 15. *Pelamides in apolectos, particulatimque conſectæ in genera Cybiorum diſpartiuntur* &c. Ita Martialis, *l.* 5. *Epigr.* 78. quô Tyrannium ad cœnam invitat:

Non deerunt tibi, ſi voles, cybium,
Vilis Cappadocæ, graveſque porri,
Diviſis cybium latebit ovis.

Ubi fruſta hæc pelamidum ovis ruptis ſtrata tectaque fuiſſe innuit, &c. Inde *Cybioſactes*, cognomen Ægypti Regis turpiſſimarum ſordium, παρὰ τὸ κύβιον ἐκ σάκτης, quod eſt *obſonioſordis ſalſamentis pertentum oneratori.* Vide Salmaſium, *ad Solin. p.* 1317.

CYBIOTATES, Rex Ægypti. Cœl. Rhodig. qui & *Cybioſactes* dicebatur. Vide Strab. *l.* 17. qui Syrum facit. Dio verò *l.* 39. *Seleucum* appellat. Vide Caſaub. *ad Strab.*

CYBIRA, oppid. Lycaoniæ, vide *Cibyra.* Hinc *Cybiraticus*. Horat. *l.* 1. *Ep.* 6. *v.* 32.

Ne Cybiratica, ne Bithyna negotia perdas.

Pro *Cybiraticis tauris*, apud Jul. Capitol. *in Gordian. c.* 3. lege *Cyprios.*

CYBISTETER, Græcè Κυβιστητήρ, propriè *cernuus*, à verbo κυβιστᾶν, *cernuare.* Hinc pueri in ludis ſic dicti, qui capite in ſolo ſiſtebant, pedibus in aërem erectis, Servius *ad illud Virg. l.* 12. *Æn. v.* 364.

Et ſternacis equi lapſum cervice Thymœten.

Quomodo, inverſô ſcil. ac vibratô corpore, cernuos Paſtores Conſualibus, inter cætera ludicra, ſalire conſueviſſe, legimus in veteris monumentis. Mentio τ̃ κυβιστητήρων jam apud Homer. *Il.* π. *v.* 750.

Ἦ ῥα καὶ ἐν Τρώεσσι κυβιστητῆρες ἔασιν

Vide ſuprà in voce *Cernuus*, item ubi de *Cubiſtica Saltatione.*

CYBISTRA, ſeu CIBISTRA, Armeniæ minoris urbs. *Ptol.* vulgò *Arminacha. Baudrando* fuit urbs Cappadociæ, verſus Armeniam minor. aliquot milliar. à Cæſarea Mazaca, in Auſtrum.

CYBIUM, vide *Cybiarii.*

CYBUS, urbs Jonum in Libya Phœnicum. *Steph.*

CYCEON, Græcè κυκεών, adoris potio eſt, qua de ſuprà diximus. Sumebatur autem *Cyceon*, in ſacris Eleuſinis, ob illum, quem Ceres à Baubone anu exhilarata, hauſerat, poſtquàm quæſitâ nequicquam filiâ in pagum Atticæ Eleuſinem, triſtitiâ, labore & ſiti confecta veniſſet. Unde inter ſymbola Eleuſiniorum Arnobio quoque memoratur, *adv. Gentes*, *l.* 5. *Ipſa denique ſymbola, quæ rogati ſacrorum in acceptionibus reſpondetis, jejunavi atque ebibi Cyceonem, ex ciſta ſumſi & in calathum miſi* &c. & Clemens, Ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης &c. Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 750. & 751. Ad ejus potum, vino ſepoſito, ſe contuliſſe in luctu Veteres, dicemus infrà, ubi de *Lugendi ritibus*. Latinè *Cocetum*, quaſi κυκητὸν dici, idem habet, p. 328.

CYCESIUM, Peloponneſi urbs circa Piſam. *Strabo.*

CYCHREUS, Neptuni & Salamines fil. qui ob morum aſperitatem ὄφις, i. e. *ſerpens* dictus eſt. Hunc Eurylochus, cùm inſul. Salaminem vaſtaret, expulit, ſuſcepit autem eum Ceres in Eleuſine, ſuumque ſacerdotem fecit. Ab hoc Salamis aliquando Cychrea dicta. *Steph.*

CYCHRI, Thraciæ populi, apud quos aquas eſſe lethales ex Theopompo refert Plin. *l.* 31 *c.* 2.

CYCLADES, inſulæ maris Ægæi à promontor. Geræſto, ut Plin. notat, *l.* 4. *c.* 12. circa Delum hodie *Sdille*, quò ſingulis annis, Juvenus miſſa, ut ſacris intereſſet, in orbem ſitæ, unde & nomen acceperunt, Strabo, *l.* 10. Zonar. *tom.* 3. Dionyſ. *v.* 525.

> Δῆλον ἐγκυκλώσαντο, καὶ οὔνομα Κυκλάδες εἰσί.

Mela, *l.* 2. *c.* 7. *Quia in orbem jacent, Cyclades dictæ.* Solin. *c.* 17. *Cycladas autumant inde dictas, quia licèt ſpatiis longioribus à Delo projectæ, in orbem tamen circa Delum ſitæ ſunt, & orbem Græci κύκλον vocent.* Idem habent Plinius & Ammianus. *Cyclas* (inquit Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 14.) Phœnicibus dicta eſt גיגלא *gigla* pro גלגלא *gilgla* ex Hebræo גלגל *gilgal*, quod *circulum* ſonat. *Callimachus*,

> Κυκλάδες, αἱ νήσων ἱερώταται αἳ εἰν ἁλὶ νῆσοι
> Ἔννεπον.

Idem, non ſine alluſione ad nomen,

> Κυκλάδας ὀρφναίην περιηγέα.

Virgil. *l.* 3. *Æn.* *v.* 127.

> ----- *Sparſaſque per æquor*
> *Cycladas.*

Horatius, *l.* 1. *Carm.* *Od.* 14. *extr.*

> ---- *Interfuſa nitentes*
> *Vites æquora Cycladas.*

Idem, *l.* 3. *Carm.* *Od.* 28. *v.* 14.

> ---- *Quæ Cnidon,*
> *Fulgenteſque tenet Cycladas & Paphon.*

Ovid. *l.* 2. *Met.* *v.* 264.

> *Exurgunt montes & ſparſas Cycladas augent.*

Idem, *l.* 1. *Triſt.* *El.* 13. *v.* 8.

> *Cycladas Ægæas obſtupuiſſe puto.*

Crebræ Statio dicuntur. Sunt autem numerò quinquaginta tres. Idem, *l.* 1. *Achill.* *v.* 205.

> ---- *Juvat ire per altas*
> *Cycladas.*

Et alibi,

> *Interque vadoſas*
> *Cycladas Ægæa frangunt ubi ſaxa procellæ.*

Vulgò *Iſole del Archipelago* Caſtaldo. *Nic. Lloydius.* Ad has à Conſtantino IX. Saraceni victi ſunt, A. C. 1008. Cæterum, Inſulæ hæ, cum Helleſponto & Aſia propriè dicta, Proconſularem Provinciam Romanis conſtituebant, in Arcadii *Notit.* cùm prius ad eandem Lydia, Phrygia minor & Caria pertinerent, quæ poſtmodum Vicario Aſianæ Diœceſis ſunt attributæ. Salmaſ. *ibid.* p. 806.

Inſulæ præcipuæ Cyclades.

Andros *Andro.*	Paros *Pario*, ubi candidiſſimum marmor.
Cia *Zea.*	Rhenia Delo conjuncta.
Delos *Sdille.*	Seriphus *Serphone.*
Micone *Micoli.*	Siphnus *Siphano.*
Naxus *Naxia.*	Siros *Sira.*
Oliaros *Quarantino.*	

Tinos *Tine.*

Hinc *Cyclas*, veſtis muliebris genus, quam tenuiſſimam & ſic pellucidam, eòque parum honeſtam Torrentius *ad Sueton. Calig. c.* 52. interpretatur. Malè. Omnino enim matronarum veſtis fuit ſeu tunica; eaque ſatis honeſta per ſe. Juvenal. *Sat.* 6. *v.* 259.

> *Hæ ſunt, quæ tenui ſudant in Cyclade.*

Vide paulò infrà. Ex eo ſic appellata, quòd limbum aureum aut purpureum ad oram extremam haberet adſutum. *Limbum* enim Græci κύκλον appellârunt. Imò, κυκλάδα, ſi *Gloſſatori veteri* fides. apud quem legimus, κυκλὰς, ἡ περὶ τὴν χλαῖναν πορφυρᾶ κύκλῳ, *Limbus*. Propert. *l* 4. *El.* 7 *v.* 38.

> *Quæ nunc auratâ Cyclade verrit humum*

Porrò *Cyclas* apud Silium ſingulari numerò legitur. Sic enim, *l.* 4 *v.* 244.

> *Cen gelidus Boreas totum cum ſuſtulit imo*
> *Icarium fundo victor mare, navita vaſtò*
> *Jactatur ſparſus, laceratâ claſſe profundò,*
> *Cunctaque caventi prꝰ ſumitur æquore Cyclas.*

CYCLAMINUS, ſinus Aſiaticus Boſpori Thracii. *Golfo di Saltana* Gyllio. Idem herbæ nomen, de qua vide Plin. *l.* 25 *c.* 9. ubi tria ejus genera pluribus exſequitur. Ex iis primum *Tuber terræ* quoque dictum, in omnibus ſeri domibus jubet, contra mala medicamenta, & pro in *amuletum* vocari addit, quod Græcis ἀλεξιφάρμακον, φυλακτήριον & ἀμυντήριον, Varroni *prohibium*, quod prohiberet noxam. Cujuſmodi amuletum faſcinus pueris, turpicula res, ut idem ait. Unde Plauto *præfiſcini*, i. e. bonô animo, ἀβασκάντως, in *Aſinar.* *Actu* 2. *ſc.* 4. *v.* 84.

> ---- ---- ---- *ſequere hac ergo*
> *Præfiſcini* &c.

Vide Dalechampium, *Notis Plin.*

CYCLAS, limbus eſt & veſtis limbô ornata per extremam oram, *Gloſſ.* Κυκλὰς ἡ περὶ τὴν χλαῖναν πορφύρα κύκλῳ. Tunica muliebris nempe aurata, cujuſmodi etiam & viriles ſiebant, quas jam tùm à Gallieno Imperatorib. uſurpârunt, uſque ad Imperii finem: quaſque privatis uſibus contexi conficique vetuerunt A. A. Valentinianus & Valens, *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de veſtibus holov.* & *l.* 2. *eod. tit.* apud Salmaſ. *Not. ad Vopiſc. in Saturnino*, *c.* 9. Vide quoque in voce *Cyclades*.

CYCLEUS, pater Arionis, *quem Delphine ei* (Tænaron promontor. in quo fanum Methymnæi Arionis) *advectum imago teſtis eſt, ad effigiem caſus & veri operis expreſſa ære*, Solin. *c.* 7. Vide Pauſaniam. Meminit *Cycleos*, in *Epigrammate*, quod ſubjectum imagini hunc refert Ælianus, in hunc modum:

> Ἀθανάτων πομπαῖσιν Ἀρίονα Κυκλέος υἱὸν
> Ἐκ Σικελοῦ πελάγους σῶσεν ὄχημα τόδε.

apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 138.

CYCLICUS Scriptor, apud Horatium, *de Arte*, *v.* 136. idem cum Epico Poëta Rhapſodo, Turnebo, *Adverſ.* *l.* 19. *c* 9. Salmaſio vero non omne Poëma Heroicum Κύκλος ἐπικὸς dictus eſt: Sed opus ex multis diverſorum Poëtarum carminibus (quæ Ποιητῶν τῶν ἀοιδῶν vocabantur) compoſitum, mythicæ hiſtoriæ continuatam ſeriem, à prima conjunctione Cœli & Terræ, Deorumque inde Θεογονίᾳ, uſque ad Ulyſſis reditum & exſcenſionem ad Ithacam, complectens. Itaque horum alius Θηβαΐδα ſcripſerat, alius Τιτανομαχίαν, alius Γιγαντομαχίαν, alius *Argonautica*, alius Οἰδιπόδεια, alius *Iliada*, alii denique aliud opus mythologicum, ut non unius ætatis, ita nec unius nationis. Quæ omnia, juxta fabularum ordinem & temporum ſeriem concinnè & convenienter in hoc *Cyclo* aptata atque inter ſeſe connexa erant. *Orbem Mythologiæ* Latinè liceat vocare. Nomen inde, quod ſicut in Choro Dithyrambico homines, vel in corona (quorum utrumque κύκλος Græcis) flores: ſic in eo omnia Poëmata decenter juncta, ἀκολουθίαν ac ſeriem totius mythologiæ à condito Mundo, uſque ad tempora Troica, oſtenderent. Similes appellationes, κύκλος, στέφανος, ἀνθολόγιον, conſimilibus operibus inditæ. Erant autem carmina illa ſimplici formâ facta, ſine ulla arte & varietate. Unde Homericam poëſin Veteres à *Cyclico* paſſim ſeparant, imò & Heſiodum aliosque nonnullos: iſtos ſolùm Heroicos Poëtas inter Cyclicos referentes, qui hiſtoricô more ac ſimpliciſſimè μυθοποιΐαν expoſuerunt. Quis in unum τεῦχος Syntagma illud coëgerit, incertum: ab aliquo antiquo Grammatico id factum eſſe, veroſimile eſt. Quemadmodum & alia pleraque veterum Poëtarum opera, ob ſimilitudinem argumenti, in unum aliquod corpus ab iſtiuſmodi hominibus, congeſta ſunt. Sic Bucolica omnia, in unum collecta habemus, Ἀρχαίων τεῦχος memoratur in *Epigr. Græco* &c. Uti autem hic *Cyclus* verſibus conſtitit: ſic fuit & *Cyclus* ſimilis, pedeſtri oratione compoſitus, ab eodem principio initium ſumens, in eundem finem deſinens. Inter cujuſmodi Scriptores primos Pherecydes fuit, Apollodorus ultimus; quippe cujus *Bibliotheca* nil aliud fuit, quàm ἐπιτομὴ & ἐκλογὴ Epici Cycli. Quod opus cùm hodie diſtribuatur in tres libros, unicô tamen librô comprehenſum fuiſſe, diſcas ex *Photio*. Alii Scriptores ejuſdem argumenti fuêre Cadmus Hecatæus, & cæteri, qui Ποιητῶν ἱστορίας, oratione ſolutâ perſcripſêre. Porrò *Cyclus Epicus* totus Græcorum fuit, nec ullam in eo partem Latini habuêre. Unde prout Horatii locum *de Arte Poëtica*, *v.* 136.

> *Nec ſic incipies, ut Scriptor Cyclicus olim:*
> *Fortunam Priami cantabo & nobile bellum.*

Non de Romano aliquo Epico Poëta, qui Trojanum bellum ab initio fuerit perſecutus: ſed de *Iliados* cujuſdam Κυκλικῆς auctore Græco exponendum eſſe, cenſet Salmaſ. &c. Ad ſimilitudinem *Cycli Epici*, appellatus poſtmodùm eſt Κύκλος Παιδείας, *orbis videl. omnium Artium liberalium & ſcientiarum*. κύκλια quoque & ἐγκύκλια μαθήματα Tzetzi, *Chil.* 10. Connexam enim quædam & cognatio inter ſe ſcientiarum eſt, quæ velut in choro κυκλικῷ manibus per mutua nexis aptè inter ſe cohærent. Nec in Hiſtoricis *Hiſtoria Auguſta*, ex variis Scriptoribus connexa, ab Auguſto uſque ad Diocletianum, dici incommodè poſſet, Κύκλος τῆς ἱστορίας Ῥωμαϊκῆς. Quem morem cùm imitatus Juſtinianus Corpus Juris, ex variis veter. Prudentium libris ac reſponſis compilatum, per Tribonianum curaverit conficiendum, pariter illud Κύκλος Νομικὸς, non minùs verè, quàm eleganter aliquis appellare poſſet. Quam in rem vide plura egregia, apud Salmaſ. præfatione *ad Solin.* p. 847 & *ſeqq.*

CYCLOBOROS, amnis, ſive torrens Atticæ. *Steph.* Adeò autem ob anfractus crebros ſtrepitans eſt, ut *Cycloboros* vox tande-

gio

gio contra clamoſos & obſtreperos eſſet. Quidam circulum quendam Athenis eſſe ſcribunt, à forma ſtructuræ ſic denominatum, ubi, exceptis carnibus, omnia habebantur venalia; præcipuè verò piſces. Vide Schol. in Ariſtoph. *Eq. Act.* 1. *ſc.* 1. Hinc Comicum verbum κυκλοβορεῖν, clamore magnô obtundere, inſtar illius torrentis, qui magnô ſonore labitur: vel etiam in circulis diſſerere. Vide etiam Schol. in *Acharn.*

CYCLOPEA ludere, apud Pollucem in *Gallienus*, c. 8. Cyclopea etiam luſerunt *mimi aponaris*, ita ut *miranda quadam & ſtupenda monſtrarent*, eſt ἐν ἀγῶσι Κυκλώπεια παίζειν. Vide ſuprà ubi de *Aponarus*. Quiſnam autem Cyclops is fuerit, vide ſuô locô. Hic ſaltem *Cyclopem dormientem* Parraſii celeberrimi Pictoris memorabo, ex Plinio, *l.* 35. *c.* 10. *Sunt & alia ingenii ejus exemplaria; veluti* Cyclops dormiens, *in parvula tabella: cujus & ſic magnitudinem exprimere cupiens, pinxit juxta Satyros thyrsô pollicem ejus metientes: atque in omnibus ejus operibus intelligitur plus ſemper, quam pingitur* &c.

CYCLOPES, Neptuni & Amphitrites filii, miniſtri autem Vulcani, ſic dicti, quod unicum haberent oculum, eumque orbicularem media in fronte ſitum. Hi, teſte Heſiodô, *in Theog.* v. 142.

> ..... Τὰ δ' ἄλλα θεοῖς ἐναλίγκιοι ἦσαν,
> Μοῦνος δ' ὀφθαλμὸς μέσσῳ ἐνέκειτο μετώπῳ.
> Κύκλωπες δ' ὄνομ' ἦσαν ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρα σφέων
> Κυκλοτερὴς ὀφθαλμὸς ἕεις ἐνέκειτο μετώπῳ.

Ex his tres potiſſimùm à Poëtis celebrantur, *Brontes*, *à tonitru dictus*, *Steropes à fulmine*; *Pyracmon ab ignea incude*. Virg. *l.* 8. *Æn.* v. 424.

> *Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro*
> *Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.*

Ovid. *l.* 4. *Faſt.* v. 287.

> *Hinc mare Trinacrium, candens ubi fingere ferrum*
> *Brontes, & Steropes, Acmonidesque ſolent.*

Stat. *l.* 1. *Sylv.* 1. v. 3.

> ..... *Siculis an conformata caminis*
> *Effigies, laſſum Steropen, Brontenque reliquit?*

Claudian. *de* 3. *Honorii Conſulatu*, v. 191.

> ..... *Vobis jam Mulciber arma*
> *Præparat, & Siculâ Cyclops incude laborat.*
> *Brontes innumeris exaſperat ægida ſignis:*
> *Altum fulmineâ criſpare in caſſide conum,*
> *Feſtinat Steropes, accîſt thoraca Pyracmon,*
> *Ignifluiſque gemit Lipare fumoſa cavernis.*

Fabulæ occaſionem dedit, quod primi Siciliæ incolæ giganteâ ſtaturâ horribiles, unde defunctorum oſſa ſæpe inuſitatæ magnitudinis eruta, & ſævi, circa Ætnam, habitârint. *Nic. Lloydius.* Vide Heſiod. *in Theog.* Natal. Com. *l.* 9. *c.* 8. Thucyd. *l.* 2. Juſtin. *l.* 4. *c.* 2. Leand. *deſcript. Italiæ.*

CYCLOPUM Scopuli, tres ſunt prope Siciliam, parvi admodùm, auctore Pliniô, *l.* 3. *c.* 8. *Faraglioni*, teſte *Fazellô*, in ora Orientali Siciliæ & Vallis Demonæ, 12. milliar. à Catana in Ortum. *Baudrand.* Cyclopes autem teſte *Diodorô Sic.* primi Siciliæ habitatores fuêre.

CYCLUS, Græcis Κύκλος, pro *Indictione*, vide Henr. Valeſ. *ad Evagrium*, *l.* 3. *c.* 33. ut & in voce *Indictio*. Apud Trebellium *in Tetrico*, *c.* 15. idem Cyclus eſt, quod Latinis *ſcutum* clypeus, thorax, thoracleta, diſcus, miſſorium; Græcis ἀσπίς, κύκλος, ὄπλον, σάκος, recentioribus κυκλίσκος & πινάκιον: clypeata nempe imago, ſeu ſtatua pectore tenus, quæ ſcutô rotundô continebatur, Salmaſ. *ad Trebellium, loc. cit. & ad Tertullian. de Pallio*, *c.* 4. Et quidem ex κύκλον, tranſpoſitione literarum, κλύπον, *Clypeum* ſeciſſe Latini, uti docet idem, *ad Solin.* p. 325. Vide quoque, p. 869. & hic paſſim.

CYCLUS Epicus, Κύκλος Ἐπικός, opus erat totius Mythologiæ continuatam ſeriem, diverſis Poëtarum carminibus, in unum ſyntagma compactis, interque ſe pro temporum ratione connexis, à Mundi initio ſeu Θεογονίᾳ, uſque ad Ulyſſis reditum, exhibens, uti videre eſt ſuprà in voce *Cyclicus Scriptor*. Atque hic fuit fons atque fundus τῆς μυθοποιΐας Græcanicæ: unde Poëtæ reliqui plerunque ſuas hypotheſes depromebant. Hinc Horatius *de Arte Poët.* docens, quomodo Tragœdia ſcribenda, verbis his, v. 129.

> *Rectiùs Iliacum carmen deducis in actus,*
> *Quam ſi proferres ignota indictaque primus:*

ait argumentum Tragœdiæ melius ſumi ex jam vulgata Mythologia, quàm novum fingi. Per *carmen* enim *Iliacum* non tam Homeri Iliada, quàm *parvam Iliadem* Leſchis, & *Cypriam* Staſini, Cycli Epici partes, intelligit. Verùm, cùm hæc Cyclica narratio ſimplici & pedeſtri ſtylô fuerit exarata, *ὑπόθεσιν* ſaltem fabulæ inde petendam ſuadet, quæ calamiſtris propriis ornanda ſit & ornatiùs variandæ, ut hôc modô publica videri deſinat, in privatum jus ferè tranſlata. Ita autem pergit, v. 131.

> *Publica materies privati juris erit, ſi*
> *Nec circa patulum vilemque moraberis orbem.*

Ubi hunc ipſum Cyclum intelligit, quem *patulum vilemque* vocat *orbem*, quòd nonullâ Poëticâ virtute cenſeretur, ſed ſolâ fabularum materiâ & ordine commendaretur, quas latè & fusè carmine triviali mouotô peccatô exponebat. Adde, quod omnibus tereretur, propter hanc fabularum ſeriem. Unde inter res vulgares & omnium promiſcuô uſu protritas, τὸ ποίημα τὸ Κυκλικὸν, recenſetur Callimacho in *Epigr.* ἀνθολογίας apud Salmaſium. Auctores Cycli, Κυκλικοὶ Ποιηταὶ & Ποιηταὶ τοῦ Κύκλου, Latinis *Scriptores Cyclici*, dicti ſunt. Partes fuêre Θεογονία, Τιτανομαχία, Θηβαΐς, Θησηΐς, Ἰλιὰς μικρὰ, Φορωνὶς, Αἰθιοπὶς, Νόστος Ἑλλήνων & multa præterea alia, quorum meminêre Veteres: de quibus, aliiſque in dubio adhuc poſitis, utrum ad Cyclum pertinuerint, vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 848. *& ſeqq* & quædam etiam ſuprâ, nec non infrâ lemmate, *Orbis Mythologicus*.

CYCLUS Paſchalis, ad Lunæ ætatem & diem Paſchatis inveniendum. Vide Gaſſendum, *Kal. Rom.* c. 4 de *Cyclo Aureo*, cujus apud Computiſtas paſſim mentio, ex MS. Thuan. hæc affert Car. du Freſne:

> *Prima dies Jani quæ Janus dicitur anni,*
> *Tantum tenet ut poſterus ordo vacillet:*
> *Majori numero debetur tertius ordo,*
> *Sicque minor ſequitur, majori commutatur*
> *Per duodena loca, non eſt hac regula vera.*
> *Undeno Februi numerum conjunge ſequentem.*
> *Sunt quoque ſex menſes, Julius prior atque ſequentes,*
> *Hi, quantum creſcat, undenus ſumma propinquat.*
> *Octavo minor numerus ſequitur, nec continuatur,*
> *Octavo ſuccedentem conjungit a in an.*
> *October quantus prope debet habere ſequentem.*
> *Nonarum quartus duodenis denique menſis*
> *Terdecimum numerum conjunctus atque ſecundum.*
> *Luna ſola tamen nemo ſic eſſe recuſet:*
> *Tali quippe modô componitur Aureus ordo.*

CYCNITIS, regio, in qua Cycnus regnavit.

CYCNUS, Martis fil. quem Hercules equeſtri prœliô ſuperatum occidit, equô adjutus Arione, quem Neptunus in equum converſus genuerat. Hujus necem iam iniquô animô Martem tuliſſe ferunt, ut ejus ulciſcendæ causâ adverſus Herculem arma ſumeret. Verùm antequàm ad manus venirent, Jupiter jaculatô fulmine eos diremit, ut refert Hyginus, *Fab. Poët.* c. 31.

CYCNUS, Neptuni fil. omni ex parte invulnerabilis, cum quo Achilles Trojani belli tempore congreſſus, cùm fruſtra eum jaculis appetiiſſet, tandem re intellectâ, humi eum proſtravit, genibuſque collo innixus, animam eripuit, eumque cadaver ſpoliare vellet, arma vacua invenit, Cycnumque in avem ſui nominis nidis commutatum. Ovid. *l.* 12. *Met.* v. 138.

> —— *Impulſum reſupinô pectore Cycnum,*
> *Vi multâ vertit, terræque affligit Achilles.*
> *Tum clypeô genibuſque premens præcordia duris,*
> *Vincla trahit galeæ, quæ preſſo ſubdita mento*
> *Elidunt fauces, & reſpiramen, iterque*
> *Eripiunt animæ; victum ſpoliare parabat:*
> *Arma relicta videt, corpus Deus æquoris albam*
> *Contulit in volucrem; cujus modò nomen habebat.*

CYCNUS, Hyries fil. in olorem commutatus, Ovid. *l.* 7. *Met.* v. 371.

> *Fide lacus Hyries videt & Cycneïa Tempe,*
> *Quæ ſubitus celebravit olor, nam Phyllius illic*
> *Imperiô pueri volucreſque feramque Leonem*
> *Tradiderat domitos: taurum quoque vincere juſſus*
> *Vicerat; & ſpretô toties iratus amore,*
> *Præmia poſcenti taurum ſuprema negabat.*
> *Ille indignatus, cupies dare, dixit: & altô*
> *Deſiluit ſaxô; cuncti cecidiſſe putabant:*
> *Factus olor niveis pendebat in aëre pennis.*

CYCNUS, Ligurum Rex, qui cùm Phaëthontis propinqui ſui necem inſolabiliter defleret, in avem ſui nominis commutatus eſt. Virg. *l.* 10. *Æn.* v. 185.

> *Non ego te, Ligurum ductor fortiſſime, bello*
> *Tranſierim, Cycne & paucis comitate Cupavo:*
> *Cujus olorinæ ſurgunt de vertice pennæ,*
> *Crimen amor veſtrûm, formæque inſigne paternæ.*
> *Namque ferunt luctu Cycnum Phaëthontis amati*
> *Populeas inter frondes, umbramque ſororum*
> *Dum canit, & mœſtum muſâ ſolatur amorem,*
> *Canentem molli plumâ duxiſſe ſenectam,*
> *Linquentem terras & ſydera voce ſequentem.*

Ovid. *l.* 2. *Met. fab.* 5. v. 367.

> *Adfuit huic monſtro proles Sthenelëia Cycnus,*
> *Qui tibi materno quamvis à ſanguine junctus,*
> *Mente tamen, Phaëthon, propior fuit. Ille relictô*
> *(Nam Ligurum populos, & magnas rexerat urbes)*
> *Imperiô ripas virides amnemque querelis*
> *Eridanum implêrat, ſilvamque ſororibus auctam.*
> *Cùm vox eſt tenuata viro; canæque capillos*
> *Diſſimulant plumæ; colluinque a pectore longum*
> *Porrigitur, digitoſque ligat junctura rubentes:*
> *Penna latus veſtit: tenet os ſine acumine roſtrum.*
> *Fit nova Cycnus avis, nec ſe Cœloque Jovique*
> *Credit, ut injuſtè miſſi memor ignis ab illo;*
> *Stagna colit, patuloſque lacus; ignemque peroſus,*
> *Quæ colat elegit contraria flumina flammis.*

Nic. Lloydius.

CYCNUS, Ordo militum Cliviacorum, A. C. 711. poſt obitum Theodorici, Cliviæ Ducis inſtitutus. Hujus enim, ſine maſcula prole decedentis, unica filia Beatrix, ditionum paternarum hæ-

res, à vicinis exagitata, nobili viro, Eliæ, à quo fortiter fuerat defenſa, nupſit, qui cùm in clypeo cycni geſtaret imaginem, hinc Ordini occaſio. Favynus, *theatr. honor. & Eq. tom. 2. l. 7. p.* 1373.

CYCNUS, equi nomen, de quo legere eſt apud Statium, *l. 6. Theb. v.* 524.

Aſcheton increpitat, meritumque vocabula Cycnum.

CYCNUS, vide *Cygnus.*

CYCONÆ, Aſiæ populi in India aquilonari. Plin. *l. 6. c.* 17.

CYDA, vir Cretenſis, quem Antonius Romæ inter judices legit, cùm eſſet vir perditiſſimus. Cicer. *Philipp.* 2.

CYDANTIDÆ, Græcè Κυδαντίδαι, demus tribus Ægeidis, uti *Harpocration & Steph.* vel Ptolemaidis, uti *Heſych.* & *Phavorinus* habent.

CYDARAS, fluv. Taprobanæ, Plin. *l. 6. c.* 22.

CYDARUS, ſeu CYDARIS, fluv. Thraciæ, vulgò *Machleſua.* Hodie *Machlena*, inquit *Baudrand.* qui ſimul cum Barbyſſo fluvio in ſinum Chryſoceram ſe exonerat, paulo ſupra Conſtantinopolim, teſte *P. Gyllio.*

CYDATHENÆUM, vicus in Pandionide tribu, Patria Democharis Comici. *Steph.* Andocidis Oratoris patriam facit *Plut.* qui vitam ejus deſcripſit. Servat loci nomen *Inſcr.* quæ hodieque Athenis in exigua columna viſitur,

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ
ΑΥΛΟΥ
ΚΥΔΑΘΗΝΑΙΕΥΣ.

apud Jac. Sponium, *Itiner. Græciæ part. 3. p.* 150.

CYDDESIS, Bithyniæ populi. *Ptol.*

CYDIAS, pictor, Argonautas pinxit, quam tabulam 164. talentis Hortenſius Orator mercatus eſt, eique ædem in Tuſculano ſuo fecit. Floruit Olymp. 114. Plin. *l. 35. c.* 11.

CYDIDES, Hermionei fil. Citharœdus Athenienſis.

CYDIMUS, apud Papinium Statium, *l. 5. Theb. v.* 227.

Flet ſuper aquarum ſoror exarmata Lycaſte
Cydimon. *heu! ſimiles perituro in corpore vultus*
Aſpiciens. ----- -----

Nomen fuit boni ominis. *Heſych.* Κύδιμος, ἔνδοξος, ἐντιμός. Vide Caſp. Barthium, *Animadverſion. ad Statium.*

CYDIPPE, Sacerdos Junonis Argivæ, memorata Joh. Marshamo, *Canone Chron. Sec.* IX. *ubi de Danao.*

CYDIPPE, puella ab Acontio adamata. Ovid. *l. 1. Art. Am. v.* 457.

Littera Cydippen pomo perlata feſellit:
Inſciaque eſt verbis capta puella ſuis.

Vide *Acontium.*

CYDIPPUS, Mantineus Hiſtoricus, inter eos eſt, qui de rerum inventoribus tractârunt. Clem. Alex. *l. 1. Stromat.*

CYDNA, urbs Macedoniæ, corruptò vocabulò *Pydna* dicta. *Steph.*

CYDNUS, Ciliciæ fluv. Tarſum urbem præterfluens. Juſtin. *l. 11. c. 8. Cùm Tarſum veniſſet, captus Cydni fluminis amœnitate, per mediam urbem influentis, projectis armis, plenus pulveris ac ſudoris in præfrigidam undam ſe projecit.* Q. Curtius, *l. 3. c.* 4. de Cilicia loquens, *Pyramus, & Cydnus, inclyti amnes fluunt. Cydnus non ſpatiò aquarum, ſed liquore memorabilis: quippe leni tractu è fontibus labens, purò ſolò excipitur; nec torrentes incurrunt, qui placidè manantis alveum turbent. Itaque incorruptus, idemque frigidiſſimus, multâ riparum amœnitate inumbratus, ubique fontibus ſuis ſimilis in mare evadit.* Hic Alexander Magnus vitæ periculum, ſe lavans ſubiit: Apud eundem verò Fridericus Barbaroſſa, ex Oriente reverſus, A. C. 1190. ſimiliter loturus obiiſſe creditur. Strabo, *l.* 14. ubi de Tarſo: Cydnus mediam perfluit juxta Gymnaſium Juniorum. Ejus ortus non procul eſt, alveus verò per profundam vallem illapſus rectà in urbem ingreditur: ψυχρός τε καὶ τραχὺ τὸ ῥεῦμα ἐστιν, ὅθεν καὶ τοῖς παχυνευροῦσι, καὶ [illegible] βοηθεῖ. Ubi alii ταχὺ legunt. Euſtathius *in Dionyſ.* ψυχρόν δὲ [illegible] καὶ ταχὺ τὸ ῥεῦμα τοῦ Κύδνου. Vitruvius, *l. 8. c.* 3. Cydnum podagræ mederi docet, cruribus eò merſis. Plut. *in Alex.* [illegible] Arrian. *l.* 2. Οἱ δὲ εἰς τὸν Κύδνον [illegible] ὕδατος [illegible] Ὁ δὲ Κύδνος ῥεῖ διὰ μέσης τῆς πόλεως, οἷα δὲ ἐκ τοῦ Ταύρου ὄρους, τὰς πηγὰς οἱ ἀνέχοντος, καὶ διὰ χώρου καθαροῦ ῥέων, ψυχρός τέ ἐστι, καὶ τὸ ὕδωρ καθαρός. Solin. c. 41. ſcribit eum, à candore, Syrorum linguâ nomen eſſe ſortitum: *Quicquid candidum eſt* (inquit) *Cydnum gentili linguâ Syri dicunt.* De eo Dionyſ. v. 868.

Κύδνος τε σπολιοῖο μέσον διὰ Ταρσὸν ἰόντος.

Tibullus, *l. 1. El. 7. v.* 13.

At te Cydne canam, tacitis qui leniter undis
Cæruleus placidis per vada ſerpis aquis.

Ovid. *l. 3. de Arte Am. v.* 204.

Vel prope te nato, lucide Cydne, croco.

Nic. Lloydius.

CYDOESSA, in ſuperiori parte civitatis Giſcalæ, mediterraneus & validiſſimus eſt Tyriorum vicus, Galilæis ſemper exoſus. Eſt in tribu Aſer.

CYDON, vel CYDONIA Straboni, *Cydonis* Ptolemæo. Olim *Apollonia*, ſedes Minois I. quem ibi, regnante Athenis Pandione, [illegible] *Cydoniam* [illegible], *& ferramentorum inventores primum in Ida Idæi Dactyli*, [illegible], legimus in Epochis Marmoreis, apud Marshamum, *Canone Chronic. Secul.* X. Vide ſuprà *Apollonia.* Urbs quadrata, & ex 4. præcipuis Cretæ, quæ in Occaſum vergit, licèt ipſa ſit in ora ejus Boreali, cum portu capaci, probè munita, Venetis à Turcis erepta, A. C. 1645. Ab ipſa pars Occidentalis Cretæ dicta eſt territorium Caneæ. 80. milliar. à Gortina, centum circiter à Gnoſſo. *Baudrand.* Hinc *Cydonius.*

----- *Cydonio ſtudebat ſpicula cornu.*

Virgil. *Eclog.* 10. *v.* 59.

----- *Libet Partho torquere Cydonia cornu*
Spicula. ----- -----

Hinc mala *Cydonia.* Plin. *l. 15. c.* 11. Martial. *l. 13. Epigr.* 24.

Si tibi Cecropiò ſaturata Cydonia melle
Ponuntur, dicas hæc melimela, licet.

Item *Cydoneus.* Ovid. *l. 8. Met. v.* 22.

Armaque, equoſque, habituſque, Cydoneaſque pharetras
Noverat. ----- -----

Virg. *l. 12. Æn. v.* 858.

Parthus ſive Cydon telum immedicabile torſit.

Item *Cydon*, viri nomen. Virg. *l. 10. Æn v.* 325.

Dum ſequeris Clytium infelix nova gaudia Cydon.

CYDONIA, inſul. ante Leſbum, cum fonte calido, qui vere tantùm fluere perhibetur, apud Plin. *l. 2. c.* 103. *l. 4. c.* 12. *l. 5. c.* 31. Item Libyæ urbs, *Steph.*

CYDONIA Mala, Græcis dicta ſunt, quæ Cotonea Latinis, à *Cydone*, Cretenſium præcipuâ urbe, unde ea allata primùm. Ea indigitat Virgil. *Ecl. 2. v.* 51.

Ipſe ego cana legam tenerâ lanugine mala.

Inter cætera enim multâ lanugine ſunt conſpicua, inciſuriſque diſtincta. Color eorum aureus, unde *Aurea* eidem, *Ecl. 3. v.* 71.

Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

Ubi citrea non poſſe intelligi, quod alii malint, hinc probat Vir doctus, quòd citrus arbor non ſic fuerit in Italia, Virgilii tempore, imò nedum Plinii ætate, ut Paſtori obvia eſſent pretioſa illa poma, quæ amicæ mitteret. At *cydonia* paſſim proveniebant, etiamque in ſepibus colligebantur, teſte Pliniò, *loc. cit.* Hinc *ibid. v.* 70. legas,

Quod potui, puero ſylveſtri ex arbore lecta
Aurea mala decem miſi.

Adde quòd in Curia Conſervatorum Herculis ſignum æreum viſebatur manu geſtare tria mala Cotonea, non citrea, uti teſtatur Pierius in *Hieroglyph.* Veniunt illa rarò cruda in cibum: decocta verò hyeme cum ſaccharo & cinnamomo, ſummam obtinent in menſis auctoritatem. Servantur etiam ſaccharò condita, haud ſecus ac melle olim, quod Martialis obſervavit, *l. 13. Epigr.* 24.

Si tibi Cecropiò ſaturata Cydonia melle
Ponuntur, dicas: hæc melimela mihi.

Apud Romanos Græcoſque inter ritus Nuptiales, pomi Cydonii quoque guſtatio fuit. Quo de ſic *Alciatus*,

Poma novis tribui debere Cydonia nuptis
Dicitur antiquus conſtituiſſe Solon.
Grata ori & ſtomacho cum ſint, ut & halitus illæ
Sit ſuavis, blandus manet & ore lepos.

Quò eòdem fine Parthorum proceres grana ejus incoquere eſculentis ſolitos, legimus &c. Vide Autorem Anonymum *Siæ & Europa p.* 1018. & plura hanc in rem ſuprà, ubi de malis *Cotoneis.*

CYDRA, urbs Byrſorum. *Steph.* Κυδρεῖαι Strab. *l.* 17.

CYDRATA, civitas juxta montes Phrygiæ. Stephan. ex *Herodot. l.* 7.

CYDRINE, urbs Armeniæ, non *Cydrae*, ut alii ſcribunt, juxta eund. *Steph.*

CYDRUS, unus è Cyzicenis, in conflictu nocturno à Polluce cæſus. Flacc. *l. 3. v.* 192.

CYGNUS, Callimacho *in Delum*, v. 252. ἀοιδότατος πετεηνῶν *Μουσάων ὄρνις*: Proximum enim morti ſuaviſſimè canere, creditum olim pleriſque non ſine tamen aliorum ſibilo. Affirmanti ſententiæ fidem non modicam facit præclara illa & ſuſpicienda arteriæ aſperæ in hac ave ſtructura, quæ cùm duplici reflexione tubæ bellicæ figuram rectiſſimè repræſentet, quâ quamlibet tonorum varietatem tubicines effingere ſolent, fortè inducatur quis, ut credat, ſententiam illam vero diſſimilem non eſſe. Adde quod Oppianus, in obſervando ac deſcribendo has alites diligentiſſimus, à Favonio *Cygnos* ad cantum invitari auctor eſt, cum decrepiti jam viribus deſtituuntur. Accedunt Ægyptii, Naturæ ſcrutatores accerrimi, qui *Cygnum* Muſicæ eſſe hieroglyphicum voluerunt. Exempla habes apud Auctorem prætatum *Siæ & Europ. c.* 41. nec non Boomanum, *Theſaur. L. L.* Cæterùm & mole ſuâ & colore figurâque hæc avis maximè ſpecioſa, ob plumarum candorem eximium, *purpureo* Plinio dicta, hôc modò deſcribitur Alfonſ. Cataneo: Prof. Medicinæ Ferrar. *Corpus totum undiquaque uniformes aureis coloris plumæ obtegebant: erat enim annculus, aut natu minor. Primò enim anni ---- coloris eſt cinerei; ab verò eaquè candidiſſimus. Pendebat libras viginti quatuor, dodrantes octo erat longus, ſtatura humanam æquans. Collum enim totius reliqui corporis longitudine amplius menſuram dodrantum quatuor,*

quatuor, qui tanquam piſcatoriâ immiſſus, è fundo commodè pabulum haurire poſſit. Roſtrum habebat ſex digitos longum, a narium foraminibus ſuperne ad finem usque nigrum, cætera cartilagine carnei colore veſtitum. Inferior mandibula tota nigreſcebat, frontis fine & roſtri principio; utrinque maculam nigram, quæ in triangulum finem roſtri depreſſa ac æquali ſuperficie coibant, eſt videre, inter quas fulvo colore plumula frontem inſigniunt. Latera utrinque roſtri interius ſerrata, palatum quoque medium denticulorum in longum poſitorum ordine aſperum, reliqua etiam ſcabram. Linguam medium ſulcus denticulis palatum medium ſecantibus reſpondens dividit & ipſe prope radicem ſcaber. Pedes dodrantem & palmum longi, nigri ſunt, ſed notis maculiſque partim cæruleis, partim rubicundis & albicantibus diſtincti. Membrana digitis interjecta ſquamulis minimis rotundis ſunt inæquales. Digitos vero velut annuli quidam in latum interſecant. plumæ deſinunt paulò ſupra genu, unde ad extremos digitos tres palmi reſtant longitudinis. Alarum ambitus ſuperior quatuor palmorum eſt: longiſſimæ alarum pennæ palmos ſeptem cum dimidio æquant: cauda circiter tres palmos longa eſt, collum circiter octo. Vitam ducit olor ancipitem, tum in aquis, tum in terris, maximè in lacubus, paludibus, ſtagnis & perennibus fluviis, quorum curſu moderate & ſedate fertur. De pugna illorum cum Aquilis, volatu peregre advenientium, aliiſque huc pertinentibus vide Plin. *l.* 10. *c.* 23. Ælian. *Animal. l.* 10. *c.* 36. Alios, nec non infrà in voce Olor.

CYGNUS, vide *Cycnus*.

CYITES, Græcè Κυίτης, lapis, qui intus *partum* habet. i. e. lapidem alium, *qui ſentiatur quam ſtrepitu*. Plin. *l.* 37. *c.* 10 Ubi malè vulgò *Ciſſite* legitur. Vide quæ ſuprà diximus de lapide *Ætite*

CYLABRIS, Gymnaſium apud Argos, à Sthenelí filio ſic dictum, ubi viſebatur Palladis ſimulacrum. Cæl. Rhodig. *l.* 9. c. 22. ex Pauſan. *in Corinth.* Lege in *Cyllabarus*.

CYLANDUS, urbs Cariæ. *Steph.* ex *Hecatæo*.

CYLBIANI, montes ſunt in Phrygia majore, ex quibus profluit Cayſter, Plin. *l.* 5. *c.* 29.

CYLICES, populi inter Illyrios, apud quos Cadmi, Harmoniæque monumentum conſpiciatur. *Athenæus*.

CYLINDER, margaritæ genus, de quo vide aliquid infrà voce *Iaſpis*. Sed & in *cylindros* beryllí fingebantur, uti retro vidimus, ubi de illis, pluraque dicemus paulo infrà. Archimedem vero in ſepulchro ſuo *Cylindrum* voluiſſe inſcribi, dicemus, infrà voce *Perſeus*, it. *Sphæra*.

CYLINDER Cryſtallinus, in *Muſæo* Kircheriano: in quo experimentò hydrotechnicò in aqua, eodem *Cylindro* contentâ, varia jocantis naturæ ſpectacula exhibentur. Eſt hoc Cylindraceum vas cryſtallinum, ad unum palmum cum dimidio longum, ad duas uncias in diametro latum; ab inferiori baſi ad collum excurrens; ad collum vero tantum reſtringitur, quantum latitudo pollicis humani aut indicis digiti requirit: dein ex vitro ſeu ſmalto variæ hominum aut animalium figuræ ſeu globuli fieri curantur intus cavi, diverſoſque levitatis gradus obtinentes, quorum pedes tenui foraminulo pervii ſunt. Hæ figuræ ritè confectæ tubo aquâ repleto immittantur; tum orificio tubi pollice aut digito immiſſo ſi prematur aqua, derepentè totum imaginum agmen, tanquam fulmine diſjectum, ad fundum labitur. Et quidem graviores velociùs, leviores tardiùs, quarum hæ ſenilem impotentiam, illæ juvenilem promptitudinem imitantur. Quod ſi preſſio remittatur, denuo aſcendunt, velocitate corporis moli correſpondente &c. Unde facilè colligere eſt, quàm exiguò negotiô hiſtoricæ expreſſiones, aut myſteriorum repræſentationes in ſimili vitrea ſcena repræſentari poſſint. Georg. de Sepibus *in Collegii Romani Societatis Jeſu Muſæo*, p. 64. Cæterùm Cylindri, apud Plinium, *l.* 37. *c.* 5. ubi de Beryllis: *Indi mire gaudent longitudine eorum, ſoloſque gemmarum eſſe prædicant, qui carere auro malint, ob id perforatos elephantorum ſetis religant.* Et mox, de Europæis, *Cylindros ex iis facere malunt quàm gemmas, quoniam eſt ſumma commendatio in longitudine*: Lapides ſunt longiores ac rotundi in modum facti; quibus gemmas opponit, h. e. σφραγῖδας, aut *annulorum ſignacula*, quæ non in longitudinem excedebant, ſed ovali ferme fiebant figurâ. Sic ex uno *cylindro* plures gemmæ fieri poterant. Qui autem *cylindros* ex beryllis faciebant, duos umbones cylindri, h. e. ambo capita, ex auro comprehendebant: quod non faciebant niſi in optimis beryllis, quos perforandos non eſſe inter Europæos & Aſiatios conveniebat, cùm Indis placeret perforari & ſine auro geſtari, tanquàm qui ſic gratiores eſſent. Meminit *Cylindrorum* & Tertullian. *de Habitu Mul.* *Latent in circulis ſmaragdi & Cylindros vaginæ ſuæ ſolùm gladius ſub ſinu novit.* Plin. quoque *l.* 37. *c.* 6. idem de ſardonyche. *Has Indis non habitas in honore Zenothemis ſcribit; tantæ aliàs magnitudinis, ut inde capulos ſactitarent. Primum tunſtas — placuiſſe in noſtro orbe initio, quoniam ſola prope gemmarum ſculpta ceram non auferant.* Vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 1107. & *ſeqq.* nec non ſuprà, in voce *Beryllus*: De [illegible] verò cavearum, in Amphitheatris, uti Baſilius vocat, infrà ubi de *Repagulis*, item *Rutulis*. Nec omittendum, *cylindri* exemplum, quò Fati cum libero Arbitrio convenientiam egregiè illuſtrat Chryſippus, apud A. Gellium, *Noct. Attic. l.* 6. *c.* 2.

CYLISTARNUS, fluv. apud *Lycophronem*. *Racanello* hodie nominari & in Caſono agro Calabriæ citerioris fluere ſcribit *Gab. Barrius*. *Baudrando* prope Caſſanum labitur, & in ſinum Tarentinum, verſùs Thurios, ſe exonerat.

CYLISTIÆ Coronæ, vide infrà *Encyliſtia*.

CYLISTRÆ, dictæ fortè miaturæ quædam impuræ rituſque ſuperſtitioſi ab Ethnicis in Tyronum initiatione ac jam conſummatorum inauguratione, adhiberi olim ſoliti, quos proin Synodus Trullana à Chriſtianis retineri noluit, quamvis eſſe ſuas Doctoribus peculiares notas, ſed ab his Gentiliſmi ſordibus purgatas, non prohibuit. Vide de Sophiſtarum ſeu Doctorum titulo ac inauguratione Philoſtratum, *de Vita Sophiſt. l.* 2. Lucianum, *Eunucho*, Eunapium, *Proæreſio*, alios. Propriè verò Κυλίστραι, volutabra ſunt aprorum & ſuum, ſed & equorum. Gloſſæ, *Volutabrum*, κυλίστρα ζώων: ubi equi intelliguntur, quos ζῶα Græci abſolutè pleruumque, ut & ἄλογα, appellâſſe notum. Hos Veteres in arena prope amnem aut lacum volutare conſuefaciebant, eaque loca κυλίστρας & ἀλίνδηθρας vocabant, item ἀλινδήθρας, uti docet *Heſychius*. Cujuſmodi volutationes, in exercendis aut curandis equis hodiernis Equiſonibus ignotæ, memorantur Solino, *c.* 35. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 474. De Κυλιστικοῖς verò Pancratiaſtis, dicemus infrà ubi de *Volutatoria lucta*.

CYLLABARUS, Stheneli fil. cum quo Servius Ægialen Diomedis conjugem, vigente bellò Trojanò, concubuiſſe tradit, *Commentar. in Virgilium*.

CYLLARUS, unus ex Centauris, qui amantem habuit Hylonomen Centauram: Hi ambo formâ præſtantes eâdem horâ perierunt: Ovid. *l.* 12. *Met.*

CYLLARUS, equus Pollucis. Virg. *l.* 3. *Georg. v.* 89.

> *Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis*
> *Cyllarus.* — —

Ubi Servius Cyllarum non Pollucis, ſed Caſtoris equum fuiſſe tradit, Poëtamque fratrem pro fratre poſuiſſe. Papinius, *l.* 1. *Sylv.* 1. *de equo Domitiani*, *v.* 53.

> *Et parvet aſpiciens Ledæus ab æde propinquâ*
> *Cyllarus.*

Seneca *in Hyppolyto*; *Actu* 2. *v.* 810.

> *Frænis Caſtoreâ nobilior manu*
> *Spartanum poteris flectere Cyllarum.*

Val. Flac. *l.* 1. *Argon. v.* 425.

> *Vectorem pavida Caſtor dum quæreret Helles,*
> *Paſſus Amyclæâ pingueſcere Cyllaron herbâ.*

Propert. *l.* 3. *El.* 20. *v.* 26.

> *Potaque Pollucis lympha ſalubris equo.*

Claudian. *de* 4. *Conſ. Honor. v.* 555.

> *Serviretque tuis contemptò Caſtore frænis*
> *Cyllarus, & flavum Xanthus ſpreviſſet Achillem.*

Nic. Lloydius.

CYLLASTIS, apud Ariſtophanem in *Danaidibus*, apud Athenæum, *l.* 3.

> Καὶ τὸ κυλλάστιν φθίγγου, καὶ τὸν Πετόσιριν.
> Et cyllaſtim loquere, & *Petoſirum*;

Heſychio Κυλλάστις itidem, *Herodoto* Κυλλῆστις, *Polluci* Κυλλῆστις, panis fuit apud Ægyptios genus, εἰς ὀξὺ ἀπεσφηνωμένον Pollux, *l.* 6. *c.* 11. *in acumen tendens*, Interpretis: faſtigiatum vel *turbinatum* Caſaubono *in Athenæum*: potiùs *ſubacidum*, ὀξίζοντα enim vocat *Heſychius*, atque ex ὀλύρας, ſeu ἐκ τῆς ὀλυρείας ex olyra ſeu *Zea* ut Herodotus habet, *l.* 6. *c.* 11. confectum addit: Joh. Marſhamo omnino ὀξώδης. *acidus* panis intelligi videtur, cui hyſopus commiſtus, ob vim mundatricem, de quo ex Chæremone Porphyrius *de Abſtin. l.* 4. §. 6. ubi Sacerdotes Ægyptios panem *non niſi cum hyſſopo conciſum* comediſſe ait. Ac proin cum Petoſiride, Ægypti Rege ac Aſtrologo inſigni, panis hujus Ariſtophanes meminit, ut victûs patrii obſervantiſſimum fuiſſe eum doceat Joh. Marſhamus, *Canone Chron. Sec. IX.* & *XVI.*

CYLLENE, filia Menephronis, cum qua pater, ut & cum matre ſua Bliade inceſtu ſe polluit, in Arcadia; Unde *Cyllene* mons, ſecundùm quoſdam, nomen habet. Alii tamen montem, à *Cyllene* Elati Arcadis filia, dictum malunt, teſte Pauſaniâ, *l.* 8. de quo vide infrà. Ovid. *l.* 7. *Met. v.* 386.

> *Deſerta Cyllene eſt; in qua cum matre Menephron*
> *Concubiturus erat, ſævarum more ferarum.*

CYLLENE, Elidis regio in Peloponneſo, urbs & navale, *Steph.* Huc, poſt Eiran bellò Meſſeniacò II. à Spartanis captam, & Meſſenios ab illis ſubactos, Pylii & Mothonæi, aliique maris accolæ claſſibus ſe receperunt; & cum iis, qui in Arcadiam profugerant, de novis ſedibus communi claſſe quærendis conſilium miêrunt. Inde ab Anaxila Rheginorum Tyranno in Italiam acceſſiti juvêre illi Ducibus Gorgo (Ariſtomenis) filiô & Manticlô vires, ſimulque cum eo Zanclæos in Sicilia confecerunt, urbem horum agrumque poſt victoriam ſedes nacti, Pauſan. *l.* 4.

CYLLENE, Urbs Elidis, *Chiarenza* Nigro. Cum portu ſatis capaci & commodo, unde Sinus nomen, Plin. *l.* 4. *c.* 5. Celebris apud Melam, *l.* 2. *c.* 3. Mercurii natalibus, quem tamen alii Cyllenio monti Arcadiæ tribuunt. Prope Selleis fluv. eſt, 9. milliar. ab Araxo promontor. in Auſtrum, 120. ſtad. ab Elide Urbe, 100 ſtadiis à Chelonate promontor. in Boream. *Baudrand.* Pauſan. *Arcad. l.* 8. Cum Peloponneſus ſub Venetorum eſſet imperio, exiguum oppidum ibi loci fuit; jam verò præter turrim quandam & murorum rudera paſſim diſperſa nihil ſupereſt. Jac. Sponius, *Itiner. Part.* 2. *p.* 5.

CYLLENE, ab Elato, filio Arcadis, Arcadiæ Regis nomine filiæ, pulchritudine ingenioque præcellentiſſimæ, dictus eſt mons Arcadiæ, in quo Maja à Jove compreſſa Mercurium peperit. Virg. *l.* 8. *Æn.*, *v.* 138.

> *Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maja*
> *Cyllenes gelidò conceptum vertice fudit.*

Inde *Cyllenius* à Poëtis ponitur pro Mercurio. Ovid. *l.* 13. *Met. v.* 146.

> *Eſt quoque per matrem Cyllenius addita nobis*
> *Altera nobilitas.* --- ---

Lucan. *l.* 1. *v.* 662.

> ... *Motuque celer Cyllenius hæret.*

Mela tamen, *l.* 2. *c.* 3. non à monte, ſed à *Cyllene* portu, ſive navalibus Eleuſiam, Mercurium *Cyllenium* cognominatum docet, ubi & natum illum arbitratur. Micyll. *notis in* Ovid. *Metamorph. l.* 7. Potius ab Hebr. כלל quod omnibus modis *perfectus* eſſet, cunctaque complecteretur, hoc Mercurii epitheton. G. Hornius, *Hiſt. Phil. l.* 1. *c.* 7. Hunc velut Deorum apparitorem *διαζώσμενον* & altè ſuccinctum, delineat *Martianus Felix.*

CYLON, Olympionices Athenienſis, *διαυλον* vicit, Olymp. 35. Inſtinctu Megaridis uxoris ſuæ, ſoceri Theagenis inhiavit Tyrannidi: conſultò tamen prius oraculò reſponſum accepit, votî potitum eſſe, ſi urbem magnô Iovis feſtô adoriretur. Quod ille interpretatus de illo, quod Olympiæ celebrabatur, acceptis à Theagene copiis rem aggreſſus, dum arcem oppugnat, captus, ſed vinculis tertium elabetur. Tandem ad Minervæ aram ſupplex confugit, ubi à Megacle Alcmæonide, & collegis Archontibus interfectus eſt. Vide Schol. *Equit. Ariſtoph.* Complices ejus, ad Eumenidum aram, profugi, ſimiliter ibi neci dati ſunt. Quod pro ſacrilegio ſceleriſſimo habitum, ipſique facinoris auctores, cum poſteris exiliô mulctati ſunt æternô. Thucyd. *l.* 1. Plut. *in Solone*, Herodot. *l.* 5. *c.* 66. & 71. Suidas in Κυλ. &c. unde τὸ Κυλώνειον ἄγος, *Cylonium piaculum*, de quo accuratè Joh. Marshamus, *Canone Chron. Sec.* XVIII. Vide quoque infrà *Megacles*: uti de *Cyloniana factione*, quâ Pythagoræorum nomen in Italia ſeu majore Græcia extinctum eſt, Salmaſ. *ad Solin. p.* 845.

CYMATILIS Pannus, vide ſuprà *Caprini pili.*

CYMBA, magnete animata, in Muſæo Kircheriano, Romæ, vide infrà *Typhus Magneticus*, uti de *Cymba Charontis* infrà aliquid voce *Noſſus*: de *Cymba* verò primo *auctore*, voce *Truncus.*

CYMBALUM, inter Cybeles inventa, in cujus ſacris Archigallus primus cymbala præluſa pulſabat, ex ære ſunt. Juvenalis, *Sat.* 9. *v.* 62.

> *Cymbala pulſantis legatum fiet amici.*

In quæ verba vetus Scholiaſtes, *Archigalli*, inquit, *cymbala percutiunt.* Ita Claudian. *in Eutrop. l.* 1. *v.* 277.

> *Vel ſi ſacra placent, habeas pro Marte Cybelen;*
> *Rauca Celænæos ad tympana diſce furores:*
> *Cymbala ferre licet, pectuſque illidere pinu,*
> *Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris.*

Ubi *Cymbala ferre*, rectè dictum, ad officium Archigalli deſignandum, inquit *Dempſterus*: Inde & quoſcunque effœminatos, tympana vel *cymbala* geſtare dicebant Veteres. Plautus, *Truculent. Sc. lit. v.* 49.

> *Mœchum malacum, cincinnatum, umbraticulum, tympanotribam*
> *Amas?*

Et quia *Cymbala* uſitata in Cybeles ſacris, hinc & poculis uſi ſunt ſacerdotes ejus, cymbalum referentibus, parva autem erant, & cava, ſine fundo ac anſibus, proinde mollia ac parum viris convenientia: ut locus ſit datus Demoſtheni convicium faciendi Midiæ, quòd eis parum caſtrenſibus biberet, Dorotheô auctore apud Athenæum, *l.* 11. Dicebantur etiam *Clemmateres*, quòd Græci *καλύμματα* vocant formam operimenti teſtudinis. Plin. *l.* 33. *c.* 11. *Mox additum argentum in angulis, lineaſque per commiſſuras; tympana vera ſe primo appellata* Statcias, *& lances, quas antiqui* Magidas *appellaverant*, Plautus.

> --- --- --- *Ipſum etiam*
> *Pauxillum argenti, levibus tenſum tympanis,*
> *Limavi.*

In orgiis porrò Bacchi *Cymbalorum* tympanorumque uſum fuiſſe, ut & buxi, notat ex Poëtis, ſuprà laudatus Th. Dempſterus, *Paralipom. ad Joh. Roſini Antiqq. l.* 2. *c.* 4. quem ſi lubet, vide. Eleganter autem ea deſcribit Rhabanus Maurus ex Antiquis, *Comm. in librum Judith, Cymbala ſunt parviſſima phiala permixtis metallis compoſita, ventricula ſua in lateribus habentes, quæ artificioſè modulatione colliſa acutiſſimum ſonum delectabili conſonantiâ reſtituunt.* Illis *ἀλαλάζον* Apoſtolus, 1. Corinth. *c.* 13. *v.* 1. *tinnitum* Catullus, Virgilius, Ovidius, Alii; Sed *ſtridorem* dat Auſonius, unde colligas nequaquam lenem eorum fuiſſe ſonum, neque quem *Cymbala* noſtra hodie habent, quem *tinnitum* dixeris, ahenis pulſatis ab eo datum potius. *Ep.* 25. *v.* 16. 20.

> *Dindyma Gargarico reſpondent cantica luco,*
> *Cymbala dant ſtridentia ſonitum* --- ---

Et paulo pòſt, *v.* 22.

> *Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni,*
> *In numerum quoties radiis ferientibus icta*
> *Reſpondent dociles, moderatò verbere, pelves.*

Fuere verò ejus figuræ, quâ cotyledonis folia, Latini *umbilicum Veneris* vocant. Coxendicibus aſſimilat Plinius, *l.* 25. *c. ult.* acetabulis Iſidorus, *Origin. l.* 3. *c.* 21. Ambabuſque manibus (erant enim utrinque manubriata, in extima concavitate) apprehenſa & comploſa concuſſaque ſonum edebant. Inde *Cymbaliſtriæ*, quas ſæpius Romæ in ſcalpturis Bacchanalium ſacrorum occurrere, notat Laur. Pignorius, *Comment. de Servis*, ubi veterum *Cymbalorum* formam æri inciſam exhibet. Atque hæc de *Cymbalis*, in Sacris Ethnicorum, uſurpatis. Sed & in veri Dei cultu, qualis in V. T. vigebat, *Cymbala* adhibita, legimus Pſalm. *ult. Laudate eum Cymbalis ſonoris*: de quibus adi Cocceium, *Commentar. ad l.* In *Hiſtoria Vezeliac. l.* 4. *Cymbalum Refectorii*, campana eſt, quâ Monachi citantur ad ſeſe reficiendos. Ad Eccleſiam quoque *Cymbalô* Monachos accitos, colligitur ex *Vita Telhai Epiſcopi Landav. c.* 2. Sed & *Cymbalum* pulſatum ad mortuos indicat Gregorius M. *Dial. l.* 3. *c.* 9. In Choro quin etiam *Cymbalum* ſtatuit Beletus, *de Div. offic. c.* 86. apud Car. du Freſne, *Gloſſar.*

CYMBIUM, apud Papinium Statium, *l.* 6. *Theb. v.* 212. ubi de Ludis, in Archemori funere celebratis,

> *Spumanteſque mero pateræ verguntur, & atri*
> *Sanguinis & rapti gratiſſima Cymbia lactis.*

ut & Virgilium, *l.* 3. *Æn. v.* 66. ubi de Polydori funere inſtaurato,

> *Inferimus tepidô ſpumantia Cymbia lacte,*
> *Sanguinis & ſacri pateras* --- ---

Vaſa ſunt minuta, oblonga, inſtar cymbularum, veteri Scholiaſti; pocula naviculis ſimilia, ut & ipſa nominis figura indicat, Lutatio. Adde, quæ notavit P. Faber, *Agoniſtic. l.* 2. *c.* 8. & Antonius Popma, *lib. de Inſtrumento Fundi p.* 34. *Cymbia* ex argento cælata, occurrunt apud eundem Poëtam, *l.* 5. *Æn. v.* 267. ubi de Ludis ab Ænea celebratis, in honorem defuncti patris Anchiſæ,

> *Tertia dona facit: geminos ex ære lebetas*
> *Cymbiaque argento perfecta atque aſpera ſignis.*

Fictilia, ex argilla Saguntina, apud Martialem, *l.* 8. *Epigr.* 6. *v.* 1.

> *Archetypis vetuli nihil eſt odioſius Eucti,*
> *Ficta Saguntino Cymbia malo luto* &c.

Vide quoque Macrob. Saturnal. *l.* 5. *c.* 21.

CYMBRIA, cum Ducatu Sleſvicenſi, beneficii titulô, à Chriſtiano IV. Daniæ Rege Holſatiæ Ducibus collata eſt, A. C. 1587. Chytræus, *in Saxon. l.* 28. Vide quoque *Cimbria*, & *Cambria.*

CYME, urbs Æolidis. Vide *Cumæ*. Inde enim coloniâ deductâ ab Æolibus, Cumis Italicis origo fuit, uti habet *Marcianus Heracleota*,

> Μετὰ δὲ Λατίνους ἐστὶν ἐν Ὀπικοῖς πόλις
> Κύμη, πρότερον ἣν Χαλκιδεῖς ᾠκίσαμεν,
> Εἶτ' Αἰολεῖς, μάλιστα τ' ἀπεδέξαντο
> Ἡ κατ' Ἀσίαν Κύμη ᾗ ὁμώνυμος πόλις.

Secundùm quem primò Chalcidenſes Euboici, poſteà Cumani Æolenſes ex Aſia, condidere *Cumas*. *Strabo* verò, ſub idem tempus ab utrisque id factum, tradit, Ducibus Hippocle Cumæô & Megaſthene Chalcidenſe: quibus ita inter ſe convenerit, ut Chalcidenſes coloniæ haberentur auctores; Cumæi Coloniæ nomen imponerent. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 72. ut & in voce *Cumæ*, ubi de Æolidis urbe *l. Cume*. Sed & Κύμη, urbs Eubœæ fuit, de qua vide eundem Salmaſ. *d. l.*

CYMINUS, Etruriæ lacus. Vide *Ciminus.*

CYMODOCE, nympha marina, Nerei & Doridis filia. Heſiod. *in Theog.* Virg. *l.* 4. *Georg. v.* 338.

> *Drymoque, Xanthoque, Thaliaque, Cymodoceque.*

Idem Virgilius *Cymodoceam* vocat, *l.* 10. *Æn. v.* 225. ubi numerat eam inter nymphas marinas, in quas Æneæ naves commutatæ ſunt:

> *Quarum quæ fandi doctiſſima Cymodocea,*
> *Pone ſequens, dextrâ puppim tenet, ipſaque dorſo*
> *Eminet, ac lævâ tacitis ſubremigat undis.*
> *Tum ſic ignarum alloquitur* &c.

CYMOLUS, aliis CIMOLUS, Inſula in Cretico mari, una ex Sporadibus, à qua *terra Cimolia*, quæ purgandis veſtibus apta dicitur, nomen habet. *Strab.* Ovid. *l.* 7. *Met. v.* 463.

> *Hinc humilem Myconon, cretoſaque rura Cymoli.*

Ubi alii *Cimoli* legunt. Vide ſuprà in voce *Cimolus.*

CYMOTHOE, nympha marina, Nerei itidem & Doridis filia. Heſiod. *in Theog.* Virg. *l.* 1. *Æn. v.* 148.

> *Cymothoe ſimul & Triton adnixus acuto*
> *Detrudunt naves ſcopulo.*

In quæ verba Scholiaſtes: *Cymothoe*, inquit, *ſtrata celeri undarum uruatione nomen nacta eſt, quemadmodùm & reliquarum marinarum Dearum nomina, ſuam è re appellationem ſortiuntur.* Item fons Achajæ, authore Pliniô, *l.* 4. *c.* 5.

CYNÆGIRUS, Athenienſis, bellô Perſicô magnâ pertinaciâ in inſectandis hoſtibus uſus eſt. Nam & navem onuſtam dextrâ manu tenuit, quâ amputatâ, ſiniſtram injecit, quam & ipſam cùm amiſiſſet, navem mordicùs arripuit, morſuque retinuit furenti ſimilis. Herodot. *l.* 6. *p.* 314. Val. Max. *l.* 3. *c.* 2. *ex.* 22. Juſtin. *l.* 2. *c.* 9.

CYNÆTHA, urbs Thraciæ. *Steph.* Item Arcadiæ, cui nomen datum à *Cynætho*, Lycaonis filio, vide in voce *Cynæthium*. Sed & *Cynthum*, Inſul. Ortygiam dictam eſſe, habet Solinus, *p.* 11. *Eadem eſt Ortygia, quæ clariſſima in Cycladum numero multifariè traditur: nunc Aſteria, à cultura Apollinis: nunc à venatibus Lagia vel Cynethus.* Ubi libri habent, *Cynetho*: fortè, ἡ Κυναίθα, quod nomen factum eſt ab ardore canum venaticorum. Salmaſ. *ad loc.*

CYNÆTHIUM, urbs Arcadiæ, ab Æneæ ſocio ibi defuncto. *Di-*

ctо. *Dionyſ. Halicarn.* populi Cynæthenſes, quos tamen alii à Cynætho Lycaonis filio putant appellatos. *Strabo.* Plin. *l.* 4. *c.* 6 *Steph.*

CYNÆTHUS, Poëta illuſtris, patriâ Chius, qui Syracuſis omnium primus Homeri carmen concinuit, illi quoque de ſuo inſeruit plerique. Cœl. Rhodig. *l.* 7 *c.* 29. Nempe Ὁμηρίδαι ii fuit & ab Homero genus ſuum jactabat. Tales enim & ipſi carmina Homeri per ſucceſſionem tradita ἐξ ἀρχῆς primitùs; nomine poſteà ad alios tranſlatô, qui carmina ejus publicè recitabant, quamvis ad Homeri genus nihil attinerent, uti docet *Scholiaſtes Pindari.* Sed hos Ὁμηρίστας potiùs vocatos eſſe diſcas ex *Athenæo.* Recitavit autem ea primus inter Homeridas Cynæthus, uti dictum, idque circa Olympiadem 69. ut teſtatur idem Scholiaſtes *ad Nemeonicas.* Cum antiquiores Epici Poëtæ ſua ipſi Poëmata canerent oſtentendoque &c. Salmaſ. ubi ſuprà *p.* 867.

CYNAMOLGI, Æthiopiæ populi monſtroſi. *Strabo.* Plin. *l.* 6. *c.* 30. Solin. *c.* 53. Omnium ultimi erant verſùs Meridiem, ultra quos latè deſertam eſſe regionem, *a ſcorpionibus & ſolipugis gente ſublatâ*, refert Plin. *l.* 8. *c.* 29. Iidem *Canarii* fortè dicti, quos dividua ferarum viſcera cum canibus habere & partiatio cum his vivere, ait, *l.* 5. *c.* 1. *extr.* vide ſuprà *Canarii.*

CYNANE, filia Philippi, Soror Alexandri M. nupta Amyntæ, Perdiccæ filio, ea qua filiam Eurydicen genuit, magni animi & ſingularis fortitudinis fœmina, ab Alceta ſublata. Vide Polyæn. *l.* 8. *c.* 60.

CYNAPES, flumen ſaxoſum in Euxinum mare ſe exonerans. Ovid. *l.* 4. *Pont. El.* 10. *v.* 49.

Parthemaque rapax, & volvens ſaxa Cynapes.

CYNARA, Ægæi maris inſula. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Zenara* Nigro. Hinc *Cynareus*, Statius, *l.* 5. *Sylv.* 1. *v.* 214.

Coryciaque coma, Cynareaque germina. ---

CYNDALISMUS, Græcè Κυνδαλισμός, genus ludi, quô qui ludebant Κυνδαλοπαίκται vel Κυνδαλοπαίκται dicti. Paxillum hi humectæ terræ infigentes, eumque alterô paxillô verberantes, in capite ſeu ſummitate elidere nitebantur, Pollux, *l.* 9. *c.* 7. Angl. *Duſt---pann.* A voce κίνδαλος, paxillus. Vide ſuprà in voce *Cyndalopæcta.*

CYNDON, fluv. Helleſponti, vel Cherſoneſi. Malim *Peloponneſi. Heſych.* Κυνδων, ποταμος ὁ Ἑλλησπόντῳ, οἱ δὲ ἐν Πελοποννήσῳ.

CYNE, urbs Libyæ. *Steph.*

CYNEAS, Theſſalus, Pyrrhi Regis legatus, longè diſertiſſimus eſt habitus: ut qui Demoſthenis auditor fuerit, adeo ut plures Pyrrho civitates facundâ oratione ſubegerit, quàm ille armis expugnaverit. Eidem expeditionem in Italiam magnoperè diſſuaſit. Præterea miſſus ad Romanos legatus de pace, quam tamen, ſuaſu Appii Claudii ſenis, non impetravit, unô die omnium Senatorum nomina edidicit, quorum conſeſſum totidem Regum ſibi videri Pyrrho retulit. Plut. *in Pyrrho.* Plin. *l.* 7. *c.* 24. Hujus memoriam commendat Cicer. *Tuſc. Qu. l.* 1. *c.* 24. Vide porro Plin. *l.* 14. *c.* 2. Cum Pyrrho, de arte militari, tractatum edidit, Cicer. *Ep.* 25. *l.* 9. Cyneas Straboni, *l.* 7. hiſtoriæ fabuloſæ auctor non videtur hic fuiſſe. Voſſ. *de Hiſt. Græc. l.* 4 *c.* 11. *p.* 466.

CYNEGETÆ, Græcè Κυνηγέται, *Agatarchidi*, *Straboni* & *Diodoro* populi Troglodyticæ Æthiopiæ, qui feras omne genus venabantur, & earum carne victitabant, unde nomen illis. *Theratas* illos Plinius vocat, h. e. Θηρατάς, quod idem, *l.* 4. *c.* 12. *Gentes Troglodytarum idem Jubâ tradit Theratas, à venatu dictos, miræ velocitatis.* Ad quem locum vide Salmaſ. ubi ſuprà. Eſt autem propriè Græcis κυνηγέσιον, caro animalis, vel animal, quod homo vel alia fera venando cepit, quomodo *Venatio* Latinis ſumitur, unde *Venaiſon* Gallorum. At κυνηγεσία, *venatio*, i. e. ipſe venandi actus. Unde lux loco Ariſtotelis *de Hiſtor. Animal. l.* 8. *c.* 5. ubi de lupis, quos *guaratores* Galli dicunt: Ἀνθρωποφαγοῦσι δὲ οἱ μονοπεῖραι τῶν λύκων μᾶλλον, ἢ ἐν κυνηγεσίᾳ, *Lupi illi, qui ſunt* μονοπεῖραι, (h. e. qui cæterorum luporum conſortium fugientes ſoli incedunt) *humanis carnibus libentiùs quàm ferinis veſcuntur.* Quem hactenus Interpretes malè habuerunt. Salmaſ. *ibid. p.* 946. De *Cynegeticorum* Auctoribus, aliisque huc pertinentibus, vide infrà ubi de *Venatione.*

CYNEGIUS, Conſul cum Theodoſio Auguſto an. Urb. Cond. 1141.

CYNESII, vel CYNETÆ, populi omnium ferè Europæ ultimi, verſùs Oceanum. *Herodot.* Quorum Stephanus meminit, in Γάδειρα. Vide Voſſ. *ad Melam.*

CYNETHIUM, vide *Cynæthium.*

CYNETHON, Lacedæmonius Poëta *Telegoniam* ſcripſit. Circa ann. 5. Olymp. 5 Vide Euſeb. *Chron.*

CYNETHUS, Poëta Græcus Chiô oriundus, primus Homeri verſus, Syracuſis, in ordinem digeſtos, publicè recitavit. Auctor Anonymus. *deſcr. Olympiadum*, Pindari, *Schol. Od.* 2. Meurſius, *de Archont l* 2 *c.* 1. Vide *Cynæthus.*

CYNETHUSSA, maris Ægæi inſula. Plin. *l.* 4. *c.* 12.

CYNETIA, urbs Argolica, *Steph.*

CYNETICUM, locus Iberiæ prope Oceanum, populi *Cynetes*, & *Cyneſii. Steph.*

CYNIA, lacus eſt Oeniadarum maximus. Strabo, *l.* 10. *in deſcript. Acarnaniæ.*

CYNICI, Philoſophi quidam ſectatores Antiſthenis, qui primus novum hoc Philoſophiæ genus introduxit: Ita dicti ſive à *Cynoſarge* gymnaſio, in quo Antiſthenes profitebatur; ſive à *canina mordacitate*, quâ in hominum vitas nullô diſcrimine invehebantur: aut (ut alii volunt) ab eo quòd canum more in propatulo coire non dubitarent, quemadmodùm de Cratete, & Hipparchiâ tradit *Laërtius.* Juvenalis, *Sat.* 13. *v.* 121.

--- *Et Stoica dogmata legit*
A Cynicis tunicâ diſtantia. ---

Diogenes, Monimus Syrac. Menippus &c. illuſtres hujus Sectæ viri. Unicam Moralem Philoſophiam excolebant, quæ tamen nævis ſuis non caruit: cùm omnia ſapientibus communia eſſe vellent, & pudorem exuiſſe, virtutis ſummam crederent. Ob frugalitatem tamen & opum contemtum, Patribus Eccleſiaſticis laudati. Julianus eos pyxidas eſſe dixit egregiè depictas, ſed quæ nihil pretioſi intus reconderent. Plura de Cynicis, apud Diogen. Laërt. *in vitis*, *l.* 6. Arrian. *in enchir. Epictet*, *l.* 3. *c.* 22. *Heſych. Suid.* Voſſ. *de Sectis Phil. c.* 18. Mothevayerium, *de virtutibus Gentilium*, *part* 2. *de Diog. & Secta Cynica.* Addo hîc, quod circa barbam imprimis, quam prolixam & horridam aluêre, ſuperſtitioſi erant. Hinc Zeno, illorum Magiſter, inter ἀπομνημ. ſua & illud habuit: *Barbam ſicut vitem, rariſſimè tondendam, eamque optimam, quæ maximè prolixa, quare a novacula immunem habendam, niſi fortè ſecus neceſſitas praeſcribat*, Laërtius, *l.* 7. Heinſius, *l.* 2. *de Sat. Hor.* Perſius, *Sat.* 1. *v.* 133.

--- --- *Multum gaudere paratus,*
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.

Supellex eorum pera, baculus, pallium: Auſonius *de Diogene Cynico*, *Epigr.* 53.

Pera, polenta, tribon, baculus, ſcyphus, arcta ſupellex
Iſta fuit Cynici, ſed putat hanc nimiam.
Namque cavis manibus cernens potare ſubulcum,
Cur Scyphe, te, dixit, geſto ſupervacuum.

Veſtis ut ex iiſdem verbis patet τρίβων ſeu Abolla, i. e. pallium detritum ac ſemilacerum, interim laxum ac ſemirotundum, quod rejici in humeros poterat & duplicatum totum corpus involvebat, ſic ut humerus dexter & plerumque nudus exereretur. Sine tunicis enim, aut ſaltem ſtrictis tunicis humerum non velantibus induti ibant: Unde Cyprianus, *Cynicorum vocat exertu ac ſeminudo pectore inverecundam palliantiam.* Factum id ab iis, tolerantiæ oſtentandæ; Chryſoſtomus autem *Orat.* περὶ χιτῶνος, *ut plerique illorum ſolo Tribone philoſopharentur, reliqua ſtolidi & flagitiis cooperti.* Primum verò hôc habitu Herculem, Cynicæ ſectæ auctorem, ut ait Auſonius, *Epigr.* 27. uſum fuiſſe, quem reliqua nudum, ſolà leoninâ amictum, Veteres introduxêre, ſicque eum ſe imitari gloriati ſunt. Inter homines primus ejus auctor Antiſthenes fuit, qui Diogenem, cùm tunicam peteret, juſſit πτύξαι θοιμάτιον, complicare ſeu duplicare pallium, i. e. dextrum cum humero brachium exerendo, ſicque partem quoque pectoris renudando, totam partem pallii dextram ſiniſtro humero injicere, ut retro ad pedes caderet atque ita totum corpus involveret & conſtringeret. Diogenem tamen id primum feciſſe contendit Laërtius, Τρίβωνα, inquiens, ἐδιπλασε πρῶτος διὰ τὸ ἀνάγκην ἔχειν, οἷς καὶ ἐνεκοιμᾶτο αὐτῷ, *Pallium duplicans primus ob neceſſitatem* (quia tunicâ carebat) *& ut in eo dormiret:* Cùm enim Cynici humi cubarent ſine culcita ac ſtragulis, eôdem palliô involuti ſomnum capiebant, quod gerebant interdiu. Unde Diogenes Διπλοείμων à veteri Poëta, & pallium ipſum Διπλοΐς appellatur. Latini *duplicem pannum* vocârunt. Horat. *l.* 1. *Ep.* 17. *v.* 25.

--- *quem duplici panno patientia velat.*

Cratetem quidem ab Athenienſibus reprehenſum legimus, quòd in ſindone præter morem incederet, ſed non aliud fuit ejus ſindon, quàm pallium linteum ac tenue, quod mediâ hyeme: quemadmodum idem grave ac villoſum, in tolerantiæ ſummæ indicium, æſtate geſtabat, cujus exemplum poſteà reliqui imitati ſunt. Proteus quoque apud Lucianum in ſindone inducitur pyram conſcenſurus, ſed nec illa quidquam aliud, quàm faſcia ſeu perizoma lineum fuit, quô ſe ille, in conſpectu frequentiæ renudaturus, velut campeſtri ſuccinxit, ut ſpectatorum oculis extremô illô actu parceret. Nec viri ſolùm, ſed & mulieres Cynicam profeſſæ ſectam, in tribonio & quidem ſolo fuêre. Menander apud Laërtium, *Cratete.*

Συμπεριπατήσεις γὰρ τρίβων' ἔχουσ' ἐμοί,
Ὥσπερ Κράτητι τῷ Κυνικῷ ποθ' ἡ γυνή.
Mecum ambulabis gerens tribonium,
Ut nuper uxor cum Cratete Cynico.

Imò non Herculem ſolùm, ut dictum, ſed Deos omnes, hôc habitu ſe referre jactabant, quorum ſimulachra, teſte Dione περὶ σχήματος, ſolô palliô velata in templis cernebantur, ut etiam in nummis Æſculapii apparet, quos exhibet Octav. Ferrarius, qui prolixè de his agit, *de Re Veſtiar.* paſſim, *imprimis Part.* 2. *l.* 4. *capp.* 19. & 20. Vide quoque infrà, in voce *Tribonium.* Ex Hæreticis, *Cynicorum* dogmata ſectatos eſſe Valentinianos, ſcribit Irenæus; *l.* 2. *c.* 58. cùm de illis ait: *Epicuri Philoſophiam & Cynicorum indifferentiam æmulantes.* Et *l* 2. *c.* 19. *Minutiloquium & ſublimitatem circa quæſtiones, cùm ſit Ariſtotelicum, inferre fidei conantur*, priſcorum Philoſophorum ſecta cum Chriſtiana religione illos miſcere, oſtendens. Magnam habuiſſe tandem Cynicos cum Stoicis affinitatem, tradit Laërtius, *l.* 6. & 7. & Juvenalis, *Sat.* 13. *v.* 121.

Et qui nec Cynicos nec Stoica dogmata legit,
A Cynicis tunicâ diſtantia.

De Cynicis ſui temporis lepidè Martialis, *l.* 4. *Epigr.* 52. ad Coſmum:

Hunc quem ſæpe vides inter penetralia noſtra
Pallados, & Templi limina, Phœbe, novi.

Cum

Cum baculo peraque ſenem: cui cana, putriſque
Stat coma & in pectus ſordida barba cadit.
Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati,
Cui dat latratos obvia turba cibos;
Eſſe putas Cynicum, deceptus imagine falsâ.
Nec eſt hic Cynicus, Coſme quid ergo, canis.

Unde, præter alia, diſcas, ejuſmodi hominum, utpote *ἀοίκων* & *ἀστέων* habitationes plerumque in Templis fuiſſe. Quemadmodum de Diogene *Hieronymus*, *in portarum veſtibulis & porticibus civitatum*, habitâſſe ait. Ut de ſucceſſione Philoſophorum hujus ſectæ aliquid addam; illos ſtrictim hic ſubnectere viſum eſt.

Series Philoſophorum Cynicæ Sectæ.

Antiſthenes, *Cynicorum* pater, patriâ Atheniensis, ſed matre Phrygiâ: docuit in Gymnaſio, quod Κυνόσαργες dicebatur. Unde quidam ſectæ nomen inditum volunt. Eum audivit Diogenes Sinopenſis. Hunc Monimus Syracuſanus, Oneſicritus & Crates Thebanus. Hunc audiêre uxor ejus Hipparchia, Metrocles frater hujus, & Menippus Phœnicius: ut de Zenone Cittico, & Menedemo Colot Lampſaceni diſcipulo nil addam. Sed & Demetrius *Cynicus* Domitiani Cæſaris tempore vixit Cornelii &c. Vide Voſſ. *de Philoſ. Sectis*. c. 18.

CYNIPHES, fluv. Scythiæ Europææ in Euxinum mare labitur.

CYNIPS, ſive CYNIPHIS, vel CYNIPHOS, vide *Cinyps*.

CYNNA, vel CYNA, nobile ſcortum Athenis, de quo Ariſtoph. *Equit*. *Act*. 2. *ſc*. 3. Item, *Crabr*.

CYNNA, oppid. prope Heracleam, ab una Amazonum, vel à Cynno fratre Cari. *Steph*.

CYNO, Græcè κυνὼ, apud Hieronym. *in Jovinianum*, pro Cynopoli, quod vide.

CYNOCAUMATA, apud Petr. Chryſologum, *initio Sermonis* 51. ſunt, calores à Sirio excitati, de quibus vide in Gemini *Iſagoge*, & Caſp. Barthium *ad Statium*, *l*. 1. *Sylv*. 2. *v*. 156. Adde, quæ ſuprà dicta ſunt in voce *Caniculæ*.

CYNOCEPHALÆ, montes Theſſaliæ. *Steph*. Urbs Locridis, *Mela*. Thebanorum caſtellum *Xenophonti*.

CYNOCEPHALI, populi Indiæ in montibus degentes, quos capita canina habere fabulatur Plin. *l*. 7. *c*. 2. Vide Gell. *l*. 9. *c*. 4. De illis Solin. *c*. 52. *Megaſthenes per diverſos Indiæ montes eſſe ſcribit, nationes caninis capitibus, armatas unguibus, amictas veſtitu tergorum, ad ſermonem humanum nulla voce, ſed latratibus tantum ſonantes, aſperis rictibus*: an rictibus? H'mictus, *Apoſiomo* dicuntur. Fabulæ occaſio, quòd populi illi aucupio & venatu ſolô veſci conſueverint, ut infrà, dicemus in *Cynopenæ*; inde aſperi in ritus, nec diſpar habitus; ut qui pellibus ferarum indui in more haberent. *Cteſias* verò non ipſis pellibus ferarum villoſis amiciri eos tradit, ſed alutâ vel pelle tenuiſſimâ confectâ, cui pili dempti: *ἐσθῆτι δὲ φοροῦσι* ... Ubi *μαλθακὰ* ſunt *aluta*, vel pelles confectæ, quibus tergus opponitur, utpote corium *ἀδέψητον*. Salmaſ. *ad Solin*. *p*. 1005 & 1006. Sed & Normanni à Gallis olim contumelioſô *Cynocephalorum* nomine inſigniti leguntur, ut infrà videbimus voce *Normanni*.

CYNOCEPHALUS, Deus apud Ægyptios, aliô nomine *Anubis* dictus. *Pier*. Item apud hodiernos Zonæ torridæ incolas. Vide P. de Valle eſt *tom*. 4. Ægyptiis olim in veneratione fuiſſe teſtis Tertullianus quoque, *Apologet*. *c*. 6. & Auguſtinus, *de Civ. Dei*, *l*. 2. *c*. 13. Sed inter Veteres non convenit, utrum habitus ſit *Cynocephalus* ipſe Anubis, vel ejus ſymbolum; an potius Mercurius, aut ſymbolum hujus. Pro Anubide facit, quod caninô fingeretur capite: unde *Latrator* Maroni, *l*. 8. *Æn*. *v*. 698. dictus, cujus figuræ cauſam attulit Voſſius, *de Idolol*. *l*. 1. *c*. 27. Pro Mercurio, literarum inventore, eſt, quod *canis* ei ſacratus, ob ſagacitatem Ideoque & Botanici anethum vocant tum *Cynocephalum*, tum *Mercurii germanum*. Præterea valde huc facit, quod *Strabo* ait, *Cynocephalum* eſſe cultum ab Hermupolitis; quorum civitas, ut vocabulum indicat, τῷ Ἑρμῇ ſive Mercurio, fuit ſacra. Eſt autem *Cynocephalus* ſimiæ caudatæ genus; ſed, ut Ariſtoteles, *Hiſtor*. *Animal*. *l*. 2. *c*. 8. ait, cercopithecô majus atque efferatius, capite etiam propiùs ad canem accedens; unde & nomen κυνοκέφαλος, quaſi *Caniceps*: Hodie Italis *Babuino*, Gallis *Babion*, Belgis *Baviaen* dicitur. Vide Gerh. Joh. Voſſ *de Idolol*. *l*. 3. *c*. 74. Cæterum *Cynocephalus* ſedens fuit apud Ægyptios hieroglyphicum duorum æquinoctiorum. Per æquinoctia enim duodecies in die urinam reddere & in nocte compertus, æquali intervallô ſervatô, Triſmegiſto anſam dedit diem dividendi in 12. partes æquales. Adde, quòd & duodecies die totô æquinoctiali clamorem tollere paribus intervallis dicatur. Unde in Horologiis quoque Aquariis ſculpi *cynocephalum* conſuevit, cujus ex veretillo proflueret aqua: quæ ne prolixius effunderetur, quàm par eſſet ad juſtam horæ menſuram, avulsô ex animalis cauda pilô, ad ejus inſtar tenue ferrum parabant, quô aquæ fluxus temperaretur, uti ex Oro docet Salmaſ. *ad Solin*. *p*. 644. *& ſeqq*.

CYNONNESUS, i. e. *canum inſula*, Lybiæ inſul. *Steph*.

CYNODONTES, portentoſorum hominum ſpecies, apud Iſidorum, *Origin*. *l*. 9. *c*. *de Portentis*, *Alii magnitudine partium, veluti capite informi, aut ſuperſluis membrorum partibus, ut bicipites & trimani, vel Cynodontes, quibus gemini procedunt dentes*. Quem errorem is hauſit è Solino, qui *c*. 4. *Quidam*, inquit, *vice dentium, continuo oſſe armantur ſolìditate* ---- *Ipſum dentium numerum diſcernunt qualitas ſexus, cum in viris plures ſint, in fœminis pauciores, quas Cynodontas vocant, & quibus gemini procedunt à dextera parte, fortuna blandimenta promittunt, quibus ab læva, versâ vice*. Ad quem locum vide Salmaſ. *p*. 32. & 33.

CYNOLYCUS, Græcè Κυνόλυκος, in *Æthiopia* Creſcit, Crocotta eſt, quæ quod ex hyæna, lupo, & leæna, cani ſimilis, naſcatur, inde id nominis adepta eſt. Vide Diodor. Sic. *l*. 3. Plin. *l*. 8. *c*. 21. & ſuprà in voce *Crocotta*.

CYNOMYIA, vide infra *Muſca Canina*.

CYNOPENÆ, Græcè Κυνοπῆναι, apud Tertullian. *in Apologet*. *Planè tertium genus ... Cynopenæ a ſquis vel Sciapodes vel aliqui de ſubterraneo Antipodes*, & *in lib. ad Nation*. *c*. 8. ſunt qui aliàs *Cynocephali*, populi Indiæ, quaſi *qui cibo edunt, qualia canes*. Aucupiô enim & venatione ſolâ illos vitam ſuſtentare ſuprà diximus, in voce *Cynocephali*.

CYNOPOLIS, i. e. *canum civitas*, in Ægypto, ubi Anubis colitur. *Steph*. Græcè Κυνῶν πόλις. Ejus incolæ *Cynopolitæ*, inter quos & Oxyrynchitas cruentum bellum ortum eſſe, quod alteri alterorum Numina edeſſent, refert Plut. *de Iſid*. & *Oſir*. Οἱ δὲ Ὀξυρυγχῖται καθ' ἡμᾶς τῶν Κυνοπολιτῶν τὸν ὀξύρυγχον ἰχθὺν ἐσθιόντων, κύνας συλλαβόντες καὶ θύσαντες, ὡς ἱερεῖον, κατέφαγον. Ἐκ δὲ τούτου καταστάντες εἰς πόλεμον, ἀλλήλους τε διέθηκαν κακῶς, καὶ ὕστερον ὑπὸ Ῥωμαίων κολαζόμενοι διετέθησαν. *Oxyrynchitæ vero noſtri, Cynopolitarum Oxyrynchum piſcem edentium canes intercepias mactarunt, & ederunt. Unde in bellum conversi, tum ipſi ſe invicem miſerum modum affligerunt, tum graviùs poſtmodum a Romanis afflicti ſunt*. Vicini nempe hi populi erant, & flumine ſulcato alveô diſtempti, teſte *Strabone*. *Ptolemæus* vero in eodem latere Nili, quòd ad Occidentem eſt, utramque locat gentem, quod & *Itinerarii* facit auctor. Unde horum potiùs bellum, nomine tamen *Ombitarum* & *Tentyritarum*, quæ nomina mollius meliuſque verſum irent, deſcripſiſſe Juvenalem, *Sat*. 15. ſuſpicatur Salmaſius. Inde *Cynopolitica Præfectura* ſeu *Cynopolites Nomus*, cujus urbs hæc Metropolis fuit, ea adverſo Cοnt Inſul. Vide præfatum Auctorem, *ad Solin*. *p*. 452.

CYNORTAS, in regno Spartano ſucceſſit fratri Argalo ſeu Agigæo: eum excepit fil. Oibalus, Gorgophones Argivæ Perſeo genitæ maritus. Vide vetuſtiſſimorum Spartæ Regum Genealogiam apud Joh. Marſhamum, *Canone Chron*. *Sec*. IX.

CYNOS, civitas in Locride. *Livius*. *Steph*. Opuntis navale eſſe ſcribit. Item Theſſaliæ civitas, Deucalionis ſedes, ubi Pyrrha uxor ejus ſepulta fuit. Strab. *l*. 9.

CYNOSCEPHALE, collis Theſſaliæ, & parva regio Thebarum; Pindari patria. *Steph*. Vel ubi moritur, Steph. Byzant. *de orbibus*. Item Theſſaliæ urbs, ubi Proconſul Quintus Philippum acie vicit, Liv. *l*. 33. *c*. 7. & 10. *Polyb*. *Juſtin*. &c. Cynoſcephalos homines in Æthiopia locat, Plin. *l*. 6. *c*. 30. & *l*. 7. *c*. 2. ſed fabulam ſapit.

CYNOSARGE, gymnaſium in Attica, ubi Antiſthenes profiteri ſolitus eſt, unde prorſus quidam *Cynicorum* nomen deducunt, & vicus ſic dictus à *cane albo*, qui ſacrificante Diomô (à quo & tribus Diomea dicitur) & Herculi paratam victimam oſtendente, rapta femora in hunc locum detulit. Steph. *de Diomo*. Vide Eraſm. in Proverb. *Ad Cynoſarges*. Collem ſic Sponius vocat, haud procul Areopago, in quo Gymnaſium prædictum & Templum Herculis, ubi contra Alcibiadem Plebiſcitum marmori inſculptum exſtabat. Ibidem ſpurii exponebantur. Vide Joannem Meurſium, *Gloſſar*. & Gerh. Joh. Voſſium, *de Sectis Philoſophorum*, *c*. 18. §. 2.

CYNOSBATOS, quaſi *frutex caninus*, arbor ſpinoſa, *Dioſcoride* memorata inter eas, è quibus ſepes vivæ olim fiebant: utpote quæ ..., non minùs ac rubus & rhamnus & oxyacantha, congeneres ſpinæ. Illi in parabola Juthami Abimelechus comparatur Judic. *c*. 9. *v*. 15. qui cùm Gideonis nothus eſſet, occiſis filiis ejus ſeptuaginta, tyrannidem invaſerat, ſed infelici ſucceſſu, juxta ultima parabolæ verba: *Sin minùs, exeat ignis è cynosbato & abſumat cedros ipſius Libani*. Simile quid legimus, in parabola Joaſi Regis Iſraelis 2 Regum *c*. 14. *v*. 9. ubi is Amaziam Regem Jehudæ *ſpinæ* aſſimilat, quam beſtia agreſtis in Libano conculcavit. Vide Salmaſ *ad Solin*. *p*. 270. & infrà in voce *Oxyacantha*.

CYNOSCEPHALÆ, vide *Cynos Cephalæ*.

CYNOSSEMA, promontor. Cherſoneſi Thraciæ, Hecubæ ſepulchrô nobilitatum. Latinè *Canis tumulus*. Fabulantur enim Poëtæ, Hecubam cum in Græciam abduceretur captiva poſt exitium patriæ, ac ſuorum, ibi doloris impatientiâ in canem eſſe converſam, ac deinde ſepultam. Ovid. *l*. 13. *Met*. *v*. 569.

---- Locus extat, & ex re
Nomen habet.

CYNOSURA, i. e. *canis cauda*. Sidus ſeptentrionale, ex 7. conſtans ſtellis, quod & *urſam minorem* vocant. Hanc Poëtæ fabulantur Nympham fuiſſe Idæam, unam ex Jovis nutricibus, poſteà ab illo rerum potito in hoc ſidus tranſlatam, ut ex Aglaoſthenis ſententia refert Hyginus, *l*. 2. *Aſtron*. *Poët*. *c*. 2. Ovid. *l*. 3. *Faſt*. *v*. 107

Eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura petatur
Sidoniis, Helicen Graja carina notat.

Val. Flac. *l*. 1. *v*. 17.

--- Neque enim in Tyrias Cynoſura carinas
Certior, aut Graja Helice ſervanda magiſtro.

Vide etiam *Helice*.

CYNOSURA, promontor. Arcadiæ, *Steph*. Item alterum Achajæ. *Ptol*. & Marathonis versùs Eubœam. *Heſych*. & Arcadiæ oppid. *Laſtant*.

CYNOSUREI, tribus una Megarenſium. Alex. ab Alex. *l*. 1. *c*. 17.

CYNTHIA, formoſiſſima quædam fœmina, cujus formam commendat Propertius, *l*. 2. eamque propterea *Cynthiam* quaſi *Dianam* vocat, quum priùs *Hoſtilia* vocaretur.

CYNTHIA, Agloſthenis apud Solin. *c*. 11. mons Deli Inſul. idem cum Cyntho, quem Capitolio non alium eſſe docet Jac. Sponius *ad idem*, *Innovat*. *Part*. 1. *p*. 176. Vide *Cynthus*.

CYNTHIUS, Joh. Baptiſta, alias *Giraldus*. Medicus inſignis, docuit Ferrariæ, Mondovii, Patavii Rhetoricam. Scripſit plurima, de quibus vide *Elogia* A. Teiſſier, *Part.* 1. Obiit A. C. 1573. ætat. 69.

CYNTHUS Deli inſul. mons, tantæ altitudinis, ut totam Inſulam dicatur inumbrare. Ejus meminit Ovid. *l.* 2. *Met. v.* 221.

> *Parnaſuſque biceps, & Eryx, & Cynthus, & Othrys.*

Et, *l.* 6. *v.* 204.

> *Indignata Dea eſt: ſummoque in vertice Cynthi*
> *Talibus eſt dictis geminâ cum prole locuta.*

Virgil. *l.* 1. *Æn. v.* 502.

> *Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi*
> *Exercet Diana choros.* -----

In hoc monte Latona Apollinem & Dianam peperiſſe dicitur, unde ille *Cynthius*, hæc *Cynthia* paſſim à Poëtis appellantur. Virg. *l.* 3. *Georg. v.* 36.

> ----- *Trojæ Cynthius author.*

Item, *Ecl.* 6. *v.* 3.

> ----- *Cynthius aurem*
> *Vellit* -----

Lucan. *l.* 1. *v.* 218.

> *Tertia jam gravida pluvialis Cynthia cornu.*

Val. Flacc. *l.* 2. *Argon. v.* 56.

> *Pigraque nec gravido ſurrexit Cynthia cornu.*

Stat. *l.* 10. *Theb. v.* 365.

> ----- *Arcanæ moderatrix Cynthia noctis.*

Nic. Lloydius.

CYNURA, urbs in Argo, vel Argolica. *Steph.* Aliter *Cynuros*; unde regioni *Cynuriæ* nomen, in qua urbes olim Thyrea & Anthene. Thucyd. *l.* 4. [illegible] Earum prior Thyrea, videl. locus in confinio Argolidis & Laconicæ, utriuſque populi certaminæ olim ſuit celebris. Vide Salmaſ. *ubi ſupra*, *p.* 219.

CYNURÆI, Arcadiæ populi. Pauſan. *l.* 8.

CYNUS, Locrorum Epicnemidiorum oppid. ſive, ut quibuſdam placet, Navale. Plin. *l.* 4. *c.* 7. *Baudrando* fuit Locrorum Opuntiorum Urbs, cum promontor. cognomine juxta Euripum, inter Cnemides & Atalantam Inſul. Illic Deucalion habitavit. Item Arabiæ Felicis flov. ad ſinum Perſicum in latere ſeptentrionali.

CYON, urbs Cariæ, *Canebium* antè dictum, cives *Cuites.* *Steph.*

CYONESUS, Nili inſul. non procul à majori Delta è regione oppid. quod *Cynopolis* dicitur. *Ptol.*

CYPÆRA, Theſſaliæ urbs. *Ptol.*

CYPÆTHA, urbs Libyæ. *Steph.*

CYPARISSÆA, urbs Triphyliæ, quæ vocabatur *Erana*. Inde Minerva *Cypariſſæa Stephano*, qui *Cypariſſum* quoque Phocidis urbem vocat.

CYPARISSI, ſeu **CYPARISSIA** Straboni, *Cypariſſos* Homero, Peloponneſi urbs in ora Meſſeniæ littorea ad oſtia Cypariſſeidis amnis, probè munita. *Arcadia* teſte *Sophiano*, 35 milliar. à Meſſene, in Occaſ. inter oſtia Electræ & Nedæ fluv. *Baudrand.* Hodie *Pialatra*, vel *S. Elia*, *Moretto*. Aliis eſt *Bicorna*. Hinc *Cypariſſius ſinus* Melæ, *l.* 2. *c.* 3. *Golfo di Arcadia.*

CYPARISSIUM, promontor. non longè ab urbe Cypariſſia, *Capo Conello* Sophiano, *Capo S. Elia* Nigro. *Cypariſſi* meminit Statius, *l.* 7. *Theb. v.* 344.

> ----- *Veteremque revolvat*
> *Phocida? quis Panopen? quisve Aulida? quis Cypariſſon?*

CYPARISSUS, Telephi fil. puer formoſiſſimus ex Cea inſul. ab Apolline in deliciis habitus, qui cum cervum manſuetum, ſibique imprimis charum imprudens occidiſſet, doloris impatientiâ contabuit, Deique amatoris commiſeratione in cupreſſum arborem commutatus eſt. De hoc Ovid. *l.* 10. *Met. Fab.* 3. *v.* 120. inter alia ſic canit:

> *Sed tamen ante alios, Cea pulcherrime gentis*
> *Gratus erat, Cypariſſe, tibi: tu pabula cervum*
> *Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undam:*
> *Tu modo texebas varios per cornua flores:*
> *Nunc, eques in tergo reſidens, huc latus & illuc*
> *Mollia purpureis frænabas ora capiſtris, &c.*

Et paulò pòſt, *v.* 130.

> *Hunc puer imprudens, jaculo Cypariſſus acuto*
> *Fixit: & ut ſævo morientem vulnere vidit*
> *Velle mori ſtatuit.* -----

Servius tamen author eſt, puerum hunc à Sylvano potiùs adamatum fuiſſe. Unde Virg. *l.* 1. *Georg. v.* 20.

> *Et teneram ab radice ferens Sylvane cupreſſum.*

Pierius verò, *l.* 2. *Hieroglyph.* Aſclepiade authore, nomen arbori Cupreſſo inditum dicit, à Cypariſſa, filia Boreæ, Celtarum Regis: Imò Didymus Cypariſſos Eteoclis filias fuiſſe refert, quæ choreas ducentes in puteum devolutæ, à Tellure, vicem caſuum miſerata, in arbores verſæ ſunt. Vide Farnab. *Notis in Ovid. l.* 10. *Metam. Nic Lloydius.*

CYPARISSUS, civitas circa Delphos, ab ejus arboris frequentia, Mela *l.* 2. *c.* 3. *Steph.* Phocidis civitatem eſſe ſcribit, quæ poſteà *Apollonia* dicta eſt. Nonnullis *Cypariſſus*, *mutis*. Ejus meminit & Statius, *l.* 7. *Theb. v.* 344.

> *Quis tibi Phœbeas acies, veteremque revolvat*
> *Phocida? quis Panopen, quis Daulida, quis Cypariſſon &c.*

Stephano, [illegible] *Urbs in Parnaſſo, prope Delphos* --- *à Cypariſſo Minyæ filio, aut à multitudine cupreſſorum.* Vide Caſp. Barthium, *Animadverſ. ad loc.* Poſteà *Anticyra* dicta eſt, habuitque portum *Anticyra* nomine: hodie ad vici parvitatem redacta, quem pluribus deſcribit Jac. Sponius, *Itin. Græc. Part.* 2. *p.* 73. & 74.

CYPASIS, urbs circa Helleſpontum. *Steph.*

CYPASSIS, nomen Ornatricis, apud *Martialem*. Item tunica Omphales, quam habuit, cùm Herculem lectô ſuô accepit, dedicatam poſteà in templo Dianæ, cum *Epigrammate* Græco nondum edito, quod exhibet Salmaſ. *ad Tertullian. de Pallio*, *c.* 4. hôc modô;

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

CYPE, Siciliæ caſtellum. *Steph.*

CYPERUM ſeu **CYPIRUM**, vetuſtioribus Græcis [illegible], recentioribus [illegible], junci ſpecies odorata eſt, cujus radix *Curcuma* vel *Curcuba*, quam vocem vide. Inter genera, quibus *Cyphi* ſuffimentum Ægyptium, conficiebatur, memoratur quoque Plutarcho, *de Iſide & Oſir.* [illegible] Vide de illo Plin. *l.* 21. *c.* 18. & Salmaſ. *ad Solin. p.* 999. *& ſeqq.*

CYPHANTA, portus Peloponneſi, in ora Argolici ſinus, nunc *Stilo*, *Sophian.* in Laconia, cis Eurotam fluv. *Ptol.* Vide Jo. Meurſium, *Miſcell. Lacon. p.* 265. Item oppid. in illo tractu, ſed in mediterran. nunc *Eriches*, ut creditur, 28. milliar. à Sparta in Ortum. *Baudrand.*

CYPHARA, caſtellum Theſſaliæ. Liv. *l.* 32. *c.* 13.

CYPHON, voluntariè nomen pauperis, apud Ariſtoph. *Pluto*, *Act.* 2. *ſc.* 5. Alii præcipitium interpretantur. *Nic. Lloydius*, vide infra.

CYPHON, cataſtæ genus, quâ rei vinciebantur aut torquebantur. Ita Ariſtoteles, *Politic. l.* 5. *c.* 6. Heracleæ Eurytionem & Thebis Archiam, in adulterii pœnam, [illegible], *in foro cyphoni fuiſſe alligatos*, ſcribit. Suidas quoque Legis cujuſdam fragmentum his verbis refert, [illegible] *Si quis vero per protervitatem ea, quæ Legis ſunt, nihili fecerit, per viginti dies prope Archivum Cyphoni nudus alligetur, melle & lacte perfuſus, ut apibus & muſcis ſit pabulum.* Unde in Ariſtophanis *Plut. Act* 2. *Sc.* 4. exclamat Blepſidemus, ut Ubinam, i.e. *Paupertatem* ad ſe accedentem abigat.

> [illegible]
> *ô tympana & cyphones non ſuccurretis?*

Et eandem *Sc. ſeq.* Chremylus amandat [illegible]. Sic in Luciani [illegible], inter Inferorum ſupplicia ſunt [illegible], *tormenta & cyphones & rotæ.* Definitur porrò *Cyphon* ab Ariſtophanis Scholiaſte, [illegible] (*Suidas* ſcribit [illegible]) Dicituque eidem à verbo [illegible], quòd, qui in his vinculis erant, *incurvari* cogerentur, ſicque duplici pœnâ multarentur; dum & collum premebatur; neque illi ſe erigere ullò modò poterant. Alii lignum damnatorum cervicibus impoſita, ne poſſent rurſum aſpicere, definiunt. *Heſych.* [illegible] *lignum tortorium & pœnale, quô mortis addictos extendebant &c.* Porrò *Kyphon* non lignum ſolùm tortorium, ſed & reum hâc pœnâ dignum ſignificabat. Scholiaſtes ubi ſuprà, [illegible], *Unde vir ſceleſtus vocatur Cyphon.* Quô ipsô ſenſu videntur Seniores uſurpâſſe, Proverbior. *c.* 7. *v.* 22. de illo, qui adulteræ lenociniis inleſcari ſe & irretiri ſinit: [illegible] Ubi vulgò [illegible] i. e. *canis* legitur. Sed textus de cane nihil habet: [illegible] enim non *canis* ſed *cippi* aut *compedis* genus eſt, & ſignificare hîc videtur [illegible]: h. e. *virum cippo aut cataſtâ dignum.* Ut Diogenes de Dioxippo Olympionica dixit, cum [illegible], *a puella obtorto collo trahi*, apud Ælian. *Var. l.* 12. *c.* 58. Quod aptè quadrat in eum, qui *Cyphoni* alligabatur &c. Vide Bochart. *Hieroz. Parte prior. l.* 2. *c.* 56.

CYPHUS, urbs Perrhæbiæ. Alia Theſſaliæ. Item fluvii nomen apud *Steph.*

CYPRIA ſeu **CYPRIACA**, Græcè [illegible], nomen Carminis, cujus auctor incertus: utpote quibuſdam ad Staſinum, aliis ad Hegeſiam Salaminium, nonnullis ad Homerum, illud referentibus, uti narrat *Photius* de Proclo. Homeri certè [illegible] eſſe, negat Herodotus, *l.* 2. ea imprimis de cauſâ, quòd in Iliade tradiderit, Paridem raptâ Helenâ diu erraviſſe, nec rectum tenuiſſe curſum; quum *Cypriorum* conditor dixerit, tridüo Spartâ Ilium eundem perveniſſe, ventis uſum ſerenibus & tranquillô mari. Nempe non Cypriacas res aut origines illa [illegible] tractabant, ſed raptum Helenæ & bellum Trojanum, ut ex *eod. libro* patet. Unde & [illegible] nomine eidem Auctori tribuunt: à quo tamen diverſa [illegible], pars Cycli Epici, quæ Leſchi Leſbii ab omnibus tribuitur. Cur igitur [illegible] ſeu [illegible], illius Poëmatis inſcriptio, quærunt Eruditi? Sed [illegible], non [illegible],

plerique appellant. Imò non Κυπρια, ſed Κυπρια, titulum Poëmatis fuiſſe, docet *Photius*: ut intelligi poſſit Venus, *Cypria* ſcil. quod nomine Poëma citatur à *Charyſio Soſipatro*, ex *Lævio* vetuſtiſſimo Poëtâ Latino, qui illud verterat. *Proclo* verò Κυπρια abſolutè titulus Poëmatis fuit, an Κυπρια, quomodo Venerem olim dictam eſſe, notum. Ex Veneris nomen, videtur inſcripſiſſe operi auctor, quod ex Paridis judicio, quo Venus Junoni Minervæque prælata eſt, raptus Helenæ ſit conſequutus, quam Venus Paridi promiſerat, ſi victoriam ipſi adjudicaret, eaque cauſa belli fuerit Trojani. Certè Dearum certamen eo tempore deſcriptum fuiſſe, conſtat ex fragmentis, quæ hodie ſuperſunt: de raptu Helenæ ex Herodoto jam diximus. Fortaſſe & à gemino ovo ac Ledæ partu fuerat exorſus: Nam & Dioſcurorum hiſtoriam carmine illo deſcriptam eſſe, ſcimus ex Grammaticis. Præterea, certamen Dearum & Paridis judicium librô demum 11. illius operis narrabatur. Unde Horatius, *de Arte Poët.* v. 146.

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.

Quod de Κυπρίων vel Κυπρίας auctore accipiendum. Leſches enim μικρᾶς Ἰλιάδος autor non tam alte repetiit exordium ſui carminis. Κυπρια ergo, i. e. *Venus*, fuerit operis titulus: ex quo nomine, retractô in primam ſyllabam accentu, alii ſâ Κυπρια fecerunt. Κυπριακὰ verò, librariorum culpâ irrepſit. Quam in rem vide plura apud Salmaſ. *ad Solin.* p. 852. & ſeqq.

CYPRIA Accubitalia, apud Pollion. *in Claudio*, c. 14. Mantelia apud Vopiſc. in *Aureliano*, c. 12. Vela, foribus obtendi ſolita, in *Epiſt.* Epiphanii, memorantur. Namque non ſolum mantelium, mappariumque & accubitalium, ſed etiam periſtromatum varii generis & aulæorum artificiô Cyprus olim nobilitata eſt, *Pollux.* Vide Salmaſ. *ad loc. cit.*

CYPRIACI Tauri C. qui gibberes, in ſylva Gordiani, apud Capitolin. *in Gordianis tribus*, c. 3.

CYPRIÆ, tres inſulæ ſteriles juxta Cyprum. Plin. *l.* 5. c. 31.

CYPRIANA, annuum feſtum S. Cypriani, à Carthaginienſibus, ad ejus ædem ſacram, ante Urbem, ad maris litus ſitam, ſolenni cultu celebratum olim: item tempeſtas inſignis ac periculoſa, circa id feſtum in mari fere ſemper oriri ſolita. Vide Procopium, *Vandalic.* l. 1. c. 20 & 21. Incidit autem natalis B. Cypriani ad diem 18. Cal. Octobr. ante quam tempeſtatem typhonicam, à qua ſibi metuere habent nautæ, rarò in Africa contingere, antiquis nautis obſervatum eſt. Unde imminentibus *Cyprianis*, nautæ ſe diſcrimini nunquam objiciebant: adeo certi erant fore omnino, ut eâ die tempeſtas ingrueret. Gordiani tamen Junioris exercitus ſimili tempeſtate, ſub initium Julii, prope Carthaginem, diſſipatus eſt. Salmaſ. *ad Capitolin. in Gordian.* c. 16.

CYPRIANUS, Carthaginienſis, poſt Donatum, vel ſecundùm alios, Agrippinum, A. C. 250. Illuſtri locô natus, ante ſui converſionem Rhetoricam docuit, à Cæcilio amico ad fidem perductus. Sub Decio, gregis admirabili zelô defenſor, etiam poſtquam ſe in tutum recepiſſet, inde ſalutarnes ipſi proſpexit. Contra Libellaticos ſcripſit, deficientes deligerarus eſt, Confeſſores confirmavit. A Feliciſſimo, ſchiſmate formatô, male habitus, Carthagine Synodum celebravit. Novato Novatianoque acriter reſtitit, Aquatis non minus fortiter ſe oppoſuit. Interim conſuetudinem rebaptizandi hæreticos ueſit, quemadmodum hi Orthodoxis ſeductis facere ſoliti erant: à Stephano Epiſcopo Romano *PſeudoChriſtus*, *Pſeudo-Apoſtolus* & *doloſus operarius*, proptereà dictus: increpito ab Epiſcopis Orient. quod humilitatem & lenitatem Apoſtolicam non ſervâſſet. Videtur tamen Auguſtino ſententiam mutâſſe. Sub Valeriano tandem & Galieno, martyrii coronam accepit. Et primò quidem paluodiam canere, & deliberare, quid faceret, juſſus, *in re tam ſanctâ*, reſpondit, *non opus eſt deliberatione*. Exilium dein minitantibus, *exul*, regeſſit, *non erit, qui Deum in mente habebit*. Tandem capite plexus eſt, cùm prius carnifici 20. aureos numerari juſſiſſet, pacemque Eccleſiæ prædixiſſet. A. C. 258. Auguſt. Maximus, P. Chryſologus, Gregorius Naz. *in ejus elogiis*. Hieron. Sixtus Sen. &c. Pontius Diaconus ejus vitam deſcripſit. Prudent. *Hymno* 13. Ennodius, Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſ. Ruffinus *in apol. pro Origene*. Baron. ab *A. C.* 250. uſque ad *A. C.* 261. Ejus opera ſolicitè collecta ſunt. Vide Ald. Manutii, Pamelii, Rigaltii &c. judicia, de ſcriptis ejus. *Inter Latinos ad Apoſtolici pectoris vigorem propius accedit, ubique cenſeas loqui paſtorem, ac Martyrio deſtinatum*, Eraſmus, *l.* 1. *Ep.* 186. Quanto in honore fuerit apud ſuos Carthaginenſes, docet Procopius, *Gothicarum* l. 2. Κυπριανὸν ἄγιον ἄνδρα μάλιστα πάντων οἱ Καρχηδόνιοι σέβουσι. Καὶ αὐτῷ νεὼν τινα λόγου πολλοῦ ἄξιον πρὸ τῆς πόλεως ἱδρυσάμενοι ... ... Libellatici autem, quorum ſuprà mentio facta, dicti fuerunt iis temporibus, qui, poſtquam metu ſupplicii fidem abnegârant, pœnitentiâ poſteà ducti, ad Confeſſores Martyreſque ſe conferebant, ut eorum interceſſione, rigor cenſuræ mitigaretur. Ab his itaque impetratô libellô, cujus tenor erat, *Talis cum ſuis communicet*, in Eccleſiæ ſinum recipi ſolebant, vide Cyprianum hunc ipſum, *Ep.* 55. 18. &c. Tertullian. Alios. Cæterùm Epiſcopus, cognomen *Cæcilii* habuit, à Cæcilio, qui ſuum ad fidem convertit. Opera ejus in fol. prodiêre per Eraſmum, Baſileæ A. C. 1521. 1558. Romæ, A. C. 1563. Pariſiis per Marcelliun A. C. 1504. Antverpiæ cum notis Pamelii A. C. 1568. 1589. per Sim. Goulartium Genevæ A. C. 1593. &c. *Erat ingenio facili, copioſo, ſuavi, & quæ ſermonis maxima eſt virtus, aperto, ut diſcernere nequeas utrum eminentior fuerit in eloquendo, an felicior in explicando, an potentior in perſuadendo quisquam fuerit*, inquit Seneca.

CYPRIANUS, Epiſcopus Burdegalenſis interfuit concilio Agathenſi, A. C. 506. Synodo Aurelianenſi A. C. 511. Item, Epiſcopus Tolonenſis, ex illuſtri familia Maſſilienſi, de Monaſterio, ſcripſit vitam S. Cæſarii, præceptoris ſui. Interfuit concilio Arelatenſi IV. A. C. 541. Vide Barralium, *Lerin.* S. p. 119.

CYPRIANUS, Ciſtercienſis Monachus in Academia Hiſpanica Complutenſi: Ejus exſtant *in Cap.* 18. *Jobi Commentaria*, uti & *in Canticum Cant.* quos prohibitos eſſe ubi corrigantur refert *Jo. ...* Idem nomen fuit Martyrium cum Juſtino Nicomedia paſſo. Fuit quoque Cyprianus *Vurzburgenſis*, in Africa Antiſtes, & Cyprianus *Pallavenſis*, apud Martyrum

CYPRIANUS Benetus, *de prima ſede, Concilio, poteſtate Eccleſiaſtica, Papali*, totidem tractatus ſcripſit. Bellarmin. *de Scriptorib. Eccl. A.* C. 1490.

CYPRIANUS Leovitius, Bohemus, Mathematicus Ottonis Henrici, Electoris Palatini ſcripſit *Ephemerides, de Eclipſibus* &c. Obiit, A. C. 1574. Voſſ. *de Scient. Mathem.* c. 45. §. 11.

CYPRIARCHES, Κυπριάρχης, epithetum Nicanoris, 2. Maccab. c. 12. v. 2. Vide Dominic. Macrum *Hierolex.*

CYPRINUS Clavatus, vide infrà *Piſcis*.

CYPRIUS Lapis, quô adamantes aliæque gemmæ perforabantur olim ac ſculpebantur, *adamas* dictus eſt Plinio, *l.* 37. c. 4. ubi de Siderite adamante: *Nam & ictibus franguntur & alio adamante perforantur, qui e Cypro venit.* Ex Solino, c. 52. ubi de adamantibus, *Plerique etiam alio adamante perforantur.* A durities tempe, ut ferrum ipſum ἀδάμας ab eadem ratione appellatum. Fuit is autem ex cotium genere, aut coti ſimilis, quô gemmæ, ferri ſcalpturis reſiſtentes, ſcalpi ſolebant & perforari, ut vel ſignaculis faciendis inſervirent, vel ad monilia inſererentur & collo ſuſpenderentur. In ejus locum poſteà Armeniæ cotes ſucceſſerunt. Plin. *l.* 36. c. 7. *Signis e marmore poliendis, gemmiſque etiam ſcalpendis atque limandis, Naxium diu placuit ante alia. Ita vocantur cotes in inſula Cypro genitæ, vicêre poſtea ex Armenia vectæ.*

CYPRUM, vide ſuprà Cuprum.

CYPRUS, filia Antonii & Cleopatræ, eloceta Agrippæ; ex quibus prognata Druſilla, Antonii Felicis, Claudii liberti, Judææ Procuratoris, Uxor.

CYPRUS, inſul. ex maximis maris Mediterranei, noviſſima in ſinu Iſſico inter mare Cilicium & Syriacum, ab Ortu in Occaſum extenſa, vix 60. milliar. ab ora Syriæ, & circuitu 550. mill. paſſ. cireiter, fertiliſſimis tam carnaz, & metallorum adeo ferax; ut *Macaria* olim, h. e. *Beata* dicta ſit. Unde Virg. *l.* 1. *Æn.* v. 625.

--- Genitor tum Belus opimam
Vaſtabat Cyprum. -- ---

Et propius ad etymon Horat. *l.* 1. *Carm.* Od. 26. v. 9.

O' quæ beatam Diva tenes Cyprum.

Amm. Marcellin. *l.* 4. *Cyprum inſulam procul à continenti diſcretam & portuoſam, inter municipia crebra urbes duæ faciunt claras, Salamis & Paphos, altera Jovis delubris, altera Veneris templo inſignes. Tanta autem, tamque multiplici fertilitate abundat rerum omnium, ut nullius externi indigens adminiculi, indigenis viribus a fundamento ipſo carinæ ad ſupremos uſque carbaſos ædificet oneratam navem, omnibuſque armamentis inſtructam mari committat.* Mirum de hac Inſul. referunt Hiſtoriæ, nullum ibi tam accuratè unquam ſepeliri potuiſſe, quin altero die indignabunda quaſi terra ſponte rejiceret cadaver; durâſſeque id, donec Ericus II. Daniæ Rex, cùm Hieroſolymam peteret, morbô ibi prius, mox morte interceptus voluit ibidem ſepeliri. Zonoterus, *Notis in Florum*, l. 3. c. 9. Chriſtianam fidem hic primus D. Paulus docuit, cum Barnaba, cujus hîc tandem occiſi corpus A. C. 385. ſub Zenone, repertum. Concilium ibi A. C. 399 contra Origeniſtas, Socr. *l.* 6. c. 9. Sozom. *l.* 8. c. 14. A. C. 643. contra Monotheletas. *Baron.* Multis nominibus olim appellabatur, teſte Pliniô, *l.* 5. c. 31. *Acamantis, Ceraſtis, Amathuſia, Aſpelia, Cryptos*, & *Colinia*; qui illam inſuper in 9. Regna diviſam refert, vide infrà. Item *Sphecia*, ut *Euſtath.* docet ex *Lycophrone*. Feſtus *Ærosam* dici ſcribit, quod in ea pluſimum æris naſcatur. Ital. *Cipro*. Turc. *Cupran* hodie. In ea Venus colebatur, unde *Cypria*, *Cypris*, & *Cyprigena* dicta. Horat. ad *Venerem*, *l.* 1. *Carm.* Od. 3. v. 1.

Sic te Diva potens Cypri.

Factum autem id proptereà monet Camers, quòd mos eſſet Cypriis, virgines ante nuptias proſtituere, ut dotalem pecuniam quærerent, Juſtin. *l.* 18. c. 5. quem ab ipſa Venere inſtitutum aſſerit Lactantius, *l.* 1. c. 17. A Cypra Cinyræ filia nominari volunt, *Steph.* Κύπρος νῆσος μεγάλη ... ... θυγατρὸς Κύπρου. Ita etiam Conſtantinus ex Philo Stephano ..., & liber ... Meiris quidem Euſtath. in *Dionyſ.* cui Cyprus eſt filius Cinyræ. Nam muliebre nomen eſt Κύπρος, quod in uſu fuit apud Phœnices, uti docet Scalig. ad *Euſeb.* p. 149. Lucan. *l.* 8. v. 716.

Quæſtor ab Icario Cinyræa litore Cypri.

Tamen, quia Cypros Cinyræ filia, neque in fabulis, neque in hiſtoria celebratur; quod ſequitur apud Stephanum & Euſtathium, attidet magis, dici Cyprum inſulam ἀπὸ τοῦ ... ἄνθους ..., à *Cypro flore*, qui ibi naſcitur. Cyprus eſt Arabum ... *Alhenna*, non liguſtrum, ut multi volunt. Ebræis dicitur ... Copher. Cant. c. 1. v. 14. & c. 4. v. 13. Neque verò eſt abſimile, inde vocari Cyprum inſulam, cùm rara alioqui planta, & eximia, ibi plurima proveniat. Plin. *l.* 12. c. 24. ubi de Cypri generibus: *Optimum habetur è Canopica in ripa Nili nato: ſecundum Aſcalone Judææ: tertium Cypro inſulâ odore ſuavitate.* Inde fragrans Homero in *Hymno*, n. 4 v. 66.

Κύπρον ... εὐώδεα ...

Hic.

Nic. Lloydius. Diviſa fuit olim in quatuor partes: *Salaminiam* ad Ortum, *Paphiam* ad Occaſum, *Lapethiam* in Boream, & *Amathuſiam*, ad Auſtrum. Hodie in duodecim partes dividitur, quarum nomina ſunt, *Nicoſia*, *Famaguſta*, olim *Tamaſſus*, *Paphus*, *Audimo*, *Limiſſum*, *Maſoreo*, *Salina*, *Meſſarea*, ſeu *Sivori*, *Criſocon*, *Pendaia*, *Cerines*, & *Carpaſſo*. Pagi in univerſum ſunt, 830. Primò ſub propriis Regibus, quorum ultimus Ptolemæus, ſentiens Catonem contra ſe venire, mortem ſponte ſumſit. Sic cum immenſis opibus in Romanorum poteſtatem Inſula venit, quibus hæc unica belli cauſa erat, quamvis excuſent alii & in Ptolemæum Clodiumque injuriam, ut Strabo, *l.* 14. Velleius, *l.* 2. c. 45. Dio, *l.* 38. Neminem enim latet Romanorum eò tempore avaritia, quam expreſſit Galgacus, apud Tacitum, *Agric.* c. 30. *Romani*, *ſi locuples hoſtis eſt*, *avari*: *ſi pauper*, *ambitioſi*. Et improbant factum hoc ſummopere Cicero, *pro Domo*, c. 8. Marcellinus, *l.* 14. c. 17. Ruffus, c. 13. Sic ergo, mandatô Publiô Clodiô Tribunô Duce, lecta utrique Regis confiſcatione, Caniſium familiarem ſuum in Cyprum præmiſit Cato, qui Ptolemæo, ut ſponte legi Clodiæ cederet, perſuaderet: daturum ipſi Populum Romanum Veneris Paphiæ ſacerdotium, quod ut opulentiſſimum, ita præcipuæ dignitatis apud Cyprios, habebatur. Sed Rex, hauſtô venenô, ab ea contumelia ſeſe liberavit. Confectam pecuniam ſeptem millium talentorum ſcribit Plutarchus quam prædam dignam judicârunt Romani, propter quam unius Inſulæ Rex regnô expelleretur. Vide Florum, *l.* 3. c. 9. Poſteà Cyprus à Julio Cæſare Cleopatræ Ægypti Reginæ conceſſa eſt, ſed poſt mortem ejus ad Romanos rediit. Poſt diviſum Imperium Romanum Græcis paruit, quibus illa erepta eſt, à Muhavia Saracenorum ductore, cum Arado & Rhodo, A. C. 656 Guil. Tyrius, *l.* 19. c. 20. Aaron poſteà Saracenus, hic templis deſtructis, Chriſtianos expulit, A. C. 807. ſeqq. temporibus ſub imperium Græcorum rediit. Verum poſt hæc Richardus Angliæ Rex cum contra Saracenos duceret, A. C. 1191. tempeſtate ad Inſulam dejectus, ab Inſulanis non admitteretur, vi eam occupavit, Iſaacô devictô, & eandem Gallo Guidoni de Luſignano in regnum dedit. Huic Reges ſucceſſerunt continuâ ſerie, (è quibus Hugo ab Hoſpitalariis depoſitus eſt, A. C. 1306) donec in Gentilium clientelam pervenit. Dein Venetæ, ex dono Catharinæ Corneliæ, uxoris Jacobi uſurpatoris, Carlottâ excluſâ, paruit ab A. C. 1472. ad A. C. 1560. quò Turca Selimus bellô Venetos aggreſſus, Cyprum ipſis eripuit ſequenti annô. A quibus in 11. partes divitum. Caput regni *Nicoſia*, in medio Inſul. ferè rotunda; ſecunda *Famaguſta*, urbs permunita, in ora Orientali cum portu capaci; tertia Cerauntia, *Cerines*; Quarta Paphos, *Baffo*, in Ora Occidentali, Reliquæ ſunt parvi momenti. *Baudrand*. Olim 9 Reges Inſulæ præfuerunt, qui tamen omnes in Regis Perſarum clientela erant, Diodor. Sic. *l.* 16. In Cyprum exilium miſſi à Conſtantino Copronymo Monachi Iconolatræ. Prope Cyprum Hugo ultimus Hieroſol. Rex Sultani victoris arma fugiens naufragiô periit, A. C. 1291.

Urbes Cypri Epiſcopales olim.

Amathus.	Leuca.
Arzus.	* Leucoſia Metropolis Latina
Carpaſium.	Paphos vetus & nova.
* Ceraonia.	Salamis Græca Metropolis.
Curium.	Soli, nunc pagus ut cæteræ aſteriſmô carentes, &c. Vide Ferrar.
Fama Auguſta, olim Hamacoſtos, & Ammochoſtus.	

CYPRUS, caſtellum natura tutum, ab Herode conditum & egregiè communitum. Joſeph. *l.* 1. *Bell. Jud.* c. 16. & *l.* 2. *Belli*, c. 20. eſt in tribu Benjamin.

CYPRUS, pro Cyrrho, Syriæ Urbe, apud Capitolin. in *Marco*, c. 22.

CYPSELA, vel CYPSELLA, à Cypſelo, Ixionis fil. Thraciæ urbs. In regione, quæ Sapacra olim, dein Europe dicta, 14. milliar. ſupra Apros, in Boream verſus montes, prope Melam fluv. Item caſtellum in Arcadia à Mantinenſibus muris cinctum. *Steph. Cherſala* Sophiano, *Ipſala* Leunclavio, *Chapſilar Bellonio*.

CYPSELUS, Rex Arcadiæ, potentiam Heraclidarum veritus, generum ſibi Creſphontem aſcivit, filium Ariſtomachi. Pauſan. *l.* 4. & 8. Quâ affinitate etiam tutus manſit, reliquis omnibus è Peloponneſo Heraclidarum vi pulſis. Ei ſucceſſit Laias, Pauſan. *Arcad.* Item, filius Periandri ex Meliſſa, infanus. Diog. Laërt. *in ejus vita*. Vide infrà.

CYPSELUS, tyrannus apud Corinthum, à *ciſtula* nomen accepit, quam Græci *Cypſelen* vocant, in qua delituit, occultatus à matre Labda, cùm ad mortem quæreretur. Cicer. *l.* 5. *Tuſc.* c. 37 & *l. de Fato*, c. 7. Filius erat Eetionis, Pater Periandri, qui oppreſſis Bacchiadis, Tyrannidem invaſit. Eundem fortè Euſebius Byzantium condidiſſe ait, Olymp. 30. annô 4. ab Urb. Cond. 96. Tyrannidem tenuit, 30. ann. Herodot. *l.* 5. Ariſtot. *l.* 5. *Polit.* c. 12. Vide Euſeb. Pauſan. *l.* 2. & 5. Ejus colloquium cum 7. ſapientibus, habet apud Diog. Laërt. *l.* 1. *in Thalete*, *ſub fin.* Nic. Lloydius. Quod ſtratagemate Bacchiadas, qui primò *Regum*, exin *Prytanum* nomine, Reipubl. præfuerant Corinthô expulerit, Polyænus refert, *l.* 5. c. 30. Et Ælianus, *Var. Hiſtor.* *l.* 1. c. 19. Ejus filii nepoteſque, *Cypſelidæ* dicti ei ſucceſſerunt per annos 41. juxta Oraculum cujus Herodotus meminit, *l.* 5. c. 92.

> Εὐτυχὴς οὗτος ἀνὴρ ὃς ἐμὸν δόμον ἐσκαταβαίνει,
> Κύψελος Ἠετίδης, βασιλεὺς κλειτοῖο Κορίνθου,
> Αὐτὸς καὶ παῖδες· παίδων γε μὲν οὐκέτι παῖδες.

Cauſa durationis, quòd Cypſelus blandus erat populi doctor, & imperium geſſit ἀδορυφόρητος nullis corporis cuſtodibus adhibitis. Periander Fil. ejus, licèt crudelis, tamen bellicoſus erat, vide de illo ac ſucceſſione ejus infrà. Initia autem Cypſeli tyrannidis in annum 2. Olymp. 31. annum Atticum 918. Period. Jul. 4059. juxta computationem Joh. Marshami Equitis *Canone Chron. ad Secl. XVII.* ubi de *Cypſelo Rege*. Vide quoque *Labda*, ubi de aſtutia illius quâ Corinthios omnibus facultatibus ſuis emunxit. Ariſtot. *Oeconom.* *l.* 2.

CYPSELUS, prioris ex fil. Periandro nepos, ſed ἄφρων. Vide *Periander*.

CYPSELUS, vide *Mammeduſta*.

CYPTASIA, Galatiæ urbs. *Ptol* vulgò *Caroſa*. *Baudrando* oppid. eſt Paphlagoniæ, in ora littorali Ponti Euxini, prope oſtia Zaliſci fluv. 20. milliar. à Sinope in Eurum.

CYRA, ſinus Perſici inſula. *Steph* & mons Afric. Cyrene urbi imminens, *Trog.* Nunc *Monte di Carvan*, *Caſtaldo*, aliiſque.

CYRANIS, Africæ Inſul. à *Stephano* Κύραυις dicitur. ... ubi alii Gygantas pro Gyzantas legunt. Κυραυνὶς mavult Bochartus, *l.* 1. *Chanaan*, c. 26. ab Ebræo ... *Ceranim*, i. e. *à vitibus*, quæ ibi copiosè proveniunt, ac proinde ... *oleis refertam et vitibus* eam deſcribit Herodotus, *Aliud quærit*.

CYRBASIA, Pileus altus, in formam coni faſtigiatus. *Dionyſ.* πίλους ὀρθοὺς εἰς σχῆμα συνηγμένους κωνοειδῆ, οὓς Ἕλληνες κυρβασίας καλοῦσι, *Pileos altos in formam coni coeuntes*, *Græcis*, *Cyrbaſias dictos*. Ad quos reſpiciens *Varro* ait, *Tutulati dicti*, *qui in ſacris capitibus habere ſolent*, *ut metam*. Cujuſmodi pileos Sacerdotum fuiſſe, dictum alibi. Vide ſuprà in voce *Apex*, utque infrà, in *Tutulus*. Alanorum item, Iſidor. *Eminent apicibus faſtigatis Alani*. Nempe κυρβασία propriè tiara Perſica: *Heſych.* Τιάρα ἡ λεγομένη κυρβασία. Et quidem eam vulgus ferebat, inflexam & incurvam, ſeu ἐπικεκλιμένην: rectâ verò & fixa, πεπηγυῖαν, ſoli Regi conveniebat. Unde *Herodotus* de Scythis Sacis, Σάκαι δὲ οἱ Σκύθαι περὶ μὲν τῇσι κεφαλῇσι κυρβασίας ἐς ὀξὺ ἀπηγμένας ὀρθὰς εἶχον πεπηγυίας. Et *Heſych.* idem, Ταύτῃ δὲ οἱ Πέρσαι βασιλεῖς μόνοι ἐχρῶντο ὀρθῇ. Ariſtophanes quoque in *Avibus*, ubi gallum gallinaceum, quaſi Regem, ait geſtare inſignia Regia Perſica, criſtam ſuam, quam vocat ibi κυρβασίαν ὀρθήν. E quo loco obiter diſcimus, Regiam tiaram fuiſſe paulo remotiorem à fronte, &, quâ media frons eſt, exacutam magis & in mucronem faſtigiatam. Vide Car. Paſchal. *Coronar.* *l.* 10. c. 2. & Salmaſ. *ad Solin.* p. 556.

CYRBIANA, Elymæorum provincia eſt. Strab. *l.* 16.

CYRE, Ceres apud Cnidios. Cœl. Rhodig. *l.* 17. c. 17.

CYRE, fons in Cyrenaica, à quo urbi nomen. *Steph.* Κυρή Callimacho, *Hymn. in Apoll.*

> Οἱ δ' οὔπω πηγῇσι Κύρης ἐδύναντο πελάσσαι
> Δωριέες, πυκινὴν δὲ νάπαις Ἄζιλιν ἔναιον,
> *Ad fontem Cyren nondum penetrare dabatur*,
> *Umbroſam ſed adhuc Azirin Dores habebant*.

Ubi Schol. Κύρη ἡ Κρήνη. Nicodemus verò Friſchlinus Κυρῆς legit & per ſynæreſin pro Κυρήνης dici autumat. Vide *Iraſa*.

CYRECHARA, vide *Cyropolis*.

CYRENAICA, regio Lybiæ exterioris, ubi Baſiliſcus ſerpens generatur. Solin. c. 30. inter regionem Tripolitanam, ad Occaſum, & Marmaricam ad Ortum, nunc in parte Barbariæ, quæ *regnum Barca* dicitur. In ea eſt Pentapolis provinc. nunc *Meſrata*: Ubi Cyrene, totius tractus primaria vulgò *Cairoan*. Cæterùm Græcis à Κυρήνῃ. *Theophraſtus*, ... ubi *Cyrenaicum*, aliàs *Libycum thyum*, citrum eſt, è quo arbore Templorum veterum contignationes fuiſſe in Cyrenæorum urbe, idem refert. More Græcorum *Cyrenaicam* dixit Solinus, c. 28. *Circa Corycum Ciliciæ crocum plurimum optimumque*: *det licèt Sicilia*, *det Cyrenæa*, *det & Syria*, *hoc primum eſt*. Incipiebat autem illa à Syrti majore, atque Philænorum limitem ejus faciebant & Carthaginenſium ditionis, h. e. Africæ minoris. In ea porro nulli montes, agri interior pars frugibus bona, flores laudatiſſimi, ora arboribus fertilis, mox 30. mill. paſſ. latitudine, & 250. longitudine, laſeris modò ferax, (quod jucundi odoris & guſtu ſuave, magnas olim incolis opes afferebat) prædicatur Arriano, *in Indicis*. Vide Salmaſ. *ad Solin. paſſim*, inprimis, p. 518. & 1024. De laſere verò *Cyrenaico*, infrà ſuô locô: ut & de nummis Cyrenenſium, ſuprà in voce *Battus*.

Urbes Cyrenaicæ & Marmaricæ.

Apollonia *Bonandrea*, portus.	Marmaricæ, *Carzaron di Mahoma*.
Apeuchum *Longifaria*, portus.	Oaſis magna, *Gademez*.
Arſinoë, vide *Teuchira*.	Oaſis parva, *Azagar*.
Berenice *Bernicho*.	Paratonium Marmaricæ, *Albertan*, portus.
Cyrene *Carvan*.	Ptolemais, quæ & Barce, *Barca*.
Darnis *Dorna*.	Teuchire, quæ & Arſinoë *Trachara*.
Hammon ſeu Ammon, ubi Jovis Ammonis Oraculum	

CYRENAICI, Philoſophi ab Ariſtippo, omne bonum in voluptate poſuerunt, virtutemque cenſuerunt ob eam rem eſſe laudandam, quòd efficiens eſſet voluptatis. Vide omnino Laërt. in *Ariſtippo*. Cicer Heſych. Suid Voſſ. *de Sect. Philoſ.* c. 9. p. 58. 59. & *ſeqq.* Vide etiam *Hegeſias*, *Panæcium*, *Theodorus*. Voluptatem autem eam intelligebant, non quæ in doloris privatione atque animi tranquillitate conſiſtit; ſed quæ ſita eſt in continua voluptatum particularium, quas quidem etiam in animi voluptatibus ſitas eſſe confitebantur, ſed præcipuè tamen ponebant in

 corpore.

corpore. Poſteà diviſa ſecta eſt in *Hegeſiacam*, *Annicerium* & *Theodoriam*, ab Auctoribus ſic dictas. Qui omnes cùm in opinione de Summo Bono, modò relatâ, conſentirent; Phyſicam etiam aſpernarentur velut obſcuram & incertam: in aliis tamen abiêre in diverſum. Et quidem Theodorii opiniones de Diis omnes tollebant, ac ſapientem ajebant tempore & locô opportunô etiam adulterium & ſacrilegium commiſſurum, ſineque pudore publicè cum ſcorto congreſſurum. Unde Cicero de Nat. Deor. *l.* 1. *Aſotos ex Ariſtippi ſchola prodire*, dixit. Vide Voſſ. quoque *de Hiſt. Græc.* *l.* 1. ut & Georg. Hornium, *Hiſtor. Philoſ.* *l.* 1. c. 17.

Philoſophorum Sectæ hujus ſucceſſio.

Ariſtippus, Socratis diſcipulus novam hanc hæreſin condidit: vir πολιδιαιτήτος. Eum excepit

Arete filia, à Patre edocta.

Ariſtippus II Aretes fil. μητροδίδακτος dictus, quòd à matre Philoſophiam eſſet edoctus.

Theodorus cognomine Ἄθεος, Theodoriæ Sectæ conditor.

Sed & Ariſtippus Senior duos alios diſcipulos habuit, Ptolemæum Æthiopem & Antipatrum Cyrenæum: quorum hunc audivit Epitimides Cyrenæus: hunc Paræbates: iſtum

Hegeſias, cognomine Πεισιθάνατος, & Anniceris, a quo Plato eſt redemtus. Ab Hegeſio & Anniceri *Hegeſiaca* & *Annicerea* Secta nomen invenit, de qua poſteriore vide inprimis Strab. *l.* 18.

CYRENE, Penei fluv. filia, cujus amore flagrans Apollo in Pelio Theſſaliæ monte eam rapuit, & in eam Africæ partem tranſtulit, quæ ab ea poſteà *Cyrenaica* dicta eſt, ubi & Ariſtæum ex ea ſuſcepit. Stephanus in K. Κυρήνη πόλις Λιβύης ἀπὸ Κυρήνης τῆς Ὑψέως. Ubi *Cyrene* Hypſei filia, Theſſaliæ Regis, dicitur. Quam fabulam ſecutus eſt Trogus, in cujus Epitome, apud Juſtinum, *l.* 13. c. 7. pro *condita fuit ab Ariſtæo, cui nomen Battos*, lege, *ab Ariſtotele*: pro *Cyrnus*, lege *Grinus*: neque fuit ei patri ſed conſanguineus: pro *Theramenes*, lege *Theras*: pro *Cyras*, lege *Azyris*. pro *Spes*, lege *Hypſeo*, monente Joh Marshamô, *Canone Chron. Sec. XVII.*

CYRENE, nobilis meretrix δωδεκαμήχανος (duodecim genera machinarum) dicta quòd totidem figuras in coitu ederet. Vide Scholia *in Ariſtophanis Ranas*.

CYRENE, ſive CYRENÆ, plural. numeri inſigne Libyæ oppid. inter Syrtim majorem, & Mareoticum ſinum, unum ex iis quæ Pentapolim efficiunt, à Batto Theræo (quem Callimachus progenitorem ſuum fuiſſe tradit) conditum, à *Cyrene*, Penei amnis filia ſic dicta. Aut magis à fonte Solis, *Cyre* indigenis dicto. Hodie *Corene* Villanovano; cujus incolæ olim equitatu plurimum valebant. Max. Tyr. *Serm.* 7 Τὰ Κυρηναίοις (παιδευομένοις) ἁρμάτων, *inſtituta Cyrenaica ſunt aurigationes*. Dionyſ. Periegetes,

Κυρήνη τ' εὔιππος Ἀμυκλαίων γένος ἀνδρῶν.

Quod ſumptum videtur ex his Pindari in *Pythiis*, Od. 4. *ſtatim initio*:

Σάμερον μὲν χρή σε παρ' ἀνδρὶ φίλῳ
Στᾶμεν εὐίππου βασιλῆϊ Κυράνας.
Hodie quidem oportet te apud virum amicum
Siſtere equeſtris Regem Cyrenes.

Idem Proclus *Cyrenes* appellat εὐάρματον πόλιν. Hinc Ephorus, Κυρηναῖοι [illegible] ἐπὶ τὴν [illegible], *Cyrenæi ad curulem artem ſe applicant*. Strabo: [illegible] Κυρήνη [illegible], [illegible]. Condita à Græcis, qui ex Inſul. Theræa in Africam trajicientes, dein ſub Pennorum ductu, urbem Zoam, prope Solis fontem extruxerunt, Battô ibi Rege conſtitutô. Cui Arceſilas ſucceſſit, propriè Cyrenes conditor. Deſtructam poſtmodum Romani reparârunt, ſed à Catone poſt mortem Pompeji prima oppugnata: Poſteà ab Arabibus iterum vaſtata eſt. Patria Ariſtippi, filiæ ejus Aretæ, Callimachi, Eratoſthenis, Carneadis, &c. Strab. *l.* 17. *ſub finem*. Mela, *l.* 1. c. 8. Plin. *l.* 5. c. 5. Ptol. *l.* 4. Marmol. *l.* 8. c. 10. Cyrenenſis Eccleſiæ fundamenta jacta ſunt, à Cypriis quibusdam. A. C. 39. Hic laſerpitium herba provenit. Catullus, *Epigr.* 7. v. 3.

Quàm magnus numerus Libyſſæ arenæ
Laſerpiciferis jacet Cyrenis.

(ubi corripuit primam ſyllabam, quæ aliis producitur, nec tamen id ſine exemplo. Callimachus,

— — Τριλαιός γε μὲν ἄστυ Κυρήνης.

Hermeſianax: Ἄστυ Κυρηναῖον] Cur autem laſerpiciferas Cyrenas dixerit Catullus, intelligi poteſt ex iis, quæ ſcribit Suidas in voce Σίλφιον. Plin. *l.* 19. c. 3. *Ab his proximum dicetur auctoritate clariſſimum laſerpitium, quod Græci σίλφιον vocant, in Cyrenaica provincia repertum.* Nunc urbs hæc Curoan, in Regno Barcæ, verſus Syrtim magnam ad Doſtum fluv. 10. leuc. ab ora Maris Mediterranei, in Auſtrum, 15. leuc. Gallic. à Barce in Ortum 175. mill. paſſ. ab Ammonis templo, in Occaſum 90. milliar. à Phycunte promontor. in Auſtrum. In colle eſt, deficit indies. Adjacens regioni *Meſrata* quibusdam, *Baudrand*. Cæterum de Cyrenaica vide Voſſ. *ad Melam*, *l.* 1. c. 6. Addo, quod Urbs dicta audit, apud Statium, *l.* 5. *Sylv.* 3. v. 107.

Quo non Munychiæ quidquam præſtantius arces,
Doctaque Cyrenes, Spartaque animoſa creavit.

Utpote doctiſſimorum hominum nutrix ac genitrix, ut ex præcedentibus videre eſt: inter quos Callimachus nominari inſignem meretur. Cujus utinam vel illæ ſolæ tabulæ extarent, quibus 120. libris celebrium in omni doctrina Virorum *Vitas* & *Scripta* annotaverat, ut ſcribit *Suidas*. Veterum ex eadem urbe Scriptorum gloriam, repetiit Chriſtianis temporibus *Syneſius*: cui certè auctori pauciſſimi ex omni antiquitate præponendi videntur, qui quidem materiæ aut genere ſcriptionis illi comparari alluerint poſſint. Caſp. Barthius, *Animadverſ. ad Statium*, d. *l.*

CYRENE, Græcè Κυρήνη, urbs Galliæ a Maſſilienſibus condita, vulgò *Caſtres*, vel *Corrons*, ad amnem Argenteum. Hadr. Valeſ. in voce *Maſſilia*.

CYRENIUS, totius Syriæ Præſes, ab Auguſto Cæſare conſtitutus, per quem cenſum, univerſamque deſcriptionem Cæſar fieri juſſit. Luc. c. 2. v. 1.

CYRES, urbs. *Steph.*

CYRESCHATA, Græcè Κυρέσχατα, urbs Perſica fuit, in ultimis Sogdianæ finibus, ad Jaxartem fluv. (quem *Tanaim* vocabant Macedones poſtmodùm) condita à Cyro, qui ibi metâ expeditionum ſuarum poſitâ, urbi inde nomen dedit, quaſi dicas Κύρου πόλιν ἐσχάτην. *Cyri urbem ultimam.* Quemadmodùm & Alexander, Ἀλεξάνδρειαν ἐσχάτην, *Alexandriam ultimam* eodem ferè in loco condidit, Κυρέσχατον deſtructo. Occurrit vox apud Ammianum, *l.* 23. *Hic inter alia oppida celebrantur. Alexandria & T[illegible] & Cyreſchata Metropolis.* Ad fines Perſidis conditam fuiſſe, tradit Steph. Κύρου πόλις, ἢ ὡς Κυρέσχατα καλοῦσι, πόλις [illegible] τῆς Περσίδος. Sed corrigit eum Strabo, *l.* 11. ὅρον τῆς Περσῶν ἀρχῆς, *terminis Imperii Perſici*, eam fuiſſe tradens. Non enim in Perſide fuit, particulari illa Perſarum regione, quam ἡ Περσὶς nomine ſemper intelligunt Græci: ſed in altera extremitate Perſarum Imperii, in finibus ſcil. Sogdianorum. Interim recte Steph. Κυρέσχατα & Κυρούπολιν, i. e. *Cyropolin*, eandem facit, contrà quàm *Ptolemæus*, illas diverſas ſtatuens, Κυρέσχατα in Sogdiana, Cyropolin inter Mediæ urbes recenſet. *Arriano* certè & *Curtio* *Cyropolis* dicitur, quæ Κυρέσχατα aliàs ad Jaxartem. Quam in rem vide Salmaſ. *ad Solin.* p. 791. & 1193.

CYRIACA, Græcè Κυριακή, h. e. *Dominica*, nomen ædis ſacræ, apud Walafridum, *de Exord.* & *Incr. Eccl.* c. 7. unde Germanorum *Kirchen*. Item nomen urbis Calabriæ Hieracenſis: *A. C.* 986. *Comprehenderunt Saraceni, ſanctam Chiriachi civitatem & diſſipaverunt Calabriam totam*, Chron. Lupi Protoſp. apud Domnic. & Car. Macros, in *Hierolex.*

CYRIACUS, Patriarcha Conſtantinopolitanus, poſt Johannem Jejunatorem, A. C. 596. Epiſcopus Univerſalis dici voluit. Sed, quia generosè Phocæ in Eccleſia varia miſcenti obſtitit, illô privatus eſt titulô, qui juſſu Imperatoris in Epiſcopum Romanum tranſlatus eſt. Obiit A. C. 606. Niceph. *l.* 18. Theophanes, *Cedrenus*.

CYRIACUS, ex Judæo Chriſtianus. Helenæ Imperatrici crucis locum indicâſſe dicitur. Gregor. Turonenſ. *l.* 1. c. 36. Crucigerorum auctor. Item Epiſcopus Adenæ, in Cilicia, ad Damaſum Epiſcopum Roman. miſſus, A. C. 382. Item Anconitanus, *Antiquarius* dictus, ob ſtudium antiquitatis. Seculô 15. ſcripſit *Itinerarium Europæ*, *Aſiæ*, & *Africæ*. ut & alia egregia. Leander Albert. *deſcr. Ital.* p. 285. Voſſ. *de Hiſt. Lat.* *l.* 3. c. 10.

CYRIADES Marcus, primus è 30. tyrannorum numero fuit: eorum nempe, qui temporibus Valeriani & Gallieni Imperatorum imperârunt. Hic dum luxurioſis & moribus perditis ſanctum ſenem ejusdem nominis patrem gravaret, direptâ magnâ parte auri & argenti, Perſas adiit: atque Sapori Regi commendatus, hortator belli Romanis inferendi fuit. Antiochiâ raptâ & Cæſareâ, Cæſarianum nomen accepit: atque inde vocatus *Auguſtus*, cum omnem Orientem vel virium audaciâ, vel terrore quateret; patrem etiam interemit: Sed mox ipſe per inſidias ſuorum, cum Valerianus jam ad bellum Perſicum iret, interemtus eſt A. C. 259. Conſulito Trebellium Pollionem, in *libro de* 30. *Tyrannorum vitis*, c. 1.

CYRICSEATUM, vide *Cyricſetum*.

CYRILLA, Decii Cæſaris filia cum Triphonia matre, & 46. militibus à Dionyſio Epiſcopo Romano converſa, martyrii ſuſcepit palmam. A. C. 169. Baleus *in Dionyſ.*

CYRILLUS, Vir *ingenii vehementis & imperatorii*, Alexandrinus Præſul, poſt Theophilum avunculum, A. C. 412. Epiſcopatum magnâ auctoritate geſſit. Neſtorio errores ſuos diſſeminanti magno cum zelo reſtitit. Ægyptios ſcriptô editô contra hæreticum, ut & Imperatorem Theodoſium Juniorem cum Eudoxia & Pulcheria duplici tractatu, munitus Neſtorium ab errore fruſtra revocare conatus. Hinc Epheſinô Conciliô Oecumenicô III. Patrum ducentorum, ille damnatus, B. Virgo Deipara dici juſſa eſt. Sed à Johanne Patriarcha Antiocheno, Neſtorii fautore, Synodô indictâ, ipſe Cyrillus depoſitus, & in carcerem conjectus eſt. Inde liber Patriarcham ob perdurat, ut Epheſino Concilio ſubſcriberet. Dein à criminibus ſibi à Neſtorii factione impactis ſe purgans, ſcripſit contra Theodorum Mopſveſtium, Diodorum Tarſenſem & Julianum Apoſtatam. Myſterii incarnationis acerrimus hyperaſpiſtes. Obiit A. C. 444. Evagr. Niceph. Socrat. *Hiſt. Eccl.* Gennad. *de Viris illuſtr.* c. 57. Photius in *Bibliothec.* Sigebert. *de Scriptorib. Eccl.* c. 24. Sixtus Senenſ. *Bibliot.* *l.* 4. A. C. 412. Godeau. *Hiſt. Eccl.* t. III. *l.* 1. & 2. Edidit *variarum hypotheſeon tractatus*, & *commentaria in varios Veteris & Novi Teſtamenti libros*. *Homilias plurimas*, &c. Scripſit etiam *contra Julianum*; cujus temporibus vixit. Vide ſuprà. Habentur Scripta ejus 6. tomis. A. C. 1638.

CYRILLUS, Dalmatiæ Præſul.

CYRILLUS, natione Græcus Conſtantinopoli oriundus, ut quidam, Montis Carmeli Monachus *Trithemio* & *P. Lucio*, (*Faceſſat tamen*, inquit Baronius, *iſtiuſmodi fabella de Monachiſmo ejus*) Archiepiſcopus Alexandrinus, σύγχρονος Anthelmo. Claruit A. C.

A. C. 430. in Concil. Ephesino, *Sixto Senens. & Marano* A. C. 370. in Syria, *Bellarmino* A. C. 431. Obiit A. C. 444. *Ciaccono* & Paro. Ejus opera in fol. prodierunt Lomn. Basileæ A. C. 4566. & Parisiis A. C. 8573. Græc. Latin in fol. Antverpiæ A. C. 1618. Tomis 6. in fol. Parisiis A. C. 1632. 7. Volum. Joanne Auberto interprete, in fol. ibidem A. C. 1818. &c. *Moyses ὁ τῆς ἀληθείας ...* Magistro: *Athanasio, Basilio, Gregorio Naz. Nysseno & Chrysostomo par,* Leoni Imperatori ... Athanasius: *Vir ingenii excellentissimi, & in omni doctrinarum genere instructus,* Catal. Test. Ver. De Cyrilli *Anathematismis*, vide Gerb. von Mastricht, *Histor. Juris Eccles. num.* 79.

CYRILLUS, Patriarcha Alexandrinus, Euryphianus. A. C. 1618. Gautier. Chron. 17. *sec. p.* 846. Col. 4.

CYRILLUS, Patriarcha Antiochenus. Doctrinâ & sanctitate illustris, successit Timaeo, A. C. 583. Obiit A. C. 599. Euseb. *in Chron. & Hist. l. 7. c.* 26. Alius, successit, A. C. 1619. fratri suo Athanasio: ab Ignatio successore occisus. A. C. 1628. Gautier. Chron. 17. *sec. p.* 850. Col. 4.

CYRILLUS, Præsul Hierosolymitanus, A. C. 350. post Maximum, sæpe ab Ecclesia pulsus, & receptus ad extremum sub Theodosio Imperatore octo annos in sua sede persistentes; Satanae cum Martyrio afferuerunt. Extant ejus Catecheses. Obiit A. C. 386. postquam interfuisset Concilio Constantinopolit. II. Theodoret. *l.* 3. *c.* 6. 7. Epiphan. *Hær.* 66. & 73. Rufin. *l.* 1. *c.* 23. Joh. Damascen. 3. *de Imag.* Hieron. *in Chron. & Catal. c.* 112.

CYRILLUS, Patriarcha Constantinopolitan. confessione fidei Ecclesiarum Orientalium edita, Reformatæ Religioni penè in omnibus consentanea, nisi quod Spiritum S. à Patre per Filium procedere assereret, Jesuitas infestos sensit. Qui A. C. 1658. & seqq. virum optimum in capitis periculum bis terve adducto, tandem exauctorationem ejus & exilium, magnò pretiò à Barbaris redemerunt: Anastasiò Pauliarò Creense, bipedum nequissimò surrogatò. Quò tamen paulo post dejectô Cyrillus revocatus est. Nec hic turbonum quies. Sed denuo ab his vexatus, martyrii tandem subiit coronam. A. C. 1638. Confessio hæc in Anglia impressa est. Discipuli ejus in Belgium missi, ut ad pedes illustrium ibi Theologorum eruditionem sacram haurirent, Rivetus in *Jejunia Vap.* 8. 20. *sect.* 11 12 13.

CYRILLUS, monachus Palæstinæ, Euthymii discipulus, seculo 5. scripsit vitam *Euthymii, Sabæ & Joh. Silentiarii*, &c. Vide Voss. *de Hist. Græc. l.* 2. *s.* 21.

CYRILLUS Statius vel Tarlas, Historicus *Vitas Imperatorum* Latinè transtulit, sub Constantino. Jul. Capitolin. *in Maximino*, seq. Vossius, *de Hist. Lat. c.* 7. *p.* 193.

CYRILLUS, unus ex Ducibus Vitaliani, qui sub prætextu defensionis Orthodoxorum arma ceperunt, ab Anastasio Imperatore captus. A. C. 514. Evagr. *l.* 3. *c.* 38.

CYRILLUS, Moravorum Præsul, cùm à Formoso Pontifice postulâsset, permitteret ipsis sacra linguâ vernaculâ celebrari: hac de re autem Patres dubitarent, vox de cœlo audita est: *Omnis Spiritus laudet dominum, & omnis lingua confiteatur ei.* Quâ motì, concessum est, quod petebatur. Æn. Sylvius, *Hist. Bohem. l.* 13. Polydor. *l.* 5. &c. Circa A. C. 894.

CYRILLUS, Diaconus Heliopolitanus (est autem Heliopolis civitas insignis ad Libanum sita) imperante Constantinò, plurima Ethnicorum idola contrivit, cujus rei illi memores sub Juliano Imperatore, vivo ventrem exciderunt, jecurque inde exemptum degustârunt, sed divinitus puniti. *Suidas*, Theodor. *c.* 6. 7.

CYRINI Castra, Cappadociæ locus. *Strab.*

CYRINUS, Romanus, cum Basilide & Nabore sub Diocletiano passus, ut sepultus terrâ obrutus lapide. *Volaterran.*

CYRIS, Solis filius (unde eum fortasse *Titanum* appellat Val. Flacc. *Argonaut. l.* 6. *v.* 79.) Hyrcanorum Rex, qui cum copiis venit auxilium Persæ, contra Æëten, Colchorum Rex.

CYRIS, Metropolis Sabinorum. Inde Juno *Cyrrtia. Steph.* vide *Cures.*

CYRIS, fluv. Calabriæ, vide *Ciris.*

CYRIZOBORCA, Indiæ oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 19. *extr.*

CYRMIANÆ, Thraciæ gentes. *Herodot.*

CYRNABA, Scythiæ fluv. non procul à Chryse fluv. Plin. *l.* 6. *c.* 17.

CYRNUS, fil. Aquitis, quem, dum immittam agiis Colchicæ perquirit Pater, à Gesandro occisus est, ut habet Val. Flacc. *l.* 6. *v.* 258.

CYRNUS, apud Silium Ital. *l.* 16. ubi de Ludis Scipionis Equestribus in Africa celebratis, unus erat ex quatuor Agitatoribus, cujus quadriga prima exiit, solò *Lampone* equo funalis fusisti nomine indignata Poëtæ, *v.* 333.

Evolat ante omnes, rapidique per æthra cursu
Callaicus Lampon fugit ——

Cujus rei rationem dicemus infrà, ubi agemus de Equis *Fenalibus.*

CYRNUS, insula in mari Ligustico, à Cyrno Herculis filio sic dicta, cùm prius Therapne diceretur. Populi *Cyrnii* qui longissimè ævò utuntur, propter mellis usum, quod apud eos copiosum nascitur. Hinc Cyrnæus, Virg. *Ecl.* 9. *v.* 30.

Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos.

Vide *Corsica. Cyrnus* etiam insulam Japygiæ, versus Boream habet *Steph.* Item, maris Ægæi Insula inter Sporades, 80 mill. pass. à Gyaro in Austrum. Plin. *l.* 3. *c.* 6. *l.* 4. *c.* 12. *Sanut* *Tabulis Geograph. recentiorib.*

CYROGRAPHI Thyni, apud Catullum, *Epigr.* 25. *v.* 8. sunt annuli. Thyni significans, sculpturæ Bithyniæ, taceo enim celebres erant ac nominati. An pro *Chirographis*, quemadmodum *Cyragra*, pro *Chiragra*, in vetustis libris, *Cyras*, pro χεῖρας, apud *Isidorum*, in vetustissimis membranis: An pro *Cirographis*, quasi etiam imprimentes & signantes? Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano*, c. 30. Vide quoque supra in *Cirographis.*

CYROPOLIS, apud Plin. *l.* 6. *c.* 26. regio Persidis maritima est. *Persis Rubrum mare semper adcolebat, propter quod fines Persarum vocatur. Regio ibi maritima Cyropolis.* Sed nulla in Perside maritima regiuncula nomine unquam fuit; nec quidquam ibi *Regiorum*, pro *Regione*, reponere: *Cyropolis* enim non fuit Regia Persidis, sed dicenda erat *Cyreschata*, de quibus dictum suprà: ubi etiam, quod Plinium in errorem induxerit, videre est.

CYROPOLIS, ampla Asiæ civitas, quæ etiam *Cyreschata* vocatur. *Steph. Sammatis* vel *Semmatis*, Persis *Circombate*, Arab. *Chrysiveth*, Vide *Portas Caspias. Ferrar.*

CYRRÆI, populi Æthiopiæ circa Nilum. Claudian. *Eidyll.* 4. *de Nilo*, *v.* 20.

Hunc bibat effrenis Garamas, domitorque ferarum,
Cyrræus ———— ————

CYRRHA, urbs Phocidis, vide *Cirrha.*

CYRRHADÆ, Indæ intra Gangem gentes agrestes, Arrian. *in Periplo.*

CYRRHIPAS, nomen morionis, apud Martialem, *l.* 6. *Epigr.* 39. *v.* 15.

Hunc verò acuto capite & auribus longis,
Quæ sic moventur, ut solent asellorum,
Quis morionis filium negat Cyrthæ?

CYRRHES, Macedoniæ populi non procul à Pella. Plin. *l.* 4. *c.* 10.

CYRRHESTICA, Syriæ regio.

CYRRHUS, urbs Syriæ, in Cyrrhestica regione. *Ptol.* Quarz hodie, & alis Coros.

CYRRHUS, melius CYRUS, *Kyer* vulgò, Asiæ in Iberia fluv. Oritur in confinio Armeniæ majoris ex Moschicis montib. & per Iberiam, ubi recipit Iberum & Aragum fluv. deinde per Albaniam; ubi auctus Alazò, 1 c. fluv. 10 mare Caspium se exonerat, 30. millitar. ab Albaniæ in Austrum. Vide Cyrus.

CYRSILUS, Atheniensis, lapidibus obrutus, quòd urbe cedendum suaderet. Cicer. *l.* 3. *de Offic. c.* 11. *Athenienses, cum Persarum impetum nullò modò possent sustinere, statuerentque ut urbe relicta, conjugibus ac liberis Trœzene depositis, naves conscenderent, libertatemque Græcia classe defenderent, Cyrsilum quendam suadentem, ut in urbe manerent, Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt.*

CYRTA, vel CIRTA, Syphacis sedes in Africa.

CYRTÆSIS, Africæ Propriæ populi. *Ptol.*

CYRTEA, urbs ad Rubrum mare, in quam Artaxerxes Megabyzum relegavit. *Steph.*

CYRTIADÆ, Græcè Κυρτιάδαι, locus Atticæ ad Acamantidem tribum pertinens. *Hesych.*

CYRTONES, urbs Bœotiæ. *Steph.*

CYRTUS, urbs Ægypti in Mediterraneis, patria Dionysii Medici. *Steph.*

CYRUS, I. Cambysis fil. ex Mandane Astyagis Regis filiâ, Persarum ac Medorum Rex, qui primus (ut Justinus, *l.* 1. *c.* 6. scribit) devictò Astyage, qui ipsum occidi jusserat per Harpagum, ultimò Medorum Rege, Medorum imperium transtulit in Persas, Olymp. 55 Urb. Cond. 193. Tulli Hostilii 18 M. 3494. & subactâ Asia totum Orientem in potestatem redegit. Post Crœsum enim devictum, Chaldæos subegit, & Babylone, per Euphratem in exiguos rivos diductum, expugnatâ, jam Monarcha Persarum, an. regni 20. Judæos è captivitate, ad Hierosolymam, templumque reædificandum, dimisit: Hinc *Dei servus* apud Esajam Propheta, c. 44. v. ult. vocatus. Postremò cùm bellum Scythis intulisset, eosque clade magnâ affecisset, Tomyris eo tempore Scytharum Regina, compositis insidiis, ducenta millia Persarum cum ipso Rege trucidavit, ita ut ne nuncius quidem tantæ cladis superfuerit; Caput Cyri amputatum, in utrem humanò sanguine repletum conjectum fuit cum hâc exprobratione; *Satia te sanguine quem sitisti.* Annò regni 30. Imperii 9. Herodot. *l.* 1. Justin. *l.* 1. *c.* 8. Diodor Sic. *l.* 3. Xenophontis enim Cyropædia, non ad historiæ fidem exigenda, Joseph. *Ant. Jud. l.* 11. Euseb. *Chron. l.* 10. *Prep. Evang.* Scaliger *de Emend. Tempor. l.* 5. Petavius, *Chronol. l.* 10. *c.* 17. *Cyrum* Persicè sermone *Solem* significare, author est *Ctesias*, qui Paryfatidem Dario præter Artaxerxem alium filium genuisse narrat, addit: Κῦρος ἀπὸ τοῦ ἡλίου ... Plut. *in Artax.* ... Unde apparet, tortò, quod aiunt, collò *Suidam* in vocis hujus etymo errare; Sic enim ille, Κῦρος ὁ Περσῶν βασιλεὺς ... Nic. *Lloydius.* Idem verò nomen & avo & proavo ejus, qui Achæmenis nepos fuit, Joh. Marsham. *Canone Chron. Sec. XVIII.* ubi itemque Cyri exhibet. Cæterùm, nomen linguâ Persicâ *Solem* significare, scribit Plut. ut vidimus, ut omnino ex Hebr. חרס descendat, à quo radice Ceres Ἔρως, Ἄρης, Ὄσιρις, *Heros*, *Horus*, *Iris*, aliaque derivat Georg. Hornius, *Hist. Philos. l.* 1. *c.* 6. Nec difficile est conjicere, quod moti pastores Cyri nomen Spacò indiderint. Justinus enim scribit, *l.* 1. *c.* 5. *Mox Rex inter ludentes sorte delectus.* Nimirum summam inter rusticos virtutis opinionem obtinebat: qualibus in Oriente è planetis, Sole imprimis, nomina frequentissimè indita sunt &c. Idem tamen alibi ex Persico *Kosra*, Imperatorem significare, expressum & commune omnium Regum Persarum ad nomen titulumque, ac inde Latinorum *Cæsar* ortum fuisse, contendit. Cæterùm *Mulus*, Græc. Ἡμίονος, idem in

Tttttt 3 oraculo

oraculo ad Crœſum dictus eſt, cujus tenor, *Tunc fuam regni ejus fore, quando mulus potitus eſſet ſede Regis Medorum.* Apud Alphæum Senenſem, *veniet Perſa ſemiaſinus, qui vobis jugum imponet ſervitutis.* Quod inde ortum, quia ipſe Medo-Perſa, Medus à Matre, Perſa à Patre, eſſet, *Grotius.* Vide quoque Joſ. Scaligerum, *Notis ad Fragm. Beroſi*

CYRUS, II. minor, Artaxerxis III. frater, apud quem cùm falſo delatus eſſet, ægréque matris precibus ſervatus, bellum adverſus eundem ſuſcepit tanquam Patri jam Regi natus: in quo cùm jam Græcorum operâ penè victor evaſiſſet, fortiter quidem ſed incautè dimicans, eſt interemtus, A. M. 3633. Olymp. 94. Xenoph. Juſtin *l.* 5. Plut. *in Artax.*

CYRUS. Epiſcopus Orientis, Monothelita, ab Heraclio Imperatore ſeductus, Patriarcha Alexandrinus factus. Sed ficta ejus pietas, & Orthodoxæ emendatus cultus, quò plurimæ impolueritæ, in apricum productus, ipſeque VI. Synodô Generali condemnatus eſt. Obiit A. C. 640. Sedis 10. Synodi VI. *Act.* 13. Conſilium temerarium graviter luit apud *Niceph.* Cùm enim Heraclio Imperatori ſuaſiſſet, ut, Veræ redimendæ cauſâ, Omaro Saraceno Eudociam filiam deſponderet, præfecto urbis excruciandus traditus eſt.

CYRUS, Patriarcha Conſtantinopolitanus, poſtquàm Juſtino Juniori reſtitutionem in thronum prædixiſſet. Sede pulſus, à Philippico Bardane, A. C. 712.

CYRUS, fil. Apollonii, Medicus inſignis, cujus memoriam ſervat *Inſcr.* Lampſaci (quæ ejus genitale ſolum erat) hodieque ſuperſtes:

Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ
ΚΥΡΟΝ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ. ΑΡ-
ΧΙΑΤΡΟΝ. ΑΡΙΣΤΟΝ. ΠΟΛΕΙ
ΤΗΝ. ΕΠΙΣΗΜΟΝ. ΠΡΟΣ. ΠΟΛ
ΛΟΙΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΜΑΣΙΝ. ΕΙΣ
ΑΥΤΗΝ ΑΛΕΙΨΑΝΤΑ. ΛΑΜ
ΠΡΩΣ. ΚΑΙ. ΠΟΛΥΔΑΠΑΝΩΣ.
ΚΑΙ. ΑΣΥΓΚΡΙΤΩΣ. ΚΑΙ. ΑΠΟ
ΧΑΡΙΣΑΜΕΝΟΝ. ΧΕΙΛΙΑΣ. ΑΤ
ΤΙΚΗΣ. ΤΗ. ΓΕΡΟΥΣΙΑ.

An idem cùm *Cyro*, Liviæ Druſi uxoris Medico, cujus meminit alia *Inſcr.* Florentiæ extans,

CYRUS
LIVIÆ DRUSI CÆS
MEDIC.

Videtur omninò: cùm non aliis Principes Romani Medicis libentiùs uterentur, quàm è Græcia accitis. Jac. Sponius, *Itinerar. Part.* 3. *p.* 91.

CYRUS, Panopolita fuit Poëta, ob ingenium nobile, apud Theodoſium Juniorem Imperatorem, & Eudoxiam plurimùm valuit. Romanorum in Africa Dux, cum Carthaginem caperent. Euagr. *l.* 1. *c.* 19. Dein Conſul A. C. 441. Præfectus Urbis, quam ingenti terræmotu collapſam A. C. 446. reparans, meruit vocem vulgi: *Conſtantinus ſtruxit, Cyrus reparavit.* Hinc Zelotypiâ Conſtantini, bonis & dignitate exutus, Epiſcopus Smyrnæ tandem evaſit. Niceph. *l.* 14. *c.* 46. Suidas apud *Volaterran*,

CYRUS, continuator vitæ Leontii & Sociorum. Item Epiſcopus Aphrodiſienſis in Caria, Epheſino Concilio interfuit.

CYRUS, ſeu CYROPOLIS, Syriæ civitas à Judæis extructa, in memoriam Cyri, qui eos ex captivitate dimiſerat. *Procop.* Epiſcopalis ſub Patriarcha Antiocheno, Theodoretus huic olim præfuit. An *Quars* hodie? Ibi Synodus, contra P. Fullonem, A. C. 476. Albertus Miræus, *Geogr. Eccl.* Chalcidenſium item urbs, in Eubœa. Polyæn. *l.* 5. Aliter *Cyrrhus* & *Cyrros*, juxta Marſiam fluv. 45. milliar. à Zeugma, totidem ab Euphrate in Occaſum, 25. infra Berrœam ſeu Alepum, in Auſtrum. *Baudrand.* Eſt & Mediæ fluv. *Ptol.* Item alius ejuſdem nominis Scythiæ fluv. De quo Mela, *l.* 3. *c.* 5. *Cyrus & Cambyſes ex radicibus Coraxici montis vicinis fontibus editi & in diverſa abeunt, perque Iberos, & Hyrcanos diu & multùm diſtantibus alveis defluunt; poſt non longè à mari eodem lacu accepti, in Hyrcanum ſinum unó ore perveniunt.* Vide ſis illic Voſſium. *Corus* olim dicebatur, teſte *Strabone*, *Cyrech* Pineto eſt, *Cori* Caſtaldo, *Cur* Nigro, & *Elcur* Ramuſio. Videtur eum *Matthæus Michovienſis Tirk* appellare. *Thevetus* ſcribit eum ab incolis *Lada* vocari. Perperam Κύρνος apud *Plut.* & *Dion.*

CYRUS, Perſidis fluv. *Strab. Bagradas* ſeu *Agradatus* etiam, nunc *Tiſindon*, *Sanſon.* alluit Urbes Zirgiam, Larium & Darabegerdum, ſeu Paſagardam antiquorum, & poſt longum curſum, in Perſicum mare & Sinum Armuzianum ſe exonerat, 10. circiter leuc. ab Armuzio in Ortum. Cum Coro à *Strabone* confunditur, cùm *Cyrus* in Caſpium, Corus in Perſicum mare, ſe exoneret. Salmaſ. *ad Solin. p.* 1193. Vide ſuprà in voce *Corus.*

CYSA, Carmaniæ pagus. *Arrian.*

CYSENIS, filia Diomedis Thraciæ Regis, viros homines diſſecabat medios & parentibus comedendos liberos apponebat. *Volaterran*

CYSSUM ſeu CISSA, oppid. Lacetanorum, in Hiſpania Tarraconenſi nunc *Camaraſa* videtur, oppid. Cataloniæ, ad Secorim fluv. 2. leuc. Hiſpan. ſupra Berguſiam, 6. ſupra Ilerdam, in Ortum.

CYSTEN, Æthiopiæ ſub Ægypto oppid. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

CYTA, urbs Colchidis, Medeæ patria, *Steph.* Herbis veneficis imprimis famoſa fuit. Hinc *terra Cytæa*, Val Flacc. *l.* 6. v. 693.

Tum juvenem terris Perſa tenuêre Cytæis.

Item *Cytais*, *idis*, pro Medea. Propert. *l.* 2. *El.* 4. v. 7.

Non hic herba valet, non hic nocturna Cytais.

Idem *Cytæna carmina* poſuit pro *Magica*, *l.* 1. *El.* 1. v. 23.

Tunc ego crediderim vobis, & ſidera, & amnes
Poſſe Cytæinis ducere carminibus.

Ubi vide Scaligerum. *Nic. Lloydius.*

CYTÆUM, Cretæ inſul. urbs. *Ptol. Candia Jovis*, *Nigro* & aliis, in ora Boreali, optimè contra Turcas munita, ſub Venetis. Aliis eſt *Sitia*, urbs illa Epiſcopalis, 60. circiter milliar. à Macio in Ortum, ex præcipuis Inſulæ. Unde tractus adjacens *territorio di Sitia*. Nunc ſub Turcis, *Baudrand.* Cum tota Inſul. Item Tauricæ Cherſoneſi eadem.

CYTAIS, Carmaniæ regio. *Arrian.*

CYTEORUM, *Ptol. Cotyorum Plin.* Cappadociæ oppid hodie *Cotine.*

CYTERIUM, ubs Oenotrorum Mediterranea. *Steph.*

CYTHARA, melius *Cithara*, ſæpe cum Lyra confunditur, ut apud Athenæum, *l.* 14. videre eſt: ſed quantum ab ea differat, doctè Scaliger *in notis ad Sphæram Barbaricam Manilii* docet. Vetus Lexicon: *Cithara pectus Doricâ linguâ dicitur. Inde Cithara dicta, quod initiò credatur ſimilis fuiſſe humano pectori; Aut, quia ſicut in pectore, ita in ipſa, cantus vel melodia editur.* Et certè Veteribus ſuperior pars thoracis uſque ad jugulum ita appellabatur, ſicut & Chelys. Hieronymus ſcribit literam Δ. retuliſſe, ſed variæ aliæ fuêre ſpecies. Illam, ſicut & cætera inſtrumenta Muſica, Syris debere originem, arbitrantur Eruditi, Straboque, *l.* 10. inſtrumentis pleriſque nomina barbara eſſe dixit, ſicut Νάβλα καὶ Σαμβύκη καὶ Βάρβιτος καὶ Μαγάδις. Ita ergo *Cithara*, ab Hebr. כתר derivari videtur, quod *circulum*, *ambitum* denotat, ſicut contrarium *Cithara* eſſe ſolet: Meminit Danielis, *c.* 3. v. 5. ſicut ibidem סבכא *Sabbeca*, Sambucam refert. *Abob* tibiam, unde Ambubajæ: *Nebel* Nablium &c. Pythagoreos ſtudiâ vel Citherâ commotos ſomnos & ad vitia inclinantes mitigaſſe, ac ad meliorem frugem deduxiſſe, prodidit Hermogenes *de Ideis.* Vide & ſupra in voce *Citharœdi*.

CYTHERA, orum, inſula in ora Peloponneſi contra Cretam, ut ſcribit *Strabo*, quinque mill. paſſ. à Maleæ promontorio, 15. milliar. ab Ægialia, 45. ab ora proximiori Cretæ diſtans, hodie *Cerigo Sophiano.* A Sinu Cigala Archipelagi Pharos & ſpecula Turcarum vocata. Olim Spartanorum propugnaculum & receptaculum navium, quæ ex Ægypto & Libya redibant. Veneri ſum dedicata. Virg. *l.* 10. *Æn.* v. 51.

Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphus, atque Cythera.

Ovid. *l.* 4. *Faſt.* v. 286.

Deſerit, & Veneri ſacra Cythêra petit.

Inde Venus ipſa Cytherea. Virg. *l.* 1. *Æn.* v. 261.

Parce metu Cytherea, manent immota tuorum
Fata tibi. --- ---

Sic dicta

--- ὅτι προσέκυρσε Κυθήροις.

teſte Heſiodô, *Theog.* v. 198. id eſt, quia è mari emergens ad Cythera primùm appulit. Hic Venus, ut in Cypro, *Armata* fuit Pauſan. *in Laconicis*, Ἔνθα δὲ ὁ ναὸς ξόανον ὡπλισμένον. Cythera dici vult *Steph.* ἀπὸ Κυθήρου τοῦ Φοίνικος. Sed Cytheras ille Phœnix, cùm aliunde non ſit notus, tam Cytheram inſulam quàm Cithæronem Bœotiæ montem celebrem Phœnices appellaſſe putat Bochartus ὁ μέγας, *l.* 3. *Chanaan*, *c.* 22. à כתרא *cethera*, *i. e. a petra.* Chaldæus Interpres, ubi de *cuniculis*, Proverb *c.* 30. v. 26. *Faciunt ſibi domicilium* [illegible] *in petra*, Nam in Bœotiæ Cithærone (de quo ſuprà) ita Cythera inſula ſcopulis ſcatet. Mercator in Cythera: *Oppidum habet ejuſdem nominis (in colle) ac multos portus, ſed parvus totos, atque circa ipſam inſulam ſparſi ſunt plures ſcopuli.* Proinde apud Euſtath. in 3. *Iliad.* Cythera, inquit, quidam eandem eſſe inſulam volunt cum *Granoe*, quia τραχὺ aſperum ſonat & *confragoſum.* Quin & purpuræ, quæ petroſis & calculoſis locis maximè gaudent, circa hanc inſulam multæ fuerunt, unde & *Porphyris* & *Porphyruſa* dicta eſt. Plin. *l.* 4. *c.* 12. *Cythera cum oppido antea Porphyris appellata.* Ariſtoteles apud *Stephanum*, Ἐκαλεῖτο δὲ Πορφυροῦσα διὰ τὸ κάλλος τὸ τῶν ἐκεῖ πορφυρῶν, *i. e.* Euſtathiô interprete διὰ τὸ καλλίστας ἔχειν πορφύρας; quas purpuras, quod ſcopulis aut calculis plurimum gaudere diximus, Plinius idem teſtatur his verbis, *l.* 5. *c.* 1. *Ebori, citroque Sylva exquiruntur, omnes ſcopuli Gætuli muricibus ac purpuris.* Et *l.* 9. *c.* 37. *Purpura calculoſa appellantur à calculo maris mirè apta conchyliis.* Oppian. *l.* 5. *Halieut.* 1 v. 314.

Πολλαὶ μὲν ἐν πέτρῃσιν, ταὶ δ' ἐν ψαμάθοισι φύονται,
Multa quidem in petris, quædam naſcuntur arenis

Nic. Lloyd. Eſt prima Archipelagi Inſul verſùs Occaſum, ſub Venetis. Circuitus eſt 60 milliar. circiter, *Tomaſ. Porcacco.* Portum habet *Delphinum*, in parte Auſtrali. Cæterùm *Provedatorem* ibi Veneti habent, & arcem, unde ſerenô cœlô Candia Inſul proſpici poteſt. Mediâ innecit exigua Inſul. eſt *Cerigoto*, ad Nobilem Cythereum *Macerinis* pertinens, in qua nihil præter ſylveſtres capras. In ipſa verò Cythera generoſæ vites, & probæ notæ falcones, præter alia, leporum, coturnicum, turturum impriſis vim ingentem, reperiuntur. Ibidem regiæ Menelai rudera, & rupem in cameram excavatam, quam *Balneum Helenæ* incolæ vocant, oſtendi, refert Jac. Sponius ubi ſuprà, *Part.* 1. *p.* 164.

CYTHERA

CYTHERA, olim oppid. nunc pagus Cypri, *Concha*.

CYTHERA, numero plurali etiam, urbs Cypri Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Conſtantiæ, in Ora Boreali, vulgo *Cithera*, nunc pagus. *Ferrar.*

CYTHERIACA Concha, apud Martialem, *l.* 2. *Epigr.* 47.

> .... *fuge vetus mœcha,*
> *Levior ô conchis, Galle, Cytheriacis.*

Eadem cum *Concha Erycina*, Propertii, *l.* 3. *El.* 12. *v.* 6. quam vocem de concha puellarum accipit Rigaltius; alii de *Conchis*, aliis *Veneris* dictæ, de quibus ſupra. Vide quoque Hadr. Junium, *Animadverſion. l.* 5. *c.* 7. & ſupra ubi de *Concha Veneris*.

CYTHERIS, nobiliſſima meretrix, liberta cujuſdam Volumnii, quam Corn. Gallus Poëta ſupra modum adamavit, eamque *Lycoridem* vocat Virg. *Ecl.* 10. Vide *Corn. Gallus*.

CYTHERUM, Græcè Κύθηρον, locus Atticæ, ad Pandionidem tribum pertinens, Philoxeni Poëtæ patria, de quo vide Diodor. Sic. *l.* 14. Jac. Sponium, *Itiner. Part.* 3. *p.* 150. ubi hanc *Inſcr.* Veneris ſuperſtitem adjicit,

ΕΠΙΚΤΗΣΙΣ ΟΝΑΣΟΥ ΚΥΘΗ
ΡΙΟΥ ΘΥΓΑΤΗΡ.

CYTHERUS, Elidis fluv. Heracleam alluens. Pauſan. *l.* 6. Item Atticæ urbs. *Strabo*. Et vicus in Pandionide tribu. *Steph.*

CYTHINA, urbs Theſſaliæ. *Steph.*

CYTHISUS, genus fruticis in Cythno Inſul. primùm repert. Vide infrà *Cytiſus*.

CYTHNOS, Inſul. una ex Cycladibus, in mari Ægæo, verſus oram Atticæ, inter Ceam & Seriphum Inſul. Tota montuoſa eſt, nunc ſub Turcis, & raros habet incolas. *Baudrand.* Olim *Ophiuſa*, ac *Dryopis* dicta. Ovid. *l.* 5. *Met. Fab.* 4. *v.* 252.

> .... *Inde cavâ circumdata navè Seriphon*
> *Deſerit, à dextrâ Cythno, Gyaroque relictis.*

Idem, *l.* 7. *Fab.* 24. *v.* 464.

> *Florentemque Syron, Cythnon, planamque Seriphon.*

A' Cythno primo habitatore dictam volunt. Bochartus autem, *l.* 1. *Chanaan*, *c.* 14. *Cythno*, inquit, videri poteſt nomen feciſſe קטנות *Katnuth*, i. e. *parvitas*, quum exigua eſt inſula. Tamen aliud ſuccurrit, quod licet minus obvium, fortaſſe multò eſt verius. Κύθνιος τυρὸς *Cythnius caſeus*, fuit olim valde celebris. Ita obſervant *Steph.* & *Euſtath.* ubi de Cythno. Et è Polluce, *l.* 6. *c.* 10 [illegible] *caſeus Cythnius & Siculus cenſentur inter* [illegible] *cibos apud veteres maximè probatos.* Quin & *Cythnius* dicebatur, à vicinâ *Cea*, vel *Ceo* caſeus, quam ex Æſchylidis libris *de R. R.* multis deſcribit Ælianus, *de Animal. l.* 16 *c.* 32. Itaque propter caſei dotes Cythnum, ut ſuſpicamur, dicta eſt inſula גבנה *gubna*, vel *guphna*, quomodo Syri hanc vocem efferunt, i. e. *inſula caſei*. Sed Græci pro [illegible] ſcripſerunt, i. e. κ pro γ ut Κάμηλος ex גמל *gamal*, & θ pro φ, ut [illegible]. Hinc *verbum* Græcè [illegible] dici volunt pro [illegible]. Ita Hieronymus Rhodius apud Athen. *l.* 12. Eodem exemplô *Cythnus*, pro *Cyphnus*, dicta. Inſulam hanc olim fuiſſe cultam, docet hiſtoria vetus de Cythnius ab Amphictyone malè multatis, quod ceſſit in proverb. Hinc enim Κύθνιαι συμφοραί, *Cythnia calamitates*, dicuntur de graviſſimis; cujus adagii *Suidas* ac *Zenodotus*, tanquàm ex *Ariſtotele* meminerunt. *Hesychium* verò apud *Photium* ſcribi vult per *L.* non per *D.* [illegible] inquit, [illegible]. Et in *Hesychio* [illegible] eſt [illegible], qui perditus eſt funditus, quomodo Cythnus ab Amphictyone planè caciſa eſt ac devaſtata. Addit enim [illegible]. Ita legendus eſt ille locus. *Nic. Lloydius*.

CYTINEUM, una eſt ex tribus Noricis civitatibus. *Steph.* Imò, una ex quatuor Doricis urbibus, quæ *Tetrapolis* nomine olim inſignes Metropoles fuêre omnium Dorum. Strabo, *l.* 9 [illegible]. Nomina illarum, *Erineum*, *Boïum*, *Pindus*, *Cytinium*. E quibus *Cytinum*, cum *Erineo*, vicina oppida Parnaſſo monti agnoſcit Strabo, *l.* 10. Vide Caſp. Barth. *Animadverſ. ad Statium*, *l.* 4. *v.* 753.

> ..... *nec ferrò meritas exſcindere Thebas* &c.

CYTIS, inſul. Arabiæ, ubi topazius lapis. Plin. *l.* 6. *c.* 29.

CYTISORUS, Phryxi filius.

CYTISUS, Græcè Κύτισος, frutex eſt ab Ariſtomacho Athenienſi, miris laudibus prædicatus *pabulo ovium*, *aridus verò etiam ſuum: ſpondetque jugera ejus annua H. S. M. M. vel mediocri ſolo reditus* ---- *Non ex alio pabulo lactis major copia aut melior* ---- *Apes quoque nunquam defore Cytiſi pabulô contingente, promittunt Democritus & Ariſtomachus* ---- *Canum aſpectu breviterque, ſi quis exprimere ſimilitudinem velit, anguſtioris trifolii frutex* ---- *inventus eſt in Cythno inſula; inde tranſlatus in omnes Cycladas, mox in urbes Græcas, magnô caſei proventu* ---- *Non æſtuum non frigorum, non grandinum aut nivis injuriam expaveſcit. Adjicit Hyginus, ne hoſtium quidem, propter nullam gratiam ligni*, Plin. *l.* 13. *c.* 24. Interim aſſiria necat, ſed ab halimo necatur, Salmaſ. *ad Solin. p.* 174. Coronis quoque olim attributum, unde videtur colligi, quòd violæ ſociatur, apud Ovid. *l* 5. *Faſt. v.* 271. ubi facit Chlorim loquentem,

> .... *volucres ego mella daturas*
> *Ad violam & cythiſos, & thyma grata voco* &c.

Vide Car. Paſchal. *Coronar. l.* 3. *c.* 16.

CYTNI, Pannonica gens. *Ptol.*

CYTONIUM, urbs inter Myſiam & Lydiam. *Steph.*

CYTORUM, urbs Paphlagoniæ ad Pontum Euxin. *Ptol.* *Caſtelli* hodie *Niger*.

CYTORUS, à Cytoro, Phryxi fil. conditore, *Cotyora* Xenoph. *Cytorum Ptol.* Urbs & mons Galatiæ, in quo buxus pluriſma naſcebatur. Strabo, *l.* 12. [illegible]. Catullus, *Epigr.* 4. *v.* 13.

> *Amaſtri Pontica & Cytore buxifer.*

Virg. *l.* 2. *Georg. v.* 437.

> *Et juvat undantem buxo ſpectare Cytorum.*

Ovid. *l.* 4. *Met. Fab.* 11. *v.* 311.

> *Sæpe Cytoriacò deducit pectine crines.*

Idem, *l.* 6. *Met. v.* 132.

> *Utque Cytoriaca radium de monte tenebat.*

Id eſt, *buxeo*. Euſtath. *in Iliad. H. m.* β. *v.* 853.

> Οἵ ῥα Κύτωρον ἔχον καὶ Σήσαμον ἀμφενέμοντο

Κύτωρος, inquit, πόλις Παφλαγονίας Σινώπιων ἐμπόριον, [illegible]. Plin. *l.* 6. *c.* 16. *Buxus Pyrenæis ac Cytorniis montibus plurima & Berecynthio tractu.* Interpres Apollonii in illud *l.* 2.

> .... [illegible] Κύτωρον

[illegible]. Huc pertinet forma adagii, quam Euſtath. aperit [illegible], quod ſimile illi, *Noctuas Athenas*. Sed ante hos omnes Theophraſtus, *l.* 3. *Hiſt. Plant. c.* 15. inquiens de buxo: [illegible]. Alluſit huc Val. Flaccus, *l.* 5. *Argonaut. v.* 105.

> .... *Atque jugo pallente Cytorum.*

Nam hic pallor à buxo eſt. Ovid. *l* 4. *Met. v.* 134.

> .... *Oraque buxo*
> *Pallidiora gerens.* ....

Credibile autem legendum, in loco Plinii nuper adducto *Cytornis*, aut *Cytoris*, non *Pyrenæis*. Nam ſtatim Theophraſtus, à quo ille reliqua ſumſit, [illegible]. *De la Cerda.* Strabo, *l.* 12. ex Ephori ſententia, *Cytorum* Synopenſium Emporium fuit. A' Cytoro prædicto conditum. *Nic. Lloydius.* Salmaſio unus fuit ex quatuor pagis, ex quibus Amaſtris compoſita, ab Amaſtride Dionyſii Tyranni Heracleæ uxore, Darii ſorore, quem devicit Alexander. Vide Salmaſ. *ad Solin. p.* 889 & ſuprà in voce *Amaſtris*.

CYZICUM, Inſula in Propontide, quæ duobus pontibus continenti adhæret, eodemque urbs clariſſima cognominis, quam à Mithridate arctiſſimè obſeſſam, L. Licinius Lucullus Dux Roman. liberavit. De hac Florus, *l.* 3. *c.* 5. *Cyzicum nobilis civitas, arce, mœnibus, portu turribuſque marmoreis. Aſiaticæ plagæ littora illuſtrat: hanc ille quaſi alteram Romam toto invaſerat bello*, & quæ ſequuntur. Vide quoque infra *Cyzicus*.

CYZICUS, à Theſſalis oriundus. Fuit enim ex Æneo Apollinis & Stilbes filio natus, qui, relictâ Theſſaliâ, ubi fuerat ortus, in Helleſpontum ſe contulit atque ibi regnavit, & *Æneten*, Euſori Thraciæ Regis filiam, uxorem duxit, ex qua Cyzicum genuit, qui Dolionum tenuit imperium in Iſthmo & Cherſoneſo, quæ eſt in Propontide. Juxta quam mons eſt *Arctos* nomine. Cyzicus cùm advenientes Argonautas ſibi cognatione conjunctos didiciſſet, eos benigniſſimè ſuſcepit hoſpitio. Cumque à Cyzico digreſſi eſſent Argonautæ, proximâ nocte tempeſtate acti eòdem reverſi ſunt, quos Cyziceni hoſtes cùm crederent, adverſus eos egreſſi, penè internecione ſublati ſunt, inter quos ipſe Cyzicus ab Iaſone eſt interemptus, ut & Apollonius & Valerius ſcribunt. Orpheus ab Hercule, alii ab Dioſcuris.

CYZICUS, urbs Myſiæ ad Propontidem, condita à Mileſiis, juxta Eſarium, an 3. Olymp. 7. vel 2. Olymp. 24. uti diverſos auctores ſecutus *Euſebius* habet: quemadmodùm Lampſacus ex altera parte, Strabo, *l.* 14 *Chizico Sophiano*, cui nomen indidit Cyzicus Rex, quem Iaſon per imprudentiam interemit. Fuit hæc civitas & magnitudine, & pulchritudine cum primis Aſiæ urbibus comparanda, paci & bello apta, tribus armamentariis inclyta, quorum aliud armorum, aliud inſtrumentorum, aliud frumenti erat receptaculum. Sed & una fuit ex tribus Officinis Monetariis ſub Imperatorib. in Oriente, uti *Sozom.* & ex eo *Nicephorus* referunt, qui complures in hac urbe tradunt exſtitiſſe Monetarios, qui [illegible]. Unde notæ in nummis, ΚΥΖ, ΚΥΖΒ. quas vide Propert. *l.* 3. *El.* 21. *v.* 1.

> *Frigida tam multas placuit tibi Cyzicus annos,*
> *Tulle, Propontiaca qua fluit iſthmos aqua.*

Ovid. *l.* 1. *Triſt. El.* 9. *v.* 29.

> *Inde Propontiacis hærentem Cyzicon oris*
> *Cyzicon Æmoniæ nobile gentis opus.*

Ubi vir [illegible] Nic. Heinſius *ſurgentem* legere mavult, nam in edito colle ſita hæc urbs. Val. Flaccus, *l.* 2. *v.* 636.

> *Nec procul, ad tenuis ſurgit confinia Ponti*
> *Urbs placidis demiſſa jugis, rex divitis agri*
> *Cyzicus.* ....

Sed & Apollonius Rhodius, in ejuſdem deſcriptione,

Ἔστι δ' ὥς τις νῆσος Προποντίδος ἔνδοθι πόντου
Τυτθὸν ἀπὸ Φρυγίης πολυληΐου ἠπείροιο,
Εἰς ἅλα κεκλιμένη, &c.

Vide Caſaubon. *ad l.* 12. *Strabonis*. *Cyziceni* apud veteres timiditatis ac mollitiei notantur, unde *tonſura Cyzicena*, proverb. apud *Zenodotum* & alios in eos, qui aliquid indecorum metu faciunt. *Cyziceni* quoque *ſtateres* apud *Suidam* in proverb ſunt, pro re ſculpta diligenter, ſicuti fuêre *nummi Cyziceni*. Nu. *Lloydius* longitud. 54. 50. latitud. 42. 15.

CZAR, in Ruthenico idiomate, Regem; *Czarſtwo* vero Regnum ſignificat: & hôc nomine Moſcoviæ Principem ſuum Regem totius Ruſſiæ appellant. Cæteri autem Sclavones, utpote Poloni, Bohemi, Lithuani aliique, qui ab idiomate Ruthenico recedunt, aliô nomine Regem appellant, ſcil. *Krol*, alii *Korol* & *Kral*. Hôc verò nomine *Kzar* ſolum Imperatorem appellari exiſtimant. Unde & Rutheni ipſi & Moſci, audientes ab externis nationibus Imperatorem hôc nomine deſignari, & ipſi Principem ſuum Ruſſiæ Imperatorem appellare cœperunt, nomen *Czar* dignius eſſe, quàm Regis, licèt idem ſonet, putantes. Verùm in omnibus Ruthenorum tam ſacris quàm profanis literis, *Czar* Regis, *Kezar* verò Imperatoris nomen repræſentat. Sic quoque Rex Tauricæ Tartarus, Præcopenſis *Czar* i. e. Rex nuncupatur, omneſque Tartarorum Reges non aliâ appellatione gaudent. Sed plurimi ignorantiâ nominis decepti, omnes Reges hôc nomine inſignitos Cæſares, atque adeo Imperatores eſſe exiſtimant. Alii quoque Principem Moſcoviæ album Cæſarem, præcipuè verò ſubditi ſui appellant, i. e. Regem vel Imperatorem Ruſſiæ Albæ, quemadmodum ea Ruſſia, quæ Polonorum ſubeſt Regi, Nigræ nomine venit. Alii ideo Moſcorum Principem Regem Album dici volunt, quòd incolæ omnium regionum, ipſius imperio ſubjectarum, veſtibus & pileis albis ut plurimum utuntur, Guagninus *in deſcript. Moſcoviæ*. Becmannus tamen non dubitat, quin ad Cæſarei nominis imitationem vocem hanc Ruſſiæ Principes affectaverint, qui & Aquilam, Imperii inſigne, ſuis inſignibus inſeruerunt. Primus *Czaris* titulum aſſumſit Baſilius, fil. Johannis Baſilidis, qui univerſæ Ruſſiæ Principem ſe primus appellavit, Magni nomen ob id ſortitus, & Tartarorum jugum, è quibus Majores ipſius jus & inaugurationem toris 200 & amplius annis petierant, inſtinctu Sophiæ conjugis excuſſit, mortuus A.C 1492. Horum filius, præfatus Baſilius, ante Imperium Gabriel vocatus, poſt Smolenſcenſem Principatum & quicquid Sibetienſis ditionis ſupererat, Imperio adjectum, *Czar* dici voluit. Ejus ſucceſſor Johannes Baſilides Caſanenſi & Aſtracanenſi regnis imperiô auctô, mortuus A. C. 1584. ſucceſſorem habuit filium Theodorum, quem defunctum A. C. 1597. excepit Boriſlaus Gudenow, Johannis olim Mareſcallus. Hinc poſt varias Pſeudo-Demetriorum turbas, electoſque Baſilium Zuskium, Vladiſlaum Poloniæ Principem & Carolum Philippum, Guſtavi Adolphi Sueciæ Regis fratrem, ſed rejectos, iterum A. C. 1613. Michael Foderowitzs, è familia Johannis Baſilidis *Czar* factus eſt, cui A. C. 1645. demortuo ſucceſſit filius Alexius Michalowitz, haud pridem mortuus. Vide Scriptores *rerum Moſcoviticarum, qui uno volum. in fol. prodierunt A.* C. 1600 Sigiſm. Bar. ab Herberſtein; Olearium, *Itiner*. Petr. Petrejum, *Chron. rerum Moſcov*. Matthiam Michovitum, *Sarmatiæ Part*. 2. Ægidium Fletcherum Anglum, *de rebus Ruſſicis*, &c.

CZASLAVIA, urbs Bohemiæ ſatis ampla, ad Crucimentum amnem, in qua Johannes Ziſca, Huſſitarum Dux, ſepultus eſt, 3. leuc. German. à Caurzima, 4 à Chrudima, *Baudrand*. Hic, ut dictum, Ziſca Huſſitarum famoſus Dux, & Rokyzana, ſepulti fuerunt: quorum prioris cineres quærentes inimici, A. C. 1623. fruſtra fuêre, lapide ſolum, cui Ziſcæ effigies obterta inerat, repertô: poſterioris vero cadaver A C 1630. exhumatum eſt, ut Lucæ Jeſuitæ locum faceret. Joh. Amos Comenius *in Annal. Fratr*. apud *Lætum*.

CZENSTOCHOVA, oppid. Poloniæ ſuperioris ad Wartam fluv. in colle, ſatis munitum, cum monaſterio, haud pridem fortiter propugnatum, contra Suecos. In confinio Sileſiæ, medium ferè inter Cracoviam & Siradiam.

CZERINUM, oppid. permunitum Ucraniæ, ad Taſminum amnem, vix 2. leuc. à Boriſthene, 7. à Czyrcaſſia in Auſtrum. A Tartaris malè habitum haud ita pridem.

CZERNIHOVIA, Urbs munita Lithuaniæ in Ducatu Severienſi, nunc ſub Moſcis, quibus ab Uladiſlao IV. fuerat erepta A. C. 1633. ad Deſznam fluv. vix 2. leuc. à Hinice Vellunæ, 5. à Boriſthene. Ab ea tractus adjacens *Ducatus Czernihovienſis*.

CZERNOBELA, oppid Ucraniæ, ad Uſzam amnem, qui paulo infrà in Pripetium labitur, 18. leuc. à Czernihovia in Occaſum, 12 à Rzeczica in Meridiem, 2. à Boriſthene.

CZERSCHIA, vulgò *Czersko*, urbecula Poloniæ ad Viſtulam fluv. Palatinatus caput, in Mazovia provinc. 10. leuc. ſupra Vuarſaviam in Auſtrum. Hinc Maſuvia dicitur quandoque Palatinatus Czerſchienſis.

CZIERNIENSIS dominatus, in Polonia, à Johanne Alberto Rege Conrado fratri Januſii Mazoviæ Ducis traditus, pro tractu Polocenſi & Mazovia, regno incorporatis. A. C. 1501. Cromer. *l*. 30.

CZYRKASSIA, Urbs munita Ucraniæ, ad Boriſthenem. 7. leuc. à Czerino in Boream, 18. à Bialaceria in Ortum, varias tam à Moſcis, quàm Coſaccis Tartariſque hôc tempore vices experta.

E 50269